





ACTA
SANCTORUM
SEPTEMBRIS
TOMUS QUINTUS.

Capse 76
Shelf 5
Vol 8



BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

ACTA SANCTORUM

SEPTEMBRIS

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium Monumentis, ſervatâ primigeniâ veterum Scriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariiſque & Obſervationibus

ILLUSTRATA

A

JOANNE STILTINGO,
CONSTANTINO SUYSKENO,
JOANNE PERIERO,
URBANO STICKERO P.M.,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS V

Quo dies decimus quintus, decimus ſextus, decimus ſeptimus & decimus octavus continentur.

Domus Profæ. Gen.
Soc: Jesu.
Inscript.
Catalogo.
BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA



ANTVERPIÆ,
Apud BERNARDUM ALBERTUM VANDER PLASSCHE.
M D C C L V.





PETRUS LEOPOLDUS,

ARCHIDUX AUSTRIÆ. etc. etc.



PETRO LEOPOLDO

REGIO PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, HIEROSOLYMÆ &c.,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, SILESIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, MEDIOLANI &c., COMITI FLANDRIÆ, TYROLIS, HANNONIÆ, NAMURCI, &c. &c.



Omus de Actis Sanctorum quadrageſimus tertius, qui ſub auſpiciis Auguſtiſſimæ Imperatricis Matris Tuæ ſeptimus editur, ad Te ſupplex properat, SERENISSIME ARCHIDUX, utpote nomini Tuo deſtinatus ab Amantiſſima Matre, Patrona Operis noſtri gratioſiſſima, à nobis debita cum reverentia

obla-

oblatus. Si autem nôſſe deſideras, quid amplo illo volumine contineatur, qualeſque fuerint Sancti, quorum in eodem geſta enarrantur ; dicemus breviter, Sanctos fuiſſe conditionis, ſexus, & ætatis diverſæ. Principes fuerunt *Luthardus* Cliviæ Comes, *Richardis* Imperatrix, *Ludmilla* Bohemiæ Duciſſa, *Editha* Angliæ Regis filia. Supremus Eccleſiæ univerſalis Rector fuit *Victor* Papa III ; particularium eccleſiarum Antiſtites accedunt de more complures, uti & inferioris ordinis clerici, abbateſque, monachi & eremitæ, iique viri præclari & admirandi. Inter præfectos provinciarum ſiſtet ſe *Satyrus*, S. Ambroſii frater ; inter militum ductores *Ferreolus* tribunus ; inter matronas nobiles *Catharina Fliſca Adurna*, virtutum exercitio, quàm avita nobilitate illuſtrior ; inter Virgines multas *Hildegardis* miranda videbitur, utpote humano ſtudio illitterata, & vel ſic virorum & mulierum magiſtra. Mittimus alias Sanctorum, de quibus agitur, differentias, quia perſuaſum habemus, SERENISSIME ARCHIDUX, Te pro ea pietate, cujus ſpecimina in tenera ætate dare cœpiſti, magis velle intelligere, quid in omnibus Sanctis admirari valeas & imitari. Multa quidem ſunt & maximè expetenda, quæ in omnibus Sanctis eluxerunt virtutum decora. At veremur, ne epiſtolarem brevitatem nimiùm excedamus, ſi omnia recenſere voluerimus. Quapropter, miſſis aliis, ſolùm oſtendere conabimur, veram in omnibus Sanctis elucere ſapientiam. Ea ſanè tam perfecta eſt & excellens, ut aliquando ruborem & timo-

morem horribilem incuſſura ſit illis ipſis, qui Sanctos in hac vita, ut miſeros & inſanos, deſpiciunt, aut etiam ut noxios calumniis onerant, & barbara ferocitate perſequuntur. Illi ipſi profectò, qui ſtolidâ ſuperbiâ Sanctorum ſimplicitatem hîc irrident, dum unà cum illis coram ſupremi Judicis tribunali conſiſtent, vel inviti agnoſcent admirabilem fuiſſe Sanctorum ſapientiam, & ſummo cum ejulatu inſaniam ſuam confitebuntur. Ut autem clariùs oſtendamus, veram eſſe Sanctorum ſapientiam, accuratè inveſtigare oportet, quænam ſit vera, quæ contrà umbratilis tantùm & falſi nominis ſapientia. Illoſne igitur dicemus verè ſapientes, qui multa nôrunt acutè & ſubtiliter diſſerere de rebus philoſophicis, theologicis, mathematicis, qui doctis ratiociniis inveſtigare conantur, quidquid natura habet abſconditum, aut Divinitas abſtruſum? Nequaquam hos ſapientes dixerimus, SERENISSIME PRINCEPS, niſi cum prædictis ſcientiis ſapientiam Sanctorum conjunxerint. Veramne ſapientiam attribuemus illis, qui multâ pollent rerum geſtarum notitiâ, qui facta hiſtorica cum adjunctis locorum & temporum aptè exponere, maturoque judicio vera à falſis dubiaque à certis ſciunt diſcernere? An illis, qui multarum habent linguarum peritiam, aut potentem tam in ſcribendo quàm dicendo facundiam, aut juris & legum inſignem eruditionem, aut artis medicæ conſummatam experientiam? Neque hos inter ſapientes recenſuerimus, ſi timore Dei caruerint & amore. Sapientior illis omnibus eſt ſim-

plex

plex agricola, qui præter articulos fidei & doctrinam ſalutarem nihil didicit, modò rectiùs ambulare noverit per ſemitas, quæ ad æternam felicitatem perducunt. Indoctus fraterculus, qui totis viribus Deum diligit, immenſoſque quotidie theſauros ſibi in cælo deponit, longè ſapientior eſt erudito hiſtorico, facundo oratore, ſubtili juriſconſulto, expertiſſimo medico, niſi & hi divinâ quâdam ſapientiâ humanas ſcientias exornaverint. Nihilo magis verâ præditos ſapientiâ dicemus, ſi qui arte bellica hoſtes ſuperare, ſi qui magnâ induſtriâ aurum argentumque accumulare, ſi qui mira dexteritate ad excelſa nôrunt ſe elevare honorum culmina. Ne hos quidem, qui morum ſuavitate omnium ſibi amicitiam conciliant, aut moderato & prudenti imperio populorum ſibi animos devinciunt, ſtatim ſapientes nominaverimus. Sublimioris ordinis eſt, SERENISSIME ARCHIDUX, Sanctorum ſapientia. Non pendet illa à multarum rerum cognitione, non ab ingenii ſubtilitate, non à facundia eloquii, non ab ulla arte humana, nedum ab auro, argento, hominum amicitia, aut populorum benevolentia. Ille enim ſapiens eſt, qui ea rectè novit, & accuratè facit, ad quæ agenda à ſapientiſſimo rerum omnium Conditore productus eſt. Ille ſapiens eſt, qui ſummo ſtudio ea exſequi laborat, quæ ipſum ad ſempiternam perducent beatitatem. Qui verò mandata ſupremi Domini aut ignorat aut negligit, qui non ſtudet ingredi viam, quâ ad cæleſtem patriam pertingat, verâ caret ſapien-

pientia, etiamſi plurimarum rerum notitiâ ſit imbutus, etiamſi diſſerendi acumine valeat aut facundiâ, etiamſi ad ſublimia evadat honorum faſtigia, aut Crœſi divitias accumulet. Etenim inſipientiam ſuam luculenter produnt ejuſmodi homines, dum vires ſuas exhauriunt laboribus parùm aut nihil profuturis, & vix manum movere volunt aut pedem, ut cum immenſis theſauris gloriam acquirant numquam interituram. Quàm longè diverſa ſunt Sanctorum conſilia! Sanctorum enim ſapientiæ eſt oculos perpetuò habere intentos in finem, ad quem à Deo creati ſunt; cùm noverint, in ſola finis illius aſſecutione omnem felicitatem ſuam eſſe poſitam. Ad illum igitur finem omnia deſideria, ſtudia, cogitationes, orationes, labores dirigunt: ad illum magis magiſque appropinquare omni conſtanter conatu enituntur: ab illo perſequendo nulla deterrentur difficultate, nullo avelluntur timore. Quæ verò ad ultimum illum beatiſſimumque finem non conducunt, quales ſunt divitiæ, honores, dignitates, voluptates honeſtæ, aliaque vitæ commoda, nec incenſo ſtudio quærunt, dum abſunt, nec vehementer diligunt, ſi illa poſſident; ſed aut utuntur ſolùm tamquam inſtrumentis ad beatum finem conſequendum, aut abjiciunt velut onera ſuperflua. Hæc Sanctorum ſapientia, quâ ſemper ad cælum tenditur, tantò præſtantior eſt quâlibet ſcientiâ humanâ, quantò cæleſtia terrenis omnibus ſunt excellentiora. Hæc omnes Sanctorum labores reddit fructuoſos, omnia ipſorum ſtudia tam utilia, ut

ſolis etiam deſideriis & cogitationibus theſauros adipiſcantur, nec temporum diuturnitate umquam minuendos, nec hominum avaritiâ auferendos. Quàm porrò fructuoſa ſit eximia illa Sanctorum ſapientia, non alio modo clariùs perſpiciemus, quàm ſi præmia Sanctorum comparemus cum lucris hominum, qui ſtudia ſequuntur planè oppoſita. Fieri poteſt, & revera non rarò contingit, ut pares utrique ſubeant labores, ut nihilo minùs ſe fatigent, qui cupiditatibus ſuis totos ſe permiſerunt, quàm qui ſerviunt Deo. Imò etiam graviora frequenter pericula adeunt, & durioribus ſe exponunt laboribus, qui anxia ambitione honorum fumos captant, aut immenſa cupiditate auro argentoque inhiant, quàm qui ſedulò divinæ Majeſtati famulantur. Nec ſordidos Epicuri de grege porcos excipere cogimur: nam & hos neceſſe eſt tantò gravioribus ſæpè angi doloribus, quantò magis effrenata libidine voluptatibus ſe tradiderunt. At credamus tantiſper, pares dumtaxat eſſe labores Sanctorum, & eorum, qui aut ambitioni, aut avaritiæ, aut voluptatibus ſerviunt. Prætermittamus etiam, priores ex futurorum bonorum exſpectatione continuam haurire conſolationem, poſteriores verò conſcientiâ malè factorum, velut ſagittâ lateri inhærente, perpetuò cruciari. Nihil dicamus de horrendis inferorum cruciatibus, qui impiorum capitibus ſemper impendent. Solùm conſideremus mercedem Sanctorum laboribus paratam, & ſtipendia laborum, quæ obtinent ambitioſi, avari, luxurioſi. Multum fortaſſe cuipiam dixiſſe videbimur,

bimur, ſi cum ſtipendio ſupremi militiæ præfecti aut regni cujuſdam gubernatoris mercedem Sanctorum comparaverimus, aliorum verò lucrum cum gregarii militis aut viliſſimi operarii diurna mercede. At revera parùm dixerimus: nec dubitamus aſſerere, differentiam eſſe multò majorem. Conſequatur ambitioſus honores, quos ingenti anxietate venatur: aſcendat ad dignitates, quas tanto perſequitur deſiderio. Quid tandem, iis obtentis, habebit? Cumulum fortaſſe laborum & dolorum, moleſtaque tædia, ex aliorum invidia ipſiſque dignitatibus naſcitura. Fingamus tamen, reperiri nonnullum, qui honoribus fruatur ſine onere, qui dignitates poſſideat ſine tædio, qui major ſit invidiâ, qui tantos denique ex ambitione ſua fructus percipiat, quantos illa promittere magis poteſt, quàm dare. Quamdiu durabit iſta qualiſcumque felicitas, cum vita certè terminanda? Jam verò & avaro concedamus, quantum nec coacervare poteſt nec ſperare. Habeat ciſtas, conclavia, domos integras auro plenas: ſitim expleat inſatiabilem, ſi poteſt. Careat anxia ſollicitudine conſervandi acquiſita, & amittendi timore. Noverit ſolùm, ſe moriturum, & nihil ex omnibus ſecum ablaturum. Pari rurſum utamur liberalitate cum voluptatum mancipiis. Fruantur quotidie, quibus libidini obſequantur. Nullus ipſorum obſiſtat deſideriis, nullus cupiditatibus frenum imponat. Nec infamiâ notentur apud homines, nec morborum moleſtiis à voluptatibus avocentur, donec advenerit moriendi hora. Intelligis, SERENISSIME

ME ARCHIDUX, me longè plura & majora ambitioſis, avaris, & libidinoſis concedere, quàm ullus eorum conſequi umquam potuit. Vel ſic tamen nihil habebunt præter umbras bonorum, ſi qualiacumque eorum bona in comparationem veniant cum veris Sanctorum lucris. In hac autem comparatione pro certo habere debemus, nullum eſſe alicujus pretii bonum, niſi illud & diuturnum ſit & ſtabile. Quis enim inter bona magnopere expetenda id cenſeat, ſi cui in ſcena principis aut regis perſonam agere liceat, ſi princeps ſcenicus multos habeat ſtipatores procereſque lateri adhærentes? Nemo ſanè tam eſt inſipiens, ut magni faciat dignitatem illam perſonati principis, quia nec vera eſt nec ſtabilis. Jam verò, ſi dignitas illa ſcenica, dum cum vita hominis comparatur, breviſſima apparet, ſi nec ſtabilis nec vera, quia tam citò aufertur; quantò magis omnes mundi dignitates, quas conſequuntur ambitioſi, omnia auri argentique pondera, quæ congregant avari, omnes voluptates, quibus ſe ingurgitant luxurioſi, exiguo & quaſi nullo tempore amatores ſuos magis decipiunt, quàm delectant, ſi comparentur cum bonis æternis, quæ accipiunt Sancti? Nam horum felicitas, ubi obtenta eſt, ſtabilis perſeverat: poſt mille annos, poſt mille annorum millia, non tantùm ad finem accedet, quantùm puer unius diei acceſſit ad ſenectutem. Quare ſi tota hominis etiam longævi vita cum æterna Sanctorum beatitate conferatur, non niſi punctum temporis efficiet, & multò minorem æternitatis partem

tem conſtituet, quàm actio comica vitæ humanæ. Si verò, SERENISSIME ARCHIDUX, excellentiam quoque cæleſtium bonorum, quibus fruuntur Sancti, expendere velimus, plura ſanè cogitanda erunt, quàm dicenda. Neque enim Regiâ munificentiâ utitur Deus; ſed magnificentiâ divinâ ſervos ſuos exaltat. Non cibo aut potu, quem oculus vidit, non concentu muſico, quem auris audivit; ſed torrente voluptatis cæleſtis, quam humana inſcitia nequit cogitare, illos perpetuò recreat & oblectat. Non bonis, quæ mortales appetunt, ſed multò præſtantioribus, quæ in theſauris ſuis habet recondita, Sanctorum deſideria ſic implet, ut iis ſine tædio ſemper delectentur, perfectamque obtineant beatitatem, nec timore aut dolore, nec ulla adverſitate umquam minuendam. Si quis igitur cum hac Sanctorum beatitate quamcumque felicitatem terrenam comparare voluerit, tantumdem fecerit, acſi pictos homines conferret cum viventibus, umbras cum rebus. Quapropter Sancti, qui cæleſtium bonorum excellentiam probè intelligunt, præ illis terrena omnia, ſicut aranearum telas aut formicarum cellas, contemnunt. Dedimus, SERENISSIME PRINCEPS, pro tenuitate ingenii noſtri adumbratam quamdam imaginem, aut potiùs umbram exilem præclaræ illius Sapientiæ, quâ Sancti ſecuras ſibi vias aperuerunt ad immenſam gloriam & beatitatem ſempiternam. Si virium noſtrarum eſſet omnem pretioſæ illius margaritæ ſplendorem & pulchritudinem oculis Tuis objicere; totus procul dubio

in amorem & deſiderium ejuſdem exardeſceres. Illam certè ſapientiam ſtudiosè quæſiverunt miréque amârunt Auguſtiſſimi Majores Tui, Caroli, Leopoldi, Ferdinandi. Illam pari ardore diligunt, cunctiſque regnis & imperiis præponunt Auguſtiſſimi Genitores Tui, Teque & verbis & exemplis, ad eamdem diligenter quærendam invitant. Nos verò, dum præſentem de Actis Sanctorum tomum devotiſſimo animo ad Te deferimus, SERENISSIME ARCHIDUX, votis precibuſque ſimul divinam imploramus Clementiam, ut, patrocinante cum Sanctis omnibus beatiſſima Virgine Maria, ſoſpitem Te ad ætatem maturiorem provehere, diuque cum Auguſtiſſimis Parentibus & Sereniſſimis Fratribus ac Sororibus incolumem conſervare, & non modò Sanctorum Sapientiâ exornare, ſed & bonis omnibus ex illa orituris uberrimè cumulare dignetur.

SERENISSIME ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotiſſimi Clientes

JOANNES STILTINGUS
CONSTANTINUS SUYSKENUS
JOANNES PERIERUS

SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI QUINTI

DE ACTIS SANCTORUM SEPTEMBRIS.

TOmus hic Operis de Actis Sanctorum quadrageſimus tertius quatuor complectitur dies, decimum quintum Septembris & tres ſubſequentes; Sanctos verò aut Beatos nominatim expreſſos octoginta & novem, quos more nobis conſueto in claſſes diviſos breviter recenſebo.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primus dignitate in hoc ſtatu fuit *Victor* Papa III, ante Pontificatum dictus *Deſiderius* abbas Caſinenſis, qui ſupremam illam dignitatem diutiùs recuſavit, quàm geſſit. Egregia Viri geſta ex Chronico Caſinenſi data ſunt, & aliunde etiam illuſtrata. Epiſcopos variæ provinciæ plures protulerunt: Mediolanum in Italia habet *Euſtorgium*, à S. Ambroſio laudatum; Panormus in Sicilia *Mamilianum*, in inſula quadam maris Etruſci defunctum, quem ex Actis diverſis, majori cum varietate quàm fide exaratis, nonnulli perperam geminare voluerunt. *Aper* epiſcopatum præclarè geſſit Tulli Leucorum in Lotharingia; *Albinus* Lugduni, *Principius* Cenomanis, *Ferreolus* Lemovicis, *Sinerius* Abrincis, omnes in Gallia. De horum geſtis non multa innotuerunt; omnia tamen diligenter conati ſumus colligere. Beatis etiam annumeratur *Ludovicus Alamandus*, S. R. E. Cardinalis & archiepiſcopus Arelatenſis, qui magìs innotuit, maximè in concilio Baſileenſi. Geſta ejus in illo concilio exponimus, non approbamus: at oſtendimus, primas ipſum habuiſſe partes in abolendo ſchiſmate, & pace concilianda Eccleſiæ, eoque ſtudio apertè improbâſſe, quæ contra Romanos Pontifices geſta erant in concilio Baſileenſi. Redonenſis in Armorica epiſcopus creditur *Deſidertus*, qui Româ rediens in Galliam, à prædonibus occiſus eſt cum *Regnifrido* aut *Rainfrido* diacono, & miraculis claruit. Utriuſque Acta inedita damus & illuſtramus. *Lambertus* Trajectenſis in Brabantia epiſcopus plures habuit Vitæ ſcriptores, eaque de cauſa præclaræ ipſius virtutes prolixiùs ſunt expoſitæ. Quatuor Vitas diverſorum ſcriptorum edimus, iiſque adjungimus, quidquid repertum fuit apud alios ad elucidanda Sancti geſta opportunum. Cum *Lamberto* ab impiis occiſi ſunt *Petrus* & *Andoletus*, de quibus ea occaſione breviter actum. Clarum in Scotia & celebre eſt nomen *Niniani*, Candidæ Caſæ epiſcopi, qui Pictos Auſtrales ad fidem convertit. Acta tamen inſignis hujus Viri non carent fabulis; ideoque à nobis omiſſa ſunt. Fideliores virtutum ſuarum præcones habuit poſterioribus ſeculis *Thomas à Villanova*, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, Valentinus in Hiſpania archiepiſcopus. Vitas *Thomæ* tres impreſſimus, duas perbreves Latinè exaratas, tertiam pleniorem ex Hiſpanico ſermone in Latinum tranſtulimus. Accedit & Bulla ſummi Pontificis, quâ *Thomas* ſolemni judicio Sanctis annumeratus eſt: & Acta hunc in finem compoſita materiam ſcribendi auxerunt. Inter epiſcopos, quos Orientalis Eccleſia huic volumini obtulit, doctrinâ, ſcriptiſque & martyrio eminuit *Methodius*, qui Chalcide in Græcia ad palmam perveniſſe dicitur. *Eumenius*, Gortinenſis in Creta epiſcopus, in Thebaïde defunctus creditur. *Heraclides* & *Myro* epiſcopi fuerunt in Cypro, ibique martyrio coronati creduntur. Unum presbyterum dedit Aſia Minor, *Philotheum* nempe in vico Myrmice defunctum, & *thaumaturgum* à Græcis dictum. Roma verò presbyteros habet *Nicomedem* martyrem, cujus Acta compendio tantùm data; *Juſtinum* martyrem, cujus acta edita; & *Abundium*, qui unà cum *Abundantio* diacono paſſus. Hiſce Acta, quæ edidimus, etiam adjungunt *Marcianum* & *Joannem* martyres. Alter diaconus *Emila* cum *Hieremia* paſſus eſt Cordubæ in Hiſpania, Saracenis ibidem Chriſtianos perſequentibus: illorum certamina breviter ſcripſit S. Eulogius, presbyter Cordubenſis, qui deinde in eadem perſecutione martyr occubuit.

EX STATU MONASTICO.

Præter *Victorem* Papam, & *Thomam à Villanova*, quos vita monaſtica cathedræ dedit, tomus hic continet plures, quos ſtatus ille ad cælum tranſmiſit. Inter antiquiores

ores ex hiſce eminuerunt præclaris virtutibus duo abbates in Gallia, *Aichardus* aut *Aichadrus*, Gemeticenſis in Normannia, cujus geminam dedimus Vitam; & *Rodingus* vel *Chraudingus*, Bellilocenſis in Campania, qui ſimiliter varios habuit Vitæ ſcriptores; ſed una ex illis tantùm data eſt. Abbas etiam veriſimiliter fuit *Rithbertus* aut *Raimbertus*, qui colitur in abbatia S. Walarici; licèt aliqui epiſcopum crediderint. Qui in eodem monaſterio & Abbatis-Villæ colitur *Sevoldus*, minùs etiam notus eſt, ut dici non poſſit, an fuerit monachus. *Reginaldus* eremita, qui in provincia Andegavenſi prope Flexiam clientibus ſuis beneficum ſe exhibet, nullum quoque nactus eſt vitæ ſuæ ſcriptorem. *Rolandus de Medicis*, qui vitam duxit anachoreticam, & hominibus diu ignotam, tandem ſub vitæ finem innotuit. Vita breviter conſcripta eſt ab auctore contemporaneo, à nobis ex Ms. edita, unà cum miraculis poſt mortem patratis, à notario fideliter ſcriptis. Cultus *Rolandi*, cujus corpus Bruxeti inter Parmam & Placentiam quieſcit, tantò diligentiùs probari debuit, quantò ignotius martyrologis fuit *Rolandi* hujus nomen. Martyribus etiam non caruit ſtatus monaſticus: nam monachus fuit *Rogellius*, Cordubæ ſub Saracenis paſſus, & fortaſſe *Servio-Deo*, martyrii ſocius, ejuſdem fuit inſtituti. Ad ſtatum Regularem etiam pertinet *Petrus Arbueſius*, Canonicus Regularis Cæſarauguſtæ in Hiſpania. Hic primus fuit in Aragoniæ regno Judaicæ & hæreticæ pravitatis inquiſitor conſtitutus: quod munus dum piè & ſtudioſè exercebat, illuſtrem conſecutus eſt martyrii palmam, Judæorum machinatione ab impiis ſicariis in ipſo templo cæſus. Reſtant Beati duo ex Ordine S. Franciſci, ambo prodigiis illuſtres in Vita & poſt mortem. Primo laudati Ordinis ſeculo floruit *Gandolphus*, cognomen ſortitus *à Binaſco*, patria ſua, defunctus verò Politii in Sicilia, ubi innumera clientibus undique accurrentibus beneficia patrocinio ſuo præſtitit. Vita poſt elevatum corpus ab ipſo epiſcopo ſcripta, miraculaque deinde addita, ut lector ſtudioſus inveniet. Omnium ætate poſtremus eſt *Joſephus*, *à Cupertino* dictus, quia Cupertini in regno Neapolitano primam lucem hauſit, Auximi in Marchia Anconitana præterito ſeculo defunctus; mirabilibus tamen Dei favoribus & gratiis inter primos certò venit numerandus. Nam & cæleſtem corpore vivo ſpargebat odorem, & ita mente in Deum rapiebatur, ut animi impetum mirabili per aëra volatu corpus frequenter ſequeretur. Hæc ſanè duo rariſſimè in Vitis Sanctorum, qui aliàs miraculis multùm claruerunt, curioſus lector inveniet. In Vita autem *Joſephi*, quæ ex Actis ad Beatificationem, ut loquimur, confecta ſunt, prodigia illa aliaque plurima iis confirmata ſunt teſtimoniis, ut nequeant viri prudentis dubitationi eſſe obnoxia.

EX STATU SECULARI.

Hic ſtatus plures offert martyres, quàm confeſſores. Roma habet cum *Lucia Geminianum*, quos Siciliæ attribuere nonnulli voluerunt. Romæ item paſſi ſunt *Narciſſus* & *Creſcentio*. Romanus martyr etiam eſt *Leontius*, cujus corpus ad Murenſe in Helvetia monaſterium fuit tranſlatum. *Priſcianus* coronam obtinuit Nuceriæ in Italia. *Giſlemerius*, Thebææ legionis miles, ut creditur, Burgi S. Domnini in Italia colitur. Inter martyres Galliæ illuſtris eſt *Ferreolus*, militum tribunus, Viennæ comprehenſus, & prope Viennam ſepultus, ſed fortè Brivate in Arvernia gladio cæſus. *Valerianus* Trenorchii in Burgundia paſſus eſt. *Floſcellus* puer M. Belnæ, item in Burgundia, colitur. Nonnulli etiam Galliæ adſcripſerunt ſocios martyrii *Valerianum*, *Macrinum*, & *Gordianum*; ſed de loco martyrii non ſatis conſtat. Britanniæ martyres ſunt *Socrates* & *Stephanus*, de quibus pauca innotuerunt, uti & de præcedentibus aliquot. Notiora ſunt geſta *Niceta* Gothi, qui illuſtrem conſecutus eſt palmam in Gothia ultra Iſtrum. In Thracia paſſi ſunt *Maximus*, *Theodotus*, & *Aſclepiodote* femina. *Archius* & *Archion* martyres Nicomediæ in Bithynia coronam obtinuerunt. At locus, ubi martyrio vitam finivit *Porphyrius*, planè eſt ignotus. *Luthardum*, Cliviæ comitem, non gladius perſecutoris, ſed egregiæ virtutes ad cælum tranſmiſerunt. *Satyrum*, S. Ambroſii Mediolanenſis fratrem, eximiæ item ornârunt virtutes, & dilectiſſimum fecerunt Ambroſio.

EX FEMINEO SEXU.

Præter feminas cum viris martyrio coronatas, reſtant aliæ plures enumerandæ. Martyres ſunt *Sophia* & *Irene*; *Agathoclia* ancilla; *Melitina*, Marcianopoli in Mœſia martyrio coronata; & *Ariadne*, Phrymneſiæ in Phrygia Salutari. *Dulciſſima* Sutrii in Etruria Pontificia colitur, ut virgo & martyr; *Innocentia* Arimini in Æmilia. Celebrior eſt *Columba* ſanctimonialis, Cordubæ in Hiſpania ſub Saracenis paſſa, quæ certaminis ſui præconem habuit S. Eulogium. Longè celeberrima eſt *Euphemia* virgo & martyr Chalcedonenſis, multorum elogiis laudata. Clariſſimæ hujus Virginis certaminibus nebulas offudit inconſiderata criſis, dum illi alterius cujuſdam Acta fuerunt attributa, & deinde vulgaria *Euphemiæ* Acta ſevero nimis judicio improbata, quòd cum alienis illis non conſonent. Colitur eodem die *Euphemia* Auriæ in Gallæcia, de qua dubitamus, an non

ſit

ſit eadem cum Chalcedonenſi. Martyribus etiam annumeratur *Ludmilla* vidua, duciſſa Bohemiæ, & avia S. Wenceſlai ducis, quæ odio introductæ in Bohemiam religionis Chriſtianæ perempta fuit. Chriſtianis virtutibus viam ſibi ad cæleſtem gloriam fecerunt *Theodora* matrona Romana; *Oranna* vel *Oranda* virgo, culta cum ſocia anonyma in Lotharingia; *Camela* aut *Camella* in Occitania; *Einbetta*, *Vorbetta*, & *Villbetta*, item Virgines, Argentorati in Alſatia; *Eugenia* virgo abbatiſſa in Monte S. Odiliæ, Alſatiæ cœnobio: Alſatiam item vita & morte ſua illuſtravit *Richardis* imperatrix, quæ vel in ipſo matrimonio virginitatem conſervavit. *Editha* ſeu *Eadgitha* virgo, Edgari Angliæ regis filia, Religioſæ vitæ latebras omnibus mundi illecebris præpoſuit, & Wiltoniæ in Anglia ad meliorem vitam tranſivit. *Hildegardis* virgo, & virginum magiſtra in Monte S. Ruperti prope Bingium, in diœceſi Moguntina inſigni nominis celebritate claruit non minùs quàm virtutibus & miraculis. Mirabilis quoque eſt vita & ſanctitas *Catharinæ Fliſcæ Adurnæ*, viduæ Genuenſis, quæ generis ſui claritatem virtutum ſplendore ſuperavit & illuſtravit. Tot illa habuit virtutum ſuarum præcones & vitæ ſcriptores, ut copia hîc magis timenda fuerit, quàm inopia. Quare ex omnibus unam illam, quæ ex Actis Canonizationis compoſita fuit ſermone Italico, in Latinum convertimus, & ſic edidimus.

Ceterùm, cùm nonnulla in hoc tomo illuſtraverit P. Urbanus de Sticker, & Operi immortuus ſit, breve ſaltem dabimus illius Viri elogium, eaque occaſione de duobus aliis etiam defunctis, qui partem aliquam habent in tomis præcedentibus, mentionem faciemus.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ,
ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſimè Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, *& 19 Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi typographos & bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere, & vendere poſſint libros & Opera quælibet, ritè approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porrò edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quàm in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latiùs in ipſis patentibus litteris apparet: cùm etiam ſua Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio ſubjectis;*

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Ignatio Vicecomite, concedo Bernardo Alberto vander Plaſſche *facultatem ſic imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum Opus, ex more noſtræ Societatis (quod hiſce atteſtor) recognitum & approbatum; videlicet, Tomum Quintum de Actis Sanctorum Septembris, collectis & illuſtratis per Joannem Stiltingum, Conſtantinum Suyskenum, Joannem Perierum, & Urbanum Stickerum P. M., Societatis noſtræ presbyteros Theologos. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Antverpiæ* XVIII *Julii* MDCCLV.

JOANNES BAPTISTA TYBERGHEIN

SUMMA PRIVILEGII REGII.

CÆſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, præter voluntatem Joannis Stiltingi è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porrò edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latiùs patet ex litteris, Bruxellæ datis die XXVI Septembris anno MDCCLIII.

Signat J. H. HENRICY.

Et ego Joannes Stilting Societatis Jeſu, permitto Bernardo Alberto vander Plaſſche, ut Tomum Quintum de Actis Sanctorum Septembris, noſtro permiſſu apud ipſum impreſſum publicet. Datum Antverpiæ XVIII *Julii* MDCCLV.

APPROBATIO ORDINARII.

LEgi *Menſis Septembris tomum quintum, continentem quatuor dierum, nempe decimi quinti & trium ſequentium*, Acta Sanctorum *collecta, digeſta & illuſtrata à* RR. PP. Joanne Stiltingo, Conſtantino Suyskeno, Joanne Periero, & Urbano Stickero P. M., præmaturè defuncto, Societatis Jeſu Presbyteris Theologis. *Eadem encomia, quæ in approbatione tomi præcedentis annotavi, etiam hunc tomum plurimùm commendant; quare & eumdem luce publica digniſſimum cenſeo. Datum Antverpiæ* x *Julii* MDCCLV.

J. F. DE BRUYN Præſes Seminarii Epiſcopalis, Cathed. Eccleſiæ Canonicus Grad., Exam. Synod., librorum Cenſor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

QUod identidem proteſtati ſunt deceſſores noſtri in hoc de Actis Sanctorum Opere, ſe ſervatas velle Urbani Papæ VIII Conſtitutiones; neque ſuis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quàm ſit hiſtoriæ, ab hominibus errori obnoxiis ſcriptæ: idem ante hunc Quintum tomum Septembris denuo proteſtamur.

BREVE ELOGIUM

PP. URBANI DE STICKER, PETRI DOLMANS, ET JOANNIS VANDE VELDE P. M.

QUandoquidem huic tomo præfixum eſt nomen P. Urbani Stickeri, qui magno animo parique diligentia Acta Sanctorum illuſtrare nobiſcum cœperat, & Vitas aliquot ad prelum paraverat, quando improviſo morbo correptus, ad felicem, ut ſperamus, æternitatem tranſlatus eſt; æquum eſſe exiſtimamus, ut perbrevem ſaltem de Viro egregio demus notitiam ſcripta ipſius lecturis. Pro ſcriptis, ex quibus præcipua eſt Vita illuſtrata S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, conſuli poterit hic ipſe tomus, in quo omnia continentur, notata ad marginem litteris *V. S.* Acta B. Victoris III præ manibus habuit, & partim illuſtravit; ſed morte abreptus non perfecit. Quo uſque autem in iis progreſſus ſit P. Urbanus, colliget ſtudioſus lector ex litteris ad marginem poſitis. Quod verò ſpectat ad mores & varia munia, quæ Stickerus obiit in Societate noſtra, antequam cœpit in Actis Sanctorum laborare, ea breviter relata ſunt in Litteris ad Superiores Societatis Jeſu per totam provinciam de morte ipſius miſſis. Haſce igitur, ne fiam prolixior, ſolùm hîc recito. Datæ ſunt anno 1753, die XXVI Octobris, ubi nocte præcedente obierat.

Heri

Heri quadrante poſt decimam veſpertinam divina providentia nobis in flore ætatis eripuit P. Urbanum de Sticker, qui magnum ſui reliquit deſiderium non ſolùm apud noſtros & conſanguineos, ſed apud alios quoque omnes, quibus innotuerat. Laborare cœpit à ſeptemdecim ferè diebus maligna febri & vehementibus pectoris anguſtiis, ex malo ortis interno, quod ipſi non ſatis noviſſe videntur medici, quodque omnem eorum induſtriam & diligentiam tandem irritam fecit. In difficili morbo mirè eluxit pietas & religio P. Urbani, maximè quando extrema morientium ſubſidia eidem adminiſtrata ſunt: nam, ſuſcepto ſacro Viatico, ipſe inſtanter petiit, ut continuò etiam ſacro oleo ad luctam inungeretur: deinde verò ubi omnia piè erant peracta, ſine ullo timoris indicio & cum gaudio divinæ miſericordiæ gratias agebat de beneficio obtento, quod ſe ſemper Deum flagitâſſe præſentibus Patribus & Fratribus dictitabat. Natus erat Dunkercæ XXV *Septembris anni* 1717, *Societatem ingreſſus Mechliniæ* IV *Octobris* 1733. *Litteras humaniores perdidicit annis ſex, philoſophiam duobus, theologiam quatuor. Magni verò ingenii ſpecimina dedit in omnibus ſtudiis, famamque acquiſivit non vulgaris capacitatis ad omnia Societatis officia. At magis etiam in docendo, & varia munia obeundo facillimi ejus ingenii præſtantia enituit. Dum enim litteras politiores ſeptem annis docuit, varia poëmata Superiorum juſſu compoſuit, & typis edidit, ſuppreſſo tamen nomine, iiſque eam laudem promeruit, ut facilis & elegans poëta audiret jam ante ſuſceptos ſacros Ordines. Sacerdotio initiatus, abſolutoque ſacræ theologiæ curriculo, Bruxellis anno uno & medio Latinus orator ad optimates dixit, eodemque tempore per medium annum Gymnaſio Bruxellenſi præfuit: tunc quoque non rarò ad concionem linguâ vernaculâ perorabat, paratus ad nutum ſuperiorum in quacumque neceſſitate aliorum vices ſupplere. Tranſlatus à cathedra Latina ad philoſophiam anno item uno & medio Antverpiæ docendam, non minùs erat promptus ad Latinè dicendum, quando Latinus orator Antverpiæ erat impeditus. Peracto philoſophiæ curſu ordinario, miſſus eſt Ipras, theologiam docturus in ſeminario epiſcopali. Verùm, cùm ante inchoata ibidem ſtudia theologica Patres Bollandiſtæ novo egerent adjutore, & P. Urbanum peterent, ſuperiorum mandato remiſſus eſt Antverpiam ſub initium Octobris anni* 1751 *ad Acta Sanctorum continuanda. In eo munere, cui poſt duos annos immortuus eſt, induſtriam ſuam capacitatemque & diligentiam omnibus probavit; magnamque ſpem fecit, perruptis primis difficultatibus, Opus egregiè promovendi. At mors immatura ſpem de ipſo conceptam ſubitò abrupit, & non aliam reliquit conſolationem, quàm quòd meritò confidamus, felici morte ad conſequenda laborum ſuorum præmia tranſlatum eſſe. Quippe erat P. Urbanus ſolidis ornatus virtutibus, magna ſcilicet caritate, quâ omnium neceſſitatibus libentiſſime ſerviebat; tenerâ conſcientiâ, cujus nævos frequentiſſima confeſſione expiabat; inſigni religione, quâ incruentum Sacrificium tam conſtanter quotidie offerebat, ut ne in villa quidem ſuburbana illud umquam prætermittere ſit viſus; illuſtri pietate in ſanctiſſimam Dei Genitricem, cujus effigiem numquam inſalutatam tranſibat, ſimilique amore in Sanctos omnes, pro quorum gloria laborabat, & quorum patrocinio multùm confidebat. Demum, ut multa paucis complectar, Chriſtiana humilitate, religioſâ obedientiâ, ſinceri animi candore, aliiſque virtutibus Chriſtianis & religioſis, quas enumerare longum eſſet, verum ſe Chriſti Domini & S. Ignatii diſcipulum oſtendebat, & omnibus in amoribus erat. Hæc quidem omnia ingentem nobis ſpem ingerunt de anima P. Urbani ad meliorem vitam tranſlata. Attamen, ut Societatis conſuetudini & fraternæ caritati fiat ſatis, precor R^am. V^am., ſolita Societatis ſuffragia ſuis indicere ne graviter. Antverpiæ* XXVI *Octobris* 1753.

Si geſta & mores P. Petri Dolmans, viri ſanè laudatiſſimi, utcumque exponenda ſuſciperem, ampliſſimum eſſet concinnandum elogium. Verùm, cùm exiguam tantùm in Opere noſtro partem habeat, & juſta de cauſa non perrexerit Acta Sanctorum uſque ad mortem illuſtrare, ad nos minùs ſpectat prolixo elogio Virum hunc commendare, quàm ad illum, qui Bibliothecam Societatis aliquando eſt continuaturus. Itaque breviſſimam tantùm dabo notitiam de viro, quem ab annis ferè viginti & octo familiariter nôſſe cœpi & venerari. Hoc autem ſine ullius invidia generatim aſſerere me poſſe exiſtimo, toto illo tempore in provincia Flandro-Belgica multos mihi notos fuiſſe probitatis & eruditionis laude præſtantes; nullum mihi innotuiſſe, qui majori aut eruditionis, præſertim theologicæ, aut vitæ ſanctitatis famâ floruerit, quàm pro diverſis ætatis gradibus utraque laude ſemper floruit Dolmanſius. Adeo apud noſtros alioſque omnes, qui virum ſatis noverant, ab ipſa juventute uſque ad mortem vir Sanctus audiit, & pro ætate aut capaciſſimus aut eruditiſſimus. Natus erat prope Trajectum ad Moſam, Societatem juvenis ingreſſus Mechliniæ anno 1714. Studia humaniora ante Religionis ingreſſum, philoſophiamque & theologiam in Societate, uti & ſermonem Græcum & Hebraicum didicit. Litteras humaniores ibidem de more docuit ante ſacerdotium, & rurſum aliquot annis poſt ſacerdotium ſuſceptum; deinde philoſophiam, ſacram Scripturam, & theologiam expoſuit ſumma cum laude eruditionis non vulgaris. Anno 1736 circa Paſcha à cathedra theologica Lovanio tranſiit Antverpiam ad continuandum Bollandi de Actis Sanctorum

rum Opus : quem laborem rogatus libenter ſuſcepit, hac inter alias ratione, ut mihi ipſe tum declaravit, quòd ſperaret eo officio immunem ſe fore ab omni Societatis præfectura ſuſcipienda : nam non diu antè actum fuerat de officio Rectoris ipſi injungendo. Cœpit igitur P. Petrus diligenter verſari in luſtrandis Sanctorum Actis,& Vitas aliquot digeſſit & illuſtravit pro tomo IV Auguſti ; ſed brevî ſenſit, infirmum nimis ſibi pectus eſſe ad laborioſa illa ſtudia perferendum. Continuavit tamen laborem, quantùm potuit, ad annum & medium, ſed afflicta ſemper valetudine, donec omnes judicarent expedire, ut diſcederet à ſtudiis valetudini ſuæ adeo adverſis. Itaque ſuo non minùs quàm aliorum judicio Acta Sanctorum deſeruit, non tamen ſine dolore : miſſuſque in patriam ad confirmandam valetudinem, Trajecti ad Moſam triennio ferè habitavit, ibique miniſtrum & procuratorem Collegii interim egit. Confirmata valetudine, rediit anno 1740 Lovanium, ubi ſacram theologiam rurſum triennio docuit. Anno 1743 conſtitutus eſt rector collegii & domûs tertiæ probationis Liræ in Brabantia, ſequenti anno Socius adjunctus præpoſito Provinciali,& demum anno 1745,die XXV Octobris toti Provinciæ Flandro-Belgicæ præpoſitus. Expleto laudabiliter triennio, quo præfecturam provinciæ de more geſſit, enixè rogavit, ut ſibi liceret ſine ulla præfectura privatam ducere vitam Mechliniæ, quemadmodum mihi ipſe eodem tempore declaravit; ſed exauditus non eſt, juſſus verò Mechlinienſi collegio, & tirocinio præeſſe. Dum autem huic collegio præſideret, defunctus eſt præpoſitus generalis Societatis noſtræ Franciſcus Retz; habitiſque ſequenti anno comitiis provincialibus, electus eſt Dolmanſius, ut Romæ in comitiis generalibus locum provincialis Præpoſiti, ob ſenectutem ad tantum iter invalidi, ſuppleret. Qua de cauſa anno 1751 cum duobus ſociis electoribus profectus eſt Romam, interfuitque congregationi generali, in qua Societatis noſtræ Præpoſitus electus eſt Ignatius Vicecomes, nuper magno cum luctu totius Societatis defunctus. Abſolutis comitiis, in quibus non minor apud Patres congregatos fuit fama Dolmanſii, quàm ſemper fuit in Provincia noſtra, iter cum ſociis reſumpſit, in Belgium rediturus. At in ipſo itinere in gravem incidit morbum, perlatuſque Bononiam, deſperantibus de vita eidem conſervanda medicis, extremis Sacramentis munitus fuit, & poſt aliquot dies placidè, ut ſemper vixerat, obdormivit in Domino,die XXIX Septembris anni 1751. Ingens fuit luctus de obitu optimi Patris, non ſolùm toti Provinciæ noſtræ, ſed omnibus etiam peractæ congregationis Patribus, qui Virum maximi faciebant, & ſummo amore proſequebantur, ut deinde ex multis illorum intellexi.

Quæ in Actis Sanctorum ſcripſit Dolmanſius, continentur tomo quarto Auguſti, præfixis ad marginem litteris *P. D.* Prior eſt brevis Sylloge de S. Porphyrio. Sequuntur illuſtrata Acta S. Auctoris Trevirenſis, S. Oſwini Northumbriæ regis & martyris, ſanctorum martyrum Cordubenſium Leovigildi & Chriſtophori, ac demum ceteris prolixior Vita B. Goberti monachi Villarienſis in Brabantia.

Venio ad P. Joannem Vande Velde, cujus Opera exſtant in tomo primo & ſecundo Septembris, quibus & viri nomen præfixum. Natus erat Antverpiæ, ubi & litteras humaniores tantâ diligentiâ didicit, ut ſex annis conſequentibus primo donatus præmio abiret. Societatem ingreſſus Mechliniæ anno 1727, mores à pueritia innocentiſſimos ſolidis virtutibus egregiè expolivit, & philoſophiam deinde Antverpiæ, theologiam Lovanii audivit pari ſemper ſedulitate & præſtantis ſubtiliſque ingenii commendatione. Cùm interim ſacerdos conſecratus eſſet P. Joannes, inſignemque pro ætate eruditionis famam tam docendo quàm ſtudendo acquiſiviſſet, abſolutis anno 1742 ſtudiis omnibus, miſſus eſt Antverpiam, ut Acta Sanctorum diligenter perluſtraret, & paulatim illuſtrare inciperet. Paruit libenter præpoſiti provincialis mandato, etiamſi alia ipſe cogitâſſet, alia dudum deſiderâſſet. Fervens enim ſtudio infideles ad Deum convertendi, in Americam aut Indiam trajicere cupiebat ad lucrandas Deo animas, eamque miſſionem ardenter flagitârat, ſeque aliquando obtenturum ſperabat. Interim diligenter cœpit Acta Sanctorum conſiderare, ac deinde etiam ad prelum parare, uſque ad annum 1747 Operi noſtro inſiſtens. Toto autem eo tempore tot nobis dedit virtutum exempla, totque ſanctæ vitæ indicia, ut nullus ei convixerit, qui non crediderit virum eximiâ ſanctimoniâ ornatum. Cupiebat eo anno præſes provinciæ ſtrenuum operarium in Americam deſtinare, noveratque priſtinum Veldii deſiderium, numquam planè depoſitum, etiamſi aliàs contentiſſimus in ſtudiis ſuis viveret. Rogat igitur P. Joannem, an eam acceptare velit provinciam, & mox habet conſentientem. Hac occaſione ab Actis Sanctorum diſceſſit, ſubſtituto in locum ejus alio ſocio, & in Hollandiam profectus eſt, ut opportunam tranſfretandi occaſionem nanciſceretur. Ne verò otioſus exſpectaret, cœpit Groningæ ſacra miniſteria obire pro ſacerdote Societatis noſtræ infirmo. Hæc dum agit magna caritate, quâ fervebat, gravi

ipſe

ipſe correptus eſt morbo, eoque poſt accepta conſueta morientium Sacramenta die XXV Auguſti ejuſdem anni 1747 ex hac vita ad æternam deceſſit. Obſervatum eſt Groningæ, ultima verba, quæ ſcripſit, hæc fuiſſe: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Scripta P. Joannis Veldii non enumero, cùm nomen ipſius præfixum legatur tomis primo & ſecundo Septembris, in quibus illa deſignantur litteris *J. V.*, ad marginem poſitis. Ceterùm quæ de ſanctitate morum Dolmanſii & Veldii breviſſimè dixi, nota ſunt in tota provincia noſtra Flandro-Belgica, ut nequaquam timere debeam, ne quis credat, me vel minima exaggeratione uſum.

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM V SEPTEMBRIS.

A

16 ABundantius cum Abundio. Vide *Abundius.*

16 Abundius presbyter, Abundantius diac., Marcianus, Joannes MM. Romæ COMM. PRÆV. § 1. Sanctorum in Martyrologiis memoria: Acta à variis edita & edenda 293. § 11. Sanctorum natales & conditio: tempus martyrii incertum 295. § III. Cultus Sanctorum antiquiſſimus: eccleſiæ illis erectæ; loca aliquot reliquiis ipſorum nobilitata: dubia quædam diſcuſſa 298. PASSIO, *auctore anonymo, ex manuſcripto Bodecenſi, collato cum Actis editis à Cardulo & Juditha Luti* 300. APPENDIX. De variis tranſlationibus ſacrorum corporum, lociſque, quibus reliquiæ eorumdem conceſſæ ſunt. CAP. I. De prima tranſlatione ex eccleſia Arianenſi: PARS I. Dubia quædam de tranſlationis auctore & tempore diſcutiuntur 303. PARS. II. Prima inventio atque Tranſlatio ex codice Arinianenſi deſcripta, & à Fulvio Cardulo S. J. edita 305. CAP. II. De tranſlationibus aliis, reliquiiſque ad varias eccleſias miſſis 307

17 Agathoclia ancilla mart. *ex Faſtis Romanis & Græcis* 482

15 Aichardus ſeu Aichadrus, abbas Gemeticenſis in Normannia. COMM. PRÆV. § 1. Nomen Sancti in Faſtis; cultus antiquus & hodiernus; tranſlatio corporis; miracula & beneficia 80. § II. Vitæ tres, quando & à quibus conſcriptæ, & quæ hìc dandæ 83. VITA SUSPECTA, *auctore anonymo monacho Gemeticenſi, ex codice Ms., collato cum editione Mabillonii.* PROLOGUS 85. CAP. I. Sancti patria, parentes, educatio, profeſſio monaſtica, virtutes, exſtructio Quinciacenſis cœnobii 86. CAP. II. Miſſis à S. Filiberto nuntiis ſubjectionem ſuam confirmat S. Aichardus 89. CAP. III. S. Aichardus eligitur ſucceſſor S. Filiberti in Gemeticenſi abbatia 91. CAP. IV. Sancti ad Gemeticenſes profectio; regiminis exordia, miracula, viſiones 93. CAP. V. Varia prodigia ac mirabiles viſiones; mors dimidiæ partis Gemeticenſium monachorum 95. CAP. VI. Poſtrema Sancti geſta & felix obitus 99. VITA BREVIOR, *auctore ignoti nominis & ætatis, ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris* 100

15 Albinus epiſc. conf., Lugduni in Gallia. SYLLOGE. De cultu, reliquiis, ætate & geſtis 44

17 Andoletus cum Lamberto. Vide *Lambertus.*

15 Aper epiſc. conf., Tulli Leucorum in Belgica prima. COMM. PRÆV. § 1. Sancti memoria in Martyrologiis & eccleſiaſticus cultus: Vita & Miracula incerto auctore, uno vel pluribus ſcripta, & recudenda: alia Sancti elogia 55. § II. Fabula de epiſcopatu ejus ſub Adriani imperio rejecta: diſtinguendus eſt ab Apro S. Paulini Nolani amico: tempus aditi ac per mortem depoſiti epiſcopatus utcumque aſſignatum 58. § III. Sancti patria: an is idem ſit cum amico S. Sidonii Apollinaris: eccleſia ab eo ædificari cœpta, in qua ſepultus eſt, à ſucceſſore perficitur 61. § IV. Eccleſia Sancto dicata, & monaſterio aucta: cetera huc ſpectantia: aliæ eccleſiæ ipſi ſacræ: corpus tranſlatum, relatum, abſconditum & repertum: reliquiæ aliò delatæ, & miraculis illuſtratæ 63. VITA *auctore incerto, ex editis à Calmeto & Martenio.* AUCTORIS PRÆFATIO. CAPUT UNICUM. Sancti patria, geſta, epiſcopatus, miracula, obitus & ſepultura 66. MIRACULA POST MORTEM S. APRI, *auctore item anonymo, fortè eodem biographo.* CAP. I. Claudus ab utero, mulier cæca & contracta, aliique cæci ſanati; depulſi ex energumenis dæmones 70. CAP. II. Ager per miraculum monaſterio Sancti vindicatus: lapſus è templi faſtigio incolumis ſervatus: Ludelmi epiſcopi mors: corpus Tulli depoſitum, & in eccleſiam ſuam clàm relatum atque abſconditum 73. CAP. III. Sancti corpus à S. Gerardo epiſcopo inventum & ſolemniter elevatum: quædam miracula in ipſa elevatione & poſt eam facta 77

15 Archeon cum Archio. Vide *Archius.*

15 Archius & Archeon mart. Nicomediæ in Bithynia 45

17 Ariadne mart., Prymneſiæ in Phrygia Salutari, *ex Martyrologio Romano & Faſtis Græcis* 469

15 Aſclepiodote cum Maximo &c. Vide *Maximus.*

C

16 CAmella aut Camela virg., in vico S. Camelæ diœceſis Mirapicenſis in Occitania 314

15 Catharina Fliſca Adurna vidua, Genuæ. COMM. PRÆV. § 1. Sanctæ, à multis laudatæ, biographi, eorumque fides: variæ Vitæ, Italicè primùm conſcriptæ ac deinde in alias linguas tranſlatæ, exemplaria: Acta Sanctæ unde hîc danda: auctores adhibendi 123. § II. Expenditur ſeverior Bailleti cenſura de Vita Sanctæ: encomia aliquot de ejus ſanctitate & doctrina: brevis Operum Sanctæ notitia 126. § III. Illuſtriſſimi Sanctæ natales; parentes; educatio; virtutes & donum orationis in tenera ætate: deſiderium induendi habitum religioſum 129. § IV. Sanctæ cum Juliano Adurno conjugium: ob mariti diſſonos mores affligitur & ad res ſeculares convertitur: Sanctæ ad primum vitæ fervorem reditus 131. § V. Dicta Bailleti de pœnitentia, juxta rigorem canonum à Sancta obita, de frequenti Euchariſtiæ ſumptione & communione ſub utraque ſpecie examinantur & refutantur 134. § VI. Prodigioſum Sanctæ jejunium; pœnitentiæ opera ſuſcepta; ſervitium ægris impenſum: ecſtaſes aliæque mirabiles Dei in ipſa operationes 137. § VII. Admirabiles divini amoris in Sancta operationes: Bailleti in his cenſura diſcutitur & convellitur 140. § VIII. Continuatur Bailletianæ cenſuræ diſcuſſio & confutatio 142. § IX. Sanctæ, longo tempore à ſolo Deo directæ, mirabilis vitæ innocentia, à biographo aſſerta, expenditur 145. § X. Referuntur nonnulla ex Vita antiquiore de ſupremo morbo Sanctæ: dies illius emortualis inquiritur 147. VITA, *auctore anonymo, ex proceſſibus canonizationis Italicè conſcripta & Latinè reddita, ex editione Romana, anni* MDCCXXXVII, *Interprete U. S.*, PROLOGUS 149. CAP. I. Natales & educatio Sanctæ: deſiderat religioſum habitum: à parentibus nuptui datur: vita primis decem annis in conjugio acta 150. CAP. II. Perfectionis ſemitam relegit: pœnitentiæ opera corporiſque maceratio ſuſcepta: Sanctæ, à Deo edoctæ, diuturnum & admirabile jejunium 153. CAP. III. Pauperibus per civitatem ſparſis, dein ægrotis in noſocomio inſervit: virtutes heroïcæ, quibus in utroque munere effulſit Sancta 156. CAP. IV. De inſigni amore Sanctæ in Deum, ejuſque admirabili cum ipſo conjunctione 158. CAP. V. Sanctæ erga Jeſum in Euchariſtia latentem amor ac deſiderium ſingulare: horror odiumque peccati omnis 162. CAP. VI. Sanctæ erga proximum amor: ut ægroto impatienti, proprio item marito, morbi dolores non ferenti, cum divina voluntate conformationem, & utriuſque ſalutem à Deo impetrârit 164. CAP. VII. Sanctæ humilitas; voluntatis ejus cum divina conſenſio: ecſtaſes, viſiones, aliique favores ipſi conceſſi 168. CAP. VIII. Ultimus Sanctæ morbus & pretioſa mors: initia & progreſſus cultûs ejus 171. CAP. IX. Miracula ad Sanctæ invocationem recenter impetrata: ſolemnis canonizatio 175. GLORIA POSTHUMA. § 1. Sanctæ gloria multis revelata: cultus ſtatim ab obitu inchoatus: ſepultura, variæque ſacri corporis, à corruptione immunis, tranſlationes 176. § II. Quid Julius II ſenſerit de S. Catharina? Proceſſus pro ejus Canonizatione inſtituti: cultus immemorabilis probatus: conceſſum Officium & Miſſa 179. § III. Catharina Sanctis ſolemniter adſcribitur à Clemente XII, cujus Bulla recenſetur 181. § IV. Publicæ venerationis monumenta Sanctæ erecta: miracula nonnulla tum ex Vita prolixiore tum ex proceſſibus deſumpta 188. § V. Nomina teſtium & eorum dicta nonnulla in confirmationem trium miraculorum à Sede Apoſtolica probatorum 190. § VI. Miracula alia ex inſtrumentis canonizationis excepta; nomina teſtium, aliaque adjuncta 192

17 Columba virgo ſanctimonialis M. Cordubæ in Hiſpania. COMM. PRÆV. § 1. Sanctæ memoria in Martyrologiis: hujus, non Senonenſis, aut alterius, celeberrimus cultus in Hiſpania 618. § II. Vita & Paſſio à S. Eulogio ſcripta: notitia Tabanenſis monaſterii, in quo vixit, quodque deſtructum flevit: factum Martyris mirabile: corpus ubi aſſervetur 620. VITA ET PASSIO, *auctore S. Eulogio, presb., mart. ex ejuſdem Memoriali Sanctorum lib. 3, cap.* 10. CAP. I. Virginis natales & patria: virtutis ſtudium in ſeculo: rejectæ nuptiæ: ingreſſus & vita in monaſterio Tabanenſi 622. CAP. II. Virginum cœtus in urbem tranſlatus: rerum cæleſtium & martyrii deſiderium in Sancta vehementer accenſum: glorioſa confeſſio & martyrium: corpus è fluvio receptum & tumulatum 624

17 Creſcentio cum Narciſſo. Vide *Narciſſus.*

D

18 DEſiderius epiſc. Regnifridus, aut Rainfridus diacon. mart. in Alſatia. COMM. PRÆV. Locus, ubi Sancti coluntur: eorum in Martyrologiis memoria & cultus: Acta ſcripta & edenda 788. ACTA, *auctore anonymo, ex duobus Mss. invicem collatis* 789

16 Dulciſſima V. M. Sutrii in Etruria Pontificia, *ex Ferrario* 313

E

16 EDitha ſeu Eadgitha, virg. ſanctimonialis Wiltoniæ in Anglia. COMM. PRÆV. § 1. Sanctæ memoria in ſacris Faſtis & cultus: Vita edenda, quid cenſendum ſit de tribus aliis Edithis, quæ eodem ſeculo in Anglia ſanctitate fulſiſſe dicuntur 364. § II. Illuſtres Sanctæ parentes: chronotaxis vitæ examinata: Vita monaſtica, geſtaque uſque ad mortem: corporis elevatio: miraculum ab Harpsfeldio relatum 367. VITA, *Auctore, ut creditur, Gotſelino monacho, ex Ms. Rubeæ-Vallis* 369

16 Einbetta, Vorbetta & Villbetta virg. Argentorati in Alſatia. SYLLOGE. De ſcriptoribus, unde hauſta eſt Sanctarum notitia; de reliquiis & cultu 315

15 Emila Diac. & Hieremias MM. Cordubæ in Hiſpania. SYLL. HIST. De cultu, & martyrio per S. Eulogium ſcripto 102

16 Eugenia virg. abbat., Hohenburgi, ſeu in Monte S. Odiliæ in Alſatia. SYLLOGE. De illuſtri Sanctæ ſtemmate, cultu & reliquiis 332

18 Eumenius epiſc. Gortynenſis, fortè defunctus in Thebaïde, *ex Martyrologiis Græcis & Latinis* 786

16 Euphemia virg. & mart. Chalcedone in Bithynia. COMM. PRÆV. § 1. Brevia quædam Sanctæ elogia: ejus memoria in ſacris Faſtis, & cultus diebus variis 252. § II. Tempus martyrii S. Eu-

S. Euphemiæ: magnifica basilica eidem seculo IV structa prope Chalcedonem : mirabilia ibi patrata usque ad translationem corporis 255. § III. Corpus Sanctæ metu Persarum Constantinopolim translatum, ibique depositum in æde Sanctæ dicata: aliæ ibidem S. Euphemiæ ecclesiæ : corpus mari demersum, sed receptum & in Lemno servatum, ac deinde relatum Constantinopolim 258. § IV. De reliquiis, locis sacris, & festivitatibus S. Euphemiæ in variis urbibus ac provinciis 260. § V. Acta antiqua; quæ vindicantur : eadem à Metaphraste paululùm mutata : Acta per Asterium scripta, sunt alterius Euphemiæ : Historia Inventionis item edenda 263. ACTA, *ex codice Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, interprete J. S.* CAP. I. Sæviente persecutione Diocletiani, S. Euphemia cum aliis quadraginta novem Chalcedone capitur; fidem omnes professi torquentur : deinde sola Euphemia ad rotas & ad ignem damnata, in hisce manet illæsa 266. CAP. II. Reductâ in carcerem Euphemiâ, SS. Sosthenes & Victor martyrio coronantur: Euphemia, aliis tormentis subjecta sine læsione, tandem feris exposita, martyrium complet 271. HISTORIA CORPORIS SÆPIUS TRANSLATI, *auctore Constantino Tii episcopo, ex codice Ms. bibliothecæ Vaticanæ, unà cum interpretatione Latina per Surium edita, nonnihil correcta.* CAP. I. Leo Isauricus in hæresim lapsus, corpus S. Euphemiæ, miraculis clarum, in mare projicit : illud verò à duobus piis nautis è mari levatur, agnoscitur, & in Lemno insula deponitur 274. CAP. II. Irene imperatrix Sanctæ ecclesiam profanatam restituit : reliquias verò ipsius Constantinopolim è Lemno referendas curat 280. EXPOSITIO TABULÆ PICTÆ DE MARTYRIO SANCTÆ CUJUSDAM EUPHEMIÆ, *auctore Asterio episcopo Amaseno, ex editione Ruinartii* 283. APPENDIX de S. Euphemia V. M. culta Auriæ in Gallæcia. Cultus Euphemiæ, quæ forsan est eadem cum Chalcedonensi 285

16 Euphemia Auriæ in Gallæcia culta, fortè eadem 285

18 Eustorgius I episc. conf. Mediolani in Insubria COMM. HIST. CRITICUS § I. Sancti memoria in variis Martyrologiis variè relata: ejus cultus, Missa & Officium : Vitæ, quarum nulla à nobis excudenda 774. § II. Tempus & ordo, quo Sanctus episcopatum Mediolanensem tenuit 776. § III. Examinantur, quæ de Sancti patria, professione in seculo, modo episcopatus aditi, & translatis per ipsum Sanctorum Magorum corporibus, perperam perhibentur : jacet in ecclesia sui nominis 778

F

18 FErreolus episc. conf., Lemovicis in Gallia 783. VITA, *auctore anonymo, ex editione Labbei cum Ms. collata* 785

18 Ferreolus mart. Viennæ in Gallia. COMM. PRÆV. § I. Sanctus ab antiquis memoratus, & vetusto cultu honoratus : ecclesiæ eidem dicatæ, reliquiæ translatæ 760. § II. Acta alia jam edita, alia scripta: utraque danda : martyrii locus dubius 763. ACTA, *ex editione Ruinartii, cum Surii editione collata* 764. ACTA ALTERA, AUT EADEM POTIUS *ex Mss.* 766. ADDENDA. *Die* XVIII *Septembris pag.* 767 *ad Acta S. Ferreoli M.* 1060

17 Flosculus puer mart., qui colitur Belnæ in ducatu Burgundiæ. COMM. PRÆV. De cultu, translationibus, tempore martyrii, & Actis 478. PASSIO, *ex editione Mombritii* 481

G

17 Gandolphus conf. presb. Ord. S. Francisci, Politii in Sicilia. COMM. PRÆV. § I. Memoria B. Gandolphi in aliquot Martyrologiis : Vita scripta & edita per modum Dialogi, recudenda sine parergis unà cum miraculis : processus pro canonizatione impressus, è quo alia danda 701. § II. Quædam in Actis omissa supplentur & examinantur 703. VITA, *auctore Jacobo episcopo, ex editione Politiensi anni* 1632. CAP. I. Beati virtutes generatim : vita religiosa in Ordine Minorum: propositum vitæ solitariæ: prædictiones, prædicationes, miracula, & pius obitus 704. CAP. II. *Auctore incerto, sed contemporaneo.* Sepultura Beati : miracula ante corporis elevationem facta 707. CAP. III. Beati corpus anno 1320 elevatum, & gemina ipsius festivitas instituta 709. CAP. IV. Miracula post elevationem corporis facta 710. CAP. V. Prosecutio miraculorum ad sepulchrum, aut patrocinio Beati factorum 714. CAP. VI. Prosecutio miraculorum eorumdem 717. APPENDIX. DE CULTU, RELIQUIIS ET MIRACULIS RECENTIORIBUS. CAP. I. Gemina quotannis Beati festivitas, magna cum solemnitate & populi concursu : alia in honorem Beati per annum fieri solita 719. CAP. II. Sacellum B. Gandolphi: corpus honorificè servatum, & sæpiùs visitatum 721. CAP. III. Antiquæ imagines, altaria, ecclesiæ & cultus in aliis etiam locis : miracula quædam recentiora 724

16 Geminianus cum Lucia. Vide *Lucia.*

16 Gislemerius mart., legionis, ut fertur, Thebææ miles, Burgi S. Domnini in Italia. SYLLOGE. Loci notitia : Sancti memoria & cultus apud Burgenses ex Ferrario : adjuncta incerta 313

17 Gordianus cum Valeriano. Vide *Valerianus.*

H

17 HEraclides & Myro episc. MM. in Cypro Insula. SYLLOGE, *ex Martyrologiis & Vita S. Auxibii* 467

15 Hieremias cum Emila. Vide *Emila.*

17 Hildegardis virgo, magistra sororum Ord. S. Benedicti in Monte S. Ruperti juxta Bingium in diœcesi Moguntina. COMM. PRÆV. § I. Acta S. Hildegardis jam edita, & illius auctores : alia quædam ex Ms. edenda : Vita supplenda in hoc Commentario maximè ex Sanctæ scriptis 629. § II. Natales, pueritia, vita monastica in Monte S. Disibodi : visionibus à pueritia illustratur, easque demum scribere cogitur : quo modo Opera sua scripserit 631. § III. Aucto monialium numero, S. Hildegardis fundat cœnobium in Monte S. Ruperti : non vidit ibi S. Bernardum, nec regulam Cisterciensem amplexa est : Scripta Sanctæ ab Eugenio III probata : finitum Opus Scivias 634. § IV. Fama Sanctæ multùm inclarescit: ad ipsam scribunt S. Bernardus, Conradus Romanorum rex, multi episcopi, quibus illa liberrimè respondet 638. § V. Ad Sanctam scribunt Anastasius IV & Adrianus IV, Romani Pontifices, Fredericus imperator, epi-

sco-

scopi, abbates, aliique multi, quibus respondet 641. § VI. Sancta à multis personis consulta de occultis & arcanis, quæ sine revelatione divina scire non poterat 644. § VII. Sancta à multis congregationibus consulta de iis, quæ emendari possent, aut etiam de arcanis aliis, & invitata ad monita conscribenda 650. § VIII. Sancta etiam consulta de quæstionibus theologicis, scripturisticis, aliisque ad fidem vel ad mores spectantibus 655. § IX. Multi ad Sanctam scribunt, ut preces, consolationem, monita, aliaque similia obtineant; quibus illa rescribit 657. § X. Epistolæ quædam S. Hildegardis ad Philippum abbatem Parcensem, & hujus ad ipsam ex Ms.: gesta cum S. Gerlaco: aliæ Epistolæ seriùs ad Sanctam datæ cum responsis ejusdem 661. § XI. Sancta monasterium suum omni onere liberat: energumena ibi liberata: ob sepulturam cujusdam olim excommunicati Sanctæ ecclesia interdicto subjecta 664. § XII. Varia S. Hildegardis itinera, & loca, ubi fuit, exposita. Fundat cœnobium Eibingense 669. § XIII. Scripta S. Hildegardis multorum elogiis celebrata: scriptorum enumeratio: aliqua eidem afficta 672. § XIV. Mors Sanctæ figenda anno 1179: sepultura: reliquiæ, destructo cœnobio S. Ruperti, ad Eibingense translatæ: miracula: tentata canonizatio, sed non perfecta: nomen Martyrologiis adscriptum, & cultus 676. VITA *auctoribus Godefrido & Theodorico monachis, ex editione Coloniensi & Surii, collata cum Ms. Bodecensi.* PRÆFATIO. LIBER I. De gestis Sanctæ. CAP. I. Sanctæ natales, puericia visionibus illustrata: vita monastica sub Jutta magistra 679. CAP. II. Fundat cœnobium in Monte S. Ruperti prope Bingium, illudque cum Sororibus suis inhabitat: pergit perpetuis visionibus illustrari 681. LIBER II. De visionibus Sanctæ. PROLOGUS. CAP. I. Sancta Latini sermonis ignara, libros tamen Latinè scribit: visionibus à pueritia gaudet: eas cogitur scribere: multos consilio juvat & monitis, & suas rectè dirigit 683. CAP. II. Sancta in visione discit locum ad fundandum monasterium, eaque occasione multa patitur: Deum tamen in omnibus adjutorem habet & consolatorem 685. CAP. III. Morbi mirabiles Sanctæ, instructio monialium, conversio malè suspicantis philosophi: visiones variæ 687. LIBER III. De miraculis & morte beata. PROLOGUS 690. CAP. I. Sancta varios patrocinio suo sanat ægrotos, etiam aliquos absentes: exponit litteras divinitus productas: adit multa loca pro populi salute 691. CAP. II. Diuturnus S. Hildegardis morbus: mulier nobilis, quæ à dæmone obsessa, & frustra ad varia loca fuerat ducta, in ejus monasterio liberatur 692. CAP. III. Gravis morbus Sanctæ, quæ in visione sanatur: beneficia variis præstita: mors & sepultura miraculis honestata 695. ACTA INQUISITIONIS DE VIRTUTIBUS ET MIRACULIS, *ex Ms. Bodecensis cœnobii Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis* 697

I

16 INnocentia V. M. Arimini in Æmilia. SYLLOGE. Cultus Sanctæ legitimus: tempus martyrii & alia pleraque, quæ de Sancta memorantur, incerta: sitne diversa ab ea, quam colunt Vicentini 310

16 Joannes cum Abundio. Vide *Abundius.*

18 Josephus à Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci presb., Auximi in Marchia Anconitana. COMM. PRÆV. § I. Vitæ illius Italicè scriptæ, quarum una edenda, aliæ usui futuræ: humiles natales ejus, & vitæ chronotaxis usque ad susceptum sacerdotium 992. § II. Magnis animi angustiis biennio exercetur, & mirabiliter liberatur: accersitur Neapolim à sacra inquisitione: Romam liber dimittitur: gesta ibidem 995. § III. Assisium missus, magnas animi angustias ibi patitur: Romam revocatur: redit Assisium: quædam acta ibidem 997. § IV. Miracula aliquot Assisii ab eo patrata, & in Vita edenda prætermissa, aut minùs exposita 999. § V. Beati scientia divinitus accepta, frequentes ecstases sublimesque raptus, & suavissimus odor testimoniis comprobantur 1001. § VI. Jussu sacræ inquisitionis Romanæ ex conventu Assisiensi sui Ordinis ad Capucinorum ad Petram-Rubeam abducitur 1005. § VII. In conventu Petræ-Rubeæ miraculis elucens, ob nimium populi concursum ad conventum Foro-Sempronienſem transfertur; inde ad Montem-veterem, ex quo Forum-Sempronii redit 1007. § VIII. Alexandro VII Papa mandante, suis redditus, reliquum ætatis suæ Auximi transigit: vitæ illius brevis chronotaxis 1008. § IX. Beati sepultura, & aliquot brevia elogia per scriptores synchronos 1011. § X. Causa beatificationis illius introducta, & à Benedicto XIV Papa feliciter perfecta 1012. VITA, *auctore Angelo Pastrovicchio, ex Processibus Italicè edita.* CAP. I. Beati natales & pia pueritia, tirocinium apud Capucinos; inde dimissus, fit Tertiarius apud Fratres Conventuales S. Francisci, deinde novitius clericus; professus, sacerdotio initiatur 1015. CAP. II. Severioris vitæ genus auspicatus, magnis animi angustiis premitur, & liberatur: accusatus apud sacros inquisitores, Neapoli se purgat: Romam mittitur, atque inde Assisium 1017. CAP. III. Assisii variis afflictionibus exercetur: evocatur Romam; redit Assisium: aliquot mirabiles illius raptus in variis locis 1019. CAP. IV. Amor ejus in Deum, animique cum illo conjunctio, & efficaces preces: principis Brunsvicensis conversio: caritas proximi, arcanorum notitia &c. illustrata 1023. CAP. V. Beati amor & fiducia in Deiparam miraculis illustrata: angelica castitas & fragrantia: summa paupertas spontanea 1026. CAP. VI. Beati heroïca obedientia, miraculis & animalium obsequio clara: sapientia divinitus accepta: mira arcanorum cognitio 1029. CAP. VII. Varia Beati vaticinia: apparitiones ipsi factæ: sanctitas etiam à dæmonibus contestata: miracula aliquot: illustrium personarum ad ipsum accessus 1032. CAP. VIII. Humilitatem eximiè colit: Innocentii X PP. jussu ad Capucinos ad Petram-Rubeam transfertur: hinc ad conventum Foro-Sempronianum, ad quem post aliquam in Monte-veteri moram revertitur 1037. CAP. IX. Alexandri VII. Papæ jussu Ordini suo restituitur, & ad conventum Auximanum non sine prodigiis reducitur: gesta ejus ibidem usque ad supremum morbum 1039. CAP. X. Mors sua ab ipso prædicta: supremus morbus: beatus obitus & celebris sepultura 1042. CAP. XI. Acta pro canonizatione ipsius & ejusdem solemnis beatificatio: varia miracula ac beneficia per ipsum impetrata 1044. APPEN-

DIX I. De MIRACULIS ALIQUOT, *ex Vita Italica, auctore Dominico Bernino* 1047. APPENDIX II. De MIRACULIS ALIQUOT RECENTIORIBUS, *ex Vita Italica, auctore Paulo Antonio Agello.* CAP. I. Moribundus ſanatus, idemque voti negligens, caſtigatus, ac denuò ſanatus: energumena mirabiliter liberata: mulier ex mamilla periclitans, ſanitati reddita 1051. CAP. II. Varii morbi & corporis mala per Beati imaginem, reliquias & invocationem ſubitò curata 1054. CAP. III. Alia miracula ac beneficia per ejuſdem patrocinium impetrata 1057

18 Irene cum Sophia. Vide *Sophia.*

17 Juſtinus presb. mart. Romæ. COMM. PRÆV. § I. Sancti memoria diverſis diebus in Martyrologiis, & cultus 470. § II. De reliquiarum tranſlatione Friſingam: deque reliquiis in aliis civitatibus 472. ACTA, *ex Ms. Vallicellenſi* 474

L

17 LAmbertus ſeu Landebertus, epiſcopus Trajectenſis & mart., & ea occaſione BB. Petrus, Andoletus &c. Leodii in Belgio. COMM. PRÆV. § I. Notitia ſeptem biographorum Sancti, quibus Reinerus non eſt accenſendus: Vitæ quatuor edendæ 518. § II. Sancti patria & illuſtres parentes, nomen & baptiſmus: fabulæ de ejuſdem nutrice 521. § III. Sancti Pueri educatio: an ſub S. Landoaldo? Ejuſdem inſtitutio ſub S. Theodardo: hujus corpus ab illo Legiam allatum 523. § IV. Electio ejus ad epiſcopatum Trajectenſem, actaque in eo uſque ad exſilium 525. § V. Sancti Epiſcopi è ſede ſua expulſio, intruſo Faramundo: ſeceſſus Stabuletum, & illuſtre obedientiæ & tolerantiæ exemplum 528. § VI. Sancti Epiſcopi in ſedem ſuam reſtitutio per Pippinum Heriſtallum: cura diœceſis & epiſcopales virtutes 531. § VII. Apoſtolatus ejus apud Taxandros: incerta quædam de ejuſdem geſtis cum S. Willibrordo, & apud Mechlinienſes 533. § VIII. Sancti martyrium, de cujus tempore variant ſententiæ, anno DCCIX probabiliùs illigandum: fabulæ de SS. Sergio & Huberto: reſponſio ad argumenta objecta 536. § IX. Cauſa martyrii alia à duobus primis biographis, alia à ceteris aſſignata 539. § X. Cauſa martyrii à Godeſchalco & Stephano tradita aſſeritur, & ad argumenta aliter ſentientium reſpondetur 542. § XI. Martyrii locus & adjuncta: BB. Petri & Andoleti martyrium expenditur: eorumdem corpora antiquitus honorata: poëtæ anonymi narratio 546. § XII. Tranſlatio ſacri corporis Leodio Trajectum; ſepultura ibidem miraculis clara: cultus ejus & eccleſiæ Leodii: parricidarum pœna divinitus prædicta 549. § XIII. Corporis tranſlatio per S. Hubertum facta Trajecto Leodium: ejuſdem tempus & adjuncta quædam 551. § XIV. Miracula quædam in Leodienſi eccleſia antiquitus facta: Ægidii narratio de Normannis divinitus territis &c. diſcuſſa: nova eccleſia exſtructa 554. § XV. Sacri feretri cum parte corporis tranſlatio ad caſtra Leodienſium ante Bullionium: miracula ea occaſione patrata 557. § XVI. Lipſanothecæ ſolemnis adventus in caſtra: Hugonis morbus divinitus inflictus, pœnitentia & pia mors: caſtri deditio 560. § XVII. Lipſanotheca non ſine miraculis Leodium relata, & pretiosè exornata: feſtum annuum decretum: duæ aliæ victoriæ: Officia inſtituta 562. § XVIII. Inſpectio corporum S. Lamberti, Petri & Andoleti: S. Lamberti capitis ſolemnis circumlatio: eorumdem ſacrorum corporum publica exhibitio 564. § XIX. Partes Sancti capitis Romæ, ac fortè etiam Friburgi in Briſgoia: alterius Sancti corpus eſt, quod Piſauri in Italia, uti & illud, quod in diœceſi Gerundenſi in Catalonia aſſervari dicitur 567. § XX. Inſignes Sancti reliquiæ in abbatia Lætienſi: aliæ etiam alibi & loca aliquot ipſi dicata 569. § XXI. Sancti memoria in Martyrologiis, feſta & Officia de eodem in variis diœceſibus 572. VITA PRIMA, *auctore Godeſchalco, diacono Leodienſi ſeculo* VIII, *ex editione Mabillonii, collata cum Ms.* PROLOGUS. CAP. I. Sancti natales & inſtitutio: epiſcopatus Trajectenſis, & ex eodem expulſio: geſta Stabuleti 574. CAP. II. Sancti in ſedem ſuam reſtitutio & cura paſtoralis: Taxandrorum converſio; ejus martyrium 576. CAP. III. Sacri corporis Trajectum tranſlatio & ſepultura: Leodienſe cubiculum miraculis illuſtratum: binæ eccleſiæ erectæ: pœna parricidarum ejus: idem corpus Leodium relatum & depoſitum 578. VITA SECUNDA, *auctore Stephano epiſcopo Leodienſi, ex vetuſto codice noſtro P. Ms. 16, collato cum editione Chapeavilli.* PROLOGUS 581. CAP. I. Nobiles Sancti natales: præclara inſtitutio: epiſcopatus Trajectenſis, & ex eo depulſio 582. CAP. II. Seceſſus in monaſterium, & vita ibi ſeptennio acta: ejectio Faramundi, Sanctique in ſedem ſuam reſtitutio 584. CAP. III. Sancti epiſcopales virtutes: diœceſis ab eo luſtrata: Taxandri ad Chriſtum adducti: martyrium: corporis tranſlatio & ſepultura prodigiis clara 586. VITA TERTIA, *auctore Sigeberto Gemblacenſi, ex Ms. Rubeæ-vallis & Hagiologio Brabantinorum.* CAP. I. Illuſtres Sancti parentes: inſtitutio apud SS. Landoaldum & Theodardum: corporis & animi dotes: corpus S. Theodardi tranſlatum Leodium 589. CAP. II. Sancti epiſcopatus Trajectenſis, Eccleſiæ & regno utilis: epiſcopi & abbates ipſi ſynchroni: expulſio è ſede ſua: vita monaſtica Stabuleti 591. CAP. III. Sancti in ſedem ſuam reſtitutio, & cura paſtoralis: Taxandri ab idolis ad Chriſtum adducti: S. Landradæ ſepultura per ipſum miraculo clara 594. CAP. IV. Pippinus ob ductam Alpaïdem pellicem correptus: pellicis odium & inſidiæ: Sancti, illâ inſtigante, martyrium 596. CAP. V. Corporis ſepultura Trajecti: Dodonis & ſociorum pœna: miracula Leodii facta, & eccleſia ibi ædificata: Corpus eò tranſlatum: Grimoaldi cædes divinitus punita: Nortmanni à ſacro corpore repulſi: auctoris obſervatio: tempus martyrii 600. VITA QUARTA, *auctore Nicolao, canonico Leodienſi ſeculo* XII, *ex editione Joannis Chapeavilli.* PROLOGUS 602. CAP. I. Sancti illuſtres & pii parentes, & inſtitutio ſub SS. Landoaldo & Theodardo: hujus corporis tranſlatio Trajectum ab eo facta: in epiſcopatum ſucceſſio 603. CAP. II. Epiſcopatus à Sancto egregiè adminiſtratus: ejuſdem depulſio è ſede ſua: Vita ſeptennio acta Stabuleti 605. CAP. III. Reditus ad epiſcopalem cathedram ſuam: diſciplina eccleſiaſtica reſtituta: Taxandri, aliique ad Chriſtum adducti: congreſſus cum S. Willibrordo 608. CAP. IV. Beliſienſis parthenon, Sancto auctore, à S. Landrada conditus: ejuſdem virginis apparitio, &

ſepultura miraculosè ab eodem procurata: SS. Hubertus & Oda ad ſanctimoniam inflammati 610. CAP. v. Pippini cum Alpaïde pellicatus reprehenſus: S. Huberti Romana profectio: antiquus Legiæ ſitus, & S. Lamberti in ea ædes: cetera ejuſdem geſta in cauſa Alpaïdis 612. CAP. VI. Sancti martyrium: hujus revelatio S. Sergio Papæ facta: corporis ejus tranſlatio Trajectum & ſepultura ibidem prodigiis illuſtris 614

15 Leontius mart. Romanus, qui colitur in monaſterio Murenſi in Helvetia. COMM. § 1. Notitia auctorum, quibus uſi fuimus, & monaſterii, ad quod Sancti corpus tranſlatum eſt ſeculo XVII 195. § II. Sancti nomen, martyrium, aliaque huc ſpectantia; cultus inſignis 197. § III. Sacellum & altare Sancto conſtructa; lipſanothecæ ſplendidè exornatæ; populi per annum confluxus; jubileum ſolemniter inſtitutum anno MDCCXLVII, à tranſlatione centeſimo 199. § IV. Miracula & beneficia; febres ſanatæ 201. § V. Varii morbi ſublati 204. § VI. Pleuritis aliæque ægritudines curatæ 206. § VII. Moribundis pluribus vita & ſanitas, aliis Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipiendi facultas conceſſa 209. § VIII. Ægrè ac periculosè parturientibus collatum ſolatium & auxilium 211. § IX. Infantes, opinione mortui, vitâ & ſacro Baptiſmate donati 213. § X. Ulcera fœda ac periculoſa ſublata 215. § XI. Membrorum & totius corporis tumores abacti 217. § XII. Membra enervata, debilia & contracta naturali vigori reddita 219. § XIII. Variæ corporis partes, læſæ & gravibus doloribus affectæ, ad priſtinum ſtatum reductæ 223. § XIV. Varii ſubmerſionis periculo erepti, alii opinione mortui ad vitam revocati 225. § XV. E ſublimi delapſi & de vita periclitantes ſervati 227. § XVI. Varii plauſtris & rerum gravium mole oppreſſi ac protriti, vulneribus & mortis periculo liberati 229. § XVII. Plures morbo comitiali & herniâ liberati 232. § XVIII. Cæcitas & oculorum incommoda ſublata 233. § XIX. Muti ac ſurdi loquelæ & auditûs uſu donati 235. § XX. Dæmones expulſi; veneficia ſublata 236. § XXI. Amentibus ratio, captivis libertas impetrata 238. § XXII. Beneficia varia eiſdem familiis ſeu perſonis collata 239. § XXIII. Lues pecudum abacta; incendia exſtincta; alia beneficia collata 243. MIRACULA RECENTIORA, *auctore R. P. Leodegario Mayero, Murenſis monaſterii decano, ex Manuſcriptis* 245. APPENDIX 247

16 Lucia vidua & Geminianus MM. Romæ. SYLL. HIST. CRIT. § 1. Cultus Sanctorum antiquiſſimus: Acta fabuloſa: horum ex Adone compendium 286. § II. Tempus & palæſtra martyrii 289

16 Ludmilla vidua mart., Bohemiæ duciſſa & patrona Tetinæ in Bohemia. COMM. PRÆV. § 1. Dies, quibus Martyrologiis inſcripta eſt: locus martyrii: Officia ejus eccleſiaſtica, & gemina feſtivitas: Vita auctore Chriſtanno danda: Vitæ aliæ Mss. 339. § II. Sanctæ patria, parentes, ethnica educatio, & conjux Borzivojus; hujus ad fidem converſio & baptiſmus 341. § III. Ludmillæ, idolis multùm addictæ, inſtructio & baptiſmus: Borzivoji religionis ergò exilium: illius in Bohemiam reditus, & pia utriuſque munificentia 344. § IV. S. Ludmillæ liberi: Borzivojus ducatum probabiliùs numquam abdicavit: hujus annus emortualis & ætas incerta: utriuſque geſta cum S. Ivano: antiquus Borzivoji cultus, ſi umquam fuerit, ceſſavit 346. § V. Sanctæ martyrium: Tetinenſe ſepulcrum mox miraculis clarum: cœmeterium omnis alterius cadaveris impatiens: corpus Pragam tranſlatum 349. § VI. Sanctæ corpus poſt incendium templi repertum: ejuſdem tumba gypſea, & argentea capitis theca exhibentur: traditio de quadam Crucifixi imagine: pars pepli miraculo clara: reliquiæ aliæ Pragæ & Ulyſſipone 352. VITA, *auctore Chriſtanno de Schala, monacho, Sanctæ pronepote, ex editione Bohuſlai Balbini, lib.* I, *cap.* 10 *Epitomes Rerum Bohemicarum.* PRÆFATIO 354. CAP. I. Bulgarorum & Moravorum ad Chriſti fidem converſio: Borzivoji Bohemiæ ducis baptiſmus, exſilium, reditus in ducatum, & religio 355. CAP. II. Borzivoji conjux S. Ludmilla ad fidem converſa: utriuſque proles: ſanctæ Viduæ virtutes, ſeceſſus in arcem Tetinenſem, martyrium & ſepultura 358. CAP. III. Sanctæ parricidarum pœna: Dragomira à S. Wenceſlao aliquamdiu relegata: Sanctæ corpus incorruptum repertum, & Pragam tranſlatum: puer contractus, ibidem erectus 361

16 Ludovicus Alamandus, Cardinalis archiepiſcopus Arelatenſis, Salonæ juxta Campos lapideos in Provincia. COMM. PRÆV. § 1. Ludovicus Bullâ pontificiâ Beatis adſcriptus: cultus ipſius, & Officium, diu intermiſſum, poſtea reſumptum: hodiernus reliquiarum ipſius ſtatus 436. § II. Acta Beati ex Ms. danda: alii quidam ſcriptores, qui de ipſo egerunt 438. § III. Beati patria, natales, dignitates variæ, officiaque & geſta uſque ad concilium Baſileenſe 439. § IV. Geſta Ludovici in concilio Baſileenſi, in quo non fuit ab initio, ſed poſtea præcipuam auctoritatem habuit 442. § V. Proſecutio geſtorum Ludovici in concilio Baſileenſi uſque ad finem ſchiſmatis 445. § VI. Judicia varia variorum de geſtis B. Ludovici cum Baſileenſibus: refutantur illi, qui negant, ipſum pœnituiſſe geſtorum in concilio 450. § VII. Geſta Beati poſt concilium uſque ad obitum: beata mors, ſepultura, epitaphia, miracula 455. VITA, *auctore anonymo, ex Ms. Rubeæ Vallis.* PROLOGUS 458. CAP. I. Beati natales, dignitates, geſta varia, obitus & ſepultura 459. CAP. II. Miracula Beati poſt mortem 460

15 Luthardus comes conf., in Clivia, ducatu inferioris Germaniæ. COMM. PRÆV. § 1. Sancti illuſtre genus; parentes; memoria apud ſcriptores, & horum multiplex anachroniſmus 105. § II. Sancti conjux ac liberi; alii etiam hîc ſcriptorum anachroniſmi 108. § III. Memoria in Faſtis; cultus; Vita metrica hîc danda 109. VITA RHYTHMICA, *auctore anonymo, ex Legenda Lovanienſi, edita anno* 1485, *& collata cum Mss. apographis, Confluentino, Colonienſi & Bodecenſi* 111

M

17 MAcrinus cum Valeriano. Vide *Valerianus.*

15 Melitina mart., Marcianopoli in Mœſia, *ex Faſtis Græcis & Romano Martyrologio* 29

15 Mamilianus epiſc. Panormitanus in inſula quadam maris Etruſci. SYLLOGE HIST. CRITICA. § 1. Sancti nomen in Faſtis recentioribus & cultus

tus variis diebus : corporis pars major Suanæ in Tuscia, aliæque partes aliis locis 45. § 11. De S. Mamiliano agunt Acta varia fidei non satis probatæ, ex quibus varia dantur de Sancto : ex his de ætate, dignitate gestisque & obitu S. Mamiliani probabiliora investigantur 48. § 111. Utrùm necesse videatur, duos admittere Mamilianos diversos ex Actis modò laudatis : & an satis constet de dignitate S. Mamiliani 51

16 Marcianus cum Abundio. Vide *Abundius.*

18 Methodius episc. mart. Chalcide in Græcia. SYLLOGE. § 1. Locus episcopatûs & martyrii variis dubitationibus obnoxius, uti alia ferè omnia ad Sanctum spectantia 768. § 11. Scripta S. Methodii, quorum pars magna perdita, enumerantur 770

15 Maximus, Theodotus & Asclepiodote MM. in vico inter Philippopolim & Adrianopolim in Thracia. COMM. PRÆV. Sanctorum memoria in Fastis maximè Græcorum : Acta ab auctore contemporaneo videntur scripta, & fide digna 30. ACTA, *ex Ms. Medicæo regis Francorum interprete J. S.* CAP. 1. Persecutio Maximiani : comprehensio SS. Maximi & Asclepiodotæ : horum certamina Marcianopoli, ubi Theodotus tyrannum objurgans, etiam comprehenditur & torquetur 31. CAP. 11. Martyres ducuntur Adrianopolim, ibique rursum cruciantur : inde ad locum martyrii ducti, capite minuuntur 34

17 Myro cum Heraclide. Vide *Heraclides.*

N

17 NArcissus & Crescentio MM. Romæ, *ex Martyrologiis, & Actis S. Laurentii* 476

15 Nicetas Gothus mart. in Gothia ultra Istrum. COMM. PRÆV. Celebris Sancti cultus : locus & tempus martyrii investigantur : nonnulla de conversione Gothorum observata : Acta Græca edenda 38. ACTA, *ex codice Ms. bibliothecæ regiæ cum antiqua versione subinde correcta* 40

15 Nicomedes presb. mart. Romæ. COMM. DE CULTU ET GESTIS. § 1. Sancti memoria celebris in Martyrologiis : Acta gemina, quorum prima suspectæ, altera nullius fidei : ecclesia & cœmeterium Romæ ipsi olim dicata 5. § 11. Sancti corpus à S. Paschale I in ecclesiam S. Praxedis translatum : an Mediolani in ecclesia S. Vincentii quiescat 8. § 111. Alia loca Sancti cultu aut reliquiis illustrata 12

16 Ninianns episc., Pictorum Australium Apostolus, Candidæ Casæ in Scotia. COMM. HIST. CRIT. § 1. Pictorum, & sedis episcopalis Sancti nostri notitia : tempus emortuale, & suscepti apostolatus exordia 318. § 11. Variæ Sancti nostri Vitæ, quarum una fabulosa, aliæ minimè authenticæ : gestorum ejus usque ad episcopatum ex iis compendium 321. § 111. Reliqua S. Niniani gesta : miracula in vita patrata : varia scriptorum elogia 324. § 1v. Cultus ejus antiquus & legitimus : gloria posthuma : scripta à nonnullis illi attributa 327

O

15 ORanna vel Oranda virgo cum socia anonyma, in Esch prope oppidum Beres in Lotharingia. SYLLOGE. De loco, ubi Beata colitur; deque cultu ac lustratione corporis : gesta ferè ignota 115

P

17 Petrus Arbuesius Canonicus regularis Mart. Cæsaraugustæ in Hispania. COMM. PRÆV. § 1. Memoria in Martyrologiis : cultus : Vita à recentioribus scripta : ejusdem compendium excudendum 728. § 11. Beati patria : parentes nobiles; majores, fratres & sorores : pia educatio : studia litterarum præsertim Bononiæ : magisterii & doctoratus laurea 729. § 111. Fit Canonicus Regularis Cæsaraugustæ, deinde inquisitor : trucidatur ex odio fidei : annus, dies & adjuncta mortis 732. § 1v. Ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ luctus : Beati honorifica sepultura : sanguinis ibidem antè effusi, efferveścentis & multiplicati prodigium 735. § v. Cultus ejus non diu post mortem inchoatus : sepulcrum marmoreum ab Hispaniæ regibus Ferdinando & Elisabetha ipsi erectum : lampades ex decreto civitatis appensæ : cultus inter casus exceptos in decreto Urbani VIII PP. declaratus 738. § v1. Aliquot Beati apparitiones, & patrocinium adversus pestem : varia morborum genera sanata : duo mortui vitæ redditi 740. § v11. Alia miracula per ejusdem patrocinium impetrata : tumulus, imagines & reliquiæ similiter illustratæ 742. § v111. Alia quædam miracula vel beneficia, in libro Informationum relata 744. § 1x. Beatificatio Petri à Carolo V imperatore, & Philippis III ac IV, Hispaniarum regibus, flagitata, ab Alexandro VII Papa ad finem perducitur 747. § x. Ab Alexandro VII Beatis adscribitur : beatificationis solemnitas Romæ in basilica S. Petri peracta : corpus in pretiosum sacellum translatum 749. VITA BREVIS, *ex Relatione Italica Romæ impressa* 752

17 Petrus cum Lamberto. Vide *Lambertus.*

15 Philotheus presb., in vico Myrmice Minoris Asiæ. SYLLOGE, *ex Menologiis aliisque Fastis maximè Græcorum* 113

15 Porphyrius mart., *ex Fastis maximè Græcorum* 37

16 Principius episc. Cenomanensis in Gallia. COMM. PRÆV. Sancti cultus : Acta : tempus episcopatus 329. VITA, *auctore anonymo, ex Ms. Cenomanensi collato cum editis à Mabillonio Actis* 331

16 Priscianus mart. Nuceriæ in Italia, *ex apographis Hieronymianis* 314

R

17 REginaldus eremita cultus in ecclesia Melinæensi prope Flexiam in provincia Andegavensi. SYLLOGE. § 1. Corporis translatio, cultus, miracula 626 § 11. Beati ætas, & gesta parùm certa 628

18 Regnifridus aut Rainfridus cum Desiderio. Vide *Desiderius.*

18 Richardis, imperatrix & virgo, Andlaviæ in Alsatia. SYLL. HIST. Sanctæ in Fastis memoria & cultus : gesta examinata : elogium ex Breviario Argentinensi : miracula 793

15 Rithbertus aut Raimbertus conf., ac verisimiliter abbas Leuconaënsis in pago Picardiæ Wimacensi 79

17 Rodingus vel Chraudingus, fundator & abbas Bel-

Bellilocenſis, prope Bellum-locum in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. § 1. Notitia monaſterii, quod condidit: memoria Sancti in Martyrologiis: cultus recentior & antiquus: ex Vitis quæ edenda? mentio illius apud varios 508. § 11. Sancti patria: epiſcopatus non ſatis probabilis: chronotaxis incerta: vita monaſtica Tabuleii: Waſlogium ab eo conditum: annus emortualis 510. VITA, *auctore fortè B. Richardo abbate S. Vitoni ſeculo* XI, *ex editione Mabillonii ſec.* 4 *Benedict. part.* 2. CAP. 1. Sancti in Galliam adventus: monachatus in Tabuleio: ſeceſſus in eremum, atque inde expulſio: peregrinatio Romana, & reditus: monaſterii erectio 513. CAP. 11. Privilegia, reliquiæ & bona monaſterio per ipſum impetrata: ſeceſſus in eremum: ſancta mors & ſepultura 516

16 Rogellius & Servio-Deo MM., Cordubæ in Hiſpania. SYLL. HIST. De eorum cultu, & martyrio per S. Eulogium ſcripto 336.

15 Rolandus de Medicis anachoreta, Borgoni ditionis Palavicinæ in Italia. COMM. PRÆV. Cultus Beati: Acta & Miracula edenda ex manuſcriptis 117. VITA, *auctore ſynchrono, ex codice Ms. bibliothecæ Medicææ* 119. MIRACULA, *auctore Anſelmino de Raimundis notario Cremonenſi, ex codice Ms. bibliothecæ Medicææ* 121. APPENDIX 122

S

17 SAtyrus conf., Mediolani. COMM. PRÆV. § 1. Sancti memoria in Martyrologiis & cultus: elogium à S. Ambroſio ſcriptum, & Vita ex eo compoſita: qualiſcumque vitæ chronotaxis 485. § 11. Refutantur variæ opiniones de anno mortis Sancti, & tempus, quo videtur obiiſſe, aſſignatur 488. § 111. Controverſia de poſſeſſione corporis S. Satyri: Sanctus ſepultus in eccleſia Portiana, apud S. Victorem, ubi corpus poſtea ſervatum 491. § IV. Inventio & tranſlatio corporum SS. Victoris & Satyri ad novam eccleſiam: tranſlatio capitum in thecas argenteas 493. ACTA *ſive* ORATIO FUNEBRIS, *auctore S. Ambroſio, ex editione noviſſima Operum S. Ambroſii, cum editione Surii collata.* CAP. 1. Ambroſius mira pietate de obitu Fratris ſui loquitur; exponit inſignem caritatem, quâ invicem erant conjunctiſſimi, & varia Satyri officia recenſet 496. CAP. 11. Omnium dolor de morte S. Satyri, quem Ambroſius morte ſua periculis ſubtractum docet: Sanctus naufragio ereptus, baptiſmum non vult ſuſcipere à ſchiſmatico, ſed illum deinde in eccleſia Catholica ſuſcipit 499. CAP. 111. Sancti verecundia, caſtitas, temperantia, juſtitia, aliæque virtutes: Ambroſius ſuum & ſororis Marcellinæ dolorem variis modis lenire conatur 502. VITA, *auctore anonymo, ex editione Mombritii frequenter correcta* 505

16 Servio-Deo cum Rogellio. Vide *Rogellius.*

16 Sevoldus in abbatia S. Walarici, & Abbatiſ-Villæ in Picardia 336

18 Sinerius epiſc. conf. Abrincis in hodierna Normannia. SYLLOGE. De cultu, geſtis, diſtinctione à S. Severo, & reliquiis 780

17 Socrates & Stephanus MM. in Anglia. SYLLOGE 477

18 Sophia & Irene mart., *ex Faſtis Græcis & Romanis* 773

17 Stephanus cum Socrate. Vide *Socrates.*

T

17 THeodora matrona, Romæ. SYLLOGE. Sanctæ notitia unde hauſta: memoria in Faſtis nonnullis: corporis Ariniano Romam tranſlatio 484

15 Theodotus cum Maximo &c. Vide *Maximus* &c.

18 Thomas à Villanova, archiepiſc. cognomento Eleëmoſynarius, Ord. S. Auguſtini, Valentiæ in Hiſpania. COMM. PRÆV. § 1. Acta Sancti, à quibus conſcripta, & quæ edenda 799. § 11. Locus & annus natalis, parentes ac genus Sancti 801. § 111. Studia Sancti chronologicè deducta uſque ad ſolemnem profeſſionem in Ordine Eremitarum S. Auguſtini, ac ſacerdotium 803. § IV. Munia, quæ obiit Sanctus in provincia ſua uſque ad annum MDXXXIV, chronologicè diſponuntur 806. § V. Reliqua officiorum chronotaxis producitur uſque ad annum MDXLIV, 808. § VI. Fuit Carolo V imperatori à concionibus, & conſiliis; miſit diſcipulos in Indias 811. § VII. Invitus archiepiſcopus Valentinus eligitur; litteræ ipſius ad Ordinis ſui Priorem generalem Hieronymum Seripandum & hujus ad ipſum 814. § VIII. Sanctus ad concilium Tridentinum vocatus non ivit; ſynodos diœceſanas inſtituit 816. § IX. De anno ac die Sancti emortuali 818. § X. De ſcriptis Sancti ac variis eorum editionibus 820. § XI. Acta Sancti quo ordine ac modo edenda & quibus inſtrumentis illuſtranda 823. VITA PRIMA, *auctore Joanne Mugnatonio, epiſcopo Segobricenſi, Sancti amico familiari* 825. VITA ALTERA, *ex Serie Actorum in canonizatione* 828. VITA PROLIXIOR, *auctore Michaële Salonio, coævo, ex proceſſibus ad beatificationem & teſtimoniis fide dignis Hiſpanicè edita, ac Latinè reddita interprete J. P.* LIBER 1. CAP. 1. Sancti natales, parentes, & horum præclara virtus 835. CAP. 11. Sancti virtutes in pueritia & inſignis in pauperes miſericordia 838. CAP. 111. Liberales artes ac theologiam diſcit & illas docet magnâ ingenii ac pietatis famâ 840. CAP. IV. Inſtitutum Eremitarum S. Auguſtini amplectitur; habitum induit Salmanticæ, in tyrocinio virtutibus excellit 841. CAP. V. Solemnem profeſſionem nuncupat; ſacerdotio initiatur; proficit in exercitio virtutis 843. CAP. VI. Docet Theologiam, pro concione dicit mirabili doctrinâ, efficaciâ & fructu 845. CAP. VII. Virtutes in verbi Dei præcone requiſitas docet alios & exercet ipſe; Carolo V imperatori à concionibus eligitur 847. CAP. VIII. Conſcientiarum moderator homines ſexus utriuſque ad vitam perfectiorem perducit 849. CAP. IX. In oratione & concionibus frequenter in ecſtaſim rapitur 851. CAP. X. Futura prænuntiat 855. CAP. XI. Dæmones expellit 857. CAP. XII. Ob inſignem prudentiam conſulitur tam ab imperatore quàm ab aliis; præficitur variis conventibus; bis toti provinciæ; gubernandi ratio exponitur 860. CAP. XIII. Gubernandi ratio dum toti provinciæ præeſt 863. CAP. XIV. Diſcipuli ſeu filii ſpirituales aliquot Sancti recenſentur & elogio illuſtrantur 865. CAP. XV. Amor & reverentia, qua fuit in Hiſpania apud omnes 868. CAP. XVI. Fugit dignitates, archiepiſcopatum Granatenſem renuit; ad Valentinum deſignatus, diu multúmque reluctatur 871. CAP. XVII. Ex obedientia admittit archiepiſcopatum Valentinum, & conſecratur

874. LIBER II. CAP. I. Valentiam proficiſcitur & extra muros commoratur in conventu ſui Ordinis 876. CAP. II. Magno incolarum gaudio eccleſiam ſuam ingreditur & primas curas convertit ad carcerem & xenodochium 878. CAP. III. Archiepiſcopus paupertatem ſervat in veſtitu, victu, ſupellectile domeſtica 880. CAP. IV. Diœceſim perluſtrat ac miniſtros in regimine adjutores ſibi deligit 884. CAP. V. Synodum diœceſanam celebrat & immunitatem ac libertatem eccleſiaſticam memorabili fortitudinis exemplo propugnat 886. CAP. VI. Cuicumque negotio orationem præmittens, felicem ſemper eventum ſortitur 891. CAP. VII. Orans, occulta à Deo edocetur 893. CAP. VIII. Humilitas ſancti Præſulis & comitas erga omnes præſertim pauperes 897. CAP. IX. Conſanguineis egenis parcè admodùm ſuccurrit, ac cæſari pecuniam mutuam petenti diu reſiſtit, ne pauperibus ſubtrahat 901. CAP. X. Solicitè domui ſuæ invigilat, famulos ad virtutem ſtimulat doctrinâ, præmio, amore, exemplo 904. CAP. XI. Caſtitatis totâ vitâ amantiſſimus, eamdem virtutem etiam impetrat aliis 908. CAP. XII. Boni paſtoris munus exſequitur 911. CAP. XIII. In corripiendis delictis manſuetudinem ſeveritati prudenter præponit 914. CAP. XIV. Eximia caritate ſubditorum neceſſitatibus occurrit, & improbos clericos ad frugem revocat 917. CAP. XV. Ejuſdem materiæ proſecutio 920. CAP. XVI. Suorum, præſertim eccleſiaſticorum, honori conſulit; facilis eſt ad ignoſcendum & in reos pœnitentes benignus 924. CAP. XVII. Sancti caritas ac liberalitas erga mendicos & egenos pudibundos 927. CAP. XVIII. Caritas in omnes cujuſcumque conditionis homines ac primò in eccleſiaſticos pauperes 930. CAP. XIX. Munificentia erga viros ac matronas nobiles pro ſtatu ſuo indigentes 932. CAP. XX. Liberalitas erga pauperes puellas matrimonio jungendas; cura infantium expoſitorum 934. CAP. XXI. Gaudium ejus, dum ſtipis erogandæ datur occaſio; parcitas erga ſe, quò plus eroget; exſtructio duorum collegiorum 937. CAP. XXII. Sancti eleëmoſynæ miraculis illuſtrantur 941. CAP. XXIII. Ejuſdem materiæ proſecutio 945. CAP. XXIV. Archiepiſcopatu ſe abdicare deſiderans, mortem divinitus prænoſcit; morbo corripitur; luctus & preces populi 948. CAP. XXV. Bonis omnibus in pauperes erogatis, ſanctè moritur 951. CAP. XXVI. Luctus ac ploratus ex obitûs ejus nuntio; exſequiæ ac ſepultura 954. GLORIA SANCTI POSTHUMA. § I. Sancti cultus ab ipſo obitu, proceſſus ad beatificationem 957. § II. Cauſæ promotio; beatificatio 959. § III. Extenſio facultatis dicendi Officium & Miſſam de Beato ſemel & iterum facta; Acta Romæ uſque ad declarationem faciendæ ſolemnis canonizationis 962. § IV. Acta reliqua uſque ad ſolemnem canonizationem, die prima Novembris anni MDCLVIII celebratam 965. § V. Bullæ canonizationis in duas partes diviſæ pars prima, continens Sancti Vitam 967. § VI. Miracula ritè approbata; ordo beatificationis & canonizationis 970. § VII. Indulgentiæ fidelibus conceſſæ occaſione canonizationis; ſolemnia Romæ & alibi hanc ſubſecuta 972. § VIII. Extenſio Officii & Miſſæ poſt canonizationem; loca ſacra & altaria Sancto erecta; reliquiæ ejus locis variis honoratæ 974. MIRACULA, *ex Salonio & aliis.* § I. Miracula unde accepta & quomodo danda; apparitiones Sancti pluribus factæ & collata beneficia poſt obitum 976. § II. Beneficia impetrata per uſum terræ & florum ipſius ſepulcri, atque olei ex lampade eidem ſepulcro appenſa 979. § III. Infantes mortui vel ut tales habiti, ad vitam revocati 980. § IV. Infantes moribundi ad ſanitatem reducti 981. § V. Plures moribundi & à medicis deſperati, patrocinante Sancto, ad ſanitatem deducti 983. § VI. Ægrè parturientes liberatæ, & viva prole donatæ 985. § VII. Claudi & debiles membrorum uſui reſtituti 986. § VIII. Cæci, muta, paralytici, podagrâ item & aſthmate laborantes curati 988. § IX. Strumæ, ulcera, angina, plagæ, tumores, cordis palpitatio, cancer & dolor colicus ſublata 989. § X. Reliqua Sancti miracula ex variis auctoribus collecta 990

V

15 VAlerianus mart. Threnorchii in ducatu Burgundiæ. COMM. PRÆV. § I. Memoria Sancti in Martyrologiis; Acta martyrii, eorumque auctores 13. § II. Locus ac tempus martyrii; baſilica ipſi erecta; cultûs antiquitas 15. § III. Cultus antiqui continuatio; reliquiarum tranſlatio; nummi ejus nomine inſigniti; nova eccleſia ipſi conſecrata 17. § IV. Sancti reliquiæ à Calviniſtis diſſipatæ ſeculo XVI penè omnes; cultus hodiernus Threnorchii & alibi 19. PASSIO, *auctore anonymo, ex variis exemplaribus Mss. & impreſſis inter ſe collatis* 21. PASSIO ALTERA, *auctore Falcone monacho Trenorchienſi, ex Chronico ejuſdem loci, edito à Chiffletio & Juenino* 23. TRANSLATIO ET MIRACULA, *auctore eodem Falcone, ex editionibus Chiffletii & Juenini* 26. TRANSLATIO ET MIRACULA, *auctore Garnerio monacho Trenorchienſi, ex editionibus Chiffletii & Juenini* 27

17 Valerianus, Macrinus, & Gordianus MM., *ex Martyrologiis* 483

16 Victor III Papa, Caſini in Italia. COMM. PRÆV. § I. Antiquus Beati cultus: quare hîc tantùm Beatus dicatur & an martyr vocari debeat? Aliquot ejus elogia; Officium, cujus lectiones propriæ dantur 373. § II. Calumniæ graviſſimæ, à variis Beato impactæ, ſolidè confutatæ 375. § III. Acta Beati, à variis conſcripta, ex libro tertio Chronici Caſinenſis danda: illius auctoritas vindicatur 378. § IV. Beati natales præclari: chronotaxis geſtorum, uſque dum Caſinum adiit, & quædam in his controverſa: locorum notitia 380. § V Præpoſitus Capuanus, deinde Caſinenſis abbas eligitur: legatur Conſtantinopolim: Cardinalis creatur: variis intereſt conciliis: Caſtrum novum ædificat 383. § VI. Monaſteriorum Tremitenſis & Sublacenſis reformatio: Caſinenſis eccleſiæ inſtauratio & conſecratio, poſt quam totum cœnobium innovatur 386. § VII. Plurimæ donationes ad ordinem chronologicum reductæ: violata eccleſia Caſinenſis, ideoque ad aliquot dies interdicto ſuppoſita: donationum aliarum chronotaxis 390. § VIII. Geſta Deſiderii ad conciliandum cum S. Gregorio VII Robertum Guiſcardum, alioſque principes Normannos: ejuſdem geſta cum Henrico Germaniæ rege: reliqua ante pontificatum ejuſdem 393. § IX. Mors Gregorii Papæ VII, cui diu reluctans ſubſtituitur Deſiderius, aſſumpto nomine Victoris III; geſta ipſius in pontificatu, ac beatus obitus 397. VITA,

ex lib. III. *Chronici Casinensis, auctoribus Leone Marsicano, & Petro Diacono, ex editione Angeli de Nuce, à Muratorio recusa.* PROLOGUS 400. CAP. I. Beati natales & sancta adolescentia: fuga duplex è patria: profectio ad varia cœnobia: Leoni IX perquàm carus, & à Victore II commendatus, Casinense institutum amplectitur 402. CAP. II. Insignis Beati visio: electio in abbatem: gesta usque ad Cardinalatum: interest concilio Melfitano 405. CAP. III. Cœnobii sui honori utilitatique prospicit: rem sacram auget: pro Alexandro II Romam petit: cœnobia in Sardinia constituit 408. CAP. IV. Cœnobii Casinensis immunitas obtenta, & Tremitensis à Beato suscepta reformatio: novæ basilicæ exstructio, ejusdemque pretiosa exornatio 411. CAP. V. Novæ basilicæ solemnis dedicatio: populi ad eam concursus: imperatricis Agnetis dona 414. CAP. VI. Quæ Beatus contulerit novæ basilicæ ornamenta, & quæ tum intra, tum extra claustrum ædificia fecerit: deque variis instauratis & sacratis ecclesiis 417. CAP. VII. Variæ variorum donationes: jus in ecclesias S. Sophiæ & S. Angeli Casinensibus confirmatur à Gregorio VII, qui Casinensi ecclesiæ sacris interdicit 420. CAP. VIII. Desiderii cum Henrico IV congressus, in quo Ecclesiæ jura invictè tuetur: communio cum Cluniacensibus sancita: variæ transactiones 423. CAP. IX. Beatus Gregorium VII fugientem benignè fovet: Roberti ducis donationes in gratiam Desiderii: ejus cura circa rem litterariam & indigentes 425. CAP. X. Mortuo Gregorio VII, diu reluctans & invitus substituitur Desiderius, qui, depositis Pontificatûs insignibus, Casinum revertitur 428. CAP. XI. Beatus Papa coronatur: Guiberti antipapæ depopulationes & sacrilegia: Victoris de Saracenis triumphus 430. CAP. XII. Synodum Beneventi celebrat Victor: ejus decreta, & Casinum reversi sanctus obitus: supellex sacra ab eo relicta 432

16 Villbetta cum Einbetta. Vide *Einbetta.*

16 Vorbetta cum Einbetta. Vide *Einbetta.*

INDEX CHRONOLOGICUS

SECULO I.

Ub Domitiano passus dicitur S. Nicomedes presbyter M. Romæ 5

Seculo 1 *aut fortasse* 2 SS. Heraclides & Myron episcopi martyres in Cypro 467

SECULO II.

Sub Adriano vel Antonino Pio S. Ariadne martyr Prymnesiæ in Phrygia Salutari 469

Circa 178 Valerianus martyr Trenorchii in Burgundia 13

Seculo 2 *aut* 3 S. Melitina martyr Marcianopoli in Mœsia 29

SECULO III.

Fortè sub Valeriano passi Romæ Narcissus & Crescentio MM. 476

Circa 259 S. Justinus prebyter martyr Romæ 470

SECULO IV.

Anno 303 *aut* 304 passa S. Euphemia V. M. Chalcedone 252, 255 b

Sub Diocletiano passi SS. Lucia & Geminianus Romæ 286 c

Item, SS. Abundius presbyter, Abundantius diaconus, Marcianus & Joannes Romæ 293

Item S. Innocentia virgo & martyr Ariminensis 310

Item S. Gisslemerius martyr, ut creditur, ex Thebæis 313

Fortè sub eodem in Britannia passi Socrates & Stephanus MM. 477

Sub Diocletiano circa 304 passus S. Ferreolus martyr Viennensis 760

Fortè sub Diocletiano passus S. Methodius, episcopus & doctor 768

Inter 305 *&* 311, Maximus, Theodotus & Asclepiodote martyres in Thracia 30

Post initium hujus seculi defuncta Romæ S. Theodora matrona 484

Ante medium seculi 4 defunctus S. Eustorgius I episcopus Mediolanensis 774

Circa 362 Porphyrius martyr 37

Circa 372 Nicetas Gothus, martyr in Gothia ultra Istrum 38

Anno 392 *aut* 393 defunctus Mediolani S. Satyrus 485

Fortè sub finem seculi 4 defunctæ SS. Einbetta, Vorbetta, & Villbetta Argentorati 315

Seculo 4 structa basilica S. Euphemiæ prope Chalcedonem 255 d

Seculo 4 *aut* 5 defunctus S. Albinus episcopus Lugdunensis 44

SECULO V.

Post medium seculi 5, S. Mamertus novam S. Ferreolo M. condit ecclesiam prope Viennam, & ad eamdem transfert corpus S. Ferreoli & caput S. Iuliani M. 761 e & seqq.

Seculo 5 defunctus S. Ninianus episcopus, Pictorum Australium apostolus 318

Probabilius seculo 5 defunctus S. Mamilianus archiepiscopus Panormitanus 45

Sub finem seculi 5 *vel initium* 6 defunctus S. Aper episcopus Tullensis 55

SECULO VI.

Verisimiliter inter 511 & 520 obiit S. Principius Cenomanensis episcopus 339
Circa 570 *aut* 580 defunctus S. Sinerius episcopus Abrincensis 780
Post 591 defunctus S. Ferreolus episcopus Lemovicensis 783

SECULO VII.

Circa 620 corpus S. Euphemiæ Constantinopolim translatum 258 c
Circa 670 S. Lambertus fit episcopus Trajectensis 625 e & seqq.
Circa 674 S. Lambertus è sede sua expulsus 528 f
Anno 681 *aut* 682 S. Lambertus sedi suæ restituitur 532 c
Circa 687 obiit S. Aichardus aut Aichadrus abbas Gemmeticensis 80
Circa finem seculi 7 defunctus in Campania S. Rodingus vel Chraudingus, fundator Bellilocensis & abbas 508
Verisimiliter seculo 7 defunctus S. Rithbertus aut Raimbertus in pago Picardiæ Wimacensi 79
Fortè seculo 7 defunctus S. Eumenius Gortynensis in Creta episcopus 786
Seculo 7 *aut* 8 occisi in Alsatia SS. Desiderius ep. & Regnifridus diacon. MM. 788

SECULO VIII

Probabilius anno 709 occisus S. Lambertus episcopus Trajectensis M. 518, 536 d & seqq.
Anno 721 *vel* 722 corpus S. Lamberti translatum Trajecto Leodium 552 d & seqq.
Seculo 8 *per Leonem Isauricum vel Constantinum Copronymum* profanata ecclesia S. Euphemiæ, ejusque corpus projectum in mare, sed mox inventum & in Lemnum insulam delatum 259 e f, 260 a b
Non diu ante medium seculi 8 reliquiæ S. Ferreoli M. Viennam translatæ 762 e f
Anno 796 corpus S. Euphemiæ iterum Constantinopolim translatum 260 b c
Seculo 8 obiit S. Eugenia abbatissa Hohenburgi in Alsatia 332
Fortè seculo 8 defunctus S. Sevoldus in Alsatia 336

SECULO IX.

Anno 817 translatum Romæ corpus S. Nicomedis presbyteri 8 e
Anno 834, reliquiæ SS. Alexandri Papæ & Justini presbyteri MM. Frisingam, ut videtur, translatæ 472 e f, 473
Anno 852 martyres Cordubæ Emila & Hieremias 102, 104 d
Eodem anno passi ibidem SS. Rogellius & Servio-Deo 336
Anno 853 S. Columba virgo sanctimonialis Cordubæ martyrio coronatur 618
Anno 875 *aut* 877 S. Richardis nubit Carolo Crasso postea imperatori 794 d
Anno 887 S. Richardis imperatrix, servata & probata virginitate, à Carolo Crasso discedit ad monasterium Andlavienſe antè fundatum 795 f & seqq.
Probabilius circa 890 baptizatus Borzivoyus, dux Bohemiæ, & conjux S. Ludmillæ 343 c d e
Non diu post baptizata item S. Ludmilla 345
Sub finem seculi 9 defunctus in Cliviæ ducatu S. Luthardus comes 105
Seculo 9 corpora SS. Aichardi & Hugonis translata 81 b c d

SECULO X.

Seculo 10 *aut citius* defunctus S. Philotheus presbyter in vico Myrmice Minoris Asiæ 113
Sub initium seculi 10 defuncta Andlaviæ in Alsatia S. Richardis imperatrix Virg. 793
Circa 918 corpus S. Apri Tullum delatum 64 f, 74 d & seqq.
Seculo 10 *probabilius inter* 920 & 929 occisa S. Ludmilla, Bohemiæ ducissa 339, 350
Post paucos annos corpus S. Ludmillæ Pragam translatum 351
Anno 978 corpus S. Apri inventum & elevatum 65 a, 77
Circa 980 translatum in Burgundia corpus S. Valeriani martyris 17 e, 26, 27
Non diu post 984 defuncta Wiltoniæ in Anglia S. Editha seu Eadgitha 364
Deinde anno incerto corpus ejusdem Sanctæ elevatum 368 e & seqq.
Anno 1000 translata corpora SS. Abundii & Abundantii MM. 303 e f, 304

SECULO XI.

Circa 1027 natus B. Victor Papa III 380 f
Anno 1085 moritur S. Gregorius Papa VII 397 a b
Anno 1086 eligitur Papa Desiderius abbas, postea Victor III, sed electioni non consentit 397 e
Anno 1087 defunctus B. Victor Papa III, quitandem electioni suæ eodem anno consenserat, & coronatus fuerat 373, 398
Anno 1098 nata S. Hildegardis 631 b c

SECULO XII.

Anno 1104 defunctus S. Reginaldus eremita in provincia Andegavensi 626, 629 b
Verisimiliter circa 1130 iterum translata corpora SS. Abundii & Abundantii 307 e & seqq.
Anno 1141 corpus S. Lamberti ad castra Leodiensium delatum 557 b
Anno 1148 aliqua S. Hildegardis scripta probat, eamque ad plura scribenda hortatur Eugenius Papa III 636 d & seqq.
Anno 1179 defuncta S. Hildegardis virgo, magistra monialium in diœcesi Moguntina 629, 876 f & seqq.

SECULO XIII.

Circa 1260 defunctus B. Gandolphus, Ordinis S. Francisci, Politii in Sicilia 701
Anno 1265 translatum corpus S. Flocelli M. 479 b c

SECULO XIV.

Hoc seculo aut citius obiit B. Oranna vel Oranda in Esch vico Lotharingiæ 115
Anno 1320 elevatum corpus B. Gandolphi Franciscani 709 d & seqq.
Anno 1386 obiit B. Rolandus de Medicis anachoreta in Italia 117

INDEX CHRONOLOGICUS

SECULO XV.

Anno 1431 inchoatum concilium Baſileenſe 442 c
Anno 1433 Ludovicus Cardinalis Arelatenſis proficiſcitur ad concilium Baſileenſe 442 e f
Anno 1437 concilium Baſileenſe ab Eugenio Papa transfertur Ferrariam 443 b c
Anno 1449 finitur ſchiſma Baſileenſe 450
Anno 1450 defunctus B. Ludovicus Alamandus S. R.E. Cardinalis, archiepiſcopus Arelatenſis 436
Anno 1468 tranſlatum corpus B. Rolandi de Medicis 118 c
Anno 1484 B. Petrus Arbueſius ſit primus inquiſitor in regno Aragoniæ 732 e f
Anno 1485 B. Petrus Arbueſius inquiſitor Cæſarauguſtæ ab impiis occiſus 728, 733, 734
Anno 1488 natus in Hiſpania S. Thomas à Villanova 802 b
Anno 1489 viſitatum corpus S. Lamberti, & BB. Petri & Andoleti 564 e & ſeqq.
Eodem anno luſtratum corpus S. Hildegardis virginis 677 d

SECULO XVI.

Anno 1510 obiit Genuæ S. Catharina Fliſca Adurna vidua 123
Anno 1516 S. Thomas à Villanova amplectitur Ordinem Eremitarum S. Auguſtini 805 c
Anno 1518 S. Thomas à Villanova ſacerdotio initiatur 805 f, 806 a
Anno 1544 S. Thomas à Villanova ſit archiepiſcopus Valentinus 814 e f & ſeqq.
Anno 1555 moritur S. Thomas à Villanova 799, 818 d & ſeqq.
Anno 1563 luſtratum corpus B. Rolandi de Medicis 118 d
Anno 1576 corpora SS. Victoris M. & Satyri C. elevata Mediolani, & ad novam eccleſiam tranſlata 493 d & ſeqq.
Anno 1582 Corpus S. Thomæ à Villanova repertum integrum & ſuave olens 956 d
Anno 1583 tertiò tranſlata corpora SS. Abundii & Abundantii 308 b & ſeqq.

SECULO XVII.

Anno 1603 natus B. Joſephus à Cupertino 992 c & 993 d
Anno 1604 elevatum & tranſlatum corpus Thomæ à Villanova 959 b
Anno 1618 Thomas à Villanova ſolemniter Beatis adſcribitur 961
Anno 1621 luſtratum ſolemniter corpus B. Gandolphi Franciſcani 721 e & ſeqq.
Anno 1622 ſepulcrum S. Eugeniæ in Alſatia ab hæreticis deſtructum 334 d e
Anno 1632, combuſto monaſterio S. Ruperti, corpus S. Hildegardis tranſlatum ad monaſterium Eibingenſe 677 e
Anno 1647 tranſlatum corpus S. Leontii M. ad monaſterium Murenſe 196 c d & ſeqq.
Anno 1652 approbatur ab Innocentio X cultus immemorabilis B. Petri Arbueſii 739 d e f, 740 a
Anno 1653 recognitæ & tranſlatæ reliquiæ S. Reginaldi eremitæ 626 é & ſeqq.
Anno 1658 B. Thomas à Villanova ſolemniter in catalogum Sanctorum refertur 965 d & ſeq.
Anno 1663 defunctus B. Joſephus à Cupertino Ord. Min. Conv. 992 c & 1010 c
Anno 1664 B. Petrus Arbueſius M. ſolemniter Beatis adnumeratus 749 d & ſeqq.

SECULO XVIII.

Anno 1737 Catharina Fliſca Adurna ſolemni canonizatione Sanctis adnumerata 175 f, 181
Anno 1753 Joſephus à Cupertino ſolemniter Beatis adſcriptus 992 c & 1013 f & ſeq.

NOTITIA

FIGURARUM

PRæter figuras minoris formæ, locis ſuis affixas, figuræ in folio ponuntur hoc ordine.

Operis frontiſpicium.

Effigies Sereniſſimi Archiducis Petri Leopoldi præfigitur dedicationi.

Herma S. Ludmillam referens, & ejuſdem tumba pag. 353.
Schenographia ſacelli B. Petri Arbueſii pag. 751.

ACTA SANCTORUM

SEPTEMBRIS.

TOMUS QUINTUS.

DECIMA QUINTA DIES.

SANCTI, QUI XVII KAL. OCTOBRIS COLUNTUR.

S. Nicomedes presbyter martyr, Romæ.

S. Valerianus martyr, Threnorchii in ducatu Burgundiæ.

S. Melitina martyr, Marcianopoli in Mœsia.

S. Maximus M. } inter Philippopolim & Adrianopolim in Thracia.
S. Theodotus M. }
S. Asclepiodote mart. }

S. Porphyrius martyr.

S. Nicetas Gothus martyr, in Gothia ultra Istrum.

S. Albinus episc. conf., Lugduni in Gallia.

S. Archius M. } Nicomediæ in
S. Archeon M. } Bithynia.

S. Mamilianus, episcopus Panormitanus, in insula quadam maris Etrusci.

S. Aper episcopus conf., Tulli Leucorum in Belgica prima.

S. Rithbertus aut Raimbertus conf., ac verisimiliter abbas Leuconaënsis in pago Picardiæ Wimacensi.

S. Aichardus seu Aichadrus, abbas Gemeticensis, in Normannia.

S. Emila M. } Cordubæ in
S. Hieremias M. } Hispania.

S. Luthardus comes conf., in Clivia, ducatu inferioris Germaniæ.

S. Philotheus presbyter, in vico Myrmice Minoris Asiæ.

B. Oranna vel Oranda virgo cum socia anonyma, in Esch prope oppidum Beres in Lotharingia.

B. Rolandus de Medicis anachoreta, Borgoni ditionis Palavicinæ in Italia.

S. Catharina Flisca Adornea vidua, Genuæ.

S. Leontius martyr Romanus, qui colitur in monasterio Murensi in Helvetia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sancti Luciani *episcopi Bellovacensis & martyris translatio memoratur in Martyrologio Ms. S. Martini Bellovacensis. Acta data sunt ad* VIII Januar.

S. Brachio *abbas* in Arvernia *hodie annuntiatur à Castellano, qui eum Gallicè hîc nominat* S. Bravy; *sed in indice observat, eumdem esse cum* S. Brachione, *quem die* IX *Februarii memorat* Menati in Arvernia, *& ibidem* S. Braque *vocat: nam fuit abbas Menatensis, ut liquet ex S. Gregorio Turonensi, qui variis locis de* S. Brachione *scribit, sed maximè libro de Vitis Patrum cap.* 12. *Fuit omissus in antiquioribus Martyrologiis, indeque ignotus Majoribus nostris, quando scripserunt de Sanctis* IX *Februarii cultis, ita ut hoc die, quo colitur Pontiaci in Combralia ob reliquias, de ipso agi posset. Attamen malumus de illo Sancto agere, quando Menati colitur, in Supplemento Operis, die* IX Februarii.

S. Chineburgæ *aliàs* Kineburgæ, *cum Martyrologio Anglicano mentionem faciunt Ferrarius & Arturus, ac* reginam *vocant* Northumbriæ. *Fuit certò regis filia, an etiam regi nupta & regina, videri potest apud nos in* SS. Kineburga *&c., de quibus actum est ad* VI Martii.

S. Leobinus *episcopus Carnotensis hoc die memoratur ab Usuardo, in Martyrologio Romano, & in aliis pluribus. Dies est translationis. De* Leobino *apud nos actum est in natali ad* XIV Martii.

S. Acacii *Melitinensis in Armenia episcopi reliquiarum inventio annuntiatur in Menæis & in Menologio Sirleti. Acta* S. Acacii *data sunt ad* XXXI Martii.

De S. Dominici imagine Sorianensi, *miraculis celebri, multa ad hunc diem referunt scriptores Ordinis Prædicatorum, Marchesius in Diario Dominicano, & Carolus de S. Vincentio in Anno Dominicano. De illa apud nos disputatum est in* S. Dominico *ad* IV Augusti.

S. Altfridus *episcopus Hildesheimensis hodie occurrit apud Castellanum, qui memoriâ lapsus videtur: nam eumdem jam dederat cum aliis martyrologis, ubi etiam nos de* S. Altfrido *egimus, die* XV Augusti.

Helena mater imperatoris *hodie memoratur in Fastis Æthiopum. Puto designari S. Helenam Constantini matrem, de qua apud nos actum est ad* XVIII Augusti.

SS. Cyrini, Serapionis, Leontii MM. *memoria est in Hieronymianis, ubi etiam* Crocus *additur: apud Rabanum & alios* Serapionis & Leontii *tantùm fit mentio. De his actum est cum Græcis & Martyrologio Romano ad* XII Septemb.

Adam *episcopus Cathenensis in Scotia hodie memoratur apud Camerarium. Vide dicta in Prætermissis ad* XIII Septembris.

SS. Stratonis, Macrobii *& aliorum Martyrum* Tomis *memoria hodie est in Hieronymianis, apud Rabanum, & apud Galesinium; ubi* Ancyræ in Galatia *ponuntur cum aliis Ancyræ & alibi passis. Verùm de Tomitanis simul & Ancyranis actum est in* Macrobio *& Sociis ad* XIII Septembris.

S. Seleucus *cum aliquot Sociis hodie in Hieronymianis & apud Rabanum annuntiatur Ancyræ in Galatia. Martyres hosce etiam dederunt Galesinius & Ferrarius, sed nomina aliquorum luxârunt, & alios hisce addiderunt, ad alia loca pertinentes. Nos de* Seleuco *ejusque Sociis egimus cum Martyrologio Romano* XIII Sept.

S. Paulus *aut* Paulinus, *variè admodùm in aliquot Fastis antiquis hodie annuntiatus, uberiorem ad quærendum, quàm ad scribendum dat materiam. Apud Florentinium Hieronymianæ in textu habent:* In Aquira depositio sancti Pauli Apostoli. *In Annotatis verò codex Antverpiensis, aut potiùs Epternacensis:* In Aquila Paulini episcopi. *Corbejensis:* In Anquira depositio Pauli episcopi. *Ita etiam Blumianus pag.* 1068 *citatus. Rabanus habet:* Et in Anquira natale Pauli episcopi. *In margine ibidem notavit editor:* Ancyra. *Nudum* Pauli *nomen occurrit in duobus Martyrologiis apud nos datis tom.* VII *Junii, videlicet in Augustano & Labbeano, uti & in Gellonensi apud Acherium. Florentinius putat, legendum* in Ancyra, *prout est in vulgato sub nomine Bedæ Martyrologio, additque hanc conjecturam:* Esse enim potuit Ancyra Phrygiæ Plinio & Ptolomeo, vel Macedoniæ, de qua Livius. Ancyram canones Anquiram vocare notat Busbequius apud Ortelium. Hujus urbis Paulum fuisse episcopum ac martyrem, non difficile est credere. *Ita ille aliam quærit Ancyram, quia Ancyra Galatiæ alios martyres eodem die in Hieronymianis habet. Habetur revera in Phrygia Pacatiana civitas episcopalis* Ancyra *dicta. Attamen conjectura de* Paulo *illi civitati attribuendo nequit formari satis probabiliter. Ancyra Galatiæ inter episcopos suos habet* Paulum, *in Vita S. Theodori Siceotæ memoratum, apud nos ad* 22. *Aprilis. At Paulus ille tantùm floruit sub finem seculi* VI, *neque videtur coli apud Græcos, ita ut neque de illo conjectura fieri possit. Multùm quæsivi, ut probabilem satis conjecturam de hoc* Paulo *vel* Paulino *dare possem; sed nulla satis placet. Idem fortè* Paulus *aliis diebus commemoratur iis verbis, ut satis innotescat: cùm multi sint hujus nominis Sancti.*

S. Guerrini M. *corpus, extractum è cœmeterio Romano, hac die depositum fuit sub altare sacelli, exstructi in ecclesia prope Collem Scipionis, Umbriæ oppidum, dicata Dominæ nostræ de* Colle *dictæ, ibique translatio S. Guerrini, de quo plura non novimus, hodie celebratur, ut jam dictum est tom.* 2 *Septembris pag.* 483.

S. Merinus *aut* Mirinus, *ut abbas* Pasiati in Scotia, *hodie annuntiatur apud Dempsterum, apud Camerarium duobus diebus seriùs. In Breviario Aberdonensi quinque hodie lectiones de* S. Merino *inveniuntur; sed omnia videntur desumpta ex Vita S. Comgalli, abbatis Benchorensis in Hibernia, data apud nos die* 10 *Maii. Reperitur etiam* S. Merini *abbatis memoria in duobus catalogis Mss. Sanctorum Hiberniæ. Accedunt alii duo martyrologi neoterici, videlicet Grevenus in Auctariis,* episcopum *vocans* in Sco-

A Scotia; *Ferrarius* abbatem. *Verumtamen dubitare cogimur, an Sanctus ille Operi noſtro ſit inſerendus, tum quia Sancti Hiberniæ non pauci variis nominibus innoteſcunt, ita ut hic alio fortaſſe nomine jam commemoratus ſit, aut poſtea commemorandus, tum quia in variis impreſſis ac Mss. catalogis Sanctorum Hiberniæ* Merinus *non invenitur. Quidquid ſit, cùm lectiones de* Merino *compoſitæ, videantur omnino deſumptæ ex Vita S. Comgalli, vix plura de ipſo dare poſſemus, quàm modò dicta ſunt, ſi conſtaret omnino*, Merinum *eſſe Sanctum ab aliis omnibus diverſum. Videri tamen etiam poſſunt, quæ die 6 Februarii de* S. Merino, *aliis epiſcopo, aliis abbate, jam fuerunt obſervata.*

Anonyma *quædam ſanctimonialis, ut diſcipula S. Gertrudis, hodie in Saxonia memoratur apud Menardum in Martyrologio Benedictino, & apud Arturum à Monaſterio in Gynæceo. Titulum quidem* Beatæ *uterque attribuit; ſed cultum neuter oſtendit.*

S. Eutropiæ viduæ *mentionem facit Baronius in Martyrologio Romano, eamque* in Gallia *generatim annuntiat. In Annotatis verò declarat,*

B *quam deſignet* Eutropiam, *dicens*, de ea *ſcribere Sidonium* Apollinarem *in Epiſtola ad Pragmatium. Hæc verba ſimul utcumque innuunt, unde illam acceperit Baronius, videlicet ex Molani Uſuardo. Etenim Molanus in Additionibus ad Uſuardum hodie ita habet:* In Galliis ſanctæ Eutropiæ viduæ, de qua Sidonius in Epiſtola ad Pragmatium. *Verùm Molanus hæc adjecit minori charactere & præpoſitâ litterâ* q. *Qui autem eo modo memorantur à Molano, ſubinde cultu eccleſiaſtico carent, & inventi non ſunt ab illo in vetuſtis Martyrologiis, ſed ex aliis monumentis, aut ex Mss. Martyrologiis omnino recentibus additi, ut latiùs ipſe declarat in præfatione cap.* 13. *Clarum itaque eſt, aut ab ipſo Molano, aut ab uno ex neotericis, quos ſecutus eſt, ex Sidonio deſumptam eſſe* Eutropiam. *Hanc autem nullibi reperire potui inter Sanctos ab Arvernis cultos. Conſului hac de cauſa Kalendaria Claromontana, & Opuſculum de Sanctis, eccleſiis & monaſteriis Claromontanis, ſeculo* x *conſcriptum, & à Joanne Savarone primùm, deinde etiam à Labbeo, editum. At nullibi reperire potui, eam ut Sanctam coli à Claromontanis: neque id obſervat*

C *Savaro in Annotatis ad Sidonium à ſe editum, quamvis laudet Martyrologium Romanum & additiones Molani pag.* 384. *Sirmondus, qui Sidonii Opera edidit, in Annotatis ad illam Epiſtolam ſic loquitur:* Eutropia, *de qua loquitur Sidonius*, vidua Arverna, cujus filius Agrippini filiam duxerat. Hanc etiam levi conjectura S. Eutropiam eſſe putant, cujus nomen in Martyrologium relatum eſt xvii Kalendas Octobris. *Non ita locutus eſſet Sirmondus, ſi Claromontii aut alibi apud Arvernos coli* Eutropiam *exiſtimâſſet; neque id facilè ignorare poterat, cùm natione eſſet Arvernus. Sauſſayus* Eutropiam *in Martyrologio Gallicano memoravit* Claromonte Arvernorum *ad* xxvi *Septembris. Neſcio, cur hunc diem elegerit. Attamen hac de cauſa, opinor, Caſtellanus* xv *Septembris in margine monet, eam ſpectare ad* xxvi *Septembris, ibique* Eutropiam *rurſus annuntiat. Aveo ſcire, cur magis unius diei ſit, quàm alterius, cùm dies obitûs ſit ignotus, & cultum numquam habuiſſe videatur ullo die. Certè antiqua Gallorum Martyrologia nequidquam perluſtravi, ut* Eutropiam *invenirem. Quapropter ſatis erit, ſi Epiſtolam totam Sidonii, ex qua à martyrologis deſumpta eſt* Eutropia, *huc traduxero. Ille lib.* 2 *epiſt.* 2 *ſic habet.* Venerabilis Eutropia matrona, quod ad nos ſpectat, ſingularis exempli (quæ parſimoniâ & humanitate certantibus, non minùs ſe jejuniis, quàm cibis pauperes paſcit, & in Chriſti cultu pervigil, ſola in ſe compellit peccata dormire) mœroribus orbitatis neceſſitate litis adjecta, in remedium mali duplicis perfectionem veſtræ conſolationis expetere feſtinat, gratanter habitura, ſive iſtud tibi peregrinatio brevis, ſeu longum computetur officium. Igitur præfata venerabilis fratris mei, nunc jam presbyteri Agrippini, ne injurioſum ſit dixiſſe nequitiis, certè fatigatur argutiis: qui abutens imbecillitate matronæ, non deſiſtit ſpiritalis animæ ſerenitatem ſæcularium verſutiarum flatibus turbidare: cui filii nec pòſt multò nepotes amiſſi, duæ pariter plagæ recentes, ad diuturni viduvii vulnus adduntur. Tentavimus inter utrumque componere, nos maximè, quibus in eos jus novum profeſſio, vetuſtumque faciebant amicitiæ, aliqua cenſentes, ſuadentes quæpiam, plurima ſupplicantes; quodque miremini, in omnem concordiæ ſtatum promptiùs à fœminea parte diſceſſum eſt. Et quamquam ſe altiùs profuturum filiæ paterna jactaret prærogativa, nurui tamen magis placuit munificentiæ ſocrualis oblatio: jurgium interim ſemiſopitum veſtris modò finibus infertur. Pacificate certantes, & pontificalis auctoritate cenſuræ ſuſpectis ſibi partibus indicite gratiam, dicite veritatem. Sancta enim Eutropia, ſi quid vadimonio meo creditis, victoriam computat, ſi vel poſt damna non litiget. Unde & ſuſpicor, vobis unam pronuntiandam domum diſcordioſam, licèt inveniatis utramque diſcordem *&c. Hactenus Sidonius, qui multis quidem laudibus exornat* Eutropiam: *attamen non videtur ea Epiſtola ſufficere ad titulum* Sanctæ *aut* Beatæ *eidem attribuendum. Hoc non feciſſet, quantùm exiſtimo, Baronius, ſi credidiſſet*, Eutropiam *& cultu carere, & ab antiquis exſulare Martyrologiis.*

D

E

Philotheus archiepiſcopus *hodie annuntiatur in Ephemeridibus Moſchis, datis à Papebrochio ante tomum* 1 *Maii. Additur*, Nidagrada, *quo*

F *aut locus epiſcopatûs aut mortis exprimitur. Neſcivit Papebrochius, ubi epiſcopus fuerit. Michaël Le Quien in Oriente Chriſtiano tom.* 1 *col.* 1303 *exiſtimat, epiſcopum fuiſſe Novogorodienſem, quod Papebrochius noſter ſuſpicari non fuerat auſus, licèt de illa urbe cogitâſſet. Dubitationem noſtram tollit modò Kalendarium Moſchorum, quod anno* 1713 *huc allatum eſt, quodque Ruſſico idiomate ſcriptum, ac Latinè redditum eſt: nam ibi ad hunc diem clarè habetur* Philotheus archiepiſcopus Conſtantinopolitanus. *Sedit* Philotheus *inter patriarchas Conſtantinopolitanos ſeculo* xiv, *fuitque è ſede ſua pulſus; ſed illam poſtea recuperavit, prout videri poteſt apud nos in Hiſtoria chronologica patriarcharum Conſtantinopolitanorum pag.* 179 *& ſeqq. Credunt aliqui*, Philotheum *illum cum Romana Eccleſia aliquot annis ante obitum communionem habuiſſe. Quidquid ea de re ſit, nequit à nobis inter Sanctos memorari. Abeſt etiam à Faſtis Ruſſorum paulò antiquioribus. Alium* Philotheum *damus hodie.*

A Unnus, *potiùs* Unno *dictus, archiepiſcopus Bremenſis, ut* ſanctus *hodie annuntiatur à Ferrario in Catalogo generali, ponitur*que Bircæ in Suecia, *ubi revera deſunctus eſt ſeculo* x. *In Annotatis laudat Kalendarium & Breviarium Suecicum, quod an umquam viderit, meritò forſan dubitabo. Certè in Officiis propriis regni Suecici, & in ipſorum Kalendario ante Miſſale Suecicum, nulla fit mentio* Unnonis, *ut ea diligenter hoc ipſo tempore perluſtrando didici. Albertus Crantzius, Adamus Bremenſis, & Baronius, qui etiam laudantur à Ferrario,* Unnonem *meritis laudibus efferunt, utpote virum Apoſtolicum, qui Haraldum Danorum regem Danoſque multos ad fidem convertit, atque in expeditione Apoſtolica deſunctus eſt Bircæ in Suecia. At illi nec* Sanctum *ſtrictè aut* Beatum *vocant, nec eccleſiaſticum ipſius cultum aſſerunt. Attamen Crantzius non tacet de cultu SS. Anſcharii, Remberti, aliorumque plurium. Memoratur item* Unno *in Viti Aquilonia, ſive in Vitis Sanctorum Suecici regni, à Joanne Vaſtavio. At ne ibi quidem* Sancti *aut* Beati *titulum eidem tributum invenio,*

B *licèt titulus ille aliis multis tribuatur. Quare videri poteſt Crantzius in Metropoli lib.* 3 *cap.* 6, *aut alius quiſpiam ex ſcriptoribus laudatis.*

Duarum Puellarum gladio interfectarum *mentio fit in Menologio Sirletiano, & in Menæis impreſſis, ubi adduntur duo verſiculi, qui ſignificant, illas uno animo colla gladio ſubdidiſſe, & nihil præterea. Uti Græcorum Faſti Sanctos alibi clariùs memoratos non rarò obſcuriùs repetunt; ſuſpicor illud hic eſſe factum. Quidquid ſit, plura de illis non novimus.*

Jacobus Aſceta *memoratur in Faſtis Æthiopum à Ludolfo editis, unde eum adoptavit Caſtellanus. Nobis illius* Jacobi *ætas aut fides non eſt ſatis cognita.*

Anoreus *in iiſdem Faſtis & apud Caſtellanum ſimiliter memoratur.*

Mercurius potens, *neſcio quis, memoratur apud Ludolfum in Faſtis Æthiopum.*

Thomas, *ac deinde* Quiricus *iiſdem Faſtis hodie ſunt inſerti; ſed nobis æquè ignoti.*

Hilduini *archiepiſcopi Mediolanenſis hodie meminit Kalendarium Ms. abbatiæ S. Salvatoris Antverpienſis. At illum alias inter Sanctos memo-*

C *ratum non reperio.*

Guilielmi & ſociorum *MM. memoriam Tridenti annuntiat Ferrarius, laudatque tabulas eccleſiæ Tridentinæ. De iis in Officiis propriis diœceſis Tridentinæ nihil prorſus invenio.*

Octava Nativitatis *beatiſſimæ Virginis Mariæ in Romano Martyrologio, in variis Uſuardini Martyrologii auctariis, aliiſque Faſtis Latinis minùs vetuſtis annuntiatur.*

Chriſtiani de Armannis, *Ordinis Prædicatorum, Vitam cum titulo* Beati *ad hunc diem dat Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom.* 2 *pag.* 246; *ſed cultum legitimum ab eo probatum non invenio.*

Richardus Barri, *presbyter Ordinis Prædicatorum, cum titulo* Beati *hodie memoratur apud Carolum de S. Vincentio in Anno Dominicano. Occiſus eſt ab hæreticis in Hibernia anno* 1647, *ut notat in margine laudatus ſcriptor, qui & aliis quibuſdam* Beati *titulum attribuit. At ex illis nullus ad nos ſpectare videtur.*

Ligerius *anachoreta* in territorio Furnenſi *hodie ut* Beatus *memoratur apud Henriquezium & Chalemotum in Menologiis Ciſtercienſibus, uti & apud Bucelinum in Benedictino. Fuit fundator abbatiæ Dunenſis etiamnum florentis, quæ* D *ex Furnenſi territorio Brugas tranſlata eſt. At de cultu venerabilis hujuſce abbatis nihil novimus.* Ligerium *etiam Sauſſayus, & martyrologi Belgici commemorant ut venerabilem.*

Achardus *monachus in Menologio Ciſtercienſi* in Clara-Valle *annuntiatur, & more illius ſcriptoris* Beatus *vocatur ſine mentione cultûs. Eumdem ut venerabilem habet Sauſſayus in Martyrologio Gallicano.*

Milo *abbas Carolilocenſis cum eodem titulo ponitur apud Chalemotum.*

Marcelli presbyteri & martyris, Decorati diaconi, cum quatuor millibus, *memoria eſt in Martyrologio Ms. Trevirenſi S. Martini. At hæc deſumpta eſt ex Actis SS. Fidei, Spei, Charitatis, quæ non ſatis ſincera credimus. Idcirco de hiſce, qui abſunt ab antiquis Martyrologiis, plura memoranda non cenſemus, licèt etiam Florarium Ms.* Decoratum *cum tribus habeat ſociis, uti & Grevenus. Videri poſſunt Acta apud Mombritium tom.* 2 *fol.* 207.

Clemens *epiſcopus ſine loco annuntiatur à Greveno in Auctariis Uſuardi. Nolim divinare, quem velit* Clementem. E

Rogerius *Franciſcanus* Uzeciæ *in Gallia memoratur cum titulo* Beati *in Martyrologio Franciſcano, inſignique planè virtutum, prophetiæ & miraculorum exornatur elogio. Virum fuiſſe multis ac præclaris dotibus illuſtrem omnino credimus, ſicut & plures alios ibidem & in Menologio Franciſcano memoratos, ſed eorum tantùm geſta elucidamus, qui ut Sancti aut Beati coluntur. Quare cùm horum eccleſiaſticam venerationem, (excepto beato Thoma tertiario, de quo inferiùs) non inveniamus; pro illis omnibus lectorem remittimus ad ſcriptores laudatos, uti & pro* Perpetua *virgine, &* Euphroſyna *vidua, quæ etiam commemorantur in Gynæceo apud Arturum à Monaſterio.*

S. Ludmilla *vidua & martyr hodie annuntiatur à Greveno, & paucis aliis recentioribus: ſed plures eamdem habent die ſequenti, quo colitur,* XVI Septemb.

Conſtantius *aliquis in Martyrologiis Hieronymianis hodie legitur, & in pleriſque attribuitur Nuceriæ in Campania Italica, licèt in textu Florentinii legatur* Nocera, *uti civitas illa vocatur Italicè. Rurſum tam in Hieronymianis* F *quàm in aliis Martyrologiis claſſicis deinde Nuceriæ annuntiantur Felix &* Conſtantia, *ſubinde* Conſtantius. *Inter auctaria Uſuardina apud Sollerium* Conſtantius *hodie ponitur* Beneventi in S. Sophia. *Tot, & plures etiam, diverſitates examinandæ ſunt, quando cum Martyrologio Romano agendum eſt de Felice & Conſtantia, ibique videndum, an hodiernus* Conſtantius *ab illa Conſtantia aut Conſtantio ſit diverſus, ad* XIX Septemb.

Euſtatius *memoratur in Faſtis Æthiopum apud Ludolfum. Si deſignetur S. Euſtachius martyr; de eo agendum ad* XX Sept.

S. Innocentii *martyris ex legione Thebæa meminit Martyrologium Mediolanenſe, ubi dicitur coli* in Burgo Canturii. *Cùm nihil præterea de ipſo addatur, commodiùs de ipſo agetur, quando diſſerendum eſt de S. Mauritio totaque legione ad* XXII Septemb.

SS. Fidentii & Terentii *martyrum hoc die meminit Florarium Ms. In Martyrologio Romano annuntiantur ad* XXVII Septemb.

Murdaci *epiſcopi ſine loco mentionem facit Flora-*

ri-

A *rium Ms. Ferrarius ad* v *Octobris* Murdachum *episcopum* in Argadia *annuntiat. Quare, cùm certè ad hunc diem non videatur spectare, nisi alio die melior de eo notitia occurrat, examinari poterit, quid de eo statuendum videatur, ad* v Octob.

S. Martinus Papa *in Basiliano Menologio Græcorum hoc die ponitur cum elogio. At ipsius festivitas in Ecclesia Romana celebratur die* XII Novemb.

B. Thomas, *passim* Thomasuccius *dictus, tertii Ordinis S. Francisci, hoc die obiisse dicitur Fulginii in Umbria, ibique annuntiatur in Menologiis Franciscanis apud Arturum à Monasterio & Fortunatum Hueberum. Verùm tam hi quàm alii scriptores testantur, hunc Beatum coli die, quo corpus elevatum,* XIX Novemb. D

Inventio *corporis* S. Stephani *hodie memoratur apud Græcos in Menæis impressis & in Menologio Sirletiano. Ea apud Latinos celebratur die* 3 *Augusti; sed præcipua* S. Stephani *festivitas agitur* XXVI Decemb.

DE S. NICOMEDE PRESB. MART.

ROMÆ,

COMMENTARIUS DE CULTU ET GESTIS. C. S.

B ## §. I. Sancti memoria celebris in Martyrologiis : Acta gemina, quorum prima suspectæ, altera nullius fidei : ecclesia & cœmeterium Romæ ipsi olim dicata. E

FORTE SUB DOMITIANO. *Vetusta Sancti memoria*

Sanctum Nicomedem *martyrem magno consensu ad hunc diem celebrant vetusta Martyrologia, quorum aliquot etiam presbyteratûs titulum, martyrii palæstram, ac imperatorem, sub quo coronatus sit, addidère. Hieronymianum à Florentinio editum illum primo loco breviter sic annuntiat :* Natalis sancti Nicomedis martyris. *Observat tamen Florentinius ibidem, etiam aliàs soluisse in vetustiori illo Ms. martyres Romæ vel passos, vel peculiariter honoratos, prætermisso agonis loco, in fronte memorari. Breviter quoque de eodem meminit Martyrologium Bedæ, in Opere nostro ante tom.* 2 *Martii excusum, ubi sic habet :* Natale S. Nicomedis martyris. *Titulus* episcopi *ibidem in Divionensi Ms. perperam additur : sed nec omninò certum est, utrùm prior lectio revera Bedæ sit; cùm in hujus Martyrologio metrico, quod Acherius tomo* 10 *Spicilegii exhibet, non legatur, & ex Sollerii nostri conjectura vel suspicione, Floro forsitan adscribenda sint annuntiationes atque elogia Sanctorum, quorum in solo prosaico sit mentio. Paucis pariter de eodem agit Rabanus, dicens :* Passio Nicomedis martyris. C

2 *Romanam Sancti palæstram addidit auctor Veteris, seu Parvi, Martyrologii Romani Rosweydiani, in quo ad hunc similiter diem legitur :* Romæ Nicomedis martyris. *Wandelbertus in Metrico presbyteratum ejusdem memorat, & gesta obiter insinuat his versibus :*

in Martyrologiis ad hunc

* *supple* Kalendas

Septenum denum * Nicomedes presbyter ornat,
Virgo, tuus, Petronilla, comes martyrque beatus.

Prolixiora sunt elogia, quæ Notkerus & Ado, in suo quisque Martyrologio, de eodem texuerunt. Horum primus hæc refert : Natalis S. Nicomedis martyris, quem Flaccus comes, quia corpus S. Feliculæ martyris sepelivit, & quia idolis sacrificare contempsit, eatenus plumbatis cædi jussit, donec vitam finiret; corpusque ejus in Tyberim præcipitatum, à diacono suo collectum, & honorificè sepultum est. *Ado verò hæc :* Natale S. Nicomedis martyris. Quem Flaccus comes, cùm ad eum perlatum fuisset, quòd corpus sanctæ virginis Feliculæ, quam ipse pro Christo punierat, sepelisset, fecit teneri, & duci ad sacrificandum. Qui cùm diceret; Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis, non his excisis lapidibus, qui in templis, quasi in carceribus clausi, custodiuntur; plumbatis diutissimè cæsus, migravit ad Dominum. Corpus ejus in Tyberim præcipitatum est, quod à clerico ipsius, nomine & opere Justo, collectum perductumque ad horticellum suum, sepultum est juxta muros viâ Numentanâ. *Adonis textum paulò contraxit Usuardus, ad eumdem diem scribens :* Romæ viâ Numentanâ natalis B. Nicomedis presbyteri & martyris, sub Domitiano imperatore. Qui cùm diceret compellentibus se sacrificare; Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis, plumbatis diutissimè cæsus, migravit ad Dominum. F

3 *Ejusdem Sancti nomen in nonnullis Martyrologiis occurrit ad diem* 1 *Junii, quo dedicatio ecclesiæ ipsius, quam olim Romæ habuit; &* IV *Junii, quo Mediolani quondam colebatur. In Florario quoque nostro Sanctorum Ms. ad* XIII *ejusdem mensis, qua de causa ignoro, & in Additionibus Mss. Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum die* V *Julii* S. Nicomedis elevatio, *mihi æquè ignota, annuntiatur, prout ad dictos dies in Opere nostro inter Prætermissos videre est. Porrò elogia suprà recitata nituntur Actis SS. Nerei, Achillei & sociorum, seu epistolâ Marcelli ad hos Sanctos scripta, & cum iisdem Actis, quibus inserta est, edita apud nos tom* III *Maji, ad diem* XII, *ubi & alibi Henschenius noster ea omnia* optimæ fidei *esse censuit, refragantibus passim ceteris eruditis, & inter hos Baronio, qui tom.* I *Annalium tum ad annum Christi* 68, *num.* 23, *ea* Acta in aliquibus fide haud integra *haberi monuit.* *& ad alios dies. Acta ex epistola Marcelli,*

AUCTORE C. S.

nuit, tum ad annum 96, num. 33, ubi ipsam illam epistolam suspectæ minutæque fidei agnovit. Eminentissimo annalistæ consensit Sollerius noster in Usuardo ad diem VII *Maji in Observatione ad S. Domitillam: neque dubium est, quin meritò consenserit, tam parùm credibilia in iis hinc inde narrantur. Ex hoc capite non possunt non simul esse suspecta, quæ de* S. Nicomedis *gestis in ea epistola referuntur, & ex hujus fide in laudata Martyrologia transierunt.*

SS. Nerei & Achillei Actis inserta,

4 *Nolo ego Acta illa SS. Nerei & Achillei hìc discutere, sed ea tantùm memorabo, quæ ad* S. Nicomedem *nostrum propriè spectant, & ex citata Marcelli epistola ibidem cap.* 4 *referuntur. Itaque Marcellus ille, qui se S. Petri apostoli discipulum profitetur, in epistola sua ad laudatos Sanctos responsoria,* de Petronilla . . . filia domini mei, *ut inquit,* Petri apostoli *inter cetera scribit, illam à Flacco comite adamatam, ut invisum procum, qui militibus stipatus ad eam venerat, interim arceret, ab eo postulâsse, ut, si se sponsam habere vellet, matronas ac virgines honestas post triduum ad domum suam mitteret, à quibus ipsa ad eum deduceretur; eamque conditionem à Flacco acceptatam esse. Tum verò sic progreditur:* Factum est autem, ut trium dierum acceptum spatium virgo sanctis jejuniis & orationibus occuparetur, habens secum sanctam virginem Feliculam, collactaneam suam, in Dei timore perfectam. Tertio itaque die veniens ad eam S. Nicomedes presbyter, celebravit mysteria Christi. Virgo autem sanctissima, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectum, emisit spiritum... Flaccus autem vertens animum, dixit ad Feliculam: Unum tibi elige è duobus, aut esto uxor mea, aut diis sacrifica. Cui S. Felicula respondit: Nec uxor tua ero, quia Christo sacrata sum; nec immolabo, quia Christiana sum.

B

recensentur,

5 *Post hæc narrato S. Feliculæ martyrio, quam post toleratum equuleum projectam in cloacam fuisse ait, ad* S. Nicomedem *regressus, subdit:* Sanctus autem Nicomedes presbyter in speculis positus, occultè levavit corpus, & pernoctanter in biroto (*id est, vehiculo duabus rotis instructo*) perduxit ad cassellam (*id est exiguam casam*) suam septimo milliario ab urbe Roma, viâ Ardeatinâ, & ibi eam sepelivit; in quo loco fructificant orationes ejus usque in hodiernum diem. Pervenit autem ad Flaccum, hoc fecisse Nicomedem presbyterum; & fecit eum teneri, & duci ad sacrificandum. Qui cùm diceret: Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis; non his diis, qui in templis, quasi in carceribus clausi, custodiuntur: cùm hæc & multa talia diceret, plumbatis diutissimè cæsus, migravit ad Dominum. Corpus verò ejus in Tiberim præcipitatum est: clericus verò ejusdem Presbyteri, nomine & opere Justus, collegit corpus ejus, & posuit in biroto suo, & duxit ad horticellum (*id est, hortulum*) suum juxta muros viâ Nomentanâ, & illic sepelivit illud; in quo orantes Dominum, consequuntur, quæ postulant interventu Martyris ejus, qui passus est pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Expliciunt scripta Marcelli, missa ad Nereum & Achilleum.

C

& admodùm dubiæ fidei

6 *Non habet hæc relatio quidquam, quod fidem superet, aut à communi sensu magnopere abhorreat, nisi quòd S. Petronilla S. Petri apostoli filia, quasi ex ipso genita fuisset, & à Flacco comite sub finem seculi* I *adamata, dicatur. Dici enim non potest, eam post susceptum à S. Petro Apostolatum ex illo procreatam fuisse: hoc autem posito, debuissent Petronilla & Felicula jam decrepitæ anus fuisse eo tempore, quo hæc contigisse narrantur, si prior S. Petri filia, altera hujus collactanea, ut asseritur, fuerit; prout Henschenius ad diem* XXXI *Maji in Commentario historico de eadem S. Petronilla, num.* 5 *observavit. Quis verò tum credat, Flaccum Petronillæ primùm,* quoniam nimis speciosa erat, *ac deinde etiam Feliculæ, Hebræarum præsertim mulierum, cupidine tam impotenter exarsisse, ut utriusque conjugium ambiret? Hinc laudatus Henschenius ad hasce difficultates reponit aliquorum sententiam, secundùm quam Petronilla Romana potiùs gente fuerit, sanctique Petri apostoli filia dicta sit, quòd ab eodem in fide instructa & baptizata, vel ex baptismali fonte suscepta, spirituali quadam adoptione filia ejus facta esset, vel denique ex peculiari aliqua in sanctum Apostolum veneratione id nomen promeruisset.*

D

esse probantur.

7 *Eamdem Marcelli epistolam alii præterea oppugnant ex libro S. Augustini contra Adimantum Manichæi discipulum, cap.* 17, *ubi sanctus doctor* in apocryphis *legi asserit,* ipsius Petri filiam paralyticam * factam precibus patris, & hortulani filiam ad preces ipsius Petri esse mortuam. *Etenim cùm ista de Petronillæ paralysi historia in eadem epistola referatur, inferunt hanc inter apocrypha à S. Augustino habitam fuisse. Sed Henschenius in citato Commentario negat, ex adducto S. Augustini loco contra eam quidquam confici; cùm in hac nihil de hortulani filia legatur, ideóque alia debuerit fuisse historia, quam sanctus doctor apocrypham pronuntiavit. Ut ut hæc se habeant, ista Marcelli de S. Petronilla narratio haud dubiè etiam suspecta fuit hodierni Breviarii Romani concinnatoribus, qui ad diem* XXXI *Maji, quo ipsa colitur, lectionem, quæ de ea unica est, ex S. Cypriani libro de Disciplina & habitu virginum, sive ex Communi virginum secundo loco, præscripserunt; neglectis, quæ de eadem in prædicta epistola leguntur. Similiter ad diem* XV *Septembris, ubi nona Lectio de* S. Nicomede *assignatur, nihil de celebratis apud Petronillam Mysteriis dicitur; sed ea tamen referuntur, quæ num.* 5 *ex eadem epistola recensuimus. Verùm si scriptoris fides in una ejusdem epistolæ parte vacillet, non potest non dubia esse in altera, dum utrobique res velut sub oculis suis gestas enarrat, & etiam aliunde suspectus est.*

E

* *al. add.* sanam

F

Alia Acta à Mombritio edita,

8 *Mombritius in Vitis Sanctorum tomo* 2 *fol.* 160 *aliam præterea Passionem exhibet* S. Nicomedis, *in quâ nulla mentio exstat de S. Petronilla aut Felicula, ideóque in indice voluminis duos Nicomedes distinguit, alterum, cujus hæc Passio sit, alterum in Actis SS. Nerei & Achillei memoratum; hosque haud dubiè eò magis distinguendos putavit, quòd prior in Passione dicatur passus sub Maximiano, & sepultus* die Kalendas Junii, *noster verò Sanctus in vetustissimis Martyrologiis, ut vidimus, ad diem* XV *Septembris constanter annuntietur. Hæc vel similis Passio præluxit auctori Breviarii Ambrosiani Mediolanensis, anno* 1539 *Venetiis excusi, quod ad manum habeo; nam cum in eo bis agatur de* S. Nicomede, *ad diem quidem* IV *Junii, quo unà cum S. Quirino ibidem colebatur, Lectio ex Marcelli epistola accepta est; sed ad* XV *Septembris, quo ejusdem solius festum celebratur, Mombritianis Actis similia leguntur. Verùm ego non dubito, quin tam hæc Acta, quàm Marcelli epistola, de eodem sancto Martyre agant, qui hodie colitur;*

quod

A *quod cur ita credam, accipe. In utrisque* Nicomedes *presbyter dicitur, & in illis* Apostolorum discipulus *fuisse expressè narratur; in hac verò saltem tacitè, aut certè cum Apostolis vixisse indicatur. In utrisque Flaccus sanctum Martyrem, sacrificare renuentem, occidi jubet. Utrobique de supremo ipsius supplicio ac sepultura eadem, iisdemque etiam vocibus, si unam & alteram aliter flexam exceperis, referuntur.*

9 *Marcelli verba num.* 5 *dedimus; Acta verò apud Mombritium de hisce sic habent:* Cùm hæc & multa talia dicerentur, plumbatis diutissimè cæsus, migravit ad Dominum... Corpus verò ejus in Tyberim præcipitatum est. Clericus autem ejusdem presbyteri, nomine & opere Justus, collegit corpus ejus, & posuit in birrote suo, & duxit ad hortulum suum juxta muros viâ Numentanâ, & illic sepelivit illum in pace die Kalendas Junii. In quo loco orantes Dominum, consequuntur medelam interventu Martyris ejus, qui passus est pro nomine Domini Jesu Christi. *Confer hæc cum recensitis num.* 5, *nec aliud, quàm paucarum vocum discrimen præter additas Kalendas Junii reperies. Hinc dubium non est, quin altera ex altera narratione desumpta sit, idque de Mombritianis Actis multò pronius est judicare, cùm hæc etiam multò minùs probabilia sint, quàm epistola Marcelli, scriptaque videantur ab otioso homine, qui cùm* S. Nicomedis *nomen ad diem* 1 *Junii, quo die dedicatio ecclesiæ ejus Romæ recolebatur, inscriptum videret, credidit illum alium esse ab eo Martyre, qui* XV *Septembris colitur; ideóque alia quædam Acta, partim ex vulgata Marcelli epistola, partim pro genio suo conflavit; minùs tamen prudenter, quàm ut fidem facilè inveniret. Hac de causa nec hæc Acta lubet recudere; sed sufficere reor, si eorumdem compendium lectori exhibuero.*

quorum compendium

B

10 *Compilator eorum* S. Nicomedem *presbyterum*, regnante Maximiano imperatore, *ortaque sub eo Romæ persecutione, ibidem in speluncis latitâsse scribit, & nihilominùs sanctorum Apostolorum, Petri nempe ac Pauli, discipulum facit. Hinc Flaccum ad illum sic loquentem inducit:* Dic mihi, homo provectæ ætatis *&c.; verùm tam decrepita ætas ut fidem inveniat, certiori auctore eget. Cùm enim SS. Petrus ac Paulus Christi anno* 65 *martyrio coronati sint, Maximianus autem Herculius anno* 286 *Augustus renuntiatus,* C *debuisset Sanctus noster jam multos ultra ducentos annos numerâsse, dum passus est. Porrò martyrii ejus secundùm compilatorem illum hæc summa est: Cùm multos ad Christi sacra adduceret, morbos curaret, dæmonesque expelleret, ab Hyrcano, nescio quo, apud Flaccum propterea accusatus, Christumque confessus, nodosis fustibus nequicquam cæditur; cúmque nec blanditiis plus efficeretur, craticulæ assandus imponitur: sed mox inter fulgura ac terræmotum ignis exstinguitur, & ex magno infidelium numero, qui in* quadam regione, quæ sub Mente appellatur (*imò fingitur*) *idolis libabant, centum necati sunt, ceteri fugerunt. Fugit ipse quoque territus Flaccus, jusso tamen Hyrcano sanctum Athletam reducere in carcerem, ubi hic ab angelo confirmatur.*

hic datur.

11 *Postridie Flaccus erecto in foro* solio *consedit, Sanctoque, in proposito constanti, genua ferreis* cardis, *fortè* carduis, *contundi imperat; deinde ardentibus lapidibus latera aduri, super spinas ferreas raptari, & in accensum caminum mitti. Sed cùm, exstincto hic pariter igne, sanctus Presbyter in camino Deum laudaret, ejusdem Flaccus jussu ad templum Martis ductus, & sacrificare denuò recusans, plumbatis diutissimè cæsus, martyrium consummavit, ut suprà retulimus. Habes hic, erudite lector, totius Passionis compendium, quæ mihi quidem non aliud apparet, quàm cujusdam imperiti hominis commentum, qui dummodò mirabilia narraret, de veritate parùm fuit sollicitus. Ex dictis collige, de* S. Nicomedis *gestis nihil certi statui posse; cùm hæc Acta Mombritiana admitti nequeant, & epistola Marcelli admodùm suspecta sit. Illustri tamen martyrio, quod sub Domitiano dubiè collocavi, illum perfunctum esse, dubitare non finit insignis ejusdem tum Romæ, tum alibi cultus, de quo mox agemus. De presbyteratu quoque ejus non meminêre vetustissima Martyrologia num.* 1 *relata, uti nec Romanum Parvum Rosweydi, eumque ceteri martyrologi fortè non nisi ex eadem Marcelli epistola didicerunt: hunc tamen ipsi abjudicandum minimè censui, cùm nihil obstet, quo minùs eo Ordine initiatus fuisse credatur.*

etiam minùs admittenda.

12 *Certiora, ut dixi, de* Nicomedis *vetusto, præsertim Romæ, cultu habemus. Ecclesiam ipsi in via Numentana, ubi sæpe memoratæ epistolæ scriptor corpus ejus sepultum fuisse tradit, discimus ex Anastasio Bibliothecario in Hadriano I, de quo ibidem dicitur:* Ecclesiam beati Nicomedis, sitam foris portam Numentanam, simul & cœmeterium beati Hippolyti martyris,... quæ à priscis marcuerant temporibus, à novo renovavit. *Ecclesiam hanc titulo ejusdem Sancti antiquitus illustratam fuisse, liquet ex concilio Romano I sub S. Symmacho, cui* Genesius presbyter tituli sancti Nicomedis, *&* Sebastianus presbyter tituli sancti Nicomedis, *subscripti leguntur apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum, col.* 1316. *De ejusdem ecclesiæ dedicatione videtur accipienda annuntiatio, quæ ad diem* 1 *Junii in vetustis Martyrologiis occurrit. Ex hisce Romanum Vetus, seu Parvum Rosweydi sic habet:* Dedicatio S. Nicomedis martyris. *Beda, vel Florus ante tom.* 2 *Martii:* Natalis Nicomedis martyris. *Wandelbertus apud Martenium in Spicilegio tom.* 2*:*

Martyris huncque diem festum Nicomedis adornat.

Ecclesia cum titulo Romæ

E

Adò Viennensis in Martyrologio: Dedicatio sancti Nicomedis, martyris & presbyteri, apud urbem Romam, cujus martyrium celebratur XVII Kalend. Octobris.

13 *Consonat Rabanus ad eumdem diem dicens:* Sancti Nicomedis martyris ecclesiæ dedicatio: *similiter Notkerus:* Romæ dedicatio S. Nicomedis presbyteri & martyris, cujus martyrium XVII Calend. Octob. celebratur. *Usuardus in textu apud Sollerium nostrum conformiter ad Adonem:* Romæ, dedicatio sancti Nicomedis, presbyteri & martyris; *sed monet idem Sollerius, in Pratensi codice,* Romæ, dedicatio natalis sancti Nicomedis *&c., & in aliis etiam aliter legi: unde etiam observat, ambiguum esse, quid primigenia phrasi de Sancto nostro hac die scripserit Usuardus; sed Adonis lectionem ab eo retentam existimat. Verùm utcumque is legerit, dedicationem ecclesiæ Sancti nostri hìc memorari, indubitatum est tum ex aliis Martyrologiis allegatis, tum ex Sacramentario, quod S. Gregorii Magni nomine edidit Hugo Menardus, in quo ad hunc pariter diem* Dedicatio basilicæ S. Nicomedis *recolenda præscribitur, additis de more tribus de Sancto orationibus, in Missa recitandis.*

ipsi antiquitus erecta;

F

14 *Cœmeterium quoque ejusdem Sancti nomine insignitum prope urbem Romanam olim fuisse, tradit*

item cœmeterium, non in via Ardeatina.

AUCTORE C. S.

dit Anaſtaſius Bibliothecarius, in Bonifacio V dicens: Hic perfecit cœmeterium ſancti Nicodemi, & dedicavit illud. *Pro* Nicodemi *autem alibi legi* Nicomedis, *notatur in margine tomo 1 ejuſdem Operis, accurante Blanchino editi, quo modo etiam legit Maſeus in Notis ad tom. 4, & Annibal Fabroti in Lectionibus variantibus, quas in editione ſua exhibet. Onuphrius Panvinius in Catalogo Cœmeteriorum Urbis, & Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 226, num. 9,* S. Nicomedis *cœmeterium in via Ardeatina collocârunt. At Antonius Boſius, hujuſmodi antiquitatum ſolers indagator, Romæ ſubterraneæ lib. 3, cap. 44 & 50 putat, Panvinio id ita viſum eſſe, quia in SS. Nerei & Achillei Actis, ſuprà num. 5 relatis, dicitur* S. Nicomedes *S. Feliculæ corpus* viâ Ardeatinâ *in fundo ſuo ſepeliſſe, atque adeò non tam* S. Nicomedis *cœmeterium, quàm laudatæ virginis ſepulcrum in iſtius olim fundo ſitum, ab eo memorari.*

15 *Porrò ipſum ſancti Martyris noſtri cœmeterium in via Numentana, ubi ſecundùm eadem Acta ſepultus fuit, & eccleſiam ex dictis habuit, ſitum eſſe, & unà cum ejuſdem eccleſiæ veſtigiis anno 1601 à ſe repertum, idem Boſius opinatur. Juverit ipſum cap. 50 audiviſſe.* Cùm anno MDCI die XIV Decembris, *inquit, ſed verbis Italicis,* portâ Piâ egreſſus eſſem, & per viam Numentanam aliquot paſſus ad dexteram versùs S. Agnetis proceſſiſſem, reperi in quadam vinea, ſupra cujus portam inſcriptum eſt nomen Pompilii Deſiderii, parvum cœmeterium ſubterraneum, in quod deſcenditur per aliquot gradus lateritios; credidique hoc veterem iſtius cœmeterii (*S. Agnetis*) aditum eſſe. Habet monumenta ſua in topho excita, ſed aperta, & ſine ulla inſcriptione & titulo: attamen iſta ſigna ibidem notavi. *Tum exhibet monogramma Chriſti ac palmam, unde colligitur, locum Chriſtianorum ſepulcris deſtinatum fuiſſe.* Prædictum cœmeterium (*proſequitur Boſius*) valdè exiguum eſt, habens quatuor aut quinque ſemitas cum tribus tantùm, quatuorve cubiculis. *In deſcenſu magna* Palma inſculpta muro cernitur.

ſed Numentana, ubi ſeculo 17 incunte

B

16 Credo equidem, hoc ipſum S. Nicomedis presbyteri cœmeterium eſſe, de quo egimus cap. XLIV, eò quòd Romanis mœnibus tam vicinum ſit, eóque magis, quòd in eadem vinea conſpiciantur quædam veſtigia murorum, quæ fortè ſunt eccleſiæ ejuſdem Sancti. *Huc uſque Boſius, cui conſentit Aringhius lib. 4 Romæ ſubterraneæ, cap. 21 & 27, & Maſeus in annotationibus ad Anaſtaſium Bibliothecarium tom. 4, pag. 27 editionis Blanchinianæ. Et ſanè id ſatis veriſimile eſt, cùm ex ſuprà dictis conſtet, aliquam* S. Nicomedis *eccleſiam in via Numentana olim exſtitiſſe, & ibidem illum humatum fuiſſe, Acta SS. Nerei & Achillei etiam tradant. Huc pariter faciunt veteres urbis Romanæ Notitiæ, à Dominico Georgio in Annotationibus ad Martyrologium Adonis die XV Septembris laudatæ, quibus* S. Nicomedis *eccleſia, vel cœmeterium, vel fortè utrumque in via Numentana recenſetur. Prima Notitia eſt ex tomo 4 Analectorum Mabillonii, ubi in veteri Deſcriptione regionum Urbis, pag. 507 legitur:* In via Numentana foris murum, in ſiniſtra, ſanctæ Agnes; in dextra ſancti Nicomedis. *Altera apud Eccardum, teſte laudato Georgio, ſic habet:* Juxta viam Numentanam eſt S. Nicomedes; & juxta eamdem viam baſilica ſanctæ Agnes. *Tertia denique apud Malmesburienſem lib. 4 de Geſtis regum Anglorum exſtat, eſtque hujuſmodi:* Quinta porta Numentana: ibi ſanctus Nicomedes, presbyter & martyr: itemque via eodem modo dicitur.

detectum creditur:

C

D

17 *A quo tempore memorata ſancti Martyris eccleſia vel deſtructa ſit vel corruerit, ignoratur, verùm id jam ab aliquot ſeculis contigiſſe, liquet ex eo, quòd, ut vidimus, ſeculo nuper elapſo nulla prorſus de loco, ubi fuiſſet, niſi in libris memoria exſtiterit. Laudatus Boſius cap. 44 ſcribit, in quodam antiquo codice Ms. bibliothecæ Vallicellanæ exſtare Acta Sancti, ex Nerei & Achillei Actis excerpta, in quibus poſt relatam ejuſdem ſepulturam in Via Numentana ſubditur:* In quo loco dedicata fuit eccleſia in Kalendis Junii, quæ nunc verò penitus deſtructa eſt. Ideò feſtivitas hodierna eſt paſſionis ejuſdem Martyris; alia ejuſdem eccleſiæ dedicationis, quæ, plebibus hoc neſcientibus, in dictis Kalendis colitur. *Ceterùm præter dictæ dedicationis feſtivitatem, exſtat etiam alia, Natalis nempe ad diem* XV *Septembris in Sacramentario S. Gregorii apud Menardum, quæ poſterior etiam in Kalendario per Frontonem edito notata eſt. Ad hodiernum ejuſdem cultum in Eccleſia Romana quod attinet, de eo tantùm fit commemoratio cum nona lectione ad præcitatum diem Septembris.*

ea eccleſia dudum deſtructa eſt: Sancti cultus hodiernus.

E

§ II. Sancti corpus à S. Paſchale I in eccleſiam S. Praxedis tranſlatum: an Mediolani in eccleſia S. Vincentii quieſcat?

Boſius loco ſuprà citato ſcribit, ſancti Martyris corpus unà cum multis aliis Sanctorum ſuis ſanis à S. Paſchale Pontifice, ejus nominis I, intrà Urbem tranſlatum fuiſſe ad eccleſiam S. Praxedis, Ut teſtatur, *inquit,* antiqua inſcriptio in marmore, quæ in dicta eccleſia ſervatur. Facta eſt hæc tranſlatio die XX menſis Julii, Indictione X, ut ibidem legitur; quæ anno Domini DCCCXVII, dicti verò Papæ Paſchalis Pontificatûs primo correſpondet. *Neſcio, an hæc eadem ſit inſcriptio, quam Octavius Pancirolus in Sacris theſauris Romæ abſconditis, tractans de S. Praxedis eccleſia, laudat; aſſerens ibidem in S. Zenonis ſacello ſpectari in marmore ſculpta nomina Sanctorum, quorum corpora vel reliquias idem ſanctus Pontifex eò tranſtulit, & inter ea etiam* S. Nicomedem *primo poſt ſanctos Romanos Pontifices & epiſcopos loco recenſeri. Hiſce favent, quæ apud Anaſtaſium Bibliothecarium leguntur in Vita ejuſdem S. Paſchalis, quam etiam habes in Opere noſtro ad diem* XIV *Maji, quo colitur.*

Sancti corpus à S. Paſchale I PP.

F

19 *Nam primò quidem laudato loco apud nos cap. 1 inter ipſa Pontificatûs exordia legitur:* Hic beatiſſimus Præſul multa corpora Sanctorum requirens, invenit. Quæ & diligentiùs intra Civitatem ad honorem & gloriam Dei honeſtè recondidit. *Et rurſus poſt aliqua:* Eccleſiam etiam beatiſſimæ Chriſti martyris Praxedis, quæ quòndam priſcis ædificata temporibus, nimio jam laſſata ſenio, ita ut à fundamentis caſura ruinam ſui minaretur, idem venerabilis Pontifex (illius ruinam antè prævidens, eidemque eccleſiæ curam adhibens, illic pervigil ſæpiùs exiſtens) in alium non longè demutans locum in meliorem eam, quàm

in eccleſiam S. Praxedis

A quàm dudum fuerat, erexit ſtatum... Hic beatiſſimus & præclarus Pontifex multa corpora Sanctorum diutiùs in cœmeteriis jacentia piâ ſollicitudine, ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa colligens, magno venerationis affectu in jam dictæ Chriſti martyris Praxedis eccleſiam, quam mirabiliter renovans conſtruxerat, cum omnium advocatione Romanorum, epiſcopis, presbyteris, diaconibus & clericis laudem Dei pſallentibus, deportans recondidit. *Exſtant etiam apud Baronium tom. 9 Annalium, ad annum Chriſti 818 verſus eccleſiæ abſidi inſcripti, qui eadem teſtantur.*

tranſlatum perhibetur.

20 *Hæc, inquam, favent dictæ tranſlationi, cùm inter ſacra corpora à S. Paſchale in memorata eccleſia depoſita facilè eſſe potuerit corpus* S. Nicomedis. *Dubito tamen, an Indictio aut à Boſio rectè relata ſit, aut in laudata ab ipſo inſcriptione, quæ quàm vetuſta ſit, ipſe non dicit, rectè notetur. Nam cùm S. Paſchalis ſub finem menſis Januarii anno 817 Pontificatum exorſus ſit, veriſimile non eſt, eccleſiam S. Praxedis à fundamentis ab illo reſtauratam, eóque perductam tam brevi tempore, ut jam à die* XX *Julii ejuſdem anni ab eodem dedicata, illatiſque Sanctorum corporibus illuſtrata fuerit. Deinde Eminentiſſimus Baronius mox laudatus de his ad annum Chriſti 818, ut inſinuavi, primùm meminit, cui etiam Franciſcus Orlendius, part. 2 Orbis ſacri & profani, lib. 3, cap. 4, num. 26 eadem affigit. Itaque pro* Indictione X *fortè legendum eſt* XI, *quæ menſe Julio cum anno Chriſti 818, Paſchalis verò Pontificatûs ſecundo, aliquot menſibus jam inchoato, currebat.*

B

Caſtellionæus corpus Mediolanenſibus vindicare nititur,

21 *In memorata S. Praxedis eccleſia corpus ſancti Martyris ætate ſua etiam quieviſſe, videtur exiſtimâſſe laudatus Boſius, & poſt hunc Aringhius, cùm de alia tranſlatione ne vel verbo meminerint. Id ipſum diſertè ſcribit Carolus Piazza in Hemerologio ſacro Romæ Chriſtianæ, parte 2, ad hunc diem, ubi tamen etiam aliquas ejuſdem reliquias eccleſiæ S. Joannis in Fonte concedit. At verò Mediolanenſes ſacrum illum theſaurum in baſilica abbatiæ S. Vincentii in Prato jam à multis ſeculis in una theca cum SS. Quirini & Abundii corporibus accluſum ſe poſſediſſe opinantur. De argumento hoc ex profeſſo pluribus egit Joannes Antonius Caſtellionæus, in Antiquitatibus Mediolanenſibus, part. 1, faſciculo 3 & 4 congereus, quidquid pro tribus iſtis corporibus Vincentianæ in Prato eccleſiæ vindicandis poſt diligens examen ex mandato Eminentiſſimi Cardinalis Frederici Borromæi, ejuſdem urbis archiepiſcopi, eruditi Mediolanenſes anno 1609 conquirere potuerunt. Porrò rationum, quas ibidem numero decem adfert, aliæ ad S. Quirinum vel Abundium ſpectant, quas præteribo, eaſque ſolùm referam, quæ pro* S. Nicomedis *ſeu corporis, ſeu reliquiarum poſſeſſione facere videntur.*

C

laudans veuſtam aram,

22 *In primis de vetuſta lipſanotheca, in qua ſancti Martyris noſtri corpus unà cum duobus ſuprà dictis Sanctis quieſcere creditur, hæc ait:* Lapidea (*alibi* marmoream *dicit*) illa tota ac ingens ſatis, inter ſuprà laudatam aram & fontem confeſſionis excurrit, nacta longitudinis pedes quinque, latitudinis duos, altitudinis unum, poſt aram, inquam, illam de more, quo Sanctorum tumulis aſſignatum ſpatium poſt altaria, ut in pleriſque aliis tum noſtræ, tum urbium aliarum locis. Levigati intùs eſt operis juxta ſacrarum conſtitutionum formam, extrinſecùs verò ſculpti, cæſique cultu religioſo pariter & inſigni duorum angelorum, manibus hinc inde tenentium martyrii lauream, in arcæ ipſius meditullio ſitam. *Subdit deinde arcæ iconem ſatis elegantis, quam tamen operæ pretium non exiſtimavi hic quoque ſubjicere, quia etſi rationes recenſendæ illam ſacri corporis aut reliquiarum ejuſdem poſſeſſionem probabilem faciant, non tamen eam evincere mihi videntur.*

antiquas picturas,

23 *Faſciculo 4 tres vetuſtas, ut ait, eorumdem Sanctorum picturas recenſet. Harum unam in fronte januæ majoris ſitam, hac inſcriptione notatam aſſerit:* Sanctorum martyrum Quirini epiſcopi, Nicomedis presbiteri, Abundii diaconi in altaris ſubterraneo hujus ædis ſacræ corpora requieſcunt. *Altera pictura juxta ſepulcrum ipſorum martyrum, eodem teſte, ſequentia verba refert:* Hìc requieſcunt corpora SS. martyrum Quirini epiſcopi, Nicomedis presbyteri, & Abundii diaconi. Tertia (*proſequitur Caſtellionæus*) longè ceteris antiquior, in interiori pariete, qui inter utramque templi januam intercedit; ut quæ videtur eodem omninò tempore delineata coloribus, quo ducta ſtylo fuit inſcriptio illa vetuſtiſſima, quæ ſe videndam objicit in marmore extra templi fores poſito anno Incarnationis Dominicæ MCCCLXXXIIX. Ac licèt hujus imaginis inſcriptio vetuſtate perierit, Martyrum tamen noſtrorum imaginem illam eſſe, clarè confirmant tria illic expreſſa corpora, unum epiſcopi, alterum Sacerdotis, tertium diaconi, quæ non ſolùm ſemet ſuis in loculis intuenda ponunt, ſed etiam à monacho, neſcio quo, vel anachoreta ſene, tribus inibi depictis regibus digito commonſtrantur. *In odeo quoque metropolitanæ baſilicæ tres eorumdem Sanctorum celatas imagines, additâ epigraphê, quæ illorum corpora in S. Vincentii ad Pratum quieſcere teſtaretur, conſpici affirmat, illuſtri loco poſitas juſſu S. Caroli Borromæi, cùm hic omnium Sanctorum effigies, quorum corpora Mediolani reperirentur, ibidem collocandas curavit.*

E

Kalendarium, Miſſalia, Litanias &c.

24 *Præterea laudat Kalendarium Miſſalis anno Chriſti 1482 Mediolani editum, in quo in ipſo die feſto horum Martyrum legatur:* Solemnitas ad S. Vincentium in Prato. *Addit & alterum paris antiquitatis ac notæ Miſſale, in ejuſdem eccleſiæ ſacello aſſervatum, in cujus margine adſcriptum eſt:* Horum corpora ſunt in ſcurolo S. Vincentii in Prato. *Præmiſerat etiam in faſciculo 3, in quodam veteri Miſſali Ambroſiano Miſſam peculiarem ac propriam de SS. Quirini &* Nicomedis *tranſlatione uno eodemque die præſcribi. Huc pariter facere autumat, quòd in diebus Rogationum, cùm ſupplicantium agmen in S. Vincentii eccleſiam de more pervenit, SS. Quirinus,* Nicomedes *ac Abundius in Litaniis invocentur. Addit & librum quemdam de Indulgentiis ſacriſque corporibus anno 1498 Mediolani editum, in quo legi aſſerit ſequentia:* In æde D. Vincentii in Prato P. Ticin. Sanctorum Nicomedis presbyteri, Quirini & Abundii diaconi & martyris,... & multorum aliorum corpora ſepulta quieſcunt, & etiam multæ reperiuntur reliquiæ ſine nomine. *Laudat etiam publicam de ſacris iſtis corporibus ibidem depoſitis famam, & frequentem fidelium ſanitatis obtinendæ gratiâ concurſum, ad puteum præſertim, juxta eorumdem arcam ſitum, de quo infrà agemus.*

F

Præterea recitat Bullam Innocentii PP.,

25 *Inſuper producit Bullam Innocentii IV PP., Indulgentias concedentis, quam ſubdo.* Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei &c. Dilectis filiis, abbati & conventui monaſterii S. Vincen-

AUCTORE C. S.

centii Mediolanen. Ordinis ſancti Benedicti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licèt is, de cujus unitate venit, ut ſibi à fidelibus ſuis dignè & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus multò majora retribuat, quàm valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum, & quaſi quibuſdam illectivis muneribus, Indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cùm igitur, ſicut aſſeritis, in veſtro monaſterio, quod in honore aſſumptionis B. Virginis Mariæ, & B. Vincentii eſt conſtructum, ſanctorum Quirini, Nicomedis & Abundii martyrum corpora requieſcant, nos cupientes illud congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui monaſterium ipſum in feſtivitatibus Sanctorum ipſorum, & uſque ad Octavas eorum, venerabiliter viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum cujus * auctoritate confiſi, quadraginta annos de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datæ Romæ &c.

* l. ejus

B *Hujus Bullæ auctoritate Caſtellionæus aſſertum ſuum evinci opinatus eſt. Attamen non aſſeverat Innocentius, laudata Sanctorum corpora in S. Vincentii eccleſia requieſcere; verùm id ita ab ejuſdem loci abbate ac monachis aſſeri.*

laudatque Mombritium & non nullos alios:

26 *In auxilium quoque vocat Mombritium tom. 2 in S. Quirino, in cujus Actorum calce hæc leguntur:* S. Quirinus per dominum piiſſimum Angilbertum, venerabilem archiepiſcopum Mediolanenſem, honorificentiſſimè apud monaſterium B. Levitæ Vincentii ſimul cum S. Nicomede presbytero ſumma cum reverentia eſt reconditus. *Addit & Martyrologium Ms. vetuſtiſſimum, ut ait, monachorum S. Hieronymi in ſuburbio Mediolanenſi, ex quo recitat ſequentia:* Idibus Decemb. &c. Beatus Abundius tranſlatus fuit Mediolanum ad ſanctum Vincentium, & cum ſanctis Nicomede & Quirino conditus jacet altario. *Præterea nonnullos etiam ſcriptores Mediolanenſes, qui aut omnium aut aliquot è tribus ſæpe laudatis meminerunt, hinc inde laudat, quos conſulere mihi non licuit, nec neceſſe putavi. Subdit denique eorumdem ſacrorum corporum recognitionem ab Eminentiſſimo Frederico Borromæo S. R. E.*

C *Cardinale & archiepiſcopo Mediolanenſi, die* XXIV *Januarii anno 1609 factam; quam ego ejuſdem Caſtellionæi verbis hìc refero.*

refert inſpectionem arcæ & corporum

27 Claudat nunc rationum agmen ea, quam ſtulti planè, vel impii fuerit oppugnare. Nos enim ipſimet vidimus, quæ ſubdemus, ac noſtræ manus propemodùm contrectârunt. Placuit aliquando S. M. E. Cardinali archiepiſcopo Martyrum ipſorum arcam conſulere, ut repertis in ea corporibus honores ampliſſimos procuraret. Factum id IX Kal. Februarii anni MDCIX, reſeratoque marmore, tria in eo capita reperta ſunt, quorum unum magnum & integrum; alterum antiquius paulò, & ob id aliquantulùm etiam imminutum; tertium tandem aliqua ex parte capitis adhuc humani ſpeciem referebat. Præter hæc oſſa quoque plurima perſpecta ſunt, brachia ſcilicet, coxæ, crura & alia diffuſa latè in tumulo & confuſa, facile ut unicuique ſpectantium eſſet, trium illa eſſe corporum ſuſpicari. Nec arduum fuiſſet illa, meo judicio, cum antiquitate, colore & magnitudine trium illorum capitum diligenter conferre, eademque ſic inter ſe collata recognoſcere ac ſegregare, ſi tum per otium licuiſſet. D

28 Duo ſimul hìc lignea vaſa deprehenſa ſunt, *anno 1609* cæruleis medicata pigmentis, auroque diſtincta, continentia materiem quamdam combuſtæ, aut certè uligine ſeu vetuſtate conſumptæ chartæ ſimillimam, eademque confracta ex parte, ex parte cremata paululùm videbantur. Credimus in iis horum Sanctorum ſcripta, aut aliquas eorumdem reliquias à piis majoribus collocatas. Lucis adhuc uſurâ fruuntur viri fide digniſſimi, qui narrent annis abhinc ſexaginta, caſu neſcio quo, factum, ut candelula honoris ergò ad horum Sanctorum ſepulcrum accenſa de more, ac in ſuperiorem illius lapidem per foramen, quod etiamnum, ſed clauſum ſpectatur, immiſſa decideret in ſepulcrum, ſericamque veſtem abſumeret, quâ lignea velabatur arca Sanctorum, cum arcæ ipſius parte; ita ut ad conceptam flammam exſtinguendam neceſſe fuerit loco ſuo Sanctorum oſſa movere, atque adeò (ut in rebus hujuſcemodi amat fieri) perturbare. Id ipſum ſemiuſtæ ſanè illius arcæ tabulæ, in ipſo nunc etiam Sanctorum tumulo ſitæ, planè teſtantur.

E 29 Auctor hujuſce viſitationis præcipuus S. R. E. Cardinalis & Mediolanenſis archiepiſcopus Federicus Borromæus, magno Carolo, non tam generis ſplendore, eccleſiaſticaque dignitate, quàm morum & virtutum imitatione par. Quam ob rem eo præſente facta, aliiſque viris ampliſſimis & religioſiſſimis, Alexandro Mazenta archidiacono baſilicæ metropolitanæ, Alexandro Maggiolino & Ludovico Beſutio Portæ Ticinenſis præfecto, canonicis ordinariis ejuſdem baſilicæ metropolitanæ; nec non & Horatio Caſato, tunc ceremoniarum magiſtro, nunc ejuſdem baſilicæ canonico ordinario diacono, permultiſque aliis, cum ſanctione decreti de transferendis pompâ & apparatu ſolemni horum Sanctorum corporibus in locum ejuſdem templi honeſtiorem, & delegatione præfecto Portæ, ut eamdem tranſlationem & pleniorem eorumdem Sanctorum notitiam procuraret. Libuit hæc, uti geſta ſunt, exponere, quòd nullum aliud argumentum poſſit ſanctorum horum trium Martyrum corpora noſtræ eccleſiæ firmiùs vindicare. *Huc uſque Caſtellionæus.* *ab Eminentiſſ. Frederico Borromæo factam.*

Tranſlationis tempus & auctorem

30 *Quod autem ad tranſlationis tempus & auctorem ſpectat, nihil certi poteſt proferre; ſed ex ſolis conjecturis opinatur, ſacrum Martyris corpus è via Numentana, ubi illud Juſtus, ut Acta habent, ſepelierat, à fidelibus ſublatum, &* F *ad Catacumbas depoſitum, atque hinc unà cùm S. Quirini corpore Mediolanum tranſlatum fuiſſe ab Angilberto vel Eriberto, qui & Heribertus & Aribertus ſcribitur, epiſcopis Mediolanenſibus, quorum primus ſeculo 9, alter* XI *floruit. Addit & alteram conjecturam; ſcilicet illud ab Eriberto quidem Mediolanum allatum, ſed à Giſelberto, S. Vincentii in Prato abbate, in ſua eccleſia depoſitum fuiſſe, quia, ut inquit, Giſelbertus ille prædictum monaſterium multis bonis auxit. Addit & tertiam cujuſdam amici ſui conjecturam, ſuſpicantis eumdem ſacrum theſaurum à Deſiderio Longobardorum rege, ejuſve filiis eò delatum eſſe. Ipſe tamen Eribertum tranſlationis auctorem credere mavult, quia etiam in quodam codice Ms. Joannis de Monte, Mediolanenſis ſacerdotis, legerat:* Heribertus archiepiſcopus ſubjectionem monaſterii S. Vincentii, quod ſe exemptum dicebat, à Papa obtinuit, in cujus rei teſtimonium Papa corpora ſanctorum martyrum Quirini, Nicomedis & Abun-

A bundii eidem archiepiſcopo donavit. *Hunc codicem* vetuſtiſſimum *appellat ; at cùm tom. 2 Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium , à Philippo Argelato editæ* , Joannes Montius , *ſeu* de Monte *presbyter occurrat , qui Chronicon de rebus Mediolanenſibus ſeu ſcripſit , ſeu Italicè interpretatus eſt , quique poſt medium ſeculi* XV *floruit , multùm vereor , ne laudatus à Caſtellionæo codex eam ætatem non excedat , atque adeò exigui ponderis ſit. Hæc eadem tamen leguntur etiam in Manipulo florum Gualvanei de la Flamma , cap.* 137 *apud Muratorium tom.* XI *Scriptorum Italicorum , ex quo Manipulo ea de verbo ad verbum forſitan deſcripſit Joannes de Monte. Porrò Gualvaneus ſeculo* XIV *floruit*

incertum agnoſcit : quid de hiſce rationibus ,

31 *Quod ad conjecturas attinet , eæ de cetero non alio nituntur fundamento , quàm quòd Angilbertus apud Mombritium , apud Galeſinium autem Eribertus , corpus S. Quirini è Catacumbis Romanis Mediolanum detuliſſe legatur. Sed infirma hæc ratio eſt : nam licèt S. Quirini tranſlationem ab alterutro certò factam gratis admitteremus , nihil tamen hinc pro* S. Nicomedis *noſtri ſimul tranſlato corpore deduci poſſet ; præſertim cùm hoc in Catacumbis numquam jacuiſſe , ex ſuprà dictis ſatis certum ſit. Ex allatis autem à Caſtellionæo rationibus indubitatum quidem ſit , ſanctum aliquem Nicomedem aliquot abhinc ſeculis à Mediolanenſibus cultum fuiſſe , ab iiſdemque olim creditum , ſacra ejuſdem oſſa in S. Vincentii monaſterio requieſcere ; quin & hoc ipſum verè creditum eſſe , eædem rationes probabile faciunt. Attamen nec ſtultitiæ , nec impietatis notam vereor , licèt , etiam poſt memoratæ arcæ ſacrorumque corporum inſpectionem , certiora monumenta deſiderem , ut* S. Nicomedis *noſtri corpus , aut magnam ejuſdem partem , in laudata arca ſervari certò aſſentiar , quæ ipſe Eminentiſſimus Fredericus Borromæus deſideraverit , dum corporibus illis ſine ulla inſcriptione inſpectis , eruditis Mediolanenſibus , teſte Caſtellionæo , eam provinciam dedit , ut quàm diligentiſſimè conquirerent , quæcumque ad laudatorum Martyrum corpora vindicanda facere arbitrarentur. Utrùm verò tum conquiſita monumenta , quæ retulimus , ſatis vetuſta , ſatiſque certa ſint ad id evincendum , prudentis lectoris judicio libens relinquo.*

B

& de poſſeſſione corporis Sancti

C

32 *Dicam tamen neceſſe eſt , quæ præter monumentorum infirmitatem judicium meum ab indubitato aſſenſu inſuper cohibeant. Exſtant in Muſeo noſtro Miſſale Mediolanenſe Ambroſianum , anno* 1522 *Mediolani editum , & duo Breviaria ejuſdem eccleſiæ , quorum alterum typis Venetis anno* 1539 , *alterum juſſu Eminentiſſimi Fredericì Borromæi S. R. E. Cardinalis & archiepiſcopi Mediolanenſis recognitum , editumque anno* 1625 , *&* 1635 , *cujus poſterioris editionis exemplar noſtrum eſt , typis item Mediolanenſibus excuſa ſunt. In duobus prioribus* S. Nicomedes *geminâ Miſſâ & Officio celebratur ; primò quidem ad diem* IV *Junii , quo cum S. Quirino , ut Caſtellionæus etiam aſſeruit , ſimul colebatur ; deinde ad* XV *Septembris , quo ipſius ſolius feſtivitas agitur. Sed neutro loco ſeu in orationibus , ſeu in lectionibus , ſeu etiam in antiphonis ulla de tranſlatis Mediolanum , aut ibidem ſervatis illorum corporibus mentio fit ; imò in Breviario ad dictam Junii diem ſecunda Oratio ſic habet :* Præſta , quæſumus , omnipotens Deus , ut qui beatorum martyrum tuorum Quirini & Nicomedis NATALITIA colimus *&c. : Lectio verò* I *ſic orditur :* NATIVITAS S. Quirini epiſcopi & martyris. *Pro utroque etiam die varia* S. Nicomedis *Acta recitantur ; primò ex epiſtola Marcelli , ſecundò ex iis , quæ Mombritius edidit ; quaſi Breviarii auctor æquè ac ille geminum* S. Nicomedem *diſtinxiſſet. In utriſque tamen ſancti Martyris corpus in Tiberim dejectum , indéque à Juſto ejuſdem clerico ſublatum , & juxtà muros viâ Numentanâ ſepultum fuiſſe dicitur , nec verbum ullum de altera tranſlatione ſubjungitur.*

AUCTORE C. S.

per eas aſſertis ſtatuendum videatur.

33 *Hinc vehementer ſuſpicor , Miſſam , quam Caſtellionæus num.* 24 *in* tranſlatione *SS. Quirini &* Nicomedis *in vetuſto Miſſali Ambroſiano exſtare aſſerit , non magis de ea tranſlatione meminiſſe , quàm Miſſale ac Breviarium à nobis mox laudata. Dubitationem meam etiam auget Breviarium alterum , anno* 1635 , *ut diximus , Mediolani excuſum. In hoc enim ad diem* IV *Junii , prætermiſſo* Nicomede , *S. Quirinus ſolus celebratur , de eoque in lectione , quæ unica eſt , in calce dicitur :* Ejus corpus , Eriberto archiepiſcopo Mediolanum tranſlatum eſt : *at de Sancti noſtri ſeu corpore ſeu reliquiis ſummum ibi ſilentium eſt. Ad diem verò* XV *Septembris* S. Nicomedes *ſolus item colitur , lectione deſumpta ex epiſtola Marcelli ; ſed nec hic de ejuſdem tranſlatione aut reliquiis Mediolani ſervatis ulla mentio habetur. Hæc , inquam , dubitationem meam vehementer augent , cùm Breviarium hoc juſſu & auctoritate ejuſdem Eminentiſſimi Fredericì Borromæi vulgatum ſit , à quo ſanctorum Martyrum arcam & oſſa inſpecta anno* 1609 *fuiſſe , Caſtellionæus ſuprà aſſeveravit ; & tamen tranſlationem , poſſeſſionemve corporis* S. Nicomedis *Breviario non modò non inſeruerit , verùm etiam ex eodem ſuſtulerit , quod ſuſpicionem aliquam pro eadem aſſerenda unicumque poterat movere. Quid , quæſo , hæc aliud indicant , quàm Eminentiſſimo Borromæo tam valida minimè viſa fuiſſe momenta rationum à Mediolanenſibus conquiſita , ut unum è tribus ſacris corporibus , quæ in arca inſpexerat ,* S. Nicomedis *eſſe affirmaret ? Itaque judicium meum ego hic ſuſpendo , libenter aſſenſurus , ubi quis certiora produxerit.*

D

E

Quid de puteo Mediolani in eccleſia S. Vincentii ?

34 *Spopondimus ſuprà , nos de puteo , cujus Caſtellionæus meminerat , acturos. Hic , eodem teſte , juxta ſæpe memoratam arcam ſitus , ob ſalubres aquas ſuas ab ægris magno numero frequentatur ; is ipſe tamen fatetur ignorari , num mirabilem illam vim medicam à depoſitis eo loco ſacris iſtis corporibus traxerit , an eàdem jam viguerit , antequam iſta ibi collocarentur. Poſterius credi poſſe ſuſpicatur ex vetuſta inſcriptione non procul ab eodem puteo tum nuper reperta , quam antiquis characteribus expreſſam hujuſmodi fuiſſe ait :* Fonti pereni Agrytius D donum poſuit. *Primum tamen credi mavult ;* ut apertè , *inquit* , non minùs quàm verè indicant carmina in putei ipſius commendationem , memoriam & honorem conſcripta , quæ idcircò ſubdimus non inviti : . . .

F

Quid juvat accenſas undis extinguere flammas ,
Extinctaſque ſimul vivificare faces ?
Quid juvat in lapides virgas mutare virentes ,
Auditoque undas tollere ad aſtra ſono ?
Quid juvat inſanis amiſſam reddere mentem ,
Quid juvat hanc ſanis demere poſſe viris ?
Munera naturæ dona hæc data functibus illis ;
At febrim ægrotis pellere corporibus ,
Expulſoque viris morbo dare poſſe ſalutem ,
Munere cæleſti perficit hic puteus ,
Qui ſcatet excultam ſancti Nicomedis ad aram ,
Quæ ſacras ſervat marmore relliquias.

Hæc ipſe , non explicans , cujus temporis verſus illi ,

AUCTORE C. S.

illi, satis insulsi, sint, vel quo loco exstent; quod uti & reliqua Mediolanensibus hagiophilis ulteriùs examinandum relinquo.

§ III. Alia loca Sancti cultu aut reliquiis illustrata.

Aliæ reliquiæ Parmæ

FRanciscus Orlendius Orbis sacri & profani part. 2, lib. 2, cap. 5, num. 6 corpus S. Nicomedis *Vincentianæ ecclesiæ in Prato Mediolanensi pariter attribuit, idemque ibidem cap.* 10, *num.* 2, *inter sacras reliquias, quas, ut loquitur,* devota Parmensium traditio fert *in cathedrali ecclesia divæ Virgini assumptæ sacra requiescere, corpus* S. Nicomedis *denuò recenset. Eidem Parmensi ecclesiæ illud adscribit Philippus Ferrarius in Indice alphabetico Sanctorum, quem Catalogo Sanctorum Italiæ præfixit. Verùm non corpus, sed tantùm aliquam* partem reliquiarum ejusdem glorioſi corporis *ibidem servari, discimus ex Ranuccii Pici Theatro Sanctorum urbis & territorii Parmensis,* in S. Nicomede; *quæ tamen quo tempore Parmam allata fuerit, ignorat, licèt id forsitan factum esse suspicetur, dum S. Feliculæ corpus Româ Parmam deferretur, quod in hujus sanctæ virginis ac martyris Vita anno* 1427, *& diei* III *Junii affigit. Vide tamen dicta in Commentario historico de eadem Sancta in Opere nostro ad diem* XIII *Junii. Idem Ranuccius observat,* S. Nicomedis *festum Parmæ, non die* XV *Septembris, sed* I *Junii celebrari; sive quòd eo die laudatæ Sancti reliquiæ eò allatæ fuerint, sive quòd tum ecclesia Romæ ipsi olim fuerit dedicata, ut suprà diximus; idque postremum ipse mavult opinari.*

B

& Lucæ servatæ dicuntur. Moguntiæ ecclesia

36 *Lucæ quoque, quæ cognominis reipublicæ in Italia caput est, inter sacras ecclesiæ ac monasterii S. Justinæ reliquias* unum brachium cum manu S. Nicomedis martyris *recenset Cæsar Franciotti in Historia imaginum miraculis illustrium, & sacrorum corporum in eadem civitate quiescentium, pag.* 551; *asseritque, in laudato monasterio argenteam thecam asservari, cui sequentia incisa legantur:*

In Dei nomine, anni Domini MLXXXIX.
Reliquias multas loculus * iste recluſas,
In quibus est una Nicomedis martyris ulna;
Nec non, virgo, tuum caput est, Justina, recluſum.

** fortè deest: tenet*

C

Neque in Italia tantùm, verùm etiam in Germania peculiari cultu sanctus Martyr noster celebratus est. Certè Moguntiæ ecclesiam cum monasterio virginum ipsius nomini dicatam fuisse, scribit Nicolaus Serarius lib. 1 *Moguntiacarum rerum, cap.* 31, *ubi feminei sexûs monasteria recensens, hæc ait:* S. Nicomedis antiquissimum sanè templum, utpote quod à S. Gothardo, Moguntino episcopo nono exstructum: & ante annos adhuc viginti id tenebant virgines; sed communi temporum nostrorum pravitate postea exinanitum, cœpit à S. Jacobi cœnobio, cui à Luidbaldo archiepiscopo subjectum quondam fuerat, possideri. Sum verò non ita pridem gavisus, cùm hoc vidi repurgari & dealbari.

37 *Hanc ecclesiam à memorato Gothardo prope Moguntiam Christo Domino antiquitus exstructam, postea primùm* S. Nicomedis *dici cœpisse, ipsi olim dicata fuit, & ipsius caput ibi esse dicitur.* *affirmat Latomus apud laudatum Serarium lib.* 2, *cap.* 8; *fortè ob sancti Martyris reliquias eò deinde delatas; ut tum res ipsa suspicari sinit, tum etiam suadet Georgius Christianus Joannes, dum lib.* 1 *Rerum Moguntiacarum, cap.* 31 *in Annotationibus ad Serarium asserit,* S. Nicomedis *caput ibidem honoratum fuisse, ut mox videbimus. Scribit enim, tres virgines, quæ in dicto parthenone supererant, anno* 1598 *aliis monasteriis adscriptas esse; cúmque ob loci egestatem è re non videretur alias denuò admittere, agitatum fuisse, ut S. Jacobi monasterio traderetur, idque anno* 1604 *tandem effectum;* ipso hoc, *inquit,* S. Nicomedis cœnobio juxtà cum capite D. Nicomedis, aliisque lipsanis, bonis itidem ac facultatibus, ... monasterio, quod diximus, Jacobæo auctoritate publica transcripto ... Templum verò, quod auctor, dum hæc scriberet, repurgari vidit dealbarique, anno pòst MDCXXII, cùm mons Jacobæus munimentis cingeretur, ad solum fuit dirutum.

Ejusdem cultus & reliquiæ

38 *Alterum* S. Nicomedis *presbyteri ac martyris cultu & reliquiis illustratum locum docuit me Balthasar Mennen, Societatis nostræ presbyter & missionarius, geminâ epistolâ, alterâ Burgsteinfurto anno* 1685, *alterâ Hildesio anno* 1693 *ad Papebrochium nostrum datâ, & ad hunc diem sepositâ. Locus is Burchorsta, vulgò* Borchorst, *pagus & capitulum est illustrium canonissarum in Circulo Westphalico, quem Blavianæ Tabulæ in comitatu Steinfurtensi quatuor circitèr milliaribus Germanicis ab urbe Monasterienſi collocant. Porrò laudatus Mennen in priori sua epistola scripserat,* S. Nicomedem *presbyterum die* 1 *Junii Burchorstæ coli, tamquam perillustris illius capituli ac frequentis parœciæ patronum, sed nomine tantùm tenus notum esse; ideóque Papebrochium rogaverat, ut, si quid de ipsius gestis illi innotuisset, id ad se perscriberet. Remisit ipsum Papebrochius ad Martyrologium Romanum die* XV *Septembris, & ad Acta SS. Nerei & Achillei, eâdemque operâ vicissim petiit, ut, quæ de ejusdem apud Burchorstenses cultu haberet, secum pariter communicaret. Distulit ipse quidem responsum usque ad annum* 1693, *quo de illius cultu ac reliquiis, deque ipso loco nonnulla rescripsit, quæ ejusdem verbis recitabo.*

E

Burchorstæ in circulo Westphaliæ.

39 Paucis subjungo, *inquit,* quòd sancti illius Martyris brachium cum authenticis testibus tabulis sub Monasterienſi principe episcopo Christophoro Bernardo ad Borchorstensem ecclesiam, in qua episcopi soror canonissa erat, translatum sit Româ, ita ut statis temporibus Borchorstensium venerationi exponatur, velut Patroni loci sui primarii. Est autem Borchorsta capitulum, quod constat ex pluribus canonissis primæ nobilitatis, & tribus, non primæ tamen nobilitatis, canonicis; convenientibus etiam ad chorum, non capitulum, quatuor vicariis. *Ita ipse; sed authenticas istas tabulas consulere mihi non licuit. Ceterùm Christophorus Bernardus tantùm unicus in Catalogis episcoporum Monasterienſium, à Bucelino & Blaevio editis, occurrit; famosus scilicet ille ex baronibus van Gahlen, qui ab anno* 1650 *usque ad* 1678 *episcopatum illum tenuit, quo propterea tempore istud* S. Nicomedis *brachium Româ Borchorstam secundùm dicta transferri debuit.*

F

A D

DE S. VALERIANO MARTYRE,

TRENORCHII IN DUCATU BURGUNDIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

§ I. Memoria Sancti in Martyrologiis; Acta martyrii, eorumque auctores.

CIRCA ANNUM CLXXVIII. *Sanctum memorant Hieronymiana multa;* B

Celebrant ad hanc diem fortissimi Athletæ nostri memoriam Fasti Ecclesiæ Latinæ penè omnes. Inter Martyrologia minora, quæ sub nomine S. Hieronymi passim veniunt, signant ipsum vel solo nomine, vel addito titulo martyris, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, à nobis typis vulgata tom. VII *Junii; Gellonense cum San-Remigiano, San-Gallensi & Baluziano collatum, apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii, anno* 1723 *recusi pag.* 34; *Morbacense apud Martenium tom.* 3 *Thesauri Anecdotorum col.* 1569. *Consentiunt illis Hieronymiana majora, at inter sese, ut observavit Sollerius ad textum Usuardi, in exprimendo distinguendoque martyrii loco plurimùm differunt: Lucense, quod, qui vulgavit Florentinius, vetustius appellat, sic habet:* In territorio Cavelonense, castro Tremorcio, S. Valeriani martyris. *Vetustissimum Antverpiense:* Caulomo castro, Valeriani martyris. *Corbeiense:* In territorio Cabillonensi, castro Ternocio, natalis sancti Valeriani martyris. *Blumianum, cujus lectiones, à vetustiore variantes, idem Florentinius exhibet sub finem:* Castro Trenoremo.

Beda, Rabanus, Notkerus, Ado, C

2 *Eadem scriptionis diversitas regnat similiter in aliis classicis. In Bedæ codice Barberiano ea annuntiatio est:* In territorio Cavillonensi, castro Trinorchio, Valeriani. *Ista in Rabani Martyrologio:* In territorio Cabilonense, castro Nortio, natale S. Valeriani martyris. *Hæc apud Notkerum:* In territorio Cavillonensi natalis sancti Valeriani martyris. *Correctiùs martyrii locum designavit Ado Viennensis, additâ insuper longiore certaminis historiâ:* Eodem die, in territorio Cabilonensium, castro Trenortio, natale sancti Valeriani martyris, qui unus fuit ex numero Sanctorum quinquaginta, qui temporibus Antonini Veri Lugduni in carcerem trusi fuerant, quique cum B. Marcello, patefactis custodiæ, quâ detinebantur, divinitus claustris, aufugit. Cúmque ad præfatum castrum perveniisset, & Domini Jesu Christi nomen prædicans, plurimos, ipso inspirante, ad ejus fidem convertisset, revertenti ab urbe Cabilonensium, ubi Priscus beatum Marcellum martyrem necaverat pro Christi nomine, præsidi Prisco delatus est. Quem ille suis faciens conspectibus præsentari, primùm minis & terroribus frangere conatus est: deinde suspensum & gravi ungularum laceratione cruciatum, cùm in Christi confessione videret immobilem, ac læto animo in ejus laudibus permanentem, protinus in eo loco, ubi nunc sacrum ipsius corpus debita veneratione excolitur, gladio animadverti fecit.

3 *Adonem more suo contraxit Usuardus, ejusdemque tamen verbis presse inhæsit; uti textus conferenti patebit:* In territorio Cabilonensi sancti Valeriani martyris, quem Priscus præses suspensum, & gravi ungularum laceratione cruciatum, cùm in Christi confessione videret immobilem, ac læto animo in ejus laudibus permanentem, gladio animadverti fecit. *Totus hic Usuardi textus transiit in hodiernum Romanum eo solo discrimine, quòd in fine legatur* animadverti præcepit. *Ex allatis Fastis sufficienter colligitur, Sancti nomen neutiquam fuisse neglectum in accuratioribus Martyrologiis recentioribus, ut proinde prolixæ eorumdem enumerationi supersedere nobis liceat. Honorifica ejus etiam memoria est apud alios scriptores tum veteres tum neotericos, præsertim Gallos. De neotericis erit infrà hinc inde loquendi opportunitas; inter veteres autem præcipui sunt S. Gregorius Turonensis & biographi duo S. Marcelli martyris; ille apud Ruinartium lib.* 1 *de Gloria Martyrum cap.* 54 *col.* 784 *&* 785, *ubi præter alia refert insigne beneficium,* S. Valeriani *patrocinio impetratum; ejus verba dabimus num.* 19; *hi apud nos tom.* 2 *Septembris ad diem* IV, *ubi Commentario de S. Marcelli gestis & gloria subjunximus Passionem duplicem, breviorem ac longiorem; atque illam contra nonnullorum leviss. conjecturas vindicantes, non probari diximus, posteriorem esse seculo* IV *aut* V.

Usuardus, Romanum hodiernum, & martyrologi recentiores; S. Gregorius Turonensis E

4 *Brevioris Passionis auctor præmissis nonnullis de martyribus, qui sub annum* 177, *imperante Marco Aurelio Antonino, Lugduni in carcerem conjecti & martyrii lauream adepti sunt, scribit in hunc modum:* Ex quorum numero martyrum Marcellus & Valerianus, custodiæ illius, cui fuerant mancipati, effractis divinitus claustris, juxta Euangelicam auctoritatem, & * ad civitatem aliam fugam latenter arripiunt. Quod Dei providentiâ ordinatum ne quis ambigat; ut ad illa scilicet loca, ubi eis passionis consummatio debebatur, intenderent properare, & gentilium mentes, quæ per eos in Christum erant creditura, exemplis martyrii corroborarent. Quippe ut tutiùs ab illo persecutionis turbine declinarent, non mente, sed flumine, non fide, sed itinere dividuntur: è quibus Valerianus Augustidunensis viæ compos *, iter Marcellus Sequanici territorii aggreditur; ut utriusque ripæ incolas ad veri Dei cultum divini verbi prædicatione converterent, & non solùm de proprii effusione sanguinis, verùm etiam propter multorum credulitatem in Christo de diabolo triumpharent. *Eadem in substan-*

ac biographus S. Marcelli M. F

* *& abundat*

* *al.* compita

AUCTORE J. P.

tia leguntur in Paſſione prolixiore S. Marcelli; neque multùm ab iis differunt Acta martyrii Sancti noſtri; de quibus nunc agendum.

Variæ Paſſionis, ab anonymo exaratæ,

5 *Hiſtoria paſſionis* S. Valeriani, *ab anonymo conſcripta, ſæpiùs jam prelum ſubivit. Franciſcus Boſquetus inſeruit eam Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ part. 2 pag. 102; eamdemque Petrus Franciſcus Chiffletius* ex Codicibus Mss. Acceyenſi, Cabilonenſi & aliis quibuſdam *collocavit inter probationes Hiſtoriæ Trenorchienſis pag. 33. Boſqueti editionem ſecuti ſunt auctor Hiſtoriæ Cabilonenſis vulgatæ per Petrum Cuſſet, & Claudius Perrius Societatis noſtræ ſacerdos, ejuſdem civitatis ſimiliter hiſtoriographus; uterque ad calcem Operis: Chiffletii autem editionem ſecutus eſt Petrus Juenin tom. 2 novæ Trenorchienſis Hiſtoriæ pag. 2: eo tamen diſcrimine, ut ambo Cabilonenſes Hiſtorici Boſquetianæ editioni præmiſerint Paſſionem Sancti, extractam è ſolo veteri Legendario eccleſiæ Cabilonenſis, prologo & epilogo deſtitutam, in reliquis autem illi conſonam; Jueninus verò dictos prologum ac epilogum diverſis à corpore characteribus imprimi curaverit. In quem finem iſta obſervem, mox videbitur.*

B *exemplaria.*

6 *Sepoſuerant in hunc diem Majores noſtri quatuor ejuſdem Paſſionis apographa Mss., primum ex Lectionario Cabilonenſi ſine prologo & epilogo tranſmiſſum à laudato Perrio; alterum à Chiffletio ex Ms. Acceyenſi, quæ ipſimet poſtmodum prelo commiſerunt; tertium fuit acceptum à Ludovico Nicquet bibliothecario PP. Cæleſtinorum Sueſſionenſium; quartum ex Ms. domini Belfortii, aliquoties in Opere noſtro laudati, deſumptum notatur, collatumque cum codice Reginæ Sueciæ. Utrumque poſterius eodem ex fonte profluxit, ex quo edita; at in Belfortiano frequentiores occurrunt variantes lectiones, quas, ſi operæ pretium fuerit, indicabo in Annotatis; id tamen in anteceſſum obſerva, quòd prologum habeat multò breviorem, & prorſus careat epilogo. Hæc de Paſſione* S. Valeriani *omnium, uti credimus, quæ exſtant, antiquiſſima; de auctoris ætate & auctoritate mox plura.*

Ea veriſimiliter Frontone, qui ſeculo XI,

7 *Ejuſdem martyrium etiam litteris prodidit Fronto, Trenorchienſis abbatiæ monachus & chroniſta, uſus monumentis vetuſtioribus, uti inſinuat in præfatione ad chronicum, ita alloquens abbatem ſuum:* Injungitis ſiquidem & me veſtræ prælationis auctoritate compellitis, ut nonnulla veterum monimenta geſtorum, quæ à noſtris quibuſdam

C

ſcripta quidem ſed indigeſta reperimus, ſcrutata temporum ſerie, in unius corpore voluminis ordinare ſatagam. *Et poſt multa:* Ne ſuperflua digreſſione tædium vobis ingeram, beati Valeriani martyris triumphum, compendioſa brevitate relatum, limitem narrationis protinus aſſumam; non eodem tamen ordine nota repetens, ſed ex eiſdem quædam diligenti conſideratione derivare contendens. *An auctor hîc deſignatam voluerit eam Sancti Paſſionem, mox à nobis memoratam, certò aſſerere non auſim: hoc tamen ſatis liquet ex facta collatione, quòd, licèt alia illius ſit phraſis, alia diſpoſitio, & digreſſionum, quibus hiſtoriæ filum interrumpit, uſus frequentior, ea ſit in rerum narratarum ſubſtantia conformitas, ut ſi non eamdem, certè ei non multò abſimilem præ oculis habuerit. Laudatus Fronto floruit intra annos* 1066 *&* 1108, *Trenorchienſem abbatiam gubernante Petro ejus nominis primo, quem mox initio chronici ita compellat:* Venerabili Trenorcienſis eccleſiæ abbati P. (*Petro*) F. (*Fronto*) veſtræ non incognitus paternitati &c. *Non protraxit autem idem Chronicum ultra annum* 1087, *cùm deſinat in relatione donationis factæ Trenorchienſi monaſterio per Conſtantiam reginam, Alphonſi Caſtellæ regis conjugem, confirmataque per Odonem Burgundiæ ducem. Inſtrumentum ſuper his, dicto anno conſcriptum, habes apud Chiffletium & Jueninum inter probationes.*

D

& Garnerio, qui ſeculo XII *ſcripſerunt,*

8 *Haud ita dudum pòſt eadem paſſione deſcribenda ſtylum exercuit alter Trenorchienſis abbatiæ monachus, Garnerius nomine, & illud ſe feciſſe indicat, juſſu Petri abbatis, per quem aliqui Petrum ejus nominis ſecundum intelligunt, quia auctor in prologo, opus ſe novum confecturum aſſerit ex veteri;* partim ex Hiſtoria Cæſarienſis Euſebii, partim ex illuſtrium noſtri temporis virorum deſcriptionibus, Baldrici nimirum Dolenſis archiepiſcopi, & Falconis viri admodum litterati & religioſi; *Baldricus autem præſulatum Dolenſem non adiit ante annum* 1108, *Petri abbatis primi ultimum. Jueninus tamen magis inclinare ſe ait, ut credat, Garnerii Opus inchoatum fuiſſe ſuperſtite Petro I; ſed rationem non adducit aliam, quàm quòd allegata mox ejus verba inventa dumtaxat fuerint in margine Ms., & ſigno aliquo reliquis adnexa, quod fieri potuit poſt obitum Petri primi. Hanc conjecturam, utpote de re minimi momenti, ulteriùs non diſcutio; nam quocumque demum præſule præcipiente ſcripſerit Garnerius, dubium eſſe nequit, quin Falcone junior ſit & Baldrico, qui juxta Sammarthanos fratres Dolenſem eccleſiam moderatus eſt ab anno* 1114 *uſque ad* 1131.

E

vetuſtior eſt; nec Baldricum

9 *Falconis & Garnerii Opuſcula exſtant apud laudatos Chiffletium & Jueninum, &, ſi rectè conjiciunt aliqui poſt Chiffletium, Baldrici lucubratio diverſa non eſt à Paſſione, de cujus variis editionibus egimus num.* 5, *cui dictus Chiffletius hunc titulum præfixit:* Acta S. Valeriani martyris, auctore, ut videtur, Baldrico Dolenſi archiepiſcopo. *Cauſam, cur ita viſum ſit, apud ipſum expoſitam non reperio. Pronum tamen eſt eam divinare: Paſſionis auctorem non inveniebat, legerat Baldrici deſcriptione uſum fuiſſe Garnerium, & hanc deſcriptionem ſimiliter alibi non inventam, ratus eſt, eam ipſammet eſſe Paſſionem anonymi. Diſplicuit Chiffletii aliorumque judicium Jueninо, & breviorem Paſſionem Baldrico adſcribi non poſſe contendit, primò, quia auctor ſub finem Operis inſinuat, ſe vel religioſum eſſe Trenorchienſem, vel habitare in monaſterio, vel ſaltem in ejus vicinia; cùm ſeſe eorum numero accenſeat, qui ibidem ſacrum corpus venerantur, quando Sanctum illo loco martyrium ſubiiſſe dicit,* in quo nunc venerandi corporis reliquias excolimus: *non videtur autem Baldricus incoluiſſe Trenorchienſem abbatiam aut hujus viciniam; igitur dictæ Paſſionis auctor non eſt. Secundo veriſimillimum eſſe ait idem Jueninus, Paſſionem Baldrico eſſe vetuſtiorem, cùm in hac nulla fiat mentio tranſlationis* S. Valeriani, *factæ circa annum* 980; *unde conſequitur, Paſſionem ante tranſlationem fuiſſe conſcriptam & ante Baldrici tempora; neque enim Paſſionis auctor ignorare potuiſſet tranſlationem, neque non ignoratam ſilentio voluiſſet præterire. Tertiò putat, poſt factam collationem, manifeſtè apparere, quòd Ado ex eadem Paſſione mutuatus ſit, quæcumque habet in elogio ſuprà recitato. Hujuſmodi ratiociniis aliud addit ex conjectura laudatus hiſtoricus, per quod oſtendere enititur, non improbabile ſaltem eſſe, Acta* S. Valeriani *ſeu potiùs hanc Paſſionem exſtitiſſe tempore S. Gregorii Turonenſis.*

F

10 *Quidquid de re ſit, equidem non invenio ſuf-*

Dolensem episcopum

sufficiens fundamentum, ut in Chiffletii & aliorum opinionem concedens, Passionem istam adeo recentem existimem: magna est fateor inter eam & Garnerii lucubrationem similitudo; imò tanta, ut, si pauca excipiamus, hæc videri possit illius dumtaxat longior paraphrasis. Sed cur potiùs credam, à Garnerio auctam fuisse Baldrici lucubrationem, quàm Triumphum S. Valeriani compendiosa brevitate relatum, *quem Fronto num. 7 citatus testatur à se repertum fuisse inter* vetera monimenta gestorum; *præsertim dum ipsemet Garnerius profitetur se conficere novum opus* ex veteri? *Subdit quidem:* Partim ex Historia Cæsariensis Eusebii, partim ex illustrium nostri temporis virorum descriptionibus Baldrici.... & Falconis; *verùm istud dumtaxat intelligo de augmentis, phrasibus, animadversionibus, quibus inde desumptis veterem Passionem interpolavit & exornavit; ineptè enim Frontonis & Baldrici Opus* vetus *nuncupâsset, quandoquidem ipsos scriptores* sui temporis *appellet: ad Eusebium quod spectat, ex ipso nihil haurire potuit præter ea, quæ de S. Pothini & sociorum Lugdunensium martyrum captivitate tradit sub initium, & de tempore, quo passi sunt, sub finem, cùm ne nomina quidem* Valeriani *nostri & Marcelli legantur apud Eusebium memoratum.*

B

auctorem habuit, licèt diu post Sancti obitum

11 *Itaque cùm evidentissimè constet ex Falconis testimonio, exstitisse apud Trenorchienses aliquam* S. Valeriani *Passionem, mera Chiffletii conjectura non persuadet mihi, ut, quam habemus breviorem, Baldrico adscribam; sed aliatæ hactenus rationes atque in primis magna cum ea conformitas, quæ regnat tum in elogio Adonis, tum in Garnerii lucubratione, potiùs inducunt, ut rear, memoratam à Falcone non aliam esse à nostra, ex qua* veteri *novam & auctiorem conflaverit Garnerius. Attamen dum illam* veterem *appello, id ita acceptum nolim, quasi ipsi tantam fidem atque auctoritatem tribuam, quantam solemus tribuere Actis per coævos aut parùm remotos homines concinnatis, sed ita dumtaxat quòd aliis vetustiorem velim. Nam si ei conveniat, quod de monumentis, à se colligendis, generatim monet Fronto, dicens:* Nonnulla veterum monimenta gestorum, quæ à NOSTRIS quibusdam scripta quidem, sed indigesta reperimus, scrutata temporum serie, in unius corpore voluminis ordinare satagam. *Si, inquam, hoc Passioni* S. Valeriani *conveniat, & per tò* nostris *monachos designet, ut verisimile est; suspicari debebimus, eam Passionem aliquot seculis martyrio esse posteriorem; quot autem, incertum est.*

C

scripta videri possit,

12 *Nam, fatentibus Chiffletio & Juenino, ignoratur, quo tempore ecclesia* S. Valeriani *(de qua redibit sermo) transierit in abbatiam, cujus, ut antiquæ tamen, prima mentio occurrit in diplomate Caroli Calvi, quo illam* XIV *Kalendas Aprilis anni* 875 *concessit Geiloni & monachis S. Filiberti. Dictum diploma probationibus suis inseruerunt Chiffletius & Jueninus; unde pauca huc pertinentia transcribimus:* Nos ob amorem Dei & præfatorum Sanctorum patrocinia, æternæque remunerationis præmium, nec non & eleemosinam domni & genitoris nostri Hludovici, piissimi augusti, & inclytæ genitricis nostræ Judith, ac pro salute nostra carissimæque conjugis & prolis, memoratæ Dei Genitrici Mariæ ac almifico Christi confessori Filiberto Herensi, necnon & Geiloni venerabili abbati, congregationique sibi commissæ, abbatiam S. Valeriani martyris, quæ est in pago Cavilonensi, super fluvium Sagonnam, ubi etiam idem venerabilis Martyr corpore quiescit: & castrum Trenorchium, quod est ex eadem abbatia, seu & omnes res, quæ olim à fidelibus Christianis prædicto Martyri conlatæ sunt, quolibet modo inde abstractæ sint: & Ternucium villam, cum familia utriusque sexus & omni re ad se pertinente.... cum omni integritate & plenitudine æternaliter ad habendum & jure ecclesiastico possidendum condonamus, & condonando concedimus.

hoc tamen certò non probant recentiores nonnulli.

13 *Tillemontius tom. 3 Monumentorum ecclesiasticorum pag. 306, & continuatores novæ Galliæ Christianæ, à Dionysio Sammarthano inchoatæ, tom. 4 col. 861, Chiffletii judicio adhærentes de Passione* S. Valeriani, *eam S. Marcelli Actis similem & multò recentiorem esse asserunt, quia in ista laudatur Eusebius Cæsariensis episcopus. Sed, si id solum ejus antiquitati officeret, facilis esset responsio ad argumentum, dicendo nimirum cum Juenino, quòd prologus, in quo memoratur Eusebius, sicut & epilogus, Passioni, dudum antè conscriptæ, postmodum affixi fuerint; neque id ab omni verisimilitudine alienum est, quandoquidem editiones Perrii & Cusseti atque Ms. nostrum, extractum è Lectionario Cabilonensi, iisdem prologo & epilogo destituta sint. Vide, quæ super his observavimus præterea num. 6. Qualiscumque demum sit dicta Passio, dabimus eam tamquam auctoris anonymi, & incerti temporis, at probabiliter omnium vetustissimam; quia tamen hoc certum non est, subjungemus martyrii Historiam ex Chronico Frontonis, cui vetustissimam ad manus fuisse, nemo hactenus insiciatus est.*

E

§ II. Locus ac tempus martyrii; basilica ipsi erecta; cultûs antiquitas.

Opiniones de Sancti patria & cognatione cum S. Marcello. Trenorchii, ubi passus est,

DE *patria, genere aut conditione* S. Valeriani, *nihil memoratur in Actis martyrii. Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, & Saussayus in Martyrologio Gallicano, civem Lugdunensem fuisse scribunt, & ex primariis inter quinquaginta pro Christo cum B. Pothino in Antonini persecutione comprehensos; iidem & alii cum fuisse cognatum S. Marcelli, non absque fundamento colligunt ex verbis S. Gregorii Turonensis, dicentis, Marcello* sanguine & agone *propinquum fuisse beatum athletam* Valerianum. *De martyrii palæstra, quam ab antiquis vario modo expressam vidimus aliquot exemplis num. 1, & pluribus videre est apud Hadrianum Valesium, convenit inter scriptores omnes; fuisse scilicet oppidum Æduorum in hodierno ducatu Burgundiæ, situm ad Ararim amnem, pari ferè intervallo Matiscone & Cabilone, cujus diœceseos partem constituit. Latini hodiedum promiscuè* Trenorchium *aut* Trenorcium, Turnucium *&* Tornucium *scribunt, Galli* Tournus; *quæ varietas remansisse videtur ex eo, quòd locus iste olim in tres partes distinctus esset, in* castrum Trenorchium, Turnutium villam *&, uti patet ex diplomate Caroli Calvi, in* abbatiam S. Valeriani martyris, *quæ in aliis diplomatibus etiam* monasterium Tornutium *nuncupatur. Priora duo nunc civitatis ambitu concluduntur, à qua posterius non nisi proprio muro separatum est.*

F

15 *Supereſt hoc tempore in ipso oppido,*

ut

AUCTORE J. P.

ut scribit Perrius, insigne martyrii S. Valeriani *monumentum, lapis ingens, qui creditur etiam nunc perfusus ipsius sanguinis guttis aliquot, quique, altero lapide superposito, venerationis ergò non detegitur. Plura de eo tradit Chiffletius, testis oculatus, in Historia Trenorchiensi pag. 15: verba ex Gallicis Latina facio:* Ante veterem ædem dominorum Verius Trenorchii exstant duo sepulcrales lapides magni, quorum alter alteri superpositus est. Fert autem incolarum traditio, caput S. Valeriano amputatum fuisse super inferiorem. Et revera lapis iste etiam hodie tinctus est pluribus guttis sanguinis, quas ipse vidi, etiamnunc rubeas, & adeo conspicuas ac bene conservatas, acsi venæ essent ortæ in lapidicina, propriæque seu naturales ipsimet lapidi. Eam gratiam acceptam refero domino Machou prætori (*Gallicè* Lieutenant es justices) Trenorchiensi, qui anno MDCLV in eum me conduxit locum, ubi servantur bini isti lapides, & coram multis hominibus removeri jussit superiorem, ut eum contemplarer, qui notas gerit martyrii S. Valeriani. *Ita Chiffletius. Meminit & ejusdem lapidis Jueninus tom. 1 pag. 10, eumque nunc indicat custodiri in domo hospitali, huc delatum anno 1693.*

usque nunc supersint indicia martyrii,

B

16 *Annum martyrii, non signatum ab anonymo nostro aut Falcone, determinat in hunc modum Garnerius:* Passus est autem beatissimus Valerianus anno ab Incarnatione Domini centesimo septuagesimo nono, Marco Antonino, cognomento Vero, Romanum imperium administrante. Lucio Aurelio & Commodo ex æquo consulibus. *Meritò hìc corripitur auctor iste, quòd unicum consulem,* Lucium Aurelium Commodum *imperatorem, qui anno 179 collegam habuit T. Annium Aurelium, in duos discesserit; at in signato anno sectatores obtinuit plures post Tillemontium, qui eum adoptare se profitetur, quòd tempus aptius non inveniat. Jueninus tom. 1 Historiæ Trenorchiensis pag. 10 nec annum acceptandum existimat, & à Garnerio hunc assignatum fuisse dumtaxat, quòd eodem Lugdunenses martyres passos crederet: cùm tamen juxta meliorem chronotaxim id contigerit anno 177, quo idem Lucius Aurelius Commodus cum Quintillo consulatum obibat, & cui proinde rectiùs affigi posse ait Jueninus martyrium SS. Marcelli &* Valeriani; *quoniam ex eorum Actis satis perspicimus, per biennium non fuisse superstites martyribus Lugdunensibus. Equidem hìc eâdem viâ insistam, quam inivimus, ubi agendum fuit de S. Marcello, paucis diebus ante* S. Valerianum *occiso, statuamque martyrii epocham circa annum 178, quod tempus latiùs extendi nequeat, quàm ad annum 177 & 179, idque ob rationes allegatas tom. 2 Septembris pag. 196, quò brevitatis gratiâ lectorem remitto.*

quod contigit circa annum 178.

C

17 *Sanctum eodem loco sepulturam accepisse, quo martyrii lauream, constans Trenorchiensium traditio est, utcumque confirmata testimonio anonymi biographi dicentis, gladio interfectum fuisse, ubi* nunc venerandi corporis reliquias excolimus; *Frontonis item sic scribentis:* Quo in loco filii, quos ipse Christo genuerat, . . . modicam illi pro tempore & facultate construxêre basilicam, in qua paulatim fidelium crescente numero, nonnulli cultui sese discipuli mancipavêre divino. *Jueninus Frontonis verba ita interpretatur, ut pro basilica sumatur antrum seu* domicilium modicum, *quod Sanctus, referente eodem Frontone,* secus mœnia Trenorciensis oppidi *sibi construxerat, quodque fideles ad preces suas juxta tumulum ejus Deo fundendas frequentare continuaverint, ut verè oratorium seu modica basilica potuerit vocitari; donec, imperatoribus Romanis ad fidem conversis, integrum fuerit, erigere alteram basilicam, de qua hæc memorat Garnerius:* Succedentibus exinde prosperis, & fidelium numero succrescente, artificio quidem humani cultus Valeriano minùs idoneam, sed nostræ fidei devotione pretiosiorem parant ecclesiam; ubi usque hodie super venerabile mausolæum, in honore nostri Martyris altare sacratissimum Dominici Corporis & Sanguinis celebrationi construitur, &, ab universis populorum confluentibus turbis, quotidianis veneratur excubiis.

Super tumulum ejus basilica exstructa est,

D

18 *Scribit Fronto, plura ibidem miracula & beneficia ad Sancti invocationem impetrata fuisse. Accipe verba, quæ num. præcedente recitatis mox subnectit.* Abhinc locus ille copioso fidelium cœpit frequentari concursu; dum nemo confluentium, votorum frustrabatur effectu; adeo ut penè numerosior per signa fieret credentium multitudo, quàm priùs per sancti Viri prædicationem fuerat ad Christum conversa. *Luculenta sanè hæc forent insignis ac non interrupti cultus testimonia, si modò auctores temporibus, de quibus agunt, proximiores fuissent: credimus nihilominus, hæc ipsos accepisse seu ex documentis antiquioribus, seu ex traditione, firmata Martyrologiis, quæ dedimus paragrapho præcedente, quæque dubium non relinquunt, quin priscis temporibus memoria Martyris illic magnâ fuerit in veneratione. Sed sæculo nominatim sexto ejus cultum fuisse celebrem, testis est vir coætaneus & fortasse oculatus, S. Gregorius Turonensis, cujus semel iterumque laudati textum integrum exhibeo.*

multùm frequentata & miraculis clara:

E

19 Huic martyri (*S. Marcello*) & sanguine & agone propinquus beatus athleta Valerianus, qui apud castrum Trinorciense, quadragesimo (*aut potiùs juxta Valesium* vigesimo primo) à Cavillonensi urbe milliario, consummato certamine tumulatus est. Igitur Gallus hujus urbis comes cœliaci morbi dolore gravatus, qui totam alvum non modò torturâ, verùm ita tumore conflaverat, ut hydropicus putaretur, nihil edere, nihilque potûs capere posset; fiebatque juxta hoc contagium, ut inediæ morbo deficeret: qui propè exanimis, cùm se cerneret desperatum, rogat se deportari ad beati Martyris tumulum. Ubi, cùm projectus fuisset, accessit ad eum Epirechius presbyter, qui tunc ipsam regebat ecclesiam, vir virtutum, & puræ mentis homo, sicut ipsi oculis nostris inspeximus, dixitque ei: Si vis sanus fieri, confide in virtute Martyris glorioſi, & vove, ut unam trabem cum ligaturis suis ad hujus templi tecta recuperanda transmittas. Erit enim tibi præsidium, si ea devotè impleveris, quæ promittis. At ille attentiùs orans, vovit, quæ presbyter indicavit: statimque sanus factus trabem, nullo commonente, ad basilicam Sancti exhiberi præcepit. Ecce, quid præstat Dominus Jesus Christus in terris Martyribus sanctis, quos glorificatos adscivit in cælestibus regnis. Nec immeritò, quia sacrum nomen ejus corde credentes, in operibus invocantes, in tentationibus confitentes, non modò ut fideles servi Dominum sunt secuti; verùm etiam & alios, ut sequerentur, suis exemplis incitaverunt.

insigne refert S. Gregorius Turonensis

F

20 *Quadam hìc observat Jueninus tom. 1 pag.* 14.

ex quo variæ conjecturæ formantur de cultûs celebritate,

14. *Primò, quòd in tam brevi narratione eccleſiam* S. Valeriani *nominet* eccleſiam, templum & baſilicam; *ſecundò, quòd Epirechius eccleſiam regere dicatur, id eſt, gubernare ut paſtor; & inde conſequi ait, hanc eccleſiam fuiſſe parœcialem Trenorchienſem; tertiò, quòd is rector ſeu paſtor coætaneus fuerit S. Gregorio, idque dubium non eſt: ſed dubitari poſſet, an S. Gregorius narrato miraculo non adſtiterit: nam voces hæ,* ſicut ipſi oculis noſtris inſpeximus, *non ita neceſſariò afficiunt ſolas proximè præcedentes, quin videantur etiam poſſe reſpicere ſingula, quæ narrantur in eccleſia tum contigiſſe. Sed præter iſta ex eodem S. Gregorii textu conſequitur, quòd Sancti cultus non modò iſta tempeſtate eſſet celeberrimus, verùm etiam, quòd nec nuper natus eſſet, nec paucis beneficiis aut miraculis antè confirmatus; nam veriſimile mihi non eſt, futurum fuiſſe, ut comes Cabilonenſis tantam recuperandæ ſanitatis ſpem conciperet, quantam concipere debuit, qui ſe, jam propè exanimem, non abſque ſumma itineris moleſtia deportari illuc voluit; vel ut Eperichius tanta cum fiducia illi ſanitatem adpromitteret, niſi certa & inſignia ſimilium beneficiorum illis præluxiſſent argumenta. Atque ſic confirmantur ſcripta à Falcone de multis ſignis & beneficiis, ad tumulum* S. Valeriani *quondam factis; quæ utinam in ejus honorem literis conſignata ad nos perveniſſent!*

B

antiquitate eccleſiæ, & primordiis monaſterii S. Valeriani.

21 *Secundò conſequitur, quòd ætate S. Gregorii, id eſt ſeculo* VI, *eccleſia* S. Valeriani *eſſet valdè antiqua, utpote, quæ reſtauratione tecti ac trabium indigeret. Tertiò denique veriſimiliter colligitur, quod tum temporis eccleſia nondum ad monachos devoluta eſſet, quorum nullam S. Gregorius, ſed ſolius Epirechii presbyteri & rectoris mentionem facit. Conjiciunt tamen Chiffletius & Jueninus, primordia abbatiæ* S. Valeriani *eidem ſeculo affigi poſſe, hac ducti ratione: Gunthramnus rex iſto ſeculo prope urbem Cabilonenſem fundavit abbatiam, nunc prioratum S. Marcelli, nec veriſimiliter minore veneratione ac pietate ſocium ejus proſecutus fuerit* S. Valerianum, *ad cujus ſepulcrum tam præclarum beneficium impetraverat Gallus comes urbis Cabilonenſis & ſedis ordinariæ regum Burgundiæ; atque idcirco eidem regi Gunthramno, qui ſub finem ſeculi* VI *Cabilone ſanctè obiit, adſcribenda fortaſſe ſunt initia abbatiæ* S. Valeriani. *Nihil occurrit, quo conjecturam iſtam vel improbem vel multùm etiam probem in tanto ſcriptorum, qui S. Gunthramni geſta prodiderunt, ſilentio.*

C

§ III. Cultus antiqui continuatio; reliquiarum tranſlatio; nummi ejus nomine inſigniti; nova eccleſia ipſi conſecrata.

Licèt à ſeculo VI *uſque ad* IX, *nullum exſtet monumentum de Sancti cultu,*

MErito conqueritur Chiffletius, *quòd à temporibus S. Gregorii Turonenſis uſque ad tranſlationem S. Filiberti Trenorchium, factam anno* 875, *cùm, uti ſuprà oſtenſum eſt, Geiloni ejuſque monachis abbatia* S. Valeriani *conceſſa fuit per Carolum Calvum, tanta fuerit ſeu hominum incuria ſeu bellorum iniquitas, ut nulla miraculorum* S. Valeriani, *nulla abbatum Geilonis Trenorchii deceſſorum ad nos pervenerit cognitio, ſubdens ſe non dubitare, quin & miracula contigerint, & exſtiterint abbates. Hoc certum nobis eſt ex diplomate Caroli Calvi, & illud veriſimillimum ex eo, quòd abundè colligamus, cultum Sancti eodem, quo viguit ſplendore ſeculo* VI, *perſeverâſſe ſemper uſque ad ſeculum* IX. *Id autem ut credam, facit in primis ſtudioſa in memorato diplomate aliiſque ſubſecutis additio vocum iſtarum,* ubi idem venerabilis Martyr corpore quieſcit: *facit teſtimonium Adonis Viennenſis, cujus Martyrologium diplomate iſto antiquius ita habet:* Ubi nunc ſacrum ipſius (S. Valeriani) corpus debita veneratione excolitur. *Facit denique biographus noſter, uti videtur, Adone vetuſtior, qui id iiſdem penè verbis expreſſerat:* In quo nunc venerandi corporis reliquias excolimus.

veriſimilius eſt, nec interruptum fuiſſe nec imminutum.

23 *Idem biographus in epilogo (ſi tamen is ad ipſum pertinet) apertè indicat, feſtivam Sancti memoriam, ut peculiaris Patroni quotannis ſua ætate celebratam fuiſſe; ſic enim habet:* Cujus (S. Valeriani) feſtivitatem annuam celebrantes, patrocinium de bonis mentibus exoremus, ut fidem plebis augeat, provinciam propriam tueatur, cunctumque populum ſuis cultibus adhærentem pia interceſſione conſervet. *Sed neque ex ejuſdem cultus ſplendore quidquam deperiit per adventum Geilonis ejuſque monachorum cum corpore S. Filiberti, quem hactenus ut præcipuum ſuum patronum venerati fuerant; hi etenim mox, ut apparet,* S. Valerianum *eccleſiæ ac novi domicilii patronum ſumma veneratione proſequi cœperunt, eamdemque, ut certiſſimum eſt, deinceps in populo promovere totis viribus conati ſunt, præſertim circa annum* 980, *abbatiam gubernante Stephano ejus nominis I.*

E

Seculo X *reliquiæ ejus honorificè elevatæ ac tranſlatæ ſunt.*

24 *Is etenim Stephanus abbas, poſtquam reſtaurâſſet damna plurima, ante annos aliquot per barbarorum incurſiones monaſterio & eccleſiæ illata, novam* S. Valeriano *aram erexit in eccleſia ſubterranea, ubi ſacræ Martyris exuviæ à fidelibus primùm humo demandatæ fuiſſe, & ad hæc uſque tempora integræ & intactæ remanſiſſe credebantur in tumulo lapideo. Hunc dein aperiri juſſit, & ſacrum caput aliaque majora oſſa, pretioſis ex auro, argento & gemmis, prævie in eum finem confectis, hierothecis impoſita tranſferri in ſuperiorem eccleſiam, collocarique in ara principe, quondam etiam ſancto Martyri conſecrata; ubi per aliquod tempus publicæ venerationi expoſita ſunt. Elevationem iſtam ac tranſlationem ea brevitate hìc perſtringo, nihilque addo de ingenti ad eas apparatu, populorum undequaque concurſu aut miraculis & beneficiis brevi ſubſecutis; quia ſingula abundè cognoſcet lector ex relationibus, quas per memoratos Falconem & Garnerium conſcriptas Actis ſubjiciam, & debitis annotatis elucidabo. Ne autem temporis ordinem interrumpam, inferiùs indicabo, quo pacto pretioſo iſto theſauro fruſtrati fuerint Trenorchienſes.*

F

Eodem fortè ſeculo vel præcedente,

25 *Ad idem fortaſſe ſeculum* X *aut potiùs ad præcedens referendi ſunt nummi argentei, de quibus agunt Chiffletius pag.* CVII *& Jueninus pag.* 60 *Hiſtoriæ Trenorchienſis, & ex quibus mirè elucet, quanto eſſet in pretio* S. Valeriani *memoria. Ea erat tum temporis Trenorchienſium præſulum poteſtas, is apud reges favor, ut propriæ monetæ cudendæ jus eis conceſſum fuerit. In hujus rei teſtimonium producunt laudati hiſtorici inter probationes diplomata multorum regum Francorum, nominatim Odonis ſub annum* 889, *& Caroli Simplicis ſub* 915, *facultatem illam abbatibus dantium ſeu confirmantium. Chiffletius hujuſmodi*

AUCTORE J. P.

monetam sibi in manus aliquando incidisse ait, eamque depingit hoc modo : Ex una parte caput cernitur & in circulo ista inscriptio : ✠ SANCTUS VALERIAN. Ex altera verò Crux in medio & in circulo ✠ TORNVTIO CAST. *Jueninus duplicem ejus speciei nummum argenteum se habere ait, quem eodem penè modo describens ita excusum perhibet.*



moneta Sancti nomen præferens

26 *Equidem dum nummi partem anteriorem considero, nequaquam in ejus medio formam capitis reperio, ut Chiffletio visum est, vel capitis aut hermæ, ut Jueninо : sed, nisi multùm aberraverit scalptor, monogramma est potius, nescio cujus. Cangius in Glossario similis nummi, at paulo majoris, typum exhibet, situ tamen diverso, ac forte naturaliore.*

B



Laudatus Jueninus nummos istos excusos fuisse credit ante annum 915, *quia in illis regis nomen seu signum non legitur, quod tamen Carolus Simplex in privilegio memorati anni expressè sanciverat :* Concedimus quoque, ut trapezetas locus prædictus habeat, qui nostri nominis signum singulis imprimant nummis, ne metallorum mixtura adesse valeat. *Quæ restrictio adjecta non est privilegio concesso per Odonem regem. At verò, cùm in eorum medio non caput aut herma, sed monogramma expressum sit, quid si hoc ipsum signum sit regii nominis ? Eo supposito, nummi posteriores erunt Carolino privilegio.*

C

excusa est.

27 *Verisimilius tamen mihi est, monogrammate non involvi regis nomen, sed abbatis, Geilonis fortasse aut Galterii, qui quidem Odone rege brevi temporis intervallo vetustiores sunt, attamen procul dubio cudendæ monetæ jus possidebant, quandoquidem Odo, dum ecclesiæ Trenorchiensi indulget* monetam & pregas, *clarè addat, se id facere* sicut alii antecessores *sui. Id autem sic existimo, non tantùm quia saltem aliqualis apparet affinitas monogrammatis cum datis abbatum nominibus, verùm etiam quia Cangius & Jueninus loco citato alterius nummi ibidem cusi typum dant, unde conjiciam, post tempora Caroli Simplicis remansisse in nummis monogramma referens nomen abbatis tum viventis, & accessisse nomen regis plenis characteribus impressum. Etenim ex una parte præfati nummi crux exstat in medio & in circulo ista inscriptio :* ✠ LOTARII REGIS PMSINE, *id est,* permissione *: à parte altera monogramma designans, ni fallar, nomen Hervei tertii, qui temporibus Lotharii regis abbatiam tenuit usque ad annum* 960. *At in hujus circulo inscriptio est* ✠ SCI PHILIBERTI MONETA. *Porrò hunc etiam nummum alio situ exhibet Jueninus,* D *alio Cangius, ut apud ipsos videre est.*

Ecclesia & monasterium, igne consumpta, denuò ædificantur,

28 *Ineunte sæculo* XI *per famulorum quorumdam incuriam, uti scribit Falco in Chronico, totum* S. Valeriani *monasterium* igne consumptum est cum omnibus officinis ; tamque valida flatu ventorum extitit ignis vastatio, ut penè omnis supellex monasterii consumeretur, præter Sanctorum memorias & partem ornamentorum, ad cultum Dei pertinentium ; quod latebræ cryptarum ejusdem monasterii vix celare potuerunt. *Incendium istud innectunt passim scriptores anno circiter* 1006, *biennio ante obitum Wagonis abbatis, sub cujus successore Bernerio novæ abbatiæ & ecclesiæ structura absoluta fuit, ejusque solemnis dedicatio celebrata die* XXIX *mensis Augusti anno* 1019, *uti expressè signat Falco in Chronico ; postquam enim memorâsset insigne donum abbatiæ collatum per Hugonem comitem Cabilonensem & Autissiodorensem episcopum, ita scribit :* Factum est hoc donum anno ab Incarnatione Domini millesimo decimo nono apud Trenorchium quarto Calendas Septembris in die, quo idem dedicatum est monasterium, in præsentia venerabilium episcoporum, Joffredi Cabilonis episcopi, Gausleni Matisconis episcopi. *Falconis epocham adoptârunt recentiores* E *plerique ; sed auctor Historiæ Cabilonensis, editæ per Cussetum, dedicationem ponit anno* 1018 *die mensis Augusti* XXVIII, *eamque videtur adscribere Stephano abbati, qui ante annos ferè quinquaginta vetus monasterium restituerat, & jam annis circiter triginta vivere desierat.*

& consecrantur ; non, ut quidam putârunt,

29 *Idem auctor novam abbatiam dedicatam fuisse affirmat S. Filiberto ; quantumvis ante annos centum quinquaginta inter Geilonem & antiquos* S. Valeriani *monachos conventum fuisset de non immutando nomine Patroni ecclesiæ & monasterii. Hunc auctorem secutus est Bailletus in Vitis Sanctorum ad diem* XX *Augusti, S. Filiberto sacram, &* IV *Septembris, ubi agit de SS. Marcello &* Valeriano ; *simile quid insinuant Chiffletius & Jueninus in suis Historiis, causamque hujusmodi immutationis rejiciunt in populum, apud quem, à temporibus translati Trenorchium S. Filiberti, abbatia sub hujus Sancti nomine venire cœperat, & cui proinde consuetudini se conformârunt cœnobitæ in dedicatione abbatiæ novæ.*

soli S. Filiberto,

30 *Sed primò mihi non omnino constat de præfata conventione inter Geilonem & antiquos monachos, cùm nullum ejus indicium occurrat* F *seu apud Frontonem seu apud alium antiquiorem Petro à S. Juliano, cujus Opus, sæculo* XVI *multùm provecto conscriptum de antiquitatibus Trenorchiensibus, citant laudati historici. Secundò, quod aiunt, S. Filiberto dedicatam fuisse abbatiam, haud ita possum admittere, quasi soli fuerit dedicata vel tamquam patrono primario. Nam Falco, agens de dono mox memorato, disertè dicit :* Hugo Cabilonensis comes & episcopus Autisiodorensis, ob honorem Dei & Genitricis ejusdem prædictorumque Sanctorum, partim beneficio provocatus, donavit & concessit Deo & Sanctis, in quorum honore præfata ecclesia dedicata esse dignoscitur, & venerabili abbati Bernerio, ejusdemque loci monachis tam præsentibus quàm futuris, villam, quæ dicitur Illeis. *Igitur nova abbatia pluribus Sanctis consecrata est. Quibus autem ? Id clarè perspiciet lector, ex verbis variarum donationum, quæ post dedicationem eidem ecclesiæ seu abbatiæ factæ sunt, quarumque chartas producit Chiffletius inter probationes.*

31 Pag.

AUCTORE J. P.

A 31 *Pag.* 310 *Falco de Jaliniaco, frater Willelmi abbatis, sub annum* 1056 *multa prædia & jura largiens abbatiæ, in hunc modum loquitur:* Dedi beatæ Mariæ Genitrici Dei & Domini nostri Jesu Christi, atque beato Valeriano nec non & inclyto Philiberto. *Pag.* 322 *Philippus I Francorum rex sub annum* 1075 *antiqua monasterii privilegia confirmans*, Noverit, *inquit*, nostrorum fidelium universitas, Petrum abbatem Trenorchiensis cœnobii, quod est constructum in honore sanctæ Dei Genitricis, ubi etiam beatus martyr Valerianus & glorioſissimus confessor Filibertus corpore quiescunt &c. *Pag.* 326 *Hugo Bisonticensis archiepiscopus per chartam conscriptam circa annum* 1076 *significat, se dedisse* Deo & sanctæ Mariæ, sanctisque Valeriano atque Philiberto & sanctæ ecclesiæ Trenorchiensi, nec non & abbati Petro... ecclesiam sancti Cornelii & ecclesiam S. Desiderii &c. *Pag.* 331 *Odo Burgundiæ dux anno* 1087, *publico instrumento restituit Trenorchiensi monasterio bona, quæ dederat Constantia Hispaniarum regina* Domino Deo & beatæ Dei Genitrici nec non & sanctis Valeriano & Philiberto *&c.*

sed, uti colligitur ex variis

B 32 *Denique pag.* 401 *&* 419 *exstant instrumenta Calixti II & Innocentii II Pontificum, signata annis* 1120 *&* 1132, *in quibus post alia privilegia:* Adhæc, *inquiunt Pontifices*, adicimus, ut idem locus, in quo beati Valeriani martyris, & sancti Philiberti confessoris corpora quiescunt, ab omni jugo sæcularis potestatis liber in perpetuum conservetur. *Et paulò inferiùs:* Præterea pro reverentia beatæ Mariæ Matris Domini, cujus nomine locus vester insignitus * est, in Annunciatione Dominica hymnum angelicum inter Missarum sollemnia abbati vel fratribus pronunciare concedimus. *Recitata hactenus verba abundè testantur, novam abbatiam non uni S. Filiberto dicatam fuisse, sed ipsi simul ac* S. Valeriano, *& primariò quidem sanctissimæ Dei Parenti. Non inficior tamen, abbatiam frequentiùs denominatam fuisse à S. Filiberto seculis posterioribus; hoc satis liquet ex instrumentis aliis, quæ jam assignatis subduntur apud eumdem Chiffletium.*

instrumentis, beatæ Mariæ virgini, S. Valeriano & S. Filiberto.

* *al.* insignis

33 *Sed neque omnino assentior laudato auctori* & *Cusseto, citantibus hìc rursùs Petrum à S. Juliano; id nempe usque adeo usu invaluisse temporibus Bernerii abbatis, ut is, priusquam ad novæ monasterii basilicæ dedicationem procederet, aliam ædem in propinquo exstruxerit sub* S. Valeriani *nomine, ne, dum abbatia de S. Filiberti nomine à plerisque appellabatur, oblivioni traderetur* S. Valerianus *Trenorchiensium apostolus, qui eum locum & fide Christiana imbuerat & suo sanguine irrigârat. Nam cùm pro tali origine secundæ ecclesiæ non producantur documenta vetera, nec Falco, qui quidquid ad* S. Valerianum *pertineret, studiosè annotavit, ac præterea gesta Bernerii abbatis compendiosè saltem descripsit, nusquam hujusce ecclesiæ meminerit, testimonium Petri à S. Juliano, auctoris, fatente Juenino, parùm accurati, plenam fidem non facit, & conjecturæ limites non excedit, cui proinde & nostram addere nihil vetat.*

Altera etiam S. Valeriano erecta est ecclesia,

C

34 *Putem igitur, seu Bernerio seu potiùs alicui ex ejus successoribus secundæ basilicæ condendæ causam fuisse præcipuam, imò unicam, incolarum & accolarum, magis magisque lapsu temporis accrescentium, numerum, cui capiendo non sufficeret sola abbatiæ basilica; cùm autem & hæc secunda* S. Valeriano *tamquam primario civitatis patrono dedicata esset, inde ortum existimo, ut paulatim*

quæ quondam parœcia fuit Trenorchiensis oppidi.

ad evitandam confusionem abbatiæ ecclesia induerit nomen solius S. Filiberti, altera S. Valeriani, *quo gaudet usque in hanc diem. Fuisse olim parœciam ostendit Jueninus tom.* 1 *pag.* 88 *&* præter *alia citat instrumentum anni* 1483, *in quo Bartholomæus Chanorrie vocatur* ecclesiæ S. Valeriani rector seu curatus. *Eâdem utuntur hodie virgines religiosæ Ordinis S. Benedicti, facultate ipsis concessa sub annum* 1686 *à collegio canonicorum secularium, in quod abbatia S. Filiberti commutata fuit, approbante Urbano VIII PP. per Bullam datam die* VI *mensis Augusti anno* 1623, *quamque habes integram apud Chiffletium & Jueninum.*

§ IV. Sancti reliquiæ à Calvinistis dissipatæ seculo XVI penè omnes; cultus hodiernus Trenorchii & alibi.

E *Reliquiæ ab hæreticis dissipatæ*

Damna plurima tum barbarorum incursiones tum deflagrationes intulerunt olim civitati & abbatiæ Trenorchiensi; ter enim hanc igne devastatam fuisse legimus ab anno circiter 937 *usque ad* 1245; *talia nihilominus ista erant, quæ, uti revera contigit, per piam fidelium munificentiam brevi potuerint resarciri. At sub annum* 1562 *infortunium tulit, quod multùm luxerunt monachi, & hocce tempore meritò lugent pii Trenorchienses, utpote cui resarciendo nulla spes affulget: amissum loquor* S. Valeriani *corpus, magnum civitatis præsidium, & incolarum ad pietatem incitamentum. Thesaurum istum, quem eâ semper curâ servaverant, ut neque barbarorum furor, neque flammarum vis ad eum penetraret, subtrahere non potuerunt avidæ Hugonottorum seu Calvinistarum impietati. Hi etenim dicto anno civitatem ingressi, quidquid sacrum erat profanârunt, ac destruxerunt: atque, ut de aliis sileam, in ecclesia* S. Valeriani *majorem sancti Martyris effigiem, collocatam in ara principe, confregerunt; in abbatia autem omnia perscrutantes ac susdeque subvertentes, sacras ejus exuvias, sub humo absconditas, deprehenderunt, ac pretiosas thecas asportantes, Sancti ossa projecerunt, dissipârunt, & ut addunt aliqui, igne consumpserunt, cineresque flumini commiserunt. Collegimus ista ex Juenino, Cusseto, Chiffletio aliisque.*

F

præter paucas; Bailletus majorem partem conservatam putat;

36 *Verumtamen, utut sævierint in sacras Martyris reliquias furiosi homines, aliquæ saltem earumdem particulæ manus ipsorum evaserunt, prout mox ostendam; &, si credas Bailleto, nec paucæ nec exiguæ. Is auctor in Vitis Sanctorum ad diem* IV *Septembris agens de S. Marcello simul ac* S. Valeriano, *post relatam hæreticorum in Sancti reliquias impietatem, ita ferè Gallico suo idiomate prosequitur:* Sed providentia Stephani abbatis, similis quadamtenus providentiæ Jacob patriarchæ, qui timens sibi à fratre suo Esau, familiam in varias turmas diviserat, causa exstitit conservatæ majoris reliquiarum partis. *Utinam res ita se habeat! At multa sunt, quæ timere me jubent, ne plùs æquo exaggerata sit, & nixa dumtaxat conjecturis, hausti è Garnerio aut Frontone. Et verè testantur hi, nonnullas Sancti reliquias in lapideo tumulo remansisse, quando caput & ossa per Stephanum abbatem elevata & thecis inclusa sunt*

AUCTORE J. P. *circa annum* 980. *Audi Garnerium* : Cæterùm consultiori providentia prætati corporis quantitatem non modicam in lapideo monumento sagacioris ingenii viri reliquerunt, & bitumine fortiori linientes extrinsecùs, in inferiori crypta monasterii post beatissimi Valeriani sacrosanctum altare deponentes, abierunt.

37 Quantitatem, *inquit*, non modicam: *ast equidem ob voces istas non ausim asserere, conservatam sic fuisse* partem majorem; *præsertim quando Fronto, elevationi & translationi propior quàm Garnerius, multò parciùs loquitur hoc modo* : Sumptis igitur majorum reliquiis artuum, reposuerunt ea in capsam, quam superiùs recèns factam memoravimus, cæteris exuviarum corporisve cineribus in sepulcro relictis. *Huc accedit, quòd nemo, quem viderim, simile quid tradiderit præter Bailletum; contrà Chiffletius, qui ex instituto res Trenorchienses pertractavit, cuique hujusce rei propior & plenior notitia esse debuit, in eum modum scribit, ut meritò corripi possit, si ejus temporibus major reliquiarum pars fuerit superstes : nam pag.* XV *agens de memoratis num.* 15 *lapidibus, ita loquitur* : Pignora sunt ista protectionis magni hujus Sancti in civitatem Trenorchiensem, quæ Calviniſtarum furor abolere nequivit; quantumvis dissipaverit ac disperdiderit sacra ejus ossa, & omnes aut ferè omnes ceteras reliquias.

Jed ex Chiffletio

B

38 *Jueninus verò rerum Trenorchiensium scriptor alter, fusior ac recentior, duplici loco, nempe pag.* 24 *&* 267, *agit de dissipatis per hæreticos Sancti reliquiis, neutro tamen de majori parte eorum rabiei subducta quidquam innuit; is certè, qui & Chiffletii & Bailleti Opera præ oculis habuit, materiam hanc intactam non fuisset relicturus, si modò Bailleti assertum probare potuisset; sed correcturus Chiffletium, quod facit alibi in rebus levioris etiam momenti. Hujus proinde silentium abundè nos convincit, quòd Bailletus nimium dilataverit conjecturas suas. Adhæc idem Jueninus narrat pag.* 358, *aliquas Sancti nostri reliquias ineunte hoc seculo erutas fuisse è veteri ara sacelli S. Joannis Baptistæ in ecclesia abbatiali, quæ idcirco à dominis canonicis impositæ fuerint hierothecæ S. Filiberti*, quia nullæ sancti Martyris nunc restant adeo testatæ seu indubitatæ, atque illæ sunt.

& Jueninо

39 *Undè colligas, quis laudati auctoris sensus fuerit super reliquiis, quæ Trenorchii ante dictam inventionem superstites credebantur. At, inquis, fortè eas ipsas reliquias designavit Bailletus, quas Jueninus hoc seculo in veteri ara repertas affirmat. Respondeo, non facilè id mihi persuaderi, tum quia ex Jueninі verbis aliud non eruo, quàm in veteri altari inventas fuisse tales reliquiarum particulas, quales altaribus imponi solent, dum consecrantur; tum quia verisimiliùs Bailletus jam tum scripserat de SS. Marcello &* Valeriano, *quando contigit reliquiarum inventio; cùm secunda ejus Operis editio facta sit anno* 1704; *inventio autem reliquiarum intra annos* 1701 *&* 1703. *Porrò memoratum aliquoties* S. Valeriani *sepulcrum seu lapideum monumentum usque nunc cernitur, teste Jueninо, eodem loco, quo post corporis elevationem positum fuisse suprà tradidit Garnerius; an deinde apertum fuerit, ut, quæ laterent in eo reliquiæ, cognosceretur, nec ne, literis proditum non invenio.*

contrarium eruitur :

C

40 *Plura fortasse super ista materia lectorem edocere datum fuisset, si penes nos esset pars prior Operis Gallici sub hoc titulo haud ita dudum conscripti :* Dissertatio historica de sancto Valeriano martyre & apostolo Trenorchiensi, ejusque reliquiis. *Altera pars transmissa ad nos fuit Parisiis à P. Stephano Souciet, qui eam ibidem transcribi curaverat anno* 1737. *Auctoris nomen manuscripto affixum non est, attamen vix dubito, quin fuerit aliquis è clero ecclesiæ abbatialis seu collegiatæ Trenorchiensis, cujus ardens defensor est in causa reliquiarum* S. Valeriani. *Porrò ex ipso discimus, servari Senonis in ecclesia parœciali S. Columbæ ac sæpiùs per annum publicæ veneration exponi reliquias* S. Valeriani *martyris, &, sicut contendunt Senonenses, apostoli Trenorchiensis, ac dein istam Senonensium opinionem adoptatam fuisse à quibusdam Trenorchiensibus, qui particulas aliquot earumdem reliquiarum, obtentas à Senonensibus, mense Julio anni* 1696 *per parochum ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ Trenorchiensis, magnæ hierothecæ, innixæ duabus altis columnis, positæque in medio ejusdem ecclesiæ choro, inclusserunt.*

disputatur item, an reliquiæ servatæ Senonis & Trenorchii in ecclesia S. Mariæ Magdalenæ,

41 *Particulæ istæ juxta eumdem anonymum tanto cultu ac veneratione afficiuntur Trenorchii, ut in Officiis divinis primò thus offeratur sacrosanctæ Eucharistiæ, dein memoratæ hierothecæ, tertiò dumtaxat altari : ut singulis Dominicis ac festis diebus ad hierothecam canatur antiphona,* Iste Sanctus *&c. cum versiculo*, Ora pro nobis sancte Valeriane *&c., & procul dubio, quod non exprimit auctor, oratione; ut nomen* S. Valeriani *insertum sit litaniis Sanctorum; ut institutum sit sub ejus invocatione & patrocinio novum sodalitium : ut denique actum fuerit de immutando titulo ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ in titulum* S. Valeriani. *Cæterùm anonymus noster in eo totus versatur, ut ostendat, Senonenses reliquias ac proin & Trenorchienses ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ, imò & alias, quæ coluntur in pago diœcesios Senonensis, cui à S. Valeriano nomen est, non esse* S. Valeriani *nostri, sed alterius Sancti fortasse cognominis.*

ubi magno honore afficiuntur,

E

42 *Primum ejus argumentum, &, ut apparet, præcipuum in eo consistit, quòd, fatentibus ipsismet adversariis, reliquiæ S. Valeriani Senonis seu potiùs Vallilis in pago Senonico exstiterint à medio seculo* IX, *illuc translatæ per Wenilonem Senonensem antistitem, uti expressè tradit Clarius, auctor seculi* XI *ad finem vergentis, in Chronico monasterii S. Petri Vivi apud Acherium in Spicilegio tom.* 2 *novæ editionis col.* 465 *&* 466, *sic scribens* : Perfecit autem idem archiepiscopus (*Wenila*) basilicam sancti Remigii apud Wallilias, & dedicavit eam Kalendis Novembris, deferens illuc ipso die corpus beati Valeriani martyris, ditans illam opibus magnis, vivente adhuc Ravilaudo abbate ipsius cœnobii. *Ravilaudi obitus contigisse creditur circa annum* 847; *Wenilonis autem mortem innectit Clarius anno* 865. *Sed, inquit anonymus noster, sepulcrum* S. Valeriani *Trenorchiensis non fuit apertum ante tempora Stephani abbatis, seu ante annum* 960, *intra quem &* 980 *corpus inventum est*, sicut à fidelibus tempore passionis ejus in sepulcro fuerat collocatum, *juxta Falconis testimonium. Igitur Senonenses reliquiæ seu corpus, ut vocat Clarius, esse nequeunt* S. Valeriani *nostri. Hoc & similibus argumentis fusissimè deductis sententiam suam tuetur, & refellit hinc inde objectas sibi ab adversariis rationes : verùm cùm hæ, ut ab iisdem adversariis propositæ sunt, ad manus nostras non devenerint, ab ulteriori ejusce rei discussione abstinemus, litemque componendam remittimus ad eos, quibus æqualis rationum, utrimque allatarum, est copia.*


sint S. Valeriani nostri, an alterius.

F

43 *Certè alibi, quàm in Trenorchiensi abbatia, olim sancti Martyris nostri reliquias servatas*

Reliquiæ Sancti nostri in Ucetiensi diœcesi.

tas fuisse, & fortè servari hodiedum, indicat vetus inscriptio, quam tom. 2 Septembris occasione S. Marcelli excudimus cum brevibus observationibus Juenini Trenorchiensis historici, quamque cum iisdem hìc recusam subjicimus: In templo sancti Marcelli de Careyret diœcesis Ucetiensis, quod duabus leucis Balneoli (*Bagnols*) distat, legitur sequens inscriptio, incisa monumento lapideo, ornato pampinis, foliis &c.



B

A parte inscriptioni obversa crux lapidi insculpta est, non absimilis cruci equitum Melitensium. *Incompertum nobis est, qua occasione quove tempore reliquiæ illuc delatæ fuerint; sicut & quo cultu Sanctus honoretur loco isto aut aliis; nam plurima esse ejus nomini & patrocinio consecrata, auctor est anonymus laudatus num.* 40.

Ejus Festivitas Trenorchii 15 Septembris celebratur,

44 *Annuam Apostoli ac patroni sui festivitatem, ut notat Chiffletius in probationibus Historiæ pag.* 33, *recolunt Trenorchienses die* XV *Septembris, idque confirmatur ex serie propriarum quarumdam festivitatum, quam idem Chiffletius ibidem pag.* 308 *producit è Kalendario antiquo Trenorchiensi, ubi sic legitur:* XV Septembris S. Valeriani martyris. *Quapropter dum Perrius noster in probationibus Historiæ Cabilonensis pag.* 13, *&* C *Cussetus itidem in probationibus Historiæ ejusdem civitatis tom.* 2 *pag.* 5, *aut alii, festum* S. Valeriani *celebrari aiunt die* XVII *Septembris, quamquam obierit* XV *die ejusdem mensis; sic eos interpretandos reor, ut sermo apud ipsos fuerit dumtaxat de locis, in quibus minùs solemniter sancti Martyris festivitas celebratur, & ei præfertur octava Nativitatis beatissimæ Virginis Mariæ.*

in Cabilonensi diœcesi 17 ejusdem. Festum translationis 26 Januarii.

45 *Eâ de causâ haud dubiè in Proprio Sanctorum ecclesiæ Cabilonensis, anno* 1620 *auctoritate Cyri de Tyard episcopi excuso, præscribitur Officium in ecclesia cathedrali ac per totam diœcesim sub ritu semiduplici recitandum ad diem* XVII. *Hoc Officium totum est de communi unius Martyris præter secundi Nocturni lectiones, contractas ex Historia passionis, sub hac tamen clausula:* Corpus eo in loco sepultum, quem sanguine dedicaverat, postmodum miraculis illustre argenteâ thecâ inclusum est, & magno in honore habetur, ædificatâ sancti Martyris nomine ecclesiâ. *Unde conjicimus, dictas lectiones concinnatas fuisse ante disperditum seu combustum per Hugonottos sacrum corpus, ablatamque hierothecam, ac dein non immutatas è veteri lectionario aut Breviario transfiisse in memoratum Proprium Sanctorum, cujus exemplar servamus in Museo nostro. Ceterùm, præter præcipuam Sancti festivitatem, aliam quotannis Trenorchii celebrari tradunt Chiffletius & Bailletus in memoriam translationis per Stephanum abbatem factæ seculo* X, *eamque ita notatam reperio in laudata festivitatum serie:* XXVI Januarii: Translatio S. Valeriani.

AUCTORE J. P.

PASSIO

Auctore anonymo.

Ex variis exemplaribus Mss. & impressis inter se collatis.

E

IGitur *a* diebus illis *b* Antonini imperatoris temporibus gravissima persecutionis instantia pullulabat, adeo ut in cunctis sui imperii provinciis generali fuit * authoritate vulgatum & decretis imperialibus constitutum, ut, ubicumque Christianæ religionis indiscreto honore, sexu, vel genere persona fuisset inventa, diversis afflicta supplíciis capite puniretur *c*. Tunc in Lugdunensi urbe maxima vel præcipua Galliarum sanctæ recordationis Photinus episcopus, cujus vitæ merita consummatio martyrii declaravit, institutor Christianorum doctissimus habebatur, qui *d* cum aliis quadraginta octo *e* martyribus persecutorum instantiâ comprehensus, ergastularibus tenebris mancipatur, & quinquaginta *f* animæ Christi gloriam confitentes in unum carcerem pariter retruduntur.

Sub M. Aurelio Antonino cum aliis Lugdunensi carcere inclusus

a b

* *al.* fuerit

c

d

e

f

2 Ex quibus sanctus Marcellus & sanctus Valerianus nocturno tempore adnunciante Angelo evocati pariter & soluti *g*, alter eorum Sequanorum, alter Æduorum provincias interjecto Arari petierunt *h*. Divinæ itaque provisionis instinctu, ut eorum institutione, & corda gentilium ad cælestis religionis gratiam pervenirent, & nominatæ provinciæ perpetuo * semper Martyrum patrocinio munirentur. In illo tempore post sancti Marcelli glorioſum certamen martyrii, Prisci præsidis examinatione confectum, nec longo intervallo *i*, dum ipse præses ad Lugdunensem urbem sub voce præconis, & per aggerem publicum mularibus vehiculis, & per amnem Sagonæ * navali cursu, agmine diviso, properaret, Trenorchium, quod tunc in erogandis militum annonis horreum castrense *k* vocabatur, die jam vespertinis horis declinante pervenit. Ubi dum de passione sancti Marcelli, quæ in Cabilonensi urbe *l* acta fuerant, insana relatione denunciat, suggestione gentilium cognovit, sanctum sibi Valerianum orationis secretissimam habere cellulam, & multos jam Christicolas effecisse.

divinitus elabitur, at prope Trenorchium subsistens detegitur,

g

h

* *al.* proprio

F

i

* *al.* Saucone

k

l

3 Tunc nequissimus præses eadem nocte atroci cogitatione versatus, adveniente jam luce, ut mentis crudelitas flagitabat, sanctum perquiri Valerianum ab officio *m*, & suis conspectibus statui imperavit. Ad cujus tugurium cùm directi milites perveniſſent; ille, eos æstimans Christianos, gratiâ charitatis & more hospitalitatis invitat. Quem illi primùm * intuentes signum crucis & intra

& militibus, à quibus capitur,

m

* *al.* primitus

A. ANONYMO

tra cellulam ſuam habere, & ſuis adhibuiſſe vultibus conſpexerunt; ſtatim comprehenſum dirigunt *n*, ſagaci inquiſitione ſolliciti, quid eſt ſignum illud, quod intra ſuum tugurium inveniſſent, ab * illis venientibus in ſuam ſignâſſe faciem videretur.

n

* *al.* aut

4 Tunc ſanctus Valerianus reſpondit: Hoc eſt ſignum ſalutis, in quo Dominus cæli & terræ Dei filius *o* Jeſus Chriſtus unà cum Patre & Spiritu ſancto regnans ante ſæcula & in ævum * permanens nos ſua paſſione redemit & moriendo contritis mortis vinculis æternæ vitæ præmia condonavit. Tunc illi dixerunt; Ergo & tu Marcelli ſocius Chriſtianum te eſſe denuncias? Sanctus Valerianus reſpondit: Me & ſocium ſancti Marcelli & Chriſtianum eſſe libera & uſque in finem manſura voce profiteor.

ſe Valerianum eſſe & Chriſtianum liberè profeſſus,

o

* *al.* æternum

5 Impoſitis igitur vinculis, & poſt tergum manibus vinctis, velut ſcelerati criminis reus, Priſco præſidi ab officio præſentatur. Quem cùm ille intueretur, belluini cordis ſeveritate inflammatus, ſic ait: Tu es Valerianus Chriſti nomen prædicans, errore ſuperfluo periturus? An fortaſſe, quæ acta fuerint de ſocio tuo Marcello, ſimili errore decepto, ad tuam miminè notitiam pervenerunt? Conſule tibi, deorum immortalium numina venerando. Cognoſce, quæ adorari ſacratiſſimi imperatoris decrevit authoritas, quæ * & patres noſtri viderunt, & nos eorum effigies ſanctiſſimas adoramus, & quorum progenies cælo manifeſtiſſimè dominatur.

Priſco præſidi ſiſtitur, cujus idola

B

* *al.* quam

6 Omnipotentem itaque Jovem, Junonem ejus conjugem ac ſororem, Venerem etiam tanti dei filiam, Vulcanum & Martem fratres ipſius pariter & maritos adora. Quod niſi feceris, longè à collega tuo Marcello gravioribus ſuppliciis punieris. Sanctus Valerianus reſpondit: Præſidem te eſſe & judicem provinciarum circumſtans declarat officium; ſed omnis ſcientiæ error gentilium reddit ignarum. Quomodo imperatoris tui, & nefaria religione imperatorum decreta convellis? Quæ ſunt nomina iſta, quæ loqueris? Inceſta puniri legum præcipiunt ſtatuta, & tu deum eſſe omnipotentem voce ſacrilega profiteris, quem germanæ ſuæ fuiſſe conjugem, non negâſti, filiamque ejus Venerem, fratris uxorem à me æſtimas eſſe adorandam? Hæc crimina in numinibus veneranda, & in hominibus damnanda pronuncias? Tuo te ſatis abundéque errore confundis. Et beatiſſimi fratris mei Marcelli ſupplicia mihi allaturum * minaris, glorioſo certamine ſuperata? Atque utinam te victum & illius virtute tua pronunciatione cognoſceres, & Deum cæli ac terræ, dominatorem rerum omnium atque formatorem *, de bonis ſenſibus adorares; qui ſine crimine, paſſus, ut ſua nos morte ab æterno mortis crimine liberaret, vel cujus * reſurrectione fiduciam nobis perpetuæ ſalutis oſtenderet: cujus regni nec finis nec principium invenitur!

videns & verum Deum prædicans

* *al.* te illaturum

C

* *al.* factorem

* *al.* & ſua

7 Hic eſt Deus vivus, qui non in metallis nec lapidibus, ſed in templo fidei & æternæ beatitudinis gratia reperitur. Priſcus præſes dixit; Circumſtantia ſupplicia non paveſcis, & velut judicaturus * judicem vana quædam deliramenta pronuncias? Nunc evidentiùs approbabis meorum virtutem numinum aut vanam Dei tui potentiam, in tormenta deficiens. Sanctus Valerianus reſpondit: Tormenta iſta, quæ nominas, jam à præcedentibus meis commilitonibus ſunt ſuperata *p*. Tunc ſæviſſimus præſes ſtipiti appenſum ſanctum Martyrem unguibus juſſit ferreis laniari. Et cùm auxilio Chriſti nullis fatigatus ſuppliciis in laude Domini perduraret, ac nequiſſimus præſes per illius perſeverantiam ad veram Chriſtianæ fidei religionem pervenire plurimos vereretur, ſolutum exinde, in locum, quo nunc venerandi corporis reliquias excolimus, gladio feriente juſſit interfici *q*. Tunc ſanctus Valerianus primi martyris & levitæ ſancti Stephani gratiam & gloriam reminiſcens, cælos intuens, illum vidit oculis ſibi offerre coronam, cui moriendo non metuit martyrii præbere victoriam. Sic itaque ſanctus Martyr locum illum corpore conſecravit, cælorum ſpiritu regna conſcendens *r*.

poſt minas ac dura ſupplicia capite pleſtitur.

* *Ms. Accint.* Juſtificaturus

p

D

q

r

ANNOTATA.

a *Prologus in multis apographis Mss. & impreſſis Paſſioni annectitur, ut monuimus in Commentario prævio num.* 13. *Nos eum à reliquo corpore reſcindendum ratî ſumus, tum quia multùm dubitamus, an eumdem auctorem nactus ſit, quem ipſa Paſſio, cùm in aliis apographis vel prorſus non legatur, vel multò brevior ſit; tum quia vix aliquid continet, quod ad Sanctum noſtrum pertineat. Auctor id unum præ oculis habuiſſe viſus eſt, ut Euſebium Cæſarienſem epiſcopum à doctrina ac diligentia in colligendis Sanctorum martyrum geſtis & probitate ac ſanctitate impensè commendaret, prout ab aliis olim factum eſt non paucis: quantumvis ex teſtimoniis multorum Patrum & ex ipſiuſmet Euſebii ſcriptis pateat, quòd Ariana hæreſi infectus fuerit, quódque* impietatis Arii apertiſſimus propugnator, ſignifer, princeps *exſtiterit, quibus nominibus eum appellat S. Hieronymus citatus à Florentinio in Exercitatione ad prævias Hieronymiano Martyrologio epiſtolas à pag.* 71 *uſque ad* 84: *ubi idem Florentinius de ejus reſipiſcentia dubiè ac modeſtè ita proloquitur:* Euſebium. . . reſipuiſſe, quod aliqui exiſtimant, ita incertum eſt, ut plurimi ex antiquis non credant. Quid in hac re ſtatuendum ſit, Romani Pontificis judicium omnino ſit. *Eamdem materiam paucis pertractavit Papebrochius noſter tom.* IV *menſis Junii pag.* 75; *pluribus Tillemontius tom.* 7 *Monumentorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à pag.* 69, *quos vide. Accipe nunc memoratum Prologum.* Beatiſſimorum Martyrum glorioſa certamina, ob honorem Chriſti Domini ac Dei noſtri aſſiduis cultibus & ſolemnitate annua celebrantur, ut dum fidem Martyrum plebs devota cognoſcit, & illos triumphâſſe gaudeat, & ſe patrocinio eorum protegendam eſſe confidat. Celebre enim habetur [ſanctæ recordationis] Euſebium hiſtoricum, Cæſarienſis urbis epiſcopum [egregiæ vitæ beatiſſimum ſacerdotem, eccleſiaſtica quoque inſtitutione doctiſſimum, & præcipua ſollicitudine venerandum per omnem orbem, in quantùm divino adjuvante ſpiritu, ut geſtum eſt rei veritate decurſa valuit reperire] prout ſingularum provinciarum urbes, loca, vel oppida illuſtrari triumphis Martyrum cæleſtibus meruerunt [quorumque principum tempore ordinatâ officiorum inſtantiâ innumeræ perſecutiones actæ fuerint] declarâſſe: qui etſi Martyrum ſingulorum integras non explicuit paſſiones, tamen Chriſtianis devotis atque fidelibus, unde ſcribi vel celebrari debeant, veraciter intimavit. [Dei itaque gratiam toto orbe diffuſam fidelis cultor excoluit; dum velut exiguo tritici ſemine copioſæ meſſes agri fertilitate gignuntur, & multiplicata ubertate proficiunt, ita ſupradicti viri relatione, ab unius codicis fonte diffuſæ ſcriptis manantibus fidelium, totum orbem celebrandæ paſſiones Martyrum rigaverunt.] Nos tamen * rei ordinem exequentes, paſſionem ſancti Valeriani martyris eâ ſcribere de-

E

F

* *Ms. Belfortii* verè

vo-

devotione curavimus, quam triumphante Christo perfectam certissima veritate comperimus. *Ita in apographis citatis; at in Ms. Belfortii desunt, quæcumque hic uncis inclusimus.*

b *Voces istæ* diebus illis *non leguntur apud Chiffletium & Jueninum.*

c *De hac persecutione vide dicta tom. 2 Septembris pag. 197 in Annotatis ad Passionem S. Marcelli litt. a & b.*

d *In apographis, quibus affixus est prologus, hic insertæ sunt voces hæ:* Ut præfatus historicus refert, *nempe Eusebius Cæsariensis.*

e *Cùm Photino seu Pothino, quo modo nominatum vult Theophilus Raynaudus, rectiùs dixisset auctor comprehensos fuisse quadraginta novem martyres, quomodo rectè legitur in solo codice Reginæ Sueciæ: quandoquidem omnes simul computati fuerint numero quinquaginta, uti expressè dicitur in Passione S. Marcelli, & in elogio Adonis recitato num. 2 Commentarii nostri.*

f *Sic habent apographa omnia, præter ea, quæ desumpta sunt è Lectionario Cabilonensi; in his enim* quadraginta animæ... in unum carcerem *retrusæ dicuntur: at cùm nihil addatur de decem reliquis, an scilicet alteri carceri mancipatæ fuerint necne; credo, in codicem istum incuriâ describentium irrepsisse* quadraginta *pro* quinquaginta. *Porrò de 48 Martyribus, puta de S. Pothino ac sociis Lugduni coronatis, egimus ad diem 2 Junii, ubi singula eorum nomina protulimus.*

g *In Passione breviore S. Marcelli, de qua mihi semper sermo est, nisi longiorem expressè assignavero, res ita exprimitur:* Effractis divinitus claustris juxta euangelicam auctoritatem... ad civitatem aliam fugam latenter arripiunt; *nulla angeli facta mentione. De fuga istâ fusè disputatum est in Commentario prævio ad Acta S. Marcelli § 4, quem consule.*

h Arar *seu* Araris, *appellatus etiam quandoque* Saucona, Saugona, Saogonna & Sagona, *vulgo* la Saone, *Galliæ fluvius est, Æduos, ad quos iter instituit* S. Valerianus, *dividens à Sequanis, ad quos perrexit S. Marcellus. Plura de his videri possunt in Annotatis ad Passionem S. Marcelli litt. i. & p.*

i *Passus est S. Marcellus die 4 Septembris*, S. Valerianus 15.

k *Ita vocabantur mansiones seu stationes militares annonam & cetera omnia militibus iter facientibus necessaria servantes*, quales, *inquit Valesius in Notitia Galliarum*, stante imperio Romano mansiones fuerunt, in viis publicis, inque vicis plerumque ad ripas fluminum majorum positæ, & omnibus rebus abundantes. *Adi Passionem alteram num. 7.*

l Cabilo, Cabillonum & Cabilonum, *Gallis* Chalons sur Saone, *in cujus vicinia S. Marcellus martyrium subiit, civitas est in Burgundiæ ducatu.*

m *Hac voce designantur milites, satellites, seu apparitores, quomodo eos vocat Fronto in Passione altera num. 9*

n *Chiffletius & Jueninus legunt:* Statimque comprehensum, dixerunt sagaci inquisitione *&c. Codex Reginæ Sueciæ habet* duxerunt.

o *Desunt binæ voces* Dei Filius *quibusdam exemplaribus.*

p *Longiora ista colloquia Sanctum inter & judicem ac milites evitavit Fronto omnia; Garnerius pleraque, & res gestas ambo nuda narratione complexi sunt, credentes haud dubiè nec absque verisimilitudine, interrogationes istas ac responsiones non illis præcisè verbis processisse ab ore* S. Valeriani *aut gentilium, sed potiùs ab auctoris ingenio, qui illos eo modo loquentes induxit, quo pro rerum adjunctis fieri potuisse existimabat.* A. ANONYMO

q *De loco ac tempore martyrii quædam prælibavimus in Commentario § 2.*

r *Exemplaribus, quibus præfixum diximus prologum, subjicitur etiam sequens epilogus seu Passionis conclusio:* Cujus festivitatem annuam celebrantes, patrocinium de bonis mentibus exoremus, ut fidem plebis augeat, cunctumque populum suis cultibus adhærentem pia intercessione conservet, & qui ejus triumphum devotus ac fidelis scriptor excoluit in præsenti seculo, vel in futuro patrocinio ejus æternâ gratiâ muniatur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est imperium & potestas cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Explicit Passio sancti Valeriani martyris.

PASSIO ALTERA

Auctore Falcone monacho Trenorchiensi.

Ex Chronico ejusdem loci, edito a Chiffletio & Juenino.

VEnerabili Trenorciensis ecclesiæ abbati P.F. *a* vestræ non incognitus paternitati, vitæ perpetuæ gaudia promereri. Frequenti suggestioni vestræ, ingenioli mei vel facundiæ sæpenumerò æmulam oppositeram tarditatem: vos è regione, sufficere, nec inutile, pro virium quantitate moliri. Injungitis siquidem, & me vestræ prælationis auctoritate compellitis, ut nonnulla veterum monimenta gestorum, quæ à nostris quibusdam scripta quidem, sed indigesta reperimus, scrutatâ temporum serie, in unius corpore voluminis ordinare satagam. Cui cùm diutiùs reluctari congruum minimè putarem, adquievi tandem, statuens, & me petitioni vestræ ulteriùs non defuturum, & quædam nondum à quoquam edita, quæ nunc usque penes nos æquè sunt acta, vel adhuc operante Deo frequenter aguntur miracula, in eodem opusculo notitiæ tradere posterorum. Et ne superflua digressione tædium vobis ingeram, beati Valeriani martyris triumphum, compendiosa brevitate relatum, limitem mihi narrationis protinùs assumam; non eodem tamen ordine nota repetens, sed ex eisdem quædam diligenti consideratione derivare contendens *b*. *Prologus auctoris.* *a*

2 Qui ad enarranda Patrum fortia gesta, quibus aditum regni meruêre cælestis, fideliter accinguntur, principio genus, vitæque primordia plerumque & ipsam, quæ cujuslibet talium exortu meruit illustrari, patriam memorare contendunt; quatenus ab initio, fidelis viri cognito tirocinio, sequens ordo gestorum promptiùs amplectatur. Hæc verò omnia tametsi de eo, cui præsens nititur intentio famulari, (beatum dico Valerianum) nostræ deesse notitiæ videantur; cùm tamen rerum exitus eum à primævo præceptis adhæsisse Dominicis evidenter ostendat, genus ipsius, vitamque à Deo procedere, non ex sanguinibus, neque *Nihil de Sancti patria ac gestis compertum usque ad martyrium.* *b*

A. Falcone monacho.

que ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, communi sorte postposita haud injuriâ prædicamus. Sic enim scriptum est; Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Porrò nativitatis ejus patriam hanc nihilominùs eadem sub intelligentia non negemus, quæ velut ab utero productum angustiis, cælo cum fine calce *c* victurum, felici prorsus nativitate per martyrium destinavit.

c

Captus cum Marcello & 48 aliis Christianis,

3 Sed jam ad narrationis seriem redeamus. Et primò dicendum primitias vitæ suæ cum magno fidei fervore, Christi eum mancipâsse servitio. Nam sanæ doctrinæ gratiâ floruisse, & ad superanda perfidorum tela insuperabili virtute viguisse, insigne illud electionis præconium innotescit, quòd dum venerabilis illa cohors, quadraginta scilicet & octo Martyres, Eusebio *d* teste, propter sacræ fidei professionem, Lugduni cum beato ejusdem civitatis antistite Photino carcerali sub custodia gloriam præstolaretur martyrii, hic beatissimus Vir, atque Marcellus, velut uberioris doctrinæ simul & constantiæ plenitudine insignes, divino nutu pariter & angelico *e* exinde soluti ministerio, ad prædicandam Galliam ambo Deo jubente destinantur: illius auctoritate præcepti servata, quâ binos ante faciem suam Redemptor noster præmisit.

d

e

B

divinitus liberatur,

4 Egressi itaque (sicut dictum est) de carcere beati Viri, cælestium instar siderum de cæca nubium caligine, præclara duo Luminaria, eodem fervore, eodem denique spiritu, quo pro Christo tradi neci non renuerant, illas Galliarum partes aggredi non verentur, quas præ cæteris immanior, cœcus occupaverat error gentilium, ut illò verè caput illud superbiæ regnare non dubitares, quod se positurum super astra cæli sibi solium, & in lateribus sessurum se promisit Aquilonis. Verùm quoniam divina providentia hos Viros ad hoc elegerat, quatenus verbum vitæ per eos diversis mundi partibus innotesceret *f*; alter Sequanorum, alter verò Æduorum provincias, Ararari non mentis diversitate segregati, susceptæ prædicationis officio viriliter aggrediuntur.

f

& frendente

5 Nec defuit novæ gratiæ præconibus promissa olim à Salvatore discipulis virtutum necessaria plenitudo, quâ dum illos ad salutare certamen instrueret, Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super omnia dæmonia, & ut virtutes operemini credentes in nomine meo. Inter hæc auctor malitiæ diabolus, cernens sibi detrimentum, fidelibus salutis incrementa parari, consuetam sibi protinùs exarsit in iram. Nec mirum; videbat siquidem secùs ac spes sibi pollicebatur accidisse; dum gentilium corda, quorum eatenus ipse per torporem dominabatur, fidei calore, sanctique spiritus fervore gratulari; & velut captiva solent animalia, ad proprii vocem genitoris, falso deserto dominatore accurrere, ingemit: & qui se super astra sessurum, regnaturumque jactabat, contemptus nimis proprio frustratur domicilio. Ergo quod propriis nequit viribus, effici nititur alienis.

C

dæmone,

6 Præsidebat hisdem diebus in Burgundiæ partibus nonnullis, sub Antonino imperatore, præses quidam profanus, nomine Priscus, quem malignus hostis in Sanctos Dei commovens, sperabat sibi cujuspiam recuperationis aditum reformari, si eos hujus præsentiæ lucis subtraheret, per quos tantum sibi detrimentum fieri non ignorabat. Erat profectò miser hoc etiam furoris conamine cæcus; ignorans ecclesiam inde robur assumere, unde occasus mundo noscitur imminere. Qualiter autem præfatus præses, dum in finibus Cabilonis beatum Marcellum plebi vitæ pocula propinantem, seque suasque leges spernentem, postquam innumeram plebis Deo multitudinem acquisierat, ipse quod defunctis præbetur ad requiem, vivo dederit ad supplicium, alibi scriptum reperies. Nos verò promissioni nostræ demus operam, cœpta Christo prævio prosequentes.

D

apud Trenorchium multos

7 Narratur in sequentibus, quòd beatus Valerianus secus mœnia Trenorciensis oppidi domicilium sibi construxerit, divinis insigne muneribus, structurâ modicum, caritate præcipuum, pompis sæcularibus inornatum; quippe cùm non in eo præter Dominicæ Crucis constet fuisse vexillum; quod ipse cultu peculiari de more venerabatur. Cur autem locum hunc præ cæteris quaquaversùm positis Vir sanctus ad habitandum elegerit, ratio manifestat. Fertur enim, quòd idem locus olim ab antiquis Castrense sit Horreum vocitatum; ab hoc sine dubio, quòd à remotioribus consueta vectigalia, vel cæteri diversarum census provinciarum, Romam per amnes Sagonam, Rhodanumque *g*, dein per mare transportanda ad eundem deferebantur locum. Ibi ergo quoniam, ut diximus, ex diversis mundi partibus illuc homines confluebant, vir Dei maluit habitare; quatenus advenientes, ex ejus ore velut ex limpidissimo fonte, salutaris Euangelii poculo recreati, salutarem nihilominus haustum civibus propinarent. Et quemadmodùm, quæ cæsaris esse noverant, cæsari pro consuetudine reddere procurabant, ita demum quæ Dei esse didicerant, Deo reddere pio studio satagebant.

g

E

ad fidem Christi convertit.

8 Quid plura? His est hujuscemodi antiquus hostis irritatus injuriis, postquam Dei Vir per sanctæ prædicationis ministerium Deo innumerabilem populum acquisivit, sævissimum in eum, ut dictum est, ad suæ damnationis cumulum excitavit præsidem, nomine Priscum. Immò solitâ miserantis Dei, qui etiam malis bene uti consuevit, actum pietate dignoscitur, quò scilicet * invictissimus Christi gratiæ Propugnator, triumphatis hostibus, digno meritorum præmio ditaretur. Et quia Vir beatus contigua provinciæ loca sacris illustraverat fidei documentis, nullatenus cæcitatis esse ministri poterant, qui lucis Auctorem per eum cognovisse simul & credidisse gratulabantur.

* *al.* videlicet

F

Priscus præses gentilis,

9 Unde diabolus eo nequitiæ stimulo concitatus, quo Dominum Jesum neci tradere non timuit, quove beatum Marcellum nuper interficere non dubitavit, præfato præsidi Trenorchium adventanti, de beato Valeriano protinus per suos intimavit satellites, non jam vicini tantùm ruris incolas, verùm etiam totius *h* penè Galliæ populos, per eum ad externæ transisse cultum religionis: commune rerum quantociùs amovendum periculum, & Romanis maturè legibus subveniendum. Distulit præses in crastinum sermonis hujus indaginem, quoniam quod supererat diei, ad hoc nequaquam posse sufficere, beati Marcelli nuper habito conflictu considerabat. Cognovit quippe relatorum intentione, non imparis robur huic inesse constantiæ, quàm in suprà memorato fuerat martyre prosecutus. Eóque vehementiùs in hunc sævire meditabatur, quò diffusiùs quaquaversùm per eum hujuscemodi cultum dilatari certo comperit experimento.

h

10 Mane autem facto accelerat Priscus meditata perficere: qui missis apparitoribus sanctum sibi

A sibi Virum confestim præsentari præcepit. Quos ut vidit, solito sibi caritatis obsequio, eis obviam signo Crucis armatus processit, & eos cibum sumere impendio deprecatur. At illi, quo digni non fuerant, caritatis respuentes edulium, crudeli domini sui, ad quod missi fuerant, satisfacere præcepto maturaverunt.

ad se deduci, & frustra tentatâ ejus constantiâ,

11 Interrogatus verò ab eis ignoti sibi signi notitiam, evidenti responsione verissimaque sacræ protulit fidei professione. Dirissimis itaque loris astrictus, variâque pulsatus injuriâ, Servus Dei servo diaboli præsentatus, & ut faciliùs subigeretur, patrati dudum sceleris ei objicientes crimen, diriora, nî maturatò respiscens præceptis præsidis obsecundaret, instanter minitabantur. Enumeratis, itaque quibus subdi jubebatur, numinibus, eorumque spurcissimo memorato conjugio, congrua Vir Dei responsione obviat objectis, ac talium se omnino respuit obsequio maculandum. Quid plura? His aliisque multis ac diversis altercationibus hinc habitis & inde; cùm se frustrà niti contra Virum Dei insanus præfectus perpenderet, ac nonnullis circumstantibus non mediocri responsiones ejus invectioneque forent documento, stipiti tandem appendi, & ibidem unguibus eum jussit ferreis laniari.

B

unguibus ferreis laniari ac capite plecti.

12 Eia carnifex, siquid ex humanæ traduce conditionis ejus carni nævus adhæsit, diro satage pectine mutilari. Nempe tuum tibi præstitum est ad interitum, ut in hoc etiam, quod crudeliter in Sanctum Dei peragis, Dei servias justitiæ; & quod amicus non posses perficere, valeas inimicus. Perfer & hoc Martyr jaculum crudele tyranni, post modicum visurus eum, pro cujus amore non recusas oppetere; illius memor apostolici: Si compatimur, & conregnabimus. Jam verò Christi Martyris patefactis usquequaque viscéribus, dum tantùm spiritu vigente, carnis materia pectine laniata defeciisse videretur, nec ullius eum, vel ipsius carnificis præ horrore posset acies intueri; de stipite, Prisco præcipiente, deponitur, & ad locum destinatum vertice plectendus duci jubetur.

Christum sibi apparentem habet,

i

13 Quò cùm duceretur, & omnipotenti Deo gratias agens, pio cælos intueretur obtutu, Christum sese certaminis sui præmium, coronamque sibi conspicit offerentem *i*. Cùm itaque (dilectissimi) cælestis contemplatio majestatis, beati Stephani singularem prorsus per totum orbem commendet prærogativam; omnique dignum reverentia habeatur, quòd Dominum gloriæ velut in suis sollicitum causis fuerit contemplatus; non immeritò beatum Valerianum haud multùm dispar ratio persuadeat, præcipuis insignem muneribus, illis, quorum studio vel labore maximè fides mundo innotuit, veraciter æquiparandum. Vix enim quempiam Doctorum, præter Apostolos, Apostolorumque discipulos (ex quibus tamen ipse unus *k* pro Chronicarum traditione dignoscitur exstitisse) reperire valebis, cujus ipse æmulator existens non fidei doctrinas super ejus fundamentum ædificâsse probetur; sed (sicut dictum est) ab ipsius initio credulitatis ejusdem sacræ fidei, vera credatur assertione militâsse.

C

k

occiditur; eodem loco ipsi basilica erigitur;

14 Sed jam ad cœpta redeamus. Tanta igitur tamque mirabili Martyr confortatus simul & recreatus visione, eâdemque quibusdam non occultatâ fidelibus, securus de præmio lictores cursu præibat, gaudensque, flexis genibus vertice multatur, supernorum civium gaudio perenniter potiturus. Quo in loco filii, quos ipse Christo genuerat, quibusve fidereas per prædictionem in cælis præparaverat mansiones, modicam illi pro tempore, & facultate construxêre basilicam *l*; in quâ paulatim fidelium crescente numero, nonnulli cultui sese discipuli mancipavêre divino.

A. Falconi monacho.

l

miraculis claret.

15 Ab hinc locus ille copioso fidelium cœpit frequentari concursu, dum nemo confluentium votorum frustrabatur effectu; adeò ut penè numerosior per signa fieret credentium multitudo, quàm priùs per sancti Viri prædicationem fuerat ad Christum conversa. In vera quippe vite manentem fructumque ferentem palmitem, ut fructum plus afferat, verus per martyrium purgat agricola, & ideò Vir sanctus, sicut vivus, ita etiam non cessabat Christo populos lucrificare defunctus. Sed hæc omnia divinæ sunt opera Majestatis, quæ pro visibilibus nos ad invisibilia provocans, non solùm cùm servi essemus peccato, pristinæ retulit libertati, sed etiam dedit nos per gratiam filios Dei fieri, qui credidimus in nomine ejus, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Epilogus.

16 Hæc, quæ nunc usque qualicumque stylo protulimus, ad beati Valeriani passionem speciaLiter pertinere noscuntur. Cætera, quæ sequuntur, quamvis temporum diversitate, narrationeque rerum ab his, quæ suprà diximus, differre videantur, ab unius tamen rationis ordine nullatenus discrepant, eò videlicet, quò ad augenda præfati Martyris præconia meritorum, quæ dicenda sunt, divina clementia voluit operari. Ad quod referendum juxta Patrum veridicam traditionem pro viribus accingar, illum semper invocans, qui in Euangelio ait; Sine me nihil potestis facere.

E

ANNOTATA.

a *Per litteram* P *Petrum abbatem, per* F *se indicat Falco. Vocatus est* Fronto *aliquoties in Comment., præsertim num.* 7; *legendum ubique* Falco.

b *Si satis constaret, memoratum hic* S. Valeriani Triumphum, compendiosa brevitate relatum, *non esse diversum à Passione, primo loco data, operæ pretium non judicâssemus, hanc Falconis lucubrationem typis committere, cùm ipse fateatur, selecta esse à se aliqua dumtaxat ex isto Triumpho, reliquis pro arbitrio suo additis ac dispositis; & hoc quidem abundè liquet ex longioribus digressionibus, observationibus, prolationibus verborum sacræ Scripturæ ac similitudinibus, quas totidem interpolationes esse credimus, ac proin passim inobservatas præteribimus.*

F

c *Id est*: Æternùm, sine fine; *quomodo dicimus*: A capite ad calcem: Ab initio usque ad finem.

d *Acta martyrum Lugdunensium inseruit Eusebius lib.* 5 *Historiæ ecclesiasticæ ex epistola ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis ad Christianos in Asia & Phrygia degentes conscripta secundùm testimonia eorum, qui certamini adfuerant. Consule Annotata ad priorem Passionem lit.* a.

e *Vide ibidem lit.* g.

f *Imò ad hoc, sicut eventus docuit, divina providentia Viros istos elegerat, ut Marcellus Cabilone aut in ejus vicinia*, Valerianus *Trenorchii verbum vitæ prædicarent, & post breve tempus martyrio suo utrumque locum illustrarent; neuter enim uspiam legitur processisse ulteriùs. Potuit tamen respexisse auctor ad ea, quæ infrà conjicit de Trenorchiensi oppido, ad quod olim, utpote Castrense horreum*, ex diversis mundi partibus homines confluebant, *unde hi haustum à* S. Valeriano *Euangelium, in suas quique regiones reversi, amplius disseminârint ac propagârint.*

A. FALCONE MONACHO.

g *Rhodanus celeberrimus Galliæ fluvius est, haud procul Lugduno Sagonam seu potiùs Ararim recipiens.*

h *Dennò exaggerat auctor hîc, nisi loqui censeatur ex mente accusatorum sancti Martyris, vel eo sensu exponi debeat, quo suprà ad litt. f.*

i *Visionem istam, quam Falco in itinere factam memorat, magis conformiter ad textum Passionis primæ, contigisse ait Garnerius, Sancto jam ictum exspectanti. Verba accipe :* Dum verò cervicem percussori suavissimi odoris hostia Martyr inclinaret, genibus in terram orationis gratiâ defixis, oculis in cælum cum toto mentis desiderio sublevatis, hoc ante plenitudinem gloriæ subsequentis promeruit, ut cælos ipsos aperiri sibi conspiceret, Jesum immortalitatis, & spei communis columen, sibi cælitus imminentem, & coronam splendidissimi decoris vultu festiviori Martyri suo desuper afferentem.

k *Oppidò senex fuerit* S. Valerianus, *anno circitèr* 178 *martyrio coronatus, si in laudatis Chronicis vera tradantur. Malim credere, ei magistrum fuisse aliquem è discipulis Apostolorum.*

l *Harum vocum interpretationem dedimus in Commentario prævio num.* 17.

B

TRANSLATIO
ET MIRACULA
Auctore eodem Falcone.
Ex editionibus Chiffletii & Juenini.

Sepulcrum Sancti *a*

HOc quoque obeunte *a* Stephanus in cœnobiali substituitur regimine. Hujus studium, vel quam circa beatum Valerianum habuerit devotionem, traditus memoriæ prodit effectus. Hujus siquidem corpus Martyris, sicut à fidelibus tempore passionis ejus in sepulcro fuerat collocatum, clausum tellure per multorum spatia manserat annorum *b* : quod jam dictus pater incongruum non injuriâ ratus, ejus scilicet humo tegi corpus, cujus spiritus in cælestibus angelorum contubernio potiebatur, cujusque meritis divina virtus immensa populo suo beneficia condonârat. Cœpit igitur tacita priùs secum meditatione translationis ordinem disponere ; deinde, quæ futuro necessaria erant operi, paulatim præparare, aurum, & argentum, diversique generis lapides pretiosos.

C *b*

magno apparatu

2 Inde strenuo adscito artifice, affabrè compositum visus est fecisse mausoleum. Quo peracto, tempus opperiens opportunum, religiosorum constituto die venire fecit multitudinem. Affuit nihilominus copiosa plebis diversarum urbium multitudo, magnum fore fidelibus credens emolumentum, hanc elationis à tumulo beati Martyris inveniſse solemnitatem. Quam quia Deo gratam fore, miraculis attestantibus, apertè cognovimus, non immeritò (dilectissimi) dignis eam cultibus honorare, summoque cum gaudio suscipere debemus.

3 Eliguntur itaque tres merito vitæ venerabiles monachi, qui, pœnitudine commissorum cum satisfactione præmissa, candidis induti vestibus, summa cum reverentia locum adeunt, quo sanctum noverant sepultum Valerianum. Cæterorum verò nemini concessum est intrare *c* ; sed erat populus exspectans, illo fine dubio devotione non inferior, qui Zachariæ sacerdotis horâ incensi exitum de templo præstolabatur. Revoluto tandem lapide, quo tumulus claudebatur, ingens, aromatum more, fratres perfudit odor ; ut scilicet, qui per sanctæ ministerium prædicationis in carne vivens exstiterat odor vitæ fidelibus, nunc etiam suavem præberet corpore resolutus odorem.

apertam suavem odorem exhalat.

c

4 Interea fratres introrsum respicientes, inveniunt sacrum caput non secundùm ordinem jacêre membrorum, sed in loco, quo pectus fuisse videbatur, diligenter positum : ubi etiam modicam, acsi nova tunc posita esset, ex pallio reperiunt Crucem, quæ postmodum in argenteo affabrè facto posita est philacterio. Hanc ipse dum adhuc viveret, in ea parte vestis, quâ pectus tegitur, tulisse non dubium est, ut indicaret habitus, quod professio declarabat. Sumptis igitur majorum reliquiis artuum, reposuerunt ea in capsam, quam superiùs recèns factam memoravimus, cæteris exuviarum corporisve cineribus in sepulcro relictis. Quam cùm humeris imposuissent, detulerunt eam ad monasterii superioris oratorium, ac super beatæ Dei Genitricis aram reverenter imposuerunt.

Reliquiæ hierothecæ inclusæ transferuntur,

E

5 Quanta piarum ibi flumina fusa sunt lacrymarum, quas magnorum provocabat immensitas gaudiorum ! Populus tandem votis ovanter, precibusque peractis, ad propria gaudens remeavit. In ea verò, quæ eodem jubente patre hisdem diebus facta fuerat imago, sacrum ac venerabile caput sæpefati Martyris positum est, quam nunc etiam contra violentos tempestatis impetus, vel diversas aërum incommoditates, seu quaslibet rerum adversitates opponentes, ab his sæpe, Deo miserante, defendimur. In die autem Purificationis beatæ Mariæ, quæ post modicum tempus affuit *d*, delatum est scrinium, quo beati Martyris ossa condita habebantur, in inferius oratorium *e*, quod indesinenter à populo frequentabatur ; positumque super altare, quod recèns fuerat ædificatum.

ac per dies aliquot exponuntur.

d

c

6 Et dum populus in superiori monasterio consuetam *f* sequeretur processionem, quidam homunculus adeò miserabilis, ut penè totius mole corporis instar glomi contractâ, terram tantùm cernere cogeretur, magno cum labore sacrum illud ingressus oratorium, preces suas ibidem lacrymabiliter effundere cœpit, beati Valeriani meritis divinam sibi clementiam flagitans affuturam. Cúmque id subinde repeteret, subitò nervi, totiusque compago corporis miro cœperunt modo laxari : prostratusque solo, magno cœpit clamore vociferari. Et jam chorus Missæ sollemnis instabat officiis. At populus audito clamore cucurrit, invenitque hominem prostratum solo tantæ recepisse formam longitudinis, ut cùm non priùs trium vel quatuor annorum infantis quantitatem excedere videretur, tunc omnes ferè altitudine superaret. Laudibus itaque Deo votisque persolutis, ovans ad propria populus repedavit.

Contractus restituitur ; *f*

F

7 Anus etiam quædam, cui vel ætas vel infirmitas lumen abstulerat oculorum, ibidem Deo miserante, meritis ejusdem Martyris illud meruit recuperare. Nec latêre potuit procul etiam consistentes hujus notitia rei ; quin potiùs, diversa cogente incommoditate, multi undique confluebant ; inter quos quædam ætatis provectæ femi-

cæca mulier illuminatur ; altera dæmone & febri liberatur ;

na,

A na, gemino confecta dolore, venit aliâ comite; diris quippe febribus æstuabat, sævoque misera tenebatur à dæmonio. Huic etiam diu non distulit optatum pietas divina beneficium. Sana quippe rediit, fugatis tam febrium æstu, quàm furentis viribus inimici.

miles item febricitans sanatur.

8 Miles quidam nihilominus ab amicis adductus accessit, tanto febrium, quo jam diu laboraverat, tædio consternatus, ut ex hac vita morte resolvi, quàm tali mallet ulteriùs incommodo prægravari. Subvenit & huic non diu differendo remedium Christi misericordia; ad propria siquidem regrediens, adeptæ sanitatis beneficio suos admodùm lætificavit amicos.

ANNOTATA.

a *Erveo vel Herveo abbati Trenorchiensi ejus nominis tertio.*

b *Hinc deducunt nonnulli, sepulcrum non fuisse apertum à seculo 2 usque ad x, & per consequens nemini fuisse communicata sancti Martyris ossa, vel reliquias ante hanc translationem. Vide Comment. num. 42.*

B c *Ista primo intuitu pugnare fortasse videbuntur cum relatis à Garnerio in altera ejusdem translationis Historia num. 4, ubi dicuntur Stephanus abbas & quamplures integri nominis personæ ad sepulcrum accessisse. Sed haud difficulter conciliabuntur, si rei ordinem ita nobis proponamus, ut abbas & plures alii è superiori ecclesia in inferiorem seu subterraneam descenderint usque ad sacellum, in quo sub ara, Sancto consecrata, latebat tumulus, ibidemque ante ostium seu ingressum subsliterint omnes, exceptis tribus monachis, memoratis à Falcone.*

d *Die octava scilicet ab elevatione ac translatione, quæ facta est 26 die mensis Januarii, & dein quotannis celebrata.*

e *Sacellum intelligo, cujus memini ad lit. c; quodque, teste Juenino tom. 1 Historiæ Trenorchiensis pag. 371 & 380, dominus de Sauvajot, collegii canonicorum cantor, novo altari aliisque ornamentis decoravit præsenti hoc seculo.*

f *Festo Purificationis sanctissimæ Mariæ Virginis.*

C

TRANSLATIO
ET MIRACULA
Auctore Garnerio monacho Trenorchiensi.
Ex editionibus Chiffletii & Juenini.

Stephanus abbas, sancto Martyri multum deditus, a

DEcurso pro captu nostræ mediocritatis in superioribus ordine passionis *a*, qua beatissimus Valerianus Christi martyr pretiosi lapidis coronam in cælestibus obtinere promeruit, ad sacratissimi corporis ipsius extumulationem iterum reflectere manum compellimur; ut videlicet, nostro interveniente conatu, dignitas ipsius præcognitæ veritatis correptiori stylo pulchriùs elucescat. Post innumeras igitur ab ipsius passione, non annorum dico, sed multorum temporum revolutiones, vir venerabilis nomine Stephanus, persona quidem clariori genere nobilis, sed morum elegantiâ & sanctissimæ religionis observantiâ nobilior, Trenorchiensi monasterio pastorales excubias (sicut in antiquioribus ejusdem cœnobii chartis legimus) impendisse cognoscitur. Placuit autem Spiritui sancto, istius beatissimi viri temporibus, corpus suprà memorati, sæpiùs memorandi Martyris ex humiliori loco transferri, & in excelsiori cum debita reverentia collocari.

A. GARNERIO MONACHO

meditatur corporis elevationem,

2 Mira quidem & incomprehensibilis divini consilii revera profunditas, per tot videlicet præcedentium sæculorum curricula sub vilissimo lapidis unius operculo dilecti sibi Martyris glebam negligenter obsoleviſſe, & velut sub obscurissimo modio sereniſſimi sideris lucernam diutiùs latuisse. Sed licèt apud nos brevissimi & quasi nullius momenti tunc temporis Valeriani monumentum æstimaretur *b*, amplissimum tamen in cæli senatu confessum gloriosiùs obtinere certò certiùs Martyrem nostrum meminisse debemus. Ex istius quidem curiæ senatorio sedit arbitrio, præfati Stephani religiosi abbatis animo latenter immittere, ut pretiosi Martyris exuvias colligeret, unde præcedentibus meritis, aliquid ex officio tam piæ sollicitudinis emolumenti divinitus eidem redderetur. *b* E

& post initum consilium indicit triduanum jejunium;

3 Verumtamen quia juxta Salomonem, omnia cum judicio facienda didicerat, ne fortè temerarius, aut pro magnitudine rei præsumptuosus haberetur, maturioribus elegit personis indicare negotium, & salubriorem seniorum conniventiam exspectare. Ascitis itaque consummatæ opinionis comprovincialibus undecumque personis, ex consulto triduanum circumquaque jejunium universis indicitur *c*, & beatæ tempus exspectationis in populis ubique prædicatur. Quid moror? Post abstinentiam, quam præmisimus, triduanam, de locis propriis apud Trenorchium singuli diversi sexus & ætatis confluunt homines, desiderabilem sibi thesaurum intueri tota mentis aviditate cupientes, & debitis juxta legem oblationum muneribus honorare sollertiùs peroptantes. *c*

cum magna hominum piorum turba ad sepulcrum procedit, F

4 Convenientes igitur ad sacratissimam utrimque beatissimi Martyris ecclesiam, primò quidem solo tenus in oratione cum suspiriis, & immenso lacrymarum flumine decumbentes, misericordiam omnipotentis implorant Deitatis; ne, quod Spiritu sancto suggerente conceperant, malesuada carnalium illecebra voluptatum, & præteritorum immanitas delictorum, diu concupitis effectibus insolenter evacuet. Dum sic oratur, dum turba frequens lacrymatur, Stephanus suprædictus abbas, vir omni religione præcipuus, & cum eo quamplures integri nominis personæ, largissimis ora perfusi fletibus, pia præsumptione de Domini misericordia confidentes, ad sepulcrum Martyris humiliter accedentes *d*, iterum orationi solito devotiùs, cum tota spiritûs anxietate seipsos hostiam vivam sacrificantes incumbunt. *d*

quo reverenter aperto,

5 Dum hæc aguntur, erigentes se tandem viri timorati, manus ad sarcophagum, pia trepidatione perfusi, tentantes applicant, utrùm operimentum illud lapideum, ponderosæ quidem (ut cernitur) quantitatis, quo inferioris vasculi claudebatur hiatus, sustollere prævalerent. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum: nam manus inediâ triduanâ fatiscentes & corpora genuum curvatione & continuis curvationibus lassescentia tantâ præfatam molem levitate sustu-

A. GARNERIO MONACHO.

e

fuſtulerunt, quanta nec ab innumeris & fortibus viris divelli poſſe crederetur *e*. Dum igitur cæleſtis theſaurus devotis diu deſiderantium oculis fidelium aperitur, clamor ingens ſuſpiriis & ſingultu profundiori fecundior in commune attollitur, ab univerſis rea pectora percutiuntur; terra pedum ſtrepitu, cælum ipſum ineffabili conclamantis populi conſonantiâ, velut unius vocis, remugiens propulſatur.

detegumtur ſacra oſſa cum capite ſuaviter ſpirantia,

6 Quis tibi ſuaviſſimum odorem, omni thymiamate fragrantiorem, omni nectareo liquore ſuaviorem litteris explicet? Quis interioris admirabilem thecæ candorem quolibet vocis humanæ valeat officio deſignare? Nec putreſcentium more corporum ſanies (ut aſſolet) reperitur; ſed membra Martyris univerſa juxta naturalem ſui compoſitionem cartilaginibus & nervis ſibi cohærentia, cum quodam intuentium ſtupore cernebantur. *f* Caput verò ſacratiſſimum, ſicut unius ictu laniſtæ divulſum à beatiſſimo corpore fuerat, ita ſuper venerabile pectus ejuſdem quieſcebat. In hunc modum hæc omnia cernuntur ab omnibus: venerantur ab omnibus; deoſculantur ſinguli, lacrymis irrigant univerſi. Interea loci loculus argenteus ad medium defertur, operoſo ſatis artificio, gemmarum multimodo diverſarum ſplendore laminis aureis, & eboris ſculpturâ radiantibus mirificè decoratus; profectò talis, ut materiam ſuperaret opus; ſtudio recolendæ ſcilicet ſanctitatis viri Stephani abbatis, non ſine copioſis rerum impenſis pia devotione præparatus.

f

& pretioſis thebis incluſa,

7 Ponitur introrſum per conſecratas religioſorum manus ſacerdotum, ſeorſum capite ſuo, membratim Valeriani divini martyris corpus, & ſuper altare beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ cum univerſæ plebis exultatione venerabiliter collocatur. Caput verò juxta memoratum loculum, in imagine quadam, velut ad ſimilitudinem Martyris ex auro & gemmis pretioſiſſimis decenter effigiata, ſeparatim erigitur. Nam crucem de pallio, quam ſuper exeſa corporis membra, reliquis omnibus exuviis, ſitu nimio & vetuſtate diuturna detritis, repererant, in argentea cruce diligenter includunt.

reliqua eorumdem parte in tumulo, ſolemniter transferuntur.

8 Cæterùm conſultiori providentia præfati corporis quantitatem non modicam in lapideo monumento ſagacioris ingenii viri reliquerunt, & bitumine fortiori linientes extrinſecùs, in inferiori crypta monaſterii noſtri, poſt beatiſſimi Valeriani ſacroſanctum altare deponentes abierunt. Porrò cum debitis laudibus, & pia gratiarum actione Miſſarum ſollemnia feſtiviùs ab univerſorum monachorum & clericorum catervis celebrantur, & immenſis præſentium principum donariis, & promiſcuæ plebis oblationibus Chriſtiana ſollicitudine glorioſi Martyris reliquiæ certatim venerantur. Facta eſt autem hujus, quam præmiſimus, mutationis tranſlatio ſub Stephano Trenorchienſis cœnobii religioſo abbate, qui anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo divinitus ad regendum monaſterium noſtrum promotus, duodecim annorum *g* integram in eodem complens perfectionem, virtutibus & bonorum operum fecunditate locuples, extremum vitæ mortalis in pace complevit diem.

g

Sub idem tempus plura ibidem patrantur miracula.

9 Ex abundanti fuerit innumerabilem miraculorum numerum huic noſtræ narrationi ſupponere, quæ Divinitatis omnipotentia, manu miſericordiæ largioris, diverſi generis ægrotantibus, propter inſigne meritum Valeriani pretioſi martyris, efficaciter uſque in præſentem diem erogare non deſiſtit. Pauca tamen, id eſt, duo, ne penitus deeſſe videamur officio, quæ proximis memoratæ tranſlationis diebus accidiſſe perſpicuum eſt, placuit inſerenda, ad laudem & gloriam illius, qui corona martyrum ſuorum veraciter creditur, Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & dominatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

D

Vir miſerè

10 Cùm venerabilis diverſi chorus ordinis ſacratiſſima Miſſarum ſollemnia celebraret, & divinis laudibus unanimiter inſiſteret, latebat in cryptis, unde ſublatum fuerat Valeriani martyris beatiſſimum corpus, quidam miſer homuncio, diutiſſima paralyſi totus velut in cujuſdam globoſæ rotunditatis ſpeciem in ſeipſum arcuoſa ſinuatione revolutus, altera manu ſcabellulo ligneo ſuſtentatus, altera breviſſimo bacillo totum debile corpus per terram trahens; ita ut magis reptile, quàm greſſibile animal videretur. Hic in manu candelam geſtans exiguam, quam ob reverentiam memorati Martyris igne ſuccenderat, ſolo tenus alvo tumeſcente coæquatus, cæleſtis opem ſuſpirioſus præſtolabatur ſubſidii.

contractus & rigitur:

11 Igitur dum in afflictione ſpiritûs & cordis anxietate, obvolutus humi, glorioſum Valeriani nomen ore & ſpiritu frequentiùs inculcaret; ſubito quodam ſtupore pariter & terrore perculſus, ſenſit paulatim venarum meatus ſanguine calenti tepeſcere, nervos à proprio & quaſi nativo rigore relaxatos lenteſcere. Quid multa? Dum ſecus oſtiolum quoddam inter ſpem & metum poſitus, humiliter latitaret (mirabile dictu!) divino favore præcedente, & noſtri Martyris pio ſuffragio proſequente, in tantam longitudinem corpus ipſius protractum eſt, ut ſubinde, cùm ſuper pedes proprios incolumis effectus ſemetipſum erigeret, ab humeris & ſurſum populo præſenti celſior emineret *h*. Protinus in commune dignis Deo laudibus eccleſia reſonat, & Chriſti Martyris præſentes exuvias cum pia gratiarum actione fidelium populorum conflua turba coronat. Memoratus homo non quaſi ſoſpitati redditus, ſed velut ex cæleſtibus aditis repentè productus, ſacris altaribus præſentatur. Exhinc ad propria cum gaudio remeavit.

E

h

mulier cæca viſu donatur.

12 Mulier quædam, nonagenariam vitæ mortalis agens ætatem, diutiſſimam oculorum inciderat cæcitatem: ſcurrilitates tamen & aniles fabulas in ipſis tenebris, velut innata ſibi garrulitate, non minùs ſolito ſectabatur. Hæc autem cùm in ipſo vico Trenorchienſi moraretur, auditâ famâ miraculorum, quæ per martyrem ſuum Valerianum divina virtus operabatur, domi reſidens, exclamavit dicens: Domine Deus, hoc ſaltem mihi concedas, ut per merita beati Valeriani proprias manus, antequam moriar, videre prævaleam. Dixerat, & dicto citiùs geminos oculorum orbes in circumſtantem familiam dirigens, non ſolùm, de quibus rogaverat, manus, verùm etiam quidquid præſentis aſpectui ſubjacebat clariſſimo conſpiciebat intuitu. Sic incolumitate proprii viſus recepta, glorioſi Martyris eccleſiam debitas grates gratulanter actura ſequentibus turbis introivit.

F

ANNOTATA.

a *Garnerius ſeculo* XII *monachus Trenorchii præmiſerat huic tranſlationis Hiſtoriæ Acta martyrii* S. Valeriani, *hîc à nobis prelo non vulgata, quia tam parùm differunt à Paſſione, impreſſa primo loco, ut vix dubitemus, quin vel ipſamet ei præluxerit, vel altera haud multùm abſimilis, quam*

A *quam nova & auctiore phrasi dumtaxat immutârit, prout indicavi in Commentario prævio § 1. Usus est similiter idem Garnerius cùm translationis historiam conficeret, Falconis Chronico; at plusculum ab eo discessit, immiscens hinc inde ibidem prætermissa, & perstricta amplificans; & in hoc quidem excessit nonnumquam usque adeo, ut ob verborum intemperantiam, vel eorumdem delectum non satis idoneum, res narratæ minùs verisimiles evadant, utque vel cum Falcone vel secum ipse pugnare videatur. Cùm tamen usum se esse etiam insinuet* antiquioribus cœnobii chartis, *credi possunt hinc accepta fuisse quædam, à Falcone priùs neglecta; & ea ratio me movit, ut ne prorsus supprimerem Garnerii lucubrationem.*

b *Auctor hìc nimium deprimit cultum sancti Martyris, quem ante translationem celebrem semper fuisse, ostendimus in Commentario.*

c *Triduani hujus jejunii non meminit Falco.*

d *Vide, quæ super his notavimus ad Falconis Historiam lit.* c.

e *De eo prodigio silet Falco; sed neque satis verisimiliter id exponit Garnerius. Quantæ molis fuisset tandem lapideum istud operimentum, alioqui* ab innumeris & fortibus viris *non divellendum?*

A. GARNERIO MONACHO.

f *Jueninus tom.* 1 *Historiæ Trenorchiensis pag.* 79 *rectè advertit, hunc locum commodo sensu exponendum esse, ut videlicet tum contigerit, quod sæpè aliàs, cùm tumuli primùm recluduntur, & tali situ mox* S. Valeriani *membra apparuerint, acsi cartilagine etiam tunc instructa essent, & nervis connexa, at cùm aëri fuissent exposita, vel motu quodam concussa, remansisse sola ossa, reliqua verò in cineres abiisse. Et sanè Garnerii locus, in stricta significatione sumptus, parùm congruit iis, quæ dicit infrà de inventa cruce super* exesa corporis membra. *Accedit, quòd Falco rursum sileat de tanta corporis incorruptione, ac satis innuat, membra seu ossa non sic fuisse connexa, dum* majorum reliquias artuum *capsæ impositas fuisse affirmat.*

g *Chiffletius & Jueninus errorem hìc detegunt, productisque instrumentis probant, Stephanum abbatem è vivis non cessisse ante annum* 980; *ac proinde seriùs ad præsulatum promotus est, vel plusquam annis duodecim tenuit.*

h *Verisimiliùs dicit Falco,* quòd omnes ferè altitudine superaret.

B E

DE S. MELITINA MARTYRE,

MARCIANOPOLI IN MOESIA.

J. S.

Ex Fastis Græcis & Romano Martyrologio.

SEC. II AUT III. *Sancta hoc & sequenti die apud Græcos memorata,*

Martyrologium Romanum S. Melitinam *hodie memorat hoc elogio:* Marcianopoli in Thracia sanctæ Melitinæ martyris, quæ sub Antonino imperatore & Antiocho præside ad gentilium fana semel & iterum ducta, cùm idola semper corruerent, suspensa & laniata, ac demum capite plexa est. *Observat in Annotatis Baronius,* S. Melitinam *à Græcis quibusdam hoc die memorari, ab aliis sequenti. Itaque locum non habet annotatio* C *marginalis Castellani, qui dicit à sequenti die ad hunc esse translatam in Romano. Vim quoque non habet, quod adjungit Castellanus, in Menologio Sirleti eadem die mentionem fieri de inventione* reliquiarum S. Acacii episcopi Melitinensis, *acsi insinuare vellet,* S. Melitinam *ex illa annuntiatione malè intellecta ortum habere potuisse. Etenim* Melitina *etiam habetur in Menologio Basiliano, quod multò vetustius est Sirletiano, & in quo Acacii Melitinensis inventio non memoratur. Deinde plura etiam referuntur de* S. Melitina, *quàm ut credibile sit, talem errorem oriri potuisse. Porrò* S. Melitina *hodie annuntiatur in Basiliano, quod impressum est, & apud nos etiam manuscriptum. Verùm in Sirletiano, in Menæis impressis, uti & in Synaxario Sirmondi Ms., quibus alia Menæa Mss. consonant, refertur ad diem sequentem.*

cujus elogium datur: 2 *Elogium ex Menologio Basiliano huc totum transfero.* Melitina martyr, Antonino Romanorum cæsare, ex Marcianopoli Thraciæ urbe fuit. Cùm autem Christum prædicaret, comprehensa ab Antiocho ejusdem urbis præside, confessaque se Christianam esse, gravissimè cæditur. Deinde pertracta in idolorum templum, ut immolaret, fusis ad Deum precibus effecit, ut idola conciderent & contererentur. Ex quo factum est, ut Græcorum multi unà cum præsidis uxore in Christum crederent. Quare flagris iterum cæsa, in carcerem detruditur: deinde educta, nudataque suspenditur, & in lateribus scalpitur: rursusque in alterum idolorum fanum, ut sacrificaret, ducta, Deum precatur, statimque collapsa idola in frusta conteruntur. Quamobrem, latâ in eam sententiâ, gladio caput ei amputatum fuit. Cujus reliquias Acacius quidam pius ac timens Deum F translatas, in insula Lemno condidit. *Hisce planè consonat Menologium Sirletianum, solùm addens, Acacium, qui reliquias transtulisse dicitur, natione fuisse Macedonem. Consonant & Menæa impressa in omnibus, quæ referuntur usque ad martyrium, præterquam quòd imperator, sub quo passa dicitur Sancta, vocetur* Antonius. *At ea nominis mutatio exigua est ac frequens. Addunt etiam Menæa, Apollinis & Herculis fuisse simulacra, quæ precibus Sanctæ contrita asseruntur.*

corpus in Lemnum insulam translatum: 3 *De translatione corporis plura dicuntur in Menæis, ex quibus ea huc Latinè reddita transfero:* Cùm post refectum caput ipsius pretiosum corpus jaceret insepultum, Acacius quidam Macedo tendens in patriam suam, corpus postulavit. Præses verò, nihil de illo suspicatus, petenti annuit. Hic igitur corpus accipiens, ac in loculo recondens, festinavit in patriam suam. Verùm in mari ægritudine correptus, excessit e vita. Navis interim ad promontorium quoddam Lemni insulæ appulsa, ibidem sanctum Martyris corpus depositum: ac prope illud martyrum amator Aca-

AUCTORE J. S.

cius ſepultus eſt. *In hiſce nihil invenio, quod inconcinnum ſit aut inveriſimile. Etenim Marcianopolis erat urbs Mœſiæ, non longè à Ponto Euxino diſſita, quam aliqui etiam in littore Ponti collocârunt. Hanc controverſiam examinare non eſt neceſſe. Certè non poterat Acacius commodiore uti itinere, ut in Macedoniam proficiſceretur, quàm navigando per Pontum Euxinum, Boſphorum, Propontidem & Helleſpontum, & ſic Lemnus inſula naviganti in Macedoniam erat præternaviganda.*

Sancta aliis quoque diebus annuntiata.

4 S. Melitinam *martyrem rurſum producunt Menæa ad* XXIX *Octobris cum breviori elogio, quod hodierno congruit. De eadem tam Menæa quàm Menologium Sirletianum etiam breviſſimè mentionem faciunt* XXX *Octobris. Non dubito autem, quin planè ſit eadem: ſed repetitiones illæ ſuſpicionem ingerunt, diverſas eſſe Sanctæ feſtivitates. Quod de martyrio ipſius* ſub Antonino *dicitur, cùm plures fuerint iſtius nominis imperatores ſeculo* II *&* III, *tempus propiùs non determinat. Demum Marcianopolis, quam in Thracia figunt ſcriptores Faſtorum laudati*, in Mœſia *locavi cum antiquioribus. Ita Ammianus adhuc ſuo tempore lib.* 27 *cap.* 4 *Marcianopolim Mœſiæ attribuit, ſimulque docet, unde nomen acceperit, ita ſcribens:* Dein Myſia, ubi Marcianopolis eſt, à ſorore Trajani principis ita cognominata. *Non malè tamen ab aliis Thraciæ adſcripta fuit, quia Thraciæ limites deinde latiùs fuerunt extenſi per novam provinciarum diviſionem, ut obſervat Cellarius in Geographia antiqua lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 375.

DE SS. MAXIMO, THEODOTO ET ASCLEPIODOTE MM.

IN VICO INTER PHILIPPOPOLIM ET ADRIANOPOLIM IN THRACIA.

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sanctorum memoria in Faſtis maximè Græcorum: Acta ab auctore contemporaneo videntur ſcripta, & fide digna.

SUB MAXIMIANO. *Horum Martyrum nomina, in Faſtis Latinis luxata,*

Hi tres ſancti Martyres in Martyrologio Romano hodie annuntiantur his verbis: Hadrianopoli ſanctorum martyrum Maximi, Theodori, & Aſclepiodoti, qui ſub Maximiano imperatore coronati ſunt. *Eodem planè modo nomina recitat Baronius in Annalibus ad annum* 311 *num.* 19, *dicens ſimiliter, eos* Hadrianopoli *paſſos. Galeſinius* Maximum *tantùm annuntiat &* Theodorum, *omiſſo tertio, aut potiùs tertia* Aſclepiodota, *ut videbimus. Etenim in Græcis monumentis nullibi invenio* Aſclepiodotum *virum, ſed* Aſclepiodotam *mulierem. Præterea ſecundus ex hiſce martyribus ubique apud Græcos vocatur* C Theodotus, *non* Theodorus. *In Menologio tamen, quod Latinum fecit Sirletus, & in quo ad ſequentem diem referuntur, etiam Latinè* Aſclepiodotus *ſcribitur, ſed aliorum nomina rectè exprimuntur. At neſcimus, an in textu Græco viri nomen fuerit, neque id admodùm veriſimile eſt, cùm in Actis, in Menologio Baſiliano, in Synaxario Ms. Sirmondi ad hunc diem, in Menæis impreſſis & apud Maximum Cytheræum ad* XVII *Septembris, conſtanter vocetur* Aſclepiodote *aut* Aſclepiodota, *& cum iis appoſitis, ut tamquam femina memoretur.*

rectius exprimuntur apud Græcos cum elogio,

2 *Elogia addunt Faſti laudati, ſed brevia, & non omnino accurata. Ceteris prolixius eſt, quod legitur in Menologio Baſiliano, ubi tres Martyres primùm his verbis annuntiantur:* Certamen ſanctorum martyrum Maximi, Theodoti, & Aſclepiodotes. *Mox verò ita laudantur:* Iſti imperante Maximiano Chriſtianorum perſecutore, ex Marcianopoli Thraciæ urbe fuerunt. Cùm autem verbum Dei docerent, & in omnibus ejus præceptis die ac nocte incederent, multoſque ab idolorum errore ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum converterent, comprehenſi à copiarum Thraciæ duce, cæſi primùm virgis depexique ſunt, donec oſſa eorum apparerent. Deinde præciſis manibus, pedibus, ac auribus, tamquam mortui in terram abjecti ſunt. Poſt hæc plauſtris impoſiti, Adrianopolim vehuntur: ubi rurſus à copiarum duce impellebantur idolis ſaltem verbo ſacrificare. At illi non modò id facere detrectârunt; ſed potiùs idola ridentes, aſſerebant, deos gentium eſſe dæmonia, atque unà cum cultoribus ſuis exſecrandos. Quare capite damnati occubuerunt. Sed & unà cum ipſis Aſclepiodote eorumdem affinis (*Græcè* conſanguinea) martyrio defuncta eſt. *Eadem paulò breviùs leguntur in Synaxario Sirmondiano, ibique Marcianopolis ponitur in Mœſia, ubi revera erat tempore horum Martyrum, licèt non malè etiam in Thracia collocetur, quia hujus provinciæ limites poſtea magis extenſi ſunt.* Teris *nomen ducis militum Thraciæ ibi quoque exprimitur, uti etiam in Menologio Sirletiano. Idem in Actis* Teres *vocatur.*

quod in loco martyrii & in aliis corrigi poteſt ex Actis.

3 *Quod ſpectat ad locum martyrii, ille neque in Græcis neque in Latinis Faſtis accuratè exprimitur, ſed ex Actis aſſignandus eſt: nam hæc docent, Sanctos Marcianopoli fuiſſe comprehenſos, ibique inchoata eſſe prima eorum certamina. Deinde verò Marcianopoli Adrianopolim ducti ſunt, ibique rurſum egregiè certârunt Sancti. Eſt autem Adrianopolis civitas Thraciæ, eodem etiamnum nomine nota, ad Hebrum flumen. Adrianopoli demum tracti ſunt versùs Philippopolim, ad idem flumen in Thracia ſitam; ſed antequam Philippopolim pervenirent, in vico, de quo Acta agunt num.* 12, *capitalem ſubierunt ſententiam, ita ut proprius martyrii locus ſit inter Adrianopolim & Philippopolim in Thracia. Tempus martyrii exactiùs non exprimitur, quàm quòd paſſi ſint ſub Maximiano: quod intelligendum de Galerio Maxi-*

A *ximiano, qui imperator factus est anno 305, abdicantibus imperium Diocletiano & Maximiano Herculio. Obiit Galerius anno 311. Itaque Sanctorum nostrorum martyrium figendum est inter annum 305 & 311. Varia tormenta, quæ Sancti fortiter pertulerunt, reliquaque ad ipsos spectantia, ex Actis accuratiùs hauriri poterunt, quàm ex dato elogio.*

Acta, quæ Græco-Latina dabuntur, videntur scriptoris synchroni,

4 *Acta hæc, quæ Græco-Latina dabimus, nullibi hactenus edita invenimus. Acceperunt ea Majores nostri* ex codice Ms. Medicæo regis Franciæ, *ut apographo adscriptum legitur. Titulus hic est:* Ἄθλησις τ̃ ἁγίων καὶ ἐνδόξων μαρτύρων θ̃ Χριστ̃, Μάξιμ, Θεοδότ καὶ Ἀσκληπιοδότης. Certamen sanctorum & glorioforum martyrum, Maximi, Theodoti & Asclepiodotæ. *Auctorem habent ignotum, sed qui non diu post martyrium peractum scripsisse videtur: nam in fine preces ad Deum dirigit, ut cesset persecutio, ita ut scripsisse videatur ante omnino sublatam Constantini Magni operâ persecutionem. Suspicionem hanc varia confirmant. Primò enim multa tam enucleatè narrantur, ut relatio videatur auctoris contemporanei. Secundò nihil Actis immixtum est, quod scribi non poterat exiguo planè post martyrium tempore. Tertiò nullum profertur verbum de honore martyribus habito, ac ne sepultura quidem enarratur; verisimiliter ob persecutionem etiam tum vigentem. Quartò carent hæc Acta iis vocibus Latinis, quæ Græci paulò posteriores usurpare cœperunt. Quare Acta videntur scripta aut eodem anno, quo coronati sunt Martyres, aut certè non multis annis posteriùs.*

AUCTORE J. S.

5 *Hac de causa fide omnino digna existimo, saltem pro factis, etiamsi aliqua ex hisce sint mirabilia. Ratiocinia verò satis prolixa, quæ in iisdem Actis continentur, magis credo ab auctore composita ex iis, quæ de Martyrum ac tyranni dictis intellexerat, quàm omnia verbotenus ita fuisse prolata. Interpretationem Latinam ab aliquo Societatis nostræ presbytero olim adornatam in scriniis nostris inveni. Verùm, cùm hæc paulò videretur liberior, nec ubique satis accurata, novam potiùs interpretationem credidi concinnandam, quæ à Græco textu in verbis quoque minùs recederet. Acta igitur Græca cum hac interpretatione lectorum oculis subjicio, in Annotatis adjecturus, si qua etiamnum ad institutionem lectoris observanda se offerant.*

& fide digna.

E

B

A C T A

Ex Ms. Medicæo regis Francorum interprete J. S.

C A P U T I

Persecutio Maximiani: comprehensio SS. Maximi & Asclepiodotæ: horum certamina Marcianopoli, ubi Theodotus tyrannum objurgans, etiam comprehenditur & torquetur.

Μαξιμιανῦ τ̃ δυσσεβεστάτ τ̃ Ρωμαϊκ̃ς ἀρχ̃ς ἐπιβεβηκότ, γράμματα κατὰ πᾶσαν τὴν ὑποτελ Ρωμαίοις ἐξεπέμπετο, βλασφήμοις μὲν χείλεσι, βλασφήμοις δ ῥήμασι, καὶ θεομάχοις χερσὶ χαραττομένα· τὰς προσκυνοῦντας γὰρ τ̃ ἐσταυρωμένον, καὶ μὴ βουλομένους θύειν τοῖς ἀγάλμασι, διὰ πάσης ἀγομένους κολάσεως, πικρῶς ἐξ-
C ἄγεσθαι διετάττοντο τ̃ βίου. Μυσῶν δ μητρόπολις ἦν ἡ Μαρκιανούπολις· καὶ ταύτ ὁ διωγμὸς ἀκμάζων ἐπίεζε, τὰς ἐν αὐτ̃ Χριστιανὰς ἀνηλεῶς τιμωρούμενος· ὧν ἦσαν, ὥσπερ τ̃ ἀρετ̃ καὶ τ̃ γένει, οὕτω καὶ τ̃ εὐσεβείᾳ, Μάξιμ καὶ Ἀσκληπιοδότ περιλάμποντες. οἵτοι περιβόητοι τὴν εὐσέβειαν ὄντες, πανδήμῳ πληθεῖ τῶν εἰδωλολατρῶν συνελήφθησαν· καὶ ἀναχρινόμενοι τὰ περὶ τ̃ εὐσεβείας, λαμπρῶς τε καὶ γενναίως εἰς ὑπήκοον ἀπάντων τ̃ Χριστὸν Θεὸν ἀληθινὸν ἐκήρυξάν τε καὶ ἀνωμολόγησαν, καὶ δαιμονίοις ἢ τοῖς τούτων ἀφιδρύμασι σπένδειν οὐκ ἄν ποτε, μηδὲ γένοιτο, ὑπαχθήσεσθαι.

2 Ἐν τούτῳ δ καὶ ὁ τ̃ Θράκης ἡγεμών, Τήρης ὄνομα, πόλεις τε καὶ χώρας διερχόμενος, καὶ τὸ γένος ἀνερευνώμενος τῶν Χριστιανῶν, καταλαμβάνει τὴν Μαρκιανούπολιν· καὶ τ̃ τυραννικ̃ βήματος προκαθίσας, ἄγει τ̃ γενναῖον Μάξιμον, καὶ τὴν ζύνανδρον Ἀσκληπιοδότην. Καὶ δὴ τό τε ὄνομα καὶ γένος, καὶ τὴν (ὡς ἐκεῖνος ἔλεγεν) ἀνεπυνθάνετο τύχην. Ὁ δ σεμνὸς καὶ ἐχέφρων Μάξιμος· Καὶ πατρίς ἐμοὶ, καὶ πόλις, ἔφη, καὶ φύντες, καὶ τέχνη, καὶ ἀξίωμα, ἡ Χριστιανῶν πίστις· Ταύτην γὰρ οἰκῶ, μᾶλλον δὲ ἔνοικον φέρω·

IMpiissimo Maximiano Romanum imperium tenente, per omnem terram Romanis tributariam litteræ missæ sunt, blasphemis labiis, blasphemis verbis, manibusque Deo repugnantibus exaratæ: nam adorantes Crucifixum, & nolentes simulacris sacrificare, per omnia ductos supplicia, è vita excedere amara morte jubebant. Mysiorum *a* autem metropolis erat Marcianopolis: hanc etiam vigens persecutio pressit, Christianos illius urbis immisericorditer puniens; inter quos, uti virtute & genere, sic pietate elucebant Maximus & Asclepiodote. Hi religione celebres, ab universali multitudine idololatrarum simul comprehensi sunt; examinatique de rebus religionis, luculenter ac generosè, omnibus obedientiæ dantes exemplum, Christum verum Deum prædicârunt & confessi sunt, seque nequaquam, dæmoniis aut eorum statuis ut libarent, ulla ratione subigendos.

Maximiano Christianos persequente, capiuntur Maximus & Asclepiodota:

a

F

2 Eodem autem tempore Thraciæ præfectus, nomine Teres, urbes regionesque percurrens, & Christianos investigans, pervenit Marcianopolim: sedensque pro tribunali tyrannico, adduci jubet generosum Maximum, consortemque certaminis Asclepiodotam. Tunc de nomine, genere, & fortuna (ut ipse loquebatur) interrogabat. At fortis ac prudens Maximus, Et patria mihi & civitas, inquiebat, & genitores, & ars, & dignitas est fides Christianorum: hanc enim inhabito, aut potiùs inhabitantem circumfero: ex hac originem duco, ac principium se-

Maximus à præside interrogatus, fidem liberè

Ex Ms.

secundæ & immunis à macula generationis ex hac habeo : omnem honestatem & dignitatem ipsa mihi conciliavit. Quid enim glorioſius, quàm pietatis causà in carcere degere?

Ὁ sapienter profitetur,

3 Præfectus dicit : Nondum cognovisti leges imperatorum? Tum verè magnus Maximus : Inhumanitatem quidem, iniquitatem, exceſſumque crudelitatis promulgari audivi : leges verò, quibus gentes & urbes laudem consequuntur, minimè novi. Teręs dixit : Mundi benefactores calumniaris, dominoſque in iniquitatis ac crudelitatis crimen pertrahere ſuſtines? Respondit generoſus Maximus : Ego & Dominum & Deum & Regem agnoſco Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus nutu univerſa conſiſtunt ; ex aliis verò hos quidem imprudentes & ingratos, illos verò ſenſatos & Domini ſui amantes ſervos. Impiiſſimus verò Teres dixit : Nonne te pudet hominem crucifixum vocare Deum? Repoſuit ſapiens Maximus : Crux, plagæ & mors, conſiderata ſecundum rationem propriam, ſive ſecundùm ſe, nulli maculam afferunt : ſed cauſa facit, ut iſta ſint admiratione digna aut reprehenſione. Quandoquidem iſtis multùm digni erant latrones, piratæ, tyranni, ejuſmodi
B perverſionibus ac cædibus vitam replentes ; captis verò pro plurimis ac millenis vi legis una mors inferatur ; hiſce juſtè probro mors eſt ac pudori. Illi verò, qui nefariè ab iſtis ſublati ſunt, nullum ex violentia nefariorum probrum incurrunt aut reprehenſionem. Aliunde verò viri fortes, qui pro patria aut genere fortiter ſe gerunt, etiamſi vulnera corpus diviſerint, etiamſi hoſtile ferrum jugulo exceperint, etiamſi in crucem ſublati ſint ; neque miſeri ſunt, neque reprehenſione digni. Quid dico, reprehenſione? Nonne igitur multis quidem digni ſunt laudibus, ſplendidiſque coronis, aliiſque honorariis, quibus in ævum à contribulibus ſuis gloriam conſequantur? Ita crux neque pudori eſt neque probro aut Paſſo, aut iis, qui pro perpeſſione & cruce honorem & cultum Servatori tribuere ſtuduerunt. Pudor verò indelebilis, luctus inconſolabilis, atque ignominia immedicabilis oriuntur ex raptu mulierum, corruptionibus adoleſcentum, furtis & adulteriis, contentionibus & pugnis, ac manibus in alterutrum infeſtis : quibus divites ſunt dii veſtri, & ideo adorantur. Crux verò ſupra genus noſtrum hominumque venerationem effert Crucifixum : quomodo igitur neceſſe non eſt, ut illi honorem deferamus & cultum?

C *multaque de Chriſto diſſerit,* *b*

4 Teres dixit : Ecquis ab omni ævo audivit, hominem pro humano genere crucifixum? Nullus, ô judex [inquiebat Maximus *b.*] Si verò addidero, non pro amicis, ſed & pro inimicis ; tunc miraculum te magis attonitum reddere poterit. Hac enim de cauſa neque erat ſolùm homo, ſed Deus in humana natura abſconditus. Etenim nullus hominum pro hominibus paſſus eſt. Verùm qui formaverat homines & ex nihilo produxerat, videns illos excidiſſe è gloria, quam dederat, amoremque ac miſericordiam ſuam, quâ fertur in creaturam ſuam, oſtendere volens, factus eſt, quod fecerat, & pro nobis mortem carnis in humana natura ſuſtinuit, nihil patiente natura Divina, quæ corruptioni non eſt obnoxia. Quid dicis? Hiſce erubeſcere nos oportuit, an honorem conſequi ; gloriari, an confundi ; Deum horum cauſam hymnis celebrare, an ejurare Servatorem? Teres verò, non habens, quod reponeret, diſcruciabatur iràque æſtuabat : &, Deſine, exclamabat, ejuſmodi nugamenta proferre, ne anima tua à corpore amara morte avellatur.

5 Reſpondebat rerum divinarum peritus Maximus : Non ego ejuſmodi ſermones exorſus ſum ; ſed tu cauſam præbuiſti, Crucifixum nobis exprobraus,

καὶ ἐκ ταύτης ὥρμημαι, καὶ τὰς ἀρχὰς τ δευτέρας D
καὶ καθαρᾶς ῥύπτ γενέσεως ἐκ ταύτης ἔχω, καὶ τὸ ζημιον εἶναι καὶ περίβλεπτον, αὕτη μοι πάρεσχε. Τί γὰρ εἰκ σεμνότερον ἢ περιφανέστερον ἢ δεσμωτήριον ὑπὲρ εὐσεβείας οἰκεῖν ;

3 Ὁ ἡγεμὼν λέγει · Οὔπω τ βασιλέων ἔγνως τὺς νόμους ; Ὁ μέγας ὄντως Μάξιμος εἶπε · Μισανθρωπίαν μὲν, καὶ παρανομίαν, καὶ ὠμότητα ὑπερβολὴν ἤκουσα κηρυσσομένην · νόμους δ, δι' ὧν ἔθνη καὶ πόλεις εὐδοκιμοῦσιν, ἥδεμὼς ἔγνων. Τήρης εἶπεν · Τὺς τ οἰκουμένης εὐεργέτας λοιδορεῖς, καὶ εἰς παρανομίαν καὶ ὠμότητα τολμᾶς διασύρειν τὺς δεσπότας ; Ὁ γενναῖος ἀμείβεται Μάξιμος · Ἐγὼ δεσπότην καὶ Θεὸν καὶ βασιλέα τ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐπιγινώσκω, ὑ νοῦματι τὸ ζύμπαν ὑπέχων · τῶν δ ἄλλων τὺς μὲν ἀγνώμονας καὶ ἀχαρίστυς, ἴδις δ εὐγνώμονας καὶ φιλοδεσπότυς εὗρον. Ὁ δ δυσσεβέστατος Τήρης λέγει · Οὐκ αἰσχύνῃ Θεὸν ὀνομάζειν ἄνθρωπον ἐσταυρωμένον ; Ὁ ζρὸς ἀνδυπόφερος Μάξιμος · Σταυρὸς καὶ πληγαὶ καὶ θάνατος τῷ οἰκείῳ λόγῳ καὶ καθ' ἑαυτὰ μῶμον ὐδενὶ περιάπτυσιν· ἀλλ' ἡ αἰτία ποιοῖ ταῦτα καὶ θαυμαστὰ ἄξια καὶ μωμητά · ἐπεὶ πολλοὶ ἄν ἦσαν ἄξιοι οἱ λῃσταὶ, καὶ οἱ καλαποντισταὶ καὶ οἱ τύραννοι, τοιούτων πάθῶν καὶ θανάτων πλήρεντες τὸν βίον · νῦν δ ἐπειδὰν ἄλωσιν ἀντὶ πολλῶν καὶ μυρίων ἕνα θάνατον ὑπέχυσι τῷ νόμῳ · καὶ τούτοις δικαίως ὄνειδος ὁ θάνατος καὶ αἰσχύνη. Τοῖς δ ὑπ' αὐτῶν ἐκδέσμως ἀνῃρημένοις οὐκ ὀνειδός ποθεν ὐδ' ἐπιτίμησις ἢ παλαμναίων βία. Ἄλλως τε δ οἱ ἀρισεῖς, ὑπὲρ πατρίδος ἢ γένυς ἀρισεύοντες, κἂν πληγαὶ τὸ ζῶμα διεμερίσαντο, κἂν ἐπὶ τ ζῳαγῆς τὸ πολέμιον ξίφος ἐδέξαντο, κἂν σταυρὸς αὐτὺς ἀνῃρτήσατο, οὔτ' ἄθλιοι, οὔτε μεμῳῆς ἄξιοι. Τί εἶπον μεμῳῆς ; οὐκ ἄξιοι μὲν οὖν πολλῶν ἐπαίνων καὶ λαμπρῶν σεφάνων, καὶ τῶν ἄλλων γερῶν παρὰ τῶν ὁμοφύλων δι' αἰῶνος ἀξιῶνται ; Οὕτως οὐκ ἔσιν αἰσχύνη ὐδ' ὄνειδος ὁ σταυρὸς, οὔτε τῷ παθόντι, ὐδ' οἷς ἀντὶ τ πάθυς καὶ θ σταυρ τιμὴν καὶ σέβας νέμειν τῷ σεσωκότι διεπράσαντο. Αἰσχύνη δ ἀνεξάλειπτος, καὶ ἀθῆνος ἀπαράκλητος, καὶ ὄνειδος ἀδυσώπητον, ἁρπαγὴ γυναίων, φθοραὶ μειρακίων, κλοπαὶ καὶ μοιχείαι, ἔρεις καὶ μάχαι, καὶ κατ' ἀλλήλων χειρὲς · οἷς πλυτοῦσιν ὑμῶν οἱ θεοὶ, καὶ διὸ προσκυνοῦνται. Ὁ δ σταυρὸς ὑπὲρ θ γένυς ἡμῶν καὶ θεραπείας ἀνθρώπων ἐνεχθεὶ τ ἐσταυρωμένον · πῶς ὐ καταχρέως ἡμᾶς ἀπαιτεῖ τὴν τιμὴν αὐτῷ προσάγειν καὶ τὸ ζέβας ; F

4 Τέρης εἶπε · Καὶ τίς ἤκουσεν ἐξ αἰῶνος ἄνθρωπον ὑπὲρ γένυς ἀνθρώπων σταυρωθέντα ; Οὐδείς, ὦ δικασά. Εἰ δ προσθείην ὅτι μὴθ' ὑπὲρ φίλων, ἀλλὰ καὶ ἐχθρῶν, τότε ἂν ζε τὸ θαῦμα μᾶλλον καταπλήξειε. Διὰ τοῦτο γὰρ ὐδ' ἄνθρωπος ἦν μόνον, ἀλλὰ Θεὸς ἐν ἀνθρώπῳ φύσει καλυπτόμενος. Καὶ γὰρ ὐδεὶς ἀνθρώπων ὑπὲρ ἀνθρώπων ἔπαθεν · ἀλλ' ὁ πλάσας καὶ ἐκ μὴ ὄντων παραγαγὼν, αὐτὸς πεσόντας ἰδὼν, ὃς ἔδωκε, δόξης, καὶ τὸ φίλτρον καὶ τὸ ἔλεος ἐπιδείξαι βυληθεὶς, ὃ περὶ τὸ οἰκεῖον ἔχει φιλοτέχνημα, γέγονεν ὅπερ ἔπλασε, καὶ τ ὑπὲρ ἡμῶν θάνατον τ ζαρκὸς ὑπέσχ τῇ φύσει, τὸ πάθος ὁ προσηκαμένης τῆς Θείας ἀκηράτυ φύσεως. Τί λέγεις ; τούτοις αἰσχύνεσθαι προσῆκεν ἡμᾶς ἢ ζημιοῦσθαι, ἐγκαλωπίζεσθαι ἢ καταδύεσθαι, Θεὸν τὸν αἴτιον ἀνυμνεῖν ἢ τὸν Σωτῆρα ἐξομνύσθαι ; Ὁ δ Τήρης ἀντιλέγειν ὐκ ἔχων ἐχαλέπαινέ τε καὶ ἐσφάδαζε τῷ θυμῷ · καὶ ἐά, [φησὶν c,] ἀνέκραγε, τὰς τοιαύτας ἐρεζχελίας, c
ἵνα μὴ πικρῶς τὴν ψυχὴν τοῦ ζώματος ἀπορρήξῃς.

5 Ὁ θεόσοφος Μάξιμος ὑπεφωνεῖ · Οὐκ ἐγὼ τ τοιούτων λόγων κατηρξάμην · ἀλλὰ ζὺ πάρεζχες τὴν αἰτίαν τ ἐσταυρωμένον ἡμῖν ὀνειδίσας. Ἤδειν γὰρ, ὡς

A ὡς εἰδωλικῷ ζόφῳ ψυχὴ βυθιζομένης; ἀνεπίδεκτος φωτὸς θεολογικῶν ἀκτεράπλοντος ῥημάτων· ὅπαγε καὶ νῦν βραχείας τινὸς καὶ ἀμυδρᾶς λαμπηδόνος τῆς ἐκείθεν αὐγῆς ὑδαμῶς τῷ προσβολὴν ἰσχυσας ὑποσχεῖν. Ὁ δὲ τύραννος ἔτι μᾶλλον χαλεπαίνει, τύπτεσθαι αὐτὸν ἐκ τεσσάρων κατὰ πάντος δὲ ζώματος ἐπιτάττει, καὶ ἐπιλέγειν τοὺς τύπτοντας· Φεῦγε τὰς ἀλαζόνας λογισμοὺς καὶ λόγους· μηδ' ὑπερόρια φθέγγεσθαι βρασύνου. Ἐν δὲ τῷ τύπτεσθαι, καὶ καρτερῶς φέρων τὰς πληγὰς ὁ ἀθλοφόρος, ἄγει καὶ τὸν σώφρονα Ἀσκληπιοδότην ὁ μιαιφόνος Τήρης, καὶ λέγει πρὸς αὐτήν· Τὸ πικρὸν τῶν βασάνων ἐν ἀλλοτρίοις σώμασιν ὁρῶσα, θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ ζωὴν προαρπασον τῷ ζωτηρίαν. Ἡ θεόφρων Ἀσκληπιοδότη λέγει· Ἡ ἐμὴ σωτηρία, μὴ λιπεῖν τὸν ἕνα καὶ ἀληθῆ Θεον, μηδὲ θῦσαι δαίμοσιν ἀπωλείας, ὃς οὐδ' ὑμῖν ῥᾳδιουργήσασθαι ῥᾴον, μήποτε σέβειν· καὶ γὰρ εἰ τῷ περὶ αὐτὸς δόξαν ὑμῶν καὶ τιμὴν βουληθεῖεν ἀπομερίσασθαι, ἢ τὸς πλείους τὸ ἀγέρασον ἕξει, τὰ προλαβόντων δὲ μεταδιδόντων τὰ μοίρας· ἢ τὰ μετρίως εἰς πάντας φερομένης· (μερισὴ γὰρ αὐτῶν ἔστι καὶ σκεδαστὴ καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ φύσις, καὶ τὸ σέβασμα, ἵνα μὴ λέγω μαχομένη καὶ ἀντίπαλος· καὶ γὰρ αὐτοὶ πάθεσι μαχομένοις, καὶ
B γνώμαις ἀντιτεταγμέναις, καὶ φύσεσιν ἐναντιωτάταις καταμερίζονταί τε καὶ κατατέμνονται.) εἰ δὲ βουληθεῖεν τῷ δωρεὰν ὑμῶν, καὶ ἣν αὐτοῖς χαρισεῖσθε, ἐπιμερισασθαι θεότητα, εἰς ἄπειρα ταύτης καὶ ἀνάριθμα κατακερματιζομένης, γυμνὴν τραγμάτων τῷ κλῆσιν κερδανοῦσιν, εἰς τὸ βραχύτατον αὐτοῖς ἀπολεπτυνομένης τὰ τιμῆς καὶ τῆς χάριτος, καὶ πλείω παρεχούσης τῷ χλοὴν, ἢ τῆς τιμῆς ἀπόλαυσιν, χωρὶς τοῦ καὶ κόπον ἀναδέχεσθαι μείζονα κατὰ τὸν μερισμὸν τὰ ἐν τοῖς ὀνόμασι μεγαλαυχίας καὶ τέρψεως. Τοιαῦτα, ὦ δικασὰ, τὰ ὑμέτερα· οὕτως ὅταν τις, οἷς μὴ μέτεσι, προσάπτῃ ταῦτα, ἃ μηδὲ πέφυκε μετεῖναι, καὶ ὧς δοκεῖ τιμᾶν, εἰς χλοὴν ἀπάγει, καὶ αὐτὸν ἐσχάτης τόλμην καὶ ἀνοίας ὑπόδυνον ἀποφαίνει.

6 Ὁ δὲ τύραννος πρὸς μὲν ταῦτα σιγὴν ἔσχεν, ἀλλ' εἶπερ ἤρει· Ὅτι μὲν ἀσενὴς ἡ σὴ φύσις, δῆλον, καὶ ὅτι πρὸς ὑδὲ μιὰν ἀρκέσαι βασανον δύναται. Ῥύσεταί δέ σε τῶν ἐμῶν χειρῶν ὑδαμῶς, ὃν σὺ σέβεις Θεόν. Ἡ σώφρων ἀμείβεται Ἀσκληπιοδότη· Οὔτε ἀνδρῶν οὔτε γυναικῶν φύσις τὰς ἀνυποστάτους ὑμῶν καὶ ἀπανθρώπους διχερῶς φέρει βασάνους. Ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ μου χάρις καὶ δύναμις τοὺς ἐλπίζοντας εἰλικρινῶς εἰς αὐτὸν καὶ βασάνων καὶ θανάτου καταφρο-
C νητὰς καὶ ὑπερόπλας ποιεῖ, καὶ κρείττους πάσης δαιμονικῆς ἀπεργάζεται ἐπινοίας. Διὸ καὶ σὲ καὶ τοὺς ἀνοισρύντας σε τὴ πονηρίας δαίμονας ἐν τῇ ἰσχύϊ πέποιθα τοῦ Θεοῦ μου νικῆσαι. Ὁ δὲ δυσεβὴς Τήρης λέγει· Ῥᾴον ἀπὸ σοῦ τῷ ἀπόνοιαν καὶ τοὺς τρασεῖς σου λόγους, ἐπεὶ διὰ τῶν τιμωρίων, αἳ σε κακῶς ὁλέσουσι, πολλοῖς τῶν ὁμοφρόνων σωφρονισμοῦ παράδειγμα προτεθήσῃ. Ἡ γενναῖα ἀποκρίνεται Ἀσκληπιοδότη· Πράττε τὰς ἀπειλὰς, ἵνα γνῶς τῇ πείρᾳ, ὅτι καὶ ἀνδρῶν τυράννων, καὶ βασάνοις καθωπλισμένων, γυμνὰ καὶ πρὸς μόνον τὸ παθεῖν κυέρεπισμένα γυναῖκες τῇ συμμαχίᾳ τοῦ κρείττονος κρατοῦσι, καὶ τὸ φρυάγματος καταιζχύνουσι καὶ καταβάλλουσιν ὄγκον.

7 Τήρης ὁ θεοβλαβὴς κατὰ τῶν ἱερῶν τῷ γενναιοτάτην (πικρὸν ὂν καὶ λίαν ἀνίαρον ἡ βάσανος αὐτη) τύπτεσθαι κελεύει· καὶ τὰ αἱμάτων τῶν πληγῶν ἀποῤῥεόντων, ἡ μάρτυς μὲν ἔφερεν ἀνδρείως· τῶν ὁρώντων δὲ οἱ μὲν εἰς ἔλεον, οἱ δὲ ἀνεφέροντο πρὸς θαῦμα· ἀνὴρ δέ τις δυσεβὴς, Θεόδοτος τὄνομα, σὺν ἀδὴς καὶ ἀνδρείου τὸ φρόνημα, κατὰ μέσον τοῦ θεάτρου σας, ἐκάκιζε τὸν κατὰ τὰ ἁγίων ὠμότητος καὶ μιαιφονίας τὸν τύραννον, καὶ τὰ θείων μενιμάτων ὑπόδικον αὐτὸν παρασκοδάζειν διήλεγκεν. Ὁ δὲ δικαίαν οὐ φέρων παῤῥησίαν, ἐπὶ ξύλου τοῦτον κρεμασθῆναι καὶ ξέεσθαι κε-

Noveram enim, quo modo anima tenebris idololatricis immersa, minimè capax sit luminis ex theologicis verbis effulgentis: quemadmodum nunc modici cujusdam & subobscuri radii, ex eo micantis splendore, accessum perferre nequaquam potuisti. Tyrannus verò magis etiam indignans, ipsum à viris quatuor verberari per totum corpus jubet: verberantesque eidem inclamare: Abstine à ratiociniis & verbis jactantibus: cave loqui modum excedentia. Quando autem verberabatur, & plagas fortiter ferebat Vir coronâ dignus; sanguinarius Teres etiam adducit castam Asclepiodotam, eique dicit: Amaritudinem tormentorum in alienis perspiciens corporibus, sacrifica diis, ac salutem tibi ipsa præripe. Sapiens Asclepiodota reponit: Salus mea est, non relinquere unum & verum Deum: neque sacrificare dæmonibus perditionis, quos vobis non facile est enumerare, nedum colere: si enim vestram de iis sententiam & cultum dividere voluerint, aut plurimi sine honore erunt, illis, qui antè acceperunt, sortem suam non distribuentibus; aut divisione in omnes facta: (divisibilis enim & dissipabilis est ipsorum & honor & natura & cultus, ne dicam pugnantia & invicem æmula. Nam & affectionibus pugnantibus, & sententiis oppositis, & naturis invicem
B maximè contrariis dividuntur & dissecantur.) Si igitur voluerint dona vestra, &, quam ipsis gratis datis, divinitatem partiri; hac in multas ac innumerabiles partes dissectâ, nudam sine rebus appellationem lucrabuntur, extenuato ipsis in modicissimum quid tam honore quàm dono, eoque magis præbente ludibrium quàm honoris fruitionem: mitto majorem quoque laborem capi in divisione jactantiæ & voluptatis, ex nominibus istis quæsitæ. Tales sunt, ô judex, res vestræ: eo modo, dum quis iis, quibus non licet, attribuit talia, quæ inesse nequeunt, eos etiam, quos videtur honorare, in ludibrium adducit, ac se ipse extremæ audaciæ & amentiæ obnoxium ostendit.

6 Tyrannus autem ad hæc quidem tacuit. Attamen dicebat: Manifestum est, infirmam tibi esse naturam, eamque non sufficere ad unicum tormentum perferendum. Ex manibus verò meis nequaquam te eripiet, quem tu colis Deum. Reponit prudens Asclepiodota: Neque virorum neque mulierum natura intolerabiles & immanes cruciatus vestros facilè tolerat. At gratia & potentia Christi mei sincerè in ipsum
C sperantes & tormentorum & mortis facit spretores ac contemptores, eosque omnibus insidiis diabolicis superiores constituit. Quare & te & œstro malitiæ stimulantes te dæmones virtute Dei mei superaturam me confido. Impius verò Teres dicit: Abjice amentiam audacesque sermones, quoniam per supplicia, quæ te malè perdent, multis eadem mente præditis prudentiæ proponeris exemplar. Respondet generosa Asclepiodota: Fac, quod minaris, ut experientiâ cognoscas, viros tyrannos, eosque tormentis armatos, à nudis, & solùm ad patiendum promptis, mulieribus vinci Fortioris auxilio, ab iisque jactantiam illorum confundi ac dejici fastum.

7 Contumeliosus in Deum Teres Fortissimam in calcibus (amarum quid multumque afferens dolorem est illud tormentum) percuti jubet. Sanguine autem è plagis diffluente, Martyr quidem viriliter tolerabat: videntium verò alii ad misericordiam, alii in admirationem rapiebantur. At vir quidam pius, nomine Theodotus, constante ac virili animo vigens, stans in medio theatro, crudelitatis contra Sanctos & homicidii accusabat tyrannum, arguebatque ipsum, ut Dei iracundiæ se obnoxium reddentem. Ille verò justam non ferens libertatem, in ligno ipsum suspen-

Ex Ms. *ac nox verberatur. Asclepiodota pari constantia*

fidem confessa, post minas tyranni

in calcibus verberatur. Theodotus item capitur & torquetur.

Ex Ms. di & radi jubet. Dum autem diu scalperetur, & inenarrabili patientia cruciatus perferret; vix tandem ferò ad carcerem mittitur.

λοῦσι. Ἐπὶ πολὺ δ' ξόμενος, καὶ σὺν ἀδιηγήτῳ καρτερίᾳ ὑφισάμενος τὰς ἀλγηδόνας, ὀψὲ καὶ μόλις παραπέμπεται τῷ δεσμωτηρίῳ. D

ANNOTATA.

a Mysia, *aliàs* Mœsia, *extendebatur juxta Danubium, & Mœsia inferior, cujus metropolis erat Marcianopolis, eosdem ferè limites habebat, quos hodierna Bulgaria. Graci passim* Mysiam *vocârunt, Latini sæpiùs* Mœsiam, *fortè ad distinctionem alterius Mysiæ, quæ est in Asia.*

b *Duæ voces uncis inclusæ non sunt in apographo Græco; sunt tamen necessariæ.*

c *Vox φησὶν videtur redundare.*

CAPUT II.

Martyres ducuntur Adrianopolim, ibique rursum cruciantur: inde ad locum martyrii ducti, capite minuuntur.

Adrianopolim ducti Martyres, pari rursum libertate respondent,

QUindecim transierant dies, quando urbe egrediens Teres, jussit Martyres vinctos sequi. Profectus autem Adrianopolim, Pugiles coram se sistit, eisque dicit: Quanta vobis mala creaverit religio vestra, videtis: quin potiùs sacrificate diis, & vivetis in bonis hujus vitæ. Tres Martyres quasi una voce dixerunt: Cultus quidem à pueritia à nobis Deo delatus maximorum nobis semper fuit causa bonorum: eripuit ab errore, liberavit idololatriâ, illuminavit Dei cognitione in cordibus nostris *a*: maximum verò omnium dedit, ut & digni simus habiti pro gloria ipsius pati. Quantum igitur resecabis à tormentis tuis, tantùm dolore afficis; quantum verò adjunges, tantùm delectas. Majores enim & plures perpessiones nostrum in Creatorem & Dominum magis detegunt amorem.

a

gravissimèque cruciantur.

9 Teres furiosus, plagis antè acceptis tumentibus etiam tum corporibus & unius vulneris speciem præbentibus, Martyres flagris cædi jubet: carnibus verò, imò potiùs & cicatricibus unà cum flagris defluentibus, fortes Athletæ dixerunt: Secundæ plagæ tuæ priorum sanationes visæ sunt, priorumque dolorum solutio & solamen. Cogita igitur alias, quibus affligere possis: nam hæ priorum afflictiones abstulerunt, atque audentiores fecerunt ad futura supplicia, utpote exercitantes. Ad hæc crudelis Teres laminas æreas, igne candentes redditas, machinis admoveri Martyrum membris jubet. Hæc quidem liquefiebant: & carnes liquefactæ à corpore diffluebant: mens verò & sententia invincibilium Martyrum magis confirmabatur ac roborabatur. Nam intus habebant divinum amorem, fontem vitæ ac requiei, quo irrorati animatique, externum affligentemque ignem non aversabantur; sed potiùs canebant: Domine Deus noster, da nobis pacem: Domine, præter te alium nullum novimus, nomen tuum nominamus: ostende igitur omnibus potentiam tuam, & glorificetur nomen tuum, Domine; cùm in nostra, qui servi tui sumus, per opem tuam tolerantia ac patientia, tum in pœnis exigendis de tyrannis *c* ob illa, quæ impiè commiserunt in te, tum ob supplicia, quibus secum impiè non agentes crudeliter punierunt: hoc enim scienter impia agentibus timorem incutiet, & deceptos ex ignorantia in viam revocabit. Orantibus verò ipsis, vox de cælo audiebatur: Confortamini, ego vobiscum sum, nolite timere: sed neque petitis frustrabimini.

c

Πεντεκαίδεκα δ' παρῆλθον ἡμέραι, καὶ τ πόλεως ξιὼν ὁ Τήρης, προσάγει τὸς μάρτυρας δεδεμένους ἕπεσθαι· καταλαβὼν δ' τὸν Ἀδριανόπολιν, παρίστησι τὸς ἀθλοφόρους κατὰ πρόσωπον, καὶ φησὶ πρὸς αὐτούς· Ἢ μὲν θρησκεία ὑμῶν ὅσων γέγονεν ὑμῖν κακῶν πρόξενος, ὁρᾶτε. Θύσατε δ' μᾶλλον τοῖς θεοῖς, καὶ ζήσεσθε ἐν ἀγαθοῖς διὰ βίου. Οἱ τρεῖς μάρτυρες ὡς ἀπὸ μιᾶς φωνῆς ἀνεῖπον· Ἡ μὲν ἐκ βρέφους παρ' ἡμῶν προσαγομένη Θεῷ λατρεία μεγίσων ἡμῖν ὁσημέραι γέγονεν ἀγαθῶν αἰτία· ἐξήρπασε πλάνης, ἐρρύσατο εἰδωλολατρίας, ἔλαμψε τὴν Θεοῦ γνῶσιν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, μεῖζον δ' πάντων ἐχαρίσετο, καὶ τὸ ὑπὲρ τ δόξης αὐτοῦ πάθειν καλαξιωθῆναι. Ὅσον ἔν τ σῶν ὑποτεμεῖς βασάνων, ἐλύπησας· ὅσῳ δ' προσθήσεις, ἐπηύφρανας. Τὰ γὰρ μείζω καὶ πλείω τ παθημάτων τὸ πρὸς τ πλάσιν καὶ Δεσπότην ἡμῶν μᾶλλον ἀπογυμνοῦσι φίλτρον.

10 Τήρης ὁ μανιώδης ἐπὶ ταῖς προλαβούσαις πληγαῖς, ἤδη τ σωμάτων ἠωδικότων, καὶ τραύματος ἑνὸς ὄψιν παρεχομένων, μασίζεσθαι τὰς μάρτυρας ἐπιτάττει· τῶν σαρκῶν δ', μᾶλλον δ' τῶν μωλώπων ταῖς μάσιξι συναπορρεόντων, οἱ γενναῖοι ἔλεγον ἀθλοφόροι· Αἱ δεύτεραί σου πληγαὶ τ πρότερον ἰάματα ἡμῖν ἐφάνησαν, καὶ τ προλαβόντων ἀλγηδόνων λύσις καὶ παραμυθία. Ἐπινοεῖ δή ἑτέρας, δι' ὧν ἀνιάσεις· αὗται γὰρ τὰς προλαβούσας ἀφεῖλον ἀνίας, καὶ παρεσκεύαζον πρὸς τὰ μέλλοντα τ κολαστήρια, οἷα δὴ γυμνασάμεναι παρέσχον. Ἐπὶ τούτοις ὁ ἀνήμερος Τήρης χαλκᾶς λεπίδας διαπύρους παρασκευάσας, μηχαναῖς ἁρμόζεσθαι τοῖς τῶν Μαρτύρων μέλεσιν ἐπιτάττει. Τὰ δ' ἔτηκεν μὲν καὶ ἀπελείβετο τοῦ σώματος τηκόμενα τὰ σάρκια· τὴν δ' γνώμην *b* μᾶλλον καὶ τὸ φρόνημα ἐσερρώνυτο καὶ ἐπερρώνυτο ἀκαταγωνίστων μαρτύρων *b*. Εἶχον γὰρ ἔνδον τὸν θεῖον ἔρωτα, πηγὴν ζωῆς καὶ ἀναπαύσεως, ὑφ' ἧ δροσιζόμενοι καὶ ἀναψυχόμενοι, πρὸς τὸ ἔξωθεν καὶ κολαστήριον πῦρ οὐκ ἀπεστρέφοντο· ὑπέψαλλον δ' μᾶλλον· Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, εἰρήνην δὸς ἡμῖν· Κύριε, ἐκτὸς σοῦ ἄλλον οὐκ οἴδαμεν, τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν· δεῖξον ἐν πᾶσι τὴν δυνασείαν σου, καὶ ἐνδοξασθήτω, Δεσπότα, τὸ ὄνομά σου, ὥσπερ ἐν τῇ ἡμῶν τ ἄλλων σου διὰ τῆς σῆς συμμαχίας ὑπομονῇ καὶ καρτερίᾳ, ἵνα καὶ ἐν τῷ δίκας ἀπαιτηθῆναι τὸς τυράννους, ὧν ἠσέβησαν εἰς σέ, καὶ ὧν τὸς μὴ ζυνασεβήσαντας αὐτοῖς ἀπανθρώπως ἐτιμωρήσαντο· τοῦτο γὰρ καὶ τοῖς ἐκ προνοίας ἀσεβοῦσι φόβον ἐμποιήσει, καὶ τοῖς πλανωμένοις ἐξ ἀγνοίας ἐπανάκλησιν. Προσευχομένων δ' αὐτῶν, φωνὴ οὐρανόθεν ἠκούετο· Θαρσεῖτε, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι, μὴ φοβεῖσθε· ἀλλ' οὐδὲ τ αἰτήσεων ἀποστοληθήσεσθε. D E F

10 Me-

A 10 Μετὰ ταῦτα δ', τ̃ θανατηφόρων πληγῶν ἀνεθέντας, ὁ θεοβλαβὴς Τήρης ἐκπέμπει τοὺς μάρτυρας εἰς τὸ δεσμωτήριον, ἐπιθεὶς φοβερὰς ἀπειλὰς, εἴτινες αὐτοὺς τινὸς θεραπείας ἢ ἐπιμελείας μεταδώζυσιν. Οἱ δὲ γενναῖοι ἀθληφόροι ἔλεγον· Χριςὸν ἔχοντες ἡμεῖς, τ̃ ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, ὐ ζωμάτων μόνον ἀλλὰ καὶ ψυχῶν ἰατρὸν, ἀνθρωπίνης προνοίας ὐδὲ δι ἐδόμενης ἐπιδεόμεθα. Ὀλίγων δ' διελθόσων ἡμέρων, ἄγει τὸ τ̃ πόλεως πλῆθος κηρύγματι τυραννικῷ ἐπὶ τὸ θέατρον τὸ ςαδίου, καὶ παράγονται οἱ καλλίνικοι ἀθλοφόροι κατὰ μέζον τὸ θεάτρου, καὶ πᾶσιν ὤφθησαν, ὧν ἔπαθον ὐδὲ ἴχνος· ἐν τοῖς ζώμασι φέροντες. Εισήχθη δὲ καὶ θηρία κατὰ τ̃ μαρτύρων· καὶ Μαξίμῳ μὲν τῷ μεγάλῳ ἀθλητῇ ἄρκος συμπλαγήναι ἀπελύθη· ἡ δὲ ἀφεθεῖσα, ὐ τὰ τ̃ αἱμοβόρων θηρίων, ἀλλὰ τ̃ ὀργωμόνων ἔπραξε θεραπόντων· τὺς γὰρ πόδας τ̃ μάρτυρος περιέλειχέν τε καὶ ἠρεθεράπευεν, ὡς ἐκπλαγέντα ῥῆξαι φωνὴν γοεραὶ τ̃ τύραννον· Οἴμοι κὶ τὰ θηρία τῆ μαγείᾳ ὑπηγάγοντο· ὅμως ἓν ταῦτα λυρῶν καὶ ὀρῶν, ἐπαφίησι τῷ αὐτῷ μάρτυρι κὶ πάρδαλον. ἡ δὲ διδάσκαλον ὀρῦσα τλὶ ἄρτον, τλὶ μάθησιν ὐ κατήσχυνεν· ἀλλὰ τὰ τ̃ ὀλαβυμένων μετέρχετο κἀκείνη.

B 11 Ἀλλ' ὁ τ̃ θηρίων θηριωδέσερος καὶ ὠμότερος τ̃ μὲν καλλίνικον ἀγωνιςὶν Μάξιμον ταῖς εἰρκταῖς ἐγκαταλείει· κατὰ δὲ τὸ θεόφρονος καὶ ζυνάθλου Θεοδότου ἄρκτον ἐπιπέμπει, ὀρθίῳ ξύλῳ πρότερον αὐτὸν ἐνδησάμενος. Ἡ δὲ δρομαία κὶ βρυχῶσα πλησίον τὸ δεσμίου γίνεται, καὶ τλὶ κεφαλὶ ἐπὶ γλῶ κλίνασα, τ̃ προσκυνόντων ἐδείκνυ τλὶ μίμησιν· καὶ πολλῶν αὐτλὶ τυπτόντων καὶ διακεντούντων, τὸ τ̃ ὀλαβείας καὶ τιμῆς ὐ μετέβαλε σχήματος. Διὸ λύσαντες τὸ ξύλου τ̃ μάρτυρα, ἐπὶ τῷ θηρίῳ οἱ θηριώδεις ἠκόντιζον· τὸ δὲ τλὶ αὐτλὶ τῷ μάρτυρι αἰδῶ καὶ ὀργωμοσύνην διέσωζεν. Ὁ δὲ θηριώδης καὶ δυσμενὴς Τήρης, ὅζον τὰ θηρία ἐδυσαπεῖτο τὺς μάρτυρας, τοσῦτον αὐτὸς ἀπηγριῶτο καὶ ἠκμαίνετο· διὸ ἐπεισάγει τοῖς ἄλλοις κὶ τλὶ γενναιοτάτλι Ασκληπιοδότλι, καὶ ταύρῳ τ̃ ἀτιθάσσων καὶ ἀγριωτάτων ἐνδεθῆναι κελεύει, ὡς ἂν ἡ μάρτυς περιελκομένη τοῖς ἐκείνου δρόμοις καὶ σκιρτήμασι, καὶ τοῖς ποσὶ διαπαρασομένη καὶ τοῖς κέρασι, πικρῶς διαφθαρῇ καὶ ἀθλίως. Ἡ δὲ τὸ Χριςὸ μάρτυς τῷ τύπῳ τ̃ ςαυρ̃ καθοπλισθεῖσα, Κύριέ μου, Κύριε, ἐβόα, τίς ὅμοιός ςοι δεδοξασμένε, ἐπὶ σοὶ ἠλπισα· ῥῦσαι με τ̃ ἐπιβυλῆς καὶ τ̃ ἀφύκτων παγίδων τ̃ ἀρχεκάκου ἐχθρ̃. Ὁ δὲ ταῦρος ἐδέδετο μᾶλλον τῇ ἀκινησίᾳ καὶ τῷ ἡμερωτάτῳ τ̃ ἠρεμίας καὶ ςάσεως, ἣ ἡ μάρτυς τοῖς ἄμμασι.

C 12 Καὶ ἐπισραφεῖσα πρὸς τ̃ ὄχλον ἡ γενναῖα καὶ καλλίνικος, Ὁρᾶτε, ἄνθρωποι, καὶ σύνετε, ἔφη· τὰ θηρία τὺς ὁμοδύλους ἐπιγινώσκει, καὶ τ̃ κοινὸν Δεσπότλι ὀλαβύμενα, ὑπὲρ ὃ πάσχυσιν, ὐ θηρία τύτοις, ἀλλ' ὑπηρέται γίνονται, καὶ φιλανθρώπως προσέρχονται· ὑμεῖς δ', εἰ μήτι ἄλλο, τλὶ αὐτλὶ φύσιν φέροντες, καὶ ὀφείλοντες καταιδεῖσθαι, καὶ πρὸς τὺς ὁμοφύλους ὀμενῶς καὶ ἡμέρως διακεῖσθαι, ὥσπερ προαρπασάντων ἀφ' ὑμῶν ταῦτα τ̃ θηρίων, τλὶ ἑκοίνοις ἔμφυτον ὠμότητα καὶ θηριωδίαν ἀντεισπράξασθε, καὶ τ̃ κοινὸν ὐκ αἰσχύνεσθε δυσφημοῦντες Πλάσην, τὺς ὁμοδύλους καὶ ὁμοφύσεις ἀντὶ τ̃ θηρίων, καὶ πολλῷ πικρότερον ταῖς βασάνοις ὥσπερ τοῖς ὀδοῦσι καθεσθίοντες. Ὁ δὲ θεάτρου ὄχλος, ὅσος τοῖς δαίμοσιν ἠνεβάκχευτο d, λίθοις τὺς μάρτυρας, ἀνθ' ὧν τοῖς δικαίοις ἐλέγχοις ἐβάλλοντο, ἔβαλλον. Λύσας δ' ἐπ' αἰσχύνῃ τὸ θέατρον ὁ ἀναίδητος, ἐπὶ τλὶ Φιλιππόπολιν ἐςέλλετο, προσάξας ζυνέπεσθαι δεδεμένους καὶ τὺς μάρτυρας. Πρὸ δὲ τριάκοντα μιλίων τ̃ πόλεως ἐν κώμῃ τινὶ (Σάλτυς δὲ τῇ κώμῃ τὸ ὄνομα, ἕλλην δὲ γλῶσα βρύον ἀν αὐτλὶ μετε-

10 Poſt hæc verò, dilatis mortiferis ipſorum plagis, impius Teres Martyres ad carcerem dimittit, terribiles interminans minas, ſi qui ipſis aliquam ſanationem aut curationem impertirentur. At generoſi Athletæ reſponderunt: Nos Chriſtum, verum Deum, habentes medicum, non corporum ſolùm, ſed etiam animarum, humana curatione, etiamſi daretur, non indigemus. Paucis porrò elapſis diebus, adducit præfectus tyrannico præconio omnem civitatis multitudinem ad theatrum ſtadii, ducunturque victoriis inclyti Athletæ in medium theatrum, viſique ab omnibus ſunt, ne veſtigium quidem eorum, quæ paſſi ſunt, in corporibus circumferentes. Inductæ verò ſunt & feræ contra Martyres: & contra Maximum quidem magnum Athletam ſoluta eſt urſa, cum ipſo congreſſura: hæc verò emiſſa, non ſanguinem ſitientium ferarum, ſed benignorum ſervorum functa eſt officio: nam pedes Martyris circumlinxit & delinivit, ita ut tyrannus perculſus in vocem luctuoſam erumperet: Hei mihi! etiam feræ magiâ ſunt ſubactæ. Simulac igitur hæc effutit & videt, ad eumdem Martyrem emittit pantheram. Hæc verò, magiſtram habens urſam, inſtitutione non fecit indigna; ſed illa etiam venerantium officio functa eſt.

11 Verùm præfectus, feris ferocior & crudelior, clarum victoriâ pugilem Maximum ſeptis includit: contrà Theodotum verò divinâ ſapientiâ ornatum, & certaminis ſocium, ubi ipſum priùs recto ligno alligaverat, urſam emittit. Hæc autem currens ac fremens Vincto appropinquat: caputque in terram inclinans, adorantium exhibet ſpeciem: ac multis ipſam verberantibus & pungentibus, non abſceſſit ab habitu reverentis & honorantis. Quapropter ſolventes à ligno Martyrem, ipſum feri in feram jaculati ſunt, ſed illa eamdem erga Martyrem ſervabat verecundiam ac benevolentiam. Verùm ferus ac infenſus Teres tantò magis exacerbabatur atque efferveſcebat, quantò feræ Martyres magis reverebantur. Quare poſt alios inducit & generoſiſſimam Aſclepiodotam, eamque tauro indomito & ferociſſimo alligari jubet, ut Martyr ejus curſibus & ſubſultibus diſtracta, pedibuſque ac cornibus dilacerata, amaram ac miſeram oppetat mortem. At Chriſti Martyr ſigno crucis armata, Domine mi, clamabat, Domine, quis ſimilis tibi, qui glorificatus es? in te ſperavi: erue me ab inſidiis & inevitabilibus laqueis maligni hoſtis. Taurus verò magis ligatus eſt immobili ſtatu mitiſſimaque requie & ſtatione, quàm nexibus Martyr.

12 Generoſa autem ac victoriâ inclyta, ad turbam converſa, Videte, homines, & intelligite, inquiebat: feræ, bellúæ conſervos agnoſcunt, communemque reveriti Dominum, pro quo patiuntur, his non feræ, ſed ſervi fiunt, & humaniter accedunt. Vos verò, ſi nihil aliud, qui eamdem habetis naturam, eamque revereri debetis, & in conſortes ejuſdem generis benigni eſſe ac manſueti, acſi feræ hæc vobis præripuiſſent, inſitam illis crudelitatem & feritatem viciſſim exercetis, & communem Creatorem contumeliâ afficientes non reveremini; veſtros conſervos, ejuſdem vobiſcum naturæ participes, ferarum loco, multóque acerbiùs, tormentis tamquam dentibus dilaniantes. Turba verò theatri, quanta à dæmonibus impellebatur, lapidibus Martyres impetebat, quia juſtis rationibus redarguebatur. At ſenſûs expers Teres, theatrum cum pudore ſolvens, Philippopolim proficiſcebatur, ubi mandaverat, ut ſimul vincti ſequerentur & Martyres. Triginta verò ab urbe milliaribus in vico quodam (Saltys vico nomen, linguâ verò Græcâ interpretatus eſt Scaturiens:

Ex Ms. *Feris objectus Maximus, ab iis non læditur,*

E *Uti nec Theodotus, nec Aſclepiodota.*

F

Martyres verſus Philippopolim ducti, in vico, cui Saltus nomen,

Ex Ms.

riens:) etenim abundantes ibi aquarum fontes ſcaturiunt, arborumque variarum ac vitium multitudo facit, ut locus ille ſit hortus amœnus.

capite reſecto, palmam conſequuntur.

13 Huc ubi pervenerat tyrannus, rurſus Martyres in conſpectum ſuum adducit, ſimilibusque minimè erubeſcens congreditur verbis, & ad ſacrificandum hortabatur. Illi verò puerilium inſtar nugamentorum iſta rejicientes confutârunt, addiderunt-que: Uti nos bona ſpe pleni ſumus, confidimus per potentiam & gratiam Servatoris noſtri, nos hîc obtenturos finem martyrii: à te verò divina juſtitia citò meritas ineffabilis crudelitatis & inhumanitatis pœnas exiget. Ille verò majoribus, quàm quibus perpetuò agitatus fuerat, furiis actus, mortis contra eos fert ſententiam, ſcribens: Decerno, Maximum, Aſclepiodotam, & Theodotum, imperialibus repugnantes legibus, deos injuriâ afficientes ac deridentes, gladii pœnam ſubire, reſectis capitibus. Glorioſi autem forteſque Martyres, lætantes unà & exſultantes, ac ſtrenua palmiſque decorata cum omni gratiarum actione extendentes colla, à temporaneis ad regnum ſempiternum accurrerunt.

B

Tyrannus fulmine percuſſus perit.

14 Non multò pòſt furioſus ille ac mortifer Teres, arrogans in tribunali attollens ſupercilium, fulgurum ac tonitruum vi ſubita erumpente, ipſe cum ſuis, divino incorruptoque judicio, fulmine percuſſus interiit, omni corporis vigore conſumpto ab igne fulmineo, ipſiſque oſſibus medullâ exhauſtis, ita ut corporis figura videretur in lapidem converſa, lapidiſque naturam caro imitata. Verùm qui erant ſuperſtites ejuſdem curiæ, talem plagam tantamque ignominiam non ferentes, occultare conabantur punitionem eſſe divinitus inflictam: quapropter corpus fulmine percuſſum ac miſerabile humo cooperiebant, humumque in montis molem aggerabant: per quæ autem occultare ſtudebant rem latêre neſciam, magis manifeſtabant miræ punitionis triumphum erecto monte, tamquam indelebili divinæ de tyranno vindictæ columna, & præſentibus & poſterioribus.

oratio auctoris ad Deum, ut finiatur perſecutio.

15 Tu verò, Deus deorum, Domine & Rex dominantium, fons benignitatis & miſericordiarum, puniens quidem eos, qui ſine ſpe converſionis impiè agunt, glorificans verò illos, qui pro gloria tua decertant: neque verò exſecrans eos, qui delictorum ſuorum pœnitentiam humiliter agunt, & convertuntur; ſed multos etiam ex illis martyrii

C

certaminum ac coronarum participes facere dignatus es: vides, quæ patimur: videmus verò & nos, ea illis, quæ perpetravimus (quid dicam Deus meus) æqualia non eſſe aut conferenda; etiamſi tentationum igne putredo malarum affectionum, (quis dixerit omnis?) ſed ea, quæ interim corrumpit hominem ad imaginem tuam factum, abſumpta fuerit. Siſte, ô miſericors, vehementiam; non peccatorum gravitati, ſed naturæ infirmitati, & magis clementiæ tuæ pœnam attemperans. Si verò multa fornace & expurgatione opus eſt carnis ſtatuæ; da ut ignem iſtum fortiter ac patienter feramus, ne eodem, quo alii purificantur, nobis macularum fiat acceſſio. Nullam autem habentes à nobis ſupplicandi formam, quam ad te elevemus, quàm fidem in te puram ac pietatem à progenitoribus hæreditate acceptam, hanc ipſam pro omnibus tibi offerimus. Si verò & Martyres tuos ſuſcipias legatos, quorum certamina ſine offenſione narravimus: & verò utinam ſuſcipias! nobis utique aliquid adveniet utilius.

φράσετο·) ϗ γὰρ ὑδάτων βρύχυσι ἄφθονες πηγαὶ, ϗ δένδρων παντοδαπῶν ϗ ἀμπέλων εὐθηνία τερπνὴν παράδειϛον ἀπεργάζονται τὸ χωρίον. D

13 Ἐνταῦθα καταχθεὶς ὁ τύραννος, ἄγει καὶ ἀπρόσωπον τὸς μάρτυρας πάλιν· ϗ τοῖς ὁμοίοις θρασυνόμενος συμπλέκεται λόγοις, ϗ πρὸς τὸ θύειν ἀνεκαλεῖτο. Οἱ δὲ παίδων ἀθύρμασι παραπλησίως τὰυτὰς διαχρυόμενοι ἀπερράπιζον· ἐπισυνῆπτον δὲ· Ὡς ἡμεῖς εὐέλπιδες ἐσμὲν, ϗ πεποίθαμεν τῇ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν δυνάμει ϗ χάριτι, ϑ μαρτυρικὸν δρόμον τὸ τέλος καταλαβεῖν ἐνταῦθα· σὲ δὲ ἡ θεία δίκη ϑ ἀφάτου μιαιφονίας ϗ μισανθρωπίας θρασὺ εἰς μακρὰν τὰς ὀδύνας ἐκπράξεται. Ὁ δὲ τλέον ὢν διαπαντὸς ἐμαίνετο, ἐκμανὴς, θανατηφόρον ψῆφον ἐκφέρει κατ' αὐτῶν· Μάξιμον ψηφίζομαι, γράφων, ϗ Ἀσκληπιοδότλω ϗ Θεόδοτον, βασιλικοῖς μὲν ἀντινομοθετοῦντας νόμοις, θεοὺς δὲ ὑβρίζοντας ϗ διαγελῶντας, τλὼ διὰ ξίφους δῆναι δικὴν, τὰς κεφαλὰς ἀποτεμνομένους. Οἱ δὲ καλλίνικοι ϗ γενναῖοι μάρτυρες, χαίροντες ἅμα ϗ ἀγαλλόμενοι, ϗ τὰς γενναίους καὶ ἀβλαφορικὰς σὺν δικαιοσίᾳ πᾶσι ἀποτείναντες αὐχένας, πρὸς τλὼ ἐκεῖθεν ἀπὸ τῶν ἐπικήρων ἀνέδραμον ἀδιάδοχον βασιλείαν.

14 Μετ' ὀλίγον δὲ ϗ ὁ μεμηνὼς ϗ δυσάνατος Τήρης, ϑβαρὰν τὴν ὀφρὺν ἀνατείνων ἐπὶ βήματος, ἀστραπῶν ϗ βροντῶν ϗαισίων καταῤῥαγέντων, αὐτός τε ϗ οἱ μετ' αὐτοῦ δεηλάτῳ ϗ ἀδεκάστῳ κρίσει κεραυνόβλητος γίνεται, ϗ ἐν τῷ σώματι λιβάδος πᾶσης ὑπὸ τοῦ κεραυνίου πυρὸς ἀπαναλωθείσης, ϗ τῶν ὀστῶν ἐκμυελισθέντων, ὡς δοκεῖν τλὼ μορφὴν τοῦ ζώματος ἀπολιθωθῆναι, ϗ λίθου φύσιν τὸ σαρκίον ἐκμιμήσασθαι. Τὸ δὲ τηλικοῦτον πάθος ϗ τλὼ τοσαύτλω αἰσχύνλω, ϗ ἐκείνου φατρίας ὅλον ἐλίπετο, μὴ φέροντες, κρύπτειν μὲν ἐμαχανῶντο ϗ τιμωρίας τὸ δεήλατον· διὸ χοῦν τῷ κεραυνοβλήτῳ ϗ δυσότμῳ ζώματι ἐπεχώννυον, ϗ εἰς ὄρος μέγεθος τὸ χῶμα ἀπεκορύφωσαν; δι' ὧν κρύπτειν ἐσπούδαζον τὸ ἀλάθητον, μᾶλλον δὲ πάθος ἐτριάμβδιον τὸ παράδοξον, σήλην ἀνεξάλειπτον τὸ ὀρθὸν ϗ κατὰ τυράννου θεομηνίας ϗ τοῖς παροῦσι ϗ τοῖς μεταγενεστέροις ἀνασήσαντες. E

15 Σὺ δέ μοι Θεὲ θεῶν, Κύριε ϗ Βασιλεῦ τῶν δυνάμεων, ἡ πηγὴ φιλανθρωπίας καὶ τῶν οἰκτιρμῶν, ὁ κολάζων μὲν τὰς ἀνεπιστρόφως ἀσεβοῦντας, δοξάζων δὲ τὰς ὑπὲρ τῆς σῆς δόξης ἀναλλοῦντας, ϗ βδελυσσόμενος δὲ ὠδὲ τὰς ἐφ' οἷς ἥμερον μετανοοῦντας, ϗ ἐπιστρέφοντας, ἀλλὰ ϗ πολλὰς αὐτῶν μαρτυρικῶν ἄθλων ϗ στεφάνων μετασχεῖν καταξιώσας· Ὁρᾷς οἷα πάσχομεν· ὁρῶμεν δὲ ϗ ἡμεῖς, ὅτι ὧν ἐπράξαμεν, (πῶς εἰπω, Θεέ μου;) ἰσοστάσια ἢ οὐκ ἀνταξία· ἀλλ' εἰ τῷ πυρὶ τῶν πειρασμῶν ἡ τῶν παθῶν ζηπεδῶν, (τίς ἂν εἰποι πᾶσα;) ἀλλ' ἥξε τέως διαφθείρουσα τὸ κατ' εἰκόνα διετάχη. Στῆσον δέσπλαγχνε τὸ δεινὸν, μὴ τῷ τῶν πλημμελημάτων ὄγκῳ, τῇ δὲ φύσεως ἀσθενείᾳ, μᾶλλον δὲ τῇ σῇ φιλανθρωπίᾳ τλὼ τιμωρίαν παραμετρούμενος. Εἰ δέ τι πολλῆς χωνείας ϗ ἀναϗαθάρσεως ὁ δὲ ζαρκὸς δεῖται ἀνδριὰς, φέρειν δίδου τλὼ πύρωσιν εὐκαρτερίᾳ ϗ ὑπομονῇ, ἵνα μὴ τὸ καθαρισμὸς ἄλλοις, ἡμῖν κυλίδων προσθήκη γίνεται· ὑδεμίαν δὲ ἔχοντες οἰκοθεν ἱκετηρίαν ἀνατείναι ζοι, εἰ μὴ τλὼ εἰς σὲ καθαρὰν πίσιν ϗ δόσέβειαν, ἣν ἐκ προγόνων ἐκληρωσάμεθα, ταύτλω ἀντὶ πάντων ζοι προσάγομεν· εἰ δὲ δέχοιο ϗ τὰς σὰς μάρτυρας πρεσβευτὰς, ὧν τὰς ἄθλας ἀνυβρίστως διεξήλθομεν, δέχοιο δὲ· ἴσως ἂν ἡμῖν ἀπαντήσῃ τι λυσιτελέστερον. F

AN-

A Ex Ms.

ANNOTATA.

a *Hic fortè aliquid in apographo omiſſum eſt : nam Dei cognitio magis videtur ſpectare ad intellectum, ac Dei amor ad cor, ita ut fortaſſe ſcriptum fuerit, Martyrum intellectum Dei cognitione illuminatum, ejuſdemque amorem eorum cordibus infuſum.*

b *Verba Græca haud dubiè mendoſa hoc loco ſunt in apographo noſtro. Legendum* ἡ ὃ γνώμη *hîc, aut mox* ἀκαταγώνιστοι μάρτυρες : *quod in idem recidet. Latina expoſitio igitur certa eſt quoad ſententiam ; at correctio Græcarum vocum alterutra ſolùm certa : hinc neutram dare volui.*

c *Hæc oratio habet aliquid inſoliti, quia petitur, ut puniantur perſecutores, quod non videtur congruere cum exemplo Chriſti & S. Stephani, inter ipſa tormenta pro inimicis orantium. Nolim quidem dicere, malam aut illicitam eſſe orationem, prout conſcripta eſt : nam ſi Martyres revera ſic orârunt, id non fecerunt odio tyrannorum, ſed amore religionis Chriſtianæ ; utilitatemque communem multorum prætulerunt bono paucorum. Attamen ſimilia non facilè in exemplum trahenda ſunt, præſertim cùm neſciamus, an omnia ſint Martyrum ipſorum dicta, quæ ſcriptor illis attribuit.*

d *Hæc vox erat mendoſa in apographo, ubi legitur,* ἐκβεβάχολτο. *Quare corrigendam credidi, monito tamen lectore. Neque enim dubitem, quin legendum ſit* ἠβεβάχολτο, *quòd derivatur à verbo* ἐκβαχχόλομαι, debacchor, *aut* furiis incitor.

DE S. PORPHYRIO MARTYRE

B E

Ex Faſtis maximè Græcorum.

J. S.

CIRCA CCCLXII. *Nomen S. Porphyrii Martyrologiis inſcriptum :*

Græci in Menæis ac Menologiis ſuis hodie commemorant S. Porphyrium *ex mimo martyrem, de quo Baronius in Martyrologio Romano ita loquitur :* Item S. Porphyrii mimi, qui coram Juliano apoſtata per jocum baptiſma ſuſcipiens, Dei virtute derepentè mutatus, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, ac mox, jubente eo, ſecuri percuſſus, martyrio coronatur. *Cum hiſce ſatis congruunt, quæ ad hunc diem leguntur in Menologio Sirletiano, in Menæis impreſſis, atque in Synaxario Ms., quod à Sirmondo accepimus. Tria hæc monumenta ita invicem conſentiunt, ut ſatis ſit unum huc transferre Menologium Sirletianum, quod ſic habet :* Eodem die natalis B. Porphyrii ex mimis. A Juliano apoſtata juſſus in natali ipſius die obtrectare & irridere Chriſtianorum facta, cùm in aquam deſcendens immergeret, exclamavit : Baptizatur Porphyrius in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti : ſic emergens, albas veſtes indutus, & ſe libera voce Chriſtianum eſſe profeſſus, enſe obtruncatus coronam martyrii conſecutus eſt. *Ita Menologium iſtud cum Menæis, & Synaxario ; ſed non ſatis accuratè, quantùm videtur.*

C

elogium Sancti ſub Juliano paſſi.

2 *Rectiùs cauſa martyrii, ipſumque* S. Porphyrii *martyrium exponitur in Menologio Baſiliano, ubi ad eumdem diem* Certamen ſancti martyris Porphyrii *annuntiatur, elogiumque ſubjungitur his verbis expreſſum :* Porphyrius martyr imperatore Juliano apoſtata claruit, quem menſæ accumbentem jocis ac ſalibus, mimicam artem exercens, delectare conſueverat. Cùm autem animadvertiſſet, illum, ejurato Domino noſtro Jeſu Chriſto, idola colere, eaque pro diis habere, divino zelo accenſus, vehementer eum objurgavit coram univerſo ſenatu, prævaricatorem, impium ac ſceleſtum appellans, atque ingratum in Deum, qui tanta ipſi beneficia, & imperium contulerat. Quare excandeſcens Julianus, variis eum priùs acerbiſque tormentis crudeliter excruciavit : totum deinde illius corpus flagellis cædendo adeo laceravit, ut oſſa nudarentur. Poſtremò præcepit lictoribus, ut eum decollarent. Quâ acceptâ ſententiâ, vinctus ad locum ſupplicii adductus, & gladio percuſſus occubuit, pro temporario rege immortalem adeptus, & pro corruptibilibus deliciis æternam felicitatem. *Hactenus Menologium, cujus relatio multùm diſtat à præcedente, & câ ſaltem probabilior eſt, licèt neutra fortaſſe omnino ſit accurata. Utraque aliquid veri habere poteſt, ſi catechumenus erat* Porphyrius, *aut Chriſtianam religionem amplecti ſtatuerat, quando jubebatur à Juliano Chriſtianorum ſacra irridere, aut ſi tactus ſubitò fuerit divinâ gratiâ, quando diſponebat ſe ad impium iſtum ludum. Ita converſus eſt S. Geneſius ex mimo martyr, de quo actum eſt ad* XXV *Auguſti. Locus Martyrii non exprimitur. Verùm Julianus imperium adeptus eſt ſub finem anni* 361 *in Oriente, nec poſtea fuit in Occidente. Itaque martyrium* S. Porphyrii *contigit in aliqua urbe imperii Orientalis, fortè Conſtantinopoli, ac veriſimiliter anno* 362.

F

AUCTORE J. S.

D

DE S. NICETA GOTHO,

MARTYRE IN GOTHIA ULTRA ISTRUM.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Celebris Sancti cultus : locus & tempus martyrii inveſtigantur : nonnulla de converſione Gothorum obſervata : Acta Græca edenda.

CIRCA AN. CCC-LXXII. *Sancti memoria in Faſtis : cultus apud Græcos :*

Celebris admodùm eſt hodie apud Græcos & Moſchos cultus S. Nicetæ *martyris, natione Gothi, de quo Baronius in Martyrologio Romano ita meminit* : Eodem die ſancti Nicetæ Gothi, qui ab Athanarico rege ob Catholicam fidem juſſus eſt igne comburi. *Petrus de Natalibus lib.* 5 *cap.* 4 *elogium contexuit ex Actis infrà dandis, ſed non ſine erroribus aliquot, mortemque Sancti, quem* Nicetum *vocat, fixit* XXV *Maii. Hinc factum, ut Grevenus aliique pauci martyrologi* Nicetum, *aut potiùs* Nicetam, *ad* XXV *Maii ſuis Faſtis inſeruerint. Alii tamen Latini cum Molano* S. Nicetam *hodie memorârunt. Antiquiores martyrologi Latini Sanctum hunc ignorârunt : ſed Græci magno conſenſu, & cum his Moſchi* S. Nicetam *hodie celebrant, ut magnum Martyrem, de quo Officium eccleſiaſticum eodem die peragendum in libris eorum ritualibus præſcribitur. In Menologio Sirletiano hoc* S. Nicetæ *datur elogium* : Commemoratio ſancti martyris Nicetæ, qui ſub imperio Conſtantini Magni natus, atque educatus in regione Gothorum ultra Danubium, non communicabat cum barbaris ſed cum viris piis Deum colentibus, edoctus Chriſti fidem à ſanctiſſimo epiſcopo Gothorum Theophilo, comprehenſus ab Athanaſio (*lege* Athanarico) principe propter Chriſtianæ fidei profeſſionem, & multis tormentis cruciatus, igne conſumptus, conſummatus eſt. *Conſonant omnino Menæa impreſſa, ubi nomem* Athanarici, *pro quo hîc mendosè* Athanaſius *legitur, rectè eſt expreſſum.*

C

elogium ex Menologio Baſiliano :

2 *In Menologio Baſiliano Acta* S. Nicetæ *compendio exponuntur. Nam poſt hanc annuntiationem,* Certamen ſancti magni martyris Nicetæ, *ſequitur elogium ita conceptum.* Nicetas, præclarus Chriſti martyr, fuit imperante Conſtantino Magno, genere Gotthus, nobilitate ac divitiis inter populares ſuos florens, à Theophilo religioſiſſimo Gothiæ epiſcopo fidem edoctus. Cùm autem in duas factiones tota Gotthorum gens ſciſſa fuiſſet, atque utraque ſuum ſibi principem creâſſet ; confugit alter principum ad Romanorum imperatorem : qui cùm ſuſcepta in contrariæ factionis tyrannum expeditione, inſignem ex eo reportâſſet victoriam, Gotthoſque ſubegiſſet, ex eo tempore genus Chriſtianorum inter Gotthos multiplicatum eſt. Horum primus ſanctus Nicetas fuit, qui & ſumma libertate Chriſtianam fidem populo annuntiabat. Sed poſtquam reverſus eſt imperator, Gotthi infideles furore perciti, commota in Chriſtianos perſecutione, alios quidem aliter torſere ; Nicetam autem multiplicibus ſuppliciis excruciatum igni tradidere. *Hactenus Menologium ſatis rectè.*

E

corpus primò Mopſueſtiam, deinde Venetias tranſlatum.

3 *De tranſlatione corporis* S. Nicetæ *Gothi agunt Acta edenda, iiſque conſentit Petrus de Natalibus jam laudatus. Utrobique etiam legitur, eccleſiam Sancto ædificatam eſſe Mopſueſtiæ in Cilicia, quò ſacrum corpus erat delatum. Addit deinde Petrus de Natalibus :* Poſt temporis decurſum corpus ipſum Venetias tranſlatum, quieſcere dicitur in eccleſia S. Nicolai. *De corpore ibidem ſervato adſtipulatur Nicolaus Doglioni in Opuſculo Italico de Notabilibus urbis Venetæ lib.* 2 *pag.* 345 ; *uti & Opuſculum Latinum de Urbe Veneta, quod impreſſum eſt in Theſauro Antiquitatum Italiæ tom.* 5 *part.* 2. *In illo enim tractatur de templo S. Nicolai, parochia presbyterorum in regione Dorſi duri, atque in fine dicitur :* Hìc S. Nicetæ corpus aliæque Sanctorum reliquiæ habentur.

Paſſus eſt Sanctus in ditione Athanarici,

4 *Quod ſpectat ad tempus, quo* S. Nicetas *martyrio coronatus eſt, illud utcumque aſſignari poteſt ex tempore, quo Gothorum princeps Athanaricus perſecutionem movit adverſus Chriſtianos. De numeroſa Gothorum martyrum claſſe ad* XXVI *Martii egit Papebrochius noſter breviter admodùm. Prolixiùs & accuratiùs de S. Saba Gotho, in eadem quoque perſecutione paſſo, idem egit ad* XII *Aprilis, quo occiſus eſt anno* 372. *Eodem forſan anno, certè non multis annis citiùs aut ſeriùs coronatus eſt* S. Nicetas. *Locus martyrii fuit in ditione Gothorum, ultra Danubium tunc degentium. Neſcio ſanè, quo memoriæ lapſu Caſtellanus in Martyrologio univerſali ad marginem, & in indice, notare potuerit, prope Mopſueſtiam in Cilicia occiſum eſſe Sanctum, niſi locum, ad quem corpus tranſlatum eſt, cum loco martyrii confuderit. Nulla enim eſt ratio, cur dicamus, occiſum eſſe Sanctum extra ditionem Athanarici Gothorum regis, quæ immenſo terrarum intervallo à Cilicia diſtabat. Si porrò ditionem Athanarici propiùs inquirere velimus, ex Ammiano, geſta Valentis imperatoris contra Athanaricum referente lib.* 27 *cap.* 5, *facilè deprehendemus, Athanaricum eo tempore dominatum eſſe in hodierna Moldavia, ac fortè in Valachia & Beſſarabia, aut certè in parte aliqua illarum provinciarum : neque enim novimus, quàm latè imperaret.*

F

5 *Loca ab Ammiano memorata, ubi Valens Iſtrum primo & tertio illius belli anno trajecit, & ubi anno ſecundo tranſitum fruſtrà tentavit, erant*

ultra Danubium dominantis, & circa annum 372:

in Mœsia inferiore, dictis provinciis, præsertim Moldaviæ opposita, soloque Istro ab iis divisa. Marcianopolis ejusdem provinciæ urbs, in qua Valens hiberna habebat, ac pax in ipso Istro inter utrumque principem inita, similiter ostendunt, Athanarici ditionem à Mœsia inferiore solo Istro sive Danubio diremptam fuisse. Itaque dubitandum non est, quin S. Nicetas *passus sit in hodierna Moldavia, vel huic contermina Valachia aut Bessarabia. Nam persecutionem contra Christianos movit Athanaricus, priusquam Gothi Istrum fuerunt transgressi, quando hæresis Ariana necdum prævaluerat apud Gothos, ut observat S. Augustinus lib.* 18 *de Civitate cap.* 52, *ubi hæc scribit:* Rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cùm ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt; sicut à quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & se ista vidisse incunctanter recordabantur, audivimus. *Paulus Orosius lib.* 7 *cap.* 32 *de eadem persecutione sic habet:* Præterea Athanaricus rex Gothorum Christianos in gente sua crudelissimè persecutus, plurimos barbarorum ob fidem interfectos ad coronam martyrii sublimavit *&c. Hæc ille refert, postquam dixerat, Gratianum creatum esse imperatorem. Attamen hinc nequit inferri, eodem anno* 367, *quo Gratianus factus est imperator, natam esse persecutionem; sed solùm, cœptam non esse multis annis seriùs: Orosius enim singula non refert ad annos determinatos. Ex laudatis antè S. Sabæ Actis certum est, persecutionem viguisse anno* 372, *& jam antea fuisse cœptam. Hæc de causa martyrium* S. Nicetæ *circa eumdem annum* 372 *figendum censui.*

B

bellum Gothorum occasio persecutionis fuisse dicitur:

6 *Occasio persecutionis in Actis repetitur ex dissensione Gothorum, & bello, quod ortum dicitur inter principes duarum partium, Fritigernem videlicet & Athanaricum. Si Actis credendum sit, Fritigernes fuit primùm victus ab Athanarico; sed postea, fœdere inito cum Valente, hujus subsidio victor. Similia habet Sozomenus lib.* 6 *cap.* 37 *ita scribens:* Haud multò pòst, orta inter eos (*Gothos*) seditione, duas in partes divisi sunt: quarum alteri Athanaricus, alteri præerat Phritigernus *. Mox, commisso inter eos prælio, victus Phritigernus, Romanorum auxilium imploravit. Quod cùm imperator concessisset, jussissetque, ut milites, qui in Thracia erant, ei auxilium ferrent, denuò congressus, victoriam retulit, & Athanarici copias in fugam vertit. *Hactenus Sozomenus, addens ea occasione, Fritigernem cum Ulphila episcopo ac subditis suis à Valente ad Arianam hæresim traductum. Verùm scriptor ille hæc omnia memorat post pulsos ab Hunnis è sedibus suis Gothos, qui à Valente recepti sunt in Thracia.*

*Græcè Φριτιγέρνης

C

at id bellum non est omnino certum:

7 *At persecutio Athanarici sæviit, quando Gothi omnes ultra Istrum degebant, ut S. Augustinus mox laudatus testatur, idque etiam liquet ex tempore persecutionis per Orosium assignato. Præterea S. Epiphanius, qui eo tempore florebat & scribebat, agens de vehementi illa persecutione in hæresi* 70 *Audianorum, cap.* 15 *ait,* Romanorum præsertim odio *à rege Gothorum commotam esse,* quòd Romanos imperatores Christianos esse videret. *Itaque verendum est, ne aliqua tam in Actis quàm apud Sozomenum sit confusio, indeque perperam assignata persecutionis causa. Nam Athanaricus ante persecutionem contra Valentem gessit bellum, ab eoque victus est anno* 369, *circa quem inchoata est persecutio, forsan simulac Valens, sancita pace, cum exercitu Romano recesserat. An verò etiam ante id tempus Fritigernes & Athanaricus bello certaverint, non adeo certum est, licèt hoc etiam habeat Socrates lib.* 4 *cap.* 33.

certum verò est Gothos tunc fuisse Catholicos.

8 *Quidquid sit, constat de persecutione; constatque ulteriùs, eam fuisse motam, quando Gothi erant Catholici, ut observat S. Augustinus, & liquet ex tempore, quo ad Arianismum traducti sunt Gothi. Socrates quidem Gothos, ab Athanarico occisos, simul & Arianos facit & martyres: sed scriptor ille frequenter modo planè inepto & ridiculo scribit de rebus fidei, Gothosque jam tunc Arianos facit, quia non multò pòst illam hæresim sunt amplexi: ut narrat Theodoretus mox laudandus, qui id Ulphilæ Gothorum episcopi perfidiæ attribuit. Quæ autem Theodoretus de Ulphilæ perversione memorat, longè probabiliora sunt, quàm quæ de eodem scripsit Philostorgius Arianus. Nam cum ab Eusebio episcopo, (Nicomediensem insinuans Arianum) fuisse ordinatum, Philostorgius ait,* cùm à rege, qui tunc Gothis præerat, legatus unà cum aliis ad imperatorem Constantinum missus esset. *Improbabilia hæc sunt, quia sic Ulphila ordinatus esset ante mortem Constantini,* E *anno* 337 *defuncti, & quidem ab Eusebio Nicomediensi Ariano. At nec verisimile est, Ulphilam tam citò fuisse episcopum, aut ordinatum esse tempore Constantini ab homine Ariano, quando Constantinopolitanam sedem obtinebat S. Alexander Constantino gratiosus. Itaque figmenta illa sunt Philostorgii, in gratiam Arianorum suorum non raro falsa scribentis. Valde etiam incertum, & minùs probabile est, quod scribit de Ulphila Socrates lib.* 2 *cap.* 41, *eum fuisse in concilio Constantinopolitano anni* 360, *ubi Ariani novam condiderunt fidei formulam, cui Ulphila tunc consensisset. Idem tamen habet Sozomenus lib.* 4 *cap.* 24. *At hic lib.* 6 *cap.* 37 *existimat,* imprudenter *factum ab Ulphila, qui, inquit,* cum episcopis Nicænorum patrum decreta sectantibus communicare perseveravit.

Nam Ulphila eorum episcopus, antea Catholicus,

9 *Quidquid porrò sit de factis aliquot particularibus Ulphilæ, à quibus fides Gothorum non dependet; constat Gothos diu ante tempus, de quo agitur, fuisse conversos, ac Gothorum metropolitam Theophilum in concilio Nicæno fuisse anno* 325; *Itaque Gothi dudum Christiani erant & Catholici; sed ad perfidiam traducti sunt à Valente circa annum* 376, *quando pulsi ab Hunnis,* F *petierunt, ut sedes sibi figere liceret intra limites Romani imperii. Observat hoc Sozomenus, qui alias Socratem passim nimis sequitur; additque de episcopo Gothorum in confirmationem sequentia verba:* Nam Ulphila, qui tunc apud ipsos erat episcopus, initio quidem nulla in parte dissensit ab Ecclesia Catholica. *Mox subdit, Ulphilam, qui à Gothis ad Valentem legatus erat missus, promissis Arianorum episcoporum esse corruptum.*

tantùm perversus est circa annum 376.

10 *Verùm audiamus Theodoretum, de his scribentem lib.* 4 *cap.* 37, *ubi sic habet:* Quo tempore Gothi Istrum trajicientes, fœdus cum Valente percusserunt, abominandus ille Eudoxius (*verisimiliter legendum* Euzoïus, *qui Arianorum episcopus erat Antiochiæ, ubi tunc Valens degebat*) qui tunc aderat, suggessit imperatori, persuadendum esse Gothis, ut cum ipso communicarent. Nam cùm diu antea divinæ cognitionis radiis illustrati essent, in Apostolica doctrina semper fuerant innutriti. Quippe, aiebat Eudoxius, unius dogmatis communio pacem firmiorem efficiet.

Quod

AUCTORE J. S.

Quod consilium cùm approbâsset Valens, optimatibus Gothorum proposuit, ut in doctrina fidei cum ipso consentirent. At illi responderunt numquam se adduci posse, ut à majorum suorum doctrina discederent. Porrò ea tempestate Ulphila totius gentis erat episcopus, magnæ apud illos auctoritatis, & cujus verba pro firmissimis legibus habebant. Hunc Eudoxius cùm & verbis demulsisset, & muneribus illexisset, eò impulit, ut Gothos ad communionem imperatoris amplectendam adduceret. Id autem persuasit, cùm diceret, contentionem ex ambitione ortam esse; dogmatum verò nullam esse discrepantiam. *Sic Ulphila perfidiâ circa annum 376 ad hæresim perducti sunt Gothi.*

Acta Græca satis probabilia videntur,

11 *Quod spectat ad Acta Græca* S. Nicetæ, *auctorem ea habent Metaphrastem, qui verisimiliter habuit Acta antiquiora, quæ ad stylum suum traduxit. Latinè edita sunt apud Lipomanum & Surium, ibique Metaphrasti adscripta. Allatius quoque in Opusculo de Simeonum scriptis pag. 127 horum Actorum dat initium, aggregatque catalogo illorum, quæ Metaphrastis esse videntur. Bailletus in tabula critica ad hunc diem observat, alia olim Acta* S. Nicetæ *exstitisse; sed ea tamquam perdita haberi posse, postquam illa suo stylo exornanda suscepit Metaphrastes. Verùm justo vehementior videtur hæc censura, quæ fortè non aliunde nata est, quàm ex solo Metaphrastis nomine: non enim invenio, quid magnopere displicere possit in Actis* S. Nicetæ *præter aliqua ad Sanctum vix spectantia, & occasionem persecutionis Athanarici, hujusque contra Fritigernem bellum, quod tamen etiam habent Socrates & Sozomenus.*

edenturque cum Latina interpretatione correcta.

12 *Fortasse Valens, instigante Fritigerne, bellum contra Athanaricum suscepit: quamvis illud quoque feciisse legatur, quia Athanaricus Procopio tyranno subsidia contra Valentem miserat. Fortasse Athanaricus Fritigernem aggressus est post pacem cum Valente factam. Quidquid sit, dubium magis est istud bellum, quàm certò fictitium. Reliqua in Actis relata de* S. Niceta, *licèt tam certa non sint, quàm facta ab auctore contemporaneo scripta, modo satis verisimili sunt enarrata. Acta autem illa Græca, quæ edam, in apographo nostro notantur desumpta ex codice Ms. regis Franciæ. Interpretatio Latina apud Lipomanum & Surium Græco contextui plerumque respondet, non tamen ita semper est accurata, ut nequeat emendari. Nam subinde aliqua verba prorsus Latinè sunt omissa, quæ secundum Græca adjungam. Semel iterumque interpres à vero sensu aberrâsse videtur; ideoque veram interpretationem substituam, servata tamen antiqua versione, ubicumque videbitur legitima.*

A C T A

Ex codice Ms. bibliothecæ regiæ cum antiqua versione subinde correcta.

Nicetas genere Gothus, moribus præstans, *a*

VIctricia martyris Nicetæ hodie celebramus certamina, non quem princeps Apostolorum Petrus erudiit, & qui Clementis fuit frater *a*, & quem Commodus tyrannus propter Christum illato consummavit martyrio. Non convenimus, ut hujus celebremus certamina: sed quem (quod ad laudem quidem est præclarius & præstantius) regio tulit barbara, mores verò enutrierunt barbari: & innatam nobilitatem minimè adulterârunt *b*. Sciunt omnes fluvium Istrum, magnitudine quidem inter fluvios clarum, quem lingua ejus regionis appellat Danubium. Gothos autem, qui illo tempore excesserant è patria *c*, fluvius habebat accolas. Hic ergò admirandus Nicetas, natus è Gotthicis seminibus, & primum honorem apud illos nactus, tam propter claritatem generis, quàm propter aliam animi & corporis indolem & dexteritatem, non erat vitâ Gotthus, nec moribus, nec fide. Nam genus quidem vincebat ingenium: amor autem in Christum, barbaram opinionem: studium verò virtutis, intemperantiam Gothicam & feritatem.

Theophilo fuit instructus: clades Athanarici Gothorum regis, *d*

2 Hic autem in adolescentia hauserat sacra fluenta doctrinæ Theophili. Quem quidem Theophilum *d*, cùm ejus fidei fuisset commissus Gotthorum pontificatus, accepimus interfuisse primæ universali synodo Nicænæ, manuque & linguâ apud omnes confirmâsse dogmata pietatis. Cùm autem non multum interceSSisset temporis, & in gente Gotthorum bella erupissent intestina, & essent divisi in duas partes, & uni quidem præesset Phritigernes, altera autem valdè terribili parêret Athanaricho, hic Atha-

Νικητικὸς ἀγῶνας τῆ μάρτυρος Νικήτα πανηγορίζομεν σήμερον· οὐχ ὃν ὁ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος πέτρος ἐπαιδαγώγησε, καὶ Κλήμης ἔσχε κοινωνὸν ὠδίνων τῶν μητρικῶν, ῥώμη τε προήνεγκε, καὶ Κόμοδος τυραννῶν τῷ διὰ Χριστὸν τελειώσε μαρτυρίῳ· ἀ τέτε γὰρ τοὺς ἄθλους πανηγορίσαι συνήλθομεν, ἀλλ' ὃν (τόγε πρὸς εὐφημίαν λαμπρότερόν τε καὶ τιμιώτερον) βάρβαρος μὲν ἤνεγκε χώρα, βάρβαρα δὲ ἐθρέψαντο ἤθη, καὶ τλὼ ἔμφυτον τῆ τυχῆς εὐγένειαν ἀμενῆνα ἐκ ἐνόθευσαν· ἴσαν πάντες τὸν ποταμὸν Ἴστρον μεγέθει καὶ εὐθηνίᾳ, ὅσα ποταμοὶ φέρουσι, τὸ περιβόητον ἔχοντα, ὃν καὶ Δανάβιον ἡ ἐπιχώριος ὀνομάζε γλῶττα καλεῖν. Γότθυς δὲ καὶ ἐκεῖνο καιρὸν μεταναστάτας τῆ πατρίδος γεγονότας προσοίκως ὁ ποταμὸς ἔφερεν. Οὗτος ὢν ὁ θαυμασὸς Νικήτας γοτθικῶν ἀπερμάτων ἐκφὺς, καὶ τιμὴν τλὼ πρώτλω παρ' ἐκείνοις λαχὼν, διά τε τὸ περιφανὲς τῆ γένους καὶ τλὼ ἄλλω τῆ σώματός τε καὶ τῆ ψυχῆς εὐφυΐαν ὅσην καὶ δεξιότητα, ἀ Γότθος ἰῶ τῆ βίον, ἀ τὰς τρόπυς, ἀδὲ τλὼ πίσιν. Ἐνίκα γὰρ ἡ μὲν γνώμη τὸ γένος, τὸ δὲ εἰς Χριστὸν φίλτρον τλὼ βάρβαρον δόξαν, ὁ δὲ τῶν ἀρετῶν ἔρως τλὼ Γοτθικλὼ ἀκρασίαν καὶ ἀγριότητα.

2 Θεοφίλε δὲ τλὼ ἔτος ἐπὶ νεαζέσῃ τῆ ἡλικία τῶν ἱερῶν τῆ διδασκαλίας ἀπερυσάμενος ῥεμάτων. Ὑπὲρ δὴ θεόφιλον, τλὼ ἀρχιερατικλὼ ἐφορείαν τῶν Γότθων πεπισεύμενον, καὶ τῆ ἐν Νικαία οἰκυμενικῆ καὶ πρώτῃ συνόδῳ ἐμάθομεν ἐνεπισῆναι καὶ τὰ τῆ εὐσεβείας χειρί τε καὶ γλώσσῃ παρὰ πᾶσι κρατύναι δόγματα· ἐπεὶ δὲ ἡ πολὺς ἐν μέσῳ διέβη χρόνος, καὶ τὸ Γότθων ἔθνος εἰς ἀντιπάλως διερράγη καὶ ἐμφυλίᾳ μοίρας, καὶ εἰς δύο τε γεγόνασι μέρη· καὶ τῶτων ἦγεῖτο θατέρυ μὲν φριτιγέρνης, θάτερον δὲ Ἀθαναρί-

χῳ

A χῳ ὑπήκοε τὰ πάντα δεινῷ· Ἀθαναρίχ⊖ οὗτ⊖, κατὰ τ ὁμογενῆς χ ἀποσάδ⊖ τῆ φριτιγέρνυ μερίδ⊖ πλῆθει χειρὸς ἐπισρατεύσας, τρόπαιον ἔσησιν. Ὅθεν φριτιγέρνης ἀπορρηθεὶς, πρὸς τὴν ῥωμαϊκὴν ἀπέβλεψε δεξιὰν, αὐτόβολός τε προσελθὼν, ἀμύνειν ἐδεῖτο. Οὐαλεντι ⁊ τὴνικαῦτα τῷ μιξοχρίσῳ, τὰ ῥομαϊκὰ διείπετο σκῆπτρα· ⁊ τοῖς ἐπὶ θράκλῃ σρατιώταις τῷ φυγάδι βοηθεῖν ἐγκελεύσαντ⊖, φριτιγέρνης λαβὼν τόν τε θράκιον, χ ὅσ⊖ ὑπ' αὐτῷ Γοτθικὸς σρατὸς κατελέλειπτο, διαβαίνει τ ἴσρον. Καὶ τ θεῖον τῆ Χρις῀ σαυρὸν πάσης προηγύμενον τ δυνάμεως φέροντες, συρρύγνυται τοῖς ἀντιπάλοις εἰς μάχην, κρατῆσί τε ῥᾴον ⁊ κρατήσαντ⊖ · χ τὸ ἐκείνῃ πλῆθ⊖ αἰχμαλωσία χ ξίφ⊖ διεμερίζετο· μόλις μετ' ὀλίγων Ἀθαναρίχ⊖ τὴν σφαγὴν αἰσχρόταλα διαπεφευγότ⊖.

3 Αὕτη γέγονε πρόφασις χ αἰτία πολλαπλασίως τ προλαβόντων τὰ Χρισιανῶν ἀσπάσασθαι Γοτθ⊖ς. Οὖρφιλ⊖ ⁊, διάδοχ⊖ μὲν τ ἀρχιερατικῶν δεσμῶν ἐχρημάτιζε θροφίλῃ, συμπαρὼν ⁊ αὐτῷ πάλαι κατὰ τὴν Νίκαιαν χ τὰ ἴσα φρονῶν, συνῳδόσ⊖ν ὕσερον χ οἷς ὅτ' ἐν Κωνσαντινυπόλει ἁγία χ οἰκ⊖μενικὴ δ῀τέρα συνεκροτήθη συνοδ⊖. Οὗτ⊖ ἀνὴρ λόγιός τε χ γνωσικὸς ὢν, τύπ⊖ς γραμμάτων χ ἀπηχήσεις αὐτῶν τῇ Γοτθικῇ συμβαίνοντας ἤδ῀ρε φωνῇ· τούτοις τε τὴν ἱερὰν ἡμῶν γραφὴν χ θεόπνοσον ἀπὸ τ Ἑλλάδ⊖ εἰς τὴν Γοτθικὴν γλῶσσαν μεταβαλὼν, τὴς ὁμοφύλους ἐκμανθάνειν πάσῃ σπουδῇ παρεσκεύασε. Διὸ χ μᾶλλον ἐπεδίδου παρὰ τοῖς βαρβάροις ἡ εὐσέβεια, χ ἐπὶ μέγα καθ' ἑκάσ⊖ν προέκοπτεν. Ἀθανάριχ⊖ ⁊ χρόνῳ ὕσερον τ ἥτ⊖ς ἀναλαβὼν ἑαυτὸν, τ ἀσεβείας οὐκ ἀνελάμβανεν, ἀλλὰ πολλὰς μὲν τ Χρισιανῶν, ταῖς βαρβάροις χαὶ Γοτθικαῖς βασάνοις ὑπέβαλλεν· ἐπὶ μᾶλλον ⁊ καλὰ ⁊ γενναίᾳ Νικήτα, ὅσῳ χ τῷ περιφανεσέρῳ τοῦ γένους χ τ εὐσεβείας τῶν ὁμογενῶν ἐκράτει, κινύμεν⊖ ἰῷ.

4 Γρατιανῷ ⁊ τηνικαῦτα ⁊ εὐσεβοῦς χ πρᾴου τῷ ῥωμαϊκῷ τε χ πατρικῷ διέποντ⊖ ἀρχῷ, ὁ δυσεβὴς χ μιαφόν⊖ Ἀθαναρίχ⊖ αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ τῷ κατὰ τ εὐσεβῶν μιαφονίαν ἐπαλαμᾶτο, χαὶ τοὺς ὑπὸ χεῖρα μιμεῖσθαι παρεκελεύετο. Οἱ τοίνυν θεομισεῖς ὄντοι χ ἀλιτήριοι, κρυπτομένης καθ' ἑκάσ⊖ν τ ἀσεβείας, τῷ μάρτυρ⊖ ἠγανάκτουν, ἠπείλουν, ἐσφάδαζον τοῖς θυμοῖς, ἀνελεῖν ἐπεχείρουν. Ὥσπερ δὴ Νικήτας βραχέα φροντίζων, ὑδὲν ἧσσον τοῦ τ εὐσεβείας κηρύγματ⊖ περιείχετο. Τέλ⊖ πρὸς φανερὰν ἐκαγέντες ὀργὴν, ἁθρόον ἐπισάντες, ἐν ᾧ C τ τ ἀληθείας λόγον ὁ μάρτυς ἐκήρυττεν, ἁναρπάζουσί τε αὐτὸν χ ἕλκουσι βίᾳ, χ τῇ πίσιν ἀπώμοτον θέσθαι καταναγκάζουσι. Ἀλλ' ὁ μὲν, δι' ὧν τε ἔλεγε, δι' ὧν τε ἐποίει, τ εὐσεβείας οὐκ ἀφισάμεν⊖, χ ⁊ παῤῥησία τ Χρισὸν ὁμολογεῖν, χαὶ ὡς Θεῷ τούτῳ προσάγειν τὸ σέβας, χλεύῃ χ παιδιᾷ ἀπέφαινε τὴν ἐκείνων ἐπίθεσιν. Οἱ ⁊ σώματ⊖ συντρίψαντες μέρη, φοῦ τ μανίας· εἶτα χ πυρὶ ῥιπτοῦσιν. Ἀλλ' χ οὕτω πάσχων ὁ ἅγι⊖ οὔτε τὴν γλῶτταν εἶχε τ εἰς Θεὸν ὕμνων ἀφισαμένην, οὔτε τὴν καρδίαν τ πρὸς αὐτὸν πίσεως· διὸ χ μέχρι τέλους ἀκλινῆ τὴν ὁμολογίαν διασωσάμεν⊖, σὺν ἄλλοις πολλοῖς τ ὁμογενῶν τῶν μαρτυρικῶν ἠξιώθη σεφάνων, εἰς χεῖρας Θεοῦ τὴν ψυχὴν παραθέμεν⊖.

5 Μαριανὸς δέ τις ἀνὴρ εὐσεβὴς, Κίλιξ τὸ γέν⊖, ἐκ τ ἐκεῖσε πόλεως Μοψυεσίας ὁρμώμεν⊖, καὶ ἐκεῖνο καιρῷ τοῖς περὶ τ ἴσρον διατρίβων τόποις, καινωνίᾳ πίσεως χ ὁμοιότητι τρόπων (ὅπερ οἶδεν ὡς τὰ πολλὰ συμβαίνειν) ζυνήθης χ φίλ⊖ τῷ μάρτυρι χ ὁμορόφι⊖ γίνεται χρόνον πλείονα. Οὗτ⊖ μετὰ τὸ μαρτύριον ἐκείνου τέλ⊖, διεκοπεῖτο χ πολλοῖς ἔτρεφε καθ' ἑαυτὸν λογισμὸς, τίνα τρόπον δυνατὸν γένοιτο τὸ τοῦ φίλου ζῶμα, τοιούτῳ μάλισα τέλει κεκοσμημένον· ἠβούλετο γὰρ ἀχωρίσως αὐτῷ

narichus, ſuſcepta maximis copiis expeditione adverſus Phritigernem, qui erat quidem ejuſdem generis, ſed erat ab eo avulſus, victoriâ partâ, erigit trophæum. Quamobrem Phritigernes in rebus ſuis afflictis ſpectavit ad Romanam dexteram, & veniens transfuga, petivit auxilium. Valens autem Chriſti inimicus, eo tempore tenebat ſceptra Romana. Qui cùm juſſiſſet iis, qui erant in Thracia, militibus ferre opem exuli. Phritigernes, Thracio exercitu accepto, & eo, qui ſibi remanſerat, tranſmittit Iſtrum. Itaque ferentes divinam Chriſti Crucem, præcedentem omnes ſuas copias, prælio confligunt cum adverſariis, & eum, qui vicerat, facilè vincunt, & illius multitudo partim quidem cæditur, partim capitur, cùm Athanarichus *e* turpiſſimè cum paucis ſuæ vitæ fugâ conſuluiſſet. *e*

Ex Ms.

3 Hæc fuit cauſa & occaſio, cur multi ex iis, qui præceſſerunt, Gotthis *f*, religionem amplexi ſint Chriſtianam. Urphilus *g* autem fuit Theophili ſucceſſor in munere pontificali, qui cum eo quoque ſynodo Nicenæ interfuerat eadem ſentiens, & poſteà confederat cum iis, qui Conſtantinopoli in ſecunda ſancta ſynodo fuerunt congregati. Hic cùm eſſet vir prudens & doctus, invenit figuras literarum, & ſonos Gotthicæ voci convenientes: & cùm in eis ſacram noſtram & divinitus inſpiratam Scripturam è Græca in linguam Gotthicam vertiſſet, omni ſtudio & diligentiâ effecit, ut eam diſcerent, qui erant ſuæ gentis. Quamobrem magnum incrementum accipiebat pietas apud barbaros, & indies proficiebat. Athanarichus autem cùm procedente tempore ſe à damno, quod acceperat, recreâſſet, & in locum priſtinum revertiſſet, non pervenit tamen ad pietatem: ſed multos quidem ex Chriſtianis Gotthicis & barbaris ſubjiciebat ſuppliciis: magis autem movebatur adversùs generoſum Nicetam, qui & generis claritate, & pietate ſuperabat eos, qui erant ſui generis. *creſcente apud Gothos fide,* *f* *g* B E

4 Gratiano autem pio & clementi Romanum ac paternum adminiſtrante imperium, impius & cædem ſpirans Athanarichus, ipſe per ſe adverſus pios cædem parabat, & efficiebat, ut qui ei parebant, ipſum imitarentur. Iſti ergò Dei hoſtes execrandi, occultata *h* quotidie impietate, Martyris causâ indignabantur, cùm pietas Martyris in dies prædicaretur, diſcruciabantur animis, minabantur, aggrediebantur eum de medio tollere. Quæ quidem Nicetas parùm curans, nihilominùs pergebat prædicare pietatem. Tandem in iram apertam erumpentes, repentè Martyrem invadunt eo tempore, quo prædicabat, ipſumque rapiunt, & vi trahunt, & urgent, ut fidem abjuret. Sed ille quidem nec verbis, nec factis deſiſtens à pietate, & libera Chriſti confeſſione, & ab honorando eo ut Deo, ludum & irriſionem eſſe oſtendebat illorum invaſionem. Illi autem cùm contriviſſent partes ejus corporis, (ô inſaniam) eum etiam in ignem injiciunt. Sed ſic quoque patiens Sanctus, neque linguâ deſiſtebat Deum hymnis celebrare, neque corde in eum credere. Quocirca ad finem uſque immobilem ſervans confeſſionem, cum multis aliis, qui erant ejuſdem generis & fidei, dignus fuit habitus coronis martyricis, animâ ſuâ in manus Dei traditâ. *occaſio fuit perſecutionis, in qua occiſus eſt S. Nicetas.* *h* C F

5 Marianus autem quidam vir pius, Cilix genere, ex civitate, quæ illic eſt, ortus, nomine Mopſueſtia *i*, illo tempore verſans in locis, quæ ſunt circa Iſtrum, propter fidei conjunctionem & morum ſimilitudinem, quæ quidem magna ex parte inter ſe conveniunt, evaſerat Martyri familiaris & amicus, & degebat in eiſdem ædibus multo tempore. Hic poſtquàm ille finem accepiſſet martyricum, conſiderabat, & multas apud ſe verſabat cogitationes, quonam modo poſſet corpus Amici ac- *Hujus corpus clàm ſublatum, & in Ciliciam portatum,* *i*

Ex Ms.

cipere, maximè tali fine ornatum: volebat enim ab ipso non separari, quantùm poterat, etiam post mortem. Cùm ergò sic consideraret, tandem intempesta nocte propter metum Athanarichi, (ipse enim non permittebat, ut acciperetur corpus Martyris) accedens in eum locum, in quo erant projectæ Sanctorum reliquiæ, quoniam ignorabat, quodnam esset, quod quærebatur, ab eo docetur, à quo Magi didicerunt illius adorationem. Virtus enim quædam cælestis & incorporea, stellæ formâ susceptâ, bonum præcedebat Marianum apertè & evidenter, neque destitit hoc facere illa stella, quæ apparebat, donec ostendit id, quod desiderabatur. Id autem erat non reliquiæ aliquæ & pars, sed corpus integrum illius verè beatæ animæ. Quod quidem apparuit igne fuisse potentius, sicut etiam volebat ejus appellatio, nisi quòd solùm quædam servabat vestigia, neque ea aperta, sed ut tantùm appareret, id cum igne esse congressum. Hoc ergò sacrum corpus cùm thecæ impositisset, martyricis, ut oportet, & sacris id honorans orationibus, transfert in suam patriam *k*.

k

ubi ecclesia Sancto erecta Mopsuestiæ:

6 Et cùm sic maneret in domo privata, publicas tamen effundebat curationes. Etenim cùm esset domus bonæ animæ, non satis habebat unis ædibus sua circumscribere miracula: sed erat communes deliciæ Mopsuestanorum, immò verò eorum quoque, qui alibunde ventitabant, usus fructus, qui non consumebatur. Procedente autem tempore, templum quoque excitatur Martyri, & ipsum corpus suscipit venerandum, apertissima de cætero conferens beneficia, & resistens omnibus morbis & vitiis. Illa tamen domus, quæ Athletam primò accepit hospitio, ditatur pollice sacræ illius manus, & hanc propriam gratiam amico Mariano dat ille egregius Nicetas, honorans amicitiæ leges & hospitalitatis. Quod quidem nulli alii finit facere, in hoc quoque amico gloriam tribuens. Etenim Auxentius *l*, qui erat dictæ civitatis episcopus, cùm aggressus esset ejus corporis aliquid dividere & accipere, nihil quidem accepit eorum, quæ volebat: eum autem non parvus invasit metus, nec ejusmodi, ut non in apertum prodiret, aut lateret, sed quo ejus quoque anima fuerit valdè agitata, & alios docuerit iis, quæ vidit, & terrore, quo est affectus, ut nemo deinceps manum audacem porrigeret, neque ullam partem ejus corporis, cùm esset præter ipsius sententiam, avelleret.

l

cùm episcopus, aperto sepulcro, reliquias vellet dividere,

m

7 Quonam modo autem metus hic acciderit, & quibusnam verbis prohibitus fuerit, ne aggrederetur, explicabimus. Excitavit hic quidem pontifex, amicus martyrum, templum victoriâ insignibus martyribus, Taracho, Probo & Andronico *m*, quod positum est ante muros civitatis Mopsuestiæ. Cùm autem ipsorum Sanctorum ei deessent reliquiæ ad consecrationem templi ædificati, eas autem haberet urbs illi propinqua, nomine Anabarza *n*, ei promissa parte reliquiarum hujus præclari Nicetæ, illorum martyrum accipit reliquias. Cùm itaque oporteret impleri id, quod promissum fuerat, & sepulcrum fuisset effossum, & sublatus esset lapis, qui fuerat impositus, protinus quidem confringitur marmor, nulla apparente causa: apparet autem mortuus, habens membra honestè composita, & corpus à priori corpore nihil differens. Cùm ergò eum oporteret accipere partem corporis, & illud tetigisset manus ejus, qui sepulcrum effoderat (hîc mihi attendendum est) nihil quidem ea accipit, fit autem mox arida, metusque & tremor statim invadit eum, qui id ausus fuerat. Deinde fit terræmotus, & erumpunt tonitrua, & frequentia mi-

n

ἔχειν, ὡς οἷόν τε καὶ μετὰ θάνατον· ὕτω τοιγαροῦν σκοπούμενος, περὶ ποτὲ τὴν νύκτων διὰ τὴν Ἀθαναρίχου φόβον (αὐτὸς γὰρ αὐτῷ τοῦ μαρτυρικοῦ ζώματος ἀνάληψιν οὐ μεθίει) ἐπισὰς ὃν ᾧ τὰ τῶν ἁγίων διέρριπτο λείψανα, ἐπεὶ ἀγνοεῖν εἶχε ποῖόν ἐστι τὸ ἐπιζητούμενον, παρὰ τούτου διδάσκεται, παρ' ὃν καὶ μάγοι τοῦ ἐκείνου προσκύνησιν· Δύναμις γὰρ ὑπανία τις καὶ ἀζώματος, ἀστέρος ὑπελθοῦσα μορφὴν, τοῦ χρυσοῦ προηγεῖτο Μαριανοῦ μάλα σαφῶς καὶ γναρίμως· καὶ οὐκ ἀπέστη τοῦτο ποιοῦν ὁ φαινόμενος ἐκεῖνος ἀστὴρ, ἕως ὑπέδειξε τὸ ποθούμενον. Τὸ δὴ λοιπὸν, οὐ λείψανόν τι καὶ μέρος, ἀλλὰ ζῶμα ὁλόκληρον τῆς μακαρίας ὄντως ψυχῆς μεθ' ἕτερον ἄλλων, κρεῖττον φανὲν καὶ πυρὸς, ὥσπερ ἄρα καὶ ἡ κλῆσις ἠβούλοιτο, πλὴν ὅσον ἴχνη τινὰ σῴζειν, καὶ αὐτὰ ταῦτα σαφῆ, ἀλλ' ὥστε δῆλον εἶναι, ὅτι πυρὶ προσαμίλησεν. Τοῦτο τοίνυν τὸ ἱερὸν ζῶμα δήκη σώσας, καὶ μαρτυρικαῖς, ὥσπερ ἔδει, τιμαῖς ἱερολογίαις, εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατρίδα μετακομίζει.

D

6 Καὶ τῷ ἰδιωτικῷ παραμένον οἰκίᾳ, δημοτελεῖς ἐπήγαζε τὰς ἰάσεις· καὶ γὰρ ἀγαθῆς ὢν ψυχῆς οἶκος, μιᾷ περιγράφειν οἰκίᾳ τὰς ἰδίας οὐκ ἠγάπα θαυματουργίας, ἀλλὰ κοινὰ δὴ Μοψαστηνῶν σύντροφα· μᾶλλον δὲ καὶ τῶν ἀλλαχόθεν φοιτώντων, ἀπόλαυσις ἀδαπανώμενα. χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ νεὼς τῷ μάρτυρι ἀνεγείρεται. Καὶ αὐτὸς τὸ τίμιον ὑποδέχεται ζῶμα, φανερωτέρας δὲ λοιπὸν τὰς ἑαυτοῦ παρέχον ἐνεργασίας, καὶ μηδέποτε λήγον κατὰ παντοίων παθῶν καὶ νόσων ἰσάμενον. ὅμως ἡ τὸν ἀθλητὴν πρώτως οἰκία ξενοδοχήσασα τῆς ἁγίας ἐκείνης χειρὸς πλυτεῖ τὴν ἀντίχειρα καὶ ταύτην διαζωσαν χάριν τῷ φίλῳ Μαριανῷ Νικήτας ὁ καλὸς δίδωσι, καὶ φιλίας ἐκεῖνος νόμους καὶ ξενίας τιμῶν ὅπερ οὐδενί τινι ἄλλῳ ποιήσας παραχωρεῖ, καὶ τούτῳ τάχα τὸ φίλον ὁροζάζων. Καὶ γὰρ Αὐξέντιος, ὃς τὴν εἰρημένης πόλεως ἐπίσκοπος ἦν, ἐπιχειρήσας ἀπομερίσαι τι τοῦ σώματος καὶ λαβεῖν, εἴληφε μὲν οὐδὲν, ὧν ἐζήτει, ἔλαβε δὲ δέος, ὅτε μικρὸν οὐδὲ ὄζον ἀνέκφορον μεῖναι καὶ λαθεῖν, ἀλλ' ὥστε καὶ αὐτὸν τὴν ψυχὴν λίαν κατασεισθῆναι, καὶ διδάσκαλον τοῖς ἄλλοις γενέσθαι οἷς τε εἶδε καὶ οἷς αὐτὸς ἐξεδειγματώθη, μηδένα τολοιπὸν χεῖρα τολμηρὰν προτείνειν, μηδὲ μέρος τι τοῦ ζώματος παρὰ γνώμην ὃν αὐτῷ παραιρεῖν.

E

7 Ὅπως δὴ συνέβη τὸ δέος καὶ τίσι λόγοις εἴργεσθαι τῆς ἐπιχειρήσεως, ὁ λόγος δηλώσει. Ἀνέστησε μὲν γὰρ ὁ φιλόμαρτυς ὅτε ἀρχιερεὺς τοῖς καλλινίκοις τῶν μαρτύρων ναὸν, Ταράχῳ τέ φημι καὶ Πρόβῳ καὶ Ἀνδρονίκῳ, οἳ καὶ πρὸ τῶν τειχῶν τῆς πόλεως τῆσδε Μόψουεστίας ἵδρυται· ἐπεὶ δὲ καὶ λειψάνων ἐδεῖτο τῶν αὐτῶν ἁγίων ἐπὶ καθιερώσει τοῦ οἰκοδομηθέντος νεὼ, ἐπλήτει δὲ ταῦτα ἡ γείτων ἐκείνης πόλις Ἀνάζαρβα, ἐπαγγελία λειψάνῳ μαρτυρικῷ, μαρτύρων λαμβάνῃ λείψανα, καὶ ὑποσχόμενος δοῦναι Νικήτα τοῦ φαιδροῦ μερίδα τῶν εἰρημένων ἀνακομίζεται. Ὡς δὴ δεῖ πληροῦσθαι τὸ ἐπαγγελμένον, καὶ ὁ τάφος ἀνώρυκτο, καὶ ὁ ἐπικείμενος ἀνήρητο λίθος, θραύεται μὲν οὐδὲν ἡ μάρμαρος παρ' εὐθεμίαν ἐμφανῆ αἰτίαν· ἀναφαίνεται δὲ ὁ νεκρὸς, ἔχων τε τὰ μέλη κατὰ σχῆμα κείμενα, καὶ τὸ ζῶμα, οὐδὲν δὲ τοῦ πρότερον χρώτος παραλλάττον· ἐπεὶ δὴ καὶ λαμβάνειν ἐχρῆν μέρος δὲ σώματος, καὶ ἡ χεὶρ ἥπλετο δὲ τὸν τάφον ὀρύξαντος, (σύνταθα μοι προσεκτέον τὸν νοῦν) λαμβάνει μὲν γὰρ οὐδὲν, γίνεται δὲ παραχρῆμα ξηρὰ, καὶ δέος οὐθὲν καὶ τρόμος εἶχε τὸν τολμητήν. Εἶτα ζεισμὸς ἐπιγίνεται, καὶ βρονταὶ καταβρύγνυνται, καὶ ἀστραπῶν ἐξάλ-

F

μα

A ματα ζωοχῆ, φόβον ἐμβάλλοντα τοῖς παροῦσιν ὑ φορητόν.

8 Ἅπερ ὁ ἱερὸς Αὐξέντιος θεασάμενος, (ἰῶ γὰρ καὶ θείων μηνυμάτων οὐκ ἀμαθὴς) τὴν μὲν ξηρανθεῖσαν χεῖρα τοῦ παθόντος προσάγει τοῖς λειψάνοις, οὐχ ὡς αὖθις τι λαμβανόμενον, ἀλλ' ὡς αἰτησόμενον μᾶλλον ἀφέγκτως συγγνώμης ὑπὲρ τῆς τολμης, καὶ τύξομένην τῆς θεραπείας. Πολλῷ γάρ σε ῥᾷον, ἔλεγεν, ἀγαθὸν ὄντα, καὶ τῷ ἀγαθῷ μιμητὴν, εἶ βλάψαι τὸ θεραπεῦσαι· καὶ ἐκεῖνο παρέσχε καὶ μὴ βουλόμενος, ὡς οὐχὶ μᾶλλον τοῦτο κατὰ γνώμην δώσεις; ἰᾶται τοιγαροῦν ἡ παθοῦσα χεὶρ, καὶ κήρυξ γίνεται τῆς ἰασαμένης καὶ δυνάμεως καὶ χρηστότητος· τὸ μὲν ἀπὸ τῆς παιδείας, τὸ δ' ἀπὸ τῆς μετὰ τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ σφάλματος θεραπείας. Τολοιπὸν τοίνυν ὁ ἀρχιερεὺς τὸν ἱερὸν λάρον δοξολογίαις τε καὶ ὕμνοις τιμήσας, τὸ ἀρχαῖον ἀποδίδωσι αὐτῷ σχῆμα, τῷ κοσμιοτέρῳ μόνῳ τὴν παραλλαγὴν ἔχοντι. Οὕτω δοξάζει Θεὸς τοὺς αὐτὸν δοξάζειν προελομένους, οὕτω μεγαλύνει τοὺς μεγαλυνόντας. Οὐ τὸ πᾶν ἐνταῦθα δίδως, ἔμενον· ἀλλὰ τὰ μέλλοντα τούτοις τεκμαίρεσθαι παρεχόμενος· τὰ γὰρ ἐνταῦθα, σὺν τοῖς αἰσθητοῖς ἅπασι τὸ ἀκριβέστερον ἔχει, ἀλλ' ὧν καὶ ἀκοὴ δηλοῦται, καὶ ὄψει καταλαμβάνεται· ἃ δ' τὸς ἀγίους ἐκεῖ περιμενεῖ, ἅτε ὀφθαλμὸς εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, ἅτε εἰς ἄνθρωπίνην ἀνέβη καρδίαν· τοιαῦτα γὰρ ὡς ἐμάθομεν, τὰ πρὸς θεῷ τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν τεθησαυρισμένα. Ὧν γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὧν ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

cant fulgura, iis, qui aderant, afferentia metum intolerabilem. Ex Ms.

8 Quod quidem cùm ſacroſanctus adſpexiſſet Auxentius, (ſatis enim intelligebat, quid Deus ſignificaret) ejus quidem, qui paſſus fuerat, manum aridam adducit ad reliquias, non ut rurſus aliquid accepturam, ſed potiùs ut tacitè petituram veniam audaciæ, & conſecuturam curationem. Eſt enim, dicebat, tibi, ô Sancte, multo facilius, cùm ſis bonus, & boni imitator, curare, quàm lædere: Et ſi illud vel nolens præbuiſti, quomodò non hoc magis dabis ex tui animi ſententia? Curatur itaque affecta manus, & prædicat virtutem & bonitatem ejus, qui curaverat, illam quidem ob caſtigationem, hanc verò ob ſanationem poſt agnitionem erroris. Deinde verò pontifex, cùm ſacrum ejus ſepulcrum honorâſſet hymnis & glorificationibus, ei priſtinam figuram reſtituit, nulla in re mutato, niſi quòd ſe habebat meliùs & honeſtiùs. Sic glorificat Deus eos, qui ipſum glorificant: ſic magnificat eos, qui ipſum magnificant. Non univerſum hîc donans; minimè: ſed ex his futura præbens conjicienda. Nam quæ hîc dantur, etſi inter omnia ſenſilia ſint præſtantiſſima, auribus tamen ſignificantur, & oculis comprehenduntur. Quæ autem illic Sanctis manent, neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt. Talia enim ſunt, ut didicimus, quæ à Deo parata ſunt iis, qui ipſum diligunt. Quæ detur nobis omnibus conſequi gratiâ & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum. Amen. *variis prodigiis ab eo conſilio deterretur.*

ANNOTATA.

a *In verſione Latina legitur* ſocius; *ſed Græca phraſis clarè fratrem ſignificat. In eadem verſione ad nomen* Clementis *additur*, Pontificis, *quod Græca non habent. In Recognitionibus S. Clementis occurrunt* Niceta & Aquila, *tamquam S. Clementis Papæ fratres. At libri Recognitionum auctoritatem non habent; neque video, Nicetam S. Clementis fratrem in Martyrologiis Græcis aut Latinis celebrari. Forte auctor ne inſinuare quidem voluit, talem ullibi reperiri Sanctum; ſed ſolùm dicere, de tali ſe non loqui.*

b *Hîc multa verba Latinè erant omiſſa.*

c *Certum eſt, Gothos non ſemper in Dacia ad Iſtrum habitâſſe; ſed ex alia regione remotiore à Romano imperio ad Iſtrum progreſſos eſſe, prout poſtea per multas imperii provincias ſe diffuderunt. An verò ex Scandinavia, ſive ex hodierno regno Suetico, ut vult Jornandes, ortum duxerint, non eſt hujus loci inquirere.*

d *Theophilus Gothiæ metropolita concilio Nicæno revera ſubſcriptus legitur.*

e *Jam in Commentario num. 7 monui, totum hoc bellum non videri certum, & fortaſſe ex ſola confuſione ortum eſſe. Aliquid tamen veri ſubeſſe poteſt, ſi Fritigernes cum Valente fœderatus fuit, quando hic anno 367 contra Gothos bellum geſſit, clade Athanarici anno 369, ſecutaque eodem anno pace finitum.*

f *Erant quidem inter Gothos Chriſtiani non pauci; ſed ea occaſione multò plures converti potuerunt.*

g Urphilas *aut* Urphila *communiùs vocatur ab aliis. Aliqua hîc non rectè de ipſo dici videntur. Conſule itaque de Ulphila dicta in Commentario num. 9 & 10, ex quibus liquet, non de ſecunda ſynodo œcumenica intelligi poſſe mox ſequentia, ſi vera ſunt, ſed de ſynodo Arianorum anni 360.*

h *Hîc diſſentit interpretatio Latina apud Lipomanum, illaque nequit conciliari cum apographo noſtro Græco: res tamen eſt nullius momenti pro hiſtoria.*

i *Mopſueſtia urbs eſt epiſcopalis Ciliciæ, apud geographos & hiſtoricos ſatis nota. Aliquem autem ex Cilicia fuiſſe apud Gothos, non debet videri incredibile; cùm S. Auguſtinus num. 5 Commentarii teſtetur, ſe egiſſe cum fratribus, qui illic ſimiliter fuerant.*

k *Additur in Latina verſione:* Et tunc ipſum domi ſuæ deponit. *At illa non ſunt in apographo noſtro Græco. Ex ſequentibus tamen liquet, in privata domo corpus fuiſſe poſitum.*

l *In catalogo antiſtitum Mopſueſtenorum apud Lequien tom. 2 Orientis Chriſtiani col. 890 & ſeq. duo reperiuntur Auxentii, quorum primus* S. Niceta *videtur paulò antiquior, aut certè eidem non ſupervixiſſe. Alter Auxentius, qui ex ſolis ferè diptychis innoteſcit, ſecundum ordinem ibi fixum ſedit ſeculo quinto. Hoc autem tempus ſatis congruit hîc relatis.*

m *Præclari hi martyres, qui paſſi ſunt in Cilicia, coluntur leguntur que in Martyrologio Romano ad* XI *Octobris, ubi eorum danda ſunt Acta.*

n Anazarba, *aliàs* Anazarbus, *ſubinde etiam dicta* Cæſarea ad Anazarbum, *montem vicinum, à quo nomen traxiſſe creditur, in diviſione Ciliciæ facta eſt metropolis Ciliciæ ſecundæ. Paſſos in ea urbe ſanctos martyres Tharacum, Probum & Andronicum, ex ſinceris horum Actis oſtenditur. Ceterùm quæ ſequuntur Græca, prolixiora paulò ſunt quàm Latina; ſed Latina verba ſufficiunt ad rem exponendam.*

AUCTORE J. S.

D

DE S. ALBINO EPISCOPO CONF.

LUGDUNI IN GALLIA.

SYLLOGE.

De cultu, reliquiis, ætate & geſtis.

SEC. IV AUT V. *S. Albini memoria in vetuſtis Martyrologiis,*

B



Inter antiquiores epiſcopos Lugdunenſes fuiſſe Albinum *aliquem, eumque ut Sanctum cultum, evincunt vetuſta Martyrologia, & confirmant omnes paſſim catalogi epiſcoporum Lugdunenſium, quamvis aliàs obſcura admodùm ſit geſtorum Sancti memoria. Hieronymiana apud Florentinium ad hunc diem ita habent:* Lugduni Galliæ depoſitio Albini epiſcopi. *Codex Corbeienſis planè conſonat, excepta prima voce, quæ eſt* Lugduno. *Epternacenſis habet:* Lugduno Appini epiſcopi, *luxato nonnihil Sancti nomine. Hiſce conſentit Rabanus, ita Sanctum memorans:* Lugduno Galliæ depoſitio Albini epiſcopi. *Baronius & Florentinius etiam Bedam laudant: ſed id intelligendum eſt de Martyrologio non admodùm vetuſto, cui Bedæ nomen fuit tributum: nam nec Beda, nec Florus, uti nec Ado, nec Uſuardus,* Albinum *Lugdunenſem memorârunt. Reperitur tamen in Richenovienſi, apud nos tom.* VII *Junii edito, his verbis memoratus:* Lugduno, Albini epiſcopi; *uti & in aliis quibuſdam ſine loco, & nomine etiam corrupto in Auguſtano. Ad Wandelberti verſus additum eſt ſtylo ſoluto:* Et depoſitio Albini epiſcopi. *Accedit Martyrologium Autiſſiodorenſe apud Martenium tom. 6 Collect. ampl., ubi legitur;* Lugduno Galliæ B. Albini epiſcopi.

uti & in hodierno Romano reperitur:

C

2 *Ex recentioribus martyrologiis* Albinum *non pauci etiam commemorârunt. Duos tantùm afferam. Baronius in Romano ſic breviter habet:* Lugduni S. Albini epiſcopi. *Sauſſayus in Gallicano Sanctum tali exornat elogio:* Eodem die Lugduni ſancti Albini epiſcopi & confeſſoris, qui beato Juſto pontificium abdicanti ſubrectus, ſe abſolutiſſimum exemplar totius juſtitiæ ac religionis clero populoque ſuo exhibuit, vitâ integerrimus, doctrinâ præcellens, cultu pietatis præcipuus. Cujus affectûs ſtudio ſancti Stephani protomartyris baſilicam inædificavit itidemque conſecravit, in qua poſt abſolutum glorioſi præſulatus decurſum humatus, beatitudinis ſuæ præcipua dedit inſignia. *Hæc quidem oratorio magis quàm hiſtorico ſtylo ſunt expoſita, ideoque parvi facienda, quæ de doctrinæ præcellentia traduntur. Attamen quæ dicuntur de geſtis Sancti, aliunde ſatis probantur.*

ætas Sancti, qui eccleſiam S. Stephani erexit.

3 *Nam ſucceſſorem S. Juſti fuiſſe* S. Albinum, *aut, ut nomen in antiquis catalogis ſcriptum dicitur,* S. Alpinum, *catalogi omnes conſentiunt. Ex hiſce ætas* S. Albini, *& initium epiſcopatûs utcumque colligitur. Nam, ut probatum eſt in S. Juſto ad 2 Septembris, hic Sanctus fuit in concilio Aquileienſi anno 381; ſed veriſimiliter non diu poſt, relicto epiſcopatu, in eremum ſeceſſit.* Albinus *igitur epiſcopatum ſuſceperit inter annum* 380 *& 390. Quot verò annis fuerit epiſcopus, omnino incertum eſt. Hinc æquè eſt incertum, utrùm eodem ſeculo quarto obierit, an quinto. Quod ſpectat ad conſtructionem eccleſiæ S. Stephani, hanc plures alii affirmant. Hac de re Severtius in Archiepiſcopis Lugdunenſibus pag.* 34 *ita ſcribit:* Ex Homiliario baſilicæ S. Irenæi & veteri Ms. Martyrologio collegialis eccleſiæ Belli-jocenſis, ipſe conſtruxit ſimul ac dedicavit eccleſiam S. Stephani in urbe Lugdunenſi, erectam ſanè in cathedralem, quando aut quamdiu archiepiſcopi ſuam eò ſedem transferre non dubitârunt. *Hiſce aſſentitur Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunenſi pag.* 29, *& paſſim alii.*

E

Corpus dicitur ſervari in eccleſia S. Juſti:

4 *Addit Severtius, corpus* S. Albini *in æde jam dicta S. Stephani tumulatum dici à Sarrazino; ſed contra hunc ita diſſerit:* Aut ſanè tutiùs jacet in eccleſia S. Juſti, ex præfato Homiliario antiquiore. Cujus rei veritas nobis comperta nuper eſt ex apprehenſo Ms. doctorum (*loquitur de octo doctoribus, qui tumulos in eccleſia S. Juſti luſtrârunt*) mox in Vita S. Juſti aſſertorum, hoc typi ligamento: "Item in alio ſepulcro corpus B. „ Alpini confeſſ. & archiepiſc. Lugdunenſis in„ ventum eſt: quod juxta tumulum glorioſi con„ feſſoris S. Juſti ſitum erat. Tum id ſepulcrum „ propalatur per ipſius epitaphium, in quo no„ men ipſius cum præclaris medicis * manifeſta„ tur„. *Conſentit laudatus Raynaudus his verbis:* Sacrum ejus corpus in S. Stephani eccleſia, quam ædificârat, tumulatum prodit Leonardus Sarrazinus apud Democharem. Sed priſca ſcriptura ſacrorum pignorum eccleſiæ S. Juſti eum ibidem tumulatum confirmat. *Hoc itaque etiam videtur corrigendum in dato num.* 2 *elogio Sauſſayi.*

* meritis, *opinor*

F

confeſſor habendus eſt, non martyr, & nomine Albinus.

5 *Ceterùm Severtius multa ratiocinatur de genere* S. Albini, *eumque conatur nobiliſſimis familiis Romanis inſerere. At illa tam parùm fundata ſunt, ut ne expendi quidem aut refutari mereantur. Hinc æquè inepta ſunt, quæ de martyrio Sancti ex illis colligit. Illuſtri genere natum fuiſſe Sanctum, ex dignitate epiſcopali & nomine ſatis eſt veriſimile. Martyrem fuiſſe, omnino eſt improbabile; tum quia ut confeſſor in antiquiſſimis Faſtis annuntiatur, tum quia ſub imperatoribus Chriſtianis, Theodoſio I & Honorio vitam traduxit. De nomine etiam aliqui dubitant, creduntque dictum potiùs fuiſſe* Alpinum *quàm* Albinum, *quia nomen in vetuſtis catalogis* Alpinus *ſcribitur. Verùm non videtur mihi dubitandum, quin in vita ſua* Albinus *fuerit dictus, quemadmodum nomen in Faſtis vetuſtiſſimis exprimitur. Quòd verò* Alpinus *in catalogis fuerit ſcriptum, ortum exiſtimo ex dialecto populorum, qui poſt mortem* S. Albini *Galliam occupârunt, & litteram* b *in* p *more ſuo mutaverunt.*

DE

A

AUCTORE J. S.

DE SS. ARCHIO ET ARCHEON MM.

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

HI duo Martyres in Apographis Hieronymianis à Florentinio editis Nicomediæ ubique attribuuntur. Textus ab ipso datus, cui etiam codex Blumianus videtur consentire, cùm nullam observaverit differentiam, sic habet: In Nicomedia civitate natalis sanctorum Archii, & Archion. *Consonat satis codex Corbeiensis:* In Nicomedia natalis sanctorum Arcii, Archeon. *Antverpiensis unum dumtaxat exhibet hoc modo:* Nicomedia Artei. *Alibi hosce non invenio: neque his plura addenda censeo.*

DE S. MAMILIANO EPISC. PANORM.

IN INSULA QUADAM MARIS ETRUSCI.

B E

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

§ I. Sancti nomen in Fastis recentioribus & cultus variis diebus: corporis pars major Suanæ in Tuscia, aliquæ partes aliis locis.

PROBABILIUS SEC. V. *Memoria Sancti in Fastis sacris ad varios dies*

DE S. Mamiliano *episcopo variis diebus in Fastis suis agunt Octavius Cajetanus & Philippus Ferrarius. Prior ad* XV *Septembris ita habet:* Panhormi S. Mamiliani episcopi & martyris initio principatûs Constantini Magni. *Laudat pro hisce tabulas Panormitanæ & Suanenſis in Tuscia ecclesiæ. Ferrarius in Catalogo generali ad eumdem diem de* Mamiliano *ista memorat:* Suanæ in Tuscia sancti Mamiliani episcopi Panormitani. *At in Catalogo Sanctorum Italiæ* Mamilianum *prolixiori elogio celebrat ad* V *Septembris, ex solo forsan lapsu memoriæ: nam & ibidem in indice assignatur* XV. *Inter auctaria Usuardi Solleriani memoria* Mamiliani confessoris *celebratur sine loco in codice Vaticano ad* XIII *Septembris, uti & in Hieronymianis apud Florentinium, latiùs laudandis* §3. *Ad* XVI *Junii de* S. Mamiliano *iterum sic habet Cajetanus:* Suanæ, Tusciæ urbe, prima inventio corporis S. Mamiliani episcopi Panhormitani, *ut illo die apud nos observatum est in Prætermissis.* S. Mamiliani *non meminit Martyrologium Romanum: Baronius tamen in Annotatis ad illud die* X *Novembris de* S. Mamiliano *episcopo Panormitano, ut Suanæ in Tuscia defuncto, ibique sepulto, mentionem facit. Ad eumdem Junii diem Castellanus* Mamilianum *inseruit Martyrologio Universali.*

C

2 *Rursum ad* XIX *Aprilis de* S. Mamiliano *agit Cajetanus, ita scribens:* Suanæ, Tusciæ urbe, secunda inventio corporis S. Mamiliani episcopi Panhormitani. *Eadem planè habet Ferrarius; quemadmodum annotârunt Majores nostri in Prætermissis ad illum diem. In Martyrologio Romano ad* XII *Martii annuntiatur* Romæ S. Mamilianus *martyr, de quo & Majores nostri eodem die egerunt. Credidit Baronius,* Mamilianum *illum esse eumdem cum S. Mamiliano presbytero & martyre, de quo agunt Acta S. Urbani Papæ, apud nos edita ad* XXV *Maii. At ea opinio nequaquam est certa:* Mamilianus *enim ille ab antiquioribus sine loco memoratur, ita ut recentiores ob cultum potiùs illum Romæ annuntiâsse videantur, quàm quòd scirent Romæ martyrio coronatum esse. Si tamen aliqui crediderunt, Romæ passum esse* Mamilianum *die* XII *Martii, ut alios quosdem deinde scripsisse videbimus, illorum opinio ex conjecturis incertis tantùm concepta videtur. Porrò Romæ in ecclesia B. Mariæ Montis Cœli ad* XII *Martii* S. Mamilianus *colitur ut episcopus & martyr, quemadmodùm inferiùs ostendam, quando agam de reliquiis* S. Mamiliani *ibidem servatis. Quapropter non video dubitandum esse, quin Maurolycus, Galesinius, Baronius, & plerique alii recentiores designatum voluerint* Mamilianum *illum, qui Romæ in dicta ecclesia colitur illo ipso die, quo annuntiatur.*

F

annuntiata: atque etiam, ut videtur 12 Martii Romæ;

3 *Hunc Galesinius & Baronius, ut dixi, crediderunt esse* S. Mamilianum *presbyterum, socium S. Urbani Papæ, & in hujus Actis memoratum. Verùm* Mamilianus *ille erat presbyter; at, qui colitur* XII *Martii, pro episcopo habetur & colitur, imò & Panormitanus fuisse episcopus creditur. Itaque omnino existimo, recentiores martyrologos agere de* S. Mamiliano *episcopo, licèt omiserint* episcopi *titulum, sive id fecerint, quòd Sanctum non satis haberent cognitum, sive alia de causa. Mabillonius tom.* 4 *Analectorum pag.* 566 *edidit Acta Maximiliani eodem die* XII *Martii* licèt Maximilianus quidam eodem die passus sit in Africa.

AUCTORE J. S.

tii, anno 295, Tebestæ in Numidia passi, quia militiam detrectabat, quam sibi ut Christiano putabat illicitam, sed in Annotatis dicit: Maximiliani hujus nomen non invenio in Martyrologiis. *Ruinartius eadem Acta recudit in Actis Martyrum sinceris pag.* 300, *ibique existimat, ipsum memorari ab Adone & Notkero*; Mamilianum *verò substitutum esse pro Maximiliano Africano. Ejusdem sententiæ sunt Tillemontius tom.* 4 *Monument. in Maximiliano, Bailletus ad* XII *Martii, Castellanus in Martyrologio universali, & Georgius in Annotatis ad Adonem, ambo ad eumdem diem, imò & Sollerius noster ab ea opinione parùm recedit in Observationibus ad Usuardum. Observatio illorum sanè plausibilis primò intuitu apparet, potestque vera esse de S. Maximiliano, quem apud Notkerum & Adonem eodem die annuntiatum habemus; sed non spectat ad* Mamilianum, *ob cultum Romæ annuntiatum.*

Variæ Sancti festivitates.

4 *Quod spectat ad varias festivitates; dies* XV *Septembris pro natali habetur, quod Sanctus credatur eo die obiisse. At* XVI *Junii prima Inventio corporis celebratur, uti & secunda inventio memoratur die* XIX *Aprilis. Attamen hæc ultima corporis inventio non amplius memoratur in nuperrimo Martyrologio Panormitano, quod impressum est anno* 1742. *Hinc colligo, istam festivitatem aut numquam fuisse usitatam Panormi, aut deinde omissam. At in novo hoc Martyrologio alia memoratur solemnitas, Dominicâ secundâ Octobris celebranda, ob acceptum Panormi anno* 1658 *caput, sive reliquias aliquas capitis, Sancti. Martyrologium istud ita habet:* Panormi translatio capitis S. Mamiliani martyris, civis, archiepiscopi, & patroni principalis ejusdem urbis, quod Alexander VII, Pontifex Maximus, Petro Martinez Rubio archiepiscopo indulsit, ut è Romana S. Mariæ Montis Cœli ecclesia Panormum transferret, ubi anno MDCLVIII, ad urbis præsidium & ornatum, magnificentissimâ pompâ exceptum est. *In eodem Martyrologio duæ aliæ festivitates, nimirum natalis* XV *Septembris, & Inventio prima* XIV *Junii, alio modo annuntiantur, ut duo natales videlicet; quia auctor credidit, duos esse* Mamilianos, *ambos episcopos, imò etiam cives Panormitanos; sed alterum martyrem, alterum confessorem. At illa opinio inferiùs refutabitur, ideoque ipsa Martyrologii verba non recito.*

B

C

Corporis pars major Suanæ in Tuscia:

5 *Quod spectat ad reliquias* S. Mamiliani, *earum pars major servatur Suanæ in Tuscia. Est autem Suana civitas quidem episcopalis sub archiepiscopo Senensi, sed modicissima & propè deserta, sita in ea parte Tusciæ, quæ olim paruit reipublicæ Senensi, versus Tusciam Pontificiam. De corpore ejusque inventione Octavius Cajetanus in Animadversionibus ad Acta Sanctorum Siculorum tom.* 1 *pag.* 120 *ita scribit:* Auctore me, cùm Senarum oram, ac diœcesim Suanensem ad excursionem animarum obirem, corpus S. Mamiliani episcopi Panhor. Suanæ inventum in ecclesia ejus nomini dicata, incisum marmore epigramma docuit. HIC JACET CORPUS SANCTI MAMILIANI PANHORMENSIS EPISCOPI. Ingens inde mihi cupido effodiendi corporis, quod sub ara condi fama erat, factumque à me permissu Metelli Bichii, tum Suanensis episcopi, viri humanissimi ac præstantissimi, qui in aula Pauli V Pont. Max. munere auditoris deinde functus est. Itaque manibus meis arâ patefactâ, S. Mamiliani corpus magno omnium gaudio inventum, ac sacrosanctas nostratis Archiepiscopi reliquias, à me diu conquisitas, licuit contrectare, exosculari, venerarique incredibili lætitia animo gestiente. Eadem in urbe crypta ostenditur, quam illam ipsam puto, quæ sanctorum Martyrum domicilium, dein sepulcrum fuit. *Hæc ille de inventis* S. Mamiliani *reliquiis Suanæ, ubi ipsum credidit obiisse. Verùm locus mortis postea accuratiùs à nobis examinabitur.*

D

caput Romæ,

6 *Porrò non contendit Cajetanus, totum* S. Mamiliani *corpus Suanæ servari, sed de partibus aliquot mox varia memorat. Primò ait, caput haberi Romæ in ecclesia B. Mariæ Montis Cœli, ubi ad aram pendet tabellæ, quam, inquit,* legi exscripsique. *Verba tabellæ ita recitat:* In hoc altari sunt corpora SS. Mamiliani episcopi, Golbodei, Astotii, Proculi, ac Nymphæ Virg. & Mart. *Tum recitat Antiphonam & Orationem, de omnibus istis Martyribus ibidem inventam hoc modo:*

ANTIPHONA. Isti sunt Sancti, qui pro Dei amore minas hominum contempserunt, SS. Martyres in regno cælorum exsultant cum angelis. O quàm pretiosa est mors Sanctorum, qui assistunt ante Dominum, & ab invicem non sunt separati.

E

℣. Lætamini in Domino, & exsultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut nos jugiter sanctorum martyrum tuorum, Mamiliani episcopi, Golbodei, Astotii, & Proculi, atque Nymphæ virginis commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum nostrum *&c. Deinde observat Cajetanus, non haberi ibidem totum corpus, sed solum caput, quod more majorum corpus fuerit vocatum. Ad confirmationem hæc testatur:* Vidi ego, cùm in Urbe versarer, permixta ossa nonnulla, in vase ex vitro condita, cum inscriptione SS. martyrum Golbodei, Proculi & Eustotii, ac seorsim sanctorum Mamiliani ac Nymphæ capita, inaurato ex ligno thecis inclusa. *Hactenus Cajetanus.*

in ecclesia B. Mariæ Montis Cœli,

7 *Piazza in Hemerologio sacro ad* XII *Martii, & Martinellus in Roma sacra pag.* 229 *agunt de corpore* S. Mamiliani *in ecclesia S. Mariæ Montis Cœli servato; sed neuter ei attribuit titulum* episcopi, *nedum* episcopi Panormitani. *Imò Pancirolus utroque antiquior in Opere Italico de Thesauris absconditis Urbis Romæ pag.* 748, *agens de ecclesia S. Mariæ Montis Cœli, vulgò* Monticelli, *asserit in ea haberi* corpus S. Mamiliani martyris, eò ex aliquo cœmeterio translatum. *Additque:* De eo tamen aliud non habemus, quàm quòd Romæ martyrio coronatus sit die XII Martii. *Hæc potiùs insinuarent, servari in illa ecclesia corpus S. Mamiliani martyris Romani, quàm corpus aut caput alicujus* Mamiliani *episcopi Panormitani. Præterea in laudatis scriptoribus nulla fit mentio de aliis martyribus, quorum reliquias in eadem ecclesia servari testatur Cajetanus. Attamen vera esse dicta Cajetani, tam de titulo* episcopi, *dato in illa ecclesia* S. Mamiliano, *quàm de solo capite ibidem servato, clarè ostenditur ex instrumento postea facto, recitandoque num.* 9, *quando pars illius capitis Panormum fuit translatum. Itaque dicendum, tres allegatos scriptores non tantâ usos esse diligentiâ ad inquirendum spectantia ad* S. Mamilianum *ejusque reliquias in prædicta ecclesia servatas, quantâ usus est Cajetanus.*

F

8 *Hic verò de reliquiis S.* Mamiliani, *quem episcopum Panormitanum existimat, paulò pòst subdit*

AUCTORE J. S.

aliæ reliquiæ in Igilio & Ilua insulis

dit sequentia : Enimverò S. Mamiliani caput Romæ est in æde S. Mariæ Montis Cæli, alterum è brachiis in insula Igilio, alterum in proxima insula Ilua : Suanæ verò maxima pars corporis in æde ejus nomini dicata servatur. *Quæ hîc memorantur insulæ*, Igilium, *aliàs* Ægilium, *& vulgò* Giglio *dicta*, *&* Ilua, *aliàs* Elba, *sunt in mari Etrusco non admodùm longè à continente, & invicem vicinæ. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* v *Septembris in Annotatis ait :* Ex monumentis ecclesiæ Suanensis (S. Mamilianum) illum in insula Dianio * defunctum, in Ægilio insula proxima sepultum, indeque corpus, brachio ibi relicto, Pio II Pontifice Maximo, translatum apparet. *Nescio, quàm illa sint certa, quæ de reliquiis servatis in Igilio & Ilua insulis tradunt laudati scriptores, ita ut rei totius fidem penes ipsos relinquendam putem.*

* Gianuti

pars capitis, quod Romæ servabatur,

9 *Certius est, partem capitis, quod majori saltem ex parte servabatur in ecclesia S. Mariæ Montis Cæli, ut vidimus num.* 6, *anno* 1658 *translatam esse Panormum, ibique magna cum lætitia & cum summo honore exceptam. Harum reliquiarum traditio Romæ facta est die* XVII *Octobris anni* 1657, *ut liquet ex Actis per notarium*

B *scriptis, quæ Josephus Vincentius Marascia in Opusculo de duobus Mamilianis pag.* 53 *recitat hoc modo :* In nomine Domini. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, quòd anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Ind. undecima, die verò decima septima Octobris, Pontificatûs autem SS. in eodem Christo Patris, & D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ septimi, anno ejusdem tertio, illustrissimus & reverendissimus D. Marcus Antonius Oddus, episcopus Hieropolitanus, Em. & Rev. D. Cardinalis vicarii vices gerens, mihi notario optimè cognitus, asserens habuisse in mandatis à SS. D. N. Alexandro Papa Septimo, ut partem capitis S. Mamiliani, primi episcopi Panormitani, quod conservatur in Ven. ecclesia B. Mariæ in Monticellis de Urbe, consignaret illustrissimo & reverendissimo Don Petro Martinez Rubio, Albarozzinæ diœc., archiepiscopo Panormitano, ad majorem omnipotentis Dei gloriam, & prædicti S. Mamiliani venerationem, volens supradicti Sanctissimi mandatis parêre, accessit unà cum dicto Ill. & Rev. domino archiepi-

C scopo, meque notario, ac testibus infrascriptis, ad prædictam Ven. ecclesiam, eóque perventus, vocavit D. economum prædictæ ecclesiæ, cui significavit prædictum Sanctissimi ordinem.

donata anno 1657 archiepiscopo Panormitano,

10 Factaque brevi oratione ante altare majus, jussit per dictum economum aperiri conservatorium reliquiarum, situm à cornu euangelii in pariete in loco eminenti, & ab eo asportari supra dictum altare majus argenteum dicti S. Mamiliani, prout asportatum fuit in continenti, aperiendo clave dictum conservatorium, & fractis nonnullis clavis ferreis, quibus dictum caput argenteum claudebatur, per artificem ad hunc effectum ibi vocatum. In quo quidem capite argenteo multùm antiquo ab una parte sunt incisa hæc præcisa * SCO MAMILIANO EPO, ab alia parte aliæ litteræ, videlicet : A. D. MCCCCLVI. Et postquam fuit ab eodem Illustriss. D. V. gerente, & aliis supradictis prædictum caput veneratum ; idem Illustrif. D. V. gerens, ponens manum suam dexteram intus caput argenteum, extraxit cranium capitis prædicti S. Mamiliani cum parte capitis, divisi in pluribus partibus : quarum magna pars fuit

* *forte* præcisè

reposita in eodem capite seu imagine argentea, unà cum duabus aliis particulis & uno fragmento : duas verò partes mediocres, quarum altera continet partem oculi, & alia versus auriculam, & alias tres particulas consignavit dicto Illustriss. & Rev. D. archiepiscopo de ordine SS. D. N. Papæ, ut suprà, ibidem præsenti, & maxima cum veneratione & gratiarum actione recipienti : eidemque, ut penes se prædictas sanctas reliquias retinere, ab Urbe extrahere seu transmittere, in quacumque ecclesia, oratorio, seu pio loco, tam publico quàm privato, etiam publicæ veneration exponere possit & valeat, licentiam & facultatem in Domino concessit & impartitus fuit.

ut liquet ex Actis donationis :

11 Deinde verò dicta imago argentea per dictum artificem fuit clausa ad pristinam formam, sigilloque dicti Ill. D. V. gerentis super dictis clavis, octo in locis cerâ Hispanicâ sigillata, ita & taliter, quòd non posset ampliùs aperiri, nisi laceratis & devastatis dictis sigillis, & reposita in dicto conservatorio, statim clauso sua solita clave. In quo quidem conservatorio à parte exteriori, & in illius summitate sunt scripta magnis litteris hæc verba antiqua, scilicet : CAPUT S. MAMILIANI EPISCOPI ET MARTYRIS. In parte verò interiori alia verba, scilicet : PARS CAPITIS S. NYMPHÆ VIRGINIS ET MART. Quæ omnia hîc pro veritate adnotavi, non solùm modo & formâ prædictis, verùm etiam omni alio meliori modo &c. Super quibus omnibus & singulis petitum fuit à me eodem notario publico infrascripto, ut de prædictis unum vel plura publicum seu publica conficerem atque traderem instrumentum & instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in prædicta Ven. Eccl., præsentibus &c. Ill. & Rev. D. Jo. Francisco de Zarate sacræ Rotæ auditore ; Ill. & Rev. D. Francisco Diez de Cabrera canonico S. ecclesiæ Compostellanæ, à consiliis Catholicæ Majestatis in supremo S. Officii generalis inquisitionis tribunali ; perillust. & admodùm RR. DD. Ægidio Martinez Rubio, S. ecclesiæ Terraconensis thesaurario ; & abbate D. Antonio Acata Panormitano, testibus ad prædicta & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. M. Antonius episcopus Hieropolitanus V. gerens &c. Ego Antoninus Franciscus Maria Simius, curiæ causarum Em. & Rev. D. Cardinalis vicarii notarius, de præmissis rogatus ; præsens instrumentum subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi, requisitus &c. *Hactenus instrumentum traditionis reliquiarum, prout editum est apud Marasciam.*

E

illa anno 1658 Panormum translata, non totum caput :

12 *Ex hoc autem liquet*, duas *capitis* partes mediocres, *& ejusdem* tres alias particulas, *archiepiscopo Panormitano fuisse donatas. Non videntur partes illæ, quantùm ex instrumento colligitur, tantæ molis fuisse, ut omnes simul vel decimam capitis partem constituere possint. Attamen de iis ita loquuntur scriptores Panormitani, acsi totum caput fuisset translatum ad urbem suam. Verba nuperrimi Martyrologii jam dedi num.* 4, *ubi dicitur* Translatio capitis. *Eodem modo in Annotatis ad istud Martyrologium de illa agitur translatione, acsi caput integrum accepisset ecclesia Panormitana, illudque Panormum dicitur delatum die* VI *Octobris anni* 1658. *Antoninus Mongitorius in Vita* S. Mamiliani *martyris eumdem translationi assignat diem, ac non minùs liberaliter* caput *translatum scribit. Mitto alios, qui eodem modo de reliquiis capitis* S. Mamiliani *Panormum delatis locuti sunt. Neque debent hanc observationem*

AUCTORE J. S.

nem meam ægrè ferre eruditi Panormitani, cùm amor veritatis illam extorqueat, ne quis posteà ita Panormitanis caput S. Mamiliani atteibuat, ut neget majorem ejus partem mansisse in ecclesia S. Mariæ Montis Cæli. Etenim nimis frequenter experti sumus ejusmodi exaggerationes, quæ aliquibus etiam antiquioribus placuerunt, non modò multis contentionibus & controversiis occasionem dare, sed ex illis innumeras quoque falsitates oriri & errores, quos amor patriæ parere solet & fovere. Verùm de hisce satis.

aliæ particulæ antè Panormum delatæ:

13 Porrò aliquas etiam reliquiarum S. Mamiliani particulas assignat Marasœia pag. 16, docetque, eas suo tempore fuisse apud Salvatorem Oddum, atque anno 1609 ex ecclesia S. Mariæ Montis Cæli acceptas à Sebastiano Ugolino, Siculo sacræ theologiæ doctore. Hoc attestantur Litteræ Eminentissimi Cardinalis Arigonii, archiepiscopi Beneventani, anno 1609 datæ, quas ibi recitat. Non explicant laudatæ Litteræ, quales sint illæ S. Mamiliani particulæ. Verùm ipse Salvator Oddus apud Marasciam ibidem testatur, in theca sua haberi quatuor particulas, videlicet particulam costæ, alteram ossis brachii, tertiam B ossis spongiosi genu, ac tandem particulam cranii. Facilè crediderim, omnes istas particulas thecæ fuisse inclusas. Utcumque tamen dubito, utrùm omnes sint S. Mamiliani, an variorum Sanctorum. Certè in laudatis Cardinalis Arigonii litteris dicitur Ugolinus variorum Sanctorum Romæ reliquias accepisse, inter ceteras autem ab ecclesia S. Mariæ de Monticellis habuisse particulas S. Nymphæ V. & M., S. Mamiliani episcopi & martyris. Quare contingere potest, ut Ugolinus quatuor diversorum Sanctorum reliquias uni thecæ includendas curaverit, ut fieri solet. Sanè non admodùm verisimile est, quatuor diversas unius Sancti particulas eidem fuisse datas; præsertim cùm solùm Sancti caput in dicta ecclesia fuisse videatur, ita ut aliæ particulæ aliorum potiùs Sanctorum sint habendæ. At non magni momenti est illa dubitatio, sive credamus, omnes quatuor particulas esse S. Mamiliani, sive illam solam, quæ est cranii. Putem & alias quasdam ejusdem Sancti reliquias Panormi esse, acceptas verisimiliter Suanæ. Certè inter reliquias ecclesiæ domus professæ Societatis Jesu notantur reliquiæ S. Mamiliani archiepiscopi Panormitani.

C aliæ notabiles reliquiæ Pisis servatæ.

14 Apud Ughellum in Italia sacra tom. 3 col. 435 corpus S. Mamiliani Pisas cum aliis translatum fuisse dicitur seculo XII, recitaturque inscriptio marmori incisa, quæ sic habet: Anno MCXI, sexta Maii, tempore D. Petri archiepiscopi Pisani sacra corpora SS. Mamiliani, Lustri Vendemii, Aurelii, Rustici, Infantis, & Gobuldei mart. posita fuere in hoc sacro templo D. Matthæi in ara Parvulorum. Postea A. D. MCLXXIX, Idibus Septembris à reverendissimo D. Ubaldo archiepiscopo Pisano translata fuerunt intus ad cancellos, D. Villanâ abbatissâ. A. D. MDXCII, pridie Idus Julii, tempore Illustriss. & Reverendiss. D. Caroli Antonii Putei archiepisc. Pisani hoc digniore loco recondita sunt, D. Neriâ de Tortis dicti monasterii abbatissâ dignissimâ. Ecclesia, ubi hæ memorantur S. Mamiliani aliorumque Sanctorum reliquiæ, est abbatia monalium, de qua breviter scribit Augustinus Lubin in Abbatiis Italiæ pag. 297. Illas eò translatas dicto anno affirmat Ughellus ex insula, cui Mons Christi nomen est. Est ea insula in mari Etrusco, modica & admodùm montosa, de qua postmodùm plura. Deinde tamen ita loquitur, acsi ex Igilio insula fuissent translatæ: quod indicium est rei non D satis cognitæ. Cetertùm de hisce S. Mamiliani reliquiis nullam apud scriptores Siculos mentionem reperi. Attamen ex iis, quæ de gestis ipsius Ughellus ex traditione memorat, colligi potest eumdem esse cum eo, cujus reliquiæ servantur Suanæ. Nec refert, quòd utroque loco corpus esse dicatur: nam corpus esse potest duobus locis, eo nimirum sensu, quo pars valde notabilis corpus vocari solet.

§ II. De S. Mamiliano agunt Acta varia fidei non satis probatæ, ex quibus varia dantur de Sancto: ex his de ætate, dignitate gestisque & obitu S. Mamiliani probabiliora investigantur.

E Compendium assertorum de S. Mamiliano

OCtavius Cajetanus, ut ostenderet, Sanctam aliquam reperiri Siculam, Nympham nomine, ab alia ejusdem nominis Sancta distinctam, anno 1610 typis Panormitanis in lucem dedit Acta S. Nymphæ virginis & martyris in variis codicibus Mss. reperta. In hisce autem Actis varia referuntur de S. Mamiliano, quæ solùm compendio huc transferam, quia Acta illa apertissimè sunt fabulosa. Primò in istis S. Mamilianus asseritur episcopus Panormitanus, ac dicitur ad fidem convertisse instruxisseque S. Nympham, Aureliani præfecti filiam: quod Panormi factum traditur. Ubi conversio Nymphæ innotuit Aureliano præfecto, hic Mamilianum comprehendi jussit, & ad se adduci. Adductum verò interrogat, minisque frustra tentatum, tormentis quoque à fide amovere nequit. Deinde & filiam Nympham æquè constantem in fide reperit, ac in carcerem conjicit. Postea in vas olei ferventis injecti, indeque illæsi exiisse dicuntur; mox etiam fame nequidquam cruciati in carcere, donec angelus ipsis appareret. Hujus autem angeli jussu & ductu è carcere egressi, ad mare pervenerunt, ubi navis eos excepit Romam vehendos, ut limina Apostolorum visitarent. Attamen ubi pervenerant ad montem Gilium F (insula Igilium hac voce significatur, Italis Giglio, ut rectè exponunt ipsi Panormitani) maluerunt ibi manere Sancti, ut vitam ducerent anachoreticam in illa insula.

in Actis fabulosis S. Nymphæ.

16 Postquam aliquo tempore in illa insula fuerant, die noctuque Domino servientes; & cùm salutaribus studiis jugiter inhærerent, apparuit eis angelus, dicens: Parati estote: Dominus jubet ex hac luce migrare, ut sit requies laboribus vestris. Accepto autem hoc nuntio, petierunt, ut priùs sibi liceret Romam ad limina Sanctorum Apostolorum adire: atque id ipsis concessum fuit. Itaque navigantes venerunt ad Pharum Romani portus, & permanserunt ibi nocte illa. Postridie, monente angelo, iverunt ad locum situm juxta Buanam *, ubi in crypta erant Proculus & Eustotius, discipuli S. Mamiliani. Illis verò ibidem inventis, cum Nympha & Golbodeo, qui omnibus Panormi & in via adfuisse dicitur, perrexit Romam. Inde cum iisdem rediit ad cryptam, ibique non diu pòst defunctus ac sepultus dicitur. Hæc omnia vestiuntur tot figmentis planè ineptis & improbabilibus, ut

* al. Bucinam

AUCTORE J. S.

A *ut Acta illa nullam fidem mereantur. Latiùs id oſtendi poterit, die* x *aut* xii *Novembris, quando agendum erit de S. Nympha, cujus nomine inſigniuntur. Interim de iis mentem ſuam declaravit Thomas de Angelo, Meſſanenſis Ordinis Prædicatorum in Annalibus Hiſtorico-criticis eccleſiæ Siculæ ad ſeculum* iv § 2.

De S. Mamiliano diverſa relata in Actis S. Senzii,

17 *De S.* Mamiliano *multùm diverſa narrantur in Actis S. Senzii, apud nos datis ad* xxv *Maii, quæ non quidem prorſus authentica aut fidei indubitatæ ſunt, at certè minùs apertè fabuloſa, quàm Acta S. Nymphæ. In laudatis Actis* S. Mamilianus *vocatur presbyter, dicitur cum aliis in Africam deportatus à Wandalis tempore Genſerici Wandalorum regis, qui ante medium ſeculi* v *ſubegit provincias Africæ, Romanis antè ſubditas, Italiamque deinde ac Siciliam incurſionibus multis afflixit, capta etiam urbe Romana. De captivis multis, ex Italia in Africam à Genſerico ductis, Acta num.* 1 *generatim loquuntur, addunique hæc nominatim ad propoſitum noſtrum:* Inter quos viri religioſiſſimi, Domini ſervi, Senzius & Mamilianus presbyteri cum tribus monachis, Convuldo, Iſtochio, & Infante, deportati ſunt in Africam cum propriis rebus. *Mox num.* 2 *dicuntur piè Dominum orâſſe, ut captivitate illa liberarentur, liberatioque refertur his verbis:* Nutus Dei, qui non deſpicit ſperantes in ſe, nec amovet miſericordiam ſuam à ſe diligentibus, præparavit eis naviculam, ubi pariter in unum convenerunt, & flavit ventus metabolarius (*id eſt, aptus ad trajiciendum à Græco* μεταβολὴ trajectio) & ſternit æquora: citiúſque venerunt in portum Sardiniæ, qui appellatur Calaris, & Plumbinos.

B

apud nos ad 25 Maii editis, & ab aliis modo

18 *Hic autem Sancti illi optimè excepti dicuntur. Cùm tamen ibi manere nollent, primò vecti aſſeruntur ad* Turarium *inſulam: deinde verò ad inſulam tunc* Montem Jovis, *nunc* Montem Chriſti *dictam, ubi mortuus eſt* S. Mamilianus. *Attamen non in iſta inſula, ſed in alia non longè diſſita, quæ antiquis* Igilium (*nunc vulgò* Giglio, *&* Lilium) *ſepulturæ dicitur traditus. Ibi quoque tres monachi & ſocii manſiſſe & mortem cum vita commutâſſe narrantur. Solum Senzium ad continentem Italiæ poſt mortem aliorum trajeciſſe, ibique Bleræ in Tuſcia obiiſſe, habent Acta. Moraſcia pag.* 41 *recitat Acta cum hiſce ferè conſentientia, ſed paulò contractiora; quæ teſtatur ſe accepiſſe à Ludovico Jacobillo, auctore Operis de Sanctis Umbriæ; hunc verò ea habuiſſe ex Lectionario Ms. eccleſiæ Spoletanæ. In duobus tamen illa Acta notabiliter differunt ab Actis noſtris; nam primò* Mamilianum *faciunt epiſcopum Panormitanum; ſecundò Senzium deducunt Spoletum, ibique cum obiiſſe aſſerunt. Ultimum hoc non eſſe veriſimile, jam oſtendit Henſchenius ad* xxv *Maii ex ipſis Actis. Unde verò factum ſit, ut in Jacobilli manuſcripto* Mamilianus *vocetur* epiſcopus Panormenſis, *fateor me ignorare. At eo titulo non inſignitur in aliis Mss.*

C

ſarùm diverſo: idem, ut videtur, Sanctus

19 *In alio elogio Spoletano, quòd recitat Moraſcia pag.* 31, *& cujus auctor eſt D. Seraphinus Seraphinius,* Mamilianus *vocatur* epiſcopus *ſine loco, prout etiam ſit in elogio S. Senzii presbyteri ad* xxv *Maii apud Ferrarium; quamvis & hic Spoletana laudet monumenta Mss. Ughellus in Italia ſacra tom.* 3 *col.* 436 *refert Vitam* S. Mamiliani *nec* epiſcopum *vocat, nec illi Senzium addit ſocium. Attamen rerum ſeries, licèt ſatis diverſa, videtur evincere, eumdem quoque ab eo memorari Sanctum.* Legitur, *inquit*, in pervetuſto membranaceo manuſcripto codice monaſterii S. Matthæi Piſis, in quo Mamiliani Sociorumque corpora condita ſunt, Mamilianum, Gobuldeum, Luſtrum, Vendemium, Ruſticum & Infantem, ſocios à Genſerico Vandalorum rege Leonis Papæ temporibus, poſt Valentiniani necem, in ſervitutem Româ Carthaginem avectos, cùm ille Româ potitus, funeſtam cladem urbi inuliſſet, cumulatis expilatiſque ejus opibus, innumeros præſules, viroſque dignitate ſpectabiles, tum ipſam Eudoxiam auguſtam, duoſque ejus filios (*lege* filias) anno cdlv abduxiſſe. Hos porrò ſanctiſſimos viros, divino inſtinctu afflatos, naviſque occaſionem nactos, quæ ad Africæ ora appulerat, in Sardiniam vela feciſſe, atque in Callaritanam urbem applicuiſſe narratur, ubi, cùm paulò pòſt ingentem ipſis famam illuſtrata miraculis virtus peperiſſet, ut humanæ gloriæ ſeſe ſubducerent, ſecretiore quodam receſſu abſcondiſſent, dum porrigeret occaſio, ut inſulam Aretuſam, ſeu Montis Jovis, viciniorem peterent.

memoratur ab Ughello ex Actis Piſanis.

20 Verùm nautæ barbari, Mamilianum ſcilicet, Luſtrum, Vendemium & Aurelium in locum incluſum, Turraium quondam, nunc Ulturaium, appellatum, in quo nullum humani pedis veſtigium apparebat, expoſuerunt, adeo ut herbis ac radicibus, quas ipſis aves afferebant, jejunæ vitæ ſupplicium ſuſtentarent. Paucis verò pòſt diebus nave excepti, ad Montis Jovis inſulam, quam Chriſti vocârunt, appulêre. Quo in loco vitam eremiticam aſperrimamque agere cœperunt. Mamilianus draconem immaniſſimum, qui montis verticem inſederat, extinxit, divinaque virtute præfocavit, ibique tuguriolum ædificavit. Circumferebat jam latè Servorum Chriſti fama: cúmque dira in Chriſtianos perſecutio ſæviret: Mamilianus inde cum ſociis diſceſſere: ille Sardiniam quodam monte, abſciſſis undique ac pendentibus rupibus cincto, ſe recepit; ſocii verò ad inſulam Iginiam ſe contulere, ubi ductâ ſanctiſſimâ vitâ, ab omni humanæ conſuetudinis commercio ac labe ſegregatâ, in cælum evolârunt. At Mamilianus cùm imminentem mortem divinitus prævidiſſet, à Deo ſuis precibus promeruit, ut ſacra Romæ loca perluſtraret, divinoque Numine inſtinctus mare conſcendit, ad Iginiam inſulam appulit, ubi meritis onuſtus, corporis ſolutus vinculis, ad ſuperos, laborum præmia decerpturus, emigravit xix Octobris, anno Chriſti circitèr cdlx: juxta ſociorum corpora ſepulturæ mandatus eſt. *Hactenus Ughellus ex monumentis Piſanis, quæ ita in variis cum Romanis & Salernitanis conſonant, ut etiam aliqua habeant communia cum Actis S. Nymphæ, ac demum in quibuſdam ab omnibus iſtis recedant.*

E

F

Laudata Acta diu poſt mortem Sancti ſcripta & in multis fabuloſa.

21 *Si quis modò quæſiverit, quænam ex memoratis Actis videantur meliora, & an ulla ex illis videantur fidei ſatis certæ; non dubitabo reſpondere, omnia variis fabulis videri inquinata, ut paſſim Actis Sanctorum contigit, quando illa multis ſeculis poſt mortem Sanctorum ipſorum ex popularibus traditionibus fuere conſcripta. Nullum porrò videtur dubium, quin omnia Acta memorata fuerint conſcripta ſeculis aliquot poſt mortem* S. Mamiliani, *poſtquam corpus ipſius ex inſula, in qua fuerat ſepultus, ad varia Italiæ loca fuit tranſlatum, uti & corpora illorum Sanctorum, qui cum eo aut poſt eum in inſula eadem ſepulturam erant nacti. Nimirum Acta aliqua S. Senzii concinnata ſunt Bleræ, poſtquam eò tranſlatæ ſunt illius Sancti reliquiæ; alia verò Spo-*

AUCTORE J. S.

leti, quando iſtuc fuerant tranſportatæ : Acta S. Nymphæ fortaſſe Romæ conſcripta; Piſis verò Acta S. Mamiliani, qui non modò in ſuis, ſed etiam in Actis aliorum jam memoratis quaſi primas partes agit. Attamen in Actis S. Senzii hic Sanctus maximè celebratur cum Mamiliano; Nympha verò præcipuè in Actis ſuis. Ut paucis edicam, quod ſentio; ſinguli eos maximè Sanctos videntur celebrâſſe, quorum reliquias acceperant, eaque ſinguli videntur narrâſſe, quæ apud ſuos de Sanctis illis tradi audiebant. Si modò Acta illa omnia invicem conferamus; omnium maximè fabuloſa videbuntur Acta S. Nymphæ, in quibus pauciſſima reperire poſſum ſano judicio conformia. Piſana quoque Mamiliani, & Lateranenſia ac Spoletana S. Senzii, non videntur immunia à fictitiis ornamentis; pauciora tamen habent minúſque aperta figmenta.

Conjecturæ de geſtis S. Mamiliani,

22 Porrò, ſi quis ulteriùs quærat, quænam ſaltem in dictis Actis videantur utcumque probabilia. Reſpondeo, ſatis probabile videri, S. Mamilianum cum aliis multis captivum à Wandalis fuiſſe abductum in Africam, cùm conſtet, multos ex Italia & Sicilia eò ſeculo V avectos eſſe à Genſerico. Secundò improbabilis non eſt fuga ex Africa, qualis in Actis aſſeritur. Attamen certam non exiſtimo, cùm fortè pretio redempti redierint in patriam. Certè Victor Vitenſis in Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ cap. 1 num. 9, ubi narraverat, captam à Genſenico Romam multoſque inde captivos Carthaginem traductos, de charitate S. Deogratias epiſcopi Carthaginenſis iſta ſubjungit. Statim ſategit vir Deo plenus & carus univerſa miniſterii vaſa aurea vel argentea diſtrahere, & libertatem de ſervitute barbarica liberare &c. Poterat ſanè ex liberatis hoc modo eſſe S. Mamilianus cum ſociis. Præterea, cùm Wandali multos epiſcopos exſilio relegârint, ex hiſce etiam potuit eſſe Sanctus. Tertiò probabile omnino eſt, S. Mamilianum deinde vitam duxiſſe eremiticam aut monaſticam, in aliqua inſula maris Tyrrheni ſive Etruſci, ut habent Acta, aliquoſque ibidem fuiſſe ipſius ſocios, ac poſt ipſum alios multò plures in eadem inſula vixiſſe monachos.

cujus monaſterium in Monte Chriſti

23 Quænam porrò fuerit illa inſula, utcumque colligimus ex Ughello jam laudato, qui aſſerit, corpora S. Mamiliani & aliorum Piſas fuiſſe tranſlata ex inſula, cui Mons Chriſti nomen eſt. Deinde verò de illa ſic diſſerit: Hæc verò inſula, olim Artemiſia dicta, à celeberrimo monaſterio in ea priſcis temporibus excitato, Montis Chriſti nomen traxit. In mari Tyrrheno jacet, non longè ab Iginio *, Planoſa * & Ilva inſulis: quæ quidem nullo portu commodo prædita, ſed abruptis undique & pendentibus ſcopulis horret, excurritque in mare. Inculta hodie eſt, damis tantummodo ſylveſtribus ſubjecta, ex quo Ariadenus Ænobarbus pirata eam cultoribus orbavit, fœdaque maritimis Tuſciæ, Romanæque Campaniæ partibus inuſta vaſtitate, innumeros Chriſtianos miſeræ ſervituti mancipavit: tum illius inſulæ cœnobii monachos ac colonos in vincula abduxit. In ea inſula jus obtinet Plumbini dominus, quamquam Camaldulenſis Ordo illud ſibi vindicet, ut qui ab inſulæ dynaſtis cum ampliſſimis privilegiis eam receperint. Ad illius montis cacumina, veſtigia pervetuſti monaſterii viſuntur: quo verò tempore excitatum monaſterium fuerit, hominum memoriam fugit: ſed cùm hactenus D. Mamiliani in Monte Chriſti [*nomen*] illi hæſerit, ea pervaſit opinio, eumdem ſanctum Mamilianum unà cum ſociis illius conditorem exſtitiſſe. Hæc Ughellus, cujus opinio de condito per S. Mamilianum monaſterio, aut certè de inchoata per ipſum in Monte Chriſti vita monaſtica ſatis conformis eſt relatis de ipſo in Actis. Verùm Ughellus fortè corrigendus in antiquo illius inſulæ nomine: neque enim illa videtur eſſe inſula, quæ olim Artemiſia dicta eſt; ſed id Græcum nomen fuiſſe videtur Dianii inſulæ, nunc vulgò Gianuti dictæ, ut colligitur ex Cluverio lib. 2 Antiquæ Italiæ pag. 501. Credit ille veriſimillimè ex ſitu, Oglaſam fuiſſe ab antiquis dictam, quæ nunc Mons Chriſti dicitur, jacetque paulò magis verſus Corſicam.

olim fuit celebre, & multorum aliorum caput.

24 De celebritate autem monaſterii illius in Monte Chriſti, col. 437 ſubjungit ſequentia: Cæterùm cùm inſulæ Montis Chriſti fama latè pervagata eſſet, plures ea tempeſtate Chriſtiani, ac viri religioſi in ea loca, quæ à viris ſanctiſſimis conſecrata fuerant, confluxerunt, ut monaſterium inibi conditum ad ſummam celebritatem aſſurgeret, eóque plures nobilitate ſpectatiſſimi totius Sardiniæ ac Corſicæ homines concurrerent, muneribuſque ampliſſimis ſacras illas ædes exornarent. Inter cæteros eximia fuit Berlingerii regis Corſicæ liberalitas, quâ cœnobium auxit, ejuſque exemplo plures certatim ſuas opes contulere. Addit, monaſterium iſtud mirè floruiſſe ſub D. Benedicti Regula; ſed Honorii III temporibus ejuſque auctoritate Camaldulenſibus fuiſſe aggregatum; nunc verò deſertum eſſe. De donatione Beringherii Corſicæ regis iterum meminit tom. 4 col. 1394, ibique aſſerit, eam eſſe factam anno 900, teſtemque adfuiſſe Lunergium, Marianenſem in Corſica epiſcopum. Loco autem antè allegato ex monumentis hujus monaſterii, quæ ſuperſunt apud Camaldulenſes, recitat Litteras Gelaſii Papæ II, datas anno 1118, Kalend. Octobr., quibus Henrico abbati confirmantur omnia, quæ beati Mamiliani in Monte Chriſti monaſterium poſſidebat, multaque nominatim enumerantur in Corſica, vel Sardinia, in Plumbino vel Elba, olim Ilva dicta: atque inter alia nominatur eccleſia S. Mamiliani de Simaſſi in Sardinia. Hæc ſatis oſtendunt celebritatem cultûs S. Mamiliani, qui cum celeberrimo ipſius monaſterio deinde videtur decidiſſe. Auguſtinus Florentinus in Hiſtoria Camaldulenſi lib. 2 cap. 29 agit de monaſterio S. Mamiliani in Monte Chriſti, enumeratque plurima monaſteria eidem olim ſubjecta, interque ea quatuor diverſa reperio S. Mamiliani nomine inſignita. Originem verò monaſterii fatetur ſe non inveniſſe; at credit ab anno humanæ ſalutis CCCCVII multis egregiis donationibus honeſtatum fuiſſe. Hoc ego ſanè probatum videre mallem, quàm ſine teſtibus aſſertum, cùm non ſit veriſimile.

locus mortis & ſepulturæ: corpus tranſlatum, & in partes diviſum.

25 De loco, ubi obiit S. Mamilianus, Acta non conſentiunt. Data apud nos S. Senzii Acta, uti & Spoletana habent, defunctum eſſe in Monte Chriſti, ſepultum tamen in Igilio inſula non longè diſſita, & Etruſco littori magis vicina. At Ughellus ex Actis Piſanis in ipſa inſula Igilio aut Iginio defunctum narrat, ibique ſepultum. De tranſlatione autem in continentem Ughellus ita loquitur: Cùm verò innumera Deus eorum operâ (*ſeu patrocinio*) miracula explicuiſſet, eorum ſacra corpora ad Centumcellas (*portum ditionis Pontificiæ ſatis notum, hodie vulgò* Civita vecchia *dictum*) Chriſti fideles ſummo honore extulere. Inde Paſchale II Pontifice ſedente, Piſas ingenti pompâ allata, à Petro archiepiſcopo, in D. Matthæi eccleſia honorificè condita ſunt. Hæc Ughellus de corporibus S. Mamiliani, alio-

* *al.* Igilio *vulgò* Giglio
* *olim* Planaria

A *aliorumque Sanctorum, ex Igilio primùm Centumcellas, inde Pisas translatis. Nec sanè quidquam in hisce reperio, quod à verisimilitudine abeat. Attamen non credidero, omnia Sanctorum illorum ossa, & præsertim* S. Mamiliani, *de quo solo agimus, Pisas fuisse transportata. Magis sanè credo, in tres saltem partes ossa illius Sancti fuisse divisa, atque ex illis unam Pisanis cessisse, alteram Suanensibus esse concessam, ac totum ferè caput Romam esse delatum. Certè nullam invenio necessitatem credendi, alterius* Mamiliani *reliquias servari Pisis, alterinsque Suanæ & Romæ.*

§ III. Utrùm necesse videatur, duos admittere Mamilianos diversos ex Actis modò laudatis: & an satis constet de dignitate S. Mamiliani.

B *Marasciæ, duos Mamilianos statuentis, prima ratio refutatur:*

JAm laudavi Opusculum Italicum Josephi Vincentii Marasciæ de duobus Mamilianis archiepiscopis & civibus Panormitanis, *quod sanè mallem silentio præterire, quàm discutere, si id mihi pro instituto Operis nostri liceret. Verùm quæstio de uno aut duobus ejusdem nominis Sanctis tam arctè cum instituto Operis de Sanctis connexa est, ut necesse nobis sit eam examinare. Faciam tamen id tantò breviùs, quantò minùs necessaria videtur longa disputatio. Marasciæ pag.* 10 *argumenta sua proponere incipit hoc ordine. Primò, inquit, diversitas temporis duos insinuat* Mamilianos, *quorum alter vixit sub Constantino Magno cum S. Nympha; alter verò seculo* V *circa annum* 455 *missus est in exsilium. Respondeo, Acta S. Nymphæ tot fabulis plena esse, ut planè inepta sint ad aliquid certi statuendum de tempore, quo floruit* S. Mamilianus. *Præterea in illis Actis, prout edita sunt à Cajetano & secundo loco à Marasciæ, tempus non exprimitur. In aliis, quæ primo loco edidit Marascia ex codice Vaticano, quæque aliis longè etiam ineptiora sunt, tempus ita indicatur, ut & pacis Ecclesiæ per Constantinum redditæ, & damnatæ hæresis Arianæ fiat mentio, ita ut suspicio oriatur, ineptissimum illum scriptorem respexisse ad initium Actorum S. Senzii apud nos ad* XXV *Maii, ubi etiam fit mentio de Constantino, de Constantio & de nata hæresi Ariana, ut statim perveniatur ad Genscricum Arianum Wandalorum regem. Verùm quòcumque respexerit biographus ille S. Nymphæ, totum istud initium tam stolidum est, ut mirer, non erubuisse Marasciam ineptissimi hominis verba proferre, ex iisque argumentum velle desumere.*

C

Secundum ejusdem argumentum,

27 *Secundò ita ratiocinatur. Alter* Mamilianus *socios habet* Nympham, Proculum, Eustotium & Golbodeum. *Alteri* Mamiliano *adhæserunt* Sentius presbyter, Convuldius, Eustochius & Infans monachi. *Respondeo, ex solis S. Nymphæ Actis fabulosis haberi, aliquid commune fuisse* S. Mamiliano *cum S. Nympha, ideoque valde incertum esse, an* S. Mamilianus *S. Nympham unquam viderit. Auctor illorum Actorum, qui multa alia sine ullo fundamento at contra omnem verisimilitudinem leviter confinxit, fortè duos illos Sanctos conjunxit, quia noverat, eorum capita Romæ in eadem ecclesia conservari. Certè ne verisimile quidem est aut probabile (ut alia prætermittam benè multa)* S. Mamilianum *cum S. Nympha in eadem crypta vitam simul duxisse monasticam, mortuoque* Mamiliano, *Nympham ibidem mansisse cum tribus ipsius discipulis. Si quis sano valeat judicio, & animum ad hæc sedulò advertat, numquam credere poterit, puellam Sanctam id feciss, aut sanctum Episcopum permisisse, ut id faceret. Verùm, quia de S. Nympha postmodùm erit agendum, examinari tunc poterit, an S. Nympha videatur ex Sicilia aut ex Africa cum* S. Mamiliano *fugisse: neque enim id æquè est incredibile.*

AUCTORE J. S.

quod ipsius opinioni potiùs repugnat:

28 *Quod verò spectat ad diversitatem Sociorum, quibuscum vixisse dicitur* S. Mamilianus; *respondeo, plures ei fuisse socios in vita monastica, aut certè plures ejusdem instituti imitatores. Hi sanè cum aliqua diversitate in diversis Actis memorantur, quia scriptores Actorum eos maximè memorârunt, quorum acceperant reliquias. Hinc Blerani & Spoletini præ ceteris celebrârunt S. Senzium vel Sentium, cujus habent reliquias. Pisani addiderunt reliquis* Lustrum, Vendemium, Aurelium & Rusticum, *quia horum corpora Pisas sunt delata.* Proculus *memoratur in solis Actis S. Nymphæ; & fortè cum* S. Mamiliano *numquam in insula solitariè vixit, sicut dictum est de S. Nympha. Aut, si ibidem fuit monachus, ab iis memoratus solùm est, qui ejus reliquias acceperunt. Jam verò, si consideremus, in omnibus omnino Actis unum adjungi socium* Mamiliano, *qui idem prorsus ubique videtur, licèt nomen modo paululùm diverso scriptum sit in Actis diversis; & alterum quoque reperiri in Actis S. Nymphæ, qui eadem de causa non videtur diversus à memorato in aliis Actis; socii faciliùs nobis persuadebunt, non alium in Actis S. Nymphæ* Mamilianum *laudari, quàm in reliquis omnibus. Primus illorum in Actis S. Nymphæ* Goboldeus *scribitur, in Actis S. Senzii* Convuldius, *& rursum* Gobuldeus *apud Ughellum ex Actis Pisanis, in quibus, si vera esset Marasciæ sententia, de alio ageretur* Mamiliano, *quàm in Actis S. Nymphæ, ita ut uterque habere debuisset comitem* Goboldeum *vel* Gobuldeum: *quod tantò minùs est verisimile, quantò rarius est istud nomen. Ut autem lector intelligat, quàm parvi facienda sit modica nominis mutatio, idem ille Sanctus apud Cajetanum ex iisdem Actis* Golbodeus *scribitur. Alter* S. Mamiliani *discipulus in Actis S. Nymphæ* Eustotius *scribitur, in Salernitanis S. Senzii* Eustochius *vel* Vistochius, *in Romanis* Istochius. *Quis hic rursum non suspicetur eumdem ejusdem* Mamiliani *discipulum? Quare Socii, qui in variis Actis variè attribuuntur* S. Mamiliano, *adeo non juvant causam Marasciæ, ut ipsius sententiæ multum potiùs verisimilitudinis detrahant.*

E

F

uti & tertium:

29 *Tertium ille argumentum petit ex differentia Actorum, quæ nullo modo invicem conciliari possunt multaque Actorum diversitates assignat. Tanti faciendum est hoc argumentum, quanti Acta ipsa, quæ jam fabulosa quàm maximè diximus. Si toties geminandi essent Sancti, quoties conciliare non possumus, quæ de iis reperimus in Actis diversis, atque in ipsis etiam fabulosis; paucos haberemus aut nullos fortè Sanctos, qui non viderentur geminandi. Itaque inutile est istud argumentum, cum Acta S. Nymphæ nullam mereantur fidem; & alia quoque fidei sint exiguæ. Quin potiùs aliqua loca satis similia in utrisque Actis occurrunt, ut credi possit, de eodem utro-*

AUCTORE J. S.

bique agi Mamiliano. *Primò in utrisque dicitur fugisse per mare, navi casu fortuito inventa. Secundò in utrisque dicitur venisse ad insulam quamdam maris Etrusci, ibique cum aliquibus mansisse ad instituendam vitam solitariam. Tertiò in Actis S. Nymphæ dicitur fuisse in insula Igilio, quæ* Mons Gilius *recenti nomine à vulgari* Giglio *in Actis illis vocatur. Hisce rursum consonant Acta Pisana apud Ughellum, & in aliis in illa insula saltem sepultus asseritur. Quartò tam in Actis S. Nymphæ quàm apud Ughellum dicitur, ubi præmonitus erat de morte instante, impetrâsse, ut priùs liceret sepulcra Apostolorum Romæ visere. Quintò in omnibus Actis nautæ, qui recusabant* Mamilianum *transvehere, dicuntur tempestate coacti, ut eum & socios tandem navi exciperent. Mitto alia similia, & solùm observo, quàm improbabiliter in Actis S. Nymphæ dicatur S. Mamilianus Panormo Romam navigare voluisse, sed navi exiviſſe, quando perventum erat ad insulam Igilium. Etenim trajicientibus mare, ut Panormo tendant Romam, non occurrit insula Igilium: hæc verò longiùs Panormo distat, quàm ipse Portus Romanus. Itaque id ipsum videtur à*

B *scriptore illo imperitè confictum, quia audiverat,* S. Mamilianum *in Igilio fuisse, ibique esse sepultum.*

respondetur ad quartum:

30 *Quartum argumentum desumit Marascia ex varietate cultûs* S. Mamiliani, *qui Romæ colitur ut martyr, Suanæ verò solùm tamquam confessor. Respondeo, hoc argumentum nullius esse momenti, quia pluribus Sanctis idem contingit, quando utcumque dubium apparet, utrùm ut martyres colendi sint, an ut confessores. Hoc autem qualecumque dubium locum habere poterat in* S. Mamiliano, *qui pro fide exsilium, & fortè etiam plura alia passus est; quique exsul pro fide mortem obiisse videtur, ita ut coli possit ut martyr, licèt violenta morte sublatus non sit manu carnificis. Sic apud Ughellum inscriptio Pisana* Mamilianum *& socios vocat* martyres, *quamvis ille ex opinione Marascia secundus esset* Mamilianus, *quem* confessorem *vocat. Si vera esset opinio illius auctoris, utrique* Mamiliano *æquali ferè jure* Martyris *titulus dari posset, aut etiam* Confessoris, *quia uterque in exsilio fuisset defunctus.*

C *quintum ceteris non est melius:*

31 *Quintum Marascia argumentum petitur ex diversis translationibus reliquiarum* S. Mamiliani, *laboratque iisdem vitiis, quibus alia ferè omnia, quòd facta dubia pro certis allegentur. Ait, corpus* S. Mamiliani *martyris Romam fuisse translatum ad ecclesiam S. Mariæ Montis Cæli tempore Urbani II, anno 1098. Pro hoc asserto pag. 130 laudat Philippum Ferrarium in Sanctis Italiæ ad v Septembris. Corpus verò* S. Mamiliani, *quem vult secundum, dicit Suanam portatum sub pontificatu Pii II, anno 1460, eumdemque laudat Ferrarium. Respondeo, auctoritatem Ferrarii tantam non esse, ut eidem firmam fidem tribuamus, quando aliquid sine probatione asserit; ideoque invalidum fore argumentum, etiamsi tamquam certa diceret Ferrarius, quæ dicentem inducit Marascia. Verùm Ferrarium vel invitum ad opinionem suam trahit Marascia. Refert ille, corpora illorum Sanctorum, quos cum S. Nympha in diœcesi Portuensi sepultos credidit, translata esse ad laudatam Montis Cæli ecclesiam anno 1098. In Annotatis verò observat,* ex monumentis ecclesiæ Suanensis *haberi, corpus* S. Mamiliani *fuisse Suanam translatum ex insula Igiliensi,* brachio ibi relicto, *sub Pio II Pontifice. Cùm autem videret, hæc non cohærere cum Vita S. Nymphæ, addit hanc observationem:* Videtur itaque Vita S. Nymphæ, in qua Mamilianum apud Portum Romanum decessisse legitur, expurgatione indigere. *Hæc rectè Ferrarius, unum dumtaxat agnoscens* Mamilianum, *& Marascia planè contrarius. Attamen de tempore, quo sacræ reliquiæ ex insula Igilio translatæ sunt, citatis monumentis Suanensibus certam fidem habendam non putem, cùm illud translationis tempus nimis propinquum videatur inventioni corporis Suanæ, quæ asseritur contigisse anno 1490, & ex qua verisimile fit, reliquias illas citiùs Suanam fuisse delatas.*

D

Sextum argumentum ex reliquiis,

32 *Sextum argumentum Marascia tale est, ut opinionem ipsius mihi prorsus reddat improbabilem. Contendit miro conatu, totum* S. Mamiliani *corpus conservari Romæ in frequenter laudata ecclesia B. Mariæ Montis Cæli; totum item, excepta tamen parte majore capitis, haberi Suanæ, indeque inferre conatur, duos necessariò admittendos* Mamilianos. *Verùm quantò major est conatus Marascia, quantóque majorem adhibuit diligentiam ad investigandum, quantum reliquiarum* S. Mamiliani *Suanæ servaretur, & quantum Romæ; tantò mihi manifestiùs liquere videtur,* E *Suanæ esse magnam corporis partem, at caput aut totum aut ferrè totum Suanæ non servari: hoc verò ferè totum Romæ servari, & nihil præterea, aut certè non tantum, ut pugnet cum reliquiis Suanæ servatis, etsi partem quoque aliquam reliquiarum* S. Mamiliani *attribuendam credamus Pisanis, quam ignoravit Marascia. Si autem reliquiæ aliæ sine capite Suanæ conservantur; si caput sine aliis reliquiis Romæ: quis prudens negaverit, indicium id esse verisimillimum, quo existimare possimus, reliquias esse ejusdem Sancti, quæ utroque loco habentur, sicut ante Marasciam omnes crediderunt scriptores, ipso fatente.*

quarum pars Suanæ, pars Romæ & aliis locis est,

33 *Octavius Cajetanus, qui & Suanæ & Romæ vidit ac contrectavit reliquias* S. Mamiliani, *de unitate corporis luculentum præbet testimonium, quod ratiociniis suis frustra evertere conatur Marascia. Fatetur etiam Cajetanus, reliquias Suanenses simul ac Romanas non efficere integrum corpus, cùm alterum brachium Igilio, alterum Ilvæ attribuat tom. 1 Sanctorum Siculorum in Animadversionibus pag. 121, ubi de Suanensibus reliquiis dicit:* Suanæ verò maxima pars corporis in æde ejus nomini dicata servatur. *De Romanis verò dicit:* Enimverò S. Mamiliani caput Romæ est in æde S. Mariæ Montis Cæli. *Ad inscriptionem ibidem positam, quæ corpora quinque martyrum designat, ita rectè respondet:* Mos olim apud majores nostros fuit, ut corporis membrive insignior pars, eodem nomine compellaretur. Unde ortum, ut idem corpus aut membrum pluribus in locis esse à scriptoribus tradatur. Igitur cùm sanctorum Mamiliani, Golbodei, Proculi, Eustotii ac Nymphæ corpora in æde S. Mariæ Montis Cæli condi legis, minimè illa integra esse in animum inducas tuum; sed præcipuas eorum partes. *Tum refert, quid de singulis viderit.* F

opinionem Marasciæ non magis probabilem,

34 *Quæ hisce opponit Marascia, tam frivola sunt & minuta, ut vix mereantur responsum. Asserit primò, corpus* S. Mamiliani *& aliorum quatuor Sanctorum Romæ servari sub altari principe; aitque, id dici à senioribus quibusdam è populo illius paræciæ, & sic habere inscriptionem jam memoratam. Mox in confirmationem adducit particulas quasdam reliquiarum ex illa ecclesia acceptas, ut narravi num. 13, ex quibus,*

fi

A *si omnes essent* S. Mamiliani, *quod incertum esse observavi, solùm colligi posset, præter caput, alias quasdam* S. Mamiliani *particulas in illa ecclesia fuisse conservatas. Ipse Marascia pag.* 18 quasi concedere *vult Cajetano, totum corpus non esse Romæ, & ad alia ratiocinia æquè inutilia, quàm illa, quibus corpus Romanis asserere nitebatur, tandem convertitur. Ait, se non posse non credere episcopo Suanensi, affirmanti totum* S. Mamiliani *corpus esse Suanæ, excepto cranio. Id responsum accepit ad interrogationes suas, recitatque Italicè pag.* 65. *Verùm respondeo, me etiam honorem deferre episcopis, ideoque libenter creditu-rum, si testimonium dent de integritate alicujus corporis post debitum examen per anatomicos peritos. At de tali examine nulla fit mentio in responso apud Marasciam, nulla fit mentio anatomici ullius præsentis, quando aperta fuit theca: solùm dicitur, in theca brevi ossa eo ordine fuisse posita, ut brachia essent capiti propinquiora, & inferiùs crura: atque inde infertur, non esse dubitandum de corporis integritate.*

B *sed potiùs improbabilem facit:*

35 *Verùm, si ejusmodi integritatis examen sufficere potuit Marasciæ, mihi sanè non sufficit nec sufficiet ulli, qui noverit, quàm difficulter de integritate alicujus corporis possit ferri judicium, quando singula ossa semel loco suo mota fuerunt. Verisimiliter nullus vidit thecam apertam, qui vel numerum ossium humani corporis noverat, aut qui ossa noverat distinguere. Quare tota corruit structura, quæ tam fragili fundamento nititur. Æquè invalidum est, quod ait Marascia de partibus aliquot capitis Suanæ servatis, & de toto capite Romæ servato. Neque enim probavit, notabiles fuisse capitis partes, aut omnino capitis partes fuisse, quas illustrissimus episcopus Suanensis tales credidit. Nihilo magis ostendit, totum caput ita esse Romæ, ut nullæ partes desint, cùm ex instrumento dato num.* 10 *contrarium videatur verius: nam ibi dicitur ex theca reliquiaria Romana* extractum *fuisse* cranium capitis... cum parte capitis, divisi in pluribus partibus. *Hic autem loquendi modus non videtur designare totum caput. Itaque utrumque antecedens Marasciæ est dubium, & ruit tota consecutio. Malim igitur credere Cajetano, qui utroque loco reliquias viderat, pro unitate corporis judicanti, quàm Marasciæ inutilibus ratiociniis se fatiganti.*

C *Septimum argumentum Marasciæ credulitatem,*

36 *Septimum & ultimum Marasciæ argumentum iterum ipsius opinioni magis nocet, quàm prosit. Ostendit enim mirabilem viri illius credulitatem in admittendis iis omnibus, ex quibus aliquid ratiocinii se eruere posse credidit. Ait, natalem primi* Mamiliani *celebrari* XVI *Junii; natalem quoque Secundi die* XV *Septembris. Verùm non capio, qua crisi illud scribere potuerit: nam Opusculum suum orditur ab ingenua confessione, quâ profitetur, opinionem suam esse prorsus novam,* cùm de uno solo (Mamiliano) mentionem faciant omnes auctores, qui de Sanctis Siculis scripserunt, de uno solo sit persuasio & traditio Siculorum. *Quomodo igitur gemina festivitas duorum diversorum est natalis, cùm notum sit, qua de causa celebretur festivitas altera die* XVI *Junii, nimirum ob corporis inventionem. Recitat ipse pag.* 59 *inscriptionem Suanensem, quâ corpus dicitur inventum* die XVI Junii. *Noverat, inventionem corporis eodem die annuntiari apud Cajetanum. Cur igitur, illam festivitatem nobis obtrudere vult ut natalem? Audi, lector, probationem ex fabulosis S. Nymphæ Actis petitam. Secundum Acta illa obiit S. Nympha die* XII *Novembris. Hæc autem vixerat* undecim mensibus & diebus quatuor *post Proculum, Eustotium & Goboldeum. Horum igitur obitus figendus est die* VIII *Decembris. Rursum sex mensibus ante illos obiisse dicitur* S. Mamilianus. *Itaque hic defunctus est die* VIII *Junii, si credimus Marasciæ, qui addit, se non intelligere, cur ecclesia Panormitana, non potiùs* VIII *Junii, quàm* XVI *ejusdem mensis, natalem* S. Mamiliani *celebret.*

37 *At ego multò minùs intelligerem, quomodo vir eruditus tantam Actis fabulosissimis fidem tribuat, ut illorum auctoritate natalem* S. Mamiliani *diem assignare se posse credat, nisi clarè perspicerem, totum ipsius Opusculum eodem illo nimiæ credulitatis vitio laborare. Sanè non aliunde nata videtur nova illa Marasciæ opinio, quam viris aliquibus doctrinæ laude celebratis placuisse miror, quàm ex credulo nimis patriæ amore. Hinc duo illi* Mamiliani, *tanto labore frustra quæsiti, ambo non modò episcopi Panormitani statuuntur, sed & cives ejusdem urbis: hinc amborum Socii, quorum aliqui similiter geminati videntur, eidem urbi ut cives asseruntur. Attamen post examen satis sedulum candidè profiteri* E *cogor, me neque* S. Mamiliani, *neque S. Nymphæ, neque ullius ex aliis, qui in variis Actis cum illis conjunguntur, patriam certam facere posse. Præterea, si vel maximè duos* Mamilianos *admittendos crederem; ambos non crederem episcopos Panormitanos. Etenim unius episcopatus, si non prorsus certò, probabiliter saltem evincitur. At, si duo essent admittendi, quos admittendos necdum credimus, alia oriretur dubitatio, videlicet, an ambo essent episcopi, quod rursum satis videretur ambiguum, cùm* Mamilianus *aliquibus locis non habeatur pro episcopo; ac tandem inquirendum esset, an ambo viderentur episcopi Panormitani.* *nimiumque patriæ amorem probat, non rem ipsam.*

38 *Marascia breviùs omnia expedire voluit, unicaque dissertatione duos* Mamilianos *distinctos ostendere, eosque simul ambos pro episcopis habere, ac liberaliter ecclesiæ Panormitanæ attribuere. Si quis modò exquirat de tribus hisce capitibus sententiam meam; paucis eam declarabo. Argumenta adducta per Marasciam non sufficiunt, ut ex Actorum varietate, aut ex reliquiarum variis locis conservatarum copia, certò inferamus, duos esse* Mamilianos *distinctos, de quibus mentionem faciunt Acta. Lubens tamen agnosco, locum esse utcumque dubitandi, utrùm varia illa Acta, unum solum designent* Mamilianum, *an plures. Neque enim ex monumentis adeo incertis & ambiguis aliquid certi tutò potest inferri. Attamen probabilius mihi apparet, unum dumtaxat in omnibus illis Actis laudari; sed tam varia de ipso fuisse scripta, quia scriptores multis seculis posteriores gesta Sancti non satis noverant, & ex incertis solum traditionibus Acta singuli pro suo ingenio concinnabant. Ratio prima hujus opinionis est, quia reliquiæ variis locis servatæ non videntur excedere quantitatem unius corporis, & quia omnes videntur transportatæ ex insula aliqua maris Etrusci, ubi* S. Mamiliani *cultus est antiquissimus, ut liquet ex monasterio ipsius olim celebri in Monte Christi. Altera ratio, unum potiùs, quàm duos* Mamilianos *credendi, oritur ex Sociis ubique cum* Mamiliano *recensitis, ex quibus duo iidem omnino videntur in Actis diversis. Fateor tamen, has rationes non esse tales, ut rem faciant prorsus certam, ideoque sententiam nostram solùm ut probabiliorem propono.* *In Actis omnibus antè laudatis probabiliùs de uno agitur Mamiliano:*

F

39 *Secundò improbabile mihi omnino videtur,*

AUCTORE J. S.

in laudatis Actis duos memorari Mamilianos, *ambos episcopos. Si duos revera crederem, alterum episcopum dicerem, alterum presbyterum: episcopus enim* Mamilianus *dicitur in Actis S. Nymphæ, episcopum dicit inscriptio Suanensis, & Romæ ut episcopus* Mamilianus *habetur. Dicendum igitur esset, Episcopum esse, qui Romæ & Suanæ colitur, ac de eo agere Acta S. Nymphæ. Contrà presbyter vocatur* Mamilianus *in Actis S. Senzii apud nos datis, & Pisis* martyris *titulus ei solùm videtur attributus. De hoc igitur* Mamiliano *presbytero agerent Acta reliqua, & hujus fuisset celeberrimum monasterium in Monte Christi. Potuisset hoc argumentum reliquis addere Marascia, si solùm duos voluisset* Mamilianos; *& non quæsivisset duos episcopos Panormitanos. Ego ipse eo uterer ad probandam distinctionem, si Acta tanti essent facienda, ut crederem errari non potuisse in titulo Sancti. Verùm nulla Acta, in quibus agitur de* S. Mamiliano, *tam accurata reperio & certa, ut existimem, dignitatem* presbyteri *aut* episcopi *ex iis satis fieri certam; nedum utrumque titulum cum gemino* Mamiliano *ex illis abundè probari. Hoc tamen argumentum vel maximè me moratur, quo minùs certò credam, de uno ubique agi* Mamiliano: *nam sicuti fieri potuit, ut de uno diversa scriberentur ab auctoribus diversis, ita etiam duorum gesta confundi potuerunt ex errore.*

prorsus quæ improbabile est, in iis agi de duobus episcopis synonymis:

B

40 *Florentinius in Annotatis ad Martyrologium Hieronymianum, in quo* Natalis sancti Mamiliani *sine loco annuntiatur ad* XIII *Septembris, ambiguè disputat, an idem sit* S. Mamilianus, *qui Pisis colitur & Suanæ. Hunc in finem observat primò,* Mamilianum *haberi in solo codice Lucensi, non item in aliis Hieronymianis codicibus. Secundò testatur* S. Mamiliano *etiam Lucæ exstructum fuisse sacellum* in veteri basilica SS. Antonii & Georgii, nunc S. Paulini, *inquit*, ut in Ms. Historia inventionis corporis S. Paulini, primi episcopi Lucensis, in sacrario illius basilicæ continetur. *Tertiò memoriam Sancti in aliis quoque Fastis Lucensibus assignat, ita scribens:* In veteri Kalendario Ms. penes me, ad usum olim vetustissimæ basilicæ S. Donati hac ipsa die Idus Septembris S. Mamiliani memoria recolitur; sicuti in Hieronymiano canonicorum Lucensium etiam vetustiori 1 Idus * S. Mamiliani. Unde subiit suspicari, *inquit*, S. Mamilianum in fronte laterculi ab aliquo clerico Lucensi potuisse superaddi. *Quartò asserit,* S. Mamilianum *Pisis coli eodem die* XV *Septembris, quo colitur Suanæ. Ex his autem omnibus meritò suspicatur Florentinius, eumdem esse* Mamilianum, *qui Pisis & Suanæ colitur, licèt Pisis celebretur ut martyr & sine titulo episcopi; Suanæ verò ut episcopus confessor.*

nam, si duo essent, alter eorum non esset episcopus.

* *i. e.* Idibus ipsis

C

Eamdem opinionem mihi probabiliorem videri jam monui.

D

41 *Ex hisce ultima oritur dubitatio, an* S. Mamilianus *ille, de quo disputamus, & quem unicum probabiliùs credimus, habendus sit pro episcopo, & episcopo nominatim Panormitano, an solùm pro presbytero, aut, hac etiam dignitate omissa, pro martyre. Respondeo, admittendum videri* Mamilianum *aliquem episcopum, & quidem Panormitanum: nam ut episcopus colitur Romæ & Suanæ, & monumenta varia Spoletana de dignitate episcopali etiam consentiunt. Ad asserendum verò archiepiscopatum Panormitanum* S. Mamiliano, *præter Passionem S. Nymphæ, quæ revera exigui ponderis esse potest, habemus inscriptionem Suanensem, ejusdemque ecclesiæ traditionem, quæ videtur viguisse à tempore, quo sacræ* S. Mamiliani *reliquiæ Suanam deportatæ sunt. Inscriptio, quam incisam marmori vidit Cajetanus, jam data est num.* 3. *Aliam dat Marascia, quæ expressa est in lamina plumbea, supra ipsas reliquias intra thecam positâ. Utraque significat,* corpus S. Mamiliani archiepiscopi Panormitani, *sive* Panhormensis, *ibi quiescere. Hæc inscriptio reliquis addita sufficere videtur, ut credamus,* S. Mamilianum *revera fuisse archiepiscopum Panormitanum.*

Videtur S. Mamilianus fuisse

E

42 *At nequaquam assentimur Pirro, qui tom.* 1 *Notitiarum de ecclesiis Siciliæ pag.* 58 *insinuat, inscriptionem illam marmori incisam esse statim post mortem* S. Mamiliani *per socios ipsius. Nam si alia deessent argumenta, ipse* archiepiscopi *titulus, quem vindicare nititur, tali opinioni resistit. Verùm non indigemus eo argumento, cùm certum videatur,* S. Mamilianum *non obiisse Suanæ; sed corpus aliunde Suanam fuisse translatum; cúmque Pirrus nullam alleget rationem ad probandam tantam illius inscriptionis antiquitatem. Secundò non etiam consenserim Pirro,* S. Mamilianum *fuisse episcopum sub finem seculi tertii & initium quarti, ut ipse existimavit. Etenim verisimile non est, ipsum fuisse in exsilium missum aut fugere coactum, quando pax Ecclesiæ data erat à Constantino Magno, ut habent Acta S. Nymphæ, ex quibus illa chronotaxis desumitur. Contrà admodùm verisimile est,* Mamilianum *fugere coactum, aut missum in exsilium, quando Genserico Siciliam occupaverat circa medium seculi* V *: nam Wandali multos episcopos in insulas relegârunt, aut ipsos fugere coegerunt. Eò igitur relegari aut fugere potuit ex Sicilia, aut etiam ex Africa, postquam eò captivus erat ductus. Atque hæc opinio favet Panormitanis, quia sic intelligimus, cur Sanctus non potuerit ad episcopatum suum, sub Wandalorum tyrannide gementem, redire.*

episcopus Panormitanus.

F



A D

DE S. APRO EPISCOPO CONF.

TULLI LEUCORUM IN BELGICA PRIMA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. S.

§ I. Sancti memoria in Martyrologiis & eccleſiaſticus cultus: Vita & Miracula incerto auctore, uno vel pluribus ſcripta, & recudenda: alia Sancti elogia.

CIRCA FIN. SEC. V, VEL INIT. VI. *Memoria in Martyrologiis hoc die:*

EX *ſanctis Tullenſium Leucorum in hodierna Lotharingia epiſcopis hoc ipſo menſe Septembri in Opere noſtro tres jam dedimus; ſanctum ſcilicet Manſuetum ad diem* III, *S. Gauzlinum ad* VII, *& S. Bodonem, ſeu Leudinum Bodonem, ad* XI. *Hoc die* S. Aper, *ejuſdem ſedis epiſcopus ordine ſeptimus, in Romano variiſque aliis Martyrologiis breviter memoratur, ex quibus pro more noſtro aliqua prælibabimus. De eo Romanum Baronii ſic habet:* Tulli in Gallia, S. Apri epiſcopi. *Ad eumdem diem Beda vel Florus:* Eodem die S. Apri epiſcopi; *Rabbanus:* Eodem die natale S. Apri epiſcopi. *Ado epiſcopatûs ſedem, laureamque confeſſoris adjunxit, dicens:* Eodem die depoſitio beatiſſimi Apri Tullenſis epiſcopi & confeſſoris. *Similiter Uſuardus:* Tullo S. Apri epiſcopi & confeſſoris. *Eodem modo in Hagiologio Franco-Galliæ apud Labbeum legitur. Hiſce conſonat Wandelbertus, in Metrico ſic canens:*

Pontifices arâ, meritis, vitâque colendi,
Carnutes Leobinus, Aper Leucoſque tuentur.

Mitto Sauſſayum, alioſque recentiores, qui Sanctum noſtrum ad eumdem diem, quo in Vita edenda num. 13 *obiiſſe dicitur, ſacris Faſtis inſeruerunt.*

C cultus antiquus & celebris.

2 *Attamen in Prætermiſſis ad diem* V *hujus menſis Septembris dictum eſt, in Martyrologio Trevirenſi, & in codice Ultrajectino Roſweydi apud Sollerium in Auctariis Uſuardi ad eum diem,* V *ſcilicet, occurrere* Aprum *confeſſorem; ſed & ibidem cum laudato Sollerio obſervatum,* Aprum *illum, ſi Tullenſis ſit, ut eſſe videtur, ad diem* XV *ejuſdem menſis eſſe referendum. Porrò antiquiſſimam eſſe* S. Apri *apud Tullenſes ſuos cultum, multiſque miraculis illuſtratum, ex dicendis manifeſtum erit. S. Gauzlinus, qui ſeculo* X *floruit, annuam ejus feſtivitatem cum ceſſatione à ſervili opere colendam præcepit, prout infrà in Miraculis num.* 17 *narratur; ſed utrùm is talem ſolemnitatem omnium primus tum induxerit, an olim admiſſam tantummodò renovaverit, haud ita certum eſt, cùm Sancti cultus multo ſit antiquior ætate Gauzlini. De hodierno ejuſdem cultu aſſerit Calmetus tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingiæ, col.* 295, *noviſſimæ editionis, eum per diœceſim Tullenſem celeberrimum latiſſiméque diffuſum eſſe, eccleſiaſque ipſius nomini dicatas magno numero ſpectari; neque dubium eſt, quin in eadem diœceſi Officio proprio quotannis honoretur, quali & olim cultum fuiſſe, vetuſta Breviaria docent.*

3 *Res à Sancto præclarè geſtæ, patrataque poſt mortem miracula, & cetera, quæ ad ſacram ejus venerationem ſpectant, haurienda ſunt ex Hiſtoria, ſive Actis epiſcoporum Tullenſium, editis ab Edmundo Martenio tom.* 3 *Theſauri Anecdotorum, à col.* 991, *& ab Auguſtino Calmeto abbate primùm S. Leopoldi Nancienſis, deinde Senonenſi, tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingiæ editionis anni* 1728, *inter inſtrumenta à col.* 83; *in poſteriori verò ejuſdem Operis aucti editione anni* 1745, *tom. item* 1, *ac inter inſtrumenta à col.* CXXI. *De Actis illis non ſemel in Opere noſtro ad dies ſuprà num.* 1 *citatos diſputatum eſt, cum iiſdemque laudatis editoribus agnitum, ea à variis concinnata eſſe, quamvis de ſcriptorum numero ac determinatis perſonis non ita convenerit. Multùm quoque inter Martenii & Calmeti editiones intereſſe, obſervatum jam eſt; & quod ad præſens argumentum quidem attinet,* S. Apri *Vita ac Miracula, quæ apud hunc ex Ms. monaſterii S. Manſueti prope Tullum laudatæ Hiſtoriæ Tullenſium epiſcoporum inſerta ſunt à cap.* 23, *à Martenio minimè reperta fuerunt in codice Camberonenſi, quem edidit; ideóque ex codice San-Manſuetino, ne quis ea deſideraret, poſt eorumdem epiſcoporum Acta, ab eodem ſeparatim excuſa ſunt. Iſtud præterea inter utriuſque editionem diſcrimen occurrit, quòd apud Calmetum* S. Apri *corporis inventio elevatioque ac nonnulla inſuper miracula ſubſecuta narrentur, quæ non exſtant apud Martenium; & contra in iſtius editione aliqua deſiderentur, quæ ex Marteniana poterunt ſuppleri.* *Sancti Vita edita,* E F

4 *Ejuſdem Vitæ ſine miraculis poſt mortem factis tria exemplaria Mss. habemus; unum ſcilicet ex archivis Tullenſibus, alterum ex Ms. S. Maximini Trevirenſis, ac tertium denique à P. Chifletio olim tranſmiſſum, quod tranſumptum notatur* ex Ms. Accincti monaſt., & Corneoli, & Caritatis. *Horum alterum aliero prolixius eſt: nam duo poſteriora Præfationem, quæ in editis exſtat, etiam habent: primum inſuper in fine contractius eſt, ſecundum contrà in calce quamdam de emortuali Sancti tempore epocham fabuloſam adjungit, ac miraculum quoddam, à Petro diacono ſeculo* XI *ſcriptum, recenſet. Sed ut ad edita redeamus, laudatus Martenius in Obſervatione prævia, Vitam ac Miracula, qualia ipſe edidit, reciſoque miraculo per Petrum diaconum conſcripto, ſuſpicatur ab Adſone Dervenſi abbate concinnata fuiſſe,* *quam etiam Ms. habemus, ab Adſone,*

&

AUCTORE C. S.

& ab aliquo S. Manſueti monacho, qui omnia ad Tullenſes epiſcopos ſpectantia in uno volumine collecta habere voluerit, unà cum Vitis ac Miraculis SS. Manſueti, Gerardi & Leonis IX Papæ, qui ante Pontificatum eidem eccleſiæ epiſcopus præfuit, Bruno dictus, laudatis Tullenſium Actis inſerta. Calmetus autem totam illam Hiſtoriam uſque ad cap. 34, ubi incipit Vita S. Gerardi, à Widrico S. Apri *abbate compoſita, Adſoni attribuendam eſſe credidit, ſuumque exemplar ex ipſius Adſonis autographo veriſimillimè tranſcriptum fuiſſe. Verùm ab hac Calmeti opinione meritò diſſentiunt Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores tom. 6, pag. 484 & ſeq., ubi oſtendunt, eam univerſe veram non eſſe; uti etiam apud nos tom. III Septembris, pag. 130 & ſeq. de S. Gauzlini Vita monſtratum eſt.*

Dervenſi abbate

5 *Agnoſcunt tamen iidem ſcriptores cum Martenio ac Calmeto,* S. Apri *Vitam ac Miracula opus Adſonis eſſe poſſe, cùm & ſimilis ſtylus in aliis ejuſdem lucubrationibus occurrat, & auctor ſeſe* S. Apri *monaſterii monachum eſſe, nec diu poſt S. Gauzlini obitum ſcribere inſinuet, quod utrumque in Adſonem convenit, ut ex dicendis patebit. Hiſce addunt & alterum argumentum; breve ſcilicet* S. Apri *elogium, quod cum verſibus Vitæ S. Manſueti præfixis inſeruerit Adſo, etiam Vitam* S. Apri *promiſiſſe, ipſis viſus eſt. Sub finem enim carminis poſt S. Manſueti, primi Tullenſium epiſcopi, laudes, de Sancto noſtro hæc ſubdidit:*

B

Si tamen & meritis res eſt augenda juvandi,
Par ſit Aper ſocius noſtra juvando tuus.
Vos etenim binæ cæli ſuper axe * columnæ,
Ducitis hinc faciles nos relevare * greges.
Jam noſtris igitur proſit fiducia votis,
Quam noſtra in nobis * pectora fixa tenent.
O Manſuete, tuos, petimus *, defende fideles,
Et fac cum Sanctis gaudia longa dari.
Adſis & precibus, Paſtor mitiſſime noſtris,
Ut teneant populi regna beata tui.

* *al.* aſtra
* *al.* relevate
* *al.* vobis
* *al.* primus

Qui Adſonem noſcere voluerit, is adeat anonymi librum de diverſis caſibus Dervenſis cœnobii, apud Mabillonium in Actis Sanctorum ſui Ordinis, Sec. 2, à pag. 844 editum, aut Commentarium prævium ad Vitam S. Manſueti in Opere noſtro tom. I Septembris, pag. 616, num. 3 & ſequentibus, ubi ejuſdem elogium ex laudato anonymo decerptum inveniet.

C

ſcripta eſſe nonnullis videtur,

6 *Suffecerit ea hic annotâſſe, quæ ad ſubjectam materiem ſpectant. Anonymo illo teſte, Adſo in Voſago ſive in Luxovienſi monaſterio eruditionis pariter ac ſanctimoniæ famâ florebat, cùm à Tullenſi epiſcopo & clero Tullum* ad magiſterium ſacri Ordinis *accerſitus eſt. Contigit hoc ſub S. Gauzlino epiſcopo, qui collapſam in* S. Apri *cœnobio diſciplinam feliciter reſtauraverat, quod anno Chriſti 935 veriſimiliùs innectendum eſſe in Commentario prævio de ejuſdem Sancti geſtis ad diem VII Septembris, § 3 dictum eſt. In eo monaſterio* per aliquanta temporum volumina *docuerat, quando miſſus eſt ad Dervenſe cœnobium, diœceſis Catalaunenſis in Campania, cujus inſtaurationem idem S. Gauzlinus pariter inſtituerat, veriſimiliter circa medium ſeculi X, ſecundùm dicta ibidem § 5. Dervenſibus denique abbas poſt Albericum præfectus eſt, annoque 992 religionis ergò Hieroſolymam navigans, è vivis exceſſit, Tullenſem epiſcopatum tenente S. Gerardo, quem poſt S. Gauzlinum anno 962 defunctum, adeptus erat, annoque 994 moriens depoſuit. Eo igitur tempore, quo in Tullenſi* S. Apri *cœnobio verſatus eſt, potuit hujus ſancti Vitam & Miracula conſcribere, uti laudati ſcriptores Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſuprà adverterant. Quòd autem eorumdem auctorem non diu poſt S. Gauzlini obitum ſcripſiſſe dicant, ita eos cenſuiſſe arbitror, quia ſanctus hic inter Tullenſes epiſcopos poſtremus eſt, de quo idem ſcriptor in editione Martenii meminerit.*

D

quod ſatis incertum eſt; forte Vita

7 *Verumtamen ſi Miracula quoque, etiam prout ea apud Martenium exſtant, Adſonis opus ſint, non potuit ea, dum in prædicto monaſterio prope Tullum degeret, ad finem uſque perducere. Etenim tam apud Martenium, quàm Calmetum Miraculorum auctor* ſexaginta fermè annos *numerat, ex quo ob Hungarorum irrumpentium metum* S. Apri *corpus intra urbem Tullenſem delatum, ac deinde Drogoni epiſcopo, iſtud detinere molienti, clàm ſubductum, & in eccleſia ſua ignoto ceteris omnibus loco à duobus monachis, pauciſque conſciis depoſitum latuerat. Conſule num. XI inter Miracula. Jam verò apud Calmetum in Hiſtoria Tullenſium epiſcoporum cap. 30 auctor ſynchronus, ac veriſimiliter rei geſtæ teſtis oculatus, tradit, prædictum ſacrum corpus à S. Gerardo anno Chriſti 978 feliciter repertum fuiſſe; à quo numero ſi annos 60 ſubtraxeris, ad annum 918 pervenies, quo prædictus Drogo Tullenſibus epiſcopus præerat, quoque Lotharingiam ab Hungaris infeſtatam fuiſſe, aliunde novimus. Porrò Adſo anno 978 non in Tullenſi* S. Apri, *ſed in Dervenſi cœnobio morabatur, quò, viveme S. Gauzlino, qui ex dictis anno 962 obiit, evocatus fuerat, ut Alberico abbati in reſtauranda illius quoque monaſterii diſciplina ſuam operam navaret. Cùm itaque fatentibus Calmeto laudatiſque ſcriptoribus, Miraculorum auctor ſatis indicet, ſeſe* S. Apri *monachum fuiſſe, imò in ejuſdem monaſterio habitâſſe, dum ſcriberet, non potuit is Miracula ſcripſiſſe, aut certè in eodem cœnobio abſolviſſe, etiam prout ea exſtant apud Martenium.*

E

& Miracula varios auctores habent;

8 *Contra eorumdem ſententiam pariter facit Dervenſis ille anonymus, de quo ſupra meminimus, qui apud Mabillonium Sec. 2, pag. 849 varias Sanctorum Vitas, inter quas etiam Vita S. Manſueti occurrit, ab Adſone conſcriptas enumerat, nec tamen ullam de* S. Apri *Vita mentionem facit. Sed neque multum eos juvat Carmen Adſonis de S. Manſueto; potuit enim in eo* S. Apri *auxilium implorâſſe ex particulari affectu, quo erga illum, veluti ejuſdem monaſterii olim monachus, ferebatur, licet nullam ipſius Vitam promitteret. Quamvis igitur laudatam Vitam ac Miracula Adſoni certò abjudicare non poſſum, non auſim tamen certo adſcribere; ideòque ea ſub anonymi nomine edenda cenſui. Is autem anonymus facilè eſſe potuit unus è* S. Apri *monaſterii monachis, Adſonis ante diſcipulus, qui magiſtri ſui exemplo ſcribere aggreſſus, ejuſdemque ſtylum imitatus fuerit. Eidem auctori ſorte debentur, quæ apud Calmetum cap. 29 & duobus ſequentibus, de Drogonis epiſcopi obitu, de S. Gauzlini epiſcopatu, factaque ſub S. Gerardo ſacri corporis inventione ac elevatione, miraculiſque continuò ſubſecutis narrantur; cum nec rerum relatarum nec temporis ratio, neque ipſe ſcribendi modus repugnet. Non refragabor tamen, ſi quis plures quam unum horum omnium auctores eſſe malit ſuſpicari.*

F

non tamen Antimundum

9 *Bailletus in Tabula critica ad hunc diem ait, à nonnullis credi Vitam* S. Apri *ab Antimundo epiſcopo Tullenſi, qui in Catalogis apud Calmetum*

A *tum modò quintus, modò sextus post* S. Aprum *recensetur, conscriptam fuisse. Hujus opinionis, à qua Bailletus ipse recedit, fundamentum esse opinor, quòd de Antimundo in Catalogo Calmeti tom.* 1 *Hist. Lotharingiæ, inter Instrumenta col.* CCXXV *hæc legantur:* Is memoriam Christi confessoris Apri sollicita devotione excoluit, cujus & cænobium divina religione augmentavit, & in ejus veneratione nonnulla scripta ac Responsoria ad posterorum recordationem exaravit. *Et certè ante Adsonis tempora aliquam* S. Apri *Vitam exstitisse, habemus ex epistola Wicardi abbatis, quæ inter Frotharii Tullensis episcopi litteras duodecima est apud Du Chesne tom.* 2 *Historiæ Franciæ, pag.* 717 *edita: in hac enim Wicardus cum monachis suis Frothario gratias agit, quòd* S. Apri reliquias, nec non & beatæ suæ conversationis actus *sibi transmisisset. Porrò Frotharius ante medium seculi noni Tulli sedisse, & conventui apud Theodonis-Villam habito subscripsisse creditur. Verùm Vita, qualis nunc circumfertur, recisa etiam Miraculorum libro, auctorem habere videtur à* S. Apri *temporibus remotiorem, quàm ut Antimundo tutò tribui possit.*

B 10 *Quòd si Adso vel quicumque alius, idem sit Vitæ ac Miraculorum auctor, is certè seculo decimo senescente prior non est, ideóque sancto Episcopo nostro tantò posterior, ut illius Vitam sine antiquioribus monumentis feliciter concinnare nequierit. Hæc autem scriptor ille pauca à se visa fatetur. Quin & ipse scribendi modus id satis indicat, cùm Sancti virtutes passim tantùm generatim celebret, facta verò ejus perpauca enarret. Nihil tamen in Vita occurrit, quod falsitatis argui possit aut fidem exsuperet. Imò Tillemontius tom.* 14 *Monument. Eccles., Notâ* 14 *in S. Paulinum Nolanum, etsi eam pro authentica haberi posse neget, ac nonnulla etiam miracula ipsi displiceant, non audet tamen eam velut nullius auctoritatis opus rejicere. De secunda Opusculi parte, quæ miracula ceteraque post obitum facta continet, favorabiliùs statuendum est: profitetur enim auctor, sese aliqua* de visis & certissimè compertis *annotare; ea scilicet, quæ partim ex majorum relatu, ut præmiserat, partim suo tempore facta comperat; quæ verò remotioribus ævis contigerant, fatetur ea litteris mandata non fuisse.* Multa sunt, *inquit*, illius sanè istiusmodi magna & frequen-

Vitæ & Miraculorum fides varia.

C tia (*miracula*,) quæ si cuncta fuissent scripta, lectorem forsitan tæderet copiæ. Attamen reprehendenda auctorum segnities, qui nec saltem aliqua de post transitum gestis, scriptis transmiserunt posterorum notitiæ.

11 *In utrisque recudendis sequar postremam editionem Calmeti collatam cum Marteniana, ex qua, ut suprà insinuavi, unam & alteram lacunam etiam supplebo. Miraculum tamen à Petro diacono conscriptum, quod apud utrumque laudatum editorem, sed pleniùs tamen apud Martenium exstat, volens prætermittam; tum quia scriptore Vitæ ac miraculorum posterius est, & à quopiam contra ordinem istis insertum; tum quia æquè ac fortè etiam magis ad S. Mansuetum pertinet, & inter ejus Miracula tom.* 1 *Septembris, pag.* 653 *& seq. in Opere nostro datum jam fuit. Præcidam pariter ea, quæ apud Calmetum cap.* 29 *de Drogonis obitu, deque S. Gauzlini in episcopatu successione ac virtutibus, & denique de S. Gerardo in hujus locum similiter suffecto, initio capitis* 30 *ad propositum nostrum non spectantia referuntur. Vitæ Mss., quarum suprà meminimus, aut nulli aut exiguo nobis usui erunt; ubi tamen aliqua in his diversitas notatu digna occurrerit, lectorem admonebimus.*

Unde utrumque edendum.

AUCTORE C. S.

12 *Præter laudatam Vitam editam duplex alia brevior, in modum elogii exstat apud Calmetum sæpe memoratum; una scilicet in fine capitis* 22, *quæ in Camberonensi Martenii codice pariter legitur; altera priori prolixior in elogiis Tullensium episcoporum, seu catalogo usque ad Hectorem D'Ailly, anno* 1530 *defunctum, perducto, qui tom.* 1 *Historiæ Lotharingiæ, inter Instrumenta col.* CCX *& seqq.* Cedulæ cujuslibet episcopi Tullensis *inscribitur. Quibus auctoribus hæc elogia adscribenda sint, ignoratur: priorem tamen catalogum, prout eum Martenius edidit, circa annum* 1069 *verisimiliùs conscriptum fuisse, ostensum est in Opere nostro tom.* 1 *Septembris, pag.* 617 *& tom.* III *ejusdem mensis, pag.* 130. *In utroque elogio quædam instrumenta laudantur, quæ scriptori præluxêre. In priori enim sic dicitur:* Sicut in libro Vitæ ejus legitur; *&:* Quod si quis nôsse desiderat, librum Vitæ ejus, qui apud locum sepulchri illius habetur, perlegat; & illic pleniùs inveniet; *& rursus:* Ut in libris auctoralibus reperitur; *quæ postrema verba etiam leguntur in posteriori catalogo, seu Sancti elogio,* E *quod in eo recensetur. Hunc* librum Vitæ *Calmetus in annotatis ad citatum caput* 22 *(posteriorem editionem intellectam volo, nam prima istis annotatis caret) eam ipsam putat esse Vitam, quam recusuri sumus; idque omninò verisimile est; cùm in hac re ipsa legatur id, pro quo liber Vitæ in elogio citatur.*

Alia Sancti elogia

13 *Quos verò libros per* auctorales *designet, mihi planè incompertum est. Calmetus in annotatis ad posteriorem catalogum verba ista:* In libris auctoralibus *Gallicè sic excipit:* Verisimiliter in Vita S. Leonis scripta per Adsonem: hujusmodi libri legebantur in ecclesia, eorumque auctoritas erat in pretio. *At dubitandum non est, quin ex memoriæ lapsu hìc* S. Leonis *pro* S. Apri *positum sit: sanctus enim Leo IX, quem designat, ante Pontificatum Bruno appellatus, seculo* XI *Tullensi episcopatui primùm præfectus est, obiitque summus Pontifex anno* 1054: *Adso autem anno* 992 *vitâ functus est, adeóque non potuit hic illius Vitam scribere. Sed neque certum est, illam* S. Apri *Vitam, quam Calmetus Adsoni adjudicat, per libros* auctorales *hìc indicari; tum quòd prioris elogii auctor* librum Vitæ *illius in singulari numero bis memoret, ideóque videatur hunc ab istis distinguere; tum quòd in Vita de Adriano quidem Cabilonensium judice fiat mentio, at non de cognomine imperatore, sub cujus imperio* S. Aper *vixisse ex istis auctoralibus libris in utroque elogio, quamquam perperam, dicitur; quin & anni ejusdem imperatoris annotantur, quibus Sanctus episcopus ordinatus sit & rebus humanis excesserit, de quibus nihil planè in Vita legitur. Elogia autem hæc digna prelo non censeo, eaque de causa illa in Commentario refellendi potiùs quàm adoptandi gratiâ examinabo.*

Catalogis Tullensibus inserta.

F

AUCTORE C. S.

§ II. Fabula de episcopatu ejus sub Adriani imperio rejecta: distinguendus est ab Apro S. Paulini Nolani amico: tempus aditi ac per mortem depositi episcopatus utcumque assignatum.

Non adiit episcopatum sub Adriano augusto,

SI auctorem catalogi episcoporum Tullensium primo loco laudati audiamus, S. Aper *noster secundo Christi seculo floruisse dicendus est. Is enim in ejusdem Sancti elogio tam apud Martenium, quàm Calmetum, episcopatus aditi ac per mortem depositi has epochas statuit:* Ut in libris auctoralibus reperitur, temporibus Adriani crudelissimi imperatoris fuisse cognoscitur, qui omnes
B totius orbis sub se judices suo nomine vocari censuit; cujus quarto anno B. Aper episcopus ordinatus, undecimo hominem exuit. *Eadem de verbo ad verbum pariter leguntur in catalogo altero, sive Cedulis seu Epitaphiis episcoporum ejusdem civitatis. Erant nimirum compilatores illi istius etiam sententiæ assertores, quæ S. Mansuetum primum Tullensium episcopum, post quem* S. Aper *septimus recensetur, à S. Petro Apostolorum principe missum esse affirmavit. Sed opus non est opinionem hanc hic discutere, quam tum apud alios, tum apud nos tom. 1 Septembris ad diem* III, *ubi de S. Mansueto actum est, refutatam habes, initio episcopatûs illius ad seculum quartum, sive ad Constantini Magni vel filiorum ejus, imperium relato.*

Nec ante seculum 5 decrepitum.

15 *Pro* S. Apro *ab Adriani imperatoris ætate longiùs amovendo invictum argumentum præbet S. Auspicii ætas, cui post Ursum successisse Sanctum nostrum elogiorum collectores ceteris catalogis consentiunt. Auspicium enim hunc ipsum esse, cui inscripta exstat epistola* 17 *lib.* 4 *S. Sidonii Apollinaris, ejusdemque obitum circa annum Christi* 478 *collocandum esse, probavit Sollerius noster tom.* VI *Julii, ad diem* XXVIII, *quo*
C *colitur. Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 1 *ad annum Christi* 579, *num.* 78 *censet, scriptorem Catalogi in hanc fabulam proniùs incidisse, quia ad Adrianum imperatorem retulit, quod in Vita à nobis edenda num.* 6 *&* 7 *de Adriano Cabilonensium judice legerat. Verùm id mihi minimè verisimile apparet, quemcumque è duobus compilatoribus laudatus annalista hic designaverit: nam uterque judicem illum à cognomine imperatore satis distinxit, dum insulsâ prorsus fabellâ ex judicis nomine imperatorem synonymum tum imperâsse persuadere tentavit, non minùs ridiculè, quàm confidenter inquiens:* Temporibus Adriani crudelissimi imperatoris fuisse cognoscitur; qui omnes totius orbis sub se judices suo nomine vocari censuit. *Quorsum hæc de judicum appellatione commemoratio, si istum Cabilonensium judicem ab Adriano augusto scriptor non distinxisset?*

Aper S. Paulini Nolani amicus,

16 *Superest alia gravior quæstio, quæ multos utrimque, nec contemnendos patronos habet: videlicet, an* S. Aper *Tullensis episcopus idem sit cum eo Apro, ad quem exstant tres S. Paulini Nolani epistolæ, quæ in editione Operum ejusdem Sancti Parisina anni* 1685 *sunt* 38, 39 *&* 44, *alibi* D
29, 30 *&* 31, *ex quibus hujus Apri Vitæ compendium juverit exhibuisse. Hic Aper divitiis affluens uxorem duxerat nomine Amandam, ex qua etiam liberos susceperat, prout ex laudata epistola* 39, *alibi* 30 *indubitatum est. Auctor Dissertationum in S. Paulini Nolani Vitam & scripta, quas post prædictam editionem Parisiensem habes, dissert.* 5, *cap.* 2 filios complures, & filiam *tribuit, laudans epistolam mox citatam; ex qua licèt liberos eis fuisse, ut dixi, perspicuum sit, hos tamen* complures, *& ex his unam* filiam *fuisse, non extundet. Et de filia quidem decepit illum hæc S. Paulini Apro simul ac Amandæ de sanctissimæ vitæ statu gratulantis periodus:* Officia enim & eloquia litterarum vestrarum... indicant, quàm ampla possessio nobis, & quàm fertilis terra Deo sitis; jam tricesimum fructum de vestra inter vos continentia proferentes, & quotidianis fidei communis argumentis sexagesimo propinquantes, & de prole virginea centesimum pollicentes.

cujus notitia, uti & Amandæ E

17 Virgineam prolem, *quâ S. Paulinus casta continentiæ opera haud dubiè designavit, auctor ille de illorum filia infeliciter interpretatus est. De filiorum quoque seu liberorum copia in eadem epistola nihil legitur præter hæc:* Scribitis, impedimenta vestri esse proposita possessiones filiorum, qui causa sint necessitatis istius, quâ terrena curatis, cùm cælestia desideretis. *Hæc autem verè dici potuerunt, etsi duos tantùm vel tres liberos habuissent. Incertum itaque est, quot liberi iis fuerint, sed duos saltem fuisse constat. Idem Aper, teste eodem S. Paulino in epistola* 38, *aliàs* 29, pro tribunalibus *advocatum egerat, &* in tribunalibus *judicem; nec immunis fuerat superbiæ, quæ hujusmodi muniis solet adhærere. Verùm postea ad meliora conversus, unà cum conjuge sua Amanda totum sese Deo tradidit. Hinc laudatus Paulinus ibidem ait:* Destructus es à superbo, assumptus in humilem, depositus ab iniqua potentiæ sede, ut in pacis atque justitiæ solio locareris; inanitus es à divite, ut diteris in paupere; & ab illa supervacuæ distentionis saturitate vacuatus es, ut veris piæ paupertatis bonis implearis, esuriens justitiam.

ejus uxoris, & utriusque conversio F

18 Ubi nunc tu ille es aliquando terribilis, vel pro tribunalibus advocatus, vel in tribunalibus judex? Ubi tua illa cervix, tunc veriùs, ut nunc de te mentitus es, tauri pinguis; quomodò facta est docilis ac tenuis in jugo Christi, ex quo conversus ingemuisti: & bene placitum est in te Deo, sicut super vitulum novellum? Depositâ cervice tauri fractus * es in mansuetudinem bovis illius, qui agnovit possessorem suum. Beati oculi eorum, qui hæc in te Dei mirabilia conspiciunt; etsi illi miserrimi, qui videntes non vident. *&c. Hæc sanè insignem Apri mutationem significant; sed utrùm is ad meliores tantùm mores, an etiam à paganismo vel hæresi ad Christi fidem tum primùm conversus fuisse dicendus sit, inter neotericos non ita convenit. Auctor Observationum ad epistolas S. Paulini dissertatione citata, cap.* 1, *& post hunc Tillemontius tom.* 14 *Monumentorum, Notâ* 14 *in S. Paulinum, aliique censent, eum tum primùm baptizatum, aut depositâ hæresi, Catholicam fidem amplexum fuisse. Rationem dant, quòd in epistola* 38, *aliàs* 29 *nonnulla S. Paulini de Apro dicta occurrant, quæ etiam de catechumeno ab infantia de mysteriis Christianis instructo, ac tum recens baptizato explicari non possint.*

* *al.* factus

19 *Pau-*

A

ac insignes virtutes

19 *Paulini verba accipe.* Beatus es, frater, *inquit*, & bene tibi erit, quia non carne & sanguine, sed, Spiritu cælestis Patris revelante, didicisti, quod te inconcussa fide tenere, & libera voce profiteri, sanctissimo ad me epistolæ tuæ fine firmâsti; Christum Jesum crucifixum, Dei Filium Deum, cui flectitur omne genu terrestrium, cælestium & infernorum; & quem ad dexteram virtutis & in gloria esse Dei Patris, omnis lingua confitetur. Hunc tu Dominum & Deum nostrum, quia non æstimabitur alius ad eum, toto arcanæ pietatis mysterio amplexus, Dominum & Deum Dei Filium ante secula, factum ex semine David in hoc seculo; & nunc ex resurrectione mortuorum in spem æternitatis humanæ viventem in secula, ut est, credis; & ut credis prædicas. *Hæc, inquam, isti non nisi ad recèns baptizatum, qui diu paganus vixerat, aut certè ab hæresi in Ecclesiam admissum dicta accipi posse arbitrantur. Non video tamen, cur hæc eadem dici non potuerint de homine etiam à pueris Christiano ac Catholico, qui, cùm vitam secundùm religionis suæ præcepta minimè exegisset, mysterio Incarnationis Dominicæ attentiùs perpenso motus,* B *speque beatæ resurrectionis excitatus, mundanis rebus nuntium remittens, Christi humilitatem presse sequi cœperat, ut ejusdem beatæ æternitatis particeps fieri mereretur.*

ex ejusdem Paulini epistolis,

20 *Certè in nulla è tribus epistolis ulla sit de paganismo aut hæresi mentio; sed contrà in eadem epistola 38 omnis odii causa, quo Aprum amici olim sui persequebantur, non in susceptam Christi fidem, sed in vitæ humilitatem rejicitur. Sic enim Paulinus eum ibidem alloquitur:* Meritò gloriaris, venerandissime frater, & in exsultatione dicis, hinc te ipsum tibi credere, quòd Christianus sis, quia te odisse cœperint, qui diligebant, & despicere, qui timebant; & ipse tibi conscius es, quia si tu ipse tanti apud te esses, æquè ut solebant, & diligerent te & venerarentur. *Nunc ad cetera procedamus. In editione Operum S. Paulini, quæ anno 1622 Antverpiæ ex officina Plantiniana cum notis Frontonis Ducæi ac Heriberti Rosweydi prodiit, laudata epistola 38, quæ ibi 29 est,* Ad Aprum episcopum *inscribitur; quam dignitatem ipsi tum negat auctor Dissertationum ad editionem Parisiensem, contendens tantùm presbyterum fuisse; quod etiam laudatus Tillemontius verisimile putat. At mihi oppositum non improbabile videtur; difficile enim est de solo presbyteratu interpretari, quæ in eadem epistola de ejusdem sede atque sacerdotio leguntur.* C

ad ipsos datis,

21 Rarus, ut scribis, *ait ibi Paulinus*, urbium frequentator, familiare secretum taciti ruris adamâsti, non otium negotio præferens, neque te Ecclesiasticæ utilitati subtrahens, sed jam penè forensibus turbis æmulos ecclesiarum tumultus & concilia inquieta declinans. Arbitror autem id ipsum majoribus Ecclesiæ utilitatibus præparari, quòd salubri consilio institutioni sanctæ vacas, & intentus studiis spiritalibus, quibus solitudo amica est, formas in te quotidie, confirmasque Christum, quò & servus utilior, & magister doctior, digniorem te ea *, in qua nutu Dei positus es, sede perficias, opere pariter & & verbo potens, ut linguâ & mente tibi concors veram te Apostolicæ disciplinæ formulam præbeas, præcepti Dominici actor & doctor. Ita demum constabit, non humano suffragio, sed divino te esse judicio sacerdotem. *Id unum in toto hoc textu oppositæ sententiæ favet, quòd Paulinus Aprum suum non episcopum, sed* sacerdotem *dicat, quæ vox tamen episcopis cum presbyteris communis est, cetera episcopum potiùs, quàm presbyterum indicant.*

**al. ei*

22 *Porrò illustre istud par conjugum continentiâ sanctissimè servatâ cohabitabat, & mutuis virtutum exemplis in dies magnos profectus faciebat. Nam &* conjux *(ejus Amanda) inquit S. Paulinus in epistola 44, aliàs 31 ad Aprum,* non dux ad mollitudinem vel avaritiam viro suo, sed ad continentiam & fortitudinem redux in ossa viri, magna illius divini cum Ecclesia conjugii æmulatione mirabilis est, quam in tuam unitatem redactam * ac redditam, & spiritalibus tibi tantò firmioribus, quantò castioribus, nexibus caritas Christi copulat, in cujus corpus transistis à vestro. *Istud quoque egregia mulier viro suo præstitit, quòd, ut is Deo munerique suo melius vacare posset, ipsa domesticæ rei facultatumque communium curam sola gereret. Hinc laudatus Paulinus;* Benedicta hæc, *ait*, inter mulieres, & hac quoque devotione fidelis & acceptissima Domino, quâ se necessitatibus seculi pro te, velut quædam procellis in immobili scopulo stabilita turris, opposuit. *Hæc eadem ibidem pluribus prosequitur, ac inter cetera magis sese explicans, demum ait:* Curat illa seculi curas, ne tu cures; possidere videtur, ne tu possidearis à mundo, & ut possidearis à Christo... Nam sine animi captivitate rem captivitatis in libertate spiritûs administrans, firmavit manus suas in opera virtutis,... necessaria divisione reddens per se Cæsari, quæ sunt Cæsaris; ut, quæ Dei sunt, per te ministret Deo. *Plura curiosus lector ibidem reperiet.* E

**al. reductam*

studioso lectori

23 *Cetertum conversionem suam Aper S. Paulino, jam olim haud dubiè sibi noto, per litteras significavit, ad quas hic per epistolam 38, aliàs 29 respondit, inscripsitque* Sancto & meritò venerabili ac dilectissimo fratri Apro Paulinus. *Duo autem in hac epistola præcipuè agit Paulinus, nempe ut Apro de felici conversione sua congratuletur, utque contra pravorum odia & injurias in proposito confirmet, uoneatque, non minori studio res divinas animæque profectum curandæ esse, quàm olim humana negotia tractaverit. Altera epistola, nempe 39, aliàs 30, sic inscripta est:* Sanctis & meritò venerabilibus ac dilectissimis fratribus Apro & Amandæ Paulinus & Therasia *(S. Paulini uxor)* peccatores. *Hæc salutaria monita de excolendo animæ agro, modumque, quo id fieri debeat, piis istis conjugibus, in prædio suo etiam tum rusticantibus, proponit. Videtur autem uno ad minimum anno post priorem scripta fuisse, cùm S. Paulinus in ea significet, soluisse Aprum annuas ad ipsum litteras dare;* Officia enim, *inquiens*, & eloquia litterarum vestrarum, quæ nobis largiter annuo commeatu penditis, indicant, quàm ampla possessio nobis, & quàm fertilis terra Deo sitis. *Denique in epistola 44, aliàs 31, eodem modo inscripta, suavitatem simul atque efficaciam Apri in scribendis litteris laudat, Amandæ sedulam curam & caritatem in administrandis rebus domesticis insigni elogio prosequitur, & filiorum educationem commendat, ac utriusque denique preces flagitat.* F

hic traduntur,

24 *Itaque, ut ad quæstionem propositam redeamus, hunc Aprum multi eumdem cum synonymo sancto Episcopo Tullensi crediderunt, refragantibus aliis, qui id nec Sancti nostri gestis, nec cum ejusdem sedis tempore convenire posse arbitrantur. Inter priores fuit Eminentissimus Baronius, qui in Annotatis ad Martyrologium Romanum*

nonnullis visus est idem cum Tullensi;

AUCTORE C. S.

num hoc die sic ait : Ponitur hic septimus ordine in tabulis episcoporum Tullensium, quas descripsit Demochares. Hic ex causidico monachus, & ex monacho est factus episcopus, de quo S. Paulinus episcopus Nolanus, epist. 27, 28 & 29, in quibus de ipso fusiùs. *Petrus Franciscus Chifletius in Paulino illustrato, parte 2, cap. 22 monet nullas quidem à S. Paulino ad Aprum jam episcopum litteras datas esse, sed subdit :* Quamvis exinde Aprum Tulli Leucorum... episcopum fuisse, nemo dubitet. *Eamdem opinionem secuti sunt Claudius Robertus in Gallia Christiana, Jacobus Longueval tom.* 1 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ sermone Gallico conscriptæ, lib.* 3, *pag.* 406, *& Bailletus in Vitis Sanctorum ad hunc diem : Auctor verò Dissertationum in Vitam & scripta S. Paulini Nolani, de quo suprà sæpè meminimus, in utramque partem argumenta proponit, nec quam teneat, edicit. Huic presè adhæsit Tillemontius tom.* 14 *Monumentorum, Notâ* 14 *in S. Paulinum, ubi easdem rationes perpendens, quæstionem in dubio reliquit, nisi quòd Aprum Paulini à Tullensi Episcopo distinguendum esse fateatur, si hic post S. Auspicium eam sedem occupaverit.*

B

25 *Contrà Sammarthani fratres tom.* 3 *Galliæ Christianæ, Franciscus Riquet, magnus Prior S. Deodati in Vosago, in suo Gallico Systhemate episcoporum Tullensium, quod Ms. ad Majores meos olim mitti curavit, & Calmetus tom.* 1 *Historiæ Lotharingicæ, lib.* 6, *num.* 23, *& lib.* 7, *num.* XI *contendunt,* S. Aprum *Tullensem episcopum à synonymo S. Paulini amico omnino distinguendum esse; quod mihi quoque verum videtur. Rationes autem has allegant : in primis in omnibus Tullensium episcoporum vetustis Catalogis* S. Aper *post Ursum Auspicio proximè successisse legitur; constat autem, S. Auspicium diu post medium seculi quinti Tullensem sedem tenuisse, eumdemque circa annum* 478 *aut etiam uno alterove anno seriùs aut citius vitâ functum esse, prout in Sylloga de ejusdem cultu & gestis tom.* VI *Julii, ad diem* XXVIII *probavit Sollerius noster, in eo tantùm dissentiens Coïntio, quòd hic ipsum usque ad annum* 486 *supereisse potuisse, insinuâsset. Porrò cùm S. Paulinus Nolanus episcopus, cujus gesta illustrata habes tom.* VI *Junii, die* XXII, *obierit anno æræ Christianæ* 431, *manifestum est, Aprum illum Paulini amicum, qualem hic eum*

C

describit, Sanctum nostrum Auspicii, medio Urso, successorem esse non posse, nisi quis velit eum jam decrepitæ ætatis senem, dum episcopus factus est, imò centenario majorem, si Parisiensis editor Operum S. Paulini, auctorque Dissertationum, quæ subjecit, tres istas epistolas ad annos 404, 405 *&* 406 *rectè retulerit. Etenim quæ de acta ab Apro suo ante conversionem vita Paulinus suprà meminit, eum virilis ut minimùm ætatis fuisse arguunt, dum sæculo valedixit.*

26 *Præterea observant Riquetus aliique, Apri,* obrationes, *quem Paulinus laudat, vivendi normam, studia muniaque, cum* S. Apri *Tullensis episcopi gestis, prout hæc in ejusdem Vita referuntur, minimè convenire. Paulini enim amicum matrimonio junctum ex Amanda conjuge liberos suscepisse, pro tribunalibus advocatum & in tribunalibus judicem egisse, nec iis caruisse vitiis, quæ ejusmodi hominibus ea vitæ ratio atque potestas sæpiùs inspirat, ex S. Paulini epistolis suprà vidimus; Tullensis verò Episcopus ab ipsa infantia exercitiis virtutum, ac misericordiæ præsertim in pauperes deditus fuisse in Vita narratur, in iisque proficiens, ad Tullensem episcopatum à clero & plebe reluctans fuisse promotus. At nihil de advocati vel judicis officio, nihil de conjuge ejus ac liberis, curaque in horum gratiam pro re domestica prædiisque impensa legitur; imo contrà dicitur Sanctus, dum rerum suarum administrationem accepit, cuncta, quæ possidebat, in alimoniam pauperum erogâsse.*

D

27 *Scio equidem, nec Vitam hanc, nec Catalogos Tullensium episcoporum tam certæ fidei esse,* quæ exhibentur, *quin eorum veritas in dubium vocari possit; attamen ob solum* Apri *nomen, quod cum suprà explicatis adjunctis legitur apud scriptorem ejusdem seculi, quo Tullensis ille Episcopus floruit, ab iis dissentire nec necesse nec æquum puto. Adde, quòd ea primorum episcoporum series, quæ in Catalogis legitur, non parùm confirmetur ex inventione sacrorum corporum, quæ anno* 1107 *contigit, ut rectè observavit Riquetus, jam aliàs laudatus. Hic enim laudans quoddam instrumentum, quod Gallicè* Processum verbalem *appellat, & à Pibone episcopo factum ait, affirmat in ecclesia suburbana S. Mansueti anno præcitato corpora SS. Alchæ, Celsini, Auspicii & Ursi reperta fuisse. De eadem inventione agit etiam Mabillonius tom.* 5 *Annalium, ad annum Christi* 1107, *num.* 50, E *ubi rem paulò magis explicat, scribitque contigisse occasione novæ fabricæ, cui Theomarus, ejusdem loci abbas, tum insistebat, inventaque fuisse* tria feretra, quorum duo continebant ossa primorum Tullensis ecclesiæ episcoporum, Amonis scilicet, qui S. Mansueto proximè successit, Alchæ, Celsini, Auspicii & Ursi, cum eorum sandaliis, aliisque pontificalibus indumentis. *In margine verò laudat* Analect. to. 3, p. 459, *ex quibus in textu docet, ea detecta fuisse in crypta* opere cæmentarii *(verba instrumenti sunt)* in modum arcûs triumphalis curvata & rotunda.

28 *Hisce quoad rei gestæ substantiam consonat* nobisque oppositum *Calmetus in utraque Historiæ Lotharingicæ editione, in priori nempe tom.* 1, *col.* 1191, *in posteriori autem tom.* 2, *col.* 317 *& sequenti; verùm in eo à Mabillonio discrepat, quòd cum Riqueto tantùm quatuor episcoporum corpora, videlicet Alchæ, Celsini, Auspicii & Ursi, omisso Amone, recenseat, quorum ea corpora esse, ex sandaliis aliisque pontificalibus indumentis judicatum fuisse affirmat. Utrobique autem* Analect. t. 3, p. 459 *cum Mabillonio citat; per quæ quale Opus designent, non assequor; nam in Mabillonii quidem Analectis tam tomis* 4 *seculo elapso editis, quàm unico volumine anno* 1723 *recusis, de hoc argumento nihil planè reperio. Hinc discernere non possum, quis ex tribus his scriptoribus veritatem attigerit; incertus enim hæreo, utrum inter ea corpora etiam Amonis repertum sit, & an eadem prædictorum antistitum esse, ex solis sandaliis, ceteriscque ornamentis innotuerit. Ut tamen Mabillonium in recensendo S. Amonis corpore errâsse potiùs credamus, suadent Cedulæ, seu Epitaphia episcoporum Tullensium apud Calmetum sæpiùs laudatum, in quibus tam in S. Amonis, quàm in Hermanni elogio istius Sancti corpus ab eodem Hermanno ex S. Mansueti ecclesia, ubi primùm sepultum fuerat, in aliam ecclesiam translatum fuisse dicitur. Hermannus autem trigesimus quintus ejusdem sedis episcopus numeratur, Pibo verò tantùm trigesimus octavus.*

F

29 *Ut ad Riquetum redeamus, hic ex prædicta sacrorum corporum inventione communem eorum cum S. Mansueto sepulturam, & ex communi sepultura successionem quoque eorum in Catalogis stabilitam confirmari censuit. Et meritò;* persuadent.

nam

A *nam quinque iſtos S. Manſueti proximos ſucceſſores in eadem cum illo eccleſia ſepultos fuiſſe, laudatæ Cedulæ teſtantur; ſanctus verò* Aper *in altera eccleſia ab illo ædificari cœpta, aliique paſſim ſucceſſores ejus humati fuere, donec Ludelmus ſeculo* x *paucis annis inchoato primus omnium epiſcoporum Tullenſium in eccleſia cathedrali ſua intra urbem ſepeliri voluit, cùm ſepulturam ſuam in* S. Apri *ſuburbana more deceſſorum ſuorum antè jam delegiſſet. Hæc ratio etiam fortiùs urgeret, ſi, ut Riquetus affirmat, omnes* S. Apri *ſucceſſores ad Ludelmum uſque in eadem* S. Apri *eccleſia, nullum in S. Manſueti, ſepultos eſſe conſtaret; quod cum iiſdem Cedulis non convenit, nec ulteriùs inquirere libet. Id ſatis mihi eſt oſtendiſſe, nihil eſſe, cur ab epiſcoporum ſerie à Manſueto uſque ad* Aprum *in antiquioribus Tullenſium catalogis exhibita recedamus, quam etiam aliunde veriſimilem eſſe, probatur.*

Ex dictis tempus epiſcopatûs & mortis ejus utcumque eruitur.

30 *Porrò cùm ex dictis conſtet, S. Auſpicium circa annum* 478, *aut certè non multis annis pòſt, ex hac vita commigrâſſe, cúmque hunc inter &* S. Aprum *Urſus in Catalogis medius inſeratur, qui quamdiu epiſcopatu functus fuerit, neſcitur; dicendus eſt Sanctus noſter ad Tullenſem Leucorum*

B *ſedem ſub finem ſeculi quinti, vel initium ſexti perveniſſe, prout etiam Riqueto, Calmeto, ac noviſſimè Limpeno noſtro tam.* 1 *Septembris, pag.* 622 *viſum eſt. Denique de tempore, quo illam tenuit, in Hiſtoria Tullenſium epiſcoporum, & in laudatis Cedulis ſic legitur:* Hic ſeptem annis functus eſt pontificali ſede; *ideóque mortem ipſius circa ejuſdem ſeculi quinti finem, vel proximè ſubſecuti initium collocavi; nam quod eædem Cedulæ habent, eum* temporibus Adriani crudeliſſimi imperatoris fuiſſe, *ex ſuprà dictis ad fabulas ablegandum eſt.*

§ III. Sancti patria: an is idem ſit cum amico S. Sidonii Apollinaris: eccleſia ab eo ædificari cœpta, in qua ſepultus eſt, à ſucceſſore perficitur.

C

Prope Trecas in vico Tranquillo natus dicitur;

DE S. Apri *noſtri patria & parentibus Vita recudenda hæc ait:* B. Aper in ſuburbio Auguſtæ Trecorum, vico, qui Tranquillus dicitur, præſentis vitæ ſumpſit exordium, nobilibus &, quod excellentius eſt, Chriſtianis parentibus editus. *Hiſce planè conſonat elogium in poſteriori Catalogo, ſeu in Cedulis epiſcoporum Tullenſium, quod ex hac Vita deſumptum eſt. Locum hunc incolis* Trancauſt *hodiedum dici, inter alios ſcribit Nicolaus Camuzatus ſub finem Miſcellaneorum hiſtoricorum in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis, aitque illum viculum eſſe ejuſdem diœceſis, novem milliaribus diſſitum ab urbe Triſaſſina, vulgò* Troyes, *in Campania, cujus ea caput eſt. Pari diſtantia ab eadem urbe vicum* Trancaut *ad fluviolum* Sorme *poſitum exhibet Guilielmus de L'Iſle in Tabula geographica Meridionalis partis Campaniæ. Sed quomodò Sanctus verbis mox laudatis* in ſuburbio Auguſtæ Trecorum *natus dicitur, ſi vicus* Tranquillus *is ipſe ſit, qui hodiedum* Trancaut *appellatur? Difficultatem hanc jam advertit Cuperus noſter, & à Tricaſſinis aut Tullenſibus edoceri petiit, tom.* IV *Julii ad diem* XV *in Commentario prævio ad Acta ſanctæ virginis Aproniæ,* S. Apri *ſororis, in quibus per conjecturam ex hujus Sancti Vita formatam, ipſa* in ſuburbio Auguſtæ Trecorum, vico, qui Tranquillus dicitur, *ſimiliter nata eſſe narratur.*

quod difficultatem aliquam patitur.

32 *Ut iſthæc conciliemus, dicendus eſt biographus vocem* ſuburbium *impropriè uſurpâſſe pro* territorio, *ſive agro urbi Tricaſſinæ ſubjecto, aut Sanctus noſter in hodierno vico* Trancaut *in lucem editus non eſt.* Suburbium *in improprio illo ſenſu etiam adhibuit S. Salabergæ biographus apud Mabillonium Sec.* 2 *Benedictino, pag.* 426, *num.* 12. *Simili modo ibidem pag.* 1091 *in charta Eligii uſurpatur, uti & alibi apud Cangium in Gloſſario, quod videri poteſt. In perantiquo Tullenſi Breviario Ms. Muſei noſtri, licèt lectiones de S.* Apro *ex hac Vita concinnatæ ſint, omiſſa tamen voce* vico, *ſic legitur, quaſi* Tranquillus *ipſius ſuburbii vocabulum fuerit. Ita enim habet lectio* 1: B. Aper in ſuburbio Auguſtæ Trechorum, qui Tranquillus dicitur, preſentis vite ſumpſit exordium *&c. Verùm ea vox* vicus *tranſcribentis vitio potuit prætermitti, & prior explicatio præplacet mihi, donec eruditi Tricaſſini aut Tullenſes aliquid certius produxerint.*

E

Alia difficultas de Sancti patria,

33 *Attamen hæc* S. Apri *Trecenſis patria in dubium vocari poteſt ex S. Sidonii Apollinaris epiſtola* 21 *libri* 4, *& epiſtola* 14 *libri* 5 *ad quemdam Aprum datis, quem eumdem cum Sancto noſtro eſſe poſſe, cenſet Tillemontius tom.* 14 *Monument. Eccleſ., Notâ* 14 *in S. Sidonium Apollinarem. Hunc autem Aprum ex patre Æduo, matre Arverna ortum fuiſſe, laudatus Sidonius in priori epiſtola clarè docet, dum illum alloquens ait:* Æduus pater tibi, mater Arverna eſt. *Eumdem Claromonte in Arvernia natum aut certè ab infantia educatum, litteriſque imbutum fuiſſe, ibidem pariter ſignificat, Claromontanos inducens de diuturna ipſius abſentia his verbis conquerentes:* Quid in te mali tantum, ingrate, commiſimus, ut per tot annos quondam humum altricem, nunc velut hoſticum ſolum effugias? Hic incunabula tua fovimus; hic vagientis infantiæ lactentia membra formavimus; hic civicarum bajulabare pondus ulnarum. Hinc avus tuus Fronto, blandus tibi, ſibi ſeverus; qui exemplo eſſe potuiſſet his, quos habemus nos in exemplo. F Hinc avia Auſpicia, quæ tibi poſt tuæ matris orbata deceſſum, dependit una curam duarum. Sed & matertera tua hinc & hinc fuit ſanctior ſanctis Frontina virginibus, quam verebatur mater, pater venerabatur, ſummæ abſtinentiæ puella, ſummi rigoris ac fidei ingentis, ſic Deum timens, ut ab hominibus metueretur. Hic te imbuendum liberalibus diſciplinis grammatici rhetoriſque ſtudia florentia, monitu certante, foverunt; unde tu non tam mediocriter inſtitutus exiſtis, ut tibi liceat Arvernos vel propter litteras non amare. *Hæc & alia ibidem Sidonius, ut Aprum ſuum in Æduis habitantem ad Claromontanos revocaret; is enim totius ejus epiſtolæ ſcopus erat.*

ſi is idem ſit cum Apro,

34 *In altera verò epiſtola ipſum apud* Cajenſes, *vel* Calenſes *aut* Calentes, *ut alii legunt,* Bajas, *in Arvernia, quantùm apparet, commorantem, in urbem ad dies Rogationum ſecum tranſigendos invitat; idque eum tanto libentiùs facturum ſperat, quò ſanctiùs dies iſti ex S. Mamerti Viennenſis epiſcopi inſtitutione ibidem agebantur.* In his (*Rogationibus*) *inquit,* quas ſuprà fatus

AUCTORE C. S.

summus sacerdos (*S. Mamertus*) & protulit pariter & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur. Ad hæc te festa cervicum humiliatarum, & sternacium civium suspiriosa contubernia, peto; & si spiritualem animum tuum bene metior, modò citiùs venies, quòd non ad epulas, sed ad lacrymas evocaris. Vale. *Porrò ne hic Aper idem cum sancto Tullensi Episcopo credatur, nihil obstat, nisi patria Trecensis à biographo asserta. In primis tempus rectè convenit: sanctus enim Sidonius Apollinaris sub finem anni 471, vel initium sequentis Arvernensi episcopatu initiatus, circa annum Christi 488 obiit, ut in Opere nostro tom.* IV *Augusti ad diem* XXIII *in Commentario historico de ejusdem Sancti gestis ostensum est §§ 5 & 10. Idem ex dictis epistolam* 10 *libri* 7 *scripsit ad Auspicium, cui* S. Aper *noster post Ursum successit; idemque de laudato Auspicio veluti tum ætate grandævo in epistola* 17 *libri* 4 *ad Arvogastum seu Arbogastum meminit. In citatis verò ad Aprum suum litteris sic loquitur, ut hic videatur jam episcopus fuisse, dum scriberet; nec de provecta Apri ætate meminit, ut is juvenis facilè esse potuerit, quando eæ litteræ ad ipsum datæ fuerunt.*

B

ad quem exstant duæ epistolæ

35 *Fuerit igitur Aper tum* 25 *vel* 30 *annorum, dum eas accepit, nondum sexagenariam ætatem attigisset sub finem seculi* 5 *vel initium* 6, *quo tempore* S. Aper *noster ad episcopatum evectus fuisse dicendus est; neque desunt id ætatis vegeti senes, & episcopalibus muniis idonei. Cetera quoque, quæ de Apri sui parentibus, piaque ac liberali educatione Sidonius commemorat, satis conveniunt cum dictis biographi, qui Sancto nobiles & Christianos parentes, similemque institutionem non obscurè attribuit. In eo tamen iidem denuò discrepant, quòd Sidonius in epistola* 21 *de prædiis, quæ ille in Arvernia possidebat, loquatur, biographus verò apud nos num.* 2 *de Sancto dicat:* Adolescentiæ annos ingressus, cùm rerum suarum potestatem habere cœpisset, tantam circa pauperes curam habebat, ut in eorum alimenta cuncta, quæ possederat, erogaret. *Verùm hæc Sancti in pauperes munificentia forsitan nonnihil exaggerata est, & scriptor ille de Sancti gestis parum instructus fuit, ita ut sine erroris formidine admitti nequeant, quæ ex istis narrat.*

C

S. Sidonii Apollinaris, qui Aper

36 *Franciscus Riquetus in Ms. novo Systhemate suo Gallico episcoporum Tullensium, supra sæpe laudato, illum Sidonii amicum Aprum à Tullensi Episcopo omninò distinguendum putat, ductus argumentis, quæ subdo, nec mihi magni ponderis esse videntur. Sidonius, inquit, in epistolis, quas ad episcopos scribebat, eorum ordinem addita voce* Papæ, *verbi gratiâ,* Ambrosio papæ, Auspicio papæ *significat; quæ vox in epigraphis litterarum, quas ad Aprum, aliosque, qui episcopi non erant, conscripsit, non occurrit. Secundò Tullensis Episcopus in loco* Tranquillo *prope Augustam Trecorum in Campania natus est; alter ex patre Æduo, matre Arvernensi genitus, in Arvernia ab ipsis incunabulis educatus, litterisque imbutus est, ut supra vidimus; nec verisimile esse ait, eum, etiam infantem Augustoduno Claromontem perlatum fuisse, ut ibidem aleretur, donec humaniores litteras didicisset. Tertiò denique ex epistola* 14 *libri* 5 *observat Riquetus, Sidonii Aprum non procul à Claromontana in Arvernia civitate habitâsse, dum eam scripsit Sidonius, cùm hic illum ad dies Rogationum celebrandum invitaverit, exspectaveritque, quod non fuisset facturus, si Aper ille in civitate Tullensi, octoginta milliaribus Claromonte dissito, resedisset.*

D

potuit fuisse Sanctus noster, nondum episcopus.

37 *Ad hæc respondeo, primum & ultimum argumentum nihil isti opinioni officere, secundùm quam eæ litteræ* S. Apro *nondum episcopo scriptæ fuisse dicendæ sunt. Secunda ratio tanti ponderis est, quanti biographus, qui quatuor circitèr seculis junior est, nec monumenta laudat, undæ sua didicerit, & de ceteris Sancti gestis panca ad notitiam suam pervenisse, satis indicat. Quam ob rem ipsius auctoritas mihi tanti non est, ut Trecensem Sancti patriam pro indubitata habeam. Fatendum tamen est, minorem civitatis Tricassinæ à Tullensi distantiam biographo favere; ac facilè alium potuisse esse Aprum Sidonii amicum, ideóque non ausim alterutram partem certò affirmare. Si autem Trecis Sanctus noster reipsa natus sit, potuit is à S. Lupo institui, qui Trecensem episcopatum ad annum usque* 479 *sanctissimè rexit, prout in Opere nostro ad diem* XXIX *Julii ostensum est. Inter epistolas Salviani Massilienses presbyteri exstat etiam una, septima videlicet* ad Aprum & Verum, *quorum priorem eumdem cum Tullensi esse posse, opinatur Tillemontius suprà citatus; sed, ut ipse quoque fatetur, præter nomen nihil est, quod id ita esse suadeat.*

E

In ecclesia ab ipso cœpta

38 *Cetera* S. Apri *gesta, quæ biographus tradit, commentatione non indigent, & adjectis more nostro annotatis satis poterunt illustrari; de ecclesia tamen ab ipso ædificari cœpta, & à successore ejus perfecta, monasterioque postmodum auctâ, hic pauca, plura § sequenti dicenda sunt. Biographus de hujus ecclesiæ initiis sic habet num.* 9: Instante autem jam tempore, quo Electum suum Dominus post vitæ hujus excursa stadia remunerare decreverat, cœpit idem Sanctus Dei quandam extra muros urbis, cui gloriosè præsidebat, ædificare basilicam, quò ibi fidelium plebe conveniente, quotidiana Ecclesiæ accrescerent lucra, & assidua diabolo fierent detrimenta. Sed cùm jam aliquantulùm eam in altitudinem ædificando sublimâsset, priusquam supremam manum operi imponeret, cœpit Dei Famulus æmula corporis infirmitate stimulari. Quâ per dies singulos ingravescente, fœlicem ad Christum, quem vivens toto corde dilexerat, præstolabatur ascensum. Omnes igitur, quos Christo acquisierat, universamque ecclesiam suam commendans Domino, . . . immaculatum spiritum Conditori refudit.

F

sepelitur, eaque mox perficitur.

39 *Deinde postquam dixit, sancti Episcopi corpus cum communi omnium luctu ad eam ecclesiam nondum perfectam delatum fuisse, & nonnulla sepulturæ adjuncta narravit, num.* XI *sic progreditur:* Factâ igitur sancti Viri officiosissimè sepulturâ, inchoatum illius templi ædificium summa populi devotione completum est. *Eadem planè, admixtâ tamen fabulâ, habet auctor Catalogi in eadem Historia episcoporum Tullensium apud Calmetum cap.* 32, *ubi eam ecclesiæ perfectionem Albauldo, proximo* S. Apri *successori adscribens, ait:* Successit verò illi domnus Albauldus episcopus, vir egregius, omnique bonitate conspicuus. Is desiderabile votum sui Prædecessoris adimplevit, & ecclesiam, quam cœperat S. Aper, sagaci studio prædificavit, atque inibi fideles viros sub Apostolorum exemplo victuros congregans, Apostolicum privilegium de eodem cœnobio nactus est à summis Pontificibus atque martyribus Stephano & Fabiano, ut in antiquissimis reperitur tomocartis. *Consonat etiam ferè verbis alter catalogus, sive Cedulæ episcoporum,*

A *rum, niſi quòd in hoc ſucceſſor ille* Albinus *vocetur. Quòd autem Albauldus ille, vel Albinus, privilegium à ſummis Pontificibus SS. Fabiano ac Stephano obtinuiſſe dicatur, fabulæ ſunt ex ea opinione natæ, quæ S. Manſuetum à S. Petro Apoſtolo Tullenſibus epiſcopum datum eſſe commenta eſt.*

Error chronologicus correctus.

40 *Deinde, ut ſolent fabulæ ſibi invicem non cohærere, ex iiſdem Catalogis ſequeretur, epiſcopatum Tullenſem centum aut ampliùs annos poſt* S. Apri *obitum vacâſſe. Nam cùm in illis dicatur* S. Aper *anno* XI *imperii Adriani, id eſt, Chriſti circiter* 128 *obiiſſe, ſanctus verò Fabianus ab anno Chriſti* 236 *uſque ad* 250, *Stephanus autem probabiliùs ab anno* 253 *uſque ad* 257 *Pontificatum geſſerint, admittenda erit ejuſmodi vacatio, ſi Albauldus à laudatis ſanctis Pontificibus aliquod privilegium impetrârit. Hoc autem nec cum biographi, nec cum catalogorum verbis mox datis ullatenus convenit, ut conſideranti patebit. Certè biographus diſertè docet, inchoatæ à Sancto eccleſiæ mox poſt ejuſdem ſepulturam perficiendæ admotas manus fuiſſe: ſed neque veriſimile eſt, ſancti Epiſcopi corpus in ea eccleſia à Tullenſibus*

B *ſepeliendum fuiſſe, niſi de eadem ocyùs complenda ſeriò cogitâſſent. Sed de hiſce fabulis ſatis eſt. Sammarthani tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ ſucceſſorem* S. Apri *Alodium faciunt, qui concilio Aurelianenſi* V *anno* 549 *ſubſcriptus legitur, nec tamen in Tullenſibus catalogis occurrit, putantque eumdem etiam Albauldum fortè dictum fuiſſe, refragante Riqueto, qui Alodium ab iſto diſtinctum & ſeriùs ſucceſſiſſe meritò ſtatuit. Plura de hac eccleſia vide § ſequenti.*

§ IV. Eccleſia Sancto dicata, & monaſterio aucta: cetera huc ſpectantia: aliæ eccleſiæ ipſi ſacræ: corpus tranſlatum, relatum, abſconditum & repertum: reliquiæ aliò delatæ, &

C miraculis illuſtratæ.

Eccleſia, quam Sanctus inchoaverat,

VEnerabile S. Apri *corpus in ſua, quam imperfectam moriens reliquerat, eccleſia humatum fuiſſe, præcedenti §, ex biographo dictum eſt. Idem ſcriptor, eam ipſi Sancto mox dedicatam fuiſſe ibidem his verbis affirmat:* Factâ igitur ſancti Viri officioſiſſimè ſepulturâ, inchoatum illius templi ædificium ſummâ populi devotione completum eſt, quodque ex nomine S. Apri placuit dedicari, ubi quotidianis virtutum miraculis ejus merita coruſcare non ceſſant. *Secundùm hæc Sancti cultus mox ab obitu jam inchoatus fuit, & eccleſia ipſi dedicata. At verò Calmetus tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingiæ in obſervationibus ad inſtrumenta, col.* CXLIX *& ſeq., poſtremum ſibi difficulter perſuaderi poſſe ait, cenſetque eccleſiam hanc S. Mauritio primùm conſecratam fuiſſe, nec niſi ſeriùs* S. Apri *appellatam, ob miraculorum frequentiam, quibus Sanctus ibidem fulgebat. Pro hac opinione ſua allegat diploma Lotharii imperatoris, in quo ea eccleſia* in honore & nomine S. Mauritii conſtructa atque dicata *dicitur; itemque aliud diploma Arnulphi regis, in quo* monaſterium ſancti Mauritii & ſancti Apri *appellatur. Utrumque privilegium exhibet tom.* 2 *inter inſtrumenta, col.* CXXXIII *&* CLIX, *ubi primum anno* 845, *alterum anno* 894 *affigit. Addit ejuſdem S. Mauritii, Thebææ ſcilicet legionis ducis ac martyris, feſtum in laudata abbatia ſeu eccleſia etiam hodiedum magna cum ſolemnitate celebrari.*

AUCTORE C. S.

ipſi ac fortè etiam S. Mauritio dicata

42 *Nihil evincunt hæ Calmeti rationes, nec aliud probant, quàm eccleſiam illam utrique Sancto dicatam fuiſſe, idque ex ipſius* S. Apri *forſitan mente, qui eam laudato Martyri potuit deſtinâſſe, atque ita cauſam dediſſe, ut hinc quoque velut alteri tutelari conſecraretur. Certè Fredegarius Scholaſticus, ſeculi ſeptimi ſcriptor, in Chronico, non alio, quàm* S. Apri *nomine dictam eccleſiam appellat in editione Ruinartii ad annum Chriſti* 626 *ſic ſcribens:* Godinus cernens ſuæ vitæ periculum, terga vertens, cum uxore ad Dagobertum regem perrexit in Auſter, & in eccleſia S. Apri, regio timore perterritus, fecit confugium. *Hanc verò* S. Apri *eccleſiam ipſam eſſe, de qua agimus, laudatus Ruinartius in annotatis, & Calmetus ipſe tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingiæ, col.* 295 *diſertè affirmat. Nec alio nomine* E *eam nuncupavit Lotharius præfati imperatoris Lotharii filius & Lotharingiæ rex in diplomate ſuo, quo eamdem eccleſiam, quam pater ejus Leorardo chor-epiſcopo dederat, cathedrali eccleſiæ Tullenſi, cujus juris fuerat, ex ejuſdem patris ſuprema voluntate reſtituit. In hoc enim eam* cellulam S. Apri, glorioſi confeſſoris, ſitam juxta Leuchorum oppidum, *& rurſum* cellulam S. Apri, *nulla facta de S. Mauritio mentione appellat. Exſtat inſtrumentum hoc apud laudatum Calmetum tom.* 2, *col.* CXXXV *& ſeq. Simili modo in Præcepto Ludovici Balbi apud Mabillonium de Re diplomatica, pag.* 548, *inſtrumento* CX, abbatia S. Apri, *& in Præcepto Caroli Craſſi, ibid. pag.* 552, *inſtrum.* CXIV, monaſterium S. Apri *nuncupatur.*

fuiſſe videtur: Agaunenſium Regula ibi introducta.

43 *Ex dictis pariter colligitur, cur S. Mauritii feſtum tam ſolemniter celebretur, nempe quia ipſe ejus loci velut alter tutelaris jam antiquitus habitus eſt, eo quòd* S. Apri *eccleſia ipſi quoque jam ab initio conſecrata fuerit, prout ex Lotharii imperatoris & Arnulfi regis præceptis colligere licet. Quin & aliam ejuſdem ſolemnitatis cauſam profert ipſe Calmetus, tom.* 1, *in annotatis ad inſtrumenta, col.* CXLIX *& ſeq. rectè obſervans, eam ab Agaunenſibus monachis in* S. Apri *monaſterium facilè induci potuiſſe. In Chronico enim S. Benigni Divionenſis apud Acherium tom.* 1 *Spicilegii prioris editionis, pag.* 370 *legitur Appollinaris abbas Agaunenſis ſimul monaſterio* S. Apri *præfuiſſe.* Appollinarem igitur, *inquit auctor Chronici,* inter reliquos comperimus S. Mauritii atque hujus loci (*San-Benigniani*) ſanctique Apri apud Tullum fuiſſe abbatem, ut ipſi referunt in antiquis ſe inveniſſe ſcriptis. *Refert autem hæc ad Guntranni regis tempora, id eſt, ad ſeculum ſextum jam ſeneſcens aut decrepitum, ſub cujus initium* S. Aprum *epiſcopatum geſſiſſe, ex ſuprà dictis veriſimile eſt. Hujus igitur abbatis operâ cultus S. Mauritii ſimul cum monaſtica diſciplina in laudatum* S. Apri *monaſterium induci potuit, itàque promoveri, ut ſanctus ille martyr ſecundus ejus loci patronus haberetur eademque eccleſia ab illius quoque nomine diceretur*

F

Ejuſdem monaſterium dotatur; diſciplina à variis

44 *Porrò idem cœnobium Autmundus vel Antimundus, qui in utroque Catalogo apud Calmetum inter epiſcopos duodecimum locum obtinet,* au-

AUCTORE C. S.

augere ſtuduit, ſi eorumdem catalogorum compilatoribus credimus. Is *enim, ut ibidem legitur*, memoriam Chriſti confeſſoris Apri ſollicita devotione excoluit, cujus & cœnobium in divina religione augmentavit, & in ejus veneratione nonnulla ſcripta ac Reſponſoria ad poſterorum recordationem exaravit. *Collapſam deinde in eodem monaſterio diſciplinam ſimul & redditus reſtaurâſſe Frotharius epiſcopus 26 ibidem dicitur his verbis :* Præfatum cœnobium & divinæ religionis augmento ſublimavit, & rerum exteriorum ſupplemento non modicè adornavit. *De hac reſtauratione videri poteſt Mabillonius tom. 2 Annal. Benedict., ad annum Chriſti 836, num. 46, ubi laudat ejuſdem Frotharii chartam eum in finem datam, quam totam recitat lib. 6 de Re diplomatica, pag. 524 & ſequenti, & circa annum 836 ſcriptam ſtatuit. Eamdem quoque habes apud Calmetum inter inſtrumenta tom. 2, col.* CXXIX *& ſeqq. noviſſimæ editionis. Id unum hìc obſervo, de introducta S. Benedicti Regula mentionem ibi fieri : ſic enim inter cetera ibidem loquitur Frotharius :* Præterea decernimus, ut eidem monaſterio abba
B præficiatur, qui ſecundùm Regulam beati Benedicti præeſſe & prodeſſe utiliter queat.

inſtauratur &c.

45 *Alteram ejuſdem loci reſtaurationem S. Gauzlinus Tullenſium item epiſcopus ſeculo decimo fieri curavit, de qua conſuli poteſt Commentarius de eodem Sancto editus apud nos tom.* III *Septembris, ad diem* VII, § 3, *ideóque de ea nihil addi neceſſe eſt. Brevitatis causâ prætereo & aliam, ſeculo* XI *per S. Guilielmum S. Benigni Divionenſis abbatem, curante Bertoldo epiſcopo Tullenſi factam, ut in Chronico laudatæ abbatiæ Divionenſis tom.* I *Spicilegii, pag.* 441 *legitur, & in ipſius S. Guilielmi Vita in Opere noſtro tom.* I *Januarii cap.* XI *inſinuatur. Eadem de cauſa prætermitto egregiam operam, expenſaſque, quas S. Bruno Tullenſis pariter tum epiſcopus, deinde verò Pontifex Maximus, Leo IX dictus, aliique multi cum eo, inſigni monachorum ibidem Deo ſervientium ſanctimoniâ excitati pro eodem monaſterio à fundamentis reſtaurando, dotandoque contulerunt; quæ omnia tam in hujus ſancti Pontificis Vita tom. 2 Aprilis ad diem* XIX, *cap.* 5, *& apud Calmetum laudatum tom. 2 inter inſtrumenta, col.* CCLIX *& quatuor ſequentibus ſtudioſus le-*
C *ctor inveniet. Hæc, inquam, & alia multa, quæ ad abbatiam* S. Apri *potiùs, quàm ad ipſum Sanctum propriè pertinent, quæque in laudato Calmeti Opere ſparſim referuntur, ſciens ac volens prætereo.*

Aliæ eccleſiæ

46 *Calmetus tom.* I, *col.* 295 *& ſequenti magnum eccleſiarum numerum* S. Apro *dedicatarum in diœceſi Tullenſi ſpectari affirmat, ac duas præterea vetuſtas eidem Sancto conſecratas memorat, unam ſcilicet ſeculo ſeptimo à S. Hidulpho in monaſterio ſuo, alteram eodem pariter ſeculo erectam, cujus mentio fiat in Vita S. Salabergæ. Pro priori laudat* Joannis Bajonenſis Chronic. Mss., *quæ mihi ad manum non ſunt, & quorum vetuſtatem ac fidem planè ignoro : pro altera citat* Acta SS. Benedictin. t. 2, *id eſt, Seculum ſecundum Benedictinum Mabillonii, ubi re vera pag.* 422 *Hermannus monachus lib.* 3 *de Miraculis B. Mariæ Laudunenſis, cap.* 22 *eccleſiam aliquam S. Apro à laudata ſancta abbatiſſa conditam ſcribit ; ſed eam* S. Apri martyris, *non confeſſoris, qualis Tullenſis epiſcopus eſt, fuiſſe affirmat. Etenim inter ſeptem baſilicas ab ea exſtructas ſextam in honore* ſancti Apri martyris numerat ; *& rurſum de ſua ætate ibidem ait :* Harum ergò ſeptem eccleſiarum adhuc reſtant quinque ; duæ verò, id eſt, ſanctæ Crucis, ſanctique Apri martyris præ nimia vetuſtate defecerunt. *Porrò notatur ibidem pag.* 520, *Hermannum iſtum S. Bernardo abbati Clarevallenſi æqualem fuiſſe, adeóque vixiſſe ſeculo* 12. *At ſi eccleſia iſta S. Apro martyri re ipſa dedicata fuerit, oportet hunc alium fuiſſe à ſancto Tullenſi epiſcopo, qui ex dictis confeſſor obiit.* D

eidem Sancto.

47 *Alteram* B. Apro Halliæ martyri *eccleſiam ac monaſterium virginum velatarum Ordinis Ciſtercienſis Coloniæ Aprippinæ* non procul à porta Honoris *recenſet Erhardus Winheim in Sacrario Agrippinæ, pag.* 274 *& ſequenti. De eadem etiam pluribus meminit Ægidius Gelenius de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ lib.* 3, *ſyntagmate* 57 ; *verùm* S. Aprum *illum, cui eam eccleſiam antiquitus dedicatam fuiſſe oſtendit, non martyrem, ſed noſtrum eſſe diſertè affirmat ;* Fuit, *inquiens,* S. Aper ſeptimus eccleſiæ Tullenſis epiſcopus, & natalis ejus celebratur xv Septembris. *Idem repetit lib.* 4 *in Sacris & piis Faſtis, ubi ad dictum diem ſic habet :* Coloniæ in eccleſia S. Apri, memoria S. Apri ſeptimi epiſcopi Tul- E
lenſis. *Nec alium eccleſiæ ſuæ tutelarem Aprum, quàm Tullenſem, agnoſcunt moniales ejuſdem loci, quantùm colligo ex quadam epiſtola à P. Arnoldo Neelsbach ad Papebrochium noſtrum olim data, in qua ſequentia legere eſt :* Moniales cujuſdam monaſterii Colonienſis, D. Apro ſeptimo Tullenſi epiſcopo dedicati, Vitam ſancti ſui Patroni, cujus feſtum eſt xv Septembris, avidè huc uſque ignotam exoptant *&c.*

dedicatæ.

48 *Crediderim itaque iſtam eccleſiam* S. Apro *noſtro verè ſacram eſſe, & errâſſe Winheimium, dum eam* B. Apro Halliæ martyri *dedicatam putavit. Forſitan* Halliæ *vitio typothetæ pro* Galliæ *irrepſit, & ex ſcriptoris errore* Martyri *pro* Epiſcopo. *Similis hallucinatio etiam Hermanno monacho, cujus ſuprà meminimus, obrepſiſſe potuit : nam ego quidem in Martyrologiis nullum hujus nominis Martyrem potui reperire. Quàm porrò vetuſta ea eccleſia ſit, nuſquam legi, niſi quòd laudatus Gelenius ſyntagmate* 57 *ſcribat :* Capellæ S. Apri ex oppoſito portæ, appellatæ Agrippinæ, meminit Philippus I archiepiſcopus Colonienſis in litteris anni MCLXIX. *Subdit, eam à Franciſcanis primùm inhabitatam, hiſce ad alium* F
locum tranſlatis, anno 1474 *Ciſtercienſibus virginibus ceſſiſſe, quæ novi ampliorique monaſterii fundamentalem lapidem anno* 1477 *die* XXI *Aprilis ibidem poſuerunt. Addit denique :* Ab allatis S. Bartholomæi reliquiis, pioque virginum affectu (*quæ in ejuſdem ſancti Apoſtoli cœnobio extra muros habitaverant*) titularis & tutelaris patronus acceſſit, ut eccleſia nunc SS. Bartholomæi & Apri dicatur. *Nunc ad Tullenſem Sancti ſepulturam redeamus.*

Sancti corpus Tullum defertur ;

49 *Sacrum* Apri *corpus in eccleſia, quam extra civitatis muros inceperat, ut ſuprà diximus, quievit uſque ad ſeculum decimum, quando ex Danorum Hungarorumque metu in civitatem illatum, in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ depoſitum fuit. Rem geſtam pluribus exponit auctor Miraculorum* S. Apri, *cujus narrationem poſt Vitam dabimus, ubi propterea à num.* 22 *conſuli poteſt ; interim ſuprà num.* 8 *obſervavimus, eam circa annum* 918 *contigiſſe. Poſt barbarorum è Lotharingia exceſſum venerabile iſtud pignus à duobus monachis, quos Sanctus ipſe admonuerat, paucique aliis in conſilium adhibitis, & adjuvantibus duobus clericis, Allone ſcilicet & Barnefrido*

pri-

A *primicerio, noctu clam ceteris omnibus ſublatum eſt, & in ſua demum eccleſia ignoto reliquis loco ſub terra depoſitum. Hujus conſilii reique geſtæ ratio fuit Drogonis epiſcopi Tullenſis iniqua molitio, qui à pravo conſultore ſuo, Bulſone nomimine, incitatus, clanculùm decreverat ſacrum corpus in urbe detinere, & monachorum bonis inhiabat; verùm occultas haſce machinationes* S. Aper *ſuprà dictis monachis detexit & irritas reddi curavit. Hæc omnia laudatus ſcriptor Miraculorum latiùs enarrat, quàm ut de iis quoque plura hic addere neceſſe ſit.*

inde in eccleſiam ſuam clam delatum, diuque poſt reperitur.

50 *Obſtrinxerant autem ſeſe prædicti monachi jurejurando, ne quis ſecretum proderet, locumve abſconditi corporis cuiquam indicaret. Hinc factum, ut theſaurus ille multis annis latuerit uſque ad epiſcopatum S. Gerardi, qui illum tandem anno* 978 *feliciter invenit ac elevavit, cùm ad id temporis ignotus fuiſſet latebrarum locus, etſi de depoſito in ea eccleſia corpore conſtaret. Hujus inventionis elevationiſque ſeriem ac mirabilia, quæ eam illuſtrârunt, deſcripta habes inter miracula poſt Vitam, ut monuimus, edenda, cap.* 3, *ad quod lectorem propterea ſimiliter remitto. De*

B *iiſdem meminit Vindricus ſeu Widricus S. Apri abbas & ſcriptor coævus in Vita ejuſdem S. Gerardi apud nos tom.* III *Aprilis ad diem* XXIII *data, ubi cap.* 2 *hæc habet:* Sanctorum quoque reliquias ſagaci indagabat ſolicitudine (*S. Gerardus*) fiſus ſuperni gratiam Conditoris ſibi ſuppeditari eorum opitulatione. Cujus vigilem curam Deus non paſſus eſt fruſtrari, eique reperire glebam conceſſit beatiſſimi pontificis Apri; in cujus glorioſa tranſlatione miracula magnifica propalavit dignatio divina, quæ in ejuſdem beati Præſulis geſtis retinentur annotata. *Ceterùm notat Calmetus tom.* 1, *col.* 296 *ejuſdem ſancti* Apri *reliquias etiam hodiedum pretioſâ incluſas thecâ in eadem abbatia aſſervari.*

Aliquot ejus reliquiæ aliò delatæ

51 *Non integrum tamen corpus in laudata abbatia permanſiſſe, ſed aliquot ejuſdem portiones jam à ſeculo* IX *aliò tranſlatas eſſe diſcimus ex Frotharii Tullenſis epiſcopi litteris apud Du Cheſne tom.* 2 *Hiſtoriæ Franciæ ſcriptorum, pag.* 717 *&* 720 *relatis. Etenim in epiſtola* 12 *Wicardus abbas cum monachis ſuis Frotharío gratias agit de acceptis ab eo ejuſdem Sancti reliquiis.* Quam gratiarum actionem, *inquit*, de be-

C neficiis, quæ ſolo mercedis cæleſtis intuitu parvitati noſtræ impenditis, virorum optime, vobis rependemus, qui non ſolùm paſtorali curâ intima noſtra, verùm pia quoque ſollicitudine exteriora noſtræ ſubſtantiæ procurare dignamini? Inſuper ad cumulum veſtræ caritatis circa nos demonſtrandum, quod nobis auro ditius eſſe poteſt, S. Apri reliquias, nec non & beatæ ſuæ converſationis actus, humilitati noſtræ nunc mittere eſtis dignati. Sed pro his omnibus, pro cujus amore hoc geritis, prorſus vobis ipſe manentis retributionis fructum reſtituere non obliviſcetur *&c. Cujus loci abbas hic* Wicardus *fuerit, incompertum eſt: at ſi is idem ſit cum* Wighardo *abbate, ad quem Frotharius epiſtolam* 19 *ſcripſit*, peto, *inquiens*, ut veſtro amminiculo tria curra vini de Bonna faciatis nobis perduci ad palatium Aquis, *ſi, inquam, hic idem ſit, ſatis veriſimile eſt, ejus monaſterium non admodùm procul abfuiſſe Bonnâ, quæ inferioris Germaniæ oppidum ad Rhenum eſt, & electorum Colonienſium ſedes; prout Mabillonius tom.* 2 *Annal. Benedict., ad annum Chriſti* 836, *num.* 46 *ſuſpicatus eſt.*

52 *Alteram item ſacri corporis portionem laudatus Frotharius cuidam* Hugoni famulo Chriſti devotiſſimo *tranſmiſit cum epiſtola* 21, *in qua inter cetera ait:* Illud autem, quod veſtræ induſtriæ carius & ditius fuit, reliquias videlicet S. Apri confeſſoris Chriſti, vobis dirigimus; S. Apri ſubſidium implorantes, ut huc cum incolumitate feſtinè redeatis, & à noſtra devotione digni ſervitii commoda capiatis. *Mabillonius mox laudatus, & poſt illum Calmetus, Hugonem hunc Caroli Magni filium fuiſſe exiſtimant. Horum prior rationem allegat, quòd in eadem epiſtola Frotharius de Hugonis abſentia amicè conquerens, eum ſic alloquatur:* Putabamus ſiquidem hactenus atque deſiderabamus, ut de tam pia celſaque progenie duæ ſaltem lucernæ nobis remanerent, quarum ſplendore & meritis nos & vicinos noſtros inluminare atque inmeliorare gauderemus. *Hanc enim piam celſamque progeniem Mabillonius de Caroli Magni ſobole, duas verò lucernas de Drogone Metenſium epiſcopo, ac Hugone, ejuſdem Caroli filiis interpretatur, putatque huic a Ludovico Pio abbatiam aliquam apud Leucos deſtinatam fuiſſe: quæ quidem conjectura nec certa nec improbabilis eſt. Ceterùm de Hugone Caroli* E *Magni filio, quem Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana abbatem S. Medardi apud Sueſſiones, & Novalicenſem faciunt, actum in Opere noſtro eſt in Prætermiſſis ad diem* XIII *Junii.*

S. Leo IX aliquas in itinere Romano ſecum ferens,

53 *Præterea aliquas* S. Apri *reliquias penes ſe tulit S. Leo IX, dum ante Pontificatum eccleſiæ Tullenſi epiſcopus præfectus, dictus* Bruno, *Romam ad limina Apoſtolorum peregrinaretur, iiſque feliciter uſus eſt, teſte Wiberto ejus archidiacono, in Vita ejuſdem ſancti Pontificis apud nos data tom.* 2 *Aprilis ad diem* XIX *Aprilis, ex cujus libro* 2, *cap.* 1 *ſequentia juverit retuliſſe.* Summa inerat ei devotio ſummum Pontificem & primum cæli Clavigerum annuo inviſere recurſu, & pro ovibus à Deo ſibi creditis ejus juvamen ſupplici exorare precatu. Itaque quodam tempore ſolitum aggreſſus iter, comitante cœtu clericorum, nec non laicorum, quingentorum numerum ſupergredientium, qui pro ipſius meritorum dignitate, affabilitate, ſanctitate, indivulſum ejus ſequebantur comitatum; cunctis ſurrexit lues dira, Italici corruptione aëris, ita ut nulli hac tabe infecto eſſet ſpes in craſtinum differendæ mortis.

F

per eas peſtem à ſuis depellit: S. Gerardus

54 Vir autem Domini immodicè mœſtus de afflictione ſeſe comitantis turbæ, feſtinum reperit remedium, divina gratia præcurrente. Nam Sanctorum, quæ ſecum vehebat, propria manu tinctis vino pignoribus, maximèque S. Apri articulis, cui ſeſe commendabat devotiùs; quicumque hujuſmodi poculum quantulumcumque libâſſet, mox convaleſcebat, quantuſcumque languor eum invaſiſſet, ſi tantùm liquoris illius ſaporem guſtare valuiſſet. *Hæc ibi: fatendum tamen eſt, non minimam hujus prodigii partem ipſi S. Leoni ſeu Brunoni forſitan adſcribendam eſſe. Porrò eam S. Leonis in* S. Apri *reliquiis fiduciam inter alia excitâſſe potuit ſanitas S. Gerardo Tullenſi epiſcopo aliquot annis antè per ejuſdem Sancti ac Manſueti opem prodigiosè reddita, ut narrat Vindricus, ſeu Widricus, S. Apri abbas in Vita laudati S. Gerardi loco ſuprà aſſignato, cap.* 3, *unde rem geſtam tranſcribo.* Tentatus eſt quoque aliquando (*S. Gerardus*) deſperabili corporis ægritudine, per quam Dominus omnipotens glorificanter clarificatus eſt in ſuæ virtutis majeſtate. Quodam ſiquidem tempore nimio languore

AUCTORE C. S. prægravatus, ipso jam frigescente corpore, ad extrema est deductus; nec quisquam ei spem redituræ sospitatis spondere præsumebat, nemo nisi de solo ejus funebri obsequio satagebat.

allatis ad se SS. Mansueti & Apri corporibus,

55 Tunc eum subiit cælitus inspirata cogitatio, ut sanctissimorum pontificum Mansueti atque Apri se clementi commendaret præsidio, atque eorum venerandas reliquias jussit deferri in S. Joannis Baptistæ oratorium, quatenus ipsorum præstante suffragio, aut desperati languoris remedium caperet corpus, aut [anima] in supremo exitu ante severum Judicem propitiabile solatium. Sacratis ergò pignoribus infra urbem delatis, condigno cum honore à fidelibus noctu celebrantur vigiliæ, nec desunt pontifici in conclavi contiguo decubanti funereæ excubiæ. Intempesta autem nocte, strepitu vulgi frequentis subsidente, ecce illi, qui languerat, cœpit præter spem salutifer sopor obrepere; moxque à sanctis pontificibus visitatur per somni quietem exoptabili visione. Videbatur namque, sibi languenti ante lectulum adstitisse eosdem viros magnificos, præsulari decenter habitu infulatos, qui quasi requirebant ab ipso misericordi compassione, quomodò se haberet, & cujusmodi languore tam graviter ægrotaret. Cúmque modus ac genus ægritudinis à languido panderetur, visum est sibi, quasi juberent ei, ut se sequeretur, & reflexum iter verterent versùs oratorium, quo sacra eorum pignora servabantur.

B

morti jam proximus, subitò sanatur.

56 At ille, qui dies non paucos languerat, sospes surrexit concitus, ac glorioſæ visionis stupore attonitus. Credebat beatos præsules corporeâ sibi adstitisse præsentiâ, iterque arripuit, quasi eorum secuturus vestigia. Ad valvas autem perveniens ecclesiæ, propria potitus mente, Sanctorum recognovit virtutem, quam in se dignati sunt ostendere; moxque antiphonam, Exiliit claudus & ambulavit, præcinuit in jubilationis laude. Hinc ante venerabiles sternitur reliquias, pro beneficio grates Sanctis rependit magnificas, Deumque in suis famulis prædicabilem intacibili ore glorificat.

VITA

C

auctore incerto

Ex editis à Calmeto & Martenio.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Auctor, invocato Spiritu sancto,

BEatissimi viri & ante omne sæculum præordinati ac præelecti, suo verò tempore nobis manifestati ac destinati pontificis, Apri hodierna die solemnitas veneranda recolitur, in qua de terris assumptus, cælos petiit, & tamquam miles emeritus post longa hujus vitæ certamina cæleste Capitolium à Christo coronandus intravit. Hæc quotiens revolutis annorum circulis innovatur, totiens Christianis populis annuæ exultationis devotio cumulatur, & sanctorum gaudiorum quædam quasi porta posteris aperitur, cùm proprii Patroni festivitas instauratur. Gregis quippe animos Pastoris triumphus attollit, & discipulorum corda lætificat veneratio impensa Magistro. Hujus igitur talis ac tam egregii Viri Dei vitam & miracula descripturus, habitatorem ejus invoco Spiritum sanctum, [ut,] qui illi virtutes patrandi largitus est gratiam, mihi quoque ad easdem narrandas sufficientem eloquii tribuat venustatem *a*.

D

2 Et quidem ad hoc me imparem, minúsque idoneum recognosco; verùm ejus suffragiis, cujus merita ad utilitatem præsentium, præsidiumque futurorum publicare gestio, spero mihi divinam gratiam affuturam, auditurus cum propheta Dominum mihi dicentem: „ Ego ante te „ ibo, & potentes terræ humiliabo, portas æ„ reas conteram, & vectes ferreos confringam, „ & aperiam tibi thesauros absconditos & arca„ na secretorum.„ Tunc enim securus narrationem aggrediar, si præcurrente divina gratia, & terræ potentes hoc [est,] *b* terrenorum sensuum vitia humiliante, ac ardua quæque & difficilia complanante, thesauros sapientiæ & scientiæ & arcana mysteriorum cælestium penetrare valuero. His breviter prælibatis, ad narrationis seriem, adjuvante Domino, accedamus.

a & Sancti patrocinio fretus, scribere aggreditur.

b

E

ANNOTATA.

a *Apud Martenium perperam legitur* vetustatem. *Calmeto consentiunt Mss. nostra transumpta ex Mss. Accinctli monasterii, & Corneoli & Caritatis. Ex iisdem supplevi textum, qui apud utrumque editorem voculam* ut, *quam propterea uncis incluſi, non habebat.*

b *Hæc quoque vox in utraque editione desideratur, sed in laudatis Mss. legitur.*

CAPUT UNICUM.

Sancti patria, gesta, episcopatus, miracula, obitus & sepultura.

F

In Trecarum suburbio natus, jam inde à pueris

IGitur B. Aper in suburbio Augustæ Trecorum, vico, qui Tranquillus *a* dicitur, præsentis vitæ sumpsit exordium, nobilibus, & quod est excellentius, Christianis parentibus editus, & à puero cælestis tyrocinii rudimenta susciplens, Christianæ religionis venerator ac præcipuus semper exstitit cultor; adeò ut qualis juvenili ætate futurus esset, adhuc in tenera indole præmonstraret. Neque enim, ut illa fert ætas, puerili lascivia relaxabatur; sed totus circa ecclesias & loca sancta semper intentus, perfectissimis quibusque studebat arctiùs inhærere, quo mox futurus pontifex Catholicæ fidei dogmata per illos & bonorum operum exempla combiberet *b*. Sectabatur præterea ultra vires etiam misericordiæ opera, ut, quantùm posset, indigentibus subveniret: ubi verò facultate subveniendi deserebatur, quod solùm poterat, totis misericordiæ visceribus egentium inopiæ compatiebatur. Nam sæpe aut à scholis aut ab ecclesia revertens, si fortè nudum quempiam pauperem *c* conspexisset, se tunicâ exuens, illum Puer sanctus induebat, sicque domum revertebatur nudus, justitiæ potiùs ac misericordiæ indumento circumdatus.

a

b

c

2 Jam

A *misericordiæ dedituſ eſt : priorum exempla ſectatur,*

2 Jam autem adoleſcentiæ annos ingreſſus, cùm rerum ſuarum poteſtatem habere cœpiſſet, tantam circa pauperes curam habebat, ut in eorum alimenta cuncta, quæ poſſederat, erogaret. Nimirùm beati Job verbis Sanctus iſte uti poterat, quibus ait: „Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt me„cum.„ His & talibus ſcilicet ſanctæ converſationis ſtudiis omnes in admirationem ſui amoremque converterat. Erat enim venerabilis aſpectu, mitis alloquio, vultu ſerenus, & ut genitalis ceſpitis vocabulum morum ſinceritate monſtraret, expers feritate cognominis, tranquilla cunctis exiſtebat lenitate placabilis *d*. Moris etiam erat illi Sanctos quoſque præ ſtudio imitationis adire, propriaſque ſingulorum virtutes in vitæ propriæ ornamenta vertebat. Hujus continentiam, illius ſectabatur jocunditatem; iſtius lenitatem, illius vigilias, alterius legendi æmulabatur induſtriam. Iſtum jejunantem, illum in ſacco & cinere quieſcentem mirabatur; unius patientiam, alterius manſuetudinem prædicabat; omnium quoque vicariam erga ſe retinens charitatem, atque univerſis virtutum generibus irrigatus, ad ſedem propriam remeabat, ibique *e* ſecum univerſa retractans, omnium in ſe bona, velut apis prudentiſſima nitebatur exprimere.

d

B

e

3 Ante omnia provida ſemet circumſpectione ſemper agebat, ſollicitâ curâ intendens, ne hæreticorum vel quorumlibet pravorum maleſuadâ deciperetur aſtutiâ. Memor ſemper Euangelici præcepti, cum ſimplicitate columbæ aſtutiam ſerpentis ſatagebat habere, & velut undique oculatum animal, ſic bona deſiderabiliter providebat, ut mala ſolerter caveret *f*. Cúmque his & aliis virtutum inſignibus fama Sancti longè latéque crebreſceret, ad pontificium Leuchorum *g* civitatis concordi ſacerdotum ac civium voluntate & communi omnium acclamatione, non minùs raptus, quàm electus abducitur *; & licèt omni conamine reſultaret, ſciens profectò, ſicut nullum ad ſacerdotii culmen electum oportere pertinaciter refugere, ita neminem ad hoc ſe debere importunè ingerere; vicit tamen pium devotæ plebis deſiderium, atque inexplebili cunctorum gaudio pontificali ſublimatur * cathedrâ. Erat enim lucerna veri luminis accenſa gratiâ, atque ideò ſuper candelabrum digniſſimè conſtituenda, ut omnibus in domo Dei, quod eſt Eccleſia, conſtitutis verbo ſimul & exemplo veritatis lumen infunderet.

à pravis cavet. Epiſcopus Tullenſis electus,

f

g

* *al.* adducitur

* *Calm.* ſublimatus

C

4 Jam verò ſumpto epiſcopatu, qualem ſe quantumque præſtiterit, noſtræ non eſt facultatis evolvere. Idem namque conſtantiſſimè perſeverabat, qui priùs fuerat; eadem in corde ejus humilitas, eadem & in veſtitu vilitas erat; abſtinentiæ propoſitum rigorem infatigabiliter conſervabat, numquam aliâ horâ cibum ſumens, quàm antea conſueverat. Atque ita plenus auctoritate & gratiâ, implebat epiſcopi dignitatem, ut tamen religionis priſtinæ propoſitum non amitteret; quin potiùs tantùm augebantur lucra virtutis, quantùm erat ſublimior dignitas ſacerdotis. Omnibus nempe ſecundùm Apoſtolum omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Quis enim umquam ad eum mœſtus acceſſit, & conſolatus non rediit? Omnium ille paſſiones, ſuas credebat, & gaudentium proſperitatem, propriam reputabat. Verbi verò divini doctrinam quotidie, immò omni horâ, cunctis adnuntians, nullum tempus à ſalutari prædicatione vacuum eſſe ſinebat; omnes ſecum ad cæleſtem patriam trahere gaudens;

priſtinam vitæ normam ſervat : & munere ſuo

ſemper in ejus ore Chriſtus, ſemper æternæ vitæ monita reſonabant. Fidelis namque ac prudens Diſpenſator in magni Patris-familias domo conſtitutus erat, ut confervis ſuis in tempore menſuram tritici erogaret.

A. INCERTO.

5 Gemino itaque modo ſubjectis conſulens, verbo videlicet prædicationis, & exemplo boni operis informans, pro ſalute & augmento gregis ſibi commiſſi cura pervigili ſollicitus erat. Hujuſcemodi virtutum exercitiis ſanctus Dei * Sacerdos vitam ſuam decorare, & pontificalem gratiam adimplere ſtudebat. Proter quod eum digniſſimè in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, velut membrum præcipuum univerſitas fidelium honorat, amplectitur, veneratur. Sed fortè ſunt aliqui, qui cum Judæis ſigna requirentes, hæc ſanctitatis teſtimonia minùs ſibi ſufficere deputant, miracula pro maximo ſuſcipientes, nullumque magnum eſſe arbitrantes, niſi eum, quem ſignorum oſtentatio declaravit. Illi verò, qui non ſolùm cum turbis Dominum parabolicè loquentem audiunt, ſed etiam cum domeſticis ejus Apoſtolis ſecretiore ipſius doctrinâ perfruuntur, ſatis evidenter agnoſcunt, omnibus ſignis & prodigiis ea, quæ in Famulo Domini deſcripſimus, eſſe majora; quia numquam iſta poſſunt facere, niſi boni, cùm illa plerumque ſoleant oſtendere & mali *h*. Verùm ne tales fortaſſe parvi pendere aut negligere videamur, addamus aliquid de his, quæ per Famulum ſuum divina virtus mirabiliter operari dignata eſt.

egregiè fungitur. Auctoris obſervatio de miraculis.

* *al.* Domini

E

h

6 Familiare erat beatiſſimo viro Apro, ut omnes circumquaque regiones vel urbes, verbum ſanctæ exhortationis adnuntians, perluſtraret. Sicubi etiam idolorum fana vel ethnicæ ſuperſtitionis comperiſſet, continuò fervore ſpiritûs illuc accedebat, & deſtructâ diaboli officinâ, animas à creaturæ ſervitute liberans, Creatori proprio reformabat. Quodam itaque tempore, dum talia ageret, ad Cabillonenſium *i* urbem divinitatis nutu pervenit, ubi tunc fortè pro commiſſo facinore tres reos vinctos, & carceralibus tenebris traditos reperit. Quorum neceſſitate comperta, ſolita ſibi pietate permotus, ad Adrianum *k*, qui per id temporis in præfata urbe judicis officium exhibebat, feſtinus accurrit; nec dedignatus eſt magnus Domini Antiſtes ejus pedibus proſterni, & reis indulgentiam atque abſolutionem ſupplici-ter deprecari. Qui crudelitatis ingenitæ ſtimulis & tumore ſuperbiæ inflatus, Viri Dei verba deſpexit; nec ſolùm, quod petebat, concedere noluit, verùm etiam majora atque acriora tormenta miſeris ſe illaturum minatus eſt. Sanctus autem Domini ſe ita repulſum aſpiciens, ad notum recurrit auxilium, & quod ab homine non poterat impetrare, ab omnipotentiſſima expetit Majeſtate.

Captivos, quibus veniam fruſtra flagitaverat,

i

k

F

7 Mox Divinitas affuit; clauſtra omnia carceris repentè diſſiliunt, vincula, quibus nexi tenebantur, tamquam fila, odore ignis accepto, ſumma celeritate rumpuntur. Procedunt, nullo prohibente, de carcere, curſuque perpeti ad locum, ubi Vir Dei orabat, perveniunt, tenentes manibus nexus *l*, quibus antea tenebantur. Fit populi magnum ſtupentis ſpectaculum: gratiæ multiplices Deo referuntur; B. Apri merita in commune ab omnibus prædicantur. Judex quoque inſaniſſimus, qui primus Virum Dei precantem audire noluerat, dignam pro ſua ſuperbia è veſtigio expertus eſt ultionem. Acerrimo enim dæmone correptus, & in terram eliſus, ac nimiis doloribus vexatus, priuſquam Sanctus ab oratio-

mirabiliter liberat, obſtinato judice etiam divinitus punito:

l

A. INCERTO.

ne consurgeret, spiritum violenter amisit *m*, nec salutem corporis, nec veniam sceleris consecutus est. Nos profectò in tam districta hominis animadversione monemur, ne servis Dei, præcipuè quos Apostolicæ auctoritatis privilegium exornat, temerario ausu contemptum ingerere præsumamus, sub oculis habentes, quia talium injurias confestim comes ultio subsequetur; his etenim à Domino dictum est: „Qui vos audit, „me audit; qui vos spernit, me spernit.„

m

dæmonem ex energumeno expellit.

8 Huic tam ingenti miraculo aliud non minùs clarum consequenter additum est. Cùm enim Vir Dei à loco, in quo hæc gesta sunt, ad propria remearet, vidit eminus juvenem spiritu immundo pervasum, ex cujus ore & naribus, quod est dictu mirabile, velut ex fornace, flamma sulphurea prorumpebat. Is, cùm procul Virum Dei conspexit, sævire miser & fremere, ac obvios quosque laniare dentibus cœpit. Tunc universo populo in fugam verso, ad beatum Præsulem rapido cursu energumenus advenit. Ille verò intrepidus, vexilloque sanctæ Crucis armatus, sese furenti objecit, elevatâque obviam dexterâ, stare præcepit, obsessum: sed cùm spuma ignea sancti Viri vultum aspergeret, hiantique ore morsum minaretur, statim oppositâ manu, cùm ei per os sanctæ Crucis vexillo signatum minimè liceret exire, pœnis & cruciatibus coactus excedere, congruo suis meritis exitu, immundus spiritus fœda relinquens vestigia, fluxu ventris egressus est *n*. Tua sunt hæc, Christe opera, tua miracula, qui verè mirabilis es in Sanctis tuis, quos ita dignaris glorificare, ut eos de hoste humani generis mirabiliter facias triumphare. Aliquando lætabatur diabolus, se hominem de paradiso ejecisse, nunc mirabili commercio, imperio Hominis ab obsessis corporibus exire compellitur; & qui se superbiâ tumidus, in cælum conscensurum, & super astra Dei suum solium exaltaturum gloriabatur, nunc confusus atque dejectus, humilium servorum Dei vestigiis substernitur.

B

n

Basilicam ædificare exorsus, moritur,

9 Hæc breviter de innumeris, quæ per sanctum suum Aprum divina gratia operari dignata est, miracula collegisse sufficiat: verùm nemo umquam sani capitis dubitaverit, eum pluribus aliis signis effulsisse. Instante autem jam tempore, quo Electum suum Dominus post vitæ hujus excursa stadia * remunerare decreverat, cœpit idem Sanctus Dei quandam extra muros urbis, cui gloriosè præsidebat, ædificare basilicam *o*, quò ibi fidelium plebe conveniente, quotidiana Ecclesiæ accrescerent lucra, & assidua diabolo fierent detrimenta. Sed cùm jam aliquantulùm eam in altitudinem ædificando sublimâsset, priusquam supremam manum operi imponeret, cœpit Dei Famulus æmula corporis infirmitate stimulari. Qua per dies singulos ingravescente, fœlicem ad Christum, quem vivens toto corde dilexerat, præstolabatur ascensum. Omnes igitur, quos Christo acquisierat, universamque ecclesiam suam commendans Domino, eique gratias agens, quem semper habuerat protectorem in prosperis *p*, immaculatum spiritum Conditori refudit; sicque relinquens terrena, cælestis patriæ adeptus est præmia *q*.

* *Mart.* excursæ studia

o

p

q

& cum communi luctu, nec sine miraculis sepelitur

10 Extemplò civitas certatim * universa convenit: omnis sexus, omnisque conditio dignis lamentationibus afficiebatur, quia talem ac tantum amittebat Pastorem. Factis * igitur ex more Ecclesiastico officiis, universorum communi consilio ad eumdem locum, in quo basilicam ædificare cœperat, corpus ejus tumulandum defertur. Nec divina defuêre miracula, quæ sancti Viri merita post mortem quoque testarentur. Cùm enim, ut dictum est, ad præfatum locum sub magna populi frequentia Sancti gleba *r* ferretur, tantus odor miræ suavitatis omnium se naribus gratanter infudit, ut cunctorum florum gratiam, omniumque aromatum fragrantiam superare crederetur. Meritò namque post mortem à Christo taliter honoratur, qui, dum viveret, bonus odor Christi semper esse studuerat. Cùm verò beata membra tumulo conderentur, fertur cælum à pluribus conspicientibus apertum fuisse, & duæ columnæ nubis ad ejus obsequias visæ sunt descendisse, atque ab ore sancti Pontificis columba nive candidior ad cælum visa est subvolâsse; quæ nimirum simplicitatis & innocentiæ ejus meritum creditur comprobâsse.

* ibid. catervatim

* al. peractis

D

r

in eadem basilica, quæ perficitur, & ipsi dicatur.

11 Magnum profectò mysterium, magnumque sacramentum, quòd ad declarandam Famuli sui gratiam Dominus antiqua dignatus est replicare miracula. Columnam enim nubis ad ejus sepulturam ostendit, ut evidentissimè pateret mysticum tunc Israël ab Ægypti hujus ærumnis ad beatam repromissionis terram, cælestem videlicet patriam festinare. Columbam verò ex ore ejus procedere jussit, ut illum pacis & sanctimoniæ sectatorem fuisse constaret, ac jucundum Spiritus sancti templum, qui supra Dominum baptizatum in columba apparuit. Factâ igitur sancti Viri officiosissimè sepulturâ, inchoatum illius templi ædificium summa populi devotione completum est, quodque * ex nomine S. Apri placuit dedicari, ubi quotidianis virtutum miraculis ejus merita coruscare non cessant *s*. Præstantur ibi infirmis sanitatum plurima beneficia, omnibusque cum fide accedentibus optata Christus dignatur conferre levamina. Quapropter venerandi hujus Patris sedulò suffragia imploremus, ad ejus auxilium securi confugiamus. Habemus nimirum eumdem strenuum apud Deum intercessorem, quem specialem meruimus habere pastorem.

E

* *Mart.* quod

s

Auctor lectores suos ad virtutes Sancti

12 Ut tamen hoc, quod dicimus, adipisci mereamur, satagamus sanctitatis illius, quantùm possimus, vestigia sequi. Sanctus enim iste, cujus solemnitatem debitis frequentamus officiis, contempsit mundum, quò solum diligeret Christum, contra insidias antiqui hostis clypeum indefensè * tenuit providæ circumspectionis, & civitatis suæ portas, quinque videlicet sui corporis sensus, omni custodia munivit, ne callido insidiatori in aliquo pateret ingressus. Versutus namque adversarius mille nocendi artibus præditus, applicat se formis, permiscet sonis, ingerit odoribus, infundit saporibus; sicque per introitum delectationis ingrediens, incestat animæ sanctitatem. Hinc propheta ingemiscit, dicens: "Intra„vit mors per fenestras nostras: ingressa est domos „nostras.„ Libri Regum historia indicat, quem Isbosseth, Saulis regis filius, exitum habuerit; qui idcircò latus feriendum præbuit, quia ostiaria domûs, purgans triticum, obdormivit. Nam si pervigilem, non somnolentam habere studuisset ostiariam, nequaquam insidiantium actibus patuisset. Virili ergò custodia circumvallandus est animus, virilibus armis inimici est jaculis resistendum. Hinc Salomon admonet, dicens: "Omni „custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita pro„cedit.„

* *al.* indefessè

F

imitandas hortatur: ejusdem diem emortualem notat.

13 Hoc Sanctus iste, cujus festivæ solemnitatis celebramus obitum, vigilantissimè semper implere curavit, nobisque implendum ostendit,

qui

A qui in ſpirituali agone ſcutum fidei infatigabiliter tenuit, totuſque vitæ ejus excurſus jugis fuit cum principe mundi conflictus; & quia fideliter vincere, pugnante in ſe & pro ſe Domino, ſtuduit, idcirco manna candidum accipere, & columna in templo Dei fieri meruit; jamque laureatus Chriſto aſſiſtit, & de ſacrario divinitatis expoſcit nobis ſupernæ beneficia pietatis, præſtante Domino & Deo præſentiſſimo ac ſacratiſſimo, qui numquam non fuit, numquam non erit, numquam aliter fuit, numquam aliter erit; qui difficilè invenitur, ubi ſit, difficiliùs, ubi non ſit, cum quo non omnes eſſe poſſumus *t*, ſine quo nullus noſtrûm eſſe poteſt. Diſceſſit autem à corpore idem Pater & venerandus Paſtor noſter, & migravit ad Dominum ſeptimo decimo Calendarum Octobrium, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & poteſtas cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Auguſtæ Trecorum, *ſive* Trecæ, *vulgò* Troyes *urbs Galliæ ad Sequanam fluvium ſita &* B *Campaniæ provinciæ caput eſt, epiſcopali ſede illuſtrata ſub archiepiſcopo Senonenſi.* Tranquillum *vicum nonnulli eſſe credunt hodiernum* Trancaut, *novem circiter milliaribus Gallicis ab urbe Trecenſi diſſitum: verùm hinc oritur difficultas, cur igitur Sanctus* in ſuburbio Auguſtæ Trecorum *ortus dicatur. Conjecturam noſtram § 3 Commentarii, num. 31 & 32 dedimus. Conſule etiam eumdem §, ubi de Trecenſi ejuſdem patria ex S. Sidonii Apollinaris epiſtolis non nihil dubitatum eſt. Calmetus tom. 1 Hiſtoriæ Lotharingiæ, col. 295 vicum* Tranquillum *Gallicè* Trancol, *col. vero* CXLVI *in annotatis ad inſtrumenta* Tranquel *appellat, & in diœceſi ac territorio Trecenſi collocat.*

b Combiberet *etiam habent duo Mss. noſtra, unum perperam* cohiberet, *quo modo etiam legit Martenius.*

c *Vox* pauperem *deſideratur in editione Martenii & uno è Mss. noſtris.*

d *Alludit auctor ad natale ſolum vicum* Tranquillum, *quem per* genitalem ceſpitem *deſignat, & ad* Apri *vocabulum: aſſeritque ſanctum Juvenem ab inditi ſibi nominis feritate alienum,* C *congruenter ad natalis loci vocabulum tranquilli placidique omnibus animi fuiſſe.*

e *Calmetus poſt verbum* remeabat *periodum terminavit, ac deinde novam inchoans,* Ubique *legit: at Mss. noſtra cum Martenio habent, prout edidimus.*

f *Ex hactenus recenſitis collige lector, hanc Sancti à teneris annis vitæ inſtituendæ normam in Aprum S. Paulini amicum, quem non nulli eumdem cum noſtro putant, minimè poſſe convenire. Conſule Commentarium § 2.*

g *Ita omnia Mss. noſtra cum Martenio: Calmetus correctiùs* Leucorum *edidit. Eſt autem Leucorum civitas Tullum, vulgò* Toul *in Belgica prima intra fines Lotharingiæ, ad cujus tamen ducatum non pertinet. Perantiquo epiſcopatu pollet, fundatore S. Manſueto, cujus Acta tom. 1 Septembris ad diem 3 illuſtrata habes in Opere noſtro; ubi etiam contra inconſultos nimiæ antiquitatis aſſertores probatum eſt, ejuſdem epiſcopatus initia non ad S. Petri Apoſtoli, ſed ad Conſtantini Magni ejuſve filiorum tempora eſſe referenda. Porrò* S. Aper *hujus ſedis ſeptimus epiſcopus fuiſſe creditur. Ex eodem antiquitatis amore ordinatio Sancti noſtri anno quarto Adriani imperatoris aſſigitur in gemino Catalogo, edito à Calmeto, quem ipſe & nos cum ipſo deſerimus. Adi Commentarium prævium § 2, ubi eam fabulam rejecimus, dictamque ordinationem ad finem ſeculi 5, vel initium 6 retulimus.*

h *Nimis liberaliter hic loquitur auctor: nam quamquam etiam reprobi ad invocationem Dei nominis aliquando mirabilia patraverint, prout ex Matthæi capi 7, ℣ 22 conſtat, id tamen* plerumque *non fit. In Ms. noſtro Tullenſi rectiùs legitur:* Cùm illa poſſent oſtendere & mali.

i Cabilo *ſive* Cabillonum *urbs eſt in ducatu Burgundiæ ad fluvium Ararim ſita, Gallis* Challon ſur Saoſne *dicta. At certè non debuit* S. Aper *verbi divini prædicandi aut idololatriæ exſtirpandæ gratiâ ad eam urbem accedere, quæ tum ſuos dudum epiſcopos habuerat. Hinc vereor, ne iſthæc ex ea falſa opinione profecta ſint, quæ S. Manſuetum à S. Petro in Gallias miſſum fuiſſe commenta eſt.*

k *Nonnulli credunt, ex hoc loco exiſtimatum fuiſſe à Tullenſium catalogorum concinnatoribus,* S. Aprum *ſub Adriano imperatore vixiſſe. Vide dicta in Commentario prævio, num.* 14 & E *ſequenti.*

l *Scriptor Miraculorum ſive is idem ſit cum biographo, ſive alius, infra cap.* 1, *num.* XI *aſſerit, catenam, quâ tres illi vincti fuere, in abbatia* S. Apri *ſuo etiam tempore aſſervatam, & ad expellendos ex obſeſſis corporibus dæmones feliciter adhiberi ſoluiſſe.* Eſt ſanè apud nos, *inquit,* catena, quâ tres reos exemit meritis potentibus, quæ quotiens imponitur talibus furioſis, idem peſtifer effugatur inimicus *&c. An ea hodiedum ibi oſtendatur, inexploratum mihi eſt.*

m *Quæ ſubduntur uſque ad numerum ſequentem, deſunt in Ms. noſtro Tullenſi.*

n *Sequentia uſque ad proximum numerum in eodem Ms. noſtro Tullenſi deſiderantur.*

o *Ea nunc eſt abbatia* S. Apri *Ordinis S. Benedicti, cum parva eccleſia parochiali, ſitaque eſt in cognomine ſuburbio civitatis Tullenſis versùs Meridiem. De hac eccleſia & abbatia, ubi ſacrum ejus corpus adhuc ſervatur, plura diximus in Commentario, § 4.*

p In proſperis *non legitur in uno è Mss. noſtris.*

q *Annus ejus emortualis omnino ignotus eſt.* F *Ex dictis in Commentario prævio ſub ſeculi quinti finem vel initium ſexti epiſcopatum exorſus eſt; cui ſi ſeptem annis præfuerit, ut habent Tullenſes catalogi, tempus mortis utcumque & cum aliqua latitudine ſtatui poteſt. Ceterum hac die* XV *Septembris colitur, quo die obiiſſe infra dicitur.*

r *Id eſt* corpus.

s *Quæ ſequuntur uſque ad:* Diſceſſit à corpore *Calmetus prætermiſit, idque appoſitis punctis indicavit; ideoque ea ex Martenii editione & gemino Ms. noſtro ſupplevimus. Tertium Ms. noſtrum, Tullenſe ſcilicet, primam ſequentem periodum pariter habet, ac deinde ſubdit:* Sanctus autem Domini contempſit mundum, quò ſolum diligeret Chriſtum. Contra inſidias antiqui hoſtis clipeum indefeſſè tenuit providæ circumſpectionis. Migravit ad Dominum venerandus paſtor Aper XVII Kalendas Octobris. *Atque hic terminatur laudatum Ms., neque cetera miracula poſt mortem patrata recenſet.*

t *Hæc non ſic accipias, quaſi in hominis poteſtate non ſit cum Dei gratia ſalutem æternam conſequi.*

A. INCERTO.

A. ANONYMO

MIRACULA

POST MORTEM S. APRI

auctore item anonymo, fortè eodem biographo.

CAPUT I.

Claudus ab utero, mulier cæca & contracta, aliique cæci ſanati: depulſi ex energumenis dæmones.

B

Scriptoris præfatio.

QUi beatus Paſtor & Pontifex defunctus terris eo, ut ſuprà relatum eſt, ordine, & in baſilica, quam ipſe ædificare cæperat, tumulatus, cælis ſe vivere multis miraculorum prodit indiciis. Nam pia aure fideliter petentium votis annuens, in neceſſitatibus adeſſe non deſpicit: manum ſæpe porrigit, & ab infortuniis eripit. Frequentiora ſanè olim ab eo facta fuiſſe referuntur, quàm modò miracula; quia hoc noſtrorum moles meretur peccaminum, ut, quoniam fidelis refrigeſcit devotio, ſubtrahi quoque ſolita conſolatio ſentiatur. Referunt namque noſtri majores natu, plurima ſibi ejus & viſa & audita miraculorum beneficia, quæ dæmonioſorum, cæcorum, claudorum, aliorumque debilium peregit * incommoda; cùm & * iſtiuſmodi curationum indicia ſcabella ſcilicet claudorum, & alia his ſimilia ſuper fores baſilicæ diu ſervari ſolerent. Quæ tamen pia opera, haud mirum, non eſſe ſcripta, torpente incuria, cùm & de his, quæ vivens edidit, certum ſit, perpauca mandata litteris. Quocircà licèt inſulſis verbis, quiddam amodò de viſis & certiſſimè compertis adnotatum ire *a* dignum ducimus, ne fortè putentur vileſcere & oblitterari memoriâ.

* *i. e.* abegit
* *Mart.* ad

C

a

Claudus à nativitate erectus:

2 Quidam igitur claudus ab utero, cum vulgi affluente frequentia, annuæ feſtivitatis hujus noſtri Patroni gratiâ, devotus advenerat: & cùm nocturnis interfuiſſet ſupplex Officiis, arvo protenſus, ante ſanctum ſe divi Præſulis ſepulchrum, fratribus Hymnum TE DEUM LAUDAMUS modulantibus, repentè clamoris ſui vociferatione cunctos perturbare cœpit, dum ſalubriter cruciatur ſui novella erectione *b*. Nam & vertibulorum compages immenſum dedêre crepitum in reſtaurando ſuis locis; crura quoque, quæ furis adhæſerant, dum divelluntur, multum illic ſanguinis effuderunt. Quid plura? Supradicto finito modulamine, repertus eſt inſolitò rectus conſiſtere pedibus; tuncque annorum multorum homo didicit, cujus rei eatenus erat neſcius. Quocirca fratres non piguit conſummatum hymnum repetere, & Lætificatori ſuo, cujus piam adeſſe ſentiebant præſentiam, vociferanter * extollere.

b

* *al.* vociferantur

3 Quædam igitur mulier de Caſlenis *c* villa, per aliquot annos contracta, nec non & cæca, delata eſt à parentibus ad illius jam dictam baſilicam pridie ante feſtivitatem: cúmque ſupplex pernoctaret in orationibus, manè albeſcente mundi lumine, oculi quoque ejus irradiati divinitus micuerunt deinceps clarificata acie; atque hoc contenta munere, ad ſua referri petivit. Evoluto aliquanto dierum ſpatio, in viſu noctis eſt admonita, ut ad Medici fidelis recurreret ſuffragium, cujus benevolam experta fuerat potentiam. Relata igitur in Vigilia feſtivitatis Sanctorum omnium, candelam altari ſancto devotè impoſuit, pernoctavitque, ut priùs, in precibus. Conſummatis tandem vigiliis, cùm necdum ſolis jubar diem perfectè compleret, egreſſis foràs omnibus, ipſa cum patre & matre ibi remorari permiſſa eſt. Unus verò fratrum, nomine Alrauldus, non exiit, ſed in choro ſuper formam *d* reſidens, quippiam pſalmorum, non enim cunctos memoriâ perceperat, Deo ſibique decantare cœpit; & ecce ſubitò duæ columbæ advolâſſe illis viſæ ſunt, quarum una ſuper lectum *e* S. Apri, altera ſeorſum ſubſedit.

D

mulier cæca & contracta, primùm viſu,

c

d

e

E

deinde ſanis membris donata: alii cæci

4 Illico fortè pater & mater relinquentes filiam jacentem ante S. Michaëlis altare, fontem poſt criptam Sancti ſitum adierunt: ſed mox debilis divinum medicamen præſentiens, clamoreque, aeſi torqueretur, perſtrepens, erectione ſua lætifica gratias congeminans, ante ſepulchrum Reſtauratoris ſui inventa eſt à ſuis parentibus, celerrimè currentibus, aliudque timentibus. Unde confeſtim Fratrum concio hymnum Deo extulit in vocibus; atque ut ipſum comperit, eo die celebravit clerus urbis & populus, muliere adſtante ſoſpite, quæ deinceps ad finem uſque vitæ ſe ſibi redditam gaviſa eſt. Cæcus quoque quiſpiam, cogente infortunii ſui calamitate, ad hunc famoſum Medicum à partibus Moſæ *f* fecit confugium, atque fidelibus eum pulſans precibus, lumen emeruit: ſed fortè dum rediret ad propria, in ipſo itinere priſtina eum reviſit cæcitas. Scius autem homo fidere, mox recidivo tramite repedavit cum manuali munere ad notam clementiam, & ita demum obtento gaviſus eſt perpetuando lumine.

f

ad Sancti ſepulcrum

5 Harchellindis etiam dicta quædam mulier de hujus civitatis ſuburbio, incommodo cæcitatis detenta, opem * luminis ab hoc ſuppliciter expetivit; quam obtentam in redeundo perdidit. Denuò autem reverſa, recepit quidem, ſed &, ut priùs doluit, amiſsâ. Tertio verò reditu (nam importunitatem exigebat neceſſitas *g*) dixit ſe ſenſiſſe quaſi manus ipſius clementis Medici tangentis ſibi oculos: quod utrùm ſit ſolidum, an frivolum, non ad nos; tamen illi inde mutata manſit acies *h*. Puer denique quidam, parvulus de villa Pavoniaco ſuper Moſam *i*, fortuitù amiſit oculorum aciem: quo permoti dolore parentes, per diverſas eum Sanctorum circumtulêre memorias; ſed nulli illorum placuit lucis donum reddere, quia ſciebant, hujus Patris noſtri iſtud eſſe officii. Delatus igitur ad hujus patrocinium, votum obtinuit; quo, mox relatus, privatus eſt. Sed revectus iterum ad Sancti tumulum, illuminatus eſt, atque à domino ſuo inibi ad ſerviendum deinceps deputatus. Luce potitus, ſervitium delegatum annis ſequentibus non deſeruit, Curatorem ſuum omni die juxta ſuum ſcire magnificans.

* *Mart.* operam

F

g

h

i

illuminati.

6 Ancilla cujuſdam de regione, ut fertur, Moſæ, cæca per aliquot annos, cùm ad hunc Cu-

A ratorem protendens, lumen meruiſſet recipere, ſe ipſam ſervituram eidem delegavit. Sed reverſa ad priorem dominum, avaritia evincente, ad illius violenter redacta ſervitium, mox priſtinæ cæcitatis incommodum dolenter perpeſſa eſt; quod cùm dominus ille ob ſuam contigiſſe perpendit tenaciam, retranſmiſſam denuò ad potentioris Senioris *k* auxilium, ipſe quoque eam illius deputavit famulitio, ſi modò mereretur lumen amiſſum recipere. Et mox lux reverſa inluſtravit faciem, ut adverteret ſe poſſeſſor carneus nedum præferendum, ſed nec æquandum ditioni ejus, qui corruptelæ tegumento exutus eſt *l*.

k

l

Auctoris præfatio ad ſequentia miracula.

7 Multa ſunt illius ſanè iſtiuſmodi magna & frequentia, quæ ſi cuncta fuiſſent ſcripta, lectorem forſitan tæderet copiæ. Attamen reprehendenda auctorum ſegnities, qui nec ſaltem aliqua de poſt tranſitum ejus geſtis, ſcriptis tranſmiſerunt poſterorum notitiæ. Nobis autem jam pœnè in fine ſæculi conſtitutis ingratum videretur & indecens, ſi non ſaltem puſillum aliquid in laudem tam pii Proviſoris Tutoriſque noſtri agamus; in quo ſi fortè offenderimus ſtructurâ thematis, expurget nos ſimplicitas devotionis; qui, ſi poſſet fieri, non ſolùm homines, ſed & mutas pecudes, creaturaſque omnigenas præconio ejus faceremus clamoſas. Nam cùm fuerit potens in virtutibus, patratorque miraculorum præcipuus, vigore tamen perſequendi dæmones, & propellendi ab hominibus magnopere * eminuit*, tam in vita, quàm poſt obitum; quippe vitiorum omnium exoſus contagium, quibus præeſſe creduntur illi ſpiritus, & quaſi ſuavibus epulis jocundari. Et quidem ut prætermittantur diverſæ maniacorum *m* paſſiones, quibus quoque juxta ſibi placitum frequenter non dedignatur mederi, quamvis & eiſdem communis inimicus nocendi avidus ſe ſoleat divinitus permiſſus immiſcere, vix quiſquam illo impuro ſpiritu pervaſus, ejus auxilium expetiit, qui non ſe gaudeat clementer ereptum; adeò ut noſtræ memoriæ non ſuccurrat ullus talium utriuſque ſexus, qui receſſerit inauditus: quorum cùm ſit innumera multitudo, aliquos commemoratum iri juſtum videtur.

B

** Marten. magno*
** id. præeminuit*

m

8 Clericus igitur Segintenſis pagi *n* indigena, Abraham nomine, quem ruſtici Avrannum * nuncupabant, promotus ad ſacerdotium, vitam elegit apud ſe illi aptam officio; quod utinam cuncti dignè agerent! Inſtituit namque vacare orationibus, inſiſtere jejuniis, in caſtitate vivere, eleëmoſynas tribuere, baſilicam ſuam reſtruere, & commiſſos ſibi ſecundùm ſcire ſuum ad bene agendum admonere. Sed quia caruit oculo diſcretivæ prudentiæ, minúſque doctus fuit Scripturarum eloquia, meritò grave quid occulto Dei judicio perpeſſus eſt. Cùm enim die quadam ſolus eſſet in ipſa ſua eccleſia, hoſtis ei nequam viſus eſt nigri quidem latenter pectoris, ſed palàm candidæ clariſſimæque ſpeciei. Tunc illi attonito: Ego, inquit, venio tibi Gabriël archangelus à ſummi Dei directus ſolio, qui factorum tuorum hactenus apud illum fui internuntius, & ea nunc tibi juſſus intimo illius aſtare conſpectibus, ſolúmque tibi reſtare, ut Romam adeas, meritum ipſorum operum illic conſummaturus.

Presbyter à dæmone deluſus

n

** id. Aurannum*

9 Credidit ſtultus, & juſſa complere non differens, moramque omnem, acſi noxiam reformidans, præparato viatico, aſſúmptoque nepote ſuo, Adone nomine, ad Urbem profectus eſt. Quem enim hominum artificio ſuo nequeat illicere multiformis ſpiritus, innumerabiliſque malitiæ, qui etiam ſanctitatis & juſtitiæ ob hoc audet ſibi ſpeciem adſumere? Aut quando quimus ejus doloſas artes penetranter librare & diſquirere pulverulentis oculis, fæceque mundi inlitis, niſi ſit nobis Deus oculus, ars quoque unica aſſiſtens noſtro lateri, cuſtodiens pedes noſtros, ne capiamur? Viator igitur ille ſæpe dictus Romam anhelus perveniens, porticum S. Petri introiit, ibique obvium angelum ſuum jam dictum ſibi habuit ſub memorata ſpecie, videlicet luce deterrima, quem ſolus ipſe videre potuit, perſuadentem monaſterii aditum ſibi non eſſe neceſſarium, cujus peccata eſſent deleta omnia, cujuſque vota obtinuiſſent efficientiam; imò rediret quantocyùs, de Dei ſui fiſus clementia. Mox cœpit retrocedere, verens in aliquo eſſe inobediens, mirante nepote illius, cujus mentio jam ſuprà nominatim facta eſt, precarioque hortatu petente introitum; & ſi non gratiâ devotionis, quâ iter effecerat *, ſaltem præſentium videntiumque reverita, & dedecore irridentium.

A. ANONYMO

** id. fecerat*

10 Pellectus autem penitus & corde cæcato deſipiens, huc uſque, inquit, veniſſe ſufficit, cùm viderim & audierim, quod tu neſcis, mirabile. Sicque obſtinatus animus non potuit evinci. Celer itaque eundo, celerior repedando, illico ut ſuæ fines attigit parochiæ, à crudeliſſimo dæmone pervaſus eſt, omnes ad ſe accedentes arripere ac dilaniare nitens. Ut fera igitur comprehenditur, in vincula conjicitur, & licèt renitens, ac in diverſa ut ferox taurus nitens, ad hunc Patronum adducitur. Confluit plebs ſuburbana & urbica, quia fuerat hîc etiam partim notus populo. Venerandus quoque dominus Gauzlinus pontifex accurrit cum ſuo clero nobili, cunctiſque annexis pariter letaniæ congeminatione, Domini & hujus Sancti poſcitur auxilium, captivo illo in aquæ benedictæ dolio impoſito, Crucibus, Sanctorumque reliquiis multorum adhibitis. Quid multa? Non omninò fuit rauca oratio, & Domini ſurda auricula, ſed ſuffragantibus pii Apri meritis, dæmonem quidem amiſiſſe viſus eſt; nam omnem ferociam depoſuit, & ſe ſuoſque recognovit, ac præter altaris officium reliqua eccleſiaſtica peregit; ſed fatigato cerebro ad priſtinam ſanitatem non pervenit. Qui, quod prætermittendum non eſt, cùm ab aqua extraheretur, multis exorciſmis conſtrictus confeſſus eſt, ſe undecim abeuntibus, duodecimum ſupereſſe *o*. Quam rem idcirco maximè adnotandam putavimus, quatenus cuncti verentes magis occulta dæmoniorum, id eſt, vitiorum ſpicula, quàm apertè ſævientia (cùm illa ſemper inquinent, & hæc aliquando afflictos purgare ſoleant) in omni re agenda puncturam timoris non evitemus, imò indeſinenter adhibere ſtudeamus, quo pro certo juſtificari mereamur.

poſſeſſus, eodem liberatur.

E

F

o

11 Sed & de hujus territorio, Bucculiaco *p* ſcilicet villa, mulier quædam Bova notamine, tam fero pervaſa eſt dæmonio, ut non modò quietè adduci non potuerit, verùm nec artata vincimine, niſi perplexa funibus adveheretur plauſtro à mœſtis parentibus; quæ, effugato nequam ſpiritu, mentem ſuam meruit recipere, & gaudens ad propria repedare. Eſt ſanè apud nos catena, quâ tres reos exemit meritis potentibus *q* quæ quotiens imponitur talibus furioſis, idem peſtifer effugatur inimicus, verens nexum, quo divinitus facta eſt libertas reis; & ita miro modo vincula, donante Deo, abſolvunt vinctum. Nihilominus & alia quædam mulier, de villa Sarcofago *r* adducta, inſaniſſima, horrenda dicens & faciens, liberata ab hoſte, lætanter ſana

Alii utriuſque ſexus

p

q

r

& ab eo deinde

fa-

A. ANONYMO

facta est. Alius quoque quidam, cujus nomen excidit, ferocissimo dæmone invasus, huc olim adductus est horâ primâ Dominicæ diei, cui jam dicta catena impósita est; qui, mirum dictu! in pavimento ecclesiæ sese volutans, & ut fera manibus per illud reptans, clamore valido cuncta replens, luporum imitabatur ululatus, porcorum grunnitus, taurorum mugitus, serpentium sibilos & stridores soricum; hocque tormento se attrivit continuatim usque ad lectionem Euangelicam publicæ Missæ. Nam, cùm recitatur, subitò furorem clamoremque depósuit, & ad se rediit, & ubi esset, didicit, & clementiam super se factam recognovit, devotéque conlaudavit *f*, & ad sua gaudens commigravit.

f

energumeni, & unus simul phreneticus, *t*

12 Juvenculus quidam de villa, quæ Domni Germani *t* dicitur, haud procul ab urbe hac posita, rationis vigore depósito, repletus vesaniâ, jamque penè toto effœto, debilitatoque corpore, solo vociferationis clamore perstrepens, plaustello advectus est, die, qui more Ecclesiastico Parasceve dicitur, ante Paschæ videlicet solemnia. Qui cùm nec nocte nec die requiesceret, præstolabatur Domini clementiam per hujus Sancti merita: non tamen hic, ut putabatur, solo afficiebatur dæmonio, sed frenesi gravissima. Non autem cassa fiducia fuit; quâ creditus est salvari posse: quoniam post ipsam Dominicam, aut secundâ aut tertiâ Feriâ, (quânam tamen, ambigitur) sanitatis suæ gaudio cum parentibus potitus est, & pro munere gratiarum etiam unum injugem *u* juvencum tribuit, & ita pedes rediit.

B

u

ibidem liberati.

13 Evoluto autem anni tempore, &, ut putatur, biennii, post hunc & alios curatos utriusque sexus, quos singillatim commemorare longum est, quidam manifesto plenus dæmonio, de Trociaco *x* villa super Mosam adductus est, Paschalis nomine, sextâ Feriâ post glorioſæ Ascensionis Dominicæ diem, qui corpore validus, vesaniâ malè validior, truceque voce vigidus *y*, inter cætera horrenda Deum quoque se esse clamitans, vix tegi tenerique poterat, licèt catenatus; cùm & omnem accedentem mordicus dentibus dilacerare conaretur. Is observatus istic, manè sequenti Dominica perfectè sibi restitutus est; adeò ut nobis synaxim *z* horæ Primæ agentibus, multúmque lætanter stupentibus pro eo, ante altare diutinæ orationi incumberet, & surgens signo sanctæ Crucis se muniret, atque pòst cunctis astantibus eventum sui infortunii referret. Sanus * ergò rediens octavo die ab eo, quo infirmus advenerat, munus devotionis, videlicet pisces alacer usibus Fratrum detulit, & forsan adhuc usque de salute sua tripudiat. Hæc denique miracula adeò sunt numerosa & frequentia, ut memoriam effugiat personarum curatarum nominativa distinctio, nec scripturæ egeat officio; ideóque transeundum est ad alia.

x

y

z

C

** Marten.* suus

ANNOTATA.

a *Ex hisce collige, lector, Miracula hæc plus fidei mereri, quàm Vitam, uti per decursum etiam patebit. Ceterùm in Commentario jam monui hæc eadem in Mss. nostris desiderari, & ex Calmeti atque Martenii editionibus à me recudenda esse.*

b *Apud Martenium legitur:* curatione: *sed hujusmodi minutias in posterum inobservatas relinquam.*

c *Calmetus locum hunc suspicatur esse* Chaligny, *quem tabula diœcesis Tullensis quinque milliaribus Gallicis communibus Tullo dissitum, sed ad alteram Mosellæ ripam collocat.* D

d *Id est, sellam suam in choro. Vide Cangium in Glossario.*

e *Calmetus dubitat, an non* tectum *legendum sit: verùm cùm hæc intra ecclesiam gesta fuerint, &* lectus *apud scriptores mediæ latinitatis pro feretro, in quo Sanctorum corpora aut quiescebant, aut circumferri solebant, ut videri potest apud laudatum Cangium, nihil hic mutandum censeo. Imò* lectulus *pro ipso Sancti sepulcro infrà num.* 20 *usurpatur.*

f *Mosam fluvium vulgò notum indicat, qui inter ceteras regiones Lotharingiam interfluit, pauciſque milliaribus Gallicis à civitate Tullensi in Occidentali parte labitur.*

g Necessitas *desideratur in editione Martenii.*

h *Admodùm mendosa hic est Martenii lectio, quæ sic habet:* Quod utrùm sit solidum, an frivolum, non ad annos, nos tamen illi inde mutata mansit acies. *Porrò ex hac scriptoris annotatione colligere licet, eum non nimis credulum fuisse facilemve in admittendis miraculis; atque hinc ipsius auctoritas confirmatur.* E

i Forsitan Pargny, aut Pagny sur-Meuse, *inquit Calmetus.* Pagny *verò Tabula diœcesis Tullensis apud ipsum non procul à Mosa in dextera ripa, ac tribus circiter milliaribus communibus Gallicis Tullo dissitum exhibet.*

k Senioris, *id est,* Domini; *atque ita recepta apud medii ævi homines honorifica nuncupatione Sanctum designat.*

l *Id est Sancto, qui carnem exuerat, sive mortem obierat.*

m *A Græca voce* μανία *furor,* maniaci *furiosi.*

n Segintensis pagus *vulgo* le Santois, *Tullensi pago adjacet.*

o *Martenius habet:* Confessus est, se ab duodecim duodecimum superesse. *Aliquot alias Martenii lectiones variantes, vel menda tacitus præterii.*

p *Apud Martenium est,* Buculiaco *per simplex* c. *Calmetus suspicatur vicum* Biqueley, *quem in Tullensi agro seu pago tabulæ geographicæ exhibent, hic designari; sed cùm videri possit scriptor de territorio illius presbyteri, de quo mox egit, hic loqui, sive de pago Segintensi, ea conjectura, quæ per se incerta est, etiam magis dubia redditur.* F

q *De hoc miraculo consule Vitam, num.* 6 *&* 7. *Adverte etiam hoc loco scriptorem sese in* S. Apri *monasterio monachum indicare.*

r *Vicus est* Cercueil *indigenis dictus, duobus milliaribus Nanceio Amantiam seu Almentiam, vulgò* Amance *versus, teste Calmeto in annotatis marginalibus.*

s *Reliqua hujus periodi usque ad initium numeri sequentis desiderantur apud Martenium.*

t Dom-Germain, prope Tullum, *inquit Calmetus, qui locus Gallicè sic notatur tam in Tabula diœcesis Tullensis, quam ipse Historiæ suæ præfixit, quàm in edita à Guilielmo de L'Isle.*

u *Martenius habet* in juge, *quasi in perpetuum. At melior est Calmeti lectio:* injugis *enim* juvencus *est, qui jugum numquam tulit.*

x *Apud Martenium legitur:* Frociaco: *at Calmeti lectio præferenda videtur, cui rectè respondet hodiernum Gallicum nomen vici* Trousseysur-Meuse.

y *Ad marginem notat Calmetus:* Fortè ve-

ge-

getus aut rigidus. *Martenius verò in textu habet:* rigidus; *ad marginem autem:* Fortè turgidus.

z Synaxis *est communis oratio, seu psalmodia. Ex dictis autem & subsequentibus videtur scriptor ipse tum affuisse.*

CAPUT II.

Ager per miraculum monasterio Sancti vindicatus: lapsus e templi fastigio incolumis servatus: Ludelmi episcopi mors: corpus Tulli depositum, & in ecclesiam suam clàm relatum atque absconditum.

Ager monachis ereptus, a

CUm verò, ut dictum est, hic noster Pater *a* & Senior paratus in necessitatibus succurrere, periculisque poscenti, non semper inultum abire patitur (quamquam rarò id faciat) si quis perperam subtraxerit, quod deputatum est à piis Christi cultoribus famulorum suorum ulibus. Est namque non procul à situ monasterii campus non vilis pretii & utilitatis, qui unius episcoporum urbis hujus adeò gratanter insedit oculis, ut vilipendens ad frugem tantùm utentes, non possidentes, imbecilles monachos, victus concupiscentiâ eum sibi acciperet. Quem bene jussit excoli, & sationem fieri: quidquid enim pravum molitur obfirmata cupiditas, ratum putat plenumque justitiæ, cùm sit cassum & Domini rubricâ exorbitans, & planta omnis malitiæ sit nequam concupiscentia. Igitur consummata satio plùs solito *b* ibi prodiit, privatis quidem ferens mœstitiam, privanti autem lætitiam, dum & lingua adulantium, ut assolet, beatam illam quàm justam, quemadmodùm videri putabatur, ipsius agelli pervasionem astrueret; sed æquitate superni moderaminis ferò votum spes lusit avarum.

b

mirabili modo iisdem redditur.

15 Nam, ut dictum est, semen gratam herbam protulit, herba spicam formosam densamque edidit, spica autem floscida gaudium agricolæ & domino cumulavit. Tempore sanè suo pallente stipulâ, ille dominus jam dictus pontifex messores adesse jussit segeti, aggressique eam secare, ut jusserat, messem fruge vitali invenerunt vacuam, nec granum aliquod in ulla saltim spica, quarum adstabat multa, sed inanis formositas; quatenus evidenter disceret terrena cupiditas, omninò esse vacuum, quidquid caret fructu justitiæ. Pervenit hujus rei notitia certo internuntio ad aures ejusdem præsulis, & licèt nolentis, intima cordis penetravit, ac sese hujuscemodi rem respicere persensit; continuò *, quod absque libramine diffinierat, corrigere instituit, jubens, ut Dei pauperes sua reciperent; nec dubium, quin ita fecerint.

** Marten.* continuóque

Ex templi fastigio lapsus incolumis surgit. c

16 Tempore, quo civitas hæc per incuriam, peccatis exigentibus, penè tota succensa fuit *c*, ita ut vix quicquam ex ea potuisset eripi, in varia supellectile, etiam ecclesiastica, flante vento valido, flammarum globi extrinsecùs huc illucque ferebantur, & quantò altiora circumsita erant ædificia, tantò magis imminenti patebant periculo. Unde quia culmen hujus basilicæ per multa loca temptabat incendium, machinis diversis applicitis, certatim ad eripiendum plurimi, imò quotquot valebant, subire festinabant. Alii quidem ferebant aquam in hydriis, alii autem supra tectum sedentes, excipiebant & objiciebant flammis malè urentibus. Cùmque hæc instanter fierent, unus in suprema ecclesiæ canali sedentium, dum à porrigente excipit hydriam, seipsum præ festinatione oblitus, demoto pede, ubi innitebatur, à summo tecto devolutus ad inferius, atque ab hoc ad tertium, demumque ad terram, intra claustra corruit incolumis; cùm potuisset non solùm exhalâsse spiritum, sed etiam ossa contrivisse omnia. Qui illico celer iterum tecti alta subiit. Sed quis hunc dubitet B. Apri custodisse meritum? Quia enim pro eo seipsum oblitus fuerat, jure illi, quem habebat memoria *d*, non defuit & corpore.

A. ANONYMUS.

d

Mola in Sancti festivitate sponte sistitur.

17 Cùm domnus Gauzlinus pontifex moribus egregius, ad vires suas desiderans *e*, ut grex sibi commissus mandatis divinis obtemperaret, & utilitatibus animæ occuparetur, inter cætera religionis officia etiam hoc constituisset, ut hujus Sancti celebraretur festivitas ab omni diœcesis suæ populo; quidam gratanter observandam susceperunt, quidam autem negligentes, quorum dolenda ubique potest reperiri multitudo, minùs devoto corde amplexi sunt. Unde & in villa, quæ dicitur Lineium *f* super fluvium Ornam, cum molio farinarium *g* suum tempestivè negligeret ab opere compescere, nutu Dei, nullo intercurrente terreno obstaculo, ab hora nona diei præcedentis usque ad alteram nonam subsequentis, videlicet ipsius festivitatis *h*, ab opere otiosum & vacuum præter molionis voluntatem sponte sua permansit. In quo facto haud dubiè ostensum est, quàm non sit vilipendenda pastorum nostrorum secundùm Deum incedens constitutio; imò quàm per omnia sit observanda qualiscumque Ecclesiastica traditio; quin potiùs quàm reverendum sit hujus Sancti meritum, qui fuerit tum bonus pastor ecclesiæ, tum multarum virtutum custos & opifex, sui non negligens, sollicitus pro populo, ut abundaret verbi pabulo, ne hac deficeret in heremo, pro quo nunc sollicitior orationum ei præstò est apud Dominum suffragio.

e

f

g

h

Ludelmum episcopum, in monasteria minùs æquum,

18 Quiddam itidem aliud narratu dignum videtur, sed forsitan cuiquam frivolum, commentitium & incredibile, aut certè displicens putabitur; verùm cujusmodi fuerit, finis ostendit. Quibus tamen scitum est, quàm innumeras per somnia admonitiones divinitus factas mortalibus in sacris codicibus teneamus, non mox reprehensum & contemptum ire properabunt; sed credente beato Job, qui si consolationem appeteret, in lectulo terrificandum se à Deo per somnia & visiones protestatur; cùm meminerint quoque B. Jeronymum multa vibice liventes scapulas retulisse à sopore *i*. Post multos igitur hujus sanctæ sedis pastores & præsules ab incolatu mundano subtractos, & ad diversum alterius vitæ receptaculum transpositos, Ludelmus quidam sæculari nobilitate præclarus, eidem, insignitus pontificali amiculo *, subrogatus est. Qui temporali quidem dominatione ac potestate subnixus, atque, ut fertur, in multis utilis; sed quantùm ad humanos oculos minùs, ut homo, spiritualibus devotè intentus, congregationibus monasteriorum, monachorum scilicet ac canonicorum, non ut pius consul patronusque aderat, sed ut rigidus guber-

i

** Marten.* amminiculo

A. ANONYMO.

nator præerat, liberè eorum bona, à bonis pro redemptione peccaminum concessa, tamquam sua sibi accipiens, & pro libitu dispertiens.

divinitus punitum, ex quadam visione, *k*

19 Hic itaque decem annis regimine potitus, undecimo gravi brachiorum dolore percussus est. Erat sanè tunc temporis sacerdos quidam ecclesiæ B. Maximini *k* in ipso suburbio sitæ; vir ævi maturus, moribusque gravis, Girveus nomine, cui talis de eo apparuit visio. Putabat se stare ante altare S. Michaëlis in basilica hujus nostri Domitii, cujus patrocinio fruimur, & subitò respicientem, videre jam dictum præsulem monasterii septa ingredi, ac manu duos sonipedes regere, atque in aditum beati sepulchri introductos concludere, & victum apponere. Cujus rei novitate attonitus; Heu, quidnam, inquit, mi domine, tantum tibi facinus patrare placuit, inauditum omnibus, & infamem sæclis fabulam? Sile, respondit ille frendens, ô ignave & garrule; immò perge quantocyùs, & è prato monachorum equis his deferto pabulum. Meus hic locus est, mei equi sunt, & ad meum arbitrium istic eos pascam & nutriam. Quæ priusquam verba peroraret, videbatur vir vultu splendidus,

B

statu reverendus, à sepulchro progredi clericalis habitûs, ac virgam manu gestans, pedetemptim eumdem præsulem impetere, jam tamen hoc aspectu trementem & paulatim loco cedentem.

cuidam presbytero oblata, ** id.* Leudelme

20 Ergò ante altare sanctorum Thebæorum martyrum ad ipsum memoratus vir perveniens; O, inquit, frater Laudelme * episcope, quæ mea contra te culpa exstitit? Cur me totiens & multipliciter vilipendens & inquietans, etiam in lectulo meo tam dedecorosè inquietas; cùm mihi hic locus à Deo datus, tibi verò sit tantummodò commissus? Cúmque talibus invectionis verbis, dulcissimi pectoris fonte prolatis, nil humilitatis ac satisfactionis, ** ibid.* ille illo * redarguente, conscientiâ stupidus referret, verbis adjunxit verbera, dum ter virgâ, quam gerebat, in capite eum cædere visus est. Non autem incredibile est, eos cædi virgâ supremæ sententiæ, qui procul à virga disciplinæ, quâ castigatur filia Sion, non discedente zelo Dei, ab ea effrenes & liberi compediti, avia sectantes, à recto exorbitant. Jam dictus denique sacerdos hoc visu exterritus, & exsomnis effectus, anceps est redditus,

C

utrùm id celaret, an necessariò proderet, sicque diebus quindecim continuit apud se.

auctor suspicatur. ** fortè*, pavefactus

21 Tandem his emensis evicit formidinem fidelitatis devotio, & domino suo pontifici, mediante Bernefrido primicerio, cuncta per ordinem patefecit. Quibus compertis, patefactus *, Quod tu, inquit, frater, grato sopore quiescens vidisse videris, ego proh dolor! vigil persentio; percusso scilicet à Deo mortem procul dubio imminere. De correctione sanè ac restitutione ablatorum bonorum ecclesiarum cùm à duobus jam dictis consacerdotibus humili fidelitate, ut justum erat, admoneretur, recepit quidem auribus, & cordi sibi esse respondit; sed ægritudinis molestiæ intentus atque alia curans, usque post obitum serum distulit effectum. Post hæc enim paucis exactis diebus suprà memorato dolore brachii ingravescente ac vitalia penetrante, præsentem vitam aliâ mutavit, seque in civitate sepeliri mandavit; multis mirantibus, cùm nullus hoc antè fecerit, qui jam pridem sepulturam apud monasterium B. Apri in suburbio delegerat *l*. Hæc verò idcircò adnotanda putavimus, quia licèt occulta, potest tamen aliquantula pars

l

conjici ultionis in adversarios famuloruum suorum, quæ non ipsis desideranda, sed malefactoribus est potiùs formidanda *m*.

D

m *Ex Hungarorum metu*

22 Cùm ex incomprehensibili secreto æterni consilii occultum judicium Dei virgam gentilium peccatorum super sortem Ecclesiæ, culpis filiorum ejus exigentibus, ponere decrevisset, sæva Danorum pestis Hungarorum rabiei juncta, carceribus suæ nativæ habitationis remotis, ut fluvius subita tempestate excrescens, extra metas suorum terminorum in perniciem multarum cis citráque propè & procul se positarum gentium redundavit. Quibus nemine resistente, (neque enim quisquam valebat, furore Domini dignè omnibus imminente) Missiâ eversâ, Marabensiumque *, licèt gentilium, convulsis tabernaculis, suam olim Pannoniam irruperunt. Tunc Noricâ succensâ, Rhetiam subruêre, perque Histriæ fines debacchantes, Nerviorum perditis rebus, post cædem Germaniæ, Galliam Belgicam incenderunt. Verùm quod communi scelere meruerant populi, ut justo Dei judicio puniretur, totius Neustriæ & Austrasiæ devastatis agris, subversis castris, post humanam stragem flammâ consumptis ecclesiis, Comatam Galliam subruerunt. Tempora hujus infœlicitatis * Carolus junior, à suis cognominatus simplex *n*, cum regno Francorum pertransibat.

* Maravorum

E

* *Martem infidelitatis*

n *corpus in urbem transfertur,*

23 Talis igitur ac tantæ pestis turbine, quæ quis suorum poterat, ne involverentur, intra mœnia antiquarum urbium, videlicet monasteriorum ornamenta, sanctorum quoque corporum pignora certatim recondebant; & nimirum quis se maximè fœlicem aiebat, non dicimus, sua, sed si se gladio & captivitati proripiens, non modò urbis, verùm præruptorum scopulorum juga, ubi fortasse erant, atque densissimi luci præsidia, ac ignotæ lumini vallis latibula meruisset. Unde incolæ hujus cœnobii nutu *o* magni consilii Angeli, tanti periculi fugâ, rebus, quas poterant curatis atque reconditis, quæ fortassis remanserant, profligatis, [ut *p*] si locum pessumdarent, Patronum vitæ præsentis spemque secuturæ sibi postliminium non deesse gratularentur, mœnia urbis cum ejusdem sanctissimo corpore tandem moribundi succedunt, & ut majorum relatu ad nos usque delatum est, non sine beati Viri quadam injuria. Nam tanto, aiebant, in illius parvi itineris spatio loculus aggravatus est pondere,

o

p

F

ut, quotquot erant latores, vix sufferre valerent; ut daret intelligi, se illò nolle introire. Tamen ut votis sibi famulantium devotissimè se non negaret, (nam semper benignè præstò est sibi servientibus) quasi cum nolle suo * permisit inferri.

** id. addit,* se

& in ecclesia S. Joannis Baptistæ deponitur;

q

24 Illatum itaque corpus sanctissimum, & cum debita reverentia in basilica B. Joannis Baptistæ *q*, depositum, ibique à suis solemni frequentabatur officio, quoad pace, Domino jubente, reddita, ad proprium & dilectum, quo se olim poni jusserat, & unde in nive candidioris columbæ specie cælos petierat, veheretur tumulum. Hujus sedis cathedram, nolentibus regni primatibus, domnus Drogo *r*, nobilissimis ortus natalibus,

r

tum vi, tum ingenio, tum consensu civium occupaverat; sed jam tunc communi omnium voto nobiliter gerebat. Ut enim superbiâ sanguinis, ita subtilitate singularis ingenii, illinc rebus publicis, hinc spiritualibus negotiis insudabat. Quare omnibus ita habilem se præbuerat, ut cunctorum amorem venerationemque difficilè solubilem sibi asciscerat. Sed his ejus bonis invidia diaboli,

quæ

A quæ jugiter ſedet inſidiis in occultis, ut trucidet rectos corde, æmulatrix acceſſit. Siquidem fluctibus hujus turbinis ſedatis, Chriſto propitio, diu optata pace prædictus domnus præſul potitus, ut proſperis votis animus arriſit, aſtutiâ verſuti hoſtis hac in re deceptus, pedem penè in lubrico poſuiſſet, ni ſanctiſſimi Apri meritum, ne illi voluntas opere nefario prolata in culpæ crimen cederet, & futuram ſuorum fidelium ex corporis ſui abſentia triſtitiam prohibuiſſet.

quod, cùm epiſcopus, malo ujus conſilio, retinere,

25 Fratribus itaque poſt lacrymoſa tot ſuſpiria ad ſuum monaſterium maturantibus reditum, & qualiter ſuum curantibus referrent Patronum; quidam erat degener, nomine Bulſo, cui præfatus præſul ſuum, quidquid illud eſſet, committebat ſecretum. Hic igitur, ut tales adeſſe ſolent, ſi invenerint, cui adulentur, domno pontifici, Res, inquiens, publica artatur, nihilque eſt reſidui ſumptuum; nec tales in paſtores atque
f ſimulatores monachos, aiebat, decet apparatus *f*. Redigatur ergò in unum publicum ſacellum, una ſit apotheca, unum horreum; & ne Sancto ſub penuria ſervire ſe, hi querantur ſeductores, corpus retineatur ſacrum, atque in urbe regia
B debitâ populorum frequentiâ veneretur, quod in exiguo locello ab his negligitur nugacibus. Collocetur dignè in matre hujus ſedis eccleſiarum
t *t*, ut urbi ſit ad munimentum, vobis in præſenti, inque futuro ad adjutorium; ſimul & conſideret nobilitas veſtra, quòd nulla veſtri ab his curetur neceſſitas: non enim vobis ſerviunt in expeditione regii famulatûs; non eorum ullo auxilio veſtra munitur aut tuetur civitas, nulla nobis in commune conutilitas. Sitis, oportet, ſi alii nolint,
u vobis utiles *u*, neque à noſtro conſultu aurem avertatis. Nil obſtat, quin hoc expleri poſſit abſque culpa: non diripietis aliena, ſed licitè recipietis veſtra: hoc & ratio vera & præſens expoſcit neceſſitas. Militiâ eget patria; vos ipſi indigetis pecuniâ; ſatiuſque eſt, ut cum participibus veſtrorum laborum partiamini, quàm ut,
x quanti hi utantur, qui ſunt indigni *x*.

aliaque iniquè moliretur, conſiliario illo divinitus punito,

26 Talibus his ſimilibuſque verbis domni animus diffluxerat pontificis, atque à via cenſuræ paſtoralis in laqueum divertebat devius pervaſoris. Interea diſponitur fraus, animarum pernicies, & illicita, quo poſſint pacto licere, illicitè ordinantur; ac ne quâ detegerentur re,
C aut cœpti negotii fraudarentur mercede, jurisjurandi operiuntur ratione. Verùm quoniam non aſtutia eſt contra Deum, nec ſapientia neque prudentia, conſilium hoc, ut quondam illius Achithophel, eſt infatuatum; & quia in omnia videntem fuerat Deum, omnipotenti manu redactum eſt ad nihilum. Ne autem homines lateret, quo inſtigante prodierit, hac animadverſionis ultione punita eſt iniquitas, quæ mentita eſt ſibi, ut non longè poſt idem Bulſo mente exiens, in carnes filiorum ſuorum dentibus ſæviendo, contra Dominum ſe voluiſſe agere, innotuerit. Sed quicumqne erit lector vel auditor, accipiat, nos nihil mendosè finxiſſe; verùm certiſſimo relatu comperta ſcripſiſſe; neque quiſquam nos hæc
id.* iraſcatur ſcribere iraſcetur *, licèt nos neminem tam credamus malignum, [niſi *y*] ſi quis fortè talis parti
y ceps voluntatis, divinum mox experturus parvipenderit judicium. Nam non generatio, à qua Dominus ſanguinem juſtorum ab Abel uſque ad Zachariæ requirendum dicit, ipſum ſanguinem fudit; ſed voluntati malorum ſuorum vota copulando, quod menſuræ perverſorum operum prioribus ſuis deerat, volens impleri, ejuſdem reatu ligatur criminis *z*.

A. ANONYMO. *z*

27 Sed enim diu clàm quæſitum conſilium B. Apri meritum noluit manere occultum. Duo namque hujus erant loci cœnobitæ, illius pro ſtatu temporis æſtimationis bonæ, quorum Gerardus * unus, Guinerannus dicebatur alter, qui inter cæteros præ cæteris loci augmentum ambiebant & pacem; quibus Aper beatiſſimus, ut domeſticis & fidelibus, detegens conſilium, imminens patefecit periculum, utque ocyùs declinarent, præbuit conſultum. Hi itaque Fratres prænotati rei novitate permoti, ſanctiſſimi Patroni ſui auxilio ſiſi (ſibi enim innitentes nuſquam derelinquit) in negotio tali ad evadendum laqueum triſtitiæ omnes replicârunt, quaſcumque ſalubres cogitationes *aa*. Tandem pauciſſimis *aa*
à Deo *bb* accitis, quibus ſe meritò crederent, *bb*
delationem caventes, ſacramento præmiſſo, ſi ſuum ad perfectum Dei manus per merita B. Apri duceret votum, nemini ſe manifeſtaturos ſecretum, depoſuerunt. Dein communi decreto ſtatuerunt, quid voluntati atque neceſſitati paratæ *cc* opus eſſet. Nemine ergò præterquam quot *cc*
erant, ſui conſcio operis, clàm terrâ apertâ, E
ſpecum, cui tantum mandarent theſaurum, aperuerunt *dd*, nec quærentibus inventu promptum, *dd*
nec opere contemptibilem; tametſi non admodùm ambitioſum. Paratis tandem omnibus, laudabile ſæcliſque venerabile furtum aggrediuntur.

** à duobus fratribus per S. Aprum monitis*

**id.* Giraldus

clàm ſubductum, & in ſua eccleſia abditum diu latuit.

28 Domno interea præſule, cæteriſque aliis ſecurantibus *ee*, neque tale quid cogitantibus, prænominati fratres, ne modicum quidem quieti indulgentes, noctu Beati glebam ſubductam adjutorio duorum clericorum, Allonis videlicet *ee*
ac Barnefridi tunc primicerii, per portam eccleſiæ, beati ſcilicet Baptiſtæ Joannis poſtpoſitam, quæ tunc Ferrea vocabatur, ejicientes, ſine ullius labore oneris, præparato ſpecui intulêre, inque *ff* ipſius noctis curſu ita abdiderunt, ut hujus noſtræ ætatis non modò juvenibus, verùm *ff*
& illorum coævis omnino ignotus fieret locus, atque erroris augmento, ſi qui ab eis quæſierint, licèt intra eccleſiam, extra criptam poſitum acciperent. Taliter ergò per LX fermè annos *gg* ab *gg*
oculis hominum remotus in ſacrario divinitatis ſe viventem expetentibus, quacumque adverſitate laborantibus, apud omnipotentis Dei clementiam præſtabili ſuccurrit manu, quorum nullus noſtræ F
occurrat memoriæ, qui eum expetierit triſtis, & non redierit lætus. Neque enim illa ejus corporis abductio illius tunc ævi hominibus, ſed nobis aliiſque pòſt futuris profuit, atque ne tanto privaretur Patrono, immò omni regioni. Nam ferè omnibus notum eſt, qualiter deſtituti ſumus corpore Eliphii *hh*, martyris pretioſi, pignoribuſque *hh*
Sanctorum aliis; quod B. Aper providens (nam illi, quem nil latet, ſemper adſiſtit) gregem ſuum ut jugiter tueatur, juvet ac regat, hac occaſione præſentiâ ſui corporis deſtituere noluit; ſed cum voluntate Dei quam elegit requiem, habitare vult in ſæculum ſæculi *ii*. *ii*

ANNOTATA.

a *Apud Martenium conjuncta utraque voce, pateret legitur: utrobique periodus nonnihil vitioſa eſt.*

b Plùs ſolito *non eſt in editione Marteniana.*

c *Incendium hoc haud dubiè iſtud eſt, de quo in Hiſtoria epiſcoporum Tullenſium apud Calmetum*

A. ANONYMO.

tum pag. CLXIII *sic legitur:* Subsecutus est Godo episcopus, vir venerandus, cujus temporibus, populorum urgente scelere, urbs Leucha est igne concremata. Sedit præsul, & emunitatem suæ civitatis, & recuperationem cartharum, quas ignis consumpserat, suæ ecclesiæ apud Pippinum acquisivit regem. *Hinc discimus, prædictum incendium circa medium seculi octavi contigisse; Pippinum enim, cujus hic mentio fit, cognomento* Brevem *esse, tum regis titulus, tum Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Ms., pag.* 106 *his verbis indicat:* Regebat tunc (*dum Madelveus Virdunensium episcopus ordinaretur*) Romanam ecclesiam Stephanus secundus; Francis verò principabatur Pippinus, Caroli Tuditis filius, ex Majore domûs & præfecto palatii rex constitutus... Tullensibus quoque præerat Godo venerandus episcopus, qui immunitatem civitatis, & recuperationem chartarum igne consumptarum, apud præfatum regem Pippinum suæ adquisivit ecclesiæ.

d *Martenius habet*, in memoria. *Obscuræ periodi sensus est*, S. Aprum *meritò succurrisse periclitanti, qui, ut ipsius ecclesiam servaret, suæ ipsius vitæ immemor laborabat.*

B

e *Vitiosa admodùm hic est Martenii editio, quæ sic habet:* Cùm domnus Gauzlinus pontifex, moribundus egregius vires suas desiderans *&c. Porrò de hoc sancto episcopo Tullensi, qui seculo decimo floruit, in Opere nostro actum est ad diem* 7 *hujus mensis Septembris.*

f *Aliàs etiam* Ligniacum, *incolis* Ligny *appellatur, estque oppidum in ducatu Barensi ad fluvium* Orneam, *seu* Ornam, *ut hic dicitur, Gallicè verò* L'Ornain, *vel* l'Orney.

g *Id est*, molam farinariam *seu* frumentariam. Molio *verò is est, qui molæ præest.*

h *Hinc collige veterem festorum celebrationem inchoandi terminandique morem.*

i *De S. Hieronymo Ecclesiæ doctore agetur in Opere nostro die* 30 *hujus mensis, ubi de celebri illo facto disputandum erit.*

k *Hæc est ecclesia parochialis suburbii seu vici* S. Apri, *inquit Calmetus. De eadem agit charta Frotharii episcopi, eam monasterio* S. Apri *confirmantis & terminos præscribentis; quam chartam habes apud laudatum Calmetum tom.* 2 *inter instrumenta col.* CXXVI *& sequenti.*

C

l *Soluerant nempe episcopi Tullenses* S. Apro *anteriores in S. Mansueti ecclesia, quæ in suburbio Septentrionali sita est, sepeliri; posteriores passim omnes in* S. Apri. *Quid porrò de hac Ludelmi historia statuendum sit, non libet pronuntiare. Certè in Catalogo episcoporum apud eumdem Calmetum col.* CLXXI, *& in Cedulis col.* CCXVIII, (*ubi Lugdelinus dicitur*) *insigni elogio exornatur, præcipuè ob sagacitatem & curam, quâ urbem ac ecclesiam cathedralem ingenti incendio vastatam restauravit. Utrobique etiam ex brachii malo obiisse dicitur, & in ecclesia cathedrali intra urbem sepultus, sed de relata visione, aut morte in pœnam inflicta nihil additur.*

m *Sequitur in editione cùm Calmeti, tum Martenii:* De quodam miraculo à Petro sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono composito; *quod cùm tom.* 1 *Septembris pag.* 653 *& seqq. inter S. Mansueti, ad quem æquè pertinet, miracula datum jam sit, & anonymi nostri Opusculo contra ordinem temporis à quopiam insertum fuerit, hìc prætermittendum monui in Commentario prævio, letoremque ad citatum tomi* 1 *locum remittendum.*

D

n *Postremam hanc, de qua auctor loquitur, Hungarorum in Lotharingiam irruptionem, sacrique corporis, quam subdit, in urbem translationem ad annum circiter* 918 *referenda esse observavimus in Commentario prævio, num.* 7 *&* 8, *& infrà ad num.* 28 *denuò observabimus. Porrò auctor res Hungarorum altiùs hic repetiit, præmisitque varias eorumdem expeditiones, quas hic examinandi locus non est. Consuli potest Commentarius prævius ad Acta S. Stephani Hungarorum regis, tom.* 1 *Septembris, die* 2, § 5, *ubi de hoc argumento actum est.*

o *Martenius legit*, metu; *sed perperam, ut liquet.*

p *Voculam* ut *uncis inclusam, quæ in utraque editione desideratur, explendæ periodi gratiâ addidi.*

q *Est ea ecclesia S. Joannis Baptistæ sita in monasterio ecclesiæ cathedralis, quæ ultima S. Stephano dicata est.*

r *Fuit is proximus decessor S. Gauzlini, qui ipsi anno* 922 *suffectus est, ut in ejusdem S. Gauzlini gestis ad diem* 7 *Septembris,* § 3 *ostensum est.*

E

s *Editio Martenii, in qua consiliarius ille* Bulso *dicitur, hìc valdè mutila est, ac præterea nonnihil diversa, in hunc modum:* Hic igitur, ut tales adesse solent, si invenerint. Tui domno pontifici res, inquiens, publicatur, artatur, nihilque est residuum sumtuum, nec tales in pastores atque simulatores, (monachos autem aiebat) decet apparatus. *Ceterùm utrobique pro* in pastores *legendum videtur*, impostores.

t *Id est, in ecclesia cathedrali Tullensi.*

u *Apud Martenium vitiosè legitur:* Sit is, oportet, si alii nolunt, nobis utilis.

x *Mendosa est hæc periodus hìc æquè ac in Martenii editione, ubi post* partiamini *dicitur*, quanti his utantur, qui sunt indigni. *Sensus autem est*, quàm ut hi utantur *&c.*

y *Hanc voculam addidi ex editione Martenii.*

z *Consule Euangelium secundùm Matthæum, cap.* 23.

aa *Apud Martenium est*, cœptationes, *id est, rem exsequendi modos.*

bb *Editio mox laudata habet*, adeò; *fortè rectiùs.*

F

cc *Ibidem*, parare.

dd *Nempe in ecclesia* S. Apri, *prout ex sequentibus patebit.*

ee *Id est*, securis.

ff *Mendosè Martenii editio habet*, in quibus; *& infra pro* abdiderunt, addiderunt.

gg *Inventum, elevatumque* S. Apri *corpus capite sequenti, num.* 33 *dicitur anno Christi* 978, *à quo si annos* 60 *subduxeris, ad annum* 918 *pervenies, circa quem proinde contigisse debuerunt, quæ modò retulimus.*

hh *De* S. Eliphio *vel* Elifio *martyre agendum erit ad diem* 16 *Octobris. Quod autem ad propositum spectat, de eo Vindricus seu Widricus S. Apri abbas in Vita S. Gerardi Tullensis episcopi, tom.* 3 *Aprilis, die* 23, *cap.* 2 *sic scribit:* Reliquias etiam venerandi martyris Elifii religiosa devotione transtulit (*S. Gerardus*) quarum partem non minimam, majora scilicet ossa prænominato Brunoni archipræsuli (*Colonienſi*) contulit, quæ Coloniam summa cum devotione devexit,

A xit, ibique devota populorum coluntur veneratione. *Utrùm verò de hac donatione ſcriptor noſter hic queratur, vel an, dum ſcriberet, ſancti Martyris corpus adhuc lateret, inexploratum mihi eſt.*

ii *Ex hac relatione ſuſpicari quis poſſet, auctorem noſtrum ante repertum elevatumque* S. Apri *corpus ſcripſiſſe: verùm contrarium ſatis indicat, primò dum ait, illam corporis occultationem non illius, quo facta fuit, ſed ſui ævi hominibus profuiſſe, poſteriſque profuturam; cur autem, niſi quia prioribus ſacrum corpus latuit, poſterioribus revelatum eſt. Secundò ſexaginta ferè anni, quibus illud latuiſſe aſſerit, deducunt nos ad annum 978, quo à S. Gerardo detectum eſſe, ſequenti capite videbimus. Videtur itaque ſcriptor hic ita locutus fuiſſe, ut lectores ſuos interea de rei eventu ſuſpenſos teneret. Ceterùm hic terminatur Ms., quo Martenius pro ſua editione uſus eſt.*

CAPUT III.

B *Sancti corpus à S. Gerardo epiſcopo inventum & ſolemniter elevatum: quædam miracula in ipſa elevatione & poſt eam facta.*

S. Gerardus, indicto jejunio, Sancti corpus

PRænotatus autem præſul, domnus videlicet Gerardus *a*, intentione ſui animi maximè circa Sanctorum locos, corpora & reliquias occupaverat, ac juxta ſe poſitas non modò pia devotione colebat, ſed & undecumque valebat precibus pretioque *b*, in ſuam diœceſim transferre anhelabat, earumque memoriam ſumma cum devotione recolebat. Hoc igitur amore beati martyris Gengulphi *c* à præſule Lingonenſe impetratis reliquiis, monaſterium ſtatuit, corpuſque B. Aproniæ, hujus noſtri Protectoris ſanctiſſimi videlicet Apri ſororis, pretio huic eccleſiæ adduxit *d*. Poſt multorum verò Sanctorum dignè ſuſceptas memorias, religioſo quodam æſtu ejus animus fluctuabat, ut, qui multorum Sanctorum in pignoribus gaudium meruerat, ſui quoque & noſtri ſpecialis Patroni ubinam & qualiter beatiſſimæ exuviæ, videlicet beatiſſimi Apri, collocatæ eſſent, ſcire mereretur; hinc maximè motus, quòd nemo id ſe nôſſe fateretur. Hoc verò diutiùs tractans, cùm in dies majori ageretur deſiderio, aliquando quæſitum iri ſtatuit; ſed conſilio multorum priùs indicto jejunio, voluntatem Dei, ipſiuſque Protectoris noſtri quærere deſtinavit.

a

b

c

d

C 30 Quod univerſis devota mente exequentibus, propè erat dies ante omnia ſæcula ab omnipotente Deo præfixa, in qua populum ſuum, qui tunc fortè adeſſe poterat, dilecti ſibi corporis præſentiâ lætificare decreverat. Et quia omnis plebs eodem ardebat deſiderio, decretum eſt, ut abſque moleſtia turbarum quæreretur, ubicumque inveniri poterat, atque ne irruente populo die * quæſitores gravarentur, noctu fieri decernunt, noxque XVI Calendarum Junii deſignatur. Hæc irruens præcedentem clauſerat diem, cùm ſine pontifice fruſtra ad id operis laboraturi accinguntur. Nam licèt omnium deſiderio ſe cupientium B. Aper ſatisfacere vellet, in illius ſtatuerat præſentia, cujus mentem ab hoc majus omnium flagellare * noverat. Procul ergò malleorum ſarculorumque diffundebatur crepitus, ſudor veſtes infecerat laborantium, nec inſiſtentibus apparebat, qui quærebatur. Receſſerat ſomnus ab oculis quærentium, recedebat pariter noctis caligo & tenebrarum, cedentibuſque tenebris, ſole diffuſo, dies enituit: nam qui in metu noctis abſconditus fuerat, revelationis ſuæ diem exultationis quærebat; cùm jam dictus domnus adeſt epiſcopus, qui illam penè noctem pervigilem duxerat precibus.

quæri jubet, & ipſe adveniens,

* *i. e.* interdiu

A. ANONYMO. * *fortè*, flagrare

31 Difficultate autem inventa: Neque, ait, ſic deficiemus, quia potens eſt Dei dextera noſtro adeſſe voto; voluntatem quippe ſe timentium faciet, & deprecationem eorum exaudiet: propè eſt enim invocantibus ſe in veritate. Tunc jam feſſis laborantibus; Aliorsùm, ait, vertamus manus, Chriſto propitio, noſtrum inventuri deſiderium. Quibus ocyùs parentibus, & quæ jufſerat, intendentibus, ille inſtabat orationibus; cùm repentè magno attoniti gaudio mirantur ſarcophagum, quod ubi procuratrix antiquitas idcircò vacuum poſuerat, ut, ſi quiſquam aliquando ſancta membra furtim aut vi appeteret diripienda, tali averteretur ludibrio, ne procederet ultrà. Sed vir devotus *e*, Hoc, inquit, amoto, inferiùs noſtrum latet gaudium. Quo omnes recreati ſermone, pavimentum ſacro corpore ſuperpoſitum certatim diruptum egerentes, ſubitò offenderunt thecam habentem inæſtimabilis pretii margaritam. Quam cùm lapide, quo tegebatur, remoto detexiſſent, tamdiu & cum tanto quæſitum deſiderio reperiunt theſaurum. Tunc altiſſimo Deo laudibus fuſis, conſultu communi lapidem, quem abſtulerant, recluſerunt, tranſlatione dilata: in qua ſcilicet dilatione ad talem cuſtodiendum theſaurum vigiliæ deputatæ ſunt fratrum.

invenit; cujus elevationem paulìſper dilata,

E

e

32 Quibus ibi quieſcentibus, ſingulis noctibus ad Beati tumulum auditum eſt murmur quoddam inæſtimabilis dulcedinis vocum, quod non dubitamus ex frequentia ſanctorum fuiſſe angelorum. Supervenientibus autem Calendis Junii fama totam peragraverat regionem, ſicque de oppidis, vicis, villis & agris penè totius hujus diœceſis, populo accurrente vicinarum quoque urbium, viri religioſi & fœminæ ſanctæ, devotionis agmine facto occurrerunt. Conventu itaque non modico, omnis videlicet conditionis adunato, cum laudibus & hymnis beatiſſima membra ex defoſſo illius ſpecûs loco ſolemniter levata, debitum in locum ab ipſo domno Gerardo præſule ſumma cum reverentia tranſferuntur. Ut verò ex viſitationis ſuæ præſentia ſibi devotos lætificaret, duo huic jocundæ ſolemnitati intererant fratres, quorum unus Grimbertus, Adelbertus vocabatur alter, adverſa valetudine graviſſimè laborantes; qui meritis ſanctiſſimi Apri eodem tranſlationis momento, fugatis morbis, celerrima potiti ſunt ſanitate, adhucque factæ in ſe virtutis ſunt incolumes teſtes *f*.

noctu ibi melodia auditur: elevatur corpus: duo ſanantur:

F

f

33 Evacuato tandem locello, in quo corpus jacuerat ſanctum, pulvereque ad unguem pro poſſe collecto, pavimentum devotio fidelium fratrum quodam deterſit linteo, quod aquâ lotum quantis ſanitatem præſtiterit infirmis, quia numerum exceſſerunt, ſcribere renuimus *g*. Nullo enim quis detentus eſt incommodo, qui, hauſtâ fideliter hâc aquâ, non mox fugato, quo urgebatur, morbo meruerit medelam. Tranſlatus autem

linteum, quo ſepulcrum terſum fuerat, multis ſalutare.

g

A. ANONYMO.

tem est beatus hic Pater noster anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXVIII *h*, terris Ottone *i*, per sæcula verò Domino Salvatore nostro cum Patre & Spiritu sancto regnante.

h i

Languenti corporis vigor, amenti ratio reddita. k

34 Non multi pòst fluxerant dies, cùm juvenis quidam de villa Bladenaco *k*, qui per anni circulum amissa sanitate, effœto corpore, omnibus defecerat membris, ad hujus nostri Protectoris confugit spe recuperationis patrocinium. Veniens igitur, unius egit noctis vigilias; conticinium alterius appropinquabat, cùm ei soporato immenso fragore tota visa est concuti ecclesia. Quo expergefactus olim perditæ sanitatis se recepisse lætatus est robur, sicque sanus repetiit propria, & forsan adhuc de incolumitate sua tripudiat. Adolescens quispiam, Ornensis pagi *l* accola, Erembertus nomine, sana deposita ratione, detortus in vesaniam, noctibus, diebusque per vias & invia, ut equus infrænis sine rectore ferebatur, ibique tantùm, quò lassitudo jusserat, subsistebat. A mœstis hic parentibus diu quæsitus, vix tandem in deviis invenitur, vinculisque, ut huic nostro præsentaretur Medico, mancipatur. Quibus utcumque exemptus, fugam iniit, atque nemine comite, recto tramite Dei nutu ad Rectoris sui tumulum anhelus, nescius, quo tenderet, cum multifario erroris clamore pervenit; quem B. Aper, qui ubique omnibus præstò est, gremio suscipiens, diu sui ignarum sibi reddidit, ac parentibus subsequentibus, ejusque periculum metuentibus incolumem adsignavit.

l

B

Duo febricitantes, m

35 Bassiniacensis *m* quidam colonus ruris, famulus verò sanctissimi Apri, virtute sanitatis nudatus, per integrum annum febribus doloribusque quatiebatur. Hic ab omnibus præ morbi qualitate desperatus, audita beati Patroni sui famâ, vehicula, quibus veniens uteretur, quæsivit. Cujus votum ut Sanctus sibi devotum vidit, pedum officia diu sibi negata reddidit, & dehinc secessum * petentem, populo teste, sanum remeare concessit. Neque verò rhetorum quis, ut putamus, nostram inertiam, quâ Latinitate depravatâ seriem loquendi confidimus, pensabit; cùm circa illum, cui post Omnipotentem, quidquid sumus, debemus, devotionem viderit: nam non fiducia studiorum, verùm amor tanti Patris, ut de illo quid scriberemus, nos appulit. Unde expurget audaciam devotio, & data manu gratias

** forte, recessum*

C

Deo in operibus suis per merita beatissimi Apri quicumque agant nobiscum. Inquilinus quidam hujus urbis, nomine Hamo, fortè hujus templi subintraverat ædem, & ut paululùm requiesceret (nam febribus quatiebatur) formæ *n* innixus obdormivit. Nec multò pòst ab his, qui aderant, negligenter expergefactus, mente mutata, irrationabilia loquebatur. Sed quo alii sibi redduntur, ne hisce se captum doleret *o*, vix duarum horarum spatia transierant, cùm febribus sedatis, mentem recipiens, se aliosque recognovit, sanusque deinceps iens ivit.

n

o

& alter ex sanguinis effusione languens, sanatur:

36 Juvenis quidam, nomine Gohardus, incola hujus urbis, sanguine & diutina vexatione fatigatus, ita exhaustus erat, ut cute jam adhærente ossibus, tantùm speciem hominis sine viribus demonstraret, & præsentiam quodammodò mortis, diffisus medelæ, præstolaretur. Effœto ergò corpore ex vitio cerebri jejunos dies, noctes ducebat insomnes. Hac igitur adversa valetudine delaboranti annus defluens B. Apri festum translationis revehebat diem *p*. Tunc quam pluribus concurrentibus, hic quoque advectus, nondum prima transierat noctis vigilia, quod non solebat, obdormivit. Manè verò facto, fontem pòst cryptam *q* adiit; quo perfundens caput, quidquid amiserat virium, mox recepisse lætatus est, adhucque testis est factæ in se clementiæ.

p

D

q

energumena liberata. r

37 Mulier quædam, Philista nomine, Salinensis pagi *r* indigena, erroris spiritu infestante, deperibat. Torva ei acies cum clamore assiduo erat: nulla patiebatur vincula, quæ mox aliena virtute non disrumperet velut fila. A mœstis itaque parentibus ad multas Sanctorum memorias ducta est: sed nulli eorum miseræ subvenire placuit, cùm scirent, B. Aprum istud habere officii. Emenso igitur tempore, cùm nequam spiritus ægram continua vexatione urgeret, ad Medicum nostrum hanc in diversa nitentem advehunt pii genitores. Sole ruente, dies claudebatur, cùm captivæ illi catena imponitur, quâ Vir beatus potentibus meritis tres olim exemerat reos *s*. Vincta itaque ad hospitium ducitur, & inter eundum viribus receptis, se suosque recognovit, factoque manè cum gratiarum actione tumulum sui Curatoris repetivit, ac pòst domum incolumis rediit *t*. Sunt igitur & alia multa miracula, quæ Dominus per merita sanctissimi Apri operari dignatur; quæ si cuncta voluissemus scribere non solùm ea, quæ audivimus, sed etiam, quæ oculis nostris vidimus, magnum volumen edidissemus. Sufficiant interim hæc pauca de plurimis. Expliciunt miracula sanctissimi Apri episcopi & confessoris.

s

t

E

ANNOTATA.

a *In editione Calmeti (nam Martenius nihil amplius habet de Sancto nostro) toto capite 29 recensetur elogium S. Gauzlini, qui* S. Apro *addictissimus fuisse dicitur. Deinde sequitur caput 30, cujus initio S. Gerardi in episcopatum successio, laudesque similiter referuntur: verùm hæc utpote ab argumento nostro aliena prætermisimus, ex eoque ejusdem capitis loco narrationem exorsi sumus, ubi de Sancto nostro agitur. Porrò S. Gerardi Tullensis episcopi gesta in Opere nostro illustrata habes tom. 3 Aprilis, ad diem 23.*

b *Si hæc de strictè dicta venditione accipienda, verèque dicta sint, excusandus est sanctus Gerardus à bona fide, quâ id licitum esse existimaverit. Neque desunt hujus rei exempla, ut videri potest tom. 5 Augusti, pag. 104 in Gloria posthuma S. Bartholomæi apostoli, & alibi in Opere nostro. At necesse non est ista de venditione interpretari.*

F

c *De* S. Gengulpho, *vel* Gangulpho, *Varennensi martyre in Burgundia, actum apud nos est ad diem* XI *Maji, quo colitur, & Romano Martyrologio inscriptus est. De monasterio, puellarum scilicet, cujus mox fit mentio, consule Vitam S. Gerardi tomo suprà laudato, pag. 208, num. 12.*

d S. Aproniæ *virginis Vita data apud nos est tom. 4 Julii, die 15. De pretio pro sancta illius virginis corpore dato nihil habet S. Gerardi biographus, loco mox citato num. 13 tantùm dicens:* Corpus etiam beatæ virginis Aproniæ, sororis ipsius beatissimi Apri, à Trecorum civibus meruit suscipere, quod ad plebis tutamen infra suæ urbis mœnia studuit collocare.

e *In margine hìc notat Calmetus* * De voto; *fortè quòd in Ms. suo ita perperam legeretur.*

f *Hinc collige, scriptorem rei gestæ, si non præsentem, saltem synchronum fuisse.*

g *De translatione hac, miraculisque in ea factis, sequentia scribit mox relatus S. Gerardi biographus, anonymum nostrum haud dubiè laudans:*

Cu-

A Cujus (*S. Gerardi*) vigilem curam Deus non paſſus eſt fruſtrari, eique reperire glebam conceſſit beatiſſimi pontificis Apri; in cujus glorioſa tranſlatione miracula magnifica propalavit dignatio divina, quæ in ejuſdem beati Præſulis geſtis retinentur annotata.

h *Deductis ab hoc anno ferè ſexaginta annis, quibus ſacrum corpus latuiſſe ſuprà num.* 28 *dicitur, ejuſdem corporis occultatio ad annum circiter* 918 *referenda eſt, circa quem etiam Hungari Lotharingiam invaſerunt, ex quorum metu idem corpus in urbem delatum fuit.*

i *Fuit is Otto imperator ejus nominis II, qui imperium, quod cum patre ſuo Ottone I aliquot annis tenuerat, ab ejuſdem morte ſolus regebat.*

k Blenod, *inquit Calmetus, qui locus in pago Tullenſi, duobus vel tribus circiter milliaribus communibus Gallicis Tullo diſſitus, notatur in Tabulis geographicis.*

l *Guilielmo de L'Iſle* Odornenſis, *incolis* L'Ornois, *pagus eſt à Tullenſi per pagum Vallium, ſive* Pays des Vaux *diviſus.*

m *Gallicè* Baſſigny, *pagus eſt in limite diœceſis Tullenſis inter prædictum pagum Odornenſem & diœceſim Lingonenſem, ſaltem prout eum exhibent Tabulæ Guilielmi de L'Iſle, editæque à Calmeto.* A. ANONYMO.

n *Id eſt ſellæ in choro, ut ad cap.* 1, *lit.* d. *annotavimus*

o *Id eſt: Ne* S. Apri *patrocinium implorando, per quod alii mentem recuperant, ipſe eam perdidiſſe doleret &c.*

p *Incidebat is in Kalendas Junii, ut ex num.* 32 *habemus.*

q *De eodem fonte mentio fit ſuprà num.* 4.

r le Saunois *pagus eſt in Diœceſi Metenſi, quem* Salia *fluvius, vulgò* la Seile *interfluit.*

ſ *Conſule ſuprà num.* XI, *& in Vita num.* 6 *& 7.*

t *Quæ ſequuntur uſque ad finem, Calmetus editioni ſuæ addenda monuit, in Erratis inſtrumentorum tom.* 1 *in fine Gallicè ſic ſcribens:* Poſt iſta, Incolumis rediit, adde: In valdè antiquo Ms. abbatiæ S. Arnoldi Metenſis, notato in 8. n. 2, leguntur ſequentia: Sunt igitur &c.

B E

DE S. RITHBERTO, AUT RAIMBERTO CONFESSORE,

AC VERISIMILITER ABBATE LEUCONAËNSI IN PAGO PICARDIÆ WIMACENSI. J. S.

VERISIMILITER SEC. VII. *S. Rithberti, à Caſtellano memorati, reliquiæ*

Aſtellanus in Martyrologio univerſali hodie dat annuntiationem his verbis conceptam: In Pontivo, S. Rithberti chore-epiſcopi, qui venit ex inſulis Britannicis, ut prædicaret in Flandria, deinde in pago aliquo Normanniæ, ubi tres eccleſiæ nomine ipſius ſunt dicatæ, Capri-curtenſis, Cabulati-manſionilenſis, & Torciacenſis. *Obſcura ſanè hæc eſt notitia* S. Rithberti, C *quem in aliis Martyrologiis impreſſis non invenio. Attamen, cùm inveniam, potiorem partem reliquiarum* S. Rithberti *quieſcere in eccleſia abbatiæ Leuconaënſis, quæ nunc* S. Walarici ſupra mare *paſſim vocatur, inde fortaſſe non improbabilem de Sancto ipſo conjecturam faciemus. Henſchenius noſter ad* 1 *Aprilis dedit Acta S. Walarici primi abbatis iſtius monaſterii, & in Commentario prævio attulit hiſtoriam recognitionis reliquiarum, quæ ibidem facta eſt anno* 1651, *die* XVI *Auguſti. Apertæ tunc ſunt, ut legitur ibi num.* XI, *capſæ* SS. Walerici, Blithmundi, Sevoldi, Vulganii & Rithberti.

habentur in abbatia Leuconaënſi, ibique coliuntur.

2 *Quid porrò de reliquiis* S. Rithberti *inventum ſit, explicatur num.* 14 *his verbis:* In capſa S. Rithberti inventum eſt cranium, in plures partes diviſum; octodecim vertebræ integræ, fractæ quatuor; octodecim coſtæ, tam integræ quàm fractæ; os unum iliorum & coxendicis; pars oſſis ſacri; duo oſſa femorum, duo tibiarum cum minoribus ſuis, ſed confractis; portio quædam oſſis brachialis, aſtragali & oſſa naviculari pedum; quatuor oſſa tam pedum quàm manuum: præterea numerus magnus fragmentorum ex membris variis, combuſtione alteratorum. *Hæc ibidem de reliquiis Sancti. Inter notitias noſtras invenio Epiſtolam, anno* 1668 *ex abbatia S. Walarici ſcriptam ad Cangium, qui eam huc miſit. In illa dicitur memoria* S. Rithberti *ut confeſſoris inſerta eſſe Martyrologio S. Walarici, ſed ſolùm ex additione, quia feſtivitas illo die celebrabatur ſecundum antiquum Rituale. Addit Epiſtola, nullam haberi lectionem propriam de Sancto, nec alias de Vita ipſius notitias ſubminiſtrari poſſe, quàm jam dictas de reliquiis.*

Fuit veriſimiliter monachus & abbas, & forte

3 *Hæc monumentorum de* S. Rithberto *penuria effecit, ut multùm quæſiverim in Actis Sanctorum, qui ejuſdem ferè cum* Rithberto *ſunt nominis, an hic Sanctus non eſſet notior nomine paululùm mutato, & an corpus ipſius aliunde videretur ad abbatiam S. Walarici tranſlatum. De corpore aliunde ad abbatiam allato ne veriſimilem quidem ſuſpicionem invenire potui, ita ut nulla magis veriſimilis ſit conjectura, quàm* S. Rithbertum *fuiſſe monachum aut etiam abbatem Leuconaënſem. Certè corpus ipſius in abbatia ſervatur cum corporibus SS. Walarici, Blithmundi, Sevoldi & Vulganii, ex quibus duo primi fuerunt priores iſtius monaſterii abbates, ita ut veriſimile ſit, tres alios ſimiliter ibidem vixiſſe, monachoſque aut abbates fuiſſe, præſertim cùm colantur ut* confeſſores, *non ut pontifices aut martyres. Accedit & alia conjectura pro* S. Rithberto. *Nam inter priores abbates Leuconaënſes fuit ille, qui Vitam S. Walarici primus conſcripſit, & cujus nomen tam vicinum eſt, ut facilè idem eſſe poſſit cum nomine* S. Rithberti. *De eo in Prologo ad Vitam S. Walarici auctor paulò junior ſic loquitur:* Quam (*Vitam*) ante aliquot annos venerandus vir Ragimbertus abbas ſummo quidem ſtudio, ſed nimis

AUCTORE J. S. *scriptor primus Vitæ S. Walarici, qui alias*

mis prolixo & simplici sermone, dictaverat.

4 *Hunc porrò* Rahimbertum, *aliàs* Raimbertum, *aut* Rambertum, *fuisse S. Walarico ferè synchronum, observant Mabillonius sec. 2 Benedictino pag. 76, & Henschenius tom. 1 Aprilis pag. 14, ambo in Commentario prævio ad Vitam S. Walarici, ex quâ id manifestè ostenditur. Hinc existimant, Raimbertum fuisse tertium abbatem Leuconaensem, & successorem S. Blithmundi, de quo apud nos actum est breviter ad III Januarii. Consentiunt scriptores Historiæ Litterariæ Franciæ, qui tom. 3 pag. 600 de Raimberto agunt, ac tertium abbatem sive S. Blithmundi successorem magis asseveranter dicunt. Idem procul dubio est, qui apud Sammarthanos tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 887 inter abbates S. Walarici tertius nudo nomine exprimitur* Ragembaldus. *Hoc certò probatum video, Raimbertum fuisse abbatem sæculo VII: fuit etiam verisimiliter tertius abbas & successor Blithmundi: at id non æquè certò ostenditur. De eo auctor posterior iterum loquitur in Vita S. Walarici apud nos num. 22, dicens nolle se fabulosa scribere;* sed ipsa, *inquit*, quæ à veridicis testibus comprobata esse didicimus; & illa maximè, quæ à venerabili viro Raimberto, eruditò abbate, pio licèt studio ac religioso labore, & prolixo sermone, sed tamen satis simplici & incomposita editione, conscripta reperimus.

Raimbertus vocatur, cùm non colatur ut episcopus.

5 *Plura de Raimberto abbate non invenio. Verùm hæc sufficere videntur, ut liqueat omnibus, qui perspectum habent, quantum luxata sint plurima Sanctorum nomina in Gallia, nomen venerabilis hujusce abbatis Raimberti facilè mutari potuisse in vulgare Gallicum* Ribert, *indeque profluere potuisse Latinum* Rithbertus. *Quidquid sit, neque enim conjecturam pro re comperta tradere velim; magis existimo,* S. Rithbertum *Leuconaensem fuisse abbatem aut monachum, quam episcopum regionarium, cùm ut* confessor *solùm colatur, non verò ut* episcopus, *saltem in abbatia S. Walarici. Vel sic tamen variis in locis fidem prædicare atque idololatriam exstirpare potuit, uti plures fecerunt monachi sæculo* VII, *quo obitum* S. Rithberti *ex datis conjecturis probabiliter figimus.*

DE S. AICHARDO SEU AICHADRO

ABBATE GEMETICENSI

IN NORMANNIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Nomen Sancti in Fastis; cultus antiquus & hodiernus; translatio corporis; miracula & beneficia.

CIRCA ANNUM DCLXXXVII. *Memoria Sancti in Fastis pluribus, non tamen classicis antiquis,*

Gemeticensis in Rotomagensi tractu inclytæ abbatiæ primordia ac situs fusè descripta sunt apud nos tom. IV Augusti pag. 76 in Vita S. Filiberti ejus fundatoris & abbatis primi. De secundo ejus abbate hìc agendum venit, quem nonnulli Aichadrum *scribunt, alii* Aicadrum, *alii aliter; nos autem, nisi cùm illorum verba recitanda erunt,* Aichardum *constanter compellabimus cum Romano Martyrologio, sic ipsum hodie annunciante:* Eodem die depositio S. Aichardi abbatis. *Nescio, quo casu acciderit, ut ejus memoria desideretur apud martyrologos classicos antiquiores, quandoquidem vetusta satis & indubia exstent de cultu ipsius ac publica veneratione testimonia, quorum unum alterumve producam, postquam è Fastis recentioribus paucos exhibuero. Præcipui sunt codices Usuardi aucti; Bruxellensis sic ipsum memorat:* In territorio Rothomagensi, monasterio Ginegiensi* depositio sancti Aycadri abbatis & confessoris, qui cùm ibi nongentos haberet monachos, media eorum pars per angelum sibi noctu præsignata, una die migravit ad Dominum. Quos ipse non multo pòst secutus, quievit in pace. *Contractius Aquicinctinus codex:* Et sancti Aicadri abbatis. *In codice Molani eadem lectio est, quæ in Martyrologio Romano; si nomen excipias, quod ita exprimitur:* Aichadri. *His accedunt Florarium nostrum Ms.; Ferrarii Catalogus Sanctorum; Martyrologia Saussayi, Castellani, Parisiense ac Germanitum; Natales Sanctorum Belgii per Molanum editi; Fasti item Belgici Auberti Miræi, & omnia passim Martyrologia, Catalogi Sanctorum, Historiæ & Annales Ordinis S. Benedicti, in quibus prolixa hinc inde dantur* S. Aichardi *elogia, desumpta ex Actis infrà examinandis*

* Gemeticensi

2 *Præcipua antiqui ejus cultus ac publicæ venerationis argumenta nobis sunt, primò verba scriptoris Vitæ anonymi, in cujus ætatem indagabimus sequente §,* beatum Aichardum *Gemeticensis cœnobii* patronum *nuncupantis. Secundò verba item Dudonis decani sancti Quintini, ex quibus discimus, ecclesiam Gemeticensem jam ante annum 912 de S. Aichardi nomine appellatam fuisse. Etenim laudatus auctor in Opere de moribus & actis Normannorum, composito sub initium sæculi XI, lib. 2 scribit in hunc modum:* Anno à Domini nostri Jesu Christi Incarnatione nongentesimo duodecimo Franco Archiepiscopus (*Rotomagensis*) Catholica fide sacrosanctæ Trinitatis imbutum Rollonem (*Normannorum ducem*) baptizavit, duxque Francorum Rotbertus de fonte Salvatoris eum suscepit, nomenque suum ei imposuit. *Dein pauca interjicit auctor, ac demum enarrans, quomodo idem Normannorum dux septem diebus, quibus in albis mansit, varias ecclesiæ*

licèt cultus antiquus sit; ecclesia Gemeticensis olim ejus nomine appellata.

A *cleſias muneribus ditaverit*, dedit, *inquit*, Rotbertus (*antè Rollo*) prima die baptiſterii Deo & ſanctæ Mariæ Rothomagenſis eccleſiæ terram præmaximam.... Sexto (*die*) ſancto Petro ſanctoque Aicadro Gemeticenſis eccleſiæ. *Hæc Dudo apud Cheſnium in Hiſtoriis de antiquis Normannorum ſcriptoribus pag.* 85, *eademque ferè ad verbum Willelmus ſeculo* XII *Gemeticenſis monachus tranſtulit in ſuam Normannorum Hiſtoriam apud eumdem Cheſnium pag.* 231.

3 *Tertium magnæ erga Sanctum noſtrum veneration*is *argumentum eſt, cura ac ſolicitudo Gemeticenſium cœnobitarum ad ſervandum ſacrum ejus corpus, idemque ſubducendum gentilium Normannorum ſacrilegæ rabiei, quem in finem illud alio tranſtulerunt. De tranſlatione hac diſſeruimus tom.* 1 *Aprilis pag.* 846, *occaſione S. Hugonis Rotomagenſis archiepiſcopi; quare hic ſuperſedebimus nonnullis ad ejus epocham pertinentibus, aliiſque ibidem plenè examinatis, atque ejus ſeriem ſimpliciter dumtaxat & ſummatim exhibebimus, prout eam eruimus ex Balderico epiſcopo Tornacenſi & Noviomenſi, auctore ſeculi* XI *exeuntis, in Chronico Cameracenſi lib.* 2 *cap.* 29; *ex* B *Orderico Vitali circa idem tempus Uticenſi monacho, lib.* 6 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & ſcriptoribus aliis nominandis.*

Corpus ipſius ob imminentem monaſterii devaſtationem,

4 *Ingruentibus itaque ſeculo* IX *Normannis, & cuncta devaſtantibus, Gemeticenſes cœnobitæ cum ſacris corporibus* SS. Aichardi *& Hugonis confugerunt Haſprum ſeu Haſpram, villam medio itinere ſitam inter Cameracum & Valencenas, quæ an tum temporis pertineret ad Gemeticenſem abbatiam; an verò poſtmodum ei tantùm conceſſa fuerit cujuſdam principis liberalitate, dubitat Baldericus; tum* his, *inquit*, apud hanc villam poſthac remanentibus, monaſterio facto, monachis delegatis ad laudem eorum, pius & miſericors Deus, multa, imò & celeberrima virtutum prodigia dignatus eſt operari, in tantum ſanè, ut nemo ex vicinis potentibus, aut in expeditionem aliquando tranſeuntibus, ullam præſumptionem antehac audeat irrogare. *Ea prodigia ac beneficia cauſam exſtitiſſe credimus, ut Gemeticenſes deinde ſacra iſta pignora numquam recuperare potuerint, quantamcumque in id operam impenderint. Rem pleniùs enarrat Jacobus Guiſius in Ms. Chronico Hannonienſi lib.* 14 *cap.* 6.

ſeculo IX *tranſlatum Haſpram, multis*

C 5 In quo quidem, *inquit*, ſpatio, *devaſtationis Normannorum*, dicta Sanctorum corpora in tot & tantis, Haſpris & in confinibus, coruſcaverunt miraculis, ut totus populus vicinarum urbium ad devotionem dictorum Sanctorum allicerentur: unde imperatores, reges, principes & comites dictam cellam (*Haſprenſem*) donariis, privilegiis, largitionibus & munificentiis ampliaverunt. Nordmannis finaliter atque Danis pacatis & ad fidem converſis, tunc pacis tempore abbas Gemmeticenſis cum toto conventu legatos miſit ad cellam Haſpris, quatenus dicta Sanctorum corpora eis remitterentur. Super quibus Prior & epiſcopus Cameracenſis cum nobilibus territoriorum circumvicinorum congregati, decreverunt ſimiliter hujus causâ imperatoris adire præſentiam. Qui imperator decrevit finaliter, ut certis pactionibus & interventionibus inter monaſterium Gemmeticenſe & cellam Haſprenſem ex una parte, & imperatorem & dictas ambas eccleſias ex altera, pacificè & concorditer peractis, dicta Sanctorum corpora perpetuò Haſpris manerent; quod & ſtabile & firmum remanſit uſque in hodiernum diem.

prodigiis claruit, ibidemque,

6 *Quæ fuerint pactiones iſtæ, quibus ſe Gemeticenſes tanto theſauro in perpetuum privari paſſi ſunt, incompertum eſt. Henſchenius tom.* 1 *Aprilis agens de S. Hugone, unam eas inter fuiſſe conjicit, ut ſaltem aliquæ ſacrorum corporum partes Gemeticenſibus concederentur. Et ſanè poſſident illi hodiedum utriuſque Sancti brachium, uti diſcimus ex Itinerario Ms. Papebrochii Româ in Belgium redeuntis, qui Rotomago divertit ad Gemeticenſem abbatiam die* XIII *Novembris anni* 1662, *notavitque inter alias ſacras reliquias ibidem ſervari* brachia SS. Aycadri abbatis ſecundi hujus loci, & S. Hugonis epiſcopi Rotomagenſis. *De his autem reliquiis intelligenda ſunt, quæ in Breviario Rotomagenſi, tum anno* 1626, *tum* 1736 *typis edito, referuntur ad diem* XI *Aprilis in lectione propria Officii S. Hugonis archiepiſcopi ſub finem*: Ejus corpus in baſilica ſanctæ Dei Genitricis Mariæ honorificè conditum, deinde Haſpram agri Cameracenſis oppidum, unà cum ſancti Aicardi abbatis corpore delatum eſt. Utriuſque reliquiæ Gemmeticum relatæ in capſis pretioſis ſervantur & magno honore recoluntur.

AUCTORE J. P. *exceptis aliquot reliquiis,*

dein Gemeticum relatis, E

7 *Imò ad eumdem ſenſum exponendus eſt Franciſcus Farin in Hiſtoria Normanniæ Chriſtianæ, Rotomagi Gallicè impreſſa anno* 1659, *ita de S. Hugone ſcribens pag.* 675: Sacrum iſtud depoſitum aliquo pòſt tempore tranſlatum fuit Haſpram, præpoſituram abbatiæ S. Vedaſti in Cameracenſi diœceſi, ad evitandum Danorum furorem, ibidemque remanſit uſque ad annum MCXLI. Cùm Ordericus Vitalis celebris hiſtoricus, qui iis temporibus floruit, illud ſe vidiſſe dicat in theca argentea, ubi à populo honorabatur, ſervabaturque tamquam pretioſiſſimus totius provinciæ theſaurus. Reliquiæ iſtæ dein Gemeticum relatæ ſunt, ubi magno honore coluntur. *Exponenda, inquam, ſunt laudati auctoris verba ad ſenſum datum ſuperiùs, alioqui aptiſſima ad perſuadendum rudibus, relatum fuiſſe ad Gemeticenſes integrum aut penè integrum S. Hugonis, uti &* S. Aichardi, *corpus, quod adverſatur auctoribus paſſim omnibus etiam Rotomagenſibus, quales ſunt Dadreus in Chronologia archiepiſcoporum Rotomagenſium & Arturus à Monaſterio, qui poſterior in Neuſtria pia, prelo vulgata anno* 1663, *fuſiſſimè deſcribens geſta* SS. Aichardi *& Hugonis, poſt narratam corporum tranſlationem in Haſprenſem præpoſituram, mox ſubdit*: Ubi etiamnum miraculorum gloriâ fulgent.

8 *Mitto Miræum in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio; Rayſſium in Hierogazophylacio; Colvenerium in Notis ad Chronicum Balderici & alios recentiores, qui uno ore affirmant, quieſcere Haſpræ hodiedum corpora* SS. Aichardi *& Hugonis. Quin & ea ſe conſpexiſſe die* VIII *Decembris anno* 1662 *teſtatur Henſchenius tom.* 1 *Aprilis pag.* 847, *Papebrochius item in Itinerario ſuprà laudato his verbis*: De via (*Cameraco Valencenas*) in Aſpren præpoſitura Vedaſtina vidimus corpora SS. Aichardi, ſecundi Gemeticenſium abbatis, & Hugonis Rotomagenſium epiſcopi, grandibus vetuſti ex argento operis capſis recondita. *Majores noſtri inter Prætermiſſos diei* XIX *Martii cujuſdam tranſlationis meminerunt his verbis*: SS. Hugonis & Aycadri reliquiarum tranſlatio Gemmeticum, inſcripta eſt Ms. Martyrologio ejuſdem in Normannia: *eaque eſt, ni fallor, commemoratio relatorum utriuſque Sancti brachiorum; neque enim ullam præter iſtam invenio tranſlationem reliquiarum, quæ facta ſit ex alio loco ad cœnobium Gemeticenſe.*

F *uſque hodie remanſit.*

AUCTORE J. P.

Memoratur in quibusdam Fastis die 17 Junii,

9 *Henschenius in Prætermissis item diei* XVII *mensis Junii* S. Aichardum *memorat ex Additionibus Usuardinis codicis Bruxellensis : verba hæc sunt :* S. Aichradus abbas Gemeticensis in Normannia. Qui cùm nongentos haberet monachos ; media eorum pars, per angelum sibi noctu præsignata, una die migravit ad Dominum : quos ipse non multo pòst secutus quievit in Christo. *Equidem Fastos Benedictinos consului pleroſque, ut ediscerem, qua de causa tum recurreret Sancti memoria, nec ullis nomen ejus isto die inscriptum reperi, præterquam in Menologio Ms., quod vulgò* Grollus *nuncupatur, ubi ista annuntiatio est :* Translatio S. Aichardi abbatis & confessoris, *ac dein subjicitur similiter historia, multo tamen prolixior, obitûs dimidiæ partis monachorum Gemeticensium. At quanam hìc translatio designatur ? An ea, quâ corpus Gemetico Haspram devenit ? Haud facilè crediderim, cùm neutrobique ulla sit mentio S. Hugonis episcopi, istuc eodem tempore eademque de causa deportati.*

fortè occasione discipulorum ejus, quos multi Sanctos appellant.

10 *Verisimilius mihi est, in dicto Menologio perperam notari translationem Sancti ; & sicubi fiat, vel facta sit olim ejus commemoratio ad diem* XVII *Junii, id contigisse putem occasione obitûs tot ejus discipulorum, cujus memoria fortasse ad memoratum diem recolebatur apud Gemeticenses. Eadem mens videtur fuisse Henschenio loco citato ; quandoquidem post relata verba Auctarii Bruxellensis mox sermonem instituat de cultu seu veneratione illorum monachorum :* Multis, *inquit*, nobiscum de veneratione hisce debita egerunt, cùm apud eos anno MDCLXII essemus, Gemeticenses monachi. Indicetur, si quid auctoritate Ecclesiastica constitutum fuerit, ut tunc petebamus, & de iis agi poterit die natali ipsius S. Aichradi XV Septembris. *Nihil nos amplius de hisce huc usque fuimus edocti. Excurrunt quidem pluribus in ipsorum, velut sanctorum confessorum, laudem Yepezius in Annalibus & alii Ordinis S. Benedicti scriptores post Fulbertum* S. Aichardi *biographum apud Surium, & anonymum nostrum, ex quo mirabilem eorumdem monachorum obitum cognoscet lector ; verùmtamen legitimum eorum cultum non sic probant, ut visum sit nobis, vel seorsum, vel unà cum* S. Aichardo *agendum de illis hodie ex instituto.*

C

Præcipua ejus festivitas die 15 Septembris.

11 *Præcipuam* S. Aichardi *festivitatem recoli quotannis die* XV *Septembris, quæ ei emortualis fuit, colligimus ex unanimi consensu scriptorum penè omnium, veterum ac recentiorum, ipsum illo die memorantium. Penè, inquam, omnium ; quia inter auctaria Usuardi in codice Centulensi notatum lego die proximè sequenti, in quem verisimiliter quibusdam in locis differtur ejus Officium ob concurrentem octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis. Habemus hìc Missale proprium ecclesiæ Cameracensis, typis Parisiensibus excusum anno 1527, in quo ad dictam diem* XV *præscribitur ordo Missæ de Sancto nostro dicendæ.* INTROITUS, ORATIONES, OFFERTORIUM & COMMUNIO *desumpta sunt ex communi abbatum :* LECTIO *è cap.* 47 *Ecclesiastici.* Dedit Dominus confessionem Sancto suo, & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde *&c. ; cui subjungitur* GRADUALE : Os Justi meditabitur sapientiam & lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluia. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. EVANGELIUM, *ex Cap.* XI *Lucæ :* Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, *&c.*

D

Sancti patrocinio sanantur ægri,

12 *De miraculis ac beneficiis, Sancti patrocinio obtentis, perhonorificè scribunt auctores. Balderici Cameracensis & Atrebatensis chroniſtæ verba dedimus num.* 4 ; *Jacobi Guisii num.* 5 ; *Guilielmus Gazet in Historia ecclesiastica Belgii Gallicè exarata pag* 57 : Corpus ejus *inquit*, ob Normannorum incursionem delatum est ad Hasprensem præposituram, quo confluit frequens visitantium fidelium multitudo propter miracula plurima ægrorum ad sanitatem reductorum, nominatim eorum, *quos ipse linguâ suâ* accariastes *vocat. Lis est de etymologia vocis* accariaste *seu* acariâtre *inter Gallos Grammaticos : sunt, qui eam coaluisse velint ex Græco ἀ privativo ac voce* κάρη caput, *ut dementem significet, seu hominem sine capite aut mente. Alii deductam malunt à voce barbaro-latina* aceriaster, acariaster, *cujus prima radix sit* acer, acris, *ut proinde nihil aliud denotet, quàm hominem ingenii acerbi, morosi & pertinacis. Alii aliò confugiunt, atque hos inter nonnulli vocem illam derivatam existimant ab ipsomet Sancti nomine Gallico* Acaire ; *quia hujus mali propulsator est.*

dementes ad sensum reducuntur, liberantur energumeni.

13 *Instituti nostri non est Gallicarum vocum etymologias determinare : facilè tamen concesserо,* acariâtre, *undecumque demum ortum sit, generatim usurpari ad designandum ingenium acerbum ac pertinax ; at quantum huc spectat peculiariter, vix dubito, quin ea voce veniant, homines, quibus seu morbo seu alio quolibet casu ratio perturbata est aut eversum cerebrum ; atque ita, licèt fortasse etymologia à Græco idiomate longiusculè quæsita sit, significatio nihilominus utcumque consonat. Etenim in similibus morbis ad Sanctum nostrum recurri, testatur etiam Rayssius in Hierogazophylacio pag.* 242 : Is *inquit*, cephalalgia & phreneſi laborantibus opem & auxilium invocatus adfert. *Sammarthani tom.* IV *Galliæ Christianæ in Gemeticensibus abbatibus, per Sancti patrocinium etiam energumenos liberari indicant his verbis :* Quiescit (Aichardus) in Haspis territorii Cameracensis in scrinio argenteo honorificè servatus, atque illic cum S. Hugone antistite dæmones ab obsessis expellit.

Hæreticus energumenum se fingens punitur.

14 *Id ipsum confirmat Thomas Cantipratensis, seculo* XIII *Ordinis S. Dominici religiosus & , ut volunt nonnulli, negant alii, episcopus suffraganeus Cameracensis antistitis , in Opere, quod* Bonum universale *seu* de Apibus *inscripsit, cuique plurima miracula, & facta sui temporis memorabilia inseruit, atque ad rem nostram quod sequitur valdè mirabile.* Erat circa Cameracum civitatem quidam hæreticus, astutus valdè, qui metuens inquiri & comburi à fratribus Prædicatoribus, qui in dicta civitate eo tempore plurimos comburebant, finxit se arreptum à dæmone, & ob hoc ad sanctum Aicadrum in Aspera, obsessos curare potentem, ligatus ab amicis deductus est, ut in eo non hæresim propalatam, sed furiam reputarent. Et ut audivit quidam clericus obsessus à dæmone & ligatus, quòd Ægidius * Boogris (sic enim vocabatur) ligatus poneretur in loco, subsequenti nocte idem obsessus clericus divino nutu solutus est. Et aggregans mattas & stramina atque ecclesiæ scamna, super ligatum hæreticum cumulavit. Ludum autem & furiam credens ille, dissimulat, quoadusque clericus ignem de lampade sumens, comburere cumulum cœpit, & tunc hæreticus exclamavit. Ad cujus vocem expergefacti custodes, cùm ignem extinguere niterentur, clericus arrepto gladio, quem juxta lectum invenit, omnes violenter abegit, & hæ-

F

al. Eligius.

A hæreticum in igne combussit. Nec mora, divino exacto judicio, clericus à dæmone liberatus & plenè sospes apparuit. *Hæc laudatus auctor lib. 2 cap. 57 num. 68, penes quem sit historiæ hujusce fides. Certè præter morem & prudentiæ regulas fuit relinquere gladium ad lectum hominis furibundi; nisi tam probè ligatum fuisse supponamus, ut custodes, nihil prorsus ab ipso metuentes, eodem in loco sua arma deposuerint.*

§ II. Vitæ tres, quando & à quibus conscriptæ, & quæ hic dandæ.

Vita Sancti, quam edidit Surius,

VUlgatissima S. Aichardi *Vita exstat apud Surium ad diem* XV *Septembris. Auctor se Fulbertum nominat, & scripsisse se asserit jussu Gemeticensium cœnobitarum, quibus Opus suum dedicat. Hinc verisimiliter Vossius lib. 3 de Historicis Latinis eum Gemeticensem monachum appellavit, quod*

B *neque satis liquere, neque facilè definiri posse, quis Fulbertus ille fuerit, dicit Mabillonius Seculo 2 de Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag. 953. Tres ipse eo nomine producit, qui floruerint seculis* X *&* XI, *Fulbertum Cameracensem antistitem, Fulbertum episcopum Carnotensem, & Fulbertum monachum cœnobii S. Audoëni apud Rotomagum, qui posterior librum conscripsit de miraculis dicti S. Audoëni; huic* S. Aichardi *Vitam tribuit Mabillonius, non modò quia auctor monachos Gemeticenses* Dominos *suos appellat in prologo, quomodo locuturi non fuerant episcopi, sed præsertim quia* stylus utrobique, *in Vita scilicet Sancti nostri & in libro miraculorum S. Audoëni* parùm dissimilis, *est, ac* utriusque lucubrationis eadem causa fingitur, nimirum admonitio inertiæ excutiendæ & rei exsequendæ in somnis accepta. *Utrobique autem innuitur, admonitionem istam factam fuisse quasi divinitus per* quamdam veneranda canitie personam, virgam *seu* baculum manu gestantem, *uti verbis pene iisdem legitur in prologo Vitæ* S. Aichardi *apud Surium, & in prologo item ad Miracula S. Audoëni apud nos tom.* IV *Augusti pag.* 825.

C *verisimiliter seculo* XI *conscripta.*

16 *Itaque si vera sit laudati Mabillonii opinio, Vita Sancti nostri, à Fulberto concinnata, antiquior non est seculo* XI; *quandoquidem Miracula S. Audoëni nuncupata sint Nicolao abbati monasterii S. Audoëni, vitâ functo ad annum* 1092, *ut pluribus ostendunt Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ, & Pommerayus in Historia memorati monasterii lib. 3, cap. 7. Unde huic Vitæ exigua admodum auctoritas est ab ætate scriptoris; meminit quidem Vitæ vetustioris, sed, ejus judicio, adeo inconcinnæ, ut ad eam corrigendam seu potiùs ex integro innovandam induci vix posset. Accipe ipsiusmet verba:* Dominis suis Gimesiensis * cœnobii scilicet fratribus sanctissimis, Fulbertus peccator salutem. Quòd in Vita beati Aichardi manum mittere toties à vobis jussus, totiès distulisse accusor, si causam vobis libeat discutere, non irrationabiliter, ut mihi videtur, tanti oneris sarcinam subterfugisse reperiar. Nam, ut vera fatear, Vitæ ipsius textum, casu mihi repertum, aliquando percurri, quem per loca sanè verborum inanibus flucturis, ut ita dicam, imprægnatum offendi. Quas si juxta mandatum vestrum demere voluissem, & locum vacantem

* Gemeticensis

sine additamento dimisissem, dum interrupta verborum series malè cohærentes efferret sententias, non castigatum, sed decurtatum potiùs, & totum inconveniens reliquissem. . . Ego igitur tam subtilis ingenii peritiam in me vigere non sentiens, decrevi, aut ex toto omittere, aut ex toto, si fas esset, innovare. Sed istud superbum, illud arduum videbatur. Nam jussa vestra prætermittere, superbum erat; quod supra vires est attentare, temeritas, non ratio fuerat. *Subdit dein, se ad scribendum fuisse impulsum per visionem memoratam num. præcedente.*

AUCTORE J. P.

Altera per Mabillonium vulgata

17 *Mabillonius suprà laudatus Vitam alteram edidit* ex Mss. codicibus Gemeticensi & Vedastino, *Fulbertinâ vetustiorem, &, sicut insinuat, eam ipsam, quam Fulbertus præ oculis habens politiori sermone exornavit,* & quidem pluribus locis malè interpolavit. *De hujus auctore ita disserit:* Auctor Gemeticensis monachus vixit paullò pòst cladem Nortmannorum & Gemeticensis monasterii instaurationem, quam circitèr annum CMXX, Willelmo primo Nortmannorum duce, factam esse Willelmus Gemeticensis monachus in lib. III Historiæ cap. VII testatur. Is enim auctor anonymus AICADRUM PATRONUM NOSTRUM in E Præfatione sua vocat, & cap. XXXII * S. Hugonem Rotomagensium archiepiscopum filium Karoli imperatoris: quæ opinio seu fabula uno minimùm sæculo post Caroli Magni obitum nata est. Nec seriùs certè hæc Vita ab anonymo exarata fuit, quod constat ex altero apographo Gemeticensi, quo usi sumus, quod jussu Annonis abbatis, utique anno circà CML, descriptum fuisse legitur.

* *imò* XXXIII

notas quidem præfert,

18 *S. Hugonis Rotomagensium archiepiscopi stirpem discussit Henschenius noster tom. 1 Aprilis pag. 843, atque ei non Carolum Magnum fuisse patrem ostendit, sed Drogonem Pippini Heristalli filium, Caroli Martelli fratrem, illiusque obitum fixit anno 730, seculo penè integro ante mortem Caroli Magni, sub annum 814 vitâ functi. Porrò allegata per Mabillonium verba, nisi locus interpolatorem nactus sit, evidenter quidem probant, Vitam hanc diu post Caroli Magni tempora conscriptam fuisse; observant tamen religiosi Ordinis S. Benedicti scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. 4 pag. 480, Mabillonium & ejus eo in puncto sectatores animum non advertisse ad integrum anonymi contextum, ex quo consequi æ-* F *què evidenter debeat, vixisse & scripsisse auctorem ante Normannorum irruptionem, & instaurationem sui monasterii. Etenim narrata morte atque exequiis monachorum, de quibus mentionem fecimus num. 10, & in quorum medio* S. Aichardus *corpus suum post mortem deponi voluit, ita prosequitur anonymus apud laudatum Mabillonium:* Lætantur ETIAM ADHUC illic sancti Dei pontifices, atque beatissimi confessores Christi, Hugo videlicet filius magni Karoli imperatoris, Rotomagensis cathedræ archiepiscopus, & Constantinus Belvacensis ecclesiæ, sanctæ memoriæ præsul, seu etiam beatus Peregrinus Anglorum episcopus, simul cum sancto Flavio de illorum sancta præsentia ac condigno suffragio, quorum sancta lipsana ADHUC in Domino CUM ILLIS manent humata.

unde credi possit seculo X antiquior,

19 *Sed sacra lipsana* SS. Aichardi *& Hugonis post cladem Normannorum & instaurationem monasterii humata non erant Gemetici, cùm, illis ingruentibus, translata sint Haspram; sicut ipse Mabillonius tradit loco non uno, testem citans Baldericum in Chronico Cameracensi & Atrebatensi;*

AUCTORE J. P.

ergo monachus iſte Gemeticenſis Vitam ſcripſit ante Normannorum irruptionem ac proin ſeculo integro citiùs ac velit Mabillonius. Ita ferè ratiocinantur laudati Hiſtoriæ litterariæ ſcriptores, adduntque difficultatem, quâ nititur Mabillonius, ortam ſcilicet ex eo, quòd Hugo dicatur filius Caroli Magni, facilè tolli, ſi credamus, voces iſtas adjectas fuiſſe à librario, ut contingit frequentiſſimè. Fateor, dum ſolum iſtum auctoris locum conſidero, deducta inde concluſio, adeo juſta mihi apparet, ut eorum ſententiam vix non hiſtoricè certam crederem, & ineptire eum, qui verba ita exponeret, ut auctori ſermo fuerit non de corporibus, ſed de reliquiis dumtaxat, SS. Aichardi *& Hugonis, quæ Gemetici remanſerant, ſeu potiùs poſt monaſterii inſtaurationem relatæ iſtuc fuerant.*

Sed etiam alias habet,

20 *Nihilominus ad eum modum loquitur alibi anonymus noſter, ut non modò clarè videas, eum valdè remotum fuiſſe à Sanctorum temporibus, ſed meritò ſuſpicari queas, poſteriorem eſſe irruptione Normannorum & inſtauratione monaſterii ab ipſis deſtructi. Sic habet num.* 39. Die ſeptima (SS. Aichardus *& Filibertus*) ſimul cum ſancto (*Anſoaldo Pictavienſi*) epiſcopo tandem ad locum ſacrum Gemmetici, Domino ſimul cum eis comitante, pervenêre; ubi tantus electorum Dei obviam illis occurrit, ut ita dicam, monachorum, numerus, ut vix alicujus animus credi ſe poſſibile dicat. Nam ut fama credibilis ejuſdem loci teſtabatur, eo in tempore monachorum erat numerus nongentorum, & aliorum, quos famulos nominabant, mille quingentorum. Quæ ſi quis veraciùs agnoſcere velit, legat Vitam beati Filiberti, ubi de dormitorio illius familiæ loquitur, & illic inveniet, quo animum credibilem vertere valeat. *Ex priore hujus loci parte liquet, quod primùm ſtatuimus. Quis enim neget, auctorem longè remotum eſſe à re, quam de proprio ſuo monaſterio narrat, qui, ut eam credibilem faciat, recurrit ad famæ teſtimonium?*

B

unde contrarium

21 *Sed & in ſecunda parte fundatur noſtra ſuſpicio. Appellat quippe ad Vitam S. Filiberti, ut quod ex famæ teſtimonio protulerat de vix credibili Gemeticenſis cœnobii incolarum numero, per eam confirmet; at Vitæ iſtius auctor, qui exeunte ſeculo* VII *aut ineunte* VIII *floruit, nullibi numerum exprimit, & ubi de dormitorio agit, ni-*

C

hil habet præter ſequentia: Duplex vergens ad Auſtrum ducentorum nonaginta pedum longitudine, quinquaginta in latitudine, eminet domus quieſcendi obtentu. Singula per lecta lux radiat per feneſtras, vitrum penetrans lychnus fovet aſpectus legentis. Subtèr ædes geminæ duobus officiis opportunæ. Hinc falerna ſervanda conduntur, hinc prandia clara parantur; ibique conveniunt, qui dignè Chriſto deſerviunt. *Equidem cauſam aliam non reperio, ob quam anonymus noſter ad iſtum Vitæ S. Filiberti locum appellaverit, niſi ut per capacitatem ac amplitudinem ædificiorum illic deſcriptam, incredulis perſuaderet, verum eſſe, quod famâ vulgatum erat, de tanto monachorum aliorumque numero.*

ſuſpicari nos

22 *At verò ſi anonymus iſte ſcripſerit ante adventum Normannorum, ut quid neceſſe fuit, recurrere ad teſtimonium alterius ſcriptoris, ad demonſtrandam amplitudinem monaſterii, etiam tum exiſtentis? Neque enim id uſpiam legitur deſtructum fuiſſe ante dictum adventum Normannorum, à quibus funditus everſum fuiſſe conſtat teſtimonio plurium ſcriptorum. Audi Willelmum Gemeticenſem apud Cheſnium pag.* 219: Vermandenſem aggrediuntur portum (*Normanni*) anno ab Incarnatione Domini DCCCLI. Exilienteſque è navibus totum illico Vulcano tradunt comitatum. *Tum quibuſdam interpoſitis:* Dehinc Sequanica ora aggrediuntur & apud Gemmeticum claſſica ſtatione obſidionem componunt. *En obſidionem parant, quia ſcilicet Filibertus monaſterium mœnibus cinxerat, teſte ejus biographo ita ſcribente:* Conſtruxit per quadrum mœnia turrita mole ſurgentia. *Sed* monachi ſive incolæ, *verba ſunt rurſum Willelmi*, paganorum adventum comperientes, fugâ lapſi, quædam ſuarum rerum ſub terra occulentes, quædam ſecum aſportantes, Deo juvante, evaſerunt. Pagani locum vacuum reperientes, monaſterium ſanctæ Mariæ ſanctique Petri & cuncta ædificia igne injecto adurunt, in ſolitudinem omnia redigentes. Hac itaque patrata everſione, locus qui tanto honoris ſplendore diu viguerat, exturbatis omnibus ac ſubverſis domibus, cœpit eſſe cubile ferarum & volucrum.

D

cogit auctor anonymus.

23 *Breviùs eadem notantur in vetuſta Hiſtoria tranſlationum S. Audoëni apud nos tom.* IV *Auguſti pag.* 820. Tandem igitur, *inquit auctor*, per vaſtum Sequanæ fluvium irruptionem faciens (*Danorum exercitus*) Gemmeticenſe monaſterium cum omnibus ædificiis igne ſuccendit. *Item apud Matthæum Weſtmonaſterienſem, qui ad annum* 887 *compendio exhibens mala, quæ ſub Haſtingo Normannorum ſeu Danorum duce illata ſunt Galliis, ſic habet:* Exinde apud Gemmeticum claſſem dirigentes cœnobium nongentorum adurunt monachorum. *Teſtimonia iſta ſufficiunt nobis, ut credamus, Gemeticenſe monaſterium ea ſitûs & ædificiorum amplitudine, qua à S. Filiberto erectum fuit, perſtitiſſe uſque ad Normannorum irruptionem, quod cùm dubitare nos ſinat anonymus noſter, an umquam ea amplitudine viderit, dubitare etiam per conſequens poſſumus, an ante dictam irruptionem vixerit & ſcripſerit; præſertim quando textus ejus contra Mabillonium allatus, utcumque ſaltem explicari poteſt, atque ita ejuſdem Mabillonii ſententia ſuper biographi ætate retineri.*

E

Judicia

24 *At, inquis, tantine ergo pretii eſt Vita iſta, ad cujus ætatem deſignandam uſque adeo laborârunt eruditi? Reſpondeo, neque in hoc puncto convenire inter ipſos. Mabillonius, quantumvis apertè ſenſum ſuum non expromat, magni eam feciſſe ſupponi debet, quandoquidem juxta illam corrigendum cenſuerit Fulbertum, ac deſerendas anteriorum ſcriptorum ſententias, maximè ubi quæſtio eſt de ſerie Sancti noſtri Chronologica & anno emortuali, quem alii retulerant ad Chriſti* 680, *alii ad* 684, *alii ad* 690, *imò etiam ad* 720; *ipſe verò pro auctoritate anonymi ſtatuit annum* 687; *& hîc ſectatores habuit omnes, quos vidi, recentiores, ne iis quidem exceptis, apud quos idem anonymus exiguæ admodum eſt auctoritatis. Hos inter Bailletus in Tabella critica menſi Septembri præfixa ita pronunciat:* Vita ejus (S. Aichardi) ducentis ferè & quinquaginta annis ab obitu illius exarata per monachum, qui florebat ſub initium ſeculi X, quia antiquiſſima eſt, omnibus hactenus vulgatis tolerabilior eſt, ſed magnam non habet auctoritatem.

F

recentiorum

25 *Laudati ſcriptores Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ultrò agnoſcunt, errores eſſe in anonymi lucubratione & quidem graves; contendunt tamen majorem ipſi deberi auctoritatem; quòd poſt attentam ejus perlectionem inficiari nemo queat, quin auctor inſtructus fuerit ſinceris documentis, ut eo, quo fecit, modo rerum geſtarum adjuncta expli-*

ca-

A caret. Fateor, *singula passim ita depingit auctor iste seculis facilè duobus posterior rebus gestis, ut distinctiùs minutissima non posset scriptor coævus, testis oculatus & auritus, arcanorum socius & particeps. Sed an inde ipsi major debita sit auctoritas, nondum videmus. Nam primò ipsimet ejus defensores improbant orationes & exhortationes prolixiores, quibus materiam suam intempestivè exornare studuit, quæque cum frequentioribus personarum inter se colloquiis majorem ejus partem constituunt. Secundò juxta eosdem delectatur hinc inde rebus mirabilibus, & credulitati videtur addictus fuisse amplius, quam fas sit per regulas rectæ criseos. Adjiciamus nos tertiò, quòd, licèt instructus fuisse credatur antiquioribus & fide dignis monumentis, suspicio nobis sit, his ipsum æquo liberiùs usum fuisse, imò plurima pro ingenio ac arbitrio suo adjecisse, immutâsse, confinxisse.*

& nostrum de auctoritate Vitæ istius hic edendæ.

26 *Illi suspicioni ansam dedit ipse; dum Vitam S. Filiberti præ oculis habuisse se indicavit, & ab ea tamen, nisi fortè aliam habuerit, per auctorem supparem conscripta, recedere non dubitavit, ubi refert, quo tempore & qua occasione S. Filibertus* S. Aichardum *sibi substituerit abbatem in Gemeticensi monasterio. Quippe quod alter factum narrat post exsilium novem annorum S. Filiberti, post conditum in finibus Pictonum Heriense monasterium, postque Ebroïni Majoris Domûs, à quo multa perpessus fuerat idem Filibertus, è vita discessum, id omne ita exhibet anonymus noster, ut contigisse credas sub initia persecutionis & exsilii, ac dudum ante Ebroïni obitum, uti clariùs perspiciet lector in Annotatis nostris, cùm verba verbis opponemus. Ad stylum quod pertinet; obscurum & inconcinnum eum reddunt non modò sensus longiores & malè torti, sed & solœcismi, voces barbaræ ac inusitatæ, aliaque hujusmodi vitia orationis, quæ, quia frequentiora sunt, inobservata præteribo, & lectori corrigenda relinquam. Denique, ut mittam longiora colloquia, de quibus suprà, & frequentes relationes conviviorum ac refectionum, quæ enarrationem tetricam, imò subinde ridiculam faciunt, tam parùm mihi placet anonymi nostri lucubratio, ut Vitæ Fulbertinæ à Surio editæ vix alio titulo præferendam credam quàm vetustatis. Dabo eam ex codice antiquo membraneo, qui olim fuit abbatiæ Valcellensis, notaturque apud nos P. Ms. 158. Lectio ejus locis multis diversa est* C *ab editione Mabillonii, nonnullis correcta magis, nonnullis etiam magis vitiosa, prout in margine, & in Annotatis videbitur.*

Huic subnectimus breviorem alteram auctore anonymo & ignotæ ætatis.

27 *Vitæ à Fulberto conscriptæ superscdebimus, eique substituemus alteram multò breviorem ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris. Vix aliud ea continet præter nuda facta, & ne omnia quidem, ab aliis enarrata. Stylus omnino simplex est; sed ex nullo charactere auctoris conditionem vel ætatem deprehendo: ordo autem, quem tenuit in gestis enarrandis, adeo conformis est ei, quem servavit Fulbertus, ut dubitem, an hic Vitam breviorem præ oculis habuerit, an verò ista ex illo extracta sit. Primum utcumque suadet dicta styli simplicitas, at dissuadent similiter ejusdem Fulberti verba num. 16 recitata, quibus apertè significat Vitam, quam repererat, fuisse prolixiorem. Sed potuit & prolixiorem habuisse & breviorem hanc, licèt id non indicârit. Certè loco non uno tantopere discrepat Fulberti narratio à sæpè memorati anonymi nostri Vita fusiore, ut dicendus sit, vel aliis documentis fuisse adjutus, vel absque fundamento & causa quædam confinxisse. Cetervm nihil de* S. Aichardi *patria, parentibus, anno natali & emortuali aut similibus hìc prælibamus; quia singula satis eruuntur ex Vita prioris anonymi, juxta cujus fidem ea proponere cogimur, cùm desint nobis documenta meliora.*

VITA SUSPECTA

Auctore anonymo monacho Gemeticensi.

Ex codice Ms., collato cum editione Mabillonii.

PROLOGUS.

CUm plura sint Electorum Dei gesta seu miracula, desidiâ ac hebetudine virorum sub clanculo operta, & nemo horum, quibus immeritò Deus contulit flatum sapientiæ ac scientiæ ad hoc elaborare conatur, ut pro amore Dei ac Sanctorum ejus aliquid utile pro tot spiritualibus donis efficiat; miror, quare non recolit hoc, quod Sapientia Dei dicit: Sapientia occulta & thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? De tali enim ac de tanta re debet pro certo consolatorium verbum recipere, quamvis desidiosus, quod alibi Scriptura dicit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Et: Domine labia mea aperies & os meum annunciabit laudem tuam. Explicit Prologus. E

ANNOTATIO.

Prologus iste, qui in codice nostro ad eum modum abrumpitur, continuatur seu ab auctore seu ab interpolatore in Mabillonii editione verbis sequentibus: Nempe si Deus afflator spirituum velle alicui ministraverit; utique & posse pro bona voluntate ilico illi non deerit; sed qui linguas infantium facit disertas, & os mutum cotidie aperit, brutoque animali aliquando loqui concessit; ipse etiam & os ejus, illius videlicet Deum timentis, aperire dignabitur, in tantum ut Domino dicat: Spiritus alme veni. Qua gratia in commune ministratorem omnium bonitatum Dominum humiliter flagitemus, ut ad scribendam Vitam B. Aicadri alicujus labium aperiat, ne tanta dignitas ac beatitudo tegi silentio videatur, quæ multis ac proximè monachis, ut reor, utilis esse videbitur. Omnis frequentata laus, quæ à peritis viris dicitur gloria, hæc speciatim convenit Patri & Filio sanctoque Spiritui, quæ Trinitas redundat in Unitatem omnipotentis Dei. Hæc namque est, de qua Psalmographus dicit: Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. In hac enim laudamus & veneramur illos viros glorioſos; qui bene vivendo rectéque operando vicerunt regna mundi, quorum omnium interventu poscimus, ut Dominus nobis sensum tribuat, fidem adaugeat ad enarrandum aliquid de beato Aicadro patrono nostro, qualiter & à Deo nobis inde subcrescat remuneratio, & ab ipso pro tantulo labore continuum impetremus suffragium. *Deest similiter codici nostro vetus capitulorum partitio, quam ex eodem Mabillonio Prologo subnectimus,* F

A. ANONYMO.

D

INCIPIUNT CAPITULA,

De virtutibus vel Vita beatissimi Patris nostri abbatis & confessoris.

CAp. I De genitoribus & ortu seu tirocinio B. Aicadri.

II Quomodo ad discendas litteras venerit.

III De impetrata licentia à magistro & quomodo parentes revisit.

IV Quomodo ad sanctum locum veniens comam capitis totondit.

V Quomodo in quarto lustro egerit.

VI Quomodo hæsit ei in animo monasterium construere.

VII Quomodo ad sanctum devenerit locum, & sanctus episcopus Ansoaldus cum eo.

B VIII Ubi domnus Aicadrus se subdidit B. Filiberti patrocinio.

IX Quomodo Sanctus Dei in sexto lustro egerit.

X Quomodo ejus fama ad B. Filiberti pervenit notitiam, & qualiter suos ad eum direxit nuntios.

XI De susceptione B. Filiberti nuntiorum.

XII Quomodo peracto missiatico repedaverunt ad propria.

XIII Quomodo B. Filibertus post sanctum Virum abiit.

XIV De exceptione B. Filiberti pòst à Domno Ansoaldo episcopo.

XV De allocutione ad sanctum Aicadrum.

XVI Quomodo beato Dei Aicadro per visum apparuerunt illi duo sanctissimi viri.

XVII De adventu domni episcopi & B. Filiberti ad Quinciacum.

XVIII De convivio Electorum Dei.

XIX Qualiter S. Aicadrus suo loco alium ordinavit abbatem.

XX De profectione servorum Dei vel fidelium.

XXI Quomodo ad Gemeticum pervenit.

XXII Quomodo domnus Aicadrus suscepit locum regiminis.

C XXIII Quomodo fuerat illi à Domino data orationis virtus.

XXIV De arbore à dæmonio incisa.

XXV De adæquatione capillorum ejus.

XXVI De viro Astasio, quomodo Tortoniacum Deo & S. Petro in Gemetico tradidit.

XXVII Quomodo sanctus Dei Aicadrus wantos suos in radio solis suspendit.

XXVIII De umbra horribili visa à beato Dei Viro.

XXIX De vocatione fidelium.

XXX Quomodo angelus Domini ad Virum Dei venerit.

XXXI Quomodo Homo Dei oraverit.

XXXII De admonitione Hominis Dei, & data absolutione, & sancto Viatico, simulque de obitu Sanctorum.

XXXIII De sepultura Sanctorum.

XXXIV De visione & allocutione angeli.

XXXV Quomodo S. Aicadrus pòst vixerit triennio, & de obitu ejus sanctissimo.

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, educatio, professio monastica, virtutes, exstructio Quinciacensis cœnobii.

Parentibus nobilibus ortus, magistro *a b*

BEatus itaque Aychadrus Aquitanicæ regionis & Pictavis urbis *a* suburbio ortus, secundùm magnitudinem hujus transitorii seculi nobili patre Anschario & matre Ermena fuit progenitus *b*. Dicti enim parentes illius hac nativitate celebritatis veluti suavissimo liquore peruncti, post ablactationem Pueri summa cum diligentia tradiderunt illum ad erudiendum cuidam viro sapienti & famosissimo, nomine Ansfrido, prædictæ civitatis ex monasterio beati Hylarii cœnobitæ justo, cujus doctrina atque sanctitas erat tanta, ut sine E dubio quis cum eo morans nihil aliud videret nisi sancta, nichilque aliud ageret quàm justa: tantaque religio in eo excreverat, ut rudis *c* Martinus diceretur à suis concivibus propter sanctitatem suam. Puero autem à tanta paternitate susceptо cum reliquis scolaribus residere jussit. Et quia illius tyrocinium adhuc erat tenerrimum, utilior illi magistro in primævo flosculo videbatur auditus aliorum puerorum, quàm educatio liberalium litterarum. *c*

instruendus traditur.

2 Attamen quid ille in primordio egerit non est silendum. Interrogatus à magistro, quid primùm discendi * rei illius esset cupiditas; respondit instinctu divino: De hiis, quæ Dei sunt, domine & magister primùm michi dicito; demum de rebus ruralibus michimet insinuare memento. Nam ea, quæ Dei sunt, intransitoria manent: ea verò, quæ secularia sunt, caduca ruinosaque habentur. Verbo hoc denique audito *, illius didasculo * mira res visa fuit. Sed quid in posterum egerit, fecit, ut sibi à puero fuerat expetitum. Erat itaque Infans decennalis, quando resedit in scolari, primo geniculo *d*. Dein biennio discens ea, quæ à magistro petierat, florere F jam cœpit, & ceu fructus suavissimos emittere, & de hiis, quæ Dei erant, odores nectareos *. Et pòst de virtute in virtutem transiens, quinquennio transacto, visum illi fuit jam magistrum fore, & inter primores conscolasticos residere. Jam enim ad ipsum virtus religionis transierat, ut * amoris hujus ævi defectus in ipso inchoaverat.

* *Mabil.* locuto * *ibid.* didascali. *d*

* *ibid. additur* trahere

* *ibid.* &

Vitam monasticam meditans

3 Tumque licentiâ à magistro impetratâ, parentes revisit, ac velut prudentissima avis ad alta volare disposuit. Audiens enim religionis famam in loco, qui vetusto vocabulo Syon *e* vocabatur, ubi domnus sanctusque Jovinus *f* confessor cum aliorum Sanctorum pigneribus requiescit, ad ipsum migrare temptavit, aliquem cupiens emolumenti fructum de illorum mellifluis floribus carpere. Tunc cœptum iter ad sanctum castrum devenit, ibique cum omni honore receptus, loca atque sancta altaria orando pro suis aliorumque piaculis perlustravit, & dignus corpore digniorque animo, hoc sanctum opus curiosè adimplere curavit. *e* *f*

4 Denique ab abbate illius sancti loci simul cum suis parentibus *g* deposcens, ut in illorum *g*

san-

in Anſionenſe monaſterium ſecedit,

ſancto collegio commorari aliquandiu quiviſſet & ſanctam religionem, quâ illa beata familia vixerat, vivendo imitari potuiſſet, ab abbate caritativè hanc gratiam licentiamque ſuſcepit, hoſpitioque ſancto ſuſceptus & regularibus ſanctis inſtitutionibus edoctus, comam capitis depoſuit, & jugum Chriſti ſuave onuſque leve ſuſcipiens ſuavibus amplexibus proprios artus tradidit. Ibique Vir Domini, qualiter in initio egerit, cæci & claudi, aliique quamplurimi infirmitate depreſſi, illo in tempore per plateas, vicos atque eccleſias propria ſponte teſtabantur, & pro tanta conceſſa populo fideli beatitudine valenter Dominum Jeſum Salvatorem omnium inclamabant.

& miraculis claret.

5 Nam ab illius ſanctitate, Domino propicio, liberati, nequiverant illa ſilentio tegere, quæ pius Dominus pro merito tanti Viri inpoſterum fidelibus rememoranda propalari voluerat; quia ſcriptum eſt. Opera Dei confiteri & revelare honorificum eſt. Eratque illi inibi religio tanta in ſua adoleſcentia, ut nullus ſenum quis illi coæquari valeret, licèt alti meriti inter primos illius beatæ familiæ haberetur, quoniam ſpeculum bonorum operum non ſolùm illis, quibus ipſe ſe junxerat, glorioſiſſimis Dei athletis fuerat *h*; ſed etiam in vicino omnium poſitis ab omnibus gratioſè novus ceu angelus dicebatur.

B

h

Ignota voce ad perfectionem ſtimulatus,

i

6 Jam enim tria *i* luſtra tranſegerat, & in ſanctis moribus templum illius almi cœnobii velut rudis Samuel excubabat. Sicque quadam die dictam obedientiam officioſè peragens, audivit aliquem neſciens ibi * dicentem: Ibunt Sancti de virtute in virtutem. Quam vocem audiens obſtupefactus mirari cœpit, & huc illucque diſcurrere, & neminem ibidem reperiens, ſenſim in ſeipſum modum extorſit *, claraque voce reſpondit: Videbitur Deus deorum in Syon. Et quis fidelium comes hoc dubitare velit, quòd hæc vox illi ab angelo perluſtrata ab hoc audita fuerat, ut ille Sanctus pro hac re ſanctior haberetur, & in ſuo ſancto propoſito tutior & firmior exhortativæ gratiæ in reliquum permaneret? Attamen in vita ſua nemini hoc manifeſtum fieri voluit, niſi ſolummodò cuidam ſancto viro ob confeſſionem, ne diabolo hæc vox tegeretur abſconſa.

* *Mabil.* ubi ubi

* *ibid.* retorſit

de conſtruendo novo monaſterio agit cum parentibus,

7 Interea cœpit animatim cogitare, qualiter ſe ſuoſque commilitones ex propriis ſumptibus, & in propria tellure Deo aliquod munuſculum potuiſſet offerre. Quod cùm patri ſuo matrive innotuiſſet, erant enim uterque Dei cultores aſſidui, & radicitus in firma caritate ſolidati: Gratias, inquiunt, agimus tibi Domine Jeſu, qui noſtræ communi infirmitati, & nobis immeritis tantum præſtitiſti ſolatium, & in noſtro unico Filio talem dediſti animum. Petimus itaque, ô bone Salvator omnium, ut hoc confirmes noſtrum commune conſilium, & uſque ad perfectum perducas: quoniam in tua diſpoſitione manet hujus rei finis atque initium. Et ſi voluntati tuæ hoc *k* eſt libitum, cum tuo placito in te & per te noſtrum roboretur conſilium.

k

& in villa ab ipſis obtenta,

l

8 Quo ſermone peracto: En, inquiunt, Fili, offerimus Domino Deo & S. Petro apoſtolo ac beato Filiberto egregio abbati partem jure hereditatis noſtræ, noſtri Quinciaci, quæ tibi, nobis ex hac vita recedentibus, ritè competit *l*; ubi dignè nunc memorabilis abba Filibertus in honorem Dei & ſancti Petri apoſtoli novam conſtruat * eccleſiam, paucoſque monachos, verè Dei famulos, inibi ad ſerviendum Domino conſtituat *, & ſumptu omnium noſtrorum redituum, fiatque illi tam acceptabile donum, ut ſit nobis commune animarum remedium. Itaque oneratis plauſtris ad eundem venerunt locum, & quia vir beatus ſcilicet Aychadrus liberalibus ſtudiis ad plenè erat eruditus, canones etiam non ignorabat; legerat enim, ut ne quis in alicujus epiſcopio eccleſiam conſtrueret, altare erigeret ſine licentia ſui epiſcopi. Denique ad Anſoaldum *m* bonæ memoriæ virum, illuſtrem Pictavorum epiſcopum, adiit, ſuique animi dignum gratumque Deo propoſitum illi humillimè innotuit, atque ut hoc ſua ſancta auctoritate roboraretur, conſilium libentiſſimè popoſcit.

* *ibid.* conſtruxit

* *ibid.* conſtituit

A. ANONYMO

m

cooperante epiſcopo Pictavienſi, opus perficit;

9 Sentiens autem domnus vir apoſtolicus, hanc voluntatem in Sancto Dei à Deo eſſe collatam, toto niſu ſuæ ſanctæ inhæſit cupiditati, & non ſolùm illi juxta ejus animi voluntatem licentiam conceſſit, ſed etiam ipſe ad hoc peragendum opus cum ſuis fidelibus, aſcenſo equo, ilico properavit, in ea videlicet ratione, ut & ſanctum opus ſimul cum eo * ſuo ſumptu conſtrueret, & fundamenta illius domus ſua ſancta benedictione dicaret. Qui pervenientes ad locum, primùm gratias Deo egerunt, dehinc ad ſanctum opus inchoandum ſanctas manus ſimul cum reliquis cooperatoribus dederunt. Neque enim prædictus Dei pontifex antea finem dedit huic ſacro operi, quàm ut & ſanctum Dei oratorium unà cum Sancto Dei conſummatim duceret perfectum, & in honore almæ Dei Genitricis Mariæ glorioſiſſimæ haberet dicatum.

* *ibid. deeſt* eo

E

dein celebrata eccleſiæ dedicatione,

n

10 Quo facto *n*, & dignè Deo laudes dederunt, & Miſſarum celebrationem officioſè compleverunt. Poſtea verò, completo Dei opere, corporeæ refectioni ſe dederunt uterque. Prandio autem ymnidicè peracto, lector, qui ad ſanctam menſam legerat, in fine ſuæ lectionis ſuppoſuit illud Davidicum: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quo audito, & alacriores inde ſancti Dei, Anſoaldus videlicet dignus Dei pontifex, atque Aychadrus dignæ beatitudinis monachus extiterunt; & corporea jucunditate ſimul cum Dei timore ſe invicem dilexerunt. Sicque illa ſancta dies inter illos Viros geminos, amminiſtrante Deo, lætabunda permanſit.

ſe & monaſterium ſubjicit inſtituto S. Filiberti: o

11 Eadem namque die vir Dei Aychadrus coram domno Anſoaldo epiſcopo glorioſo ſe mancipavit beati Filiberti patrocinio, vovens ſe in Dei ſervitio ipſumque Quinciacum *o*. Veſpertinali autem ſynaxi unà cum Completorii officio peracto, ſe alterutrum valedicentes, nocte illa, Deo opitulante, quieverunt in pace; quouſque gallo canente, nocturnale iterum inciantes officium, uſque ad finem deduxerunt. Poſtea verò ſanctum opus uſque ad ſanctum finem perductum, die horâ tertiâ *, ſanctus pontifex beatum Virum ditavit Sanctorum pigneribus: & tunc alter valedicens alteri, pariter ruerunt in ſancto oſculo. Oratione autem inter illos peracta, & domnus pontifex remeavit ad propria; & Sanctus Dei tunc tamquam in initio manſit in domo hereditaria, excogitaturus utilia.

* *ibid.* die orta

eximia vitæ ſanctitate

12 Jam enim luſtrum ſextum in illo tranſierat; & qui antea in pueritia atque adoleſcentia totum ſe ad manſuetudinem innocentiæ ſeu ſanctitatem tranſtulerat, iſto jam in tempore ab omnibus, quos notos habebat, vir alius demonſtrabatur *. Et meritò, quia ad menſuram jam plenitudinis Chriſti venerat; totum ſe in virum alium contemplari * devinxerat. Cœpitque dehinc tanta frugalitate vivere, ut nemo illum denuo cybo potuque refectum cerneret, nullus ſomnolen-

* *ibid. additur* & erat

* *ibid.* contemplativè

A. ANONYMO. *p*

lentum putaret. Erat enim in orationibus vigil; in caſtitate probus; & in caritate largus. Et quid plurimum eſt dicere *p*. Omnibus erat datus ſpeculum bonorum operum, ut ita dicam juxta Apoſtolum, & angelis & hominibus.

alios ad ſe allicit. * *ibid.* factum *q*

13 Ita factus * eſt, ut omnes, qui in civitate habitaverant *q*, ad ejus dogmata convolarent, & de ejus ore mellifluo ſpiritualia mella traherent. Monachos quoque quindecim de vicinis locis, quos probabiliores ſanctitate & bonæ famæ nitidiores eſſe cognovit, hos ad ſe exhortando blandiendoque contraxit, eos obſecrans, ut in ſolita religionis ſanctitate ſine intermiſſione manerent, more ſanctorum monachorum ſub patrocinio ſancto

*Filiberti

Filiberto * inibi degentium, & in ſuo ſancto propoſito, ut Regula docebat, irreprehenſibiliter viverent; quatenus & ſibi more Sanctorum Deo placentium degerent, & aliis bene vivendo exemplum præbere quiviſſent. Cœpitque denuo creſcere in bona fama dictum cœnobiolum, quouſque pro ſua ſanctiſſima continentia & religionis affluentia inter nominatiſſima Sanctorum loca dictum fuit cœnobium egregium. Et quia non poteſt lucerna abſcondi ſupra montem poſita, creſcere cœpit Viri beatiſſimi fama in tantum, ut de ejus converſatione ſanctiſſima omnis gratularetur regio Aquitanica.

B

ANNOTATA.

a *Apud Mabillonium deeſt vox* urbis. *Porrò* Pictavium, *indigenis* Poitiers, *caput provinciæ cognominis in Gallia, notiſſimum eſt.*

b *Mabillonius in annotatione ad num. Vitæ hujus ultimum, Sancti nativitatem illigat anno Chriſti* 624, *quia ibidem dicitur ſexagenarius fuiſſe, cùm mortuus eſt S. Filibertus, quod juxta ipſum & alios, quibus & nos acceſſimus tom.* 4 *Auguſti pag.* 71, *probabiliùs contigit ſub annum* 684.

c *Auctor voce* rudis, *quæ ferè vitium ſonat aut defectum, utitur hîc in oppoſito ſenſu, qualiter uſus eſt etiam S. Aldhelmus Schireburnenſis epiſcopus lib. de laude Virginum hoc verſiculo:*

Cùm rudis antiquam præcellat gratia legem.

Ubi rudis gratia *ſumitur pro Lege nova ſeu Evangelica, ac veteri opponitur. Senſus ergo noſtri eſſe poteſt, quòd vir iſte eo nomine venerit, quia ob eximiam ſanctitatem videbatur eſſe novus ſeu alter S. Martinus: & eadem veriſimiliter de cauſa* S. Aichardus *vocatur inferiùs* rudis Samuël. *Ceterùm hiſce præmittit Fulbertus apud Surium patris & matris de eligendo Filii vitæ ſtatu contentionem, quod ille ſeculari militiæ ipſum tradere deſideraret; hæc juxta priùs conceptum votum divino cultui conſecrare: quæ lis deciſa fuit, quando ſanctus Puer patri inſinuavit, ſibi planè ſtatutum eſſe, ſoli Deo ſervire. Simile quid narratur etiam in Vita noſtra breviore, quam vide num.* 1.

C

d *Id eſt*, in primis ſcholarum rudimentis.

e *Apud Mabillonium legitur* Anſionis. *Hujus autem cœnobii notitiam dat idem Mabillonius verbis ſequentibus:* Anſionenſe monaſterium, cenſu quidem modicum, hactenus ſubſiſtit à noſtris excultum, dictum S. Jovini de Marnis, vulgò S. Jouin, diœceſis Pictavenſis, Armoricam versùs prope Toarcium opidum & Thœdam amnem, le Toué.

f *De eo apud nos actum eſt ad diem* 1 *Junii.*

g *Fulbertus Puerum huc veniſſe ait parentibus invitis, cùm annum ætatis haberet duodecimum. Idem de ætate cenſuit Mabillonius citatus ad lit.* b. Deinde, *inquit* duodennis receſſit in monaſterium Anſionenſe anno DCXXXVI. *Sed non advertit, id pugnare cum anonymo noſtro, à quo dicitur Sanctus, annos decem natus, primæ accepiſſe litterarum rudimenta, & tranſacto quinquennio, primùm cogitâſſe de reditu ad parentes & receſſu ad Anſionenſe monaſterium. Itaque juxta noſtrum ſtatui hæc non poterant ante annum* S. Aichadri *decimum quintum & Chriſti ſexcenteſimum trigeſimum nonum.*

D

h *Periodum iſtam ſic dat Mabillonius:* Quoniam ſpeculum bonorum operum non ſolùm illis, quos ipſe ſejunxerat, glorioſiſſimis Dei athletis factus fuerat.

i *Mabillonius habet* quatuor luſtra; *conſonat & Fulbertus, qui eum tum fuiſſe ſcribit, Adoleſcentem* annorum viginti. *Itaque juxta noſtrum Ms. agit hîc auctor de ipſo anno, quo Sanctus vitam monaſticam ſuſcepit; juxta Mabillonii lectionem, & ſententiam ad lit.* g *declaratam, anno ſexto poſt ſuſceptam vitam monaſticam.*

k *Mabillonius:* Et ſi tuo niſui hoc &c.

l *Paulò aliter rurſum Mabillonius:* En, inquiunt, Fili, offerimus Domino Deo & S. Petro apoſtolo, & B. Filiberto, egregio abbati, partem jure hereditatis noſtræ, tibique noſtri Quinciaci, quæ nobis ex avita ſucceſſione ritè competit: ubi &c.

E

m *De hoc epiſcopo mox ad litteram ſequentem.*

n *Mabillonius laudatus ad lit.* b *facti hujus epocham ſic determinat:* Tricenarius condidit eccleſiam Quinciacenſem anno DCLIV. *Haud dubiè quia anonymus noſter inferiùs num.* 12 *poſt expoſitam novi monaſterii exſtructionem ita demum proſequitur:* Jam enim luſtrum ſextum in illo tranſierat; *quæ de ætate* S. Aichadri *probabiliùs intelligenda eſſe, ſuadet contextus, ut legenti patebit. Sed non caret locus difficultate; Anſoaldus enim, qui hîc, ut epiſcopus Pictavienſis, præcipuam partem egiſſe perhibetur, in Pictavienſem cathedram ſucceſſit Didoni; ſed ipſemet Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum producit privilegium, cui ſubſcripſit Dido Pictavienſis epiſcopus ſub annum* 663, *Chlotarii regis ſeptimum; imò Dionyſius Sammarthanus in Gallia Chriſtiana recentiùs edita tom.* 2 *allegat antiquum auctorem, juxta quem multo ſeriùs cathedram iſtam occupâſſet Dido, quandoquidem, mortuo Childerico II, Theodoricum III dicat regem fuiſſe conſtitutum, ſuffragante* Didone Pictavienſi epiſcopo. *Igitur vel ſeriùs collocanda ſunt Quinciacenſis eccleſiæ primordia, vel dicendum, quòd biographus Anſoaldo attribuerit, quæ Didoni erant propria; legerat quippe in Vita S. Filiberti; quòd eodem cooperante Anſoaldo, Herienſis cœnobii fundamenta jeciſſet Filibertus; id factum autem refert Mabillonius laudatus ad annum* 674. *Porrò Quinciacenſis cœnobii notitiam dat idem Mabillonius in annotatione ad Vitam Sancti noſtri Seculo* 2 *de Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 956: Nunc, *inquit*, monaſterium S. Benedicti de Quinciaco dicitur, vulgò S. Benoit de Quinçy prope Auguſtoritum Pictonum, ſic dictum à S. Benedicto (ut putant) epiſcopo quodam, quem è Samaria declinandæ paganorum perſecutionis gratiâ ad S. Hilarium Pictavorum epiſcopum perfugiſſe ferunt.

F

o *Mabillonius legit* in ipſo Quinciaco; *ſed*

no-

A *noſtra lectio conformior eſt toti contextui ; ut ſenſus ſit, quòd* S. Aichardus *coram epiſcopo ſe & novum monaſterium ſuum mancipaverit inſtituto S. Filiberti. Juxta eumdem contextum præplacet mihi lectio noſtra num.* 8, conſtruat & conſtituat, *quæ in præterito tempore efferuntur apud Mabillonium, ut notavi in margine : ac proin Quinciacenſis abbatiæ primordia potiùs* S. Aichardo *quàm S. Filiberto adſcribenda arbitror, contrà ac ſentiunt alii. Sed de hoc iterum in Annotatis ad caput ſecundum.*

p *Mabillonius :* Et quid plura neceſſe eſt dicere ?

q *Ibid.* Quos in vicinitate habuerat. *Alias levioris momenti vocum immutationes, ne nimium repleantur margines, ſubinde negligo.*

CAPUT II.

Miſsis à S. Filiberto nuntiis ſubjectionem ſuam confirmat S. Aichardus.

B

S. Filibertus duos monachos Gemeticо Quinciacum delegat, a

MOrabatur autem in illis diebus vir bonæ indolis ac ſanctiſſimæ converſationis in quodam nominatiſſimo monaſterio, omni ſanctitate & facultate præcipuo, nomine Gemmetico, jam dictus Filibertus *a* nomine, Deo dignus & omnium Sanctorum in Neuſtria famoſiſſimus; ad quem ut pervenit beati Viri notitia, ardenti amore & ferventi dilectione ſuos ſtuduit ad ejus ſanctitatem causâ fraternitatis & dilectionis miſſos dirigere : quatinus ſe invicem diligerent, & in exercitatione ſacræ orationis alter pro altero Dominum exorarent, eſſentque præſentes in ſpiritu ut fratres, quos longus terrarum ſinus diviſos corpore haberet. Et quia Spiritus ſanctus per ſeptiformem * gratiam dividitur, ſpiritum conſilii pietatiſque idem vir ſanctus, beatus ſcilicet Filibertus ſedulò indagabat *, ut uſque ad aures cordis prædicti beatiſſimi Aychadri dignanter deſcenderet, eumque ſuo ſancto radio in fraterna dilectione inflammaret, ut in adventu ſuorum fidelium, & ipſi duo Viri egregii atque athletæ Dei, uti os & caro pòſt corporibus ſacris flatu ſancto connexi, ſimul ſociati manerent, qualiter unà illud Davidicum decantarent : Quàm bonum & quàm jocundum habitare fratres in unum, eſſentque denuò illa duo candelabra ad effectum fidelium animarum ſimul lucentia, quæ adhuc procul erant diviſa *b*.

* *Mabil.* ſeptiformis
* *ibid.* inclamabat

C

b

de quo præmonitus ab angelo Aichardus, c

15 Directi itaque ad hanc accelerationem duo ſancti monachi, quorum unus vocabatur Sydonius *c*, alter Predo, uterque ſtrenui & præcipuæ ſanctitatis viri ydonei, avidè & celeratè per paucos dies obedientiam compleverunt injunctam. Nec dubium, quin cum illis & idem angelus ſocius in itinere fuerat, qui quondam Abacuc prophetam de Judea in Chaldeam ad lacum Babylonium Danïeli vati ſedenti indemnatè in lacu leonum ſine mora tranſtulerat. Sed quia divinus Spiritus ſine mora ubique diſcurrit, per orationes beati Filiberti uno die antequam ad ſancti Petri * deveniſſent locum nuncii, apparuit in nocte beato viro Aychadro ſplendido vultu angelus, eum ita * alloquens : Ave Præceptor Dei remuneratorum *d*, & fidelium fideliſſimus orator. Pro tuo enim ſanctiſſimo interventu, in quo permiſſo gregi * ac Dei fidelibus inceſſanter laboras, à Deo tibi merces recompenſata manet. Quin potiùs indubius eſto ; dies enim in qua nox iſta luceſcet, venient huc ad te duo ſanctiſſimi monachi divinum nuncium perlaturi. Et quia ſemper geminam dilectionem Dei ac proximi in ore ac in ara cordis affectuosè habuiſti, ecce nunc tibi à Deo collata ſodalitas venit. Et licèt adhuc de hac re inſcius maneas, tamen in ſancto collegio beatæ Gemmeticenſis familiæ, illiuſque patroni & electi Dei Filiberti veluti unicus filius viſceretenus diligêris eiſque ſociaberis. Quâ gratiâ tota caritate nuncios complecti memento, & ſancto Dei Filiberto *, qui ad te hos egregios viros direxit, cum ſumma diligentia, ut patrem, honore digno habeto *e*.

* *Mabil.* inclamabat
* *ibid.* Patris
* *ibid.* ita ei
d
* *ibid.* pro commiſſo grege
A. ANONYMO.
* *lege* Filibertum
e

16 Hoc ſpiritali * alloquio finito, ilico adventantes duæ olivæ, qui miſſi fuerant, retulerunt ea, quæ à ſancto Dei divinitus erant depoſita. Quæ audiens memoratus ſanctus Dei Aychadrus monachus, religione ſummus, mox in eorum adventu ſanctiſſimo Dominum adoravit, dignaſque Deo gratias retulit, qui Servo ſuo à remotis partibus hæc pondera caritatis direxerat. Dehinc ſuſceptis monachis ad domum auditorii eos perduxit, eorumque pedes lavit, & pòſt ad ſanctam refectionem poſt Miſſarum celebritatem * jam dictos viros egregios cum ſumma reverentia perduxit.

adventantes magna caritate
* *Mabil.* Hoſpitali

E

* *ibid.* celebrationem

17 Adveniens autem & illius loci in occurſum eorum gratulabunda familia adoravit Dominum, qui in eis dignè ſuſceptus fuerat, ac oſculantes ſe ſancto oſculo in invicem præ gaudio flebant dicentes ore unanimi : Caritas fraternitatis, quæ numquam patitur diſſidium, maneat in nobis vernulis ſervis * tuis Domine, & Deus pacis & dilectionis ſit ſemper tam in nobis præſentibus, quámque & in abſentibus continuò. Dicto autem Amen ab omnibus, venerunt ad menſam, & benedictione data, ſimulque lectione initiata, cœperunt epulari cum gratiarum actione in Domino, qui ſervos ſuos conjunxerat in illo ſancto convivio. Lector verò, qui fratribus in hoc ſancto epulo legerat, Epiſtolam beati Pauli apoſtoli recitabat dicens : Maneant in vobis ſpes, fides, caritas *f*, & reliqua. Quæ lectio & Abbati congruit, & ſanctæ familiæ exhortamentum præbuit.

& feſtivitate excipit ;
* *ibid. deeſt* ſervis

f

18 Poſt hæc ſancto convivio finito & hymno decantato, ſimul reſidentes, plura ex utraque parte loquebantur utilia, quæ & amorem inſolubilem, flante Spiritu ſancto, excitabant, & ſuſpirioſum fletum uſque ad lacrymarum rivulos aliquibus miniſtrabant. Die itaque una & altera ſeu tertia illic in ſanctis colloquiis commorantes, qui miſſi fuerant, de viatico expediosè tractabant : quæ ut venerabilis Abba comperit, refutando cum amore fraternitatis lacrymis * renuit dicens : Pax vobiſcum fratres ; abſit etiam à vobis, ut ita loquamini : necdum enim veſtrorum equorum * ungulis adhuc data fuit requies, ſimulque noſtræ * almitati non fuit collata ulla commoditas. Quapropter veſtrum inſecabilem obnixè petimus animum, ut ſaltem vel triginta diebus nobiſcum moremini, ducti amore geminæ caritatis, beatique Filiberti, pii patris noſtri perhennibus recreationibus.

eoſque precibus inductos,
F
* *ibid.* lacrymosè
* *ibid.* equitum
* *ibid.* veſtræ

19 Neque enim fas eſt, Fratres dilectiſſimi, ut à nobis veſtra ſpes conſolatoria tam citò redeat, quæ nobis immeritis, patris veſtri ſervulis libenter veſtræ ſanctitati miniſtratura ſubveniet *. Non enim caro ab oſſe abſque dolore in homine ſequeſtratur aliquo, nec amor noſter in-

ut per aliquod tempus
* *ibid.* ſubvenit

A. ANONYMO

extricabilis erga vestrum piissimum effectum *, qui fixetenus g in nostrorum præcordiis manet, tam levi motu separari potest à nostris tenuis * viscеribus. Os enim & caro vestra sumus. Qua de re hos paucos dies sine humana sollicitudine in amore fraternitatis cum sanctis colloquiis manete nobiscum, & pòst aucti benedictione Domini, reportabitis nostram omnium servitutem & subjectionem ad nostrum communem dominum beatissimum Filibertum, obsecrantes, ut in ista sarcina tamdiu moremur, quousque cum Dei adjutorio invicem nos videre mereamur. Parati enim sumus nostri domni Filiberti patris obedire subjectionibus, prout ipsius jusserit sanctitas, & Jesu Christi Salvatoris nostri deliberaverit voluntas: In ipso enim, ut ait Apostolus, & movemur & sumus.

20 Auditis itaque discipuli beati Viri hiis sanctis efflagitationibus, huic sanctæ allocutioni animum dederunt, & dicto interstitio, ut à Sancto postulatum fuerat, cum omni subjectionis vinculo colla supposita humillimè indiderunt, perdurantes in totius beatitatis ligamine. Finitis denique tot sacrarum affectionum * diebus, de licentia impetranda divino nutu loquebantur, tamquam in crastinum profecturi. Loquebantur sollicitè etiam, & intenti animo hoc definiebant. Quod cernens sanctus vir & beatus Abba, cum omni illius sacri loci conventu *, licèt invitus, assensum tamen huic voluntati dederunt; & paratis omnibus, quæ illorum itineri erant necessaria, vale inter se luctuosè faciendo, dimiserunt eos cum osculo sancto, obsecrantes, ut prospera illis in via justitiæ evenirent *, quousque ad proprium dominum optabiliter cum felici gaudio pervenirent.

21 Plures etiam ex illis eodem die exeuntes à monasterio deduxerunt illos cum Abbatis jussione, multa cum illis sanctis viris sermocinantes utilia de hiis, quæ in via erant commodè habenda, seu etiam domino, à quo delati fuerant, nuncianda. Et tunc interim * inter se valedicentes dimiserunt illos in pace, & in timore Domini ad propria cum optabili gaudio profecturos. Gradientes autem jam dicti illi duo viri beati psallebant invicem cursu felici dicentes Domino: Pedes nostros in viam pacis dirige Domine, & salutem nobis accumula in tuo nomine nos deducendo, ut ad tua promissa, & domino nostro renunciemus cum omni salubritate cordis ejus amabilia. Sicque, oppitulante Deo, prospero cursu repedârent quantociùs ad propria.

22 Sentiens autem per spiritum beatus Filibertus illorum adventum, triduo antequam ad illius sanctam præsentiam devenirent, fratribus, qui secum morabantur in sacris orationibus, referebat dicens: Verè, fratres, gratias agamus omnipotenti Deo juxta modulum nostræ parvitatis, ut dignum est; quoniam servos suos, fratres nostros, quos ad partes Aquitaniæ regionis pro suo * famulatu destinavimus, si vita comes manserit, Deo annuente, post cras recepturi sumus. Vidi enim hac nocte per spiritum eorum angelum, quem credo fore itineris * socium ante me stantem * & dicentem mihi: Gaudium tibi in hoc maneat, Serve Dei, & condigna exultatio; quoniam illos Dei famulos, quos mihi in via custodiendos commisisti, post cras salvos & incolumes tuæ iterum custodiæ servituros restituam. Deo enim in hoc decet laus & jocunda laudatio.

23 Neque enim hunc justum novumque prophetam hoc latêre potuit, qui multociens, ut in Vita sua legitur, talia suis fratribus prænunciando innotuit, quæ postea eventus rei probavit. Denique veniente die tertia, ut servus Domini suis domesticis prædixerat, illi duo athletæ Dei, qui ab eo missi fuerant, felici gressu remeaverunt ad propria. In quorum sacro adventu non solùm domnus abbas, sed etiam totus grex & reliqua familia gratulando occurrit: Benedicti, qui veniunt in nomine Domini, decantantes feliciter. Sicque à sancto patre, ut justum erat, excepti renunciaverunt omnia, quæ à beato Aychadro eis erant injuncta. Audiens autem hoc vir Domini lætabatur supra modum in sermonibus eorum, & gratias condignas referebat Deo in hiis, quæ ab eis delata audierat.

ibi commorentur, post dies triginta

B

* *Mabil.* sacrorum affectuum

* *ibid.* familia

* *ibid.* subvenirent

remittit ad S. Filibertum,

* iterum

C

ctui, de reditu eorum etiam divinitus monito,

* *Mabil. additur* sancto

* *ibid. additur* eorum

* *ibid. deest* stantem

D

& cum suis obviam venienti, legationis suc. essum exponunt.

E

F

ANNOTATA.

a *S. Filibertus in Resbacensi cœnobio, quod situm est in Bria Galliæ provincia, abbas suffectus est S. Agilo, sub annum 650 è vivis erepto; dein, postquam aliquod tempus ibidem præfuisset, perlustrare cœpit Luxovience, Bobiense aliaque monasteria*, quæ, *uti loquitur biographus ipsius*, intra suum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia, *demum juxta eumdem biographum*, à rege Francorum Chlodoveo nomine, atque ejus regina, vocabulo Baldechilde, locum in pago Rotomagensi, quem vetusto vocabulo Gemeticum antiquitas consueverat nuncupare, obtinens suggestione supplici, nobile ibidem cœnobium visus est construxisse. *Ex hisce, quæ fusiùs exposita videri possunt tom.* IV *Augusti ad diem* XX, *ubi de S. Filiberto, ac tom.* VI *ejusdem mensis ad diem* XXXI, *ubi de S. Agilo actum est, concludimus cœnobii hujus fundamenta jacta fuisse intra annos 650 & 656 Clodovei II ultimum. Mabillonius primordia ejus annectit anno circitèr 654, eidem scilicet, cui Quinciacensis monasterii. Vide Annotata ad cap.* I *lit.* n.

b *Toto isto numero manifestè indicat biographus, erectum ac perfectum fuisse Quinciacense monasterium à* S. Aichardo *& loci episcopo, neutiquam à S. Filiberto. Hic igitur illius fundator dici debet ea dumtaxat de causa, quòd* S. Aichardus *opus inchoârit ac perfecerit tali semper intentione, ut se & monasterium suum illi subjiceret, ejus vivendi normam adoptaret, &, si qui inter suos errores occurrerent in regularum observantia, illius auctoritate & auxilio corrigeret; quod factum insinuat etiam S. Filiberti biographus, ubi dicit, quod S. Filibertus, Quinciacense monasterium*, veteribus deturbatis erroribus ... impleverit monachis. *Dabimus locum integrum in annotatis ad caput sequens lit.* b. *Erat ergo Quinciacense monasterium, erant monachi, antequam errores corrigeret & suis illud impleret seu potiùs augeret Filibertus.*

c *Idem iste creditur, qui postmodùm auctor fuit monasterii S. Sidonii, Gallis* saint Saën *in agro Rotomagensi; memoria ejus in variis Fastis recurrit ad diem* 14 *Novembris.*

d *Apud Mabillonium:* Ave præceptorum Dei remunerator *&c.*

e *Ne continuis observationibus nimium accrescant Annotata nostra, hic semel dictum esto, apparitionem seu visionem hanc, & alias frequenter occurrentes, suspectas nobis esse, certè secundum mirabilia earumdem adjuncta; quippe quæ testem non habent nisi auctorem binis seculis posteriorem, ac tali interea modo ea referentem, quasi singulis præsens adstitisset, uti manifestant prolixæ angelorum & Sanctorum apparentium orationes, quas proin*

A *totidem ingenii ejus fœtus existimamus. Consule Comment. prævium num.* 25.

f *Mabillonius habet textum Apostoli integrum:* Tria hæc, major autem his est caritas.

g *Ibid.* Quem fixum tenemus in nostrorum intimis præcordiis.

CAPUT III.

S. Aichardus eligitur successor S. Filiberti in Gemeticensi abbatia.

S. Filibertus proficiscens ad episcopum Pictaviensem

a

* *Mabil.* peractis

B

NEc multo pòst isdem beatus vir Filibertus in Domino cognoscens ea, quæ in animo beati Aychadri abbatis versabantur, pro suo sancto missiatico *a*, quàm celerrimè paratis * omnibus, quæ in via erant necessaria, ordinatisque cunctis, quæ in monasterio erant fratribus commoda & eorum religioni convenientia, assumptis sociis de suo sancto collegio, ipse valefaciens fratribus, Domino eosque commendans, profectus est ad Ansoaldum Pictavorum episcopum, bonæ indolis virum, & omni sanctitate præcipuum. Qui adventus beati Filiberti abbatis excellentissimi non potuit latere viro * Ansoaldo: sed quantociùs cum omni laude ac condigna veneratione occurrit illi longè ab urbe cum omni ornatu ecclesiæ, in quo loco * adventu horum Sanctorum, quis potest mente concipere, quanta fuerit lætitia, quantaque laus clericorum cum magno spectaculo decantantium?

* *ibid. additur* Dei

* *ibid.* sancto

honorificè excipitur

25 Omnis itaque ornatus ecclesiæ, & omnis ætas fidelium inibi commorantium huic sancto spectaculo & desiderabili prospectui interfuit, & usque ad domum orationis cum hiis duobus sanctissimis viris proficisci non distulit. Denique dicti jam duo gemini Sancti Dei Ansoaldus scilicet & Filibertus perlustrata * oratoria, orando, & dignas preces simul faciendo, Deo laudes reddiderunt, qui dignè petentibus digna confert ubique in Domino degentibus. Finitis denique sacris cerimoniis eloquiorum, Ansoaldus bonæ memoriæ jam dictus episcopus sanctum Dei Filibertum condignis excepit hospitiis ac recolligens illud Apostoli: Quia non priùs quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale *b*, ad magnum simul convenerunt convivium. Epulantes ergo cum gaudio de bonis à Deo collatis, magnis in invicem sillogismorum strophiis tangebant cum quæstionibus, semper benedicebant * Dominum, qui servis suis & prospera tribuit non immeritò, & adversa depellit eorum sanctis orationibus juvando.

* *forte* perlustrando

C

b

* *Mabil.* benedicentes

26 Post celebrationem autem illius sancti epuli, ymno decantato, dederunt se servi Dei in sanctis colloquiis, in quibus collocutionibus beatus vir Filibertus professus est domno Ansoaldo conatus sui animi, & ea, quæ illi impediebantur in cœpto itinere *. Duæ enim res erant, quæ beato * Philiberto imminere videbantur; una mala, quæ injustè patiebatur ab apostata Ebroino; altera, quæ ab angelo dictante, Herio ad insulam causâ monasterii construendi erga se ordinaverat veniendo. De tertia *c* verò non fuit illi sub clanculo silere, quæ permaxima videbatur, quòd beata familia Gemmeticensis sacri cœnobii non quiverat sui patris absentiam ferre, sine alterius magistri regimine, ne tantus grex periclitaretur tamquam navis naufragio in undoso flumine.

&, expositâ itineris causâ,

* *Mabil.* negotio

* *ibid. additur* Dei

c

A. ANONYMO.

27 Atque hiis enodatim ostentatis abbas egregius Ansoaldo glorioso episcopo animi sancti sui sollicitudinibus *, versus ad præfatum præsulem cum sanctis præcordialibus lacrimis dixit: Tibi enim, vir Dei Ansoalde, in hoc negotio, & pro hiis meis irremediabilibus suspiriis, si tuæ, flante Spiritu, inhæserit voluntati, à Deo merces collata manet, & in die remunerationis lumen inextinguibile lucebit. Ecce enim infra sanctum ovile tuum, beatissime pater, in loco nostro, qui Quinciacus dicitur, est mihi à Deo insinuata, si tuæ placuerit sanctæ paternitati, fausta recuperatio. Pro quo obnixè tuam sanctam beneficentiam peto, ut in hac justissima sustentatione mihi manum porrigas, & alleves fessum, quem longa huc ad te angelico, ut æstimo, ductu conduxit peregrinatio. Flagito etiam tuam sanctissimam munificentiam, quia in tua justissima providentia undique pendet, ut in hoc communi nostro exercitio mihi velut indigno conservo tuo & prævium licentiam ad hoc desiderabile opus peragendum tribuas, & supplementum ultra tuam diœcesim progrediendi cum peracto conatu impertire cures.

Gemetici sibi successorem postulat

* *ibid.* sollicitationibus

E

S. Aichardum: annuens episcopus cum ipso Quinciacum proficisci statuit.

28 Et ne longiùs hunc sermonem protraham, est hìc in præscripto loco nostro Quinciaco sub umbra sancti tui regiminis, nostrique patrocinii famulus Dei Aychadrus nomine, vir justi meriti, ut fama vulgi testatur, vera lucerna ardens & lucens: hunc tuæ benignitatis pietatem postulo, ut mihi fideli famulo tuo pro solamine mei laboris jungendo copules, & usque ad locum meæ exiguitatis à Deo depositum, veluti Philippum alterum cum tua sancta sodalitate confirmes. Ad hæc beatus Ansoaldus, flexus viri Dei dignis petitionibus ad misericordiam, surgens adoravit Dominum, & gratias Deo referens viro Dei respondit: Vale beatissime pater cum tuo sancto preconio & omnia, quæ versantur in tuo sancto proposito: & ego sodalis comesque itineris ac exortationis cum omni affectione existam, & tu acceleratim ut deliberes opto *. Attamen tuam inextricabilem fraternitatem * deposco, ut hac nocte & cras tuo corpori quietem tribuas, & post cœptum opus hoc optabile desiderium cum Dei adjutorio usque ad dignum profectum oro, ut perducere cures. Tui enim laboris existam socius, & commoditatum adjutor. Non enim erit ultra in me mora ulla. Post cras itaque ad Quinciacum simul profecturi erimus Dei servitium peracturi quidquid illi placuerit.

* *Mabil.* oro

* *ibid.* firmitatem

F

Eorum adventum ab angelo intelligit Aichardus.

29 Eadem namque nocte per visum apparuerunt beato * Aychadro illi duo sanctissimi viri, Ansoaldus scilicet episcopus & Filibertus abbas egregius; unus ferens illi sub nomine episcopi virgam pastoralem, alter verò regulam beati Benedicti, uno ore dicentes illi: Surge Frater noster à Deo electe, & accipe hoc munus, quod tibi à Deo per servos suos dirigitur; virgam scilicet pastoralem, ut per eam errata corrigas, & ad rectum tramitem devios inoffensè reducas; librum etiam, ut quæ inibi sunt scripta regulari institutione custodias, & subditis tibi ut in ipsis intentissimè experiantur sub omni continuatione piè instituendo præcipias. Evigilans autem sanctus ille Athleta Dei à somno dixit: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Sicque demum in hiis vigili mente cœpit meditari, obsecrans, ut Deus pius hoc præsagium totum converteret in bonum. Verùm

* *ibid. additur* abbati

A. ANONYMO.

nemini hoc manifestum fieri voluit, nisi solummodò cuidam spirituali viro, conscio occultorum suorum.

Episcopus cum Filiberto summa veneratione in monasterium introductus,

30 Die autem altero transacto, supradicti duo gemini viri, gemina dilectione induti, cives Apostolorum & domestici Dei, Quinciacum advenerunt, portantes pacem & ea, quæ pacis erant, secum ferentes. Equis descensis, sanctis petierunt orationibus; in quorum sanctissimo adventu Abbas, & tota illius sacri cœnobii familia cum capsis Euangeliorum & Sanctorum pignoribus occurrens, in commune laudaverunt Dominum dicentes: Benedicti, qui veniunt in nomine Domini. Deinde ingressi in ecclesiam cum prece devota circuierunt illa sancta altaria, inter cætera & hoc deprecantes Dominum, ut angelus ejus bonus dirigeret viam illorum. Surgentes autem à sanctis precibus, domnus Abbas excepit illos in sancto hospitio, quemadmodum Loth duos angelos suscepisse aliquando legitur.

præmissa ad monachos exhortatione,

31 Et hiis tribus in nomine sanctæ Trinitatis sedentibus, vir Domini Ansoaldus Pictavorum episcopus ita adorsus est: Vir Dei domne Aychadre cum tuis tibique subditis ave: pacem nempe vobis annunciamus omnibus, unanimitatem *d* erga vos fore optamus. Ipsam namque ab eo sumentes ad vos ferimus, qui in condignis suis pollicitationibus locutus est dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Si ergo caritatem, quæ Christus est, in nostris * visceribus manere senserimus, & in pacis tutelam firmos, quis fidelis vos devios à vera fide * dicere audebit? Spem denique vitæ æternæ in vestris factis animis jam diu florere cognovimus, & ex ipsis floribus fructus odoriferos & pulchrè ceruleos in manibus ferre inspicimus *. Si ergo juxta Apostolum hæc tria dona felicia, fidem scilicet, spem & caritatem fixè in cordibus tenetis; cui dubium est, quòd viri perfecti sitis? Et quia hoc pro certo comperimus, oramus, ut Deus pacis & dilectionis semper maneat vobiscum, & ipse conteret sathanam sub pedibus vestris velociter, gratiaque Domini nostri Jesu Christi ubique mansionem vobiscum faciat, in tantum, ut de lumine vestro lumen inextinguibile nobiscum maneat.

B

d

* *Mabil.* vestris

* *ibid.* à via fidei

* *ibid.* perspicimus

Aichardum inducit ad suscipiendam

32 Abbati autem domno Aychadro omnibusque sanctis suis discipulis Amen respondentibus, ecce quidam monachus adveniens invitavit eos ad prandium. Quo audito, domnus episcopus ilico promisit se incibatum ita manere, quousque de suis singulis * petitionibus acceptabile reciperet verbum; atque addidit: Jam nunc pater alme Aychadre, quia * meis oratiunculis tuo sancto solamine Amen annisus es respondere, precor, ut nunc quantociùs Deo omnipotenti obediens, sacrificium oblationis pro tuis spiritualibus responsionibus, quia amicabilis existis, amicabiliter confirmes. Non enim donum sancti Spiritus, à te paulò superiùs reboatum, casuale erga Sanctos licet intelligi. Quoniam * secundùm Apostolum *e*, disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. De lumine ergo sancto tuo juxta insolubilitatem verbi tui, Deo annuente, lumen videbimus, & in tuo sancto radio multos filios Israël sacræ Gemmeticensis familiæ sine ulla excusatione ad Deum convertes. Manus enim Domini adhuc manet extenta, ut salutaria * valeat & auris ejus pro peccatoribus à cunctis justè credentibus exaudibilis verè intelligitur.

* *ibid.* dignis

* *ibid.* qui

* *ibid.* cùm *c*

* *ibid.* salvare

33 Tunc beatus Aychadrus, hiis conluctationibus auditis, respondisse fertur beato Dei Ansoaldo: Et si hoc verbum, sanctissime pater, à Deo pio videtur fore collatum, non potest dissolvi. Ego enim quantuluscumque sim, pro infirmo servo Dei inter innumeros servorum Dei famulos computari desidero. Valeat ergo sanctum verbum tuum, pater electe; profiteor enim, me, ut jusseris, tuis censeri judiciis, & obedire petitionibus, ut tua jusserit paternitas & imperaverit sanctitas. Fiat ergo Domini voluntas; & in manu ejus hoc præceptum tuæ beatitudinis dirigatur, fiat hoc meum votum ut sacrificium acceptabile Domino.

D

Gemeticensis cœnobii præfecturam,

& facta refectione,

34 Et quia non omni tempore habile est regnum Dei, prædicti tres electi ejus cum timore sancto properantes ad convivium decantabant, ut suprà, feliciter: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Fueruntque sancti Dei Ansoaldus & Filibertus cum suis contuberniis, ut Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus, & beatus Aychadrus more Samuël inter eos, eorumque omnis sancta familia, ut David, laudes decantabat Domino, in fine frequentata gloria, addito Alleluia. Convivio autem jam penè transacto, & fercula ejus usque ad finem deducta *, in commune vox exultantium dedit laudes Domino, qui tot viros preciosos copulaverat in suo sancto consortio.

E

* *lege* ferculis deductis

dolentes de Patris abitu monachos Quinciacenses consolatur.

35 Neque enim famosus in Dei famulatu Filibertus abba præpotentissimus finem dederat suis sanctis sollicitationibus: pulsabat enim athletam Dei episcopum, ut antea, qualiter de futuris in sancto itinere peragendis profectionibus, certatim deliberaret. Fuerat enim in familia beati Aychadri abbatis jam ingravatus mœror; quùm audierant, profecturum eum cum instantibus viris, & ad altiora migraturum in seculo, cujus jam os longè antea sua sanctitate transtulerat cælum. Aderat enim electorum Dei comitatui sollempnis jocunditas & inedicibilis gloria, qui profectò ceperant *, secum profecturum Virum ad patriam, ubi tunc eo tempore pullulabat Christi laus & indeficiens facundia. Tunc preciosus Domini Ansoaldus episcopus jussit fratribus, ejusdem loci morantibus, ad domum refectionis venire quantociùs: ipse autem cum domno Filiberto, beatoque Aychadro stipatus eorum sancto collegio pòst veniens, omnibus sufficiens poculum manu sancta sua cum sanctificatione protulit, hortans eos, ut in vera pace cum gaudio fruerentur in Domino semper, mente disponens in crastinum se profecturum feliciter. Hospitalite autem sancta cum cuncta hilaritate ad finem deducta, aliquantulum se Sancti Dei sopori dederunt, pernoctantes illuc cum timore Domini in omni sanctitate.

* *Mabil.* comperant

F

ANNOTATA.

a Missiaticum *seu* Missaticum *à scriptoribus mediæ ætatis non rarò usurpatur pro* legatione, *ut pluribus exemplis ostendit Cangius in Glossario: & verè S. Filiberti peregrinatio, hoc loco relata, appellari potuit* legatio. *Vide infrà ad lit* c.

b *Verba ista habet Apostolus* 1 *ad Corinth. cap.* 15, ℣ 46, *at, sicut videri potest ex contextu, sine ullo respectu ad refectionem corporis, nedum ad convivia, quibus auctor noster frequenter referendis delectatur, æquè ac prolixioribus colloquiis.*

c *Si tertia ad Ansoaldum veniendi causa fuerit S. Filiberto, ea certè non fuit quam anonymus noster, miserè confundens ordinem rerum ac tempo-*

A *porum, initio hujus capitis prætexit, & hic pluribus ambagibus pergit explicare, nempe ut S.* Aichardum *sibi succeſſorem obtineret in Gemeticenſi abbatia. Nam juxta Vitam S. Filiberti, cui, utpote à ſcriptore ſuppari concinnatæ, multò major auctoritas competit & fides, de* S. Aichardo *Gemeticenſibus præficiendo actum non eſt hocce tempore, ſed poſt annos novem aut decem. En tibi veram S. Filiberti profectionis occaſionem, & rei geſtæ ſeriem in compendium contractam. Ebroïni Majoris Domûs, vitæ monaſticæ deſertoris, & virorum Sanctorum perſecutoris iram in ſe concitaverat S. Filibertus; hanc tamen ille diſſimulavit primùm, non auſus fortaſſe aperta vi vindicare ſe; ſed inſidiis & occultis falſorum teſtium machinationibus tandem effecit, ut à S. Audoëno Rotomagenſium epiſcopo, cui antè erat in amoribus Filibertus, ob afflictum crimen conjiceretur in carcerem. Paulò poſt, agnitâ innocentiâ, Audoënus ſanctum abbatem & carcere liberavit & litteris munitum direxit in Aquitaniam ad epiſcopum Pictavienſem Anſoaldum, ubi tutus eſſet ab Ebroïni perſecutione. Contigerunt iſta circa annum 674. Anſoaldus autem Filiberto peramanter excepto non modò licentiam conceſſit conſtruendi monaſterii in*

B *Herio ſeu Hero inſula maris Aquitanici, verùm etiam id multis prædiis ditavit. Interea temporis S. Audoënus reclamantibus Gemeticenſibus abbatem præpoſuit Chrodobertum, & huic mox è vivis ſublato ſubſtituit alterum nomine Ragertrannum, denique occiſo ſub annum 681 Ebroïno, revocavit Filibertum ac priſtinæ dignitati reſtituit. Attamen Filibertus præferens Herienſe cœnobium Gemeticenſi poſt breve tempus reverſus eſt ad Anſoaldum &* magno receptus cum gaudio, *verba ſunt ipſiuſmet biographi,* perrexit Quinciaco monaſterio, quod & ipſum nobili eſt conſtructum in loco; unde iſdem ſacer, veteribus deturbatis erroribus, ipſum impleverat monachis, ubi Chriſtus jugiter per famulos collaudatur in Sanctis; ibique accepto conſilio, unum de diſcipulis ſuis electum, Aicadrum nomine, virum idoneum direxit Gemeticum, ut ipſe paſtorali officio ſubrogaretur in loco; & licèt mœrentes monachi de prioris patris corporali abſentia, tamen præſentes per gratiam viri ſancti impleverunt decreta, & eidem Aicadro promiſerunt obedientiam. *Ita biographus iſte cap.* 3 *apud nos tom.* IV *Auguſti pag.* 79 *&* 80 *: ubi ne verbum quidem de an-*

C *gelo, quo dictante, juxta biographum noſtrum S. Filibertus conſtituerat ædificare Herienſe monaſterium; nulla quoque mentio de apparitione ejuſdem Sancti cum Anſoaldo antiſtite facta* S. Aichardo, *quam infrà num.* 29 *refert noſter. Sed hic fortè præ oculis habuit vitam alteram S. Filiberti, cujus meminit biographus S. Auſtrebertæ apud nos tom.* 2 *Februarii, & apud Mabillonium Sec.* III *Benedictino, tamquam ab inepto & imperito auctore concinnatæ.*

d *Apud Mabillonium* & ſanctam unanimitatem.

e *Non ſunt Apoſtoli hæc verba, ſed Sapientis cap.* 1 ℣ 5

A. ANONYMO.

CAPUT IV.

Sancti ad Gemeticenſes profectio; regiminis exordia, miracula, viſiones.

Succeſſore ſibi conſtituto Quinciaci,

DEinde in craſtinum omni ſancta profectione parata, vir Domini ſæpe nominatus beatus ſcilicet Aychadrus fretus conſilio juſtorum, cum conſenſu patris ſui Filiberti, quemdam ex ſuis * commilitonibus, virum ydoneum & ſanctitate locupletem, in ſuo loco decrevit ordinare abbatem, nomine Probum; quem ad ſanctas manus Domni Anſoaldi epiſcopi ſui deduxit, eique commendans & dominio * prædicti officii dignum eum eſſe laudabant *. Qui mox ordinatus abbas, & paterfamilias à ſancto antiſtite effectus, locum regiminis cœnobii dicti Quinciaci per juſſionem * beati Filiberti ſuſcepit, eique omnes inibi degentes per commendatum * epiſcopi atque domni patris Aychadri regulariter obedientiam promiſerunt, & ſubditos eſſe ultroneos ſe dederunt.

* *Mabil.* ſanctis

* *ibid.* Domino

* *ibid.* laudabat

* *ibid.* proviſione

* *i. e.* mandatum

37 Nec morâ pòſt longâ peractâ, & Miſſarum ſollempniis celebratis, poſt fractionem panis, commendato grege Domino, petierunt proſperum iter, viamque ſalutis cum felici ſucceſſu & gaudio opportuno. Gradientes autem hii tres Sancti Dei, lætitiâ æternâ fruebantur in eo, qui ſuis promiſit omnia poſſe, & gratias condignas referebant illi cum felicibus pſalmodiæ concentibus: ibantque ad locum deſtinatum, quem præparaverat Dominus ſervo ſuo Aychadro pro meritis ſuis innumeris, quæ gloriosè in ſuis ſanctis moribus, nec non & felicibus ejus actibus die ac nocte excreverunt. Et verè nimiùm beata horum electorum Dei ſocietas, quia in hiis nequiverat quis mortalis diſcernere *a*, quis primus videretur eſſe inter illos, alter & tertius: ſed ſeſe invicem glutinati ſanctæ caritatis * Trinitatem figurabant in illorum ſancto contubernio.

Sanctus cum Anſoaldo & Filiberto

a

* *Mabil. additur* glutino

38 Eadem nanque die optato curſu petierunt civitatem Pictavium, ubi à Domino delegaverat * cathedra viro Dei Anſoaldo. Qualis verò quantave inibi illorum tunc fuerit exceptio, non eſt neceſſe humanæ linguæ proferre. Caritatis* autem, quæ nunquam exeidit, hoc donum Sanctis ſuis per juſſum viri Dei Anſoaldi epiſcopi longè antè præviderat. Perendiè denique in eodem loco domnus epiſcopus cum ſuis ſanctis collectam eis *b* facientes, die tertia in lucem deducta, moverunt ſe ſancta caſtra, profectura ad loca deſtinata, quo Spiritus ſanctus eos deducturus erat *: dicente Paulo: Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Et alio in loco ſancta Scriptura: Ductor eorum fuiſti Domine.

primùm Pictavium

* delegata erat

* Caritas

b

* *Mabil.* inerat

39 Et ſic ſanctos pedes à liminibus exilii, ſanctæque peregrinationis abſtrahentes, die ſeptima ſimul cum ſancto epiſcopo tandem ad locum ſacrum Gemmetici, Domino ſimul cum eis comitante, pervenêre; ubi tantus electorum Dei obviàm illis occurrit, ut ita dicam, monachorum exercitus, ut vix alicujus animus credi ſe poſſibile dicat. Nam ut fama credibilis ejuſdem loci teſtabatur, eo in tempore monachorum erat numerus nongentorum, & aliorum, quos famulos nominabant, mille quingentorum. Quæ ſi quis

iter dirigit, & hinc

A. ANONYMO. veraciùs agnoscere velit, legat Vitam beatissimi Filiberti *c*, ubi de dormitorio illius familiæ loquitur, & illic inveniet, quo animum credibilem vertere valeat. De susceptione autem sancti episcopi & Servorum Dei in eodem loco, non est etiam necesse laborare; quoniam ut tres Angeli, in nomine sanctæ Trinitatis susceptì, lucem & lumen æternum in illorum adventum ministraverunt *d* Sanctis Dei, quo perfruituri regnabunt in æterna quiete cum Domino.

c

d

Gemeticum, 40 Similiter autem & de beato Dei Aychadro non est hîc opus aliquam mentionem facere, quia & in prædicto libro beati Filiberti, & loci commendatio invenitur, & qualiter abbas fuerit ordinatus, & totus ordo illius sancti loci monachorum omnes concordatim promiserunt * ei obedientiam, omnemque subjectionem, scriptum reperitur. Quomodo autem beatus Filibertus simul cum sancto episcopo Ansoaldo illuc * egerit, & quod solamen domno abbati Aychadro suisque fratribus reliquerit, & quomodo in revertendo Herio ad insulam omnes * in pace & quiete sancta dimiserit, si quis hoc discutere cupit, legat ejus Vitam, & illic de talibus inveniet, quod requirit *e*. Et quia de hiis non habetur opus quidquid * laboriosum ducere, revertamur ad cœptum opus, de beato viro Dei Aychadro enarrando, Domino opitulante.

* *ibid.* promiserint

* *ibid.* illic

* *ibid.* omnibus

e

* *ibid.* quidquam

41 Susceptum denique Sanctus Dei locum regiminis, quàm sanctè in eo vixerit, & quanta caritas & dilectio seu frugalitatis virtus in eo habundaverit, humana lingua adplenè non valet enarrare: quoniam juxta Apostolum nemini de se procuraverat dare offensionem aliquam, ne videretur vituperare ministerium, sibi à Deo creditum; sed in omnibus * seipsum irreprehensibilem ducere, ut Dei ministrum, & credulum ministratorem commendatæ familiæ. Erat nanque multa patientia * deditus, in vigiliis assiduus, in jejuniis frequens, in castitate probus, & in omni virtute sanctitatum præcipuus. Quippe omnibus omnia factus fuerat, ut cunctos lucrifaceret, & talentum sibi commissum à Domino duplicaret. Et quia perfectos viros * semper perfectiora sequuntur, cœpit Vir Domini ut lampas, à sancto Spiritu inflammata, virtutibus crescere, & in sanctis studiis bonorum animum informare, ac dilectione perhenni omnes * cum caritatis vinculo diligere. Non solùm domesticis, ut auctoritas Apostoli jubet, sed etiam extraneis, ut innexi * perfectionis manerent modis omnibus sollicitare, ac eos, quos aliqua inedia tetigerat, sanctis administrationibus recreare.

ubi regimen suscipiens virtute excellit

* *ibid. additur* decreverat

* *lege* multùm patientiæ

* *Mabil.* perfecti viri

* *ibid.* omnibus

* *ibid.* in nexu

42 Præviderat enim in juventute tamquam per visum in spiritu omnibus ydoneis caritatis sanctæ ministrum fieri & omnibus obediri *. Dederat illi omnipotens Deus pro sanctis suis meritis jam virtutem non modicam, in tantum ut infirmos, variis languoribus detentos, sua sancta oratione curaret, & febricitantibus juxta morem magistri sui domni ac beatissimi Filiberti, verbo Dei præciperet, ut ampliùs non ægrotarent, quæ jubente Deo cum felici, ut ita dicam, fortuna, prosperè sine intercapedine temporis omnia succedebant. Nam ille erat illi præsens adjutor ad hoc peragendum necessarium negocium *f*, qui ad socrum Symonis veniens, super illam stetit imperans febri & dimisit illam. Et ille, de quo psalmographus dicit: Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

& miraculis claret.

* *ibid.* obedire

f

43 Sicque Sanctus Dei de virtute ad virtutem transiens, die quadam simul cum fratribus ad obedientiam properavit; in qua cùm diu pariter cum illis staret, vidit in spiritu super quamdam arborem, quæ malus sive pomarius dicitur, tetrum angelum sedentem, & securim in manu tenens * arborem incidere, quosdam è fratribus per ruinam illius volens * periclitari. Tunc fratribus, illo in loco juxta arborem stantibus, ad se evocatis, ostendit eis insidias, quæ * ab iniquo paratas esse viderat; ac simul cum eis ad arborem perveniens signum Crucis oppossuit, malumque, quod à perfido minitabatur, suo sancto ligamine sedavit. Sicque die transacta tertia, fratres ad eandem obedientiam convenientes, prædictam arborem tamquam igne succensam viderunt, & cicatricem, quam securi fecerat diabolus, patescentem, fructusque illius instar pruinarum * nigros effectos: erat enim Autumpni tempus, quo solent omnia terrigena * maturescere.

D

Fratres dæmonis insidiis liberat.

* *ibid.* tenentem

* *ibid.* volentem

* *lege* quas

* *lege* prunarum

* *Mabil.* terrena

44 Præterea & illud dignum duximus commendare memoriæ, quod quadam die, quæ nominatur Sabbatum, quo solent monachi exercere novitia *g*, Sanctus Dei præcepit cuidam monacho procuratori suo, ut capillos sancti sui capitis cum forcipe adæquaret: qui ilico festinanter explens, hoc, quod à sancto Patre jussum * fuerat, forcipe allata, quod illicitum erat prætergredi, cum summa reverentia fieri procurabat. Eratque illo in die tamquam hora nona transacta, & attentissimus animarum sanctarum Procurator aliis præventus & occupatus curis, minimè suo sancto studio tunc hoc pro excolenda memoria commendabat. Quid plura? Memorator malorum & insultator hominum diabolus mox se huic exprobranter operi immiscuit, atque in angulo domûs absconsè manens, acceleratè velut in quodam membranulo scribebat.

Ob tonsuram Sabbato factam

g

* *ibid.* visum

45 Quod amministrante omnipotentis Dei pia prævidentia, hoc Sancto Dei nequaquam latere potuit, sed versa facie ad eum Homo Dei ait: Quænam res te callide & Deo odibilis huc accersiri voluit? Num sponte an coactus ex tuis furvis furiis in nostra latibula temerè introîsti, ut hîc aliqua, quod absit, reperta explorareris comperta *? Tunc ille cruentus vafer subsequenter infit: Hoc quod hîc, Serve Dei, nunc te jubente in incompetenti hora in tuo servitio illicitè contra mandatum Christi tui fieri video, hoc omnimodis reprehendo, & meæ cartulæ adjungo, hora namque nona transacta est, operari non licet. Ad hæc egregius Famulator Dei respondisse fertur: Et si hora nona transacta habetur, hoc, quod hîc in proprio corpore injustè egi, ipse peccavi. Attamen opus, malè à me inceptum, omittatur nunc imperfectum; tu tamen ad tuos & ad tua tormenta revertere, & Cultorem Dei noli ampliùs inquietare. Ad quam vocem protinus temptator abscessit.

à dæmone reprehensus

* *ibid.* explorares contagia

F

46 Servus autem Dei Aychadrus ad ecclesiam beati Petri apostoli totus in timore Domini confugiens, coram cunctis fratribus pro hoc commisso facinore ante Domini præsentiam expetivit veniam, totum se cum luctuosa facie in pavimento prosternens ecclesiæ, cum multis lacrymis & contrito corde deprecans omnipotentem Dominum, ut pro hoc commisso piaculo ne periclitaretur ejus anima in tetro vallosoque tartareo: ac post hæc, ut pro hac re mereretur beatus Homo adipisci veniam, receptâ pœnitentiâ, pio totum se commisit Domino, voto se corrigibili obligans, ne ultra mens ejus tanto quateretur lubricoso excidio *h*. Sicque, eodem Dei Famulo pro suis commissis orante, favente Domi-

veniam à Deo publicè postulat.

h

A mino & veniam optinere meruit, & capillorum ſuorum inciſio in ſancto ejus capite ultrà non apparuit.

ANNOTATA.

a *Legit Mabillonius :* Quia his, qui nequiverat quis mortalis diſcerni &c. *& ſenſum corrigit in margine eodem penè modo, quo legitur in noſtro codice.*

b *Idem Mabillonius legit :* Cum ſuis ſanctis collectaneis facientes &c. *At ne ſic quidem minùs vitioſus & obſcurus eſt ſenſus; forte indicare voluit auctor, quòd ſancti, priuſquam Pictavio diſcederent, cum populo vel clero ad templum convenerint, ibidemque divinum Officium perſolverint aut ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrarint; ea enim ſignificatione uſi ſunt aliqui phraſi iſta* collectam facere. *Vide Cangium in Gloſſario.*

c *Conſule ſuper his obſervata in Commentario prævio num.* 20 *& ſeqq.*

d *Apud Mabillonium :* Quoniam ut tres angeli miniſtraverunt; *omiſſis ceteris, quæ hìc interponuntur.*

B

e *In annotatis ad cap.* 2 *lit.* c *dedimus ex Vita S. Filiberti partem majorem eorum, ad quæ hìc lectorem remittit noſter : accipe partem reliquam :* Sanctus autem vir Dei (*Filibertus*) eos (*Gemeticenſes*) veniens viſitare, commonebat attentiùs, ut ſemper religionis perſeverarent in opere. Itaque commendans eos domino, benedictione data, pace præmiſſa, Herium eſt reverſus in inſulam, & Quinciacum monaſterium alteri de ſuis monachis tradidit ad regendum. *Hinc denuo ſuſpicor, biographum noſtrum uſum fuiſſe Vitâ alterâ S. Filiberti, ab imperito auctore productâ, de qua vide annotata ad cap.* 3 *lit.* c.

f *Mabillonius :* In hoc peragendo neceſſario negotio.

g Id eſt fortè (*inquit Cangius in Gloſſario*) cùm & comam & barbam renovare ſolent monachi, ſingulis ſcilicet Sabbatis : nam & novare barbam dixerunt Latini.

h *Hìc obſerva, quòd duraret etiam tum pia illa conſuetudo, quâ fideles à veſpera Sabbati laborem manuum miſſum faciebant in ſubſequentis Dominicæ diei reverentiam.*

C

CAPUT V.

Varia prodigia ac mirabiles viſiones ; mors dimidiæ partis Gemeticenſium monachorum.

Donatio Sancti monaſterio facta.

NEque hoc ſilendum eſt, quòd quidam nobilis à partibus Pictavorum de villa Tortoniaco, nomine Aſtaſius, ad beatum Virum veniens tradidit Deo & ſancto Petro in Gemmetico, ſeu etiam ſanctis Dei Filiberto atque Aychadro res ſuas in dicta villa Tortoniaco ſita cum omni integritate pro remedio animæ ſuæ : nec non etiam & ſeipſum mancipavit ejuſdem loci ſervitio pro amore Dei, vitaque perpetua acquirenda; ac comam capitis ibi deponens, jugum Chriſti ſuave & onus ejus leve ſuſcepit : dein etiam monachus effectus regularibus ſe ſubdidit diſciplinis; ac poſtea dum in vita manſit, cum Sanctis ſanctè permanſit.

A. ANONYMO. *Dum orat,*

48 Quadam itaque die, ut regula docet, fratribus iterum ad obedientiam profectis, ipſe domnus Abba cum duobus ſpiritualibus fratribus ad partem aliquam declinare ſtuduit, ut more * peculiarius aliquid ageret, gregique * ſibi credito Dominum, quemadmodum ſolitus erat, interpellaret. Jam enim in benigni Jeſu Chriſti Domini noſtri prævidentia ſanctus Spiritus hoc definierat, ut beati Viri ſanctitas demum mundo pateſceret, quæ diu mundialibus in vicinitate poſitis pro ſuo immerito clarere non poterat. Non ultra dignum erat, ut lucerna ardens & lucens ſub modio clanculata maneret, quæ jam in conſpectu omnipotentis Dei ſuper candelabrum ſita, non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro omnibus, ſibi à Deo commiſſis, ſuæ almitatis radios lucidè diſperſerat. Ibat itaque progrediens & Davidicum dictis cum duobus fratribus ſanctè decantans, ſemperque, quocumque finis Pſalmi evenerat, genuflexum faciens : ſicque contigit, ut ad quoddam volutabrum cantando devenirent, finemque cantici facerent.

* *Mabil.* additur ſolito
* *ibid* pro grege

ſuſpendit ſolis radio chirothecas, & infolliò igne circumdatas.

49 Qui mox Wantos *a* ſeu manicas abſtractos à manibus in ſolis radio velut in ramum arboris ſuſpendens, more ſolito coram Domino poplitum flexum *b* fecit, & ſanctas preces ad Dominum : in quo genuflexu, ut ipſi teſtati ſunt, qui hujus ſanctæ orationis ſtudio interfuerunt, ita ſanctum Virum globus igneus undique gyravit, ut neutrum horum duorum videret tertium *c*, quouſque ſancta oratio Viri finem daret optabilem ſuæ ſanctitati. Quo dum digna prece peracta, verus Dei Famulus ab humo ſurgens, wantos, quos Deo commendaverat, radius ſolis reſtituit. Quod Servus Dei ut comperit, non ſuis meritis * hoc donum Dei conferre voluit, ſed aliorum ſecum in hac viſione morantium. Attamen illis de verbo Dei præcepit, ut in vita ſua nemini hoc propalarent, nec ſuæ juſtitiæ merito hoc fieri æſtimarent. Et quia opus Dei revelare & confiteri honorificum eſt; ipſe pius Deus, qui in ſua ſancta Transfiguratione Moyſen & Helyam ſecum apparere voluit, ipſe etiam & huic Servo ſuo hos duos fratres pro hujus ſanctæ rei teſtimonio attribuit.

a b

c

* *ibid.* ſui meriti

Crucis ſigno & aquâ benedictâ dæmonem fugat ;

50 Eſt ſanè & illud dignum memoriæ commendare, quòd quadam nocte ille Paſtor egregius vigilias divinas ſupra gregem Dominicum faciens, fratribus omnibus præter cuſtodias in lecto ſoporatis, vidit in parte *d* meridiana umbram horribilem non modicam, acceſſibilem lucernam, quæ ſervis Dei lumen miniſtrabat, extinguere volentem. Quod cernens Athleta Dei munimine ſanctæ Crucis ſe vallando munivit, & contra hanc temptationem letiferam cum aqua benedicta ipſam ſemper aſpergens, & lignum ſanctæ Crucis ſecum deferens venire diſpoſuit. Et quia non eſt pars Dei cum ydolis *e*, in adventu Servi Dei umbra teterrima fugam iniit, & huc illucque diffugiens, quia Crucis ſanctæ medicamine, & aſperſione aquæ benedictæ in circuitu dormitorii munitum erat, per feneſtram vitream à Servo Dei coactus * exivit, & ſancta familia, Deo protegente, illæſa permanſit.

d

e

l. coacta

contra cujus inſidias moniti à Sancto

51 Tunc Paterfamilias & Deo dilectus beatus Aychadrus per ſpiritum Dei prævidens, nocturnali ac matutinali officio celebrato, indixit fratribus, ut tribus diebus in ſancta abſtinentia manerent, & cinere & cilicio induti per ſanctas preces orando & jejunando Dominum pium depoſcerent;

A. ANONYMO.

rent, ne malignus spiritus inter illos sua tela jactaret, quatinus liberati à suis mortiferis temptationibus, in omni sanctitate & justitia Domino incolumes & mundi deservire valerent. Quod præceptum domni Abbatis fratres, mente unanimi obsecundantes, quantociùs quod jussum fuerat, mente devota compleverunt, postulantes à pio Largitore omnium, ut sub sancta tuitione illius inexpugnabili mererentur clipeo protectionis suæ muniri.

cœnobitæ se muniunt

52 Et quia sub mitissimo Patre illud sanctum ovile ab omni turbine iniquitatum compererat se fore munitum, hoc totum inter se inierunt cum sancta deliberatione consilium, ut ab illa die in reliquum à minimis usque ad maximum omnis grex cum sancta professione sine offendiculo aliquo peccaminum acclinis ad omne bonum totus sequeretur Magistrum dicentes: Sub umbra alarum tuarum protege * nos Domine. Et iterum per Prophetam: In sanctitate serviamus Domino & liberabit nos ab inimicis nostris. Tanto denique inter se cuncti illi servi Dei uniti conamine, in crastinum requisierunt omnes in vera confessione verum animarum medicum, parantes se ad omnia recipienda, quæ Deus jubere vellet, sive bonum pro sanctorum Patrum velamine *, sive malum pro suorum delictorum justissima ultione.

* *Mabil.* tuere

B

* *ibid.* levamine

variarum virtutum exercitatione,

53 Hanc quoque professionem omnium domnus Abba felici gaudio suscipiens, optulit tam ipse quàm sibi à Domino credita familia cum omni devotione cordium acceptabile Deo sacrificium, obsecrantes pium Dominum, ut cum odore suavitatis in conspectu ejus mereretur perferri per manus sancti angeli, tamquam alterius Melchisedech remunerabile donum. Sicque onusta plebs sancta illius loci virtute aromatum, demum spirituali rumphea armati *f* imbelles coronam immarcessibilem recepturi sunt à benigno Jesu in die examinis, fruituri æternæ remunerationis præmio *. Et quia caritas non ficta minimè patitur discidium, dicente Apostolo, Caritas numquam excidit. Itemque: Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius? Quis mortalium positus in numero fidelium potest habere in dubium, quòd Spiritus dilectionis, seu perfectæ caritatis, quæ cum beato Philiberto de loco ad locum immutabiliter transiens, simul etiam cum hac familia sibi à Deo suoque sancto patrocinio, tamquam jure hereditario commissa, jugi amoris * Dei copulata ubique maneat? Quos enim sancta caritas copulavit in Dei servitio, longus tellurium sinus non poterat semotari * pro ullo exigente periculo.

f

* *ibid.* re*pirio

C

* amore

* *i. e.* semovere

54 Legimus autem, beatum Paulum apostolum Romæ in carcere trusum, simul etiam & in Epheso positum, gentibus præcipiendo scribere, & omnibus * illi incunctanter obedire. Patrocinium nempe simul cum suo sancto interventu, quod beatus athleta Dei Filibertus cum hac sibi credita à Deo familia corpore degens habuerat, hoc præsens spiritu orando per Spiritum sanctum huic clero incessabiliter ministrare curabat, & utinam in Deo ministret! Amen. Non enim derelinquit Deus sperantes in se. Attamen hiis omissis, redeamus ad superiora. Cœperat namque sanctus Aychadrus pollere in virtutibus in tantum, ut omnis in gyro positus monachorum cœtus conflueret ad eum, cupiens aliqua ex ejus sanctissimo ore trahere melliflua seu sanctitatis liquantia, quæ sibi & aliis postea mererentur fieri ad remedium opportuna. Erat enim omni parcitate deditus, sobrietate purus, orationibus frequens, atque assiduis vigiliis pernox, omni bonitate benivolus, subditis pius & omnibus oportunus; & necesse erat, ut, quem sanctitas devinxerat, etiam & temptationis ei metus * eveniret.

in eo adjuti absentis Filiberti orationibus. Præcipuæ Sancti nostri virtutes.

* omnes

D

* *Mabil.* tentatio divinitus *Post habitam ad suos exhortationem*

55 Quadam itaque die, omnibus ad se evocatis fratribus, inter reliqua sermonum * prædicamenta præcepit, ut omnes bono animo in omni sanctitate manerent, & vigiles in orationibus existerent, ne fur veniens soporatos inveniret, juxta Apostolum dicentem: Videte vocationem vestram, fratres, non enim longè abest, qui vocat vos. Ecce enim prope est * in januis. Quapropter videamus nos, fratres, interiùs & mundemus corda nostra, ut, cùm venerit, paratos nos inveniat. Quadam nanque nocte, Completorio decantato, domnus Abbas omnes sua sancta benedictione munivit, & eos Domino commendans, simul cum eis ad cubile devenit, non ut ipse se sopori daret, sed super gregem Dominicum orando * eminus vigilaret. Itaque fratribus in loco * locatis, totum dormitorium lustrando gyravit, seque Dominicæ custodiæ in loco destinato statuit, hac oratione decantans: Suscipe, Domine, preces nostras, & muro custodiæ tuæ hoc sanctum ovile circumda, ut, omni adversitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumitatis & pacis. Per Dominum.

* *Mabil.* exhortationum

* *ibid.* adest

* *ibid.* Domini commorando

* *ibid.* lecto

E

seorsum oranti apparet cum dæmone angelus, * *ibid.* tota conversione

56 Finita denique oratione, & ob confirmationem Amen dicente *g*, convertit se ad Dominum tota virtute *, incipiens Davidicum in * capite. Quod in spiritu flebili perorans cœpit ad altiora *h* se transferre, & in sacris orationum sollempniis cor ejus spiritualibus exaltare, semper in finem Psalmi adjungens: Protexisti me Deus à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sicque semper in sancta deprecatione ardentiùs vigilans usque ad noctis conticinium, vidit ad ostium domûs tamquam duos angelos, unum candida veste indutum, omni blandicie decoratum; & alterum tetrum atque hyspidum instar cujusdam belluæ, omni formidine ignitum, flammeos habentem oculos, & in manu ejus nigram tenens * virgam, dicente sibi angelo: Ecce hîc data est tibi potestas à Domino percutiendi corpora non animas; verumtamen non usque ad consummationem tuus desæviet gladius; quoniam non est hæc pro illorum reatibus exagitata temptatio, sed pro multorum correctione adhuc infidelium. Attamen hoc in loco subsiste paulisper, & ne extendas manum tuam ad aliquem; sed in revertendo, quod præcepero tibi, facito.

* *ibid.* à

g

h

* *ibid.* tenentem

F

prædicitque ei

57 Relicto autem maligno pestifero, angelus Domini bonus festinavit properè ad locum, in quo Vir Dei super gregem vigilans pernoctaverat. Quod cernens Sanctus Dei, pronus in modum Crucis corruit, obsecrans pium Dominum, ut piè averteret manum suam à familia sua, ne morbo diabolico periclitaretur, quod manus Domini plantaverat. Veniens autem Dei nuncius ad Servum Dei, clementer ei allocutus est *: Ave, Serve Dei, age, quod agis; ne cesset nunc labium tuum deprecando Dominum pro te & pro commisso grege per Dominum. Ipse enim me misit ad te, Sancte Dei, quem toto corde diligis, & in cujus fidelitate super gregem istum vigilans laboras. Quapropter noli supra modum pavere, nec te * ultra modum terreat; quùm non est hæc prædestinatio coram Deo pro dampnatione ani-

* *ibid. additur* dicens

* *ibid.* hæc res

ma-

A marum horum fidelium, ſed pro remedio electorum Dei, qui nunc de iſto ſancto cœtu evocandi ſunt ad vitæ æternæ præmium, quod illis eſt præparatum à Domino pro dignis meritis ipſorum, beatique Filiberti, egregii patris eorum per Jeſum Chriſtum.

inſtantem mortem i

58 Increvit enim multitudo hujus ſanctæ plebis, & medietas illius nunc aſſumptura eſt *i*. Verumtamen hoc à Domino huic ſancto loco conceſſum eſt, pro interventu Sanctorum hîc patrocinantium, quòd nemo hujus ſanctæ concionis periturus erit ultrà ab hac peſtifera clade, quæ nunc hîc eventura eſt, Domino diſponente. Qua de re nunc confortare, Serve Dei, & præoccupa ſimul cum iſtis faciem Domini in confeſſione, ut inſtante agone certaminis, contra hoſtem mereamini victoriosè palmam tripudii ferre in conſpectu Domini. Hodie enim & cras hæc ſancta multitudo de ærumpnis hujus caduci ſeculi profectura * ad Dominum, & in die tertia veſperaſcente die conſummabitur felici conſummatione in Domino. Finito ergo hoc Sancto angelico colloquio, & à Sancto Dei longiùs abſcedente, mandatum Dei, quod prætergredi non poterat,

** ibid. additur eſt*

B cœperunt quantociùs conſummare.

mediæ partis

59 Quod cernens Vir Domini ruit in loco, quo ſteterat, in ſancta prece, flens & ſeipſum nimiùm diſcerpens, cum magna animi diſtrictione deprecans piiſſimum Dominum, ne faceret conſummationem in domo ſua, ſancto famulatui mancipata: & addidit: Obſecro mitiſſime Domine, verte iram tuam à ſervis tuis, multæ enim miſerationes tuæ ſunt quàm hominum; memento, quæſo, Domine, quòd caro ſumus, & tamen

** ibid.* & licet nimiis

in nimiis * aculeis delictorum vulnerati ſumus, tamen te noſtrum communem Dominum non negamus. Tui enim ſumus. Ego itaque ultimus ſervus tuus, Domine, ego ipſe ſum, qui meritò in hoc ſcelere, ſi à tua pietate hoc deliberatum eſt, periturus ſum. Ego nempe plaſma tuum, Domine, peccavi; quùm pro iſto ſancto grege, ut debui, tuam omnipotentiam minimè exoravi. Quâ gratiâ verte in me miſerum Servum tuum iram tuam, & parce huic inſonti gregi, ut ſaltem reliquiæ ſalvæ fiant. Non enim eſt hoc tuum, Domine, qui judicas omnem carnem, ut deleas omnem hereditatem tuam, quam redemiſti precioſo Sanguine tuo.

C

*ſuorum monachorum; * adde* ſe

60 Surgens denique Sanctus Dei à terra lugubris & cineroſus perfuſuſque lacrymis, poſtquam oravit omnipotentem Dominum, vertit * ad angelum ſtans inter miſericordiam Dei & judicium, dixitque: Quouſque, Domine, tuus deſæviet gladius? Hæc eo dicente, delatam vocem Sanctus Dei audivit: Sufficit, ceſſet jam manus percutientis: exaudivit enim Dominus preces clamantium ad ſe. Et ſtatim ſanctus angelus non comparuit. Quo comperto Vir Dei, apertis oſtiis ſe cunctumque gregem ſanctæ Crucis munivit ſignaculo, & pòſt, pulſato ſignaculo, invitavit omnes ad eccleſiam, ut ymnos Davidicos inibi decantarent Domino, ſicut mos docet Eccleſiaſticus, & ordo fidelium. Atque hoc, operante ſancto Spiritu, ita contigit, ut ſubitò tamquam ſub una hora omnes pariter in unum conglobati in choro convenirent, & nullus à numero ac ſtatu deeſſe videretur. Et verè non eſt mirandum, quia iſdem angelus lucis, qui eos ipſa nocte viſitando ad cœnam Dominicam cum illo ſuiſque coætaneis cœnaturos invitaverat, iſdem etiam ſub momento unius horæ omnes religiosè in Dei ſervitio convolare fecit.

61 Dein officio nocturnali ac matutinali ſimul peracto, domnus Abbas & Athleta Dei egregius ita allocutus eſt omnibus. Dominus pacis cum hiis fratribus, & angelus ejus cum veſtris ſpiritibus. Eia, fratres dilecti, more ſolito, ut ſuprà dixi, bono animo eſtote, & in Domino vigilate, moreſque veſtros, ut pius Dominus annuerit, emendare curate, ac de propriis occultis animos veſtros per puram confeſſionem purgatos reddite, nec non & ſanctum Viaticum, hoc eſt, participationem Corporis ac Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, caſto corpore & mundo corde in ſanctis corporibus veſtris ob munimen animarum veſtrarum accipite, & quia in vinea Domini laborâſtis feliciter, venite *, ut diurnum denarium ſerò accipiatis; quatinus ſimul cum eo ad cœnam Dominicam venientes, ipſam feliciter ſine offendiculo manducetis. Ecce enim, qui nos vocat, in januis eſt. Quapropter videamus, ut fur dum venerit, nos vigilantes inveniat: & exponens eis omnem confeſſionem reique veritatem per ordinem, dixit: Hodie enim, fratres, & cras atque poſt cras, cœnam, ad quam vocati eſtis, dignè cum Domino mereamini manducare. Nemo itaque, fratres, vos ſeducat ullo modo; E ſed ita vos nunc paratos reddite tamquam hac nocte cum Domino cœnaturi feliciter.

A. ANONYMO. *quos ille convocatos*

** Mabil.* videte

62 Necdum Vir Dei verba ſuperiùs memorata compleverat, & ecce facies ſanctorum * jam lividæ morbo injecto paruerant: unus alterum monens de via recta atque veniendi erant *k*, ut ſuprà ſermo beati Viri enarrando tranſtulerat. Tumque Sanctus Dei ita omnibus dixit: Fratres agite nunc celeriter, ut Paulus apoſtolus monet, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus; ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis coram Domino: & quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, currite ad lucem, dum tempus habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Quærite itaque juxta Prophetam Dominum, dum inveniri poteſt, & invocate eum per ſanctam confeſſionem, dum prope eſt. Hæc eo dicente, proſtraverunt ſe ad pedes beati Viri, poſtulantes veniam à Domino, & ſanctam abſolutionem per puram confeſſionem; tam cum domno Abbate, quàm ad alterutrum omnes à minimo uſque ad maximum invicem peccata confitentes ſua flebiliter, ac orantes cum ſancta prece in invicem, receperunt ſanctum Viaticum cum contrito corde ac ſpiritu à Patre ſancto in hæc verba, ut illis eſſet ſalus atque protectio in vita æterna cum Domino.

*ad obitum vitè diſponit, * ibid.* morborum *k*

F

63 Illis autem omnibus Amen reſpondentibus, data eſt illis à pio Patre pia abſolutio ſuorum ſcelerum & felix benedictio, ſimul cum ſancta licentia migrandi ad Dominum, cum quo vivant & regnent nunc & per ſecula ſempiterna regnaturi cum eo, Amen. Quo luctuoſo finito colloquio, cœpit jam beata plebs tamquam in hora diei tertia ad finem properare diſpoſitum, nullus parcens alteri, ſed ſicut ſenex ita & mediocris, & ut juvenis ita & puerulus *l*. Omnis ætas in funere mortis diſpoſitum * divinæ præſcientiæ obedire; atque ita, ut prædictum eſt ſuperiùs, contigit. Occubuit autem medietas hujus ſanctæ familiæ numero quadringenti quadraginta quinque *m* numero trium dierum *n*, ſicut prædictum fuerat ſuprà à ſancto angelo. Tuncque, miſerante Deo, furor illius converſus eſt ad miſericordiam, & vita omnium Chriſtus finem dedit funeri.

& mortuos, ut erat prædictum,

l

** diſpoſuit*

m n

64 Ruitque ilico in auditu ſancti loci excidio *o*

o

A. ANONYMO. *Sepulturæ tradit eodem in loco,*

omnis illa regio, in commune exorans pium omnipotentem Dominum, ut hunc amarissimum fletum, sua largiente pia clementia, converteret in gaudium, & residua plebs, eo cooperante, cum sua salubritate iterum reversionem habere quivisset in optabilem statum. Tunc domnus Abba simul cum illo collecto Dei populo exequias illorum sanctorum corporum dignè, ut potuit, incessanter accelerare dispositi, & opus cœptum usque ad consummationem perduxit. Nam ita, ut multis notum est, omnes illos electos Dei in cimiterio uno in petreis sarcophagis honorificè, sicut mos habetur Ecclesiæ, cum timore Domini sepelivit, & in illorum medio post obitus sui diem se cum illis locari in pace præcepit.

In quo alia dein Sanctorum corpora collocata sunt.

65 In quo loco per illorum Sanctorum merita, cooperante Dei gratia, multa & inenarrabilia sunt ostensa miracula, quorum est mors in conspectu Domini nimiùm preciosa. Lætantur etiam adhuc illi * sancti Dei pontifices, atque beatissimi viri confessores Christi; Hugo videlicet filius magni imperatoris Karoli, Rotomagensis cathedræ archiepiscopus, & Constantinus *p* Belvacensis ecclesiæ sanctæ memoriæ præsul, seu etiam beatus Peregrinus Anglorum episcopus, simul cum sancto Flavio *q* de illorum sancta præsentia, ac condigno suffragio, quorum sancta lipsana adhuc in Domino cum illis manent humata; quorum interventu omnium nos petimus à cunctis protegi inimicorum temptationibus & defendi periculis, ipso adjuvante Christo, qui & illis gloriam sempiternam contulit, & vocatione sua sancta ad suæ sanctæ cœnæ convivium invitari illos voluit, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

* *Mabil.* illic

p

B

q

ANNOTATA.

a *Vox ista, quâ chirothecæ designantur, frequenter occurrit apud scriptores medii ævi.*

b *Mabillonius:* Coram Deo poplitibus flexis sanctas preces ad Dominum profundunt.

c *Idem Mabillonius:* Ut neuter horum duorum videret testium.

d *Idem:* non modicam, & ceu inaccessibilem lucernam.

e *Idem:* Et quia non est conventio templi Dei cum idolis.

C f *Idem:* Virtute aromatum demum armati, spirituali romphæa &c.

g *Idem*, dicentes; *sed neutro modo valet Latina constructio.*

h *Idem:* cœpit mens beati Viri eum ad altiora transferre.

i *Periodus hæc paulò longior est apud Mabillonium: sic habet:* Increvit enim multitudo hujus sanctæ plebis coram Domino, insuper & ultra vires unius hominis est negotium, & quia solus ferre non potes, dextera pars hujus sanctæ plebis & medietas illius nunc assumptura est. *Lege* assumenda. *Fulbertus apud Surium rem ita exponit, quasi hæc & quæ sequuntur facta fuerint ad preces* S. Aichadri. Porrò, *inquit*, Vir Domini cùm per spiritum intellexisset vitæ sibi terminum imminere, timens ne grex Domini post mortem suam rursus mundi illecebris irretiretur, petivit à Domino, ut hos corporeo vinculo absolutos in pace susciperet, aut si pro ovibus suis inter mundana discrimina aliquantulùm eum laborare juberet, ipsa quavis consilii sui provida dispensatione, tanti oneris sarcinam alleviaret. *Tum fusè pergit describere visionem, angeli cum dæmone altercationem, aliaque rei gestæ adjuncta, quæ* D *noster vel prætermittit, vel diverso modo enarrat.*

k *Lege:* ad quam eis veniendum erat.

l *Cùm hæc ad monachos spectent, qui ab angelo designati erant, & quorum facies signa præferebat imminentis mortis, voces* Juvenis & puerulus *sic accipiendas puto, ut per illam juniores monachi, seu ii indicentur, qui haud ita dudum tyrocinio egressi fuerant; per hanc tyrones ipsi seu novitii.*

m *Mabillonius:* Quadringenti quadraginta duo. *Non erant ergo monachi numero nongenti, sed octingenti nonaginta vel octoginta quatuor.*

n *Vitæ brevioris auctor & Fulbertus, quarto die omnes è vivis abiisse scribunt, aliquos nempe ad horam tertiam, alios ad sextam, alios ad nonam, reliquos ad Completorium seu vesperam, adduntque, singulorum exspirantium facies insigni splendore fuisse decoratas.*

o *Mabillonius:* Ivitque in eo inaudito sancti loci excidio &c.

p *Hujus & sequentis episcoporum mentio est apud nos inter Prætermissos diei* 15 *Junii his verbis:* SS. Constantini & Peregrini episcoporum translatio inscripta est Kalendario & Martyrologio proprio ecclesiæ Gemeticensis in Normannia. Sed quinam illi sint, non possumus assequi. *Constantini sedem docemur à biographo nostro, uti & Peregrini saltem sub notione generali Angliæ. Biographo consonat Martyrologium Ms. absque loci aut ætatis indicio citatum à Mabillonio seculo* 3 *Benedictino part.* 2 *pag.* 629 *in Additionibus & correctionibus ad Seculum* 2 *verbis sequentibus:* In Martyrologio Ms. XVII Kal. Julii in territorio Rotomagensium, loco, qui dicitur Gemeticum, translatio sacratissimorum confessorum Constantini videlicet & Peregrini, quorum unus legitur pontificalem Belvacensis ecclesiæ obtinuisse cathedram; alter verò Anglorum episcopus fuisse dicitur. *Supposita horum veritate, oportet Constantinum eum esse, quem Bellovacensium episcoporum vulgati indices referunt ad seculum* VI; *at quis fuerit iste Anglorum episcopus nomine Peregrinus, neque nos assequimur, cùm non compareat alibi uspiam. Sed nec Constantinum hactenus vindicârunt sibi Fasti vulgati. Vide litteram sequentem.* E

q *De S. Flavio Rotomagensium episcopo, qui vixit seculo* V *&* VI *actum est apud nos mense Augusto ad diem* 23. *De ejus & duorum mox nominatorum antistitum reliquiis notat sequentia Mabillonius laudatus ad lit.* p: Horum Sanctorum reliquias humo infossas fuisse imminente Nortmannorum tempestate, docet nos vetus codex Gemeticensis his verbis: "Welpo abbas postremus ante Danorum subversionem fuit, cum „quo fugientes monachi quasdam rerum suarum „secum asportaverunt, quasdam verò terræ oc„culuerunt, & in capella S. Clementis absconderunt. Ante altare S. Filiberti latet adhuc S. „Flavius archiepiscopus Rotomagensis, quem „quùm quidam monachi levare vellent, supervenire in eodem loco nebula densissima, & „prohibente abbate, intactum dimiserunt. Inter „ecclesias S. Petri & S. Salvatoris loco medio „deposuerunt duas capsas S. Peregrini & Con„stantini. Horum nomina à quodam Gemeticen„si viro, qui Romæ habitabat, & illuc fugerat „à Gemetico, revelata sunt". *Adverte ad postrema verba, & inde collige, non modò Vitam, quam hîc damus, sed & reliqua citata* F

do-

A *documenta, in quibus nomina SS. Peregrini & Conſtantini exprimuntur, ſcripta eſſe poſt Danorum ſeu Normannorum irruptionem, ob quam haud dubiè vir iſte Gemetico Romam fugerat.*

CAPUT VI.

Poſtrema Sancti geſta & felix obitus.

Lugens ſuorum BEatus itaque Aychadrus pro tanto imponderabili miſeriarum luctu nimiùm corpore afflictus, & permaximis doloribus prægravatus, cœpit ſine ceſſatione invocare conſolatorem Dominum, ut delictorum ſuorum, ſuæque reſiduæ familiæ piè ſuſpenderet vindictam, & corrigibilem tribueret eis efficaciam. Et perſiſtens denuò ſimul cum ſubjectis omnibus diebus ac noctibus in ſanctis vigiliis & puris orationibus, adjectâ etiam abſtinentiâ non modicâ, & ſemivivus mundialem B pòſt obliviſcens gloriam, totum ſe convertit ad Dominum, in ſua omnipotentia exorans illum continuò, ut animæ ſuæ ſuorumque omnium tribueret illis affluentiam ſalutarem, ne darentur ultrà inimico in prædam, ſed potiùs in ſua miſericordia reciperet eorum animas, quas citò per ſpiritum noverat ad vitam aliam eſſe evocandas; & hoc ſuſpenſus felici ſuſpirio beatus Homo totus animo hærebat cælo, ſpreto denique mundiali deliberativè ruinoſo conſortio.

ac S. Filiberti obitum, 67 Audierat enim inter cætera, præceptorem ſanctiſſimum obiiſſe, nimio dolore cordis aſtrictus. Videbantur illi hujus ruinoſi ſeculi adverſa omnia *a*, & veluti ad præcipitium irreparabile ruere miſerrimum; quoniam dum in iſta vita manſerant, unus alteri ſociabile miniſtrabat præſidium; *a* Filibertus ſcilicet patrocinando, ut auriga *b* navim gubernans in undoſo æquore ſine naufragii *b* periculo; Aychadrus tamquam proreta *c* prævius, *c* decernens, ne ſubitò navis ad portum veniens læſionem pateretur aliquam in litore ſaxeo. Etenim beatus Filibertus, ut Moyſes, ducebat ſibi plebem creditam, velut in Synaico deſerto, & Aychadrus illi jubendo, ut Joſue, manebat in taber- C naculo, cuſtodiam ſibi commiſſam fideliter agendo. Uterque enim, ut veri Iſraëlitæ, tamquam dictus Moyſes & Aaron, in hiis, quæ Dei erant, ſine aliquo murmure offerebant tempore oportuno menſuram tritici injunctæ familiæ, Domino largiente.

angelica viſione recreatur, **Mabil.* ſuſtentationis 68 Hiis itaque atque aliis beatus abba Aychadrus deſtitutus ſolatiis ceu fulcro tunc ſuſtentationibus * ablato, omnino dedolendo pro tanto geminali dampno gemebat, & ubique pallidus & lacrymoſus ab omnibus ſibi credulis videbatur, tamquam viribus corporeis præmortuus. Sed dolentium recreator omnipotens Deus, qui fidelibus ſuis à primordio ſeculi, more Job & Tobiæ, ſemper ſpem conſolatoriam in anguſtia poſitis amminiſtrare voluit, hunc etiam Servum ſuum non eſt paſſus longævis perire periculis. Veniens autem ſtatim in ipſa nocte ad eum à Dei pietate miſſus angelus Domini, indutus veſte candida, ſalutavit eum dicens: Gaudium tibi ſit, Serve Dei, & jocunda exultatio; ecce enim in tempore tuæ anguſtiæ miſit me Dominus ad te ſuæ pietatis perferre nuncium, ut reſumendo conſtantiam conſolationis repares vires; quoniam in agone poſitus bene certâſti, & abſque defectu cur-

ſum conſummâſti & illatis temptationibus, fidem ſervâſti. A. ANONYMO.

69 Qua de re repoſita eſt tibi à Domino corona juſticiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die remunerationis, in qua non ſolùm tuæ beatitudinis præmia, ſed etiam omnibus remuneraturus erit ſuis fidelibus pro ſuorum actibus. Legimus enim, Sancte Dei, quia tribulatio corporalis, ſi in patientia eſt, coronabitur. Ideoque confortare nunc in eo, qui miſit me ad te, & viriliter age, quoniam Dominus hos, quos è tuo grege & tuæ cuſtodiæ commendatos recepit in domo ſua, clementia ſancta contulit; & beati illi, quoniam in ſeculum ſeculi laudabunt illum. Et ſicut alio in loco * dicit: Beati, quos elegiſti, Domine, habitabunt in atriis tuis. Deinde, Sancte Dei, certa ut miles bonus in agone tui certaminis, & noli metuere; non eſt enim longè à te tempus vocationis tuæ. Quapropter viriliter age & noli diffidere, Dominus tecum ſit, & cum omnibus tibi creditis Dei Electe.

illoſque cælo donatos intelligit, & finem ſuum non multùm abeſſe prædiſcit.

** Mabil. additur* ſcriptura

Ad mortem ſe præparat,

70 Finita autem illa angelica allocutione, mox Paterfamilias poſt matutinale officium ſuis valedicens fratribus & clementer reſalutatis, utrumque eis retulit, & obitum beati patris Filiberti *d*, & *d* allocutionem angelicam, præcepitque iis ſicut ſolito, ut in bono animo manerent, & ſemper auxilium à Domino peterent, ut in ſancta religione ac bono opere manentes, coram Deo acceptè, & coram ſeculo irreprehenſibiliter viverent, ſemper Dominum exorantes, ut eorum ſaltem reliquiæ ſalvæ fierent. Et quia in terra nihil fit ſine cauſa, idipſum exhortatus eſt, ut abſceſſum Patris eorum leviùs ferrent, & ſuas ſanctas exequias dignè celebrando perficerent, quatinus ille Servus Dei pro eis apud pium Dominum intercederet, ærumpnis corporeis liberatus, qui multoties ab hoſte eos tutaverat maligno, corpore plenus. E

quam poſt triennium feliciter obit.

71 Hiis denique omiſſis monitionibus, fratres, ut eis præceptum à ſancto Patre fuerat, pro beato Filiberto, ut dignum erat, orationes aſſiduas fundentes * Domino, & per multas lacrymas ejus abſentiam diutiſſimè fleverunt; ſemper de ſuis ſanctis memoriis invicem ſermocinantes & ſuas multimodas benignitatum gratias recolentes. Poſthæc beatus Aychadrus vixit triennio in ſanctis operibus, curſum dignum peragens in multa abſtinentia, & in ſancta caritate fratribus miniſtrans *e*, & ordinatis cunctis, quæ illis erant poſt diceſſum illius utilia, facta confeſſione & ſuſcepto ſancto Viatico, valedixit omnibus cum ſancto dato oſculo; & tunc commendans eos Domino, inter verba orationis ſeptimo decimo Kal. Octobris *f* migravit ad Dominum, percepturus ab eo gloriam ſempiternam, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit in ſecula ſeculorum. Amen. F *e* *f*

** ibid.* fuderunt

ANNOTATA.

a *Mabillonius:* Audierat enim inter cetera præceptorem ſuum beatiſſimum Filibertum jam ad ſuperos eſſe tranſlatum, de cujus abſceſſu ſanctiſſimo nimio dolore cordis adſtrictus, videbantur immorari illi &c.

b Auriga *propriè dicitur, qui currum regit; Ovidius tamen eo nomine etiam appellavit navis gubernatorem lib.* 1 *Triſtium, Eleg.* 3:

Sic non quo voluit, ſed quo rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dediſſe rati.

c *Mabillonius legit* Propheta, *ſed noſtra lectio retinenda eſt*, proreta *enim proræ gubernator eſt:*

A. ANONYMO. *voluit itaque indicare auctor*, Aichardo *curæ fuisse anteriorem navis partem seu proram, Filiberto posteriorem seu puppim, ut clavum regeret: quomodo etiam loquitur Plautus in Rudente:* Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

d *Juxta hunc biographum* S. Aichardus *jam noverat mortem S. Filiberti antequam adveniret angelus; at juxta brevioris Vitæ auctorem & Fulbertum ex ipso angelo illam didicit.*

e *Plura hic omissa sunt, vel adjecta apographis Mabillonii, ubi post vocem* ministrans *sic pergitur:* Erat namque in suis sanctis moribus diu noctuque Deo serviens omnipotenti & semper ultimam horam vocationis suæ exspectans, & juxta morem pristinum sui incolatus sanctè vivens; ac quanto proximiorem se sui sancti obitus sensit revelante angelo, tanto districtiùs se artabat justè vivendo. Erat enim annorum tunc sexagenarius, omni sanctitate plenus & pernox in suis sanctis orationibus, mundum fugiens aridè vivendo, & semper Deo appropians bene perseverando. Fuit itaque pes claudo & oculus cæco, auxilium omnibus faciens, & cunctis pro Deo alimenta ministrans. Non enim poterat suos
B oculos corporeos claudere alicui indigenti, nec algentem sine indumento dimittere. Os enim illius sanctum patebat omnibus miseris in confortatione, & manus illius famelicis saturitatem ministrans. Si quempiam cerneret sitire, tribuebat poculum, & omnibus incommodè (ut ita dicam) viventibus juxta capacitatem sui mos erat illi commoda ministrare. Et quia beati viri laus in fine canitur, istius beatitudo, dum in hac voluptuositate duravit, debilibus, cæcis, claudis, nec non etiam & obsessis à dæmone, atque febre correptis, omnibus ad se accedentibus profuit. Et quia cursus illius jam ad sanctum finem pervenerat, cœpit beatus Homo vires corporeas in imbecillitatem mutare, & febre validissima corripi: quod sentiens Sanctus Dei ruit ilico in sancta prece, gratias agens Deo, qui juxta condictum angeli Servum suum dignatus fuerat ad suam misericordiam invitare. Sicque convocatis ad se omnibus fratribus per septem dies non cessavit illis verbum Dei annuntiare, ac ordinatis &c., *ut in nostro apographo.*

f *Mabillonius & quicumque recentiores Vitam ab ipso editam consuluerunt, felicem* S. Aichardi
C *transitum innectunt anno Christi 687, quia initio hujus numeri superstes fuisse traditur per triennium S. Filiberto sub annum 684 probabiliùs defuncto. Alii, ad quorum notitiam nondum devenerat Vita ista, diversimodè quidem de anno emortuali censuerunt, hæserunt tamen penè omnes intra annos 680 & 695, prout notavimus in Commentario prævio num. 24. Sed omnes hos corrigendos existimavit Cointius in Annalibus Francorum, mortemque Sancti differendam usque ad annum 718 aut 720. Audi ejus argumentum tom. 4 ad ultimo loco nominatum annum:* Hugo Drogonis filius, cùm laïcus adhuc esset anno primo Clotarii quarti regis, id est, anno Christi septingentesimo duodevigesimo, munificum se præbuit erga monasterium Fontanellense, postea monachum apud Gemmeticum induit, Aichardo illius loci tunc abbate; vixit igitur Aichardus ad annum usque Christi septingentesimum duodevigesimum, imò post illum annum aliquamdiu vitam produxit, & supradictum Hugonem monasticen amplexum erudivit. *Hactenus ille citans in margine Vitam* S. Aichardi *à Fulberto conscriptam apud Surium ad 15 Septembris & Chronicum Fontanellense cap. 8. Et sanè in hoc Chronico, typis vulgato per Acherium tom. 3 Spicilegii, dicitur Hugo postea archiepiscopus Rotomagensis & à nobis aliquoties laudatus in Commentario,* dum adhuc laïcus foret, largitus *esse* Benigno *Fontanellensi* abbati Viervlacum villam... ab anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo tertio, Indictione duodecima, qui fuerat annus Dagoberti junioris regis III; *& paulò post,* Witflanam villam... Wandoni abbati anno primo Clotharii regis, *qui coincidit cum anno Christi 718, sed tum laïcus non erat Hugo, ut liquet ex diplomate alterius donationis, factæ monasterio S. Arnulphi Metensi,* anno quinto regni domini Dagoberti regis *ultimi, id est, Christi 715, in quo idem Hugo se sacerdotem scribit & Metensem primicerium. Dictum diploma tom. 1 Aprilis ad diem 9, præfiximus ejusdem Vitæ compendio. Imò putat Henschenius in annotatis ad idem compendium, Hugonem jam tum fuisse sacerdotem, quando primam donationem fecit anno 713, sumique nomen laïci pro nec dum episcopo aut abbate. Certè apud Meurissium in Historia episcoporum Metensium ad Acta S. Arnulphi exstat diploma, de cujus tamen fide non disputo, in quo legitur Hugo sacerdos fuisse regnante Childeberto tertio, id est, ante annum 711. Hinc patet quàm parùm firma sit argumenti à Cointio allati pars prior; sed demus firmissimam esse; quibus documentis probabit alteram, Hugonem scilicet* postea *monachum induisse* Aichardo abbate? *Nihil huic affine legimus in Chronico Fontanellensi; nihil in Vita S. Ilugonis, licèt erroribus aliis ac anachronismis plenissima, auctore Balderico episcopo Dolensi conscripta, editaque & explosa ab Arturo in Neustria pia; nihil in utroque anonymo nostro & Fulberto* S. Aichardi *biographis, nihil denique in ullo vetusto scriptore; ut proinde nihil etiam evincat Cointii ratiocinium, ad differendum Sancti obitum ultra annos ab aliis assignatos.*

D

E

F

VITA BREVIOR

Auctore ignoti nominis & ætatis.

Ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris.

Ortus nobilibus parentibus monachum induit;

SAnctus Aycardus natus de civitate Pictaviensi in Aquitania, patre Anschario milite, & matre Ermena nobilibus. Mater fuit larga pauperibus, &, cùm esset gravida, vovit Puerum Deo serviturum *a*, quod etiam Puer adultus optavit, licèt pater ejus veteranus sub rege Clotario *b* eum pro se militare disponeret. Posthæc Puer instructus literis intravit monasterium Ansyon. Angelus autem Domini misit cæcos & claudos ad eum, & sanabantur, & licèt ipse petiit, ut nemini dicerent, tamen dæmones de obsessis per eum ejecti clamabant. Audivit in solitudine vocem de cælo: Ibunt de virtute in virtutem. Et ipse respondit: Videbitur Deus deorum in Syon. Hoc secretè retinuit & corpus ampliùs castigavit *c*.

a

b

c

S. Filiberto abbas sufficitur Gemeticis;

2 Cùm autem sanctus Philibertus abbas argueret Ebroïnum, quia apostata erat de Luxovio, & proinde persecutionem ab ipso pateretur sanctus Phi-

A Philibertus, procuravit à ſancto Audoëno *d* epiſcopo Rotomagenſi Aycardum in loco ſuo conſtitui *e*. Cùm igitur fratres laborarent in agro ſeminando in futurum, contigit, ut lapis quidam magnus inde removeretur. Diabolus autem cum aſcia ignita incidit arborem magnam, ſub qua fratres erant; ſed ſanctus Aycardus à longè fecit crucem, & clamavit, ut fratres fugerent. Et cùm fratres cauſam quærerent, dixit, quòd diabolus per arborem voluit eos occidere, qui occiderat Adam; & oſtendit cicatricem nigram in arbore, unde fœtor ſulphureus exivit, & poma ejus matura erant quaſi carbones nigri, & preſſi manu quaſi cinis erant, & fœtebant: & fratres volebant arborem ſuccidi, ſed Sanctus eam dimiſit, ut fratres ſemper cautè inſidias timerent.

d *e*

dæmones fugat.

3 Quadam autem vice diabolus capillos Aycardi raſos tardiùs Sabbatho collegit properando. Hic ſæpè noctibus cum cruce & aqua benedicta diabolum fugabat, & ſemel vidit, quòd diabolus non potuit intrare dormitorium, quia benedictum fuit & aſperſum. Diabolus voluit lampadem frangere projiciendo lapidem, ſed ſanctus B Aycardus fugavit eum cruce, qui exiens per feneſtram non aſperſam fregit vitrum cum fœtore. Fratribus autem de hoc quærentibus in die ſequenti dixit cauſam Sanctus: docuit fratres, ut vigilarent contra diabolum, qui ſicut leo circuit, addens: Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus, ut finis ſit bonus, ne in portu periclitetur, vel in porta, rediens de prælio, occidatur; ne ædificium conſuramatum cadat ſuperiùs vel inferiùs; ne ſemen in meſſe pereat vel vindemia.

De grege ſuo ſollicitus

4 Factum eſt autem cùm oraret, quadam vice chirothecæ ejus pendebant in aëre ſicut legitur *f* ſancti Philiberti prædeceſſoris ſui erant in monaſterio illo nongenti monachi, & ſervientes ei mille quingenti; unde ſanctus Aycardus ſenex & debilis, dubitans quid ageret, non audebat reſignare officio, ut quidam conſulebat, nec minuere numerum repræſentantem novem choros angelorum. Unde perſeveravit victor annorum paſtor gregis ſollicitus *g*, ut Deus ipſum adhuc in vita conſervaret, vel ut oves ante ſe tolleret, ne poſtea deviarent à Deo.

f

g

noctu angelum cum dæmone altercantem audit,

5 Nocte cùm fratres eſſent in dormitorio & non poſſet dormire præ ſollicitudine, pſallens vidit auſtrum *h* angelum candidum cum virga, & ſathan ex adverſo ſcintillantibus oculis horribilem: & dixit angelus ad ſathan: Quid quæris? Hìc nihil eſt tuum. Reſpondit: Nonne vicimus primos parentes, & ſic Judæos vicimus, qui erant LXX annis in Babylone, & eis perſuaſimus, quòd Chriſtum occiderent? Angelus dixit; Quòd * tu audeas Chriſtum nominare, cujus mors eſt vita fidelium & mors tua & tormentum? Primi parentes victi erant per inobedientiam; ſed hìc eſt obedientia, humilitas, caritas, ergo ſunt cives Jeruſalem, & non ducentur in Babylonem, ſicut Judæi Legis tranſgreſſores. Sathan dixit: Ergo vacuus recedam? Angelus reſpondit: Habebis hìc officium purgandi eos ad eorum ſalutem & tuam confuſionem per aſpectum horribilis vultus tui. Sathan ait: Magis volo fugere, quàm eis prodeſſe ſine lucro meo. Hæc omnia audivit Sanctus.

h

* Quid

& mortem dimidiæ partis ſuorum monachorum præviſcit,

6 Angelus autem dixit ſancto Aycardo: Ne timeas ex præmiſſis, ſed confortare, quia oratio tua eſt exaudita, & fratres tui aſſcribentur ad ſequendum Agnum. Et ergo cras mane dic eis, ut purgent conſcientiam per confeſſionem, & breve tempus redimant per artam pœnitentiam, & per Chriſti Corporis communionem præparent ſe ad cœnam Agni, dimidia pars fratrum nunc conſcripta eſt, quam virgâ tangam. Tunc ſanctus Aycardus ait: O utinam pergam ego Pater cum filiis ſenex, & debilis cum junioribus! Angelus reſpondit: Oportet te adhuc modicum laborare in vinea Domini, & tunc ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo, & occurrent tibi, qui præceſſerunt fratres, cum pſalmis ſuſcipientes te; nec præmia tua minuentur, ſed certa ſunt & augebuntur. Tunc vidit Sanctus angelum tangentem fratres morituros cum virga; & notavit eos; & cùm videret angelum velle recedere, ait: Quis cuſtodiet nos ab hoc hoſte terribili? Reſpondit: Nihil timeatis, quia non poteſt nocere Chriſtianis; ſed per terrorem visûs purgabit morientes. Tunc diabolus hæc ſciens etiam receſſit. Ex Ms.

quæ eis, vitæ comparatis,

7 Recedente angelo, manè congregatis fratribus, quæſivit Sanctus, quid ipſi vidiſſent in nocte. Quidam dixerunt, ſe vocatos & euntes ad Paſcha in templo pretioſiſſimo; & hi erant morituri. Alii dicebant, ſe vocatos ad cœnam Agni non ſtatim, ſed cùm poſtea vocarentur, id E eſt, poſt probationem majorem. Tunc ſanctus Aycardus apertè dixit, qui eſſent morituri ad ſignum angeli. Tunc hi procidentes ad terram, pectora percutientes pugnis, nil proprietatis abſcondebant, & ſic tribus diebus flebant morituri, die quarto jejunantes; & remanentes etiam flebant, quia relinquebantur: fuit tamen luctus lætificans propter ſpem gloriæ.

obtingit die quarto.

8 Quarto igitur die poſt Miſſam abſoluti omnes communicabant, & oſculantes ſe in pace, ibant cum Patre ad domum capituli: & præpoſuit ſingulis cuſtodes pſallentes. Et reſplendebant facies morientium, quaſi reſurgentium. Quidam moriebantur ad tertiam, quidam ad ſextam, alii ad nonam & reliqui circa Completorium, qui omnes erant Chriſto incorporati. Et per octo dies fiebant exequiæ eorum ſolenniter. Quidam etiam fratres multùm dolebant, quòd non erant etiam vocati ad gloriam, vel quia multùm ſenes erant, vel quia à juventute Deo militaverant, vel quia plura certamina vicerant carnem macerando.

Superſtites conſolatur Sanctus

9 Sed ſanctus Aycardus conſolabatur eos longaminiter exſpectare, & tempore acceptabili Deo F lætanter ſervire, & gratiam ejus non abjicere, nec ejus voluntati contraire, nec minùs nec plùs velle vivere, quàm Deo placet; quia Deus, qui dedit ſpiritum, revocabit, quando vult: ſicut dixit Moyſi: Aſcende in montem Abarim, ſicut Aaron in monte Hor &c. *i*. Et dicebat Aycardus; Fratres præceſſerunt parare locum & manſiones, ut orent pro vobis, & recipiant in æterna tabernacula: nam & latro in cruce, licèt tardè venit, in vinea recepit denarium cum primis Patribus: ideo & vos patientes eſtote uſque ad adventum Domini, quia neſcitis diem neque horam; & ſatagite puri & parati inveniri vigilantes cum veſte nuptiali, lampadibus præparatis.

i

& ipſe dolens recreatur ab angelo, ac monetur de futuro obitu.

10 Poſthæc Sanctus deflevit ſeipſum dicens: Cur veni ad hanc magnam curam regendam, & non reliqui fortiori? Cur oravi pro alleviatione per mortem fratrum, niſi ut poſt mortem meam deviarent? Et nunc poſſum conſolari, quia ſunt ſalvati. Angelus autem dixit ei: Cur fles? Nonne debes eſſe paratus ſicut Abraham offerre filium? An vis cum Pharaone retinere filios Iſraël in Ægypto, & milites Chriſti, ne coronentur? Conſolare, quia ex paterna caritate orâſti pro eorum ſalute, qui ſunt ſalvati: etiam placuiſſet

Ex Ms. similiter, si pro omnibus aliis orâsses; & nunc alleviatus potes alios regere, & brevi instabit tempus remunerationis tuæ. In cujus signum hodie audies nuncium de morte Philiberti prædecessoris tui, qui transivit ad gaudia cæli.

Aichardus, sedulò instructis monachis, moritur.

11 Tunc sanctus Aycardus Deo gratias egit, & gregem remanentem Deo commendavit, aspirans ad præcedentes. Instruxit etiam fratres, quòd essent dilectione uniti, & quòd resisterent diabolo cum Scripturis sanctis & essent prudentes sicut serpentes. Contra superbiam cogitarent casum diaboli; contra invidiam, quòd invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum; contra iram: In patientia vestra possidebitis animas vestras; contra avaritiam pœnas divitis epulonis; & hoc etiam contra gulam, & quod dixit Dominus: Vigilate, ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate; contra luxuriam, quòd immundi regnum Dei non possidebunt; contra maliloquia & multiloquia, quomodo peccatum non deerit; contra desperationem: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: & in quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non recordabor ampliùs. Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit *k*. His & aliis verbis consolabatur fratres per VII dies. Septimo igitur die invasit eum febris fortis, qui veniam petiit à fratribus, & de caritate iterum eos monens collegit pedes super stratum cilicinum, & elevatis oculis expiravit XV die Septembris.

B

k

ANNOTATA.

a *Voti hujus non meminit prior anonymus. Fulbertus ejus causam fuisse scribit periculum matris parturientis.*

b *Juxta chronotaxim Mabillonii & aliorum, quos sequimur, natalem Sancti affigentium anno 624, intelligimus hîc Clotarium secundum, vitâ functum anno 628.*

c *Multa Sancti gesta hîc subdunt prior anonymus & Fulbertus, quos vide.*

d *S. Audoeni vel Dadonis Acta elucidata sunt mense Augusto ad diem 24.*

e *Vide, quæ super his annotavimus ad Vitæ prioris cap. 3 lit. c.*

f *Cùm ista periodus destituta sit in apographo nostro necessariis interpunctionibus, seu notis sensum à sensu disterminantibus, non ausim certò definire, an rò* sicut legitur *pendeat à præcedenti orationis parte, an pertineat ad subsequentem. Videtur quidem naturalius, ut prior sensus absolvatur per voces* in aëre; *& dein dicantur in monasterio fuisse tot monachi ac servientes,* sicut legitur (*supplendo* in Vita) sancti Philiberti *&c. Sed, ut alias monui, in Vita memorata numerus monachorum & servientium non exprimitur; præterea narratur in Vita eadem etiam prodigium aliud de chirothecis S. Filiberti, ut dubitari saltem queat, an auctor noster noluerit significare, quòd* S. Aichardi *chirothecæ prodigiosæ fuerint, sicut chirothecæ S. Filiberti.*

g *Deest vox* orare *vel ejusmodi significationis alia.*

h *Lege* ad austrum, *id est,* ad partem Meridianam.

i *Doctrinam confirmat Sanctus illorum exemplo, qui se voluntati divinæ humiliter subjecerunt, quando eis prohibitus fuit ingressus terræ promissionis adeo desideratæ, & intimata mors.* Abarim *montium series est in Arabia, in quarum una mortuus est Moyses:* Hor *mons item Arabiæ, ubi vivere desiit Aaron. De Moyse actum est in Opere nostro die 4 Septembris, de Aarone die 1 Julii.*

k *Putem, huic textui aliqua ab auctore præmissa fuisse, eumque allegari contra acediam aut nimiam fiduciam.*

D

E

F

DE SS. EMILA DIACONO ET HIEREMIA MM.

CORDUBÆ IN HISPANIA.

C

C. S.

SYLLOGE HISTORICA.

De cultu, & martyrio per S. Eulogium scripto.

ANNO DCCCLII. *In Romano Martyrologio aliisque recte hoc die,*

EX *sanctis martyribus, qui Christi fidem adversus Mahumeticam impietatem medio seculo* IX *Cordubæ, in Arabica seu Saracenorum persecutione, glorioso sanguine tutati sunt, varios variis ætebus in Opere nostro jam dedimus. Ex eorumdem numero duo præclari Athletæ, stirpe nobiles, ætate juvenes, sed fide robusti in Martyrologiis tum ad hunc, quo passi sunt, diem, tum ad alios dies annuntiantur. De hisce Romanum Baronii hoc ipso die sic habet:* Cordubæ sanctorum martyrum Emilæ diaconi, & Hieremiæ, qui in persecutione Arabica post longam carceris macerationem, cervicibus pro Christo abscissis, martyrium compleverunt. *Baronio præiverat Galesinius, qui hoc pariter die de iisdem ita memorat:* Cordubæ in Hispania, beatorum martyrum Emilæ & Hieremiæ. Hi cives Cordubenses, nobili familiâ nati, ab ineunte ætate in basilica S. Cypriani in litteris versati, sermonis Arabici periti, non Arabum carnificinâ deterriti, præ studio Christianæ religionis in eorum superstitionem invecti, comprehenduntur; qui pòst carceris squallore penè confecti, demum libenti animo pro fide cervices præbuerunt. *Unde hæc hausta sint, infrà videbimus; recentiores verò martyrologos sciens prætereo; id unum addens, quòd eodem die in Martyrologio Hispano Tamayi annuntientur.*

AUCTORE C. S.

A *ad diem 17 in Usuardivo.*

2 *At verò Usuardus eosdem ad diem* XVII *hujus mensis retulit*, Emilâ *in* Emilianum *mutato.* Item Cordubâ, *inquit*, sancti Emiliani diaconi & Hieremiæ decollatorum. *Ad hæc Sollerius noster sequentia observavit:* Postremi duo Martyres Cordubenses ab eo primùm, imò ab eo solo consignati sunt, ex Arabicæ persecutionis messe in Hispania collecta, quam in Galliam retulit, ut jam superiùs sæpè dictum est. Prioris nomen ab Usuardo mutatum vix dubito, formatumque Emilianum ex Emilla, qui cum Hieremia ab Eulogio refertur lib. 2 Memor. cap. 12. Cur in Romano moderno locum non habeant, sed eorum loco Columba ex Memor. lib. 3, cap. 10 substituatur, non aliam causam video, quàm quòd ejus reformatores Galesinium secuti sint, neglectis Belino, Maurolyco, Felicio & aliis, quibus usos eos fuisse satis constat. At enim binos nostros verè Usuardinos esse æquè ac ceteros, codices nostri evidenter demonstrant. *Hæc ipse, circa quæ nonnulla observanda sunt.*

circa quod aliqua observantur,

B 3 *In primis rectè ait, duos hosce Pugiles ab Usuardo Martyrologio primùm insertos fuisse; nam dum Petrus de Natalibus lib.* 8, *cap.* 88 *& Surius, vel ejus editor Adonem laudant, de Adonis Auctariis intelligendi sunt, cùm eorumdem Martyrum memoria in ipsius Martyrologii editionibus à Mosandro & Rosweydo curatis, minimè occurrat. Occasionem quoque, quâ in illorum Martyrum notitiam devenerit Usuardus, bene insinuat Sollerius, ipsius scilicet iter Hispanicum, quod unà cum Odilardo suscepit, ut S. Vincentii levitæ ac martyris corpus Valentiâ in Galliam transferendum obtineret; quo voto suo frustratus, corpora SS. Georgii & Aurelii, qui in eadem Arabica persecutione, in qua duo nostri Pugiles, eodemque anno & loco passi fuêre, Cordubâ transtulit anno* 858, *quemadmodum in ejusdem translationis historia apud nos tom.* VI *Julii, pag.* 459 *& sequentibus edita, videre licet. De mutato* Emilæ *in* Emilianum *nomine similiter assentior Sollerio*, Emila *enim à S. Eulogio, de quo mox, appellatur, atque ita etiam in Breviario Cordubensi recentiori correctum fuit, cùm in antiquiori* Emilianus *legeretur, teste Martino de Roa in Martyribus Cordubensibus ad diem hanc* XV *Septembris.*

C *perperam annuntiantur;*

4 *Quod ad diem martyrii attinet, eum perperam Usuardus, quique eum secuti sunt, rectè verò Galesinius ac Baronius annotârunt. Eodem enim S. Eulogio teste, Martyres nostri non* XV, *sed* XVII Kalendas Octobris *coronati fuêre. Eadem de causa etiam S. Columba virgo & martyr ad diem* XVII *ab iisdem relata est: nam & hanc tum passam fuisse, idem Sanctus testatur, quem utroque loco Galesinius & Baronius meritò laudârunt, secutique sunt; ad quod videtur non advertisse Sollerius, dum ista superiùs scriberet. Usuardo autem S. Eulogium præferre nemo dubitabit, qui adverterit, hunc Cordubensem presbyterum fuisse, Cordubæque incolam, dum ea persecutio sæviret; illum verò Gallum, qui sexto circitèr post eorum martyrium anno Cordubam advenit, neque diu moratus est. Adde, quòd Eulogius, non minùs, quàm Usuardus, in eo Opere sibi proposuerit Martyrum natales sive dies obitûs annotare, cùm in Præfatione libri* 2, *in quo de iis agit, sic scribat:* Contigua hujus secundi Operis brevitas martyrum tantummodò beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus, diesque allisionum (*id est, martyrii*) fideli proferet relatione. *Hinc ipse Sollerius in Observationibus ad idem Martyrologium Usuardi, ad diem* XXVII *Augusti, Usuardum errâsse agnoscit, dum S. Georgii & sociorum in eadem persecutione martyrium ad eum diem retulit, quos die* XXVII *Julii passos esse, idem S. Eulogius testatur.*

uti & ad eumdem & 18 diem in Breviariis Cordubensibus.

5 *Attamen non hoc Septembris die eorumdem Martyrum memoriam in Cordubensi Breviario olim celebratam fuisse, discimus ex Ambrosii Morales Scholiis in prædictum S. Eulogii Opus: ad libri enim secundi, cap.* 12 *ista Eulogii de die martyrii eorum verba:* XVII Kalendas Octobris, *sic excipit:* Dies est Septembris quintus decimus, qui apertè in veteri exemplari notatur. Usuardus, Breviarium Cordubense, Ado (*auctus*) & Equilinus paucis diebus variant. *Tamayus, qui eos, ut dixi, ad diem* XV *refert, notat eosdem in laudato Breviario ad* XVII *memorari: Martinus verò de Roa in Kalendario Sanctorum, quod Operi suo de Martyribus Cordubensibus præmittit, eorumdem festum die* XVIII *Septembris celebrari affirmat, quamquam simul moneat, eos die* XV *Septembris passos esse. Forsitan is error in antiquiora Breviaria primùm irrepsit, dum S. Eulogii Opus adhuc delitesceret, quod post medium* E *seculi* 16 *repertum esse colligimus ex laudati Ambrosii Morales Præfatione ad idem Opus, anno* 1572 *signata. Utrùm autem Cordubenses in variis Breviarii sui mutationibus festivitatis quoque diem ex S. Eulogio correxerint, uti* Emiliani *in* Emilæ *nomen rectè emendârunt, nondum exploratum habeo.*

Incertum, an vetustioribus Breviariis Cordubensibus inserti fuerint;

6 *Dubitari vix potest, quin sancti Martyres nostri antiquum apud concives suos cultum obtinuerint: nam & S. Eulogius eorum æquè ac ceterorum in ea persecutione pugilum verum martyrium, dignamque martyrum honoribus coronam libro* 1 *&* 2 *Operis sui multùm celebravit, & SS. Georgii & Aurelii corpora, quos eadem persecutio coronaverat, ab Usuardo in Galliam delata esse suprà diximus ex tomo* VI *Julii, ubi etiam miracula quibus eluxerunt, videri possunt. Quod ad Officium ecclesiasticum attinet, Martinus de Roa libro de Antiquitate & auctoritate sanctorum Martyrum Cordubensium ac de Breviario Cordubensi, cap.* 5 *ex vetustis ejus ecclesiæ Breviariis, quæ vidit, tria recenset, quorum primum ab annis* 113 (*scripsit autem ipse anno* 1601) F *alterum ab annis* 77, *tertium denique ab annis* 44 *excusum est; sed in his paucorum dumtaxat sanctorum, quos ibidem enumerat, Officia propria legebantur;* de ceteris verò utriusque ordinis (*martyrum scilicet sub Romanis ac sub barbaris coronatorum*) nihil præcipuum, nec de omnibus omnia Breviaria, sed de aliis alia. *Incertum itaque est, utrùm in his* SS. Emilæ ac Hieremiæ *memoria aliqua fuerit celebrata: verùm, quæ ibidem subdit, dubio locum non relinquunt, quin saltem deinde primùm Officio ex Communi, postea etiam proprio ibidem acta fuerit. Roæ verba subjungo.*

postea tamen primùm Officio ex Communi,

7 Anno Domini MDLXXIV, repertis B. Eulogii Commentariis, dominus frater Bernardus de Tresneda, episcopus Cordubensis è Franciscana familia, eorum tantummodò martyrum Officia, festosque dies retinendos sanxit, quorum in Romano Martyrologio nomina legerentur. Non multò pòst D. F. Martinus de Mendoça, episcopus & civis Cordubensis ex Ordine B. Dominici, propria, quæ tum habebantur Officia, adjunctis aliis, quæ ex divo Eulogio supplenda curavit, auctoritate Apostolica edidit, quæ hactenus Cordubæ

AUCTORE C. S.

bæ celebrantur. Succeſſit huic D. Antonius de Paços, ſupremi olim ſenatus regii præſes, ut beneficentiâ in pauperes, ita religione in Divos maximè excellens, qui juſtis multorum querimoniis adductus, ſecundum excudi Kalendarium imperavit, in quod eos omnes Chriſti martyres retulit, quos vel ex divi Eulogii libris, vel ex probatis aliis hiſtoriis, Cordubæ coronatos eſſe conſtabat. Nam cur quæſo ex pluribus ejuſdem certaminis & palmæ conſortibus, ejuſdem ſcriptoris teſtimonio commendatis, alii in Eccleſiæ lucem revocarentur, aliis in obſcuro relictis? Sed in his nihil in eorum precibus proprium; ſumebantur autem omnia de Communi.

deinde etiam proprio in iiſdem celebrati ſunt.

8 Verùm, ut humana ſunt omnia, ne hoc quidem diuturnum fuit: nam illud etiam ſecundum Kalendarium (incertum qua de cauſa) paucis pòſt annis exemptum. Grave hinc piorum animis vulnus impreſſum; eorum maximè, quos Divorum honos & ejuſdem cæli ſolique communio propiùs tangebat. Id cùm intellexiſſet dominus Franciſcus de Reynoſo, qui ſuperiori ſucceſſit, vir verè ob multas præclaraſque virtutes dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in
B benedictionem erit; ubi ſedem iniit, nihil antiquius habuit, quàm ut animum ad res divinas adjiceret, & maximè ad iſtam, quæ laudis ſanctorum martyrum amplificatione continetur. Dedit igitur operam, ut eorum Officia, numero & geſtis martyrum locupletata, à ſancta Sede Apoſtolica probarentur; probata edi juſſit, edita recipi ac celebrari præcepit. *Huc uſque laudatus de Roa; unde nullum, ut dixi, de legitimo* SS. Emilæ *ac* Hieremiæ *cultu dubium relinquitur; cùm hi certè in eorum numero ſint, quorum Officia propria tum præcepta fuêre; quippe qui & Romano Martyrologio inſcripti ſunt, & à S. Eulogio tamquam illuſtres martyres celebrantur. Hiſce adde, ejuſdem de Roa Kalendarium ſuprà memoratum, in quo, ut vidimus, uterque Sanctus noſter ad diem* XVIII *Septembris memoratur, quodque eos Sanctos continere ipſe ait*, iiſque diebus *referre*, quibus eos celebrat eccleſia Cordubenſis.

Elogium eorum à S. Eulogio ſcriptum.

9 *Sancti Eulogii Cordubenſis presbyteri ac martyris Vitam ab oculato teſte Alvaro ſcriptam, in Opere noſtro editam illuſtratamque habes ad diem* XI *Martii. In ea biographus cap.*
C *2 de Memoriali Sanctorum per ipſum conſcripto diſertè ſic meminit:* De quo (*uno è proceribus divinitus punito*) pleniùs in libro Memoriale Sanctorum tertio jam dictus beatiſſimus diſputavit. In quibus libris & paſſiones ſigillatim martyrum claro fonte locutionis explicuit, & proſecutione ſufficienti, quæcumque acta ſunt in martyribus Domini & dicta, ſecuturis generationibus propalavit. Quantus autem, vel quàm excellens fuerit ſcientiâ, luce clariora ejus pandunt Opuſcula, quæ ſale Attico & proſatico lepore, imò divina inſpiratione, compoſuit. *De hiſce conſuli poſſunt laudata Vita & Nicolaus Antonius tom.* 1 *Bibliothecæ Hiſpanæ veteris, lib.* 6, *cap.* 6; *id unum hìc obſervâſſe juverit, S. Eulogium martyrum victoriis, quas refert, ſynchronum ac oculatum ſæpe teſtem fuiſſe, in eademque perſecutione & urbe primò captum, deinde è carcere liberatum, ac denique ſub Mahomete rege capite plexum fuiſſe; ita ut in ſcriptore hoc, cetera quoque docto ac pio, ad conciliandam dictis ejus fidem nihil quiſquam meritò deſideret.*

10 *Porrò de ſanctis noſtris* Emila & Hieremia *in laudato Memoriali egit lib.* 2, *cap.* 12, *ubi eorum martyrium, ut paſſim aliorum, brevi elogio complexus eſt, ſignans Æram Hiſpanicam, quam præmiſerat,* DCCCXC, *quæ Chriſti anno* 852 *reſpondet. Dominabatur tum aulamque Cordubæ habebat Habdarrahgman, quem alii Abderramen ſcribunt, Saracenorum in Hiſpania rex, quem Ambroſius Morales in Scholiis, ejus nominis III numerat. De ſuſcitata ab ipſo vel vehementer aucta in Chriſtianos perſecutione idem Eulogius libro citato, cap.* 1 *hæc ſcribit:* Regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto, anno Incarnationis ejus DCCCL, Era DCCCLXXXVIII; conſulatûs (*id eſt, regni*) autem Habdarrahgman XXIX; cujus temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hiſpaniis aucta, totam penè Hiberiam diro privilegio (*id eſt tyrannide*) occupavit. Cordubam verò, quæ olim Patritia dicebatur, nunc ſeſſione ſua urbem regiam appellatam, ſummo apice extulit, honoribus ſublimavit, gloriâ ditavit, divitiis cumulavit, cunctarumque deliciarum mundi affluentiâ, ultrà quàm credi vel dici fas eſt, vehementiùs ampliavit; ita ut in omni pompa ſæculari prædeceſſores generis ſui reges excederet, ſuperaret & vinceret. Dumque ſub ejus graviſſimo jugo Eccleſia Orthodoxorum gemens, uſque E
ad interitum vapularet, venerabilis memoriæ Perfectus presbyter *&c.; pergit deinde S. Perfecti martyrium enarrare.*

de cujus perſecutione

11 *Quamquam autem tyrannus ille Chriſtianos omnes exſtinctos non vellet, ſed & Chriſtianæ religionis exercitium utcumque eis permitteret, ne regionem incolis, agricoliſque deſtitueret; quo loco tamen hi tum habiti fuerint, ex ejuſdem Memorialis libro* 1 *accipe.* Nullam, *inquit detractores martyrum redarguens*, opinantes eſſe moleſtiam diruptiones baſilicarum, opprobria ſacerdotum, & quod lunariter ſolvimus cum gravi mœrore tributum; adeò ut expedibilius nobis ſit compendium mortis, quàm egentiſſimæ vitæ laborioſum diſcrimen... Et quis inter cunctos perſequutores fidelium cruentiùs, quàm hic infandus, Eccleſiam inſequutus eſt? Quis tanta in everſionem Catholicorum, quanta idem exaggeravit infauſtus? Quia, ut ita dixerim, nemo noſtrûm inter eos ſecurus ingreditur, nemo quietus permeat, nemo ſeptum eorum, niſi dehoneſtatus, pertranſit. Etenim, cùm nos cujuſlibet rei familiaris neceſſitas ire in publicum coëgerit, & inſtante domeſtica neceſſitate, ex angulo tugurii noſtri F
in forum proſilire contigerit; mox ut ſtigmata in nobis Ordinis ſacri advertunt, acclamatione deriſionis ut amentes & fatuos impetunt, præter illa puerorum quotidiana ludibria, quibus non ſatis eſt inferre linguæ convitium, turpia exaggerare ſcurrilitatum; verùm etiam tergo nos lapidibus inſectari non deſinunt.

aliqua ex S. Eulogio annotantur.

12 Quid illud memorem, quod in contumeliam ſigni venerabilis proferunt; quòd cùm fortè competens tempus pſallendi ſignum fidelibus dare compulerit, & imminens hora obſecrationis indicium populis facere conſuetum popoſcerit; mox ut illectum ſuperſtitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captaverit, in omnem maledictionem & ſpurcitiam linguam admovere non differt... Sæpe ab eis & inceſſanter calumniamur, causâque religionis eorum ſævitiam ubique perpetimur: adeò ut multi ex eis tactu indumentorum ſuorum nos indignos dijudicent, propiúſque ſibimet accedere execrentur; magnam ſcilicet coinquinationem exiſtimantes, ſi in aliquo rerum ſuarum admiſceamur. *Hactenus S. Eulogius. Crevit tamen deinde etiam barbarorum ſævitia, cùm è Chriſtia-*

D
Paſſi ſunt ſub Habdarrahgman Saraceno,

A *ſtianis aliqui impietatem eorum libera voce caſtigare, eorumdemque pſeudo-prophetam Mahumetem & probroſa ejuſdem dogmata arguere & inſectari cœperunt. Tunc enim, qui Chriſtianos hactenus utcumque toleraverant, vehementiùs exarſerunt, & de exſcindendis fidelibus aliquando deliberârunt. Hæc præmiſiſſe juverit ad faciliorem elogii, quod ſubdemus, intelligentiam.*

Non fuêre monachi Benedictini:

13 *E Benedictinis nonnulli ſunt, qui utrumque Athletam noſtrum inter ſui Ordinis Sanctos recenſere non dubitant; ſcilicet Tepeſius tom. 4 Chronicorum generalium Benedictinorum, Centuriâ 4, ad annum 852, Bucelinus in Menologio, Wionius lib. 3 Ligni Vitæ, Menardus in Martyrologio, & Dorgainus in Kalendario, omnes ad hunc diem. Hiſce conſonat Joannes de Marieta, Ordinis S. Dominici, in Hiſtoria Eccleſiaſtica omnium Sanctorum Hiſpaniæ, lib. 3, cap. 12. Verùm multò rectiùs Mabillonius ſeculi 4 Benedictini, parte 2, pag. 584 oppoſitum cenſuit, nec inter Prætermiſſos quidem locum eis concedendum putavit. Et certè S. Eulogius, qui, dum de monachis martyribus agit, eam profeſſionem non ſolet omittere, nihil ſimile de Sanctis noſtris memorat, imò contrarium indicat, dum ait:* Emila... & Hieremias, qui ab infantia ſua apud baſilicam S. Cypriani litteras edocentes, unus ad miniſterium diaconii conſecratus, alter in habitu laïcali degebat ſimpliciter.

B

Cypriani de ipſis Epigramma ſuppoſititium.

14 *Ceterùm de* SS. Emila & Hieremia *agunt Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti 852, quo paſſos diximus: Tepeſius, Marieta, & Roa jam ſuprà laudati; ſed nihil ex ipſis diſcimus præter ea, quæ habet S. Eulogius, ex cujus Memoriali ſua prompſerunt. Joannes Tamayus in Obſervationibus ad Martyrologium ſuum Hiſpanicum Epigramma quoddam Ms. Cypriani archipresbyteri Cordubenſis de* SS. Emila, *qui ibi* Emilias *vocatur, &* Hieremia *recenſet, in quo eorumdem paſſio celebratur. De Cypriano hoc, ejuſque epigrammatis videri poteſt Nicolaus Antonius tom. 1 Bibliothecæ veteris Hiſpanæ, lib. 6, cap. 7, num. 145 & ſequentibus; ſed & epigramma iſtud, à Tamayo relatum, inter ſuppoſititios Cypriani fœtus rejectum ibidem reperies. Plura de Sanctis noſtris non reperi; itaque eorumdem elogium ex laudati S. Eulogii Memorialis Sanctorum libro 2, cap. 12 ſubjungo.*

AUCTORE C. S.

Sanctorum elogium

15 Pòſt non longo iterum intervallo (*id eſt poſt SS. Chriſtophori & Leovigildi martyrium, quod cap.* XI *die* XX *Auguſti anni* 852 *contigiſſe narraverat*) duo adoleſcentes illuſtres, ex civibus Cordubenſibus nobili familia procreati, ad palæſtram martyrii concurrerunt; Emila ſcilicet & Hieremias, qui ab infantia ſua apud baſilicam S. Cypriani litteras edocentes, unus ad miniſterium diaconii conſecratus, alter in habitu laïcali degebat ſimpliciter. Et quoniam uterque Arabico inſigniter præpollebat eloquio, ferunt tantâ per eamdem linguam in eorum vatem (*Mahumetem*) volubilitate egregium Emilam exaggerâſſe opprobria, ut præcedentium martyrum convitia obliviſcerentur, cernentes horum proſequutiones contra ſuum dogmatiſtam acriùs invalere. Et idcirco non jam ſolummodò de mortibus reſiſtentium ſibi excogitare cœperunt, verùm etiam totam extirpare Eccleſiam ruminârunt: quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad martyrium concuſſa gentilitas, regni ſui arbitrabatur excidium imminere; cùm tali etiam virtute præcinctos parvulos prævideret.

E

& paſſio ex S. Eulogii Memoriali.

16 Quos per carcerem maceratos, poſtremùm gladio vindice peremerunt. Et cùm totus ille dies clara eſſet ſerenitate luſtratus, ſubitò eâdem horâ, quâ decollati ſunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens, mundo incutitur; ſpargit radiata lampadum fulgura æther: ſuperos avelli cardines exiſtimares. Armatur nube grandinum axis; fuſcatur dies, turbinibuſque inficitur aër: pios cecidiſſe Athletas, elementa fatentur. Quorum corpora equuleis ſuſpendentes, ultra amnem (*Bœtim ſcilicet*) ſtatuunt XVII Kalendas Octobris, Erâ, quâ ſuprà. *Signaverat autem ſuprà Æram* DCCCXC, *id eſt annum Chriſti* 852. *De ſacris eorum corporibus juſſu tyranni poſtmodùm combuſtis, cineribuſque eorumdem fidelium curâ collectis & in ſacris locis depoſitis, uti & de ejuſdem tyranni nece divinitus inflicta, conſule Syllogen de SS. Rogellio & Servio-Deo, qui poſtridie paſſi fuêre, & quorum martyrium ad ſequentem diem dabimus; conſule, inquam, eam Syllogen num.* 14 *&* 15.

C F

DE S. LUTHARDO COMITE, CONF.

IN CLIVIA, DUCATU INFERIORIS GERMANIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

§ I. Sancti illuſtre genus; parentes; memoria apud Scriptores, & horum multiplex anachroniſmus.

SUB FIN. SEC. IX. *De Sancti præclaro ſtemmate*

CLivia *Germaniæ inferioris provincia eſt, olim comitatûs, nunc ducatûs titulo inſignita, nomenque ſuum ſortita à primaria ſua & cognomine civitate, in clivo montis condita. Protulit ea regio ſeculo* IX *ac dominum agnovit* S. Luthardum, *nonnullis* Luithardum, *paucis, ſed mendosè*, Lutgardum, *comitem, de quo agendum venit hac die &*

de quo Petrus à Streithagen, canonicus Hinsbergenſis in ducatu Juliæ, ſic canit in tetraſtichis ſuis apud Wernherum Teſchenmacher part. 2 Annalium Cliviæ pag. 192.

Ungariæ Stephanus, Gallis Ludovicus honori eſt,
Sarmatiæ fulges, ô Caſimire, decus.
Clivia Luthardi magnâ pietate ſuperbit,
Quemque ſolo coluit, nunc colit ipſa polo.

AUCTORE J. P. *De illustrissima autem* S. Luthardi *stirpe unanimis scriptorum, quos consulere licuit, consensus est. De Caroli Magni sanguine originem illum duxisse asserunt passim omnes, & acceptum à Majoribus suis Clivensem comitatum post diuturnum regimen transmisisse in filios ac nepotes. Sed quando iidem scriptores annos & similia signa chronologica exprimunt, ita confundunt pleraque, ut vix, aut ne vix quidem aliquid reperias, unde rerum ac temporum seriem elicias.*

convenit inter Scriptores, quorum notitia

2 *In Actis, quorum infrà notitiam dabimus,* dicitur Luthardus comes inclytus, regali stirpe editus; *pater* Everardus *nuncupatur, mater* Berta, *frater* Berengerus *episcopus, sed absque ulteriore stemmatis explicatione. Servamus in Museo nostro librum antiquo stylo & idiomate Belgico exaratum, typisque editum Trajecti ad Rhenum anno* 1480, *quem auctor & editor Joannes Veldenaer* Fasciculum temporum *inscripsit, utpote in quem collegit vetusta chronica, Universale ab initio mundi, & particularia Galliæ, Angliæ, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Geldriæ, Cliviæ &c., singulaque ad suam usque ætatem continuavit. Clivense Chronicum, quod ad propositum nostrum pertinebat,* B *uno folio mutilum est, nimirum trecentesimo vigesimo secundo, eo præcisè, ubi haud dubiè auctor distinctam ac ordinatam* S. Luthardi *Majorum seriem collocaverat; at quæ fol.* 324 *habet, Latinè sic sonant:* Luthardus hujus nominis primus, Everardi comitis filius, Cliviæ comes decimus præfuit annis XLIII. Uxorem habuit Bertam Arnulphi imperatoris filiam de stirpe Gallica. Nam Ludovicus Gallus, rex Germaniæ, avus erat imperatoris hujus Arnulphi; Carolus tertius autem imperator ejusdem erat patruus. Ex ista conjuge procreavit Luthardus binos filios, quorum alter, dictus Balduinus, post Parentem obtinuit comitatum, alter Rycffridus nomine pater fuit Baldrici Clivensis Ultrajectensium episcopi decimi quinti. Comes iste Luthardus cum domina Berta conjuge sua instituit duo collegia, alterum canonicorum Wisselæ in Clivensi comitatu, alterum canonissarum Novesii, anno Domini DCCCXXXVIII; Novesium autem id temporis ad Clivensium ducem pertinebat. *Hæc ille, in quibus tamen latent spinæ quædam chronologicæ, ut patebit infrà.*

C datur, 3 *Alia penes nos est chronicorum Geldriæ, Juliæ & Cliviæ Ms. collectio Latina, sed quo tempore & per quem facta sit, nullo charactere denotata: in hac ducum omnium & comitum ordine genealogico gesta præcipua describuntur usque ad annum Christi* 1375, *ad quem collector opus suum claudit verbis sequentibus:* Hæc ex chronicis Hollandiæ. *Porrò, quæ desiderari diximus in Veldenarii nostro exemplari, spectantia ad* S. Luthardi *Majores, integra hic sunt, sed Veldenarii posteriori periodo utcumque adversantia. De Sancti parente scribitur in hunc modum:* Everhardus Baldevini (*comitis septimi*) filius & Ludovici (*octavi comitis*) germanus, comes fuit Clivensis nonus ac Teisterbandiæ. Præfuit annis novem, Ludovico Pio imperatore, vir Deo & Ecclesiæ devotissimus, prudens, liberalis & clemens, cui illustrissima Berta, Ludovici Bavariæ regis filia, Magnique Caroli consanguinea, Luthardum enixa successorem, & Berengarium Tullensem episcopum, viros certè omni sanctitate refulgentes. Ipse cum uxore & filiis duo celebria religiosorum collegia fundavit & dotavit, unum virorum in Wisschel prope Calkar, aliud nobilium virginum in Novesio, anno Domini DCCCXXVI D sub Gunthero Colonienſi episcopo.

& verba 4 *Post alia multa, ad rem præsentem non pertinentia, de* Luthardo *leguntur hæc:* Luthardus comes Clivensis decimus annis quadraginta tribus principatum optimè administravit, princeps universarum virtutum atque gratiarum ornamentis præclarissimis, tantæque sanctitatis, quòd Cælitum meruerit catalogo annotari; cui illustrissima Berta, Arnulphi imperatoris filia, Baldewinum peperit succedentem, Racfridum (Tubantiæ, *quæ vox in Ms. omissa est*) comitem, Balderici de Clivis Trajectensis episcopi genitorem. Is unà cum Alfrido, Hildesemensi episcopo, nepote, binas religiosorum congregationes plantavit, unam virorum in Salenstadt, alteram nobilium virginum in Essendia, quarum hodie dux Clivensis præfectus est & conservator, collegium quoque Wisselense, à parentibus nundum perfectum, sed inchoatum, otiùs consummavit, in quo cum miraculorum gloria sepultus est cum uxore & liberis. *Ex dictis hîc de collegio Wisselensi intelligimus, quo sensu præced. numero ejusdem institutionem Eberhardo attribuat, & quo Veldenarius cit. num.* 2 *eamdem adscripserit* Luthardo: *sed de ea institutione illiusque* E *epocha, infrà agemus pluribus; ad ea verò, quæ referuntur de institutoribus monasterii in Salenstadt, atque parthenone in Essendia, pauca observabimus in annotatis ad Vitam lit.* e. *Porrò ex hisce etiam verbis:* Quarum hodie Dux Clivensis præfectus est & conservator, *colligimus, vel à collectore nostro anonymo adjecta fuisse aliqua chronicis à se laudatis, vel dicta chronica posteriora esse anno* 1375; *quandoquidem Clivia ducatûs titulo ornata non sit ante annum* 1417, *quo Adolphus, Adolphi Marcani Clivorum comitis filius, dux creatus est per Sigismundum imperatorem in concilio Constantiensi; uti cum aliis testatur Wernherus Teschenmacher part.* 2 *Annalium pag.* 256.

recitantur: 5 *Laudatus Teschenmacher pag.* 189 *agens de Eberhardo comite, eadem penè tradit, quæ anonymus noster collector, eaque confirmat adducto instrumento, quod in ecclesia Novesiensi suspensum esse ait in tabula, & quod hîc subjungo:* Anno Christi DCCCXXV, Indictione III, Eberhardus comes & Bertha uxor ejus nobilis matrona, Ludovici Bavariæ ducis filia, nec non Luthardus comes Clivensis, & Berengarius episcopus Tullensis eorumdem filii, duas congregationes ecclesiarum, unam in Wissel & alteram Novesii canonicorum & canonissarum sub Gunthero archiepiscopo Colonienſi & Ludovico Romanorum imperatore, & Caroli Magni ex Ludovico pronepote, fundârunt. *Allatis hactenus vetustius esse credo instrumentum, quod laudat ac recitat Wernerus Titianus, monasterii S. Mariæ Novesiensis canonicus regularis, in Annalibus Novesiensibus apud Martenium tom.* 4 *Collectionis amplissimæ col.* 537, *ad annum* 864 *his verbis:* Sub hoc Gunthero (*Colonienſium archiepiscopo*) & Ludovico imperatore templum Novesii collegiatum canonicorum & canonicarum virginum societate, S. Quirini corpore, & multorum peregrinorum frequentatione longo tempore memorabile extruitur. De cujus primis institutoribus hæc in pergamenis litteris sigillatis, vetustate ferè exesis, inveniuntur: „ Everhardus comes „ (fuit Clivensis) " & Berta „ ejus uxor, nobilis matrona de stirpe Caroli ma- „ gni regis, & Luthardus comes, atque Beren- „ garius episcopus Tullensis, eorum filii, con- „ stituerunt duas congregationes, unam in Wessel

„ ca-

A „ canonicorum, alteram in Nuſſia canonicorum & „ canonicarum.„

6 Vetuſtius, inquam, ceteris id inſtrumentum mihi apparet, imò etiam omnibus præferendum; non adeo propter auctoritatem Titiani, ſed vel maximè quia caret ſignis chronologicis, quæ auctores citati & eodem veriſimiliter uſi, poſtmodum adjecerunt, meo judicio, contra veræ chronologiæ calculos. Nam anni 825, quem tabula Noveſienſis proximè aſſignata, 826, quem anonymus laudatus num. 3, & 838, quem Veldenarius memoratus num. 2, inſtituti Noveſienſis collegii epocham ſignt, neutiquam conſiſtunt cum epiſcopatu Guntheri, ſub quo facta aſſeritur inſtitutio non modò in Noveſienſi tabula & in Collectione Ms. anonymi noſtri, ſed etiam in Annalibus Titiani, aliorumque lucubrationibus, geſta pontificum Colonienſium paulo fuſius pertractantium. Etenim juxta catalogum epiſcoporum Colonicuſium Levoldi à Northof, præfixum tom. 2 Rerum Germanicarum Henrici Meibomii; juxta Gelenium de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine; juxta Sammarthanos fratres & alios, Guntherus ſeu, ut ſcribunt alii, Gunthārius Colonienſes infulas adeptus eſt tantùm circa annum 851. Non magis congruunt aſſignati anni cum imperio Ludovici, quem tabella Noveſienſis pronepotem Caroli magni nuncupat; & per quem proinde intelligi nequit alius, quàm Ludovicus ejus nominis ſecundus, Lotharii I imperatoris filius, ſub annum 849 imperii conſors factus, atque Romæ coronatus imperator à Leone IV PP. ſub annum 850.

B *7 Dices nodum diſſolvi poſſe, ſtatuendo, quòd inchoata ſit monaſterii ſeu collegii inſtitutio per Eberhardum comitem ſub annum 825 vel 826, &, illo mortuo, perfecta per* Luthardum *filium, ſedente Coloniæ Guntherο archiepiſcopo, & imperante Ludovico ſecundo, Caroli magni pronepote. Sed ipſemet, qui hujuſmodi diſtinctionis primam ſuſpicionem injicit, anonymus noſter num. 4, ei viam præcludit num. 3, ubi apertè annum 826 cum Guntheri archiepiſcopatu conjungit inquiens:* Ipſe (*Eberhardus*) cum uxore & filiis duo celebria religioſorum collegia fundavit & dotavit, unum virorum in Wiſſchel prope Calkar, aliud nobilium virginum in Noveſio anno Domini DCCCXXVI, ſub Gunthero Colonienſi epiſcopo. *Sed*

C *ponamus tantiſper, errâſſe auctorem hunc, dum Guntheri epiſcopatum conjunxit cum initiis dictorum collegiorum, qui conjungendus erat cum eorumdem perfectione: aliud occurrit, quominùs collegia iſta votatis annis inchoata credamus per Eberhardum cum uxore Bertha ac filiis* Luthardo *& Berengero.*

8 Etenim Bertam illam, non tantùm de ſtirpe Caroli magni ortam eſſe affirmant paſſim omnes, verùm etiam Ludovici Bavariæ regis aut ducis filiam expreſsè nuncupant anonymus noſter ſæpe citatus, tabula Noveſienſis, Teſchenmacher in Annalibus, & Theodorus Rhay in libro, quem Animæ illuſtres Juliæ, Cliviæ *&c. inſcripſit. At quis fuit, obſecro, Ludovicus ille ſub illa tempora ſeu dux ſeu rex Bavariæ? Non Ludovicus pius Caroli magni filius, qui anno 806 Aquitaniæ regnum obtinuit, nec ullum in Bavariam jus habuit ante annum 813, quo à patre regni conſors factus eſt, ſeu potiùs ante annum 814, quo ſolus imperare cæpit, & quo eodem, ut videbimus num. XI, Lotharium filium Bavariæ præfecit. Præterea non video, quid impulliſſet auctores noſtros, ut Ludovicum pium titulo regis aut ducis Bavariæ, quo nuſquam venit alibi, diſtinxiſſent potiùs, quam imperatoris aut ſaltem regis Aquitaniæ. Igitur quærendus eſt Bertæ pater Ludovicus alter.*

AUCTORE J. P.

9 Vetuſtior eo nomine ex Caroli magni imperatoris ſtirpe non occurrit quàm Ludovicus Ludovici Pii filius, cui meritò titulus ducis aut regis Bavariæ adſcribi potuit, utpote quem pater, cum anno 817 Lotharium, filium ſuum natu majorem, imperatorem dixiſſet, eidem Lothario in Bavaria ſubſtituit & regem inſtituit. Audi Eginhardum in Annalibus Ludovici Pii apud Andream du Cheſne tom. 2 Scriptorum Galliæ pag. 261: Conventum Aquiſgrani more ſolito habuit, in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque imperii ſui ſocium ſibi conſtituit: ceteros reges appellatos, unum (*Pippinum*) Aquitaniæ, alterum (*Ludovicum*) Bajoariæ præfecit. *Varia exſtant inſtrumenta apud Carolum Meichelbeckium tom. 1 Hiſtoriæ Friſingenſis part. 2, in quibus idem Ludovicus, imperatoris cognominis filius,* Rex in Bajouuaria, Rex Bajouuariorum ſcribitur: *deinde tamen etiam* Ludovicus Germanicus *dictus eſt, &* Ludovicus I rex Germaniæ.

E *10 Et ſanè huic filiam fuiſſe nomine Bertam teſtantur monumenta vetuſta, quæ laudat Joannes ab Eckhart tom. 2 Commentariorum de rebus Franciæ Orientalis pag. 464, 614, 630 & alibi. De eadem Berta facta etiam mentio eſt apud nos tom. III Septembris in Commentario prævio ad Acta SS. Felicis & Regulæ MM. pag. 767. Annales Weingartenſes, vulgati à Mabillonio in nova editione Veterum analectorum pag. 368, Bertæ obitum referunt ad annum 877, in quo deſinunt, hiſce verbis:* DCCCLXXVII. Berta filia regis Hludowici ob. *Habemus ergo Bertam Ludovici regis Bavariæ filiam; at, an ea conjugem habuerit Eberhardum, an filios* Luthardum *& Berengarium, imò an umquam matrimonio juncta fuerit, valdè dubium eſt: quandoquidem, ut probat laudatus Eckhartus, Berta eadem ſorori ſuæ Hildegardæ, anno 857 juxta citatos Weingartenſes Annales defunctæ, ſuffecta ſit abbatiſſa in Tigurino ac Schwarzenſi monaſteriis. Verumtamen hoc non ſufficit, ut abſolutè credamus, numquam illam fuiſſe nuptam; cùm pluribus exemplis conſtet, mulieribus præſertim principibus, poſt mariti obitum vel ſeceſſum à ſeculo, collatas fuiſſe monaſteriorum præfecturas; qualia exempla habemus in*

F *ipſo catalogo abbatiſſarum Tigurini monaſterii apud Martinum Cruſium part. 2 Annalium Suevicorum lib. 2 pag. 45, ubi Hildegardæ obitus differtur in annum 860, Bertæ in 881.*

11 Ponamus ergò tantiſper, Bertam hanc, Ludovici Germanici filiam, eam eſſe, quæ in inſtrumento Noveſienſis annaliſtæ Nobilis matrona *dicitur,* de ſtirpe Caroli Magni regis, *ab aliis verò* Ludovici Bavariæ regis filia, *& ubique Eberhardi comitis Cliviæ uxor adſcribitur. Hoc poſito, mirum, quantum hîc denuò à veræ chronologiæ calculis aberrârint anonymus noſter & reliqui omnes, qui inſtituti Wiſſelenſis & Noveſienſis capituli epocham fixerunt annis 825, 826 & 838! Quippe Ludovicus iſte rex Bavariæ anno 814 puer erat dumtaxat, uti teſtatur biographus Ludovici Pii imperatoris apud laudatum du Cheſne pag. 296.* Eodem, *inquit,* etiam anno (814, *quo poſt obitum Caroli Magni ſolus regnare cæpit*) duorum* ſuorum filiorum, Lotharium in Bajoariam, Pipinum in Aquitaniam miſit, tertium verò Ludovicum, adhuc puerilibus conſiſtentem in annis ſecum tenuit. *Imò idem Ludovicus rex, quamvis anno 817, ut ſupra dictum eſt, à patre miſ-*

& avo

ſed ii per adjecta ſigna chronologica

rerum ordinem miſerè perturbârunt.

Quæ de Sanctimaure

traduntur,

diſcutiuntur,

* duos

AUCTORE J. P.

sus sit in Bajoariam seu Bavariam, ob ætatis procul dubio teneritatem, non regnavit primùm per se ipsum, sed per ministros, sibi à patre designatos. Probat hoc laudatus Eckhartus pag. 145, *producto instrumento anni* 819, *cui tamquam testis subscribitur*, Egilolfus pedagogus Hludovici juvenis. *Et is scilicet Ludovicus juvenis anno* 825 *vel* 826 *habuerit filiam, quæ cum marito Eberhardo ac filiis* Luthardo *&* Berengario *fecerit fundamenta duorum collegiorum, vel anno* 838 *habuerit nepotem* Luthardum, *qui cum uxore perfecerit dicta collegia, jam tum defunctis parentibus.*

& seriùs omnia collocanda censentur.

12 *Denique, hisce omnibus perpensis, superest, ut credamus, collegiorum illorum primordia jacta fuisse dumtaxat post annum* 850, *imo fortasse multo seriùs: sic enim cum iisdem primordiis conjungere poterimus tempora Guntheri seu Guntharii archiepiscopi, qui anno circiter* 873 *è vivis abiit, Ludovici secundi imperatoris, qui Caroli magni pronepos fuit, vixitque usque ad annum* 875, *&* Bertæ, *si tamen Eberhardi conjux fuerit filia Ludovici I regis Bavariæ, quod certò affirmare non ausim, tum propter dicta num.* 10, *tum quia,* B *qui asserunt filiam fuisse regis vel ducis Bavariæ, anonymus noster, tabulæ Novesiensis auctor, Teschenmacher & alii, manifestis erroribus & anachronismis laborant; instrumentum verò Ms. Novesiense, omnibus, meo judicio, antiquius & melius, simpliciter eam appellat matronam de stirpe Caroli Magni regis.*

§ II. Sancti conjux ac liberi; alii etiam hîc scriptorum anachronismi.

Sancti conjux ac liberi,

Concors est scriptorum omnium, qui de S. Luthardi *conjuge meminerunt, sententia, fuisse illi similiter nomen Bertha seu Bertæ, patrem verò Arnulphum imperatorem. Veldenarii verba dedimus num.* 2, *& anonymi nostri num.* 4. *Wernherus Teschenmacher, quem secutus est Theodorus Rhay, sic habet in Annalibus part.* 2 *pag.* 190: De Luthardo, sub Lothario, Ludovico II, Carolo Calvo, & Ludovico III imperatoribus, Cliviæ comite decimo, Pighius scribit, quòd ob virtutes, vitæ puritatem ac sanctimoniam meruerit affinitate stirpis Caroli Magni & domus Cæsareæ decorari, & Arnulphi imperatoris filiam Bertham in uxorem accipere, ex qua duos filios suscepit Balduinum seu Baldericum successorem, & Ricfridum Tubantiæ comitem. *Joannes Cuspinianus libro de Cæsaribus & imperatoribus Romanis hæc notat in Arnulpho:* Reperi ejus quoque filiam, sed ex qua uxore ignoro, Bertham, quam Luthardus primus ejus nominis, comes Clevensis, filius Eberhardi, uxorem duxit, duosque filios ex ea peperit, Balduinum II, undecimum comitem Clevensem, & Richfridum, patrem Waldrici episcopi Trajectensis. *Cuspiniano adhæsit Wolphangus Hungerus in tabula genealogica Caroli Magni, quam inseruit Annotationibus suis ad Cuspiniani librum, & in qua incipiens à Carolo Magno per Ludovicum pium, Ludovicum I Bavariæ regem, Carolomannum item regem Bavariæ, ac denique Arnulphum imperatorem, descendit ad Bertham, in eaque desinit verbis sequentibus:* Bertha filia, nescitur utra ex matre; ipsa Luithardi comitis Clevensis uxor. *Binas nominat hic auctor Arnulphi conjuges, Agnetem & Deytham seu Luitgardam, idemque facit Hieronymus Henninges in Theatro genealogico ac præterea inter liberos Arnulphi & Luitgardæ recenset Bertam uxorem* Luthardi *comitis Clivensis.*

& conjugis majores.

14 *Hæc modò si conferamus cum relatis paragrapho præcedente, relinquitur, ut dicamus,* Luthardo, *Ludovici Germaniæ seu Bavariæ regis nepoti, conjugem fuisse ejusdem Ludovici proneptem atque sic utriusque à Carolo Magno propaginem statuamus:*

Carolus Magnus, imperator.

Ludovicus Pius, imperator.

Ludovicus I Germaniæ seu Bavariæ rex.

Berta uxor Eberhardi — Carolomannus Bavariæ rex.

Luthardus — Arnulphus, imperator.

Bertha Luthardi uxor.

Apparet hîc, fateor, notabile discrimen ætatis Luthardum *inter & Bertham conjuges, sed id insolens non est, præsertim ubi suspicari possumus, quòd aliquis, qui antè mundi fastum ac nuptias aversatus, soli Deo se mancipare constituerat, non* E *nisi diuturnis parentum, nepotes ac heredes desiderantium, ac populi universi, dominos ex eadem familia exoptantis, precibus fractus, animum adjecerit ad ducendam uxorem; prout Vitæ rhythmicæ auctor, & Joannes Melas poëta, de quibus infrà agendum erit, à* S. Luthardo *factum fuisse, cecinerunt; prior his versiculis:*

Jam parentes deserere, immò mundum dimittere,
Seque claustris includere, cogitabat assiduè
Miles Christi fortissimus, Luthardus vir sanctissimus,
Claustrorum probatissimam ardens subire regulam
Servire soli Domino corde optabat intimo;
Sed quod gestat in animo, nequit implere, Domino
Impediente talia, ac præparante alia.

Alter verò isto carmine:

Vivere cum thalamis cælebs decreverat Heros,
Propositum vetuit subditus atque parens;
Præcipitur chari vitam post vota parentis
Uxoratus agat, Clivia tecta regens.

Tot hîc variùs apud scriptores F

15 *Sed miror denuò, quomodo Veldenarius, dum* Luthardi *uxorem, Arnulphi imperatoris filiam fuisse scripsit, non adverterit errores suos in enarrandis gestis aliis: præsertim ubi Wisselense & Novesiense capitula per* Luthardum *& Bertam instituta retulit sub annum* 838, *quandoquidem Arnulphi avus & Bertæ proavus, Ludovicus Germaniæ rex, puer esset dumtaxat anno* 814, *uti ostendimus num.* 11; *Arnulphus verò regnum Germaniæ adeptus sit dumtaxat sub annum* 887, *atque imperator coronatus sub* 896. *Præterea, dum hæc Arnulphi tempora considero, viam non reperio, ut verisimili ulla ratione exponam, quæ scribunt Hermannus Stangefol lib.* 2 *Annalium Circuli Westphalici, & Teschenmacherus ac Rhayus aliquoties laudati, abiisse scilicet è vivis* S. Luthardum *anno* 881, *post regimen Clivensis comitatûs annorum quadraginta quatuor, relictisque ex Bertha, Arnulphi filia, liberis duobus, Balduino seu Baldrico & Ricfrido, qui Balduinus seu Baldricus, uti addit Teschenmacherus* sub Carolo Crasso, Arnulpho, & Conrado I imperatoribus *Clivensis comes fuit, &* cùm provinciam Cliviam annis XXXVII administrâsset, anno CMXVII exspiravit.

AUCTORE J. P.

A occurrunt

16 *Nam primò, creditu mihi admodùm difficile apparet, Arnulphum, qui anno* 887 *subrogatus est Carolo Crassò, quia ab hoc tum* non modò vires corporis, *uti referunt Annales Metenses & Regino*, verùm etiam animi sensus *diffugerant, habuisse anno* 881 *ex filia nepotem, administrandæ provinciæ Clivensi idoneum. Secundò, æquè difficile est perceptu, quomodo* Luthardus *per annos* 44 *tenuerit Clivensem comitatum, si mortuus sit anno* 881. *Nam patrem ejus Eberhardum obiisse anno* 835 *aiunt quidem Teschenmacherus & Rhayus*; *Stangefolius autem anno* 837: *sed non probant*; *eorumque opinio videtur nobis abundè improbata per ea, quæ paragrapho præcedente protulimus & discussimus tum super ejus conjuge, secundum ipsos Ludovici Bavariæ regis filia, tum super institutione collegiorum Novesiensis & Wisselensis, sub archiepiscopatu Guntharii Colonien sis, & imperio Ludovici II, per Eberhardum factâ, ac proin post annum* 850.

difficultates

17 *Adde, quòd ipsemet Teschenmacherus opinionem suam evertat & manifestè errores suos chronologicos prodat part.* 2 *Annalium pag.* 188; *ubi primò tradit sequentia:* Sed ad Balduinum (*Eberhardi patrem*) redeamus. Is exequiis Caroli Magni, anno DCCCXIV, V Kalend. Febr. in urbe Aquensi celebratis, interfuit, tum etiam Ludovicum Pium, à filiis imperio exutum, & Successione (*imò* Suessione) ut vult Munsterus, sive Compendii, ut Baronius, sive Aquis, ut Beckius in custodia detrusum, fortiter adjuvit, & pristinæ libertati & honori cæsareo cum multis aliis principibus, inprimis Ludovico Bavaro, & Balduino Flandro restituit, & Noviomagum reduxit; à quo propterea Tubantiâ, vulgò Twentiâ donatus. *Eadem habet anonymus noster, sed annum Balduini mortualem supprimit, quem Teschenmacherus notat hisce verbis:* Obiit post XVI annorum imp. anno Christi DCCCXXII. *Dein ad Ludovicum, Balduini filium natu majorem & successorem, procedens, sic ait:* Ludovicus autem sub eodem Ludovico Pio imp. comes Cliviæ octavus, cùm annis præfuisset quatuor vel quinque... cælebs sine hærede excessit anno Christi DCCCXXVII. *Denique paucis interpositis:* Eberhardus, *inquit*, patri Balduino & Ludovico fratri successit, sub Ludovico Pio, & Lothario ejus filio comes Cliviæ nonus. *Relatis autem ejusdem gestis, subdit:* Rexit comes Eberhardus comitatum Clivium annis novem; obiit anno DCCCXXXV.

B

C

& errores chronologici,

18 *Adverte modò, quàm bellè connectantur, denotati anni cum iis, quæ de Ludovico Pio retulit annalista primo loco. Etenim juxta unanimem scriptorum veterum ac recentiorum, & ipsius quidem Teschenmacheri part.* 1 *pag.* 93, *chronotaxim*; *Ludovicus in filii Lotharii potestatem venit dumtaxat sub annum* 829 *vel* 830, *quo posteriore habita sunt comitia Neomagi utriusque consensu, & imperator pristinæ dignitati restitutus est. At exortis interim novis turbis, secundò captus est à Lothario Ludovicus & in custodia detentus sub annum* 833, *atque anno* 834, *auctore præsertim Ludovico Bavariæ rege, ac juvante cum aliis Pippino rege Aquitaniæ, captivitate solutus est & imperium recuperavit. Itaque si hisce interfuit Balduinus Clivensis, Eberhardi pater, uti Teschenmacherus, confundens utramque Ludovici Pii captivitatem, asserit, & canit Petrus à Streithagen sequenti carmine;*

Succedens rapto Balduinus in ordine fratri
Adstitit exequiis, Carole Magne, tuis,
Cúmque patrem nati bello insequerentur & armis
Cæsareo, juvit, motus honore, Pium.

His, inquam, si interfuit Balduinus, non potuit Teschenmacherus, nisi per errores manifestos, comitum Clivensium designare annos emortuales eo, quo fecit, modo, debuitque Balduini obitum differre saltem ad annum usque 835, *Ludovici ad* 840, *Eberhardi ad* 849, Luthardi *denique usque ad* 893.

ut de tempore nihil determinare possimus.

19 *Ex hactenus discussis sufficienter perspicit studiosus lector, quàm sit perturbata Clivensium comitum seculi* IX *& procul dubio etiam seculi* X *chronologia, cujus ulteriorem disquisitionem eruditioribus Cliviæ scriptoribus relinquo; si fortè apud hos instrumenta lateant, quibus ex intricatissimo labyrintho, in quem citati Teschenmacherus, anonymus noster aliique lectorem suum conjiciunt, ipsi evadant, ac distinctiùs assignent, quantum temporis Sanctas comitatui præfuerit, quove anno circitèr in cælos abierit; nos interim nihil determinare valentes, hunc quàm latissimè statuimus seculo* IX, *& ad ea, quæ de ejus cultu comperta sunt, progredimur.*

§ III. Memoria in Fastis; cultus; Vita metrica hic danda.

E

Memoria in Fastis,

ANnuntiant *hodie* S. Luthardum *in Auctariis Usuardini Martyrologii Grevenus his verbis:* Luthardi comitis Clivensis & confessoris; *istis Molanus:* Luthardi comitis Clivensis & confessoris, qui fundavit clausstrum Wischelense & Nussiense. *Florarium quoque nostrum Ms. sic illum paucis memorat:* Luthardi comitis. *Ferrarius item in Catalogo generali Sanctorum:* Cleviaci in Germania inferiore S. Luthardi comitis: *& Castellanus:* Cliviæ S. Luthardi comitis. *Ceteris fusior est auctor Martyrologii Germanici, cujus annuntiatio Latinè hunc sensum habet:* Item Sancti Luthardi, Cliviæ comitis è regia stirpe oriundi. Is adhucdum puer, cuilibet rectè vivendi normâ prælucens, abstinentiâ, castitate, obedientiâ, patientiâ, vigiliis & orationibus ita Deo placere studuit, ut omnes eum, quamvis laïcum, dicerent monachum perfectum. Ecclesiam exstruxit beatissimæ Mariæ Virgini, vitamque illic in omni sanctitate peregit. Monasterium quoque in Wischel ac Novesii instituit.

F

& elogia Sancti.

21 *Eodem penè elogio ornat Sanctum nostrum Petrus Cratepolius in libello de Sanctis Germaniæ. Wernerus Rolevinck in Antiqua Saxonia; is apud Leibnitium tom.* 3 *Scriptorum Brunsvicensium pag.* 645 *enumerans Sanctos Westphaliæ*, Beatus etiam, *inquit*, Luthardus Clivensis comes suam terram & stirpem nobilitat. *Pater Guilielmus Boyss è Societate nostra in litteris, Juliaco ad patrem Bollandum directis* XXVIII *Novembris anno* 1642, *ita monet:* De S. Luthardo ait Pighius, quòd ob virtutes, vitæ puritatem ac sanctimoniam non solùm meruerit affinitate stirpis Caroli Magni & domus cæsareæ decorari, & Arnulphi imp. filiam in uxorem accipere; verùm etiam post mortem authoritate sedis Apostolicæ Divorum numero adscribi. Certè præcipuum ornamentum tam illustris domus est habere in numero suorum Principem sanctitate fulgentem, velut ignes inter Luna minores. Hæc ille; *Pighius scilicet, haud dubiè in libro, qui* Hercules prodicius *inscribitur. Nam Teschenmacherus in Elencho auctorum, quibus usus est, Pighium in* Hercule prodicio *recenset, & ubi agit de* S. Luthardi *conjugio, eadem planè verba usurpat. Pighium verisimiliter secutus est idem*

AUCTORE J. P. *Teſchenmacherus pag.* 190, *ſic ſcribens:* Auctoritate Papæ Divorum numero adſcriptus eſt. *Rhayus rem ita exprimit:* A morte Albo Sanctorum adſcriptus eſt. *Quo Pontifice, vel quo ritu, nuſquam reperi.*

Colitur Wiſſelæ, ubi ſepultus fuit; 22 *De Sancti ſepultura ac miraculis ſic ſcribit breviter anonymus aliquoties laudatus:* Collegium quoque Wiſſelenſe, à parentibus nundum perfectum, ipſe otiùs conſummavit, in quo cum miraculorum gloria ſepultus eſt cum uxore & liberis. *Creditur autem etiam hodie in eadem Wiſſelenſi eccleſia collegiata aſſervari* S. Luthardi *caput, uti referunt Teſchenmacherus & Rhayus; at quo cultu illic afficiatur, quave ſolemnitate recolatur ejus annua memoria, non ſignificant. Coli tamen ſatis conſtat: ſic enim ad nos perſcripſit anno* 1692 *R. P. Joannes Michaël Vanderketten Brigittinorum in Marieblom Calcariæ Prior:* Mediâ horâ diſtat à nobis capitulum Wiſſchellenſe, ubi colitur & quieſcit fundator eorum S. Luthardus comes Cliviæ. *Id ipſum docemur ex Antiphonis, Verſiculis & oratione, quæ ex lib. Mſs. Carthuſiæ Colonienſis deſcripta ad nos tranſmiſit inſignis Operis noſtri adjutor P. Joannes Gamanſius, quæque hic ſubnecto.*

B 23 Surgite, cantemus & corde pio jubilemus;
Luthardo ſancto uniri mereamur & Agno.

varia indicia ANTIPH. Salve ſancte Pater, Chriſti præcelſe miniſter,
Inclyte Lutharde peccatis vincla reſolve.
Sanctitate quidem virtutum prævius, idem,
Jure ſequendus, iter declarans clare Magiſter.
Vere Dei Famulus, qui carnis reſpuit actus
Sanctarum ſanctis virtutum ſplenduit actis.

℟. Nobilibus natalibus ortus fuit Luthardus, ſed nobilioribus refulſit moribus, adhuc puerulus Deitatis effectus eſt cultor ſublimis. ℣. Tanto feliciorem ſe probans & nobiliorem.

℟. Hic dives mundi projecit dulcia mundi;
Propterea meruit adipiſci gaudia cœli.

℣. Parva quidem terrena putat, cæleſtia captat.

24 ANTIPH. Phœbo ſplendidior rutilans mitiſſime Rector,
antiqui Ante pium Chriſtum, mundum qui condidit iſtum,
Dans conſtanter opem languentibus atque ſalutem.
O venerande comes conſerva te venerantes.
C Cœlica Chriſte tuis qui præſtas præmia Sanctis,
Protege Luthardi venerantes feſta beati.

℟. O imitabilem Virum, & verum Chriſti Famulum, qui pro Chriſto opes reſpuit, quas copioſas habuit. ℣. Patrocinio ergo hujus nos juvari poſſe credimus.

℟. Hic prudens .... obtulit Eccleſiæ qui ſe Deo primitus, poſtea ſua contradidit. ℣. Corpus mactans jejuniis, conferens opes eccleſiis.

℟. Ora pro tuis famulis ſemper tibi devotis electe Chriſti Confeſſor, qui es regni poſſeſſor. ℣. Transfer tuam familiam ad eamdem gloriam.

ANTIPH. Inſignis Conſul, quamvis jam corpore exul,
Hanc miſerando tamen devotam reſpice plebem.
Sanctus Luthardus, regali ſtemmate natus,
Chriſto ſervivit, cujus præcepta ſubivit,
Pectore devoto prudenter cordeque toto.

℟. Cultor juſtitiæ, pietatis verus Amator
Egregius Miles Domini ſuper aſtra levatur.

℣. Cujus vita bona meliori fine beatur.

COLLECTA. Deus, qui hodiernam diem ſacratiſſimam nobis beati Luthardi confeſſoris tui ſolemnitate tribuiſti, adeſto propitius Eccleſiæ tuæ precibus, ut, cujus gloriatur meritis, muniatur ſuffragiis. Per Dominum. D

& ſolemnis cultus, 25 *Hinc ſane conjectare fas eſt, & antiquum eſſe Sancti cultum, & valdè ſolemnem. Porrò, quo loco habeant* Luthardum *ſuum Clivenſes, abunde expreſſit Petrus à Streithagen in carmine num.* 1 *recitato, cui addo aliud, compoſitum, teſte Teſchenmachero, per Petrum Verhagium in collegio Clivipolitano canonicorum ſcholarcha.*

Ælia gens, atque Urſinii, Carolique propago
Te reddunt celebrem, dive Lutharde comes,
Aſt pietas, tecum primis quæ crevit ab annis,
Te magis illuſtrem fecit in arce poli.
Ergo regali, quam fers à ſtemmate laudem,
Virtute hanc multo fœnore reddis ei.
Sceptrigera de gente tuum cum fratre Luthardo
Stemma, Berengari ſancta propago, trahis.
Clivia te genuit, nutrivit muſa, polivit
Callidice, amplexa eſt pontificem Auſtraſia.
Bina hac prole Eberharde comes ter tertie fulges,
Quos jure indigetes patria noſtra colit.

atque hæc inter E 26 *Præterea biographus, num.* 30 *laudandus, ita de* S. Luthardo *loquitur, uti ſolent alii de peculiari gentis cujuſdam patrono: certè Joannes Melas, poëta Clivenſis, haud obſcurè indicat, ejuſdem patrocinio devotam eſſe Wiſſelenſem eccleſiam. Integrum poëma, utpote quod ſimul Sancti geſta pleraque complectitur, huc transfero ex Annalibus Teſchenmacheri pag.* 190 *& ſeq.*

Fortè cupis, templo quis præſit, noſcere lector,
Huc oculos flectas, ac lege, certus eris.
Maxima Luthardus, Clivenſis gloria plebis,
Hac nobis colitur Præſes in æde ſacra.
Qui comes illuſtris decimus fuit ordine quondam,
A Domino fidè credita ſceptra gerens.
Nobilis electo qui verè ſtemmate natus,
Nobilior multò ſed pietate fuit.
Magnanimo * præſtans Eberhardus inclytus heros ** lege* Magno animo
Subjectis genuit Pignora tanta ſuis.
Clivia gens primis hunc mirabatur ab annis
Gaudebat meritò plurimùm uterque parens.

Poëma 27 Quem mare, quem tellus, quem vaſtus ſuſpicit æther,
Aſſueſcit teneris lætus amare Deum.
Pigritiem fugit, quæ certè eſt Lerna malorum, F
Incubuit ſacris nocte dieque libris.
O quantùm ad veros juvenis contendit honores,
Subjiciens Domini ſedula colla jugo!
Sanctus, morigerus patribus, monitiſque parentum,
Optima præpoſuit, peſſima quæque cavens.
Turgidulum ſprevit faſtum, cæleſtia quærens,
Blanditias ſprevit, gaudia vana ſimul.
Turpibus abſtinuit; non cor maleſuada libido,
Non crimen potuit nec penetrare dolus.
Affligens teneros vigilando corporis artus,
Mollitiem fugit, lautitiaſque ſimul.
Pectore Luthardus ſuſpiria duxit ab imo,
Pro ſe proque ſuis Numina ſæpe rogans.
Deſpexit nimiùm ventoſæ murmura famæ,
Supremo ſtuduit ritè placere Deo.
Jugiter immotæ fuit hic virtutis amator;
Tempſit opes, miſeris munera larga dedit.

Sub-

A Subjectos placida conſervans pace quietos,
Æterni coluit jura ſacrata Dei.
geſta ejus pleraque 28 Æquoreas citiùs numerare * veris arenas,
** l.* numerarem *vel* numeravero
Omnia quàm tanti dixero geſta Viri.
Ædificant alii ſpecioſas fortiter arces,
ut reddant populo nomina clara ſuo:
Hic meliora ſequens, venerandas conſtruit ædes;
Inſcriptum cælis nomen habere ſtudet.
Acceptam terram ſacros convertit in uſus,
Binaque conſtruxit cum patre templa ſuo.
Hymniſonas voluit laudes hic dicere Chriſto,
Sancta conſpicuos relligione viros.
In templo, quod habent Nuſſenſes, carmine juſſit,
Nobilis ut Triadi ſanguine virgo canat.
Vivere cum thalamis cælebs decreverat Heros,
Propoſitum vetuit ſubditus atque parens.
Præcipitur, chari vitam poſt vota parentis,
Uxoratus agat, Clivia tecta regens.
Cæſaris Arnulphi meruit ſibi ducere gnatam
Conjugio tanta nobilitate Comes.
B Talia præſtiterant pietas & maxima geſta,
Militiæ virtus, fama, decuſque Viri.
complectens. 29 Relliquit patriæ binos ex conjuge natos
Multis conſpicuos relligione pari.
Zephlicenſe comes Balduinus nomine templum
Chriſto, Luthardi digna propago, ſtruit.
Idem ſuccedit Patri jam morte ſoluto:
Richfridus frater Twentica tecta regit.
A Chriſto tandem Luthardus morte vocatus
Exuvias poſuit corporis, aſtra petens.
Cælitibus junctus vivit cum Principe Chriſto,
Sedibus æthereis nil niſi læta videt.
Quàm felix moritur, Domino qui rite miniſtrat!
Quanta parata ſibi gaudia Juſtus habet!
Ædibus his igitur Luthardus præſidet heros,
Qui modò flammigeri regnat in arce poli.
Hinc propone tibi, lector ſtudioſe, Patronum,
Ut referas comitem moribus atque fide:
Poſt obitum celſam ſic ingredieris in aulam,
Cælica perpetuò gaudia lætus agens.

C *Vita rhythmica hîc danda.* 30 *Hactenus poëta laudatus, qui propter hoc Opus inter ſcriptores Belgas locum obtinuit apud Valerium Andream verbis ſequentibus:* Joannes Melas Clivenſis deſcripſit verſibus Vitam Luthardi, decimi Cliviæ comitis, inter Sanctos relati; *at qua ætate floruerit, non reperi uſpiam. Ceterùm poëma iſtud, uti patet, obnoxium non eſt iis difficultatibus genealogicis & chronologicis, in quas ſe conjecêre ii penè omnes, qui ſtylo ſoluto Sancti geſta pertractârunt, & ea propter nulla ipſi annotata ſubjicimus; ſicubi tamen elucidatione videbitur indigere, hauriri hæc poterit vel ex antedictis in Commentario, vel ex annotatis, ſubjiciendis Vitæ rhythmicæ, quam dabimus ex Legenda, typis Lovanienſibus edita anno* 1485, *quamque contulimus cum tribus apographis Mss., quorum primum deſumptum eſt ex Ms. bibliothecæ Carthuſiæ Confluentinæ, &, poſt collationem cum Ms. Carthuſiæ Colonienſis, nobis ſubmiſſum à patre Joanne Gamans anno* 1638; *alterum ex Ms. Bodecenſis monaſterii per ejuſdem R. P. Priorem Ranutium Poppenſchutz nobiſcum communicatum anno* 1680; *tertium ſubminiſtravit idem Gamanſius anno* 1641, *ſed abſque indicio bibliothecæ, ex qua depromptum fuit. Opus eſt ignoti auctoris & ætatis; de pretio ejus judicabit ipſe lector.*

AUCTORE J. P.

VITA RHYTHMICA

auctore anonymo,

Ex Legenda Lovanienſi, edita anno 1485 *& collata cum Mss. apographis, Confluentino, Colonienſi, & Bodecenſi.*

LUthardus comes inclytus, *Sancti genus, mores*
Regali ſtirpe editus,
Quantò carnis proſapiâ,
Et ſeculi potentiâ
Apud potentes micuit,
Tantò ardenter ſtuduit E
Ante Dei præſentiam
Habere conſcientiam
Mundam atque puriſſimam.
Divina dante gratia,
In parva pueritia
Tantâ plenus peritiâ
Refulſit & prudentiâ,
Ut jam ipſis parentibus,
Et cum illis verſantibus
Quædam vivendi formula
Videretur & normula.
Nam ſuis genitoribus,
De ſe multum lætantibus,
Tantam obedientiam
Exhibebat & gratiam,
Ut, qui eum agnoſcerent,
Huic admirando dicerent;
O felix patris meritum,
Qui talem habet Filium,
A quo verè conſilium
Jam ſperat & auxilium! F
2 O Everarde ditiſſime *, *ac parentes.*
Et per cuncta digniſſime ** al.* dilectiſſime
Tam veneranda Sobole,
Atque tam dulci pignore,
Semper Chriſto veraciter
Servîſti non fallaciter.
O Bertæ læta viſcera
Quæ genuerunt talia
Tamque ſacrata pignora!
Beata quoque ubera,
Quæ Puer iſte ſuxerat,
Qui in ætate tenera
Tantâ refulget gratiâ
Et morum excellentiâ.
O Berengere Tholetane *a* a
Præſul digniſſime
De tali fratre
Gaude pleniſſimè.
Poſt pueritiam
3 Quis Puer iſte fuerit,
Si ad ætatem pervenerit?
Hic antiquorum militum,
Atque priſcorum comitum
Jus verè ſervaverit,
Et forſan renovaverit.
En ab ipſis cunabulis

A, ANONYMO.

Puer clarus & nobilis
Cunctis valdè amabilis,
Et per cuncta probabilis,
Vigore abstinentiæ,
Et flore pudicitiæ,
Formâ obedientiæ,
Exemplo abstinentiæ
Cœpit placere Domino,
Regi regum altissimo:
A quo jam cursûs bravium
Vitæque tenet præmium.
Post annos pueritiæ
Luthardus adolescentiæ
Artus decentes induit,
Qua in ætate studuit
Sub habitu militiæ
Sic Christo suo vivere,
Ut quamvis esset laïcus,
Tamen perfectus monachus
Diceretur ab omnibus.
Nam juxta Verbum Domini,
Quæ sua erant, Cæsari
Reddebat, nec non Domino,
Quæ sua procul dubio.

B

4 Corpus suum vigiliis
& adolescentiam piissimè
Affligens & jejuniis,
Pernoctabat assiduis
In sanctis orationibus;
Sæpe flectendo genua,
Frequentando suspiria,
Fletu rigando lumina,
Palmis tundendo pectora.
Seque suaque opera
Cum fide devotissima
Sic commendabat Domino,
Dicens corde purissimo:
Cunctorum Christe Conditor,
Factorum juste Redditor,
Me Servum tuum visita,
Visitando vivifica.
De summo cæli solio,
Tuo fovens auxilio,
Me Jesu clemens respice,
Meaque vota suscipe,
Qui sursum Patri consides,
A quo nec umquam dissides.
Dignare Rex piissime,
Sanctorumque Sanctissime

C

Virtute tuæ dexteræ
Me talem tibi reddere,
Ut tibi acceptabilis
Vivam atque placabilis.
5 Istis & his similibus
transactam Factis atque sermonibus
Se confessor sanctissimus,
Luthardus miles strenuus,
Commendabat attentiùs
Summo Deo cum fletibus
Tam diebus quàm noctibus;
Noctu tamen frequentiùs.
Hunc sæpe mater inclyta
Admonebat, ne talia
Tam dura & tam aspera
Præsumeret in tenera
Ætate atque parvula.
Admonebat & inclytus
Hic eum pater sæpiùs,
Christi repletus flamine
Luthardus dulci famine
Rogabat & oramine
Patrem cum matre nobili,
Ne sibi tamquam juveni
Hæc improperando dicerent,

D

Piè ac justè viverent.
Vincebatur à Filio
Prudens pater, & meritò
Obediebat Puero,
Quem gestârat in utero,
Felix mater & nobilis
Christoque acceptabilis.
6 Jam parentes deserere, *à vita monastica, ad quam anhelat, prohibetur,*
Immò mundum dimittere,
Seque claustris includere
Cogitabat assiduè
Miles Christi fortissimus,
Luthardus vir sanctissimus,
Claustrorum probatissimam
Ardens subire regulam
Corde optabat intimo,
Sed quod gestat in animo,
Nequit implere, Domino
Impediente talia,
Ac præparante alia.
Convocatur à Cæsare,
Sub cujus fulsit tempore,
Pippino *b* dicto nomine, *b*

E

A quo ullo molimine
Nusquam quivit discedere,
Quin præceptis regalibus
Consentiret & precibus.
Vix Vir hic jussu Cæsaris
Nomen suscepit consulis *c* *c*
Insulam dedit ei Wischelam,
In qua ædificavit ecclesiam *d*, *d*
In honorem sancti Salvatoris,
Nec non Dei Genitricis.
7 Sublimatus insignibus *auctusque honoribus totum sese*
Luthardus consularibus
Nobiliter ad atria
Festinus redit patria,
Et quantò nunc liberiùs
Vivendi Deo uberiùs
Facultas est, quàm primitus,
Tantò magis discretioribus
Vigiliis & orationibus,
Luthardus comes inclytus
Corpus frangit assiduis.
Nunc lubet cuncta vendere,
Conservata dispendere,
Congregata dispergere,

F

Pauperibus tribuere.
8 Refocillantur pauperes, *piis operibus impendit.*
Claudi, surdi & debiles;
Restaurantur ecclesiæ,
Luthardi pio opere.
Tanto Patrono populus,
Clerus nec non exercitus,
Lætantur inde nobiles,
Congaudent & ignobiles.
Omnes ejus consilio
Sustentantur & auxilio *e*. *e*
O venerandum Comitem!
O admirandum Militem!
O Patronum sanctissimum!
O Patrem devotissimum,
Quem litteris non instruit,
Hunc flamen sanctum imbuit.

ANNOTATA.

a *Sic habent apographa nostra, præter unum Bodecense, in quo legitur:* Tholomitane. *Sed ubique mendosè: nusquam enim in catalogis Toletanorum præsulum occurrit Berengarius iste. Meritò*

tò

A *rò etiam dubitari poteſt, an tota hæc periodus reliquis adjecta non fuerit ab interpolatore; certè multùm diſcrepat à qualicumque primi auctoris metro. Berengarius ab aliis paſſim, ut vidimus in Commentario, Tullenſis epiſcopus creditus eſt: ſed neque hujus epiſcopatûs catalogis inſertus fuit olim. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana pag.* 495, *narrata morte Arnaldi epiſcopi ſub annum* 894, *ſic Berengarii meminit extra ordinem:* Circa hæc tempora nominatur Berengarius epiſcopus Tullenſis apud nonnullos, ex gente Clivienſi. *Calmetus verò, qui eum prætermiſerat in ſerie epiſcoporum Tullenſium, præfixa tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingicæ primæ editionis, locum ei conceſſit in editione ſecunda propter auctoritatem inſtrumenti Noveſienſis, recitati in Commentario noſtro num.* 5.

b *Vel erratum hîc eſt in nomine, vel dicendum, quòd deſignetur Pippinus, Pippini regis Aquitaniæ ſub annum* 838 *defuncti, filius, qui, invito Ludovico Pio regem ſe dixit, & poſt varias fortunæ vices, ſub annum* 864 *ab Aquitanis captus, ad Carolum Calvum adductus, &, dum communi procerum ſententiâ tamquam patriæ nominiſque Chriſtiani proditor damnatus eſſet ad mortem, arctâ cuſtodiâ incluſus eſt. Alium equidem Pippinum non invenio poſt medium ſeculum* IX, *qui hîc deſignari queat: quapropter primum mihi multò veriſimilius eſt; putoque, ſubſtituendum nomen imperatoris cujuſdam iſtorum temporum, præſertim cùm dicatur Sanctus convocatus fuiſſe à Cæſare.*

B

c Conſul & Conſulatus *apud mediæ & infimæ Latinitatis ſcriptores uſurpantur pro* comite & comitatu, *ut variis exemplis oſtendit Cangius in Gloſſario. Hinc ſenſus eſſe videtur, quòd Sanctus, poſtquam aliquo tempore in aula verſatus eſſet, mortuo patre, comitis titulum aſſumere juſſus ſit, & ad gubernandos ſubditos ex aula Cæſaris diſcedere ei licuerit.*

d *In Comment. prævio* § 1 *diſſerui de fundato vel certè perfecto per Sanctum noſtrum Wiſſelenſi collegio; uti & de Noveſienſi, cujus hic non meminit biographus, ſed fortè complexus id eſt verbis generalioribus, dicens inferiùs num.* 8 Reſtaurantur eccleſiæ Luthardi pio opere; *an ſimiliter illuſtre virginum Eſſendienſe collegium, & alterum virorum in Salenſtadt? Certè & hæc à Sancto noſtro erecta fuiſſe, aſſerunt anonymus Chronicorum collector, laudatus num.* 3 & 4 *Commentarii noſtri, Teſchenmacher part.* 2 *Annalium pag.* 190, *& Rhayus de Animabus illuſtribus Juliæ, Cliviæ &c. ad diem* 15 *Septembris:* Is (Luthardus, *inquit anonymus*) unà cum Alfrido Hildeſemenſi epiſcopo nepote, binas religioſorum congregationes plantavit, unam virorum in Salenſtadt, alteram nobilium virginum in Eſſendia. *Verumtamen nudum illorum auctorum aſſertum, non ſufficit mihi, ut ipſis aſſentiar, maximè quia apud alios dictorum collegiorum exſtructionem uni Altfrido conſtanter attributam reperio. Acta ſancti hujus Antiſtitis apud nos illuſtrata ſunt tom.* III *Auguſti à pag.* 210, *& eadem occaſione collegiorum Eſſendienſis ac Salenſtadenſis mentio facta, at nullum productum inſtrumentum, unde elicias, Altfrido in iis fundandis ſocium fuiſſe* Luthardum *comitem. Comparet quidem in Diplomate Aſſendienſis ſeu Eſſendienſis fundationis, ibidem dato, Luithardus, ſed tamquam teſtis dumtaxat; neque is noſter fuit, ſed, uti expreſsè additur, Luthardus epiſcopus Paderbornenſis.*

AUCTORE J. P.

E

e *Confluentinum Ms. ſic habet:* Collætantur, imò nobiles gaudent & ignobiles. *Porrò ſunt & aliæ levis momenti in apographis vocum diverſitates, quas operæ pretium non fuit obſervare.*

f *Hîc deſinunt Mſs. à Gamanſio accepta, atque editio Lovanienſis: ſequentia leguntur in ſolo Bodecenſi apographo.*

DE S. PHILOTHEO PRESBYTERO

IN VICO MYRMICE MINORIS ASIÆ.

SYLLOGE.

J. S.

C F

Ex Menologiis aliiſque Faſtis maximè Græcorum.

SEC. X AUT CITIUS. *Sanctus hic in Faſtis Græcorum memoratus,*

Omnes ferè Græcorum Faſti, cùm editi tum inediti & apud nos manuſcripti, magno conſenſu hodie annuntiant S. Philotheum *presbyterum, ac inſignibus miraculis clarum. Græcos ſecutus eſt Ferrarius in Catalogo generali, & noviſſimè Caſtellanus in Martyrologio univerſali. Attamen Eminentiſſimus Baronius* Philotheum *Martyrologio Romano non inſeruit, licèt multos alios ex Menologio Græcorum, quod Sirletus Latinum fecit, paſſim adoptare conſueverit. Prudens ratio, quantùm conjicio, deterruit Baronium, ne* Philotheum *Latinis Faſtis adderet, quia de ætate ipſius non conſtat ex dicto Menologio neque ex Menæis, ita ut non potuerit ſatis eſſe certus, utrùm* Philotheus *vixerit ante ſchiſma Græcorum, an tempore illius ſchiſmatis. Idem timor me deterreret, niſi* Philotheus *haberetur in Menologio, quod ſecuto x juſſu Baſilii imperatoris collectum eſt. Nam ante illud tempus Græci non fuerant ſchiſmatici, niſi ſubinde paucis annis, maximè ſub Photio, ſchiſmatis auctore paſſim dicto. Attamen ſucceſſores Photii ſeculo* IX & X *non fuerunt ſchiſmatici, ut alibi oſtenſum eſt; ſed medio ferè ſeculo* XI *Michaël Cerularius Photii ſchiſma inſtauravit. Itaque cùm nullos in illo Menologio hactenus reperierim ſchiſmaticos;* Philotheum, *à miraculis* thaumaturgum *cognominatum, nequaquam prætermittendum cenſeo: neque enim miracula, tanto conſenſu aſſerta, ſine ulla ratione pro figmentis habenda cenſeo.*

2 *Menologium Baſilianum ad* XV *Septembris ita habet:* Eodem die commemoratio ſancti patris noſtri Philothei thaumaturgi. *Sequitur elogium: ſed hoc mendosè redditum eſt Latinum, dum interpres, non intelligens, quid medio ævo Græci per vocem* Δήμα *deſignarent, nomen proprium regio-*

natus eſt in provincia Minoris Aſiæ,

AUCTORE J. S.

gionis pro nomine proprio viri sumpsit. Quapropter ipsa verba Græca, quibus Sancti patria indicatur, huc transfero: Φιλόθεος ὁ θαυματυργὸς ὑπῆρχε μὲν ἀπὸ τῦ θέματος Ὀψικίου. *Quæ ad Verbum sic exprimo:* Philotheus thaumaturgus erat ex themate Obsequii. *Per* thema *autem designatur regio ampla, aliquot complectens provincias, quibus unus præerat. Nam sæculo decimo, quo Menologium fuit conscriptum, imperium Orientale divisum erat in themata, ut docet Constantinus imperator Porphyrogenitus, qui duos libros de Thematis conscripsit, editos ab Anselmo Banduro in Imperio Orientali tom.* 1. *Inter themata septemdecim, quæ lib.* 1 *recenset, quartum vocatur* Ὀψίκιον Obsequium, *cui comes præerat. Illud verò thema, quod* præfecturam *aut* provinciam *nomine magis Latino dicere possumus, erat in ea parte Asiæ Minoris, quæ Constantinopoli maximè est vicina. Nam pag.* 9 *in Obsequii themate populos enumerat his verbis:* Gentes verò ac populi, qui Obsequium constituunt, sunt hi; Bithyni, Mysii, Phryges, Dardani, qui & Troiani dicuntur. *Deinde & urbes præcipuas enumerat, primamque ponit* Nicæam, quæ est metropolis.

B

Ex hisce igitur habemus, Philotheum *fuisse natum in Minore Asia, & quidem in una ex quatuor ejus provinciis maximè Occidentalibus, quæ juxta Bosphorum, Propontidem & Hellespontum extenduntur, id est, aut in Bithynia, aut in Mysia, aut in Phrygia minore, aut in Troade. In Menologio Sirleti dicitur fuisse* ex regione Myrmica; *sed vertendum fuit, opinor,* ex vico, *aut* ex oppido Myrmica. *Certè in Synaxario Ms., quod Majores nostri* Sirmondianum *vocârunt, ita habetur:* ὃς ὥρμητο θέματος μὲν Ὀψικίου, κώμης δὲ καλυμένης Μυρμικος· qui ortus fuit ex themate quidem Obsequii, vico verò dicto Myrmice. *Consentiunt Menæa impressa, in quibus de natali loco* S. Philothei *sic habetur:* Οὗτος ὑπῆρχεν ἀπὸ χορίου Μύρμικος καλυμένου, θέματος Ὀψικίου. Hic erat ex loco Myrmice dicto, thematis Obsequii. *Itaque* Myrmica, *aut magis verisimiliter* Myrmix, *ut vocatur apud Maximum Cytheræum, non erat regio; sed vicus aut oppidum in parte Occidentali Asiæ Minoris, ubi natus erat* S. Philotheus, *& ubi videtur etiam esse defunctus.*

C

Elogium de virtutibus ipsius & miraculis:

Hisce de loco natali observatis, elogium ex Menologio Basiliano totum subjicio ex editione ultima Urbini facta, correcto tamen interpretis errore, quo sectator Opsicii *malè dicitur, substitutaque secundum Græca natali provincia.* Philotheus thaumaturgus, natus in themate sive provincia Obsequii, presbyter fuit, magnusque Dei ab adolescentia cultor: quippe qui jejuniis, [vigiliis,] & orationibus assiduè vacaret; divitias suas pauperibus distribueret; & luctu fletuque dies suos traduceret, secum reputando gravissimas in altero sæculo peccatorum pœnas, gehennam ignis atque pervigilem vermem. Cùm igitur multos confirmaret, suâque doctrinâ juvaret; atque inculpatè Liturgiam * Deo offerret, accepit donum miraculorum, ut scilicet dæmones ejiceret, infirmos curaret, leprosos mundaret, pluvias in maxima siccitate adduceret: Deus enim voluntatem timentium se facit, precesque eorum exaudit. Hæc admiranda opera perpetrans, & accedentium ad se postulatis annuens, in pace decessit. Et ex pretiosis illius ossibus, in sepulcro conditis, manat mirum in modum salutare oleum in hunc usque diem. *Hisce planè consonantia de virtutibus & miraculis Sancti leguntur in Menologio Sirletiano, omissis tamen iis, quæ de oleo ex sepulcro Sancti scaturiente hîc asseruntur. At illa similiter leguntur in jam laudato Synaxario Ms., & in Menæis impressis.*

* Missæ sacrificium

D

fuit maritatus, deinde presbyter, & miraculis clarus:

In hisce porrò monumentis alia quædam adjiciuntur, in utroque Menologio prætermissa. Primò enim mater ipsius dicitur vocata fuisse Theophila, *de qua non adduntur plura. Secundò* Philotheus *ipse dicitur nuptias contraxisse, ac prolem genuisse, ac deinde promotus ad presbyteratum. Adduntur & prodigia aliqua, quæ ex Synaxario huc transfero.* Οὗτος καὶ θαυμάτων μεγίστων, ἠξιώθη, διὰ μόνης προσευχῆς ἐξ ἀπόρων ταμιείων τοῖς πένησι ἄρτον παράσχων· ἀλλὰ καὶ ποταμίου ὕδωρ εἰς οἶνον μετέβαλε, καὶ λίθον μέγιστον λόγῳ μόνῳ μετετέθηκεν. Καὶ μετὰ ἐνιαυτὸν τῆς κοιμήσεως αὐτῦ μετατιθεμένῳ ἐν ἑτέρῳ τοπῳ, τὰς χεῖρας ὡσεὶ ζῶν ἐκτείνας, καὶ τῶν ὤμων δραξάμενος τῶν δύο ἱερέων, τῶν βυλομένων αὐτον μεταθῆναι, ἀνέστη· καὶ τρεῖς βάσεις βηματίσας, κατετέθη ἐν ᾧ τόπῳ κεῖται. Unde & maximorum miraculorum consecutus est gratiam, per solam orationem ex vacuis cellis pauperibus panem præbens: sed & aquam fluviatilem in vinum convertit, ac lapidem maximum solo verbo transposuit: uno anno post mortem, quando transponebatur in alium locum, manus viventis instar extendens, & apprehendens humeros duorum sacerdotum, qui ipsum volebant transferre, surrexit, ac tres mensus passus, in loco, ubi nunc jacet, est depositus. *Hactenus tam Synaxarium quàm Menæa, in quibus unius tantùm vocis, in Menæis omissæ, est differentia. Similia etiam habet Maximus Cytheræus, Menæa passim secutus. Attamen posteriora hæc minùs certa, minúsque probabilia sunt, tum quia non leguntur in Menologio Basiliano, ceteris antiquiore, tum quia redolent fabulas Græcis familiares.*

E

Opusculum Philothei de mandatis Domini,

Porrò dubitari meritò potest, an Philotheus *noster non veniat numerandus inter scriptores ecclesiasticos. Certè dicitur in Menologio* multos suâ doctrinâ *adjuvisse, nec tamen officium prædicandi habuisse videtur, ita ut in ipsius elogio nihil sit, quominus credere possimus, ascetica aliqua ab ipso conscripta, si hoc aliunde fiat verisimile. Petrus Possinus Societatis nostræ anno* 1683 *Tolosæ edidit varia opuscula scriptorum Græcorum, collectionemque illam vocavit Thesaurum asceticum. Opusculum* XV *hunc habet titulum:* Sancti Philothei de mandatis Domini nostri Jesu Christi sermo. *Aliqui scriptores neoterici laudatum Opusculum attribuerunt* Philotheo *patriarchæ Constantinopolitano, qui floruit circa medium sæculi* XIV, *ut hodie dictum est in Prætermissis, ubi de Philotheo illo egi, quia à Moschis in Fastis recentioribus commemoratur.*

F

quod Philotheo Constantinopolitano abjudicatum,

Verùm Possinus in Prolegomenis illorum opinioni non acquievit, illamque refutat his rationibus. Primò Philotheus in titulo Opusculi vocatur Sanctus: *quod non congruit Philotheo Constantinopolitano. Secundò Philotheus in titulo nec* patriarcha *vocatur nec* episcopus, *licèt primùm fuerit episcopus Heracleensis, deinde patriarcha Constantinopolitanus. Tertiò ab ætate codicis sui sic ratiocinatur:* Quoniam scriptor sæculi XIV non potest credi autor Operis in codice descripti, cujus manus & charta ætatem præferunt annorum, ut suprà dixi, quingentorum; præsertim cùm ibi post illud alia ponantur ætatis manifestè senioris. Scripserit ergo hunc Sermonem multò antiquior quidam & sanctior è plurimis omni

A mni ævo insignitis Philothei vocabulo monachis. *Frustrà sanè disserimus, si hæc argumenta non sufficiant, ad laudatum Opusculum Philotheo Constantinopolitano abjudicandum.*

eique non rectè vindicatum ab aliis,

8 *Attamen Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca lib. 5 tom. 10 pag. 471 illud ipsum Opusculum attribuit Philotheo Constantinopolitano, aitque eidem* præter rem *abjudicatum fuisse à Possino. At nullum affert verbum, ut ad argumenta Possini respondeat, neque ullo argumento pro Philotheo suo Constantinopolitano utitur. Video tamen Fabricium fuisse secutum opinionem Petri Lambecii, qui lib. 5 Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea, memorans pag. 99 aliud Opusculum, quod* Sancti patris nostri Philothei *dicitur, &* fragmenta *sunt* sermonum quorumdam asceticorum; *observat de Philotheo, eumdem in alio codice, recensito, lib. 4, vocari* monachum Sinaïtam. *Tum subdit:* Idem videtur esse atque Philotheus ille, qui ferè à pueritia vitæ monasticæ addictus, eruditione & sanctimonia vitæ adeo inclaruit, ut primùm quidem præpositus seu abbas monasterii in monte Atho, deinde autem episcopus Heracleæ in Thracia, ac

B tandem patriarcha Constantinopolitanus electus sit *Hæc omnia magis asseveranter adoptavit Fabricius, qui pag. 469 ait:* Philotheus, monachus primò Sinaïta, deinde præpositus monachorum in monte Atho, denique ex Heracleæ episcopo patriarcha. *Verùm parùm consideravit & Lambecius & Fabricius, quàm improbabili conjectura monachum ex Arabia accersant seculo* XIV, *ut præpositum monachorum faciant in Macedonia, quod ex sola conjectura asseritur: nam Cantacuzenus, quem assignat Lambecius, testatur quidem lib. 4 cap. 16, Philotheum Constantinopolitanum fuisse præpositum in monte Atho, sed de monachatu ipsius in monte Sinaï altùm silet. Quare dubitare nequeo, quin duorum saltem Philotheorum Opuscula, uni adscripserit Fabricius, Lambecii improbabilem conjecturam secutus.*

AUCTORE J. S.

huic etiam Philotheo non videtur tribuendum.

9 *Verumtamen cùm neque* S. Philotheus *ille, de quo agimus, monachus fuisse videatur montis Sinaï; Opusculum verò à Possino editum apud Lambecium lib. 5 pag. 69 attribuatur Philotheo monacho Sinaïtæ, unà cum alio ibidem memorato, non ausim* S. Philotheo *nostro dicta Opuscula adscribere. Favet quidem ipsi titulus* Sancti *in codice Possini inventus; sed idem titulus facilè congruere potest alteri Philotheo monacho Sinaïtæ, licèt hunc in Fastis Græcis non magis inveniam, quàm Philotheum Constantinopolitanum. Cæterùm* E *quo seculo floruerit* Philotheus *thaumaturgus nullibi invenio. Hoc certum est ex Menologio Basiliano, ipsum aut seculo* X *vixisse aut citiùs, cùm istud Menologium seculo* X *fuerit collectum.*

DE B. ORANNA AUT ORANDA

VIRGINE, ET SOCIA ANONYMA,

IN ESCH PROPE OPPIDUM BERES IN LOTHARINGIA.

SYLLOGE. J. S.

C De loco, ubi Beata colitur; deque cultu ac lustratione corporis: gesta ferè ignota. F

SEC. XIV AUT CITIUS. *Beres oppidum prope Saram-Ludovici in Lotharingia,*

Beatam Oranam, *aliàs* Orannam, *aut* Orandam *quoque dictam, in nullo prorsus inveni Martyrologio, licèt cultu satis celebri honorata fuerit ab aliquot saltem seculis. Locus, ubi Beata colitur, æquè ferè ignotus est in tabulis geographicis, aut certè non rectè expressus in iis, quas consului. Primam de Beata notitiam Majoribus nostris submisit P. Alexander Wiltheim Societatis Jesu, plurimis officiis de Actis Sanctorum optimè meritus. Hic in epistola anno 1666 ad Papebrochium data ita scribit:* Berris est oppidum Lotharingiæ Germanicæ haud longè Wadagotia monasterio Præmonstratensis Ordinis ad Saravum. Id oppidum habet templum parochiale pro veteri modo extra muros ad breve spatium distans. Jacet in eo templo corpus sanctæ Orannæ vel Urannæ virginis. *In notitiis Wadegotiâ submissis oppidum scribitur* Beres. *Non dubito, quin idem sit, quod in tabulis aliquot Lotharingiæ notatur* Belrus, Beaurains & Blerus. *Nam hæc nomina exprimuntur ad idem oppidum designandum illo planè loco, in quo* Beres *oppidum est situm secundum notitias, nobis ex iis locis missas, videlicet haud longè à Wadegotia abbatia. Hæc autem sita est* ad Saræ, *aut Saravi,* fluvii ripas, unâ à Sara-Ludovici arce horâ, *ut de Wadegotia scribit Hugo in Annalibus Ordinis Præmonstratensis tom. 2 col. 1003. Itaque* Beres *non longè distat à munito oppido* Sara-Ludovici, *vulgò* SarLouis *dicto, quod conditum est jussu Ludovici XIV Francorum regis post scriptas à Wilthemio notitias de oppido Beres.*

2 *De ecclesiæ situ in aliâ epistola sic habetur:* Sanctæ Orandæ virginis templum, aut potiùs sa-

AUCTORE J. S.

ac vicina illi oppido eccleſia B. Orannæ in Eſoh,

facellum, diſtat ab oppido Beres tribus quadrantibus horæ, loco aliquantulùm depreſſiori & amœno ſatis, ſed nunc bellorum injuriis inculto & penitus deſerto. Erat olim ejuſdem oppidi parochia, ſed ob infeſtas militum excurſiones ac latronum frequentes inſidias parochialis eſſe deſiit, & in ipſo oppidi templo divina officia peraguntur, modóque Sacramenta omnia adminiſtrantur. *Dominus Philippus Budeghenius, Wadegotienſis abbatiæ religioſus, & loci paſtor, in litteris anno 1666 præmiſſis conſentit, aitque:* Monaſterium noſtrum Wadegotienſe jam penè quingentis annis habet jus patronatûs iſtius eccleſiæ, ubi dictæ Sanctæ corpus quieſcit & veneratur. Eſt autem eccleſia parochialis in Beres municipio, & vocatus locus ESCH aut EXWEILER. Dictum jus patronatûs donatum eſt noſtræ eccleſiæ à ſereniſſimo duce Lotharingiæ Matthæo. *Laudatus mox Hugo, enumerans pag.* 1008 *paſtoratus à Wadegotia dependentes, de illa ſcribit ſequentia:* Berus ſeu Eſchweiller ex donatione Marſilii miniſterialis de Lieſtroff anno MCCXX provenit. *Verùm nec ad nos, nec ad Beatam pertinet, inquirere, à quo jus patronatûs fuerit donatum.*

B

olim ipſius oppidi parœcia:

3 *Interim Budeghenius explicat, cur parochi habitatio ad oppidum fuerit tranſlata, ita ſcribens:* Olim habitabat juxta dictam eccleſiam parochus, & habebat ibi reſidentiam ſuam. Factum eſt autem propter motus bellorum & hoſtiles incurſiones, ut caperentur etiam homines volentes adire templum; imò in ipſo templo ſub Officio divino vim inferebant impii milites. Quare juſſu ſereniſſimi ducis in Lotharingia ante ducentos circitèr annos reſidentia memorati parochi tranſlata eſt in municipium Beres propter ſecuritatem: relictus eſt autem cuſtos ibi laicus ad cuſtodiendam eccleſiam & recipienda oblata. *Hactenus de eccleſia olim parochiali.*

tumba ibidem Beatæ, quæ officio colitur,

4 *De cultu Beatæ ibidem in eadem Epiſtola hæc ſcribit:* Tumba dictæ Sanctæ eſt juxta ſummum altare, ſepta ferreis cancellis. Imploratur autem ipſius interceſſione & meritis ſanitas ſurdis & graviter audientibus, vel vertigine capitis laborantibus, aliiſque morbis. Et multi compotes voti ſui fundunt preces in dicto loco: plurimi etiam, voto facto, qui gravati fuerunt iſtiuſmodi morbis & fluxionibus aurium, ſingulis annis ſolvunt

C

ſuas oblationes. Celebratur ipſius feſtivitas Dominicâ primâ poſt Exaltationem ſanctæ Crucis: & per totam Octavam eſt magnus concurſus hominum, eò venientium devotionis & voti ſolvendi cauſâ. *De omnibus hiſce conſentit Wilthemius in Epiſtola jam allegata. In altera quoque ita loquitur ipſius nepos, cui curam commiſerat omnia coràm luſtrandi:* Ceterùm locus eſt à multis jam ſæculis fidelium veneratione & concurſu celebris ob ejuſdem Sanctæ tumbam, quæ in ipſo templo media conſpicitur ex rudi impoſitoque ſaxo, nullâ cælaturâ aut inſcriptionis veſtigio inſignis: munitur dumtaxat undique crate ferrea: cui gens ruſtica ſuos cereos, flores, corollas, & ejuſmodi donaria venerationis ergò affigit. Sed imprimis memorabile, quòd ipſius Sanctæ patrocinium ſurdi experiantur promptum & efficax, plurimiſque miraculis & prodigiis (ut omnes affirmant) jam olim ad hæc uſque tempora inclaruerit.

5 Hinc paſſim è tota Lotharingia, adjacentibuſque provinciis peregrini confluunt, votaque non infeliciter exſolvunt. Quotieſcumque verò contingit ibidem ſacerdotem quempiam Sacrum facere; tunc paſſim ex vicinia gens agreſtis concurrit cum cereis, oblatis, Patronamque ſuam maximo pietatis ſenſu, ut ipſemet magna mea conſolatione ſpectavi, ſupplex colit & veneratur. Ex qua mulier proba & honeſta nobis narravit multis etiam aliis præſentibus & teſtibus, ſe ejuſdem Sanctæ interceſſione à graviſſima plurium annorum ſurditate, adhibitis nequidquam artis medicæ remediis, fuiſſe liberatam. *Hactenus Nicolaus Wilthemius Societatis noſtræ, Alexandri ex fratre nepos, qui, ut patruus ejus in alia Epiſtola ſcribit, ad ſepulcrum* B. Orannæ *ſe contulit,* tum, *inquit,* ut Sanctam illam auditus recuperandi, quo caret, patronam invocet, tum ut de rebus ejus inquirat: quod fanè faciet præclarè, cùm polleat judicio & ingenio. *Hæc Alexander Wilthemius, qui tamen ipſe quoque ibidem antea fuerat, & in prima Epiſtola hoc addiderat:* Vovent aliqui peregrinationem annuam. Experientiâ longâ comprobatum, fluere ſanguine aures eorum, qui votum non exſolvunt.

D

& votivis peregrinationibus honoratur.

E

Corpus Beatæ, ejuſque Sociæ, anno 1488

6 *Addit, tumbam olim fuiſſe apertam, ut ſacrum corpus luſtraretur, atque illius inſpectionis exſtare inſtrumentum. Verùm plura de hac re in ſuis literis Budeghenius, ita ſcribens:* Subinde accidit ante ducentos & plures annos, ut dubitaretur à multis, an adhuc in eodem ſarcophago eſſet ſacrum corpus ſanctæ Virginis. Hinc ad inſtantiam nobilium & aliorum Chriſti fidelium in circuitu, à R. D. Suffraganeo epiſcopi Metenſis dicta tumba fuit aperta ſub Officio divino, & reperta duo corpora, unum ad caput, alterum ad pedes. *Subdit, hujuſce inſpectionis inſtrumentum etiamnum haberi: atque illud per Wilthemium nobis fuit tranſmiſſum. Attamen ipſum authenticum tunc non potuit inveniri; ſed tranſcriptum ex eo exemplar, in quo deſiderantur ſubſcriptiones, accepimus. Hoc verò totum huc tranſfero:* Nos Deſiderius Natalis, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ epiſcopus Panadenſis. Notum facimus Univerſis, quòd quia à multis veniebat in dubium de corporibus beatiſſimæ Orandæ & ejus Sociæ, ſi realitèr & cum effectu in earum ſepulchro, in quo adorabantur, quòd ab antiquo Dominus honorat, prout uſque ad tempora noſtra honorat, diverſis idem ſepulchrum illuſtribus miraculis, continebantur, cùm

F

in nullius cadebat memoriam, ſed nec ab auditu idem unquam ſepulchrum fuiſſe vel apertum credebat: quia etiam multi Chriſti fideles nos rogârunt & obnixè deprecati ſunt, ut idem ſepulchrum aperiremus, & ſi quid ſine injuria beatarum Virginum in eodem reconditum inveniremus, populo notum faceremus, ut per hoc populi major ad eaſdem venerandas devotio accendatur.

ſolemni modo viſitatum.

7 Hinc eſt, quòd nos convocatis Domino Thilmanno archipresbytero dicti loci, & aliis multis eccleſiarum rectoribus, celebratis priùs ſacris excubiis, cum ſolemnitate hymnorum & orationum & triplici letania, multiplicatis etiam luminaribus, omnibuſque, quantùm potuimus, ad hanc rem ritè ordinatis, in ipſa Inventione ſanctæ Crucis tertia ſcilicet May anni Dñi MCCCCLXXXVIII regnantibus ſanctiſſimo Papa Sixto, Frederico Romanorum imperatore, Ludovico Francorum rege, & Renato illuſtriſſimo & victorioſiſſimo Lottringorum duce, ipſum ſacrum ſepulchrum duximus aperiendum, prout tunc, præſentibus

mul-

A multis utriuſque ſexûs nobilibus & de plebe innumerabilibus aperuimus. In quo ſacro ſarcophago duo corpora cum omnibus oſſibus ſuis, ut nobis prima fronte apparuit, fuêre inventa; unum velut ad caput, alterum ad pedes, quæ duximus populo ſancto cum diligenti cuſtodia præſentanda, veneranda & adoranda, prout & tunc primi venerati & adorati fuimus: ipſaque triplicibus peplis recondidimus, & duabus ſaccis *concludi quàm venerabiliter potuimus fecimus. Et his poſt Miſſarum ſolemnia, quantùm devotè potuimus in eodem ſuo ſepulchro recluſis, voluimus hujus recluſionis noſtræ duas literas fieri, quarum una in ipſo ſarcophago claude-retur; alteram verò ſub cuſtodia curati & Simonis de Zeiſtrom officiati domini ducis voluimus ad perpetuam memoriam reſervari. Actum ſub ſigillo noſtro Anno & die qui.... *Hactenus laudatum inſtrumentum, in quo præter ſubſcriptiones una forſan vox deſideratur poſt vocem* Saccis, *quia ibi ſpatium relictum erat uni voci vacuum. Fortè vox, quâ ſaccorum materia deſignabatur, legi non potuit ab exſcribente.*

AUCTORE J. S.

B 8 *Porrò ex laudato inſtrumento habemus*, S. Orannam *cultam fuiſſe à ſeculo* XV, *ut minimùm, & veriſimiliter citiùs. Secundò idem inſtrumentum* Orannæ *attribuit beatam Sociam, ſed anonymam. Tertiò ex iiſdem litteris veriſimillimum & quaſi indubitatum fit*, S. Orannam *ejuſque Sociam non obiiſſe ſaltem poſt ſeculum* XIV, *cùm anno* 1488 *dicerentur coli* ab antiquo, *nec ullus tum meminiſſet aut audiviſſet, ſepulcrum umquam fuiſſe apertum. Hæc enim locum non habuiſſent, ſi Beatæ vixiſſent poſt annum* 1400: *ſed potiùs de modo vivendi illarum ex parentibus ſuis aliqua intelligere potuiſſent, qui anno* 1488 *erant ſenes. Verùm ut hæc inſinuant, Beatas non fuiſſe defunctas poſt ſeculum* XIV; *ita minimè evincunt, eodem ſeculo illas fuiſſe defunctas, cùm integris ſeculis citiùs defunctæ eſſe poſſint. Hinc mortem Beatarum non aliter determinavi, quàm his verbis:* Seculo XIV aut citiùs.

ex quo colligitur, defunctas eſſe ſaltem à ſeculo XIV:

9 *De geſtis Beatarum nihil ſatis certò conſtare, fatetur Budeghenius parochus. Affert tamen conjecturas aliquorum, hæc in laudatis litteris ſcribens:* Jam verò de ortu & natalibus, de vita, de obitu, nihil certi conſtat, niſi quòd ibi cum Socia pediſſequa ſanctam innocentemque vitam in dicto loco Eſch duxerit, ut fertur. Aliqui volunt, fuiſſe filiam regis vel magni principis; & quia amore virginitatis è domo paterna aufugerit cum Socia famula, perſecutam & jamjam apprehendendam, juxta locum, ubi modò eſt eccleſia, ſe abſcondiſſe. *Mitto, quod additur, reſponſum agricolæ à perſecutoribus interrogati, cùm videatur fabuloſum magis quàm veriſimile.* Alii dicunt, S. Orannam ortam ex illuſtri familia dominorum terræ illius. Et quod defectum habuerit in auribus, graviterque audierit, propter ſurditatem illam, *inquiunt*, contempta & rejecta à fratribus prædium illud circa Eſchweiler pro dote & ſuſtentatione ex hæreditate paterna accepit: ubi cum famula ſua in patientia & ſanctitate vitæ dies ſuos tranſegit, ita ut omnes in ſui admirationem trahens, cum magna ædificatione & virginitatis & devotionis obſervantia Deo & proximo placens tandem ibidem in pace quieverit. Poſt cujus mortem Deo, quem in vita dilexerat, Famulæ ſuæ ſanctitatem demonſtrante, ſurdi paſſim, & vertiginem patientes capitis, ſanitatem recipiunt per merita ſanctæ Virginis. Hoc atteſtantur in hodiernum diem, qui voti cauſâ ad ſanctæ Virginis ſepulcrum venientes, ſoſpites revertuntur, gratias Deo agentes. *Hactenus laudatus parochus: neque habeo plura his addenda.*

de earum geſtis nihil habetur certi.

E

DE B. ROLANDO DE MEDICIS

ANACHORETA BORGONI DITIONIS PALLAVICINÆ,

C F

IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

Cultus Beati: Acta & Miracula edenda ex manuſcriptis.

AN. MCCCLXXXVI *Beatus Martyrologiis ignotus, obiit*

QUamquam B. Rolandus *Martyrologiis omnibus ſit incognitus, colitur tamen hoc die ut Beatus, cultuſque ipſius certus eſt & indubitatus. Ludovicus Cavitellus in Annalibus Cremonenſibus ad annum* 1386 *de eo, tamquam de Beato Cremonenſibus vicino, ita ſcribit:* Anno proximo Rolandus de Medicis, Mediolanenſis anachorita, poſtquam in locis aſperis & ſolitariis Alpium Bargoni, diœceſis Placentinæ, per annos viginti ſex moram habuit ſumma cum abſtinentia, & in eis repertus per ibi incolas, illinc ductus fuerit in eccleſiam ibi B. M. Virginis, & illic facta confeſſione peccatorum religioſo Carmelitano, & è manibus ipſius ſumptâ Euchariſtiâ multa cum reverentia, die quinta Septembris emiſit ſpiritum, ejuſque corpus conductum fuit Buxetum, & conditum in ſacello ibi ſibi dicato, procurantibus illuſtribus marchionibus Pallavicinis, ibi & in vico Bargoni dominantibus: & ad ipſum corpus ex gratia omnipotentis Dei, & ejus Rolandi meritis, facta fuerunt multa miracula, ex quibus reputatus fuit inter Beatos. *Hactenus Cavitellus, in cujus relatione dicm Beati mortualem perperam fixum ob-*

AUCTORE J. S.

servo, quod impressionis fortè potiùs mendum est, quàm scriptionis. Certè non quinta, *sed* decima quinta *Septembris obiisse* B. Rolandum *alii omnes consentiunt: atque die* XV *revera colitur.*

die XV *Septembris:*

2 *Joannes Heraclius Christanellus, Societatis Jesu rector Buxeti, anno* 1681 *de cultu* B. Rolandi, *aliisque huc spectantibus, ad Papebrochium nostrum scripsit sequentia:* Dies obitûs B. Rolandi de Medicis Mediolanensis fuit XV Septembris: hac etenim die colitur Buxeti in ecclesia confraternitatis Sanctissimæ Trinitatis, ubi ejusdem Servi Dei corpus quiescit. Obiit anno MCCCLXXXVI. Et in hoc conveniunt Ludovicus Cavitellus patritius Cremonensis in suo manuscripto libro Annalium Cremonæ fol. 138, & Ranutius Picus à secretis sereniſſimi D. ducis Parmæ in Vita ipsius Beati descripta & typis tradita Placentiæ anno MDCXXXVI. Convenit itidem cum prædictis die & anno Vita ejusdem beati Rolandi Ms. in charta pergamena, existente in archivio collegiatæ insignis ejusdem civitatis Buxeti, roborata tabellionatibus & subscriptionibus plurium notariorum de collegio Buxeti: in qua describuntur quàm plurima miracula, meritis ipsius Servi Dei patrata à Deo O. M. nec non oratio seu tres orationes ipsius Beati.

B

tumba ipsius: reliquiæ veneranti expositæ:

3 Ejus corpus conditur in arca marmorea, in qua præter alia insculpta videtur imago ipsius Beati: & hæc est prope altare majus, alta ab humo altitudine duorum pedum, vel circà. Continuus est concursus ad dictum Beatum, cujus intercessione, præter alia miracula, iis potissimùm, qui dolore capitis laborant, maximæ & innumeræ gratiæ impertiuntur. Venerabile tamen ipsius Beati corpus videri non sinitur, nisi perrarò & jussu & præsentiâ principum nostrorum: ejus tamen reliquia populis veneranda & deosculanda exhibetur, asservaturque reliquia in quodam vasculo seu custodia argentea. Quodque magis notabile est, dicti Beati caputium, quod ultra trium seculorum spatium adhuc integrum perseverat, non obstante, quòd eo incessanter pietas fidelium utatur ad cooperiendum caput dolore capitis laborantium miro infirmorum hujuscemodi auxilio: cùm prædictum caputium sit lanâ contextum, & huc usque tineis mirificè illæsum. *Hactenus Christanellus, adjungens alia quædam de lampade accendi solita; quæ ut minoris momenti* C *omitto, quia ipse observat alias quoque ibi esse reliquias, indeque dubitat, in cujus potissimùm honorem accendatur. Verùm, quidquid sit de lampade, cultus Beati ex dictis est certus & indubitatus.*

corpus anno 1464 *ad noviam tumbam translatum,*

4 *Corpus Beati elevatum fuit anno* 1464, *& tunc translatum ad tumbam illam elevatam supra terram. Colligo ista ex notitiis Mss., huc missis per laudatum Christanellum. Inter has notitias reperiuntur Acta visitationis sacri corporis, scripta per Antonium de Sancto Vito notarium publicum. Facta dicitur illa visitatio* anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Indictione sexta, die verò Sabbati vigesima nona mensis Maii. *Notæ hæ chronologicæ invicem bellè correspondent, cùm illo anno esset Indictio sexta, & dies* XXIX *Maii in Sabbatum incideret, ut colligitur ex illius anni littera Dominicali* C. *Porrò in ista visitatione, testantibus Actis, supra ossa Beati inventum fuit breve scriptum, quod ita habebat:* MCCCCLXIIII, DIE PRIMO JANUARII IN HOC SEPULCRO RECONDITE SUNT RELIQUIE BEATI ROLANDI, QUE SUNT HE. *Itaque nullo modo dubitandum videtur, quin jam anno* 1464, *id est, anno septuagesimo octavo post mortem,* Rolandus *fuerit cultus ut Beatus, atque honorifica elevatione & translatione in nova tumba depositus.* D

iterumque visitatum anno 1563.

5 *Quod spectat ad visitationem corporis, quàm anno* 1563 *factam jam dixi, præcipua tantùm ex Actis seligam, ne sim prolixior & obscurior, si Acta integra cum omnibus adjunctis huc traducam. Facta dicitur visitatio, petente illustrissimo marchione Hieronymo Pallavicino Buxeti domino, ac præsentibus plurimis è clero & populo. Deinde* apertâ dictâ arcâ, laminis ferreis & plumbeis optimè clausâ, in ea reperta fuit capsula lignea longitudinis unius brachii vel circà, & dimidiæ largitudinis ac altitudinis clausa, & ea reposita super altare majus dictæ ecclesiæ... aperta fuit; & exinde emanare cœpit odor miræ suavitatis & fragrantiæ: supraque ossa in dictâ capsulâ recondita & reperta inventum fuit breve in charta hædina scriptum. *Verba hujus scripti jam dedi superiùs* Et dempto demum cooperculo serico rubei coloris tegente ossa prædicta, visa fuere caput, crura, brachia, & partes aliæ corporis B. Rolandi prædicti, quamvis tamen exigua pars in cinerem versa reperitur. E *Mox adjungitur, omnia rursum in arcam reposita, eamque clausam fuisse, ut antè fuerat. Acta verò debitâ formâ clauduntur, eisque subscribunt quatuor notarii, videlicet Paulus Majavacha, Josephus Bocelius, Scipio Stirpius, & Octavius de Martianis. In iisdem Actis mentio fit de Vita Beati, dudum antè scripta.*

Vita fideliter scripta uti & Miracula:

6 *Vitam illam accepimus* ex bibliotheca Medicæa, *notaturque in margine haberi* pluteo 2, codice 31 in quarto. *Hunc verò præfert titulum:* De Vita, pœnitentia, morte, & miraculis B. Rolandi de Medicis, qui suum diem clausit extremum in castro Bargoni, episcopatus Parmæ MCCCLXXXVI, die XV mensis Septembris. *Eadem Acta servari in tabulario Buxetano, habemus ex litteris antè laudatis. Ex initio planè liquet, scripta fuisse eodem anno, quo* B. Rolandus *obiit. Hinc fide sunt omnino digna, etiamsi mirabilia quædam contineant. Ex eadem bibliotheca accepimus relationem plurium miraculorum, quæ alium habent auctorem, sed æquè fidelem, ut colligitur ex præfixo titulo, qui talis est:* Relagium * miraculorum B. Rolandi, quæ scripta fuerunt, ac recepta sub fideli testimonio diversarum personarum, per manus Anselmini de Raimundis de Cremona, imperiali auctoritate notarii, & in ecclesia B. Mariæ de Monte Carmelo in Cremona. *Hanc relationem, ex qua liquet, Cremonenses maximè fuisse addictos* B. Rolando, *subjiciam post Vitam. Demum aliqua Miracula nobis communicata sunt ex tabulario Buxetano; at omnia ferè eadem sunt cum relatis in scripto edendo. Satis igitur erit, si hanc scripturam breviorem cum altera in Annotatis contulero, & in calce adjecero, si quid hæc contineat, quod in priore non reperitur. Vitam Beati posteriùs scripserunt Ranuccius Picus jam laudatus in Opere de Sanctis Parmensibus & Sylvanus Razzi de Sanctis Tusciæ part. 2 fol. 87, uterque Italicè.* * *al.* Pelagium F

notitia aliquot locorum, quæ occurrunt in Actis.

7 *Ceterùm ad faciliorem Vitæ & miraculorum intelligentiam, juverit pauca observare de locis, in quibus Beatus modò quiescit, & ante obitum versatus est.* Buxetum *oppidum, ubi sacrum corpus quiescit, Italis* Busseto, *situm est Parmam inter & Placentiam, & ferè è regione Cremonæ, sed duobus milliaribus à Pado flumine, quod agrum Buxetanum à Cremonensi dividit. Territo-*

rium

A *rium illud proprio olim paruit marchioni ex illustri domo Pallavicina, cui etiam suberat Burgus S. Domnini, civitas vicina modò episcopalis cum pluribus oppidis ac vicis; at deinde cessit duci Parmensi, huicque etiamnum paret. Ad partem australem ditionis Pallavicinæ versus Apenninum & ditionem Genuensem in tabulis ducatûs Parmensis notantur vici aut oppida, ut à quibusdam vocantur, Bargonum, Tabbianum, Salsum, in quorum vicinia Sanctus dicitur eremiticam duxisse vitam. Rivarolum, quod aliis in actis additur, in tabulis invenire non potui. At procul dubio earumdem partium est vicus, si mendum non irrepserit in exemplar manuscriptum. Non omnia illa loca videntur esse in territorio Pallavicino, in quo est Borgonum; at dictæ ditioni saltem sunt vicina. Hisce prænotatis, Acta ipsa subjicio.*

VITA

B

Auctore Synchrono

ex codice Ms. bibliothecæ Medicææ.

Austeritas Beati, sub dio degentis, in vestibus,

NOtum sit omnibus & singulis præsentem scripturam inspecturis, quòd anno millesimo trecentesimo sexagesimo (videlicet modò quando currit millesimus trecentesimus octogesimus sextus, sunt anni viginti sex elapsi) prædictus B. Rolandus venit ad partes Bargoni, Tabbiani, Salsi, Rivaroli, & in locis circumstantibus, & ibidem dicto tempore dictorum viginti sex annorum stetit & habitavit: & per totum dictum tempus continuum servavit silentium nemini loquendo: & tempore dicti sui adventus erat veste lugubri & nigra: & tantùm ipsam portavit, quòd venit ad putrifactionem, & de necessitate nudus remansit. Posteà pro cooperimento ejus nuditatis usus fuit straminibus & paleis: & tandem fecit sibi perizomata conchorum &

C foliorum. Postremò usus fuit pelle caprinâ non confectâ nec paratâ, sed à casu sic inventa: & hic fuit ejus usus vestimentorum. Et per totum suprascriptum tempus prædictorum viginti sex annorum sic munitus vestimentis, ut suprà continetur, stetit ad nives, grandines, aquas, ad ardorem continuum frigoris & caloris, die noctuque solum aërem pro suo tegumento habendo, & usque ad extremum vitæ suæ.

& in victu: mirabilis ejusdem contemplatio.

2 In dicto toto tempore usus fuit pro cibo & corporali refectione herbis crudis, fructibus, & aliis prout invenire poterat in tali loco silvestri & nemoroso. Et propter carentiam fructuum & herbarum tempore hiemali afflictus fame, compellebatur ire ad extremum alicujus loci: ubi faciebat signum cum manibus nudum demonstrando corpus, & pro sustentione vitæ suæ eleëmosynam postulabat, nec recipiebat ad superfluitatem, imò numquam recepit ad totam saturitatem. In prædicto tempore à pluribus personis fide dignis visus fuit antedictus B. Rolandus de die & de nocte super uno pede, spatio quinque vel sex horarum oculis fixis infra rotam solis & lunæ *a* brachiis elevatis devotissimè Deum inspiciendo *b*. Ex Ms. *a b*

Inventus inter spinas graviter laborans,

3 Una verò die dum spectabilis & egregia domina Antonia de Caxate de Cortona, consors magnifici & egregii militis domini Nicolai marchionis Palavicini, cujus est castrum & territorium Bargoni, cum sua comitiva iret caussâ suæ recreationis ad accipitrem; accidit quòd quidam de suâ * familiâ vidit supradictum B. Rolandum nudum, & in corpore afflictum, quasi spiritum exhalantem infra vepres, spinas & tribulos, secus viam in quadam macerià, & quem ignorabat, quisnam esset. Quo viso, præ admiratione in mente cœpit cogitare, quænam esset illa creatura sic afflicta. Velociter cucurrit ad præfatam dominam, narrando sibi *, quod viderat. Quæ domina omnibus omissis, cum ejus comitiva adivit ad videndum. Quo viso, ipsis omnibus obstupentibus præ admiratione insolita, cœpit præfata domina dicere: Num esset iste homo ille, qui tanto tempore elapso in his partibus tàm asperam duxit pœnitentiam & vitam, juxta narrationem & testimonium multorum, qui ipsum sæpiùs viderunt? Revera iste est ille. Ipsum pacificè interrogate, si velit venire Bargonum, & in necessariis sibi & opportunis providebitur. Qui nullum signum, nec responsum dedit.

* ipsius

* ei

E

Bargonum invitatus, venitque ad vicinam ecclesiam,

4 Præfata autem domina pietate compuncta, dixit: An creatura ista devota posset mori sine confessione? Utique, quæso, rogate eum, ut dignetur venire Bargonum: & mittam confessorem meum magistrum Dominicum de Dominicis de Cremonâ Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, sacræ Paginæ professorem, cum quo valebit consolari, & spiritualibus dapibus ab eo refici. Quibus auditis, B. Rolandus in mente cœpit congratulari, & nutu atque signo hilari, brachiis elevatis, meliore modo, quo potuit, capite elevato expressit, se contentum fore de adventu prænominati magistri Dominici. Quæ domina, demissâ venatione, Bargonum redivit, & litteras & nummos prædicto magistro Dominico destinavit. Nocte verò sequente B. Rolandus ad ecclesiam, quæ est extra Bargonum, ivit ibidem pernoctando. Die verò sequenti totus populus Bargoni confluit ad videndum B. Rolandum. Interim præfata domina mandavit, ut lectus B. Rolando pararetur cum decentiâ honoris & statûs suæ sanctitatis. Quibus omnibus paratis, prædictus B. Rolandus spretis, sola stramina nutu & signo pro sustentatione ejus * vitæ petiit.

F

* suæ

ubi sacerdos religiosus eum monet de confessione,

5 Interim præfatus magister Dominicus Bargonum applicuit, & ecclesiam, in quâ B. Rolandus jacebat, intravit ipsumque salutavit, gratiosè exprimendo, & qualiter præfata domina pro eo miserat, & ipsum B. Rolandus confortaret. Quo B. Rolandus audito, oculis fixis in prædictum magistrum Dominicum respiciebat, annuens per signa manuum, ut omnes de ecclesia expelleret, & ostia clauderet. Quo facto, mutuò se respiciebant. Demum magister Dominicus incepit prolixum facere sermonem ferè spatio duarum horarum: & ut ab eo aliquid per proprias conciperet loquelas; duobus argumentis eum cœpit ligare: primò arguendo, & contra ipsum instando per illud dictum decreti *c*: Qualiter sub pœna excommunicationis quilibet adultus saltem semel in anno Christi Vicario *d* in confessione se debet *e*. Secundò instabat contra

c

d

e

eum

Ex Ms. cum qualiter angelus Satanæ se transformat in angelum lucis, Christi creaturas inducendo ad arduas pœnitentias & insolitas : quibus mediantibus sint caussa mortis suæ, ut eas deducat ad perditionem. Ad prædicta respondit B. Rolandus præfato magistro Dominico in hac formâ, primò ad primum. Quòd non tenebatur confiteri caussam assignando, quia Deus sic volebat; sic eum ducebat & regebat. Ad quæ magister Dominicus : Hoc asseris creatura Dei, propter illud dictum decreti, quod habetur in illo capitulo, "Duæ „ sunt leges „ : ubi inquit textus : "Duæ sunt le„ges, una scripta in canonibus sanctorum, à san„ctis Patribus approbata, sicut semel confiteri in „anno, & consimilia. Alia est lex divina, quæ „digito Spiritus sancti scripta est in cordibus fi„delium, juxta dictum Apostoli „ : "Qui legem
f „Dei habent scriptam in cordibus eorum *f*. Et „hæc est nobilior primâ. Quia autem hæc secun„da lex deprimat primam, patet per Apostolum & per decretum allegatum „ : "Si ergo Dei „spiritu ducimini, non estis sub lege „ ; Et alibi habetur : "Ubi spiritus Domini, ibi libertas „. Ergo, devotissima creatura, propter ista præli*g* bata *g* à confessione non habita elapso tempore
B redditis vos immunes. Ad quæ respondit B. Rolandus : Verum dicitis : nam Spiritus sanctus me regebat & ducebat, & sic non eram noxius, quantùm ad primam legem.

& de aliis quoque interrogatum,

6 Ad secundum respondit prædicto magistro Dominico, quòd in omnibus & per omnia se committebat suæ discretionis sapientiæ, quantùm ad moderationem & mitigationem pœnitentiæ. Et tunc præfatus magister Dominicus subtiliter cœpit eum interrogare, quâ caussâ, quo motivo tam asperas pœnitentias assumpserat, & dicendo : Numquid hanc assumpsistis pro peccatis magnis per vos commissis, aut pro pœnitentiâ vobis impositâ ? An consilio alicujus hæc egisti ? Ad quæ respondit, quòd solùm divinâ inspiratione propter frequentationem Missarum & prædicationum *h* & propter timorem pœnarum in*h* ferni, & propter gaudia paradisi, propriam fragilitatem decreverat tali stimulo domare. Quem B. Rolandum etiam interrogavit. Quomodo super uno pede fixis oculis sic respiciebat, infra
C rotas solis & lunæ, cùm hoc sit contra cursum naturæ, spatio quinque vel sex horarum ? Ad quæ respondit, quòd tunc fruebatur divinâ gratiâ, pascebatur spiritualibus dapibus, & alimentis in anima pariter & corpore : asserendo pro vero, quòd tempore illo intervallo clarè in*i* tuebatur faciem Jesu Christi *i* infra rotam solis & lunæ.

ad susceptionem Sacramentorum inducit : responsa Beati,

7 Ipsumque B. Rolandum dictus magister Dominicus cum documentis caritativis induxit ad confessionem & ad receptionem Sacramentorum Ecclesiæ Dei. Et asseruit dictus magister dominicus, quòd, prout subtiliter investigaverat, prædictus B. Rolandus in tota sua pœnitentia, quæ fuit spatio viginti sex annorum & ultrà, non obstantibus contumeliis, percussionibus & expul*k* sionibus *k*, numquam peccavit cogitatione, locutione nec opere. Et tunc magister Dominicus
* ipsi sibi * dixit : Numquid peccavistis omissione ? Ad quæ respondit B. Rolandus : Non omisi, nisi ea, quæ non sunt Dei : imò voluntatem Creatoris mei adimplevi. Item dictus magister Dominicus eum interrogavit, si in sua pœnitentia loquebatur ore cùm Deo vel à seipso ? Cui respondit, quòd non loquebatur ore, sed mente perfusa divinâ gratiâ. Item eum interrogavit, quare sic continuum elegit sibi silentium ? Cui B. Rolan- D
dus respondit, quòd est verbum Divinæ Sapientiæ : In multiloquio non deerit peccatum. Quem B. Rolandum prædictus magister Dominicus cùm magnis precibus induxit pro vita sustentanda corporali ad recipiendum liquorem pullorum & avium silvestrium : quibus remediis mediantibus ipsum B. Rolandum tenuit in hac vita mortali spatio dierum viginti sex.

forma corporis : visio ante mortem : pius obitus.

8 Qui B. Rolandus erat magnæ staturæ & decoræ, & erat in ipsa persona decorus : & erat afflictus, desiccatus, sine carne, solâ pelle ad tenuationem & coopertionem ossium, quòd alter crucifixus videbatur. Et ante diem obitus sui retulit magistro Dominico, qualiter videbat angelum Michaëlem cum multitudine angelorum in manibus tenentem candidissimum pannum lineum, & animam suam expectantem. Et in suo transitu ad Patrem angelorum, quoad animam & spiritum est receptus cum hymnis ac canticis spiritualibus, & in sinu Abrahæ *l* est deportatus, *l* campanis pulsantibus sine humano auxilio, cujus corpus cum maxima & decenti comitiva clericorum & laïcorum ad ecclesiam Busseti *m* so*m* lenniter & devotè fuit portatum & sepultum. E

ANNOTATA.

a *Videlicet per diem infra rotam solis, noctu infra rotam lunæ.*

b *Factum hoc mirabile inferiùs utcumque exponetur. Vide itaque dicenda ad litteram* i.

c *Ranuccius Picus in Vita Italica* B. Rolandi *hoc intelligit de decreto concilii Lateranensis* IV, *quod cap.* 21 *ita habet :* Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno *&c. Pœna hæc additur in prævaricatores :* Alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. *Attamen theologi & canonistæ docent, illos solos teneri præcepto, qui mortifero se peccato infecerunt. Addunt aliqui, illos qui toto anno in peccatum mortale lapsi non sunt, se sistere saltem debere.*

d *Id est, Sacerdoti proprio, qui Christi locum* F *tenet in confessione.*

e *Videtur vox* sistere *aut aliqua æquivalens omissa esse in exemplari nostro.*

f *Ad Romanos cap.* 2 ℣ 15 *ita habet Apostolus :* Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. *Hæc verba allegari putem, licèt nonnihil mutata sint.*

g *Nolim inquirere, an allegati textus Apostoli satis evincant, confessionem non fuisse instituendam. At certum est, illum non peccare, qui ductum & inspirationem sancti Spiritus fideliter sequitur, uti feciſſe* B. Rolandum, *ostendunt miracula post obitum ipsius patrata. Verumtamen tam singularis vivendi ratio solet haberi inter exempla Sanctorum miranda potiùs quàm facilè imitanda, ne quis imaginationes proprias magis sequatur, quàm divinam inspirationem, & sic illusionibus dæmonis sit expositus.*

h *Sensus esse videtur, quòd frequenter assistens Missæ Sacrificio & concionibus sacris, à Spiritu sancto permotus fuerit ad pœnitentias tam asperas.*

i *Non agitur de visione intuitiva Dei, sed de visione Christi, de qua dicebat S. Stephanus Act.* 7 ℣ 15 : Ecce video cœlos apertos, & Filium

ho-

A hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. *Aliqui difficulter credent, tantum favorem obtigiſſe* B. Rolando, *quia* animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei, *teſte Apoſtolo* 1 *Cor.* 2 ℣ 14; *At ego multò etiam minùs credidero, mentitum eſſe Beatum, præſertim cùm divina bonitas ſingularibus gratiis fovere ſoleat illos, qui tam dura & aſpera ex Dei amore conſtanter exercent. Hoc ipſum, quòd quinque aut ſex horis uno nixus pede ſtaret immotus, abundè innuit, favores ei obtigiſſe naturali ordine ſuperiores, quibus non ſolùm anima, ſed etiam corpus confortaretur.*

k *Similibus injuriis affectum fuiſſe Beatum, cùm numquam loqueretur, omnino eſt veriſimile; præſertim cùm multi homines temere improbent opera bona, quæ non ſatis capiunt.*

l *Per ſinum Abrahæ, quo recipi dicebantur juſti Legis veteris, auctor procul dubio deſignare voluit cœlum ipſum.*

m *Buxetum longo ſatis intervallo diſtabat ab oppido Bargono, ubi defunctus eſt* B. Rolandus. *Eò tamen tranſlatus videtur ad ſepulturam, quia Buxetum erat caput ditionis Pallavicinæ, ut vel hinc liqueat, quanto ſtatim honore defunctum proſecuta ſit nobiliſſima domus Pallavicina.*

B

MIRACULA

Auctore Anſelmino de Raimondis notario Cremonenſi

Ex codice Ms. bibliothecæ Mediceæ.

Viſio de patrocinio Beati: ſanatio: apparitio B. Rolandi: a b

PRimò domina Franciſchina, viciniæ *a* S. Mariæ de Gonçaga, timore mortalitatis multùm afflicta, in viſione ſibi *b* apparuit Virgo Maria, dicendo ei: Noli timere, ſtes ſecura, tu & populus Cremonæ. Nam in brevi coram me, quæ ſum Regina cæli, & Filio meo Jeſu Chriſto, cuncti fideles habebunt bonum advocatum, quemdam devotiſſimum virum, nomine Rolandum, & ſtatim ipſa domina Franciſchina vigilante cœpit credere: & hoc fuit per tres dies ante obitum prædicti B. Rolandi.

C

Item quidam Abraham de Giroldis, epiſcopatus Cremonenſis, hydropicus corpore, per prædictum B. Rolandum fuit curatus.

Item quædam domina Margarita, viciniæ S. Geroldi Cremonæ, habebat unum peccatum, quod numquam voluerat confiteri propter verecundiam. B. Rolandus ei apparuit in viſione, dicens ei, ut iret ad magiſtrum Dominicum confeſſorem ſuum; & quòd ſibi confiteretur peccatum ſuum, quod numquàm revelaverat: & quòd facere deberet juxta conſilium dicti magiſtri Dominici, quoniam poſtea eſſet advocatus pro ea coram Deo, & B. Virgine Mariâ.

Sanationes variorum morborum, c

2 Item Bartolinus de Regaziis de Cremona habuit in viſione B. Rolandum: & per ipſum fuit liberatus à cute *c* & à carbunculo.

Item Lombardina, uxor Albertini de Cremona, viciniæ S. Galli, quæ erat tota arefacta in corpore, & deſtituta, per prædictum B. Rolandum fuit ſanata.

Item domina Caterina, uxor Joannis de Muzo, viciniæ S. Apollinaris Cremonæ, de cute & carbunculo fuit per prædictum B. Rolandum liberata. Ex Ms.

Item prædictus B. Rolandus apparuit in viſione Bartholomæo Dalmano Albertino, dominæ Caterinæ & dominæ Cominæ, omnibus de Cremona, & ipſos omnes ſanavit à cutis & carbunculis.

Item Nigra, viciniæ S. Petri de Pado per prædictum B. Rolandum liberata fuit à cute & carbunculo.

Item Girarda, uxor Joannis de Laude, per prædictum B. Rolandum à febre continua & à cute fuit liberata.

Item Bertolinus, viciniæ S. Lucæ, per prædictum B. Rolandum liberatus fuit à cute.

Item Franciſchina, viciniæ S. Eraſmi, per prædictum B. Rolandum liberata fuit à cute & à febre continua.

Item uxor Nicolai de Papia, viciniæ S. Petri de Pado, per prædictum B. Rolandum ſanata fuit à duobus carbunculis.

Item Salie de Papia, natua viciniæ S. Lucæ, à dolore renum & lateris per prædictum B. Rolandum liberatus fuit. E

Item Jacobus de Becho, viciniæ S. Silveſtri, per prædictum B. Rolandum liberatus fuit de cute & carbunculo.

Item filia dominæ Franciſchinæ de Seſſa à putrefactione duarum tibiarum per prædictum B. Rolandum fuit liberata.

3 Item Leona *d* viciniæ ſancti Sepulchri, à claudicatione pedis per prædictum B. Rolandum fuit liberata. *patrocinio Beati obtentæ. d*

Item domina Guarda, viciniæ S. Mariæ in Bethleem, à ſurditate & dolore lateris liberata fuit per prædictum B. Rolandum.

Item domina Caterina, viciniæ S. Geroldi, quæ perdiderat loquelam, & quæ erat ſemimortua, propterea quòd habuit recurſum ad B. Rolandum, ſubitò fuit liberata.

Item Gregorius de Placentia, viciniæ S. Michaëlis, per prædictum B. Rolandum liberatus fuit à cute & à carbunculo.

Item Bartholomæus, viciniæ S. Gregorii, per prædictum B. Rolandum liberatus fuit à cute.

Item Nicolina de Cremona, arefacta in corpore, per prædictum B. Rolandum liberata fuit.

Item domina Franciſchina, viciniæ S. Nazarii, F ſeducta à fratribus Ordinis Prædicatorum, ut non crederet in prædictum B. Rolandum, ipſa aſſentiens, aggreſſa fuit à febre continua & à cute: unde timore mortis dein devotione doluit, & ſe vertit ad prædictum B. Rolandum cum effuſione lacrymarum poſtulando veniam: & ſubitò fuit liberata.

Item Gaſparinus, filius Jacopini de Guaragnis, viciniæ S. Chriſtophori, à febre & à cute per prædictum B. Rolandum fuit liberatus.

Item Caterina, viciniæ S. Jacobi, per prædictum B. Rolandum liberata fuit à febre & à cute.

Item domina Guigna, viciniæ S. Ægidii, quæ tota erat arida & conſumpta in corpore, per prædictum B. Rolandum fuit ſanata.

Item domina Caterina, filia Joannis de Gabianeta, viciniæ S. Michaëlis, à febre & à cute per prædictum B. Rolandum fuit liberata.

Item Joannes de Cavaleriis, viciniæ S. Lucæ, à cute & à carbunculo per prædictum B. Rolandum fuit liberatus.

Item dominus Andreolus de Picenardis, viciniæ S. Eraſmi, propter febrem continuam &

Ex Ms. cutem ſtetit tribus diebus & tribus noctibus ſine ſenſu ſemimortuus, & ſine loquela : in ejus mente ſe vertit ad prædictum B. Rolandum, & ſubitò fuit liberatus.

Item frater Jacobus, monachus S. Petri de Pado, à febre mortali & à cute per prædictum B. Rolandum fuit liberatus.

ORATIONES B. ROLANDI.

Tres orationes de Beato.

IMmenſam Clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, imploramus, ut qui fulges in electis tuis, quos te habitare & glorificare præcepiſti, da nobis, deprecamur, ut meritis pœnitentiæ B. Rolandi devoti tui ita dignè ſolennia venerari, ut ejus ſuffragantibus precibus templum tuum ſpirituale mereamur fieri. Per Dominum noſtrum &c.

ALIA ORATIO. Pro felicitate animarum noſtrarum ſuſcipiat immenſa largitas tua, quæſumus, Domine Deus noſter, holocauſtum de manibus noſtris oblatum, ut per hujus B. Rolandi devoti tui merita ab omnibus nos mundet offenſis. Per Dominum &c.

B ALIA ORATIO. Largire, quæſumus, Domine, nobis famulis tuis, ut per merita pœnitentiæ B. Rolandi devoti tui piâ interventione ab omnibus tueamur adverſis e. Per Dominum &c.

ANNOTATA.

a *Vox* vicinia, *quæ frequenter recurrit, non vicum civitatis aut plateam; ſed paræciam aliquam, deſignat, ut obſervat Razzius in Vita.*

b *Id eſt*, ipſi. *Verùm tota dictio non eſt conformis regulis Grammatices. At quilibet ſatis intelliget, quid velit auctor: ideoque menda Grammaticalia non corrigam.*

c *Quid voce* cutis *auctor deſignare voluerit, ex ſolis adjunctis eruendum eſt : neque enim ullibi invenire potui, per illam vocem ab Italis morbum aliquem ſignificari. Attamen adjuncta inſinuant, per* cutem *hîc deſignari* ulcus peſtilens. *Nam primum beneficium innuit, mortalitatem ſive peſtilentiam Cremonæ eo tempore fuiſſe. Illi autem, qui peſte laborant, inficiuntur ulceribus peſtilentibus & carbunculis, ac frequenter febri tanguntur. Hinc* cutis *in pleriſque jungitur cum carbunculo aut cum febri, ita ut vix ullum ſit dubium, quin ulcus peſtilens ea voce in his beneficiis deſignetur.*

d *Hoc beneficium, uti & ſequentia omnia, etiam referuntur in apographo noſtro Buxetano iiſdem planè verbis. Ibidem & hoc legitur quarto loco:* Item domina Benvenuta, uxor magiſtri Jacopini de Brixia, à dolore renium per prædictum beatum Rolandum fuit liberata.

e *Hæ orationes etiam habentur in Ms. Buxetano. Credit Razzius compoſitas fuiſſe, ut recitarentur in Miſſa Sacrificio. Quin & Picus circa finem Vitæ exiſtimat, Miſſam olim de B. Rolando fuiſſe celebratam. At mihi hoc non eſt veriſimile, cùm quia nullibi aſſertum invenio, tum quia non facilè fuiſſet deinde omiſſum, ſi ſemel fuiſſet inchoatum. Ceterùm, quod ſpectat ad loca, de quibus mentio ſit in miraculis* B. Rolandi, *ea omnia operosè inveſtiganda non credidi, ac ne ea quidem aſſignanda, quæ facilè ſe offerebant in tabulis geographicis. Pleraque, & forſan omnia, ſunt in territoriis Cremonenſi, Parmenſi & Placentino. Aliqua etiam in urbe Cremonenſi ſunt facta, maximè priora.* D

APPENDIX.

Mulier diu vexata à dæmonibus,

EX *tabulario Buxetano tranſmiſſa quoque eſt ſequens relatio, per notarium ſcripta :* In Chriſti nomine, Amen. Anno à Nativitate Domini MCCCCLXXXIV, Indictione ſecunda, die quarto menſis Aprilis, domina Antoniola, uxor Laurentii Daiarii, de Burgo ſancti Donini, præſentibus nobis D. Don Coſma de Rotiis capellano ſervitore, Martino de Vaſtis, & Mag. Jacobo Calolario, teſtibus rogatis, conſtituta in capella majoris eccleſiæ ſancti Bartholomæi, eccleſiæ Buxeti, diœceſis Cremonæ, ſponte & ex certa animi ſcientia ad laudem & honorem omnipotentis Dei, & beati Rolandi de Medicis, cujus ſanctiſſimum corpus in hac terra Buxeti requieſcit, dixit, confeſſa & proteſtata fuit & eſt, quòd, dum jejunâſſet vigiliam S. Geminiani proximè præteriti, ipſaque nocte graviter à dæmoniis, qui eam oppreſſam tenuerant & tenebant annis novem proximè elapſis, ut ipſa dæmonia teſtificabantur *&c. Totam relationem non ſubjungo, quia tam miſerè ſcripta eſt & mendosè, ut rem quidem ipſam intelligere valeam, non verò omnia verba dare, cùm aliqua vitiosè expreſſa, aliqua etiam ſint omiſſa. Quare compendio rem totam expono.* E

apparuerunt B. Rolando cum S. Geminiano, liberatur.

2 *Apparuerunt illa ipſa nocte vigilanti Antoniolæ* ſanctus Geminianus à dextris & beatus Rolandus à ſiniſtris, tenentes baculos in manibus, & dixerunt ſe veniſſe, ut eam à dæmoniis liberarent. *Additur*, B. Rolandum *expoſuiſſe mulieri, ſe eſſe* B. Rolandum, *alterum S. Geminianum, eique tangendum dediſſe baculum ſuum. Tum incidit in ſomnum, variaque habuit inſomnia. Deinceps verò à vexatione dæmonum fuit libera. Nunc pauca ad expoſitionem obſervo.* Burgus ſancti Domnini, *ubi habitabat illa mulier, nunc civitas eſt epiſcopalis, ſita in dominio Pallavicino, inter Parmam & Placentiam ferè media, habetque in diœceſi ſua ipſum Buxetum, dominii Pallavicini olim caput. At diu poſt hoc factum laudata civitas dignitatem epiſcopalem conſecuta eſt à Clemente VIII, nimirum anno* 1601, *ut videri poteſt apud Ughellum tom. 2 col. 63 noviſſimæ editionis, ubi ipſa Bulla Pontificia eſt impreſſa. Quod ſpectat ad S. Geminianum, qui cum* B. Rolando *apparuiſſe dicitur, haud dubiè deſignatur S. Geminianus Mutinenſis epiſcopus, qui colitur* XXXI *Januarii.* F

A D

DE SANCTA CATHARINA FLISCA ADURNA VIDUA,

GENUÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. U. S.

§ I. Sanctæ, à multis laudatæ, biographi, eorumque fides: varia Vitæ, Italicè primùm conscriptæ ac deinde in alias linguas translatæ, exemplaria: Acta Sanctæ unde hîc danda: auctores adhibendi.

B E

AN. MDX. *Sanctæ, hodie laudæ, multi præcones.*

GEnua cognominis reipublicæ Liguriæque metropolis, multiplici titulo primariis, non tantùm Italiæ, sed totius etiam Europæ urbibus accensenda, Sanctis suis annumerat Catharinam, cujus Acta illustrare aggredior. Viduæ hujus admirabili vitæ sanctimonia, veréque seraphim instar ignito in Deum amore ac prodigiis celeberrimæ debitos Cælitibus honores hoc die XV Septembris deferendos esse ab universa Christi Ecclesia, decrevit Clemens XII in Bulla canonizationis, licèt memoriam ejus, ut infrà videbimus, recolant Fasti nonnulli ad diem præcedentem, quem etiam Sanctæ nostræ emortualem (perperam tamen) signant, ideoque de ea hodie agimus. Innumeros penè habuit sanctissima Mulier virtutum suarum præcones, eosque primæ notæ viros scriptoresque clarissimos, quorum catalogum bene longum recenset Summarium additionale *ad processum canonizationis: prolixiorem etiam, additis nempe elogiis, quibus Sanctam nostram honorificè prædicant*, texuit Hyacinthus Parpera in beata Catharina illustrata, *parte* I: *de hisce, quantum expedire videbitur, post sermo erit. Nunc in auctores, qui Sanctæ Vitam primò conscripserunt, quam certatim deinde alii in varias linguas verterunt, & tamquam stimulum potentissimum, ad impellendum corda hominum in virtutis perfectionisque studium, lectori obtulerunt, inquirendum est.*

C

Testimonium Augustini Justiniani de Sancta.

2 *Augustinus Justinianus Sanctæ nostræ æqualis, utpote qui, teste Ughello aliisque, Genuæ natus anno* 1470, *episcopatum Nebiensem in Corsica obtinuit anno* 1514, *vixitque usque ad annum* 1536, *Annalium Genuensium lib.* 6, *de Sancta nostra ejusque Vitæ scriptoribus sic loquitur, ut omnino expedire judicaverim verba ipsius, Latinè reddita, hic transcribere: sic habet.* Fuit (Catharina *nostra*) filia Jacobi Flisci proregis Neapolitani... & uxor Juliani Adurni, quocum multis annis vixit in castitate conjugali: fuitque tota ejus vita, quoniam in juventute cor ipsius divina gratia penetraverat, caritas, amor, mansuetudo, benignitas, patientia, abstinentia ineffabilis & virtutum omnium exemplar, adeò ut liceat eam comparare S. Catharinæ Senensi, totaque civitas particeps fuit, sensitque odorem virtutum sanctæ hujus Matronæ, quæ spiritu rapta, præter alia, de statu animarum in purgatorio existentium præclarè locuta est res miras & auditu dignas iis omnibus, quibus vitæ rebus divinis deditæ gustus placet. Ejus corpus sepultum est in oratorio xenodochii majoris, spectaculumque præbet non admirabile minùs quàm venerandum: prorsus quippe integrum est cum carne, quæ viva apparet acsi hodie sepulta esset, cùm tamen elapsi sint anni viginti quinque à tempore, quo hîc condita est.

3 *Scripsit itaque hæc Justinianus anno* 1535, *quo ab obitu Sanctæ, qui contigit anno* 1510, *effluxerant anni quinque & viginti, subditque:* Æquum foret conscribere venerabilis hujus Matronæ sublimem de Deo sensum, egregias virtutes, sancta opera, conjuncta cum immensa caritate: brevitatis tamen ergò omittemus, maximè quòd de solis hisce rebus à viris fide dignis compositum sit præclarum volumen. *Illud Justiniani, viri integritate ac doctrinâ conspicui, testimonium tanti momenti mihi videtur, ut ineptum existimem, qui Sanctæ nostræ biographorum fidem sinceritatemque in dubium revocaverit, aut sugillare præsumpserit, licet fatendum sit, nonnulla interdum duriora videri posse, utpote sensum communem longè excedentia. Hyacinthus Parpera in litteris ad Henschenium nostrum datis ita loquitur de laudato à Justiniano libro:* Qui quàm verax & fidelis fuerit, comprobant etiam nunc plura & publica scripturarum veterum testimonia; *librum verò illum eumdem esse scribit cum Historia Sanctæ nostræ, excusa Genuæ anno* 1551, *& congruere omnino Vitæ, quæ modò circumfertur: testem affert Augustinum Schiaffinum in Annalibus ecclesiasticis Genuensibus, apud inquisitores statûs existentibus, asserentem, visa à se esse manuscripta, eorumque cum impressa* S. Catharinæ *Vita conformitatem.*

ejusque biographorum fide. Acta, quæ modò circumferuntur,

F

4 *Ex hactenus dictis constat de fide auctorum, qui gesta* S. Catharinæ *litteris consignârunt, nec ullum restat prudens dubium, quin Vita, quam nunc habemus, antiquis manuscriptis omnino congruat: propiùs modò investigandi sunt narrationis hujus auctores. Cap.* 44 *Vitæ à Thannero Latinitate donatæ sic lego:* Hic sacerdos (*Sanctæ à sacris confessionibus*) à quibusdam personis, huic Beatæ devotis, rogatus, magnam hujus Operis partem conscripsit, quùm eam sæpiùs provocâsset & incitâsset ad manifestandas singulares gratias à Deo perceptas & ea quæ peculiariter in ipsa fuisset operatus: præsertim quòd idem religiosus ob longam

antiquis manumentis consona, ipsam Sanctam aliqua ratione

AUCTORE U. S.

gam experientiam & diuturnam cum ea conversationem optimè nôsset atque intelligeret seriem vitæ ipsius. *In Proloquio autem ad pios lectores, ante Vitam Italicam, typis Venetis editam anno* 1590, *profitetur auctor, se styli elegantiæ non studuisse, sed curâsse tantummodo fideliter gesta Sanctæ referre cum ea simplicitate, quâ conscripta fuerant à Sanctæ conscientiæ arbitrio & filio quodam spirituali, ex ipso* S. Catharinæ *ore accepta.*

dici possunt habere auctorem.

5 *Hinc verisimiliter factum est, ut, teste Oldoïno in Athenæo suo Ligustico pag.* 136, *nonnulli asseruerint, Vitam propriam ab ipsa* S. Catharina *superiorum imperio scriptam fuisse: hanc multorum opinionem refert Bailletus in Tabula critica de auctoribus & Actis, ad singulos menses Vitis Sanctorum præmissa, art.* 3 *in diem* XIV *Septembris, restringitque ad eam saltem partem, quæ Marabottum habet auctorem, ac demum subdit:* At licet judicare pauca ab ipsa (*Sancta nostra*) fuisse dictata. *Nullum ibidem verbum addit Bailletus, quo sententiam suam stabiliat; nec ego necessarium existimo divinare rationes, quæ virum criticum impellere potuerint ad ita censendum, neque Bailleto injurium me fore credo, si apertè edixero, malle me fidem adhibere viris Sanctæ coævis, quàm ipsi, duobus circitèr seculis ab ætate Sanctæ remoto, auctoribus synchronis contradicenti: quid enim incredibile in verbis num. præcedente relatis? Quid absonum, si dicatur Sancta anteactam vitam, gratias & dona sibi à Deo concessa declarâsse? Sanè mihi non videtur repugnare animi demissioni, si quis totius vitæ suæ, utcumque sanctè actæ, seriem commemoret, ubi id ad Dei gloriam ac salutem proximi facere cognoverit, vel expedire judicaverit ad faciliùs vitam reliquam rectè instituendam secundùm prudentis directoris consilium: certè* Catharinam *ad laudatam à biographo declarationem faciendam permovit divinæ gloriæ studium, ut legitur cap.* 38.

B

Primi Vitæ scriptores fuerunt Marabottus

6 *Potest igitur prior Vitæ auctor censeri ipsa* S. Catharina, *quæ enarrando ea, quæ sibi totius vitæ decursu acciderant, materiem subministravit, quam alii litteris consignârunt: scriptores autem fuerunt Cataneus Marabottus & verisimiliter Hector Vernaccia; de priore Oldoïnus in laudato Athenæo, Perusiæ vulgato anno* 1680, *pag.* 135 *ita scribit:* Cataneus Marabottus Genuensis ... innocentis vitæ integræque fidei, xenodochii, Pammatone dicti, rector, B. Catarinæ ... Adurnæ sacris à confessionibus, scripsit ejusdem Beatæ vulgari idiomate Vitam. *De altero hæc habet pag.* 234: Hector Vernaccia genitor Baptistæ... & Catarinæ ... Fliscæ Adurniæ... filius in spiritualibus, ejusdem Catarinæ Vitam unà cum sacerdote, qui illi à confessionibus erat, scripsit, *laudatque pro assertione sua Raphaëlem Sopranum. Oldoïno consentit Bailletus in Tabula critica statim memorata, sic tamen ut prima Vitæ monumenta Marabotto adscribat, Opus verò ab Hectore Vernaccia continuatum fuisse dicat. Utut sit, sive alter alteri in scribendo adjutor fuerit, ut innuit Oldoïnus, sive in Marabotti, vel morte præventi, vel curis aliis impediti, onus successerit Hector, mihi sufficiet auctores Vitæ Sanctæ indicâsse.*

C

& verisimiliter Hector Vernaccia,

7 *Marabottum quod spectat, prudenter ambigi non potest, quin* S. Catharinæ *Vitam conscripserit: ita enim omnino ex antiquis monumentis publicis nuper compertum sibi fuisse, testatur Hyacinthus Parpera in Epistola num.* 3 *laudata: at de Hectore Vernaccia, quem Oldoïnus Marabotto adjutorem fuisse tradit, suboriri potest aliqualis dubitatio. Laudat Oldoïnus pro assertione sua Raphaëlem Sopranum: edidit is Catalogum scriptorum Ligurum Genuæ anno* 1667, *teste Oldoïno pag.* 485; *ad manus nostras auctor iste non pervenit, ac propterea eum consulere non licuit: at certè eum consuluit Parpera, hunc enim in litteris suis assignat tamquam auctorem, pro illustrandis Sanctæ gestis consulendum: ibidem tamen asserit, ignotum hactenus esse nomen spiritualis Beatæ filii, qui Marabotto adjutor fuit; idem Parpera in* beata Catharina illustrata *part.* 1, *cap.* 1, *num.* 6 *sic loquitur, ut diversum ab Hectore Vernaccia Marabotto adjutorem fuisse planè insinuet: eum nempe, qui suam cum Marabotto industriam contulit, quique post, flagitantibus nonnullis, Sanctæ Vitam prelo commisit anno* 1551, *sacerdotem nominat.* D

ac tertius quidam, usque nunc ignotus.

8 *At Hector Vernaccia sacerdos numquam fuit: de eo enim Marianus Grimaldus in Sanctuario Genuensi, edito anno* 1613, *in Vita venerabilis Baptistæ Vernaccia sic loquitur:* Habuit (*Hector*) tres liberos... reliquo pòst tempore cum conjuge (*Bartholomæa Riccia*) quamvis juvene vivens in castitate: *quæ verba non videntur in Hectore pati dignitatem sacerdotii, nec sanè si ad eum gradum, mortua conjuge, vel de ejus religionem ingressa consensu, evectus fuisset, prætermisisset Grimaldus id indicare, qui Hectoris in tractandis negotiis dexteritatem, obita munia, divini servitii studium, mortemque in obsequio peste infectorum glorioſam commemoravit. Parperæ tamen de Hectore Vernaccia allato suprà loco silentium tanti ponderis non videtur, ut ab Oldoïno recedamus, credamusque, eum lectori obtrudere voluisse, quæ in Soprano minimè leguntur, quæque ex nullis aliis monumentis didicerat. Existimo igitur cum Oldoïno, & Marabottum & Hectorem Vernacciam, magna familiaritate* S. Catharinæ *conjunctos ejusque æquales, Vitam conscripsisse, quorum postea lucubrationes vel in ordinem alium digesserit vel etiam auxerit tertius quidam isque sacerdos, cujus usque nunc nomen ignoretur. Verùm hisce diutiùs immorari supervacaneum judico, maximè cùm non videam, unde ampliorem iis lucem afferre possim, & sufficiat nôsse, à scriptoribus Sanctæ supparibus Vitam fuisse exaratam.* E

Vitæ Mss. & hymnus tùm ex illis subnexus.

9 *Parpera in* beata Catharina illustrata *varias recenset part.* 1, *cap.* 1 *Vitæ ejus editiones, de quibus breviter hìc agendum. Scribit num.* 6, *paulò post mortem prodiisse Vitam manuscriptam, ex qua affirmat num.* 7, *plures promanâsse, alias breviores, prolixiores alias, in rerum tamen narratarum substantia consentientes, idque constare asserit ex nonnullis exemplaribus penes se asservatis: num.* 13 *refert hymnum Latinum, subnexum Vitæ manuscriptæ, annum præferenti* 1546, *quem subdo.* F

Ut queant cæci tepidique ferre
Luminis clari pariterque celsi
Lucem ardoris, cupiantque solvi
Lumine viso,
Mentem illustret, tenebras repellat,
Corda succendat penitus calore,
Vulneret nec non, uniatque secum
Spiritus almus.
Sensus excedunt, hominumque vincunt
Lucidas mentes, superantque gesta
Sacra dilectæ Dominique Sponsæ
Tam pretiosæ.
Fervor in tantum rapuit calorem
Spiritus sancti penetrans profundi
Cordis abissum, moreretur ut jam
Corpore sano.

Ful-

A Fulgidos terræ tolerare nequit
Corpus ardores ab Amore miſſos
Mentibus puris, moriturque vivens
Cuſpide fixo.
Lecta quis cupit memoranda ſemper
Noſcere, quærat lacrymando ſordes
Primò delere, flagitetque pronus
Lumen Amoris.
Trinitas una veneretur, atque
Semper ametur, ut amore poſſit
A nobis ſaltem pariter vocari,
Si non haberi.

Breve hoc eſt compendium admirandi Divæ noſtræ amoris, & ingentis luminis ipſi à Deo conceſſi.

Vitæ ſæpiùs recuſæ exemplaria

10 *Ab exemplaribus manuſcriptis progredior ad prelo vulgata. Vita primùm excuſa fuit Genuæ anno 1551 cum hoc titulo :* Liber Vitæ admirabilis & doctrinæ ſanctæ B. Catharinæ Genuenſis, in qua continetur utilis & Catholica demonſtratio & declaratio Purgatorii; *præmiſſa eſt illi effigies Jeſu è cruce pendentis Sanctæque ante eam genibus provolutæ cum his S. Matthæi verbis :* Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus
B & revelâſti ea parvulis; *ita Parpera in* Beata Catharina illuſtrata *part.* 1, *cap.* 1, *num.* 8; *in litteris ſuprà memoratis ait, Vitam hanc prodiiſſe typis Antonii Belloni, & in omnibus conformem eſſe ei, quæ nunc manibus teritur, idque conſtare aſſerit ex uſque hodie exſtantibus exemplaribus. Florentiæ recuſa fuit anno 1568, atque iterum anno 1580 & tertiùm anno 1589: in epiſtola ſua, typographum Florentinum fuiſſe Jacobum Gionti, addit Parpera, & ibidem, nemine tamen nominato, corrigit errorem quorumdam, aſſerentium, primum Vitæ* S. Catharinæ *auctorem, fuiſſe Jacobum Gionti, qui tamen non niſi typographus fuit, ut liquere ait, tum ex epiſtola ad monialem quamdam Florentinam, Vitæ ab ipſo præfixa, tum ex hiſce verbis,* Nella ſtamparia di Giacomo Gionti, *typis Jacobi Gionti : hanc hallucinationem obſervavi in Legenda Gallica, Pariſiis vulgata anno 1687 cum hoc titulo :* Flores Vitæ Sanctorum.... Hiſpanicè conſcripti à R. P. Ribadineira Societatis Jeſu, Gallicè redditi à Renato Gautier *&c., ubi in Vita* S. Catharinæ *noſtræ ita legitur :* Illius (*Sanctæ noſtræ*) Vita Italicè conſcripta fuit à doctore Jacobo Giunti;
C *ſed error hic ex jam dictis, ac vel maximè ex memoratis antiquioribus anni 1551 exemplaribus planè corruit.*

Italicæ recenſentur.

11 *Florentinorum in Sanctam pietatem ac veneration em æmulati ſunt Veneti, apud quos ter excuſa fuit ejus Vita, primùm anno 1590, ac deinde annis 1601 & 1615 : priorem editionem adornavit Joannes Baptiſta Bonradinus, poſtremam Jacobus Sarzina, ut conſtat ex utriuſque editionis exemplari, quod penes me habeo: in utroque deeſt Tractatus de Purgatorio, quem in editionibus Genuenſi ac Florentinis legi tradit Parpera : harum verò editionum exemplar nullum nactus ſum, ſicut nec Neapolitanæ, teſte Parpera, juxtæ Florentinum exemplar vulgatæ anno 1645, ſed nec Genuenſem, eodem teſte, juxta primum anni 1551 exemplar recuſam anno 1667, Vitam obtinui. Marianus Grimaldus in Sanctuario Genuenſi, quod prodiit Genuæ anno 1613 typis Joſephi Pavoni,* S. Catharinæ *Vitam in compendium redegit, quod Parpera in ſæpe laudata Epiſtola aſſerit ab illuſtriſſimo D. Bartholomæo Imperiali elegantiùs concinnatum recuſamque fuiſſe Genuæ anno 1640.*

12 *Non hæſit in ſola Italia populorum ſtudium erga* S. Catharinam, *ſed ad nationes alias procul diſſitas extenſum eſt. Vitam & geminum Sanctæ Opus in Gallicam linguam verterunt, excuderuntque Lutetiæ Pariſiorum anno 1598 Carthuſiæ Burgi-Fontanæ patres, teſte Parpera aliiſque, quæ deinde, creſcente fidelium pietate, eodem idiomate & iiſdem typis Pariſinis recuſa ſunt ſæpiùs, item Lugduni anno 1610, & Duaci in Belgio anno 1599 Gallicè prodierunt : Duacenæ hujus editionis exemplar habeo. In Hiſpanum ſermonem tranſtulit & Ulyſſippone edidit Thomas de Freitas anno 1647, hoc præfixo titulo Hiſpanico :* Stupenda prodigia altiſſimæ perfectionis in admirabili Vita inſignis matronæ B. Catharinæ Adurnæ cum ejus Dialogo. *Vitam & geminum Sanctæ Tractatum Latinitate donavit Mathias Thanner Carthuſiæ Friburgenſis alumnus vulgavitque Friburgi Briſgoiæ typis Theodori Meyeri anno 1626, præmiſſa explicatione difficilium quorumdam locorum : editione hac Latina per decurſum hujus Commentarii utar, utpote de qua Parpera in litteris ad Papebrochium datis* XXVIII *Novembris anni 1675 ſcribit;* Quam benignè ad nos miſiſtis, Latinè edita Vita B. Catharinæ Genuenſis, ad ve- E
tuſtiſſimum manuſcriptum emendata, ac pluribus etiam ſeparatim aucta continet omnia, quæ deſiderari videntur à vobis tam proceſſibus... quàm aliis ſcripturis ac auctoribus contenta, uti videre poteritis ex incluſo indice.

Schema operis cujuſdam, quod nacti non ſumus.

13 *Index ille inter Muſei noſtri notitias ſervatus exhibet ſchema operis in quatuor partes diſtributi, quarum prima octo capita continet, quorum titulos in pauca contractos hîc ſubdo : capite* 1 *datur Beatæ delineatio, ſecundo encomia ſanctitatis ac doctrinæ, tertio compendium chronologicum hiſtoriæ ab ortu* B. Catharinæ *uſque ad annum 1675, quarto explicatio totidem ferè quæſtionum quot verborum Beatæ, quinto explicantur verba quædam, Beatæ revelata ad vitæ ſuæ ordinationem. Caput ſextum indicem rerum notabilium, quas verbo vel exemplo docuit, ſeptimum doctrinæ ejus canonicum examen & Apoſtolicam approbationem, octavum verò examen illius ſcholaſticum complectitur. Pars altera Vitam exhibet* 12 *capitibus enarratam, tertia Tractatum de Purgatorio in* 17 *capita diviſum, quarta autem Dialogum in tres libros & librum quemque in capita diſtinctum, ſervato tamen veteri textu.* F
In laudata epiſtola Papebrochio geminum Operis hujus exemplar pollicitus eſt Parpera : verùm ſeu, mutato conſilio, prelo non ſubjecerit Opus illud, ſeu aliunde impeditus fuerit præſtare promiſſa, nullum exſtat in Muſeo noſtro.

Tres Hyacinthi Parperæ de Sancta lucubrationes.

14 *Jacturam hanc ſupplevit ſæpiùs laudatus ac laudandus Hyacinthus Parpera, Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii presbyter, editâ Genua anno 1681 typis Joſephi Bottari Vitâ* S. Catharinæ, *ſecundùm antiquiora & authentica exemplaria emendatâ, obſervationibuſque illuſtratâ, cum gemino Sanctæ Tractatu : Operi huic ſubjecit aliud, titulumque ei fecit,* B. Catharina Genuenſis illuſtrata : *Opus illud iiſdem typis, ſed anno tantùm 1682 vulgatum, diſtinxit in tres partes, quarum prima complectitur Encomia ſanctitatis & doctrinæ* B. Catharinæ, *altera indicem documentorum ſpiritualium ejuſdem Beatæ, tertia verò expoſitionem plurium verborum peculiarium. Utrique huic lucubrationi eodem anno 1682, eodem, quo duæ aliæ, Italico idiomate idem Parpera adjunxit Opus aliud, Genuæ impreſſum apud Antonium Caſamaram, comple-*

AUCTORE U. S.

Variæ Vitæ in linguas alias translationes.

AUCTORE U. S.

ctens Vitam Sanctæ admirabilem observatosque in ea varios successus animæ statum concernentes.

Acta, cæteris prætermissis, quæ, & unde hic danda.

15 *In epistola utrique vetustiori editioni Italicæ, quam habeo, præfixa pius lector monetur, nonnulla reperiri in Vita non satis ordine digesta ac interdum repetita: & sanè tot occurrunt capita, quibus enarrantur documenta Beatæ, tam crebrò repetita illius ad perfectionis statum exhortationes, ut ex hac parte magis libri cujusdam pietatem docentis, quàm historiæ Vitæ nomen habere debeat: cùm autem instituti nostri non sit Sanctorum doctrinam & lucubrationes edere, sed ea dumtaxat ex iis delibare, quæ ad ampliorem eorum gestorum notitiam conducunt, nullam ex memoratis hactenus Vitis integram recudendam censui. Itaque illarum loco post Commentarium subdam ex Italico Latinè redditam, brevius descriptum acceptamque ex processibus pro canonizatione institutis, quam auctor anonymus Romæ vulgavit anno 1737: in hac Vita nihil ferè gestorum Sanctæ, in prolixioribus Vitis contentorum, desideratur: in gratiam tamen lectoris nonnulla Commentario huic inseram, ex quibus enarratæ brevius in Vita infrà danda Sanctæ virtutes ampliùs innotescant, cùm*

B *ex prolixioribus Vitis ac Parperæ lucubrationibus tum ex ipsis Sanctæ Operibus: Vitæ autem, pro more nostro Annotatis illustratæ, subjiciam Sanctæ Gloriam posthumam collectam ex Parpera, instrumentisque canonizationis, quæ ad manus nostras devenerunt.*

§ II. Expenditur severior Bailleti censura de Vita Sanctæ: encomia aliquot de ejus sanctitate & doctrina: brevis Operum Sanctæ notitia.

Bailletus Vitam Sanctæ erroribus recentium mysticorum

EX *dictis num.* 3 *&* 4 *satis constat de integritate & fide biographorum Sanctæ nostræ, neque hîc quidquam addendum credidissem, nisi denuo, uti etiam infrà crebrius, discutienda esset justo severior Bailleti censura, qui in antè memorata Tabula critica ita pronunciat Gallicè:*

C Opus illud (*Vita* S. Catharinæ) etiam fortasse meliùs auctorum interpretumque ejus, quàm ipsius Catharinæ genium indicat, & negari non potest, illud plus æquo favere recentibus mysticis, quos quietistas vocant *&c. Non satis liquet, itane statuat Bailletus de omni editione, an verò de sola ista, quam accuravit anno 1661 Joannes Desmarestus: verùm quomodocumque demum Desmarestus animo affectus fuerit, propensusne in errores ab Ecclesia post damnatos, nec ne, quod hîc non inquiro, credibile non est, illum, ubi toties eo seculo Parisiis recusa fuit Sanctæ Vita, textum notabiliter ausum fuisse adulterare, adeóque existimo, Bailletum ita de Sanctæ Vita universim & quoad editiones omnes statuisse. Utinam severus ille Aristarchus, cui tam familiare est censuram ferre, nullam tamen ejus rationem adducere, hîc vel expressisset ea, quæ erroribus hisce tam putavit affinia, vel paulò attentiùs legisset monitum ad lectorem, versioni Gallicæ à Carthusiæ Burgi-Fontanæ alumnis præfixum, ubi inter alia rogant, ut, si quis omnia, Vitâ & Operibus Sanctæ contenta, non satis assequatur, tamen ne malè his utatur, sed potiùs cum Hebræis ad radicem montis sub-*

sistat, quàm judicium ferat de illis, quæ Deum inter ac Moysem in montis vertice tractabantur. Notandum interim, Bailletum in Tabula critica consulere, ut legantur Catharinæ *Opera, ac maximè Dialogus de amore, ut illius ope explicentur nonnulla, quæ in Vita paradoxi speciem præferunt: sed advertendum, biographos, dum doctrinam aliquam tradunt, non suis, sed Sanctæ verbis loqui, ut satis innuunt, dicentes:* Affirmavit, dixit hæc sancta Domina *&c.* D

affinem censens, ex gravissimis testimoniis

17 *Porrò licèt singula, in quæ Bailletus crisim suam exacuit in Sanctæ Vita compendio data, suis locis expendenda sint per decursum hujus Commentarii, juverit nihilominùs nonnulla hîc prælibare ex virorum gravissimorum testimoniis. Hieronymus de Genua Ordinis Prædicatorum, Apostolicus in tota Genuensi ditione inquisitor, priorem anni* 1551 *editionem his verbis probavit:* Assentio hunc librum pro spiritualium consolatione & eruditione posse impressioni tradi. *Parisini doctores, editionem Gallicam probantes, nil Orthodoxæ fidei contrarium repererunt, sed* Ad ædificationem & eruditionem eorum, qui in vita spirituali progressum fecerunt, *luce dignam censuerunt. Ludovicus Venegas, Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ* E *magister, in approbatione editionis Latinæ sic loquitur:* Licèt multa invenerim, quæ theologis primo aspectu dura videbuntur, nulla tamen reperi, quæ sanum sensum non admittant, ac in legentium utilitatem & spiritualem profectum converti nequeant. Judicio ergò nostro aureus hic libellus in lucem prodeat *&c.*

& sacræ Rituum Congregationis,

18 *Sufficere quidem hæc videri possent ad amovendam omnem à Sanctæ Vita suspicionem affinitatis cum erroribus proscriptis, verùm argumentum validius hîc quoque æquo lectori non ingratum fore arbitror. Sacra Rituum congregatio pro more in causis beatificationis & canonizationis constanter servato, examen doctrinæ* S. Catharinæ *Eminentissimo Cardinali Azzolino commisit, is verò curam hanc demandavit Martino Esparsæ, ejusdem Congregationis consultori, qui laudato Eminentissimo in hæc verba rescripsit, quæ, cùm Latinam Esparsæ epistolam non habeam, ex Italica Parperæ versione, part.* 1, *cap.* XI B. Catharinæ illustratæ *Latina facio.* Jussu Eminentiæ vestræ legi & accuratè examinavi duos Tractatus B. Catharinæ Fliscæ Adurnæ, alterum de Purgatorio, alterum Dialogum animam inter & corpus, nec in his aliquid minima in parte vel sanæ doctrinæ vel morum integritati contrarium reperi, vel quod non tam cum hac quàm cum illa optimè congruat: & quamvis in his nonnulla inveniantur, quæ juxta litteralem loquendi & ordinarium agendi modum dissona videri possint, quale est id quod legitur paginâ CCLXVIII in medio de contritione non acceptata & infructuosa pœnitentia: si tamen tum contextum proximè antecedentem & consequentem, tum peculiariter scopum totius sermonis, qui ex hac & illa parte quàm longissimè & ultra modum communem sublimis est, uti & obscuritatem verborum rerumque quæ personis contemplationi deditis, veluti Dionysio, Augustino, Brigidæ, Teresæ aliisque divinitus illustratis familiaria sunt, & clarissima, probè consideremus & maturè expendamus, dilucidè apparet, rem omnem intaminatam esse ac maximè salutarem, eamque aliqualem contrariam apparentiam niti dumtaxat profunditate doctrinæ, omnino seraphicæ, cui accedit legentis ignorantia & defectus experientiæ, animusque mysticorum & anagogicorum sensuum inexpertus. F

19 Id

AUCTORE U. S.

A

doctrinam probantis, Sedisque

19 Id ipsum affirmo de cæleſtibus axiomatis, Hiſtoriæ Vitæ hujus Dei Famulæ intermixtis, atque inſuper addo, non modò in prædictis Tractatibus & axiomatis nihil eſſe, quod impedire & retardare poſſit definitivam declarationem ſanctitatis venerabilis hujus Dei Famulæ, ſed ipſius potiùs æſtimationem ex his maximè augeri: cùm non uno indicio perſpicuè agnoſcatur, doctrinam, quæ partim verbis, partim opere traditur, quæque feliciſſimè pertingit ad ſupremum gradum & culmen vitæ unitivæ heroïcique amoris Dei, quo ipſe animæ infunditur, nec ſermone nec diſciplinâ humanâ, ſive auditu ſive lectu, comparatam eſſe, ſed experimento hauſta cognitione infuſam impreſſamque fuiſſe animæ iſti à Spiritu ſancto cum maximè ſingulari & arcana illuſtratione. Porrò talis experimento hauſta notitia rerumque talium & à tali magiſterio Spiritus ſancti profecta cadere nequit in animam, quæ non ſit apprimè purgata omni vitio omnique nævo imperfectionis atque omni tepore, quæque ad medullas uſque non ſit accenſa ardentiſſimâ divini amoris flammâ. Quapropter (etſi probationes omnes aliæ deficerent) duo iſti Tractatus & axiomata illa ſe ſolis efficaciſſimum ſunt argumentum ſanctitatis in hac Dei Famula omnino heroïcæ, quæque communem uſum quàm longiſſimè ſupergreſſa eſt *&c.*

B

Apoſtolicæ judicio

20 *Fortè non nemo contra Eſparſæ teſtimonium excipiet, utpote quem aliqui (jure an injuria non eſt hujus loci indagare) Michaëli de Molinos addictiorem fuiſſe aſſerunt, nondum fortè detectâ veteratoris malitiâ, religionis ac pietatis ſpecie velatâ. Verùm ita ſtatui non poteſt de ſacra Rituum Congregatione, quæ, ut refert Parpera* B. Catharinæ illuſtratæ *part.* 1, *cap.* XI, *num.* 5, *die* XXX *Martii anni* 1675 *decretum edidit in cauſa Sanctæ noſtræ, quo cenſuit conſtare de caſu excepto: in hoc decreto ad rem noſtram hæc leguntur:* Eadem ſacra Congregatio (audita priùs relatione Eminentiſſimi ponentis Operum dictæ Beatæ, illiſque approbatis) *&c.; non ita ſtatui poteſt de Clemente X, qui decreto iſti annuit die* VI *Aprilis ejuſdem anni, ut iterum apud Parperam loco jam jam laudato lego: obſerva tamen lector, in ſcripto, cui titulus,* Factum concordatum, *Clementi XII oblato ab Eminentiſſimo Georgio Spinula, ita legi:* Verùm, cùm habita fuerit notitia nonnullorum Operum à B. Catharina conſcriptorum,

C

fuit à ſacra Congregatione die XIII Junii MDCLXXVI commiſſa eorum reviſio prædicto Cardinali Azzolino, ad cujus relationem die XIV Junii MDCLXXXIII prodiit eorum approbatio, *adeóque juxta hunc calculum doctrina Sanctæ approbata fuit ſub Pontificatu Innocentii XI, qui Clementi X in Romanam Cathedram ſucceſſit anno* 1676, *quique errores Michaëlis de Molinos anno* 1687 *proſcripſit.*

refellitur.

21 *Ex quibus omnibus, fortè prolixiùs, quàm nonnulli neceſſe videbitur, diſputatis planè manifeſtum evadit ab hiſce erroribus omninò immunem eſſe doctrinam* S. Catharinæ, *etiam in Vita traditam. Unde, ſi rectè & ſincerè procedere voluiſſet Bailletus, ita argumentatus fuiſſet: licèt fortè non nulla in Vita legantur, quæ à contextu rerumque adjunctis avulſa ſectatoribus Michaëlis de Molinos argumenta præbere poſſint, quibus Catholicos impetant, non tamen conſequens eſt, ut doctrina illa revera faveat hæreticis; ſicut nec ſequitur, Janſenianis aliiſque id genus hominibus favere S. Auguſtinum aliоſve Patres, licèt hi obſcuriora ſancti Doctoris hujus aliorumque verba in pravum ſenſum detorqueant: quia ſicut hi Patres ſecuriùs loquebantur, nondum natis hiſce hæreticis, ita & Sancta ejuſque biographi, nondum exorta hæreſi Michaëlis de Molinos.*

De inſigni Catharinæ doctrina

22 *Atque hæc de Sanctæ doctrina diſputata ſufficiant, plura qui deſiderat, Parperam adeat, qui part.* 1 B. Catharinæ illuſtratæ *multa congerit plurimorum ſcriptorum elogia, è quibus tamen nonnullos hîc recenſere non abs re erit. Monitum tamen lectorem volo, ſcriptorum illorum maximam partem ad manus noſtras non deveniſſe, adeóque pleraque hîc danda eſſe juxta fidem Parperæ laudato loco. Capite* 5 *epiſcopos aliquot recenſet & primo quidem loco Auguſtinum Juſtinianum, cujus verba dedi num.* 2 *&* 3. *Franciſcus Gonzaga generalis Minorum Obſervantium S. Franciſci, ac dein epiſcopus Mantuanus Divam noſtram collaudat ab aſſiduitate contemplandi cæleſtia, à caritate, tolerantia animique demiſſione. Joannes Petrus Camus Bellovacenſis epiſcopus, S. Franciſci Saleſii æqualis & familiaris, Tractatum de Purgatorio, à* S. Catharina *conſcriptum, appellat Opus in ea materia excellentiſſimum, eamque Beatæ titulo condecorat, ac veluti magiſtram prædicat.*

D

E

eximiiſque virtutibus, epiſcoporum,

23 *Prætermiſſis aliis, unum addo teſtimonium Harduini Perefixi archiepiſcopi Pariſienſis, qui in Monito ad lectorem, præfixo Operi Gallico de Pietate Chriſtianorum erga vitâ functos, honorificentiſſimè loquitur de Sancta: religioſiſſimi hujus archipræſulis, cujus inſignia decora legi poſſunt tom.* 7 *Galliæ Chriſtianæ recuſæ, pag.* 181 *& ſeqq., verba ex Italico Parperæ Latinè reddo: de nova interpretatione Tractatûs* S. Catharinæ *de Purgatorio ita loquitur.* Rara eſt effuſio ſpiritûs Dei in hanc Animam tam puram & amore flagrantem, ac monumentum admirabile ſolicitudinis Dei in regenda Eccleſia ſua.... Cùm enim prævidiſſet à Lutheri Calviniquæ hæreſi impetendam doctrinam de purgatorio & ſuffragiis mortuorum... arcana ſublimiſſimarum veritatum revelavit Matronæ virtute ac ſanctitate extraordinaria præditæ, quam ad id inter omnes iſtius ſeculi mortales elegit.... ad propugnandum adversùs hæreticos fidei veritatem... & Catholicos inſtruendum... Methodus, quâ ſcripſit, tam Dei majeſtate ac religionis noſtræ excellitate digna eſt, ut fieri nequeat, quin legentes Tractatum hunc admirentur providentiam illius, cui placet arcana ſua celare ſapientes & prudentes ſeculi, eaque humilibus manifeſtat, ac nonnumquam debiliorem ſexum elevat ad cognitionem veritatum altiſſimarum *&c. Addit in fine:* Atque ad oſtendendum conformitatem ſenſuum inſignis hujus Beatæ cum ſententiis Patrum, paucis verbis refertur id, quod locis aliquot Operum ſuorum de purgatorio tradidit S. Bernardus.

F

ac S. R. E. Cardinalium encomia.

24 *Ab epiſcopis tranſeo cum Parpera ad viros Romanâ purpurâ inſignitos: quatuor is recenſet Eminentiſſimos, de* S. Catharina *locutos multa cum laude, Robertum ſcilicet Bellarminum, Petrum Berullum, Federicum Boromæum & Joannem Bona: Bellarminum ait aſſeruiſſe, debere Genuenſes illius canonizationem promovere ac ſumptuoſiſſimum illi templum erigere, teſtemque laudat Parpera Sebaſtianum Badum lib.* 4, *addito Vitæ, typis Genuenſibus editæ, anno* 1667: *honorificè etiam Sanctæ meminit idem Bellarminus in Præfatione ad librum* de Arte benè moriendi. *Eminentiſſimus verò Berullus Ordini, quem inſtituit, & virginibus Excalceatis Ordinis Carmelitici, quarum tutelam ſuſceperat, commendabat ſummopere pietatem erga* B. Catharinam *Genuenſem,*

AUCTORE U. S.

sem, cujus imaginem penes se semper habebat, nec satis poterat amorem erga Deum admirari. Ita apud Parperam testatur Germanus Abertus lib. 3 Vitæ Eminentissimi Berulli cap. 5. Omitto reliquos, uti & sanctioris vitæ famâ conspicuas utriusque sexus personas, quas non semel laudatæ partis 1, cap. 7 recensèt Parpera.

Quanti Catharinam fecerint Sancti aliquot,

25 *Caput 8 ejusdem Operis titulum hunc præfert:* Encomia Catharinæ impensa à Sanctis & Beatis; *post brevem verò, uti & præcedentibus capitibus, præfationem multa congerit testimonia ex Operibus S. Francisci Salesii episcopi & principis Gebennensis, cujus suffragium plurimorum instar censendum est: at ne longior hîc sim, pauca hæc potiùs ex Parperæ ad Papebrochium epistola delibo:* Dicitur *(Sancta)* cherubim, seraphim, phœnix & avis paradisi à divo Salesio: *idem Sanctus confert* Catharinam *S. Mariæ Magdalenæ & S. Paulo in conversione, eamque jungit ob puritatem amoris in Deum aliasque dotes SS. Paulo, Augustino, Bernardo, Francisco, Teresiæ, Catharinæ Senensi aliisque. S. Francisco Salesio subjungit Parpera S. Aloysium Gonzagam,*

B *qui, teste Virgilio Cepario in Vita apud nos tom. IV Junii, pag. 1006, num. 243, mirificè afficiebatur ergà Vitam* S. Catharinæ, *eique volutandæ tempus aliquod diebus singulis præfiniverat. Sanctus quoque Andreas Avellinus clericus Regularis cap. 8, num. 15 in epistola quadam sua, relata à Carolo Tomaso tom. 7 de Consideratione Passionis Dominicæ, licèt* Catharinam *expressè non nominet, manifestè tamen de ipsa loquitur, referens verba ejus, desumpta ex Vita prolixiore cap. 3 circa medium,* Ah! citò citò transmitte *(sacram Eucharistiam)* in intimum cordis mei, quoniam cibus ipsius est: *atque ita celebrat Sanctæ amorem erga sanctissimum Sacramentum, eamque appellat* insignem Sanctam.

& B. Bernardinus Feltrensis, aliique.

26 *Quanti faceret* S. Catharinam *B. Bernardinus Feltrensis, illius æqualis, luculenter ostendit; nam cùm, teste Parpera num. 14, Genuæ sacras conciones habens anno 1494 convertisset Hebræam quamdam, recenter ex Hispaniis advectam, non aliam ei magistram assignare voluit, ut in fide confirmaretur moresque ex Christianæ religionis instituto disceret componere, quàm* S. Catharinam. *Bernardino titulum Beati rectè*

C *tribui à Parpera indubitatum est, cùm immemorabilis illius cultus anno 1654 legitimus probatus fuerit post sacræ rituum Congregationis examen ab innocentio X, ut videre est apud Prosperum Lambertinum, nunc Benedictum XIV, Pontificem verè Maximum, lib. 2 præclarissimi Operis de Beatificatione & Canonizatione, cap. 24, § 5: non ita statuendum de Angelo de Clavasio, cui titulum Beati tradit Parpera, verisimiliter ad id inductus auctoritate Arturi in Martyrologio Franciscano, ac fortè aliorum: verùm observant Majores nostri in Prætermissis ad diem XI Aprilis, id auctoritate Arturi, non Ecclesiæ fieri. Angelum autem ex multis probabilibus conjecturis ait Parpera num. 13, fuisse religiosum illum, qui in Vita infrà danda num. 51 dicitur improbâsse quotidianam Eucharistiæ sumptionem, deinde verò, agnito in ipsa spiritu bono, permisisse, animi ductum ut sequeretur.*

Encomia alia hic omissa.

27 *Auctoribus aliis cujuscumque nationis & ordinis magno numero recensendis supersedeo, ne coacervando testimonia plura in idem sæpe recidentia, tædiosam magis quàm utilem reddam hujus Commentarii lectionem: ea verò, ex quibus Historiæ* S. Catharinæ *lucis aliquid affulgere possit, dabo per decursum, ex ipsis scriptoribus, si nactus fuero; sin minùs, juxta fidem Parperæ.* D *Encomium verò quod velut à Clemente IX (imò X) enunciatum tradit Parpera cap. 12, dari poterit, si videbitur, in Gloria posthuma. Prudens etiam omitto encomia divina de* Catharina, *quæ complectitur Parpera cap. 12 ejusdem 1 partis* B. Catharinæ illustratæ, *quæque in eo potissimùm consistunt, ut sacrarum Scripturarum textus aliquot applicentur vel gestis quibusdam Sanctæ egregiis, vel inflammato ejus amori, vel corporis post mortem integritati, vel doctrinæ: eorum quippe pars certè maxima de aliis Sanctis æquè ac de Diva nostra exponi potest, quibus hi aut similes favores divini communes cum illa fuerunt.*

Brevis Operum Sanctæ.

28 *Hisce brevem subnecto ideam Operum Sanctæ. Dialogus ejus animam inter & corpus, amorem proprium, spiritum, humanitatem ac Deum partes tres complectitur; pars quæque recenter, ut habet editio Gallica, & Italica Parperæ, in capita aliquot divisa est. Pars prior capita unum & viginti, altera undecim, tertia verò quatuor supra decem continet. Pactione inita quærendi locum aliquem ubi amori & delectationi suæ indulgere possint, assumptoque comite* E *individuo ad dirimendum obventuras lites amore proprio, anima & corpus iter ingrediuntur. Anima ingenti fervore sola cælestia appetit, sed à corpore ac amore proprio sub necessitatis specie seducta, paulatim mundanis illecebris implicatur, easque sectari incipit: at deinde perfectè ad Deum convertitur, & austeris pœnitentiæ operibus totam se applicat: atque hæc in prima Dialogi parte tractantur. Pars altera describit insignes in virtutum stadio progressus, modosque admirabiles, quibus utitur divinus Amor ad exspoliandum nævis omnibus imò & seipsis animas sibi devotas. Tertia divini amoris stupendos effectus describit, quales ipsamet in se experta est: ex singulis nonnulla per decursum delibabimus.*

idea proponitur.

29 *Tractatus de Purgatorio multis laudibus celebratus à viris gravissimis, teste apud Parperam Perefixo, exprimit* Statum in quo degunt animæ, quæ patiuntur in purgatorio, quæque in se ipsis cùm amori, quem tempore mortis in se deprehenderunt, admixta esset tenuis quædam macula, usque dum eam igne hoc purificante deleverint, gaudium cruciatibus copulant. *Audiantur & Carthusiæ Burgi-Fontanæ alumni, qui* F *de Tractatu isto inter alia hæc habent in præfatione:* E duobus, quæ fides communis & universalis docet, in piaculari igne esse conjuncta, amorem scilicet & pœnam, hanc tacet, veluti magis communem & necessariam mentibus infirmis & imperfectis, illumque tantùm considerat, cùm maximè stupendorum illius effectuum consecutione. *Paucis verbis Tractatus hujus materiam ita exprimit Parpera:* Ut ex comparatione divini ignis, quem in se experiebatur, intellexerit, qualis sit ignis piacularis, & qua ratione animæ in eo degant contentæ & cruciatæ, *sive, ut Bailletus post Vitam Sanctæ exponit, piacularis ignis naturam intellexit ex igne divini amoris, quo flagrabat, & ab omni nævo purgabatur: ac veluti ipsa in hoc suo purgatorio, amori suo Deo perfectè conjuncta, vivebat contenta inter pœnas etiam gravissimas, eodem modo cum animabus, peccati labem in purgante igne absterg entibus, fieri comprehendebat. Lectorem interim monitum volo, ubi quid ex Dialogo vel Tractatu de Purgatorio referam, usurum me interpretatione Thanneri, citaturum autem locum, è quo verba desumpsero, juxta Parperæ in capita, distin-*

A *ſtinctionem cujuſque libri; nec Thanneri interpretationem tum hic tum in Vita mutabo, niſi cùm id expedire viſum fuerit, tumque id ſemper indicabo.*

§ III. Illuſtriſſimi Sanctæ natales; parentes; educatio; virtutes & donum orationis in tenera ætate: deſiderium induendi habitum religioſum.

Illuſtriſſima Sanctæ familia,

PRæmiſſâ hactenus notitiâ biographorum Sanctæ & allatis aliquot magni nominis auctorum encomiis, aſſignatiſque inſtrumentis, è quibus commentarius hic coaleſcet, ad ejus hiſtoriam propiùs accedamus. *Ex illuſtriſſima Fliſcorum*

B *familia ortum duxit* Catharina, *unde ipſi* Fliſcæ *cognomen adhæſit. Hæc autem Fliſcorum familia, vetuſto Lavaniæ comitum titulo inſignis, generis ſplendore, ſtirpis antiquitate, & heroum, omnibus laudibus cumulatiſſimorum numero, quos multis jam continenter ſeculis procreavit, excellit adeò, ut nullis Liguriæ proceribus ſit ſecunda; imò, ſi Uberto Folietæ, in clarorum Ligurum Elogiis pag.* 168, *credimus*, Ut dignitate, ita tempore quoque ceteras Genuenſes longè antecedit. *Præter viros complures, rebus bello ac pace præclarè geſtis, obitiſque ſupremis magiſtratibus inclytos, nobiliſſima hæc familia in faſtis ſuis læta recognoſcit duos ſummos Pontifices Innocentium IV & Adrianum V, Eminentiſſimos Cardinales quàm plurimos & ingentem præſulum eccleſiaſticorum numerum. Auguſtinus Juſtinianus ſuprà laudatus Annalium Genuenſium lib.* 3 *ad annum Chriſti* 1247 *Fliſci nominis exordia adſcribit Hugoni Fliſco, Lavaniæ comitum ſanguine prognato, aliis, ut idem annaliſta ibidem teſtatur, Fliſcorum originem referentibus ad ſereniſſimos Bavariæ principes & redempti orbis ſeculum* XI *ac fortè anteriora etiam tempora: utut*

C *ſit, quoniam inſtituti noſtri non eſt ſimilibus diutiùs immorari, hæc dicta ſufficiant; ceterùm genealogos adeat, qui vera Fliſcorum initia ac cetera eorum decora nôſſe deſiderat.*

Parentes.

31 *Patrem nacta eſt* S. Catharina *Jacobum Fliſcum, qui genus duxerat ex Roberto, fratre felicis memoriæ Innocentii IV Pontificis: ita teſtantur omnes Sanctæ biographi, tum antiqui tum recentiores, qui etiam Jacobum regni Neapolitani proregem fuiſſe in eaque dignitate diem extremum obiiſſe aſſerunt: perperam tamen eum honoris gradum collatum tradunt à Rainerio, cùm ſcribendum ſit Renato, Andegavenſi ſcilicet, quem eo ſeculo, poſt deceſſum reginæ Joannæ, pro obtinendo regno Neapolitano contendiſſe cum Alphonſo Aragonum rege certum eſt: animadvertit id Parpera, qui, cùm in Vita Sanctæ, edita anno* 1681 Rainerium *ſcripſiſſet, in altera, anno inſequente vulgata,* Renatum *Andegavenſem appellavit eum, cujus in regno Neapolitano vicarius inſtitutus fuit* S. Catharinæ *parens. Matrem habuit Sancta Franciſcam, filiam Sigiſmundi de Nigro, quæ familia eſt inter celebriores Genuenſes antiqua clariſſimaque.*

32 *Annum, quo vitalem lucem hauſit ſanctiſſima Vidua noſtra, ſignavit Parpera in utraque Vita jamjam laudata* 1447, *menſem verò & diem, quo primum beata illa Anima mundo data eſt, nullibi annotatum reperio: cùm tamen tam Lectio tertia Officii ipſius proprii, quàm Clemens XII in Bulla canonizationis ſupremam illius ætatem ſtatuant annorum trium & ſexaginta, veriſimile eſt, beatum natalem illigandum alicui è tribus poſterioribus menſibus anni* 1447, *aut ſaltem poſt diem* XV *Septembris, quo felicem* Catharinæ *ad Superos tranſitum contigiſſe infrà videbimus, ſtatuendum eſſe, ne, ſi dictum diem* XV *præceſſerit, in rigore loquendo, jam non ſexageſimo tertio, ſed ſexageſimo quarto ætatis anno dicenda ſit obiiſſe. At ſimiles expreſſiones cum patiantur latitudinem aliquam, negligique potuerit menſis unus aut alter ſexaginta tribus annis completis ſuperfluus, certi nil determinari poteſt, neque enim inſtrumentum ullum, ex quo annum natalem hauſerit, laudat Parperà, ſique ſolo nitatur argumento ab ætate ſexaginta trium annorum deſumpto, nil ampliùs pro anno* 1447, *quàm* 1448, *etiam aliquot menſibus inchoato, confici poſſe, obſervanti manifeſtum eſt: cùm tamen & Clemens XII in* E *Bulla canonizationis & Parpera, qui profitetur, inſtrumenta omnia antiqua ſcrutatum ſe fuiſſe, natalem Sanctæ illigent anno* 1447, *pro eo hactenus ſtandum eſt.*

Genuæ nata, in Baptiſmo Catharina appellatur.

33 *Locum nativitatis in Vita, anno* 1682 *edita, expreſſit Parpera, eam aſſerens luci datam in paterna domo, ſita vico ſeu platea, cui à filo nomen eſt: ibidem etiam tradit, ſacro fonte ablutam fuiſſe in eccleſia metropolitana Genuenſi, S. Laurentio ſacra, eique impoſitum* Catharinæ *nomen, fortè, inquit, ob florentem eo tempore famam S. Catharinæ Senenſis, cujus ſanctimoniam aſſecutura præſagiebatur, vel in venerationem S. Catharinæ martyris, eo quod ſicut ipſa philoſophiæ peritiſſima & ob tyranni ſævitiem martyr fuerat corpore, ita* Catharina *noſtra myſticæ Theologiæ ſcientiſſima futura erat & præ divini amoris vehementia martyrium in corde ſubitura. Verùm conjecturis hiſce, utcumque ingeniosè excogitatis, parùm admodùm roboris ineſſe, quis non videat, cùm perſpectiſſimum nulli non ſit, imponendi nominis alicujus cauſas penè innumeras afferri poſſe: itaque ne merito otioſus videar, ſilentibus de cauſa nominis impoſiti biographis Sanctæ æqualibus,* F *hiſce immorari ſupervacaneum arbitror. Addit ibidem Parpera,* S. Catharinam *tum ob teneram ætatem, tum juxta conſuetudinem Genuenſium diminutivo nomine* Catharinetam *appellatam fuiſſe, quod vocabulum uſque nunc retinent ſcriptores aliqui.*

Fratres ejus & ſoror; educatio.

34 *Sæpe jam laudatus Parpera tres Sanctæ fratres tribuit, Jacobum, Joannem & Laurentium, ſororem unam, Limbaniam nomine. Fueritne* Catharina *omnium natu minima, incompertum mihi eſt: hoc ex omnibus ejus biographis certum eſt, fuiſſe ætate inferiorem ſorore ſua Limbania, quæ jam monialem profeſſa erat, cùm* Catharina, *annos* 13 *nata, regulare inſtitutum apud ſanctimoniales S. Mariæ Gratiarum amplecti irrito conatu deſideravit. Hiſce Parpera in poſteriore lucubratione ſua cap.* 2 & 3 *multa ſubnectit de* Catharinæ *educatione, quæ documenta, ex Scripturis auctoribuſque deſumpta, apta magis ſunt parentes exſtimulare ad rectam liberorum inſtitutionem, quàm certos nos reddere de norma in* Catharinæ *educatione à progenitoribus ſervata, licèt minimè inficiari velim, eos modis omnibus huic ad*

AUCTORE U. S.

Annus natalis veriſimiliter 1447.

AUCTORE U. S. *laborâſſe : ſufficiant igitur hîc pauca hæc, quæ leguntur in Vita infrà danda num.* 1 : Quæ (S. Catharina) poſtquam ſacroſancti Baptiſmatis auxilio regenerata fuiſſet gratiæ, cum omni ſolertia à progenitoribus (*quos cum Parpera cap.* 1, *num.* 5 *prudentes & verè Chriſtianos fuiſſe omnino credo*) educata fuit in ſancto timore & amore Dei.

Exterior forma corporis.

35 *Quamvis externa corporis forma ad vitæ ſanctitatem nil conferat, cùm tamen pleriſque hominibus inſita ſit quædam curioſitas, quâ deſiderant vivis depictos coloribus contemplari eos, quorum virtutes & egregias animi dotes celebrant, vel geſta lectitant, rem non ingratam lectori facturum me credidi, ſi Sanctæ effigiem pauculis verbis hîc repræſentarem, prout eam Parpera poſt diligentem, uti profitetur, inveſtigationem exhibuit in* B. Catharina illuſtrata *part.* 1, *cap.* 16 : *ad hanc deſcriptionem corporeæ* S. Catharinæ *figuræ etiam movit, quòd pro dicendis infrà viſa mihi fuerit non omninò negligenda : ita autem habet Italicè :* Catharina fuit ſtaturâ magnâ potiùs quàm mediocri, capite juſtæ ad corpus magnitudinis, facie aliquantùm oblonga, ſed egregiæ proportionis ac venuſtatis, coloris candidi & rubicundi in flore ætatis ; naſo decenter longo, oculis circum pupillas nigris, ſuperciliis ex æquo prolixis, fronte ſpatioſa : partem illius omnem natura rectè formârat : unde vultu pulcherrima apparebat oculis mundi, quemadmodùm Deo gratioſiſſimam eſſe oportebat quoad animam. Ex viſu agnoſcebatur excelſi judicii matrona, multoque ſenſu prædita, in agendo bene morata, in loquendo humaniſſima. B

Primæ virtutes in tenera ætate,

36 *Cetera, quæ ibidem congerit Parpera, omitto, id unum cum ipſo obſervo, poſtremis vitæ annis ita emacerato fuiſſe corpore, ut non niſi pelle & oſſibus id conſtare videretur, quod minimè mirabimur, ſi diuturnam tot annis inediam, de qua infrà, corporiſque afflictationes conſideremus. Quamvis autem, ut ex dictis facilè lector colliget, multa concurrerent, quæ* Catharinæ *ſubdere poterant ſtimulos ad ſectandum delicias ſeculi, nobilitas nempe generis, formæ venuſtas, paternæ domus ingentes divitiæ, delicatum corpus,* Nihilominùs, *inquit Vita à Thannero Latinè reddita cap.* 1, à teneris annis ſuperbiam, è natalium ſplendore naſcentem, calcare deliciaſque abhorrere cœpit. *Exercitas à Sancta ab octavo ætatis anno virtutes, paulò fuſiùs deſcribit Vita infrà danda num.* 2, 3 & 4, *quam propterea lector conſulat. Parpera in Vita Sanctæ, edita anno* 1682, *totis decem capitibus, à* 4 *ſcilicet ad* 14, *tenellæ Virginis virtutes latè exponit, ſeu potiùs oratoriè exornat, iiſque multa immiſcet documenta moralia : titulos ſolos refero, brevitatis ergò omiſſis verbis non neceſſariis : capiti* 4 *hic præfigitur :* Primæ virtutes Catharinæ ; *reliquis ſequentes, quos tantùm interpunctionibus diſtinguere neceſſe duxi. Quàm pacis amans & modeſta fuerit? Ejus docilitas & obedientia ; Innocentia & ſimplicitas ; Zelus erga Deum & commiſeratio erga proximum; Primæ meditationes ; Pœnitentiæ ab anno octavo ; Amor ſolitudinis & ſilentii ; Donum orationis infuſum ; Studium caſtimoniæ.* C

donum orationis infuſum :

37 *De dono orationis ipſi conceſſo ita ſcribit biographus cap.* 1 *ex interpretatione Thanneri :* Quùm eſſet annorum duodecim, Deus per gratiam ei contulit donum orationis cum mirabili affectu & devotione erga Dominum ſuum, unde præter alia complura ſancta & divina ei inſpirata novæ intimi amoris flammæ novique doloris aculei è Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti ipſi acceſſerunt. *Quantùm porrò rerum cæleſtium meditationi & contemplationi dedita fuerit, Sancta ipſa declarat in Dialogo ſuo part.* 1, *cap.* 2 *verbis ſequentibus :* Ego, quæ ſum pura & à labe peccati immunis, principium creationis meæ cum omnibus aliis beneficiis à Deo perceptis conſiderare incipiam. Hinc autem cognoſco, me conditam fuiſſe ad tam celſam beatitudinem, ac creaturam eſſe adeò nobilem & excellentem, ut pænè choros angelorum tranſcendam : video me mentem ferè divinam ac ſemper me ſentio trahi ad divina pura mente contemplanda . . . verè ſum inviſibilis : omnes igitur meas dapes & delicias in rebus conſtituo inviſibilibus, hoc enim fine condita ſum atque in illis meam invenio requiem, nulla re alia mihi opus, quàm ut iis, quæ ſupra cælos ſunt, me paſcam, reliqua omnia pedibus conculcem. Quapropter totam hanc ſeptimanam tali impendam contemplationi, cætera nihili faciam. D

circa quod

38 *Atque hæc ætati à biographo expreſſæ congruere, conficitur ex eo, quòd ita de ſe ſcribat Sancta ſtatim ac peregrinationem cum corpore ſuſceperat, hiſce verò ſubdat impedimenta ſpiritus ſui fervori allata à corpore & amore proprio, ob quæ circa annum* 22 *ætatis ad terrena paulatim deflexit, & à perfectionis ſemita receſſit, citra tamen culpam gravem, quam eo etiam tempore numquam incurrit, ut ex teſtimonio illius, qui confitenti Sanctæ aures præbuit, ſcribit Vita infrà danda num.* 14. *Ea verò, quæ de dono orationis* Catharinæ, *duodecimum ætatis annum agenti, infuſo retulimus ex biographo num. præcedentis initio, nullatenus pugnant cum his, quæ habet eadem Vita cap.* 2 : Tum temporis in ſpiritu de oratione fuit inſtructa, *quæ referuntur ad initia converſionis* Catharinæ *ad vitam perfectiorem, adeóque ſpectant ad annum ætatis ejus circiter vigeſimum ſeptimum, Chriſti verò* 1474. *Non pugnant, inquam, non enim addit, tunc* primùm *edoctam fuiſſe : deinde cùm nonnihil in* Catharina *refrixiſſet caritas, etiam donum illud orationis, quod myſtici nonnulli appellant* Deſponſationem animæ cum Deo, *ſaltem imminui oportebat : nam inter conditiones ad contemplationem infuſam requiſitas ſtatuit Proſper Lambertinus lib.* 3, *cap.* 26, *num.* 7, impulſum caritatis, *hâc autem terrenis affectibus ſopitâ, donum illud elanguit, caritate verò ad priſtinum vigorem redeunte, auxilio Dei efficaciter vocantis & adjuvantis donum illud denuo in* S. Catharina *revixit.* E F

nonnulla

39 *Ut autem pleniùs conſtet* S. Catharinam *orationis dono præditam fuiſſe, juverit nonnulla hîc recitare ex laudato Lambertino, qui lib.* 3, *cap.* 26, *num.* 9 *ita loquitur* : Examen confeſſariorum & directorum ſpiritualium, quod alibi utile diximus, in hiſce cauſis prodeſſe utique maximopere poterit, ut dignoſcatur, an Dei Servi meditationi & contemplationi vacaverint, quales fuerint ipſorum meditationes & contemplationes, qualem fructum ex eis hauſerint, an, & quæ in eis obtigerint viſiones & revelationes, de quibus ſuo loco tractabitur. Hoc ipſum haberi poterit ex ſcriptis ipſorum Dei Servorum, ſi ſuperiorum ſuorum juſſu ea ſcriptis mandaverint, quæ ad ſuas meditationes, contemplationes, viſiones & revelationes pertinent : & ex his omnibus deprehendi poterit, an fuerint aſſidui in meditando & contemplando, quomodo in diſtractionibus & ariditatibus ſe geſſerint. . . . Deſumuntur hæc omnia ex ſecunda relatione Rotæ auditorum de virtutibus S. Tereſiæ art. 21, § 1 : "Quòd ſi veli-

„mus

AUCTORE U. S.

A „ mus à teſtibus fide dignis petere, habemus i-
„ pſiuſmet Beatæ teſtimonium in iis, quæ de ſua
„ propria oratione & contemplatione divina in
„ ſuis libris ſcripta reliquit. Frequentiſſima enim
„ ejus mentis ſuſpenſio, altiſſima quies, arctiſſi-
„ ma unio, creberrimi raptus, intimæ caritatis
„ vulnera, vehementiſſimi amoris impetus, ſua-
„ viſſima Dei colloquia, tenerrima blandimenta,
„ quibus ipſius ſcripta reſperſa ſunt, ſublimitatem
„ orationis procul dubio angelicæ, atque ad a-
„ lios erudiendos abſolutiſſimam peritiam cælitus
„ infuſam facilè demonſtrant.„

40 *Qui voluerit* S. Catharinæ *ſcripta pervolvere, eaque, quæ tum huic Commentario ſtrictim inſerentur, tum quæ in Vita infrà leguntur, conſiderare, facilè perſpiciet ea, quæ de S. Tereſia teſtati ſunt Rotæ Auditores, examuſſim* Catharinæ *noſtræ congruere, adeò ut meritò dixerit Clemens XII in Bulla canonizationis:* Omnia autem puerilia oblectamenta contemnens, rigida ſilentii Cuſtos ſola oratione delectabatur: *in eadem Bulla dicitur* per altiſſimas contemplationis vias *ad cæleſtis Sponſi cubile introiiſſe* Catharina: *quo ſupremo Romani Pontificis oraculo indubia fiunt, quæ* B *de ſtudio orationis* S. Catharinæ *Marabottus illius conſcientiæ arbiter, ex ore ipſius* Catharinæ *excepta, aliique litteris conſignârunt, viri, teſte inter alios Juſtiniano, hîc laudato num.* 3, *fide digni.*

obſervantur.

41 *Orationis aſſiduæ fructus fuit deſiderium, quo circa annum ætatis decimum tertium flagravit, amplectendi inſtitutum regulare: de eo ſatis diſſeritur in Vita infrà num.* 5 *& ſeqq., ut hîc neceſſe non ſit quidquam addere, quo ardentiſſimum tenellæ Virginis votum, irrituſque conatus cognoſcatur. Cauſam, ob quam habitum religioſum induere nequiit Sancta, ita refert Vita prolixior:* Sed quùm ſtaturâ valdè puſilla eſſet, non eſt recepta: *ita quoque ſcribit Vita Gallicè edita, ita Bailletus: at longè veriſimilior mihi apparet ratio, ob quam admiſſa non fuerit, à biographo noſtro infrà rejecta in nimis teneram Sanctæ ætatem; eamdem cauſam refert Parpera in Vita num.* 6, *aptiúſque congruit cum dictis ſuprà ex Parpera de corporea* Catharinæ *forma: ita quoque cenſuiſſe videntur antiquiores biographi, nam in præfatione ad lectorem num.* 6 *teſtatur Parpera, textum à ſe minimè fuiſſe alteratum, ſed juxta vetuſta &* C *authentica exemplaria fuiſſe emendatum. Vox autem* piccolina, *quam habet utraque editio noſtra Italica, rectè quidem verti poteſt* parva, *ut fecerunt interpretes tam Gallici quàm Latinus, verùm nil video, quominùs etiam verti poſſit,* ætatis teneræ: *nam in Lexico Joannis Veneroni* da picciolo *vertitur* à puero, à teneris unguiculis: *fortè etiam vox* età, ætas *à biographis addita fuerit prioribus editionibus, quæ in aliis, quas viderint laudati interpretes, typothetarum incuriâ exciderit.*

Habitum religioſum fruſtrà expetit.

§ IV. Sanctæ cum Juliano Adurno conjugium: ob mariti diſſonos mores affligitur & ad res ſeculares convertitur: Sanctæ ad primum vitæ fervorem reditus.

CAtharinam *ſpe ſua obtinendi religioſum habitum dejectam, & nihilominùs, quo conceptum inde mœrorem ſolaretur, ſolertiùs inſiſtentem exercitio religioſarum virtutum, priori longè gravior plaga confixit. Circa annum ætatis ſextum decimum parentes illam nuptui tradiderunt Juliano Adurno, quem perperam Thannerus* Guilielmum *nuncupat:* Et, *pergit Vita Latina Thanneri cap.* 1, quanquam hoc ejus voluntati adverſaretur, tamen ob magnam ſimplicitatem & in parentes ad id eam perurgentes, reverentiam E atque obedientiam fieri permiſit. S. Catharinam *ad haſce nuptias pertractam fuiſſe à parentibus, ſcribit biographus noſter anonymus infrà num.* 10, *ut diſcordiis, quæ inter familias Fliſcam & Adurnam longo tempore graviſſimæ fuerant, non ita dudum ſopitis, connubiali iſto vinculo pax ampliùs ſtabiliretur: Parpera quoque inter alia rationum momenta, quibus ad nuptias pertracta fuit Sancta, rationem eamdem refert. Ut de diſſidiis inter ambas familias lector ſtatuat, ſufficiet obſervâſſe ex lib.* 4 *Annal. Genuenſium Auguſtini Juſtiniani ad annum* 1394 *Adurnos Gibellinorum, Fliſcos verò Guelphorum partes ſecutos fuiſſe.*

Sancta, pacis inter Fliſcos & Adurnos

43 *Aliud diſcordiarum ſemen his verbis commemorat Ubertus Folieta Genuenſium Hiſtoriæ lib.* 9, *ſcribens ad annum Chriſti* 1393: Is erat, *inquit*, Genuæ rerum ſtatus, ut, cùm quatuor præpotentes corporis popularis familiæ, Adornia, Fulgoſia, Guarca, Montalta, omnia ad ſe attraxiſſent, omnemque civitatem ac totam Liguriam factionibus ſuis comprehendiſſent, quæ eodem cum gente nomine vocabantur, potentioribus quatuor nobilium familiis à principatu planè excluſis, *Fliſcorum ſcilicet, Grimaldorum, Auriorum ac Spinularum, quas quatuor Genuenſes familias primarias omnes agnoſcunt: plura qui deſiderat de turbis civilibus, quæ per plura ſecula Genuenſem rempublicam exagitârunt & priores familias adversùs poſteriores, atque utraſque non ſemel inter ſe concitârunt, laudatos chronologos conſulat. Ad ſopita, non ita dudum ante initas à* S. Catharina *nuptias, diſſidia Fliſcos inter & Adurnos, ab anonymo noſtro biographo memorata, quod attinet, cùm matrimonium iſtud ipſe & Parpera celebratum ſtatuant ineunte anno* 1463, *oportet conciliationem iſtam tempore illo anteriorem eſſe.*

ampliùs firmandæ gratiâ,

F

44 *In Uberti Folietæ Genuenſium Hiſtoria lib.* XI *ad annum* 1460 *aliqua in rem noſtram lego, quæ ſummatim delibo: cùm eo anno ad pacem animi flecterentur, ſubitò Paulus Fulgoſius & Proſper Adurnus urbem ingrediuntur: mox ad utrumque ſit factionum ſuarum concurſus, cùm nobilitas & principes civitatis (quos inter utique Fliſci) metuentes fervidum Pauli ingenium, Proſperum ſibi adjungere ſtuduerunt, qui frequentioribus, quàm ullus ad eum diem ſuffragiis, dux*

deſpondetur, licèt invita, Juliano

AUCTORE U. S.

Genuenſium renunciatus fuit. Fortè ad eam Adurni exaltationem Fliſcæ gentis favor non parùm contulit, eaque inter ambas familias pacis origo exſtitit: quæ an diuturna fuerit, non inquiro; certè in laudato Folieta circa annum 1462 Adurnos à Paulo Fulgoſio Genuâ pulſos lego, anno 1464. Ibletum Fliſcum Paulo adhærentem, eumdemque iterum Ibletum adverſus Paulum è partibus Franciſci Sfortiæ ſtetiſſe deprehendo. Hæc obiter dixiſſe contentus, accuratiùs aliis, quorum majoris intereſt, examinanda relinquo.

nobiliſſimâ Adurnorum familiâ nato,

45 *Seu igitur pacis modo ſupradicto, ſeu aliter partæ, magis ſtabiliendæ gratiâ compulſa fuit Sancta Juliano nubere anno ætatis circiter ſexto decimo, ut antiquiores biographi ſcribunt, anno autem Chriſti 1463, ut tradit Parpera & Vita noſtra infrà num. 10. De Adurna porrò familia Franciſcus Sanſovinus libro Italico de Origine & geſtis illuſtrium Italiæ familiarum, typis Venetis excuſo anno 1609, ita ſcribit fol. 141 verſo:* Genuæ ... plures ſunt illuſtres familiæ, quas inter inſignem ſe reddidit Adurna, opibus viriſque, pace & bello clariſſimis, conſpicua magnoque in honore. *Originem illius incompertam ſibi eſſe ibidem*

B *aſſerit, neque inſtituti noſtri eſt eam altiùs repetere: ſufficiat cum Sanſovino dixiſſe jam ab anno 1346 inter præfectos triremium in reipublicæ defenſionem armatarum numerari Meliaducem Adurnum. Ex eadem familia Gabriël anno 1363 ſupremam reipublicæ præfecturam geſſit. Cetera Adurnorum decora factaque egregia prætermitto, quæ curioſus lector apud Sanſovinum aliosque legere poterit. Obſerva interim ab aliis ſcribi Adornus, ab aliis Adornius, ego poſt Clementem XII in Bulla canonizationis, & Martyrologium Romanum, juſſu Benedicti XIV recuſum, Adurnus ſcribere malui.*

ſed diſſolutis moribus: hinc Sancta vehementer

46 *Juliani morum cum Sponſæ moribus diſſenſionem accuratè deſcribit Vita infrà num. 11, hæc inſuper habe ex Vita prolixiore Thanneri cap. 45:* Matrimonio juncta fuit cuidam Juliano Adorno, nobili quidem familia prognato, at ingenio máligno & immiti, adhæc admodùm malè adminiſtranti rem familiarem ſuaſque facultates decoquenti: cui nihilominùs ſemper fuit obediens atque in perferendis ipſius diſtortis ac improbis moribus patientiſſima. Tanta verò ſuſtinuit, ut vix ſana perduraret *&c. Conſule etiam Vitam infrà num. 71. Sci-*

C *licet, ut ſcribit Vita prolixior cap. 1,* Bonitas Dei, ne iſta Electa ſua ad terram carnemque amorem ſuum transferret, paſſa eſt, eam maritum ſortiri valdè ſibi contrarium... tandem eodem omnia dilapidante ambo ad paupertatem redacti, *quam paupertatem cum biographo infrà num. 72 intelligo mediocris ſaltem fortunæ ſtatum, diſſipata potiori bonorum parte. Dialogi quidem part. 1, cap. 19 legitur:* Illam eò inopiæ redegit, ut niſi Deus ipſi per aliorum eleëmoſynas proſpexiſſet, ſeſe nequaquam ſuſtentare potuiſſet: *verùm de paupertate voluntaria, quâcum ſpiritus humanitatem colluctari voluit, ibidem ſermo eſt, & quamvis in Vita infrà num. 35 dicatur labore manuum & alienis victitâſſe eleëmoſynis, id ex humilitate factum eſt, cùm ibidem aſſeratur, eam expenſis ſuis multorum annorum ſpatio ſolviſſe pretium locationis horti & domûs pertinentium ad xenodochium, cujus, ut teſtatur Vita prolixior cap. 8, tota ſervitiis addicta, nulla tamen re minima ad victum ſuum uti voluit.*

47 Catharinam *non potuerunt non vehementer affligere diſſoluti conjugis mores & aſperum ac rude ingenium, adeò ut, teſte Vita prolixiore cap. 1, annis decem vitam tranſegerit in maximis anguſtiis; primis autem annis quinque mœrore tam acuto obruta fuit, ut nullam omninò medelam ei aſſerre valeret, quantumvis rebus externis ſe applicaret: vide Vitam infrà num. 12. Quinque poſterioribus decennii jam memorati annis, inquit Vita prolixior cap. 1,* ad externa & ſecularia ſe convertit, deliciis & vanitatibus mundi, ut plerumque ſolent fœminæ, habenas laxans ad mitigandas ærumnas, quibus conflictabatur. *Bailleius illam* Catharinæ *ad terrena converſionem adſcribit dolori, percepto ex bonorum à marito dilapidatione, quorum ſuperflua parte ſcribit eam uti voluiſſe ad leniendum faſtidium ſuum. At Vita noſtra infrà num. 13* Catharinam *aſſerit à priſtina vitæ conſuetudine, qua ſolebat vitam agere ſolitariam, hominumque cœtus fugientem, receſſiſſe ob creberrimas & importunas amicorum preces, multis ipſam rationibus eò impellentium.*

D *affligitur, & ſuadentibus verisimiliter amicis,*

relicto primo fervore, ſecularia ſectatur.

48 *Utut ſit, dubitari non poteſt, quin ad ſublevandas animi anguſtias novum illud vitæ genus ſit ingreſſa; at poſterior certè ratio magis piè ſtatuit de* S. Catharina *aptiúſque congruit cum iis, quæ ipſamet ſcribit in Dialogo ſuo parte 1; paucula lectori exhibeo: cap. 3 amor proprius, præmiſſo Dei præcepto de dilectione proximi, hæc inter alia ad animam verba facit:* Eapropter, ô anima, oportet te vehementem tuum impetum temperare, & quæ neceſſaria ſunt proximo tuo impendere, hoc eſt corpori tuo & mihi: *& paulò infrà:* Si corporis vis miniſterio uti, neceſſe eſt ipſi, quo indiget, concedas. *Eodem capite ſic animam alloquitur corpus:* Quod tuum, ô anima, concernit negotium, ipſamet cogitare potes, quòd ſi res creatæ animabus eſſent perniciem allaturæ, nunquam eas Deus condidiſſet. *Cap. 9 ejuſdem partis ita corpus loquitur:* Monitam te (*animam*) velim, quòd amorem Dei ſequatur amor proximi, qui in rebus corporalibus à tuo proprio incipit corpore, cujus non vita tantùm, ſed & ſanitas neceſſariò, velis, nolis, conſervanda, ſi ad id, quod propoſuiſti, pervenire cupias. Vitam neceſſariò tuendam, liquet ex hoc, quòd, me exſtincto, neque modus ſuperſit tuam augmentandi gloriam, neque tempus cunctas tuas imperfectiones, ſicut deſideras, expiandi; igne igitur purgatorio hoc fieri oportebit, quo tamen uri gravior utique afflictio eſt, quàm

E

F in hoc mundo mortale circumferre ac tolerare corpus. Quod ad ſanitatis attinet conſervationem, dubium non eſt, quin ſano & firmo corpore vires animæ corporiſque ſenſus ad recipienda divina lumina & inſpirationes ſint aptiores *&c.*

Verba Sanctæ, ſuam per id tempus

49 *Plura alia his ſimilia prætermitto, cùm jam dicta ſufficiant, ut prudens lector, ſi voluerit ea conferre cum dictis num. 13 Vitæ infrà, diſpiciat,* S. Catharinam *quadam neceſſitatis ac decori ſpecie inductam à priore vitæ inſtituto defeciſſe & ſeculi liberioris vias ingreſſam eſſe. Quàm porrò perniciosum ſit, ſemel initam virtutis viam deſerere & perituris deliciis animum intendere, ipſamet Sancta, illud experta, eadem Dialogi parte, cap. 6 graphicè exponit:* Video, *inquit,* Deum, mox ut mundum percurrere atque è vilibus fluxiſque ejus rebus nos oblectare ſtatuimus, gratiæ ſuæ portas nobis occluſiſſe ac pravis noſtris appetitibus nos indulgere permiſiſſe. Nunc poſtquam è pabulis noſtris, quæ tam gnaviter & anxiè venati ſumus, cum confuſione deſperationem referimus, vellemus ad ipſum non ex pura & vera charitate, quam divina ſua Majeſtas à nobis requirit, & quâ ſemper operatur in nobis,

ſed

A sed ob proprium emolumentum recurrere.

infelicitatem suosque excessus describentis ;

50 *Dein ibidem pergit animæ suæ, delicias sectatæ, statum describere in hunc modum :* Quando considero, quid in gratiam vestrî fecerim, quidque justè perdiderim, meruisse me video, quam Deus abhorreat, vos ipsi detestemini, mundus aversetur & infernus deglutiat. Parùm abest, quin præ confusione desperem, attendens, me vestro ductu ad res terrenas prolapsam, quibus vestræ ac meæ necessitati me subventuram sperabam. *Nonnullis verò interjectis, ità prosequitur :* Vobis enim (*corpori & amori proprio*) consentiens, dum quibusdam corporis excessibus sub umbra necessitatis (quam postmodùm subsecuta est superfluitas) locum dedi, peccato involuta sum, huicque innexa laqueo gratiam amisi, cæcitatem incurri, & ex agili ponderosa, è spirituali prorsum terrena effecta sum. *Multa ibidem congesta legere est, quibus infelicitatem animæ, terrena sectantis ac divinæ gratiæ refragantis, explicat :* Brevi, *inquit*, tempore tam ingenti peccatorum ingratitudinisque mole se gravavit, nihil interim remedii conspiciens, ut sese exonerandi atque in pristinam libertatem vindicandi spe excideret.

B *ex animi demissione profecta ;*

51 *Ex his aliisque, quæ in Dialogo suo de se scribit* S. Catharina, *facilè posset non nemo judicare, eam non semel gravibus etiam offensis animum commaculâsse : ait enim, gratiam se amisisse, animæ cæcitatem incurrisse, dignam esse, quam Deus abhorreat, infernus deglutiat : at si rem penitiùs introspicere voluerimus, fatebimur, has similesque locutiones non nisi ex profundissima animi demissione profectas fuisse, atque ex intensissimo lumine, quo cujuscumque levioris peccati malitiam, utpote contra supremam Dei majestatem commissi, clarissimè perspiciebat. Consule, si lubet, Vitam infrà num.* 56, *ubi ait, ex oblata visione de peccati venialis fœditate penè non exstinctam se fuisse, licèt brevi solummodò tempore visio hæc durâsset. Humilitati autem & clarissimæ isti luci si addamus ardentissimum, quo reliquâ deinde vitâ flagravit, Dei amorem, non difficulter agnoscemus, expressiones hasce per exaggerationem factas : amantis quippe proprium est, grave reputare illud omne, quo amatus læditur.*

neque enim graviter deliquit : conversio ejus

52 *Graves non fuisse excessus, in quos incidit* Catharina, *colligitur etiam ex Dialogi part.* 1, *cap.* 1, *ubi anima cum corpore itineri se accingit ad quærenda sua utrimque oblectamenta, semper peccatum excipit :* Sine offensa tamen, *inquit anima*, Creatoris nostri, quam, quoad vixero, pertimescam & fugiam : *& infra*; Nec ego, *verba sunt animæ ad corpus*, te deseram, præsertim quùm omnium nostrûm consensu statutum sit, nunquam offendendum Deum. *Constat denique ex Vita nostra infrà num.* 14, *ubi hæc leguntur :* Quamvis autem nonnihil spiritûs ejus fervor imminutus esset, perpetuò tamen exhorruit offensam Dei, qui illam etiam tepidioris vitæ tempore passus non est incidere umquam in culpam gravem, ut confessarius ejus testatum reliquit. *Unde quod legitur in fine cap.* 5 *Vitæ prolixioris de conversione* S. Catharinæ *comparata cum conversione S. Mariæ Magdalenæ, vel accipiendum tamquam ab insigni* Catharinæ *humilitate profectum, vel comparatio intelligenda est non omnimoda : certè biographus in eadem Vita cap.* 24, *conversionem* Catharinæ *confert vocationi S. Pauli, sed non quoad omnia.*

qua in re similis fuerit conversioni Pauli & Magdalenæ.

53 *Juverit verba transcribere :* Beata hæc anima à Deo vocata, mox (sicut olim glorioſissimus apostolus Paulus) vocanti consensit, obedivit ac gratiæ ipsius fideliter cooperata est, qui & subitò (ut initio narratur, *cap.* 2 *scilicet*) eam perfectam reddidit. *Ubi vides, quoad alacritatem obtemperandi Deo vocanti comparationem fieri, non tamen quoad anteactam vitam : potest etiam utraque conversio inter se conferri ex magnitudine lucis, quâ utramque Deus operatus est, & ex subita* Catharinæ *æquè ac Pauli immutatione. Itaque, si in omni rigore verba sumantur, non satis accuratè de* S. Catharinæ *conversione scripsit Parpera posterioris suæ lucubrationis cap.* 29, *factam eam asserens* ab uno extremo vanitatis ad aliud veræ pietatis, *quod ob jam dicta de* S. Catharina *affirmari nequit, licet verum sit de S. Paulo, ante conversionem Christi persecutore. Dixi, si in omni rigore verba accipiantur : nam quemadmodùm Parpera per extremum veræ pietatis, ad quod* Catharina *statim à conversione elevata est, denotat excelsam perfectionem, ita videtur per aliud extremum insignem malitiam innuere. Verùm aliter ac nos de* S. Catharina *sensisse Parperam, qui ipsius augendæ venerationis ergò labores & vigilias suas tam religiose consecravit, nefas est credere : unde verba illius mitiùs accipienda existimo, pro secularium quidem rerum contemptione,* E *at citra gravem divini Numinis offensam ; reliqua verò ad majorem comparationis elegantiam addita censenda sunt.*

Sancta terrenis rebus nil satiata, ingenti luce

54 *Ad sublevandum animi angustias vitæ hujus delicias aucupans* Catharina, *mœrorem potiùs acerbiorem quàm levamen ex his percepit : Dei quippe benignitas omnia, ut loquitur Clemens XII in Bulla canonizationis*, felle amaritudinis consperserat, ut Servæ suæ anima falsa mundi oblectamenta fastidiens, cælestes dulcedines esuriret. *Conversionem Sanctæ prinsquam enarro, aliqua præmitto. Vita prolixior ait, elapso post initas nuptias decennio, eam mirabiliter à Deo vocatam fuisse, & tribus ante conversionem mensibus tanta afflictione & tantâ rerum mundanarum nauseâ oppressam fuisse, ut sibi ipsi foret intolerabilis. Ad decennium autem istud verisimiliter adjiciendi sunt menses duo ac dies aliquot : nam conversio tantùm contigit die* XXII *Martii, contractus autem dotalis, teste Parpera & Vita nostra infrà num.* 10, *initus est die* XIII *Januarii, post quem, saltem notabili tempore differenda non videtur nuptiarum celebratio. Nunc ipsam Sanctam audiamus de suæ conversione loquentem. Dialogi part.* 1, *cap.* 7 : F Postquam Dei bonitas aliquandiu hanc animam in mundanis rebus oberrare permisisset, & ipsa gravi afficeretur molestia, quòd crebrâ experientiâ didicisset, eas omnes non sufficere ad explendum suum appetitum, sed quotidie majores sibi parere afflictiones, ipse misericordissimus Deus tale ei lumen impertivit, cujus beneficio excæcati intellectus caligo discussa est, atque omnium errorum ac periculorum, in quibus versaretur, cognitio illi collata est... Anima status sui miseriam... cognoscens..... ad Deum conversa in hæc verba suspiriis ac lachrymis plena prorupit ; O me miseram, quis unquam hisce me malis eximet? Solus Deus hoc valet. Domine, fac ut videam lumen, quo è tot me laqueis expediam.

& amoris igne excitata, ac visionibus etiam

55 *Fusè dein eodem & seq. capite describit ingentia lumina, quibus à Deo donata fuit : circa modum verò, quo conversa est, hæc summatim accipe.* Catharina *angustias animi leniendi gratiâ ætatis circitèr anno* 27, *Christi* 1474, *die* XX *Martii sororem suam Limbaniam, in monasterio S. Mariæ Gratiarum sanctimonialem, accessit : sua-*

AUCTORE U. S.

sit hæc, ut adiret presbyterum, qui in dicto cœnobio conscientiam moderabatur monialium, virum, ut testatur Vita prolixior, admodùm religiosum & verè sanctum: paruit Catharina, *quæ, inquit eadem Vita cap.* 2, Ut genibus ejus accidit, repentè cordi illius vulnus immensi amoris Dei cum clarissima suarum miseriarum & defectuum bonitatisque Dei cognitione infixum est. *De isto amoris radio inter alia hæc scribit Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 8: Tantas vidit operationes atque effectus amoris erga hanc animam, ut nulla lingua enarrare sufficiat. Idem amoris radius momento temporis animam hanc sauciavit, in quo vidit ac sensit quemdam amoris ignem è divina scaturigine prodeuntem, qui eam mox extra se raptam quodammodò intellectu, loquelâ & sensu privavit: *& paulò infrà:* Unde tantam sui ipsius concepit despicientiam, ut omnia sua peccata publicè per totam civitatem proclamare non erubesceret (*Italicè legitur* dictura fuisset) neque aliud dicere poterat præter hæc verba: O Domine, nullum mihi ampliùs cum mundo, nullum cum peccatis commercium! *Cetera conversionem spectantia vide in Vita infrà num.* 16 *& sequentibus.*

B

donata, vehementissimum de peccatis

56 *Conceptum ex tot luminibus dolorem de peccatis exponit* Catharina *eadem Dialogi part., cap.* XI *his verbis:* Advertit, se solam omnia commisisse mala, & ideo sola sine ullius hominis adminiculo satisfacere totis viribus proponebat, dicens: Video, infernum locum meum esse, quem tamen, nisi morte interveniente, consequi nequeo. Heu me, Domine, quid de me faciam? Ignoro, ubi me abscondam, vociferor & locum non reperio, quoniam, quæ sic immunda sum, coram te comparere non audeo, qui tamen ubique es, unde mihi ipsamet sum intolerabilis. Quid ergò agam, vestem fœdissimè conspurcatam induta? Nil prosunt lachrymæ, suspiria me non juvant, contritio mea non est grata, infructuosa sunt pœnitentiæ opera; nam universa hæc pœnæ, quam peccatis meis commerui, imparia, nisi Deus suâ erga me utatur clementiâ. *Sanctarum scilicet mentium & sublimi Dei cognitione præditarum est omnia sua opera vereri, semperque servum inutilem se reputare, cùm præstiterint omnia: unde verba hæc ex vehementissimo dolore profecta, sic accipienda sunt, ut indicare voluerit, fructum pœnitentiæ non humanis viribus, sed Dei misericordiæ & benignitati adscribendum esse.*

C

dolorem concipit, & pœnitentiæ

57 *Pleniùs ut constet, hunc revera fuisse sensum verborum Sanctæ, aliqua huc transfero: cap.* 39 *Vitæ prolixioris ita lego:* Quapropter dicebat hæc amans anima: Quid putas, præstarem quantive facerem, etiamsi tot sanguineas lachrymas profunderem, quot maris sunt guttæ, ut satisfacerem Deo pro peccatis meis? Arbitraris sufficientem pro minimo peccato satisfactionem? Nequaquam, nam si tantum paterer atque tamdiu, quantum ipse diabolus, adhæc tot cruciatus & martyria in hoc corpore sustinerem, quotquot mente comprehendi possent, non credideris amorem posse hæc apud Deum satisfactionis loco ducere, neque invenire vocabulum huic negotio congruum, velut, satisfeciſti de injuriis. *Nempe ex intuitu infirmitatis & nihili humani, quod ipsa perspectissimum habebat, hæc aliaque similia verba promanârunt: audiatur denuo Sancta Dialogi sui part.* 2, *cap.* 10, *loquens de paupertate & nuditate hominis:* Qui, *inquit*, nihil boni habet, nisi quantum dignaris illi per gratiam largiri, & propterea oportet nos agnoscere, omnem gratiam profluere ex te, atque eandem in te refundere, alioquin sumus fures.... Sed quo pacto satisfaciam pro tam gravi ac subtili peccato? *Plura his similia tum in Sanctæ Operibus, tum in Vita crebrò recurrunt.* D

fructum soli Dei gratiæ adscribit.

58 *Visioni peccatorum alteram subnectit Vita prolixior cap.* 2, *ubi sic habet:* Volens autem Dominus in intimo animæ ejus adhuc vehementiùs amorem suum accendere conceptumque de peccatis dolorem augere *&c. Visionem istam Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* XI *enarrat his verbis;* Quodam die apparuit illi domi exsistenti Dominus noster Jesus Christus totus à capite ad pedes usque sanguine madens, adeò ut quàcumque illa incederet, sanguinei è sacratissimo ejus corpore prosilientes rivuli terram irrigare viderentur, atque his se verbis secretò compellari audivit: „Ecce „ cunctus hic sanguis amore tui atque ad expian„ da tua delicta fusus est.„ Quibus verbis ingens erga Dominum nostrum Jesum Christum amoris vulnus ei fuit inflictum, talique confidentia animata est, ut prima illa visio (*peccatorum*) desperationis præbens fomentum disparuerit, & ipsa jam aliquantulùm in Domino suo recreata atque exhilarata sit. *Significat hîc quidem Sancta, suum de peccatis dolorem ea visione non nihil imminutum fuisse, sed verisimiliter ad breve dumtaxat tempus: nam mox cap.* 12 *alteram subdit visionem, in qua & malitiam hominis & bonitatem amoris Dei intuita est, ex eaque vix non ad desperationem adactam se fuisse ait: unde non pugnat cum dictis Sanctæ, paululùm recreatam se fuisse, asserentis, id quod ex Vita prolixiore dedimus initio hujus num.; potuit quippe solatii aliquid afferre exhibitus Dei amor, sed, cogitatione in peccati malitiam conversâ, necesse erat dolorem ex utroque capite ampliùs augeri.* E

§ V. Dicta Bailleti de pœnitentia, juxta rigorem canonum à Sancta obita, de frequenti Eucharistiæ sumptione & communione sub utraque specie examinantur & refutantur. F

Bailletus perperam existimat, pœnitentiam

SAncta Catharina, *ut omnes antiquioris Vitæ editiones cap.* 2, *nostra verò infrà num.* 19 *testatur, etiam publicè, si opus foret, peccata sua confiteri parata cùm esset, generalem delictorum totius anteactæ vitæ confessionem instituit, quæ non est differenda ultra tertium à conversione diem ob infrà dicenda: subdit Vita prolixior:* Et quanquam Dominus Deus eo tempore (*die festam S. Benedicti lucem insequente, cùm ad Sacramenti pœnitentiæ ministri pedes prostrata esset*) quo amorosum ac suave illi vulnus inflixit, omnia ipsi peccata condonâsset, tamen ad servandam justitiam voluit eam satisfactionis viam insistere. *Bailletus in Vita* S. Catharinæ *generali illius confessioni, animoque parato ad publicè declarandum peccata, subdit, adhuc quatuordecim pòst mensium spatio dolori indulsisse, quo tempore Deus* jussit eam, *verba sunt Bailleti,* incedere per canonicas satisfactionis vias in conspectu Ecclesiæ, cui ex veteris suæ disciplinæ legibus hic justitiæ actus debebatur: *paulò infrà denuo pœnitentiam* S. Catha-

A tharinæ canonicam *appellat*, *seu juxta canonum præscripta.*

60 *Non satis assequor, unde Bailleto in mentem venerit ita scribere: nam si per* pœnitentiam canonicam *animus ipsi fuerit lectori persuadere*, S. Catharinæ *publica quædam pœnitentiæ opera pro peccatis publicis injuncta fuisse ab Ecclesiæ ministris, ipsi incumbebat documenta in medium producere, asserto suo fidem factura: nam quod tum in Vita tum in Dialogo Sanctæ legitur, eam sic animo affectam fuisse, ut, si id opus esse, vel divinæ Majestati placere intelligeret, peccata sua publicè propalare non renueret, debile nimis argumentum est, quàm ut ex eo quis concludat, id factum fuisse. Constat autem ex Thomassino de veteri & nova Ecclesiæ Disciplina part. 1, lib. 2, cap. 7, num. 14 pœnitentiam publicam quoad occulta crimina jam à seculo* VII *in Occidente desiisse: & Clemens III, qui seculo* XI *senescente Ecclesiam rexit, ad postulatum:* Utrùm pœnitentia publica sit imponenda; *respondit*, Non tamen publica, nisi id in publicum veniat, pœnitentia debet imponi. *Vide Thomassinum ejusdem partis & libri cap. 16, num. 5. Ut igitur Bailleti de*

B *ejusmodi pœnitentia assertum fidem apud prudentes inveniat, priùs ostendendum est, publica fuisse S. Catharinæ delicta.*

61 *Sed gratis etiam dato*, Catharinam, *ut ab hominibus vilipenderetur, peccata sua publicè confessam fuisse, quis, amabo, istiusmodi publicæ pœnitentiæ locus, quæ ex Ecclesiæ consuetudine non delictis omnibus, sed gravioribus quibusdam solet infligi? Habemus nempe ex testimonio illius, qui confitenti* Catharinæ *aures præbuit, eam ne quidem tepidioris vitæ tempore in gravem umquam culpam incidisse: non fuerunt itaque nisi veniales nævi, quibus animam commaculavit, ex amicorum consilio matronarum æqualium cœtus frequentans, & seculi delicias consectans citra lethalem noxam: quæ igitur causa, ob quam ad talis pœnitentiæ rigorem fuisset redigenda? Licèt enim ex Sanctæ adversùs peccata odio admodùm credibile sit, eam pœnitentias publicas easque gravissimas non detractâsse, imò fortasse etiam expetiisse, quis tamen existimet, prudentem virum, qualem biographus noster depingit eum, qui confitenti* Catharinæ *aures præbuit, aut alios Ecclesiæ ministros pro levibus noxis eas imposuisse.*

C 62 *Discusso hoc dubio, aliud expendamus, quod idem Bailletus ita ferè movet: Quod diximus de satisfactione juxta rigorem canonum, minimè obstitit; quo minùs tertio post conversionem die, qui Virginis Annuntiationi sacer erat, & quo verisimilius confessa fuit, rogârit ad mensam Eucharisticam admitti, idque quotidie prosequendi facultatem sibi fieri. Saterdotes loci hac in re adeò erant faciles, ut deinde, etiam cùm ipsamet non cogitaret, judicaretque desiderium suum non nihil comprimi posse, ultrò eam ad sacram Mensam accerserent: ipsa verò minimè abnuebat &c. Hanc Bailleti censuram priusquam excutio, verba biographi, quæ illi ansam dederunt, ex Vita prolixiore lectori juvat exhibere. Sic habet cap. 3:* Ipsis Feriis Annunciationis gloriosissimæ Virginis Mariæ post conversionem suam contulit ei Dominus Deus ardens sanctæ Communionis desiderium, quo postea per totam vitam nunquam caruit ampliùs, & Amor ejus (*Deus, sic enim eum appellabat* Catharina) ita disposuit, ut illi nihil quidquam procuranti venerabile Sacramentum porrigeretur. Semper vel hoc vel alio modo sibi mirabiliter comperit provisum; nam sine ulla ipsius opera sacerdotes à Deo instincti eam ad Communionem accersebant.

AUCTORE U. S.

63 *Quæ biographus commemorat, diversa sanè mihi videntur, ab his, quæ Bailletus scribit: biographus ipsi infusum ait sacri Pabuli desiderium Annuntiationis festa luce, Bailletus desiderium istud illo ipso die expletum: qua in re licèt ipsi ob Vitam nostram infrà num. 20 consentiam, minimè Eucharistiæ sumptionem in annum sequentem differendam existimans, non possum tamen non dissentiri ipsi, tacitè carpenti illum sacræ Mensæ usum: jam enim ex antè dictis corruunt, quæ de pœnitentia* S. Catharinæ, *juxta canonum rigorem obeunda, habet Bailletus: & sanè si voluisset attentiùs observare, quæ de singulari ac maximè ferventi* S. Catharinæ *de peccatis suis, utique non gravibus, dolore præmiserat biographus, Bailleto non potuisset videri nimia ista facilitas, quâ ad Eucharistiam admissa est; neque enim quidquam reperio, ob quod prudens animarum director ab illa eam arcere debuisset: contrà multa sunt, ob quæ sine ulla dilatione jam à tertio post conversionem die ad sacram Mensam etiam invitanda esset, ut novitiis nostri temporis erroribus minimè infatuatus lector facilè agnoscet.*

E 64 *Frequentatam deinde singulis diebus à* S. Catharina *fuisse divinam Mensam, innuit Bailletus, si paucos excipiamus, quibus vel ex consilio directoris vel aliis de causis prudens abstinuit. Demus etiam Bailleto ab illo ipso die tertio quotidie* Catharinam *Corpori Domini communicâsse, cùm certum sit, id ipsam satis longo tempore fecisse, dubium tamen, an ab isto Annuntiationis die pium illud opus semper continuârit; nam ex sancta Panis angelici esurie, quâ, biographo teste, ex illo die per reliquam deinceps vitam flagravit, extundi non potest quotidiana ab illo die Eucharistiæ perceptio; verùm, ut dixi, gratis hoc ipsum demus, quid absurdi inveniemus, ut meritò videatur Bailletus carpere potuisse sacerdotes, & temeritatis notam ipsis inurere? Fateor, quotidianam Eucharistiæ sumptionem laïcis non facilè permitteudam, nec sine discretione, & spiritûs, quo ad eam feruntur, probatione: at, quidquid demum censuerit Bailletus, adhibitam eam fuisse manifestum mihi est.*

65 *Nam non defuerunt, qui de frequenti Sanctæ ad divinum Pabulum accessu scrupulum illi injecerunt: inter alios vir quidam religiosus, quem, ut suprà vidimus, existimat Parpera fuisse Angelum de Clavasio, affirmavit, vitium posse latere in tam frequenti Eucharistiæ perceptione, quod, teste Vita infrà num. 51, illa metuens per dies aliquot abstinuit, donec maximis inde doloribus & cruciatibus oppressam jusserit ipsemet interruptam consuetudinem resumere. Neque plura hic congerere ea super re necesse existimo: qui vel perfunctorie* S. Catharinæ *Vitam pervolverit, tot inveniet evidentia indicia, quibus Deus visus est significare, Sanctæ frequentem Eucharistiæ sumptionem gratam sibi esse, ut non modò sacerdotes temeritatis censurâ à prudenti quolibet absolvendos, existimem, sed & laudandos ob pium justissima Sanctæ vota explendi studium. Quo plenius constet, & sacerdotes, qui Eucharistiam* Catharinæ *quotidie porrexerunt, minimè temerarios fuisse, eamque ob quotidianam sumptionem neutiquam reprehendendam esse, pauca subjicio ex eruditissimo Opere Prosperi Lambertini de servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione.*

66 *Lib. 3, cap. 27, cui hic est titulus:* De Sacramentorum frequentia, Pœnitentiæ videlicet

&c

à Sancta affectam fuisse

juxta canonum rigorem, licèt fortè ipsa id expetierit.

Incertum, quo tempore cœperit Sancta

AUCTORE U. S. fermè quotidie Eucharistiam sumere:

laudabilem fuisse & Ecclesiæ ministros

AUCTORE U. S. *eam permittentes, neutiquam*

& Euchariſtiæ in Servis Dei beatificandis & canonizandis requiſita, *ſtatim ſub initium hanc veluti baſim dicendorum ſtatuit:* Horum enim Sacramentorum uſus eſt nota dilectionis atque ſuavitatis internæ, & ex eo conſequenter uſu conſurgit virtus religionis in gradu heroico. *Tum nonnulla ſubdit ex Scacchi Tractatu de Notis & ſignis ſanctitatis ſect. 5, cap. 3, ubi is argumentum pro ſanctitate deſumit ex frequenti Euchariſtiæ ſumptione, ſi ſtipata fuerit debitis adjunctis pietatis ac præparationis. Laudatus Eminentiſſimus dicta confirmat num. 2 ex Bullis canonizationum: aliqua huc transfero:* De ſancta Catharina Senenſi Pius II in Bulla canonizationis ait: "Ad Com„munionem altaris, quæ illi ferè quotidiana fuit, „quaſi ad cæleſtes nuptias invitata eſſet, ſum„ma cum alacritate proficiſcebatur.„ De ſancto Felice à Cantalicio laico Capucino ita legitur in Bulla canonizationis ipſius: "Conſcientiæ Viri Dei „moderatores, Dominici Corporis ſumptionem „ter illi ſingulis hebdomadis peragere ſolito, per „totos quindecim ante dormitionem annos, ob „ejus ardentiſſimum caritatis fervorem, quotidia„nam divinæ Menſæ perceptionem concedere ſan„ctum exiſtimârunt, ad quam ſine uberrimo la„crymarum imbre numquam acceſſit.„

B

reprehendendos eſſe oſtenditur.

67 *Hiſce addit quædam ex ſecunda relatione Rotæ auditorum de virtutibus S. Tereſiæ; art. 14 de religionis virtute ita ſtatuunt:* "Sextò ad idem „firmandum nos induxere mira incrementa in a„nima iſtius beatæ virginis ex augmento cultûs „Chriſti, cauſata per quotidianam Communionem „viginti trium circitèr annorum ex doctiſſimo„rum virorum conſilio & ſuorum confeſſario„rum licentia.... Quo divino paſtu mirificè ro„borata in cultu & fide Jeſu Chriſti, in Sacra„mento exiſtentis, maximos fecit progreſſus, ita „ut per plures annos per fidem vivam non ſecùs „ad ſumendam Euchariſtiam accederet, quàm „ſi Chriſtum ipſum oculis corporeis cerneret„. *Plura ſciens & volens prætermitto, unum hoc obſervâſſe contentus: ſi Romani Pontifices & Rotæ Romanæ auditores non improbârint, imò laudârint in jam memoratis Sanctis frequentem & quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem, ſi non reprehenderint velut temerarios, qui eam permiſerunt, quo jure eam in Sancta tacitè carpit Bailletus? Qua æquitatis ſpecie ſacerdotes Genuenſes*

C

temeritatis incuſat? Controverſiam hanc à Bailleto motam concludo verbis S. Thomæ 3 part., quæſt. 80, art. 10, quæ apud Lambertinum dicti capitis num. 5 leguntur: inter alia hæc habet ſanctus Doctor: Ideo utile eſt quotidie ipſum (*Euchariſtiæ Sacramentum*) ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat: *& iterum:* Ideo, ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quòd quotidie ſumat.

Bailleti, Euchariſtiam Sanctæ

68 *Supereſt, ut tertiam expediamus, quam in hac materia ſuſcitat Bailletus, difficultatem, ſi tamen eo nomine venire & non potius odioſa captio dici debeat. Tum Vita prolixior cap. 3, tum noſtra infrà cap. 5, num. 53, dum exponunt ardentiſſimum, quo Sancta mox à reſumpto vitæ ferventioris tramite flagravit ergà Jeſum ſub Euchariſticis latentem ſpecibus, amorem ac deſiderium, addunt eam non ſemel auditam fuiſſe, cum diceret, ſanctâ quâdam erga ſacerdotes invidiâ ſe affici, quòd quotidie divino epulo veſci citra alicujus admirationem liceret ipſis illudque manibus contrectare; ajunt inſuper, eam exoptâſſe, ſibi fas ut eſſet tres illas Miſſas celebrare, quas in ſacratiſſimo Domini noſtri Natali dicunt presbyteri. Placuit Bailleto hæc ita interpretari, acſi deſiderâſſet ardentiſſimè* S. Catharina *ſub utraque ſpecie Corpus & Sanguinem Domini percipere: ſanè in deſiderio, de quo biographus, celebrandi Miſſas tres in Natali Chriſti, ſi rigide verba interpretari velimus, involvitur deſiderium ſub utraque ſpecie Corpus & ſanguinem Domini percipiendi; verùm hæc ex incenſo Euchariſtici panis amore profecta quid vetat cum Parpera in Sanctæ Vita, anno 1682 edita, accipere non de terna Miſſæ celebratione, quam noverat utique ſolis competere ſacerdotibus, ſed de terna Sacramenti perceptione? Quid vetat aſſerere, Sanctam hæc dixiſſe ex quodam animi angore, eo quòd non ſemel videret, amori ſuo votoque Euchariſtiam frequentandi obſtacula poni, cum cerneret liberè à ſacerdotibus quotidie ſumi Sacramentum, quorum propterea felici conditioni ſanctè inviderit? Utut ſit, ſi in* S. Catharina *umquam datum fuit deſiderium accipiendi Chriſtum ſub gemina ſpecie, non potuit non ſociari cum debita Eccleſiæ illud prohibenti ſubmiſſione, & in tali deſiderio his conditionibus ſtipato, quid tantoperè reprehendendum ſit, non video.*

D

E

ſub utraque ſpecie oblatam fuiſſe,

69 *Pergit Bailletus & ad voces* ſub utraque ſpecie *in margine adſcribit:* Etiam calix ipſi offerebatur, *laudatque pro aſſerto ſuo cap. 3 Vitæ: verba ex Latina Thanneri interpretatione ſubdo:* Sumta aliquando ſacra Communione, tantam ipſi Deus conſolationem impertiit, ut extra ſe raperet. Sacerdos porrecturus calicem abſque ſenſu eam offendit, unde vi ipſam ad ſe revocare debuit. *Vel nihil agit Bailletus, vel lectori perſuaſum cupit,* S. Catharinæ *non tantùm ſub panis, ſed etiam ſub vini ſpeciebus Corpus & Sanguinem Domini oblatum fuiſſe: ipſius enim obſervatio ad hæc verba* ſub utraque ſpecie *hoc ſignificare debet, vel ridicula eſt. Biographo autem apertè refragabimur, ſi Bailleto conſentire, & per calicem, quem Vita Sanctæ oblatum ſcribit, Sanguinem Domini intelligere voluerimus. Nam eodem cap. 3 Vita Latina Thanneri hæc habet:* Sub Sacrificio Miſſæ ſæpe tam erat à Domino ſuo occupata, ut nullum verbum audiret, ſed tempore Communionis inſtante, mirabiliter evigilabat ac dicebat: O Domine, etiam mortua, ut opinor, ad te ſuſcipiendum reviviſcerem. *Vita noſtra infrà num. 53 ſcribit, in quemcumque mentis exceſſum raperetur, numquam non ſibi reſtitutam fuiſſe, appropinquante ſacræ Refectionis tempore. Cum igitur ſacerdos porrecturus calicem eam abſque ſenſu offenderit, & vi eam revocare debuerit, per calicem oblatum intelligi nequit Sanguis Domini.*

F

ſine fundamento aſſerentis,

70 *Scribit inſuper biographus, calicem Sanctæ oblatum fuiſſe,* ſumta ſacra communione: *per calicem igitur omnino intelligendum exiſtimo vinum, quod ad faciliùs deglutiendam ſacram Hoſtiam juvaret: qui fortè Genuæ mos erat, ſicut etiamnum viget in nonnullis regionibus, ſoletque, ſtatis ſaltem temporibus aliquot, omnibus ad Euchariſtiam accedentibus ſemper præberi. At, inquiet fortè aliquis, Vitæ tum Latinæ tum Gallicæ* calicem *ſcribunt, exemplaria quoque Italica habent* il calice: *fateor vocem Italicam* calice *accipi poſſe pro ſacro vaſe, in quo divina Myſteria conficit ſacerdos: at non in ea ſignificatione ſola, ſed & in aliis inſuper uſurpatur: videat curioſus lector Lexicon academiæ Florentinæ, cui Cruſca nomen eſt, & præter jam dictam ſignificationem inveniet vocem* calice *adhiberi etiam pro mero poculo ſeu cyatho, interdum*

A *dum pro potu ipſo, ſeu contento cyathi, & facilè perſpiciet, dubiæ ſignificationis vocem à Bailleto nimis avidè arreptam fuiſſe, eumque non ſatis advertiſſe, quàm aſſerto ſuo injurius eſſet S.* Catharinæ, *quantamque clero Genuenſi invidiam conciliaret.*

cenſura retunditur.

71 *Cùm enim Joannes de Raguſio in Oratione de Communione ſub utraque ſpecie, habita in concilio Baſileënſi anno* 1433, *retundens objectiones Huſſitarum inter alia ſic loquatur:* Quartò principaliter probatur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ ex antiquiſſimis temporibus & ex multis centenis annorum fuit univerſaliter in Eccleſia introducta: ſunt enim ultrà ducenti & trecenti anni, vel ſaltem propè, quibus doctores Catholici in libris eorum & ſcriptis cœperunt laudare & approbare univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem in Communione ſub una ſpecie; *quis in animum inducat ſuum, clerum Genuenſem tam immemorem fuiſſe univerſalis iſtius Eccleſiæ decreti; quis* S. Catharinæ *Euchariſtiam miniſtrantes presbyteros tam pervicaces, tam refractarios exiſtimet? Quomodo non Angelus de Clavaſio vir Apoſtolico fervore plenus, quique is veriſimiliter fuit, qui frequentem Sanctæ ad divinam Menſam acceſſum improbavit, abuſum illum juſtiſſimè reprehendit? Sanè etſi alia omnia deeſſent,* Catharinæ *noſtræ ſanctitas, in qua nihil non ſubmiſſum divinæ voluntati fuiſſe legimus, quæque deſideria ſua licita noverat moderari, eorumque privationem toleranter ferre, abuſum hunc in ipſa locum habuiſſe, vel ſuſpicari prohibet.*

B

§ VI. Prodigioſum Sanctæ jejunium; pœnitentiæ opera ſuſcepta; ſervitium ægris impenſum: ecſtaſes aliæque mirabiles Dei in ipſa operationes.

Incertum, quo anno inchoârit Sancta

VIta *noſtra infrà num.* 27 *&* 28 *recenſet admirabile & prodigioſum jejunium, multis annis à* S. Catharina *longo tempore frequentatum, cùm à dulci ſuo amore Deo ad id fuiſſet invitata. Parpera in Vita Sanctæ, edita anno* 1682, *cap.* 42 *tractans de iſthoc* Catharinæ *jejunio, in margine hos characteres adſcribit;* MCCCCLXXIV, die XXV Martii, ætatis circitèr XXVII; *quibus haud dubiè deſignare voluit, ad eum annum referenda eſſe jejunii illius initia: hoc certum, non diu poſt Sanctæ converſionem ſtatuenda eſſe; nam Vita prolixior Italica, Venetiis excuſa anno* 1615, *ſcribit, aliquanto poſt converſionem tempore feſto Annuntiationis Mariæ interna allocutione vocatam à Deo fuiſſe, ad celebrandum Quadrageſimale jejunium. Thannerus illi recèns converſæ deſiderium iſtud inſpiratum fuiſſe, Vita verò noſtra id contigiſſe tradit anno quodam poſt mirabilem ejus vocationem; Clemens XII in Bulla canonizationis uno vel altero anno ab admirabilis converſionis die: è quibus omnibus, cùm alia deſint inſtrumenta, annum determinatum tutò eligere nequeo, cui jejunii illius exordia innectam: dubium igitur relinquo, illone ipſo anno* 1474, *cui tum converſionem Sanctæ, tum ejus jejunii principium illigat Parpera, an uno alterove poſt converſionem anno dicenda ſit Sancta diuturnam ſuam abſtinentiam inchoâſſe; poſtremum tamen veriſimilius exiſtimo, ut ſaltem major aliqua latitudo, quàm duorum vel trium dierum, detur vocibus* aliquanto pòſt tempore *ab antiquiore biographo adhibitis.*

AUCTORE U. S.

diuturnam ſuam & mirabile jejunium.

73 *Narrationem modò ipſam Thanneri verbis cap.* 4 *accipe:* Amor ejus ipſo feſto Annunciationis B. Mariæ Virginis in ſpiritu illi recèns converſæ ſignificavit, velle ſe, ut Quadrageſimale jejunium ſecum in deſerto expleret. Tunc ita ei ademta manducandi facultas, ut nullo corporeo cibo uſque ad Paſchalem ſolennitatem uteretur, cujus tribus Feriis (quibus cibum capere poterat) tranſactis, deinde iterum comedendi facultatem amiſit, donec tot dies, quot annuo ſacro jejunio deputantur, præteriiſſent. Tum more aliorum abſque ulla ſtomachi repugnantia cibum ſumere valebat. Hunc in modum, nempe ab omni cibo abſtinens, exegit viginti tres Quadrageſimas totidemque Adventus, ſolummodò aliquoties ſcyphum aquæ, aceto & ſale contuſo mixtæ bibens... Res inſolita & ſtupenda *&c. Plura ibidem leguntur, quibus auctor exponit conatus à Sancta, illuſionem metuente, fruſtrà adhibitos ad manducandum, ſumptaque ab aliis inutiliter experimenta, cùm cibos nullos, etiam violenter obedientiæ ergò ingeſtos, Sancta poſſet retinere; unde abſtinentiam hanc ſuam floccipendens* Catharina *ibidem ait:* Si.. vellemus admirari operationes Dei, potiùs deberemus admirari internas quàm externas: hanc meam abſtinentiam Deus operatur abſque mea voluntate; ideo de ipſa gloriari non poſſum, neque tantoperè ſuſpicienda, quandoquidem reſpectu potentiæ divinæ eſt quaſi nihil.

E

multis annis ſine nocumento celebratum.

74 *Non nocuit Sanctæ valetudini hæc abſtinentia, imò, teſte biographo ibidem, illo ipſo tempore caritatis operibus ſolertiùs incumbebat, ſomnum prolixiorem capiebat faciliùs, robuſtiorique erat corpore. Totam hanc hiſtoriam Bailletus in Vita Sanctæ ita excipit:* Neſcimus, quid cogitemus de eo, quod addunt, illam annis viginti tribus nulla alia re victitâſſe, quàm ſacra Hoſtia tempore duarum Quadrageſimarum, id eſt, à feſto S. Martini uſque ad Nativitatem Domini, & à Quinquageſima ſive die Dominico ante Cinerum Feriam uſque ad Paſcha. *Deinde verò ſummatim relatis hiſce, quæ modò commemoravimus, in hunc modum concludit:* Sed ad plauſibiliora redeamus. *Fateor, à Bailleto jure exigi non poſſe, ut indubitatam fidem præbeat hiſtoriæ huic, cùm ſcripta ſit ab hominibus errori obnoxiis: nihilominùs id meritò requirere poſſe mihi videor, ut non uno veluti halitu hiſtoriam hanc exſufflare præſumat, dicendo,* ad plauſibiliora redeamus; *hoc æquum exiſtimo, ut ſolidiora proferat argumenta, ſi rei, quantumcumque admirabili fidem omnem detractam cupit, maximè cùm teſte Auguſtino Juſtiniano epiſcopo Nebienſi,* S. Catharinæ *coævo, Vita illius exarata ſit à viris ipſius æqualibus & fide dignis, ut vidimus num.* 3.

F

Contra Bailletum ex hiſtoriis Eccleſiaſticis

75 *Certè in Hiſtoriis Eccleſiaſticis multa occurrunt exempla jejunii, ab aliis Sanctis non minùs mirabiliter quàm à* Catharina *dudum protracti. Videatur eximium opus Benedicti XIV Papæ lib.* 4, *part.* 1, *cap.* 27, *num.* 5, *è quo aliqua huc transfero:* Apud continuatores Bollandianos, *inquit,* in Actis Sanctorum Martii tom. 1 (*pag.* 387, *num.* 14) narratur, S. Geraſimum abbatem quadraginta diebus abſque cibo vixiſſe, ſolâ Euchariſtiâ receptâ; & tom. 2 ejuſdem menſis (*pag.* 544, *num.* 14) ſanctum Patritium Hiberniæ

AUCTORE U. S.

niæ apoſtolum, ne cibis idolis ſacrificatis veſceretur, viginti diebus continuis nullo terreno cibo nutritum mirabile protraxiſſe jejunium. Theodoretus in Hiſtor. Relig. cap. xxxvi teſtatur Simeonem Stylitem ſæpiùs abſque cibo & potu quadraginta diebus jejunâſſe, & die tantùm Paſchatis, ſumpto Chriſti corpore, aliquid comediſſe. *Hiſce alia addit exempla; quædam ſummatim hîc narrâſſe ſufficiet. Puella, apud Odoricum Raynaldum ad annum 1225, regularis inſtituti ſeptennium incluſa victitavit, nullo ſumpto cibo, præter ſacram diebus Dominicis Euchariſtiam. Teſte Boſio, Maria Oigniacenſis diebus triginta ſolo Divino cibo nutrita fuit: S. Catharinæ Senenſis, B. Angelæ Fulginatis, aliorumque, longiſſimo tempore ſolo Dominici Corporis ferculo refectorum, exempla prætermitto, quæ apud laudatum Sanctiſſimum Dominum curioſus lector inveniet.*

aliiſque oſtenditur, jejunio illi

76 *Non arbitror, prudentem quemquam de hiſce univerſim hiſtoriis cum Bailleto pronuntiaturum*, Ad plauſibiliora redeamus; *etenim ſi hæc libertas cenſurandi quælibet, in quibus mirabile aliquid occurrit, licet virorum fide dignorum teſtimonio comprobata, locum habere vel poſſit vel*

B *debeat, fides omnis humana videtur prorſus eliminanda. Videatur etiam laudatus Benedictus XIV eodem cap. 27, num. 10, ubi ex hiſtoriis profanis multa depromit teſtimonia, quibus traduntur nonnulli jejunium longiori etiam tempore protraxiſſe, quàm* S. Catharina: *ibidem advertit quidem, ab aliquibus hiſtorias haſce ad fabellas relegari, ſed ſubdit in fine, à Gaſparo à Rejes in ſuo* jucundarum quæſtionum Elyſio campo, *quæſt.* 58, *num.* 7 *&* 28 *acriter eos reprehendi, qui relatis narrationibus fidem detrahunt, cùm de iis viri docti & fide digni, atque etiam magiſtratus teſtimonium dederint. Verùm, quod in rem noſtram non parùm facit, hiſtoria de jejunio Sanctæ, quæ Bailleto ne plauſibilis quidem viſa eſt, in eruditiſſimo Benedicti XIV Opere inter exempla num. præced. relata, locum habere meruit hiſce verbis:* In Vita ſanctæ Catharinæ Adurnæ Januenſis hiſtoricus narrat, toto tempore Quadrageſimæ & Adventûs per annos viginti tres ſolâ Euchariſtiâ eam nutritam fuiſſe.

prudenter humanam fidem præſtari poſſe,

77 *Per hactenus autem diſputata animus mihi non eſt relatæ à biographo hiſtoriæ pondus aliquod majus addere, cùm id neque opis ſit meæ, neque inſtituti noſtri ratio poſtulet: hoc ſolum hîc mihi propoſitum eſt, æquo lectori diſpiciendum relinquere, an meritò Bailletus de hac hiſtoria tam contemptim loqui potuerit: noverat quippe haud dubiè uſitatam criticis in rebus mirabilibus expendendis regulam, quâ jubentur inſigniora prodigia, ſi ab iis referantur, quorum teſtimonium non niſi temere & imprudenter repudiari poteſt, eò majori cum veneratione, tamquam indicia divinæ omnipotentiæ, ſuſcipienda eſſe; rejicienda autem, ſi ab iis commemorentur, quorum exigua vel nulla eſt auctoritas: prioribus autem, ſeu iis, quorum eſt fides integra, accenſendos eſſe* S. Catharinæ *biographos, ex ſæpiùs laudato Auguſtini Juſtiniani teſtimonio planè conſtat; expediiſſet itaque, Bailletum hîc memorem fuiſſe à ſe dictorum in Vita S. Felicis Nolani ubi poſt relata quædam ſtupenda, ita fatur:* Meminiſſe oportet, miraculorum iſtorum auctorem eumdem ſemper fuiſſe Deum, ſupremum hunc naturæ Dominum, qui tam inſignia ediderat teſtimonia omnipotentiæ ſuæ in Veteri & Nova lege; ac Chriſtum Jeſum veris diſcipulis ſuis, qui in eum perfectè crederent, etiam majora promiſiſſe: *expediiſſet, inquam, Bailletum hîc recordari, illum eumdem Deum, qui Moyſen & Eliam ac tot alios, diu impaſtos, conſervavit, idem beneficium* S. Catharinæ *impertiri potuiſſe.* D

quantumvis prodigioſum videri debeat.

78 *Obſerva tamen hîc iterum, lector, nolle me per ſtatim dicta quoad hiſtoriæ auctoritatem comparare jejunium* S. Catharinæ *cum jejunio Moyſis & Eliæ; immenſum enim diſcrimen, quod intercedit, agnoſco: ſed nec deſidero certò perſuadere cuiquam, memoratum* S. Catharinæ *jejunium naturæ limites exceſſiſſe; neque enim noſtrum eſt inquirere, ſitne hæc diuturna illius abſtinentia miraculo adſcribenda, nec ne: pauca tamen, ex quibus æquus arbiter ſtatuat, quod voluerit, ſubdo ex ſuprà laudato Benedicto XIV, eodem libro & capite, ubi ſuam de longo jejunio, miraculis accenſendo, ſententiam proponens & ſacræ Congregationis judicio ſubjiciens, num.* 14 *ſtatuit conditiones ſequentes, quas ſatis erit compendio retuliſſe. Prima eſt, ut de facti cognitione ſedula fiat indagatio, de abſtinentia ſcilicet ab omni cibo & potu per totum tempus, quo protractum fuiſſe dicitur jejunium. Altera, an ita jejunans ſano interim & vegeto fuerit corpore. Tertia, quo fine ſuſceptum fuerit jejunium, ubi id Chriſti, Moyſis & Eliæ ac nonnullis aliis exemplis illuſtrat. Quarta, an jejunans non prætermiſerit tempore jejunii exercere ſe piis operibus, quia laudabile non eſt jejunium, quo à caritatis & virtutum exercitio impedimur. Num.* 15 *concludit laudatus Sanctiſſimus, ſi omnia hæc concurrant,* Jejunium naturam excedere, judicandum erit. *Si* S. Catharinæ *biographo credimus, ſano & vegeto corpore ſua protraxit jejunia; videtur quoque ea aſſumpſiſſe ad imitationem jejunantis Chriſti; tertiò à caritatis operibus eo tempore non ceſſavit, ſed multò ferventiùs hiſce functa eſt: nihil quoque cibi toto iſto tempore admittebat, imò nec admittere poterat, tantùm aliquoties ſumens hauſtum aquæ:* Quem potum (*verba ſunt biographi loco ſuprà laudato*) ignis intra ipſam ardentis vehementia ilico abſumebat, perinde acſi ſuper ignitum lapidem fuſus eſſet. E

Rigida pœnitentiæ opera ſuſcepta,

79 *A* S. Catharinæ *jejunio progredior ad duriſſimas afflictationes, quibus corpus ſuum in ſervitutem redigere, omnemque animi affectionem rationi ſubdere feliciter ſtuduit. De auſteris pœnitentiæ operibus agit Vita noſtra infrà num.* 21 *& ſeqq., nonnulla item habentur num.* 29 *& ſeqq., ubi exponitur, quomodo Sancta tum pauperibus per civitatem ſparſis, tum in xenodochio majore, cui Pammatone nomen eſt, ægrotantibus inſerviens, eximia ſui victrix ſordes deglutiverit, & ulcerum fœditatem ori ingeſſerit, ad frangendum naturalem repugnantiam. Similia leguntur in Vita prolixiore, cap.* 5 *&* 8. *Ex hac ſenſuum omnium afflictatione factum eſt, teſte laudato ſtatim cap.* 5, *ut elapſis quatuor à converſione annis* univerſæ ejus inclinationes fuerint peremtæ, relicto illi (*Sanctæ*) habitu virtuoſo in omnibus promtitudinem ac facilitatem præſtante. *Paulò ſuperiùs præmiſerat biographus:* In fine quatuor annorum ſimul omnes mortificationes ita ex ejus animo fuerunt ablatæ, ut, etiamſi eaſdem exercere voluiſſet, ulteriùs haudquaquam potuiſſet. *Hiſce, quæ de Sanctæ auſteritatibus luctaque adversùs pravas affectiones ſuſcepta leguntur in Vita, quædam ſubdo ex Sanctæ Dialogo.* F

bellum affectionibus omnibus à Sancta

80 *Spiritus humanitatem alloquens part.* 1, *cap.* 18 *ita habet:* Denuncio tibi, me in primis velle, ut diſcas, quid ſit obedire, quo fias humilis & omni creaturæ ſubjecta, & ut habeas exer-

A exercitium, victum tuum assiduo labore conquires. Deinde quoties ad præstanda misericordiæ opera accersita fueris, ad omnis generis infirmos ac pauperes sine mora & excusatione ulla properes, & quæcunque tibi suggessero perficias, hoc est, omnes ægrotorum sordes expurges, & quoties hujus rei gratiâ vocata fueris, posthabitis omnibus aliis, etiam sanctis cum Deo colloquiis, ocyùs ad eum, qui & quò te vocat, advoles, nulla aut personæ vocantis aut rei peragendæ ratione habita; nam omnem tibi electionem volo interdictam, sed & cujuslibet alterius voluntas potiùs tua ipsius sit voluntas, nunquam autem propriæ tuæ voluntati morem geras. In his exercitiis, quamdiu necessarium perspexero, te detinebo, quùm constituerim omnem in te vitiosam delectationem ac dolorem, quibus in hac vita affici possis, exstinguere, & quamlibet à te imperfectionem submovere, ut te velut mortuam neque læta unquam exhilarent, neque tristia perturbent.

81 Et hoc per experientiam cognoscam: sic enim te exercebo & probabo, quemadmodùm mihi, ut eò pertingas, necesse videbitur. Et quando opus aliquod tibi injunxero, quod horrorem & nauseam afferat, teque id sentire aut videre advertero, tamdiu in ipso te remorabor, donec nec sentias, nec videas ampliùs. Idem etiam in omnibus, unde solatii quippiam perciperes, observabitur; nam ad contrarium agendum te cogam, donec nihil ultrà, quod tibi arrideat, vel te delectet, aspicias aut sentias. Et ut efficacior sit tui in hujusmodi rebus probatio acerbiorque abnegatio, subinde & rem, quæ placeat aut displiceat, suggeram, atque illius quidem appetitum, hujus verò horrorem immittam. Dehinc nolo, cum quoquam contrahas familiaritatem, neque singularem erga parentes affectum retineas, sed quoscumque sine amore & affectione diligas, pauperes æquè ac divites, perinde amicos atque parentes, neque intra te alium ab alio discernas. Præterea nolo cum ulla persona, quantumcumque religiosa aut spirituali, amicitiam ineas, neque amicitiæ causâ aliquem adeas, sufficit si vocata iveris.

indictum, susceptumque B

82 *Generosam hanc animi dispositionem quàm heroicæ afflictionis sui actiones sint secutæ, ipsamet Sancta ibidem sequentibus pergit declarare, quæ, quia in Vita infrà abundè explicantur, pauca hæc tantùm è Dialogo accipe: cap. 20 hæc leguntur:* Vim namque sibi faciens (*humanitas*) ad obtemperandum spiritui sine alio discursu & deliberatione vermes & alias sordes, velut medici nam quandam, sumsit, quæ sic angustiam & nauseam ab ipsa depulit, ut sordes ori ingerere non magis horruerit, quàm si preciosi forent uniones. *Et paulò infrà:* In his functionibus, imperante spiritu, tres circitèr annos desudavit... & tamdiu eam detinuit, donec assueta atque obdurata nihil curaret ampliùs. *Tres illi, quibus Sancta tam nauseabundis operibus sese applicuit, anni verisimiliter computandi sunt ab eo tempore, quo pauperibus cœpit ministrare; at cui determinato anno illud ipsum illigandum sit, incompertum mihi est. Parpera in Vita, edita anno 1682, cap. 54, cui hic est titulus Italicus:* Catharina cum marito se recipit in valetudinarium majus, ad serviendum infirmis, *in margine annos hosce adscribit,* MCCCCLXXIX, ætatis circitèr XXXII; *verùm cùm constet ex Vitis omnibus, priusquam xenodochii servitio sese adiceret, Sanctam etiam pauperibus per urbem ministrâsse, anno huic* 1479 *præ omni alio non au-*

feliciter. Ægrotis, una cum marito, mira caritate

sim certò adscribere tam heroïcarum actionum exordia.

AUCTORE U. S. *& sui abnegatione inservit.*

83 *Non tamen videtur habitavisse Sancta in ipso xenodochio, ut jam relatus Parperæ titulus dici posset innuere, sed alia quadam in domo, xenodochio vicinâ, ut idem scriptor asserit, laudati capitis num.* 2 *inquiens:* Ivit itaque Catharina cum marito Juliano, domumque cum horto, xenodochio contiguam, conduxit; *hoc ex Sanctæ Dialogo part.* 1, *cap.* 21 *certum, non ipsam solam, sed & Julianum ægrotantium servitio deputatum fuisse, ita quippe habet:* Fuit unà cum marito suo requisita ad serviendum infirmis in hospitali, quod & fecit, *& aliquantulùm inferiùs;* Vix audebat loqui, commorans in cubiculo, sibi & marito assignato. *De Juliano,* Catharinæ *precibus ad meliora converso, Bailletus in Sancta Vita sic loquitur:* Ipsemet (*Julianus*) pietati sese dedidit, & domum suam non derelinquens, tertium Ordinem S. Francisci amplexus est; *per quæ verba si tantùm voluerit excludere ingressum in domum quamdam regularem, non refragabor; nam saltem non videtur negari posse, eum ad ægrorum obsequium vel in xenodochio, vel in domo non procul dissita, & ad id conducta degisse.*

& sui abnegationis fructus fuit majus semper in amore Dei incrementum, ut ipsamet Sancta exponit laudato cap. 21. *Parte altera Dialogi cap.* 1 *explicat mirabiles Dei operationes, quibus circa ipsam usus est. Paucula hæc habe.* Postquam hæc creatura à mundo & carne fuit abstracta, sed & facultatibus, exercitiis, affectibus & omnibus denique rebus, excepto solo Deo, spoliata, voluit præterea ipsam Deus spoliare se ipsa & animam separare à spiritu modo quodam terribili ac cruciatu valdè subtili, difficili dictu & intellectu ei, qui ipsum experientiâ non probâsset, nec divino illustratus esset lumine. Infudit Deus cordi ejus novum amorem tam subtilem ac vehementem, ut animam cum omnibus suis potentiis in se traxerit, adeò quidem, ut à naturali suo esse dimota sit. Ob continuam novi hujus amoris occupationem non poterat se ulla in re oblectare, nec cælum aut terram respicere. Corpus nihil ab anima vigoris & levaminis percipiens ferè naturales suas functiones amittebat, erat confusum & stupidum, ignorans, ubi esset, ac quid sibi agendum dicendumve. Ex hac nova vitæ ratione, nemini adhuc perspecta, sequutæ sunt tum temporis novæ incognitæ operationes. *Plura hac in parte qui desiderat, laudatum Dialogi locum adeat: hæc porrò huc retuli, ut videatur, quàm conformiter ad ea, quæ de se scribit Sancta, Vita prolixior inter alia hæc asserat cap.* 5: Majori temporis parte sic erat constituta, ut amens videretur; non loquebatur, non audiebat, non gustabat, nihil omnino aspiciebat, nedum curabat. *Horum autem penitiorem explicationem relinquimus magistris vitæ, contemplationi & rebus divinis deditæ.*

E *Sæpe à sensibus alienata & destituta*

F

85 *Pauca addo de ecstasibus Sanctæ frequentibus. Vita prolixior cap.* 6 *hæc tradit;* Post supradictum quadriennium concessa est ipsi mens pura, libera & Deo plena, ita ut nunquam deinceps quidquam aliud in eam intraverit. Sub concionibus & sacrificio Missæ tam erat circa id, quod intrinsecùs sentiebat, occupata, ut nec audiret, nec videret, quod dicebatur aut fiebat foris, suavi divino lumine alia ipsi interiùs ostendente ac gustanda offerente, neque in ejus pote-

potentiis naturalibus, ecstases

AUCTORE U. S.

ſtate erat, aliter agere. *Similia leguntur cap.* 44 *ejuſdem Vitæ. Hæc autem ita ferè excipit Bailletus ; Saltem id eſt, quod ad excuſandum in ipſa aberrationes animi, quas non poſſemus non in aliis reprehendere velut evagationes mentis & negligentis animi vitia, adduci poteſt. Criſim hanc nil moror, maloque mirabiles Dei in Sancta operationes ſuſpicere, & ipſa ejus verba Dialogi part.* 2, *cap.* 1 *huc transferre :* Sed, *inquit*, ſingulare hoc opus (*quo nempe anima purgata ſit ſpiritus purus, corpuſque exuitur pravis habitibus & inclinationibus*) Deus ſine anima perficit hac ratione. Replet animam ſecreto quodam amore, qui ipſam naturali ſuo eſſe penitus denudat .... ſuperat namque intellectum, memoriam & voluntatem : atque iſtis potentiis in hoc divini amoris pelagus ſubmerſis, omnia alia, quæ ſe illis præſentarent, forent infernus *&c. Addit denuò infrà :* Ad res mundanas nec intellectum, nec memoriam, nec voluntatem applicare poteſt, neque in rebus ſpiritualibus delectari.

patitur, Deo in ipſa mirabiliter operante.

86 *His autem* Catharinæ *verbis conſideratis, biographorum dicta, ſtatim relata, debuiſſent Bailleto minùs fieri ſuſpecta, nec traduci, veluti ſtudiosè quæſita ad excuſandas mentis evagationes, in aliis numquam non redarguendas : nam ipſemet, ut vidimus num.* 16, *ad Dialogum remiſit, ut explicentur ea, quæ ipſi videntur in Vita præferre ſpeciem paradoxi. Quantumcumque autem à ſenſibus alienaretur Sancta, tamen, teſte biographo, cap.* 6 *Vitæ prolixioris*, Quotieſcunque opus erat, ita ſibi reſtituebatur, ut cuique interpellanti reſponderet ; *ibidem infrà :* Quodam tempore ſex horarum ſpatio exſtitit velut exanimis ; verùm audiens ſe compellari, ſtatim ſurrexit & reſponſum dando, relicta ſua quiete & contemplatione, contulit ſe ad quælibet neceſſaria. *Contigit tamen aliquando, ut eodem cap. legitur, eam tantâ ecſtaſeos vehementiâ abripi, ut inventa fuerit, humi jacens, cooperta manibus facie*, exceſſum mentis cum ineffabili, imò incomprehenſibili ſuavitate patiens, nec quantumvis magna voce inclamantem exaudiens. *Verùm de his jam ſatis.*

§ VII. Admirabiles divini amoris in Sancta operationes : Bailleti de his cenſura diſcutitur & convellitur.

Stupendæ in Sancta amoris divini operationes

DE Catharina *Auguſtinus Oldoïnus in Athenæo ſuo Liguſtico inter alia hæc habet :* Ita ut Dei amore ſuccenſa meritò omnium ore Seraphica mulier Genuenſis ſemper nominata ſit. *Sanè ſi præter ea, quæ cap.* 5 *Vitæ noſtræ infrà de ardentiſſimo ſanctæ Viduæ in Deum amore referuntur, cetera omnia recenſere velim, quæ tum ipſa in Dialogo tractat, tum Vita prolixior de amore Sanctæ in Deum puro & mundo refert, plures facilè paginas impleturus ſim. Bailletus in Vita Sanctæ in hunc ferè modum loquitur : Non aggrediemur deſcribere diverſas impreſſiones, quas ipſi indidit ſpiritus puri amoris : operationes ſpiritus iſtius in ipſa, ſtatuſque agendi & patiendi, per quos eam tranſire voluit, ad purificandum eam dignamque ſe reddendum. Sentire illa nequeunt, niſi animæ electæ, quæque ad ſtatum, naturæ terminos ſupergredientem, vocatæ ſunt ; animæ quoque hæ ſolummodò illa valent exprimere. Hactenus ſatis rectè Bailletus, qui ibidem proſequitur : Doctoribus ſcientiæ myſticæ curam remittimus diſpiciendi, an, qui interiorem* Catharinæ *Genuenſis ſtatum in Hiſtoria Vitæ ipſius repræſentare voluerunt, ſatis perſpicaces fuerint & fideles, & an non caruerint verbis propriis aptiſque ad illum exprimendum. Aptius, quo hinc nos expediamus, medium non ſuppetit, quàm ignorare &c. Ita ferè rurſus ille.* D

à biographo aſſertæ & à Bailleto perſtrictæ, vindicantur.

88 *Tum textus nonnullos ex variis Vitæ capitibus, in margine citatis, producit, ſub quorum finem adſcribit, item in margine, verba ſequentia :* Auctores Vitæ ipſius ſæpe coguntur ſibimet ipſis ſuper hiſce contradicere, *ac demum criſim ſuam concludit Bailletus : Expeditior, nobiſque haud dubiè magis ſalutaris via eſt ignorare tot paradoxa, quàm eniti ea evolvere ; melius eſt, nobis perſuadere, quòd, quoniam Deus tam ſublimi & inacceſſo loco Sanctam noſtram collocârat, exiſtimandum ſit, nolle Deum nos obſtringere, ut imitemur eam &c. Oblitus eſt Bailletus proferre ea, in quibus, ipſo judice, biographi ſæpe ſibi contradicunt ; unde non exiſtimo oportere, ut alia, quàm quæ ex Vita Bailletus retulit, examinemus : lectorem autem præmonitum volo, me tantùm allaturum verba, quæ carpit Bailletus, eaque collaturum tum cum verbis biographi tum cum dictis Sanctæ in Dialogo ; non quòd exiſtimem, verum dictorum ſublimium ſenſum à me omninò detegendum, ſed quòd ſufficiat ad excuſandos biographos eorumque ſinceritatem vindicandam, ſi vel non ita locuti ſint, ac vult Bailletus, vel ſimilia iis, quæ ipſi exarârunt, Sancta ipſa teſtata fuerit : hanc enim Bailletus ipſe legem tulit, in Tabula critica monens, conſulendum Dialogum, ut illius ope explicentur, quæ paradoxa ipſi videntur in Vita.* E

Ex Sanctæ Dialogo oſtenditur,

89 *Primum à Bailleto prolatum hoc eſt : Ita amore ſuo poſſeſſa & repleta erat, ut nec corpus, nec animam, nec ſpiritum, nec voluntatem, nec lumen, nec operationem ſentiret : ab amore hoc applicabatur ad omnia, agebatque, nil advertens : quamvis locum, ex quo ea hauſerit, non adſcribat, tamen deſignatum autumo cap.* 6, *in quo ſub finem hæc leguntur :* Vivebat tanquam omnis ſenſûs expers, ita ut nec animam, nec corpus ſe habere cognoſceret, quandoquidem ſenſus ejus tantopere in illa divini amoris fornace erant cremati & per continuam abſtractionem atque unionem extra ſe tracti, ut neque oculi viderent, neque aures audirent, quod ipſis in hoc mundo voluptatem afferret. Nares amiſerant ferè omnem odoratum, ad ſui ſcilicet oblectationem, guſtum vix pro neceſſitate habebat. *Paulò autem infrà hæc habentur :* Sedenſque aliquandiu ſic deſtituta ſenſibus mortuæ ſimilis erat ; quod magis minúſve patiebatur, prout purgata ejus anima Deo plena erat : qua de re nonnunquam aſſerebat, ſe nil ſentire intra ſe, niſi quòd ſuo amore Deo pleniſſima eſſet, unde nec ſciret, nec cognoſcere poſſet aliud, præterquam Deum, abſque ſe ipſa, tanquam animâ & corpore careret. F

ipſam ferè ſemper à ſenſibus alienatam,

90 *Hiſce à biographo aſſertis ſimilia num.* 85 *circa finem jam dedi ex Sanctæ Dialogo part.* 2, *cap.* 1, *ubi ait, animâ ſuâ divino amore repletâ, & naturali ſuo eſſe ſpoliatâ, nec memoriam, nec intellectum, nec voluntatem rebus mundanis applicari, imò ne rebus quidem ſpiritum pietatemque concernentibus, delectari ſe poſſe. Pauca ex*

Dia-

A *Dialogo, eisdem parte & cap. rursum accipe:* Etenim res tam grandis & sublimis non valet comprehendi, quùm excedat facultatem virium animæ, quæ tamen nolunt quidquam aliud attendere, sed conquiescunt ac submersæ sunt in subtili isto amore: & quando de rebus creatis mentio fit, fermè sunt stultæ absque vigore & virtute, nescientes ubi sint; nam totum hoc opus in Deo est absconditum & semper crescit: spiritus quoque indies se promtiorem ac firmiorem persentit ad omnia, quæ Deus de ipso disposuerit, perferenda, non tamen propterea aliud intelligit, anima enim, perinde ut mortua, non immiscet se huic operi, nec de eo quidquam novit.

in solo amore fuisse velut demersam.

91 *Eadem Dialogi parte, cap. 2 hæc scribit Sancta:* Verùm derelicta & desolata humanitas quo pacto vivet? Exsistens arida, nuda & vigore destituta, oculos habet, nec potest videre; aures, nec audire; nares, nec odorari; os, nec gustare; cor, nec amare; omnes vivendi modi in illo occulto amore sunt clausi ac sepulti: quæ autem de hoc amore nequit vivere, imò cui potiùs is affert mortem, quomodo vivet, præsertim sensus omnes habens integros & sanos, sed
B iisdem more aliorum uti non valens? Quocirca humanitas has mœstas promebat querelas: Quid agam infelix, conspiciens me solitariam in mundo & cæteris mortalibus dissimilem? Victura sum tanquam desperata, & non erit, qui mei misereatur; nemo enim opus hoc agnoscet divinum, neque autori Deo ascribet, quùm ferè semper mihi vivendum aliis, tum religiosis tum secularibus, difformiter, ac talia agenda, quæ judicabuntur stulta. Vita mea jam ordine ac formâ careret *&c. Plura sciens & volens prætermitto, unumque id observo, vel Bailletum hæc Sanctæ verba aliaque similia numquam legisse, vel saltem non satis accuratè contulisse cum dictis biographi, quem paradoxa, incredibilia ac nugatoria hîc locutum fuisse, nemo asseret, nisi illud ipsum de Sancta affirmare non erubuerit.*

Quæ de amissa fide ac spe, amorisque

92 *Alterum punctum à Bailleto allatum, desumptum est ex cap. 22 Vitæ, ubi ita scribitur:* Sancta hæc anima, in Deum per excessum penitus transformata, tam abstrusa de dulci amore Deo loquebatur, ut intellectus humanus vix caperet: Per Dei, inquiens, gratiam satietatem in
C me comperio sine nutrimento, amorem sine timore unquam eo carendi, fides mihi videtur prorsus amissa, spes mortua, etenim jam me habere ac possidere arbitror, quod aliàs credebam ac sperabam. *Posteriora duo fidem & spem concernentia dumtaxat carpit Bailletus in hunc modum:* In amore suo mersa fidem amiserat, in eoque morabatur absque spe boni sive in cælo sive in terra. *Hæc quæ Bailletus dicit, sanè diversa sunt à verbis biographi: is enim ex deliciis ab amore perceptis in persona Sanctæ videri amissam fidem, spem mortuam, Bailletus verò amissam fuisse fidem scribit. Juvat biographi verbis non nihil lucis afferre ex alio loco, in Vita cap. 20, ubi in persona Sanctæ de magnitudine præmii cælestis disserens, ita loquitur:* At volens Deus, ut fides habeat meritum, non ut homo operetur bonum ex quæsitione propria, paulatim eum ducit, præbens ipsi semper tantam cognitionem, quantam fides ejus capit, tribuens ei postea circa res divinas tam copiosum lumen, ut propter claram & certam notitiam, quam recipit etiam in hoc seculo, pœnè deficiat fides sic illuminati hominis, repleti cælestibus deliciis *&c.*

93 *Pauca nunc ex ipso Sanctæ Dialogo huc transfero: part. 3, cap. 8 hæc leguntur:* O amor, cor abs te possessum adeò est magnanimum & generosum ob internam suam pacem, ut potiùs cum hac perferret acerbum cruciatum, quàm sine ipsa ullum aliud bonum in cælo & in terra reciperet; etiamsi non magni fiat, nisi ab eo, qui illam experitur & gustat. Cor in Deum sublevatum sub se cernit omnia creata, non propter superbiam vel magnitudinem, sed propter unionem, quam habet cum Deo, quâ omnia, quæ Dei sunt, sua ducit, neque aliud videt ac cognoscit præterquam Deum. Cor Dei amore saucium est insuperabile: nam Deus fortitudo ejus est, non terretur inferni suppliciis, nec gaudiis regni cælestis exhilaratur, quùm ita sit ordinatum, ut, quidquid illi accidit, è manu Dei suscipiat, cum quo in omnibus est pacatum, & ferè cujusvis erga proximum perturbationis expers, nimirum à Deo sic in se ipso ordinatum & stabilitum. *Ex his porrò verbis dilucidè apparet, cor* S. Catharinæ, *divino amore vulneratum, boni nil in cælo, nedum in terra, quæsivisse extra amorem.*

Sanctæ verbis elucidantur.

94 *Securitatem autem animæ, inexplicabilem divini amoris operationem in se expertæ, describit Sancta Dialogi part. 3, cap. 14 his verbis:* Tam fortem in me sentio voluntatem, tamque ingentem ac vivam libertatem, ut non timeam, quippiam mihi objectum meum, in quo conquiesco, impediturum. Intellectus admodùm est illuminatus & indies majori potitur quiete, quotidie nova illi monstrantur & operationes tam jucundæ atque amorosæ, ut hisce libentissimè semper occupetur, suamque in iis inveniens requiem aliud nequeat investigare, sed naturam & conditionem hujus amoris non valet exprimere. Memoria quietissima est, quoniam tota rebus spiritalibus immersa, atque vix alterius rei meminisse potest, modum tamen & formam ignorat. Affectus, hoc est, amor hominis naturalis, fatetur se ab alio supernaturali adeò depressum, ut ultrà nequeat se in alio occupare, sed plenè tranquillatus est, neque appetit quæritve alium cibum, videturque sibi habere, quidquid posset desiderare, sed nec ipse scit explicare formam *&c. Satietatem quoque sine nutrimento, quam expertam fuisse Sanctam, vidimus ex biographo suprà num. 92, in Dialogo traditam reperio his verbis part. 3, cap. 3:* Per hanc stillam anima immergitur in amoris suavitatem,... occupata est in hac amoris stilla, quæ
F eam perfectè satiat sine nutrimento, unde inflammata exclamat anima: O nutrimentum sine sapore, ô sapor sine gustu, ô gustus sine cibo, ô edulium amoris! *&c. Plura pius lector ibidem reperiet.*

Bailletus constanter asserens, biographum

95 *Pergit loco laudato Bailletus, adnotatoque cap. 24 Vitæ, ita ferè ait: Purus amor impediebat, quominùs pateretur sive in anima sive in corpore, imò ne intelligeret quidem, quid sit pœna vel supplicium tam inferni, reipsa exsistentis, quàm omnium excogitabilium, quos Deus adhuc posset condere. Priusquam hæc expendamus, biographum juvat audire: ita habet jam jam laudato cap.* Testata est (*Sancta*) se, postquam fuisset vocata & à suo amore vulnerata, nunquam novisse, quid esset pati intus & foris, à mundo, dæmonibus & carne, vel quacumque re alia. *Subdit ibidem biographus causam, à Bailleto prætermissam:* Et hoc, *inquit*, ob tam perfectam sui in Deum transformationem, ut, quanquam multa pateretur adversa, nihilominùs in voluntate eadem non reputaret adversa, imò susciperet, velut à suo amore sibi transmissa, ita ut cum ipso amore permista

AUCTORE U. S. *securitate carpit Bailletus,*

AUCTORE U. S.

ingentem ei afferrent voluptatem. *Nihil quippe, ut ibidem Vita exponit, cruciatûs, nihil inferni loco habebat, præter ſolam offenſam Dei.*

tradidiſſe, nihil unquam à Sancta

96 *Omnes inferorum pœnas, habita Dei offenſæ comparatione, nihili faciendas eſſe, declarat iterum biographus Sanctæ verbis cap.* 15: Omnes namque, *inquit*, inferorum pœnæ, licèt graviſſimæ, nihil ſunt, comparatæ privationi beatæ viſionis Dei, quam propria ſponte ipſi reſiſtendo incurrit. Hoc verum probat divinus amor, qui dictat magis timendam minutiſſimam imperfectionem, quàm quotquot effingi poſſunt tartara. *Ex utroque jam relato biographi loco ſuam haud dubiè cenſuram hauſit Bailletus: verùm lectorem æquum rogo, an ſatis ſincerè criticus hîc auctorem Vitæ interpretatus ſit: ubi enim tradit, Sanctam ab amore ſuo fuiſſe impeditam, cùm expreſsè ſcribat:* Quanquam multa pateretur adverſa, nihilominùs in voluntate eadem non reputaret adverſa. *Scopus itaque biographi fuit, ut non potuit non intelligere Bailletus, ſi modò ſanis oculis verba ejus inſpexerit, oſtendere, tam magnanimum fuiſſe* Catharinæ *in Deum amorem, ut dolores ac cruciatus, à Deo immiſſos, non reputaret dolores, ſed*

B *deliciarum inſtar haberet, quod verè amantium proprium eſt.*

cruciatûs fuiſſe toleratum, ex Sanctæ Operibus

97 *Quamvis hæc abundè ſufficiant ad abolendam à biographo omnem ſiniſtram ſuſpicionem, abs re tamen non erit, verborum ipſius cum Sanctæ dictis conformitatem demonſtrare. Dialogi part.* 2, *cap.* 4 *hæc lego:* In hoc ſtatu (*quo anima amori ſuo conjuncta eſt*) non formidatur martyrium, nec infernus, nec ulla repugnantia & adverſitas, hic etenim amor univerſa reddit tolerabilia. *Part.* 3, *cap.* 6: At tu, Domine, *inquit Sancta*, de cælo attuliſti hoc ſuave manna ac dulce edulium, tantam in ſe continens virtutem & efficaciam, ut omnia ſupplicia reddat tolerabilia. *In Tractatu de Purgatorio, in quo, teſte ipſa Sancta ſub initium cap.* 1, *ex divini amoris igne, quo flagrabat, animarum piacularium conditionem perſpexit, planè ſimilia leguntur. Verba ex Italica Parperæ editione Latinè reddita exhibeo: cap.* 2 *ſic habet:* Et quantum attinet voluntatem, numquam poſſunt dicere pœnas illas eſſe pœnas, adeò acquieſcunt diſpoſitioni Dei, quâcum voluntas earum (*animarum*) in pura caritate conjuncta eſt. *Cap.* 16 *ejuſdem Tractatus ita ſcribit:*

C Prima (*operatio*) eſt, quòd cruciatus hos lubenter patiantur, videanturque ſibi videre, Deum magnam impertiviſſe miſericordiam. *Cap. autem* 17 *teſtatur Sancta, modum hunc in anima ſua ſe experiri, quo in piaculari igne detentæ animæ purgantur: hunc porrò Tractatum, lector, conſule, plura ejuſmodi ſi cupis.*

ac biographi verbis refutatur.

98 *Ex hiſce porrò omnibus, quæ tùm ex Sanctæ Operibus, tum ex Vita adduximus, omninò perſpicuum eſt,* Catharinam *doloribus & cruciatibus, iiſque graviſſimis, non rarò conflictatam fuiſſe: tam conſtanter tamen hallucinationi ſuæ adhæret Bailletus, ut ſcribens de poſtremo ſanctæ Viduæ morbo, quo è vivis exceſſit, denuò affirmare non dubitet, in ea biographum fuiſſe opinione, doloris nil unquam ſenſiſſe Sanctam. Ita ferè habet: Dolores, quos tum ſuſtinuit, tam acuti tamque diuturni fuerunt, ut intelligi nequeat, qua ratione eorum obliti ſint, qui perſuaſum voluerunt,* Catharinam *à puro amore impeditam fuiſſe, ne quid ſive in anima ſive in corpore pateretur cruciatûs, imò ne perciperet quidem, quid ſit pœna, quid tormentum, iterumque in margine adſcribit cap.* 24 *Vitæ. Verùm cenſura hæc ex jam dictis, allatiſque ex eo cap. biographi verbis ſuprà num.* 96 *ſponte corruit, adeóque morari nos minimè debet: certè cap.* 49 & 50 *Vitæ, ubi fusè deſcribitur ultimus Sanctæ morbus, ſæpiſſimè aſſerit biographus, eam expertam fuiſſe dolores acerbiſſimos, ſic tamen ut illa hos & libenti & magno animo ſuſciperet, in iiſque delectaretur. Vide Vitam noſtram infrà num.* 98. D

§ VIII. Continuatur Bailletianæ cenſuræ diſcuſſio & confutatio.

Sancta, utpote divinæ voluntati plenè conſentiens,

RE*ſtat, ut diſpiciamus, an majori jure & fundamento quinque textus alii Bailletianæ criſi ſubjiciantur, quàm reliqui § præced. examinati. Primus deſumptus eſt ex cap.* 38 *Vitæ, & apud Bailletum ita ferè exprimitur: Nihil deſiderabat, quia deſiderium omne eſt defectus perfectionis. Verba hæc conferamus cum dictis biographi laudato cap.* Cognovit, *inquit*, hæc ſancta & illuminata Anima, quodlibet deſiderium à perfectione deficere, eò quòd animæ deſideranti deſit id, quod deſiderat, nempe Deus, qui eſt omnia; idcirco anima Deo unita in ipſo cuncta reperit, nec aliud deſiderare poteſt. *Paulò ſuprà præmiſerat:* Adeò quieta effecta eſt, ut deinceps in ea uſque ad finem vitæ ſemper exſtinctum fuerit omne deſiderium, neque aliam unquam præter puriſſimam ſui dulcis amoris voluntatem habuerit; *poſtrema verba Italicè paulò aliter exprimuntur, in re tamen idem ſunt. Ex his porrò verbis uti & præcedentibus ibidem liquet, Sanctam conatam fuiſſe, nullo ne tenuiſſimo quidem deſiderio affici rei alicujus creatæ, tam cæleſtis quàm terreſtris, omniaque divinæ diſpoſitioni voluiſſe permittere.* E

nullius rei deſiderio afficitur.

100 *Inſignem quidem hic ſanctimoniam ſublimemque perfectionis gradum agnoſco, nihil tamen deprehendo vel incredibile, vel quod tantoperè in Sancta mirari oporteat: biographus factum illud innectit anno* 1507, *ut conſtat ex initio cap.* 38, *adeóque annis circiter tribus ante felicem Sanctæ exceſſum: jam ſi conſideremus, quanto ſtudio & quot continenter annis ipſa adlaboraverit, ut affectiones animi omnes edomaret, naturæ repugnantiam vinceret, ut vidimus num.* 80 & *ſeqq., quid, amabo, vetat credere, Deum tam heroicas illius actiones eo donaſſe præmio, ut nullo, ſaltem deliberato alicujus rei deſiderio afficeretur. Sanctæ Dialogum modò conſulamus: part.* 3, *cap.* 4 *animam Dominus verbis his alloquitur;* Noſtin, anima chariſſima, quis amorem meum inveniat? Qui cor habet mundum ac purum ab omni alio amore, eoque reperto, nihil appetit aliud, ſed tranquillatur penitus. *Sancta verò ejuſdem partis cap.* 7 *ita Deum affatur:* O amor, in te cor illud abſorbes. *Itaque ſatius exiſtimo, ſuſpicere mirabiliter hîc etiam in* S. Catharina *operantem Deum, quàm ſtatim paradoxum aſſerere, quidquid communem uſum excedit.* F

Quid de divini in Sanctæ amoris

101 *Huic jam excuſſo textui alium ſubdit Bailletus in hunc modum: Exiſtimabat nullius in terra exiſtentis in Deum amorem majorem eſſe poſſe quàm ſuum, laudatque cap.* 19 *Vitæ. Refertur ibidem factum quoddam, quod in Vita noſtra infrà commemoratur num.* 39 & *ſeqq. Hiſtoriam hanc in pauca hîc contraho. Vir quidam, regularis inſtituti, ſanctam Viduam de amore diſſerentem*

an-

A *audiens, asserùit ipsi, se, utpote religionis vinculis Dei obsequio ligatum, aptiorem & expeditiorem esse ad amandum Deum, quàm foret ipsa, degens in seculo & conjugali statu. Sermonem hunc præter alia excepit Sancta his verbis:* Quòd verò non æquè ac tu possim amare, nulla unquam ratione mihi persuadebis . . . Amor non potest impediri, & quando impeditur, non est amor ille totus purus & mundus. *Et paulò pòst, Deum alloquens, ait:* O amor, quis me impediet, quin te amem? Licèt in tali statu non essem, ... sed in castris militum degerem, non possem impediri. *Præter hæc toto laudato cap. nil invenio, quod in rem præsentem faciat; sed ex adductis verbis non facile extundetur id, quod in censura sua Bailletus asserit.*

magnitudine tradiderint biographi,

102 *Quid quòd biographus subdat:* Hìc sciendum, quòd non negârit (*Sancta*) viam ad perfectum amorem pertingendi in seculo difficiliorem esse, quàm in religione. *Unde, si rectè mentem Sanctæ assequor, hic verborum ejus scopus fuit, ostendere scilicet, quòd, sicut sola vestis religiosum virum non facit, ita nec nuda regularis instituti professio aptitudinem ad amandum majorem cuiquam per se conferat, integrumque esse homini,* B *etiam in seculo degenti, Deum amore perquàm intenso prosequi, modò velit constanter & fortiter omnia removere obstacula, quæ cordis munditiem impedire possunt, quam haud dubiè animi dispositionem in se experiebatur Sancta ob insignem, quâ prædita erat, benignitatis & misericordiæ Dei fiduciam. Ejusdem Vitæ prolixioris cap.* 18 *scribit biographus, Sanctam asseruisse, non percipere se, qua ratione crescere posset amor, quo ardebat: sed addit;* Hoc sic intelligendum, quòd, quùm amore semper abundaret, non posset videre nec desiderare plus, quàm quod tum temporis ipsam satiabat; non tamen sequitur, quòd amor preciosum & electum Vas eluere ac mundare atque etiam dilatare, semperque magis implere desisteret.

inquiritur: ob perspicuam humanæ malitiæ cognitionem

103 *Ex hisce colligitur, quòd, licèt interdum verba aliqua secundùm se spectata possint scrupulum aliquem injicere, accepta tamen cum antecedentibus & consequentibus ab omni sinistra suspicione immunia sint. Idem dicendum de eo, quod carpit Bailletus, desumptumque est ex cap.* 10 *Vitæ, ubi ita lego:* Non patebat vanæ gloriæ in animum ejus aditus, *causam enim à biographo adjectam subticuit Bailletus. Eam igitur hìc subnecto:* C Quippe, *inquit*, quæ veritate plena & diffidentiâ sui ipsius insigniter prædita in Deo solo, amore suo dulcissimo confideret, cui se cunctam in anima & corpore resignabat, Domine, inquiens, fac de me quidquid vis. *Multa eodem cap. leguntur, ex quibus constat, nihil unquam Sanctam sibi tribuisse, sed omnia in gratiam Dei refudisse, adeò ut maluisset mille tartara subire, quàm videre in se (quod ipsum tamen, ut revera est, impossibile affirmavit) actum supernaturaliter bonum non profectum à gratia.* Nolebat, *inquit biographus circa finem laudati cap.*, quempiam in animum posse inducere, bonum aliquod esse, nisi in Deo, omne autem malum à solo homine procedere per vanam gloriam.

expers fuit Sancta inanis gloriæ.

104 *Certè qui vilitatem & malitiam humanam clarè perspectam habet, eamque sæpe ob oculos sibi ponit, non facilè vanâ gloriâ seduci se sinet: liquet autem tum ex verbis præmissis, tum ex aliis totâ passim Vitâ, ipsisque Sanctæ Operibus, quàm vilem de se ipsa semper existimationem habuerit. Audiatur denuò biographus, in persona Sanctæ loquens, cap.* 40 *circa finem:* Itaque constat, omnem gloriam esse Dei, & omnem malitiam hominis, adeò ut si Deus hanc pro sua pietate non contineret, mox homo universa mala, quæ in creaturam cadunt, perpetraret, è quibus nunquam se posset extricare, si Deus suâ potentiâ & bonitate illum non liberaret. Hoc unum est, de quo glorior, quòd non videam in me, de quo gloriari queam, & si quis in se aliquid videret, gloria ejus esset vana, non cognoscentis, quòd gloria sit & esse debeat Dei & non ipsius, ideoque inanis gloria ex ignorantia nascitur. *Audiatur etiam Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 13: Idem etiam amor incitabat eam ad tantam sui ipsius aspernationem, ut ratione sui omnia, quæ sub cælo sunt, in majori non haberet precio, quàm si penitus non essent: *cap.* 12 *præmiserat:* E qua visione (*malitiæ suæ*) in tantam sui ipsius devenit desperationem, ut quidquid hominis est, nunquam deinceps aliter, quàm ipsummet diabolum cum omni ejus malitia aspicere potuerit.

AUCTORE U. S.

Catharinam consolationes & favores cælestes E

105 *Duo adhuc supersunt examinanda, quæ miror, potuisse displicere Bailleto, si modò Sanctæ Dialogum legerit: primum spectat fugam & recusationem consolationum, de qua Vita prolixior cap.* 17 *ita scribit:* Idem est de affectu, qui statim in principio ipsi à suo amore fuit ablatus, ita ut non posset habere affectum ad rem aliquam creatam vel increatam, neque ad ipsum etiam Deum, quoad consolationes, visiones & sapores spirituales, quæ advertit alios tanti facere, illa verò horruit, & quoad poterat, fugit. *Bailletus in Vita Sanctæ num.* 5 *jam ante carpserat verba hæc ex Vitæ prolixioris cap.* 6: Nolo id, quòd à te procedit, ô dulcis Amor, sed te unum volo; *jam, inquam, hæc antè carpserat Bailletus, dicens*, Estne credibile eam dixisse, quod eam Deo dixisse volunt, sub prætextu abalienationis à sensibus? *Discutiant ii, quorum interest & evolvant verba Sanctæ, inquirant, meliorne ac perfectior sit status animæ, in ariditate spiritûs versantis, an affluentis cælestibus deliciis; mihi sufficiet, ex ipsis Sanctæ operibus aliqua adduxisse ad ostendendum, biographos etiam in hac parte omnino consentientia tradidisse iis, quæ* Catharina *de se scripta reliquit.*

refugisse, testatur Vitæ auctor, quòd confirmatur F

106 *Dialogi part.* 1, *cap.* 14 *sub finem ita lego:* Sed momento illo præterlapso, advertens purus amor, rem hanc insolitam ad Deum clamare cœpit; O Domine, Domine, nolo tui experimentum, non quæro gustum, sed omnia hæc tanquam dæmonia fugio, ceu amorem purum, qui debet esse nudus, impedientia. Potest enim homo sub specie perfectionis eisdem spiritu & humanitate inhærere. Quare, mi Domine, precor, ne deinceps similia, quæ nec mihi, nec cuivis alteri, nudum divinum amorem quærenti, conducunt, largiaris. *Cap.* 15 *hæc scribit Sancta:* Spiritales enim (*res*) sub specie boni hominem attrahunt, nec potest illi, nisi admodùm difficulter persuaderi, aliud ipsis, quàm bonum inesse, & ita homo ex illis, quæ à Deo procedunt, id est, donis ejus sese recreat & pascit; veritatem autem tibi dico, quòd tam nudè ac simpliciter, atque fieri potest, Deo fruiturus talia necessariò fugere debeat, quùm puro Dei amori venenum sint. Sanè gustus ille spiritalis magis quàm diabolus cavendus, quandoquidem ubi adhæret, morbum generat incurabilem, homine ignorante *&c. Sed hæc sano sensu accipienda existimo.*

ex ipsis Sanctæ Operibus.

107 *Rursum cap.* 17 *ita loquitur:* Instillavit (*Deus*) illi (*Sanctæ*) ingentem divinam dulcedinem

AUCTORE U. S.

nem ſuaviſſimi amoris, quâ corpus & anima ita exuberabant, ut vix ampliùs pedibus poſſet conſiſtere. Quia verò oculus amoris univerſa conſpicit, ſimul atque hæc Anima hujuſmodi grandia advertit, vociferata & proteſtata eſt, nolle ſe tales ſuavitates ac guſtus in hac vita, neque curare experimentum amoris, quùm experimentum amorem corrumpat. Ego, inquiens, quoad potero, reſiſtam, neque ipſis adhærebo, aut ullum præbebo locum, abſit à me ejuſcemodi deliciis, quæ puro amori venenum ſunt, paſci. Deus tamen non ſinebat *&c. Mitto alia his ſimilia, contentus oſtendiſſe, non poſſe biographi verba paradoxa & incredibilia dici, niſi dicta Sanctæ eâdem notâ afficiantur. Paucula ſubnecto magni Auguſtini verba ex enarratione in Pſalmum 72, num. 32:* Factum eſt, *inquit*, cor caſtum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, carius facit, quod vult accipere, quàm ipſum, à quo vult accipere. Quid ergò, nullum præmium Dei? Nullum præter ipſum. Præmium Dei ipſe Deus eſt. Hoc amat, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor.

B *Locus quidam difficilior,*

108 *Poſtrema Bailleti hac in parte cenſura cap. Vitæ prolixioris 18 impetit: verba huc tranſfero.* Aiebat (*Sancta*) nolo amorem, qui ſit propter Deum, aut in Deo: non poſſum has voculas Propter & In aſpicere, ceu denotantes quoddam inter Deum & me medium, cujuſmodi amor purus & mundus propter ſummam ſuam munditiem ac puritatem nequit tolerare. *Thannerus in Explicatione difficilium locorum in hæc verba commentans, ait, dubio non carere, cur amorem in & propter Deum Sancta renuerit, cùm Deum verè amans etiam neceſſariò proximum diligere debeat, & ipſamet tam heroïcæ erga proximum caritatis opera exercuerit: ſed nec, inquit, ratio à Sancta allata, quòd propter & in denotent aliquod medium, exſorbet difficultatem:* Nam purus Dei amor (*verba ſunt Thanneri*) non omne reſpuit medium, ſed tantummodò quod puro amori adverſatur, cujuſmodi non eſt ordinatus & ſpiritualis amor proximi; neque unio animæ cum Deo quodlibet medium recuſat, id duntaxat, quod hanc unionem impedit; at pura proximi dilectio eandem non impedit, quin & promovet. *Ita ille & rectè.*

C *de amore Dei ſine ullo medio, quem Sancta,*

109 *Poſt hæc Thannerus ita diſſerit, ut hæc caritatis proximi opera reſtringat ad vitam Sanctæ actuoſam, poſtea verò cum à Deo vocata eſſet, ut ſoli contemplationi vacaret, tum, inquit, licèt in ea perſeveraret caritas iſta, opera tamen exercere non potuit, animo ita in Deum erecto, ut nec de ſeipſa nec de proximo cogitationem ſuſcipere poſſet, nec aliò ſe vertere, quàm quò eam vertebat Deus, ſique tum de proximo in vel propter Deum diligendo cogitare voluiſſet, medium ſe inter ac Deum aliquid ſtatuiſſet, arctamque illam unionem impediviſſet. Utut ſit, commodè biographi verba ſic accipi poſſe autumo, ut per medium inter ſe ac Deum tantùm voluerit Sancta illud omne excluſum, quod puro ſuo in Deum amori obſtaculum poneret, conformiter ad ea quæ Dialogi part. 1, cap. 12 ſic ſcribit Sancta:* Oſtendit ipſi Deus amorem, quo propter illam paſſus fuerat. Anima, conſpecto iſto puro & forti Dei erga ſe amore, tam vehementer intrinſecùs fuit ſauciata, ut quemvis alium amorem, ac quidquid inter ipſam & Deum medium atque obſtaculum poneret, contemneret penitus.

110 *Audiamus etiam, quid de diverſis amoris operationibus tradat Sancta Dialogi part. 3, cap. 5:* Opera, *inquit*, per amorem fiunt, quando homo quaſlibet ſuas actiones per amorem Dei, ab ipſo Deo conceſſum, perficit cum inſtinctu operandi propter ſuum aut proximi commodum. Et in hoc primo amoris ſtatu Deus impellit hominem ad multa & diverſa opera utilia & neceſſaria cum eximio pietatis affectu facienda. Opera ſecundi ſtatus amoris fiunt in Deo, & ſunt ea, quæ quis abſque reſpectu utilitatis propriæ aut proximi præſtat, nullum habens objectum, quod ad operandum moveat, præter Deum, atque ob adquiſitum bene agendi habitum perſeveranter operatur, & Deus ipſi abſtulit ſuam partem propriam, ſeſe ſpectantem ac delectantem, opuſque perfectius eſt primo, in quo multa habebat objecta in quibus animam & corpus paſcebat. Opera ab amore facta ſunt cæteris perfectiora, ceu ſine ulla hominis parte peracta, ſed amor ita ſuperavit hominem, ut totus in pelago amoris ſit demerſus, nec ſciat, ubi ſit; in ſeipſo eſt perditus, non valens quidquam operari; amor verò eſt ipſemet, qui operatur in homine, atque hæc opera ſunt opera perfectionis, quippe ſine propria hominis parte præſtita.

D *teſte biographo, unicè quærebat,*

E

111 *Dum autem Sancta à biographo dicitur renuiſſe amorem in & propter Deum, videtur tantùm ipſa intendiſſe, ut opera ſua fierent ab amore, modo tertio jam explicato, nullatenus autem cenſenda eſt, excluſum voluiſſe amorem proximi: nam poſt verba jam relata, interjectis paucis aliis, addit:* O Amor, vinculum tuum tam ſuave ac forte eſt, ut angelos & Sanctos connectat, eſtque perpetuum ac indiſſolubile, & homines hâc catenâ colligati ita ſunt uniti, ut prorſum unius ſint voluntatis, unumque habeant objectum, ſed & omnia illis videntur communia, tum temporalia tum ſpiritalia. In hoc nexu non eſt ullum inter divites ac pauperes, inter hanc vel illam nationem diſcrimen; quælibet repugnantia excluditur, ubi eſt hic amor, qui omnia diſtorta efficit recta & omnia contraria unit. *Unde perperam Bailletus agens de operibus caritatis, à Sancta exercitis in obſequio pauperum & ægrotorum, ſic ſcribit, ut ex his caritatis officiis concludat, in ipſa viguiſſe amorem, qui ipſam inter & Deum medium admitteret, quidquid ſcripſerint alii & quantumcumque ipſa Sancta fuerit invita.*

ex aliis locis, ac maximè è Dialogo

F

112 *At fortè, quod & Bailleto viſum eſt num. 5 in Vita* S. Catharinæ, *inquiet nonnemo, ſi modus ipſius amandi amori ſuo, ſeu ei circa quem verſabatur, conformis erat, non poterat non eſſe ſimpliciſſimus & abſque tanta ſubtilitate *. Verùm hæc me cenſura non moratur; certum enim eſt, quòd, quomodo vult, in Sanctis ſuis mirabiliter operetur Deus: Sanctam tamen rurſum audiamus. Dialogi part. 3, cap. ultimo ſic loquitur:* Quidquid de amore dici poteſt, nihil eſt; nam quò ampliùs progrederis, hòc minùs ſcis: at cor plenum eſt & pacatum, aliud non quærit, nec reperire cuperet, præter id quod ſentit. Omnia ejus verba ſunt intima, ſapida, ſuavia & tam ſubtilia, ſecreta atque cum eo, qui illa inſpirat, unientia, ut ſolum cor intra ſe eadem percipiat, ceu cum Deo unitum. Verùm ſolus Deus illa intelligit, cor ſentit & non intelligit, atque ita opus exſiſtit in Deo & utilitas in homine: hic autem intimus amoroſus modus, quem Deus cum corde hominis obſervat, eſt inter ipſos

elucidatur.

**Gallicè,* Rafinement.

A ipsos, Deum & cor secretus. *Atque hæc de insigni Sanctæ amore, deque stupendis illius in ipsa effectibus dicta sufficiant.*

§ IX. Sanctæ, longo tempore à solo Deo directæ, mirabilis vitæ innocentia, à biographo asserta, expenditur.

Sancta sine ullius hominis auxilio

VIta nostra infrà num. 24 & seqq. testatur, *Sanctam unicè à Deo directam fuisse ad viam perfectionis, regulasque recensèt à Deo illi traditas ad finem hunc sublimem obtinendum: easdem regulas commemorat Vita prolixior cap. 6; cap. verò 44 ita scribit:* Erat hæc Anima interiùs à solo suo dulci Amore per divinam & internam ipsius alloquutionem ducta, &, quidquid ei opus erat, edoctâ sine aliqua religiosa
B vel seculari persona, & quando se alicui volebat adjungere, mox eam amor ita in spiritu afflixit, ut coacta fuerit ipsam relinquere, aiebatque, Domine, intelligo te. Et quùm ei diceretur, consultum fore, ut pro majori securitate sese obedientiæ alterius submitteret, hæsitanti, quidnam hac in re sibi agendum, sic in spiritu à Domino suo responsum est: Confide mihi & noli ancipiti cogitatione distrahi.... Hunc in modum domina Catharina in via Dei perstitit annis circitèr viginti quinque, à nullo prorsus homine, sed à solo Deo instructa, directa & mirabili operatione ducta.

à solo Deo dirigitur. Bailletus

114 *Postquam hæc Bailletus num. 8 retulit, in hunc fere modum pronuntiat. Haud dubiè via erat ambigua admodum subjectaque illusionibus, maximè cùm sic recederet ab ea, quæ meritò in Ecclesiâ habetur trita magis & secura. Negari certè non potest, tutius esse, ut prudentis alicujus directoris consilio utatur, qui per vias rectas vult incedere; certum tamen etiam est, nonnullis electis suis concessisse olim Deum singulare aliquod hac in parte privilegium, quo & sancta hæc Vidua, teste biographo, donata fuit: ut autem per-*
C *spiciamus, quod Sanctæ non ductum proprium, erroris periculo expositum, sed Spiritus sancti sequeretur: juverit huc transferre verba S. Gregorii Magni Dialogorum lib. 1, cap. 1.* Sunt nonnulli, qui ita per magisterium spiritûs intrinsecùs docentur, ut, etsi eis exteriùs humani magisterii disciplina desit, magistri intimi censura non desit: quorum tamen libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda, ne, dum se quisque similiter sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat & magister erroris fiat. Mens autem, quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissimè signa sua, virtutes scilicet & humilitatem, quæ si utraque perfectè in una mente conveniunt, liquet, quòd de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt.

hanc vivendi normam suspectam habens

115 *Qui voluerit modo pervolvere ea, quæ de* S. Catharina *in hoc Commentario retulimus, quæque in Vita infrà leguntur, evidenter perspiciet admirabilem heroicarum virtutum cum humilitate conjunctionem, adeòque de spiritu in* Catharina *bono nullus supererit ambigendi locus: verùm quod hìc maximè intendo, est ostendere, nihil tradidisse etiam hac in parte biographum, quod non ipsa priùs Sancta in Dialogo suo testatum fecerit: hunc itaque consulamus. Part. 1, cap. 13 sic lego:* Omnium horum instinctuum autor erat solus Deus, animâ nullam ibi electionem aut objectum habente; volebat enim Deus partem ejus propriam regere, omnesque instinctus, ex carne & mundo ortum trahentes, ipsi evellere, proinde contrarios inferebat. *Part. 2, cap. 1:* Sed Deus, *inquit Sancta*, qui hanc curam susceperat, nolebat, ut præter ipsum quisquam alius sese intromitteret, hunc que observabat modum.

ex Catharinæ Dialogo, aliisque confutatur.

116 *Rursum part. 2, cap. 10, cùm prædixisset Sanctæ Deus ingentes cruciatus, quibus decem circitèr ultimis ante mortem annis erat opprimenda, sic Dominum precatur:* Destina mihi, Domine Deus, saltem personam, quæ me intelligat, atque in suppliciis imminentibus consoletur, quemadmodùm fit ad mortem condemnatis, ne desperent. *Et paulò infrà ait:* Adjunxit (*Deus*) illi (*Sanctæ*) etiam forinsecus quendam religiosum secundùm ejus necessitatem, qui intelligebat opus Dei magnamque ei afferebat consolationem. *Interfectis verò nonnullis, de conscientiæ suæ moderatoris absentia, in hunc modum conqueritur:* Exteriùs quoque video mihi E ademtum confessarium, adeò ut vix illum ultrà libeat (*Italicè habetur* liceat, *sive* possim) aspicere; ob nimiam debilitatem vires desunt me quoquàm vertendi *&c. Ex his porrò collige, prudens lector, nullâ censurâ affici posse, quæ de Marabotto, cruciatuque Sanctæ, ex ejus absentia orto, in Vitâ dicuntur, nisi & eamdem Sanctæ Operibus affingamus.*

Non contradixit sibi biographus,

117 *Reliqua, quæ vel elucidatione aliqua vel expositione possent indigere, locum habebunt in Annotatis ad Vitam infrà: unum tamen hìc prætermittere non possum. Cap. 2 Vitæ prolixioris, ait biographus:* Et quanquam Dominus Deus eo tempore, quo amorosum ac suave illi vulnus inflixit, omnia ipsi peccata condonâsset, tamen ad servandam justitiam voluit eam satisfactionis viam insistere. Atque hæc contritio, lumen & conversio circitèr quatuordecim tantummodò menses duraverunt; postquam autem satisfecit, prædicta visio sic animo ejus subtracta est, ut nunquam deinceps vel minima peccatorum suorum scintilla ob oculos ei volitârit, non secùs acsi universa in profundum maris de-
F mersa essent. *Hæc ita excipit Bailletus:* Non retinuit nisi dolorem, qui ad tumulum usque comes illi hæsit, quique tamen non fuit expers metûs omnis, ne terribilis illa peccatorum suorum visio rediret, *adducitque verba Sanctæ ex cap. 20 Vitæ prolixioris, quæ fabdo:* Non valens ullo pacto Dei offensam videre, dixit: O amor meus, omnia alia mihi tolerabilia sunt, sed te offendisse, tam horrendum atque intolerabile est, ut quælibet dura & acerba mihi potiùs infligas, quàm ostendas, quòd te offenderim. Offensas tibi à me irrogatas revoco, nec possum approbare, te unquam à me offensum. Non detrecto, quin omnia dæmonia cum universis illorum terroribus & suppliciis mihi morienti commonstres, nihili enim ipsa facio, cum intuitu offensæ tui, licèt minimæ, composita, quæ tamen non potest esse minima, eò quòd tua celsissima Majestas offendatur.

dum asserit, Sanctam fuisse liberatam

118 *Displicuerunt hæc Bailleto, tacitè contradictionis biographum arguenti, dum ita loquitur Gallicè:* Verùm difficile intellectu est, quomodo toties postmodùm pœnitentiæ Sacramentum frequentans, quoties id fecisse postremis præsertim

AUCTORE U. S.

vitæ annis dicitur, non ſubierit toties, peccatum ſuum videns, pœnam, quam evitare cupiebat. *At quamvis Vitæ auctor aſſerat, quòd, elapſo quatuordecim menſium ſpatio, Deus omnem omnino peccatorum viſionem* S. Catharinæ *ſubtraxerit, hoc certè non ita intelligendum, acſi toto reliquo vitæ tempore nullam ampliùs cognitionem quorumdam defectuum, ſeu antè, ſeu de novo commiſſorum, habuiſſet, quæ ad pœnitentiæ Sacramentum neceſſaria eſt; ſed potiùs de clariori quadam viſione turpitudinis peccati, quâ vehementiſſimè cruciaretur, quæque ad ſatisfaciendum pro admiſſis peccatis, eorumque averſationem majorem concipiendam, à Deo illi fuerit conceſſa. Biographum audiamus ſuprà laudato cap. 20; poſtquam nonnulla præmiſerat de magnitudine tum cæleſtis præmii tum ſupplicii infernalis, de infelicitate hominis, deſideriis ſuis indulgentis, gratiamque negligentis, ſubdit.* Viſiones, quas de his omnibus habuit, non fuerunt ei tam tenuiter intrinſecùs repræſentatæ, ut plerumque fieri ſolet; verùm tam manifeſtè & expreſsè, ut quaſi oculis illa conſpexerit manibuſque contrectârit. Nec dubium, quin (*in editionibus Italicis additur vox*

B homo) tales viſiones recipiens potiùs mortem eligeret, quàm ſpontaneam Dei offenſam, tametſi minimam.

peccatorum ſuorum viſione,

119 *Rurſum biographus cap.* 12 *evidenter ſignificat de longè alia peccatorum viſione ſeu cognitione agi, quàm quæ ad pœnitentiæ Sacramentum requiritur; ita enim in perſona* S. Catharinæ *loquitur:* Certum habe, quòd, ſi quis cerneret, quàm enorme unum tantùm peccatum ſit, potiùs eligeret animâ & corpore in ſuccenſa fornace vivus conſiſtere, quàm in ſe peccatum tolerare; & ſi univerſum mare ignis eſſet, ad effugiendum peccatum ſeſe in medium ejus uſque ad fundum demergeret, neque inde unquam prodiret, ſi ſciret, quòd prodiens peccatum eſſet conſpecturus. Hoc multis grande videbitur, ſicut etiam eſt, ſed ipſi prædicta demonſtrata fuere, uti ſunt in veritate, & hoc exemplum rei declarandæ longè impar judicabat. *Agitur hic haud dubiè de clara admodùm & evidenti viſione ſeu cognitione turpitudinis & enormitatis peccati, quam* S. Catharinæ *conceſſerit Deus, quæque tantum in ipſa peccati horrorem excitârit, ut maluerit omnia videre dæmonia cum univerſis eorum ſupplicis, quàm offenſus à ſe contra Deum admiſſas,*

C *non graves utique, uti vidimus num.* 51 *&* 52.

clariori utique & evidenti,

120 *Porrò quàm horrenda Sanctæ fuerit viſio peccati etiam levioris, expreſſiùs declaratur cap.* 24, *ubi hæc leguntur:* Quando mihi conceſſum fuit intelligere, quàm paveſcenda ſit umbra minimi actus, qui fit contra Deum, neſcio cur è vivis non exceſſerim. Tunc dixi: Non miror ampliùs, infernum eſſe tam horrendum, ſiquidem conditus eſt propter peccatum; tamen repetens animo, quod mihi oſtenſum eſt, non arbitror cum horrori peccati parem: imò videtur mihi, quòd Deus multò minorem ipſi horrorem indiderit, adeò mihi terribilis apparet vel umbra ſaltem peccati venialis. Et quid in hujus comparatione erit peccatum lethale? *Vide Vitam infrà num.* 56. *Vitæ prolixioris cap.* 27 *hæc iterum obſervo:* Reſponſi loco fuit illi (*Sanctæ*) in ſpiritu demonſtratum, multò intolerabiliorem eſſe Dei offenſam, quamlibet exiguiſſimam, ipſo Luciferi inferno. Non erat viſio hujus Beatæ, ut plerunque ſolet, ſine cruciatu; propterea videns, quàm gravis ea ſit, tantus in corde ejus ignis exarſit, ut in morbum inciderit & pœnè exſtincta ſit. *Itaque dum biographus cap.* 2 *affirmat, ablatam Sanctæ fuiſſe* D *omnem peccatorum ſuorum cognitionem, intelligendus eſt de perſpicua illa & evidenti turpitudinis peccati viſione ſeu notitiâ, quâ liberari ipſa petierit, Deo piis deſideriis benignè annuente.*

ut ex ipſis Sanctæ Operibus oſtenditur.

121 *Dum ejuſmodi cognitionem à Sancta penitus ablatam ſcribit, nihil ampliùs adſtruit, quàm quod ipſa in Dialogo ſuo prior affirmaverat: ſiquidem part.* 1, *cap.* 12, *dum, perſpecta ſua propria malignitate, illam totam in Dei manus vellet conſignare, à divina bonitate obtegendam ita, ut malitiæ nihil ampliùs appareret, ſubdit.* Reſpondit dulciſſimus ejus Dominus, approbare ſe hanc permutationem, eodemque momento iſta ejus pars maligna ita ſublata fuit ex ejus memoria, ut deinceps nullam de ipſa curam habuerit. *At cap.* 17 *ejuſdem* 1 *part. de ſe ſcribit Sancta:* Quandoque cognitionem ſui ipſius, hoc eſt pravarum ſuarum inclinationum, puro amori adverſantium ipſi præbuit, & per hanc cognitionem mitigabatur ingens flamma (*amoris*) cernebat namque præſtare (quod & optabat) penitus non eſſe, quàm Amorem ſuum vel minimo non tantùm peccato, ſed & defectu offendiſſe. *Niſi velimus aſſerere, poſtrema Sanctæ verba pugnare* E *cum prioribus, debemus ſecundo loco intelligere ſimplicem aliquam & nudam peccatorum cognitionem, priore verò dilucidiorem cum ingenti cruciatu; & hanc quidem penitus ſublatam fuiſſe, illam verò in Sancta permanſiſſe. Simplicem autem peccatorum cognitionem in Sancta exſtinctam fuiſſe, nullibi tradit biographus, imò contrarium colligi videtur ex cap.* 27, *ubi ait:* Unde quando dubium ei incidit, coacta fuit ſtatim ejus deciſionem petere, alioquin tanquam in igne poſita non poterat quieſcere: audiens, hoc perperam factum, mox reſpondit; Domine, ſi malè actum, nolo id feciſſe *&c.*

Sanctæ admiranda vitæ innocentia,

122 *Difficultatem tamen aliquam parere nata ſunt, quæ ſcribit biographus cap.* 44. *Vitæ prolixioris; docent quippe* S. Catharinam *poſtremis, imò ſi conferantur cum iis, quæ num.* 117 *dedimus ex cap.* 2, *totis triginta & ampliùs ante obitum annis tali innocentia donatam fuiſſe, ut puero, nondum ratione utenti, non abſimilis eſſet. Neſciebat, ipſo teſte, quo pacto confeſſionem inſtitueret, ubi eſſet quoad animam & corpus; non* F *poterat videre, quòd Deum offendiſſet, nec peccata, quæ recenſebat, tamquam peccata cogitatione, verbo vel facto admiſſa inſpicere;* Sed, *inquit biographus laudato ſtatim cap.* 44, velut opera pueruli, puerilia agentis, neque intelligentis, cui quando dicitur; Malè egiſti, rubore ſuffunditur, non tamen, quòd ſe perperam egiſſe cognoſcat. *Addit, eam dixiſſe:* Nolo omittere confeſſionem, ſed ignoro, cui peccatorum meorum culpam aſcribam, cupio me accuſare, nec valeo. *Scilicet, ut cap.* 5 *ejuſdem Vitæ legitur,* Tam erat vehemens & continuus ardor animæ ejus, ut præter naturales inclinationes nulla ipſi tentatio appropinquare poſſet, ſicque ad finem uſque vitæ perſeveravit.

Thanneri ratiocinium illuſtrata,

123 *Thannerus in antè laudata Explicatione locorum difficilium ait, hanc Sanctæ ab omni in malum propenſione immunitatem creditu difficilem eſſe ob peccati fomitem, homini etiam ſancto ad mortem uſque inhærentem: ibidem tamen exiſtimat nullo negotio probari poſſe, id minimè eſſe incredibile, producitque deinde nonnulla aliquot Sanctorum exempla, quibus oſtenditur ſingulari Dei beneficio conceſſum fuiſſe, ut, quamvis peccati fomite non carerent, tamen vel ab aliquo pe-*

A *culiari vitio, vel ab omni etiam prava affectione liberi ad longum tempus exſtiterint. Tum ad conſiderandum ſanctæ Viduæ ſtatum converſus, frequentes commemorat ecſtaſes & omnium virium animæ ejus in Deum elevationes, adeò ut Deo quodammodò plena & in ipſo ſolo occupata viveret, aliò, quàm quò volebat Deus, nequiens ſe convertere, ſubditque aliqua ex cap. 32 Vitæ prolixioris, quibus declaratur, qua ratione Deus omnes ad malum inſtinctus in homine purget & conſumat, ac demum ita ſcribit:* Confeſſionem factura non poterat deprehendere, quòd Deum offendiſſet, eò quòd externam & internam ſuam partem nequaquam ita ſentiret vigere, ut affirmare poſſet, ſe mali quid admiſiſſe: volebat accuſare partem Deo rebellem, nec inveniebat. *Adſcripſit in margine* cap. 44, *ex quo præcipua retulimus num. præced.*

124 *Pergit Thannerus ibidem ſic loqui:* Non opinandum, ex ignorantia vel defectu luminis divini hoc proceſſiſſe, quod ſanè tam copioſum in ea erat, ut etiam minimos nævos adverteret, ſed & aliorum corda perſpiceret; verùm ob vehementem divinam operationem, quam in anima & corpore ſuſtinebat, fomes ſecundùm ſuam malitiam agere nequibat. *Atque hæc rectè adhibentur à Thannero, ſi ſignificatum voluerit, piaculi nihil à Sancta admiſſum fuiſſe, adeóque non potuiſſe in ſe nævos ullos deprehendere. Lectorem porrò ibidem remittit ad part. 2 Dialogi* S. Catharinæ, *capite autem 1 hæc in rem præſentem lego:* Hoc pacto (*Deo Spiritum trahente*) paulatim conſumuntur omnes imperfectiones animales, & fit hæc anima purgata ſpiritus purus, corpuſque pravis ſuis habitibus & inclinationibus exutum fit mundum atque aptum, quod opportuno tempore cum ſpiritu ſuo abſque impedimento uniatur. *Alia multa in Dialogo leguntur, quibus vitia omnia in ſe exſtincta, ſeque ab amore divino nudatam ac ſcipſa ſpoliatam fuiſſe declarat. Ea verò, quæ contra opponi poſſent, maximè ex cap. 26 Vitæ prolixioris, ubi de malitia privati amoris agitur, diciturque Sancta aliquoties habuiſſe inſtinctus, quos ipſa bonos exiſtimârit, poſtea verò ab amore divino magis illuminata malos deprehenderit, ea, inquam, ſolvere conatur Thannerus, dicendo, non fuiſſe vitia ſeu peccata, ſed quoſdam à puro amore defectus, vel, ſi inſtinctus iſti verè pravi fuerint, referendos ad quadriennium poſt converſionem, non ad ulteriora tempora. Mihi hæc ſufficit retuliſſe; attamen verba Sanctæ Dialogi part. 3, cap. 14 hic ſubnecto.* Licèt, *inquit*, difficile videatur omnem mali ſpeciem cavere, nihilominùs qui conſpiceret Dei promtiſſimum ſtudium & amoroſam atque indefeſſam curam hominem juvandi ac contra omnes ejus adverſarios defendendi, nihil ita aſperum & moleſtum foret, quod eum retardaret, quin cuncta Dei amore perficeret.

ex ipſo Sanctæ Dialogo videtur erui.

B

C

§ X. Referuntur nonnulla ex Vita antiquiore de ſupremo morbo Sanctæ: dies illius emortualis inquiritur.

Tempus ultimi Sanctæ morbi,

S*Upremum ſanctæ Viduæ morbum, ingentes eo tempore cruciatus in debilitato ac pene exhauſto corpore toleratos, viſiones ac favores cæleſtes, quibus interdum recreata, interdum Paſſionis Dominicæ particeps effecta, vehementiſſimè fuit afflicta, deſcribit Vita infrà cap. 7 & 8. Novem circitèr ante mortem annos morbo iſto conflictatam fuiſſe Sanctam, ſcribit Vita prolixior cap. 47, adeóque juxta hanc initia illius referenda ſunt circitèr ad annum Chriſti 1501; circitèr, inquam; Dialogi enim part. 2, cap. 10 Sancta de corporis ſui ægritudine, toleratiſque doloribus diſſerens, ait:* In hoc ſtatu annos circitèr decem permanſit, *ideoque fortè Parpera poſtremæ ſuæ Lucubrationis cap. 92 loquens de Sanctæ martyrio, quo ab amore divino denique confecta fuit, in margine adſcribit annum* MD, *ætatis* LIII, *fierique potuit, ut antiquior biographus rotundo numero uti voluerit, neglectis menſibus aliquot, quibus Sanctæ morbus annos novem exceſſerit: Vita quoque infrà num. 88 ait, novem ante obitum annos ad miſerabilem ſtatum redactum fuiſſe* Catharinæ *corpus, num. tamen 90 ſic loquitur, ut ad novem annos exceſſum aliquem videatur adſtruere: verùm differentia hæc mihi tam exigua videtur, ut amplioris diſcuſſione exiſtimem opus hic minimè eſſe.*

AUCTORE U. S.

126 *Morbum hunc* Catharinæ *naturæ terminos exceſſiſſe, multa oſtendunt in Vita infrà memorata, in eamdem bis medicis pluribus convenientibus ſententiam, ut agnoſcerent, infirmitatem hanc divini quid præferre, & humanis propterea remediis curandam non eſſe. Vita prolixior cap. 49 ſcribit ſequentia, quæ, quia in Vita noſtra prætermiſſa ſunt, hìc ſubdo:* Poſt hæc venit ex Anglia quidam excellens medicus Genuenſis, D. Joannes Baptiſta Boërius, qui multis annis regis inſulæ illius medicum egerat. Hic quùm audiſſet famam hujus ſanctæ Dominæ ejuſque infirmitatis, plurimùm miratus eſt, quòd affirmarent, non eſſe naturalem, nec medicina naturali curabilem, quod ipſe credere non poterat; unde permotus eſt, ut eam inviſeret, atque hoc modo compellaret. Valdè miror, Domina, te, quæ in hac urbe magnæ es exiſtimationis, non cavere ſcandalum hominum, aſſerendo, non laborare te morbo naturali, ideoque nec medicinis poſſe curari; perpende, hoc ſpeciem hypocriſis præ ſe ferre.

nullo remedio naturali medicabilis.

127 Reſpondit ipſa humiliter; Vehementer mihi diſplicet, quemquam ex me ſcandalum accipere, ſi poſſet inveniri congruum affectui meo remedium, nequaquam id reſpuerem; ſeque obtulit ad agendum, quidquid præciperet, ſi ſpem ejus ſanandæ haberet. Tum medicus: Dummodò, inquit, te curandam præbeas, invenies, ſpero, efficax, quo ſaneris. Ergò complures & diverſas paravit medicinas, quas tali affectui putabat convenientiores, & ipſa, ceu vera obedientiæ filia, ſumſit omnes promtiſſimè: tamen licèt multis diebus alias atque alias adhiberet, nihil ipſi profuerunt, ſed in eodem ſemper ſtatu permanſit. Quùm viginti circitèr diebus iſta ſuperflua & inutilia remedia tentâſſet, ſic Boërium alloquuta eſt: Non videor tibi, domine, omnia abs te ordinata ſervâſſe? Vides, quòd nihilo meliùs habeam; hactenus obſequuta ſum tibi ad removendum à te & aliis ſcandalum, deinceps relinque mihi curam animæ meæ. *Voluit ſcilicet Deus, ut pergit ibidem biographus, & medici confidentiam confundere & altiorem morbi ſanctæ Viduæ conditionem apertiùs declarare. Aliud obedientiæ* S. Catharinæ *ſpecimen tradit eadem Vita prolixior cap. 50 his verbis:* Vigeſimo quinto Auguſti (*ultimi ante mortem*) viſum eſt, præbendum illi liquorem, quo ſuſtentaretur, quem ſumſit, tanta ſibi illata vi, tantiſque editis clamoribus, ut unuſquiſque per-

Eximia Catharinæ eo tempore

F

AUCTORE U. S.

terrefieret. Sic autem ſe adegit, ne propriæ voluntati morem gereret, exponens ſe obedientiæ gratiâ mortis periculo, quam tanti faciebat, ut ad eam implendam non curaret, quidquid ſibi accideret.

obedientia.

128 *Licet dolores, quibus in ſupremo morbo conflictata fuit Sancta, acerbiſſimi forent & intolerandi, numquam tamen, teſte auctore Vitæ prolixioris cap.* 50, *illorum cauſam, è qua proveniret, indicavit. Pergit ibidem ita loqui:* Attamen aliquandiu ante ultimam ſuam infirmitatem prædixit, ſe paſſuram gravem ægritudinem, quæ non foret naturalis, imò aliis morbis diſſimilis, ſeque ex ea morituram, atque ante mortem habituram ſtigmata & myſteria Paſſionis Domini in ſe, quod Argentina, cujus modò facta mentio, multis poſtea perſonis retulit. *Diſſerùerat eodem cap. paulò ſupra biographus in hunc modum:* Sequenti die magno affecta cruciatu & tormento ita diſtendit brachia, ut videretur corpus ejus cruci ſuffixum, adeóque forinſecùs præ ſe tulit, quomodo eſſet conſtituta ſeu crucifixa intrinſecùs. Unde à vero nequaquam diſſentire arbitror, ſpiritualia ſtigmata illius corpori, tantopere afflicto

B

& excruciato, ab ejus Amore fuiſſe impreſſa, tametſi foris non apparerent; atqui ob cruciatum, quem patiebatur, facilè poterant agnoſci, atque in corpore ſuo illum ſuſtinuiſſe dolorem, quem in Cruce Amor ipſius perpeſſus, quemadmodùm legitur de Apoſtolo, qui portabat ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti in ſuo corpore non exteriùs, ſed interiùs ob ingentem amorem ac deſiderium Domini ſui, quo flagrabat.

ſacris Chriſti ſtigmatibus.

129 *Spiritualiter Sanctam Chriſto confixam fuiſſe Cruci, minimè ambigendum, utpote quæ carnem cum vitiis & concupiſcentiis ſuis horrendos inter cruciatus & duriſſimas corporis macerationes omnino ſubegerat. Ipſa quoque Sancta Dialogi ſui part.* 1, *cap.* 12 *ſic loquitur.* Hunc amoris radium retinuit ſibi impreſſum unà cum quinque Salvatoris fontibus, guttas igniti ſanguinis & flagrantiſſimi erga hominem amoris emittentibus. *Verùm hæc non ad ſupremum* Catharinæ *morbum referenda ſunt, ſed ad converſionem ejus juxta narrationis ordinem, faciléque intelligi poſſunt de impreſſione, ſoli memoriæ facta, ortaque ex oblata ipſi viſione, memorata Vitæ noſtræ num.* 19. *Interiorem ſacrorum Stigmatum impreſſionem, quæ*

C

exteriùs non apparerent, probat biographus antiquior ex eo, quòd, cùm manus aquæ, ad refrigerandum illas oblatæ, impoſitæ eſſent, efferveſcere illa cœperit, totumque vas calefacere: vide Vitam infrà num. 97. *Deinde Vita prolixior cap.* 50 *refert, Argentinam, viduam Marci Sale,* Catharinæ *ægrotanti inſervientem, obſervâſſe, Sanctam nocte quadam in altero brachio cruciatum graviſſimum perpeſſam eſſe, brachiumque ipſum ultra dimidium palmum ſolito longiùs fuiſſe protenſum. Favorem hunc, ut indubitanter aſſerere non audeo, ita nec prudenter ob biographorum & Argentinæ, Sanctæ æqualium, teſtimonium, negare poſſum. Juxta horum itaque fidem hæc relata ſunto.*

Sanctæ obitum nonnulli

130 *Atque hæc ſunt præcipua, quæ circa poſtremum Sanctæ morbum ex Vita prolixiore hìc recenſenda exiſtimavi. Nunc tempus emortuale propiùs inveſtigemus; & annum quidem quod ſpectat, nullum eſt dubium, quin felix beatæ Animæ ad Superos tranſitus contigerit anno* 1510; *adeò conſtanter omnes, qui Sanctæ geſta conſcripſerunt, illius obitum dicto anno innectunt. De die aliqualis ſuboriri poteſt dubitatio, quæ hìc diſcutienda eſt. Caſtellanus in Martyrologio univerſali* D *Sanctam annuntiat ad diem* XIV, *eamque venerabilis titulo condecorat tantùm, utpote tum nondum auctoritate legitima cœlitibus adſcriptam. Arturus in Gynæceo ad* XIV *Septembris prolixum* Catharinæ *elogium texit, ex Actis deſumptum, cui ſubdit:* Fœliciter obdormivit in Domino hac die, anno MDX. *Bailletus quoque in Vita Sanctæ obitum illius indubitanter conſignat die* XIV *Septembris.*

retulerunt ad diem 14 *Septembris,*

131 *Præluxit hiſce omnibus antiquior biographus, qui in editionibus tam Italicis quàm Latinis & Gallicis, quæ ad manus noſtras devenerunt, Sanctam obiiſſe ſcribit die* XIV *Septembris. Audiamus Latinam Thamneri interpretationem; cap.* 51 *ſic habet:* Demum quarto decimo die prædicti menſis Septembris B. Catharina evomuit tantam ſanguinis copiam, ut veroſimile fuerit corpus ipſius omni humore evacuatum.... Illaque nocte non pauca locuta eſt, ac Corpus Chriſti, quemadmodùm hactenus, accepit. In eodem ſtatu permanſit toto illo die ac ſequenti nocte uſque ad horam ſextam. *Paulò autem infrà ſic iterum ſcribit.* Obiit anno Salutis MDX, quarto decimo Septembris, horâ noctis ſextâ, paulò ante horam, quâ ſolebat ſacram Communionem

E

percipere. *Parpera narratio, in Vita Sanctæ, edita anno* 1681, *prioribus verbis omninò conſona eſt, poſteriora Latinè reddita in re non diſcrepant, ſuntque hæc:* Fuit hic teliciſſimus ejus tranſitus anno milleſimo quingenteſimo decimo, die decimo quarto Septembris, horâ ſextâ noctis Sabbati, adveniente Dominica (ut dictum eſt) paulò ante horam, quâ ſolebat ſacro Epulo refici. *In facto quoque, miraculorum examini præmiſſo & impreſſo Romæ typis reverendæ Cameræ Apoſtolicæ anno* 1737, *ſic lego.* Demum die XIV Septembris MDX diem ibidem (*in noſocomio, Pammatone dicto*) clauſit extremum plena meritis & ſanctitate ac miraculis clara.

ſed perperam, cùm tantùm decèſſerit

132 *Verùm auctor anonymus Vitæ brevioris infrà dandæ num.* 100, *beatum* S. Catharinæ *obitum illigat diei* XV *Septembris, iſque ceteris, hactenus memoratis ſcriptoribus, accuratiùs locutus fuiſſe dicendus eſt. Quod ut oſtendamus, obiter hìc obſervandum, aliud atque aliud apud varias nationes initium eſſe diei civilis, horas* 24 *complectentis. Tranſalpini, antiquos Romanos imitati, diem ordiuntur à media nocte & media nocte ſequente terminant, atque ita fixum ſemper habent*

F

diei principium. Verum hodierni Romani & reliqui paſſim Itali, vagum modò habent diei exordium, eum inchoantes mediâ circitèr horâ ab occaſu ſolis, à quo horas numerare incipiunt uſque ad vigeſimam quartam, ſic tamen, ut id, quod inter ſolis occaſum & noctem mediam ſequentem contigit, ſcriptores alii adſcribant diei præcedenti, ſequenti alii, ut obſervavit Janningus § 3 *Commentarii prævii ad Acta S. Aloyſii Gonzagæ, num.* 34, *quem, ſi lubet, conſulat curioſus lector, ibique inveniet exemplis nonnullis aſſertionem Janningi illuſtratam.*

die 15 *ejuſdem menſis.*

133 *Diei civili addit Janningus ibidem num.* 35 *diem* Eccleſiaſticum, eumque duplicem (*verba ejus tranſcribo*) feſtalem aut eſurialem, & ceremonialem ſeu officialem. Feſtalis & eſurialis incipiunt à nocte media, deſinuntque nocte media ſequente, quo ſpatio intermedio abſtinendum eſt per leges eccleſiaſticas ab opere ſervili aut cibo vetito. Ceremonialem ſeu officialem appello, qui complectitur ſpatium temporis, intra quod abſolvi debet totum Officium eccleſiaſticum feſti alicujus celebrioris, quod nempe ritus duplicis aut

ma-

majoris etiam solennitatis sit, quodque principium ducit à primis Vesperis diei præcedentis; *atque in hunc modum laudatus Fanningus conciliat scriptores varios, quorum alii diei* XX, *alii* XXI *Junii mortem S. Aloysii adscribunt, cùm priores computârint diem civilem, veterum Romanorum & hodiernorum Transalpinorum morem secuti; posteriores verò acceperint vel diem ecclesiasticum ceremonialem, vel hodiedum vigentem apud Romanos consuetudinem tenuerint.*

134 *At quocumque demum modo diem placuerit accipere, non videtur Sanctæ obitus ulla ratione illigari posse diei* XIV *Septembris: nam hora noctis sexta Romanorum, quâ eam decessisse omnes tradunt biographi, medio mense Septembri est post mediam noctem, quadrante circiter ante horam nostram primam: adeóque, ut liquet ex antedictis, nec secundùm calculum diei civilis, hodiedum apud Romanos & Italos passim usitatum, nec juxta computum Transalpinorum aut veterum Romanorum potest mors Sanctæ consignari die* XIV: *non etiam si diem intelligamus ecclesiasticum quovis modo acceptum, ut manifestum est. Restat igitur, ut indubitanter asseramus,* Catharinam *ad Superos migrâsse die* XV *Septembris. Ita etiam tradit in Bulla canonizationis Clemens XII;* Placidissimè, *inquit,* obdormivit in Domino decimo septimo Kalendas Octobris. *In eadem Bulla sic scribit:* Statuentes, ut ab universali Ecclesia... singulis annis memoria ipsius die decima quinta mensis Septembris inter Sanctas nec virgines nec martyres pia devotione recoli debeat.

135 *Biographos autem Sanctæ antiquiores quod spectat, eos sic intelligendos puto, ut tantùm voluerint accommodare se vulgari modo loquendi, qui quidem, ut dixi, minùs accuratus est, non tamen omninò errori obnoxius, cùm facilè eum interpretari possimus, dicendo eos consignâsse mortem nocte inter* XIV & XV *Septembris diem intercedente, quamvis in rigore loquendo, hora mortis* S. Catharinæ *omni modo pertineret ad diem* XV *non* XIV. *Qui secuti nuda biographorum verba, mortem Sanctæ retulerunt ad diem* XIV, *potuissent facilè deprehendere, eam reipsa pertinere ad diem* XV: *nam initio laudati cap.* 51 *dicitur Sancta die* XIV *Septembris sacro Christi Corpore refecta fuisse, ac subditur.* In eodem statu permansit toto illo die ac sequenti nocte usque ad horam sextam. Aderant ibi complures ipsi addicti, eorum, quæ suprà scripta sunt, & paulò post scribentur, testes oculati. Horâ noctis sextâ percontati sunt, an vellet sacra Communione refici. *Ubi vides, quòd cùm jam die* XIV *dicta fuerat Sancta Eucharistiam percepisse, interrogatio illa, an vellet eamdem accipere, referenda sit ad diem* XV *sequentem, nisi quis velit opinari primam sumptionem, reipsa factam, pertinuisse ad* XIII, *invitationem verò ad diem* XIV: *verùm mitior interpretatio nostra videtur minùs torquere biographorum verba. Nunc Vitam Sanctæ, Annotatis pro more nostro illustratam, subjicio.*

A. ANONYMO.

VITA

auctore anonymo,

Ex processibus canonizationis Italicè conscripta & Latinè reddita

Ex editione Romana anni

MDCCXXXVII

Interprete U. S.

PROLOGUS.

QUanto numero scriptores labores suos consecrârunt luci dandæ Vitæ S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ, ii *a* vel presèe conati sunt insistere vestigiis duorum illorum insignium ejus discipulorum *b*, qui dudum cum ea conversati, simplici, at verace stilo eam exarârunt: vel normam sibi alteram præfixerunt, eruentesque ex antiquis monumentis ulteriorem notitiam, nihilque ex disciplinis visionibusque cælestibus, in ea commemoratis, dementes *c*, diversimodè adornare majoremque in modum locupletare eam studuerunt. Nihilominùs tam hi quàm illi in eam inciderunt sortem, quæ ingrata accidere solet vulgantibus sensus arcanos reconditosque præclarissimæ theologiæ mysticæ, quæ non satis intellecta præterquam iis mentibus, quæ internè à Deo per semitam perfectionis deductæ rerum piarum gustui palatum acuerunt, parùm grata accidit multitudini, quæ historiam volvendo delectari magis desiderat, quàm addiscere & admirari cælestem doctrinam.

Scopus auctoris in edenda

a

b

c

2 Satis etiam assequor, fore ut, si in hisce paginis consequi utrumque studeam, ordinando in iis actiones heroïcas, virtutesque eximias sanctæ hujus Matronæ, inspersis tantùm hinc inde aliquot sacris illius documentis, cùm conatus fuero aliorum scriptorum vitium devitare, in aliud majus incurram, decedendo fortè nimiùm à prioribus, posterioribusque parùm fortasse me accommodando. Perpetuò tamen ad id præstandum memet incitavi, ut gustatui magis vulgari aptaretur brevis Vitæ narratio, descripta secundùm seriem gestorum, in Summario, pro causa canonizationis ejus impresso, collectorum; persuasum quippe habeo, fore ut, qui penitùs voluerit cognoscere eximiam admirabilemque doctrinam magnæ hujus Sanctæ, pervolvat compositos ab ipsa Tractatum de Purgatorio, Dialogumque animam inter & corpus. Supereſt igitur, benigne lector, ut paginas hasce suscipias evolvendas, non eo quidem fine ut flosculos hîc invenias, ad artis leges exornatos, à quibus abstinui, ut stilum etiam conformarem illi, quo usa est Sancta in jamjam laudatis Lucubrationibus; ast animo utique percipiendi fructum aliquem animo tuo, qui Sanctorum Vitas legentibus unicè præfigendus est scopus. Vive felix.

breviore hac Sanctæ Vita.

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Eos omnes hìc designat auctor, qui post primam Vitæ editionem vel novam eodem Italico sermone accurârunt, vel gesta Sanctæ juxta exemplaria Italica in linguas alias transtulerunt, de quibus actum Commentarii § 1.*

b *Commentarii num. 6 & seqq. ostendimus, Cataneum Marabottum, & Hectorem Vernacciam primos fuisse scriptores Vitæ, quibus fortè addendum censuimus tertium aliquem, hactenus ignotum. Marabottus, qui Sanctæ fuit à sacris confessionibus ejusque animi moderator, teste Parpera in posteriore Lucubratione anni 1682, priùs in Sanctæ schola ad virtutem pietatemque eruditus fuerat, eóque verisimiliter respexit anonymus noster, cùm scripsit, alios secutos fuisse duorum Sanctæ discipulorum vestigia.*

c *Haud dubiè sermo est de Hyacintho Parpera, qui, ut vidimus § 1, num. 14, tribus distinctis Operibus complexus est Sanctæ gesta, partim ex antiquis monumentis eruta, partim observationibus documentisque moralibus solerter illustrata.*

B

Antiqua capitum partitio.

CAput I. Natales sanctæ Catharinæ ejusque educatio.

Cap. II. Desiderat religiosum habitum induere in monasterio Dominæ nostræ Gratiarum in civitate Genuensi.

Cap. III. Invita à parentibus suis desponsatur Juliano Adurno: tenor vitæ prioribus decem annis cum marito actæ.

Cap. IV. Inopinatâ Dei vocatione mutata temporis puncto Catharina novo admirabilique fervore antiquum perfectionis tramitem relegit.

Cap. V. Pœnitentiæ opera corporisque maceratio à Catharina post divinam vocationem suscepta.

Cap. VI. A Deo vivendi normam unicè edocta ducitur in solitudinem ad celebrandum cum ipso Quadragesimale jejunium.

Cap. VII. Invitatur ad suscipiendam pauperum civitatis infirmorum curam, eóque alacris accurrit.

C

Cap. VIII. Munus ministrandi ægrotis in nosocomio majore Genuensi rogata obire, provinciam acceptat, lapsuque temporis nosocomii moderatrix instituitur.

Cap. IX. De insigni amore, quo in Deum ferebatur Sancta.

Cap. X. De admirabili Catharinæ cum Deo conjunctione.

Cap. XI. De singulari amore, quo afficiebatur Sancta erga Iesum, speciebus Eucharisticis velatum.

Cap. XII. De odio sancto, quo summopere aversabatur, quodcumque conjunctionem cum Deo impedit.

Cap. XIII. De amore Catharinæ erga proximum suum.

Cap. XIV. De caritate ejus erga ægrotum impatientem, cui à Domino impetravit perfectam cum divina voluntate conformationem animæque salutem.

Cap. XV. De ejus in maritum suum caritate, cujus à Deo conversionem sanctamque mortem obtinuit.

Cap. XVI. De profunda ipsius humilitate. D

Cap. XVII. De summa voluntatis ipsius cum divina conformitate.

Cap. XVIII. Ecstases, visiones aliique favores cælestes, quibus gavisa est Sancta.

Cap. XIX Ultimus morbus & pretiosa mors Sanctæ: initium & progressus cultûs ipsi impensi.

Cap. XX. Miracula à Deo recenter perpetrata ob intercessionem Sanctæ: solemnis ejus canonizatio.

CAPUT I.

Natales & educatio Sanctæ: desiderat religiosum habitum: à parentibus nuptui datur: vita primis decem annis in conjugio acta.

E

INter nobiliores magisque conspicuas inclytæ civitatis Genuensis familias Fliscorum *a* numeratur, quæ, præter ingentem numerum Cardinalium, qui per plura secula ad nostra usque tempora eam illustrârunt, insuper meritò gloriatur, quòd duos Ecclesiæ dederit Pontifices Maximos, Innocentium IV & Adrianum V. Prioris frater fuit Robertus Fliscus, à quo genus duxit Jacobus, qui Neapoli vices gessit Rainerii *b* regis, ubi *c* proregis munere fungens regnumque illud administrans gloriosè dies suos finivit, laudatus ob prudentem in tractandis regni negotiis agendi modum: at multò pluris æstimandus, quòd vitali lumine donârit Sanctam, cujus Vitam succinctè scribere aggredimur. Tali genitore & Francisca ex nobilissima familia de Nigro *d* nata est Catharina Genuæ anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo *e*, quæ, postquam sacrosancti Baptismatis auxilio regenerata fuisset gratiæ, cum omni solertia à progenitoribus suis educata fuit in sancto timore & amore Dei.

Cap. I *Sanctæ parentes & pia educatio.*

a

b

c

d

e

2 Fructum laborum suorum illicò perspexerunt è primis speciminibus, quibus à tenera ætate futuræ sanctitati suæ præluxit Catharina: etenim vixdum ætatis annum octavum attigerat, cùm abhorrens puerilibus oblectamentis, admirabilemque in omnibus actionibus suis præferens modestiam, majore studio enitebatur sanctæ fidei nostræ mysteria addiscere, satagens percipere illorum sensum, in iisque piis ac ferventibus orationibus cum speciali animi consolatione crebrò se exercens, adeò ut in schola perfectionis à Deo instructa brevi stupendos fecerit progressus in exercitio cæcæ erga parentes obedientiæ, & severi silentii observatione, abstinens omni sermone, qui de Deo non esset. E pariete cubiculi ejus appensa erat tabula, repræsentans imaginem mortui Jesu Christi Domini nostri, Sanctissimæ Parentis suæ gremio reclinati, cui ordinarium à Pietate nomen est.

Miri tenellæ animæ in virtute progressus: desiderium

3 Piæ huic effigiei fixis sæpe oculis inhærebat Catharina, eamque contemplabatur tam attenta mente, ut videretur velle in seipsa exprimere dolores omnes omnemque Christi amaritudinem, quæ ad illius intuitum animo exhibebantur: unde tenero in passum Dominum suum amore commoveri se sentiens, cœpit in membris

imitandi Christum patientem; austeritas vitæ.

suis

A suis omnibus experiri tremorem maximè vividum, adeò ut viderentur cuncta præ amore & commiseratione erga Bonum suum destruenda. Exinde cor ejus incendit desiderium vehemens patiendi ob amorem Jesu : idcircò commoda paternæ domus contemnens tenelloque corpori afflictando intenta, noctes transigebat super nuda cubans palea, durumque ac rude lignum pulvinaris loco capiti subjiciens ; austeritatum autem suarum exercitium ne incurreret in oculos famulantium, quibus cura ipsius commissa erat, industria sagacitate cavebat.

frequens passionis Dominicæ consideratio.

4 At si Puellæ sanctæ succedebat asperitatem, quâ corpusculum suum macerabat, occultare, flammam tamen illam amoris, quâ exardescebat piis semper precibus intenta, celare non poterat : unde non rarò deprehensa fuit locis domus suæ maximè secretis abdita, ibidemque non modico temporis spatio se exercens meditando sacrosancta Passionis Dominicæ mysteria. Quodam die contigit, ut, cùm extraordinario spiritûs fervore acta indulgeret considerationi toleratorum à Christo Domino nostro cruciatuum, improvisò cor suum penetrari senserit flamma cælesti, quæ, cùm
B majus semper in ipsa accenderet desiderium imitandi Jesum suppliciis affectum, eamque commiseratione & amore repleret, in uberrimos ipsa tandem fletus erupit.

II. *Regulare institutum,*

5 Crescebant quotidie in Catharina impulsiones divinæ gratiæ, quibus illa alacriter respondens sanctum in se fervorem ad earum mensuram promovebat : verùm anxia, ne aliquando seculum libertati spiritûs valeret esse obstaculo, statuit annos tredecim nata mundo valedicere & regulare institutum in monasterio quopiam amplecti, ubi liberas liceret dare habenas flammæ amoris erga Deum, cui ex tunc cor suum totum consecraverat. Inter plura, quæ hisce temporibus regulari observantia florebant in civitate Genuensi asceteria, Catharinæ vota in illud, cui S. Mariæ Gratiarum nomen inditum est, collineabant, in quo sacræ virgines, Canonicæ regulares dictæ, singulari fervore Regulam S. Augustini profitebantur ; atque ad ejusmodi electionem maximopere eam impellebat exemplum cujusdam sororis suæ, Limbaniæ dictæ, quæ pias inter moniales hasce integritati consuetudinum peculiari pietate sua ingentem addebat splendorem.

C *nullis territa difficultatibus,*

6 Quapropter prudens Virgo secundùm piam consuetudinem communicandi cum conscientiæ suæ moderatore rem omnem, quæ animam concernebat, declaravit illi sanctum suum desiderium, impensissimè obsecrans, operam suam apud superiorem & moniales laudati monasterii interponeret, ut eam recipere in suamque societatem adsciscere dignarentur. Quod non difficulter consecuturus fuisset, cùm ab ejus, tamquam directoris animæ, nutu penderet moderatrix hujus venerabilis asceterii, cui ipse erat à confessionibus. Planè nihil obstupuit pius sacerdos, videns curas anxias, quibus Virgo tam tenella sponte expetebat claustro se mancipare, quoniam apprimè noverat, quis esset Catharinæ spiritus, qualesque gratiæ, quibus eam indies Dominus donabat : verumtamen ut propositi ejus stabilitatem majori cum certitudine experiretur, initio conatus est refragari, graves molestias, quas incurrere solet religiosæ vitæ statum amplecti desiderans, rigorem asperitatemque regularis vitæ, naturæ ipsius, adhuc puellulæ, fragilitatem, tentationes dæmonis, quibus subjacet, quidcumque perfectionis semitam ingreditur, omniaque, quæ sua ipsi dictabat prudentia, rationum momenta animo illius objiciens, eo fine, ut tanti ponderis consilium ad amussim exploraretur. A. ANONYMO.

amplecti desiderat :

7 Verùm Catharina singulis animosâ modestiâ respondens, objecta quælibet accuratè diluit, majoremque in modum in sancto proposito suo confirmata, ferventioribus quàm antè precibus institit apud conscientiæ moderatorem, obsecrans, ut omni modo niteretur ipsam solari, efficiendo, ut in monasterium illud admitteretur, in quod præ reliquis sua vota direxerat. Precibus tam validis non potuit non inflecti prudens vir religiosus, operamque suam tandem addixit : die verò sequenti contulit se ad monasterium, exposuit superiori & monialibus supplices preces Virgunculæ, cujus conscientiam moderabatur, eximiisque virtutibus, quæ illius animam exornabant, perspicuè declaratis, impensè rogavit, eam ut consolari dignarentur, permittentes, ut in suo ad omnem regularem normam exacto monasterio religiosum habitum assumeret.

verùm ob teneram ætatem voto suo frustrata,

8 Alacriter moniales venerabilis hujus sacerdotis æquè ac ferventis Puellæ desiderio satisfeciissent, cùm abundè prævideret ingens emolumentum, quod in totam societatem suam redundaret ex intuitu virtutum, elucentium in anima illa, tantis à Deo favoribus donata. Sed quemadmodùm ferebat consuetudo, ut in cœnobium illud non admitterentur ad habitum religiosum ætatis *f* adeò teneræ, qualis erat S. Catharina, virgines, prætexentes excusationem, quo minùs eam liceret recipere, maluerunt tanto thesauro carere, quàm transgredi consuetudinem. Quapropter nil valuerunt iteratæ directoris conscientiæ monialium preces, quantumvis eniteretur validis rationibus pondus illis addere, insinuans sanctimonialibus oblatæ ad tirocinium Puellæ defectum ætatis abundè supplendum dotibus excelsi animi, singulari pietate ac fervore præditi. E f

divinæ voluntati acquiescit.

9 Cor Catharinæ repulsa, quam tulerat, vehementer adeò perculit, ut suprà quàm dici potest, afflictam reddiderit : at non diu ipsa distulit amaritudinem animi sui lenire, casum hunc, sibi præ omni alio acerbissimum, humili voluntatis suæ conformatione excipiens de manibus amabilis Domini sui, qui ex æquo ita disposuit : siquidem Ancillam suam destinaverat, ut gratiæ, quas in illam ubertim statuerat effundere, ampliùs eluceſcerent, mundoque evaderent magis
F proficuæ. Idcircò virtutis amans Puella, cum insigni in Deo fiducia prosequens pias suas operationes, curam omnem illi commisit, ut per eas vias duceretur, quas suprema illius Sapientia aptissimas noverat ad perducendum eam ad illum perfectionis terminum, quem tantopere concupiscebat, adeò ut ex eo tempore aliud nil spectârit, quàm ut divinæ suorumque parentum voluntati perfectè conformata vitam exigeret.

III. *A parentibus nuptui tradita,*

10 Mortuo jam Catharinæ patre, mater & fratres ejus, cùm eam viderunt annum ætatis sextum decimum attigisse, morigerâ ipsius obedientiâ freti, nil planè morati animi ejus propensionem, quæ tota versus cælestia, nullatenus autem in terrena ferebatur, statuerunt eam nuptui locare, ea ratione ut domûs ac familiæ suæ honori tranquillitatique prospicientes, id, quod prudenti Puellæ congrueret, non prætermitterent habere præ oculis. A multo jam tempore florebat nobilis & opulenta Adurnorum *g* familia, magnæ existimationis auctoritatisque in republica, ad cujus non semel gubernacula federat : hanc autem inter Fliscorumque familiam exarserant non leves dissen-
g

sio-

A. ANONYMO.

siones, haud ita dudum sopitæ *b*; cùm parentes Catharinæ, ut inter ambas familias pax ampliùs firmaretur, decreverunt eam Juliano Adurno despondere, curantes iniri contractum dotalem *i* cum promissione matrimonii die tertio decimo Januarii anni millesimi quadringentesimi sexagesimi tertii.

ob dissonos mariti, sponsam mox aversati,

11 Supra modum grave Catharinæ animo accidit suorum consilium, veluti directè oppositum desiderio, quod intimis perpetuò infixum medullis conservârat, valedicendi mundo, Deoque sese consecrandi: ne quid tamen reverentiæ erga majores suos, subjectionique, quâcum fuerat enutrita, contrarium admitteret, patienter eorum voluntati morem gessit, agnoscens in ipsa Altissimi consilium, qui in hisce nuptiis gravissimam illi crucem præparaverat, quâ onustam divini Redemptoris sui vestigia sequi oporteret. Fuit itaque Juliano Adurno desponsa, viro quantùm opibus pollenti, tantùm nobilitate inclyto: at rudi usque adeò & insolenti indole moribusque à moribus Sponsæ tam alienis prædito, ut eam, veluti suum vitæ institutum nimis efficaciter improbantem, à primis diebus cœperit aspernari. Erat is ingenio aspero & irrequieto, studens placere

B

sæculo, cœtus hominum frequentare ambiens, totusque ludo, voluptatibus fastuique deditus: contrà Catharina, tametsi eam sublimi ingenio ac singulari venustate donâsset Deus, humilis comisque in agendo, mundanas abhorrebat delicias, secessûs amans, in orando erat assidua, luxumque despiciebat.

mores vehementissimè afflicta, suorum consilio

12 Eum in modum affectus animi S. Catharinæ pugnabant cum mariti sui affectionibus, ut eas sibi repræsentanti parùm abfuerit, quin cor opprimeretur. Etenim cum perspiceret, animæ suæ, si consortis sui genio se attemperare vellet, detrimentum inferendum, contrà si huic obluctaretur, nil sibi obventurum inde, præter injurias contumeliasque, mœrore tam altùm infixo abripi se passa est, ut spatio annorum quinque vitam egerit solitariam, respuens omnem cum hominibus conversationem, atque interiùs ærumnas experiens gravissimas, quas licèt prostrata ad pedes Domini, cui non cessabat fervens obsequium impendere, lenire conaretur, eam tamen de die in diem consumpserunt adeò, ut, præterquam quòd eam notabiliter macie confecerint, eò etiam redegerint, ut sui similis ampliùs non appareret, tamquam si sensibus fuisset orbata.

C

honesta sæculi oblectamenta sectatur:

13 Insolita hæc vivendi consuetudo effecit, ut commiserationis erga Catharinam affectu moti parentes omnem adhibuerint industriam, ut ab ista eam revocarent. Hanc ob rem nunc frequentatam ab ea solitudinem, tamquam conditionis suæ matronâ indignam & abjectæ conversationis rusticitati similem reprehendebant, modò veluti morosam, modò ut iniquam in semet arguebant, scrupulum insuper ei injicientes de detrimento gravi, quod propriæ saluti suæ illatura esset, eo quòd vitam breviando illatæ sibi necis crimen incurreret. Demum ejusmodi ratiociniis *k* tantùm valuerunt, ut afflictissima Matrona, quo se aliquando nimis molesta parentum & amicorum importunitate liberaret, inveniretque levamen aliquod ærumnis animi, tandem eorum molestissimis insultibus cesserit, statueritque deinceps suam vivendi normam, orationi adeò ac solitudini deditam, temperare. Cœpit exinde honestè uti libertate sua, matronarum sibi æqualium societati sese immiscens, licitisque omnibus oblectamentis indulgens, à quibus antè vixerat aliena.

14 Mundus eam videns per voluptatum suarum semitam gradientem, nobilem illam animam sibi jam tum acquisitam gratulabatur: atque idcircò existimabat, suarum partium esse, cor Catharinæ immissis illecebris tam validè adstringere, ut modum, quo iis sese expediret, ampliùs non posset deprehendere. Verùm quàm longissimè abfuit, ut, quod sperabat, consequeretur: utcumque enim diversæ & frequentes essent fallendi temporis occasiones, utcumque jucundæ, ad quas alliciebatur, conversationes, quemadmodùm nihil voluptatis *l* in hisce deprehendebat, ita ex illis ne hilum quidem solatii percipiebat Catharina interno suo dolori: quin imò augebatur *m* indies magis ob inordinatos mariti mores. Quamvis autem nonnihil spiritûs ejus fervor imminutus esset, perpetuò tamen exhorruit offensam Dei, qui illam etiam tepidioris vitæ tempore passus non est incidere umquam in culpam gravem *n*, ut confessarius *o* ejus testatum reliquit.

D

verùm hisce nil recreatur, & ampliùs

l

m

n

o

crescunt animi angustiæ.

15 Catharinæ angor animi in hunc modum accrevit, ut non solùm impedimento fuerit, quo minùs solatii aliquid reciperet ex sæculi deliciis, sed in illam præterea invexerit rerum omnium mundanarum nauseam, verbis non facilè explicandam, ipsamque sibimet vix non intolerabilem reddiderit, donec sub finem aliorum quinque annorum molestæ vitæ, afflictissima Matrona die, in quem incidebat Vigilia S. Benedicti, sese contulit ad templum, ejusdem Sancti veneration erectum, ibique indulgens orationi ipsum enixè precata est, ut à Deo impetrare dignaretur diuturnam trium mensium ægritudinem, futurum sperans, ut ope dolorum corporalium intolerandis animi angustiis levamentum aliquod consequeretur.

E

ANNOTATA.

a *De familiæ Fliscæ antiquitate, insigni nobilitate & gloria attulimus aliqua Commentarii § 3. num.* 30.

b *Legendum*, Renati, *ut diximus in Commentario num.* 31.

c *Ex Bartholomæo Facio de rebus gestis Alphonsi regis lib.* 8, *aliisque constat, jam ab anno* 1443, *imò antè, Renatum Andegavensem, abjecta obtinendi regni Neapolitani spe, in Gallias profectum, Alphonsum verò Aragonium Neapoli rerum potitum fuisse. Non est igitur credibile, Jacobum Fliscum, diu etiam post illum annum* 1443 *Neapoli proregem egisse nomine Renati, in eoque munere ibidem vitâ functum esse. Fortè significare tantùm voluit auctor, titulum hujus dignitatis à Jacobo ad finem vitæ usque retentum fuisse.*

F

d *Hæc quoque familia, inter antiquiores nobilium Genuensium numeratur, ut dictum est Commentarii num.* 31.

e *Vide, quæ de tempore natali Sanctæ diximus in Commentario num.* 32.

f *Vide quæ in Commentario, num.* 41 *diximus de causa, ob quam Sancta admissa non fuerit. Porrò unde monasterio huic nomen* Gratiarum, *quæ illius exordia sint, incompertum mihi est. Ughellus Italiæ sacræ recusæ tom.* 4, *pag.* 834 *inter virginum cœnobia, Genuæ existentia, asserit, quinque Regulam S. Augustini profiteri, tria verò esse Canonicarum regularium.*

g *Consule dicta in Commentario num.* 45.

h *De discordiis inter utramque familiam, deque earum conciliatione aliqua conjectando attulimus*

A *limus in Commentario num.* 42 *& ſeqq.*

i *Parpera in lucubratione poſteriore anni* 1682 *de contractu iſto in hunc ferè modum ſcribit cap.* 16, *num.* 16. *Julianus Catharinæ in dotem obligavit domum quamdam ſuam, ſitam in platea, cui S. Agnetis nomen erat, nunc autem Lomellina dicitur, poſteriori parte conterminam palatio Georgii Adurni ducis. Domum hanc ibidem aſſerit, eo loco ſitam fuiſſe, quo nunc erecta eſt nova Congregationis Oratorii eccleſia. Contractui autem addit, pactum fuiſſe adjectum, quo recenter nupti obligarentur duos annos commorari in domo matris* S. Catharinæ, *ſitâ in vico, cui à Filo nomen eſt.*

k *In Commentario num.* 47 *&* 48 *aliqua dedi ex Sanctæ Dialogo, conformia ratiociniis à biographo allatis. Part.* 1, *cap.* 2 *Dialogi his verbis animam affatur corpus:* Hac de cauſa monitam te velim, quòd hac in parte mihi condeſcendere ac ſuppetias ferre penitus obligata ſis, nec tibi tuam patriam repetere, meque hîc in terra impaſtum relinquere liceat, eò quòd certa mors mihi impenderet, cui tu cauſam præbens Deum offenderes.

B l *Eleganter diſſerit hac ſuper re Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 5: Unum, *inquit*, ſolummodò eis obſiſtebat, nempe, quòd etiamſi omnes pariter ſummo ſtudio ſuos niterentur exſatiare appetitus, non tamen poterant voti compotes fieri, eò quòd anima cum ipſis connexa & unita, quùm ſit capacitatis infinitæ, res verò terrenæ univerſæ finitæ, non quibat ſatiari & tranquillari, quóque majores hac in re adhibebat conatus, eò minùs proficiebat. *Et paulò infrà:* Nec unquam, quod optabat, aſſequebatur, Domino Deo benignè ita diſponente: nam ſi homo poſſet quietem reperire in terra, paucæ animæ ſalvarentur. *Similia multa ibidem legi poſſunt.*

m *Sanctæ verba, quibus in Dialogo declarat ærumnas ſuas ex rerum ſecularium conſectatione incrementum cepiſſe, dedi in Commentario num.* 54.

n *Conſule dicta in Commentario num.* 51 *& ſeq.*

o *Præter aſſertum ab anonymo noſtro hîc teſtimonium, quo conſtat, Sanctam illo etiam tempore graviter non deliquiſſe, contra Bailletum, adſtruentem, à Sancta actam fuiſſe pœnitentiam*
C *juxta veterum canonum rigorem,* § 4 *Commentarii prævii adduxi nonnulla Sanctæ verba ex Dialogo, quibus ſemper excipiebat offenſam Dei; hæc ibidem, ſi lubet, conſule.*

CAPUT II.

Perfectionis ſemitam relegit: pœnitentiæ opera corporiſque maceratio ſuſcepta: Sanctæ, à Deo edoctæ, diuturnum & admirabile jejunium.

IV. *Divina luce perfuſa & amore*

EXperiebatur Catharina cumulum majorem ſuis accedere anguſtiis, quibus quantò ampliùs ſatagebat ſe expedire, tantò vehementiùs obrui ſe ſentiebat, cùm adiit monaſterium Gratiarum, animi apud ſororem ſuam, ibidem monialem, le-

A. ANONYMO. *a* niendi gratiâ. Perſuaſit hæc illi, ut aperiret cor ſuum ejuſdem cœnobii confeſſario, homini pietatis *a* & magni conſilii, qui procul dubio oſtenderet, qua ratione amiſſam tranquillitatem recuperatura eſſet. Propterea die lucem S. Benedicto ſacram inſequente contulit ſe ad eccleſiam S. Mariæ Gratiarum, ubi orationi piè ſe dedens, poſt aliquod temporis intervallum confeſſario ſanctimonialium ſignificari juſſit, in votis ſibi eſſe de peccatis confiteri. Accurrit alacriter pius ſacerdos; Catharina verò ad illius pedes ſe abjiciens vix genua flexerat, quin mentem divini luminis *b* radio illuſtrari, ignitoque amoris divini jaculo cor ſenſerit penetrari, adeò ut, intellectu inde illuminato inflammataque voluntate, inſtanti unico clariſſimè viderit hinc infinitam Dei bonitatem, inde admiſſos à ſe defectus omnes; advertenſque, quàm grande malum ſit unum ſolum peccatum, utcumque leve, reſpectu immenſæ bonitatis, obortus eſt animo ejus dolor, ſuprà quàm dici poteſt, vehemens adeò, ut parùm abfuerit, quin extra ſe rapta prolaberetur in terram animoque linqueretur *c*.

b

c

inflammata rebus ſecularibus

17 Ad pedes ſacri miniſtri in eo ſtatu veluti à ſenſibus alienata manſit Catharina, nullum præ dolore verbum profari valens, illudque ſolum ex intimo corde *d* proclamans: "Non ampliùs „mundus, non ampliùs peccata.„ Per id tempus non advertit peculiariter confeſſarius Catharinæ ſilentium, exiſtimans fortè, illud provenire ex diſpoſitione interna, quâ ad pœnitentiæ Sacramentum devotè ſuſcipiendum ſeſe præpararet. Idcircò aliò interim avocatus, petita facultate, de ſede exivit, reverſurus paulò pòſt ad præbendum aures confitenti. Ut redierat, cùm obſervaret, quòd nihilominùs pergeret ſilere Catharina, ſuggerendum ipſi credidit, licere jam tunc confitendi principium facere. Tum non nihil reſpirans dolore percita Pœnitens, verba hæc difficulter admodùm protulit: "Pater, ſi placeret tibi, con„feſſionem hanc lubenter in aliud tempus reſervarem.„

d

18 Acquievit poſtulato confeſſarius, Catharina verò mox inde ſe recipiens domum petiit: tectum ut ſubierat, ſecretiore cubiculo anxia ſeſe abdidit, ibidemque morarum ſanctè impatiens, vanum omnem ornatum muliebrem abjecit. Defluente ex oculis lacrymarum imbre, corde autem ignita ejaculante ſuſpiria, ſolum hoc profari valuit: "O amor, fierine poteſt, ut tanto me a„more vocaveris, atque in ictu oculi oſtenderis „mihi, quod lingua nequit expromere?„ Deinde cùm animum applicuiſſet conſiderandæ immenſæ bonitati miſericordis Dei ſui, qui tam liberaliter ipſi benefecerat, nec umquam ab ea oculos averterat, illo etiam tempore, quo temere ſtuduerat extra ipſum, cordis humani centrum unicum, aliquam afflicto animo requiem invenire, dolor *e* ejus uſque adeò augebatur, ut brevi vitam ipſi erepturus videretur.

renuntiat, & peccata amarè deflens,

F.

e

19 Dum ejuſcemodi curis agitabatur ejus animus, eccum illicò mentis oculis obtulit ſe amor ejus Jeſus, qui graviſſimam humeris crucem geſtans tam uberes è plagis ſuis effundebat rivos ſanguinis, ut domus tota eo tincta videretur. Tali viſione *f* oppreſſa Catharina tam vehementem ſenſit intra ſe amoris ignem accendi, ut mox præ illius violentia cor à pectore avellendum videretur: atque iſta tam altè animo ejus manſit impreſſa, ut quócumque ſe verteret, corpus Jeſu ſui è cruce pendentis oculis obverſaretur, videreturque ex omni parte ſcaturire pretioſiſſimus

Chriſti cruci affixi viſione donatur.

f

A. ANONYMO. sanguis, tam impenſo amore olim ab ipſo profuſus. Inde cùm ad conſiderandum injuriam, quam Deo uſque adeò amàbili infert culpa, utcumque levis, converſa eſſet, excitatus eſt animo ejus dolor immoderatus, qui eam magna voce exclamare compulit: "O Amor, numquam ampliùs, num-„ quam ampliùs peccata!„ Conceptoque adversùm ſe ipſam implacabili odio, impar erat ferendo ingrati animi vitio, quo tepidioris vitæ tempore erga Amorem ſuum uſa fuerat: unde ſæpiùs in
g acerba contra ſemet improperia *g* erumpebat, perquirenſque modos omnes, quibus valeret divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, exclamabat, dicens: "O A-„ mor, ſi opus eſt, peccata mea palàm confiteri parata ſum.„

20 Poſtquam per tempus aliquod ſe exercuit Catharina ad mitigandum anguſtias animi, nunc amoris actibus erga cruci affixam Bonitatem, nunc dolori de admiſſis à ſe defectibus indulgens, omnis anteactæ vitæ confeſſionem inſtituit, tam evidentibus *h* interni doloris indiciis, ut in admirationem meritò raptus fuerit ejus confeſſarius. Deinde feſta luce Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Annuntiationi *i* conſecrata, ad ſacram Euchariſtiæ men-
B ſam acceſſit, quo temporis puncto infudit illi Deus ſanctam Panis angelici eſuriem, quæ in ipſa per reliquum omnem vitæ decurſum inſatiabilis perduravit. Admiſſi nihilominùs defectus perpetuò oculis ejus occurrebant, eoſque animo inſculptos gerens, veluti continuum doloris ſanctique contra ſe ipſam odii incentivum, applicuit ſeſe ſeveris pœnitentiæ operibus, iiſque annos quatuor inſtitit, licèt, elapſis tantùm quatuordecim menſibus, fuiſſet ipſi à Deo revelatum, divinæ Juſtitiæ abundè ſatisfactum eſſe, divinaque virtute adempta ipſi foret omnis recordatio præteritorum lapſuum, non ſecùs acſi profundo æquore merſi fuiſſent *k*.

21 Non patiebatur oculos evagari in res mirabiles, eos humi ſemper defixos tenens, adeò ut prope ſe tranſeuntes non dignoſceret. Subtrahebat linguæ ſermonem omnem inutilem, eamque inſuper crebrò terræ affricans cruciabat. Tenui victu contenta eſu carnis abſtinuit & cibo quocumque alio, qui palato gratus accideret; & quoniam cupiditate naturali fructuum erat appetens, nullum omnino ampliùs deguſtare umquam voluit: contrà quotieſcumque delicatum aliquod
C edulium ipſi apponebatur, mox amarorem illi inducebat abſinthio & comminuta aloë, quam ei clàm admiſcebat. Abſtinentiæ in victu conjunxit alteram in cubando, ſomnum breviſſimum carpens, eumque moleſtans acutis ſpinis, quas frequenter lecto injiciebat. Aſperis ciliciis, longâque inediâ corpus ſuum macerabat, nudiſque in terram genibus inclinata ſex *l* quotidie horas orationis exercitio inſumebat.

22 Non ſubſtitit tamen Catharina in ſolo aſperitatum exteriorum uſu, at multò ferventiùs interioribus ſeſe exercuit, vires intendens ad eruendum affectiones animi, exſtinguendumque voluntatem propriam; optimè quippe noverat parùm aut nihil prodeſſe corporis afflictationem, dum abnegationem ſui comitem non habet. Propterea exponi nequit, quâ ſtuduerit ſolertiâ detegere minimas affectiones omnes propriæque voluntatis propenſiones, ut ſine mora eas edomaret, virtutique ac voluntati divinæ ſubjiceret. Mox ut experiebatur alicujus rei deſiderio abripi naturalem appetitum, impediebat illicò, eam ne adipiſceretur, quin imò oppoſitum ut amplecteretur impellebat *m*: ſique aliquando ſenſuum concupiſcentiæ res aliqua objiceretur, quæ per ſemet nauſeam eſſet allatura, omni modo nitebatur ſuperare repugnantiam, quam ſentiebat, ut ſpiritui ampliùs ſubderentur appetitus inferioris deſideria.

23 Omni perſonæ, cujuſcumque foret conditionis, ſubmittebat ſeſe, cumque ab ejuſcemodi injungebatur aliquid aut ſuggerebatur ſenſuum affectionibus contrarium, mirabili alacritate exſequebatur. Aſſidua hac ſui afflictatione ſub finem anni quarti *n* ſancta Matrona perfectam de omni appetitu naturali reportavit victoriam, adeò ut nullus ex iis ampliùs ſuſtinuerit opponere ſe rei cuicumque arduæ, quam victor Catharinæ ſpiritus illi præcipiebat. Quin imò, edomitis divinæ gratiæ virtute affectionibus propriæ voluntatis, perfectum obtinuit robur, ut reipſa exſequeretur cum alacritate ac voluptate illud omne, quod averſari ſolet humanitatis noſtræ pars deterior, infuſa illi à Deo tanta mentis claritate ac puritate, ut ejus ope nullum ignoraret, etſi minimum, animi nævum, nec ulla deinceps eam invaſerit tentatio *o*.

24 Deus, qui veniens ignem mittere in terram unicè deſideravit, ut accenderetur magis, ne per inertiam decreſceret, cordi hujus Sanctæ in hunc modum flammas ſubjecit, ut percipere non poſſet, qua ratione Dei amans anima tardo paſſu *p* per amoris divini gradus valeret incedere. Hinc cùm adverteret, Thomaſinam Fliſcam *q*, quæ & ipſa matrimonio juncta, eodem tempore ſeculi fugam arripuerat, tardè ac trepidè mundo valedicere, præ timore, ne inſtabilis evaderet, ſi, ut ipſa præſtiterat, temporis puncto unico penitus cum relinqueret, frequenter aiebat, aſſequi ſe non poſſe, quî ſimul conjungerentur verus Dei amor & ſegnities in ejus ſervitio. Et revera ſublimiſſima hæc de perfectione exiſtimatio, aliis minimè uſitata, optimè congruebat Catharinæ, veluti cujus ſpecialem curam ſuſceperat Deus, volens ipſemet moderari ſpiritum ejus ſine auxilio ullius creaturæ ſeu regularis ſeu ſecularis, quæ ad perfectionis apicem illam deduceret. Ac reipſa viginti quinque annorum intervallo alium non agnovit Catharina in divino obſequio magiſtrum *r*, niſi Deum altiſſimum, qui per divinas inſpirationes ſuas ordinabat omnes illius actiones, ut eam ſibi ipſi aſſimilaret.

25 Primæ ad perfectionem regulæ, quibus in arcano colloquio electam hanc Animam informavit divinus Præceptor, fuerunt tres ſequentes, videlicet: prima; "Numquam audiatur ex te, vo-„ lo aut nolo„: ſecunda; "Numquam dicas „ meum, ſed noſtrum„: tertia; "Numquam ul-„ la in re te excuſes, ſed ad accuſandum te per-„ petuò ſis parata„. Quibus legibus examuſſim paruit S. Catharina, ut perſpicuè apparebit ex toto brevis hujus Hiſtoriæ decurſu. Altera vice ſupremus Moderator cum Diſcipula ſua internè collocutus eſt, illique injunxit, ut pro vitæ divinis rebus conſecratæ fundamento verba hæc ex Oratione Dominica aſſumeret: "Fiat voluntas tua„ id eſt, ut in negotiis omnibus, cùm ad animam tum ad corpus pertinentibus, tam ad parentes quàm ad amicos, atque in omni eo, quod ſive proſperum ſive adverſum obtingere poſſet, divinæ ſe voluntati conformaret: ex Salutatione autem Angelica arriperet vocem hanc unicam JESUS, eam altè cordis medullis imprimendo, quoniam oportebat, ſolum Jeſum in omnibus vitæ caſibus fidelem ipſi ducem adhærere.

26 Ac denique ut ex univerſis ſacris Paginis, tam-

D

omnibuſque ſubdita, ſeu. ſuum repugnantiam frangit.

n

o

VI. *Alacriter in divino ſervitio progrediens*

p

q

r

regulas, ad perfectionem neceſſarias,

Peccata ritè confeſſa & Euchariſtiâ refecta, duris

exterioris pœnitentiæ operibus ſe dedit:

affectiones animi edomat,

A tamquam illarum ſummarium, ſeligeret unicum hoc vocabulum AMOR, eo quòd illius ope ſarta tectaque ſervanda eſſet integritas animi, puritas, munditia, alacritas, ſolertia, illuſtratioque abſque errore & indigentia creaturæ ullius, à qua dirigeretur, cùm auxilio non egeat amor, ſe ſolo abundè ſufficiens, ut res quælibet, quantumcumque ardua *ſ*, abſque labore ad exitum perducatur: propterea conſumpturus in ipſa fuiſſet amor affectiones omnes omneſque animi æquè ac corporis ſenſus. Divinis hiſce præceptionibus imbuta Catharina quantâ ſtuduerit ſolertiâ eas opere complere, exponi vix poteſt: hinc divino Magiſtro ſuo uſque adeò placuit, ut eam favoribus maximè ſingularibus locupletârit, quos inter hic fuit, quem jamjam commemorare aggredimur.

à divino Magiſtro ſuo edocetur.

ſ

27 Anno quodam *t* poſt mirabilem vocationem, quâ Catharinam attraxit Deus, die ſanctiſſimæ Annuntiationi ſacro, ab amabili Domino ſuo internè invitata fuit ad jejunandum cum ipſo in ſolitudine: illa verò invitationem tam ſuavem lubenter acceptans, ex eo die cœpit nullius ampliùs generis cibum poſſe digerere, uſque ad Paſcha ſolo ſe ſuſtentans Angelorum Pane, quo veſcebatur quotidie: exactis dein tribus diebus ſolemnitatis hujus, quibus illi Deus conceſſit edendi facultatem, reſumpſit illicò inchoatum jejunium; donec quadraginta dierum numerus compleretur. Cùm exorſa eſt S. Catharina prodigioſum illud jejunium, repugnantia, quam in edendo ſenſit, metum illi aliquem ſuſcitavit turbaſque offudit animo, ambigenti, an non à communi adverſario illuderetur; atque idcircò vim ſibi omnem inferebat ad manducandum more ſolito, in eumque finem non prætermittebat diebus ſingulis ad communem cum aliis menſam accedere. At quantamcumque induſtriam violentiamque adhiberet ad edendum, vixdum cibus in ſtomachum tranſmiſſus erat, quin illum nulla ratione valens retinere, ingenti cum cruciatu cogeretur evomere.

t Prodigioſum jejunium multis annis

B

28 Rei tam extraordinariæ aſpectus domeſticos ſupra modum obſtupefecit: hinc poſtquam ſæpiùs, at ſemper incaſſum, tentâſſent variis modis eam adigere ad cibi aliquantulum retinendum, curârunt denique à confeſſario illi injungi, ut comederet. Jubenti alacriter obſecuta eſt, vimque ſibi, quam potuit, maximam inferens, dapis aliquid ſibi præparatæ non ſine magna difficultate introſumpſit. Verùm ſtupentibus, qui circumſtabant, omnibus, ea etiam vice minùs potuit cibum retinere, ut ſubitò compulſa fuerit eum ejicere, non ſecùs ac antè ſemper contigerat: vehemens inſuper eam languor invaſit, qui vitæ ipſi adimendæ ſufficeret, adeò ut, eo viſo, confeſſarius numquam ampliùs auſus fuerit tale in ea experimentum ſumere, totum id à divina operatione *u* profluere agnoſcens. Perrexit exinde Catharina ad eam normam tranſigere Quadrageſimam ac præterea Adventum ſpatio annorum viginti trium, quibus Quadrageſimale jejunium inchoabat die Lunæ à Quinquageſima, uſque ad diem Paſchæ illud proſequens: Adventûs verò jejunium ordiebatur à die, feſtam S. Martini lucem inſequente, terminabatque illud in Vigilia Nativitatis Chriſti Domini noſtri, cibi omnino nihil toto iſto tempore admittens, quamquam affligendi guſtus ſui cupida, in eoque minimè tranſgrediens, quod prohibuerat Deus, ſoleret ſumere hauſtum aquæ, ſale & aceto miſtæ, in memoriam amari illius potus, quo Redemptoris ſui è cruce pendentis ſitis excruciata fuit.

à Sancta longo tempore continuatum.

C

u

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Vita prolixior cap.* 2 *ita ſcribit*: Inſtabat ſoror (*Limbania Fliſca*) ut ei (*confeſſario*) ceu viro admodùm religioſo (& verè ſanctus vir erat) minimùm ſeſe ex animo commendaret.

b *Dialogi part.* 1, *cap.* 8 *ſusè deſcribit Sancta ingentia lumina, quæ illi conceſſit Deus, quibuſque adjuta è tepidioris vitæ ſtatu feliciter emerſit. De his porrò ita ſcribit ibidem*: Tantas vidit operationes atque effectus amoris erga hanc animam, ut nulla lingua enarrare ſufficiat.

c *Laudato ſtatim Dialogi cap. ita lego*: Idem amoris radius momento temporis animam hanc ſauciavit, in quo vidit ac ſenſit quendam amoris ignem è divina ſcaturigine prodeuntem, qui eam mox extra ſe raptam quodammodò intellectu, loquelâ & ſenſu privavit.

d *Eodem loco ita ſcribit Sancta*: Neque aliud dicere poterat præter hæc verba: O Domine, nullum mihi ampliùs cum mundo, nullum cum peccatis commercium, & quidem clamore interno, cor ejus penetrante. E

e *Dialogi part.* 1, *cap.* XI *dolorem ſuum ſic exponit Sancta*: Admodùm afflicto & mœſto erat corde interiùs fundens lachrymas, non tamen exteriùs emittere valens, tacito ſuſpirabat pectore tantâ vehementiâ, ut ipſa quoque vita abſumeretur. *Alia multa, quibus hoc toto num. à biographo aſſerta, fuſiùs explicat Sancta, hîc tranſcribere neceſſe non putavi.*

f *Viſionem hanc Sancta part.* 1 *Dialogi cap.* XI *ita commemorat*: Quodam die apparuit illi domi exiſtenti Dominus noſter Jeſus Chriſtus, totus à capite ad pedes uſque ſanguine madens, ... atque his ſe verbis ſecretò compellari audivit: Ecce cunctus hic ſanguis amore tui atque ad expianda delicta tua fuſus eſt. F

g *Cap.* 10 *laudatæ partis Dialogi hæc lego verba Sanctæ, ſe ipſam alloquentis*: Jamne ſatis tibi culta & ornata videris, quæ coram oculis Domini tui compareas? Quomodo habes? Quis è tantis te miſeriis eripiet? Modò advertis, quàm ſis deformis & ſordida, quæ tam pulchram & bonam te arbitrabaris. *Tum in concupiſcentiam ſuam invehitur, minaturque illi, fore ut, ſi denuò tentet animam ſeducere, non alio loco habeatur, quàm quo ipſe damon.*

h *Sanctam audiamus Dialogi part.* 2, *cap.* 3 *ſic loquentem*: Tantaque contritione ſua cœpit peccata confiteri, ut res ſtupenda eſſet, atque ad ea in ſe debita ſatisfactione punienda nihil, quod animæ & corpori durum ac moleſtum, refugeret.

i *In Commentario num.* 63 *diximus, id non eſſe diutiùs differendum ultra illum eumdem annum, quo paucis ante Annuntiationis feſtam lucem diebus divinæ reſpondens vocationi, perfectionis ſemitam relegit: ibidem etiam & num. ſeqq. refutavimus cenſuram Bailleti de frequenti ſacræ Euchariſtiæ ſumptione: quare ibi dicta, lector, conſule.*

k *Conſonant hæc aſſertis ab antiquiore biographo, cujus hîc fidem ex dictis Sanctæ in Dialogo vindicavimus num.* 121, *quem vide, uti & præcedentes à num.* 117.

l *Quæ toto hoc num. commemorantur, pleraque etiam*

A. ANONYMO. *etiam tradidit Sancta in Dialogo part. 1, cap. 13; paucula accipe.* Præterea instigavit eam (*amor*) ut nudis genibus nixa sex vel septem horis orationi insisteret; tametsi corpus non parùm inde gravaretur, nil tamen curabat, nec propterea animæ per omnia, ubi & quomodo vellet, parêre ac servire detrectabat. *Relatisque aliis austeritatibus, ad Jsum in cubando rigorem addit:* Quidquid tamen machinaretur, nunquam Deus necessario eam somno destituit; nihilo enim minùs dormiebat, quanquam præter voluntatem.

m *Vita prolixior cap. 5 ita scribit:* Adeò suis restitit inclinationibus, ut neque sui neque aliorum haberet respectum: sensualitati aliquid concupiscenti tam sedulò ac fortiter reluctabatur, ut postea nullius rei desiderio ampliùs tangeretur. *Vide etiam, quæ ex Sanctæ Dialogo adduximus Commentarii prævii num.* 80 & 81.

n *Antiquior biographus recensens cap. 5 austera pœnitentiæ opera, à Sancta exercita, eumdem quatuor annorum numerum signat, qui à conversione ipsius initium ducunt. Circa laudati cap. medium addit:* Iisdem annis ob ignem, in corde ipsius æstuantem atque interiora exurentem & exsiccantem, adeò diram pertulit famem, ut insatiabilis esset, cibumque tam citò concoquebat, ut & ferrum consumpsisset. Supernaturalis planè habebatur tam rabidus comedendi appetitus, ad quem tamen explendum non manducabat nisi statis horis, neque præcepta jejunia intermittebat. B

o *Consule dicta in Commentario num. 122 & seqq.*

p *Vita prolixior sic scribit cap.* 45: At B. Catharina multò magis mirabatur, eam (*Thomasam Fliscam*) de sua constantia & felici progressu dubitare, nec poterat hoc capere; Si, inquiens, à cœpto resilirem, vellem non solùm mihi erui oculos, sed & corpus totum membratim dilaniari atque in frusta comminui ac quovis alio ludibrio & dedecore me affici.

q *Eadem vita prolixior Thomasæ Fliscæ elogium refert, complectens virtutes ejus, gestaque in gemino, quod post mariti obitum incoluit, monasterio Observantium S. Dominici: pro instauranda regulari disciplina eam è cœnobio S. Sylvestri translatam fuisse tradit ad ejusdem instituti monasterium, Novum appellatum, quod Oldoïnus in Athenæo agens de Thomasa Flisca, appellat SS. Jacobi & Philippi. Hujus matronæ gesta ibidem fusiùs tradita legere est. In fine cap. hæc addit:* In his duabus conjugatis matronis apparet mirabilis providentia & dispositio Dei, dum eodem tempore altera (*Sancta nostra*) per infusam gratiam esset conversa & subitò ad perfectionem evecta, alteram verò (*Thomasam Fliscam*) oporteret paulatim per virtutes adquisitas ad eandem pertingere. C

r *Vide, quæ disseruimus in Commentario num. 113 & seqq.*

s *Consule, quæ dedimus ex Sanctæ Dialogo de amoris fortitudine num. 93 & 94 Commentarii prævii.*

t *De anno, quo Quadragesimale istud jejunium primò instituit, dubiè locuti sumus in Commentario num 72. At, licèt Vita prolixior cap. 4 dicat, recèns conversam ad id fuisse invitatam, videtur saltem differri debere ultra quadriennium post conversionem, propter dicta ad litter. n de insatiabili quatuor annis esurie; nam dum jejunium Quadragesimale instituit, asserit Vita prolixior, ademptam illi fuisse edendi facultatem.*

u *Consule dicta in Commentario à num. 72 ad 78, ubi quæ de prodigioso hoc Sanctæ jejunio tradiderunt biographi, illustravimus partim exemplis aliunde petitis, partim ratiociniis Benedicti XIV Pontificis, & adversus Bailleti censuram defendimus.* D

CAPUT III.

Pauperibus per civitatem sparsis, dein ægrotis in nosocomio inservit: virtutes heroïcæ, quibus in utroque munere effulsit Sancta.

VII. *Pauperibus infirmis per civitatem sparsis*

VIgebat jam tum Genuæ laudabilis consuetudo, quæ usque hodie perseverat, ut à magistratu *a*, cui à Misericordia nomen est, deputarentur aliquot nobiles matronæ in auxilium pauperum, maximè illorum, qui ostiatim per civitatem victum emendicare erubescunt. Videntes matronæ istæ lucem, quam spargebat caritas Catharinæ, occultam licèt ac solitariam vitam agentis, ad obeundum secum misericordiæ officium, subveniendo pauperibus infirmis hàc illac per civitatem dispersis, eam invitârunt, hunc in finem & nummos & alia necessaria suppeditantes. Exponi nequit, quanta animi exultatione munus sibi jucundum adeò amplexa fuerit S. Catharina, illustratione superna intelligens, id consilii à Deo matronis hisce ideircò inspiratum fuisse, ut sine propriæ voluntatis metu alienæ obtemperans, Deo in persona pauperum ministraret. In isthoc exercitio non modò nutrimentum ardentissimæ caritatis suæ igni, sed occasionem insuper reperit exercendi afflictationis sui actus maximè heroïcos, quos Dei amore æstuans anima obire possit.

a

30 Cœpit itaque, amore divino semper duce, circuire civitatem, pauperes infirmos vestigans: & sanè res erat admiratu magnopere digna videre Matronam ex primariis Genuensibus, in flore ætatis, admodùm vulgari habitu, defixis semper in terram oculis, accurato in silentio per publicas incedentem plateas, invisentem modò hunc modò illum ægrotum, totamque sese eorum ministerio in operibus etiam immundissimis consecrantem. Tum maxima spiritûs dulcedine perfruebatur, cùm nanciscerentur leprosos, gangrenâ, ulceribusque obsitos, sique opus illis esse lecto, domo aut re alia intelligeret, ocyùs prospiciebat illis partim ex eleëmosynis, quas suppeditabant pii operis consortes matronæ, partim ære proprio. Sternebat ipsorum lectos, propriis manibus eorum immunditiam & sordes expurgabat: frequenter secum domum asportabat viles miserorum lacernas, easque accuratè purgabat immundis bestiolis, quibus aliquando scatebant, illasque nitidas & mundas eisdem pauperibus restituebat: speciali autem providentia Dei nullus umquam ex immundis hisce vermiculis adhæsit vestimentis ejus. *mira caritate inservit, sordes* F

31 Frequenter adibat xenodochium, cui à S. Lazaro *b* nomen est, ubi jacebant infirmi à capite ad calcem morbis immundissimis cooperti, aspectu solo horrorem inferentes: ipsa verò inexplicabili caritate cibos illis porrigebat, medebatur *& immunditias purgat, etiam cum animorum fructu; b*

A tur vulneribus & abjectiſſima quæque in eorum ſervitio obibat officia. Reperiebat interdum nonnullos, qui ægritudinis ſuæ tædio victi, calamitates ſuas moleſtè ferebant, prorumpentes in verba deſperationis, ſibique ipſis intolerabiles facti, accedentem quemlibet injuriis proſcindebant. Catharina ſereno vultu excipiebat opprobria, ſuaviterque eorum impatientiam redarguens, ſanctis verbis eos animabat, ut morbi acerbitatem tolerarent, voluntatem ſuam divinæ conformantes, adeò ut non eſſet ibidem ægrotus, qui illius auxilio non referret levamen corpori ſimul & robur animo.

naturæ, ſordida abhorrentis, repugnantiam frangit.

32 Ut primùm Catharina exercitiis tam ſanctis ſe applicuit, duriſſimam intra ſe luctam ſenſit carnem inter ac ſpiritum, pauperum decumbentium intuens miſerias: humanas quippe infirmitates naturaliter abhorrens, vehementiſſimam experiebatur repugnantiam ad ingerendum ſeſe ſpurcitiis tam abominandis, quibus miſeri illi implicabantur. Contrà tam vehementes erant impulſiones ardentiſſimi amoris ejus, ut ſtimularent ipſam ad ſuperandum omnem naturæ horrorem, immolandumque caritati ſenſûs obluctationem. Unde ad vincendum

B nauſeam, quam experiebatur in medendo tot tamque diverſis morborum teterrimorum generibus, frequenter ori imponebat, quin imò diglutiebat ulcerum putredinem, nonnullaſque è ſordidis iſtis beſtiolis mandebat eo temporis puncto, quo ſtomachum vehementiùs naturæ vi commoveri ſentiebat. Animo ſupra modum generoſo toties actus ſimiles repetiit, donec mollitiei propriæ repugnantiam omnem triumphavit, ex hujuſcemodi exercitiis, ab ipſa annorum circitèr trium *c* ſpatio obitis, tantum deinceps voluptatis percipiens, quantum ſub initium experta fuerat moleſtiæ.

c

VIII. *Pari amore & animi demiſſione*

33 Catharinæ erga pauperes infirmos caritas ut continuò illuſtrior evaderet, nobilibus, ſub quorum tutela & moderamine erat xenodochium majus civitatis Genuenſis, vulgò Pammatone dictum, inſpiravit Deus, ut ægrotantium ſervitium promoverent ope Matronæ hujus, heroïca caritate præditæ, certi, fore ut, quantum ipſa ſolatii cùm quoad corpus tum quoad animam infirmis eſſet allatura, exempli tantum atque incitamenti omnibus loci iſtius miniſtris eſſet præbitura ad fungendum officiis ſuis debita accuratione: præterquam quòd loco iſti non parum honoris obventurum eſſet ex eo, quòd Matronam & natalibus ſuis & merito proprio illuſtriſſimam haberet, quæ decumbentium curam ſuſciperet. Fuit

C

d

idcircò rogata *d* Matrona ſancta, ut in commodum morbidorum in dicto xenodochio verſantium, dignaretur extendere iſta caritatis obſequia, quæ erga pauperes per civitatem ſparſos exercuerat. Sanctam nihil moratum eſt, quominùs oblatam provinciam lætabunda amplecteretur, utpote cujus animum præceptione ejuſmodi Dominus præoccupârat: "Volo, ut, quotieſcumque rogaris ad „ præſtanda opera pietatis, veluti ægris inſervire „ ac pauperibus opitulari, numquam te excuſes, „ & alienam ſemper exſequaris voluntatem.„

ægrotantibus miniſtrat in xenodochio majore,

34 Hinc promptum non eſt exponere, quanta attentione, quantoque animi fervore iſthoc caritatis officio eo in loco fungeretur, inſtaurans in miſerorum iſtorum ſolatium omnes illas actiones heroïcas, quas ad id uſque tempus erga alios exercuerat. Non erat ibi ullus, qui ſtupore non hæreret defixus, intuens Matronam conditionis excelſæ, florentem ætate, opibus hereditariis affluentem *e*, opulentiſſimæque familiæ nuptui lo-

e

catam, res omnes terrenas floccipendentem, vili indutam veſte ac tantùm non pauperibus ſe aſſimilantem, eoque tempore in eorumdem obſequio laborem omnem majore animi vigore aggredientem, cùm omnis corporalis ſolatii expers rigida iſta jejunia celebrabat, quorum ſuprà mentionem fecimus. Heroïcæ ipſius caritati conjuncta videbatur obedientia maximè exacta erga univerſos xenodochii miniſtros, quorum imperia, etſi inconſiderata, admirabili alacritate exſequebatur, numquam aperiens os ſuum, adeò ut majorem ipſis ſubjectionem exhiberet, quàm præſtatura fuiſſet ulla ipſorum ancilla *f*.

A. ANONYMO.

f

cujus deinde rectrix

35 Reprehenſiones, quibus modò ab hoc modò ab illo ex miniſtris redarguebatur frequenter admodùm, patiebatur mira voluntatis conſenſione, permittente Deo, ut nihili fieret, & ea de cauſa ſæpiùs vilipenderetur ab ipſis, vituperantibus modum ipſius agendi, qui ceterùm ſatis vehementer redarguebat illorum nimis tepidam, quia mercenariam, caritatem. Ut iis contemptibilis redderetur, fecit inſuper pauperies *g*, in quam conjecerat illam ſpiritus ejus, ut ad ſupremum profundæ humilitatis gradum elevaretur, cujus inſtinctu laboribus propriis & alienis victitabat eleëmoſynis, quoadusque facta ſibimet ipſi maximoperè vilis & deſpecta, humilem ſui exiſtimationem ab inſultibus vanitatis *h* ſartam tectamque conſervârit: perrexit dein etiam ipſa ad finem uſque vitæ domûs hortique, ad xenodochium ipſum pertinentium, locationis pretium expenſis propriis perſolvere.

g

E

h

inſtituta, exactam curam gerit.

36 At quantum erga Sanctam noſtram reverentiæ deerat miniſtris, tantum venerationis ipſi impendebant nobiles xenodochii protectores *i*, qui cùm eſſent ſedùli virtutum ejus obſervatores, voluerunt pii iſtius loci moderamen ipſi conferre, inſtituentes ibidem rectricem *k*. Catharina, acceptato honorabili hoc officio, ne ad latum quidem unguem receſſit à tenore vitæ ſuæ humilis & abjectæ, novitque rectè adeò conjungere impoſiti ſibi muneris occupationes cum ſolitis perpetuæ ſuæ caritatis exercitiis, ut nullum ex his umquam prætermittens, illas omnes conſtanter adimpleret. Stupebant omnes, videntes, quot die quovis horas orationi impenderet, diuturnas frequenteſque eeſtaſes, quæ ejus mentem invadebant, eodemque tempore ſingularem accurationem, quâ rerum omnium curæ ſuæ commiſſarum, etſi minimarum, exactiſſimam inibat rationem: nec umquam accidit, ut, quod ipſius exigebat officium, curare obliviſceretur *l*, meritóque omnes ſingulari Dei auxilio adſcripſerunt, quòd, cùm plurium annorum ſpatio ingentes pecuniarum ſummæ in manus illi traderentur, quæ quotidie xenodochio ſuſtentando expendebantur, nullus umquam in rationibus ejus error, etiam minimus, deprehenſus fuerit. Exacta cura, quam gerebat Catharina de rebus xenodochii, ſupra modum etiam mirabilis evadebat, collata cum omnimoda privatarum rerum ſuarum oblivione; tot, quippe tempore vitæ, quam ibidem ad finem uſque exegit, cogitationem de ſe ipſa nullam admittere umquam voluit, ſed curam ſui Deo ſemper reliquit, qui ordinavit, ut vel de marito vel de alio quoquam animum non ſubiret cogitatio, ne avocaretur ab officio caritatis, quæ non, quæ ſua ſunt, quærit, ſed ſolummodò, quæ Domini ſui.

i

k

F

l

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Parpera posterioris anni* 1682 *Incubrationis cap.* 36, *num.* 1 *antiquissimum appellat officium matronarum Misericordiæ, ad idque deputari asserit matronas octo nobiles, opulentas probataque vitæ, earum quoque munia ibidem refert. Ubertus Foliëta Genuensium Historiæ lib.* 9 *exordia magistratûs, quem Misericordiæ appellant, innectit anno* 1403, *multisque laudibus exornat Pileum Marinum, archiepiscopum Genuensem, illius auctorem, qui, teste Ughello in archiepiscopis Genuensibus, sedi huic præfectus est anno* 1400: *is, ut scribit Foliëta, cùm rem pecuniariam administrandi munus, velut episcopo indignum aspernaretur*, Quattuor (*verba sunt Foliëtæ*) primarios cives sibi publicè datos collegas adscivit; quos curationi huic bonorum ecclesiæ, in egestatem miserorum sublevandam distribuendorum, ac rei nummariæ tractandæ à se & à successoribus in perpetuum ablegatæ præfecit: qui magistratus à re Misericordiæ appellatus, ingentia incrementa paullatim accepit; amplissimis juribus à Romanis Pontificibus & à republica auctus. *Vide etiam, si lubet, Hieronymi de Marinis compendiariam descriptionem reipublicæ Genuensis cap.* 2, *sect.* 2, *num.* 3.

B

b *Ughellus Italiæ sacræ recusæ tom.* 4, *pag.* 832 *asserit, Genuæ numerari xenodochia quatuor ampliſſima, quæ à nobilibus viris reguntur: in Additione autem pag.* 835 *ita scribit:* Duo nosocomia sive valetudinaria pro viris & mulieribus existunt.... Primum & præcipuum Pammatonis appellatur... & non tantùm infirmis, verùm etiam alendis infantulis expositis, & ex his maritandis seu dotandis puellis inservit. Alterum est ægrotorum incurabilium. Magna & sumptuosissima fabrica ad alendos pauperes senes principaliter & ad alios pios usus adest, quæ Magnum hospitium communiter nuncupatur. Neque omittendum est xenodochium, ecclesiæ S. Antonii adnexum. *Verisimiliter quartum, quod Genuæ exstare asseruit Ughellus, & de quo tamen nihil addit ulteriùs, illud est, quod auctor anonymus hujus Vitæ à S. Lazaro appellatum tradit, & de quo ita lego Dialogi part.* 1, *cap.* 19: Contulit etiam se ad pauperes S. Lazari, ubi

C

extremam conspexit miseriam. *Thannerus & editio Veneta anni* 1615 *legunt* Ad pauperes S. Laurentii: *verùm Parpera, qui Sanctæ tum Vitam tum Opera juxta antiqua monumenta recudit, scripsit*, Lazari, *quem hîc sequi placuit.*

c *Sancta, relatis heroïcæ caritatis operibus, quæ ab initio capitis hujus* 3 *usque huc recensuit biographus, ita subdit in fine cap.* 20, *part.* 1 *Dialogi.* Erant, *inquit*, hæc humanitati usque adeò contraria, ut per naturam fieri nunquam potuissent, videbantur mortem allatura, quando autem vim sibi fecerat, gaudio quodam ac voluptate perfundebatur, illi ad talia semper majorem addente animum: unde factum, ut cum personis desperatis & impatientibus agere, aliaque abominanda perferre potuerit. In his functionibus, imperante spiritu, tres circitèr annos desudavit *&c.*

d *Hoc ipsum Sancta testatur in Dialogo: verba dedi Commentarii prævii num.* 83.

e *Vide dicta in Commentario num.* 46.

f *Docet hoc iterum Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 21 *sic scribens:* Eodem loci (*in xenodochio*) subjecta erat præfectis hospitali, non secùs acsi ancilla eorum esset.... Quidquid demandabatur, humiliter & reverenter suscipiebat atque exsequebatur. D

g *Consule dicta de voluntaria Sanctæ paupertate num.* 46 *Commentarii prævii.*

h *Vide disputata in Commentario de Sanctæ immunitate ab inani gloria num.* 103 *& seq.*

i *Hieronymus de Marinis cap. & sect. ad litter.* a *sub finem laudatis, num.* 4 *sic habet:* Opus hoc (*nosocomium*) creditum est duodecim viris (protectores appellant) qui aliqua simul omnes, sed plura, partita inter sese triennali cura, quaterni administrant *&c.*

k *Parpera in vita Sanctæ, anno* 1682 *edita, cap.* 54, *num.* 5 *asserit, annos circiter* 12 *ægrotorum servitio sese applicuisse Sanctam, abjectissimæ instar ancillæ: de sua ad xenodochii regimen assumptione ita loquitur Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 21: Effecit (*spiritus*) ut ob singularem ipsius industriam,... quam hactenus circa pauperum curam exhibuerat, rectrix & magistra hospitalis constitueretur, ut periculum faceret, an propria ejus pars sublimiter de se sentiens sese extroverteret. Præfuit xenodochio annos complures *&c.* E

l Interim, *inquit Sancta laudato statim cap.*, sufficientem omnium necessitatum & negotiorum creditæ sibi domus notitiam & memoriam habuit, spiritu ipsi suppetias ferente, sine quibus muneri injuncto non potuisset satisfacere.

CAPUT IV.

De insigni amore Sanctæ in Deum, ejusque admirabili cum ipso conjunctione.

IX. *Incensus ejus in Deum amor,*

PAuculis periodis delineare velle amorem, quo Deum suum prosecuta est S. Catharina, dum in hoc orbe inter mortales commorabatur, tantumdem foret ac velle vasti maris undas exiguo vase concludere; cùm ex eo temporis puncto, quo ad confessarii pedes suaviter simul ac fortiter eam attraxit Deus maximus ad se amandum, non tantùm divini amoris ignis in ejus animo numquam defecerit, sed usque adeò creverit, ut vivere non videretur nisi ex puro amore. Fuit amor ille utilitatum suarum immemor, proprii amoris nil admixtum habens, penitusque ab omni re creata avulsus. Hinc licèt Deus animæ huic frequenter degustandam obtulerit maximam spiritûs dulcedinem, illius ope concedens illi prælibare nonnihil ex immenso illo torrente consolationum, quibus affluit cor Beatorum, nihilominùs quàm poterat maximè, fatagebat Catharina illam devitare *a.* Prioribus ferventioris vitæ suæ annis, *a*
postquam sacro Epulo refecta fuisset, sensit tanta suavitate animum repleri, ut jam inde videretur sibi paradisi delicias experiri: at illa subitò ad amabilissimum Deum suum se convertens, aiebat:
„ O Amor, an istarum fortè dulcedinum ope ad
„ te attrahere me velles? Ah quàm nihil volo ex-
„ tra te, nec aliquid cupio, quod procedit *b* à te, *b*
„ sed unicè te desidero, nec pensi habeo talibus
„ auxiliis venire ad te.„

38 Deinde supplex eum precata est, ut vellet deinceps numquam ampliùs solatia ejusceomodi ipsi impertiri, quæ tamen tantò ampliùs *c* in *c*

ani-

A *nil remunerationis aut solatii expetens,* d

animam istam effudit Deus, quantò clariùs agnoscebat, illa ab ipsa recusari. Cupivisset ipsa, ut creaturæ omnes Deum diligerent, eique servirent absque spe *d* ullius remunerationis cùm terrenæ tum cælestis, unde solebat dicere: "Fierine po„test, dulcis Amor mi, ut absque consolatione „& spe boni tam in cælo quàm in terra amor „& obsequium impendendum tibi non sit?„ Interdum revolvens dictum illud Christi; "Qui „habet mandata mea & servat ea, hic est, qui „diligit me,„ videbatur sibi præ omni alio magis obligari ad exhibendum amorem erga Deum, majori solicitudine divina illius mandata observando; hinc exclamabat: "Amor, si alii vinculo u„no ad obtemperandum mandatis tuis adstrin„guntur, ego denis ligari volo, siquidem omnia „suavia sunt & amore plena, nec tu imperas il„la, quæ observantibus vergant in malum, sed „magis, quæ pacem, amorem conjunctionemque „inducant: verùm intelligere illud non valet, nisi „qui experitur.„

non facilè explicabilis: ferventi respuso

39 Inflammatum tamen ejus cor abundè id expertum est, ut ipsamet sæpiùs testata est circumstantibus, inquiens: "Ah! si quod cor meum „sentit, dicere possetis!„ Rogata verò, ut in eorum consolationem instructionemque proferre aliquid dignaretur, respondit: "Non invenio a„pta tam incenso amori vocabula *e*: solùm vo„bis dicere queo, si illius, quem cor hoc per„sentit, scintilla unica in infernum delaberetur, „totus evaderet vita æterna; quia tantus ibi a„mor esset, ut dæmones fierent angeli, & pœ„næ consolationes, etenim cum amore Dei con„fistere pœna non potest.„ Hæc aliaque ejuscemodi inflammata verba inexplicabiliter accendebant mentem cujuscumque eam audientis, & in admirationem Matronæ hujus, seraphim instar amantis, rapiebant personas innumerabiles, quas inter fuit religiosus quidam vir prædicator *f*, qui, auditis ex ipsius ore admirabilibus variis divini amoris expressionibus, seu hujus animum experiri, seu ad amplectendum Regularem statum illam cuperet allicere, cœpit hujus supra secularem prærogativas extollere, subdens, se, utpote religioni consecratum, aptiorem esse ad amandum Deum, quàm foret ipsa: quoniam, rebus omnibus terrenis remisso nuntio, expeditior liberiorque erat C ad diligendum Deum suum, qua libertate carebat, cùm adhuc conjugii vinculo esset mundo alligata.

asserit amorem purum re nulla

40 Sermonem ejusdem vix excepit Catharina, quin impatiens amori suo limites præscribi, ocyssimè assurrexerit; accensoque vultu, scintillantibus oculis, & veluti extra se rapta præ amore, in corde ejus efferveseente, in hæc verba prorupit: "Si persuasum haberem, cucullo isto „tuo mihi vel minimam amoris scintillam adji„ciendam, dum aliter facere non possem, deor„sum de scapulis tibi abstraherem frustatim. Ce„terùm quòd asseras, ob renuntiationem à te fa„ctam, statumque Regularem, in quo es, & me„rita continuò accumulas, plus tibi, quàm mi„hi esse meritorum, bene tibi sit, illa non inqui„ro: at verò quòd ego tanto Deum amore pro„sequi *g* non possim, quanto tu, numquam in g „animum induces meum, quoniam impediri ne„quit, cúmque impeditur, amor iste non est to„tus mundus & expurgatus.„ Verba hæc tanto cum fervore protulit, ut solverentur atque in humeros defluerent capilli ejus omnes, adeò ut eo instanti ad insaniam redacta videretur.

41 Omnes, qui circumstabant, stupore abreptos relinquens, in cubiculum suum se recepit, ubi amorem suum in Deum effudit, exclamans: „O Amor! quis me impediat, quominùs amem „te? Etsi in castris militum degerem, nedum „in statu, in quo versor, haud metuerem, ne „aliquis impedimento mihi esset, quin amarem „te, sique vel mundus, vel conjugalis status, „vel res quæcumque alia amorem posset impe„dire, quid aliud esset amor, nisi res vilis nimiùm „pretii: at novi ego, quod amor vincat omnia.„ Et quoniam fuit, qui dixit, illam facilè posse esse circumventam à dæmone, responso hoc excepit: "Credere nequeo, amorem, qui proprius „non sit, fraudi umquam posse subjectum esse.„ Super hoc à Deo peculiariter fuit illustrata, qui internè ipsam alloquens, certam reddidit, quòd purus amor, qualis ipse Deus *h* est, nec vinci, h nec impediri, nec retardari queat re quacumque, quæ adimat libertatem amori isti, in quem fraus cadere nequit: atque idcircò eam animans ad prosequendum sine interruptione amorem ejusmodi, ad cor ei dixit. "Nolo, ut umquam oculum „convertas, nisi in amorem, hîc te confirmes „volo, nec inde recedas ob casum quemcum„que, qui tibi aliisve, seu intus seu foris, acci- E „dere possit.„

Ex intuitu Passionis Dominicæ

42 Legem hanc sibi à Deo dictatam observans Catharina, adauxit semper magis amoris ignem, adeò ut frequenter ingemiscens lamentaretur, inter homines nonnullos reperiri, qui eum non diligerent, quoniam ipsi videbatur omnino fieri non posse, ut alius *i* extra Deum amaretur, maximè i inspiciendo amorem immensum, quo Deus ipse prosecutus fuerat humanum genus, pro cujus salute homo factus, crudelissimam passionem mortemque acerbissimam subire non recusavit. Quapropter ad aspectum gravium suppliciorum à Redemptore suo toleratorum, & ingrati *k* hominum k animi, ob quem nihilominùs amantissimus Deus beneficiis ingratum hominem non cessat prosequi, crescebat in ipsa flamma hæc, quæ cor absumebat: reminiscens autem se tempore majoris animi tepiditatis à Deo vocatam fuisse gratia tam efficaci, ut eam Magdalenæ ac Pauli vocationi *l* so- l leret conferre, divinam admirans clementiam, tota in amorem rapta inquiebat. "Deus homo „factus est, ut faciat me Deum, ideoque eniti „volo, ut tota per communicationem Deus fiam. F „Quid volo supra cœlum, ô Deus meus, nisi „ut per te ardeat cor meum hîc in terra? Aliud „non volo nisi te, Domine mi, nec umquam „quiescere potero, quamdiu eò non pertingam, „ut tota abscondar in divino pectore tuo, in quo „evanescunt formæ creatæ omnes.„

crescit in Sancta amor in Deum, cujus

43 In hunc modum diffundebatur incendium amoris, quod tamen majora indies sumens incrementa cor ejus exurebat: unde rationabilium creaturarum amore non contenta, solebat res inanimatas ad amandum Deum suum provocare. Idcircò domus suæ hortum ingrediebatur aliquando, plantasque intuens, aiebat: "Non estis vos „creaturæ Dei mei? Amate illum igitur & bene„dicite ei.„ Verùm exhalationes ejusmodi non modò levaminis nil afferebant inflammato ejus cordi, sed augmentum potiùs addebant ignis divini flammis, quibus illa resistendo impar cùm esset, tanto impetu accelerabatur motus cordis, ut vehementissimè resiliens è pectore excessurum videretur: & quia angustum nimis reddebatur ad continendum ardores amoris Dei tam intensos, extendebantur in superficiem corporis, quod calefiebat adeò, ut qui manum admoveret, calorem ferre

non

A. ANONYMO. *impediri posse, a Deo sic edocta.*

A. ANONYMO. non posset. Ea in parte, quæ cordis regioni respondet, ulcus apparebat, quod ad partem usque oppositam rectà pertingeret : quamobrem illud tuendi ergò manum unam applicatam ei solebat gerere, cùm ea in parte attactum nullius pati valeret, quin vehementissimus oboriretur dolor *m*.

m

44 Aliàs tam vehementes erant divini amoris impulsiones, quibus incensæ hujus Amatricis animus impetebatur, ut respirationem adimentes, ægrè paterentur illam voce admodùm submissa verbulum aliquod proferre, dicendo : "Jam mi„hi cor evanuit, quod præ amore consumi sen„tio; „ unde mirum non est, si iis, quos ad virtutem instituebat, indicaret, futurum ut, si post mortem suam cor suum inspexissent, illud ex amore combustum *n* invenirent. Interdum in cubiculum se recipiebat, ibique humi strata exclamabat : "Amor ! non possum ampliùs ; „ & anguis instar sese volutans, suspiria emittebat ac lamenta, adeò ut accurrentes domestici omni modo, sed incassum, conarentur eam refocillare, cùm non adesset ibi ullus, qui levamen aliquod posset adferre, præterquam idem ille amor, qui B suaviter ipsam affligebat. Interdum angusto quodam loco sese abscondens, linguâ terram lambebat, ibique audiri se non posse existimans, in altissimos erumpebat clamores. Denique ejus naturæ erat amor, qui in pectore illius flagrabat, ut ipsamet eum expromendo non esset, unde solebat dicere : "Talem amoris sensum in corde meo „ experior, ut certa sim, fore ut, si manum igni „ materiali impositam haberem, faciliùs manum „ sustinere possem, quàm cor in tanto ardore *o* „ veri hujus amoris, quem linguâ exprimere & „ intellectu assequi non valeo.„

mirabiles aliquot effectus recensentur.

n

o

45 Non est, qui ignoret, amori præsertim esse proprium efficere, ut amans amato eâ se ratione conjungat, ut res duæ non nisi una evadant. Hinc est, quòd amor inexplicabilis, quo in Deum ferebatur Catharina, perfectè adeò eam avulserit ab omni re creata, tam singulariter summo Bono conjunxerit, ut unitas ejusmodi explicari meliùs nequeat, quàm adhibitis ipsis illius verbis. Aiebat frequenter : "Si comedam, si bibam, si am„bulem, si stem ; sive loquar, sive taceam, dor„miam aut vigilem ; sive in ecclesia, sive domi, „ vel extra domum sim, seu sana, seu infirma, C „ seu moriar, seu vivam, omni hora & momen„to cursûs vitæ meæ volo totum illud esse in „ Deo & per Deum.„ Et sanè ejusmodi sensa animi tam accuratè opere exsequebatur, ut stupore defixus hæsurus fuisset quilibet, eam intuens omnibus fungentem corporis sensuumque officiis, & eodem simul tempore ab hisce alienatam. Si ecclesiam ingrediebatur vel solemni Missæ sacrificio, vel concioni, vel divinis officiis interfutura, stabat interiùs ita in Deum absorpta *p*, ut nil videret eorum, quæ ad altare operabantur sacri ministri, nihilque veluti audiret eorum, quæ de suggesto proferebant oratores sacri : nec aliter ei fas erat agere, id ipsi non permittente suo dulci amore.

X. *Mira Sanctæ etiam inter actiones*

p

46 Accidebat sæpe, ut, cùm oportebat eam externis occupationibus navare operam, deceretque vel cum aliis loqui, vel advertere animum ad id quod rogabatur, vim sibi, quàm posset maximam, inferret ad satisfaciendum proximo *q* in exteriore isto opere : ne autem muneri hîc suo deesset, Dominum orabat, ut præberet divinum suum auxilium, quo posset adamussim exsequi, quantum exigeret necessitas : cúmque exaudita esset, ambulabat, loquebatur, respondebat atque D ita operabatur, ut quivis existimâsset, illam cogitationes suas omnes in similes actiones intendisse : re tamen ipsa negotio planè alio occupabatur ejus animus, qui tempore eodem perfecta cum amore suo conjunctione fruebatur ; unde, finito opere, fatebatur : "Nescio utique aliquid „ à me dictum fuisse.„ Cùm opus illi erat interdum vacare rebus vel ad propriæ domus curam, vel ad xenodochii directionem pertinentibus, nulla laboris cujuscumque habita ratione, satagebat iis se expedire, quàm posset ocyssimè, animo tamen à rebus externis semper alienato, adeò ut negotium aliquod vix absolvisset, quin illius penitus oblivisceretur, nullo illius memoriæ inhærente vestigio.

externas cum Deo conjunctio,

q

47 Vivebat S. Catharina de hac cum Deo conjunctione adeò solicita, eo quòd, metuenti, ne inter animum summumque Bonum suum res aliqua creata mediam se interponeret, videretur vix non impossibile unà cum Deo proximum suum diligere. Idcircò quadam vice ad Amorem suum conversa, dixit ei : "Domine, tu præcipis mi„hi, ut proximum amem : at ego alium quàm „ te amare nequeo *r*, nec volo, ut umquam se „ admisceat amori erga te meo amor alterius rei, E „ quæ non sit tu ipse : quid igitur faciam, ô A„mor?„ Quare divina voce illicò fuit internè instructa, quæ edocuit illam, quomodo quicumque amat Deum, pariter amare debeat illud omne, quod ipse amat, quódque consequenter deberet illa etiam & proximum diligere, quem tanto amore prosequitur Deus, &, quotiescumque necesse foret, pro illius salute & animam & corpus impendere : hinc est, quòd nullam umquam ipsa effugerit occasionem, quâ proximo auxilium præstari posse cognosceret, quæcumque etiam perferendæ essent molestiæ, ac salutis propriæ periculum subeundum.

quam solicitè adeò servare studebat,

r

48 Verùm anxia semper, ne umbra creaturarum, ad quas accedebat, obfuscare valeret imaginem Creatoris, quam indelebilem cordi suo impressam servabat, à Deo obtinuit in obsequio proximi exercere se, ea tamen conditione, ut, simul ac impleta essent caritatis officia, omnem illorum recordationem amitteret. Solebat ipsa arctissimæ suæ cum Deo conjunctionis confirmandæ gratiâ, usurpare effatum illud S. Pauli ; "Quis „ me separabit à caritate Dei ?„ singillatim appellans omnia, quæ ab Apostolo expressa sunt : & re ipsa nec injuriæ, nec despectiones, nec prospera, nec adversa, nec morbi, nec tentationes *s*, nec quicumque cogitatione fingi potest, casus ullus, valuerunt umquam animam illam electam quantulumcumque avellere à Deo suo, cui anhelabat continuò arctiùs conjungi ; adeò ut postremis vitæ annis si eveniret, ut vel mortuos videret, vel de morte sermonem audiret, sese percelli sentiret gaudio interiore inopinato, quod in ea suscitabat desiderium exuendi aliquando mortale illud corpus, ut æterno suo Amori indissolubili nexu conjungeretur.

ut nil eam à Deo avellere potuerit.

F

s

49 Crevit in hunc modum Catharinæ cum Deo admirabilis conjunctio, ut ex tunc se ipsam nec videret nec agnosceret, tota præ amore in ipsum Deum transformata : quæ res aptiùs exprimi nequit, quàm propriis illius verbis, ab ipsa crebrò repetitis : "Deus est esse meum, fortitu„do mea, bonum meum, voluptas mea, mea „ beatitudo : sed illud meum, quod voco, in „ tantum dico, in quantum aliter exprimere ne„queo : nescio autem ampliùs aliquid esse vel „ meum,

Deus illi est omnia.

A „meum, vel voluptatem, vel bonum, vel for-
„titudinem, vel firmitatem, vel tantillam beati-
„tudinem; nec poſſum oculum convertere ad a-
„liquid, quod eſt extra Deum, ſive in cœlo,
„ſive in terra; adeò ut erubeſcam, verba profe-
„rens tam diſſona illi, quod eſt & experior in me.„
Aliàs totam in Deum abreptam ſe ſentiens, aie-
bat cum Apoſtolo: "Vivo ego, jam non ego,
„vivit verò in me Chriſtus: non novi habere
„me vel animam, vel corpus, vel cor, vel vo-
„luntatem, vel quidquam aliud: nec aliud vi-
„deo, aut ſentio, aut guſto, niſi purum amo-
„rem, adeò ut ita me in Deum transformatam
„experiar, ut ab eo certior facta, non metuam
t „ampliùs, ne perdam eum; unde ſpes t me de-
„ficit, & per eam, quæ vigilat in me, clarita-
„tem videor ampliùs fidem non habere.„

ANNOTATA.

a *Quàm meritò id poſt antiquiorem biographum ſcribere potuerit Vitæ hujus auctor, colligitur ex iis, quæ contra Bailletum diſputavimus in Commentario num.* 105 *& ſeqq.*

B b *Vide denuo dicta in Commentario num.* 106.

c *Teſtatur id etiam Sancta Dialogi part.* 1, *cap.* 17: Deus tamen, *inquit*, non ſinebat eam è fonte divinæ illius ſuavitatis emergere: & quamvis diceret, ſe nolle experimenta ſui amoris, nihilominùs continuè abſorbebatur in mare divini amoris, licèt non ſemper ex una & eadem viſione, ſed multis ac diverſis.

d *Dialogi part.* 3, *cap.* 12 *his verbis inter alia Deum alloquitur Sancta:* Operaris ſolummodò propter utilitatem hominis, & vis, ut ipſe tantùm propter honorem tuum operetur, non ob commodum proprium. Tu, qui es Deus ac Dominus, dum hominis in terris operabaris ſalutem, neque animæ, neque corporis tui commodum tibi erat propoſitum; ſed nec quando ipſum ſalvas, tuam ſpectas utilitatem, ita non vis, ut homo intuitu proprii commodi ſive animæ ſive corporis tuam perficiat voluntatem, præſertim quùm tua voluntas ſit omnino noſtra utilitas, ſed hoc à miſero & cæco homine non cognoſcitur. *Scilicet ut maximam puri amoris perfectionem in omnibus operibus ſuis quærebat Sancta, ita omnes etiam alios operari deſiderabat: hinc*
C *etiam factum, ut biographus antiquior in perſona Sanctæ ita loquatur cap.* 20: Sed nolens Deus hominem ex timore à malo abſtinere (quamdiu namque occupatus eſſet timore, nunquam aditus pateret amori) ſolummodò autem ex amore, non objicit ipſi tam tremendum ſpectaculum, *ſcilicet pœnarum inferni. Paulò tamen infrà ſubjicit, Deum etiam talia oſtendere*, quæ ad deſerendum peccatum timorem incutiant, ut eum poſtmodùm ad amorem perducat.

e *Biographo conſonat Sancta Dialogi part.* 3, *cap.* 12 *dicens:* O ſi quis ſciret id, quod ſpiritus in hoc ſtatu (*veræ per amorem purum nuditatis*) perſentit, ſatis nigra & fœtida ipſi apparerent verba. Quid igitur agent linguæ & corda, quæ illos conceptus nequeunt exprimere? Secreti ſunt & abſtruſi *&c. Similia leguntur etiam alibi: vide, ſi lubet, ejuſdem partis Dialogi cap.* 4.

f *Phraſim Italicam* Un religioſo predicatore *ad litteram reddidi. In antiquioribus editionibus Italicis Vitæ prolixioris lego* Un frate Predicatore, *unde Thannerus vertit:* Frater quidam Ordinis Prædicatorii: *incertum, an in antiquioribus exemplaribus non exciderit vox una aut altera: nam licèt Parpera in Vita Sanctæ, edita anno* 1681 A. ANONYMO. *tantùm ſcribat* Un frate Predicatore, *quæ voces, ut præferunt, deſignare videntur perſonam, inſtitutum S. Dominici profeſſam; tamen in Vita, anno* 1682 *vulgata, hiſtoriam ibidem infrà relatam latè pertractans, virum hunc religioſum ait fuiſſe P. Dominicum de Ponzo, Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci Aſſiſiatis, virum Apoſtolicæ prædicationis munere feliciter perfunctum. Fortè igitur antiquior biographus voci* Predicatore *nonnulla addidit, ut jam dixi, quæ deinde caſu exciderint; fortè tantùm voluit virum indicare à munere, quo fungebatur; nam ob auctoritatem Parperæ, antiqua omnia inſtrumenta ſcrutati, videtur omnino tenendum, virum hunc religioſum, fuiſſe Ordinis S. Franciſci. Hæc porrò hìc obſervavi, ne quis, Thanneri interpretationem legens, hallucinetur.*

g *Conſule diſputata in Commentario num.* 101 *& ſeq.*

h *Non ſunt hæc ſtrictè accipienda, quaſi in homine caritas ſit ipſe Deus, ſed, ut in locorum difficilium Explicatione ait Thannerus, quòd homo, Deum puro amore proſequens, ſe ipſo exuatur ac ſpolietur, & in Deum demergatur, qui in creatura ſua deinde operetur cum ipſa, ut ſcribit Sancta part.* 3 *Dialogi, cap.* 5: O Amor, omnia ſalutis noſtræ opera tu perficis, quæ nos abſque te præſtare neque poſſumus neque ſcimus. E

i *Vide dicenda infrà ad litter.* q.

k *Eleganter de eo loquitur Sancta in Dialogo part.* 3, *cap.* 1: Quandoquidem, ô Domine, te ardentiſſimo amore hominem complecti intelligo, cuperem ſcire cauſam hujus amoris, maximè cernens eum à tua voluntate penitus diſſentientem, ab amore tui alienum, tuis operationibus repugnantem, in omnibus tibi planè contrarium. *Et ejuſdem partis cap.* 12: O Domine, quàm amoroſam curam diu noctuque geris hujus hominis, qui ſe ipſum non cognoſcit, & multò minùs te, Domine, tametſi illum tantopere ames, tantâque diligentiâ quæras, ac tantâ patientiâ exſpectes & ſuſtineas per hunc divinum amorem.

l *Vide, quæ de hac comparatione diſſeruimus in Commentario prævio num.* 52 *&* 53.

m *Vita prolixior cap.* 7 *narrationem hanc fuſiùs refert:* Videbatur, *inquit*, cor vulnere ſauciatum, protendente ſe antè & retrò ad partes cordi oppoſitas, quò ſæpe manum levaminis ergò admovit: cor quoque attrahebat & reddebat ſpiritum inſtar follis nunc magis nunc minùs; ſaltem totum biduum citra mortem non potuiſſet perferre, ſicut tum temporis obſervatum. F

n *Facta non eſt inſpectio iſta, ut tradit Vita prolixior cap.* 52, *& noſtra infrà num.* 102: *quare autem fuerit neglecta, inquiretur in Gloria poſthuma num.* 10 *& ſeq.*

o *De amoris incendio, quo flagrabat, ſtatui poteſt ex eo, quod refertur infrà num.* 97, *quodque in Commentario attigimus num.* 129. *Adde, quæ habet Sancta Dialogi part.* 3, *cap.* 10: Cor tam acutis amoris jaculis ſauciat (*Deus*) ut omninò videatur corpus diſſolvendum præ ardore amoroſi ignis, ſubtilis ac penetrantis.

p *Conſule Commentarium prævium num.* 85 *&* 86.

q *Ex hiſce aliiſque confirmantur, quæ diſſeruimus num.* 108 *& ſeqq. Commentarii prævii.*

r *Multa verè heroïca erga proximum caritatis opera cùm exercuerit Sancta, hìc iterum, conformiter ad dicta in Commentario, oportet ejus verba moderatè accipere, ut tantùm ſignificare vo-*

A. ANONYMO. *luerit, se amore in proximum ferri non posse, si amor ille amori in Deum obstaculum poneret: quid quòd ea dici possint prolata ex summa amoris in Deum vehementia, mixtâ cum aliqua anxietate, ob quam verebatur, ne proximi dilectioni sese impendens, imminueret amorem erga Deum.*

s *Dialogi part. 2, cap. 6 sic lego:* Et cum his inimicis (*mundo, dæmonibus & natura, pravis habitibus plena*) ipsi fuit pugnandum, donec cunctos suos vitiosos habitus internos & externos profligâsset; hi enim sunt, qui homini quodlibet susciant bellum; si tales non essent, nemo unquam tentaretur, nisi ad augmentum gratiæ, & hæc tentatio ferè omni caret periculo; nam Deus ipse tentationem, quam bono nostro immittit, sustinet. *Vide dicta de fortitudine amoris Sanctæ in Commentario num. 93. & seq.*

t *De hisce, aliisque, quæ toto hoc num. recensentur, in Commentario satis disseruimus num. 92 & seqq., allatis pluribus ex Sanctæ Dialogo testimoniis, quæ ibid. vide.*

B

CAPUT V.

Sanctæ erga Jesum in Eucharistia latentem amor ac desiderium singulare: horror odiumque peccati omnis.

XI. *Eucharistiâ, velut remedio, ut Deo jungatur, utilissimo*

QUemadmodùm omnia Catharinæ consilia eò spectabant, ut arctissima, quam creaturæ alicui liceret in terra consequi, conjunctione cum Deo potiretur, ita agnoscens, ad eam comparandam auxilium efficacissimum, à divino nostro Præceptore ac Redemptore nobis relictum, esse Corporis ejus, Eucharisticis velati speciebus, alimentum, eam planè ob rem erat illud omnium S. Catharinæ desideriorum illecebra, sentientis dulci quadam vi abripi se, ut Pane isto Angelico vesceretur, ita ut, quantumcumque in omni re alia studeret ipsa alienæ voluntati se conformare, nil desiderans ex iis, quæ nollent alii, in hoc C tamen nequierit ad alieni arbitrii regulam voluntatem suam attemperare. Idcircò cùm injunctum illi fuisset, ad sacram Mensam ne accederet, alacriter utique ab ea abstinendo obtemperâsset, at verò nequiisset deponere desiderium sumendi Dominum suum speciebus Eucharisticis reconditum, ut ipsamet testata est, dicens: "Si sacerdos dice-„ret mihi: Nolo Eucharistiam accipias; rectè „quidem: at nequeo ego dicere, Nolo *a*.„

a *quotidie pascitur: eâ verò privata*

51 Hinc est, quòd, etiamsi maximè urgentia essent negotia, quibus frequenter admodùm implicabatur, gravissimique morbi, quibus non rarò diu conflictabatur, non prætermiserit diebus singulis sacro Pabulo se reficere; sique interdum ad eo abstinendum compellebatur, intolerabiles experiebatur angustias, videbaturque cælesti Cibo privata nulla ratione vivere posse. Multoties sumptum est experimentum, verène instinctu illo à Deo donata esset: verùm ejusmodi erant symptomata, quæ eam invadebant, quotiescumque coacta erat Domini sui Corpore non vesci, ut commiseratione moti, qui eam observarent, dilucidè intelligerent, experimenta similia divinæ voluntati adversari. Religiosus vir quidam *b*, spiritum ejus non satis edoctus, dum quadam vice de quotidiana Eucharistiæ sumptione sermonem cum ea instituteret, ausus est monere, in facto illo vitium fortasse intervenire posse, quod auctoritatibus variis rationibusque demonstrare conabatur. Hæ terrorem incusserunt teneræ illius conscientiæ, quæ vitium metuens per dies aliquot compulit differre accessum ad mensam Eucharisticam, cùm timorem ejusmodi pluris faceret quàm consolationem satisfactionemque sacri Convivii.

b

D

52 At carò stetit Sanctæ hæc abstinentia; si- *intolerandos dolores*
quidem tam graves tamque extrordinarii fuerunt dolores, quos his diebus passa est, ut familiares ejus, experientiâ certiores redditi, aliud non suppetere remedium, nisi jubendo eam resumere intermissam sacræ Mensæ frequentationem, statim ad virum religiosum nuntium miserint, qui illico præcepit ei, ut imposterum Deo suo quotidie *c* vesci semper pergeret, omnemque scrupulum vitii, quod pertimescebat, in ipsius exoneraret conscientiam. Die quodam cùm ex morbo gravissimo eò esset redacta, ut de vita ejus dubitaretur, ignorantibus medicis, qua ratione Ægrotæ periclitanti levamen allaturi essent, ipsa à Deo illustrata confessario suo dixit, fore ut, si ter sacrâ Eucharistiâ reficeretur, cessarent dolores omnes, E quibus opprimebatur; atque ita contigit, siquidem post tertiam refectionem remansit libera omnino & sana. Jam inde post primam, indicans angorem immensum, quo cor affligebatur, dixerat: „Non est mihi cor, quale aliis: non delectatur „quippe meum nisi Domino suo, ideoque date „illum mihi.„ Apprimè re ipsa notum erat, solum istud alimentum utile esse ad vitam ipsi incolumem conservandum, quoniam sola illius privatio mirum in modum eam consumens, angores lethiferos inferebat.

c

c

53 Quadam verò vice cùm somniavit, fore *patitur: ad eam sumendam*
ut eo die Eucharistiâ refici non posset, tantum inde mœrorem hausit, ut, quantumcumque difficulter in fletus prorumperet, cùm expergefieret, cervical totum lacrymis madefactum invenerit. Ex eo denique tempore, quo vigore insolito primum vitæ suæ fervorem resumpsit, cœpit experiri, tam incenso erga Jesum in Eucharistia latentem amore sese abripi, ut sanctâ erga sacerdotes invidiâ afficeretur, intuens, licitum illis esse sacrosanctum Corpus hoc contrectare, eoque vesci quotidie; ac tantùm non conquerebatur sibi etiam non licere in die sanctissimi Natalis celebrare *d* Missas tres, quas à sacris ministris celebrari videbat. F Accidebat non rarò, ut, cùm incruento Sacrificio interesset, in mentis excessum raperetur: at numquam fiebat, ut, appropinquante sacræ Refectionis tempore, sibi ipsi non restitueretur, eoque instanti ad Deum conversa, aiebat: "O Do-„mine, etiam mortua, opinor, ad te sumendum „reviviscerem, & si porrigeretur mihi hostia non „consecrata, eam ex gustu discernerem *e*, velut „vinum ab aqua.„ Idcircò longum ipsi videbatur momentum omne, quo consecratam Hostiam accipere moraretur sacerdos, eamque extra cor suum degere, pati non poterat, hanc suum asserens esse cibum.

d

e

54 Contigit circa annum MCCCCLXXXIX, qua *interdicti tempore quotidie urbe egreditur.*
ex causa nescio, ut ab Innocentio VIII Pontifice Maximo ad paucos aliquot dies civitas Genuensis interdicti Ecclesiastici pœnæ subjiceretur *f*: unde Sancta, quæ pro solito more suo ad Eucharistiam accedere non poterat, industrio amore methodum suggerente, quâ sibi prospiceret, quotidie ad milliare unum extra urbem progrediebatur ad ecclesiam quamdam, ut ibidem sa-

f

cro

A cro Epulo vescerétur, videbaturque ipsi corpus suum in omnem locum pari velocitate transferendum ac ipse spíritus; tam vehementi impellebatur desiderio, ut amato suo Bono semper conjungeretur.

XII. *Peccatum omnè odio habet Sancta,*

55 Si difficile explicatu est, quàm insignis esset amor, quo flagrabat cor S. Catharinæ erga Deum, cui in hac vita arctissimè conjuncta fuit, non minùs arduum est expromere, cujus naturæ foret odium, quo ipsa perpetuò abhorruit quodcumque animam à summo Bono segregat. Sub initia resumpti fervoris non poterant memoriæ illius repræsentari errores sui præteriti, quin tanta indignatione in omne genus peccati, quantumcumque levis, conversa, sibimet ipsa oraret justitiam & vindictam, dicens: "Nollem in hac vi„ta gratiam aut misericordiam, sed justitiam & „ ultionem;„ in eumque finem videbatur minimè solicita de lucrando indulgentias plenarias *g*, non quòd magno in pretio ac veneratione eas non haberet, utilissimasque non existimaret, sed quòd partem propriam potiùs punitam ad eum modum, quo merebatur, quàm similis satisfactionis ope absolutam videre cupivisset.

g

B *& ex culpæ levis visione penè exstinguitur.*

56 Tolerâsset supplicium quodcumque & cruciatum potiùs, quàm solam offensæ Dei visionem pateretur; unde solebat dicere: "Amor mi! „ quælibet alia pati valeo; verùm offendisse te, „ res est mihi tam horrenda tamque intolerabilis, „ ut orem te, pœnam quamvis aliam subire mo„ ut jubeas, præterquam eam, quâ videam, „ quòd offenderim te. Injurias, quas intuli ti„ bi, nolo intulisse, nec, quòd umquam delique„ rim contra te, probare possum, & in hora mor„ tis dæmones potiùs omnes cum quantis placue„ rit terroribus ac tormentis exhibe mihi, quia „ nihili ipsos facio, si conferantur cum offensa „ tui, quamvis minima, quæ nihilominùs mini„ ma esse nequit, cùm tuam tam excelsam lædat „ majestatem.„ Odium istud, quo peccatum aversabatur Sancta, tantùm in ipsa crescebat, quantò clarior evadebat cognitio, quâ deformitatem ejus debitamque ipsi pœnam perspiciebat. Cùm quadam vice ostendisset illi Deus, quantum malum sit unum solum peccatum veniale, aiebat: „ Tunc cùm vidi, quid inferret minimus contra „ Deum actus, quomodo non morerer, ignoro: „ & si tam horribilis mihi visa est umbra sola u- C „ nius peccati venialis, quid erit mortale? Exisți„ mo futurum ut, qui visurus illùd esset, immor„ talis si foret, fieret mortalis, quoniam levissima „ ista visio dumtaxat, quæ non nisi unico dura„ vit instanti, si paulò diutiùs fuisset protracta, „ in nihilum redigendum erat corpus meum, ta„ metsi fuisset adamantinum: & commentum vi„ detur mihi quidquid dico, habita ratione illius, „ quod intelligere non valeo: tunc vix non „ defeciisse me scio, cùm brevis ista visio adeò „ me perturbârit, ut æstuaret in venis sanguis, „ omnisque humor corporis inversus fuerit, debi- *h* „ lissimâ me relictâ *h*.„

Non in se tantùm, sed & in aliis peccatum

57 Hinc summus ille horror oriebatur, quo culpam non in se ipsa tantùm, sed & in aliis detestabatur: idcircò si contingebat, ut proximi delicta excusare non posset, persuasum tamen habere non poterat, ea ab ipsis deliberata voluntate admissa esse, cùm videretur ipsi fieri non posse, ut creatura ratione prædita eò perduceretur, ut plena cum animadversione Deum offenderet; ideoque ad peccatorem conversa exclamabat! „ Quò ruis, homo infelix! Cui absumis tempus, „ quo tantopere indigebis? Cui impendis facultates, quibus cælum oportet acquirere? Cui tra- A. ANO- „ dis te ipsum, qui animæ tuæ curæ applicare te NYMO. „ debes? Cui servas animam, quam Deo con„ jungi necesse est? Omnia hæc in terram con„ vertisti, quæ aliud nil est, nisi semen aptum ad „ producendum fructus, quibus in inferno, dæ„ monibus sociatus, vescaris, ubi deges despera„ tus, eò quòd gloriâ excideris, ad quam con„ ditus eras, vocatusque à Deo fuisti tam suavi„ bus inspirationibus, videbisque, non eùm tibi, „ sed te solummodò ei defuisse.

aversatur; nullum etiam leve

58 „Quapropter cognosce *i*, quòd si videret ho- „ mo, quid inferat peccatum unicum, in accensam „ fornacem se esset immissurus, ibi cum corpo- „ re & anima vitam agere præoptans, quàm suf„ ferre peccatum: sique mare ignis foret, in me„ dium illius demersurus se esset ad fundum usque; „ unde, si saperet, numquam egrederetur, si „ dumtaxat oporteret exeuntem intueri dictum pec„ catum.„ Neque ejus, quo culpam abominabatur, odium stetit in nuda illius consideratione: sed attendens, liberum nostrum arbitrium partemque hominis deteriorem fontem esse, ex quo scaturiat peccatum, in illa, tamquam Deo suo refragantia, fervebat indignatione, inquiens, quem- E cumque Deo suo volentem adhærere, debere adversari omnibus hisce, quæ inimica sunt Deo; & quemadmodùm pejus nil, Deoque magis contrarium invenitur, quàm humanitatis pars deterior & arbitrium creatum, ita ad utrumque odio habendum præ omni alio stimulabatur, ipsique tantopere displicuit utrumque, ut, quoties liceret, contemptui haberet, velut creaturas, quæ absque Dei gratia ad eum offendendum *k* unicè sunt idoneæ.

i

k

à conversione deliberatè admisit.

59 Ex hoc tam vehementi adversùs omnem culpæ umbram odio promanabat tam singularis ipsius cautela, ut à divinæ vocationis suæ tempore quoad usque vixit, nullam, etsi levem, umquam commiserit voluntariè *l*; at quemadmodùm humana fragilitas levioribus lapsibus, non voluntariis, immunis esse nequit, si contingeret, ut aliquem eorum præsentiret, etiamsi secura esset, ab omni reatu culpæ immunem se esse, eò quòd non concurrisset voluntas, nihilominùs mœrore inde conficiebatur ad eum modum, quo tenera ætate adolescentulus docilis *m*, qui incautè in rem quamdam vituperio dignam lapsus, si accidat eum de illo commonefieri, faciem vere- F cundo rubore obtegit, magis ob aliorum dicta, quàm quòd deliquisse se cognoscat; ac propterea cùm ad confessarii pedes se prosterneret, sacramentalem absolutionem receptura, aiebat: "Ne„ scio, quo pacto confessionem instituam, non „ enim sentio partem in me ullam, quæ argui „ possit, dixisse aliquid, cujus stimulus pungat con„ scientiam: confessionem nolo prætermittere, & „ cui peccatorum meorum culpam adscribam, i„ gnoro: volo accusare me & nequeo.„

l

m

ANNOTATA.

a *Vita prolixior cap.* 28 *duo commemorat, quibus præbere assensum nequibat Sancta, peccatum scilicet, & Passionem Christi: non enim poterat velle, Dei Filium tam dira sustinuisse, ac demum ita subdit:* Tertium, quod recusare non poterat, asseruit, esse sanctam Communionem, quæ non est aliud, quàm ipse Deus. Hìc quantum sacerdotibus deferret, demonstravit, affirmans, se patienter laturam, si sacerdos nollet sibi venerabile Sacramentum porrigere, neque pertinaci-

A. ANONYMO. ter postulaturam, sed à porrecturo non posse non accipere.

b *Verisimiliter Angelus de Clavasio, ut dictum est in Commentario num. 26.*

c *Consule disputata in Commentario num. 65.*

d *Vide Commentarii prævii num. 68.*

e *Vita prolixior cap. 3 rationem addit verbis sequentibus:* Hoc ideo, quòd consecrata Hostia ipsi quendam amoris radium, fundum cordis penetrantem, immitteret.

f *Parpera in Vita Sanctæ, edita anno 1682, dicit, interdicto causam dedisse litem quamdam, quæ agitabatur inter duos fratres familiæ Mariæ: ibidem per conjecturas asserit, ecclesiam, ad quam Sancta se contulit, fuisse Minorum Observantium, de Monte dictam: interdicti verò tempus circumscribit spatio dierum decem.*

g *Quamvis id Sanctæ factum per adjuncta tum hìc tum in Vita prolixiore ab omni sinistra suspicione abundè videri possit immune, placuit tamen Bailleto ita scribere, ut satis innuerit, existimâsse se, potuisse intervenire vitii aliquid in hoc ejus facto: malo ego illud excipere verbis biographi antiquioris cap. 20:* Unde minimè obscurum, quàm
B sublimem perfectionis gradum hæc sancta Anima attigerit, dum tanquam secura de victoria ad majorem Domini sui gloriam desideraret dimicare, & ut fortis athleta auxilium (*præterquam divinæ gratiæ*) nec quæreret, nec cuperet. *Etenim, ut scribit ipsa Sancta Dialogi part. 1, cap. 8:* Nihili faciebat peccata sua, quantùm ad pœnam eorum causâ luendam, sed maximi, quòd contra infinitam Dei bonitatem ea patrâsset. *Rursum ejusdem partis cap. 11 sic loquitur:* Advertit, se solam omnia commisisse mala, & ideo sola sine ullius hominis adminiculo satisfacere totis viribus proponebat. *Hinc etiam factum, ut, quemadmodùm scribit Vita prolixior cap. 20, aliorum precibus se non commendaret,* ut semper omni supplicio esset obnoxia & adjudicata, sicuti merebatur.

h *In Commentario num. 117 & seqq. omnia hæc & suprà dicta ex Sanctæ Dialogo illustravimus.*

i *Ingenti fervore in peccatoris cæcitatem invehitur Sancta Dialogi part. 3, cap. 13; verba hùc transfero:* Heu, in quàm paucis hominibus habitat Deus cum prædictis operationibus! O Deus, in temet ipso retines tuum amorem, quem hominibus infundere nequis propter occupationes
C terrenas, quibus in mundo distenduntur. O terra, terra, quid retribues istis hominibus, quos in te absorbes? Amissâ animâ & putrefacto corpore, omnia erunt perdita cum infinitis & ineffabilibus tormentis. Perpende hoc, ô anima, perpende, nec porrò tempus preciosissimum inutiliter transige, quod hunc tibi indultum, ut tanta evites pericula, præcipuè quùm jam habeas Deum tuum benignum & propitium, maximam salutis tuæ curam gerentem, teque immenso amore quærentem ac vocantem. *Addit ibidem, beneficia Dei omnia, si iis non respondeamus, in ignominiam & condemnationem nobis futura.*

k *Cautè hæc & non in omni rigore accipienda sunt propter proscriptam Baji assertionem 27;* Liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valet, *& similes. Dicenda est igitur Sancta homini gratiâ destituto tantùm negâsse potentiam exercendi actum, qui per se vitam æternam mereri possit; non autem actum in ordine dumtaxat naturali bonum.*

l *Ex his confirmari possunt dicta in Commentario num. 122 & seqq.*

m *Consonat Vita prolixior. Vide Commentarium num. 122.* D

CAPUT VI.

Sanctæ erga proximum amor: ut ægroto impatienti, proprio item marito, morbi dolores non ferenti, cum divina voluntate conformationem, & utriusque salutem à Deo impetrârit.

XIII. *Misericordiæ erga proximum opera.*

QUoniam Catharinæ affectiones omnes ductorem alium non agnoscebant nisi ipsum Deum, novit ipsa cum amore proximi perfectam à rebus creatis alienationem rectè adeò consociare, ut ne umbram quidem labis *a* amoris sui puritati metuens, in omnes solis instar diffunderet eximiæ caritatis beneficos influxus. Nil opus est hìc repetere admiranda misericordiæ opera, ab ipsa pauperibus infirmis præstita, quorum utilitati vitam quodammodò omnem devovit, partim in variis civitatis locis, partim in xenodochio majore ipsis opitulando, ut suprà *b* jam memoratum est. Sufficiet itaque oculorum aciem paululùm dirigere in amplitudinem caritatis istius, quâ omne hominum genus universim diligens, satagebat potissimùm proximo suo subministrare commoda spiritualia, quibus eum cerneret indigere.

a E

b

Dæmon per os energumenæ, cui opitulabatur Sancta,

61 Erat in civitate Genuensi puella quædam, Deo permittente, à maligno spiritu obsessa, qui tam crudelibus eam modis excipiebat, ut sæpiùs eam humi sternens atque hac & illac allidens, crebrò ad extrema deduceret: & quod plus est, vehementissimis insuper animum ejus tentationibus affligebat, in ejusmodi eam conjiciens angustias, ut imposterum in procinctu staret desperationi sese dedendi: adeò ut infelix non suis modò, sed & sibimet intolerabilis facta, nesciret, quò se verteret, ut levamen aliquod pectori suo, angoribus immerso, perciperet; cùm famâ heroïcæ caritatis Catharinæ allecta ad eam confugit, futurum sperans, ut, quod alibi nequibat, apud F
ipsam inveniret perfugium. Excepit eam Catharina affabilitate maxima, hospitium illi præbens in domo propria, in quam pedem vix immiserat afflicta puella, quin continuò cœperit experiri, angustias, quibus obruebatur, notabiliter leniri. Etenim sancta Matrona intelligens, puellæ, sanctissimis ceterùm moribus *c* tribulationem ejusmodi à Deo immissam esse ad purificandum eam, humilitatemque in ipsa conservandum, non cessabat sanctis documentis optimisque eam consiliis solari, modò sancto Dei amore illam instituens, modò ad dolorum tolerantiam exhortans, quousque pia virgo reliquam secundùm illa vitam instituens ad æternam requiem evolavit.

c

incensum Catharinæ amorem invitus testatur.

62 Non est hìc prætermittendum factum memorabile, quod eo tempore contigit, quo memorata obsessa S. Catharinæ cohabitabat. Ipsâ die quodam ad Catharinæ pedes provolutâ, utriusque confessario præsente, per os obsessæ dæmon sequentia verba protulit: "Nos ambo mancipia „ sumus puri illius amoris, quem geris in cor„ de tuo;„ verùm illicò dicti pœnitens, rabie per-

percitus infelicem illam terræ allisit, ubi serpentis instar se contorquens manus pedesque percutiebat : deinde non nihil allevatæ præcepit confessarius, nomen Matronæ, ibi adstantis, ut pronuntiaret ; alacriterque respondit dæmon, nomen illi esse Catharinam ; imperante illo præterea, cognomen ut ediceret, post varias miseræ energumenæ agitationes, exorcismorum vi adactus in hæc demum verba prorupit : "Catharina Seraphina *d*; „ aptéque conveniebat illi nomen tale, utpote quæ Dei amore indesinenter flagrans, aliud nil anhelabat ampliùs, quàm in aliorum cordibus eum succendere.

63 Inter alios xenodochii infirmos jacebat mulier, in Tertium Ordinem S. Francisci adlecta, quæ ab octo jam diebus loquendi facultate destituta, præ pestiferæ febris violentia cum morte luctabatur. Ad hanc frequenter accedebat sancta Matrona, eamque sæpiùs, sed incassum, ad invocandum Jesum exhortata, cùm demum adverteret illam ad repetitas monitiones labia moventem, persuadens sibi, velle eam sanctum Jesu nomen pronuntiare, nec posse id perficere, pensi nil habens propriam vitam in discrimen adducere, contemptoque metu omni contagionis, cohibere se nequiit, quin tenerrimi affectûs osculum infigeret labris hisce, quæ existimabat suavissimum nomen velle proferre. Ab eo optimæ caritatis actu disjunctum non fuit vitæ periculum, siquidem contracto illo ipso malo, in lethalem morbum incidit *e*. Verùm dispositione divina ad proximi utilitatem in vivis conservata ac sanitati reddita, consueta ardentissimæ suæ caritatis officia solito animi vigore resumpsit.

64 Erat tam benigna, tam suavis, ut ad se raperet corda omnium, quibuscum S. Catharina conversabatur, unicè ad convertendum eos ad Deum. Concurrebant etiam ex partibus remotissimis multæ spectabiles personæ, æquè ut sanctitatem ejus admirarentur, ac ut perciperent documenta sublimis hujus cælestis doctrinæ, quâ eam instruxerat Deus, cujusque testimonium præbent Dialogus animam inter & corpus, ac Tractatus de Purgatorio, ab ipsa compositi, omnium admiratione digni *f*, at maximè duorum sanctorum Francisci Salesii ac Aloysii Gonzagæ *g*. Inter tot ad ipsam accurrentes nemo erat, qui ex ejus sermonibus non reportaret utilitatem consolationemque spiritui, quoniam ipsa, singulari morum affabilitate cunctis satisfaciens, hos in tribulationibus corroborabat, illis suggerebat consilia in eorum dubitationibus, unicuique verò præcepta amoris Dei vitæque æternæ inspirabat, adeò ut plures eam sibi in matrem spiritualem *h* eligerent, res omnes, quæ ad animæ statum proximique utilitatem spectarent, cum ipsa conferentes.

65 Inter alios, qui in schola hujus Magistræ caritatis illustres sese præbuerunt, fuit piissimus Hector Vernaccia, vir egregiæ in republica Genuensi existimationis, qui Catharinæ consiliis institutionibusque obsequens, tam præclarum fecit in via virtutis progressum, ut, omnibus mundanis negotiis nuntio remisso, totum sese impenderit ad promovendum honorem Dei & utilitatem proximi cùm corporalem tum spiritualem, ecclesias ædificans, xenodochia instituens, aliaque loca pia, quorum beneficæ caritatis operum in urbibus Italiæ primariis sempiterna servantur monumenta. Fuit is ex primis hisce *i*, qui Romæ fundârunt xenodochium incurabilium, cùm jam antè simile erexisset Genuæ in patria sua, ubi pariter geminum constituit monasterium, aliud in usum conversarum, aliud S. Josephi appellatum, ad subducendum honestos juvenes pauperes mundi periculis : in civitate Neapolitana instituit societatem, Alborum dictam, qui obeunt misericors officium infelices morte damnatos corroborandi & comitandi ad patibulum.

66 Inchoavit ipse Genuæ lœmocomium *k* in obsequium pauperum, peste infectorum, sustentationi illius redditus ingentes assignans : prospexit etiam pudibundis ejusdem civitatis pauperibus, stipendio quodam in perpetuum legato medicis aliquot, qui nullam ab his mercedem accipientes, obstringerentur eorum morbos curare ; ac demum eo tempore, quo grassabatur in civitate Genuensi morbus contagiosus, vitam in obsequio pauperum ægrotantium obtulit, meritis gravis in xenodochio incurabilium mortem oppetens *l*, illo ipso antea bonorum suorum herede scripto. Omnia hæc & plura quoque alia admiranda pietatis opera fuerunt fructus immensissimæ istius caritatis, quæ ex ardentissimo Catharinæ corde se diffudit ad inflammandum cor obedientissimi ejus filii spiritualis, ut testatur scriptor Vitæ venerabilis Dei famulæ Baptistæ Vernacciæ, Canonicæ Regularis, laudati Hectoris filiæ, quam S. Catharina suscepit, an de sacro Fonte *m*, an verò in Confirmatione, nescio, quæque cùm à patre temporali, tum à Matre spirituali hereditariam habuit simul cum sanctimonia doctrinam, prioris evidens testimonium dantibus processibus, pro illius beatificatione institutis, posterioris verò egregiis lucubrationibus spiritualibus, non semel prelo commissis.

67 Fama caritatis hujus sanctæ Matronæ, quæ in vicinis remotisque partibus indies latiùs sese diffundebat, omnes exstimulans ad consilium ab ipsa auxiliumque expetendum, impulit Argentinam, uxorem Marci Sale, ad recurrendum ad ipsam in quadam sua gravissima afflictione. Decumbebat circa annum MCCCCLXXXXV ejus maritus, vehementer cruciatus gangrænâ, nares obsidente. Ob continuos & vehementes dolores, quos patiebatur, quibusque numquam adferri ullum poterat levamen, adhibito quocumque remedio, in maximam impatientiam ac quodammodò desperationem incidit, adeò ut infelix ejus uxor maximopere hinc affligeretur, videns, eodem tempore cum corporis incolumitate periclitari simul salutem animæ. Unde in hisce angustiis, quam se deinde in partem verteret, ignorans, contulit sese ad xenodochium, in quo degebat Sancta, ordinarium afflictorum omnium asylum, relatoque ægrotantis mariti infelici statu, eam oravit, ut invisere illum dignaretur, ad robur aliquod spirituale verbis suis sanctis ei subministrandum.

68 Intellecto decumbentis statu, commiseratione digno, Catharina semper parata amplecti occasionem quamlibet à Domino oblatam, ad exercendum se in quocumque opere misericordiæ, illicò è xenodochio excessit, &, comite afflicta muliere, domum ejus longè dissitam petiit, maritum illius invisura, eumque paucis, at fortibus verbis, ad tolerantiam & voluntatis cum divina consensionem hortata, recessit, eadem femina comitante, ad xenodochium reversura : cùm pertransiens plateam vicinam ecclesiæ, cui S. Mariæ Gratiarum nomen est, sensit Sancta à dulci suo amore internè trahi se, ad Deo ferventer commendandum ægrum, quem paulò antè viserat ; unde ambæ in supradictam ecclesiam ingressæ, aliquo temporis spatio ibidem orationem piè instituerunt, quâ absolutâ, redierunt

Hæc corripitur ex obsequio, peste infectæ præstito.

Multi ad Sanctam undique accurrunt, qui ad pia opera excitantur, sed maximè Hector Vernaccia,

A. ANONYMO

cujus breve datur elogium.

XIV. *Ob morbi dolores penè desperantem*

invisit, solatur, pro eo orat, & mox mutati

A. ANONYMO. ad xenodochium. Inde à Catharina dimissa domum repetiit, ubi maritum reperit usque adeò immutatum, ut è dæmone, qualis antè apparebat, in angelum conversus videretur: qui, simul ac uxor accessit, vultu hilari teneroque animi affectu dixit: Argentina, dic mihi, amabo, quæ sit Sancta ista, quam paulò antè ad me adduxisti; quæ cùm respondisset, esse Catharinam Adurnam, sanctæ vitæ matronam, cujus ad Deum precibus ipsum commendârat, subjecit: Per amorem Dei obsecro te, id efficias, ut altera etiam vice me invisat.

in melius, ut prænoverat, ac paulò pòst

69 Marito suo obsecutura mulier sequenti die S. Catharinam accessit, narrataque mirabili illius mutatione, eam precata est, denuò ut dignaretur illum visere. Nullatenus Catharinæ inexspectata accidit ægroti mutatio, cùm eam internè edocta esset illo ipso tempore, quo ad offerendum Deo preces suas pro ipso mota est, idque arcana quadam ipsam inter & amabilem Dominum suum consensione: eò quòd, quemadmodùm pro aliquo peculiari orationem instituere non poterat, nisi priùs ab amore suo moveri se sentiret, sic quotiescumque in se experiebatur dulces illius impulsiones, brevi se exauditum iri cognoscet, quoniam eam movebat Deus, ut exaudiret *n*. Ad preces Argentinæ eò iterùm, ipsa comite, se contulit Sancta, ubi æger decumbebat: qui, ut vidit Liberatricem suam, præ gaudio contineri nequiit, quin eam ulnis arctissimè stringeret; ac postquam uberrimas oculis lacrymas, corde autem incensa elicuisset suspiria, tenerrimè eam in hunc modum allocutus est.

B

n

defuncti, uxorem in clientelam admittit.

70 Domina, ratio, ob quam desideravi videre te, in primis est, ut de amore mihi exhibito grates tibi agam, atque insuper ut gratiam te rogem, quam mihi, quæso, ne deneges. Noveritis, postquam discessistis à me, visibilem mihi apparuisse Dominum nostrum Christum Jesum, eadem specie, quâ Magdalenæ in horto se ostendit, cumque benedixisset mihi, omnia peccata mea mihi condonavit, monens, ut accinctus starem, quoniam die Ascensionis suæ me erat ad se vocaturus. Quare obtestor te, Mater dulcissima, ut placeat tibi Argentinam admittere spiritualem filiam tuam, ut tecum semper maneat: te verò, Argentina, rogo, morem in eo ut mihi geras. Pollicita est Sancta, ægrotantis postulationi satisfactum iri, idemque præstitit Argentina: inde rursus eum consolata, recessit Sancta; ipse verò sacerdoti ad se accersito cum extraordinariis dolentis animi indiciis peccata confessus est, acceptisque Sacramentis aliis, ad felicem in alteram vitam transitum studuit se comparare, quoad illucescente Ascensionis Vigilia ac mortis ejus tempore appropinquante, cùm noctem sequentem sanctis sermonibus exegisset, & ad Dei servitio totam se consecrandam hortatus esset uxorem, prædictis illi, quas passura esset, afflictionibus plurimis, eventu probatis, ipso, ut prædixerat, Ascensionis die, spiritum Domino placidè reddidit. Non distulit S. Catharina promissionem suam, quam defuncto Marco dederat, exsecutioni mandare, viduam Argentinam, tamquam spiritualem filiam in domum suam admittens, quam tenerrimè semper adamavit, & in virtutum exercitio diligenter instituit, facto sæpiùs egregio illarum experimento.

C

XV. *Maritum, à quo durè habita, Sancta*

71 Caritas in proximum tunc maximè elucet ac perficitur, dum in molestias, vitia ac repugnantiam ex ipsa illius parte incurrit; tumque multò ampliùs purificatur, quoties ea in personis, arcto inter se nexu conjunctis, occurrunt. Hinc est, quòd, si S. Catharinæ caritas admirabiliter fulserit, cùm in externorum obsequium intenta, plurima offendit acerba & incommoda, multò magis fuerit emundata inter diuturnas afflictiones, quas, Deo ita permittente, à proprio marito sustinuit: etenim ad hasce minimè attendens, omnesque humanitatis ac benignitatis vias persequens, ut animum ejus lucrifaceret, satagebat unicè à perversa vitæ ratione eum revocare. Impensè illi obtemperabat in omnibus quantumcumque arduis ac difficilibus, dummodò propria non obsisteret conscientia: nil animo commota excipiebat injurias, studebatque iracundiam ejus restinguere modò verbis plenis humilitate ac dulcedine, modò taciturnitate; atque ab omni vel minima querela abstinens, perferebat molestum ipsius ingenium, evitans omnem, quâ turbaretur, occasionem: solitaria degebat in cubiculo suo procul ab omni societate, egrediebatur dumtaxat Missam unam auditura, cui cùm interfuisset, domum illicò revertebatur, negotiis domesticis invigilatura, in eo etiam morem gerens illius genio, cui displicebant longiores in ecclesia moræ: satius quippe esse existimabat, pacem cum marito privatæ pietati anteponere. Atque ut breviter absolvam omnia, satagebat semper bonum malo rependere, dummodò indolis ejus asperitatem tandem aliquando superaret.

D

E

ad morum emendationem inducit.

72 Nec sanè omnimoda Juliani immutatio, lapsu temporis in eo observata, alteri adscribi potest, quàm Catharinæ mansuetudini ac sanctimoniæ, quæ continuò fortis ac suavis fuit stimulus ad morum ejus commutationem. Jam inde ab annis prioribus, genio suo prodigo obsecutus, potiorem amplarum opum hereditariarum partem dissipaverat *o*, jamque tantùm non ad mediocris fortunæ statum redactus erat, cùm die quodam tum familiæ tum animæ suæ negotia communicans cum sancta Conjuge, cujus tunc primùm agendi rationem vitamque admirabilem venerari cœperat, sanctis ejus consiliis motus, decrevit mores suos emendare, castè illi cohabitans, ut cum sorore propria frater solet, utque ampliùs Deo inserviret, habitum Tertii Ordinis S. Francisci assumpsit.

o

animæ illius salutem, cùm in extremo morbo

73 Non sufficit tamen istud Juliani consilium coërcendo violentam ac inconsideratam ejus indolem, adeò ut non exhiberet se crebrò difficilem piæ Uxori, quæ ceterùm nihili faciens illius vitia, quæ per semet ad inferendum molestiam tendebant, sed dumtaxat considerans momenta, ob quæ eum diligere oportebat, cælestem dispositionem ad Dei nutum inclinata reverebatur, ejusque actiones patienter tolerabat, modò ad id inducta ex eo, quòd in matrimonium ipsi collocata fuisset ad pacem inter familias Fliscam & Adurnam solidiùs conservandam: modò recogitans, ex illius familia nasciturum insignem Dei servum, qui novæ Religiosæ familiæ auctor futurus esset, quemadmodùm prædixit ipsa, & pòst comprobatum est in venerabili Augustino Adurno, qui unà cum venerabili Francisco Caracciolo instituit Congregationem Clericorum Regularium Minorum *p*; modò indubitatam animo spem fovens, futurum ut aliquando æternam illius salutem à Deo consequeretur: quam denique impetravit ipsi, ut jamjam videbimus.

F

p

vix non in desperationem versus esset.

74 Julianum anno MCCCCLXXXXVII invasit ægritudo gravissima, orta ex urinæ difficultatibus, quibus longo tempore acriter conflictatus, vitam agebat molestam admodùm ob dolores acutissimos, qui eum non sinebant quiescere: hinc, ut

erat

A erat indole dolorum impatiente & ad iracundiam pronâ, cruciatus hi eum usque adeò intolerandum reddiderunt, ut contra eorum vehementiam obsirmare se non valens, rabie stimulari cœperit, frequenter erumpens in actus gravissimæ impatientiæ, quibus vehementer molestum se præbebat omnibus ipsi ministrantibus. Non prætermisit Catharina exercere omnia benevolentiæ obsequia, cùm ad levandum acerbitatem dolorum, quibus cruciabatur æger maritus, tum ad inducendum eum, ut divinæ voluntati se conformans, sustineret morbi gravitatem: at frustra omnia. Quare ipsa mortem illi imminentem videns, eumque tum furibundæ suæ impatientiæ immorantem, in præsenti versari periculo, cum temporali vita æternam insuper amittendi, omnes curas ad salvandum ejus animam intendit, seque recepit in cubiculum, separatum ab eo, quod occupabat æger conjux, ubi per dimidiæ horæ spatium orationi sese dedens, cum lacrymis & suspiriis humiles suas preces Deo offerebat, sæpiùs exclamans: "Amor, hanc te animam rogo, obse-„cro, dona illam mihi, tu potes illam mihi do-„nare„.

B 75 Placuit Deo, ut quædam ejus discipula *q*, cùm eam vidit mariti impatientis præsentiæ se subducentem, præsagiens, quod eventurum erat, clàm subsecuta fuerit. Hæc ope graduum, quibus ad dictum cubile accessus est, abscondita, teneras simul & efficaces precationes, quibus animam ægroti Deum flagitabat Catharina, auscultavit: verùm advertens, cessantibus lacrymis suspiriisque, eam jam reditum parare, præ timore, ne deprehenderetur, hinc ocyùs se recepit prudens discipula, celeri gressu revertens ad cubiculum, in quo impatientem ægrotum reliquerat, ibique admirantibus omnibus, qui circumstabant, nihilque sciebant eorum, quæ ipsa observaverat, eum invenit omnino immutatum ab eo, qui paulò antè fuerat; etenim mansuetissimi instar agni inter atroces convulsiones, vi morbi, continuè ingravescentis, excitatas, proferebat verba summæ cum divina voluntate consensionis, & veri doloris signa edebat.

fusis ad Deum precibus *q*

76 Interea eò rediit sancta Conjux, quæ repentinæ mutationis, ab ipsa infirmo impetratæ, arcanum animo celans, toto vultu declarans gaudium, quòd videret illum tolerantem, & conformem penitus ordinationi divinæ redditum, verbis salutaribus perrexit eum animare, usque dum placidè mortem oppetens spiritum Deo redderet *r*. Dominus, qui ob sanctæ hujus Matronæ preces animam Juliani benignissimè ad se attraxit, noluit occultam permanere virtutem intercessionis ejus, adeò ut tum à suprà dicta discipula declarata fuerit, tum ipsamet Sancta die sequenti colloquens cum pio quodam viro Religioso, filio suo spirituali, inadvertenter proruperit in verba sequentia: "Heri ad alteram vi-„tam transiit Julianus, qui, ut nôsti optimè, „indole erat aliquantulùm insolente, unde gra-„vem animi cruciatum sustinui: verùm priusquam „ex hac vita decederet, dulcis meus Amor de „ejus salute certiorem me reddidit„.

obtinet. Beneficium illud unde innotuerit? C

r

ANNOTATA.

a *Dialogi part.* 3, *cap.* 13 *sic loquitur Sancta:* Deus replet hominem amore, trahit eum ad se per amorem, efficit, ut per amorem operetur cum ingenti fortitudine ac constantia contra totum mundum, infernum & se ipsum. *Verba alia, quibus declarat Sancta, non vereri se, ne ab Amato separetur, dedi num.* 94 *in Commentario.* A. ANONYMO.

b *Toto scilicet cap.* 3 *partitionis nostræ.*

c *Vita prolixior historiam hanc refert cap.* 43: *de energumena porrò ista sic scribit:* Hæc infesta sublimi fuit intellectu, perpetuam coluit virginitatem, ... vitamque sanctè finivit, nec unquam spiritus eam deseruit, nisi jam morti proximam. *Parpera autem in Vita, anno* 1682 *vulgata, historiæ huic ad cap.* 84 *in margine adscribit annum* MCCCCLXXXXIX.

d *In Commentario num.* 87 *attuli testimonium Oldoini, qui in Athenæo suo Ligustico asserit,* S. Catharinam *ob ardentissimum in Deum amorem à multis, quos inter numeratur S. Franciscus Salesius, num.* 25 *laudatus,* Seraphicæ mulieris Genuensis *titulo condecoratam fuisse.*

e *Istud eximiæ caritatis facinus nulli determinato anno illigatum à biographis reperio. Bis tempore, quo vixit Sancta, Genuæ pestilentiam sæviisse, lego in Uberti Foliétæ Genuensium Historia. Lib.* XI *tantam fuisse pestis vehementiam scribit, ut è quinque hominibus Genuæ exsistentibus, vix unus superfuerit, idque contigisse narrat anno* 1493, *atque iterum sub exitum anni* 1501 *lucm Genuæ* E *grassatam esse, tradit idem scriptor lib.* 12. *Parpera in statim laudata lucubratione cap.* 61 *scribit, tempore prioris anni* 1493 *pestilentiæ, Sanctam ob civium suorum interitum vehementer afflictam fuisse, maximè quod multos cerneret, etiam animæ jacturam facere. Factum autem hîc relatum an uni ex duobus his annis, an alteri cuipiam innectendum sit, incompertum mihi est.*

f *Commentarii* § 2 *aliquot gravissimorum virorum testimonia de gemino hoc Sanctæ Opere adduximus, quæ ibidem consule.*

g *Utriusque insignem de Sancta existimationem paucis attigimus num.* 25 *Commentarii.*

h *Præter Hectorem Vernacciam, de quo anonymus plura disserit, iis, quos ad virtutem pietatemque instituit* Catharina, *Parpera in Vita, anno* 1682 *edita, cap.* 56 *annumerat Cataneum Marabottum, qui Sanctæ postmodùm fuit à sacris confessionibus, & Jacobum Carentium, qui Marabotto successit xenodochii, Pammatone dicti, rector: ibidem sub finem dicit, multas alias easque insignes personas* Catharinæ *sese imbuendas tradidisse, quarum nomina detegere nequiit: nec id ullatenus hîc nobis opus esse visum est.* F

i *Parpera in laudato jamjam Opere Hectori adjutores statuit Eminentissimum Sauli, & illustrissimum Caraffam, deinde Paulum IV Pontificem Maximum.*

k *Vocem hanc substitui Italicæ* Lazzeretto *ex Lexico accademiæ Florentinæ, cui* della Crusca *nomen. Est autem* Lœmocomium *vox composita ex Græco* λοιμὸς *pestis, &* κομέω *curam gero, locumque significat, in quo curantur peste infecti, sicut à Græco* νόσος *&* κομέω *prosluit nosocomium, locus ægrotantium curationi destinatus.*

l *Parpera in Opere, ad litter.* h *laudato, mortem Hectoris consignat anno* 1524: *verùm cùm videatur ipse Parpera aequè ac anonymus noster innuere, obiisse Hectorem, cùm Genuæ lues pestilens grassabatur, fortè in numeris typothetarum incuriâ error est: nam Ubertus Foliéta in Genuensium Historia non meminit pestilentiæ ad annum* 1524, *sed anno* 1528 *gravissimam desæviisse scribit. Utut sit, non est necesse, pluribus hoc indagare.*

m *Parpera ibid. cap.* 56 *non scribit dubitanter, sed à Sancta de sacro Fonte susceptam anno* 1497

A. ANONYMO.

1497 *Hectoris filiam; Baptistam appellatam, cùm Regulare institutum amplexa fuit in monasterio S. Mariæ Gratiarum, antea enim vocabatur Thomasina: asceterium autem illud* Catharinæ *suasu ingressa est anno* 1510, *ut idem Parpera in eodem Opere scribit cap.* 101, *postquam Sancta eam imbuisset memorabili hoc monito, quod ibid. lego:* Sit Jesus in corde, æternitas in animo, sub pedibus mundus, Deique voluntas in omnibus actionibus tuis, ac super omnia Dei amor *præluceat.*

n *Narrationi huic consonat Vita prolixior cap.* 46, *ubi tota hæc historia commemoratur.*

o *Consule disputata in Commentario num.* 46.

p *Autbertus Miræus libro de Congregationibus Clericorum Regularium in communi viventium, in Notatione ad cap.* 27 *sic scribit:* Hæc congregatio fuit instituta auctoritate Sixti V Pontificis Maximi, qui, eò quòd fuit Ordinis fratrum Minorum, voluit hanc novam Congregationem Clericorum Minorum nomine appellari. Ejus fundator fuit V. P. Augustinus Adornus Genuensis, adhibens duos socios P. Augustinum Caracciolum & P. Franciscum Caracciolum, Neapolitanos.

B *Plura hanc Congregationem spectantia ibid. legere est, uti & Bullam Sixti V, datam die* 1 *Julii anno* 1588, *quâ novum institutum illud approbatum fuit.*

q *Argentina, vidua Marci Sale, ut perhibet Parpera in Vita, anno* 1682 *edita, cap.* 74.

r *Paulò post mirabilem mutationem ex hac vita decessisse Julianum, tradit ibidem laudatus scriptor, qui in Beata* Catharina *illustrata part.* 1, *cap.* 2, *num.* 2 *ait, Sanctam à Juliano scriptam fuisse heredem recuperatorum bonorum, quæ scilicet antè dissipaverat, ut vidimus. Ibidem in margine adscriptum lego annum* 1494.

CAPUT VII.

C

Sancta humilitas; voluntatis ejus cum divina consensio: ecstases, visiones, aliique favores ipsi concessi.

XVI. *Sanctæ virtutes nixæ humilitate,* a

NOn est, quod miremur, si S. Catharinæ caritas sublimem hunc perfectionis gradum, quem jam antè vidimus, attigerit; siquidem tam excelsum ac nobile ædificium solido profundissimæ humilitatis *a* fundamento nixum fuit. Ut intelligamus, quantùm virtutis hujus amans fuerit Catharina, jam antè dicta hîc minimè repetentibus nobis sufficiet nôsse, eam semper voluntariè cuicumque hominum generi subditam, ita in sanctæ humilitatis semita progressam fuisse, eóque perveniſse, ut propria abjectione ac vituperio lætaretur. Unde non modò numquam se excusabat, cùm ab aliquo reprehenderetur; sed gaudebat insuper, cùm redargui se sentiret, imò nullam præterlabi patiebatur occasionem, etsi minimam, è qua contemptum ac vituperationem consequi posset.

in qua mirabiliter profecit: altissimi

78 Verumtamen nihil erat illud omne, si conferatur cum sensis hisce humilibus, quæ de semet ipsa animo concipiebat, quotiescumque expendebat suum esse, ejuens è nihili sui consideratione pretiosum heroïcæ humilitatis thesaurum. "Clarè, D
„ inquiebat sancta Matrona, video, quòd, si in
„ me est boni aliquid, totum illud re vera Dei
„ sit; sique quidquam mali admitto, sola id ego
„ facio, nec causam illius adscribere possum vel
„ dæmoni, vel alteri ulli creaturæ, sed propriæ
„ dumtaxat voluntati, affectioni, superbiæ, a-
„ mori proprio, concupiscentiæ, multisque aliis
„ pravis rationibus: quòd si Deus me non præ-
„ servâsset, forem pejor Lucifero *b*, idque adeò *b*
„ mihi constat, ut, si omnes angeli mihi affirma-
„ rent, reperiri in me aliquid boni, induci non
„ possem ad credendum, quia evidenter intueor,
„ bonum omne inveniri in solo Deo, in me ve-
„ rò nil præter vitium.„ Hinc est, quòd sui prorsus oblita, de se ipsa numquam loqueretur sive bonum sive malum, imò ne nomen quidem suum enuntiare vellet *c*, seque ab alio nominari ægrè *c*
ferret, metuens, ne natura, per semet ipsam ad malum prona, superbiret, nomen suum audiens pronuntiari; aiebatque, in creatura boni nil inveniri, quod se ipso conducat ad gratiam vel gloriam, quoniam nos è nihilo creatos ex natura nostra ad malum ferri necesse est *d*, & absque di- *d*
vinæ gratiæ adjutorio in illud frequenter incidere. E

de se ipsa Catharinæ sensus.

79 Animo erat in sui nihili cognitione tam obfirmato, ut, quotiescumque audiret boni quid de se dici ab aliis, se ipsam interiùs ratiocinando alloquens, dicere soleret: "Si, ut ego te no-
„vi, alii te nôssent, verba similia non proferrent:„
unde statuit hanc sibi legem, quam semper inviolatam custodivit: "Cùm audis in bono nomi-
„ nari te, noveris de re tua non esse sermonem:
„ contrà cùm intelligis, in malo nuncupari te,
„ scias, non tantum dici posse, quantum est:
„ quin imò non mereris, ut in malo *e* etiam sermo *e*
„ de te instituatur, quia illum tibi existimo non
„ congruere.„ Ut altiores semper in animo Catharinæ radices ageret sancta humilitas, subtrahebat illi Deus interdum amoris sui indicia, eam sinens langueſcere ariditate spiritûs, afflictionibusque, quibus servens anima, suprà quàm dici potest, consueverat cruciari: verùm in ipsis hisce casibus adeò se humiliatam ab amore suo videre gestiebat Catharina; unde ad eum conversa, inquiebat: "Amor, hîc me dimitte, tibi ut subdar,
„ meumque nihilum movere se nequeat: novi
„ enim fore ut, si aliquantum movere se posset,
„ non nisi malum valeret perpetrare.„ F

XVII. *Admirabilis cum divina voluntate*

80 Tam fideliter Catharina observavit legem, quam ejus amor Deus ipsi dederat, assumendi pro fundamento spiritus sui hæc orationis Dominicæ verba, Fiat voluntas tua, ut semper voluntatis divinæ ordinationibus vivens maximè conformata, videretur ampliùs non esse prædita voluntate, sed eam omnino in divinam convertisse. Unde loquens de perfectione, ad quam elevatur anima divinis placitis plenè consentiens, de se ipsa aiebat: "Ita præstitit anima, quæ, postquam
„ Deus ordinavit mentem ejus, suam ampliùs vo-
„ luntatem secuta non est, at semper in divinam
„ interiùs stetit intenta, cum tanta fiducia *f*, ut *f*
„ ipsi Deo diceret: operationes meas omnes cùm
„ internas tum externas tibi consigno, confidens
„ numquam permissurum te, ut aliud faciam,
„ quàm quod fuerit ex voluntate tua: ideoque
„ Deus passus non est, ut umquam vellet ele-
„ ctionem propriam, quæ ex voluntate Dei, men-
„ ti ipsius inscriptâ, non fuisset ordinata.„

81 Cum perfecta hac animi consensione fuit semper Catharina circa omnem eventum maximè indifferens, non consentiendo, ut degeret in

cor-

A corde ſuo affectio ulla, quæ divinæ voluntati non foret omnino conformis. Hinc eſt, quòd numquam de propriis commodis temporalibus voluerit eſſe ſolicita, ſed eorum curam aliis ſemper remiſerit; cum ea indifferentia vidit divitias domus ſuæ & prodigentiam, quâ eas abſumpſit maritus: honores, quos ipſi mundus proſperitatis tempore impertiebatur, nihilo illi cariores erant contemtu *g*, cui ſubjacebat, cùm iis orbatam ſe vidit: quanta cum benevolentia obſervabat fratres ſuos ac ſorores, tanta cum animi conſenſione *h* excipiebat nuntios mortis eorum, nullo edito doloris ſigno, acſi ſuus non fuiſſent ſanguis; æquè prompta fuit ad ſuſtinendum moleſtam mariti ſocietatem, quàm illius jacturam: unde aliquot amicis ſuis, qui poſt mariti obitum eam ſatagebant ſolari, animo illius repræſentantes tranquillitatem, quam unà cum libertate recuperârat, reſpondit, nil præter voluntatem Dei curæ ſibi eſſe, nec quodcumque, ſeu bonum ſeu malum, evenire poſſet, præ alio pluris ſe facere.

82 Comes indifferentiæ huic ibat perfecta rerum omnium ad Deum tranſlatio, adeò ut ſoleret dicere: "Claves domus meæ Amori tradidi „ cum ampla poteſtate, ut ſtatuat de me quodcum„ que vult, nec reſpiciat vel animam, vel cor„ pus, vel facultates, vel parentes, vel amicos, „ vel mundum: quia non deprehendo deficere in „ me ſcintillam ullam ejus, quod puri amoris lex „ requirit.„ Unde quocumque in loco vel ſtatu conſolationis vel anguſtiæ animi interrogabatur, quid deſideratura fuiſſet, numquam ulli ſucceſſit aliud ori ejus verbum elicere, quàm hoc: "Uni„ cè id volo, quod hoc temporis puncto habere „ me deprehendo.„ Quin imò utcumque diverſa forent rerum adjuncta, exempla, conditiones, quæ à nonnullis ipſi proponebantur ad inveſtigandum, quam in partem propenderet voluntas ejus, idem ſemper reſpondebat, ſubdens: "Hæc eſt Dei be„ nignitas, ut omni tempore, omni loco, omni „ modo cuncta moderetur & gubernet, illudque „ ſemper velit, quod nobis melius eſt: ideoque non „ debemus aliud velle, quàm quod omni tem„ pore accidit, propterea tamen omittere non de„ bemus in bono ſemper nos exercere: nam qui „ id præſtare nollet, unicè exſpectans, quid præ„ cipiat nobis Deus, ipſum eſſet tentaturus.„

C 83 Quantumcumque vi amoris iſtius, quo ferebatur in Deum, ſe cum Apoſtolo ſentiret abripi deſiderio mortis conjunctioniſque cum Chriſto, maximè cùm defunctum aliquem ad ſepulturam evehi videret, ut dictum jam eſt *i*, nihilominùs in hoc etiam amoris incitamenta ſubdebat conformationi cum divina voluntate, adeò ut, cùm in ejuſmodi occaſione eò tantùm abripi ſe paſſa fuiſſet, ut internè ſecum diſſereret; "Uti„ nam hæc mihi hora affulſiſſet!„ illicò pœnitens ad ſe reverſa, diceret: "Nolo ego in hoc pe„ ctore reſidere ſcintillam ullam deſiderii nec ter„ reſtrium, nec cæleſtium, nec quarumcumque „ rerum creatarum, ſed ſuavi Dei ordinationi ac „ diſpoſitioni cuncta permitto;„ tantumque ex ſimili impotentis animi deſiderio mœrorem hauſit, ut ſedari nequierit, uſque dum, re cum confeſſario communicata, ab eo tantùm non perſuaderetur, actum illum, tamquam indeliberatum, cùm à ratione profectus non eſſet, detrimentum afferre non potuiſſe accuratæ voluntatis conformationi, quam profitebatur. Quod Catharinæ ſingularem animi conſenſionem non minùs mirabilem reddit, eſt, quòd, quantocumque erga ſacram Euchariſtiam amore afficeretur, in eo tamen etiam viveret perfectè divinæ voluntati ſubmiſſa, numquam illam exigens *k*, ſed Domino curam relinquens, qui ſuo imperio quotidie eam ipſi procurabat, vel per pium aliquem ſacerdotem, vel per confeſſarium.

84 Si ſingularis meriti fuerit magnæ huic Sanctæ nihili facere omne id, quod mundus magni æſtimat, amplioris certè fuit averſari, non ſecùs ac peſtem animi, illa omnia, quæ mentes minùs illuminatæ ingentes cæli favores exiſtimant: idcircò tantùm abeſt, ut delectaretur ecſtaſibus, viſionibus aliiſque favoribus cæleſtibus *l*, ut etiam à prima ætate, quemadmodùm ſuprà dictum eſt, Dominum ſuppliciter precata fuerit, ut numquam illis donaretur: nihilominùs Deus cupiens, dilectam hanc animam talento ſuo operam impendere, poſtquam perduxiſſet illam ad ſummum ſui odium, perfectamque ſui ipſius ad divinam voluntatem tranſlationem, omni eam exſpolians guſtu ac deſiderio carnis & ſpiritûs, voluit ipſam talibus gratiis cumulare, crebrò plurium horarum ſpatio in mentis exceſſum abripiens, cæleſtibuſque frequenter viſionibus exercens.

85 Mirabilis viſu erat violentia, quam ſibimet inferebat Sancta ad hæc impediendum, adeò ut experimento edocta, vixdum in animo & corde ſuo ſentiret divinas illas impreſſiones, quæ hoſce cæli favores præcedere ſolebant, quin vim ſibi inferens ad detorquendum effectum, ingentem, in corpore cruciatum pateretur; divinam tamen operationem nequibat impedire, poſt quam ſenſibus reſtituta, languenti adeò ac debilitato erat corpore, ut videretur miraculum, eam in terra vivere poſſe, quæ tot per diem horis cum inexplicabili corporis dolore vivebat in cælo. Quouſque virente ætate vires ipſi ſuffecerunt ad ſubducendum ſe aliorum oculis, ſimul atque ſentiebat ad mentis exceſſum abripi ſe, ita ſe gerebat, ut, niſi eorum, quibuſcum verſabatur, ſolertia fuiſſet ſanctè curioſa, occultæ remanſuræ fuiſſent ecſtaſes, quas patiebatur indies: verùm ætate magis provecta, cùm corpus vires deficerent, illa non valente reſiſtere, nec tempeſtivè latebris ſeſe abdere, placuit Deo, ut omnibus manifeſtarentur.

86 Non deſtitit tamen illa omnem adhibere induſtriam ad eas obtegendum nomine vertiginum, quales planè videbantur illi, qui cæli ſermonem non percipiebat: attamen tales viſæ non ſunt inſigni Dei ſervo D. Cattaneo Marabotto, quem elegerat Providentia, ut illius primùm diſcipulus ac poſtea duobus ampliùs luſtris uſque ad ſanctum obitum ipſius animi moderator eſſet, qui inde conſilium cepit obligandi eam ad manifeſtandum *m* arcana cæleſtia, quæ in epitomen contracta ſimul cum ſancta ejus Vita nobis reliquit. Cùm in ecſtaſim rapta vel extra eam de amore Dei verba faciebat, ſplendebat facies luminoſa roſeaque inſtar Seraphini, amore flagrantis, tamque ſublimis doctrinæ ſenſa fluebant ex ore ejus, inſtar Cherubini, cæleſti doctrina pleni; adeò ut ſtupore ac dolore ſuffunderentur circumſtantes, admirantes in ipſa divinam ſapientiam, quæ ſubminiſtrabat ipſi ſententias & verba ad res tam excelſas explicandum, quæ humani intellectûs capacitatem quàm longiſſimè excederent.

87 Exprimere tamen nequibat *n* ipſa partem vel minimam eorum, quæ ipſi Deus in mentis exceſſibus viſionibuſque declarabat: unde, quantum poterat, omni de his ſermone abſtinebat, & ſi quidem loqui compellebatur, dicebat cum Apoſtolo, vidiſſe ſe, quod oculus intueri & auris

A. ANONYMO. *k*

XVIII. *Conſolationes & favores cæleſtes refugit,* *l*

cúmque declinare nequit, omni modo

tegere ſtudet; ſed fruſtrà. F. *m*

Circa quæ potiſſimùm verſarentur viſiones, *n*

permittentis, nec aliquid, niſi quod vellet Deus,

unquam deſideraſſet. *i*

A. ANONYMO. ris non valet audire, non inveniens verba accommodata ad significandum arcana illa cælestia, quæ ostendebat illi Deus. Visiones ejus frequentissimè versabantur circa immensum amorem Dei erga hominem, gloriam ab ipso præparatam verè eum diligentibus, dispositionem supremæ providentiæ, quæ unicuique, ut cælo potiatur, utilia media distribuit, circa dignitatem ac pretium gratiæ divinæ, hominumque animum inhumaniter ingratum erga divina beneficia, quæ in extremo judicio ostendent in conspectu omnium, eum veniâ indignum esse.

quantisque per eas cruciatibus

88 Frequentiâ excessuum à sensibus, ignitorumque amoris jaculorum, quæ lucentium instar radiorum crebrò Deus in cor ejus evibrabat cum inexplicabili corporis attriti convulsione, post quinquagesimum *o* ætatis annum, novem ante sanctum ejus excessum annis, redacta erat ad statum valetudinis, adeò commiseratione dignum, ut prodigio non absimile videretur, vivere eam posse tantos inter labores angustiasque, quas nihilominùs vultu hilari animoque tranquillo perferebat. Hinc est, quòd ministri xenodochii, tenera erga illam commiseratione moti, non paterentur
B eam continuare labores, quos anteacto tempore sustinuerat, inter illos ne deficeret: verùm perspicientes illi, quietem in majus corporis detrimentum vergere, eò quòd vehementia continuorum mentis excessuum, quibus abripiebatur, & crebra amoris spicula, quibus cor ejus feriebat cælestis Sponsus, quoties sola cum solo occupabatur, brevî vitam illi fuissent ereptura, compellebantur iterum eam ad consueta exercitia revocare, jubentes illam Dei ergò Deum relinquere, ostendentesque eodem tempore desiderium, quo ardebant, vitam illi conservandi, suamque in detegendis auxiliis insciliam.

Sanctæ corpus afflictum fuerit.

89 Et sanè, quia multùm à nostris diversæ sunt viæ Domini, quibus animas electas ad se solet attrahere, mirùm non est, intellectum humanum nequivisse pervestigare modos ad sublevandum sanctæ hujus Matronæ dolores ac cruciatus, quibus eam amabilis ejus Dominus, ultimis præsertim annis, qui mortem ipsius præcesserunt, subjicere voluit *p*, ad reddendum eam in omnibus uniformem imagini dilecti Filii sui. Unde cùm de die in diem accrescerent impressiones
C divini ignis, pessumdantes corpus illius, cor ad sustinendum ardores ineptum reddiderunt, adeò ut videretur à pectore avellendum, parteque corporis, quæ illud circumdant, factæ rubicundi coloris, indicium dabant incendii illius, quod gestabat in sinu. Inter alia, quæ, interpositis apparitionibus angelicis, illam subire fecit Dominus, fuerunt tormenta SS. Laurentii martyris & Bartholomæi apostoli ac nonnullæ denique pœnæ, quas Incarnatum Verbum nostri amore in duro Crucis ligno perpessum fuit: adeò ut, nisi supernaturaliter *q* corroborata fuisset à Domino, gaudente eam videre constanter patientem, fieri non posse videretur, ut humanis viribus tot tamque acerbis doloribus obsistere valeret. Hi summatim sunt principaliores ipsique magis grati favores, quibus Deo placuit sanctam hanc Animam exornare, ad relinquendum duplex exemplum admirationi nostræ cùm in eo, quod per illam ipse præstitit, tum in eo, quod ipsa pro eo sustinuit.

ANNOTATA.

a *Vide, quæ ex Sanctæ Dialogo dedimus in Commentario num. 80 & seqq., ex quibus diluciдè apparet, quàm longè in veræ humilitatis semita progressa fuerit.* D

b *Vita prolixior cap. 9 inter alia, hìc relatis conformia, hæc scribit, velut prolata à Sancta:* Si possibile esset, quòd omnia omnium Martyrum supplicia, sed & inferni, Dei amore pertulissem, meque hinc ipsius charitati & bonitati, quâ nos creavit, redemit & sigillatim vocavit, ex æquo respondisse arbitrarer, aliquo modo injuriam Deo irrogarem: homo namque ex se absque Dei gratia diabolo deterior est; nam diabolus spiritus est sine corpore & homo sine gratia Dei est diabolus corporatus. *Hæc porrò elucidantur ex Sanctæ Dialogo part. 1, cap. 12;* Hìc, *inquit*, cœpit cognoscere, quidnam esset istud esse hominis, idque ferè tam malignum & pravum conspexit, quàm bonus est Deus. *Et infrà:* Intuebatur, se *(à Deo non præservatam)* semper promptissimam ad perpetranda omnia opera, quæ diabolus patraret, nec minùs prava & detestanda, imò longè magis, videns se hoc casu diabolum incarnatum.

c *Antiquior biographus cap. 16 ista paulò fusiùs sic exponit:* Adhæc, *inquit*, sibi ipsi adeò inimica effecta est, ut, si quando oporteret sese E quapiam in re nominare, non se speciatim exprimeret, sed in genere diceret, Nos, cùm in bono tum in malo; asserens, quòd maligna hominis pars gaudeat nominari, neque gravior illi ictus queat infligi, quàm si nunquam nominetur *&c.*

d *Hæc accipe conformiter ad dicta in Annotatis ad cap. 5 litter. k.*

e *Idem biographus eodem capite ita scribit.* Nolebat etiam se (ut fieri solet) appellare malam, ne propria sua pars præsumeret, se scire, quòd unquam posset esse bona. *Et paulò infrà:* Imò non es digna, cujus vel in malo mentio fiat, quùm sic nonnihil æstimari videaris.

f *Idem cap. 17 hæc de Sancta tradit:* Semper in intimis suis ad Dei voluntatem attendit, quam animæ suæ sentiebat impressam & tali fiducia, ut quandoque diceret Deo; In omnibus, quæ cogitavero, dixero, fecero, non permittes me (piè de te præsumo) errare: *cap. 16 dixerat, fiduciam, ejus vix dicendam esse fiduciam ob securitatem, quâ in manibus amoris sui Dei conquiescebat. Insignem fiduciæ suæ tranquillitatem declarat Sancta Dialogi part. 1, cap. 16 his verbis:* Ad hæc scire te velim (*spiritus alloquitur corpus suum*) Deum mihi tam subtile ac clarum lumen contulisse, ut certus sim, me (nisi ipse mihi desim) antequam à te divellar, ne minimâ imperfectionis maculâ fore respersum ampliùs *&c.* F

g *Imò ex Sanctæ verbis, datis in Commentario num. 80 & seq. videtur omnino præplacuisse illi sui ipsius despicientia, cùm tam multa egregiè præstiterit, ut ab aliis vilipenderetur.*

h *Scilicet ut testantur verba Sanctæ num. 81, in Commentario, singularem erga parentes affectum refugiebat, volebatque omnes diligere sine amore & affectione, sensibili utique & carnali.*

i *Partitionis nostræ num. 48.*

k *Anonymus noster non videtur hìc negare, Sanctam nudè petiviss, ut ad sacram Mensam admitteretur, seu ad eam se præsentâsse; nam suprà vidimus, quanto studio tempore interdicti conata sit Eucharistiam obtinere, conferens se ad loca, à vinculo isthoc ecclesiastico immunia. Tantùm igitur asserit, eam non postulâsse pertinaciter, conformiter ad ea, quæ antiquior biographus scribit cap. 28 in hunc modum:* Hìc quantùm

sa-

A sacerdotibus deferret, demonstravit, affirmans, se patienter laturam, si sacerdos nollet sibi venerabile Sacramentum porrigere, neque pertinaciter postulaturam, sed à porrecturo non posse non accipere. *Scilicet, ut testatur idem biographus cap. 3, humilitatis & obedientiæ ergò lubenter parebat jubenti, ut à sacro Epulo abstineret, licèt vehementissimè hinc affligeretur. Vide dicta in Annotatis ad cap. 5, litter. a.*

l *Consule, quæ in Commentario hâc in parte disputavimus contra Bailletum num. 105 & seqq.*

m *Vide dicta in Commentario prævio num. 4 & 5. De Marabotto plura tradit Vita prolixior cap. 44, asserens, Sanctam ex illius absentia mirificè cruciatam fuisse, odorem fragrantissimum ex ejus manu percepisse, ipsumque à Deo divinitus illuminatum fuisse, ut cognosceret, quid in Sancta ageretur, quaque ratione illi succurrendum esset. Juverit aliqua ex Sanctæ Dialogo huc transferre. Part. 3, cap. 10 sic loquitur:* Non ergò mirum, si Deus talibus personis certos destinet homines, qui illis in cunctis animæ & corporis necessitatibus subveniant,
B secùs vivere nequaquam possent. En ut Dominus noster Jesus Christus specialem amantissimæ Matris suæ curam demandârit S. Joanni; eodem modo prospexit suis dilectis discipulis, & semper prospicit aliis sibi devotis personis, adeò ut alter alteri tum in spiritalibus, tum corporalibus cum hac divina unione subsidium præstet. Et quoniam non omnes cognoscunt hujusmodi operationes, nec talem inter se habent unionem, idcircò necessariæ sunt ad id genus munia obeunda peculiares personæ, quas Deus suâ gratiâ & lumine instruit atque idoneas reddit ad auxilium aliis ferendum. Qui has personas videt & non intelligit, magis ex eis admirationem quàm ædificationem percipit. Noli itaque judicare, si non vis errare. *Porrò ista hîc annotanda censui, ad ostendendum, ab ipsa Sancta præclusam fuisse viam iis, qui oculo minùs sincero legere possent ea, quæ in Vita prolixiore laudato cap. 44 referuntur.*

n *Præter alibi jam annotata, hæc è Sanctæ Dialogo part. 3 cap. 11 accipe:* Utinam, *inquit*, suppeterent verba huic amabili amicitiæ & perditæ unioni congrua! Perditæ, inquam, quoad hominem,
C qui omnia amisit nomina amoris, unionis, annihilationis, transformationis, dulcedinis, suavitatis, amabilitatis: denique perdidit cuncta vocabula, quibus poterant comprehendi & uniri duæ res separatæ *&c.*

o *Post quinquagesimum ætatis annum, cui unus alterve etiam completus addendus est; obiit quippe ætatis sexagesimo tertio, supremus autem morbus non nisi novem vel decem annis duravit. Vide dicta in Commentario num. 125.*

p *Vita prolixior cap. 48 asserit, Sanctæ revelatum antea fuisse mortis suæ genus:* Deus, *inquit*, horæ puncto illi ostendit, quo fine opus suum esset complendum, eam ex immani supplicio, quod totum usque ad mortem oculis ipsius subjecit, morituram.

q *Testatur hoc etiam Sancta Dialogi part. 2, cap. 10, loquens de acerbis cruciatibus, annorum circiter 10 spatio à se toleratis:* E minimis, *inquit*, etiam malis magna percipiebat tormenta, crescebatque continenter infirmitas, & nisi Deus intrinsecùs eam tenuisset occulta operatione occupatam, nequivisset sustinere.

A. ANONYMO.

CAPUT VIII.

Ultimus Sanctæ morbus & pretiosa mors: initia & progressus cultûs ejus.

XIX. *Ultimus Sanctæ morbus naturali ordine superior fuit,*

ERant jam anni novem, quibus, ut præcedenti capite dictum est, Catharinæ mentis excessibus, sensuum abalienationibus, spiculis incendiisque divini amoris frequenter oppressæ, corpus tum ampliùs eorum violentiæ obniti non poterat, adeò ut absumeretur quotidie, per adhibita ad hanc usque horam remedia nullo ipsi allato levamine, medicisque modum ignorantibus, qui conduceret ad restituendum illi sanitatem: unde qui circum eam erant, assiduitate variorum, quæ fiebant quotidie, experimentorum, illi modo, quo poterant meliore, auxiliabantur, quoad videntes eam velut ad extremam debilitatem redactam, quatuor ante illius obitum mensibus collegerunt medicos complures, qui ineuntes commune consilium, viam investigarent, quâ levamen aliquod afferretur doloribus gravissimis, quibus tanto tempore jacebat immersa. E

nullo juvante medicamine: quàm graves

91 Non prætermiserunt medici malorum causas sedulò observare, examinare venarum pulsum ac symptomata considerare: at, nullo morbi naturalis deprehenso indicio, unanimiter omnes in hanc iverunt sententiam, infirmitatem hanc divini quid præferre, ac propterea humanis remediis curari non posse, sed solius Dei operationi ægrotantis curam relinquendam esse. Ejusmodi definitio planè conformis erat iis, quæ antè semper dixerat S. Catharina, quæ tamen obedientissima *a* numquam recusâsset, etiam cum majori suo detrimento, sumere medicamina sibi oblata; assiduè tamen declaravit, ægritudinem suam conditionis esse omninò diversæ ab iis, ad quas artis medicæ peritia valet pertingere. Et satis utique perspectum erat, morbum ejus altioris esse ordinis quàm naturalis: etenim intensiores fiebant dolores magisque irritabantur diebus festis, iis præsertim, qui Sanctissimæ Virginis, Apostolorum ac Martyrum solemnitatibus consecrati erant, adeò F ut deinceps, cùm in Ecclesia celebraretur festivitas Sancti alicujus, Famulam suam Deus participem redderet passionis ab eo toleratæ. *a*

tum passa sit cruciatus, per omnia

92 Et manifestiùs morbi hujusmodi superior conditio apparebat videntibus, rem quamcumque, sive in cibo sive in potu ad eam refocillandum oblatam, damnum potiùs quàm opem illi adferre; nec reperiri quidquam poterat, quo corroboraretur, præterquam sanctissima Eucharistia, quam quotidie absque molestia, & maximo cum gaudio sumebat *b*. Confluebant etiam è longinquo plurimæ piæ personæ, ad spectandum martyrium, quo Sanctam hanc divinus amor excruciabat, observantesque hinc dolores angustiasque inexplicabiles, quibus mergebatur, inde verò conformationem mentisque tranquillitatem, quibus eos sustinebat, & circumstantes insuper omnes fervore animi, verbis non satis exprimendo, ad mundi contemptum, peccati fugam, Deique amorem exhortabatur, cohibere lacrymas nequibant, & mœrenti corde preces ejus postulantes, revertebantur consolatione simul ac stupore perfusi, quòd *b*

A. ANONYMO. vidissent Catharinam, divinam magis quàm humanam *c*.

c voluntati divinæ consentiens.

93 Ingenti opus esset volumine ad describendum effectus extraordinarios, quos in S. Catharina quatuor illis postremis vitæ mensibus producebat divinus amor: interdum doloribus usque adeò acerbis eam cruciabat, ut re ipsa sibi videretur corpus in piaculari igne *d* degere; interdum cælestibus eam visionibus recreabat, quæ illius animum ad paradisi gaudia evehebant. Verùm illi nec efficiebant, ut abnueret ampliùs etiam hic in terra pati ex amore crucifixi Boni sui, nec hæ desiderium valebant exstinguere, quo cupiebat hinc evolare, ut cum ipso jungeretur in cælo. Eo tempore Deus ostendit illi statum animarum piacularium, puritatem *e*, quâ in ictu mortis præditam esse oportet animam, amorem, quo à Deo creata fuerat, æternæ beatitudinis pretium, aliaque arcana, quibus penetrandis solus is sufficit, qui viderit.

d

e

Angelorum visione recreatæ ingens gaudium.

94 Cùm illuxisset dies Assumptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ, anno MDX, augescentibus supra modum Catharinæ doloribus, die tam memorabili extrema Unctione summa animi voluptate, prout ipsamet desideraverat, munita fuit. Postea eam invisit angelorum multitudo, qui unà secum paradisi gaudia illi degustanda præbuerunt, tantumque fuit, quod ex tali visione ipsi obortum est, jubilum, ut in corpus redundans, illam compulerit manifesta lætitiæ signa edere, circumstantibus ob tam improvisam mutationem non minùs stupore quàm consolatione perfusis: nec unius momenti aut fugitivum fuit conceptum gaudium, sed continuis septem diebus in ea perduravit ad eum modum, ut omnes judicaverint, tantùm eam ab omni mortis periculo abesse, ut deinde sanitati esset restituenda.

B

Postea vehementiùs, etiam visu dæmonis, cruciatur.

95 Verùm cùm dicti dies effluxissent, advertit unusquisque, falsam esse spem suam: etenim die Vigiliæ *f* S. Bartholomæi sacro rursum vehementissimis convulsionibus oppressa fuit, quæ brevi eam velut ad præstitutum mortis tempus perduxerunt; atque insuper permisit Dominus, ut horrenda communis adversarii visione excrucietur, quæ intolerandum illi dolorem intulit, non quidem quòd eum ullatenus vereretur, sed ob repugnantiam, quæ inter animum suum, divino amore succensum, statumque deplorabilem infelicis istius creaturæ, quæ tanto bono spoliata erat, intercedebat: adeò ut visionem sibi tam molestam & abominandam nequiens tolerare, hàc illacque se versans, quamvis fari non posset, nutuum tamen ope significârit circumstantibus, ut super pectore Crucis sanctæ signo se signarent, quemadmodùm ipsa quoque faciebat, cubiculumque ac lectum aqua lustrali aspergerent, quibus omnibus peractis, sub finem dimidiæ horæ evanuit terribilis ista visio, pristinæque animi tranquillitati à Domino restituta fuit.

f

C

Stupendæ in Ægrota mutationes

96 Ad breve tempus substitit quietus iste status, Deo in ipsa innovante consueta tormenta, aliis subinde cælestibus impressionibus sublevata; unde oriebantur in ea tam repentinæ mutationes à dolore in exsultationem, à tristitia in gaudium, à defectione virium in extraordinarium animi vigorem, ut cum medicis stupore percellerentur filii ipsius spirituales, qui momentis singulis & ne eam amitterent, metuebant, & simul eam conservandam, sibi pollicebantur. Timorem ejusmodi spe mistum experti sunt die quinto & vigesimo Augusti, quo ipsa sensibus destituta, nec ullum percipere valens levamen, resumptis denuò viribus, fenestras aperiri jussit, ut cælum contemplari posset, exorsaque est hymnum, Veni Creator Spiritus, eum, concinentibus aliis, prosequens, qui vultum illius hilarem ac coruscantem observârunt, & ex ore ejus audierunt hæc verba: "Eamus, non ampliùs terra, non ampliùs „ terra.„ Verùm cùm de illius morte dubitarent, animadverterunt omnes, Deum eo temporis puncto res magnas illi manifestâsse; atque ita certò factum est, licèt ipsa, quid vidisset, interrogata, responderit, loqui se non posse *g*.

D

g & operationes, ab amore Dei profectæ:

97 Manifestavit utique visionem, quam duobus pòst diebus habuit, in qua ostensa ipsi fuit anima sua, ob omni affectu carnis & spiritûs emundata, quod continuò exoptaverat, ac dilucidis prodidit signis, præcipiens, alii ut sibi non adessent, nisi quos mera necessitas exigebat, nec de alio sermonem secum facerent, quàm quod postulabat caritas, exercens insuper cum intimis familiaribus suis miram indifferentiam, quæ timorem illis venerationemque incutiebat. Stupenda experimenta, quæ sumpsit cælestis amor in extenuato illius corpore emundatoque spiritu post hasce visiones, commemorari faciliùs, quàm accuratè describi possunt, cùm humanum ingenium aptum non sit ad penetrandum arcanas Dei operationes. Novimus, interdum ad plures horas jacuisse immobilem, vultu labrisque rubentibus; immutato nativo colore, frequenter arsisse corpus ejus in hunc modum, ut videretur emittere accensos ignis vapores, qui vehementem calorem communicabant aquæ ipsi, quæ in vase argenteo ad refrigerandum manus ipsi oblata fuit, adeò ut vas ipsum aquæ fervore calefieret, non secùs ac recenter igni subductum fuisset.

E

multa patiens dolores reputat suaves.

98 Non steterunt hìc favores, quibus ante sanctum ipsius excessum donare eam voluit cælestis Sponsus: siquidem die tertio Septembris participem illam reddidit sacrosanctæ suæ Passionis, in corpore & animo periculum faciens acerbitatis dolorum ab ipso toleratorum: idque circumstantes satis cognoverunt, cùm observârunt eam, extensis in lecto brachiis in formam Crucis, in semet ipsa repræsentantem crucifixi sui Boni effigiem, linguamque in sequentia verba exsolventem: "Feliciter advenerit passio hæc & aliud „ quodcumque supplicium à suavi Dei ordinatio„ ne immissum: jam enim anni sunt circitèr sex „ & triginta, ex quo illuminâsti me, dulcis Amor, „ ab eoque temporis puncto usque adhuc desi„ravi semper pati cùm internè, tum externè; „ & quia hoc mihi votum fuit, numquam repe„ risse cruciatum ullum mihi visa sui, sed magis, „ quamquam omnis præterita pœna dolorque ex„ terior ingens appareret supplicium, tua dispositione id omne maximæ mihi suavitatis voluptatisque internæ visum est. Modò finem attigi, „ venio ad te summo interno & externo dolore à „ capite ad pedes ita oppressa, ut non existimem, „ fore ut ullum corpus humanum, quantocum„ que robore præditum, immanem hunc cruciatum „ perpeti valeret; cui succumbere oportere non „ tantùm corpus carne & ossibus constans, sed „ ferreum etiam ac adamantinum ejus vi annihi„ landum esse, mihi videtur: quoniam luculen„ ter apparet, te moderari & gubernare omnia æ„ qua & justa dispositione tua, quâ nondum vis „ me mori. Et quamvis absque ulla medela in „ hoc corpore tam immodica sustinuerim tor„ menta *h*, nihilominùs excelsum in me animum „ experior, itáque affecta sum, ut dicere nequeam „ me pati, imò videor mihi continuò versari in

F

h

ma-

A „ magna voluptate, quæ tam grata & amabilis
„ mihi est, ut expromere non valeam, ac ne co-
„ gitare quidem.

Visio altera oblata Sanctæ, in cujus morbo nil naturale est.

99 A multis jam diebus omne humanum solatium subtraxerat illi Deus ad sustentandum eam solo sacrato Corpore suo, cùm die VII Septembris inter alias gaudii species ostendit illi ingentem scalam igneam, è terra ad cælum pertingentem, ad cujus ignitorum graduum ascensum invitabatur: quæ visio quatuor horas perseverans ita animum ejus simul & corpus inflammavit, ut totus orbis exuri videretur, adeò ut, itane res se haberet, sciscitata, fenestras aperiri jusserit, ut certior redderetur. Pudore ac stupore ob tam insolitas vicissitudines suffusi, qui ei aderant, cupientes periculum omne facere ad vitam illi conservandam, interdum eam adigebant ad sumendum aliquid, quo corroboraretur; sed id unicè ad exercendum ipsius obedientiam valebat, eò quòd certum illi esset, fore ut retinere non valeret; cúmque alias, at inutiliter, vias explorâssent, collegerunt decem egregios medicos, ut perspicerent, an humana numquam industria valitura esset assequi ipsius levamen: sed id quoque irritum
B fuit; etenim cùm denuò periti omnem exquisitam adhibuissent solertiam, aliud quàm quod antè statuerant, definire non potuerunt, morbum scilicet hunc minimè naturalem esse.

Emisso multo sanguine, amori suo indulgens animam exhalat.

100 Compleverat tum Dominus sublime, quod ab æterno animo volverat, consilium, ingentem hanc Animam constituendi exemplum singulare amandi & patiendi, itaque corpus ejus consumpserat, ut parùm aut nihil sanguinis in eo reliquum esset. Præ concepti caloris vehementia nequibat is ultrà venis clausus retineri; unde postremis diebus viâ sibi ad egrediendum patefactâ, ex his abundanter profluebat, & caloris vis vasa ex metallo, quibus recipiebatur, penetrans, indelebilibus maculis reliquit tincta. Denique cùm appropinquâsset dies decimus quartus Septembris anni MDX, Exaltationi sanctæ Crucis sacer, quo, licèt velut exsangue & alio quovis humore vacuum remansisset corpus illius, nihilominùs sicut lucerna jam jam exstinguenda amplius lumen emittit, ita insignis hæc Sancta majori animo & robore prorupit in sermones, magis quàm umquam amore incensos. Cùm elapsus esset dies iste & ultra horam noctis sextam *i* provectus esset sequens, qui erat Dominicus, Septembris decimus quintus *k*, Sancta interrogata, velletne Eucharistiâ refici, altissima contemplatione abrepta, veluti cui vicinus finis suus notus erat, digitum intendit in cælum, significans, illicò sibi ad cæleste convivium proficiscendum esse: quapropter sereno vultu suavissimaque voce ultima crucifixi sui Jesu verba modulans, dicendo, "In manus tuas, „ Domine, commendo spiritum meum, „ anno ætatis sexagesimo tertio, perfecto sacrificio, consumpta hæc divini amoris Victima ad inseparabilem cum Deo suo conjunctionem evolavit.

i C *k*

Statim post obitum revelata Sanctæ gloria, miracula

101 Hoc ipso temporis puncto, quo sancta ista Anima vinculis corporis sese exuit, visa fuit à quadam spirituali ipsius filia, ibidem præsente, egredi corpore, in cælumque velocissimè ascendere *l*: cúmque supra modum à dæmone torqueretur obsessa aliqua, malignus spiritus, à se visam esse hanc Animam Deo se conjungentem, indéque supplicium intolerandum experiri se, compulsus fuit dicere. Multas quoque electas animas, quæ studuerant sancta illius vestigia insequi, visiones *m* hujusmodi beârunt. Sanctæ mortis hujus nuntio ocyùs diffuso, clerici & laici, nobiles & plebeji, omnis ætatis, omnis sexûs, mœrore ac luctu ob ingentem jacturam perciti, certatim concurrerunt ad venerandum illius corpus, in publica xenodochii ecclesia expositum; variisque infirmis, qui intercessioni illius se commendaverunt, perfectam à morbis suis sanationem consequentibus, nullus ibi fuit, quin ex illius aspectu patratisque prodigiis animi teneritudine se commoveri, ac intra se affectus doloris contemptùsque rerum mundanarum suscitari senserit, visus sibi etiam à feretro, in quo jacebat, invitari ad ferventer capessendum viam cæli: nec multùm efflu-
A. ANONYMO. xit temporis, cùm mirabiles observatæ sunt mutationes, maximè illustrium feminarum, quæ vanitati seculi nuntium remittentes, animum unicè applicuerunt curando magno salutis suæ æternæ negotio.

l

m

patrata, exhibitaque illi à populis veneratio: n

102 Priusquam sacrum cadaver collocaretur in sepulcro novo, ad eum finem præparato, nullus adfuit, qui auderet jubere illud exenterari *n*, cùm æquum non videretur, ut incisioni subjiceretur corpus illud, quod molle ac flexibile vivere etiam tum videbatur, & signa donorum cælestium conservans, pellem, quæ cordis regionem circumdabat, assiduè habebat rubentem *o*. Hinc factum est, ut propalari non potuerit alter cordis, à divino igne in cinerem redacti, favor, quo, ut dictum jam est, eam Dominus condecoraverat. Quapropter thesaurus tam pretiosus novo tumulo illatus *p*, in eo permansit anno uno & medio, visui occultus, at communi pietati apertus, quæ tum maximè eminuit, cùm, priusquam in ditius monumentum transferretur, necesse fuit octo dies continuos illum exponere infinitæ multitudini, quæ accurrebat ad venerandum admirandumque in ipso prosecutionem istorum prodigiorum *q*, quæ ab initio in eo fuerant observata: & quoniam ferventi accurrentium pietati non sufficiebat sacras vestes sibi comparare, invento inter illos aliquo, qui unguem surripere furtim ausus est, oportuit illum includere sacello probè custodito munitoque, pergente Domino ostendere, quantùm apud se valerent Famulæ suæ preces, multiplicatis prodigiis in gratiam eorum, qui illi sese commendabant.

E *o* *p* *q*

quæ nullo tempore imminuta, magis semper

103 Majorem in modum dilatatus fuit magnæ hujus Sanctæ cultus, postquam publicæ luci datæ sunt heroïcæ illius virtutes, unà cum mirabilibus lucubrationibus ab ipsamet compositis, quæ preli ope juris publici facta sunt *r* à duobus Dei Servis D. Cattaneo Marabotto, & Hectore Vernaccia, quorum alibi honorificam mentionem fecimus. Quoniam illæ ipsæ sæpiùs impressæ & in varias linguas translatæ fuerunt, credibile non est, quantum diffusa fuerit per orbem Catholicum fama eximiæ illius sanctitatis & admirandæ doctrinæ, adeò ut stupore abrepti fuerint viri sanctissimi doctissimique *s*, quorum prolixum catalogum texuit pater Hyacinthus Parpera Congregationis Oratorii in libro, cui titulus, B. Catharina Genuensis illustrata.

F *r* *s*

crevit, ac legitima declarata est, institutis processibus.

104 Cultus sanctæ huic Matronæ à principio impertitus constanter perseveravit, nulla umquam illius facta imminutione, imò multò ampliùs extensus fuit etiam apud exteras nationes. Videbantur ex omni parte homines pii magno numero concurrere ad venerandum sanctum ejus corpus, quod semper incorruptum permanet, publico conspectui expositum: unde post congruas postulationes auctoritate Apostolica cultus hujusmodi legitimus declaratus fuit die sexto Aprilis anno MDCLXXV. Verùm ejusmodi declarationibus

A. ANONYMO.

minimè contenti viri nobiles, qui præsunt moderamini majoris xenodochii civitatis Genuensis, consecuti sunt, ut causa Canonizationis illius introduceretur à sacra Rituum Congregatione, à qua obtentis variis favorabilibus rescriptis, tum ad inscriptionem nominis ipsius in Martyrologio Romano, tum ad celebrationem festivitatis ejus cum Officio & Missa propria, denique ab illa ipsa anno MDCCXXXII in examine heroïcarum illius virtutum adepti sunt favorabile decretum, postea ejus confirmationem Apostolicam obtinentes
t die XXX Maji anni supradicti *t*.

ANNOTATA.

a *In Commentario num.* 126 *& seq. geminum adduxi specimen insignis obedientiæ* S. Catharinæ, *quod ibidem vide.*

b *Vita Prolixior cap.* 50 *sic scribit:* Appetente autem hora sanctæ Communionis percipiendæ, innuit accersendum confessarium, qui intelligens ejus animum, ac nimis debilem metuens ad sacram Hostiam deglutiendam, dixit: Quomodo trajicies eam in stomachum? Illa læto
B vultu significavit, ne quidquam formidaret, & sic Pane cælesti refecta est: inde faciem induit hilarem ac rubicundam instar Seraphini, ostendens, se interiùs tam ingenti perfusam gaudio, ut id exteriùs etiam sese proderet. Viribus à sanctissimo Sacramento submini stratis, cœpit loqui: interrogata, quî potuisset illud sumere, respondit, se, dum in ore haberet, sensisse in corde: aliud præter venerabile Sacramentum non valebat percipere, nisi maximo cum cruciatu.

c *Ipsamet Sancta Dialogi sui part.* 1, *cap.* 21 *sic loquitur:* Conscenso tam sublimi perfectionis gradu, dixit spiritus: Non pronunciabo deinceps hanc creaturam humanam, videns ipsam, exstincta humanitate, totam in Deum transformatam. *Parte verò* 3, *cap.* XI *de iis, qui per divini amoris operationem se ipsis exuti sunt, ita scribit:* Si hujusmodi personæ (quæ raræ sunt in mundo) notæ essent, adorarentur in terris; sed Deus eas sibi ipsis & aliis occultat usque ad diem mortis: tum verum à falso discernitur.

d *Ita Sanctæ prædixerat Deus, ut ipsa testatur Dialogi part.* 2, *cap.* 6 *his verbis:* Causam (*inquit Dominus*) tanti cruciatus à te tolerandi
C meliùs te experientia quàm ratio docebit. Proinde noveris, me animæ tuæ corpus mutaturum in purgatorium; atque ita accumulo ipsi gloriam & ad me sine alio purgatorio eam traho.

e *De puritate, in articulo mortis animæ necessaria, Sancta Dialogi part.* 3 *cap.* 6 *pulchrè differit in hunc modum:* Ad obtinendam salutem non est via compendiosior, planior & securior hac nuptiali ac decora veste charitatis, quæ animæ tantam præbet fiduciam & magnanimitatem, ut se Deo præsentet intrepidè. Sed tempore mortis charitatis expers adeò est vilis & contemtibilis, ut potiùs omnem alium, quantumlibet tristem ac horridum, locum adiret, quàm coram Deo compareret: quùm enim Deus sit simplex ac purus, nihil in se aliud potest recipere, quàm purum & simplicem amorem, & quia Deus est mare amoris, in quo omnes Sancti abyssaliter sunt absorpti, impossibile est, ut vel minima imperfectio in id immergi queat. Unde anima charitate nuda, quando est separata à corpore (ita hoc intelligendum) sese potiùs demergeret in infernum, quàm coram illa puritate ac simplicitate se sisteret.

f *Antiquior biographus cap.* 50 *asserit, hanc* D
diaboli visionem Sanctæ oblatam fuisse pridie S. Bartholomæi circa horam septimam noctis. Hora autem noctis septima Romanorum ac Italorum passim provecto mense Augusto respondet circiter horæ nostræ secundæ noctis: Vigilia verò S. Bartholomæi passim ubique celebratur die 23 *Augusti. Itaque visio hæc videtur contigisse die potius* 24 *quàm* 23 *Augusti, conformiter ad disputata de die Sanctæ emortuali in Commentario num.* 133 *& seqq., quem, si lubet, consule.*

g *Vita prolixior cap.* 50 *sic habet:* Quæsitum, quidnam vidisset: respondit, jucundissima esse, sed planè ineffabilia.

h *Ex solis his Sanctæ verbis, etiam ab antiquiore biographo relatis cap.* 50, *corruit Bailleti hallucinatio, quam excussimus in Commentario num.* 95 *& seqq.*

i *Vita prolixior cap.* 51 *de Sanctæ obitu hæc scribit:* Obiit,...horâ noctis sextâ, paulò ante horam, quâ solebat sacram Communionem percipere. *At existimo, istud* paulò antè *accipi debere cum aliquot horarum latitudine: nam, ut vidimus in Commentario num.* 134, *hora noctis sexta apud Italos medio mense Septembri circiter respondet tempori, quo apud nos est quadrans ante horam primam noctis: non videtur autem mihi verisimile, Sanctam longo tempore, ut innuit verbum* solebat, *eâ horâ sacro Epulo refectam fuisse.* E

k *Vide dicta in Commentario num.* 132 *& seqq.*

l *Visionem hanc refert Vita prolixior cap.* 51, *additque, illam ex ea mirificè recreatam ac copiosa luce perfusam fuisse:* Unde, *inquit*, verba loquebatur divino amore flagrantia; sed & circumstantibus dixit; O quàm arcta via ambulanda, ut ad patriam cælestem absque obstaculo perveniatur! Conspexit enim viam hanc adeò angustam ac difficilem, ut præ terrore nesciret, quò se verteret, atque in hac anxietate totam illam noctem traduxit. Vidit etiam, quantum supplicii maneret animas, tempore sui è corpore egressûs non bene purgatas *&c.*

m *Recenset has visiones Vita prolixior cap.* 51, *& paulò fusiùs Parpera Vitæ, anno* 1682 *editæ, cap.* 112: *dabo illas §* 1 *Gloriæ posthumæ.*

n *Bailleti hac in parte crisis examinabitur in Gloria posthuma num.* 10 *& seq.*

o *Auctor Vitæ antiquioris cap.* 51 *ita scribit:* F
Post obitum inventum est totum ipsius corpus crocei coloris, qui initio tantùm circa cor visebatur, quod indicabat, divinum hunc ignem fuisse dilatatum, & paulatim totam sensitivam partem pervasisse. *Vide Gloriam posthumam num.* 9.

p *Scribit Arturus in Gynæceo, sacrum illius corpus tumulatum fuisse die* 18 *Octobris. Unde id didicerit, ignoro: nam neque biographus antiquior, neque Parpera in gemina Sanctæ Vitæ diem hunc* 18 *signant. Posterior scriptor cap.* 114 *Vitæ, anno* 1682 *editæ, in margine hos characteres adscribit* MDX Septembris XVII *: & in Beata Catharina illustrata part.* 1, *cap.* 1, *num.* 4, *ubi agit de codicillo, ad testamentum à Sancta adjecto, de ultimæ voluntatis* Catharinæ *declaratione facta à Carentio & Marabotto, deque sepultura Sanctæ in ecclesia majoris xenodochii, quæ declarationem hanc insecuta est, in margine item adscribit sequentia Italicè:* Codicill. MDX, XII Septembris in actis Gregorii Sacheri. Declaratio XVI dicti mensis. Manuale Cartularii hospitalis MDX 2 Octobris in pag. XVIII & IV. *Verùm nulli ex hisce characteribus Arturo favent.*

q *Vi-*

A q *Vita prolixior non nisi beneficium unicum refert: Parpera in Vita, edita anno 1682, aliqua alia commemorat, quorum primum illigat anno 1616: oportet ergò, ut ea prodigia, quæ generali nomine beneficii narrat antiquior biographus contigisse statim à Sanctæ excessu, vel litteris consignata non fuerint, vel temporum injuriâ perierint.*

r *Tempus, quo hæc vulgata fuerunt, aliaque huc spectantia vide in Commentario § 1.*

s *Nonnullos recensuimus in Commentario § 2*

t *Quæ toto hoc num. referuntur, elucidabuntur ampliùs in Gloria posthuma.*

CAPUT IX.

Miracula ad Sanctæ invocationem recenter impetrata: solemnis canonizatio.

B NOn est hujus loci enarrare sigillatim innumeras sanationes prodigiosas, quas ad Sanctæ hujus interventionem Deus operatus fuit, diuturno spatio ampliùs quàm duorum seculorum, quæ effluxerunt à sancto illius obitu usque ad solemnem canonizationem. Unde satis mihi erit referre ea, quæ recenter patrata sunt, ex quo anno MDCCXXIX, curante nobilium majoris xenodochii Genuensis ferventi studio, efficaciùs promoveri cœpta est hæc illius causa, legunturque relata in tabulas processuum, authenticis argumentis comprobata, ac demum sanctæ Sedis Apostolicæ approbatione confirmata.

xx. Miracula recenter perpetrata,

106 Maria Magdalena Rizzi circa annum MDCXIX *a* in xenodochio majore Genuensi ægritudinem contraxit cum crurum genuumque tumore & intolerando siniſtri lateris dolore: probatisque, sed inutiliter, omnibus, quæ ipsi applicata fuerunt, remediis, medicorum hæc fuit sententia, non posse illam ab hoc malo convalescere: unde inter immedicabiles collocata, miserrimam infelix vitam agebat, vi mali coacta jacêre immobilis, & alieno semper in omnibus operibus suis indigens auxilio. In eo statu permansit spatio annorum circitèr novem, cùm ultimo die Veneris Martii anno MDCCXXIX eo tempore, quo solito majori dolore opprimebatur, non tantùm quietem illi, sed insuper omnem cibi appetitum adimente, Sanctæ ferventer se commendavit, recitans semel in illius honorem Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam: ac mox in lenem somnum incidit, è quo non diu pòst libera & sana experrecta est, & semet vestibus induens sine mora è lecto prosiliit, & absque alterius auxilio vel sustentaculo pedes sese contulit ad visendum Sanctæ sepulcrum, actisque ei, quam insigniter beneficam experta fuerat, gratiis, potuit illicò, stupentibus omnibus, consuetis laboriosis exercitiis se applicare *b*.

inter quæ sanationes a

C

b

107 Ampliùs percrebuit fama miraculi, à Deo per magnæ hujus Sanctæ patrocinium patrati in persona nobilis puellæ Mariæ Franciscæ Xaveriæ Gentilis, quæ ab annis tredecim continuis decumbebat oppressa congerie malorum, quæ illam crebrò eò adduxerant, ut munita fuerit omnibus sanctis Sacramentis. Asthma, convulsiones, malum scorbuticum, attractionesque nervorum, quibus plantæ adstringebantur, erant infirmitates assuetæ,

tres subitaneæ

quibuscum conflictabatur, ad has adjectis frequenter periculosis symptomatibus. Demum ægræ, stimulatæ miraculis, quæ fiebant quotidie ad Sanctæ sepulcrum, animum subiit cogitatio valedicendi remedio omni humano, seque sincero corde illi commendandi, cùm speraret fore, ut certò sanitatem consequeretur, si modò succederet sacrum illud monumentum visitare. Quare die XXIII Martii anni MDCCXXXIV, contrà ac sentiebant domestici, & humanæ prudentiæ leges dictabant, dum curârat se vestibus indui & in sede reclinari, comitantibus, qui ipsi ministrabant, delata fuit ante corpus S. Catharinæ, unde, audito priùs Sacro fusisque ad eam ferventibus precibus, cùm domum reduceretur, observavit utique, conceptam spem non fuisse delusam. Vix enim ad porticum delatam cùm vellent bajuli de terra levare & inducere in cubile, nulla ratione id voluit permittere, sed ipsamet sese erigens, audacter gradus ascendere cœpit, & in ictu oculi sese ita liberam & sanam experta fuit, acsi numquam ægrotâsset, stupentibus parentibus nobilibusque consanguineis & amicis, qui ad miraculi famam ocyùs accurrerunt, ut de obtenta sanitate lætitiam cum ipsa participarent.

A. ANONYMO.

E

recensentur; pòst rigidum examen

108 Nullo ex capite inferior fuit subitanea Blanchæ Seminæ sanatio, quæ in tenera ætate delapsa de quodam gradu ædium suarum, mansit delumbis, & ad xenodochium delata, postquam inutiliter adhibuisset omne remedium diuturno viginti quinque annorum decursu, facta est paralytica, manumque dexteram adstrictam gerens, decumbebat assiduè, inepta per semet ad omnem operationem humanam. Hæc inaudiens miracula ad Sanctæ sepulcrum perpetrata, die secundo Aprilis anno MDCCXXXIV collocari se in sella gestatoria, & è xenodochio Incurabilium, in quo degebat, deferri jussit ad xenodochium Majus, ad visitandum sacrum corpus, ibique auditâ Missâ sumptâque reverenter Eucharistiâ, cùm pergeret Sanctæ se commendare exorandæ incolumitatis desideratæ gratiâ, ecce improvisò sponte surgit, perfectè se in pedes erigit, contractam manum extendit, attonitis ac stupefactis, quotquot similis miraculi spectatores adfuerunt.

à Sede Apostolica probatæ. Solemnis

F

109 Prænotata miracula rigido sacræ Rituum Congregationis examini subjecta, causæ ponente Eminentissimo Georgio Spinula, suffecto in locum Eminentissimi Josephi Renati Imperialis defuncti, applaudentibus dominis consultoribus, universaliter probata sunt, ac deinde falli nescio Pontificis Maximi oraculo confirmata anno MDCCXXXVII die V Aprilis, in quem opportunè incidebat ejus natalis *c*. Postmodùm coram Sanctitate sua habita denuò generali sacrorum Rituum Congregatione, in qua propositum fuit dubium, an, attenta relatorum miraculorum approbatione, tutò decerni posset solemnis canonizatio, definitum est securè id licere: quapropter Dominus noster, post imploratum divinum auxilium, die XXX suprà dicti mensis & anni optatum decretum tulit.

c

Catharinæ in Sanctorum Album relatio.

110 Decreverat jam regnans Pontifex Clemens XII insigni Matronæ nostræ, heroïca caritate præditæ, dispertire honores illos, quos Christi Vicarius ac legitimus S. Petri Successor tribuere solet iis, qui vita mirabili insignibusque ob eorum interventionem patratis prodigiis Ecclesiæ militanti suppeditârunt eximia sanctitatis exempla singulariaque beneficia, ut eos admirentur posteri ac imitentur: in eumque finem constituerat diem XV Junii anni MDCCXXXVII, Sanctis-

A. ANONYMO.

ctiſſimæ Trinitatis gloriæ conſecratum; quando, præhabitis ſolitis conſiliis, omnique eo, quod functioni tam ſacræ tantæque majeſtatis congruit, inſtructo apparatu, dicto die in illuſtriſſimo Cardinalium, epiſcoporum, legatorum, principum præſulumque conſeſſu viſa eſt veneranda majeſtas ejuſdem ſummi Pontificis, à quo, exſultante univerſa Roma, unà cum Vincentio à Paulo, Joanne Franciſco Regis, & Juliana de Falconeriis adſcripta fuit Sanctorum albo glorioſa vidua noſtra Catharina Fliſca Adurna Genuenſis.

ANNOTATA.

a *Error hic typothetarum eſt, ſcribendumque anno* 1719, *ut traditur in proceſſibus impreſſis, quæ penes me habeo, & colligitur ex infrà ſignato anno* 1729.

b *De hoc & duobus ſequentibus beneficiis plura dabuntur in Gloria Sanctæ poſthuma.*

c *Anonymo noſtro hæc ſcribenti præluxit haud dubiè decretum Clementis XII Papæ, quo tria ſuprà memorata miracula probata ſunt, & in quo ita lego:* Cùm ..... Sanctitas ſua, inhærendo ſuffragiis dominorum conſultorum, ... ac implorato priùs divino lumine, die v ejuſdem menſis Aprilis, ipſius natalitia, ac divo Vincentio Ferrerio ſacra, tria (*miracula*) in tertio genere approbaverit *&c., quæ verba in obvio & naturali ſuo ſenſu accepta, natalem* S. Catharinæ, *non Pontificis deſignare videntur. Ita tamen ſcripſit anonymus, ut apertè edicat, miraculorum iſtorum confirmationem à Pontifice factam eſſe ipſius Clementis XII natali: vox enim* Lui *ab ipſo adhibita maſculina eſt, inſervitque caſibus obliquis pronominis* Egli, ille: *ſicut vox* Lei *feminina eſt pro caſibus obliquis pronominis* Ella, illa, *quemadmodùm præter alia docet Lexicon academiæ Florentinæ,* della Cruſca *appellatæ. Exiſtimo igitur, typothetarum incuriâ hoc anonymi loco irrepſiſſe* Lui *pro* Lei: *conſtat enim ex libro, recenter edito Romæ pro continuatione Ciaconii, & in quo refertur Hiſtoria Vitæ Clementis XII, uſque dum ad ſummum Pontificatum aſſumptus eſt, eum non die* v, *ſed* VII *Aprilis natum eſſe, quod veriſimiliter non ignoravit anonymus noſter, ſcribens tempore Clementis XII. Porrò laudati Pontificis decretum illud ſeriùs conſului, cùm jam pars maxima Commentarii prævii ad* S. Catharinæ *Acta prelum ſubiiſſet: atque hinc factum eſt, ut de tempore natali & ſuprema Sanctæ ætate dubiè ibidem locutus fuerim num.* 32. *Legeram relegeramque ſæpiùs Vitam prolixiorem, ab auctoribus Sanctæ æqualibus conſcriptam, & in omnibus illius editionibus, quæ ad manus noſtras devenerunt, nec menſem, nec diem, imò nec annum, quo luci data eſt Sancta, ſignatum reperi. Parperæ deinde Lucubrationes conſului: is quidem annum ſupplevit, ſed menſem ac diem ſimiliter prætermiſit, qui tamen minutiora alia, inter quæ ſunt domus & platea ipſa, ubi primùm lucem aſpexit Sancta, annotavit: annum quoque, diem ac menſem initi contractus dotalitii adſcripſit. Scriptum etiam, cui titulus:* Factum concordatum, *ab Eminentiſſimo Georgio Spinula Clementi XII oblatum anno* 1737 *ita tantùm habet:* Catharina Januenſis primam hujus lucis uſuram aſſecuta eſt Januæ anno MCDXLVII. *Sed & ipſe Clemens XII in Bulla canonizationis, dandâ infrà in Gloria poſthuma, prætermiſſo die ac menſe natali, ſic dumtaxat loquitur:* Genuæ, ... Catharina nata eſt anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimo; *quæ tamen Bulla laudato decreto poſterior eſt, quod, ut jam monui, ſeriùs conſului, utpote pro ſolâ Sanctæ Gloria poſthuma utile illud exiſtimans. Cùm tamen decretum iſtud diem* v *Aprilis, tamquam verum Sanctæ natalem, deſignare videatur his verbis:* Die v ejuſdem menſis Aprilis, ipſius (*Sanctæ*) natalitia, *credere oportet, inſtrumentum aliquod, huic fidem faciens, Pontifici exhibitum fuiſſe in eaque hypotheſi de Sanctæ ætate paulò aliter ſtatuendum eſt in hunc modum: Juxta decretum, quo Clemens XII probavit miracula, nata eſt Sancta die* v *Aprilis, anno, ut Pontifex in Bulla & inſtrumenta mox laudata teſtantur* 1447, *mortua verò eſt anno* 1510 *die* XV *Septembris, ut oſtenſum eſt in Commentario num.* 132 *& ſeqq.; adeóque ſuprema illius ætas, in rigore loquendo, exceſſit annos tres & ſexaginta menſibus quinque, diebus decem, qui dicendi ſunt neglecti fuiſſe tum in Bulla, in quæ dicitur Sancta deceſſiſſe annum agens ſexageſimum tertium, tum in Officio ejus proprio. Atque hæc ad ampliorem elucidationem dictorum in Commentario num.* 32 *hîc obſervare non inutile duxi.*

B

C

D

E

F

GLORIA POSTHUMA.

§ I. Sanctæ gloria multis revelata: cultus ſtatim ab obitu inchoatus: ſepultura, variæque ſacri corporis, à corruptione immunis, tranſlationes.

Viſiones de Sanctæ

Biographus noſter anonymus Vitæ num. 101, *ſtatim à felici Sanctæ exceſſu gloriam illius & inter cælites aſſumptionem nonnullis revelatam fuiſſe, paucis verbis commemoravit. Biographus autem antiquior cap.* 51 *ait, par eſſe, ut credamus, animam* S. Catharinæ *beatis ignitorum cherubim ordinibus ſociatam fuiſſe:* Quùm enim, *inquit,* in hac vita perfectiſſimè per amoroſum ignem fuerit purgata, veritati conſentaneum eſt, Dominum ad iſtam excellentem dignitatem ac gloriam eam extuliſſe. Hoc, quia Catholicæ fidei non repugnat, credere à ratione non eſt alienum, maximè conſiderando principium, quando fuit divino amore fauciata, & progreſſum totius vitæ cum experimentis, multis annis in ipſius converſatione factis. *Utrique autem revelationi de ſancto* Catharinæ *obitu, ab anonymo breviter memoratæ, ſubdit antiquior biographus laudato ſtatim capite ſequentes:* Medicus quidam, ipſi addictus, è ſomno horâ obitûs ejus evigilans, audivit vocem ſibi dicentem: Vale, ego nunc ad cælum proficiſcor; qui ait uxori ſuæ; Domina Catharina modò defuncta eſt, quod poſtea verum comperit.

apud cælites gloria

2 *Pergit ibidem:* Alius eâdem horâ in oratione poſitus, vidit eam in nube candida euntem in cælum, & quoniam erat ſpiritualis ipſique admodùm devotus, tanta repletus eſt conſolatione & gaudio, ut videretur extra ſe raptus: procul quidem aberat, nihilominùs tam certus de morte ac gloria ipſius acſi præſens fuiſſet. *Parpera in Vita Sanctæ, anno* 1682 *edita, cap.* 112 *ait, credibile eſſe, revelationem hanc factam fuiſſe He-*

A *ctori Vernacciæ: quod ſi eſt, oportet is, præ animi demiſſione nomen ſuum in Vita prolixiore ſubticeri voluerit.* Quædam ſancta religioſa fœmina, *inquit laudato cap.* 51 *antiquior biographus*, conſpexit eam in ſomnis candida veſte amictam, in medio cinctam, & revelata eſt ipſi in ſpiritu unio ejus cum Deo, dixitque ad ſuam ſociam, ſe vidiſſe, animam dominæ Catharinæ migrantem in cælum: & manè ingenti gaudio (quandoquidem ipſi addictiſſima erat) de rei veritate certior facta eſt. *Parpera mox citato loco aſſerit, pro certo haberi, ſanctimonialem hanc fuiſſe Thomaſam Fliſcam, de qua alibi meminimus.*

multis oblatæ.

3 *Revelationum ſanctæ mortis narrationem ita proſequitur Vita prolixior:* Alia religioſa, illâ ipsâ horâ in ecſtaſi poſita, vidit hanc Dominam tanta pulchritudine & lætitiâ circumfuſam tantiſque deliciis affluentem, ut ſe in paradiſum tranſlatam putaret: fuit ab ipſa nominatim appellata multiſque ſalutaribus monitis inducta & præparata ad patienter ferenda amore Dei adverſa; quæ vitæ mutationem & propoſuit & inſtituit. Aſſeveravit, ſe frequenter ex hujus viſionis memoria conſolatione perfundi: unde majorem erga

B illam poſt obitum devotionem concepit, majoremque ipſi fidem adhibuit, quàm antea in vita, tametſi ei fuiſſet familiaris. Eundem in modum cuidam monachæ viſa eſt maximâ perfrui pace & gaudio: hinc tantam hauſit lætitiam & voluptatem, ut pænè exſpirâſſet, & ita multò certior reddita eſt in ſpiritu de ipſius cum Deo conjunctione, quàm ſi illam corporeis oculis conſpexiſſet. *Addit, multis aliis ejuſmodi favorem conceſſum fuiſſe, etiam procul exſiſtentibus, ac demum ita concludit:* Et à diverſis tot ſunt audita, ut omnia narrare nimis prolixum.

Quid Marabotto Sanctæ confeſſario

4 *Poſt hæc tum antiquior biographus eodem cap.* 51, *tum prolixius Parpera cap.* 113 *Vitæ, anno* 1682 *editæ, exponit ſpecialem certitudinem, quam de Sanctæ in cælis gloria, ejuſque, ut videbatur, martyrio accepit Marabottus, qui* Catharinæ *fuerat à ſacris confeſſionibus. Ignorabat is tota nocte, quâ Sancta obiit, & inſequenti die revelationes aliis factas, cùm, teſte laudato Parpera, licèt de* Catharinæ *beatitudine minimè ambigeret, imitaturus tamen exemplum S. Auguſtini, qui pro matris ſuæ ſalute preces fuderat, voluit pro* Catharina *Miſſam celebrare: ſed ſubdit Parpera, eum arcana quadam virtute impeditum fuiſſe, quo minùs Sacrum de defuncta diceret, interiúſque edoctum, ut occurrentem eo die Miſſam de pluribus Martyribus celebraret. Hæc tamen paulò aliter leguntur apud antiquiorem biographum in hunc modum:* Confeſſarius ejus illa nocte totoque ſequenti die nullam horum habebat notitiam: altero pòſt die Miſſam pro defunctis celebraturus, nunquam pro illa ſpeciatim poterat orare, ſed tantùm generatim. Inſequenti die occurrit ei, nihil de hac Beata cogitanti, Sacrum de pluribus Martyribus celebrandum. *Ipſe quoque Parpera Vitæ, anno* 1681 *editæ, cap.* 51, *ſic ſcribit, ut apertè antiquiori biographo conſentiat, celebratam fuiſſe Miſſam pro defunctis, licèt pro* Catharina *orare nequiverit ſpecialiter.*

C

contigerit tempore Miſſæ ſacrificii.

5 *Celebranti verò Sacrum de Martyribus quid acciderit, deſcribit Vita Latina Thanneri:* Ecce, *inquit*, dum inchoat Introitum, "Salus autem Ju„ ſtorum à Domino,„ totus fuit in ſpiritu commotus, repræſentato ſibi univerſo ipſius martyrio: quælibet verba à ſe prolata intellexit planè congruere eidem martyrio. Legens Epiſtolam, "Ju„ ſtorum animæ in manu Dei ſunt,„ cum Evangelio, "Attendite à fermento Phariſæorum,„ ſenſit ad ſingula verba cor ſuum devotione ac commiſeratione fauciari, coactuſque fuit tantam lachrymarum vim profundere, ut impoſſibile cenſeret cœptum Sacrum proſequi, nedum finire. Tale ac tantum martyrium limpidè contuitus & medullitus miſeratus, verba formare non poterat: fletibus autem ora rigans, ingentem percepit lætitiam ac voluptatem internam ex ordinatione divina & ejus requie. Omnes, qui Sacrum illud audiebant (erant autem multi ac B. Catharinæ devoti) non quibant lachrymas continere, adeò ut ipſemet confeſſarius obſtupeſceret. Sacro admodùm difficulter peracto, ſolus mediâ horâ compulſus fuit lachrymis indulgere, antequam paululùm rurſus exhilararetur. Ab eo tempore nihil ampliùs afflictionis ſenſit, atque in ſpiritu claram ſtabilemque notitiam retinuit atrocitatis martyrii hujus electæ Matronæ, & quidquid priùs corporeis oculis viderat atque diuturnâ experientiâ compererat, quaſi nihil ducebat reſpectu ejus, quod poſtea intellexit, è qua viſione (niſi Deus avertiſſet) præ dolore exſpirâſſet.

Sanctæ ſtatim poſt obitum cultus exhibitus.

6 *Si tot tamque manifeſtas de Sanctæ apud cælites gloria viſiones, multis oblatas, conſideremus: ſi memorata hactenus maximè heroïcarum virtutum exempla inſpiciamus, quorum tota civitas Genuenſis teſtis fuerat, minimè mirabimur, quòd, ut teſtatur anonymus noſter ſuprà num.* 101 *Vitæ, ſtatim à beato exceſſu omnis ætatis & conditionis homines confluxerint, ſacrum* Catharinæ *corpus veneraturi. Hinc etiam in ſcripto, cui titulus,* Factum concordatum, *oblato Clementi XII ita lego:* Statim ab obitu adeò fama ſanctitatis & miraculorum percrebuit, ut à prædicto anno MDX cultus, & quidem publicus, erga beatam hanc incœperit, & per centum & ultra annos abſque interruptione perduraverit. *Atque hæc de cultûs, Sanctæ mox à deceſſu ſuo impenſi, antiquitate nullum relinquunt dubium: videntur tamen Parperæ ætate nonnulli fuiſſe, qui ambigerent, licitumne eſſet,* Catharinam *noſtram cultu eccleſiaſtico honorare; ita enim in ſuprà laudatis ad Henſchenium litteris ſcribit:* Auctor (*libelli, cui titulum hunc Italicum facit;* Specimen invitationis ad venerationem B. Catharinæ Genuenſis) contendit probare, imò probat contra quorumdam piam formidinem, poſſe, imò debere vocari Beatam, non obſtante Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Urbani VIII, editâ anno MDCXXI. *Rationes autem ibidem adducit cultum immemorabilem, ſciente & tolerante ordinario, deque Eccleſiæ conſenſu* Catharinæ *impenſum &c.*

F

Corpus, in eccleſia xenodochii majoris ſepultum.

7 *Priuſquam cultûs Sanctæ incrementa, aliaque huc ſpectantia inveſtigemus, paucula ſubnecto de illius ſepultura. Parpera* Beatæ Catharinæ illuſtratæ *part.* 1, *cap.* 1, *num.* 4 *meminit gemini Sanctæ teſtamenti. Poſtremum conditum fuiſſe ſcribit anno* 1509 *die* XVIII *Martii, eoque ait præcepiſſe Sanctam, ut ſepeliretur extra civitatem in eccleſia S. Nicolao ſacra (vulgò dicta* de Boſcheto) *cùm tamen anteriore teſtamento, cujus ætatem non ſignat Parpera, declarâſſet, velle ſe mariti ſui tumulo inferri in eccleſia, cui inſerviunt Minores Obſervantes, dedicatâ Annuntiationi B. Mariæ Virginis, vulgò appellatâ,* Annuntiata de Portoria. *Cauſam, ob quam extra civitatem tumulari voluerit, ait Parpera, fortè hanc fuiſſe, ut declinaret honores, quos ſibi tribuendos facilè poterat prævidere, quique humili Sanctæ de ſe ipſa ſenſui repugnabant. Neutri teſtamento factum eſt ſatis, cùm, teſte ibidem Parpera, illuſtriſſimi pro-*

AUCTORE U. S.

tectores xenodochii majoris clàm curârint, codicillum à Sancta conscribi, quo sepulturæ locus permitteretur arbitrio Jacobi Carentii, tum xenodochii rectoris, & Catanei Marabotti. Codicillum autem hunc præsentibus protectoribus conscriptum ait die XII *Septembris anni* 1510, *die verò* XVI *ejusdem mensis & anni locum sepulturæ designâsse Carentium & Marabottum, ob quam declarationem Sancta in ecclesia majoris xenodochii sepulta fuerit: at quo determinato die incompertum est, ut vidimus in Annotatis ad caput* 8 *Vitæ, litter. p.*

insigni miraculo multis post mortem mensibus

8 *Biographus antiquior cap.* 52 *de Sanctæ sepulturæ sic scribit:* Corpus hujus Beatæ sepultum fuit in ecclesia hospitalis majoris urbis Genuensis,... & primò collocatum fuit in honesto sarcophago ligneo ad murum, sub quo erat aquæ ductus, qui tamen non est observatus. *Tempus, quo sacrum corpus in eo tumulo jacuit, ibidem dicitur fuisse mensium octodecim, post quos placuit Deo insigni prodigio Ancillæ suæ sanctitatem declarare. Teste Parpera in Vita, anno* 1682 *editâ, illustrissimi protectores xenodochii majoris, adjuti piorum eleëmosynis, construxerunt*
B *sepulcrum è marmore, picturis ornatum, ut in eo decentiùs collocaretur Sanctæ corpus.* Postea, *inquit antiquior biographus mox laudato cap.* 52, difruptum est monimentum & sarcophagus apertus, in quo propter humiditatem aquæ multi vermes sunt generati, atque in stupa, quæ erat in sarcophago, fuerunt non pauci albi & grossi, sed ne unus quidem ad sacrum corpus adrepserat, quod inventum est integrum à capite ad pedes usque prorsus illæsum, carne partim tam palpabili, acsi desiccata esset, non consumpta.

integrum & illæsum reperitur. Bailleti

9 *Eodem capite describitur ingens populi venerationis ergò concursus ad sacrum corpus, quod necesse fuit totos dies octo palàm exponere; at, cùm pio furto sublatus ex eo fuisset unguis, in sacrarium quoddam reclusum fuit, ne contingi posset amplius; dein ita subditur:* Nemo non mirabatur, cernens omnes telas, quibus cinctum erat sacrum corpus in monimento, unà cum sarcophago ligneo esse putridas & corruptas, corpus verò incorruptum atque inviolatum. Cutis circa cor etiamnum erat rubicunda in signum igniti amoris, qui in eo arserat, reliquum corporis crocei coloris erat, ut suprà (*cap.* 51) dictum;
C adeò ut quilibet expressè animadverteret, id totum esse opus divinum. *Obiter hìc observandum, quòd, cùm, teste biographo antiquiore in Annotatis ad cap.* 8 *Vitæ, litter. o laudato, post obitum totum corpus inventum fuerit crocei coloris, qui, dum vivebat Sancta, tantùm circa cor visebatur; in hac prima translatione pars corporis ambiens regionem cordis reperta fuerit rubicundi, reliquum autem corpus crocei coloris, Deo in Sanctæ gloriam prodigia sua multiplicante. Præmissam autem ex cap.* 52 *narrationem Bailletus in Sanctæ Vita ita ferè excipit Gallicè: Tum recordabantur, ultimo ægritudinis suæ mense præcepisse Sanctam, ut post obitum aperiretur corpus suum, atque asseruisse, inveniendum cor suum totum ex amore combustum; illud ipsum tamen exsecutioni mandare ausi non sunt, metuentes, ne vel eventus prædictionis veritatem comprobaret, vel falsitatem argueret.*

censura, de causa non aperti

10 *Bailleto priusquam respondeo, juverit biographi verba recensere. Ita habet Latina Thanneri editio cap.* 52: Hæc sancta Anima multis mensibus ante obitum, ob ardentem ignem, quo flagrabat, præcepit post mortem corpus suum aperiri & cor inspici, id inventum iri totum a- D
more exustum. Sentiebat, in eo visendum signum aliquod & manifestum indicium, sicut legitur de S. Ignatio ac multis aliis, præcipuè de B. Clara de Monte Falcone: nihilominùs amici non ausi sunt hoc attentare. *Observa hìc primò, lector, à biographo dici, Sanctam hoc præcepisse* multis ante obitum mensibus: *contrà Bailletus id contigisse ait*, ultimo mense *morbi* S. Catharinæ. *Biographus dumtaxat scribit, amicos ausos non fuisse præstare, quod mandatum erat: Bailletus autem, quâ, nescio, auctoritate, asserit, Sanctæ jussioni satisfactum non esse præ timore, ne vel eventus prædictionis veritatem ostenderet, vel falsitatem argueret.*

post mortem corporis, retunditur.

11 *Unde, amabo, id didicit vir ille criticus; an fortè legitimam putavit hanc sequelam:* Ausi non sunt; ergò præ timore, ne *&c. Nullus id sanè dialecticæ tiro agnoscet. Quomodo in sanum cerebrum incidere potuit, ita arguere: Ausi non sunt, ne eventus vel prædictionis veritatem osteuderet vel falsitatem? Etenim si Sanctæ mandato obsecuti, deprehendissent, vera eam prædixisse, non poterat non in majorem Sanctæ commendationem & gloriam redundare: sed nec jure videntur* E
mihi metuere potuisse, ne prædictioni falsum subesset; tot enim alios singulares Dei erga Sanctam favores conspexerant, ut meritò persuasum habere possent, & illo donatam fuisse. Unde rectiùs scripsit Marianus Grimaldus in Sanctuario suo Genuensi, anno 1613 *Genuæ vulgato, Sanctum corpus apertum non fuisse* præ reverentia: *meliùs anonymus noster Vitæ suprà num.* 102 *scripsit, æquum visum non fuisse, ut incisioni subderetur corpus, quod post obitum molle etiamnum ac flexibile, videbatur vivere, conservabatque cælestium donorum indicia. Verùm nugas has à Bailleto inconsideratè motas mittamus, animumque ad alia convertamus, quorum utilior est discussio.*

Recensentur variæ sacri corporis

12 *De sacri corporis in novum tumulum marmoreum translatione hæc habet Vita prolixior cap.* 52: Dehinc sacrum illud corpus in eminenti sepulchro marmoreo ecclesiæ hospitalis conditum fuit: at propter frequentiam & importunitatem hominum, id visitantium, postea in humiliori loco honorificè tumulatum; ubi integrum perseverat usque in hunc annum MDLI, *quo scilicet, ut dictum est Commentarii prævii num.* 10, *primùm prelo vulgata est* S. Catharinæ *Vita. Porrò licèt temporis ratio aliter postulare videatur,* F
visum tamen est reliqua, quæ sacri corporis in decentiorem locum aut pretiosiorem urnam illationem spectant, unum hìc sub aspectum subjicere. Parpera in Vita Sanctæ, anno 1682 *edita, cap.* 114, *num.* 7 *scribit, anno* 1593 *à protectoribus xenodochii, cùm desiderarent, tanti pretii thesaurum viciniore ac securo magis loco collocare, supra arcum quemdam ejusdem ecclesiæ erectum fuisse tumulum insignem cum hac inscriptione, marmori incisa:* Quod tamdiu incorruptione Deus illustravit beatæ Catherinæ Adurnæ Genuensis, à Fliscorum familia oriundæ, corpus &c., hujus xenodochii protectores diutiùs obscuro lapide tegi, non passi sunt. A. D. MDXCIII.

in decentiores tumulos translationes.

13 *Laudatus Parpera ibidem asserit, anno* 1642 *in elegantiorem arcam deauratam Sanctæ Viduæ corpus translatum fuisse cum hac similiter inscriptione:* Beatæ Catherinæ Flisc æ Adurnæ incorruptum corpus ex arca, vetustate ferè collabente, in hanc elegantiori forma auroque ornatam transferendum curavere &c protectores, decreto manu Jo. Benedicti Grittæ cancell. Ann. Sal.

MDCXLII.

A MDCXLII. *Eo in tumulo videtur requieviſſe ſanctum corpus uſque ad annum* 1692, *quo, ut liquet ex ſcripto, cui titulus,* Factum concordatum, *ſacra Rituum Congregatio, id flagitantibus, qui Sanctæ canonizationem promovere conabantur, permiſit die* XVII *Maji, ut Beatæ corpus ex urna lignea amoveretur, collocareturque in alia argentea, cryſtallis ornata, ut ab intuentibus conſpici poſſet, quam facultatem die* XXI *ejuſdem menſis & anni Innocentius XII Pontifex Maximus probavit, ut ibidem legitur. Poſt hæc laudatum ſcriptum addit ſequentia:* Et inſuper cùm veſtes, quibus tegebatur ejuſdem Beatæ corpus, eſſent attritæ, ad enixas dictorum poſtulatorum preces ſacra Congregatio indulſit die XXVIII Aprilis MDCCIII, ut corpus, non expoliatum veteribus, poſſet ſuperveſtiri novis ac decentioribus veſtibus. Indeque ad novas ſupplicationes indulſit, ut poſſet etiam expoliari die IV Auguſti MDCCVIII, annuente ſan. mem. Clemente XI die XXV ejuſdem menſis. *Atque hæc ſunt, quæ de tranſlationibus corporis* S. Catharinæ *in novos decentioreſque loculos, litteris conſignata reperi.*

B

§ II. Quid Julius II ſenſerit de S. Catharina? Proceſſus pro ejus canonizatione inſtituti: cultus immemorabilis probatus: conceſſum Officium & Miſſa.

Julii II de Sancta exiſtimatio.

PRater ea, quæ num. 6 *dedi de antiquitate legitimi* S. Catharinæ *cultus, probat inſuper Parperæ, licitam fuiſſe ipſius venerationem ex eo, quòd decem & octo ab obitu menſibus ſaltem vivæ vocis oraculo Beatis adſcripta fuerit à Julio II Pontifice, tunc Romanam Cathedram occupante, idque in laudata ad Henſchenium epiſtola gravibus argumentis conſtare aſſerit. Idem ferè tradit in Beata Catharina illuſtrata part.* 1, *cap.* 10, *num.* 2, *aitque Julium II juxta Pii II exemplum gaviſum fuiſſe, quòd concivem ſuam Beatæ titulo poſſet condecorare. Verba Pii in Bulla canonizationis S. Catharinæ Senenſis in Opere noſtro tom.* III *Aprilis pag.* 975, *num* 34 *hæc ſunt:* Dilata eſt res uſque ad tempora noſtra, ... ut Senenſis virginis ſanctitas, decreto Senenſis hominis in Romana Sede ſedentis prodiret in lucem: *quæ verba paululùm immutata, veluti à Julio II adhibita, ſic refert Parpera:* Ut Genuenſis Mulieris ſanctitas decreto Genuenſis hominis in Romana Sede ſedentis prodiret in lucem. *Illud certè Julii II factum non poterat non multùm conferre ad promovendam apud Apoſtolicam Sedem* S. Catharinæ *cauſam; nullam tamen illius mentionem reperi in inſtrumentis canonizationis, quæ nacti ſumus. Porrò obſerva, Julium II Savonæ natum eſſe, quæ urbs eſt Liguriæ in ora occidentali Genuenſi ſub ejuſdem reipublicæ dominio, teſte Baudrando in Lexico geographico.*

Proceſſus pro canonizatione inſtituti:

15 *Parpera in eiſdem ad Henſchenium litteris aſſerit, completo ante decreta Urbani VIII centum annorum numero, conſtructum fuiſſe anno* 1630 *proceſſum poteſtate archiepiſcopi Genuenſis, & anno* 1636 *proceſſum alterum auctoritate delegata: in priore ait probata eſſe omnia, quæ in Hiſtoria Vitæ enarrantur, cùm admiranda ſacri corporis incorruptione miraculiſque nonnullis tum recentibus: in ſcripto autem, cui titulus eſt* Factum concordatum, *quodque eo nomine impoſterum laudabo, dicitur proceſſus hic ſacræ Rituum Congregationi oblatus fuiſſe anno* 1631, *commiſſâ Eminentiſſimo Cæſarino cauſâ; ibidem autem ſic additur:* Anno MDCXXXII die X Januarii ſupplicârunt pro expeditione Literarum remiſſorialium in genere tantùm, quæ dilata fuit ad diem XXIV Maji MDCXXXVI in qua ſuprà dictus Urbanus VIII mandavit expediri commiſſionem in forma. Confecto proceſſu ſuper virtutibus & miraculis in genere, ſiluit cauſa uſque ad annum MDCLXX &c. *Laudatis ſtatim Parperæ litteris Papebrochii manu hæc adſcriptæ lego:* Reſpondi XIII Junii, deſcriberetur primus proceſſus, & ex ſecundo, quantum ſatis. *Nullum tamen inter Muſei noſtri notitias reperire potui, veroſimiliter, quòd Papebrochii voto ſatisfaciendum non putârit Parpera, in alia ad Papebrochium epiſtola reſcribens, Vitam Latinam continere omnia in proceſſibus contenta. Vide Commentarii prævii num.* 12 *ſub finem.*

cultus Catharinæ immemorabilis

16 *Rationes ob quas Sanctæ cauſa ab anno* 1631 *in ſacram Congregationem introducta, confecto etiam auctoritate Apoſtolica proceſſu anno* 1636, *dilata fuerit uſque ad annum* 1670, *nuſpiam legi. Teſtatur Factum concordatum mandato Clementis X die* XXI *Julii* 1670 *cauſam denuò aſſumptam fuiſſe, ſucceſſivè in cauſæ Relatores ſubrogatis Eminentiſſimis Cardinalibus Celſo, Gualterio, Ghiſio & Azzolino, ac denique die* XXX *Martii anni* 1675 *prodiiſſe ſacræ Congregationis decretum, quo declaratum eſt, conſtare de caſu excepto à decretis Urbani VIII, confirmataque archiepiſcopi Genuenſis ſententia de cultu immemorabili* S. Catharinæ, *quæ omnia judicio ſuo falli neſcio probavit Clemens X die* VI *Aprilis ejuſdem anni. Si Parperæ in Beata illuſtrata part.* 1, *cap.* 12, *num.* 2 *credimus, ea opportunitate Clemens X mutuatus eſt verba Sixti V, Pontificis pariter Maximi, in Bulla canonizationis S. Didaci, quæ, ut leguntur apud Parperam loco laudato, hîc ſubjicio.*

probatus à Clemente X.

17 Ad ejus ſacellum, ut conſtat, non ſolùm Genuenſes cives, ſed vicini & remotiores populi, atque ex omni ferè Eccleſia fideles, tanta devotione confluunt, tam multi beatæ hujus Matronæ opem apud Deum implorant, tot Sacrificia in eadem ejus eccleſia celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratiâ offeruntur, ut hæc de beatæ Catharinæ ſanctitate, non exigui temporis, tamquam rumoris aurâ, ſed per annos centum ſexaginta quinque & ampliùs, conſtans & perpetua fama & opinio, tantuſque illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus, magni profectò & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit ad beatæ Catharinæ ſanctimoniam comprobandam. Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis Mulier commemorabili ſanctitate prædita claruit. *An re veræ hæc à Clemente X, cultum* S. Catharinæ *immemorabilem probante, prolata fuerint, an verò tantùm adhibita à Parpera ad ornatum Hiſtoriæ ſuæ, non inquiro. Hoc certum, ex centum ſexaginta quinque completis annis ab obitu Sanctæ deficere menſes quinque ac dies aliquot, ut apparebit ineuntì computum à die* XV *Septembris anni* 1510, *quo deceſſit Sancta, uſque ad diem* VI *Aprilis anni* 1675, *quo Clemens X hoc elogio Sanctam proſecutus fuiſſe dicitur, Obſerva inſuper, non rectè à Par-*

AUCTORE U. S.

E

F

AUCTORE U. S.

Parpera id adscribi Clementi IX, qui è vivis excessit anno 1669, *& quo Romanam Cathedram occupante, causam siluisse vidimus. Error autem hic, quo Clemens IX pro X scribitur, typothetarum oscitantiæ adscribi potest, itáque statuendum de Lectione* III *Officii proprii* S. Catharinæ *infrà mox recitanda.*

Officio ecclesiastico, prius de communi,

18 *Cultu Sanctæ immemorabili approbato à Clemente X; ab Innocentio verò XI, ut dictum est in Commentario num.* 20, *probatis, ut ulteriùs procedi posset, conscriptis à* Catharina *Operibus, teste Facto concordato*, supplicaverunt postulatores pro concessione Officii & Missæ in honorem dictæ beatæ Catharinæ, &, referente clar. mem. Cardinali Imperiali, subrogato in causæ ponentem loco clar. mem. Cardinalis Julii Spinulæ olim defuncti, Sacra Congregatio die XIII Septembris MDCCX censuit, posse concedi Officium de Communi nec Virginum nec Martyrum pro ecclesia hospitalis majoris Januensis, nuncupati de Pammatone sub ritu duplici, & pro civitate tantùm Januensi sub ritu semiduplici; cui resolutioni idem (*utpote qui permiserat novis vestibus sacrum corpus indui*) Clemens XI annuit die XIX Decembris ejusdem anni. *Clemens verò XII, benignè admissis serenissimæ reipublicæ Genuensis precibus, die* VI *Martii anni* MDCCXXXIV *concessit, ut Lectiones propriæ pro secundo Nocturno Officii, approbatæ die* XIX *Maii anni* MDCCXXXIII *pro civitate ac diœcesi Genuensi extenderentur ad totum dictæ reipublicæ dominium.* Tandemque, *inquit Factum concordatum*, die XIV Maii MDCCXXXV Sacra Congregatio, annuente Sanctitate Vestra (*Clemente XII*) die XVII ejusdem mensis approbavit Officium proprium unà cum Hymnis & Antiphonis ac Missam pariter propriam. *Hæc porrò omnia, prout in Summario leguntur, hîc visum est subjicere.*

B

Deinde cum Lectionibus

19 LECT. IV. Catharina Genuensis, parentibus Jacobo de Fliſco, & Franciſca de Nigro, antiqua nobilitate conſpicuis, in lucem edita, teneram ætatem inter adultæ pietatis exercitationes exegit. Nam caſtigando corpore intenta, vix octennis in ſtramento, lignis capiti pro pulvinari ſuppoſitis, ſomnum carpebat. Pueriles nugas averſata, & ab omnibus mundi deliciis abhorrens, in Chriſti cruciatibus jugi meditatione recolendis tota fuit. Eo ſtudio incenſa in monaſterium ingredi expetebat. Sed immatura ætas pium Puellæ deſiderium interpellavit. Interea parentes invitam Juliano Adurno, nobili viro, deſpondent; à quo tam aſperè & duriter habita eſt, ut quinquennium domi luctu, triſtitiâque tabeſceret, donec tædio ac mœrore confecta, à priſtina ſeveritate deflexit. Frigeſcente autem charitate, ne ad ulteriorem vitæ licentiam prorueret, inſigni miſerentis Dei beneficio factum eſt. Cùm enim ad pii ſacerdotis pedes provoluta, ejus ſe precibus commendaret, repentina mutatione dexteræ Excelſi, ac ſubito ſancti Spiritus igne correpta, amoris in ſe divini clementiam, potentiamque admirans, & exclamans, fateri ac prædicare cœpit.

C

pro secundo Nocturno

20 LECT. V. Inde domum reverſa, Chriſtum conſpicere ſibi viſa eſt ſanguine toto corpore diffluentem, qua ſpecie ſibi divinitus oblata in contemptum, atque odium ſui vehementer exarſit. Membra cilicio domabat. Jejunium ita coluit, ut per annos tres & viginti Ferias Adventûs, & Quadrageſimæ tranſegerit ſolo Euchariſtiæ pabulo refecta, amariſſimo tantùm uſa potu ad ſitim reſtinguendam. Producebat orationem ad plures horas, tantoque divini amoris incendio conflagrabat, ut in corpus quoque ardor erumperet. Maxima erga proximum ferebatur charitate; infirmis enim in magno noſocomio incredibili ſedulitate miniſtrabat, ſumptibus liberaliter erogatis; abjectiſſima quæque officia libenter obibat, tabida etiam ægrotantium ulcera aliquando exoſculata. Injurias, contumelias Mulier verè fortis alacri animo excepit; aſſiduiſque corporis, animique doloribus penè confecta, cruciatuum Chriſti particeps fuit. D

propriis, permittente

21 LECT. VI. Tot, tantiſque heroïcæ fortitudinis, & patientiæ probatam experimentis, atque in agone Chriſtianæ perfectionis egregiè meritam, uberi beneficiorum copia Dominus cumulavit. In diuturnas, & frequentes extaſes rapta, & cæleſtibus illuſtrationibus, Superùmque apparitionibus, & colloquiis dignata, arcana Dei intelligere meruit, & fidei myſteria Scriptis præclariſſimis confirmare. Prophetiæ dono claruit, abditos animorum ſenſus perſpexit. Perditi hominis converſionem, & tranquillam conjugis mortem, & æternam utriuſque beatitudinem obſecrationibus à Domino impetravit. Annò igitur ætatis ſuæ tertio & ſexageſimo extremo morbo oppreſſam, & Chriſto confixam cruci, atque ad fontem æternæ felicitatis anhelantem, ſacra die Exaltationis ſanctæ Crucis (*vid. Comment. num.* 134) ex vitæ hujus angoribus Dominus evocavit. Præclara verò fuerunt de Catharinæ virtutibus doctorum, ſanctorumque virorum præconia, ſummorum quoque Pontificum oraculis comprobata. Cultum illius immemorabilem aſſeruit Clemens IX; Clemens verò XI ejus memoriam Miſſa, & Officio Beatarum Mulierum celebrandam conceſſit. E

Clemente XII coli cœpta.

22 *Porrò ut monui hîc num.* 17, *corrigendus in Lectione* VI *typothetarum error, quo scribitur Clemens IX cultum Sanctæ immemorabilem asseruisse, cùm id factum sit à Clemente X. In Officio autem* S. Catharinæ, *à Clemente XII concesso, præter jam recitatas Lectiones propria sunt, quæ sequuntur.* ORATIO. Deus, qui B. Catharinam in contemplanda Filii tui paſſione divini amoris igne flagrare feciſti; quæſumus, ut, ipſa intercedente, tuæ in nobis flammam charitatis accendas & ejuſdem Paſſionis participes dignanter efficias. Per eundem Dominum *&c. Ad Veſperas Capitulum proprium, deſumptum eſt ex* CANT. VIII, 7: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. F

Præter nonnulla alia ad Veſperas,

23 *Hymnus quoque ad Veſperas proprius in laudato Summario hic ſignatur:*

Summis ad aſtra laudibus
Tollamus omnes Fæminam,
Quæ ſanctitatis gloriâ
Auget decus Liguriæ.
Beata! cujus intimo
Latêre neſciens ſinu,
Foris inundat charitas,
Totiſque membris æſtuat.
Menſes per anni circulum
Jejuna plures tranſigit,
Solo angelorum pabulo
Vitam labentem ſuſtinens.
Deo Patri ſit gloria
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit ac Paraclito
In ſempiterna ſecula. Amen.

Antiphona verò ad MAGNIFICAT *hæc legitur:* CANT. VIII, 6. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum,

A tuum, quia fortis est, ut mors, dilectio, dura, sicut infernus, æmulatio. ℣. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

Matutinum, 24 *Matutinum præter Lectiones Orationemque jam recitatas proprii nil habet, nisi Hymnum sequentem:*

Dum mente Christum conspicit
Membris fluentem sanguine,
Ardore pectus intimo
Sentit repentè corripi.
Hinc sancto amore saucia,
Terrena cuncta despicit;
Adversa fert alacriter,
Patique quærit unicè.
Mox & flagellis conterens
Artus rebelles jugiter,
Christi dolorum particeps
Crebrò meretur effici.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna secula. Amen.

et Laudes Hymni proprii; 25 *In Laudibus etiam præter Orationem, Capitulumque pro primis Vesperis jam assignatum Hymnus hic præscribitur:*

Turbam jacentem pauperum,
Quam dirus angor opprimit,
Ceu membra Christi languida,
Matrona clemens consovet.
Opes, opemque conferens,
Vilique fungens munere,
Persternit illis lectulos,
Sordesque purgat sedula.
Quo quisque plagis fœdior,
Huic illa servit promptior,
Tabem nec horret ulcerum,
Horrere nescit charitas.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna secula. Amen.

In secundis autem Vesperis omnia recitantur, sicut in primis.

& Missa recensetur. 26 *Missa tenoris est, qui sequitur:* INTROITUS. PSALM. XLI, 2. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? PSALM. ibid. III. Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat C anima mea ad te Deus. ℣. Gloria Patri. ORATIO. Ea, quæ jam approbata fuit à sacra Congregatione. EPISTOLA. Ut in communi. GRADUALE. PSALM. LXXII. 25, 26. Quid mihi est in cælo? Et à te quid volui super terram? PSALM. ibid. Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Alleluia. ℣. PSALM. XXXVIII. Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis. Alleluia. EUANGELIUM. Ut in communi. OFFERTORIUM. PSALM. CVII, 2. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam in gloria mea. Alleluia. SECRETA. His Sacrificiis quæsumus, omnipotens Deus, propitiatus intende, &, beata Catharina intercedente, spiritum in nobis tuæ dilectionis accende. Per Dominum. COMMUNIO. PSALM. LXXXIII, 3. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Alleluia. POSTCOMMUNIO. Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficere dignatus es Sacramentis, intercedente beata Catharina, tribuas pro tui amore terrena despicere, & cælestium semper participatione gaudere. Per Dominum.

27 *Observa interim, lector, quòd, cùm in præmissis ex Summario nonnulla legantur, quæ manifesta sunt prelo vitia, ea emendatiùs scribenda censuerim. Fuit autem primùm recitando S. Catharinæ Officio & Missæ deputatus dies* XXII *Martii, ut liquet ex laudato Summario: cúmque ob occurrentes festivitates alias sæpe accideret, ut eo die Sanctæ memoria celebrari non posset, postulatum fuit à Sacra Congregatione, ut transferri posset Officium & Missa à dicto die* XXII *Martii ad Feriam* V *post Dominicam secundam Resurrectionis Domini: rescriptumque fuit à Sacra Congregatione, transferri posse ad diem aliam ab archiepiscopo Genuensi designandam, approbante Clemente XII, qui etiam ob enixas reipublicæ Genuensis preces die* VI *Martii* 1734 *permisit, ut Sanctæ nomen inscriberetur Martyrologio Romano cum elogio sequenti:* Januæ beatæ Catharinæ viduæ contemptu mundi & charitate in Deum insignis, *prout etiam factum est in novissima laudati Martyrologii editione, auctoritate Benedicti XIV Pontificis feliciter regnantis facta, in qua leguntur præmissa ad diem* XXII *Martii. Porrò reliqua, quæ solemnem* S. Catharinæ *canonizationem præcesserunt quæque tum in Summario tum in Facto concordato recensentur, hic adnectere supervacaneum duxi, maximè cùm in ipsa Clementis XII Bulla abundè commemorentur: hanc igitur subjicio, prout legitur in eximio Opere Benedicti XIV Pontificis Maximi de Canonizatione Sanctorum tom.* I, *Appendice* 3 *à pag.* 353 *ad* 361 *editionis Patavinæ.*

AUCTORE U. S.

Festi translatio: Sanctæ nomen Martyrologio Romano inscriptum.

E

§ III. Catharina Sanctis solemniter adscribitur à Clemente XII, cujus Bulla recensetur.

Ecclesia exsultat triumphis Sanctorum,

CLemens Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Gaudet & exultat Romana Catholica Ecclesia suorum filiorum læta victoriis, qui telis quidem sæcularibus nudi, sed divina virtute armati, adversùs blandientis mundi insidias, vel frementis infernalis hostis impetus, vel sæcularium turbinum minas spe F vivida, mente incorrupta, constanti fide, caritate ferventi fortes, & stabiles in acie steterunt, & bonum certamen, certamen cæleste, certamen spiritale, prælium Christi decertârunt, glorioſum cursum consummârunt, immarcessibilem coronam de manu Dei meruerunt. Gloriatur igitur, & meritò gloriatur pia mater Ecclesia fortitudine martyrum, constantiâ pœnitentium, viduarum pietate, castitate virginum & cæteris præclaris suorum fidelium virtutibus, qui spectaculum facti mundo & angelis & hominibus, militantes fortiter, & constanter dimicantes in se ipsis exhibuerunt supernæ prodigia virtutis. Infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortiora, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret. Omnipotens enim Dei virtus in servorum infirmitate clarescit, & supernæ dignationis splendor, quo servos illustrat, in Ecclesiæ refunditur honorem, quæ illos salutari lavacro spiritaliter peperit, doctrinæ lacte aluit, sacrarum Scripturarum roboravit eloquiis, Sacramentis armavit ad pugnam, hortamentis perduxit ad coronam.

29 Itaque quò inimicorum major est impe-

BULLA CLEMENTIS XII. *quorum à conditionis imbecillitate illustrior est victoria.*

tus, sævior pugna, longius certamen, pugnantis autem infirmior ætas, sexus imbecillior, eò magis crescit vincentis meritum & laus, & amantissimæ Matris gaudium & gloria, quæ Sanctorum recolens triumphos, eorum exhilarata laudibus, & potenti confisa patrocinio, quotidianas, quas ab ingratis accipit filiis, solatur injurias, & assiduas abstergit lacrymas, quibus funera plangit & ruinas plurimorum. Benedictus Deus, qui non continet in ira misericordias suas, & Ecclesiam suam quotidie non desinit divinæ gratiæ prodigiis, & gloriosis Sanctorum victoriis consolari. Cujus consolationis Nos, quos nullis nostris meritis universalis Ecclesiæ regimini præficere dignatus est, inter assiduos tribulationum, & adversitatum fluctus, quibus pro peccatis nostris graviter vexamur, participes esse voluit in beata Catharina Genuensi, quæ fortis illa mulier fuit, quam inventu difficilem Scriptura edixit, & cujus constantis animi fortitudinem, cælestibus auxiliis roboratam, nec infernalis hostis impetus, nec multarum tribulationum inpulsus quatere potuit, & ab illo avertere, quod in sublimitate mentis suæ altissimè conceperat, proposito sanctitatis.

B

Recensentur Sanctæ virtutes, ut aliis sint exemplo.

30 Nam per gratiam Spiritus sancti naturæ usum & sexûs infirmitatem transgressa, accincta robore, & in spiritu ambulans desideria carnis non perfecit, sed in divina caritate altiùs fixis radicibus, & domicilio suo super petram robusta mole solidato firma & inconcussa ad infernales incursus, & ad procellas & turbines sæculi stetit, ut ad Dei munera, per divina præcepta fortiter pergens, feliciter perveniret. Hanc igitur hodierna die, servatis de more solemnibus, in sanctarum Viduarum numerum ab omnibus fidelibus colendam auctoritate cælitus nobis impertita retulimus, & ideò ejus piè, sanctéque res gestas, præclarasque virtutes breviter exponemus, ut earum commemoratione dolorem cordis nostri, & pectoris nostri angustias leniamus, & fideles omnes ad fugienda mundi hujus blandimenta, sequendasque virtutes præclaræ hujus Viduæ exemplo provocentur. Experientia enim docente, quotidie edisscimus, humanam infirmitatem in stadio virtutum decurrendo exemplo ampliùs, quàm præceptis proficere; quoniam nec difficile, quod jam factum est, æstimatur, &

C

utile, quod probatum, & religiosum, quod hereditario quodam paternæ virtutis usu in nos est successione transfusum.

A teneris pietati & rebus divinis vacat:

31 Genuæ, quæ celebris est in Liguria civitas, & totius Genuensis reipublicæ caput, Catharina nata est anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. Patrem habuit Jacobum Fliscum, proregem regni Neapolis, quem à Roberto fratre felicis recordationis Innocentii IV Prædecessoris nostri genus duxisse tradunt, & matrem Franciscam de Nigro, sanguinis vetustate nobiles, sed longè prole ipsa nobiliores, quæ splendorem generis virtutum præstantiâ, quæ sola apud Deum nobilitas est, superavit. Vix enim usu rationis potita, & octavum ætatis suæ annum attingens, amore erga Deum, erga parentes obsequio, erga se ipsam contemptu, eximiis virtutum argumentis ad futuram sanctitatem præluit. Etenim, Spiritu sancto instruente, edocta Christianam sapientiam esse scire Jesum Christum, & hunc Crucifixum, frequenter in Christi patientis imaginem è pariete cubiculi sui pendentem figebat oculos, cujus obtutu miro patiendi desiderio accendebatur, ut, crucifixis carnalibus desideriis, mente soluta & libera ad amorem invisibilium tenderet. Itaque jam magisterium virtutis adepta, quæ præjudicium vehebat ætatis, spretâ lecti mollitie, paleis culcitræ, ligno cervicalis vicem & usum præbentibus, somnum brevissimum capiebat: omnia autem puerilia oblectamenta contemnens, rigida silentii custos sola oratione delectabatur.

D

monasterii ingressu prohibita, nuptui traditur;

32 Quamobrem spiritali orationis cibo nutrita, adeò in ea cælestis patriæ amor, mundique contemptus succreverat, ut decimum tertium annum agens, consilio confessarii sui adhibito, se in sanctimonialium monasterio dicare Deo, totamque dedere decreverit. Sed sacræ virgines, quas adulta animi Catharinæ fortitudo, & spiritale robur latebat, ejus teneros annos & imbecillam corporis valetudinem ratæ non aptam ferendis laboribus & monasticæ vitæ muneribus, consuetudinem monasterii excusantes, ob teneram ejus ætatem in suum consortium admittere recusârunt. Ita disponente altissimo divinæ providentiæ consilio, à religioso monasterii secessu repellitur, quæ postea in sæculo remanens fœminis nuptis ac viduis, quarum mentibus carnalium cupiditatum tenebras mundi consuetudo offuderat, viam Domini ingredi volentibus, tanquam lucerna in tenebroso loco super candelabrum posita præluceret. Repulsam Dei Ancilla patienter tulit, & intelligens, Dominum à se obedientiam velle, non sacrificium, parentum voluntati atque imperio obsecuta, nobili atque diviti viro Juliano Adurno nupsit.

E

à marito durè habita, sæculi delicias sectatur,

33 Sed ne mundanarum voluptatum fallenti capta dulcedine in viam sæculi abduceretur, tribulationes & pressuras immisit Dominus, qui non derelinquit diligentes se. Namque sponsus ab ipso nuptiarum die eam vehementer aversatus est: ille enim luxum & pompam, hæc frugalitatem & modestiam; ille hominum cœtus & frequentiam, hæc silentium & secretum; ille ludos & oblectamenta sæculi, hæc orationem & castas Deum amantium delicias sequebatur. Ideo ob contraria voluntatum studia alienato mariti animo, asperè ac duriter ab eo tractabatur. Ipsa verò etiamsi nulla erga virum maritalis obsequii & cultûs præteriret officia, maximè tamen illius morum, ac vitæ tædebat; unde caligantibus tristitiæ tenebris oppressum est cor ejus, nec erat, qui

F

consolaretur eam. Quinquennium in luctu & mœrore transegit: deinde amicis, & consanguineis fœminis suadentibus, aliquid pristinæ vitæ consuetudinis remittere, ut mœrentis animi sublevaret tristitiam, aliarum nobilium fœminarum cœtus ac domos frequentare, & vivendi rationem sequi instituit. Sed omnia benignissimus Deus felle amaritudinis conspersérat, ut Servæ suæ anima falsa mundi oblectamenta fastidiens, cælestes dulcedines esuriret. Habet enim potestas illa justissima miris & incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium, quas creavit, & severitatem vindicandi, & clementiam liberandi.

quibus ultrò recreata, mirabiliter convertitur.

34 Itaque altero ferè quinquennio elapso, cùm à terrenis rebus animi potiùs augeretur mœror & tristitia, quàm levaretur angustia (severâ enim misericordiâ nihil Deus Ancillæ suæ sinebat dulcescere, quod ipse non esset) ita supra modum gravata est supra virtutem, ut tæderet etiam vivere, & in se ipsa responsum mortis haberet. Graves inter animi angores propriam sororem, quæ sanctimonialis erat, consuluit, cujus hortatu presbyterum monasterii confessarium adi-

A adivit, ad cujus pedes vixdum se prostraverat, cùm, caligantibus jam in sæculo mentis oculis, divinæ lucis lumen subitò affulsit, & doloris simul atque amoris vulnere percussa parùm abfuit, quin prolaberetur in terram. Ut verò domum redivit, cùm ab arcano fundo alta consideratio, irradiante divinæ gratiæ lumine, contraxisset & congessisset totam miseriam suam in conspectum cordis sui, obortus est ingens imber lacrymarum, projectisque muliebribus ornamentis, quæ nunquam in posterum resumeret, amarissima cordis contritione, sanctaque indignatione sui detestata est anteactæ vitæ culpas, admirans divinam clementiam ac ineffabilem Dei bonitatem, retrahentem recedentes à se, & derelinquentes fontem aquæ vivæ, ut fodiant sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Ex Christi crucem gestantis visione desiderio patiendi

35 Itaque timore divinæ justitiæ, admiratione misericordiarum Domini, odio erga mundum, indignatione erga se, dolore de peccatis, tanta denique tamque gravi diversorum affectuum cordis intima agitante procella, accendebatur jam concepta flamma divini amoris, & pectore suspiria, & oculis cadebant flumina lacrymarum,
B acceptabile ac gratum Deo sacrificium. Cùm subitò mentis oculis apparuit Salvatoris, crucem bajulantis imago, toto corpore sanguine diffluentis. Quam speciem animo altè infixam, vivisque expressam coloribus ita mente in posterum retinuit, ut quæcumque oculis cerneret, pretioso Christi Sanguine ei viderentur adspersa, quócumque se verteret, Salvatoris patientis imaginem sibi videretur intueri. Hinc ingens patiendi ardor, ut se passioni Christi Domini conformans, de admissis vel levibus culpis divinæ justitiæ in sanguine & per merita divini Mediatoris satisfaceret, & veterem hominem in se crucifigeret, & destrueret corpus peccati, ut non ampliùs peccato serviret. Itaque carnem suam ciliciis, flagellis, fame, siti, vigiliis, jejuniis edomuit, ne spinas, ac tribulos vitiorum produceret, sed sancta corpore, & spiritu hostiam Deo placentem se offerret.

inflammata, diuturnum ac prodigiosum celebrat

36 Uno vel altero anno ab admirabilis ejus conversionis die, voce Christi Domini ad interiores cordis aures resonante, invitata est ad peragendum cum Domino Salvatore quadragesimale jejunium, quo exercita, tria illa tentationum genera,
C quibus ille volens tentatus est, superare ediscret; nempe intus verbo Dei nutrita non quæreret in ista mortalis vitæ eremo voluptatem, imò ita domitam cupiditatem haberet, ut nec fami cederet; uni Deo tantùm subjecta non desideraret in monte, hoc est in terrena elatione, jactantiam, sed nulli creaturæ serviens, & neminem præter Deum adorans, superbiam sæculi & vanitates vanitantium calcaret; æterno demum incommutabilis veritatis spectaculo inhærens, curiositatis illecebram contemneret; nec Deum tentaret, nec per fastigium templi, id est per oculos corporis, se præcipitem ageret, ut ad temporalia, & inferiora recedendo à Deo, templum, hoc est, animam nostram, inhabitante, perveniret: atque ita tria illa prorsus sibi subdita, & penitus confracta jejunio & oratione teneret, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi.

jejunium, sui & pravarum affectionum victrix.

37 Auscultavit subitò invitamenta Dominica fortis Dei Mulier, & secuta est spiritum ducentem in desertum pœnitentiæ, longè à mundanis oblectamentis & sæcularibus curis, inhabitantibus terras. Et non solùm primæ illius Quadragesimæ tempus, sed per annos plures, ut fertur, nedum Quadragesimæ, verùm etiam Adventûs Ferias solo cælesti orationis cibo, & sacrosancto Eucharistiæ pane sustentata transegit, amarissimo tantùm aquæ liquati salis atque aceti potu sitim quandoque excrucians potiùs, quàm restinguens; quo tamen jejunii tempore robustior atque vividior laboriosis caritatis muneribus perfungebatur. Ita per gratiam Spiritus sancti naturæ usum & sexûs infirmitatem transgrediens, cibo abstinentiæ & potu amaritudinis aluit corpus suum, docens, non solùm nescire vitia, sed etiam causas nescire vitiorum.

Sanctæ, pauperibus & firmis ministrantis,

38 Ad sanctitatis igitur sublimitatem per arctas pœnitentiæ semitas celeri gradu progrediens Catharina, & à divino humilitatis magistro edocta, altitudinem perfectionis mensuram esse debere humilitatis, elegit abjecta esse in domo Patris sui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Itaque se comitem adjiciens, vel potiùs in pietate ducem aliis nobilibus matronis, quarum cura erat infirmis pauperibusque succurrere, & miserorum calamitates & angustias opere & pecuniâ sublevare, circuibat per vicos &
E plateas, quærens in pauperibus & infirmis, quem diligebat anima sua. Incedebat autem per urbem gradu sobrio, veste humili, vultu modesto, fixis in terram oculis, ita ut prænuntia sanctitatis anteirent signa virtutum. Egenorum verò necessitatibus promptè ac liberaliter subveniebat, & fœminas infirmas singulari caritate complectebatur. Sternebat lectos, purgabat sordes, vilia quæque munia obibat, solabatur verbis, inserviebat manibus, pecuniâ sustentabat, cibis reficiebat. Laboriosum atque humile infirmis inserviendi munus primùm in privatis domibus, deinde in publico nosocomio, cujus regimen ei demandatum est, sedulâ curâ & diligenti sollicitudine exercuit, & ad felicem usque vitæ suæ finem retinuit, militans stipendiis suis; nihil enim unquam accepit de substantia nosocomii, sed, quæ sibi pro victu & indumentis erant necessaria, suis expensis sibi ministrari volebat.

humilitas, caritas & amor in Deum.

39 Assiduis autem caritatis officiis erga proximum, quasi quibusdam gradibus ad purum illum & mirabilem Dei amorem ascendit. Siquidem cùm
F ejus corpus templum Dei inhabitantis effectum esset, animus veluti altare Domini, in quo sacrificium laudis quotidie Altissimo immolaretur manu æterni Sacerdotis, excusso mundanorum affectuum pulvere, & terrenarum cogitationum remotis cineribus, totus exarsit, vaporem exhalans divini ignis, non solùm penetrantis inflammantisque cordis intima, sed pertingentis usque ad exteriora corporis, & ad sensus mortalium hominum. Nam thorax cæteræque corporis partes, quæ cor ambiunt, ignem spirare videbantur, nec manibus tangi poterant, quin & dolore afficerentur, & intolerabilem ardorem persentirent.

Demissè de se sentiens, aliorum saluti

40 Quare per altas contemplationis vias introducta à cælesti Sponso in cubiculum suum, & ad contemplandam æternæ Majestatis pulchritudinem admissa, divinæ lucis fulgore mens repercussa, intimo cognitionis sensu percipiebat comparatione immensæ illius altitudinis imam mortalis conditionis paupertatem & miseriam, inanitatem vilitatemque sui, & cernens fastigium celsitatis sursum, & faciem abyssi deorsum, adeò se contemnebat, seque ab aliis sperni amabat, ut semet ipsam nunquam proprio vocaret nomine, atque ægrè ferret ab aliis se nominari. Affirmabat enim, nihil esse in creaturis, quod bonum esset & Deo pla-

BULLA CLEMENTIS XII.

placere posset; sed ex nihilo eductas, & contagione labis primi parentis contaminatas in malum semper propendere, & frequentissimè in illud prolabi, nisi Dei gratiâ misericorditer liberentur: ideo curandum esse, ut destruatur, quod ex nostro est, ut Christus ædificetur in nobis, cujus gratiâ adjuti dicere valeamus cum Apostolo; Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Etenim non solùm temporalibus indigentium necessitatibus, & ægrotantium corporibus sanandis curandisque sedulò navabat operam, sed etiam aliorum animis medendis curam omnem, ac studium impendebat: ideo & qui ægrotantes in nosocomio decumbebant, & qui eam adibant, his atque aliis sanctissimis instruebat monitis, quibus & ad peccati fugam, & ad Dei amorem impelleret.

scriptis etiam, sed maximè exemplo studet: ejus

41 Imò dilatans spatia caritatis Dialogum etiam scripsit, in quo allegoricè inducens animam & corpus, peregrinationem facere statuentes, convenientesque absque dissidio iter peragere, mirè ostendit, quanto detrimento anima, cæci amoris sui laqueis implicata, in recto æternæ salutis itinere peragendo impediatur. Sed maximo ad virtutem sequendam incitamento & exemplo atque admirationi omnibus erat, fœminam splendido genere natam adeò humilem, ut vilissima quæque munera in publico nosocomio exerceret; adeò mitem & patientem, ut alacri animo procacium servorum injurias & contumelias exciperet; tantâ ferventem caritate, ut, corpore licèt infirma, omnium ægrotantium curæ præstò esset. Et quamvis divinæ contemplationis dulcedine in extasim rapta frequenter à sensibus alienaretur, tamen vocata ad peragenda caritatis officia, illicò surgebat, & hilari ac rubicundo vultu, veluti ex consortio sermonis Domini accurrebat, expletisque caritatis muneribus ad orationem redibat, ita Deo unita, ut nullius creaturæ recordaretur; ita proximorum curæ, & animarum saluti intenta, ut sui prorsus oblita videretur.

admiranda cum Deo conjunctio,

42 Nam à Deo impetraverat, ut proximorum necessitatibus sublevandis inserviens, tametsi id tanta sedulitate, & diligentia præstaret, quantam alius nemo, pari caritate non præditus, adhibere posset, tamen statim ac officium caritatis impleverat, ejus, cui inserviverat, obliviscceretur. Itaque nulla creaturæ imago illam, quam altè corde & mente infixam patientis Salvatoris imaginem gerebat, obumbrabat, & flagrantem illam divini amoris flammam, quâ cor illius suaviter æstuabat, nullus terrenus affectus vel restinguebat, vel minuebat: idcircò verè cum Apostolo exclamare poterat: Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

nullo umquam casu utcumque adverso impedita.

43 Profectò non illam aspera natura & dissoluti intolerabilesque viri mores, quos semper patienti & remisso animo toleravit: non contemptus & irrisiones, dum pietatis opera peragebat; gaudebat enim, quòd digna habita esset pro nomine Jesu contumeliam pati: non dura eorum, qui nosocomio ministrabant, imperia, quæ humilis ac lubens exequebatur: non carorum & consanguineorum jactura, quam benedicens Domino, æquissimo animo tulit; non corporis infirmitas assiduæque ægritudines; cùm enim infirmabatur, tunc potentior erat: non denique sive prospera, sive adversa, sive præsentia, sive futura à Deo avellere potuerunt: sed tanquam petra immobilis adversùs furentes sæculi turbines & frementis hostis impetus stabat, nec cælestibus donis ditata efferebatur, nec adversis concussa deprimebatur, sed perseverantissima animi puritate complectens Deum, quem semper præsentem gerebat, ad eum toto affectu se tenens, non habebat quod expectaret, vel timeret futurum; nec in præteritum trajiciens, quod meminisset; nec in præsens respiciens, quod amaret; ideo nulla vice variabatur, nec ulla in tempora distendebatur: sed cohærens summo Vero, & verè æterno Bono, quod solum animæ diligenti illud sufficit, ejusque flagrans desiderium explere potest, in nullam temporum varietatem & vicissitudinem ab illo se revolvebat, & ad se declinabat, vel defluebat ad alia.

Amor erga Jesu nomen egregio facinore probatus.

44 Nam invento, quem diligebat anima sua, tenebat eum, nec dimittebat; in eo exultabat, gaudebat, gloriabatur, ejusque sanctum nomen semper gerebat in corde, semper habebat in ore, nullum majus persentiens gaudium ac solatium, quàm si dulce Jesu nomen etiam ab aliis pronuntiari audiret. Quamdam mulierem, contagiosa febre in extremo vitæ laborantem, & vi morbi loquendi facultate privatam, sæpiùs adhortata, ut sanctum Jesu nomen pronuntiaret, statim atque moventem ora animadvertit, impetu amoris sanctissimi Nominis abrepta, suique oblita, fætidi & pestilentis oris labia exosculata est; quorum contactu eodem infecta morbo, parùm abfuit, quin vitam cum morte commutaret. Sanitate deinde Dei voluntate sibi restituta, nihilo seciùs ac antea, nulla cautione adhibita, omnique vitæ & salutis periculo contempto, pristina erga infirmos pietatis officia alacris & læta repetiit. Ex abundanti enim divini amoris fonte emanabat mira illa pectoris constantia & animi firmitas in currenda via Domini, & sectandis semitis ejus.

Semper æquabilis multos reducit in viam salutis,

45 Nam idem semper vultus, eademque frons & præclara in omni actu vitæ æquabilitas: humilis, mitis, modesta & misericors, humana despiciens, cælestia inquirens, admirabilem suavitatem in verbis ac moribus præ se ferebat; omnes ad se confugientes excipiebat benignè, amanter solabatur, prudenter admonebat, promptè ac studiosè sublevabat. Una & assidua ejus cura & perpetua cogitatio erat Dei honor, gloria & laus Nominis ejus, vitiorum ac scelerum destructio, peccantium conversio, animarum salus; id curabat, id satagebat, huc referebat cogitationes omnes & sedulam illam, quam pro corporibus proximorum sanandis, sublevandisque curam adhibebat. Plures igitur abeuntes in consilia impiorum & sequentes semitas sæculi, orationibus & suasionibus suis, divina operante misericordia, ad viam Domini revocavit, & potissimùm illud accidit, quod fore Apostolus prædixerat, ut sanctificaretur vir per mulierem fidelem.

quam etiam marito precibus suis impetrat.

46 Nam etiam Julianum Adurnum virum suum lucrata est Domino, loquens illi sanctis moribus suis, quibus eam Deus pulchram fecerat, & reverenter amabilem atque admirabilem. Etenim primùm ab eo impetravit, ut sibi in castitate vivere liceret, deinde ipse ultrò ad illam veniens, collatisque cum ea consiliis, à viis sæculi recedens, induto habitu Tertii Ordinis S. Franciſci, piam vivendi rationem instituit. Cùm autem in postrema ægritudine sua, ut erat ad iram procliyis, morbi incommoditatum pertæsus,

tantâ

A tantâ eſſet impatientiâ & indignatione correptus, ut in periculo æternæ ſalutis verſari videretur; id ubi ſancta Uxor conſpexit, ingreſſa cubiculum ſuum, oravit Dominum, qui ventis & tempeſtatibus imperat, & ſerenitatem cælo, mari tranquillitatem reddit; & ſtatim ab immortali Deo obtinuit, ut tranquillaretur impatiens mariti animus, & procelloſa tempeſtas ſedaretur. Siquidem nondum finita oratione vir, ſtupentibus omnibus, mutatus eſt, & tranquillato animo ſubmiſſoque divinæ voluntati, patienterque toleratis extremæ vitæ moleſtiis ac doloribus, mortem obivit.

Ecſtaſes & viſiones Sanctæ, Dei amore

47 Anxia autem Catharinæ cura & ſollicitudo de ſalute animarum, & fervor ejus caritatis erga proximum pars exigua erat immenſæ flammæ, quâ in Dei amorem exarſerat, &, quâ ex animo refluente in corpus, non ſolùm cor vicinæque partes divini ignis ardore fervere videbantur; ſed inſuper pars illa cutis, quæ cordis regionem ambit, igneo rubore ſuffuſa poſt felicem ejus obitum mortalium oculis apparuit. Itaque ubi non vocabat caritas vel aliorum præcepta impellebant, ad orationem redibat, in

B qua cæleſtibus fruens contemplationis deliciis, alienabatur à ſenſibus, & animæ, à rerum ſenſibilium tumultu & perturbatione liberæ, in ſuaviſſima quiete ſupra pectus divini Magiſtri recumbenti, cæleſtia revelabantur ſecreta, quæ intellectus humanus percipere nequit: ineffabilis ſcilicet divinæ Sapientiæ modus, quo hominum æternæ conſulit ſaluti; humanæ cæcitatis miſera conditio, quæ lacrymabili inſaniens ægritudine, oblata ſibi repellit remedia, & divina beneficia in ſuam perniciem vertit; vis ſuperni amoris, gratiæ ſanctificantis pulchritudo, æternæ beatitudinis gloria. Quæ poſtea à ſuis interrogata, cùm maximè vellet, humanis verbis exprimere nequibat: quod enim mens divino lumine illuſtrata conceperat, lingua carneis innodata vinculis parere non poterat; ut jam illud Apoſtoli uſurpare poſſet: Scio hujuſmodi hominem, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

mirabiliter flagrantis, & ad ſuaviſſimum

48 Ita igitur beatæ Catharinæ, aſſiduæ orationis & cæleſtis contemplationis uberibus inhærentem, caritas erga Deum & erga proximum nutriverat ac roboraverat animum, qui cùm jam eſſet ſequendo Deo factus idoneus, ac dicere poſſet cæleſti Sponſo; Trahe me poſt te, curremus: & divinæ Majeſtatis ſublimitas ex tanta parte, quantam mortali homini vix ferre licet, ſeſe aperuiſſet, adeò mirabilis ille caritatis ardor excrevit, & tantum divini amoris ſurrexit incendium, ut, exuſtâ omni terrenâ labe, atque interiori homine purgato & ſanctificato, cæleſtis amoris ignis ex animo in corpus exundans, vivus & efficax, penetrabilior omni gladio anciſiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, infirmam carnem tanto ferendo ardori imparem ferè conſumpſerit, & jam penè ſolo ſpiritu viveret, nec in alio corporis ſarcinam ſentiret, quàm in doloribus & languoribus, quos æſtuantis amoris vis atque impetus in eam redundans, efficiebat: unde in ea jam ſatis appareret quàm divinè dictum ſit: Ego ſum ignis conſumens: & illud, Ignem veni mittere in terram: tum etiam: Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.

49 Pleno igitur pectore æſtuabat & totis flagrabat viſceribus Catharina, & animus morarum impatiens ad caſtiſſimum cæleſtis Sponſi ferebatur amplexum, ut ſæpe amoris impetu acta, cum Apoſtolo dicere cogeretur: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Nam dulce quidem eſt vinculum corporis, quo ligatus eſt homo, & ab eo ſolvi non vult; illa tamen, quia ſciebat, quid ſibi repoſitum eſſet, & jam guſtaverat primitias ſpiritûs, concupiſcebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto; adeò ut quod aliis metum ac terrorem ingerit, ipſi gaudio ac ſolatio eſſet; ſi nempe aut de vita cum morte commutanda ſermonem audiret, aut ſi aliquos in noſocomio morientes aſpiceret, aut ſi ſacris precibus, aut ſancto Sacrificio, quod pro mortuis offertur, intereſſet, internâ quâdam lætitiâ & ſpirituali gaudio afficiebatur.

BULLA CLEMENTIS XII. *Domini amplexum continuè*

anhelantis: divinæ tamen voluntati ſemper conſentiens

50 Gemebat enim gemitibus inenarrabilibus in peregrinatione ſua, recordans Hieruſalem, &, elevato atque extento ſurſum corde, cæleſtem requirebat patriam, amatam patriam, deſideratam patriam, pulchram & ſanctam civitatem, & Deum ſuper eam regnatorem & illuſtratorem, patrem, dominum, ſponſum ſuum, dilectum ſuum, caſtas & fortes delicias, beatam requiem, & ſolidum gaudium, unum, ſummum, verum, & ſempiternum Bonum. Gratulabatur ergò, aliquando ſolvenda eſſe vincula carnalium membrorum, ut acciperet indumenta & ornamenta virtutum; ponendam eſſe carnem, ut coronam reciperet; diſcedendum eſſe à corpore, ut cum Deo conjungeretur; migrandum eſſe è terris, ut ad cælum perveniret. Fœlix mutatio, ſancta migratio! Verùm divinæ exequendæ voluntati ſemper intenta, & ſolùm, quod Domino placitum eſſet, faciendi cupida & ſollicita, eique omne ſuum deſiderium ſubmittens, omnemque cogitationem ad Dei voluntatem conformans, vitam ſibi produci non recuſabat, ut per diuturna dolorum tormenta conformior fieret imagini Filii ſui, quia, ſicut ſocii paſſionis erimus, ita erimus & reſurrectionis. E

morbo corripitur inſolito, & amoris magis

51 Quare inter hujuſmodi ſuaviter adverſantium deſideriorum conflictus novo quodam cæleſtis amoris angebatur martyrio, quo factum eſt, ut infirma caro inuſitatâ quâdam & gravi ægritudine, quæ poſtrema fuit, correpta ſuccumberet. Cùm autem inſolitæ infirmitati ſanandæ nulla remedia proficerent, qui ejus ſalutis curam gerebant, ut omnia experirentur, & nihil intentatum relinquerent, convocârunt decem medicorum conſilium, qui, cùm jacentem conſpexiſſent, nec ullum morbi indicium appareret, perpenſis cauſis, quibus ægrotare cœperat, ægritudinis ſymptomatibns diligenter inſpectis, cùm nullum ex propinatis remediis prodeſſet, ſed tantùm cæleſtes viſiones, & ſacram Euchariſtiam, quâ tantummodò refecta, per quatuordecim ante obitum poſtremos dies vitam duxit, proſtratis ejus viribus ſolatio & adjumento eſſe cognoviſſent, morbi novitate attoniti aliquid divinum in mirabili illa infirmitate manifeſtè comperientes, in eam convenere ſententiam, ejus ægritudinem non humanam, nec humanis ſanandam remediis, ſed eam divinitus immiſſam, & cæleſti animarum Medico relinquendam. F

quàm ægritudinis violentiâ exſtinguitur.

52 Sexageſimum tertium ætatis ſuæ annum agebat, cùm optatum tempus advenit, quo, diſſolutis corporei carceris vinculis, ad optatum cæleſtis Sponſi complexum libera evolaret. Præſentiens igitur jam ſibi finem mortalis vitæ inſtare, oculis atque manu cælum indigitans, quò mox profectura erat, verbis illis, In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, ſuaviſſimè pro-

BULLA CLEMENTIS XII.

pronuntiatis, paulò post magnitudine potiùs caritatis, quàm morbi languens, in secreto & mentibus hominum impervio divini amoris silentio placidissimè obdormivit in Domino decimo septimo Kalendas Octobris anno millesimo quingentesimo decimo.

Populi veneratio, beneficiis aucta, nec umquam imminuta:

53 Ubi verò beatæ Dei Famulæ mortis rumor urbem Genuensem pervasit, ad sacras ejus exuvias in magno nosocomio, ubi decesserat, venerandas ex omni ordine atque ætate viri & mulieres frequentes confluxere. Ibique plurimi solatium, quibus angebantur, molestiis, quibusque afflictabantur, ægritudinibus medicinam ejus intercessione invenerunt. Interea corpus ejus, quod flexile, incorruptum, rubroque colore circa cor, & vivo omnino simili cernebatur, post aliquot dies in sepulcro, in nosocomii ecclesia recenter constructo, summa veneratione collocatum fuit. Post duodeviginti menses illo aperto, ut sanctæ Viduæ corpus ad novum tumulum, decentiùs ornatum, transferretur, quò ingenti civium multitudini, quæ ad illud venerandum accurrebat, fieret satis, repositum est intra sacelli cancellos, quibus confertim irruentium turba arceretur. Per
B octo continuos dies ita permansit, populorum concursu nunquam deficiente, auctâ præsertim veneratione ex miraculis, quæ omnipotens Deus circa illud operabatur. Quibus diebus elapsis, in eadem ecclesia ad marmoreum tumulum in sublime erectum delatum est, ubi miraculis clarum, publicæ venerationi expositum, devotionis fervore erga sacras beatæ Catharinæ reliquias nunquam imminuto, ad nostra usque tempora permansit, divina omnipotentia testimonium prodigiis dexteræ suæ perhibente, sibi non perire, quod moritur, & mortalium mentibus indicante, quanta in gloria esset in cælis anima hujus beatæ Viduæ, cujus caro exanimis tam eximiis divinitatis effectibus in terris ornabatur.

processus instituti, probatusque immemorabilis Sanctæ cultus:

54 Itaque nedum Genuensium, verùm etiam cæterorum populorum erga hanc sanctam Dei Servam devotio, & ad sacrum ejus corpus venerandum, cujusvis generis & conditionis hominum assiduus concursus fuit. Cultu igitur & veneratione erga illam constanter perseverante, &
C post centum annorum lapsum percrebrescente, post confectos authoritate ordinaria processus super ejus sanctitate, & miraculis, eosque in Sacra Rituum Congregatione exhibitos, expedita fuit commissio die vicesima quarta mensis Maii anno millesimo sexcentesimo tricesimo sexto ad effectum fabricandi processum authoritate Apostolica super cultu immemorabili, & casu excepto à decretis fel. record. Urbani VIII Prædecessoris nostri, illoque absoluto, à bonæ memoriæ Decio S. R. E. diacono Cardinali Azzolini nuncupato, causæ relatore, propositum fuit dubium, an sententia ab episcopo Genuensi, judice delegato, lata super cultu immemorabili & casu excepto esset confirmanda, & responsum fuit, constare de casu excepto: proinde præfatam sententiam esse confirmandam, quod decretum piæ memoriæ Clemens X pariter Prædecessor noster die sexta Aprilis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto confirmavit. Præterea eodem Cardinali Azzolino causæ Ponente, obtenta est die decima septima mensis Augusti anno millesimo sexcentesimo octogesimo tertio facultas conficiendi processum super sanctitate vitæ, virtutibus & miraculis, ut ad Beatæ canonizationem deveniri posset.

55 Labentibus deinde pluribus annis, ac processu post nonnullas prorogationes & subrogationes nondum absoluto, suffectoque in Ponentem causæ bo. mem. Josepho Renato S. R. E. diacono Cardinali Imperiali nuncupato, supplicatum fuit pro concessione Officii, & Missæ de eadem Beata; & S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Congregatio, edito decreto à felicis recordationis Clemente XI Prædecessore nostro confirmato, die decima nona mensis septembris anno millesimo septingentesimo decimo concessit, ut in civitate Genuensi recitaretur Officium, & celebraretur Missa de Communi Viduarum in honorem B. Catharinæ, nec multò pòst eadem concessio ad totum Genuensis reipublicæ dominium fuit ampliata, ac tandem approbatum extitit Officium & Missa propria de eadem Beata cum ejusdem elogio in Romano Martyrologio apponendo.

D *concessum de ea Officium, nomen Martyrologio inscriptum:*

latum decretum de virtutibus Sanctæ, miraculisque

56 Completo autem processu super virtutibus, propositoque dubio in præfata sacrorum Rituum Congregatione, prodiit decretum affirmans, constare de virtutibus in gradu heroico, quod fuit à nobis die trigesima mensis Maii anno millesimo septingentesimo trigesimo secundo confirmatum: absolutoque etiam altero processu super miraculis, ventum est ad illorum examen, suffecto interim in causæ relatorem dilecto filio Georgio tituli S. Mariæ trans Tyberim S. R. E. presbytero Cardinali Spinula nuncupato, in locum bo. me. Josephi Renati S. R. E. diaconi Cardinalis Imperialis nuncupati, viam universæ carnis ingressi, in congregatione, coram Nobis habita die secunda mensis Aprilis anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo, ex quatuor miraculis propositis, tria sequentia fuere approbata, videlicet: Primum subitæ sanationis Mariæ Magdalenæ Rizzi; hæc enim mulier, in qua à novem circitèr annis iniqua vitiati humoris feritas defluxa, ad infernos artus non minùs, quàm ad latus sinistrum extensa, quantùm vetustate sua in latere acerbos enutriverat, acerbioresque per intervalla cruciatus excitaverat, tantùm in tumefactis cruribus liberam motûs ademerat facultatem, jam diu ad incurabiles amandata, quùm tota nocte sanationem præcedente à lateris dolore sæviùs torqueretur, post invocationem B. Catharinæ brevi somno correpta, sana surrexit diluculo, ac Liberatrici suæ gratias referens, ad consueta benevalentium officia incolumis reversa
E F est.

à Sancta Sede probatis:

57 Tertium sanationis repentinæ Mariæ Franciscæ Xaveriæ Gentilis, patritiæ Genuensis, quam & scorbutica ægritudo à tredecim ferè annis invaserat, & spirandi difficultas, convulsiones cum nervorum in pedibus attractione, ac vivæ lucis omnisque rumoris intolerantia ita vexabant, ut nec ambulare, nec decumbere posset omnino, nisi cervicalibus plurimis fulciretur. Hæc in spem consequendæ salutis erecta, si Beatæ exuvias coràm ei datum esset venerari, voti compos facta, in gestatoria sella à Beatæ visitatione domum redux, nil hæsitans, se divinitus perfectam obtinuisse salutem, domesticas scalas animosa conscendere, sedere, surgere, atque ambulare illicò cœpit, quibus afflictabatur, morbis undequaque depulsis. Et quartum instantaneæ curationis Blanchæ, fœminæ in hospitali incurabilium à viginti quinque annis jacentis, quæ ex antiqua femoris luxatione, artuum infernorum, dexteræque manus paralysi gravabatur, dum ad Beatæ sepulchrum toto spiritûs conatu salutem flagitat, repentè attractam manum extendit, & utrumque crus

im-

A imbecille expeditè movet ac graditur, perfectæ incolumitati reſtituta.

58 Denique generali ſacrorum Rituum Congregatione coram Nobis convocata, propoſitaque quæſtione, an, ſtante præfatorum miraculorum approbatione, ad ſolemnem beatæ Catharinæ Fliſcæ Adurnæ canonizationem tutò poſſet deveniri: cùm venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales præfatæ Congregationis, ſacris ritibus præpoſitæ, affirmativè reſpondiſſent, Nos poſt humillimas noſtras, aliorumque fuſas ad Deum preces, ut in re tam gravi cæleſtis adjutorii lumen concederetur ex alto, die triceſima Aprilis anno milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo ad B. Catharinam ſolemni ritu in Sanctarum album adſcribendam procedi poſſe declaravimus. Poſtea die ſexta ſequentis menſis Maji in conſiſtorio noſtro ſecreto à dilecto filio Antonio Felice tituli S. Praxedis presbytero Cardinali Zondadario nuncupato, præmiſſorum omnium, quæ in cauſa acta fuerant nec non vitæ, & miraculorum beatæ Catharinæ ſummatim & appoſitè relatione facta, cùm reliqui Cardinales, qui adfuerunt, idem cenſuiſſent, in publico conſiſtorio, proximè

B à nobis habito, audita per dilectum filium Gabriëlem Serianum conſiſtorialis aulæ noſtræ advocatum diſerta oratione de virtutum excellentia, vitæque ſanctitate B. Catharinæ; tum etiam humillimis ſupplicationibus, quæ nobis pro ejuſdem beatæ Dei Servæ canonizatione nomine totius cleri & populi inclytæ Genuenſis reipublicæ porrigebantur, de re tanta, tamque arduo negotio Nos, ut oportebat, cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus archiepiſcopis & epiſcopis maturiùs deliberaturos, reſponſo dato, eoſdem Cardinales & epiſcopos ad implorandum eleëmoſynis, jejuniis & orationibus divinum auxilium in Domino hortati ſumus.

59 Deinde eorumdem Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum & epiſcoporum in Urbe præſentium conſiſtorio ſemipublico indicto, in

C quo etiam noſtri, & Apoſtolicæ Sedis notarii, protonotarii nuncupati ex numero participantium, & ſacri palatii Apoſtolici cauſarum auditores vocati adfuerunt, iidem Cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi & epiſcopi omnes beatam Catharinam ex iis, quæ à nobis propoſita, & in proceſſibus relata fuerant, in Sanctorum numerum adſcribendam eſſe cenſuerunt. Quorum ſententiis auditis, Nos gratias Deo agentes, quòd Ancillam ſuam per Miniſterium noſtrum honorificari velle dignaretur, canonizationis diem indiximus, omneſque interim, ut eleëmoſynis, orationibus ac jejuniis ad Nobis cæleſtem Spiritus ſancti gratiam in tanta re gravique negotio impetrandam, diligenter ac perſeveranter inſiſterent, iterum adhortati ſumus.

60 Demum ritè omnibus abſolutis, quæ ſanctorum Patrum authoritas, ſacrorum canonum ſtatuta, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudo in re hujuſmodi peragenda præſcribunt, hodie, quæ fuit dies Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis, in ſacroſanctam Lateranenſem baſilicam decenter ornatam cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis, Romanæque curiæ prælatis, officialibus & familiaribus noſtris, clero ſæculari & Regulari, ac maximâ populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro canonizationis decreto petitionibus à dilecto filio noſtro Nereo S. R. E. diacono Cardinali Corſini nuncupato, noſtro ſecundùm carnem ex fratre nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum conſiſtorialis aulæ noſtræ advocatum, & decantatis ſacris precibus & Litaniis, ac Spiritus ſancti gratiâ humiliter imploratâ:

61 Ad honorem ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ religionis augmentum, authoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpiùs implorata, ac de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum & epiſcoporum in Urbe exiſtentium, conſilio & conſenſu B. Catharinam de Fliſco viduam ſanctam eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctarum catalogo adſcripſimus, prout tenore præſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus, illamque univerſos Chriſti fideles tamquam verè Sanctam honorare & venerari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem eccleſiæ & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari poſſint & conſecrari, & ſingulis annis memoria ipſius die decima quinta menſis Septembris inter Sanctas nec Virgines nec Martyres pia devotione recoli debeat: eademque authoritate omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis eodem feſto die ad ſepulchrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta. E

62 His peractis, Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris ſempiterni Filium, & ſanctum paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus & confeſſionibus venerati, ſacroque Hymno Te Deum ſolemniter decantato, omnibuſque Chriſti fidelibus, tunc præſentibus, plenaria omnium peccatorum ſuorum indulgentia & remiſſione conceſſa, propter corporales noſtras infirmitates affectamque valetudinem, ſenilemque ætatem ab eadem Lateranenſi eccleſia receſſimus, remanentibus in ea venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, & univerſo clero & populo, quibus præſentibus à venerabili fratre noſtro Thoma Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali epiſcopo Prænestino Ruffo nuncupato, tanquam Cardinali in ordine antiquiori, in ara maxima præfatæ baſilicæ, ex indulto & de licentia noſtra ſolemniter Miſſa cum Sanctæ ejuſdem nec virginis nec martyris commemoratione celebrata eſt. F

63 Cum omni autem humilitate æquum eſt, ut nos pro tam inſigni beneficio gratias Deo agamus & confiteamur Domino dominorum, per quem amici ejus coronantur in cælis, & honorificantur in terris, & à quo gloria & honor & pax omni operanti bonum. Et quoniam Sanctæ hujus præſidium videmus nobis divinitus comparatum, ineffabilem Dei clementiam obſecremus, ut cujus in terris voluit his noſtris calamitoſis temporibus gloriam manifeſtari, ejus ſuffragantibus precibus per merita & paſſionem Filii ſui Chriſti Domini Salvatoris noſtri faciem ſuam à peccatis noſtris avertens, nos à præſentibus hujus mortalis vitæ anguſtiis liberare, & in hoc ſæculo cæleſti gratia ſua, & in futuro æterna Sanctorum felicitate donare dignetur.

64 Cæterùm quia difficile foret, præſentes noſtras Literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, de-

poſt maturam examen,

adſcribitur, conceſſis in Sanctæ feſto indulgentiis.

Actis Deo gratiis, Miſſa decantata:

implorato Dei auxilio,

ſolemni ritu Sanctarum Catalogo

Sanctæ præſidium implorat Pontifex,

BULLA CLEMENTIS XII. *decretum suum stabile fore definiens.*

ferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Joannem in Laterano anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo tricesimo septimo, sextodecimo Kalendas Julii, Pontificatûs nostri anno septimo.

✠ EGO CLEMENS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

§ IV. Publicæ venerationis monumenta Sanctæ erecta: miracula nonnulla tum ex Vita prolixiore tum ex processibus desumpta.

B

Altaria, aliaque publicæ veneration is

PRiusquam beneficiorum, Sanctæ patrocinio à variis obtentorum, narrationem ordior, visum est de erectis Catharinæ *altaribus aliisque venerationis publicæ monumentis pauca subjicere, quæ in Parperæ lucubrationibus dispersa leguntur. In Beata illustrata part.* 1, *cap.* 7, *num.* 13 *scribit, Lutetiæ Parisiorum intra claustra monasterii virginum Excalceatarum Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo exiguum sacellum exstare,* S. Catharinæ *venerationi erectum, testemque ibidem laudat illustrissimum dominum Josephum Mariam Giovum, cui instrumenta etiam plurima, de Sancta è Galliis transmissa, accepta refert. Idem Parpera in sæpe laudatis ad Henschenium litteris hæc habet:* Anno MDCLXIX ex publicis tabulis agnovimus, ecclesiam nostram Genuæ Congregationis

C

Oratorii S. Philippi Nerii fuisse domum B. Catharinæ: *in Beata verò illustrata part.* 1, *cap.* 1, *num.* 14 *paulò fusiùs in hunc ferè modum scribit: Domus, quam inhabitavit Sancta, quæque illi à marito fuerat in dotem assignata, & sita erat in platea, cui olim nomen erat S. Agnetis, nunc autem Lomellina dicitur, conversa est in ecclesiam Congregationis Oratorii anno* 1659: *ibidem etiam asserit, altare, in quo visitur Beatæ imago, quodque primum est ac vicinius aræ majori ad cornu Euangelii, ædificatum fuisse eo loco, quo steterat secretius cubiculum à Sancta frequentari solitum, & in quo spectabilem olim habuit Christum Servatorem, toto corpore sanguine manantem, ut refert Vita prolixior cap.* 2. *& nostra num.* 19

monumenta Sanctæ erecta.

66 *Porrò ex Joannis Mariani Monumentis historicis Congregationis Oratorii tom.* 2, *cap.* 23 *sub finem liquet, prælaudatæ Congregationis alumnis Genuæ institutum fuisse domicilium ab anno* 1644; *nihil autem ibidem additur de epocha conversæ in ecclesiam domus* S. Catharinæ, *quia de Genuensi Congregatione tantùm loquitur occasione Panormitanæ: continuationem autem Monumentorum Joannis Mariani nacti non sumus. Sacellum quoque perquàm magnificum Sanctæ in ecclesia xenodochii majoris erectum fuisse, tradit Parpera in Vita, anno* 1682 *edita, cap.* 114, *num.* 7, *sed annum nullum signat: hoc certum ex Parperæ verbis, structuram illam anno* 1642 *posteriorem esse, figendamque inter dictum annum* 1642 *&* 1682, *quo hanc suam lucubrationem vulgavit Parpera, qui in Beata illustrata part.* 1, *cap.* 16, *num.* 9 *ait* S. Catharinæ *effigiem sculptam fuisse anno* 1681: *hujus autem sculpturæ descriptionem, uti & picturæ, quæ in ara, Sanctæ dedicata, visitur in ecclesia Genuensis Oratorii Congregationis, ibidem curiosus lector inveniet num.* 9 *&* 10: *illi proximè præmisit Parpera orationem compositam eo fine, ut Sanctæ patrocinio divinus in nobis amor accendatur, quæque his verbis concepta est:* Deus, qui ad inflammanda corda fidelium B. Catharinam Genuensem ignitis illustrationibus mirabiliter accendisti: da quæsumus, ut cujus ardorem miramur, eamdem imitantes in terris, cum ipsa beato amoris incendio ardeamus in cælis.

D

Beneficia multis collata: diu ægrota

67 *Atque hæc sunt, quæ de publicis* S. Catharinæ *venerationi erectis monumentis ad notitiam nostram pervenerunt. Nunc ad miracula progredior. Biographus antiquior cap.* 52 *sic habet:* Multi sese illi commendantes fuerunt exauditi; *verùm, ut jam monui in Annotatis ad cap.* 8 *Vitæ, litter.* q *illa beneficia vel non sunt litteris consignata, vel deperdita lugemus.* Inter cæteros, *inquit ibidem laudatus statim biographus,* quædam infirma ipsi devota (cui nocte præcedenti per visum apparuerat) gratiam optatæ sanitatis impetravit. Hæc vi morbi longo tempore non se poterat movere, & tum decumbebat admodùm afflicta: sed post istud visum jussit se deferri in ecclesiam ad corpus, apprehendensque lacinias de telis corruptis ipsi adhærentibus, admovit eas loco affecto, commendansque se Beatæ è vestigio sanitati fuit restituta, ac sola fine alterius adminiculo domum reversa.

Sanitati restituitur; ejus gratus animus.

68 *Licèt hoc recuperatæ sanitatis beneficium expressè non dicatur contigisse anno* 1512, *tamen isti anno innectendum esse, manifestè colligitur ex hisce verbis:* Jussit se deferri in ecclesiam ad corpus, apprehendensque lacinias de telis corruptis ipsi adhærentibus, *ut enim dictum hîc jam est num.* 8 *&* 9, *corpus decimo octavo circitèr ab obitu mense de terra levatum est, repertique in urna vermes, humiditate aquæ producti, tumque publicæ venerationi per octo dies expositum fuit; quæ omnia pertinent ad annum* 1512 *non multùm provectum. Quàm porrò beneficii accepti memorem sese exhibuerit sanata, declarat biographus eodem cap.* 52 *verbis sequentibus:* Auxit hoc beneficium semel conceptam erga ipsam devotionem, ac quotannis eodem die curavit in gratiam ipsius cantari Sacrum de beata Maria & speciatim in festo Assumtionis ejusdem, mandavitque hoc post mortem suam perpetuis temporibus observari. *Præter jam recitatum beneficium nullum aliud singillatim commemorat Vita prolixior: Parpera quoque, qui, ut profitetur, antiqua instrumenta omnia scrutatus est, nullum refert, quod ante annum* 1616 *contigerit, ob rationem haud dubiè jam antè prænotatam.*

F

Miracula ex Processibus descripta; è gangræna

69 *Beneficia verò illa, quæ narrat Parpera, desumpta sunt ex Processu, Sacræ Rituum Congregationi oblato, ut liquet ex titulo cap.* 115 *Vitæ, anno* 1682 *editæ: miracula autem ista, ex Italico Latinè reddita, priusquam exhibeo, lectorem monendum censui, me nomina*

&

A *& cognomina perſonarum, à quibus beneficia iſta impetrata ſunt, eo planè modo redditurum, quo apud laudatum editorem leguntur, &, ubi neceſſe videbitur, paucula obſervaturum. Ita ſcribit num.* 2 : Domina Camilla Doria anno circitèr MDCXVI laboravit gangrænâ, inficiente coſtam poſteriorem, quæ ab una ad alteram uſque partem pertingebat: ubi illa ut curaretur, facta eſt inciſio quadrata magnitudinis unius palmi & quartæ partis, ablatæque fuerunt ex iſto vulnere carnis decem libræ, (*haud dubiè morbo in longum protracto & repetitis inciſionibus.*) Unde ob malum tam vehemens deſperabant omnino medici de ejus ſalute, & uſque adeò ſpes deficiebat, ut jam aſſiſterent viri religioſi cum libro præ manibus, animam illius Deo commendantes. Ægrotam, cùm in extremis hiſce verſaretur, hortata eſt neptis ſua domina Maria Paveſa Doria, ut commendaret ſeſe beatæ Catharinæ, cujus reliquiarum nonnihil ipſa admovit moribundæ, quæ paruit neptis ſuæ exhortationi, multamque concepit fiduciam.

mulier morti proxima curatur:

70 Poſthæc obdormiſcenti viſæ fuerunt diſſolvi faſciæ, quibus pars læſa obvolvebatur; cúmque illa inclamaret auxilium ſibi adferri, chirurgus, qui curam illius gerebat, accurrit: atque eccum res miranda; etenim poſt paucas horas vitioſa caro, quæ mortem minabatur, reperta eſt ab ea, quæ ſana erat, ſeparata. Cœpit itaque ſpes vitæ affulgere ægrotæ, quæ deinde ſemper ampliùs convaleſcens ſub finem viginti circitèr dierum ſanitati planè reſtituta fuit, vulnuſque ita curatum, ut æqualis manſerit coſta, nihilque ex carne jam amputata deeſſet, non ſecùs acſi nullo umquam malo infecta fuiſſet. Fuit igitur, quod meritò admirarentur & pro indubitato prodigio haberent tum ægra, tum qui aderant medici ac chirurgi, aliique quibus perſpecta erat ægritudo. *Et nomina & cognomina, ut præmonui, reddita ſunt juxta Italicam Parperæ ſcriptionem: neque enim in prima hac narratione ſatis diſpicere potui, quid ſignificet, aut à quo originem habeat vocabulum* Paveſe, *quòd, dum ægrotæ neptis nominatur, inter voces* Maria & Doria *medium ponitur; veriſimile eſt, illud prænominis vice fungi: ſed quam de cælitibus referat, fateor lubens, me ignorare; niſi fortè derivetur à Pavia, quæ*

C *inter ſocias S. Urſulæ recenſetur à Lahierio in Menologio Virginum ad diem* XXI *Octobris, & ab Arturo in Gynæceo ad* XXII *dicti menſis annuntiatur inter ejuſdem Urſulæ ſocias, quarum corpora tunc tranſlata memorat.*

altera quædam leproſa mundatur.

71 *Interruptam narrationem proſequamur. Laudati cap.* 115, *num.* 3 *ſic habet Parpera:* Anno MDCXXXI circitèr cùm in valetudinario majore verſaretur mulier quædam de Villa (*forenſem feminam anonymam deſignari puto*) lepris cooperta uſque adeò ut nulla ratione videretur poſſe convaleſcere ab ægritudine, quâ laborabat: mulier quædam altera, Dominichina nomine, dedit illi de oleo lampadis B. Catharinæ, quo manus vultumque ungens lepris infecta mulier ſanitati reſtitui cœpit, & poſt trium dierum decurſum omnino ſanata eſt, ſtupentibus cum medico & pharmacopola aliis, qui morbum illius cognoverant.

Apoſtema ſublatum;

72 Thomaſæ Peragallæ in dicto xenodochio ſervienti circa annum MDCXXXII ſub axilla dexteri brachii adnatum eſt peſſimum apoſtema, nigrum craſſumque ad menſuram panis quatuor denariorum, adeò ut brachium niſi cum cruciatu movere non poſſet: & quia verebatur, ne, ſi medicis partem malè affectam oſtenderet, vellent inciſionem tentare, cui ſuſtinendæ vires ſibi ſuppetere non putabat, rem celavit, intellectiſque, quæ B. Catharina Fliſca Adurna præſtabat, beneficiis, ejus opem imploravit, ter veſpere ſacrum illius corpus veneratum adiens, recitanſque ter Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, ac oleo tantùm lampadis, quæ ante dictum corpus ardebat, ſeſe ungens: & quamvis tertio veſpere malum adhuc æquè ac primo perſentiret, nihilominùs manè expergefacta cùm eſſet, deprehendit, apoſtema evanuiſſe. Unde meritò beneficium hoc prodigioſum dictæ Beatæ patrocinio potuit adſcribere.

hydropiſis & febris ardens cum phreneſi ſanata:

73 Quædam Maſina de Biſagno hydrope laborans ſpatio duorum menſium in dicto xenodochio, adhibitis variis remediis, curata eſt, nec umquam ſanari potuit: unde, ut beatæ Catharinæ ſe commendaret, illam hortata eſt Dominichina Perazza, quod præſtitit ægra, unctaque oleo lampadis ejuſdem Beatæ, elapſis tribus quatuorve diebus, ſanitati reſtituta fuit & è xenodochio dimiſſa. Lucia Medicina circa annum MDCXXXII cùm laboraret febri ardente & phreneſi, ob quam jam de ejus ſalute deſperaverant medici: quare ex tunc frater ejus rogabat eam locum, in quo ſepeliri vellet. Fuit interim ad dictum xenodochium delata, quò cùm veniſſet, ob furentis animi edita ſigna vinculis adſtricta eſt. Dominichina jam laudata pietatem erga beatam Catharinam commendavit illi, quæ oleo lampadis hujus Beatæ uncta, repentè ſenſit meliùs ſibi eſſe & capitis dolorem imminui, continuóque convaleſcens intra decem dies ſanitati planè reſtituta in domum ſuam reverſa eſt.

E

cæcæ viſus, phreneticæ ſanitas reddita.

74 Dominichina Perazza anno MDCXXXII, vel circitèr, cùm in xenodochio laborâſſet gravi morbo, velut omnino viſu deſtituta permanſit: unde eam oportebat incedere baculo inſtructam, comitantibus inſuper aliis. Hæc uſa opportunitate, quâ aperta fuerat urna, in qua requieſcit B. Catharinæ corpus, eò ſe contulit, ac circumſtantes precata, ut ad dicti corporis tactum admitteretur, acceſſit, ſeque dictæ Beatæ ferventer commendans, oculos viſu orbatos admovit corpori, ac ſubitò viſu, ut antè, donata eſt, omneſque, qui circumſtabant, evidens beneficium ſanctæ hujus Matronæ patrocinio obtentum conſpexerunt. Thomaſina de Agoſti domi ſuæ febri maligna ac phreneſi oppreſſa fuit. Miſſa eſt itaque ad xenodochium atque inſuper ob inſaniam, quæ tres circitèr ſeptimanas duravit, ligata fuit. Hæc cùm ob morbi gravitatem non potuiſſet ſe commendare B. Catharinæ, erga quam jam antè piè afficiebatur, die quodam feſſa malo illi ſe commendavit, &, quamvis ligata eſſet, vim ſibi intulit, ut ad eam viſendam accederet: rectrix autem, intellecto ſancto Thomaſinæ deſiderio, illam eò à duobus famulis deportari juſſit, ubi cùm orationem ex intimo corde inſtituiſſet, nulla ex tunc inſaniæ opera ampliùs exercuit, itáque convaluit, ut intra octo circitèr dies ſanitati perfectè reſtituta fuerit.

F

Parpera de Miraculorum numero cum nimia exaggeratione ſcripſit.

75 *Atque hæc ſunt miracula, quæ apud Parperam, inſignem ſanctæ Viduæ noſtræ cultorem leguntur: is autem ſub finem cap.* 115 *ita ferè ſcribit: Habemus hic prodigia nonnulla ac beneficia litteris conſignata; verùm cum S. Joanne Euangeliſta, ſcribente de Chriſto, dulci* Catharinæ *ſponſo, poſſumus & nos aſſerere, multò plura eſſe miracula, patrocinante* Catharina, *à Deo perpetrata: eò quòd fortè ſcriptoribus viſa ſit probatione aut litterarum teſtimonio non egere mirabilis illius erga fideles exhibita tutela, cùm tam*

AUCTORE U. S.

perſpecta eſſet, vel quòd prodigia hæc tanto eſſent numero, ut omnia enarrare nimis prolixum fuiſſet. Poſt quæ ſubdit Parpera: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus (precibus B. Catharinæ) quæ ſi ſcribantur per ſingula, non ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. *Ego quoque cum Parpera minimè dubito, quin multò plura, quàm quæ ſuprà relatæ ſunt, beneficia impetraverit* Catharina *ſe invocantibus: nullatenus tamen exiſtimo, locum hîc habere poſſe ſancti Euangeliſtæ verba, de Servatore noſtro meritiſſimo jure prolata; ſed nec auxeſim ſuam, ex nimio quodam pietatis in Sanctam affectu profectam, probat Parpera, allatis biographi antiquioris verbis hiſce ex cap. 51:* Et à diverſis tot ſunt audita, ut omnia narrare nimis prolixum, *quæ ſanè verba Hiſtoriæ* S. Catharinæ *poſſe congruere lubens agnoſco, at de aſſumpto ex Euangelio textu ſecùs ſtatuendum eſt.*

§ V. Nomina teſtium & eorum dicta nonnulla in confirmationem trium miraculorum à Sede Apoſtolica probatorum.

B

Mulier, cui amputanda erat mamilla, curatur.

ANonymus ſcriptor *Vitæ ſuprà editæ cap. 9 tria retulit miracula* S. Catharinæ *patrocinio perpetrata; eadem recenſuit in Bulla canonizationis Clemens XII: ſingulis nonnulla hîc addenda cenſui ex relatis diſputatiſque coram Sacra Congregatione in cauſa Sanctæ; ea verò omnia, quæ ſubdam, deſumpta ſunt ex* Summario, ſuper dubio an, & de quibus miraculis conſtet *&c.*, *dictiſque teſtium relatis in eodem codice noſtro ſignato † B* XI. *Et primum quidem ſubitaneæ ſanationis Mariæ Magdalenæ Rizzi quod ſpectat, aliqua ex dictis ipſius ſanatæ delibanda cenſui. Pag. 7 teſtatur, cùm jam decumberet in loco quodam, ab aliorum ægrotantium ſocietate remoto* (Conſervatorium *appellat*) *narrari ſe audiviſſe, quòd mulier quædam, gangrenâ in altera è mamillis laborans, cùm ex chirurgorum judicio pars læſa amputanda eſſet, jamque in diem ſequentem inſtructus foret apparatus,* S. Catharinæ *opem imploraverit, reverſique proximo manè chirurgi eam ſanitati perfectè reſtitutam invenerint. Sanatio hæc præter hortamenta alterius cujuſdam mulieris in laudato codice pag. 1 relata, veriſimiliter Mariam Magdalenam, doloribus ſolito gravioribus oppreſſam, incitavit, ut cum ingenti fiducia* S. Catharinæ *auxiliatricem dexteram expoſceret.*

C

Sancta, ægrotæ apparens, ſanitatem reddit;

77 *De modo autem, quo deſideratam ſanitatem conſecuta eſt, hæc lego ibidem pag. 8; verba ex Italico Latinè reddita accipe:* Cùm, *inquit ſanata*, ingenti fervore ac ſenſu illi (*Sanctæ*) me commendâſſem, non multò pòſt in ſomnum incidi, ſed lenem, ita ut, ſi quis me tetigiſſet, mox fuiſſem evigilatura; vidique prope lectum meum B. Catharinam, quam agnovi, eò quòd referret imaginem, quæ exſtat in ſacello, in quo ſacrum illius corpus requieſcit..... Tum Beatæ manum, quæ mollis erat, flexibilis ac lenis, apprehendi, eamque manu mea admovi ſiniſtro lateri, in quo, ut dixi, magnos expe-

riebar dolores: dictum latus vix attigeram, quin ſubitò ſanatam me ſenſerim; tum Beatam oravi, ut denuò converſa manu pauliſper me attingeret; verùm reſpondit illa: Sic ſufficit *&c. Multa in eodem illo codice leguntur tum ipſius Magdalenæ tum aliorum teſtium dicta, quibus conſtat, eam verè immedicabilem fuiſſe ſolis naturæ viribus, & momento temporis ſanatam eſſe, nec alterius cujuſquam è cælitibus, præterquam* Catharinæ *opem invocâſſe, & poſt obtentum beneficium, recuperatis illicò viribus, optimâ gaviſam fuiſſe valetudine.* D

beneficii hujus teſtes;

78 *Præter Mariam Magdalenam Rizzi, tunc annos circitèr duos ſupra quadraginta natam, beneficium illud teſtimonio ſuo confirmârunt ſequentes à pag.* 12 *uſque ad* 50 *dicti codicis:*

Maria Dominica Gandulpha ætatis annorum LX circitèr.

Maria Roſaſca ætatis annorum XL circitèr.

Maria Veronica Ferrari annorum LIV circitèr.

Catharina Quierola ætatis annorum LVI circitèr.

Joanna Gentilis ætatis annorum LVI circitèr.

Joanna de Marchis ætatis annorum XLVIII. E

Magnificus Joannes Franciſcus Troïlus Ghiſulphus ætatis annorum LXXI, *medicus.*

Magnificus dominus Joſeph Maria Lavania ætatis annorum LV, *medicus.*

Soror Paula Maria Campodonica monialis in Conſervatorio ſanctæ Mariæ de Refugio, ſito in hoſpitali Pammatoni, ætatis annorum L, *valetudinario præfecta.*

Magnificus dominus Didacus Portafaſcie ætatis annorum XXXVIII, *medicus.*

Magnificus dominus Ignatius Curlettus ætatis annorum XXXI, *medicus.*

Præter teſtes hîc relatos videntur & alii, licèt nominatim non ſint expreſſi, pro dicti beneficii confirmatione fuiſſe auditi: nam cùm ad Paulam Mariam Campodonicam appoſiti ſint hi characteres, x teſtis, *ad proximè ſubſequentem Didacum Portafaſcie hi leguntur,* XIII teſtis.

diu ægrota mulier, aliaque ad motum impos,

79 *Porrò ne crebra eorumdem repetitione lectori nauſeam pariam, conſultò à referendis interrogationibus reſponſionibuſque teſtium abſtineo: ſunt tamen nonnulla, quibus pium lectorem minimè fraudandum cenſui, quæque propterea Latinè reddita ſubnecto. Codicis noſtri pag.* 12 *hæc teſtatur Maria Gandulpha:* Audivi multos ægrotos in xenodochio dicentes, ſe per interceſſionem B. Catharinæ ſanitati reſtitutos fuiſſe; & inter alios ſcio, paucis abhinc menſibus ad xenodochium veniſſe mulierem quamdam, cujus nomen ignoro, dixiſſeque jam per annos XII morbo ſe conflictari: & poſtquam in valetudinario prope tres ſeptimanas manſiſſet, exceſſit, dicens, ſe, dicta Beata intercedente, omnino ſanatam eſſe: venitque per dies novem illius tumulum veneratura ad agendum Beatæ gratias; verùm nec genus morbi, nec quidquam aliud novi. *Ibidem pag.* 16 *ſic loquitur Maria Roſaſca:* Audivi, à Deo patrocinio B. Catharinæ miracula aliqua patrata eſſe; & inter alia in muliere quadam forenſi, quæ ad xenodochium venit ægrota à duobus jam menſibus, nec incedere poterat niſi difficulter; huic cùm nos xenodochii filiæ conſuluiſſemus, ut Beatæ opem imploraret, die quodam abiit corpus ejus veneratura, eique ſe commendatura; orans hanc ſibi gratiam fieri, aiebat nolle ſe inde diſcedere: poſt tempus aliquod gaudio perfuſa, venit ad valetudinarium, inquiens, ſe beneficium

F

à Bea-

A à Beata obtinuiſſe; & expeditè ambulabat, eodemque die domum ſuam repetiit, ac ſequenti ad xenodochium reverſa eſt Beatam veneratura; ſed eam non vidi, & quantùm intellexi, votivum munus Beatæ detulit.

& altera gangrenâ infecta curantur.

80 *Jam relato beneficio non abſimile teſtatur Catharina Quierola in eodem codice pag. 24 de muliere, quæ toto corpore malè afficiebatur, & ad motum impos erat; aſſeritque, eam Beatæ auxilio ſubitò ſanatam fuiſſe: verùm de eadem fortè muliere ſermo eſt, quam curatam eſſe, vidimus num. præced. ex teſtimonio Mariæ Roſaſca. Sanitatem mulieri gangrenâ in altera è mamillis laboranti redditam fuiſſe, teſtata eſt Maria Magdalena Rizzi verbis num. 76 relatis: de ſimili beneficio, eademque fortè perſona loquitur Joanna Gentilis pag. 27; nam adjuncta conſentiunt, ſolúmque in eo differt narratio, quòd tempus nullum edixerit Maria Magdalena, Joanna verò Gentilis inſuper addiderit annorum quatuor numerum, veriſimiliter ægritudinis durationem per hunc deſignans. Eadem Joanna ſæpe laudati codicis pag. 29 teſtatur, quòd medicus Ghiſulphus, cùm illo ipſo manè, quo Maria Magdalena ſanata*

B *eſt, ægrotos inviſeret, eam ad ſe vocârit, cumque ipſa collocutus agnoverit, Beatæ acceptum deberi beneficium.*

Sanatio Mariæ Rizzi cur habita fuerit miraculoſa?

81 *Laudatus ſtatim Ghiſulphus præter alia multa, quibus teſtatur, Mariam Magdalenam immedicabilem fuiſſe reputatam, pag. 37 ſubdit:* Credidi, eam per miraculum ſanatam eſſe, & exiſtimo, illud ipſum credidiſſe alios aliaſque omnes, qui ægrotam, antè immedicabilem, viderunt. *Medicus autem Lavania pag. 41 rationem reddit, ob quam Mariæ Magdalenæ ſanationem prodigioſam æſtimet;* Quia, *inquit*, ejus generis morbi, ita annorum ſpatio inveterati, naturaliter diſſipari nequeunt, ut dixi, momento temporis, tantò ampliùs, quòd non eſſet remedium extrinſecum, quo ſanaretur: idemque cenſebunt medici omnes & chirurgi, ſi dictum morbum conſiderârint; & in xenodochio univerſim omnes credunt, eam ſanatam eſſe miraculo, B. Catharina patrocinante, obtento. *Aliorum medicorum teſtimonia eadem affirmant, conſentiuntque, laudatam Mariæ Magdalenæ ſanationem ſupra naturæ vires fuiſſe, atque auxilio ſuperioris ordinis adſcribendam eſſe.*

C *Teſtes alterius miraculi;*

82 *Teſtes in confirmationem miraculi, num. 107 Vitæ relati, ſequentes ſignantur in eodem codice à pag. 99 ad 186:*

Magnifica D. Maria Franciſca Xaveria Gentilis ætatis annorum XXXIV, *ſanata.*

Magnificus dominus Paulus Maria Gibelli, doctor phyſicus, ætatis annorum LXX circitèr, *medicus, qui ægrotæ curam gerebat.*

Magnificus & multùm reverendus dominus Leander Sorleo de Gentilibus annorum XXXIV, *ſanatæ frater.*

Magnifica domina Veronica de Gentilibus ætatis annorum XLIX, *mater ſanatæ.*

Margarita Spalla Roſſa ætatis annorum XXVII circitèr, *ancilla in domo ſanatæ.*

Multùm reverendus dominus abbas Ermenegildus Tatis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Olivetanæ, ætatis annorum LXIX, *confeſſarius ſanatæ.*

Bartholomæus Armaninus annorum LI, *bajulus.*

Joſephus Bacigalupus ætatis annorum L circitèr, *bajulus alter.*

Paſchalis Spallaroſſa ætatis annorum XX circitèr, *famulus in domo ſanatæ.* AUCTORE U. S.

Magnifica domina Appollonia de Paſſanis ætatis annorum XXXV circitèr.

Magnificus & multùm reverendus dominus abbas Joannes Antonius Nigronus ætatis annorum XXIII.

Ultimis duobus teſtibus adduntur hæ voces, ex officio.

varia morborum genera, quibus ægra conflictabatur:

82 *Ad hanc porrò Mariæ Franciſcæ Xaveriæ Gentilis ſanationem breviùs in vita loco laudato, & in Bulla canonizationis relatam, hæc ex eodem codice ſubnecto. Primò præter commemoratas varias ægritudinum ſpecies, quibus infelix virgo conflictabatur, ita inſuper lego pag. 89:* Cruciari cœpit morbo ſcorbuto, quem ſociabant intenſiſſimi capitis dolores, dentium ſtridores, ulcera in ore & gutture, aſthma, vehemens tuſſis, acerbiſſimi dolores colici, nauſea ad omnem cibum & potum, graviſſimi dolores in hæmorhoidibus, cordis ſuffocationes, atrociſſimæ convulſiones totius corporis, vigiliæ, deliquia frequentiſſima, aliaque peſſima & ſæviſſima ſymptomata *&c. Pag. 90 humanis remediis immedicabilem fuiſſe morbum declaratur verbis ſequentibus:* Plura à medico præſcripta fuere medicamenta atque adhibita infirmæ remedia, quibus tamen nunquam potuit ſanari: licèt enim aliquod per breve tempus levamen afferrent, nihilominùs morbus poſtea recrudeſcens, ſæviùs illam affligebat. Quocirca medicus judicans, jam morbum eſſe penitus incurabilem, ſatius duxit à dictis medicamentis ceſſare, & eo tantùm caſu, quo convulſiones vehementiores efficiebantur, ad eas aliquantulùm compeſcendas leve aliquod ei propinabatur medicamen. E

Sanctæ ſe commendans, ejuſque tumulum

83 *Non abs re erit etiam nonnulla ſubjicere de ſanationis modo, quæ ibidem enarrantur pag. 90 & ſeqq.* In hoc miſerabili ac deplorabili ſtatu ſe conſtitutam videns præfata nobilis virgo, ac omne prorſus humanum deſperans auxilium, cor ſuum totum jecit in Deum, fidenterque ſe commiſit patrocinio B. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, ſuæ concivis; ad cujus depoſitum anno MDCCXXXIII dono miſit, faſciculum florum ex argento ſuis manibus contextum. Cùmque de menſe Martii ſubſequentis anni MDCCXXXIV novendiales preces in honorem præfatæ Beatæ in civitate Genuæ perſolverentur occaſione adventantis ejus feſti, audiens infirma canere in platea ſuæ domui propinqua cantiunculam in laudem ejuſdem Beatæ, eam ſibi emendam curavit & ſuo pectori admovit. Poſt hæc animo concepit ſe transferri facere ad depoſitum dictæ Beatæ. Quocirca in pervigilio feſtivitatis illius hoc ſuum propoſitum domeſticis aperuit, quorum alter ad riſum motus fuit, putans id exequi nullatenus poſſe. Ipſa verò firma manens in ſuo propoſito, ſacramentali confeſſione dicta die conſcientiam expiavit, atque manè ſequenti, prædictæ Beatæ ſacro, in lecto jacens Euchariſticum ſumpſit panem in honorem ejuſdem Beatæ. F

inviſens, repentè ſanatur, nullo relicto

84 *Interpoſitis ibidem aliis nonnullis, dolores die XXII Martii veſpere dicuntur vehementiſſimè recruduiſſe, perſiſtente nihilominùs ægrota in propoſito adeundi Beatæ ſepulcrum, adeò ut Apolloniæ Paſſani per jocum interroganti, num vellet hoc iter agere, reſponderit,* Se velle ire, etiamſi in mortis articulo conſtituta eſſet, *quod & præſtitit, optatiſſimum voti ſui exitum conſecuta, ut ibidem narratur in hunc modum:* Adveniente manè die XXIII Martii auxilio matris & ancillæ veſti-

AUCTORE U. S.

veſtibus induta dicta infirma, & è lecto ſublata, fuit indè à bajulis, ad hunc effectum accitis, apprehenſa & ſuper ſuis brachiis poſita & in ſella geſtatoria collocata atque ducta ad depoſitum B. Catharinæ. Quò cùm perveniſſet, ſedens in dicta ſella ſacrificium Miſſæ, in altero ex altaribus lateralibus à ſuo fratre ſacerdote celebratum, auſcultavit, eoque completo, ab uno ex bajulis & à dicto ſuo fratre adjuta, è ſella ſurgens greſſa eſt uſque ad tumulum dictæ Beatæ, ante quod genuflectens aliquandiu oravit, ac ferventiùs ſe patrocinio ejuſdem Beatæ pro ſanitate obtinenda commendavit, nec in ejuſmodi actionibus ullum, vel minimum, experta eſt incommodum aut dolorem; indeque cum eodem auxilio fratris & bajuli rediit in ſella, & cùm ad domum reveheretur, in itinere maximam experiebatur lætitiam, quia à morbo ſe jam ſanam cognoſcebat.

morbi veſtigio: ſanatæ gratus in Sanctam animus.

85 *Cetera ibidem commemorata prætermitto, uti & ſumpta à medico experimenta, ut de perfectè recuperata ſanitate conſtaret pleniùs. Quid, quòd tota civitas Genuenſis teſtis eſſe potuerit, cùm dicatur Maria Franciſca die* XXV *Martii cum magno nobilium feminarum & virorum comitatu ad* S. Catharinæ *ſepulcrum ſe contuliſſe, ut Liberatrici ſuæ debitas gratias referret, tumque ita ſubditur:* A die ſecutæ ſanitatis uſque in præſens perfectâ ſemper potita eſt & potitur valetudine; nec ullum, vel minimum, in ea malorum, quibus opprimebatur, remanſit veſtigium. *Omnia teſtium dicta fusè deſcripta verſantur circa naturam morbi, ejus nullo remedio humano medicabilis diuturnitatem, totiuſque rei poſt & ante ſanationem geſtæ ſeriem, ac propterea ex hiſce neceſſe non duxi aliqua hîc tranſcribere. Liquet autem tum ex ipſius ſanatæ Mariæ Franciſcæ Xaveriæ Gentilis, tum ex ejuſdem fratris Leandri ac matris Veronicæ de Gentilibus teſtimonio, ægrotam pollicitam fuiſſe donaria aliqua & votivam tabellam à ſe mittenda ad Sanctæ tumulum, atque inſuper voto ſe obſtrinxiſſe, jejunandi in Vigilia feſtivitatis* B. Catharinæ, *diem quoque ipſum illius memoriæ ſacrum feſtum habendi. Liquet etiam, ægrotam obtentum fruſtulum ſerici operimenti, quo tecta fuerat urna* B. Catharinæ, *pectori admoviſſe, ac nonnihil de oleo lampadis, ante Beatæ tumulum ardentis, bibiſſe, eoque pectus liniviſſe.*

Nominate-ſtium tertii miraculi: nonnulla

86 *Beneficium tertio loco in Vita ſuprà memoratum confirmârunt teſtes ſequentes relati in eodem codice à pag.* 193 *ad* 223:

Blanca Semina ætatis annorum XLII circitèr, *ſanata.*

Reverendus dominus Franciſcus Mutius ſacerdos ætatis annorum XXXIV; *ſanationi præſens interfuit.*

Maria Petra, quondam Petri, ætatis annorum L circitèr, *famula xenodochii Incurabilium.*

Maria Caſaretta ætatis annorum XX circitèr.

Dominus Joannes Antonius Caſtagninus ætatis annorum LV circitèr, *chirurgus.*

Multùm reverendus dominus Leander Sorleo de Gentilibus, ſacerdos, ætatis annorum XXXIV.

Franciſcus Maria Roſati ætatis annorum XLIII circitèr.

Felix Maria Roſati ætatis annorum XVIII circitèr.

Teſtes hi duo poſtremo loco nominati bajuli fuerunt, quorum auxilio Blanca Semina è xenodochio Incurabilium ad ſacellum, in quo S. Catharinæ *corpus quieſcit, delata fuit: ad utriuſque autem nomen adduntur voces,* ex officio. *Ex dictis ipſius ſanatæ, pag.* 193 *relatis, conſtat, eam, audito miraculo ſanitatis redditæ Mariæ Franciſcæ Xaveriæ de Gentilibus, in ſpem quoque erectam fuiſſe obtinendæ meritis* S. Catharinæ *ſanationis, poſtulâſſeque ad illius tumulum deferri, viva fide concepta de illius patrocinio.*

illius adjuncta, & rei geſtæ ſeries.

87 *Alia teſtium dicta prætermitto: pauca de rei geſtæ ſerie ex pag.* 187 *ſubjicio.* Inde verò ferventer ſe dictæ Beatæ commendavit, & circumſtantes etiam oravit, ut unà ſimul cum ea ſuam ſanitatem à Beata peterent. Dum autem ſedens interat Miſſæ ſacrificio, quod in altero ex altaribus lateralibus celebrabatur, internum habuit impulſum ad genua flectenda in propinquo genuflexorio, prout ſtatim ſupra illud ſe projecit, atque ingentem ex hoc experta eſt in genibus dolorem. Indeſinenter interea implorabat auxilium Beatæ, apud quam etiam interceſſorem miſerat S. Franciſcum de Paula, cujus feſtum ea die recurrebat. Atque adeò firmam & certam habebat in dicta B. Catharina fiduciam conſequendi, mediante ejus patrocinio, priſtinam valetudinem, ut magnum ſentiret calorem & ſudore manaret. Euchariſticum inde accepit panem de genu ſemper permanens, abſolutaque gratiarum actione, internè mota fuit ad ſe in pedes erigendum. Cúmque id, nemine auxiliante, ſtatim peregiſſet, videns, nedum poſſe pedibus ſiſtere, ſed etiam manum, quam jam diu contractam habebat, liberè aperire & digitos extendere, protinus elata voce clamavit: "Gratia, gratia, fides, fides.„ Ad cujus rei novitatem adſtantes omnes admiratione & ſtupore pleni remanſerunt, atque in lacrymas præ gaudio effuſi ſunt, ſtatimque de genu Deo & B. Catharinæ grates reddiderunt, atque Hymnum Te Deum cecinerunt, ſacerdote quodam, qui aderat, præeunte. *Quæ ibidem adduntur, declarant, quàm perfectè fuerit ſanata, nullo deinceps è malis, quibus antè oppreſſa gemuerat, conflicta-ta.*

§ VI. Miracula alia ex inſtrumentis canonizationis excepta; nomina teſtium, aliaque adjuncta.

Miracula alia proceſſui inſerta.

PRæter tria iſta miracula tum alibi tum § præcedente commemorata, quæque irrefragabili Apoſtolicæ Sedis oraculo probata & confirmata fuerunt, in laudato codice leguntur tria inſuper alia. *Non fuerunt ea diſcuſſa ad eum modum, qui paſſim ſervatur, ut ſupremo Chriſti Vicarii ſuffragio confirmentur, ob rationem, quam in Præfatione reſponſionis ad Animadverſiones fidei Promotoris lego verbis ſequentibus:* Cùm per Sanctitatem Veſtram quantocyùs conficienda ſit aliorum Beatorum canonizatio, ideo in hac temporis anguſtia, licèt ſex miracula adduxerimus, ſatius ducimus examen duorum ex illis pro nunc ſuſpendere, ut ſcilicet parcendo ita dominorum ſuffragantium labori, celeriùs cauſa expediatur, & quia etiam non omnium dictorum ſex miraculorum probatione indigemus pro canonizatione prædictæ Beatæ, cùm duo vel tria ſufficientia ſint. *Rem porrò gratiſſimam pio lectori facturum me credidi, ſi tria iſta prodigia hîc ſubnecterem.*

89 *Ordior ab eo, quod in codice noſtro recitatur ſecundo loco, quodque, licèt examinatum fuerit,*

AUCTORE U. S.

A

Mulier phthisi aliisque morbis

rit, non tamen approbatum est, cùm, teste Clemente XII in Bulla, stante trium suprà relatorum miraculorum probatione, solemnis Catharinæ *canonizatio tutò decerni posset. Pag.* 51 *sic lego:* A die xxv Novembris anni MDCCXXIX cœpit ægrotare Maria Catharina Rombi, dum excitatis doloribus in ventre ac lateribus, tanquam futuræ imminentis ac insanabilis ægritudinis præcursoribus, stomachi convulsionibus vexata est, cibumque aut sumere aut retinere nequibat; quo tamen symptomate post plures menses aliquantùm superato, plura alia superaddita sunt, quæ lethalem morbi exitum indicabant. Doloribus enim per totum corpus premebatur, molestis etiam vigiliis, diareâ quoque ac morboso sudore accedentibus, febrique hectica per consuetas periodos vexantibus, in tantam devenit virium imbecillitatem, ut continuo jam adstricta decubitu non semel sanctissimo refecta fuerit Viatico, tanquam brevî moritura. Hisce incessanter oppressa morbis, aliquando etiam totâ sanguinis massâ in deterius semper abeunte, erysipelate in capite laboravit.

immedicabilibus repentè liberata:

90 Plura artis remedia adhibita sunt, sed inutili prorsus exitu; quippe morborum resistentia indies evadebat contumacior. Quamobrem, auditis miraculis, quæ ad intercessionem B. Catharinæ à Deo fiebant, in plenam venit fiduciam se eidem Beatæ recommendandi, prout fecit, institutis novendialibus precibus; quas dum incipere meditatur, licentiam petiit à medico & confessario eundi ad sepulcrum Beatæ, & quamvis hæc illi denegata fuerit licentia, vivâ tamen spe conceptâ, non sine tamen maxima difficultate eò se contulit: quippe non nisi aliorum suffulta brachiis, lectum deseruit, vestibus se induit, scalas descendit, nec nisi sellâ gestatoriâ ad beatæ Viduæ sepulcrum accessit. Ibi autem postquam paululùm oravit, se sola genuflectit, & inde stans se admodùm levatam sensit; unde statim deambulavit: potuissetque etiam de periti consilio propriis pedibus redire, nisi ex eo quòd non esset juxta conditionem suam ornata, maluit in eadem sella gestatoria domum repetere, postquam propriam sororem visitaverat.

testes hujus beneficii; claudus uno pede, gressu donatus.

91 *Testes in confirmationem hujus miraculi producti & examinati in laudatis canonizationis instrumentis signantur sequentes à pag.* 55 *ad* 88*:*

C

Maria Catharina Romba ætatis annorum LII, *sanata.*

Dominus Michaël Castagnetus ætatis annorum XXXVII, *chirurgus.*

Admodùm reverendus pater Ignatius Maria à S. Francisco Xaverio, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ætatis annorum LXXIII, *confessarius sanatæ.*

Paula Maria Romba ætatis annorum XL circitèr, *soror sanatæ.*

Magnificus dominus Paulus Hyacinthus de Rubeis ætatis annorum LI, *medicus, qui ægrotam curavit.*

Maria Calcanea ætatis annorum XXXVI, *sanatæ ad tumulum Sanctæ comes.*

Maria Hieronyma Brutia ætatis annorum LX, *comes altera.*

Joannes Baptista Ramersarius ætatis annorum XLIII circitèr.

Baptista Oberti ætatis annorum XXV.

Postremi duo signantur testes ex officio, *fueruntque ii, qui sanatam in sella gestatoria ad Sanctæ tumulum detulerunt: istud autem beneficium, ut liquet ex ipsius sanatæ & sororis ejus Paulæ Mariæ testimonio, obtentum fuit anno* 1734 *Fe-*

riâ tertiâ hebdomadæ Majoris, quæ eo anno incidit in diem XIII *Aprilis. Porrò à referendis testium dictis hîc etiam supersedeo, solúmque observo Michaëlem Castagnetum, sanatæ chirurgum, dixisse, inter alias* S. Catharinæ *patrocinio obtentas sanationes vidisse se quemdam expedito gressu donatum, cùm priùs fulcris sustentatus incedere debuisset, utpote uno pede claudus.*

Apostema è gangræna ortum, enatis etiam **l.* MDCCXXX.

92 *Beneficium quinto loco in codice nostro descriptum, verbis sequentibus recitatur pag.* 225*:* Paula Fava, cùm prægnans esset anno MDCXXX*, per aliquot menses ante puerperium dolorem passa est in mammilla sinistra, qui tantùm abest, ut post partum (secutum XIX Novembris) cessaverit, ut è contra potiùs molestum satis ceperit incrementum; ita & taliter ut anno sequenti tempore carnisprivii in loco doloris tumorem animadverterit, qui tumor, seu verius quod apostema, ad suppurationem pervenit. Sed hoc non obstante, paulò pòst iterum intumuit, oportuitque, ut chirurgus partem aperiret, & inde iterum aliam partem, ad quam diverterat pernicioси humoris copia. Per duos circitèr menses diligens cura adhibita fuit, sed tandem idem curæ chirurgus habuit eam pro deplorata, & morbum ipsius pro insanabili, prout etiam de tali insanabilitate fuit admonita ab alio chirurgo, & à medico de Rubeis.

E

ulceribus pluribus, curatur:

93 Recurrit & ipsa ad opem supernaturalem B. Catharinæ, pro cujus intercessione apud Deum impetranda, novendiales preces instituit. Prima harum die se contulit ad B. Catharinæ sepulchrum, invocavitque ejus præsidium & ulcus inunxit oleo lampadis. Domum vix rediit, acerbioribus fuit vexata doloribus, & tumor mammillæ auctus est & novem ulcera apparuerunt, ita & taliter ut œstro quodam desperationis percita, Beatam amarè allocuta est, dicens: "Cara Beata, de caritate „ tua grates ago: hæccine est gratia, quam mi„hi vis præstare? Video eam ad mortem ducere, „ nec ampliùs volo ad te visendum accedere: „ hac tamen fœminea garrulitate non obstante, dum ægra somnum caperet, apparuit illi B. Catharina, quæ dixit, ut surgeret, quia sana erat. Evigilans ergò novam & vividiorem concepit fiduciam, & iterum ad sepulchrum accedens ad gratias agendum Beatæ, dum inde domum reversa est, unum ex ulceribus sanatum vidit; secunda die secundum, & aliud in tertia, ita ut singulis ex novem diebus singula ex novem ulceribus perfectè sanata apparuerint, nullumque prorsus incommodum senserit.

F

nomina testium pro hoc miraculo,

94 *Testes verò super hoc beneficio auditi & examinati à pag.* 227 *usque ad* 252 *sequentes notantur:*

Paula Fava ætatis annorum...., *sanata.*

Dominus Antonius Maria de Rubeis ætatis annorum XLIII circitèr, *chirurgus.*

Dominus Joannes Antonius Castagninus ætatis annorum LV circitèr, *alter chirurgus.*

Nicoletta Valentina ætatis annorum XLVI circitèr.

Teresia Tonsa ætatis annorum L circitèr.

Stephanus Fava ætatis annorum XLIX circitèr, *sanatæ maritus.*

Magnifica domina Julia Maria Rosa de Furnariis, vid. rel. qu. illustrissimi domini Alexandri Marii, patritia Januensis ætatis annorum LIII circitèr.

Spectabilis dominus Ignatius Curletti ætatis annorum XXXV, *medicus.*

Ad duo ultima nomina adjiciuntur voces ex officio.

AUCTORE U. S. aliaque circa illud observanda.

95 *Testium dicta similiter hic omitto, pauca ex iis ad beneficii mox relati notitiam ampliorem breviter observâsse contentus. Sub num.* 92 *initium per asteriscum notavi legendum esse* anno MDCCXXX, *non* MDCXXX, *ut ex typothetarum oscitantia scribit codex noster in miraculi hujus historia: nam præterquam quòd ex ipsius sanatæ dictis manifestè constet anno* 1730 *ægritudinem cœptam esse, certum est ex Facto concordato, anno tantùm* 1733 *à sacra Congregatione concessam esse facultatem pro examinandis testibus, quos inter sanatæ maritus asserit, eo tempore, quo auditus fuit, quatuor circitèr annos effluxisse, ex quo uxor sua gravi isthoc malo conflictari cœpit: tempus autem, quo tenuit ægritudo, mensium fuit circitèr novemdecim, sanatio autem contigit mense Junio anni* 1732, *at dies non signatur. Observandum insuper non una dumtaxat Sanctæ apparitione donatam fuisse sanatam, sed gemina: in priore ait ægrota, monitam se fuisse, ut de lecto surgeret, cùm Dei Sanctissimæque Virginis beneficio sanata esset: in altera, quæ nocte insequenti contigit, Paulam denuò jussit Sancta de lecto surgere, asserens suum in omni labore & angustia illi affore subsidium, nec umquam se, dummodò Dei & Sanctissimæ Virginis servitio piè se impenderet, defuturam.*

B

Puer ab utero ad gressum impotens

96 *Sextum miraculum codex noster pag.* 253 *refert hisce verbis:* Petrus Joannes Regaggi, qui hujus lucis usuram assecutus est die 1 Novembris anni MDCCXXVIII, cùm perveniſſet ad ætatem, quâ gressus formare debebat, agnitum fuit à matre, crus sinistrum adeò debile, infirmum & vitiatum habere, ut pedibus nullatenus stare posset. Applicita ei fuerunt, dum secundum circitèr agebat annum, nonnulla remedia, quæ tamen nullum prorsus attulerunt juvamen. Quapropter postquam quartum circitèr attigerat annum, cùm incedere nequiret, nisi reptans, aptata illi fuerunt fulcra, quibus se sustentaret, seseque proveheret. Audiens autem genitrix continua miracula, quæ patrabantur ad intercessionem B. Catharinæ Fliscæ Adurnæ, statuit ad illius sepulchrum deferre dictum puerum, firmiter sperans, à Deo impetraturam esse, quòd mediante patrocinio dictæ Beatæ ibi fulcra ille reliquisset, & sine alieno auxilio ambulâsset, hujusmodique suum propositum eidem filio communicavit.

C

ad Sanctæ tumulum mirabiliter sanatur:

97 Aliquibus post hæc elapsis diebus, cùm manè diei xxx Martii MDCCXXXIV dictus puer unà cum matre ad vicinam ecclesiam se contulisset, ut ibi sacrum audiret, eo absoluto matrem requisivit, ut executioni mandaret, quod deliberaverat & promiserat, eum deferendo ad sepulchrum prædictæ Beatæ: sed genitrix id efficere non valens, utpote quia mala valetudine detinebatur, dixit filio, quòd ipse unà cum fratre ac altero consocio puero se illuc transferret, prout statim executus est, eóque cùm perveniſſet, Missæ sacrificio, quod tunc in altero ex altaribus lateralibus celebrabatur, interfuit. Tempore autem celebrationis dictæ Missæ plures præfatus puer fudit preces in honorem memoratæ Beatæ, cui etiam fidenter ac sancta simplicitate ita dixit: "Pulchra, cara Beata, hîc tibi relin-„quo fulcra, & sine iis hinc abire cupio.„ Et ô mira Dei potentia! Completo Missæ sacrificio, pedibus puer stetit & quidem sine fulcris, licèt adhuc crus debile & vitiatum, ut antè, haberet, indeque gaudio plenus, relictis fulcris super altari existente prope sepulchrum prælaudatæ Beatæ, illinc statim discessit, & liberè, expeditè ac nemine auxiliante, gradiens, scalas hospitalis descendit, & domum exultans reversus est, magna populi multitudine eum associante, & lacrymas præ lætitia continere non valente, atque ab inde citrà liberè semper & absque ullo fulcimento ambulavit & ambulat, ac ad venerandum sacrum Beatæ corpus quotidie accedit, non obstante, quòd adhuc crus in primævo debilitatis & infirmitatis gradu permaneat. D

nomina testium; pueri sanatio

98 *Miraculi hujus testimonium perhibuerunt infrà scripti, in codice nostro relati à pag.* 257 *usque ad* 284:

Anna Maria Regaggi ætatis annorum xxxvi circitèr, *sanati mater.*

Dominus Michaël Castagnetus ætatis annorum xxxvii, *chirurgus.*

Dominus Franciscus Maria Monno ætatis annorum lii circitèr, *chirurgus alter.*

Maria Franciſca, filia majoris hospitalis civitatis Januæ, ætatis annorum xxxiii.

Gertrudis, filia majoris hospitalis Januæ, ætatis annorum xxix circitèr.

Joseph Regaggi ætatis annorum xxxii circitèr, *pater sanati.*

Maria Nicoletta Natina ætatis annorum xxxviii circitèr. E

Petrus Laurentius Sueglia ætatis annorum li circitèr.

Postremi duo signantur testes ex officio. *Observa hîc, dicti codicis pag.* 277 *ita legi:* Quo examine (*Josephi Regaggi, genitoris sanati*) expleto &c., dominationes suæ illustrissimæ & reverendissimæ mandaverunt introduci in præsentem cappellam puerum Petrum Joannem Sanctem Regaggi &c., ad effectum illum ocularitèr inspiciendi & audiendi: quo introducto, & per dominationes suas illustrissimas bene inspecto & diligenter considerato &c, fuit admonitus, ut narret omnia, quæ sibi acciderunt antè & de tempore ejus sanationis; qui respondit. &c.

legitimè recognita.

99 *Relatis ibidem pueri sanati dictis, subditur pag.* 278: Post prædicta illustrissimi & reverendissimi domini judices attentè considerârunt & inspexerunt dictum puerum, eumque deambulare fecerunt, & repererunt, illum sine aliquo auxilio baculi vel personæ liberè deambulare; habere tamen crus sinistrum debile & invalidum, adeò ut illud secum trahat, & etiam propter experimentum factum illud manibus suis elevet supra caput: & hoc non obstante super crure illo & pede se sustinere & deambulare, ipsumque puerum ex facie sua esse bonæ indolis, & naturaliter & puerili modo narrâsse ea, quæ suprà deposuit. *Testium de hoc miraculo dicta nihil etiam continent, quod speciatim hîc commemorandum sit: obiter tamen observandum ex Michaëlis Castagneti chirurgi testimonio, immedicabilem fuisse sanati impotentiam ad incedendum; rationem autem reddit his ferè verbis: Ob defectum naturalem, quo in genu malè à nativitate organizato laborat puer iste, censeo naturaliter eum incedere non posse; ipse autem gressus, quo etiam veloci fruitur, beneficium est singulare,* B. Catharinæ *meritis obtentum: perseverabat etiamnum scilicet postquam gressu donatus esset, ingenitum vitium in poplite malè organizato.* F

Sancta tota orbe celeberrima, exemplum sanctitatis à multis statuitur.

100 *Finem hîc impono Gloriæ Sanctæ posthumæ, instrumenta alia cùm nacti non simus, quibus eam fusiùs liceat adornare: pauca autem transcribo ex Præfatione responsionis ad animadversiones fidei Promotoris; ita Clementem XII auctor alloquitur:* Agitur de celeberrima Beata, cujus virtutes he-

roi-

A roïcæ ... jam approbatæ ſunt, ... & toti Catholico orbi notiſſima eſt, tum ob heroïcam illius ſanctitatem, tum ob ſtupenda prodigia, quæ Deus optimus maximus in ea adhuc vivente operari dignatus eſt, ... tum quia ab omnibus ferè aſceticis ſcriptoribus, & ſignanter à S. Franciſco Saleſio in ſuis Operibus, & à pluribus aliis Servis Dei in exemplum virtutis & ſanctitatis adducitur *&c. Verba hæc, quibus Pontificem hortatus eſt ad* Catharinæ *canonizationem celeriùs abſolvendam, ego adhibeo, ut oſtendam, minimè dubium mihi eſſe, quin præter memorata ſub initium § 4 hîc publicæ venerationis monumenta, Sanctæ erecta, plura alia reperiantur, non* Genuæ *modò, ſed & apud exteras longéque diſſitas nationes, apud quas, tam avidè excepta eſt Vita illius, nulla adhuc auctoritate legitima cælitibus adſcriptæ, ut probant frequentes Vitæ editiones § 1 Commentarii prævii relatæ. Addo etiam verba, quibus ſub finem Hiſtoriæ ſuæ utitur biographus antiquior:* Supereſt, ipſum miſericordiſſimum Dominum deprecemur, ut per interceſſionem hujus beatæ Animæ (*cui hujus laboris mei primitias reverenter conſecro*) nobis abundanter amorem ſuum infundere dignetur. D

DE S. LEONTIO MART. ROMANO,

QUI COLITUR IN MONASTERIO MURENSI IN HELVETIA.

B E

COMMENTARIUS. J. P.

§ I. Notitia auctorum, quibus uſi fuimus, & monaſterii, ad quod Sancti corpus tranſlatum eſt ſeculo XVII.

Tempus martyrii incompertum,

PLures *in tabulis & ſacris Faſtis occurrunt Martyres, quibus nomen fuit* Leontius, *pluréſque veriſimiliùs eodem olim appellati, comprehenduntur in numeroſis ſanctorum Martyrum catervis, quæ adeo frequenter, omiſſis nominibus, annuntiantur: utrùm Sanctus noſter ex hiſce unus ſit, an ex iſtis, æquè nobis incompertum eſt.* Leontio *nomen ei fuiſſe, credere nos jubent monumenta inferiùs alleganda, Sanctum eſſe, clamant miracula & beneficia, quæ ad ejus invocationem fiunt continuò, quæque ſimiliter infrà enarrabimus; at quo anno vel die martyrii laureâ coronatus ſit, imò quo ſeculo vixerit, nullo* C *teſtimonio, ſaltem fide digno, edocemur. Hoc autem die de ipſius gloria agimus unicè; quia eo ipſo recurrit memoria ſolemniſſimæ ſacrorum oſſium tranſlationis, inchoatique cultûs inſignis in eccleſia monaſterii Murenſis, ubi uſque nunc eadem ſacra oſſa honorificè aſſervantur.*

Notitia auctorum, qui huic Commentario

2 *Ad Commentarium hunc de* S. Leontio *conficiendum materiam nobis ſubminiſtrârunt duo potiſſimùm ſcriptores, quorum, quia ſoli ferè, ac ſæpiùs laudandi erunt, hîc notitiam præmittimus. Primus eſt R. P. Mauritius Pfleger, monaſterii Murenſis ſacerdos & auctor libri Germanico idiomate conſcripti, ac typis vulgati anno* 1706, *qui in præfatione ſua ad lectorem hiſtoriam tranſlationis reliquiarum exhibet, deinde miracula ac beneficia, poſt tranſlationem facta, fuſè enarrat. Alter eſt R. P. Leodegarius Mayer, notarius Apoſtolicus & ejuſdem celeberrimi Murenſis monaſterii hodiernus decanus: hic autem binas relationes propria manu exaratas, ſubſignatas, & ſigillo munitas ad nos direxit anno* 1749, *curante R. P. Mauritio Chardon piæ memoriæ, tum Conſtantienſis in Suevia, collegii Societatis Jeſu rectore, viro de ſtudiis noſtris optimè merito.*

materiam ſubminiſtrârunt,

3 *Priori Mayeri Opuſculo is titulus præfigitur:* Relatio vera & ſuccincta de tranſlatione ſacrarum reliquiarum D. martyris Leontii, verè thaumaturgi, ex cœmeterio Calliſti ad monaſterium Murenſe S. Martini, Ordinis ſancti patris Benedicti in Helvetia. *Toti verò Lucubrationi, ut, qua fide conſcripta, & unde deprompta ſit, agnoſcas, ſequentem clauſulam ſubnectit:* Atque hæc ſunt, quæ ego infrà ſcriptus de reliquiis S. Leontii martyris, earumque ex cœmeterio Calliſti ad monaſterium Murenſe tranſlatione ex archivi noſtri tabulis, aliiſque veris documentis, nec non ſcientiâ certâ, & ipsâ propriâ experientiâ fideliter extraxi & in compendium redegi. P. Leodegarius Mayer, principalis monaſterii Murenſis decanus, notarius apoſtolicus, manu propria. *De ſecunda viri clariſſimi relatione, quæ beneficia & miracula* S. Leontii *complectitur, ſermonem inſtituemus, quando hujus potiores partes cum Pflegeri præfatione collatas & inde paululùm auctas ac confirmatas dederimus.* F

Situs & origo monaſterii Murenſis,

4 *Exorditur itaque laudatus Mayerus per brevem aptamque deſcriptionem ſitûs, originis, atque excellentiæ monaſterii Murenſis, hoc modo:* Mure, vel, uti hodie vocant, Muri monaſterium eſt, & abbatia Ordinis S. P. Benedicti in Argovia Helvetiæ ſita, à Wernhario Argentoratenſi epiſcopo, qui caſtrum Habſpurg conſtruxit, ejuſque fratre Radebothone, primo comite de Habſpurg, nec non Ita duciſſa de Lotharingia hujus conjuge, hodiernæ Domus Habſpurgo-Auſtriacæ protoparentibus, fundata anno Domini MXXVII. Horum intuitu fundatorum (nam Radebothonis & Itæ cadavera, diſtinctis ſepulchris muratis, in ipſo monaſterii templo ante fores chori condita ſunt, uti anno MDCCI ipſi, reſeratis tumulis, oculis perſpeximus) horum, inquam, intuitu fundatorum ac protoparentum ſuorum Leopoldus Magnus Romanorum imperator auguſtiſ-

AUCTORE J. P.

simus abbatem Placidum de gente Zurlaubinorum, baronum de Thurn & Geſtellenburg natum, ejuſque ſucceſſores perpetuos in Album ſacri Romani imperii principum adoptavit & adſcripſit &c ipſo prædicto anno MDCCI. *Hinc tranſiturus ad ipſam enarrationem tranſlationis, notat, quòd tempore, quo hæc facta eſt, abbatiæ præfuerit* reverendiſſimus dominus Dominicus Tſchudi de Greblang, dictus Jurium monaſterii reſtaurator, vir propter vitæ merita, ſcientiam & rerum agendarum peritiam prudentiamque tam in Helvetia, quàm in regionibus diſſitis, auliſque principum, regum & imperatorum magna pollens auctoritate: Prior verò conventûs P. Benedictus Lang, ſcientiâ æquè, ac virtutibus & pietate, conſpicuus, qui xxxv annis prioratum tenuit. *Atque demum rem ita aggreditur.*

quò corpus Sancti

5 Anno Domini MDCXLVII, annuente ſeu jùbente ſanctiſſimo domino noſtro Innocentio PP. X (è cœmeteriis Romanis, *hæc addo ex Pflegero*, elevari aliquot Sanctorum corpora, quibus munerarentur perſonæ illuſtres) prænobilis ac ſtrenuus dominus Joannes Rudolphus Pfiffer, de genere patritio Lucernenſi, excubiarum Pontificiarum locumtenens (tempus opportunum ratus, *hæc denuò ex Pflegero addita ſunt*, quo tanti theſauri particeps redderetur, poſt multas & continuas efflagitationes ac preces non abſque inſigni gratia & favore à Sanctitate ſua) tria ſanctorum martyrum corpora, nempe Leontii, Baſilii & Lucinæ ex cœmeterio Calliſti eruta obtinuit, cum facultate ea retinendi, donandive, atque publicæ fidelium venerationi exponendi, prout de more &c. *Ubi hîc deſinit Mayerus, ita proſequitur Pflegerus*; Et cum licentia ordinarii in quolibet templo vel oratorio ea publicæ fidelium venerationi exponendi, prout patet ex ſubjuncto authentico inſtrumento, cui in eumdem finem manu propria ſubſcripſit celſiſſimus princeps epiſcopus Conſtantienſis.

B

erutum è cœmeterio Calliſti,

6 Alexander Victricius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Alatrinus, Eminentiſſimi & reverendiſſimi D. Cardinalis, ſanctiſſimi D. N. Papæ vicarii, in alma Urbe viceſgerens. Univerſis notum facimus, & atteſtamur, qualiter nos ad majorem Dei gloriam ac Sanctorum ſuorum venerationem, donavimus & conſignavimus illuſtriſſimo domino Joanni Rudolpho Pfeiffer, civi Lucernæ & excubiarum ſanctiſſimi domini noſtri Papæ Innocentii X locum tenenti, corpora SS. Baſilii, Leontii, & Lucinæ martyrum, aliàs de mandato S. D. N. Innocentii Papæ X ex cœmeterio Calliſti extracta, cum facultate apud ſe retinendi, aliis donandi, extra Urbem tranſmittendi, & in quacumque eccleſia ſeu oratorio publico fidelium venerationi, de licentia ordinarii, exponendi. In quorum fidem has præſentes manu noſtra ſubſignavimus, noſtrique ſigilli juſſimus impreſſione muniri. Romæ hac die xv Maii MDCXLVII. Alex. epiſcopus Alatrinus viceſc.; Franciſcus Joannes epiſcopus Conſtantienſis; Bern. Gasbarra, ſecr. di. ill. *Hæc apud Pflegerum. Nunc Mayeri enarrationis filum reſumimus.*

C

anno 1647 Româ

7 Ipſaque corpora per admodùm reverendum dominum, ſacræ theologiæ & ſacrorum canonum doctorem, Udalricum Rieger, qui pro ſuis negotiis tum Romæ agebat, in Helvetiam miſit (*memoratus dominus Pfeiffer*) ac dono conſignavit & dedit corpus S. Leontii monaſterio Murenſi; corpus S. Baſilii monaſterio Rhenovienſi, ejuſdem Ordinis & congregationis Helveticæ; corpus verò S. Lucinæ illuſtri collegio nobilium canoniſſarum in Seckingen Fridgaudiæ, datis ſub IV Junii ad abbatem Dominicum literis, quibus ſacratum pignus eidem in teſtimonium ſuæ in monaſterium propenſionis præſentat. Deinde monet, ut idipſum condignâ reverentiâ & honore, uti ſibi ſeriò injunctum & mandatum ſit, recipiat: ac tandem reliqua domino Riegero oretenus referenda committit.

D

tranſlatum fuit.

8 Idem igitur clariſſimus doctor Riegerus, aliàs parochus Jeſtettenſis in Clegovia, exactis in itinere XIX diebus, XXIV die ejuſdem menſis Junii Lucernam, urbem inter Catholicas Helvetas primariam, & ſex dumtaxat horis à Muris diſtantem, ſupradictas reliquias attulit. Et poſtridie, accepto de ejus felici adventu nuncio, miſſus eſt quidam ex patribus de conventu noſtro, ut divi præprimis Leontii ſacra lipſana eminus veneraretur, atque honorificè ad Muros comitaretur. Die tandem XXVII Junii ipſe Riegerus ſacrum D. Leontii corpus nomine ſupradicti domini Pfifferi actu ſolemni in teſtium præſentia reverendiſſimo abbati Dominico ejuſque conventui Murenſi donavit ac tradidit irrevocabiliter, unâ cum literis authenticis Alexandri Victricii epiſcopi Alatrini, Eminentiſſimi domini vicarii vices-gerentis, de donatione & conſignatione prædictorum ſacrorum corporum domino locumtenenti Pfiffero facta, atque inſtrumento publico, ſub fide notariatûs erecto ſuper receptione, donatione ac reali traditione & acceptatione corporis S. Leontii, à ſe proprio ac commiſſario nomine executioni demandatis. *Mayero apprimè conſonat Pflegerus, addit tamen inſtrumento proximè memorato ſequens eſſe exordium:* Præſenti publico inſtrumento cunctis ubique pateat &c.

E

Quanto apparatu ac pompa illic receptum ſit.

9 *Pergit dein Mayerus exponere, quo pacto, & quo apparatu ac pompa ſacræ reliquiæ delatæ fuerint in eccleſiam Murenſis monaſterii:* Ab illa ergo die, *inquit*, reverendiſſimus abbas patreſque noſtri ſacra oſſa arte Phrygia exornari fecerunt, & ad ſolemnem tranſlationem eorumdem ad eccleſiam monaſterii atque altare cuncta ſollicitè paraverunt, atque adeo diem XV menſis Septembris feſtivitati conſignaverunt: cujus pridie diei Veſperæ ſolemnes ritu primæ claſſis de ipſo ſancto Martyre fuerunt decantatæ, ac deinceps totum Officium cum octava de eo celebratum. Ipſa præfata die circa horam ſeptimam proceſſionaliter itum eſt ad tentorium medio in campo, qui monaſterio adjacet, erectum, ibique præhabito brevi ſermone ad populum, ſacrum corpus de ſub dicto tentorio, à quatuor levitis in humeros ſublatum, & in proceſſione per aliquas itineris ambages ad baſilicam delatum eſt ſub repetito feſtivo ſonitu campanarum, muſices, ſclopetorum, tormentorumque majorum. Ipſa verò proceſſio (cui præter abbatem noſtrum ſupranominatum etiam interfuêre illuſtriſſimi principes & abbates Pius San-Gallenſis, & Placidus Einſidelenſis) omni quantùm licuit pompa, pulcherrimoque ordine celebrata fuit. Hanc excepêre conciones duæ * eodem tempore, ſed propter multitudinem populi diſtinctis in locis habitæ, ac, hiſce terminatis, cantata Miſſa ſolemnis ante ipſas reliquias in ara collocatas, ac tandem etiam Veſperæ celebratæ fuerunt.

F

* *Pflegerus* tres

Prodigium, quod paulò pòſt

10 *Singula hæc habet etiam Germanicè Pflegerus in præfatione, ſed pluribus exornata adjunctis, quæ, brevitatis cauſâ haud dubiè, prætermiſit Mayerus, quibuſque eadem de cauſa & nos ſuperſedemus. At poſt ſic enarratam tranſlationem unum addit Pflegerus, à Mayero, qua de cauſa ignora-*

A *ramus, similiter prætermissum. Quod tamen memoratu dignissimum erat, si modò de facti veritate sufficienter constabat. Equidem nihil video, quod de fide laudati Pflegeri, qui certè à rei factæ temporibus non adeo remotus fuit, ut de ea nequiverit plenè instrui, dubitare me jubeat, ac proin, juxta eamdem ejus fidem, rem, prout factam esse ait, hìc referri posse judicavi. Incredibile esse, asserit primùm, quanto fervore ac pietate parochi locorum circumjacentium, unà cum grege, curæ suæ commisso, per integrum octiduum ad ecclesiam Murensem confluxerint, salutaturi ac culturi novum hospitem* Leontium; *adeo ut unica die, nominatim* XXI *Septembris, divo Matthæo apostolo sacra, unà illic adfuerint aliquot hominum millia, atque ea occasione contigerit memorabile prodigium.*

ibidem contigisse traditur.

11 *Cùm enim ex densa hominum invicem comprimentium multitudine subversa esset lampas, appensa ante altare S. Michaëlis, effusum est oleum in vestem sacerdotis ex panno bombycino operis Damasceni coloris rubri confectam, adeo ut non modò ipsum pannum, sed & alium ipsi assutum penetrârit, & sacerdos, qui eâ indu-*

B *tus jam celebraturus erat, ac reliqui adstantes omnes prorsus corruptam existimarent. Sepositа est itaque vestis; at die proximo sic illæsa reperta, ut nec ulla macula, nec minima quidem coloris immutatio adverti posset, acsi nullâ umquam olei guttâ fuisset contacta. Mirati sunt summopere ii præsertim, quibus natura hujuscemodi pannorum perspecta erat; attamen ad pleniorem veritatis explorationem ejusdem speciei pannum oleo humectârunt, qui & colorem amisit, & retinuit maculas.* Hoc manifestum indicium fuit, *inquit auctor*, quòd S. Leontius non absque ingenti prodigio ornatum, illo die adhibitum in honorem suum, omni damno expertem voluerit.

§ II. Sancti nomen, martyrium, aliaque huc spectantia; cultus insignis.

Observantur quædam de Sancti nomine,

M*Ayerus post descriptionem translationis, § præcedente recitatam, procedit ad discussionem seu probationem eorum, quæ nos num. 1 verbo attigimus; ac primò de Sancti nomine sic disserit:* Leontius nomen est sancto Martyri nostro proprium, non, ut sæpe fieri assolet, affictum. Cujus rei veritas probatur ex inscriptione, quæ sepulchrali lapidi ejus incisa legebatur his verbis, LEONTI IN PACE. Quamquam autem in Actis nostris, quæ diligenter perlustravi, de hoc lapide sepulchrali nulla fiat mentio; est tamen traditio indubia, quæ à patribus nostris, qui tempore prænominatæ translationis vixerunt, & quorum quidam mea ætate superfuerunt, derivata est & propagata, talem lapidem sive juxta sive supra corpus hujus Martyris inventum fuisse. Inde est, quòd idem lapis cum nomine supra notato in picturis & iconismis veteribus & recentioribus expressus inveniatur.

quod lapidi sepulcrali inscriptum fuisse traditur;

13 *Sanè non tantum inter annos 1647, quo facta est translatio, & 1749, quo monumenta pro gloria* S. Leontii *illustranda nobiscum communicata sunt, fluxit temporis intervallum, ut dubitare debeamus de veritate traditionis, à Mayero litteris consignatæ, atque jam dudum, eodem teste, picturis & iconismis inscriptæ. Sed hisce etiam sepositis, ipse inscriptionis tenor suadet utcumque, eam non esse gratis confictam. Nam statuamus tantisper, aliquem inveniri usque adeo impudentem, qui, ut corpori, tamquam martyris cujusdam, ex cœmeteriis Urbis eruto, auctoritatem conciliet, inscriptionem confingat, eamque ut in lapide sepulcrali inventam venditet; equidem mihi prorsus persuadeo, ab hujusmodi homine producendam esse inscriptionem diversam ab ea, quam de* S. Leontio *refert traditio; talem nempe, quæ particulas, martyrium clariùs indicantes, contineat, quales non continet nostra inscriptio* Leonti in pace. *Etenim voces hæ* in pace, *nisi aliæ adjiciantur, communes sunt martyribus, confessoribus, ac reliquis Christi fidelibus, ibidem sepultis.*

AUCTORE J. P.

item de aliis

14 *Scio inventos fuisse, quibus monogramma* ☧ *visum fuit martyrii indicium, juxta quorum opinionem suppleri posset, quod inscriptioni deest; nam, quod non observavit, vel observatum non addidit Mayerus, hujusmodi monogramma lapidi sepulcrali* S. Leontii *insculptum fuisse, colligere licèt similiter ex memoratis à Mayero iconismis,* E *in quorum saltem uno huc transmisso monogramma lapidi inscriptum repræsentatur. Sed ea sententia adversarios habet hodie eruditos passim omnes usque adeo, ut Ludovicus Muratorius tom. 5 Antiquitatum Italicarum col. 54 scribat in hunc modum:* Neque enim refellere opus est vulgi opinionem, putantis monogramma christianum... martyrii fidem facere. *Imò non defuerunt, qui signum istud characterem esse voluerunt non martyris, sed confessoris; utriusque opinionis assertores vide in præclaro Opere de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione lib. 4 parte 2 cap. 27, ubi auctor, sanctissimus Dominus Benedictus XIV PP., universam Ecclesiam hodie feliciter gubernans, de hac materia fusè & more suo eruditè differens, relata utraque opinione, ita concludit:* At verius videtur, symbolum illud, si solum sit, nec significare martyrem nec confessorem, sed hominem dumtaxat, qui Christianam religionem professus sit.

ad martyrium,

15 *Itaque ipsa, ut mox dicebam, inscriptio, utpote ex qua, etiam conjuncta cum monogrammate, nec martyrium nec sanctitas eruitur, suspicionem fictionis utcumque amovet, atque sic credibilior redditur traditio de invento lapide, firmiusque hinc deductum à Mayero argumentum pro vero nomine sancti Martyris. Pro vero, inquam, nomine; nam de titulo Martyris securè esse possumus ac debemus; cùm illustrissimus Alatrinus, eminentissimi Cardinalis vicarii vices gerens, in litteris testimonialibus, num. 6 recitatis, diserte asserat, esse* corpora SS. Basilii, Leontii & Lucinæ martyrum; *licèt enim frequentissimè contingat, corporibus Martyrum ignotorum, ut vocant, è cœmeterio aliquo erutis, nomina imponi à Cardinali vicario vel ab episcopo Apostolici sacrarii præfecto; numquam tamen martyris titulum illis attribuunt, nedum publicis litteris inserunt, nisi de martyrio constet ex adinventis juxta eadem corpora martyrii signis.* F

& ad hujus indicia pertinentibus.

16 *In iconismo seu imagine num. 14 citata, genius repræsentatur manu porrigens vasculum aliquod, quo indicari existimo, repertum fuisse juxta Sancti nostri exuvias, vas simile ejusdem Sancti tinctum sanguine, præcipuum ac certissimum martyrii argumentum; imò teste sanctissimo domino Benedicto XIV libro & capite suprà laudatis, totum ejusdem hodie fundamentum,* Qui modò,

AUCTORE J. P.

inquit, præsunt eruendis corporibus è catacumbis; à nobis... interrogati, dixerunt, se solam palmam non habere pro sufficienti signo martyrii, sed totum fundamentum à se constitui in vase sanguine tincto. *Eamdem quoque praxim observatam fuisse seculo præcedente, clarè significat Raphaël Fabrettus, qui sub annum 1675 Cardinali vicario fuit à secretis, libro de Inscriptionibus antiquis cap. 8 pag. 555, ubi describens signa lapidis sepulcralis è cœmeterio B. Castuli, ita habet:* Cultrum istud seu falcem lateralem cum palmæ ramusculo in ea insculpto, fuisse instrumentum martyrii, non invitus credo, significati etiam per vasculum appictum, in quo sanguis asservari solebat; ita ut & hodie similes ampullæ vitreæ sanguineâ & purpureâ crustâ obductæ, frequentissimè in sacris cœmeteriis juxta martyrum loculos, quà capita decumbunt, reperiuntur, certissimo effusi sanguinis argumento, quo præcipuo, imò & unico usus sum, dum sacrarum reliquiarum extractioni & custodiæ præfui. *Plura super hac materia, vide in laudato Opere Benedicti PP. XIV cap. 27 & 28 libri 4 partis 2. In eadem imagine lampas cernitur imposita lapidi,*

B *quem manibus sustentat genius alter; at quid eâ indicatum voluerint, incompertum mihi est: fortasse cum aliis ad Sancti sepulcrum adinventis instrumentis eruta fuit lampas, quales antiquissimis etiam temporibus ante Sanctorum tumulos accendebantur; sed fortasse etiam per lampadem hic exprimitur prodigium, relatum num. XI. Redeo ad Mayerum.*

17 Extat, *inquit*, in Martyrologio Romano ad VIII Cal. Maii memoria sanctorum martyrum Eusebii, Neonis, Leontii, Longini & aliorum, qui in persecutione Diocletiani post diros cruciatus gladio percussi sunt. At hi Nicomediæ, non Romæ, passi, atque sepulti sunt; ut adeo nedum dicere, sed nec suspicari liceat, sancti martyris nostri Leontii nomen & memoriam expressam in Martyrologio Romano vulgato contineri. *De memoratis Martyribus Nicomediensibus disputavit Henschenius noster tom. III Aprilis pag. 263 contra auctores pseudochronicorum Flavii Dextri & Juliani Petri atque horum defensorem Tamajum, qui martyrii palæstram in Romano Martyrologio notatam non reperientes, eam in Hispania collocârunt, ut frequenter aliàs ab ipsis*

C *factitatum fuisse, erudito orbi hodie notissimum est. Eadem occasione correxit etiam laudatus Henschenius Proprium Sanctorum Osnabrugensis ecclesiæ, ubi ad eamdem diem XXIV Aprilis præscribitur Officium de* S. Leontio *martyre, cujus corpus illuc Româ delatum fuit anno 1641, & in Lectione IV narratur martyrium, acsi* Leontius *ille idem foret, qui eo die annuntiatur in Martyrologio Romano, & cum sociis Eusebio, Neone, ac Longino martyrium subiisset in ipsa urbe Romana. His denique subjecit Henschenius sequens monitum:* Quibus aliisque, similes ex Romanis cryptis reliquias habentibus, suaderemus, ut, omissa frustranea solicitudine plus aliquid quàm nomen de iis sciendi, pro die cultûs accipiant eum, quo translatæ sunt; ne si eligant eum, quo similis nominis Martyr inscriptus est Martyrologio, se suosque posteros inducant in errores & abusus, haud facilè emendabiles.

Licèt hujus Leontii nomen Romano Martyrologio insertum non credatur;

18 *Monitum sequitur Mayerus & ab ulteriore disquisitione absistens subdit:* Nihilominus à prima die translationis præfatæ usque in præsentem ætatem totum quotannis Officium solemnissimè, id est, sub ritu duplicis primæ classis cum Octava celebravimus; legunturque de eo diebus, festo duplici non impeditis, Missæ votivæ: imò in festis etiam duplicibus Missæ votivæ solemnes propter necessitates publicas & graves. Supereſt etiam ipsius sanctissimi D. N. Innocentii PP. X Bulla de instituenda confraternitate sub nominibus & invocatione S. Leontii martyris & S. Benedicti abbatis, quæ tamen, intercurrentibus aliis rationibus & causis, à nostris executioni mandata non fuit. Indulgentiis præterea plenariis summi Pontifices, quorum novissimus est Benedictus XIV, qui sanctam Sedem hodie feliciter tenet, celebrem fecerunt ipsum diem festum, qui est secundus mensis Septembris. Nec minùs illustrissimi domini Nuncii Apostolici cultum divi Martyris adaugere studuerunt, dum indulgentias ducentorum dierum concesserunt recitantibus Hymnum: GLORIOSE MARTYR CHRISTI &c., vel idiomate vernaculo: EDLER MARTYR CHRISTI &c., semel in die quolibet.

insignem tamen cultum obtinuit, summorum Pontificum

19 His verò antecellit pietas reverendissimi & excellentissimi domini Philippi Acciajuoli archiepiscopi Petrarum, & sanctæ Sedis Nuncii ad Helvetios &c., qui non tantùm jubilæo seu solemnitati jubilææ translationis sanctarum reliquiarum ejusdem Martyris, quam celebravimus anno superiore, adfuit, processionemque splendido sanè exemplo & ædificatione innumerabilis penè populi maxima, in ornatu pontificio illustravit; atque adeo à septima hora matutina usque ad horam ferè tertiam pomeridianam, vix non continuata serie, divinis operatus est, celebrando etiam Missam solemnem, atque ipsas post Missam Vesperas. Non tantùm, inquam, illustrissimus iste prælatus præmemoratum solemnitatis actum suâ præsentiâ condecoravit; sed indulgentias, ad quinquennium valituras, peregrinantibus concessit: septem quidem annorum & totidem quadragenarum pro secunda die infra octavam, quâ festivè celebramus festum omnium sanctarum reliquiarum, ac pro die octava: pro reliquis verò infra Octavam, atque aliis omnibus per annum diebus CCCLXV dierum.

& aliorum præsulum favoribus promotum.

20 *Ex hisce dubitare non possumus, quin tanta cultûs solemnitas inchoata non fuerit, vel saltem continuata sine speciali concessione Romæ accepta, utpote sine qua cautum est, ne Missa celebretur aut recitetur Officium de Sancto, cujus,*

F *licèt corpus è cœmeteriis erutum sit, ac servatis servandis publicæ venerationi proponatur, nomen descriptum non est in Martyrologio Romano, vel si non constat de identitate corporis & Sancti ejus, cujus nomen in Martyrologio legitur. Habes & super hac materia plurima eruditè digesta apud sanctissimum Patrem Benedictum XIV lib. 4 part. 2 cap. 28 num. 17 & seqq. Porrò quandonam & qua de causa festivitas* S. Leontii *quotannis recoli cœperit die secunda Septembris, uti liquet ex verbis num. 18 recitatis, nusquam observaverat Mayerus. Consultus à me per litteras, humanissimè respondit die XXVI Aprilis 1753, & fassus est candidè, id planè sibi incompertum esse, addens tamen, suspicari se, quòd factum id sit* fortassis pro fovendo studio plebis, quod majus semper fuit & est hodiedum, quàm dici potest; dum sub initium Septembris dies longior, aër & tempestas serenior, labor verò in agris & vineis minor, commodiorem peregrinantibus faciat accessum.

A

§ III. Sacellum & altare Sancto conſtructa; lipſanothecæ ſplendidè exornatæ; populi per annum confluxus; jubileum ſolemniter inſtitutum anno MDCCXLVII, à tranſlatione centeſimo.

Sacellum, altare & lipſanotheca

Diſcuſſis iis, quæ § præcedente retulimus, redit Mayerus ad prima tranſlationis tempora, & quæ ab his uſque ad noſtram ætatem ſacris reliquiis ac ipſi templo Murenſi ornamenta acceſſerint, perſtringit in hunc modum: Pro collocandis & publico fidelium cultui exponendis ſæpe dictis S. Leontii reliquiis, ipſe ſæpe etiam nominatus abbas Dominicus capellam navi eccleſiæ monaſterii adverſus Septentrionem adjecit, in eaque altare ſtatuarii operis, auro ditiſſimè exornatum, erexit. Statua ſancti Martyris, alterâ manu palmam, alterâ gladium, inverſa ad terram cuſpide tenentis, medium occupabat. Ad ejus pedes arca ejuſdem operis, in qua, tamquam in loculo ſeu urna, ſacra oſſa, circum caput aptè diſpoſita, per vitrum pellucidum diſtinctè conſpiciebantur, dependentibus è ſuperiore tabulato arcæ catenulis aureis, cum annulis aureis, unionibus auro inſertis, numiſmatis pretioſis, variiſque monilibus, quæ fidelium pietas ſucceſſu temporum ad ornatum ſancti corporis obtulit. Adhæc præter zonas aliquot argenteas, quas matronæ noſtris in partibus geſtare conſueverunt, magnus aderat numerus anathematum ex argento, quæ ad eaſdem reliquias in teſtimonium receptorum à ſancto Martyre beneficiorum ac ſanitatum pii fideles ex voto obtulerunt; quatuor etiam candelabra argentea magni ponderis & præclaræ artis cum prægrandi lampade argentea ad altare præfatum prænobilis quidam dominus liberaliter donavit. AUCTORE J. P.

ſplendidè exornata

22 Reverendiſſimus abbas Hieronymus ſecundus (cujus laus in Actis noſtris his præcipuè verbis comprehenditur: "Cultûs Dei & Sancto„rum inſignis propagator„) ſemiſtatuam argenteam, quadraginta octo circitèr marcas pendentem, curavit, quâ in celebritatibus altaria exornantur. Extat præterea tabella argentea cum incluſo parvo oſſe, quod piis fidelibus porrigitur ad oſculum, quoque tanguntur & benedicuntur veſtes, roſaria, panes, herbæ, imò & affectæ partes infirmorum corporum, ſæpiſſimè cum præſentaneo effectu ſanitatis. Arundo item argentea cum alio oſſis ſacri fragmento, quocum aquæ aliique liquores benedici ſolent admirabili prorſus operatione virtutis.

ac renovata etiam hôc ſeculo;

23 Reverendiſſimus abbas Placidus circa annum MDCXCIV, vetere navi eccleſiæ deſtructa, cum nova etiam capellam S. Leontii ex fundamento reædificavit, & conformiter reliquo corpori eccleſiæ ornamentis ex gypſo atque picturis, & novo altari inſtruxit, in reliquiis tamen nihil immutavit. Tandem anno ſuperiore MDCCXLVII illuſtriſſimus princeps & abbas Geroldus ad jubilæam, quam animo præceperat, tranſlationis ſolemnitatem non tantùm ipſam capellam altari ſplendido, ornamentiſque circa parietes magnificè exornavit, ſed arcam pro ſancti Martyris exuviis reponendis, laminis, & ornamentis argenteis artificioſiſſimè juxta ac ditiſſimè confici fecit. *Arcæ hujus ſeu thecæ recentioris delineationem curavit Mayerus, eamdemque nos in æs inciſam hîc ſpectandam exhibemus.*

B

E

C

F



Hæc thecæ repræſentatio apprimè convenit cum deſcriptione, quam num. 21 dedit idem Mayerus de theca antiquiore, ſub annum 1647 confecta & lapſu temporis pretioſis ornamentis decorata; un-

AUCTORE J. P.

unde conjicimus, in noviſſima ſervatam fuiſſe vetuſtioris formam & ejuſdem ornamenta hodiernæ applicata fuiſſe eodem ordine ac modo.

Populi, ad ſacras reliquias

24 Solemne quoque eſt, *verba denuo ſunt Mayeri*, ut quotannis in feſto & Octava ſancti Martyris coronæ ex herbis ac floribus recentibus circa ejus ſepulcrum ſeu arcam per capellæ ambitum ſuſpendantur, & poſt Veſperas diei octavæ ſolemniter benedicantur tum oratione ſpeciali, tum reali attactu ſacræ calvariæ, atque per annum peregrinantibus donentur. Benedicuntur præterea ejus nomine faſciæ tenues, ſeu cingula ſerica, prægnantibus & parturientibus maximè proficua. Et ſanè mirum eſt, eaſdem devotiones, quæ viguerunt ab initio, atque adeo cultum, fiduciam & peregrinantium frequentiam per centenos hos annos non tantùm non defeciſſe, ſed magis ac magis excreſcere; ut pauci per æſtatem dies abeant, qui vacent peregrinantibus è locis etiam remotioribus.

ſæpe & confertim accurrentis,

25 Fidem verò penè excedit numerus accurrentium diebus Dominicis aliiſque feſtivis, ab eo maximè tempore, quo patres miſſionarii Carolus Malliardo & Michaël Zeech Societatis Jeſu
B cum ſociis in his partibus viciniaque noſtra miſſiones celebrârunt: qui, quia ipſis libenter in ſubſidium Confeſſionum ivimus, populo ſuaſerunt, ut patres Murenſes à conſilio haberent. Inſigni quoque pietate ad S. Leontii reliquias veniunt matrimonio jungendi, ut ſuæ coram iis nuptiæ benedicantur, certa ſpe freti fore, ut in prolibus ſuis ſint benedicti ac felices. Demum vix eſt per totam Catholicam Helvetiam civitas, communitas, viculus aut villa, in quibus non ſit vel ſint Leontii nomine inſigniti; imò & extra Helvetiam, veluti in Briſgoia, Fritgaudia, Sylva Hercinia, Alſatia, hoc nomen inter viros propagatur.

fiducia, multis beneſiiis roborata.

26 *Idem auctor noſter confirmaturus, quæ generatim jam prælibârat de cultûs uſque in hæc tempora continuatione ac incremento & ſplendore, deque eximia fidelium in ſancti Martyris patrocinio fiducia, nec non de fructu inde præſentiſſimo à multis in ſuis calamitatibus percepto, varia enarrat beneficia & prodigia ad Sancti invocationem hoc currente ſeculo divinitus patrata; at ea nos hîc tantiſper prætermittimus, utpote aptiùs ſubjungenda pluribus ejuſmodi aliis, ſeculo præcedente patratis, ac proin poſterioribus hujuſce*
C *Commentarii paragraphis ſubnectenda. Poſt enarrata prodigia ac beneficia progreditur Mayerus hiſce verbis:* Atque hæc miraculorum continuatio, fides & pietas, devotio & æſtimatio Chriſtiani populi non interrupta, cauſa fuit, ut jubilæum tranſlationis ſolemni pompa celebrari præceperit illuſtriſſimus princeps & abbas Geroldus. *Feſtivitati deſignatus fuit annus* 1747 *à prima tranſlatione centeſimus, dies verò* IV *menſis Septembris, uti diſcimus ex libello Germanico in ipſa Murenſi abbatia impreſſo, in quo deſcribitur ordo, pompa & apparatus, quibus ſancti Martyris reliquiæ eodem die poſt ſolemnem ſupplicationem novo altari impoſitæ fuerunt. Mayerus in litteris, num.* 20 *memoratis, rationem exponit, cur ea ſolemnitas dicatur potiùs facta die quarto Septembris, quàm ſecundo:* Solemnitas, *inquit*, jubilææ tranſlationis integro triduo agebatur anno MDCCXLVII, incipiens à die feſto S. Leontii, qui eo anno inciderat in Sabbathum, quo & ſequente die Dominica confeſſiones ultra ferè ſexies mille hominum accepimus, nimirum ad præparandam Domino plebem perfectam. Tertio demum die actum tranſlationis in proceſſione ſolemni concluſimus; atque ſic quartus dies Septembris ſolemnis tridui fuit ultimus, ceteris quoad pompam externam utique multò celebrior. D

Jubilei anno 1747,

27 *Quanto autem ſplendore tranſactus ſit dies iſte, docet idem Mayerus ſequenti relatione:* Porrò proceſſionem aliaſque ſolemnitatis hujuſmodi jubilææ cærimonias typis evulgatas, atque poſtea Latinitati redditas, ipſe excellentiſſimus dominus Nuntius Romam tranſmiſit, ut reſcirent, veluti ipſe dicebat, Eccleſiæ Romanæ proceres, quanto in honore habeantur his in partibus Sanctorum reliquiæ. Perdurabat autem iſtius ſolemnis tranſlationis actus ab hora ſeptima matutina, uſque ad horam penè tertiam pomeridianam ſerie continua. Aderant ſacerdotes, præter noſtrates, ſupra centenos, qui ab hora diei tertia matutina altaria quatuordecim ſine penè interruptione occupabant, ut adeo uno recedente, alter ſtatim ad Sacrum faciendum adeſſet, veſtibus ſacris omnibus in duplo paratis.

confluente innumera hominum multitudine,

28 Cæterùm, quod omnes admirentur, erat ea die cælum omni nube vacuum; homines indigenæ ad obediendum promptiſſimi; nulla per totam ſolemnitatem confuſio; multitudo plebis, ex omni populo, natione ac religione accurrentis, ferè innumerabilis (viginti millia ſpectatorum ac peregrinantium adfuiſſe, plerique exiſtimabant; qui verò aderant duces artis bellicæ periti numerum ad quadraginta millia extendebant.) Non obſtante tanta hominum copia, nemo læſus, offenſus nemo, nemo non contentus ædificatuſque à Muris receſſit. E

ſummo ordine

29 Ipſe Illuſtriſſimus princeps & abbas noſter Geroldus, multo antea & uſque ad ipſam diem tempore, continuis ſtomachi doloribus divexatus, ſolemnitati interfuit ſine omni omnino difficultate; tametſi ætas grandæva LXIX annorum, & ſolis urentis moleſtia per ſe ſuffeciſſent, ad morbum ingerendum generandumve. Ipſe religioſus pater ſexagenarius, cui præfati illuſtriſſimi abbatis voluntate incubuit totum ordinare actum, integro temporis ſpatio bene longo, quo in rem laboravit, à nullo religionis & officii graviſſimi onere exercitiove exemptus, ne hilum contra ſanitatem paſſus eſt. Et quia nihil omitti oportet ex iis, quæ ad majorem Dei gloriam, ſanctique Leontii honorem cedunt, adoleſcentes, pueri & puelli, omnes filii ruſticorum, ab anno ætatis quinto uſque ad vigeſimum, ſive curribus vecti triumphalibus, ſive pedeſtri inceſſu gradientes, ſtationes actioneſque & ordines ſuos adeo conſtanter ac firmiter tenuerunt per integras quatuor horas, quibus durabat proceſſio, ut ne latum quidem unguem ab iis diſceſſerint. F

ac ſplendore inſtituti,

30 Tantâ verò pietate, reverentiâ ac modeſtiâ viri fœminæque noſtræ, imò & vicinarum parochiarum, iter & ordines ſuos in proceſſione proſequebantur, ut admirarentur compungerenturque turbæ. Quæ omnia poſt Deum, non niſi meritis beatiſſimi martyris Leontii accenſenda eſſe, nemo Chriſtianorum non videt. Demum poſtquam ſacris faciundis finis impoſitus eſt, paulò ante horam tertiam ad prandium acceſſere hoſpites in aula majore ſupra centum quinquaginta; fœminæ nobiles in ſeparata domo fœminarum hoſpitum triginta; religioſi de conventu in refectorio clauſtrali quadraginta; actores pueri & adoleſcentes ferè centum triginta; ammani, judices, agminum duces, ſatellites, ordinum & proceſſionis ductores ſubalterni &c circitèr ſeptuaginta; hoſpitum familiares, famuli &c magno numero, diverſis locis, ordinibus, menſiſque

A pransi sunt pro personarum dignitate lautè ac decenter. Militibus verò, & qui vexilla, cruces & fercula in processione deferebant, quadringentis circitèr, cuilibet sextarius vini cum libra panis alio tempore porrigebatur. Computabatur autem numerus eo die cum summa pace ac concordia in abbatia prandentium, sexcenti diversæ ætatis, conditionis ac statûs homines. *Hactenus Mayerus, testis oculatus.*

descriptio. 31 *Porrò quod affirmat de ingenti hominum multitudine, quæ ad hanc festivitatem undequaque confluxit, confirmatur itidem in laudato superiùs libello de solemnis supplicationis ordine, pompa & apparatu, in cujus quippe conclusione dicitur, quòd postquam sacræ exuviæ in ecclesiam relatæ atque in novo altari collocatæ essent, duplex eodem tempore in honorem sancti Martyris habitus fuerit ad concionem sermo, unus quidem in ecclesia, cujus amplitudinem conjicias ex numero altarium quatuordecim, alter verò foris ob allegatam plebis multitudinem. Uterque dein sermo Germanico idiomate typis vulgatus est ac utriusque exemplar huc submissum. In eo versata est potissimùm industria & eloquentia oratorum (dictæ sunt autem à R. P. Gregorio Arthensi, inclyti*
B *Ordinis Capucinorum sacerdote, qui hæc sibi verba assumpsit:* Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, 1 *Reg.* 2 ℣ 30, *& à P. Antonio Pfyffer Societatis Jesu presbytero, qui sibi ista delegit:* Occupabit salus muros tuos, *Isaiæ* 60 ℣ 18) *in eo, inquam, versata est industria & eloquentia, ut conceptam jam diu à fideli populo erga Sanctum venerationem, in ejusque patrocinio fiduciam roborarent, atque accenderent ampliùs; ostendendo nimirum, quanta sit in cœlis sancti Martyris gloria, quanta potestas, ad cujus intercessionem à seculo integro tot tamque mirabilia Deus contulit, & confert usque nunc beneficia, quæ ipsi generalibus dumtaxat, si unum alterumve excipias, ibidem vocibus perstringunt, nos vero juxta institutum nostrum explicatiùs mox enarrabimus; accipe modò hymnum num.* 18 *memoratum unà cum orationibus ad lucrandas indulgentias recitandis.*

32 Glorioſe martyr Chriſti,
Hymnus & orationes de Sancto. Pro quo ſanguinem fudiſti,
Deus te glorificavit,
Et miraclis illuſtravit:
C Hinc mortales te laudamus,
Opem tuam imploramus,
O! Patrone miſerorum,
Magne Victor tyrannorum,
Per tormenta, quæ tuliſti,
Per cruorem, quem fudiſti,
Te precamur corde flentes,
Et afflictas leva mentes,
Ut per te nos conſolati,
Cunctis malis liberati,
In te Deum veneremur,
Tecum jugiter lætemur. Amen.

℣. Gloria & honore coronâſti eum Domine.

℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

℣. Ora pro nobis S. Leonti.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORATIO. Deus, pro cujus honore glorioſus martyr Leontius manibus impiorum occubuit: præſta quæſumus; ut omnes qui ejus imploraat auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

ORATIO. Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut intercedente beato Leontio martyre tuo, & à cunctis adverſitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum. AUCTORE J. P.

Hanc Orationem coram imagine S. Leontii M. devotè recitantibus, illuſtriſſimus Dominus D. Joannes Baptiſta de Barnis ad Helvet. Nuntius conceſſit 200 dierum Indulgentias, ſemel in die lucrandas.

§ IV. Miracula & beneficia; febres ſanatæ.

Miracula à quibus MIracula ac beneficia S. Leontii *patrocinio adſcripta, & ex authenticis litteris vel tabulis votivis in templo appenſis eruta (ut teſtatur ipſe) collegit primus, ac Germanicâ linguâ typis vulgavit anno* 1706 *R. P. Mauritius Pfleger, Murenſis abbatiæ cœnobita aliquoties laudatus. Viri hujus librum R. P. Leodegarius Mayer, ſæpe itidem laudatus, ad nos perferri curavit cum reliquis ad Sancti gloriam pertinentibus, addiditque libellum propria manu deſcriptum, in quo* E *Pflegeri Lucubrationem contractiore ſtylo Latinè comprehendit: atque hic eſt libellus alter, de quo num.* 3 *mentionem injecimus. Huic autem ipſe ſequentem clauſulam ſubjecit, ac ſigillo munitam ſubſcripſit:* Hæc miracula atque beneficia, quæ Deus in ſervo ſuo Leontio, quem nos jure merito Thaumaturgum appellamus, operari dignatus eſt, elegit ſelegitque ex innumeris aliis, partim ſimilibus, partim verò non ſatis probatis, R. P. Mauritius Pfleger, confrater noſter pius ac doctus, atque ea in unum volumen collecta, vernaculâ eaque fuſiore lingua typis demandavit, ſuperiorum permiſſu ac voluntate; quæ ego, omiſſis, quæ ad miraculi ſubſtantiam nihil faciunt, in epitomen redegi, atque Latinitati reddidi. P. Leodegarius Mayer, pricipalis monaſterii Murenſis decanus indignus, Not. Ap.

collecta, 34 *Equidem non poſſum non laudare impigrum laborem ſtudiumque P. Mayeri, cui viro acceptum refero quidquid de S. Leontii gloria nobis hactenus innotuit: adhæc fateor, Pflegeri lucubrationem productam eſſe nimiùm, & oratoriis ambagibus aſceticiſque rationibus refertam, quæ ad beneficiorum notitiam & ſplendorem parum aut* F *nihil conferunt, ac proinde meritò reſcindenda videri potuerunt, ut Operi hiſtorico, quale noſtrum eſt, ordinatiùs reliqua inſererentur. At verò Pflegerum pervolvens adverti, multa ſubinde brevitatis ſtudio à Mayero fuiſſe prætermiſſa, nomina ſcilicet perſonarum & locorum, diuturnitatem morborum aut calamitatum, ſimiliaque adjuncta, quibus res enarratæ illuſtrari ac confirmari ſolent, imò ipſa ſeu teſtium ſeu perſonarum, quæ beneficium acceperant, inſtrumenta fuiſſe neglecta, remque nudè dumtaxat relatam fuiſſe ſtylo hiſtorico.*

& quomodo hic danda. 35 *Quapropter, cùm præcipua de S. Leontio agendi ratio fuerit deſiderium oſtendendi per beneficiorum copiam, quantâ apud Deum polleat gratiâ, atque ſic animos incitandi ad ejus venerationem, cultum & in patrocinio fiduciam, nihil omittendum duxi, quod ad ejuſdem cultus ſplendorem & rerum narratarum auctoritatem conducere potuerit. Dabo itaque Mayeri compendium, ſed ubi ad propoſitum finem utile videbitur, ex Pflegeri lucubratione augebo & illuſtrabo: inſtrumenta autem teſtium Germanica, relictâ tantiſ-*

AUCTORE J. P.

per Mayeri compendiosa narratione, ex eodem Pflegero Latinè interpretabor. Nolim tamen hîc tam strictæ interpretationi me obstringere, ut singula de verbo ad verbum exprimam, nullum transponam, nullum subinde interponam claritatis ergô, nullumve, quod abundat, subtraham, quod vix, nisi ineptè, fieri potest. Nam, sicut passim cuilibet idiomati phrases sunt propriæ & varii sensa proferendi modi, ita etiam Germanico, & hîc præsertim, ubi testimonia penè singula à variis conscripta aut dictata sunt. Nihilominus operam dabo, ut verborum sensum habeat lector, & ipsamet verba, quando fieri poterit facilè & absque detrimento claritatis. Denique dabo illa beneficia juxta fidem Pflegeri ac Mayeri, quâ non minùs digni sunt, quàm auctores anteriorum seculorum etiam anonymi & ignoti, quorum genuina scripta passim tanti fiunt ab eruditis, præsertim ubi rebus narratis propinqui fuisse censentur, nec addicti fabellis. Nam laudati auctores nostri de rebus scribunt, quas ipsimet partim videre, partim ex oculatis testibus audire potuerunt, vel certè hauserunt ex authenticis instrumentis. Nolim tamen etiam hinc inferas, me omnia & singula pro indubiis producere; contrà, idque semel observatum sufficiat, occurrunt hinc inde beneficiorum relationes, quæ, si summo rigore discutiantur, difficilè probentur, non potuisse fieri absolutè sine miraculo aut prodigio.

B

36 Anno translationis *reliquiarum* MDCXLVII *die* XIV *mensis Septembris*, pridie solemnitatis institutæ, parochiani de Niderweil cum litania ad monasterium Murense processerunt. Inter fœminas erat Magdalena Frey, quæ febri adeo vehementer affligebatur, ut nemo dubitaret, eam in itinere morituram. Sed gratiâ Dei, qui in Sanctis suis vult glorificari, cum reliquis iter perfecit, sacramque peregrinationem obiit, eâque finitâ, eam febris relinquere cœpit, ut intra breves dies omnium in domo sua esset vegetior. *Addit Pflegerus, nullis omnino ipsam usam fuisse humanæ medicinæ remediis, miraculumque omnibus loci incolis perspectum ac certum esse.*

Febri vehementi liberatur mulier;

37 Singulare patrocinium divi Martyris in ipsa urbe Romana expertus est perillustris dominus Joannes Rudolphus Pfiffer, qui sacras ejus reliquias monasterio Murensi donaverat. *Ita Mayerus, historiam deinde accepti beneficii memorare pergens; at Pflegerus ipsas litteras producit, quibus idem beneficium ad reverendissimum dominum Dominicum Tschudi abbatem Murensem perscripsit ipse dominus Pfifferus; eæque ex Germanico in Latinum versæ ita sonant:* Ingens beneficium, quod Vestræ Gratiæ fuit renuntiatum, quo pacto nimirum octennis filius meus Thadæus Ludovicus in casu gravi opem S. Leontii martyris evidenter persenserit, equidem, ut æquum est ad majorem Dei gloriam, ejusque sancti Martyris, silentio haudquaquam supprimam. Noverit itaque Vestra Gratia, memoratum meum filium ex improviso correptum fuisse ardenti febri Ungarica, atque per dies aliquot absque intermissione usque adeo cruciatum, ut ad extrema fuerit deductus. Totum hoc coràm ac speciatim testari & certa fide comprobare poterunt RR. PP. Capucini, qui hîc generalem Ordinis sui conventum id temporis agebant, quique animum despondentes nos consolati dixêrunt fore, ut post paucas horas angelum haberemus in cælis; neque enim spem aliam superesse.

puer item

C

38 Nihilominus ex peculiari Dei omnipotentis dispositione paulò diutiùs, quàm cogitatum fuerat, restitêre naturæ vires, nosque monuêre, ut interea temporis imploraremus sancti martyris Leontii intercessionem. Ego itaque & dilecta conjux mea sacrum Missæ sacrificium, in ejus honorem celebrandum, promisimus. Cùm autem antè R. P. Mathiæ, qui tum præerat toti provinciæ (Helveticæ) Capucinorum, in quodam suo negotio auxilium attulissem, unà domum reversi offendimus ægrum cum morte luctantem, desperatum, ac derelictum. Eapropter dictus P. Provincialis, quod antè condictum fuerat, prandium apud nos recusavit, at ægro supremùm bene precatus recessit. Recedenti, voviſſe me Missæ sacrificium indicavi, rogavique ejus socium P. Antonium, ut hoc ipse adimpleret.

A

jam cum morte

39 Eodem momento temporis ægrotanti puero meliùs esse compertum est, adeo ut, cùm in cubiculum redirem, ipse in lectulo considêret, ac læta fronte fratres & sorores adesse peroptaret, quibuscum illinc discederet; nihil quippe sibi deesse significabat, & lecto surgere cupiebat, atque vestibus indui. Hoc tamen, licèt sæpe flagitanti, concessum non est integro isto die: è lectulo dumtaxat suo in alterum translatus est; sed, quoniam ex prævia morbi vehementia totus, salvâ reverentiâ, sudore perfusus erat, & inusitato lectulo decumbebat, angebatur, & continuò ob ardentes preces situ immutandus fuit, nullo perdurare valens vel quiescere. Proprio dein lectulo repositus ab omni querimonia abstinuit, solumque ostendit surgendi desiderium; cujus die postero compos factus, quamvis ægrè pedibus subsisteret, constanter tamen & misso omni mœrore perseveravit, paucisque pòst diebus vires integras recepit, neque ullum dolorem deinceps manifestavit. Datum Romæ die XXIX Novembris anno MDCL.

luctans;

E

40 Anno MDCLVI (*hæc denuo ex Mayeri compendio, quod toties intelligat lector, quoties redibit character iste; nisi ubi secùs monuero*) Joannes Anger ferrarius faber in civitate Utznacensi septuaginta septem integras hebdomadas febrili æstu torquebatur: cúmque obstinata vis morbi nulli medicorum arti cederet, ad Deum & D. Leontium animum erexit; peregrinationem ad ejus reliquias (& votivam tabulam istic appendendam *addit Pflegerus*) vovit & fecit, atque inde integrè sospes domum suam rediit.

ac tres viri

F

41 Anno MDCLIX, R. D. Ludovicus an der Allmend, parochialis ecclesiæ Lucernensis coadjutor, maligna febre extremè decumbebat, serpebatque fatalis morbi venenum ad pectus, ut adeo nulla medendi spes superesset, morte præ oculis jamjam obversante. Ipse verò erecto in cælum animo D. Leontium in vota vocat, vovetque, restitutis ejus intercessione viribus, ipsus ad ejus reliquias venerandas adire, & sanctam offerre Missam. Facto voto, venenum recessit, recessit & ardor febrilis, recuperatisque paulatim hoc solo remedio viribus, integram sanitatem recepit. Factum XX Martii anni suprà memorati.

eodem morbo

42 *Præteriit hîc simile ferè beneficium Mayerus, sequenti anno collatum febricitanti alteri, cujus compendium ex Pflegero desumptum tale est: Judocus Sultz è paræcia Buochs in Sylvanensi pago, qui Germanis* die Ort von Underwalden *dicitur, estque unus è tredecim pagis Helvetiæ ac totus Catholicus, anno 1660 die 2 Septembris ardentissima febri correptus est, quæ debile ejus corpus torquere & absumere non destitit usque ad diem* XI *mensis Novembris proximè subse-*

affecti:

A *ſequentis, quo, poſtquam quælibet artis medicæ nequicquam adhibuiſſet adjumenta, ſpem omnem convertit ad* S. Leontium, *atque hujus ingenti pietate ac fiducia implorans ſubſidium, pollicitus eſt fore, ut, ſi ejus interveniente ope ſanitatem recuperaret, ad Murenſe monaſterium ſacras reliquias veneraturus peregrinaretur: voti compos effectus eſt, hoc unico remedio ſanitatem recepit.*

quærtus ſubitò ſanatur. 43 Anno MDCLXII Jacobum Sidler civem Tugienſem (*Germanicè* Zug, *civitas eſt Helvetiæ, pagi cognominis caput*) febris ardens cum cephalæa intenſiſſimè cruciabat; à qua, quæſitis fruſtra remediis, liberari, ſupervacaneum eſſe expertus eſt. Deficiente igitur medica naturali, ad ſuperiora auxilia imploranda animum intendit, votumque vovit divo Leontio ad ſacra ipſius oſſa devotione, quâ poſſet maximâ, pro opportunitate inviſendi. Vix autem votum enunciaverat, cùm ſtatim cephalæa cum febri ab eo receſſit, ut uno veluti momento & ſponſio facta & ſanitas reddita fuerit. *Hoc ipſe Jacobus Sidler, teſte Pflegero, confeſſus eſt, ac proprio chirographo confirmavit.*

B 44 *Quod jam ſubnecto beneficium ex Pflegero* *Febricitantes* *deſumpſi ac Latinè reddidi, quia ipſum eſt authenticum inſtrumentum.* Hocce præſenti ac publico teſtimonio notum ſit ac perſpectum omnibus, nos Chriſtianum Baumbacher & Chriſtinam Schön unà cum tribus liberis uno eodemque tempore febri (*Germanicè* das frieren *appellari additur; quâ voce febrim frigidam denotari exiſtimo*) infectos fuiſſe, ex eaque decumbentes varia à dominis medicis præſcripta remedia adhibuiſſe atque uſurpâſſe; ſed iis nullam febris remiſſionem nedum exſtinctionem expertos eſſe; contrà ſine ullo fructu, auxilio vel ſolatio miſeriam illam fuiſſe diu tolerandam. Tam miſerè conſtitutis nobis nihil ſupereſſe rebamur, quàm pati continuò & ad duram mortem abſque remedio ſubeundam nos comparare. Ad Deum tandem, amabiliſſimam ejus Matrem Virginem Mariam & Sanctos animum intendimus, peregrinationem vovimus ſancto martyri Leontio, mirabili Murenſis monaſterii patrono, qui illic innumeris claret miraculis, ſic fore confiſi, ut præpotenti ejus apud Deum patrocinio ſanitatem reciperemus. Poſt cujus voti nuncupationem de die in diem nobis meliùs eſſe cœpit, ac demum omnes febris omnino deſeruit, me uno excepto patrefamilias, cui paulò deteriùs
C erat quàm illis. Verumtamen planè confido, me quoque per præpotentem ſancti & glorioſi Martyris interceſſionem adepturum integram ſanitatem. Deo omnipotenti, cujus infinita miſericordia eſt, laus ſit ſempiterna & gloria in benedicta Matre ſua Maria, & ſancto martyre Leontio, qui tam ſalubrem nobis opem attulerunt. Amen. Anno Chriſti MDCLXIII. *Multò contractiùs hæc dederat Mayerus, ad quem redeo.*

45 Idem beneficium recepit anno ſequente *varii,* MDCLXIV Caſparus Laubi de Clingnau in comitatu Helveto-Badenſi, qui cùm duodecim hebdomadibus tertianâ, cum vehementiſſima concuſſione ac torminibus inteſtinorum, torqueretur ferè ad uſque mortem, & cùm adhibita medicamina non tantùm non proficerent, quin potiùs morbum ac dolores acuerent, de reconvaleſcentia cum medicis deſperaret, ad interceſſionem beati martyris Leontii confugit, votumque nuncupavit, ejus in peregrinatione ſacra coràm venerandi lipſana; quo facto, febris ab eo receſſit, & ipſe è periculo ac morbo evaſit incolumis.

invocato 46 Anno MDCLXV infans biennis Melchior Remigius Löw de Subſylvania (*pagus eſt Helvetiæ,* AUCTORE *alias* Sylvania, *de quo vide num.* 42) magnis J. P. & diuturnis tenebatur febribus, & rogaverunt parentes pro eo S. Leontium cum promiſſione faciendæ oblationis in ſignum gratitudinis. Audiit orantes Leontius, & puerulo haud multò poſt votum elicitum integram impertivit ſanitatem. *Parentes verò, uti ſubdit Pflegerus, in perpetuam rei memoriam, & majorem Dei gloriam, cultúſque* S. Leontii *ſplendorem Muros deſtinârunt tabulam, quam voverant.*

47 Etiam Pariſios beatus Martyr extendit ma- *Sancti* nus ſuas in retribuendo. Cùm enim Waltherus Tſchudi de pago Glarona (*Glaronenſis pagus, Germanis* die Orth von Glaris, *unus eſt ex minoribus Helvetiæ*) ſignifer in militia regis Chriſtianiſſimi Ungarica febri Pariſiis lethaliter decumberet, judicio medicorum præda mortis futurus (*credebatur.*) Cùm verò D. Leontio voto ſe damnâſſet, modico intervallo febre ſolutus, integræ ſanitati eſt reſtitutus anno MDCLXVI. Votum ſuo nomine adimplevit Fridolinus Tſchudi die XIII Septembris anni ejuſdem; *quo nempe, uti ſcribit Pflegerus, in grati animi teſſeram Waltherus,* E *curante patruele ſuo Fridolino, depictam tabellam in ſacello ſancti Martyris appendi voluit.*

48 *Huic beneficio apud Pflegerum proximè ſub-* *patrocinio ;* *nectitur aliud, à Mayero prætermiſſum, quod, recifis ſtyli Germanici fuſioribus nec neceſſariis adjunctis, ita ferè habet. Joannes Huſer anno 1669 die XIII menſis Februarii conflictari cœperat cum febri, cujus cùm jam binos eoſque vehementiſſimos & ad duas horas productos aſſultus, nec non ſuccedentem mox ardentiſſimum acerbiſſimumque capitis dolorem ſuſtinuiſſet, ut ſimilibus ultrà ſuſtinendis impar eſſet, confugit ad* S. Leontium, *peregrinationem ad Murenſem eccleſiam, ac tabellam votivam adpromiſit, & ſancti Martyris opem adeo præſentem habuit, ut deinceps, quod ipſemet teſtatus eſt, nec febrim, neque huic ſuccedentem æſtum & capitis dolorem, neque ullum omnino malum perſenſerit. Ita ferè apud laudatum Pflegerum; unde etiam ſequens teſtimonium, Latinè redditum, huc transfero.*

49 Ego Joannes Udalricus am Stein, paro- *nonnulli et-* chus ad S. Stephanum Beronæ (*vulgò* Münſter) *iam* in Argoia (*tractu Helvetiæ*) teſtor ad majorem Dei & glorioſi martyris Leontii gloriam, quòd anno MDCLXXIII vehementi febri calida ad mortem penè & ſepulcrum deductus fuerim: cujus utique mali violentia uſque adeo me viribus exhauſerat, ut ipſe medicus, dominus Abrahamus Sepp me mortis eſſe victimam proclamârit. Cùm autem jam dicto miraculis clariſſimo Martyri peregrinationis & Miſſæ celebrandæ voto me obſtrinxiſſem (*res mira!*) eâdem horâ levamen ac mali remiſſionem ſenſi, & ita quidem, ut & antè nominatus medicus ſub veſperam me reviſens, & domeſtici mei omnes hanc repentinam immutationem vehementer mirati ſint; quibus ego me palàm profeſſus ſum à S. Leontio è mortis faucibus ereptum, cùm, uti jam dixi, me voto obligâſſem. Demum ipſi unà mecum læti Deum laudavêre in Sancto ſuo, & ego gaudens votum adimplevi. F

50 *Haud minùs ſubitanea fuit ſanatio, quam* *ſubitò,* *ſtatim ſubjicit Pflegerus, atque ita exponit Mayerus:* Margarita Hoffmann, uxor Ludovici Rütimann de Surſee (*oppido Lucernenſis pagi*) ardente febri adeo miſerè viginti omnino ſeptimanis divexabatur, ut ingentibus capitis doloribus, & inde ſuccedentibus convulſionibus, ſæpiſſimè omni ſenſu atque uſu rationis deſtituta decumberet,

AUCTORE J. P.

cúmque medici eam, tamquam morti deſtinatam, ſupervacaneâ operâ ſuâ deſeruiſſent, ipſa ſui compos facta, cum ingenti fiducia D. Leontium in vota vocat, & ſanitati abſque ferè mora interpoſita, ſtupentibus omnibus, reſtituitur. *Pflegerus annum notans* 1677, *addit, mulierem ad reliquias* S. Leontii *peregrinatam eſſe, ac tabulam, accepti beneficii monumentum, in ejus ſacello palàm appendiſſe.*

ſanitatem

51 Prænobilem dominum Joannem Carolum Schindler, comitatûs ſeu toparchiæ Badenſis archigrammatæum anno MDCLXXXII Ungarica febris cum pleuritide adeo torquebat crudeliter, ut proximè mortem obiturus, ſacris morientium Sacramentis provideretur. Et quia pharmaca adhibita ne modicum quidem operabantur effectum, ſolicita conjux domina Maria Franciſca de Roll dilectum maritum beati martyris Leontii patrocinio committebat commendabatque, & dimiſsâ, ad obeundam peregrinationem in Muris ancillâ, petiit aquam cum reliquiis ſancti Martyris benedictam. Quam cùm ancilla exactis peregrinationis obſequiis retuliſſet, ac moribundus hauſiſſet, in ictu quaſi oculi mortifera pleuritis evanuit, morbus elanguit, & febris ab eo abſceſſit. Ipſe verò poſtliminio debitæ gratitudinis ergô inſigni donario thaumaturgum Martyrem honoravit.

B

recuperam.

52 Anno MDCLXXXII maligna febris epidemica in celeberrima urbe Lucernenſi adeo invaleſcebat, ut intra ſpatium viginti quatuor horarum, quem corripuit, in mortem tradiderit. Corripiebat autem inter plurimos alios etiam R. D. Carolum Ludovicum Pfleger, ſacellanum collegiatæ eccleſiæ ad S. Leodegarium, qui, cùm nihil medicamina prodeſſent, voto peregrinationis & Miſſæ ad S. Leontium ſe obſtrinxit: quo facto ſtatim multò meliore loco ſanitas eſſe cœpit, ac ipſe mortis periculo liber, poſtea integrè convaluit.

Mulier

53 Eodem anno, eodemque ferè morbo cum pleuritide ſuperveniente cruciabatur Anna Maria Lucretia Holderbanck de Badena Helvetiæ, ut poſt exantlatos dolores maximos à medicis, quorum opera non quidem defuerat, ſed neque profuerat, fatis ceſſura derelinqueretur, & ad extremam luctam Sacris conſuetis provideretur. Omnibus igitur mediis deſtituta, ideoque anguſtiis plena, incidit in ſomnum, in quo audire ſibi videbatur vocem, repetitis vicibus dicentis: Vis ſanari? Fac votum Deo peregrinationem ſacram obeundi ad S. Leontium in Muris. Illa è ſomnis excitata, ſomnium pro monitore habuit, votum fecit, & ſtatim vis morbi remiſit; ipſa autem intra paucos dies integrè reconvaluit.

C

& juvenis ad extrema deducti convaleſcunt.

54 Carolus quoque Joſephus Weber, filius domini Petri Weber, ad Pontem Syllæ in Cantone Tugienſi, ardente febri uſque adeo exurebatur, atterebaturque, ut quindecim horis veluti exanimis, ac ſpiritibus vitalibus omnino deſtitutus, mortis filius haberetur. Adhibebantur fomenta ac medicamina, quæcumque videbantur fore proficua, ſed fruſtraneo labore. Demum dominus parens è cælis ſuppetias petendas eſſe ratus, votum emittit ad S. Leontium. Cùm ecce! Carolus tamquam è profundo ſomno evigilat, uſu rationis donatus; morbus decreſcit; vigor artuum & corporis indies augeſcit, ut ipſe ſanitati redditus tertio die Octobris anni ſuperiùs dicti peregrinatione ſacra ad beatum Martyrem votum compleverit.

D

§ V. Varii morbi ſublati.

Puella

Miſsâ tantiſper Lucubratione Latina Mayeri, paragraphum hunc exordimur per relationem apud Pflegerum Germanicè, iiſdem, uti teſtatur, verbis conceptam, quibus à R. D. Auguſtino Dinglickoffer, parocho in oppido Surlacenſi, vulgò Surſee, poſt diligens teſtium oculatorum examen primò conſcripta fuit. Complectitur autem beneficium à S. Leontio *collatum octenni ejuſdem civitatis puellæ, cui nomen erat Anna Catharina Leiſt, atque ita ſonat:* Catharina Nützi infantis parens bonâ fide coram me aſſeveravit, quòd ante annos octo, cùm infantem illam utero geſtaret, Ludovicus Leiſt maritus ejus gravi morbo ac præterea phrenitide laborare cœperit uſque adeo, ut vehementi furore ac rabie agitatus, voces ac geſtus incompoſitos proferret, imò è feneſtris in plateam ſe dare præcipitem tentaret &c. Hanc ob calamitatem ipſa mater miſerum in modum angebatur, timoreque ac horrore graviſſimo agitabatur, &, ut credibile eſt, idem ille horror ac tremor fœtum corripuit.

E

à nativitate uſque ad annum ætatis octavum

56 Nam cùm puella poſt hebdomadas undecim à patris obitu edita eſſet in lucem, & poſtquam ſacro Baptiſmatis fonte tincta fuiſſet, ad matrem reportaretur, obſervavit continuò, infantem non eſſe ſoſpitem, malo aliquo eſſe infectam: artubus quippe pertremiſcebat, faciem habebat livido colore ſuffuſam, tamque miſerè ſpiritu angebatur, acſi continuò comprimeretur. Hinc illa ſicut & aliæ mulieres brevì morituram opinabantur; quod tamen ſecùs accidit &c. Vexavit ipſam ea infirmitas ab illa hora uſque ad annum octavum, & ſingulis quidem diebus non ter, quater aut quinies dumtaxat, ſed ſepties, imò ſæpiùs, præſertim dum inſtabat aëris immutatio; in plenilunio manifeſtabat ſe malum aliquanto magis ac vehementiùs. Cùm autem malo corripiebatur, ipſa ſe projiciebat in ſcamnum, ſedem, ſaxum, ciſtam aut ſolum, vel homines cujuſlibet ætatis in plateis, domi, in hypocauſtis aut cubilibus obvios complexu ſtringebat, ac tenebat, donec malum recederet, quod durabat per quartam circitèr unius horæ partem.

morbo incognito graviter ac ſæpe profligata,

57 Neque tamen malo recedente, ipſa omni dolore vacua erat: querebatur quippe graviter ſibi dolere caput, atque horribilem quemdam cruciatum è dorſo ad caput uſque aſcendere, unde & dorſum liveſceret, & crines de capite deciderent. Sæpiùs etiam aliis infantibus, ad eam recreandi animi causâ accitis, aiebat: Vobis quidem rectè eſt; mihi quantùm doleat, neſcitis. Homines pii & vicini ex commiſerationis affectu, monuerunt matrem, ut filiam S. Leontio martyri Murenſi commendaret ac devoveret, fortè ſacris ejuſdem reliquiis atque interceſſione etiam illi auxilium eſſe afferendum; exemplum quoque ei proponebant; tranſiiſſe nimirum haud ita pridem per oppidum hoc Surlacenſe virum, qui confeſſus eſſet, ſe ob malè affectos caliganteſque oculos intra annos quinque videre non potuiſſe ſacerdotem ad aras facientem, nunc autem, cùm eo die Sacro interfuiſſet in Murenſi eccleſia, ſibi apertos eſſe oculos, ut conſpicere potuerit celebrantem. Tam amicis monitis permoveri ſe paſſa eſt, atque abhinc octo circitèr hebdomadis ſub diem S. Joanni Baptiſtæ ſacrum filiolam cum voto Muros peregrinandi S. Leontio commendavit

& de-

AUCTORE J. P.

A & devovit magnâ fiduciâ ac firma fide animata fore, ut infans per Sancti hujus interceſſionem infirmitate atque dolore liberaretur, prout etiam, laus Deo, evenit. Etenim, nuncupato hoc voto, numquam deinceps ſe prodidit infirmitas, neque ullo ſeu interiori ſeu exteriori, ſeu gravi ſeu levi, ſeu occulto ſeu aperto indicio obſervari potuit. Adeo ut confidant & credant, puellæ in iſta infirmitate ſubventum eſſe à Murenſi Thaumaturgo.

facto voto,

58 Interim quod promiſſum fuerat, fideliter perſolutum fuit; mater enim ipſa cum filiola Muros contendit, templum inviſit, oravit, Dei clementiam ac miſericordiam per S. Leontii interceſſionem ex intimo corde invocavit pro perſeveranti infantis incolumitate, reliquias venerata eſt, atque oſculata ſæpiùs. Contigêre iſta die XIV Auguſti, vigiliâ aſſumptæ B. V. Mariæ anno MDCXLVIII. Porrò quod genus id morbi fuerit perſpectum nemini eſt. Puella quidem, cùm ejus acceſſum præſentiſceret, dicere erat ſolita: Inſtat cruciatus (*ita expoſui vocem* leyren, *cujus veram ſignificationem non reperi.*) Conjectura tamen eſt communior, fuiſſe morbum comitialem: fertur etiam dixiſſe dominus Huober, doctor medicus, non eſſe malum naturale, nec proin naturalibus remediis tollendum.

B

nihil deinceps

59 Ceterùm uti, quæcumque jam retulimus, atteſtata eſt puellæ parens, ſic eadem confirmari ac roborari poſſunt teſtimoniis totius penè viciniæ Surlaci inferioris. Equidem peculiariter interrogavi, eorumque fidem obteſtans diligenter & accuratè examinavi teſtes infrà ſcriptos; qui unanimi conſenſu affirmârunt, puellam malo jam expoſito infectam fuiſſe, neque poſt emiſſum votum in ipſa obſervatam eſſe ullam infirmitatem, ut dictum eſt. Nomina teſtium hæc ſunt: Joannes Schäntzlin, faber lignarius, qui cum uxore ſua apud illam eadem in domo habitavit biennio, & teſtatur, quòd puellam eo morbo ita afflictam ſæpe viderit, ut, vel manibus ac pedibus involutis ac complicatis jaceret in ſcamnis ac ſedibus, vel homines arcto complexu ſtringeret; quódque poſt promiſſam & adimpletam peregrinationem ad Murenſe monaſterium nihil deinceps ſimile adverterit.

mali ejuſmodi perſentiſcit.

60 Nomina viduarum, Anna Maria Leiſt, Anna Durich, Eliſabeth Stockerin &c. Magdalena Binder, vidua proba aſſeverat, infantem à ſe ſæpiùs conſpectam fuiſſe, in compitis humi proſtratam, perturbatâ oculorum acie, brachia ac pedes contorquentem, ore ſpumeo &c. Cùm matrem unà cum filia jam Muris reverſam interpellâſſet eadem Magdalena inquiens: Quò abiiſtis & unde reditis? In hæc verba reſpondit infans: Jam ſana ſum, jam ſana ſum. Benedictus ſit igitur Deus in ſancto ſuo martyre Leontio. Hiſce in confirmationem & teſtimonium ſupradictorum ſubſcribo & ſigillum meum de more annecto. Actum in Surſee die XXII Auguſti anno MDCXLVIII. Auguſtinus Dinglickoffer, parochus in Surſee, atteſtor ut ſuprà. *Idem beneficium, ſed more ſuo contractiùs, recenſet etiam Mayerus, & illi mox ſubdit ſequentia.*

Puellæ morbo ſubito correptæ,

61 Sequente anno MDCXLIX Solodori (*Germanicè* Solothurn *civitas eſt Helvetiæ, pagi cognominis primaria*) puellam ſcholarem ſeptennem, cùm inter ſodales ad lectionem ſuam incumberet, neſcio quod horribile malum inopinatò ac ſubitò ita corripuit, atque in rabiem egit, ut ſpiritualibus remediis applicandis locum & ſpatium vix concederet. Vocatus verò ludi moderator, aſpectu miſerabili intimè commotus, feſtinato, prudenti tamen, conſilio frigidam adferri fecit, eâque cum benedicta aqua commixtâ, & immiſto roſario, quod attactu reliquiarum S. Leontii conſecratum erat, invocatis in auxilium beatiſſima Virgine ac ſancto martyre Leontio, tertiò linguam afflictæ tetigit. Cúmque illa os ſtatim aperuiſſet, avidéque de ipſa aqua hauſiſſet, illico ad mentem rediit, adſtantes agnovit, & vires priſtinas ſanitatemque recuperavit.

& alterius per biennium malo ignoto afflictæ,

62 Eodem verſante anno Joannes Wolfgangus Frickhart, civis Tugienſis, D. Leontium ſibi ſuæque proli habuit benevolum auxiliatorem. Laborabat igitur ſua proles annis duobus morbo medicis ignoto. Cúmque, poſt ſolemnem D. Leontii tranſlationem, fama miraculorum ejus longè latéque percrebreſceret, præter alia, quæ adhibuit remedia, parens ad ſancti Martyris requietorium in Muris pia intentione ac fiduciâ acceſſit, aquam, ſubuculas, pannoſque ac faſcias per reliquias ejus ſacrari ac benedici curavit. Quæ omnia cùm redux proli infirmæ applicâſſet, continuò morbum deficere & in melius immutari perſenſit. Sed hæc ipſa virtus, quæ de benedictis illis rebus exibat, parentem animavit, ut iteratò Muros repeteret cum prole morbida; ubi demum, quod præſtolabatur, invenit; nam proles indies meliùs habebat, donec omnino ſoſpes evaſit. *Hoc prodigium per univerſam viciniam notiſſimum, ac celeberrimum fuiſſe, ait Pflegerus.*

E

infantis item

63 Anno MDCL, habebant Petrus Salber & ejus legitima conjux Anna Stöcklin infantem, qui ex accidente incognito adeo malè habebat, ut ad ſolum lucis ſolaris aut etiam ignis aſpectum aliquoties per diem in mortiferum deliquium decideret, tamquam extremum trahens ſpiritum. Mater miſeræ prolis amantior divo Leontio cum voto ſit ſupplex, & poſt votum infans ne quidquam ampliùs ejuſce pernicioſi languoris ſuſtinuit.

ac pueri

64 Jodocus Benedictus Pfiffer, filius perilluſtris domini capitanei Jodoci Pfiffer & Franciſcæ Grafft de Lucerna, adhuc ex utero matris tam multis, & quæ medicorum ſcientiam fugiebant, miſeriis erat repletus, ut ad duodecimum uſque annum, fruſtra naturalibus ſpiritualibuſque remediis applicatis, miſerrimam vitam duceret, indieſque ad pejora declinaret. Pientiſſima mater, famâ miraculorum D. Leontii excita & excitata, votum concipit devotæ peregrinationis ad ejus tumbam in monaſterio Murenſi; & ex eo veluti momento ad meliora morbi declinârunt: at poſt peractam peregrinationem, cùm puer ex aqua reliquiis ſancti Martyris ſacrata bibiſſet, integra ſanitate donatus ac fruitus eſt. *Annum obtenti beneficii notat Pflegerus milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum.*

F

aliorumque

65 Hieronymum Stierlin de Ariſtau, qui eſt vicus parochiæ ac ditionis Murenſis, ſemi-horâ à monaſterio diſtans, morbus quidam maximis cum doloribus octodecim hebdomades lecto affixum tenebat; & quia ſedes aut origo mali à medicis deprehendi nequiverat, remedium aliud præter paſſionem & patientiam miſero non ſuppetebat. Tandem ex voto, quod fecerat, mittit, qui ſingulari devotione ſuo nomine S. Leontium ejuſque ſacras reliquias honorarent: votoque ita perfecto, à doloribus evaſit immunis, & ſine ullo phyſicorum medicamine incolumis anno MDCLIII.

infirmitatibus

66 Erat Magdalenæ Spillmann de Loſdorf (*apud Matthæum Merianum in Appendice ad Topographiam Helvetiæ* Luſtorff & Luſſdorff *ſcribitur, ſi*

AUCTORE J. P.

is locus hìc designetur, (alius mihi ignotus est) jacet in Turgovia Helvetiæ tractu) Anna, filia precum, quæ intercessione beatissimæ Virginis Mariæ servata in vitam (*& auctore Pflegero*, undis salutaribus tincta) succedente autem cujusdam accidentis impedimento, alimentum ad corporis sustentationem & incrementum capere non poterat. Pientissima mater imperterrita, fideque ac fiduciâ plena, Deo, beatissimæ Virgini ac divo Leontio filiolam languentem offert ad gratiam, eo felici eventu, ut vix mater hanc in mente conciperet cogitationem, ut ad capellam divi Leontii voti causâ peregrinaretur; cùm infans recens & primogenita admirantibus cunctis non solùm alimenta recepit, sed augescentibus viribus ac robore corporis, incolumis & salva permansit. *Contigit istud juxta Pflegerum die* xx *Junii anno* 1655.

medicorum artem

67 Margarita Ming, Petri Ming & Elisabethæ ander Gassen filia annorum XIV, de Lungeren in cantone Subsylvanensi, per languorem, neque à medicis agnitum, ad eam decidit miseriam, ut pedibus nec incedere nec niti prævaleret: adhæc dolores interni lecto continuò hærentem vehementissimè affligebant. Amor & pietas parentes urgebat stimulabatque, ut à medicis consilium & opem sedulò expeterent, &, his sua arte deficientibus, vota ad diversa sacrarum peregrinationum loca nuncuparent. Sed quia divina providentia S. Leontio hanc curam reservavit, ægra puella semper in eodem permansit statu. Dormienti tandem in somnio incidit, ut recèns advenienti D. Leontio se voto obligaret, si saluti corporis vellet restitui. Cúmque evigilâsset, somnium illud divinam esse admonitionem existimans, cum consensu parentum votum enunciat. Mira res! Ubi tot medicamina non profecerant, quod tot vota sacra non impetraverant, una fiducia & votum ad S. Leontium, uno totum effecit momento. Nam enunciato, uti dictum est, voto, dolores cessárunt omnes, ægra surrexit sana, & citra incommodum pedibus incessit integris. Quapropter etiam voto in Muris satisfecerunt. Anno MDCLVIII.

deludentibus

68 Bremgartæ, urbe libera, à monasterio Murensi duabus penè horis dissita, Sebastianus Riser filium habebat (ex Catharina Ritzart conjuge sua, *inquit Pflegerus*) Beatum Jacobum, qui sub annum ætatis quintum cœpit adversa valetudine deficere. Quamquam enim cibum potumque sumeret, nutrimentum tamen in carne nullum capiebat. Inde adeo viribus destitutus est, ut cæu exesum cadaver appareret, sola cute ossibus hærente; ideoque à duobus ejusdem urbis medicis valdè doctis, quia pharmaca appositè præscripta nihil conducebant, morti destinaretur. Ecclesiastici verò viri meliora sperare parentes jusserunt, monueruntque, ut filium D. Leontii patrocinio committerent. Hi, monitis piis acquiescentes, puerum propè enecatum ad Sancti exuvias cum voto portari fecerunt, ac voto persoluto, experti sunt, vota precesque ex eo die irritas non fuisse, cùm pueri vires successivè redintegrari, ciborum nutrimenta conducere, succrescere carnes cœperunt, donec plena salute potitus est. Anno MDCLIX.

affectorum, sanatio

69 Laborabat Solodori domina Maria Elisabeth Lippin, dilecta uxor domini Wolfgangi Brunner, interno quodam morbo, qui trium medicorum scientiam, consilia & artem delusit. (*Multa his interserit Pflegerus, quibus exponit, quàm impigrè laborârint medici, ut morbi primùm incogniti originem ac naturam investigarent, ac dein cùm tandem hydropisin esse judicâssent, quàm gnaviter vires omnes atque industriam adhibuerint, ut illam pellerent.*) Dimidio jam anno afflicta & tamquam humano auxilio destituta decumbebat; donec, Deo inspirante, sub præsidium D. Leontii confugit, vovendo votum sacræ peregrinationis cum duabus Missis faciendis: ex quo ægra à doloribus exempta brevissimo pòst tempore reconvaluit. Anno MDCLXXVI.

Sancti patrocinio

70 Alio, sed æquè medicis ignoto, morbo tenebatur Anna Maria Toll, duodennis filia Petri Toll & Elisabethæ Wieterin ex Petra Mariana, ubi extat monasterium congregationis patrocinio & miraculis B. V. Mariæ celebre. Noctes præsertim sibi illa habebat infestas; cùm præ dolorum magnitudine in lecto quiescere neutiquam posset, sed sub ipso dio reponi necesse haberet (*& hìc quidem, ut addit Pflegerus, dolores remittebant, accedebatque quies, cùm tamen, quamdiu lecto tenebatur, miserè lamentaretur atque ejularet.*) Nihil profuêre diversi generis pharmaca. Supererat ad cælum erigere oculos & animum. Habito igitur consilio parentes misellam filiam divo Leontio cum voto commendant eo fructu, ut ex illo tempore à malo pessimo libera quietas noctes dormierit. Anno MDCLXXXI.

adscribitur.

71 Pepererat sequente anno MDCLXXXII Anna Maria Reidhar, uxor Jacobi Utiger de Tugio, filiam Elisabetham, sed adeo à nativitate miseram, ut, nisi halitum traxisset, deforme & exangue cadaver esse censeretur; & quia neque nutrimentum ex lacte materno, neque vires ex ingestis medicaminibus intus suscipiebat, triste intuentibus & commiseratione commotis spectaculum jacebat. Cúmque nihil naturalis remedii supereresset, ac parentes eapropter divo Leontio voto se obstrinxissent 1 die Maii anni suprascripti, derepentè lividus faciei color in vividum & rubentem immutatus est, prodromus certus recuperandæ valetudinis. Adeo siquidem de die in diem per intus susceptionem naturalis alimenti vegetari & accrescere cœpit ac perrexit, ut XXIV ejusdem mensis die sana atque robusta à parentibus sancto Martyri, in testimonium & gratiarum actionem præstiti auxilii, ad ejus reliquias in Muris fuerit oblata.

§ VI. Pleuritis aliæque ægritudines curatæ.

Virgo pleuritide,

SAnctimonialis virgo, soror Elisabetha Womerin, in thermis cùm ageret reficiendæ sanitatis ergò, pleuritide adeo vehementer correpta fuit, ut extremum subierit vitæ discrimen, (*neque ulli, ita ferè Pflegerus, spes aliqua affulgeret fore, ut mortis faucibus eriperetur*;) ipsa verò, facto voto post Deum & beatissimam Dei Genitricem ad S. Leontium, bibit ex aqua ejus sanctis reliquiis benedicta, & fatalem, quem ex thermis accepit ictum mortis, hâc ipsâ aquâ abluit & avertit, sanitati optatæ & integræ reddita. Anno MDCXLVIII.

& alia morbo diuturno affecta sanantur.

73 Maria Rütimann de Lachena Marchiæ Suitensis quatuor annis ægrotabat integris, &, tametsi nihil omitteret, quo languori suo mederi posse existimabant medici, casso tamen eventu remedia parabantur: ut adeo, quò magis desiderabat recuperare vires, eò magis langueret. Ipsum

A pſum tamen deſiderium ſanioris vitæ eam ad Muros & D. Leontium allexit, cui cùm ſe devoviſſet, & peregrinationem ſacram compleviſſet, tertio die Martii anno MDCXLIX complevit Leontius deſiderium ſuum, & intra paucos dies ſanam reddidit.

Sacerdos, 74 *Hinc procedit Mayerus ad beneficium*, S. Leontii *interceſſione conceſſum R. P. Thomæ Metzler, monacho Ordinis S. Benedicti in monaſterio Zwifaltenſi, aliàs* ad Duplices aquas *appellato, ſitoque in diœceſi Conſtantienſi; verùm cum proprium ipſius Metzleri teſtimonium exhibeat Pflegerus, id, ſicut alia ſuperiùs, Latinè redditum Mayerianæ relationi ſubſtituendum cenſui.* Cùm anno MDCXLIX die ſecunda Septembris ego P. F. Thomas Metzler, Ordinis S. Benedicti in Zwifaltenſi monaſterio, aliquam corporis infirmitatem perſenſiſſem, atque idcirco ſumpſiſſem ſtatum pilularum numerum, malum omne ad renes ſe recepit; unde & ciborum guſtus mihi ablatus eſt, & quieſcendi facultas; neque aliud remanſit præter dolorem & planctum. Quinto ejuſdem menſis die, ſub horam ſecundam matutinam afflictus ſolito vehementiùs, poſt divinam miſericordiam
B in auxilium vocavi S. Leontium, etiam antè peculiarem mihi patronum, moxque dolor evanuit, ſucceſſit fames tanta, ut cibos, qui à præcedente veſpere reſidui erant, & quorum ipſe aſpectus mihi nauſeam excitaverat, ad ignem calefactos operâ cujuſdam in philoſophia diſcipuli, avidè abſumpſerim; deinde in ſomnum inciderim, & poſtero die rectè valuerim. Die VI Septembris Miſſam celebravi, & à prandio coram reverendiſſimo abbate ac venerabili conventu examini philoſophico auditorum meorum publicè præſedi.

calculo, 75 Quoniam autem diſputando nimiùm me defatigaveram, antè habitum malum majore impulſu me denuo inceſſit, neque ulla ei leniendo profuêre medicamina. Præſertim cùm nec dominus Vorſinger, Badenſis in Argoia prætor & phyſicus, nec ipſe ego mali naturam nomenve perſpecta haberemus: licèt ſuſpicati ſimus, latêre calculum. Deſtitutus itaque humano auxilio, ad cæleſtem medicum S. Leontium rurſus animo converſus ſum, & firma cum fiducia ejus opem comprecatus. Atque illico (ſalvâ decentiâ) abſque ullo dolore erupit mihi calculus, adæquans dimidiam juſtæ magnitudinis fabam: ſuccedentibus
C dein per aliquot dierum intervallum ſine ſenſu acutis reſidui calculi particulis, quas & laudatus dominus medicus & alii plures coràm oculis contrectârunt: quod equidem totum ſecundùm Deum nemini abſque ingrati animi nota adſcribere poſſum, præterquam S. Leontio patrono meo. Æternùm laudetur Deus in ſancto Martyre ſuo. Amen. Ita ego ſuprafcriptus atteſtor manu propria ac ſigillo venerabilis monaſterii Zwifaltenſis. *Hactenus ex Pflegero, quem Mayerus ita interpretari pergit.*

mulier cephalæâ, 76 Barbara Abbt de Boſweil (*locus eſt haud procul Muris, habenſque ſibi parochum ejuſdem monaſterii religioſum*) ſeptem annis cephalæâ adeo immaniter torquebatur, ut doloris vehementia in reliqua quoque membra ſe diffunderet. Creſcebatque dolor pro temporum varietate: ſummus autem dolor ordinario curſu quinque hebdomades perdurabat, ut ab ingenti clamore ſe abſtinere non poſſet. Clamavit tandem ex toto corde ad divum auxiliatorem Leontium cum voto peregrinationis faciendæ & offerendi muneris, & exaudita eſt. Nam ex eo tempore integrè convaluit. Anno MDCLIII.

77 Margarita Hildbrand de Bünzen (*habet & locus iſte parochum dicti monaſterii religioſum*) Joachimi Keller legitima conjux, integro anno cum dimidio ingentes dolores, ardores ac ſtimulos in ore patiebatur: & quamvis multis precibus, inſtitutis etiam per ſacra loca peregrinationibus, ab ipſis doloribus eximi poſtulâſſet, exaudita non eſt; ſine dubio pro reverentia, quam cælites D. Leontio reſervatam volebant. Ipſa igitur pia mulier adeo ſuâ conſtantiâ ac fiduciâ non deſtitit, ut nova ſpe freta, votum voverit D. Leontio, atque ſacra peregrinatione ad ejus ſacrum corpus expleverit. Quàm felici effectu! Nam mulier extemplò ſanata os ſuum in laudes Dei ac ſancti Martyris reſolvit. Anno MDCLIV. AUCTORE J. P. *& alia gravibus doloribus;*

vir item lethali morbo 78 *Neglexit hoc loco Mayerus ſanationem, quam Martinus Läw civis Rhenofeldenſis divinitus ſibi conceſſam agnovit, & beatiſſimæ Virginis Mariæ ac glorioſi martyris Leontii interceſſioni adſcripſit. Rei apud Pflegerum enarratæ hoc eſt compendium: Anno 1656 die XIII menſis Maii dictus Martinus Läw, ſanus omnino ac vegetus, ſubitò percuſſus eſt lethali morbo, eòque perductus, ut nulla ab humanis remediis ſpes affulgeret: ad divina itaque converſus, Dei miſericordiam, &* E *beatiſſimæ ejus Matris, ac* Leontii *martyris opem inclamavit, votum adjiciens peregrinandi ad Murenſe monaſterium, offerendi ibidem munuſculi, & appendendæ tabellæ in honorem ſancti Martyris, ſi modò ſanitatem reciperet; recepit, & quæ promiſerat, perſolvit.*

& alter dolore capitis liberantur. 79 Joannes Fiſcher, ex parochia Murenſi, quinque annorum ſpatio intenſos, ſumptis incaſſùm medicaminibus aliiſque remediis, dolores capitis ſuſtinebat. (*Adeo intenſi fuêre iſti dolores, teſte Pflegero, ut miſer ad inſaniam ſe redigendum exiſtimaret.*) Auxilium denique à divo Leontio devotè ac inſtanter cum voto exoravit, atque obtinuit. Nam à diuturna illa ac ferè incurabili infirmitate intra modicum tempus penitus liberatus eſt anno MDCLVIII.

Morbus periculoſus ſanctimonialis, 80 *Sequitur modò beneficium, quod uni è ſubditis ſibi ſanctimonialibus, anno 1659, intercedente Martyre noſtro, impertitum fuiſſe teſtata eſt domina abbatiſſa Ampthauſani, Ordinis S. Benedicti in diœceſi Conſtantienſi, parthenonis per epiſtolam ad Murenſem patrem perſcriptam, & prout exſtat Germanicè apud Pflegerum, his penè verbis conceptam.* Major Dei gloria impulit, reve-
F rende admodùm domine, ut hiſce te litteris interpellarem, nec ſilentio ſupprimerem, quòd anno MDCLIX una è ſubjectis mihi ſanctimonialibus, domina Anna Eliſabetha Hollin, nata in Villingen, infirmitatis & qui deſcribendus non erat, morbi periculoſi causâ, ad venerabile monaſterium veſtrum & ſacrum glorioſi martyris Leontii corpus peregrinata ſit; quódque hactenus (ſint grates Deo maximæ) manifeſto ſancti martyris Leontii patrocinio, prodigioſè & non ſine mea ac mearum ſumma lætitia penitus ſanatus ſit memoratus morbus, ut ipſa, antè afflicta domina, nunc, æquè ac ceteræ ſanctimoniales, apta ſit frequentando choro reliquiſque officiis obeundis. In Ampt-hauſen die V Aprilis anno MDCLXX. *Cùm tantùm temporis intervallum, annorum ſcilicet undecim, reperiam inter annum 1659, cui beneficium innectit Pflegerus, & annum 1670, quo datum ſcribitur teſtimonium, ſuſpicor, alterutri loco errorem irrepſiſſe. Idem haud dubiè ſuſpicatus eſt Mayerus, atque idcirco annum accepti beneficii notavit 1669. Equidem, ſi alterutrum immutare eſſet animus, malim pro anno dati teſtimo-*

nii

AUCTORE J. P.

nii reponere 1660; *ratio eſt, quia Pflegerus paſſim in ſingulis capitibus obſervat ordinem chronologicum; hîc autem mox ſubjicit beneficium anni* 1664, *quod à Mayero contractum ita exponitur.*

aliis calculi dolores,

81 Dominus Joannes Georgius Rüthi, illuſtriſſimi principis San-Gallenſis conſiliarius ac conſilii ſcriba, nec non militiæ Toggienſis centurio, ſeptuaginta habebat annos, cùm anno MDCLXIV tam immanibus calculi doloribus, alioque morborum accedentium examine cruciabatur, ut mirum eſſet valdè, hominem grandævum non ſuccubuiſſe: quippe quia nec medicorum induſtria, neque virtus medicamentorum quidquam profecerant ad ſanandum moribundum. Deſtitutus itaque humano auxilio, ad Deum divique martyris Leontii merita preces ac vota intendit, vovetque peregrinationem ad ſedem & capellam ejuſdem Martyris, ac donum ſtatui ſuo congruum. Atque, obſtupeſcentibus medicis, ſeniculus à malis omnibus eſt liberatus, ſeduluſque deinceps exſtitit cultor ſui Liberatoris, cui votum ſuum reddidit cum inſigni devotione ac gratiarum actione.

Pleuritis & ægritudines

82 Catharina Forſterin de Stanz, qui eſt pagus primarius inferioris Subſylvaniæ, pleuritide ad mortem decumbebat anno MDCLXV, & quia omnis ſpes vitæ longioris defecerat, IV die Aprilis, quod fuit ipſum ſanctum Sabbatum, per ſanctorum Sacramentorum ſuſceptionem ad luctam ultimam ſe parabat, eodem die ſecundùm opinionem domeſticorum debitum naturæ ſolutura, pleuritide omnem hâlitum intercipiente. Ab humanis illa remediis, quæ nihil proderant, ad divina ſpem erigit, divum Leontium in Muris, ſi ſanitatem recuperaret, inviſere ac venerari promittit; & illico vis morbi adeo remiſit, ut ſequenti die Paſchali, de lectulo doloris exurgens, in parochiali eccleſia ſacræ Miſſæ interfuerit, ac brevi ſpatio perfectæ valetudini reddita votum exſolverit.

mortiferæ eximuntur;

83 *Hîc denuo Mayeri lucubrationem pauliſper deſerimus, ut bina, quæ ipſe prætergreſſus eſt, beneficia, ex Pflegero contracta, memoremus. Primum hoc modo contigit. Anno* 1665 *domina Margareta Goldin de civitate Surſee morbo lethali & inſanabili eò perducta erat, ut, cùm à nemine mortalium ſibi ſubveniri poſſe cerneret, ipſa ſeſe certæ morti jam deſtinaret; hujus tamen ſupremum ictum præſtolanti in memoriam rediit duplex gratia, quam anno* 1659 *filia ſua, & anno* 1660 *dilectus conjux ſimiliter moribundi, ad ſanitatem tamen reducti, obtinuerant, patrocinante* S. Leontio. *Quapropter tertiam quoque gratiam ſibi non abnuendam confiſa, votum nuncupavit eidem ſancto Martyri, ſicque inſtantem mortem evadens ſanitatem vireſque integras conſecuta eſt.*

C

ſanguinis effuſiones ceſſant.

84 *Alterum hunc ferè ſenſum habet: Anno* 1667 *Joannes Pfiſter ex Damerſellen, loco Lucernenſis ditionis, tam abundantibus exhauriebatur ſanguinis effuſionibus, ut iis ſiſtendis cùm nullum efficax reperiretur remedium, in præſentiſſimo vitæ amittendæ diſcrimine verſaretur, ac proinde ad æternitatis iter per ſanctiſſima morientium Sacramenta præmuniri ſe curaret. Ita conſtitutus votum emiſit ad* S. Leontium, *auxilium petiit, & obtinuit. Mox etenim, inhibito ſanguinis profluvio, omne ſimul vitæ periculum evanuit, vires priſtinæ cum ſanitate redierunt.*

Puer ſubitò ſanatur.

85 Erat anno MDCLXVIII perilluſtri domino Carolo an der Allmend & dominæ Dorotheæ Pfyffer filius quinquennis Joſephus Chriſtophorus, quem fatalis quædam defluxio adeo invaſit, ut integros quatuordecim dies jacêret elinguis, & altero latere, veluti ex apoplexia, delumbis cubaret in lectulo. Aberat etiam medicaminibus virtus ſanandi: eapropter parentes mutuo conſilio invocant thaumaturgum Leontium, votumque peregrinationis & tabellæ votivæ ad ejus ſepulchrum & capellam ſuſpendendæ emittunt. Mira res! Et voti nuncupatio, & pueri ſanatio uno veluti momento convenerunt, ut adeo puer ſanitati reſtitutus cum famula curatrice die primo Septembris D. Leontii profeſto ad Muros perſolvendi voti causâ advenerit: *Lucernâ nimirùm, ubi, teſte Pflegero, habitabant parentes.* D

Capitis dolor,

86 Mulier de parochia Starckkirch ditionis Solodorenſis, Anna Catharina Lach nomine, ſex aut ſeptem dies adeo intenſo capitis dolore tenebatur, ut qualicumque requie perfrui nullatenus poſſet, quin etiam præ doloris vehementia morituram ſe crederet. Quid ageret afflicta? Totam ſpem avertendi doloris in divum martyrem Leontium convertit, voto ſe obligat, venerabundo animo ejus ſacrum corpus in Muris inviſendi, unà cum gratitudinis ſigno ſeu teſtimonio. Et ecce, eâdem horâ viſum eſt illi, acſi gelicidium è capite in ſtomachum delapſum eſſet; ex quo momento omnis cruciatus evanuit, ipſa verò integrè reconvaluit. Anno MDCLXXIX. E

ſanguinis profluvium;

87 Anno verò proximè ſequente Anna Barbara Keller de Badena Helvetiorum (*domini Jacobi Keller & dominæ Annæ Margaritæ Offingerin conjugum filia*) tam copioſum tres dies ac noctes ex ore naribuſque eructabat ſanguinem, ut, quia nullo remedio profluvium ſiſti poterat, ultimam guttam emiſſura videretur. Pia mater Anna Margarita Offingerin, miſericordiâ ſuper filiam commota, votum peregrinationis & Miſſæ legendæ ad altare ſancti Martyris (*& tabulæ votivæ ſuſpendendæ*) emittit; & ſtatim poſt emiſſum votum adeo fluxus ille fatalis ceſſavit, ut ne guttam quidem ampliùs fundere viſa fuerit, atque mortis præſentis faucibus mirabiliter evaſerit.

convulſiones

88 Anno MDCLXXXII puerum decennem Carolum Rudolphum Lüthoff ex burgo Münſter convulſiones adeo crudeliter agitabant diſtorquebantque, ut, de longiore vita deſperatus, Sacris à parocho Joanne Udalrico am Stein provideretur, præda morti mox futurus. Nam medicamenta incaſsùm cedebant. Supererat, ut parentes dominus Stephanus Lütholff & Maria Schindlerin ad cælum & D. Leontium ſpem ſuam, preceſque ac vota intenderent: quod ubi fecerunt, puer, à convulſionibus exemptus, de lecto tametſi nonnihil debilitatus ſurrexit, unáque cum domina matre voto ſuo cum multa gratiarum actione ſuo Auxiliatori ad ejus capellam ſe exſolvit. F

& pleuritis abacta

89 Eodem anno Anna Catharina Schmidin de Tuggen in Marchia Suitenſi ex pleuritide quàm periculoſiſſimè decumbebat, ut deficientibus ſua virtute pharmacis, mortem vix non præſentaneam præ oculis cerneret. Poſtquam verò voto ſancto martyri Leontio ſeſe obſtrinxit, mortifera lues quaſi eo momento velut umbra declinavit, receſſitque ab ea. Unde poſtea voto in Muris ſatisfecit.

A

§ VII. Moribundis pluribus vita & ſanitas, aliis Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipiendi facultas conceſſa.

Ad extrema redacti.

PRimus, quem D. Leontius à morte liberaverat, erat infans à patre Fridolino Meyer generatus in Neuwenkirch, toparchiæ Rottenburgenſis (*in Lucernenſi pago.*) Languebat fœtus tenellus ex utero materno, augebaturque cum diebus ætatis languor noxius; donec ad extremum vitæ brevis deveniens, in lectulo ſemimortuus jacêret, atque ultimum duceret ſpiritum. Parentes, intento ad D. Leontii interceſſionem corde & animo, promittunt ejuſdem in Muris venerari reliquias; ex quo vitam quidem integram infanti ſtatim obtinuerunt, non verò liberationem à priore infirmitate. Igitur votum ipſum perſoluturi, iter peregrinationis parens uterque cum infante languido ingrediuntur, ſacraque oſſa Martyris, qua poterant pietate, colunt in eccleſia Murenſi; atque ab eo tempore à die ad diem infans convaleſcere cœpit; donec perfecta ſanitate, quâ numquam antè fruebatur, donatus fuit. Anno MDCXLVII die XXI Novembris.

B

infantes duo

91 Nobilium quorumdam parentum infantulam biennem anno MDCL morbilli ſeu papulæ rubentes ad mortem affligebant. Cúmque aliquando vehementiâ dolorum anguſtiata rogaret dominam matrem, ut è lectulo ſuſtolleretur, damnavit eam voti condolens mater, inque gremium ſuum recepit. Verùm illa continuò palleſcere, viribus deſtitui, oculos claudere, morienti aut mortuæ non abſimilis, abſque halitu, aliove vitæ ſuperſtitis indicio. Mater ſubitaneo eventu exterrita prolem denuo in lectulum reponit, voto ſe poſt Deum divamque Dei Parentem S. Leontio obſtringit (*peregrinandi ſcilicet, ut ſcribit Pflegerus, ad ſacras ejus reliquias in Murenſi eccleſia*) inque genua provoluta Pſalterium beatiſſimæ Dei Genitricis cum præſentibus orare incipit. Inter verò orandum videt cum tenerrima cordis lætitia filiolam, tamquam hactenus mortuam, confirmari, moveri, halitum trahere, atque alia prodere ſigna vitæ, obſtupeſcentibus omnibus, unanimique ſenſu affirmantibus, id ſine præſente miraculo contingere minimè potuiſſe. Integrè verò, ac multò meliùs quàm ante morbum intra dies XIV filiola reconvaluit, valuitque poſtea.

C

& virgo inolitanes ſervantur.

92 Anno MDCLIV Catharina Ruoff virgo pubes, (*filia Wilhelmi Ruoff & Margaretæ Suterin conjugum*) ex pago Egg in parochia noſtra Murenſi, morbo valido, eoque incognito correpta, toto corpore adeo intumuit cum acerbiſſimis doloribus ac cruciatibus, ut tam domeſticis quàm vicinis triſte aſpectu eſſet exemplum, & ſpolium mortis certiſſimum. (*Parentes itaque, ut ex Pflegero diſcimus, videntes, quòd de vita ejus conclamatum eſſet, eam ad felicem exitum per conſueta Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta muniri curârunt, jamque in ſingula momenta eumdem exitum exſpectabant,*) viginti namque vicibus animam vicina ſub morte trahebat extremam; donec pia mater, quam amor faciebat ingenioſam, de aqua, ex reliquiis divi Martyris benedicta, ori moribundæ ingeſſit. Eâ ab ægrotante aſſumptâ, aliquantò confortatus eſt ſpiritus. Quod cùm animadverterent adſtantes, ſucceſſivè de eadem aqua ei in potum dederunt, addito voto ſanctæ Miſſæ ad ejus ſacra lipſana celebrandæ, eo ſucceſſu felici, ut è manibus pedibuſque, rupta cute, plurimùm puris cum aquæ corrupta emanârit, ac demum cicatrices ſponte coaluerint; atque adeo puella, morti jam deſtinata, integram perfectamque ſanitatem recuperaverit.

AUCTORE J. P.

Mulieri Sacramenta ſuſcipiendi facultas conceditur;

93 Eodem anno die nona Januarii Apollonia ander Huob de Baar (*locus eſt prope Tugium civitatem, pagi cognominis primariam*) pia cæteroquin fœmina annorum circitèr quinquaginta, ſubitò & improviſò adeo decubuit, ut non loquelâ tantùm, ſed aliis quoque ſenſibus deſtituta, viginti quinque horis jacêret, tamquam animam exhalatura. Domeſtici de ſalute abiturientis animæ ſoliciti, ne ſine Sacramentis conſuetis ex hoc mundo diſcederet, votum D. Leontio nuncupârunt. Eâdem horâ vitales ſpiritus redire, ſenſuſque omnes redintegrari cœperunt, ut plenæ mentis compos facta, à ſacerdote ſacris morientium Sacramentis communita fuerit, maxima ſua & domeſticorum conſolatione. His igitur perceptis in priſtinum deliquium relapſa, die XIII ejuſdem menſis animam Creatori reddidit.

E

vir in agone conſtitutus vitâ & ſanitate donatur,

94 Erant anno MDCLXI Altentorffii in Marchia Suitenſi duo conjuges, Beatus Egger & Maria Stähelin. Maritus, ipſo natalis ſui die, fatali morbo correptus, extremum trahebat ſpiritum, jacebatque ſpatio dimidii horæ quadrantis abſque ullo præſentis vitæ indicio: ut fletus atque ululatus multus domum compleret. Uxor tamen, tamquam fidelis Rachel, utut plorans, maritum ejuſque vitam divo Leontio commendat, vovendo ad ejus tumulum peregrinationem ſacram inſtituendam, eâ efficaciâ, ut moribundus, aut aliorum opinione jam mortuus, maritus ſtatim poſt votum reſpiraverit, atque eodem adhuc die de lecto ſurrexerit, adeoque firmis reſtitutus ſit viribus, ut ipſemet cum conjuge ſua votum in Muris executus fuerit.

alter linguæ uſum ad peccata confitenda impetrat,

95 *Quod his ſubdit Mayerus beneficium, refertur apud Pflegerum in teſtimonio, à loci parocho propria manu Germanicè exarato, in hæc ferè verba:* Melchior ander Huob, parœciæ meæ vir honeſtus octogenario major, anno MDCLXI ab uxore ſua Verena Müllerin inventus eſt in lecto affectus gravi infirmitate, & uſu linguæ captus. Cùm autem per dimidiam circitèr horam ita elinguis abſque ulla permutatione jacuiſſet, dicta uxor concepit votum faciendæ peregrinationis ad thaumaturgum martyrem S. Leontium in Murenſi monaſterio, non ita quidem, ut voto obligaretur ipſe ſenex Melchior, ſed ita, ut compleri poſſet à perſonis aliis. Et ecce, ſtatim ac votum emiſſum fuit, ægro lingua diſſoluta eſt, ut peccata ſua oretenus confiteri, iiſque expiari valuerit ante diſceſſum è vita.

F

tertius neglecti voti pœnâ liberatur.

96 Poſtmodùm dicti Melchioris filius Georgius ander Huob cum filia Magdalena expleverunt votum die ſacra S. Martino epiſcopo. Sed tabellam, quæ ſimiliter promiſſa fuerat, licèt ad id rogatus, omnino non obtulit: unde non immeritò creditum eſt, memoratum Georgium propter negligentiam in complendo voto, omiſſionemque tabellæ offerendæ à Deo punitum fuiſſe infirmitate & immani dolore, quo mox affectus fuit in pede dextero. Ita tamen conſtitutus, & animatus ſpe firma recuperandæ integritatis, emiſſo voto ad S. Leontium refugit. Nec fefellit ipſum ſpes ſua; etenim ſtatim ab emiſſo, & nec tum expleto voto, remiſit ac prorſus deſiit omnis

AUCTORE J. P.

omnis dolor. Datum in Ruſſweill die VI Auguſti anno MDCLXII. Ita atteſtor Joannes Fridolinus Lindacher, decanus ac parochus ibidem. *Ruſſweil locus eſt in Lucernenſi ditione.*

Puero moribundo vita ac ſanitas,

97 Joannis Georgii Zum Bach, civis Tugienſis, filiolus ſeſquitriennis (*Henricum Gebhardum hunc vocat Pflegerus*) adeo viribus defecerat, ut cibo quocumque veſci nec vellet nec poſſet, (*adhæc vehementiſſima ſiti cruciabatur*) ideoque ad extrema devenerat (*uſque adeo, addit Pflegerus, ut die quadam jam jam animam acturus videretur.*) Parens morientem D. Leontio commendat cum voto; nec fruſtra: nam puerulus poſtridie è lecto ſeſe proripere geſtiebat, tametſi vires debilitatæ non admitterent: cibum tamen & nutrimentum cepit, atque adeò totus ſanitati interceſſione divi Martyris redditus eſt. *Monet Pflegerus votum fuiſſe conceptum in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, beatiſſimæ Mariæ Virginis, quæ in Einſidelenſi Suitenſis pagi monaſterio colitur, & S. Leontii in Murenſi monaſterio, annumque notat 1662.*

& ſacerdoti gratia ſacri Viatici obtineretur.

98 Anno MDCLXV Jacobum Petrum de Roth parochum in toparchia Sargans (Sargantia *tractus eſt Helvetiæ, incolis* Sarganſerland) convulſiones, ſeu, ut alii veriùs exiſtimabant, fluxus apoplecticus die XVII Junii ad mortem urgebant. Actum erat de eo; & quia ſenſibus erat deſtitutus, etiam ſacris carere neceſſe erat. Cúmque ejus cognata (*Margareta Brüödlerin*) votum feciſſet ad S. Leontium (*peregrinandi ſcilicet ad Murenſem eccleſiam, procurandi Miſſæ ſacrificium & ſuſpendendi tabellam votivam, uti explicat Pflegerus*) ad ſenſus rediit, peccata confeſſus eſt, ſacrum recepit Viaticum, & ſequente die, magna cordis conſolatione in Domino obdormivit.

Alii ultimum ſpiritum trahentes,

99. Annam Catharinam Brachtin ex oppido Utznacht cephalalgia adeo vehementer divexabat, ut novem diebus in rabiem actam catenis ferreis funibuſque ligari neceſſe eſſet. Donec ad extrema deveniens (*& ſacro Oleo munita, ut habet Pflegerus*) ultimum traheret ſpiritum. Maritus Daniël Wyſſman, facto voto ad S. Leontium, mittit, qui votum in Muris exſolverent. Eâdem horâ, quâ iſti domo exceſſerant, abſceſſit cum dolore rabies, rediit illa ad ſanam mentem, atque adeo ad integram ſanitatem. Anno MDCLXVI.

C

facto voto,

100 Dominus Joannes Hog, parochus Illfurti in Alſatia ſuperiore ſeu Suntgovia, & capituli ruralis per Suntgoviam decanus, Mullhüſii, civitate Calviniſtica, ad quam propter tumultus bellicos, qui inter Gallos & Auſtriacos tunc gliſcebant, confugerat, gravi detinebatur infirmitate, in qua, quia incaſsùm ibant medicamina, viribus adeo defecit, ut, veluti vitæ curſu conſummato, longo tempore jacêret omnibus inops ſenſibus; atque vitâ à circumſtantibus deſperatâ, non niſi de ejus ſepultura ſermo fieret & conſilium. Aderat inter adſtantes Henricus Stecklin ex civitate Enſishemiana (*Enſishemum oppidum eſt Germaniæ in Alſatia, diſtatque duobus milliaribus Germanicis Mulhuſio*) de ditione ac pago Murenſi aliàs oriundus, qui amore, reverentiâ & commiſeratione (*ſuper viro, qui necdum quadrageſimum ſextum ætatis annum ſuperaverat, teſte Pflegero,*) commotus, procumbit ante morientis lectum in genua, erectiſque manibus, votum emittit peregrinandi ad ſacras D. Leontii in Muris reliquias (*& tabulam votivam offerendi.*) Et ecce! Vix quinque Pater noſter dixiſſet aliquis, cùm moribundus ad ſe rediit, & promiſſa ratihabuit, ſeque ac ſui reconvaleſcentiam divo Martyri commendavit; atque poſt paucos dies ſanus è lecto ſurrexit, paulóque pòſt per eumdem vietorem Stecklin votum perſolvi curavit. MDCLXXIV. D

vitam

101 Idem ferè beneficium interventu ſancti Martyris adeptus eſt Franciſcus Leontius Meris in Foro Tyberii (*in Helvetia*) vulgò Kayſerſtuel, quæſtor civitatis pro filio ſuo, quem anno MDCLXXXIV æſtus morbi viribus adeo exhauſit, ut procul ab omni ſenſu mortuo ſimilis lecto decumberet immotus. Vocati igitur pater & amici de ejus ſepultura ſermonem miſcebant. Pater verò patroni ſui Leontii, cujus ſcilicet nomen gerebat, non immemor, in genua ſe demittit, & cum voto ad eumdem ſanctum Martyrem, Dominum ardentibus precibus deprecatur, ut filio vitam, ſibique filium vivum benignè donaret. Cúmque à precando ſurrexit, vidit filium ſubitò de portis mortis ad vitam properantem, eumque peramanter ac gratanter recepit brevi tempore integrè ſoſpitem.

& ſanitatem

102 *Deſunt hîc in Mayeri Lucubratione bina beneficia, quæ ex Pflegeri Germanico libello ſupplemus. Primum ſic ferè enarratur: Maria Catharina Nuſſlerin, uxor Chriſtiani Bernhards in* E *Utznacht, oppido Helvetiæ, die* XIV *Martii* 1685 *prolem ſanam feliciter enixa, paulò pòſt ipſa in morbum graviſſimum incidit. Acciti ſunt ad ipſam medici tres iique expertiſſimi, at quantamcumque diligentiam adhibuerint, fruſtra cecidit omnis conatus, ut proin mortis eſſe victimam declarârint. Dura ſanè ægrotanti hujuſque marito ſententia. Nihilominus ambo memores beneficiorum, quæ Deus interventu* S. Leontii *continuò elargiebatur, peregrinationem Muros vovent unà ſimul inſtituendam, ac devotam ejus ſacrorum oſſium venerationem; & mox moribunda meliùs habuit, brevique pòſt tempore reſtituta eſt integræ ſanitati; promiſſam verò peregrinationem ipſamet explevit die* IX *Junii anni ejuſdem.*

recuperant.

103 *Secundi beneficii relatio ſequenti teſtimonio, ex Germanica lingua in Latinam tranſlato, comprehenditur:* Notum ſit perſpectumque omnibus, quòd Maria Verena Zum Bach, proba, devota ac pia mulier Barenſis in Tugienſi pago, annos nata circitèr quadraginta tres, menſe Majo anni MDCXCI, tam gravi morbo correpta fuerit, ut poſt ſex hebdomadas, quibus ex illo decubuit, ſingulis momentis ſupremum ſpiritum datura crederetur. Tandem ſui etiam tum compos unà cum marito & liberis ad divinam omnipotentiam & ad Sanctorum interceſſionem confugiens, votum fecit S. Leontio in Murenſi monaſterio, ut miſericors Deus per glorioſa merita atque patrocinium S. Leontii martyris, ſibi (*memoratæ Mariæ Verenæ*) ſanitatem (ſi modò divinæ voluntati conſonum eſſet) clementer indulgeret. Interea temporis peccata ſua erectis manibus & intimo doloris ſenſu ritè confeſſa eſt, ac utroque Eccleſiæ ſacro-ſancto Sacramento communita. Eodem autem, quo enunciaverat votum, momento temporis ſic convaleſcere cœpit, ut (maximæ ſint divinæ benignitati laudes & gratiæ) integræ ſanitati reddita ſit. Quoniam verò ingens illud beneficium nullius poſt Deum patrocinio acceptum referri potuit quàm glorioſi martyris Leontii, eapropter ego infraſcriptus rei peractæ teſtes patrem ac liberos, aliaſque perſonas fide dignas, ad me arceſſivi, poſt diligens examen ſingula, ut hactenus narrata ſunt, vera eſſe comperi, atque plenioris confirmationis ergò manu propria rogatus deſcripſi, ſigilloque munivi. Actum in Baar die F

A xv Septembris anno MDCXCII. Franciſcus Müller parochus indignus ibidem.

§ VIII. Ægrè ac periculosè parturientibus collatum ſolatium & auxilium.

Multæ partûs difficultate

BEnedictus de Wangen, Einſidlenſis municipii civis, ex uxore ſua Verena Sultzerin tres ſuſceperat proles, quarum nulla ad gratiam Baptiſmi pervenit; cúmque anno MDCXLVII quarto fœtu uxor eſſet gravida, tempuſque adeſſet, ut pareret, vehementibus doloribus totam noctem agitabatur, peritura, uti ipſa timebat, cum fœtu. Necquidquam autem opportuna conſilia ac remedia partui promovendo proderant; donec R. P. Wolfgangus Wiſshaupt, Einſidlenſis parochiæ curio, marito roſarium ex contactu ſacrarum reliquiarum D. Leontii benedictum ſubmiſit, ut illud
B collo puerperæ ſuſpenderet cum voto, ut, ſi proles naſcitura eſſet maſcula, eam Leontii nomine vocaret, atque peregrinationem ad S. Leontii tumbam ſacram inſtitueret. Factum, ut imperatum: & mulier ſpatio unius horæ quadrantis abſque dolore puerum ſoſpitem enixa eſt, ſtupentibus præ admiratione & gaudio, qui aderant, & Deum ac S. Leontium pro inſigni divinæ miſerationis miraculo collaudantibus. Quæ autem vovit maritus, exactè promptéque complevit; puerumque in ſacro Baptiſmate Joſephum Leontium compellavit.

laborantes,

105 *Inſtrumentum hîc ſubnexum, ſepoſita rurſum Mayeri interpretatione, ex ipſo Pflegero Latinè reddidi.* SANCTISSIMÆ TRINITATI, DEO PATRI, FILIO ET SPIRITUI SANCTO laus ſit, honor & gloria; grates ſint glorioſæ cælorum Reginæ Virgini Dei Genitrici Mariæ; laus ſit quoque S. Leontio martyri, potenti celeberrimæ Murenſis eccleſiæ patrono, atque auxiliatori fidelium Chriſtianorum in calamitate verſantium. Æquum eſt non taceri, ſed per univerſum prædicari inſigne Dei beneficium, quod per efficacem Dei Genitricis ac divi Leontii martyris in-
C terceſſionem præſtitit. Ego Mathias Bochſler ex Kahm ditionis Tugienſis ſummo animi dolore conſpiciens dilectam uxorem meam Catharinam Mayerin, cùm primum uteris fructum in lucem editura eſſet, jam tertio die in extrema neceſſitate ac vitæ periculo decumbentem, adeo ut remedium omne, ſubſidium & conſilium tum religioſarum tum ſecularium perſonarum, quæ ad hoc vocatæ fuerant, nihil prorſus proficeret, ac tam de matre, utpote quæ jam ſenſibus deſtituebatur, & ſanctis Eccleſiæ Sacramentis ad mortem præmunita erat, quàm de prole à quolibet deſperatum eſſet, ego itaque in ſuprema illa neceſſitate peregrinationem vovi ad beatiſſimam Virginem Einſidlenſem atque unà alteram ad Muros ſimul cum Miſſæ ſacrificio in ara S. Leontii celebrando, ac fore addidi, ut prolem in ſacro Baptiſmate de nomine S. Leontii compellarem, ſi vivo nos puero, & matrem gratiâ ſanitatis ac vitæ recrearet Deus. Sub hæc nata eſt viva proles, ob urgentem neceſſitatem à mulieribus baptizata & poſt acceptum Baptiſmum mox iterum defuncta; mater verò (laus ſit Deo & gratiarum actio ſempiterna) bona iterum fruitur valetudine. Actum die XXIX Novembris anni MDCLIII.

AUCTORE J. P.

106 Majore diſcrimine, *inquit Mayerus*, defuncta eſt Margareta Koch de Buttikon (*uxor Conrardi Stöklins.*) Novem omnino dies (*à tertia uſque ad duodecimam Februarii juxta Pflegerum*) doloribus partûs obruta, emittendo fœtu laborabat, aſcitis ad promovendum partum medicis & medicaminibus congruis. Incaſſùm ibant omnia; donec puerpera ipſa (erat enim ex Muri oriunda) ad thaumaturgum Murenſium Patronum votum fecit, ejus in ſacra peregrinatione venerandi ſepulchrum, eo feſtinato cum fructu, ut protinus ſublatis doloribus feliciſſimè ſuum parturiverit fœtum. Anno MDCLIII. *facto*

voto,

107 Ejuſdem patrocinio Martyris Adelheidis Fuchſin ex parochia Kahm gaviſa eſt, cùm immaturum fœtum, quem ſex dumtaxat menſibus ac duobus hebdomadis in utero geſtabat, (enixa eſt.) Hanc poſt elapſum tempus mox dictum apprehenderunt dolores partûs, in quibus tres dies laborabat, ut fœtum effunderet, ſed niſu fruſtraneo, ut adeo non niſi infelix abortus expectaretur. Maritus Rudolphus Werder & uxor pariens, ut malum præverterent, cum voto
E Deo, Deique Genitrici ac divo Leontio fœtum, ut vivus ſaltem ederetur, commendant: (*voverunt autem, ſcribente Pflegero, peregrinationem Muros ſuſcipiendam & procurandam Miſſam ad altare* S. Leontii.) Nec mora, naſcitur infans, & quia certa vitæ præſentis præ ſe ferebat indicia, baptizatur (*ac Leontii nomen accipit*) atque antequam ferè lucem intueretur, ad lucem abiit inacceſſibilem. *Pflegerus id factum indicat die 2 Aprilis anni* 1654.

Præſentem

108 *Ex eodem Pflegero Latinè interpretor duplex teſtimonium, haud diſſimilia beneficia complectens. Primum ita penè ſonat:* Ad Majorem Dei, beatiſſimæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, nominatim S. Leontii martyris gloriam & honorem, ego Maria Meyerin cum dilecto conjuge meo Joanne Gaſpare Mayer habitans in Kahm, teſtor, mihi ab omnipotenti Deo per interceſſionem S. Leontii martyris impertitam fuiſſe ſummam opem & gratiam in maxima calamitate mea. Etenim cùm ego Maria Meyerin die VI Februarii anni MDCLV, à manè uſque ad veſperam acerbis admodùm partûs doloribus torquerer, nec tamen omni niſu ac labore fœtum
F edere valerem, planè verebar, ſicut & omnes, qui aderant, meritò timebant, ne abortum facerem. Supervenit tandem proba ac pia mulier, quæ roſarium, attactu reliquiarum S. Leontii martyris conſecratum, collo meo injecit, monens, ut firmam in ſancti Martyris auxilio fiduciam conciperem: & repentè abſque ullo labore, abſque humano adminiculo, abſque ullo dolore prodiit puer ſanus ac vegetus. Puero in perennem accepti beneficii memoriam in ſacro Baptiſmate Leontii nomen inditum fuiſſet, niſi anno ſuperiore filius primogenitus, quoniam in ſimili diſcrimine, opitulante beato Martyre, feliciter pepereram, eodem nomine fuiſſet appellatus. *Vocem Germanicam* pſalter-bethlin Roſarium *interpretatur Mayerus, quem ſecutus ſum, quia, quid propriè ſignificet, ignorabam.*

S. Leontii

109 *Alterius teſtimonii is item ferè ſenſus eſt:* Notum ac palàm ſit omnibus, quòd anno MDCLVIII die IV Octobris, in quem incidit feſtum ſeraphici patris Franciſci Aſſiſii, prænobilis ac pia matrona Domina Maria Magdalena Läw, conjux Domini Franciſci Ackermann, quæſto-

AUCTORE J. P.

ris in Subsylvania inferiore, in puerperio adeo periclitata fuerit, ut quilibet de vita ejus conclamatum esse, arbitraretur, imò non ipsi tantùm vitæ temporalis jacturam imminere, sed & fœtui æternæ felicitatis, utpote cum parente obituro, & spe recipiendi Baptismatis destituto. Quapropter, sepositis humanæ artis remediis, & ad cælestia animum intendens, in summo ac præsentissimo illo periculo pollicita est thaumaturgo martyri S. Leontio peregrinationem ad Murense monasterium, præstandam per duas tresve personas cum munusculo ad celebrandum Missæ sacrificium. Statim à voto feliciter enixa est puerum, qui Jacobi Francisci nomen accepit, vivitque etiam nunc. Laus sit Deo omnipotenti, ejusque Genitrici. Quapropter æquum fuit iterata laude extollere supremum Numen cùm Virgine Matre, ac celebrare, cuilibet in gratiarum actionem indicare & palàm facere S. Leontii patrocinium; in cujus fidem exiles hos versiculos adjeci. *Huic testimonio nullius nomen subscriptum legitur; monet tamen Pflegerus, datum fuisse ab ipso prænobili domino Ackermann, puerperæ marito. Versiculi autem mox subduntur ipsi testimonio, in iisque puerpera loquens inducitur, ac summa cum grati animi significatione strictim repetit accepti beneficii historiam. Porrò ad titulos dicti domini Ackermann duas tresve voces omisi ignorans, quo pacto exponerem.*

B

110 *Dein exponit laudatus Pflegerus beneficia, quæ aliæ duæ puerperæ* S. Leontio *accepta retulêre. Accipe enarrationis utriusque compendium. Catharina Filigerin, uxor Joannis Bütler ex Hunenbergh, subitis terroribus, quibus valdè erat obnoxia, bis anno scilicet 1656 & 1660, cum fœtum utero gestaret, adeo percussa fuit, ut antè statum tempus paritura seu potiùs abortum passura crederetur; nam per octo ferè dies integros partûs doloribus agitabatur. Vovit* S. Leontio *peregrinationem & Missæ sacrificium, & utraque vice periculo defuncta, tempus graviditatis complevit ac feliciter peperit.*

opem

111 *Anno 1660 die* XXII *Maii Margareta Lüthin ex Werd, loco Lunckhofensis paræciæ in diœcesi Constantiensi, uxor Joannis Jacobi Burgiser, jam tribus diebus vehementissimos inter dolores parturierat, nec, quidquid opis ei adferebatur, spes ulla apparebat fore, ut vivum fructum emitteret. Tandem* S. Leontii *subsidium inclamavit, promisitque, si viva prole donaretur, peregrinaturam se ad Murensem ecclesiam, sacram Missam procuraturam, oblaturamque votivam tabellam. Vix emisso voto, statim infans in lucem prodiit, mirantibus ac Deum laudantibus, qui aderant. Horum non meminit Mayerus, cujus denuo assumo interpretationem.*

experiuntur.

C

112 Joannes Jacobus Kalin, aliàs civis Einsidlensis ex Lavingen comitatûs Sultzensis, fassus est, & divo martyri Leontio in acceptis retulit vitam uxoris suæ Annæ Eberlin, pariter & prolis ex ea genitæ. Cùm enim illa anno MDCLXI die secunda mensis Septembris partui proxima extremum vitæ discrimen cum fœtu subiisset, quippe quòd ante sex vel septem dies integros convulsionibus miserè torta fuerit, ut de partûs & parentis salute actum esse videretur. Vir ejus, recordatus, ea ipsa die in Muris celebrari solemnitatem D. Leontii, in genua procumbit, & pro periclitantium salute sanctum Martyrem intensè deprecari infit. Vix autem orationem inchoavit, cùm puerpera fœtum suum in lucem continuò edidit viventem. Gaudio alia succesſit tristitia. Dum pia genitrix, viribus penè omnibus ex dolore ac labore partûs exuta, in lethiferum decidit deliquium, nullis fomentis refocillationibusve avertendum. *(Pflegerus miserum mulieris statum pluribus describens, ait, omnia adfuisse mortis proximè imminentis indicia, ita quidem, ut feminæ, quæ astiterant parturienti, domo abeuntes, actum esse, affirmarent.)* Maritus ad fontem, unde prior exivit gratia, redit, votum divo Leontio vovet, & sine mora moribunda uxor ad mentem ac vires redit, & reconvalescit.

Aliis

D

113 Tristitiam passa est Verena Eglin, uxor Wilhelmi Weibel ex Schongen *(ditionis Lucernensis)* cùm infantem anno MDCLXV paritura de vita sua fœtûsque maximè periclitaretur. Infans protenso brachiolo Baptizatus, & adhuc postea sex horis ex certis indiciis vivere compertus est; postea verò vivere desiit. Jacebat mulier duobus diebus, mortuo jam fœtu, supra modum gravata, & ejus enitendi, adhibitis licèt medicaminibus, impotens. Demum postquam tres Missæ ad honorem S. Leontii celebratæ fuerant, uti ex voto conditum erat, fœtus exanimis actutum editus est, puerpera verò paulò pòst è lecto mortis ac doloris sospes surrexit.

in infelici

E

114 Elisabeth Zimmermann ex Sultz ditionis Lauffenburgensis *(in Suevia)* marito suo Andreæ Weis quatuor fœtus exanimes genuit; ut adeo afflicti conjuges omnem spem amiserint filios procreandi animatos, quâcumque cautelâ aut medela naturali. Verùm divi Leontii merita defectum supplebant naturæ, postquam illi anno MDCLXV ad ejus in Muris capellam plena fide peregrinationem obierunt. Nam Elisabeth Andreæ suo eodem anno die XXII Augusti prolem vivam genuit.

puerperio

115 Auxilium præsentaneum divi Martyris anno MDCLXIX adepta est Barbara Schmid de Dotikon *(locus est in tractu Helvetiæ, cui apud Germanos nomen est* die Freyen Ampter *apud Latinos* Provinciæ liberæ.) Medio mense Julio anni præfati advenerat tempus pariendi, & dolores partûs ad octo dies perdurabant, nulla naturali arte vel labore promovendi. Cùm igitur deficientibus viribus cum puerpera ad extrema ventum esset, consilio adstantium, voto thaumaturgo Leontio miserum statum suum commendavit, & confestim prolem sospitem in lucem edidit. Deo & divo Leontio gloria & gratiarum actio!

miserè constitutis

F

116 Quantam verò benignitatem fecit Dominus Mariæ Walthart de Newenkirch *(loco diœcesios Constantiensis,)* ut in lucem daret fructum suum! Appropinquaverat dies partûs, & dolores viscera vellicare incipiebant tantâ vehementiâ, ut, irruentibus convulsionibus, impos animi & sensuum tres dies jacêret, & tamquam cum fœtu interitura sacro Oleo ungeretur ad extremam luctam. Postquam autem, suadente parocho Jacobo Hegglin, vir ejus Ulricus Stephan voto sacræ peregrinationis ac unius Missæ S. Leontii imploravit auxilium, petitionis suæ salutarem consecutus est effectum. Nam haud multò post votum sine obstetricis aut alterius hominis subsidio egressus est ex utero puer, quem postridie in sacro lavacro Leontium appellârunt. Genitrix nihilominus integris duabus diebus intellectu ac sensu carere perrexit. Tandem verò, ubi ad mentem rediit, natum infantem, quia, quæ secum acta fuerant, ignorabat, ægrè & nonnisi per parochum edocta, tamquam

succurritur.

A quam à dextera Domini & forti brachio divi martyris Leontii, ſibi miſericorditer conceſſum agnovit, gratias agendo Deo & Auxiliatori ſuo. Anno MDCLXIX.

Fœtus examines

117 Joannes Gſandter ex Marchia Suitenſi tam in conjugio erat infortunatus, ut prolem vivam ex ſua uxore ſuſcipere non poſſet. Septem iſta conceperat, portaverat integro menſium, & debito partûs tempore genuerat, omnes tamen vitæ, atque adeo gratiæ ſacri Baptiſmi expertes. Ut infelix mortis genitrix, mœrore conſumpta, brevì vitam quoque exuit ſuam. Vir ejus, cùm poſtea alteri nupſiſſet, nihilo meliorem fortunam nactus eſt: nam & hæc primum & ſecundum fœtum effudit inanimatum. Tum verò amici ac vicini, commiſeratione in afflictiſſimos conjuges ducti, multa de meritis divi Martyris Murenſis dilaudare, & inculcare, atque, ut plena fide fiduciaque ad ejus patrocinium confugerent, inſtigare. Obtemperant illi opportuno conſilio, iter ad ejus ſacra oſſa aggrediuntur, divum Martyrem, quâ potuêre devotione, inſtanter venerantur & orant, atque, quod orârunt, efficaciter recipiunt: nam eodem adhuc anno, qui fuit

B MDCLXXII, uxor marito ſuo filiam vivam eſt enixa.

enixi ſolitæ

118 Haud minorem gratiam thaumaturgi Martyris interceſſione conſecutus eſt Jacobus Grosmann de Wangen ditionis Lucernenſis, cui uxor ſua Anna Buecher tres conſecutivè fœtus exanimes protulit. Nam ipſa, ſpretis remediis ceteris, ad Muros in afflictione ſua properavit, &, exactis ſolitis peregrinantium operibus, coronam de floribus benedictam ſecum domum ſuam retulit, ſucceſſivis temporibus parum de ea cibo miſtum abſumpſit, atque tempore puerperii in pectore ſuo collocavit, viroque ſuo, ipſo ejus die nominalitio (*25 menſis Julii feſto S. Jacobi apoſtoli*) puerum vegetum genuit. Anno MDCLXXX.

viva prole

119 Idem fere beneficium à S. Leontii patrocinio conſecuta eſt anno ſequente MDCLXXXI Anna Kauffmann de Schneyſingen in comitatu Badenſi ſuperiore, quæ ex tribus fœtibus maſculis, quos vitâ caſſos progenuit, mœſta augurabatur non imprudenter fore, ut etiam impoſterum prolem viventem non enititeretur. Ut tamen præveniendo malum præverteret, divum Leontium lachrymis potiùs quàm diſertis verbis in vota vocavit in hæc ferè verba ſimplicia: "Si me adju-

C „vas, & voti compotem facis, prolem, quam „per te vivam eniti confido, tuo nomine nomi-„nabo, & ad te in Muris piam peregrinationem „obibo.„ Audiit ſanctus Martyr precantis lachrymas & vota, & mulierem Annam 1 die Maii ejuſdem ſupraſcripti anni vivente prole maſcula donavit. *Puerum, teſte Pflegero, in Baptiſmo Leontium appellari jubens, palàm profeſſa eſt, ſe illo ditatam non eſſe per naturæ beneficium, ſed per patrocinium ac merita* S. Leontii.

donantur.

120 Maria Vögelin, uxor Adami zum Steeg ex valle Mettavienſi prope Lauffenburgum, fœtus ſuos non ſolùm in dolore peperit, ſed majore dolore ac mœrore fœtus omnes, nempe quatuor, edidit inanimes & gratiâ ſacri Baptiſmatis emunctos. Multa interea in vulgo de meritis D. Leontii referebantur, quatenus pluribus aliis fœminis in eadem neceſſitate opem tulerit præſentaneam. Quibus exciti Adam & Maria votum fecerunt, quòd ad ſanctum Martyrem irent peregrinatum, & ſi prole maſcula vivente bearentur, eam ſuo nomine appellarent. Nec verò diſtulit opem Leontius. Nam mulier ſtatim primo poſt votum partu peperit puerum vivum die IX Julii MDCLXXXIII, quem vocavit Leontium. Quo miraculo per totam vallem percrebreſcente, ſeptem familiæ filiis ſuis nomen Leontii impoſuerunt.

Difficulter pariens ſublevatur;

121 *Maria Catharina Stulizin, conjux Melchioris Liembt Stantiæ in Subſylvania, binis jam integris diebus partûs dolores acres admodùm & periculoſos ſubierat, timebaturque meritò, ne prolis nativitas genitrici pareret interitum. Promiſſa fuit* S. Leontio *peregrinatio ad Murenſem eccleſiam, ipſaque puerpera cincta eſt faſciâ, quales quotannis* S. Leontii *nomine in præfata eccleſia conſecrantur, prægnantibus ac parturientibus valdè proficuæ, uti dictum eſt num.* 24. *Continuò deſiit periculum, ſubſederunt dolores omnes, nataque eſt proles viva die* XXX *Julii anno* 1684. *Hæc ſed verbis pluribus Pflegerus, ſilente Mayero.*

ſterilis fructum concipit.

122 Non ſolùm autem D. Leontius parientibus adeſt ſuæ interceſſionis virtute, ſed & ſteriles facit eſſe fœcundas. Eliſabeth Schmuckin à viro ſuo Jacobo Ritz ex Hummelwald, eò quòd eſſet ſterilis, multas injurias, verborum aculeos, aliaque incommoda ac mala multo tempore eſt perpeſſa. Quid faceret mœrore penè confecta, atque omni ſolatio deſtituta mulier? Statuit ac E vovit ſacras D. Leontii reliquias piis precibus ac Miſsâ legendâ inviſere ac venerari; & continuò poſt aliquot hebdomadas ſenſit ſe eſſe fœtam, ac, Deo propitio, per ejuſdem ſancti Martyris merita anno MDCLXXXV infantem ad lucem protulit ſoſpitem; ex quo pax & concordia inter conjuges eſt reconciliata ac ſtabilita.

§ IX. Infantes, opinione mortui, vitâ & ſacro Baptiſmate donati.

Infantes

CUm anno MDCLV Verena Mittler de Döttingen prope Klingnovium (*oppidum Helvetiæ in Badenſi comitatu*) duos dies doloribus partûs acerbiſſimis periculosè decumberet, & fœtus tam à matre gravida quàm ab obſtetricibus enecatus eſſe crederetur, ut adeo nulla ex iis præſumeret infantulum in brachiolo, quod extendebat, ſacrâ undâ tingere. Ubi verò fœtum o- F mnium opinione mortuum cum voto commendaverunt S. Leontio, poſt elapſas duas horas infans in utero materno denuò vitæ ſigna edidit, ac mox in lucem vivus prodiit, atque à parocho Klingnovienſi IV Septembris anno MDCLV publicè in eccleſia ſacrâ undâ ablutus eſt, dictus Joannes Henricus, nomine patris ſui Henrici Keſſenberg & deinceps ſoſpitem vitam vivere perrexit. *Factum iſtud, auditis & examinatis teſtibus, Muros perſcripſit R. D. Rudolphus Schmid Klingnovienſis parochus, cujus litteras, quæ exſtant Germanicè apud Pflegerum, Latinas facere viſum non eſt, quia ambagibus atque adjunctis non neceſſariis confertæ ſunt.*

opinione mortui

124 Ita Barbara Henneler de Berona anno MDCLVIII (*die* VII *Decembris*) maxima difficultate (*primo partu*) enixa eſt puerum exanimem, qui cùm dimidiam horam ceu cadaver exangue jacêret, ſoliciti ac mœſti parentes (*ipſa nempe Barbara & conjux ejus, quem Pflegerus* Wilhelmum Spani *appellat*) in id intenderunt, ut ſaltem per ſacri Baptiſmatis gratiam vitâ frueretur æternâ, cui naturæ imbecillitas abſtulit temporalem,

AUCTORE J. P.

divumque Leontium cum voto (*peregrinationis ad Murensem ecclesiam*) ac integra spe in auxilium vocârunt. Nec eos spes sancta fefellit: nam statim post votum successivo ordine spiritus vitales, deinde motus corpusculum occupaverunt, atque vitâ restauratâ ac redditâ, etiam per sacrum Baptismum à nævo originali lotâ, imposterum semper puer fuit sospes.

feliciter revixisse

125 Elisabeth Hegglin de Mentzingen (*locus est haud multum dissitus Tugio civitate*) uxor legitima domini Fabiani Schön, fœtu gravida, aliquot hebdomadarum intervallo ipsum fœtum ampliùs non sensit. Anxia proinde ac solicita, ne abortum gestaret ac pareret, voti causâ ad D. Leontium peregrinata fuit, ut ejus suffragiis felici partu frueretur. Peregrinatione absoluta, mater fœtum revixisse persensit, atque postliminio feliciter in lucem edidit. Anno MDCLIX.

Alii

126 Anno sequente MDCLX Jacobo Rey de Geltweil (*vicus est Murensis territorii*) natus est infans (*ex Maria Langin legitima conjuge*) qui cùm ad ecclesiam deferretur, ut sacro fonte expiaretur, exstinctus est in via. Conterriti, qui portabant infantem, nihil reliquerunt intentatum, B quo vitæ signa elicerent, sed frustra. Cùm verò postea ad divi martyris Leontii patrocinium cum voto (*peregrinationis ad Murensem ecclesiam*) confugissent, infans emortuus indicia vitæ reducis edidit, baptizatusque est, ac post Baptismum vivus domum relatus, eodem die feliciter obiit.

Similiter

127 Ego infrà scriptus examinavi iteratis vicibus Salomam Schuomacher obstetricem Beronensem & Catharinam Schlegler super miserabili infante, qui Joanni Jacobo Krusi ex Elisabetha Weberin legitima uxore die VIII Junii anno MDCLX natus est, rupto scilicet ventre, ac viscеribus propendentibus, dorso variis locis perforato, concretis invicem pedibus ac tibiis. Ambæ itaque mulieres istæ fide dignæ & non secùs ac juramento obstrictæ, testantur, quòd mater, cùm parturiret, timeretque, ne fœtum exanimem ederet, obligaverit se voto Missæ, legendæ coram sacro & thaumaturgo corpore martyris S. Leontii, ut per merita atque potens patrocinium glorioſi Martyris Leontii proles viva mundo prodiret. Subhæc ipsamet puerpera in vitæ amittendæ summo timore versabatur, quandoquidem contra naturæ ordinem insolito planè modò fœtum emiserit. At C jam fœtu liberatam matrem facti voti pœnituisse, aiunt, dixisseque, nolle se promissum Missæ sacrificium procurare, cùm non vivam sed mortuam prolem impetrâsset.

pro mortuis habiti,

128 Interea dum languida ac partûs laboribus doloribusque multùm debilitata puerpera lecto reponebatur, obstetrix per integram horam, adhibitis quibuslibet remediis, laborabat, ut signum aliquod vitæ ex edito fœtu proliceret, sed nullum ejus indicium obtinuit. Denique sufflando vitam explorare cœpit; sed advertit, flatum à se immissum erumpere per dorsi foramen. Quapropter spem omnem de vita infantis sepositi, quoniam juxta omnia indicia ipsa infantis interiora viscera mutila ac perrupta esse judicabat. Tum puerpera & propriæ infelicitati, & mortuæ prolis sorti illacrymans, in sese reversa est, & meliora consilia assumpsit, votum renovavit, firmiterque statuit Missam procurare legendam in honorem S. Leontii martyris antè promissam. Et ecce; vix ita statuerat, cùm obstetrix animadvertit inchoari pulsum in vena pectoris infantis, omnium judicio demortui: moxque, convocatis ingenti gaudio ceteris mulieribus, baptizatus est infans ac dein, quoniam pulsus ille sub pectore perseveranter & evidenter observaretur, ad ecclesiam delatus est, ut debitæ ac necessariæ Baptismi cæremoniæ supplerentur. Tandem, quod ego ipse vidi, in ecclesia ocellos aperuit, idque postea, uti affirmant testes non pauci & fide digni, fecit iteratò. At domum relatus post horæ intervallum denuo exspiravit. Laus sit summa S. Leontio martyri, cujus equidem patrocinio me humillimè commendo. Datum Beronæ die XXVI Maii anno MDCLXII. Servus infimus Hieremias Meyer, loci parochus indignus. *Hasce litteras, quas habet Germanicè Pflegerus, Latinè reddidi; Mayerus enim, sicut ipsi mos est, earum dumtaxat compendium profert.* D

post attactum

129 De Barbara Ronerin verò (*uxore Laurentii Steimann*) ex civitate Tugiensi testimonium perhibuit Jacobus Haffner decanus & parochus Tugii, corpusculum exanime edidisse die IX Februarii MDCLXI, quod viginti horis post partum sine vitæ indicio qualicumque jacebat, parentibus & vicinis mœstum infelicitatis exemplum. Parentes erecto in spem vivam animo, & conceptâ fiduciâ ad D. Leontii auxilium cadaver frigidum ad Muros sequente die X deferri curabant; ubi, E iteratis attactu reliquiarum sancti Martyris piisque precibus, color rediit in faciem; aperiendoque ac claudendo oculorum palpebras astantium ex oculis lachrymas præ gaudio elicuit uberrimas. Inde, gratiâ Baptismi receptâ, tamdiu redditam tenuit redivivus infans vitam, donec è Muris Tugium reportatus, ac parocho præsentatus fuit: sub cujus oculis tertiò adhuc aperuit, clausitque ocellos, &, missis tribus suspiriolis, animam ad cælos transmisit. *Eamdem relationem habet Pflegerus, datque verba, quibus illi subscripsit memoratus dominus decanus: sunt autem ista:* Hæc ita esse, & à me visum fuisse dictum infantem aperientem claudentemque oculos, attestor Jacobus Haffner decanus ac parochus ibidem.

reliquiarum

130 Ex eadem civitate Tugiensi domina Martha Brandenberg, uxor domini Francisci Letter, primo die Maii MDCLXIII, adveniente tempore pariendi, quam sub pectore gerebat, prolem, adeo acerbis viscerum torminibus infestata erat, ut priùs peritura, quàm paritura ipsa sibi videretur. Maritus in tanto discrimine voto (*peregrinationis in Muros*) implorat D. Leontii patrocinium; post votum uxor à torminibus liberata, fœtum enititur, F sed exanimem. Corpusculum exanime permanet XXIV horis. Interea ad Muros cum spe vitæ recuperandæ defertur, sacris reliquiis sancti Martyris tangitur benediciturque, pro salute partûs Missa ad ejus altare celebratur. Cùm interea membra gelida calorem, facies livida colorem rubentem recepissent, nec non pulsus arteriarum moveretur, atque halitus liberior iret. Ita revivisсentem pater unus de conventu nostro baptizavit, & post susceptum Baptismum infans duas supervixit horas & vitam brevissimam cum æterna commutavit.

S. Leontii

131 Aliud hujus thaumaturgæ virtutis exemplum ipso prædicto anno, in ipsa prædicta civitate edidit D. Leontius. Maria Barbara Weberin (*uxor Michaëlis Keyser*) ex Tugio partum edidit vitæ expertem, ut ad horam usque duodecimam à momento generationis spiritus in eo non fuerit. Miserunt parentes extinctum cadaver ad reliquias S. Leontii, ut ad earum præsentiam & contactum revivisceret; (nam etiam ante annum infanti suo, recèns nato emortuo, ab eo vitam impetrârunt.) Tangitur igitur puer sacro osse benedicitur-

que,

A que, ſtatim ad vitam redit, (*mox enim, ut exponit Pflegerus, in eo tum arteriæ pulſus tum aliæ, nominatim in oculo ſiniſtro, quem aperuit, vitæ præſentis indicia obſervata ſunt.*) A reverendo domino Michaële Stadlin, curato ad S. Wolfgangum baptizatur, præſentibus patribus Hieronymo Troger priore; Leodegario Holdermeyer, cuſtode rei ſacræ; Anſelmo Weiſſenbach; atque ita capax redditur gratiarum ac præmiorum æternorum.

aut votum 132 Similiter Dorothea Iten anno MDCLXVII viro ſuo Walthero Staub (*ex Mentzingen prope Tugium*) puerum genuit ſuffocatum, quem cùm poſt horam, quâ ſine ſuperſtitis animæ indicio jacebat, D. Leontio commendaverunt, addito voto peregrinationis ad ejus eccleſiam (*& Miſſæ ibidem celebrandæ.*) Puer revixit, atque ſpirituali lavacro regeneratus (*per dominum Petrum Zurcher loci ſacellanum, uti addit Pflegerus,*) dimidium annum ſupervixit.

eidem nuncupatum, 133 Anno deinde MDCLXIX Adorffii in toparchia Turgovienſi Barbara Ramſpergerin (*uxor Udalrici Erni*) adeo acerbis doloribus in puerperio ad quintum uſque diem torquebatur, ut cenſeretur mox futura concepti fœtus ſepulchrum.

B Audiit hoc parochus, dominus Romanus Beſler, miſitque mox imaginem, contactu reliquiarum S. Leontii ſacratam, ut ſuper pectus parturientis imponerent. Factumque eſt, ut ſacræ iconis impoſitio & partûs ſolutio, eodem quaſi contingerent momento. Verùm quia puer, quem Barbara peperit, vitâ carere inventus eſt (nam tres horas nullum animæ viventis indicium prodidit) fit votum ad S. Leontium; poſt votum puer vitam vireſque recuperat, atque ſoſpes à parocho publicè in templo ſacro fonte abluitur, vocaturque nomine patrocinantis Martyris Leontius.

certa vitæ indicia 134 *Occurrit iterum in Pflegeri libello Germanico teſtimonium, quod ita Latinè interpretor:* Cùm mihi Balthaſaro Frantz Stantienſi in Subſylvania ex dilecta uxore Margareta Arnin anno MDCLXXIX in feſtivitate Exaltationis ſanctæ Crucis natus eſſet puer, jacuit is abſque vita ullove ejus indicio. Contigit itaque mihi, quod perſonis matrimonii vinculo conjunctis ſummum dolorum ac miſeriarum eſſe ſolet. Quamvis autem quæ aderant mulieres aliique nullum experimenti genus prætermiſerunt, ut aliquod vitæ latentis ſignum elicerent; incaſſum laborârunt per dimidium horæ

C ſpatium. Proinde cùm nulla in humanis remediis eſſet virtus, equidem illacrymans animo converſus ſum ad Deum omnipotentem, vitæ ac mortis arbitrum, ad ejuſque Sanctos. Peregrinationem autem & Miſſam vovi thaumaturgo in ſimilibus calamitatibus martyri, S. Leontio Murenſi, ſiquidem id apud Deum efficeret, ut puer, præviis certis vitæ indiciis, ſacro fonte expiari poſſet. Facto voto confeſtim puer, qui per dimidiam horam mortuus geliduſque jacuerat, digitum, quem indicem vocamus, commovit, acſi eo, vitæ ſe cómpotem eſſe, indicare voluiſſet, uti reipſa erat. Etenim poſt digiti motum, moveri cœpit arteriarum pulſus vehemens, accedere reſpiratio, & vita pleniſſima. Baptizatus eſt dein, & poſt horam iterum defunctus eſt & angelis in cælis additus. O Clementiſſime Deus, ô S. Leonti verè mirabilis! Gratia nobis concedatur, ne umquam tanti beneficii nos capiat ingrata oblivio. *Huic teſtimonio ſubſcripſit etiam ſacerdos is veriſimiliter, qui puerum baptizavit verbis ſequentibus:* Teſtor ego Franciſcus ſacellanus in Stans.

135 *Tria hîc ejuſdem generis prodigia* S. Leontii *patrocinio attributa, prætermiſit Mayerus, quæ ex Pflegero, quanta licuit brevitate, contraxi & Latina feci. Antonio Koni & Eliſabetha Marcherin conjugibus in Eſchentz, loco comitatûs Vadutz in Suevia, anno* 1680 *die* v *Julii natus eſt filius primogenitus, ſed corpore decolor & omni vitæ indicio deſtitutus, ſicque per horas quinque demortui cadaveris inſtar jacuerat; quando parentes* S. Leontio *peregrinationem & tabellam in eccleſia Murenſi appendendam promiſerunt, felici planè ſucceſſu; namque in puero mox detecta ſunt indubia vitæ ſigna, Baptiſmo ablutus eſt, & poſt binas vitæ continuatæ horas deceſſit.* AUCTORE J. P. præbent.

& ſacro Baptiſmate 136 *Anno* 1681 *Maria Helena Guggerin, uxor Victoris Gritzen Soloduri in Helvetia continuis acerrimiſque partûs doloribus triduo laborabat, nec ſpes apparebat fore, ut fœtum ederet. Itaque die tertio, trigeſimo ſcilicet Septembris, cùm omnes de ejus ac prolis ſalute deſperarent, ipſa ſe voto peregrinationis ad* S. Leontium *obligavit, & ceſſantibus doloribus mox peperit, ſed prolem, uti tum creditum eſt, exanimem: neque enim poſt plurimos conatus & experimenta quælibet adhibita aliquod erat deprehendere vitæ indicium. Mater interim unà cum maritò ſecundò* S. Leontium *inclamant, orantque, ut ſaltem tantum vitæ infelici proli concedatur, quantum ad Baptiſmum ſuſcipiendum ſufficeret. Ad illas preces continuò ita vivere viſus eſt infans, ut procul omni periculo ad eccleſiam deportari potuerit ſacro fonte abluendus, quibus peractis, ad matrem relatus eſt, ſuperfuitque non exiguo temporis ſpatio, & ad vitam meliorem abiit.* E

ablautur. 137 *Anno* 1682 *die* XIV *Januarii Maria Müllerin, uxor Joannis indem Bodem ex Ruſſweil in pago Lucernenſi, fœtum ſimiliter protulerat opinione demortuum; quapropter miſera conſpiciens incaſſum cecidiſſe quoſcumque conatus per horam integram impenſos ad elicienda vitæ ſigna, votum concepit peregrinandi ad reliquias* S. Leontii *maritumque, ut idem faceret, adhortata eſt, adhortanti ille obſecutus eſt, & vix emiſſo voto, vita in puero ſe manifeſtavit, actutum baptizatus eſt, ac die poſtero ad eccleſiam delatus ad complendas Sacramenti cærimonias, Sebaſtiani, cujus feſtum agebatur, nomen accepit, nec ante diem tertium è vita migravit.*

F

§ X. Ulcera fœda ac periculoſa ſublata.

Mulieris periculoſum ulcus. OTilia Herlimand ex Tugienſi ditione (*verba ſunt infraſcripti parochi Einſidlenſis è Germanicis Latina*) cùm apud dominum Auguſtinum Reymann, monaſterii noſtri beatiſſimæ Mariæ Virginis in Einſidlenſi dominio prætorem, culinæ curam gereret, anno integro ſuper axillæ ſiniſtra laboravit ulcere admodùm periculoſo, quod ſerpebat continuò ampliùs, & ex quo indies (ſalvâ reverentiâ) emanabat putidus & concretus cruor; neque ullum ei ſiſtendo ſuppetebat remedium. Patiebatur (uti credibile eſt) dolores vehementiſſimos, dieſque miſerrimè tranſigebat: æquo tamen animo & mirum in modum tranquillo. Cùm autem tantis doloribus & miſeriis ulterùs ſufferendis impar eſſet, à me infrà ſcripto iis leniendis auxilium & conſilium petiit. Nuperrimè tum fueram reverſus à ſolemni tranſla-

AUCTORE J. P.

latione glorioſi martyris Leontii, qui in venerabili Murenſi monaſterio peculiari pompa & apparatu depoſitus fuerat, & ubi reliquiarum ejus attactu roſarium meum ſacrare licuerat. Illud ego memoratæ Ottiliæ porrexi, mandans, ut eo ulcus ſuum tangeret, & preces aliquot in honorem præfati Sancti recitaret. Juſſa peregit & in ſancti Martyris patrocinio vim tantam experta eſt, ut intra tres dies omne malum unà cùm dolore evanuerit. Hoc ipſa interrogata certiſſimum eſſe profitetur. In principali monaſterio beatiſſimæ Mariæ Virginis Einſidlenſi die XXVII Septembris anno MDCXLVIII. Fr. Wolfgangus Weiſshaupt religioſus profeſſus & parochus ad ſanctam Mariam Einſidlenſem. *Ita ille apud Pflegerum. Pergamus nunc cum Mayero.*

alterius phagedæna,

139 Maria Furer (*uxor Henrici Furer*) de Lungeren Subſylvaniæ quatuor annis phagedænâ in collo laborabat; &, quamvis medicorum uteretur ope & conſilio, laborare tamen non deſiit. Anno demum MDCXLIX in Feriis Pentecoſtalibus ad Muros, ex D. Leontii miraculis celebres, ſe confert cum reliquis peregrinantibus, ad recipiendum ſacrarum reliquiarum attactum in

B genua ſe demittit, benedictionem per tactum devotè recipit, & mox pruritum in cute ſentit, ceu prodromum ſanitatis. Tum aquâ ex præfatis reliquiis benedictâ affectam lavat partem; donec paulò pòſt, contracto pure, intumuit, & denique, rupta corruptâ cute, putrida materies effluxit, cicatrix à corruptione purgata coaluit, ac deinceps mulier à malo liberata ad mortem uſque perſtitit.

certiæ pes ſaniem emittens curantur.

140 *Succedit apud Mayerum & Pflegerum mali non multùm abſimilis perſanati enarratio, quam, teſte Pflegero, ipſa, quæ ſanata fuit, mulier tabellæ inſcriptam exponi voluit in Murenſi eccleſia, quamque proinde, ut apud eumdem Pflegerum Germanicè excuſa eſt, Latinè redditam huc transfero.* Serò quidem, at non incaſsùm in diuturna ſua miſeria dictam (*Dei & Sanctorum*) opem imploravit Barbara Vogel, in toparchia & pago Entliebech habitans, quæ annos octo ex aperto &, ſalvâ reverentiâ, ſaniem emittente pede haud mediocres dolores pertulerat, hiſce leniendis & tollendo malo impenſi fuerant ſumptus plures & magni, ſed parum aut nihil adjumenti inde compertum. Donec tandem peregrinationis votum nuncupavit ſancto thaumaturgo Leontio ad

C Murenſe monaſterium, cujus mirabile lumen ipſi confeſtim tamque efficaciter affulſit, ut per divinam opem ac præſentem Leontii interceſſionem omnibus doloribus liberata & omnino ſanata fuerit anno MDCLI. Laudetur Deus in Sanctis in æternum; ſitque ſancto martyri Leontio pro præpotenti ac fideli interceſſione apud fideles omnes laus ſumma, honor, gloria & gratiarum actio ex nunc uſque in ſecula. Amen.

Puellæ duæ phagedænâ,

141 Erant eodem anno MDCLI Badæ Helvetæ puellæ duæ, utraque phagedænæ contagio affecta. Alteram, Barbaram Kuchin, pater chirurgo curandam tradidit, ſed poſtquam iſte miſellam crudeli ferro diutiùs ad mortem ferè cruciâſſet, incurabilem recepit. Alteri, Margaretæ Keller, pia mater Eliſabeth Keller (*vidua domini Gaſparis Keller*) ſimiliter nihil non præſtitit, ſive in expenſis, ſive in cura & obſequiis. Profuerat tanto nulla medela malo. Tandem parentes mediis & remediis incaſsùm euntibus, ad D. Leontium ſe convertunt, & unico voto obeundæ ad ejus ſacras reliquias peregrinationis, utrique gratis integram curationem à malo propemodùm incurabili comparaverunt.

142 Habebant Gaſparus Stüber & Maria Schreiber ex Riſch ditionis Tugienſis filiolum, qui dimidio à nativitate anno ſoſpes erat, poſtea verò ægrotare cœperat & ſuppurationibus ulceribuſque toto corpuſculo ſcatere. Integro anno parvulus ita miſer decubuit. Parentes anxii, quî medelam ferrent, interna quadam inſpiratione ſæpiuſculè ſe commoneri arbitrabantur, ut filiolum ſuum ad S. Leontium in Muris deferrent; detulerunt equidem magna cum devotione Feriâ quartâ Paſchæ, & ex eo die meliùs habere cœpit, reconvaleſcere perrexit ac in die ſancto Pentecoſtes plena valetudine fruitus eſt. Anno MDCLVII. D

puer multis ulceribus,

alter horrido atheromate infecti, ſanantur.

143 Tam horrido atheromate Jacobus Schäll de Tugio in capite ulceratus erat anno MDCLIX, ut abſque gravi nauſea ac horrore conſpici non poſſet; adhæc medici apertè profitebantur, naturalibus remediis id malum curatum neutiquam iri. Jacobus igitur, novercante natura ſuo deficiente officio, ſpem in cæleſte D. Leontii auxilium conjicit, promittendo ejus in Muris peregrinando piè venerari lipſana ſacra, & extemplò dolor cum putido ulcere abſcedere, in cicatricem convenire cœpit, atque adeo brevi, capite ab omni tabe mundato, Jacobus convaluit. E

Varii ulceribus in latere,

144 *Præteriit Mayerus ſequentia ex Pflegeri Germanico libello contracta & Latinè expoſita. Anno 1659 infans biennis Joannis Egglin & Mariæ Buochmann ex Wangen Lucernenſis ditionis fœdo ulcere angebatur in latere; anno item 1661 filius magiſtri Burchardi Schmid Tugienſis poſtquam jam triennio malè affecto brachio laboràſſet, ſimiliter ulcere in collo affligebatur. Utriuſque malum immedicabile viſum eſt: at parentes ad meliorem medicum converſi,* S. Leontium *invocârunt, votoque ſe obligârunt peregrinandi Muros; exauditi ſunt, pueris haud ita dudum poſt emiſſa vota omni malo purgatis.*

in collo,

145 Noma etiam venenoſa Magdalenam Keigel in urbe Lucernenſi corripuit in collo, quam medici gangrænam eſſe dijudicabant, atque ideo malum aliàs immedicabile prævertere laborabant: major autem erat vis morbi virtute medicaminum. His igitur rejectis, ſub divi Leontii patrocinium confugiens, vovit cum reverentia inviſere ſacras ejus in Muris reliquias; quo ſolo votivo remedio ab horrido & incurabili morbo penitus libera evaſit. Anno MDCLXIII.

in naribus, F

146 Eliſabeth Grob de Frigido fonte, vulgò Kalt-brunnen in Marchia Suitenſi, annos nata XL, filia Meinradi Grob & Chriſtinæ Dobler, horrido ulcere in naribus ac facie adeo ſqualebat, ut inter homines comparere vix ampliùs auderet. In conſilium vocati medici, alii vix aut ne vix quidem remedium afferri poſſe autumabant, alii verò remedia ſuppeditabant, ſed caſſo effectu. In extrema tandem neceſſitate ac miſeria divi Leontii auxilium imploravit, & nuncupato voto peregrinationis ad tumbam ſancti Martyris, pharmaca, à medicis præſcripta, reliquiis ejus attingi & benedici curavit: quæ cùm exulcerato naſo applicuiſſet, continuò ſuam operabantur virtutem, ulcuſque ſanabant, exterſo & eliminato omni putore, ac facie in priſtinam ac decentem formam reſtituta. Anno MDCLXI. *Annum eumdem ſcripſit etiam Pflegerus præter morem, cùm ut ſuprà monui, inſiſtere ſoleat ordini chronologico ad ſingula capita, & antè narratum beneficium innectatur anno 1663.*

in genu

147 De Petro Suter ex parochia Rottenburg per reſcriptum loci curio Nicolaus Rütiman ita teſtatus eſt: Haud multo abhinc tempore S. Leontii

in-

A interceſſio memorabile miraculum uni ex parochianis meis Petro Suter operata eſt. Venerat is ad me, referens, quòd ineunte menſe Aprili hujus anni MDCLXIV, dirâ ac periculoſâ vomicâ in genu adeo fuerit excruciatus, ut diu noctuque nulla ferè quiete frui, pedibus verò nec ſubſiſtere nec incedere potuerit, utque ideo ſemper lecto decumbere neceſſe habuerit. Adhæc inciſio, quâ chirurgus bene expertus ulcus ſanare intenderat, malum ac dolores ſupra modum augebat. Cùm igitur naturalis medica mederi non poterat, ad patrocinium divi Leontii, emiſſo voto (quod etiam filia Anna pro ſalute dilecti parentis nuncupaverat) confugit. Vix voti verba ex ore elapſa fuerant, cùm fatalis antrax continuò diſparuit, dolor remiſit; ipſe vero Petrus plena ſanitate potitus eſt. Verè magna gratia & inſigne miraculum! multorum teſtimonio probatum, qui unà mecum Deum in thaumaturgo ſuo Sancto laudant & glorificant. Datum (*in Rothenburg*) XXI Junii MDCLXIV. *Conſonat teſtimonium, quod etiam Germanicè dat Pflegerus cum hac ſubſcriptione:* Nicolaus Rütiman curatus ac vicarius indignus ibidem.

B *in pectore,* 148 Michaël Huger, Conradi Huger de Löffingen in Sylva Hercinia filius, in dextera pectoris parte ulcus habebat, quod adeo profundo hiatu ad interiora penetravit, ut, cùm tuſſiret, flatus inde prorumpens lucernam extingueret. Parens proinde filium curæ chirurgi ſubdidit, qui quindecim integris menſibus omni ſua arte induſtriaque plus non perfecerat, quàm ut malum fieret pejus. Ad thaumaturgum igitur medicum Leontium pater vota ſua, ſpemque ac preces direxit cum promiſſione fideli peregrinationis ad ejus in Muris capellam ac corpus ſacrum. Poſtero die ſub auroram, cùm venirent ad videndum ulcus, nec ulcus nec cicatricem exeſi vulneris repererunt. Anno reparatæ ſalutis MDCLXXX.

toto corpore afflicti, integritati reſtituuntur. 149 Balthaſarus Troger de Alanea territorii Mediolanenſis oriundus, tunc verò in Wermbach ditionis Rheinfeldenſis colonus, opificio lapicida, habebat filiam (*Eliſabetham Troger*) annorum quatuordecim phagedænâ toto corpore, in collo verò maximè correptam, quæ aliquot jam fiſtulas exederat, medicorumque artem & pharmaca eluſerat. Interea multa de meritis D. Leontii audiit puella miſera, & cùm non dubitaret, eumdem ſanctum Martyrem etiam ſibi fore propitium, voto C ſe obſtrinxit tribus vicibus ſacram ad ejus reliquias obeundi peregrinationem. Primam obiit cum parente infra hebdomadem QUASIMODO. Ibi perſolutis Sacris, collum benedici atque attingi ſancto oſſe curavit, ſtatimque dolores valdè diminui perſenſit. Alteram non multò pòſt eodem modo obiit. Cúmque circa feſtum Sanctorum Omnium tertiò adveniſſet (*attuliſſetque, ut habet Pflegerus, tabellam votivam*) ab omni præfato malo penitus liberata fuit. Anno MDCLXXXV.

§ XI. Membrorum & totius corporis tumores abacti.

Tumores manuum, NOs Anna Maria in Valle Gratiæ, Ordinis Ciſtercienſis parthenone, miſericordiâ Dei abbatiſſa, præſenti publico teſtimonio ad Dei glorioſique martyris Leontii gloriam coram univerſo profitemur, quòd menſe Auguſto anni proximè elapſi MDCXLVII, in manu dextera afflictæ fuerimus tumore acerbiſſimo, eaque de cauſa nobis perſuaſum fuerit, ut ad thermas Badenſes in Argoia contenderemus. Verùm illic acerbitas mali ad eum modum accrevit, ut ne digitum quidem unum commovere, nedum inflectere valeremus abſque vehementiſſimo cruciatu. Deinde nullo percepto levamine, domum rediimus, & quoniam incolæ vicini pagi Niderweyl ſupplicationem ſuſcipiebant ad S. Leontium martyrem in Muris, per aliquot è noſtris telam mundam, reliquiis S. Leontii applicandam illuc deſtinavimus. Quæ huc relata mox afflictæ manui applicata fuit, & mox etiam clementiſſimus Deus, interceſſione glorioſi martyris Leontii, mali remiſſionem indulſit; & quò evidentiùs pateret præſtitum beneficium, primùm ad priſtinum ſtatum rediere digiti, duobus exceptis, tum omnes, excepto uno; quare telam reliquiis S. Leontii ſecundò applicari juſſimus; donec tandem manus plenè ſanata eſt. Cùm autem poſtea & manus ſiniſtra ad eum modum afficeretur, ut à paralyſi nobis timor eſſet, eidem manui dictam telam applicuimus, & extemplò meliùs ei eſſe comperimus. Adhæc etiam nunc cùm aliquod mali indicium ſe prodit, ejuſdem id telæ ſæpe dictæ attactu ſanatur. Publicum hoc teſtimonium, ſigillo noſtro & propriæ manus ſubſcriptione, dedimus ad majorem Dei gloriam, gratamque agnitionem divinæ miſericordiæ ac præpotentis patrocinii glorioſi martyris S. Leontii. Actum in Valle Gratiæ die ſecunda Februarii anno MDCXLVIII. Soror Anna Maria, abbatiſſa. *Hoc inſtrumentum ex Pflegero deſumptum & Latinè redditum eſt, quoniam ejus dumtaxat compendium dederat Mayerus. Porrò memorata abbatia Germanicè* Gnaden-Thal *nuncupatur.*

AUCTORE J. P.

E

totius corporis, 151 Adoleſcens quidam Lucernas de prænobili familia Carolus Ludovicus Zur-Müle anno MDCL menſe Junio graviter ægrotare cœpit, ut feralis morbus totum corpus ſucceſſivè occuparit, ipſeque adoleſcens à planta pedis uſque ad collum altiſſimo tumore, veluti vento inflatus, nedum ſtare aut incedère, ſed nec jacêre potuerit. Intercipiebat tumor halitum, deficiebant cum viribus vitales ſpiritus, & alimenta æquè ac medicamina ampliùs nihil operabantur. Dominus parens in extrema neceſſitate chariſſimi filii, humani inops conſilii, ad D. Leontii patrocinium cum fiducia mentem erigit, votumque vovet ſacræ peregrinationis ad ejus pignora. Eodem die, quo ſe voto obligavit, ſub veſperum ſpiritus ivit liberiùs, arteriarum pulſus vegetior factus, vires redière, tumor declinavit, ac tandem intra tempus modicum omnis abſceſſit infirmitas.

F

brachii, 152 Eodem anno MDCL puerulus, prænobilis domini Wernharii Gugger de Salodoro, qui eo tempore toparcha erat in Gösken, filius ex variolis, defectu ſufficientis curæ, in brachio adeo enormem tumorem cum ingenti dolore concepit, ut iis curandis nulla conducerent medicamina. Facto igitur voto, puerulus ad monaſterium Murenſe, & ſacra, quæ ibidem fidelium venerationi ſunt expoſita, divi Leontii oſſa deportatus, poſtea convaluit.

manuum, 153 Maria Elſener ex parochia Neohemienſi, vulgò Neuen (*in Tugienſi ditione*) ex inſolito tumore manus dexteræ vehementes adeo dolores patiebatur, ut potiorem vitæ partem otio tranſigeret, inepta ad quodlibet opificium laboremve. Quamquam autem nihil conſilii aut medicamentorum, quibus malo ſuo mederi deſiderabat, omitteret, levamen tamen ſeu tumoris ſeu doloris

AUCTORE J. P.

non percipiebat. Adit ergo ex voto ad ſacra D. Leontii lipſana, coram quibus dum die xxx Januarii anno MDCLIV opera devotionis, quâ poterat, maxima contentione perageret, cœpit tumor ſubſidere, dolor evaneſcere, manus emolleſcere ad agilitatem, ut deinceps apta facta fuerit ad faciendum quemlibet laborem.

ac pedum abacti.

154 *Subſequitur modò relatio, quam ex tabula, olim in Murenſi templo ſuffixa, deſcripſiſſe ſe ſignificat Pflegerus, quamque ex Germanico ſic Latinè interpretor.* Ad majorem Dei gloriam, propagationemque cultûs glorioſi athletæ Chriſti Leontii præſenti hoc anathemate teſtimonium perhibetur, quòd Joannes Gaſpar Pfiſter, civis Confluentinus in parœcia Klingnaw ex uxore ſua Maria Feldmann filiam habuerit Annam nomine, quæ, cùm circitèr nata eſſet annos tres, in manibus pedibuſque ingenti tumore correpta, graviter ægrotavit. Nihil profuerunt plurima humanæ artis remedia, quæ magnis admodùm ſumptibus adhibita ipſi ſunt per annum integrum. Cùm igitur omnia incaſsùm abirent, poſt Deum & Mariam ad S. Leontium confugimus, infantem ipſi in Murenſi monaſterio devovimus & intra tres dies do-
B lores imminuti ſunt, tumor immedicabilis reſedit, puella in pedes erecta eſt, & poſt breve tempus integræ valetudini reſtituta. Quoniam autem hoc totum meritò acceptum referimus S. Leontii patrocinio, omnibus id quoque publicum teſtatumque voluimus. Actum menſe Martio anno MDCLV.

Mulier membris inflata

155 Cùm ego Catharina Fritz nata in Alſatia, & propter graſſantis belli excurſiones illinc exſulans, Wangæ in ditione Marchiæ Suitenſis ſubſiſterem, ſub initium anni MDCL tanto tumore correpta ſum, ut nec pedem nec paſſum movere poſſem citra vehementem cruciatum, ſed omnino clinica per dimidium circitèr annum lenimen & levamen exſpectans, atque adhibitis nequicquam chirurgorum operâ ac pluribus medicaminibus, domi me continere cogerer. Quapropter ſuaſerunt mihi nonnulli, ut ad Badenſes thermas me conferrem, credibile enim eſſe, mihi virtute aquarum, rectoque earum uſu redituram priſtinam ſanitatem: quorum benevolo conſilio obſequens, equidem ſurrexi, membra admodùm intumentia ac ſimul torpentia ingenti cum dolore ſuſtuli, & Badenſe iter arripui. Dum illuc perveneram (quod ob gravem moleſtiam inflati corporis
C non niſi hebdomadis quatuor confectum fuit) abſque ulteriore perquiſitione aquis me commiſi, & uſa iis ſum per dies quatuor continuos: ubi verò ſanitatem me reperturam arbitrabar, infirmitatis incrementum potiùs offendi; propter accreſcentem tumorem neceſſe fuit balneis abſtinere, & pauperum valetudinarium ſubire. Dum iſthic jam per hebdomades quatuor ægra decubueram nec aliud præter mortem expectabam, ad res varias cogitationem dirigebam, præſertim verò Muros ad ſanctum martyrem Leontium, ubi ſperabam fore, ut ſolatium & ſanitatem recuperarem patrocinio ſancti thaumaturgi Martyris.

ſanitati reſtituitur.

156 Quare etiam atque etiam mox rogavi, ut Mellingam aveherer; quò, prout rogâram, deducta fui cum muliere altera membris captâ: commorabar illic biduo, apud alios calamitatem meam deplorabam, & exponebam animi propoſitum, qui in eodem me confirmabant, & eo quidem validiùs, quòd communi conſenſu pollicerentur fore ut, ſi illuc pervenirem, ſanctiſſimi Martyris patrocinium re ipſa experirer. Quapropter certa à propoſito non deſiſtendi, iter uſque adeo proſecuta ſum, ut, quantumvis ingenti cum dolore, & acerba difficultate, locum gratiis illuſtrem attigerim, ſancti thaumaturgi Leontii reliquias conſpexerim, ejuſque devota prece opem invocaverim. Obtinui autem, ut mihi ex aqua, in ejus honorem conſecrata, balneum pararetur, quo dum quater uſa fueram ac pedes valdè tumidos laveram (res mira!) dolores imminuti ſunt, ſubſedit tumor, pedes ac genua ad æqualitatem redierunt, verbo evidentiſſimam ſanationem experiebar. Cùm autem ſumma in ſpe ac fiducia erga S. Leontium perrexiſſem lavare in conſecrata illa aqua, adeo viribus aucta ſum, ut nihil mihi quidquam ultrà deeſſe reputarem, ſed ſanam & integram memet judicarem. Cùm igitur eximio huic Patrono meo de conceſſa per potentem ejus interceſſionem tam mirabiliter ſanitate gratam me omni, quo poteram, modo exhibuiſſem, vegeta illinc profecta ſum uno die ad quinque horas, quæ antè uno die vix ſpatium unius horæ conficere poteram. Ut igitur inſigne beneficium potentiſſimâ quieſcentis illic ſancti martyris Leontii interceſſione mihi præſtitum, omnibus illuc peregrinantibus innoteſcat, id ipſum ego ſuperiùs nominata publicè, ut jam relatum eſt, annotandum curavi, anno MDCLVII die IX Auguſti. E
Ita ferè Germanicè apud Pflegerum.

Fœda apoſtemata,

157 Jacobus Büel (*ſic pergit modò Mayerus*) de Altendorff ex eadem Marchia Suitenſi anno MDCLIX febre correptus eſt; ipſa verò febris in hydropiſin abiit, ut adeo pedes & dimidia ſuperioris corporis pars uſque ad verticem ex humore maligno diſtenderentur, & ægrotus decem hebdomadis lecto affixus hæreret. Quamquam applicatis remediis & apertione cutis præfatus hydropicus humor effluxiſſet, malignitas tamen lethalis toxici ad ſiniſtrum latus contracta, intercepto halitu, præſentaneam mortem intentabat. Interceſſione tamen S. Leontii, quem in vota vocabant, ægrotus mortis periculo defunctus eſt, rupto apoſtemate & egeſtis ex ore octo vel decem ſextariis puris ac ſanguinis. Nec hîc infirmitas miſerum vexare ceſſavit; nam reliquiæ ejectæ tabis in ulcere, utut ſanato, in aliud apoſtema exterius, nec minùs dolorificum, nec minùs periculoſum coaluerunt. Repetierunt itaque, confirmaveruntque votum, & ſanies, ut ſuprà, ſucceſſivè æquè copioſa emanavit, ſine tamen ſpe per remedia naturalia ſanitatem recuperandi. Jacobus, quamprimùm per fractas vires licuit, voti exſol- F
vendi causâ ad Muros acceſſit, ac triduo, quo ſuæ peregrinationis conditiones explevit, ulcus obductum, ipſe verò plena ſanitate donatus eſt.

hydrops;

158 Hydrope etiam anno MDCLXVI laborabat quindecim hebdomadibus R. D. Udalricus Spahr capellanus in Schönis (*loco Helvetiæ ad Limagum amnem*) ubi collegium illuſtrium domicellarum, ut de ejus reconvaleſcentia omnes deſperarent. Parens ejus, Adamus Spahr de Pludentz, votum nuncupavit tam ad beatam Virginem Einſidlenſem, quàm ad S. Leontium Murenſem, ut ſanitati reſtitueretur, cujus voto adſtipulatus eſt ipſe ægrotus, ſuperaddita ſponſione, tantum ceræ in utroque loco offerendi, quod æquaret pondus ſui corporis. Et ſanè hac ſua ſponſione tantum effecit, ut tunc affatim & liquidò experiretur hydropicum detumeſcere affectum, ac poſtea totus convaleſceret. Voto ſuo ipſe capellanus ſoſpes XXVII die Septembris anni ſupradicti ſatisfecit, glorificando Deum in Sanctis ſuis, &,
ut habet Pflegerus, præter allatam ceram offerendo tabellam votivam in perpetuam accepti beneficii memoriam.

159 Mi-

A *extuberatio membrorum insanabilis,*

159 Miserrima sanè erat conditio puellæ cujusdam in Baar cantonis Tugiensis, Annæ Barbaræ Reythofer, in quam anno quinto ætatis inciderat. Extuberatio erat, quæ totum corpus occupaverat, & spiritum vitæ interceperat adeo, ut una die bis terque cum morte luctaretur; & quod mirandum est, dum in hoc tristi statu immutato tres integros annos versabatur, accrescente inferiore corporis parte, caput tamen cum superiore nihil incrementi suscepit, tamquam si exaruisset, tametsi spiritualibus æquè ac corporalibus remediis succurrere parentes non omiserint. Donec pia mater, assumptâ secum filiolâ, ad Muros ac S. Leontii sacra pignora accessit. Ibi cùm coram ipso sacro corpore Martyris utraque devotè oraret, filiola manum aridam protendit, ac movit; deinde in enervatum pedem erecta, incedere incepit, ac deinceps intra spatium quinque hebdomadarum tota convaluit. Die v Octobris MDCLXXI.

ubera malè affecta curantur.

160 Anno MDCLXXX, cùm Maria Ludi de Olta, quæ est oppidum in cantone Solodorensi, puerum feliciter esset enixa, ubera sua non tantùm enormiter intumuêre; sed lactis loco putidam ac fœtentem saniem reddiderunt; ut adeo filiolum suum materno obsequio lactare non posset. Consulebat mœsta parens medicos, adhibebat medicamina congrua; sed incassùm omnia. Divum ergo Leontium cum voto interpellat, atque ejusdem thaumaturgi Martyris interventu, eodem ipso die, quo votum fecit, detumuerunt ubera, & sanies in purum lac conversa fuit.

B

§ XII. Membra enervata, debilia & contracta naturali vigori reddita.

Infantes

ETiam hunc § *exordior ab instrumento Germanico, quod ex Pflegero Latinum feci.* Ego Joannes Küechler Murensis hisce testificor, quòd dilectus filiolus meus, cui Joanni quoque nomen est, manum utramque in eum modum habuerit contortam ac enervatam, ut judicio chirurgi, artis suæ experti, humanis remediis curari non

C valeret. Ad Deum idcirco ac glorioſum martyrem Leontium animum intendi, & hujus piam opem enixissimè flagitans, debiles pueri manus ejus reliquiis tangi curavi, ad coquendos illi cibos aquam illam consecratam adhiberi volui, firma cum fiducia, fore ut eo remedio enervata proles malo, aliàs immedicabili, liberaretur: uti reipsa contigit. Nam brevi pòst utraque pueri manus, & dextera quidem eodem ipso die, corroborata est, & paulatim integræ sanitati restituta. Anno MDCXLVII. Laus Deo & glorioso martyri Leontio.

membris contracti,

162 Magdalena Keller, uxor Nicolai Brunner de Ettiswyl in comitatu Willisau ditionis Lucernensis, filiolam genuerat sospitem. Sed vix dimidio à nativitate anno cœpit ægrotare, vires enervari, ac demum omnibus artubus contrahi. Afflicti parentes post adhibitas frustra medicinas, peregrinationes ad diversa sacra loca obierunt, sed sine effectu: cælo martyri Leontio honorem sanationis reservante. Nam pater, à piis ecclesiasticis admonitus, filiolam contractam liberiore jam fide, anno MDCXLVII, ejusdem S. Leontii patrocinio, cum voto obeundæ ad eum peregrinationis, subdit. Mira res valdè. Filia, cùm parentes votum peregrinationis complerent, quam alibi non invenerat, sanitatem in Muris integram recepit. Huic evidenti miraculo Adamus Lindegger, capellanus ad sanctissimum Sacramentum in Ettiswyl, hæc verba substernit: Sancte Leonti martyr Christi intercede pro nostra omniumque salute. *Eadem Adami verba etiam Latinè exprimit Pflegerus.* AUCTORE J. P.

debiles,

163 Non minore gratia divus Leontius auxiliatus est Joanni Nastberger de Müswangen in Liberis Officiis; (*tractus est Helvetiæ in Argovia, quem etiam* Provincias liberas *alii appellant, ut superiùs dictum est,*) cùm iste anno MDCXLIX, amisso nervorum vigore, manibus pedibusque debilis evasit. Is statim ardentibus suspiriis, votis precibusque ejusdem Sancti patrocinium imploravit, felici adeo successu, ut, cùm peregrinationem ad sacras Leontii exuvias, quam voverat, exsolvisset, continuò à vinculis contracturæ absolutus surrexerit, sanus factus sit, & ambulaverit.

enervati;

164 Eadem nervorum contractio apprehendit Sybillam Meyer de Dengen in parochia Foro-Tiberiana, vulgò Kayserstuel, puellam trimulam, eamque adeo miserè tenebat, ut nec stare nec E gradum facere, sed quadrupedis aut potiùs vermiculi instar repere tantùm posset. Parentes tristissimo, quod quotidie oculis obversabatur, spectaculo supra modum, ut par erat, contristati, divum Leontium ad opem filiæ ferendam fideli corde & animo invocant, promissione facta, eum in Muris, loco suæ requietionis, venerandi. Nec mora, puella evidenter meliorari, respirare, atque ad sanitatem disponi comperta fuit. Quippe cùm debilibus atque contractis artubus successivè emollitis atque corroboratis integrè convaluerit, atque VIII die Junii anno MDCXLIX à patre (*Rudolpho Meyer,*) domino parocho & aliis, deinde etiam in Muris monasterii patribus religiosis incolumis fuerit præsentata.

naturalem

165 Margaritha Rinderlin de Abbatis-villa, vulgò Abtwyl, solâ aquâ, D. Leontii reliquiis benedictâ, filiolam suam quadriennem sanavit anno MDCXLVIII. Cùm enim dicta filiola ob enervatos pedes ad quartum usque ætatis annum nec stare, nedum incedere prævaleret, sperabat mater futurum, ut cum ætate eorumdem pedum vigor cresceret & augeretur. Ubi autem sua se spe decipi animadverteret, in angustiis, uti erat, F cogitare cœpit, anne fortassis prædicta aqua benedicta non incongrua foret debilibus pedibus confortandis medela? Assumit igitur aquam, eâque pedes infantulæ abluit, & admirabunda experitur, per solam hanc ablutionem filiolam, vel potiùs enervatos pedes naturali vigori restitutos esse.

vigorem

166 Alteri puellulæ trimulæ Annæ Lüthart, *filiæ* Joannis Jacobi Lüthart de Winterschwyl ditione Murensi, innocentium auxiliator Leontius æquè magnam curationis gratiam impertivit anno MDCXLIX. Ad tertium usque ætatis annum nec stare, minùs verò progredi poterat; quia non habebat in nervis vigorem: viribus adhæc toto corpore deficiebat potiùs, quàm augmentum cum ætate capiebat. Parentes itaque, assumptâ inter brachia matris filiolâ, ad ecclesiam & capellam S. Leontii pia cum fiducia contendunt, ibique piis precibus aliisque Christianæ devotionis operibus divo Martyri miseram prolem offerunt, commendantque. Domum suam deinde reversi, cum stupore conspiciunt, ut filiola se erigat in pedes, &, more infantium, ad subsellia manibus se tenendo progredi conetur. Ex quo magis ac magis

AUCTORE J. P.

gis accrescere corroborarique non destitit, usque dum cum corporis sanitate etiam pleno pedum suorum usu potita fuit.

recipitur.

167 Triennem etiam puerum Joannem Wendelinum habebat Wilhelmus Lang (*ex Catharina Huober conjuge*) de Lucerna, qui ob membrorum debilitatem non solùm pedibus niti aut procedere nequiverat, sed insuper toto corpore adeo emarcuit & exaruit, ut nec tangi, nedum portari potuerit. Supervacaneum erat præterea pharmacis voluisse mederi morbo, ut videbatur, penitus incurabili: ad fores igitur D. Leontii parentes petunt, quærunt, pulsant, ut suis meritis sibi solatium, puero verò salutem corporis impertiatur. Atque ubi sancti Martyris sacrata pignora anno MDCL die III Maii juxta votum, quod voverant, in Muris venerati sunt, extemplò & de die in diem ad vigorem & sanitatem puerulus rediit.

Mulier brachio,

168 Ad honorem, laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, ac S. Leontii martyris, & peculiariter in debitam erga hunc grati animi significationem, verumque ejusdem apud Deum præpotentis patrocinii testimonium, ego Anna Hertzogin, uxor prætoris in Surse, præsentem picturam seu tabulam destinavi ad sacellum S. Leontii martyris in celeberrimo monasterio Murensi: quia communis iste miserorum Patronus peculiarem in extrema miseria opem mihi exhibuit. Gravi malo correpta eram in brachio, ita ut enervatum, emortuum, nulli usui idoneum, nulloque humanæ artis auxilio esset medicabile. Quapropter peculiari devotione & firmâ fiduciâ thaumaturgo huic Patrono votum nuncupavi, promisi peregrinationem ad sacras ejus exuvias & Missam ibidem celebrandam: dein aquam ad me deferri jussi, iisdem sacris reliquiis consecratam, hanc adhibui lavando enervi brachio, ipso momento mali levamen sensi, atque illius unici remedii usu brevi planè sospes & incolumis evasi. Ea occasione, dictam aquam porrexi alteri honestæ personæ, simili malo affectæ, quæ, cum pari modo eamdem adhibuisset, parem effectum consecuta est. Laus sit Deo sempiterna. Actum anno MDCLIV. *Recitatum jam testimonium, quod olim tabellæ inscriptum fuit, uti abundè liquet, desumpsi ex Pflegero & Latinè exposui.*

& altera membris omnibus,

169 Languebat anno MDCLVI Maria Signer de Metzingen, cantonis Tugiensis, IV Junii, ipso sacro Pentecostes die, & languor sex hebdomadis lecto affixam adeo graviter affligebat, ut, contractis nervis, usu membrorum penitus destitueretur, & mediis etiam plurimis sanitatem recuperare non posset. Ad altiora igitur (quidni & certiora?) remedia inquirenda animum intendit, missâ ad obeundam nomine suo coram reliquiis D. Leontii peregrinationem personâ, cui specialiter in mandatis dedit, ut inter alia pia opera Psalterium Marianum devotè oraret. Et ecce! Eâdem horâ, quâ pia mandataria, ut ipsa redux postea asseruit, Psalterium recitavit, ægrota mirabiliter artubus suis adeo relevari se & roborari persensit, ut eodem adhuc die è lecto doloris exsurgens, manus ad actionem, pedes verò ad gressum extenderit, atque haud multò pòst vires cum sospitate integras recuperaverit.

puer item

170 Anno MDCXLVII Felix Spöri de Undersiggingen in parochia Kilchberg (*Pflegerus scribit* Kilchdorff) comitatu Badensi, ex legitima sua uxore filium susceptum, Joannes Jacobus in sacro regenerationis fonte dictum, sed, novercante natura, curvis ac contractis pedibus miserè adeo constitutum, ut ad decimum usque à partu annum nec ambulare nec stare posset. Parentes vehementer attristati, quòd etiam remedia applicata puero ad sanitatem non conducebant, ut de signis ac miraculis, quæ Deus per divum martyrem Leontium in Muris operaretur, multa circumferri audierunt, ad Muros ipsos, assumpto secum in urna portatili puero, properârunt. Ibi, cùm adventâssent, die tertia Maii, Inventioni sanctæ Crucis sacra, anno MDCLVII, puerum in præfata urna compositum ad capellam sancti Martyris deponunt, atque ad sacram confessionem faciendam se disponunt. Cùm interea puer sponte sua & absque cujusvis hominis subsidio ex urna se erigit, expedit ac prodit, apprehensoque levi baculo, solus huc illuc progreditur, non parentibus solùm, sed præsentibus plurimis in admirationem stuporemque raptis, ac Deum, ruentibus præ lætitia lachrymis, in Thaumaturgo suo glorificantibus. Ex die autem illo puer rectis firmisque pedibus totâ vitâ stetit & incessit. *Instrumentum, cui puer Muros deportandus impositus fuit, Pflegerus Germanicè* hutte *nuncupari ait; sed nullis eam vocem lexicis Germanicis insertam reperi: crediderim, eâ indicari* sportam.

mulier,

171 Anna Bentz ex Sylva Hercinia novem annis pedibus capta, non nisi grallis innixa progredi poterat. Nihil illi profuêre medicamenta; nihil levaminis capessebat in locis sacris, quæ peregrinando invisérat: donec, Deo mirabiliter disponente, ad Muros venit, ubi in festo Assumptionis sanctissimæ Dei Parentis Virginis, contentione ac instantiâ, quâ potuit, maximâ oravit, divumque Leontium in sacris suis reliquiis piissimè venerata, obtestata est, ut sanitatem reciperet. Exaudita est eodem die, ac in testimonium veritatis grallis suis in sancti Martyris capella suspensis, sanis ac firmis pedibus exsurgens, exiliens & laudans Deum domum repedavit.

& infans pedibus capti, sanantur.

172 Genuerat Joannes Ulricus Stoffer de Littau ditionis ac parochiæ Lucernensis ex conjuge sua Barbara Sager prolem, quæ, quo nescio, subitaneo casu, adeo pedum suorum usu iners facta est, ut & stare, & incedere, imò & sedere omnino nequiverit. Infructuosus erat frequentium medicaminum usus, quibus parentum solicitudo mederi quærebat. Ecclesiasticorum (*nominatim patrum Capucinorum, teste Pflegero,*) demum consilio ad corpus S. Leontii in ecclesia Murensi devoto animo peregrinationem sacram instituunt, divi Martyris opem implorant, tibialia infantulo imponenda sacris ejus reliquiis benedici ac tangi faciunt: quæ cùm, absoluta peregrinatione, proli præfatæ accommodant, statim robur nervorum in pedes diffunditur, infans ad standum & eundum se erigit; atque adeo integram pedum sanitatem brevi recuperat. Anno MDCLVII. *Parentes autem juxta Pflegerum in grati animi signum & accepti beneficii testimonium in sacello* S. Leontii *tabellam suspendi curârunt.*

Membra ei nervata,

173 Anno sequente MDCLVIII Joannes Schreiber de Boswyl (*locus est haud procul Muris, cujus curam gerit ejusdem monasterii religiosus,*) ex gravi infirmitate adeo membrorum suorum usu destitutus est, ut nec cibum ori applicare manibus, nec pedibus niti aut ingredi valeret. Suadebant dilecta uxor, amicique ac vicini, ut de remediis naturalibus sibi provideret: tergiversatus ille, totam fiduciam in divi Leontii auxilium reposuit: Divus Leontius, inquiebat, optimus est medicus; nisi ipse me sanet, nemo mihi medebitur, & frustraneum erit applicare medicamenta

A ta. Ita ille, fideli, recto ac ſincero animo. Ablegat igitur uxorem ſuam peregrinatum ad præſati S. Leontii reliquias, curat unam pro honore Martyris ac ſua ſalute legi Miſſam, & de aqua ex reliquiis Sancti benedicta ſibi afferri. Fecit uxor in ſacra expeditione, quod juſſa fuerat. Cúmque Joannes de aqua partim hauſiſſet, partim languentia membra abluiſſet, eodem die propriis ipſe manibus cibos ori ingerebat, & poſt triduum è lecto ſolus ſe proripuit, & ambulavit in fortitudine aquæ illius uſque ad Muros & capellam S. Leontii, ut pro ingente gratia grates rependeret debitas.

pedes introrſi, 174 Ludovicus Müller de Mettau Lauffenburgenſis ditionis filiam habebat (*Annam Müller*,) quæ duobus annis, utrâque pedum plantâ inversâ, id eſt, contra naturam retrorſum verſis pedibus, antrorſum incedebat, dignum omnium commiſeratione ſpectaculum. Parentes nihil omittebant, ſive in cura ſive in medicaminibus ſive in precibus; repetitis etiam ad diverſa ſacra loca peregrinationibus, Deum divoſque Cælites in vota vocabant, ut miſelkæ filiæ ſanitatem impetrarent. Et quamquam voti damnati non fuerant, à ſua B tamen ſpe non deſtiterunt. Nam Ludovicus unà cum ſuis ad divum Leontium anno MDCLVIII contendit, eumque in capella ſibi dicata, quâ potuit contentione, fide ac inſtantiâ rogavit, ut ſanaret filiam ſuam; completiſque peregrinationis officiis, ad ſuos lares reverſus eſt, neſcius, quid interea filiâ ſuâ actum ſit. Cúmque domui ſuæ jam redux appropinquaret, occurrit cum gaudio filia parvula, pedeſque ſuos aliquantulum elevatos parenti commonſtrat, in formam naturalem reverſos, ac demum in amplexus patris ruit, ab omni ægritudine liberata, quam viciſſim parens, teneris piæ lætitiæ offuſus lachrymis, amplexus, Deum in ſancto ſuo Leontio pleno corde & ore laudare non ceſſavit.

manus 175 Magdalena Stähelin, Ulrici Hübſcher de Engen (*in diœceſi Conſtantienſi*) uxor, manuum mobilitate uſuque capta, octodecim hebdomadis miſeram agebat vitam, nullis remediis refocillandam. Advenerant interim meſſores, quos quotannis ad metendas fruges conducere conſueverat maritus de Vilmaringen (*notatur in tabulis geographicis locus iſte in Provinciis liberis prope Bremgartam*) qui ſuper afflicta Magdalena miſeC ratione commoti, ſuaſerunt, ut divo Martyri ſupplex fieret, atque voto peregrinationis ad ejus ſacra pignora ſe obligaret. Acceptat & ſequitur illa conſilium, promittit ſe eò ituram, ſi ſanitatem recuperaret. Nec deficit diutiùs thaumaturgi Martyris auxilium: nam poſtera ſtatim die, reſtitutis integro vigori manibus, ſanata ad labores ſuos citra impedimentum exiit. Hoc miraculum contigit die v menſis Auguſti anno MDCLX.

ac pedes 176 Quod S. Leontius præfatæ Magdalenæ operatus eſt in manibus, hoc præſtitit Annæ Molin ex Cantone Solodorenſi in pedibus. Iſta ex infeſtis defluxionibus pedes habebat adeo miſerè contractos, ut vel ſtandi vel gradiendi impotens, veluti in carcere catenis ſe conſtrictam, multo tempore domi continere debuerit. Remedia applicata ad nihil proderant, niſi quòd dolores atque malum ipſum adaugerent. His igitur doloribus exagitata, præſidio ac ſubſidio S. Leontii in Muris ſe commendat cum promiſſione fideli, ut, ſi is ſibi ſanitatem ſuo interventu reſtitueret, ejus veneranda oſſa inviſeret, ac pro modulo coleret. Idem penè erat & votum emittere & ſanitatem recipere: nam continuò ab omni pedum infirmitate liberata, ac penitus eſt ſanata. Anno MDCLXII. AUCTORE J. P.

contracti 177 Hoc eodem anno Joannes Gutzwiler, de Derwiler in ditione principis Bruntrutani, octodecim ſeptimanis ob pedum contracturam ad gradiendum ſtandumque, imò & movendum inhabilis decubuit. Adhæc nec unguenta aut cataplaſmata, quæ adhibebantur, proficiebant ad ſanitatem, nec etiam ſacra, quæ obire ſuo nomine juſſerat, loca effectum deſideratum operabantur. Dei demum providentiâ fœminæ cujuſdam honeſtæ (*Evæ Eberin*) conſilio ad D. Leontium animum & vota convertit, miſitque ſtatim ipſam mox dictam mulierem, ut ad ſanctum Martyrem coram ſuis in Murenſi monaſterio reliquiis votum exſolveret. Interea Joannes, antequam illa à ſua peregrinatione poſt octiduum regreſſa eſſet, pedibus in priſtinum ſtatum reſtitutis, convaluit. Unde illa redux Joannem ſalvum & incolumem admirabunda reperit.

ad ſtatum naturalem perducuntur. 178 Circa idem tempus Verena, Henrici Baur (*& Eliſabethæ Schreiber*) de Sarmenſtorff (*haud ita procul Muris*) filiola, pedibus contracta, virtute divi Martyris greſſum recepit integrum. Voverant parentes capellam ejus repetita peregrinatione inviſere, ac Miſſâ legendâ ſalutem filiæ deprecari, nec non tabellâ votivâ ejus merita populo teſtata facere. Voto ſtatim ſucceſſit ſanitas; nam filia recto pedum uſu greſſuque perfecto donata fuit. *Promiſſa tabella Muros allata fuit anno 1663 die* XII *Novembris; inſcripta ei erat integra rei factæ ſeries verſiculis Germanicis, quos recitat Pflegerus.* E

Juvenis eodem malo iteratò percutitur & ſanatur. 179 Anno MDCLXV Sebaſtianus Tieffenawer de Frigido fonte, vulgò Kaltbrunnen in toparchia Gaſter, ex morbo manibus pedibuſque contractus evaſit. Cúmque, emiſſo voto peregrinationis ad ſepulchrum beati Martyris Leontii, ſtatim fuiſſet ſanatus, votum ſuum exſolvere diſtulit: ut adeo divina Nemeſi diſponente in priſtinam miſeriam deciderit. Ex quo mater afflicta, iterato voto, hortata eſt filium, ut denuo intenſiore animo ad divum Martyrem preces emitteret pro reſtauranda ſanitate ſua. Acquievit materno conſilio filius, & ſecundò interventu ſancti Martyris totus convaluit.

alii ejuſcemodi 180 Advenerat anno MDCLXVII, Deo mirabiliter iter dirigente, ad Muros Regina Reithofer, mulier cælebs ex Ehingen ducatûs Bavariæ, quæ ex convulſionibus adeo contracta fuit, ut non niſi ſupino corpore manibus pedibuſque quadrupedis inſtar repere potiùs quàm incedere poſſet; ac propterea de hoſpitali ad hoſpitale vehi ac deduci neceſſe haberet. Demum etiam ad hoſpitale Badenſe, indeque ad Bremgartenſe delata fuit. De Bremgarta ad beatiſſimam Virginem Einſidlenſem iter intendebat. Sed quia diutiùs per terras heterodoxorum tranſeundum eſſet, ſuadebant civitatis incolæ, ut potiùs ad divum Leontium, in proximè adjacente Murenſi monaſterio quieſcentem, ſe conferret, quoniam ipſe pro ſolatio ejuſcemodi miſerorum hominum inſignia patraret miracula. Horum conſilium ſecuta Regina, ad Muros transfertur. F

membrorum 181 Quò magis verò illa loco appropinquabat, eò magis ſpes & deſiderium ſanitatis creſcebat in animo. Die igitur XXIX Junii ad portam baſilicæ allata, præfato ſuo inceſſu repit ad confeſſionale, præprimis animam ſacra Exomologeſi expiatura. Dumque inibi confeſſarium præſtolaretur intra octavam & nonam horam diei, viſum eſt illi primitus, acſi frigidâ perfunderetur

AUCTORE J. P.

totum corpus; unde etiam horror omnia membra inceſſit. Deinde verò vocem ſe audire autumabat, dicentem ſibi: Surge, quia ſanata es. Ad ſacrum jamque tribunal iura, tentando, an verum eſſet, quod audire ſibi viſa eſt, erigit ſe, atque erecto jam corpore confirmatiſque pedibus ingreditur, quamquam ſui vix compos præ admiratione & gaudio; obſtupeſcentibus, qui aderant ad Divina, hominibus, & cum muliere ſanata Deum, divumque Martyrem collaudantibus. *Subdit Pflegerus, quòd Murenſes ad tollendam omnem fictionis aut fraudis ſuſpicionem (mulier enim illic prorſus ignota erat) ſcripſerint ad loca diverſa, inquirique juſſerint, an revera ſic affecta fuiſſet, quódque plurium tum ſecularium tum eccleſiaſticorum hominum, de quorum fide dubitare nefas erat, ſcriptis teſtimoniis confirmatum eſſet, veriſſima eſſe ſingula, nec unquam viſam fuiſſe illam alio, quàm ſuprà expoſito ſitu ac modo.*

defectu

182 Henrico Wild de Lucerna ex uxore ſua Anna Maria Büttler anno MDCLXVII genitus eſt puer, à nativitate uſque ad quartum ætatis annum contractus, &, quia ex remediis tam ſpiritualibus quàm naturalibus nihil ſolatii cepit, vitam miſeram fortaſſis in plures annos productu-

B

rus. Ingens proinde cura triſtitiaque parentes inceſſit: nec tamen hi animum deſponderunt: ſed puerum (*Cornelio ei nomen erat*) ex voto ad ſacram divi martyris Leontii eccleſiam portari & offerri curârunt, ſuperaddito voto altero, quòd, ſi ſanctus Martyr ſanaret filium, ipſi iteratò ad venerandum ejus corpus peregrinationem inſtituerent (*& inſigne ſuæque conditioni conſentaneum munus offerrent, ut habet Pflegerus.*) Non diſtulit Leontius adeſſe ſupplicationibus parentum, ex eo enim tempore membra omnia ad ſuum ordinem & rectitudinem coaleſcere cœperunt, ut modico temporis ſpatio integro omnium eorum uſu potitus ſit. *Evidens hoc fuiſſe miraculum, ait Pflegerus, & ut tale agnitum fuiſſe tum à vicinis tum à medicis omnibus.*

miſerè laborantes,

183 Petrus Frey in cantone Solodorenſi ex utero matris (*Magdalenæ Mauter*) manibus pedibuſque claudus ad quintum uſque ætatis annum, nonniſi quadrupedum more humi repebat. Eum parentes, cùm alia remedia non ſuppeterent, facto voto, in corbe dorſuaria ad eccleſiam Mu-

C

renſem bajulaverunt, ibi ex corbe exemptum in pavimento repoſuerunt, ut miſerando, uti dictum eſt, inceſſu ipſe, ſpectante ac commiſerante præſente populo, ad capellam ſancti Martyris reperet. Ibi poſt paucas horas, admirantibus cunctis, in pedes ſe levat, & quamquam adhuc claudicando, ingreditur, duos pedes cereos, quos parentes offerre promiſerant, ipſus ad crates ante capellam poſitos ſuſpendit, & pedibus directis ad parentes, & cum parentibus, abſolutis ſuæ peregrinationis & gratiarum actionis officiis, domum incolumis rediit. Anno circitèr MDCLIV. *Subjungit iterum Pflegerus, quòd idem Petrus Frey anno 1669 die tertia menſis Maii, annis tum natus viginti, Muris comparuerit afferens tabellam votivam, & jam relata coram rogatis teſtibus proprio ore confirmaverit.*

opitulante Sancto,

184 Nicolai Häuſler (*& Evæ Schneunigerin*) de Aqua regia, vulgò Egeri, in cantone Tugienſi filius, ex defluxione maligna altero pede adeo cum doloribus intenſiſſimis malè habebat, ut chirurgi, quia aliis pharmacis medendo defecerant, non niſi ſucciſione corrupti pedis mede-

lam afferri poſſe dijudicarent, conſtituerentque. Tametſi autem parentes ad conſervandam filio vitam, utut miſerabilem, in crudelem ac perquàm periculoſam illam ſucciſionem conſenſerint; prævalebat tamen ſpes ac fiducia per Cælites à Deo ſanitatem filio impetrandi; cùm votum ſancto Leontio nuncupârunt ejus ſacra in Muris venerandi pignora. Nec mora, adeo evidente effectu ſanatio poſtulata adfuit, ut intra paucos dies puer totus conſanuerit. Anno MDCLXX.

D

virej

185 Magdalena Sidlerin (*Tugienſis*) domini Joannis Melchioris Herſter legitima conjux duas procreaverat filias, alteram Mariam Gertrudem, alteram Mariam Regulam: utraque in primo flore, triennis enim erat una, altera quadriennis, viribus plurimùm defecerat, utraque pedibus poſtea contracta erat ingenti parentum mœrore; maximè quia fatale malum artes medicorum omnes eludebat. Utramque igitur mater ex voto, quod fecerat, ad eccleſiam Murenſem, & capellam ſancto Leontio ſacram affert, preceſque intenſiſſimas pro ſalute filiarum ex animo offert. Cùm ecce! In ipſa capella ex ore ac nare prioris ingens abſurdi puris copia effluxit. Poſterior verò ab eccleſia ad hoſpitium cum matre digreſſa, multò majore vehementia, tantâque copiâ ſimilem evomuit ſaniem, ut ſuffocanda eſſe crederetur. Sed gratiâ Dei & interceſſione ſancti Martyris, cum præfata ſanie ſimul languor omnis abſceſſit, filiæque, receptis in corpuſculis viribus, pedum etiam integro uſu reſtaurato, convaluerunt. *Pflegerus rem peractam notat anno 1677.*

E

& ſanitatem

186 Nec tacendum eſt de duobus aliis infantibus, qui pedum uſu ab utero capti, nec ſtare, nec greſſum dirigere poterant. Prior erat Joſephus Leontius Caſparis Glaus (*& Mariæ Salomæ Steiner*) de Schänis filius. Altera Henrici Schärer (*& Annæ Heuchlerin*) de Hiltiſreiden (*in Lucernenſi pago*) filia. Puer biennis anno MDCLXXIV, puella quinquennis anno MDCLXXIX ante reliquias D. Leontii in Muris, quò parentes cum prolibus ſuis ex voto ſe receperant, optatum pedum vigorem uſumque adepti ſunt.

recuperant.

187 Joannes Ruoff de Kadelburg in parochia nobilis collegii Zurzachienſis (*Zurzach ſitum eſt in comitatu Badenſi ad Rhenum flumen*) ex venæ ſectione negligentiùs curata, tantâ malignantium defluxionum abundantiâ eſt divexatus, ut, præter dolores intenſiſſimos, manuum pedumque naturali uſu penitus privaretur. Is remediorum, quæ fruſtraneo effectu adhibebat, pertæſus, ad S. Leontium vota preceſque dirigit, ea conditione ſtabilita, ut, ſi ejus interventu ſanus fieret, eum in Muris inviſendi ac piè venerandi voverit votum. Et, extemplò amota omni debilitate ac contractura, incolumis evaſit die VIII Februarii anno MDCLXXXIII.

F

A

§ XIII. Variæ corporis partes, læsæ & gravibus doloribus affectæ, ad priſtinum ſtatum reductæ.

Variæ corporis partes

IPſo die primæ tranſlationis reliquiarum S. Leontii (*puta* xv *Septembris anni* 1647) Anna Maria Huober de Jonen in parochia Lunckhofen (*inter Bremgartam & Muros ad flumen Ruſam*) puella xiii annorum à doloribus pedis, decem hiatibus perforati, liberata fuit. Ibant parentes cum filia ad præfatam ſolemnitatem, & telam ſacro oſſe beati Martyris tangi ac benedici fecerunt. Quâ cùm læſas partes colligâſſent, primitus oſſulum minutum è vulnere prolapſum eſt; deinde verò majus, cùm telam ſecundò impoſuiſſent. Ex quo momento dolores diminuti, ipſa verò Anna Maria ab infeſto malo brevî convaluit. *Addit Pflegerus, quòd puellæ pater Henricus Huober, qui magnis expenſis artem medicorum & chirurgorum ſanandæ filiæ nequicquam adhibuerat, ſingula hæc coram parocho in Lunckhofen aliiſque viris honeſtis teſtificatus fuerit.*

B

peſſimè affectæ

189 Ad eamdem ſolemnitatem aderat ex voto Johannes Renger de Zuffikon Bremgartenſis ditionis, qui decem annis integris ob dolores tergi valdè intenſos dies noctesque nulla quiete perfrui, nedum laboribus victum ſibi comparare potuit, cingulo, ut ſuprà benedicto, lumbos conſtrinxit & à doloribus immunis evaſit.

Eodem tempore Johannes Müller de Rordorff in præfectura Badenſi ex vehementibus alterius pedis cruciatibus tribus annis, nonniſi ſuſtentaculo nixus, miſerum dirigebat greſſum. Famâ verò de miraculis divi Leontii percrebreſcente, ipſe excitus aliquoties ad Muros, ubi ejus ſacrum corpus requieſcit, inviſit, & doloribus exemptus, ſano pede ac greſſu libero ſancti Martyris meritis potitus eſt.

ſanantur.

C

190 Anno MDCXLVIII Caſparus Roth, civis Williſovienſis in cantone Lucernenſi, occulto quodam articulari morbo in utroque brachio integrum annum afflictabatur, adeoque graves ſuſtinuit dolores, ut diu noctuque requiem non haberet: adhæc neque ſacra neque naturalia remedia quidquam levaminis operabantur. Die ergo prima Junii ex voto ad Muros venit, divum Leontium in ſacris ſuis veneratus eſt reliquiis, & cùm brachiis morbidis ſacerdos cum benedictione ſacrum reliquiarium applicuit, viſum eſt illi, gelidum quemdam ferocemque turbinem ex utroque brachio erupiſſe, ex quo omnis languor dolorque evanuit.

Manus judicio chirurgorum amputanda,

191 Dolor ferè intolerabilis manum Burchardi Lang de Hemikon parochiæ Hitzkirchenſis (*in quibuſdam tabulis geographicis Helvetiæ* Hitzkilch *ſcriptum reperio haud procul Muris*) longo tempore occupaverat: incurabile malum cenſebant chirurgi, nec niſi mutilatione aut ſucciſione manûs amovendum. Verùm Burchardus membro tantopere ſibi neceſſario mutilari, ut par erat, tergiverſatus, ad S. Leontium, præpotentem, ut ſperabat, medicum vota direxit: Muros ipſe acceſſit, & coram ejus reliquiis devotè in genua procubuit, oravit, & ſtatim remiſſo dolore manum ſanam atque ad omne opus expeditam recepit. Anno MDCXLIX.

AUCTORE J. P.

brachium inſanabile,

192 Nec diſſimili virtute Joannes Jacobus Seller, ex parochia Buechenrein in cantone Lucernenſi, ſanatus eſt. Tres ille menſes acerbiſſimos dolores in alterutro brachio ſenſit, non immeritò formidans, ne contracturâ obrigeſceret. Deſperantibus de redintegratione brachii medicis, ipſe ante ſacros cineres thaumaturgi Leontii pro ſalute ſua preces ſupplex & ex voto devotè profudit; atque abſoluta ſupplicatione domum reverſus, continuò lenitis doloribus, cœpit convaleſcere ac brevî ad laborem & motum brachii coaleſcere, ſemper impoſterum ſoſpes. Anno MDCL.

ac manus item periculosè læſa curantur.

193 Jacobus Kauffmann, filius Bernardi Kauffmann æditui ad S. Catharinam, cùm magnæ molis truncum levare vellet, acus, quam veſtibus infixam incautè gerebat, foramine tenus fracta intra manum penetravit adeo profundè, ut nulla arte extrahi potuerit. Ingens cruciatus, quem Jacobus exinde conceperat, ſtimulus erat ad implorandum S. Leontii martyris auxilium: cui ſe voto obligavit ad venerandum ſua in Muris quieſcentia ſacra oſſa, tam proſpero effectu, ut, tametſi acum manui infixam octo hebdomadis circumferret, nihil tamen doloris ampliùs perſenſerit. Demum etiam acus abſque hominis ſubſidio ac ſine doloris ſenſu ponè digitos prodiit ac decidit prima die Decembris MDCLII.

E

Pedibus infirmi

194 Verena Burkaert de Ruſtenſchwyl in parochia Auw (*diœceſios Conſtantienſis locus eſt, quem tamen in tabulis notatum non reperi,*) multo tempore pedibus laborabat, vacillabatque, nec ſine difficultate ac dolore incedere valebat. Augebatur miſera gradientis conditio, cùm quadam die ad eccleſiam parochialem Divinis aſtitura procederet. Subito enim eventu, amiſſo omnium membrorum vigore, procidit ad terram, tamquam manibus pedibuſque contracta. In hoc miſeriæ ſitu divum Leontium intentis ad cælum oculis animoque inclamat, votumque facit, quòd quotannis, dum viveret, Miſſam ad ejus honorem legi curaret. Nec defuit ex tempore ſancti Martyris auxilium opportunum; nam mulier, ſolidatis membris, ſurrexit, & cum ſoſpitate greſſum priſtinum adepta fuit. Anno MDCLIII.

greſſum recuperant.

F

195 *De Joanne Chöll ſequens teſtimonium, Germanicè exaratum, perhibet Pflegerus:* Joannes Chöll, natus in Schwaningen, parœciâ curæ meæ commiſſâ, vir bene Catholicus & honeſtus, proximè elapſo anno acerbos & periculoſos dolores in pedibus ſuſtinuerat: hiſce ut liberaretur, & optatam conſequeretur incolumitatem, opem invocavit S. Leontii martyris, in Murenſi eccleſia quieſcentis, ac eo ſe voto obſtrinxit fore, ut, ſi dolores ceſſarent & rectè incedendi gratiâ ac pedum uſu donaretur, in honorem & debitam erga ſanctum Patronum ſuum grati animi ſignificationem Muros peregrinaretur. Audi mirabilem Dei ac meritorum Leontii potentiam. Vix horæ pars quarta interceſſerat, cùm pedum dolores ita mitigati ſunt, ut brevî pòſt, abſque fulcris ſubalaribus, quibus antè uti opus fuerat, & ſtare & ſine moleſtia ſeu incommodo obambulare poſſet. Quoniam verò præfatus parœciæ meæ incola à me infrà notato impenſè admodùm & demiſſè petivit rei factæ ſcriptum teſtimonium, quod in trina ad ſacrum illum locum peregrinatione ſua exhiberet, equidem juſtæ petitioni annuendum cenſui. Aſſero itaque & atteſtor fide optima, veritati eſſe omnino conſona, quæcumque enarrata ſunt. Datum

AUCTORE J. P.

tum in Schwaningen anno MDCLIV die XXI Aprilis. M. Mathias Malabrerg, dicti loci parochus & decanus venerabilis capituli Stühlingensis. Stühlingen *collocant geographi in Suevia prope confinia Helvetiæ.*

Manus miserè saucia,

196 Thomas Waller ex civitate Tugiensi, cùm bellum religionis inter ortho & heterodoxos Helvetios anno MDCLVI exortum fuisset, fistulam suam bellicam exoneraverat; sed ruptâ & in frusta confractâ fistulâ, sinistra manus, duobus digitis penè avulsis, media diffissa fuit, horrido, videntibus aspectu. Chirurgus artis suæ scientissimus, quem vulneratus ad redintegrandam manum vocaverat, remedia maximè congrua adhibuit, sed frustrato effectu; usquequò Thomas ille votum divo martyri Leontio nuncupavit. Tunc enim admota cataplasmata atque unguenta felicem adeo operata sunt effectum, ut manus usui pristino reddita præter spem ipsiusmet chirurgi, ad quemvis motum laboremque apta coaluerit. *Ita affectam fuisse manum, inquit, Pflegerus, ut omnium, atque in primis chirurgi judicio, ad pristinum statum reduci non posset remediis naturalibus.*

B *pes contractus,*

197 Novennis puella Elisabeth Jacobi Brunner de Schongen filia legitima, cujus pes anno Domini MDCLX die XV Augusti intensissimis doloribus correptus, octo hebdomadis contractus penè emarcuit. Post remedia incassùm adhibita, à patre divo Leontio cum voto commendata XI die Octobris, statim decrescentibus doloribus cœpit convalescere, ac IV die Novembris ipsa recto ac incolumi gressu cum parentibus in Muris votum explevit. *Subdit Pflegerus, miraculum hoc in parœcia Schongen (cujus situm non reperio, nisi fortè* Schongau *designetur, locus in recentioribus tabulis notatus prope Muros) esse cuivis notissimum, & à patre in sacello* S. Leontii *appensam fuisse pictam tabellam die* XXV *Novembris anni suprà nominati.*

femora vehementi ac diuturno

198 *Desiderantur apud Mayerum tria beneficia, Sancti nostri patrocinio attributa, & à Pflegero proximè enarratis subnexa, quæ in compendium redacta Latinè expono: Fridolinus Fach, ruricola in Castris Rheticis, per menses aliquot urente apostemate seu carbunculo laborabat, adeo ut bis præ dolorum vehementia per dies tres quatuorve lecto affixus fuerit. Consuluerat personas varias*

C *tum ecclesiasticas tum seculares, at quæ ab ipsis præscripta sunt remedia, nihil profuerunt, quin potiùs auxerunt malum. Ad cœlestem medicinam conversus, ipso die Pentecostes anno 1662 peregrinationem ad Murense monasterium arripuit, curavitque, ut altera similiter suo nomine institueretur ad beatissimam Virginem in Milla prope Danubium. Peractis peregrinationibus, non statim levamen assecutus est; semel & iterum ardentium dolorum vim sustinuit; nec tamen deposuit conceptam antè fiduciam: panno, aquâ reliquiis* S. Leontii *sacratâ tincto, circumligavit malè affectum femur, & omni malo liberatus fuit.*

dolore

199 *Filius sexennis Melchioris Kuontz & Barbaræ Fischholtzer, conjugum in Wangen, loco Lucernensis pagi prope Sempachium, ex arcerbissimis continuisque in femore doloribus vix ullam diu noctuque quietem carpebat; ejulabat lamentabaturque sine intermissione, & cùm nullis, undecumque conquisitis, remediis cruciatus lenirentur, sic per integras triginta hebdomades decubuit; neque enim vel stare vel incedere valebat. Donec tandem parentes sese obligârunt voto peregrinationis in Muros, & Missæ sacrificii bis in honorem* S. Leontii *celebrandi. Mox emisso voto dolores diminuti sunt, eorum causa paulatim sublata est, & denique puer sanitate integra, ac pleno incedendi usu donatus est. Parentes ad majorem Dei gloriam honoremque sancti Martyris atque in accepti beneficii testimonium tabellam votivam hic suspenderunt die* VI *mensis Julii anno 1665.* D

ac pes lethali malo correpta restituuntur.

200 *Simon Kessler ex Marchia, præfectura Suitiensis pagi, summis cruciatibus affligebatur in altero pede: horum radix exteriùs quidem levis apparebat; attamen ejus naturæ erat, ut & medici & chirurgi, post multam diuturnamque impensam operam, de curatione desperârint, miserumque inde, ut rebantur, moriturum deseruerint. Hisce cum doloribus conflictatus per annos octo vel novem, divum* Leontium *invocavit, voto se obstringens peregrinandi ad Murensem ecclesiam; & eo remedio periculum arcuit, desierunt dolores, antea acerrimi, & successit integra incolumitas anno 1665. Hæc Pflegerus, at multò fusiùs; audiamus denuo Mayerum.*

vulnera

201 Exonerabat adolescens quidam sclopetum bellicum, & puella decennis Anna Bawwart de Bach seu incautè sive liberè explodenti se objecit, à quo in femore adeo grave ad intestina vulnus accepit, ut cibus, quem sumebat per hiatum vulneris exiverit. Parentes, quos non tam tristis casus, quàm filiæ interituræ discrimen reddebat solicitos, chirurgo curandam tradiderunt: hic verò, exactis in cura tribus hebdomadis, arte sua deficiens, mortis faucibus proximam dereliquit. Quia verò pia genitrix, Verena Jost, filiam divi Leontii intercessioni devovit, continuò lethale vulnus cœpit vergere ad sanitatem, coalescere & obduci, ut adeo non multò pòst omni periculo exempta convaluerit. Anno MDCLXV. E

sanantur;

202 Anno MDCLXVII die XIII Januarii Maria ander Matt (*uxor Jacobi Halter*) de Baar cantonis Tugiensis, cùm ad colum sederet fila ducens, confracto scamno, cui insidebat, in terram prolapsa est funesto sanè casu; nam fusus, quem dexterâ tenebat, in tria frusta dissiliit, quorum duo manum cum horribili cruciatu perterebrabant: & quamvis alterum majus mox extraheretur, alterum tamen nulla arte extrahi poterat, ut adeo XXVI diebus, extuberante manu cum brachio, intolerabiles ferè dolores sustineret. Cùm verò uno die iidem cruciatus fortiùs urerent, ad S. Leontium pro sua salute grandi affectu votum fecit (*peregrinandi ad ejus reliquias, offerendæque manus cereæ*) ex quo fusus, à carne solutus, facili negotio extractus; manus verò sex dierum intercapedine sanata fuit. *Addit Pflegerus, personas supra nominatas, puta ipsam Mariam ander Matt & hujus conjugem Jacobum Halter, rem, uti facta erat, enarrâsse ac testatas esse loci parocho, domino Petro ander Matt, qui eam propria manu descriptam, subsignatam, ac sigillo munitam transmisit die* XXVII *Augusti anni suprà nominati.* F

dolores graves brachii tollantur.

203 Ex eodem *Pflegero bina Germanica testimonia Latinè interpretor:* Magister Jacobus Graff, de Abbatis Cella (*vulgò* Appenzel *pago Helvetiæ*) opificio sutor, mihi infrascripto optima fide exponit, quomodo anno MDCLXXVI in brachio dextero vehementes adeo dolores ac cruciatus perpessus sit octodecim hebdomadis, ut omnis quietis expers, atque ad quemvis laborem ineptus esset. Ea de causa sex medicorum opem imploravit, sed frustrato effectu. Post promissam verò & expletam peregrinationem ad gloriosum martyrem Leontium in Muris, ad aram sancti hujus Thaumatur-

A turgi ſtatim & primâ quaſi horâ, uſque adeo ſibi meliùs eſſe advertit ac perſenſit, ut domum ſuam redux citra ullum impedimentum labores ſuos reſumere ac perficere poſſet. Deo & S. Leontio martyri æterna laus ſit & gratiarum actio. Datum in Abbatis-Cella die XVIII Auguſti anno MDCLXXXII. Joannes Martinus Suter, loci parochus indignus.

ſtrumæ in collo diffor-mes

204 Harum latores Joannes Liſticher & Catharina Wattmann conjuges parœciæ meæ Malters (*in Lucernenſi pago*) coram me ac fide dignis teſtibus profeſſi ſunt, quòd duæ eorum filiæ, quarum altera annis XIII, altera XI nata eſt, eodem tempore miſerè in collo ſupercreſcente carne ſeu ſtrumis afflictæ eſſent. Cùm autem pro avertendo malo, anno proximè præterito, Muros ad glorioſi martyris Leontii reliquias ex voto peregrinati eſſent, ac jam reduces, telas & faſcias ibidem conſecratas afflictis partibus applicuiſſent, malum omne cum ſtrumis ex collo evanuit, quam gratiam, ſalvâ conſcientiâ, nemini acceptam referre queunt, quàm ſoli Deo, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis. In Malters die XXII Octobris anno MDCXLIX. Joannes Henricus Fleiſchlin, indi-

B gnus ibidem parochus.

diſparent.

205 Strumæ non diſſimilem carnis excreſcentiam collo ferebat Margaritha Biber de Loſtorff annis quatuordecim, quæ, poſtquam mulier divo Leontio votum nuncupâſſet, effracta cute & effuſa ſanie, abſque alio remedio coaluit & diſparuit. Anno MDCLVIII. *Locus hîc nominatus non occurrit mihi in tabulis geographicis, niſi fortaſſe* Liſtorff *indicetur, vicus, ut apparet, prope Olten oppidulum Solodurenſis pagi: ſed neque ſcio, cur Pflegerus tum litteras, numero præcedente recitatas, tum hanc beneficii accepti brevem relationem ſubnexuerit ceteris relationibus, toto hoc paragrapho contentis; cùm ſic receſſerit ab obſervato penè ubique annorum & materiarum ordine.*

§ XIV. Varii ſubmerſionis periculo erepti, alii opinione mortui ad vitam revocati.

C

Puella à ſubmerſione ſervatur,

ANno MDCLIII biennis puellula, Anna Henrici Büttler ex Auw filia, in rivum, qui in molam influit, prolapſa eſt. Quod cùm alia quadriennis (*ejuſdem ſoror*) advertit, aviæ ſuæ ejulando renuntiat. Hæc verò ſublevatis ad cælum manibus exclamat: O ſancte Leonti, ſub tuum præſidium commendo infantem! Interim puellula currentis aquæ impetu protruditur intra aquæductus ac canales, atque adeo in hiatum, in quo mola volvitur, duro ſtratum lapide propellitur; ubi à quærentibus inventa fuit, capite in lapideum pavimentum inverſo; ſoſpes tamen meritis D. Leontii & incolumis. Diſtabat autem locus, ubi filia parvula aquis hauſta fuit, ab extremitate aquæductuum pedibus CXLVI. Canales, per quos puella rapiebatur, gravibus aſſeribus tecti, ut adeo moles corpuſculi intumeſcentes aquas meritò moraretur, vel ex his ſolis ſuffocanda. Extremitas aquæductus ultimi non habebat in latitudine niſi quinque pollices cum dimidio, id eſt, foramen multò arctius capite ipſius infantis. Lapſus aquæ XXIV pedes habebat in altitudine. Puella verſo ad terram lapidi illiſa decidit. Ex quibus circumſtantiis magnitudo miraculi dimetienda eſt. *Singula hæc, ſed fuſiùs, ad exponendam inſignis prodigii evidentiam, obſervat ſimiliter Pflegerus, addens, quòd puellæ pater in rei factæ perennem memoriam, debitamque grati animi teſtificationem depingi illam ac deſcribi curaverit in tabella, quæ in ſacello* S. Leontii *ſuſpenſa fuit anno ſuperiùs notato.*

AUCTORE J. P.

puer aquâ ſuffocatus & opinione mortuus revivíſcit;

207 Celebre eſt, quod anno MDCLV in Lunckhofen contigit. Joannes Jacobus, quatuor & dimidii annorum puer, Jacobi Lutz filius, puerili levitate patrem, rus petentem, inadvertenter ſecutus, ponticulumque, ſuper profundo aquarum gurgite poſitum, incautè tranſgreſſus, decidit, totus paludi immerſus, ut nihil ſui videretur præter pileum ſuperficiei aquæ ſupernatantem. Tranſierat fortè fortuna civis Bremgartenſis (*Chriſtophorus Kappeler*) ad fratrem ſuum (*dominum Nicolaum Kappeler,*) qui parochiæ Lunckhofenſis curam tum temporis adminiſtraverat, inviſurus; viſoque pileo, prudenter ſuſpicabatur, ne quis fortè profundo gurgite hauſtus eſſet. Cùm curioſiùs omnia luſtrâſſet, vidit in fundo aquæ prona facie jacentem puerum, aquis ſuffocatum. E Convocati igitur, qui propiùs aderant, omne impendêre ſtudium, ut puerum aquis extraherent, ſignum vitæ è corpore merſo elicerent, ſed fruſtraneâ curâ: quippe cùm puer ultra duas horas in profundo hæſiſſet. Parentes ſupra modum attriſtati, D. Leontii opem in anguſtia animi inclamant, unáque peregrinationem ad ejus ſacrum corpus vovent. Parochus verò, qui aderat ad triſte ſpectaculum, roſarium ex attactu ſacrarum ejus reliquiarum conſecratum, collo exanimis pueri appendit: & continuò puer, tamquam è gravi ſomno excitatus, aliquoties profundo ac difficili halitu reſpiravit, ac ſtatim poſtea ipſe ſe in pedes erexit, & ſanus atque incolumis redditus eſt parentibus, præ ingente gaudio teneras lacrymas profundentibus. *Subdo teſtimonium ex Pflegero Latinè expoſitum; ſed, quia verſio difficilis viſa eſt, minùs curavi vocum hincinde ac ſenſuum mutationes, dummodo rem ipſam ejuſque ſeriem aſſequerer.*

auriga cum equis

208 Ego Joannes Jacobus Stahlin ex Millaw, profiteor, quòd die XVI Novembris anno MDCLXV, cum quadriga ac ſervo meo Joanne Schärer in Alſatiam profectus, pervenerim in Nider-Ercken, locum dimidiâ horâ diſſitum ab oppido Sanctæ Crucis, ad Helelli fluvii, ubi altiſſimus eſt, eluviem. F Dum autem in Nider-Ercken pontem tranſiviſſem eo loco, ubi aquæ geminato brachio ingentem, &, quod equidem ignorabam, minimè vadoſum gurgitem exederant, tres anteriores equi in aquam delapſi ſunt, ipſeque famulus fuiſſet ſubmerſus, niſi alter auriga Rothenburgenſis, cui nomen Waltero Höltſchin, eum ex equo citò ſublevâſſet. Viſo miſerabili caſu, è curru deſilui, & ex loris, temoni annexis, alterum reſecui, alterum diſſolvi, ut expediti equi natando emergerent. At hi ulteriore natatu progredientes, inter dumeta conſtricti ſunt, unde eximere ſeſe neutiquam valebant. Animadverſo hoc ſecundo infortunio, equum validiorem, hactenus plauſtro alligatum, diſſolvi, &, alios liberaturus periculo, natando inſecutus ſum, aſſecutus verò & extricare eos conatus, rem eſſe comperi prorſus impoſſibilem; imò ipſe præſentiſſimum vitæ amittendæ periculum ſubii: collotenus quippe immergebar aquis, & ſolis pedum digitis ſæpiùs inniti neceſſe erat, ne aquæ in os penetrarent. Adhæc à calcitrantibus contra me implicatis e-

AUCTORE J. P.

quis, majus etiam, quàm ab undis, discrimen imminebat.

mirabiliter submersionem evadit.

209 In summa hac calamitate majore infortunio jacturam feci vectarii equi, mihi pretiosissimi atque æstimabilioris reliquis simul omnibus: è conspectu enim sublatus est, & quò nesciebam. Statum meum tandem attentiùs consideranti, ac de vita mea & equis actum esse perspicienti, mentis oculi aperti sunt; tum primùm cœpi de Deo cogitare, opem instantiùs implorare, polliceri tabellam votivam thaumaturgo martyri Leontio & peregrinationem ad Murensem ecclesiam. Obtestabar itaque enixissimè Deum ejusque Martyrem, ut mihi in ista calamitate succurrerent: sicut etiam factum est. Mox etenim è dumetis exemptus, & ab equis sejunctus, ad terram mirabiliter evasi: vix autem elapso, quo ter Orationem Dominicam recitares, temporis intervallo, subsecuti sunt tres equi salvi & incolumes, desiderato dumtaxat validiore vectario, quem tamen similiter non sine prodigio recepi die postera. Propter tot tantaque beneficia hanc ego tabellam in honorem Dei optimi maximi & S. Leontii hîc appendendam curavi, sic illum laudans in
B Sancto suo per secula. *Ita ille. Porrò* Millaw *seu* Müllaw *notatum reperio in tabulis prope Muros; oppidum verò* Sanctæ Crucis *prope* Colmariam *seu* Columbariam, *urbem superioris Alsatiæ ad fluvium suprà nominatum.*

Infantes aquis suffocati,

210 Alio tempore Ludovicus Kronenberg de Damersellen in comitatu Willisovienſi Lucernensis cantonis, qui agebat sesquitertium ætatis annum, XXV die mensis Martii, Annuntiationi beatissimæ Virginis sacro, in stagnum, paternæ domui adjacens, prolapsus est; quem cùm diu conquisivissent, nec invenissent, mater tandem, Maria Meyer, curiosiùs in stagnum oculos conjiciens, vidit supinum in fundo prostratum. Quare, citato cursu, altiùs vociferando & ejulando totam viciniam complens, evocavit, ut puerulum aquis extraherent. Puer proinde mortuo quàm viventi similior totus pallore suffusus, ad terram protractus *(à Jacobo Rhiner, qui primus accurrerat, uti scribit Pflegerus, quique eum capite ad solum inverso elevârat, ut ejectâ, quam hauserat, aquâ ad sensus & amissum vigorem reduceretur)* semihorâ jacuit absque vitæ præsentis indicio, &, uti indubiè credebant, aquis suffocatus & emortuus. Pater
C Carolus Kronenberg interea voto se damnat ad invisendum & in sacris suis lipsanis colendum D. Leontium, thaumaturgum in Muris patronum, *(procurandum ibidem Missæ sacrificium, offerendamque tabellam votivam.)* Atque voto emisso puer primitus frendere dentibus cœpit, deinde membra distendendo oscitavit septies, & sic deinceps magis ac magis ad mentem & vires rediit, atque integrè revixit & convaluit, postquam dimidiam minimùm horam in aquis & aliam dimidiam extra aquam exegisset inanimis. Anno MDCLXXI. *Parentes autem, juxta Pflegerum, votum persolverunt die* XV *Maii anno* 1672.

& ut credebatur,

211 Leontius puerulus de Bäsenbüren, Petri Moser *(& Catharinæ Bochsslerin conjugum)* filius, cùm de more cum aliis *(in Bossweil, loco non longè Muris dissito)* ad rivi, qui in molam influit, ripam luderet, fortè in rivum lapsus & impetu aquarum per aquæductum, quinquaginta duos pedes longum, abreptus & protrusus, tandem super rotam molariam in profundum & subtus aquas projectus & submersus est: ubi per unum circiter horæ quadrantem prostratus jacebat. Mater per filiam sexennem de tristi eventu edocta, statim ad D. Leontium votum pro salute filii e- D
misit: *(promisit autem, teste Pflegero, peregrinationem ad Murense monasterium, Missam ibidem celebrandam, & tabellam votivam;)* atque puerum quæsitum in profundo hiatu reperit, caput vestimentis involutum, cætera mortuo similem. *(Advenerant illuc casu, uti narrat idem Pflegerus, dominus Kuon vir primarius in Waldhausen, & Pancratius Schreiber, quorum ille ad ventrem pueri, jam aquis extracti, tandem aliquod vitæ indicium advertit, hîc verò ex distento ejusdem ore vim magnam aquarum elicuit.)* Post dimidiam horam, veluti ex leni somno expergiscens, suique compos factus, sospes & incolumis sub oculis omnium comparuit, ac si nihil sibi quidquam adversi contigisset, citra ullam læsionem vel læsionis indicium. Anno MDCLXXV.

mortui, ad vitam revocantur.

212 Anno MDCLXXVIII Ursula Blatner, biennis filia Nicolai Blatner *(& Annæ Egglin)* de parochia Beronensi *(Lucernensis ditionis)* in aqualiculum decidit, nemine advertente, & sub ipsis aquis mersa jacuit, manibus cælum versus protensis: donec juvenis quidam *(Jacobus Brengarter)* casu præteriit, &, conspecta in aquis infante, E
contremiscens eam undis exemit, ac sexaginta & uno passibus domum retulit, ubi semihorâ frigidum cadaver sine vitæ signo jacebat. Postquam verò avia *(Maria Lucia Schoss,)* quæ supervenerat, neptem S. Leontio cum voto consecravit & commendavit, statim modicum clamorem, aut potiùs altum suspirium edidit Ursula, redditoque faciei colore rubeo, revixit atque convaluit. XXXI Augusti anno supradicto.

Puer in aquas delapsus manifesto mortis periculo eripitur;

213 Sequente anno MDCLXXIX puer parvulus, Melchioris Widerkehr *(prætoris)* de Dietikon *(loco prope Bremgartam)* filius biennis Josephus nomine, cùm in præter & ad molam fluentem rivum corruisset, ab unda vehemente impetu per canales super ipsam rotam ejectus & circumagitatus est, usque dum inter pavimentum lapidibus stratum & rotæ molam comprehensus atque adeo strictè compressus fuit, ut, si naturæ modum respexisse voles, actum esse de vita pueri affirmâsses. Attamen postquam & quia parens, accepto tristi nuncio *(à Jacobo Widerkehr fratre suo, qui molæ rotam impeditam cernens, quid causæ esset, spectatum iverat, & infelicem infantis casum conspicatus, altùm exclamaverat,)* & re propriis oculis F
conspecta, in angustia & afflictione S. Leontio cum voto *(peregrinandi Muros & tabellæ offerendæ)* filiolum sub tutela commendaverat, puer de sub mola multo labore extractus est sospes, absque vulnere non solùm, sed absque vibice aut livore vulneris.

aquis extracti examinues puella

214 Anno verò MDCLXXX puella etiam biennis *(Barbara Schäncker, filia Joannis Schäncker & Elisabethæ Freyin in paræcia Grätzenbach Solodorensis ditionis)* cùm ad labrum seu alveum, aquâ oppletum, infantium more luderet, incautè præceps acta in & subtus ipsam cecidit aquam, nemine vidente. Post intervallum, cujus duratio incerta est, animadvertens quidam de domesticis accurrit, & puellam morti eripiendam è profundo levavit. Quoniam verò nec tunc, nec quatuor integris pòst horis, aliquod signum vitæ superstitis ediderat, parentes, facto voto, eam divo in Muris martyri Leontio obtulerunt, ac statim aquâ, quæ hactenus in frigido cadavere cohibita ac retenta fuerat, copiosè effluente, halitus cœpit meare liberè, & continuò incolumis revixit.

215 Eam-

AUCTORE J. P.

A *& puer vitam recipiam.*

215 Eamdem gratiam intercessione beatissimæ Virginis ac S. Leontii habuit puerulus Leodegarius Studer de Lucerna. Casu is in craterem fontis collapsus est : ex quo à prætereuntibus post intervallum, quantum ignoro, extractus, integrâ horâ cassùm adhibitis fomentis, pro eliciendo vitæ indicio, exanimis fuit. Vota præsentes nuncupaverunt, alterum ad beatissimam Virginem in Wertenstein, alterum ad S. Leontium in Mure : ac postquam ad triste spectaculum superveniens avia (*domina Dorothea Schindler*) vota ratihabuit, statim puerulus emortuus dexterum aperuit oculum, atque ita vitam & integram sanitatem recepit VI die Junii MDCLXXX. *Hactenus Mayerus Pflegerum exponens, qui deinde subdit sequentia, quæ idem Pflegerus, certè omnia, novisse non potuit, utpote jam diu mortuus :* Vixit autem Leodegarius (cujus parentes Joannes Jodocus Studer & Maria Catharina Keller de gente patritia) usque ad annum ætatis LXXII, monachus factus in monasterio Murensi, in quo, post exactas omnium classium professuras, novitiorum magister, deinde subprior, ac demum decanus seu prior conventûs annis XVI præfuit.

B

In mediis aquis vir

216 Nec omitti debet singularis gratia, quam Gregorius Neff de Tuggen in Marchia Suitensi, à D. Leontio eodem anno percepit. Is cùm circa festum S. Martini episcopi eques pontem ad Greinau transiret, atque in ipso ponte equo descenderet, fallente altero pede, subito de ponte in Limagum fluvium, qui postea in lacum Tigurinum se effundit, decidit, certò submergendus, nisi in ipso lapsu divum Leontium cum voto suppetias invocâsset. Videbatur enim sibi ab aliquo per crines adeo firmiter teneri, ut, toto corpore aquis immerso, caput super undas semper attolleret; donec diu à fluctibus hinc & inde jactatus, à nautis ereptus, & incolumis ad littus fuerit evectus.

& mulier prodigiosè servantur incolumes.

217 Mulier phrenetica de Rheinfelda Kunigunda Solander (*uxor Martini Cötscher*) anno MDCLXXXI in præterfluentem Rhenum seipsam præcipitavit, atque impetu aquæ abrepta, jam jam hauriri vortice ac mergi cœpit. Cùm eam videntes divi Leontii patrocinio cum voto commendâssent, statim ex fluctibus emergens, diu placidè aquis supernatavit, donec ab emissis nautis in navim sublata, & ad littus est deportata, non à discrimine tantùm, sed & phrenesi liberata.

C

§ XV. E sublimi delapsi & de vita periclitantes servati.

Ex alta rupe

REverendus pater Athanasius à Castanea, monachus abbatiæ Engelbergensis Ordinis S. Benedicti (*in Subsylvania*) de scripto hæc ferè verba testatur : Contigit in æstate summa, quâ nives diffluere atque glacies indurata denuo apparere consueverunt, ut pater Ignatius postea abbas, tunc verò Philosophiæ professor quadam die [quantùm memini anno MDCLII] recreationis ergô, me in socium assumpto, ambulatum exiret cum intentione Montem angelorum, sic dictum, qui proximè monasterio prominet, conscendendi. Quia verò à via ordinaria declinavimus, per longas ambages & anfractus ad rupem & præruptam ac lubricam glaciem devenimus, quam pater Ignatius absque horrore transcendit, & saltu ad altius supercilium se proripuit. Mihi verò horror incessit, situs loci terrorem incussit, omnibus artubus contremiscere, pedibusque vacillare cœpi : donec mediam circitèr rupem, baculum manu tenens, attigi : ubi prolapsus, projectis manibus pedibusque, pronus magno impetu ad ima per decliva præceps corrui. Erat inferiùs horrida vallis, eratque obvia acuta cautes, apta corpus meum aut proscindere aut lethaliter vulnerare.

delapsus

219 In hoc periculoso rerum articulo bis terque JESU, MARIA ingeminavi, [verùm ulteriùs ad profundum rapiebar. Dominus abbas, in eminentiore loco positus, eo clamore perculsus est, oculos in ima conjecit, & manifestum mortis periculum ipse advertit, quod equidem non apprehendebam, utpote cernere nequiens, quid infra me esset. Quapropter dexteram sustulit dominus abbas peccatorum absolutionem mihi impertiturus, tamquam jam in extremo vitæ puncto & in summo discrimine versanti. Et ita erat profectò. At verò omnipotens Deus rem totam ad majorem S. Leontii martyris gloriam convertit. Etenim cùm ulteriùs semper proriperer, ac tertiò JESU MARIA inclamarem, & nihil proficerem,] tandem memoriæ occurrit divus Leontius, cujus imaginem, ejus reliquiis sacratam, è collo gerebam, & geram totâ vitâ in grati animi tesseram, nihil ampliùs dicendo, nisi : SANCTE LEONTI ! Quibus verbis vix enunciatis, extemplò jacui immotus, quasi ab aliquo in medio lapsu interceptus, tametsi multo declivior esset pars inferior superiore. [Horum spectator dominus abbas, miratus est valdè, & summâ mecum affectus est lætitiâ. Maxima sit & perennis S. Leontio martyri gratiarum actio.] *Hæc habet Mayerus, exceptis iis, quæ uncis inclusi, quæque ex Pflegeri instrumento Germanico desumpta Latinè reddidi, uti & sequentem clausulam, quam ille prætermiserat fortasse brevitatis gratiâ.* Totum hoc ego P. Athanasius à Castanea sacerdos & professus Engelbergensis attestor, idemque reverendissimus dominus abbas speciatim & manu propria, si quis exegerit, attestabitur. P. Athanasius à Castanea professus Engelbergensis.

E

F

& alter è tecto domûs incolumes servantur.

220 Jacobus Küssenberg de Döttingen in parochia Klingnau (*oppidum est in comitatu Badensi*) faber lignarius, è tecto domûs, altitudine trium contignationum, in terram corruit tam vehemente impetu, ut terra moli corporis cesserit profundiùs. In ipso autem lapsu divo Leontio cum voto salutem suam supplex commisit; atque ita, cui natura lapsûs, vel cervicem, aut saltem membra confregisset, divi Leontii intercessione citra memorabile damnum integra membra sospes è terra levavit, surrexitque incolumis. Anno MDCLV.

Aliis item in lapsu periculoso

221 Oswaldus Strebel, molitor in hac nostra abbatia, die XXII mensis Decembris anno MDCLVI in pistrinum descensurus, fallente pede, per scalam cecidit, dum ipsum pistrinum vehemente impetu cursum suum perficeret. Cecidit autem in ergatam, & inter pistilla intrusus ac compressus, horrendo situ diu hæsit, frustra suppetias inclamans. Humano igitur destitutus auxilio, cælum votis oneravit, (*Deum, beatissimam ejus Virginem Matrem*) & S. Leontium in vôta vocavit, (*huic promittens fore, ut, si hoc præsenti periculo eriperetur, in honorem ejus aliquot*

AUCTORE J. P.

preces recitaret, & offerret tabellam votivam.) Quo facto piſtrinum ſubitò ſubſtitit, uſquequò miſer è machinis ſe extricavit, & proripuit; atque adeo è præſentiſſimo vitæ diſcrimine liber & incolumis evaſit. *In gratiarum actionem & perpetuam rei memoriam in tabella depingi ejus ſeriem curavit, atque appendi in ſacello* S. Leontii, *ut ſic quemlibet ad laudes Dei in ſancto Martyre decantandas incitaret; prout ſubjungit Pflegerus.*

invocatus Sanctus,

222 Eodem currente anno MDCLVI die IX Julii Joannes Jacobus Huwiler de Auw, cùm cerasa decerpturus arborem conſcendiſſet, ramus, in quo ſtabat, confractus, ipſe verò in terram altitudine aliquot ſariſſarum delapſus eſt, omnium opinione aut vitæ, aut ſaltem membrorum uſu deſtituendus. Quia verò Jacobus inter labendum animum ac votum ad thaumaturgum Martyrem erexit, atque divi Leontii meritis, ut ut gravi impetu ſubjectæ humo corpus impegit, de terra illæſus atque incolumis ſurrexit.

ut piè creditur,

223 Graviore lapſu ruebat ſecunda die Octobris anno MDCLVIII Jacobus Schwendiman de Inweil in cantone Lucernenſi. Ex altiſſima arbore poma collecturus, ſcalas duas, una non ſufficiente, colligavit, arborique applicitam conſcendit. Cúmque operi ſuo intentus, nihil mali ſuſpicaretur, ſcala ſuperior, ſolutis, quibus inferiori colligata fuerat, funibus, in profundam terram cum Jacobo corruit: & quia mole hujus inferior in fruſta confracta fuit, Jacobus in ipſo lapſu à grandiore feſtuca, in femur penetrante, grave vulnus accepit, cæterùm in nihilo læſus; quin & ipſum vulnus intra unius menſis ſpatium integrè à chirurgo, non valdè experto, ſanatum fuit. Nam Jacobus patrocinio divi Leontii votis ſe obligavit, atque intenſa devotione commendavit; cùm cadens vitæ diſcrimen præ oculis habuit. *Nihil ſanè hîc adeo mirabile occurrit, ut abſolutè dici debeat interveniſſe divinitus auxilium.*

B

ſuccurrit.

224 Anno MDCLXI puer XIII annorum de Hüneberg Chamenſis parochiæ (*juxta tabulas in Tugienſi pago*) Joannes, Petri Filliger & Barbaræ Buecher filius, in horreo ex alto in induratam aream ſpatio plùs triginta pedum cecidit. Nec tamen, (quia præſentes votum ſancto Martyri noſtro pro incolumitate emiſerunt,) vel levem læſionis vibicem ex tremendo lapſu in corpore, vel ſenſit vel tulit. *Ipſe dein cum parentibus promiſſam peregrinationem obiit die vigeſima quinta Aprilis ejuſdem anni, id eſt, die decima nona à lapſu juxta Pflegerum.*

C

Mulier ex lapſu

225 *Idem Pflegerus mox producit alterius beneficii teſtimonium Germanicè ſcriptum, quod in Latina lingua ita ferè ſonat:* Anno MDCLXI die XV Septembris Eliſabeth Vogel, uxor Jacobi Doſſenbach ex Egonis-villa, altum conſcendit, ut mergites trituratoribus dejiceret in ſubjectam aream: cùm autem incautiùs labori inſiſteret, & pedem perticæ mergites ſuſtentanti ulteriùs, quàm par erat, impoſuiſſet, præceps acta eſt, & ex altitudine duarum circitèr contignationum prono capite in induratam aream impegit. Ex iſto lapſu, ut facilè intelligitur, tam miſerè læſit caput, ut in ſuo ſanguine veluti immerſa jacens, nullum vitæ ſuperſtitis indicium proderet. Sub idem tempus, quo caſus ille accidit, ego infrà ſcriptus loci parochus domum ejus pertranſii, & quia lugubrem domeſticorum ejulatum percepi, confeſtim aream, in qua ſanguine perfuſa mulier jacebat, ingreſſus ſum, ut, quæ triſtis hujuſce ejulatus cauſa eſſet, perdiſcerem. At mox miſerè in capite læſam & ſanguine diffluentem abſque ullo vitæ ſigno mulierem deprehendi. Præſtolabar deinde ultra ſemi-horam, ſi fortè ſui compos fieret, atque ſanctiſſimo Eccleſiæ Sacramentorum viatico communiri poſſet ad felicem tranſitum.

D

lethaliter ſaucia convaleſcit.

226 Verùm poſt longam moram aliud nihil obſervare potui, quàm quòd unica vice traheret anhelitum; id obſervans ſacro eam Oleo unxi ſaltem in pectore (quia ratione periculi aliter fieri non potuit.) Interea temporis maritum ejus Bremgartam ablegavi ad accerſendum peritum chirurgum. At ille miſerum dilectæ conjugis ſtatum ſecum volutans, ad chirurgum longè peritiorem, nempe ad S. Leontium martyrem, animo converſus eſt, cui, tamquam benigniſſimo ac planè mirabili chirurgo, infelicem uxorem enixiſſimè commendavit cum voto peregrinationis Muros, & tabellæ offerendæ. Cùm autem accitus chirurgus, magiſter Hartmannus Seyler Bremgartâ adveniſſet, & mulierem eo, quo dictum eſt, ſtatu offendiſſet, poſt ulteriorem inſpectionem advertit, ex lapſu etiam axillam ejus unam & brachium loco ſuo expulſa eſſe. Verumtamen neque axillæ neque brachio, in ſedes ſuas compellendis, manum admovere voluit propter nimiam debilitatem decumbentis; omnino etiam exiſtimabat, in diem craſtinum non ſupervicturam. Cùm verò poſtero mane ad eam ego rediiſſem, ingens divinæ omnipotentiæ miraculum per interceſſionem S. Leontii in ipſa patratum comperi: quandoquidem plenè & mentis & loquelæ compos, peccata confiteri & verum Redemptoris noſtri corpus ac ſanguinem ſuſcipere valeret. Dein paucos intra dies incolumis & ſoſpes evaſit, abſque difficultate incedere potuit, & ſine incommodo quoſlibet labores domeſticos obire; laudabatque Deum, mirabilem in Sanctis ſuis. Huic ego relationi in ſubſidium veritatis ſubſcripſi, eamdemque conſueto meo ſigillo muniri volui. Mathias Honegger teſtor, ut ſuprà. Egonis-villa *vulgò* Egenweyl, *haud procul diſtat Bremgartâ, uti ex relatione ſat intelligitur.*

E

Jumenta ex alto delapſa ſervantur.

227 Michaël Lüthart de Meriſchwand (*Lucernenſis ditionis*) & ejus filii (*Philippus & Rudolphus*) currum à tribus bobus & equo tractum, in ſylvam comitabantur, ligna pro uſu domeſtico allaturi. Erat proximè clivus frutetis ac ſpinis horridus, in ſubjectam voraginem ſe protendens. Jumenta igitur ſubitò in furorem acta, ad præfatum clivum facto impetu ſe præripiunt & per declivum cum curru ad ima volvuntur in certam perniciem. Michaël inter ea divo Leontio ſupplex votum ſacrat, quo meruit, ut meritis Martyris jumenta cum curru illæſa denuò ad ſuperiora cum gaudio ac gratiarum actione fuerint reducta. Anno MDCLXIII die XXII Februarii. *Pflegerus hiſtoriam hanc, quam ſine evidenti miraculo non contigiſſe fusè comprobat, in tabella depictam & publicè in eccleſia Murenſi expoſitam fuiſſe aſſerit, & dein ſubdit teſtimonium alterius beneficii, quod è Germanico Latinum feci, ut ſequitur.*

F

Puer è lapſu ad extrema deductus,

228 Notum ſit omnibus, quòd die XIII Junii anno MDCLXVII in civitate Tugienſi, cùm novæ ædes exſtruerentur, octo ferè annorum filiolus meus, dictus Carolus Joſephus, inter alios pueros lateres ſubminiſtrans, ſolus tandem relictus fuerit in ſcalis altis & gravibus, quibus in incendio aut ſimilium ædium exſtructione uti conſuevimus, quibuſque transferendis tres quatuorve requiruntur homines. Cecidêre interim ſcalæ, & his ipſe uſque ad medium circitèr lapſum

A pſum in trigeſimo ſecundo gradu adhæſit, bis JESU MARIA inclamans, eaſque ſimul dimittens, prono pectore in altum palum querceum, dein in acervum lapidum cecidit, & opinione mortuus ſublatus eſt. Dum infelix iſte caſus contingebat, ego domi me continueram, at mox accurrenti vir quidam, puerum brachiis geſtans, abſque ullo vitæ indicio, & tamquam omnino exanimem obtulit: in hoc luctuoſo caſu, cùm me ſubduxiſſem, filium meum Deo, ſanctiſſimæ Dei Matri, Virgini Mariæ in Einſidlenſi & S. Leontio in Murenſi eccleſia optima fide ac fiducia devovi. Sub hæc ſtatim præſentis vitæ ſigna edidit, & ita convaluit, ut die poſtero plena ſanitate denuo frueretur, nullo adhibito remedio; vena dumtaxat ei aperta fuit ex cautione, ſi fortè quid mali lateret in ſanguine. Horum ego Melchior Brandenberg pueri pater & alii plures homines probi, qui & ipſum lapſum & ingens prodigium coràm conſpexêre, teſtes ſumus.

mulier gravida horrendum in modum læſa,

229 E ſcala ſimiliter (*ſic proſequitur Mayerus,*) anno MDCLXVIII die XXIII Maji proruit Catharina Weber, de Lachena Marchiæ Suitenſis, Andreæ Schwieter opificio reſtionis uxor fœta, atque in adſitam machinam, quâ ſtupa parari ſolet, incidit, quæ dimidiam ferè ulnam in ventrem, quod dictu æquè ac auditu horrendum, penetravit, ictu matri utique ac fœtui lethifero, niſi præſervativa virtus divi Martyris vim mortis compeſcuiſſet. Nam mulier inter cadendum voto ſe obſtrinxit, ut S. Leontii oſſa in Muris veneratum iret, ſi ſibi ventriſque fructui vitam ſervaret. Servavit equidem ſuo interventu utrumque thaumaturgus Auxiliator; & mulier poſt exactas adhuc decem hebdomadas fœtum enixa eſt ſoſpitem, quem in honorem ac memoriam ſancti Interceſſoris LEONTIUM in Baptiſmo nominavit. Huic miraculo fidem fecit Caſparus Scriba, ſacræ Theologiæ doctor & parochus in Lachen, teſtis oculatus. *Verba Germanica dat Pflegerus, atque ita ſonant Latinè:* Hæc ita eſſe, ego, qui propriis oculis non ſine ſumma admiratione caſum iſtum conſpexi, & de lapſæ mulieris incolumitate deſperavi, atteſtor Caſparus Scriba, doctor Theologiæ & parochus ibidem.

vir in mortis agone conſtitutus, incolumes evadunt.

230 Joannes Keller de Schmärcken, aſſeſſor fori municipalis in comitatu Utznacenſi, cùm abſoluto ſenatus-conſilio è curia abiret, à ſummo ſcalæ ad imum per gradus & gradus corruit, indeque in cubile delatus, vitæ ac ſenſuum expers jacuit per integrum horæ quadrantem: donec incaſsùm adhibitis ſpiritibus ac fomentis, quæ apta erant ad proliciendos vitales ſpiritus ac ſenſus, ſeptem, qui aderant, homines unanimi conſenſu præfatum Joannem D. Leontio commendaverunt, addito voto, quòd omnes irent peregrinatum ad ejus ſacra pignora, ſi vitam ſuis meritis ac ſenſus impertiret, quatenus ſaltem Chriſtiano-Catholico more per ſanctiſſima Sacramenta ad piam mortem diſponi ac provideri poſſet. Continuò enim vitalis color rediit, rediit reſpiratio, & apertis oculis, is, qui mortuus fuerat, aut ſaltem cum vicina morte luctabatur, reviviſcere cœpit, atque in diem craſtinum ſalvus fuit & incolumis. Supradicti verò homines die XIII menſis Martii anno ſequente MDCLXX in Muris vota ſua reddiderunt, ac ſuperiùs ſcripta ſacramento affirmaverunt.

231 Sed revertamur ad annum priorem MDCLXIX, quo virtus divi Martyris in conſervatione parvuli ſingulariter enituit. Puerulus quidam (*Urſus nomine*) Adami de Arch ex Neuendorff cantonis Solodorenſis filius, incautè aſſerem, calcariæ adhuc efferveſcenti ſuperpoſitum, tranſire currendo tentabat: verùm cæſpitante pede, corruit, ferventi calci capite ac toto corpore genuum tenus immerſus. Poſt intervallum temporis patrinus pueruli, cùm eum ampliùs non videret, anxia nec inani ſuſpicione provocatus accurrit, & ſolos pedes è calce protenſos aſpexit. Tum verò miſericordiâ commotus, manibus oculiſque in cælum erectis, in genua procubuit, votumque fecit (*peregrinandi*) ad S. Leontium (*in Muris offerendæque tabellæ,*) ut puerum ſalvaret: allatoque deinde ligone, corpuſculum, hominum opinione ex ardore calcis exuſtum atque conſumptum, extrahere occepit, ac puerum vivum & illæſum, ſtupentibus omnibus, parvo labore extraxit, unis exceptis ocellis, quos puerulus tribus diebus ac noctibus præ doloris magnitudine aperire nec volebat, nec valebat; plenus doloribus & quietis expers. (*Addit Pflegerus, advocatum fuiſſe magiſtrum Joannem Studer, chirurgum valdè peritum; at hujus induſtriam hîc parùm profuiſſe, quandoquidem puer præ doloris* E *vehementia totis viribus impediret, quominùs vel manus vel aliud quidpiam oculis admoveretur: iidem autem dolores ita miſerum torquebant, ut toto triduo cibum omnem reſpueret, utque proinde timeretur, ne cum viſu etiam vitam amitteret.*) Renovabant igitur parentes votum à patrino emiſſum, ſuperaddito altero, ut Miſſa legatur ad divi Martyris reliquias. Erat hora diei quaſi ſeptima veſpertina, quâ promiſſio voti facta fuit, & ab illa hora puerum placidus ſomnus occupabat, ad ſequentis diei ſeptimam matutinam protractus; quâ horâ puer evigilans eſcâ refici petiit, apertiſque oculis, plus quàm antea claris, adſtantes parentes & alios præſentes aſpexit, ſanitati ex toto reſtitutus. Ita præter plures alios atteſtante R. D. Franciſco Stephano Haffner, parocho in Neuendorff. *Plures inter teſtes, præter parochum, pueri parentes & ſuprà dictum chirurgum, nominatim exprimit Pflegerus Urſum Heini, memoratum ejus patrinum & Mariam Olterin, quæ infantem ſimiliter ex ſacro fonte ſuſceperat.*

F

§ XVI. Varii plauſtris & rerum gravium mole oppreſſi ac protriti, vulneribus & mortis periculo liberati.

Os confractum ſponte coaleſcit;

ADvenerat anno MDCXLVIII ex voto Fridolinus Näff de Itenthal prope Lauffenburgum (*ad Rhenum fluvium*) ex parochia Keuſten, qui anno ætatis XX, ab inciſa quercu oppreſſus, abrupto crure graviter vulneratus eſt. Pro cujus redintegratione parentes fruſtra in chirurgos omnia ſua diſperſerunt, ad egeſtatem redacti. Cùm autem preces ſuas funderet coram ſacro D. Leontii corpore, crus abruptum tantum edidit fragorem, ut non ambigeret, etiam matrem (*Margaretam Bachhoferin*) cum aliis adſtantibus audiviſſe. Ex quo dolor cœpit immi-

AUCTORE J. P.

Infans prodigiosè ſervatur, & oculorum malo liberatur.

AUCTORE J. P.

nui, os confractum sponte conjungi ac coalescere, absque humano auxilio ita pes constabiliri, ut recto gradu, acsi mali nihil sustinuisset, postea incesserit.

juvenis plaustro graviter onusto

233 Nicolaus Lüthard, juvenis ephippiarius in Auw, cum sui similibus stabat secus viam, quâ tunc plaustrum vini, habens amphoras undecim, advehebatur; sed sociis abscedentibus, ipse incautè perstitit, ut ab equo humi protrusus rotæ medio corpore succubuerit, & quod admireris magis, rota cum integra vini mole super juvene substitit, utique ferreum etiam pectus effractura. In hac necessitate vitæ prostratus juvenis, erecto ad divum Leontium animo ac voto, salutem suam eidem Martyri committit eo felici eventu, ut, cùm rota citiùs ac fieri potuit, subduceretur, ipse salvus & incolumis de terra surrexerit. Anno MDCL.

ac puer jumentis & aratro protriti absque læsione;

234 Cùm anno MDCLX Joannes Udalricus Meyer de Birchi (*vico Muris distante dimidio circiter milliario*) aratum exiret, jumenta, id est, boves & equi, improvisò in rabiem exardescentia, sus-deque omnia verterunt, puero filio Joanne Casparo, qui uni pro more insederat, sub pedibus suis prostrato ac conculcato; qui etiam aratro, quod trahebant, subStratus, ferreis acuminibus miserè dilaniatus fuisset, nisi lorica fidei ac fiduciæ in divum Leontium crudelem lanienam præpedivisset. Nam Udalricus pater, cùm vidit filium de vita periclitantem, ad vota confugit, (*peregrinationem ad Murense monasterium & Missam illic legendam pollicitus est,*) quibus sanctum Martyrem vocavit in auxilium. Impendit enimverò opem suam postulanti, & puer filius, tametsi vestimenta ejus lacerata fuerint, ne hilum tamen in corpore aut cute læsus, omni periculo feliciter defunctus est.

vir item curru

235 Sub medium autumnum ejusdem anni MDCLX Andreas Koch, de Weyden parochiæ Egon-villanæ, cùm curru rapas domum deduceret, ac currus propter declivitatem viæ ruinæ impenderet, ipseque inclinatum currum sustentare præsumeret, fortior onusti currus moles cecidit, unáque Andream oppressit tanta vi, ut, postquam de sub curru extractus est, ejus corporis forma humo impressa conspecta sit; ipse verò ab omnibus vitâ emunctus habitus, quoniam nullum spirantis vitæ indicium in eo inventum fuit. Vocatus etiam parochus Mathias Honegger, cùm sensibus ac vitæ spiraculo carentem inveniSset, hortatus est adstantes, ut secum divi Martyris opem implorarent, quatenus saltem tantum vitæ spatium misero homini à Deo exoraret, quoad sanctis Sacramentis ad Christianam mortem provideri posset. Mira res! Vix parochus nomen S. Leontii, & vota, quæ fecerat, enunciavit, cùm homo, ut suprà oppressus, tanta edidit signa vitæ reducis, ut à peccatis absolvi, & sacro Oleo inungi potuerit. Post hæc verò ejusdem Martyris meritis (*nec aliis usus remediis*) non tantùm mortis faucibus ereptus, sed integerrimæ sanitati restitutus fuit; quod, attestante chirurgo (*Bremgartâ illuc vocato &*) affatim gnaro, citra præstantissimum miraculum evenire non potuisset.

& puer arbore protriti & pro mortuis habiti, sanitatem recuperant.

236 Alio tempore, nempe anno MDCLXIII, Adamus biennis filius cum patre Casparo Müller de Villmaringen (*in Provinciis liberis*) ac duobus aliis fratribus natu majoribus exierat in campum, ubi pater cerasum crassam ac prælaltam ferrâ dividebat; Adamus verò arbori secandæ, periculi ignarus, insidebat. Cúmque truncus jam dissectus volveretur, corripuit insidentem, atque obruit cervice tenus, quo situ jacebat, donec à parente, qui S. Leontio votum pro filio nuncupaverat, & fratribus ingenti moli subtractus fuerat, quamquam opinione præsentium vitâ exutus. Post modicum tamen præter spem oculos aperuit, atque pro refocillatione lacte materno potatus, intra semi-horam stetit & ambulavit; exactis vix duabus horis, cum aliis infantibus, acsi nihil incommodi sibi umquam evenisset, lusit atque discurrit: evidenti utique divinæ bonitatis, atque meritorum D. Leontii miraculo.

Puer pistrini axe,

237 In honorem sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus sancti, beatissimæ Virginis Matris Dei Mariæ, ut & præpotentis patroni S. Leontii martyris, ego infrà scriptus testor, quòd die tertia mensis Novembris anni MDCLXIII in Ottenhausen parœciæ Hochdorff ingens prodigium contigerit quinquenni circitèr puero Petro Lang nomine. Etenim cùm memoratus Petrus in pistrino, ubi nuclei oleo exprimendo conteri consueverunt, propiùs accessisset ad axem, quo tudiculæ agitantur, ille puerum corripuit, atque magna vi secum deorsum pertraxit, ut adeo necesse esset, eum ab ingentis molis querceo axe conteri ac perimi, nisi ancilla, nomine Maria Schmid, Petrum, emisso voto, commendâsset S. Leontio Murensi martyri. Simul ac enim illa votum enunciaverat, sponte sua absque humano adminiculo axis è loco suo recessit, & spatio unius facilè ulnæ submotus est, adeo ut hinc etiam rota substiterit & puer extrahi potuerit, qui adeo sanus & incolumis inde evasit, ut sponte, absque ullo auxilio, domum abierit.

ut certò crederetur,

238 Cùm autem accurrisset Joannes Weiss, ad quem pertinebat pistrinum, atque axem loco motum conspexisset, non potuit mirari satis, quoniam magnitudo & gravitas exigebat viros ut minimùm quatuor aut quinque robustos ac vectibus armatos. Ita mihi rei gestæ seriem, interposito jurejurando, retulerunt personæ tres probæ ac fide dignæ, Joannes Weiss, Maria suprà memorata famula, & domicella Anna Nüolman: ego verò mei muneris esse duxi, eam fideliter ad æternam memoriam honoremque & gloriam Dei ac S. Leontii martyris litteris consignare sigilloque meo communire. Actum in Hochdorff die XIV Februarii anno MDCLXIV. Joannes Gründler plebanus in Hochdorff. *Locus hic, unde testimonium, quod ex Pflegero Latinè transtuli, Muros destinatum fuit, notatur in Lucernensi ditione inter Surseé & Sempach.*

& alius plaustro graviter onusto,

239 Alius puer novennis, cùm parens Adamus Stoll de Esch (*in Provinciis liberis*) fimum curru, à quatuor equis & septem bobus tracto, per viam angustam educeret, in angustiis ipsis ad terram & sub currum lapsus est, ut rota currûs anterior cum tota fimi mole per medium ejus volutaretur corpus (*& nemo miserum casum cum horrore intuentium, non judicaret, puerum contritum esse ac mortuum, ut ait Pflegerus.*) Tremefactus parens voto (*peregrinandi Muros*) sanctum Martyrem invocat, cujus meritis puer è terra sublatus, post horæ quadrantem incolumis, suo agitandi jumenta officio functus fuerit. Anno MDCLXVI.

ac vir saxorum mole obterendi, servantur incolumes;

240 Anno subsequente MDCLXVII die VII mensis Octobris Adamus Satler de Müswangen parochiæ Hitzkirchensis, cùm pro ædificando sacello novo pumices erueret, subitò à labentibus desuper terrâ & saxis oppressus, pedeque per medium fracto, sub mole complicato corpore constrictus,

à

A à nemine videri poterat, (*& quamvis mille vitas habuiſſet, ut ſcribit iterum Pflegerus, mortem humano modo haud evaſiſſet.*) Sed quia imminente, ut dictum eſt, periculo interitûs voto ſe ſancto Martyri obligavit, induſtriâ virorum accurrentium è ruina extractus atque, quod nemo credebat, mortis faucibus ereptus fuit, non tamen omni periculo: nam cum Adamum ſic erutum è fovea deportarent viri illi, advolvitur contra ipſum Adamum ingentis molis ſaxum ad certum interitum, niſi denuo ad S. Leontium vota duplicâſſet: vix enim voverat, cùm ſaxum ad aliam partem mirabili prorſus motu declinavit & Adamum intactum reliquit.

infans delapſo tigno lethaliter percuſſus,

241 *Omiſit Mayerus, quæ ex Pflegero in compendium reducta ſubjungo: Anno* 1668 *die* XII *Auguſti in vico Bligenſtorff Tugienſis ditionis, dum Joannes Schicker cum trienni filiolo Joanne Caſparo ſub ſtillicidio horrei ſubſiſteret, medios inter ex improviſo delapſi ſunt tres lapides, atque inſuper è tignis tecti unum, quod triginta tribus libris grave puerum ad tempora percuſſit ac ſolo proſtravit. Sublatus nihil vitæ ſuperſtitis indicabat; monuerunt autem, qui aderant, terrore perculſum parentem, ut puerum* S. Leontii *patrocinio devoveret; ipſeque ſalubri conſilio obſecutus, poſt moram non diuturnam, deſperatum filium recepit vivum & incolumem planéque illæſum, ſi maculam excipias, quæ relicta eſt ad tempora.*

B

& vir currûs rotis provitus & exanimis convaleſcunt.

242 Valentinus Thoni de Pfeffikon, præfecturæ S. Michaëlis in ditione Lucernenſi, infelici caſu ſub currum vario lignorum & fruticum genere prægravatum prolapſus eſt, (*quando in deſcenſu montis inſtrumentum, quo rotæ continentur, uti intelligo ex Pflegero,*) *inopinatò ſolutum eſt, curruſque cum tribus equis magno impetu ad fundum abiit,*) ut duæ rotæ ſupra pectus ſuum volverentur, ipſe verò veluti exanimis jacêret abſque vitæ indicio. Demum verò, cùm alia remedia non conducerent, homines, qui aderant & quorum intererat, facto voto, S. Leontio ſic contritum conſecrârunt, & extemplò, quaſi è mortuis reſurgens, ipſe, nemine ſuſtentante, domum repedavit, & intra paucos dies à minutis quibuſdam læſionibus ſanus evaſit.

Alii

243 Non valdè abſimili infortunio Joſephus Jung, (*privignus Joannis Jacobi Widerkehr,*) de Waltenſchwyl parochiæ Boſwilenſis (*in Provinciis liberis*) interventu divi Martyris periculo feliciter defunctus eſt anno MDCLXXIV die XXVIII Martii; cùm, fratre ſuo Henrico jumenta minante, ipſe plauſtrum ſimi ſequeretur. Nam, cùm colliculum quemdam conſcendiſſent, currus onuſtus ſubitò retrorſum ad ima veloci impetu raptus, Joſephum primitus ſubvertit, ut rotis ſuper pedes ejus ultra orbitam protenſos volutis, etiam pedibus jumentorum conculcatus fuerit. Verùm, facto voto ad thaumaturgum Martyrem, ex evidente corporis ac vitæ deſcrimine, evidente miraculo incolumis & ſalvus ſurrexit.

C

variis hujuſcemodi

244 Anno MDCLXXIX puella ſeſquitriennis Verena Wurmann (*ex Büntzen in Provinciis liberis*) rotâ currûs correpta, proſtrataque, ac demum à rota ipſa pectore tenus oppreſſa fuit. Et quia currus ſubſtitit, frater puellæ Joannes elata voce aurigam, nihil animadvertentem, interpellat. Qui citato curſu advolat, & puellam ab interitu liberare, quâ potuit induſtriâ, contendit. Videbatur illa primitus eſſe enecata, quia tamen pedem movebat, auriga ille Lucas Abbt in vota ad divum Leontium animum ac linguam reſolvit (*rotamque, quanta potuit celeritate & lenitate, ſe-movit*) & continuò puella in pedes ipſa ſe levavit, & cum fratre ſuo Joanne ſalva, & ſine ullo ſtigmate domum ſuam rediit.

AUCTORE J. P.

malis

245 Eodem anno MDCLXXIX, quo monaſterium religioſarum virginum ad ſanctam Crucem in Altorff Uriorum (*Urania ſeu pagus Urienſis, unus eſt è tredecim pagis Helvetiæ, ejuſque præcipuum oppidum eſt Altorfium*) in cineres redactum reædificabatur, Auguſtinus Stauffacher, die XX Januarii terrâ glacie obductâ, abietem magnæ molis ac longitudinis vehebat. Cúmque ante equos procederet, in lubrica glacie prolapſus eſt; ex quo equi tremefacti & in rabiem concitati, adeo rabidum curſum accelerârunt, ut Auguſtinus, non tantùm rota ſuper ſe tranſeunte, ſed tota arboris mole ſecundùm longitudinem obrueretur, atque opprimeretur. Quia verò in hoc terribili ſitu voto (*peregrinandi ad Mureuſe monaſterium*) ſe S. Leontio commendabat, ne hilum quidem læſus, ſed ſanus & integer cum accurrentibus, qui ſuper miraculo obſtupeſcebant, meritis ſancti Martyris ſuam vitam incolumitatemque cum laudibus in acceptis retulit.

& periculis

246 Proximè ſequente anno MDCLXXX adoleſcens XV annorum (*Jacobus Fiſcher*) de Dietikon comitatûs Badenſis, à furentibus equis in terram protruſus, aratro, quod ad agrum vehebant, ſubſtratus, atque à vomere circa inferiores ventris partes, in veſtimentis ſaltem, correptus trecentis ferè paſſibus per aſperam terram raptus eſt, opinione patris ac patrui, qui ſequebantur, ad interitum. Verùm quia alteruter ex his, miſero ſpectaculo commotus, exclamavit: O Deus omnipotens! O ſancte Leonti, ſuccurre adoleſcenti! in momento ſubſtitêre equi, ac ſi à manu forti retinerentur. Et poſtquam puerum è vomere ſolverunt, examinatis omnibus, illæſum & incolumem invenerunt.

poſt vota Sancto nuncupata

247 Anno MDCLXXXII aurigæ quatuor, nimirum Joannes Dull de Williſau, Petrus Daman de Sempach, Baltaſar Zimmermann & Melchior Daman cum Joanne Udalrico Hug de Ruſwyl, vinum ex Alſatia vehebant. Cúmque iter ſuum proſequerentur, inter Ottmarsheim & Blodelſheim Joannes Udalricus præter morem ſuum ſequi moratus eſt. Ex quo reliqui anxiati receſſerunt, &, quod ſuſpicabantur, currum multo onuſtum vino ſubverſum, Udalricum ſub grandi mole ſtratum & oppreſſum invenerunt, qui etiam, poſtquam multo labore, uti facile eſt credere, tanto oneri ſubmotus fuit, horâ integrâ veluti mortuus, abſque ſenſu & vitalis ſpiritûs ſigno ante pedes eorum jacuit proſtratus. Viri autem illi, unanimi conſenſu in genua provoluti, votis vota junxerunt, id eſt, poſt vota peregrinationis ad beatiſſimam Virginem in Eremo & in Werdenſtein (*& utrobique procurandi Miſſæ ſacrificii,*) etiam ſimile votum ad divum in Muris Leontium fecerunt. Statimque, qui habebatur exanimis, ſpiritum trahere, vivido colore faciem perfundi, atque reviviſcere cœpit: ut in pedes erectus & in hoſpitium deductus brevi integræ ſoſpitati & incolumitati redditus fuerit. *Loca initio hujus numeri nominata* Williſau, Sempach *&* Ruſwyl *ſita ſunt in pago Lucernenſi*; Ottmarsheim *&* Blodelsheim *in Alſatia ſuperiore non procul Rheno fluvio; per* Eremum *deſignatur Einſidlenſis abbatia in Suitienſi pago,* Werdenſtein *autem locus eſt mihi ignotus.*

ſubducantur.

248 Eodem anno Joannes Landtwing cum uxore Maria Eliſabeth Cloter de Tugio, equum currui farinâ onuſto adjugare contendebant; ſed

equus

AUCTORE J. P.

equus subito furore percitus utrumque ad terram protrudit, atque sub rotas currûs præcipitavit, certissimo interitûs discrimine. Uxor in hoc necessitatis articulo se suumque maritum protectioni sancti martyris Leontii plena fide commendavit exclamavitque : Sancte Leonti adjuva nos ! Et equus amissa rabie extemplò substitit immotus, piique conjuges ab omni malo immunes & incolumes de sub curru prorepserunt, & ad negotia sua denuò exierunt.

§ XVII. Plures morbo comitiali & herniâ liberati.

Infantes

HAbebat Jacobus Geiliger civis Lucernensis filiolum annorum trium & dimidii, quem morbus tenebat caduco non dissimilis, adeoque agitabat primitus semel quot mensibus, deinde hebdomadis, ac tandem diebus penè singulis, ut, amisso & distorto membrorum vigore, etiam linguæ usu privaretur. Cùm verò ejus amita votum
B pro pueri salute D. Leontio stabiliviſſet, ipse quidem, una dumtaxat vice eodem morbo modicè correptus, postea verò ac deinceps immunis semper extitit. Votum autem pia amita cum ipso nepote in Muris reddidit anno MDCXLVIII.

morbo comitiali

250 Eodem morbo ex utero materno laborabat biennis filius Christophori Kopp de Badena. Quem cùm in peregrinatione, quâ divi Martyris ossa pia devotione in Muris venerabantur, meritis ejusdem curandum obtulissent (*& in ejus honorem Missam celebrari jussissent*,) liberum ab exitiali malo domum reduxerunt gaudentes, & Deum in Sancto suo collaudantes. *Pflegerus annum signat* MDCXLIX, *diem* XXV *mensis Martii.*

laborantes

251 Simili virtute (*anno* 1651) ab epilepsia liberata est Bernardi Biland, de Gäbistorff in comitatu Badensi, filia undennis, postquam ex voto S. Leontii patrocinio per piam ad Muros peregrinationem fuit oblata. Nam quæ (*frustra adhibitis humanæ artis remediis*) uno anno plusquam trecenties cadebat, à tempore, quo votum nuncupatum atque expletum fuit, nihil fatalis morbi ampliùs pertulit.

post Sancti invocationem

252 Anno MDCLXVI Georgius Heini, de Buttisholtz ditionis Lucernensis, filio suo, simili comitiali morbo languenti, voto peregrinationis ac precibus sanitatem à divo Leontio impetravit. Nam filius tantâ vehementiâ à præfato malo impeditus fuit, ut quoties cadebat, toties extremum trahere spiritum crederetur. Post vota verò liber ex toto extitit, atque sospes esse perrexit.

liberantur,

253 In cantone Solodorensi, loco Biberist, Joannes Schreyer, filius Isaaci Schreyer (*& Mariæ Reinhartin*) eadem detinebatur infirmitate; cum parentes, (*cùm nihil levaminis attulissent humana remedia, quæ solicitus parens comparaverat,*) S. Leontii cum votis (*peregrinandi Muros & illic in gratiarum actionem suspendendæ tabellæ votivæ*) patrocinio tradiderunt. Quamquam autem post votivam sponsionem Joannes statim à malo exemptus non fuerit, post voti tamen expletionem plenè convaluit. Anno MDCLXXXII.

invenis item,

254 Alius præterea adolescens XVIII annorum de Rudickon ex parochia Hitzkirchensi (*Lucernensis ditionis*) Joannes Kretz ex nomine, ob fatalem epilepsiam ad omne opus (*ad vitam sustentandam necessarium*) ineptus, multo tempore divexabatur. Imploraverat etiam iste, & in vota vocaverat D. Leontium, emissa fideli promissione
D eum in sacris suis pignoribus coràm venerandi, atque quotidiana quadam devotione colendi. Nec defuit piis affectibus ac precibus sanctus Martyr, sed ex illo tempore meritis suis & intercessione adolescentem ab infestissimo malo liberavit, (*adeo ut ad quemvis laborem habilis facilè sibi victum compararet, uti inquit Pflegerus.*) Anno MDCLXXXIV.

& vir subitò.

255 Etiam extra fines Helvetiæ, nimirum in parochia Löffingen Landgraviatus Fürstenbergici, auxiliatricem manum D. Leontius in Joannem Heitzmann, simili ferè morbo laborantem, extendit. Hic enim ex funesto malo adeo viribus exhaustus fuit, ut quindecim hebdomadis lecto hærere necesse habuerit. Cùm verò voto se obstrinxisset, adeundi & venerandi locum requietionis & ossa sancti Martyris in Muris, illico restitutus viribus, & à morbo absolutus est, ut eodem veluti momento convenerint & voti enunciatio & epileptici sanatio. Anno MDCLXXXV die XXVIII mensis Martii.

Plures herniâ

256 Admiranda præterea sunt, quæ Thaumaturgus hernioſis præstitit beneficia. Expertus est Jacobus Graff de Riedsheim, qui ab alimentis etiam
E necessariis propter herniam abstinere debebat, quoniam quoties modicum quid cibi capiebat, toties non dolores tantùm, sed & tumor in parte afflicta supra modum augebantur. Voto igitur facto (*à parentibus miseræ prolis vices dolentibus*,) ad S. Leontium, & anno MDCXLIX in Muris exsoluto, Jacobus Graf, sublato omni tumore, ac dolore, imposterum sospes cibos quoslibet incolumis absumpsit. *Hic Pflegerus, & ejus interpres Mayerus, novam annorum seriem exorsi sunt, quia, ut liquet, nova occurrebat beneficiorum materia.*

afflicti,

257 Ita anno MDCL Josepho, Jacobi Hertzog de Berona seu Münster (*in Argovia*) filio trienni contigit, meritis sancti Martyris ab hernia liberari. Vovebat pater (*non sine intimo dolore perspiciens, nihil humani auxilii filio curando supereſſe præter inciſionem periculo plenam, uti ſcribit Pflegerus,*) peregrinari ad divi Martyris reliquias (*cum afflicto filio*) & casulâ (*veste superiore sacerdotis celebrantis*) cum precibus locum sacrum donare: atque à tempore voti sic facti malum illud absque alio remedio de die in diem decrescens, demum omnino evanuit. *Pater verò, teste iterum Pflegero, Deum laudans in Sancto ſuo ad publicum accepti beneficii teſtimonium in templo Murenſi appendi juſſit tabulam, cui inſcripta erat integra rei factæ ſeries.*
F

emissâ

258 Ita eodem anno Jacobus Isenegger ex parochia Hochdorff in ditione Lucernæ, cùm ex prædicatione parochi audivisset, aliquem ex eadem parochia per vota ac preces ad D. Leontium ab herniæ malo, quo ipse etiam Jacobus tenebatur, fuisse sanatum; conceptâ in eumdem Martyrem fiduciâ, votum vovet ejus requietorium in Muris venerandi, (*idque iterandi quotannis*,) si sanaretur: & extemplò ita sanatus est, ut ne vestigium mali supereſſet.

voto

259 Ita anno MDCLII Joannis Fuchs & Barbaræ Halter, de Arth, qui est ex pagis præcipuis cantonis Suitensis, filius decennis, herniâ dolorificâ affectus, cùm lithotomus (*chirurgus indicatur peritus præſertim eximendi per ſectionem calculi*) seu operator puerum incisione curare tergiversaretur, (*veritus nempe juxta Pflegerum, ne tenera pueri ætas doloribus ſuccumberet;*) ex voto divo Leontio oblatus (*eſt puer à parentibus, & ab his Mu-*

A *ros deductus, simulac sacras reliquias attigit,*) statim adeo opem sancti Martyris sensit præsentem, ut, recedentibus interiùs intestinis, brevissimo tempore redintegratus fuerit. *Læti parentes post debitam Deo & S. Leontio gratiarum actionem, beneficium tabellæ inscribi ac palàm in templo suspendi voluerunt; uti subdit Pflegerus.*

260 Deinde anno sequente MDCLIII puer de Adelweil (*in Lucernensi pago*) Nicolai Wolf (*& Margaretæ Lang*) filiolus ab utero herniâ & ramice laborans, mirabili eventu sanatus est. Curabant parentes, ut infans, XXI hebdomades natus, incisione malis ac doloribus eximeretur: factumque est juxta eorum voluntatem anno MDCXLVII. Nihilominus etiam post incisionem vel tumor vel intestinorum excrescentia magnitudine unius pugni cum immodicis doloribus aut remansit aut rediit. Cùm verò pia mater, filii sui supra modum miserta, aliquando ad somnum se disposuit; somniavit, se iter & piam peregrinationem ad corpus S. Leontii instituisse. Quapropter, acsi divina Providentia hoc somnio se admonuisset, evigilans statim itineri se accingit, divi Martyris sacra ossa veneratur, ac pro salute pueri preces B effundit. Atque ita, quod optaverat, meritis S. Leontii obtinuit; dum à puero malum omne recessit.

ad sanctum Martyrem

261 Non minore gratia ac virtute sanctus Christi Athleta à simili malo liberavit puerulos duos, de Werth in cantone Solodorensi, Melchioris Sänger & Ursulæ Morach filii, quorum unus Judocus in lucem prodiit anno MDCLIII, alter Jacobus anno MDCLV natus est, uterque ruptură intestinorum laborans. Nam cùm sollicita mater, (*dimisso consilio incisionis faciendæ, antea sumpto,*) votiva peregrinatione S. Leontii opem coram suis sacris ossibus in Muris, pro salute primogeniti imploraret, sine mora integritati restitutus est. Atque cùm ex hoc miraculo in majorem erecta fiduciam, secundam obeundo peregrinationem pro filio natu minore sancto Martyri supplicâsset, etiam hunc à malo immunem recepit.

sospites evadunt,

262 Tale malum Jacobum Carli de Zuffikon anno MDCXXXVI ex sublatione gravioris molis invadebat, torquebatque ad annum usque MDCLIV, quo lethale esse cœpit, adeo ut spes longioris vitæ eum destituerit. Verumtamen postquam preces cum voto ad inclytum Martyrem ingeminavit, non mortis dumtaxat periculum, sed supradicta infirmitas, recedentibus in locum & ordinem intestinis, incolumem Jacobum reliquit. *His subdit Pflegerus sanationem, quam similiter* S. Leontii *meritis adscripsit Barbara de Ried ex paræcia Sattel Suitensis ditionis, cujusque compendiosam relationem & nos subjicimus: Eam sub annum 1662 gravi corporis malo laborantem afflavit ventus malignus atque ita infecit, ut nullum fermè membrum haberet incolume. Contagio etiam correpta fuit vetus ipsius hernia, eaque de causa Suitensi chirurgo bene perito commissa, qui de consilio aliorum in ea arte peritorum, ampla incisione ita illi latus aperuit, ut quoniam intestina omnia detegebantur, de vita ejus supereresset spes admodùm exigua. In mediis doloribus & extremo mortis periculo Barbara spem suam collocavit in Deo, & patrocinio Sanctorum, præsertim* Leontii, *cui peregrinationem Muros vovit; mox, plurium admiratione, statu immutata est, & ita meliùs habere cœpit, ut desperatum malum sanatum sit & ipsa ad integram incolumitatem perducta. Pergimus cum Mayero.*

vir item ac mulier ad extrema redacti,

C 263 Memorabili occasione atque eventu meritis divi Martyris sanitatem recepit puer Joannes, Christiani Schurt, de Kirchhofen Brisgojæ filius, quem dupliciter hernioſum mater Catharina Mentzenau Vitodurum (*vulgò Winterthur*) urbem heterodoxam intra fines Tigurinos, deduxerat, ab experto chirurgo incisione curandum. Cúmque chirurgus ad incisionem omnia pararet, advenit mulier heterodoxa ex ipsa civitate, & matrem allocuta, Heus, inquit, bona femina; numquamne cum filio vestro in Mure fuisti? Multa dicuntur de sancto aliquo inibi Viro, qui omnibus morbis mederi possit: quid incisioni subjicitis puerum? Eum recipe, atque ad illum defer, etiam hunc sanabit. Sive sincera ac seria mente, sive joco hæc mulier locuta sit, mater conservabat conferebatque verba hæc in corde suo, & tamquam divinitus dicta dictatave sint, filium, sepositâ morâ, lithotomi ferro subductum, prævio voto, ad Muros & divi Leontii capellam deferebat. Antequam verò monasterium attigit, puer ab omni malo exemptus apparuit; ut adeo non ampliùs ad gratiam precibus exorandam, sed ad gratias divo Martyri referendas, præstitutam sibi ecclesiam intraverit, & inibi quiescentia sacra ejus pignora coluerit (*acceptumque beneficium, teste Pflegero, fide bona coram omnibus testata sit,*) E xxx die mensis Maii anno MDCLXXVIII.

AUCTORE J. P. *aliique ejusmodi malo affecti,*

264 Demum anno MDCLXXXI, etiam in Muris Jacobo Rey, puero XIV annorum, opem suam & corporis integritatem sanctus Martyr impertivit. Ille, dum cum aliis ad extinguendum incendium curreret, impegit teneras illas partes in prominentem quamdam perticam, atque dirupit, inhabilis imposterum ad labores. Et quia vel pudore vel horrore incisioni se subdere tergiversabatur, pater Petrus Rey, facto voto, secum filium coram sacro corpore divi Leontii deducit, (*duas Missas ibidem celebrari jubet,*) & quâ potuit piâ instantiâ sancto Martyri commendat, postea ad chirurgum cum eo rediturus: cúmque absoluta devotione reditum meditaretur, filius ad patrem, Nihil, inquit, mali ampliùs sentio, S. Leontius auxiliatus est mihi; omnia evanuerunt; quid igitur nobis cum chirurgo? Et revera solis Martyris meritis & intercessione puer redintegrata sanitate potitus est.

sanantur.

§ XVIII. Cæcitas & oculorum incommoda sublata. F

JOannes Kächi de Bleulikon parochiæ Hitzkirchensis anno ætatis XIII ex glaucomate omne lumen oculorum amisit, ut sine duce nec incedere nec sine ministrante manu cibum sumere posset. Accedebant dolores intensi, qui nonnisi gemitus, suspiria & lachrymas continuas misero proliciebant; cùm sive ad ignem sive ad lumen accedere non posset. Progressu temporis, à quibusdam admonitus, spem suam cum voto in S. Leontii meritis collocavit, ac piam peregrinationem ad ejus sepulchrum obire promisit. Quia verò per se votum reddere impotens erat, parentes vices ejus piâ fiduciâ obierunt, atque de aqua sacris reliquiis benedicta secum domum retulerunt. Quâ cùm aliquoties oculos cæcutientis lavissent, brevi ad lumen rediit integrum; ac die XIII Martii anno MDCXLVIII ipsus (*nullo duce*) etiam venerabundus ad Illuminatorem suum in Muros abiit cum gratiarum actione &c. *Celeberrimum ac per totam paræciam*

Cæci perfecto visu

AUCTORE J. P.

notiſſimum hoc beneficium, à multis fide dignis teſtibus confirmatum fuiſſe, ait Pflegerus.

donantur.

266 Eadem aqua ſalutari Joannes Graber de Burrka Briſgoviæ anno MDCXLVIII linivit oculos ſuos, lumine captos, & viſum recepit. Integro anno de loco ad locum à duce trahebatur per baculum, donec in feſtis Pentecoſtalibus ejuſdem anni ad Muros pervenit, ubi ſancti Martyris oſſa ſacra veneratus eſt: lavit & vidit. Poſtea enim, dimiſſo duce, ſolus iter ſuum perfecit, recepto viſu clarè cuncta cernens atque diſcernens. *Quantùm intelligo ex Pflegero, cæcus ille tertiò Muros contendit, ac ſingulis vicibus meliùs eſſe oculis ſuis comperit; poſtremâ verò coram teſtibus tum eccleſiaſticis tum ſecularibus experimento probatum fuit, viſum ipſi mirabiliter redditum fuiſſe.*

Puero cæco uſus unius oculi

267 Franciſcus, Oſwaldi Spillman, de Tugio parvulus filius, ex acribus defluxionibus omni lumine orbatus eſt. Poſt plurima remedia, quæ nihil proderant patienti, anno MDCXLIX die XXIV Junii ex voto S. Leontio in Muris oblatus eſt. Ubi, dum mater (*Anna Marckin*) ſacris ſuis operabatur, puellus eam ita allocutus eſt: O mater mea! En quàm pulchri parvuli proſtant in altari! ſubintelligens ſtatuas & imagines S. Leontii & aliorum Sanctorum. Ex quo læta mater comperit dexterum oculum, clarificatâ pupillâ, omnia diſtinctè intueri. Et redditis divo Auxiliatori gratiis, ſpopondit fœtum, quem geſtabat, ſi foret maſculus, in memoriam grandis beneficii Leontium nominare, atque genitum (*Caſparum Leontium*) nominavit; fuitque hic primus, qui in eadem civitate hoc Leontii nomen tulit. *Etiam Pflegerus, puero ambobus oculis capto, unum tantum dexterum apertum fuiſſe, memorat.*

ac viro utriuſque conceditur.

268 Georgius quoque Weber de Kriegſtetten integro anno lumen cæli non vidit, atque ideo triſtem trahebat vitam. Expetiit etiam hic ſancti Martyris illuminari præſidio; ac propterea ad ejus capellam orationibus, uti voverat, vacans, ejus implorabat opem, & aquâ, nomine S. Leontii benedictâ, caliginoſos lavabat oculos, unáque cæcitatem diluebat & expellebat, domum clara luce regreſſus anno MDCL.

Gravibus oculorum

269 Romanus Beſler de Altorff Uriorum anno ætatis XII ex variolis lumine oculi ſiniſtri privatus eſt, ac ſimul ingentes dolores perpeſſus; ut præ eorum vehementia, & cibos nauſearet & ſomni quiete careret. (*Impenſæ ſunt multæ pecuniæ ad conquirenda remedia, ſed abſque fructu.*) Facto voto ad S. Leontium, atque completo, ſtatim oculus ille corruptus viſum perfectum & uſum priſtinum recepit. Anno MDCLI.

incommodis

270 Simile ferè huic miraculum ſuccedebat anno ſequente MDCLII in puero ſexenni, filio Udalrici zum Buel de Rüſtenſwyl parochiæ Auwenſis, utroque oculo caligante; caliginis moleſtiam augebant immodici cruciatus, qui ei omnem ferè quietem ademerant. Poſtquam parentes ex voto cum filio ad thaumaturgi noſtri Leontii ſacrum corpus deſcenderunt, tranſierunt cum caligine dolores, & puer ad lumen rediit perfectum.

ſubvenitur.

271 Paucis pòſt annis Anna Frey (*filia Henrici Frey*) de Kienberg ditionis Solodorenſis, ex malignis defluxionibus altero oculo obcæcata, altero etiam nebuloſa caligine obducto, ſola ſine comite ingredi non poterat. Adiit ad ſepulchrum divi Martyris, inſtanti prece ſanitatem expetiit, impetravitque. Nam oculus alter integrum viſum, alter verò tantum luminis recepit, ut cuncta videret, ſed quaſi per nebulam. Anno MDCLIX.

Utroque oculo captus illuminatur.

272 Prænobilis dominus Joannes Baptiſta Bircher, cantonis Lucernenſis vice-ſecretarius, anno MDCLXIII menſe Septembri improviſò utriuſque oculi lumine intra ſpatium XXIV horarum captus eſt. Sed ubi oculos ſuos aquâ roſaceâ S. Leontii, in quem ſpem ſuam & vota intenderat, nomine & reliquiis conſecratâ, cui etiam miſcebat naturalem ad S. Eugenium Engelbergenſem benedictam (celeberrimi hujus Helvetiæ monaſterii ſuprà meminimus) lavit tribus diebus manè ac veſpere. Poſt triduum manè evigilans, vidit non tantùm lucem diei, ſed cætera omnia, quæ lux illa humanis oculis detegit: ac poſtea ipſe, ut Medico ſuo gratias referret, ejus in Muris ſacra oſſa pia peregrinatione inviſit ac veneratus eſt, (*atque in rei teſtimonium, quod addit Pflegerus, & ad majorem Dei, beatiſſimæ Mariæ Virginis ſanctique martyris* Leontii, *tabellam, in qua deſcriptum erat beneficium, in ſacello exponi voluit.*)

Oculorum caligines

273 Anno MDCLXXV Marco Nägelin de Rapperſchwyl (*aliàs* Raperſvilla *ſeu* Ruperti villa, *oppidum eſt Helvetiæ ad lacum Tigurinum*) cujus oculi non ſolùm velut obductis nebulis caligabant, ſed ſæpe omni lumine deſtituebantur, pia vota & votiva peregrinatio ad glorioſum Martyrem noſtrum adeo profuit ac ſucceſſit proſperè, ut viſum integrum receperit.

& acres dolores tolluntur.

274 Eâdem gratiâ in baſilica Murenſi & capella ſancti Martyris donata fuit Maria Widerkehr de Hegglingen (*in Provinciis liberis*) quæ ex malignis & acribus doloribus in proximo diſcrimine verſabatur amittendi luminis & ipſorum oculorum. Acceſſit illa cum fiducia ad ſancti Martyris requietorium, locum refugii & gratiarum: & expletis devotionis ſuæ obſequiis, patientes oculos ſacro oſſe beati Martyris tangi ac benedici curavit; quo ſolo collyrio, diſperſis & abſterſis humoribus, integrum viſum recepit. Anno MDCLXXVII.

Puella cæca oculorum lumine,

275 Sed ſingulari memoria dignum eſt, quod thaumaturgus martyr Leontius Calmariæ in Alſatia operatus eſt; ubi dum ſuo interventu filiæ lumen reddidit, matris heterodoxæ mentem luce fidei illuminavit. Matri nomen erat Maria Riſchin, filiæ Catharina, pater Jacobus Maſal dictus, omnes heterodoxæ fidei. Catharina bimula utriuſque oculi lumine carebat, nec erat, qui medendo malo efficax adhiberet remedium, præter aviam Catharinam Weheger, quæ haud ita pridem, abjuratis Calvini erroribus, orthodoxæ religionis veritatem erat amplexa. Hæc itaque rogabat matrem, ut concederet, filiolam ſuam D. Leontii, in Helvetico monaſterio Murenſi quieſcentis, commendari patrocinio, fore, ut de facto experiatur, quantæ virtutis eſſet Sanctorum apud Deum interceſſio.

& hujus mater heterodoxa, fidei luce donantur.

276 Audiit Maria piæ matris ſuæ vocem & monita, aſſenſitque, ut infantulam ſancto Martyri devoveret, cum adjecta promiſſione, ut, ſi filiola hâc viâ viſum reciperet, ipſa Catholicam fidem profiteretur. Avia ergo plena fide votum pro nepte bimula Leontio nuncupat, & extemplò puellula dexterum oculum omni labe carentem aperit; ac poſtea etiam in ſiniſtro illuminata, cum matre ſua, quæ, defuncto marito, ad gremium Eccleſiæ Catholicæ ſe recepit, anno Domini MDCLXXXI in eccleſia Murenſi coram ſacris divi Martyris lipſanis votum exequuta eſt.

Tres aliæ

277 Anna Senn, uxor Martini Coliger de Büren ex valle Ganzingana, anno MDCLXXXI poſt puerperium omne lumen oculorum amiſit,

ut

A ut integro triduo, collyriis incassum adhibitis, cæca esset. Ad D. Leontii merita cum votum precesque intendisset, visum est illi, tamquam cum fragore festuca in oculo rumperetur: ex quo dolor, (*qui antè erat acerrimus,*) aufugit, & oculis rediit perfecta visûs sanitas.

278 Eodem anno cùm Maria Barbara Lussi, *visu orbatæ* puella nobilis de Stantz (*in Subsylvania*) ex morbillis oculorum lumine orbata fuisset, (*affectaque doloribus adeo intolerabilibus, ut à fletibus ac lamentis non desisteret, nec advocati medici, licèt omnis mali causam adscriberent acribus humoribus, ex antè habito morbo in corpore residuis, quidquam subsidii aut solatii afferrent, ut fusiùs refert Pflegerus*,) suadentibus viris religiosis (*reverendis patribus Capucinis*,) qui ad solatium dolorosæ filiæ paternam domum inviserant; parentes Joannes Henricus Lussi & Anna Maria Halter universali morborum medico Leontio supplices facti, voverunt ejus adire & venerari sepulchrum pro salute filiæ. Voto respondit effectus, nam Maria Barbara, sublatis doloribus apertisque oculis, visum recepit.

279 Catharina Underfinger ex Neoburgo civitate (*Brisgoviæ ad Rhenum, mediâ inter Brisacum & Basileam*,) quindecim hebdomadis visu *illuminantur.* B caruit. Usa fuit medicaminibus; sed in his non erat virtus sanandi. Postquam verò voti se ream reddidit, divi Martyris capellam invisendi, & oculos ex cera formatos eidem offerendi, hoc tenui munusculo à thaumaturgo Athleta lumen sibi restitui meruit. Anno MDCLXXXIV.

§ XIX. Muti ac surdi loquelæ & auditûs usu donati.

Muta loquelam obtinet. BArbara Huobschmid de Hiltisreiden (*in Lucernensi pago*) cùm Lucernæ ancillæ servitia obiret, anno MDCXLVII linguæ usum penitus amisit, ut viginti & octo hebdomades elinguis extiterit; & quia solvendo membri tam necessarii vinculo nec remedium nec consilium suppetebat, venit XIX Octobris ad capellam S. Leontii, C ibique in genua prostrata, affectibus atque suspiriis oravit, ut sanaret linguam suam. Nec eam sua spes fefellit; nam voti compos facta, postero die, horâ secundâ matutinâ, ligatam linguam in voces & laudes Dei ac sancti Martyris resolvit.

281 Anno MDCL Henricus Widmer & Elisabetha Burgin de inferiore Elisbach, ditionis *Puella, à nativitate surda ac muta,* Solodorensis, filiam suam à cunabulis surdam & mutam die VII Junii ad D. Leontii sacrum corpus adduxerunt, & pro salute ejus in oratione prostrati, diu multúmque rogaverunt, ac demum sacerdoti obtulerunt, ut sacris Leontii reliquiis tangeret aures & linguam ejus. Vix autem ille partes prædictas tetigit, cùm filia, astante, audiente & admirante frequente populo, cœpit loqui, ac matrem clara voce vocare. Et ex illo tempore audiebat & loquebatur rectè, Deumque in Sancto suo cum parentibus glorificabat. *Non indicat etiam Pflegerus, quot annos nata esset puella, dum sic loquendi facultate donata fuit; solùm ait, observâsse parentes, dum filia sufficientem ætatem attigerat, quòd muta esset ac surda, suspicatosque*

fuisse, quòd his defectibus laborâsset ab utero materno, nihilo tamen minùs adhibuisse quælibet humanæ artis remedia; sed absque ulla sanationis obtinendæ spe. AUCTORE J. P.

282 Erat autem & Petro Schürmann de Emmen, Lucernensis ditionis, filius, cui ab utero matris (*Verenæ Kaufflin*) ambæ aures erant obseratæ, ut esset surdus usque ad quintum ætatis annum. Quem cùm parentes, facto voto ad sepulchrum divi Martyris, devoto cultu ac firma fide ad ferendam opem S. Leontio obtulissent, eadem die apertæ sunt aures ejus ad audiendum. Anno MDCLI. *ac puer similiter surdus sanantur.*

283 Anno sequente MDCLII virtutem Martyris nostri experta est puella (*Anna Meyer*) de Niderweil (*in Provinciis liberis.*) Hæc anno MDCXLIX, decimo à sua nativitate, IV die Aprilis gravi morbo correpta, non tantùm toto corpore altùm intumuit, sed etiam linguæ usu capta fuit, ut tres annos & menses sex articulatam vocem promere nequiverit. Parentes de salute filiæ soliciti, anno MDCLII ad S. Leontii capellam cum ea perrexerunt, & in oratione prostrati auxilium ejus imploraverunt, atque ita filiæ cum pristina sanitate etiam loquelam, soluto linguæ vinculo, E impetraverunt. *Puellæ sanitas & loquela redditur.*

284 Sebastianus Burcklin, Joannis Burcklin (*& Annæ Dubach*) de Entlibuech, Lucernensis ditionis, à quinto ætatis anno adeo sensibus loquelæ & auditûs defecit, ut nec sonum audire nec verbum posset depromere. Quò irent afflicti parentes, nisi ad medicum Murensem S. Leontium, quem crebra miracula tam fecere celebrem? Adeunt igitur cum fiducia ad ejus sepulchrum, & completis, quæ pietas suggerebat, devotionis coram sancti Martyris ossibus officiis, cùm puer osculo & attactu particulæ de sacris suis ossibus benediceretur, utriusque sensus usum mirabiliter est consecutus. Nam statim in basilica matrem, quamquam adhuc balbutiendo, interpellavit: ubi verò domum reversus est, citra impedimentum & difficultatem integro linguæ munere verba fecit. Anno MDCLII. *Puero auditus & loquela*

285 Post annos quinque venit homo quidam Jacobus Zürcher de parochia Baar (*prope Tugium civitatem*) cui facultas audiendi annis quatuor adeo fuerat obtusa, ut sæpe ne verbum quidem communiter aut secum colloquentium intelligeret. Is sancto Martyri ita se voto fecit obstrictum, F si ejus obtentu obstructæ aures sibi referarentur, ut annis singulis, quamdiu per vires licuerit, ad ejus veneranda pignora accederet, & grato animo ejus recoleret beneficia. Voverat: atque ubi prima vice iter ad Muros intenderat, adhuc in via clariore aure verba recepit, vocesque ac sonos suscepit; nec postea cessavit augeri auditûs acies, donec ad perfectum usum aurium pervenit. Anno MDCLVII. *ac viro auditus conceditur.*

286 Ego infrascriptus proprio chirographo attestor, quòd Elisabeth Süter, oriunda ex Freyenweil in comitatu Badensi ac parœcia Längnaw, in lethalem morbum inciderit, & evidenter morti appropinquaverit: decumbebat jam ad mortem ægra ultra quatuor hebdomadas, ne unum quidem verbum proferre valens, cujus non ego tantùm, qui ipsam, utpote ejus parochus, vi officii in morbo invisi sæpiùs, verùm etiam testes sunt parens mea matrona annorum sexaginta ac tota communitas in Freyenweil, qui id oculis conspeximus, quique ex corde ægrotantis miserebamur, & eo quidem magis, quoniam perspiciebamus, actum esse de ejus loquela. Interim e- *Ægra ac muta sanitatem & loquelam recuperat.*

AUCTORE J. P.

rat ex adſtantibus unus, Georgius Zeller, loci hujus incola, qui, procul dubio à Deo impulſus, ſuadebat, decumbentem ſine loquela, emiſſo voto, commendari glorioſo thaumaturgo Leontio, venerabilis Murenſis monaſterii patrono, addens, ſe haud ita pridem, cùm devotionis ergò illuc peregrinatus eſſet, coràm vidiſſe, quòd perſona muta uſum linguæ meritis S. Leontii ibidem receperit. Audientes hæc mater Eliſabethæ Süter & ejus conſanguinei, votum, quod ille ſuadebat, emiſerunt, & eodem momento temporis mutæ & ad mortem ægræ meliùs fuit, neque à lethali infirmitate dumtaxat liberata eſt, ſed uſum inſuper linguæ perfectiſſimum, (uti palàm eſt) confecuta. Quapropter nos unà omnes ſupremo Numini & ſancto Leontio martyri cum laudum præconiis gratias agimus infinitas. Actum in Längnaw die XXIV Novembris MDCLXIII Fridolinus Surlaulin parochus ibidem. *Recitatum teſtimonium ex Pflegero Latinè reddidi.*

Puella gravi aurium incommodo liberatur.

287 Anno demum MDCLXV Nicolaus Müller & Barbara Mertz de Tugio cum filia ſua ſurda Anna Maria ad reliquias S. Leontii ex voto acceſſerunt, ut piis precibus divi Martyris virtutem experirentur. Nam Anna Maria tam craſſis capitis humoribus defluxionibuſve obruebatur, ut auribus obſtructis penitus nihil audiret. Virtutem Martyris probavit eventus, cùm ſtatim eodem die, non quidem in eccleſia, ſed in taberna, copiâ congelati ſanguinis ex auribus defluente, integrum recuperavit auditum.

B

§ XX. Dæmones expulſi; veneficia ſublata.

Dæmon ex energumena

MUlier quædam de Mentzingen (*in Tugienſi pago*) diras filiæ ſuæ Mariæ Frantz, annorum quatuordecim adoleſcentulæ, imprecata eſt ac præcipiti iracundiæ motu eam ipſi devovit diabolo. Ex quo poſt modicum filia morbo incognito laborare, totoque corpore horrendum intumeſcere cœpit, permanſitque in eodem ſtatu, donec à publico fidelium parochianorum in eccleſia conventu communes pro ea preces ſunt perſolutæ. His malis ſuccedebant perturbationes, ſcrupuli, & anxietates animi, quæ Mariam miſerè exagitabant uſque ad ætatis ſuæ annum trigeſimum ſeptimum; quo tandem malus ſpiritus incolatus ſui manifeſta prodidit ſigna: corpus quippe, quod poſſedit, adeo crudeliter cruciabat agitabatque, ut catenis ligari ac teneri debuerit.

C

pellitur.

289 Exorciſmis interea eccleſiaſticis adjuratus, ut ab iniqua poſſeſſione recederet, faſſus eſt duobus circitèr annis, antequam S. Leontii corpus ex ſuo cœmeterio fuiſſet extractum, aliquem Romæ exiſtere, à quo debeat expelli. Poſtquam verò præfatæ ſacræ reliquiæ ex urbe Roma ad Muros allatæ fuerunt, truculentus ille hoſpes ne nomen quidem S. Leontii proferri ſuſtinuit, horrendis clamoribus furoribuſque indignationem ſuam palàm oſtentans. Quo eventu amici permoti, energumenam unà alteraque vice ad capellam ſancti Martyris, & ad oſculum ſacrarum reliquiarum adduxerunt, ubi accepta benedictione, intra dies paucos ab immundorum ſpirituum copia liberata, ac demum XXX die Julii anno MDCXLIX ab ipſa incautæ matris imprecatione & infernali duce (poſtquam hic clara voce exclamâſſet adeſſe glorioſiſſimam cælorum Reginam cum D. Leontio, ut eum ſede ſua expellerent,) per benedictionem, S. Leontii nomine impertitam, omnino exempta fuit.

D

Veneficio

290 Miſera fuerat conditio Veronicæ Büttler de Rumeldiken ex parochia Chamenſi (*Tugienſis ditionis.*) Attrectaverat anno MDCXLVII ipſius manum dexteram venefica, ex quo adeo cum maximis doloribus toto corpore torquebatur, ut primitus per decem hebdomades privata fuerit auditu, poſthac verò dolores in genua (per triduanas ſucceſſiones) de genibus in cætera membra ſe effuderunt, ut, manibus pedibuſque intumeſcentibus, ſeptem aliis hebdomadis tota contracta decubuerit; quo tempore venenum tamquam globulus per omnes artus volvebatur, agitaturque. Elapſis hiſce ſeptimanis, aliis ſeptem pauliſper recreata quievit. Sed poſt has rediêre priores miſeriæ, duraveruntque ad XIV uſque hebdomades; & his novem aliæ hebdomadæ ſucceſſerunt mitiores, ut ſtare, greſſum ponere, atque modicum laborem exercere potuerit. Trahebatur autem in ipſis diebus ad vincula & carceres ipſa incantatrix venefica cum aliis ejus farinæ mulierculis, quæ in primo pœnali examine confeſſa eſt, ſe Veronicam per dexteræ manus attactum lethali veneno infeciſſe.

E

miſerè afflicti,

291 Et cùm per confeſſarios ſub ultimum vitæ tempus interrogaretur, quo remedio à tantis malis poſſet Veronica liberari, reſpondit (*id ipſum autem & aliæ veneficæ, quamvis invicem non allocutæ, teſte Pflegero, aſſeruêre*) optimum remedium fore, ſi ad Muros pergeret, & à D. Leontio opem poſtularet. Abiit illa comitibus viro eccleſiaſtico ac marito ſuo, ſed gravi admodùm labore: nam viam quatuor horarum, duodecim horarum ſpatio vix conficiebat. Ante altare ſancti Martyris cùm orâſſet, ac poſtea de aqua ſæpe memorata S. Leontii bibiſſet, adeo ſe recreatam ſenſit, ut intra ſex horas è Muris uſque Tugium iter perfecerit. Cùmque ſecunda ac tertia vice ad Muros firmâ fiduciâ rediiſſet, expulſo omni veneno ab omnibus malis feliciter convaluit. Anno MDCXLIX.

ad priſtinum ſtatum

292 Erat anno MDCL Michaël Conſtantinus de Willenbroch in Oenipontana civitate (*Tyrolis primaria vir prænobilis*) furente maleficio intoxicatus. Omnem ſuam operam afflicto domino impenderunt viri religioſi & eccleſiaſtici, ut eum à ligaturis ſatanicis liberarent: at divina Providentia S. Leontio, cui gratiam ſanitatum communicaverat, hanc gloriam reſervavit. Cujus famâ miraculorum Willenbrochius excitus iter arduum longiſſimumque ad Muros ingreſſus, poſthabitis ſuæ miſeriæ omnibus difficultatibus, ante reliquias ſancti Martyris accedit, adgeniculatur, oratque, ac demum particulam oſſis de corpore S. Leontii inter alios fideles devotè exoſculatur, atque ita mirabiliter ab immundo faſcino mundatus eſt & abſolutus.

F

reducuntur.

293 Per incantationem magicam Maria Barbara Zehender de Mentzingen (*Tugienſis pagi*) altero pede quatuor annis laborabat graviter, ſuſtinebatque cruciatus penè intolerabiles, ulceribus plurimis circum pedem patentibus, ex quibus præter naturam ſcatebant ſtramina & alia id genus maleficiorum excrementa. Cúmque medicorum antidota nihil valerent, conſilio virorum eccleſiaſticorum divo Leontio Barbara votum fecit, ante eius reliquias debita veneratione explendum; acceptâque ex iiſdem reliquiis benedictâ aquâ, lavit pedem præſtigiatum, &, ulceribus

coa-

A coalescentibus, brevi tempore convaluit, ab omni ligatura magica penitus libera. *Factum illigat Pflegerus anno 1654.*

294 Joannes Keiser, lignarius faber de Wangen in comitatu Wilisovienſi ditionis Lucernenſis, à dæmonio obſeſſus, xxix die Martii anno MDCLVIII ad ſacras reliquias divi Martyris cum fiducia ac plena fide huc venit, ut virtute Sancti ab immundo hoſpite liberaretur. Eum in finem mundavit primitus conſcientiam ſuam ab operibus malis per Pœnitentiæ ſacramentum, & ſumpto in Euchariſtia cibo fortium, eodem die ſolitis Eccleſiæ exorciſmis iniquus obſeſſor adjuratus eſt: Joannes verò per impoſitionem reliquiarii de D. Leontio roboratus; ut adeo ſpiritus nequam, amiſſo omni robore, exierit ab homine, atque ampliùs non redierit. *Vir dæmone,*

295 Antiquus ſerpens, humano generi ſemper æmulus, Catharinam Müller de Tugio per maleficia crudeliter torquebat. Ipſa verò bis terque ad ſepulchrum ſancti Martyris accedens, levamina & gratias toties quoties ex meritis ejus retulit; (*die ſcilicet* XVIII *Julii anno 1658, &* XI *Julii 1659, ut indicat Pflegerus.*) Tertia vice cùm adve- *mulier veneficiis,*

B niſſet, horrendum & incredibile dictu eſt, niſi indubio eccleſiaſticorum ſecularium ac regularium teſtimonio fuiſſet comprobatum, quæ à Catharina faſcinationum excrementa in capella S. Leontii eruperint; lapis nempe oblongus novem pondo habens, & fruſtum ferræ uno & dimidio pede longum ac latum extensâ palmâ, præter alia plurima. Quæ omnia per benedictiones Eccleſiæ & merita ſanctiſſimi Athletæ Chriſti è Catharinæ inteſtinis fuerunt expulſa, & ita antiquo ſerpenti omnis poteſtas ei nocendi ſubducta ac ſublata in profeſto ſanctorum Angelorum cuſtodum anno MDCLIX.

296 Adduxerat etiam venerabilis presbyter (*Maurus Vogel*) parochus in Hergiſwil Subſylvaniæ fratrem ſuum Joſephum duodennem, à teneris annis habentem dæmonium, à diabolo eum interceſſione S. Leontii liberari deſiderans. Cúmque hi die XXVII Julii MDCLVIII Murenſi monaſterio jam adeo approximâſſent, ut baſilicam conſpicerent, malignus ſpiritus divi Martyris tabernaculum intueri non ſuſtinens, admirantibus cunctis, evaſit & reliquit puerum incolumem, adeo ut adhibitis exorciſmis efficaciſſimis, impoſitiſque *ac puerè*

C ſuper caput Martyris reliquiis, ne modicum indicium præſentis ſtygis comperiri potuerit. Poſtquam verò venerabilis parochus, dum lætus cum ſuo fratre domum iter aggreſſus, & extra conſpectum præfatæ eccleſiæ fuit, reverſus eſt ſpiritus immundus in domum ſuam, unde exivit, & facta ſunt noviſſima pueri illius pejora prioribus; nam præterea inventus eſt ſurdus & mutus. Rediit Joſephus, duce eodem venerabili fratre ſuo, anno ſequente ad eaſdem reliquias, & poſt triduum per exorciſmos ac merita ſancti Martyris penitus ab hoſte maligno liberatus fuit.

297 Alius quidam puer undecim annorum Joannes, Leonardi Lawener (*& Annæ Müller*) de Seedorff Uraniæ, filius unicus, peſſimè à dæmonio vexabatur; ideo, Deo inſpirante, à præfatis parentibus ad ſancti Martyris corpus adductus, acceptâque aliquoties benedictione, & attactu particulæ ejuſdem ſacri corporis, maximo piorum parentum ſolatio, à dæmonis poteſtate eſt emancipatus. Tum verò domum regreſſus, pro præſervativo remedio aquam, ex reliquiis ſancti Martyris benedictam, hauſit ſæpiùs, & ordine non interrupto, ut adeo exinde omni maleficio *dæmoniis item liberantur.*

redeundi via fuerit intercluſa. *Contigit iſtud anno 1660.* AUCTORE J. P.

298 Udalricus Bettig & Anna Joſt, de Hergiſwil in toparchia Williſovienſi, filium habebant quindecennem, Melchiorem nomine, quem præter naturam crudeles adeo torquebant in corpore cruciatus, ut ligaturâ quâdam juvenem teneri haud immerita fuerit ſuſpicio. Ibant cum eo parentes ex voto ad beatiſſimam Virginem in Werdenſtein, atque ad exuvias ſancti Leontii in Muris. Hic poſtquam de aqua benedicta ſæpiùs memorata bibit; apparuit maleficium, erumpentibus & decidentibus ex oculis ſquamis piſcium, & foliis ceraſorum; ex gutture verò atque ore lateribus coctis triginta tribus, quorum quidam dimidiam libram, quidam integram libram pendebant. (*Quantos id dolores & cruciatus puero attulerit, quilibet facilè conjiciet, inquit Pflegerus.*) Corpore igitur ſic loto, atque maleficiis expurgato, juvenis integrè convaluit. Anno MDCLXIII. *His ſubjiciunt Pflegerus & Mayerus beneficium, quod duo conjuges præſtigiis vexati, iiſdemque liberati, meritis etiam* S. Leontii *acceptum retulêre, quodque hic pluribus exponere viſum non eſt.* *Alii ſimiliter à præſtigiis*

E

299 *Deinde ſequitur apud eumdem Pflegerum, trium beneficiorum enarratio, à Mayero, neſcio, quam ob cauſam, prætermiſſa. Primi Germanicâ linguâ fusè enarrati hoc eſt compendium: Maria Anna, filia Jacobi Schoch & Agathæ Blaſerin ex Schmalicken in Suevia, à malo dæmone obſeſſa horrendum in modum cruciabatur. Cùm autem parentibus ſuper ea multùm anxiis piorum hominum conſilio perſuaſum fuiſſet, ut confugerent ad* S. Leontium, *communem in ſimilibus calamitatibus patronum, iter ad eccleſiam Murenſem longum & arduum ingreſſi ſunt cum filia, & hæc quidem ea vice multum ſolaminis conſecuta eſt, attamen non omnino liberata. Quapropter majore ſpe & fiducia moleſtum iter iidem ſuſceperunt ſecundò, ac tum virtute exorciſmorum & attactu reliquiarum* S. Leontii *fugatus eſt nequam ſpiritus. Factum id eſt anno 1679.* *& ab inſidentibus*

300 *Alterius relatio ſic habet: Joannes Leontius Bürgiſſer, domini Melchioris Bürgiſſer & Mariæ Seylerin, conjugum Bremgartenſium filius quinquennis, pyrum à blandiente muliercula, quæ credita fuit venefica, ſibi porrectum comederat, & exinde variis infirmitatibus afflictus eſt uſque ad annum ætatis decimum quartum, quo tandem dæmon, qui puerum obſidebat, ſe prodidit, illum miſerè exagitans & in omnibus artibus vehementer diſcrucians, numquam tamen vehementiùs & horribiliùs, quàm cùm ad Murenſem eccleſiam Patronum ſuum venerandi causâ contenderet. Hinc conjectura fuit, infeſto hoſpite liberatum iri per ejuſdem Sancti patrocinium. Mater itaque (pater tum mortuus erat) ad Murenſe monaſterium filium comitata, inſtanter poſtulavit, ut conſuetis Eccleſiæ exorciſmis adjuraretur dæmon, pueroque imponerentur ſacræ exuviæ* Magni Leontii, *eo titulo Sanctum compellabant ipſi dæmones. Quod rogaverat, factum eſt die* XXVII *Auguſti anno* 1681, *& majore inſtantia ac devotionis ardore repetitum die poſtero, quo dæmon, licèt multùm priùs ac pervicaciter reluctans, tandem virtutem ſancti Martyris diutiùs non ſuſtinens, puerum dereliquit.* *dæmonibus*

F

301 *Tertiæ relationis compendium hoc eſt: Joannes Joſeph, filius Sebaſtiani Zum Stein & Dorotheæ Im Feld ex Lungeren in Subſylvania, multis ſimiliter ac variis infirmitatibus ab infantia uſque ad annum ætatis ſuæ decimum octavum vexatus fuerat: quando demum ſe mali omnis auctor,* *liberi*

AUCTORE J. P.

ctor, qui hactenus latuerat, palàm manifestavit; insidens nimirum spiritus infernalis. Igitur à consanguineis, nam jam tum obierant parentes, non sine ingenti labore ac molestia, obsistebat enim totis viribus malus dæmon, Muros perductus est adolescens anno 1683 die prima Septembris in pervigilio annuæ festivitatis S. Leontii: *ubi post Ecclesiæ exorcismos, cum reliquiarum sancti Martyris impositione truculentus hostis expulsus est.*

evadunt. 302 Magdalena Müller de Sor, ditionis Bernensis, Deo illuminante, Apostolicam Romanam Catholicam fidem amplexa est. Ejus constantiam Deus in multis tentavit, probavitque. Nam præterquam quòd persecutiones & adversitates plurimas incessanter sustinuerit, maleficio pessimo, atque adeo dæmonio obsessa, quatuor annis mirificè vexabatur. Non destitit tamen tentata mulier constantiâ suâque in Deum confidentiâ. Sed ad fidelem Dei athletam Leontium, ejusque apud Deum merita confugiens, sola oratione, Missarum oblatione, sacrarum reliquiarum veneratione & attactu, absque solitis Ecclesiæ exorcismis, omni maleficio emundata, & obsessione dæmonis exempta fuit in ipsa sancti Martyris capella, in qua ipsum maleficium, (scilicet silices prægrandes, convoluta pellium & pannorum diversi coloris frustula, feræ pensiles, cultri complicati &c,) sub oculis intuentium erupit die VI Januarii anno MDCLXXXIV.

B

§ XXI. Amentibus ratio, captivis libertas impetrata.

Vir phreneticus, ERat homo quidam in Risch Tugiensis territorii Casparus Schreiber, qui ex gravissimo morbo, amisso omni rationis usu, in phrenesim actus, desperantium more diris omnia devovebat. Convenerant amici ac vicini vel tristis spectaculi testes, vel afflictorum domesticorum consolatores; & inter eos etiam Michaël Stadlin pro-parochus ad S. Wolfgangum, qui miseratione commotus, in omnium præsentia nomine ægrotantis ac ejus uxoris votum fecit ad D. Leontium, ut, si meritis (*beatissimæ Virginis Mariæ &*) ipsius (*sancti Martyris*) ad sanam mentem rediret, obligati

C existerent ad piam ad sancti Martyris exuvias sacras peregrinationem obeundam, (*procurandumque ibidem in ipsorum honorem sacro-sanctum Missæ sacrificium.*) Paucis post votum horis, acceptâ à præfato presbytero benedictione, phreneticus ad se rediit, integrisque sensibus ac ratione, totus ab infirmitate absolutus atque incolumis, è lectulo mortis surrexit. Anno MDCLII.

mulier, 304 Eadem penè infirmitate laborabat Maria Dahinden ex toparchia Entlibuoch (*in ditione Lucernensi,*) quæ ob invalescentem rabiem aliquot annis catenis ligata tenebatur. Crescebat autem malum ex ipso medicaminum usu. E supernis igitur medelam exoraturæ duæ ejus sorores Verena & Anna ad reliquias sancti Martyris veniunt, ejusque per sacra peregrinantium opera interventum ad Deum implorant, impetrantque, ut sine quolibet alio remedio intra unius mensis spatium ægra plenam mentis & corporis sanitatem recuperaverit. Anno MDCLIX.

puella, 305 Hoc ipso anno Anna Schmidin, filia-familias in Niderwyl toparchiæ Liberorum officiorum, propter maniam ad negotia domestica inutilis, crux magna erat parentibus; à qua ut liberarentur ad Sancti sepulchrum accesserunt, ibique in precibus prostrati & oblato Sacrificio in honorem Martyris, voti sui adeo sunt damnati, ut filia intra octo dies ab insania fuerit sanata. D

adolescens 306 Sequente anno MDCLX ad idem sepulchrum ex voto adductus fuit adolescens Mauritius Stager de Glarona, (*loco pagi cognominis præcipuo,*) qui non tantùm ratione captus, sed rabie quoque plenus, velut Cain alter desperatissimas agitabat in turbata mente cogitationes. Quinque dies in Muris & sancti Martyris capella agebat insanus, nempe à die XIX usque ad XXIV Septembris. Cùm interea sacrificio Missæ aliisque precibus ad honorem divi Leontii oblatis, ipse Mauritius XXII die sui nominis patrono festiva, ad rationem rediit, & recuperata integra sanitate, XXIV prædicta die sospes hinc ad propria incolumis reversus est.

ac mulieres aliæ duæ amentes, rationis usui restituuntur. 307 *Simile beneficium* S. Leontii *patrocinio adscripserunt binæ mulieres, quarum Germanicâ linguâ meminit Pflegerus pluribus, nos denuo paucioribus: Uxor Joannis Casparі Twärenbolds ex Cham Tugiensis ditionis, cum prolem in lucem edidisset, ipsa rationis lumen amisit, animoque ita obcæcato ac perturbato fuit, ut continuò ad se* E *se in aquas præcipitem dandam tentaretur cum manifesto vitæ periculo. Nacta aliquando spatium temporis, quo sat rationis haberet, ut miseriam conditionis suæ apprehenderet, votum emisit Muros ad* S. Leontii *reliquias peregrinandi, & plenum deinceps rationis usum retinuit. Contigit hoc anno 1660. Eamdem gratiam anno proximè sequenti 1661 consecuta est Anna Barbara Risin, uxor Joannis Ackerman ex Buochs in Subsylvania. Hæc etenim post gravem morbum sic mente alienata est, ut diu noctuque ferocientem atque omnia perturbantem observari & custodiri necesse esset. Maritus emisso voto* S. Leontium *invocavit, eique amentem conjugem commendavit, & rationis compotem recepit. Mayerus, qui istis supersederat, dein ita pergit exponere Pflegerum.*

Alii insaniæ furore 308 In simile malum incidit Ludovicus Starck, venerabilis curio in Lostorff ditionis Solodorensis, cùm propter phreneticam rabiem multo tempore catenis alligatus, vitam ageret miserimam (*Nulla remedia, etiamsi multis sumptibus comparanda, neglecta fuêre, juxta Pflegerum, at nihil ea profuerunt.*) Facto autem voto ad invisendas & venerandas S. Leontii reliquias, adeo à F maligna infirmitate convaluit, ut ipse votum exsolverit, atque, impetrata integra valetudine, incolumis ad pascendas oviculas suas è Muris domum sit regressus. Anno MDCLXVI. *Rei factæ compendium, versiculis Germanicis comprehensum, & tabellæ inscriptum, ad perpetuam rei memoriam in sacello sancti Martyris appendi jussit memoratus sacerdos, uti testatur Pflegerus, qui ipsos etiam versiculos recitat.*

perciti 309 Joannes Moneth de Kerns Subsylvaniæ anno MDCLXVIII ad non absimilem insaniam redactus, incassùm cadente, quidquid catapotii & venæ sectionum per medicorum artem adhibitum fuit, nedum convaluit, sed rabie magis efferbuit. Cùm verò sui D. Leontio votum nuncupaverunt, citra moram Joannes adeo sui compos factus est, ut ipse primus esset in voto ad divi Martyris reliquias in Muris exsolvendo.

ad sanam mentem reducuntur. 310 Alius præterea ex eodem cantone Subsylvanensi Joannes Näpflin, semel quotannis phrenitide vexatus, catenis stringi debuit propter exuberantem rabiem; subsequentibus verò annis fatale malum adeo invaluit, ut anno MDCLXXIX,

ab

A ab insania sua percitus, manibus catenisque evaserit, perque sylvas, montesque ac valles divagatus, per antra & impervia sese abdiderit, frustra omne studium ad indagandum & inveniendum impendentibus, qui post eum excurrerant, domesticis, & quorum intererat. Timebant autem hi, nec immeritò, ne fortè sibi ipsi mortem conscisceret. Rogaverunt interea cum voto piæ peregrinationis instituendæ D. Leontium Murensem, ut esset custos & dux pessumeuntis, eumque ad se salvum reduceret. Cúmque ob absentiæ diuturnitatem crederent, actum esse de salute Joannis, modico post votum emissum intervallo, rediit ille sanus mente & corpore, acsi in alterutro nihil umquam detrimenti passus fuisset, permansitque incolumis, donec, post exactum diuturnioris vitæ cursum, naturæ debitum solvit.

Captivi

311 *Posthæc repetit Pflegerus beneficium, quod, invocato* S. Leontii *auxilio, collatum fuit mulieri phreneticæ Kunigundæ Solander, quodque narratum est suprà num.* 217. *Hinc ad aliam materiam transit, & cum ipso Mayerus:* Verùm non captos tantùm ratione, sed etiam captivos liberat in vota vocatus S. Leontius. Erat ex Baar,

B cantonis Tugiensis, vir probus & honestus (*Jacobus Halter*,) qui anno MDCLVIII ex mera (*& malignè concepta*) suspicione in vicina civitate heterodoxa sex hebdomades carcere detinebatur. Animadvertebat autem, equuleum aliave tormenta ad extorquendam confessionem sibi parari: idcirco ad Deum innocentiæ suæ testem ac Virginem Matrem mentem erexit, & intercessorem D. Leontium voto interpellavit, ut si eum de periculo liberaret, ad ejus sepulchrum peregrinaretur, & instrumentum redemptionis in testimonium ad ejus capellam referret. Voto sic nuncupato, vidit & apprehendit funem, quo lota linteamina ad solem suspendi solent, per quem, ad trabem tecti ligatum, se demisit. Verùm quia funis altitudinem descensûs multis ulnis non æquabat, *jam periculosum ac necessarium lapsum præ oculis habens*, institit denuò sancti Martyris in his angustiis opem exorare. Factumque est, ut funis non solùm crescret intra manus; sed, ubi terram Jacobus Halter(*absque ullo seu manuum seu aliorum membrorum incommodo, dolore aut læsione*) attigit, tribus orgiis altitudinem turris excederet. Quem excessum cultro præcisum secum

C tulit, & eodem mane diei IV Februarii anno præfato ad Muros pro voto solvendo pervenit. Hujus rei veritatem Jacobus juramento in præsentia parochi sui Petri Ander Matt, ad sancta Dei Euangelia præstito, constanter asseruit. *Equidem rei gestæ veritatem non inficior; at miror, quomodo funis & culter relicti fuerint apud captivum, de cujus vita agebatur, ut scribit Pflegerus.*

liberi evadunt.

312 Erant præterea fratres duo de Esch (*in Provinciis liberis*) Adamus & Joannes Hartmannus Moser, qui aliquot annis militiam, bello inter Hispaniam & Portugalliam gliscente, secuti sunt: cúmque pace inter belligerantes composita, patriam cum plurimis aliis repeterent, Roræ (*fortè* Rhodæ *scribendum fuit, quæ civitas est Hispaniæ*) in Catalonia de falso crimine suspecti, comprehensi, carceri mancipati, atque ad ergasterium & operas publicas fuerunt damnati. Gravis sanè pœna inculpatis, cui quâ viâ se securè subducerent, seriò diu multúmque deliberabant. Nam socii, qui fugâ sibi consulere tentabant, deprehensi, alii damnati ad triremes, alii sclopeti ictu trajecti perierunt. Una nocte, auctore Adamo, mutuò consentiunt in vota divo Leontio nuncupanda, ut pia peregrinatione & sanctâ Missâ uterque sancti Martyris ossa veneraretur. Sequenti manè ab ergastulo ad opera solita educti, sub oculis, vel quasi, omnium excedunt, & sub sancti Martyris protectione feliciter evadunt, à diuturna, durissima & iniqua servitute liberati. Adamus XV die mensis Maii MDCLXXXI, quâ promissæ peregrinationis voto se absolvit, in præsentia testium legitimorum sub fide juramenti rei seriem narravit, affirmavitque.

§ XXII. Beneficia varia eisdem familiis seu personis collata.

Parturienti succurritur;

DE seipso perillustris dominus Beatus Jacobus Zurlauben, baro de Thurn & Gestellenburg, supremus per Libera officia militiæ dux testatur: *hæc Mayerus, qui deinde rei factæ seriem exponit. Verùm cùm ipsum testimonium det Pflegerus, malui id, uti feci hactenus, ex Germanico Latinum facere:* Laus sit & gratiarum actio potenti ac benigno Numini, quòd propter sanctos ac fideles servos suos sese adeo misericors ac munificum exhibeat erga nos homines & miseros peccatores; quemadmodùm mihi Beato Jacobo Zurlauben & Mariæ Barbaræ Reding dilectæ uxori meæ contigit; cùm anno MDCXLIX die secundo Augusti uxor per multas horas puerperio laboraret, ac tandem à pluribus honestis mulieribus, quæ ipsi aderant, mihi significatum fuerit, quòd summo in periculo versaretur, nec spes ulla supereesset fore, ut per felicem partum convalesceret, nisi omnipotens Deus peculiarem gratiam elargiretur. Itaque ad ipsum, ut par erat, confugi, ipsumque in fideli servo suo sancto martyre Leontio hic honorare statui. Dum jam solus in cubiculo meo meditabar & summa cum fiducia S. Leontii martyris, secundùm Deum & gloriosam ejus Matrem Mariam, auxilium implorabam, eo ipso instanti præ lætitia mihi oculi lacrymis perfusi sunt, acsi, quod rogabam, essem consecutus; sanè tantum temporis non effluxerat, quo bis recitetur Oratio Dominica, quando ancilla lætum nuntium mihi afferebat, quòd dilecta conjux filiolum feliciter enixa esset.

E

F

Pueri duo gravi tumore,

314 Alio tempore duo ex filiis meis aliquamdiu gravi tumore afficiebantur, nec post multa adhibita medicamina ullo prorsus modo meliùs illis esse advertebatur; ita ut dilecta conjux mea similiter secundùm Deum ad S. Leontium confugerit, peregrinationem illuc voverit, aquam eorumque subuculas consecrari curaverit: simulac iis induti essent & bibissent aquam, transacta nocte, advertit, imminutos esse tumores; ubi verò diversis vicibus ita factitatum fuit, pueri memorati tumore plenè liberati sunt.

ac vir submersionis periculo & manus læsæ incommodo liberantur.

315 *Anno* 1650 *die* XIII *Februarii Laurentius Kurtz, civis Mellingensis, ligna ceciderat in Wolischweil, loco Provinciarum liberarum, eaque dorso impositа domum delaturus, pervenerat ad ponticulum ligneum, qui sub ipso rupitus est medius & sic infelix homo cum onere, à quo manus ejus altera miserè contrita fuit, in aquas delapsus est. Affligebant eum hinc dolores læsæ manus, illinc frigus intensum, at potissimùm angebat imminens vitæ tum ab aqua tum à frigore peri-*

AUCTORE J. P.

riculum, neque enim absque adjutore emergere valebat. Clamavit primùm, quantùm potuit, sed mortalium nullus aderat, qui audiret. Itaque vocem in cælum direxit, & S. Leontii *adjutricem manum enixè postulavit, obtinuitque. Nam, cujus faciendi antè spes nulla erat, aquis & periculo se subduxit; imò & manum, quam deinceps sibi inutilem fore crediderat, brevi pòst sanam recepit, & ad quodvis opus, prout antè, idoneam. Totum rei eventum ipsemet versiculis Germanicis complexus est, quos ex tabella, in sacello* S. Leontii *olim suspensa, descripsit Pflegerus, & fusiori rei factæ relationi subnexuit, unde & nos recitatum compendium desumpsimus; nam hìc denuo sílebat Mayerus, transibatque ad sequentem relationem.*

Parturiens duplici mortis periculo eripitur, & filiæ oculus sanatur.

316 Tres præterea virtutes D. Leontius in domo prænobilis domini Ludovici Schnyder, qui fuerat monasterii Murensis receptor in oppido Surfee, operatus est. Periclitabatur dilecta conjux Elisabeth Pfyffer in puerperio de vita sua ac fœtus edendi; edito verò ad sanctum Martyrem voto, periculum statim cessavit, puero sospite in lucem genito, quem postero die in baptismo Leontium nominârunt. Post tres à partu horas mater ex præcedentibus doloribus abiit in fatale deliquium, in quo mortuæ similis, suffuso pallore, sineque spirantis vitæ indicio aliquot horis decumbebat. Superaddito alio voto, tamquam ex morte resuscitata, continuò incolumem traxit spiritum. Paulò verò ante hos dies præfatorum DD. conjugum filiola Maria Anna alterutro oculo lumine orbari in proximo erat, deficientibus, quæ applicabantur, sua virtute remediis. Pientissima genitrix ex voto ad reliquias sancti Martyris filiolam piis obtulit precibus, assumptâque aquâ S. Leontii benedictâ, lavit oculum infectum, unàque periculum cæcitatis, dolores, & damnum omne diluit & abripuit. Anno MDCL. *Parentes in grati animi significationem Muros destinârunt tabellam, in qua triplex illud beneficium descriptum erat carmine Germanico, quod dat Pflegerus.*

B

Puer pedum & oculi malè affecti usu donatur.

317 Petro quoque Weiniger de Mentzingen (*in Tugiensi pago*) in filio repetita ope sanctus Martyr succurrit. Erat filius annorum quatuor cum dimidio, pedum usu ab incunabilis penitus captus. Eum parentes ex voto ad sepulchrum Martyris mense Junio anni MDCL detulerunt; cumque illi pro salute filii in precibus prostrati intercederent, puer, nemine juvante, surrexit in conspectu populi omnis, admirantis & Deum in sancto Opitulatore laudantis. Post septemdecim circitèr hebdomades idem puer gravi epiphora laborabat in oculo, ut ex continuato fluxu nemo non crederet, oculum pessum iturum. Iteratur votum ad eumdem Martyrem, &, apertis post brevem moram palpebris, apparuit oculus illæsus, sanus & integer.

C

Puer pedem pessimè infectum

318 *Profert hìc denuo Pflegerus triplicis beneficii,* S. Leontio *adscripti testimonium Germanicum, quod Latinè ita ferè habet:* Quoniam sacramentum regis absconde re bonum est: opera autem Dei ejusque Sanctorum revelare & confiteri honorificum est; dominus Henricus Schuffelbuol pro-prætor hìc (*Zurzachii in Badensi comitatu*) cupiens divina beneficia, quæ per intercessionem S. Leontii martyris accepisse se agnoscit, debito loco & modo, nec non grato animo referre ac profiteri, me infrascriptum rogavit, ut, quod suis mirabiliter contigit, recenserem & attestarer. Quoniam itaque non possumus non profari, quod ipsimet vidimus & audivimus, testor & hocce instrumento confirmo, Joannem Ulricum, filium dicti domini Henrici, à biennio acerbissimè correptum fuisse inopinato tumore, intermixtis pustulis in altero pede; ubi exortæ pustulæ in apostema coaluerunt, & in multas fistulas ac vulnera eruperunt.

D

sanum recipit;

319 Adhibita fuit ei curando duorum chirurgorum bene peritorum opera, qui, quantâ potuerunt diligentiâ, appositis emplastris & unguentis conati malum amovere, ac sanare infectum pedem, studium omne, operam & laborem perdiderunt. Tandem parentes Deo & S. Leontio puerum devoverunt, pedemque ejus linteolo, quod reliquias S. Leontii attigerat, iisque consecratum fuerat, circumligaverunt. Et ecce, post triduum cœpit subsidere tumor, ulcera & dolores omnes evanescere, meliore statu apparere omnia, & actutùm integrè sanari: cumque à dimidio anno idem malum denuo se manifestaret, mox iterum plenè abactum fuit; dum, sicut antè, applicatum illi fuit sacrum linteolum.

matrona præter morem vivam prolem enititur.

320 Præterea cùm domina Euphemia, memorati domini pro-prætoris dilecta conjux, hactenus summa difficultate, cruciatu & periculo periisset, ac jam secundò vivam prolem obtinere nequivisset, ambo, instante tertio partu, Deo sese ac S. Leontio devoverunt, addita obligatione, si nata proles esset mascula, imponendi illi nomen Leontii. Votum cecidit feliciter; quippe, cùm id ad tempus pariendi renovâsset, puerpera intra quartam horæ partem filiolum feliciter progenuit, qui, ut promissum erat, in sacro Baptismate Leontius appellatus est: quod ego totum, ut suprà scriptum est, manu propria confirmo. Itaque Deo sit gloria, honor Sancto, utrique autem gratiarum actio in æternum. Datum Zurzachii XV Aprilis anno MDCLII. Ita profiteor ac testor ego Franciscus Brandenberg venerabilis collegii canonicorum sanctæ virginis & martyris Verenæ decanus & parochus.

Uni eidemque familiæ quadruplex,

321 Anno MDCL Elisabeth Stocker, conjux Jacobi Baumbacher (*Tugiensis*) in puerperio extremum ferè vitæ discrimen subiit. Edidit tamen præter spem prolem sine animæ viventis indicio, ad mortem ipsa properans. Reponebant igitur fœtum inanimem in loculum, ut terræ mandarent; urgent tamen amici condolentes Jacobum, ut divo Leontio pro matris ac fœtûs salute voto fieret supplex: acquievit ille consilio bono, utrumque sancti Martyris patrocinio commendavit. Quo facto, corpus pueri jamjam efferendum in loculo animatur, defertur puer in ecclesiam ad sacrum Baptisma, nomine Leontius donatur. Similiter & puerpera, resumptis viribus, integrè convaluit. Anno MDCLV idem ipse Leontius, puer quinquennis, è navicula in lacum sub ipsam naviculam lapsus, abundantioreque unda ad interitum ingurgitatus, facto ad Patronum suum ab adstantibus voto, incolumis è profundo gurgite extractus est. Cumque idem anno ætatis duodecimo excelsam arborem incautus ascendisset ad poma colligenda, fortuitò altitudinem xxx pedum in terram decidit incolumis; quia labentem voto eidem suo Liberatori commendabant.

F

alteri

322 Circa eadem tempora Melchior Stüber & Barbara Keusel de Holtzheuseren in cantone Tugiensi filium procreabant, Jacobum nomine, qui, expletis à puerperio quatuor hebdomadis, in templo præsentandus & ad ablutionem calicis, de more Constantiensis ecclesiæ percipiendam offeren-

A ferendus, præter morem vagitus ingeminabat. Assistebat tunc vetula quædam (propter veneficia paulò pòst mortis damnata) quæ sacchari speciem in os pueri ingerebat, linguamque maleficio toxico inficiebat; ex quo puer præter variegatos in lingua colores ad deglutiendos cibos ad octavum usque ætatis annum multum incommodi doloriſque patiebatur. Et hi à divo Leontio in Muris auxilium intensis precibus postulabant: ubi cùm linguam pueri sancti Martyris reliquiis tetigissent, & aquâ benedictâ sæpiùs memoratâ lavissent, expulso omni maleficio, perfectè redintegrata fuit.

triplex,

323 Alio tempore eadem Barbara, fœtu alio gravida, fortè in hominem, Herculeo (seu comitiali) morbo corruentem, frementem atque abominabiles ronchos ducentem incidit, horroremque, quem ex eo conceperat, in fœtum derivavit, ut in lucem editus, non absimiles fremitus anhelitusque graves duceret, quasi spiritum proximè exhalaturus. Una aqua benedicta præfata, quam infanti ex peregrinatione ad Sanctum allatam porrigebant, sublato omni malo, fecit prolem incolumem. Demum ipsa quoque Barbara anno MDCLV pleuritide ad mortem decumbebat, ex voto Auxiliatorem suum denuo invocat, aquam ejus nomine atque reliquiis benedictam haurit, vitamque & sanitatem perfectam unà obtinet.

B

duplex alteri beneficium confertur.

324 Eva Elsener, Henrici Etter de Mentzingen (*Tugiensis ditionis*) conjux, anno MDCLVIII in phrenesin & rabiem delapsa, bestiæ quàm homini similiores gestus edebat. Post remedia diu incassùm adhibita domestici abiêre cum fiducia ad reliquias S. Leontii, coronam ejus nomine, sacræque calvariæ attactu benedictam, reduces phreneticæ pectori superimposuerunt. Post horæ quadrantem intra ejus viscera fragor etiam ab adstantibus clara aure auditus est, acsi baculus medius perruptus fuisset: quo fragore infirmitas fracta, mulier verò sanæ menti restituta fuit. Ejus filius Joannes Petrus anno priore MDCLVII viribus adeo emarcuit, ut præ debilitate nec niti, nec incedere valeret, (*nec quemquam haberet, qui malo mederetur.*) Postquam autem ad sanctum Martyrem in Muris delatus est, ejus sacrum corpus in oratione piè coluit, benedictionem ex ejus reliquiis accepit, de aqua ejus nomine benedicta bibit, statim cœpit viribus corroborari, ac sic tandem integram valetudinem adeptus est.

C

Læsus oculus & pedes

325 Eodem anno equus indomitus ascensorem suum Joannem Schwander de Lachena marchiæ Suitensis, dejecit in terram, ferratumque pedem in oculum ejus tanto impegit impetu, ut, sanguine profusiùs per genas profluente, perditum judicaret chirurgus. Joannes, nuncupato voto, ad D. Leontium animum vocemque extollit, & triduo post acceptum vulnus vidit & gavisus est in præconio sancti Martyris, quia integram oculi aciem recepit. Idem sequente anno MDCLVIII post septem hebdomadârum infirmitatem altero pede graviter languebat, dolebatque, ut non nisi scipione nixus, ægrè incedere posset, ad eumdem suum Medicum alterum repetit votum, & brevi convalescens, ipse voto se in Muris cum gratiarum actione liberavit.

infirmi restituuntur; febres tolluntur.

326 Jacobus Steiner, ex præfectura Gaster, quotannis ad reliquias beati Martyris venire consuêrat. Laborabat autem anno MDCLIX filius ejus triennis dolorifico in pede accidente, ut nedum gressum dirigere, sed nec pedem movere posset, (*nisi summo cum cruciatu.*) Statuerat pater intra se, cùm primùm pro more suo ad D. Leontium peregrinationem obiret, aliquid offerre in hostiam pro puero; cujus solius propositi intuitu S. Leontius suis ad Deum meritis intra quinque dierum spatium puerum omni malo exemit atque sanavit. Utrumque autem, patrem nempe & filium, eodem anno die XXVI Septembris funesta & penè insanabilis corripiebat febris; nam medicorum pharmaca nihil proderant ad sanandum. Curabat autem pater Missam ad honorem Sancti Martyris in ecclesia sua parochiali Oberkirch pro utroque offerri, atque eâdem, quâ Missa fiebat, horâ uterque sanitati redditus est.

AUCTORE J. P.

Puer bis gravi periculo eripitur;

327 Thomas puer quadriennis, Andreæ Grob de Kahm filius, anno MDCLIV die VIII Junii puerili levitate per scalam prælaltam cerasum conscenderat, in qua cùm incautiùs ageret, subitò altitudine sexaginta pedum decidit in terram, cervice membrisque conquassandus, nisi casu præteriens mulier pia decidentem cum voto commendâsset sancto martyri Leontio. Eva Filiger, nomen erat præfatæ mulieris, puerulum è terra, tamquam non habentem spiritum, sustulit, atque ad parentes triste funus detulit, votumque, quod fecerat pro pueri salute, nunciavit. Illi, ut fas est credere, vehementer perterriti vixdum votum habuêre ratum, cùm puer oculos aperuit, manus pedesque movit, &, admirantibus cunctis, ipse se erexit, locum obambulavit, acsi nihil mali sibi umquam accidisset. Postliminiò cùm idem Thomas esset annorum undecim, patrem ad vehenda ligna in sylvam comitatus, à recalcitrante equo in abdomine percussus, & ad tres passus retrò in terram prostratus est, intercepto omni halitu. Pater igitur, qui filium suum certò periturum credidit, denuò votum pro eo ad S. Leontii sepulchrum facit, & puer, resumpto spiritu, revivisci, surgit, & cum patre sanus domum redit. Anno MDCLXI.

E

mulier quatuor beneficia

328 De beneficiis divi Leontii singulariter sibi gratulabatur Anna Martin de Tugio. Hæc anno MDCXLVIII sensu auditûs capta, integroque anno orbata fuit. Venit autem ex voto ad venerandas Martyris nostri exuvias, & cùm, completis devotionis officiis, templo egressura, caput sacris reliquiis inclinâsset, visum est illi, quasi intra caput liquor quidam, veluti aquæ frigidæ, ab auribus manaret, animadvertitque, abscedente humore maligno, auditum integrum sibi esse redditum. Anno deinde MDCLIX ex immani languentis pedis dolore neque diebus neque noctibus solida quiete perfrui, imò nec stare, nec negotia domestica obire poterat. Admonita est sæpiùs per inquieta somnia, ut ad sanctum Martyrem iterum peregrinationem institueret: cumque secunda vice accessisset, (*ducta illuc haud dubiè vel curru vecta,*) votis suis precibusque impetravit, ut, remoto omni medicamine, per ebullientem è pede sudorem intervallo quatuordecim dierum plenè convaluerit.

F

Sancto accepta refert;

329 Alio tempore cùm de volucri ederet, bolus carneus, acutis ossiculis commixtus, quem incautiùs deglutivit, adeo firmiter faucibus hæsit, ut nulla arte aut in os aut in stomachum promoveri potuerit, non immeritò tandem suffocari formidans. Voto igitur iterato se sancto Martyri specialiter commendavit, & repentè bolus è faucibus solutus ascendit in os, & ejectus piam fœminam reliquit incolumem. Nec hîc thaumaturgus Martyr destitit virtutes operari. Nam cùm ejusdem Annæ nepos decennis, nomine Joannes

AUCTORE J. P.

Rogenmoſer apoſtemate in collo laboraret, ac præterea in facie omni penè cute exueretur, præque dolorum magnitudine naturali ſomno interdiceretur; ſemel & ſecundò votum ad ſacra lipſana ſancti Martyris noſtri fecerunt, expleveruntque; (*Anna ſcilicet prædicta & hujus ſoror Anna Maria Martin, pueri mater*, S. Leontii *cultui plurimùm ſimiliter addicta.*) Et puer intervallo octo dierum, (*puta poſt inſtitutam ſecunda vice peregrinationem, nam poſt prima vice inſtitutam, malum cum doloribus quidem utcumque imminutum fuerat, ſed deinde ad priorem ſtatum rediit, ut monet Pflegerus,*) ab utroque malo liberatus & perfecta ſanitate potitus eſt.

puer duplici malo & lethali morbo liberatur;

330 Fuit & inſigne miraculum, quod ſanctus Athleta operatus eſt in filio liberi baronis (*Franciſci Erneſti*) Zweyer de Evenbach, præfecti in Foro Tiberii, (*vulgò Keyſerſthul in Badenſi comitatu,*) qui duplici, eaque graviſſima, rupturæ ſcilicet, & pedum debilitatis, calamitate vexabatur in teneris. Duplicis peregrinationis voto perilluſtres parentes beatiſſimæ Virgini in ſacra Eremo (*vulgò* Einſidlen) & in Arkenberg, (*loco ſito haud procul Clingnovio memorati Badenſis comitatûs oppidulo*) ſe obſtrinxerant. Sed ſanctiſſima Deipara, etiam Leontium volens habere miraculi conſortem, diſtulit ſanare puerùm; donec vocato in vota eodem Martyre, cum promiſſione ejuſdem adeundi & venerandi ſepulchrum, puer (*Franciſcus Ignatius*) ab utroque exitiali morbo liberatus fuit. (*Annum notat Pflegerus* 1666.) Idem illuſtris puer, cùm lethali morbo ad extrema perductus, atque à deſperantibus medicis derelictus, anno MDCLXVI decumberet, ejuſdem ſancti Martyris, cujus meritis ex ſimili voto (*à pia parente*) oblatus fuerat, interventu mortis præſentiſſimæ faucibus ereptus, optimæque ſanitati reſtitutus eſt.

B

alter loquelam, ac tertius uſum oculi obtinet.

331 Alius quoque vir nobilis de genere Pfiffer, patricius Lucernenſis, duos habebat filios, Franciſcum Ignatium & Joannem Waltherum, quorum prior uſque ad tertium & dimidium annum nullam vocem articulatam promere poterat; poſterior verò primo à nativitate anno alterius oculi acie privatus, uterque nulla arte medica ſanandus. Utrique tamen S. Leontius, poſt factum à parentibus ad ſua lipſana votum, ſuccurrit, alteri loquelam, alteri verò lumen oculi ſua

C

interceſſione comparavit. *Hoc totum Mayerus deprompſit ex Pflegero, ſed præterea de Franciſco Ignatio, cui linguæ uſus collatus eſt*, Hujus, *ait*, primum, quod promebat verbum, erat: MURI. *Id autem procul dubio ex ipſomet Franciſco Ignatio didicit, utpote de quo iterum addit ſequentia:* Prior poſtliminio in Muris monachus factus, orator & poëta egregius, mortem obiit MDCCXXXIX, ſacerdos jubilæus, ætatis anno LXXVI.

Mater quatuor filiis beneficium impetrat.

332 Celebre eſt valdè, quod ſanctus Martyr quatuor filiis Mariæ Schnellerin de Bacheneydt ex Toggio (Toggenburg *vulgò dicitur, eſtque comitatus Helvetiæ*) præſtitit. Omnes quatuor ſimul una nocte manibus pedibuſque capti (cauſa ignota) atque contractione fuêre multati; adhæc putentibus puſtulis per facies & colla infecti decubuerunt. Eratque ex medicis nemo (tametſi mater nihil auxilii opportuni negligebat) qui tantis malis mederi poſſet. Cùm igitur mater, animo ad ſuperna erecto, divo Leontio ſe voti (*peregrinationis & tabellæ in Murenſi eccleſia offerendæ*) ream fecit, repentè ac ſimul omnes quatuor manuum pedumque uſu priſtino donati ſunt, remanentibus purulentis in capite puſtulis. Quibus ut etiam medelam ab eodem Martyre referret, iter, comite filio natu majore, ad Muros intendit: ubi, cùm puer baſilicæ, in qua venerandum ejus corpus requieſcit, pedem intulit, emplaſtra, quibus ulcerata facies ſparſim erat obducta, ſubitò deciderunt in terram, & apparuit facies ejus tota munda. Imò, quod ad augmentum honoris divo Martyri cedat, eodem die, eâdemque quaſi horâ aliis duobus domi relictis eadem obvenit gratia. Quid quarto factum ſit, ſcriptura non habet, niſi quòd mater ſperaret, etiam huic merita Martyris fore propitia.

D

Puer greſſu & loquelâ donatur;

333 Duplici quoque æquéque graviſſima calamitate premebatur Michaël, Leopoldi Gruſing & Annæ Felder de Brigantio, (*oppidum eſt in Suevia, incolis* Bregentz, *comitatûs cognominis caput,*) filiolus. Is ex utero matris utroque pede contractus, etiam ad ſextum uſque annum linguæ uſu captus ac mutus extitit. Parentes auditâ, quâ divus Leontius paſſim celebrabatur, miraculorum famâ, miſerunt ad Martyris reliquias Annam Buolmann de Abbatis-cella, ut ſuo nomine piam pro filio obiret peregrinationem. Cúmque ablegata mulier Miſſæ, quæ pro puero offerebatur, auditioni, aliiſque devotionis obſequiis in Muris intenta eſſet, puer

E

præfatus domi ſuæ, nemine adjuvante, in pedes ſe erigit, atque ſub conſpectu patris aliorumque hypocauſtum obambulat, inque hæc circitèr verba linguam ſolvit: En pater, quàm bellè poſſum incedere! Numquid pater egregius ſum homuncio? Ut adeo Michaël utroque inveterato malo ſolis beati Martyris meritis fuerit expeditus; parentes verò in teneras præ gaudio lachrymas, laudemque Dei ac Chriſti Martyris effuſi, XXV Martii MDCLXXX.

viro febris & puero ulcera adimuntur.

334 Mirificè etiam virtutes S. Leontii expertus eſt Nicolaus Steiner de Lichtenſteg in Toggio; is obſtinata & pharmacis immedicabili febre viginti tribus hebdomadis correptus & detentus decubuit. Poſtquam verò vovit peregrinari ad ſacrum in Muris Leontii ſepulchrum, continuò reliquit eum febris. Sed majus hoc idem ſanctus Martyr fecit in filio Nicolai Joanne oſtentum. Hic anno ætatis quartodecimo venenoſa ſcabie, multiſque carnem per corpus exedentibus ulceribus infectus, miſerè & magnis doloribus vexabatur; cui curando ars medica ſua virtute ſuccumbebat. Alio igitur voto thaumaturgo Martyri noſtro Nicolaus pater filium Joannem offere-

F

rebat, ut ſupernaturali virtute naturæ defectum ſuppleret. Advenerat nox, ibant omnes cubitum; manè verò, exoriente luce, Joannes è lecto doloris ipſe ſurgebat: cúmque accederent, qui ſaniem ulcerum de more abſtergerent, de ſcabie, tabe, & ulceribus toto corpore ampliùs nihil reperiebant præter cicatrices quaſdam ſeu maculas præhabitorum ulcerum. Anno MDCLXXXII.

Tria beneficia unus idemque impetrat.

335 *Mitto iterum tantiſper Mayerum, ut inſtrumentum, quod his proximè ſubjicit Germanicè Pflegerus, Latinè exponam. Ita ſonat.* Ego Chriſtianus Baumgartner, parochus in Sultzmatten in Alſatia, atteſtor & hocce anathemate ac votivâ tabellâ confirmo, tria me à Deo per interceſſionem ac patrocinium thaumaturgi martyris Leontii in Muris impetrâſſe inſignia beneficia. Etenim anno MDCL, cùm illuc equo non abſque cruciatu me devehendum commiſiſſem, & reliquiarum ejus contactu gaviſus fuiſſem, evidenter per ejuſdem Sancti merita immedicabili, de qua deſperabant medici, contractione nervorum & tumore in utroque genu liberatus fui, atque ſanatus; ita quidem ut, qui equo, ſicut

mox

A mox dicebam, ægrè Muros deductus fueram, pedes domum reversus sim. Alia vice, anno scilicet MDCLXXXI, cæca nocte, & vehementer fulgurante atque tonante cælo, à spectro (*quod noctis & tempestatis horror forsan in imaginatione formârat*,) è muro, quindecim pedibus alto, unà cum equo in vineas dejectus sum; invocans autem cum adjecto voto S. Leontium, incolumis unà cum equo evasi. Dicto anno MDCLXXXI inenarrabilem in pede sinistro, altùm inflato, dolorem passus sum, de quo sanando dum desperabat chirurgus minimè imperitus, equidem, emisso iterum voto peregrinandi ad sacras ejus reliquias, nec adhibito alio remedio, etiam hac tertia vice evasi & sanitatem recuperavi. Deo & sancto martyri Leontio laus sit sempiterna. Datum IX Maii anno MDCLXXXIII. Testatur Christianus Baumgartner, parochus in Sultzmatten.

§ XXIII. Lues pecudum abacta; incendia exstincta; alia beneficia collata.

B

Lues pecudum cessat.

ANno MDCLXXXVIII in parochia Hegglingen funesta & immedicabilis in animalibus pestis grassabatur cum ingenti strage jumentorum & gravi damno ruricolarum: dumque remedia, quæ adhibebantur, ad luem removendam nihil conferrent, hortante parocho, Jacobo Mauritio ander Allmend, litaniam ad sepulchrum sancti Martyris instituerunt; atque biduo pòst sævum illud contagium penitus cessavit; imò aliquot bestiæ, quas in perditis ponebant, ad sanitatem redierunt. *Hanc inter & sequentem relationem descripsit Pflegerus beneficium* S. Leontii *meritis attributum à Joanne Büttler, ex paræcia Auw, qui equum magni pretii, subito morbo correptum ac desperatum, post Sancti invocationem & promissum Missæ sacrificium, mox sanum recepit.*

Incendia,

337 Sed frequentiore virtute D. Leontius imperavit ventis & igni. Nam cùm anno MDCXLIX die XXIII Julii fulmen è cælo irato delapsum Boswylæ, pago Muris vicino ac subdito, domum

C loci supremam corripuisset, flamma, ventis vehementibus agitata atque dispersa, brevî viginti quatuor domos in cineres redegit, totum pagum vastatura cum ecclesia, nisi Leontii auxilio vim virtutis suæ ignis amisisset. Voverat enim pater Bonaventura Honegger, monasterii subprior, (qui post paucos annos abbas factus est,) nomine communitatis certum Missarum precumque numerum; atque eodem tempore alius quidam, elatis in sublime & contra ignem sancti Martyris reliquiis, superstiti pago inferiori benedixerat: cùm repentè & ex momento adfuit ventus contrarius, qui flammas retrorsum actas adeo ab intactis domibus avertit, ut nullum deinceps ulterioris incendii superfuerit periculum.

facto voto,

338 *Simile beneficium* S. Leontii *auxilio adscripsit locus alter in Provinciis liberis, non longè Muris dissitus, cui nomen Hitzkirch. Rei factæ modum, prout olim tabellæ votivæ inscriptus erat, dat Pflegerus Germanicè, eumdemque sic nos Latinè vertimus:* Virgam Domini vigilantem tu profectò sensisti, ô Hitzkirch! quando die XXV Aprilis calamitosi anni MDLXV exortum in te & valido vento impulsum incendium ita sæviit, ut

contra omnem adhibitam diligentiam, non tantùm intra trium horarum spatium domos ac focos triginta sex miserè in cineres redegerit, sed & ipsam corripuerit ecclesiam paræcialem cum summo domûs etiam Ordinis Teutonico-equestris periculo. Quapropter venerabiles presbyteri unà cum anxio populo, spem suam in glorioso ac thaumaturgo martyre S. Leontio collocârunt, & votum publicæ peregrinationis Muros versus enunciârunt. Mox autem, ô cæleste prodigium! flammæ à prædicta ecclesia recesserunt, & absque ulteriore damno prorsus exstinctæ sunt. Hinc debitæ gratiarum actionis testis hæc tabella hîc oblata est. Omnia ad peculiarem Dei, benedictæ ejus Matris Mariæ, & sancti martyris Leontii laudem, honorem & gloriam in æternum. Amen. AUCTORE J. P.

exstinguuntur;

339 Eodem labente anno MDCLXV, die verò VII Octobris, horâ noctis nonâ, improvisus ignis in vico Wesen, lacui Wallenstattensi, (*sic appellato ab oppidulo Glaronensis pagi* Wallenstat,) adsito, septemdecim domos, conspirantibus ad interitum ventis vehementibus, exussit cum præsente periculo interitûs totius vici. Cùm verò loci parochus Beatus ander Matt ad patrocinium D. Leontii, facto voto solemnis peregrinationis ad ejus sepulchrum, confugisset, incolæque votum communi consensu confirmâssent, extemplò superveniens ventus contrarius flammas supernaturali veluti virtute retorsit & abegit, ut adeo exstincto citiùs igne ab ulteriore incendii discrimine reliqua pars vici exempta fuerit. Vigesimo statim ejusdem mensis die centum omnino personæ de eodem vico peregrinationem in Muris obierunt, gratias agentes D. Leontio & Deo per ipsum.

E

& tecta

340 Subsequente anno MDCLXVI in pago Oberbuchseten, ditionis Solodorensis, die VII Junii ignis duodecim domos cum horreis & viviariis intervallo dimidiæ horæ incendit. Erant inter colonos Jacobus Studer, & Maria Incker conjuges, qui domum, (*cui jam sicut & integro vico idem incendium imminebat, ut addit Pflegerus,*) remque suam D. Leontii protectioni voto commendabant, atque mirabiliter flammis intactam servabant.

ac domus à flammis

341 Aliam quoque in eodem tristi incendio domum, mediam ferè inter conflagrantes & furentes flammas consistentem, D. Leontius illæsam servavit. Nam cùm Joannes Köliker (nomen erat patris-familias domûs) præ timore & angustiis

F nesciret, quid ageret, uxor illius, marito insscio, voto (*peregrinandi Muros*) ad divum Martyrem se obligavit. Ex quo flamma ignis adeo domum non tetigit, quasi alto colle aut muro firmissimo fuisset circumvallata.

illæsæ

342 Miserrima quoque strage ex igne fortuito interibat viculus Rotterschwyl in parochia Lunckhofen anno MDCLXXXII die XVIII Julii, unâ unicâ casâ Jacobi Hausheer superstite. Nam cùm Jacobus edaces flammas vehementium ventorum impetu ad eam agitari conspexit, elata voce clamoreque ad D. Leontii sacra pignora votum fecit, & subitò alius adversum flammas ingruit ventus, & stramineum mapale ab incendio exemit.

servantur.

343 Decantatissimum est præterea insigne miraculum, quo D. Leontius vicum Hegglingen, (*situm uti & præcedente num. nominatum* Rotterschwyl *in Provinciis liberis,*) anno MDCLXXXV ab exitio liberavit. Cadebat die XXXI Maii, festo Ascensioni Dominicæ sacro, de irata nube fulmen ardens in domum, nec solùm eam funditus consumpsit ignis, sed alias quoque domos corripuit, ut totus vicus cum parochiali ecclesia de

AUCTORE J. P.

ruina periclitaretur, ventis suo impetu conspirantibus. Guilielmus Frey, illius ecclesiæ curio, spectato, quod imminebat, periculo, voto plebis suæ calamitatem divi Leontii subsidio impensè committit, &, adstipulantibus unanimi sententia incolis, ad eum in Muros venire promittit, si afflictis subveniret. Subvenit equidem eodem penè instanti. Nam ventus illico subsedit, ac tamquam divinitus foret imperatum, ignis extinctus est; adeo quidem, ut quamvis arborum proximarum folia arderent & comburerentur, in tectis tamen ex arido stramine compositis nihil ignis ampliùs apparuerit. Quapropter præfati incolæ statim sequente XII die Junii, instituta ad sancti Martyris sepulchrum solemni processione, voto se liberârunt.

Vulnus sanatur;

345 Subjicit denique, (*verba sunt Mayeri,*) editor horum omnium miraculorum, (*Pflegerus sæpe memoratus,*) in appendice quatuor non minùs celebria, quorum compendium etiam apponendum censeo. Serviebat Joannes Staub de Mentzingen (*Tugiensis ditionis*) cuidam molitori in ditione Solodorana; huic conservus suus ex suspicione falsa ensem ictu parricidali in caput vibravit. Tam autem copiosus è profundo vulnere sanguis profluxit, ut nulla medentium arte sisti potuerit. Postquam autem votum ad D. Leontii sepulchrum emissum est, stupentibus omnibus, continuò fluxus sanguinis substitit, & percussus juvenis brevi tempore è vulnere convaluit. Anno MDCLIX.

B

Juvenis falsò accusati innocentia detegitur.

346 Alius quidam juvenis Wolfgangus Bechlin de Bosweyla, pago Muris vicino & subdito, anno MDCLXXIX à perversis quibusdam de nefando scelere coram ecclesiastico & sæculari magistratu falsò accusatus, adeo suam innocentiam tueri, stante contra se universo ferè populo, non valuit, ut in proximo esset, equuleo ad eliciendam confessionem torqueri. Erat autem inter delatores præcipuus suus ex sancto Baptismo patrinus. Confugit in his angustiis innocens juvenis ad patrocinium S. Leontii, suaque ad eum vota dirigit, atque statim mirabili eventu innotuit, ipsum suum patrinum imputati criminis esse reum & auctorem; ut adeo verificatum in hoc fuerit oraculum prophetæ regii: Incidit in foveam, quam fecit.

Blasphemus punitur,

C

347 Memorabilis est præterea vindicta, quâ Deus sui Martyris contemptorem corripuit. Anno Domini MDCLII Zwinglianus quidam de vicina civitate Zwingliana in hospitio publico, ad aquilam nuncupato, negotiorum causâ divertit, atque inter peregrinantes se commiscuit, qui cùm multa de meritis ac miraculis S. Leontii differerent, Zwinglianus blasphemis verbis intulit, ossa Leontii non plus habere virtutis, quàm ossa asini alteriusve bestiæ. Blasphemiam divina Nemesis non quidem in arena, sed modicum post intervallum in prato plano, ac ecclesiæ Murensi ferè contiguo, per quod domum reversurus transiit, crurifragio vindicavit. Cùm enim tamquam securus incederet, fallente altero pede, lapsus est, crure medio confracto. Inde à prætereuntibus sublatus & ad chirurgum (*ipsiusmet Murensis monasterii Joannem Ludovicum Suter*) artis suæ probè gnarum allatus est. Hic pro scientia artis suæ os confractum statim in ordinem & juncturam composuit. Sed quia superveniens gangræna subsequente nocte, suprà quàm credi potest, invaluit, chirurgus post adhibita media aliàs efficacissima, nihil se proficere animadvertens, tametsi crederet, altiori virtute vim medicaminibus suis in pœnam blasphemi adimi aut cohiberi, attamen ne famæ suæ dispendium subiret, in genua se provolvit & intenso animo D. Leontium facto voto implorat, ut sibi patrocinetur. Adfuit illico imploratum auxilium, & pharmaca suum operata sunt effectum, & Zwinglianus ex fideli prece chirurgi non diu pòst convaluit.

D

Sanctus Catholicis Helvetiis

348 Postremum est, quòd S. Leontius totius Catholico-Helveticæ reipublicæ se protectorem exhibuerit in celeberrima illa cum Bernensibus ad Villmaringam, vulgò Villmergen (*in Provinciis liberis*) pugna anno MDCLVI. Ibi inter pugnandum visus tam à nostratibus, quàm adversæ partis militibus, quasi miles rubea veste indutus supra Catholicam aciem in aëre pendêre, quem D. Leontium fuisse, nemo facilè dubitare ausit. Nam agmina Catholicorum nostrorum, cùm per Muros ad propulsandum hostem procederent, singulari devotione sancti Martyris præsidium invocaverunt, multa prece & armis contactu sacrorum ejus ossium benedictis. Ea etiam de causa belli duces victores, cæso & in fugam acto hoste, ad Muros cum exercitu suo reversi, sancti Martyris corpus, relatum è Lucerna, Catholicarum rerumpublicarum urbe primaria, ad quam securitatis ergò translatum fuerat, militari pompa receperunt, & usque ad ecclesiam suam comitati sunt, ibique Deo & gratiæ ipsius, decantato solemniter Hymno Ambrosiano, gratias egerunt.

E

in pugna contra acatholicos patrocinatur.

349 *Militarem hanc pompam, uti & solemnem supplicationem, quâ illustrissimus abbas Bonaventura Honegger cum clero & religiosis suis omnibus ac ingenti populi numero sacris reliquiis obviàm processit, receptasque, post celebratum inter festivas musicæ artis modulationes & bellicorum instrumentorum sæpe repetitos fragores Missæ sacrificium, loco suo reposuit, prolixè explicat Pflegerus. Sed quod hîc observatu dignissimum est, plurimúmque conducit ad victoriæ de hæreticis relatæ splendorem, ante initum prælium constabat horum exercitus quatuordecim millibus virorum fortium; Catholici verò numerabant dumtaxat millia quatuor, qui tamen invocata ope divina & assumpto in vocale signum nomine* S. Leontii, *impetu tanto tamque felici in hostes irruerunt, ut ex hæreticis in ipsa acie ceciderint bis mille viri, capti multi, pluresque dein mortui sint tum ex vulneribus, tum ex intenso frigore, nam Januario mense id contigit. Ex agmine autem Catholicorum desiderati sunt tantùm tredecim milites, teste Pflegero, qui & hæc fusiùs describit, ac tandem libello suo finem imponit per epilogum satis prolixum, ex quo pauca ad præsens institutum pertinentia, ex Germanicis Latinè interpretor.*

F

Pflegeri superside relatorum conclusio.

350 In hac, *inquit*, Mirabili Gedeonis Lampade (*eo titulo libellum insigniverat,*) non solùm trecenta, sed ex multis aliis plusquàm trecentis evidentissima ac præstantissima, à S. Leontio martyre patrata miracula ob oculos tibi ponuntur, quæ conjunctim non à trecentis modò, sed à testibus plusquam ter mille indubiis, planè religiosis ac fide dignis probari possent, quoniam in confirmationem partis eorum maximæ non solùm tres vel quatuor, . . . sed familiæ integræ, imò integræ viciniæ ac communitates se sisterent. *Consonant hæc iis, quæ præmonuerat in præfatione; ad avertendum scilicet errorem omnem ac fraudem cautum fuisse diligenter mandato reverendissimi præsulis, ne ulla seu depicta seu scripta miracula in ecclesia appendi permitterentur, nisi prævie fuissent accurate examinata ac sufficientibus*

A *bus teſtibus confirmata. Subjungimus modò collectionem alteram miraculorum, quæ hoc noſtro ſeculo, poſt editum memoratum libellum, patrata collegit ſæpe nominatus Leodegarius Mayerus.*

MIRACULA RECENTIORA

Auctore R. P. Leodegario Mayero, Murenſis monaſterii decano.

Ex Manuſcriptis.

Herniâ

B ANno MDCCXLII Maria Barbara Kopp de Berona, vulgò Beron Münſter, vel ſolo nomine Münſter, ubi collegium eſt canonicorum antiquiſſimum, tribus horis à monaſterio diſtans, gravi laborabat herniâ annis ſeptem & dimidio, ac licèt ſubligaturâ uteretur, ægerrimè tamen & non niſi pedetentim incedere poterat. Suadente amica ac pia quadam fœmina, quæ Mariæ Barbaræ commodato pro lectione dabat libellum de miraculis S. Leontii, votum fecit ad ejus aras legendæ Miſſæ, anathematis ex cera, & tabellæ votivæ, ad capellam ſancti Martyris in gratiarum actionem ſuſpendendæ, ſi à tanto liberaretur incommodo. Statim exſolvendi voti cauſâ miſit parentem ſuum ad S. Leontium: ipſo verò die, quo pater promiſſæ pietatis operibus functus eſt, ipſa ad eccleſiam collegiatam S. Michaëli ſacram acceſſit, eminuſque eidem Thaumaturgo multâ fiduciâ ſuam neceſſitatem commendavit. Abſolutiſque Divinis, domum non modò liberiore gradu rediit, ſed propter pluviarum & aliam aëris intemperiem medium iter currendo perfecit. Ex eoque tempore ſubligaturâ ampliùs uti nequivit, & tamen longè faciliore & diſtentiore pede incedit in hunc

C diem citra ullum incommodum.

ac intenſis oculi doloribus afflictæ ſuccurritur.

2 Sequente anno MDCCXLIII eadem Maria Barbara Kopp tam intenſos in oculo patiebatur dolores, ut non poſſet nedum oculos ſurſum aut deorſum vertere, ſed & ipſum caput in ullam partem inclinare. Accedebat fluxus putoris è naribus abominabilis, & oculus patiens indies decreſcere profundiúſque cranio immergi incipiebat. Statuerat igitur à chirurgo remedium petere, atque cùm ipſe uno die domum ſuam præteriret, ad ſe vocare: verùm inter eundum (Numquid Deo inſpirante?) cogitare cœpit: Quomodo hic incertis remediis, & fortaſſis ad probandum vel tentandum dumtaxat adhibendis, oculo meo mederi poterit? Præſtat ad ſpiritualia recurrere remedia. Cúmque ſic ſecum argumentaretur, incidit memoriæ divus Leontius, in ſpem ſui patrocinii erigitur animus, accedit voluntas ejus implorandi auxilium, & duæ vix dilabuntur horæ, cùm intenſus dolor cœpit diminui. Tum primùm in vota thaumaturgum Martyrem vocavit, ſacra ejus oſſa in Muris venerari adpromiſit, atque poſt XXIV horarum ſpatium omnis dolor evanuit, nec non tertio pòſt die etiam fluxus ille putidus ceſſavit. Ita Maria Barbara Kopp in conſcientia & ſyngrapho proprio teſtata eſt. Duorum autem horum miraculorum teſtes ſunt ſubſcripti: Chriſtophorus Laurentius Troxler, plebanus & curio ſuperioris, id eſt, collegiatæ eccleſiæ; Iſaac Copp, pater Mariæ Barbaræ; & Fridolinus Lüthart chirurgus. Datum XIII Septembris MDCCXLIII. A. R. P. LEODEG. MAYERO.

Puella ſubmerſionis periculo

3 Anno MDCCXLIV die XIX Januarii poſt horam ſecundam pomeridianam Joannes Joſephus Switer, puer annorum quatuordecim cum puella ſeptenni Maria Anna Catharina Switer prope Huobam, ut vocant, Lachenſem, vehâ ſuper lacum conglaciatum ludebant, currebantque. Hos ſequebatur Maria Johanna Regina puella etiam quatuordecim cum puerulo ſeptem annorum, vehâ itidem aliâ vecta. Repetito tentamine & impulſu puer ille prior longiùs à litore receſſerat, & in extimam ferè glaciei oram, veham ſuam impulerat, utraque tamen vice incolumis reverſus. Cùm verò tertiò idem præſumpſiſſet, confracta ſubitò glacie, puer cum puella in lacum delapſus & aquâ hauſtus eſt. Labentes haud longè diſtans intuebatur Johanna Regina, &, quamquam vehementer perterrita, miſit puerulum, E quem ſecum habebat, in pagum Lachen, ut quoſdam in ſuppetias vocaret; ipſa interim ſororculam ſuam aquis & præſenti morti ereptura accurrit, atque, extento in glacie corpore jacens, manibus, &, quibus potuit, viribus arripuit, aquiſque extractam ſub brachio fortiter ſtrinxit, tenuitque.

eripitur;

4 At ecce: dum crederet ſalvâſſe ſororem, atque aſſurgere conaretur, rumpitur etiam, cui incubuit, glacies; ipſaque Regina cum chariſſimo ſuo onere labitur in aquam, &, dum labitur, omni hominum auxilio deſtituta, ad D. Leontium exclamat: S. Leonti adjuva me in hoc ſubmerſionis periculo, ne cum ſorore mea aquis ſuffocer, qui tam magno in miſeros polles patrocinio! Cauſa autem in vota vocandi D. Leontium erat, quia paulò ante hoc tempus miracula divi Martyris legendo pervolvebat, eaque ſæpiùs aliis enarrabat, atque adeo ingentem & filialem fiduciam in eo collocabat. Sicque ex corde & ore divum Auxiliatorem identidem interpellabat, ut caput ſaltem extra aquam attolleret, quatenus homines in ſubſidium advocare valeret. Et reipſa in aquis, quarum profunditas F dimenſa quatuordecim ulnas habebat, mediâ horâ collotenus, quaſi, ut ſibi videbatur, quodam ſuppedaneo ſeu baſi pedibus nixa, cum ſorore ſua, ſub brachio immerſa, permanſit; donec tandem ſupervenientes viri, applicitis ſcalis, eam morti, aquis periculiſque eripuerunt. Periit puer & puella ſeptennis Reginæ ſoror, non tam aquis quàm aſperitate frigoris enecati; ipſa verò Johanna Regina ſalva & incolumis domum rediit, ac poſtea liberatori ſuo Leontio ad ejus ſacras reliquias in Muris votum, quod fecerat, reddidit.

acerbus aurium dolor ſanatur;

5 Idem thaumaturgi Martyris patrocinium ſenſit Anna Catharina Schättin, præfatæ Johannæ matrina ex ſacramento Confirmationis, quæ hoc ipſo anno tam acerbo aurium dolore laborabat, ut quatuor dies ac noctes præ ejuſdem doloris vehementia nec cibum aut potum ſumere, nec dormire aut quietem capere valeret; fruſtraque diverſis utebatur remediis. Deficiente igitur ſua arte medico, adfuit ſua interceſſione & auxilio opportuno Leontius. Johanna Regina matrinam ſuam doloribus oppreſſam inviſens, hortatur,

A. R. P. Leodeg. Mayero.

ut ſpem ſuam in patrocinium D. Leontii poneret; Si me, inquiebat, de interitu aquarum ſalvavit, etiam tuos dolores mitigare ac tollere prævalebit. Acquieſcit matrona innocenti conſilio, votum vovet peregrinationis ad S. Leontii exuvias, deficere incipiunt dolores, poſt horam blandè indormit, è ſomno evigilans, omni dolore ſe experitur liberam; neque poſtea quidquam ejuſce mali perſentiſcit. Hæc poſteriora duo miracula ſuo teſtimonio, ita facta fuiſſe, affirmat Rudolphus Antonius Gugellberg, parochus Lachenæ, unà cum parochianis, ut ille reſcripſit, ferè omnibus die prima Septembris anno MDCCXLV.

infantes opinione mortui

6 Inwilæ in comitatu Rottenburg, ditionis Lucernenſis, loco unâ tantùm horâ à monaſterio virginum Ordinis Ciſtercienſis in Eſchenbach diſſito, Margaritha Villiger, primo die menſis Auguſti hujus ejuſdem anni MDCCXLIV, fœtum enixa eſt exanimem. Integram horam, quæ aderant obſtetrices, incaſſùm impenderunt remediis ac balneis &c adhibendis, pro eliciendo vitæ ſigno. Non erat in eo ſpiritus. Deſolatus pater Joſephus Köpflin D. Leontium implorat, votoque ſe obſtringit ad ſacra ejus lipſana cum duobus aliis, devotionis ſuæ teſtibus ac ſociis aſſùmendis, peregrinationem inſtituendi cum oblatione ad Miſſam legendam. Poſt factum votum reſpirat & reviviſcit infans, baptizatur publicè in parochiali eccleſia, ac biduo poſt iterum vitâ fungitur. Ita teſtatus eſt pater, cùm in Muris votum exſolveret, ſub fide juramenti &c.

B

vitâ ad Baptiſmum donantur;

7 Non abſimile prænobilis dominus Benedictus à Liliis, de gente patricia Lucernenſi, narravit mihi ante decem circitèr annos, teſtatuſque eſt, cùm voti ſolvendi causâ cum prænobili etiam conjuge ſua ad nos inviſit. Ipſa enim dilecta ſua conjux puerum peperit infelicem, quia exanimem. Cúmque integro horæ ſpatio fomenta quævis ad eliciendum ſpiritum fruſtraneo effectu adhibita fuiſſent, matrona perilluſtris, quæ rerum præ cæteris experta aderat, affinis prædicti domini à Liliis, imaginem S. Leontii, ſi præſtò eſſet, petiit, atque à D. parente accepit: quam cùm infantis capiti impoſuiſſet cum voto, puer ſpiritum ac vitam recepit; adeo ut in eccleſia parochiali eodem die, qui erat Veneris, cum jubilo ac ſolemniter Baptiſmi gratiam acceperit, ſed denuo veſpere diei ſequentis Sabbathi vitam exuit.

C

alii aquis,

8 Aliud de meritis ac potenti virtute ejuſdem Martyris ad nos perſcripſit parochus de Villmaringen Henricus Ludovicus Sidler his verbis: Anno MDCCXLIV die nona menſis Octobris Maria Koch, filiola ſeſquiennis Joachimi Koch & Mariæ Verenæ Meyer in pago Villmaringen diœceſis Conſtantienſis, unà cum puellis ſibi coætaneis de more ludens, ac prope crepidinem amnis, qui molam patris ſui præterfluit, prout ætas incauta ſolet, circumcurſans, aut fallente pede, aut trudente ſocia, in undas prolapſa eſt, quam ore inverſo aquis innatantem, juxta relationem ſororis ſuæ Mariæ Annæ natu majoris, lenior rivi tractus ad proximam uſque ſalicem paſſibus circitèr viginti quatuor propulit, ibique ſub radice dictæ arboris ſubmerſit, uti vultu cernuo ac arenis infixo poſtmodùm reperta fuit. Aderat imprimis puellæ matertera Maria Meyer, quæ neptem ſuam è vado ſublatam in ulnas accepit, ac mortuam atque exanimem credens, adventum patris aut matris operiebatur. Accurrêre & alii cùm propinqui tum vicini, qui omnes & ſinguli, una dumtaxat muliere excepta, nullum ſuperſtitis vitæ ſignum advertentes, & ipſi filiolam hanc mortuam credidêre. Interim parens adoleſcentulæ, vir probus ac confidens in Deum, antequam ulla rei ſacræ mentio facta fuiſſet, votum fecit divo thaumaturgo Leontio in Muris, ſi puella ſuperviveret; quæ brevi poſt nuncupata vota reſpirare cœpit, ſive juxta opinionem patris omnino reviviſcere: atque uſque in hanc horam incolumis agit. Parens verò fide ac ſponſione ſua jam dudum ſeſe exſolvit.

D

ut credebatur,

9 Simillimum dominus Jacobus Antonius Schweingrueber, parochus in Reiden ditionis Lucernenſis, nobis nunciavit, & in feſto S. Leontii poſt diligens examen è cathedra ipſe pronunciavit. Decimo nono die Junii anno MDCCXLIV circiter horam octavam matutinam ibat Magdalena Stirnimann, uxor Melchioris Heſſliger molitoris, ad inferiores aquas in Reiden, quadraginta duorum annorum mulier cum decenni filia Agatha in hortum olitarium, qui xxx ferè paſſibus à mola diſtat, adjacetque ſtagno ſeu rivo, qui ad molam leni tractu evolvitur, & quinque vel ſex rotas ſuo movet impulſu. His inſtabant filioli duo, alter Nicolaus quinquennis, alter verò biennis Franciſcus Xaverius. Cúmque mater olus abſtraheret, filiæ verò ad caules ſeparandos ſcindendoſque culter deficeret, Nicolao mandatum eſt, ut iret allatum. Mater operi ſuo intenta credebat, Xaverium cum Nicolao ex horto domum rediiſſe; ſed aliò hic incautum iter intendit.

E

ſuffocati

10 Affertur interea culter, colligitur & paratur olus; ac demum mater horto egreſſa, cùm filiolum non videret, quærit ex iis, qui ſecum in horto erant, ubi eſſet Franciſcus ſuus Xaverius. Quibus ſe neſcire profitentibus, attonita accurrit ad ſtagnum, ac prope crepidinem videt pileolum pueri aquis ſupernatantem, ex quo meritò arguebat, filiolum in aquas cecidiſſe. Anxia igitur juxta litus currendo deſcendit uſque ad repagulum, quod vocant, raſtratum; filiolo verò nuſpiam invento aut viſo, circum domum curſitat, identidem Xaverium ſuum compellando. Audit Joſephus filius natu major, adoleſcens xx annorum, inconditam queruloſamque matris vocem, & audito, amiſſum eſſe puerulum fratrem, ocyùs è domo ſe proripit, ad præfatum accurrit repagulum, &, arrepto raſtro ferreo, frutices, ramos virgaſque ibi congeſtas extrahit, ac tandem calceolum, nihil verò de reliquo corpore, conſpicit, quem ubi manu apprehendit, unà etiam puerum ad litus & terram promovit, exanimemque ſub tectum domûs detulit.

F

vitæ reſtituuntur.

11 Fecerat ſolicita mater, quod potuit, calidâ aquâ corpuſculum fovendo, ſed fruſtra: cenſuerunt omnes, puerum eſſe emortuum, niſi quòd Joſephus frater putaret, ſe advertiſſe motum quemdam in lingua, quod ipſum tamen certò aſſerere noluit. Voto igitur ſe obligat ad beatiſſimam Virginem Einſidlenſem, & ad Montem regium, ubi frequenti etiam accurſu colitur imago beatiſſimæ Virginis Mariæ ad Nives. Sed mater, quia nec poſtea vitæ ſignum apparebat, votum ſuum D. Leontio nuncupat: & ſubitò pectus tremere, poſtmodùm palpitare, deinde ire ſpiritus, ac tandem convulſionibus puer ita cœpit agitari, ut iterum de ejus vita, qui aderant, deſperarent. Quapropter filius ſæpe dictus cum matre vota ſua iteratò confirmârunt;

pau-

A paulóque pòst, ſedatis convulſionibus, puer modico cibo refectus, ſomnum cepit, dormivitque uſque ad horam tertiam matutinam, quâ ipſe è lectulo ſe proripiens, ad lectum parentum accurrit lætus incolumis ſuæ vitæ nuncius. Datum 1 Auguſti MDCCXLIV.

Puerpera ſublevatur ac feliciter parit;

12 In Homburg, dynaſtiæ Clingenbergenſis in Turgovia, anno MDCCXXIX contigiſſe atteſtatus eſt pater Joſephus Dangel ex conventu noſtro, qui eo tempore ibidem parochum agebat, ut Barbara Schweizerin, uxor Joannis Herzog lanionis in præfato pago Homburg, adveniente tempore pariendi, de ſua fœtuſque ſui vita ſummè periclitaretur; vocato verò in vota Leontio, feliciter pareret. Ipſa mulier decem omnino infantes felici ſemper partu in lucem edidit; ſed enixura undecimum, tres dies integros & noctes duas ingentibus doloribus adeo afflicta agitataque fuit, ut jam viribus omnibus deſtituta, per horam etiam mentis deliquium paſſa, crederetur unà cum fœtu morti ſuccubitura. Marito, ex triſti caſu penè extra ſe rapto, fecit obſtetrix, S. Leontio perquàm devota, afferri libellum miraculorum, in quo cùm ille totus conB ſternatus tria quatuorve legiſſet miracula, quæ in ſimilibus neceſſitatibus & anguſtiis operatus eſt Martyr thaumaturgus, in teneras ſolutus lacrymas, ſpeque & fiducia ad S. Leontium concepta, accedit ad lectum uxoris, vix reſpirare incipientis, &, Si tua, ait ad eam, meæ conſentiat voluntas, curabimus honorificari divum Leontium in Muris per ſacrificium Miſſæ, ut ejus meritis conſolationem recipiamus & auxilium opportunum. Conſenſit uxor, & mox integras recepit vires, poſt duarum horarum ſpatium feliciter peperit puerum vegetum, & præ gaudio jam non meminit preſſuræ; ſed filio nomen, ut ſimul voverat, Leontii imponi juſſit; quem parochus poſtridie in eccleſia ſacrâ undâ abluit, atque libro baptizatorum ita notavit: XXVII Novembris baptizatus eſt Leontius ex voto extremè periclitantis matris, divo martyri Leontio in Muris facto, feliciter natus, F. L. &c.

altera fœtu mortuo

13 In eadem parochia Homburg anno MDCCXXXI Catharina Hertzogin, uxor Joſephi Traber, ſexto die Decembris doloribus partûs vehementiùs ſe impetitam ſentiens, vovit facere oblationem, ut Miſſa ad ſacras reliquias D.
C Leontii legeretur pro felicitando primo puerperio. Verùm dolores atque pericula adeo invaluêre, ut, quæ fungebantur obſtetricum obſequiis, judicarent fieri vix poſſe, ut infans vivus naſceretur. Invenerunt tamen modum ipſum fœtum adhuc viventem in utero baptizandi. Tametſi autem nihil intermitteretur ad promovendum partum, irrita tamen fuit omnis opera, ut adeo die ſequente VIII fœtus in utero ſuffocatus cognoſceretur. Inde majus vitæ periculum deſperatæ matri incumbebat, cùm à fœtu ſuo, niſi per inciſionem, liberari non poſſe compertum habebatur. Mittitur igitur nuncius, qui vocaret chirurgum, quem tamen alibi agentem domi ſuæ non reperit. Interim puerpera ad mortem per receptionem ſanctorum Sacramentorum diſponitur ac paratur.

præter ſpem liberatur.

14 Abit dies, accreſcit vitæ periculum, ac timor & ſolicitudo parentis & adſtantium. Concluditurque alium chirurgum ſimiliter expertum de Gottlieba eſſe vocandum, qui operaretur inciſionem. Reſtitit ſola obſtetrix Magdalena Baurin, ſuaſitque, ut diem craſtinum operirentur, fore, uti ipſa certò ſperabat, ut S. Leontius ſuum puerperæ auxilium impendat; hortataque eſt triſtitiâ penè abſorptos conjuges, ut eidem divo Martyri peregrinationem ad Muros voverent; id quod etiam promptè fecerunt. Quievit poſtea mulier pauliſper, & ſummo manè è domo feſtinus abit nuncius ad vocandum chirurgum. Vix verò ille iter ingreſſus eſt, cùm circa quintam horam matutinam die IX Decembris puerpera ſola ſine cujuſlibet auxilio infantem mortuum citra difficultatem eſt enixa. Deo ac D. Leontio ſit gloria & gratiarum actio. Ipſi verò conjuges poſtliminio Adjutori ſuo vota in Muris ſolverunt.

A. R. P. LEODEG. MAYERO.

Præter alia plura beneficia, aëris ſerenitas obtinetur,

15 Innumera planè ſunt, quæ Thaumaturgus iſte noſter ſuis meritis & interceſſione continuò hominibus confert & contulit beneficia, quorum plurima incuriâ ſacriſtarum non notata, vel notata aliorum negligentiâ perierunt. Quotannis plures ad ejus capellam ſuſpenduntur tabellæ votivæ; ſed quia vel carent teſtimonio, vel quia ritè examinata non ſunt, beneficia cenſeri quidem, inter miracula tamen annumerari non poſſunt. Non tamen omitti debent, quæ communitas noſtra poſtremis hiſce annis ſenſit ac percepit ex ejus patrocinio auxilia. Anno Domini MDCCXLV aër tempore fœnicidii continuis quindecim diebus tam E turbidus, ac pluviarum abundantiâ erat gravis, ut in proximo eſſet fœnum non tantùm ſua virtute deſtitui, ſed in pratis putreſcere. Indicta igitur ſupplicatione ad S. Leontium, in cujus ara manè horâ ſextâ decantanda eſſet Miſſa votiva de eodem Sancto, accurrêre magno ſtudio parochiani per cadentes imbres bene madefacti. Vix Miſſa ſumebat initium, cùm uno veluti ictu cataractæ cæli clauſæ ſunt, nubes dividi attenuarique cœperunt; ad elevationem ſanctorum Myſteriorum apparuêre ſolis radii; finitâ Miſſâ, diſperſis nubibus, aër totus ſerenus illuxit.

dyſenteria

16 Anno MDCCXLVI dyſenteriæ malum in parochia noſtra Murenſi adeo deſæviit, ut, ubi domum corripuit, vix non omnes domeſtici languerent, & numerus defunctorum eo anno ad centum ſeptuaginta funera aſcenderet. Facta demum ſupplicatione & ſolemni proceſſione ad ſanctiſſimi Martyris reliquias, peſtifera lues ita ceſſavit, ut ex illa die nemo ampliùs eâ correptus fuerit.

& incendium ceſſant.

17 Anno MDCCXLVII die IX Junii vorax ignis ſex domos horreaque ſex in pago Birche incendit, ac breviſſimo temporis ſpatio cum omni F ſupellectile devoravit. Proximæ conflagrantibus erant tres aliæ domus majores, quas flamma furens allambebat, ſed ventorum turbine Meridiem verſus urgente, non ſine præſente miraculo intactas reliquit. Nam parochus, à villicis rogatus, omnium nomine votum vovit D. Leontio proceſſionem ſolemnem ad ſuas reliquias inſtituendi; atque ex hinc periculum omne diffugit, & flamma ſubſidit.

APPENDIX.

Celebre Sancti patrocinium

Beneficiorum jam narratorum collector, reverendus admodùm P. Leodegarius Mayer, celeberrimi monaſterii Murenſis decanus ac notarius Apoſtolicus ſæpè laudatus, tranſmiſſis ad R. P. Mauritium Chardonium tum collegii noſtri Conſtantienſis rectorem, inſtrumentis pro illuſtranda gloria S. Leontii *litteras addidit planè officioſas, quarum partem majorem hic recitari, haud ægrè laturum confidimus:* Mitto tandem totum, quod

de

AUCTORE J. P. de thaumaturgo martyre noſtro Leontio in ſcriniis noſtris Murenſibus inveni. At hoc ſufficere credo ad celebranda divi Chriſti Athletæ merita. Niſi fortè meminiſſe oporteat, nullos in parochia noſtra, aut ſaltem paucos admodùm, à tempore primæ tranſlationis ſacrarum ejus reliquiarum, infantes eſſe infeliciter prognatos, & qui ad gratiam Baptiſmi non pervenerint; (cùm tamen in locis circumjacentibus tales abortus ſæpiſſimè contingant.) Et ecce, dum hæc exaro, miram rem mihi R. P. Lanfrancus Dreretel nunciat.

contra abortum

2 Is ad ægrotam, hydropicam nempe & ſupra modum tumidam, ſub ipſum obſcuræ noctis initium tamquam parochiæ curio vocatus eſt, ut eam tamquam morti deſtinatam per ſanctiſſima Sacramenta ad felicem obitum diſponeret atque pararet. Ivit ille, &, quod ſui erat muneris, promptè adimplevit, ignarus omnium, quæ erant ventura; erat enim mulier fœtu gravida. Altera nocte, quæ fuit Sabbathi ante Dominicam quartam Adventûs circa horam decimam doloribus partûs obruitur, tota anxia, ne ederet abortum. Maritus, qui aderat, exhortatur uxo- B rem, ut fiduciam in Deum & Sanctos ſuos poneret. Cui illa: In quem ſpem meam collocem, niſi in S. Leontium & nominis mei patronam S. Barbaram? Atque adeo votum fecit duarum Miſſarum ad utriuſque honorem; ſtatimque cœpit parere, peperitque modico labore filiam vivam, quatuordecim hebdomadis antè, quàm impletum eſſet tempus pariendi. Fuit verò proles die Dominica ante Divina à præfato parocho publicè in eccleſia ac ſolemniter baptizata; vixitque poſtea uſque poſt horam nonam, & Creatori innocentem animam reddidit. D

& convulſiones infantium.

3 Hanc rem ita, ut præfertur, narraverunt maritus, obſtetrices & reliqui de familia domûs, obſtupeſcentes, quî fieri potuerit, ut proles non eſſet in partu ſuffocata. Phyſicus noſter Nicolaus Rudolphus Buecher, medicus in celeberrima Friburgenſi academia laureatus, cui parturientis ſtatus & conditio perſpecta erat, ſub fide mihi in præſentia prænobilis D. Franciſci Jacobi Schnider de Wartenſee, quem in teſtem adhibui, teſtatus eſt, ejuſcemodi partum non eſſe naturæ, ſed ſupernæ virtutis opus, & divinæ miſericordiæ fore attribuendum, quòd impotens genitrix cum prole immatura in vita ſit ſervata, ex eo maximè, quia ſumma phthiſi mulier præterea laboraret. Retulit ad hæc P. Lanfrancus, matres in parochia noſtra pro convulſionibus, quibus infantes & lactentes ſæpe infeſtantur, non alio uti remedio, niſi coronâ ad S. Leontii reli- E quias benedictâ; ſtatim enim atque talis corona capitibus infantium imponitur, convulſiones quieſcunt atque recedunt. *Hæc Mayerus ad Chardonium die 2 Januarii 1749.*

DIES DECIMA SEXTA SEPTEMBRIS.

SANCTI, QUI COLUNTUR XVI KAL. OCTOBR.

SAncta Euphemia virgo martyr Chalcedone in Bithynia.

S. Euphemia V. M. culta Auriæ in Gallæcia, fortè eadem.

C S. Lucia vidua } martyres
S. Geminianus } Romæ.

S. Abundius presbyter }
S. Abundantius diaconus } MM. Romæ.
S. Marcianus }
S. Joannes }

S. Innocentia V. M. Arimini in Æmilia.

S. Giſlemerius M., legionis, ut fertur, Thebææ miles, Burgi S. Domnini in Italia.

S. Dulciſſima V. M. Sutrii in Etruria Pontificia.

S. Priſcianus mart. Nuceriæ in Italia.

S. Camella aut Camela Virgo, in vico S. Camelæ diœceſis Mirapicenſis in Occitania.

S. Einbetta V. }
S. Vorbetta V. } Argentorati
S. Villbetta V. } in Alſatia.

S. Ninianus epiſcopus, Pictorum Auſtralium Apoſtolus, Candidæ Caſæ in Scotia. F

S. Principius epiſcopus Cenomanenſis in Gallia.

S. Eugenia Virgo abbatiſſa, Hohenburgi, ſeu in Monte S. Odiliæ in Alſatia.

S. Sevoldus in abbatia S. Walarici, & Abbatis-Villæ in Picardia.

S. Rogellius M. } Cordubæ in
S. Servio-Deo M. } Hiſpania.

S. Ludmilla vidua martyr, Bohemiæ duciſſa & patrona,

Te-

A Tetinæ in Bohemia.

S. Editha ſeu Eadgitha, virgo ſanctimonialis, Wiltoniæ in Anglia.

B. Victor III Papa, Caſini in Italia.

B. Ludovicus Alamandus, Cardinalis archiepiſcopus Arelatenſis, Salonæ juxta Campos lapideos in Provincia. D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

BEati Godefridi Capenbergenſis, *Ordinis Præmonſtratenſis, depoſitio reliquiarum in cœnobio Capenbergenſi hodie annuntiatur apud Joannem Chryſoſtomum Vander Sterre. De* B. Godefrido *actum eſt ad* XIII Januarii.

S. Emerentiana *virgo & martyr videtur hoc die* B *in Faſtis Hieronymianis annuntiari, obſcurè tamen & variè. Florentinius ex ſuis codicibus edidit:* Et in via Numentana ad Capua in cimiterio majore natalis S. Emerentianitis. *In Corbeienſi codice legitur:* In via Nomentana ad Cap. in Cimiterio Martæ, natalis S. Emerentiani. *In vetuſtiſſimo Antverpienſi ſine diſtinctione loci ceteris immiſcetur*, Emerentiæ. *In Richenovienſi inter alios primò ponitur*, Emerentiani; *deinde* Emerentianidis. *Sic in Auguſtano & in Gellonenſi aliis immixta eſt* Emerentianidis *memoria, in Labbeano*, Emerentiani. *Quidquid ſit de cœmeterio, de quo in Annotatis ſuis diſputat Florentinius*, Via Nomentana, *in qua ſepulta fuit S. Agnes, & occiſa* S. Emerentiana, *veriſimillimum facit, de ea Virgine & martyre hic agi. Cædes autem* S. Emerentianæ *narratur in Actis S. Agnetis cap.* 3; *de* Emerentiana *quoque breviter actum eſt ad* XXIII Januarii.

SS. Agricolai & Urſicini *epiſcoporum tranſlatio hodie notatur in Mss. additionibus Bruxellenſibus ad Grevenum. Deſignantur epiſcopi Trajectenſes ad Moſam, qui cathedræ illi conſe-* C *quenter præfuerunt poſt S. Servatium. De* Urſicino *videri poterit ſuo loco. At de* S. Agricolao *jam breviter actum eſt ad* V Februarii.

S. Sabini *epiſcopi tranſlatio Atripaldæ hoc die facta eſt, ut videri poteſt in Vita, data ad* IX Februarii.

S. Felix *Papa III hodie memoratur in Martyrologio Germanico. Apud nos de* S. Felice III *actum eſt ad* XXV Februarii.

B. Rogerius *archiepiſcopus Bituricenſis hodie annuntiatur apud Ghinium. Verùm de eo actum eſt ad* I Martii.

S. Joachim, *pater B. M. Virginis, hodie annuntiatur in Martyrologio Germanico. De eo actum eſt ad* XX Martii.

SS. Victoris, Felicis, Alexandri & Papiæ *memoria ſive* natalis *annuntiatur* Romæ *in Hieronymianis apud Florentinium. Iidem quatuor ſunt in Epternacenſi codice, & in Corbeienſi additur*, Magni. *In contractioribus apud nos etiam leguntur, videlicet in Richenovienſi omnes quatuor priores, in Rhinovienſi ex illis tres, in reliquis panciores.* Magnus, *in Corbeienſi additus, quò ſpectet, ignoro. De aliis quatuor cum iiſdem Faſtis Hieronymianis apud nos actum eſt, ubi* Victor epiſcopus *dicitur* XX Aprilis.

S. Agnetis Virginis de Monte Politiano *hodie obitus memoratur apud Molanum, & in Romano Gallico. Acta ſunt data cum Martyrologio Romano ad* XX Aprilis.

S. Athanaſius patriarcha Alexandrinus *hodie memoratur in Faſtis Æthiopum apud Ludolfum. De eo actum eſt ad* III Maii. E

S. Sebaſtiana *V. M.* Heracleæ in Thracia *hodie memoratur in Faſtis Græcis, & in Martyrologio Romano. Verùm de illa jam actum eſt tom. 6 Junii in Appendicibus ad* VII Junii.

S. Anna, *mater Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, memoratur in Martyrologio Germanico. De ea egimus* XXVI Julii.

SS. Fidei, Spei, & Charitatis, *eorumque matris* Sophiæ *meminit hodie Menologium Baſilianum. At de iis cum Martyrologio Romano jam egimus ad* I Auguſti.

B. Brocardi, *Generalis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, ad hunc diem fit mentio in Mss. additionibus Bruxellenſibus ad Grevenum. Colitur ille Sanctus, & à nobis datus eſt die* II Septembris.

SS. Euphemia & Innocentia, *ut Virgines & martyres Vicentinæ, ac ſorores ſanctorum Leontii & Carpophori, de quibus apud nos actum ad* 20 *Auguſti, hodie Vicentiæ in ditione Veneta annuntiantur à Philippo Ferrario in utroque Sanctorum Catalogo. Franciſcus Barbaranus in Hiſtoria eccleſiaſtica civitatis Vicentinæ Ferrarii aſſerta adoptavit, creditique Aquileiæ paſſas eſſe* Euphemiam & Innocentiam *aquè ac Leontium & Carpophorum. Corpora verò, quæ anno* 1358 *primùm Vicentiæ inventa dicuntur, poſtea variis vicibus tranſlata narrat Barbaranus. Res tota mihi videtur multis dubitationibus obnoxia. Certè Sanctæ illæ ſolùm innotuiſſe videntur Vicentiæ ex corporum inventione, nec quidquam profertur ex antiquis monumentis, quo poſſit oſtendi, Martyres eſſe Vicentinas, aut Sorores SS. Leontii & Carpophori, in quorum Actis apud Petrum de Natalibus altum de illis eſt ſilentium. Corpora quidem dicuntur inventa: at ignoramus, an multa oſſa fuerint, an paucula, quæ more quibuſdam uſitato* corpus *dicuntur. Quapropter, cum* Euphemia *aliqua ſit paſſa Aquileiæ cum aliis, de quibus apud nos actum eſt ad* 3 *Septembris; cúmque hoc ipſo die Sancta aliqua Innocentia colatur Arimini, de qua hodie agetur; vehemens oritur ſuſpicio, quaſdam harum martyrum reliquias olim fuiſſe Vicentiam tranſlatas, eaſque deinde inventas, nec Vicentinam* Euphemiam *diſtingui ab Aquileienſi,* F

A nec Innocentiam *Vicentinam ab Ariminenſi. Objicit quidem Ferrarius, qui eas fortè primus diſtinxit, corpus* Euphemiæ *Aquileienſis ſervari Ravennæ*; Innocentiæ *verò Ariminenſis Arimini. Verùm hac ipſa objectione palam facit, quàm leve habeat diſtinctionis ſuæ fundamentum: neque enim probat, corpora utroque loco eſſe integra, ut illorum pars nequeat eſſe Vicentiæ. Vide itaque de* Euphemia *ad* III Septembris.

SS. Sosthenes & Victor *martyres Chalcedonenſes ad hunc diem relati ſunt in codice Uſuardino Florentino. Spectant ad* X Septemb.

SS. Cornelius & Cyprianus *PP. MM. hodie iterum celebrantur in Martyrologio Romano, & Officio coluntur. Apud Rayſſium in Auctario Molani ſingulis adduntur aliqui ſocii. At de omnibus illis actum eſt in natali ipſorum* XIV Septemb.

SS. Maximi, Theodoti & Aſclepiodoti (*lege* Aſclepiodotæ) *mentio hodie eſt in Menologio Sirletiano, & in Martyrologio Romano Gallico. De iis actum eſt cum aliis Faſtis & Martyrologio Romano ad* XV Septembris.

B S. Melitina *martyr hodie memoratur in Menæis aliiſque Faſtis Græcis. At cum aliis & cum Martyrologio Romano de ea actum eſt* XV Septemb.

Martinus *abbas Hortenſis & epiſcopus Seguntinus in Hiſpania, in Menologio Ciſtercienſi apud Chryſoſtomum Henriquez hodie annuntiatur cum titulo* Sancti. *Eumdem ſubinde etiam* Sanctum *ab aliis vocari video, & nominatim in Martyrologio Hiſpanico Joannis Tamayi de Salazar. Alii titulo* Beati *fuerunt contenti. At plerique martyrologi* Martinum *prorſus omiſerunt, & fortaſſe rectiùs. Ego certè multùm inveſtigavi, an idonea reperire poſſem argumenta ad titulum* Beati *eidem* Martino *vindicandum, & conſequenter ad Vitam ipſius Operi noſtro inſerendam; ſed vel ſic ab ea abſtinendum cenſeo. Ne quis verò exiſtimet, me temere omittere virum, magni revera faciendum; expendam breviter omnia argumenta, quæ videntur afferri poſſe ad cultum probandum. Egregias quidem* Martini *abbatis, ac deinde epiſcopi, relictoque epiſcopatu iterum monachi, virtutes prædicari, donaque*

C *cæleſtia & miracula affirmari video; ſed ea ſola non ſufficiunt ad titulum* Beati, *nedum* Sancti, *vindicandum* Martino, *præſertim cùm nullus allegetur ſcriptor ſatis antiquus, qui prædictum titulum eidem attribuerit. Nam omnia, quæ Henriquezius & Manricus protulerunt, ſolùm oſtendunt, magnam fuiſſe exiſtimationem de ſanctitate morum* Martini; *at non evincunt, ut* Sanctum *fuiſſe habitum aut cultum. Tale eſt epitaphii initium, his verbis conceptum:*

Martinum fortis rapuit veſania mortis,
Pontificem Sanctum, juſtum, ſobriumque, beatum *&c.*

Valent hæc ad exiſtimationem antiquorum de ſanctis Martini *moribus oſtendendam; non item ad vindicandum eidem* Beati *aut* Sancti *titulum. Ad hoc nihilo aptiora ſunt verba, quæ afferuntur* ex libro ſepulcrorum Hortenſium, *quibus corpus* Martini *vocatur* corpus ſanctum epiſcopi domini Martini *&c., ut videri poteſt apud Manricum in Annalibus Ciſtercienſibus anno* 1213 *cap.* 6 *num.* 4. *Quæ verò ibidem ſequuntur num.* 10 *de elevatione corporis, facta anno* 1558 *majorem de eccleſiaſtico cultu ſuſpicionem ingererent, ſi vetuſtiora forent.* D Corpus, *inquit Manricus*, ut erat marmori incluſum, elevatum à terra, ad ſiniſtram altaris collocatum eſt, ſuperpoſita ejuſdem Sancti imagine, reſpiciente altare, è regione conſimilis ſepulchri, duo corpora ſacra continentis duorum martyrum *&c.* Tum Martini tumulo ſubſcripta ſequentia verba *teſtatur Manricus:* Vir pius ac venerandus Martinus primus abbas, ac tranſlator hujus ſancti cœnobii, epiſcopus deinde Seguntinus, cujus ſanctitati ſimul ac magnificentiæ cana illa antiquitas accepta retulit omnia ferè, quæ in hanc uſque diem hæc ſancta domus poſſidet, hoc editiori ſepulchro tegitur. Nam viri beati corpus trecentis XLV annis imo loco latuerat *&c. Hoc epitaphium rurſus nihil habet, quo aut cultus, aut* Beati *titulus* Martino *aſſeri poſſit. At potiùs tollit ſuſpicionem de cultu, quæ aliàs ex elevatione oriretur. Nam nec omnis elevatio corporis cultum inducit, nec hæc tam antiqua eſt, ut cultum poſſit inducere immemorabilem, cùm non ſit facta centum annis ante decretum Urbani VIII, anno* 1634 *latum. Imò ipſi Ciſtercienſes agnoſcere videntur, non coli* Martinum *Officio ullo, ſaltem ſub nomine ſuo. Nam contendunt, eum celebrari die* V *Maii nomine* S. Sacerdotis, *& Martini caput eo nomine venerationi eſſe fidelium in eccleſia Seguntina. Verùm alii rectiùs id negant. Etenim difficulter credi poteſt*, Martinum, *qui nomine ſuo notiſſimus eſt, alieno coli nomine. Quæ verò ad probandum rem adeo incredibilem allegantur, ipſa non ſunt credibilia, & ſine idoneis teſtibus aſſerta.* E

Papies *& aliorum plurium martyrum, quos Romæ annuntiari credit Florentinius, mentio fit in Hieronymianis, confuſè admodum ac diverſimodè, &, ut mihi quidem videtur, ſine loco. Quare ſatis mihi erit trium diverſorum codicum verba huc transferre, cùm plura de iſtis neſciamus. In textu Florentinii ſic habetur:* Et ſanctorum Paſies. Felicis. Victoris. Sperate. Navati. Chorenti. Secunde. Lupati. *Plures habet codex Corbeienſis hoc modo:* Et natalis ſanctorum Papies, Felicis, Victoris, Sperati, Navini, Chorinti, Secundæ, Donati, Generoſæ. Item Secundæ, Lupati. *In Antverpienſi ſeu Epternacenſi codice pauciores reperiuntur ad hunc diem, & hi cum aliis Romæ videntur attribui. Verba accipe:* Romæ Papæ Felicis (*fortè legendum* Papiæ, Felicis) Victoris, Alexandri, Emerentiæ & Euphemiæ, Sperati, Novati, Corinti, Secundæ, Donatæ, Beſiæ, Generoſæ: item Secundæ. *Quatuor ex hiſce priores in aliis quoque codicibus* Romæ *annuntiantur, ut ſuprà dixi, quando monui, jam de illis apud nos actum eſſe ad* 20 *Aprilis. Hinc in illis codicibus tres priores videntur repeti, cùm hîc tantùm ſemel habeantur. Verùm cùm hîc* Emerentia *aut* Emerentiana, *imò & celeberrima* Euphemia *aliis immixta habeatur; ſatis liquet, multa in vetuſtis iſtis codicibus perturbata eſſe & mendoſa.* F

Salti & Tyrſi *mentio fit apud Florentinium in Martyrologio Hieronymiano. In Corbejenſi codice pro* Salti *legitur* Saluti, *in Epternacenſi* Salvi. *In aliquot etiam codicibus contractioribus* Tyrſi *fit mentio. De iis plura non reperio, & quoniam in aliis codicibus junguntur* S. Cæciliæ; *in Epternacenſi verò clarè annuntiantur ſine loco, ſufficiet mentio de iis hîc data.*

Gre-

A Gregorius patriarcha *apud Ludolfum in Faſtis Æthiopum hoc die ponitur. Cùm non addatur, an ſit Alexandrinus, an alterius ſedis, non facilè dixero, quis è pluribus deſignetur.*

S. Auxilius *epiſcopus, in Actis Sanctorum Hibernorum apud Colganum memoratur ad* XIX *Martii, uti & apud nos eodem die in Prætermiſſis. Obſervat porrò Colganus,* Auxilium *ab aliquibus etiam poni hoc die* XVI *Septembris. At non exprimit, ubi umquam cultus fuerit: indeque dubitationem ingerit, an ullum umquam cultum habuerit, præſertim cùm in variis Catalogis Sanctorum Hibernorum altum de* Auxilio *ſit ſilentium.*

Mombalus confeſſor *memoratur apud Camerarium in Menologio Scotico, at ſine ullo loco aut adjunctis aliis. Tam vagæ annuntiationi fidere nequaquam poſſumus.*

Joannes ſextus magiſter Ordinis Prædicatorum *cum titulo* Beati *legitur in Mss. additionibus Bruxellenſibus ad Grevenum. Fuit ille* Joannes, *à patria* Vercellenſis *dictus, vir ſanè virtutibus & rebus geſtis præclarus. At* Beati *titulum ei ne apud ſcriptores Dominicanos quidem vindicatum invenio. Quare Vita* Joannis Vercellenſis *videri poteſt apud Touronum in Opere Gallico de Viris illuſtribus Ordinis S. Dominici tom.* I *pag.* 418. *Secundum Touronum obiit die* XXX *Novembris anni* 1283.

B. Rogerius Ordinis Minorum, cujus geſta habentur, *hiſce planè verbis memoratur in Mss. additionibus Bruxellenſibus ad Grevenum. Idem veriſimiliter eſt, de quo ad præcedentem diem egimus in Prætermiſſis ſolùm, quòd de cultu nobis non conſtet.*

Benincaſæ *Tudertini ex Ordine Minorum, cum titulo* Beati, *Vitam ad hunc diem dat Jacobillus in Opere Italico de Sanctis & Beatis Umbriæ, tom.* 2 *pag.* 250. Beati *titulum eidem, uti & aliis pluribus, more ſuo adſcripſit Arturus à Monaſterio, qui conſuli poterit, quoniam eccleſiaſticum cultum non invenio.*

Mariæ à Fonte, *tertiariæ Franciſcanæ, cum titulo* Beatæ, *meminit Arturus à Monaſterio in Gynæceo, & in Martyrologio Franciſcano; ſed ſine cultu eccleſiaſtico.*

Milo *abbas Carolilocenſis memoratur apud Henriquez in Menologio Ciſtercienſi; ſed ſine cultu.*

C S. Agathocliæ *martyris meminit hoc die Menologium Baſilianum: at Martyrologium Romanum cum aliis Græcis ad ſequentem* XVII Sept.

S. Franciſci ſtigmata, *quæ ſequenti die celebrantur, in aliquot auctariis Uſuardinis hodie memorantur. De iis agetur in Actis ejuſdem Sancti ad* IV Octobris.

S. Donati *monachi Benedictini & martyris hodie meminit Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo. In Romano eſt* V Octobris.

S. Victor *epiſcopus Bracharenſis hodie annuntiatur apud Caſtellanum, non item in Martyrologio Luſitanico, quod ad manus noſtras pervenit. Caſtellano præluxit Rodoricus da Cunha, archiepiſcopus Bracharenſis, in Opere de Primatu Bracharenſi pag.* 211, *ubi de* Victore *ita loquitur.* S. Victor martyr, paſſus eſt XVI Kalend. Octobris. *At ſcribendum fuit,* XVI Kalendas Novembris, *quantùm conjicio. Certè idem ſcriptor in Opere majore de Epiſcopis Bracharenſibus, quod Luſitanicè compoſuit & Hiſtoriam eccleſiaſticam nominavit, part.* I *cap.* 101 *& rurſum part.* 2 *cap.* 70 Victori *ſocios jungit* Alexandrum & Marianum, *de quibus Petrus de Natalibus lib.* 12 *cap.* 293 *ita loquitur:* Victor epiſcopus: Alexander & Marianus martyres, ipſo die (XVI Calend. Novemb., *ut præcedit*) paſſi ſunt. *Baronius eoſdem etiam illo die inſeruit Martyrologio Romano, ſed* Victorem *ſine* epiſcopi *titulo, & ſine loco. Quare de illis agemus ad* XVII Octobris.

S. Martinus *Papa & martyr, de quo etiam heri, memoratur hodie in Menologio Sirletiano, & in Menæis. Apud Latinos feſtivitas celebratur die* XII Novembris.

S. Cæciliæ *virginis* paſſio *hodie* Romæ *memoratur. Dubitat Florentinius, an hæc ſit celeberrima illa* Cæcilia, *martyr Romana; creditque, plures ejuſdem nominis martyres Romæ fuiſſe. Hoc facilè credidero, cum alia apud nos cum ingenti martyrum manipulo data ſit ad* 2 *Junii. At ſi revera hæc ſit alia, de ea nihil ſcimus, niſi ipſam annuntiari in codicibus Hieronymianis & aliis id genus antiquis Martyrologiis; videlicet in codicibus Florentinii & in Corbeienſi, ubi duo videntur addi ſocii, ſed hi* alibi *ponuntur in Epternacenſi. Corbeienſe brevius* Cæciliam *etiam ſine ſociis* Romæ *attribuit. Alia quædam contracta eam de more ceteris miſcent. Res ſpectat ad* XXII Novem. F

A D

DE S. EUPHEMIA VIRG. ET MART.

CHALCEDONE IN BITHYNIA.

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Brevia quædam Sanctæ elogia : ejus memoria in sacris Fastis, & cultus diebus variis.

AN. CCCIII AUT CCCIV. *S. Euphemia ut virgo & martyr*

B

Celeberrima semper fuit S. Euphemia, *virgo & martyr Chalcedonensis, non modò in Ecclesia Orientali, ubi passa est, sed etiam in Occidentali, maximè post concilium Chalcedonense, in ecclesia Sanctæ anno* 451 *habitum. Breviter* Euphemiam *Chalcedonensem celebrat S. Paulinus Nolanus in Carmine natalitio de S. Felice pag.* 638 *editionis Veronensis, ubi ipsius reliquias ecclesiæ Nolanæ adscribit duobus hisce versiculis :*

Et quæ Chalcidicis Euphemia martyr in oris
Signat virgineo sacratum sanguine littus.

Asserit, variorum Sanctorum reliquias esse Nolæ, iisque Euphemiam *datis verbis annumerat. Attamen ex eo non colligitur, multa ibi aut grandia fuisse Sanctæ ossa, cùm mox addat Paulinus :*

Magna & in exiguo Sanctorum pulvere virtus.

Virginitatem & martyrium, æquè ac S. Paulinus, Euphemiæ *similiter attribuit S. Petrus Chrysologus, antistes Ravennas, qui de ea in Sermone* 97 *ita meminit :* Sed Euphemia sancta plus solvit in fructu, quàm promisit in flore, quæ, manente virginitatis flore, copiosum martyrii pervenit ad fructum.

ab omnibus celebrata,

2 *Fortunatus episcopus Pictaviensis lib.* 8 *carm.* 4 *de Virginitate, post sanctissimam Dei Genitricem, inter Virgines primam celebrat* Euphemiam, *ita scribens :*

C

Inde Dei Genitrix pia Virgo Maria coruscat,
Virgineasque Agni de grege ducit oves.
Ipsa puellari medio circumdata cœtu,
Luce pudicitiæ splendida castra trahit ....
Euphemia illic, pariter quoque plaudit Agathe,
Et Justina simul, consociante Tecla. *&c.*

Idem deinde locum martyrii assignat hoc versiculo.

Justinam Patavum, Euphemiam hæc Chalcedon offert.

Quanti S. Euphemiam *fecerit Marcianus imperator, & concilium totum Chalcedonense, quod anno* 451 *in basilica Sanctæ habitum est, liquet ex Actione sexta, apud Labbeum tom.* 4 *col.* 612, *ubi Marcianus concilii Patres alloquitur hoc modo :* Ad honorem sanctæ martyris Euphemiæ, & vestræ pariter sanctitatis, Chalcedonensium civitatem, in qua sanctæ fidei concilium gestum est, metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salva nimirum Nicomediensium civitati propria dignitate. Omnes clamaverunt : Justum judicium imperatoris *&c. De illa basilica, ubi hæc acta sunt, latiùs agemus postmodùm. Zozimus ipse, licèt acerbissimus Christianorum hostis, de honore* S. Euphemiæ *delato* propter cultum Christo præstitum *lib.* 5 *Histor. pag.* 794 *breviter meminit.*

3 *Prolixiùs* S. Euphemiam *ejusque certamina celebravit S. Ennodius Ticinensis episcopus, cujus hic de illa apud Sirmondum nostrum editus est hymnus :* *& præsertim a S. Ennodio Ticinensi :*

E

Quæ lingua possit, quis valeat stylus,
Tantæ triumphos Virginis eloqui?
Nunc mente molles discite masculi :
Exempla præstat; sumite desides,
Puella fortis, cùm superat viros.
Virtus teneri nescia semper est,
Nec jura sexûs, fractaque mens ei,
Quæ corde Christum conciperet semel.
Solvunt caducis pectora vinculis,
Quibus repostus mentibus est Deus.
Tormenta torsit fortia corpore :
Lassante pœna, crevit amor crucis.
Si scire posses vincere Martyrem,
Vesane tortor, parcere disceres.
Flammas, flagellum, carnifices, rotas,
Cui crux sequenda est, non metuit nimis.
Hanc cum caminis igne crepantibus
Jussisse fertur præcipitem dari
Priscus, veneni fonte nocentior,
(Nam sic feralem tempore sordido
Dixere sanctæ Virginis arbitrum.)
Hujus ministri dum cuperent nimis
Fornacis escæ tradere Martyram,
Lux tunc olympi luce serenior
Opus removit sæva volentium,
Cum voce monstrant qui gladium simul :
Nos hinc precamur dirige tartaro ;
Nam nostra Sanctam non violat manus.
Turgescit illi felle jecur calens :
Mox saxa, fossas, verbera, bestias ;
Majus venenum, blanditias parat,
Quibus Virago fortiter obstitit.

F

Hactenus S. Ennodius, cujus hymnus admodùm erit opportunus ad refutandam crisim quorumdam neotericorum, Acta Sanctæ nimis improbantium, cùm omnia ferè Actis contenta Ennodius breviter attigerit.

4 *Porrò memoria* S. Euphemiæ *non modò in Operibus virorum eruditione & sanctitate insignium celebrata fuit; sed etiam sacris Fastis omnium ferè gentium adscripta, & pluribus quidem diebus. In Hieronymianis apud Florentinium paucis verbis de more memoratur ad hunc diem :* Calcedonia natalis sanctæ Eufemiæ virginis. *Correctiùs in codice Corbeiensi his verbis :* Calcedone natalis sanctæ Euphemiæ virginis. *In vetustissimo codice Epternacensi videtur* Romæ *annuntiari, aut cer-* *in Fastis memorata hoc die, alibi etiam sequente, & aliàs Romæ,*

AUCTORE J. S.

A certè jungitur aliis Sanctis, qui & Romæ annuntiantur, ibique fuerunt passi. Idem fit in aliis quibusdam Martyrologiis magis contractis, quæ edita sunt apud nos tom. VII Junii, & apud Martenium tom. 3 Thesauri Anecdotorum, ac tom. 6 Collectionis amplissimæ. Ratio esse videtur, quòd S. Euphemia jam Romæ coleretur, quando illa Martyrologia fuerunt conscripta. Porrò in præcipuis apographis Hieronymianis S. Euphemiæ memoria repetitur ad XVII Septembris, ibique commemoratur cum aliquot Sociis, ponitur que Chalcedone in ipso etiam Epternacensi apographo. Suspicatur Florentinius in Annotatis, id factum esse, ne ab aliquibus in agone sociis, alio die coronatis, disjungeretur. Malim credere, illo etiam die memorari, quia in aliqua ecclesia illo fuerit culta ob impeditam ibidem alio Officio diem præcedentem. Quidquid sit, eadem certè est Euphemia, quæ utroque die annuntiatur.

& alia in Martyrologiis variarum gentium,

ubi antiquum habet cultum, sed non ut martyr Romana. Elogia

5 Cultum S. Euphemiæ valde vetustum esse Romæ hoc die XVI Septembris, colligitur ex Libro Sacramentorum S. Gregorii, in quo XVI Kalendas Octob. ponitur natalis S. Euphemiæ martyris, tresque orationes in Missa recitandæ præscribuntur. Deinde similia sequuntur de SS. Lucia & Geminiano. Attamen Romæ cultam non fuisse ut Martyrem Romanam, sed ut Chalcedonensem, colligitur ex veteri aut parvo Martyrologio Romano, per Rosweydum edito, in quo ad eumdem diem Sanctæ memoria annuntiatur his verbis: Chalcedone, Euphemiæ virginis. Prolixius elogium eidem Sanctæ contexuit Beda, illudque more suo adoptavit Rabanus. Totum huc transfero: Natale S. Euphemiæ virginis, quæ martyrizavit sub Diocletiano imperatore, proconsule autem Prisco, in civitate Calcedonia: quæ tormenta & carceres, verbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, bestias & clavas * virgarum, serras acutas & sartagines ignitas, rursum morsum bestiæ pro Christo superavit, & ad mille passus civitatis Calcedonis sepulta est à patre suo Philosophrone * senatore. Hæc ex Actis fideliter deprompta sunt.

** apud Rabanum plagas*

** al. Philophrone*

ex Actis deprompta,

C 6 Similiter Ado Viennensis Acta secutus est, ex iisque Sanctam celebravit hoc modo: Natale S. Euphemiæ virginis, quæ martyrizata est sub Diocletiano imperatore, proconsule autem Prisco in civitate Chalcedona. Quæ, deferente iniquissimo Apelliano, cum aliis quadraginta novem tradita est proconsuli Prisco. Cui Priscus dixit: Honora te ipsam, & generis tui dignitatem ne amittas, & immola deo Marti. Beata Euphemia ejus iniquam suasionem contemnens, pectus suum signaculo crucis muniens, imperterrita stetit. Priscus iratus, ut eam superare posset, post tormenta & carceres, etiam verbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, bestias & plagas virgarum, fecures & sartagines igneas ei adhibuit: ad ultimum in theatrum duci, & leones ac bestias ei laxari jussit. Tunc beata Virgo fundens orationem ad Dominum, dixit: Tu, Domine, notus omnibus, qui te invocant fide pura & integra, suscipe animam ancillæ tuæ. Et sicut suscepisti sacrificium patris nostri Abrahæ, ita suscipere digneris sacrificium humilitatis meæ, quod tibi ob confessionem laudis tuæ immolatur. Tunc una solummodo de bestiis accurrens, morsum sancto corpori ejus infixit: & immaculatum spiritum Virgo Domino reddidit. Veniens autem mater ejus Theodora, & Philosophron pater ejus, curatum corpus ipsius sepelierunt, quasi mille passus à civitate Chalcedona. Completum est autem martyrium ejus decimo sexto die mensis Septembris. Huc usque Ado ex Actis, quæ minimè suspecta habuit.

7 Brevius elogium dederunt Usuardus & Notkerus, Wandelbertus verò unicum versiculum. Illa itaque missa facio. Martyrologium Autissiodorense apud Martenium tom. 6 Collect. Ampl. eodem die sic habet: Civitate Calcedona, natale S. Euphemiæ virginis & martyris cum aliis XLIX. Verùm Socii illi quadraginta & novem, licet cum Euphemia comprehensi sint, & aliqua passi tormenta, cum ea mortem subiisse non leguntur, sed ad Diocletianum imperatorem dicuntur missi. In antiquo Kalendario ecclesiæ Carthaginensis, quod recudit Ruinartius in Actis Martyrum sinceris ad calcem, ad eumdem diem S. Euphemia annuntiatur his verbis: XVI Kal. Oct. sanctæ Euphemiæ. Hinc colligitur, Sanctam in Africa eodem die cultam fuisse. Hispani etiam S. Euphemiam ab aliquot saltem seculis coluerunt. Laudat Baronius Breviarium Toletanum, in quo est de Sancta vetus sacer hymnus; cujus exemplar exscriptum habeo. Missam ejusdem Sanctæ invenio in Missali Toletano, ducentis jam annis impresso. Ante annos circiter centum Parisiis impressum est Officium S. Euphemiæ, in quo tam hymni quàm lectiones ex Actis Sanctæ sunt compositi. E

tui & Romanæ Ecclesiæ, in qua colitur hodie:

8 Verùm de hisce plura non affero, uti neque Martyrologia recentiora, in quibus memoria Euphemiæ reperitur, accumulare lubet, quia prodesse nequeunt ad gesta ipsius elucidanda aut confirmanda. Sufficiat nobis Martyrologium Romanum, in quo Sancta accuratè memoratur his verbis: Chalcedone natalis S. Euphemiæ virginis & martyris, quæ sub Diocletiano imperatore & Prisco proconsule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, bestias, plagas virgarum, serras acutas, sartagines ignitas pro Christo superavit: sed rursus in theatrum ad bestias ducta, cùm orâsset ad Dominum, ut jam spiritum suum susciperet, una ex iis morsum sancto corpori infigente, ceteris pedes ejus lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit. In Breviario Romano præscribitur Commemoratio de S. Euphemia simul & de SS. Lucia & Geminiano, ac de iisdem nona lectio: nam Officium fit de SS. Cornelio & Cypriano. Verumtamen S. Euphemia solemni etiam Officio honoratur in particularibus ecclesiis tam Romæ quàm in aliis civitatibus Italiæ, aliarumque Ecclesiæ Latinæ provinciarum. F

Græci & Moschi Sanctam solemni Officio colunt XVI Septembris,

9 Eodem die XVI Septembris festivitatem S. Euphemiæ solemni Officio celebrari apud Græcos, liquet ex eorum Menologiis, Synaxariis ac libris ritualibus. Nam in omnibus ut celeberrima & μεγαλομάρτυς celebratur, excepto tamen Menologio Basiliano, ex quo hoc elogium fortè excidit, uti excidisse videntur alia quædam. Certè in toto illo Menologio præcipua Euphemiæ festivitas nullibi memoratur: nec tamen verisimile est, omissam fuisse à collectore Menologii, cùm jam antè Constantinopoli celebraretur. Clarè hoc ostendit Epistola de morte S. Martini Papæ martyris, Constantinopoli verisimiliter scripta anno 655, quæ edita à Sirmondo, in recusis ipsius Operibus tom. 3 col. 331 ita habet: Obiit autem idem sanctissimus ac ter beatus Apostolicus Martinus Papa..... mense Septembrio, die sextadecima, in qua felicissimæ martyris, & fidem custodientis orthodoxam, Euphemiæ pretiosissima & beatissima secundum anni circulum celebratur memoria. Idem satis patet ex Officio, quod illo die in

AUCTORE J. S.

Menæis & in libris aliis ritualibus, tam recenter quàm olim editis, peragendum præscribitur. Elogia brevia occurrunt in Menæis ac Synaxariis impressis ac manuscriptis; sed illa non affero, quia ex Actis desumpta sunt, & jam datis nihil addunt. Moschi, Græcos passim sequentes, Euphemiam, *eodem etiam die celebrant. In Fastis tamen Ægyptiorum & Æthiopum* Euphemiam *illo die non invenio, sed alio, ut dicetur inferius.*

alia apud illos Sanctæ festivitas die XI Julii.

10 *Altera* S. Euphemiæ *apud Græcos celebratur festivitas die* XI *Julii, eaque in omnibus eorum Fastis æquè nota est ac præcedens. Verumtamen de ratione illius celebritatis Menologia ac Synaxaria eorum non omnino consentiunt. In Menologio Sirletiano illa quoque festivitas annuntiatur ut natalis* S. Euphemiæ. *Verùm in Menæis impressis pro ratione festivitatis allegatur miraculum, quod tempore concilii Chalcedonensis factum dicitur. Eadem ratio narratur in Menologio Basiliano, ubi leguntur ista:* Et memoria miraculi celeberrimæ martyris Euphemiæ. *Tum res ita narratur:* Theodosio juniore imperante, prodiit Eutyches monachus & presbyter, hæreseos auctor..... Cùm autem sanctus Marcianus, imperium adeptus, synodum sexcentorum ac triginta patrum convocâsset, & cum hæreticis disceptaretur, placuit universis, duos tomos, alterum orthodoxorum, alterum hæreticorum exponi, apertâque Martyris urnâ, tomos ejusdem pectori superimponi, & ab illa probatum teneri. Hoc facto, post sex dies urnam reserantes, repererunt hæreticorum quidem tomum sub pedibus ejus positum, orthodoxorum verò ejusdem manu retineri. Atque ita hæretici confusi sunt, orthodoxi verò summo gaudio affecti. *De eodem miraculo breviter fit mentio in Anthologio Græcorum, quod anno* 1738 *impressum habemus, ubi & Sanctæ festivitas ad* XI *Julii celebranda præscribitur.*

B

quæ eodem die apud Ægyptios colitur, fortè alia est;

11 *Non alia igitur apud Græcos videtur fuisse agnita ratio illius festivitatis* S. Euphemiæ, *ita ut nequeam assentiri Galesinio, ipsumque secuto Ferrario, qui inventionem corporis ad* XI *Julii celebrari crediderunt, cum nullas illius conjecturæ rationes allegent. In Fastis sacris ecclesiæ Alexandrinæ, quos edidit Jobus Ludolfus,* Euphemia *memoratur ad* XVI *mensis undecimi, sive ad* XI *Julii nostri. At non omnino certum est, illam celebrari, de qua nos agimus, præsertim cùm etiam in tribus vetustis Martyrologiis Latinis* Euphemia *Alexandriæ annuntiari videatur cum Eutico vel Eutychio, de quo brevissimè egit Sollerius noster ad* XI *Julii, ubi credidit, Eutychio nihil commune esse cum* Euphemia, *quia hæc in plerisque Hieronymianis omittitur;* Euphemiam *verò ibi positam esse hanc nostram celeberrimam. Probabilis apparet hæc conjectura; certa tamen non est, cum* Euphemia *in Epternacensi non solùm codice, sed etiam in Rhinoviensi Martyrologio, & in Richenoviensi cum Eutichio jungatur, ita ut fortè alia fuerit Alexandriæ passa aut in Ægypto, quæ ibi memoratur.*

C

hodierna verò ibi videtur coli 6 Maii.

12 *Certè Theophanes ad annum* 440 *pag.* 82 *hæc scribit:* Hoc anno sancta martyr Euphemia sexto Kalendas Octobris Alexandriam translata est. *Hæc procul dubio alia est à nostra Chalcedonensi. Tribus revera diebus* Euphemiæ *nomen in Fastis Æthiopicis recurrit, videlicet* VI *Maii,* VI *Junii &* XI *Julii. De secunda ad* VI *Junii egit Papebrochius noster, ubi simul de aliis hæc notat:* Alias duas Euphemias invocat idem poëta, (*quem ibi laudat*) unam VI Maii, bestiæ morsu necatam, quæ est celebris megalomartyr Chalcedonensis; alteram, crucifixam & igne exustam, XI Julii, de qua plura discere exoptamus. *Itaque certum videtur,* S. Euphemiam *in ecclesia Alexandrina fuisse cultam; sed potiùs* VI *Maii, quàm* XI *Julii. Verùm hoc quoque die* Euphemia *aliqua, & quidem martyr, ibidem culta fuit; eaque probabiliùs distincta est à Chalcedonensi hodierna.*

D

Plures Euphemiæ in Opere nostro memoratæ,

13 *Præterea plures* Euphemiæ *in Opere nostro recensitæ sunt: certumque videtur, aliquas ex iis distinctas esse à celeberrima Chalcedonensi. Talis data est ad* XX *Martii, quæ Amisi in Ponto cum aliis passa legitur. Talis est, quæ passa est Camerini in Italia, ad* XI *Maii cum Sociis memorata. Talis Euphemia martyr Aquileiensis ad* III *Septembris data. Talis etiam Euphemia abbatissa Bavarica, de qua actum est ad* XVII *Junii. Non tamen certò ab hodierna distinguitur* Euphemia, *quæ ad* XII *Aprilis cum sociis aliquot memoratur in Hieronymianis sine loco, & sic apud nos commemorata est. Minùs etiam distincta videtur, quæ in codicibus item Hieronymianis, & in Opere nostro, habetur* XIII *Aprilis, ac Chalcedoni attribuitur cum Sociis, uti etiam illa, quæ ad* XVII *Augusti similiter Chalcedone annuntiatur, & de qua apud nos in Prætermissis actum est eodem die. Verùm longè verisimilius apparet,* Euphemiam *duobus posterioribus diebus memoratam, cùm annuntietur Chalcedone, ab hodierna non esse aliam, imò ne illam quidem, quæ sine loco ponitur* XII *Aprilis, distinctam suspicor. Itaque verisimile est, tam* XIII *Aprilis quàm* XVII *Augusti, fuisse festivitatem aliquam* S. Euphemiæ *non satis notam.*

E

quarum aliquæ cum nostra eædem.

14 *Duobus item diebus* Euphemia *aliqua Constantinopoli annuntiatur, videlicet die* III *Julii, ubi apud nos data est cum multis aliis martyribus, inter quos prima ponitur. Hæc si sit Chalcedonensis, Constantinopoli cum sociis multis culta fuerit* Euphemia *nostra ante translatum eò corpus: nam ante hanc translationem corporis verisimiliter scripta sunt laudata Martyrologii verba. At minimè certum est, Chalcedonensem esse* Euphemiam, *quæ illo die cum sociis pluribus annuntiatur. Contrà Chalcedonensis omnino videtur, quæ ad* XVI *Maii memorata est in Prætermissis, atque huc remissa. Verba ibi data huc transfero:* "S. Euphemiæ celebritas ad Navale portûs ob „ sanctam virtutem „ seu miracula, indicatur in Ms. Synaxario ecclesiæ Constantinopolitanæ & Menæis. *Erat hæc festivitas particularis, quales verisimiliter fuerunt & aliæ diebus antè memoratis. Ferrarius in Catalogo generali ad 2 Julii translationem commemorat his verbis:* Constantinopoli translatio S. Euphemiæ virginis & martyris ex Lemno insula. *In Annotatis verò ait, hæc dari* ex Menologio Græcorum. *Verùm non potui in ullo Græcorum Menologio festum translationis illo die annuntiatum invenire, ita ut dubitare saltem cogar, an illud in Menologio aliquo reperierit Ferrarius, non semper satis accuratus in allegandis monumentis.*

F

Nulla est Sanctæ festivitas ad XXV *Octobris.*

15 *Baronius in Annalibus ad annum* 451, *agens de septima aut potiùs sexta sessione concilii Chalcedonensis, habita* XXV *Octobris, ait, illo die fuisse festivitatem* S. Euphemiæ. *Idem ex Baronio, opinor, asserit Florentinius in Annotatis ad* XIII *Aprilis. Verùm errori obnoxiam puto hanc opinionem, cùm de illa festivitate* S. Euphemiæ *nihil inveniam. Ignorantia linguæ Græcæ videtur peperisse hunc errorem. Nam in textu Græco, cui & Latinus apud Labbeum tom.* 4 *col.* 567 *conformis*

A *mis est, die* XXV *Octobris, Synodus convenisse dicitur* ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τῆς ὁσίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας, in sanctissima ecclesia sanctæ & victricis martyris Euphemiæ, *sine ulla mentione festivitatis. At Baronius ait, sessionem habitam in* die natali... glorioſissimæ virginis & martyris Euphemiæ, atque Callinici martyris. *Certè* Callinicus *ex voce* καλλινίκου *malè intellecta, (cùm vox referatur ad* Euphemiam *&* Victrix *seu* Victricis *exponi debeat) ortus est, ita ut dubitandum non videatur, quin ex simili errore prodierit* dies natalis, *de quo nec in Græcis fit mentio, nec in textu Latino apud Labbeum.*

§ II. Tempus martyrii S. Euphemiæ : magnifica basilica eidem seculo IV structa prope Chalcedonem : mirabilia ibi patrata usque ad translationem corporis.

B

Sanctæ martyrium anno 303 aut 304,

Esta S. Euphemiæ, *dum vixit & pro Christo passa est usque ad beatum obitum & sepulturam, ex Actis habemus infrà edendis. Unicum, quod inquirendum de illis videtur, est tempus glorioſi certaminis ac mortis beatissimæ, ut gloria Sanctæ posthuma deinde clariùs ordine chronologico elucidetur. Acta omnia aliaque monumenta consentiunt, Sanctam fuisse passam sub Diocletiano, & quidem in persecutione generali, quæ cœpta est mense Februario anni 303. Ex Actis quoque colligitur, passam esse Sanctam, priusquam Diocletianus abdicaret imperium : quod contigisse anno 305 mense Majo, statuit Tillemontius : nam Christiani, qui cum* S. Euphemia *capti erant & interrogati, ad Diocletianum fuerunt missi. Hi verò ad ipsum missi non fuissent post abdicatum imperium. Itaque secundum Acta figendum est martyrium* S. Euphemiæ *anno 303 aut 304, cùm contigerit die* XVI *Septembris, ante quem Diocletianus anno 405 privatam vitam ducere* C *cœperat.*

non anno 307, figendum.

17 *Tillemontius tamen, Bailletus, aliique martyrio* S. Euphemiæ *assignant annum 307 ; quia Tillemontius ait, se Acta vidisse, quorum hoc erat exordium :* Quinto persecutionis anno. *Respondeo, me in Museo nostro vidisse facilè decem diversa Actorum exemplaria ; & non nisi unum invenisse exemplar, cujus tale erat initium in Ms., ita ut nequeam dubitare, quin exemplar illud, quod vidit Tillemontius, ea ex parte saltem sit interpolatum. Non infrequenter sanè reperimus, Acta antiqua maximè in principio sic nonnihil aucta aut mutata esse. At, cùm Tillemontius asserat, Actis illis, quæ laudat,* tot adjuncta fabulosa esse immixta, ut fidem nequeant mereri, *agnoscit ipse, quàm fragili nitatur fundamento. Quare etsi forsan Acta, quæ laudat, minùs fabulosa sint, quàm voluit, cùm saltem à reliquis omnibus in hac parte dissentiant, illa epocha videtur prorsus negligenda : neque enim conciliari potest cum eo, quod in omnibus Actis constanter asseritur, nimirum Christianos illos, qui unà cum* S. Euphemia *erant comprehensi, ad Diocletianum imperatorem esse missos.*

18 *Seculo* IV, *sub cujus initium passa erat* S. Euphemia, *extra Chalcedonem condita est basilica magnifica, eaque* S. Euphemiæ *dicata. Cujus religione ac munificentiâ constructum fuerit istud ædificium, nemo explicat ; neque tempus inchoatæ aut finitæ illius fundationis assignatur. Stabat certè basilica illa ante annum 399, ut habemus ex colloquio Arcadii imperatoris cum Gaïna Gotho, quod contigit anno 399, ut ostendi ad* XIV *Septembris in S. Joanne Chrysostomo* § 44. *Testes rei in æde* S. Euphemiæ *prope Chalcedonem peractæ sunt Socrates, Sozomenus, & Zozimus. Primus lib. 6 Hist. cap. 6 ea de re sic habet :* Cùmque ambo, imperator scilicet & barbarus in ecclesiam venissent, in qua corpus Euphemiæ martyris reconditum est, juramentis invicem præstitis confirmârunt, neutrum alteri insidias structurum esse. *Sozomenus lib. 8 cap. 4 consentit his verbis :* Progressusque (*Gainas*) in colloquium cum principe (*Arcadio*) in ecclesia, quæ est juxta Chalcedonem, in qua Euphemiæ martyris sepulcrum est, dato acceptoque invicem jurejurando de amicitia, arma deposuit. *Zozimus lib. 5 pag. 794 congressum eorumdem ita exponit :* Coitum est in quodam ante Chalcedonem loco, ubi Euphemiæ religiosæ E martyris ædes exstructa stabat : quæ propter cultum Christo præstitum honore adficitur. *Ex hisce habemus, basilicam* S. Euphemiæ *seculo* IV *conditam esse, fuisseque extra civitatem Chalcedonensem.*

in qua habitum concilium Chalcedonense : situs,

19 *Quantæ porrò molis, quantæque religionis fuerit laudata Sanctæ basilica, colligitur, cùm ex congregato in illa numerosissimo concilio Chalcedonensi, tum ex descriptione Evagrii, qui lib. 2 Historiæ ecclesiasticæ cap. 3 occasione concilii Chalcedonensis concinnavit descriptionem prolixam illius basilicæ, mirabiliumque in ea patratorum ex corpore* S. Euphemiæ. *Totum caput, utpote ad propositum nostrum quàm maximè conducens, huc transfero :* Congregantur itaque, *inquit*, in basilica Euphemiæ martyris Chalcedone, quæ urbs est provinciæ Bithyniæ. Distat autem hæc basilica à Bosphoro duobus circitèr stadiis, sita in loco quodam amæno & molliter acclivi : adeo ut, qui in Martyris templum ascendunt, nullum ambulationis laborem sentiant, sed repentè sublimes appareant, intra ipsam basilicam consistentes. Ex qua, tanquam è specula, oculos demittentes, subjectos campos cernunt in planitiem F porrectos, viridi gramine vestitos, ac segetibus veluti fluctuantes, atque omni arborum genere exornatos : montes præterea silvosos, sensim sese attollentes atque incurvantes ; diversa denique maria, hæc quidem serenitate renidentia, & littoribus suaviter ac placidè alludentia, ubi scilicet tranquilla sunt loca, absque ventis ac tempestatibus ; alia verò æstuantia & fluctibus infrementia, cochleas, algam, & ex testaceis leviſſimos quosque piſciculos reciproco æstu deferentia ac denuo retrahentia. Porrò templum ipsum situm est è regione Constantinopoleos : adeo ut tantæ urbis aspectu templum non mediocriter venustetur.

amplitudo & forma basilicæ, in qua erat Sanctæ tumulus :

20 Constat autem ex tribus amplissimis ædibus. Prima est sub dio, longo atrio & columnis undique exornatâ. Post hanc altera, longitudine ac latitudine, & columnis propemodum similis : hoc uno discrepans, quòd culmen habet impositum. In cujus boreali latere ad ortum solis, ædes est rotunda in modum testudinis, admodum artificiosè elaborata, columnis & materiâ & magnitudine inter se paribus interiùs circumdata.

Sua

AUCTORE J. S.

Super his cœnaculum eſt ſublime, ſub eodem culmine. Ex quo licet iis, qui voluerint, Martyri ſupplicare, & ſacris intereſſe Myſteriis. Intra teſtudinem verò ad orientem ſolem tumulus eſt magnificus, in quo ſanctæ Martyris reliquiæ jacent in arca quadam oblonga reconditæ, quàm nonnulli μαχραν vocant ex argento pulcherrimè fabricatâ. Ac miracula quidem, quæ ſubinde patrantur à ſanctiſſima Martyre, nota ſunt omnibus Chriſtianis.

prodigioſus ſanguis ex corpore collectus

21 Frequenter enim aut epiſcopis illius civitatis, aut viris pietate illuſtribus, qui ad ipſius baſilicam advenerint, in ſomnis apparens, præcipit, ut in templo vindemient. Quod ubi tum imperatori, tum patriarchæ, totique civitati innotuit, ſtatim omnes ad baſilicam pergunt, tam auguſti ſcilicet, quàm pontifices, & magiſtratus, & reliqua populi multitudo, ut ſacrorum myſteriorum participes fiant. Cunctis deinde ſpectantibus, epiſcopus urbis Conſtantinopolitanæ unà cum ſuis ſacerdotibus in ſacrarium ingreditur, in quo ſacrum illud, de quo dixi, corpus depoſitum eſt. In eadem arca foramen eſt exiguum in læva parte, parvis quibuſdam oſtiolis obfirmatum. Per quod, ferrum oblongum, cui ſpongia adnexa eſt, uſque ad ſacras reliquias demittunt. Et poſtquam ſpongiam hac illac verſaverint, ferream virgam ad ſe retrahunt, cruore plenam & coagulato ſanguine. Quod ubi populus viderit, confeſtim Deum cum laudibus adorat. Tanta autem eſt cruoris, qui illinc extrahitur, copia, ut non ſolùm piiſſimi imperatores, & ſacerdotes illic congregati, univerſa denique populi multitudo ibidem collecta, abundè ex eo accipiat: ſed & fidelibus, quicumque cupierint, per univerſum terrarum orbem guttas ejus mittant. Porrò coagulatus ille ſanguis perpetuò durat, nec in alium colorem mutatur ſacer cruor. Hoc autem miraculum fit, non certo aliquo ac definito temporis ſpatio, ſed prout epiſcopi vita & morum gravitas promeruerit. Ferunt enim, quoties vir probus atque honeſtus, omniumque virtutum genere exornatus, eccleſiam rexerit, id miraculum fieri, & quidem frequentiſſimè: quoties verò non ejuſmodi antiſtes fuerit, rarò hæc ſigna evenire.

B

& odor ſuaviſſimus ex ejuſdem reliquiis manare ſolitus.

22 Jam verò aliud miraculum commemorabo, quod nec tempore, nec ullâ ex causâ interrumpitur, nec diſcrimen facit inter fideles atque infideles: ſed omnibus ex æquo proſtat. Ubi quis ad eum locum acceſſerit, in quo eſt arca illa pretioſa, quæ ſacras continet reliquias, ejuſmodi odoris ſuavitatem ſentit, quæ omnes conſuetos odores longè ſuperat. Nam neque odori, qui ex pratis colligitur, neque ei, qui ex rebus fragrantiſſimis exhalat, ſimilis eſt odor ille, nec qualis ab unguentariis conficitur: ſed peregrinus quidam & excellens, per ſe ipſum declarans, quanta ſit virtus reliquiarum, quæ ipſum emittunt. *Hactenus Evagrius, qui ſcripſit circa finem ſeculi* VI, *quando mirabilia, quæ refert, ſolebant fieri. Quod verò ſpectat ad ſuaviſſimum illum odorem, de eo in Vita S. Melaniæ Junioris, ubi narratur iter ipſius Conſtantinopolim, aliqua leguntur in rem noſtram. Vita edita eſt apud Surium ad* XXXI *Decembris, ibique cap.* 28 *ſancta Melania dicitur veniſſe Chalcedonem, ac ſubduntur iſta:* Atque divertit quidem, ubi erat templum omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ. Circa mediam autem noctem Martyr non parum ex ſe effudit ſuaviſſimi odoris. *Plura de hiſce dabit Hiſtoria corporis inventi & tranſlati. Interim verba data innuunt, odorem illum non fuiſſe perpetuum; cùm tamen Evagrius aſſerat, perpetuum fuiſſe. Apparens hæc duorum ſcriptorum contradictio forte tolli poterit, ſi dicamus, perpetuò perceptum fuiſſe optimum odorem prope tumbam ſeu thecam Sanctæ; at odorem illum magis fuiſſe diffuſum per totam baſilicam, quando eum percepit S. Melania.*

D

Cùm de ſanguine illo miraculoſo

23 *Theophylactus Simocatta, ſcriptor ſeculi* VII, *lib.* 8 *Hiſtoriarum cap.* 14 *de prodigio ſanguinis* S. Euphemiæ *hæc memorat:* Non decet etiam hiſtoriarum cupidos præterire, quæ illo tempore circa martyrem Euphemiam præter hominum opinionem geſta ſunt. Aliquantùm igitur orationem producamus. Etenim narrationes, quæ mentes divina quadam claritate illuminant, non mediocrem utilitatem audientibus ingenerare conſueverunt. Chalcedon urbs eſt ad oſtium Ponti ſita, ex adverſo Byzantii. In ea templum eſt S. Euphemiæ martyris, ubi ejuſdem ſacratiſſimum corpus in arca aſſervari, inde à majoribus ad nos famâ pervênit. In annos porrò ſingulos die, quo martyrium obiit, res maximè admiranda editur: &, ut breviter dicam, iis, qui non viderunt, minimè credibilis, propter divini illius operis excellentiam. Nam cùm ejus corpus jam annis quadringentis in monumento jaceat, die tamen, de quo dicebamus, in conſpectum omnium, loci epiſcopus, ſpongiis à corpore mortuo plurimum ſanguinis colligit. Videas non ſecùs quàm è recens occiſo corpore vulnerum tabo commiſtam erumpere vim ſanguinum, unguenta, nulla arte comparata redolentium, & per vaſcula vitrea ab eodem adventantibus diſtribui.

E

dubitaret Mauritius imperator, proprio experimento docetur:

24 Mauritium igitur duodecimum jam annum imperantem, ſubit imbellis & ignava quædam circa res divinas cogitatio, extenuatque & rejicit tam inſigne miraculum, & myſterium hoc fallacium hominum commentum eſſe aſſerit. Ornamentis igitur argenteis ſepulcrum nudat, & obſignat id, quod incredulitatis audacia poſtulabat. Ubi ſtatus dies affuit, arcanum exploratur: in myſterium inquiritur: miraculum probatur: fitque Martyr ſuæ virtutis hoc admirando opere teſtis omni exceptione major, iterumque ſanguine unguentifero meatus corporis per monumentum inſtar fontium fluit, & ſcaturit emiſſionibus myſterium, odoreque cruoris ſuaviter ſpirantis ſpongiæ imbuuntur. Eum fluxum tum Martyr adauxit. Deus enim, quamvis illi non credatur, non tamen hominibus cognitionem ſuæ virtutis bonitatis invidet. Atque ita Martyr incredulitatem imperatoris ſapere docuit: qui ſanguinis emanationibus lacrymarum effuſiones remiſit: & fluentibus unguentis imbres oculorum ſuorum rependit, Mirabilis, inquiens, Deus in Sanctis ſuis. *Huc uſque Simocatta, ad cujus relationem aliqua ſunt annotanda.*

F

miracula illa ab aliis quoque ſunt relata.

25 *Primò, quod ait,* annis quadringentis *corpus jacuiſſe in ſepulcro, dum ſcribebat, non eſt ſtrictè ſumendum: nam auctor non videtur ſeverè inveſtigaſſe annum, quo occubuerat Sancta; ſed uſus numero rotundo, quia quartum ſeculum currebat à morte* S. Euphemiæ. *Secundò aſſerit, ſanguinem ſingulis annis fuiſſe collectum in die natali Sanctæ. Contrà ait Evagrius:* Hoc autem miraculum fit, non certo aliquo ac definito temporis ſpatio, ſed prout epiſcopi vita & morum gravitas promeruerit. *Quare dicendum videtur, coni-*

A *consuetudinem illam colligendi singulis annis sanguinem ex corpore Sanctæ necdum viguisse tempore Evagrii, sed postea cœptam, antequam Simocatta scribebat. Miracula hactenus relata tam certis nituntur testimoniis, ut nequeant in dubium vocari à viro prudente. Mitto igitur testimonia recentiorum historicorum. Multa etiam de iis dicuntur in Actis à Theodoro Besto scriptis. At ne hæc quidem recitanda censeo, quia auctor ille non satis est cognitus, nec omnino accuratus. Quæ verò de iisdem miraculis leguntur in Historia corporis inventi & translati, inferiùs edenda, suis locis videri poterunt.*

Dicitur S. Euphemia confessionem fidei in concilio Chalcedonensi,

26 *Restat hoc loco examinandum aliud factum æquè mirum, quod auctores non habet tam vetustos. Theodorus Bestus in Actis narrat, disceptatum fuisse in concilio Chalcedonensi inter Catholicos & Eutychianos, quòd singuli sententiam suam vellent esse veram, illudque demum consilium utrique parti placuisse, ut sanctam Martyrem controversiæ suæ judicem facerent. Itaque, si auctori credimus, singuli scripserunt fidei suæ confessionem, apertâque thecâ* S. Euphemiæ, *huic confessionem scriptam obtulerunt. Martyr verò extensa manu Catholicorum confessionem accepisse, eamque illis reddidisse dicitur. Ita ille rem narrat, de qua in Actis concilii ipsius nulla est mentio. Constantinus Tii episcopus in Historia inventionis num. 9 factum exponit modo paululùm diverso: nam affirmat, confessionem fidei Martyris corpori fuisse impositam, postquam recta fides in concilio jam erat confirmata, ut tolleretur dubitatio adversantium.*

B

aut ab aliis post concilium, miraculo confirmâsse:

27 *Zonaras in Annalibus lib.* 13 *cap.* 25 *historiam narrat modo multùm diverso, & quasi factam post finitum concilium, auctore illius consilii Anatolio patriarcha Constantinopolitano. Nam post relatum Dioscori exsilium & mortem Eutychis hæresiarchæ, ita prosequitur:* Cùm autem Eutychis & Dioscori sectatores, qui in urbe versabantur, decreta concilii subsannârent, ejusque auctoritatem non veritate, sed potentiâ imperatoris niti dicerent, & pravitatem sententiæ suæ stabilire conarentur; Anatolius patriarcha, & suffragatoribus suis & adversariis convocatis, ad hos ita infit: "Quoniam sententiam vestram ad-„ huc mordicus tenetis, neque vos perperam sen-„ tire creditis; sed nos incusatis, quasi Nestorii C „ dogma approbemus, cùm duas naturas in Ser-„ vatore prædicemus, utrâque citra confusionem „ proprietates suas retinente: istius controversiæ „ dijudicatio, si placet, Deo permittatur. Scri-„ batur igitur vestra de fide sententia in uno li-„ bello, & nostra in altero, atque ambo in lo-„ culo glorioso martyris Euphemiæ collocentur, „ & hujus judicium esto, utri rectè aut perpe-„ ram sentiant.„ Hæc cùm hæreticis etiam placuissent, libelli scripti, remoto lapide, qui loculum claudebat, pectori Martyris imponuntur, & lapis in suum locum repositus, ab utraque parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum pervigiles, ut demonstret, utra sententia ei cordi sit, quæ rejicienda videatur. Post triduum conveniunt, imperatore etiam præsente, aperto loculo, ô rem miram! libellus hæreticorum ad pedes Martyris invenitur, alter in manu ejus dextra, quam extendisse fertur ad imperatorem & patriarcham, ac libellum eis porrexisse. Itaque rectæ sententiæ assertores plaudere, adversarii verò demissis vultibus & præ pudore caligantibus abire, quidam etiam veram sententiam amplecti. *Hæc Zonaras. Eodem planè modo rem narrat Michaël Glycas in Annalibus part.* 4 *pag.* 263; *sed multò breviùs. Idem quoque prodigium narratur in Vita S. Anatolii Constantinopolitani, apud nos tom.* 1 *Julii pag.* 663: *at ibi clarè non edicitur, utrùm res in ipso concilio contigerit, an post concilium.*

AUCTORE J. S.

28 *Quod modò spectat ad relationem priorem de re in ipso concilio peracta, illam non immeritò rejicit Eminentissimus Baronius ad annum* 451 *num.* 122, *rectéque dicit:* Sed & cùm tempore synodi id factum referat (*Constantinus,*) ex ipsis Actis tunc exactè conscriptis mendacii (*aut certè erroris*) arguitur auctor; haud enim res tanta silentio sepulta prorsus relicta esset. *Addi potest silentium Evagrii, aliorumque, qui seculo* V, VI *& sequenti de concilio Chalcedonensi egerunt. Non minùs urget aliud Baronii argumentum, his verbis prolatum:* Longè longiùs enim abest, ut Patres in sacris œcumenicis conciliis ex miraculis quæsierint dogmatum veritatem, quam ex divinis in primis Scripturis, & antiquis Ecclesiæ traditionibus, ac demum ex sanctorum Patrum assertionibus quærere, proponere, affirmare, atque stabilire consueverunt: ut planè insulsum & omnino commentitium esse appareat, quæsisse tunc Patres per ejusmodi miraculum veritatem .... Evanescit igitur omni ex parte commentum, ut ex Patrum consensu, immò iisdem fuerit auctoribus factum ejusmodi experimentum. *Verissimæ mihi apparent hæ Baronii observationes: nec dubitare possum de falsitate rei relatæ, quæ à moribus & consuetudine conciliorum omnino abhorret.*

at meritò negatur, in concilio tale quid contigisse;

E

nec satis probabile est, contigisse post concilium;

29 *Aliorum relationem, de miraculo patrato Constantinopoli post absolutum concilium, non penitus ut falsam reprehendit Baronius, sed pro dubia habere videtur, uti & Tillemontius tom.* 5 *Monument. in* S. Euphemia, *ambiguè de re tota differens. Verùm tota etiam illa relatio non minùs fictitia & falsa mihi apparet, quàm præcedens, cùm quia tribus seculis integris nullus scriptor de facto tam memorabili, si verum esset, meminit; tum quia Anatolii patriarchæ non erat, controversiam fidei in concilio universali decisam quasi novæ dubitationi subjicere, acsi definitio concilii, auctoritate summi Pontificis S. Leonis confirmata, non sufficisset ad omnimodam certitudinem. Præterea Marcianus imperator numquam permisisset, ut sententia Catholica, post definitionem concilii rursus ejusmodi examini subjiceretur: nam, licèt Deus facere nequeat miraculum ad confirmandam doctrinam falsam; potest certè non audire potentes miraculum in gratiam doctrinæ veræ, quæ aliunde satis erat stabilita & confirmata. Sanè non existimo, ullum proferri posse exemplum miraculi petiti in confirmationem fidei in adjunctis rerum, quæ hisce prorsus sunt similia; licèt aliàs non ignorem pertinaces hæreticorum aut gentilium altercationes* à sanctis viris *fuisse* miraculorum virtute exstinctas, *ut advertit Baronius.*

F

sed res tota videtur conficta ex verbis concilii Patrum malè expositis.

30 *Quare mera figmenta esse, quæ de hisce narrantur, sive in concilio, sive paulò post facta asserantur, omnino persuasum habeo. Ex ipsis tamen concilii Actis, malè expositis, fabellam hanc profluxisse crediderim. Nam Patres Chalcedonenses, absoluto concilio, in Litteris ad S. Leonem Papam divinæ misericordiæ & patrocinio* S. Euphemiæ *attribuerunt felicem concilii exitum, atque ita locuti sunt, apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 836: Deus enim erat, qui operabatur, & quæ suo thalamo concilium coronavit (*id est, in cujus ecclesia habitum est*) ornata decore victoriæ Euphemia: quæ, tamquam propriam

AUCTORE J. S.

priam confeſſionem, fidei definitionem ſuſpiciens à nobis, ſuo Sponſo per piiſſimum imperatorem & amicam Chriſti Auguſtam obtulit, omnem quidem perturbationem contrariorum ſedans, veritatis autem confeſſionem roborans ut amicam, & manu ac linguâ univerſorum decretis pro demonſtratione ſubſcribens. *Hæc verba ſignificant, patrocinio* S. Euphemiæ *Patres attribuiſſe omnia, quæ rectè ac feliciter erant geſta in concilio. Verùm eadem verba videntur Græcis illis, qui poſt annos trecentos narrârunt mirabilia mox refutata, occaſionem præbuiſſe id genus fabellas comminiſcendi. Ipſa verba Conſtantini ſuſpicionem illam augent: nam infra num.* 9 *ait:* Et ideo, quæ inter ſanctas imagines cernitur, Chriſti martyr Euphemia, ubique ponitur habens chartam in manu. *Nimirum pictor aliquis eam primò exhibuit, tamquam offerentem Deo profeſſionem fidei Patrum Chalcedonenſium. Deinde verò ex tabella ſic picta alii ſua hauſerunt ſomnia.*

§ III. Corpus Sanctæ metu Perſarum Conſtantinopolim tranſlatum, ibique depoſitum in æde Sanctæ dicata: aliæ ibidem S. Euphemiæ eccleſiæ: corpus mari demerſum, ſed receptum & in Lemno ſervatum, ac deinde relatum Conſtantinopolim.

B

Sanctæ corpus Conſtantinopolim tranſlatum,

Manſit corpus S. Euphemiæ *in eccleſia ſua prope Chalcedonem uſque ad tempora Heraclii imperatoris, quando metu Perſarum, eò uſque in terras Romani imperii incurrentium, Conſtantinopolim fuit tranſlatum. De illis Perſarum expeditionibus ſingulis ferè annis prioribus Heraclii aliqua memorat Theophanes. Fruſtratum autem eorum conatum ad occupandum Chalcedonem refert ad annum* 6 *Heraclii;* & *ejuſdem anno* 7

C

ait: Hoc anno Perſæ expeditionem in Chalcedonem inſtruentes, bello eam ceperunt. *Capta igitur eſt urbs anno* 617, *ac non diu poſt facta corporis tranſlatio. Annum tamen certum aſſignare non poſſumus; cùm neſciamus, quamdiu Chalcedonem tenuerint Perſæ. Eam videntur tenuiſſe annis aliquot, at non multis, quia deinde Heraclius imperator multas de Perſis retulit victorias. Quare non longè aberrabimus, ſi tranſlationem figamus circa annum* 620. *Porrò Theodorus Beſtus in Actis Mss.,* & *Conſtantinus Tienſis in Hiſtoria Inventionis num.* 3 *teſtantur, Perſas operam dediſſe, ut reliquias* S. Euphemiæ *comburerent, ſed oſſa Sanctæ ab igne fuiſſe illæſa. Cùm hiſce quidem non conſonant, quæ tradit auctor anonymus Antiquitatum Conſtantinopolitanarum, cujus Opus edidit Bandurus in Imperio Orientali tom.* 1. *Nam ille pag.* 8 *ita rem narrat, acſi ſacræ reliquiæ in manus Perſarum non incidiſſent. At exiguam aut nullam meretur fidem hac in re, tum quia laudatis ſcriptoribus multò junior eſt, tum quia adjuncta habet apertè fabuloſa.*

32 *Ait, diaconum quemdam Eutychianum, nomine Acatum, in Perſidem profugiſſe. Tum ſubdit:* Atque ſtatim Perittio præfecto præſidiario ſignificavit debilitatem civium Chalcedonenſium, ſubjungens inſuper, ipſum primo impetu facilè eos ſubjugare poſſe. Quare ſuprà dictus Perſa ſine mora ſe cum ſeptuaginta millibus militum in viam dedit, tantaque celeritate invaſit Chalcedonem, ut civibus vix ſatis relinqueretur temporis ad transferendum reliquias S. Euphemiæ Conſtantinopolim, à quibus imprimis impius ille proditor Acatus ullum ire feſtinabat hæreſeos Eutychianæ ſcriptis illatam ignominiam, & quòd infortunato Eutychi iſtam metropolim concedere noluerant. *Hæc mihi tam fabuloſa videntur, ut non fuiſſent recitanda, niſi Bandurus tom.* 2 *in Annotationibus pag.* 473 *eadem ſic illuſtrâſſet, acſi pro veris habenda eſſent. Etenim cauſa, quæ moviſſet Acatum Eutychianum, videlicet quòd* S. Euphemia *miraculo hæreſim Eutychianam improbâſſet, jam antè refutata eſt, ut fabula antiquis ignota. Modus verò, quo occupata dicitur Chalcedon, planè inveriſimilis eſt: neque enim ſeptuaginta hominum millia tam ſubitò è Perſide Chalcedonem duci poterant, cùm tota Minor Aſia eſſet intermedia. Præterea conſtat ex Theophane, Chalcedonem primo anno, quo obſeſſa eſt, capi non potuiſſe à Perſis; ſed captam eſſe anno ſecundo. Quare omnino negligenda eſt iſta relatio, admittendaque ea, quæ in Actis habentur de tentata reliquiarum combuſtione à Perſis: nam horum impietati id factum eſt conforme;* & *auctores ſatis pro hiſce antiqui ſunt, ut fidem mereantur.*

D

poſtquam Perſæ, capta Chalcedone, illud fruſtra conati erant comburere:

E

33 *Porrò tranſlatæ Conſtantinopolim reliquiæ ibidem depoſitæ fuerunt in eccleſia eidem* S. Euphemiæ *ſacra in Hippodromo. Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib.* 4 *pag.* 145 *de hac æde* S. Euphemiæ *varia diſputat. Georgius Codinus lib de Originibus Conſtantinop. pag.* 38 *de prima ejus fundatione* & *viciſſitudinibus hæc memorat:* Item templum S. Euphemiæ in Hippodromo condidit Conſtantinus Magnus, & pretioſâ exornavit materiâ: quod poſt quadringentos quadraginta & octo annos Conſtantinus Copronymus mutavit in armentarium & ſterquilinium publicum, reliquiis S. Euphemiæ cum loculo in mare projectis. Poſt annos verò triginta ſeptem Irene, piiſſima auguſta Athenienſis, hoc templum reædificavit, & ſanctas reliquias, apud Lemnum inſulam repertas, eò iterum tranſtulit. *Ita Codinus, cujus dicta poſteriora inferiùs confirmabuntur. Plura de illa eccleſia, ad nos minùs ſpectantia, videri poſſunt apud laudatum Cangium; at de tranſlationibus corporis ille non ſatis fuit edoctus.*

ibique depoſitum in eccleſia Sancta dicata in Hippodromo:

F

34 *De alia* S. Euphemiæ *eccleſia Conſtantinopoli Codinus pag.* 47 *ſic habet:* S. Euphemiam, dictam Olybrii, Deo exoſa Eudoxia (*Arcadii imperatoris conjux*) condere incepit, & fundamentum ad altitudinem duorum cubitorum ſupra terram perduxit. Poſtquam autem illa acerbâ morte ſublata fuit, magiſter quidam Olybrius, Romanus ibi habitans, ſtructuram abſolvit, multiſque pretioſis marmoribus exornavit, & fundis facriſque vaſis ditavit. *Eadem leguntur in Antiquitatibus apud Bandurum pag.* 131. *Olybrius ille poſtea factus eſt imperator in Occidente, uxoremque habuit Placidiam. De iis Chronicon Paſchale, pag.* 321 *editionis Cangii ita habet:* Olybrius Romam miſſus à Leone imperatore, à Romanis invitus coronatur imperator, ducta uxore Placidia illa, quæ à barbaris (*Wandalis, in Africa tum regnantibus*) redempta, ſeu captivitate libe-

altera ibidem S. Euphemiæ eccleſia cum monaſterio virorum,

ra-

A rata fuerat. Hi condiderunt ædem ſacram ſanctæ Euphemiæ, Olybrii nuncupatam. *Cangius in Conſtantinopoli pag.* 146 *obſervat, hanc ædem* S. Euphemiæ *eamdem eſſe cum illa, cujus conſtructionem imperatrici Euphemiæ attribuit Codinus pag.* 19 *ita ſcribens:* Euphemiæ, uxoris Juſtini Thracis, ſtatua poſita eſt in templo S. Euphemiæ, quod ipſa condidit. *Conſonant laudatæ Antiquitates pag.* 127. *Verùm in iiſdem Antiquitatibus ex tractatu Theodori Lectoris pag.* 89 *hæc dantur:* Euphemiæ, uxoris Juſtini Thracis, ſtatua poſita eſt in Olybrii tractu prope ſanctam Euphemiam, quam illa eccleſiam excitavit *&c. Hæc eccleſia* in Olybrii tractu, *ut rectè advertit Cangius, alia non videtur ab eccleſia* Olybrii *dicta. Hinc exiſtimat Cangius, eccleſiam illam ab Euphemia auguſta non conditam, ſed reparatam. Res mihi videtur dubia, quia etiam contingere potuit, ut ex errore fundatio attribueretur Olybrio, quia condita erat in tractu* Olybrii *dicto. Cæterùm obſervat Cangius, fuiſſe archimandritam ſeu hegumenum illius eccleſiæ, indeque colligitur, monachorum fuiſſe.*

tertia cum monaſterio feminarum:

35 *Aliam rurſum* S. Euphemiæ *eccleſiam Conſtantinopoli aſſignat Codinus pag.* 47. *de ea ſcribens iſta:* S. Euphemiam, cognomine Petræam, Anaſtaſius Dicorus & uxor ejus Ariadne ædificârunt. *Conſonant Antiquitates apud Bandurum pag.* 36. *Verùm in iiſdem Antiquitatibus pag.* 39 *de illa eccleſia hæc leguntur:* S. Euphemiam, cognomine Petrion, & balneum Baſilius imperator condidit, ac filias ſuas ibidem totondit. *Erat igitur eccleſia monaſterio mulierum attributa, ut etiam liquet ex aliis, apud Cangium adductis. Verùm Baſilius Macedo, non fuit illius conditor, ſed inſtaurator; aut forſan etiam fundator monaſterii, quod eccleſiæ cum aliis quibuſdam ædificiis addiderit, uti colligitur ex Codino pag.* 60, *ubi ſic habet:* Monaſterium S. Euphemiæ, & ſepulcra, quæ ſunt in Petrio (& lavacrum, *ſeu* balneum, *ut Græcè additur*) Baſilius Macedo condidit, & filias ſuas ibidem attondit. *Hæc igitur præcedentibus non ſunt contraria. Verumtamen eccleſiam illam multò vetuſtiorem eſſe Anaſtaſio imperatore, qui ſub finem ſeculi* V *& initium ſeculi* VI *imperavit, ſatis oſtendit Cangius. Certè Theodorus Lector in Excerptis Hiſtoricis apud Valeſium pag.* 568 *ita habet:* Ejuſdem Theodoſii Magni temporibus reliquiæ ſanctorum martyrum Terentii & Africani, ejuſdem imperatoris juſſu depoſitæ ſunt in martyrio ſanctæ Euphemiæ, quod eſt in Petra, ante diem decimum Calendas Octobres. *De martyribus Terentio, Africano, eorumque ſociis apud nos actum eſt ad* X *Aprilis, ibique etiam memorata illa tranſlatio. Quare certum videtur, illam* S. Euphemiæ *eccleſiam ſeculo* IV *jam ſtetiſſe.*

C

at de hujus fundatione non eſt credendum

36 *Nicephorus Conſtantinopolitanus eccleſiam illam citius etiam conſtructam affirmat. Nam in Chronographia compendiaria pag.* 413, *recenſens antiſtites Byzantinos, ita loquitur de Caſtino, decimo nono, ut vult, epiſcopo Byzantino:* Hic loco, cui nomen Petrium, S. Euphemiæ ejus tempore martyrium paſſæ, oratorium Byzantii ædificavit. *Adoptavit illa Nicephorus Calliſtus lib.* 8 *cap.* 6 *cum aliqua tamen mutatione: nam qui hîc* Caſtinus *ab illo* Conſtantinus *dicitur. De condito oratorio ſic loquitur:* Hic primo epiſcopatus ſui anno intra Byzantium in parte Septemtrionali templum ædificavit, atque id Euphemiæ martyri, quæ tum ſacrum peregerat certamen, conſecravit. *Verùm totus ille catalogus epiſcoporum Byzantinorum, quem uterque Nicephorus contexuit, & ex quo hæc etiam de ſtructo* S. Euphemiæ *oratorio profluunt, planè videtur fabuloſus, ut abundè probatum eſt à Cupero noſtro in Hiſtoria chronologica patriarcharum Conſtantinopolitanorum ante tomum* I *Auguſti* § 3.

AUCTORE J. S.

fabuloſis catalogis antiſtitum Byzantinorum: de quarta ibidem eccleſia non conſtat.

37 *Pſeudo-Dorotheus, ex cujus impoſturis catalogus ille adoptatus eſt, apud Cangium poſt Chronicon Paſchale pag.* 433 *de ejus fundatione ſic loquitur:* Poſt hunc Cyrillianus per annos ſedecim, ac deinde Caſtinus per annos ſeptem epiſcopi extitere. Conſtantinus igitur primo ipſius anno aliam intra Byzantium erexit eccleſiam verſus Aquilonem, ubi Anemodulium proſtat, Euphemiæ martyris, quæ ea tempeſtate martyrium obiit, eccleſia appellata. *Hîc conſtructio eccleſiæ Conſtantino imperatori attribuitur. Hoc verò conſiſtere non poſſe cum chronotaxi, utcrque Nicephorus videtur perſpexiſſe: nam tempore Caſtini epiſcopi, ſi valeret chronotaxis, necdum natus fuiſſet Conſtantinus. Hinc primus Caſtino ædificationem attribuit: alter verò Caſtini nomen mutat,* & Conſtantinum *vocat. At rectius uterque aſſertum illud de condita tunc temporis eccleſia* S. Euphemiæ *cum toto illo fictitiorum epiſcoporum catalogo ad fabulas amandâſſet. Ipſe Pſeudo-Dorotheus paulò antè de conſtructione illius eccleſiæ diverſa ſcribit: nam pag.* 430 *hæc habentur:* Ipſe igitur magnus pontifex Dorotheus ſcripto reliquit, venerandam ædem ſanctæ & invictæ martyris Euphemiæ in Petrio à quodam Tito primùm fuiſſe conditam. *Hunc Titum deinde epiſcopum facit poſt Caſtinum; imò & martyrem. Verùm tam ineptè fabulas ſuas exponit, ut nullam prorſus fidem mereatur; & conſequenter catalogi epiſcoporum Byzantinorum, qui ex Opere illo fabuloſo contexti ſunt, fidem ſimiliter mereri nequeant, præſertim cùm conſtet, epiſcopatum Byzantinum longè ſeriùs inchoatum, quem illi catalogi ad S. Andream apoſtolum referunt. Quartam* S. Euphemiæ *eccleſiam Conſtantinopoli quærit Cangius pag.* 146, *ubi colebatur Sancta die* XVI *Maii, ut dictum eſt num.* 14: *ſed incertum eſt, an illa eccleſia Sanctæ eſſet dicata: nam alia de cauſa ibidem coli poterat.*

E

Eccleſia Sanctæ profanatur & corpus pelago injicitur.

38 *Porrò corpus Sanctæ, quod circa annum* 620 *Conſtantinopoli depoſitum dixi in eccleſia* S. Euphemiæ *in Hippodromo, ibidem religioſè cultum fuit uſque ad imperium Leonis Iſaurici aut Conſtantini Copronymi, quorum alteruter corpus Sanctæ pro impietate ſua perdere omnino voluit, ipſiuſque eccleſiam profanavit. Agit hac de re Theodorus Beſtus in Vita, & Conſtantinus in Hiſtoria Inventionis. Theophanes verò pag.* 370 *omnia breviùs enarrat hoc modo:* Ubicumque reliquiæ, Dei quàm maximè favorem conciliantes, tamquam pretioſus poſſidentium theſaurus, habebantur, eas quàm citiùs, de reliquo non videndas, (*Copronymus*) è medio tollebat. Quidpiam hujuſmodi in pretioſiſſimum celeberrimæ martyris Euphemiæ corpus irreligioſus imperator exercuit, ubi nimirum illud in maris profundum cum ipſo loculo demerſit, Martyrem ſub Chriſtianæ plebis conſpectum ſanctis unguentis exſudántem videre, ac ita deliria contra Sanctorum preces deblaterata coarguentem, non ferens. Deus autem, qui ex Scripturæ verbis oſſa ſibi placitorum cuſtodit, illæſum illud ſervavit, ipſum ad Lemnum inſulam enatare faciens. Ad littus quippe projectum, per nocturnam viſionem tolli commonuit, & occultum teneri. Sub pientiſſimis verò imperatoribus Conſtantino & Irene,

F

AUCTORE J. S.

Indictione quarta, cum debito honore in proprium ſibi templum denuò relatum fuit. Iſte quidem communis eccleſiarum hoſtis, æde illa ſacra profanata, armamentum * fecerat, & ſtercoribus excipiendis malè dicaverat: locum autem expurgatum & expiatum denuò eccleſiam conſecraverunt; cùm arguendæ Conſtantini unius impietatis, tum alterius in Deum religionis demonſtrandæ monimentum.

* armentorum ſtabulum

ſub Leone Iſaurico aut Conſtantino Copronymo:

39 Hoc porrò mirandum & relatu dignum portentum, à morte nefarii iſtius imperatoris circa (*Græcè* poſt) annos duos & viginti, unà cum pientiſſimis imperatoribus & ſanctiſſimo patriarcha nos ipſi conſpeximus, & quamvis indigni, eâ tamen gratiâ à Deo cumulati, illud venerati ſumus. *Huc uſque Theophanes, breviter referens ea, quæ fuſius relata leguntur in Opuſculis Theodori Beſti & Conſtantini Tienſis. Verùm inter hos & Theophanem non rectè videtur convenire de impio illo imperatore, qui corpus* S. Euphemiæ *mari injiciendum curavit. Nam Theodorus & Conſtantinus Leoni Iſaurico factum attribuere videntur, cùm Theophanes Leonis filium Conſtantinum tantæ impietatis auctorem faciat.* B *Res fortè clanculùm peracta eſt, indeque accidere potuit, ut nec auctor certò innotuerit, nec tempus, quo abjectum eſt ſacrum corpus. Suſpicio etiam eſſe poteſt, ſcelus illud peractum eſſe à Conſtantino, vivente adhuc Leone, quocum ſimul multis annis imperavit; aut corpus ſub Leone ex ſua eccleſia eductum, & in oratorio quodam aulæ depoſitum, ut habet Conſtantinus Tienſis num.* 4, *ſub Copronymo verò in pelagus fuiſſe projectum, ac tunc Sanctæ eccleſiam prorſus profanatam.*

at corpus refertur ſub Irene anno 796, & eccleſia reſtituitur:

40 *Annus relati corporis ſatis clarè exprimitur à Theophane, dum ait, relatum eſſe* Indictione quarta, *& annis* viginti duobus *poſt mortem Conſtantini Copronymi. Nam hæ notæ ſimul collatæ, deſignant annum* 796. *Ex hoc autem anno etiam innoteſcere poſſet annus, quo corpus in mare fuit projectum, & quo primùm condita fuit Sanctæ eccleſia in Hippodromo, ſi ſatis certus eſſet Georgii Codini, cujus verba data ſunt num.* 33, *de his calculus. Nam, ſi poſt annos triginta & ſeptem relatum eſt corpus, ut ipſe ait; projectum fuit anno* 759. *Templum verò ante profanationem ait ſtetiſſe annis quadringentis quadraginta & octo: conditum igitur eſſet anno* 311. C *Verùm ultima illa epocha certò falſa eſt, cùm Conſtantinus Magnus, qui eccleſiam illam condidiſſe dicitur, Byzantii non imperaverit ante annum* 323. *Hinc alteram quoque Codini epocham non niſi pro dubia habere poſſumus: nam ſcriptor ille non eſt antiquus. Plura de hiſce dabit Hiſtoria Inventionis.*

confuſa de hiſce Zonaræ relatio.

41 *Joannes Zonaras de hiſce etiam agit lib.* 15 *Annalium cap.* 8, *& dubitationem movet de modo, quo ſacrum corpus à Conſtantino Copronymo fuit tractatum.* Neque verò viventes dumtaxat, *inquit*, Chriſti ſervos exagitavit (*Copronymus*,) ſed & divis martyribus, & aliis Deo gratis inſultare non deſtitit, quos nihil poſſe aſſerebat, eorumque interceſſiones ficulneum præſidium appellabat. Reliquias autem partim per contumeliam terrâ obruit, partim demerſit, partim in cineres redegit, ut & glorioſæ martyris Euphemiæ ſanctum corpus, de quo duplex rumor eſt. Nam alii ferunt, nefarium Copronymum in animo habuiſſe id cremare, canibus & aſinis unà comburendis, ſed inſtitutum ejus ſucceſſu caruiſſe, cùm orthodoxi, eo conatu cognito, id clàm è loculo ſurreptum, aliò tranſtuliſſent, & cadaver aliud ſuppoſuiſſent, quod à nefario illo ſit crematum. Alii non crematum, ſed unà cum loculo in mari demerſum eſſe corpus Martyris affirmant: qui, divina gratia gubernante, Lemno inſulæ ſit appulſus, & à fidelibus illius loci agnitus, illicque aſſervatus ſit, & ſub Irene ejuſque filio Conſtantino honorificè & magnificè in urbem imperatoriam relatus. *Hæc quidem Zonaras, de re tota non bene edoctus, multaque miſcens & corrumpens. Nam tentatam à Perſis combuſtionem ſacri corporis malè Copronymo attribuit; & videtur ignorâſſe, quo modo pretioſus ille theſaurus ad inſulam Lemnum pervenerit. Hoc autem minùs mirandum eſt, cùm aliquot ſeculis facto ſit poſterior.* D

§ IV. De reliquiis, locis ſacris, & feſtivitatibus S. Euphemiæ in variis urbibus ac provinciis. E

Eccleſia Sanctæ in Palæſtina, duæ aliæ in agro Romano, alia Romæ,

EX *iis, quæ de reliquiis Sanctæ Conſtantinopolim relatis num.* 16 *dicit Conſtantinus Tienſis, abundè liquet, oſſa ipſius multùm fuiſſe diviſa, indeque ad varias regiones delata. Ex illa autem reliquiarum diviſione cultus Sanctæ procul dubio ad varia loca propagatus eſt. Verùm jam ante ea tempora celeberrimæ* Euphemiæ *veneratio multis in locis erat recepta. In Vita S. Anaſtaſii Perſæ, tom.* 2 *Januarii apud nos data, pag.* 428 *& pag.* 433 *mentio fit de eccleſia* S. Euphemiæ, *quam adiiſſe ille Sanctus dicitur Cæſareæ in Palæſtina. Itaque ſeculo* VII *non multùm provecto, quo Sanctus ille martyrio coronatus eſt, cultus Sanctæ in Palæſtina receptus fuiſſe videtur. S. Gelaſius Papa eccleſiam* S. Euphemiæ *dedicavit, ut narrat Anaſtaſius in Gelaſio his verbis:* Hic dedicavit baſilicam ſanctæ Euphemiæ martyris in civitate Tiburtina, miliario vigeſimo ab urbe Roma. *Fundatio hæc latè figi poteſt circa annum* 490, *quo medius ferè erat S. Gelaſii pontificatus. Idem Anaſtaſius in Dono Papa de alia* S. Euphemiæ *eccleſia ſic habet:* Itemque eccleſiam ſanctæ Euphemiæ, poſitam viâ Appiâ, ſimiliter dedicavit. *Factum id eſt circa annum* 677: *neque enim diu ante aut poſt illum annum Pontifex fuit Donus. De alia rurſum* S. Euphemiæ *eccleſia, non primùm conſtructa, ſed inſtaurata, meminit Anaſtaſius in S. Sergio I, hæc ſcribens:* Hic baſilicam S. Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat detecta, cooperuit ac renovavit. *Sedit S. Sergius ſub finem ſeculi* VII, *& pervenit uſque ad initium ſeculi* VIII. *Hæc forſan eſt eccleſia illa, quæ jam in Urbe exſtabat Gregorii Magni tempore, ſive ſub finem ſeculi* VI. *De illa meminit S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria lib.* 10 *cap.* 1, *ubi refert Sermonem Gregorii Magni, qui ob peſtem ſævientem litanias inſtituit, & varias nominat eccleſias, ex quibus varia hominum genera ad ſupplicationem exire debebant. De eccleſia autem* S. Euphemiæ *meminit his verbis:* Omnes mulieres viduæ (*egrediantur*) ab eccleſia S. Euſemiæ cum presbyteris regionis quintæ. *Geſta S. Sergii apud nos data ſunt ad* IX *Septembris. Eadem veriſimiliter eſt baſilica, de qua lauda-* F

AUCTORE J. S.

A *datus ſcriptor in S. Leone III ſect.* 388 *iterum mentionem facit his verbis :* Simulque & in baſilica beatæ Euphemiæ fecit veſtem de ſtauraci. *De S. Leone III apud nos actum eſt ad* XII *Junii, ubi tamen tædii vitandi cauſâ non omnia ipſius dona ſunt recenſita.*

quæ deſtructa eſt tempore Sixti V:

43 *Florivantes Martinellus in Roma ſacra pag.* 357 *docet, eccleſiam illam fuiſſe ſitam in vico Patricii, eamdemque credit fuiſſe cum eccleſia* Archangeli, *de qua apud Anaſtaſium ſequitur :* Et in baſilica beati Archangeli, quæ ponitur in vico Patricii, fecit veſtem de Stauraci. *Verùm, ſi verba Anaſtaſii, quæ recitavi ex poſtrema editione Romana, rectè data ſunt; eccleſiæ illæ videntur diverſæ, cùm in utraque donum aliquod oblatum dicatur. Attamen in Deſcriptione Urbis Romæ, quam edidit Mabillonius tom.* 4 *Analectorum pag.* 506 *memoratur eccleſia* S. Euphemiæ in vico Patricii, *ita ut de loco ſaltem non ſit dubitandum. Præterea Anaſtaſius in eodem Leone ſect* 407 *clarè eccleſiam* S. Euphemiæ *eamdem facit cum eccleſia* Archangeli, *ita ſcribens :* Pari modo facit & in monaſterio ſanctorum Euphemiæ & Archangeli, quod ponitur juxta titulum Pudentis, caniſtrum ex argento, penſan. libras quinque. *Itaque hæc veriſimiliter tertia eſt eccleſia* S. Euphemiæ *conſtructa à Romanis Pontificibus, videturque adjunctum habuiſſe monaſterium, quod S.* Euphemiam *ſimul & S. Michaëlem archangelum patronos habere poterat. Oldoïnus in Additionibus ad Ciacconium tom.* 1 *col.* 465 *fundationem hujus eccleſiæ attribuit Adeodato Papæ, qui ſeculo* VII *ſeneſcente ſedit ante Donum.* Eccleſiam S. Euphemiæ, *inquit*, ad Exquilini montis radices exſtruxit : quam vetuſtate jam fatiſcentem Sixtus V ad Urbis ornatum ſolo æquavit. *Unde illum eccleſiæ iſtius fundatorem hauſerit Oldoïnus, non indicat. Verùm eadem hæc eſt cum illa, quam in vico Patricio memoratam vidimus, cùm vicus Patricius ſit ad radices montis Eſquilini; cúmque eccleſiam vici Patricii deſtructam ſimiliter agnoſcat Martinellus, ubi ait :* Adhuc veſtigia exſtant in angulo quadrivii dicti vici. *Si etiam eadem ſit cum commemorata à S. Gregorio, antiquior eſt Adeodato.*

B

altera à Clemente VIII Sanctæ dicata hodie exſtat.

44 *Supereſt tamen hodieque locus pius* S. Euphemiæ *dicatus in urbe Roma. Fuerat ille antè S. Bernardino ſacer, ut ſcribit Pancirolus in eccleſia* 30 *pag.* 196, *& ex eo Martinellus pag.* 348. *Nimirum erat monaſterium feminarum Ordinis S. Franciſci, cujus patronus erat S. Bernardinus. Modò eccleſia* S. Euphemiæ *dicata eſt, unà cum monaſterio puellarum. De iis Martinellus pag.* 101 *ita habet.* S. Euphemiæ (*eccleſia*) in vico, qui dicitur Campus Caroli Leonis, & vulgò CARLEO, ubi plurimæ aluntur puellæ, quas vulgus apellat ZITELLE SPERSE : cujus monaſterium eſt contiguum monialibus Spiritus ſancti. *Eamdem eccleſiam pag.* 348 *ponit* ad columnam Trajanam, *quia inde non longè diſtat. Quo autem modo illa plurimarum egentium puellarum congregatio illic inchoata ſit opere maximè duorum Cardinalium pietate præſtantium, nimirum Cæſaris Baronii & Frederici Borromæi, quibus ſubſidium præſtitit Clemens Papa VIII, enarrat pluribus Carolus Bartholomæus Piazza in Opere Italico de Operibus piis Romæ tract.* 3 *cap.* 3. *Voluit porrò Clemens VIII illam Eccleſiam* S. Euphemiæ *conſecrare, quia altera, vetuſtate fatiſcens, ad ornatum Urbis deſtructa erat à Sixto V.*

45 *Feſtivitates & reliquias* S. Euphemiæ *varias Romæ aſſignat Piazza in Diario ſacro Urbis ad* XVI *Septembris. Nam teſtatur feſtum ipſius celebrari cum indulgentiis plenariis in modo dicta eccleſia puellarum ad columnam Traianam. Aſſerit verò, inſignes ejuſdem Sanctæ reliquias exponi in eccleſia S. Bartholomæi Bergomenſium : cranium haberi in eccleſia S. Mariæ de Campitello. Addit, etiam aſſeri, caput haberi in eccleſiæ Lateranenſis oratorio, quod vocatur* Sancta Sanctorum. *Aſſignat demum aliquid reliquiarum Baſilicæ S. Mariæ Majoris; ſacello S. Joannis Baptiſtæ in Fonte; baſilicæ S. Crucis in Cælio monte, vulgò S. Crucis in Hieruſalem; eccleſiæ S. Euſtachii, & eccleſiæ monialium S. Marthæ. Feſtivitatem Sanctæ etiam celebrari in eccleſia jam dicta ſanctæ Crucis in Hieruſalem, teſtatur idem Piazza in Menologio Romano. Inter reliquias plurimas eccleſiæ S. Cæciliæ, in confeſſione ſive cryptâ ſub altari conſervatas, numerantur etiam reliquiæ* S. Euphemiæ, *ut ipſe ibidem præſens vidi.*

reliquiæ in Urbe, ubi feſtivitas variis locis celebratur.

Eccleſia & cultus Mediolani & in aliis locis,

46 *Mediolani quoque vetuſtus admodum eſt, & etiamnum vigens cultus* S. Euphemiæ, *cui S. Senator, labente ſeculo* V *epiſcopus Mediolanenſis, eccleſiam erexiſſe dicitur, in qua & ſepultus legitur. Acta S. Senatoris apud nos data ſunt ad* XXVIII *Maii, ibique recitata eſt Lectio Officii, quod Mediolani de S. Senatore peragitur, & in quo hæc habentur :* Ejus corpus honorificè cuſtoditur in æde ſanctæ martyris Euphemiæ, quam ille prope paternam domum ædificandam curaverat. *In Diario ſacro Mediolanenſi, quod edidit Joannes Baptiſta Cariſius, feſtivitas* S. Euphemiæ *notatur in eccleſia ſua parœciali. Primus Aloyſius de Tattis in Annalibus ſacris civitatis Novocomenſis ad annum* 452 *num.* 79 *multa diſſerit de cultu* S. Euphemiæ *per Inſubriam provinciam. Etenim teſtatur, eam coli Mediolani, Placentiæ, Ticini, Novocomi & Derthonæ. Hujuſce porrò cultûs præcipuum auctorem credit S. Abundium, epiſcopum Novocomenſem, qui cum aliis legatus Conſtantinopolim anno* 450 *fuit miſſus à S. Leone. Potuit ſanè tunc S. Abundius intelligere glorioſa* S. Euphemiæ *miracula; indeque incitari ad cultum ejus propagandum. Attamen, cùm hæc conjectura rem nequeat certam facere; ſatis erit, ſi dicamus,* S. Euphemiam *antiquo gaudere cultu in civitatibus modò memoratis; at initium & auctorem illius venerationis non innotuiſſe certis argumentis.*

E

F

maximè Placentiæ, ubi & reliquiæ habentur;

47 *Porrò Placentini non ſolùm feſtivitatem* S. Euphemiæ *quotannis celebrant Officio proprio & ritu duplici : ſed etiam exiſtimant, ſe corpus ejuſdem Sanctæ poſſidere, uti diſcimus ex Hiſtoria Placentina, quàm Italicè edidit Petrus Maria Campi, canonicus Placentinus. Narrat ille lib.* 12 *ad annum* 1091, *corpus* S. Euphemiæ *fuiſſe inventum à Placentinis in eccleſia eidem Sanctæ diu antè dicata : atque in confirmationem ex vetuſto Chronico Ms. hæc recitat verba :* Eodem anno [MLXXXXI] corpus S. Euphemiæ inventum fuit in Placentia de menſe Aprili die XIII. *Addit, illam inventionem die* XIII *Aprilis quotannis celebrari. Deinde quærit, cujus è pluribus ſanctæ* Euphemiæ *ſint oſſa tunc inventa. Reſpondet autem, cùm antiquum Breviarium Placentinum, tum vetuſtos aliquot Annales Mss. habere, oſſa eſſe celeberrimæ* Euphemiæ *Chalcedonenſis. Fatetur tamen, non haberi ſcripturam ullam, neque memoriam certam tranſlationis oſſium memoratæ Sanctæ, uti nec temporis, quo erecta fuit ipſius eccleſia. Hanc poſſident Canonici Regulares S. Sal-*

AUCTORE J. S.

vatoris. Idem ſcriptor ad annum 1094 *refert donationem inſignem à fratribus Winigiſo & Anſaldo factam Canonicis clauſtralibus eccleſiæ* S. Euphemiæ *in honorem ejuſdem Sanctæ. Ad annum* 1108 *refert dedicationem eccleſiæ Canonicorum* S. Euphemiæ, *& acquiſitionem agrorum pro eadem eccleſia & monaſterio. Charta demum donationis mox dictæ, quam recitat pag.* 523, *ita habet:* In eccleſia S. Euphemiæ, ubi ejus ſanctum corpus requieſcit, conſtructa in civitate Placentiæ. *Data eſt hæc charta* anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo nonageſimo tertio, mediante menſe Januarii, Indictione ſecunda; *id eſt, ſecundùm uſum hodiernum, medio Januario anni* 1094, *ut liquet ex Indictione. Dicitur annus* 1093, *quia annus* 1094 *tunc tantùm inchoandus erat* XXV *Martii, ſive in feſto Annuntiationis. Hanc demum eccleſiam* S. Euphemiæ *anno* 1752 *nos ipſi adivimus, ibique vidimus urnam marmoream ſub menſa altaris. In urna illa* S. Euphemiæ *oſſa ſunt poſita, ut declarat inſcriptio, quam habet in parte poſteriore his verbis conceptam:* D. O. M. Aram hanc, in quam ſacra Euphemiæ V. M. oſſa, diu ob infidelitatem abdita,

B Aldo primùm inventa anno Doñi MXCI, iterum ſub Joſepho de Zandemaria Placentiæ epiſcopis, recurrente MDCLXXII reperta, Jo. Bapt. Salvaticus abbas viſitator tranſtulit, Marius Boeri Placentinus abbas exviſitator nobiliùs decoravit anno Doñi MDCCXLVII. *In parte anteriore tantùm habetur:* S. Euphemiæ V. M. *Hactenus de reliquiis* S. Euphemiæ *ſervatis Placentiæ, quæ* corpus *quidem de more vocantur: at laudatus Campius non videtur exiſtimare, pleraque ſacri corporis oſſa illic ſervari: neque id habet poſtrema inſcriptio.*

48 *Exſtat etiam eccleſia atque abbatia,* S. Euphemiæ *ſacra prope Brixiam. Hanc ſeculo* IX *conſtruxiſſe dicitur Landulphus epiſcopus Brixienſis. Certè Ughellus tom.* 4 *Italiæ ſacræ col.* 536 *de Landulpho ita habet:* Hic monaſterium S. Euphemiæ pro Benedictinis monachis extra muros exſtruxit. *Conſentit Joannes Franciſcus Florentinus in Catalogo epiſcoporum Brixianorum in Landulpho I. Uterque pro teſtimonio laudat diplomata Calixti Papæ II. Plura videri poſſunt apud Lubinum in Abbatiis Italiæ pag.* 62. *Apud Bernardinum Faynum in Cælo eccleſiæ Brixianæ, præter abbatiam jam dictam, in ipſa urbe Brixienſi pag.* 166 *etiam recenſetur* capella S. Euphemiæ cum cura animarum. *Porrò in tabulis Geographicis prope Brixiam etiam notatur pagus* S. Euphemiæ: *ac revera apud nos tom.* III *Februarii pag.* 249, *in S. Paterio epiſcopo Brixienſi, non tantùm mentio fit eccleſiæ, ſed etiam pagi* S. Euphemiæ. *Maſinus in Bononia perluſtrata pag.* 456 *ad* XVI *Septembris inter reliquias Bononiæ ſervatas nominat* S. Euphemiæ virginis & martyris brachium cum manu, cui caro & cutis adhæret, in eccleſia S. Franciſci. *Veronenſes habent eccleſiam* S. Euphemiæ *dicatam cum monaſterio Eremitarum Auguſtinianorum, creduntque apud ſe etiam ſervari aliquas prædictæ Sanctæ reliquias, ut liquet ex indice reliquiarum Veronenſium, qui datur in Opuſculo Auguſtini Valerii Veronenſis epiſcopi de Sanctis ejuſdem civitatis. Nam in illo catalogo pag.* 79 *hæc leguntur:* In eccleſia S. Euphemiæ, ſeu monaſterio, ... aſſervantur etiam reliquiæ S. Euphemiæ *&c.*

prope Brixiam, Bononiæ, Veronæ.

C

49 *Melitenſes plura proferunt de* S. Euphemiæ *reliquiis. Rochus Pirrus tom.* 2 *Siciliæ ſacræ agens de eccleſia Melitenſi, atque enumerans ſacras reliquias Templi S. Joanni Baptiſtæ dicati Valletæ, quod præcipuum eſt Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, pag.* 620 *iis accenſet* caput cum corpore S. Euphemiæ virginis & martyris, quod in argentea arca deſuper deaurata, graphicè ſtructa, ſervandum anno MDLX curavit Valletta, *Magnus tunc totius Ordinis magiſter. Jacobus Boſius in Hiſtoria Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, vulgò dicti Melitenſis, part.* 3 *lib.* 21 *pag.* 221 *ad annum* 1660 *refert conſtructionem novæ thecæ, juſſu laudati Ordinis Magiſtri eleganter & artificioſè ex argento inaurato conſtructæ, cui & hiſtoriam martyrii* S. Euphemiæ *inſculptam docet. Fuit autem theca eo concinnata modo, ut in humeris ferri poſſit à duobus diaconis, inquit, quia ſingulis annis in feſto Sanctæ circumferenda eſt, longo ſupplicantium agmine comitante. Melitenſes autem & aliis reliquias* Euphemiæ *communicâſſe dicuntur. Certè Sauſſayus in Martyrologio Gallicano ad* XIII *Aprilis ſcribit:* Apud Maclovium (*in Britannia Aremorica*) memoria ſanctæ Euphemiæ virginis & martyris, ob recepta illic aliquot ejus pignora ſacroſancta: quorum & inſignis portio Lutetiæ Pariſiorum aſſervatur in celebri toto orbe Sorbonæ gymnaſio, ab equitibus Melitenſibus ſeu Rhodienſibus pretioſo munere tranſmiſſa, & ſolemni excepta academiæ concurſu die XXVIII Decembris anno ſalutis MDCVI. *Hiſce ſimilia ſcribit ad* XVI *Septembris, & in Supplemento ad* 2 *Julii.*

D *Melitenſes capitis & corporis habent reliquias:*

E

50 *Quod aſſerunt Melitenſes de corpore & capite* S. Euphemiæ *apud ſe ſervatis, non admittent omnes, ſi totum caput ſibi vindicare voluerint. Nam Hieronymus Marafioti in Chronico Calabriæ lib.* 3 *cap.* 24 *caput* S. Euphemiæ *attribuit eccleſiæ ejuſdem Sanctæ, quæ eſt in Calabria ulteriori prope mare, ubi &* ſinus S. Euphemiæ *in ipſis tabulis geographicis regni Neapolitani reperitur. Eſt ibi oppidum aut pagus ad mare,* S. Euphemia *dictum, & ſimiliter in tabulis expreſſum, de cujus eccleſia Italicè ſcribit, quæ Latinè huc transfero. Ait, in oppido aut pago illo nihil eſſe obſervatione dignum præterquam* in eccleſia ampliſſima, primùm dedicata S. Joanni Baptiſtæ, deinde S. Euphemiæ, quæ olim fuit monaſterium Ordinis S. Benedicti. Inter alias reliquias, *inquit,* ſervantur brachium S. Joannis Baptiſtæ, caput S. Euphemiæ *&c. Utrùm hi, an Melitenſes, potiori jure* caput *Sanctæ ſibi attribuant, reſcire nequeo: at, ut plerumque in hiſce contingit, ambo fortè partem poſſident. Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 125 *de illa* S. Euphemiæ *eccleſia meminit, uti & de alia eidem ſacra abbatia, quam ſuſpicatur fuiſſe in ducatu Beneventano. Aliam quoque memorat Eraſmus Gattula in Hiſtoria Caſinenſi ſec.* VI *pag.* 230, *ubi ait, eam fuiſſe conſtructam* apud Pharam.

in Calabria item caput, aut pars capitis, eſſe dicitur.

F

51 *Cultus ſanctæ* Euphemiæ *etiam penetravit in Hiſpaniam. De illa Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hiſpanico ad hunc diem ita habet:* Antiquariæ in Betica (*civitas eſt regni Granatenſis, vulgò* Antequera) celebris reperitur feſtivitas S. Euphemiæ virginis & martyris, ipſius urbis patronæ & tutelaris, ob inſignem de Saracenis partam victoriam, quâ ipſa civitas poſt aliquot ſervitutis ſecula, ad Catholicam reducta fidem, Mahometi reſpuit errores. *Victoria & expugnatio urbis, cujus causâ feſtivitas inſtituta eſt, figitur ab hiſtoricis anno* 1410, *referturque apud Marianam in Hiſtoria Hiſpaniæ lib.* 19 *cap.* 21 *&* 22. *Ferdinandus Caſtellæ princeps, ac poſtea Aragoniæ & Siciliæ rex, caſtra Catholica ad*

Feſtivitas Sanctæ item Antiquariæ in Hiſpania,

MY-

AUCTORE J. S.

A urbem obsidendam admoverat. Mauri verò cum ingenti agmine accesserunt, ut obsidionem solverent. Hos primùm ingenti strage profligavit mense Maio. Deinde obsidionem civitatis munitæ ursit, eamque expugnavit die XVI Septembris, S. Euphemiæ sacra, ut pluribus narrat. Hinc institutа festivitas, inquit martyrologus, quem hac saltem in re fide dignum existimo, licèt ipsi numquam fidamus, dum profert Chronica supposititia.

& reliquiæ Matritii, Ulyssipone, & aliis locis.

52 Præterea in Catalogo impresso reliquiarum, quas habet Matritense collegium Societatis Jesu, ad diem XVI Septembris notatum invenio S. Euphemiæ Virg. Mart. Corpus. *Ita inter reliquias bene multas, quas anno 1587 accepit Domus professa Societatis Jesu Ulyssiponensis, etiam numerantur reliquiæ* S. Euphemiæ Virg. Mart., *ut videri potest tom. 2 Januarii pag. 612 : nam ibi illarum reliquiarum datus est catalogus. Bucelinus in Sacrario Benedictino ad XVI Septembris duobus Ordinis sui locis ejusdem Sanctæ reliquias assignat, ita scribens :* Asservatur brachium S. Euphemiæ virginis in cœnobio S. Claudii Legionensi. Os integrum ejusdem in Einsidlen. *Est autem* Einsidlen *celebris abbatia in Helvetia, Latinè dicta* Eremus Deiparæ Matris. *Inter reliquias abbatiæ Centulensis in Picardia seu comitatu Pontivo, quæ enumerantur apud nos tom. III Februarii pag. 103, etiam fit mentio de reliquiis* Euphemiæ. *Ita inter reliquias Pragam allatas à Carolo IV imperatore, nominatur* S. Euphemiæ V. M. brachium, *ut videri potest in illarum catalogo, dato tom. 1 Januarii pag. 1084. Manum* S. Euphemiæ *pelle etiamnum tectam nos ipsi anno 1753 vidimus Viennæ in Austria apud Patres Capucinos. Gelenius in Opere de Colonia Agrippina pag. 264 in Thesauro sacro ecclesiæ S. Gereonis aliquid reliquiarum* S. Euphemiæ *memorat; uti & pag. 616 in Sacello SS. Willibrordi & Bonifacii. Similiter Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 82 abbatiæ Cameracensi S. Autberti Canonicorum Regularium ossium* S. Euphemiæ *nonnihil attribuit. Demum Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad XIII Aprilis scribit :* Tarbiæ (*in Novempopulania*) veneratio S. Euphemiæ virginis & martyris. *Quod de veneratione ejus reliquiarum explicatur in indice. Ceterùm non dubito, quin & aliis quibusdam locis aliquot Sanctæ reliquiæ honorentur.*

B

C

§ V. Acta antiqua; quæ vindicantur : eadem à Metaphraste paululùm mutata : Acta per Asterium scripta, sunt alterius Euphemiæ : Historia Inventionis item edenda.

Acta Græca, quæ nimis licenter Latinè reddita

ACta Græca S. Euphemiæ, *reliquis omnibus meo quidem judicio longè præferenda, accepimus ex codice Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, ubi ea pro nobis exscribenda curavit Vir Cl. dominus Claudius Sallier, custos prædictæ bibliothecæ, & ad nos misit : sed postea, cùm Parisios venissem, ipse apographum cum codice Ms. contuli. Ea Acta Latinè edita habemus apud Mombritium tom. 1 fol. 255 & sequentibus; si eadem tamen sint dicenda; deformata enim sunt & interpolata, nimisque licenter Latinè reddita. Eadem nos quoque Acta habemus in quinque diversis codicibus Mss. Latinis, qui signantur P. Ms. 17, P. Ms. 158, Q. Ms. 5, Q. Ms. 6 & Q. Ms. 7. Ex hisce duo posteriores codices, qui & aliis tribus multò vetustiores sunt, propiùs accedunt ad textum Græcum, quàm editio Mombritii, atque invicem sunt conformes.*

& interpolata exstant,

54 *Verumtamen neque Mombritius neque codices nostri meram exhibent interpretationem Vitæ Græcæ, sed hanc potiùs interpolatam, sive ex Metaphraste sive ex alio quopiam scriptore. Certè omnibus istis, uno excepto codice, facta aliqua adjuncta sunt, quæ etiam habet Metaphrastes, quæque & absunt ab Actis Græcis, & minùs sunt credibilia, præsertim si conjungantur cum factis relatis in Græcis Actis. Etenim toties mutantur modi, quibus Priscus proconsul dicitur mortem inferre voluisse* S. Euphemiæ, *ut fiat incredibile, tam diversa ab eo fuisse tentata. Præterea de tormentis ibidem adjunctis non meminerunt Ennodius Ticinensis, nec Beda, nec Ado, in amplis elogiis, quæ de* S. Euphemia *dederunt, ita ut verisimile fiat, facta illa Actis inserta esse post illorum tempora.*

E

videntur fide digna in factis historicis.

55 *Unus è codicibus nostris, ut modò insinuavi, facta illa, quæ fabulosa apparent, etiam non habet. Attamen non ausim illi codici tantùm fidere, quantùm Actis Græcis, cùm quòd ille non sit admodùm vetustus, tum quòd interpretatio non sit accurata, nec ubique cum Græcis consona. Quapropter Acta Græca fideliter Latina faciam, & solùm in Annotatis ad illa ex Mombritio & nostris codicibus ea observabo, quæ videntur annotatione digna. Quod spectat ad auctoritatem Actorum, illa & vetusta videntur, & notæ satis bonæ pro factis historicis. Verumtamen nolim vindicare dicta omnia Sanctorum aut tyrannorum iis inserta. Videtur auctor secutus esse morem scribendi plerisque usitatum, ipsis etiam sanctis Patribus, ac verba personis attribuisse, qualia ipsis convenire in adjunctis rerum credidit, aut certè, si de dictis utrimque aliqua intellexit, ea liberaliter pro ingenio suo exposuisse. Itaque sermocinationes Actis insertæ non multum auctoritatis habere possunt. Verùm facta in iis relata sic confirmantur auctoritate Ennodii Ticinensis, Bedæ aut Flori, & Adonis, ut sine scrupulo pro veris admittenda videantur.*

F

Illa præcipiti judicio improbárunt aliqui,

56 *Tillemontius, qui tom. 5 Monument. Eccl. tractat de gestis* S. Euphemiæ, *auctoritatem Actorum ipsius examinat Notâ 1 in* Euphemiam; *ibique ea usque adeo improbat, & tamquam fabulosa rejicit, ut omnia tormenta Sanctæ ac miracula, in iis Actis relata, prorsus omiserit, & ex sola relatione Asterii episcopi Amaseni historiam martyrii petendam esse contenderit. Bailletus in tabula critica ad XVI Septembris illud Tillemontii judicium tanto sequitur impetu, ut non solùm de Actis apud Surium & Lipomanum vulgatis dicat, ea nihil valere, sed etiam de numquam visis addat :* Mentio fit de aliis quibusdam etiamnum manuscriptis, quæ nihilo sunt meliora. *At nec ipse, nec Tillemontius, viderant Acta, quæ Baronius laudat & Allatius; ut Tillemontius ipse fatetur. Neuter viderat Acta, de quibus Papebrochius noster in Annotatis ad Ephemerides Græco-Moscas pag. 41 pronuntiat :* Cujus (Euphemiæ) præclara Acta & editis hactenus meliora habemus. *Itaque clarum est ac manifestum, severo illo judicio Acta reprobari numquam visa ab illis, qui præpropere talem protulere crisim : nam Baronius,*

Al-

AUCTORE J. S.

Allatius, Papebrochius, qui inedita Sanctæ Acta habuerunt, ea minimè reprobârunt, ita ut ex illorum judicio nullum pro reprobatione Actorum, etiam Latinorum, nedum Græcorum, haberi possit fundamentum. Hæc paucis observata volui, ut quilibet intelligere possit, quàm præcipiti judicio frequenter à criticis illis Acta martyrum repudientur.

quia non congruunt cum relatione Asterii Amaseni.

57 *Verùm examinemus modò rationem præcipuam, quâ Tillemontius vulgata* S. Euphemiæ *Acta pro fabulosis habuit. Franciscus Combefis in Auctario sanctorum Patrum tom.* 1 *col.* 207 *edidit Acta Græco-Latina, quibus hic præfixus est titulus:* B. Asterii Amasiæ episcopi Enarratio in martyrium præclarissimæ martyris Euphemiæ. *Eadem Latinè recudit Ruinartius in Actis Martyrum sinceris pag.* 490 *editionis secundæ. Lecta ea fuerunt in Synodo Nicæna II, ut videri potest apud Labbeum tom.* 7 *Conciliorum col.* 487 *& seqq. Hanc autem Enarrationem, quæ tota ex tabellâ pictâ fuit sumpta, non posse cum vulgatis* S. Euphemiæ *Actis conciliari, existimat Tillemontius; indeque concludit, retinendam esse relationem Asterii, Acta verò abjicienda. Præcipuam hanc & ferè unicam esse rationem, quâ vulgaria*

B *Acta improbavit Tillemontius, ipse insinuat his verbis:* Censuissemus, dandum nobis compendium (*gestorum* S. Euphemiæ *ex Actis vulgatis*) nisi obstitisset difficultas conciliandi ea cum S. Asterio Amaseno, qui vivebat circa finem seculi IV in Ponto, quique non poterat ignorare, quid verè de ea diceretur. *Mox iterum, ubi fassus erat hymnum S. Ennodii Ticinensis episcopi, ac Martyrologia Bedæ, Adonis & Usuardi, cum Actis vulgatis concordare, observat, Acta non æquè conciliari posse cum relatione Asterii, subditque:* Quare si volumus hunc sequi Sanctum, quem qualitas personæ suæ, tempus, quo vixit, & regio, in qua loquebatur, satis parùm Chalcedone dissita, multa sanè auctoritate dignum faciunt, ipsum quoque Ennodii testimonium rejiciendum est, quamvis necessitatem nobis imponat agnoscendi, facta per Metaphrastem relata jam ab initio seculi VI fuisse scriptis mandata. *Hactenus Tillemontius, cujus ratiocinium eo tendit, ut velit pro fabulis haberi omnia illa, quæ totis duodecim seculis aut diutiùs de* S. Euphemia *constanter fuerant relata & scripta: & contrà credamus ea de* S. Euphemia *Chalcedonensi,*

C *quæ præter Asterium nullus antiquorum per secula plurima asseruisse scitur.*

Asterius ille nimis facilè Sancti titulo honoratur,

58 *Verùm rationes Tillemontii non sunt tanti momenti, ut duram adeo conditionem accipere nos cogat. Sanè videtur nimiùm attollere auctoritatem Asterii, qui in hisce adjunctis minimè videretur omnibus aliis præferendus, si constaret, Asterium loqui de* S. Euphemia *Chalcedonensi, & non de alia quapiam ejusdem nominis Sancta. Primò non capio, cur Tillemontius tanta cum affectatione titulum* Sancti *tribuat Asterio, ut eum numquam sine illo titulo nominatum inveniam, licèt Beda, Ado, Ennodius, qui omnes coluntur ut Sancti, sine glorioso Sancti titulo in iisdem locis laudentur. Velim profectò scire, unde sanctitatem Asterii intellexerit Tillemontius, secutique ipsum plures alii, quibus omnibus præivit Combefisius tom.* 1 *Auctarii jam laudati, in quo varia Asterii scripta edidit. Certè in nullis Græcorum aut Latinorum Fastis nomen Asterii reperire potui. In concilio Nicæno II variis vicibus laudatur Asterius; sed* Sancti *titulum eidem datum nullibi reperio. Nam col.* 487, *ubi textus Græcus cum Latino jungitur, simplicitur vocatur* Asterius Amasenus, *terque nomen ipsius sine ullo* D *alio titulo repetitur. Ita sine titulo alio laudatur col.* 855. *Verumtamen in editione Latina col.* 738 *&* 739 Beati *titulus nomini ipsius præmittitur. At id potiùs factum videtur libertate interpretis, quàm Patrum Nicænorum auctoritate. Photius in Bibliotheca col.* 1490, *ubi scripta Asterii recensere incipit, illum titulo* μακαρίτε Ἀστερίε beati Asterii *honoravit. Verùm neque auctoritas Photii in hisce magna esse potest, neque titulus* Beati, *ita defuncto datus, evincere potest, cultu ecclesiastico Asterium umquam fuisse honoratum. Quapropter nimis leviter titulus* Sancti *apud varios scriptores Asterio datus videtur. Hanc autem observationem excuset æquus lector, si minùs ad propositum videatur necessaria; quia saltem necessaria est pro instituto Operis nostri: nam, si Asterius revera coleretur ut Sanctus, captanda nobis esset occasio aliqua, ut de eo ageremus.*

nec episcopus fuisse videtur, dum de Euphemia scripsit,

59 *Secundò Asterius non videtur episcopus fuisse, quando Acta* S. Euphemiæ *ex visa pictura descripsit. Nam, ut rectè observat Ceillerius in Opere de scriptoribus sacris tom.* 8 *pag.* 507, *Opusculum illud magis videtur compositum ad stylum exercendum, quàm ad enarranda omnia Sanctæ gesta. Ex initio & fine ista colliguntur. Asterius enim sic orditur:* Nuper, ô viri, Demosthenem egregium illum oratorem præ manibus habebam, eamque Demosthenis orationem, quâ ille Æschinem acerbis enthymematibus impetit. Diu autem prolata lectione, pænéque obruta mente, aliqua remissione ac ambulatione, quò fessus animus nonnihil labore levaretur, egebam. Egressus autem domo, postquam in foro aliquantulùm cum notis ambulâssem, illinc me in Dei templum otio oraturus recepi. Cùm verò hoc quoque consecutus, unam quamdam ex porticibus transirem, vidi in ea picturam quamdam, cujus me species omnino cepit. Dixisses Euphranoris artificium esse, aut eorum alicujus, qui olim plurimum dignitatis picturæ conciliârunt, non aliter pingentes, quàm si vivas in tabulis formas exhiberent. Adesdum verò, si voles: quippe etiam nunc per tempus enarrare licet; egoque picturam exponam. Neque enim nos musarum alumni pejores pictoribus colores habemus. *Hactenus Asterius, quem eloquentiæ tunc operam dedisse varia insinuant, videlicet lectio Demosthenis tam diuturna, deambulatio in* F *foro cum notis, & vel maximè voces illæ,* Nos musarum alumni.

nec scripsisse omnia ad Sanctam pertinentia.

60 *Porrò Asterium ea potiùs scripsisse ad stylum exercendum, quàm ad enarranda Sanctæ gesta, ex hisce colligitur. Si Gesta* S. Euphemiæ *accuratè enarrare voluisset, non dixisset* Picturam exponam, *sed* martyrium explicabo, *aut quid simile. Rursum in fine non diceret:* Hactenus cùm pictor manum tenuit, tum ego sermonem ac linguam. *Nam iis verbis indicat nolle se picturæ aliquid addere. Exercitationem styli demum indicant ultima verba, quibus rogat, ut aliquis perspiciat, an rectè enarrare potuerit contenta in pictura. Tillemontius contra hanc observationem aliqua objicit, contenditque, omnia* S. Euphemiæ *gesta ab Asterio fuisse scripta. Nam clarè asserit, (inquit)* historiam totam *fuisse expressam. Tum subdit,* si tota non fuisset expressa, S. Asterius non poterat ignorare reliquum, & procul dubio illud vel verbo memorâsset. *Verùm nihil solidi in hisce invenio. Si enim omnia exponere voluit Asterius, non intelligo, cur non dicat, in qua urbe passa sit* S. Euphemia, *cujus picturam ex-*

AUCTORE J. S.

A *exponit. Nihilo magis capio, cur nomen tyrannorum taceat, id est, cur non edicat, sub quo imperatore, & sub quo præside passa sit sancta Virgo. Si locum & tempus martyrii, si tyrannorum nomina, si diem, quo colebatur Sancta, si alia multa in Actis martyrum exprimi solita omisit, quomodo Asterius nihil ignorare potuit, nihil non vel verbo saltem edicere? Vides, opinor, lector, ineptam esse objectionem, falsoque contendi, plenam martyrii enarrationem dari ab Asterio; cùm illa etiam sint prætermissa, quæ omnium minimè ignota esse poterant.*

Itaque Asterii relatio aliis postponenda est, si agat de Chalcedonensi:

61 *Tertiò, si Asterius agat de* S. Euphemia *Chalcedonensi, non videtur tanti facienda ipsius relatio, ut Actis antiquis, S. Ennodio, reliquisque omnibus ipse solus sit præferendus, quemadmodum contendit Tillemontius. Ratio mihi clara apparet & manifesta, nimirum quia Asterius de* S. Euphemia *tantùm narravit ea, quæ pictor in tabula exhibuerat. Atqui passim notum est, pictoribus majorem esse curam scitè pingendi, quàm vera exhibendi in pictura. Asterius verò ipse parùm tunc curâsse videtur, ut in gesta* Euphemiæ

B *inquireret; sed unicè studuisse, ut eleganter picta æquè elegantibus sermonum coloribus exprimeret. Hinc ipsius enarratio à scriptoribus omnibus antiquis planè neglecta, nec umquam adducta est ad enarranda* S. Euphemiæ *certamina; sed unicè recitata videtur in concilio Nicæno* II, *ut ex ea probaretur, pium esse & antiquis usitatum, Sanctorum gesta pingere. Refert ex pictura Asterius, dentes Sanctæ fuisse excussos. Qua ratione factum esse dicemus, ut hoc nullus de* S. Euphemia *sciverit, nullus certè præter Asterium narraverit, si tormentum repræsentabatur in pictura omnium oculis Chalcedone exposita, præsertim cùm in ecclesia Sanctæ seculo* V *habitum sit concilium Chalcedonense, ita ut illud Sanctæ tormentum deberet fieri notissimum? Alterutrum omnino dicendum videtur, aut fidem picturæ non fuisse habitam, aut picturam talem Chalcedone non fuisse. Si primum est verum, ignoravit Asterius gesta* S. Euphemiæ, *uti revera facilè ea ignorare poterat, utpote toto ferè seculo posterior, natusque & educatus in provincia longè dissita Chalcedone, quantùm apparet. Si verò talis pictura Chalcedone numquam fuit, ut longè mihi verius apparet, Asterius loquitur de alia* Euphemia, *quæ parùm aut nihil*

C *cum* S. Euphemia *Chalcedonensi habet commune.*

at ostenditur variis rationibus,

62 *Quartò igitur adeo verisimile est & probabile, ne dicam certum & indubitatum, Asterium agere de alia quapiam* Euphemia, *virgine etiam & martyre, ut mihi ne probabile quidem videatur, Asterium de Chalcedonensi loqui. Rationes & argumenta ex ipso petam Asterio, cum aliis monumentis collato. Primò Asterius in picturam, de qua agit, incidit, postquam se fatigaverat diuturna lectione Demosthenis, & postquam* in foro aliquantulùm cum notis *ambulaverat, ut* remissione *aliqua uteretur. Hæc insinuant, eum tunc fuisse aut in patria, aut in civitate aliqua, in qua degebat: neque enim peregrini solent diuturna lectione caput fatigare, aut in foro deambulare remissionis causâ, aut statim notos invenire, quibuscum ambulent in foro. At verisimile non est, Asterium Chalcedone natum esse, aut ibidem studiis operam navâsse; & consequenter verisimile est, picturam ab eo in alia civitate fuisse visam.*

de alia quapiam Euphemia

63 *Secundò id rursum colligitur ex iis, quæ dicit de sepulcro Sanctæ; nam* haud procul templo sepulcrum *à civibus ædificatum fuisse asserit, tabellam verò à pictore appensam* juxta sepulcrum. *Erat igitur sepulcrum, apud quod picturam vidit Asterius, extra templum: nam picturam invenit, quando, finita oratione, templo egressus,* unam quamdam ex porticibus *transibat, ita ut tam sepulcrum quàm tabella videatur fuisse in porticu juxta templum. At secundum descriptionem ecclesiæ* S. Euphemiæ, *ex Evagrio datam num.* 20, *sepulcrum* S. Euphemiæ *erat in ipsa ecclesia; ita ut de alio sepulcro loquatur Asterius. Tillemontius ipse in* S. Euphemia *vidit, dicta Asterii non congruere cum descriptione Evagrii, ideoque dicit, dispositionem ecclesiæ fuisse mutatam. At illius mutationis nullus proferri potest testis, nullum indicium.*

minùs celebri agere Asterium,

64 *Præterea* S. Euphemiæ *basilica erat extra urbem. At ea ecclesia, quam se ingressum dicit Asterius, videtur intra civitatem fuisse, aut in foro aut prope forum. Nam, relata deambulatione sua in foro, subdit:* Illinc me in Dei templum otio oraturus recepi. *Quæ verba innuunt, templum non longè abfuisse. Demum istud templum non videtur* S. Euphemiæ *fuisse dicatum. Certè Asterius meminit de sepulchro* Euphemiæ *suæ exstructo, de loculo ipsius ibi depositio, de pictura appensa, de festivitate instituta, de concionibus in Sanctæ honorem haberi solitis; non verò de ecclesia eidem dicata. Hanc tamen non videtur omissurus fuisse, si revera ecclesia fuisset* S. Euphemiæ *sacra. Itaque ex hac observatione rursum consequitur, de alia* Euphemia *minùs celebri loqui Asterium. Ad hasce rationes accedit diversitas ipsa Actorum, quæ insinuant* Euphemias *diversas. Quippe Acta nostra cum vulgatis, cum SS. Ennodio, Bedâ, Adone & aliis, multa continent tormenta, quibus superior fuit Sancta, morsu feræ bestiæ tandem occisa. At Asterius igne exustam & mortuam refert. Pro aliis verò omnibus tormentis dentes Sanctæ excussos asserit, silentibus de eo tormento Actis, & scriptoribus deinde secutis. Quare non satis probabile apparet, talem* S. Euphemiæ *picturam fuisse Chalcedone, qualem describit Asterius. Quomodo enim Occidentales æquè ac Orientales ignorârunt dentium excussionem, si eam pictura repræsentabat in ecclesia Chalcedonensi, ubi antistites sexcenti anno* 451 *fuerunt congregati? Si autem laudata pictura non fuit Chalcedone, de Chalcedonensi Sancta non loquitur Asterius: cùm pictura eo esset loco, ubi erat corpus.*

E

F

potuit sanè agere de Euphemia Alexandrina,

65 *Scriptores neoterici crediderunt, de celeberrima* Euphemia *loqui Asterium, sed, quantùm videtur, ob solam nominis paritatem. Neque enim Asterius innuit, se agere de Sancta Chalcedonensi, neque ullum vidi scriptorem, qui ostendere conatus est, de Chalcedonensi verba Asterii intelligenda esse. Et sanè non desunt aliæ, de quibus loqui potuit Asterius. Euphemiam certè aliquam Alexandriæ fuisse translatam, liquet ex verbis num.* 12 *datis. Quibus illa tormentis afflicta fuerit, quove mortis genere vitam finierit, ignoramus. At novimus, S. Apolloniæ dentes Alexandriæ excussos, mortemque igne illatam, ita ut similia ibidem pati potuerit S. Euphemia Alexandriæ culta. Poterat etiam Alexandriæ studiorum causâ degere Asterius, uti aliquo tempore fecerunt S. Gregorius Nazianzenus ejusque frater Cæsarius. Nihil igitur obstat, quominus Euphemiam Alexandrinam celebrare potuerit Asterius. Verumtamen conjecturas non habemus satis fortes, ut de illa nominatim locutum credamus.*

66 *Altera Euphemia reperitur inter septem mulieres martyres, quæ Amisi passæ leguntur, quæque in igne vitam finierunt, ut videri potest*

AUCTORE J. S.

aut de Amisena aut alia quapiam. Acta Graeca edenda.

apud nos tom. III *Martii pag.* 83, *ubi de illis ex solis ferè Martyrologiis actum est. Amisus, martyrii locus, urbs erat ad pontum Euxinum, episcopalis sub Amasea metropoli, cui praefuit Asterius. Itaque de hac Euphemia etiam agere potuit, si martyrium ipsius minùs rectè in Graecis Fastis fuerit expositum, ut sæpiùs contingit. Attamen neque de hac Euphemia Asterium nominatim explicare ausim; cùm non videatur in Fastis celebrari ut virgo. Unum dixisse sufficiat, plura obstare, quominus de Chalcedonensi explicetur Asterius; quàm obstare possint, si de Alexandrina aut Amisena dicta ipsius quis vellet exponere. Verùm, si prudenter agere velimus, fatebimur, ignotum nobis esse, de qua Euphemia Asterius scripserit. Itaque neque Opusculum Asterii, neque aliud quidquam nos deterrere debet, quo minùs Graeca Acta* S. Euphemiæ *habeamus pro sinceris, Sanctaque certamina ut valde probabilia & vera admittamus, utpote confirmata à S. Ennodio Ticinensi, antistite erudito, qui floruit initio seculi* VI, *uti etiam à Beda & Adone. Hæc igitur Acta Graeca primo loco edam, & debitis Annotatis illustrabo.*

B

Acta Theodori Besti non edenda:

67 *Habemus & alia* S. Euphemiæ *Acta Graeca, accepta Romæ apud RR. PP. Oratorii, sive ex codice Vallicellano, quibus hic præfigitur titulus:* τῦ μακαρίυ Θεοδώρυ τῦ Βέστυ Ἐγκώμιον εἰς τὴν ἁγίαν καὶ πανσέβασμον μεγαλομάρτυρα Εὐφημίαν, Beati Theodori Besti Encomium in sanctam & celeberrimam magni nominis martyrem Euphemiam. *Credidi initio, hæc Acta me editurum, cùm quia nullibi edita sunt, tum quia simul continent ea omnia, quæ spectant ad corpus Sanctæ usque ad seculum circitèr nonum. Verùm, postquam frustra quæsiveram, ut aliquid reperirem de ætate & qualitatibus Theodori Besti, & postquam omnia* S. Euphemiæ *Acta invicem contuleram, mutavi sententiam, censuique non facturum me operæ pretium, si Acta illa ederem. Etenim* D *comperi, in Opusculo Theodori Besti nihil haberi, quod non legatur aut in Actis prioribus, aut in Historia inventionis & translationis corporis etiam edenda. Præterea auctor ille magis oratorem agit quàm historiographum, & frequenter satis ineptè sacræ Scripturæ sententias ad propositum suum adducit. Itaque nolui dare Opusculum auctoris ignoti, & inepti declamatoris, qui saltem non scripsit ante seculum* IX, *præsertim cùm facta nulla afferat, quæ in Actis aut in Historia inventionis non explicantur. Illud solùm addo, Theodorum non consentire cum relatis ab Asterio, sed magis cum Actis edendis.*

at edenda Inventio corporis, ac relatio Asterii

68 *Hoc itaque omisso Opusculo, post Acta subjiciam Historiam Inventionis reliquiarum* S. Euphemiæ, *quæ jam edita est Latinè apud Lipomanum tom.* 6, *& apud Surium ad* XI *Julii. Auctor est Constantinus, Tiensis in Paphlagonia episcopus, qui florebat eo tempore, quo reliquiæ Constantinopolitanis innotuerunt, & ex insula Lemno in regiam urbem relatæ sunt. Itaque in iis certè, quæ tunc contigerunt, omni fide dignus videtur. Attamen tantam ipsi auctoritatem adscribere non ausim pro aliis, quæ diu erant præterita, cùm plusculum videatur indulsisse conjecturis, & aliqua admiscere certioribus monumentis contraria. Græcum Constantini Opusculum, hactenus ineditum, majores nostri accepere ex codice Ms. bibliothecæ Vaticanæ. Edam igitur illud cum interpretatione Latinâ jam editâ, in pauculis subinde corrigendâ. Demum tamquam Appendicem dabo Opusculum Asterii episcopi Amaseni, de quo jam sat multa sunt dicta. Verùm cùm textus Græcus sit editus apud Combefisium; Latinam dumtaxat interpretationem ex editione Ruinartii recudam, cum paucis Annotatis.* E

ACTA

Ex codice Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, interprete J. S.

C

CAPUT I. F

Sæviente persecutione Diocletiani, S. Euphemia cum aliis quadraginta novem Chalcedone capitur; fidem omnes professi torquentur: deinde sola Euphemia ad rotas & ad ignem damnata, in hisce manet illæsa.

Priscus Proconsul omnibus mandat sacrificium, a

IMperante Diocletiano, & proconsule Prisco Europæo *a*, erat collectio magna Christianorum in civitate Chalcedone. Priscus verò proconsul amicum habebat impiissimum, nomine Apelianum, scientiâ sophistam, qui assiduus erat apud dæmonem Martem. Hic igitur Apelianus factus est accusator Christianorum, dicens ad proconsulem: Optime virorum, & diserte proconsul, notum sit potestati tuæ, nobis omnibus secundùm edictum dominantis ac magni imperatoris offerendum esse sa-

Διοκλετιανῦ βασιλεύοντος, ἀνθυπατεύοντός τε Πρίσκυ τῆς Εὐρώπης, ἦν ἀθροισμὸς μέγας τ̃ χριστιανῶν ἐν πόλει Καλχιδόνι. Πρίσκος δὲ ὁ ἀνθύπατος εἶχεν ἀσεβέστατον φίλον ὀνόματε Ἀπελιανὸν, σοφιστὴν τῇ ἐπιστήμῃ, ὃς παρήδρευε τῷ δαίμονι Ἄρει. Οὗτος ὖν ὁ Ἀπελιανὸς ἐγένετο κατήγορος τ̃ χριστιανῶν, λέγων πρὸς τ̃ ἀνθύπατον· κράτιστε τ̃ ἀνδρῶν καὶ λόγιε ἀνθύπατε, γνωστὸν ἔστω τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὅτιπερ πάντες ὠφέλωμεν κατὰ τῆν τῦ αὐτοκράτορος καὶ μεγάλου βασιλέως ἔκθεσιν δυ-

A θυσίαν ἀποδοῦναι τῷ μεγάλῳ θεῷ Ἄρει. ἤρεσεν
ἢ οὗτος ὁ λόγος τῷ ἀνθυπάτῳ ἐπὶ καταστροφῇ ψυ-
χῶν ἀπολυμένων. ὅθεν τίτλους γραμμάτων ἐκφο-
βῶν κατὰ τοὺς ἐπισήμους τόπους διέθηκεν, περιέ-
χοντας οὕτως· Ἄνδρες Καλχιδόνιοι γνωσὸν ἔστω πᾶ-
σιν ὑμῖν, ὅπως τὰ δόγματα τοῦ βασιλέως τηρή-
σαντες, καὶ ἁγνίσαντες ἑαυτοὺς ἡμέρας ὀκτὼ,
θυσίαν προσαγάγωμεν τῷ μεγίστῳ θεῷ Ἄρει. εἰ δέ
τις εὑρεθὴν ἀπειθῶν καὶ ἑτέρᾳ τινὶ θρησκείᾳ ἐπι-
φοιτῶν, δεινᾶς κολάσεσι τιμωρήσας αὐτὸν ἀπο-
λέσω. ἔστι δὲ τὸ σημεῖον τοῦτο τῆς κλήσεως. ἡνίκ' ἂν
ἡμέρᾳ ἡ σάλπιγξ ἠχήσῃ, πάντες ὁμοῦ ἐπὶ τὸν ναὸν
τοῦ μεγίστου Ἄρεως ἀναδραμόντες προθύμως τῷ θυ-
σίαν ἐπιτελέσωμεν ἐξευμενίζοντες ἑαυτοῖς τὸν μέγι-
στον τῶν θεῶν.

2 Ἦν δὲ Ἀπελιανὸς περιεργαζόμενος ἑκάστης
ἡμέρας καὶ ὥρας, ὅπως εὕροι τινὰς ἀπειθοῦντας τῇ
ἐκθέσει τοῦ βασιλέως, ἵνα ὥσπερ κύων ὑλακτήσῃ
κατ' αὐτῶν· καὶ δὴ τῆς προθέσεως ἐνεχούσης ἐοίκει
ἡ σάλπιγξ τέλος τι πένθιμον, συγκαλοῦσα πάντας
τοὺς τὰς κοινὰς ἐλπίδας ἐπιδιώκοντας. ἦσαν δὲ οἱ
τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἔχοντες ἐν τῇ ψυχῇ, ἐν δω-
ματίῳ τινὶ κατακεκλεισμένοι, καὶ ταῖς εὐχαῖς προσ-
καρτεροῦντες. ὧν δὲ σὺν αὐτοῖς καὶ ἡ ἁγία Εὐφημία,
B πατρὸς μὲν ὑπάρχουσα Φιλόφρονος συνκλητικοῦ, μητρὸς
δὲ Θεοδωρισιανῆς εὐσεβοῦς, ἥτις πολλὰς ἐλεημο-
σύνας ἐποίει ἐν τῷ λάῳ, ἀπεκδεχομένη τὸν μισθὸν
ἐκ τοῦ Θεοῦ. Ἀπελιανὸς δὲ ὁ σύσχολος τοῦ σατανᾶ τῷ
ἀνθυπάτῳ λέγει· Εἰσὶν ἄνδρες τινὲς ἐν δωματίῳ
κατακλήσαντες ἑαυτοὺς, οἵτινες οὐδὲ τῇ ἐκθέσει τοῦ
βασιλέως, οὐδὲ τῷ προστάγματι τῆς ἀρετῆς σου πει-
θαρχῆσαι βούλονται· καὶ ἐὰν ταύτοις συγχωρηθῇ,
πολλοὶ ἀποστραφήσονται ἀπὸ τῆς θυσίας τοῦ μεγάλου,
καὶ προσκοπὴν ἔσονται αὐτοῖς, καὶ διασκορπίσουσιν
ἐν χλοῇ τὴν θυσίαν ἡμῶν. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ
ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι αὐτούς. ἀγομένων
δὲ αὐτῶν, ἡ ἁγία Εὐφημία χαρίεν τὸ πρόσωπον
ἔχουσα, σεμνὴ τῇ κοσμήσει ὑπὲρ πάντας τοὺς σὺν
αὐτῇ, φωτίζουσα ταῖς ἀρεταῖς τὰ πρόσωπα.

3 Ἐλθόντων δὲ αὐτῶν καὶ σταθέντων ἔμπροσθεν
τοῦ βήματος, λέγει αὐτοῖς ὁ ἀνθύπατος· πειθαρ-
χήσατε πάντες ὁμοῦ τῇ ἐκθέσει τοῦ αὐτοκράτορος,
καὶ θύσατε τῷ μεγάλῳ θεῷ Ἄρει. οἱ δὲ πάντες ὁ-
μοῦ ἅμα τῇ ὁσίᾳ Εὐφημίᾳ ὡς δι' ἑνὸς στόματος εἶ-
πον. Γνωσὸν ἔστω σοι, ἀνθύπατε, ὅτι ἡμεῖς δοῦ-
λοι ἐσμὲν τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, τοῦ αἰωνίου βασι-
λέως, τοῦ καταζομένου ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τοῦ τα-
νύσαντος μὲν οὐρανὸν, γῆν δὲ ἐδράσαντος καὶ
C τὰ πάντα ποιήσαντος, τούτῳ ἡμεῖς λατρεύομεν,
θυσίαν εὐάρεστον ἑαυτοὺς προσκομίζοντες αὐτῷ.
Πρίσκος δὲ ὁ ἀνθύπατος ἀκούσας ταῦτα, λέγει
αὐτοῖς· Ἐκπλήττομαι ἐφ' ἑνὶ ἑκάστῳ ὑμῶν, κατα-
νοῶν τὴν ὁρμὴν τῆς προθέσεως ὑμῶν, καὶ τὸ ὑπερ-
φυὲς τῆς γνώμης, καὶ τὸ κάλλος ἑνὸς ἑκάστου ὑμῶν·
πείσθητέ μοι, καὶ τῷ αὐτοκράτορι ὑποταγέντες,
καὶ τῶν θεῶν ἀπολαύσατε θυσίας, ἵνα τῆς μείζονος
τυχόντες φιλίας, καὶ γνωσοὶ γενόμενοι τῷ βασι-
λεῖ, ἡγεμονίας καὶ ἀρχῆς ἀξιωθῆτε μεγάλης. Ἀκού-
σαντες δὲ οἱ γενναῖοι, καὶ μεταβαλόντες τὸ συγ-
κὸν τοῦ προσώπου, καὶ θεολογίας πλησθέντες, τῷ με-
γάλῳ καὶ ἁγίαν Εὐφημίαν κατέχοντες μέσῳ,
καὶ ὡς ἀγγελικὸς χορὸς τυγχάνοντες, εἶπον· ἡμεῖς,
ἀνθύπατε, δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐσμὲν, καὶ σεβό-
μεθα, ὧπερ θέσιν παρέδωκεν ἡμῖν, ἐν ταυτῇ
καὶ φανῆναι ἄμεμπτοι, ἵνα τύχωμεν τῆς ἐπαγγελίας
αὐτοῦ τῆς λεγούσης· οὗ δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ, ἐπὶ
ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· καὶ
αὐτὸς δὲ οὐκ ἀγνοεῖς, ἀνθύπατε, ὅτι ἑκάστου
τῶν τὰς ἀρχὰς ἐμπεπιστευμένων σπουδὴ σοφῆς
τοῦ ἐγχειρίσαντι αὐτὰς, ἵνα τύχῃ μειζόνων
ἀρχῶν καὶ κρειττόνων τιμῶν. εἰ δὲ ὅτοι οἱ φθαρτοὶ ὄντες
καὶ φθαρτοῖς δοῦλοντες, ζητοῦσι τὰς προσκαίρους

trificium magno deo Marti. Placuit autem is ſermo proconſuli in ſubverſionem animarum pereuntium. Unde terribilia ſcribens edicta, conſtituit in locis inſignibus, ſic habentia: Viri Chalcedonenſes, notum ſit vobis omnibus mandatum, ut ſervantes decreta imperatoris, & purificantes nos ipſos diebus octo, ſacrificium offeramus maximo deo Marti. Si quis verò inventus fuerit inobediens, & ad aliam quamdam religionem accedens, illum gravibus pœnis caſtigatum perdam. Hoc autem ſit ſignum, quo vocabuntur. Quo die tuba ſonuerit, omnes ſimul ad templum maximi Martis accurrentes, alacriter ſacrificium perficiamus, quo propitium nobis reddamus deorum maximum. Ex Ms.

2 Apelianus autem curiosè qualibet die & horâ inveſtigabat, cupiens invenire aliquos non obedientes mandato imperatoris, ut canis inſtar illos allatraret. Et ſanè, urgente decreto, tuba triſte aliquid tandem inſonabat, convocans omnes, qui communes ſpes ſequebantur. Erant verò, qui verum Deum in anima habebant, in domo quadam recluſi, & precibus inſiſtentes. Erat quoque cum illis ſancta Euphemia, patre nata Philophrone *b* ſenatore, matre Theodoriſiana, muliere pia, quæ multas populo præſtabat eleemoſynas, mercedem exſpectans à Deo. Apelianus verò, ſatanæ condiſcipulus, dicit proconſuli: Sunt viri quidam, qui ſe in domo recluſerunt, quique nec edicto imperatoris, nec præcepto poteſtatis tuæ velint obedire. Hoc ſi illis fuerit permiſſum, complures avertentur à magno ſacrificio, & iis adhærebunt, ac irriſione diſpergent ſacrificium noſtrum. His auditis, proconſul juſſit illos comprehendi. Captis ipſis, ſancta Euphemia, vultum habens gratioſum, honeſta ornatu ſuper omnes comites ſuos, virtutibus ſuis perſonas illuſtrabat. *ad quod non venientes Euphemia aliique multi capiuntur,* *b* E.

3 Ubi verò advenerant, & ante tribunal ſtabant, ipſis dicit proconſul: Obedite omnes ſimul edicto monarchæ, & ſacrificate magno deo Marti. Illi verò omnes pariter unà cum ſancta Euphemia tamquam uno ore dixerunt: Scito, proconſul, nos eſſe ſervos Domini Chriſti, æterni regis, ſedentis in cælis: qui cælos quidem extendit, terram autem firmavit, & omnia creavit. Huic nos ſervimus, ſacrificium acceptabile illi nosmetipſos offerentes. Priſcus verò proconſul, iſtis auditis, dicit eis: Obſtupeſco uniuſcujuſque veſtrûm causâ, conſiderans impetum propoſiti veſtri, & præſtantiam indolis, & pulchritudinem uniuſcujuſque veſtrûm. Parete igitur mihi, & monarchæ obedientes, fruimini ſacrificio deorum, ut maximam conſecuti amicitiam, notique facti imperatori, ducatûs & principatûs dignitatem obtineatis. Audientes hæc Generoſi illi, mutanteſque vultûs triſtitiam, ſcientiâ de Deo pleni, magnamque & ſanctam Euphemiam in medio habentes, & angelici inſtar chori effecti, dixerunt: Nos, proconſul, ſervi ſumus Dei altiſſimi, & conamur in fide, quam nobis dedit, irreprehenſibiles apparere, ut conſequamur, quæ nobis promiſit, ita loquens: Euge, ſerve bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Et tu ipſe non ignoras, proconſul, quemlibet eorum, quibus imperia ſunt commiſſa, multo conatu uti, quò placeat illi, qui ea commiſit, ut impetret majora imperia, & honores inſigniores. Si igitur illi, qui mortales ſunt & mortalibus ſerviunt, honores quærunt temporales & inutiles, quantò magis nos ſtudebimus, ut ſervantes fœdera immortali & æ- *& proconſuli ſiſtuntur. Interrogati fidem liberè profitentur,*

Ex Ms.

terno Deo, hereditate conſequamur bona promiſſa, materiæ & corruptionis expertia, & permanentia in ſecula ſempiterna? Fac igitur, quod vis. Nos enim parati ſumus propter ſcientiam ſupernæ contemplationis in mortem potiùs nos tradere, & obtinere theſauros repoſitos apud Deum omnium Dominum.

deinde diebus novemdecim in carcere cruciantur.

4 Ubi Priſcus proconſul illa intellexerat, invertit vultum ſuum, & juſſit unumquemque eorum tormentis & pœnis ſubjici. Cruciati verò per ſingulos dies, tolerabant tormenta in Chriſto gloriantes, hortanteſque ſe ipſos, & excitantes ad tolerantiam in certamine. Magnanimam autem & generoſam Euphemiam cum gaudio ad bravium Chriſti adhortantes, eidem dixerunt: O famula Chriſti, quæ fide exornata es & mente confortata, quæque ſapiens es & Chriſto induta, poſſide bravium tuum, cum virginibus concurre inexſtinctam habens lampadem, connumerare cum quinque virginibus, lampades geſtantibus cum Sponſo, qui perfectam tribuit mercedem in regno cælorum. Impletis autem diebus novemdecim in magno Sanctorum certamine, erant in carcere nutriti
B in Spiritu ſancto. Die verò vigeſimo Priſcus proconſul, deliberatione habita cum impiiſſimo Apeliano, qui nominis ſui erat ſimilis *d* & præjudicationem *e* obtinuerat, cùm admiſiſſet *f* interrogationem Sanctorum, ſedens pro tribunali, juſſit adduci Martyres. Adducti autem ſunt Generoſi illi, mediam habentes, tamquam lampadem, ſanctam Euphemiam: & interrogavit ipſos proconſul, dicens: Dicite mihi, adoleſcentes, qui experimentum ſumpſiſtis dolorum, converſi eſtis ad ſacrificandum deo Marti, necne?

d
e *f*

& liberè reſpondentes, alapis cæduntur. Redditis carceri aliis 49,

5 At illi uno quaſi ore cum victrice Euphemia dixerunt: Quouſque, proconſul, te ipſe decipis, & non converteris ab ea, quæ te detinet, fallacia, & non cognoſcis Deum, qui te fecit? Tunc Priſcus dicit miniſtris diaboli: Alapis eos cædite, & dicite ipſis: Obedite ſacrificando deo Marti. Miniſtri verò mandata celeriter exſecuti ſunt. Dum autem percuterentur in facie, magis ſplendeſcebant vultus ipſorum, defecerunt verò miniſtri, & facti ſunt velut mortui. Apelianus autem condiſcipulus ſatanæ, mentem habens diabolico errore obſeſſam, dicit proconſuli: Caſtigatos ipſos mittamus ad imperatorem. Placuit hic ſermo proconſuli, & omnibus illis, qui cum ipſo erant; & juſſit eos conjici in caſtrum ſubter carcerem, donec mitteret ipſos ad imperatorem. Erant autem numero quadraginta & novem, ita ut ſancta Euphemia eſſet quinquageſima.

C

ſola Euphemia, blanditiis fruſtra tentata, imponitur inſtrumento

6 Abductis illis in carcerem, venit curſu proconſul, ut lupus ſilveſter & rapax in gregem, & abripuit S. Euphemiam, putans, ſicut ipſe imbecillus erat, debile organum etiam ſe inventurum. At Amatrix Chriſti læta admodùm effecta, & aſpectum in cælum attollens, dicit: Adjuva me, Chriſte, ſpes enim mea in te eſt: non pereat fiducia mea à te, Domine. Priſcus verò hæc audiens, ei dicit: Honora te ipſam; & debitum tibi ex genere honorem ne perdas. Verùm, etiamſi verbis corrupta es, ut mulier, convertere, & ſacrifica deo Marti. At generoſa Bellatrix eidem reſpondet: Nos minimè ſolliciti ſumus, ut honoremur in natura corporis infirmi, ſed in ſubſiſtente ſpiritu & fortitudine certaminis honorem conſequi nitimur. Adſum itaque mente . . . *g*, parata conſequi promiſſiones patrum meorum. Tunc Priſcus proconſul indignans, quòd victus eſſet à muliere,

g

κ̀ ἀνωφελεῖς τιμὰς, τόσῳ μᾶλλον ἡμεῖς σπεύδωμεν τὰς συνθήκας τῷ ἀφθάρτῳ καὶ αἰωνίῳ Θεῷ φυλάξαντες, τὰς αὐλὰς κ̀ ἀφθάρτους καὶ διαμενούσας ἐπαγγελίας εἰς αἰῶνας κληρονομῆσαι; ποίει ὃν ὸ θέλεις. ἡμεῖς γὰρ ἑτοιμοὶ ἐσμεν διὰ τὴν γνῶσιν τῆς ἄνω θεορίας ἑαυτὰς παραδῶναι μᾶλλον εἰς θάνατον, κ̀ τυχεῖν τῶν ἀποκειμένων ϛ θησαυρῶν παρὰ τῷ παντοκράτορι Θεῷ. D ϛ

4 Πρίσκος ὃ ὸ ἀνθύπατος ἀκύσας ταῦτα, διέστρεψε τὸ πρόσωπον αὐτὸ, κ̀ ἐκέλευσεν ἕνα ἕκαστον αὐτῶν βασάνοις κ̀ τιμωρίαις ὑποβληθῆναι. τιμωρούμενοι ὃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὑπέφερον τὰς βασάνους διὰ Χριϛὸν μεγαλοφρονοῦντες, παρακαλοῦντές τε ἑαυτὰς κ̀ διεγείροντες πρὸς τὴν ὑπομονὴν τ ἀθλήσεως· τὴν μεγαλόφρονα καὶ γενναίαν Εὐφημίαν μετὰ χαρᾶς ἐπὶ τὸ βραβεῖον τοῦ χριϛοῦ προτρεπόμενοι, ἔλεγον αὐτῇ· ὦ Χριϛοῦ δούλη, τίσει κατακοσμουμένη κ̀ φρονήματι σεσεμνύνη, κ̀ σοφὴ ὑπάρχουσα χριϛοφόρε, κτῆσαί σε τὸ βραβεῖον, μετὰ τῶν παρθένων ἄσβεϛον ἔχουσα τὴν λαμπάδα σύνδραμε, συγκαταριθμήθητι μετὰ τ πέντε παρθένων τ λαμποφορούσων σὺν τῷ νυμφίῳ, τῷ τ μισθὸν τέλειον ἐν τῇ βασιλείᾳ τ οὐρανῶν ἀποδιδόντι. Πληρωθείσων ὃ ἡμερῶν ἐννέα κ̀ δέκα ἐπὶ τῇ μεγάλῃ τ ἁγίων ἀθλήσει, ἦσαν ἐπὶ τῇ εἱρκτῇ τρεφόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ· ἐν ᾗ τῇ εἰκοϛῇ ἡμέρᾳ Πρίσκος ὁ ἀνθύπατος σκέψιν ποιησάμενος μετὰ δ ἀσεβεϛάτου Ἀπελιανοῦ, δ ὁμοίου τῷ ὀνόματι, κ̀ τὴν πρόκρισιν ἐπικεκτημένου, πρόσεισ εἰς ἐρώτησιν τ ἁγίων, καθεσθεὶς πρὸ τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι τὰς μάρτυρας. Ἤχθησαν ὃ οἱ γενναῖοι, μέσην ἔχοντες ὥσπερ λαμπάδα τὴν ἁγίαν Εὐφημίαν· κ̀ ἠρώτησεν αὐτὰς ὁ ἀνθύπατος λέγων· ἐπάτε μοι, μειράκες, οἱ τὴν πεῖραν δεξάμενοι τ ἀλγεινῶν, ἐπεστράφητε τοῦ θῦσαι τῷ θεῷ Ἄρει, ἢ ὄ; E

5 Οἱ ὃ ὡς δι' ἑνὸς σόματος μιᾶ φωνῇ μετὰ τ ἀθλοφόρου Εὐφημίας εἶπον· μέχρις πότε, ἀνθύπατε, σεαυτὸν ἀπατᾷς, κ̀ οὐκ ἀποστρέφῃ ἐκ τ περιεχούσης σε πλάνης, κ̀ γνωρίζῃς τ ποιήσαντά σε Θεὸν; Τότε Πρίσκος λέγει τοῖς ὑπηρέταις δ διαβόλου· ἐξαλαπίσατε αὐτὰς, κ̀ λέγετε αὐτοῖς· Πείθησθε δ θῦσαι τῷ θεῷ Ἄρει. Ἐποίουν ὃ οἱ ὑπηρέται τὰ κελευόμενα διὰ τάχους. Ὑπλομένων ὃ αὐτῶν ἐπὶ τῶν ὄψεων, ἐλαμπρύνοντο μᾶλλον τὰ πρόσωπα αὐτῶν· ἠτόνησαν ὃ οἱ ὑπηρέται κ̀ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροί. Ἀπελιανὸς ὃ ὁ ζύσχολος τοῦ Σατανᾶ, ὁ τὸ φρόνημα κεκτημένος τ διαβολικῆς πλάνης, λέγει τῷ ἀνθυπάτῳ· τιμωρουμένους ἀναπέμψωμεν τῷ βασιλεῖ. κ̀ ἤρεσεν ὁ λόγος οὗτος τῷ ἀνθυπάτῳ, καὶ πᾶσι τοῖς ζὺν αὐτῷ, καὶ ἐκέλευσεν βληθῆναι αὐτὰς ἐν τῷ κάτρῳ ὑπὸ τὸν εἱρκτὸν ἕως ἀναπέμψῃ αὐτὰς τῷ βασιλεῖ. ἦσαν ὃ τ ἀριθμὸν ὀνόματα τεσσαράκοντα ἐννέα ὡς εἶναι αὐτὰς τὴν ἁγίαν Εὐφημίαν πεντηκοσϛήν. F

6 Ἀπαγομένων ὃ αὐτῶν ἐπὶ τ εἱρκτῆς, ἦλθεν δρομέως ὁ ἀνθύπατος ὡς λύκος ἄγριος κ̀ ἅρπαξ εἰς ποίμνιον, κ̀ ἁρπάσεν τὴν ἁγίαν Εὐφημίαν, οἰόμενος, ὡς αὐτὸς ζαθρὸς ἦν, κ̀ ζαθρὸν ὄργανον εὑρήσειν. ἡ ὃ φιλόχριϛος περιχαρὴς γενομένη, καὶ τὸ ὄμμα εἰς τ οὐρανὸν ἀνατείνασα, λέγει· βοήθει μοι, Χριϛὲ, ἡ γὰρ ἐλπίς μου εἰς ζὲ ἐϛὶν, ἡ δὲ ὑπόσασίς μου μὴ ἀπολεῖται παρὰ ζοῦ, Κύριε. Πρίσκος ὃ ἀκύων ταῦτα, λέγει αὐτῇ· τίμησον ζεαυτὴν καὶ τὴν χρεωσθείσην σοι διὰ τὸ γένος ζου τιμὴν μὴ ἀπολέσῃς· ἀλλ' εἰ κ̀ διεφθαρῆς λόγος *, ὡς γυνὴ, μετατράπηθι, καὶ θῦσον τῷ θεῷ Ἄρει. ἡ ὃ γενναία ἀθλοφόρος λέγει αὐτῷ· ἡμεῖς οὐκ ἐν τῇ φύσει τῆς τοῦ ζώματος ἀσθενείας τιμᾶσθαι σπεύδάζομεν, ἀλλ' ἐν τῇ ὑποσάσει τοῦ πνεύματος κ̀ τῷ γενναίῳ τ ἀθλήσεως ἀγαγεῖν ἀγωνιζόμεθα. ὥϛε τῷ φρονήματι . . . * παρέσυκα, ἑτοίμη ὖσα τυχεῖν τ ἐπαγγελίας τ πατέρων μου. Τότε Πρίσκος ὁ ἀνθύπατος θυμομαχήσας

* *lege* λόγοις

* *vox deleta*

A χήσας, ὅτι ὑπὸ γυναικὸς ἡῆται, κελοῖ ὄργανον κατασκλαδῆναι διὰ τροχῶν, καὶ μέσον αὐτῶν βληθῆναι, ἵνα τγνομένη καὶ ζυνθλιβομένη σὺν τάχει τὸ πνεῦμα ἀποδῷ. ἡ δὲ βληθεῖσα σὺν τῷ τροχῷ, τῶν δ' Κυρίου σφραγίδα σὺν τῷ στήθει ποιήσασα, εἶπεν· ὦ τῆς ἀνομίας· πόσας φλέβας ἐξέχεεν Πρίσκος, ὁ τῆς ἀληθείας ἐχθρὸς· καὶ, προκάθηται ὁ ἐργάτης δ' σατανᾶ, μηχανώμενος τέχνας πονηρὰς κατὰ τῶν δ' σεβῶν ὑπὸ δ' διαβόλου κινούμενος, καὶ τὰ μυστήρια τῆς κακῆς ἀπάτης τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐκτελῶν.

7 Καὶ ἔτι προσθεῖσα λέγει πρὸς αὐτόν· ἐχθρὲ καὶ κακοῦργε καὶ δολιὲ, πείσθητί μοι, ὅτι οὐχ ἅπτεταί μου τῶν μελῶν τῆς ψυχῆς τὸ ὄργανον τῆς κακοτεχνίας σου, ἔχουσα γὰρ τὸν Χρίστον τὸν βοηθοῦντά μοι, ἐλπίζω διὰ μειζόνων καὶ περισσοτέρων πόνων τλῆναι τὴν σὴν ἀθλησέως μου ὑπομονὴν πᾶσι συσκῆναι. Λεγούσης δὲ αὐτῆς ταῦτα, ἔφερον οἱ ὑπηρέται τοὺς τροχοὺς, καὶ πάντα μὲν μέλη τοῦ σώματος αὐτῆς κατεκλῶντο, τὸ δὲ τῆς ψυχῆς φρόνημα μᾶλλον ἠγάλλετο. ἤρξατο δὲ τὸν Θεὸν εὐλογοῦσα λέγειν· Ἡ πάντων χαρὰ, Κύριε, τὸ φῶς τῆς ἀληθείας, ὁ οἰκτείρων καὶ τοὺς ἐπικαλουμένους σὲ ἀληθείᾳ, ἔπιδε ἐπ' ἐμὲ τλῆμον ταπεινὸν καὶ ἀχρεῖαν δούλην σου, καὶ ἀφάρπασόν με ἀπὸ δ' χάους δ' ἀνοσίου καὶ ἀσεβεστάτου διαβόλου καὶ τῆς ἀπωλείας τοῦ μι-
B σοκάλου Πρίσκου. λεγούσης δὲ αὐτῆς ταῦτα, αἰφνίδιος ἄγγελος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατελθὼν ἔκλασε τὰ ὄργανα τῶν τροχῶν, καὶ παρέλυσε τοὺς ὑπηρέτας, ὡς γενέσθαι αὐτοὺς ἀμαυρώσεως τῇ ὄψει, ἐξελθεῖν δὲ τὴν ἀθλοφόρον ἄσπιλον, ὥστε θεωρεῖσθαι φαιδρὰν κατέναντι πάντων.

8 Εἶπεν δὲ ὁ ἀνθύπατος· μὰ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος τύχην, καὶ τὴν τῶν θεῶν εὐμένειαν, ἐὰν μὴ θύσῃς τῷ θεῷ Ἄρει, πυρί σε ἀναλίσκω, ἵνα μάθῃς ὅτι οὐ βοηθεῖ σοι, ὃν σέβῃ Θεόν. ἡ δὲ ἁγία Εὐφημία ἀπεκρίθη· πῦρ μοι ἀπειλεῖς, τὸ πρὸς ὀλίγον φαινόμενον, καὶ ταχέως ζεννύμενον· ἀλλ' οὐχ οὕτως εἰμὶ ἀνανδρος, ἵνα τλῶ ἀπειλήν σου φοβηθῶ. μὰ τὰς γὰρ ἱερὰς τῶν εὐσεβῶν διὰ Χρίστον ἀγῶνας, πατήσω σου τλῶ τυραννίδα. ἐκβαμβος γενόμενος ὁ ἀνθύπατος ἐκέλευσεν καμίνου καινὴν, ὥστε φαίνεσθαι ἐπιπλασίως τλῶ φλόγα τοῦ πυρὸς, καὶ ἀχθῆναι τλῶ ἁγίαν ὑπὸ ἑτέρων τινῶν ὑπηρετῶν. ἔσχε δὲ ἡ οσία Εὐφημία εὐθαλῆ τῷ προσώπῳ, ὑγιῆ τῷ σώματι, καὶ ᾖσεν· Εὐλογητὸς εἶ, ὁ Θεὸς, ὁ ὑψηλοῖς κατοικῶν, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν, ὃν δοξάζουσιν ἄγγελοι καὶ πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, σὲ ἐπικαλοῦμαι ἐγὼ ἡ μικρὰ καὶ ὀλιγῆς, βοήθησόν μοι τῇ σῇ ἀγαθότητι, καὶ σφράγισόν με τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος σου,
C καὶ δεῖξον τῷ κακόφρονι καὶ μισοχρίστῳ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ὁ καταπέμψας τὸν ἄγγελόν σου ἐπὶ τοὺς τριῶν παίδων, καὶ διασκορπίσας τλῶ φλόγα τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς καμίνου, καὶ τὰ νῦν ἔπιδε ἐπ' ἐμὲ τλῶ ταπεινὴν, καὶ ἔξαπόστειλον τλῶ βοήθειάν σου, καὶ ῥῦσαί με ἐκ στόματος λέοντος καὶ ἐκ θηρὸς τοῦ θηρίου, καὶ ἐκ τῆς ἀπειλῆς τοῦ ἀνθυπάτου. σὸν γάρ ἐστι τὸ ὄνομα φοβερὸν, καὶ ἔνδοξον εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

9 Εἰπούσης δὲ ταῦτα, ἐκέλευσεν ὁ ἀνθύπατος τοῖς ὑπηρέταις ὧσαι αὐτήν. Ζωννυμένης δὲ αὐτῆς κατεῖχον δ' βαλεῖν αὐτὴν σὺν τῇ καμίνῳ τοῦ πυρός. εἷς δέ τις τῶν ὑπηρετῶν, ὀνόματι Σωσθένης, ἔχων παραζώνιον, προσῆλθεν τῷ ἀνθυπάτῳ, καὶ λέγει αὐτῷ· Κέλευσόν με, ἀνθύπατε, τῷ παραζωνίῳ τούτῳ χρήσασθαί μου· ἀδύνατον γάρ μοι ἔστιν κατὰ τῆς οσίας ταύτης χεῖρα ἐκτεῖναι· ὁρῶ γὰρ πρὸ ὀφθαλμῶν μου στρατὸν λαμπροφορούντων προσδεχομένων αὐτήν. Βίκτωρ δὲ ὁμοίως ὁ ὑπηρέτης, κρυπτόμενος καὶ αὐτὸς πρὸς τὴν γνῶσιν, λύσας τὴν ζώνην ἑαυτοῦ, λέγει αὐτῷ· δέχομαί σε ἀνθύπατε ἐλεύθερωσόν με ἀπὸ τῆς ἀνάγκης ταύτης, βαρὺ γάρ μοι ἔστιν τῆς ἁγίας ταύτης ἅψασθαι, ὁρῶ γὰρ πρὸ ὀφθαλμῶν μου ἐπὶ τὸ χεῖλος τῆς καμίνου ἑστῶτας ἄνδρας, οἵτινες διασκορπίζουσι τὸ πῦρ, προσδεχόμενοι τὴν ἁγίαν

parari jubet instrumentum rotis *h* instructum, ipsamque in medium illius injici, ut tensa & contrita celeriter spiritum redderet. Illa verò rotæ injecta, formato in pectore Domini nostri signaculo, dixit: O impietatem! Quot sanguinis rivos effudit Priscus, veritatis hostis. Et: Præsidet operarius satanæ, machinans improbis artibus in pios, à diabolo motus, & mysteria pravæ deceptionis patris sui perficiens. Ex Ms. *h*

7 Addensque etiam alia, dicit ad ipsum: Inimice, malefice, fraudulente, crede mihi: instrumentum pernicioſæ artis tuæ non tangit animæ meæ membra. Nam, cùm Christum habeam adjutorem, spero majoribus & abundantioribus laboribus certaminis mei tolerantiam omnibus commendandam. Ubi hæc ista dixerat, ministri rotas vertebant, & omnia quidem corporis membra confringebantur; animi verò sensus magis exultabat. Cœpit autem Deum laudans dicere: Omnium lætitia, Domine, lumen veritatis, qui misericordiam præstas invocantibus te in veritate, respice in me, humilem & inutilem famulam tuam, & eripe me à confusione profani & impiissimi diaboli, & à minis Prisci, qui bonum odit. Postquam illa dixerat, protinus angelus è cælo descendens, fregit instrumenta rotarum, ac ministros ita enervavit, ut forma vultûs ipsorum prorsus esset mutata, & sancta Victrix egrederetur sine macula, ita ut alacris conspiceretur coram omnibus. *rotis pernicioſo conterenda: ſed fractis rotis, illæſa egreditur.* E

8 Dixit autem proconsul: Per imperatoris fortunam & deorum benignitatem, si non sacrificaveris deo Marti, igne te absumo, ut discas, nullam tibi opem præstari ab eo, quem colis. Respondit sancta Euphemia: Ignem mihi minitaris, qui exiguo durat tempore, & citò exstinguitur: sed non sum animo tam parùm virili, ut minas tuas timeam. Etenim per sacra piorum propter Christum certamina, calcabo tyrannidem tuam. Exterritus proconsul jussit sic accendi caminum, ut flamma ignis septupla videretur, & Sanctam duci per alios quosdam ministros. Stetit verò S. Euphemia florido vultu ac sano corpore, & cantavit: Benedictus es, Deus, qui habitas in excelsis, & humilia respicis, quem laudant angeli & omnes virtutes cælorum, te invoco ego humilis & pusilla, adjuva me pro bonitate tua, confirma me virtute Spiritus tui, & ostende homini malæ mentis & Christi inimico, te esse Deum, qui misisti angelum tuum ad tres pueros, & dispersisti flammam ignis ex camino. Nunc etiam respice in me humilem, & mitte auxilium tuum, & libera me ab ore leonis, & à fera venante, & à minis proconsulis: nomen enim tuum terribile est & glorioſum in secula. Amen. *Sancta in caminum vehementer accenſum,* F

9 Ubi hæc dixerat, mandavit ministris proconsul, ut eam tollerent. Accinctam autem ipsam tenebant, ut jacerent in caminum ignis. Unus verò ministrorum, nomine Sosthenes, habens ensem è cingulo suspensum, accessit ad proconsulem, eique dixit: Manda mihi, proconsul, ut hoc ense utar contra me; neque enim possum contra Sanctam illam manus extendere: nam video ante oculos meos exercitum splendida vestimenta gestantium, qui ipsam exspectant. Similiter Victor minister, vigilans & ipse ad agnitionem, solvens cingulum suum, dicit ipsi: Oro te, proconsul, libera me hac necessitate: grave enim mihi est Sanctam illam tangere. Nam cerno ante oculos supra labrum camini viros stantes, qui ignem dispergunt, exspectantes, ut Sanctam conservent illæsam *i*. Pro- *recuſantibus id facere primis miniſtris, viſione territis,* *i*

Ex Ms. consul verò jussit hos custodiri, & alios venire ministros.

10 Venit autem aliquis, Cæsar nomine, & alius cognomine Barbarus *k*: hi accipientes victoriis ornatam, injecerunt ipsam in rogum: eam porrò exceperunt....*l* Divinitatis ministri splendentes, angeli pacis, & dispersérunt flammam ignis, absumpto flammâ uno ministrorum, qui Cæsar vocabatur. Stabat verò in medio camini Sancta, quasi in amœno palatio, videns Christum regem, & expansis manibus dicit: Benedictus Deus patrum nostrorum, quia... *m* non despiciens vultum meum, qui oculum misericordiæ tuæ produxisti, qui gubernacula pietatis tuæ demisisti, qui leonem impiæ deceptionis persecutus es, qui justitiam tuam in me florere fecisti, qui sancto Spiritu tuo serpentem tenebricosum à me separâsti, qui semper salvos præstitisti sperantes in te; concede mihi, ut dignè in conspectu tuo certans, vitam æternam obtinere merear. His dictis, egressa est ex camino, Regi omnium Christo ministros *n* commendans.

per alios injecta servatur illæsa.

k *l*

m

n

ἄσπιλον διατηρεῖν. ὁ δὲ ἀνθύπατος κελεύει τοὺς D
φυλάττεσθαι, καὶ ἑτέρους ὑπηρέτας ἐλθεῖν.

10 Ἦλθεν δέ τις Καίσαρ τοῦνομα, καὶ ἕτερος τῷ ἐπωνυμίαν βάρβαρος, καὶ λαβόμενοι τῆς ἀθλοφόρου, ἔρριψαν αὐτὴν ἐπὶ τὸν πυρὰν, καὶ ἐδέχοντο αὐτὴν οἱ τοῦ ... τῆς θεότητος διάκονοι λαμποφόροι ἄγγελοι τῆς εἰρήνης, καὶ διεσκόρπισαν τὸν φλόγα τοῦ πυρὸς, ἀναλωθέντος ὑπὸ τῆς φλογὸς ἑνὸς τῶν ὑπηρέτων ὃς καλουμένου Καίσαρος. ἐν ᾗ δὲ μέσῳ τῆς καμίνου ἡ ἁγία ὡς ἐν παλατίῳ τερπνῷ ὁρῶσα τὸν βασιλέα Χριστὸν, καὶ ἁπλώσασα τὰς χεῖρας, λέγει· Εὐλογητὸς * *Vox deleta*
ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, ὅτι... ἀμνησικάκῳ σοῦ ὑπηρέτῃ μὴ παριδὼν τὸν ὄψιν μου, ὁ τὸ ὄμμα σου τῆς σπλαγχνίας ἐκτείνας, καὶ τοὺς οἴακας τῆς εὐσεβείας καταπέμψας, καὶ ἀποδιώξας τὸν λέλαπα τῆς ἀνομίας, ὁ τὸν δικαιοσύνην σου ἀνθήσας εἰς ἐμὲ, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι ἀφορίσας τὸν ἐσκοτισμένον ὄφιν ἀπ' ἐμοῦ, ὁ ἀεὶ σώζων τοὺς ἐλπίζοντας ἐπὶ σὲ, δός μοι ἐνώπιόν σου ἀξίως ἀθλήσασαν καταξιωθῆναι τῆς αἰωνίου ζωῆς. καὶ εἰποῦσα ταῦτα, ἐξῆλθεν ἐκ τῆς καμίνου, παραθεμένη τοὺς ὑπηρέτας τῷ βασιλεῖ τῶν ὅλων Χριστῷ.

ANNOTATA.

B E

a *Ita textum Græcum Latinè reddendum censui, quia* τῆς Εὐρώπης *videtur designare patriam Prisci, cùm subdatur proprio ipsius nomini, tam hìc quàm circa finem, ubi dicitur* ἐτι ἀνθυπατεύοντος Πρίσκου τῆς Εὐρώπης. *In omnibus tamen antiquis versionibus legitur* in Europa, *acsi congregatio fuisset in Europa, aut Priscus fuisset Europæ proconsul. At congregatio nequit statui in Europa, cùm ea esset Chalcedone Asiæ civitate. Nihilo magis Priscus, qui Asiæ proconsul dicitur à Metaphraste, dici potest Europæ proconsul, quo titulo nullus gavisus, cùm nullus toti Europæ præesset. Fuit quidem provincia aliqua particularis in Thracia,* Europa *dicta, de qua apud nos actum tom. 6 Junii pag. 65, sed ea proconsulem non habebat: nec proconsul Europæ jura dedisset Chalcedone. Quapropter Europa, sive particularis illa Thraciæ provincia, sive generalis Europæ, erat Prisci patria, ut ipse verborum ordo satis insinuat.*

b *Nomina parentum apud antiquos interpretes variè expressa sunt. Aliis pater* Philophron, *aliis* Philosophron. *At* Philophron *etiam vocatur à Metaphraste, & in uno Ms.: atque ita nomen in hac Passione ubique exprimitur. Mater apud interpretes* Theodora *scribitur, apud Surium ex Metaphraste* Theodorosia, *hìc verò* Theodorisiana.

c *Vox erat nimis deleta in codice Ms., nec legi poterat. Itaque vox* ἀποκριμένων *ex conjectura & similitudine priorum litterarum solùm posita est.*

d *Fortè hoc dicit, quia* ἄπελος *Græcè* ulcus *significat, exulceratum fuisse in Christianos insinuans.*

e *Vox* πρόκρισις *erat multùm deleta, & utcumque est dubia. Sensus est, proconsulem judicio Apeliani acquiescere solitum fuisse.*

f *Vox* πρόσφς *iterum est dubia in Ms. At dubium illud levioris est momenti.*

g *Aliquid rursum in codice deletum. Fortè dixit:* Mente ad cælum *elevata.*

h *De tormento Sanctæ instricto per* rotas *meminit S. Ennodius num. 3 in Commentario.*

C F i *De hisce laudatus Ennodius ita habet:*

Hanc cùm caminis igne crepantibus
Jussisse fertur præcipitem dari
Priscus, veneni fonte nocentior,
Hujus ministri dum cuperent nimis
Fornacis escæ tradere Martyram,
Lux tunc olympi luce serenior
Opus removit sæva volentium:
Cum voce monstrant qui gladium simul:
Nos hinc precamur dirige tartaro:
Nam nostra Sanctam non violat manus.

k *Apud Surium ex Metaphraste* Varius *vocatur.*

l *Hic rursum aliqua vox nimis deleta legi non potuit.*

m *Paucæ desunt voces, quia legi non poterat verbum iis additum.*

n *Sosthenem nimirum & Victorem.*

CA-

A Ex Ms.

CAPUT II

Reductâ in carcerem Euphemiâ, SS. Sosthenes & Victor martyrio coronantur: Euphemia, aliis tormentis subjecta sine læsione, tandem feris exposita, martyrium complet.

Ἐ"θετο ᾧ αὐτλὼ ἐπὶ τὴς φυλακῆς ὁ ἀνθύπατ⊖, εἶπων· ἕως αὔριον ἔχω ἐπὶ τ δεσμῶν, ϗ σκεψώμεθα πῶς ἀναλώσω αὐτλὼ, ϗ ἀπῆλθεν δοξάζω σα τ Θεὸν. ἔχαρον ᾧ οἱ γενναῖοι χρατιῶται τ Χρίσ ἐπὶ τῇ ἀθλήσει τ μακαρίας Ευφημίας, ϗ ἔλεγον· εὐλογητὸς εἶ ὁ Θεὸς εἰς τὺς αἰῶνας, δὸς τλὼ δούλω σ ἱερυργεθῆναι μετὰ τ πατέρων, τ μετὰ πόθ τλὼ Θεότητά σ ὁμολογησάντων· ἔτι ᾧ καθιζόμεν⊖ ὁ ἀνθύπατ⊖ ἐκέλευσεν ἀχθῆναι τ Σωσθένλω ϗ τ Βίκτορα, ϗ λέγει αὐτοῖς· θῦσατε τοῖς θεοῖς. οἱ δὲ
B λέγυσιν αὐτῷ· ἡμεῖς, ἀνθύπατε, πλανηθέντες ὑπὸ
* *forte* ἀπο- ᾧ ἐσκοτισμένυ ἐχθρῦ, ὃ σὺ λατρεύεις, ϗ καιροῖς
λέσαμεν ματαίοις δυλεύσαντες αὐτῷ, ἀπολέσωμεν * παρὰ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ τὰς ἐλπίδας. πιστεύομεν ᾧ διὰ τ ἀθλοφόρυ Ευφημίας εἰς τ φωτίζοντα ἡμῶν τὰ ἐσκοτισμένα, ὅτι δυνατός ἐσιν ἐξαλεῖψαι τὸ καθ' ἡμῶν χφόγραφον, ϗ ῥύσασθαι ἡμᾶς ἐκ δ ἐχθρῦ τ ἀληθείας, ϗ πολίτας εἰς τλὼ τ ἁγίων βίβλον ἐγγράψασθαι. ποίει ὧν σὺ πατρδὴ τὰ ἔργα δ πατρός σ τῦ Ζατανᾶ, ϗ αἰκίζυ ἡμᾶς μὴ πειθομένυς τῇ σῇ ἀπονοίᾳ, μὴ ᾧ τῇ ἐκθέσει τ βασιλέων σ, μὴ ᾧ τῷ ἀκαθάρτῳ σ ϗ ψευδωνύμῳ θεῷ.

12 Ἀκύσας ᾧ ταῦτα ὁ ἀνθύπατ⊖, ἐκέλευσεν ἀρίναν ἀχθῆναι, ϗ αὐτὺς ἐμβληθῆναι ἐκεῖ, ὅπως θηριομαχήσωσιν. ἐβλήθησαν ᾧ οἱ δύω ὁμῦ, ϗ εἶπον ὅτως· Κύριε παντοκράτωρ, ὁ μέγας, ϗ φοβερὸς, ὁ τῷ ζῷ ὀνόματι πάντα ὑποχωρόμεν⊖, τὸ κύτ⊖ τ θαλάσσης, ὁ τλὼ γλὼ ἐράσας τῷ λόγῳ δ προσάγματός σ, ὁ τὸ φῶς ἀνατείλας, ϗ τὸ σκότ⊖ διασκεδάσας· ὁ τ δράκοντα ἀποκτείνας, ϗ λύσας τὰς ὀδύνας τῦ θανάτ, σῶσον ἡμᾶς ἀπὸ τ δ ἀνθρωποκτόνυ διαρπαγῆς, ϗ δὸς ἡμῖν μετ' εἰρήνης ἀσπίλυς τῇ ψυχῇ ϗ τῷ σώματι τὸ ὄνομά σ κληρονομῆσαι τὸ ἅγιον. ϗ δυθέως φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῦ
C οὐρανῦ λέγυσα· εἰσήκυσα τ δεήσεως ὑμῶν. παραθέμενοι ᾧ ἑαυτὺς τῷ Θεῷ, παρέδωκαν τὰς ψυχάς. ϗ ειδὼν ὁ ἀνθύπατ⊖, ἀνέςη ϗ ἀπῆλθεν ἐν τῷ πραιτωρίῳ. Ἠρθησαν ᾧ τὰ τ ἁγίων σώματα ὑπὸ τ Χρισιανῶν, ϗ κοσμίσαντες αὐτὰ ἀξίως κατέθεντο.

13 Πρωΐας ᾧ γενομένης, πρωῒ ἦλθεν ὁ ἀνθύπατ⊖ ἀκύσαι τ ἁγίας Εὐφημίας. ἡ ᾧ ἐξίει ἐκ τ φυλακῆς, ὡς καλὴ δάμαλις Χρίσ, ἄδυσα τλὼ ἁγίαν φωνλὼ, ϗ λέγυσα· ἄσω σοι, Κύριε, ἆσμα καινὸν ἐπὶ τ γῆς, δοξάζω σε, Κύριε, ἐν ἰσχύϊ μυ, ψαλῶ σοι ἐν ἔθνεσιν, ϗ τῷ ὀνόματί σ ὑμνήσω, ϗ κληρονομήσω τλὼ βασιλείαν σ. ἄδυσα ᾧ ϗ ψάλλυσα, δοξάζυσά τε ϗ ὑμνῦσα ἦλθε, ϗ ἔςη ἐπὶ τῦ βήματ⊖. ϗ εἶπεν πρὸς αὐτλὼ ὁ ἀνθύπατ⊖· μέχρι πότε παραφρονεῖς, ϗ ἑαυτλὼ ἀπόλλεις; ὁ γὰρ μέγις⊖ θε⊖ δύναται ἔσαι σοὶ, ἐὰν προσκυνήσῃς αὐτῷ. πείσθητι ὧν ϗ θῦσον· ϗ ζήσασα μητὴρ ἡμῶν ἀποδειχθήσῃ. ἡ ᾧ πρὸς αὐτὸν λέγει· ἀληθῶς ἄφρων ϗ ἀσύνετ⊖ κληθῶ, ἐὰν τοῖς ἀφάνεσι, ϗ ἐσκοτισμένοις ϗ τοῖς μὴ ὖσι φύσει θεοῖς πειθῶ, ϗ δαιμονίοις ἀλάλοις, ϗ κωφοῖς θῦσω, ἀθέμισε, ϗ ἀκατάσατε, ἀπερριμένε τ ἀληθείας χρίσ, προσκολλωμένε ᾧ τῇ τ ὄφεως ἀγάπῃ, ἀπόλδεις, αὐτὸς ταρτάρ ϗ ἀσβές πυ-

PRoconsul porrò ipsam in carcerem misit, dicens: Usque in diem crastinum sit in vinculis, ac perpendamus, quo modo ipsam perdam. Abiit autem laudans Deum. Gaudebant verò generosi Milites Christi de certamine beatæ Euphemiæ, & dicebant: Benedictus es Deus in sæcula, qui dedisti, ut Famula tua se sacrificium offerret cum patribus, qui cum desiderio Divinitatem tuam confessi sunt. At proconsul etiam tum pro tribunali sedens jussit adduci Sosthenem & Victorem *a*, eisque dicit: Sacrificate diis. Illi verò responderunt: Nos, proconsul, decepti ab hoste tenebricoso, cui tu servis, & ad tempus vanè ipsi servientes, excideramus spe apud verum Deum. Credimus verò per victoriosam Euphemiam in eum, qui illuminavit tenebras nostras, quia potest delere chirographum, quòd contra nos est, & nos liberare ab inimico veritatis, civesque nos adscribere libro Sanctorum. Fac igitur studiosè opera patris tui satanæ, & crucia nos impietati tuæ non parentes, neque edicto imperatorum tuorum, neque impuro tuo & falsi nominis deo. *Reductâ Euphemiâ ad carcerem, SS. Sosthenes & Victor*

12 Auditis illis, proconsul jussit arenam parari, illosque injici, ut pugnarent cum bestiis. Injecti autem sunt ambo simul, atque ita sunt locuti: Domine omnipotens, qui magnus es & timendus, qui nomine tuo omnia subsistere facis, latitudinem maris, qui terram fundâsti verbo mandati tui, qui lumen oriri fecisti & dissipâsti tenebras, qui draconem occidisti & solvisti dolores mortis; serva nos illæsos à rapina homicidæ, & concede, ut cum pace sine macula animæ & corporis nomen tuum sanctum hereditate possideamus. Et continuò facta est vox dicens: Exaudivi orationem vestram. Commendantes verò se ipsos Deo, animas tradiderunt. Id ubi viderat proconsul, surrexit, & abiit in prætorium. Sublata autem sunt à Christianis Sanctorum corpora, eaque ornata dignè deposuerunt. *ad bestias damnati, martyrio coronantur.*

13 Postridie mane processit proconsul, auditurus sanctam Euphemiam. Illa verò carcere egrediebatur, velut egregia Christi Juvenca, cantans voce sancta, & dicens: Cantabo tibi, Domine, canticum novum in terra, glorificabo te, Domine, pro viribus meis, cantabo tibi in gentibus, & nomini tuo hymnos dicam, & hereditate obtinebo regnum tuum. Sic cantando, psallendo, glorificandoque & hymnos canendo venit, & stetit coram tribunali. Dixit autem ei proconsul: Quò usque contemnis, & te ipsa perdis? Nam maximus deus propitius tibi erit, si ipsum adoraveris. Itaque morem gere, & sacrifica: vivensque eris mater nostra *b*. Illa verò ipsi reponit: Verè amens & insipiens vocarer, si obscuris & tenebrosis, iisque, qui naturâ non sunt dii, paruero, & dæmonibus mutis & surdis sacrificavero, injustè, instabilis, aliene à veritate Christi, & dilectioni serpentis agglutinate, cùm ipse tartari & ignis inexstin- *Sancta, contemptis tyranni blanditiis,*

b

Ex Ms.

stinguibilis sis heres, vitam secundum veritatem instituentes tecum trahere festinas. At non sic fiet: habeo enim firmamentum Christum, perpetuò me confortans.

per occultam machinam transit illæsa.

14 Tunc jussit componi instrumentum artificio dolosò timendum, ipsamque cursu venire ad locum, ac in illud jaci, ut comprehensa, velut ferus aper, moreretur, nescienscᵉ, quid sibi accideret. Postquam paratus erat impius laqueus, venit sancta Euphemia alacri vultu, tam multa jam passa, in quam ne timor quidem dominari potuerat. Cùm verò à satellitibus fortiter impelleretur, rapta est per angelos, & locum transivit: inciderunt verò satellites in laqueum instrumenti, & perierunt, impletumque est, quod est scriptum: In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Sancta verò, rursum aperiens os suum, dixit: Tu Deus, qui nôsti corda, qui mysteria pietatis custodis, qui das thesauros rapinæ non obnoxios, qui cælos firmâsti, & terram fundâsti, qui verbo constituisti omnia per Dominum nostrum Jesum Christum, qui voluntate tua lumen oriri fecisti, qui Filium tuum unigenitum de cælo misisti, ut solveret dolores mortis, & vinceret
B principem ac ducem impietatis, qui assistis militibus tuis, propter nomen tuum certantibus cum diabolo, & stabilis in ipsis fundamentum fidei, qui perpetuus factus es mihi adjutor, libera animam meam, & precibus Sanctorum virorum, qui in carcere propter Divinitatem tuam bene currunt, tuere Famulam tuam, & conserva me suppeditatione Spiritus sancti tui, quia tu solus peccatorum obliviscì dignaris, & servas in tempore tribulationis sperantes in te.

Aliis blandimentis nequidquam tentata,

15 Postquam ea viderat proconsul, jussit ipsam duci ad tribunal suum, eique dicit: Nôsti, Euphemia, te nobili & primario genere ortam, deceptam esse, & in errore permansisse, & mihi, qui facio officium pro imperatore, ausam esse resistere. Verumtamen, ut mulier rationabilis & honesta, morem mihi gere, condonansque injurias per me tibi illatas, sacrifica deo Marti, ne dicaris generis tui probrum. Illa verò, Christi sapientiâ instructa, dicit proconsuli: Tyranne, cur facies tua plena est amaritudine & dolo? O laqueum verbis concinnatum! O feram ovis vestimentis indutam, at silvestris ac rapacis lupi aucupium aggressam! O verba eloquentia, absinthio amariora!
C Non ita fiam amens, ut deseram vitæ meæ thesaurum, & gustui diaboli communicem. Noli ergo decipi, proconsul, acsi persuaderes mihi, ut sacrificarem immundis dæmoniis: neque enim coges me eos dicere deos. Quomodo enim sint dii, qui numquam fuerunt? Quo verò modo ita sine sensu es, ac viventi similes facis illos, qui numquam motu gavisi sunt aut vitâ, & hisce sacrificium offers? Itaque morem non gero verbis amaritudinis tuæ. Quare festina, & fac, quod vis. Desidero enim per machinas tuas ingredi in stadium æternum, ubi chorus est angelorum, ubi perfectus agonotheta Christus coronat certantes pro se, ubi Spiritus sanctus, veritatis unctio.

virgis cæditur, ac servis fectari & sartaginibus imponi jubetur; sed frustra:

16 Iratus proconsul jussit eam virgis *d* cædi. Illa verò cæsa dicit: Non tangunt me virgæ tuæ, improbe: dissolutus es, & non habes subsistentiam: victa est tyrannis tua, & abscondita est ab impietate. Verùm Apelianus, pugnam meditans cum proconsule, jussit poni serras acutas & sartagines, ipsamque instrumentis mechanicis dissectam à serrantibus, projici in sartagines, ut omnia ipsius membra abirent in cineres. Ita ergo composita sunt instrumenta, venienseque sancta Euphemia in serras
d

ρὸς κληρονόμ⊖ ὢν, τὺς ἐν ἀληθείᾳ πολιτευομέ-
D νυς σεαυτῷ ζυγκαταπᾶν· ὁ μὲν ⊃, ἔχω γὰρ τὸ
στερέωμα χρίσ⊖ ἐνίσχυον με ἀδιαλείπτως.

14 Τότε κελεύ⊰ μηχανικὸν ὄργανον γενέσθαι,
καὶ δρομέαν αὐτῷ ἐλθεῖν ἐπὶ τ τόπον καὶ ῥίψαι
ἐν αὐτῷ, ὅπως ζυλληφθεῖσα ὡς ὺς ἄγρι⊖ ἀπο-
θάνῃ, μὴ γνοῦσα τὸ γενόμενον αὐτῇ. ὡς ⊃ ἐγένετο
ἡ παγὶς ἡ ἀσεβὴς, ἦλθεν ἡ ἁγία Ευφημία φαιδρῷ τῷ
προσώπῳ, ἥτις τοσαῦτα παθοῦσα οὐδ ὅλως ὑπὸ δει-
λίας κατεκυριεύθη. ὡς ⊃ ὑπὸ τ δορυφόρων γενναίως
ἠλαύνετο, ἁρπαγὴ δί ἀγγέλων καὶ διῆλθεν τ τό-
πον, καὶ διέπεσον οἱ δορυφόροι ἐν τῇ ζκολῇ τοῦ
ὀργάνου, καὶ ἀπέθανον, καὶ ἐπληρώθη τὸ γεγραμ-
μένον, ἐν τοῖς ἔργοις τ χειρῶν αὐτοῦ συνελήφθη ὁ
ἁμαρτωλός. πάλιν ⊃ ἀνοίξασα τὸ σόμα αὐτῆς λέ-
γει· Ζὺ ὁ Θεὸς ὁ καρδιογνώστης, ὁ τὰ μυστήρια τ
ὁσιότητος κατέχων, ὁ τῶν ἀσύλων θησαυρῶν χο-
ρηγὸς, ὁ τὺς οὐρανὺς * τανύσας, καὶ τὴν γῆν
ἐδράσας, ὁ τῷ λόγῳ τὰ πάντα ὑποστήσαμε-
νος διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, ὁ τὸ φῶς
ἀνατείλας τῷ Ζῷ θελήματι, ὁ καταπέμψας τ μο-
νογενῆ Ζὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἵνα λύσῃ τὰς ὀδύνας
τοῦ θανάτου, καὶ δεσμόσῃ τ τ ἀπολείας ἄρχον-
τα καὶ στρατηγόν· ὁ παρεσῶν τοῖς σοῖς στρατιώταις
τοῖς διὰ τὸ ὄνομά σου καταγωνιζομένοις τοῦ διαβόλου,
καὶ θεμελιῶν ἐν αὐτοῖς τὸ στερέωμα τῆς πίστεως,
ὁ βοηθὸς γενόμενός μοι ἀεὶ, ῥῦσαι τὴν ψυχήν μου,
καὶ ταῖς ὀχαῖς τῶν ἁγίων, τ ἐπὶ τ εἱρκτῆς διὰ
τὴν σὴν θεότητα τ ἀγαθὸν δρόμον τρεχόντων,
φύλαξον τὴν δούλην σου καὶ συντήρησόν με τῇ ἐπι-
χωρηγίᾳ τοῦ ἁγίου σου Πνεύματ⊖, ὅτι σὺ εἶ μόν⊖
ἀμνησίκακ⊖, καὶ σώζεις ἐν καιρῷ θλίψεως τοὺς
ἐλπίζοντας ἐπὶ Ζέ.

15 Ιδὼν δὲ ὁ ἀνθύπατ⊖, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι
αὐτὴν πρὸ τοῦ βήματ⊖ αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῇ·
οἶδας, Ευφημία, ὅτι εὐγενὴς ὖσα, καὶ τῷ γένει
πρώτη κπατρίδης, καὶ ἐναπέμεινας τῇ πλάνῃ, κἀ-
μοὶ τῷ ἱκανὸν τῷ αὐτοκράτορι ποιοῦντι ἐτόλμησας
ἀντιστῆναι· ὅμως ὡς λογία καὶ σεμνὴ γυνὴ πείσθη-
τί μοι, καὶ ζυγνοῦσα ταῖς ὕβρεσι ταῖς παρ ἐμοῦ
γενομέναις εἰς Ζέ, θῦσον τῷ θεῷ Ἄρει, ἵνα μὴ ὄ-
νειδ⊖ ἐπιγραφῇς τῷ γένει σου. ἡ δὲ ἕτοιμον ἔχου-
σα τὸ φρόνημα τοῦ Χρίσου, λέγει τῷ ἀνθυπάτῳ· τύ-
ραννε, τί τὸ πρόσωπόν σου μεστὸν ἐσὶ πικρίας καὶ
δόλου· ὦ παγὶς διὰ λόγων εἱρμοσμένη, ὦ θὴρ με-
τασχηματισθεὶς εἰς ἔνδυμα προβάτου, ἀγρίου ⊃ καὶ
ἁρπαγ⊖ λύκου θῆραν ἐπιτελῶν. ὦ λόγοι πρόφορι-
κοὶ, ἀψινθίου πικρότεροι. οὐχ ὕτως ἄρρων γενήσο-
F μαι, ἵνα καταλείψω τ τ ζωῆς μου θησαυρὸν, καὶ
κοινωνήσω τῇ τοῦ διαβόλου γόησει. μὴ ἔν πλανῶ,
ἀνθύπατε, ὅτι πείσεις με θῦσαι ἀκαθάρτοις δαι-
μονίοις, ὁ γὰρ ἀναγκάσεις με θεὺς αὐτοὺς εἰπεῖν,
πῶς γὰρ ἂν εἶεν θεοὶ μηδέποτε ὄντες; πῶς δὲ
ἀναθητεῖς, καὶ τῷ ζῶντι τὺς ἀκινήτους, καὶ μηδέ-
ποτε ζήσαντας ὁμοίους ποιεῖς, καὶ τούτοις θυσίαν
ἐκτελεῖς; ὁ πείθομαι ἔν τοῖς τ πικρίας σου λόγοις.
διὸ σπούδε καὶ ποίει ὃ θέλεις. ζητῶ γὰρ διὰ τ τε-
χνῶν σου εἰσελθεῖν εἰς τὸ στάδιον τὸ αἰώνιον, ὅπου ὁ
χορὺς τ ἀγγέλων, ὅπου ὁ τέλει⊖ ἀγωνοθέτης Χρι-
σὸς στέφει τὺς δι αὐτὸν ἀγωνιζομένους, ὅπου τὸ Πνεῦ-
μα τὸ ἅγιον, τὸ ἄλειμα τ ἀληθείας.

16 Θυμωθεὶς δὲ ὁ ἀνθύπατ⊖ κελεύει ῥαβδίζε-
σθαι αὐτήν. ἡ δὲ ῥαβδιζομένη λέγει· οὐχ ἅπτον-
ταί μοι αἱ ῥάβδοι σου παράνομε· λέλυσαι, καὶ οὐκ ἔ-
χεις ὑπόστασιν. νενίκηταί σου ἡ τυραννὶς, καὶ ἐκα-
λύφθη ὑπὸ τ ἀνομίας. Θυμομαχῶν δὲ ὁ Απελια-
νὸς σὺν τῷ ἀνθυπάτῳ, ἐκέλευσεν πρισήρας ὀξεῖς
τεθῆναι, καὶ τήγανα, καὶ διὰ ὀργάνων μεχανικῶν
ἀπὸ τ πρισήρων διχοτομηθῆσαν αὐτὴν, ἐπὶ τ
τηγάνων ῥιφθῆναι, ὅπως ἅπαντα τὰ μέλη αὐ-
τῆς σποδὸς γένηται. ἐγένετο δὲ ὕτως τὰ ὄργανα,

καὶ

* *in Ms.* ἀνθρώπους *mendose.*

A projecta eſt : & protinus inverſæ ſunt ferræ, & ſartagines *e* exſtinctæ ; neque ex illis quidpiam ipſam tetigit : angeli enim cum ipſa erant. Cùm autem vidiſſent proconſul & Apelianus, Dei militem Euphemiam patientiâ vincere, conſilium ineunt ad eam perdendam ; habitoque conſilio arenam præparârunt.

e

tandem feris tradita, reliquis ei parcentibus, unius morſu moritur,

17 Et inducunt Dei Ancillam in ſtadium. Hæc verò ſtans in medio, & orans dicebat : Notus es, Deus, invocantibus te. Accipe igitur animam meam, &, quemadmodum accepiſti ſacrificium patris noſtri Abraham, ita & humilitatis meæ ſpiritum ſuſcipe. His dictis, ſignavit ſe ipſam, invocans nomen Domini. Dimiſſi verò leones, & exſilientes, oſculati ſunt veſtigia ejus : ſimiliter & aliæ feræ, contra ipſam ſolutæ, ita fecerunt. Ut verò Certantis martyrium compleretur, accurrens una è feris momordit ipſam, nec tamen lividam fecit : factaque eſt vox de cælis, dicens : Aſcende, Euphemia, ſta in loco ſancto, accipe bravium tuum : curſum conſummâſti, fidem ſervâſti. Cùm autem vox illa audiebatur, terræ motus factus eſt magnus, ita ut omnes agitarentur, Sancta verò diceret : Redde *f*, Domine, ſceleſtiſſimo

f

B proconſuli ſecundùm cor ſuum, & aſſiſte ſervis tuis, Deus : hiſque dictis, ſpiritum ſuum Chriſto tradidit.

& à parentibus ſuis ſepelitur.

18 Veniens porrò mater ipſius Theodoriſiana, & pater ipſius Philophron, acceperunt corpus ipſius, & ſepelierunt illud in loco novo, uno quaſi milliari diſſito Chalcedone *g*. Proconſul verò Sanctos in carcere ſervatos miſit ad imperatorem, mandans eorum cuſtodibus, ut ipſos per viam pacificè cuſtodirent : nam in morbum inciderat, & graviter cruciabatur. Perfectum autem eſt martyrium ſanctæ Euphemiæ ad gloriam Dei Patris, & Jeſu Chriſti Domini noſtri, & ſancti Spiritûs die decima ſexta menſis Septembris, in memoriam glorioſam eorum, qui ſanctè recordantur beatæ Euphemiæ, quia honeſtum ejus vitæ inſtitutum Chriſti Martyrem fecit, tenente etiam tum proconſulatum Priſco Europæo. Omnes igitur, qui propter nomen Domini Sanctæ memoriam celebramus, glorificemus Deum Patrem omnipotentem, & adoremus Jeſum, cæli, terræ, omniſque animæ viventis Dominum, cum Spiritu ſancto, ut precibus Victricis coronatæ cum ipſa partem habeamus in regno cælorum, quoniam ipſum decet gloria nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

g

C

Ex Ms.

καὶ ἐλθοῦσα ἡ ἁγία Εὐφημία ἐρρίφη ἐπὶ τὰς πρι-
σήρας, καὶ ὀξέως κατεσράφησαν οἱ θηρία, καὶ
τὰ τήγανα ἐσβέσθησαν, καὶ οὐκ ἥψατο αὐτῆς ὑ-
δέν, ἦσαν γὰρ ἄγγελοι συν αὐτῇ. ἐωρακὼς ὁ ὁ
ἀνθύπατος, καὶ ὁ Απελιανὸς ὅτι ἡ τοῦ Θεοῦ σρα-
τιῶτις Εὐφημία νικᾷ διὰ τὴ ὑπομονῆς, ποιοῦσι
συμβούλιον τοῦ ἀπόλεσαι αὐτὴν, καὶ σκεψάμενοι ἀρί-
ναν κατεσκόλασαν.

17 Καὶ εἰσάγουσι τῳ τοῦ Θεοῦ δούλῳ εἰς τὸ
σάδιον· ἡ ὁ σαθεῖσα ἐν τῷ μέσῳ καὶ σροσδεξαμένη
εἶπεν· γνωσὸς εἶ ὁ Θεὸς τοῖς ἐπικαλουμένοις σε. δέ-
ξαι ὃν μοῦ τῳ ψυχῳ, καὶ ὡς σροσεδέξω τῳ θυ-
σίαν τοῦ σατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ, ὕτως καὶ τ ἐμῆς
ταπεινώσεως σρόσδεξαι τὸ σνεῦμα· καὶ ταῦτα εἰ-
σοῦσα, ἐσφράγισεν ἑαυτῳ, ἐπικαλεσαμένη τὸ ὄνο-
μα Κυρίου. ἀπολυθέντες ὁ λέοντες, καὶ ἐκπιδήσαντες
κατεφίλησαν τὰ ἴχνη αὐτῆς, ὁμοίως ὁ καὶ τὰ ἕτερα
θηρία, ἀπολυθέντα κατὰ ταυτῆς, ὕτως ἐποίησαν.
ἵνα ὁ πληρώθῃ τὸ τ ἀθλήσεως αὐτῆς μαρτύριον,
δραμοῦσα μία τ θηρῶν ἔδακεν αὐτῳ, ὑπόπτιον μὴ
σοιήσασα αὐτῳ· καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τ οὐρανῶν
λέγουσα· ἀνάδραμε Εὐφημία, ϛῆθι ἐπὶ τοῦ τόσ᾽ ὃ
ἁγίου, ἀπολαμβανέ ϛου τὸ βραβεῖον. τ δρόμον
τετέλεκας, τῳ πίσιν τετήρηκας. τ δὲ φωνῆς γε-
νομένης, ϛεισμὸς μέγας ἐγένετο, ὥσε σαλευθῆναι
πάντας, τῳ δε ἁγίαν εἰπεῖν· ἀπόδος, Κυρίε,
τῷ μιαρωτάτῳ ἀνθυπάτῳ κατὰ τῳ καρδίαν αὐτοῦ,
καὶ σύνελθε τοῖς δούλοις σου ὁ Θεός. καὶ ταῦτα εἰπὼ-
σα ἀπέδωκεν τὸ σνεῦμα αὐτῆς.

Ex Ms.

18 Καὶ ἐλθοῦσα ἡ μήτηρ αὐτῆς Θεωδωρισιανὴ,
καὶ ὁ σατὴρ αὐτῆς Φιλόφρων ἔλαβον τὸ σῶμα αὐ-
τῆς, καὶ ἔθαψαν αὐτὸ ἐν τόσῳ χώνῳ, ὡς ἀπὸ
μιλίου ἑνὸς Χαλκηδόνος· ὁ δὲ ἀνθύπατος σαρέσεμ-
ψεν τοὺς ἐπὶ τ εἱρκτῆς ἁγίους τῷ βασιλεῖ, σαραγ-
γείλας τοῖς κασικλαρίοις διατηρεῖν αὐτοὺς ἐν εἰρήνῃ
ἐν τῇ ὁδῷ. ἦν γὰρ σεσὼν ἐν ἀσθενείᾳ, δεινῶς βα-
σανιζόμενος· ἐτελείωθη δὲ τὸ μαρτύριον τ ἁγίας
Εὐφημίας εἰς δόξαν Θεοῦ Σατρὸς καὶ Χριϛοῦ Ἰησοῦ
τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τ ἁγίου Σνεύματος τῇ ἕξ καὶ
δεκάτῃ τοῦ Σεσεμβρίου μηνὸς, εἰς μνήμην ἔνδοξον
τ τὴν ἁγίαν ἀνάμνησιν τ μακαρίας Εὐφημίας σοιου-
μένων, ὅτι ἡ σεμνὴ σολιτεία αὐτῆς ὁμολογητρίαν
αὐτῳ τ Χριϛοῦ σροκάγετο, ἔτι ἀνθυπατεύοντος
Πρίσκου τ Εὐρώσης. Πάντες οὖν οἱ διὰ τὸ ὄνομα τ
Κυρίου τὸ τ ἁγίας ἐσιτελοῦντες μνημόσυνον δοξολο-
γήσωμεν Θεὸν Σατέρα σαντοκράτορα, καὶ σροσκυνήσωμεν Ἰησοῦν τ Κύριον οὐρανοῦ, καὶ γῆς καὶ σά-
σης σνοῆς ἐν Σνεύματι ἁγίῳ, ἵνα ταῖς δίχαις
τ ἀθλοφόρου δρεψώμεν μέρος ἔχοντες σὺν αὐτῇ
ἐν τῇ βασιλείᾳ τ οὐρανῶν, ὅτι αὐτῷ σρέσει δόξα
νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τ αἰώνων ἀμήν.

E

F

ANNOTATA.

a *De SS. Soſthene & Victore breviter actum eſt ad* 10 *Septembris, ſive tom.* 3 *illius menſis pag.* 488.

b *De blanditiis, quibus tentata eſt Virginis conſtantia, conſentit Ennodius. Nolim tamen contendere, omnia dicta utrimque prolata eſſe, prout hîc ſcripta ſunt.*

c *Qualis fuerit illa machina, non ſatis exprimitur in codice Græco. Attamen ex dictis colligitur, fuiſſe foſſas compoſitas & obtectas, eaſque lapidibus aut aliis inſtrumentis necem inferentibus inſtructas, ut in foſſas incidens Virgo ſtatim periret. Ennodius inter tormenta* Euphemiæ *illata memorat* foſſas & ſaxa. *Hiſce autem inſinuari ſuſpicor hanc machinam. Certè apud Mombritium duo illa concurrunt, & res prolixiùs exponitur hoc modo :* Tunc Priſcus juſſit lapides acutos cum gladiis in pavimento figi obſcuro, & modicâ terrâ cooperiri ; ut illa ex improviſo veniens ad lacum, projecta in illis moreretur, ſicut aper inſcius in foveam cadit. Illâ igitur inſciente factum eſt hoc argumentum. *&c. Additur, Sanctam angelorum ope tranſiiſſe illæſam, uti hîc. Conſentiunt quatuor è codicibus noſtris Mss. Metaphraſtes apud Surium de hiſce habet ſequentia :* Illi ergo rurſus exſculpſerunt lapides, & effecerunt acutos ferreoſque obeliſcos, & ſerras ſunt fabricati : deinde juſſerunt etiam fodi foſſam, quæ acutos hos lapides, & obeliſcos, & ſerras latentes infixas eſſet habitura, paucâ terrâ ei deſuper infuſâ, ut procedens Martyr, in eam imprudens incideret, & ſic interiret *&c. Exiſtimo, machinam ex ſolis conjecturis hîc deſcriptam, ac forſan ipſis Chriſtianis non ſatis fuiſſe cog-*

Ex Ms. *nitam, ita ut maximè ſtandum videatur Actis noſtris, licèt ut probabilis haberi poſſit deſcriptio ex Mombritio data, quia congruit dictis Ennodii. Porrò apud Mombritium & in codicibus noſtris jam dictis ante machinam memoratam duo alia tentâſſe proconſul dicitur. At de his nihil eſt in codice Græco. Quare ea huc breviter transfero ex Mombritio:* Juſſit ergo iterum proconſul quatuor lapides afferri, & in angularibus eorum machinas & argumenta conſtitui, ut mitterentur lapides ab argumentis, & contererentur carnes ejus. Perfectum eſt autem opus, & juſſit apponi eam lapidibus ligatam.... *At orante Sancta, ut dicitur,* comminuti ſunt lapides, *& Sancta manſit illæſa. Alterum eſt.* Iterum juſſit effodi foveam, & circumdari aquâ multâ, & beſtias carnifices * immitti in eam, ſanctamque Euphemiam immitti in medio ejus, ut obviantes beſtiæ eam comedant... *At Sancta, ſi cui hæc videntur admittenda, poſt orationem* projecit ſeipſam in aquam, & occurrentes beſtiæ univerſæ, portabant eam ſuper aquam *&c. Utrumque etiam habet Mataphraſtes apud Surium. At de his nihil in codice Græco, nihil apud Ennodium, nihil apud Bedam aut Adonem. Videntur itaque hæc Actis poſtmodum inſarta, fortè ex Metaphraſte; & fidem non merentur.* D

* *fortè carnivoras*

d *De hac pœna meminit Ennodius, uti & Beda & Ado, qui & de præcedentibus mentionem fecerunt.*

e *De ſerris & ſartaginibus nihil quidem invenio apud Ennodium; at de utriſque meminerunt Beda & Ado, in Commentario num.* 5 *&* 6 *laudati, & multò antiquiores Metaphraſte.*

f *Hoc dictum auctoris potiùs credo, quàm* S. Euphemiæ, *ponendumque eſt inter ea, quæ imitanda non ſunt. Sanè magis credo, tacitè orâſſe Sanctam, quàm verba ipſius, inter feras beſtias conſtitutæ, auditas fuiſſe à circumſtantibus. Aliunde etiam ſatis clarum videtur, dicta, quæ refert auctor, ex parte ſaltem ipſius meditationi attribuenda eſſe, ut monui in Commentario num.* 55.

g *Eo ſcilicet loco, ubi poſtmodùm ſtructa eſt celebris Sanctæ baſilica. De hac cùm non meminerit auctor, videtur ſcripſiſſe ante extructam illam baſilicam.*

B E

HISTORIA CORPORIS SÆPIUS TRANSLATI

Auctore Conſtantino Tii Epiſcopo.

Ex codice Ms. bibliothecæ Vaticanæ, unà cum interpretatione Latina per Surium edita, nonnihil correcta.

CAPUT I.

Leo Iſauricus in hæreſim lapſus, corpus S. Euphemiæ, miraculis clarum, in mare projicit: illud verò à duobus piis nautis è mari levatur, agnoſcitur, & in

C *Lemno inſula deponitur.* F

Ἧκω τὸ ἐπίταγμα φέρων, ὦ πανοσιώτατε πάτερ, καὶ πάσης ἀληθοῦς ἐφέσεως ἐρασὰ, καὶ τῆς ἐμῆς ἰδιωτείας καθυπνητὰ, ταῖς ὑμετέραις ἀποθαρρήσας ὁσίαις εὐχαῖς· ὑ γὰρ ἱκανὸς ὑπάρχω πρὸς τοῦτὶ τὸ ἐγχείρημα, πέλων ἀμαθὴς καὶ ἀγροικίας ἀνάμεσος· ἀλλὰ δεδιὼς ὡς ἐπικίνδυνον ἀεὶ τ παρακοῆς τὸ ἐπιτίμιον, καὶ ἐπιζήμιον τῆς πάλαι κῆς ὁλολῆς μὴ ποιεῖν τὸ ἐπίταγμα, ταῖς σαῖς θαρρήσας πανεύθλοις εὐχαῖς, ἅπερ ἐξ ἀνδρῶν εὐλαβῶν ἀκήκοα, καὶ ὅσαπερ ὀφθαλμοῖς ἰδίοις ἐθεάμαι, ταῦτα γράφων, ἥκω ἐπὶ τὴν δ λειφάνυ τ πανεύφημυ μάρτυρ Εὐφημίας ὑπεροχίαν, καὶ ἔκπλωσιν, εὕρεσίν τε καὶ ἀνακομιδὴν, τὴν διήγησιν, ὅπως ἂν γνῷ γενεὰ ἑτέρα τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, ἅπερ πρωτανεύων ἄνωθεν * καὶ μέχρι τοῦ νῦν καὶ ἐπέκεινα ὁ διαλιμπάνῃ Θεὸς ὁ πανάγαθος, εἰς δόξαν καὶ αἶνον τ φοβουμένων αὐτὸν, καὶ ἦβαν καὶ αἰσχύνην τ ἐνολμώντων καθυλακτεῖν κατὰ τ δόξης τ ἁγίων αὐτοῦ.

* *vox hæc erat ambiguè ſcripta*

2 Ἐγένετο δὲ τοῖς παρῳχηκόσι χρόνοις κατὰ

VEnio afferens, quod juſſiſti, ô ſanctiſſime pater & amator omnis boni deſiderii, & rudis mei ingenii eruditor, fretus veſtris ſanctis precibus. Non enim ſum idoneus ad hoc aggrediendum, ut qui ſim rudis & ignarus, plenuſque ruſticitate. Sed ſemper timens periculoſam pœnam inobedientiæ, & damnoſum ducens paternis non obedire præceptis, optimis veſtris fretus precibus, quæ ex viris piis audivi, & quæ ſum propriis contemplatus oculis, ea ſcribens, aggredior ad narrandum, quomodò in exteros fines exportatæ fuerint reliquiæ inprimis benedictæ martyris Euphemiæ, exciderintque, & rursùs fuerint inventæ & reportatæ: ut cognoſcat generatio altera Dei magnalia, quæ non ceſſat ipſe, ab alto petita origine, in hodiernum uſque diem diſpenſare ad laudem & gloriam eorum, qui ipſum timent, dedecuſque & ignominiam eorum, qui audent latrare contra gloriam ſuorum Sanctorum. *Præfatio de propoſito auctoris.*

2 Accidit annis præteritis, ut Dei permiſſione

reg-

A. CONSTANT. EP.

A regnaret impurus & profanus Leo *a* ex gente infaustorum Isaurorum *b*. Qui cùm non sanctè nec piè regnum arripuisset, cœpit latrare adversùs Dei Ecclesiam, & prætextu pietatis dum idola vocat & eis assimilat, venerabiles frangere imagines, dicens suî similibus & execrandis hominibus, & eos docens ea esse, de quibus dicit Propheta: Os habent & non loquentur. Quamobrem sanctissimum quoque patrem nostrum Germanum *c* patriarcham, vitâ & sermone resplendentem, impudentiâ & flagris usus, è sede ejecit: & non solùm in venerandis imaginibus suam non compescuit blasphemiam, sed etiam eorum, qui propter Christum subiêre martyrium, reliquias est aspernatus, ossilatras eos appellans, qui nocturnis vacarent vigiliis. O audaciam, ô impietatem, ô contumeliam! Quis non admirabitur, quis non stupebit eam, quæ tunc fuit, Dei patientiam?

Leo Isauricus frangit sacras imagines:
a
b
c

3 Sed ad propositum redeat oratio, & dicat de clara & benedicta Christi martyre Euphemia. In ejus ergo templo, quod est prope Hippodromum *d*, erant ejus sanctissimæ reliquiæ integræ, intactæ & illæsæ. E Chalcedone enim cum arca translatæ fuerant Constantinopolim propter eam, quæ tunc fuerat, Persarum incursionem. Supra arcam autem divina fuerat ara collocata, quæ subtèr sanctissimas habebat reliquias. Super eam autem peragebatur intemerati Corporis & Sanguinis Domini, Christi Dei nostri incruentum mysterium. In eadem verò arca erat parvum foramen, quod etiam stat nunc usque in hodiernum diem, quod intùs ferre potest quasi manùs hominis magnitudinem. In qua cùm ego quoque indignus aliquandò ausus essem manum inferre & loculum tetigissem, sensi bonum odorem, & gratiam apprehendi. Dicam autem causam quoque foraminis *e*, quod divino consilio & providentiâ factum est. Quando ejus venerabiles & miraculorum effectrices reliquiæ erant Chalcedone, cùm impii Persæ eum locum occupâssent, in diebus Heraclii imperatoris, moti invidiâ diaboli, quem colebant, cùm paleæ & lignorum magnum acervum circa arcam congessissent, eam statuerunt comburere cum venerabilibus, quæ erant in ipsa, reliquiis. Sed nihil valuit eorum barbaricum & dæmoniacum inceptum, cùm Deus, prout scriptum est, servet omnia ossa eorum, qui propter ipsum decertârunt. Ossa ergo ejus ignis omninò non tetigit, nisi solùm, quòd cùm ex arca forma globi resiliissent, providit, ut facilior daretur ingressus ad reliquias iis, qui ex ipso volunt haurire gratiam curationum, nempe priùs dictum foramen.

corpusque Sanctæ, quod Constantinopolim translatum,
d
e

C

4 Erat ergo magna fides eorum, qui habitabant Constantinopoli, ut superiùs diximus, in templo & reliquiis omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ, & confluebant omnes instar fluvii haurientes curationes. Ex preciosis enim ejus reliquiis exibat sanguis *f* plenus bono odore, qui quidem tanquam unguentum à Deo suppeditatum dabatur ægrotantibus. Et erat quidem fidelibus miraculum terribile & venerandum: infidelibus autem & iis, qui aliter sentiebant, dedecus & ignominia. Tunc autem ille execrandus & pernicios us imperator, temeraria usus audacia, noctu ingressus cum quibusdam, qui erant suæ sectæ, impetum fecit in reliquias omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ: & cùm arcam aperuisset, abstulit reliquias benedictæ Martyris cum loculo, qui eas continebat. Cùm parata autem haberet alia ossa mortui exsiccata, ea jecit intrà arcam: & cùm eam rursùs texisset, recessit. Venerandas autem benedictæ Euphemiæ reli-

ibi pergebat sanguinem odoriferum fundere, clam aufert,
f

παραχώρησιν Θεῦ βασιλεῦσαι Λέοντα τὸν ἐναγῆ καὶ βέβηλον ἐκ τῆς φυλῆς τῶν δυσωνύμων Ισαύρων, ὅστις οὐκ ὁσίως οὐδὲ εὐσεβῶς τῆς βασιλείας δραξάμενος, ἤρξατο κατὰ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καθυλακτεῖν, καὶ ἐν προσχήματι δυσεβείας δι' εἰδωλικῆς παρανομίας τε καὶ παρομοιώσεως τὰς πανσέπτους εἰκόνας κατεσκευεν, φάσκων τοῖς ὁμοίοις αὐτῶ ἀμυήτοις, καὶ παραδιδάσκων, ὅτι ταῦτα εἰσὶ, περὶ ὧν ὁ προφήτης λέγει· στόμα ἔχουσι καὶ ου λαλήσουσι. διὸ καὶ τὸ πανόσιον καὶ ἐν ἁγίοις πατέρα ἡμῶν Γερμανὸν τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, βίῳ καὶ λόγῳ ἐξαστράπτοντα, ἀναιδεία καὶ μάστιξι χρησάμενος, ἀπῆρξε τοῦ θρόνου· καὶ ου μόνον ἐν ταῖς σεπταῖς εἰκόσι τὴν ἑαυτοῦ βλασφημίαν κατέπαυσεν, ἀλλὰ καὶ τὰ λείψανα τῶν διὰ Χριστὸν μαρτυρησάντων ἁγίων ἐξυβδένωσεν, ὡς εἰδωλολάτρας ἀποκαλῶν τοὺς σχολάζοντας ἐν πανυχίσι καὶ ἀγρυπνίαις· ὢ τῆς τόλμης, ὢ τῆς παροινίας· τίς οὐ θαυμάσει; τίς οὐκ ἐκπλαγείη τὴν τότε τοῦ Θεοῦ μακροθυμίαν.

A. CONSTANT. EP.

3 ἀλλ' ἐπὶ τὸ προκείμενον ὁ λόγος ἐπανίτω, καὶ τὰ περὶ τῆς ἀοιδίμου καὶ πανσόφου μάρτυρος τοῦ Χριστοῦ Εὐφημίας λεγέτω. Ἦν οὖν ἐν τῷ ταύτης ναῷ τῷ πλησίον τοῦ λεγομένου ἱπποδρομίου ὄντι, τὸ πανόσιον αὐτῆς λείψανον, ἀχέραιον, ἀσινὲς, καὶ ἀπήμαντον· ἀπὸ γὰρ Χαλκηδόνος μελετᾦμι σὺν τῇ λάρνακι, διὰ τὴν ἰνικαῦτα τῶν Περσῶν ἐπιδρομὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει. ἐν τῇ λάρνακι δὲ τὸ θεῖον ἱδρύθη θυσιαστήριον, ὑποκάτωθεν ἔχον τὸ πανόσιον λείψανον, ὕπερθεν δὲ αὐτοῦ ἐτελεῖτο ἡ τοῦ ἀχράντου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἀναίμακτος μυσταγωγία. Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ λάρνακι μικρὰ ὑπῆρχεν ὀπὴ, ἥτις καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐστὶ, φέρειν δυναμένη ἔνδον ὡσεὶ μέτρου χεῖρος ἀνθρώπου, ἐν ᾗ κἀγὼ ὁ ἀνάξιος ποτε τὴν χεῖρα τετολμηκὼς εἰσήγαγον, καὶ τοῦ γλωσσοκόμου ἁψάμενος, ἐδόμην τῆς ὀδωδίας, καὶ τῆς χάριτος ἀντελαβόμην· φήσω δὲ καὶ τὴν πρόφασιν τῆς κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ γενομένης ὀπῆς. Ὅτε τὸ τίμιον αὐτῆς καὶ θαυματουργὸν λείψανον ἐν Χαλκηδόνι ὑπῆρχε, τῶν ἀθέων Περσῶν τὴν ἐκεῖσε χῶρον καταλαβόντων, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως, φθόνῳ τοῦ παρ' αὐτῶν θεραπευομένου διαβόλου κινηθέντες πλῆθος φρυγάνων καὶ ξύλων περὶ τὴν λάρνακα συνάξαντες, καῦσαι ταύτην σὺν τῷ ἐν αὐτῇ ζεβασμίῳ λειψάνῳ ᾠήθησαν. Ἀλλ' οὐδὲν ἴσχυσεν ἡ βάρβαρος αὐτῶν καὶ δαιμονιώδης ἐπίνοια, τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸ γεγραμμένον φυλάσσοντος πάντα τὰ ὀστᾶ τῶν δι' αὐτὸν ἀθλησάντων· οὐχ ἥψατο γὰρ τῶν ὀστῶν αὐτῆς τὸ καθόλου τὸ πῦρ, ἢ μόνον ἐκ τῆς λάρνακος ὡς ζφαίρας εἰδος ἀποκαθῆκεν, οἰκονομίαν μᾶλλον εἰρήσατο καὶ εἴσοδον τὴν πρὸς τὸ λείψανον τοῖς ἐθέλουσιν ἐξ αὐτοῦ ἀρρύσασθαι ἰαμάτων χάριν, τὴν προλεχθεῖσαν ὀπήν.

4 Ἦν δὲ πολλὴ πίστις τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει κατοικούντων, ὡς ἀνωτέρω ἔφημεν, ἐν τῷ ναῷ καὶ τῷ λειψάνῳ τῆς πανσόφου μάρτυρος Εὐφημίας, καὶ πάντες συνέῤῥεον πολαμηδὸν τὰς ἰάσεις ἀρυόμενοι· αἷμα γὰρ ἐκ τοῦ τιμίου αὐτῆς λειψάνου, ὀδωδίας πεπληρωμένον, ἐξήρχετο, ὅπερ ὡς μύρον θεοχορήγητον τοῖς νοσοῦσιν ἐδίδοτο. καὶ ἦν τοῖς μὲν πιστοῖς θαῦμα φοβερὸν καὶ σεβάσμιον, τοῖς δὲ ἀπίστοις καὶ ἑτεροφρονοῦσιν ἦπα καὶ αἰσχύνη καὶ ὄνειδος. Ὁπότε δὴ ὁ πανώλης ἐκεῖνος καὶ ἐναγὴς βασιλεὺς, τὸλμη θρασεία χρησάμενος, νυκτὸς βαθείας μετά τινων τῶν τοῦ ἀσεβοῦς αὐτοῦ θρησκείας, ὥρμησε κατὰ τοῦ λειψάνου τῆς πανσόφου μάρτυρος Εὐφημίας, καὶ τὴν λάρνακα ἀναπετάσας, ἀφείλετο τὸ λείψανον τῆς πανσόφου μάρτυρος σὺν τῷ συνέχοντι αὐτὸ γλωσσοκόμῳ· ἕτερα δὲ ἔχων προπαρεσκευασμένα νεκρῶν ἐξηραμμένα ὀστᾶ, ἔνδον τῆς λάρνακος ἔῤῥιψεν· καὶ πάλιν σκεπάσας τὴν λάρνακα, ὑπεχώρησε. τὸ δὲ σεβάσμιον τῆς πανσόφου λείψανον σὺν τῷ

A. Cons. Ep.

ξυλίνῳ λλωσοκόμῳ ἀπέθετο ἔν τινι τ̃ δικτηρίων οἴκων τ̃ ἐκεῖσε ὄντων σὺν τοῖς βασιλείοις. ὅθεν αἱ τότε ἀδελφαὶ καὶ θυγατέρες ἀρώμασι καὶ μύροις καὶ φώτων προσαγωγαῖς ἐσέβοντο τοῦτο λαθραίως διὰ τὸ ὑπερβάλλον τ̃ χάριτος, καὶ τ̃ θαυμάτων τὸ μέγεθος.

* *forte* μνησθεὶς

5 Ταῦτα μυηθεὶς * ὁ ἀλιτήριος ἐπὶ τ̃ Βυκολέοντα καὶ τὴν Σιδηρᾶν διαβιβάσας, ἔρριψεν σὺν ᾧ τ̃ θαλάσσης ῥεύματι. καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον σελέντιον ἀσεβὲς ποιησάμενος, ἤρξατο τὴν μιαρὰν αὐτοῦ καὶ σκαγῆ λλῶσσαν κινεῖν κατὰ τ̃ πανσεβάσμιε, σκλη-τοῦων, καὶ λέγων· Ἀπέλθετε, καὶ θεάσασθε τὴν πλάνην, ἣν ἐπλανῶντο οἱ λέγοντες σῶον καὶ ἀκέραιον ὑπάρχειν τὸ τ̃ πανσεβάσμιε Εὐφημίας λείψανον, καὶ μῦρα διαχέον φάσκοντες· οἱ δὴ ἀπελθόντες καὶ θεώντες οὐκ ἔνσαρκον τὸ τ̃ πανσεβάσμιε λείψανον, ἀλλὰ τὰ παρ' αὐτοῦ ξηρὰ ῥιφέντα ὀστᾶ, διέπτυσαν καὶ ἐταλάνισαν. ἀπάτην δ' καὶ χλεύην τὰς ἰάσεις λογισάμενοι, κατέσπευσαν τὴν λάρνακα, καὶ σὺν αὐτῇ τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, τόν τε ναὸν παρέσειλαν. ἐξήνεγκαν δ' τὴν λάρνακα ἔξω τοῦ βήματος, ἣ καὶ γέγονε κατακτήριον ἀβαπτίστων καὶ ἀπαιδεύτων ἀνδρῶν· τοὺς γὰρ ἀπὸ ἐθνῶν δορυαλώτους καὶ σκῦλα τ̃ βασιλεῖ διδομένους ἐκεῖσε ἀπεφόρτιζον. ἕτεροι δ' βαφεῖς, καὶ οἱ τ̃ βυρσέων τεχνῶν σὺν αὐτῷ τὰς καμίνους πήξαντες, οἶκον κοσμικὸν, τὸν ποτε ναὸν κατεσκεύασαν· σὺν τῷ ἁγίῳ βήματι ὡς ἀποκρύφῳ τόπῳ τὴν ἀσθενῆ τοῦ σώματος χρείαν ποιούμενοι, τὰ περιττὰ τ̃ γαστρὸς ἀπεφόρτιζον. ὦ Χριστέ μου τ̃ τότε σου ἀνοχῆς.

B

6 Ταῦτα κἀγὼ ὡς ἐθεασάμην, ὅλος δακρύων πλησθεὶς καὶ γενασμῶν, ἐξῆλθον, ἐκπληττόμενος ἐπὶ τῇ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ μακροθυμίᾳ, ἀνοχῇ τε καὶ παραχωρήσῃ· καὶ ταῦτα μὲν ἐπράχθη ἐπὶ τοῦ προλεχθέντος ἀσεβοῦς βασιλέως. Ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ τ̃ δυνάμεων Κύριος, ὁ ἀήττητον ἔχων τὴν δύναμιν, καὶ ἀμυκτήριστον τὴν ἰσχύν, (Θεὸς γὰρ ὄντως οὐ μυκτηρίζεται) ἀκούσωμεν τί Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπὶ τὸ τ̃ πανσεβάσμιε λείψανον φκονόμησεν. σὺν γὰρ τῷ ῥιφῆναι αὐτὸ σὺν τῷ ῥεύματι, κατ' οἰκονομίαν τοῦ πανοικτίρμονος Θεοῦ, σκάφος τινῶν δύοιν ἀδελφῶν ἀνδρῶν εὐσεβῶν ἔξεισι τοῦ λιμένος τ̃ λεγομένων Φρικῶν, καὶ σὺν τῷ διαπλέειν αὐτοὺς ὀλίγον τι ἐκ τοῦ λιμένος, ἰδοὺ τὸ γλωσσόκομον κατερχόμενον σὺν τῷ ῥεύματι, πλησίον ἐγένετο τ̃ νηὸς· ἀνειλκύσθη δοῦν παρὰ τ̃ εὐλαβῶν ἐκείνων ἀνδρῶν, καὶ ἀπετέθη σὺν τῷ πλοίῳ, δοκούντων αὐτῶν θησαυρὸν κοσμικὸν ἐπιφέρειν. Ἀραντες δ' τὰ ἱσία, κατέπλεον ἐξελθεῖν τὸ τῆς Ἀβύδου στόμιον. ἀνακαλύψαντες δ' μικρὸν τὸ γλωσσόκομον, ὁρῶσι τὸ λείψανον, καὶ εὐωδίας πληρωθέντες, ἐξέστησαν, καὶ τί διαπράξασθαι οὐκ εἶχον, ἢ μόνον ἐπεκαλοῦντο τ̃ Κύριον ἀποκαλυφθῆναι αὐτοῖς εἰ ἅγιόν ἐστιν, ἢ κοινόν. Καὶ δὴ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ὁρῶσι δόξαν μεγίστην, φῶτά τε καὶ κηρούς, καὶ ἄνδρας λευχειμονοῦντας, καὶ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦντας· εὐωδίας τε πάλιν πληρωθέντες οἱ ἐν πλοίῳ, ἐπέγνωσαν ὅτι ἁγίου ἐστὶ λείψανον. ἐχάρησαν δὲ χαρὰν μεγάλην, καὶ φοβηθότες, ἐσπούδαζον λαθαίως διὰ τ̃ τυράννου φόβον, ἀπενέγκαι τῇ ἑαυτῶν πατρίδι θησαύρισμα.

C

7 Ὡς δὲ ἔφθασαν ἐπὶ τὴν νῆσον τὴν καλουμένην Λῆμνον, συνέβη αὐτοῖς κλύδων μέγας, καὶ περιπεσόντες ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς νήσου, σὺν ᾧ τραχὺς ὑπῆρχε καὶ ναυαλώδης τόπος, ἀπέγνων τ̃ σωτηρίας· ἐν ᾧ Θεοῦ διὰ τ̃ τ̃ πανσεβάσμιε πρεσβειῶν σὺν τοῖς κύμασι τὴν ναῦν συναρπάσαντος, ὑπεράνω τοῦ κινδύνου γενόμενοι ἔνδον τ̃ γαλήνης ὠρέθησαν. καὶ δόξαν τῷ Θεῷ ἀναπέμψαντες, τῷ λειψάνῳ τὴν πρέπουσαν τιμὴν ἀπένειμον. ἤσχαλλον δὲ καὶ διεπόρουν τίνος ἂν εἴη, καὶ ποίου ἁγίου τὸ λείψανον. Καὶ

quias cum ligneo loculo, depositi in quadam domo oratoria ex iis, quæ illic erant in regia. Quamobrem ejus sorores & filiæ aromatibus, unguentis, & luminibus id adorabant clanculum, propter insignem gratiam & miraculorum magnitudinem.

D

5 Hæc cùm resciviſſet sceleratus, trajecit in Bucoleontem *g* & ferreum carcerem *h*, & projecit in fluentum maris: & die sequenti impio concilio *i* congregato, cœpit adversùs benedictam Euphemiam movere suam sceleratam & execrandam linguam, eam infectans, & dicens: Abite & videte, quantùm errabant, qui dicebant esse salvas & integras benedictæ Euphemiæ reliquias, & eas asserebant effundere unguenta. Illi autem cùm abiissent & vidissent, non esse in carne preciosas Euphemiæ reliquias, sed arida, quæ ab ipso projecta fuerant, ossa, ea conspuerunt, & maledictis sunt infectati. Cùm fraudem autem & ludibrium & meras nugas dixissent esse curationes, arcam everterunt, & cum ea aram sanctam templumque deserunt. Eduxerunt verò arcam extra suggestum, quod erat habitaculum virorum, qui non erant baptizati, & erant ineruditi. Eos enim, qui erant bello capti ex gentibus, & regiæ dabantur spolia, illic exonerabant. Alii autem armorum opifices, & sordidarum ac illiberalium artium artifices cùm fixissent in eo fornaces, fecerunt domum secularem, quæ aliquando fuerat templum. In sancto autem suggesto, utpote loco occulto, requisita corpori facientes, excrementa corporis deponebant. O mi Christe, tuam tunc patientiam!

ac in mare projicit: ecclesiam verò ipsius profanat.

g *h* *i*

E

6 Hæc ego quoque postquàm vidi, totus plenus lachrymis & ejulatibus, egressus sum, admirans omnipotentis Dei tolerantiam atque permissionem *k*. Et hæc quidem facta sunt tempore prædicti impii imperatoris. Sed quoniam Dominus est virtutum, qui invictam habet potentiam, & vires, quæ subsannari nequeunt, (Deus enim reverà non irridetur) audiamus quid Christus Deus noster providit in reliquiis benedictæ Euphemiæ. Nam dum eæ jactæ sunt in mare, providentiâ Dei summè misericordis, cymba quorumdam duorum fratrum virorum piorum, egreditur è portu Sophiarum *l*, quæ dicuntur: & dum ipsi parùm quid è portu navigant, ecce loculus, qui cum fluento descendebat, fuit prope navem. Extractus itaque fuit à viris illis piis, & repositus in navigio, ipsis existimantibus se mundanum aliquem ferre thesaurum. Sublatis autem velis navigârunt, ut exirent per ostium Abydi *m*. Cùm autem parùm aperuissent loculum, vident reliquias, & suavi odore repleti, sunt admirati, neque sciebant, quid agerent, nisi quòd solummodò invocabant Dominum, ut eis revelaretur, sanctumne esset, an commune. Illa autem nocte vident gloriam maximam, & lumina, & cereos, & viros candidis vestibus indutos, & Christum laudantes. Rursusque bono odore repleti nautæ, agnoverunt eas esse sanctas reliquias. Magno ergò gaudio affecti, clàm profecti sunt propter metum tyranni, ut thesaurum ferrent in suam patriam.

Duo fratres loculum è Proponide levant in navim,

k *l* *m*

F

7 Postquàm autem veniſſent ad insulam, quæ dicitur Lemnos *n*, accidit eis magna tempestas. Et cùm incidissent in promontorium insulæ, in quo fuit asper locus, & planè aptus ad naufragium, de salute desperabant. Cùm Deus autem per intercessionem benedictæ Euphemiæ corripuisset navem unà cum fluctibus, superato periculo, inventi sunt in loco tranquillo: & cùm Deo gloriam emisissent, convenientem honorem tribuêre reliquiis. Angebantur autem & dubitabant, cujusnam essent Sancti reliquiæ.

discumque per revelationem, eo contineri reliquias S. Euphemiæ,

n

A liquiæ. Illa verò nocte acceperunt revelationem reliquiarum, per ejus nominis enunciationem. In illa enim insula sanctæ Glyceriæ *o* jacebant reliquiæ. Dicta autem nocte visa est egredi ex insula martyr Christi Glyceria, & hæc è nave exiisse, & se invicem esse complexæ. Et cùm dixisset quæ ex insula erat egressa, ei, quæ è nave exierat: Salve martyr Christi Euphemia benedicta, & se invicem salutâssent, rursus per se recedebant. Tunc è somno excitati, cum lachrymis & gemitibus preciosas acceperunt reliquias, & loculum sunt complexi præclari naucleri, Sergius & Sergonas: hæc enim erant eorum nomina. Cùm fuisset autem dies, enavigârunt, volentes ire in suam patriam. Et cùm processissent usque ad viginti circitèr milliaria, vento spirante contrario, vel inviti reversi sunt in locum, unde solverant.

quæ ipsis quoque deinde apparet, & postea episcopo: Sanctæ structum oratorium.

8 Rursus verò cùm paucis pòst diebus experiri voluissent, cuperentque, ut videbatur, uti secunda navigatione, iterùm reversi sunt. Hoc cùm semel bis & ter probâssent, nec ullo modo possent in suam ire patriam, reversis & in portum appulsis illa nocte visa est illis Christi martyr Euphemia, dicens: Cur contenditis me huc & illuc circumagere? Nolo ulteriùs progredi, neque hinc eò proficisci, quò me vultis ducere. Hæc cùm dixisset, rursus dixit eis: Non satis fuit, quòd Chalcedone translata sim Byzantium, & in mare projecta fuerim, & hîc steterim? Cur etiam me vultis circumagere in partes inferiores? Hoc à me quidem ferri non potest. Nolite hoc facere: sed facite, ut hîc quiescam. Hæc cùm audiissent, bonum capientes consilium, & quæ jubebat Martyr, impigrè exequi statuentes, ædificaverunt domum oratoriam: & cùm omne onus navigii consumpsissent, & suas facultates Deo & Martyri obtulissent, seipsos totonderunt, dicentes: Non dimittemus, ô benedicta Martyr, tuas venerandas reliquias: sed hîc usque ad vitæ terminum pretiosis tuis reliquiis divinissimè assidebimus. His sic gestis, sanctissimus Lemni episcopus *p* venerabile templum ædificabat in illis temporibus. Visum est ergo, ut illuc portarentur sacræ benedictæ Euphemiæ reliquiæ ad dedicationem templi, quod ab eo constructum fuerat. Et cùm supplex fudisset preces, & venisset ad reliquias benedictæ Euphemiæ, & illic totam noctem transegisset, ab eo visa est in somnis Martyr Christi, dicens: Ne aggrediaris facere, quod statuisti: non obediam enim hac in re tuæ sanctitati: sed abi ad sororem meam & in martyrio sociam Glyceriam, & ego illam rogabo. Ipsa autem se tibi tradet ad hoc, ut impleas, quod desideras. Experrectus autem sanctissimus episcopus, fecit, ut ei jusserat benedicta Christi Martyr. Et hæc quidem facta sunt illis temporibus.

Assertum Sanctæ miraculum in concilio Chalcedonensi.

9 Æquum est autem, non præterire diaboli invidiam, & quanam de causa hanc in benedictam Euphemiam excitavit tempestatem. Quando Christi gratiâ quarta, quæ fuit Chalcedone, synodus tempore beatæ memoriæ Marciani, qui piè & sanctè imperavit, fuit congregata, cùm adversùs Dioscorum papam Alexandrinum convenisset, & eum anathematizâsset, rectæque & ortodoxæ fidei symbolum confirmâsset, & decretum exposuisset columnam rectæ fidei, dubitantibus iis, qui erant ex parte contraria, bono capto consilio, dixerunt: Agè benedictæ Euphemiæ martyris arcam aperientes, in ejus, quæ sunt in carne, & sunt mirabilium operum effectrices, reliquiis librum imponamus, ut

δὴ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ τὴν ϑ λειψανα ἀποκάλυψιν ἐ- A. Cons.
δέξαντο διὰ τ τῦ ὀνόματ⊖ αὐτῆς ἀποφάσεως. Ep.
ἐν γὰρ τῇ νήσῳ ἐκείνῃ τὸ τ ἁγίας Γλυκερίας κατέκειτο λείψανον. καὶ τῇ ῥηθείσῃ νυκτὶ ἐφάνη αὐτοῖς ἐξελθεῖν ἐκ τ νήσυ τὴν μάρτυρα ϑ Χριςῦ Γλυκερίαν, ταύτην τε ἐκ ϑ πλοίυ ἐκποροϑεῖσαν, καὶ ἀλλήλας περιπτυξαμένας· εἰπύσης τε τ ἐκ τ νήσυ πρὸς τὴν ἐκ τῦ πλοίυ· χαίροις μάρτυς Χριςῦ Εὐφημία πανσ⊖φημε, καὶ ἀσπασαμένας ἀλλήλας, πάλιν καϑ' ἑαυτὰς ἀνεχώρυν· τότε διυπνιϑέντες, δάκρυσι καὶ οἰμωγαῖς τὸ τίμιον κατελάμβανον λείψανον, καὶ κατησπάζοντο τὸ ϑλωσοκόμον, Σέργι⊖ καὶ Σεργωνᾶς οἱ ἀοίδιμοι ναύκληροι· ταυτὶ γὰρ ἦν αὐτῶν τὰ ὀνόματα· Ἡμέρας ὃ γενομένης, ἀπέπλευσαν, ἐπὶ τὴν ἰδίαν βουλόμενοι πορεύεϑαι πατρίδα. καὶ γενόμενοι μέχρι μιλίων εἴκοσι, μικρὸν πλέον ἢ ἔλασσον, πνεύσαντ⊖ ἐναντίυ ἀνέμυ, καὶ μὴ ϑέλοντες πάλιν ὑπέστρεφον, ὅϑεν ἀπάραντες ἦσαν.

8 Πάλιν τε μετ' ὀλίγας ἡμέρας δοκιμὴν ποιησάμενοι, καὶ τῷ δοκεῖν ἁπλοεῖν βυλόμενοι, αὖϑις παλίνορσοι γεγόνασι. τῦτο ἅπαξ δίς τε καὶ τρὶς δοκιμάσαντες, καὶ μηδαμῶς πορείαν ποιεῖν ἐξισχύοντες, ἐπὶ τὴν ἰδίαν πατρίδα ὑποστρέψαντες, καὶ ἐν τῷ λιμένι ὁρμίσαντες, ὤφϑη αὐτοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ ἡ ϑ Χριςῦ μάρτυς Εὐφημία, λέγυσα· τί με ὧδε κακεῖσε περιάγειν ἐπείγεσϑε; οὐκ ἐξί μοι δέ- E
λησις πρόσω πορεύεσϑαι, ὅτε ἐντεῦϑεν ἁπάρῃν, ὅπυ ὑμεῖς συναπάρειν με βύλεσϑε. Ταῦτα λέξασα, πάλιν ἔφη πρὸς αὐτύς· οὐκ ἤρκεί μοι τὸ ἐκ Χαλκηδόν⊖ ἐν Βυζαντίῳ μεταϑεῖναι, καὶ ἐν τῇ ϑαλάσῃ ῥιφῆναι, καὶ ἐνταῦϑα ϛῆναι; ἵνα τί ὃ περιάγειν με καὶ ἐν τοῖς κατωτέρω βύλεσϑε μέρεσιν; οὐκ ἐξί μοι τῦτο δυνατὸν, μὴ ϑελήσητε τῦτο ποιεῖν, ἀλλ' ἐνταῦϑά μυ ποιήσασϑε τὴν ἀνάπαυσιν· ταῦτα εἰπύσαντες, βυλὴν ἀγαϑὴν βυλεύσαμενοι, καὶ τῆς μάρτυρ⊖ ποιεῖν τὰ προσεταγμένα ἀσκόπως σκεψάμενοι, ᾠκοδόμησαν οἶκον οἰκτήριον, καὶ πάντα τ φόρτον ϑ πλοίυ καταναλώσαντες, καὶ τὴν ἑαυτῶν ὐσίαν τῷ Θεῷ καὶ τῇ μαρτυρι προσκομίσαντες, ἑαυτὺς ἀπέδριξαν, εἰπόντες, οὐκ ἐάσομέν σε, πανσ⊖φημε μάρτυς, τὸ ζεβάσμιον λείψανον. ἀλλ' ὧδε μέχρι τερμάτων βίυ τῷ ζῷ ἡμίῳ λῴψανῳ ϑειότατα παρεδρεύσομεν. Τύτων ὕτως πραχϑέντων, ὁ τ Λήμνυ ὁσιώτατ⊖ ἐπίσκοπ⊖ ἦν οἰκοδομήσας ἐν τοῖς χρόνοις ἐκείνοις σεβάσμιον τέμεν⊖· ἔδοξεν ἐν ἐκεῖσε ἀποκομίζειν τὸ τ πανσ⊖φημυ λείψανον ἐν τῷ εἰκαινισμῷ ϑ παρ' αὐτῦ ἱδρυϑέντ⊖ ναῷ· καὶ δέησιν ποιησάμεν⊖ μετὰ λιτῆς, ἀπελϑὼν ἐν τῷ τ πανσ⊖φήμυ λῴψανῳ, κακεῖσε παννυχικῶς διανυκτερεύ- F
σας, ὤφϑη αὐτῷ κατ' ὄναρ ἡ ϑ Χριςῦ μάρτυς λέγυσα· Μὴ ἐγχρήσεις ποιεῖν, ὃ βεβύλοσαι, ἐγὼ γὰρ ὑπακύσω ἐν τύτῳ τῇ σῇ ὁσιότητι, ἀλλ' ἄπελϑε πρὸς τὴν ἀδελφήν μυ καὶ συμμάρτυρα Γλυκερίαν, κἀκείνην παρακαλέσω κἀγὼ, καὶ ἐπιδώσῃ σοι ἑαυτὴν εἰς τὴν ϑ ποϑυμένυ ἐκπλήρωσιν· καὶ διυπνιϑεὶς ὁ ὁσιώτατ⊖ ἐπίσκοπ⊖, ἐποίησεν, ὡς προσέταξεν αὐτῷ ἡ τ Χριςῦ πανσ⊖φημ⊖ ἀϑληφόρ⊖· καὶ ταῦτα μὲν ἐπράχϑη ἐν τοῖς χρόνοις ἐκείνοις.

9 Δίκαιον ὃ μὴ παραδραμεῖν τ ϑ διαβόλυ φθόνον, καὶ ἵν⊖ ἕνεκεν τ κλύδωνα ἴδτον ἐξήγειρε τῇ πανσ⊖φήμῳ· ὅτε γὰρ χάριτι Χριςῦ ἡ ἐν Χαλκηδόνι τετάρτη σύνοδ⊖ ἐπὶ τῆς ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ Μαρκιανῦ, ϑ ὁσεβῶς καὶ ϑεαρέςως βασιλεύσαντ⊖ συνκϑροίσϑη, ἥτις ἁγία σύνοδ⊖ κατὰ Διοσκόρυ τῆς πάπα Ἀλεξανδρείας, ζυνελϑῦσα, καὶ τοῦτον ἀναϑεματίσασα καὶ τὸ τ ὀρϑοδοξίας σύμβολον ἐπικυρώσασα, καὶ ὅρον ἐκϑαμένη σήλην ὀρϑοδοξίας, ἀμφιβαλλόντων τῶν ἐκ τ ἐναντίυ μέρυς, βυλὴν ἀγαϑὴν βυλεύσαμενοι, εἶπον· Δεῦτε καὶ τὴν τῆς πανσ⊖φήμυ ἁγίας μάρτυρ⊖ Εὐφημίας λάρνακα διανοίξαντες, ἐν τῷ ἐνσάρκῳ αὐτῆς καὶ ϑαυματυργῷ λῴψανῳ τ τόμον ἐπιϑήσωμεν, ὅπως ἂν δι' αὐ-

A. CONSTANT. EP.

τῆς ὁ τ δυνάμεων Κύριος καὶ νῦν θαυματουργήσῃ, καὶ ἀποκαλύψῃ ἡμῖν διὰ τ σχῶν αὐτῆς, εἰ κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ ὁ νῦν ἐξεφωνήθη ὅρος· ταῦτα οὖν ποιήσαντες, ἅμα τῷ πλησιάσαι τ χάρτην ἐν τῷ τιμίῳ αὐτῆς λειψάνῳ παράδοξόν τι καὶ μέγα ὁ τ θαυμαστῶν δημιουργὸς εἰργάσατο Κύριος· τὴν γὰρ τ μάρτυρος τεθνηκυῖαν καὶ ἄψυχον ψυχώσας χεῖρα, ἐξέτεινε, καὶ τ χάρτην λαβοῦσα ἡ πανσόφημος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ χειρὶ, καὶ τοῦτον ἀσπασαμένη, ἀπέδωκε πάλιν εὐσεβῶς τ τ πίστεως ὅρον τοῖς τ ὀρθοδόξων πίστεως λειτουργοῖς. Τοῦτο πάντες θαυμάσαντες, καὶ ἐκπλήξεως ἀνάμεσοι γεγονότες, τ παντοκράτορα Θεὸν ἀνύμνησαν, καὶ ἕτω τὸ τέλος τ ὀρθοδόξου πίστεως βεβαιωθέντες, ἐκύρωσαν, τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν δετάρτην σύνοδον διὰ τ γενομένης ὑπὸ τ πανσόφημου ἀποκαλύψεως· διὰ τοῦτο καὶ ἐν ταῖς ἁγίαις εἰκόσιν ἀνιστορουμένη ἡ μ Χριστοῦ μάρτυς χάρτην ἐν τῇ χειρὶ κατέχουσα πανταχοῦ ἀνακηρύττεται. Διά τοι ταῦτα καὶ τὰ τούτων παράπλησια τ πανσόφημου θεράσια, ὁ ἀρχέκακος καὶ φθονερὸς κινηθεὶς διάβολος ἔκτοτε ἐμελέτησε κενὰ κατὰ τ μ Χριστοῦ μάρτυρος, καὶ ταύτην τῷ βυθῷ παραπεμφθῆναι ἐτεχνήσατο, καθὼς προείρηται, ὅτε ἐκ τοῦ βυθοῦ μ ῥόματος οἱ
B ὁσιώτατοι ναύκληροι ἀνελάβοντο τὸ λείψανον αὐτῆς.

10 Μετὰ δὲ ταῦτα, ἐτελεύτησαν οἱ ὑπηρέται Σέργιος καὶ Σαργωνᾶς, καὶ παρὰ μικρὸν ἡ γενεὰ ἐκείνη, ὅ τε τύραννος βασιλεὺς, ἀπορρήξας τ βίον, κατέλιπε Κωνσαντῖνον μ ἑαυτοῦ υἱὸν πονηρότατον καὶ δεινότατον, καὶ πάσης ἀσελγείας ἀνάμεσον, καὶ τ πατρικῆς αὐτοῦ ἐρεσχελίας ἀπλεον· ὅσις μόνον ταῖς ἁγίαις εἰκόσι τὴν ἑαυτοῦ κακίαν ἐξέτεινεν, ἀλλὰ καὶ ἕτερα πολλὰ κατὰ μ Θεοῦ καὶ τ ἐκκλησιῶν, τ τε σὺν ἁβῶν μοναχῶν, καὶ πάντων τ ὁσίως πολιτευομένων ἐξηύρατο, ἅμα τε ἐμπιπρῶν καὶ κοινῶν ἱερῶν οἴκους, τά τε λείψανα τ ἁγίων πυρὶ καταχρίων καὶ διασκορπίζων, καὶ τὰς εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ καὶ τ ἁγίων γινομένας πανηγυρίδας ἐκκόπτων, καὶ τὰ κατὰ πρόνοιαν μ Θεοῦ βλέποντα ἁγιάσματα τοῖς ἀνθρώποις ἐξυθενῶν· καὶ εἰδωλολάτρας τοὺς χρωμένους ἀποκαλῶν, τάς τε τ ἁγίων πρεσβείας ἀκηρύκτους ποιῶν, τήν τε τ παναγίας Θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας βοήθειαν, καὶ πρεσβείαν ἀποκηρύττων, σαυρούς τε ἐν ἀμφόδοις κατὰ πίξιν πηγνυμένους παρασέλλων, τὴν τριαδικὴν προσκύνησιν, ἣν ἐκ τῶν πατέρων παρειλήφαμεν ἐν ὁμῇ, ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν τῇ τριάδι ἀμείβων παραρρύων· τοὺς δὲ ὡραιότητι διαφέροντας ἐν κλήρῳ σύνεχως ἀποκληρῶν, καὶ τῇ ἰδίᾳ βουλῇ καταλάβων, τοὺς μοναχοὺς τοὺς μὲν μάστιξι τοὺς δὲ ὄψοποιήμασιν ἐξαπατῶν,
C καὶ ἀρνεῖσθαι τὸ ἐπάγγελμα παρασκευάζων, κοσμικὰς ἐδίδου ἀξίας· ἐνδυτάς τε, καὶ τὰ θεῖα σκεύη, ἐγκεχαραγμένας θείας εἰκόνας ἔχοντας, κατακλῶν καὶ κατακαίων, ἕτερά τε καθ' ἑαυτὸν ἐπιτελῶν ἀσελγείας μιάσματα καὶ μυσήρια· ἀνεῖλε δὲ καὶ τοῦτον ὁ τ δυνάμεων Κύριος οἰκτίρμων τέλει. Μετὰ δὲ τὴν τούτου θεοφυῆ τελευτὴν ἐβασίλευσε Λέων ὁ υἱὸς αὐτοῦ· οὗτος τῆς μὲν πατρὸς αἱρέσεως ἦν μέτοχος, τῆς δὲ πράξεως ἀμέτοχος· οὐ γὰρ ἦν δῃνὸς, ὡς οἱ πατέρες αὐτοῦ· ὐδεὶς μέντοι ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ δοξάζειν ἠξιώθη παῤῥησίᾳ τ Κύριον, ἀλλὰ φόβος καὶ ἔκπληξις ἐπὶ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους ἦν, ἐπικειμένης αὐτοῖς τῆς ἀσεβοῦς τ πρώην σχολαρίων ὁμηγύρεως, ἣν ὁ μιαρὸς ἐκεῖνος Κωνσαντῖνος φυτεύσας, φυτείαν πονηρὰν φέρουσαν βότρυν πικρίας, πονηρῶς ἐξεπαίδευσε, καὶ ἐμμανῶς κατὰ τ ὀλαβούντων ἐκδρέψας ἐξώπλισεν, οἵτινες πολλοῖς τ μοναχῶν οἰκτίσους ἐπήγαγον ἀχισμοὺς καὶ θανάτους. Ἀλλ' οὐκ εἰς τέλος ὠργίσθη ὁ Κύριος, οὐδὲ τὸ πρόσωπον τελείως ἀπέστρεψεν, ἀλλ' ἰκτειρήσας, ἐλέησε τὸ τ ἀνθρώπων γένος.

per eam nunc quoque virtutum Dominus faciat miraculum, & per ejus preces nobis aperiat, an ex ejus voluntate editum ſit hoc decretum. Cùm hæc ergò feciſſent, ſimul atque appropinquavit charta precioſis ejus reliquiis, aliquid admirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorum. Nam cùm Martyris mortuam & inanimam manum animâſſet, eam extendit. Cùm autem chartam manu accepiſſet benedicta Chriſti Martyr, & eam eſſet amplexa, piè rurſus reddidit fidei decretum miniſtris rectæ fidei. Hoc cùm omnes eſſent admirati, & ſtupore eſſent repleti, laudârunt Deum omnipotentem: & ſic in perfectione orthodoxæ fidei ſtabiliti, confirmârunt ſanctam & œcumenicam quartam ſynodum, per revelationem, quæ facta eſt à benedicta Euphemia. Et ideò quæ inter ſanctas imagines cernitur, Chriſti martyr Euphemia, ubique ponitur habens chartam in manu *q*. Propter hæc & ſimilia benedictæ Euphemiæ miracula, malorum author & invidus commotus diabolus, meditatus tunc fuit inania adverſùs Chriſti Martyrem, & machinatus eſt, ut ea mitteretur in profundum, ut priùs dictum eſt. Sed Dei providentiâ, ex profundo fluenti ſanctiſſimi naucleri ejus acceperunt reliquias.

q

10 Poſt hæc autem è vivis exceſſerunt miniſtri Sergius & Sergonas, & propemodùm illa generatio, quando tyrannus imperator, vitâ abruptâ, reliquit Conſtantinum filium ſuum, virum ſceleratiſſimum & omni petulantia ac nequitia refertum, paternaque plenum contentione. Qui non ſolùm in ſanctas imagines ſuam extendit improbitatem, ſed etiam multa alia adinvenit in Deum & Dei eccleſias, pioſque monachos, & omnes, qui piè & ſanctè vitam inſtituebant: ſimul incendens & prophanans ſacras ædes, & ſanctorum reliquias exurens & diſſipans, & quæ ad Dei & Sanctorum gloriam fiunt, vigilias exſcindens: & quæ Dei providentiâ ſcaturiunt hominibus, aſpernans & nihil faciens ſanctificationes: & idololatras vocans eos, qui illis utuntur, & Sanctorum abdicans interceſſiones, ſanctiſſimæque Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ auxilium & interceſſionem publicè amandans & expellens, cruceſque, quæ in triviis fidei convenienter figebantur, dejiciens, Trinitatis adorationem, quam à patribus accepimus in precatione, hinc & hinc mutare parans: eos autem, qui in clero erant forma præſtanti, eunuchos eligens, & ad ſuum ordinans ſervitium: monachos alios quidem flagris, alios verò blanditiis decipiens, & ut votum abnegarent, efficiens, ſeculares dignitates tribuendo: veſtes autem & vaſa divina, quæ divinas inſculptas habebant imagines, confringens & comburens *r*, & alia per ſe peragens piacula & myſteria petulantiæ. De medio autem hunc quoque ſuſtulit Dominus virtutum fine miſerabili. Poſt hujus verò mortem imperavit Leo hujus filius. Is hæreſis quidem paternæ erat particeps, ſed expers actionis *ſ*. Non erat enim crudelis, ut ejus parentes. Nullus tamen in diebus ejus dignatus eſt liberè Dominum glorificare: ſed metus & ſtupor omnes invaſerat orthodoxos, eis imminente impio cœtu eorum, qui nuper fuêre ex ſchola patris. Quam cùm ille exſecrandus plantâſſet Conſtantinus plantationem ferentem botrum amaritiei, improbè educavit, & eductam inſanè in pios armavit: qui quidem multos monachos miſerabilibus ſuppliciis & morte affecêre. Sed non in finem iratus eſt Dominus, neque faciem omnino avertit, ſed miſerans miſeratus eſt humani generis.

r

ſ

E

Mors Iſaurici & Copronymi, cujus impietas memoratur, & Leonis ipſius filii.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Leo Isauricus imperium adeptus est anno* 716, VIII *Kalendas Aprilis, quando currebat Indictio* 14, *ut rectè observat Baronius ad illum annum, ac probat ex Litteris Gregorii Papæ II, quas recitat ad annum* 726. *Nam ibi Gregorius clarè asserit, imperâsse Leonem* Indictione 14, *quæ finem habebat Kalendis Septembris anni* 716. *Pagius quidem ad annum* 716 *num.* 3 *sententiam Baronii vult corrigere ex Theophane. Verùm Theophanes non rarò aberrat anno uno alteroque, & ratio Baronii tam clara est, ut verbis obscurari nequeat, modò quis oculos habeat chronologiæ assuetos, & verum videre velit. Epistolam suam Pontifex ita exorditur :* Litteras vestræ à Deo custoditæ majestatis .... accepimus, imperante te Indictione quartadecima, ipsius etiam 14 & 15 & 1 & 2 & 3 & 4 & 5 & 6 & 7 & 8 & 9 Indictionum acceptas epistolas tuas, in sancta Ecclesia repositas in limine confessionis sancti & glorioſi ac principis Apostolorum Petri diligenter servamus *&c. Hæc scribit Gregorius, ut Leonem, qui post decem imperii sui annos in hæresim Iconoclastarum lapsus est, memorem reddat eorum, quæ rectè scripserat, rectéque Pontifici promiserat. Hinc paulò post dicit :* Decem annos Dei benignitate rectè ambulâsti, neque sacrarum imaginum mentionem fecisti : nunc autem eas dicis idolorum locum implere. *Nunc lector studiose, Baronii argumentum accipe. Finita est Indictio* 14 *Kalendis Septembris anni* 716, *fatente Pagio. Atqui jam imperavit, & primas ad Gregorium litteras scripsit Leo Indictione* 14. *Ergo imperavit Leo ante Kalendas Septembris anni* 716. *Consequenter initium imperii ipsius figendum est anno* 716 *cum Baronio, non* 717 *cum Pagio. Hæc observare volui, ne auctoritas Pagii aliquem in errorem ducat.*

b *Isaurorum gens, ex qua erat Leo cognomento* Isauricus, *sedes habebat in Minori Asia, ac latrociniis & rapinis semper apud antiquos fuit infamis.*

B c *De S. Germano patriarcha Constantinopolitano apud nos actum est ad* 12 *Maji, & rursum in Historia Chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ante tom.* 1 *Augusti pag.* 91 *& seqq. Ejectus fuit è cathedra sua anno* 730, *aut potiùs dignitatem ipse deposuit.* E

d Hippodromus *erat locus amplus Constantinopoli, à cursu equorum dictus, in quo, vel, ut alii loquuntur, juxta quem condita erat* S. Euphemiæ *ecclesia, ut dictum est in Commentario num.* 33. *Textus Latinus nonnihil hîc fuit corrigendus.*

e *De irrito conatu Persarum ad comburendum sacrum* S. Euphemiæ *corpus secutaque translatione ad urbem Constantinopolitanam, actum est in Commentario num.* 31 *&* 32. *Quod verò ait auctor de causa foraminis, quæ erat in arca Sanctæ, acsi venisset ex combustione à Persis tentata, videtur falsum, ut observat Baronius ad annum* 766, *ita scribens :* Sed quod ad foramen spectat, puto, lector, fuisse hanc opinationem auctoris potiùs, quàm veram ipsius causam. Siquidem longè ante incursionem Persarum oportuit exstitisse in arca illa veneranda foramen ad hauriendum, quod ex sacris illis reliquiis fluebat sanguine mixtum unguentum .... Cùm alioqui, absque etiam ejusmodi scaturigine unguentorum, soleret in sacris martyrum loculis foramen relinqui, per quod dimitterent sudariolum, quod S. Gregorius appellat brandeum, quo tactu sacrarum reliquiarum gratiam curationum haurirent, ipsum verò loco reliquiarum haberi soleret. *Res certa est, quia Evagrius jam meminit de illo foramine : nam ille scripsit ante tentatam à Persis combustionem.*

f *Hæc facta esse, dum corpus erat Chalcedone, certissimis testimoniis ostendi in Commentario* § 2. *Hic verò auctor idoneus testis est de continuatione ejusdem miraculi Constantinopoli.*

g Bucoleon *erat unum è palatiis imperatoris, de quo agit Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 2 *pag.* 119, *dicens, nomen ei fuisse impositum* à bovis & leonis invicem luctantium simulacris. *Addit, portum ipsum, qui aderat, dictum fuisse* Bucoleonta. *Itaque ad mare erat situm.*

h *Quod interpres* ferreum carcerem *exposuit, in apographo Græco invenio tantùm* Ζιδηρᾶν ferream *dici. Designatur haud dubiè locus, unde corpus in mare fuit projectum. Utrùm Leo Isauricus, ut*
C *vult hic auctor ; an verò Constantinus Copronymus id scelus commiserit, ut alii scribunt, incertum* F *videri, monui in Commentario num.* 39.

i *Græco-barbara vox* Ζελέντιον *de consessu aut concilio exponenda est, ut ostenditur apud Cangium in Glossario Græco-barbaro. Phrasis illa omissa est apud Surium.*

k *Potuit auctor profanationem ecclesiæ, si facta est circa finem imperii Leonis Isaurici, puta circa annum* 740, *juvenis aut adolescens videre, si senex scripserit, simulac anno* 796 *relatæ sunt reliquiæ.*

l *Portus* Sophiarum *aut* Sophiæ *Constantinopoli erat ad Propontidem, nomenque accepit à Sophia, conjuge Justini Junioris imperatoris, ut pluribus exponit Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 1 *pag.* 58.

m Abydus *civitas erat Troadis ad Hellespontum, qui ad Abydum angustissimus est. Itaque auctor ait, nautas voluisse per Hellespontum è Propontide in mare Ægæum trajicere.*

n Lemnus *aut* Lemnos *insula est maris Ægæi, non longè ab ostio Hellesponti sita.*

o *De S. Glyceria virgine & martyre apud nos actum est ad* 13 *Maii, ibique probatum, ex ipsius etiam corpore prodigiosum ac pretiosum unguentum fluxisse.*

p *Quamvis certum sit & ante & post illud tempus episcopos fuisse in Lemno insula ; hujus tamen episcopi nomen non innotuit.*

q *Totam hanc historiam videri fabulosam, & ex malè expositis concilii verbis confictam, ostendi in Commentario num.* 26 *& seqq. Sanè ex sequentibus etiam, & ex asserta superiùs causa foraminis, quæ erat in arca* S. Euphemiæ, *satis liquet, scriptorem hunc plusculùm, quàm oportebat, indulsisse conjecturis non satis fundatis.*

r *Hæc omnia de Constantino Copronymo, qui patrem impium impietate superavit, verè asseruntur. Copronymum seculis ultimis imitati sunt Calvinus ejusque sectatores, quibus omnia modò relata optimè congruunt.*

A. CONSTANT. EP.

t *Copronymum fuisse vitâ & moribus turpissimum, testantur omnes antiqui scriptores. Si qui Calviniani Æthiopem illum dealbare voluerunt, nihil egerunt, quàm toti mundo manifestare, quam parùm erubescant apertæ veritati repugnare: at Leonem ipsius filium, & imperii hæredem, moribus minùs corruptum fuisse, testatur hic auctor.* D

CAPUT II

Irene imperatrix Sancta ecclesiam profanatam restituit: reliquias verò ipsius Constantinopolim è Lemno referendas curat.

Θανατώσας ὃ κ τοῦτο τ κλάδον, Λέοντά φημι, τὸν Σκυθογενῆ, ἀνέκησε τὴν τούτου γυναῖκα Εἰρήνην, καὶ τ ταύτης υἱὸν Κωνσταντῖνον φερωνύμως τῷ κόσμῳ εἰρήνην βραβεύοντας, κ τὰ παρὰ δ μιαρᾶ αὐτῆς κηδεστῶ τε κ ἀνδρὸς κατεαγέντα, κ βεβηλωθέντα, ἀνιςῶσα, κ κατακοσμοῦσα ἦν. Τοὺς τοίνυν διωχθέντας καὶ παρ' αὐτῶν ἐξωρισθέντας ἀναλαβομένη τε κ ἐκδιάπτυσα, κ τοὺς παλαμναίους ἐκείνους λῃλατας, τ ἀθέων σχολαρίους, ἐξορίσους θεία προμηθεία ποιήσασα, κ ἑτέρους ἀνθ' αὐτῶν ὁσίους εὐσεβεῖς εὐτολογήσασα, κ τοὺς τόπους αὐτῶν ἐν τοῖς τάγμασιν ἀναπληρώσασα, καὶ τὰ θεῖα φρονεῖν ἐκδιδάξασα, κ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ πεπαῤῥησιασμένως τὴν δόξαν Κυρίου, κ τὴν ὀρθόδοξον ἐκδιηγεῖσθαι πίστιν παρασκευάσασα, εἰρήνην βαθεῖαν ταῖς ἐκκλησίαις δι' αὐτῆς ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο. ἀλλ' ἐπὶ τ τ πανσεβάσμιον σκοπὸν ὁ λόγος πάλιν δρομείτω. Ὡς ὖν ἤρξατο πάντα ἡ εὐσεβὴς βασίλισσα ἀν οἰκοδομεῖν θείῳ ζήλῳ κινηθεῖσα, τ κατεαγότα ναὸν τ πανσεβάσμου πρό γε τ ἄλλων ἁπάντων ἐσπούδασεν ἀνοικοδομῆσαί τε κ διακοσμῆσαι, ὃ κ πεποίηκε, κ πάσῃ εὐσεβείᾳ τοῦτον διακοσμήσασα, ὡς ἔκπαλαι, τὴν ἐν αὐτῷ ἀναίμακτον τῷ Θεῷ θυσίαν πεποίηκεν ἀναφέρεσθαι, κ ἧ Χαλκηδόνι ἐπίσκοπον ἐνίδρυσεν, ἣν γὰρ ἕως τότε χηρεύσα, διὰ τὴν ἐπενεχθεῖσαν ὑπὸ τ ἀσεβῶς βεβασιλευκότων ἐπήρειαν, καὶ τ πανσεβάσμου τὴν μνήμην, κ τὴν πόλιν ἀφανίζειν βουλευσαμένων. Καὶ δὴ θείῳ ζήλῳ κινουμένη ἡ εὐσεβὴς βασίλισσα, περὶ τὸ λειψάνου τῆς πανσεβάσμου ἐδυσφόρει, κ ἤσχαλλε, καὶ πάντας εἰς ἀναζήτησιν δ τοιούτου ζεβάσματος προτρεπομένη, ὁ τ φοβουμένων αὐτὸν ποιῶν τὰ θελήματα, καὶ τ ἐπικαλουμένων αὐτὸν ἐκπληρῶν τὰ βουλεύματα, εὐδόκησε τὸ τ πανσεβάσμου λείψανον ἀποκαλυφθῆναι τρόπῳ τοιῷδε. C

12 Καθὼς ἀνωτέρω δεδήλωται, ὅτι κατέθεντο οἱ εὐσεβεῖς ἄνδρες ἐκεῖνοι τὸ τ ἁγίας μάρτυρος λείψανον ἐν Λήμνῳ τῇ νήσῳ. Ἦν ὖν ἐν αὐτῷ τῷ τοσῷ τὸς παρελθυθότας χρόνους ὡς ἐν ἐπικρύφῃ κ σιωπῇ, πάντων τ τ νήσου πίστιν ἐχόντων περὶ αὐτὴν μεγίστην, κ ἐν μυστηρίῳ τοῦτο φυλαττόν, τὸ μὲν διὰ τὴν τ τυράννων ἐπήρειαν, τὸ δ διὰ τὸ μὴ ἐπιγνωσθῆναι καὶ ἁρπαγῆναι ἐξ αὐτῶν τὸ πολύαθλον τῆς ἀθληφόρου λείψανον· τούτων ὅτως τελουμένων, κ τ θαυμάτων τῆς καλλινίκου καὶ πανσεβάσμου μαρτυρος Εὐφημίας πανταχοῦ διαθεόντων, ἐξαπίνης πέμπεταί τις τ μεγιστάνων, τ τὰς ἀποκρίσεις ποιουμένων, παρὰ τοῦ τυράννου ἐπὶ τὰ ἑωσπέρια, καὶ προσελάζει τῇ Λήμνῳ, καὶ θεωρὸς γίνεται τῆς τε πληθύος δ λαοῦ, κ τ τελουμένων θαυμάτων. Τοίνυν κ οἷά τις πολέμιος βασκανία περιπεσών, δ ἀλιτηρίῳ τ λόγον ποιούμενος, τίς ἡ σύναξις, ἐπύθετο, ἡ δ λαὸς, κ τίνα τὰ τελούμενα; κ μαθὼν

CUm autem hujus quoque ramum morte afficisset, Leonem *a*, inquam, qui genus ducebat è Schytia: excitavit ejus uxorem Irenen, & ejus filium Constantinum, qui convenienter nomini, mundo pacem procurabant. Quæ enim ab execrando ejus socero & viro fracta erant & prophanata, restituebat & ornabat Irene: quos illi expulerant & in exilium miserant, revocans, & maternè omnes amplectens & fovens: & cùm illos immanes prædones impiorum scholarios *b* divinâ exterminâsset providentiâ, & alios pro eis viros pios in numerum retulisset, & in ordinibus eorum loca implêsset, & de divinis rectè sentire docuisset, & ut omnes orthodoxi aperta facie liberè gloriam Domini & rectam fidem enarrarent, effecisset, profundam pacem per ipsam Deus donavit ecclesiis. Sed ad benedictæ Euphemiæ scopum redeat oratio. Ubi ergo pia imperatrix divino zelo incitata, cœpit omnia reædificare, fractum templum benedictæ Euphemiæ ante alia omnia contendit rursus ædificare & ornare. Quod etiam fecit, & cùm id omni pietate exornâsset, effecit, ut in id referretur, quod in eo olim Deo solebat fieri, incruentum Sacrificium: & Chalcedone statuit episcopum. Erat enim ad hoc usque tempus vidua, propter injuriam ei illatam ab impiis imperatoribus, qui beatæ Euphemiæ memoriam & civitatem delere statuerant. Atque divino quidem zelo mota pia illa imperatrix, de reliquiis beatæ Euphemiæ satagebat & erat solicita: & cùm omnes ad querendam hanc rem sanctam adhortaretur, ei, qui facit voluntatem eorum, qui ipsum timent, & implet consilia eorum, qui ipsum invocant, placuit, benedictæ Euphemiæ aperiri reliquias tali modo. B E F

Irene imperatrix ecclesiam S. Euphemiæ restituit: *a* *b*

12 Sicut superiùs ostensum est, pii illi viri sanctæ Martyris corpus deposuerant in Lemno insula. Annis igitur præteritis fuerant in eo loco quasi occultæ & tectæ silentio, omnibus insulæ incolis maximam in eis fidem habentibus, & hoc arcanum conservantibus, partim quidem propter tyrannorum insolentiam, partim autem ne agnoscerentur, & ab eis auferrentur hujus, quæ multa & præclara subiit certamina, reliquiæ. Cùm autem hæc ita fierent, & insignis & benedictæ martyris Euphemiæ miracula in omnem partem pervaderent, repentè quidam ex proceribus, nempe ex apocrisiariis, iis, inquam, qui dant responsa, mittitur ab imperatore ad Occidentem: venitque Lemnum, & contemplatur populi multitudinem, & ea quæ fiebant miracula. Itaque velut hostis aliquis invidiæ succumbens, exitialis illius * exsequens mentem, rogavit, quænam hæc esset populi congregatio, & quænam ea, quæ fie-

hujus corpus in Lemno religiosè cultum, à quodam contumeliâ afficitur:

* *id est* imperatoris hagiomachi

A ἀκριβῶς, ἤρξατο κατακλυπεῖν, καὶ ἐκφοβεῖν τοὺς ἐκεῖσε συνερχομένους λαούς, λέγων ὕτως· πάλιν τὰ ὀστᾶ τελίμνται; ὕτως οἱ βασιλεῖς διδάσκυσι; καὶ ἀπειλησάμενος πάμπολλα, τὸ δωμάτιον καθέλυσεν, ἔνθα ἡ σωρὸς τοῦ πανσεβάστου κατέκειτο. καὶ ταῦτα ποιήσας, βρενθυόμενος ἀπῆισιν· ἐκεῖθεν δὲ ἡ λώβησις τοῦ μάρτυρος γέγονε, καὶ τὸ σῶμα διέφθαρτο. Ἀλλ' ἐπειδὴ, ὅπερ Θεὸς βούλεται, νικᾶται φύσεως τάξις, καὶ διαδιδράσκει πᾶσα ἀνθρωπίνη ἐπίνοια, τοῦτο συμβέβηκε.

13 Καλὰ γὰρ διαδοχὴν συνέβη εἰς τινα ἄνδρα καταντῆσαι τὸ τοῦ πανσεβάστου περιαύλιον καὶ ὁκλητήριον, ἐν ᾧ ὁκτηρίῳ ἀπέκειτο τὸ ταύτης σεβάσμιον λείψανον· μάρμαρον δὲ ἦν ἐπικείμενον, ὃ οἱ θεοσεβεῖς ἐκεῖνοι ναύκληροι τέθεικεν*, ἐπιγεγραμμένον παρ' αὐτῶν ἐπιγράμματι τοιούτῳ. Ἡμεῖς, φησὶ, Σέργιος καὶ Σεργωνᾶς, πλέοντες κατὰ τὸ Ἑλλήσποντον, καὶ ἐκ βυθοῦ ἀναλαβόντες τὸ τοῦ πανσεβάστου καὶ ἁγίας μάρτυρος τοῦ Χριστοῦ Εὐφημίας λείψανον, καλὰ κέλευσιν αὐτῆς ἐνθάδε τοῦτο κατεθήκαμεν. Ὁ δὲ κατὰ διαδοχὴν κληρονόμος δὲ τότε Ἀναστάσιος ὁ ἐνδοξότατος κόμης, συνέβη ἐκ ζηλοτυπίας τινῶν, ψόγοις λοιδορίας περιπεσεῖν, καὶ διωχθῆναι τῆς ἀξίας· ὅσις μηδὲν μελήσας, ἀνῆλθεν ἐν Κωνσταντινουπόλει, κατορθωθῆναι θέλων εἰς τὸ κομητάτον· ὡς εἴθισται ἕν ἑκάστῳ διερωτᾶν πρὸς τὸ ὀφεῖν τινα εἰς προσασίαν δὲ μεσιτεύθηναι εἰς τὴν βασίλισσαν, ἡρμηνεύθη αὐτῷ παρά τινων λεγόντων, ὡς ὁ μητροπολίτης Χαλκηδόνος ἱκανὸς ὑπάρχει, καὶ παῤῥησίαν κέκτηται, καὶ μείζοσι προῖσται πράγμασι. διερωτήσας οὖν, εὗρεν αὐτὸν ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ προσπεσὼν, δι' ἣν αἰτίαν πάρεσιν, ἀνήγγειλε, λιπαρῶν μεσιτεῦσαι καὶ κατορθῶσαι αὐτόν· ὁ δὲ μητροπολίτης ἀντέλεγε μὴ δυνατῶς ἔχειν τοῦτο ποιεῖν. Ὡς δὲ ἀπεπέμψατο αὐτὸν, εἰς τὸ δὲ ἐπισκοπεῖον αὐτοῦ μετοχίον εἰσῆλθεν, ἐν ᾧ καὶ ὁ ναὸς ἐστὶ τοῦ πανσεβάστου· ἐπηκολούθησε δὲ ἐκ τῶν ὄπισθεν ὁ ἀνὴρ, θείᾳ κινούμενος προμηθείᾳ.

14 Εἰσελθὼν δὲ ὁ κόμης ἐν τῷ ναῷ, καὶ τὴν προσκύνησιν τῷ Θεῷ ἀναπέμψας, ἐκάθισεν ἔν τινι τόπῳ. Προσελθὼν δὲ αὐτῷ εἷς τῶν δὲ ναοῦ κληρικῶν, ὁ τὴν τότε περισσοῦμενος ἐφημερίαν, ἠρώτησε πόθεν, καὶ τίς εἰ· ἐκεῖνος δὲ τάχιστα ἀνήγγειλε πόθεν τέ ἐστι, καὶ τὰ συμβάντα αὐτῷ λυπηρά. Ἠρώτησε δὲ ὁ κόμης τὸ κληρικὸν, τίνος ὁ ναὸς ἔτος· ὁ δὲ φησι, τοῦ πανσεβάστου· ἀποκριθεὶς δὲ ἐκεῖνος, καὶ γνησιώτατα τῇ χειρὶ τὸ σῆθος προσερείσας, ἔφη· Τῆς C πανσεβάστου τὰ ἐμᾶς; ὁ δὲ κληρικὸς πάλιν πρὸς αὐτὸν· πόθεν ἔφης, σὴν εἶναι τὴν πανσέβαστον; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει· Ἐν τῷ οἴκῳ μου, καὶ ἐν τῷ ὁκτηρίῳ μου τὸ ταύτης κατέχω σεβάσμιον λείψανον. Ὁ δὲ πάλιν, πῶς ἔσαι δυνατὸν; βλέπε, ἄνθρωπε, μήπως καθ' ἑαυτοῦ ἀποφθέγγῃ, καὶ ἡ δυνήσῃ τοῦτο δεῖξαι· διότι πολλὴ ζήτησις περὶ τούτου παρὰ τοῦ αὐγούστου καὶ δὲ βασιλέως γίνεται· ὅθεν καὶ τῷ μητροπολίτῃ λιτὰς καὶ δεήσεις προσέταξε ποιεῖν ὑπὲρ δὲ τοιούτου κεφαλαίου· ὁ δὲ πάλιν ἐν βεβαίῳ ἐχέτω ἡ ζηλοτιμώτης, ὅτι τὸ λείψανον τῆς ἐν Χαλκηδόνι πανσεβάστου παρ' ἐμοί ἐστι. Ταῦτα βεβαιωθεὶς ὁ προῤῥηθεὶς κληρικὸς, ἀνῆλθε γεγηθὼς, καὶ ἁλόμενος πρὸς Ἀνδρέαν τὸν ὁσιώτατον μητροπολίτην, ζυγχαίρων καὶ ἀνακηρύττων τὸ τοῦ Θεοῦ μεγαλεῖον· ὅθεν παραχρῆμα ἀνενέγκας τὰ ἀπὸ κομητῶν, καὶ πληροφορηθεὶς παρ' αὐτοῦ, ἔδωκε δόξαν τῷ παντοκράτορι Θεῷ· διανασὰς δὲ, ἐπορεύθη πρὸς Ταράσιον τὸν πάντα πανοσιώτατον, καὶ πανευλογιώτατον πατριάρχην, καὶ διηγήσατο αὐτῷ πᾶσαν τὴν δὲ πράγματος ἀκολουθίαν. Τότε πορευθεὶς ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης πρὸς τὴν βασίλισσαν, καὶ τὸν ταύτης υἱὸν Κωνσταντῖνον, ὀρθόδοξον καὶ φιλομάρτυρα ὑπάρχοντα, ἀνέθετο πάντα τὰ γενόμενα. Θαυμάσαντες δὲ ἐπὶ τῷ παραδόξῳ

* τεθείκασι

fiebant. Cùm autem rectè didicisset, cœpit vociferari, & terrere eos, qui illic conveniebant, populos, sic dicens: Ossa rursus habentur in honore? Sic docent Imperatores? Et multùm minatus, diruit domunculam, in qua jacebat loculus benedictæ Euphemiæ. Cúmque hæc fecisset, fremens recedit. Illinc factum est, ut damnum Martyr acciperet, & ejus corpus corrumperetur. Sed quoniam, ubi vult Deus, vincitur ordo naturæ, & perit omnis humana ratio & inventio, hoc accidit. A. CONSTANT. EP.

13 Contigit enim, ut per successionem ad quemdam virum bonum perveniret benedictæ Euphemiæ habitaculum & oratorium: in quo oratorio repositæ erant venerandæ hujus Martyris reliquiæ. Erat autem eis marmor impositum, quod illi pii naucleri imposuerant, ab eis inscriptum tali inscriptione: "Nos Sergius & Sergonas, navigantes per „Hellespontum, cùm ex profundo sustulissemus „reliquias benedictæ & sanctæ martyris Christi Eu„phemiæ, ejus jussu eas hìc deposuimus „. Cùm ergò per successionem hujus loci hæres fuisset Anastasius comes clarissimus, accidit ut quorumdam æmulatione falsis appeteretur maledictis, & à sua dignitate excideret. Is verò nihil cunctatus, venit Constantinopolim, volens in suum restitui comitatum. Cùm autem (ut solet unusquisque) quæreret aliquem invenire, qui eum sua intercessione defenderet apud imperatricem, quidam ei dixerunt, Chalcedonensem metropolitanum ad id fore idoneum, ut qui possit liberè & fidenter loqui, & majora sustineat & defendat negocia. Cùm ergò de eo interrogâsset, invenit illum in palatio: & cùm ad ejus pedes procidisset, renunciavit ei, propter quam causam adsit, rogans ut sit ejus intercessor & adjutor. Contrà autem dicebat metropolitanus, se id non posse facere. Postquam ergò eum dimisit, ingressus est in partem ædis episcopatûs, in qua est etiam templum benedictæ Euphemiæ. Ponè autem eum est secutus vir divinâ motus providentiâ. *deinde piè servatur, ad miro casu per comitem.*

14 Templum verò comes ingressus, cùm Deo divinam emisisset adorationem, sedit in quodam loco. Ad eum autem accedens unus ex clericis templi, & cui sua vice creditum erat officium, rogavit, cujas, & quisnam esset. Ille autem ei illicò exposuit, cujasnam esset, & quæ ei molesta acciderant. Rogavit autem comes clericum, cujusnam esset hoc templum. Is verò dicit, Benedictæ Euphemiæ. Ille autem respondens, & syncerissimè manum pectori admovens, inquit: Meæne omni ex parte benedictæ Euphemiæ? Ei verò rursus dicit clericus: Unde dixisti, tuam esse benedictam Euphemiam? Ille autem respondens, dicit: Domi meæ, & in oratorio meo ejus venerandas teneo reliquias. Et is rursus: Quomodo, inquit, fieri poterit? Vide, ô homo, nè fortè loquaris contra teipsum, nec eas possis ostendere. Nam & augusta & imperator eas curant diligenter quærendas. Quare metropolitano quoque ea de causa jussêre facere supplicationes. Ille autem rursus: Pro certo habeat tua reverentia, quòd reliquiæ benedictæ Euphemiæ, quæ celebratur Chalcedone, sunt apud me. Sic confirmatus prædictus clericus, hæc lætus & exultans renunciat Andreæ *c* sanctissimo metropolitano, gratulans & Dei prædicans magnalia. Qui cùm statim accersisset comitem, & ab eo fuisset factus certior, dedit gloriam Deo omnipotenti. Surgens autem, profectus est ad Tarasium *d* sanctissimum patriarcham, & ei narravit omnem rei seriem. Tunc profectus sanctissimus patriarcha ad imperatricem, & ejus filium Constantinum, qui erat orthodoxus & amicus martyrum, exposuit omnia, quæ facta fuerant. Qui rem admirati, quæ erat præter opinio- *in cujus oratorio erat, innotescit Constantinopoli.*

A. CONSTANT. EP.

nem, laudibus hymnisque Deo emissis, magno sunt affecti gaudio: & scaphâ quamprimùm expeditâ, miserunt comitem suæ dignitati restitutum, donatumque muneribus: & insignes quosdam clericos ex templo benedictæ Euphemiæ.

Missi ab Augustis clerici, corpus referunt Constantinopolim,

15 Cùm ipsi autem in Lemnum descendissent, congregati sunt, qui illic circumcircà habitabant, in ira & indignatione, nolentes dimittere iis, qui missi erant ab imperatore, reliquias benedictæ Euphemiæ. Qua de re cùm non levis exorta esset perturbatio, videns Lemni sanctissimus episcopus populi motum ad malum progredi, surrexit & ingressus est in medium eorum, vociferans & dicens: Cedite, ô homines: eorum enim, quæ fiunt, nihil fit sine Dei nutu. Sic omninò Deo visum est. Vitemus itaque regis indignationem: ira enim regis, est tanquam ira leonis. Hæc cùm dixisset, & plura alia, vix sedavit multitudinem, ne iis, qui venerant, aliquid mali facerent, & dicto comiti. In eum enim concitatus erat populi animus clamantis: Per ipsum proditus fuit noster thesaurus. Tunc ergò cessârunt, & traducti sunt ad pacem, & Deo dederunt gloriam, & laudem Martyri, concedentes volentibus benedictæ Euphemiæ venerandas reliquias. Quas cùm accepissent, qui ad eas missi fuerant, tulerunt Constantinopolim, tota civitate, & imperatrice, & sanctissimo patriarcha Tarasio egressis obviàm. Cùm eis ergò obviàm processissent, & complexi essent cum ea, cum qua par est, glorificatione, deposuerunt in ejus templo, & in ea arca, in qua priùs Martyr fuerat, & unde execrandus & prophanus imperator eam ablatam immisit in profundum.

B

cujus ossa à variis obtinentur:

16 Ii autem, qui eas intulerunt Byzantium, & proceres, & qui primas obtinebant apud Artabastinem & filias imperatoris, & alios plurimos diripuêre reliquias. Quomodo etiam manum sanctam, quæ librum accepit, à Niceta *e* patritio, cognomine Monomacho, qui in Sicilia insula Martyri templum extruxit, dicunt illic fuisse repositam. Hinc itaque factum est, ut pauca quædam ossa capitis, quæ remanserant, in ea, quæ olim fuerat arca, clauderentur cum aliis reliquiis, quas etiam in hodiernum usque diem scimus servari in arcula. *f* Arbitror autem, in dicta quoque insula Lemno relictas esse quasdam partes corporis. O providentiam minimè investigabilem. O, quæ comprehendi non potest, potentiam altissimi Dei, qui facit omnia. Facit enim omnia, quæ vult. Audite ergò reges, & intelligite. Auribus percipite principes, & intelligite. Discite qui possidetis terram, & obstupescite. Videte Dei magnalia, & laudate ejus, quæ comprehendi non potest, potentiam. Quis unquam sperâsset, aut expectâsset inveniri posse reliquias benedictæ Euphemiæ, de qua ne sola quidem fuerat tot annis collocutio, donec visum est Domino virtutum, repentè & inopinatò suæ, quæ comprehendi non potest, potentiæ facere miraculum? Nos autem cùm indignis labris Martyri parùm gratulati fuerimus, faciemus finem orationis.

e

f

C

apostrophe auctoris ad Sanctam.

17 Gaude omni ex parte benedicta Euphemia, refugium Christianorum. Gaude benedicta Euphemia, sacrum sacerdotum ornamentum. Gaude omni ex parte clara & insignis Euphemia, refugium infirmorum. Gaude benedicta Euphemia, refugium oppressorum. Gaude beatissima Euphemia, regum propugnaculum. Gaude beatissima Euphemia, decretorum tutela synodalium. Gaude benedicta Euphemia, mundo profundens unguenta curationum.

ξῳ δ πράγματ⊖, ϗ ὕμνοις τῷ Θεῷ ἀναπέμψαντες, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην, ϗ πέμψαντες σκάφ⊖ διὰ τάχους ἀπέστειλαν, τόν τε κόμητα κατορθώσαντες ἐν τῇ ἀξίᾳ αὐτοῦ, ϗ χαρίσματα δόντες, ϗ ἐπισήμους τινὰς τ κληρικῶν ἐκ τοῦ ναοῦ τ παν⊖φήμ⊖.

15 Κατελθόντων αὐτῶν ἐν τῇ Λήμνῳ, συνήχθη πᾶσα ἡ ἐκεῖσε περίχωρ⊖ ἐν θυμῷ ϗ ὀργῇ, μὴ βουλόμενοι ἀπολύειν τοῖς βασιλικοῖς ἀνδράσι τὸ τ παν⊖φήμ⊖ λείψανον. Ὅθεν ϗ ταραχῆς ὑπ τυχούσης γεγονυίας, θεωρήσας ὁ τ δηλωθείσης λήμνης ὁσιώτατ⊖ ἐπίσκοπ⊖ εἰς κακὸν τὸν τοῦ λαοῦ προβαίνουσαν κίνησιν, διανέστη, ϗ εἰσῆλθεν ἐν τῷ μέσῳ αὐτῶν κράζων ϗ λέγων· Ὑποχωρήσατε, ἄνθρωποι, ὑ γὰρ ἄθεον τ γινομένων τι γίνεται· πάντως ὁ Θεὸς ὕτως ὐδόκησεν· ἐκφύγωμεν ὖν τὸν βασιλικὸν ἀγανάκτησιν· θυμὸς γὰρ βασιλέως ὡς θυμὸς λέοντ⊖. Ταῦτα εἰπὼν ϗ ἕτερα πλείονα, μόλις κατέπαυσε τὸν ὄχλον τοῦ μὴ πρᾶξαί τι κακὸν εἰς τοὺς ἐλθόντας, ϗ εἰς τ μνημονευθέντα κόμητα· ἐπὶ τούτῳ γὰρ ἦν ϗ ὁ θυμὸς δ λαοῦ, κραζόντων ὅτι δι αὐτοῦ ἡμῖν ἡ προδοσία δ θησαυρὸς ἡμῶν γέγονε· τότε ὖν κατέπαυσαν, ϗ εἰς εἰρήνην μετῆλθον· ἔδωκάν τε ϗ αὐτοὶ δόξαν τῷ Θεῷ, ϗ ἄνον τῇ μάρτυρι, παραχωρήσαντες τοῖς βουλομένοις ἆραι τὸ τ παν⊖φήμ⊖ σεβάσμιον λείψανον. Καὶ παραλαβόντες αὐτὸ οἱ ἐπὶ τούτῳ σταλέντες, ἤγαγον ἐν Κωνσταντινουπόλει, πάσης τ πόλεως, ϗ τ βασιλίσσης ϗ δ ὁσιωτάτ⊖ πατριάρχου Ταρασίου εἰς ὑπάντησιν ἐξεληλυθότων· ὑπαντήσαντες ὖν ϗ περιπτυξάμενοι μετὰ τ πρεπούσης δοξολογίας, ἀπέθεντο ἐν τῷ ταύτης ναῷ, ϗ ἐν ᾗ ὑπῆρχε τὸ πρότερον λάρναξ, ὅθεν ὁ σταγὼν ϗ βέβηλ⊖ βασιλεὺς ταύτην ἀφειλόμεν⊖, τῷ βυθῷ παρέπεμψεν.

D

16 Αὐτοὶ ὖν, οἱ εἰσηκολουθηκότες αὐτὸ ἐν τῇ δ Βύζαντ⊖ πόλῃ, διαρπαγὴν ἐποιήσαντο τ λειψάνων, οἵτε μεγιστᾶνες, ϗ οἱ τὰ πρῶτα φέροντες, ἀπό τε Ἀρταβασίνης, ϗ τ δ βασιλέως θυγατέρων ϗ ἑτέρων πλείστων, ὡς ϗ τὴν χεῖρα τὴν ἁγίαν, δι ἧς τ τόμον ἐδέξατο, ὑπὸ Νικήτα πατρικίου, τοῦ ἐπίκλην Μονομάχου, ἐν τῇ Σικελῶν νήσῳ τῇ μάρτυρι ναὸν δειμαμένου, ἀναθεῖναι ταύτην ἐκεῖσε φασὶ· μικρὰ ὖν τινα καταλειφθέντα τ κάρας ἀναθεῖναι τῇ πάλαι λάρνακι προσεγένετο μετὰ ϗ ἑτέρων λειψάνων, ἃ ϗ φυλάττεσθαι, ἐν λαρνακίσκῳ μέχρι δ νῦν ἴσμεν, σὺν τοῖς συμμάρτυσιν ἔνδον τυπούμενα· οἶμαι δ ϗ ἐν τῇ δηλωθείσῃ νήσῳ τ Λήμνου τινὰ μέρη καταλιφθῆναι τοῦ σώματ⊖. Ὦ τ ἀνεξιχνιάστου προμηθείας· ὦ τ ἀκαταλήπτου δυναστείας τε ϗ προνοίας δ πάντα ποιοῦντ⊖ Θεοῦ δ ὑψίστου· πάντα γὰρ ποιεῖ, ὅσα βούλεται· ἀκούσατε ὖν βασιλεῖς ϗ σύνετε, σωτίσασθε ἄρχοντες ϗ παιδεύθητε· μάθετε οἱ κρατοῦντες γῆς ϗ ἐκπλάγητε, ἴδετε τὰ μεγαλεῖα δ Θεοῦ, ϗ ὑμνήσατε τὴν ἀκατάληπτον αὐτοῦ δυναστείαν· τίς ἤλπιζεν, ἢ ἀπεκαραδόκει ἐυρεθῆναί ποτε τὸ τῆς παν⊖φήμου λείψανον; μὴ δ ϗ ἀν ζυντυχίας φιλῆς ποτε γεγονυίας ἐν τοῖς τοσούτοις χρόνοις, ἕως ὅ τ δυνάμεων Κύρι⊖ ὐδόκησεν ἐξαίφνης ϗ ἀπροσδοκήτως ποιῆσαι τῆς ἀκαταλήπτου αὐτοῦ δυνάμεως τὸ τεράστιον. Ἡμεῖς δ τῇ μάρτυρι μικρὰ τοῖς ἀναξίοις χείλεσι χαρετίσαντες, τέλ⊖ δ λόγου ποιήσομεν.

17 Χαίροις Εὐφημία παν⊖φήμε, χριστιανῶν καταφύγιον· χαίροις Εὐφημία παν⊖φήμε, ἱερέων ἱερὸν ἐγκαλλώπισμα· χαίροις Εὐφημία πανένδοξε, ἀδενῶν καταφύγιον· χαίροις Εὐφημία παν⊖φήμε, θλιβομένων προσφύγιον· χαίροις Εὐφημία πανόλβιε, βασιλέων περιτείχισμα· χαίροις Εὐφημία πανόλβιε, συνοδικῶν δογμάτων ἀσφάλεια· χαίροις Εὐφημία παν⊖φήμε, ἰαμάτων μῦρα τῷ κόσμῳ προχέουσα· χαίροις Εὐφημία σεπτὴ, αἱρετικῶν σο-

μάτων

E

F

A μάτων χαλινὸς ὀχυρώτατος· χαίροις Εὐφημία παγγέρασε, βαρβάρων ἀντίπαλε· χαίροις πάντων ἡμῶν καταφυγὴ καὶ προπύργιον, καὶ πρὸς Θεὸν μεσίτης, καὶ πρεσβεία ἀκοίμητος. Μέμνησο ἓν, ὦ θεῖ μάρτυς, κἀμοῦ τοῦ ταπεινοῦ καὶ δυσλώβου· καὶ δέχου τοῦτο τὸ σύντελες καὶ ἄσημον τῆς προπετείας ἐπιτύμβιον σύγγραμμα, ἐξαιτούμενη πᾶσι τοῖς πόθῳ ἀεὶ τιμῶ σοῦ ἐπιτελοῦσι σεβάσμιον καὶ θαυματουργὸν μνήμην, ἄναξί τε καὶ ἀρχιποίμεσιν, ἱερεῦσί τε καὶ μονάζουσιν, ἄρχουσι καὶ ἀρχομένοις, τὸ τῆς ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ τυχεῖν παραστάσεως, καὶ τῆς τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἀπολαύσεως, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ, καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ὁμοουσίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς ἀπεράντους αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Gaude veneranda Euphemia, oris hæreticorum frenum validiſſimum. Gaude digna omni honore Euphemia, barbarorum adverſaria. Gaude omnium noſtrûm refugium & munitio, quæ es apud Deum noſtrî perpetua interceſſio. Memento autem, ô Dei Martyr, meî quoque humilis & infelicis, & ſuſcipe hoc vile & nullius notæ ſcriptum funebre meæ temeritatis, petens pro omnibus, qui cum deſiderio tuam venerabilem & miraculorum effectricem ſemper peragunt memoriam, regibus & paſtoribus, ſacerdotibus & monachis, principibus & ſubjectis, ut aſſequantur, ut ſedeant à dextris Dei, & bonis fruantur æternis, gratiâ & clementiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria & potentia cum Patre principii experte, & ſanctiſſimo & conſubſtantiali & vivifico Spiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen. A. CONSTANT. EP.

ANNOTATA.

a *Obiit Conſtantinus Copronymus anno* 775, *menſe Septembri: Leo IV ipſius filius & ſucceſſor defunctus eſt anno* 780. *Tum Irene Leonis vidua, quæ erat Catholica, cum filio Conſtantino imperare cœpit.*

B b Scholarii *erant cuſtodes palatii, ut explicat Cangius in Gloſſario Græco-barbaro.* E

c *Deeſt hic Andreas catalogo epiſcoporum Chalcedonenſium, quem tom.* 1 *Orientis Chriſtiani contexuit Lequien: nec mihi aliunde quidpiam de eo occurrit.*

d *S. Taraſius, cujus Vita data eſt ad* 25 *Februarii, præfuit eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ab anno* 784 *ferè finito uſque ad annum* 806, *quo obiit, ut probatum eſt in Hiſtoria patriarcharum Conſtantinopolitanorum tom.* 1 *Auguſti pag.* 102 *&* 103.

e *Nicetas hic patricius Græcorum Faſtis adſcriptus eſt die* 6 *Octobris, ubi in Menologio Baſiliano dicitur fuiſſe conſanguineus Irenes auguſtæ, ab eaque legatus ad concilium Nicænum II, deinde Siciliæ præfectus, ibi præclarè rem adminiſtraſſe. Tandem à Leone Armeno in exſilium miſſus dicitur, in eoque obiiſſe. Hæc aliaque de eo ad dictum diem examinari poterunt, ſi de legitimo cultu ſatis conſtiterit.*

f *Ex hiſce ſatis colligitur, oſſa Sanctæ ad loca varia deinde tranſlata eſſe, prout ea in locis plurimis modò honorari diximus in Commentario* § 4. *In quadam relatione Ms. de reliquiis variorum Sanctorum in Gallia, ad Majores noſtros præcedente ſeculo miſſa, dicitur corpus* S. Euphemiæ *eſſe Molivis in Gallia* apud Religioſos S. Franciſci de Paula; *ſed non additur, cujus ſit Euphemiæ. Itaque cùm ſcriptor ille dicat:* Colitur (*in loco jam dicto*) integrum ſanctæ Euphemiæ corpus, illuc à Patre du Boiſſon ejus Ordinis Religioſo Româ allatum, & in ſacello Domini du Boiſſon de Beauregard collocatum; *non facile crediderò, corpus illud eſſe* S. Euphemiæ *Chalcedonenſis, etſi quis etiam dixerit, non eſſe oſſa omnia illuc tranſlata.*

EXPOSITIO TABULÆ

pictæ de martyrio Sanctæ cujuſdam Euphemiæ

C F

auctore Aſterio epiſcopo Amaſeno.

Ex editione Ruinartii.

Auctor viſâ tabellâ elegantèr pictâ,

NUper, ô viri, Demoſthenem egregium illum oratorem præ manibus habebam, eamque Demoſthenis orationem, quâ ille Æſchinem *a* acerbis enthymematibus impetit. Diu autem prolata lectione, pæneque obruta mente, aliqua remiſſione ac ambulatione, quo feſſus animus nonnihil labore levaretur, egebam. Egreſſus autem domo, poſtquam in foro aliquantulùm cum notis ambulâſſem, illinc me in Dei templum *b* otio oraturus recepi. Cùm verò hoc quoque conſecutus, unam quamdam ex porticibus tranſirem, vidi in ea picturam quamdam, cujus me ſpecies omnino cepit. Dixiſſes Euphranoris *c* artificium eſſe, aut eorum alicujus, qui olim plurimum dignitatis picturæ conciliârunt, non aliter pingentes, quàm ſi vivas in tabulis formas exhiberent. Adeſdum verò, ſi voles: quippe etiam nunc per tempus enarrare licet: egoque picturam exponam. Neque enim nos muſarum alumni *d* pejores pictoribus colores habemus.

a

b

c

d

in qua martyrium cujuſdam Euphemiæ exprimebatur,

2 Sacra quædam femina, intemerata virgo, ſuam Deo caſtitatem dicavit. Euphemiam appellant. Cùm autem quandoque tyrannus pios homines ac Chriſtianos perſequeretur, illa admodùm alacris, vitæ aleam ſponte adiit. Cives autem, ejuſque ſocii religionis, pro quâ ea mortem obiit, ceu fortitudinis ac ſanctitatis gloriâ inſignem, admirationi habentes, haud procul templo ſepulcrum ædificantes, ac poſito loculo, honores ei publicos adhibent, annuum ejus certa-

A. Asterio Ep. *e* certaminis diem *e*, communem, ac totius populi conventu lætam, facientes celebritatem. Sacri quidem sacramentorum Dei interpretes jugi sermone memoriam honorant, populosque convenientes, ut illa patientiâ certamen consummaverit, omni studio informant: sed & pictor pietati & ipse studens, artis operâ historiam totam in sindone, quàm licuit, viva expressione designans, ibidem juxta sepulcrum sacram ad spectaculum appendit tabellam. Sic autem habet artis hoc præclarum opus.

picturam explicat 3 Sedet judex throno sublimis, acerbo ac truci vultu contuens Virginem. Ars quippe in inanimi quoque materia irascitur, cùm lubet. Porrò adsunt magistratus, satellites, ac milites non pauci, ac quidem commentarienses tabulas ferunt ac stylos: quorum alter manum è cera educens, intensè adspicit in adstantem judicio Virginem, totam deflectens faciem, tamquam jubeat loqui clariùs, ut ne difficile audiens mendosa scribat, ac digna reprehensione. Adstat autem Virgo pulla veste, ac pallio philosophiam professa, ut quidem putavit pictor, ipso quoque vultu lepida, ut autem ipse existimo, egregiè ornato virtutibus animo. Ducunt autem ad præsidem duo milites, alter quidem antè trahens, alter verò à tergo urgens. Porrò Virginis habitus pudore ac constantiâ mixtus enitet. Inclinat quidem, ac cernua oculos demittit, tamquam virorum erubescens obtutus; stat verò imperterrita, nihil in certamine timidum patiens. Quamobrem cùm alios hactenus pictores, Colchicæ *f* illius mulieris fabulam contuitus, laudarem; ut gladium filiis adactura, misericordiâ ac irâ divideret faciem; ac alter quidam oculus iram ostenderet, alter matrem parcentem ac facinus horrentem designaret; nunc planè ab ea cogitatione ad hanc picturam admirationem converti: mirumque in modum opificem admiror, ut accuratiùs mores quàm colores miscens, pudorem simul ac fortitudinem, affectiones utique per naturam contrarias, præclarè temperârit.

& sic aliqua tormenta Sanctæ illata refert. 4 Ulteriùs autem procedente imitatione, carnifices quidam in levibus nudi tunicis, operi jam insistebant: ac alter quidem apprehendens caput, ac retro inflectens, alteri os Virginis præbebat expeditum ad pœnam: alter autem adstans dentes *g* excutiebat. Porrò supplicii organa, malleus videntur & terebra. Ceterùm resolvor deinceps in lacrymas, mihique affectio intercidit sermonem. Sic enim perspicuè guttas sanguinis adpinxit penicillus, ut verè dicas à labiis fluere, ac lamentans discedas. Iterum carcer; iterum casta Virgo in pullis vestibus sedens sola, manus ambas extendit in cælum, Deumque in malis adjutorem invocat. Porrò oranti illi apparet super caput ejus signum illud, quod Christiani adorare ac appingere solemne habent: putòque appetentis passionis symbolum. Mox ergo ac post modicum ignem validum loco alio accendit pictor, hinc inde rutilanti rubrica condensans flammam. Statuit verò Virginem mediam, expansis quidem manibus in cælum, nullam tamen vultu præferentem tristitiam, sed magis gaudentem, uti ad incorpoream ac beatam commigrantem *h* vitam. Hactenus cùm pictor manum tenuit; tum ego sermonem ac linguam. Ceterùm tempus tibi est, ut & ipsam, si velis, picturam absolvas; quo plenè perspicias, num longè impares enarrandæ fuerimus.

ANNOTATA.

a *Demosthenes & Æschines oratores fuerunt æmuli.*

b *Ecclesiæ* S. Euphemiæ *Chalcedonensis non erat foro tam propinqua, ut de ea loqui videatur auctor.*

c *Pictor est famosus, qui floruit ante Christi tempora.*

d *Hæ voces insinuant, juvenem fuisse Asterium, quando hæc scripsit.*

e *Noverat itaque Asterius, quo die coronata esset Sancta. At nec diem martyrii, nec nomen imperatoris aut judicis, sub quibus passa est* Euphemia, *exprimere curavit, quia tabellam pictam solùm explicabat.*

f *Medeam designat apud poëtas famosam, quæ filios suos occidisse dicitur, ut Iasoni marito dolorem crearet.*

g *Pœnam hanc* S. Euphemiæ *Chalcedonensi illatam, nullus antiquus umquam asseruit: neque istud in ullis Actis legitur. Itaque verisimile non est, tabellam, quam exponit Asterius, visam fuisse Chalcedone: neque enim omnes scriptores tam singulare supplicium ignorâssent, si* S. Euphemiæ *Chalcedonensi revera fuisset illatum, & in tabella prope sepulcrum posita expressum. Quare ex hoc loco Tillemontius aliique discere debuissent, de nostra* Euphemia *non agere Asterium. Vide Commentarium § 5.*

h *Hoc ipsum non congruit* S. Euphemiæ *Chalcedonensi, quæ flammis quidem fuit tradita; at in iis minimè exstincta.*



A

AUCTORE J. S.

APPENDIX

DE S. EUPHEMIA V. M. CULTA AURIÆ IN GALLÆCIA.

Cultus Euphemiæ, quæ forsan est eadem cum Chalcedonensi.

De S. Euphemiæ Auriæ cultæ corporis inventione

Oannes de Marieta in Opere Hispanico de Sanctis Hispaniæ lib. 4 cap. 13 agit de S. Euphemia *virgine & martyre, quam hoc die* XVI *Septembris testatur coli Auriæ* * *in Gallæcia, quamque distinctam credit ab* Euphemia *Chalcedonensi. De eadem scribit Ambrosius Morales in Chronico Hispaniæ lib. 10 cap. 27, Franciscus de Padilla, aliique plures, qui ejusdem sunt sententiæ, cui etiam assentitur Nicolaus Antonius in Opere posthumo Ms., Majoribus nostris olim in Hispania communicato. Scribunt illi, reliquias esse inventas per revelationem puellæ pastoritiæ factam, quòd illa videret manum è terra erumpentem, & in ejus digito anulum, quem detraxit; aut potiùs patri puellæ, cui illa dedisse dicitur anulum. Nam, cùm pater ad locum à filia sua designatum accessisset, dicitur audivisse voces Hispanicas hisce Latinis conformes:* Hîc jacet corpus S. Euphemiæ: transfer illud quantocius cum veneratione ad ecclesiam S. Marinæ. *Hoc autem ipse exsecutioni mandâsse asseritur. Locus porrò, ubi corpus inventum fertur, erat prope confinia Lusitaniæ decem ferè milliaribus à civitate Aurienſi, ibique vicina erat ecclesia S. Marinæ, de qua apud nos actum est breviter ad* XVIII *Julii. Ex loco autem reperti corporis locum martyrii colligunt auctores mox allegati, adjunctque Petrum Seguinum, illius temporis episcopum Aurienſem, inventionis historiam scriptis mandâsse.*

* Orenge

B

C

& translatione asserta

2 *Addunt laudati scriptores, corpus anno* 1153 *à jam dicto Petro Seguino translatum esse ad ecclesiam cathedralem Aurienſem, & illius translationis historiam fuisse conscriptam ab Alphonso episcopo Seguini successore. Vellem sanè laudata Petri Seguini & Alphonsi ejus successoris Opuscula vidisse, ut securiùs de re tota agerem. Etenim cogor dubitare, an ejusmodi Opuscula à laudatis episcopis umquam fuerint exarata, & consequenter an sancta* Euphemia *Aurienſis omnino sit distincta à Chalcedonensi. De Petro Seguino agit in Bibliotheca Hispanica Nicolaus Antonius lib. 7 cap. 5, dictumque Opusculum de inventione* S. Euphemiæ *eidem attribuit. At innuit, numquam illud se vidisse, nisi ex editione Joannis Tamaji Salazarii, quem frequentissimè arguit ut fictitiorum Opusculorum editorem. Certè, si illa, quæ edidit Joannes Tamayus ad* VII *Augusti, sint Petri Seguini, jam non modo historia Inventionis innotesceret, sed simul etiam historia martyrii: nam utramque Hispanicè edidit sub nomine Petri Seguini, utramque etiam Latinè tamquam ex antiquo Breviario Aurienſi. Attamen ipsi scriptores laudati agnoscunt, nihil innotuisse de tempore aut modo martyrii. Quapropter non video, tutò me credere posse, Seguinum esse scriptorem illorum, quæ de inventione dicuntur, ac translationem ab Alphonso episcopo fuisse conscriptam.*

3 *Præterea dubium mihi videtur, an reliquiæ* S. Euphemiæ *revera anno* 1153 *ad cathedralem Aurienſem fuerint translatæ, ut affirmant Morales aliique scriptores allegati. Quippe cum illa translatione parum concordant asserta Alvari Gomecii in Vita Cardinalis Francisci Ximenii lib. 3 pag. 987 editionis Francofurtensis. Narrat ibi, Ximenium proficisci voluisse ad Philippum I regem Compostellæ degentem; sed intellexisse in via, eum jam inde discessisse. Hac de causa, ut subjungit,* cogitur Ximenius Orense (*id est Auriam*) divertere; ut primo quoque tempore Philippum conveniret.... Iter per montes illos facienti vicus quidam occurrit, in cujus pervetusto & malè farto templo divæ Euphemiæ corpus asservabatur: cujus præsens patrocinium innumeris per eam regionem editis miraculis, cùm alii finitimi populi, tum præsertim accolæ Giguri, in quorum tractu Orense oppidum & vicus ille est, frequenter senserunt. Ad eam visendam continuò antistes venit: quam quoniam ob vici inopiam parùm pro dignitate contineri comperit, ære suo ædiculam Divæ exædificari jussit, ubi ornatiori apparatu coleretur. Quæ postea (ut audio) Orense translata est. Sedecim millia passuum vicus ille ab Orense aberat. *Secundum hanc relationem reliquiæ, quæ corpus vocantur, seculo* XVI *translatæ sunt ad cathedram Aurienſem.*

E

dubitandum videtur: nam corpus illius seriùs translatum scribitur.

F

4 *Deinde eo modo de* S. Euphemia *loquitur scriptor ille ferè contemporaneus & planè egregius, ut non aliam designare videatur, quàm celeberrimam nostram Chalcedonensem. Si enim loqueretur de aliqua* Euphemia *minùs nota, illud verisimiliter indicâsset. Accedunt & alia, quæ augent suspicionem, distinctam à Chalcedonensi non esse* Euphemiam, *quæ colitur Auriæ. Primò præcipua festivitas habetur eodem die* XVI *Septembris, quo Chalcedonensis colitur. Secundò habemus Officia propria diœcesis Compostellanæ, quæ metropolis est cathedræ Aurienſis, impressa anno 1596, in quibus ad* XVI *Septembris* S. Euphemia *colenda præscribitur officio ritûs duplicis, idque* ex antiqua consuetudine. *Hanc autem esse Chalcedonensem* Euphemiam, *colligitur ex commemoratione addita. Nam, cùm in Breviario Romano fiat commemoratio* SS. Euphemiæ, Luciæ & Geminiani; *in Compostellano autem* Luciæ & Geminiani *tantùm; liquet, Officium fie-*

Fortè & Euphemia illa est ipsa Chalcedonensis.

AUCTORE J. S.

ri de Euphemia *eadem, de qua in Romano fit commemoratio. Jam verò quis credat, in ecclesia metropolitana Gallæciæ omissam fuisse Sanctam ejusdem provinciæ miraculis insignem; celebratam verò fuisse Sanctam Chalcedonensem sine justa ratione? Non alia porrò invenietur ratio, quàm quòd Compostellani* Euphemiam *in sua provincia miraculis coruscantem non aliam quàm Chalcedonensem crederent.*

dudum culta in Gallæcia, notaque in Breviario Toletano,

5 *Tertiò in Breviario Toletano non alia celebratur* Euphemia *quàm Chalcedonensis. Nam ibi & socios habuisse dicitur* septem numero septies, *sive quadraginta & novem, dicitur in flammis mansisse illæsa, dicitur ad arenam deducta, ubi defuncta est, &* Populis Chalcedonensibus *adjungitur. Hæc autem omnia Chalcedonensi congruunt, nec additur quidpiam, quod eidem non conveniat. Tamayus verò, qui alteram civitatem Chalcedonensem quæsivit in Hispania, risu magis dignus est quàm refutatione. Æquè fictitium est, quòd* Euphemiam S. Attilii Severi Gallæciæ reguli & Calsiæ ejus uxoris *filiam cum octo sororibus facit. Meras has esse nugas agnoscit Nicolaus Antonius in Opere posthumo Ms., & facilè agnovissent Morales aliique, quorum opinionem examino, si vidissent Tamayi Martyrologium. At ego etiam dubitare cogor, an multò sint meliora, quæ illi de inventione & translatione corporis* S. Euphemiæ *tradiderunt, quæque forsan ex mera traditione populari primùm litteris sunt consignata.*

B

nam quæ afferantur pro distinctione,

6 *Attamen Morales lib.* 10 *cap.* 27 *testatur, vidisse se authenticam scripturam confirmationis cujusdam privilegii, quod anno* 1165 *Ferdinandus rex Legionensis ecclesiæ confirmavit. Hac scriptura civitatem Auriensem ecclesiæ ab Alphonso patre datam, eidem confirmâsse dicitur,* ut augeretur & ex parva major fieret civitas, ubi sepultum est corpus glorioſissimæ virginis Euphemiæ. *Affert istud instrumentum Morales, ut probet, corpus* S. Euphemiæ *anno* 1165 *jam fuisse Auriam translatum. Quod ex allegatis verbis bene colligitur, modò verba instrumenti rectè sint exposita. At nequeo ista verba facilè componere cum verbis Gomecii num* 3 *datis. Nam secundum illa jam anno* 1165 *corpus* S. Euphemiæ *erat Auriæ; secundum Gomecium eò tantùm fuit translatum seculo* XVI. *Viderint eruditi Hispani, qui loco viciniores sunt, utrius asserta sint veriora. Verùm, etsi pro certis haberemus verba ex privilegio mox allegata, ex iis inferre non possemus, aliam à Chalcedonensi fuisse* Euphemiam, *cujus corpus Auriæ esse asseritur. Itaque ea de re dubitare semper cogar, nisi solidiora proferantur instrumenta, quàm hactenus fuerunt allata, ad* S. Euphemiam *à Chalcedonensi diversam Gallæciæ asserendam.*

D

ad eam eorum asserendam non sufficiunt.

7 *Illud sanè non satis certò colligitur ex corpore ibidem, ut fertur, servato: neque enim novimus, quot aut qualia sint ossa, quæ corpus nominantur: neque improbabile est, aliqua Sanctæ Chalcedonensis ossa olim in Hispaniam fuisse transportata. Tamayus festivitatem præcipuam* S. Euphemiæ *annuntiat ad* XXVI *Julii* Obobrigæ in Gallæcia, *& eodem die Ferrarius in Catalogo Generali* Auriæ in Hispania. *Hæc apud nos in Prætermissis ad* XXVI *Julii notavit Sollerius noster, observavitque,* Euphemiam *illam verisimiliter à Chalcedonensi non esse aliam. Tamayus ejusdem translationem commemoravit ad* VII *Augusti: quo die translationis festum Auriæ celebrari testantur Morales aliique scriptores Hispani. Itaque cultus certissimus est Auriæ: neque negavero ibidem servari annulum, magnoque haberi in pretio, qui in digito Sanctæ fuerit repertus, ut asserit Morales: nam reliquiæ Sanctorum frequentur ejusmodi ornamentis decorantur. Quin & lubens de* S. Euphemia *Aurienſi, ut certò distincta, prolixiùs scribam, si certa distinctionis argumenta mihi suggesserint eruditi Hispani.*

E

DE SS. LUCIA ET GEMINIANO MARTYRIBUS

C

F

ROMÆ,

U. S.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

§ I. Cultus Sanctorum antiquissimus: Acta fabulosa: horum ex Adone compendium.

SUB DIOCLETIANO *Cultus Sanctorum nostrorum*

INsignium martyrum Luciæ & Geminiani *constantissima celeberrimaque in monumentis ecclesiasticis memoria certam illorum atque indubitatam in tota Ecclesia Catholica consecratam venerationem dilucidè ostendit, adeò ut inutile esse videatur, pro stabiliendo ipsorum antiquissimo cultu argumenta alia in medium proferre. Tametsi enim vetustioribus Fastis Hieronymianis à Florentinio vulgatis inserti non sint, aliis ferè omnibus Martyrologiis & Kalendariis* SS. Luciæ & Geminiani *nomina inscripta sunt. Hieronymiana contracta Rhinoviense, Richenoviense & Labbeanum Romæ* Luciam & Geminianum *recolunt, Gellonense & Augustanum, Fuldense, Ottobonianum, Wandelberti, Bedæ, ac Rabani Martyrologia, & Kalendarium Vaticanum* 3806 *di-*

A *diſcrè utrumque annuntiant, ſed palæſtram fuſo eorum ſanguine nobilitatam non aſſignant. Romanum parvum Roſweydi curâ editum, & ab ipſo Romanum vetus appellatum, etiam locum, quo paſſi ſunt, hoc modo adnotavit*; Romæ, Luciæ & Geminiani martyrum: *& in Kalendario Romano, Frontonis operâ illuſtrato, ad præſentem diem legitur*: Natalis SS. Luciæ & Eufemiæ; *laudatus autem Fronto hæc ibidem obſervat*: Non ſic in Sacramentario Pamelii & Menardi: ſed primùm S. Euphemiæ. Deinde eodem die SS. Luciæ & Geminiani. Tres eccleſias Romæ nomine Euphemiæ dicatas ait Baronius, licèt Alexandriæ (*imò Chalcedone*) paſſa ſit. At Lucia Romæ paſſa eſt.

2 *Quod ad Kalendarium ſuum obſervavit Fronto, in præcitata Martyrologia non pauca irrepſit, cùm eodem modo annuntient*, Luciæ, Euphemiæ & Geminiani: *& Rhinovienſe ſcribit* Eugeniæ; *Vaticanum verò ſenſum videtur habere continuatum & Luciam Chalcedoni quoque adſcribere: ſed iſtud verbulo indicâſſe ſufficit. Sancti Martyres noſtri reperiuntur etiam in Adonis & Uſuardi Martyrologiis, quod ultimum brevi hoc elogio eos exornat*: Romæ ſanctorum martyrum Luciæ nobilis matronæ & Geminiani, B quos Diocletianus pœnis graviſſimè afflictos, diúque tortos, tandem poſt laudabilem martyrii victoriam gladio animadverti præcepit. *Obſervat Sollerius in Uſuardo ſuo in hac annuntiatione nihil contineri, quod magnopere in dubium vocari poſſit, ſi modò Diocletiani perſecutio in ipſius perſecutoris locum ſubſtituatur. Ab Uſuardino textu vix differt Romanum Baronii Martyrologium, cujus propterea, uti & aliorum verba cenſui hìc non eſſe exprimenda. Sanctorum* Luciæ & Geminiani *memoria etiam celebratur in Sacramentario Gregorii ad præſentem diem. Attento igitur hoc martyrologorum numero, non poſſum non cum Florentinio in Annotatis ad* XVI *Septembris mirari, quomodo neque in Florentinii codice, neque in Corbienſi & Antverpienſi* SS. Luciæ & Geminiani *memoria agatur*, cùm tamen alii Romani martyres in plures ordines diviſi indicentur ab illis præteriti.

3 *Sanctos quoque noſtros ſequenti die ſignant Menæa Græcorum, additis quatuor verſiculis, quos Latinè non reddo, eò quòd peculiare nihil, quod ampliorem illorum notitiam poſſit ingerere, complectantur. Menologium Græcorum Eminentiſſimi Sirleti fuſiùs de illis agit hoc modo*: Eodem die (XVII *Septembris*) natalis ſanctæ martyris Luciæ viduæ & ſancti Gemiani filii & martyris. Hæc ſub Maximiano & Diocletiano imperatoribus in urbe Roma opibus & genere illuſtris, annos nata ſeptuaginta quinque, trigínta ſex vidua tranſegit: accuſata apud Diocletianum, quòd Chriſtianam fidem coleret, graviter verberata eſt, poſtea in æreum lebetem pice ferventi plenum (*ponuntur tum puncta aliquot, quia deeſt verbum unum alterumve, fortè* miſſa & inde) exiit incolumis, cúmque Urbem circumduceretur, occurrit illi Gemianus, qui eam ſequens, paulò pòſt baptizatus ejus filius appellatus eſt. Poſtremò Lucia poſt multos cruciatus martyrio coronata eſt, Gemianus verò poſtea capite obtruncatus, in cælum eſt aſſumptus. *Idem Græcorum Menologium Græcè olim juſſu Baſilii imperatoris, nunc Græcè & Latinè editum ſtudio & opera Eminentiſſimi Annibalis Albani, quod* Geminianum *ſcribit, addit inſuper aliqua, quæ infrà, ubi de Actis & palæſtra martyrii agemus, commodiùs diſcutientur.*

4 *Hæc omnia planè ſufficiunt, ut antiquum admodum eſſe ac legitimum horum Sanctorum cultum negare nemo poſſit. Confirmatur ex eo, quod in Annotatis ad Martyrologium Adonis ſcribit Dominicus Georgius*: In ordine Romano XII Cencii Camerarii num. XL pag. CXCII fit mentio eccleſiæ S. Geminiani in Urbe: *nec minùs ſtabilitur ex Baronio, in Annotatis ad Martyrologium ſuum dicente*: Eſt præterea juxta Tiberim vetus memoria eorumdem Martyrum, ubi & eorum ſacra corpora condita eſſe dicuntur; licèt Lucenſes eadem ad ſe tranſlata teſtentur: ſed accidiſſe putandum, ſicut frequenter in ceteris, ut pars ipſorum & non integra fuerint tranſlata corpora. *Obſervat Tillemontius in perſecutione Diocletiani, art.* 15, *Florentinium, licèt Lucenſem, tranſlationis iſtius non meminiſſe. Laudatus Baronius hæc ibidem addit*: Confundunt aliqui hanc Luciam cum illa Syracuſana, ſicque & eccleſia ab Honorio Papa erecta in Eſquilino, dicta Diaconia S. Luciæ ad ſeptem folia, apud baſilicam S. Sylveſtri poſita illi tribuitur. *Verùm alteram ab altera diſtinguendam eſſe, probat cultûs, utrique ab Eccleſia exhibiti, diſparitas. Sed hæc aptiùs examinabuntur ad diem* XIII *Decembris, ubi etiam expendendum erit, cujus* Luciæ *nomen ſacroſanctæ Miſſæ Canoni inſertum ſit. Vide interim, ſi lubet, Sollerii obſervationem in Martyrologium Uſuardi ad diem* XIII *Decembris.* E

5 *Quàm certus & minimè dubitabilis eſt* SS. Luciæ & Geminiani *cultus, tam incerta & omnino dubia ipſorum geſta ſunt, ita ut vix quidquam tutò & ſine erroris periculo poſſim aſſerere. Baronius memorato ſuprà loco*, Recitat, *inquit*; horum acta Mombritius tom. 2. Habemus ea in veteri codice manuſcripto, quorum eſt exordium: Conſulibus Diocletiano octies & Maximiano ſepties &c. Habent tamen aliqua, quæ corrigantur. *Et hæc quidem Eminentiſſimi viri ſat mitis cenſura. Octavius Cajetanus in ſuis ad Vitas Sanctorum Siculorum Animadverſionibus, animadverſione prima in Certamen ſanctorum martyrum* Luciæ & Geminiani, *poſtquam præmiſerat, ex quibus codicibus manuſcriptis tum Siculis tum Romanis certaminis hujus hiſtoriam concinnâſſet, enumeratis inſuper auctoribus aliquot, qui conſentientia manuſcriptis Acta typis vulgârunt, ita fatur.*

6 Ceterùm præmoneo, conficiendis his Actis nonnulla recidiſſe me ex Mss. libris, quæ nemo probârit, præque me doctiſſimus Baronius advertit, habere ea Acta, quæ corrigantur; quamvis, quæ caſtiganda eſſent, ille non explicaverit. Nos perpauca commemoramus. Nominantur in iis Actis Gebal aſſeſſor imperatoris Diocletiani, & Pyropogon Romæ vicarius, quæ nomina barbara ac ſuſpecta falſi. Traditur, Lucià in carcerem detrusâ, ex ejus fundamentis fluvio exundante, mediam urbem interiiſſe: domum verò Diocletiani à fundamentis evulſam. Qui Luciam fuſte cædebat, lapideum effectum, extra unam manum, quæ carnea remanſit: Diocletianum autem, qui cædi juſſerat, exaruiſſe; ſed Luciæ precibus ſanatum: Geminiano domi fuiſſe ultra tria millia & ducenta ſimulacra: Romæ hiatu terræ templum Jovis abſorptum; Diocletianum poſt excruciatos Luciam & Geminianum Româ digreſſum, ad pontem Galatium in flumine Thein cum mille trecentis quadraginta ſex viris ſubmerſum. Quæ omnia nugæ. Alia prætereo, ne videar otioſus. Hæc verò recenſui, ut Acta in nonnullis corrupta cognoſcerentur, ac nemo mire-

ex Martyrologiis,

Menæis, & Menologiis Græcorum,

AUCTORE U. S. *aliiſque oſtenditur.*

Geſta eorum

non niſi ex Actis fabuloſis

AUCTORE U. S. miretur, quædam resecta à me, alia jure emendata.

tum manuscriptis, 7 *Ita ille, & rectè: an autem de cetero Acta etiam quoad ea, quæ minimè suspecta falsi habet laudatus Cajetanus, imò & tueri conatur, admitti possint, infrà videbitur. Acta Mombritianis simillima habemus in gemino codice membranaceo descripta, quorum prior signatus litterâ P. Ms.* 19, *alter Q. Ms.* 6. *Habemus etiam duplicia Acta manuscripta, quorum alterum ex antiquo P. Sirmondi manuscripto extractum, collatumque cum manuscripto S. Audomari ad nos missum est anno* 1630; *alterum ex manuscripto Fuldensi, quod cum manuscripto S. Maximini Treviris collatum fuit. Acta hæc manuscripta à Mombritio in verbis non rarò dissentiunt, sed eadem facta continent, prodigia eadem, easdemque, ut Cajetanus appellat, nugas. Lectorem tamen hîc monitum volo, à Mombritio historiam submersionis Diocletiani ne verbo quidem attingi; an autem ipsemet eam resciderit, utpote quam fabulosam ac merè commentitiam esse facile potuerit deprehendere, an Acta ipsa, quæ descripsit, fabellâ istâ caruerint, non facile divinem.*

B

tum impressis 8 SS. Luciæ & Geminiani *Acta prælo donârunt insuper varii, quorum hîc aliquos recensere arbitror non futurum inutile. Edidit ea Bellovacensis lib.* 12, *cap.* 39 *& sequentibus. In nonnullis contractior est ejus historia, quàm sint manuscripta suprà memorata: interdum omittit aliqua, quæ enumerare supervacaneum est: submersionis Diocletiani fabellam sic apud ipsum mitigatam reperio:* Cúmque Diocletianus eis (*Sanctis nostris*) dimissis, à Roma discessisset, & in quodam fluvio navigaret, cum mille trecentis quadraginta sex in flumen cecidit, qui tamen solus evasit. *Initio habet,* Ex gestis: *in margine autem adscribit:* Vitam hujus (*sanctæ martyris* Luciæ) describit Ado, quam habet Surius XVI Septembris, sed latiùs Petrus lib. VIII, cap. LXXXV. *Petrum de Natalibus designat, qui* SS. Luciæ & Geminiani *Acta manuscriptis nostris conformia summatim exhibet, sed memoratam de Diocletiano fabulam paulò aliter expositam ibidem lego his verbis:* Dum perveniſſet (*Diocletianus*) ad pontem Gallatium, judicio Dei pons cecidit, &, multis in fluvio necatis, ipse vix cum

C

paucis evasit. *Sanctus quoque Antoninus* 1 *part., tit.* 8, *cap.* 1, § 37 *brevem de Sanctis hisce historiam ex Bellovacensi adornatam refert, in qua dicitur Diocletianus Româ profectus Pyrropogonem suum reliquisse vicarium. Variant & Acta in numero simulacrorum, quæ in ædibus* Geminiani *habebantur, sed discrimen illud enucleare operæ pretium non est.*

discimus. Adonis 9 *Ex iis, quæ num.* 6 *ex Cajetano adduxi, facilè prudens lector statuet, qualis sit Actorum illorum auctoritas: mihi certè videntur tot fabellis referta, ut pro certo habeam, de reliquis etiam omnibus, utpote ex fonte tam putido hausti, meritò dubitandum esse. Quare Acta hæc fabulosa hîc non excudam: non abs re tamen fuerit satis longum, quod ex iis concinnavit Ado, compendium annectere, ut aliquod Actorum specimen habeatur: sic autem scribit ad diem* XVI *Septembris:* Romæ, natalis sanctorum Luciæ & Geminiani, imperatore Diocletiano, judicibus Apofrasio & Megasio. Manserat beata Lucia in viduitate annos triginta sex, totius autem vitæ ejus fuerunt anni septuaginta quinque. Quæ accusata à filio Euprepio, quòd Christiana esset, D

jussit eam Diocletianus sibi adduci, & dixit ei: Audio, quia reum illum Crucifixum confiteris, & deos nostros derides. Nunc ergò si parata es vivere, parati sunt dii omnipotentes, ut eis offeras thura, ut possint tibi esse propitii & vivas. Sancta Lucia respondit: Nec sibi sunt propitii, nec cultoribus suis. Nam mihi propitiabitur Dominus meus Jesus Christus, pro cujus amore parata sum ignem, vincula, & quas volueris pœnas sufferre.

Actorum compendiam, quod 10 Audiens Diocletianus constantiam fidei ejus, jussit eam trahi ad carcerem, ubi consolationem divinam promeruit. Reducta autem iterum ante Diocletianum sedentem pro tribunali, extensa est glorioſa Femina, & fustibus diutissimè verberata. Et ecce terræ motus subitò factus est, & templum Jovis ita subrutum, ut nec lapis super lapidem ædificii remanserit. Diocletianus autem ollam æream adduci fecit, eamque pice & plumbo jussit impleri, & in circuitu ligna aggregari & succendi, sanctamque Luciam infrà (*Acta scribunt* in) ollam demergi, ubi Sancta Dei psallens triduo vixit. Mittens verò Diocletianus, qui renunciaret ei, si tota jam in cineres esset resoluta, is, qui missus fuerat, intimavit rediens imperatori, quòd absque ulla læsione sana viveret. Tunc impius tanto miraculo nullo modo ad credendum Christo incitatus, jussit, ut onerata ferro & plumbo per civitatis plateas duceretur. Pervenit autem ante domum hominis præpotentis, nomine Geminiani, in cujus domum dæmonum innumera simulacra erant. E

in nonnullis discrepat 11 Dumque sancta Lucia domum ipsam pertransisset, subitò columba alba velut nix descendit de cælo, & super caput Geminiani tertiò figurans crucem resedit. Geminianus respiciens vidit sibi patêre cælum, & statim arripiens cursum pervenit ad locum, ubi jam Sancta Dei torquebatur. Et prosternens se pedibus ejus, cœpit narrare, quod viderat, & Baptismi lavacrum expetere. Erat verò quidam sacerdos Protasius nomine, cui nocte apparens angelus Domini monuit, ut iret ad carcerem, & Geminianum, qui fontem salutis requirebat, baptizaret. Qui cùm evigilâsset, festinatus abiit, & beatum Virum aquâ salutari lavit. Post diem tertium exhibita est sancta Lucia Diocletiano, & cum ipsa Geminianus, de quo jam imperator audierat. Quos ille pœnis gravissimè afflictos diuque tortos, tradidit cuidam perversissimo judici, ut quod deerat pœnarum, ipse suppleret. Qui primò jussit cervices eorum fustibus contundi, & mox terræ motu facto, camera domûs judiciariæ cecidit, & judicem impium oppressit. Deinde sancti Martyres exhibiti sunt Apofrasio, sub quo & septuaginta quinque martyrium implevere, qui, visis miraculis, quæ circa Sanctos suos Dominus operabatur, crediderant. Hic judex impiissimus, post sanctorum horum martyrum necem, à diabolo equum ejus incitante, de ponte lapideo præcipitatus in flumen est. Corpus ejus postea nullo loco repertum. Deinde beata Lucia & sanctus Geminianus à Megasio viro consulari arctati, post laudabilem victoriam, martyrii gladio animadversi sunt sub die sexto decimo Kalendas Octobris. Quorum corpora rapuit quædam mulier Christiana nomine Maxima, &, ut decuit, Martyres sepelivit. F

12 *De hisce omnibus, quæ ex Adone jam de-*

A *ab Actis jam recensitis.*

descripsi, in persecutione Diocletiani art. 15 *breviter pronuntiat Tillemontius:* Quod Ado de iis (*Martyribus nostris*) dicit, prorsus nihil valet: *censuræ tamen suæ causam nullam adducit. Quæ potuerint illi displicere, suspicor esse insolita illa & stupenda prodigia, commemoratum terræ motum, ex quo Jovis templum omnino subversum sit, quod Cajetanus ipse ad aniles fabulas ablegat, hisque similia, quibus immorari non lubet, præsertim cùm ex dictis & dicendis facilè colligi possint. Observo tamen, Adonianam synopsim in non paucis dissentire ab Actis tum manuscriptis, tum typo editis: hæc enim planè omnia* Luciam *ac* Geminianum *angelorum ope in Siciliam Româ delatos scribunt, Ado verò de transvectione ea ne verbum quidem: Acta hæc referunt* Luciam *post cruciatus multos placidè emisisse spiritum;* Geminianum *autem gladio fuisse obtruncatum; Ado diserte utrumque ferro necatum scribit &c. Cùm autem existimandum non sit, Acta ab Adone aut mala fide, aut vitiosè descripta fuisse, consequens est, ut suspicari liceat,* SS. Luciæ & Geminiani *Acta Adonis tempore non adeo, ac nunc sunt, fuisse interpolata.*

B

§ II. Tempus & palæstra martyrii.

Tempus martyrii incertum.

EMinentissimus *Baronius aliique* SS. Luciam & Geminianum *inter eos recensent, quorum certus, quo coronati martyrio sunt, annus minimè habetur expressus. Et certè agonis illorum tempus determinare difficile est, cùm tot fabellis Actorum auctoritas planè convulsa sit: lubet tamen hîc expendere, an solido fundamento statui possit glorioſum Sanctorum nostrorum certamen ante annum Christi* 303. *Convenit nunc omnino inter eruditos, immanissimam Diocletiani persecutionem non ante annum imperii ejus* 19 *cœptam esse, agente consulatum octavum Diocletiano, Maximiano autem Herculio septimum, & per consequens crudelissimæ carnificinæ initia certò referenda sunt ad annum Christi* 303, *in quem incidit memoratus senis utriusque consulatus. Cùm ergò* SS. Lucia & Geminianus *in sacris Fastis signentur sub Diocletiano, aut saltem sæviente ejus persecutione cæsi, hæc autem in Christianos non exarserit ante annum* 303, *verisimilius est, ante illum has pro Christo victimas non occubuisse.*

C

Opinio Cajetani,

14 *Octavius Cajetanus suprà laudatus animadversione* 2 *in Certamen* SS. Luciæ & Geminiani, *juxta codicum quorumdam scriptionem putat illorum martyrium contigisse anno* 13 *imperii Diocletiani, censetque consulatum Diocletiani octavum & septimum Herculii, utpote minimè conjungendum cum* 13 *imperii anno, perperam à scriptoribus additos fuisse Martyrum illorum Actis, aitque mirum non esse, falsos in his Actis signari consules, cùm nonnulla alia in iisdem sint depravata. Ut annum hunc Sanctorum martyrio tribuat, induci etiam se asserit ex eo, quòd* Lucia *vidua &* Geminianus *exstincti sint sub Megasio Siciliæ consulari; anno autem* 20 *imperii Diocletiani non Megasius, sed Paschasius, qui Luciam Syracusanam affecit martyrio, Siciliæ consularis erat:* Verosimilius igitur est, *inquit,* SS. Luciam & Geminianum anno 13 imperii Diocletiani & Maximiani, certamen Romæ cœpisse, quod dein duos aut tres circitèr post annos in Sicilia explevêre: *verùm de his infrà latiùs.*

AUCTORE U. S.

Sanctos nostros anno Diocletiani 13

15 *Objectionem autem, quæ contra hanc suam sententiam fieri posset, ita prævenire ibidem studet laudatus scriptor:* Nec te moveat, quòd Acta meminêre edicti à Diocletiano editi anno imperii XIX, mox enim dicam, quodnam edictum istud fuerit: *& animadversione* 5 *sic loquitur:* Ne accipias immanissimum illud edictum, quod Diocletianus & Maximianus, . . . promulgârunt extremo imperio: sed edictum primum intelligas, quod à Diocletiano anno tertio imperii Romæ editum est adversùs Christianos, qui Romæ agerent: nam hoc ipsum edictum Acta significant, cùm tradant, ad sævitiam persecutionis ostendendam, nullam urbem, nullum vicum fuisse, in quibus simulacra non statuerentur, quo videntur allusisse ad Diocletiani jussa initiis imperii data, ut nemini vendere nec emere liceret, nec quidpiam commercii exercere, nisi priùs simulacro thus incendisset, ut constat ex Areta episcopo & Beda. *Sic difficultatem omnem amoliri conatus est, decreto illo sub initia imperii Diocletiani fixo, quod etiam faciunt Acta S. Sebastiani, quæ habes in Opere nostro ad diem* XX *Januarii.*

E

passos existimantis

16 *At longè mihi videtur verisimilius, edictum illud, quo ubique palàm expositis dæmonum simulacris incensum adolere omnes jubebantur, referri debere ad annum, quo persecutionem cœptam diximus: ante hanc enim alia, ex ipsius Diocletiani edictis profecta, admittenda non est. Ut ita censeam, facit auctoritas Eusebii, qui lib.* 8 *Histor ecclesiast., cap.* 4 *felicem Ecclesiæ statum primis octodecim regnantis Diocletiani annis describens, dæmonem tum alto quasi oppressum sopore, & fideles Christi summa in veneratione omnibus fuisse testatur. Civiles quoque tumultus & bella penè continua ab exteris nationibus Diocletiano & Maximiano illata ipsorum curas omnes & studia tum exegerunt adeò, ut minimè videantur cogitâsse de Christianæ religionis tam acerba vexatione, quam demum turbis bellicis soluti, & victoriarum suarum multitudine inflati, dirum in modum concitârunt. Huic sententiæ meæ adstipulatur quoque Lactantii pulcherrima oppositio, inter imperium Diocletiani pacem cum Christianis servantis, & ejusdem eos persequentis: sic autem habet lib. de Mort. persecut, cap.* 9: Diocles . . . tamdiu . . . summa felicitate regnavit, quamdiu manus suas Christianorum sanguine non inquinaret: *&* cap. 17: Hoc igitur scelere (*persecutionis*) perpetrato, Diocletianus, cùm jam felicitas ab eo recessisset *&c.*

F

impugnatur,

17 *Juverit huc etiam transferre verba Eusebii lib.* 8 *Histor. ecclesiast., cap.* 13. Igitur antequam bellum nobis indictum est; quamdiu imperatores placido ac benevolo erga nos animo fuerunt, quantâ copiâ omnium bonorum, quantaque felicitate abundaverit imperium Romanum, quis explicare sufficiet? *Et paucis interjectis:* Ita cùm eorum principatus absque ullo augeretur obstaculo, novisque indies incrementis floreret; repentè mutato consilio, pacem, quam nobiscum servabant, solventes, bellum nobis inexpiabile intulerunt. Necdum alter annus hujus bellici motûs effluxerat, cùm ecce novus & inopinatus casus rem Romanam pænè subvertit. *Irrefragabilis ista utriusque scriptoris hujus auctoritas, & instituta comparatio inter felicitatem imperatorum Christianis faventium, & infelicitatem eorumdem*

AUCTORE U. S.

Christianos persequentium, non videtur sanè conciliari satis posse cum tam atroce Diocletiani edicto, quod anno tertio imperii latum ad decimum tertium & ultrà viguisse contendit Cajetanus.

solutisque argumentis,

18 *Sed & Cajetani assertum minùs sit probabile ex eo, quòd Acta, in hoc puncto minimè ab ipso correcta,* SS. Luciæ & Geminiani *certamini Diocletianum Romæ præsentem statuant; ubi tamen nullo satis solido fundamento niti videtur Diocletiani anno 13 imperii in Urbe præsentia; imò efficaciter ostendi potest, eum Româ tunc abfuisse. Multa sanè sunt, quæ persuadent, dicto anno in Oriente versatum fuisse Diocletianum, & Alexandriam subegisse mense octavo à cœpta obsidione, cædibusque ac proscriptionibus totam repleviſſe Ægyptum, interfecto seditionis auctore Achilleo, quo duce sex antè annis à Romana potestate defecerat Alexandria cum omni Ægypto. Hæc fusiùs deducta probataque curiosus lector reperiet in Critica Pagii ad annum Christi 296. Consuli etiam potest Tillemontius in Histor. imperat. tom. 4, art. 14, 15 & 16, ubi multa leguntur, quæ Diocletianum annis 12, 13 & 14 imperii*

B

sui Româ abfuisse, testatum faciunt. Unde appareret, Acta ex hac etiam parte nullius esse auctoritatis, & erroris convinci codices illos, qui Sanctorum nostrorum martyrium illigant anno 13 imperii Diocletiani, simulque, sed omnino contra historiæ veritatem, notant consulatum ejus octavum.

quæ pro Cajetani sententia afferri possunt,

19 *Edicti, quod initio imperii Diocletiani latum vult Cajetanus, meminerunt quidem Acta S. Sebastiani, quæ à Baronio Hesselioque laudata lucubrationibus suis inseruit Bollandus; verùm ea ut planè authentica non adoptavit; &, ne ut talia admittantur, facit præter alia id, quod subdo. Tom. 2 Januarii, pag. 275 num. 64 ita in Actis legitur:* Imperantibus Carino, Diocletiano & Maximiano. Sed Diocletianus in Urbe erat cum Maximiano: Carinus autem erat cum omni exercitu in partibus Galliarum positus. *Quis credat, Diocletianum Romæ fuisse, quamdiu Carinus in Occidente rerum summâ potiretur? Indubitatum quippe nunc est, Diocletianum Chalcedone, & non ante* XVII *Septembris anni 284 fuisse ad purpuram assumptum post Numeriani cædem. Carinus, Juliano, qui in Occidente imperatoris nomen ceperat, perempto, in Illyricum movit*

C

adversùs Diocletianum, & post varia prælia victor suorum ictibus occubuit anno 285, ut ex Idatii Fastis monumentisque aliis eruditè demonstrat Pagius ad dictos annos. Superstite igitur Carino, Romæ non fuit Diocletianus, quod cùm adstruant Acta S. Sebastiani, vacillat illorum auctoritas, videturque cum Tillemontio in Persecutione Diocletiani, art. 3 dici posse, ab Auctorum illorum collectore Diocletianei imperii initiis tributum fuisse, quod ad ejus finem referendum erat.

ut improbabilis rejicitur.

20 *At, inquies, dubitari non potest, quin ante annum 19 imperii Diocletiani tum Romæ, tum alibi martyres aliquot Christi fidem suo sanguine consignârint. Hoc negandum non puto; sed non videtur propterea admittenda immanis illa Christianorum vexatio, quam ab anno tertio Diocletiani ad decimum tertium Cajetanus statuit. Si enim primis ab adito imperio annis, jubente Diocletiano, sagittis confossus S. Sebastianus, si aliquot alii occisi, potuit ille vel captandæ Romanorum benevolentiæ ergô, vel particularibus aliis de causis in Christianos quosdam animadvertisse: dicendum tamen est, eum postea, perspecta Christianorum fidelitate & erga se meritis, odium in amorem commutâsse, præsertim cùm constet, nonnullos Christianos ab eo, minimè cogente idolis sacrificare, provinciis præfectos fuisse. Si alios ante cœptam anno 303 persecutionem oportet agnoscere, eos sublatos dicam privata superstitione ac crudelitate præfectorum, antiqua imperatorum edicta, licèt à Diocletiano non innovata, in Christianorum perniciem suscitantium: sique eo pacto quis contenderit, ante annum 303 martyrio coronari potuisse* SS. Luciam & Geminianum, *non refragabor. Verùm de his plus quàm satis.*

D

Potuerunt pati 16 Septembris anno 303.

21 *Ut de anno, ita & de die, quo passi sint sancti hi Martyres, certi nil statui potest; quod autem dies hic, ut eorum natali sacer, à plerisque martyrologis signetur, vel ex eorum arbitrio, vel ex Actis ortum habet, quorum, ut suprà dixi, fides nulla. Tillemontius in Persecutione Diocletiani, art. 15 ait:* Certum est, Diocletianum, cui S. Lucia fertur præsentata, non fuisse Romæ mense Septembri; *at nullam addit voculam, quâ stabiliat hanc suam certitudinem, nec indicat eam unde hauserit. Quoniam ergò mentem critici hujus hîc non nisi conjectando assequi possum, existimo, certam ei visam fuisse Diocletiani dicto mense ab Urbe absentiam, quia diem* XVII *Septembris imperii Diocletiani natalem indubitanter agnoscit, eoque ipso die, si Romæ fuisset, imperii vicennalia fuissent celebrata: verùm quantum hæc opinio de die natali imperii Diocletiani ab evidenti certitudine absit, videre lector poterit, si Stephani Baluzii notas in cap. 17 libri de Mort. persecutorum voluerit expendere, ubi argumenta Pagii, pro die* XVII *Septembris digladiantis, soluta sunt. Obiter hîc observo, Baluzii ratiociniis Tillemontii opinionem efficaciùs convelli ex eo, quòd ad figendum imperii Diocletiani natalem diem* XVII *Septembris initatur maximè legum quarumdam subscriptione, & auctoritate Chronici Alexandrini: verùm non semel agnoscit ipse Tillemontius, ex legum subscriptionibus non admodùm validum deduci argumentum, & non numquam errorem in iis deprehendit: Chronici quoque Alexandrini, aliorumque deposita à Diocletiano purpuræ assignantium annum Christi 304, auctoritatem deserit, ut meliori, sic ipse eam vocat, Lactantii adhæreat. Vide, si lubet, tom. 4 Histor. imperat., Notis super Diocletiano 9, 17, 18 & 19.*

E

F

Sanctos nostros in Sicilia obiisse,

22 *Atque hæc de tempore martyrii, nunc de palæstra, quam gloriosi Pugiles nostri suo sanguine purpurârunt, hîc agendum. Sed ad hanc controversiam priusquam accedo, ex Actis aliqua, in quibus lis tota sita est, æqui lectoris examini subjicio. Post narratam* Geminiani *jam simul cum* Lucia *ad Diocletiani tribunal constantem fidei professionem, toleratumque ab iis fustuarium, subditur domûs, in qua impium exercebatur judicium, subversio; ipso judice, multisque gentilium oppressis, exanimes* Lucia *ac* Geminianus *dimissi divina virtute in Siciliam deportati dicuntur: de uno dein in alium locum transeuntes, impervias fluminis undas hibernis auctas imbribus, Dei implorata ope, pedibus calcant, non secùs ac stratos lapides. Ad oppidum Mendense progressi, dæmonia regionem infestantia expellunt, solitisque perpetratis prodigiis, plures Christo lucrifaciunt. Ab Apophrasio judice deos suos ulturo, dum victimæ septuaginta quinque pro Christi nomine impio ferro cervices præbuêre, plenam odoramentorum phialam super occisorum corpora effun-*

A *effundunt angeli: at, divina nemesi judicem subsequente, ab equo à dæmonio arrepto excussi corpus inventum nusquam est. Megasii judicis alterius rabiem formidantes* SS. Lucia & Geminianus *repentino montis hiatu occuluntur, & in siti sua fonte è saxo mirabiliter profluente reficiuntur, ac demum, cùm illa placidè, hic ferro vitam finiissent, piæ mulieri, tumulandis sanctis corporibus operam danti, adjumento fuerunt angeli struendis illorum sepulchris marmora deferentes.*

multis argumentis

23 *Quæ commemoravi, extracta sunt ex editis à Cajetano Actis inter Vitas Sanctorum Siculorum tom.* 1. *Vidimus num.* 6 *aliqua, quæ Cajetanus meritò expunxit ex Actis, velut fabulam redolentia. Ego, ut de iis, quæ num. præcedente retuli, præcipitanter nihil statuam, imprimis cum Ruinartio in Annotatione ad Acta martyrum sincera editionis Parisinæ anno* 1689, *pag.* 344 *lubens profiteor*, Rejicienda non esse martyrum Acta eo nomine, quòd quandoque in eis... insolita miracula à fidelibus interserta sint; *quin imò contendo, summa cum veneratione suscipienda esse ingentia prodigia, & tamquam divinæ omnipotentiæ testimonia habenda, si vel ab*

B *iis narrentur, quorum non sit suspectum suffragium, vel aliunde non dubiè comprobentur; at si ea non nisi ab exigui nominis auctoribus referantur, vel dubitari jure possit, an non sint ab ingeniis poëticis adornata, ea prudenti cuilibet ad exactæ trutinæ leges expendenda judico. Fontes ergò, ex quibus hausta sunt, rerumque momenta, quibus nituntur hîc controversa, perscrutemur.*

contendit Cajetanus,

24 *Cajetanus contendens*, SS. Luciam & Geminianum *certamen, quod Romæ cœperant, in Sicilia consummâsse, ait Galesinium, scribentem, Romanam humum illorum morte nobilitatam, deceptum fuisse, minimè perspectis manuscriptis codicibus, librisque editis, contra Galesinium decernentibus: illos enim, ait animadversione* 24, ex urbe Roma in insulam Siciliam divina ope delatos,... docent membranæ manuscriptæ.... Præterea scriptores indigenæ rerum nostrarum periti & in iis fide digni; ad hoc externi, Petrus episcopus Equilinus, Vincentius Beluacensis, D. Antoninus. *Præmiserat autem animadversione* 13: Plures sanctos Martyres angelorum ministerio in alias terras deportatos fuisse. Exempla in

C eorum Actis lege. *Ego nec limites positos volo omnipotentiæ divinæ, nec fieri id potuisse inficior; at factam fuisse prodigiosam hanc translationem, eamque subsecuta fuisse insolita miracula, Cajetano solidis miniméque falsi suspectis monumentis erat ostendendum. Singula ejus argumenta inspiciamus.*

aliique scriptores; sed

25 *Translationem hanc, inquit, adstruunt codices tum Romani, tum Siculi. Esto; at quoniam, ut vidimus, Cajetanus vitiata fabellis plurimis Sanctorum nostrorum Acta agnovit, eaque vel idcircò castiganda judicavit, illius intererat, certioribus testimoniis evincere, in reliquis, quæ non correxit, genuinam esse Actorum sinceritatem, scriptoremque, qui quoad bene multa imposuit, in aliis fidelem, miniméque fabulatorem fuisse: ego enim existimo non esse à fabulæ suspicione immune id omne, quod ex historia nugis commentisque farta accipitur, & aliunde non probatur. Scriptores indigenas pro hac translatione stare asserit: nullum cùm nominet, momenta rationum, quibus sententiam suam stabilire conantur, expendere non potui: si non nisi Acta edidêre, fas mihi arbitror asserere, non esse eos majoris, quàm sint Acta ipsa auctoritatis: quid quòd fortè in scriptores Siculos cadat, quod de externis à Cajetano memoratis Natalis Alexander tom.* 3 *Histor. ecclesiast., Parisiis recusæ anno* 1714, *ad seculum* 1 *dissert.* 17 *pag.* 185 *dixit:* Addo Vincentii Bellovacensis & S. Antonini in rebus historicis auctoritatem levioris esse ponderis. Qua de re viri eruditissimi Melchioris Cani Canariensis episcopi censuram subjicere placet; lib. 2 de Locis theologicis, ubi agit de humanæ historiæ auctoritate, cap. VI regula 2: "De Vincentio „ Bellovacensi, inquit, & D. Antonino, libe- „ riùs judico; quorum uterque non tam dedit „ operam, ut res veras certasque describeret, „ quàm ne nihil omnino præteriret, quod scri- „ ptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita „ ad historiam unamquamque existimandam, mo- „ mentoque suo ponderandam, non artificum „ statera, sed ne populari quidem trutinâ usi „ sunt. Quam ob rem boni licèt ac minimè fal- „ laces viri, qui tamen nec auctores eos, à qui- „ bus suos exscripsêre libros, diligenter exami- „ nârunt, nec res justis libratas ponderibus me- „ moriæ prodiderunt, apud criticos graves at- E „ que severos auctoritate carent„.

AUCTORE U. S.

expensis eorum momentis rationum,

26 *Hæc Melchioris Cani censura etiam Petrum de Natalibus meritò ferit, eóque magis pro mea opinione facit, quòd tam hic, quàm laudati duo scriptores editis à se* SS. Luciæ *ac* Geminiani *Actis inseruerint non pauca, quæ Cajetanus resecuit, ut à nemine probanda, nugasque appellitavit: quibus hîc recensendis cùm necesse non sit immorari, illorum scripta curiosus lector adeat. Ad id, quod Cajetanus addidit de pluribus Sanctis in regiones alias angelorum ministerio translatis, respondeo, si major non sit Actorum fides, nec securiora pro illorum historiæ veritate fundamenta, translationes hasce non minùs falsi suspectas habendas esse, quàm eam, qua de agimus. Reliqua Cajetani argumenta petuntur ex veteri ecclesiarum Siciliæ traditione, cultuque* SS. Luciæ & Geminiani *apud Netinos; insuper ex monumentis, quæ illorum in ea loca adventum saxis insculptum referunt; ex fonte, qui ad restinguendam illorum sitim mirabiliter fluxit, miraculis inclyto, populique ad speluncam eorum latebræ divinitus patefactam concursu: ac denique ex eo, quòd* Luciam *nostram majores vocârint* Montanam, *ut eam à cognomine* Lucia *Syracusana distinguerent.*

palæstra martyrii

27 *Argumenta hæc, aliaque, quæ pro vindicandis Siciliæ* SS. Lucia & Geminiano *fieri possunt, suum haberent robur, iisque lubens victas manus darem, si probaretur traditionis hujus per Siciliam receptissimæ origo solida: at cùm perspectissimum sit orbi erudito, sæpe factum aliquod memorabile in patriæ suæ commendationem ab otioso ingenio confictum, ac dein à piè credulis avidè id, quo gaudent, amplectentibus pro vero adoptatum diuque retentum fuisse; cùm insuper Cajetanus ipse fateri cogatur, contra historicam fidem ac dignitatem variis Sanctorum Siculorum Actis, ac nominatim iis, de quibus hîc, errores non paucos intrusos fuisse à viris piis (absit enim durius quid suspicari) simplicibusque, qui religionis, Sanctorumque cultum, & fidelium in Cælites venerationem vel sic augere fas sibi putabant, non possum traditioni huic assentiri hactenus. Quid enim, nonne ad aniles fabulas relegat Cajetanus prodigium, quod Acta referunt, de carnifice in lapidem converso, unâ tantùm manu carneâ remanente? Scribit tamen in Hemerologio suo sa-*

F

AUCTORE U. S.

ero hîc Piazza, locum Romæ nunc appellatum Macellum corvorum, *olim dictum fuisse*, ad S. Marcum ad manum carneam, *citatque antiquum Cæremoniale; Piazzæ consonat Floravantes Martinellus in Roma sua sacra pag.* 43: *prior tamen originem appellationis hujus repetit ab eo, quòd lictor* Luciam *obtruncaturus, alter quòd eam fuste cæsurus, in lapidem conversus fuerit. Nihil igitur ex traditionibus popularibus præsidii haberi potest.*

cum martyrologis probabilius

28 *Sed nec exstantia, ad quæ Cajetanus provocat, monumenta, non specus, non fons etiam nunc superstes aliquid evincunt: quidquid enim desuper haberi potest, non nisi ex eadem vitiata scaturigine profluere videtur: potuit certè pia populorum simplicitas Actis depravatis nixa inscriptiones has fabricare, potuit fontem, ut miraculosè ortum revereri, & tutelares apud Deum eligere Sanctos nostros, ob quorum merita fidelibus beneficia à Cajetano commemorata elargitus est hactenus, ac porrò perget elargiri Deus, qui fidelium, quocumque loco existentium, opem Sanctorum, quocumque loco passorum, implorantium fiduciam remunerari solet. Utinam simplicia sinceraque sanctorum horum Martyrum Acta erueret aliquis, ut falsa à veris distinguendo, odiosæ controversiæ finis imponatur. Quod dum dolemus usque nunc factum non esse, sua maneat antiquis Martyrologiis*, Luciam *ac* Geminianum *Romæ* B *signantibus, auctoritas, non facilè, etiam quoad locum & mortis obitæ annum aliaque similia, deserenda, dum certis rationum momentis non constat, in sacros hosce Fastos errorem circa hæc irrepsisse.*

Romæ

29 *Huic Martyrologiorum auctoritati opponunt, tum Cajetanus loco sæpè laudato, tum Thomas de Angelo in Annalibus historico-criticis ecclesiæ Siculæ pag.* 89, *illos Romæ annuntiari, non quòd ibidem decesserint, sed, inquit Cajetanus, quia ibidem cœperunt pati; verùm ad id abundè responsum jam est. Thomas autem de Angelo sic loquitur:* Galesinius Romæ passos consignat, eo ductus, quòd in Martyrologio Notkeri solemnis in Urbe ipsorum dies habeatur. Oporteret sanè, si argumentum hujusmodi efficax esset, quòd Martha & Magdalena Hierosolymis obierint, earum enim memoria ex Fastis ecclesiasticis & Martyrologiis ibi solemni ritu celebrata constituitur, ut eruditè expendit Natalis Alexander. (*Seculo* 1 *scilicet, dissert.* 17 *editionis supra citatæ, pag.* 186) Quos terræ protulit, non quos cælo, Urbs solemniter colit. *Ita ille: sed antequam argumenti ejus vim expendo, Galesinium malè relatum restituo: sic autem habet Notatione ad* XVI *Septembris:* Sunt, qui in Sicilia eos martyrium obiisse scribant, sed perspicuè falluntur, cùm Romæ id pertulisse, dilucidè ostendant Ecclesiæ Romanæ monumenta, & Aquileienses tabulæ, & S. Antoninus, & Mombritius, & antiqui Martyrologii scriptores. *Hoccine est solius Notkeri auctoritate duci? An autem rectè pro se alleget Galesinius S. Antoninum, nihil hîc attinet disputare.* D

adjudicatur, Sanctis LXXV *martyribus, de quibus Acta,*

30 *Nunc ad argumentum Thomæ de Angelo, Natalis Alexandri auctoritate firmatum, respondeo, verum omnino esse, ex eo, quòd Sanctus aliquis in urbe quadam colatur, minimè sequi, ut ea in urbe obierit: at rectè concludi autumo in hunc modum; quotiescumque Sanctus aliquis à martyrologis loco cuidam determinato adscribitur, nec aliunde constat de scriptionis errore, locus hic ab eruditis habetur Sancti illius mortualis: sed à Martyrologio Romano aliisque consignatur Romæ martyrium* SS. Luciæ & Geminiani, *nec aliunde authentico instrumento ullo ostendi potest, in Martyrologia errorem irrepsisse; restat ergò, ut Romanum solum, & non aliam orbis plagam illorum sanguine purpuratam fuisse credamus. Præluxit huic responsioni meæ laudatus Natalis in eadem dissert.* 17, *pag.* 180, *ubi objectum sibi de Magdalenæ in Provinciam appulsu veterum martyrologorum silentium diluens, ejusque causas reddens, sic demum concludit:* Verùm Ecclesia Romana hunc scrupulum excutiens, addit veteribus E Martyrologiis, (*loci*) in quo, ex hac vita migravêrunt designationem his verbis: "Apud Massi- „liam, natalis S. Mariæ Magdalenæ &c. Thara- „sii in Gallia Narbonnensi S. Marthæ &c. Mas- „siliæ in Gallia Lazari &c„.

hîc meritò prætermissis.

31 *Vidimus num.* 22 *paulò post medium, in editis à Cajetano Actis recitari* LXXV *cùm viros tum mulieres à* SS. Lucia & Geminiano *ad Christum adductos, &, Apophrasio sæviente, obtruncatos. De his in Prætermissis ad diem* XIII *Septembris in Opere nostro sic legitur:* Martyres LXXV apud Octavium Cajetanum & Ferrarium annuntiantur Mendis in Sicilia. At cùm hi innotescant ex Actis parum accuratis SS. Luciæ & Geminiani, simul de omnibus agendum est die, quo Lucia & Geminianus sunt in Martyrologio Romano, XVI Septembris. *De hisce in compendio Actorum apud Adonem leguntur sequentia:* Sub quo (*Apofrasio*) & septuaginta quinque martyrium implevere, qui, vilis miraculis, quæ circa Sanctos suos Dominus operabatur, crediderant. *Verumtamen laudatus Ado illos nec cum* SS. Lucia & Geminiano, *nec alio loco illos annuntiat ut Martyres alicubi cultos. Quapropter, considerata exigua horum Actorum fide, expensoque omnium vetustorum martyrologorum de martyribus illis septuaginta & quinque silentio, quo saltem dubitare cogimur, an alicubi cultum obtineant, de iis in titulo silendum censuimus. Cùm enim* LXXV *istorum martyrum notitia tantùm profluxerit ex Actis* SS. Luciæ & Geminiani *multiplici nævo infectis, cùm nullus antiquior martyrologus illorum meminerit, non ausim iis hîc locum dare, donec vel de Ecclesiæ sensu, vel de legitimo ipsorum cultu ex monumentis minimè suspectis constiterit.* C F

DE

A D

DE SS. ABUNDIO PRESBYTERO, ABUNDANTIO DIACONO, MARCIANO ET JOANNE

MARTYRIBUS ROMÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. U. S.

§ I. Sanctorum in Martyrologiis memoria: Acta à variis edita & edenda.

B E

Sub Diocletiano. *Memoria Sanctorum*

Sæviente in Christianos Diocletiano, glorioso martyrio coronati Romæ perhibentur SS. Abundius *presbyter*, Abundantius *diaconus*, Marcianus *ejusque filius* Joannes. *Baronius in Annalibus* Martianum *scribit; in antiquis codicibus & monumentis sæpe legitur* Habundius *&* Habundantius, *talisque reperta est inscriptio, dum sacræ eorum exuviæ cum loculis suis inventæ sunt anno* 1582 *in ecclesia SS. Cosmæ & Damiani: ego secutus sum exemplar Martyrologii Romani, quod Sanctos nostros ad præsentem diem his verbis annuntiat:* Romæ viâ Flaminiâ sanctorum martyrum Abundii presbyteri & Abundantii diaconi, quos Diocletianus imperator unà cum Marciano viro illustri & Joanne ejus filio, quem illi à mortuis suscitaverant, decimo ab Urbe lapide gladio feriri jussit.

in Martyrologiis C

2 *Licèt* Abundios *plures, plures* Abundantios *ac* Marcianos *martyrologi recenseant, ut in Notis ad Historiam suam, infrà laudandam, observat Fulvius Cardulus litteris c & v; sanctos tamen quatuor hosce Martyres in nullo alio legi Martyrologio, quàm Romano. Grevenus in Auctariis Usuardi apud Sollerium ad diem* XXVIII *Augusti ita habet:* Abundii & Abundantii martyrum: *omnino autem existimo memoratos à Greveno non esse distinguendos ab* Abundio *&* Abundantio *nostris; nam in Bodecensi codice, de quo infrà, sic legitur:* Incipit Passio SS. Abundii presbyteri & Abundantii diaconi, quæ est quinto Calendas Septemb., *quo fortasse codice aut alio simili usus est Grevenus: quòd autem solos memoret* Abundium & Abundantium, *ex eo oriri potuit, quòd hi soli in titulo signentur, prætermissis* Marciano *ac* Joanne.

& apud Baronium in Annalibus,

3 *De Sanctis nostris tom.* 1 *Annal. Ecclesiast. ad annum Christi* 303 *sic loquitur Eminentissimus Baronius:* His igitur imperatoribus (*Diocletiano & Maximiano*) coronati martyrio habentur viâ Flaminiâ Abundius presbyter & Abundantius diaconus, quos Diocletianus (ut habent tabulæ ecclesiasticæ) unà cum Martiano viro illustri & Joanne ejus filio, quem illi à mortuis suscitaverant, decimo ab urbe lapide feriri jussit. Extant ipsorum Acta ex antiquis memoriis restituta atque etiam notis egregiè illustrata à collegio Societatis Jesu, eademque aucta eorumdem translatione: veneranda enim corpora SS. Abundii & Abundantii translata sunt in basilicam Farnesianam ejusdem Societatis Jesu Romæ primariam. Habetur quoque in iisdem Actis mentio aliorum viginti trium martyrum, qui duci jussi extra Urbem viâ Salariâ veteri, ibi truncati capite sunt: quorum corpora collecta à Joanne presbytero, ... & à pia & nobili femina Theodora, ... sepulta sunt in cœmeterio eâdem viâ posito ad clivum Cucumeris.

alioque scriptores Pau ca

4 *Horum elogium ex memoratis à Baronio Actis texuit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, pag.* 594. *Sanctorum nostrorum etiam meminerunt Ughellus Italiæ sacræ tom.* 1, *in civitatis Castellanæ episcopis, Bartholomæus Piazza parte* 2 *Hemerologii sacri, aliique, de quibus infrà redibit sermo: paucula interim hîc obiter observanda sunt. Sanctorum viginti trium anonymorum martyrum memoriam ad diem* V *Augusti Operi nostro inseruit Sollerius ex laudatis à Baronio Actis, quæ suo tempore discutienda ibidem pollicitus est. Hos viginti tres martyres milites nominat Aringhus Romæ subterraneæ lib.* 4, *cap.* 25, *num.* 53; *sed hoc ipsorum vitæ institutum nec in Romano Martyrologio, nec in Actis Carduli, quæ duo tantùm allegat Aringhus, agens de Sanctis illis, nec in Actis ullis aut manuscriptis aut impressis, quæ ad nos pervenerunt, reperi.* F

hîc observanda.

5 *Joannes ille, qui dictos viginti tres martyres eosque, de quibus nunc agimus, honorificæ sepulturæ mandavit, idem forsitan est cum eo, de quo ad diem* XVIII *Augusti in Martyrologio Romano legitur:* Romæ beatorum Joannis & Crispi presbyterorum, qui in persecutione Diocletiani multa Sanctorum corpora officiosissimè sepelierunt, quorum meritis & ipsi postmodùm sociati gaudia vitæ æternæ meruerunt. *Certè, licèt cognomines alii pari in sanctos Martyres religione claruerint, nullus tamen in Martyrologio Romano eo titulo & sub eodem tyranno insignitur:*

AUCTORE U. S.

de isto autem Joanne simul cum Crispo actum est ad prælaudatum diem XVIII *Augusti. De Theodora verò matrona, quam in eadem persecutione legimus sedulò martyribus ministrâsse, quid sit statuendum, videbitur ad diem sequentem, quo Romano Martyrologio inscripta est. Nunc Sanctorum nostrorum Acta consideremus.*

Acta ex vetustis codicibus manuscriptis

6 *Prælo data antiquiora non vidi quàm ea, quæ nomine collegii Societatis Jesu Romani Fulvius Cardulus ejusdem Societatis sacerdos Romæ edidit typis Francisci Zanetti anno* 1584 *: addita sunt imagines Sanctorum confessionem, cruciatus, mortem ac postremam translationem ad basilicam Farnesianam repræsentantes. De Actis his ad Sanctissimum Dominum Gregorium XIII Pontificem Maximum ita proloquitur laudatus editor:* Quapropter ex tribus vetustissimis codicibus manuscriptis, quorum unus in oppido Ariniano (ubi Martyrum corpora à beata Theodora sepulta, per annos circitèr DCC jacuerunt) penes nobilissimum virum Lucium Sabellum, ejus oppidi dominum, asservatur, alter Romæ in tabulario venerandæ basilicæ S. Mariæ Majoris

B

exstat, tertius, qui cum Arianensi exemplari pœnè ad verbum consentit, in monialium perantiquo retinetur cœnobio & ecclesia, quam in Etruria prope urbem Senas Pipinus Caroli Magni imperatoris filius, Italiæ rex à Leone III Pontifice Maximo appellatus atque inunctus, his sanctis Martyribus ædificavit.

edita à Fulvio Cardulo,

7 Ex iis, inquam, veteribus scriptis (quæ, cùm priscam illam simplicitatem pietatemque redoleant, à notariis S. R. E. manâsse creduntur) brevem totius martyrii narrationem collegimus, unà cum prima translatione, ab Ottone III augusto facta anno Domini circitèr MI, cùm ex Ariniano Romam sacra corpora sunt importata & in templo S. Adelberti episcopi & martyris, ab eodem imperatore inter duos pontes exstructo, quod postea S. Bartholomæi nomine appellatum est, collocata. De altera translatione, quâ in ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani fuerunt illata, quamvis omnia investigaverimus perscrutatique simus, tamen ut nihil compertum habemus, ita suspicari aliquid seu conjectare possumus, quod in nostris ad Historiam Notis explicabimus. Hanc tertiam, Tuo jussu factam, adjecimus, ut maximi beneficii perpetua exstet memoria. *Hactenus Fulvius Cardulus, cujus judicium de simplicitate & sinceritate codicum manuscriptorum, quibus usus est, mox expendemus.*

C

& à Juditta Luti, cum præmissa

8 *Præter Acta à Cardulo vulgata, habemus sanctorum martyrum* Abundii & Abundantii *Vitam Italico sermone conscriptam editamque Senis apud Silvestrum Marchetti anno* 1616, *quam ex antiquissimis pariter manuscriptis collegit, & serenissimæ Franciæ ac Navarræ reginæ Mariæ Medicææ inscripsit venerabilis soror Juditta Luti, cœnobii, Santabunda dicti, extra urbem Senensem monialis. Vita hæc quoad totam martyrii rerumque eo tempore gestarum relationem cum Carduli Actis penè ad verbum consentit: unde, quod de illis jam jam dicemus, idem de hac Juditæ Vita hîc statuendum. Auctior tamen est, præmissâ brevi historiâ conversionis* SS. Abundii & Abundantii *ad fidem, quam innectit anno Christi* 286, *& in qua tradit, Sanctos hosce cives Romanos fuisse, nobilissimis ortos natalibus & fratres secundùm carnem, eosque ex idolorum cultoribus Christi milites factos, ac dein à Ciriaco Papa sacris undis ablutos, &* Abundium *quidem presbyterum,* Abundantium *verò diaconum ab eodem Ciriaco creatos fuisse scribit.*

D

in his ultimis conversionis historia,

9 *Historiam hanc haud dubiè Juditta hausit ex Seuensi exemplari,* in quo, *ut in suis ad Historiam Notis litterâ c docet Cardulus,* horum Sanctorum non modò martyrium, sed horariæ etiam preces atque adeò propria Missa continetur; *illam tamen ipse, quam ob causam nescio, suis Actis non inseruit, licèt, si fide dignam haberet, videri ipsi debuisset accuratiorem ipsorum notitiam posteris relicturam. Ego ut securè affirmare nequeo, ita nec omnino negare intendo,* SS. Abundium & Abundantium *germanos fratres, Romanâ, eâque illustri, ortos prosapiâ, & à profana superstitione ad Christi sacra adductos fuisse: attamen quo minùs relationi huic toti assentiar, faciunt pauca, quæ subdo. Quis Ciriacus ille, quem* sanctum Pastorem & Papam *Juditta nominat? Si Pontificem Romanum intelligat, nullus eo tempore Romanam divi Petri Cathedram Ciriacus tenuit, ut consulenti Romanorum Pontificum catalogos manifestum fiet.*

quæ minimè accurata est,

E

10 *Deinde dicit Juditta, post acceptum Baptismum & Ordines sacros illos* alquanto tempo, *aliquo, seu, ut à nonnullis vertitur, brevi tempore occultos in abscondito vixisse, multisque sibi aggregatis sociis, fidei incrementum fecisse. Sed qui fit, ut spatium, quod ab anno* 286 *ad* 303 *fluxit, tempus aliquod seu breve dicatur? Non potest autem, si Actis, quæ Juditta sequitur, inhærendum sit, eorum martyrium statui ante annum* 303. *Quomodo qui conversionem illorum collectosque ab illis commilitones memorârunt, non etiam saltem aliqua, quæ ab illis intermedio tot annorum spatio gesta sunt, litteris consignârunt? Hoc quoque in Juditæ Vita singulare occurrit, quòd martyrium Sanctorum nostrorum illigetur anno Christi* 284 *: verùm id non possum non adscribere typothetarum incuriæ; utcumque enim credatur Juditta ædificationi potiùs, quàm historicæ veritati in scribendo studuisse, quis tamen sibi persuadeat, eam usque adeò animo distractam fuisse, ut seriò statueret annum mortis* 284, *ubi illorum conversioni attribuerat annum* 286 *: sed de anno mortis infrà pluribus.*

examinantur, & dubiæ fidei

F

11 *Tillemontius tom.* 5 *Monument. in persecutione Diocletiani, art.* 48 *affirmat, Acta Sanctorum horum Martyrum à se non fuisse visa: sed attento, quod ex iis concinnavit Ferrarius, compendio,* Licet, *inquit,* judicare, nihil in iis probè authenticum aut magni ponderis esse. *Et sanè quamvis Cardulus codices, ex quibus suam collegit Historiam, vetustissimos nominet, quamvis asserat illos priscam simplicitatem pietatemque redolere, non pauca tamen sunt, quæ dubium ingerunt de eorum sinceritate, codicesque, quibus tum Juditta tum Cardulus usi sunt, interpolationis suspectos omnino reddunt: aliqua hîc subnecto. Longiores inprimis* SS. Abundii & Abundantii *cum Diocletiano sermones, prolixiores eorum aliorumque viginti trium martyrum ad Deum precationes, sæpe multiplici sacrarum Scripturarum phrasi ingeniosissimè refertæ, utpote ad exornandam historiam aptissimæ, videntur Actis insertæ fuisse à scriptoribus, industriam suam in eo locantibus, ut Sanctis ea verba tribuerent, quibus eos ad exemplum aliorum Sanctorum pro rerum temporumque adjunctis uti potuisse crediderunt. Scio quidem, non omnem propterea Actis fidem detrahendam esse: at cùm longiores hi sermones precationesque in Actis manuscriptis, quæ habemus,*

non

A *non legantur, luculenter apparet, dubitari saltem posse, sintne revera Sancti sic locuti, ut illos Acta impressa locutos tradunt.*

ac interpolationis suspecta esse ostenditur.

12 *Aliud, quod subdo, majorem etiam interpolationis suspicionem mihi ingerit, & nemo facilè Sanctis adjudicabit. Post commemorata Dei beneficia, post agonem suum illi commendatum, ita Sancti inducuntur loquentes:* Redde verò maligno Diocletiano, sicut operatus est in innocentes servos tuos: afflige verò ejus incredulum cor & obduratum & lapideum ejus spiritum ad correctionem eorum, qui contemnunt tuam magnitudinem. *Hæc, inquam, Viris sanctis minùs congruunt: enim nemo facilè credat eos, jam jam Christo conjungendos, erga tyrannum ita malè animo affectos fuisse, ut divinam illi ultionem imprecarentur. Si ejusmodi facta reperirentur in Actis aliàs omnino probatis & authenticis; diceremus ea magis miranda videri quàm imitanda, qualia in Vitis Sanctorum subinde reperiuntur. At hæc Acta non sunt auctoritatis tantæ, ut necesse sit talia pro veris admittere: non enim solent Sancti inimicis suis malè velle, etiam ad aliorum correctionem aut divinæ omnipotentiæ manifestationem.*

B *Acta Ms. ex codice Bodecensi reliquis simpliciora,*

13 *Quare, omissis Carduli ac Judittæ Actis, alia Sanctorum nostrorum Acta manuscripta infrà dabo, quæ P. Gamansius Societatis nostræ sacerdos ex Bodecensis cœnobii Ord. Regular. S. Aug. diœces. Paderborn. Passionali pergameno Ms. insigni mensis Augusti fol. 262 extracta ad Museum nostrum transmisit anno 1641. Ea cum Actis impressis quoad totius rei gestæ seriem omnino congruunt, ab iis tantùm discrepant in levioribus quibusdam, prout in Annotatis observabo. Acta hæc cùm non habeant longiores hasce locutiones, de quibus num. 11, nec imprecationem illam de qua num. 12, aliis simpliciora, ac vel ideo præferenda mihi videntur: ea tamen lectori non ut indubia & planè authentica offero; nam si ea, de quibus jam memini, excipiamus, iisdem hæc, quibus illa, difficultatibus laborant, quarum unam alteramve paucis hîc attingere, non abs re fuerit.*

non tamen indubitata

14 *Imprimis tam in hisce manuscriptis, quàm in Actis typo vulgatis Diocletianus semper in persona propria Sanctos interrogat, redarguit, cruciatis in equuleo* Abundio & Abundantio *coràm assistit, capitalemque in eos ipsemet fert sententiam, cùm tamen per delegatos ab ipsis tyrannis judices ac præfectos Christiani ut plurimùm interrogati, torti, condemnatique fuerint: unde quod in Observationibus ad Usuardum suum sæpe faciendum dixit Sollerius, hîc quoque fieri debere autumo, ut nempe Diocletiani persecutio in ipsius persecutoris locum substituatur. Alteram de Actorum sinceritate dubitationem ingerit incognita geographis antiquioribus civitas Lubra vel Lubræ, de qua Cardulus in Notis suis littera t ita scribit:* Cujus urbis apud scriptores mentio nulla invenitur; ex quo verisimile fit novum ea tempestate & exiguum fuisse oppidum; nonnulli ad lævam viæ Flamineæ ab Roma proficiscentibus XII ferè milliario circa ea loca fuisse suspicantur, ubi nunc quingentis à via passibus parva quædam ædificiorum vestigia & ruinæ cernuntur.

C

ac planè genuina & authentica,

15 *Hæc Carduli suspicio & conjectura minimè facit, ut ausim asserere, Lubram aliquando reipsa exstitisse: sed nec id evincit recentiorum quorumdam geographorum auctoritas; cùm enim Acta Carduli in testem suum adferant, majoris non est momenti, quàm sint Acta ipsa. Ego, si fas est pluscultum hic conjecturis indulgere, magis suspicor, antiquitus scriptum fuisse* juxta delubra: *nam cùm apud probatos auctores legamus, tempore persecutionis Diocletiani juxta fontes, in compitis & foris, plateisque promiscuè omnibus idolorum imagines fuisse expositas, additis, quæ sacrificare omnes cogerent, ministris; quidni liceat præsumere etiam viâ Flamineâ collocatas fuisse similes icones, pro iisque delubra quædam fuisse exstructa. Fieri autem potuit, ut ex voce delubra sciolus aliquis aut incurii amanuenses lapsu temporis civitatem Lubram efformaverint: verùm, ut monui, mera hæc est conjectura.*

infrà excudenda.

16 *Suâ quoque difficultate non caret* Marciani *historia: nam Lubram constituit Cardulus* XII *ferè ab Urbe milliario quingentis à via passibus distantem: juxta Lubram autem* Marcianus *filium mortuum lugens occurrit* SS. Abundio & Abundantio, *à quibus, si in Christum crederet, redivivum videndi filium spe recreatus, cadaver quæsturus discedit, ministris interim nolentibus subsistere. At quoniam nullum Actorum exemplar martyrii palæstram longiùs quàm* XIV *ab Urbe milliario removet, quomodo* Marcianus, *utcumque rapido cursu, totum suum iter, cui ex computu Carduli impendendi erant passus mille, satis tempestivè potuit absolvere, præsertim cùm in reditu & filii sui cadavere & urceo cum aquâ onustus incederet? Senserunt haud dubiè difficultatem hanc Bartholomæus Piazza Hemerologii sacri parte 2, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, atque ideo verisimiliter itum illum reditumque satis molestum declinaturi,* Marciani *historiam sic retulerunt, acsi primo statim occursu mortuum filium ante* SS. Abundii & Abundantii *pedes collocâsset. Præter hæc nihil in Actis reperio, quod à quoquem magnopere in dubium vocari possit.*

E

§ II. Sanctorum natales & conditio: tempus martyrii incertum.

Sanguinis nobilitas Sanctis

F

Licèt perspectissimum habeam, & genus & proavos & quæ non fecimus ipsi, nostra minùs vocanda esse, parúmque ex sanguinis claritudine accedere Sanctorum gloriæ, quia tamen tam nefas est veram negare, quàm ridiculum adstruere fictitiam nobilitatem, lubet Sanctorum nostrorum natales breviter investigare. Et ad SS. Marcianum *ac* Joannem *quod attinet, cùm Acta planè omnia clarissimi viri titulo* Marcianum *compellent, nihilque in his occurrat huic prærogativæ contrarium, eos præclaro loco natos fuisse, nemo prudenter inficiari potest: addit Cardulus in Notis litterâ v,* Marcianus, ... Romanus, ut creditur, & qui fortassis prædia ad Lubram haberet. *Juditta Luti, ut num. 8 observavi,* SS. Abundium & Abundantium *illustri stirpe prognatos scribit, quam nobilitatis prærogativam ipsis vindicare conatur Cardulus in Notis litterâ c: argumentorum ejus examen non ingratum fore lectori existimo.*

à Cardulo aliisque

18 *Sic habet laudatus editor:* Hoc idem præterea ex ipsa historia facilè intelligi potest. Nam XXV simul Christianos ad tribunal productos Diocletianus interrogans, ut videt in fidei confessione constantes, jubet XXIII quidem confestim viâ Salariâ ad secundum lapidem obtruncari: hos

AUCTORE U. S.

verò duos, quos tamquam illorum magistros, duces & impostores accusaverat, primò in vincula conjicit, tum XXII aut XXV pòst diebus eductos è carcere rursus interrogatione pertentans ad cultum idolorum hortatur: deinde cùm frustrà suaderet, equuleo torquet, demum eorum patientiâ iratior factus, viâ Flaminiâ ad x lapidem securi eos percuti mandat. Cur hos duos à reliquo cœtu sejungit? Cur non cum illis statim occidit? Cur tot diebus ad mutationem consilii servat? Cur denique tam longè ab Urbis mœnibus ad necem amandat? Atque hæc Christianæ alioqui religionis hostis acerrimus? Alia profectò causa nulla, quàm ipsorum insignis quædam nobilitas & auctoritas, & Romani nominis respectus ac dignitas proferri potest.

attribuitur: eorum

19 *Cardulum secutus est Bartholomæus Piazza loco suprà citato asserens, eos, quia nobiles erant Romani, ne populi moveretur seditio, à tyranno obtruncari jussos fuisse duodecimo ab Urbe milliari. Sanctorum nostrorum claros natales, ut num. 9 dixi, impugnare animus mihi non est: verùm cùm nec in Actis à Cardulo editis, nec in manuscriptis, infrà excudendis, vox ulla occurrat, quæ nobilitatem*

B

certò indicet, eam ut dubiam relinquo, & penes fidem manuscripti Senensis, aliorumque ex quibus hausta est: nobilitatem autem illam non probant Carduli argumenta. Si enim insignis Sanctorum nobilitas tyrannum impulerit ad concedendum eis dies aliquot ad mutationem consilii, cur non id saltem verbulo significatur, ut in aliorum Sanctorum Actis sæpe factum legimus? Si metus concitandæ à populo seditionis effecerit, ut tam longè ab Urbe jussi sint obtruncari, mirum, non eos clanculum ad mortem ductos fuisse, quod tamen certò factum non est, cùm legantur occisi, ingenti populo spectante, ut in ipsis Actis suis habet Cardulus: Tunc, *inquit*, multitudo populorum, quæ ad spectaculum convenerant mortis *&c.*

rationes expenduntur.

20 *Sola itaque mortis dilatio & palæstræ ab Urbe distantia non videtur argumentum satis efficax ad probandam* SS. Abundii *&* Abundantii *nobilitatem; multæ enim rationes tyrannum movere potuerunt, ut in anonymos statim, in hosce verò seriùs sæviret, illos non procul ab Urbe, hos longiùs occidi vellet; sed hisce immorari non vacat. Nihil quoque in Actis occurrit, quod civilium turbarum metui ob nobilitatem* Abundii

C

& Abundantii *à Piazza asserto faveat, contrà non pauca, quæ obsunt: nam illorum nece videtur tyrannus intendisse, populum à Christiana religione deterrere: cùm enim iterum ad Diocletianum producti in Christi fide constantissimè perseverarent, Acta Carduli, quibus consonant & alia, sic habent:* Legisconsultor dixit, præsente Diocletiano: si isti exstincti non fuerint, non erit clarus timor: & omnis civitas Romana ad horum sectam curret. *Quid quòd Acta ipsa seditionem commemorent motam à pontificibus & presbyteris paganorum, decreta contra Christianos postulantibus, & in eos tamquam sacrilegos animadverti cupientibus. Vide etiam infrà dicenda num.* 29 *&* 30.

Ordines sacri non in Martyrologio Romano,

21 *Ad Sanctorum autem vitæ institutum quod spectat,* Abundium *sacerdotali dignitate fulsisse,* Abundantium *verò diaconatûs gradum obtinuisse, Acta manifestè tradunt: in primo cum tyranno congressu sacerdotem se nuncupat* Abundius *dicens:* Primo nomine ex speciali Christianus sum & presbyter dicor. *Confirmant hoc ipsum reperta anno* 1582 *super ipsorum loculis inscriptiones, quas in tertiæ translationis historia sic refert Cardulus:* Atque in uno quidem sub cornu Euangelii erat tabella marmorea signo crucis & hoc epitaphio notata: HIC REQUIESCIT SANCTUS HABUNDIUS PBR. ET MONACHUS ET MART. In altero autem sub cornu Epistolæ altera item tabella eodem signo atque hoc titulo inscripta: HIC REQUIESCIT SANCTUS HABUNDANTIUS DIAC. ET MART. *Gregorius quoque XIII, apud Cardulum pag.* 38, *in litteris suis Apostolicis, quibus translationem suprà dictam fieri mandavit,* Abundium *presbyterum &* Abundantium *diaconum appellat: non rectè igitur dicit Tillemontius à Martyrologio Romano,* Abundium *presbyterum &* Abundantium *diaconum signante, inversos fuisse eorum titulos.*

D

sed in Catalogo Ferrarii,

22 *Ferrarius huic Tillemontii opinioni videtur occasionem dedisse: nam pòst compendio relatam Sanctorum nostrorum historiam, licèt ipse* Abundium *presbyterum &* Abundantium *diaconum antea vocâsset, in annotatione tamen sic scribit:* In altari lateritio reperti sunt duo alteri loculi sacrorum ossium pleni: in quorum uno hujuscemodi erat inscriptio: REQUIESCIT S. ABUNDANTIUS PRESBYTER, MONACHUS ET MART. In altero verò,

E

HIC REQUIESCIT S. ABUNDIUS DIACONUS ET MART. *Quâ autem fultus auctoritate ita scribat, adnotatum non invenio: certè fatetur Ferrarius totam Martyrum historiam unà cum sacrorum corporum translationibus ex nullis aliis instrumentis à se haustam fuisse, quàm ex monumentis ecclesiæ Castellanæ, & eorumdem Martyrum passione nuper à Societate Jesu typis excusa: nam sola hac duo ad finem narrationis suæ allegat.*

perperam inversi fuerunt.

23 *Quæ sint ista Castellanæ Ecclesiæ monumenta à Ferrario adducta, non inquiro: certè Ughellus in civitatis Castellanæ episcopis sæpe memoratæ Carduli Historiæ acceptum refert, quòd Crescentiani servata fuerit memoria, ita scribens:* Quæ (*Martyrum nostrorum Historia*) si tacuisset, nulla Crescentiani mentio fortasse dimanâsset ad posteros. *In Arinianensi verò codice, ex quo legitur translatio* SS. Marciani *&* Joannis *ad Castellanam ecclesiam, Sanctorum verò* Abundii *&* Abundantii *ad basilicam S. Adalberti, habetur nudè, titulo omni prætermisso,* Abundii & Abundantii martyrum: *allata autem num.* 21 *ex Cardulo verba satis superque ostendunt presbyteri titulum ad* Abundium *pertinere. Oportet ergò ut*

F

vel ipse Ferrarius autographum suum vitiosè descripserit, vel, quod magis suspicor, incurius quidam typotheta Ferrarii scriptionem non satis accuratè observârit. De Carduli autem fide hac in parte ambigi non potest, tum propter laudatas litteras Apostolicas, tum etiam ex eo quòd Historiam suam ediderit anno translationem proximè subsecuto, cùm certè adhuc plurimi essent superstites, qui inscriptiones coràm viderant: non videtur itaque dubium, quin S. Abundius *presbyter fuerit.*

An S. Abundius fuerit monachus?

24 *Verùm non ita constat, fueritne revera monachum professus: hoc ei vitæ institutum attribuit inscriptio, de qua suprà; sed cùm Acta de eo sileant, nec ulla talis inscriptio legatur ante inventa sacra corpora in æde SS. Cosmæ & Damiani, non ausim asserere eum monachum fuisse. Fortè pòst primam sub Ottone III inventionem titulus hic tumulo impositus fuerit ab aliquo, qui ob suam in monachos venerationem putaverit, talem haberi posse* S. Abundium *ex eo, quòd in Actis legeret,* SS. Abundium *&* Abundantium *absconditos vixisse cum aliis viginti tribus sociis, quibus ministrabant, quosque divinis Christi mysteriis*

A *ſteriis imbuebant. Non inficior quoque fieri potuiſſe, ut ante cœptam Diocletiani perſecutionem ſolitariam vitam egerit, quam, tyranno Chriſtianos vexante, deſeruerit ad confirmandum labantes in fide, ſicque ſaltem minùs ſtricti nominis monachus appellari potuerit: nam, an primis Eccleſiæ ſeculis exſtiterint monachi, quales nunc gremio ſuo læta complectitur, nihil hìc attinet diſputare. Sed de his jam ſatis.*

Actis inhærendo paſſi ſunt

25 *Dixi num.* 10 *certamen Sanctorum, de quibus hìc nobis ſermo eſt, ſigi non poſſe ante annum Chriſti* 303, *ſi nempe Acta in ſenſu proprio interpretemur: cùm enim Romæ ſub Diocletiano, illo ipſo capitalem in eos ferente ſententiam, gladio percuſſi dicantur, non potuerunt ante cœptam ab eo perſecutionem pati: ſed ea non cœpit ante annum* 303: *nam lib. de Mort. perſecut., Pariſiis recuſo anno* 1748, *cap.* 9 *ſcribit Lactantius, cujus unius hac in parte teſtimonium plurimorum inſtar eſt:* Diocles (ſic enim ante imperium vocabatur) cùm rempublicam talibus conſiliis & talibus ſociis everteret, ... tamdiu tamen ſumma felicitate regnavit, quamdiu manus ſuas juſtorum ſanguine non inquinaret. *Tum, interjectâ Chriſtianos perſequendi cauſâ, cap.* 12 *ſic loquitur:* Inquiritur peragendæ rei dies aptus & felix, ac potiſſimùm terminalia deliguntur, quæ ſunt ad ſeptimum Kalendas Martias .... Qui dies cùm illuxiſſet, agentibus conſulatum ſenibus ambobus octavum & ſeptimum *&c*; *quæ verba evidenter deſignant annum Chriſti* 303, *ut contra Onuphrium, Baronium, Petavium alioſque, contendentes perſecutionem illam cœpiſſe anno* 302, *in ſuis Notis ad hunc locum Lactantii invictè probat Baluſius, quem, ſi lubet, conſule.*

B

anno 303 & non alio.

26 *Sed nec, ſi, ut Acta perhibent, ſub Diocletiano in perſona propria paſſi ſunt, ultra annum* 303 *extendi poteſt Sanctorum illuſtre martyrium: nam, eodem teſte Lactantio, cap.* 17, *Diocletianus* hoc (*perſecutionis Chriſtianorum*) ſcelere perpetrato, ... cùm jam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII Kalendas Decembres. *Celebratis autem vicennalibus, populi Romani libertatem dicacitatemque non ferens, etiam ante Kalendas Januarias anni inſequentis æger animi ex Urbe prorupit, quam uſque ad Kalendas Maii anni* 305, *quando & imperium & purpuram exuit Diocletianus, numquam ampliùs ingreſſus eſt, ut laudati operis capita* 17, 18 *&* 19 *luculentiſſimè demonſtrant: ſi ergò Sanctorum noſtrorum Actis preſsè inſiſtendum ſit, omnino neceſſe eſt illorum martyrium concludere terminis anni* 303: *nec videtur aliquid adferri poſſe, quo oſtendatur, veritati hiſtoricæ repugnare opinionem illam, quæ anno* 303 *adſcribit glorioſum ſanctorum horum Martyrum triumphum.*

C

Reſpondetur ad auctoritatem Euſebii,

27 *Quamvis enim Euſebius lib.* 9 *Hiſtor. Eccleſiaſt., cap.* 2 *&* 3 *ſcribat, anno perſecutionis primo immanitatem perſequentium in ſolos eccleſiarum præſides deſævîſſe, atque altero demum anno miſſas fuiſſe imperatoris litteras*, Quibus, *inquit*, generali præcepto jubebatur, ut omnes ubique locorum ac gentium publicè idolis ſacrificia ac libamina offerrent; *veriſimilius tamen eſt, non dudum ab inchoata vexatione adversùs Chriſtianos paſſim omnes ſuppliciis actum eſſe: nam Lactantius*; (*cui plus hìc deferendum eſt, quàm Euſebio,*) *cap.* 13 *ſic habet:* Poſtridie (*poſt dirutam ipſo terminalium feſto Nicomedienſem eccleſiam*) propoſitum eſt edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis ſubjecti eſſent, ex quocumque ordine aut gradu venirent: *quæ voces*, ex quocumque ordine aut gradu, *plus aliquid ſignificant, quàm ut rectè accipi poſſint pro iis tantùm, quibus eccleſiarum commiſſa erant gubernacula.* AUCTORE U. S.

argumentis ex Lactantio deductis,

28 *Sententiæ huic etiam clariùs adſtipulatur Lactantius cap.* 15 *inquiens:* Omnis ſexûs & ætatis homines ad exuſtionem rapti; .... domeſtici alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minùs in cæterum populum perſecutio violenter incubuit. .... Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur. *Et cap.* 16: Vexabatur ergò univerſa terra, & præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,

Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim, quas judices per provincias juſtis atque innocentibus intulerunt. *Ac tum demum cap.* 17 *narrat Diocletiani Romam iter, quod certè contigit anno Chriſti* 303. *Illo igitur anno & cruciatibus & pœnâ mortis in fideles quoſlibet actum eſt; nam Lactantium prolepſi uſum hìc fuiſſe, non videtur ulla ratione oſtendi poſſe.* E

aliiſque rationibus oſtenditur,

29 *Facit etiam, ut Sanctorum martyrium anno* 303 *veriſimiliter omnino illigari poſſit, quæ in eorum Actis ſit mentio ſeditionis à pontificibus adversùs Chriſtianos concitatæ: nam in Paſſione S. Sabini, apud Baluſium lib.* 2 *Miſcellaneorum, ita legitur:* Maximiano auguſto quinto decimo Kalendas Maii in circo maximo miſſo Sexto Venetos vincente, pars major populi clamabant dicentes: Chriſtiani tollantur, & voluptas conſtat. Dictum eſt duodecies. Per caput auguſti Chriſtiani non ſint *&c. Licèt hìc populus, in Actis verò Martyrum noſtrorum pontifices excidium Chriſtianorum poſtulâſſe dicantur, ſuſpicor tamen eamdem utrobique ſeditionem memorari, adeò ut Acta noſtra primos turbarum incentores recenſeant, Paſſio verò S. Sabini plebem commemoret, quæ ab idolorum ſacerdotibus in Chriſtianos commota, furoris incendium latiùs diſperſit. Tillemontius ſeditionis iſtius hiſtoriam amplecti non audet, quòd Acta S. Sabini non videantur ipſi ſatis authentica. Hujus loci non eſt ea expendere; interea tamen locum hìc habeat opinio Sollerii ad diem* XXX *Decembris in Obſervatione ad Martyrologium Uſuardi:* Certè, *inquit*, tot ſimplicis ſinceritatis radii inter obſcuriores nubeculas in oculos incurrunt, ut laudata Acta à Tillemontii cenſura per nos vel ſucceſſores noſtros aliquando vindicatum iri non diffidam.* F

martyrium anno Chriſti 303

30 *Quod ad rem præſentem ampliùs facit, Tillemontius Notâ* 14 *in perſecutionem Diocletiani fatetur, non poſſe aptiùs, quàm anno* 303 *illigari decretum, cujus meminerunt Acta S. Sabini, ſi illud revera adversùs Chriſtianos omnes tulerit Herculius:* Sed, *inquit*, aliunde edictum Chriſtianos omnes morti addicens, juxta Euſebium non niſi ſecundo perſecutionis anno latum eſt, & ſecundùm Lactantium, auctore Diocletiano, qui de eo ad Maximianum ſcribebat. *Verùm cùm totus Lactantii contextus, ut num.* 27 *&* 28 *breviter oſtenſum eſt, manifeſtè innuat, etiam primo immaniſſimæ perſecutionis anno univerſos Chriſti fideles neci adjudicatos fuiſſe, ſcrupulum mihi nullum injicit, quod ibidem addit Tillemontius:* Nulla ſaltem ratione apparet, Herculium rem tan-

AUCTORE U. S.

tanti momenti, illo (*Diocletiano*) inconsulto, aggressum esse: & tamen inter diem XVII Maii, quo hoc edictum populus rogavit juxtà Acta S. Sabini, & XXII, quo Maximianus in senatu concessit, verisimiliter non consuluerat Diocletianum, qui tunc Nicomediæ erat. *Nam edictum illud flagitavit populus die* XVII *non Maii, sed Aprilis, ut habent Acta:* Quinto decimo Kalendas Maii, *unde non parùm elevatur robur argumenti Tillemontiani. Sed nec Diocletianum consulere necesse erat, cum cap.* 15 *scribat Lactantius:* Etiam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent.... & quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeò clemens. *Præmiserat autem verba, quæ num.* 28 *&* 29 *dedi, horrendam Christianorum omnium stragem describens, quam post relatas Diocletiani ad Herculium litteras, cap.* 16 *lamentabilem in modum pergit depingere.*

illigari posse: tempus tamen

31 *Quæ hactenus de anno mortis disseruimus, id efficiunt, ut omnino quidem probabiliter liceat contendere, annum Christi* 303 *Sanctorum nostrorum martyrio illustrari potuisse; minimè tamen evincunt, anno illi indubitanter adscribendum esse. Post inchoatam enim persecutionem duos adhuc annos & menses, ac dies aliquot imperitavit Diocletianus, multumque eo tempore tum Romæ tum alibi Christiani sanguinis fusum esse, in comperto est. Post abdicatum quoque à Diocletiano & Maximiano imperium, annos octo tenuit vexatio, Galerio tunc augusto, qui primus socero suo fuerat malorum adversùs Christianos incentor, aliisque Diocletianeæ impietatis æmulis, suæ in Christi fideles rabidæ ferocitati, quantum poterant, indulgentibus. Si ergò juxta dicta num.* 14 *Sanctorum Acta mitiùs exponamus, dicam illud omne, quod vel à Galerio, vel ab imperatorum ac cæsarum præfectis actum fuit, illi potuisse adscribi, cujus auctoritate crudelibusque sanctionibus toto vix non orbe Christianus populus cœperat affligi.*

determinari certò nequit.

32 *Sed nihil etiam obstat, quo minùs Sanctorum martyrium referri possit ad tempora anno Christi* 303 *anteriora: quòd enim asserit Eusebius, Christianos magna religionis suæ libertate fruitos esse primis initi à Diocletiano imperii annis, ad Orientem potiùs, quàm ad Occidentem pertinere videtur. Nec sanè ambigendum est, quin plures ante edita à Diocletiano edicta martyrii lauream consecuti sint, quos vel Herculii, hominis ferocissimi & sedem imperii Italiam tenentis immanitas, vel particulares urbium aut provinciarum præfecti pro privata superstitione aliisve de causis, antiqua imperatorum edicta in favorem suum allegantes, sustulerint, ut ad diem* XXIII *Augusti de SS. Claudio, Asterio &c Commentarii prævii num.* 18 *&* 19 *probatum reperies. Cædes autem illæ Diocletiano, utpote primum in imperio locum obtinenti, attribui potuerunt ab iis, qui Sanctorum, de quibus hîc agimus, aliorumque martyrum Acta tabulis consignârunt, quos secuti biographi Diocletiani nomen & personam assumpserint. Sanctos igitur nostros cum Baronio aliisque inter eos referendos censeo, quorum annus certus, quo passi sint, minimè habetur expressus, ideoque initio hujus Commentarii illorum martyrium latè fixi sub Diocletiano.*

§ III. Cultus Sanctorum antiquissimus: ecclesiæ illis erectæ; loca aliquot reliquiis ipsorum nobilitata: dubia quædam discussa.

Cultus Sanctorum nostrorum antiquissimus,

Restat modò ut ea, quæ de legitimo Sanctorum nostrorum cultu ejusque antiquitate apud scriptores reperiuntur, hîc annectamus. Vetustissimum illum esse, non videtur negari posse; at determinatum inchoati illius tempus expressum in nullis reperi monumentis, adeóque certò assignari nequit. Codex Arinianensis, ex quo Cardulus descripsit Historiam primæ inventionis translationisque, ineunte sæculo XI *factæ, meminit ecclesiæ* SS. Abundii & Abundantii *martyrum, ex qua sacræ tum eorum, tum* Marciani & Joannis *aliorumque exuviæ in alias asportatæ fuerunt: nec dubito, quin ecclesiæ illius ædificatio sæculo* X *multò anterior sit. Cardulus existimans non diu post glorioſum Sanctorum nostrorum agonem publicæ venerationis obsequia à fidelibus exhibita illis fuisse, de ista ecclesia ad translationis Historiam Nota* 18 *ita censet:* Quæ (*ecclesia*) adhuc exstat multis abhinc sæculis exstructa, ut creditur, sedatis nimirum persecutionum procellis: *in Notis verò ad Historiam martyrii litterâ y ita scribit:* Ceterùm in hoc B. Theodoræ prædio, (*locus hic fuit, ut Acta perhibent, quo pia matrona Martyres sepelivit,*) quod ad viam Flaminiam erat, tempore procedente, beatissimorum martyrum Abundii & Abundantii nomine ædem exstructam constat, quæ etiam nunc cernitur, & oppidum Arinianum, quod ibidem est, B. Gregorii Magni Romani Pontificis ætate ædificatum legisse se Blondus affirmat.

& fortè non diu post mortem inchoatus est.

34 *Aringhus Romæ Subterraneæ lib.* 4, *cap.* 40, *num.* 2 *sic habet:* Prædium (*B. Theodoræ*) viâ Flaminiâ juxta montem Soractem eo potissimùm loco exstabat, ubi nunc Regnani oppidum situm est; in eorumdem quippe honorem ecclesia erecta cernitur; ubi ipsa insuper Theodora digna Martyribus meritorum consortio juncta pari quoque honore condita est: *atque ex hisce quidem locum novimus ecclesiæ illis erectæ, at epocham eruere nequimus. Si subsistat, quod piè credit Cardulus, fortè ab ipsa Theodora erectum super Martyrum sepulcro oratorium fuerit, quod vel ipsa deinde, si persecutioni supervixerit, vel alii, ejus in Martyres pietatem æmulantes, piæ liberalitate auxerint. Fortè templum illud erexerit Gregorius Magnus, cujus ætate oppidum Arinianum situm eo loco, quo olim fuerat prædium Theodoræ, conditum Blondus scribit. Potuerunt certè fideles vel ex traditione, vel aliunde tempore Gregorii Magni locum nôsse Sanctorum sepulturæ, eóque religionis ergô frequentes confluere, potuitque ea devotione fidelium induci sanctissimus Pontifex tum ad oppidum, ut Blondus scribit, tum ad templum etiam exstruendum, ut incolarum frequentiâ Sanctorum veneratio redderetur celebrior: verùm hæc per conjecturam dicta sunto; neque enim defectu monumentorum penitiùs investigari possunt.*

35 *Alterum templum sæculo* IX *ineunte* SS. Abun-

AUCTORE U. S. circa ædificationis tempus & auctorem

A *Ecclesia SS. Abundio & Abundantio*

bundii & Abundantii *nomini erectum, additumque illi sacrarum virginum gynæceum, in supradicta ad Historiam martyrii annotatione commemorat Cardulus, cujus verba visum est hic transcribere.* Non est silentio prætereundum, quod in Senensi codice manuscripto legitur de altero templo his sanctis Martyribus jam olim constructo: est enim res memoratu cognituque dignissima. Sic autem se habet. Pipinus Caroli Magni filius (qui à Leone III Pontifice Maximo anno Christi DCCCI rex Italiæ inunctus & consecratus est, regnavitque usque ad annum DCCCX) cùm Romam proficiscens, ad urbem Senas perveniisset, horum sanctorum Martyrum famâ commotus, cogitationem de basilica illis ædificanda suscepit. Conquisitis accersitisque fabris opus grandi pecunia locat. Illi, ut imperatum erat, prope urbem viâ publicâ, in plano loco ad radices montis, qui Plasanus tunc vocabatur, hodie S. Abundii nuncupatur, templi fundamenta primo die jacere incipiunt; postridie ad locum reversi, vestigium inchoati operis nullum inveniunt.

divinitus erecta dicitur:

B

36 Quærendo fortè ad verticem montis cùm ascendissent, incœptam ibi ædem aspiciunt: demoliti materiam ad plana deportant, & in pristino loco iterant fundamenta; sed insequenti luce idem, quod pridie acciderat, offenderunt. Rei novitate miraculoque attoniti ac stupefacti, ædificationem templi, in cacumine montis divino nutu atque angelico ministerio cœptam, alacriter prosequuntur, omnipotenti Deo gratias agentes, qui, ubi templum sibi, sanctisque Martyribus suis ædificari vellet, ostendisset. Igitur regiâ munificentiâ & pietate absoluta est ædes, quam ab Roma revertens Pipinus VII Kal. Septemb. sanctis martyribus Abundio & Abundantio dedicandam consecrandamque curavit: amplissimosque ei annuos census attribuit, & cœnobium amplum sacrarum virginum Ordinis S. Benedicti adjunxit: quod etiam hodie singulari religionis ac sanctimoniæ laude, famaque celebratur, & B. Joannis Columbini, civis Senensis & Jesuatorum auctoris (qui in eodem cœnobio filiam virginem Christo dicârat, & tertiam bonorum suorum partem benignè piéque donârat) sacro corpore nobilitatur. Ex quo non obscurè perspicitur, quot antè seculis hi beatissimi Martyres in honore fuerint apud fideles & orthodoxos.

C

sed asserti illius fides, scriptoribus

37 *Cælestem templi hujus ædificationem non assero quidem prorsus commentitiam esse, haud ausim tamen eam ut bene firmam ac solidè adstructam lectori obtrudere sine melioribus, quæ fidem faciant, documentis. Illius in Annalibus Ordinis sui non meminit Mabillonius, ut ante me observavit Cuperus in Vita B. Columbini: Henschenius in Actis B. Petri Petroni tom.* VII *Maii, pag.* 211, *cùm retulisset B. Columbini filiam antiquissimo illi ac nobili sacrarum virginum gynæceo ab ipso parente traditam fuisse, in Annotatis ita habet:* Coluntur autem SS. Abundius & Abundantius XVI Septembris, in quem diem optamus nobis suggeri, quidquid de illius monasterii fundatione & Sanctorum ibi reliquiis, quæ nominis occasionem dederint, haberi poterit; *votum suum eadem super re tom.* VII *Julii in Commentario prævio ad Acta B. Joannis Columbini, num.* 43 *iisdem verbis expressit Cuperus: hactenus autem instrumenta satis authentica nulla aut accepimus aut comparare potuimus.*

38 *Ad codicem Senensem à Cardulo laudatum, quique etiam haud dubiè Judittæ præluxit, quod attinet, ignoro, cujus notæ ac temporis sit, & an ejuscemodi, ut lectorem prudentem facilè pertrahat ad assensum prodigio tam memorabili præstandum, maximè cùm admirabilem hanc ædificationem dubiam insuper faciat Pipinorum, quibus à variis adscribitur, diversitas & annorum fermè* 50 *discrimen. Etenim Introna-torum academiæ Fasti Senenses sic aiunt:* Anno DCCLVIII sub Pipino rege, in parthenonem à SS. Abundio & Abundantio dictum eximiè benefico, cælites in construendum illius parietem operam impendisse feruntur: *atque ita manifestè Pipinum Caroli Magni patrem innuunt; vox autem ipsa* feruntur, *ut per se patet, admodùm debilis est. Cardulus contrà Pipinum Caroli Magni filium cœnobii illius auctorem statuit:* Qui, *inquit*, à Leone III Pontifice Maximo anno Christi DCCCI rex Italiæ inunctus & consecratus est, regnavitque usque ad annum DCCCX. *Pipino quoque Caroli Magni filio laudem hanc attribuit Juditta.*

dissentientibus, vacillat.

39 *Atque ista scriptorum circa annos & reges dissensio sufficere mihi videtur, ut meritò liceat de re tota ambigere. Itaque quod suprà citato loco Cuperus edixit, hîc quoque obtineat:* Nos hanc angelicam monasterii Benedictini constructionem, ... penes fidem relatorum Senensium relinquimus; *penes codices, inquam, quibus nituntur Cardulus & Juditta, aliique, si qui sint, prodigii istius assertores: nos interim beneficii loco habituri semper sumus, si quis, hanc dicto cœnobio gloriam vindicandi cupidus, idonea ad nos monumenta submittere dignatus fuerit. Non satis etiam liquidò constat, quid causæ fuerit monasterium istud appellandi à* SS. Abundio & Abundantio, *an propter peculiarem fundatoris erga Sanctos hos venerationem, an propter sacras illorum reliquias: primum tamen mihi verisimilius videtur: nam ut ostendit Cardulus occasione alterius cujusdam controversiæ, infrà paucis memorandæ, prima nostrorum Martyrum inventio ac translatio contigisse tantùm legitur ineunte seculo* XI, *& in postrema seculo* XVI *ad finem vergente facta, nihil ferè præter* S. Abundii *caput desiderabatur, quod in templo beatæ Mariæ Aræ-Cæli visitur: certè anno* 1584 *constat sanctimoniales Senenses impetrâsse à Gregorio XIII partem aliquam reliquiarum; neque ullum reperi instrumentum, quo probari possit, ante hunc annum in laudato gynæceo ullas requievisse nostrorum* SS. Abundii & Abundantii *sacras exuvias.*

E

F

Indulgentiæ à Pio II & Gregorio XIII concessæ.

40 *Auxit* SS. Abundii & Abundantii *cultum Pius II Pontifex Maximus, dum anno* 1464 *in sanctimonialium Senensium cœnobio veneratus sacra pignora B. Joannis Columbini,* Omnibus & singulis hanc ecclesiam, ... sanctorum Abundii & Abundantii festo visitantibus septem annorum totidemque quadragenarum perpetuò elargitus est indulgentiam, *ut patet ex inscriptione marmoreæ tabulæ incisa, de qua vide Josephum Bonafede lib.* 2, *cap.* 22 *in Vita B. Joannis Columbini. Nec minùs ad amplificandam* SS. Abundii & Abundantii *venerationem contulit Gregorii XIII piissima voluntas, quam in Litteris suis Apostolicis die* X *Septembris anno* MDLXXXIII *datis in hunc modum expressit:* Ecclesiam domûs professorum Societatis Jesu de Urbe, ... corporibus SS. Abundii presbyteri & Abundantii diaconi, sanguinis pro nomine Christi effusione insignium martyrum ..... ornare decrevimus, ut ibi collocata, majori devotione & populi frequentia venerentur. *Circa finem autem sic habet:* Et ut Christi fideles ad eorumdem corporum sanctorum translationem frequen-

AUCTORE U. S.

tiores, majoreque devotionis ſtudio conveniant, omnibus Chriſti fidelibus ipſis utriuſque ſexus verè pœnitentibus & confeſſis ac ſacrâ Euchariſtiâ refectis, qui tranſlationi prædictæ interfuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam ac remiſſionem miſericorditer in Domino elargimur. *Quæ omnia* SS. Abundii & Abundantii *cultum immemorabilem ac legitimum abundè commonſtrant.*

Vetuſtiſſimus SS. Marciani & Joannis cultus:

41 *De antiquitate quoque cultus exhibiti à fidelibus* SS. Marciano & Joanni *dubitari nequaquam poteſt: ea enim, quæ pro aſſerenda veneratione publica* SS. Abundio & Abundantio *antiquitus impenſa diſſeruimus num.* 33 *&* 34, *etiam militant pro vetuſtiſſimo* SS. Marciani *ac* Joannis *cultu: certum quippe eſt, eos tumulo eodem, quo* SS. Abundius & Abundantius, *à Theodora reconditos fuiſſe: certum quoque eſt ſuper ſepulcro erectum fuiſſe poſtmodùm eccleſiam, quæ quidem ſolummodò dicta eſt* SS. Abundii & Abundantii; *cùm tamen veriſimile non ſit horum memoriam fuiſſe conſervatam, ſanctorum verò* Marciani & Joannis *penitus obliteratam tunc cùm eccleſia conderetur, & hos ibidem cultos invocatoſque fuiſſe mihi perſuadeo, donec, tranſlatis ad S. Adalberti eccleſiam* SS. Abundio & Abundantio, *Creſcentianus eccleſiæ Caſtellanæ præſul religioſiſſimus, Ottonis III pietatem æmulatus, oſſa* SS. Marciani & Joannis *in beatiſſimæ Dei Genitricis baſilicam maxima celebritate deferenda curavit: quam tranſlationem, ut in Appendice videbitur, ad Sanctorum ſuorum apud ſe gloriam meritaque manifeſtanda, divina benignitas prodigio non uno dignata eſt illuſtrare.*

B

horum reliquiæ in civitate Caſtellana.

42 *Ceterùm, ut ſcribit Aringhus Romæ Subterraneæ lib.* 4, *cap.* 40, *num.* 3, *in eadem Caſtellana eccleſia hactenus religioſè aſſervantur corpora* SS. Marciani & Joannis: *Aringho conſentit Ughellus Italiæ Sacræ tom.* 1, *in civitatis Caſtellanæ epiſcopis, ita loquens de* Marciani & Joannis *corporibus tranſlatis ad eccleſiam Caſtellanam:* Ibique hactenus honorificentiſſimè aſſervantur octava ipſa die Dominicæ apparitionis. *Per verba iſta ultima veroſimiliter innuit Ughellus, feſtivitatem illorum ibidem celebrari* XIII *Januarii die, qui Octavæ Epiphaniæ conſecratus eſt; eo certè die Arinianenſis codex* SS. Marciani & Joannis *reliquias à Creſcentiano epiſcopo in eccleſia beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ reconditas elevataſque fuiſſe notat, adeóque tamquam tranſlationi ſacer haberi poteſt; an autem præterea diem Sanctorum illorum emortualem, qui communiter cenſetur* XVI *Septembris, celebret eccleſia Caſtellana, adnotatum nuſquam reperi: ſimiliter ediſcere nequeo, an integra* SS. Marciani & Joannis *corpora in dicta eccleſia quieſcant, an aliæ inſuper pretioſi iſtius theſauri participes facta fuerint.*

C

Dubium de S. Abundii capite diſcutitur.

43 *Plures autem eccleſias* SS. Abundii & Abundantii *ſacris pignoribus nobilitatas fuiſſe, tum ex antedictis colligi poteſt, tum ex dicendis infrà ampliùs patebit; quapropter ſuperſedeo ſingulas hìc recenſere. Dubium cuiquam ſuboriri poſſet, an Auguſtæ Vindelicorum aliquæ* S. Abundii *noſtri reliquiæ aſſerventur: cùm legatur in Vita S. Udalrici epiſcopi Auguſtani, apud nos tom.* 2 *Julii, cujuſdam* S. Abundii *caput à laudato ſancto epiſcopo Auguſtam Româ delatum fuiſſe. Dubitationem hanc movit Cardulus in Notis litterâ c ad finem, reſolvitque ex tempore, quo gemina S. Udalrici peregrinatio Romana contigit: verùm cùm difficulter conciliari poſſint epochæ prioris itineris à Cardulo allatæ, ut obſervavit Pinius in Commentario prævio ad Acta S. Udalrici num.* 10, *faciliùs, inſiſtendo tamen veſtigiis Carduli, dubitationem tolli poſſe autumo in hunc modum. Certum eſt S. Udalricum obiiſſe anno* 973; *non videtur autem aliquo inſtrumento oſtendi poſſe, ullas* S. Abundii *noſtri reliquias Romam delatas fuiſſe ante annum* 1000, *quo primùm corpora ſanctorum illorum Martyrum in eccleſia Arinianenſi reperta fuiſſe noſcuntur, &* SS. Abundii & Abundantii *corpora Romam ad S. Adalberti baſilicam, ſanctorum verò* Marciani & Joannis *in civitatem Caſtellanam delata ſunt, ut latiùs in Appendice videbitur: quod ergò Auguſtam detulit S. Udalricus,* S. Abundii *noſtri caput eſſe nequit. Nunc Acta Sanctorum noſtrorum, ſub ea cautela, quam inſinuavi num.* 13 *& ſeqq., lectori exhibeo.*

D

PASSIO [a]

a

Auctore anonymo,

E

Ex manuſcripto Bodecenſi, collato cum Actis editis à Cardulo & Juditta Luti.

Accuſati apud imperatorem,

TEmporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum orta eſt ſeditio *b* in urbe Roma pontificum templorum dicentium: Contra ſalutem noſtram *c* quidam de * Sepianis populum ſeducentes, perſuadent relinquere templa deorum; per nefandam ſectam eorum increduli diis noſtris inſultant. Jubeat ergò clementia veſtra, ut deficiant *d*, aut thura & libamina ponant diis noſtris: qui verò ſacrificare noluerint, pietas veſtra velut in ſacrilegos authoritatem exerceri præcipiant edicto *e* propoſito in urbe Roma. Factum eſt autem poſt biduum, ſtetit quidam legis conſultor ante imperatorem & dixit: Pietati veſtræ ſuggero, ut jubeat requirere in urbe abſconditos, qui hujus ſectæ ſunt authores & populum ſeducunt à templis deorum, & faciat eos teneri atque per diverſa tormenta vitam finire, aut diis omnipotentibus thura ponant & ſacrificent.

b

c

* *l.* Chriſtianis

d

e

F

& ad eum adducti Chriſtum

2 Eâdem horâ ambulaverunt milites in vicum, qui dicitur Canarius *f*, & invenerunt in cujuſdam domo Theodoræ matronæ chriſtianiſſimæ Sanctos Dei abſconditos numero viginti quinque. Inter quos tenuerunt Abundium *g* presbyterum & Abundantium diaconum & perduxerunt eos ante imperatorem vinctos. Dicit eis Diocletianus *h*: Unde eſtis, aut cujus religionis eſtis? Reſpondens Abundius presbyter dixit: Homines, quos conſpicis, Chriſtiani ſunt, & nomina eorum *i* ſcripta ſunt in cælo. Diocletianus dixit: Ut video, tu eos ſeducis, ut non ſacrificent diis omnipotentibus. Tunc omnes quaſi ex uno ore dixerunt: Numquam ſit bene dæmonibus tuis, quos colis *k*, ut nos eis inclinemus aut ſacrifi-

f

g

h

i

k

ce-

A cemus, ſed noſmet-ipſos offerimus ſacrificium piæ devotionis Deo noſtro Jeſu Chriſto in odorem ſuavitatis.

liberè prædicant. 3 Dixit autem Diocletianus imperator ad Abundium presbyterum: Quis vocaris? Reſpondens Abundius presbyter dixit: Primo nomine ex ſpeciali *l* Chriſtianus ſum & presbyter dicor; ſecundo verò & corporaliter Abundius nuncupor *l* ſervus Domini mei Jeſu Chriſti; nam *m* iſti, qui ſemel ſcripti ſunt, numquam obediunt diis tuis. *m* Reſpondens Abundantius ad Diocletianum imperatorem dixit: Putas, quòd nos adoremus idola muta & ſurda, ſine ſenſu & ſine anima ad injuriam ſummi Dei, qui fecit cælum & terram: cervices quoque noſtras inclinamus ei, qui debet adorari, qui fecit hoc, quod factum eſt. Reſpondens Diocletianus dixit: Et quid fecit, quod factum eſt? Reſpondens Abundantius diaconus dixit: Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti fecit cælum & terram & omnia, quæ in eis ſunt: nam idola veſtra, quorum ædificia cedrina & marmorea ſunt, in perpetuo incendio peribunt ſimul cum his, qui colunt ea.

B *Anonymi ad necem, alii ad carcerem rapiuntur,* 4 Dixit autem Diocletianus imperator: Quid variatis per multa? Sacrificate Deo Herculi *n* & abſcedite illæſi. Reſponderunt ſancti Homines & dixerunt: Nos numquam ſacrificamus dæmoniis veſtris. Diocletianus verò juſſit ſanctum Abundium presbyterum & ſanctum Abundantium diaconum in cuſtodia Mamertini *o* deduci & recludi: ceteros verò tredecim *p* in Chriſto fideles juſſit duci foràs muros civitatis & ibi capitibus truncari; qui decollati ſunt à ſpiculatoribus octavâ Iduum *q* Auguſti; quorum corpora collegit Joannes presbyter & Theodora matrona & ſepelierunt eos in crypta ad clivum Cucumeris *r*. Tunc Theodora matrona ambulavit ad carcerem *ſ* ad beatum Abundium presbyterum & Abundantium diaconum & narravit eis, quomodo cum gloria ſuſcepiſſent ſanctos martyres, & quomodo beatus Joannes presbyter collegit corpora Sanctorum & cum aromatibus linteaminibuſque ſepelivit eos. In eadem via in crypta illic myſteria Chriſti in pace ſumuntur.

ac dein poſt equulei tormenta 5 Poſt dies verò triginta *t* juſſit ſibi Diocletianus imperator produci ſanctos Dei de cuſtodia Abundium presbyterum & Abundantium diaconum & præſentari in tellude *u* in foro *x* ante templum: qui præſentati ſunt vincti catenis. Tunc Diocletianus his eos verbis affatus eſt: Quid tractatis pro ſalute veſtra? Deponite pertinaciam & in artibus magicis nolite confidere, ne pereatis, ſicut & illi, cum quibus tenti eſtis. Reſponderunt Sancti & dixerunt: Illi non perierunt, ſed modò gloriantur cum Chriſto. Reſpondit quidam legis conſultor, præſente Diocletiano, & dixit: Si iſti extincti non fuerint, non erit clarus *y* timor. Eâdem horâ Diocletianus imperator juſſit eos elevari in equuleo & diu torqueri. Qui, cùm diu torquerentur, dicebant: Gloria tibi Domine Jeſu Chriſte.

capite damnantur. Obvii in via Marciani 6 Dicit eis Diocletianus: Iterum Chriſtum nominatis? Modò extinguam pertinaciam veſtram per virtutem magni Herculis, & juſſit eos ſtatim duci in viam Flaminiam *z* milliario ab urbe Roma quarto decimo *aa*, ut ibi capite truncarentur. Qui, cùm ducerentur vincti catenis, venerunt juxta civitatem Lubras *bb*, & obvius eſt vir clariſſimus Marcianus nomine, qui lugens & flens dicebat: Heu me, quia amiſi filium meum. Dicit ei beatus Abundius: Et quis tulit tibi filium tuum? Reſpondit Marcianus: Mortuus eſt. Statim dicunt ſancti Martyres: Citiùs perduc eum ad nos, & videbis opera Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui dum abiſſet, ut filium ſuum adduceret, miniſtri diaboli noluerunt ſuſtinere, uſque dum veniſſet de civitate Lubras. A. ANONYMO.

filium à morte ſuſcitant, & cum utroque, 7 Poſtquam autem ad prædictum locum pervenerunt, ecce Marcianus curſu rapidiſſimo venit, & mortuum filium in ulnis ſuis deferens pedibus Sanctorum devolutus eſt, dicens: Per ipſum vos adjuro, pro quo hæc patimini, ut me ſimul vobiſcum faciatis venire ad coronam poſt reſurrectionem filii mei. Tunc populus, qui ad ſpectaculum venerat, mirabatur, ſi potuiſſet ab eis mortuus ſuſcitari. Eâdem horâ proſtrati in terra cum lacrymis oraverunt ad Dominum dicentes: Domine Jeſu Chriſte, qui Lazarum quatriduanum fetentem in monumento ſuſcitare dignatus es, tu dignare mittere angelum ſanctum tuum, ut revocet ſpiritum in hoc corpus extinctum, & cognoſcant omnes, quòd tu es Chriſtus Filius Dei vivi, veniens mundum fractum ſolidare, qui cum Deo Patre omnipotente & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

ſacris undis abluto, ſecuri feriuntur. 8 Exurgens verò de oratione ſanctus Abundius ad defunctum dixit: Tibi dico, terra arida, ſurge in nomine Domini Jeſu Chriſti, qui vivit & non morietur, in cujus nomine mortui reſurgent & vivent in æternum cum illo. Et ſtatim aperti ſunt oculi defuncti & reſurrexit. Tunc Marcianus obtulit urceum cum aqua, quem accipiens beatus Abundius presbyter baptizavit eum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum filio ſuo, qui fuerat reſuſcitatus. Eâdem horâ ipſi ſpiculatores ſurgentes comprehenderunt *cc* Marcianum & filium ejus. Tunc poſuerunt genua in terra, &, dum gratias egiſſent, decollati ſunt quintâ Calendarum *dd* Septembris. Eadem verò nocte venit Theodora matrona cum pueris ſuis, & poſuit eos in cubiculo *ee* ſuo & aſportavit eos in prædiolum ſuum milliario ab urbe Roma vigeſimo octavo *ff*, & ibi cum aromatibus & linteaminibus honorificè ſepelivit in pace, largiente gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In codice Bodecenſi, unde hæc excudimus, ut obſervavi num.* 2 *Commentarii prævii, ſoli in titulo exprimuntur* Abundius & Abundantius: *in titulo Vitæ à Jduitta editæ nulla fit mentio* Marciani & Joannis; *ſed in Carduli Actis uterque adſcriptus legitur.*

b *Vide dicta in Commentario num.* 29 & 30.

c *Cardulus & Juditta ſcribunt*, veſtram: *ſunt & aliæ ſimiles minutiæ, in quibus inter ſe Acta diſcrepant; verùm has impoſterum paſſim inobſervatas præteribo.*

d *Id eſt, vitam & mores mutent, qua ſignificatione Cicero lib.* 2, *epiſt.* 16 *utitur verbo* deficio; *vel, relinquant ſectam ſuam & ad nos tranſeant, quo ſenſu vocari ſolent defectores, qui ad aliena caſtra adeunt.*

e *Vide quæ diſſeruimus Commentarii num.* 30.

f *Nec Carduli nec Jduittæ ſcripta locum promunt, quo comprehenſi fuêre: in manuſcripto, quod ſequor, vitiosè illum notari arbitror; vicum enim nullum, qui* Canarius *dicitur, reperi apud ſcriptores antiquitatum Romanarum: fortè pro* Canarius *legendum* Lanarius; *hic autem vicus, juxta Onuphrium Panvinium lib.* 1 *Commentariorum reipublicæ Romanæ, & Sextum Ru-*

A. ANONYMO.

ſum de Regionibus Urbis, ſitus erat tertia Urbis regione, cui ab Iſide & Moneta nomen.

g *Manuſcriptum, quod excudo, aliquando habet* Abundus, *aliquando* Abundius: *poſteriorem ſcriptionem ſemper ſervavi ad conformitatem; ſed & lectorem de eo monendum cenſui.*

h *Vide dicta in Commentario num.* 14 *ſub initium.*

i *Liberrima hæc eſt Chriſtianæ fidei profeſſio conjuncta cum indubitata fiducia. Editio Carduli habet:* Et nomina dederunt in cælo; *Judittæ:* Et nomina eorum ſunt in cælo. *Quæ varietas tum hìc tum alibi ſæpe occurrens ſatis oſtendit, ſanctorum horum Martyrum Acta non eſſe accuratè exſcripta & veriſimiliter à deſcriptoribus variis nonnihil immutata.*

k *In editione Carduli & Judittæ ſenſus videtur perfectior, adjectâ voculâ* Abſit.

l *Cardulus & Juditta legunt* ſpirituali.

m *Niſi hæc particula cauſalis ad antedicta referatur, ſenſus apparet mutilus: atque hinc fortè eſt, quòd in Actis impreſſis legatur hoc modo:* Nunc autem certiſſimè ſcias, quòd neque me, neque aliquem ex iſtis, quos vides, à Chriſti fi-
B de deviare poteris, qui ſemel conſcripti ſunt *&c.*

n *Solius Herculis expreſſio, præter ea quæ dixi num.* 14, *facit ut ſuſpicer, non Diocletianum in perſona propria, ſed vel Maximianum auguſtum, vel ejus præfectum huic præſediſſe tragœdiæ: cur enim Diocletianus gloriæ & æſtimationis ſuæ alioqui cupidiſſimus, qui Jovii, tamquam ſi Jovis heres eſſet, nomen ſibi uſurpârat, non juſſiſſet Jovi ſacrificari? In Actis impreſſis ita quidem hoc loco legitur:* Sacrificate deo Herculi & Jovi; *ſed infrà Diocletianus alloquens* SS. Abundium & Abundantium, *equuleo tortos, ſolum Herculem exprimit:* Per virtutem magnam dei Herculis.

o *Non ſatis liquet, cur à ſcriptoribus eccleſiaſticis ita vocetur carcer ille, qui ab ea parte, quam Servius Tullius ædificârat, Tulliani nomen habebat: ſitus autem erat media Urbe in regione octava Fori Romani ad radices capitolii.*

p *Amanuenſium hic error eſt: ex præmiſſis enim, & addita voce* Ceteros *patet legendum eſſe non tredecim ſed viginti tres.*

q *Apud Cardulum legitur* Nonis Auguſti, *quo die Martyrologio Romano inſcripti ſunt.*

C r *De hoc cœmeterio ita ſcribit Aringhus Romæ ſubterraneæ lib.* 4, *cap.* 35, *num.* 1: Veteri via Salaria ſecundo circitèr ab Urbe lapide extructum fuit. Hoc autem titulo idcirco (ut ejus originem altiùs repetamus) inſcriptum appellatumque eſt, vel quòd ſub clivo quodam ſitum erat, qui cucumeris formam intuentibus præ ſe ferret; vel certè, quia id genus poma ab agricolis ibidem ſeri conſueverant; vel demum, ut nil prorſus lectorem lateat, ob pomi ejuſdem formam alicui lapidi vel ædificio inſculptam, ex quo ſubinde locus nomen traxerit, quod pleriſque aliis in Urbe locis contigit &c.

f *Satis amplam fuiſſe Chriſtianos captivos inviſendi libertatem, probant varia Sanctorum Acta. Conſule, ſi lubet tom.* III *Septembris, Commentarium prævium ad Acta S. Adriani, num.* 22.

t *Dies viginti duos tantùm ſcribunt Acta impreſſa: at neutrum ſpatium videtur ſatis amplum, ſi iis diebus, quibus coluntur, paſſi ſint tum* 23 *anonymi martyres, tum* SS. Abundius & Abundantius: *nam inter diem* V *Auguſti &* XVI *Septembris, mediant dies quadraginta & unus: utcumque autem diu dicantur cruciati equuleo,* D *non eſt tamen credibile, eos ſupplicio iſto affectos fuiſſe totos decem aut ampliùs continuos dies: nec tamen in Actis ulla fit mentio aut aliorum cruciatuum, aut alterius in carcere detentionis.*

u *In exemplari Senenſi, inquit Cardulus in Notis,* Scriptum eſt in tellure: *atque hinc opinatur,* Telludem dictam, quaſi telluris ædem. *Templum autem illud juxta Publium Victorem de Regionibus urbis Romæ, ſitum erat in quarta regione, dicta Templum pacis.*

x *Baluzius in Notis ad Acta S. Sabini ſic habet:* Conſueviſſe judices judicare Chriſtianos in foro, ſpectante populo, probant præter alia teſtimonia, Acta ſanctorum Saturnini, Dativi & ſociorum cap. III, & Acta ſancti Pontii martyris cap. XVI. *Poſteriora, à Valerio teſte oculato conſcripta habes in Opere noſtro ad diem* XIV *Maii; priora verò ad diem* XI *Februarii.*

y *Senſus hic videtur; niſi iſti de medio tollantur, non ſatis à Chriſti cultu deterrebitur populus, ſed, ut in Actis Carduli ſequitur:* Omnis civitas Romana ad horum ſectam curret.

z Via.. hæc à porta initium ſortitur, quæ Flu-
E mentana olim,...Flaminia verò deinde,.. nuncupata eſt.... Verùm hac noſtra ætate... Populi porta denominatur, quippe quæ frequentiori præ cæteris adeuntium pede atteritur, ac paſſim confluentium ore celebratur, per quam videlicet catervatim populus, ut ita dicam, in urbem quotidie influit: *Ita Aringhus lib.* 4 *Romæ ſubterraneæ, cap.* 38, *num.* 2. *Alii credunt eam appellatam portam Populi à populo arbore ibidem frequenti. Viam autem hanc à Flaminio viro conſulari denominatam fuiſſe tradunt auctores apud laudatum Aringhum; ſed alii Flaminio ſeniori, juniori adjudicant alii.*

aa *Decimo ab Urbe milliario legunt tum Martyrologium Romanum, tum Acta Carduli, qui in Notis ſuis litterâ* f *ſic ſcribit:* In Senenſi exemplari legitur uno milliario (*habet tamen Vita Judittæ Luti* decimo) ſed perperam ſine dubio & mendosè, cùm id ſequenti narrationi repugnet. Marciani *ad civitatem Lubram occurſum certè deſignat laudatus editor, ſic proſequens:* Romanum habet XIV, quod quidem reprehendi non poteſt: ſed utro modo ſcribatur x an XIV, parùm aut nihil penitus refert: neutrum enim ab hiſtoriæ veritate diſſentit. *At ſi ſcribatur* decimo milliari, F *non videtur ſatis apta conjectura Carduli de civitate Lubra: nam juxta hanc Lubra diſtabat Româ duodecimo ferè milliari, & in Actis Sancti dicuntur etiam longiùs progreſſi ad deſtinatum agoni ſuo locum.*

bb *Legitur etiam, inquit Cardulus, Lubram numero ſingulari. Vide quæ de Lubra diximus in Commentario num.* 15.

cc *Aut facultatem hanc trucidandi obvium quemque Chriſtianum, idolis ſacrificare renuentem, milites à tyranno acceperant, aut quidam fortè præfectus vel judex aderat, qui hoc ad fidem Chriſti acceſſu actus in rabiem ſtatim* Marcianum *cum filio* Joanne *capite plecti juſſerit.*

dd *Acta Carduli habent* XVI Kalendis Octobris, *quem diem tamquam illorum natali ſacrum, ſervat Martyrologium Romanum.*

ee *Deſcribentium oſcitantiæ hoc adſcribendum videtur, legendumque cum Cardulo,* vehiculo.

ff *Conſule dicta de prædio Theodoræ in Commentario num.* 33 & 34. *Cardulus in Notis dicit viginti tantùm milliaria jam numerari, quia breviora erant olim, quàm hodie ſint milliaria,*

id-

A *idque exemplis probat, quem, si lubet, consule.*

APPENDIX

De variis translationibus sacrorum corporum, locisque quibus reliquiæ eorumdem concessæ sunt.

CAPUT I.

De prima translatione ex ecclesia Arinianensi:

B

PARS. I.

Dubia quædam de translationis auctore & tempore discutiuntur.

Translationum Historiæ unde edendæ.

EX præmissa martyrii Sanctorum nostrorum Historia constat, illorum corpora religiosè collecta & asportata fuisse in prædium B. Theodoræ, de cujus situ, erectaque ibidem lapsu temporis ecclesia, aliqua disseruimus in Commentario num. 33 & 34. Eo loco per annos circitèr septingentos jacuisse Martyrum exuvias scribit Cardulus (verba dedi num. 6) & rectè: neque enim translationem ullam, etiam partis alicujus reliquiarum, à quoquam memoratam reperio; antequam ex Arinianensi ecclesia corpora SS. Abundii & Abundantii ab Ottone III in S. Adalberti, sanctorum verò Marciani ac Joannis in Beatissimæ Virginis basilicam Castellanam à Crescentiano translata sunt. De hac translatione aliisque pauca delibavimus

C § 3 Commentarii prævii, ubi etiam aliqua attigimus de locis ipsorum venerationi erectis, aliisque in quibus sacræ ipsorum exuviæ quiescunt & cultu ecclesiastico honorantur: sed quæ ibidem de translationibus ac locis, quæ Martyrum istorum reliquiis nobilitata sunt, breviter diximus, operæ pretium visum est hìc enucleatiùs prosequi. Utar autem Carduli ac Judittæ relationibus prelo vulgatis: quæ tamen superflua videbuntur, brevitatis ergò aut omittam, aut pauculis verbis referam, ac per decursum, cùm necesse fuerit, non nulla observabo.

Otto III basilicam S. Adalberto

2 Arinianensis codex, ex quo primæ translationis historiam Cardulus descripsit, multa præmittit de Vita S. Adalberti, episcopi Pragensis ejusque martyrio: ea in Opere nostro fusè deducta curiosus lector inveniet ad diem XXIII Aprilis, quæque cùm ad rem præsentem non pertineant, resecanda censui, sed & antequam translationem ipsam refero, non nulla disputanda sunt. Atque in primis perperam ab aliquibus Ottoni II imperatori adscribitur erectio ædis sacræ, ad quam SS. Abundii & Abundantii reliquiæ delatæ sunt ex Arinianensi ecclesia: nam Otto II è vivis excessit anno 983; sanctus verò Adalbertus non nisi anno 997 martyr occubuit: & tamen basilica quæ nunc S. Bartholomæi dicitur, numquam anterioribus temporibus legitur insignita fuisse alio titulo quàm S. Adalberti. Vide, si lubet, tom. V Augusti, Gloriæ posthumæ S. Bartholomæi cap. 3, § 4, num. 227. Hujus igitur ecclesiæ auctor habendus Otto III, quem codex Arinianensis laudatæ basilicæ institutorem signat his verbis: Qui (*Otto III*) manus (*brachium scribit Dlugossus aliique*) ejus (*S. Adalberti*) auferens, auro & gemmis mirè exornavit, & ecclesiam nomini ejus inter duos pontes fabricavit & magnæ dignitati tradidit. *Eam nempe dicit Cardulus multis ab Ottone prædiis, muneribus ac privilegiis donatam fuisse, ut constat ex litteris Friderici I Ænobarbi imperatoris.*

AUCTORE U. S.

erexit in insula Tiberina.

3 Ipsius quoque ecclesiæ situm non inutile fuerit latiùs exponere. Insula, quæ olim à Tiberi Tiberina, & Lycaonia à Jovis Lycaonii templo appellata fuit, passim nunc S. Bartholomæi dicitur: tria quondam in hac insula exstiterunt idolorum templa, Jovis nempe Lycaonii, Æsculapii & Fauni: ad Æsculapii fanum erectam fuisse ab Ottone III S. Adalberti basilicam, scribit Cardulus in Notis, aitque eam vocari inter

E duos pontes *ea ratione, quâ alia quædam Urbis loca nuncupantur* inter imagines, inter duas lauros, inter duos hortos. *De pontibus hisce ita scribit laudatus Cardulus:* Alter pons, qui insulam Urbi conjungit, ab auctore Fabricius dictus est.... Hodie Quatuor capitum vulgò vocatur ab Jani, sive Termini quatrifrontis marmoreis simulacris, in pontis aditu humi defixis. Alter item, qui Transtiberinam regionem attingit, ab auctore olim Cestius, modò S. Bartholomæi à proxima B. Apostoli basilica nuncupatur &c. *Nec sanè dubium est, quin tam ecclesia, quam pons & insula ipsa S. Bartholomæi nomen induerint ob traditionem de asservato ibidem sancti hujus Apostoli corpore.*

Translatio prima videtur omnino

4 Restat, ut translationis, de qua hìc agimus, epocham figamus, ex qua sponte fluet tempus erectæ S. Adalberto ecclesiæ: nam, ut testatur codex Arinianensis, basilica hæc ab Ottone III erecta fuit ad honorificè recondendum S. Adalberti reliquias, & ad eamdem exornandum quæsitæ sunt & translata aliorum Sanctorum corpora. Translationis annum non exprimit laudatus codex, sed diem signat his verbis: Et eorum (*Martyrum nostrorum*) sanctæ reliquiæ inventæ ac delatæ sunt, F sive translatæ XII Kalend. Decembris. *Non potest igitur translatio contigisse ante annum Christi* 1000, *multis jam mensibus provectum: nam, prout constat ex Chronico Hildesheimensi, annum ordiente à Natali Domini, Otto III non nisi anno* 1000 *Quadragesimæ tempore ad S. Adalberti tumulum orationis causâ accessit, eodemque Romam reversus Christi Nativitatem ibidem celebravit: de donatis autem à Boleslao Polonorum duce Ottoni III S. Adalberti reliquiis, liquet ex Dlugloſſo, quamvis hic perperam profectionem illam Ottonis referat anno* 1001.

innectenda anno 1000?

5 Cardulus, ut diximus in Commentario num. 7, translationem illigat anno circitèr 1001, & in Notis ædificationem ecclesiæ S. Adalberti & ipsam consequenter translationem refert ad eumdem annum: ego verò omnino censeo translationem innectendam esse anno 1000. Epochæ nostræ favent multa, atque in primis auctoritas Leonis Ostiensis, qui lib. 2 Chronici Casinensis, cap. 24 asserit, Ottonem III anno redempti orbis 1000 à Beneventanis postulâsse S. Bartholomæi apostoli corpus,

AUCTORE U. S.

pus, & apud insulam honorificè condidisse acceptum ab illis corpus S. Paulini: cùm enim eo anno de transferendis sancti Apostoli exuviis cogitârit Otto, non videtur aptiori tempore collocari posse Sanctorum nostrorum translatio, pro quorum corporibus obtinendis non adeò ipsi videtur laborandum fuisse. Favet item memoratus codex Arinianensis, factæ Sanctorum Abundii & Abundantii *translationi assignans diem* XX *Novembris, qui minimè, ut mox videbimus, conciliari potest cum anno* 1001. *Denique non obest ratio temporis, quo minùs dici possit, factum illud accidisse die* XX *Novembris anni* 1000, *ut ostendam, ordinando gesta Ottonis III posterioribus vitæ annis præcipua, de quibus lis aliqua posset moveri. Disputatio autem tota eò vergit, ut Arinianensis codicis scriptio in sensu proprio illæsa conservetur, quæ monumentis antiquis debetur veneratio, quando nihil afferri potest, quo fides illorum elevetur: nil autem legi uspiam, quo ostendatur errorem cubare in die signato ab auctore codicis Arinianensis.*

discutitur opinio Cardulí

6 *Audiamus modò, quid in confirmationem epochæ suæ adferat Cardulus, ita in Notis loquens num.* 15: Id ab ipso (*Ottone III*) factum oportuit anno Christi MI, quo anno is in Italiam magna celeritate se retulit;.... tunc bellica cura & labore perfunctus, ut piaculares functiones sibi jam pridem à beato Romualdo, quòd Crescentem, sive Crescentium consulem Romanum contra interpositam fidem occidisset, injunctas obiret (cùm jam antea eo nomine apud Ravennam in S. Apollinaris Classensi cœnobio,.... totam Quadragesimam cum paucis familiaribus,... transegisset) Casinum adiit duasque coronas argenteas S. Benedicto donavit, inde nudis pedibus ad Garganum montem contendit *&c. Hanc maximam partem hausit Cardulus ex Sigonio lib.* 7 *de regno Italiæ, circa finem. Verùm, ut rectè observârunt viri eruditi, qui Sigonii Historiam annotatis illustrârunt, multò antè in Italiam reversus fuerat Otto, quod ex dicendis manifestum fiet. De anno exactæ ab Ottone III in Classensi cœnobio Quadragesimæ quamvis nihil hîc attineat dicere, malim tamen sentire cùm Mabillonio, infrà laudando, & pœnitentiam illam innectere anno* 1001, *ad quem omnino videtur illa pertinere, ut facilè lector poterit observare.*

C

illam illigantis anno 1001.

7 *Anno autem* 999, *vel* 998 *illigandum est iter Ottonis III Casinum & oblatio duarum coronarum, quod utrumque Cardulus innectit anno* 1001. *Pro anno* 998 *facit, quod scribit Leo Ostiensis lib.* 2 *Chronici Casinensis, cap.* 22: Hic (*Joannes, abbas Casinensis hujus nominis tertius*) primo anno ordinationis suæ recepit præceptum confirmationis totius abbatiæ ab Ottone tertio imperatore... Quo etiam tempore idem imperator, hîc per dies aliquot remotus, duas coronas argenteas beato Benedicto obtulit. *Nam annus primus Joannis abbatis III coincidit cum anno Christi* 998, *ut ostendit Peregrinus in Serie abbatum Casinensium pag.* 43: *Nuceus quoque in Notis ad laudatum Ostiensis locum sic adnotat:* Datum (*præceptum Ottonis*) VIII Kal. Junii anno Christi DCCCCLXXXXVIII. Regest. num. CXXV. *Diploma illud Ottonis III integrum refert Erasmus Gattula in Accessionibus ad Historiam Casinensem pag.* 91 *& sequente, datumque legitur Romæ laudato die & anno: si igitur voces,* Quo etiam tempore, *ita accipiamus, ut annum primum Joannis abbatis currentem designent, donatio Ottonis, ab Ostiensi memorata, figenda est anno* 998: *verùm cùm eadem voces non incongruè ita sumi possint, ut aliquot mensium extensionem patiantur, maximè cùm ad eum locum observet Nuceus,* Deficit, quo etiam tempore, *nil vetat Ottonis ad ecclesiam Casinensem profectionem innectere anno* 999: *ceterùm de anno illo statuat lector, quod voluerit, neque enim propriè controversiam præsentem spectat. Reliqua discutiamus.*

D

Vindicatur fides Leonis Ostiensis,

8 *Pro stabilienda epocha mea num.* 5 *adduxi Leonem Ostiensem, adeoque illius hîc mihi fides vindicanda est. Eruditi observatores, de quibus suprà, ad finem libri* 7 *Sigonii sic aiunt:* Peregrinationem autem Ottonis ad montem Garganum post oblatas in monte Casino argenteas coronas anno millesimo affigit (*Leo Ostiensis,*) sed citra verum, cùm annum illum ferè totum in Germania egerit Otto imperator. *Peregrinatio Ottonis ad montem Garganum verè ab Ostiensi illigatur anno* 1000. *De tempore, quo votiva dona in monte Casino obtulit, ex jam dictis statue: sic autem annum* 1000 *in Germania non exegit Otto, ut falsum sit, quod de ejus ad archangeli Michaëlis templum profectione anno eodem instituta Ostiensis scribit. Chronologiam præcipuorum gestorum Ottonis annis* 999 *&* 1000, *in quantum ea illustrandæ ac confirmandæ epochæ à me suprà assertæ inservit, subnecto, simulque ex ejus ordinatione ostendere intendo, Leonis Ostiensis dicta falsitatis immeritò argui, cùm iter Ottonis in Poloniam minimè obstiterit, quo minùs eodem anno* 1000 *ad Garganum montem piaculares functiones obiturus accedere potuerit, & S. Bartholomæi ossa à Beneventanis expetere ac Romam deferre, seu sancti Apostoli (quod hîc non inquirimus) seu alterius cujuscumque Beati corpus.*

E

& ex serie gestorum Ottonis,

9 *Joannis pseudopapæ ejusque fautoris Crescentii nece turbas Romæ compositas fuisse anno* 998 *nemo jam meritò negaverit. Eventum hunc ex auctore Vitæ S. Nili Hegumeni Pagius in Critica innectit mensi Martio. Tam schismatis hujus finem quàm & alia quædam Ottonis gesta hunc secuta perperam refert Sigonius ad annum* 997, *qui similiter Gregorii V obitum anno uno anticipat, adeóque quæ is narrat ab Ottone facta anno decessûs Gregorii retrahenda sunt ad annum* 999. *Diploma Ottonis III, memoratum apud Gattulam Historiæ Casinensis seculo* VI *pag.* 312, *testatur, illum hoc anno Capuæ moratum fuisse, sed dubium est, ut agnoscit Gattula, legendumne sit mense Martio, an Majo: posterior mihi lectio præplacet, quia, defuncto* XII *Kalendas Martii Gregorio V, Silvester II tantùm quarto Nonas Aprilis successit, nec verisimile est, ante Silvestri ordinationem Româ procul abfuisse imperatorem, de rebus Ecclesiæ rectè disponendis maximè solicitum, cujusque favor ad sublimandum Silvestrum summopere juvit, ut tradunt scriptores.*

F

variisque diplomatibus

10 *Ejusdem anni* 999 *mense Junio, aut Julio Beneventi fuit Otto:* Inde (*verba sunt Sigonii loco laudato*) Augusto mense Otho in agro Lucensi fuit, per Decembrem autem Ravennæ, *ac paulò pòst:* Eo anno (1000) Otho profectus in Germaniam V Idus Maii Aquis transegit, unde etiam diplomata dedit: *quale Cremonensi ecclesiæ dicto die & anno concessum refert Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ. Redierat jam tum ex Polonia, ut constat ex chronographo Hildesheimensi & cum S. Adalberti reliquiis Italiam repetebat: tempus autem abundè suppetit absolvendis ante Kalendas Novembris itineribus à Leone Ostiensi assertis; ante Kalendas Novembris, inquam, quia eum Romæ fuisse Kalendis Novembris anni* 1000 *constat*

ex

A *ex diplomate in favorem eccleſiæ Vercellenſis dato, quod apud Ferrerium de Epiſcopis Vercellenſibus curioſus lector inveniet. Itinera iſta ſic ordinat Mabillonius tom.* 4 *Annalium Benedictinorum, pag.* 141 : Inde (*Aquiſgrano*) Alpes iterum emenſus Otto Italiam repetit.... Papiam ubi advenit, bona & poſſeſſiones ſuburbani ſancti Salvatoris monaſterii.... pridie Nonas Julii confirmavit. Inde Romam versùs progreſſus, Romualdo hortante,.... Garganum montem.... nudis pedibus adit, luſtrato obiter Caſinate monaſterio, ubi duas coronas argenteas... donavit.

ac monumentis aliis oſtenditur,

11 *Tota iſta Mabillonii diſpoſitio certè talis eſt, ut fidem mereatur, nec quidpiam video, quod eam poſſit evertere : ſed cùm Leonis Oſtienſis verba non exigant imperatoris ad Caſinenſes iter pro anno* 1000, *imò Ottonis dona illiget Leo anno* 998 *vel* 999, *ut diximus hìc num.* 7, *itineri ad Caſinenſes ſubſtituatur Beneventanum, niſi quis velit, quod neceſſe tamen non eſt ad propoſitum noſtrum, utrumque iter ad Caſinenſes & ad Beneventanos eo anno contigiſſe, & facilè quivis perſpiciet ſpatium quatuor ferè menſium, quod fluxit à die* VI *Julii, quo Papiæ ſubſtitit, uſque ad*

B *diem Octobris ultimum, quo Romam denùò regreſſum fuiſſe Ottonem oportet dicere, ſatis longum eſſe, ut, reconditis in inſula Tiberina S. Adalberti reliquiis, montem S. Michaëlis adire, Beneventanos pro obtinendis ſacris pignoribus convenire* (*adde, ſi lubet, & Caſinenſes*) *atque in Urbem regredi potuerit. Tempus etiam minimè deeſt inter diem* I *&* XX *Novembris conquirendis & Ariniano Romam deferendis ſanctorum Martyrum corporibus, ut manifeſtum eſt : nihil igitur obeſt, quo minùs adhæreatur epochæ tranſlationis Martyrum noſtrorum à me affixæ anno* 1000, *ſorveturque, ut antè monui, ſcriptio codicis Arinianenſis.*

factum iſtud ſerius quàm anno 1000

12 *At in Carduli ſententia, aſſignantis tranſlationi annum* 1001, *dies celebritati iſti attributus ab auctore manuſcripti Arinianenſis planè deferendus eſt. Otto enim, de quo laudatum manuſcriptum loquitur ut Romæ præſente, cùm inventa & tranſlata fuerunt* SS. Abundii & Abundantii *corpora, non videtur Romæ fuiſſe die* XX *Novembris anni* 1001, *ſed Ravennæ. Id colligo ex diplomate ejus, quo archiepiſcopo Ravennati varia conceduntur privilegia. Videri poteſt apud*

C *Ughellum in archiepiſcopis Ravennatibus col.* 359, *ubi in margine adnotatum eſt, illud à Fontanino haberi ut ſuppoſititium, ſed à Muratorio vindicari. Quidquid autem ſit de hoc diplomate,* X *Kal. Decemb. Ravennæ dato, aliunde manifeſtè conſequitur, poſtremis anni* 1001 *menſibus longè aliam Ottoni III fuiſſe curam, quàm de exornanda Romæ S. Adalberti baſilica : nam Romani novas tunc turbas ciebant vel contra Silveſtrum Papam, ut ſcribit Sigonius, vel contra Ottonem ipſum, ut B. Petrus Damianus, mox laudandus, aſſerit, quibus componendis Otto totus tunc incubuit. Conſtat hoc tum ex Vita S. Heriberti archiepiſcopi Colonienſis, apud nos tom.* 2 *Martii, pag.* 470, *num.* XI, *tum ex Vita S. Romualdi, apud nos tom.* 2 *Februarii : aliqua ex poſteriore hìc tranſcribo.*

collocari non poſſe.

13 Videns ergò Romualdus, quòd ſecundùm ſuæ voluntatis ardorem ibi (*in Pereo ſive Pereta inſula* 12 *milliaribus Ravennâ diſtante*) laborare non poſſet, regem (*Ottonem III Imperatorem*) protinus adiit & acceptæ promiſſionis exactor, ut rex monachus fieret, inſiſtere vehementiùs cœpit. At ille facturum ſe quidem, quod exigebatur, aſſeruit, ſi tamen priùs Romam, quæ ſibi rebellabat, impeteret, &, eâ devictâ, Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus, Si Romam, inquit, ieris, Ravennam ulteriùs non videbis.... Rex itaque ſecundùm beati viri prophetiam vix à Roma reverti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus eſt. *Obitus Ottonis anno* 1002 *à nemine ſerius collocatur, quàm die* XXVIII *Januarii, & diebus aliquot citiùs contigit ſecundùm Hildesheimenſem chronographum, Hermannum Contractum ac Ditmarum. Ex hactenus autem diſputatis epocha mea, ſi non omnino certa, longè ſaltem veriſimilior evadit : fuſiùs autem hìc diſſerui, quàm neceſſe videri cuiquam poſſet, ob rationem allatam num.* 5 *circa finem. Nunc laudatæ tranſlationis Hiſtoriam ſubnecto.*

AUCTORE U. S.

PARS II.

Prima inventio atque Tranſlatio ex codice Arinianenſi deſcripta, & à Fulvio Cardulo S. J. edita.

E

Qua occaſione & quò tranſlata ſint

TUnc *a* incœpit inquirere corpora ſanctorum martyrum, & præcepit, ut ubicumque inventa fuiſſent, ad eccleſiam B. Adelberti deportarentur : & nunciatum eſt illi, quòd in eccleſia *b* beati Abundii & Abundantii martyrum, quæ eſt juxta montem Soractis *c*, erant plura ſanctorum martyrum corpora, qui miſit ſuos nuncios, epiſcopos, & clericos, & monachos, ut cum omni honore & diligentia & hymnis Dei ad eccleſiam beati Adelberti *d* ea deferrent. Qui protinus abierunt & cœperunt inquirere, ubi eſſent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii & Abundantii poſita & in alio corpus beatæ Theodoræ *e*, quæ in prædio ſuo eos ſepelierat. Invenerunt etiam inter F eos ſanctos martyres *f*, qui habebant inauratas veſtes & mirè exornatas & ſuper altare eorum menſam ſculptam & nimis decoratam. Et deportata ſunt omnia ſecundùm juſſum imperatoris ad eccleſiam beati Adelberti martyris.

a
b
c
d
e
f

Sanctorum noſtrorum corpora.

15 Tunc epiſcopus, qui præerat ſanctæ Caſtellanæ eccleſiæ, Creſcentianus *g* nomine, poſt ſanctorum prædictorum Martyrum corpora deportata cœpit triſtis eſſe, etiam & plorare; & accedens ad locum eumdem, cœpit quærere diligenter, & ampliùs inferiùs fodi fecit, ſi ibidem remanſiſſent aliqua corpora Sanctorum, quæ ſibi conſolationem præbuiſſent : quod Dei nutu factum eſt; & invenit ibi corpora beatorum martyrum Marciani & Joannis filii ejus, quos beatus Abundius presbyter & martyr baptizaverat; & cum magno honore & reverentia collectis clericis, ad civitatem Caſtellanam *h* ipſa corpora cum lætitia deportavit.

g

h

SS. Marciani ac Joannis tranſlatio

16 Et dum juxta eccleſiam beati Eutichii *i* martyris tranſirent, ii, qui ea deferebant, viderunt ex imagine beatæ Theodoræ, quæ ibi erat depicta, aquam incipientem defluere, ita ut etiam ſacerdotes, qui ibidem vigilias celebrabant,

i

AUCTORE U. S.

ex ea faciem ſibi lavare potuiſſent. Quod Omnipotens ad hoc demonſtrâſſe putandus eſt, quòd ſanctorum Martyrum abſentiâ locus, in quo ſepulti fuerunt, in prædio beatæ Theodoræ captivus *k* remanſit. Quæ quidem aquæ emanatio nec antea viſa fuerat, nec poſtea viſa fuit; & deportata ſunt in eccleſiam beati Hippolyti martyris, quæ eſt in crypta ſupra portam civitatis ejuſdem ædificata. Et dum in ipſam eccleſiam delata fuiſſent, novum ibi miraculum eſt exortum. Lilia namque, quæ in præfata eccleſia ex multo tempore jam aruerant, licèt tunc frigida hiems eſſet, mox in ipſorum introitu emiſerunt florem & odorem, ſicut & verno tempore, cùm Dei omnipotentis nutu & lilia florent, & omnis herba vireſcit & pollet. Quod epiſcopus & comes & omnes cives teſtati ſunt ſe vidiſſe.

k

17 Qui quidem epiſcopus Creſcentianus ſtatim miſit ſuos nuncios ad Lambertum epiſcopum ſanctæ Poliſmartis *l* eccleſiæ, & epiſcopum ſanctæ eccleſiæ Galleſanæ *m*, ut cum honore, hymnis & Dei laudibus ad eccleſiam glorioſæ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ *n* deferrentur. Et convenientes epiſcopi & clerici tota nocte in vigiliis, orationibus & hymnis Deo vacârunt: quæ inſurgente auſtro à ſero uſque manè crebris pluviis inundavit. Manè autem facto, cunctis ipſius civitatis collectis habitatoribus, unà cum comite & conjuge ſua, efferentes corpora Sanctorum prælibata, introduxerunt ea in eccleſiam beatæ Virginis ſupradictæ; ſed mox ut eadem corpora Sanctorum de eccleſia beati Hippolyti ſupradicta educta fuiſſent, inundatio pluviæ ſtetit, & cæli ſerenitas pariter ſecuta. Et ſic cum gaudio unuſquiſque ad propria remeavit, Miſſis primò ſolemniter celebratis.

ad civitatem Caſtellanam, miraculis

l

m

n

B

18 Sed miro modo aliud enarro miraculum. Quædam puella, quæ erat in ipſa civitate, maxima infirmitate detenta diu noctuque vigilias ducebat, & omnino dormire non poterat; quam parentes ejus ad obtinendam ſalutem ad reliquias eorumdem ſanctorum Martyrum perduxerunt: & ita ipſorum Sanctorum meritis incolumis eſt reducta, acſi nulla fuiſſet infirmitate detenta. Aliud etiam miraculum narro. Inventæ fuerant in tumulis ſanctorum Martyrum marmoreæ tabulæ niveo candore decoratæ, tanti ponderis & magnitudinis, ut nec à quatuor paribus boum trahi potuiſſent, quæ ad honorem Dei & Martyrum prædictorum uni vili pari boum junctæ tanta celeritate deportatæ ſunt, acſi nullum in ſe pondus habuiſſent; qui dum ante præfatam eccleſiam Dei Genitricis veniſſent, convenerunt multi, ut eas in ipſam eccleſiam introducerent.

& beneficiis illuſtratur. Ex tabulis

C

19 Una autem ex his marmoreis tabulis, quæ præ nimia latitudine ad altare intromitti non poterat, tam ingens erat, ut vix à quindecim viris deferri poſſet. Columna marmorea & trabs, quæ erat ante altare, ſuper collum epiſcopi & qui cum eo aderant, cum hac tabula cecidit, ſed Domini gratiâ nec fracta nec læſa fuit, nec aliquis aliquam perſenſit læſionem. Tunc Creſcentianus epiſcopus, collecto clero, altare B. Genitricis à novo ex eadem tabula marmorea & aliis ſuprà ſcriptis conſtrui fecit: & illam, quam ſuper corpus beati Abundii & Abundantii *o* invenit, in ſuperiori parte altaris poſuit; & aliam, quam ſupra corpus beatæ Theodoræ adinvenit, ex ea parte, quâ conſiſtit presbyter celebrans, conſtituit.

in ſepulcro inventis

o

20 Alias autem aliis partibus ipſius altaris annexuit; & ita per quatuor angulos altare à fundamento ædificavit. Inventæ fuerunt etiam in tumulis eorum ſtructuræ ferri, quæ continebant eorum ſepulcra, ex quarum ferro idem D. epiſcopus quamdam capſulam ligneam noviter fabricatam circumdari & aſtringi fecit: & ibidem ſanctas reliquias condidit, ipſamque in idem altare intromiſit. Paſſi ſunt autem ſancti Martyres XVI Kalend. Octobris ſub Diocletiano & Maximiano, crudeliſſimis imperatoribus: & eorum ſanctæ reliquiæ inventæ ac delatæ ſunt ſive tranſlatæ XII Kalend. Decembris ſub D. Othone III magno imperatore: reconditæ verò ſunt à Creſcentiano epiſcopo in eccleſiam beatæ ac ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ Idibus Januarii in Octavis Theophaniæ *p* ad honorem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria & poteſtas & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

D

altare novum ædificatur.

p

ANNOTATA.

a *Poſt reconditas nempe reliquias S. Adalberti, de quo non nulla præmittit auctor: de tempore autem ſatis dictum eſt § 1 hujus Appendicis.*

E

b *Vide dicta de hac eccleſia tum in Commentario num.* 33, *tum in Appendice num.* 1.

c Mons eſt, *ut notat Cardulus*, in Etruria prope Tiberim in finibus Vejentûm & Phaliſcorum, olim Apollini ſacer; .... poſtea exploſo idolorum cultu, ... ſancti Silveſtri primùm receſſu ac latebra, deinde templo etiam celebris, mutato nomine, ut oppidum ad ejus radices Tiberi imminens, ſic mons ipſe, ut Blondus & Volaterranus ſcribunt, ſancti Silveſtri à Chriſtianis eſt dictus.

d *Hallucinatus videtur Ughellus, dum Italiæ ſacræ tom.* 1 *in civitatis Caſtellanæ epiſcopis B. Adalbertum inveniſſe corpora Sanctorum noſtrorum, ſcripſit in hunc modum:* Cúmque aliquando accidiſſet, B. Adelbertum corpora SS. martyrum Abundii & Abundantii ſub Soracte monte (*potiùs juxta, vel, non procul ab eo*) Creſcentianæ diœceſis reperire *&c. Hallucinatur, inquam, dum inventionem ſacrorum corporum B. Adalberto attribuit: nam editus à Cardulo codex Arinianenſis nullum Adalbertum hujus inventionis auctorem facit: non aliis tamen documentis ullis niti videtur Ughellus, quàm vulgatâ à Cardulo Hiſtoriâ;* Quæ, *inquit*, ſi tacuiſſet, nulla Creſcentiani mentio fortaſſe dimanâſſet ad poſteros. *Non poteſt autem Adalberto illi, cujus meminit laudatum ab Ughello inſtrumentum, inventio hæc attribui: is enim jam anno* 997 *glorioſus martyr occubuerat, & ejus ſacræ ædis exornandæ gratiâ ſanctorum martyrum corpora inquirebantur ab Ottonis III miniſtris. An autem circa hæc tempora floruerit alter quidam B. Adalbertus, qui unus eſſe potuerit ex miniſtris Ottonis, diſputare non vacat, cùm veriſimile ſit, ab Ughello, apographum ſuum non ſatis accuratè inſpiciente, eum inventionis auctorem factum eſſe, cujus venerationi apud fideles augendæ ſtudens Otto ſanctorum Martyrum corpora quæri juſſit. Sed nec felicius annum* 998 *tranſlationi aſſignavit laudatus Ughellus, ut ex diſputatis § præcedente evidens eſt.*

F

e *Ex ſequentibus conſtat*) *B. Theodoræ corpus etiam delatum fuiſſe ad eccleſiam S. Adalberti: quod an etiam nunc ibi requieſcat, an verò alò aſportatum ſit, inquiri poterit ad diem ſequentem.*

f *Qui*

A f *Qui fuerint illi, non exprimitur : verisimile mihi est, istos censeri posse ex eorum numero, qui sub Diocletiano passi à B. Theodora fuerant sepulturâ donati.*

g *Vide dicta ad litter. d.*

h Sitam, *inquit Cardulus*, viâ Flaminiâ, ultra Arinianum, VII mill. Hanc Blondus & Volaterranus Fescenniam à Plinio, Fescennium à Catone & Strabone vocatam confirmant: Solinus ab Argivis ædificatam testatur. *Plura qui desiderat, adeat Ughellum, Orlendium, Cluverium, aliosque.*

i *Juditta hic scribit* Eustachii: *ecclesia hæc verisimiliter sita fuerit in transitu Ariniano ad Castellanam civitatem; ceterùm incompertus est mihi situs ejus, uti etiam, scribendumne sit Eutichii an Eustachii, nec operæ pretium visum est operiosiùs indagare.*

k Locus hic captivus vocatur, *ait Cardulus*, non ut Latini loquuntur, vinctus & in alterius potestatem redactus, sed per abusionem viduus & privatus.

l Blondus & Sigonius Polimartium nominant: hodie vulgò Bomartium vocatur. Oppidulum est
B in Etruria, nunc Balneoregiensis diœcesis, XIV milliario à civitate Castellana. Videtur ergo corrigendus hic locus, scribendumque Polimartii ecclesiæ. *Ita Cardulus hîc.*

m Gallienſium oppidum lib. I Italiæ illustratæ de Etruria scribens Blondus appellat: Sigonius in Historia de Regno Italiæ, ceterique ferè scriptores Gallesium sive Castellum Gallesii. Id situm est in Etruria Castellanam civitatem inter, Ortamque, sive, ut Plinio placet, Hortanum, distatque à Tiberi amne paulò ampliùs mille passibus: à Castellana civitate VII mill., ab Orta totidem. Multis jam ætatibus hæ tres ecclesiæ Castellana, Ortana & Gallesana ab uno episcopo gubernantur. *Ita sæpe laudatus scriptor.*

n *Primariam & episcopalem Castellanæ diœcesis, ut tradit Ughellus, aliique.*

o *Cùm, teste Ughello, Arinianum ad Castellanam diœcesim pertineret, fortè Crescentianus episcopus adfuit, cùm ministri Ottonis III effoderent* SS. Abundii & Abundantii *ac B. Theodoræ exuvias; fortè intellexit ex aliis, qui interfuerant, aut certè ex indiciis quibusdam cognovit, tabulas, de quibus & hîc & paulò pòst, sacris*
C *hisce corporibus impositas fuisse.*

p *Vox hæc* Theophania, *quæ olim usurpabatur tam pro Nativitatis quàm pro Apparitionis Dominicæ festivitate, ut docet Cangius in Glossario, hîc per adjunctas Idus satis determinatur, ut intelligamus, elevationem sacrarum reliquiarum factam esse in die Octava Apparitionis; est autem vox à Græco* Θεὸς *Deus &* Φαίνω *appareo.*

CAPUT II.

De translationibus aliis, reliquiisque ad varias ecclesias missis.

Conjectura Cardulî de tempore,

COnstat *ex dictis, corpora* SS. Abundii & Abundantii *in ecclesiam, nunc S. Bartholomæi dictam, illata fuisse anno Christi* 1000, *ibidemque honorificè recondita: at quanto temporis spatio in ista basilica requieverint, incompertum est, uti & quo seculo & anno inde asportata fuerint in sacram SS. Cosmæ & Damiano ædem, è cujus altari lateritio die* XVIII *Augusti anno* 1582 *effossi fuerunt horum Martyrum loculi. Cardulus, ut vidimus in Commentario num.* 7, *circa translationis hujus auctorem & tempus omnia investigavit, nec tamen quidquam deprehendere potuit, quod fidem minimè dubiam mereretur: attamen laudatus scriptor suspicatur, translationem hanc incidisse in pontificatum Innocentii II, qui Honorio itidem II successit die* XIV *vel* XV *Februarii anni* 1130, *& adversarium vel eodem vel postero die nactus est Petrum Leonis, Anacletum II à schismaticis fautoribus suis appellatum, qui, ut seculo potens erat & consanguineorum opibus fultus, legitimum Pontificem Româ excedere compulit, Sedemque Apostolicam vi sacrilega ad mortem usque usurpavit.* E

quo facta est translatio altera

22 *Conjecturæ suæ affert Cardulus rationes sequentes, quas in pauciora verba contractas lectori exhibere sufficiet. Anacletus fertur dedicâsse altare in templo B. Mariæ Aræ-cœli situm ante sacrarium: non potest autem factum hoc adscribi S. Anacleto Papæ, cujus tempore eo loco adhuc exstabat Jovis Feretrii fanum, in cujus ruinis dicitur S. Gregorius Magnus ecclesiam Christiano ritu exstruxisse: oportet igitur, ut memorati altaris dedicatio attribuatur Anacleto pseudo-pontifici. In dicta ecclesia caput* S. Abundii *argento tectum servatur, illudque* Abundii *nostri esse contendit Cardulus ex eo, quòd ferè solum illud desideraretur ex sacris ossibus, cùm reperta fuerunt anno* 1582 *sacra pignora* SS. Abundii & Abundantii; *ac demum concludit:* Fieri ergò potuit, ut hic pseudopapa, cùm vellet simul SS. Cosmæ & Damiani, quam ipse obtinuerat, diaconiam insigni aliquo munere cohonestare, simul aram illam, quam solemni ritu sacrare constituisset, horum etiam Martyrum reliquiis & præcipuè S. Abundii capite, quod postea in medium prolatum est, exornare: fieri, inquam, potuit, ut sacra corpora ex insula Tiberina in templum SS. Cosmæ & Damiani ad forum Romanum per id tempus deportaverit. F

ad Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani.

23 *Quoniam defectu instrumentorum certi nihil hîc statui potest, Carduli conjecturæ adhærendum puto, eamque ut verisimilem omnino amplector. Favet huic opinioni Baronius tom.* 12 *Annal. Ecclesiast., pag.* 202 *de Anacleto pseudopontifice ita scribens ad annum Christi* 1130. Dedicata namque legimus Romæ nonnulla ab eo & consecrata fuisse altaria, & ædituorum incuriâ servatas adhuc inscriptiones, quas delendas cura-

AUCTORE U. S.

vimus. *Tum idem Eminentiſſimus ex titulo conſecrationis tabulæ marmoreæ inſcripto refert, ab Anacleto illo dedicatam fuiſſe anno* 1130 *die* XXV *Maii eccleſiam S. Laurentii, & in altari ejus majori recondita fuiſſe aliquot ſanctorum martyrum corpora. Potuit itaque ſimiliter pſeudo-pontifex iſte & altare in eccleſia B. Mariæ Aræ-cœli conſecrare, & ad baſilicam SS. Coſmæ & Damiani ſanctorum* Abundii & Abundantii *corpora transferre.*

amplius elucidatur.

24 *Hæc autem conjectura ex eo etiam ſit veriſimilior, quòd Martyrum illorum oſſa ignota jacuerint in templo SS. Coſmæ & Damiani uſque ad annum* 1582, *quemadmodum aſſerit Cardulus in tertiæ tranſlationis deſcriptione. Si enim legitimi cujuſdam Pontificis auctoritate facta fuiſſet tranſlatio, mirum ſanè videri deberet, illius apud fideles adeò obliteratam fuiſſe memoriam, ut nullo uſpiam monumento conſignata reperiatur: quod de geſtis pſeudo-pontificis, ob ſcelera ſua omnibus inviſi, minùs mirandum eſt, etſi aliquorum ejus geſtorum memoria perſeverâſſe dicenda ſit. Non poteſt autem tranſlatio illa, ut opinamur, à pſeudo-pontifice Anacleto facta, aptiùs illigari quàm*

B *anno* 1130, *quia, ut narrat Baronius, cùm cerneret apud fideles aboleri non poſſe recordationem ſacrilegæ eccleſiarum deprædationis ab ipſo perpetratæ, per largitiones ab eo ſacris quibuſdam ædibus factas anno* 1130, *aliâ viâ populorum favorem ſibi conciliare conatus eſt. Atque hæc de ſecunda tranſlatione, pro qua meliora non ſuppetunt documenta.*

Inventa Sanctorum noſtrorum

25 *Tertia tranſlatio* SS. Abundii & Abundantii *annum Chriſti* 1583 *in Societatis noſtræ Faſtis inſignem reddidit, quando Gregorii XIII beneficentia ſacris hiſce pignoribus dignata eſt exornare eccleſiam domûs profeſſorum, Farneſianam dictam ab auctore ſuo Alexandro Farneſio S. R. E. Cardinali, cujus in Societatem noſtram egregia merita prædicant Faſti noſtri. Tranſlationem hanc fusè deſcribit Cardulus. Satis mihi erit præcipua delibâſſe. Cùm Pontificis juſſu in templo SS. Coſmæ & Damiani ſacellum inſtauraturi fabri demolirentur vetuſtum altare, quod poſteriorem templi partem ingredientibus ſiniſtrum eſt, poſt aliorum Sanctorum reperta ibidem corpora, die* XVIII *Auguſti anno* 1582 *effoſſi ſunt Martyrum noſtrorum loculi,* Atque in uno quidem (*verba ſunt Carduli*)

C ſub cornu Euangelii erat tabella marmorea ſigno Crucis & hoc epitaphio notata: Hic REQUIESCIT SANCTUS HABUNDIUS PBR. ET MONACHUS ET MART. In altero autem ſub cornu Epiſtolæ altera item tabella eodem ſigno atque hoc titulo inſcripta: Hic REQUIESCIT SANCTUS HABUNDANTIUS DIAC. ET MART. *Horum reliquiæ tranſmiſſæ in loculos plumbeos, ſigillo Cardinalis Sabelli, Pontificis in Urbe vicarii, obſignatos, ut tranſferrentur in Farneſianam baſilicam, præcepit Gregorius XIII litteris ſuis Apoſtolicis, quas ex editione Carduli hic recenſeo.*

corpora Gregorius XIII

26 Gregorius Papa XIII univerſis Chriſti fidelibus, præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiam domûs profeſſorum Societatis Jeſu de Urbe, ſtructura inſigni & ſumptuoſa nuper abſolutam, corporibus ſanctorum Abundii presbyteri & Abundantii diaconi, ſanguinis pro nomine Chriſti effuſione inſignium martyrum, quæ in eccleſia SS. Coſmæ & Damiani requieſcunt, ornare decrevimus, ut ibi collocata majori devotione & populi frequentiâ venerentur. Idcirco per præſentes mandamus, ut prædicta corpora ex ipſa eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, ubi aliæ Sanctorum reliquiæ & etiam corpora viſitanda remanent, cum plumbeis thecis, in quibus eorum nomina ſunt inſcripta, educantur, & ad novam profeſſorum prædictorum eccleſiam, ſanctiſſimo nomini Jeſu dicatam, majore qua poterit pompa, à vicario noſtro in ſpiritualibus de Urbe die Dominico vel etiam non feſto, pro libito ſuo præſcribenda & ordinanda, devotè transferantur & recondantur honorificè apud illam. D

deferri jubet ad baſilicam

27 Præcipimuſque ac interdicimus ſuperioribus, fratribus, miniſtris & perſonis domûs prædictæ eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani, ac quibuſcumque aliis, ne eductionem & tranſlationem prædictas per ſe vel per alium ſeu alios impedire audeant quoquo modo: qui ſecùs fecerint, excommunicationem incurrant eo ipſo. Et, ut Chriſti fideles ad eorumdem corporum ſanctorum tranſlationem frequentiores majoreque devotionis ſtudio conveniant, omnibus Chriſti fidelibus ipſis utriuſque ſexus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ Euchariſtiâ refectis, qui tranſlationi prædictæ interfuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam ac remiſſionem miſericorditer in Domino elargimur. Datum Romæ E apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris die decima Septembris MDLXXXIII, Pontificatus noſtri anno duodecimo. Cæ. Glorierius. *Neque hîc ſtetit piiſſimi Pontificis munificentia; ſed & pecuniam inſuper ad augendam tranſlationis celebritatem liberaliter adjecit, ut teſtatum facit Hiſtoriæ Societatis noſtræ pars.* 5, *lib* 3 *ſub initium.*

nominis Jeſu. Indulgentiæ conceſſæ:

28 *In memoratis ſtatim litteris Pontificiis tantùm legitur indulgentia conceſſa iis, qui tranſlationi interfuerint: verùm haud dubiè, ut omnes de ſacro hoc theſauro faciliùs participarent, eam Sanctiſſimus Dominus ampliavit in eum modum, quo dicitur in programmate fidelibus publicè expoſito. Illud ex laudata editione ſubnecto:* Indulgentia à Sanctiſſimo D. N. Gregorio XIII Pont. Max. iis omnibus ampliſſima conceditur, qui ſacra confeſſione expiati & ſuaviſſimo Chriſti Corpore paſti, piis à Deo precibus fidei Catholicæ felicitatem, hæreticorum converſionem, principum Chriſtianorum concordiam efflagitaverint, & aut ſanctorum martyrum Abundii presbyteri & Abundantii diaconi corporum tranſlationi, quæ à templo SS. Coſmæ & Damiani ad baſilicam nominis Jeſu die Jovis XVII Kalendis Octobris F horâ XIX fiet, religiosè interfuerint, aut reliquo ejus diei vel inſequenti luce, quæ ipſorum Martyrum cruento natali ſacra eſt, alterutram adierint ædem (*nominis Jeſu, vel SS. Coſmæ & Damiani*) aut Sabbato ſive Dominico die eccleſiam nominis Jeſu viſitârint. Cui hæc facere non licebit, ei confeſſarius, quod mulctæ viſum fuerit, commutandi poteſtatem habeto. Ceteri verò, qui decrêrint ſtato tempore piacularem confeſſionem atque communionem obire, ſeptem annorum indulgentiam conſequuntor.

tempus tranſlationis, pars reliquiarum

29 *Priuſquam cetera ſpectantia ad hanc celebritatem enarro, pauca ſunt obſervanda. Romani horas numerare incipiunt ab occaſu ſolis & ad vigeſimam quartam ſemper aſcendunt; cùm itaque ſol ea anni tempeſtate, quâ contigit tranſlatio, circiter horâ ſextâ occumbat, hora decima nona apud Romanos reſpondere circiter debet tempori inter horam primam vel ſecundam noſtram pomeridianam. Liquet autem ex jam dictis tranſlationem ad eccleſiam domûs profeſſorum factam eſſe die* XV *Septembris, uti in Notis ad Martyrologium Romanum etiam ſignavit Baronius his verbis:*

A *bis:* Eadem (*Martyrum noſtrorum Acta*) modò edidit Romæ collegium patrum Societatis Jeſu, in quorum baſilicam Farneſianam . . . tranſlata ſunt XVII Kalend. Octob., anno Domini MDLXXXIII. *Vidit certè notam hanc Tillemontius, & tamen tom. 5 Monument., in perſecutione Diocletiani art.* 48 *ita ſcribit:* Eorum (*Martyrum noſtrorum*) corpora tranſlata ſunt XVI Octobris MDLXXXIII ad collegium Jeſuitarum. *Diem & menſem ex levi inadvertentia & ſiniſtra Kalendarum interpretatione malè ſignavit Tillemontius, locum quoque, ad quem ſacra corpora tranſlata ſunt, putavit collegium Societatis, fortè quia in annotatis Baronii legerat, Acta ſanctorum horum Martyrum Romæ edita fuiſſe à collegio Societatis Jeſu. Reſumo tantiſper intermiſſam narrationis ſeriem.*

Pars altera reliquiarum in Japonem, altera

conceſſa templo SS. Coſmæ & Damiani. Celebritas

30 *Priuſquam è baſilica SS. Coſmæ & Damiani efferrentur ſacræ reliquiæ, conceſſit Gregorius XIII, ut* S. Abundii *integra tibia & quatuor oſſicula, ac* S. Abundantii *totum brachium in memorata eccleſia ſervarentur, quæ ſacrarum exuviarum partes loculis extractæ ſunt die* XIII *Septembris; ac tandem die* XV *ejuſdem menſis elata è ſacrario & in ara principe expoſita ſacra corpora ſolemni apparatu ac celebritate maxima ad baſilicam Farneſianam delata ſunt. Longiorem tum ornatûs tum viarum, per quas agmen religioſum proceſſit, deſcriptionem prætermitto, quam curioſus lector apud Cardulum reperiet. Interfuerunt feſtæ huic celebritati viginti tres virorum Religioſorum familiæ, alumni collegiorum ſeminariorumque, quæ in Urbe Societatis Jeſu curæ commiſſa ſunt, minorum undecim eccleſiarum canonici & cuſtodes, ſodalitates clericorum S. Mariæ Tranſtiberinæ, & S. Laurentii in Damaſo, baſilicarum S. Mariæ Majoris, Vaticanæ & Lateranenſis collegia, illuſtriſſimus Vincentius Porticus archiepiſcopus Raguſinus, Cardinalis Sabelli vices gerens, archiepiſcopi & epiſcopi plures, atque inter hos epiſcopus Aſſaphenſis Anglus Cardinalis vicarii ſuffraganeus, almæ quoque Urbis ſenator, conſules, magiſtratus ac primariæ nobilitatis viri, qui, denis è Societate presbyteris ſacrum feretrum per vices deferentibus, umbellam geſtare & pio oneri identidem ſuccedere honori ſibi ducebant.*

B

tranſlationis, & animarum ex ea fructus.

31 *Vias omnes innumera opplevit multitudo, ad quam ſubmovendam ſimul & ad ſacrorum corporum dignitatem quinquaginta è prætorianis ſuis Helvetiis Pontifex conceſſerat. Sacra officia & divina Myſteria tum ipſo tranſlationis die tum tribus aliis conſequentibus peracta ſunt ab epiſcopo Aſſaphenſi, quæ omnia fusè apud Cardulum expoſita legere eſt, qui demum ingentia animarum lucra hinc obtenta his verbis deſcribit:* Quapropter per occaſionem tam amplæ indulgentiæ adipiſcendæ, horum quoque beatiſſimorum Martyrum ſuffragatione adjuvante, permulti peccata ritè confeſſi ad ſalutarem Euchariſtiæ menſam acceſſêre, ſuam inſuper erga illos religionem ac pietatem modò roſariorum ſeu coronarum ad ſacrum feretrum admotione, modò, quod rariùs eſt, lacrymarum profuſione teſtati. Atque hic omnis generis hominum concurſus diutiùs ſine dubio tenuiſſet, niſi jam elapſo quatriduo, ſanctæ reliquiæ poſt primam noctis horam è templo ſublatæ ſuperque altare ſacrarii fuiſſent depoſitæ, ibi tantiſper manſuræ, dum & ipſa baſilica . . . conſecretur ac dedicetur, ubi demum, quo decet honore ac dignitate, parato ſacrophago, è Punico rubenti marmore incluſæ condantur.

32 *Paucis interjectis, ita pergit Cardulus:* Interea dum in ſacrario ſacra oſſa ſervantur, ex iis nonnihil deſumptum eſt & in Japonem, novi orbis regionem, ad neophytorum alendam confirmandamque in Chriſtiana pietate conſtantiam, tranſmiſſum: & poſtea Senenſium ſanctimonialium, quæ templum cœnobiumque horum ſanctorum Martyrum incolunt, rogatu ac precibus, ſummique Pontificis conceſſu, ex iiſdem loculis, reclusâ arcâ præſente notario, Nonis Maii anno Domini MDLXXXIV deſumpta ſunt alia oſſicula duo, hoc eſt, particula brachii S. Abundii, & fragmentum maxillæ S. Abundantii, traditaque ibi reverendiſſimo domino Franciſco Bandino Piccolomineo archiepiſcopo Senenſi, qui ea Senas ſimul ad ipſorum ſanctorum Martyrum eccleſiæ ornamentum, ſimul ad earum monialium aliorumque fidelium augendam erga Sanctos pietatem ac religionem tranſportanda curaret. *Quanta porrò veneratione quantoque apparatu à Senenſibus excepta fuerint ſacra pignora, docet Juditæ Luti narratio, ex qua non niſi præcipua delibanda cenſui.*

ad moniales Senenſes defertur

33 *Reliquias ſanctimonialibus Senenſibus conceſſas retulit Cardulus particulam brachii* S. Abundii *& fragmentum maxillæ* S. Abundantii, *quibus adjicit Juditta Sancti utriuſque digitum unum, dentemque itidem unum; infrà autem eaſdem reliquias capſulæ, auro obductæ, incluſas enumerans, cœnobio ſuo attribuit os brachii* S. Abundii, *junctura digiti & dentem; ſancti verò* Abundantii *maxillam, junctura quoque digiti & dentem. Utut ſit, die* III *Junii anni* 1584 *Senas delatæ ſunt ſacræ reliquiæ & ad breve tempus ſumma totius cleri religione depoſitæ in eccleſia metropolitana, monitis juſſu illuſtriſſimi Piccolominei ſanctimonialibus, ut in diem* XIII *ejuſdem menſis omnia decentiſſimè pararent honorificæ ſacrarum reliquiarum exceptioni: laudatus inſuper archiepiſcopus, ut aſſerit Juditta,* IX *Junii die Dominico in metropolitana aliiſque multis eccleſiis populum univerſum ad comitandum ſacras reliquias & lucrandum indulgentias à Summo Pontifice conceſſas invitari juſſit. Brevis Apoſtolici tenor apud Juditam hic eſt, ut omnes fideles utriuſque ſexus verè pœnitentes, & Senis confeſſi ac ſacra communione refecti, vel uſque ad cœnobium* S. Abundii *reliquias comitati, omnium peccatorum ſuorum remiſſionem conſequantur: quam indulgentiam ſanctimonialibus in perpetuum, laicis verò ad annos decem in die feſto ſolemnitatis Pontifex conceſſit.*

E

F

apparatu maximo, nec minore fructu.

34 *Interfuerunt tranſlationi plures Religioſorum familiæ, clerus univerſus, bini vicarii, Camillus Burgheſius cleri, Antonius Martellinus Religioſorum, & illuſtriſſimus epiſcopus Groſſetanus Claudius Burgheſius. Reliquias deferebant quatuor ſacerdotes, umbellam geſtantibus viris itidem quatuor è primaria Senenſi nobilitate. Confluxit ad celebritatem ingens populi multitudo, ut facilè ſeptena hominum millia in ſacrarum reliquiarum comitatu recenſerentur: in eccleſiam delatæ, expoſitæ ſunt fidelium venerationi in altari ad hunc finem præparato, & quoniam anguſtius templum erat, nec tanto confluentium numero ſufficiens, in erecto foris ante eccleſiam altari collocatæ fuerunt ad ſatisfaciendum piis omnium deſideriis. Ingens quoque fuit animarum fructus, adeò ut ad memoratum ſtatim altare quingentos homines ſacroſancto Chriſti Corpore refectos fuiſſe ſcribat Juditta. Plura hic non addo de templi viarumque, per quas ſacris reliquiis tranſitus fuit, ornatu: mi-*

AUCTORE U. S.

nutiora quoque nonnulla hunc ſpectantia prætermitto, quæ curioſus lector inveniet apud ſæpe laudatam Juditham.

Cultus SS. Abundii & Abundantii in baſilica Farneſiana, & S. Mariæ

35 *Pro coronide paucula ſubdo de ſpeciali cultu, quo hodiedum in aliquot eccleſiis Romæ honorantur* SS. Abundius & Abundantius. *In Farneſiana Societatis Jeſu baſilica ſub ara principe recondita ſunt eorum corpora, legiturque ibidem de iis Officium ritu duplici & cantatur Miſſa ad diem* XVI *Septembris. Ad eumdem diem patres Ordinis S. Franciſci in Ara-cæli Officium duplex de iiſdem Sanctis quotannis recitant de communi plurimorum Martyrum primo loco. Ex eorumdem Directorio, quod præ manibus habeo, accipe ſequentia:* XVI (*Septembris*) SS. Abundii & Abundantii MM. dupl. min... (adſunt corpora)... In Martyr. 1 loc. ſolemnis commemoratio. *Verùm illa verba* Adſunt corpora *non poſſe intelligi de integris* SS. Abundii & Abundantii *corporibus ex ſuprà memoratis perſpicuum eſt. Accipienda ſunt igitur pro parte aliqua corporum, quemadmodùm etiam tradit liber, qui Italicè inſcribitur:* Memoriæ hiſtoricæ eccleſiæ & conventûs S. Mariæ in Ara-cæli, *auctore Caſimiro Romano fratre Minore; qui liber editus eſt Romæ anno 1736. Capite autem* 8 *de reliquiis eccleſiæ ſequentia Latinè leguntur:* In eccleſia S. Mariæ de Ara-cæli ſunt infrà ſcriptæ Sanctorum reliquiæ... Item capita SS. Abundii & Abundantii martyrum in duobus vaſis. *Ceterùm elenchus iſte reliquiarum factus dicitur ſub pontificatu Martini V.*

B

36 S. Abundii *caput, quod in eccleſia, Aracæli dicta, viſitur,* Abundii *noſtri eſſe, cum Cardulo, num.* 22 *hic laudato, planè exiſtimo. Verùm de* Abundantii *capite non ita auſim aſſerere: nam Cardulus, qui annis centum quinquaginta & ampliùs poſt Martini V pontificatum ſcripſit, ita loquitur in ſecundæ tranſlationis Hiſtoria:* In quo quidem altari (*in eccleſia B. Mariæ de Ara-cæli*) cùm aliorum Sanctorum oſſa, tum nonnihil etiam ex Abundii & Abundantii martyrum reliquiis conditum exiſtimatur. In eadem certè baſilica caput S. Abundii... argento tectum religiosè aſſervatur & viſitur: quod unum ceteris amborum Martyrum oſſibus deeſt. *Quæ ultima verba manifeſtè denotant etiam anno* 1583, *quo facta eſt poſtrema tranſlatio, caput* S. Abundantii *reliquis ſacris oſſibus fuiſſe conjunctum, ſi enim caput integrum* S. Abundantii *tum deſuiſſet, nulla ratione videtur ſcripturus fuiſſe, ſolum* S. Abundii *caput fuiſſe deſideratum, maximè cùm Hiſtoriam ſuam ediderit anno tranſlationem proximè inſecuto, quando haud dubiè multi adhuc erant ſuperſtites, qui ſacras exuvias coràm inſpexerant. Igitur* S. Abundantii *caput, quod ſervari dicitur in eccleſia B. Mariæ Ara-cæli dicta, vel alterius cujuſdam* Abundantii *eſt, vel accipi debet pro particula aliqua capitis.*

D

de Ara-cæli, ubi capita ſervari dicuntur.

E

DE S. INNOCENTIA VIRG. MART.

ARIMINI IN ÆMILIA.

U. S.

SYLLOGE.

Cultus Sanctæ legitimus: tempus martyrii & alia pleraque, quæ de Sancta memorantur, incerta: ſitne diverſa ab ea, quam colunt Vicentini?

C

F

SUB DIOCLETIANO. *Memoria Sanctæ apud recentiores martyrologos,*

Arimínum civitas Italiæ in provincia Æmilia, quam Romandiolam hodiedum vocant, inter alios tutelares Sanctos ſuos adlegit S. Innocentiam *virginem & martyrem, quæ antiquioribus quidem Martyrologiis adſcripta non invenitur; ſed variis tamen documentis legitimum ejus cultum minimè dubitabilem eſſe, oſtendi poteſt. Recentioribus Faſtis ſacris annua ipſius memoria ad præſentem diem intexitur. Conſtantius Felicius ita habet:* Innocentia virgo & martyr nobili ſtirpe nata, annorum ſeptemdecim, cùm nollet idolis ſacrificare, jubente Diocletiano, poſt multos cruciatus gladio transfixa fuit Arimini, ubi corpus ejus requieſcit, ac feſtum celebre & tutelare. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ eam annuntiat cum hoc elogio:* Innocentia virgo ex nobili genere nata Arimini, in Diocletiani immani perſecutione, Chriſtianæ fidei, in qua enutrita fuerat, accuſata comprehendi jubetur, ac modis omnibus, ut Chriſto renunciaret, & deos coleret tentata, cùm nullo pacto diis, quos inanes & falſos aſſerebat, vellet immolare, carceri mancipatur; cúmque educta variéque excruciata in fidei profeſſione immobilis perſiſteret, juſſu imperatoris ad extremum gladio tranſverberata, ad palmam duplicem virginitatis & martyrii feliciter pervenit XVI Kalendis Octobris. Cujus corpus à Chriſtianis honorificè conditum eſt. *In Notis autem ad Catalogum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, aſſerit, feſtum* S. Innocentiæ *Arimini cum Octava celebrari, qui ritus ſi exſtiterit, oportet illum poſtmodum eſſe immutatum; nam Calendarium Sanctorum Ariminenſis eccleſiæ pro anno* 1644 *Octavæ non meminit, & ad* XVI *Septembris* Innocentiam *ſignat ſub ritu duplici majore.*

Geſtorum compendium, & varia

2 *Prolixiùs de ſancta Martyre noſtra agit Cæſar Clementinus in Collectione hiſtorica Arimini lib.* 2, *pag.* 128 *& ſeq., unde quæ peculiaria ſunt, & à Ferrario non adnotata, huc transfero, ut qualemcumque Sanctæ noſtræ notitiam lector habeat; Acta enim nulla, licèt ab Henſchenio & Pape-*

AUCTORE U. S.

A *Papebrochio in itinere Romano ſtudioſè quæſita fuerint, nacti ſumus. Aſſerit tamen Ferrarius, Romæ ſe vidiſſe Monumenta eccleſiæ Ariminenſis, in quibus* Innocentiæ *Acta pluribus enarrantur, iiſque haud dubiè uſus fuerit laudatus martyrologus ad elogium ſuum concinnandum. Primò dicit Clementinus, accuſatam fuiſſe Martyrem noſtram apud Diocletianum in tranſitu per Hungariam, & ejus juſſu accerſitam è villa montis, cui à Tauro nomen, inventamque fuiſſe ante Crucifixi imaginem cum pediſſequa ſua orantem: poſt conſtantem fidei profeſſionem, ſpretis cùm minis, tum promiſſis, eam aſſerit, à carnifice transfixis enſe lateribus, ſemivivam relictam fuiſſe, & horæ unius ſpatio intrepidè precibus inſtitiſſe, ac ſalutari Crucis ſigno munitam ſpiritum Deo reddidiſſe. Tertiò ſcribit, corpus ejus à fidelibus marmoreo loculo exceptum reconditumque, factamque illius fuiſſe memoriam, erectâ dedicatâque lapſu temporis eccleſiâ paræciali, cum epiſcoporum ſede, hac opinione, quòd eo civitatis loco ſteterint ædes propriæ dictæ Sanctæ. Tradit deinde eam Ariminenſium patronam electam fuiſſe, & ſingulis annis ſolemni ſupplicatione à ſenatu populoque Ariminenſi eccleſiam illam viſitari ad diem* XVI *Septembris, glorioſo* Innocentiæ *martyrio conſecratum, cujus interveniente patrocinio, innumera ait impetrata fuiſſe beneficia & cæleſtes favores.*

Locus ſacro ejus corpore nobilitatus.

B *3 Affirmat inſuper Clementinus, toto anno ſatis frequentem eſſe populi concurſum ad ædes Sanctæ noſtræ ſacras, quia ſummorum Pontificum indulto gaudent participatione indulgentiarum almæ Urbis. In ſuprà dicta quoque villa ad montem à Tauro dictum erectam dicit montis Tauri paræciam, totius diœceſeos antiquiſſimam, quæ etiamnum ſub ejus ſancto nomine viſitur, & fama refert, eo loci natam fuiſſe Virginem noſtram. Præclarum eſt venerationis Sanctæ noſtræ teſtimonium, quod ſubdit, conſueviſſe ſcilicet multo tempore Ariminenſes epiſcopos non alio uti ſigillo, quàm* S. Innocentiæ *imagine. Tot certè hic legitimæ longoque plurium ſeculorum uſu conſecratæ venerationis documenta habemus, ut nullus ſuperſit de cultu* S. Innocentiæ *ambigendi locus. Raphaël Adimarus de Situ Arimini lib.* 1, *pag.* 132 *&* 133 *inter Ariminenſes paræcias tertio loco recenſet eccleſiam* S. Innocentiæ, Quæ, *inquit*, civitatis tutelaris eſt, unitaque palatio epiſcopali, C *quam præterea tradit, ipſius epiſcopi paſtorali curæ aſſignatam eſſe.*

legitimi cultûs teſtimonia.

4 Quam indubius ex jam dictis S. Innocentiæ *cultus eſt, tam incerta ſunt tempus & adjuncta martyrii variè à variis enarrata, circa quæ paucula obſervo. Aſſerit Ferrarius, martyrio coronatam fuiſſe* in Diocletiani immani perſecutione, *adeóque non ante annum Chriſti* 303, *quo eam cœptam eſſe, in confeſſo eſt: at Clementinus ſcribit, paſſam eſſe ſub Diocletiano in tranſitu ad Hungariam, præmiſeratque fideles aliquot, tum exteros, tum Ariminenſes in decima perſecutione (quæ utique Diocletianea eſt) claruiſſe ſuſo pro Chriſto ſanguine. Verùm decima illa perſecutio non rectè connectitur cum Diocletiani itinere ex Italia in Pannoniam. Nam à* XXV *Februarii anni* 303, *quo cœpta perſecutio eſt, uſque ad* 1 *Maji anni* 305, *quo purpuram exuit Diocletianus, ex Italia in Pannoniam profectus non eſt. Verùm Acta illa, quæ recentioribus ſcriptoribus præluxerunt, tam antiqua non puto, nec tam fidelia, ut ex iis certum tempus martyrii erui poſſit. Ex dictis igitur patet, incertum eſſe tempus martyrii, quod propterea latè fixi ſub Diocletiano.*

Tempus & adjuncta martyrii,

5 Tradit Clementinus, Innocentiam *apud Diocletianum accuſatam, ejus imperio accerſitam fuiſſe ex arce, ſita in monte à Tauro dicto, quem Adimarus octavo ab urbe Ariminenſi milliario collocat, inventamque fuiſſe orantem cum pediſſequa, de qua altùm ſilet Ferrarius, & Henſchenius in litteris Arimino ad Bollandum datis,* De pediſſequa, *inquit*, nihil ſcitur. *Quapropter nec de pediſſequa illa, nec de loco aut modo, quo capta eſt ſancta Virgo, certi reddimur, cùm neſciamus, undè illa omnia fuerint deprompta. Nil quoque certò ſtatui poteſt de Sanctæ noſtræ natalibus & conditione, Ferrario hoc ſolum aſſerente, quòd nobili genere prognata fuerit, Clementino eam inſuper dominam appellante villæ ſitæ ad montem ſæpe dictum, & Adimaro poſt alios dicente, fuiſſe eam comitem dominamque dicti loci, nobilitate divitiiſque affluentem. Verum hæc leviter nimis aſſeruntur, nec congrua ſunt temporibus, quibus Sancta floruiſſe, & martyrio coronata creditur.*

conditio incerta.

6 Civitatem Ariminenſem ſacris S. Innocentiæ *exuviis ditatam eſſe, negari minimè poteſt. Ferrarius in Annotatione ad* S. Innocentiam *Ariminenſem in Catalogo Sanctorum Italiæ ſic habet:* Corpus in eccleſia cathedrali decentiſſimè aſſervatur. *Verùm non ita locum determinat in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, ubi ita lego:* Urbis Ariminenſis eſt patrona..... Corpus ibidem. *Papebrochio in ſuo manuſcripto Itinere Romano, quod in muſeo noſtro aſſervatur, ſignaturque* ✠ *Ms.* 146, *fusè enarratis Sanctorum reliquiis, quas in eccleſia cathedrali, S. Columbæ ſacra, veneratus eſt, de* Innocentiæ *ibidem reliquiis ne meminit quidem: at dum enumerat ſacra pignora aſſervata in templo S. Gaudentii, ita loquitur:* Ex adverſo autem illius (*arcæ, in qua creditur conditum fuiſſe S. Gaudentii corpus*) alia ſtabat lapidea arca, in qua SS. Nerii, Achillei & Innocentiæ eſſe reliquias, indicabat deſcriptus characteribus non admodùm vetuſtis paries: *& infrà:* Deinde in S. Innocentiæ ædicula venerati ſumus illius corpus, quod ibidem poſt altare in arca lapidea, ligneo operculo tecta, aſſervatur. *Atque hæc, quæ Papebrochius ſcripſit, conformia ſunt iis, quæ tradunt Clementinus & Adimarus, aſſerentes,* S. Innocentiæ *oſſa in eccleſia ejus nomini erecta aſſervari; quam eccleſiam vetuſtate collapſam anno Chriſti* 1477 *à* F *fundamentis reædificavit Bartholomæus Cochapanus de Carpo Ariminenſis epiſcopus, ut teſtatur manuſcriptus Ariminenſium epiſcoporum Catalogus, qui in Muſeo noſtro ſervatur ſignatus* ✠ *Ms.* 139, *ex inſcriptione in pariete antiqui epiſcopatûs lapidi inciſa. De hoc puncto nihil habet Ughellianus catalogus, qui etiam Bartholomæum ſtatuit* LIV, *noſter verò manuſcriptus* LXI *Ariminenſium epiſcopum.*

E

7 Præter Ariminenſem hanc Innocentiam, *ad hunc diem* XVI *Septembris Vicentinam alteram recenſet Ferrarius cum ſorore Euphemia, citatque in Notis ad novum ſuum Catalogum Sanctorum tabulas eccleſiæ Vicentinæ: in Catalogo Sanctorum Italiæ allegat Monumenta eccleſiaſtica & Annales urbis Vicentinæ. In hiſce tabulis, inquit Ferrarius, dicuntur Euphemia &* Innocentia *fuiſſe ſorores SS. Leontii & Carpophori martyrum, ſub Diocletiano & Maximiano Aquileiæ paſſorum. De his actum eſt in Opere noſtro ad diem* XX *Auguſti. Eodem tempore virgines has martyrio affectas ſcribit, quo fratres: hoc tamen aſſerit non eſſe planè certum.* Illud, *inquit*, indubitatum, corpora ipſarum circa annum ſalutis MCCCI (*in gene-*

Inquiritur, an præter Arminenſem

AUCTORE U. S.

generali catalogo annum signat 1358) inventa, in ecclesiam Vincentiæ cathedralem translata fuisse; cúmque miraculis ad ipsarum tumulos refulgere cœpissent, & ipsas à Vincentina ecclesia coli cœptas esse. *In annotatione autem ait, dubitari posse, an Euphemia non sit eadem cum cognomine martyre, quæ Aquileiæ passa est cum Dorothea, Thecla & Erasma; item an* Innocentia *diversa sit ab ea, quæ Arimini colitur. Quod ad Euphemiam spectat, vide, lector, in Prætermissis ad præsentem diem: quid de* Innocentia *statuendum sit, paucis examinare aggredior.*

admittenda sit alia Innocentia Vicentina,

8 *Ferrarius respondet, dubitationi locum non esse, cùm ex tabulis Ariminensibus habeamus,* Innocentiæ *Ariminensis corpus Arimini quiescere;* Innocentiæ *autem Vicentinæ corpus asservetur Vicentiæ; at timidiùs subdit:* Nisi corpora earumdem sanctarum Virginum per partes in diversis ecclesiis quiescere dicantur, qua in re inspectione opus esset. *Franciscus Barbaranus de Mironi in Historia ecclesiastica Vicentina lib.* 1, *cap.* 16 *dicit, corpora SS. Euphemiæ &* Innocentiæ *Vicentinarum occulta latuisse usque ad annum* 1359; *infrà autem contendit, distinguendam omnino esse* Innocentiam *Vicentinam ab Ariminensi, quia Vicentina Aquileiæ, Ariminensis autem Arimini passa est, & corpora sanctarum Vicentinarum Vicentiæ asservantur, cognominis autem* Innocentiæ *ossa Arimini, allegatque in testem utrumque Ferrarii Catalogum. Ex tempore quoque, cui Barbaranus illigat martyrium tùm SS. Carpophori & Leontii, tum SS. Euphemiæ &* Innocentiæ, *argumentum formari posset pro distinguenda utraque* Innocentia: *sed cùm argumentum illud ruinoso niti debeat fundamento, pluribus non attingo: videri à curioso poterunt ea, quæ Pinius noster disseruit in SS. Leontio & Carpophoro ad diem* XX *Augusti, Commentarii prævii num.* 2 *&* 3.

expensisque Vicentinorum documentis,

9 *Ego, ut candidè mentem meam aperiam, in omnibus, quæ adducunt Ferrarius & Barbaranus pro adstruendis duabus* Innocentiis, *nihil invenio, quo tutò prudenterque inniti possim: sequentia interim eruditis Vicentinis consideranda propono. Pinius in SS. Leontio & Carpophoro tom.* IV *Augusti pag.* 33 *inquirens, an SS. Euphemia &* Innocentia *fuerint germanæ sorores SS. Leontii & Carpophori, ait nescire se, cujus notæ ac temporis sint tabulæ Vicentinæ, incertumque esse, qua fide in dictis tabulis ferantur Sanctæ germanæ fuisse SS. Leontii & Carpophori, subditque:* Verùm cùm annuncientur à Ferrario ad diem XVI Septembris, quo apud Vicentinos coluntur, poterit fortè pluribus tunc agi de illo puncto, si comparuerint satis apta documenta, quæ ad ulteriorem indagationem sternere possint viam. *Voto nostro usque nunc factum satis non est, neque ulla nacti sumus instrumenta, quibus controversia hæc dirimi posset: non enim qualescumque tabulæ Vicentinæ à Ferrario & Barbarano adductæ, non illorum ipsorum auctoritas, ejusdem censenda ponderis, cujus sunt allegatæ tabulæ, satis indubii vades sunt, ut Vicentinorum traditioni acquiescendum sit, præsertim cùm nulla sanctarum Sororum Vicentinarum in Actis SS. Leontii & Carpophori ab episcopo Equilino vulgatis mentio fiat.*

sententia negativa verisimilior apparet.

10 *Antiqua igitur desideramus monumenta, quæ utinam eruderent & nobiscum communicent Vicentini, ostendantque ab auctoribus fide dignis conscripta, & seculo* XIV *anteriora: hactenus enim verisimile omnino mihi est, per sacra* Innocentiæ *pignora, quæ Vicentiæ asservantur, & seculo tantum* XIV *innotuerunt, ac venerationi, teste Ferrario, esse cœperunt, minimè comprobari duarum* Innocentiarum *distinctionem, crediderimque potius varias ecclesias unius* Innocentiæ *corpore in partes diviso gaudere. Barbaranus contendit SS. Euphemiæ &* Innocentiæ *apud Vicentinos venerationem longè esse antiquiorem, Ferrariumque dicentem,* Corpora ipsarum anno MCCCLVIII inventa.... venerationi esse cœperunt, *ita explicat, ut non intelligantur prima ipsarum cultûs exordia; sed majoris dumtaxat celebriorisque venerationis initia ad dictum annum referenda sint. Sed quis non videat, plana Ferrarii verba ad miserum sensum eâ expositione detorqueri, Barbarano ipso fatente, dictarum Sanctarum reliquias tanto tempore occultas fuisse, ut omnis quasi perierit ipsarum memoria. Utinam saltem probâsset, minimèque dubiis documentis ostendisset, revera* Innocentiam *aliquam ante annum* 1358 *aut* 1359 *Vicentiæ cultam fuisse, ut proposita jam difficultas enodari, &* Innocentiæ *Vicentinæ ab Ariminensi distinctio solido fundamento affirmari posset à viris partium studio non addictis. Paulus Masini in Bononia sua perlustrata ad* XVI *Septembris annuntiat* S. Innocentiam *virginem & martyrem cultam in ecclesia S. Gabrielis, asseritque ibidem reliquias ejus asservari: quæ hæc sit* Innocentia, *& an ab aliis distincta, incompertum mihi est.*

A D

DE S. GISLEMERIO MARTYRE,

LEGIONIS, UT FERTUR, THEBÆÆ MILITE, BURGI S. DOMNINI IN ITALIA.

SYLLOGE. U. S.

Loci Notitia: Sancti memoria & cultus apud Burgenſes ex Ferrario: adjuncta incerta.

Sub Diocletiano et Maximiano. *Loci notitia, & cultus Sancti.*

Fidentia, quæ & Julia, conjunctoque ab aliquibus utroque vocabulo, Julia Fidentia nominatur, hodiedum verò recenti appellatione Burgus S. Domnini dicitur, urbs epiſcopalis in Longobardia Ciſpadana, Parmenſem inter Placentinamque civitates ſita eſt. Loco nomen dedit S. Domninus, Martyrologio Romano inſcriptus ad diem IX *Octobris, primarius dicti Burgi patronus, poſt quem ut alterum tutelarem veneratur* S. Giſlemerium *martyrem, qui, ſatente Ranuccio Pico in Theatro Sanctorum Parmenſium, ſcriptoribus planè omnibus ignotus eſt: nullum quoque, qui Sancti noſtri meminerit, reperi martyrologum antiquiorem Ferrario. Hic verò in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, his verbis eum annuntiat:* Juliæ in Æmilia S. Giſlemerii martyris, urbis ejuſdem patroni. *Prolixiùs ipſum recenſet in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi ita habet:* Giſlemerius unus ex Thebæis militibus, cùm ex Gallia ex finibus Sedunorum unà cum aliis in Italiam refugiſſet, ne Maximiano imperatori, qui Chriſtianos idolis immolare cogebat, immanibus eos ſuppliciis afficiens, militaret, ab hoſtibus fidei comprehenſus, martyrio affectus apud Juliam: ibique conditus putatur. Nam & later Martyris ſanguine conſperſus

C in templo ejus urbis majore cernitur adhuc, & epitaphium hujuſcemodi legitur: Hìc requieſcit S. Giſlemerius Thebæus martyr. Illum Burgenſes, uti præcipuum poſt S. Domninum patronum hac die venerantur.

E

2 *Ferrarius, ut ipſemet teſtatur, hauſit hæc ex tabulis & monumentis eccleſiæ Burgenſis, quæ in Notis ad laudatum primo loco Catalogum* antiqua *appellat. Ea nacti non ſumus, unde cujus notæ ac temporis fideique ſint, & an talia, ut prudenter illis inniti quis poſſit, ignoro. Hoc certum, ex toto Ferrarii elogio non niſi dubiam haberi notitiam Sancti, nec tuto edici poſſe, an revera Burgus S. Domnini ſacris* S. Giſlemerii *exuviis nobilitatus ſit; verbum enim* putatur *à Ferrario adhibitum admodum debile eſt. Nihilo certius, fueritne glorioſæ legionis Thebææ miles: ita quidem aſſerit allata à Ferrario inſcriptio; ſed cujus ea momenti ſit, non adnotat: adſtipulatur quoque, ut in* S. Giſlemerio *tradit Ranuccius Picus, vetus traditio; ſed cùm, illo ipſo teſte, traditio hæc non aliunde promanâſſe videatur, quàm ex eadem inſcriptione, non eſt traditionis major, quàm ipſius inſcriptionis auctoritas, hactenus mihi incomperta. Donec igitur meliora comparuerint documenta, quæ ulteriori indagationi viam ſternere poſſint, Geſta* S. Giſlemerii *intacta relinquimus, contenti cultum ejus apud Burgenſes ex Ferrario & Ranuccio Pico aſſignâſſe.*

Pleraque, quæ de eo traduntur, incerta ſunt.

F

DE S. DULCISSIMA VIRG. MART.

SUTRII IN ETRURIA PONTIFICIA.

Ex Ferrario. J. S.

Utrium civitas eſt olim illuſtris & epiſcopalis, ſed à priſtina celebritate non parùm decidit ac epiſcopatus ipſius conjunctus eſt cum Nepeſino, ita ut modò idem ſit epiſcopus Nepeſinus & Sutrinus. Utraque civitas eſt in ea Tuſciæ parte, quæ paret Romano Pontifici. Colunt autem Sutrini hoc die S. Dulciſſimam, *de qua Ferrarius in Catalogo Generali ita habet:* Sutrii in Hetruria ſanctæ Dulciſſimæ virginis & martyris. *Addit in Annotatis:* Ex tabulis eccleſiæ Sutrinæ, quæ corpus, uti accepimus, habet; illiuſque natalem hac die celebrat: Acta, à nobis perquiſita, intercidiſſe reſponſum eſt. *Ferrarium exſcripſit Arturus à Monaſterio in Gynæceo*, Dulciſſimam *ſimiliter hodie memorans. Neque nos plura invenimus.*

A D

DE S. PRISCIANO MARTYRE,

NUCERIÆ IN ITALIA.

J. S.

Ex apographis Hieronymianis.

PRiſcianum *martyrem Nucerinum hodie annuntiant omnes codices Hieronymiani pleniores, ſed breviſſimè. Florentinius ex ſuis edidit:* In Nocerea Priſciani. *Et pag.* 1068 *ex Blumiano:* In Noceria Priſciani. *Codex Corbejenſis addit* Maximum, *aliò veriſimiliter ſpectantem, ita habens:* In Nuceria Priſciani, Maximi. *In Antverpienſi nomen nonnihil luxatum videtur, cùm urbis tum Martyris; cùm in eo legatur:* In Nucerina Prifizani. *Gemina eſt Nuceria in Italia, utraque epiſcopalis, altera eſt in Umbria ſub Romano Pontifice, altera eſt in regno Neapolitano & ſub metropoli Salernitana. Utra verò habuerit* Priſcianum *martyrem, defectu ulterioris de eo notitiæ reſcire nequeo.*

B E

DE S. CAMELLA AUT CAMELA VIRG.

J. S.

IN VICO S. CAMELÆ DIOECESIS MIRAPICENSIS IN OCCITANIA.

Cultus Sanctæ in vico cognomine, & Toloſæ:

HAnc *Sanctam hodie annuntiat Caſtellanus in Martyrologio univerſali his verbis:* Prope Mirapicum, S. Camellæ virginis, Ordinis Ciſtercienſis, martyrio coronatæ ab Albigenſibus. *Nullam apud alios martyrologos hujus Sanctæ mentionem invenire potui. Attamen* S. Camelam *in Catalogo Sanctorum commemorat Simon Peyronet, qui Toloſæ ſcripſit, & ſic omnia ad hanc Sanctam ſpectantia facilius reſcire potuit. Primò eam habet breviter pag.* 380. *Deinde pag.* 467 *in Annotatis de* Camela *ſcribit hoc modo:* Quæ ſpeciali cultu honoratur in diœceſi Mirapicenſi in vico, cui ab ea inditum nomen, ubi erecta jam pridem in ejus honorem eccleſia, frequenti populi concurſatione votiſque admodum celebris, ob inſignia, quæ illic præſtat, mulieribus maximè prægnantibus, à quibus potiſſimùm invocatur, opitulationis ſuæ beneficia. Quo autem vixerit tempore ſancta virgo Camela, quâ dimicaverit arenâ, quo armorum genere, adverſus quem tyrannum, nobis planè incompertum. Hoc habemus: fortiter dimicavit, partaque duplici laurea, æternùm in cælo glorioſè triumphat. Nonnullaſque ejus pretioſi corporis exuvias Toloſæ ſervari, & venerationi eſſe in ſanctæ Catharinæ eccleſia, quæ in ſancti Michaëlis ſuburbio erat, diſcimus ex ejuſdem eccleſiæ reliquiarum elencho.

2 Ab hæreticis Albigenſibus martyrii coronam meruiſſe, indigenæ perhibent, ac vetus traditio idem: nec amplius quidquam de S. Camela licet aſſerere. *Hactenus Peyronetus, ex cujus verbis liquet, geſta Sanctæ prorſus eſſe incognita. Hac de cauſa non ſatis capio, quo fundamento* Camelam *Ordini Ciſtercienſi attribuerit Caſtellanus. Certè apud ipſos Ordinis Ciſtercienſis ſcriptores, quos conſulere potui, nullam de* S. Camela *inveni mentionem, ne in Catalogo quidem Sanctorum & Beatorum Ordinis Ciſtercienſis, impreſſo poſt Martyrologium Caſtellani, ſive anno* 1712. *Accedit aliud argumentum, quo evinci videtur,* S. Camelam *longè antiquiorem eſſe Ordine Ciſtercienſi & hæreſi Albigenſium, ita ut ſimiliter fundamento carere videatur popularis illa traditio, quâ creditur ab Albigenſibus interfecta. Nam in noviſſima Hiſtoria Occitaniæ, ab eruditis Benedictinis Congregationis S. Mauri conſcripta, tom.* 2 *inter Inſtrumenta col.* 104 *& ſeqq. recitatur Teſtamentum Hugonis epiſcopi Toloſani, conditum circa annum* 960, *in quo legatur* Alodes de ſancta Camella cum ipſa eccleſia. *Itaque* S. Camela *ſaltem obiit ante medium ſeculi* X, *quo nec Albigenſium hæreſis nata erat, nec Ordo Ciſtercienſis. Quapropter malim ætatem* S. Camelæ *relinquere incertam, quàm eam cum Caſtellano figere ſeculo* XIII, *cùm ſaltem aliquot ſeculis ſit antiquior. Si martyr ſit, nec tamen paſſa ſub imperatoribus gentilibus, potuit pati ſub Gothis Arianis, aut ſub Saracenis, ſive Mauris; vel etiam alio quocumque modo. Plura non addo, quia omnia videntur incerta præter cultum Sanctæ.*

geſta & ætas iguota.

C F

DE

DE SS. EINBETTA, VORBETTA ET VILLBETTA VIRG.

ARGENTORATI IN ALSATIA.

SYLLOGE. J. P.

De ſcriptoribus, unde hauſta eſt Sanctarum notitia; de reliquiis & cultu.

FORTE SUB FINEM SECULI IV. *Einbetta cujus hodie in recentiorum Faſtis*

Res Virgines iſtæ ignotæ fuerunt omnibus omnino martyrologis antiquioribus, & duæ poſteriores etiam recentioribus. Sola Einbetta, *mutata aliquantulùm nominis ſcriptione, occurrit hodie apud varios. In Auctariis Molani ad Uſuardum & in Martyrologio Germanico, quod Caniſii paſſim nuncupatur, ſequens annuntiatio eſt:* In territorio Argentinenſi ſanctæ Einbeth virginis præclaræ ſanctitatis. *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, citans Molanum & Caniſium, ſic habet:* In territorio Argentoratenſi ſanctæ Eimbethæ virginis. *Lahierus in Menologio virginum pag. 230:* In Alſatia ſanctæ Eimbertæ virginis. *Caſtellanus in Martyrologio univerſali:* Argentorati S. Eimbethæ virginis. *Sauſſayus & Arturus more ſuo elogium addunt paulò prolixius: ſic ſcribit ille in Martyrologio Gallicano:* In Alſatia depoſitio ſanctæ Eimberthæ virginis, quæ Argentorati puros Chriſto famulatus exolvit, functaque perfectæ ſanctitatis officiis, animam, ornatam meritorum monilibus, tranſmiſit ad nuptiarum Agni fruitionem. *Hic autem ſic in Gynæceo:* In Alſatia in territorio Argentinenſi depoſitio ſanctæ Aimberthæ, virginis ejuſdem Ordinis, quæ non minùs ſanctis moribus, quàm mentis ac corporis puritate, Chriſto ſponſo complacere jugiter ſtudiit.

C

memoria eſt, veriſimiliter ſocia fuit

2 *Equidem dum inſtrumenta ac monumenta Argentinenſia mox proferenda conſidero, miror, cur jam recitati martyrologi, præſertim auctor Martyrologii Germanici & Molanus, quos ſecuti ſunt alii,* S. Einbettam *memorârint,* Vorbettam *&* Villbettam *præterierint; cùm eadem pro ſingulis abſque ullo diſcrimine eſſet ratio: ut proinde ſummopere dubitem, an auctores illi ullam de memoratis monumentis ac trium Virginum reliquiis, Argentinæ ſervatis, habuerint notitiam; imò ſuſpicor,* Einbettam *ipſis innotuiſſe ex ejus reliquiis, quæ modò Molshemii ſervantur apud patres Carthuſianos, ut oſtendam infrà num. 14, quæque veroſimiliter cultum habuerunt antè apud eoſdem Carthuſianos in cœnobio, quod olim exſtitit prope Argentinam. Suſpicionem auget ipſemet martyrologorum annuntiandi modus,* S. Einbettam *commemorantium in* territorio Argentinenſi, *non in ipſa civitate. Idem ipſum de* SS. Vorbetta *ac* Villbetta *generale in Faſtis ſilentium, haud dubiè occaſio fuit, ut Hermannus Crombachius abſolutè aſſerere auſus non fuerit,* Einbettam, *ho-*

die memoratam, eamdem eſſe cum Einbetta *ſocia* Vorbettæ *ac* Villbettæ. *Is enim in Opere, quod* Urſulam vindicatam *inſcripſit, tom. 2 lib. XI cap.* E *XI agens de tribus Virginibus noſtris, ita habet:* Fit autem apud martyrologos multos paſſim ad diem XVI Septembris primæ harum vel alterius ejuſdem nominis mentio; de qua Caniſius, Ferrarius & in primis Molanus in additionibus ad Uſuardum &c., *verba dedi num. præced.*

3 *At verò, cùm nullibi alterius ſanctæ Virginis Argentinenſis eo nomine occurrat mentio, nec præter unam ipſi Argentinenſes, quos ſuper hodie memorata conſulendos curavimus, ullam* Einbettam *agnoſcere videantur, equidem eamdem planè eſſe credidero, donec majora dubitandi argumenta proferantur; imò donec iſta proferantur, corrigendum credidero Arturum, qui abſque ullo teſte.* Einbettam *virginibus Ordinis S. Benedicti adſcripſiſſe videtur, dum in Gynæceo poſt commemoratam S. Editham, dicti Ordinis virginem, mox annuntians* S. Einbettam, ejuſdem Ordinis *virginem dixit. Abſque ullo, inquam, teſte, nam Molanus, Sauſſayus, Ferrarius & Caniſius, quos ſolos citat in Notis ſuis, de Ordine S. Benedicti altùm ſilent, nec in ullis, quos vidi hactenus, Sanctorum hujus Ordinis catalogis comparet* Einbetta *vel, uti ipſe ſcribit,* Aimbertha. *Certè in hoc puncto adverſatur etiam Arturo traditio Argentinenſium, qui unanimi conſenſu tum* Einbettam *tum* Vorbettam *ac* Villbettam, *ſocias S. Urſulæ, non tamen martyres fuiſſe, exiſtimant.* F

SS. Vorbettæ & Villbettæ, juxta traditionem

4 *Hæc Argentinenſium traditio ſuſpenſum me aliquamdiu tenuit dubiumque, an hodie de ſanctis Virginibus agerem, an verò, prout huc uſque paſſim fecerunt Majores noſtri, eas remitterem ad diem* XXI *Octobris, quando Acta S. Urſulæ ac Sociarum ex profeſſo examinanda venient. Agendum de illis hodie conſultius tandem eſſe judicavi, tum quòd utcumque neceſſe eſſet indicare, quænam ſit probabilius* Einbetta *apud martyrologos memorata, tum quòd geſta earumdem, utpote non Martyrum, minùs connexa ſint cum Hiſtoria Urſulana. Crombachius in Opere ſuperiùs laudato agit locis variis de ſanctis Virginibus noſtris, earumque nomina pro diverſitate veriſimiliter monumentorum, quæ allegat, diverſimodè exprimit. Tom. 2 lib. 7 cap. 31 ex Mss. Germanicis, Argentinâ acceptis, & à ſeſe Latinè redditis, producit qualecumque geſtorum compendium, quod hîc ſubnectio.*

Argentinæ celebrem, de ſodalitate S. Urſulæ virginum.

5 Ad majus ſolatium & auxilium S. Aureliæ (quæ

AUCTORE J. P.

Geſtorum qualecumque compendium

(quæ in reditu ex urbe Romana Coloniam verſus, dum navigando febriret) S. Urſula tres ei è ſodalitate Virgines reliquit, Einbettam, Worbettam & Wilbettam : hæ, piè jam mortuâ, & ſepultâ S. Aureliâ, in loco, ubi deceſſerat, virginalem pudicitiam ſuam caſtâ, integrâ & innocente vita, Deo noctes dieſque ſerviendo, conſecrârunt. Erant extorres patriâ, carebant ſolatio parentum, & amicorum, &, quod ſummo dolori & moleſtiæ erat, deſtituebantur conſortio & contubernio earum, quas in vita cariſſimas habuerant, ſodalium Urſulanarum : privabantur palmâ martyrii, quâ ſocias virgines jam decoratas non ignorabant. Interim ſolæ ſupererant in hoc calamitoſiſſimo mundi exilio & vitæ mortalis peregrinatione, ac præſtolabantur magnâ patientiâ, extrema paupertate, & ſolitudine finem exitûs è vita, quem iis Deus præfixiſſet : interim conſtanter omnium virtutum uſu & exercitatione continua, uſque ad præſtitutum & decretum ipſis à Deo diem perſeverant, quo piè è vita hac deceſſerunt, & in templo Argentoratenſi, quod Seniorem S. Petrum appellant, ſunt tumulatæ.

B

& corporum inventionis tempus,

6 Multis deinde decurſis temporibus, cùm omnis earum ex humanis mentibus eraſa videretur memoria, divinâ providentiâ factum eſt, ut caſu ſepulcrum illarum aperiretur : ecce tibi apparent omnes tres juxta ſe collocatæ Virgines, totæ, integræ & incorruptæ, virginali amictæ habitu, & ipſo penitus incorrupto : juxtà titulus erat collocatus, in quo ſanctarum Virginum nomina continebantur, & quomodo de ſodalitate parthenica S. Urſulæ Argentinam cum S. Aurelia febriente veniſſent. Ita rurſum conjunctæ, ſed decentiori loculo compoſitæ ſunt, & reconditæ prope altare quoddam ejuſdem eccleſiæ, ubi & hodie in pace requieſcunt. *Hactenus ille ex laudatis Mss., nihil addens, unde antiquitatem reperti in ſepulcro tituli vel conjectando eruamus, imò ne indicans quidem, quo tempore corporum inventio contigerit. Suſpicor tamen contigiſſe ſeculo* XV, *eodem nimirum, quo inventum eſt corpus S. Aureliæ, ſemel & iterum memoratæ. Nam idem Crombachius cap.* 30 *ejuſdem lib.* 7 *inſtrumentum recitat iſtius inventionis hiſtoriam complectens, quod veriſimiliter non alium auctorem habuit, quodque ſequens habet initium :* Paucis antè annis noſtrâ memoriâ accidit, circa annum

C

Domini MCCCCLX &c.

examinatur.

7 *Porrò cùm recitati geſtorum compendii auctor non alleget alia monumenta quàm titulum ſepulcralem, imò cùm utcumque inſinuet, ſe aliis non fuiſſe inſtructum, ex eo enim innotuiſſe indicat, quæ Virginibus, quarum* ex humanis mentibus eraſa videbatur memoria, *fuerint nomina, & quomodo à S. Urſula apud ægram Aureliam relictæ ſint Argentorati, meritò dubitari poteſt, an reliqua rerum geſtarum ſeries eodem ſeculo* XV *anterior ſit, nec ab ipſomet auctore adjecta ac piè excogitata ſecundùm habitam antè Urſulanæ Hiſtoriæ notitiam. Sanè licèt nihil incredibile, nihil uſque adeo mirabile contineat, equidem plus ei auctoritatis attribuere non auſim, quàm relationi non ſufficientibus teſtimoniis firmatæ.*

Levis difficultas ſuper loco ſepulturæ

8 *Crombachius, qui idem inſtrumentum pluris fecit, unam difficultatem in eo ſe inveniſſe exiſtimavit & mox diluiſſe.* Dubium, *inquit*, moveri poſſet, quod illud S. Petri ſenioris templum anno Chriſti CCXXXVII & ſequentibus, cùm eæ Virgines ibi ſepultæ ſunt ; cùm primus loci epiſcopus S. Amandus nominetur, qui à Dagoberto Francorum rege inſtitutus anno DCXL, ut teſtatur Franciſcus Guillimannus lib. epiſcoporum Argentinenſium. *Tum dubium diſſoluturus ad eumdem Guillimannum recurrit & ad Browerum in Annalibus Trevirenſibus, juxta quos alioſque templum S. Petri Senioris multò antiquius eſt epiſcopatu S. Amandi, exſtructum ſcilicet à S. Materno, S. Petri diſcipulo ; ac ita concludit :* Potuêre ergo Virgines illæ tres à ſuperſtitibus quibuſdam Chriſtianis in D. Petri templo tumulari. A

à Crombachio formatæ diſcuſſio.

9 *Sed demus tantiſper, quòd in titulo ſepulcrali expreſſis verbis notatum fuerit, ſepultas fuiſſe Sanctas primùm in eccleſia S. Petri ſenioris ; demus etiam, quòd titulus ille tumulo appoſitus fuerit mox, ubi primùm ſepultæ fuerunt ſanctæ Virgines, quæ duo valdè incerta ſunt, & quæ tamen tamquam certa admitti debuerunt à Crombachio, ut aliquale formaret dubium ſuper exſtructi templi S. Petri ſenioris epocha : ne ſic quidem nobis probatur dubii ſolutio. Nam ſicut tom.* IV *Septembris ad diem menſis* XIV, *declaravimus, longè probabilior nobis eſt eorum ſententia, qui S. Maternum in Gallias Germaniaſque miſſum fuiſſe aſſerunt poſt medium ſeculi* III, *ac proin juxta nos non exſtitit templum S. Petri Senioris anno* CCXXXVII, *cui illigat Crombachius martyrium ſocietatis Urſulanæ : ſi igitur mox ab obitu Virgines noſtræ in templo illo ſepultæ fuerint, dicendum eſt, quòd diu poſt martyrium ſuperſtites fuerint ſodalibus ſuis, imò S. Materno convixerint & templi ejuſdem primordia conſpexerint ; vel potiùs, quòd ſeriùs, ac velit Crombachius, contigerit memoratum martyrium Urſulanum, circa annum nempe* 384, *quæ multorum hodie opinio eſt, quamque ego, donec res iſta pleniùs examinata fuerit menſe Octobri, ſecutus ſum notando ſuprà in margine :* Fortè ſub finem ſeculi IV. *Pergo ad cultum, multò probatiorem, quàm pleraque hactenus diſcuſſa.* E

Inſtrumentum anni 1496, *unde cultus probatur.*

10 *Crombachius, qui, ut ſuprà monui, locis variis de ſanctis Virginibus noſtris ſermonem inſtituit, teſtimonium ſcriptum producit aſſignato tom.* 2 *Operis ſui lib.* XI *cap.* XI, *quo ad probandum cultum antiquius nullum penes nos eſt ; librum nempe Sodalitatis Urſulanæ nomine vulgatum circa annum* 1496, in quo, *ipſiuſmet verba ſunt*, cùm inſtauraretur navicularis undecim millium virginum congregatio, novo collecto piorum operum theſauro, ſub initium libelli, typis ibidem (*Argentinæ*) publicati, mentio fit trium S. Aureliæ Sodalium, ut præcipuarum Argentinenſis civitatis & congregationis Urſulanæ Patronarum. *His ſubdit ex libello ſequentia :* Laus, honor & gratiarum actio tibi concinatur ô æterne, immenſe, omnipotens & benigniſſime Deus, principium & origo bonorum & omnis creaturæ, à quo ceu vivo perennique fonte bona omnia in Humanitatem Chriſti & ſanctiſſimam Dei Genitricem Virginem Mariam, poſtea tot bona in S. Urſulam & univerſam ejus ſodalitatem dimanârunt : præterea in S. Aureliam & ejus ſocias virgines Einbettam, Warbettam & Villbettam nominatas, quarum omnium corpora quieſcunt Argentinæ, partim in S. Aureliæ, partim in S. Petri Senioris eccleſia. Quibus noſtris Patronis omnipotens & æternus Deus ſingularia maximaque beneficia contulit, eas vehementer exaltando erectione ſodalitatis hujus præclariſſimæ & utiliſſimæ, quam doctiſſimi prudentiſſimique viri religioſi & eccleſiaſtici è remotiſſimis locis penè innumeri ſuis inſcriptis nominibus honorârunt. *&c.* F

11 *Præter jam recitata, nihil ſupererat, quod*

de

AUCTORE J. P.

A *In ecclesia S. Petri Senioris Argentinæ,*

de Virginibus nostris lectorem doceremus. Scripsimus in Alsatiam ad reverendum admodùm patrem Dionysium Albrecht, priorem monasterii in Monte S. Odiliæ, ut si quid de S. Einbetta ipsi compertum esset, id communicare nobiscum haud gravaretur. Votis respondit vir humanissimus & quam antè nobis sponte addixerat, operam contulit. Transmisit die 2 mensis Octobris anno 1752 instrumentum ab admodùm reverendo domino Ludovico Geiger, decano ecclesiæ collegiatæ SS. Michaëlis & Petri Senioris, descriptum ac sigillo munitum, unde & alia cultus antiqui indicia, & ipsa corpora ibidem etiam usque nunc honorificè conservata esse didicimus. Instrumento sequens præmittitur titulus : Extractus ex libro statutorum ecclesiæ collegiatæ sanctorum Michaëlis & Petri vulgò Senioris intra Argentinam, in quo sic scriptum reperitur manu propria reverendissimi domini Gabriëlis Haug, sacræ theologiæ doctoris, episcopi Tripolitani, suffraganei Argentinensis & decani SS. Michaëlis & Senioris divi Petri Argentinæ.

ubi earum sacræ exuviæ servantur,

12 *Incipit autem laudatus episcopus enumerando dictæ ecclesiæ sanctos patronos, atque hos inter collocat* SS. Einbettam, Vorbettam & Villbettam *virgines; tum sic prosequitur :* Horum corpora requiescunt in ecclesia nostra Senioris divi Petri Argentinæ, à me infrà scripto in præsentia dominorum Floriani Rieden, sacræ Theologiæ doctoris domini officialis, & Francisci Schlitzweck canonicorum, nec non domini Christophori Han, parochi in Holtzheim, & Joannis Willii, curiæ episcopalis Argentinensis notarii, anno MDCXLVI inventa & translata. Signatum Gabriël Haug, sacræ Theologiæ doctor, episcopus Tripolitanus, suffraganeus Argentinensis, & decanus SS. Michaëlis & sen. divi Petri Argentinæ. *Suum mox testimonium subjicit admodùm reverendus decanus hodiernus, ut sequitur.* Hìc extractus à me infrà scripto de verbo ad verbum ex libro statutorum fideliter descriptus est. Datum Argentinæ die IX Augusti MDCCLII.

(L.S.) L. Geiger, decanus ecclesiæ collegiatæ sanctorum Michaëlis & Petri senioris Argentinæ.

C *olim sacellum exstitit illis consecratum.*

13 *Monet autem præterea laudatus dominus Geiger, eadem reperiri de verbo ad verbum in libro Annalium ejusdem collegiatæ ecclesiæ; in alio autem libro perantiquo inveniisse se addit, ecclesiam istam cum suis altaribus ac sacellis designatam, quæ singula recenset ipsiusmet libri verbis, unde ad propositum nostrum voces sequentes dumtaxat huc transfero :* Capella sanctarum Einbettæ, Vorbettæ & Vilbettæ extra chorum. *Sed inquit,* Nota bene. Altaria & capellæ, extra chorum & in navi ecclesiæ sita, non ampliùs subsistunt, quia chorus adhuc actu muro ab ecclesia separatus est, quâ Lutherani soli utuntur, & officium nostrum non nisi in choro exerceri potest. *Denique ut sciamus, quem locum hodiedum occupent sacræ exuviæ, ita instrumentum suum claudit :* Corpora autem & reliquiæ suprà dictorum & suprà dictarum in cista quercea inclusa, triplici sera clausa, in medio summi altaris prope sepulchrum altaris requiescunt : quæ omnia oculis meis vidi & manibus meis tenui, dum in corpus altaris nostri reposita fuerunt, præsentibus ecclesiæ nostræ canonicis. Quæ omnia, ut suprà scripta sunt, veritati consentanea esse hisce attestor. Argentinæ datum IX Augusti MDCCLII.

(L.S.) Ludovicus Geiger decanus.

Reliquiæ earumdem in binis aliis ecclesiis.

14 *Cæterùm, dum suprà num.* 12 *episcopus Tripolitanus testatur, sacra corpora à se* anno MDCXLVI inventa ac translata *fuisse, id non de prima inventione, sed de secunda aliqua seu potiùs de inspectione ac translatione accipiendum esse, colligi potest ex dictis num. 6 & seq. Dum autem dicitur, ea corpora servari in ecclesia S. Petri Senioris, id de integris omnino corporibus intelligi non debere, manifestum fit ex instrumento citato num.* 10, *ubi dicuntur corpora* SS. Einbettæ, Vorbettæ & Villbettæ *quiescere Argentinæ,* partim in S. Aureliæ, partim in S. Petri Senioris ecclesia. *Accedit, quòd etiam Molshemii (oppidum est haud procul Argentinâ situm) serventur reliquiæ* S. Einbettæ *de Societate S. Ursulæ apud RR. PP. Carthusianos, prout sibi indicatum asserit R. P. Albrecht ab uno memoratorum patrum, sed qua occasione istuc pervenerint, quove ibidem afficiantur cultu, non exprimit. Verisimile tamen est, perlatas illuc fuisse sub finem seculi decimi septimi, cùm à Lutheranis Argentoratense Carthusianorum cœnobium eversum est, & monachi in vicino tractu Molshemiensi sedem collocârunt, ut tradunt Miræus in* Originibus Carthusianorum monasteriorum *cap.* 13, *&* Theodorus Petræus *in Elucidatione ad cap.* 25 *Chronici Carthusiensis, à Petro Dorlando conscripti. Denique conjecturam meam super his reliquiis & memoria solius* Einbettæ *in Martyrologiis indicavi num.* 2.

F

DE S. NINIANO EPISCOPO,

PICTORUM AUSTRALIUM APOSTOLO,

U.S. *CANDIDÆ CASÆ IN SCOTIA,*

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

§ I. Pictorum, & sedis episcopalis Sancti nostri notitia: tempus emortuale, & suscepti apostolatûs exordia.

SECULO V. *Picti qui & unde dicti;*

ACturus de *Apostolo Pictorum* (*quem Beda* Niniam, *Malmesburiensis* Ninam, *alii* Ninum, *& Scoti vernaculo sermone* Ringen *nominant, nos cum Martyrologio Romano* Ninianum *appellabimus*) *quædam prælibanda censui, quæ in gentis Pictorum sedisque episcopalis Sancti nostri notitiam deducant. Pictorum nomen à corporum pictura ortum, si Camdeno & Alfordo credimus, non ante Diocletiani & Maximiani tempora apud scriptores occurrit. Existimat Alfordus in Annalibus ecclesiast. Britanniæ ad annum Christi* 210, *num.* 3, *Pictos non alios esse ab iis, quos Dio, Severi expeditionem Britannicam describens, lib.* 17 *in Caledonios & Mæatas distinxit ita loquens:* Ceterùm Brittanorum duo sunt præsertim genera (nimirum in quos pugnandum erat) Caledonii & Mæatæ..... Incolunt Mæatæ juxta eum murum, qui insulam in duas partes dividit, Caledonii post illos sunt. *Probat Alfordus ex eo, quòd Herodianus, lib.* 3 *domitas à Severo in Britannia gentes depingens, de iis inter alia sic scribat:* Quin ipsa notant corpora picturâ variâ.

eorum regio hodierna Scotia.

2 *Pictos in Dicalidones* (*mavult Camdenus legere Deucaledones*) *& Vecturiones divisit Ammianus Marcellinus lib.* 27, *cap.* 8. Dicalidones, *inquit Alfordus ad annum Christi* 365, *num.* 2, illi fuerunt, qui inter Pictos Occidentem insulæ tenebant, quasi manum dexteram, quæ Di vel Deu syllabâ notatur: ut lævam habebant Vecturiones. *Beda Histor. ecclesiast. gentis Anglorum lib.* 3, *cap.* 4 *Pictos in Australes & Septentrionales distinxit: Septentrionales Pictorum provincias eas vocat*, quæ arduis atque horrentibus montium jugis ab Australibus eorum sunt regionibus sequestratæ; *Australes Pictos eos dicit*, qui intra eosdem montes habent sedes. *Bellicosissimæ gentis sola nunc supereſt memoria, abolito quoque Pictorum nomine: eorum sedes obtinent, quos hodie Scotos dicimus. Fuerintne autem Picti non alii quàm Britones, an natio aliunde advecta, aliaque his similia, discutiat qui voluerit: mihi sufficit, aliquam Pictorum notitiam hic dedisse.*

Candidæ Casæ etymon,

3 *Qui Sancti nostri meminêre auctores planè omnes, eum Candidæ Casæ episcopum scribunt. Candidam autem Casam, Britonibus* Withern *seu* Wit-Herne *dictam, Camdenus in Scotia, locorum situ sic postulante, existimat non esse aliam à Ptolemæi Leucopibia, quam ipse more suo à Graco* Λευκ' οἰκίδια, *id est, domicilia candida, appellaverit, cujus loco unius alteriusque litteræ mutatione Leucopibiam obtruserint typothetæ. Alfordus ad annum Christi* 394 *num.* 3, Est hic locus, *inquit*, in Novantibus, quem hodie Gallovidiam vocant: *est autem Baudrando in Geographia Gallovidia seu Galdia* provincia ampla Australis Scotiæ, in ora occidua, ubi incipit meridionalis, è regione Hiberniæ & Monedæ insulæ, à quibus tantùm xv milliaribus Scoticis distat. *Malmesburiensis lib.* 3 *de Gestis pontificum Anglorum, in Candidæ Casæ episcopis sic loquitur:* Candida Casa vocatur locus in extremis Angliæ juxta Scotiam finibus.... Nomen loco ex opere inditum, quòd ecclesiam ibi ex lapide Britonibus miraculum fecerit, *Sanctus scilicet* Ninianus. *Usserius de Britannicarum ecclesiarum Primordiis editionis Dublinensis pag.* 665 *putat, ex albo haud dubiè lapide ædificatam fuisse ecclesiam illam*, Ex candido quoque colore, *inquit*, appellatione retenta.

ejus situs & appellatio varia.

4 *Beda lib.* 3 *Histor. ecclesiast. gentis Anglorum, cap.* 4. *& nominis Candidæ Casæ etymon, & ejus situm his verbis perstrinxit:* Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgò vocatur ad Candidam Casam, eo quòd ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. *Atque hæc Bedæ, Malmesburiensis, Usserii, aliorumque, quos adducere supervacaneum arbitror, auctoritas appellationis hujus originem mihi adeò verisimilem facit, ut prudenter dubitari non posse credam. Causam aliam assignat Sancti nostri Vitæ aliqua manuscripta, de qua infrà. Aliis etiam nominibus signata interdum reperitur Candida Casa; sic eam Niniapolim à primi antistitis sui* S. Niniani *nomine dictam fuisse, testis est Baudrandus: aliqui eam* S. Martini *vocitârunt à templo in S. Martini Turonensis honorem ibidem erecto. Cujus juris, an Anglo-Saxonum, an Scotorum fuerit Candida Casa, acriter disceptatur inter gentis utriusque scriptores: litis hujus arbiter ego sedere nolim, & instituto Majorum meorum ab hac odiosa controversia abstinendum mihi duxi. Audiantur tamen Beda laudato loco:* Cujus (*Sancti nostri*) sedem episcopatûs, sancti Martini episcopi nomine & ecclesiâ insignem ... jam nunc Anglorum gens obtinet. *Quæ Scoti contendunt Bedam dixisse pro tempore futuro; alii, ut verba videntur præ se ferre, pro ipsius Bedæ tempore accipiunt. Sed de his satis: nunc de tempore apostolatûs Sancti nostri & conversionis Pictorum dicendum est aliquid.*

5 *Ve-*

AUCTORE U. S.

A *Quæ de Scotiæ conversione*

5 *Verùm vel ab ipso disquisitionis ingressu lectorem monendum puto, multa in utroque puncto hoc indagando occurrere perplexa adeò, ut verum tempus non facilè determinandum sit: accipe interim lector, quod de conversionis suæ tempore tradunt scriptores Scotici. Hector Boëtius Scotorum Historiæ lib. 6, fol. 86 verso ita loquitur:* Severo imperante Romanis, apud Victorem Pontificem Maximum... per legatos obtinuit (*Donaldus Scotorum rex,*) ut viri doctrina & religione insignes in Scotiam ab eo missi, se cum liberis & conjuge Christi nomen profitentes baptismate insignirent. Regis exemplum Scotica nobilitas sequuta, aversata impietatem, Christique religionem complexa, sacro fonte est abluta. Fuit annus ille, quo Scoti ad lumen veræ pietatis, Dei Optimi Maximi benignitate vocati sunt & recepti, ab eo, qui primus fuit humanæ salutis, tertius supra ducentesimum... Acciderat nostris diversum quiddam atque Britonibus, tametsi illi ad veram religionem priores accesserint. Siquidem Britones rectè in fide primùm instituti, postea persecutionum sævitiâ & ethnicorum suasionibus eamdem aliquoties sunt aversati. Nostri,

B qua fide & pietate instituti semel fuerunt, hactenus, erroribus aspernatis, perseverant.

traditum scriptores Scotici;

6 *Lesleæus de Rebus gestis Scotorum lib. 3, in Donaldo I secutus est Boëtium, à quo tantum in verbis discrepat. Georgius Thomsonus de Antiquitate Christianæ religionis apud Scotos pag. 2 sic fatur:* Ex Scotorum quippe Annalibus ac perpetua quadam majorum traditione constat sub Victore Pontifice ad annum Christi 203, Donaldum Scotiæ regem cum universo suo regno Christiana sacra suscepisse, cujus etiam rei non obscurus testis est Tertullianus, qui in libro suo contra Judæos "Britannorum, inquit, inaccessa „ Romanis loca Christo vero subdita sunt. „ *Et pag. 4 eamdem tradit Scotorum in fide constantiam, quam laudati suprà Boëtius & Lesleus. Tillemontius tom. 16 Monum. in S. Patricio, art. 10 de universi Scotorum regni cum Donaldo ad Christum conversione ad dictum annum à Scoticis scriptoribus asserta ita breviter pronuntiat:* Sed horum omnium in probatis auctoribus vestigium nullum reperitur. *Nolim quidem ego contra Scotos scriptores omni modo Tillemontii censuræ subscribere. Ignoscent tamen mihi Scoti, si eos in*

C *patriæ suæ commendationem paulò liberaliores fuisse dixero, ob rationes, quas mox subdam.*

dubia omnino sunt & perplexa.

7 *Qui in Donaldo I universi Scotiæ regni factam Christo acquisitionem invictamque in fide constantiam prædicavit Lesleus, ad annum Christi 290 in Crathlinto ita habet:* Floruêre circa hæc tempora apud Scotos Amphibalus, Modocus, Priscus, Ferranus, Ambianus, Carnocus, multique alii viri doctrina & religione insignes, Dei cultores (Culdei nostra vulgari lingua dicti) ob Diocletiani & Constantii tyrannidem ex Britannia profugi, quos rex Crathlintus comiter & benignè accepit: illisque Monam insulam, expulsis Druidibus antiquis incolis, incolendam tradidit, & Amphibalum eorum episcopum creari fecit. Sic omnes gentilium profani ritus, qui ad illa usque tempora ibi extingui prorsus non valebant, hujus regis pietate abrogati sunt. *An, quæ hîc scribit Lesleus, nullatenus pugnent cum iis, quæ dixit in Donaldo, non examino: illud in narratione hac imprimis displicuit Usserio, quòd Constantium Christianæ religionis hostem faciat, mihique certè omnino improbatur, cùm planè constet, Christianis impensè favisse Constantium. Vide multiplex auctorum testimonium apud Usserium pag.* 170 *& sequenti. Unum addo omni exceptione majorem Lactantium lib. de Mort. persecut., cap.* 15: Constantius (*qui Britanniam cum Galliis tenebat*) ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est: verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. *Ex quo habes Constantium quidem permisisse ut aliquæ everterentur ecclesiæ, nullo tamen id præcepisse edicto: præmiserat Lactantius Romani orbis universi stragem, exceptis Galliis Constantio subjectis.*

Ex ipsis Scotorum testimoniis

8 *Nunc quæ contra assertam anno Christi 203 apud Scotos fidei Christianæ originem faciunt, pauncis exsequor. Scoti ipsi religionis Christianæ apud se primordia post Saxonum in Britanniam adventum referunt: ita scribunt in Apologia ad Bonifacium VIII directa, apud Usserium pag. 646:* Quin immò per venerandas reliquias B. Andreæ Apostoli divina revelatione navigio de Græcia delatas in Scotiam, Hungo rege tunc regnante ibidem (de Saxonibus ipsis impugnantibus tunc Scotiam hostiliter, maximâ Scotis à Deo concessâ victoriâ ad ostium Tini fluminis ut habet Historia) Scoti ipsi primò susceperunt fidem Christi *&c: & Bonifacius VIII in Bulla ad Eduardum I,* Nôsse potest, *inquit*, regia celsitudo, qualiter regnum ipsum (*Scotiæ*) per B. Andreæ apostoli venerandas reliquias, non sine superni Numinis grandi dono acquisitum & conversum fuerit ad fidei Catholicæ unitatem. *His planè subruuntur ea, quæ de susceptæ fide anno Christi 203 allata sunt num. 5 & 6. Nam Boëtius adventum reliquiarum S. Andreæ in Scotiam illigat anno Christi 369; Boëtio consentit Lesleus; Dempsterus in Apparatu ad historiam Scoticam lib. 2, cap. 22 § 4 factam scribit anno 362.*

E

ostenditur non posse probabiliter

9 *Sed & quominus fidei apud Scotos initia illigari possint anno Christi 203, facit, quod ajunt de victoria ab Hungo Pictorum rege de Saxonibus reportata: non enim diu ante annum 449 in Britanniam appellere potuerunt Angli sive Saxones, imò ex Beda videtur ostendi posse, eo circiter anno illorum adventum consignandum esse: nam, licèt impressa Bedæ exemplaria, tam in Historia, quàm in Epitome annum exprimant 409,* Legi debet, *inquit Alfordus ad dictum annum* 449, annus CCCCXLIX, ut in correctissimo Ms., quod penes me est, expressè habetur. *Rectè sensisse Alfordum ex hoc etiam liquet, quod Beda lib. 1 Histor. ecclesiast., cap. 13 refert:* Ad hunc (*Aëtium*) pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epistolam, cujus principium hoc est: "Aë„ tio ter consuli gemitus Britannorum„: *tertius siquidem Aëtii consulatus incidit in annum à Christo nato 446, ut docet Bucherii Chronicon & Critica Pagii. Beda autem ibidem subjungit:* Neque hæc tamen agentes quicquam ab illo auxilii impetrare quiverunt. *Et post varias Britonum calamitates demum cap. 15 narrat, quomodo Anglorum sive Saxonum gens à rege Vurtigerno invitata in Britanniam advecta sit.*

F

conversionem illam innecti

10 *Ex his colligere est, non esse tantam fidei Christianæ apud Scotos antiquitatem, quantam venditant eorum historici; nec solido fundamento innecti posse seculo III vixdum inchoato Christianismi apud illos exordia. Sed nec opinioni meæ refragatur adductus suprà à Thomsono locus Tertulliani, quem seculo III floruisse scio, & in Romanorum historiis versatissimum fuisse non inficior: per me quoque licet, ut, quod vult Thom-*

so-

AUCTORE U. S.

sonus, per inaccessa Britannorum loca, ea Britanniæ pars intelligi debeat, quæ nunc Scotia dicitur, in quam Romanorum arma nondum ea ætate penetrârant: *sed non propterea tam universalem, tam constantem, tam incontaminatam totius Scotiæ regni ad Christum conversionem, qualem ipsi jactitant, admittere necesse est. Dico igitur Tertullianum in libro contrà Judæos operam omnem in eo posuisse, ut perfidæ genti demonstraret felicissima Christianæ religionis incrementa, ostendendo Christi imperium humilitate ac mansuetudine sua jura latiùs faciliúsque extendisse, eóque penetrâsse, quò Romanæ aquilæ tanto cum armorum strepitu pervadere nequiverant, vectesque quasi ferreos, & insuperabilia Romanæ majestati obstacula, victricibus Servatoris nostri signis sponte cessisse.*

anno Christi 203.

11 *His Tertulliani mentem sufficienter exprimi, nec latiùs extendendam puto, quàm ut fidei rudimenta quædam & tenuem Christianorum manipulum Tertulliani tempore, imò, si lubet, ante illud in Scotia agnoscamus. Nonne enim mihi liceat dicere: Diu ante Tertulliani tempora remotissimæ Indorum nationes Christo vero subditæ fuerunt, cùm certissimis constet monumentis Christianæ religionis semina apud Indos à S. Thoma apostolo jacta fuisse, & dubitari minimè possit, quin laboribus ejus fructus saltem aliquis accesserit, non tamen tantus, ut universa planè India Christo acquisita fuerit, & ab eo numquam recesserit? Sic pariter Scoticis scriptoribus consentio, regionem hanc, quæ nunc Scotia dicitur, fidei sanctæ radiis illustratam fuisse; non nego Donaldum quemdam, sive is Scotorum rex, sive vir inter suos princeps fuerit, Christianis sacris initiatum fuisse, & exemplo suo nonnullos Christo lucrifecisse. Hoc unum nego, utpote nullo nixum fundamento, Scotorum nempe sive Pictorum gentem universam ab anno Christi 203 veritatis Euangelicæ lumen recepisse ita, ut ab ea numquam defecerit. Scotorum certè Pictorumque à fide defectionem ostendunt clarissimè duriora S. Patricii verba, quæ hìc subnecto. In Epistola ad Christianos Corotici tyranni subditos, quæ exstat tom. 2 Martii, pag. 538 & sequentibus, ita lego:* Socii Scotorum atque Pictorum apostâtarunt: *& infrà:* Præsertim indignissimorum, pessimorumque atque apostatarum Pictorum.

Referuntur variæ

12 *Quæ disputavi hactenus, sufficiunt, ut discipiat unusquisque Scoticis scriptoribus circa fidei in sua regione exordia non omninò credendum esse, præsertim cùm non desint ejusdem gentis antiquiores auctores, qui conversionem illam Donaldi regiam silentio præterierunt, & diversa sit Scotorum de conversionis modo sententia, ut videre est apud Alfordum ad annum Christi 203. Rejectis igitur iis, quæ nemo facilè probaverit, ad ea, quæ cum majori aliqua verisimilitudine dici possunt, pergamus. In scedula quadam, Papebrochii manu scripta, de tempore conversionis Pictorum, postquam dictum est, multiplicem à Scotis conversioni suæ annexam fuisse fabulam, ita pergitur:* Hoc certius, S. Ninianum circa finem seculi IV, paulò antequam S. Martinus moreretur, apud Pictos cœpisse fidem disseminare: ibidemque magistri sui morte divinitus cognita, primam ejus nomine consecrâsse ecclesiam: post quem quia nullus fuit, qui bene cœpta prosequeretur: & Picti Romanos omnes, Romanisque adhærentes Britannos (à quibus potuissent hac in parte juvari) odio prosequebantur capitali; fieri vix aliter potuit, quin fidei adhuc teneræ novella exarescerent germina, & errorum zizania repullularent: quibus avellendis sanctus demum Columba, ex Hibernia in Albaniam transiens, navare operam utilissimam cœpit anno, ut auctor est Beda lib. III, cap. IV, Incarnationis Dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto. *Vide Annotata Papebrochii ad suprà laudatam S. Patricii epistolam.*

auctorum opiniones

13 *Papebrochio præluxerat Fordunus lib. 3 Historiæ Scotorum, cap. 9 ita scribens:* Imperatoris istius Theodosii junioris temporibus sanctum obiisse ferunt Ninianum pontificem: ipsum namque secundùm Historiarum scripta sub imperio sui patris Arcadii & Honorii patrui scimus veraciter floruisse: nam eorum anno quinto B. Martinus Turonensis episcopus obiit, cujus adhuc in carne viventis alloquio sanctus meruit Ninianus saluberrimo recreari. *Pitseus de Scriptoribus Britanniæ, in* S. Niniano *annum mortis signavit hoc modo:* Ad Candidam Casam sanctissimè diem suum obiit, & ibidem in templo ei dedicato sepulturam accepit decimo sexto Calendas Octobris anno reparatæ salutis CCCCXXXII. *Pitseum secutus est Alfordus ad annum Christi* 432, *num.* 12 *hæc ex Magdeburgensibus, Cent.* 5, *fol.* 1429 *subnectens:* Apud quos (*Pictos*) tandem Gallovidiæ in Candida Casa pontifex primus obiit anno salutis CCCCXXXII. *Catalogus manuscriptus Sanctorum Scotiæ, qui inter scripta ad res Hiberniæ Scotiæque spectantia in Museo nostro servatur, hoc elogio Sanctum nostrum exornat ad diem* XVI *Septembris:* S. Ninianus, S. Martini ex sorore nepos, episcopus Candidæ Casæ in Gallovidia Scotiæ regione, Pictorum & Britonum insignis doctor, ad quem celeberrima peregrinatio institui solebat. Floruit anno CCCCXXXVII. *Sed qui Catalogum hunc Majoribus meis Lovanio submisit Brunus, non aliunde mihi notus, quàm ex ista subscriptione, in epistola sua ita scribit:* Est etiam in his ipsis non satis certa alicubi conjectura de tempore, quo vixerint Sancti, sed error nec magnus, nec in multis est.

de S. Niniani

14 *Patricius Ninianus Wemyss Societatis Jesu, in manuscripto de indubitatis Scotiæ Sanctis ad Sollerium misso 2 Julii anno* 1720, *emortuale Sancti nostri tempus signat annum* 437. *Martyrologium Anglicanum Joannis Wilsoni, anno Christi* 1608 *vulgatum, ita habet:* Obiit postmodum (*Sanctus noster*) in Scotia circa annum Christi DXII: *annum alium signant alii. Scriptoribus de tempore emortuali Sancti Antistitis nostri tam diversimodè sentientibus, malui initio hujus Commentarii tempus illud latè figere seculo* V, *quàm ipsum divinando assequi. Wilsono tamen* S. Niniani *obitum ad seculum* VI *removenti assentiendum non putavi propter ea, quæ tum ex Actis (licèt suspectis admodum) tum ex auctoribus penè omnibus dicemus de Sancti nostri cum S. Martino Turonensi conversatione: cùm enim nemo sit, saltem quem viderim, qui obitum S. Martini posteriorem statuit anno Christi* 402, *imò verisimillimum sit, annis etiam aliquot citiùs eum obiisse, quis* S. Ninianum *ad annum* 512 *superfuisse sibi persuadeat? Maximè si verùm est, quod tradit auctor Vitæ* S. Niniani, *eum scilicet, jam consecratum episcopum, ad S. Martinum divertisse.*

tempore emortuali anno

15 *Sed nec annus, quo prædicationis Euangelicæ munus apud Pictos susceperit* S. Ninianus, *certò videtur figi posse. Alfordus apostolatûs ejus exordia innectit anno Christi* 394, *ita loquens ad dictum annum num.* 1: Quo etiam tempore Ni-

nia-

AUCTORE U. S.

nianus noſter... à Siricio Papa conſecratus epiſcopus jubetur in inſulam redire & Pictos Romanæ Eccleſiæ fideique ſubjugare. *Pergit num.* 3 : Ubi (*Candidæ Caſæ*) teſte Camdeno Theodoſii junioris tempore epiſcopalem ſedem Ninianus erexit. Unde ad hæc potiùs tempora, non ad priora, ut quidam faciunt, referimus & Pictorum Auſtralium converſionem, & novæ ſedis inſtitutionem : licèt autem hic Theodoſius non junior, ſed reſpectu alterius auguſti ſenior cenſeatur, Beda tamen lib. 1, cap. x (*mendum hic eſt, legendumque cap.* xi) Theodoſium hunc juniorem vocat, & ita intelligi debet Camdenus. *Malim ego Camdeni aliorumque verba accipere, ut ſonant, cúmque Theodoſii junioris temporibus facta hæc illigant, Theodoſium ab iis ſignari puto, non Magnum, Arcadii & Honorii patrem, ſed Theodoſium Arcadii filium. Ad Bedam autem quod attinet, rectè ſenſiſſe puto Chiffletium noſtrum, dum in correctiore editione Pariſienſi anni* 1684 *locum Bedæ ſic reſtituit :* Tenente imperium Honorio auguſto filio Theodoſii minore. *In Notis autem ſic obſervat laudatus Chiffletius :* Vulgata habent: Theodoſii junioris, Trevirenſis codex : Theodoſii minoris. Repono ex vero & ex Bedæ ipſius mente : Filio Theodoſii minore : major enim illi filius fuit Arcadius. *Et ſanè veriſimilius eſt, in deſcribendo Beda errâſſe incurium amanuenſem, & pro* minore *ſcripſiſſe* minoris, *pro quo alii ſubſtituerint* junioris, *quàm ipſum Bedam hallucinatum ita fuiſſe, ut Theodoſium Magnum, ante quem nullus ejus nominis imperator invenitur, juniorem appellârit.*

ſuſcepti apud Pictos apoſtolatûs.

16 *Laudatus Alfordus ad annum Chriſti* 395 *prædicatam à* Niniano *apud Pictos fidem* Sequenti, *inquit*, anno, *id* eſt Chriſti trecenteſimo nonageſimo quinto, Theodoſio tertiùm & Abundantio Coſſ., S. Regulus confirmavit; qui ex Achaïa in Britanniam veniens, ſacras Andreæ apoſtoli reliquias ſecum aſportavit in eccleſiis nuper erectis deponendas.... Quod ad tempus ſpectat, accidiſſe adventum S. Reguli uno alterove anno poſt Valentiniani mortem affirmat Holinshedus : quod cum Pictorum converſione optimè congruit. *Quid cenſendum ſit de hiſce S. Andreæ reliquiis in Scotiam delatis, diſcuti poterit vel ad* xv *Octobris, ubi de S. Regulo, vel ad* xxx *Novembris, ubi de S. Andrea agendum erit. Ad reliqua ab Alfordo aſſerta pauca obſervo. Primò certum eſt falſos ab ipſo conſules ſignari : anno enim Chriſti* 395 *conſulatum tenuêre Sextus Anicius Olybrius, & Sextus Anicius Probinus. Secundò non facilè admiſero tantos tam brevi tempore fidei in populo barbaro progreſſus, quantos adſtruere videtur Alfordus, utpote qui* S. Ninianum *non niſi anno* 394 *conſecratum Romæ epiſcopum, & inde per Gallias in Pictorum terras devectum ſtatuit, & tamen anno proximè ſubſequente varias eccleſias erectas ſcribit. Tertiò ex Holinshedo non probatur, allatas fuiſſe in Scotiam S. Andreæ reliquias anno* 395 : *verum quidem eſt, anno* 392 *obiiſſe Valentinianum II, ſed cùm Holinshedus ſcribat ſimpliciter* poſt Valentiniani mortem, *ut apud Alfordum lego, & Valentinianus I anno Chriſti* 375 *deceſſerit, dubium manet, an Valentinianum I, an II deſignârit. Pictorum igitur Auſtralium converſionem latè figo vel ſub finem ſeculi* IV, *vel ſub initium* V, *cùm hoc ſolum ex Beda certum ſit, eos diu ante annum* 565 *ad fidem adductos fuiſſe.*

§ II. Variæ Sancti noſtri Vitæ, quarum una fabuloſa, aliæ minimè authenticæ : geſtorum ejus uſque ad epiſcopatum ex iis compendium.

Variæ S. Niniani Vitæ :

Uſſerius de Britannicarum eccleſiarum primordiis pag. 669 *de* S. Niniani *Actis ita loquitur :* Vitam S. Niniani... ab Ælredo Rhievallenſi abbate conſcriptam, in bibliothecis Angliæ vidimus. *Pitſeus pag.* 230 *inter Opera Ælredæ Rievallenſis recenſet* Vitam S. Niniani epiſcopi, librum unum, *adſcribitque*, Multorum bonorum virorum, *per quæ verba Vitæ iſtius initium deſignatur : hæc ad nos non pervenit. Patricius Wemyſſ in laudato ſuprà ſcripto hæc habet :* A fide dignis accepi illius (*Sancti noſtri*) Vitam variis in formis conſcriptam haberi in bibliothecis Angliæ, quam numquam mihi licuit videre. *Uſſerius pag.* 1059 *de altera* S. Niniani *Vita ſic ſcribit :* Extat & apud Hibernos noſtros ejuſdem Niniani Vita : in qua ob importunam tum à matre tum à conſanguineis frequentatam viſitationem, deſertâ Candidâ Caſâ, ut ſibi & ſuæ quieti cum diſcipulis vacaret, Hiberniam petiiſſe, atque ibi impetrato à rege loco apto & amœno, Cluayn Coner dicto, cœnobium magnum conſtituiſſe, ibidemque poſt multos in Hibernia tranſactos annos obiiſſe traditur. *Uſſerium & ſecundo loco laudatam ab eo Vitam ſecutus eſt Ludovicus Auguſtinus Alemandus in Hiſtoria monaſtica regni Hiberniæ, titulo :* Præcipui ſancti fundatores, qui fermè omnes Hiberni ſunt, & ibidem domos Regularium condiderunt, *ubi hæc addit :* S. Ninianus v ſeculo fundator exſtitit domûs dictæ Cluain Coner. *Initio autem catalogi iſtius præmiſerat, intelligi debere domum ſpectantem ad Canonicorum Regularium inſtitutum, quotieſcumque Ordinem alium non exprimit. Vox autem* Cluain, *ut obſervat idem Alemandus pag.* 24, *ad diſtinctionem addita, aliud nil Hibernicè ſignificat, quàm quòd domus hæ, quibus vox iſta* Cluain *præfigitur, in amœnis pratis ſitæ eſſent.*

meritò rejiciendam eſſe illam,

18 *Alfordus poſt recitata verba, quæ ex Uſſerio ſecundo loco dedi, ad annum* 432 *ſic pronuntiat :* Sed nota eſt Hibernorum ambitioſa pietas, Britanniæ Sanctos, ſi jure non poſſunt, injuriâ ad ſe trahentium. Major teſtis eſt Malmeſburienſis, qui de Niniani ſepulchro hæc habet lib. III de Geſtis pontificum : "Candida Caſa, „ inquit, vocatur locus in extremis Angliæ juxta „ Scotiam finibus : ubi beatus confeſſor Ninia re„ quieſcit„. *Potuiſſet quoque Alfordus pro ſe adducere locum Bedæ lib.* 3 *Hiſtoriæ, cap.* 4 : Ubi (*in eccleſia S. Martini ad Candidam Caſam*) etiam ipſe (*Sanctus noſter*) corpore unà cum pluribus Sanctis requieſcit. *Repudiatam ab Alfordo Vitam, aut ſaltem huic ſimilem admodùm, tranſumptam habemus ex manuſcripto P. Fitzſimon, quod eo procurante ex Hibernia acceperunt Majores mei. Quo minùs ei acquieſcamus, credamuſque* S. Ninianum, *derelictâ Candidâ Caſâ, in Hiberniam commigrâſſe, prohibet fabella multiplex, ex qua tota penè conſuta eſt.*

19 *Accedit & alia ratio non levis. Etenim* S. Ninianus *Pictos fide Chriſtiana imbuendos ſuſce-*

AUCTORE U. S.

quæ eum in Hibernia obiisse scribit,

perat, & sedem episcopalem Candidæ Casæ exerat. Quis igitur facilè credat inepto fabulatori, nascentem ecclesiam, & gregem in fide tenellum ab eo desertum, præsertim cùm rei adeo insolitæ non afferatur idonea ratio; cúmque aliæ Vitæ minùs fabulosæ de itinere illo Hibernico prorsus sileant, Sanctumque in episcopatu suo obiisse tradant?

probatur ex veteri Ecclesiæ disciplina,

20 *Verùm ut amplius lectori fiat perspectum, quàm ineptiat in multis, & sæpè sibi minimè constet auctor, paucula ejus verba, quæ id demonstrant, huc fideliter transfero.* Fuit, *inquit*, pater ejus (*Sancti nostri*) rex Britanniæ, qui sibi in uxorem legitimam filiam regis Hispanorum matrimonio copulavit, vitâ & moribus venustam. Ex his duobus fidelibus fideliter in Dei servitio perseverantibus *&c. Et paulò infrà*: Traditur denique à patre suo clericali disciplinæ. *Pergit deinde exponere raras ejus animi dotes, orationis sanctarumque vigiliarum studium, jejunia, corporisque macerationes, ac subdit*: Missâ manè celebratâ, Horisque jam dictis, divinæ lectioni sedulè incumbens *&c. Et post alia his similia subjungit*: Nititur interea rex
B pater ejus ipsum ad curiam suam revocare . . . Fuit enim Vir sanctus staturâ procerus, corpore strenuus, facie præclarus & inter omnes concives totius patriæ altior capite superefferebatur. Pro hac re voluit eum pater gladio accingi militari.

ac fabella multiplici,

21 *Utcumque mutabilia sint hominum sensa, quis tamen in animum inducat*, S. Niniani *parentem, quem fidelem & quidem fideliter in Dei servitio perseverantem dixit Vitæ hujus auctor, derepente factum fuisse impiè sacrilegum? Quid quòd ipsum etiam sanctum* Ninianum *sui & arrepti vitæ instituti oblitum quodammodo statuit: inter alias enim ejus virtutes castimoniæ studium celebrârat his verbis*: Non solùm mulierum colloquium, sed & aspectum, ne attenderetur, aufugit: *& ecce vix in Hiberniam pedem immiserat Sanctus noster, cùm scenæ narratur præsens hujusmodi, quam oculi etiam leviter tantùm casti planè refugerent, diciturque auctor miraculi cujusdam, quod silentio prætereundum mihi omninò duxi, ne pudicas aures lædat impudens narratio. Post hæc quis credat fabulatori, etiamsi vera esse possint, quæ narrat? Unde dubia saltem habenda sunt, quæ scribit de campana, ad Sancti preces de cælo delapsa, ut ejus beneficio subditos ad studium sacramque lectionem convocaret. Nihilo quoque certius est, quod tradit de ecclesia lignea, divinâ potiùs virtute quàm artificum operâ ædificata: cui exstruendæ materiam necessariam de nemore ad locum templo destinatum devexerunt cervi ferocissimi, artifex autem ipse citharista fuit, nec antè nec postea in architectonica versatus.*
C

quâ Vita hæc referta est.

22 *Sancti nostri utramque fugam, in Gallovidiam alteram, & inde alteram in Hiberniam describens, clandestinam vocat, in utraque tamen numeroso cleri discipulorumque cœtu stipatum asserit. Fabulam alteram prolixè in hac, qua de agimus, Vita relatam in pauca contraho.* S. Ninianus *patris vexationem fugiens conscenso navigio in Gallovidiam devehitur: amplo in campo residet, & ad fabrum circumjacentium agrorum dominum nuntios ablegat oraturos, ut sibi suisque noctis unius hospitium vitæque necessaria subministrentur. Sed, nuntiis superbè contumelioséque rejectis, cum indignatione coactus est Sanctus recedere, qui fabri ædes pertransiens baculum suum ad altitudinem trium digitorum tanta vi in incudem defixit, ut humana manu revelli non pos-*
D *set. Hoc prodigio stupefactus faber cum filio ad Sancti pedes provolvitur, veniamque orat & exorat. Fabri domum Sanctus pòst ingreditur, nulloque negotio scipionem suum extrahit, sed, inquit Vitæ auctor*, semper patuit foramen in incude & in æternum patebit. *Postero die faber villam cum adjacentibus agris Viro Dei in perpetuum possidendam offert, hac solùm pactione adjecta, ut ex nomine fabri* Terna, *& filii ejus* Wyt *locus appellaretur*, Compositumque est, *inquit ineptus nugator*, nomen loci illius de Wyt & Terna Wytterna, seu Candida Casa. *Pluribus supersedeo; jam dicta enim sufficiunt, ut* S. Niniani *in Hiberniam commigrationem habeamus commentitiam, & quivis judicet, Vitam hanc planè indignam, quæ in Opere nostro locum accipiat.*

Gemina item Vita manuscripta

23 *Geminam insuper sancti Apostoli nostri Vitam manuscriptam habemus, quarum altera transumpta est ex Manuscripto Rubeæ Vallis, alteram ex Manuscripto Carthusiæ Colonienſis accepit, & Majoribus meis submisit P. Hugo Vardæus, qui in præfatione, quam illi præfixit, fatetur primò accuratiorem & locupletiorem esse Vitam* S. Niniani *a Capgravio editam, de qua statim. Secundò menda & errores irrepsisse in Manuscriptum Carthusiense, ut sunt* XVI Idus Octobris, *pro* XVI Calendas, *& episcopi* Scotici *pro* Britannici. *Tertiò* Finianus, *pro* Ninianus *scribitur, & hoc dicit ortum habere ex similitudine litterarum N & V in veteribus manuscriptis, & ex simili sono litterarum F & V apud Germanos. Quarto*, Possunt, *inquit*, aliqua suppleri, quæ apud Capgravium historicum desiderantur, ut illud de baculo Niniani crescente in arborem, & prope eum emanante fonte, quæ in Hibernia contigerunt. *Verùm utramque hanc historiam in Capgravii editione Londinensi anni* 1516 *disertè expressam lego. Quòd autem in Hibernia facta sint ambo illa miracula, mihi non probatur ex eo, quod subdit Vardæus*: Ex qua (*Hibernia*) oriundus videtur ille Niniani discipulus: nam discoli scholas fugientes extraneas, domum reverti ad parentes solent. *Poterat certè, si vera est tota narratio, è Gallovidia ad parentes aufugere, etsi non præcisè in Hiberniam, quod pluribus refellere nil facit ad rem præsentem. Cetèrum Vita hæc in rebus præcipuis cum Capgravio ita convenit, ut non nisi interdum sit contractior, interdum verbis auctior.*
E

& edita à Capgravio Acta

24 *Sola itaque examinanda est Vita, quæ à Capgravio luci data est, ut de aliis prudens lector statuat. Ut ordinatè procedam, ab ipso auctore ordior. Capgravius*, teste *Pitseo*, vir pietatis & eruditionis laudibus insignis, *edidit*, Catalogum Sanctorum Angliæ. *Henricus Wharton in Appendice ad Historiam ecclesiasticam Guilielmi Cave, ait Capgravium Historiam istam explicâsse ex volumine quodam, quod in bibliotheca Cottoniana manuscriptum asservatur. Whartono consentit Oudinus in Commentariis de scriptoribus ecclesiasticis, tom.* 3, *col.* 2595 *asserens, Capgravium excerpsisse Legendam suam ex manuscripto volumine Joannis Tinmouthensis; de qua explicatione etiam Jannıngum nostrum monuit D. Smith ecclesiæ Anglicanæ presbyter. Quidquid sit, sive primus Catalogum hunc Sanctorum Angliæ adornaverit Capgravius, sive à Tinmouthensi priùs adornatum verbatim descripserit, uterque certè à* Niniani *ætate nimis remotus est, ut relatis in hac Vita gestis assensum præbeamus indubium: etenim Joannes Tinmouthensis floruit anno Christi* 1366,
F

Cap-

AUCTORE U. S.

A *Capgravius autem, ſi Balæo & Wharthono credimus, obiit anno Chriſti* 1464; *ſi Pitſeo, Voſſio & Miræo, anno* 1484: *at* S. Ninianus *ſcriptorum penè omnium ſuffragio dicitur mortuus Theodoſio Juniore regnante, cujus annus imperii & vitæ ultimus incidit in annum Chriſti* 450. *Inſuper quo minùs Vitam hanc ut probè authenticam & omninò ſinceram habeamus, facit affinitas miraculorum cum iis, quæ à Sanctis aliis in eodem Catalogo patrata referuntur, ut per decurſum interdum obſervabo; hoc unum lectorem monitum volo, me ea minimè negare prodigia, ſed quoniam ea ab antiquioribus ſcripto prodita non ſunt, obtinet hîc, quod auctor Catalogi Sanctorum Angliæ ſcribit in S. Neoto abbate fol.* 240 *poſt inſoliti miraculi narrationem:* Hoc, *inquit*, nec aſſerere contendo, nec de Dei potentia (*addo ego*, *aut* Niniani *meritis*) diffidens abnegare præſumo.

unde hauſta ſint, & quanta cenſenda

25 *Juverit lectori ab oculis ponere ſingula, & ita rerum à* S. Niniano *geſtarum qualecumque compendium exhibere. Orditur in hunc modum:* S. Niniani confeſſoris ſacra converſationis primordia, & ſanctitatis inſignia, dignitatem officii & fructum miniſterii, finem optimum & laboris præmium Venerabilis Beda in Anglorum Hiſtoria

B (*lib.* 3 *cap.* 4) pauciſſimis commendans verbis, ita de eo ſcribit. *Quæ* S. Ninianum *propriè ſpectant tranſcribo, omiſſis aliis, ex ipſo Beda, quem non ſatis accuratè deſcripſit auctor laudati Catalogi:* Auſtrales Picti,.... relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Ninia epiſcopo reverentiſſimo & ſanctiſſimo viro, de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & myſteria veritatis edoctus; cujus ſedem epiſcopalem ſancti Martini epiſcopi nomine & eccleſiâ inſignem (ubi etiam ipſe corpore unà cum pluribus Sanctis requieſcit) jam Anglorum gens obtinet. Qui locus *&c. Tum ſubdit Vitæ auctor*: Verùm quod Beda breviùs ſcripſit, latiùs Deo auctore proſequi placet. *Suſpicari licet, uſum fuiſſe libro de miraculis* S. Niniani *conſcripto, qui ad nos non pervenit, ſolúmque innotuit ex Breviario manuſcripto eccleſiæ Aberdonenſis, ubi in Officio* S. Niniani, *lectione* VII *dicitur laudatus liber* Barbaricè *ſcriptus; quam conjecturam meam firmat conformitas penè omnimoda eorum, quæ in dicto Officio recitantur, & in edita* S. Niniani *Vita memorantur.*

C *illorum auctoritas. Natales*

26 *Pitſeus in Joanne Tinmouthenſi de Volumine Sanctorum Vitas complexo agens*, Ex infinitis penè, *inquit*, auctoribus res varias ita compaginavit, ut quæ deeſſent in aliis, ex aliis adjiceret; quæ redundarent, tam diſcretè reſecaret, ut nihil in illa tota Hiſtoria redundans aut mutilum. *Tantum abeſt, ut Pitſei judicio favorabili ſubſcribam, ut potiùs pro certo habeam fore, ut quicumque vel oſcitanter Vitas Sanctorum Angliæ pervolverit, primâ fronte offendat non pauca, quæ ad accuratiorem trutinam (ne quid dicam durius) revocare oporteat. Intermiſſam tantiſper epitomen reſumo, non aliis impoſterum, niſi cùm contrarium expreſſero, quàm Capgraviana editionis verbis uſurus:* In Britannia majori regali ex proſapia B. Ninianus extitit oriundus, in ea, ut putatur regione, quæ in occiduis ipſius inſulæ partibus, ubi oceanus quaſi brachium porrigens, & ex utraque parte quaſi duos angulos faciens Scotorum nunc & Anglorum dividit (regna, *additur in manuſcripto Rubeæ Vallis*) conſtituta, uſque ad noviſſima Anglorum tempora proprium habuiſſe regem, non ſolùm Hiſtoria-

rum fide, ſed & quorumdam quoque memoriâ comprobatur. *His verbis manifeſtè inſinuat auctor Vitæ, natum eſſe Sanctum noſtrum in antiquo Cumbrorum regno, quod propriis regibus paruiſſe uſque ad annum* 946, *conſtat ex Anglorum Annalibus citatis ab Uſſerio pag.* 664, *& Camdeno pag.* 648, *in Cumbria. Situs autem provinciæ Cambrenſis optimè congruit cum deſcriptione loci natalis* S. Niniani, *ut ex mappis geographicis ad oculum patet. At Balæus, aliique eum Venedotam faciunt: eſt autem* Venedotia, *teſte Baudrando in Geographia*, pars Walliæ borealis in Anglia, *regio à Cumbrenſi regno omnino diverſa. Utri de loco natali* S. Niniani *rectiùs ſtatuerint, non inquiro, cùm ſolum hoc ex Beda certum ſit, eum fuiſſe* de natione Britonum.

& adoleſcentia S. Niniani:

27 *Quod autem ſpectat ad regios* S. Niniani *natales ab auctore Vitæ aſſertos, eos nec impugno, ſed nec ut certos admitto. Audiatur Alfordus de his ita loquens ad annum Chriſti* 370, *num.* 6: Cùm audis Ninianum regis filium, puta legendariorum dialectum eſſe, qui in eo titulo pluribus attribuendo admodùm liberales ſunt. Verùm ea voce intelligunt viros in provincia principes ac regulos: quos ſine ullo dubio Britannia omni ſeculo frequentes habuit. *Poſt hæc auctor totus eſt in deſcribendis* S. Niniani *intemeratis moribus egregiiſque virtutibus. In manuſcripto Carthuſienſi & Lectione* IX *laudati ſuprà eccleſiæ Aberdonenſis Officii ita legitur:* Hic in ipſa infantia ſacroſancti baptiſmatis undâ renatus, veſtem nuptialem, quam candidatus ſuſcepit, immaculatam conſervans, victor vitiorum, Chriſti eam conſpectibus præſentavit, ac Spiritum ſanctum, quem primùm habuit mundatorem, ſanctiſſimis moribus ſui ſacri pectoris meruit illuſtratorem. *Tum Vitæ auctor Sancti noſtri in Urbem peregrinationem paucis verbis exſequitur. Huic peregrinationi David Camerarius in Sanctis Scotiæ ad diem* XVIII *Septembris præmittit cohabitationem Sancti noſtri cum Culdeis patribus:* Horum (*Culdeorum*) *inquit*, inſtitutum amplexus Ninianus, mirum eſt, quanto deſiderio teneretur converſionis animarum: verùm quia mos tunc erat inter Culdæos patres, ut non priùs ſubiret aliquis onus Euangelicum & apoſtolicum, quin priùs limina Apoſtolorum viſitâſſet, Romam proficiſcitur *&c. Quid ſtatuendum ſit de Culdeis (alii ſcribunt Culdæos, alii Keldeos, Colideos alii,) quos Scoti affirmant etiam ſeculo* III *in patria ſua floruiſſe, colligi poteſt ex dictis num.* 7.

iter Sancti Romam ab Alfordo

28 *Peregrinationem hanc à* S. Niniano *ſuſceptam putat Alfordus anno Chriſti* 370, *in Annalibus ad dictum annum num.* 1 *ſic ſcribens:* Quod ad tempus ſpectat, tunc incidiſſe profectionem oportet, cùm Damaſus Papa in Urbe Pontifex ſederet. Quia poſt aliquot annorum ſpatia redire debet Ninianus in patriam, & S. Martinum Turonenſem.... de via ſalutare. Lex etiam Valentiniani imperatoris hoc anno (370) lata... plures invitavit.... Et quia Treviris data eſt,... Britanniæ noſtræ ſtatim innotuit. *Idem Alfordus ad annum Chriſti* 394, S. Ninianum *eo tempore à Siricio Papa conſecratum epiſcopum & ad Pictos fide vera imbuendos remiſſum tradit, ſicque ejus in Urbe commorationem* 24 *circiter annorum ſtatuit. Cùm nulla alleget Alfordus monumenta, quibus ſuam ſtabiliat chronotaxim, ſolis videtur niti conjecturis, quæ meo judicio rem minimè conficiunt; videnturque mihi omnia, quæ de* Niniani *Romana peregrinatione, ejuſque in Urbe mora*

AUCTORE U. S.

traduntur, ſufficienter ſalvari, etiamſi ſtatuatur annis aliquot ſeriùs Romanum iter accidiſſe; nec omnino neceſſe eſt tot annos adſtruere, ut, quod Beda ſcribit, Romæ regulariter fidem & veritatis myſteria edoctus ſit Sanctus.

illigatur anno 370, *& mora ibidem*

29 *Dicitur in Vita* adoleſcens *Romam profectus, &* pluribus annis *in Urbe converſatus: ſed etiam à veteribus vocati fuerunt adoleſcentes, qui* 29 *ætatis annum ſuperaverant, ut videre eſt ex auctoribus allatis in Roberti Stephani Theſauro linguæ Latinæ, verbo* Adoleſcens; *& multorum annorum mora dici poteſt ea, quæ* 24 *annorum ſpatio longè inferior eſt. At, inquit Alfordus,* Tunc incidiſſe profectionem oportet, cùm Damaſus Papa in Urbe Pontifex ſederet. *Hoc quoque gratis admiſſo, annum* 370 *tamen non extundes; quia ſedit Damaſus uſque ad annum* 384. *Gratis, inquam, admiſſo, quia nec ab auctore Vitæ, nec ab alio quoquam nominatum reperio Pontificem, tum à quo Romam veniens benignè comiterque exceptus, tum à quo deinde epiſcopus ordinatus fuerit* S. Ninianus; *nec aliquid obeſt, quo minùs utrumque ſub Damaſi ſucceſſore Siricio potuerit contigiſſe. Cùm enim Siricius S. Petri Cathedram*

B

occupârit ab anno 385 *ineunte, ſi ei anno innectamus Romanam* S. Niniani *profectionem, uſque ad annum* 397, *ante quem certè non obiit S. Martinus Turonenſis, tempus abundè ſuppetet, quo & divinarum Scripturarum mira eruditione imbui, & fidei myſteria edoceri potuerit Sanctus noſter, & ſimul ad S. Martinum divertere, eamque annorum ſupputationem eo lubentiùs amplectar, quòd induci non poſſim, ut credam, ferventiſſimum animarum zelum & fidei propagandæ ardorem, quo flagravit* S. Ninianus, *& cujus explendi ergò, teſte Alfordo, Romam petiit, per* 24 *circiter annos coarctatum fuiſſe, in tanta præſertim Pictorum neceſſitate,* & Niniano, *& Romanæ Sedis Antiſtiti haud dubiè notiſſima.*

ſtatuitur annorum circiter 24; *Alfordi*

30 *Lex autem Valentiniani de ſtudiorum recta inſtitutione & alumnorum delectu, quam in ſubſidium advocat Alfordus, nil evincit. Verè quidem ſpectat ad annum* 370, *cùm ſignata ſit Valentiniani & Valentis auguſtorum conſulatu tertio, incidente in annum Chriſti* 370, *&, quia Treviris lata eſt, non diffiteor, eam facilè potuiſſe Britanniæ innoteſcere; inde tamen non ſequitur,*

C

ut ſtatim à lata iſta lege ad Romanas ſcholas ſe contulerit Ninianus. *Cum ergò deſint ſolida monumenta, quibus chronotaxim ſuam ſtabiliat Alfordus, ab ea recedere ſatius puto, quàm diuturnam adeò Sancti noſtri in Urbe moram admittere, maximè cùm certum mihi videatur, non poſſe ſtatui ejus ad Pictos miſſionem diu ante annum* 394, *cui eam illigat Alfordus. Nam Candidæ Caſæ eccleſia à* S. Niniano *dicata fuit S. Martino Turonenſi; hoc autem apud populum recèns fide imbutum prudenter fieri potuiſſe non videtur, antequam ſancti epiſcopi Turonenſis per Occidentem veneratio, & ſanctitatis miraculorumque fama percrebuiſſet. Hæc paulò fuſiùs diſputavi, ne quis nimiùm fidenter Alfordianam chronotaxim amplectatur: ex quibus etiam liquet, quod paragrapho primo ſæpiùs innui, non poſſe tutò determinari tum fidei apud Pictos exordia, tum annum ſuſcepti à* Niniano *muneris apoſtolici.*

argumenta diſcutiuntur: refellitur Spotſwoodus aſſerens,

31 *Sed & memorata jamjam eccleſiæ Candidæ Caſæ à S. Martino appellatio facit, ut non difficulter credam, ſaltem ex parte, Joanni Spotswood, in Hiſtoria eccleſiæ Scotiæ pag.* 6 *aſſerenti, ante Romanum iter cum S. Martino verſatum fuiſſe Sanctum noſtrum. Si enim ſub extrema vitæ S. Martini tempora ſtatuamus, ſaluberrimo ejus alloquio recreatum fuiſſe Apoſtolum noſtrum, & aliquot deinde annos Romæ verſatum, ſpatium habebimus, quo S. Martini memoria clareſcere potuerit, & ſine ulla noviter converſorum offenſione eccleſiam ipſius nomini erigere* Niniano *licuerit. Et quamvis* S. Niniani *Acta congreſſum ejus cum S. Martino conſignent poſt Romanum iter, ſtatimque, poſtquam narrârunt novæ eccleſiæ ædificationem, ſubdant:* Cùm jam ſanctum Martinum, quem miro ſemper venerabatur affectu, à terris ad cælos migrâſſe didicerat, ipſam eccleſiam in ejus honore dedicavit; *cùm tamen, ut liquet ex dictis, & ex dicendis ampliùs patebit, exiguæ admodùm Acta illa ſint auctoritatis, non video, cur nefas ſit ſuſpicari, ab auctore Vitæ, à* S. Niniani *ætate multùm remoto, ejuſdem congreſſus, ſi umquam acciderit, ordinem inverſum fuiſſe; nec dubito ullatenus aſſerere, id, quod ab auctore Vitæ ſtatim à S. Martini exceſſu conſignatur, annis aliquot à morte ejus factum eſſe.*

D

S. Ninianum educatum fuiſſe à S. Martino.

32 *Atque hoc pacto evitatur difficultas non una, quæ Alfordianæ chronotaxeos diſpoſitioni opponi poteſt. Verùm, ut præmonui, Spotswoodo non niſi ex parte crediderim: nam quod cum Boëtio aliiſque* Ninianum *S. Martini ex ſorore nepotem, & ſub ejus diſciplina educatum fuiſſe aſſerit, planè incertum mihi eſt; non enim Vitæ auctor, in aliis corradendis, ut videbimus, admodùm liberalis, de utroque hoc tam altùm ſiluiſſet; non Bedam fugiſſet iſta conſanguinitas & educatio ſancta, quem non latuit* Niniani, *ad hauriendam ex primo puriſſimoque veritatis fonte Chriſtianam diſciplinam, Romana profectio. Auctoritatem autem Bedæ, de* Niniano *dicentis lib.* 3 *Hiſtoriæ, cap.* 4, Qui erat Romæ regulariter fidem & myſteria veritatis edoctus, *neſcio, an ſatis prudenter volnerit extenuare Spotswoodus, nullo allato teſte idoneo, addens, judicatu facile eſſe* Ninianum, *ſub Martini viri tanti diſciplina enutritum, non novitium Romam profectum fuiſſe. Videtur ſanè mihi Spotswoodus hic pluſculum indulſiſſe genio hominum ſui furſuris, conantium invidioſè declinare, quidquid quoquo modo in Romanæ Eccleſiæ commendationem facere poteſt, licèt proferatur à teſtibus omni exceptione majoribus. Interruptum tantiſper Actorum examen, & vitæ Sancti noſtri ex iis compendium proſequamur.*

E

F

§ III. Reliqua S. Niniani geſta: miracula in vita patrata: varia ſcriptorum elogia.

Sanctus veriſimiliter Romæ ordinatus eſt epiſcopus:

PRiuſquam *apoſtolicos* S. Niniani *in ſuo Candidæ Caſæ epiſcopatu labores, eorumque fructum exhibeo, & aſſerta ab auctore Vitæ prodigia expendo, obſervare lubet pauca in laudatum (num.* 27) *Davidis Camerarii locum, ubi inter alia ſic loquitur de Sancti noſtri ab Urbe reditu:* In Scotiam per Galliam & Belgium, in quibus mirabiles animarum converſiones feciſſe legitur, rediens ad convertendas Deo creatori ſuo animas ſe totum intendit. Quod cùm ſtrenuè diu præſtitiſſet, & ſimillimam angelorum vitam inter mortales egiſſet, Candidæ Caſæ primus epiſcopus nominatus & nominatim acceptare cogitur. *Utinam attuliſſet*

Ca-

AUCTORE U. S.

A *Camerarius auctorum teſtimonia aut monumenta alia, in quibus legerit ingentia illa animarum lucra, quæ prædicat! Veriſimile quidem omnino eſt, Virum ſpiritu apoſtolico plenum etiam in itinere ſuo Dei gloriæ & animarum ſaluti operam navâſſe; ſed cùm & auctor Vitæ & ſcriptores alii de* Niniani *per Galliam Belgiumque prædicatione admirandiſque illius effectibus taceant, aſſertorum à Camerario fides penes ipſum eſto. Quod autem* Nimianum *in Scotia (Pictos Auſtrales haud dubiè intelligit) multos annos laborâſſe aſſerit, ac demum epiſcopum ordinatum, repugnat certè auctori Vitæ, ſcriptoribuſque aliis, qui eum, priuſquam Româ digrederetur, ad epiſcopatûs gradum ſublimatum fuiſſe tradunt, quibus hac in parte plus, quàm Camerario, deferendum puto. Cùm enim dubitare non poſſimus, quin Romæ formatus fuerit ad apoſtolicum munus, cùm inſuper certum ſit, eum epiſcopum fuiſſe, veriſimilius eſt, Romæ conſecratum fuiſſe, ut ab ipſo prædicationis exordio populo, ad quem deſtinabatur, ampliùs prodeſſe poſſet.*

apoſtolici ejus apud Pictos labores.

34 *Jam auctorem Vitæ audiamus:* Ninianus cùm ad locum ſuæ legationis veniſſet, magnus populorum fit concurſus, ingens cunctis lætitia, mira devotio, laus quoque ubique reſonat Chriſti: quoniam ſicut prophetam eum habebant. Cæpit mox malè plantata evellere, malè collecta diſpergere, malè ædificata deſtruere. Purgatis ab omni errore fidelium mentibus, omnia quæ fidelibus agenda verbo docuit, operibus & exemplis monſtravit, & multis miraculis confirmavit. Elegit autem ſibi ſedem in loco, qui nunc Witerna dicitur in littore maris, ipſo pelago clauditur, à parte tamen Aquilonari via ingredi volentibus aperitur. Ibi de lapide eccleſiam conſtruxit, ante quam nullam in Britannia de lapide dicunt eſſe conſtructam. Et quoniam jam S. Martinum, quem miro ſemper venerabatur affectu, à terris ad cælos migrâſſe didicerat, ipſam ecclaſiam in ejus honore dedicavit. *Infrà autem, poſtquam miracula duo, de quibus ſtatim, narravit, ſic pergit:* Interea S. Ninianus Auſtrales Pictos, quibus adhuc error gentilitatis inhærens idola venerari ac colere compellebat, aggrediens, Euangelii veritatem ſequentibus ſignis prædicabat. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mutui reſurgunt, oppreſſi à dæmonibus

C liberantur: ſicque fides ſuſcipitur, error abdicatur, deſtructis templis eccleſiæ eriguntur; currunt ad ſalutis lavachrum divites & pauperes; gratias Deo agunt, in inſuliſque procul ſunt habitantes. Ordinavit presbyteros, epiſcopos conſecravit, & totam terram per certas parochias diviſit. Confirmatis in fide omnibus, cùm ad eccleſiam ſuam eſſet regreſſus &c. *Hæc auctor de Apoſtolicis Sancti laboribus. Nunc miracula in Vita* S. Niniani *memorata inſpiciamus.*

Cæcum illuminat; calumniam ab innocente depellit;

35 *Primum his verbis narratur:* Fuit in eadem regione (*Pictorum*) rex quidam... Tudwaldus nomine dives & elatus, monita Viri Dei contemnens... Quodam autem die cùm plùs ſolito moleſtus eſſet Viro Dei, non ultrà paſſus Judex cæleſtis Servi ſui injuriam inultam, intolerabili morbo ſuperbum percuſſit in capite & elatos illos oculos cæcitas repentina invaſit... Saniori tandem ductus conſilio, ad Virum Dei miſit obſecrans, ... ut retribueret ei bona pro malis... Vir autem Dei primò increpando regem corripit: deinde ipſum tangens, oculis ſignum Crucis impreſſit; nec mora, fugit dolor, cæcitas fugatur &c. *Huic omninò affine eſt in Vita S. Kentigerni, item in Vita S. Malachiæ, ad quas lectorem remitto. Alterum quia longius, in pauca contraho. Puella quædam impudentis proci ſuccubuerat libidini, crimenque ſacerdoti cuidam de* Niniani *clero affinxerat, jamque mater facta, omni pudore exuto, in ipſa eccleſia ſacerdotem ſui corruptorem clamitans, puerum in faciem ejus projecit: tum ad puerum non niſi paucis diebus natum* Ninianus, Heus, *inquit*, ô puer, in nomine Jeſu Chriſti, ſi presbyter iſte te genuit, coram plebe edicito: nec mora ex infantili corpore vox clara inſonuit, mendacem convicit, & innocentem ſacerdotem abſolvit: & extendens dexteram propriumque patrem in populo deſignans: Hic eſt, inquit, pater meus, ipſe me genuit &c. *Simile legitur in Vita S. Adelmi cum hoc ſolo diſcrimine, quòd ibi ſola accuſati innocentia detegatur, hic verò inſuper impudicæ calumniatricis (quod quidem ad ſacerdotem abſolvendum neceſſe non erat) ſocius reveletur.*

olera uno die nata; ſervata pecora; Sanctus ab imbre intactus;

E 36 *Tertium prodigium divinæ erga Sanctum noſtrum providentiæ manifeſtum eſt teſtimonium: cùm enim quidquid olerum ſuperfuerat, manè terræ mandatum eſſet, nihilque reſtaret eſui aptum, Epiſcopi juſſo hortum ingreſſus frater, cui illius cura fuerat demandata, porros herbaſque eodem die terræ inſitas, non creviſſe tantùm, ſed & ſemen produxiſſe cernens, quantum ſufficeret, decerpſit. Quartum ſic narrat Vitæ auctor:* Cùm fures animalia ejus (*Sancti noſtri*) abducere niterentur, taurus quidam quaſi in furorem verſus illos invaſit, & principem illorum proſtravit, & ventrem cornibus perforans, animam cum viſceribus excuſſit. Deinde terram ungulis fodiens mirabili impetu ſaxum, quod invenerat, pede percuſſit, & in tanti miraculi teſtimonium, quaſi in molli cera, in lapide pes mergitur, relinquens in petra veſtigium, & ob veſtigium uſque hodie loco nomen. *Tum dicitur* S. Ninianus *prædonem mortuum ſuis precibus ad vitam revocâſſe. Miracula reliqua divinoſque favores in Vita commemoratos paucis expedio. Cùm ſub dio recumbens etiam inter denſiſſimas pluvias aut meditaretur, aut legeret, ipſe cum libello ſuo ab omni ſemper humore immunis perſtitit: ſimile refert Vita S. Kentigerni.*

tempeſtatem ſedat Niniani baculus fit arbor & ad ejus radicem fons erumpit:

37 Verùm, *pergit auctor Vitæ*, inter pſallendum B. Ninianus oculos à libello detorſit, tactus modicùm cogitatione illicita, *cumque in diſtractionis pœnam codicem ejus imber invaſiſſet*, In ſe, *inquit*, reverſus Epiſcopus erubuit, ... eodemque momento temporis & cogitationem depoſuit & imbrem ſuſpendit. *Nec minus ſingulare eſt, quod ſequitur. Inter plures, qui ſub* S. Niniani *diſciplina inſtituebantur, juvenes unus deliquerat, qui, quam meruerat, pœnam veritus auſugit, baculum, quo niti Sanctus ſolebat, auferens, naviculam conſcendit, jamque fluctibus hauriendus,* Niniani *baculum in uno foraminum defixit, & ad littus ſoſpes appulit: verùm eo minimè contentus prodigio, in littore maris Sancti baculum fixit, orans, ut in tanti miraculi teſtimonium ramos frondeſque produceret, cui prodigio aliud ſtatim adjectum fuit;* Nam, *inquit auctor Vitæ*, ad radicem arboris fons limpidus erumpens rivulum ductu longiori emiſit, infirmis ob Sancti merita utilem & ſalubrem. *Facilè admiſero Deum, ad propalandam ſervi ſui* Niniani *ſanctitatem, plurima eaque præclariſſima operatum fuiſſe prodigia; verùm ut ad diſcoli cujuſdam preces bina ultima miracula verè patrata fuiſſe credam, certiora firmioraque requiri teſtimonia, mecum, o-*

AUCTORE U. S.

pinor, agnoſcet quilibet partium ſtudio non nimium addictus.

ab ipſis heterodoxis dicitur miraculis celeber.

38 *Compendium hoc Vitæ* S. Niniani, *geſtorumque ejus ex Catalogo Sanctorum Angliæ concludo his verbis, quæ num.* 24 *in fine dedi:* Nec aſſerere contendo, nec de Dei potentia diffidens abnegare præſumo *prodigia ſuprà commemorata; verùm ea ut dubia habeo, quamdiu non alia proferentur monumenta: infirma enim omninò mihi eſt auctoritas Catalogi Sanctorum Angliæ, cujus ſcriptor non videtur ſatis accuratè examinâſſe ea, quæ poſteritati tranſmiſit, unde etiam non rarò fabellas Operi ſuo inſeruiſſe eum deprehendet, qui voluerit concinnatas ab eo Sanctorum Vitas pervolvere. Certius eſt, quod tradit Fordunus in Scotorum Hiſtoria lib.* 3, *cap.* 9: Erat autem (*Sanctus noſter*) mirandæ virtutis vir & ſanctitatis coram Deo & hominibus, ac innumerorum vivens miraculorum, etiam poſt tranſitum & hactenus operator mirificus. *Conſtans ſcilicet adeò fuit miraculorum* Niniani *fama, ut ipſi heterodoxi ea negare anſi non fuerint, utcumque miracula Sanctorumque cultum impiè averſentur. Magdeburgicorum verba cent.* 5, *fol.* 1429 *dat*
B *Alfordus ad annum Chriſti* 432, *num.* 12, *ea qui videre voluerit, Alfordum adeat. Hoc elogium, quamvis nequeat adulationis ſuſpectum haberi, referre ſuperſedeo, quia ad ſtabiliendam Sancti veneration*em *neceſſe non eſt, & pio lectori gratiora futura ſunt, ac majoris ponderis teſtimonia, quæ ſubdo.*

Memoria Niniani in variis Martyrologiis.

39 *Romanum Martyrologium ad* XVI *Septembris Sanctum noſtrum ita annuntiat:* In Scotia ſancti Niniani epiſcopi & confeſſoris. *Iiſdem planè verbis eum recolunt Grevenus & Molanus in auctariis ad Uſuardum: in ipſo autem Uſuardo* Ninianum *non invenio, apud quem tamen memorari eum aſſerit Camerarius, inquiens,* De Niniano ſancto agunt Uſuardus in Martyrologio, Molanus *&c. Caſtellanus in Martyrologio univerſali ſic habet:* In Scotia S. Niniani epiſcopi & confeſſoris, *adſcribitque, circa annum* CCCCXXVIII; *in margine verò adnotat,* Sine cultu: *in Supplemento tamen ita ſcribit:* Ad notam in S. Niniano adde, niſi is ſit, qui colitur Cortraci die XVII Novembris à monialibus S. Catharinæ à Sion. *Cùm ob iſtam obſervationem cenſuiſſem, inquirendum mihi eſſe, an eo fortè loco aliquæ Sancti reliquiæ aſſervarentur, quæ cultui occaſionem dediſſent, religioſiſſima laudati cœnobii prioriſſa domina Maria Anna Tyberghein aſſeruit, nullas in cœnobio ſuo* S. Niniani *reliquias, nullum cultus alicujus indicium aut documentum exſtare, ſtatimque exhibuit ac Muſeo noſtro lubens donavit exemplar Proprii Sanctorum, quo utitur laudatum cœnobium, quodque eſt Canonicorum regularium congregationis Windeſemenſis, in quo de* S. Niniano *verbum nullum. Dum tamen ſcribit Caſtellanus* ſine cultu, *fallitur manifeſtiſſimè, quia non viderat ea, quæ mox adducam. Anglicanum Wilſoni Martyrologium editum anno* 1608, *& recuſum anno* 1640 *prolixiùs eum celebrat. Ea tantùm hìc tranſcribo, quæ magis peculiaria ſunt:* Sacrum ejus corpus in eadem S. Martini eccleſia ſepultum, ibidem magna veneratione ſervatum fuit uſque ad tempora Henrici regis VIII (*editio altera habet* Jacobi regis VI, *quæ lectio omnino præferenda eſt.*) Multa etiam præclara templa atque altaria in ejus honorem priſtinis Catholicorum temporibus erecta ac dedicata fuerunt in regno Scotiæ.

40 *Boëtius in Scotorum Hiſtoria lib.* 8, *pag.* 115 *de eodem Sancto ſic loquitur:* Scotorum videlicet, Pictorum Britonumque doctor & pædonomus non vulgaris, & eo nomine omnibus, qui Albionem incolunt, vel hac noſtra ætate in multa veneratione habitus. *Leſlæus in Scotiæ deſcriptione pag.* 9, Candida Caſa, *inquit,* epiſcopali ſede, nec non & celeberrimo ante exortas hæreſes monaſterio ornata fuit. Ibi D. Ninianus ... magnâ totius inſulæ frequentiâ, multas virtutes Deo per illum monſtrante, religioſiſſimè colebatur. *Et lib.* 4 *de Rebus geſtis Scotorum, pag.* 133 *& ſeq. hæc addit:* Cujus (*Sancti noſtri*) præſtantiſſimæ virtutis etſi id fuerat luculentiſſimum teſtimonium, tamen hoc illius pietatem perinſignem arguit præcipuè, quòd, cùm bella, (quæ inter Scotos, Pictos ac Britannos æſtuabant maximè) omnem vel his ad illos, vel illis ad hos viam intercluſerant: illi tamen ad ſingulos, cùm luberet, tutiſſimus pateret aditus. Arbitrabantur enim verè in Ninianum, virum ſolidæ virtutis gloriâ præſtantem, fucum, dolum, malitiam nullo modo cadere potuiſſe. *Ad utriuſque auctoris Boëtii & Leſlæi verba, quibus adſtruunt,* Ninianum *Scotis, Pictis & Britonibus apoſtolum fuiſſe, obſervo cum Joanne*
E *Majore utique Scoto, de Geſtis Scotorum lib.* 2, *cap.* 2, *Scotos perperam intrudi. Sic habet:* Hìc intelligas, quòd meridionalibus Pictis & Britonibus B. Ninianus verbum Dei euangelizabat, & hoc ex ejus collecta colligitur, in qua ſic dicitur: "Deus, qui populos Pictorum & Britonum „ per doctrinam S. Niniani epiſcopi & confeſſo„ris docuiſti.„ In qua de Scotis mentio fit nulla: ſed jam à multis annis, poſt Pictorum regnum everſum, loçum & ſanctum corpus Scoti habent.

D *Erecta illi templa, inſtitutæ peregrinationes.*

Elogia alia, poſtulatæ ad tumulum ejus preces.

41 *Patricius Ninianus Wemyſſ in Manuſcripto de indubitatis Scotiæ Sanctis, ſuas de* S. Niniano *obſervationes ita claudit:* Solemne ſancti Præſulis jejunium in ore omnium verſatur: ſolebat enim Vir ſanctiſſimus quotannis à Feria quinta Majoris Hebdomadæ ab omni cibo potuque abſtinere, dum ſacroſancta die Paſchatis Dominicæ Reſurrectionis myſteria perageret, miraculorum gloriâ cum S. Dutacho in regno Scotiæ longè celeberrimus. *Hiſce elogiis omnibus accedat teſtimonium viri integerrimi Alcuini diaconi, qui ſeculo* VIII *floruit, ſummamque ſuam de* Niniani *meritis æſtimationem teſtatus eſt in epiſtola ad*
F *fratres Candidæ Caſæ, quam refert Uſſerius de Britannicarum eccleſiarum primordiis pag.* 669. *Illam juverit hìc tranſcribere:* Venerandæ dilectionis fratribus in loco Deo ſervientibus, qui dicitur Candida Caſa, Alcuinus diaconus ſalutem. Deprecor veſtræ pietatis unanimitatem, ut noſtri nominis habeatis memoriam, & intercedere pro mea parvitate dignemini in eccleſia ſanctiſſimi patris veſtri Ninia epiſcopi, qui multis claruit virtutibus: ſicut mihi nuper delatum eſt per carmina metricæ artis, quæ nobis per fideles noſtros diſcipulos Eboracenſis eccleſiæ ſcholaſticos directa ſunt, in quibus & facientis agnovi eruditionem, & ejus perficientis miracula ſanctitatem, per ea, quæ ibi legebam. *Utinam ad nos perveniſſent carmina illa! Cùm enim auctor eorum ad* S. Niniani *ætatem accedat propiùs, certiora haberemus monumenta ad illuſtranda ejuſdem geſta; quæ enim nunc ſuperſunt, non niſi dubiam notitiam Actorum ſancti Epiſcopi ſubminiſtrant.*

A

§ IV. Cultus ejus antiquus & legitimus: gloria posthuma: scripta à nonnullis illi attributa.

Cultus ejus in Scotia antiquissimus ostenditur.

ETsi, *quæ paragrapho præcedente adduxi, vix ullum cuiquam de legitimo* S. Niniani *cultu dubium relinquere possint, ne quid tamen hic desideretur, utque luculentissimè constet de publica, multorumque seculorum usu consecrata Sancti nostri veneratione, ad alias etiam extra Scotiam regiones extensa, pauca, quæ reperi, addo. Ex antedictis siquidem planum fit & templa & altaria ejus nomini erecta fuisse, & jam Alcuini ævo miraculis celebrem exstitisse* Ninianum, *cujus se patrocinio commendatum voluit laudatus diaconus, aliorum preces ad Sancti tumulum pro se postulans. Huc etiam facit ecclesiæ Aberdonensis*

B *Breviarium, de quo num.* 25, *ex quo Breviario liquet,* S. Niniani *memoriam recoli soluisse in dicta ecclesia: est autem Officium novem lectionum, quæ omnes ex Beda &* S. Niniani *Vita desumptæ sunt, Antiphonæ etiam, hymni ac pleraque alia propria sunt, Collectam hic adscribo:* Deus, qui hodiernam diem B. Niniani confessoris tui atque pontificis festivitate honorabilem nobis dedicâsti; concede propitius, ut cujus eruditione veritatis tuæ luce perfundimur, ejus intercessione cælestis vitæ gaudia consequamur.

S. Niniani brachium Duaci religiosè asservatur.

43 *Sed non in sola Scotia stetit* S. Niniani *veneratio, ad Belgium quoque nostrum pervasit, allatis Dei benignitate ad Duacense Scotorum seminarium sacrosanctis ejus reliquiis, de quarum authentia instrumentum publicum illustrissimi Atrebatensis prælo vulgavit Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, pag.* 489, *quod, quantum spectat ad* S. Ninianum, *huc transfero:* Paulus Boudot Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ episcopus Atrebatensis, universis præsentes inspecturis salutem in Domino. Cùm juxta sanctos canones & concilii Tridentini decreta, Sanctorum, quorum corpora viva habitaculum fuêre Spiritûs sancti, &

C quorum intercessione multa bona hominibus præstantur, debito honore sunt venerandæ ac nullæ

* & *abundat* &* novæ reliquiæ, nisi recognoscente & approbante episcopo, recipiendæ. Hinc est, quòd fide dignis constitutis testimoniis reliquias nobis exhibitas per R. P. Lambertum Lobetium superiorem seminarii Scotorum Duaci; videlicet brachium S. Niniani episcopi & confessoris recuperatum per R. P. Alexandrum Marquarri presbyterum Societatis Jesu à quibusdam Catholicis Anglis & consignatum comitissæ de Linlithquo, quod postea præsente reverendissimo episcopo Antverpiensi probus & honestus vir Alexander Selonius R. P. Joanni Robæo etiam presbytero Societatis Jesu ad seminarium deferendum tradiderat.... Nos ad humilem supplicationem prædicti R. P. seminarii Duacensis superioris, visis priùs attestationibus reverendissimi domini Antverpiensis, dominæ comitissæ de Linlithquo... easdem reliquias pro veris.. recognoscentes & approbantes, ab omnibus & singulis Christi fidelibus venerandas & honorandas exponi publicè posse decrevimus & decernimus, harum testimonio litterarum, sigilli nostri subimpressione munitarum. Atque ut erga eas reliquias cultus & veneratio incitetur; omnibus, qui eas devotè coluerint, quadraginta dierum indulgentiam impertimur. Datum in palatio nostro episcopali Atrebatensi die quarta Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo. De mandato reverendissimi domini. Sigillum pendebat in rubra cera. Joannes Monnier secretarius. AUCTORE U. S.

Miracula post mortem;

44 *Fidelium venerationem consecuta sunt miracula ad Sancti tumulum perpetrata, quæ apud auctores varios dispersa, hìc colligo. Ordior ab auctore Vitæ, cujus prolixiorem narrationem summatim exhibeo. Plebeia quædam fœtum ediderat miserabilem, membris omnibus in contrarium versis: parentes tædio ac mœrore victi ad* S. Niniani *sepulchrum detulêre informem puerum, qui noctis tempore vidit Virum cælesti luce coruscum & pontificalibus vestibus præfulgentem, qui infirmi caput tangens sanum surgere jussit, membris omnibus ad loca naturalia facili motu retortis. Hic, inquit auctor,* temporis processu attonsus in clericatum & ad sacerdotium promotus, in S. Niniani obsequiis vitam finivit. *Subditque:* Duo leprosi ad fontem S. Niniani accedentes, aquâ illius se abluunt, & caro eorum mundata, sicut E caro parvuli restituta est. *Fortè hic designat fontem illum, qui ad discoli pueri preces mirabiliter profluxit. Vide, quæ de eo dixi num.* 37.

& beneficia ad Sancti invocationem

45 *Beneficum erga se* S. Ninianum *expertus est David Scotiæ rex anno* 1348, *ut auctor est Hector Boëtius Scotorum Historiæ lib.* 15, *pag.* 324 *his verbis:* Telum autem unum regis tibiæ infixum extrahi statim non potuit, nec priusquam S. Ninianum inviseret: visa enim tum est tibia manifestò aperiri ac telum prosilire. *Pietatis in* S. Ninianum *suæ remunerationem etiam consecutus est Jacobus IV Scotorum rex, qui ad sacrum corpus* S. Niniani *frequenter veneraturus accedebat, ut narrat Camerarius in Sanctis Scotiæ ad diem* XVIII *Septembris in hunc modum:* Inter alia contigit semel, ut Margareta regina ejus uxor (fuit hæc Henrici VII Anglorum regis filia) gravissimis morbi doloribus post partum tentaretur, nec ulla consolatione humana permulceri posset. Quod videns rex, omni spe de uxoris valetudine in Deum collocata, ad ædem D. Niniani in Gallovidia summa animi demissione pedes proficiscitur. Regis devotionem Deo gratissimam fuisse, ex eo liquet, quòd regina paulo pòst, o- F mni vehementiâ morbi abstersâ, convaluerit... Integris verò viribus affecta, cum rege ad eamdem Niniani ædem sequenti Julio mense anni MDVII profecta est Deo, (&) famulo ejus D. Niniano gratias actura.

à multis impetrata.

46 *Aliud ibidem subjicitur miraculum, ceteris, ut inquit Camerarius, prætermissis, quodque dicitur contigisse sub annum Christi* 1608. *Ipsa Camerarii verba do:* Erat sacellum D. Niniano sacrum non longè à Spea fluvio, ubi in oceanum influit. Quidam anno uno aut altero ægrotus decubuerat: destitutus jam viribus, curavit uxor, ut transferretur in dictum sacellum, quamvis tecto privatum, ut Deo creatori suo ibi pietatis causâ spiritum redderet. Tota nocte remansit sub dio æger mortem expectans; sed ecce tibi circa galli cantum obdormiscit: in somno adstat senex venerabilis admodùm, qui crura ipsius stringens, surgere jubet & domum repetere. Fecit, quod imperabatur, occurrit uxor, turbatur, spectrum se videre existimat. Loquitur æger uxori se esse, non spectrum: clamat, rem narrat, tandem simul Deo & Niniano sancto gratias

AUCTORE U. S.

tias agunt. *Quæ omnia utinam nos firmior tutiorque docuisset auctoritas quàm Camerarii, Boëtii & Capgravii.*

Apparitio ad S. Niniani tumulum.

47 *Narrationem miraculorum ab excessu Sancti nostri patratorum concludo his, quæ Alfordus scribit ad annum Christi* 432, *num.* 15 *in fine post verba Malmesburiensis*, Sanctum hunc Niniam præclarum virtutibus experta est antiquitas, *subdens:* Intelligit, opinor, hic author Alcuini sæculum, quando miraculis cœpit inclarescere. Tunc enim Niniani, vel Niniæ, vel Nini nomen celebre, & tunc Paschasius Radbertus miraculum scripsit, quod sacerdoti ad ejus corpus celebranti contigit. "Quidam presbyter fuit reli„giosus„, inquit ille (*Radbertus scilicet lib. de Corpore & Sanguine Domini cap.* 14, *num.* 5) "Plecnils nomine, frequenter Missarum solemnia „celebrans ad corpus sancti Nini episcopi & „confessoris: qui, cùm digno moderamine san„ctam duceret vitam, cœpit omnipotentem „Deum piis pulsare precibus, ut sibi monstraret „naturam corporis Christi atque Sanguinis; non „ex infidelitate, ut assolet, sed ex pietate men„tis ista petivit„. Tum pluribus narrat, Christum in forma pueri sacerdoti apparuisse: qui fortè non alius fuit à Niniani fratre, quem passim auctores Plebeiam vocant, Capgravius & Tinmuthensis Sanctum. *Miraculum hoc ad Sancti nostri tumulum contigisse, verisimile fit ex eo, quòd Radbertus asserat, se narrationem hanc hausisse ex Gestis Anglorum. Notat autem Martenius, qui librum hunc Radberti novis typis edidit anno* 1733, *legi in editis codicibus* Nini, *in Manuscripto autem Turonensis Majoris monasterii* Nili.

An aliqua posteris scripta reliquerit S. Niniamus,

48 *Ad scripta* S. Niniani *quod attinet, Usserius de Britannicarum ecclesiarum primordiis subdubiè ita loquitur pag.* 669: Ipse quoque Niniamus, ne videretur omnino posterorum immemor, inaffectato sed utili exarabat stylo Psalterii meditationes lib. 1, & ex sententiis Sanctorum lib. 1, si Joanni Balæo credimus. *Balæo consentit Dempsterus lib.* 13 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum, & Pitseus De illustribus Britanniæ scriptoribus, ubi sic habet in* S. Niniano: Quæ autem junior docuerat, jam senex factus scriptis mandavit & posteritati tradidit, quorum tamen postea maxima pars periit. Ex iis, quæ post se reliquit, aliqua saltem nomine tenus tenemus, teste Sixto Senensi, Meditationum in Psalmos Davidis librum unum, de Sanctorum sententiis librum unum. Et alia. *Sixtum Senensem Bibliothecæ sanctæ lib.* 4, *in* S. Niniano *accuratè legi, sed quæ huc spectant, verba alia non inveni, quàm sequentia:* Scripsit aliqua in sacras Litteras magnæ pietatis & eruditionis commentaria: de quibus maximè celebrantur meditationes in Davidicos hymnos. *Videri potest etiam Possevinus in Apparatu sacro, ubi in* S. Niniano *conformiter scribit ad verba Sixti Senensis. Cùm non pervenerint ad nos scripta illa* S. Niniani, *& Usserius, qui haud dubiè bibliothecas Angliæ lustravit, de iis ambiguè loquatur, statuat de iis lector, quod voluerit, ego ea nec planè affirmo, nec planè nego, sed auctorum, qui ea allegant, fidei relinquo.*

& quid de eo senserit Joannes Foxus?

49 *Dempsterus loco suprà laudato ait:* Injurius ei (*Sancto nostro*) hæreticus Joannes Foxus. *Verba ejus non adscripsit Dempsterus, qui si verè arguat Foxum, oportet is sibi minimè constiterit. Alfordus enim hæc Foxi in Actis & Monumentis verba adducit ad annum Christi* 432, *num.* 15: Hoc seculo secuti sunt in Britannia Fastidius, Ninianus, Patricius & plures alii, qui multo tempore ecclesiam Britannorum gubernârunt Christiana & salutari doctrina: & hoc omni tempore, spatio scilicet quadringentorum annorum, & à Lucio rege religio fuit incorrupta, & Verbum Christi verè annuntiatum est usque ad Augustini & Sociorum adventum. *In iis certè nihil* Niniano *injurium, sed ampla potiùs commendatio fidei ejus incorruptæ.* Sed, *pergit ibidem Alfordus*, mox accusat (*Foxus*) Augustinum, vocatque fidei corruptorem: quia Romani Pontificis auctoritate munitus Sanctorum cultum in Britannia propagavit: *dein pluribus Foxi argumenta convellit Alfordus. Si ergò vera sunt (neque enim illud operosiùs inquirere, aut utile aut necesse) quæ de Foxo dicit Dempsterus, voluerit verisimiliter* S. Ninianum *hæresi suæ faventem exhibere Foxus, qui de S. Augustino conqueritur, quòd cultum Sanctorum in Anglia propagaverit. Quidquid autem sit, Foxi & id generis hominum auctoritas morari nos minimè debet.*

A D

DE S. PRINCIPIO EPISCOPO,

CENOMANIS IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. U. S.

Sancti cultus : Acta : tempus episcopatûs.

VEROSIMILITER INTRA ANNUM DXI ET DXX. *Sancti nomen in Fastis diversis,* B



Sancti Principii, *septimi Cenomanensium episcopi, res præclarè gestas illustraturus, ea prætermitto, quæ legitimum ejus cultum cuivis testatum faciant. Gesta episcoporum Cenomanensium seculo* IX *conscripta, eum omni virtutum splendore conspicuum exhibent, miraculisque ante & post obitum patratis illustrem, Beati nomine appellant; quod sufficiens cultûs ejus argumentum est, cùm titulum hunc non tribuant aliis quàm cultum habentibus. Gemina Usuardi auctaria apud Sollerium sanctum Antistitem nostrum recolunt ad hunc diem* XVI *Septembris, quo à reliquis infrà memorandis Martyrologiis etiam refertur. Daveronensis codex his verbis :* Cenomannis civitatis depositio sancti Principii episcopi & confessoris. *Grevenus Sanctum iisdem verbis annuntiat, omissa tantùm voce* civitatis. *Utrique consonat Martyrologium Germanicum Canisii dictum. Claudius Castellanus in Martyrologio universali locum sepulturæ adjecit, ita scribens :* Cenomanis S. Principii episcopi, sepulti cum aliis antiquis civitatis hujus episcopis in majore ecclesia monialium Pratensium. *Martyrologium Parisiense editum anno 1727 etiam tempus, quo Sanctus noster floruit, adnotat hoc modo :* Cenomanis S. Principii episcopi, qui concilio primo Aurelianensi sub Clodovæo magno subscripsit.

ejusque cultus ostenditur. C

2 *Martyrologium Gallicanum Saussayi prolixius habet ejusdem Sancti elogium, quod hìc visum est transcribere.* Cenomanis sancti Principii episcopi & confessoris, qui sedem hanc non tam dono quàm merito adeptus, post sancti Victurii decessum, admodùm laudabiliter susceptæ ecclesiæ gubernacula gessit, sanctarumque actionum gloriâ clarus, postquam concilio primo Aurelianensi cum uno & triginta episcopis interfuisset (ubi sanctissimæ constitutiones de sacris theoriis ecclesiasticaque disciplina editæ sunt) exactis in felici glorioso que præsulatu annis viginti novem, diutini laboris sui mercedem dignam accepit à Domino. *His consonant auctores plurimi, qui, concilii Aurelianensis primi sanctionibus, & episcoporum, qui subscripserunt, nominibus editis,* S. Principium *recensent inter eos præsules, qui sanctitatis famâ inclyti consecuti sunt virtutum suarum præmium, publicam fidelium venerationem. Videri etiam possunt Corvaiserius & Bondonettus in Chronologia episcoporum Cenomanensium. Atque hæc sufficiunt, ut Sancti nostri cultum antiquum esse ac legitimum agnoscamus.*

Acta illius varia

3 *Præter* S. Principii *Acta à Mabillonio luci data tom.* 3 *Analectorum, geminum habemus Vitæ ejus exemplar manuscriptum. Horum alterum acceperunt Majores nostri à P. Joanne Dardes', qui illud descripserat ex veteri & insigni manuscripto procurato per D. Autbert monachum Anisolanum; & hunc præfert titulum:* Vita beatissimi domini Principii episcopi. *De cetero cum præfatis in laudata collectione Actis penè ad verbum consentit, manuscriptum hoc, sed vacuum interdum, pro tribus quatuorve vocibus spatium relinquit, quas, erasis haud dubiè præ vetustate litteris, scriptor legere non potuerat : verùm ex contextu patet, easdem esse, quas in editione Mabillonii, non ita detritum apographum forsan nacti, invenimus. Unum est inter prælaudata Acta discrimen notatu dignum : Mabilloniana quippe sancto Præsuli nostro tribuunt annos episcopatûs* XXIX, *mensem* I, *dies* XXI; *manuscriptum autem nostrum annos dumtaxat* XXV, *menses* IV, *& dies similiter* XXI.

E

cùm impressa, tum Mss.

4 *Alterum exemplar descriptum est ex libello, cui titulus :* Nomenclatura seu Legenda aurea pontificum Cenomanorum, per Joannem Movellum Lavallensem Parisiensis academiæ doctorem theologum & Cenomanensem canonicum, ex vetustissimis cathedralis ecclesiæ Cenomanensis codicibus & pollegiticis in archivis prædictæ ecclesiæ diu reconditis in compendium fideliter congesta anno Domini MDLXXII. *Exemplar hoc acceptum debemus benevolentiæ Juliani Musseroti presbyteri, ecclesiæ cathedralis Cenomanensis canonici semi-præbendati, qui ex memorato libello Sancti nostri Acta, cum plurium aliorum antistitum Cenomanensium Vitis manu propria descripsit, ea fidelitate, quam in litteris ad Papebrochium datis* XX *Februarii* 1669 *testatur his verbis :* Integrum volumen gestorum B. Aldrici episcopi nostri (*à cujus Vita scriptionem suam orditur*) sicut in archivo nostro sanctè asservatur, reverentia vestra perleget exaratum, & quidem tam scrupulosa conformatione, ut barbara Latinitas passim exire potiùs permissa sit è calamis, quàm ad unum apicem immutari. *Vitam hanc collatam cum editis à Mabillonio Actis infrà excudam.*

F

quantæ sint auctoritatis?

5 *Quantæ sint auctoritatis episcoporum Cenomanensium Acta, indicavit Stiltingus ad diem* XXV *Augusti Commentarii prævii de S. Victore, num.* 22 : Hæc, *inquit*, probabiliter dici possunt, si quis Actis illis Cenomanensibus inhærere velit: sed fateor illa minoris esse ponderis, quàm ut ex iis res omnino fiat certa. *Et paulò infrà :* Malim unius episcopi ætatem longævam admittere, quàm ecclesiæ Cenomanensis Fastos episcopales omnino perturbare. Nam, ut fatetur Tillemontius tom. 4 Monument. pag. 731, „Molestum est, ordinem episcoporum alicujus ec„clesiæ invertere .... Quin imò ille ordo magis „servandus est in ecclesia Cenomanensi, quàm „in aliis, quia saltem nititur monumentis IX se„culi, quod in paucis aliis invenitur„. *Quod ibidem de Actis præsulum Cenomanensium universim*

AUCTORE U. S.

sim dictum est, etiam obtinet pro Actis S. Principii. *Prudenter de iis censuit Jacobus Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. 2, lib. 5, ubi sic habet:* S. Principius colitur XVI Septembris.... Auctores Vitæ ejus eum confuderunt cum S. Principio, fratre S. Remigii & episcopo Suessionensi; atque hæc hallucinatio reliqua, quæ de eo referuntur, suspecta facere potest. *Erroneam verisimiliùs censendam esse hanc narrationem, quæ* S. Principium *nostrum S. Remigii fratrem germanum asserit, ex mox dicendis apparebit. Longuevallius, igitur ob errorem hunc sancti Præsulis nostri Acta suspecta pronuntians, id tantùm vult, ex iis nihil tamquam omnino indubitatum statui posse. Verumtamen si quis propterea detractam Actis cupit fidem omnem, etiam eam, quam narrationibus verisimilibus adhibemus, censuræ ejus nolim subscribere, tum propter dicta de Gestis Cenomanensium, tum quia non videntur fabulosa.*

Probatur, Sanctum nostrum

6 *Corvaiserius in laudata episcoporum Cenomanensium Historia, in* S. Principio *subdubiè primùm ita loquitur:* Vel scriptores nostros omnes hallucinari necesse est, vel fatendum S. Remigio Remensium archiepiscopo binos fuisse fratres, qui ambo essent episcopi, alter Suessionensis... alter Cenomanensis, qui post S. Victurii decessum electus fuerit. *Verùm infrà planè consentit, Sanctum nostrum fuisse fratrem germanum S. Remigii. Meliorem viam elegit Bondonnetus in Vitis episcoporum Cenomanensium pag. 156 & sequentibus, in observationibus suis in* S. Principium. *Agnoscit primò in manuscriptis codicibus, auctoribusque omnibus continuatum & usque ad tempora sua à nemine castigatum errorem esse, quo* S. Principius *noster frater statuitur S. Remigii archiepiscopi Remensis; dein contendit, facili negotio detegi errorem hunc posse, ac denique concludit, minimè culpandum se, quòd eum è Vita* S. Principii *expunxerit. Argumenta Bondoneti summatim juverit protulisse.*

verisimiliùs non fuisse

7 *Ex Vita S. Remigii, ab Hincmaro Remorum archiepiscopo conscripta, constat, Æmilium & Celiniam S. Remigii progenitores fuisse, qui florentibus annis duos procreârint liberos, primogenitum nomine Principium, & alterum, quem non nominat, nec designat aliter, quàm quòd frater fuerit S. Principii Suessionensis, & filium genuerit, qui Lupus dictus patruo suo in episcopatu successerit. His ambobus mundo datis, generandi finem habuerunt, usque dum speciali Dei providentia in ætate decrepita senio fracti præter naturæ ordinem genuerunt S. Remigium, post quem verosimillimè filius illis alius natus non est. Non est igitur, inquit, locus* Principio *nostro Cenomanensi, nisi quis velit adstruere eum priùs Suessionensi ac dein Cenomanensi præfuisse ecclesiæ, quòd dici nequit, cùm Principius Suessionensis in sede sua decesserit, sepultusque fuerit in ecclesia S. Theclæ. Contendit insuper Bondonnetus, dici non posse* S. Principium *nostrum fuisse fratrem S. Remigii ab Hincmaro innominatum, cùm nullum extet in historia monumentum, ex quo colligatur, eum ante episcopatum uxoratum fuisse, quòd tamen necesse est, ut S. Lupi parens fuerit.* Nec, *inquit*, verisimile est, fratres duos, ita propinquè nativitatis ordine se contingentes, eodem nomine appellatos fuisse: non enim eo tempore curæ cuiquam erat binos ejusdem nominis habere liberos, ut per fraudem familiis beneficia assererentur.

8 *Alio insuper, ut ostendat* S. Principium *nostrum non fuisse S. Remigii fratrem, utitur argumento, quod hic paucis contraho. Si S. Remigii frater fuerit, eâdem, quâ ille matre natus est, numquam viro alteri, quàm Æmilio nuptâ; cùm ergò ad longævam senectutem vixerint, dici non potest, à* S. Principio *nostro redditum fuisse visum matri suæ, quem mariti sui jacturam nimiùm lugens amiserat. Verùm argumentum illud mihi planè videtur ruinosum: etenim nullum Bondonnetus allegat monumentum, quo constet, à* S. Principio *nostro matri suæ collatum fuisse istud beneficium: nec in Actis Sancti nostri tam editis, quàm ineditis ullam reperio voculam, quæ de eo fidem faciat. In his quidem lego,* Hic (*Sanctus noster*) cæcum illuminavit, & matri jugiter flenti videntem reddidit. *Sed quis vel modicùm Latinè peritus hæc verba ita accipiat, ut matri* S. Principii *ab ipso filio suo restitutum fuisse visum credat asseri? Priori igitur Bondonneti argumento inhæreo, censeoque per illud longè verisimiliùs confici, ut non eo, quo passim traditur, sanguinis vinculo conjunctus fuerit S. Remigio sanctus Episcopus noster.* *fratrem S. Remigii.*

Tempus aditi episcopatûs,

9 *Restat, ut de tempore episcopatûs Sancti nostri pauca dicamus. Acta à Mabillonio edita, & Vita infrà edenda asserunt, eum tenuisse cathedram episcopalem annis* XXIX, *mense* I, *diebus* XXI, *quam scriptionem non facilè deserendam arbitror, præferendamque manuscripto, de quo num.* 3, *cùm facilè fieri potuerit, ut in cyfras error irreperet, præsertim quia apographum, ut ibidem annotavi, vetustate detritum locis aliquot legi non potuerat. Initi à Sancto nostro episcopatûs & mortis obitæ tempus determinare sanè perquam difficile est, auctoribus in varias abeuntibus sententias. Castellanus annuntiationi Sancti nostri in margine adscribit:* circa annum 530: *Martyrologium Parisiense annum notat* 513. *Huic epochæ adstipulatur Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum, ad annum Christi* 513 *ita scribens:* Hoc anno migravit è vita Principius episcopus Cenomanensis, postquam sedisset annos viginti novem, mensem unum, dies viginti & unum. Non desunt, qui contendant sedem episcopalem post ejus mortem aliquamdiu vacâsse, sed hi scriptores perperam volunt illum obiisse vel anno priori, vel ante biennium, postquam ex Aurelianensi concilio reversus esset.... Falluntur sanè, qui Principio Innocentium, Innocentio Domnolum subrogant.... Innocentius quidem medius inter Principium & Domnolum sedit, sed & præterea Victor inter Principium & Innocentium *&c.*

& mortis obitæ annus,

10 *Ego, ne hîc actum agam, lectorem remitto ad ea, quæ ad diem* XXV *Augusti in S. Victore operosè disputata sunt à Stiltingo, ex quibus videbit, medium hunc Victorem non esse necessariò admittendum. Auctores alii alium morti* S. Principii *annum assignant: Corvaiserius annum* 511, *quem hac in parte sequitur Bondonnetus, & aditum à Sancto nostro episcopatum scribit anno* 482. *Quod si verum est, planè salvantur Acta* S. Principii, *annos episcopatûs viginti novem illi tribuentia. Verùm hæc omnia perplexiora sunt, quàm ut pedem alicubi certò figere possim. Quod contra Bondonneti epocham facit, ex ipsis scriptoris illius principiis subnecto. Juxta probabiliorem communioremque sententiam anno* 511 *celebratum asserens concilium Aurelianense primum, sic loquitur:* Sed Fasti consulares multò sunt his omnibus certiores: quare in hac chronologia statui sequi

P.

A P. Sirmondum : *& infrà de Corvaiſerio loquens ait, placuiſſe illi opinionem hanc ab eoque adoptatam, at non longo tempore ſuiſſe. Certè mihi videtur telum iſtud, quo Corvaiſerium petit, in Bondonnetum recidere; non enim magis conſtanter ſequitur Faſtos conſulares, quos tamen habet ſecuros chronologiæ adornandæ duces. Ignorare minimè potuit Bondonnetus, in Actis S. Victurii legi*; Obiit ergò prædictus vir beatus Victurius Kalendis Septembris, plenus dierum, Fauſto juniore & Longino bis Conſſ.: *quorum conſulatus incidit in annum* 490. *Quî ergò fieri potuit, ut, Victurio uſque ad annum* 490 *ſuperſtite, in ejus ſedem anno* 482 *ſucceſſerit* S. Principius?

nequit certò determinari.

11 *Malim ego candidè fateri, nihil admodum certi ac determinati hic ſtatui poſſe. Hoc unum videtur ſine errore dicendum, Sanctum noſtrum non obiiſſe ante annum* 511, *quo celebratum eſt concilium Aurelianenſe primum, cui reperitur ſubſcripſiſſe: quanto autem tempore illi ſupervixerit, non facilè divinem. Si ſubſiſtat epocha mortis S. Victurii, & tempus epiſcopatûs* S. Principii *in Actis pontificum Cenomanenſium notatum, ſi Bondonneti de interpontificio duorum annorum poſt*

B *mortem S. Victurii opinio vera eſt, non poterit* S. Principii *deceſſus aptiùs referri, quàm ad annum* 520 *aut* 521. *Verùm hoc ne fiat, obſtat iterum titulus Geſtorum S. Innocentii, habens eum floruiſſe temporibus Clodovæi primi Francorum regis Chriſtiani & Childeberti filii ejus: cùm enim jam apud eruditos paſſim receptum ſit, obiiſſe Clodovæum anno* 511, XXVII *Novembris, debuiſſet Innocentius cathedram adiiſſe non diu poſt celebratum concilium Aurelianenſe primum, ut menſe ſaltem uno alterove regnantis Clodovæi dici poſſit eccleſiam Cenomanenſem rexiſſe. Quia ergò hæc incerta & perturbata ſunt adeò, initio hujus Commentarii tempus mortis* S. Principii *fixi ſubdubiè hoc modo:* Veroſimiliter intra annum DXI & DXX. *Nunc Acta ipſa notationibus illuſtrata ſubjicio.*

VITA

Auctore anonymo,

C *Ex Ms. Cenomanenſi, collato cum editis à Mabillonio Actis.*

S. Principii natales & miracula aliqua:

BEatus Principius ſeptimus urbis Cenomannicæ epiſcopus ex nobili Francorum genere ortus, divi Remigii Remenſis archiepiſcopi frater germanus *a* exſtitit, quîcum ab ipſa infantia converſatus, ejus exemplis & doctrinis plenè inſtructus, Domino & eccleſiæ Cenomanenſi ſibi commiſſæ amabiliter meruit famulari. Ambo enim prævîſi ſunt & angelica revelatione *b* prædicti, hic futurus epiſcopus, alter gentis ſuæ liberator *c* à malorum incurſibus: nec eos fefellit cœleſte præſagium; nam miris in vita ſua claruerunt miraculis. Hic ſiquidem beatus Principius ſuæ ſanctitatis dans ſpecimen, cæcum illuminavit & matri ſuæ jugiter flenti videntem reddidit. Cujus meritis & precibus alii multi, Domino largiente, à diverſis languoribus ſunt ſanati & priſtinæ ſanitati reſtituti.

A. ANONYMO.

2 Præter hæc ipſe ſummus amator religionis & hoſpitalitatis, & de rebus eccleſiaſticis mirificè ſollicitus, complures eccleſias in ſua parochia & diœceſi, ruinam præ nimia vetuſtate minantes, reædificavit, & reliquas de novo fundavit. Sacravit autem eccleſias ampliùs quàm triginta: ex quibus *d* cenſus & luminaria ad matrem eccleſiam, tam in cera, quàm in oleo, ſive trientes *e* cenſuit perſolvi. Xenodochiam * quoque ſeu valetudinariorum curam geſſit maximam. Non tamen tanta fecit, quanta facere diſpoſuit, propter ortam ſeditionem & perſecutionem *f* tam famulorum ſuorum, quàm aliorum in locis vicinis in ſua diœceſi degentium: quia tanta ſævît ſuo tempore perſecutio, quantum * vix ſuſtinere quivit. Attamen quantumcumque ei licuit tempore perſecutionum, in divinis cultibus elaboravit, & à prædictis ſeditionibus, Domino auxiliante, multos ex ſua diœceſi de perſequentium jugo & ſævientium captione liberavit, ſanctæque matri ſuæ ſedis eccleſiæ tradidit: nihil enim in ſe tepidum habuit, adeò ut inter confabulantes experientiam cauſarum omnium habere perhiberetur.

ejus erga res ſacras ſtudium,

d

e

* *l.* xenodochiorum

f

* *l.* quantam

E

virtutes variæ,

3 Erat etiam patiens frigoris & æſtûs: crebrò jejunans, præſertim quartâ & ſextâ feriis; quotidie Miſſam celebrans, niſi gravi infirmitate præpediretur: nam ſecundùm relationem eorum *g*, qui cum eo converſabantur familiariter, numquam à tempore ordinationis ſuæ unum diem præteriit, quin Miſſam aut publicam, aut ſecretam celebraret, antequam infirmitas (quâ ipſe obiit) eum pervaſiſſet: ſæpe enim ita infirmus Sacris operabatur, ſeu Miſſam celebrabat, ut à duobus ſuis miniſtris coram altari ſuſtentaretur, quia citra alterius auxilium ſubſiſtere nequibat. Non ergò epiſcopalis dignitatis faſtigio ipſe elevabatur, ſed potiùs divino amore ſuccendebatur.

g

& cura infirmorum, quibus ipſe miniſtrat.

4 Tantam etiam habuit curam infirmorum & debilium, ut non nullis diebus (quando per otium ei licebat) non miniſtris erga eos uteretur, ſed per ſe ipſum, quæ eis erant neceſſaria, præberet. Diſcurrebat etiam per xenodochia ſeu hoſpitalia infirmis miniſtrans, ollas eorum tergens, jus geſtans, olera præparans, coclearia offerens, panem frangens, & eulogias ſeu munuſcula ſingulis tribuens, ciboſque miniſtrans, calicem diluens, & alia cuncta faciens, quæ ſervis & miniſtris mos

F

eſt ſingulis diebus operari. Quibus bonis ſemetipſum ædificans, aliiſque exemplum præbens, Auctori ſuo ſe placabilem reddere obnixè ſtuduit. Fecit autem Ordinationes in ſua diœceſi triginta duas, presbyteros ordinavit ducentos quinque, & levitas atque alios miniſtros eccleſiaſticos, quantùm neceſſe eſſe prævidit.

Tempus epiſcopatûs, dies emortualis.

5 Floruit autem temporibus *h* Zenonis & Anaſtaſii imperatorum, & Clodovæi, primi regum Francorum Chriſtiani. Sedit autem epiſcopus in prædicta Cenomanenſi urbe annis viginti novem, menſe uno & diebus viginti uno, & ceſſavit epiſcopium poſt ejus obitum aliquo tempore propter prædictam perturbationem, & ingentem, quæ graſſabatur, ſeditionem. Interea ſedit chorepiſcopus quidam *i*, nomine Petrus. Obiit autem beatus Principius, emenſo hujus vitæ curriculo, decimo ſexto Calendas Octobris, & ſepultus eſt ab aliis epiſcopis, & à ſuis diſcipulis & ceteris ſacerdotibus decenter & honorificè, hymnis angelicis concinentibus atque excelsè reboantibus, in eccleſia Apoſtolorum ultra fluvium Sartæ *k*,

h

i

k

A. ANONYMO. juxta ſepulchra ſanctorum pontificum Thuribii, Pavatii, Victuri ac Victurii : cujus obitum præceſſerunt multa virtutum miracula & etiam ſubſecuta ſunt *l*. Nunc autem vivit cum Chriſto, cum quo nos, Domino tribuente, cæleſtibus in ſedibus unà cum ceteris Sanctis Dei vivere perpetuò mereamur. Amen.

ANNOTATA.

a *Vide dicta Commentarii prævii num.* 5 *& ſequentibus.*

b *Hæc, uti & in antecedentibus ac ſubſequentibus, in Mabilloniana editione, verbis paulò aliter diſpoſitis, pauciorubus aliquando, aliquando pluribus referuntur; prædictio quoque, de qua hîc, in editis à Mabillonio Actis ſolum ſpectat* S. Principium : *verùm cùm tanti facienda non ſint Acta hæc, ut quamcumque verborum mutationem neceſſe ſit indicare, minutias ſimiles impoſterum inobſervatas præteribo.*

c *S. Remigius ſcilicet natus eſt ſingulari, ut Hincmarus in ejus Vita tradit, providentia Dei volentis luctuoſis Galliæ calamitatibus modum ponere.*

d *Mabillonius in Annotationibus ad Acta epiſcoporum Cenomanenſium, putans illorum auctorem cæcutiiſſe, cùm notas conſulares adjecit, ſubdit in hunc locum :* Nec ſcio, an rectiùs cenſus olei eccleſiæ à primis illis epiſcopis aſſignatos, aut monaſteriorum conditiones ab eiſdem factas dixerit. *Statuat lector, ut voluerit; mihi ob dicta ad litteram* b *neceſſe non videtur operoſiùs id indagare.*

e Triens, *inquit Cangius in Gloſſario,* tertia pars ſolidi, in Lege Salica tit. 40, § 13 editionis Baluzii. *Valorem trientis in Pacto Legis Salicæ edito à Gottefrido Wendelino ſic lego tit.* 41, § 15 : Trientem; quod eſt tertia pars ſolidi, id eſt, tredecim denarii & tertia pars unius denarii.

f *Per ſeditionem perſecutionemque ſuſpicor intelligi hîc debere invidorum & paganorum molimina adversùs Chriſtiana ſacra & ſanctiſſimi Præſulis ſtudium augendæ religionis : in præmiſſis tamen dicitur Sanctus noſter conſecrâſſe eccleſias plus quàm* 30, *non paucas reſtituiſſe, multas de novo ædificâſſe; hoc certè ſatis amplum Chriſtianæ fidei incrementum eſt, præſertim cùm non paucis ſedentis* Principii *annis Francorum rex Clodovæus idola ſequeretur.*

g *In Laudatis ſuprà Annotationibus rectè ſic obſervat Mabillonius :* Qui geſta Principii epiſcopi ſcripſit ... ait, eum quotidie Miſſam celebrâſſe, "ſicut ab ipſis dedicimus, inquit, „ qui cum eo converſari ſolebant.„ ... Atqui trecentis annis Aldrico ſuperior fuit Principius, ut proinde auctor unus & idem Aldrico ſuperſtes fuiſſe, & Principii diſcipulos vidiſſe non potuerit. *Et paucis interjectis :* Verùm, *inquit*, reponi poteſt, auctorem illum, qui Aldrici facta recenſuit, quædam præ oculis habuiſſe monumenta de Principio, ab ejus diſcipulis tradita ... Conſimiles enim loquendi formulæ hoc ſenſu apud alios occurrunt auctores. Sed hoc lectoris arbitrio permittere ſatius fuerit.

h *Accuratam eſſe hanc epocham putat Bondonnetus, aitque Sanctum noſtrum penè æquâſſe regnantis Clodovæi annos; floruiſſe autem annis novem Zenonis, & viginti imperantis Anaſtaſii. Sed hæc planè incerta. Conſule Commentarium prævium num.* 10 *&* 11.

i *Nihil habent Acta apud Mabillonium de chorepiſcopo Petro : catalogus tamen epiſcoporum Cenomanenſium apud eumdem num.* 7 *ita habet :* Beatus Principius epiſcopus ſedit annis XXVIII (*Acta ſcribunt* XXIX, *ut vidimus*) menſe 1, diebus XXI. Petrus chorepiſcopus.

k *Sarta Galliæ fluvius Alenconium alluit & Cenomanum, ubi Huiſnam recipit.*

l *Hæc ad nos non pervenerunt. Laudatus ſuprà Julianus Muſſerotus in reſponſionibus ad poſtulata Majorum noſtrorum ſcribit :* Schedulas, in quibus miracula ceteraque geſta pontificum noſtrorum continentur, ſurripuerunt hæretici ſuperiori ſæculo & cum pluribus aliis inſtrumentis tradiderunt igni cremandas.

DE S. EUGENIA VIRGINE ABBAT.

HOHENBURGI SEU IN MONTE S. ODILIÆ IN ALSATIA.

J. P.

SYLLOGE.

De illuſtri Sanctæ ſtemmate, cultu & reliquiis.

SECULO VIII. *Situs & primordia*

Aſignatum monaſterium quarto milliario ub urbe Argentina ſitum eſt in prælto monte, ubi olim caſtrum exſtiterat, atque hinc ei Hohenburg *vulgò nomen fuit, Latinè verò* Altitona & Hohenburgum, *nunc paſſim vocatur* Mons S. Odiliæ *à prima ejuſdem abbatiſſa. Primordia ſua accepit ſeculo* VII *à pietate dictæ Odiliæ ſeu Otthiliæ virginis, atque à liberalitate hujus parentis, opulentiſſimi ducis, cujus nomen variè exprimunt auctores; Adalricum nuncupant nonnulli, Atticum alii, Ethiconem plurimi, ut videre eſt apud Hieronymum Vignerium, Georgium Eccardum, Marcardum Hergott, & Dionyſium Albrecht infrà laudandum, qui de vera Sereniſſimæ Auguſtiſſimæque domus Habsburgo-Auſtriacæ origine ſcripſerunt, quique hanc originem unanimi conſenſu omnes à dicto Ethicone deducunt, quantumvis de altiori ejuſdem Ethiconis ſtemmate diverſimodè ſentiant.*

2 *Eumdem Ethiconem avum habuit* Eugenia, *parthenonis ſe-*

A *ſecunda memorati monaſterii abbatiſſa, prognata ſcilicet ex Adalberto Ethiconis filio & in ducatu Alemanniæ ſucceſſore, atque Gerlinde prima Adalberti conjuge. Hæc adeo certa ſunt apud laudatos auctores, ut in neminem hactenus inciderim, qui ea in dubium vocaret, ſi unum excipias Mabillonium, qui loco mox citando videtur exiſtimâſſe, quòd aliud* Eugeniæ *parenti, quamvis Ethiconis filio, nomen fuerit. Non ita comperta ſunt vitæ ejus, ſanctiſſimè procul dubio peractæ, geſta; duo dumtaxat ad nos tranſmiſit antiquitas, primum quòd cum binis ſororibus in Hohenburgenſi parthenone ſe ſubjecerit regimini amitæ ſuæ S. Odiliæ; alterum quòd ſubrogata fuerit abbatiſſa eidem Odiliæ; an defunctæ, ut arbitrantur plures, an etiam tunc ſuperſtiti & ſponte regimen abdicanti, quæſtio eſt propriè pertinens ad Acta S. Odiliæ, illuſtranda ad diem* XIII *Decembris, quo annuntiatur in Faſtis ſacris. Nam cùm nonnulli Odiliæ obitum differant ultra medium ſeculi* VIII, *hac ſtante opinione, dici deberet,* Eugeniam *fuiſſe abbatiſſam, vivente amita, quoniam ut talis comparet anno circitèr* 722, *ut videbitur num.* 7.

B *in quo Sancta,* 3 *Primum autem diſcimus ex Vita S. Odiliæ, per anonymum exarata ſeculo* XI, *ut Mabillonio viſum eſt. Verba hæc ſunt:* Habebat etiam *(Odilia)* & fratrem nomine Adalbertum, qui habebat tres filias, quarum una Eugenia, alia Attala, tertia Gundelinda dicebatur, quæ audientes opinionem ſanctæ Virginis, cogitaverunt & ipſæ, Dei amore ſuccenſæ, mundum relinquere & diſciplinatui ſuæ amitæ ſe mancipare, quatenus ejus exemplis inſtructæ, perfectè diſcerent omnes voluptates in ſe carnales edomare & Domino Jeſu dignam perſolvere ſervitutem, ut ſimul cum illa immarceſſibile æternæ vitæ præmium mererentur accipere. Illa autem, ut audivit illarum deſiderium, eas libenter ſuſcepit, & diligenter edoctas Domini ſervitio mancipavit. *Ita in apographo noſtro Ms., quod deſumptum notatur ex membranis Mss. monaſterii Windbergenſis in Bavaria, collatumque partim cum Mss. Corſendoncano canonicorum Regularium, partim cum Dilingano.*

cujus illuſtre 4 *Edidit eamdem Vitam Mabillonius part.* 2 *Seculi* 3 *Benedictini ex Ms. codice Cheſniano, in qua eadem leguntur, vocibus tamen hinc inde non nihil immutatis, quod ferè à deſcribentibus proficiſcitur. Sic, quod utcumque ad rem præſentem pertinet, ſorores* Eugeniæ *illic* Atalia & Gunlindis *ſcribuntur, pater verò* Adalardus, *quæ poſtrema immutatio tantùm valuit apud laudatum Mabillonium, ut hanc ei annotationem ſubjecerit:* Et tamen Lazius loco citato *(lib. 8 de Tranſmigratione gentium)* non numerat Adalardum inter Adalrici filios quatuor, ſcilicet Adalbertum, Hettonem ex Augienſi abbate epiſcopum Strateburgenſem, Hugonem & Bataconem. *Quid autem per annotationem ſuam intenderit, non omnino intelligo: attamen exiſtimo, rectè à Lazio Adalardum annumeratum non fuiſſe filiis Adalrici ſeu Ethiconis.*

C *genus* 5 *Certè in nullo inſtrumento, quamvis plurima ad Ethiconis progeniem pertinentia exhibeant Vignierius & Eccardus, comparet Adalardus aliquis Ethiconis filius, nec in ullis tabulis genealogicis, quarum conſului permultas, illi, ut ejus filio, locus conceditur; at in his contrà collocatur ſemper Adalbertus, in illis frequens ejus eſt mentio. Quidquid ſit, dubium mihi non eſt, quin* Eugeniæ *patri Adalberto nomen fuerit. Sic ſcribitur in tribus Mss. Vitæ S. Odiliæ apographis, quæ præ oculis habeo; ſic in altero ejuſdem Vitæ apographo ex codice Ms. collegii Claromontani Societatis Jeſu Pariſiis apud Vignierium; ſic in Genealogia S. Odiliæ & Attalæ virginum apud Eccardum. Verba accipe:* Hic Athicus genuit filiam, nomine Odiliam, genuitque filium nomine Adelbertum. Hic Adelbertus duxit uxorem, nomine Gerlindam, nobilem ſatis, de qua genuit filiam Atalam cum reliquis duabus ſororibus, ſcilicet Eugenia & Gundelinde. *Sic denique, ut recentioribus ſuperſedeam, ſcribitur apud eumdem Eccardum in Fragmento codicis Ms. pergameni, publicato per Joannem Schilterum, quod Vitam S. Attalæ complectitur & ita habet:* Pater ejus *(Attalæ)* dux Adelbertus & Gerlindis mater exſtiterunt..... Genitores autem ejus, cùm eſſent nobiles & juſti, filiam ſuam Attalam cum duabus ſororibus ejus Eugenia & Gundelinde ſub diſciplina Dei erudierunt. Quæ audientes devotionem beatæ virginis Odiliæ, quæ tunc conventum ancillarum Dei, conceſſione paterna, Hohenburg religiosè regebat, ad ipſam, oblitæ domum patris, confugerunt, ut ejus exemplis inſiſterent.

AUCTORE J. P.

exponitur, E

6 *Imò ipſe Mabillonius eidem ſententiæ ſubſcripſit tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 58 *verbis ſequentibus:* Hoc ipſo tempore *(ſub annum* 720) Argentoratenſe S. Stephani monaſterium regebat Attala, filia ducis Adalberti, Odiliæ fratris, qui hoc cœnobium inter rudera veteris Argentorati exſtruxerat. Is ſagittæ ictu interiiſſe dicitur, treſque filios reliquiſſe, Liutwinum *, paterni ducatus ſucceſſorem; Maſonem, cognominis auctorem monaſterii, & Eberhardum, conditorem cœnobii Murbacenſis; ad hæc filias quinque Eugeniam, Attalam ſeu Ataliam, Gutlindem, Savinam & Liutgardem, ex quibus Attala, ut mox dicebamus, prima fuit abbatiſſa parthenonis S. Stephani apud Argentoratum; Eugenia verò & Gutlindis ſub Odiliæ amitæ ſuæ diſciplina religioſam vitam duxerunt in monaſterio Hoëmburgenſi, ubi ipſa pariter Attala educata fuerat. *Itaque quando apud Mabillonium in Vita S. Odiliæ pater* Eugeniæ *Adalardus legitur, mendum eſt librario attribuendum: & ſic* S. Eugeniæ *illuſtre ſtemma, ac religioſum vitæ inſtitutum ſufficienter demonſtrata ſunt.*

* *l.* Liutfridum

ſecunda fuit abbatiſſa. F

7 *Virginem noſtram Hohenburgenſi parthenoni præfuiſſe abbatiſſam, unanimi quoque conſenſu affirmant, præter jam nominatos, ſcriptores plurimi; Humbertus Belhomeus in Commentario prævio ad Acta S. Hidulfi apud nos tom.* III *Julii pag.* 112 & 113; *Galliæ Chriſtianæ continuatores tom.* 5 *col.* 839; *Hugo Peltre in Vita S. Odiliæ, anno* 1699 *Gallicè edita Argentorati; Bucelinus part.* 2 *Germaniæ ſacræ pag.* 68; *Yepes in Chronico S. Benedicti pag.* 400; *Ruyrus in Antiquitatibus Voſagi part.* 2 *lib.* 4 *cap.* XI & 12; *Cruſius dodecade* 1 *Annalium Suevicorum, vulgata anno* 1595 *pag.* 276; *Bruſchius Centuriâ primâ monaſteriorum Germaniæ, anno* 1551 *impreſſa, pag.* 154, & *Hieronymus Gebwiler in libello de illuſtri S. Odiliæ ſtemmate, ex antiquis ac veris, ut ait, hiſtoriis collecto, ac primùm Latinè, dein Germanicè edito Argentinæ anno* 1521. *Porrò cur tot hîc citaverim auctores, colligi poterit ex num.* 9. *Horum autem aliorumque dicta confirmantur per inſtrumentum donationis, factæ Honaugienſi monaſterio à Liutfrido ac Eberhardo* Eugeniæ *fratribus anno tertio Theodorici regis, Chriſti circitèr* 722, *cui poſt fratres ita ſubſcripſit Virgo noſtra:* S. Ego Eugenia, acſi indigna abbatiſſa, quæ conſenſi. *Totum inſtrumentum habes apud*

AUCTORE J. P.

Mabillonium tom. 2 Annalium pag. 696, & apud Eccardum col. 100 & 101. Erat Honaugiense virorum monasterium, fundatum ab Adalberto Eugeniæ *patre in insula Rheni paulo infrà civitatem Argentinensem & consecratum S. Michaeli archangelo.*

Gesta ejus incomperta,

8 *Præter jam allata duo nihil de gestis* S. Eugeniæ *nobis compertum est, ut monueram suprà. Memoratus num.* 1 *admodùm reverendus pater Dionysius Albrecht, canonicus Regularis celeberrimi Ordinis Præmonstratensis ac monasterii Hohenburgensis hodiedum prior; nam, postquam illud conflagrâsset anno* 1546, *dispersæ sunt sacræ Virgines, & canonici Præmonstratenses restitutum dein cum ecclesia incoluerunt; is, inquam, R. P. Albrecht Germanico idiomate, corrasis undecumque monumentis, Historiam Hohenburgensem seu Montis S. Odiliæ à primordiis usque ad nostra tempora concinnavit ac typis Seleſtadiensibus commissam vulgavit anno* 1751. *Hujus exemplar huc dono transmisit vir officiosissimus, in quo totum cap.* 4 *partis* 3 S. Eugeniæ *attribuit, fateturque similiter, nihil de Vita ejus scriptum reperiri; inventam quidem fuisse addit in ejus tumulo, cùm sub annum* 1622 *is destructus fuit, membranam Vitæ ejus compendium continentem; at quò illa dein evaserit, hactenus nesciri: in ea notatum fuisse addit, diem Sanctæ emortualem,* XVI *scilicet mensis Septembris, eumdemque notari similiter in charta, quæ hodiedum cum reliquiis servatur in Ehenhemiensi oppido, de quo infrà redibit sermo.*

B

Hæc nomen sacris Fastis insertum; cultus tamen

9 *Equidem examinavi Fastos sacros & catalogos Sanctorum multos, tum antiquiores tum recentiores, at neque ad dictum diem, neque ad alium* S. Eugeniæ *memoriam deprehendi, quod mirabar, cùm apud tot scriptores, quos vel idcirco nominatim & assignatis locis recensere visum est num.* 1 & 7, *frequens ejus fiat mentio, atque à nonnullis ei Sanctæ titulus attribuatur. Bucelinus loco cit.* S. Otthilia, *inquit*, primam *Hohemburgensis parthenonis* egit abbatissam, eique pari sanctitate S. Eugenia successit. *Bruschius:* S. Eugenia, secunda hujus monasterii domina & abbatissa in eodem sacello (*in quo S. Odilia*) cubat honorificè tumulata. *Gebwiller, quem secutus est Ruyrus, non modò* Sanctam *appellat hisce verbis:* S. Eugenia fuit ducis Adelberti filia & altera Hohemburgensis abbatissa, *sed ut talem etiam honoratam fuisse affirmat sequentibus:* Postquam S. Odilia virgo defuncta ac sepulta esset, dominæ Hohenburgensis parthenonis superioris & inferioris (*erat hic alter ab ipsa S. Odilia fundatus ad pedem montis Hohenburg*, & Nider-münster *appellatus*) de eligenda abbatissa consilium inierunt. Elegerunt autem utrique monasterio (*cui priùs una præfuerat Odilia*) abbatissam suam: Eugeniam scilicet, filiam fratris S. Odiliæ in Hohenburg, & Gundelindam illius sororem in inferiori monasterio. Binæ hæ sorores abbatissæ vitam duxerunt austeram & planè sanctam; eapropter post mortem etiam ut Virgines sanctæ honoratæ sunt. Eugenia etenim tumulata est in sacello S. Joannis ex adverso sepulcri S. Odiliæ &c. *Ita ille in libello Germanico, quem solum habemus.*

C

ex aliis scriptoribus ostenditur.

10 *Gebwileri dicta confirmat Peltrus lib. cit. cap.* 13: S. Eugenia, *inquit*, amitam suam secuta est ad cælestem gloriam, paucis annis post electionem suam: nam Hohemburgum moderata est tantùm annis quindecim. Corpus ejus tumulatum fuit in sacello S. Joannis Baptistæ ex parte Epistolæ, ubi honoratum fuit usque ad bellum Mansfeldianorum (*ad annum* 1622) qui tumulum ejus destruxerunt, ut pòst dicetur. *Alia affert cultûs testimonia R. P. Albrecht in memorata Historia Montis S. Odiliæ lib.* 3 *cap.* 4: *ac primò quidem servari hodiedum affirmat litanias omnium Sanctorum Argentinensis diœcesis olim decantari solitas, atque his inserta esse nomina SS. Odiliæ,* Eugeniæ, *Attalæ & Gundelindæ. Secundò in oratione, quâ illic utuntur ex usu antiquo & consuetudine in consecratione aquæ pro peregrinantibus, invocari sanctissimam Dei Matrem Mariam, S. Josephum & SS. Odiliam ac* Eugeniam. *Tertiò imaginem ejus à longo tempore altari impositam fuisse. Quartò recoli quotannis festum ejus die* XVI *Septembris, & sacras reliquias publicè exponi in Oberhehenheim* (*alii simpliciter* Ehenheim *scribunt*) *civitate Alsatiæ, distante juxta Baudrandum tribus milliaribus Germanicis Seleſtadio & totidem Argentorato. De cultu hoc pauca addam, postquam retulero, quid de sacro corpore actum fuerit, & quo pacto eas reliquias obtinuerint Ehenhemienses.*

D

Sepulcrum ejus ab hæreticis destruitur;

E

11 *Laudatus Peltrus, uti se facturum promiserat cap.* 13, *exponit cap.* 19, *quomodo tumulus Sanctæ usque ad annum* 1622 *intactus, sacrilego Mansfeldianorum militum furore destructus fuerit. Præmittit primùm, sub dictum annum irrupisse illos in Alsatiam, omnia repleviſſe metu ac terrore, penetrâsse tandem in Montem S. Odiliæ, atque illic injecto igne omnia ædificia in cineres redegisse. Cùm autem exercitus in Lotharingiam perrexisset,* Franciscus Bornius (*verba sunt laudati auctoris è Gallicis Latina*) sacræ Theologiæ doctor, consiliarius Archiducis (*Leopoldi Austriaci id temporis episcopi Argentinensis*) & parochus Ehenhemiensis, vicarium suum in montem misit, ut, quæ damna intulerant inimici religionis nostræ, exploraret. Comitati illum sunt plures deputati è civitatis magistratu, qui rei ejusdem desiderabat fidelem & ex juris norma compositam relationem. *Citat hîc auctor in margine relationem Pistorii consulis & civium Ehenhemiensium, factam anno* 1650.

servata non sine prodigio sacra ossa

12 Deputati (*ita ferè pergit Peltrus*) nihil primùm repererunt præter rudera, cineres, lapides ac saxa etiam tunc ardentia; spectaculum sanè, quod illos ingenti commiserationis sensu percellere cœperat, quando lætitia inventi absque læsione tumuli S. Odiliæ conceptum dolorem compressit. Verùm quidem est, impactos ei fuisse per milites ictus aliquot, quorum vestigia deprehendebantur, sed, prohibente divina providentia, ulteriùs progressi non fuerant. Non eodem modo actum fuerat cum sepulcro S. Eugeniæ; confregerant illud Mansfeldiani milites; verumtamen sive quòd aperuissent dumtaxat, ut auferrent, quæ in eo pretiosa reperturos se frustra speraverant, sive quòd suavis odor, quem exhalabat tumulus, venerationem illis inspirâsset & horrorem à mox perpetrando crimine, certum est, relicta illic fuisse sacra Sanctæ ossa simul cum membrana, cui paucis verbis inscripta erant tempus & sanctitas vitæ ejus ac mortis.

F

magno honore afficiuntur.

13 Eæ reliquiæ à vicario ceteriſque deputatis, quantâ fieri potuit reverentiâ, Ehenhemium deportatæ, & apud civitatis parochum depositæ sunt, ubi cælestem odorem emittere non destiterunt, prout Pistorius consul atque alii plures, qui eas conspexêre, testati sunt sæpe. Postmodùm (*anno* 1624) sacras reliquias, thecæ ligneæ deauratæ impositas, illustrissimus Adamus Peetz, (*Argentoratensis antistitis suffraganeus*) convocato adjacentium locorum clero, rituque supplican-

A cantium compoſito agmine, comitante abbate Stivagienſi ac innumera populi multitudine ſolemniter in montem retulit. *Hæc laudatus Peltrus, ſeculo præcedente in Monte S. Odiliæ canonicorum Præmonſtratenſium ſuperior, poſtquam eodem in Monte triginta annis moratus fuiſſet, inque ſingula diligenter inquiſiviſſet, ut intelligo ex litteris ejus cum libello memorato ad Majores noſtros olim deſtinatis. Eadem penè tradit R. P. Albrecht prior loci hodiernus in Hiſtoria Germanicè edita: uterque autem in narratæ rei confirmationem producit litteras illuſtriſſimi domini comitis ab Aldringen epiſcopi Tripolitani, ſuffraganei & vicarii generalis Argentinenſis, Rubeaci anno 1632 die XXIV Februarii Latino ſermone ſcriptas ad ſuprà laudatum Archiducem Leopoldum, & ut loquitur Peltrus*, ex vero ſuo originali deſumptas MDCLXVI, *quas, licèt paulò longiores ſint, huc pro majori ſaltem parte transferendas cenſui, quia ratione reliquiarum* S. Eugeniæ *conſcriptæ ſunt, & quanto illæ tum temporis eſſent in pretio, luculenter oſtendunt.*

Actam deinde de reſtituendo damno

14 Sereniſſime ac potentiſſime Archidux, Princeps ac Domine. Veſtra Serenitas clementiſſima recordari dignabitur, qualiter ante annos circitèr decem ſacrilegi illi Mansfeldii, inter alia ſacra loca, omnia ædificia in monte Hohemburg, & inter cetera etiam quatuor illa ſacella, S. Otthiliæ virgini ſacra, unà cum majore templo igne abſumpſerint; quæ tamen veſtra Serenitas, feliciſſimo ſuæ adminiſtrationis tempore, magnis impenſis cum immortali nominis ſui gloria ex antiquis ruderibus erecta illuſtrârat: uti poſtea ſucceſſu temporis propter quotidiana miracula in tantum excrevit hujus loci celebritas, ut in toto epiſcopatu Argentinenſi nullum habeamus ſimilem.

eccleſiæ & S. Eugeniæ ſepulturæ

15 Cùm autem viderem, quòd, propter prædicta incendia, antiqua fidelium devotio paulatim deficeret, putavi mei muneris eſſe, quatenus antiqua illarum eccleſiarum ædificia, quantùm fieri poſſet, reſtaurarentur: & quia in colligendis expurgandiſque ruderibus hinc inde inventa ſunt Serenitatis veſtræ dejecta ac partim combuſta, partim etiam confracta inſignia, curavi, ut eadem pro merito Serenitatis veſtræ, meaque in eamdem devotione, quantùm fieri potuit, cum priſtino decore ſuis locis reſtituerentur. Unde poſteritas colligere poſſit, quantum Serenitas veſtra olim in hoc epiſcopatu ad majorem Dei gloriam, C & honorem ſanctarum virginum Otthiliæ & Eugeniæ, in hoc loco quieſcentium, pro ſua pietate & archiducali munificentia præſtiterit.

per hæreticos illato;

16 Et licèt quidem prædicti Mansfeldii ſacrilegi ſepulchra prædictarum ſanctarum Virginum malleis aliiſque inſtrumentis confringere, & ſacras earum reliquias ſacrilegè inde auferre, & memoriam earum delere molirentur: & tamen ecce, quàm mirabilis ſit Deus in Sanctis ſuis, qui ſingulari quodam miraculo comprobare dignatus eſt, ſe jam ab æterno ordinâſſe, ut corpora harum ſanctarum Virginum hîc in pace quieſcerent, & ſimul ſepulta manerent. Nam & ſiquidem iſti incendiarii ſepulchrum S. Otthiliæ totis viribus perfringere, & reliquias S. Eugeniæ ſacrilegè furari vellent, illis tamen locus iſte adeo terribilis factus eſt, ut ad perpetuam rei memoriam & confuſionem omnium hæreticorum, ſepulchrum S. Otthiliæ intactum relinquere, abreptaſque S. Eugeniæ reliquias reſtituere cogerentur. Quæ omnia ad ſereniſſimam Infantem, paulò fuſiùs perſcripſi, humillimè rogando, quatenùs eadem ſepulchrum S. Eugeniæ, quod adhuc reſtaurandum reſtat, pro ſua in Patronam iſtam pietate reſtaurare & exornare dignaretur. Cujus quidem ſicut & ſereniſſimæ domus Auſtriacæ licèt naturalis ſim ſubditus, quia tamen nec ipſi ſereniſſimæ Infanti, neque etiam aulæ ſuæ Bruxellenſi hactenus innotui, ideo Serenitatem veſtram humillimè rogo, quatenus non tantùm haſce meas, ad ipſam directas, adjacentes litteras cum pia mea intentione, ſed etiam meam perſonam ipſi ſereniſſimæ Infanti pro ſua apud eamdem auctoritate clementiſſimè commendare dignetur &c. AUCTORE J. P.

ſed ſub idem tempus deperdita ſunt ſacra oſſa:

17 *Litteras utraſque in aula Bruxellenſi benigniſſimè exceptas fuiſſe indicat Peltrus, ſed ſperatum effectum non fuiſſe ſubſecutum; quia piiſſima Belgii princeps, ad quam preces directæ fuerant, Iſabella Clara Eugenia Bruxellis, haud ita dudum pòſt, puta exeunte anno 1633, è vivis abiit. Cauſam non ſubſecuti effectus veriſimiliorem allegat Albrechtus, irruptionem nempe Suecorum in Alſatiam ſub eumdem annum 1632, qua occaſione deperditas eſſe ait reliquias* S. Eugeniæ, *unà cum theca deaurata, cui incluſæ fuerant anno 1624, antequam ex Ehenhemienſi civitate in Montem S. Odiliæ referrentur. Deperditas eſſe ab illo tempore agnoſcit ſimiliter Peltrus, ſuſpicatur tamen, eas dicti belli causâ reconditas fuiſſe ab aliquo, qui, non indicato loco, deinde mortuus ſit.* E

ſuperſunt tamen alibi, & honorantur aliquot reliquiæ.

18 *Quidquid ſit, ſuperſunt alibi hodiedum aliquæ ſaltem ſanctæ Virginis exuviæ, ut iidem teſtantur Albrechtus & Peltrus: priuſquam enim corpus in Montem transferretur, dono relictum eſt os notabile in eccleſia Ehenhemienſi, quod, civitatis ſumptibus ſtatuæ magnificè ex argento conflatæ incluſum, publicæ venerationi exponitur. Addit Albrechtus, ſeſe in libro dictæ eccleſiæ vidiſſe annotatum, quotannis in eadem eccleſia, expoſitis reliquiis* S. Eugeniæ, *in ejus honorem decantari Miſſam votivam de Sanctiſſima Trinitate die* XVI *Septembris. Sed & alibi ejuſdem Sanctæ reliquias ſervari, auctor eſt idem Albrechtus; nam, ut refert citato cap.* 4 *lib.* 3, *cùm Adamus Petz, idem quem ſuprà* Peetz *nominabat Peltrus, in Willgottsheim, ſeu Wiltheim in Alſatia eccleſiam conſecraret, ejuſdem altari impoſuit reliquias ex oſſibus* S. Eugeniæ, *idque in aliis etiam hujus diœceſeos eccleſiis factitavit: imò eodem teſte, anno* 1735 *illuſtriſſimus Joannes de Paros, Argentinenſis epiſcopatûs ſuffraganeus & vicarius generalis, in eodem Willgottſſheim novum altare conſecraturus, reperit in veteri reliquias* S. Eugeniæ *ab Adamo Petz iſtic collocatas, eaſdemque ſummopere veneratus, ad ulteriorem cultum ſepoſuit. Unde dictas reliquias adeptus fuerit laudatus Petz, pronum eſt colligere; is enim anno* 1624 *Ehenhemienſibus ſacrum os concedens, ſibi haud dubiè aliquot etiam corporis particulas reſervaverit. Atque hæc dicta ſufficiant de* S. Eugenia. *De S. Attala ejuſdem ſorore agetur ad diem tertium menſis Decembris, & eadem occaſione fortè etiam de Gundelinda ſorore altera; nam Albrechtus, licèt de hujus ſanctitate & cultu ſatis conſtare autumet, fatetur tamen, neſcire ſe, an aliquo determinato die feſtiva ejus habeatur commemoratio. De S. Odilia, earumdem amita, plura dicenda venient ad diem* XIII *dicti menſis Decembris, quando Peltri & Albrechti ſolidis argumentis oſtendi poterit, ſervari etiam nunc in Hohenburgenſi eccleſia S. Odiliæ corpus, contra Lubinum & Sauſſayum.* F

DE

AUCTORE J. S.

DE S. SEVOLDO,

IN ABBATIA S. WALARICI ET ABBATIS-VILLÆ IN PICARDIA.

FORTE SEC. VIII. *De cultu Sancti*

EX *iisden documentis, quæ die præcedente brevem suggesserunt notitiam de S. Rithberto confessore, nunc pauca dabimus de* S. Sevoldo, *qui similiter colitur in abbatia Leuconaënsi, nunc passim* S. Walarici *dicta. Castellanus in Martyrologio universali de* S. Sevoldo *egit ad diem* 2 *Novembris, ubi ipsum Gallicè annuntiat verbis iis, quæ Latina reddo:* In Pontivo, S. Sevoldi confessoris, cujus reliquiæ conservantur Abbatis-Villæ * in ecclesia S. Vulfranni. *Et pag.* 988 *addi vult hæc verba:* Ubi festivitas ipsius celebratur XVII Septembris. *Peyronet in Catalogo Sanctorum pag.* 210 *pauca de* S. Sevoldo *memorat*, cujus, *inquit*, sacræ reliquiæ asservantur in monasterio S. Walarici supra mare, colunturque 2 Nov., *pro hisce laudans Henschenium in Opere nostro ad* 1 *Aprilis, ubi agitur de S. Walarico. Henschenius revera in S. Walarico, saltem prout verba ejus impressa sunt, diem* 2 *Novembris assignavit festivitati* S. Sevoldi, *ac die* XVI *Septembris S. Vulganium ibidem coli insinuavit. Verùm, sive id scribentis, sive typothetæ errore contigerit, diem festivitatis alterius alteri assignatum invenio. Nam, ut liquet ex Epistola ad Cangium ex abbatia S. Walarici data, & Henschenio communicata, colitur ibidem* S. Sevoldus *hoc die* XVI *Septembris, & S. Vulganius die* 2 *Novembris. Officium verò sit de communi: neque de gestis* S. Sevoldi *in eo quidquam legitur: nulla quoque de iis documenta haberi in abbatia S. Walarici testatur laudata Epistola.*

* Abbeville

2 *Quod spectat ad reliquias* S. Sevoldi, *quas Castellanus attribuit ecclesiæ S. Vulfranni Abbatis-Villæ; Peyronetus verò abbatiæ S. Walarici; crediderim, utroque loco notabilem illarum servari partem. In recognitione enim, facta in abbatia S. Walarici anno* 1651, *de* S. Sevoldi *reliquiis hæc dicuntur:* In capsa S. Sevoldi reperta sunt ossa viginti notabilia cum fragmentis multis. *Itaque major pars corporis* S. Sevoldi *potest esse Abbatis-Villæ, ut asserit Castellanus. De gestis Sancti nihil invenio. Imò non ausim certò edicere, fuerintne confessor, an martyr.* Confessorem *vocat Castellanus. At ut* martyrem *annuntiari in Martyrologio S. Walarici, testatur Epistola jam iteratò laudata, additque, credi* Anglum *fuisse natione.* Seculum VIII *pro epocha mortis Sancti assignat in margine Castellanus. Verùm ignoro, quo fundamento, aut quâ conjecturâ nitatur. Hinc plura non addo.*

& de reliquiis.

DE SS. ROGELLIO ET SERVIO-DEO MARTYRIBUS

CORDUBÆ IN HISPANIA,

C. S. SYLLOGE HISTORICA.

De eorum cultu, & martyrio per S. Eulogium scripto.

ANNO DCCCLII. *Sancti Martyrologio Romano &c. adscripti,*

SANctos *Emilam & Hieremiam, Cordubenses martyres, in persecutione Arabica passos, præcedenti die dedimus. Hosce postridie prosecutum ad cœlos est alterum par Pugilum, de quibus Romanum Martyrologium Baronii ad hunc diem sic meminit:* Cordubæ sanctorum martyrum Rogelli & Servidei, qui manibus pedibusque abscissis, ad ultimum decollati sunt. *Eosdem Martyrologio jam inseruerat Petrus Galesinius, sed mutato secundi nomine in* Servium, *eodem die hæc referens:* Cordubæ in Hispania, beatorum martyrum, Rogelli & Servii, qui & in foro & in carcere Christi fidem prædicando, Mahumetis impiam superstitionem omni verborum gravitate detestando, coronam martyrii, datis pro Christiana religione cervicibus, tulerunt. *Ad hunc pariter diem in Martyrologio Hispano Tamayi annuntiantur, uti & in aliis recentioribus, quibus recensendis supersedeo. Præterea* S. Rogellium *tamquam sui Ordinis monachum Benedictinis Fastis hoc etiam die inscripserunt Wionius, Menardus, Dorgainus & Bucelinus; quo jure, infrà videbimus.*

2 *In antiquioribus, puta Adonis, ac Usuardi*

AUCTORE C. S.

A *di Martyrologiis, nulla eorum exſtat mentio, ne quidem in hujus Auctariis apud Sollerium: quod in Uſuardo quidem mirari quis poſſet, cùm is anno 858 Cordubæ fuerit, ibique SS. Emilæ ac Hieremiæ, aliorumque in eadem illa perſecutione martyrum certamina didicerit, & Martyrologio ſuo inſeruerit, prout præcedenti die in Sylloge hiſtorica de martyribus mox nominatis num. 3 obſervavimus. Ambroſius quoque Morales in Scholiis ad lib. 2, cap. 13 Memorialis Sanctorum, à S. Eulogio conſcripti, notat, eoſdem in nullo Breviario commemorari; ſcripſit autem Morales poſt medium ſeculi XVI, quando laudatum Eulogii Opus recenter repertum fuerat. Sed quæcumque fuerit Uſuardi ac Cordubenſium Breviariorum ſilentii cauſa, ex iis, quæ in eadem Sylloge num. 7 & 8 protulimus, meritò dubitari nequit, eos Cordubenſi Breviario deinceps inſcriptos fuiſſe.*

Adoni & Uſuardo ignoti, apud Cordubenſes.

3 *Diſertè enim ibidem teſtatur Martinus de Roa, ſacro illo honore omnes eos martyres, quos vel ex S. Eulogii libris vel ex probatis aliis Hiſtoriis Cordubæ paſſos fuiſſe conſtabat, juſſu illuſtriſſimi Antonii de Paçecos, ejuſdem civitatis epiſcopi, illuſtratos fuiſſe cum Officio ex Communi, cúmque hoc Kalendarium paucis poſt annis, incertum qua de cauſa, ſuppreſſum fuiſſet, illuſtriſſimum Franciſcum de Regnoſo, Antonii ſucceſſorem, ut juſtis piorum querelis, eam abrogationem graviter ferentium, ſatisfaceret, in ipſis epiſcopatûs ſui initiis operam dediſſe,* ut eorum Officia, numero & geſtis martyrum locupletata, à Sancta Sede Apoſtolica probarentur; probata edi, ... edita recipi ac celebrari *præcepiſſe. Porrò inter hoſce locum etiam ſuum Martyres noſtros habuiſſe, tum verba ibidem relata demonſtrant, tum etiam colligere licet ex Kalendario, quod laudatus Martinus de Roa libro ſuo de Feſtis & Sanctis Cordubenſibus Hiſpanicè edito præfixit, & cui hunc titulum fecit:* Kalendarium feſtorum & Sanctorum, de quibus in hoc libro ſcribitur, ad dies, quibus eos celebrat eccleſia Cordubenſis. *Nam in hoc eorumdem feſtum die* XX *Septembris reponitur, monito tamen lectore, martyrium in* XVI *ejuſdem menſis incidiſſe; quorſum autem hæc feſti dilatio facta ſit, non comperi, neque ad propoſitum facit; cùm de publico cultu vel ſic æquè conſtet.*

annuum cultum 20 Septemb. habent.

B

C

4 *Sanctorum nomina, prout ea apud S. Eulogium exſtant, retinenda cenſui, ſcribendumque* Rogellium & Servio-Deo, *non* Rogellum & Servumdei, *ut Baronius in Martyrologio, vel* Servium, *ut Galeſinius, habent. Et Baronius quidem ita ſcripſiſſe videtur, ut ſecundi nomen Latinæ terminationi adaptaret: nam in Annalibus ad annum Chriſti* 852, *num.* 12, *eumdem etiam* Servio-Deo *appellat. Quâ verò ratione Galeſinius illum* Servium *dixerit, exploratum non habeo. Quod ad Martyrum patriam ſpectat, S. Eulogius horum primum* Rogellium *Eliberi natum tradit. Fuit autem Eliberis vel Illeberis antiqua Hiſpaniæ civitas epiſcopalis, concilio ibidem olim habito celebris; nunc adeò exciſa, ut ne de loco quidem, ubi fuerit, certò conſtet, aliis Granatam, cognominis regni caput, ejus ruinis inædificatam, aliis eam non procul ab hac urbe in colle, qui* Elvire *nomen etiamnum retinet, ſitam fuiſſe opinantibus. Franciſcus Bermuder in Antiquitatibus Granatenſibus lib.* 1, *cap.* 2, *& Martinus de Roa in Feſtis ac Sanctis Cordubenſibus, ad hanc diem,* S. Rogellium *prope Eliberim in vico* Parapanda *dicto genitum putant, nixi eodem, quo nos, S. Eulogii teſtimonio, ex quo id erui non poſſe, arbitramur. Verba Sancti ſubjungo.* Unus, *inquit,* Eliberi progenitus, ex vico, qui dicitur Parapanda, monachus & eunuchus jam ſenex, provectæque ætatis, nomine Rogellius advenit. *Hæc ipſe, quibus verbis mihi dicere videtur, illum quidem ex vico Parapanda Cordubam veniſſe, ſed Eliberi genitum eſſe. De alterius patria nihil habet Eulogius, niſi quòd Orientalem fuiſſe ſatis indicet, dum eum* ante paucos annos ab Orientis partibus ultra maria *peregrinum Cordubam adveniſſe ait; unde Syrum fuiſſe aliqui ſuſpicati ſunt.*

Illorum nomina, & diverſa patria:

tamen fuit monachus

5 Rogellium *profeſſione monachum fuiſſe, ex verbis proximè datis indubitatum eſt; videturque in laudato vico Parapanda habitâſſe, ex quo Cordubam venit zelo divino in impios Mahumetanos & martyrii ardore ſuccenſus. Vicum hunc Ambroſius Morales in Scholiis ſuprà laudatis ſuo tempore ignotum fuiſſe obſervavit: at Franciſcus Bermuder loco pariter citato de eodem veluti notiſſimo loquitur, illumque in una ex illis montium catenis, quæ Granatam ambiunt, vulgoque* la Sierra *vocantur, poſitum fuiſſe ſtatuit; addens eam montium partem ab eodem nomen traxiſſe, dicique* la Sierra de Parapanda. *Quam porrò Regulam Sanctus profeſſus fuerit, planè inexploratum eſt; nam quod Benedictini martyrologi, num.* 1 *relati, conſentiente Joanne de Marieta lib.* 3, *cap.* 13 *Hiſt. Eccleſ. Sanctorum Hiſpaniæ, eum ſuis adſcribant, non aliud fundamentum habet, quàm quòd à S. Eulogio* monachus *fuiſſe dicatur: id autem nihil probat, cùm S. Fructuoſi Regula id temporis in Hiſpania etiam obſervari potuerit; prout in ſimili cauſa ad diem* XX *Auguſti in SS. Leovigildo & Chriſtophoro obſervatum jam eſt. In ea tamen opinione Mabillonius etiam fuiſſe videtur, dum eum Sec.* 4 *Benedictino, parte* 2, *pag.* 584 *recenſuit.*

E

ac fortè etiam alter; ſed cujus Regulæ, incertum.

6 *Utrùm alter Martyrum* Servio-Deo *monachus etiam fuerit, non edicit S. Eulogius, qui de illo ſic loquitur:* Alter Servio-Deo vocatus, ſpado adhuc juvenis, ante paucos annos ab Orientis partibus ultra maria in prædictam urbem habitaturus peregrinus acceſſit. *Verumtamen hunc quoque monachum fuiſſe, ipſa verba veriſimillimum faciunt: vox enim* ſpado (*ut ſuprà de* Rogellio eunuchus) *in morali ſenſu accipienda videtur, eo ſcilicet, quo Chriſtus Dominus in Evangelio Matt.* 19, ℣ 12 *ait:* Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat. *Nec aliter ea verba intellexit Eminentiſſimus Baronius tom.* 10 *Annalium, ad annum Chriſti* 852, *num.* 12, *ubi eum ipſum Eulogii locum laudans, ait:* Die verò ſequenti Rogellus Eliberitanus monachus, itemque Servio-Deo ex Syria monachus, dirè excarnificati *&c. Huic ſententiæ etiam favet arcta illa hujus cum* S. Rogellio *monacho conſenſio, cui ſimilis profeſſio occaſionem facilè potuit dediſſe. Benedictini verò inſtituti etiam hunc fuiſſe, ut Marieta citatus ait, omni probabilitate caret, neque id ipſi Benedictini contendunt.*

F

Eorum factum, quo necei ſuæ occaſionem dedêre,

7 *Circa occaſionem martyrii nonnulla etiam annotanda ſunt. Duo Athletæ noſtri, teſte S. Eulogio, inito fœdere ſpoponderant, ſeſe ab invicem non receſſuros, nec remiſſuros certamen, donec ſanguine ſuo martyrum coronam retuliſſent. Sic animati Mahometanorum delubrum, ubi hi tum congregati erant, intrepidè ingrediuntur, turbæque immixti, Chriſtum in ipſa veluti gentilium arce prædicant, pſeudo-prophetæ impia dogmata exſecrantur atque convellunt. Hæc martyrio occaſionem dedêre, præſertim cùm barbari illi lege la-*

AUCTORE C. S.

ta vetuiſſent, ne quis Chriſtianorum, quorum vel attactum piaculi inſtar horrebant, delubra ſua ingrederentur. Rem pluribus narrat Eulogius; verùm, quod hùc pertinet, quæri hìc poſſet, an ſic liceat irritare tyrannos, ut quis martyrii lauream conſequatur, & an ſic occiſus tamquam martyr honorandus ſit. De quæſtione hac conſuli meretur Eminentiſſimi Proſperi de Lambertinis, nunc Benedicti XIV ſummi Pontificis feliciter regnantis, præclarum Opus de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione, lib. 3, cap. 17, ubi de ſimilibus tyrannorum provocationibus fusè & eruditè diſſeritur, multaque hujuſmodi Sanctorum exempla proferuntur, quos nihilominus ut verè martyres Eccleſia veneratur.

ex ſancti Spiritûs impulſu

8 *Ac primò quidem cum S. Thoma 2. 2. quæſt.* 124, *art.* 1, *ad tertium, ibidem generalis regulæ inſtar ſtatuitur, eas provocationes per ſe martyri licitas non eſſe; atque hinc à variis auctoribus, ibi pariter citatis, ſimilia Sanctorum facta, qui Martyrum catalogo adſcripti ſunt, ad ſpecialem Spiritûs ſancti impulſum referuntur. Inter hujus autem impulsûs indicia & notas alii miracula ſubſequentia, alii perſeverantiam in confeſſione & mortem ſecutam numerant. Quamquam verò de* SS. Rogellii *ac* Servio-Deo *miraculis nihil legerim, prophetiam tamen eorum de tyranni morte, dum in ergaſtulo detinebantur, inſignemque in confeſſione ad mortem uſque conſtantiam, S. Eulogius diſertè celebravit.* Ibi etiam (*in carcere, inquit*) adhuc prædicant, prophetizant, inſtare mortem tyranno annuntiant, laudant religionem, vanitatem refellunt. Et cùm penitus vigor membris deeſſet, qui ferret ſupplicium, non tamen deſtitit lingua uſque ad mortem à præconando (*id eſt, prædicando*) veritatis oraculo.

B

ortum videtur.

9 *Hanc porrò ſingularem ac heroicam conſtantiam ipſis etiam gentilibus prodigii inſtar fuiſſe, deinde obſervat, tragicamque tyranni Habdarraghmani mortem, quam Sancti prædixerant, divinitus inflictam eſſe commemorat cap.* 16 *: quæ omnia Spiritûs ſancti impulſum ſatis inſinuare videntur. Pluribus ſuperſedeo, præſertim, cùm ex hujuſmodi provocationibus, ut idem Sanctiſſimus num.* 1 *monet,* locus aperiatur quæſtioni, non quoad eos, qui jam inter martyres recenſiti ſunt, ſed quoad eos, de quibus quæritur, an beatorum martyrum catalogo ſint adſcribendi; utrùm

C

ſcilicet provocatio à Spiritu ſancto, an ab animi levitate, aut deliberationis præcipitantia provenerit. *De hoc argumento plura qui volet, adeat laudatiſſimum Opus loco ſuprà citato. Legi etiam meretur ſæpe laudati S. Eulogii Memorialis Sanctorum liber primus, ejuſdemque Apologeticus Martyrum, in ea perſecutione paſſorum, quos ipſe adversùs eorumdem obtrectatores pro vindicanda iis martyrii laureâ conſcripſit. Sed & Cardinalis Baronius tom.* 10 *Annalium, ad annum Chriſti* 852, *num.* XI *Sanctos noſtros velut organa à Spiritu ſancto impleta laudare non dubitavit. Nunc eorumdem paſſionem ex S. Eulogii Memorialis libro* 2, *cap.* 13 *ſubjungo.*

Sanctorum elogium,

10 Cùm adhuc præfatos martyres (*SS. Emilam & Hieremiam, de quibus ad heſternum diem egimus*) ergaſtula haberent, ecce alii duo ſupervenerunt, eamdem, quam ceteri profeſſionem tenentes, eodemque voto hoſtem fidei expugnantes: quorum unus Eliberi progenitus, ex vico, qui dicitur Parapanda, monachus & eunuchus, jam ſenex provectæque ætatis, nomine Rogellius, advenit. *De Eliberi, Sancti patria, vicoque Parapanda vide dicta num.* 4 *& ſequenti.*

Alter, (*proſequitur S. Eulogius*) Servio-Deo vocatus, ſpado adhuc juvenis, ante paucos annos ab Orientis partibus ultra maria in prædictam urbem (*Cordubam*) habitaturus, peregrinus acceſſit. Hi verò pari ſe fœdere colligantes, unum propter juſtitiam Dei uſque ad mortem certandi votum geſſerunt; nullo caſu ab invicem receſſuri, quouſque cæleſtia ſanguine mercarentur. Ideóque fanum illud ſacrilegum petentes, in quo exceptum vulgus abominabiles ritus ſæpius reddere convenit, tranſcendunt limina, turmis ſe ingerunt, prædicant Euangelium, ſectam impietatis ſubſannant, arguunt cœtum. Appropinquâſſe regnum cælorum fidelibus, infidelibus autem gehennæ proponunt interitum, quem procul dubio ipſi incurrerent, niſi ad vitam recurrerent.

D

comprehenſio

11 *Antequam progrediamur, juverit hìc retuliſſe, quæ de memorato fano Morales annotavit.* Templum hoc, *inquit*, Cordubenſe intelligit, Arabicæ ſtructuræ, quod hodie perdurat, majoriſque eccleſiæ dignitatem obtinet, & ſua magnitudine, columnarum multitudine, marmorum præſtantiâ, operis ſubtilitate, & multis aliis ſui partibus admirationem, atque adeò ſtuporem ſpectantibus præbet. Jam enim fuerat ædificatum ab rege Habdarrahgman ſecundo, & Iſſen ejus filio. Authores ſunt Raſis, & Rudericus Toletanus antiſtes in Arabum Hiſtoria. *Hactenus Morales; nunc S. Eulogii textum reſumamus.* His & hujuſcemodi verbis populum exhortantes, necdum ab ore eorum ſermo receſſerat, & ecce, quaſi crepitans in ſentibus rogus, cohors malignantium adversùs Dei Famulos exardeſcens, cædit, lacerat, percutit, obruit, nititurque perimere Sanctos, qui delubrum ſuum intrare præſumpſerant (quod apud illos quoque grande facinus reputant) & niſi judex adeſſet, qui quodam privilegio poteſtatis inſanientis populi murmur compeſcuit, tunc jam vitæ ſpiraminibus privarentur.

E

& glorioſum martyrium,

12 Quos ereptos cædentium manibus, carceri deputans, aſtringi ferro graviùs jubet, furibuſque admiſcet. Ibi etiam adhuc prædicant, prophetizant, inſtare mortem tyranno annuntiant, laudant religionem, vanitatem refellunt. Et cùm penitus vigor membris deeſſet, qui ferret ſupplicium, non tamen deſtitit lingua uſque ad mortem à præconando veritatis oraculo. At verò pro eo, quòd templum ſuum Euangelizando intrâſſent, decernunt eos tyranni & conſules*, priùs manibus pedibuſque abſciſſis, decollari poſtremò. Gaudent tali decreto Famuli Chriſti, exhilarantur oppidò hujuſce mortis ſententiam excepturi. Inſtat ferociſſimus carnifex, clamat, frendet, minatur, feſtinare ad pœnam jubet Electos, quos utique cernebat majorem migrandi habere affectum, quàm idem inferendi interitum gerebat. Quis illius horæ, fratres chariſſimi, crudelitatem exponat? Quis referat clades? Quis cruces adnuntiet? Quis denique admirabilem Sanctorum enarret conſtantiam? Cùm & ipſa gentilitas tali ſpectaculo ſtupefacta, neſcio quid de Chriſtianiſmo indulgentiùs ſentiebat.

F

* *i. e.* magiſtratus

ex S. Eulogio.

13 Igitur ſtatuti in loco decollationis Martyres ſancti, antequam lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant, injectumque jugulum * ulnis excipientes, in diverſa manus diſſiliunt. Deinde cruribus amputatis, nullâ compuncti triſtitiâ, abſciſſis denuò collis, corruerunt: quorum cadavera, ut erant truncata, patibulis affigentes, ultra fluvium crucibus ceterorum adſciſcunt, XVI Kal. Octob., Erâ, quâ ſuprà. *Hucuſque S. Eulogius de* SS. Rogellii *ac* Servio-Deo

* *i. e.* gladium *vel* ſecurim

cer-

A *certamine. Ceteri, circa quorum corpora cruceſque truncata Sanctorum noſtrorum cadavera patibulis affixa ait, fuerant SS. Emila & Hieremias, quos poſt amputata ſimiliter capita ultra fluvium Bætim, qui Cordubam præterlabitur, ſuſpenſos fuiſſe oſtendimus ipſo die, quo paſſi ſunt,* XV *Septembris, ubi de iiſdem Syllogem dedimus. Eadem quoque Æra Hiſpanica eſt, quam in illorum Paſſione S. Eulogius ſignavit, nempe* DCCCXC, *quæ cum Chriſti anno vulgari* 852 *concurrit.*

Combuſtorum corporum cineres collecti, tyranni mors

14 *Quid porrò ſacris hiſce corporibus deinceps factum fuerit, idem S. Eulogius cap.* 16 *ibidem docet, necemque tyranno Habdarrahgmano, quam Sancti vaticinati fuerant, divinitus inflictam his verbis exponit :* Cœpit rex alta ædium petere, ſcanditque ſublime ſolarium, oppida luſtraturus; confeſtimque è regione pendentia ſtipitibus Sanctorum corpora intuetur. Continuò ſuppoſitis ignibus cremari ea præcepit; quorum cineres, Deo fautore, per loca ſancta repoſiti ſunt. Et ô admiranda potentia Salvatoris, & ſtupenda virtus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſemper quæſitus in tribulatione adſiſtit, pulſatus aperit, invocatus exaudit? Nam os illud, quod Sanctos

B Dei comburi præcepit, repentè eâdem horâ divinitus obſtruitur; lingua verò, angelo percutiente, repreſſa, ſuo hærens palato, ultrà fari non potuit: ſicque portantium manibus in ſtratum reductus, quâdam noctis ipſius horâ ſpiritum reddens, priuſquam rogus ſanctorum cadaverum extingueretur, idem vitâ exemptus, æterno clibano deputatus eſt, relinquens ſucceſſorem imperii Mahomad primogenitum, hoſtem Eccleſiæ Dei, & Chriſtianorum malivolum proſequutorem. AUCTORE C. S.

hoc anno 852 ſtatuenda videtur.

15 *Eminentiſſimus Baronius in Annalibus tragicam hanc mortem ad annum Chriſti* 852 *meritò retulit contra S. Eulogii Scholiaſtem, qui eam, ut ait, initio ſubſequentis affixerat. Ratio eſt, quòd corpora, de quorum combuſtione Eulogius ibidem meminit, non aliorum, quàm SS. Emilæ, Hieremiæ,* Rogellii *ac* Servio-Deo *eſſe potuerint, ut agnoſcit Morales; neque veriſimile ſit, ea uſque in ſequentem annum in patibulis permanſura fuiſſe, cùm Chriſtiani vel minutos Martyrum cineres tam ſedulò colligerent. Baronio conſentit Pagius in Critica, obſervans, etiam ab Annaliſta Bertiniano Habdarrahgmani mortem eidem anno affigi. Ceterùm Mohomad, quem alii Mahometem appellant, is eſt, ſub quo S. Eulogius, ad Toletanum epiſcopatum jam electus, anno Chriſti* 859 *martyrium conſummavit.* E

DE S. LUDMILLA, VIDUA MART.

BOHEMIÆ DUCISSA ET PATRONA,

TETINÆ IN BOHEMIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. S.

§ I. Dies, quibus Martyrologiis inſcripta eſt: locus martyrii: Officia ejus eccleſiaſtica, & gemina feſtivitas: Vita auctore Chriſtanno danda: Vitæ aliæ Mss.

C SECULO X ALIQUOT ANNIS INCHOATO. *Memoratur in aliquot Martyrologiis die* 16

DE ſanctis Slavorum apoſtolis Cyrillo atque Methodio vel Methudio, qui fidei lumen in Moraviam, atque inde in proximam Bohemiam ſeculo nono invexerunt, actum eſt in Opere noſtro ad diem IX *Martii. Hodie eorumdem, aut certè Methodii, vel tranſmiſſi per illum presbyteri diſcipula, ſuſceptæque religionis, unà cum viro ſuo Borzivojo, per Bohemiam ſtrenuæ propagatrix,* S. Ludmilla *memoranda venit, Bohemiæ ducissa & martyr, ſanctique Wenceſlai, ducis pariter ac martyris avia, & in Chriſtiana fide magiſtra. Nihil de ea in Romano Martyrologio legitur; ceteri verò Faſti, qui ejuſdem meminerunt, non eodem illam die ſignant. Florarium Ms. Sanctorum in Muſeo noſtro de ipſa ad hanc diem* XVI *Septembris, corrupto in* Ludivillam *vocabulo, ſic habet:* In Bohemia paſſio S. Ludivillæ, viduæ & martyris. *Ad eumdem diem eam celebrat Ferrarius in Catalogo generali, ubi & cædis locum ſimul indicat, dicens:* Tetinæ in Bohemia S. Ludmillæ, duciſſæ & martyris. *His duobus conſonat Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali, in quo ipſam brevi aliquo elogio exornat.* F

& 15 Septembris, & 10 Novembris.

2 *At verò Grevenus in Auctariis Uſuardinis apud Sollerium noſtrum eamdem ad diem* XV *hujus menſis maluit transferre;* Ludmillæ, *inquiens,* viduæ & martyris, aviæ S. Wenceſlai, ducis Bohemiæ & martyris. *Idem fecit in Martyrologio Germanico Caniſius, vel quiſquis ejuſdem auctor eſt. Et priores quidem haud dubiè nituntur Proprio archidiœceſis Pragenſis, aut ſimilibus tabulis, in quibus ſanctæ Duciſſæ ac Martyris Officium eccleſiaſticum ad diem* XVI *recitandum præſcribitur; alii diem emortualem ſignârunt, de quo in Vita inferiùs recudenda hæc legere eſt:* Suſcepit autem martyrium fœlix, Deoque devota famula Chriſti Ludmilla ſeptima Sabbathi die & XVII Cal. Octobr., primâ vigiliâ noctis. *Utrique igitur ſententiæ ſua juſta ratio eſt, nos priorem more noſtro ſecuti, hujus ſanctæ Duciſſæ geſta ad hunc diem, quo colitur, illuſtranda cenſuimus. Porrò altera ejuſdem feſtivitas ad diem* X *Novembris in Auctariis Uſuardinis Sollerii annotatur; inter quæ codex Hagenoyenſis ſic habet:* In Boëmia ſanctæ

AUCTORE C. S.

Leodemilæ aviæ S. Wentzelai. *Quæ verò hæc festivitas sit, Grevenus ibidem ita indicat*; Ludmillæ ducissæ Bohemiæ & martyris translatio: *de qua translatione nos suo loco agemus.*

Notitia Tetinæ, ubi passa est.

3 *De cædis loco, Tetina scilicet, pluribus disserit Bohuslaus Balbinus in Historia Montis sacri, Auctario* 1, *cap.* 8, *unde pauca hic refero. Ait is, Tetkam, Croci secundi Bohemiæ principis filiam, Libussæ post Crocum patrem regnantis sororem, anno* 712 *arcem super fluvium Misam in alta abruptaque petra condidisse, & à suo nomine* Tetin *appellâsse, ac post celebratas cum Slawossio nuptias, cognominem civitatem adjecisse. Hæc de loci primordiis, aliaque præsertim ad Christianam religionem spectantia præfatus Balbinus, tandem subdit:* Hoc antiquitatis & religionis Christianæ monimentum, Tetinam arcem oppidumque, quia Catholicorum partes sequebatur, Hussitæ, gens ad excidium sacrorum nata, à Carlsteina anno MCDXXII turpiter cum Polonis repulsi, ut dolorem ulciscerentur suum, flammis & ferro deduxêre ad terram. Hodie Tetina ægrè suis se ruderibus ab oblivione vendicat. *Ceterùm idem Balbinus in Miscellaneis historicis regni Bohemiæ*
B *lib.* 3, *cap.* 8, § 2 Tetin, *quod* castrum sanctitate magis, quàm alia dote illustre *ait, in Podbrdensi tractu quinque ab urbe Praga milliaribus dissitum testatur.*

Officia ejus ecclesiastica.

4 *Ad Sanctæ cultum quod attinet, infrà videbimus, vetustum illum, nec diu post ejusdem cædem inchoatum esse, sacro ejus corpore divinitus primùm illustrato, ac deinde per sanctum nepotem ejus Wenceslaum ducem Pragam delato, ubi in S. Georgii illustri virginum Ordinis Benedictini abbatia hodiedum quiescit. Interea accipe, quæ de Ecclesiastico ejus cultu habemus. Inter Breviaria variarum nationum sunt in Museo nostro officia propria archidiœcesis Pragensis, anno* 1653, *& diœcesis Olomucensis anno* 1630 *edita. In horum prioribus* S. Ludmillæ *festum, quo beatus ipsius in cælo natalis recolitur, die* XVI *Septembris ritu duplici secundæ classis assignatur, die verò* X *Novembris ejusdem corporis Tetinâ Pragam translati memoria ritu duplicis majoris. Utraque festivitas in Olomucensibus Propriis, quæ* consensu & authoritate S. D. N. Urbani VIII omnibus omnium ordinum sacerdotibus recitanda *præscripta sunt, ad eosdem dies reponitur; cum eo tamen discrimine,*
C *quòd festum natale ritu tantummodò duplici, Translatio verò non nisi semiduplici peragatur. Eadem illa Propria annis* 1679 *&* 1732 *Pragæ recusa, prioribus consona sunt, nisi quòd in Pragensi ad diem* XVI *Septembris Sancta velut* Patrona regni *& ritu duplici primæ classis honoranda proponatur; ad diem autem* X *Novembris ejusdem Translatio ritu tantummodò duplici. Castellanus in Martyrologio universali notat, prius festum etiam à populo, sive cessatione à servili opere celebrari, quod titulus Patronæ regni omnino facit verisimile.*

E Sanctæ biographis, quos habemus,

5 *De scriptoribus Vitæ ejus sequentia monet laudatus Balbinus in Miscellaneis historicis Bohemiæ lib.* 4, *parte* 1, § 7: Scripsêre S. Ludmillæ Vitam permulti; primus idemque antiquissimus, Christannus, Divæ pronepos. Legendæ veteres, ut vocant, plenæ sunt ejus virtutibus & miraculis. Nicolaus Salius, domo Pragensis, è Societate Jesu, Vitam Latinè edidit, quam retulit Joannes Bonifacius Societatis Jesu Hispanus in Historia Virginali, & Surius descripsit. Consulantur Hagek, Chanowsky, Pontanus &c. Omnium accuratissimè S. Ludmillæ vitam nostrâ memoriâ descripsit Georgius Ferus Societatis Jesu. Quæ nos hîc attulimus, pleraque ex lectionibus vetustis Breviarii Pragensis excerpta sunt. *Hactenus Balbinus, qui laudatam à Christanno conscriptam Vitam lib.* 1 *Epitomes Rerum Bohemicarum, cap.* 10 *edidit, & observationibus illustravit, quæ magno nobis usui erunt. Unde porrò eam Vitam acceperit Balbinus, ibidem in Notis historicis sic indicat:* Hanc Vitam ex pervetusto membraneo codice celebris cænobii canonicorum Regularium S. Augustini, Trebonæ in Bohemia anno MDCXLV descripsi. D

vetustissimus est Christannus,

6 *Opusculum ipsum hoc modo inscriptum est:* Vita S. Ludmillæ incipit fæliciter. Domino & ter beato, sanctæ ecclesiæ Dei Pragensis secundo Pontifici Adalberto, humillimus & omnium monachorum, nec dicendus, infimus frater Sanctus nomine Christianus, in Christo Jesu prosperis successibus ad vota pollere. *In Præfatione autem biographus laudatum Adalbertum alloquens, ait:* Qui ex eodem tramite (SS. Ludmillæ *&* Wenceslai) lineam propaginis trahitis. *Et rursum post aliqua:* Pontifex inclyte, & nepos charissime, *illum compellat. Ad hæc nonnulla annotanda sunt. In primis monet Balbinus, pro* Christianus *legendum videri* Christannus; *id enim liquere tum ex litteris originalibus fundationis cœnobii Brevnoviensis apud Pragam, anno* 993 *datis, in quibus* Christannus frater illustrissimi ducis Boleslai *scriptus legitur; tum ex Weleslavino, à quo dicitur* Christannus de Skala, *tertio loco genitus Boleslai Sævi filius, cuidam privilegio ejusdem cœnobii subscripsisse. Primum instrumentum Magnoaldus Ziegelbauer Benedictinus Epitomæ historicæ monasterii Brevnoviensis inservit, quod reipsa notatur* datum per manum domini Christani, fratris illustris ducis Bolezlai, anno Gratiæ DCCCCXCIII, in ipsa die dedicationis monasterii suprà scripti. *Itaque & nos cum Balbino eum* Christannum *appellabimus.* E

ipsius Sanctæ pronepos

7 *Idem scriptor Christannum hunc* S. Ludmillæ *pronepotem fuisse probat, adjectoque schemate ostendit, eum ex patre Boleslao I, avo Wratislao I, & Borzivoio sanctaque* Ludmilla *proavis natum esse; quod cum instrumentis mox allatis apprimè convenit. Deinde etiam docet, cur Adalbertus, sanctus scilicet Pragensis episcopus & martyr, à Christanno* nepos charissimus, *&* ex eodem tramite (SS. Ludmillæ *&* Wenceslai) lineam propaginis traxisse *dicatur. Id enim per Strzezyslavam, Christanni ex Boleslao I sororem, Slavnici comitis Libicensis uxorem, sanctique Adalberti per hunc matrem, factum probat. Hisce planè favent, quæ monachus S. Adalberto coævus in hujus Vita ad diem* XXIII *Aprilis secundo loco apud nos edita, pag.* 187, *num.* 1 *de ejusdem Adalberti parentibus tradidit.* Pater, *inquit*, suus nomine Slawnitz, magnus & præpotens erat... Mater ejus nomine Strzieziflawa, ex genere Bohemorum, nobilissima caro, digna jugalis juncta digno marito; marito videlicet, qui regum tangit lineam sanguinis; quem longè latéque jura dantem hodie tremunt, Henrico regi (*sancto scilicet ejus nominis imperatori*) accessit proximus nepos. F

& monachus Brevnovien-sis,

8 *Fuit porrò Christannus monachus Benedictinus in celebri monasterio Brevnoviensi prope Pragam, quod seculo* 15 *ab impiis Hussitis direptum, incensumque fuit, abbate cum nonnullis è suis in tempore Braunam elapso, ubi Brevnovienses abbatia deinde instaurata est, & hodiedum perseverat, teste Ziegelbauero in Epitome suprà laudata.*

AUCTORE C. S.

A ta. *Is ergo Christiannus pro sua pietate Passionem S. Wenceslai, sanctæque* Ludmillæ *proaviæ suæ, S. Adalberto, sororis suæ filio, & secundo episcopo Pragensi, à se conscriptam dedicavit. Non omnium tamen primus eam curam suscepit; sed aliorum lucubrationes, ubi visum fuit, emendavit, auxitque ex testimoniis eorum, qui vel visu vel auditu certiora referrent. Ita ipse in Præfatione testatus est,* Passionem, *inquiens,* B. Wenceslai simul cum avera (*id est* avia) sua beatæ memoriæ Ludmilla, qui velut nova sidera lumine virtutum suarum patriam suam Bohemiam cum omni simul gente irradiant, diversis compositionibus, & non pleniter distertam reperiens, dignum duxi, ut ad vestram sanctitatem, qui ex eodem tramite lineam propaginis trahitis, adirem; quò ex jussione vestra simul & licentia aliquo modo eam corrigerem; vel, si qua deessent, hos, qui adhuc superstites essent, senes seu religiosos quosque, qui eorum gesta vel acie oculorum hausissent, seu auditu aliorumque narratione comperissent, percunctarer, atque hìc adderem.

qui eodem seculo XO *scripsit,*

9 *Neque admodum difficile fuit biographo senes aliquot reperire, qui sanctæ Proaviæ suæ convixerant; cùm Vitam illam anno circitèr post mortem ejus sexagesimo, aut paulò etiam citiùs ediderit. Sanctus enim Adalbertus, cui ea inscripta est, anno Christi* 983 *Pragensis episcopus consecratus, relictâ Pragâ, Romam anno* 989 *profectus est; neque Pragæ deinde nisi brevi tempore commoratus est, ut videri potest apud Henschenium nostrum in Commentario prævio de eodem ad diem* XXIII *Aprilis,* § 1. *Inter annos igitur* 983 *&* 989 *Vita illa scripta videtur, cùm ad Adalbertum velut in diœcesi sua præsentem dirigatur.* Ludmillæ *verò eodem eodem seculo decimo aliquot annos inchoato (alii annum* 920, *alii* 927 *statuunt) figendam esse suo loco videbimus. Ex dictis etiam observa, Balbini sententiam, ex qua suprà num.* 5 *asserit, Christiannum primum & antiquissimum omnium esse, qui sanctæ Ducissæ martyris gesta scripserunt, à vero aberrare, nisi id unum voluerit, Christianni lucubrationem vetustissimam omnium esse, quæ ad nos pervenêre.*

cujus Opusculum dabitur. Alia Vitæ

10 *Quod ad scriptionem pertinet, ea obscuris, parùmque aptis periodis sæpe constat, resque Moravicas & Bohemicas altiùs, quàm necesse erat, repetit; utque ad susceptæ Christianæ fidei initia perveniat, longiùs præfatur. Quæ verò de* S. Ludmilla *enarrat, hujusmodi sunt, ut non minùs pium, quàm cœvum, nec ineptum scriptorem redoleant. Dabimus ergo Vitam hanc ex laudata Balbini Epitome, & de more nostro in capita partitam Annotatis illustrabimus. Ejusdem Vitæ laciniam reperi, descripsique in bibliotheca S. Crucis, Ordinis Cisterciensis in Austria, dum hoc anno* 1753 *bibliothecam illam cum singulari ejusdem loci reverendissimi abbatis ac religiosissimorum monachorum benevolentia & hospitalitate lustraremus. Lacinia hæc in insigni Passionali membranaceo in folio descripta, à* S. Ludmillæ *martyrio orditur, terminaturque cum miraculis Tetinæ ad Sanctæ tumulum factis, verbis tantummodo hinc & inde discrepans à Christianno. Prolixius est aliud exemplar olim transmissum ad nos à Joanne Gamansio, Societatis nostræ presbytero, ex Bodecensis cœnobii Ordinis Regularium S. Augustini Passionali membranaceo mensis Septembris. Hujus compilator nonnulla de SS. Cyrillo & Methodio præmittit, ac deinde Christianni Opusculum, mutatis tamen nonnumquam phrasibus, subtexit. Hinc nobis aliquando usui erit ad vitiosas periodos emendandas. Porrò partem hujus Vitæ Bollandus noster ad diem* IX *Martii inter Vitas SS. Cyrilli & Methodii postremo loco excudit. Præter Christianni Opusculum alia Vitarum apographa habemus. Horum unum descriptum est ex Ms. Pragensi, annoque* 1642 *ad Majores meos transmissum. Illius initium est:* Fuit in provincia Bohemorum princeps quidam nomine Borzivoy *&c.; estque planè simile, si nonnullas voces excipias, Sanctæ Officio proprio, quod in sex Lectiones historicas divisum, & vetustioribus typis excusum, ex Breviario, nescio quo, sed probabiliter Pragensi, ad hunc quoque diem sepositum reperi. Nihil tamen continet, quod non habeat Christannus, ex quo contractum fuisse putamus.*

Mss. recensentur.

11 *Alterum eodem anno acceptum,* ex L. vitæ S. Procopii *transumptum notatur, & tale habet exordium:* Diffundente Sole justitiæ radios sanctæ fidei Christianæ orbis per climata universa *&c. Hujus auctor multa pariter ex Christianno mutuatus,* S. Ludmillæ *virtutes stylo oratorio celebravit, & sacris textibus atque historiis exornavit. Fuisse autem Christianno juniorem, vel ex eo manifestum est, quod S. Adalbertum, cui inter vivos degenti Christannus Opusculum suum dedicavit, inter sanctos martyres recenseat. Tertium Ms., similiter Pragense, prioris tantummodò pars est, & à Sanctæ viduitate orditur his verbis:* Factum est, ut post mortem venerabilis viri sui assecla Christi B. Ludmilla usque in finem vitæ suæ in castitate utriusque hominis perseverans, corpus suum vigiliis, jejuniis, diversisque afflictionibus castigaret *&c. Sub finem corporis translationem, à S. Wenceslao procuratam auctor prætermisit: Christianno tamen juniorem eo, quo suprà diximus, modo se prodit. Ad manus mihi insuper est sermo quidam ab ignoto mihi codice avulsus: verùm nec hic habet aliquid, quòd lector meritò desideret, cùm ejus auctor sanctæ Martyris laudes sacri oratoris more celebret, non vitam conscribat. Exstat denique apud Joannem Burchardum Menkenium tom.* 3 *Scriptorum Rerum Germanicarum, col.* 1634 *& seq. quædam* S. Ludmillæ *Vita, & item altera ibidem col.* 1808, *sed suprà enumeratis ferè consonæ aut simillimæ. Ceteros, qui de ejusdem Sanctæ gestis scripserunt, suis locis, ubi visum fuerit, laudabimus.*

B

F

§ II. Sanctæ patria, parentes, ethnica educatio, & conjux Borzivojus; hujus ad fidem conversio & baptismus.

Ludmilla à parentibus ethnicis Melnicii nascitur.

LUdmillam *proaviam suam illustri in Bohemia genere è paganis parentibus natam, & prioribus vitæ suæ annis idolorum superstitioni in primis deditam fuisse, Christannus in Vita num.* 10 *his verbis testatur.* Habuit (*Borzivojus*) etiam uxorem nomine Ludmillam, filiam Slaviboris co-

AUCTORE C. S.

mitis ex provincia Slavorum, quæ Bſſow antiquitus nuncupabatur, nunc à modernis ex civitate noviter conſtructa, Mielnik vocitatur; quæ, ſicut ei par fuerat, in errore gentilitatis immolando ſimulacris, ita & in religione Chriſtiana, imitando, imò præcellendo, virtutes ſui viri, facta eſt verè famula Chriſti. *De eadem Coſmas Pragenſis decanus, ſeculi duodecimi ſcriptor, in Chronicis Bohemiæ ad annum Chriſti 894 ſic ſcribit:* Fuit filia Zlauboris comitis de Caſtello Pſov, nomine Ludmila. *Nicolaus Salius in Vita ejuſdem Sanctæ, à Surio ad hunc diem edita, neſcio quo auctore, tradit eam, quia ob egregias animi corporiſque dotes populo amabilis futura certò credebatur, à parentibus* Lidmilam *nuncupatam fuiſſe, quod nomen Latinus ſcriptor in* Ludmillam *mutaverit. Matrem ipſius laudatus Salius, uti & Balbinus in Miſcellaneis hiſtoricis Bohemiæ lib* 4, *part.* 1, § 7, *aliique* Lidoſlavam *appellant. Eſt autem* Melnicium ſeu Mielnik regia civitas cum arce vetuſta, ubi Albis & Muldava confluunt, *inquit idem Balbinus lib.* 3, *cap.* 7 *in Indice civitatum Bohemiæ, ubi eam in Boleſlavienſi circulo, quatuor milliaribus à Praga metropoli diſſitam docet. Addit, eamdem reginarum Bohemiæ olim propriam fuiſſe, & poſtquam in regum ditionem acceſſit, dotalem tamen reginis permanſiſſe. Porrò Borzivojus* S. Ludmillæ *conjux, primus è Bohemiæ ducibus Chriſtiana ſacra amplexus eſt, & unà cum Uxore ſua ſtrenuè propagavit, initio quidem non ſine periculo amittendi ducatus, quem à gentilibus ſubditis ſuis alteri propterea collatum, alterique denuò conferendum, poſt incerti temporis exſilium, feliciter recuperavit, tenuitque.*

B

de anno baptizati Borzivoji variatur.

13 *Ut verò de hiſce conſentiunt rerum Bohemicarum ſcriptores, ita de anno ſuſceptæ ab illo fidei multùm variant. Coſmas Pragenſis decanus in Chronicis Bohemiæ felicem illum eventum anno Chriſti 894 affixit. Huic conſonat Hagecius pariter in Chronicis Bohemicis, & Pontanus à Braitenberg, lib.* 1 *Bohemiæ Piæ, qui diem inſuper ſuſcepti à Borzivojo Baptiſmi aſſignant Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ, ſive* XXIII *Junii. De anno ſimiliter conſentit Pagius in Critica, Coſmæ auctoritate nixus. Ad eoſdem propè accedit Æneas Sylvius cap.* 12 *Hiſtoriæ Bohemiæ, ubi annus* 995 *aſſignatur, ex palpabili typothetarum errore, aut memoriæ lapſu, pro anno* 895; *cùm id* imperante Arnulpho cæſare *contigiſſe, diſertè ibidem addatur. Neſcio, an ſimili errori adſcribendum ſit, quòd apud Volaterranum lib.* 7 *Geographiæ idem eventus ad annum* 998 *relatus ſit. Peſſina de Czechorod lib.* 2 *Martis Moravici, cap.* 5 *diem* XXIII *Junii etiam ſervat, ſed annum* 864 *præfert: Balbinus lib.* 1 *Epitomes, retento ſimiliter baptiſmi die, hunc ante annum* 856 *collocandum arbitratus eſt.*

C

Ex iis, quæ Chriſtianus de baptiſmo ejus

14 *Bollandus noſter tom.* 2 *Martii, ad diem* IX *in Commentario prævio de SS. Cyrillo & Methodio,* § 4, *num.* 35 *ſententiam Coſmæ Pragenſis, quique eum ſecuti fuêre, veluti longè veriſimiliorem amplexus eſt, quatenus hi Borzivojum non à Cyrillo, ſed à Methodio baptizatum eſſe ſtatuunt; nec tamen de anno* 894 *iiſdem adſtipulari, nec mentem ſuam edicere voluit. Tanta porrò ſcriptorum de hac epocha diverſitas ſatis indicat, rem obſcuram eſſe, nec ullum productum monumentum, ex quo certa ipſius anni nota haberetur. At licèt annus determinari nequeat, quid tamen probabiliter cum aliqua latitudine de eo ſtatui poſſit, inquiramus: quod ut meliùs fiat, Borzivoji ad fidem acceſſus ex Chriſtianno præmittendus eſt. Is num.* 5 *& ſequentibus in Vitæ ſic ait:* Hic (*Borzivojus*) cùm excellentiſſimæ formæ & egregiæ juventutis flore niteſcit, quodam tempore negotii ſui populique ſibi commiſſi cauſsâ ducem ſuum vel regem Swatopluk Moraviæ adiit, à quo benignè ſuſcipitur, ad convivium pariter cum reliquis aſſiſtitur. Verùm ſeſſionis ei locus inter Chriſticolas minimè conceditur; ſed ritu paganorum ante menſam pavimento jubetur inſiſtere. Cujus præſul Metudius injuriæ condolens, fertur dixiſſe ad eum: Væ, inquit, quòd tu talis tantuſque haud erubeſcis à principalibus repelli ſedibus, cùm & ipſe in faſcibus ducatum obtineas; ſed magis cupias ad nefandam idolorum culturam cum ſubulcis humo tenus incubare!

D

15 At ille, Quid, inquit, ob hujuſcemodi rem periculi patior, vel quid boni mihi confert Chriſtianitatis ritus? Si, inquit, præſul Metudius, abrenunciaveris idolis, & inhabitantibus in eis dæmonibus, dominus dominorum tuorum efficieris, cunctique hoſtes tui ſubjicientur ditioni tuæ, & progenies tua augmentabitur, velut fluvius maximus, in quo diverſorum confluunt fluenta rivulorum. Et ſi, inquit Borzivoy, res ita ſe habet, quæ mora eſt baptizandi? Nulla, inquit, pontifex; tantùm paratus eſto ex integro corde credere in Deum Patrem omnipotentem ejuſque Unigenitum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in Spiritum paraclitum, illuminatorem omnium fidelium, non tantùm mundialis causâ ſubſtantiæ, verùm etiam capeſſendæ ſalutis tuæ, & animæ acquirenda perennitate glorioſæ palmæ, atque percipienda ſocietate Sanctorum, ineffabili lætitiâ. His & hujuſmodi mellifluis exorationibus accenſa mens juvenis, æſtuabat gratiam baptiſmi percipere, & ut ne ulla mora fieret, cum ſuis omnibus, qui cum comitabantur, terratenus pedibus pontificis advoluti, obnixiùs poſtulavêre. Quid plura? Manè facto, ipſum ducem cum ſuis triginta, qui advenerant, catechizans, peractis jejuniorum ex more ſolenniis, ſacroſancto baptiſmatis fonte innovavit *&c.*

in Vita tradidit,

E

& ex geſtis SS. Methodii ac Cyrilli,

16 *Ex hac relatione tria pro indagando baptiſmi tempore obſervanda habemus. Primò, Borzivojum à S. Metudio ſeu Methodio, jam tum epiſcopo baptizatum fuiſſe. Secundò Swatoplukum in Moravia tum regnâſſe. Tertiò denique eumdem Swatoplukum velut* ducem ſuum vel regem *eo tempore à Borzivojo agnitum fuiſſe. Id quoque præterea obſervâſſe juverit; nullam hìc de S. Cyrillo fieri mentionem; ſed ſoli Methodio, quaſi Cyrillus minimè adfuiſſet, Borzivoji converſionem adſcribi. Porrò de SS. Cyrillo ac Methodio ex ſuprà laudato Bollandi Commentario ſequentia, quæ huc faciunt, accipe. Hi duo Slavorum apoſtoli à Nicolao I PP. è Moravia, ubi regem gentemque Chriſto adjunxerant, Romam evocati, Nicolao Idibus Novembris anno* 867 *defuncto, & Hadriano II eidem ſuffecto, illuc advenerunt, & ab hoc Pontifice epiſcopi Moravorum ordinati tunc fuêre. Dubitavit tamen Bollandus, an Cyrillus ad Moravos umquam reverſus ſit, ob rationes, quæ ibidem* § 4, *num* 32 *legi poſſunt. Sed Methodium rediiſſe, indubitatum eſt. Verſabatur hic etiam in Moravia anno Chriſti* 879, *quando apud Joannem* VIII *PP. de doctrina falsò accuſatus, Romam denuo evocatus eſt, prout con-*

F

A *conſtat ex ejuſdem Pontificis epiſtola* 194 *ad Tuventarum data, editaque à Labbeo tom.* 9 *Conciliorum, col.* 126 *& ſequenti.*

17 *In ea Joannes ſic ſcribit:* Quia verò audivimus, quia Methodius veſter archiepiſcopus, ab anteceſſore noſtro, Hadriano ſcilicet Papa, ordinatus, vobiſque directus, aliter doceat, quàm coram Sede Apoſtolica ſe credere verbis & literis profeſſus eſt, valdè miramur; tamen propter hoc direximus illi, ut abſque omni occaſione ad nos venire procuret, quatenus ex ejus ore audiamus, utrùm ſic teneat & credat, ſicut promiſit, aut non. *Epiſtola hæc notatur* data XVIII Kalendas Julias, Indictione XII, *id eſt anno Chriſti* 879, *Joannis autem anno* 7. *Pontificio mandato obſecutus S. Methodius, Romam adiit, eúmque de objectis ſeſe purgâſſet, ab eodem Pontifice ad Moravos cum laude remiſſus eſt. Ita denuo liquet ex laudati Pontificis epiſtola* 247, *data* menſe Junio, Indictione XIII, *id eſt, anno* 880, ad Sfentopulcrum comitem, *ſive Swatoplukum regem Moraviæ, quæ exſtat in citata collectione col.* 175 *& ſequentibus. Sed & in vivis illum apud Moravos fuiſſe anno* 881 *docet e-*

B *juſdem Joannis Papæ epiſtola* 268, *ibidem col.* 193 *& ſequenti edita, &* ad *ipſum* Methodium archiepiſcopum *ſcripta* decimo Kalendas Aprilis, Indictione decima quarta, *ſeu anno aſſignato. Quamdiu verò ſupervixerit idem ſanctus epiſcopus, ignoratur, cùm de ejuſdem obitu nihil planè aliunde habeamus.*

18 *De Swatopluko Chriſtiannus in Vita edenda tradit, eum avunculo ſuo rege expulſo, oculiſque privato, regnum obtinuiſſe. Factum hoc Annales Fuldenſes apud Cheſnium tom.* 2 *Scriptorum Hiſtoriæ Franciæ, Bertiniani & San-gallenſes ibidem tom.* 3, *Weyngartenſes apud Mabillonium in Analectis, & Hermannus Contractus apud Henricum Caniſium tom.* 1 *Antiquarum lectionum, pari conſenſu ad annum* 870 *retulerunt, prout locis citatis videri poteſt. Id unum ex prædictis Annalibus obſervo, regem illum Moraviæ, quem Raſtizen & Reſtitium, alii Ratiſlaum appellárunt, non ab ipſo Swatopluko, qui Zuentibaldus ibidem vocatur, excæcatum eſſe, ſed ab eodem poſt irritas inſidias ſibi ſtructas cum armata manu ſeſe aggredientem, victum captumque, & Carolomanno traditum, & ab hoc in Bajoariam miſſum, ubi damnatum Ludovicus Germaniæ rex oculis orbari, & monaſterio includi juſſit. Ab hoc igitur anno* 870 *Moravicum Swatopluki regnum inchoandum eſt.*

C 19 *De ejuſdem verò Swatopluki obitu Annales Metenſes tom.* 3 *apud laudatum Cheſnium, ad annum* 894 *hæc habent:* Circa hæc etiam tempora Zuentibolch (*id eſt Swatoplukus*) rex Marahenſium Sclavorum, vir inter ſuos prudentiſſimus, & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum. *Coſmas Pragenſis decanus in Chronicis Bohemiæ ei determinatè anno Swatopluki aut obitum aut regnandi finem diſertè affixit, ibidem inquiens:* Eodem anno Zuatoplick rex Moraviæ (ſicut vulgò dicitur) in medio exercitu ſuorum delituit, & numquam comparuit. *Tum ſubdit, cum pœnitentiâ ductum, quòd adversùs Arnulphum Germaniæ regem rebellâſſet, media nocte à ſuis fugâ elapſum, inter eremicolas aliquo tempore vixiſſe, mortique proximum hæc filiis ſuis per eoſdem eremitas indicari curâſſe. Sed ſive hæc vera hiſtoria ſit, ſeu fabula popularis, in eo tamen Coſmas Metenſi Annaliſtæ conſentit, quòd Swatoplukus hoc anno* 894 *regnandi finem fecerit.*

20 *Ex hactenus dictis ſequitur primò, admitti non poſſe Peſſinæ & Balbini ſententias, quorum primus Borzivoji baptiſmum ad annum Chriſti* 864, *alter etiam ante annum* 856 *collocandum cenſuerunt; quo ſcilicet tempore nec Swatoplukus Moraviæ regno potitus, nec S. Methodius epiſcopatu initiatus erat; cùm tamen Chriſtiannus & hunc epiſcopum, & illum* ducem... vel regem... Moraviæ *fuiſſe, dum Borzivojus baptizaretur, diſertè affirmet. Scio equidem, non defuiſſe, qui Raſtizen ſeu Ratiſlaum etiam Swatoplukum dictum eſſe arbitrati ſunt. Verùm hoc etiam gratis conceſſo, manet difficultas de epiſcopatu Methodii, quem, ut ſuprà vidimus, non ante annum* 868, *vel certè non diu ante præcedentis finem ſuſcepit. Collige ſecundò, memoratum baptiſmum inter annum* 870, *quo Swatoplukus regnum avunculi ſui obtinuit, annumque* 894, *quo idem ipſe aut obiit aut diſparuit, Borzivojo collatum fuiſſe. Ut autem id poſterioribus potiùs annis Swatopluki factum ſuſpicer, ſuadet hujus in illum dominatus, ſuprà num.* 14 *à Chriſtianno aſſertus.*

E 21 *Etenim Annaliſta Metenſis ſuperiùs citatus ad propoſitum noſtrum ſequentia habet:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXC. Arnulfus rex (*Germaniæ*) conceſſit Zuentibolh, Marahenſium Sclavorum regi, ducatum Behemenſium, qui hactenus principem ſuæ cognationis ac gentis ſuper ſe habuerant, Francorumque regibus fidelitatem promiſſam inviolato fœdere conſervaverant. *Eadem habet Regino Prumienſis in Chronico. Ad hunc igitur aut unum è ſequentibus annis rectè referri poſſunt, quæ Chriſtiannus de occaſione ſuſcepti à Borzivojo baptiſmi ſuprà memoravit, dicens:* Quodam tempore (*Borzivojus*) negotii ſui, populique ſibi commiſſi cauſsâ ducem ſuum vel regem Swatopluk Moraviæ adiit *&c. Pergebat ſcilicet Borzivojus Bohemiam velut dux gubernare; ſic tamen, ut Swatoplukum tamquam* ducem ſuum vel regem *agnoſceret, ab eoque penderet; neque enim crediderim ducatum Borzivojo ereptum fuiſſe, ſed potiùs vectigalem factum Swatopluko, qui Borzivojum etiam veluti ſubditum tractabat, jubens eum ante menſam in pavimento prandere. Utrùm verò ante conceſſum Swatopluko Bohemiæ ducatum Bohemi aliquem hujuſmodi in Moraviæ regibus dominatum* F *agnoverint, inexploratum mihi eſt, ideoque Borzivoji baptiſmum tantùm probabiliùs circa citatum annum* 890 *collocandum puto, etſi conteſtari nòlim, aliquot annis citiùs contingere non potuiſſe.*

22 *Ne tamen eumdem uſque ad annum* 894 *cum Coſma Pragenſi differendum cenſeam, obſtat denuò Chriſtiannus, præſertim ſi, ut paſſim volunt, Borzivojus in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, ſive die* XXIII *Junii, baptizatus fuerit. Chriſtiannus enim in Vita num.* 13 *& ſeqq. ſcribit, Borzivojum ſacro fonte jam ablutum cum presbytero, nomine Caïch, in Bohemiam reverſum, eccleſiam exſtruxiſſe, populumque, id eſt, magnam ſaltem populi partem, ad Chriſtum adduxiſſe; & concitato propterea paganorum in ſe odio, cedere coactum, ad Swatoplukum & Methodium confugiſſe; ubi benignè rurſum exceptus, Chriſtiana myſteria & præcepta pleniùs edoctus eſt. Interea verò dum in Moravia ille moraretur, Bohemi rebelles, eodem teſte, quemdam principem,*

no-

figi debet:

aliiſque inſtrumentis

& variis Annalibus,

is ſcriàs, quam anno 856 *&* 864

& probabiliùs circa annum 890

baptizatus fuiſſe videtur.

AUCTORE C. S. *nomine Stroymir, gente quidem Bohemum, sed qui à multo tempore* apud Theutonicos profugus exulabat, *missis legatis reduxerunt, eique ducatum suum detulêre. Tum subdit & hunc quoque propter idiomatis patrii ignorantiam pluribus displicuisse, tandemque post varia consilia, nec sine pugna, illo ejecto, Borzivojum in Bohemiam revocatum, & in pristinum locum restitutum fuisse. Quis autem credat, hæc omnia semestri spatio, sive extrema anni 894 parte contigisse, præsertim cùm eodem anno Swatoplukus contra Arnulphum infeliciter pugnans, regnandi finem fecerit. Longè ergo probabiliùs felicem illam epocham ab uno è tribus præcedentibus annis inchoamus, licèt nullum certò possimus determinare.*

Respondetur 23 *Ad hæc reponi potest ipsa Christianni auctoritas, qui in eadem* S. Ludmillæ *Vita de Swatopluko sic loquitur, quasi hic ab ipso regni sui exordio arrepta tyrannide, S. Methodium, & quam prædicabat, religionem contempserit, eóque cum suis devenerit impietatis, ut Sanctus episcopus regnum ejus anathemate perstrinxerit, nulla cum eodem rege facta deinceps reconciliatione; quod sanè cum suprà dictis non cohæret. Verùm* B *(præterquam quod eadem difficultas Cosmæ solvenda sit) cùm hoc pacto Christannus sibi manifestè contradiceret, dicendus est de eo dissidio minùs accuratè scripsisse, nec rationem temporis hîc observâsse, vel certè Swatopluki pœnitentiam & reconciliationem cum Methodio prætermisisse. Sanè ea Christanni narratio si rigorosè & ad litteram accipiatur, nec cum ipso Christanno, nec cum Joannis VIII PP. epistolis suprà citatis potest conciliari, præsertim cum epistola 247, anno 880 ad Swatoplukum data, in qua hujus regis, populique ejus, devotionis sinceritas & erga Apostolicam Sedem observantia multùm laudantur. Lucem hisce afferet auctor Vitæ SS. Cyrilli & Methodii, apud nos secundo loco editæ ex Ms. Blaburano, qui illam Swatopluki impietatem, dictumque à Methodio anathema, ceteraque huc pertinentia initio illius regni illigat; sed mox etiam ejusdem regis pœnitentiam, missamque ad S. Methodium legationem, & sancti in Moraviam reditum atque festivam exceptionem exponit. Juverit ipsa verba hîc retulisse.*

ad argumenta 24 *Post relatam Swatopluki ab initio regni tyrannidem, num.* 13 *biographus ille sic prosequitur:* Post hoc Swadopluk pœnitentiâ ductus C super his, quæ viro sancto (*Methodio*) injustè intulerat, misit per nuntios ad virum sanctum, per quos petiit, ut reverteretur ad ecclesiam suam, promittens errata emendare. Tunc vir Dei gregem suum revisere properat, quem reliquerat corpore, non affectu. Ad cujus adventum occurrentes nobiles cum civibus patriæ, & in mirum exultationis gaudium versi, grates Deo dixerunt: Visitâsti, Domine, terram tuam, lætificâsti eam, remittens nobis nostrum pastorem animarum. *Deinde verò de Borzivoji baptismo mox subdit numero sequenti:* Accidit autem, ut rex Swadopluk in quodam convivio ducem Bohemiæ, nomine Worsiwoi, sub mensa sua in detestationem perfidiæ suæ locaret, incongruum asserens, debere cum Christicolis gentilem hominem edere *&c. Ita ille.*

huic opinioni opposita. 25 *Id ipsum in lacinia Vitæ ex Ms. Bodecensi inter Vitas SS. Cyrilli & Methodii quarto loco apud nos editæ, num.* 1 *disertè asseritur his verbis:* Princeps igitur iste Boriwoi, cùm excellentissimæ & egregiæ juventutis flore nitesceret, quodam tempore negotii sui, populique sibi commissi causâ ducem sibi vel regem Zuentepulck, D qui ab incepta pertinacia mitigatus, viam veritatis constanter apprehenderat, adiit tunc tempore Moraviæ unà cum Methodio pontifice commorantem. *Manifestum autem est, hac ratione omnem difficultatem evanescere, nihilque obstare, quo minùs postremis Swatopluki annis Borzivojus eo modo, quo asserit Christannus, à S. Methodio instrui baptizarique potuerit. Cetertùm argumentum à juvenili ætate, in qua baptizatus est, contra nos peti non potest, cum annus, quo regnare cœpit, omnino incertus sit, & ab aliis alius pro varia de baptismi tempore opinione assignari soleat. Deinde etsi tum etiam quadraginta annos numerâsset, juvenili ætate nituisse non ineptè dici potuit, cùm is modus loquendi aliquam hujusmodi latitudinem facilè patiatur. Hæc autem paulò latiùs tractanda censui, quia à tempore baptizati Borzivoji pendet tempus baptizatæ ejusdem conjugis* Ludmillæ.

§ III. Ludmillæ, idolis multùm addictæ, instructio & E baptismus: Borzivoji religionis ergò exsilium: illius in Bohemiam reditus, & pia utriusque munificentia.

Ludmilla, idolis A *Signato utcumque tempore, quo Bohemiæ dux Borzivojus fidem suscepit, ad sanctam ejus uxorem* Ludmillam *redeamus. E paganis eam parentibus Slavibore & Lidoslava natam esse, initio præcedentis paragraphi diximus; sed & idolis admodùm devotam fuisse, dum nupta est, ex verbis ibidem relatis pariter liquet. Balbinus in Epitome Historiæ Bohemiæ lib.* 1, *cap.* 4 *aliquod idololatriæ ipsius monumentum, vineam scilicet, meliori usui postea deputatam memorat; quod haud scio, an certiori, quàm popularis traditionis, testimonio nitatur.* Monstratur hodiéque, *inquit*, vinea, quam S. Wenceslai vocitant, vno à Boleslavia nostra milliari, divæ Ludmillæ, Mielnicensi quondam dominæ, dotalis, in qua Wenceslaus jam princeps exercere vires F suas, fodere, colere, putare, & denique quod opus esset, agere non erubuerit, ut vinum Sacris sufficeret, nondum vini usu passim vulgato, quod Swatoplucus Moraviæ rex Bohemos primùm docuit, misso pridem cado vini plenissimo ad Borzivojum; quo munere excitata Ludmilla nondum Christiana, deæ suæ Crosinæ honorandæ vites ex Moravia adferri, vineamque in natali suo Mielnicensi effodi jussit. *Hactenus Balbinus.*

diu addicta, nupta Borzivojo duci. 27 *Nicolaus Salius in Vita apud Surium de* Ludmillæ *propenso in idolorum venerationem animo, Crosinæque statua sequentia pariter narrat:* Cùm eam (*Borzivojus conjux*) inflammato studio honorandorum delubrorum agi observâsset, ad solatium ejus idolum aureum feminei vultus fabrefecit, quod altitudinem cujusvis hominis excederet; idque in penetralibus ædium suarum habitaculis erexit. Quod Ludmilla, errore vano implicata, nunc prece, nunc donis, nunc sacrificiis, onerabat, & æternos illi ignes sacrabat. *Ex vino quoque à Swatopluko misso eam*

Cro-

AUCTORE C. S.

A *Crosinæ libâsse ait; additque, tum fortè factum, ut, cùm agri trimestri spatio defectu pluviæ aruissent, secundis imbribus mox recrearentur; quod populus quidem* Ludmillæ *in deos pietati, ipsa verò Crosinæ suæ acceptum referri volebat. Hæc ipse, quæ unde didicerit, non docet; nec aliâ forsan, quàm vulgi traditionibus, sæpe nimiùm incertis, auctoritate fulciuntur. Id unum ex Christianno certum est,* Ludmillam, *antequam Christianæ fidei lumine illustraretur, gentilitiæ superstitioni non parùm addictam fuisse.*

baptizata esse probabilius videtur.

28 *Quis* Ludmillam *Christianis præceptis & baptismo initiârit, non edicit Christannus; at Balbinus in Miscellaneis historicis lib. 4 parte 1, § 7 & alibi, aliique passim, id S. Methodio, qui virum ejus Borzivojum baptizaverat, pariter adscribunt. Et Balbinus quidem hæc ait:* Ludmilla Slavibori comitis de Mielnik, tum adhuc pagani, & Lidoslavæ filia, Mielnicii nata est, Borzivojo Bohemorum principi nupta, S. Methodium magistrum fidei Christianæ accepit, qui eam Mielnicii cum patre & fratribus sacris aquis abluit. *Ita ipse; verùm ex Christanni relatione mihi multò probabilius apparet, id ipsum attribuendum esse cuidam presbytero, nomine* Caïch, *quem S. Methodius Borzivojo jam baptizato, & in Bohemiam redeunti, comitem dederat, quemque nonnulli eumdem esse suspicantur cum Paulo, qui* Ludmillæ *ad mortem usque à sacris fuit. Sic enim Christannus in Vita num. 7 loquitur:* Manè facto, ipsum ducem (*Borzivojum S. Methodius*) cum suis triginta, qui advenerant, catechizans, peractis jejuniorum ex more solenniis, sacrosancto baptismatis fonte innovavit, pleniterque eum de fide Christi instruens, multis locupletatum donis ad propria redire concessit, tribuens eis venerabilis vitæ sacerdotem, nomine Caïch: qui reversi in sua, in castello, cui vocabulum inerat Hradecz, supradictum sacerdotem statuunt, fundantes ecclesiam in honorem B. Clementis Papæ & martyris, multa detrimenta sathanæ ingerentes, populum Christo Domino acquirentes.

à Caïcho presbytero, per S. Methodium missio,

29 *Secundùm hæc primò non videtur* Ludmilla *in viri sui comitatu fuisse, dum hic adito Swatopluko à S. Methodio sacro fonte ablutus est; aloquin enim non minùs de ipsa, cujus Vitam scribebat, quàm de triginta Borzivoji comitibus baptizatis, Christannus meminisset. Secundò discimus, S. Methodium cum duce ceterisque neophytis in Bohemiam profectum non esse; sed sui loco dedisse presbyterum Caïchum, qui tum ipsos in suscepta religione confirmaret, aleretque, tum alios ad eamdem adduceret; quod & ab eo strenuè præstitum Christannus affirmat. Id ipsum etiam clarius legitur in Vita SS. Cyrilli ac Methodii ex Ms. Blauburano apud nos edita, cujus auctor num. 14 hæc ait:* Quo (*Borzivojo per S. Methodium*) baptizato, sacerdotibus secum receptis, Bohemiam revertitur, & uxorem suam Ludmillam cum multitudine gentis Bohemiæ curavit baptizari. *Vix itaque dubium est, quin inter Caïchi discipulos, ab eoque salutari lavacro expiatos,* Ludmilla *quoque numeranda sit. Si tamen à S. Methodio revera Baptizata sit, id potiùs contigisse videtur, quando Borzivojus post aliquantulum temporis insidias suorum, quos susceptæ propagatæque religionis odium in ipsum concitaverat, prudenter declinans, ad Swatoplukum ac Methodium in Moraviam confugit: attamen prior sententia mihi verior apparet.*

Christum edocta, ab eoque

30 *Balbinus lib. 1 Epitomes, cap. 3* S. Ludmillæ *baptismum usque ad secundum Borzivoji in Bohemiam reditum, ex qua triennio eum exsulâsse statuit, differendum putavit, asserens Methodium ea occasione ad Bohemos venisse, & tam ipsi* Ludmillæ, *quàm ejusdem liberis Spitigneo, Wratislao ac Boleslao, nec non & parentibus ipsius, fratrique baptismum contulisse. Sed, quidquid sit de hoc Methodii adventu, & baptismo ceterorum, de quibus apud Christannum nil legitur, non placet mihi tam diuturna baptismi in* Ludmilla *dilatio, cùm presbyterum Caïchum jam habuisset, à quo instrui & baptizari potuerat, nec quidquam obstet, quo minùs ipsa ceteris annumeretur, quos Borzivojus & Caïchus Christo adjunxisse suprà num. 28 dicuntur. Tam diuturnam quoque Borzivoji in Moravia moram parùm verisimilem esse, mox dicemus. Quam ob rem quæ de tempore conversi ad Christianam fidem, expiatique sacris undis Borzivoji, paragrapho præcedenti protulimus,* Ludmillæ *baptismi tempori applicanda sunt, cum aliqua tamen latitudine, quia ipsius maritus secundùm dicta aliquamdiu saltem ante illam baptizatus fuit.*

Borzivojus religionis ergò exsulat

31 *Tam feliciter cœpta gentilium subditorum rebellio perturbavit, & neophytorum ducum fidem exercuit. Non poterat scilicet gens dedita idolis, quæque horum cultum consequuntur, vitiis assueta, tam sanctæ religionis quotidiana incrementa pacato animo ferre. Hinc in religiosum ducem concitata odio, cum non modò è ducatu suo deturbare, verùm etiam è medio tollere decrevit.* Quo agnito (*verba Christanni sunt*) princeps sese ab eis removit, rursusque regem Swatopluk, seu pontificem Metudium, Moraviæ repetiit, à quibus charissimè, &, ut decebat, suscipitur; aliquantulùm apud eos degens, perfectiùs doctrinam Christi nanciscitur. *Pergit deinde rebellium molimina, & amicorum Borzivoji conatus enarrare. Principem nempe, nomine Stroymir, qui apud Theutonicos dudum exsulabat, missis è gente sua legatis, rebelles reduxerunt, expulsique principis loco ducem salutârunt. Verùm cùm ob patrii sermonis inscitiam brevi displicuisset, Borzivoji partibus addicti sedulò egerunt, ut ejecto tyranno, optimus princeps restitueretur; quod detectis adversariorum insidiis, initâque de improviso feliciter pugnâ, & profligatis hostibus, obtinuerunt.*

apud Moravos, verisimiliter comite Ludmillâ;

32 *An fugientem in Moraviam conjugem S.* Ludmilla *comitata fuerit, non tradidit biographus; sed quamquam alii aliter sentiant, comitatam esse, mihi verisimilius apparet. Neque enim satis ipsi tutum fuisset apud Bohemos morari, qui virum ejus religionis causâ, quam ipsa etiam jam profitebatur, ducatu vitâque privatum volebant, ejusque loco tyrannum substituerant. Incertum quoque est, quanto tempore Borzivojus, & cum eo* Ludmilla *apud Moravos exsulaverit: nam quod Balbinus ait, triennio exsulâsse, id nec rerum gestarum series postulat, nec suadent verba Christanni; quippe qui eum* aliquantulùm *dumtaxat ibidem commoratum esse affirmat. Hinc non improbabilis mihi est Dubravii episcopi Olomucensis lib. 4 Historiæ Bohemiæ sententia, ubi ista omnia decem mensium spatio acta esse putavit. Utut est, mirari licet Borzivoji in fide constantiam, qui cùm amplioris regni, à S. Methodio promissi, spe animum ad Christiana sacra primùm adjecisset, seque ob eadem ducatu suo jam exutum, exsulemque videret, non modò non ad idola relapsus est, verùm etiam voto sese obstrinxit fore, ut sanctissimæ Dei Matri Mariæ ecclesiam exstrueret, si in ducatum suum umquam restitueretur. Promissis suis stetit Borzivojus, simul atque probatâ jam vi-*

AUCTORE C. S.

ri constantiâ, divino nutu à suis revocatus est.

ad suos redux templum Deiparæ ex voto condit.

33 *De hoc voto, singularique Borzivoji, ad suos jam reversi, studio in propaganda religione, Christannus in Vita num.* 9 *sic scribit:* Quomodo verò idem princeps, Moraviæ degens, omnipotenti Deo votum voverat, videlicet quò, si eum Dominus ad propria cum honore reduceret, basilicam in honore beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ ædificaret, reversus sine mora votum implere studuit in ipsa civitate Pragensi. Hic primus fundator locorum sanctorum, congregatorque clericorum, & tantillæ, quæ tunc fuit, religionis institutor exstat. *Hæc ipse, ad quæ Balbinus sequentia annotavit:* Basilica illa, à Borzivojo fundata, est basilica Teinensis, stans in medio foro veteris urbis Pragensis, in qua Pragensis universitas juramenta sua, aliosque honores Deo ab academicis debitos consuevit peragere. *Balbino consentit Pessina in Phosphoro, Radio* 3, *ubi ait:* Templum honori & nomini divæ Deiparæ Virginis à Borzivojo ex voto nuncupatum, in majori urbe Pragensi prope vetus Krzezomysli ducis palatium, Læta curia postea dictum, vulgò in Teyn, & aliud SS. Petri & Pauli in vicino colle Zderaz, aliaque eriguntur. *De loco etiam consentit Georgius Crugerius in Sacris pulveribus Bohemiæ, ad diem* XXIII *Martii; ubi tamen monet, supereſſe quidem sacellum, in quo Spitigneus, Borzivoji filius, sepultus fuit, sed ecclesiam Teinensem, qualis suo tempore exstabat, circa annum* 1400 *à mercatoribus exstructam fuisse.*

B

Pia Sanctæ munificentia,

34 *Dubitandum porrò non est, quin eorum omnium pars aliqua, fors non exigua,* S. Ludmillæ *debeatur, idque satis insinuat biographus ejus, dum verbis mox relatis subdit:* Habuit etiam uxorem, nomine Ludmillam, . . . quæ . . . in religione Christiana imitando, imò præcellendo, virtutes sui viri, facta est verè Christi famula. *Certè quæ de pia ejusdem munificentia post mortem viri ipsius narrat biographus, omninò suadent, eam hac quoque in parte, quantùm facultates permitterent, ipsi minimè cessisse. Etenim dum sanctæ Viduæ virtutes recenset, inter cetera ait:* Cunctis etiam his silentibus, testantur casæ Christi, quas diversis ditavit opibus auri, argenti; non, ut quibusdam moris est, ex rapinis vel substantia egentûm, sed de sibi collata à Deo substantia. *Pontanus lib.* 4 *Bohemiæ Piæ ecclesias omnino*

C

septem ab ea ædificatas asserit. Nicolaus Salius in Vita apud Surium aliquas quoque recenset, Ludmillæ *seu propriis, seu communibus cum viro suo expensis erectas. Tetinensem S. Catharinæ ædem ejus solius opus esse, Bohemiæ scriptores passim affirmant, sed quo fundamento, ignoro.*

de qua quædam etiam incerta traduntur.

35 *Nec magis exploratum habeo, unde didicerit Balbinus, quæ in Miscellaneis historicis lib.* 4, *part.* 1, § 7 *scripsit in hunc modum:* Confractis dæmonum simulacris, (quæ variis metallis constabant) quidpiam æri Corinthio simile cùm confluxisset, varia inde templis (præcipuè Mielnicensi & Boleslavienſi) donaria misit; ex quibus esse imaginem divæ Virginis Boleslaviensis, non vanè suspicantur peritissimi antiquitatis viri. *Eamdem de prædicta sanctissimæ Dei Genitricis imagine, miraculis celeberrima, sententiam pluribus tuetur lib.* 7, *cap.* 2 *Epitomes Rerum Bohemicarum, ubi eamdem gravissimorum virorum esse ait, ex quibus laudat Bertholdum Pontanum, ecclesiæ cathedralis Pragensis præpositum, & Casparum Arsenium, metropolitanæ ecclesiæ decanum & Officialem, & alios plerosque, ut ait, senes,* qui & à majoribus suis audisse, & in ecclesia Boleslavienſi veluti rem certam & contestatam ab omni memoria fuisse scribunt, imaginem Dei Matris, de qua nobis est sermo, ex idolo aureo Krosyna, quod diva Ludmilla, cùm Christo nomen dedisset, & a S. Methodio Christiano ritu Mielnici in arce sua abluta fuisset, confregerat, fusam & procusam *&c. Atque ita quidem Balbinus, qui idem simul observat, sacram illam imaginem ex ignoto metallo constare, ideóque ex varii metalli idolis conflatam videri. Præmiserat tamen etiam aliorum opinionem, qui eamdem à SS. Cyrillo & Methodio ex ecclesia Græca allatam esse arbitrantur. Res planè incerta est: facilè tamen credidero, idola, aliaque ad profanas hujusmodi superstitiones ex metallis conflata, ad sacros deinde usus à sancta Ducissa redacta fuisse.*

D

§ IV. S. Ludmillæ liberi: Borzivojus ducatum probabiliùs numquam abdicavit: hujus annus emortualis & ætas incerta: utriusque gesta cum S. Ivano: antiquus Borzivoji cultus, si umquam fuerit, cessavit.

E

Ludmilla sex liberorum mater.

Christannus in Vita num. 10 S. Ludmillam *sex liberos Borzivojo genuisse testatur;* Suscepit autem, *inquiens,* ex ea sæpe memoratus princeps tres filios, totidemque filias. *Filiarum nomina & res gestas non reperi: mentionem tamen de iis aliquam in quodam Breviario Pragensi exstitisse, indicat Balbinus, dum in Notis ad Vitam ait:* De quibus vetus Breviarium ecclesiæ Pragensis. *Ex filiis Christannus duos nominat,* Spitigneum *scilicet primogenitum, &* Wratislaum, *qui post patrem suo ordine regnaverunt. Tertium Dubravius lib.* 2 *Historiæ Bohemiæ, & Balbinus tum loco mox laudato, tum ibidem lib.* 1, *cap.* 3 Boleslaum *appellant, quem & paulò post susceptum baptismum, in infantia obiisse posterior affirmat. Hinc factum opinor, ut tam Cosmas Pragensis, quàm Æneas Sylvius, aliique, Spitignei & Wratislai tantummodò meminerint. Porrò Spitigneus improlis obiit; Wratislaus autem, ejus in ducatum successor, Dragomiram ethnicam mulierem, uxorem duxit, ex qua suscepit piissimum principem S. Wenceslaum, paterni ducatûs heredem & martyrem, itemque impium Boleslaum, cognomento* Sævum, *qui per fraternum parricidium ducatu potitus fuit.*

Quæ de abdicatione ducatûs, secessuque

37 *Idem Balbinus in Miscellaneis lib.* 4, § 3, *& lib.* 1 *Epitomes, cap.* 4 *scribit, Borzivojum divino amore succensum, circa annum Christi* 905 *filio suo Spitigneo ducatum cessisse, unàque cum conjuge sua* S. Ludmilla *Tetinam se recepisse, unde post vitam multis annis sanctissimè exactam ad cælum evolaverit. De secessu, translatoque in Spitigneum filium ducatu, consentiunt Dubravius lib.* 4, *Pontanus in Bohemia Pia libro* 2, *Salius in Vita, aliique; sed horum prior aliam prorsus abdicandi ducatûs secedendique causam*

alle-

AUCTORE C. S.

A *allegat; metum ſcilicet novæ rebellionis, quam ſubditorum pars, idolis etiam addicta, ex Chriſtianæ religionis odio palàm minabatur, non laturam ſeſe ultrà principem jactitans, qui inter ſacella araſque & ſacerdotes delitescens, cetera nihil penſi haberet. Subdit, Spitigneum initio aditi principatus, dumque monitoribus, quos pater ei adjunxerat, ſedulò pareret, piè ac laudabiliter regnâſſe; ſed deinde ſpretis cùm eorum, tum etiam parentum conſiliis, à priſtina integritate deſciviſſe, nec diu poſt correptum morbo, ſine liberis è vivis ſublatum eſſe. Tum verò, ſi ipſi credimus, ducatus Borzivojo denuò oblatus eſt, quem ille rurſum reſpuens, filio ſuo Wratiſlao à Bohemis impetravit ea lege, ut ipſe juvenem præceptis ſuis informaret, regeretque conſiliis, donec is firmata ætate, tanto oneri ferendo par evaſiſſet.*

Barzivoji & Ludmillæ narrantur,

38 *Addit præterea, defuncto interim Boleſlao, Borzivoji ac* Ludmillæ, *ut ſuprà diximus, filio, parentibus metum injectum fuiſſe, ne ſua poſteritas deficeret; ideóque ab iis ſedulò agitatum de danda uxore Wratiſlao, qui è maſculino ſexu ſolus ipſis ſupererat. Quamquam autem Chriſtianam virginem parentes filio ſuo maximè cuperent,*

B *junctam ei tamen fuiſſe Dragomiram paganam, quæ ſuis de ſuſcipiendo baptiſmate promiſſis minimè ſtetit, impiaque deinde ac nefaria in ſanctam Socrum ſuam, filiumque Wenceſlaum, & religionem auſa eſt, ut ſuo loco videbimus. Neſcio enimverò, unde iſthæc omnia (exceptis tamen, quæ de Dragomira dicuntur) didicerint laudati ſcriptores, Chriſtanno, Coſmæque Pragenſi non modò incognita, ſed etiam contraria. Chriſtannum audiamus.* Suſcepit autem (*inquit num.* 10 *Vitæ*) ex ea ſæpe memoratus princeps (*Borzivojus*) tres filios, totidemque filias; & ut ei B. Metudius prophetico ore prædixerat, quotidianis incrementis cum omni gente ſua, regnoque augmentabatur; peractoque temporis curſu, plenuſque dierum bonitateque, diem clauſit ultimum, triginta quinque (*latet hìc haud dubiè error*) vitæ ſuæ complens annos.

probabiliùs commentitia ſunt.

39 Suſcepitque pro eo regnum ejus primogenitus filius ipſius Spitigneu, cunctis virtutibus bonitatis, famâque ſanctitatis admodùm fulgens. Imitator ſiquidem factus patris, fundator exſtitit eccleſiarum Dei, congregator ſacerdotum,

C clericorumque; perfectus in fide Chriſti, peractis vitæ ſuæ annis quadraginta, luce ex hac migravit, aſtra petens. Cujus poſt tranſitum frater ejus Wratiſlaus regni ſuſcepiſſe dignoſcitur gubernacula, ducens uxorem, nomine Dragomir *&c. Quis non videat, ſecundùm hæc Borzivojo, ex Moravico exſilio reduci, omnia ex ſententia ad mortem uſque fluxiſſe; nec niſi defuncto patri Spitigneum, & huic denique, poſt pium juſtumque regimen ſimiliter mortuo, Wratiſlaum ſuffectum eſſe? Iſta itaque Borzivoji ob imminentem rebellionem ducatûs abdicatio & ſeceſſus, ceteraque à laudatis ſcriptoribus aſſerta, Chriſtanno contraria aſſerenti ignota fuêre. Nec minùs eadem Coſmam Pragenſem latuerunt, dum in Chronico ait:* Borivoy autem genuit duos filios, Zpitigneum & Wratizlavum, ex ea, quæ fuit filia Zlauboris, comitis de caſtello Pſov, nomine Ludmilla. Quo feliciter univerſæ carnis viam ingreſſo, ſucceſſit paternum in principatum Zpitigneu; poſt cujus obitum obtinuit Wratiſlav ducatum, qui accepit uxorem, nomine Dragomir.

40 *Credimus itaque, Borzivojum cum ſancta conjuge ſua* Ludmilla *ducatum Bohemiæ ad mortem uſque tenuiſſe. Sed in quem annum hæc inciderit, ænigmatis inſtar eſt; neque enim in ſcriptoribus ejus ætati proximis de mortis tempore quidquam legitur; recentiores verò ſine ſolido argumento variant, in eo tamen convenientes, quòd ipſum ad ſeculum* 10, *aliquot annos inchoatum, perveniſſe velint. Inter hoſce etiam eſt Papebrochius noſter ad diem* XXIV *Junii, in Commentario prævio de S. Ivano eremita Bohemo, cujus Acta, auctore Balbino, ibidem recitat. In hiſce autem multa ad Borzivojum* Ludmillamque, *qui ipſi convixiſſe dicuntur, ſpectantia occurrunt, quæ præciſis ceteris, mox recitabo. Interea obſervo, emortualem Borzivoji annum, ne circiter quidem, ex iis Actis erui poſſe. Recentiora enim ea ſunt; nam, ut ait ibidem Papebrochius num.* 3, antiqua de ſancto (*Ivano*) monumenta nulla exſtant, præter breviſſimam quamdam, nec fortè vetuſtiſſimam Legendam, ex qua & ex conſtanti traditione ſumpta fuiſſe oportet, quæcumque de illo ſcripſêre auctores hujus vel ſuperioris ſeculi.

Emortuale tempus Borzivoji incertum,

tati & ejuſdem ſuprema ætas.

41 *Chriſtannus in Vita num.* 10 *Borzivojo morienti* triginta quinque *annos dumtaxat tribuit; ad quem accedit Hagecius annos ipſi triginta & ſex aſſignans. Contrà Balbinus, aliique, qui Borzivoji regnandi initium, baptiſmumque multo citiùs collocant, mendum hìc cubare arbitrantur; & Balbinus quidem annos* 75, *Weleſlavinus, eodem teſte, vel totidem, vel* 77 *ipſi dandos putant. Sed quidquid ſit, facilè potuit in Chriſtanni exemplar, à Balbino viſum, aliquis error circa numeros irrepſiſſe, cùm Borzivojus eodem loco* plenus dierum *obiiſſe dicatur: ſic enim ibidem legitur:* Peractoque temporis curſu, plenuſque dierum bonitateque, diem clauſit ultimum, triginta quinque vitæ ſuæ complens annos. *Hic loquendi modus,* Plenus dierum, *majorem utique quam triginta quinque annorum ætatem inſinuat. Adde, quòd Spitigneus, qui patri Borzivojo ſucceſſit, & brevi tempore regnavit, annis quadraginta vixiſſe ibidem dicatur. Neceſſe tamen non eſt tot ipſi annos adſcribere, quot Balbinus & Weleſlavinus & quiſquis cum ipſis ſentit, voluerunt.*

E

S. Ivanus eremita, à Borzivojo

42 *Accipe nunc, quæ de Borzivojo, ejuſque ſancta conjuge* Ludmilla, *in ſuprà laudatis S. Ivani Actis leguntur.* Anno à Chriſto nato DCCCCIX Borzivojus, qui primus è ducibus Bohemiæ Chriſto nomen dederat, ex arce vicina ſua Tetin, venationem quæſiturus, exierat. Proceſſerat in ſilvis longiùs; excitatur ſubitò primæ magnitudinis cerva, quæ ipſius Borzivoji (ut felices principum manus ſunt) jaculo vulneratur. Sequuntur fugientem latratus & ſuſpiria canum, ac promptiores vertagi vulneratam & vulnera lavantem ad rivum, qui è ſaxo quodam vivus profunditur, conſequuntur. Auſa eſt etiam in aquis vitam à canibus defendere, dum equo advectus princeps, in flumen pedes ardore prædæ deſiliret, atque enſe conficeret; ex quo vulnere ingens lactis copia, quaſi tum primùm hinnulos effudiſſet, emanavit. Dum feram princeps, & qui paulatim acceſſerant, aulici mirantur; ecce tibi ſilveſtri, torvoque vultu, quem, ut ita dicam, horrificaverant deſcendentes per faciem pili, longâ togâ, nudis pedibus, baculo innixus ſenex, ex antro procedit. Is oratione vultui ſuo conveniente increpare principem exorſus, quærit, quid in ea loca veniſſet, quietem ſollicitaturus ſuam; unicumque famis ſuæ præſidium cervam interemiſſet?

F

43 Certatim aulici pro ſe quiſque principem

AUCTORE C. S.

admonent, caveret belluam, dæmonem ſilvarum eſſe; alii timidiores fugam etiam ſpectabant. At animi plenus Borzivojus, Quidquid es, exclamat, in Dei, qui condidit omnia, & Filii ejus Chriſti Jeſu nomine, ſtare te jam iſthinc, & reſpondere jubeo. Senex, protinus adorato Dei nomine, Servus, inquit, Chriſti ſum, intemeratæ Virginis Mariæ, & Joannis Baptiſtæ cliens; (nomen etiam edidit) Iwan appellor. Reſpiravit Borzivojus, & familiari principibus curioſitate, & interrogationum humanitate ſenem detinuit. *Deinde poſtquam Balbinus Ivanum rationem vitæ ſuæ exponentem induxit, denuò proſequitur:* Admirabatur Borzivojus ſingula; & cùm annonæ nihil videret, de cibo quærere inſtituit. Miſericordia Dei, repoſuit Iwan, ſervum ſuum lacte hujus, quæ interempta eſt, cervæ nutrivit. Hîc princeps in terram ſeſe abjicere, & culpam deprecari parabat; Iwan vetuit, bonoque animo eſſe juſſit; non venantis impetu, ſed Dei voluntate occiſam cervam, ut quæ jam ſibi mortem propediem exſpectanti neceſſaria non foret. Tum Borzivojus, Da, inquit, hoc Iwane mihi, da conjugi meæ Ludmillæ, da meis; meumque

B hunc equum conſcende, & ad nos proficiſcere.

inter venandum inventus,

Ludmillam accitus inviſit; quæ de ipſius

44 Vir ſanctus multa cauſatus, Si, inquit, Dei voluntas fuerit, brevî vos videbo... Tum vale principi dicere, ac bene precari cœpit tam liquidis affectibus, ut noviſſima verba Borzivojo lacrymas exprimerent. At Ludmilla, cùm totam rei geſtæ ſeriem ex ordine à marito acceperiſſet, noctem eam inſomnem gaudio traduxit; neque exſpectato die, primo crepuſculo Paulum ſacerdotem chariſſimum cum famulis ſex omninò dimittit; irent properè, virumque ſanctum ad ſe Tetinum adducerent... Paulo veniente, nihil moratus Iwan, aſello imponitur. Prodiêre obviam venienti ad multum itineris principes, & multo, ut par erat, exceptum honore, in arcem accipiunt. Ne multa: convivium apponitur; nihil attingit Iwan, cùm ſuas ſilvas, ſuaque nemora identidem reſpiceret ac cogitaret; niſi quòd ſanctiſſimis ſermonibus utrumque principem ad cæli amorem mirificè inflammârit. Remiſſus eo die, ſolus nullo comitante, ut optabat, revertit. *Tum ſubdit, ab agreſti quodam homine in via caput ipſi miſſo lapide ſauciatum, atque ita in ſpeluncam ſuam ægrè reverſum eſſe. Poſt hæc* de S. Ludmilla *rurſus habet ſequentia.*

C

inſtanti obitu monita, presbyterum ipſi mittit:

45 Pauci interceſſerant dies, cùm per quietem Ludmillæ duci cæleſtis apparet genius, monetque ſacerdotem Paulum mitteret, qui (ut abiens vir ſanctus oraverat) coram eo Miſſæ ſacrificium Deo offerret; ſenem brevi pòſt tempore diſceſſurum è vita. Paruit cæleſtibus monitis Ludmilla, confeſtimque Paulus mittitur, qui diviniſſimis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis Iwanum ad mortem comparavit, ſimulque coram eo Divina peregit. *Inter cetera autem, quæ S. Iwanus Paulo presbytero ea occaſione narravit, id unum erat, quòd ſibi à S. Joanne prædictum fuiſſet,* templum in eo loco (*in quo ſolitariam vitam ducebat,*) honori ſanctiſſimæ Crucis, Virginique Mariæ Borzivojum quemdam Bohemiæ principem poſiturum. *Narratâ deinde S. Ivani morte, Balbinus § 2 ita progreditur:* Iwanum, cujus viventis virtutem honorabant principes, mortuum ejuſque memoriam majore etiam cultu ſunt proſecuti; tamque illuſtrem in locum (gloriam ejus cæleſtem approbante miraculis Divinitate) viri fama pervenit, ut pro Sancto communiter habitus, hodiéque inter indigetes ac minores Bohemiæ patronos numeretur.

D

mortuo ſacellum erigit.

46 Sacellum primùm anguſtum oppidò, quantùm ſcilicet rupes duriſſimæ, atque aliud, quod incoluerat, antrum patiebantur, ſuper viri ſancti tumulum Borzivojus & Ludmilla ſtatuerunt. Id beatiſſimæ Dei Matris & S. Joannis Baptiſtæ titulum, aut etiam, ut alii auctores ſunt, unà cum his ſanctæ Crucis diu geſſit; poſteri S. Iwanum nominavêre. Ne verò muta ad divinas laudes ſolitudo foret, ſacerdotibus advocatis tutela loci committitur: addita neceſſaria ad tuendam vitam ſubſidia *&c. Hactenus Balbinus, cujus narratio ſimul cum adjectis à Papebrochio obſervationibus loco citato latiùs legi poteſt. Ego hæc præſenti Commentario inſerenda putavi, quia Borzivoji ejuſque ſanctæ conjugis* Ludmillæ *religionem, pietatemque commendant. Porrò quia de Borzivojo in ſequentibus nulla ampliùs facienda eſt mentio, priuſquam de* S. Ludmillæ *viduitate agam, præmittenda cenſui, quæ de ejuſdem Borzivoji vetuſto cultu Balbinus in Miſcellaneis hiſtoricis lib. 4, § 4 commemorat.*

Borzivoji cultus, à Balbino aſſertus,

47 Virtutes, *inquit* tanti principis & vita Chriſtianis inſtitutis ſanctiſſimè acta meruêre, ut eum Beati titulo antiquitas honoraret: conditus eſt in S. Georgii eccleſia in arce S. Wenceſlai Pragæ; quodque memorabile & firmius ad fidem ſanctitatis faciendam, corpus Borzivoji in ara ipſa intra altare, quod eſt in eccleſiæ medio, condidêre religioſi Majores noſtri; qui fuit ritus veterum quempiam beatorum & Sanctorum numero aggregandi, (canonizationem hodie vocant) ut ex Cardinale Baronio pridem oſtendi: *nempe lib. 2 Epitomes rerum Bohemicarum, cap. 13.* Dubravius in Hiſtoria Bohemiæ Borzivojum in baſilica ſua Teinenſi conditum ſignificat; ſed ſubſcriptorem non habet: nam ceteri rerum Bohemicarum ſcriptores, Borzivojum in nova abs ſe honori ſancti archangeli Michaëlis conſtructa eccleſia Tetini ſub arce, ibidem Tetini mortuum & humatum eſſe affirmant; unde ſucceſſu temporum ſacra ejus oſſa levata, & quod decebat maximè, in eandem eccleſiam, ubi S. Ludmilla conjux ſepulcrum invenerat, ſunt illata. Ita Paprocius, Crugerius, Peſſina ac ceteri.

hodiedum nullus eſſe videtur.

F

48 *Hæc Balbinus; qui tamen nullum præterea cultûs indicium, aut diem (quæ nec ego alibi reperio) aſſignavit. Hoc certè ſeculo nullum in illuſtri illo S. Georgii Pragenſi parthenone cultum habere videtur, nullaque de aſſervati ibidem corporis loco, nec niſi incerta de tranſlato illuc quondam memoria exſtare. Ad manum enim mihi eſt ejuſdem monaſterii Hiſtoria, anno 1715 Veteri-Pragæ edita, à Joanne Floriano Hammerſchmidt conſcripta, & celſiſſimæ principi ac abbatiſſæ ejuſdem loci, Franciſcæ Helenæ Pyroniana de Galliano dicata, in qua § 29 de Borzivojo, nullo addito* Beati *titulo, hæc tantummodò invenio:* In Novo templo S. Michaëlis archangeli, inter arcem & oppidum Tetinum à ſe ædificato, tumulatur. Cujus oſſa ſucceſſu temporis inde levata, & in eccleſia S. Georgii in caſtro Pragenſi intra altare, quod eſt in medio, ſacrarum inſtar reliquiarum recondita eſſe perhibent. Ita P. Crugerius in Ms. ſyllabo Sanctorum & Beatorum Bohemiæ. *Hæc utique nullum Borzivoji apud ſacras iſtas virgines cultum, nec niſi incertum de tranſlato ad eas olim ejuſdem corpore memoriam manifeſtant.*

§ V.

A

§ V. Sanctæ martyrium : Tetinenſe ſepulcrum mox miraculis clarum : cœmeterium omnis alterius cadaveris impatiens : corpus Pragam tranſlatum.

Ludmilla, abdicata nepotum educatione,

DE geſtis S. Ludmillæ, *optimo viro viduatæ, ac deinde utroque filio ſuo, qui in paternum ducatum invicem ſucceſſerant, Spitigneo primùm & poſt hunc etiam Wratiſlao orbatæ, plura non habemus, quàm quæ lector in Vita reperiet. Supereſt tamen, ut de cauſa martyrii ejus, modoque ac tempore aliqua dicamus. Et cædis quidem cauſam fuiſſe Chriſtianam religionem, quam profitebatur & propagabat, quamque impia ejuſdem nurus Dragomira, gentilis mulier & altera Jezabel, immani odio proſequebatur, ex biographo ſatis manifeſtum eſt, nec à quòquam in dubium revocatur. Wratiſlaus Borzivoji ſanctæque* Ludmillæ *pius filius, & poſt Spitigneum fratrem, qui illiberis obierat, Bohemiæ dux, duos liberos mares, ſanctum ſcilicet Wenceſlaum, & impium Boleſlaum, quos ex Dragomira ſuſceperat, moriens reliquit. Horum prior jure natalitio in ducatum patri ſucceſſit; ſed cùm pueritiæ vel adoleſcentiæ annos nondum exceſſiſſet, communi optimatum conſilio ſanctæ Aviæ ſuæ unà cum juniori fratre ſuo Boleſlao educandus commiſſus eſt. Quamdiu verò tam pia inſtitutione ſanctus princeps uti potuerit, non explicat biographus, ſed eum multùm profeciſſe, ejuſdem ſanctitas martyrio coronata declaravit.*

B

Tetinam ſecedit,

50 *Exarſit ad hæc imperioſa mulier Dragomira, quæ non minùs idolis ſuis dedita, quàm avida imperii, ringebatur, unà cùm filiis ſuis præciſam ſibi ſpem eſſe tum pro arbitrio imperandi, tum nefariam idolorum culturam in Bohemia reſtaurandi. Nec intra pectus conceptum hinc odium, invidiamque continuit; ſed ut erat ad omne facinus comparata, inito cum ſuis aſſeclis conſilio, ſanctam Socrum ſuam è medio tollere decrevit, ejuſque vitæ cœpit inſidiari. Attamen non tam occultè molitiones ſuas habuit, quin ad* Ludmillæ *aures pervenirent, quæ gnara in bono vincere malum, nihilque minùs quàm ducatum appetens, cedendum cenſuit, & nurui ſuæ iſta juſſit placidè renuntiari:* Non aliqua regni tui portio malè blandientis cupiditatis animum invaſit, neque tui dominationem cupio ullam habere. Recipe filios tuos, &, ut animo lubet, regna cum illis: mihi verò libertatem concede ſerviendi omnipotenti Chriſto, quocumque locorum placet. *Haſce optimæ Socrûs ſuæ preces cùm impia nurus ne audire quidem voluiſſet,* Ludmilla *ſponte ſua Pragam deſerens, Tetinam, cujus notitiam ſuprà dedimus, cum presbytero ſuo Paulo ſeceſſit, & ad martyrium, quod inſtare minimè dubitabat, quotidianis virtutum exercitiis, precibuſque ſe comparavit, quod etiam in eodem loco, incertum, quanto poſt tempore, miſſis à Dragomira impietatis ſuæ miniſtris, feliciter conſummavit.*

C

51 *Quod ad cædis modum attinet, Chriſtanus in Vita num.* 17 *& ſeq. teſtatur, Cumiam vel Tumiam & Gomonem cum valida manu veſperi, ſive inchoata jam nocte, ad Sanctæ ædes adventâſſe, relictiſque ante fores cuſtodibus, effractis valvis in domum ac cubile Principis irruiſſe, atque è lecto dejectam, &, ſi ſua mors omnino decreta eſſet, caput ſibi potiùs amputari poſtulantem, ut Chriſto ſanguinem funderet,* ſine gutturi ejus immiſſo *ſtrangulâſſe. Ita ipſe pluribus loco citato. Contrà Hagecius ad annum* 920, *Balbinus lib.* 4 *Miſcellaneorum* § 7, *aliique rem aliter narrant, neſcio, quo nixi inſtrumento. Ajunt ſiquidem, duos prædictos parricidas, quos* Tumam & Kumam *appellant, à Dragomira miſſos, conceptum facinus ſimulatâ amicitiâ celantes, Tetinam veniſſe; cúmque à* S. Ludmilla, *non ignara, quid ageretur, hoſpitio convivioque benignè excepti fuiſſent, nocte intempeſta Sanctæ cubiculum ingreſſos, precibuſque intentam proprio velo ſuo ſtrangulâſſe. Addunt, ſanctæ Martyris caput dum ipſa à parricidis injecto faucibus velo raptaretur, in obvium ſaxum, in quo flexis genibus Deum adorare ſolebat, tanto impetu illiſum fuiſſe, ut ſacro ſanguine conſperſum ſuo adhuc tempore appareret.*

AUCTORE C. S.

ubi à Dragomiræ miniſtris ſtrangulatur.

E

Nonnulla martyrii adjuncta,

52 *De parricidis convivio exceptis, veloque ad ſtrangulandum adhibito, conſentit etiam Officium proprium Pragenſe. De ſaxo autem* qui id credere noluerit, *inquit Hagecius,* huic ſuis oculis ſpectare Tetinæ licebit. *Similiter Balbinus in Auctario* 1 *Hiſtoriæ Sancti Montis, cap.* 8 *ſcribit:* Monſtratur hodie in templo S. Catharinæ ad Tetinam duriſſimus quidam lapis, quem ſibi Ludmilla ante ſtratum poni juſſerit, in quo genibus affuſis precari & meditari æterna ſolebat. Ad eum lapidem parricidæ, quos nominavi, Tuman & Cuman, Matronæ ſanctiſſimæ caput alliſêre ſæpius, & reſperſerunt ſanguine: at lapis divinitus innocentem ſanguinem attraxit, & poſt tot ſecula vivaciſſimè retinet, neque ulla arte elui aut aboleri poteſt, quem pridem vel ſoli peregrini oſculis potuiſſent atterere. *Idem ſaxum ad S. Georgii in Pragenſi arce monialium Benedictinarum eccleſiam poſtea tranſlatum fuiſſe, diſcimus ex laudato Proprio Pragenſi, ubi ad diem* x *Novembris, quo ſacri corporis tranſlatio recolitur, nona Lectio ſic habet:* Depoſitus eſt theſaurus tantus (S. Ludmillæ *corpus*) in eccleſia ſanctimonialium S. Georgii in arce Pragenſi, ubi & lapis, ejuſdem ſanctæ Martyris ſanguine purpuratus, & alia ſacra monimenta cum veneratione aſſervantur.

F

ab aliis aſſerta, examinantur.

53 *Vidi ego illud hoc anno* 1753 *in prædicta eccleſia in altari ejuſdem Sanctæ retro vitrum incluſum, & rubras in eo maculas obſervavi, quæ tamen utrùm ex affuſo ſanguine factæ, an ſaxo innatæ eſſent, non ſatis potui diſcernere. Ceterùm, ſi ea Pragenſium traditio vera ſit, miror Chriſtannum de hiſce martyrii adjunctis nihil meminiſſe, cùm tamen res ipſa id poſtularet. Nam cùm* Ludmilla *ab eo diſertè dicatur* exemplo martyrum ſanguinem fundendo, teſtimonium Chriſto perhibere geſtiens, *rogâſſe parricidas, ut caput ſibi potiùs amputarent, quid eſt, cur illam ea ſaltem ſanguinis effuſione voti compotem factam eſſe non aſſerat, ſed ad aliud recurrat, nox ſubdens:* Quam etiam (*martyrii palmam*) non dubitamus eam promeruiſſe, ſacra Scriptura teſtante: "Juſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit". *Nulla certè alia hujus ſilentii ratio probabilior occurrit, quàm quòd adjuncta illa ignoraverit biographus, quæ tamen,*

AUCTORE C. S.

men, si vera sint, difficulter eum latêre potuerunt.

Martyrii tempus incertum,

54 *Martyrii tempus Christannus in Vita num.* 19 *in hunc modum designavit :* Suscepit autem martyrium felix, Deoque devota famula Christi Ludmilla, septima Sabbati die & XVII Cal. Octobr., primâ vigiliâ noctis. *Eodem planè modo in exemplari abbatiæ S. Crucis prope Viennam Austriæ legitur. Ita ipse de mense, die ac nocturno tempore, annum tacitè præteriens, incertum martyrii tempus, ejusque divinandi locum reliquit. Balbinus in Miscellaneis lib.* 4, § 7 *annum Christi* 927, *& diem quidem Sabbati, sed* XVI *Kalendas Octobris assignat, simul monens, annum* 920 *à Weleslavino aliisque, inter quos etiam est Hagecius,* probabiliùs *statui. Rationem autem, ob quam diem* XVI *Kalendas, non* XVII *Kalendas Octobris, ut habet biographus, assignaverit, nullam reddidit, nec aliam esse arbitror, quàm quòd Sanctæ martyrium die* XVI, *non* XV *Septembris in archidiœcesi Pragensi & Martyrologiis passim celebretur, quo eam passam esse Nicolaus Salius in Vita apud Surium etiam scribit.*

B *Porrò si Christanni Opusculum rectè ediderit Balbinus, & hoc loco reipsa legendum sit* XVII Cal. Octobr., *præferenda erit opinio priori loco relata, secundùm quam scilicet* Ludmillæ *cædes in annum* 927 *inciderit. Etenim hoc anno Sabbatum cum die* XVII *Kalendas Octobris, sive die* XV *Septembris concurrit, qui dies anno* 920 *feria sexta erat, non Sabbatum.*

sed inter annos 920 *&* 929 *verisimiliùs statuendum.*

55 *Contrà verò dies* XVI *Septembris anno* 920 *Sabbatum erat, atque adeò, si ita legendum sit, præponenda erit Hagecii atque Weleslavini sententia, qui hunc annum ipsi supremum fuisse opinantur. Utro autem loco Balbinus emortualem diem ex suo codice rectiùs annotaverit, exploratum non habeo, cùm Ms. exemplar istud mihi non licuerit inspicere ; nec si licuisset, spondere possem de non admisso ab amanuensi errore, præsertim cùm etiam infrà, ubi de translatione corporis agitur, hujusmodi error aliquis irrepsisse videatur. Diem tamen* XV *Ms. S. Crucis, ut diximus, etiam exhibet. Adde, quòd, etiamsi de die emortuali constaret, ne sic quidem annus cædis ipsius certò posset determinari, cùm inter annos* 920 *&* 927 *dies* XV *Septembris anno* 921, *& dies* XVI *ejusdem mensis anno* 926 *in Sabbatum*

C *inciderit. Id unum igitur Bohemis scriptoribus hac in parte credere possumus, sanctam ducissam suam* Ludmillam *ad suprà dictum tempus potuisse supervivere, quamvis nullum determinatè annum possimus assignare ; ideoque mortem ejus latiori termino in margine annotavimus ; quam tamen inter annos* 920 *&* 929 *contigisse putamus.*

Sanctæ sepulchrum miraculis illustratur Tetinæ,

56 *Post peractam sanctissimæ Viduæ cædem, impii parricidæ tam diro nuntio Dragomiram exhilarârunt, quæ rapta sibi suæ Socrûs supellectile, occupatoque ducatu impotentiùs cœpit regnare ; nec quidquam prætermisit, ut pia* Ludmillæ *præcepta institutionemque è filiorum suorum animis penitus evelleret. Et licèt in S. Wenceslao frustra laboraverit, Boleslaum tamen filiorum alterum, sui simillimum habuit ; quippe qui per Wenceslai fratris ducisque sui parricidium Bohemiam postmodùm sibi vindicavit. Sed ut ad* Ludmillam *redeamus ; clerus & domestici ejus, quos tam immane in Dominam suam facinus, mortisque timor in latebras compulerat, resumptis post impiorum discessum animis convenientes, sacrum Martyris corpus in cœmeterio ecclesiæ S.* A *Catharinæ, quam ipsa exstruxisse fertur, magno cum luctu sepelierunt. Nec diu tamen inglorium jacuit : quippe erumpente è tumulo mirâ odoris fragrantiâ, & cælesti lumine nocturnis temporibus desuper rutilante, Martyris gloria publicè agnita & à populo celebrata est.*

nequicquam obnitente Dragomirâ.

57 *Ut verò hæc divina prodigia piorum animos multùm recreârunt, ita novos odii invidiæque stimulos impiæ nurui addiderunt. Sed sive populi tumultum metueret, sive etiam in Demortuæ corpus sævire puderet, ausa non est tumulum profanare ; verùm novo usa consilio, domum in modum ecclesiæ, seu sacelli, ut opinor, super eo S. Michaeli archangelo exstrui curavit, & Sanctorum reliquias in ea deponi, ut, si qua inposterum miracula ibi fierent, ea Christiani non* Ludmillæ, *sed vel S. Michaëli, vel Sanctis, quorum lipsana ibidem servarentur, accepta referrent. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum : cœpit dehinc etiam pluribus prodigiis* Ludmillæ *tumulus celebrari, donec ipsa à sancto nepote suo Wenceslao inde Pragam solemni pompâ translata est, prout ex Christanno dicemus, ex quo etiam cetera mox relata desumpsimus.* E

Cœmeterium in quo ejus corpus jacuit,

58 *Priusquam de memorata translatione agamus, præmittendum est, quod de eodem, in quo sacrum* Ludmillæ *corpus jacuit, cœmeterio aliqui Bohemi scriptores tradiderunt. Inter hos Hagecius ad annum* 922 *de eo sic scribit :* Tetinæ verò, ubi ejus corpus in cœmeterio humatum fuit, nemo in hodiernum usque diem sepeliri potuit. Nam dum quispiam ibidem tumulatur, sive ipse junior, senex aut puer fuerit, is manè extra sepulcrum reperitur. Atque hoc verissimè ita est : ego enim W. Hagek eamdem Tetinensem ecclesiam probè novi, cùm in ea quinque cum dimidio annis presbyter vixerim ; ibidemque à personis fide dignis certa testimonia obtinui, sed & id etiam recenter aliquoties contigit. *Hagecio consonat Balbinus loco suprà laudato, ubi addit :* Idque cum Hagecio omnis retrò sensit antiquitas. Idem ex pervetusto Pragensis ecclesiæ Breviario confirmatur, Lectione VI in Translatione S. Ludmillæ : "Cœmeterium B. Ludmillæ, jam in ec-„clesiam conversum, nullius exinde hominis se-„pulturam admittit, quin altera mox die cada-„ver è terra ejectum reperiatur „. F

nullum cadaver pati perhibetur.

59 *Hæc eadem in recentiori anni* 1679, *itemque in altero anni* 1732 *Breviario ejusdem archidiœcesis, quod utrumque ad manum habeo, totidem verbis leguntur. Unum præterea addo Joannis Floriani Hammerschmidt testimonium, qui in Historia monasteriorum S. Georgii in Castro Pragensi, sanctique Spiritus in antiqua urbe Pragensi, quam anno* 1715 *Pragæ typis excudit, cùm* § 29 *de isto cœmeterio eadem, quæ suprà, retulisset, subjunxit :* Imò ego à fide dignissimis audivi, quòd ante paucos annos cujusdam domini infans in cœmeterio S. Catharinæ, in quo olim sepultum fuit corpus S. Ludmillæ martyris, sepultus, altera die corpus illius extra sepulchrum sit inventum, & deinde ad ecclesiam S. Michaëlis sepultum. *Hisce, quorum biographus non meminit, annotatis, ad translationem progredior, quam cùm ipse in Vita pluribus describat, sufficerit ea hîc tantummodò tractâsse, quæ elucidatione indigent.*

S. Wenceslaus, regnare auspicatus,

60 *Sub impiæ matris Dragomiræ imperio jam dudum gemuerat sanctus juvenis Wenceslaus, eo præ-*

A *præcipuè ex capite, quòd ipsa non modò in Christianos iniquam sese exhiberet, verùm etiam clericos ac religiosos viros, quorum colloquiis ille multùm delectabatur, omni nisu ab eo arceret, gravissimas ipsis minas intentans, si ad illum accedere attentarent; & occultis machinationibus, eorumdem vitæ insidiata, ita ut pius princeps, divini verbi in primis avidus, non nisi clàm & nocturno tempore ab eorum aliquo instrui jam posset. Hanc itaque tyrannidem exosus, & ulteriùs ferre impatiens, accitam ad se matrem, & quotquot ex optimatibus ipsa impietatis suæ socios habebat, acri oratione perstrinxit, neganque se maternis imperiis imposterum pariturum, ipse regnare auspicatus est, faventibus ipsi atque auxiliantibus primariis ducatûs proceribus, qui ejus lateri soluerant adhærere. Nec multò pòst matrem suam omnis mali machinatricem interim relegavit, donec ipse perturbatum ab ea Bohemiæ ducatum composuisset, damnaque religionis reparâsset.*

sacrum corpus Pragam transferri jubet.

61 *Inter ceteras quoque curas, sanctissimæ aviæ suæ* Ludmillæ *in mentem venit, quam & in Christianis mysteriis magistram habuerat, & ob vitæ sanctimoniam à Dragomira impiè crudeliterque strangulatam esse, jamque cœlestibus prodigiis in Tetinensi humili tumulo inclaruisse, probè sciebat. Paulum igitur presbyterum, qui* Ludmillæ *à sacris olim fuerat, & cum eo alios presbyteros ac religiosos viros Tetinam mittit, qui charissimæ Aviæ* vel ossa, seu pulverem consumptæ carnis digna translatione ad se usque perducerent. *Itum ergo Tetinam est, ibidemque egesta humo, loculo præ putredine partim jam consumpto, sanctæ Martyris corpus mira integritate conspicuum, integrisque vestimentis indutum, à Paulo repertum, Pragamque delatum est. De tempore, quo hæc contigerunt, admodùm obscurè loquitur biographus, sic inquiens:* Repertum est autem corpus fælicis & Deo devotæ famulæ Ludmillæ quartodecimo Kalendas Novembris, hora XII, feriâ quartâ. Intulerunt autem eam Pragam die tertio, feriâ VI, XII horâ ejusdem mensis. *Præmiserat autem*, eâdem nocte, *quâ inventa fuerat*, metropolin usque, ad urbem Pragam scilicet *portatam fuisse.*

De translationis anno,

62 *Hinc liquet, mendum aliquod in hisce notis chronicis cubare, quod non facile divinare est. Si enim pro* die tertio, *quo sacrum pignus in Pragam illatum dicitur, diem* decimumtertium Kalendas Novembris *interpretemur, convenient quidem corporis inventi Tetinæ, & excepti Pragæ, dies per Kalendas notati; sed tum vel priori loco pro* feriâ quartâ *legendum erit* feriâ quintâ *vel posteriori pro* feriâ sextâ, *substituendum* feriâ quintâ. *Verùm cùm de Sanctæ anno emortuali ex suprà dictis non constet, & nihil certius de spatio temporis, quo corpus ejus Tetinæ jacuit, habeamus, frustrà quis ex allatis biographi verbis translationis annum eruere laboret. Ex tempore tamen, quo Tuto, qui à S. Wenceslao Pragam advocatus sacrum corpus tumulavit, Ratisponenſi sedi præfuisse legitur, certi limites statui possunt, intra quos memoratam translationem contigisse oportet. Chronicon breve episcoporum Ratisponensium à Joanne Georgio Eccardo tom.* 2 *Corporis historici medii ævi, à col.* 2243 *editum, Tutonem anno* DCCCLXXXV *Asperto suffectum, annis* XXXV *sedisse, annoque* 921 *Isengrinum eidem successisse tradit. In alio Chronico ibidem à col.* 2253 *excuso, idem Tuto episcopatum anno* 890 *iniisse, eumque annis* 36 aliàs 35 *tenuisse dicitur; qui calculus illum ad annum Christi* 925 *vel* 926 *perducit.*

AUCTORE C. S.

63 *Huic ferè consonat altera Episcoporum Ratisponensium series Ms. in Musco nostro asservata, ubi Tutonis episcopatûs initium anno* 891 *affigitur, & post* 36 *annorum præsulatum anno* 926 *successor ipsi assignatur. At verò Arnolfus Vochburgensis in suo pariter Chronico de eodem ait:* A septimo anno imperii (*Conradi regis*) usque ad duodecimum regni Heinrici Saxonis in vitâ permansit; *atque adeo episcopatum ejusdem usque ad annum* 931 *extendit; nisi fortè Tuto eum ante mortem abdicaverit, quod aliunde mihi incompertum est. Id unum itaque ex hisce habemus, translationem* S. Ludmillæ *ultra citatos annos differri non posse. Non desunt tamen, qui determinatum aliquem annum, & tempus, quo Tetinæ corpus jacuit, assignent. Hagecius in Chronico Bohemiæ, secundùm quem cædes sanctæ Ducissæ anno* 920 *contigerat, translationem mensi Novembri anni* 922 *illigavit, atque ita corpus ejus duobus circitèr supra biennium mensibus Tetinæ jacuisse arbitratus est. Dubravius lib.* 5 *Historiæ Bohemiæ*, plus quàm biennium; *Pontanus à Braitenberg lib.* 2 *Bohemiæ Piæ* integrum triennium *Tetinensi sepulturæ adscribunt.*

nec quidquam certi,

64 *Biennium pariter, annumque* 922 *statuit Balbinus in Auctario* 1 *Historiæ Sancti Montis, cap.* 8, *ubi hæc habet:* Est Tetinæ S. Catharinæ virginis pervetus templum, à S. Ludmilla anno DCCCCX conditum, in cujus templi ambitu (cœmeterium vocamus) biennio Ludmillæ corpus cæsum jacuit, nihil omnino à morte mutatum, magno miraculo nullam è cælo aut terra injuriam passum, recens semper & plenum vitæ apparuit, quod anno DCCCCXXII, x Novembris Wenceslaus sanctissimus nepos Pragam ad D. Georgium, ubi hodieque servatur, transtulit. *Contrà Thomas Pessina in Phosphoro, Radio* 3, *quia* S. Ludmillam *anno* 927 *martyrio coronatam censuerat, translatam anno* 929 *consequenter credidit. Huic consonant Officia propria archidiœcesis Pragensis, & diœcesis Olomucensis, in quibus ad diem* x *Novembris, quo Translatio recolitur, hujus tempus assignatur* decima Novembris anni salutis DCCCCXXIX. *Res, ut patet, dubia est, & pro variorum sensu variè determinata. Ego verò nihil de ea certum habeo, quàm quòd posterioribus Tutonis episcopi annis contigerit, de quibus consule suprà num.* 62 *&* 63.

nisi latè statui potest.

F

65 *Non eodem, quo Pragam corpus allatum est, die ac mense, in S. Georgii ecclesia, teste biographo, tumulatum est. Nam primò quidem postquam omnium oculis publicè spectandum expositum fuisset, cùm terræ jamjam mandandum esset, è sepulcro, quod paraverant, aqua subitò erumpens, ducem Wenceslaum cum adstantibus ab incepto deterruit. Hinc repletâ denuò scrobe, sacrum pignus in suo loculo supra eamdem depositum interim fuit, dum Deus aliter revelare dignaretur.* Spatio dehinc temporis elapso modico, *S. Wenceslaus Tutonem Ratisponensem episcopum, cui Bohemi in sacris tum suberant, per legatos ea de re consuluit; qui illud nihilominus tumulandum esse respondit. Episcopi placitis acquievit Wenceslaus; at cùm ecclesia illa, à patre suo Wratislao condita, nondum ab episcopo consecrata esset, ab eodem petiit, ut Pragam veniret, tum ut eam dedicaret, tum ut sacrum corpus ipsemet sepeliret.*

corpus post frustra tentatam sepulturam

66 *Hisce pii principis postulatis vicissim assensus est Tuto*, advenienque, *ut ait Christannus*, in

ab episcopo Tutone,

AUCTORE C. S.

in primis templum Domino consecravit. Posthinc sex elapsis dierum circulis, suprà fatum corpusculum tumulavit eodem in loco, quo aqua inundaverat. *Ex hac observatione dicta Christanni, in quantum is translationem circa medium Octobrem factam scribit, conciliari possunt cum suprà laudatis Bohemiæ historicis, & Officiorum concinnatoribus, secundùm quos eadem die* x *Novembris peracta est. Videntur nempe hi translationem corporis Tetinâ Pragam factam cum ejusdem solemni in S. Georgii ecclesia inhumatione, & consequenter varium utriusque tempus confudisse; quæ si cum Christanno distinxerimus, facilè intelligemus, sacrum istud Ducissæ martyris pignus circa medium Octobrem Tetinâ Pragam transferri, ibidemque in dicta ecclesia die* x *Novembris denuò tumulari potuisse: neque enim Ratispona tam procul Pragâ distat, quin ad ea, quæ Christannus memorat, peragenda satis superque temporis inter utrumque fluxerit.*

vel ab alio per ipsum missо, tumulatur.

67 *A Trebonensi exemplari, quod nos ex Balbino recudimus, hic discrepat Bodecense apographum, in quo memorata ecclesiæ S. Georgii consecratio, sanctæque* Ludmillæ *sepultura, Tutonis quidem jussu, sed non ab ipso, verùm ab aliquo, qui non nominatur*, coëpiscopo *ipsius facta dicuntur. Juverit ipsa verba hìc retulisse.* Modico post hæc temporis elapso spatio, supradictus princeps B. Wenceslaus, Ratisponam missis legatis (quia Boëmi tunc temporis episcopatûs illius parochiæ erant subditi) pontificem ejusdem civitatis, nomine Tutonem, consuluit, quidnam sibi foret agendum de prædicto corpore Martyris Christi. At ille secundùm datam sibi à Deo scientiam, ut vir magnæ discretionis & industriæ, alta consideratione rem ipsam perpendens, postquam audivit basilicam illam adhuc benedictione pontificali carere; (nam & hoc ipsum diligentissimè ab his, qui transmissi fuerant, inquirere curavit) coëpiscopum suum cum aliquantis clericorum choris allegavit, quo ecclesiam istam dedicaret, & postea corpus beatæ Martyris in loco ipso, quo aqua inundare cœperat, tumularet. Quod ubi completum est eo ordine, quo dixerat episcopus, nullum prorsus aquæ vestigium apparuit in loco, quo tumulanda erant sacratissimæ Martyris ossa. Consecratione itaque basilicæ ritè peracta, & beata Martyre tumulata, episcopus ille remuneratus à principe, ut dignum fuerat, propria petivit. *Hæc ibi, quibus apertè refragatur Christannus in Balbini editione, qui tamen in tantum pariter favet, quòd antistitem illum* coëpiscopum *bis nominet. Verùm parùm refert, uter è duobus ea peregerit, cùm utrumque exemplar consentiat, sub Tutone Ratisponensi præsule eadem facta esse. Malo tamen Balbiniano exemplari, quam Bodecensi hinc inde nonnihil mutato, credere.*

B

C

D

§ VI. Sanctæ corpus post incendium templi repertum: ejusdem tumba gypsea, & argentea capitis theca exhibentur: traditio de quadam Crucifixi imagine: pars pepli miraculo clara: reliquiæ aliæ Pragæ & Ulyssipone.

Corpus Sanctæ in ecclesia abbatiæ S. Georgii

S*Ancti Georgii in castro Pragensi ecclesia, à Wratislao I*, S. Ludmillæ *filio condita, ad quam hujus Sanctæ corpus à sancto nepote suo Wenceslao Tetinâ translatum fuisse, § præcedenti diximus, eodem seculo* x *nobili parthenone Ordinis S. Benedicti auctum est. Loci fundatrix fuit Mlada sive Milada, Boleslai Savi filia, & ipsius Sanctæ proneptis, quæ religionis ergò Romam profecta, episcopalem sedem Bohemis, & monasterii ad S. Georgium erectionem à Joanne XIII Papa impetravit, ipsaque suscepto velamine, prima ibidem abbatissa præfecta, vitam sanctissimè exegit, post mortem* Beatæ *titulo etiam decorata, prout in Opere nostro ad diem* XXVIII *Martii inter Prætermissos, & fusiùs apud Balbinum in Miscellaneis lib.* 4, § 13 *videre licet. Corpus ejus è terra sublatum, pretiosaque lipsanotheca inclusum apud laudatas moniales in quodam sacello, extra altare tamen, venerationis causâ asservatur, ubi illud hoc anno* 1753 *per crystalla ipse spectavi. Utriusque fundationis litteras, à laudato Pontifice ad Boleslaum II Bohemiæ ducem datas, exhibet Joannes Hammerschmidt in Historia ejusdem monasterii jam aliàs citata. Eorumdem quoque exemplar ex vetusto quodam Chronico Bohemo Ms. transumptum habeo, sed neutrubi annus adjectus est: Bohemi scriptores Christi* 971 *assignant. Floret etiam nunc illustre illud monasterium, cujus abbatissa principissæ titulo gaudet, & in solemnitatibus ducali pileo utitur.*

E

F


ab incendio illæsum repertum,

69 *Hagecius ad annum Christi* 1142, *& post eum alii narrant, prædictum monasterium seu templum hostili igne non modò conflagrâsse, verùm etiam penitus corruisse: nocturnis verò temporibus post exstinctum ignem, visas nonnullis esse è templi ruderibus flammas, & inter hasce cælestes spiritus ad cælum usque ascendere. Sanctimoniales autem, quæ ad S. Joannis ecclesiam in Vultaviæ ripa se receperant, ea re intellecta,* S. Ludmillæ *corpus inter ruinas quæri mandâsse, illudque à cœmentario quodam, nomine Werwerio, illæsum repertum esse. Quod ad visionem illam pertinet, ea non nisi traditione, ab hominibus fortè nimiùm credulis orta, niti videtur. Corpus tamen Sanctæ è ruinis editum, libenter credidero; verùm id eo minùs mirabile videri debet, quòd sub terra lateret; quò scilicet flamma non poterat penetrare. Restauratum deinde idem templum est, Sanctæque corpus in eo rursus collocatum.*

jacet ibidem in tumba retro ejusdem altare.

70 *Jacet ibidem hodiedum retrò altare suum, tumbæ gypseæ seu ex albo lapide inclusum, quam hoc eodem anno* 1753 *præsens vidi, & secundùm iconem mihi datam, à chalcographo nostro incisam*





A *ſam curioſo lectori exhibeo. Quo tempore ea tumba facta ſit, ignoro; ſed antiquam eſſe, opus ipſum & celatura manifeſtat. Ante tumbam, ut dixi, altare viſitur eidem ſanctæ Martyri dicatum, in cujus medio ipſa ducali pileo redimita, veloque collum ligata, quia ſcilicet velo ſtrangulata fuiſſe creditur, & palmam martyrii manu geſtans exhibetur: ad cornu verò Epiſtolæ S. Wenceſlai, ad cornu Euangelii S. Viti, patronorum regni ſtatuæ ſpectantur. In eodem altari ſaxum religioſè aſſervatur, de quo conſule ſuprà num.* 51 *& duobus ſequentibus. Ceterùm ara hæc recentioris eſt operis, quàm ut æri incidi, & hic exhiberi mereatur.*

Pars capitis lipſanothecæ incluſa.

71 *Servatur ibi præterea, & fidelium veneration exponitur altera lipſanotheca argentea, ſive herma*, S. Ludmillam *referens, in cujus capite aliqua ejuſdem capitis portio continetur, quam & ego ibidem anno ſuprà notato veneratus fui. Eam æri pariter inciſam huic Commentario inſerere viſum eſt. Iconi autem ejuſdem Pragâ ad nos tranſmiſſæ una ex monialibus, quantùm apparet, ſequentia verbis Gallicis ſubſcripſerat:* Hæc eſt ſtatua argentea S. Ludmillæ, aviæ S. Wen-

B ceſlai, omnis generis anathematis exornata. In medio capitis aliquæ reliquiæ capitis ejuſdem Sanctæ incluſæ ſunt, ſuper quas vitrum ſuperpoſitum eſt, ut fidelium oſculis poſſint exhiberi. *Fertur inſuper Pragæ quædam traditio de lignea crucifixi Domini imagine, quam ſuper* S. Ludmillæ *tumulo olim ſtetiſſe aiunt, quamque alii ſæpe memoratis S. Georgii monialibus, alii eccleſiæ metropolitanæ adſcribunt.*

Traditio de quadam Crucifixi imagine.

72 *Celſiſſima Franciſca Helena Pieronin de Galliano, prædicti parthenonis abbatiſſa & princeps, in Vita* S. Ludmillæ *Germanica, quam ipſa auguſtiſſimæ imperatrici Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ dicavit, & cujus exemplar anno* 1694 *excuſum habeo, de ſacra illa imagine ſcripſit, eam, cùm anno* 1142 *S. Georgii eccleſia hoſtili incendio, cujus ſuprà meminimus, penitus conſumpta fuiſſet, ſupra Sanctæ tumulum omnino illæſam ab igne repertam eſſe, eamdemque anno* 1283 *ſupra ejuſdem item tumulum è ſiniſtro pede ſanguinem ſtillâſſe, ſterilitatis, famis, quæque haſce conſequi ſolent, calamitatum prænuntium. Sub finem addit:* Hic autem prodigioſus Crucifixus hodiedum in choro virginum, in mo-

C naſterio S. Georgii, debita cum devotione colitur, magnique ſacri theſauri inſtar habetur. *Ejuſdem Crucifixi effigiem cum adjecta illius brevi hiſtoria, Germanicè edita, præ manibus habeo, in qua eadem dicuntur, laudaturque Vita* S. Ludmillæ *& Traditio. De loco, ubi nunc ſacra illa Crux aſſervetur, Joannes Peſſina in Sacris Pulveribus Bohemiæ ad diem* XV *Januarii, & ex eo Joannes Hammerſchmidt, jam antè laudatus, ſic aiunt:* Crucifixus porrò, tot malorum prodigioſo illo ſudore denuntiator, hodieque vel in odeo monialium venerationi earumdem expoſitus eſt, vel in metropolitana proſtat in ſacello, per quod choraliſtæ ſuum chorum conſcendunt: utrique enim loco fama ſuffragatur.

Pars pepli Sanctæ

73 *Magis conteſtatum eſt, quod de ejuſdem* S. Ludmillæ *peplo Coſmas Pragenſis decanus, oculatus prodigii teſtis, lib.* 3 *Chronici Bohemiæ tradidit;* Eodem, *inquiens*, anno (1100, *ut præmiſerat*) admirabile, & ſæclis commemorabile, quod divina gratia per merita ſanctiſſimæ matris Luidmillæ dignata eſt revelare miraculum, uti ipſi vidimus, veſtræ caritati pandimus. Nam domina abbatiſſa Windelmuth, famula Deo devota, eccleſiam S. Petri Apoſtoli, ſitam in territorio ejuſdem monaſterii, cui præerat, ex vetuſtate à fundamento dirutam uſque ad perfectionem deducens, reædificavit. Quam ut conſecraret præſul, cùm impetrâſſet abbatiſſa, dum ex more reliquias collocat in pyxide, inter alia obtulit domina præſuli pannum unius palmæ latum, quem acceperat de peplo S. Luidmillæ, rogans, ut ſimiliter inter reliquias ſanctas ponat eum in pyxide. Tunc præſul quaſi indignans, ait: Tace, domina, de ejus ſanctitate; dimitte avùm Aviam quieſcere in pace.

ignem illæſa perfert:

74 Ad hæc abbatiſſa, Noli, inquit, domine, noli talia dicere; multa enim Deus per ejus merita quotidie operatur magnalia. Mox juſſu præſulis ſartago adfertur magna, prunis ardentibus plena, ubi, invocato ſanctæ Trinitatis nomine, præſul injecit pannum ſuper flammivomos carbones. Mira res! Fumiculus & flammicula circa pannum emicuit, ſed minimè nocuit. Et hoc etiam magni fuit in argumentum miraculi, quòd propter nimium ardorem diu non potuit pannus de flammis eripi, & tandem ereptus, ſic viſus eſt integer & firmus, acſi eadem die foret textus. Quo tam evidenti præſul & omnes nos perculſi E miraculo, lacrymas fundimus * præ gaudio, & gratias retulimus Chriſto. Dedicata eſt autem eccleſia in honorem S. Petri Apoſtoli VI Non. Octobris. *Huc uſque Coſmas, miraculi ſpectator. Ubi autem Windelmuth, (quod non abbatiſſæ, ſed monaſterii nomen fuiſſe, Hagecius aliique omnes aiunt) ſitum fuerit, non potui aſſequi, niſi quòd in Vita Germanicæ, de qua ſuprà meminimus,* in Romano imperio *fuiſſe dicatur.*

* fudimus

ejuſdem brachium in metropolitana Pragenſi,

75 *De aliis ſanctæ Duciſſæ noſtræ reliquiis præterea reperi, earum partem aliquam in Pragenſi metropolitana S. Viti eccleſia aſſervari. Ita aſſerit Joannes Peſſina, Radio* 4 *Phoſphori, in Diario ſive indice ſanctarum reliquiarum, quas eadem eccleſia religioſè complectitur; ubi ad diem* XVI *Septembris ſic habet:* S. Ludmillæ M. aviæ S. Wenceſlai, brachium & duæ minores partes. *Solius brachii meminit apographum Ms. Kalendarii ſanctæ Pragenſis eccleſiæ anno* 1647 *ad Muſeum noſtrum tranſmiſſum, in quo ad diem* X *Novembris hæc lego:* Tranſlatio S. Ludmillæ viduæ & M., aviæ S. Wenceſlai, de caſtello Thetin ad eccleſiam S. Georgii in caſtro Pragenſi, jubente & procurante S. Wenceſlao: cujus brachium auro & argento ornatum habet eccleſia Pragenſis. *Neque dubium videtur, quin etiam aliis in locis ſanctiſſimæ hujus Matronæ aliquot ſacræ reliquiæ honorentur, quamvis nullam certam de iis notitiam acceperim.*

F

aliæ reliquiæ Ulyſſipone

76 *Ulyſſipone tamen in Luſitania aliquam earumdem portionem in domo profeſſorum Societatis Jeſu in veneratione eſſe comperi, quam unà cum multis aliorum Sanctorum reliquiis Joannes Borgias, S. Franciſci Borgiæ filius, ejuſque conjux Franciſca Aragonia, à Rudolpho II Romanorum imperatore, & auguſtiſſima hujus matre Maria, impetrârunt, annoque* 1587 *menſe Octobri Ulyſſiponem allatam, prædictæ domui Societatis noſtræ donârunt. Hæ omnes poſtquam ab archiepiſcopo Michaele de Caſtro legitimè approbatæ fuiſſent, anno ſequenti, qui erat Chriſti* 1588, *die* XXV *Januarii ingenti cum pompa ſolemniter tranſlatæ fuerunt, & in laudatæ domus eccleſia depoſitæ. Solemnitatem pompæ Albertus Auſtriacus, tum temporis Luſitaniæ prorex, qui dictas reliquias piè veneratus fuerat, mandari litteris voluit; exſtatque de ea libellus ab Emmanuele de*

AUCTORE C. S.

Campos Luſitanicè conſcriptus, quem Alvarus de Veancos deinde Hiſpanicè reddidit. Hujus tranſlationis Majores mei in Prætermiſſis ad diem XXV *Januarii meminerunt, ubi & Catalogum omnium earum reliquiarum lector inveniet.*

in domo Profeſſorum Societatis Jeſu honoratæ.

77 *Utrumque libellum in Muſeo noſtro habemus; ſed quia ea celebritas plurimis ſanè communis eſt, & aliorum Sanctorum inſigniores, quàm quæ* S. Ludmillæ *ſunt, reliquiæ in ea tranſlatæ fuiſſe videntur, viſum non fuit eum hîc excudere. Obſervo dumtaxat, magnum illum reliquiarum theſaurum variis pretioſis thecis incluſum, & duodecim feretris impoſitum, feſtivè circumlatum fuiſſe. In ſexto autem feretro erat etiam theca argentea duos palmos longa, unumque cum dimidio lata, ex una parte inaurata, variiſque vitris ſeu cryſtalis, eleganti opere diſpoſitis, perſpicua, quæ inter ceteras reliquias aliquam etiam* S. Ludmillæ *portionem continebat, ut laudati ſcriptores teſtantur. Addunt etiam omnes haſce in ea theca incluſas, ab Horatio Malaſpina, nuncio Apoſtolico apud Rudolphum II, antè approbatas fuiſſe, atque ita conſtare ex litteris patentibus, die* XXIV *Martii anno* 1579 *datis, propriaque manu ac ſigillo firmatis. Plura de hac ſancta Ducisſa ac Martyre non reperi: Vitam itaque ſubjungo.*

B

VITA

Auctore Chriſtanno de Scala, monacho, Sanctæ pronepote

Ex editione Bohuſlai Balbini, lib. I, *cap.* IO *Epitomes Rerum Bohemicarum.*

PRÆFATIO.

C

S. Adalberto cauſam ſcribendi exponit

DOmino *a* & ter beato ſanctæ eccleſiæ Dei Pragenſis ſecundo pontifici Adalberto *b* humillimus, & omnium monachorum, nec dicendus, infimus frater, Sanctus nomine Chriſtianus *c*, in Chriſto Jeſu proſperis ſucceſſibus ad vota pollere. Paſſionem B. Wenceſlai *d*, ſimul cum avera *e* ſua beatæ memoriæ Ludmilla, qui velut nova ſidera lumine virtutum ſuarum patriam ſuam Bohemiam cum omni ſimul gente irradiant, diverſis compoſitionibus, & non pleniter diſſertam reperiens, dignum duxi, ut veſtram ſanctitatem, qui ex eodem tramite lineam propaginis trahitis *f*, adirem, quò ex juſſione veſtra, ſimul & licentia, aliquo modo eam corrigerem, vel ſi qua deeſſent, hos, qui adhuc ſuperſtites eſſent, ſenes, ſeu religioſos quoſque, qui eorum geſta vel acie oculorum hauſiſſent, ſeu auditu, aliorumque narratione comperiſſent, percunctarer, atque hîc adderem. Quod etiam ſolicitus fui agere, non jactantiæ cujuſdam cauſsâ, quippe cùm omnibus modis imperitus ſim ſermone, & ab omni lepôre verborum extraneus (quamvis ſi hæc cuncta in promptu forent, moles tamen peccaminum ad merita tantorum propalanda devitaret;) ſed quia ineptiæ noſtræ ſimul & pigritiæ maximæ ſunt, ſtudiaque noſtra ſtudiis ſcholaſticorum comparata, ſtudia eſſe deſiſtunt, non deſperans de venia ob enormitatem criminum, prout vires ſufficerent ex adjuvamine ipſorum Sanctorum confidens, ut ſe res habeat, aggrediar exarare ſtylo.

a
b
c
d
e
f

D

& ſe ſuumque Opus ipſi commendat.

2 Sed in primis hoc dicendum: quomodò, ſi talium, tanquam præcipuorum Sanctorum, atque idoneorum teſtium Chriſti, gleba in partibus Lutheringorum ſeu Carlingorum *g*, cæterarum vel Chriſtianarum gentium contineretur, in ſignum miraculorum virtutibus vernans, olim geſta hæc aureis, ut ita dixerim, apicibus depinxiſſent, reſponſoriorum, cantilenarum cum antiphonis adjectis, ſermonum exhortationibus decorâſſent, cum plurimorum mœnibus cœnobiorum, quamvis ipſi horum ſimilium martyrum, ſanctorum confeſſorum, virginum, reliquorumque Sanctorum exultent poſſidere venerabilia pignora; at nos horum carentes cunctorum, hos, ut ita fatear, poſt Dominum ſolos habentes, quaſi indignè tractamus, eorumque de die in diem virtutes videntes, veluti increduli manemus, eis ſervire diſſimulamus. Hactenus de noſtra deſidia dixiſſe ſufficiat; nunc vos deprecor, pontifex inclyte, & nepos *h* chariſſime, ut qui me immeritum hoc opus ſubire feciſtis, precibus apud communem Patruum *i* juvetis, ut qui vos meritis ſuis ad pontificale decus conſcendere ſtatuit, dum vobis in futuro apud Chriſtum Dominum coronam gloriæ, reportato lucro de creditis ovibus, acquiſierit, nobis ſaltem veniam criminum impetrare dignetur. Veſtrâ etiam illuſtri ſapientiâ, quod noſtra fatuitas inſipienter ebullivit, obnixè petimus obliterari, atque doctrinâ veſtrâ decorari. Auctoritate etiam veſtrâ hæc eadem firmare dignemini, quò ſaltem per parochiam *k* veſtram ſcribatur, legaturque. His itaque breviter prælibatis, ad geſta eadem propalanda accingamur, tam meritis beati martyris, quàm precibus veſtris effulti, auxiliante Domino noſtro, & Salvatore Jeſu Chriſto.

g

E

h

i

k

ANNOTATA.

F

a *Unde hanc Vitam Balbinus acceperit, diximus in Commentario prævio num.* 5. *Apud laudatum Balbinum præmittitur :* Vita S. Ludmillæ incipit feliciter.

b *Hujus ſancti epiſcopi & martyris Vitam illuſtratam habes in Opere noſtro ad diem* 23 *Aprilis. Ibidem in Commentario prævio* § 1 *dicitur epiſcopus Pragenſis conſecratus anno* 983, *annoque* 989 *epiſcopatu relicto Romam adiiſſe, atque inde circa annum* 994 *Pragam remiſſus; quam non diu poſt, commota adverſum ſe perſecutione, denuò reliquit, neque umquam eò regreſſus, anno* 997 *in Pruſſia martyrio coronatus eſt.*

c De Chriſtanno (*ſic enim eum probabiliùs appellatum fuiſſe diximus*) *conſule Commentarium prævium num.* 5 *& ſeqq.*

d *De S. Wenceſlao, Bohemiæ duce ac martyre, agendum erit ad diem* 28 *hujus menſis Septembris, quo colitur. De eodem frequens mentio in hac Vita recurret.*

e *Id eſt* avia: *fuit enim* S. Ludmilla, *prout ex ſequentibus patebit, mater Wratiſlai I Bohemiæ ducis, ex quo & impia Dragomira, ethnica muliere, S. Wenceſlaus natus eſt.*

A f *S. Adalbertum per Strzezyſlavam matrem fuiſſe abnepotem* S. Ludmillæ *oſtendimus in Commentario prævio, num. 7, quem conſule.*

g *Per partes* Lutheringorum ſeu Carlingorum *deſignat Lotharingiam & Franciam, ubi Caroli Magni poſteri regnârunt. Obſcura autem periodo Chriſtannus populares Bohemos ſuos redarguit, & ad religioſiorem* SS. Ludmillæ *& Wenceſlai cultum excitat exemplo Francorum, apud quos ait laudatos Sanctos inſigniori cultu honorandos fuiſſe, ſi eorum corpora habuiſſent, licèt iidem plurimas aliorum Sanctorum reliquias poſſideant, apud Bohemos autem præter iſta vix ulla reperiantur. Porrò* gleba *in eadem periodo pro* corporibus *ſeu* reliquiis *uſurpatur.*

h *Erat enim S. Adalberti avunculus Chriſtannus, matris ſcilicet ipſius Strzezyſlavæ frater, ſanctaque* Ludmillæ *pronepos. Adi Commentarium prævium num. 7*

i *Deſignare videtur S. Wenceſlaum, Boleſlai Savi, qui Chriſtanni pater, ſanctique Adalberti avus fuit, germanum fratrem ex Wratiſlao I & impia Dragomira.*

B k *id eſt per Diœceſim Pragenſem.*

CAPUT I.

Bulgarorum & Moravorum ad Chriſti fidem converſio: Borzivoji Bohemiæ ducis baptiſmus, exſilium, reditus in ducatum, & religio.

S. Cyrillus Bulgaris & Moravis prædicat: a

MOravia regio Slavorum antiquis temporibus, famâ memorante, creditur & noſcitur Chriſti fidem percepiſſe, Auguſtini magnifici doctoris, ut aiunt, temporibus *a*; Bulgri vel Bulgarii attamen longè antè eâdem potiti fore referuntur gratiâ. Siquidem Quirillus quidam, C natione Græcus, tam Latinis, quàm ipſis Græcorum apicibus inſtructus, poſtquam Bulgri crediderant, aggreſſus eſt in nomine SS. Trinitatis ac individuæ Unitatis etiam ſupradictæ genti Moraviæ degenti, fidem D. N. Jeſu Chriſti prædicare *b*, & cooperante gratiâ divinâ, poſtquam illos Chriſto lucratus erat, etiam apices & characteres novos comperit, & Vetus Novumque Teſtamentum, pluraque alia de Græco ſeu Latino ſermone, Slavonicam in linguam tranſtulit *c*; Miſſas præterea, ceteraſque Canonicas Horas in eccleſia publica voce reſonare ſtatuit; quod & uſque hodie in partibus Slavorum à pluribus agitur, maximè in Bulgariis, multæque ex hoc animæ Chriſto Domino acquiruntur. Cùmque quodam tempore memoratus Quirillus Romam cauſsâ orationis adiſſet, à ſummo Pontifice, vel à reliquis ſapientibus, & rectoribus Eccleſiæ redarguitur, ut quòd contra ſtatuta canonum auſus fuerit Miſſarum ſolemnia inſtituere, canere Slavonicâ linguâ.

2 Illo humiliter ſatisfaciente illis, nec omninò eos mitigare valente, arrepto Pſalterio, verſum Pſalmographi in medium recitavit, quo dicitur, Omnis ſpiritus laudet Dominum, & ipſe verſui alludens: Si, inquit, omnis ſpiritus laudet Dominum, cur me patres electi, prohibetis Miſſarum ſolemnitatem modulari Slavonicè, ſeu alia quæque de Latino vel Græco verbo, eorum vertere in ſermonem? Si enim quiviſſem ullo modo ſubvenire populo illi, ut cæteris nationibus linguâ Latinâ vel Græcâ, omnimodo id non præſumpſiſſem, ſed cernens populum duræ cervicis fore, & omninò idiotas, & ignaros viarum Dei, ſolum hoc ingenium Omnipotente cordi inſpirante comperi, per quod etiam multos illi acquiſivi. Quapropter ignoſcite mihi patres & domini, ſiquidem & beatus apoſtolus Paulus, doctor gentium, in Epiſtola ad Corinthios juſſit: Loqui linguis nolite prohibere. At illi hæc audientes, & admirantes tanti viri fidem, authoritate ſua ſtatuunt, & firmant ſupradicto ſermone partibus in illis Miſſarum ſolennia, ceteraſve canonicorum horas, hymnizari. Ipſe autem B. Quirillus inibi perſiſtens, monachicumque habitum ſuſcipiens, diem clauſit extremum *d*, relinquens ſupramemoratis in partibus fratrem ſuum nomine Metudium, virum ſtrenuum, omnique decoratum ſanctitate.

Romæ ſe purgat, & ungitur.

3 Qui & poſtquam multos Chriſti Domini manipulos in horreo congregavit, ab ipſo principe, qui partibus in illis tunc dominabatur, & imperabat univerſæ terræ, ceu magnificus imperator *e*, ſtatuitur ſummus pontifex, habens ſub ſe ſeptem ejuſdem ſanctitatis pontifices. *f* Sed quia ab ipſo mundi exordio, vetiti poſtquam ſumſit amaritudinem Protoplaſtus pomi, ſeminarium diſcordiæ inter humilitatem & ſuperbiam, inter dilectionem & odium, & reliqua virtutum odoramenta, vitiorumque fœtorum humani generis inimicus uſque ad præſens fundere non deſiſtit, ac dolens populum, ſuis ſervitiis mancipatum, ſibi ſubtrahi, veroque regi Chriſto Domino acquiri, totis nequitiarum armis indutus, novos ſatellites, & ignaros ad tantam perfidiam bellandi adit, diſcordiarum venenata ſemina inter ipſos primarios rectoreſque jactitat, ſuperbiæ ac avaritiæ iguita tela parat, in tantum, ut Swatopluk, qui erat nepos principis, vel regis religioſi, quique inſtitutor & rector totius Chriſtianitatis ſeu religionis benigniùs extiterat, ipſum avunculum ſuum inſidiis appetitum regno pelleret, viſu privaret, vitamque ejus veneno conaretur auferre. Sed hauſto ille peſtifero potu, protegente ſe divinâ gratiâ, nil adverſi patitur *g*.

Moraviæ rex converſus, expellitur, E *e* *f* *g* *cui ſuccedit diſcolus Swatopluk.*

4 Dehinc Swatopluk tyrannide ſuſcepta, faſtu arrogantiæ inflammatus, cum ſibi militantibus ſodalibus, pontificis Metudii prædicationem mellifluam quaſi reſpuit, monitaque ſacratiſſima non pleniter recipit; verùm membra ſua, ſcilicet plebem populumque, partim Chriſto, partim diabolo ſervire exhibuit. Quapropter à pontifice beatæ memoriæ ſupranotato, pugnus *h* ejus cum habitantibus incolis anathemate percuſſa, cum ſulcis ſuis & fructibus diverſis cladibus attrita, uſque in hodiernum diem defletur; data eſt enim in direptionem, & captivitatem, & prædam, & deriſum, & deſolationem, & in ſibilum univerſæ carni gradienti per eam *i*, quomodò non eſt ſocietas luci ad tenebras, nec conjunctio Chriſti cum Belial. Quorum exempla nos quoque videntur reſpicere, qui eiſdem paſſibus conamur incedere; quoniam qui domum vicini ſui conſpicit concremari, ſuſpectus debet eſſe de ſua. *h* *i*

5 At verò Slavi Bohemiæ *k*, ipſo ſub Arcturo poſiti, cultibus idololatriæ dediti, velut e- *k*

A. CHRISTANNO DE SCALA. *Bohemorum dux Borzivojus*

quus infrenis sine lege, sine ullo principe vel rectore, vel urbe, uti bruta animalia sparsim vagantes, terram solam incolebant. Tandem pestilentiæ cladibus attriti, quandam pythonissam *l*, ut fama fertur, adeunt, postulantes specie consilii, responsumque divinationis. Quo accepto, civitatem statuunt, nomenque imponunt Pragam. Posthinc invento quodam sagacissimo atque prudentissimo viro, cui tantùm agriculturæ officium erat, responsione pythonissæ principem seu gubernatorem sibi statuunt, vocitatum cognomine Przemysl, junctâ ei in matrimonio suprà memoratâ pythonissâ virgine, sicque à clade & multiplici peste tandem eruti, dehinc à suprà memorato principe ex sobole ejus rectores seu duces imposuêre sibi, servientes dæmoniorum simulacris, & profanis sacrificiorum ritibus bacchantes, donec ad extremum dominatus ejusdem regni *m* pervenit ad unum, ex iisdem principibus ortum, vocitatum Borziwoy. Hic cùm excellentissimæ formæ, & egregiæ juventutis flore nitesceit, quodam tempore negotii sui populique sibi commissi caussâ, ducem suum vel regem Swatopluk *n*, Moraviæ adiit, à quo benignè suscipitur, ad convivium pariter cum reliquis assistitur. Verùm sessionis ei locus inter Christicolas minimè conceditur, sed ritu paganorum ante mensam pavimento jubetur insidere.

l

m

n

B

in Moravia a S. Methodio instructus,

6 Cujus præsul Metudius injuriæ condolens, fertur dixisse ad eum: Væ, inquit, quòd tu talis tantusque, haud erubescis à principalibus repelli sedibus, cùm & ipse in fascibus ducatum obtineas; sed magis cupias ad nefandam idolorum culturam cum subulcis humo tenus incubare! At ille: Quid, inquit, ob hujuscemodi rem periculi patior, vel quid boni mihi confert Christianitatis ritus? Si, inquit præsul Metudius, abrenunciaveris idolis, & inhabitantibus in eis dæmonibus, dominus dominorum tuorum efficieris, cunctique hostes tui subjicientur ditioni tuæ, & progenies tua augmentabitur velut fluvius maximus, in quo diversorum confluunt fluenta rivulorum. Et si, inquit Borzivoy, res ita se habet, quæ mora est baptizandi? Nulla, inquit pontifex; tantùm paratus esto ex integro corde credere in Deum Patrem omnipotentem, ejusque Unigenitum, Dominum N. Jesum Christum, & in Spiritum Paraclitum illuminatorem omnium fidelium; non tantùm mundialis causâ substantiæ, verùm etiam capessendæ salutis tuæ & animæ, & acquirenda perennitate glorioſæ palmæ, atque percipienda societate *o* Sanctorum ineffabili lætitiâ.

C

o

& baptizatus, rebellantibus propterea suis,

7 His & hujusmodi mellifluis exorationibus accensa mens juvenis, æstuabat gratiam baptismi percipere, & ut ne ulla mora fieret, cum suis omnibus, qui eum comitabantur, terratenus pedibus pontificis advoluti, obnixiùs postulavêre. Quid plura? manè facto, ipsum ducem cum suis triginta, qui advenerant, catechizans, peractis jejuniorum ex more solenniis, sacrosancto baptismatis fonte innovavit, pleniterque eum de fide Christi instruens, multis locupletatum donis, ad propria redire concessit, tribuens ei venerabilis vitæ sacerdotem nomine Caïch; qui reversi in sua, in castello, cui vocabulum inerat Hradecz *p*, suprædictum sacerdotem statuunt, fundantes ecclesiam in honorem beati Clementis Papæ & martyris *q*, multa detrimenta sathanæ ingerentes, populum Christo Domino acquirentes. Quæ cernens perfidus chelydrus, propriis armis sumptis *r* antiqua bella repetit, populum cunctum Bohemorum in furorem principis accendit, eò quòd paternos mores relinqueret, & novam atque inauditam sanctitatis legem Christianorum arriperet. Surgunt adversùs eum uno animo, eâdemque sententiâ, suisque eum à finibus proturbare conantur, seu etiam vitam auferre moliuntur.

p

q

D

r

fugit in Moraviam:

8 Quo agnito, princeps se se ab eis removit, rursusque regem Swatopluk seu pontificem Metudium Moraviæ repetivit, à quibus charissimè, & ut decebat, suscipitur, aliquantulùm apud eos degens, perfectiùs doctrinam Christi nanciscitur. At verò plebs perfecta * in nequitia sua permanens, quendam ducem, Stroymir nomine, cujus in Latinum sermonem vertitur, REGE PACEM *s*; qui apud Theutonicos profugus exulabat, gente ex sua missis legatis, ad propria eum reducunt, sibi principem statuunt. Verùm quia Veritas minimè fallit, quæ ait in Euangelio: "Omnis plantatio, quam non plantavit Pa„ter meus cœlestis, eradicabitur„, ipsâ cooperante, dissipatum est consilium pravorum fœliciter. Nam idem eorum electus dux, licèt ex eisdem genitus foret, diuturna tamen exulatio eum proprii privaverat eloquio labii. Quapropter à suis electoribus rejicitur, se ipsos primùm accusantibus, videlicet quòd talem sibi elegissent, cujus neque vocem neque sermonem nôssent haurire, quoque clamores aures ejus ignaras linguæ suæ penetrare non valerent *t*. Et quoniam Dei providentia disponente, suprà memoratus princeps Borzivoy, plurimos amicorum inibi secedens reliquerat, agitur eorum consilio, ut animus furentium plebium erga benignum rectorem mitigaretur, atque adversùs invasorem perfidum toto annisu instigaretur ad necem. Verùm, quoniam pars quàm maxima perfidorum tyranno favebat, ineunt consilium partibus ex utrisque, quo civitatem metropolim, Pragam scilicet, egredientes in campo, quod sibi gerendum foret, perquirerent *u*.

s

E

t

u

inde revocatus, ecclesiam ædificat, &c.

9 Sed perfida pars perfidorum properè agens, arma secum, loricasque occultè in eumdem campum deferens, piorum adversùs partem signum occultum necis inter se condixit, scilicet, ut si ibi, qui ex parte principis Borzivoy erant, eis assentire nollent, quilibet eorum excelsa voce occultum in medio proclamaret signum, inquiens: Variemus, variemus nos! sicque jam loricis & galeis, quas absconditè tulerant, induti, universos sibi contradictores frameis necarent. Quod consilium eorum pessimum minimè partem Borzivoji latuit; itaque & ipsi loricis sub tunicis induti, procedunt in campum pro definiendo statuto *x* principis. Cúmque parti Stroymir non placuisset consultus partis Borzivoji, unus eorum vocem in altum elevans, proclamat: Eja nostri, variemus nos! Qua voce hausta & cognita, pars Borzivoji, quæ & loricata sub tunicis advenerat, Bene, inquit, bene dixisti! Ecce nunc diversis coloribus apparebis variatus. Sic ferro obtruncato *y*, cunctos ejus socios fugam inire coëgerunt, eorumque falsum principem ex patria pepulerunt. Moraviæ *z* dehinc próperantes, pristinum ducem reducentes, loco proprio restituunt. Quomodo * verò idem princeps Moraviæ degens, Omnipotenti Deo votum voverat, videlicet quò si eum Dominus ad propria cum honore reduceret, basilicam in honore beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ

F

x

y

z

* *al.* Quoniam

A riæ ædificaret, reverſus, ſine mora votum ſuum implere ſtuduit in ipſa civitate Pragenſi. Hic primus fundator locorum ſanctorum, congregatorque clericorum, & tantillæ, quæ tunc fuit, religionis inſtitutor exſtat.

ANNOTATA.

a *Non ſatis liquet, quam converſionem hîc indicet Chriſtannus. S. Paulinus in Vita S. Ambroſii epiſcopi Mediolanenſis ad S. Auguſtinum, ſcribit Fritigildem Marcomanorum reginam, miſſis ad laudatum Ambroſium muneribus, de religione Chriſtiana inſtrui petiiſſe, eamdemque, accepta ab illo ſancto doctore epiſtolâ, in catechiſmi modum conſcriptâ, una cum viro ſuo regnoque Romanis in clientelam ſe dediſſe. Hunc fortè reſpexit Chriſtannus, ſive quòd Moravia aut aliqua Moraviæ pars Fritigildi olim paruerit, ſive quòd ea occaſione lumen aliquod fidei eò etiam penetraverit. Marcomanos autem ante Sclavos Moraviam tenuiſſe, plurimi ſcriptores tradiderunt.*

b *Acta SS. Cyrilli & Methodii, Sclavicæ gen-*
B *tis apoſtolorum, illuſtrata habes ad diem 9 Martii; ubi etiam de Bulgaris, Moravis, Bohemis, aliiſque gentibus per eos ad Chriſti fidem adductis tractatum eſt. Verùm non ſatis accuratè hîc loquitur Chriſtannus, dum Bulgaros fidem ſuſcepiſſe ait* longè ante *Moraviæ incolas, cùm tamen hoſce* S. Auguſtini... temporibus *converſos fuiſſe ſuprà dixerit; iſtos verò, Bulgaros ſcilicet, à SS. Cyrillo & Methodio, id eſt, circa aut poſt medium ſeculi noni, hîc aſſerat. Dicendus itaque eſt biographus hîc ſolùm affirmare voluiſſe, Bulgaros à laudatis Cyrillo atque Methodio Chriſtianis ſacris, quæ dudum deſeruerant, initiatos fuiſſe multis annis, antequam Bohemi eadem admiſerunt.*

c *De novis hiſce Sclavicis characteribus, & ſacris libris Sclavonicè verſis ſtudioſus lector conſulere poteſt Bollandum noſtrum in laudato Commentario prævio ad Acta SS. Cyrilli & Methodii,* § 3, *& Balbinum in Notis ad hanc Vitam* S. Ludmillæ.

d *Adi Commentarium prævium ad Vitas SS. Cyrilli ac Methodii, loco mox citato, ubi tam hæc, quàm alia ad Sanctos iſtos ſpectantia expo-*
C *ſita fuerunt. Obſervo tantùm, ex Chriſtanni narratione converſionem Bohemorum S. Cyrillo adſcribi non poſſe, licèt nonnullis aliter viſum ſit.*

e *Fuit hîc* Raſtizes *Moraviæ rex, ab aliis* Reſtitius *appellatus, neque deſunt, qui eumdem etiam* Swatoplukum *dictum fuiſſe opinantur.*

f *Septem hos epiſcopatus à ſe dudum quæſitos fatetur Bollandus noſter in Annotatis ad Lectiones eccleſiaſticas de SS. Cyrillo & Methodio tom. 2 Martii, pag.* * 24 *datas, neque repertum ſibi eſſe præter Nitrenſem, cui ſub Methodio archiepiſcopo præfuit Wichinus, ut ex litteris Joannis VIII PP., ibidem pag.* * 18, *num.* 32 *relatis, habemus.*

g *Vide, quæ in Commentario prævio num.* 18 *& 23 de Raſtize & Swatopluko nepote ejus ex variis Annalibus breviter annotavimus: de propinato tamen eidem Raſtizi per Swatoplukum veneno nihil apud alios reperi. Porrò Raſtizis captivitatem iidem Annales anno Chriſti* 870 *illigant.*

h *Ita in Ms. ſuo Trebonienſi legit Balbinus, qui in margine annotavit:* Al. humus. *Certè quæcumque vox à Chriſtanno hîc adhibita fuit, ea* humum *ſeu* terram *ſive* regnum *ſignificabat.*

i *Huc ſpectant, quæ in Annalibus Metenſibus apud Cheſnium tom.* 3 *Scriptorum Franciæ, ad annum Chriſti* 894 *leguntur.* Circa hæc etiam tempora Zuentibolch (*ſic Swatoplukus ibi appellatur*) rex Marahenſium Sclavorum, vir inter ſuos prudentiſſimus & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum. Cujus regnum filii ejus pauco tempore infeliciter tenuerunt, Ungaris omnia uſque ad ſolum depopulantibus. *Hiſce conſonat Coſmas Pragenſis decanus lib.* 1 *Chronici, ubi poſt relatam Swatopluki mortem ſubdit:* Cujus regnum filii ejus parvo tempore, ſed minùs feliciter tenuerunt, partim Ungaris illud diripientibus, partim Teutonicis Orientalibus, partim Polonienſibus ſolotenus hoſtiliter depopulantibus. *Plura qui volet, conſulat obvios Moravorum ſcriptores. Porrò obſervandum hîc eſt, Chriſtannum, ut res Moravicas compendio perſtringeret, earumdem tempora non diſtinxiſſe; qua de re conſule Commentarium prævium num.* 23 *& duobus ſequentibus.*

k *Hic incipit de Bohemis agere, qui Sclavi origine eam regionem jam olim occupaverant; ad quorum converſionem ut deveniat, res patrias* E *altius repetit.*

l *Bohemi ſcriptores pythoniſſam hanc* Libuſſam, *vel* Luboſſam, *Croci II Bohemiæ ducis filiam fuiſſe tradunt, de qua & marito ejus Priſmilao multa memorantur fabuloſa, quæ apud Coſmam Pragenſem lib.* 1 *Chronici, & apud Æneam Silvium cap.* 5 *&* 6 *Hiſtoriæ Bohemiæ legi poſſunt.*

m Borziwojum *ſeu* Borzivojum, *aliis* Borivojum & Borivorium *dictum, Hoſtiviti Bohemorum ducis filium & ſucceſſorem fuiſſe, Bohemiæ ſcriptores affirmant.*

n *Nonnulli, inter quos Bollandus noſter eſt, opinantur, hunc Swatoplukum ſeniorem fuiſſe, diſtinctumque ab illo Swatopluko, de quo Chriſtannus ſuprà num.* 4 *nominatim meminit; quod nobis quidem minùs probabile apparere, diximus in Commentario prævio* § 2.

o *Vitioſa hæc periodus in Ms. Bodecenſi inter Vitas SS. Cyrilli & Methodii edito à Bollando, ſic reſtituta legitur:* Tantùm paratus eſto ex integro corde credere in Deum Patrem omnipotentem,.... non tantùm mundialis cauſsâ ſubſtantiæ, verùm capeſſendæ ſalutis animæ tuæ, & acquirendæ perennitatis gloriæ, ſimul etiam percipiendæ ſocietatis Sanctorum, & ineffabilis lætitiæ eorum. F

p *De hoc caſtello Balbinus lib.* 3 *Miſcellaneorum, cap.* 8, § 3 *ſic ait:* Hradecz Kralowe (Græcium, Reginohradecium, Konigingrats) urbs libera, reginæ dotalis cum arce pervetuſta & caduca. *Notat etiam ibidem, eam* 13 *milliaribus à metropoli Praga diſtare. In Bodecenſi exemplari* Gradicz *vocatur.*

q *Ad hæc laudatus Balbinus lib.* 1 *Epitomes, cap.* 10 *annotavit ſequentia:* Primum in Bohemia templum, & communi totius Bohemiæ traditione, & Hagecii & omnium Bohemiæ ſcriptorum teſtimonio, Reginohradecii conditum eſt. Ad illam ſacram ædem poſt multa ſecula RR. PP. Ordinis S. Dominici habuêre cœnobium, quod qua ratione abolitum, & in curiam converſum ſit, nullibi invenio. Sed conſtant hodieque ſibi omnia; Hradecz caſtellum, nunc civitas, templum S. Clementis, vetus & per manus tradita majorum memoria. *Deinde ad refutandam cujuſdam opinionem, qui primam totius Bohemiæ eccleſiam Litomiſſlio vendicare tum nu-*

A. CHRISTANNO DE SCALA.

per inceperat, se convertit. Quod autem Borzivojus Reginohradicienſe templum S. Clementi Pontifici martyri erexerit, factum ſuſpicor, ſuadente S. Methodio, qui unà cum Cyrillo ejuſdem martyris corpus pridem invenerat, Romamque portârat, prout in ſæpe laudatis horum Sanctorum Actis legere eſt. Ceterùm de tempore, quo Borzivojus baptizatus ſit, conſule Commentarium noſtrum prævium § 2.

r *Apud Balbinum legitur* propis actibus ſumptus, *ſed is ipſe in margine fatetur, tres illas voculas in exemplari ſuo à ſe legi non potuiſſe. Ego lectionem reſtitui ex Ms. Bodecenſi. Fortè legendum eſt* protinus: *magis tamen ad Balbini exemplar accedemus, ſi* propriis armis ſumptis *legamus.*

ſ *In Bodecenſi exemplari legitur:* Quemdam ducem Zremir, cujus nomen in Latinum vertitur ſermonem JUDICA PACEM.

t *Bodecenſe rectiùs ſic habet:* Quapropter à ſuis electoribus rejicitur, primùm ſeipſos accuſantibus, videlicet quòd talem ſibi elegiſſent, cujus neque vocem neque ſermonem poſſent haurire, & quorum clamores aures ignaras linguæ ſuæ penetrare non valerent.

B u *In laudato exemplari ita habes:* Ineunt conſilium, quò civitatem metropolim Pragam adeant, & ibi ſimul egredientes in campum, quid ſibi gerendum foret, juxta beneplacitum utriuſque partis diligenter exquirant.

x *Ibidem meliùs legitur*, ſtatu.

y *Ibidem additur*, illo.

z *Id eſt*, in Moraviam. *Bodecenſe habet:* Morawe dehinc properantes, priſtinum principem Boriwoi illinc reducunt, & loco proprio reſtituunt. *De tempore, quo hæc acta ſint, aliiſque huc ſpectantibus, conſuli poteſt Commentarius noſter § 3.*

CAPUT II.

Borzivoji conjux S. Ludmilla ad fidem converſa: utriuſque proles: ſanctæ Viduæ virtutes, ſeceſſus in arcem Tetinenſem, martyrium & ſepultura.

C

Borzivoji ex S. Ludmilla proles; illi ſuccedit Spitigneus, *a*

HAbuit etiam uxorem, nomine Ludmillam, filiam Slaviboris comitis ex provincia Slavorum, quæ Bſſow antiquitus nuncupabatur, nunc à modernis ex civitate noviter conſtructa Mielnik vocitatur *a*; quæ, ſicut ei par fuerat, in errore gentilitatis, immolando ſimulacris, ita & in religione Chriſtiana imitando, imò præcellendo virtutes ſui viri, facta eſt verè Chriſti famula. Suſcepit autem ex ea ſæpe memoratus princeps tres filios, totidemque filias *b*, & ut ei B. Metudius prophetico ore prædixerat, quotidianis incrementis cum omni gente ſua regnoque augmentabatur *c*, peractoque temporis curſu, plenuſque dierum bonitateque, diem clauſit ultimum, triginta quinque vitæ ſuæ complens annos *d*. Suſcepitque pro eo regnum ejus primogenitus filius ipſius Spitigneu, cunctis virtutibus bonitatis, famâque ſanctitatis admodùm ſulgens. Imitator ſiquidem factus patris, fundator extitit eccleſiarum Dei, congregator ſacerdotum, clericorumque; perfectus in fide Chriſti, peractis vitæ ſuæ annis quadraginta, luce ex hac migravit, aſtra petens *e*.

D

b *c* *d*

11 Cujus poſt tranſitum, frater ejus Wratiſlaus regni ſuſcepiſſe dignoſcitur gubernacula, ducens uxorem nomine Dragomir, ex provincia Slavorum paganorum, quæ Ztodor *f* dicitur, Jeſabeli illi aſſimilandam, quæ prophetas malitiâ ſuâ trucidavit, ſeu Evæ protoplaſti uxori, quæ Caïn & Abelem enixa eſt. Siquidem Dragomir peperit ex ipſo principe natos binos, unum vocitatum Wenceſlaum, alterum verò Boleſlaum. Sed hæc locum ſuum præſtolantur. Igitur religioſa matrona Ludmilla, viduata viro, orbata jam filio uno majore, in domo propria conſiſtens, memorans priſtinæ ignorantiæ, erroriſque, quotidie cum lachrymis præterita deflebat crimina, & ſicut antè exhibuerat membra ſua ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita demùm exhibebat eadem ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, dicens illud Apoſtoli: "Quem fru„ctum habui tunc in illis, in quibus nunc erubeſco„? Teſtantur hoc inopiæ pauperum frequenter ſublevatæ ab ea, quorum indigentiis ut mater obſequebatur, eſurientes alens, ſitientes refocillans, peregrinos & egenos veſtimentis tegens. Teſtantur etiam clerici, quos devota, ceu natos proprios procurabat.

e *huic Wratiſlaus. Sanctæ Viduæ virtutes,* *f*

E

12 Cunctis etiam his ſilentibus teſtantur caſæ Chriſti, quas diverſis dotavit opibus auri, argenti, non, ut quibuſdam moris eſt, ex rapinis vel ſubſtantia egentûm; ſed de ſibi collata à Deo ſubſtantia, pia atque manſueta in cunctis, omnibuſque benevolentiæ fructibus repleta; in eleemoſynis larga, in vigiliis pernox, in oratione devota, in caritate perfecta, in humilitate profuſa, in obſequiis ſervorum Dei ſuccincta, tantùm, ut, quibus diurnæ lucis ſolatium minimè adimplere *g* valeret, noctis in latibulo domeſticorum per manus ſolatia allegare deſudaret, Euangelicum implens illud, quo jubetur agapem agere, ignorante ſiniſtrâ noſtrâ, quid faciat dextra. Verùm cuncta virtutum ejus inſignia ſtylo ſi conemur depingere, lux diurna nobis antè deficiet, quàm pagina. Et quidem janua domûs ejus nocte dieque tranſeunti patuit; ita ut cum beato Job proclamare valeret: "Oſtium meum F „viatori patuit, oculus fui cæco, & pes clau„do„, mater orphanorum, conſolatrix viduarum, vinctorum ſeu carceratorum indefeſſa viſitatrix, & in cunctis operibus perfecta bonis.

religio & miſericordia.

g

13 Igitur ut prælibavimus, cùm præfatus dux Wratiſlaus in regno fratris ſui defuncti ſuccederet, firmato regno, baſilicam in honore B. Georgii martyris *h* ſtatuit, ſed morte præventus, ejus conſecrationem diu deſideratam minimè perſpexit; filium verò ſuum ætatis præeuntis Wenceſlaum *i* æſtuantis animi in lege divina literis imbuendum tradiderat in civitatem, quæ Budecz *k* vocabatur, ubi ab antecedente fratre ſuo Spitihnæo in honore principis Apoſtolorum B. Petri conſecrata inerat, & ineſt eccleſia. Cúmque ſagax ingenio, cuncta, quæ à pædagogo ſibi tradita forent, Spiritu ſe inſpirante, altè memoriæ traderet, genitore interim ex hac vita migrante annorum ferè triginta trium *l*, revocatur metropolitanam in urbem Pragam, ſedemque in paternam ab omni plebe ſublimatur. Sed quoniam pueritiæ vel adoleſcentiæ necdum perfectè florem mundaverat, inito cuncti ſatrapæ prudenti conſilio,

Suſceptam nepotum curam, *h* *i* *k* *l*

A filio, beatæ memoriæ Ludmillæ Chriſti famulæ ducem ipſum rudem cum fratre ſuo Boleſlao educandos commiſerunt, donec illis robur ætatis, favente Deo, accreſceret. A. CHRISTANNO DE SCALA.

14 Quo viſo, mater ſupradictorum puerorum, quæ viduata viro, ſolio ejuſdem utebatur, diabolo inſtigante, totum venenoſi pectoris animum in famulam Dei Ludmillam accendit, maliſque ſuſpicionibus arctatur, æſtimans ob educationem juvenum, quos Socrui ſuæ cunctus commiſerat populus educandos, ſe regno, rebuſque privari, illamque ſibi dominatum nanciſcituram univerſum: initoque perverſiſſimo cum viris Belial conſilio, toto anniſu eam extinguere molitur. Venerabilis autem & devota Chriſti famula Ludmilla, hoc agnito, humilitatis atque patientiæ arripiens arma contra arrogantiæ ſtimulum, per internuncios mandare ſtuduit nurui, inquiens: Non aliqua regni tui portio malè blandientis cupiditatis ardore *m* animum invaſit meum, neque tui dominationem cupio ullam habere: recipe filios tuos, &, ut animo libet, regna cum illis; mihi verò libertatem concede ſerviendi omnipotenti Chriſto, quocunque locorum placet. Verùm, ut aſſolet fieri ſemper, ut in quantum ſe humilitas pro Deo incurvaverit, in tantum ſe arrogantiæ faſtus, diabolo impingente, erigat, mitiſſimam atque benigniſſimam precem S. Ludmillæ ductrix, nurus videlicet ſua, non ſolùm ſuſcipere, verùm inſuper audire contempſit.

nuru ſua ideo furente, deponit,

m

B

15 Quod cernens Chriſti Famula, memorans illud Apoſtolicum: "Nolite reſiſtere malo, ſed „ date locum iræ;„ & illud Evangelicum: "Si „ perſecuti vos fuerint in civitate iſta, fugite in „ aliam, „ à civitate metropolitana ſe cum ſuis auferens, caſtellum quoddam haud longè, cui vocabulum ineſt Tetin *n*, adiit, tantò magis virtutum gemmis ſe exornans, quantò certior erat, mox perſecutore *o* ſequente, martyrii palmam promereri; orationi devotiſſimè inſiſtens, vigiliis & jejuniis inſudans, eleemoſynis largam cunctis manum præbens. B. Wenceſlaus verò, teneræ licèt adhuc ætatis eſſet, cum matre degens, etiam ſpiritu prophetiæ in illis tunc diebus claruit, cunctaque, quæ ventura erant, Chriſto Domino ſibi revelante, cognovit apertâ viſione. Noctis conticinio, fortè cujuſdam presbyteri Pauli *p*, qui ſæpe memoratæ B. Ludmillæ lateri devotè inhærens, devotiſſimè obſecundabatur, atrium, quod amœnis & vaſtis ædium muniebatur ambitibus, ſub ſancti Deoque pleni Wenceſlai cariſſimo obtutu omnium mœnium cultu defectum *, & humanæ poſſeſſionis habitatione omninò comparuit alienum; quod videlicet ipſe, pulſâ ſomnii carnalis gravitate, cordis ſpeculatione pervigili excitatus, quibuſdam, quæ viſa ſunt, prudenti ſermone innoteſcens, ſubindéque, quod veriùs futurum, edita antè pronunciâſſet oſtenſio, prophetanti ore ediſſerens, convocatos hujuſmodi dictis alloquitur: Serò me accubante, dulces amici, voſque ô familiares clericuli *q*, noctis ſilentio gravis & alta ſuſtulit viſio: quomodo Pauli presbyteri porticum totâ ædificiorum ſublimitate ac hominum cultu videbam penitus deſolatam.

& Tetinam ſecedit: ejus martyrium

n

o

p

C

* *al.* deſertum

q

16 Quo viſo mœſtus dejicior, ac internâ pro fidelibus ſolicitudinis moleſtiâ conſternor; ſed tamen ut immenſa omnium Cognitoris pietate in ſpe, quâ credenti cuncta poſſe permiſſum eſt, transferor, hujus ſomnii veritatem, imminente jam caſu pernoſcendam, claræ ſolutionis interpretamenta ad certam rei extenſionem explanare aggredior. Domorum namque viſa deſtructio, fœlicem aviæ meæ Ludmillæ, ſanctæ ac venerabilis matronæ portendit obitum, quæ videlicet matris meæ tam genere, quàm operum etiam inquinatione gentilis, furiali cum aliquot miniſtris, ad ſcelus æquè paratis, factâ conſpiratione, non multùm hinc proceſſuro tempore dandum *r*, irruentibus perverſorum armis, pro Chriſtiani nominis ac fidei profeſſione corporis crudelem ſubibit paſſionem. Porticus autem, ut viſio teſtatur, Pauli deſerta, amplitudo cleri, noſtro incluſi tutamine, miſerabilem præfingit à regno expulſionem, totiuſque conſtantiæ non debitam amiſſionem. Enimverò execrabilis memoriæ genitrix mea, ſectæ vitali, quam pro toto poſſe confiteri, colere cordetenus, ſequi & amare inſto, & poſthac aliorſum irrevocabilis inſtabo, mordaciter invidens, eoſdem diverſorum clericos ordinum, quia mecum ſentire non negant, ope terrena privatos, regno ſeveriùs ejicere molietur.

S. Wenceſlaus divinitus præſagit:

r

17 Hac denique ſagacis conjecturâ prædivinationis mens veri conſcia minimè fruſtratur, ſed ut interpretationis congrua ſonuerunt indicia, erga jam ſcriptæ peremptionem Matronæ, clerique, longo adjacentium ambitu religionum in ejus ſubjectionem, imò in ditiſſimam largitatem ſe promptè concedentis, ferocem expulſionem, ordine incorrupto non longè pòſt cuncta jam fuiſſe impleta conſtat *ſ*. Siquidem, ut præfati ſumus, ſubtrahente ſe famulâ Chriſti Ludmillâ, ab obtutibus perfidorum in eodem caſtello, quò confugerat, ab inimicis inſequitur. Ductrix etenim præfata, quoſdam proceres ſuos, filios iniquitatis, Cumiam & Gomonem *t*, valida cum manu ad perdendum Socrum ſuam Tetinis direxit. Præſcia verò Chriſti memorata Famulæ futurorum, antè fatum presbyterum ſuum Paulum accerſens, monuit eum ſacra Miſſarum ſolennia modulari, confeſſionemque ſuam ante conſpectum Scrutatoris cordium effundens benigniſſimè, conſcia jam de percipiendis beneficiis Altiſſimi, armis ſe ipſam fidei totam muniens, orationi procumbens, Deo preces effudit, quò ejus ſpiritum, quem ipſe creaverat, in pace dignaretur ſuſcipere. Celebritate dehinc Miſſarum peractâ, Dominici ſe Corporis & Sanguinis participatione muniens, pſalmodiam indefeſſâ mente concinere ſtuduit.

ad quod, & ipſa præſaga, ſe parat

E

ſ

t

& à Dragomiræ miniſtris

18 Veſpere verò facto, ſuprà notati tyranni domum illius aggreſſi, valvas dirumpentes, reliquos ſociorum forinſecus armatos frameis clypeiſque ſtatuunt; ipſi autem capitanei homicidæ Tumia Gomoque, paucis ſecum aſſumtis, cubiculum, quo Dei Famula incumbebat, oſtium dirumpentes, ingrediuntur bacchantes. Quibus B. Ludmilla humili ſub voce: Quænam, inquit, repentina vos veſania agitat? & non erubeſcitis, neque mente pertractatis, quemadmodùm egomet vos ceu filios proprios educavi, auro argentoque, veſtibus inſignibus dotavi? Verùm ſiqua in vobis mea iniquitas ineſt, intimate quæſo. At illi furentes, ſaxis rigidiores aures ad hæc obturantes, non veriti ſunt manus in eam proprias injicere, lectoque extractam terrætenus projecerunt. Quibus illa: Pauliſper, inquit, orationi incumbere me ſinite. Quibus hoc concedentibus, expanſis oravit manibus. Poſt hoc, inquit: Mei interitûs cauſâ ſi adventâſtis, obſecro, ut mucrone auferatis caput; exemplo Martyrum ſanguinem fundendo, teſtimonium Chriſto perhibere geſtiens, ac palmam martyrii cum ipſis ſine fine percipere optans, quam etiam non dubita-

mus

A. CHRISTANNO DE SCALA.

mus eam promeruisse, sacrâ Scripturâ testante: Justus quacunque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.

Strangulatur, & sepelitur à suis. * *al.* victuræ

19 Funesti ergo carnifices preces ejus verbaque spernentes, fune gutturi ejus immisso, suffocatione vitam illi abstulerunt præsentem, victuram * in ævum cum eo, quem semper dilexerat, Jesu Christo Domino. Suscepit autem martyrium fœlix, Deoque devota famula Christi Ludmilla, septimâ Sabbathi die & XVII Cal. Octobr., primâ vigiliâ noctis *u*. Clerus verò ejus cunctus, universique vernaculi utriusque sexûs, Pastore *x* peremto, in diversa sparsi, diversis in latibulis latitantes, vitam præsentem sibimet studuerunt conservare. Post hoc recedentibus crudelissimis carnificibus, ad funeris ejus officium magno cum metu & ululatu convenientes, honestissimè cuncta, quæ ad sepulturam fore cernebantur, peragentes, terræ glebam ejus sanctissimam commendavêre. Cruentissimi verò carnifices spoliis direptis, dominam ad propriam regressi, gaudium illi permaximum intulerunt Innocentis de nece, æstimantes se in æternum locupletari, atque in ævum victuros, quibus atrocia & inextinguibilia gehennæ ignis supplicia parata mox inerant.

ANNOTATA.

a *In Bodecensi exemplari Sancta scribitur* Liutmila, *diciturque fuisse filia* Zlauboris comitis in provincia Slavorum, quæ Speu antiquitus nuncupabatur *&c. A Cosma Pragensi ipsa* Ludmila, *pater* Zlaubor, *provincia* Pšov *vocitatur. De Melnicio Sanctaque parentibus egimus in Commentario num.* 12.

b *Ex hisce tribus filiis duo fuêre Borzivoji patris in ducatum successores, Spitigneus & Wratislaus. Tertius Boleslaus quidam fuisse dicitur, non diu post baptismum infans mortuus. De filiabus nihil compertum est. Vide dicta in Commentario num.* 36.

c *Hic desinit lacinia Vitæ ex Bodecensi Ms. à Bollando editæ, quæ hic diversa à nostra est, atque ita habet:* Suscepit igitur ex ea sæpe memoratus princeps tres filios, totidemque filias, ut ei Methodius pontifex prophetico ore prædixerat, & quotidianis incrementis cum omni gente sua regnoque coagmentabatur. *Secundùm hæc ista tergemina proles à Methodio prædicta fuisset Borzivojo, dum hic ad Christianam religionem adduceretur, adeoque post baptismum nata fuisset, quod cum ratione temporum, quam in Commentario secuti sumus, dictisque biographi non cohæret. Sed tota hæc difficultas evanescit ex Ms. Balbini, quod edimus, ubi S. Methodius non numerosam prolem, sed regni amplitudinem Borzivojo promisisse dicitur.*

d *Errorem in numeris hic esse monui in Commentario num.* 41.

e *Vide, quæ circa hæc observavimus in Commentario prævio num.* 36 *& quatuor sequentibus.*

f *Provinciam* Ztodor *Balbinus in Notis* Lucensem *seu* Zatecensem *vocat, quam lib.* 3 *Miscellaneorum, cap.* 4, § 2 *scribit à Pragensi principatu separatam propriis suis ducibus paruisse: nunc una est ex regni Bohemiæ provinciis. Porrò* Dragomiram, *ab aliis* Drahomiram *dici, ait idem Balbinus in Notis; ubi etiam addit, eam ab aliis Wlastislai Lucensis principis filiam, ab aliis neptem ex Przoslao fuisse credi, refragantibus aliis, qui Wlastislai Lucensis stirpem in Zbislao filio exstinctam ante fuisse scripserunt.*

g Adimplere *substituti pro* adimpletur, *manifesto utique errore. In Bodecensi legitur* Impendere.

h *Joannes Florianus Hammerschmidt in Historia monasteriorum S. Georgii in castro Pragensi, & Sancti Spiritûs in veteri Praga, hujus ecclesiæ ædificationem annis* 912 *&* 913 *affigit. Additum ipsi eodem seculo, procurante Miladâ, illustre virginum asceterium, quod hodiedum perseverare, in Commentario prævio, num.* 67 *diximus.*

i *Hic est S. Wenceslaus, qui tamquam ætatis præeuntis, id est natu major, pii Wratislai, impiæque Dragomiræ filius, in patris ducatum successit, quem ei frater ejus natu minor Boleslaus simul cum vita postmodum ademit. Colitur is die* 28 *Septembris, quo ejusdem Acta illustrabimus.*

k *De civitate hac nihil usquam reperi, quàm quòd Balbinus lib.* 1 *Epitomes rerum Bohemiæ, cap.* 3, *nescio quo fundamento, scribat, academiam ethnicam, quam in Miscellaneis lib.* 3, *cap.* 16, § 6 *ad Libussæ tempora refert, in ea floruisse, in ejusque locum Christianam à S. Methodio substitutam esse.*

l *Hæc ætas non est S. Wenceslai, sed patris ejus Wratislai.*

m *Vocem* ardore, *quæ in Balbini editione deerat, ex Bodecensi Ms. supplevi.*

n *De hac arce, cujus etiam infrà recurret mentio, consule Commentarium prævium num.* 3.

o *Hanc quoque periodum ex Bodecensi apographo nostro restitui, cùm apud Balbinum admodùm mendosè sic legeretur:* Ut tantò se virtutum gemmis ornans, quantò certior erat, mox se persecutore persequente, martyrii promereretur victoriæ palmam.

p *Hunc nonnulli eumdem putant cum Caïcho presbytero, quem biographus suprà num.* 7 *à S. Methodio datum fuisse ait Borzivojo, dum baptismo lustratus, ex Moravia in Bohemiam reversus est.*

q Clericuli *diminutivum est à* clerici. *In Bodecensi legitur:* Clientuli, *uti & suprà:* Accubantem, *pro* accubante. *Sed & aliquot aliæ voces in hoc Sancti sermone variant, quæ operæ pretium non est annotâsse.*

r *Bodecense melius habet:* Clanculùm irruentibus, *prætermisso* dandum. *At cetera Wenceslai verba post* passionem *usque ad finem numeri ibidem desiderantur.*

s *Obscura hæc & vitiosa periodus, quæ in Bodecensi deest, significat &* S. Ludmillæ *cædem & clericorum Religiosorumque expulsionem, ut sanctus princeps vaticinatus fuerat, non multò post contigisse.*

t *Alii hosce* Tumam *&* Cumam *appellant.*

u *Easdem temporis notas habet Bodecense apographum, ex quibus tamen nihil pro anno Sanctæ emortuali statui posse in Commentario prævio,* § 5, *num.* 54 *& sequenti ostendimus. Consule etiam eumdem* §, *num.* 51 *& sequentibus de nonnullis martyrii adjunctis, quæ ab aliis traduntur.*

x *Per* Pastorem *ipsa* S. Ludmilla *hîc designatur.*

CAP.

A

CAPUT III.

Sanctæ parricidarum pœna: Dragomira à S. Wenceslao aliquamdiu relegata: Sanctæ corpus incorruptum repertum, & Pragam translatum: puer contractus, ibidem erectus.

Parricidæ, jam Dragomiræ omnibusque exosi,

PRæfata autem perfida domina perfidorum, usurpans supellectilem Socrûs suæ cunctam, cum antè fatis tyrannis regnare cœpit, ditans eos, propinquosque eorum, ac familiam opibus eximiis auri, argentique, vesteque pretiosa inæstimabili. Regnaveruntque in tota provincia Bohemorum, velut magnifici duces, sed non ex Deo.

B Quibus opimatè viventibus, atque inæstimabiliter gaudentibus, lætantibusque, ultio justa divinæ vindictæ improvisè subsequitur impios, qui tam grande tamque crudele piaculum non horruerunt patrare, quo manus suas inhonestissimas in præclarissimam Christi Famulam moverant absque caussa. Namque patre suo, principe discordiarum, diabolo exagitante, coævos coætaneosque suos cœperunt contemtui habere omnes; qua de re excrevit dissensio, odiumque permaximum inter ipsos primarios suprà notatos, Cumiam videlicet Gomonemque, dominamque ipsorum, ita ut omnis cogitatus sermoque dominæ de interitu ipsorum diu noctúque versaretur.

cum stirpe sua malè pereunt.

21 Quod cernens memoratus tyrannus Cumia, irruente in se pavore horribili, cunctis cum sibimet affinitate junctis ex eadem provincia fugâ labens, omnibus exosus, vagus, profugusque, huc illucque versatus est, nemoque ex stirpe illius progenitus, in propria ulteriùs reditum habuit. Gomo autem, cùm fugæ latibula germano cum suo quæreret, comprehensus, atque capitali sententia addictus, cum fratre vitam præsentem pariter & futuram amisit. At verò domina eorum cernens eos fugientes,

C omnem venenosi pectoris furorem in posteros eorum diffundens, universos eorum, à majore usque ad minimum, una die unâque sententiâ perdidit. Hoc quoque primum signum Ludmillæ claruit, dum Dei disponente providentia, ex interfectoribus ejus nullus superfuit: alii propriis habitaculis secedentes, in diversaque fugientes, cunctis exosi effecti, diva ultione tacti, exhalaverunt spiritum vitæ, parvuli eorum impiissima morte defuncti, quàm plures verò capite gladio plexi sunt. Sic impletus est sermo Dominicus, quem in Evangelio infit: "Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.„

Ludmillæ tumulus miraculis illustratur.

22 Iisdem verò diebus ad tumulum beatissimæ & sæpe memoratæ venerabilis matronæ & martyris Ludmillæ Dei, divina cooperante clementia, virtutum miracula præclara patuerunt. Nam ex ejusdem monumento tanta fragrantia miri ac suavissimi odoris emanavit, quæ cunctorum aromatum florumque odoramenta vinceret. Quàm plures etiam cereos, lampadasque lumine flagrantes divino, intempestæ noctis silentio terque quaterque oculorum hauserunt acie. Quæ cuncta dominam, interfectricem ipsius videlicet, minimè latuêre: quibus cognitis, timore nimio prostrata, agendum sibi quid foret ignorabat. Tandem rursum venenosum instaurans consilium, apparitores suos Tetinis misit, quo venerabile corpus tumulatum jacebat, in mandatis jubens, quòd domum super tumulum B. Ludmillæ statuerent in modum basilicæ; aptans & nomen in honore B. Michaëlis archangeli, quò si deinceps inibi claruisset signum aliquod, non meritis beatæ Martyris, verùm Sanctorum, quorum pignora inibi detinerentur, deputaretur. Quo facto, tantus cunctos ingredientes basilicam horror invasit, quòd haud aliter, nisi veneratione cum maxima, inibi auderent ingredi, præclaraque & insignia exhinc in eodem patuêre loco virtutum miracula.

A. CHRISTANNO DE SCALA.

S. Wenceslaus impium matris dominatum

23 His ita gestis, annuente Christo, olim electus dux B. Wenceslaus, annos pueritiæ transcendens, gratissimo flore juventutis nitescebat, cuncta, quæ à pædagogo apicum sibi tradita fuerant, altâ memoriâ revolvens, animo æstuanti opere implere cupiebat, quod aure perceperat. Quapropter genitrix ipsius perfida cum quibusdam sibi assentientibus filiis Belial, invidentes actibus illius, studiisque sanctissimis, inito invicem consilio, dixerunt: Heu quid agimus, quóve nosmet vertemus? Princeps siquidem noster, qui à nobis in regni fastigio sublimatus est, perversus à clericis, & ceu monachus factus, per abruptam & assuetam vitiorum nostrorum semitam nos gradi non sinit. Et si hoc nunc in pueritia vel adolescentia gerit, quid putas facturus est in juventute vel senecta? Ab illo ergo die nimis importuni esse ei cœperunt, nimis increpantes, aliaque perplura importuni illi ingerentes scelera. Quæ cuncta vir Deo charus armis fidei repellens, & clypeo se patientiæ muniens, animo illæso perferebat. Siquidem & clericos ejus, & quosdam Religiosos, quorum doctrinâ ipse pascebatur, insidiis assiduis impii appetentes, trucidare moliti sunt, minisque maximis terruerunt, quòd nemo illorum ad eum accessum quiret habere.

E

cum acri objurgatione excutit, a

24 Ipse verò cunctorum horum scius, cum sibi fidelibus viris occultè posterulas agens *a*, ruente sole in occasum, clanculè clerico quolibet accersito, cuncta, quæ sibi proficua erant, nocte addiscens, crepusculo illucescente, didascalum, seu sibi carum clericum, latenter abire sinebat, F codicellulumque *b* suum occulens, subque tegimine gestans, ubicunque locum quietis reperiebat, eum cum diligentia lectitabat, & cum gemitu interno de duritia cordis populi sui, & cæcitate vel incredulitate dolebat nimiùm. Tandem confortatus à Deo, & virtute se præcingens, matre sua, universisque primariis accitis, ut decuit, increpavit, quemadmodum liber Sapientiæ testatur: "Verba sapientium quasi stimu„li, & velut clavi in altum defixi.„ Sed B. Wenceslaus, Cur, inquit, filii sceleratorum & semen mendax, virique iniqui, prohibuistis me discere legem Domini nostri Jesu Christi, & obtemperare mandatis illius? Quòd si vos tædet Christo servire, cur saltem cæteros impeditis? Ego verò si hactenus vestra sub providentia vel potestate degi, amodò tamen illud respuo, Deo omnipotenti syncero ex animo servire cupio. Orta est postmodum pro ejusdem rei caussa variisque rebus aliis dissidio prægrandis viros inter ipsos primarios, qui lateri ducis religiosi inhærebant, & inter reliquos, qui partes nequissimas dominæ impiæ juvabant, divisique sunt consilia-

b

A. CHRISTANNO DE SCALA.

filiarii invicem & primates terræ, discordiarumque inter eos spinæ pullulaverunt ad sanguinis usque effusionem. Verùm pars justorum, licèt minima foret, prævaluit tamen adversùs partem multimodam, ut semper, iniquorum.

eamque relegat, ac postea revocat:

25 Nam semper memoratus dux Wenceslaus solicitus de nanciscenda pace, Spiritu sibi sancto inspirante, corde consilium captavit, quò genitricem suam, quæ caussa totius nequitiæ inerat, proturbaret è patria, quatenus eâ propulsâ, cunctisque consentaneis ejus viris impiis, invicem furor discordiarum sopiretur, paxque Ecclesiæ Christi accresceret, unum eundemque Dominum cuncti possidentes, veram Christi doctrinam perfectissimè addiscerent, dispositisque cunctis, quæ ad pacem regni pertinere cernebantur, proturbatis & expulsis filiis discordiæ, composita quiete, matrem rursus cum honore ad propria revocaret. Quæ cuncta, juvante se opifice Deo, opere complevit: nam matrem regno cum dedecore maximo pepulit, dignam ei ultionem omnipotente Deo reddente ob effusionem sanguinis innocentis B. Ludmillæ, quem sine caussa fuderat. Sed quoniam timore casto, qui permanet in sæculum sæculi, plenus erat, memor præceptorum divinorum, quibus patrem honorare debemus & matrem, eam rursus tempore elapso reduxit; verùm honore dominationis pristinæ caruit usque ad obitûs sui diem. Sed hæc cuncta qualiter gesta sunt, ob sui enormitatem prætereuntes *c*, cœpta prosequamur. Pòst multa adversa & incommoda pertulit, etiam filii sui necem ab generato suo juniore *d*.

B

c

d

missi ab eo Tetinam, Sanctæ corpus

26 Recordatus deinde Aviæ suæ B. Wenceslaus, quantæ sanctitatis in præsenti fuisset, quantæque claritatis meritum apud Omnipotentem obtineret, lacrymarum imbre infusus totus, inito consilio sacratissimo cum sacerdotibus & Religiosis quibusdam, misit eos in præfatum castellum Tetin, mandans eis, quò vel ossa, seu pulverem consumtæ carnis, digna translatione ad se usque perducerent. Ipse verò, Spiritu sancto sibi revelante, paucis familiaritate junctis sibimet innotescens, certus erat, divina cooperante clementia, aliquid inibi legatos memoratos signorum haurire. Implentes autem jussa domini sui legati, qui fuerant basilicam ingressi, ac monumentum humo revoluta detegentes, tabulam sepulchri, quâ venerabilis gleba tegebatur, partim putredine consumtam reperientes, sublevare formidaverunt. Si lignum, fatentes *, putridum est, quantò magis ea, quæ intùs latent? Rursumque sarcophagum claudi voluerunt diligentia cum summa. Quorum consiliis unus ex eis presbyter Paulus obsistens, cujus & superiùs mentionem facimus, qui illi, dum in terris degit, in amicitiis junctus, semperque in omni servitio obsecundatus est, inquit: Nequaquam, ut dicitis, fiet; sed juxta principis jussa, vel si pulverem consumtæ carnis invenero, tollam.

C

* *i. e.* dicentes

incorruptum Pragam transferunt,

27 Cui cæteri assensum præbentes, unanimiter tabulam sublevârunt, quam dum sustollunt, frangitur, ita ut memoratus Paulus cum humo super corpus jacentis caderet. Qui concitè surgens, humumque velociùs amovens, cum sibi junctis sodalibus invenerunt corpus sacrum ab omni corruptione sejunctum, præterquam quod suprà memini, videlicet vultum ejus pulverulentum, quod ei de fractura cooperculi, dum amoveretur, insederat. Ingenti dehinc gaudio succensi, grates immensas Cunctipotenti exhibentes, glebam ejus sanctissimam de terra sustollentes, lineaminibus pretiosis, ut decebat, involventes, altari præsentaverunt, laudes grateque immensas divinæ clementiæ referentes, ritéque cunctis solenniter peractis, feretro eam locantes, duorum equorum terga onerant, sicque eadem nocte metropolin usque, ad urbem Pragam scilicet, constanter properant. Repertum est autem corpus fœlicis & Deo devotæ famulæ Ludmillæ quartodecimo Kalendas Novembris, horâ XII, feriâ quartâ *e*. Intulerunt autem eam Pragam die tertio feriâ VI, XII horâ ejusdem mensis *f*, lætitia cum ingenti, gratulantibus, cunctisque Christum laudantibus. Vehitores siquidem ipsius, urbi priùs quàm eam inferrent, ad principem bajulos boni nuncii præmiserunt. Qui venientes, sopori eum membra collocâsse cognoverunt, eumque suscitaverunt lætum, taleque ei gaudium intulerunt; quòd omnipotente Deo favente, corpus tantæ talisque Matronæ, Aviæ videlicet suæ, incorruptum reperissent.

D

e

f

28 Qui continuò surgens, ecclesiamque cum summa alacritate properans, Christo Domino grates immensas persolvit. Sole terram irradiante & jubare tenebras propellente, accito clero turbâque fidelium, processione cum ingenti obvius ire properat. Occurrunt autem illi & fideles geruli, vehentes sæpe memoratam glebam S. Ludmillæ, quam statim sacerdotes & levitæ alacriter suis imponentes humeris, benedicentes Deum, cum psalmis & laudibus intulerunt urbi, Ecclesiamque ingressi, coram pavimento statuêre, strepitumque sonitu ingentem personuêre. Quod popularis tam fidelium quàm infidelium curiositas, perscrutans quod factum erat, in unum congregati, petunt ecclesiæ januas. Consilio dehinc princeps inito cum sacerdotibus, plebe coram cuncta corpus ejus detexerunt, ut omnes fidem adhiberent, incorruptam eam à Christo Domino fuisse servatam, cunctique intuentes magnalia Christi, vocibus indefessis personuêre, nemoque obsistere veritati quibat, quoniam cunctis patebat integritas corporis ac capillorum firmitas, vultusque nitescebat veluti in hac constitutæ vita. Vestimentorum insuper pulcritudo, integritasque talis splendebat, acti eodem texta forent die: quod universi prospicientes, præconiorum vocibus persultantes, omni cum honore ac laude dignissimam judicaverunt.

ubi à S. Wenceslao exceptum,

E

29 Humo dehinc effossam, compositamque fossâ, in eadem basilica *g* tumulare eandem cornati sunt. Sed ex eadem fossa repentè aqua inundavit: quod plurimi intuentes, mente captavêre, eundem sepulchri locum minimè Christi Famulæ placere. Replentes rursus fossam, sarcophagum cum ipso pignore sacro statuêre super eandem, præstolantes divinum auxilium, & sic ad propria fœliciter properavêre. Spatio dehinc temporis elapso modico, supradictus princeps, Ratisponam missis legatis, pontificem ejusdem civitatis, quia erant Bohemiæ viri ipsius temporis parochiani sui, consuluit nomine Tutonem *h*, quidnam sibi agendum foret de suprà notato corpore. Qui divinæ Legis scripta perlustrans, secundùm datam sibi à Deo sapientiam, in responsis hæc dicta mandavit: Scilicet ut corpus, initium ab ipso exordio protoplasti sumens, cui dictum est: Terra es, & in terram ibis, pulvis es, & in pulverem revertêris, sepulturæ traderent, donec gloriam Christi cerneret.

post frustra tentatam sepulturam

g

h

30 Quare ingenti zelo divino accensus princeps, præfatum antistitem humili prece exoravit, quatenus usque ad se dignaretur venire, ac cor-

ab episcopo Ratisbonensi tumulatur.

A corpus ipſe ſepulturæ daret, baſilicamque adhuc, quæ benedictione pontificali carebat, dedicaret. Advenienſque, in primis templum Domino conſecravit. Poſthinc ſex elapſis dierum circulis, ſuprafatum corpuſculum tumulavit eodem in loco, quo aqua inundaverat. Mira adque Chriſti Famulæ declarandum meritum ſufficiens res; videlicet quòd ſacerdotibus, in conſecrato eam cupientibus tumulare loco, aqua exorta eſt, adveniente verò coëpiſcopo, ſacrâque baſilicâ funditus conſecratâ, haud congruè ſatis, ut quæ fœlici converſationis ſuæ vitâ fruebatur fœliciter, ut cum benedictione majore ſepeliretur, quæ cum Sanctis ad Chriſti erat locanda dextram *i*. Ritè his itaque peractis, coëpiſcopus remuneratus, ut dignum fuerat, à principe, propria petivit.

Puer contractus, ibidem erectus.

31 Anniverſario autem ejus volvente die poſt tranſlationem ipſius glebæ ſacræ ad gloriam nominis ſui, & ad declarandum meritum Famulæ ſuæ Chriſtus Dominus inſigne dignatus eſt operari prodigium. Nam ut moris eſt Chriſtianæ religioni, congregato clero, memoriam talium agere, cùm poſt orationes ad refectionem corporum unà pariter reſiderent, quidam parvulus infirmitate corporis gravatus, curvatus eſt, ſurſum omninò non valens aſpicere, cùm autem oſtium baſilicæ, corpus ubi tantæ requieſcit Matronæ, virtutem Chriſti meritumque ipſius Sanctæ imploraret, erectus eſt, virtutique propriæ reſtitutus. Quod intuentes plurimi, omnipotenti Chriſto laudes canebant, ſuam quòd per Famulam dignatus ſit magnalia declarare ſua, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

ANNOTATA.

a Poſterula *Latinè* poſticum *eſt. Indicat itaque biographus, S. Wenceſlaum, ut matrem, ejuſque impietatis miniſtros falleret, ſoluiſſe clericos veſperi per poſticum ad ſe introducere.*

b *Id eſt, parvum codicem, ſeu libellum, qui vel preces, vel pia aliqua præcepta continebat.*

c *Iſta Balbinus in Notis ſic excipit:* Videtur Chriſtannus innuere terribilem illam Drahomiræ mortem, nam dehiſcente tellure, ut lib. 2 dicam, periit: deinde ignoſcendum eſt nepoti, quòd aviæ ſuæ ignominioſam mortem, aliqua pietatis imagine perſtrictus, narrare omiſerit. *Rem* C *ipſam tum multi alii Bohemiæ ſcriptores, tum laudatus Balbinus cap. 4 enarrat. Ajunt ſcilicet, Dragomiram, cùm in curru ſuo ante quamdam eccleſiam præteveheretur, & auriga ipſius, audito ad adorandum in Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum tintinabulo, è curru deſiliens, eccleſiam ingreſſus eſſet, inſtar furiæ exarſiſſe, Chriſtianos omnes orco devoviſſe, ipſumque Chriſtum maledictis inceſſere auſam, dehiſcente mox terra, ſimul cum curru equiſque abſorptam eſſe. Subdit denique:* Placuit poſtea locum velut execrabilem ſepibus incingi; hodie columna lapidea eo in loco viâ arcis (*Pragenſis*) Occidentali exſtructa tam funeſtæ rei viatoribus præbet indicium. *Columnam hanc ego hoc anno 1753 Pragæ degens, plus ſemel ſpectavi.*

d *Indicat eadem S. Wenceſlai, quem frater ejus natu minor Boleſlaus impiè peremit. Ex hoc loco Balbinus contrà Hagecium ſtatuit, Dragomiram S. Wenceſlao ſupervixiſſe.*

e *Adi Commentarium prævium num. 61 & ſequentibus.*

f *Vide, quæ in eodem Commentario loco mox citato de tranſlationis tempore obſervavimus.*

g *Baſilicam hanc eſſe S. Georgii eccleſiam, à Wratiſlao S. Wenceſlai patre exſtructam, omnibus indubitatum eſt. De ea egimus in Commentario num. 67 & ſequentibus.* E

h *Tutonis epiſcopatum Ratisbonenſem Annales, in Commentario prævio num. 62 & 63 à me citati, alii inter annos Chriſti 885 & 921, alii inter 889 & 925 vel 926, alii denique inter 891 & 926 ſtatuunt. Unus eſt Arnolfus Vockburgenſis, qui Tutonem illum uſque ad annum 931 ſuperſtitem facit. Vide dicta ibidem. Suberant autem tum temporis Ratisbonenſi epiſcopo Bohemi, qui poſt medium ejuſdem ſeculi proprium epiſcopum, procurante Milada Boleſlai Sævi filiâ, à Joanne XIII Papa primùm impetrârunt.*

i *Implexa, luxataque hæc periodus, quæ omnino abeſt ab apographo Bodecenſi, in hunc modum poteſt reſtitui:* Mira, adque Chriſti Famulæ declarandum meritum res; videlicet quòd ſacerdotibus in conſecrato eam cupientibus tumulare loco, (haud congruè ſatis, ut quæ fœlici converſationis ſuæ vitâ fruebatur fœliciter,) aqua exorta eſt; adveniente verò coëpiſcopo, ſacrâque baſilicâ funditus conſecratâ, ut cum benedictione majore ſepeliretur, quæ cum Sanctis ad Chriſti erat locanda dextram, *in eodem loco nulla aqua reperta eſt.* F

A D

DE S. EDITHA SEU EADGITHA, VIRGINE SANCTIMONIALI, *WILTONIÆ IN ANGLIA*,

C.S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctæ memoria in ſacris Faſtis & cultus : Vita edenda, quid cenſendum ſit de tribus aliis Edithis, quæ eodem ſeculo in Anglia ſanctitate fulſiſſe dicuntur.

NON DIU POST AN. CMLXXXIV. *Sanctæ memoria in Martyrologiis*

Sanctum Edgarum ſive Eadgarum confeſſorem, Angliæ regem, tom. 2 *Julii ad diem* VIII *in Opere noſtro dedimus; ſanctam verò Wilfridam, quæ & Vulfridis, & Wolſtrudis appellatur, Wiltonienſem in Anglia abbatiſſam, tom.* III *Septembris, die* IX, *ad quam Martyrologiis inſcripta eſt. Horum filiam, matriſque in laudato parthenone diſcipulam ſanctimonialem, Martyrologium Romanum Baronii ad præſentem diem ſic annuntiat :* In Anglia, ſanctæ Edithæ virginis, Edgari Anglorum regis filiæ, quæ in monaſterio à teneris annis Deo dicata, ſæculum hoc ignoravit potiùs, quàm reliquit. *Hiſce ſimillima leguntur in Romano Galeſinii, unde deprompta ſunt. Ejuſdem memoriam ad hunc diem celebrat codex Hagenoyenſis apud Sollerium inter Auctaria Uſuardina, ubi legitur :* Item in Anglia ſanctæ Edithæ, reginæ & virginis. Reginam *autem hîc per* regiam filiam *intepretare. Editio Lubeco-Colonienſis ibidem ſic habet :* In Anglia, ſanctæ Edithæ virginis. *Paulò latiùs Grevenus :* In Anglia, Edithæ virginis abbatiſſæ, filiæ Edgari regis Anglorum. Quæ à religioſis parentibus bima Chriſto conſecrata, & ſanctiſſimè converſata, ſeculum ignoravit potiùs, quàm reliquit. C *Codex Antverpienſis Major ibidem ad eumdem diem habet :* Eodem die, ſanctæ Eadipæ virginis; *Sollerio noſtro meritò exiſtimante*, Editham *hic quoque deſignari, præſertim cùm* Eadgitha *etiam appellata dicatur.*

ad hunc diem;

2 *Ad hunc pariter diem exſtat memoria ipſius in Florario noſtro Sanctorum Ms., ubi tamen perperam* Oditha *ſcribitur; at in Indice prævio* Editha. *Meminit ejuſdem & Wilſonius in Martyrologio Anglicano, prioris editionis, anni nempe* 1608, *in quo die* XVI *Septembris hoc eam elogio illuſtrat :* Eodem die Wiltoniæ in eccleſia S. Dionyſii, depoſitio S. Edithæ virginis & abbatiſſæ, filiæ S. Edgari regis Angliæ, quæ contemptâ omni mundanâ temporalique gloriâ, religioſam vitam in monaſterio Wiltonienſi amplexa eſt, ſub ſuæ propriæ matris Wilfridæ cura & diſciplina, poſt cujus obitum ipſa ejuſdem loci abbatiſſa facta eſt, ubi in omni vitæ ſanctitate animam ſuam cæleſti Sponſo tradidit anno Chriſti CMLXXXIV. Multa etiamnum præclara templa ac monumenta ipſius nominis variis in locis Angliæ ſpectantur, atque unum in oppido Church-Eaton dicto in Staffordiæ comitatu, ubi parvus aquæ fons viſitur adversùs varias infirmitates perquàm ſalutaris, vulgò Fons S. Edithæ appellatus. *Hactenus Wilſonius, ſed non ſine errore, ut ſuo loco docebimus. Idem Martyrologus in altera editione anni* 1640, *neſcio qua de cauſa, ſanctam Virginem noſtram ad heſternum diem, videlicet* XV *Septembris retulit, & de ejuſdem ſepultura hæc ſubdit :* Et ſepulta eſt Wiltoniæ in eccleſia S. Dionyſii, quam ipſa olim fundaverat, ibique diu in magna veneratione ſervata eſt. *Ut verò hæc addidit, ita contrà prætermiſit, quæ de variis eccleſiis, monumentiſque in priori editione dixerat. Sed quantùm ad diem ſpectat,* XVI *Septembris ipſi emortualis fuiſſe in Vita danda aſſeritur, eoque ipſam cultam videbimus.* E

elevatio ad 3 Novembris; cultus antiquus.

3 *Prætereo Arturum in Gynæceo, Bucelinum in Menologio, Wionium in ligno Vitæ, Maihewum alioſque, qui eamdem in ſacris Faſtis ſuis recenſuerunt. Alteram* S. Edithæ *noſtræ memoriam, elevationis ſcilicet virginei corporis ejus, ad diem* III *Novembris annuntiat laudatus Wionius his verbis. Ibidem (nempe* in Anglia, *ut præmiſerat*) elevatio corporis S. Edithæ virginis & ſanctimonialis. *In annotatis verò laudat Vitam Sanctæ apud Surium ad diem* XVI *Septembris, in qua, uti & in noſtra Ms. ſacrum corpus iſtud dicto* F *die Novembris revera elevatum fuiſſe dicitur Wiltoniæ in S. Dionyſii eccleſia, quam ipſa fundaverat. Wionium ſecutus eſt Wilſonius in priore Martyrologii ſui editione ad præcitatum diem Novembris. Porrò de vetuſto ipſius celebrique per Angliam cultu ſic ſcribit Guilielmus Malmesburienſis libro* 2 *de geſtis pontificum Anglorum :* Habetur ergò in pluribus locis Angliæ feſtum ejus venerabile, quod nemo impunè temerare præſumat. *Ad manum quoque mihi ſunt duo Breviaria Sarisburienſis eccleſiæ in Wiltonia, quorum unum anno* 1499 *Londini, alterum anno* 1557 *Pariſiis excuſum eſt, & in quibus* S. Edithæ *noſtræ Officium cum Lectionibus propriis hac* XVI *Septembris die præſcribitur. Plura per decurſum dicenda venient.*

Auctor Vitæ Gotcelinus creditur,

4 *Vitam* S. Edithæ *edidit Surius ad præſentem diem, ſtylo mutato, & ſine auctoris nomine, ſed graviter tamen ſcriptam eſſe judicavit. Ex Surio eam Mabillonius Actis Sanctorum ſeculi* V *Benedictini, pag.* 637 *& ſequentibus inſeruit. Eamdem & nos habemus Ms., ex Ms. Rubræ Vallis tranſumptam, minùs quidem comptam, ſed Suria-*

AUCTORE C. S.

A *rianæ editioni cetera ſimillimam, ut dubitari nequeat hanc aut ſimilem ipſi præluxiſſe. Præterea etiam aliam habemus in quadam Vitarum collectione Muſei noſtri ſignata* ✠ Ms. 160. *Ea multò brevior eſt, & ex priori contracta, ideóque nulli nobis uſui futura. Itaque Ms. noſtrum edemus, inter Annotata relaturi, ſi quid in Surii editione obſervatu dignum occurrerit. Laudatus Mabillonius in Obſervatione prævia exiſtimat, Gotſelinum ſeu Goſcelinum vel Gocelinum monachum, qui S. Auguſtini Anglorum apoſtoli geſta conſcripſit, hujus quoque Vitæ auctorem eſſe. De hoc ſcriptore actum in Opere noſtro eſt ad diem* III *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Wereburgæ virginis,* § 1, *& die* XXVI *Maji in Commentario item prævio ad laudati S. Auguſtini vitam, & alibi; dictumque eſt, illum ſeculo* XI *ad finem vergente floruiſſe.*

cujus notitia datur,

5 *Accipe ejuſdem elogium ex prædicto Malmesburienſi de Geſtis regum Anglorum lib.* 4, *cap.* 1. Hic occaſio temporum Willielmi (*II regis*) tranſlationem Auguſtini præcellentiſſimi Anglorum apoſtoli cum ſociis ſuis exponi animaret, niſi peritiſſimi Goſcelini præcurriſſet ingenium; Goſce-

B lini, qui monachus de S. Bertino cum Heremanno epiſcopo Salesberiæ quondam Angliam venerat, inſignis litterarum & cantuum peritiâ. Is multo epiſcopatus & abbatias perluſtrans tempore, præclaræ ſcientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ poſt Bedam ſecundus... Denique innumeras Sanctorum recentium Vitas ſtylo extulit, veterum vel hoſtilitate amiſſas, vel informiter editas, comptiùs renovavit... Felix lingua, quæ tot Sanctis ſervierit, felix pectus, quod tot vocales melodias emiſerit, præſertim cùm in ejus converſatione certaret honeſtas doctrinæ. *Ratio autem, cur Mabillonius Vitam, de qua agimus, ipſius quoque. Opus eſſe arbitretur, hæc eſt, quòd, ut inquit, Acta* S. Eadgathæ *virginis ſcripſiſſe dicatur in Catalogo ſcriptorum Britanniæ, & apud Wionem & Poſſevinum; quódque* Eadgatham *illam eamdem cum* Editha *eſſe pro certo habeat.*

idque ſatis veriſimile eſt.

6 *Sententiam hanc aperiè tradit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, inter Gotſelini Opera recenſens* Vitam S. Edithæ ſeu Eadgithæ virginis, quæ olim Ms. exſtitit Londini apud Auguſtinianos, teſte Bunderio. *Sed & Baleus in Scri-*

C *ptoribus Magnæ Britanniæ, ex eoque Warthonius & alii, inter Gotſelini Opera* Vitam D. Eadgithæ lib. 1, *recenſent. Poteſt itaque ea ipſi probabiliter adſcribi, præſertim cùm ejuſdem ſtylum ſatis redoleat. Porrò cùm* S. Editha circa annum Domini DCCCCLXXXIV *in laudata Vita obiiſſe dicatur, Gotſelinus autem ſeculo* XI *vergente ad finem floruerit, non poteſt ſcriptoris ætas, toto ſeculo poſterioris, magnam auctoritatem Vitæ conciliare. Fortè tamen aliqua monumenta habuit, ex quibus eam concinnaverit; ſed nec multa ipſius geſta enarrat, quæque refert hujuſmodi non ſunt, ut ſcriptoris fidem in iis meritò ſuſpectam habeas, niſi quòd in chronotaxi non nihil à vero aberraverit. Denique Guilielmus Malmesburienſis lib.* 2 *de Geſtis regum Anglorum, maximam eorum partem recenſet, ex hac ipſa forſitan Vita, ut ſuis locis obſervabimus.*

Ex 3 *aliis Edithis, quæ eodem ſeculo*

7 *Mabillonius ſuprà laudatus in Obſervatione prævia tres alias Edithas, eaſque regias pariter virgines, in hunc modum recenſet:* Eodem ævo tres aliæ Edithæ, regiæ virgines in Anglia vixiſſe dicuntur, præter Editham Ottonis Magni uxorem. Una Ethelwlfi regis filia, Alfredi regis ſoror, quæ S. Modwennæ abbatiſſæ (de qua in Sanctis prætermiſſis Sæculi IV) tradita eſt. Altera Editha Eadwardi ſenioris filia, Æthelſtani ſoror: tertia, Edmundi regis filia, Eadgari ſoror; omnes ſanctæ, & quidem ſanctimoniales in cœnobio Polleſwortenſi, quod juxta ſilvam Ardenniam in Ceſtrenſi diœceſi eſt. Prima laudatur in Actis S. Oſithæ apud Surium die VII Octob. & S. Modwennæ abbatiſſæ Streneshalenſis apud Capgravium, quæ Modwenna Pollewortenſi monaſterio à ſe condito Editham, Alfridi regis ſororem, præfeciſſe perhibetur. Locus poſtea dictus eſt ſanctæ Edithæ Polleſworth, ſeu, De Polleſworda, uti fidem faciunt vetera monumenta in Monaſtici Anglicani tom. 1, pag. 179 *. Altera Editha: Eadwardi filia, Sithrico Northumbrorum regi ab Æthelſtano fratre in conjugem data, ſed ab eodem poſtmodum repudiata, Polleſwortum ſeceſſit, ibique reliquum vitæ religiosè exegit, teſtante Matthæo Weſtmonaſterienſi ad annum DCCCCXXV.

* *l.* 199

ſanctitate effulſiſſe dicuntur; prima

8 Tertia eſt Editha, Eadmundi regis filia, Eadgari ſoror, neptis Edwardi ſenioris, cujus filiam fuiſſe Editham ſecundam diximus. Thomas Maihevius ad diem XV Julii, ubi de his tribus ſimul agit, ſuſpicatur ſecundam & tertiam non E eſſe diverſas, nec aliam quàm Edwardi ſenioris filiam: nam nullam Editham, Eadmundi filiam, Eadgari regis ſororem inveniri. Verùm in Vitæ ſequentis cap. 1 laudatur Editha, Edgari regis ſoror. Hujus tamen difficultatis ſolutio non ita pendet ex ſequenti Vita, ut nullum inde dubium relinquatur. Nam ſi ejus auctor Gotſelinus, qui ineunte * ſæculo XI florebat, ex ejus ſententia rem certò definire non poſſumus. *Hactenus Mabillonius. De priori harum trium inter Prætermiſſos ad diem* XIV *Maji in Opere noſtro breviter actum eſt verbis, quæ ſubdo:* Editha, Ethelwolfi regis & monarchæ Anglorum ſoror indicatur ab Alfordo in Indice Sanctorum Angliæ, quaſi hæc debuiſſet in Martyrologio Anglicano hoc die collocari. Poterit unà de hac agi ad diem dictam XVI Septembris. *Hanc autem, licèt ab Alfordo* ſoror, *non* filia *Ethelwolfi vocetur, eamdem eſſe cùm ea, cujus Mabillonius primo loco meminit, inde liquet, quod apud Capgravium in Vita S. Modwennæ, quæ tam à Maihevio, quàm à Mabillonio laudatur,* ſoror *item, non* filia *ejuſdem regis; in Vita verò S. Oſithæ apud Surium, ab utroque ſimiliter laudata,* ſoror *Alfredi, adeoque filia Ethelwolfi dicatur.*

* *l.* exeunte

ex incertis monumentis nota eſt; de ſecunda,

9 *Sed neque S. Modwennæ, qualis apud Capgravium exſtat, neque S. Oſithæ apud Surium Vita, ſatis idonea eſt, ut ejuſmodi Editham vel umquam exſtitiſſe certò perſuadeat; quippe quæ utraque fœdis parachroniſmis laborat, quæ cum Ethelwolfi ſeculo neutiquam poſſunt conſiſtere. Et de priori quidem conſule, ſi lubet Opus noſtrum tom.* 2 *Julii, ad diem* V, *quo de ea Sancta actum eſt; alteram verò, videlicet S. Oſithæ Vitam apud Surium ad diem* VII *Octobris, ad quem apud nos pariter diſcutienda veniet. In Monaſtico Anglicano tom.* 1, *pag.* 197 *ſimilia de Editha leguntur, recitaturque ibidem monumentum quoddam Anglicè ſcriptum de S. Modwenna & Editha, quæ poſterior utrobique Atulphi, ſive Ethelwolfi* ſoror, *non filia vocatur. Verùm nec hoc inſtrumentum ſatis antiquum eſt, ut certam fidem faciat. De ſecunda Editha ſic ſcribit Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum Chriſti* 925: Anno gratiæ DCCCCXXV Æthelſtanus rex Anglorum Eadgitham ſororem ſuam Sithrico Danica natione progenito, Northanhumbrorum regi, matrimo-

AUCTORE C. S.

nio honorificè copulavit. Qui ob amorem virginis paganiſmum relinquens, fidem Chriſti ſuſcepit; ſed non multò pòſt beatam virginem repudians, ac Chriſtianitatem abjiciens, idolorum culturam reſtauravit, & poſt modicum temporis apoſtatus vitam mirabiliter terminavit.

ejuſque cultu

10 Sancta itaque puella, virginitate ſibi reſervata, apud Pollesberiam in jejuniis & vigiliis, in orationibus & in eleëmoſynarum ſtudiis, uſque ad finem vitæ ſuæ bonis pollens operibus perſeveravit. Tranſiit autem poſt laudabilis vitæ curſum ex hoc mundo Idibus Julii, ubi uſque hodie divina miracula non deſinunt celebrari. *Parùm tamen nota fuit Guilielmo Malmesburienſi, cùm hic lib. 2 de Geſtis regum Anglorum cap. 5 Eduardi ſenioris liberos recenſens, inter alia dicat:* Primogenitum Ethelſtanum habuit ex Egwina illuſtri fœmina, & filiam, cujus nomen ſcriptum non in promptu habeo. Hanc ipſe frater Sithrico Northanimbrorum regi nuptum dedit. *Et rurſum cap. 6 de Ethelſtano ait:* Cum Sithrico rege Northanimbrorum, datâ ei in matrimonium, ut prælocutus ſum, unâ ex ſororibus,

B

victurum fœdus perculit; quo poſt annum mortuo, provinciam illam ſibi ſubegit, expulſo quodam Aldulpho, qui rebellabat. *Clarum eſt, de eadem Ethelſtani ſorore, quam Weſtmonaſterienſis* S. Edgitham *appellat, hìc agi; nec tamen ulla mentio fit de ejuſdem repudio, virginitate ſervata, vita monaſtica, miraculisque poſt mortem patratis, quæ ex Weſtmonaſterienſi retulimus. De hiſce pariter ſilet Florentius Wigornienſis in Chronico ad annum 925 ſic ſcribens:* Strenuus & glorioſus rex Anglorum Æthelſtanus ſororem ſuam cum magno honore & gloria Northimbrorum regi Sithrico, Danica ſtirpe progenito, in matrimonium dedit. *Deinde verò ad annum ſequentem narrat Sithrici mortem, occupatumque ab Ethelſtano ejuſdem regnum; ſed de Editha nihil præterea commemorat.*

ſatis conſtare videtur.

11 *Verumtamen iſtud ſilentium obeſſe non poteſt, quo minùs Weſtmonaſterienſi aſſerenti credamus, præſertim cùm Editham illam etiam ſuo tempore miraculis in ſuo Polleſworthenſi monaſterio claruiſſe aſſeveret. Difficile tamen eſt virginitatem ipſi intactam, ut ille ait, vindicare, ſi Sithrico non tantùm deſponſata, ſed & tradita fuerit. Inter neotericos de eadem variis in locis tomi 3 Annalium agit Alfordus, qui ad annum 925, num. 10 arguit Scoticarum rerum ſcriptores, quòd hi in ipſam, quam* Beatricem *perperam appellant, rejecerint tumultuum cauſam, qui id temporis in Northumbria exorti fuêre; eamdemque venenum Sithrico parâſſe, læſæque majeſtatis convictam, pœnas violenta morte ibidem dediſſe confinxerint. Mortem verò ejuſdem in monaſterio Polleſworthenſi idem annaliſta fixit circa annum 980, laudans Martyrologium Anglicanum, in quo tamen anno 926 obiiſſe dicitur, prout ipſe adverterat, & corrigendum monuerat num. 2 ad eumdem annum 926. Porrò Editham hanc, quam laudatus Weſtmonaſterienſis etiam ad annum 901* ſanctam Edgitham *appellat, præter Wilſonium in memorato Martyrologio, Wionius, Dorganius, Bucelinus, aliique ſacris Faſtis ad diem* XV *Julii, quo Weſtmonaſterienſis eam obiiſſe refert, inſeruerunt. At in Opere noſtro ibidem inter Prætermiſſos relata eſt, eo quòd de cultu ipſius aliunde ignoto ex ſolis Martyrologiis iſtis monaſticis non ſatis conſtare videretur. Attamen quæ ex Weſtmonaſterienſi ſuprà retulimus, exiguum de eo dubitandi locum relinquunt.*

C

12 *Tertiam Editham Vita ſanctæ Virginis noſtræ infrà num. 1 ſic indicat:* Inter multa autem Sanctorum exempla,... interque præſentia Sanctorum & maximè propinquorum religioſorum lumina, viciniùs accendebatur (*Sancta noſtra*) virginali palma ſanctiſſimæ amitæ ſuæ Edithæ, Edgari regis patris ſui germanæ, quæ in monaſterio Polleſworth provinciæ Werwici, meritorum ſignis, ſicut & ipſa Wiltoniæ, refulſit. *Hinc ipſa quoque velut ab aliis diſtincta, à Wilſonio aliiſque martyrologis ad diem* XIV *Maji inter Sanctos, apud nos verò inter Prætermiſſos recenſita eſt. Laudatam Vitam pariter ſecutus videtur Nicolaus Harpsfeldius in Hiſtoria eccleſiaſtica Anglicana, dum Seculo* 10, *cap.* XI *ait:* Præfuit hoc ſæculo cœnobio ſacrarum virginum Polleſverthi Editha pia mulier, Edgari regis ſoror. *At verò Maihewus illam, ut ſuperiùs diximus, eamdem cum ſecunda, ſive cum Eduardi ſenioris filia opinatus eſt; putavitque errorem, quo hæc Edgari regis ſoror credita eſt, oriri potuiſſe ex eo, quòd* S. Edithæ *noſtræ* amita *diceretur, cùm tamen ea vox more apud eos recepto etiam avi ſororem, qualis Eduardi ſenioris filia Virgini noſtræ erat, ſignificaret. Sanè hæc ſuſpicio minimè inanis eſt, & hujuſmodi error facilè potuit biographo obrepſiſſe, quem toto circiter ſeculo, aut eo etiam ampliùs poſt Sanctæ obitum ſcripſiſſe diximus. Ratio autem, ob quam Editham illam Edgari amitam potiùs, quàm ſororem credimus, hæc eſt, quòd de ipſius amita, ejuſque vita in Polleſworthenſi monaſterio ſanctiſſimè exacta ac miraculis poſt felicem obitum uſque ad ſeculum* XIV *ibidem perſeverantibus, diſertè meminerit Matthæus Weſtmonaſterienſis, eamque exſtitiſſe etiam alii ſcriptores admittant; Editham verò Edgari ſororem ex ſola Sanctæ noſtræ Vita habeamus, cujus ſcriptor ex dictis hìc facilè falli potuit.*

D

Tertia obſcurior, ac forſitan eadem

E

13 *Nec obſtat ratio temporis, quo minùs Edgari amita in vivis ſupereſſe potuerit, dum* S. Editha *noſtra in Polleſworthenſi parthenone degebat. Sancta enim* Editha *circa annum Chriſti* 984, *ætatis ſuæ* 23 *obiiſſe à biographo dicitur. Editham verò Edgari amitam anno Chriſti* 925 *Sithrico ſponſam datam, repudiatamque Polleſworthum ſeceſſiſſe ſcribit Weſtmonaſterienſis. Habuerit igitur hæc anno* 925 *ætatem* 20 *annorum, tantum octogenaria circiter fuiſſet, moriente* S. Editha *noſtra; ſed & aliquot annis junior eſſe potuit, dum deſponſata eſt, & ante Sanctam noſtram obiiſſe; ita ut ex hac parte nihil impediat, quo minùs duæ iſtæ virgines eodem tempore vixiſſe credantur. Ejuſdem nobiſcum ſententiæ eſt Alfordus in Annalibus, ubi ad annum* 962, *num.* 4 *Wilſonium corrigendum putat, quòd is ad diem* XIV *Maji Editham, quam anno* 980 *defunctam ibidem ſcribit, Edgari ſororem vocaverit, diſtinxeritque ab ejuſdem Edgari amita, cujus ad diem* XV *Julii meminit, quamque anno* 925 *obiiſſe perperam ſtatuit. Atque hæc de Edithis occaſione ſanctæ Virginis noſtræ dicta ſufficiant.*

F

cum ſecunda.

§ II.

A

§ II. Illustres Sanctæ parentes: chronotaxis vitæ examinata: Vita monastica, gestaque usque ad mortem: corporis elevatio: miraculum ab Harpsfeldio relatum.

Sancta ex SS. Edgaro & Wilfrida nascitur.

ILlustres S. Edithæ *parentes biographus ejus in ipso Vitæ limine his verbis indicavit:* Beata virgo Editha filia fuit Edgari regis, & Wolftrudis, regii ducis filiæ, quam rex insolubilibus votis regno sociare disposuerat; sed partu explicito, castè vivere, quàm illecebris deservire maluit propter Deum; habitumque monialium de manu S. Ethelwoldi episcopi apud Wiltoniam suscepit, & virtutibus & exemplis proficiens, virginibus mater spiritualis effici meruit. *Edgarus*

B *hic, aliàs Eadgarus dictus, Angliæ rex fuit, & inter sanctos confessores relatus, cujus gesta tom. 2 Julii ad diem* VIII *in Opere nostro illustrata habes. Eosdem honores Wolfrudis, quæ & Wilfrida aliisque etiam nominibus appellatur, sanctitate vitæ suæ promerita est, prout ad diem* IX *Septembris, ubi de ea pariter actum est, jam ostendimus. Porrò indecoros* S. Edithæ *natales biographus datis verbis tacitè insinuat; nam non ex legitimo parentum conjugio eam natam esse, in Commentario historico de S. Wilfrida* § 2 *docuimus, ubi etiam pro insigni Edgari pœnitentia lectorem ad ejusdem sancti regis Syllogam historicam* § 2 *remisimus.*

Chronotaxis ejus, à biographo asserta,

15 *Chronotaxim vitæ biographus hanc tradit:* Anno XXIII ætatis suæ, XVI Cal. Octob. migravit ad Christum, circa annum Domini DCCCCLXXXIV. *Præmiserat etiam:* Cùm autem quindecim esset annorum, à patre suo rege Edgaro super tria monialium monasteria . . . abbatissa effecta est. *Secundùm hæc Sancta nasci debuit circa annum 961 vel 962, & abbatissæ officio decorari anno circiter 976 vel proximè subsecuto aut*

C *præcedente. Verùm ista non parvam difficultatem patiuntur ex patris ejus S. Edgari chronotaxi, quæ aut supremam Virginis ætatem paucis annis minuendam, aut mortem tantumdem seriùs statuendam suadet. Etenim septennis pœnitentiæ, quam Edgarus ob illatam Wilfridæ virgini vim, ex qua* S. Editha *progenita est, à S. Dunstano sibi impositam humiliter fervidèque exegit, finem in annum Christi 973 incidisse, Westmonasterienſis, Malmesburiensis, Wigornienſis & Hovedenus non obscurè indicant, dum Edgarum summo cum optimatum gaudio ab ipso S. Dunstano coronatum eo anno fuisse scribunt: pœnitentiæ enim impositæ pars erat, ne toto illo septennio coronam regni sui gestaret.*

aliquam difficultatem patitur.

16 *Jam verò si septennium ab anno 973 subduxerimus, prodibit Christi annus 966, adeóque vel hoc, vel præcedenti anno ille Edgari lapsus contigisse debuit, nec potuit* Editha *anno 961 vel 962 nasci, nec anno 984 moriens vigesimum tertium ætatis suæ numerâsse; nisi regis flagitium ab anno 961 usque ad 966 vel 965 tam studiosè occultatum fuerit, ut ante id tempus in publicum non eruperit, nec ad S. Dunstani aures pervenerit. Præterea cum S. Edgarus die* VIII *Julii anni 975 ad beatam vitam commigraverit, prout in ejusdem Sylloga historica ostensum est, non potuit* Editha *annum ætatis* 15 *agens ab eodem abbatissa præfici, nisi jam ab anno 961 in lucem edita fuisset. Hæc itaque præsentem chronotaxim dubiam faciunt: attamen discrimen non nisi paucorum, ut liquet, annorum est. Quin & ipse biographus, de anno Sanctæ emortuali non omnino sibi constitisse satis indicat, dum illum* circa annum Domini CMLXXXIV *collocat: vocula enim* circa *aliquam latitudinem patitur, & scriptoris dubium indicat. Hinc illum cum simili latitudine in margine annotandum putavi.*

AUCTORE C. S.

Vitam in monasterio Wiltoniensi transegit,

17 *De Sanctæ gestis saltem pauca tum ex biographo tum aliunde habemus, eademque brevi compendio Baronius in Romano Martyrologio rectè complexus est, dicens:* In monasterio à teneris annis Deo dicata, sæculum hoc ignoravit potiùs, quàm reliquit. *Certè biographus num. 1 Vitæ scribit, eam sub materna cura in Wiltoniensi cœnobio relictam, in eaque consentiente rege patre suo, velatam, vitam suam transegisse. Fuit autem monasterium illud in Wiltoniæ comitatu situm, de quo Malmesburiensis lib. 2 de gestis pontificum Anglorum sic meminit:* Wiltoniense E cœnobium B. Editha, filia regis Edgari, sedem ossium suorum dulcibus exuviis ornat, amore fovet. Wiltuna est vicus non exiguus supra Wile fluvium positus, tantæ celebritatis, ut totus pagus ab eo vocetur. Ibi ab infantia Editha Deo sacrata, incorrupta virginitate Domini, obsequiorum sedulitate hominum gratiam emebat, natalium tumorem ingenuitate mentis premens. *Hæc ille: paulò latiùs Camdenus in prædicti comitatûs descriptione de ejusdem loci situ, veterisque ac sui temporis statu agit, unde huc spectantia describo.*

cujus loci notitia datur

18 Ubi verò, *inquit*, hi amnes (*Willey & Nadder*) confluunt, Willey Wilton oppidum aquis irriguum nomini adoptat, olim totius agri caput, cui & appellationem fecit, antiquitus Ellandunum dictum. Hoc enim docent membranæ antiquæ, quæ expresè habent, Weol-„stanum Ellanduni comitem, id est, Wiltoniæ„; & alibi: "Ellanduni, id est, Wiltoniæ monaste-„riolum posuisse . . . „ Saxonico verò sæculo in primis civium frequentiâ floruit; sacrarum virginum monasterio ornavit rex Edgarus, ut habent Annales, filiamque suam Editham præfecit. F Verùm ex antiqua ipsius Edgari charta, data CMLXXIV, antiquius esse constat. Sic enim in illa scribitur: "Cœnobium, quod ab atavo meo „Edwardo rege in celebri loco, qui à solicolis „noto Wiltun vocatur nomine, fundatum„. Et in Vita S. Edwardi confessoris legimus: "Dum „S. Edwardus monasterium B. Petri Westmona-„sterii molitur, Editha ejus uxor Wiltoniæ, „ubi educata fuit, regio opere lapideum monaste-„rium pro lignea ecclesia inchoavit, prosequuta „affectum regis affectu suo. Nec ita concidit hoc oppidum, (licèt Sueni Dani rabie gravissimè dilaceratum fuerit,) donec episcopi Sarisburienſes viam, quâ priùs hàc in occiduas regiones itum erat, deflexerint; tunc enim paulatim quasi contabuit, & nunc tantùm tenuis quasi viculus, Majore tantummodò pro magistratu summo, & elegantissimis comitis Penbrochiæ ædibus, quæ è diruto monasterio surrexerunt, gloriatur.

ecclesiam ibidem & xenodochium exstruxit:

19 *Hactenus Camdenus, rectè observans, monasterium illud S. Edgaro vetustius esse, prout etiam dicitur in Monastico Anglicano tom. 1, pag. 191: sed quæ Camdenus ex Vita S. Eduardi*

AUCTORE C. S.

di confessoris subdit, Edgaro posteriora sunt, neque in ejusdem S. Eduardi Vita per S. Ealredum conscripta, & in Opere nostro ad diem v *Januarii editæ leguntur. Dubitandum porrò non est, quin Edgarus, erga sacras ædes cœnobiaque penè supra fidem munificus, ut in ejusdem sæpe laudatis gestis § 2 videre licet, Wiltonienſe quoque cæterum in Wilfridæ filiæque suæ* Edithæ *gratiam bonis auxerit atque amplificaverit. Certè ipsa sacra Virgo ecclesiam S. Dionysio ibidem exstruxisse, & xenodochium in atrio ejusdem monasterii instituisse, in Vita num.* 5 *&* 6 *dicitur, in quo, testante biographo, etiam suo tempore tredecim pauperes refici sive ali solebant. Ceterùm monasterium illud usque ad tempora Henrici VIII Angliæ regis superfuisse discimus ex Monastico Anglicano, in cujus tom.* 1, *pag.* 1045 *in catalogo sacrarum in Anglia ædium, ejusdem regis jussu confecto, unà cum annuis redditibus recensetur.*

20 *Camdenus in descriptione comitatûs Staffordiæ alium parthenonem ab ea Tamawordiæ exstructum his verbis meminit:* Editha Edgari regis filia, quæ nuptias aversata, castitatis opinione in Sanctarum catalogum inscripta, ædiculam virginibus velatis hìc constituit, quam post paucos annos Marmioni Normanni, quibus hoc oppidum largitus est Guilielmus I, ad Polleſworth transtulerant, cùm collegiatam hìc erigerent ecclesiam *&c. Unde autem hæc didicerit Camdenus, ignoro; at in Monastico Anglicano tom.* 1, *pag.* 198 *simile quid de vetustiori Editha, Ethelwolfi scilicet sorore, dicitur; nec exploratum mihi est, utro loco rectiùs referatur. Abbatissæ titulum* S. Edithæ *nostræ dandum non censui; quia, etsi tribus virginum monasteriis à patre suo præfecta fuisse in Vita legitur, præfuisse tamen unquam negatur, diciturque, aliis abbatissis cuique loco præpositis, maluisse matri suæ S. Wilfridæ in Wiltonienſi parthenone subesse, quàm alibi ceteris imperare. Quam ob rem abbatissæ munus Virgini nostræ à patre quidem oblatum videtur, sed ab ea non acceptatum. Quod autem Wilsonius suprà num.* 2 *ait, eam defunctæ matri suæ in Wiltonienſis cœnobii regimen successisse, falsum esse videbimus.*

ac fortè monasterium Tamawordiæ: non fuit abbatissa.

21 *Regi patri suo S. Edgaro, anno* 975 *vitâ functo, fratrique suo Eduardo, sed ex alia matre genito, annoque* 978 *dolis novercæ suæ Alfrithæ perempto,* Editha *supervixit, &, si biographo credimus, ad paternum Angliæ solium à magnatibus regni invitata est, præterito Etheldredo Alfrithæ filio, cui hæc per sancti privigni sui parricidium viam ad illud straverat. Verum* Editha *castissimis cœlestis Sponsi sui deliciis dudum assueta, invitantibus constanter restitit, sacrumque velamen diademati præferens, humilem sub disciplina matris suæ in monasterio vitam agere maluit, quàm in paterna aula rerum domina regnare. Ejusdem sancti fratris sui corporis translationi unà cum matre sua Wilfrida, ceterisque æterii sui sacris virginibus adfuit, quam alii anno* 979, *alii rectè* 981 *assignunt, uti in Commentario prævio ad ipsius S. Eduardi Historiam martyrii & translationis,* § 1 *ad diem* XVIII *Martii ostensum est. Translatio verò ipsa ibidem pag.* 645 *pluribus refertur, unde ea, quæ ad præsens argumentum pertinent, huc transfero.*

Regibus patri fratrique superstes,

22 Nuntium quoque (*Alferus comes, qui sacrum martyris corpus transferendum curabat*) ad abbatissam Wolfridam, in monasterio Wintonienſi * dirigit, & ut ad peragendas tanti viri exequias cum sibi commissis virginibus conveniat, denuntiat. Erat autem in eodem monasterio quædam venerabilis virgo, soror ipsius S. Eduardi, magna vitæ & morum honestate pollens, Editha nuncupata, quæ suprà dicti regis Edgari, & ejusdem conjugis Wolfridæ (*vide dicta superiùs*) nondum Deo sacratæ filia erat. Quibus mox cum summa diligentia & veneratione convenientibus, episcopis quoque cum abbatibus, ut diximus, congregatis, prædictus Alferus ex Dorsata non modicam virorum ac mulierum multitudinem coadunavit, & usque Warham, ubi corpus viri Dei per triennium sepultum jacuerat, pervenit. *Sequitur deinde translationis historia, quæ huc præterea non pertinet, ideóque eam ulteriùs non recenseo. Cetera, quæ ad* S. Editham *spectant, commentatione non egent, & inter Annotata ad Vitam satis elucidabimus: unum tamen, quod in ea non legitur, hìc referendum est.*

posterioris translationi adest.
*Wiltonienſi

D

23 *De emortuali sanctæ Virginis nostræ anno ex suprà dictis utcumque statui potest: restat, ut tempus elevati virginei corporis à biographo assertum hìc examinemus. Is num.* 8 *Vitæ id factum ait* elapsis post depositionem B. Edithæ annis tredecim *per B. Dunstanum, cui ipsa apparens ita fieri mandaverat; additque,* tertio Nonas Novembris corpus sanctum de terra *levatum fuisse. Hæc secundùm biographi calculos deducent nos ad annum Christi circiter* 997, *cùm ipse Sanctam circa annum* 984 *obiisse statuat. Verùm id temporis S. Dunstanus è vivis etiam jam excesserat, defunctus scilicet anno* 988, *prout in ejusdem Actis ad diem* XIX *Maji probatum est. Itaque biographus in elevationis tempore vel auctore errâsse dicendus est. Sub S. Dunstano tamen eam contigisse scribit etiam Joannes Bromton in Chronico, & ipse Malmesburiensis lib.* 2 *de Gestis regum Anglorum, cap.* 13, *& lib.* 2 *de Gestis pontificum pariter Anglorum satis insinuat. Hinc juverit Malmesburiensis verba ex priori loco retulisse.*

Error biographi in assignando

E

24 *Post memoratam Sanctæ mortem sic progreditur:* Nec multò pòst idem Beatus (*Dunstanus, ut præmiserat*) vidit somnii visione S. Dionysium Virginem amicabiliter manu tenentem, & ex oraculo divino constanter jubentem, ut à famulis honorificaretur in terris, sicut à Sponso & Domino venerabatur in cælis. Ita crebrescentibus ad tumbam miraculis edictum, ut corpus virgineum levaretur, & altiùs efferretur; inventumque in cineres totum resolutum præter digitum & alvum, & alvo subjecta; unde disputantibus nonnullis, uni ex his, qui viderant, dormienti Virgo ipsa astitit, dicens, non mirum esse, si partes illæ corporis putruerint, quòd usus fuerit *, exanimata corpora in quosdam arcanos naturæ illius sinus defluere, & ipsa, utpote puella, membris illis peccaverit; ceterùm justè ventrem nulla corrumpi putredine, qui nulla sit aculeatus umquam libidine; sed immunem se fuisse crapulæ & carnalis copulæ. *Eadem repetit loco alio mox citato.*

sacri corporis, partim incorrupti,

F

* *al.* habeat

25 *Porrò biographus noster duplicem visionem num.* 8 *&* 9 *recenset, utramque S. Dunstano oblatam, & in quarum priori* S. Editham *solam ipsi apparentem, jubentemque corpus suum elevari, ac memoratam incorruptionem prædicentem inducit. In altera verò S. Dionysium Virgini adjungit, ejusdem dicta confirmantem, jussorumque exsecutionem suadentem. Non facilè autem dixerim, utrius auctoritate hìc potiùs standum sit: verùm illud probabilius est, elevationem hanc à S. Dunsta-*

elevationis anno, vel auctore.

A *no factam fuisse, ideóque biographum in assignando tempore errâsse. Michaël Alfordus tom.* 3 *Annalium ad annum Christi* 984, *num.* 12 *ut eum errorem tollat, pro* annis tredecim *legit* mensibus tredecim, *itáque legendum monet, corrigendumque Capgravium, qui totidem annos pariter recensuit. Hac, fateor, ratione omnis difficultas sublata est; tum enim & S. Dunstanus adhuc in vivis erat, & sic rectè intelligitur Sancta, tredecim elapsis ab obitu mensibus, ipsi apparuisse, corpusque suum jussisse elevari; idque tertio Nonas Novembris exsecutioni mandatum esse. Denique in hac sententia rectè etiam sese habet Malmesburiensis narratio, quæ hæc omnia non multò post* S. Edithæ *mortem accidisse statuit. Attamen non tantùm Capgravius, sed & Surius cum Ms. nostro habent* annis tredecim.

Historiam divinæ vindictæ in violatores festi

26 *Nicolaus Harpsfeldius in Historia Anglicana Ecclesiastica, sec.* 10, *cap.* 10 *mirabilem divinæ vindictæ in petulantes vigiliæ Nativitatis Domini violatores historiam refert, ex quibus unum Theodoricum finem pœnæ suæ Wiltoniæ apud* S. Edithæ *tumulum impetrâsse affirmat, laudans quemdam vetustum Eboracensis aut Dunelmensis, ut*

B *arbitratur, ecclesiæ codicem, ceteris scriptoribus ignotum. Profanati festi pœnam varii scriptores tum Saxoniæ, ubi contigisse dicitur, tum Angliæ tradidêre, inter quos Guilielmus Malmesburiensis lib.* 2 *de Gestis regum Anglorum, & Matthæus Westmonasterienſis, ad annum Christi* 1012 *eam retulerunt. Rei gestæ hæc summa est: Cùm duodecim vel quindecim viri cum tribus puellis in vigilia Nativitatis Domini prope S. Magni martyris ecclesiam in Saxonia lascivas choreas agerent, loci presbyter post irritas admonitiones, ipsis imprecatus fuisse dicitur, ut toto illo anno ita canere & saltare pergerent; itáque, ut imprecatus fuerat, contigisse. Elapso anno in somnum inciderunt, deinde nonnullis ex eorum numero mortuis, ceteri ab invicem divisi, horrendo membrorum tremore variis in locis dirum sui spectaculum dedêre.*

Nativitatis Domini, & horum unius sanationem

27 *Verùm historia hæc fabulosis adjunctis vestita est, ut eam hic referre pigeat, & de ipsa rei substantia cogar dubitare. Producunt quidem scriptores illi testimonia veluti à S. Brunone Tullensi episcopo, qui deinde Pontifex Romanus creatus,*

C *Leo IX dictus est, & à Peregrino S. Heriberti Colonienſis episcopi successore data; verùm hæc eâdem de causa suppositionis ad minimum suspecta sunt, nec admittere pro veris possumus, nisi aliunde eorumdem esse magis solidè probetur. Certè ea narratio, quam Guilielmus Malmesburiensis à Peregrino seu Peligrino scriptam ait, impostluram satis manifestat, dum sub finem hæc habet:* Filia presbyteri (*una ex istorum saltantium numero*) cum aliis duabus continuò efflavit (*animam scilicet, expleto in pœna anno*;) ceteri continuis tribus diebus & noctibus dormivimus, aliqui postea obierunt & miraculis coruscant; ceteri pœnam suam tremore membrorum produnt. *Quis credat fabulatori huic, è lascivis istis aliquot cælesti vindictæ immortuos, miraculis mox coruscâsse, dum eorum socii etiam pœnas darent.*

ab Harpsfeldio relatam prætermittimus.

28 *Novi equidem S. Augustini tempore septem filios ac tres filias, quibus furibunda mater imprecata fuerat, ut terrarum orbem pervagantes, omnibus horrori essent, prodigioso tremore concussos, diras matris expleviſſe, & ex hisce duos fratrem scilicet cum sorore apud S. Stephani protomartyris memoriam Hippone regio incolumitatem impetrâsse, prout laudatus sanctus doctor lib.* 22 *de Civit. cap.* 8, *& Serm.* 322, *aliàs* 31 *de diversis, luculenter testatur. Verum ea Sancti narratio, etsi mirabilis est, nihil tamen continet, quod meritò suspectum habeas, proculque abest à similibus fabulis, quæ in historia, de qua agimus, occurrunt. Hanc itaque hìc prætermittimus, lectore, qui eam legere voluerit, ad citatos scriptores remisso. Unum addo, nempe istam Theodorici apud* S. Edithæ *tumulum prodigiosam curationem, quam anonymus ille, qui sese rei gestæ æqualem fuisse persuadere nititur, apud Harpsfeldium refert, biographo æquè ac scriptoribus Anglicis, qui de prædicta historia meminerunt, planè ignotam fuisse. Sed de hisce plùs quàm satis. Vitam igitur subjungo.*

AUCTORE C. S.

VITA

Auctore, ut creditur, Gotselino monacho.

E

Ex Ms. Rubræ Vallis.

Rege patre nata, in Wiltonienſi monasterio velatur; *a* *b* *c*

BEata virgo Editha filia fuit Edgari regis, & Wolftrudis *a*, regii ducis filiæ, quam rex insolubilibus votis regno sociare dispoſuerat; sed partu explicito, castè vivere, quàm illecebris deservire maluit, propter Deum, habitumque monialium de manu S. Ethelwoldi *b* episcopi apud Wiltoniam *c* suscepit; & virtutibus & exemplis proficiens, virginibus mater spiritualis effici meruit. Sancta verò Editha sub materna cura relicta, de consensu tandem regis in eodem monasterio habitum religionis suscepit; quam mater non auro ac monilibus aut vario ornatu, sed litterarum ac virtutum decore ornare studuit. Inter multa autem Sanctorum exempla, quæ in libris legebat, interque præsentia Sanctorum & maximè propinquorum religiosorum lumina, viciniùs accendebatur virginali palmâ sanctissimæ amitæ suæ Edithæ *d*, Edgari regis patris sui germanæ, quæ in monasterio Pollelworth provinciæ Werwici, meritorum signis, sicut & ipsa Wiltoniæ, refulsit. *d*

F

virtutibus fulget: cilicium sub vitida veste gestat:

2 Sororibus enim Martham, Christo se præbuit Mariam: singulis in ministrando inclinabatur, & omnes hospites in Christi viscеribus amplexans, sic abstinens, acsi epularetur, sic epulans, ut frugalitas servaretur, terrenis favoribus valedixit, languidis ac destitutis se impendit, & regis natis leprosos præposuit. Quantò quisque apparebat morbis deformior, tantò hæc effertur benignitate compatientior, & famulatu suffusior: oculus cæcorum, baculus debilium, vestis & alimonia indigentium, atque omnium desolatorum extitit solatium. Cilicio asperrimo ad carnem utebatur, nitidis vestibus exteriùs decoratur. Unde cùm B. Ethelwoldus videret illam cum ornatiore habitu aliquando procedentem, ait: O filia, non his itur ad thalamum Christi indumentis, non exteriori cultu delectatur Sponsus cælestis. Illa verò interim conscia Habitatoris, taliter respondit. Crede mihi, ô pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc habitabit tegmine, quàm sub caprina melote. Habeo Dominum meum, qui non vestem, sed mentem attendit *e*. *e*

Ex Ms. *Crucem frequenter formabat, præsse renuit:*

3 Sensit ergò vir Dei in Virgine gratiæ auctoritatem, nec ausus est contristari supernum in illa Præsidem; lætatur magis, Dominum in Sanctis suis omnia, prout vult, operantem, animadvertens etiam, nihil differre in purpura aut sacco, si mens munda versetur. Ubicumque Editha incedebat, crux Christi comes erat, crucem in fronte, in pectore, in itinere, in omni opere suo prætendebat. Quodam enim tempore epulas ex more cùm in disco efferret, quas in sinu pauperis absconderet, occurrit à latere puer, eleëmosynam petens: cui cùm illa cum solito crucis signaculo porrexisset, ita mendicus disparuit, ut nullus videretur, qui reciperet. Cùm autem quindecim esset annorum, à patre suo rege Edgaro super tria monialium monasteria, scilicet Wintonienſe *f*, Berkingum *g*, & tertium abbatissa effecta est; à domo tamen, in qua Deo servire cœperat, avelli non poterat; sed singulis locis spirituales matres, tamquam efficaciores, disposuit; malens matri subesse, quàm aliis præesse; matrem timere, quàm aliis imperare *h*.

f g

h

fratris cædem prævidet, regnum oblatum respuit.

4 Mortuo autem patre suo Edgaro *i*, & succedente filio suo *Edwardo adhuc infantulo *k*, somniavit Virgo sancta, oculum sibi decidisse dexterum: quod referens sororibus, simulque exponens, ait: Videre, inquit, mihi videor hanc visionem Edwardi fratris mei portendere casum. Nec multò pòst Edwardus, dum fratrem suum Ethelredum videre desiderat, à filiis iniquitatis, sicut in ejus Passione claret, occisus est *l*. Cúmque magnates Virginem sanctam de monasterio extrahere, & in patris solio, sicut plerisque nationibus feminæ principantur *m*, sublimare niterentur, & instarent, & denique vim facere vellent, faciliùs saxa in plumbum converti, quàm illa in proposito suo & Dei servitio reflecti, valerent.

*ejus

i k

l

m

Pollicem ejus non corrumpendum, & mortem illius prædicit S. Dunstanus.

5 Cùm enim in honore S. Dionysii ecclesiam fabricâsset, & B. Dunstanum *n* ad ejus dedicationem invitâsset, idem pontifex vidit beatam Virginem pollicem dexterum frequenter protendere, & signum crucis fronti imprimere. Ex quo delectatus Dunstanus, apprehensâ manu ejus dextera, ait: Nunquam putrescat digitus iste. Continuò inter Missarum solemnia in lacrimas prorupit Dunstanus, & inquisitus à diacono suo, cur fleret, suspirans ille, imoque trahens à pectore vocem, ait: Hæc Deo dilecta Anima, hæc siderea gemma, ad Sanctorum patriam rapietur ab illuvione terrena & ærumnosa cohabitatione nostra: nec enim sceleratus mundus jam dignus est tantæ lucis præsentiâ. Quadragesima enim tertia die ab hodierna occidit nobis hæc prælucida stella; auferuntur ab ergastulo nostro Sanctorum luminaria, & nos sedemus in tenebris & mortis umbra: nos pigritantes senes ætas damnat immatura, quæ nobis dormitantibus intrat cæli palatia *o*.

n

C

o

Mors ejus divinitus illustrata:

6 Appropinquante autem horâ, quâ de hoc mundo transiret ad Dominum, adest S. Dunstanus, & exhortationibus atque orationibus animam ejus armans, & egressam à corpore in manus Dei commendavit. Quædam interim soror trepida currens de ecclesia S. Dionysii, ubi Virgo sancta obierat, ad monasterium, audit tamquam in choro multitudinem psallentium. Cui hærenti occurrit quidam speciosi vultus & habitus glorioſi; Ne appropies, inquit, huc, quia angeli sancti Godam puellam (sic enim gratiosiùs appellabatur, quæ patria voce Bona cognominatur) convenerunt, ut ad æterna gaudia hinc secum auferant, quatenus cum isto concentu exercitùs cælestis aulam introëat perpetuæ jucunditatis. Sicque anno XXIII ætatis suæ, XVI Cal. Octob. migravit ad Christum, circa annum Domini DCCCCLXXXIV *p*; & sepelivit eam Dunstanus in ecclesia S. Dionysii, quam ipsa fundaverat. Hunc locum præsaga mente sæpe notaverat, &, Hic locus requietionis meæ est, dixerat, atque hunc frequentans, assiduo imbre lacrimarum irrigaverat. Xenodochium in atrio monasterii, quo tredecim pauperes usque hodie reficiuntur, instituit.

D

p

matri apparet in gloria: infantis baptismo adstitisse creditur.

7 Tricesimo obitus sui die apparuit Virgo sancta Wolftrudi genitrici suæ ita pulchra & læta, ac lumine, sicut vestimento, amicta & glorioſa. Narrat se Regi suo bene acceptam in gloria æterna. Et satanas me, inquit, coram Domino meo accusavit, sed sanctorum Apostolorum patrociniis caput ejus contrivi, & in cruce Domini mei Jesu Christi dejectum triumphavi. Tricesimo transitus sui die nata est ex illustrissimis parentibus parvula *q*, super quam ipsa B. Editha ante mortem rogitata, ut de sacro fonte hunc partum, cùm nasceretur, susciperet. Suscipiam, inquit, cùm Deo placuerit: sed illa antè nata est cælo, quàm ista mundo. Allata itaque ad ecclesiam infantula, cùm Elphegus *r* jam baptizaret, & pòst cereum prætenderet, dixit: Accipe puella lampadem, cum qua introëas ad nuptias Domini, subitò quasi S. Editha coram tenente susceptam infantulam, palmulam porrexit, cereumque suscepit ac tenuit. Intellexit repentè Elphegus episcopus, hoc esse mirabile præsagium divinæ revelationis; & statim parentibus ejus dixit: Hanc infantulam soli Deo desponsandam nutrite, & post ablactationem monasterio tradite. Hæc enim puella, Brithgina vocata, apud Wiltoniam abbatissa est effecta *s*, & in sancta conversatione vitam finivit.

q

E

r

s

S. Dunstano apparens, jubet corpus suum elevari,

8 Elapsis post depositionem B. Edithæ annis tredecim, apparuit B. Dunstano archiepiscopo *t* dicens: Reminiscens *, inquit, miserationum suarum, assumpsit me, placetque ineffabili bonitati suæ, ut clarificer in salutem fidelium suorum apud homines, quam glorificavit apud angelicos concives in cælis. Vade ergò Wiltoniam, & divina mandata exequere, & corpus meum de terra elevare stude: ne dubites, nec ullâ te phantasiâ illudi existimes. Hoc enim veritatis tibi dabitur signum, quòd scilicet præter officia membrorum, quibus in puellari levitate abusa sum, id est, oculorum, manuum, pedum, invenies reliquum corporis mei, sicut illibatum, ita & incorruptum. Nam libidinis & crapulæ semper expers fui: pollicem quoque dexteræ manus, quo mihi assiduè crucis impresseram signum, videbis nihilo minùs illæsum, ut appareat benignitas Domini in parte servata, & paterna castigatio in parte absumpta.

*adde Deus

t

F

quod ille exsequitur, & partim incorruptum invenit.

9 Dunstanus itaque, dum apud Sarum *u* prope Wiltoniam pernoctavit, per visum transfertur in ecclesiam Wiltoniæ usque ad tumulum Virginis sanctæ; & ecce, videt angelica claritate S. Dionysium altari assistere, & virginem Editham luce & candore splendidam tali dilectum patronum compellare devotione: Scis, pater, de me quid Dominicæ placuit gratiæ; tu summi consilii interpres & divinæ voluntatis legate, huic advenæ, qua fide & auctoritate huc eum invitaverim, edissere. S. Dionysius ait: Animadverte, frater, visionem, quam nuper vidisti, veram esse super hujus Dilectæ Domini declaratione. Digna

u

est

A est terrigenis venerari, quæ inter cæligenas meruit coronari : dignum est honore hoc corpus, hoc templum virginalis pudicitiæ, in quo amator virginitatis regnavit Dominus rex gloriæ : nam ejus placabilia apud Christum suffragia mortalibus sunt necessaria. Igitur tertio Nonas Novembris corpus sanctum de terra levatur, & omnia, ut præmittitur, inveniuntur.

Temerarii divinitus repressi : corpus S. Juii divino nutu ibi retentum : x

10 Monachus quidam Glastoniæ *x*, nomine Edulphus, collectam temerè in rugam à corpore sancto tunicam cultello præscidit, simulque sanctum corpus ferro percussit : nec mora sanguinis unda, acsi de viva vena, elicita, prorupit, vestesque ac pavimentum respersit. Territus præsumptor, ferrum cum sacra rapina projiciens, in faciem ruit, culpam fletibus lavare curavit. Cúmque à satisfactione surrexit, jam nullus cruor apparuit. Et cùm soror quædam de vitta sacri capitis partem abscindere tentaret, vitale caput se erexit, ac præsumtricem minaci indignatione absterruit. Clerici Pictorum scrinio circumferentes *y* sanctum confessorem Juium *y*, in cœnobio sanctæ Virginis honorificè susceptí, in altari B. Edithæ reliquias deposuerunt : cúmque clerici vellent abscedere, tanto Juius affixus est pondere, B ut ab altari nullo conamine levare possent. Plorant advenæ, ejulant, vestes scindunt, & crines evellunt ; desperati tandem receptis duorum millium solidorum à Wolftrude abbatissa, ad propria tristes abierunt.

Canutus à Sancta severè correptus ; cui postea z ea

11 Cùm rex Canutus *z* in festo Penthecostes apud Wiltoniam convivans, solemnes cachinnos in B. Editham effunderet, numquam se crediturum dixit, Filiam regis Edgari sanctam fore, cujus pater libidini semper ac tyrannidi deditus fuit. Contradixit Ednothus *aa* archiepiscopus, tunc præsens, & statim sepulchrum Virginis aperuit, ubi defuncta Virgo cingulo tenus se erigens, in contumacem regem impetum facere visa est. Hoc ille metu turbatus, humi quasi exanimis cecidit, & tandem respirans, lætus erubuit, & suæ præsumptionis & temeritatis veniam postulans, sanctam Virginem deinceps in magno honore habuit ; unde semel orta in mari tempestate, B. Editham invocavit, & serenitate reddita, ad portum optatum applicuit *bb*.

bb

tui & alteri in mari periclitantibus succurrit : injustus invasor punitus. cc

12 Alredo Eboracensi archiepiscopo *cc* in mari Adriatico periclitante, sanctam Virginem invocavit, & statim visibiliter apparens : Ego sum, inquit, Editha ; & subitò maris tranquillitatem reduxit. Cùm quidam terram S. Edithæ usurpâsset, & morte superveniente impœnitens correptus fuisset, post aliquantulum temporis spatium, quo mortuus fuerat, surrexit, dicens : Succurrite, amici, subvenite omnes fideles Dei ; ecce S. Edithæ indignatio intolerabilis ab omni plaga cæli & terræ hanc infelicem animam meam excludit, suique juris invasorem nusquam subsistere permittit, nec in hoc corpore durare, nec vivere mihi, nec mori concedit. Redditâ autem terrâ, *dd* sine mora spiritum emisit *dd*.

ANNOTATA.

a *De hisce sanctis Edithæ parentibus consule Commentarium prævium § 2.*

b *De S. Ethelwoldo episcopo Wintonienſi in Anglia actum est in Opere nostro ad diem 1 Augusti, ibidemque § 3 ostensum, eumdem anno 963 ad dictum episcopatum evectum, consecratumque fuisse.*

c *Hujus parthenonis notitiam dedimus in Commentario prævio num. 17 & sequentibus.* Ex Ms.

d *Adi eumdem Commentarium à num. 7, ubi egimus de tribus Edithis, quæ præter Sanctam nostram eodem seculo in Polleworthensi sacrarum virginum asceterio sanctitatis laude floruisse dicuntur.*

e *Factum hoc Guilielmus Malmesburiensis lib. 2 de Gestis pontificum Anglorum sic refert :* Unum à majoribus accepi, quo non mediocriter judicium offendebat hominum, fallens videlicet oculos eorum apparatu auratarum vestium. Siquidem cultioribus indumentis ornata procederet, quàm illius professionis sanctitudo exposceret ; unde à S. Ethelwoldo palàm increpata, respondisse fertur nec ineptè nec infacetè. Verax, inquit, & irrefragabile judicium Dei sola mortalium operitur conscientia : nam in sordibus luctuosis, ut Augustinus dicit, potest esse jactantia. Quocirca puto, quòd tam incorrupta mens potest esse sub istis auratis vestibus, quàm sub tuis discissis pellibus. *Eadem ferè repetit lib. 2 de Gestis regum Anglorum, cap. 13, ubi addit :* Hoc dicto repercussus pontifex, & veritatem dicti approbans taciturnitate sua, lætumque erubescens, quòd scintillante Puellæ sententia fuerit injustus, siluit. E *Ita ipse, quasi hac post susceptum à* S. Editha *sacrum velamen habitumque contigissent ; quod sanè minimè probabile est. Crediderim ego eadem ad anterius tempus referenda esse, quo in laudato quidem monasterio, sed nullis monasticis legibus alligata, sub matris cura educabatur : sic enim & ipsi pia fraude sub auratis vestibus cilicium tegere licuit, & S. Ethelwoldus eamdem veluti vanitati deditam corripere, acceptoque responso acquiscere potuit, nec ulteriùs urgere. Si tamen hæc de ea jam sanctimoniali accipienda sint, ob vestes monasticas solito nitidiores, non auro, de quo etiam biographus non meminit, exornatas correpta fuisse dicenda est.*

f *Præclarum fuit hoc sacrarum virginum monasterium Wintoniæ, nunc vulgò* Wintchester *dictæ, in Hantonia sive* Hanthire, *Angliæ provincia, cujus rudera antiquam celebritatem suam innuunt, teste Camdeno in ejusdem provinciæ descriptione.*

g *Fuit & hoc aliud sanctimonialium cœnobium ad Tamisim fluvium in Essexia Angliæ comitatu.*

h *Itaque licèt tres istæ abbatiæ sanctæ Virgini nostræ à patre suo oblatæ fuerint, ipsa tamen abbatissa non fuit, ut in Commentario observavimus. Circa ætatem verò Sanctæ, quâ biographus hæc contigisse ait, vide dicta in eodem Commentario, num. 15 & 16.* F

i *Beatus hujus sancti regis obitus incidit in annum Christi 975, prout in ejusdem gestis ad diem 8 Julii in Opere nostro ostensum est.*

k *Sancto patri suo sanctus filius successit Eduardus martyr,* Edithæ *frater, sed ex alia matre editus. Ejus Acta illustrata habes ad diem 18 Martii, quo colitur. Id unum hîc observo,* infantulum *hîc pro* adolescente *poni, prout ibidem pag. 643, num. 16 annotatum est.*

l *Perfidiâ scilicet novercæ suæ Alfrithæ, seu Elfdrithæ, quæ filio suo Ethelredo regnum ambiebat, & tali parricidio obtinuit. Contigêre hæc anno 978, de quibus consule, si lubet, Opus nostrum ad diem mox citatum.*

m Principantur *subſtitui pro* principaliter, *ut Ms. nostrum manifesto mendo habebat. Surius, qui stylum mutavit, posuit* dominantur. *Cæterùm quæ biographus hîc de oblato, recusatoque Angliæ sceptro habet, aliunde confirmare non possum.*

Ex Ms.

n *Designatur hìc S. Dunstanus, ex abbate Glastonienſi epiſcopus Wigornienſis & Londinenſis, ac denique archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus geſta illuſtrata ſunt ad diem 19 Maji.*

o *Quæ toto hoc numero recitavimus, habet etiam Guilielmus Malmesburienſis tam lib. 2 de Geſtis regum Anglorum, cap. 13, quàm lib. 2 de Geſtis pontificum item Anglorum; at nihil de his memorant S. Dunſtani Vitæ loco præcitato excuſæ.*

p *De difficultate circa hunc annum emortualem collatum cum aſſerto ætatis, quo obierit, anno & S. Edgari patris ejus geſtis, adi Commentarium prævium num. 15 & 16. Malmesburienſis utroque loco ad lit. præced. citato eoſdem ætatis annos ipſi attribuit.*

q *Nimiùm oſcitavit Mabillonius, dum tom. 4 Annalium ad annum Chriſti 984, num. 61 puellulam hanc ex Wolfetrude ſive Wilfreda, ſanctæ ſcilicet* S. Edithæ, *ut ipſe ibi ait, matre genitam fuiſſe ſcripſit, neſcio quo errore vel inadvertentiâ hallucinatus. Certè S. Wilfrida poſt* Edithæ *partum, quam invita vique ſubacta concepiſſe videtur, multos jam annos vitam ſanctiſſimè inſtituerat in cœnobio Wiltonienſi, ibidemque abbatiſſa præerat tum filiæ ſuæ tum aliis, quando hæc obiit, ut ſupra dictum eſt.*

r *Videtur hìc deſignari S. Elphegus, Wintonienſis primùm epiſcopus, deinde archiepiſcopus Cantuarienſis & martyr, de quo actum eſt in Opere noſtro ad diem* XIX *Aprilis.*

s *Harpsfeldius in Hiſtoria Anglicana, Sec. 10, cap. 10 ſub hac abbatiſſa, quam* Brithinam *vocat, contigiſſe ait illam Theodorici ad* S. Edithæ *tumulum curationem, de qua in Commentario prævio num. 26 & ſeqq. meminimus.*

t *Conſule Commentarium prævium num. 23 & ſequentibus.*

u Sarum, Sarisburia & Salisburia, *Anglis* Salesbury, *primaria urbs eſt Wiltoniæ provinciæ in Anglia.*

x Glaſconia, *quam Angli* Glaſſenbury *dicunt, Angliæ urbs & pagus eſt in Somerſettenſi comitatu, ubi celebre ac antiquum monaſterium floruit.*

y *Surius legit* Juvium: *Alfordus in Annalibus ad annum Chriſti 704, num. 18,* Ywium *appellat, ſanctique Cuthberti diſcipulum facit, laudans Capgravium. Ceterùm monet, memoriam ejus exſtare in ſupplemento Martyrologii Gallicani ad diem 6 Octobris. Ad eumdem diem illum memorat Wilſonius in Anglicano, quo die hæc ulteriùs examinari poterunt.*

z Canutus *hic, aliàs* Cnutus *vel* Knutus, *Svani vel Suani Danorum regis filius fuit, & rex ipſe Danorum, regnum Angliæ, quod tam ille quàm pater ejus occupare dudum tentaverant, poſt Edmundi mortem tandem obtinuit; quod Alfordus in Annalibus ad annum 1016 & 1017 refert.*

aa Ednodus *etiam legitur apud Guilielmum Malmesburienſem, qui hæc eadem narrat lib. 2 de Geſtis pontificum Anglorum. Suſpicor tamen legendum eſſe* Edelnothus *vel* Egelnothus, *aut certè Ednodum eumdem fuiſſe cum illo, quem & Cantuarienſem archiepiſcopum fuiſſe, & Canuto regi, apud quem auctoritate ſua multùm valebat, ſæpe utilem ac ſalutarem operam præſtitiſſe, ex eodem Malmesburienſi lib. 1 de Geſtis regum Anglorum, & aliunde didici. Ednodum verò archiepiſcopum iſtius temporis nullum inveni.*

bb *De hoc ſeu miraculo ſeu beneficio nihil habet Malmesburienſis: ſed in Miraculis S. Auguſtini Cantuarienſis epiſcopi, à Gotcelino conſcriptis, tom. 6 Maji, pag. 399, num.* XI *idem rex ſimili periculo per laudati Sancti invocationem ereptus fuiſſe dicitur.*

cc *Floruit is medio ſeculo* XI, *quando Romam adiit, teſte Malmesburienſi lib. 3 de Geſtis pontificum Anglorum, ubi conſuli poteſt. Verùm ibi, uti & apud Surium,* Aldredus *vocatur.*

dd *Tota hæc narratio ſatis innuit, injuſtum illum poſſeſſorem non mortuum, ſed mortuo ſimilem tum fuiſſe, quamvis contrarium præmittatur.*

A B C E F

DE

DE B. VICTORE TERTIO, PONTIFICE ROMANO, CASINI IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

U. S.

§ I. Antiquus Beati cultus : quare hîc tantùm Beatus dicatur & an martyr vocari debeat ? Aliquot ejus elogia ; Officium, cujus lectiones propriæ dantur.

ANNO MLXXXVII. *Cultus Beati legitimus.*

BEati Papæ Victoris *tertii, quem usque ad susceptam in monasterio S. Sophiæ Beneventi vitam monasticam* Dauferium, *exinde verò usque ad supremi Pontificatûs apicem, invito licèt ac reluctanti collatum,* Desiderium *appellatum fuisse, tradunt scriptores, tam manifesta legitimi & antiqui cultûs documenta se offerunt, ut de eo ambigere minimè possimus. Etenim publicæ fidelium erga Beatum nostrum venerationis initia posteriora certè non sunt Pontificatu Anastasii IV, annis non multò pluribus, quàm sexaginta ab obitu* Victoris III : *quæ primordia cultûs Beati nostri alii censent etiam citiùs statuenda & temporibus Callisti II innectenda esse. Quidquid sit, hoc constat, cùm ab Anastasio IV altare S. Nicolai in Urbe, à Callisto II ædificatum, decentiùs exornaretur, inter Romanos Pontifices ad cornu Epistolæ Pontificalibus vestibus indutos, mitrâque ac diademate orbiculato circa caput insignitos, sive tum primùm depictam, sive tum concinniùs expressam, populo ad venerandum exhibitam fuisse* Victoris III *imaginem, simili planè modo expressam, cum hac inscriptione* S. Victor Papa III, *ut pleniùs expositum est à Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV, universam Christi Ecclesiam felicissimè gubernante & illustrante, lib.* 1, *cap.* 41 *præclarissimi Operis de Servorum Dei beatificatione ac Beatorum canonizatione, quod olim Cardinalis conscripsit, ac deinde Pontifex recognovit. In hujus Operis editione Patavina æri incisam dedit dicti altaris effigiem, cui non multùm absimilem inseruit Papebrochius Propylæo Maji ad pag.* 208.

Sanctus ab aliquibus dicitur :

2 *Ex laudata inscriptione haud dubiè promanavit Sancti titulus, à Buccelino in Fastis Benedictinis, aliisque* Victori III *passim attributus : & sanè appellationem hanc ei utcumque dari posse, minimè inficior, præsertim si minùs rigidè loqui velimus. Nam, ut refert laudatus Sanctissimus Dominus lib.* 2, *cap.* 24, *num.* 15, *cùm dubitatum fuisset, an retinenda esset appellatio, quâ Teresia & Sancia (de his vide tom.* III *Junii ad diem* XVII *ejusdem mensis)* Sanctæ *passim nominabantur, sacra Rituum Congregatio die* XXX *Maji* 1705 *attendens, ab immemorabili tempore hoc titulo eas fuisse honoratas, appellationem istam retineri jussit : ita tamen, ut ex illa argumentum deduci non posset pro earum cultûs augmento. Pari ferè ratione Sancti titulum* Victori III *attribui posse, omnino censeo. Placuit tamen cum nonnullis aliis, quos inter Menardus, Beati tantùm titulo hîc eum appellare, quia ut habet præfatus Benedictus XIV Papa lib.* 1, *cap.* 37, *num.* 7, Juxta consuetudinem sanctæ Sedis & Congregationis sacrorum Rituum, Beatus dicitur ille Dei servus, qui beatificationem obtinuit, sive formalem sive æquipollentem ; Sanctus autem ille, qui fuit canonizatus alterutro ex modis suprà explicatis.

sed ista appellatio strictè sumpta

3 *Neutro autem modo in Sanctorum album relatus censeri potest : non primo, quia nulla exstat Romani alicujus Pontificis sententia, quâ, servatâ juris formâ & adhibitis consuetis cæremoniis, Sanctis adscriptum esse, probari possit. Non etiam altero : nam* æquipollens canonizatio, *verbis utor ejusdem Sanctissimi Domini lib.* 1, *cap.* 41, *num.* 1, *ea est,* per quam.. summus Pontifex aliquem Dei servum in antiqua cultûs possessione existentem, & de cujus heroïcis virtutibus, aut martyrio & miraculis constans est historicorum fide dignorum communis assertio & continuata prodigiorum fama non deficit, jubet in universa Ecclesia coli per Officii ac Missæ recitationem determinato aliquo die, nulla accedente formali sententia definitiva, nullis præmissis judicialibus processibus, nullisque consuetis cæremoniis adhibitis. *Eodem autem cap.* 41, *num.* 31 *circa* Victorem *nostrum mentem suam clariùs aperit laudatus Benedictus XIV, cujus hîc verba visum est adscribere.*

B. Victori non congruit:

4 Quamquam quæ de aliis Pontificibus Alexandro II, Victore III, ... in superioribus diximus, non perinde dicta sunt, atque asserere velimus, eos inter Sanctos & canonizatos esse recensendos. Nec enim simplex Sancti denominatio, ut alibi demonstrabimus, nec imago in loco sacro depicta, & eo tempore ornamentis decorata, quibus Sanctorum imagines decorari consueverunt ; si cæteræ desint circumstantiæ, vel cultûs scilicet ad universam Ecclesiam, sciente & approbante summo Pontifice, extensi, vel definitivæ sententiæ ab eodem prolatæ de sanctitate & cultu in universa Ecclesia præstando, sufficiunt, ut quis inter Sanctos & canonizatos sit

AUCTORE U. S.

recenſendus : ſed ſufficiunt tantummodò ſupradicta, ut illi, quorum imagines, Romani potiſſimùm Pontificis auctoritate, tali modo, cum tali titulo & in tali loco expreſſæ ſunt, haberi queant inter eos, quibus cultus aliquis in determinato loco permittitur ; qui porrò cultus, niſi ſubinde augeatur juxta modum antè expoſitum, nec canonizationem formalem, nec æquipollentem conſtituere poteſt. Affirmamus autem ex imaginibus, Romani potiſſimùm Pontificis authoritate, tali modo, cum tali titulo atque in tali loco depictis & collocatis inſerri cultûs permiſſionem in loco determinato : quia, ut obſervat abbas Cajetanus in Commentariis ad Vitam Gelaſii II pag. cxxxv, loquens de tabula eadem Lateranenſi, neque Calliſtus II, & Anaſtaſius IV imagines eo modo depictas & eo titulo decoratas in ſacello collocâſſent, neque eorum ſucceſſores, præſertim verò ii, qui per ducentos continuos annos in eodem ſacello & altari ſacra celebravere, imagines ipſas ibidem retineri paſſi fuiſſent, niſi in animo habuiſſent indulgendi & permittendi cultum in eorum honorem, qui per imagines quidem ipſas exhibebantur. At, cùm aſſeruerimus

B

etiam, cultum prædictum non conſtituere formalem aut æquipollentem canonizationem, niſi augeatur ſecundùm ritum alibi expoſitum, ideo nec formaliter nec æquipollenter dici poterunt Canonizati Alexander II, Victor III *&c. Hactenus Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV, in hac materia & diuturniore experientia & aſſiduo labore verſatiſſimus. Ejus porrò prudentiſſimis veſtigiis inſiſtendum mihi duxi, abſtinendumque hactenus à concedendo* Victori III *titulo* Sancti, *eum nempe ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem rigidè interpretando.*

Officium de Beato obtentum, cujus lectiones

5 *Idem Sanctiſſimus Dominus laudati jamjam capitis num.* 24 *extenſionem aliquam cultûs* B. Victoris III *refert his verbis :* Ejus inſuper Officium cum lectionibus propriis, à ſacrorum Rituum Congregatione approbatis, ſub ritu duplici celebratur in monaſteriis Caſſinenſi & Cavenſi, in civitate Beneventana, atque in civitate ac diœceſi Vaccienſi ; *quam conceſſionem Eraſmus Gattula Hiſtoriæ Caſinenſis ſeculo* VI *acceptam refert Benedicti Papæ XIII beneficentiæ. Officii hujus, quod totum eſt de communi confeſſoris pontificis præter orationem & lectiones ſecundi Nocturni, quatuor*

C

lectiones proprias, tamquam compendium Actorum, hîc ſubjungo :

LECT. V. Victor Papa Tertius, Deſiderius antea dictus, Beneventi principe familia natus, à primis annis eccleſias frequens inviſebat, divinis lectionibus vacabat, & piorum hominum conſuetudine delectabatur. Adoleſcens paris nobilitatis ſponſam ſibi deſtinatam deſerens, clàm eremum petiit, & cucullum induit. Sed à matre, & conſanguineis ſumma vi domum revocatus, in ſancta vocatione perſiſtens, eluſis cuſtodibus, ad Cavenſe monaſterium confugit ; ubi aliquantulùm commoratus, & ſub ſancti Alferii abbatis diſciplina ſolidam pietatem edoctus, ob importunas principis Beneventani preces, ea conditione in patriam remeavit, ut ſub habitu regulari in monaſterio ſanctæ Sophiæ monachi vitam ducere ei permitteretur. Sed veritus, ne civium & familiarium conſuetudine à Dei ſervitio retraheretur, ad inſulam Tremitenſem, monachorum ibi degentium famâ ſanctitatis allectus, perrexit.

LECT. VI. Ejus eximiâ prudentiâ, & inſigni ſanctimoniâ captus Tremitenſis abbas, eidem monaſterii regimen committere, & inſulas reſignare decrevit. Quod cùm Deſiderius intellexiſſet, latêre magìs, & neſciri cupiens, ad monachos in eremo montis Maiellæ, rudem ac aſperam vitam ducentes, ſe contulit. Horum tamen conſuetudine non diu frui potuit, à Leone Papa IX ad Beneventanum ſanctæ Sophiæ monaſterium iterum redire coactus, ubi longâ abſtinentiâ & diuturnis vigiliis, quibus aſſiduè vacabat, maceratus, gravem in morbum incidit. Ex eo, dum convaluiſſet, Caſinum ſe recepit, ibique monachorum cœtui adſcriptus, ſumma animi demiſſione, & egregiâ morum innocentiâ omnium amorem & venerationem ſibi conciliavit ; adeo ut communi ſuffragio abbas (ut in ſomnis jam pridem divinitus fuerat præmonitus) deſignatus fuerit, approbante Stephano nono, à quo etiam pro inſtauranda eccleſiæ Græcæ communione cum Apoſtolica Sede legatus Conſtantinopolim deſignatus eſt.

D

propriæ recitantur.

6 LECT. VII. Mortuo Stephano, Deſiderius jam transfretare paratus, à ſuis ad abbatiam capeſſendam accerſitur ; & paulò pòſt à Nicolao ſecundo S. R. E. presbyter Cardinalis eligitur, & Caſinenſis abbas conſecratur. Eo in munere cùm in reipublicæ Chriſtianæ procurandis negotiis ſedulus vacaret, & à ſummis Pontificibus in rebus difficillimis diſtineretur, domeſticis tamen curis minimè defuit. Nam monachorum mores ad exactam Regulæ normam revocavit ; eorum numerum adauxit ; monaſterii ædificia ferè omnia ex integro ampliora reſtituit : ſacram ſupellectilem mira arte elaboratam, ingenti pretio coëmit ; baſilicamque Caſinenſem, quam à fundamentis erexerat, ac ſplendidè ornaverat, ſingulari pompa ab Alexandro ſecundo dedicari curavit. Eo Præſule, nedum ſummi eccleſiarum paſtores, & ſæculi principes, ac dynaſtæ, ſacri loci viſendi ſtudio frequentes acceſsêre, ſed etiam plures viri ſanctitate celebres, quos inter B. Petrus Damiani, qui monachorum cultiſſimos mores & abbatis ſummam humilitatem demiratus, illis luculentum contexuit elogium, Deſiderium verò monachorum Archangelum appellavit.

E

LECT. VIII. Deſiderii autem humilitas maximè enituit in reſpuenda per integrum ferè annum ſupremæ Cathedræ dignitate, quam ei Gregorii ſeptimi ſanctiſſimi ſui prædeceſſoris judicium, & totius Eccleſiæ ſuffragium detulerat ; enixis tamen præſulum & principum votis ac precibus victus, in Capuana ſynodo Victoris nomen, & pontificatûs inſignia, quæ abjecerat, reſumpſit. Romam deductus, ſolemni ritu conſecratur, & divi Petri baſilicam, deinde Urbem, pſeudo-pontifice Guiberto, ejuſque factionis hominibus ejectis, recepit. Exercitum, ſub vexillo S. Petri ex tota ferè Italia collectum, contra Saracenos tranſmiſit in Africam, ubi commiſſo prælio, illorum centum millia cæſa ſunt ; cujus victoriæ miraculo partæ argumentum eſt, quòd eodem die in Italia cognita fuit, quo in Africa fuerat reportata. Beneventi, coacta ſynodo, ſchiſmaticos anathemate perculit ; inveſtiturarum uſum, quo in Eccleſia electionum libertas opprimebatur, omninò proſcripſit, pluraque alia ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia decrevit. Peracta ſynodo, lethali morbo correptus, Caſinum, Cardinalibus & epiſcopis comitatus, ſe deferri juſſit, ubi aſſiduis laboribus pro concilianda Eccleſiæ pace fractus, ſextodecimo Kalendas Octobris anni milleſimi octuageſimi ſeptimi, cùm ſediſſet à ſuæ conſecrationis die, menſes quatuor & dies ſeptem, animam Deo reddidit, ſanctitate vitæ & meri-

F

to-

A torum gloriâ clariſſimus. *Hactenus lectiones Officii. Ad cultum etiam facit tranſlatio ſacrarum Beati noſtri reliquiarum, de quibus aliquid infrà.*

An debeat martyr appellari?

7 *Nonnulli* B. Victorem *martyris titulo inſigniverunt, acſi ob ſuam in tuendis Eccleſiæ juribus conſtantiam, veneno in calicem injecto, ſublatus ſit. Ita Trithemius lib. 4 de Viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, cap. 12 loquitur:* Henricum imperatorem ſenſit inimicum, cujus tandem inſidiis & fraude (ut ſuſpicantur multi) veneno in calice jacto, dum celebraret, necatus eſt. *Ptolemæus Lucenſis lib. 13 Hiſtor. eccleſiaſt., cap. 13 ſic habet:* Hic (*Beatus noſter*) ut Martinus ſcribit, veneno in calice poſito, & ipſum ſumens extinguitur. Vincentius autem dicit, quòd diſenteriâ moritur: quod eſſe potuit ex virtute veneni, adminiſtrati ſibi per amicos Henrici. *Angelus de Nuce in notis ad cap. 73, lib. 3 Chronici Caſinenſis*, Victorem, *inquit*, veneno in ſacro calice propinato exſtinctum fama tulit, ex Antonino, Caranza, aliiſque; noſtratibus id minimè prodentibus. *Hoc ſanè ſcriptorum*, Victori *coævorum, ſilentium tanti momenti videtur, ut præfatam ſuſpicionem gratis confictam habere*

B *poſſimus; non enim tacitus præteriiſſet Petrus Diaconus rem ad* Victoris III *commendationem, & Guiberti aliorumque ſchiſmaticorum ignominiam maximi certè ponderis, qui tum Guiberti, tum Henrici adverſus Eccleſiam crimina cap. 70, lib. 3, & ſæpè aliàs ſatis graphicè depinxit. Quidquid igitur ſit, ut* Victori III *martyris titulum tribuamus, ſufficere non videtur hæc ſuſpicio, non ſatis idoneis aliunde documentis confirmata.*

Memoria apud recentiores martyrologos,

8 *Beatum* Victorem *in recentioribus Faſtis ſacris inſcriptum invenio. De eo agit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt; Wion in Ligno Vitæ. Menardus in Martyrologio monaſtico Benedictino ad* XVI *Septembris ita eum annuntiat:* In monaſterio Caſinenſi obitus beati Victoris Papæ tertii, ſanctitate vitæ & miraculorum gloriâ clariſſimi. *Bucelinus in Menologio Benedictino ſic habet ad eumdem diem:* Depoſitio S. Victoris III Pontificis Maximi, egregia vitæ ſanctitate & admiranda animi demiſſione celeberrimi: *ſubditque compendium Actorum Beati, circa quod per decurſum nonnulla obſervabo. Porrò qualis quantuſque vir*

C *fuerit beatus Papa* Victor III, *graviſſimorum ſcriptorum luculenta teſtimonia declarant. Leo Oſtienſis in Prologo ad lib. 3 Chronici Caſinenſis eum vocat* Admirabilem & ſingularem Ordinis ſui (*S. Benedicti*) Virum. *Petrus Diaconus Opuſculo de Viris illuſtribus Caſinenſibus cap. 18 illum prædicat compunctione timoris Dei plenum, caſtitate ſingulari præditum, profeſſione & opere monachum.*

& aliquot Beati elogia.

9 *Mitto Baronii, Poſſevini, Pagii, aliorumque præclara de* Victore III *teſtimonia. Quanti eum fecerit Stephanus Papa X, declaravit, dum electionem* Deſiderii, *duos nondum annos apud Caſinenſes converſati, confirmavit probavitque, aſſerens, neminem* Deſiderio *aptiorem ad id munus aſſumi potuiſſe, licèt plures eo tempore Caſinenſe cœnobium religioſos viros, ſpirituales, multaque honeſtate ac prudentia præditos haberet. Vide Vitam infrà dandam num. 15. Beatus quoque Petrus Damianus Beato noſtro multa familiaritate conjunctiſſimus, ut crebræ ad eum litteræ teſtantur, quam egregiam de integerrimis ejus moribus exiſtimationem concepiſſet, ſæpenumero prodidit, dum eum modò* ſanctæ converſationis Abbatem, *modò* Archangelum monachorum *appellavit, &* AUCTORE U. S.
lib. 1, epiſt. 9 ita de eo loquens: Ecce Deſiderius religioſus Caſſinenſis monaſterii abbas accedit, qui nimirum ſicut B. Danielli cognatione jungitur nominis, ſic eum ab illo non ſeparat aſſertio veritatis. *Nec in Occidente tantùm latè diſperſa vigebat beati Pontificis virtutum fama, ipſum penetravit Orientem. Michaël enim Ducas Parapinarius, ſe, liberos ſuos, & imperium hujus Beati ac fratrum ejus orationibus commendans, multa ad eum dona tranſmiſit, ut videre eſt in Vita num. 72. Tempus honorificæ donationis hujus auctor Chronici his tantùm verbis adnotavit:* Circa hos dies: *ea autem, quæ præmiſerat, teſte Nuceo, referenda ſunt ad annum 1072. Ego epocham hanc figere certò nolim, mirorque inter donationum diplomata ab Eraſmo Gattula adducta non inveniri inſtrumentum, quo à Petro Diacono dicitur idem imperator conſtituiſſe, ut de palatio Conſtantinopolitani imperii per annos ſingulos ſolverentur auri libræ viginti quatuor.*

Compendium vitæ geſtorumque Beati.

10 *Brevem Vitæ geſtorumque Beati ſyllogen continet epitaphium, quo ſepulchrum ejus ornatum viſitur, illudque hìc ſubnecto, ex editione Petri Diaconi de Viris illuſtribus Caſinenſibus cap. 18* E *in annotatione:*

Qui fuerim, vel quid, qualis, quantuſque, doceri
Si quis fortè velit, aurea ſcripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuque, Caſine, decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque, propinquos
Linquens, huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum,
Ut nunc aſpicitur, hunc renovare locum.
Interea fueram Romana clarus in urbe
Presbyter Eccleſiæ, Petre beate, tuæ.
Hoc ſenis luſtris minùs anno functus honore
Victor Apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.
Quattuor & ſemis vix menſibus inde peractis,
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hìc tumulor.
Solis virgineo ſtabat lux ultima ſigno
Cum me ſol verus hinc tulit ipſe Deus.

Quæ hìc obſervari poſſent nonnulla, ſuam, dum de ſingulis ſpeciatim agemus, lucem accipient. F

§ II. Calumniæ gravissimæ, à variis Beato impactæ, ſolidè confutatæ.

Plures Beatum calumniati ſunt:

QUod Sanctis penè omnibus commune fuit, *ſuos* B. Victor III *habuit adverſarios & obtrectatores. Hos inter primatum tenet Hugo archiepiſcopus Lugdunenſis, ſociato ſibi in partem ſceleris Richardo Maſſilienſi. Ex Hugone hauſerunt alii* Victoris *æmuli, qui ſuam in eum bilem evomuerunt, quicumque demum illi fuerint, neque enim illos accuratiùs inveſtigare & nominetenus hìc adſcribere neceſſe eſt. Cauſam, ob quam alienato exacerbatoque in* Victorem *animo fuerit Hugo, exponit Papebrochius in Propyleo Maji, pag. 199 his verbis:* Triduo ante mortem ſuam conſultantibus de futura electione Cardinalibus, tres Gregorius VII propoſuerat: quorum primus

AUCTORE U. S.

mus Desiderius, alter Hugo Lugdunensis archiepiscopus: qui, quò magis seriò constanterque reluctari à susciendo pontificatu nitebatur Desiderius, eò propiorem se tantæ spei esse existimans, cùm præter opinionem intellexit, quòd Desiderius pontificatum acceptâsset, vehementissimè commotus est animo, atque comitissæ Mathildi scripsit epistolam, quæ in Labbeana editione Conciliorum (*tom.* 10) prodiit, excepta ex Chronico Virdunensi. *Inter nominatos à Gregorio VII, qui in Sedem Apostolicam sufficerentur, tertius Otto Ostiensis, qui deinde* Victori III *successit, præter quem quartum ab eodem Sancto propositum tradit Petrus Diaconus, Anselmum scilicet Lucensem episcopum, ut testatur Vita Beati infrà num.* 94, *antiquæ autem editionis cap.* 65. *Nunc Hugonis epistolam calumniis refertam subjicio, in compendium tamen contractam: qui eam integram videre cupit, laudatos scriptores adeat.*

hos inter Hugo Lugdunensis

B

12 *Epistolam suam orditur Hugo, post pauca, ad rem præsentem nil facientia, ab electione Casinensis abbatis se absente facta;* Cui, *inquit*, tam ego, quàm & ceteri fratres mei sanctæ Romanæ Ecclesiæ filii, diligentes magis gloriam hominum quàm Dei, pro temporis infirmitate assensum præbuimus. *Rectè hìc seipsum depinxit Hugo, hominem nempe propriæ suæ potiùs gloriæ magis, quàm Dei amantem, qui Virum sanctissimum enormibus impetere ausus est calumniis, cùm frustratam vidit ambitiosam spem suam. Pergit deinde:* Postquam autem ad montem Casinum, quò ipse jam præcesserat, Romæ aliquandiu remorati, ipsius ducatu pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis, dum videlicet nefandissimos actus suos in auribus episcoporum & Cardinalium jactanter recitare non erubesceret, copiosiùs necessariò deprehendimus, quàm intolerabiliter Deum in ipsius electione offenderimus. *Tum crimina enarrat: primùm, quòd Henrico IV opem addixerit ad obtinendam imperii coronam: alterum, quòd eumdem induxerit ad invadendas ditionis Apostolicæ terras: tertium, quòd Attonem Cardinalem Mediolanensem anathematis vinculo ligatum, in eoque mortuum, beatum prædicârit: quartum, quòd Gregorii VII decreta & verbo improbârit & reipsa destruxerit.*

C

atrocia in eum conjecit maledicta

13 *Reliquum epistolæ bene longæ totum eò tendit, ut ostendat* Victorem III *electioni de se factæ assensum præbere noluisse,* sub terribili, *inquit*, attestatione *affirmans, numquam acquievisse se aut acquieturum. Deinde asserit* Victorem, *resumpto ad Capuam electionis negotio*, quibusdam mollibus & gestuosis repulsionibus *fautores suos provocâsse, ut ad assumendum pontificatum compelleretur. Tum inquit Hugo, studuisse se cum aliis ipsius versutiæ contraire, palámque pronuntiâsse, consensurum se numquam electioni* Desiderii, *publicéque ab alio quodam clamatum fuisse, infamem personam non debere in Romanum Pontificem assumi. Dissoluto sic conventu,* Victorem *ait Rogerii ducis gratiam mercatum fuisse, pollicitum, Alfanum consecratum iri in Salernitanum archiepiscopum Dominico die Palmarum, subditque, familiari ambitiosis mentibus impudentia:* Eadem itaque die cùm post prandium Abbas, dux & princeps, uterque à somno meridiano surrexissent, . . heu! proh dolor! Abbas pro mercede nefandissimæ conjurationis, fultus auctoritate ducis, pluvialem sibi ipse imposuit. *Habes hìc, lector, summatim fœtidam illam epistolam, putidum delusæ ambitionis fœtum: sanè quot in ea verba, tot penè calumnias, tot reperire est iniquissima commenta.*

D

& putida commenta,

14 *Singula porrò jam dudum à variis scriptoribus refutata sunt, ut omninò necesse non sit, convellendis hisce criminationibus operam hìc me meam impendere. Ne quid tamen lector desideret, aliorum verba transcribere abs re non erit, ut pateat, quàm immeritò in Virum sanctissimum Hugo Lugdunensis insurrexerit. Natalis Alexander Historiæ ecclesiasticæ Parisiis recusæ tom.* 6, *pag.* 428 *& sequenti, post relatam majori ex parte Hugonis epistolam, ita pergit:* Calumniis hæc Hugonis archiepiscopi epistola . . . tota scatet. Fictitia sunt crimina, quæ Victori III objicit, à quibus ipsum satis superque purgat Gregorii VII de ipso judicium, qui ipsum inter omnes pontificatu dignissimum & Ecclesiæ utilissimum judicavit: ipsum purgat insignis ejus humilitas, quâ tam constanter supremam dignitatem recusavit, nec susscepit, nisi caritate Ecclesiæ compulsus. *Hisce addi potest mira Cardinalium, episcoporum & principum constantia in urgendo ipsum ad pontificatum susscipiendum.*

E

abunde ab aliis jam dudum

15 *Tum primum, addicti à* Victore *Henrico IV auxilii, crimen ita diluit laudatus Natalis:* Promiserat quidem Henrico regi suam apud Gregorium VII intercessionem, ut imperator crearetur: sed optimè noverat, Pontificem sanctissimum coronam imperii ipsi non concessurum, nisi pœnitentiam ageret, Ecclesiæque satisfaceret; eamque hypothesim involvebat Desiderii promissum. *Reliqua* Victori *impacta crimina sic confutat idem auctor:* Cæterùm quàm esset Sedis Apostolicæ & ecclesiasticæ libertatis studiosus, demonstravit ea occasione: Henricum enim jam excommunicatum non adiit, nisi ut eum ad pacem hortaretur, & ab eversione Cassinensis monasterii prohiberet. Cum regis cancellario aliisque ministris, quamvis amicis olim suis, excommunicatione pariter irretitis, comedere, bibere, orare noluit. Præcipienti Henrico, ut sibi fidem juraret, ac monasterium de sua manu reciperet, ac minas intentanti, respondit: "Se non modò monasterii „causâ sed ne pro mundo quidem toto id fa„cturum.„ *Hæc* Desiderii *responsio sensu quidem consonat, at verbis paulò aliter exprimitur in editione Chronici Casinensis, quam secutus sum:* F *vide Vitam infrà, num.* 82. *Plura post hæc congerit Natalis ex Chronico Casinensi desumpta, quibus invictam* Desiderii *pro Ecclesiæ dignitate tuenda constantiam ob oculos ponit, gestaque in variis congressibus cum adhærentibus imperatori episcopis, ipsoque pseudo-pontifice, quæ hìc non adscribo, quia legi possunt in Vita num.* 82, 83 *&* 84.

16 *Dein ita prosequitur:* Porrò qui ita se gessit, ac libertate tanta imperatorem, ejus ministros & antipapam allocutus est, imperatori non est adulatus, nec absque calumnia dici potest, illum ad invadendum patrimonium S. Petri excitâsse: nec etiam verisimile est, illum parvipendisse Pontificias excommunicationes, qui excommunicatos, etsi amicos suos, osculari noluit, nec orare cum eis, neque cum iis manducare aut bibere, quod laudatus auctor (*Chronici Casinensis*) testatur. Quanti verò fecerit Gregorii VII decessoris sui decreta, Beneventana probat synodus, in qua ipsa renovavit, præcipuè quæ contra dantes & accipientes investituras sanxerat. *Videri hæ constitutiones possunt in Vita apud nos num.* 112 *&* 113, *ubi paulò antè leguntur ea, quibus*

confutata. Hugo iste ab Ecclesiæ

A *bus ipse* Victor *in synodo Beneventana ab Hugonis se calumniis vindicavit, in qua synodo tam Hugo, quàm Richardus, ob suas in legitimum Pontificem machinationes à fidelium communione resecti sunt*, Quia, *inquit* Victor III *in Vita apud nos num.* 112, Romanæ Ecclesiæ communione sua sponte sejuncti sunt.

se communione separavit.

17 Hugonis tamen turbas, *inquit idem Natalis ibidem*, usque ad consummatum schisma progressas non esse, probat ejus ad Mathildem comitissam epistola altera, è chartulario Cluniacensi edita in Spicilegio Dacheriano, & inde transcripta tomo x Conciliorum editionis Labbeanæ, in qua ita scribit: "Tandem scire vos volumus „(*verba tantùm eò maximè spectantia transcribo*) ab unitate eorum, quâ in corpore sanctæ „ Ecclesiæ ad serviendum B. Petro divina dignatione compacti sumus, nec discessisse, nec in „ perpetuum, Deo miserante discessuros; imò „ habere propositum Apostolicæ Sedis profectibus „ modis omnibus deservire.„ Ibidem contra Cluniacenses monachos expostulat, quòd ipsum ab Ecclesiæ Romanæ communione discessisse dicerent: "Inter alia autem, inquit, unum impuden-

B „ tissimè mentiuntur, quia à communione Roma„ næ Ecclesiæ nos sponte nostra sejunximus; cùm „ testis nobis sit conscientia nostra & caritas, „ quâ in Domino copulamur, nos non solùm „ communionem eorum non evitâsse, sed omni„ bus hoc persuadentibus restitisse.„ *Rectè quidem observat Alexander, ortum non fuisse schisma consummatum ex turbis Hugonis, quia hic, cùm adhærentes sibi paucos haberet, citò se Ecclesiæ reconciliare studuit, & revera reconciliatus est sub Urbano II. Attamen allata ipsius verba magni facienda non sunt. Nam etsi fortè non ea intentione se opposuerit* Victori, *ut schisma contra ipsum excitaret, sed fortasse speraverit, ipsum sponte iterum pontificatui, quem toto ferè biennio recusaverat, renuntiaturum; fecit tamen ea, quibus indignum se communione Ecclesiæ reddidit, ut suo loco probabitur.*

Ostenditur, reliquas omnes

18 *Tertium crimen* Victori *ab Hugone impositum ejus calumniandi pruriginem abundè commonstrat. Hac super re Papebrochius loco suprà num.* xi *laudato ita loquitur:* Notabilis autem imprimis est objectio sumpta à laude, quam mortuo Athoni Mediolanensium archiepiscopo dede-

C rit Victor, quamvis per Gregorium VII excommunicato, sententiam subscribente ipsomet Desiderio. Confunditur enim Atho, vir verè sanctus, cum Theobaldo schismatico & simoniaco: quem rex Henricus archiepiscopum fecerat loco Gotifredi æquè schismatici, & populi orthodoxi odium diutiùs sufferre non valentis. *Certè Atho canonicè electus est, probavit electionem Alexander II, partes Athonis contra Theobaldum, ab Henrico intrusum, tuitus est Gregorius VII, adeòque immeritò* Victorem III *carpit Hugo. Plura de hisce Mediolanensibus turbis, quæ Divina æquè ac humana omnia perturbaverunt, deque Gregorii VII in Athonem propenso affectu, videri possunt apud Ughellum Italiæ sacræ recusæ tom.* 4, *pag.* 114 *& sequenti.*

accusationes & criminationes

19 *Atque hisce omnibus sufficienter demonstratum puto, nullam Hugoni fidem haberi posse. Quod addit de impio mercimonio, & pollicitatione duci facta de ordinando Alphano Salernitanorum episcopo, ejusdem omninò furfuris apparet. Utcumque enim se res habeat quoad Alphanum: certè pontificatus* Victoris *non pendebat à consecratione Alphani; cùm omnes, & ipse etiam Hugo, rogarent* Victorem, *ut pontificatum tandem acceptaret. Deinde, quis, nisi amens, credat eum, qui tamdiu pontificatum recusârat, tandem voluisse B. Petri cathedram conscendere, dato Salernitanis archiepiscopo, gradu illo ob ambitionem indigno? Fidem certè in re tam incredibili non meretur epistola Hugonis tot mendaciis referta. Imò non credimus, Alphanum II, de quo agitur, gradu illo fuisse indignum, etiamsi Cardinales & episcopi, qui* Victorem *elegerunt, aliquo tempore ipsum consecrare noluerint: novimus enim aliam dilationis fuisse causam.* AUCTORE U. S.

Hugonis, tum Lugdunensis,

20 *In Actis num.* 100 *Petrus Diaconus scribit, à Rogerio Calabriæ duce Romam dimissum fuisse Henrici imperatoris præfectum. Et ratio hæc additur:* Propter illud videlicet odium, quòd episcopi & Cardinales, faciente tamen Salernitano principe, Salernitanum archiepiscopum sacrare noluerunt. *Ex his facilè colligimus, non obstitisse Cardinales consecrationi, quia Alphanum judicabant indignum, sed quia nolebant ipsum consecrare contra voluntatem principis Salernitani; Rogerium verò Calabriæ ducem egerrimè tulisse, quòd ea in re majorem haberent rationem principis Salernitani, quam sui: nam eam ob causam* E *dicitur dimisisse è carcere præfectum Henrici, Catholicos Romæ vexaturum. Rogerius Salernum armis occupatum eo tempore possidebat: Gisulphus verò princeps Salernitanus erat cum episcopis & Cardinalibus, ac verisimiliter necdum cesserat jure suo in urbem Salernitanam. Erat igitur aliæ omnino ratio differendi consecrationem Alphani, quàm quòd ipsum indignum crederent. Verùm res haud dubiè tandem composita est, sive quòd princeps Salernitanus tandem consenserit in consecrationem, sive quòd censuerint episcopi, ipsum immeritò amplius obsistere. Utcumque se res habeat, abundè patet, Hugonem non nisi materiam calumniandi quæsivisse.*

tum Flaviniacensis,

21 *Gentili suo Hugoni nimiùm favens & credulus Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi bis* Victori *nostro injurius est. Pag.* 232 *epistolam quamdam profert, in qua Urbanus II,* Victoris III *successor, ita locutus fuerit:* Dominus noster Papa Gregorius beatæ ac dignæ memoriæ cùm apud Salernum gravi teneretur infirmitate, unde ipse postea obiit, convenerunt ad eum episcopi & Cardinales Romani, qui ibidem aderant, rogantes eum & postulantes, ut, quem sibi vellet subrogari successorem in pontificatu, F eis ostenderet. At ille secum aliquantulùm cogitans, hæc illis verba dedit: Quemcumque horum trium, Lucensem scilicet episcopum, Ostiensem, aut archiepiscopum Lugdunensem habere poteritis, in Pontificem eligite. *Quæ Pagius in Critica ad annum Christi* 1087, *num.* 5 *sic excipit:* At hæc Urbanum II, ante pontificatum Cardinalem Ostiensem dictum, scripsisse, prorsus incredibile; cùm ipsemet Victorem III sacraverit, probéque noverit Gregorium VII cum se ipso, Hugone Lugdunensi & Anselmo Lucensi Desiderium abbatem Casinensem pro successore suo proposuisse. Quare si illa Urbani epistola conficta non fuit ab Hugone Flaviniacensi abbate, qui post ejusdem Urbani mortem Chronicon suum in lucem emisit, ex ea Desiderii nomen expunxit, ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum excusandum, ostendendumque, se non sine ratione à Desiderii electione abhorruisse.

Beato impudenter impactas,

22 *Fragmentum epistolæ Urbani II ad Casinenses monachos, datæ* VI *Decembris anni* 1098, *refert Erasmus Gattula Historiæ Casinensis seculo* VI, *pag.*

AUCTORE U. S. *pag.* 171, *in qua de* Victore III *honorificentiſſimè loquitur :* Quæſtio, *inquit*, acta eſt à ſanctæ memoriæ Deſiderio Apoſtolicæ Sedis presbytero Cardinali, & monaſterii Caſſinenſis abbate, qui poſtmodùm divinæ dignationis gratiâ ad ſummi pontificatus apicem pervenit, ſed exiguo tempore ſupervixit *&c. Atrociùs* Victorem III *calumniatur Hugo Flaviniacenſis Chronici ſui, à Labbeo in Bibliotheca nova excuſi, pag.* 234 *hæc comminiſcens :* Hic igitur (Victor III) conſecratus ab Oſtienſi epiſcopo, cùm Miſſas apud S. Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percuſſus eſt : & quamvis tardè cognoſcens ſe errâſſe, ſe ipſe depoſuit, & accitis fratribus de monte Caſſino, qui ſecum aderant, præcepit ſe illò deferri, & in capitulo, non ut Papam, ſed ut abbatem ſepeliri.

meras eſſe impoſturas. 23 *Hanc chronologi Virdunenſis impoſturam ita convellit Natalis Alexander loco ſæpe laudato :* Calumnia, *inquit*, eſt, quòd errorem cognoſcens ſe pontificatu abdicârit : ad extremum enimverò ſpiritum Pontificium munus obiit, deſignato etiam ſucceſſore. Calumnia pariter eſt, quòd Dei judicio ſit percuſſus, quem potiùs Deo
B fuiſſe gratiſſimum ſanctitas vitæ, miraculis comprobata teſtatur. *Et Papebrochius in Propylæo Hugonis Flaviniacenſis calumniam ſic perſtringit :* Interim conſtat ex Leone Oſtienſi lib. III, cap. LXXIII, quòd non ſit Romæ aut infirmatus aut mortuus : ſed concilium Beneventi celebrans, „ in eodem... graviter infirmatus, poſt actum „ per tres dies concilium, feſtinanter Caſinum „ rediit, ... atque poſt diem tertium feliciter „ migravit ad Dominum.„ *Omitto plura hìc congerere, nec ullo reſponſo dignum puto ſcribillatorem quemdam, de quo Natalis Alexander, ſuum de* Victore III *articulum concludens, ita fatur :* Imperitè & ineptè omninò anonymus in compilatione chronologica, quam inter rerum Germanicarum ſcriptores ex Piſtorii bibliotheca editos legere eſt, de Victore III ſcripſit : "Iſte in ſchiſ„ mate ſchiſmaticus fuit.„ *Calumnias ſiquidem omnes, ut obſervat Mabillonius ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti ſeculo* VI *parte* 2, *expungit unanimis ſcriptorum graviſſimorum conſenſus,* Victorem *multis laudibus celebrantium.*

C § III. Acta Beati, à variis conſcripta, ex libro tertio Chronici Caſinenſis danda : illius auctoritas vindicatur.

Acta Beati partim Leo Oſtienſis, RES geſtas B. Victoris III *litteris conſignârunt varii, alii breviùs, prolixiùs alii : at ex eodem fonte videntur omnes ſuam hauſiſſe ſcriptionem. Unde omiſſis reliquis, infrà dabo beati Pontificis Acta ex lib.* 3 *Chronici Caſinenſis deſumpta. Hunc Chronici Caſinenſis librum tertium Oderiſii abbatis præcepto, ut in Prologo ipſe teſtatur, compoſuit Leo Marſicanus, nunc communiter dictus Oſtienſis : at non totum, ut rectè obſervat Mabillonius Annalium Benedictinorum lib.* 67, *num.* 27 *ita ſcribens :* Deſiderii Acta omnia non abſolvit, ſed Petrus Diaconus, Leone longè gravitate & auctoritate inferior, qui librum tertium à cap. XXXV, ut modò dicebam, proſecutus eſt, & totum quartum adjecit. Hunc quidem Leo pollicitus erat, ſed promiſſum non D
implevit, ſive morte præventus, ſive aliis diſtentus negotiis *&c. Hæc Mabillonii obſervatio luculenter probatur ex Prologo libri quarti, ubi ita loquitur Petrus Diaconus :* Et quia abbatum ſeries à patris Benedicti temporibus uſque ad renovationem eccleſiæ beati Martini à prædicto Leone fuerat exarata, nos ab ejuſdem eccleſiæ renovatione ſcribendi ſumentes initium, ea, quæ de ſanctiſſimi Deſiderii Vita deſcripta non erant, eidem hiſtoriæ adjungere curavimus, ne ex maxima parte tertius liber detruncatus videretur.

partim Petrus Diaconus ſcripſit : 25 *Certè perſpicuum adeò & clarum eſt hoc Petri Diaconi teſtimonium, ut mirer, Pagium Criticæ tom.* 4 *ad annum Chriſti* 1088, *num.* 4 *ita ſcribere potuiſſe :* Leo Oſtienſis epiſcopus & Cardinalis, qui Hiſtoriam Caſſinenſis monaſterii libris tribus compoſuit, & ad mortem uſque Victoris III Papæ perduxit : *neque enim inficianda Pagio Petri auctoritas, quâ ipſemet utitur eo loco, ut Baronium corrigat. Nullum igitur dubium relinquitur, quin tertius laudati Chronici liber partim à Leone Oſtienſi, partim à Petro Diacono concinnatus ſit : ſed an ipſum caput* 34, *antiquæ diviſionis, Leo exaraverit, an potiùs ipſius Petri fœtus ſit, diſceptatur : ſufficiet hìc adduxiſſe verba Angeli de Nuce in Notis ad caput* 34, *litt.* c *ita loquentis :* Hoc caput claudit codicem B, qui ſolam Leonis Oſtienſis hiſtoriam continet. Perperam verò Lauretus Oſtienſis ſcriptionem terminari putavit capite præcedenti, pravè accipiens teſtimonium Petri, qui cap. LXVI lib. IV auctorem ſe ſcribit auctarii hujus Chronici à renovatione eccleſiæ beati Martini, cùm id excluſivè accipiendum eſſet, non incluſivè. Certè hoc caput legitur in codice Leonis, cujus ſtylum ſapit, & multa hìc variavit Petrus, ut hinc ſaltem agnoſcere potuerit Lauretus, ab utroque ſcriptum fuiſſe : deinceps enim varias lectiones noſtrorum manuſcriptorum non habebis ; ex unico quippe Petri codice ſequentia deſumpſimus. *&c.* E

Chronici Caſinenſis editio à Nuceo adornata, 26 *Habemus ergò geminum ſcriptorem, qui Acta Beati noſtri infrà danda poſteritatis memoriæ conſecravit. Nunc lectorem paucis monitum volo, quam editionem laudati Chronici, & qua de cauſa ſecutus ſim. Ludovicus Muratorius tom.* 4 *Scriptorum rerum Italicarum, typis Mediolanenſibus edito anno* 1723, *Caſinenſe Chronicon requdit, ita in præfatione diſſerens :* Prodiit autem F
Marſicani Chronicon Venetiis anno MDXIII, tum Pariſiis anno MDCIII, deinde Neapoli cum notis Matthæi Laureti anno MDCXVI, & denique Pariſiis anno MDCLXVIII, unà cum commentario ſive adnotationibus Angeli de Nuce Neapolitani, abbatis Caſinenſis. Poſtrema hæc editio reliquis præcedentibus utique præſtat, eamque propterea ſequutus ſum ad novam hanc inſtruendam. *De tribus prioribus editionibus, à Muratorio memoratis, Joannes Baptiſta Marus in annotatione ad cap.* 30 *de Viris illuſtribus Caſinenſibus ſic fatur :* Quas quidem editiones collatas cum antiquiſſimo exemplari Ms., in Caſinenſi bibliotheca ſervato, quod Chronicon Caſinenſe appellatur, fuiſſe ab integritatis ſuæ deturbatas gradu, mendiſque obſitas, facilè cognoſcere per ſe ſedulus lector valebit. *Qui illarum editionum ab autographo variationes plurimas ſingillatim nôſſe cupit, adeat paragraphum* 1 *Apologiæ pro Leone Oſtienſi & Petro Diacono, quam ad calcem Hiſtoriæ Caſinenſis ſubjecit Eraſmus Gattula.*

27 *Atque hæc cauſa eſt, cur Nucei editionem, à Muratorio recuſam, ſequendam mihi duxerim :*

ea

A *ea autem tantùm recudam capita, quæ ad illustrandam beati Pontificis Vitam faciunt, prætermissis ceteris. In Annotatis tamen breviter edicam, quid in capite vel parte capitis omissi ab auctore tractetur. Post prologum Leonis Ostiensis dabo antiquam capitum partitionem, prout habet editio Nucei : cujus etiam Notas magna ex parte retinebo, ubicumque aut utiles visæ fuerint aut necessariæ. Ea autem, ad quæ nihil observavit Nuceus, pro instituto Majorum meorum annotatis illustrabo, ſicubi necesse fuerit. Sed quoniam fides gestorum Beati maximè nititur auctoritate Leonis Ostiensis & Petri Diaconi, nonnullique reperiuntur, qui aliqua, etiam ad* Victorem III *spectantia, aut arroserint, aut interpolationis accusârint, non abs re fuerit paucula huc adducere, quæ ſcriptorum illorum fidem, integritatemque ſtabiliant.*

ceteriſque præferenda, infrà dabitur.

28 *Muratorius in laudata præfatione Chronicon Casinense universum maximi faciendum asserit, taleque esse eruditorum omnium judicium tum aliis de causis, tum etiam ex eo,* Quòd Leo, magnæ gravitatis & auctoritatis vir, ad ipſum conſcribendum ſimul archivo Caſinenſi aliiſque antiquitatis venerandæ monumentis eſt uſus. *Leonis autem auctoritatem paulò antè celebrârat his verbis :* Ejus quippe nomen celebre nimis apud Baronium, Bellarminum, Poſſevinum, Labbeum, Voſſium, Dupinium, Caveum, alioſque ſcriptorum eccleſiaſticorum Vitam & ſcripta recenſentes, quos facilè lector conſulere poterit. *Insignis etiam eſt Petri Diaconi existimatio apud viros graves, qui illius sæpe testimonio ad res à se narratas confirmandum utuntur : quare illos hic recensere supervacaneum arbitror : neque hujus loci est singula, quæ duobus hisce scriptoribus objiciuntur, discutere, cùm id præstiterit Gattula in laudata Apologia, adductis eruditorum testimoniis, quem propterea consulat curiosus lector, ne Commentarii hujus tetricam lectionem reddam, ſi ad vindicandam fidem auctorum Chronici Casinensis, multa hìc inferam, ad Beatum nequaquam pertinentia.*

Fides & auctoritas ſcriptorum

B

29 *Duo tamen sunt ad Leonis fidem in enarrandis* Victoris III *Actis pertinentia : primum apud nos in Vita num.* 44 *tangit famosam Floriacenses inter & Casinenses controversiam de S. Benedicti corpore, quod utrique se possidere contendunt : sed actum agam, ſi de hoc facto disputem, à Stiltingo tom.* 1 *Septembris accuratè discusso, ubi sacri pignoris partem ad Gallos delatam, alteram verò apud Casinenses servatam, magnâ omninò verisimilitudine ac solidis argumentis concludit, & litigantes utrimque auctores minimè contemnendos ea ratione componendos esse censet. Vide Commentarium prævium de S. Aigulpho, paragrapho* 2 *&* 3. *Alterum, ad Casinensium monachorum sub* Desiderio *abbate missionem spectat, & variorum in Sardinia cœnobiorum institutionem : de hisce agit Vita apud nos num.* 33 *& seqq. Rem breviter accipe : ad constituendum in Sardinia cœnobium, rogârat Bareſo* Deſiderium, *ut quosdam de suis eò transmitteret : paruit Abbas, sed missos depulere Pisani ; post duorum tandem annorum intervallum, duos fratres Casino submissos accepit Bareſo, Torchytorio, Sardiniæ rege altero, pietatem Bareſonis amulante.*

Chronici Caſinenſis :

C

30 *Contra narrationem hanc anonymus auctor Mediolanensis, regius Ticini lector tom.* 10 *Scriptorum rerum Italicarum, de Tabula chronographica medii ævi sectione* 6, *num.* 20 *circa finem, ita insurgit :* Alibi, *inquit,* interpolatum Leonem Oſtienſem, niſi errore teneamur, utique novimus. Certiſſimè Leo, quæ longè poſt ejus mortem evenerant, non potuit ſcribere ; nec conſultò interpolator lib. III, cap. XXIII inter Acta Deſiderii abbatis Caſinenſis intexere debebat expeditionem illam duodecim monachorum in Sardiniam, ibi Bareſone regnante. Etenim is Bareſo ſolùm anno MCLXIV ex judice rex Sardiniæ fuit dictus à Friderico Ænobarbo, ut ſynchronus Morena, Albericus, Sigonius, Calchus noſter, aliique antiquiores & conterranei, mox laudandi, ſub dicto anno MCLXIV concorditer produnt. At interpolator Bareſonem & expeditionem illam conſignat anno V Deſiderii, qui tamen abbas fuit ab anno MLVIII ad MLXXXVI (*imò ultra illum annum, quia Casinensium regimen numquam dimisit*) ... Leo verò ad ſummum vidit annum MCXV, teſte commentatore Angelo à Nuce ſub num. CCCCLX (qui anachroniſmum non obſervavit.)

illud hìc interpolatum eſſe,

AUCTORE U. S.

31 *Pergit dein opinionem suam probare, & ostendere nullum in Sardinia fuisse regem ætate* Deſiderii, *ſed illam ſeculo* XI *à Pisanis quadripartitam quatuor judicibus traditam fuisse administrandam, quoad Ænobarbus Arboreensem Bareſonem novo regis titulo insigniverit, quod auctores ab anonymo laudati revera innectunt anno* 1164, *ac demum ita concludit :* Hinc omnis evaneſcit ſuſpicio, alium regem ſeniorem, nomine Pareſſonem vel Bareſonem regnare potuiſſe in Sardinia ab anno MLV ad LXXXVI, ut falsò ſcribit interpolator Leonis. *Postremis hisce præmiserat, Musactum Saracenum regem è Sardinia Corsicaque pulsum anno* 1015 ; *Mugetum autem Balearium insularum regem, qui Sardiniam hostiliter invaserat, anno* 1050 *à Pisanis feliciter captum fuisse. Ita anonymus ille, licèt paulò antè asseruisset, durum videri Leonis Ostiensis Chronicon interpolatum dicere, hac in parte fidem auctoritatemque Chronici hujus non mediocriter elevat.*

cenſuit nonnemo; at perperam :

E

32 *Huic interpolationis accusationi omni studio se opponit Erasmus Gattula Historiæ Casinensis seculo* VI, *pag.* 154, *ubi post allata anonymi verba, quæ ego contracta dedi, ita loquitur :* Hoc tamen loco interpolatum fuiſſe Leonem noſtrum, celeberrimi auctoris pace nemo unus dixerit, qui antiquos ipſius codices, alterum Langobardicis, ut vocant, literis exaratum, Latinis alterum hoc præſertim capite XXIII lib. III cum recèns edito ab Angelo de Nuce animadverterit prorſus conſentire. Hujus etiam duodecim monachorum in Sardiniam expeditionis, & alterius duorum, qui miſſi poſtea fuerunt, meminit Leo cap. XXIV & cap. XXVI, quo ultimo de Aldemario loquens, hæc habet : "Qui meus in converſione magiſter exti-
„ terat, quique in abbatem fratribus in Sardiniam
„ miſſis dudum fuerat ordinatus *&c.*„ *Tum subdit Gattula, Leonem, utpote coævum* Deſiderio, *ejus gesta probè perspecta habuisse : eumque minimè deceptum fuisse, cùm tam Bareſonem, quàm Torchytorium Sardiniæ reges appellavit, eo quòd viri illi in donationum diplomatibus sigillisque titulum hunc sibi tribuerent :* Quod, *inquit Gattula,* jure an injuriâ præſtitum ab iſtis viris fuerit, ad Leonem & Petrum diſcutere non ſpectabat.

ut omnino convincunt,

F

33 *Post pauca adducit inscriptionem, quam refert sigillum plumbeum obsignans Bareſonis privilegium, estque talis :* Bareſone rex. Hoc autem, *subdit Gattula,* privilegium, cujus autographum in archivo noſtro ſervatur, quodque referemus in

tum inſtrumenta authentica,

AUCTORE U. S.

in dissertatione de Cassinensi jurisdictione de verbo ad verbum, reperitur in veteri privilegiorum ac donationum monasterii Cassinensis Regesto, quod, jubente Seniorecto Cassinensi abbate, qui ab anno MCXXVII ad XXXVII monasterio præfuit, concinnatum fuit, & eidem abbati nuncupatum à Petro Diacono. Igitur Regesti hujus fol. LXVIII, num. margin. CL hoc Baresonis privilegium, Langobardico charactere conscriptum, hanc habet rubram epigraphen: "Præceptum Baresonis regis „Sardorum de monasterio sanctæ Mariæ in Buba„lis Desiderio abbati.„ *Paucula hæc verba ad institutum nostrum sufficiunt, integrum videre studiosus lector poterit in Accessionibus Gattulæ ad Historiam Casinensem pag. 174. Torchytorii alterius Sardiniæ regis diploma, quo Casinensi cœnobio sex donavit ecclesias, exstat in eodem Regesto fol. 259, num. margin. 639: integrum adducit Gattula in Historia pag. 154 & seq. Satis nobis erit, illius initium huc transtulisse, quod ita habet.* In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Anno ab Incarnationis (*Incarnatione*) ejus MLXVI regnante domno nostro Torckitori rex (*rege*) Sardiniæ *&c.*

B *cum rationes aliæ,*

34 *Ex his patet, si rectè arguat anonymus Mediolanensis, non solum Leonis Ostiensis Chronicon habendum esse tamquam interpolatum, sed & Petri Diaconi Regestum loco non uno fabulis commentisque refertum censeri debere, quod facere ob levem quemdam scrupulum, nemo non videt, quàm sit iniquum. Malim ego regis titulum mitius interpretari, per eumque intelligere regulum, virumque inter Sardos primarium ac principem, qui regis sibi titulum arrogârit, à legitima potestate nondum concessum: quod quàm frequens apud varias nationes fuerit, nemo ignorat, qui in re historica vel modicùm sit versatus. Hæc autem conjectura mea ex eo etiam fit verisimilior, quòd legati Genuenses Baresoni judici Arborecnsi regium nomen dignitatemque Ænobarbum imperatorem flagitaturi, teste Caffaro Annal. Genuens. lib. 2., petierint, ut Baresso esset* solus rex, *& teneret insulam Sardiniæ pro imperatore: quæ vocula* solus *fundatam omninò ingerit suspicionem, quòd regis titulum usurpârint quatuor illi judices, quorum administrationi universam Sardiniam quadripartitam traditam fuisse, post alios scribit anonymus Mediolanensis.*

C *quibus tam anonymi Mediolanensis,*

35 *Atque hæc, opinor, sufficiunt, ne quis ob levem regii tituli scrupulum, Chronico Casinensi interpolationis notam inurat: sed præter dicta, suspicionem hanc diluit alterum Baresonis regis diploma, subscriptum anno 1182, & Casinensi cœnobio multa bona concedens, cùm sic inter alia habeat:* Ego Parason Arboreæ rex & judex, avi & patris mei sequens pro posse pia vestigia, ... concedimus ecclesiæ S. Benedicti de monte Casino ecclesiam S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis suis... tali pacto atque conventione, ut duodecim ibidem ad Deo serviendum.... dirigat monachos *&c. Privilegium illud integrum reperire est in Accessionibus Gattulæ ad Historiam Casinensem pag. 266 & seq. Certè voces illæ*, avi & patris mei sequens vestigia, *innuunt majores istius Baresonis singulari studio affectos fuisse monachis Casinensibus, & verisimiliter sub tali pactione, qualem iste Bareson hìc exprimit: unde minimè persuaderi mihi poterit, vel falsa hìc scripsisse Leonem Ostiensem, vel inconsultum interpolatorem Leonis Chronico monachorum in Sardiniam missionem inseruisse.*

36 *At, inquiet aliquis, certum est ex laudatis ab anonymo Mediolanensi auctoribus, quatuor Sardiniæ judices à Pisanis præfectos fuisse, omnemque ab illis accepisse auctoritatem suam: qui ergò fieri potuit, ut post impeditam à Pisanis, cuncta diripientibus, duodecim monachorum missionem, Baresso, quantumcumque regis titulum sibi arrogârit, à Pisanis, dominis utique suis, satisfactionem exigere potuerit, quod tamen asserit Leo Ostiensis cap. 242. (apud nos num. 34.) Nihil hìc ego in hisce omnibus reperio, quod difficulter conciliari possit: illum enim in Pisanos iniquiorem censeo, qui violentiam illam direptionemque putet profluxisse à legitima magistratuum Pisanorum auctoritate: sed omninò existimo, illam adscribendam esse prædonum quorumdam malevolentiæ & cupiditati. Utut sit, minimè dubium est,* Desiderium *apud vicinos principes maximo in honore & pretio fuisse. Adhæc constat ex Vitæ num. 35, pro ablatorum restitutione, apud Pisanos institisse Alexandri II legatum, & apud* Desiderium *se purgâsse Pisanos, eique fidelitatem pollicitos esse, interveniente Godefrido Tusciæ duce seu marchione, de quo etiam mentio fit cap. 89 & 99 lib. 2 Chronici Casinensis. Vide ibidem, si lubet, Nucei annotata. Atque hæc paulò fusiùs disputavi, ut perspiciat æquus lector, in enarrandis beati Pontificis gestis securè inniti me posse Chronico Casinensi, maximè cùm ostenderim, nullius esse momenti, quæ à rigidiore critico illi imputantur.* D *quam aliorum argumenta diluuntur.* E

§ IV. Beati natales præclari: chronotaxis gestorum, usquedum Casinum adiit, & quædam in his controversa: locorum notitia.

Illustrissimos Beati natales breviter perstrinxit Leo Ostiensis, eum asserens ex nobilissima Beneventanorum principum origine sanguinis lineam duxisse: sed festinans ad majora, nec nativitatis ejus tempus, nec parentes expressit. Camillus Peregrinius in Serie abbatum Casinensium, titulo Desiderius, *ita loquitur:* Hic natus in anno ferè MXXVII, vocatusque Dauferius. *Epocham hanc firmat* Victoris III *epitaphium, in quo sic legitur:* Bis sex lustra gerens mortuus hìc tumulor. *Constat enim obiisse illum anno Christi* 1087: *si igitur sexagenarius decesserit, oportet illum natum fuisse anno circiter* 1027; *circiter, inquam: incompertum enim est, fuerintne completa duodecim lustra, an verò postremus illorum annus solùm inchoatus, an etiam nihil lustris duodecim addendum, quæ uti & diem mensemque nativitatis ejus ignorare malim, quàm sine ullo fundamento divinare.* *Beatus noster circa annum* 1027 F

38 *Laudatus Peregrinius* de Stemmate principum Longobardorum, qui ex genere prodierunt Atenulfi Capuæ comitis & demum principis Beneventi, *Beati natales paulò altiùs investigat, dum circa finem ita disserit:* Dauferius ex innominato patre natus, filio, ut reor, Landulfi V, atque Salernitano principi Guaimario IV consanguinitate propinquus, ni fallor, ob Gaitelgrimam Beneventani principis Pandulfi II filiam, Landulfi V sororem & Guaimarii matrem.... Nec ambigendum est, hunc Virum talibus signis *natus ex illustrissima familia.*

A gnis ab Oſtienſi, tamquam penicillo & coloribus ob oculos repræſentatum, genus duxiſſe ab Atenulfo: quibus nec minimùm obſtat primitivum & genitale ejus nomen Dauferius, in Atenulfi gente peregrinum & nunquam aliàs auditum; neminem cùm lateat, in ſingulas alias familias, ſicuti noſtra etiam ætate fieri videmus, aliena nomina ſæpe ſæpiùs immigrâſſe, de quo non unum in hoc ipſo ſtemmate Atenulfi occurrit exemplum *&c. Cauſas deinde immutandi nominis aliquas affert, vel in gratiam ſcilicet uxorum, vel eorum, qui parvulos de ſacro fonte ſuſcipiunt, & in margine ait, plures omittere ſe, quæ nunc eſſe ſolent occaſiones nomen imponendi diverſum ab uſitato in aliqua familia, quibus etiam mihi non lubet immorari.*

principum Beneventanorum,

39 *Marus in Vita* Victoris III, *Dialogis ejus præfixa, aſſerit illum, Beneventani principis unicam prolem, originem traxiſſe* ex familia Epiphania. *Niſi à Græco ἐπιφανὴς, Latinè illuſtris, appellationem derivârit, ignota mihi omnino eſt familia Epiphania: ſed nec illa comperta fuit Peregrinio, qui tamen ſagaciſſimè omnia luſtravit. Paulò ante verba jamjam recitata ita loquitur:*

B Præter expoſitas hactenus familias.... *(de Epiphania nullum uſpiam verbum deprehendi)* alias longè plures eadem de gente ibidem (*Capuæ*) nec non Beneventi æquè inclaruiſſe,.... ultrò conſentiet prudens omnis ac peritus lector, etſi de iis vel in ipſis Beneventanis archivis nil ultrà repererim. *An vox* Epiphania *revera fuerit cognomen familiæ, de qua ortus eſt Beatus noſter, ut innuere videtur Marus, ego penitiùs non inquiro, cùm hoc ad illuſtranda* Victoris III *Acta minimè ſit neceſſe. Unum hoc obſervo, varia eſſe capita, ob quæ, ut in eadem diſſertatione rectè aſſerit Peregrinius, illi, qui ex communi ſtipite deſcendebant, peculiarem ſibi conſtituerunt familiam diverſamque aſſumpſerunt denominationem: at nulli ex hiſce cauſis ſatis congruere videtur appellatio* Epiphania.

fueritne proles unica?

40 *Atque hæc de Beati ſtemmate utcumque ſufficiunt. Videndum nunc breviter, rectène ſcripſerit Marus*, Victorem *fuiſſe Beneventani principis prolem unicum. Angelus de Nuce in Notis ad cap.* 1, *lib.* 3 *ita commentatur:* Joannes Baptiſta Marus.... Deſiderium Beneventani principis unicam prolem fuiſſe tradit: verùm nullis C probat tabulis, nec ſanè vero mihi ſimile videtur, id à noſtris ſilentio involvendum fuiſſe. *Fateor, Mari aſſertum non eſſe omnino indubium, illndque à ſcriptoribus Chronici Caſinenſis expreſsè non tradi. In Mari tamen ſententiam vehementer inclino: nam Oſtienſis dicto cap.* 1 *ſic habet:* At pater illius... cum.... utpote unicum unicè diligens *&c. Quæ quidem verba, ſi in omni rigore accipiantur, tantùm excludunt ſobolem alteram maſculam, non verò ſexûs etiam ſequioris prolem omnem: exiſtimo tamen, ex Oſtienſi erui poſſe nullam* Deſiderio *fuiſſe etiam ſororem germanam, ſaltem à patris obitu ſuperſtitem, idque ex eo conjicio, quòd nulla uſpiam ſororis alicujus mentio occurrat, tunc quoque, cùm & res & locus ad exornandam hiſtoriam id maximè exigeret, capite ſcilicet tertio antiquæ partitionis, ubi Oſtienſis deſcribit matris lacrymas, perſuaſioneſque, ut Beatum de arctioris vitæ propoſito dimoveret; at de ſorore vel ſororibus altùm ſilet. Cùm autem ille, teſte Nuceo,* Deſiderii *geſta ubertim omnino & floridiùs proſequatur, id veriſimiliter non fuiſſet prætermiſſurus.*

41 *Toto partitionis noſtræ capite primo complectitur Oſtienſis Beati res geſtas, uſque dum ad Caſinenſes acceſſit. Peregrinius in Serie abbatum Caſinenſium Acta illa per annos breviter ſic ducit:* In anno circitèr vigeſimo ſuæ ætatis, Chriſti MXLVI, patre à Nortmannis perempto orbatus, è ſolitaria, quam eodem tempore delegerat, vita à matre vi abductus, perque annum penè integrum, nempe MXLVII, ſub arcta cuſtodia ſervatus, ex eaque in anno dilapſus MXLVIII ætatis ſuæ XXII, Salernitanumque ad principem Guaimarium, conſanguinitate ſibi propinquum, accedens petenſque, ut quoniam in patria vivere monachus non ſibi permittebatur, Deo quietè ſervire apud illum liceret: voti compos ad monaſterium ſanctæ Trinitatis, quod ad Cavam nuncupatur, ſe volente, ab eodem principe tranſmiſſus fuerat: cùm mater Filium à propoſito dimovere non valens, ab illo impetravit, patrocinio etiam fulta Beneventani principis Landulfi, ſcilicet VI (mallem, Pandulfi, nempe III patris ejus) ut ſaltem Beneventum rediret, atque apud monaſterium S. Sophiæ, ſub monaſtica, ut expetebat, profeſſione degeret, quod ipſe non recuſavit.... E

geſtorum ſylloge per annos ordinata.

42 Ibi autem per aliquot annos commoratus (puta tres, & ad annum uſque ætatis ſuæ XXV, Chriſti MLI) ad monaſterium Tremitenſe, in inſulis Diomedis ſitum, ſe contulit; ubi non parvum tempus (haud quidem diuturnius ſeſquianno, vel circà) exegit; unde abiens in exitu ferè anni MLII, ætatis ſuæ XXVI, & aliquandiu apud Traſimundum comitem, Theatinum videlicet, ejuſque uxorem ſibi affinem hoſpitatus: hoc eſt uſque ad initium menſis Februarii anni MLIII, ætatis ſuæ XXVII, ab ea die ad tertiam Dominicam poſt Paſcha, per tres circitèr menſes apud montis Majellæ ſolitarios manſit, ac tandem iterum ad S. Sophiæ monaſterium rediit. Poſt verò non multos dies, Papa Leone IX è partibus ultramontanis regreſſo ac Beneventi degente, eidem factus valdè familiaris;.... eopſe ſcilicet anno MLIII, quo idem Pontifex menſe Junii à Nortmannis in Apulia bello victus, poſt novem circitèr menſes Romam repedavit, & in anno obiit MLIV. At Deſiderius deinde in languorem decidens, Salernum petiit, ibique aliquantiſper commoratus, Beneventum ad S. Sophiam remeavit, & aliquantulo tempore exacto, quoniam F rumor increbuerat, Victorem Papam II ab ultramontanis partibus Romam adveniſſe (advenit Victor in anno MLV, ætatis Deſiderii XXIX) ad illum Florentiæ tunc degentem acceſſit, eodem ſcilicet anno ſynodum celebrantem Florentinam; ibique per aliquantulum tempus manens ad Petrum non ante multos dies, id eſt in exitu præfati anni MLV electum abbatem Caſſinenſem, literis ejusdem Papæ illi commendatus, receſſit, ineunte videlicet anno MLVI, ætatis ſuæ XXX.

Non videtur Beatus

43 *Atque hæc geſtorum chronotaxis tota eruta eſt ex relatione Oſtienſis, & ſuis ſingula annis à Peregrinio tanta veriſimilitudine innexa ſunt, ut non videam, quid magnopere à quoquam in dubium vocari poſſit, neque alibi certiores temporum notas reperio, quibus enarrata magis indubitatè conſignari valeant. Porrò in Actis Beati huc uſque deductis non niſi duo reperio, quæ alicui controverſiæ, eique leviori, materiam præbere poſſint. Primum ad nuptias ſpectat, ad quas Beatum à parentibus allectum deſtinatumque fuiſſe, Oſtienſis ſcribit hoc modo, apud nos in Vita num.* 1: At (*cùm*) pater illius ſæcularibus eum

AUCTORE U. S.

negotiis cupiens implicare, ... per posteritatis illius lineam suæ nobilitatis nomen disponeret propagare, puellam ei adæquè nobilem, cùm jam inciperet adolescere, studuit desponsare, utque parentela eadem ad invicem firmaretur, modis omnibus maturare. Sed quoniam Dei Spiritus suo igne cor Desiderii ad mundi contemptum accenderat &c.

quamre vera contraxisse.

44 *Petrus autem Diaconus lib. de Viris illustribus, cap.* 18 *innuere videtur, nuptias insuper celebratas fuisse, dum ita loquitur:* In nuptiis sponsam suam relinquens, eremum petiit. *Petri sententiam amplexi sunt & alii, quos nil attinet recensere. Certè si initæ fuerint nuptiæ, statui nequeunt post primam Beati in eremum fugam, quia, ut habet Ostiensis in Vita num.* 5, Annum ferè integrum sub ingenti custodia in domo matris, habitu tantummodò sæcularis, cæterùm mente cælebs egit, nullusque illi neque de nuptiis, neque de aliquo actu sæculari persuadere aliquatenus potuit. *Ego verò minimè credo, Beatum nuptiis umquam illigatum fuisse, quamvis id parentes maximè in votis habuisse dicendi sint, tum quia Ostiensis de initis nuptiis altùm silet, tum quia retracto è fuga & ad matrem violenter re-*

B *ducto nullus de contractis nuptiis, aut de relicta sponsa loquitur, nec illa ipsa, licèt suâ maximè interesset, uspiam comparet, Sponsum à proposito avocatura. Hæc differui, quia, tametsi ineptissimè & omninò insulsè id fiat, Beatum nostrum duplicis hac in parte peccati accusatum reperio apud maledicos quosdam, quorum vel nomen Commentario huic inserere nolo. Videat interim lector, quàm fraudulenter ad seducendum incautos falsa pro veris venditent, statuatque, quàm meritò abstineam à convellendis ceteris illorum calumniis & maledicentiis, quæ per se ipsa prudenti cuilibet in oculos incurrunt.*

An, & qua ratione

45 *Alterum ad antiquam Cavenses inter & Casinates controversiam spectat. Beato quidem Casinenses meritò gloriari, indubitatum est; an pari jure eum sibi vindicent Cavenses, paucis videamus. Arnoldus Wion, cui consentiunt & alii, Ligni vitæ part.* 1, *lib.* 1, *cap.* 8 *sic habet:* Desiderius .... ex monacho sanctæ Trinitatis Cavensis, primum præpositus &c.; *quibus manifestè eum Cavensi cœnobio asserit. Contra Wionem eique adhærentes omni studio insurgit Nuceus in*

C *Excursu historico ad cap.* 7, *lib.* 3 *sæpe laudati Chronici, quem, si lubet, lector consulat. Non abs re tamen fuerit, prolixam Nucei dissertationem, in pauca contractam, hìc exhibere. Ita arguit: Nequit Cavensis cœnobii alumnus dici* Desiderius, *nisi vel monasticum habitum sumpserit, vel monachum ibidem professus fuerit: neutrum autem ullo probari posse documento contendit, quia monastica veste primùm donatus à Santari eremicola, iterumque à Siconulfo, S. Sophiæ apud Beneventum præposito, eâ indutus ad Guaimarium principem Salernitanum accessit, à quo ad Cavense monasterium transmissus est, teste Ostiensi, qui monasticæ ibidem professionis non meminit, cujusque testimonium irrefragabile appellat Nuceus.*

Cavensibus adscribi possit?

46 *Tum contra Cavenses testem adducit* Desiderium *ipsum, lib.* 3 *Dialogorum, pag.* 155 *ita loquentem:* Alferius abbas monasterii sanctæ Trinitatis ab ipso in latere montis ædificati, qui inter Salernitanam & Amalfitanam civitates præminet mari, exstitit: cujus religiosam ac Deo amabilem vitam & ipse ex parte vidi, qui apud eum aliquantulùm familiariter mansi &c. *Ex quibus ita concludit* D *Nuceus:* Hospitem itaque se fatetur Alferii, non alumnum, imò aliquantuli solùm temporis hospitem, licèt familiariter habitum. *Sanè si Cavenses contendant, cum omni rigore alumnum suum dicendum esse* Desiderium, *ipsis incumbit documenta adferre solida, quibus id stabiliant. Disputationem suam hisce verbis claudit Nuceus:* Quod attinet ad ultroneam liberalemque Laureti decisionem, aliquantulam videlicet illam Desiderii apud Cavas mansionem sub Alferii disciplina id posse conficere, ut Alferii discipulus & Cavensis domùs alumnus Desiderius aliquatenus appelletur, gratam Cavensibus minimè futuram reor. Facile siquidem fuerit prudentissimis litigantibus prospicere, falsam matrem à sapiente illam judicandam, quæ filium dividi patiatur. *Nescio, an quid amplius, quàm quod illis concedit Lauretus, exigant Cavenses, cùm eorum & argumenta & postulata non viderim. Hoc tamen certum puto, Cavenses minimè velle, ut sibi solis* Desiderius *adjudicetur. Unde an rectè asserat Nuceus, eos Laureti, seu liberalitate, seu justitiâ contentos, falsæ matris titulo appellandos esse, judicet lector.*

Locorum, quæ virtutibus suis

47 *Nunc aliqua de virtutibus, quibus Beatus noster mirificè in prælaudatis locis resplenduit, hìc subnecto, quæ ab Ostiensi variis locis sparsa sunt:* Spiritu potiùs, *inquit in Vita num.* 1, quàm carne nobilis esse ab ipsis rudimentis infantiæ cœpit, & Dei magis servitio operam dare. *Tantus scilicet divino obsequio totum se mancipandi animo ejus fervor insederat, ut vehementer obstupuerit Sanctari eremicola, cujus se disciplinæ subjecturus venerat,* quòd Puer tam nobilis, tam delicatus, tam dives, & præcipuè parentibus singularis, tam ferventer, universis seculi pompis ac vanitatibus spretis, sub tam districto proposito serviturus Domino accessisset; *ita Ostiensis in Vita num.* 3. *De studio continentiæ & illibatæ puritatis ex antedictis statui potest. Quantopere autem studeret corpus suum in servitutem redigere, colligi potest ex his verbis in Vita num* 9: Interea Desiderius ob nimiam abstinentiam multasque vigilias in languorem non modicum decidens &c. *Singularis autem animi demissio, quæ, ut ex supradictis & infrà dicendis manifestè eruitur, individua Beato comes adfuit, ex hoc quoque loco eum discedere compulit, ad* F *quem paulò antè illum attraxerat fama sanctitatis & studium virtutis. Ita Ostiensis in Vita num.* 7: Sed cùm ab eodem abbate (*Tremitensis cœnobii*) adeò diligeretur, ut eandem ei abbatiam, se quoque vivente, contradere cuperet, ille verò subjectioni potiùs quàm prælationi mentem accommodaret, ac propterea cedendum loco illi decerneret &c.

illustravit Desiderius,

48 *Sed nec inutile fuerit, brevem hìc adjicere notitiam locorum aliquot, quæ suarum virtutum fulgore præ ceteris illustravit Beatus.* Beneventum .... urbs archiepiscopalis regni Neapolitani in provincia Principatus ulterioris .... ad Sabatum fluvium, ubi Calorem recipit, *teste Baudrando*, patria fuit Victoris III Pontificis Maximi. *In ipsa civitate Beneventana natum esse Beatum, omninò quidem verisimile est, non tamen planè certum, id minimè prodentibus auctoribus synchronis. Porrò, teste Lubino in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 45, *monasterium sanctæ Sophiæ haud procul à muris Beneventanæ urbis situm erat. Conditor illius fuit Arichis, qui*

A *qui primus Beneventi princeps appellari voluit, ut teſtatur Leo Oſtienſis lib. 1 Chronici Caſinenſis, cap. 9, ita ſcribens:* Hic (*Arichis*) intra mœnia Beneventi templum Domino opulentiſſimum ac decentiſſimum condidit, quod.... Sanctam Sapientiam nominavit,....ac ſanctimonialium cœnobium ſtatuens,...id ſub jure beati Benedicti in monte Caſino tradidit in perpetuum permanſurum. *Nuceus autem ita in hunc locum adnotat:* Quod (*cœnobium*) poſtea in virorum monaſterium tranſivit, demum monachis deſtitutum commendatorio paret abbati.

brevis notitia.

49 *Cavenſe cœnobium Ordinis Cluniacenſis ſub S. Benedicti regula, & titulo ſanctæ Trinitatis, in diœceſi Salernitana ſitum eſt, in loco ad Cavam dicto, non procul à civitate Salernitana, à qua, ut vult Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ pag. 94, non niſi quinto milliari diſtat; Baudrandus autem ſcribit, vix quatuor milliaribus inde abeſſe. Tremitenſis monaſterii notitiam hîc nullam ſubjicio: ſuus infrà paragrapho 6 cœnobio iſti locus dabitur, ubi obſcuriora quædam elucidare conabor. De Magella ſive Majella in notis ad cap. 6 ita obſervat Nuceus:* Mons eſt
B in Aprutio omnium ejus provinciæ maximus, ibique inter montanas rupes monaſterium ſancti Spiritus, à Cæleſtinis nunc cultum, tunc (*cùm ſcilicet eo ſe contulit* Deſiderius) *à* Caſinatibus, *ſeu potiùs monachis S. Benedicti ſubjectis juriſdictioni Caſinatum. Plura de hoc monte videri poſſunt apud Leandrum Albertum in Deſcriptione totius Italiæ, pag. 392. Nobis ſufficit aliqualem locorum iſtorum ideam propoſuiſſe.*

§ V. Præpoſitus Capuanus, deinde Caſinenſis abbas eligitur: legatur Conſtantinopolim: Cardinalis creatur: variis intereſt conciliis: caſtrum novum ædificat.

An primùm apud Caſinenſes monachum profeſſus ſit?

HAclenus beatum Pontificem deduximus uſque in Caſinenſe cœnobium. *Præerat tunc illi Petrus, in abbatum Caſinenſium ſerie quintus & trigeſimus. Ab eo decenter receptus eſt tam* Deſiderius, *quàm, cui ille ſanctioris vitæ auctor exſtiterat, Alfanus. Ab eodem abbate Petro, ut teſtatur Oſtienſis in Vita num. 12,* monaſticam *ambo* conſecrationem adepti *ſunt. In hunc locum ita commentatur Nuceus:* Duo diſtinguit Oſtienſis: Fratribus ſociati, videlicet Caſinenſi cœnobio nomen dederunt, & monaſticam conſecrationem adepti. Quis dubitet profeſſionem? *Hoc Leonis teſtimonio nixus Nuceus, utrumque Caſinenſibus indubitanter adſcribendum eſſe contendit; vide dicta num. 45 & 46. Nolim ego hîc Nuceo contradicere: meritò tamen ambigendum mihi videtur, an tunc primùm, cùm ad Caſinenſe cœnobium acceſſit, religionis vinculo ſe ſuaque Deo conſecrârit Beatus. Hoc enim liquidò conſtat, nil eum magis ambiviſſe, quàm ſeculo nuntium remittere. Cùm ergò in Vita num. 6 ſcribat Oſtienſis:* Tali igitur tandem aliquando condicione ad Beneventum redeat, impetratur, ut ſine alicujus impedimento vel contradictione apud monaſterium S. Sophiæ ſub monaſtica profeſſione ſibi manere liceret: *cùmque certum ſit ex Vitæ num. 6, eum per annos aliquos ibidem religioſiſſimè commoratum fuiſſe, veriſimillimum, ne dicam evidens, mihi quoque fit, illum ex tunc religioſa vota nuncupâſſe. Illud etiam confirmatur ex eo, quòd in Vita num. 7 dicatur Beatus ſecum crebrò reputâſſe,* monachum in ſua patria perfectum eſſe non poſſe. *Verùm levioris hæc ſunt momenti, quàm ut diſcuti operoſiùs debeant.* AUCTORE U. S.

Capuano cœnobio præpoſitus

51 *In Vita num. 13 inſignis refertur Beati viſio, quæ, ut Oſtienſis ſcribit,* Manifeſtiſſimè portendere viſa eſt,....Deſiderium Benedicti patris vicem in hoc monaſterio ſuſcepturum, *quod non multo pòſt tempore rei probavit eventus. Quàm diuturna fuerit mora Beati in Caſinenſi monaſterio, priuſquam ad Capuanum tranſmiſſus eſt præpoſitus, non omnino liquet. Hoc ſaltem ex Oſtienſi colligitur, id muneris* Deſiderio *impoſitum fuiſſe ab eodem Petro, qui eum inter Caſinenſes adoptârat, adeóque ante* XXII *Maji anni* 1057, *quo dignitatem ſuam Petrus depoſuit. Res autem in Capuano cœnobio geſtas prætermiſit Oſtienſis, ſolùm hoc commemorans:* Sed
E cùm Pandulfus ipſius civitatis princeps indigna quædam & ſuperflua juxta priorum temporum conſuetudinem Deſiderio vellet injungere, ille conſtanti, ut erat, pectore nequaquam in his ei congruum duceret aſſentiri, Capuam egreſſus, ad Richardum acceſſit. *Erat is Richardus comes Averſanus, de Normannorum gente, Capuam tunc obſidens, ejuſque principatu non multò pòſt potitus.*

ſua fortiter tuetur.

52 *Pandulfum, cujus iniquam vexationem devitare, Capuâ relictâ, coactus eſt Beatus, quintum appellat Peregrinius in Serie abbatum Caſinenſium titulo* Deſiderius, *ac ſubdit,* Quem hinc adparet non antea defunctum. *Michaël verò Monachus in Catalogo principum Capuæ loco penultimo recenſet Paldolfum unà cum filio Landolfo, Paldolfum autem ſcribit miſerabiliter obiiſſe anno* 1049, *ac demum ſub Landolfo filio, ut vocat, ultimi Paldolfi Longobardorum, dominatum Capuæ exſtinctum refert. Uter rectiùs ſtatuat, non inquiro, cùm ad Beati geſta parùm aut nihil interſit, ſive iniquus in eum fuerit Pandulfus V, adhuc ſuperſtes, ut vult Peregrinius, ſive Landulfus ejus filius, ut Michaël innuit. Porrò non explicat Oſtienſis, quid à* Deſiderio *exegerit Capuanus ille princeps. Verùm cùm addat,* Juxta priorum temporum conſuetudinem, *non aliam ob cauſam opinor* Deſiderium *principi reſtitiſſe, quàm ob bonorum, tum ad eccleſiam, tum ad S. Benedicti cœnobium pertinentium direptionem, & in uſus profanos diſtractionem, ob quæ lib. 1 Dialogorum, pag. 30 & ſeqq., Pandulfum Capuanum (Peregrinio & aliis quartum)* Deſiderius *refert à Conrado imperatore principatu exutum ac demum divinitus punitum.*
F

Româ Caſinum redux abbas eligitur,

53 Deſiderium *Richardi Averſani patrocinio fultum, & in eccleſiis ac prædiis Capuani cœnobii extra urbem ſitis commorantem, ad ſe Romam evocavit menſe Auguſto Stephanus IX (quem X alii appellant) ejuſdem menſis die 2, anno* 1057, *electus Romanus Pontifex, qui ex cancellario Leonis IX Caſinenſis monachus factus, jam jam dicto anno,* XXIII *Maji, creatus fuerat ſupremus Caſinenſium moderator poſt voluntariam Petri abdicationem. At vix Romam advenerat Beatus noſter, cùm adverſa eum valetudo Caſinum redire compulit, quò & Stephanus menſe Decembri* 1057 *ſe contulit, gravique morbo penè ad*

AUCTORE U. S.

ad extrema deductus, circa ipſam, ut ſcribit Peregrinius, Natalis Domini feſtivitatem monachis fecit poteſtatem eligendi abbatem, qui defuncto ſuccederet; Qui, *pergit Peregrinius*, Deſiderium conclamârunt, ipſi Pontifici jam pridem apud Beneventum tempore Leonis IX, & nuper in Caſinenſi monaſterio ante non plenum biennium, tempore abbatis Petri, etiam familiariùs notum. *Vota omnium in unum conſpirâſſe* Deſiderium, *auctor quoque eſt Oſtienſis; at non ita, quin priùs alium & alium aſſumendum judicarent. Vide Vitam infrà num.* 14 *circa finem.*

planè invitus, ſi Bucelino credimus:

54 *De hac* Deſiderii *electione ita ſcribit Bucelinus in Menologio Benedictino ad* XVI *Septembris:* Monachum profeſſus tanta enituit vitæ ſanctitate, ut ſanctiſſimo illi orbis atque Ordinis archiſterio Caſinenſi abbas præficeretur; imò præeſſe cogeretur, cùm nolentem ac multùm reluctantem, ferventiſſima fratrum vota ac lachrymæ vix exorarent. *Vidimus num.* 47 *ſub finem, Beatum, ne præeſſe cogeretur, ſubeſſe potiùs cùm deſideraret, Tremitenſe cœnobium reliquiſſe: videbimus infrà detrectantem omnis humanæ majeſtatis ſupremum faſtigium: atque hæc* Deſiderii, *tum ante tum poſt ſuſceptum Caſinenſium moderamen, inſignis modeſtia ad hoc ſaltem valet, ut liceat ſuſpicari, maluiſſe eum privatam vitam tranſigere, quàm reliquis præſici. Si tamen, ut Bucelinus aſſerit, omni modo abhorruerit Beatus factam de ſe electionem, mirum, id ab Oſtienſi ne verbulo quidem indicatum fuiſſe: & ob hoc ipſum Leonis ſilentium, ſi conjecturis agere fas eſt, exiſtimo eum, utcumque ſubjectionis cupidus exſtiterit, id muneris non omnino renitentem ſuſcepiſſe, vel ob viſionem, quæ, ut Oſtienſis perhibet*, Manifeſtiſſimè portendere viſa eſt, ... Deſiderium Benedicti patris vicem in hoc monaſterio ſuſcepturum, *& in qua fortè ab eodem beato patre id ipſi injunctum fuerit; (de hac autem egimus num.* 51) *vel quia ex tunc animo moliebatur res illas præclariſſimas, quas in Caſinenſium utilitatem poſtea tam feliciter opere complevit.*

B

Conſtantinopolitana legatione infecta, Caſinum redit.

55 *Utut ſit, ſummi Pontificis ſuffragio comprobata eſt electio, ea tamen conditione, ut non priùs regimen adiret* Deſiderius, *quàm, uti jam dudum ſtatuerat Pontifex ei imponere, ex legatione Conſtantinopolitana reverſus fuiſſet. Sanxit quoque Stephanus, ut, ſi, vivente ſe, Conſtantinopoli rediret, ſtatim Caſino præeſſet, ſi verò reditum* Deſiderii *Pontificis mors præceſſiſſet, reducem congregatio univerſa gratanter reciperet, nec ullus ei auderet refragari. His ita conſtitutis, ſociiſque* Deſiderio *à Pontifice adjunctis, ad iter ſe accinxit Beatus. At ſive ob æris hiemali tempore inclementiam, ſive ob recondita divinæ providentiæ decreta, legatio exitum non habuit, defuncto Florentiæ Stephano, exeunte menſe Martio anni* 1058, *ut latiùs exponitur in Vita num.* 16. *Intellecta igitur per nuntios à Caſinatibus tranſmiſſos Pontificis morte, habitoque cum itineris ſodalibus conſilio, ſuorum vota expleturus* Deſiderius *Caſinum feſtinanter regreſſus eſt, &* XIX *Aprilis ipſa Dominicæ Reſurrectionis feſtivitate ab omnibus alacriter in patrem moderatoremque denuo expetitus ac ſolemnitate maxima ordinatus eſt.*

C

Præclara ejus facinora perſtringuntur.

56 *In hoc apice locatus quàm meritò ab Oſtienſi in Prologo ad Vitam num.* 1 *appellatus fuerit cœnobii Caſinenſis* inſtaurator ac renovator, *luculenter oſtendunt egregia illius facinora: non enim tantùm cœnobium illud totum decentiorem in formam, aptioremque ad fratrum uſus, reſtituit, ſed & monaſterii ditiones & prædia adversùs inimicos invaſores communiit, mirificéque pia virorum principum liberalitate auxit, præſentiſſimum in omnibus Dei auxilium expertus: curas quoque ſuas minimè paſſus eſt ſolius Caſinenſis cœnobii terminis concludi, ſed & illas ad monaſteria Caſinatum juriſdictioni ſubdita libenter extendit, illorum utilitati, & eccleſiarum nitori ſolicitè invigilans, baſilicas ſacras, tum alibi, tum vel maximè Caſini magnificè partim innovavit, partim erexit de novo, & quam potuit congruentiſſimo inhabitanti ſupremæ Majeſtati ornatu inſtruxit, ſacramque ad peragenda tremenda Myſteria ſupellectilem ſumptuoſiſſimam undequaque conquiſivit. Quæ omnia, quia in Vita fusè enarrantur, Commentario huic inſerere ſuperſedeo: per decurſum tamen, quantum fieri poterit, ſuis ſingula temporibus innectere conabor.*

D

Cardinalis creatur à Nicolao II,

57 *Appendix ad Chronicon Caſinenſe, à Muratorio recuſum, amplam refert formulam, quâ abbas Caſinenſis eligi, electus à Romano Pontifice confirmari, ac demum ab eodem conſecrationem ſeu ſolemnem benedictionem accipere debeat. Vidimus num.* 55 *electionem Beati à Stephano IX confirmatam. Conſecrationem ejus factam à Nicolao II memorat Oſtienſis num.* 22 *Vitæ infrà. Contigit hæc Auximi, civitate Italiæ ditionis Pontificiæ in Marchia Anconitana, anno Chriſti* 1059 *die* VII *Martii, poſtquam die proximè præcedenti idem Pontifex illum ſacerdotio initiatum creârat Cardinalem preſbyterum tituli S. Cæciliæ. Quanti porrò Beatum fecerit Nicolaus, ſatis ſuperque oſtendit privilegium ampliſſimum, ab Oſtienſi num.* 22 *breviter indicatum. Integrum illud videre eſt apud Gattulam in Acceſſionibus ad hiſtoriam Caſinenſem pag.* 159 *& ſeqq. Pauca huc transfero:* Tibi, dilectiſſime fili Deſideri, quem abbatem conſecravimus, concedimus.... monaſterium almi patris Benedicti, ... cum cellis ſuis, caſtellis, prædiis, & omni ſua pertinencia, & hac noſtra auctoritate confirmamus.... Præterea corroboramus Tibi tuiſque ſucceſſoribus in omni conventu epiſcoporum & principum ſuperiorem omnibus abbatibus ſedem .... Porrò præter ſummum Apoſtolicæ Sedis Præſulem, cujuſlibet eccleſiæ epiſcopum vel ſacerdotem in præfato monaſterio, vel in cellis ipſius ditionem quamlibet ſibi præſumere hac noſtra interdicimus auctoritate.

E

& præter alios favores, Papæ vices gerere jubetur.

58 *Reliqua amoris ſummæque exiſtimationis erga cœnobium Caſinenſe ipſumque* Deſiderium *indicia, in litteris hiſce Apoſtolicis ſat prolixis contenta, prætermitto. Quæ autem commemoravi, &* Deſiderio *& ſucceſſoribus ejus communia fuerunt Apoſtolicæ gratiæ indulta. Poſtremum Beatum noſtrum ſpecialiter reſpiciebat:* Porrò, *inquit Pontifex*, cupientes conſulere monaſticæ religioni, ... te tantummodò diebus vitæ tuæ vicarium nobis, ... aſſumere decrevimus *&c.; adeò ſcilicet Nicolao II perſpecta erat* Deſiderii *virtus, ut illum ibidem* Religioſum & prudentiſſimum ſucceſſorem *S. Benedicti appellare non dubitâvit, ſperans, futurum ut pia ejus induſtria ac ſolicitudine monaſticæ vitæ ſtatus turbulentis illis temporibus integer & incolumis perſeveraret. In fine legitur:* Datum Auximi octavo Idus Martii anno Jeſu Chriſti milleſimo quinquageſimo nono, *qui cum anno primo pontificatûs paucis menſibus inchoato concurrit. Ceterùm ad quas terras ſe extenderet vicaria hæc poteſtas Beato conceſſa à Nicolao II, colligitur ex hiſce verbis:* Ab ipſo fluvio Piſcaria, ſicut influit in mare, ſcilicet per totam Campaniàm, Principatum quoque & Apuliam atque Calabriam: *horum porrò locorum, quia in Vi-*

A *Vita infrà non ſemel mentio occurrit, brevem aliquam notitiam ſubdo. Fluvius hic memoratus Italis Piſcaria dicitur ab exiguo caſtello Piſcaria, veteris oppidi Aterni, à quo prius fluvio nomen eſt, fundamentis inædificato. Eſt autem Aternum, nunc Piſcaria, oppidum munitum regni Neapolitani in Aprutio citeriori. Campania, cognomento Felix, Italiæ regio, quæ nunc partem majorem complectitur Terræ Laboris, quæ provincia eſt regni Neapolitani. Principatus à geographis duplex aſſignatur, alter citerior, ulterior alter, uterque regni Neapolitani in Italia provincia: citerior eo in tractu eſt, ubi olim Picentini & pars Occidentalis Lucaniæ: ulterior, ubi aliàs populi Hirpini. Apulia quoque gemina ſtatuitur Daunia & Peucetia, prior etiam Capitanata regni Neapolitani provincia dicitur, altera Barienſis in eodem regno. Calabria quoque duplex, citerior & ulterior, utraque in regno Neapolitano, prior magis Boream versùs, altera magis in Meridiem extenſa. Plura qui deſiderat, adeat Leandrum Albertum in Deſcriptione totius Italiæ, & Baudrandum in Lexico geographico: utroque ad hanc regionum iſtarum notitiam exhibendam uſus ſum.*

B *Adversùs Fractenſes & Trajectenſes,*

59 *Jam jam memorata* Deſiderii *ad ſacram purpuram aſſumptio refertur ab Oſtienſi cap.* 13 *antiquæ partitionis: huic autem cap.* 12 *præmittitur, qua de cauſa Caſtellum novum conſtruxerit Beatus. At factum illud ejus inito Cardinalatu poſterius eſſe tempore, mox oſtendam. Juvat prius verba Oſtienſis hic recitare. Ita habet num.* 21: Interea Frattenſes (*alii Fractenſes ſcribunt*) oppidani, inquietorum ſcilicet ac perfidorum hominum genus, acſi quidam latrunculi, junctis ſibi Minturnenſibus aliiſque vicinis, nunc furtim, nunc palàm oppida ſibi contigua, nobis pertinentia infeſtare non deſiſtebant. *Tum Fractenſium fraudem & altercationum cauſas refert, ac demum ſubdit:* Deſiderius, ... cùm neque beneficiis eos neque rationibus aliquatenus ſedare valeret, ad eorum tandem violenter frænandam nequitiam totus intendit, & Adenulfi Cajetani ducis... adminiculo fultus, mox caſtellum, cui Novum propriè nomen inditum eſt, in monte, qui Peranus dicitur, omni inſtantia contra illos erexit *&c.*

Caſinenſis ditionis invaſores,

60 *Mabillonius Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti ſeculo* VI, *part.* 2, *pag.* 593, *totum illud Oſtienſis cap.* 12 *ſummatim ita exhibet:* Hoc in capite, *inquit*, Deſiderius dicitur Caſtellum novum Adenulfi Cajetani ducis ope conſtruxiſſe adversùs oppidanos Frattenſes, qui Minturnenſibus & vicinis oppidis Caſinenſis ditionis infeſti erant, cùm fruſtrà eos rationibus ac beneficiis ſedare tentâſſet. *Verùm non rectè videtur Mabillonius intellexiſſe Oſtienſem, cùm ejus verba ad eum detorſit ſenſum, acſi à Fractenſibus iniqua paſſi fuiſſent Minturnenſes, cùm potiùs hos illis fœderatos, conjunctim ditionis Caſinenſis terminos invaſiſſe manifeſtum ſit, ut patebit legenti tantùm Oſtienſis verba num. præcedente allata. Nucens in laudatum caput ita commentatur:* Minturnæ in oſtiis Gariliani, quas olim fluvius interfluebat, nunc dirutæ; quin etiam ævo Leonis, ut proinde Minturnenſes hìc accipere cogamur pro Trajectenſibus; cùm enim Trajectum ex reliquiis Minturnarum extiterit, priſcam appellationem non immeritò retinere potuit. *Certè Trajectum hodiernum regni Neapolitani urbem in provincia terræ Laboris prope oſtia Liris fluvii, qui aliis Garilianus dicitur, collocat Baudrandus, & Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ, pag.* 210, Trajectus, *inquit*, non procul eo loco, quo Minturnæ quondam urbs fuit. *De Fracta autem laudatus Albertus ibidem hæc habet:* Tertio dein lapide juxta ripam Liris Speninum eſt oppidum: inde octavo Frata.

AUCTORE U. S.

Caſtrum novum ædificat. Tempus

61 *His præmiſſis, tempus inveſtigemus, quo Caſtellum novum adversùs Fractenſium Trajectenſiumque incurſiones conſtruxerit* Deſiderius. *Hoc ex Oſtienſi certum eſt, Cajetani ducis Adenulfi ope erectum fuiſſe propugnaculum iſtud: item ex eodem habemus, non antè id factum eſſe, quàm Adenulfo gratiam principis conciliâſſet, Richardi ſcilicet Capuani, ut ait Peregrinius in Serie abbatum Caſinenſium, titulo* Deſiderius, *ubi ita pergit:* Qui (*Richardus I*) ex comite Averſæ Campanum principatum limitata quadam poteſtate in anno obtinuit MLVIII, pleniſſimè autem in anno MLXII, poſt quem annum, in anno videlicet MLXIII, atque exacto menſe Maio, qui Deſiderii fuit annus VI, Richardum cum Adenulfo concordâſſe; eique ducatum Cajetanum retinere, ignotis nunc conditionibus, permiſiſſe, intelligere eſt ex innumeris antiquis chartulis, in quibus ipſe unà cum filio Jordano, æquè principatûs dignitate inſignito, dux etiam Cajetæ ab anno jam dicto MLXIII appellari cœpit. *Michael verò Monachus in Catalogo principum Capuæ Normannorum ſcribit, Richardum occupâſſe ducatum Cajetanum anno* 1064. *Quidquid ſit, Peregrinii auctoritas facit, ut putem, longe ſeriùs contra Fractenſes alioſque ſe ſuaque muniiſſe* Deſiderium, *quàm id exigat ſcriptionis ordo, in Chronico Oſtienſis ſervatus.*

E

munitionis iſtius inquiritur.

62 *Sanè ædificationem Caſtri Novi poſteriorem eſſe anno* 1059, *quo Cardinalis creatus eſt Beatus, manifeſtè eruitur ex iis, quæ habet Gattula in Acceſſionibus ad Hiſtoriam Caſinenſem pag.* 158, *ubi refert* Deſiderii *abbatis privilegium Trajectenſibus conceſſum, cujus tenor talis eſt, ut optimè congruat iis, quæ num.* 59 *ex Oſtienſi attulimus, claréque oſtendit,* Deſiderium *ſtuduiſſe beneficiis & immunitatibus devincire ſibi Trajectenſes, quos Marinus comes Trajectenſis cum Obdulana conjuge Caſinenſi monaſterio ſubjecerat, unà cum parte caſtri Fractæ, ut videre eſt in diplomate Marini apud laudatum Gattulam pag.* 157 *& ſeq.* Deſiderii *autem privilegium datum legitur anno tertio principatûs Richardi, qui cùm Capuanum principatum certè non adierit ante annum* 1058, *ædificatio Caſtri Novi contra Fractenſes Trajectenſeſque, quos conciliare fruſtra ſtuduerat, contingere dudum debuit poſt annum* 1059, *quo Cardinalis dignitatem Beatus obtinuit. Atque hæc diſputata ſunt, ut perſpiciat lector, non omnia* Deſiderii *geſta ſuis ordinata eſſe temporibus. Nihil tamen propterea auctoritati Oſtienſis derogandum, cùm nullibi innuat, ſe temporum ordinem ubique ſectari, ſed ſtudiosè etiam profiteatur, multa ſe prætermiſſurum ex iis, quæ noverat; dicatque tantùm velle ſe quoquo modo ejus opera perſtringere.*

F

Intereſt conciliis Romano.

63 *Beatum noſtrum Cardinalem creatum, in Caſinenſi cœnobio S. Benedicti feſtam lucem celebrâſſe, indeque ad Paſchalem ſolemnitatem Romam rediiſſe, auctor eſt Oſtienſis num.* 23 *Vitæ. Celebrabat tunc in Laterano Nicolaus II concilium, cui epiſcopos centum & tredecim interfuiſſe, teſtantur Algerus, Lanfrancus & anonymus Chiffletianus: huic Beatus in hunc modum ſubſcripſit,* Deſiderius Card. tit. ſanctæ Cæciliæ, *ut videre eſt apud Harduinum tom.* 6 *Conciliorum, parte* 2, *col.* 1066. *In hac porrò ſynodo Berengarius hæ-*

AUCTORE U. S.

resim ſuam tertiò ejuravit: varia ſapienter decreta ſunt contra ſacerdotes incontinentes, contraque ſimoniacos; editaque eſt conſtitutio de electione Romani Pontificis, de qua redibit infrà ſermo. Hujus concilii non meminit Oſtienſis in editione, quam ſequor: Nucens tamen in Notis ad num. 8 ita obſervat: Codex B habet præterea, quæ hîc ſuprà (*litterâ* c) de conſtitutione Nicolai in concilio Romano circa electionem ſummi Pontificis.

Beneventano & Melphitano,

64 *Celebrata ſynodo Romana, duas alias coëgit Nicolaus, alteram Melphiæ, Beneventi alteram, ambas anno 1059. Utrique interfuit Beatus, Beneventanæ, ut teſtatur laudata Harduini collectio tom. 6, part. 2, col. 1069, ubi inter præſules recenſetur* Deſiderius *abbas & presbyter Cardinalis; Melphitanæ quoque, ut perhibet Oſtienſis num. 23 Vitæ his verbis:* Urbem egrediens (*Beatus noſter*) Melfiam Apuliæ urbem perrexit, ubi tunc idem Apoſtolicus (*Nicolaus II*) concilium celebrare diſpoſuerat. *Poſtremum hoc concilium celebratum* Amalphiæ in Apulia *ſcribunt tum ſuprà memorata collectio Harduini, tum Labbeana tom. 9, col. 1105, quam ſcriptionem Pagius in Critica ad annum 1059 errorem vocat,* B *eumque refellere nititur ex eo, quòd Oſtienſis, quem citat utraque Collectio, non Amalphiæ, ſed Melphiæ ſynodum aſſerat collectam fuiſſe. Certè, ut rectè ibidem obſervat Pagius, diverſæ ſunt omninò civitates Amalphia & Melphia; hæc ſiquidem ad Baſilicatam regni Neapolitani provinciam, illa ad ejuſdem regni Principatum citeriorem pertinet.*

quod poſtremum ab aliis Amalphitanum

65 *Errorem tamen reprehenſione dignum in utraque Conciliorum collectione hactenus non reperio: nil enim prohibet conjicere, Melphiam Baſilicatæ provinciæ civitatem utroque nomine deſignari, ut de Amalphia Principatus citerioris teſtatur Orlendius Orbis ſacri & profani parte 1, lib. 4, cap. 3, num. 4 ita ſcribens:* Melphis, quæ Melphia & Amalphia vocatur. *Certè Melphiam Apuliæ; ut eam vocat Oſtienſis, non tantùm Melphiam, ſed etiam Amelphim dictam fuiſſe, dubitari non poteſt: etenim Richardi Capuani principis diploma, cujus meminit Oſtienſis num. 23 Vitæ, quodque ex Regeſto Petri Diaconi num. 404, fol. 174 integrum dat Gattula in Acceſſionibus pag. 161, ita in rem noſtram habet:* Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti MLIX, C Indictione XII, Domno Nicolao venerabili Papa, apud Amelphim ſacram ſynodum cogente *&c.*

dicitur.

66 *Diploma autem illud indubiè non aliam, quàm quæ ab Oſtienſi recitatur, ſynodum indicat: & Baronius, de eodem concilio agens,* Malphiæ *ſcribit, tom. XI Annalium, pag. 271. Quid quòd omnis ambiguitas à laudatis Conciliorum collectoribus ſublata videatur per additam vocem* in Apulia; *Amalphia enim Principatus citerioris ad Campaniam pertinet; Melphis verò, Nicolai II ſynodo nobilitata, ſita eſt in provincia Baſilicata, & hoc ſenſu ad Apuliam ſpectare dici poteſt, vel quòd, ut ſcribit Ughellus, Apuliæ ſit janua, vel quòd Baſilicatæ provinciæ partem contineat Apulia Peucetia, ut docet Baudrandus in Lexico geographico. Hæc porrò hunc in finem dicta ſunto, ut diſcrepantes Chronici Caſinenſis & Regeſti Petri Diaconi ſcriptiones concilientur.*

D

§ VI. Monaſteriorum Tremitenſis & Sublacenſis reformatio: Caſinenſis eccleſiæ inſtauratio & conſecratio, poſt quam totum cœnobium innovatur.

Beatus ab Alexandro II Tremitenſes reformaturus mittitur:

VIdimus *num. 57 & 58, quanto* Deſiderius *noſter in pretio eſſet apud Nicolaum II, adeò ut ſuas illi partes lubenter committeret Pontifex, monaſticam diſciplinam ipſius vigili induſtria ſartam tectamque ſervaturus. Nicolai II privilegium ſuo quoque calculo confirmavit, ſeu potiùs innovavit Alexander itidem II, pleniſſimam immunitatem concedens cœnobio non tantùm Caſinenſi, ſed eccleſiis inſuper omnibus ad Caſinenſem ditionem pertinentibus, ut videre eſt in Vita num. 41. Quantùm autem* Deſiderii *prudentiæ conſideret idem Pontifex, abundè declaravit, cùm eum ad Tremitenſis & Sublacenſis cœnobiorum diſciplinam inſtaurandam auctoritate Apoſtolica ſubmiſit.* E *Quid porrò egerit, ut Tremitenſe monaſterium, improbis inhabitantium moribus inquinatum, meliorem in ſtatum reduceret, exponitur in Vita num. 42 & ſeqq. Mabillonius Annalium Benedictinorum lib. 62, num. 115 Leonis Oſtienſis narrationem contraxit, illud* Deſiderii *factum referens inter alia Benedictinorum geſta, quæ contigerunt anno Chriſti 1066.*

inquiritur in tempus rei geſtæ,

68 *At reformati per* Deſiderium *Tremitenſis cœnobii epocham cenſeo minimè illigandam eſſe anno illi, eamque potiùs referendam exiſtimo ad annum 1071, aut certè non multò citiùs; nam Oſtienſis de Tranſmundo in locum Adami abbatis ſuffecto ſcribit, eum paucos poſt dies, ubi reverſus ad ſua fuerat* Deſiderius, *monachis tribus oculos eruiſſe, alteri linguam præciſiſſe; tum expoſito* Deſiderii *mœrore, ſubdit Vita num. 43,* Quoniam eodem anno dedicationis eccleſiæ noſtræ fieri præſtolabatur ſollemnitas, ad eam ſuſtinetur venturus, ac juxta culpæ modum ſententiam excepturus. *Ex qua relatione certum cùm ſit, Tranſmundum à* Deſiderio *de crudelitate reprehenſum punitumque fuiſſe anno 1071; eo ſiquidem, fatente ipſo Mabillonio, contigit Caſinenſem baſilicam dedicari; cúmque aſſerere videatur Oſtienſis, exiguum temporis ſpatium fluxiſſe inter Tranſmundi ordinationem ejuſque jamjam memoratum facinus, non eſt veriſimile ab anno 1066 ſuſceptam fuiſſe à* Deſiderio *Tremitenſium reformationem; niſi quis dicendum putet,* Deſiderium *quidem anno 1066 ad Tremitenſes ſe contuliſſe, ibique ordinato novo abbate, rebuſque ad monaſticam diſciplinam pertinentibus, rectè diſpoſitis, ad Caſinenſe cœnobium regreſſum eſſe, relictis aliquot de ſuis, qui religioſæ obſervantiæ invigilarent, & de quibus porrò intelligendus ſit Oſtienſis, dum ait:* Redeuntibus noſtris, paucos poſt dies *&c. Verùm de relictis ibidem Caſinenſibus, qui* Deſiderii *partes ſupplerent, nulla fit ab Oſtienſi mentio, imò apertè dicit, Tranſmundo datos à Beato Tremitenſes quoſdam, quorum conſiliis juvandus eſſet. Minùs etiam rectè tempus conſignavit Lubinus, in Notitia abbatiarum Italiæ ſcribens pag. 392:* De hujus (*Tremitenſis*) monaſterii abbate circa annum MLX mentionem facit idem (*Caſinenſe*) Chronicon lib. 3, cap. XXVII.

69 *Tranſmundi memoratum facinus ſævum &* F

cru-

AUCTORE U. S.

A *crudele existimavit Beatus, eumque propterea juxta præscriptum Regulæ S. Benedicti castigatum, locoque dejectum, ad Tremitenses ultrà reverti passus non est. Contra Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ archidiaconus & Cardinalis, ac post Alexandrum II summus Pontifex Gregorius VII dictus, quæ Transmundus gesserat, approbavit, censuitque illum in malignos homines strenuè animadvertisse. In quem locum ita commentatur Nuceus:* Et Desiderii lenitas & Hildebrandi severitas virtus fuit laudabilis : ad eundem siquidem finem plura sunt media & quandoque opposita. *Zelus certè bonus est & laudabilis, si sit secundùm scientiam: Transmundi autem zelus an omni ex parte talis fuerit, decidat, qui voluerit.*

& alia adjuncta nonnulla.

70 *Reformatum à* Desiderio *cœnobium Tremitense idem esse existimat Mabillonius Annalium tom.* 4, *pag.* 682, *cum eo, in quo* Desiderius *aliquo tempore versatus fuisse dicitur ab Ostiensi Vitæ num.* 7, *ubi editio, quam sequor,* Tremitenus *legit, non* Tremitensis, *ultimam tamen scriptionem servant editiones passim aliæ. De monasterio Tremitensi, in quo* Desiderius *junior commoratus est, ita scribit Ostiensis loco mox laudato :* Quod videlicet in Adriatico mari apud insulam, Diomedis quondam nomine vocitatam, triginta circitèr milibus à terra distans situm esse dinoscitur. *Et Nuceus in Notis ad cap.* 89 *libri* 2 *Chronici Casinensis sic commentatur ad num.* 10: In mari Adriatico quinque Apuliæ adjacentes sunt insulæ, è regione Gargani montis; quarum præcipua cæterisque major Tremitus à tribus in ea montibus dicta *&c. De insulis Diomedeis in Thesauro geographico hæc habet Ortelius* : Ego in tabula, quæ harum picturam continet, quinque adhuc, si, quæ scopuli potiùs, quàm insulæ formam repræsentent, annumeres, exstare video, quorum maxima & monasterio decorata S. Nicolai nomen refert, secunda S. Domini *&c. Præmiserat autem Ortelius ex Collenutio, omnes hodiedum uno nomine de Tremite comprehendi, maximamque, Leandro teste, appellari S. Mariam de Trimiti; alteram autem, quæ* S. Domini *dicitur, etiam S. Jacobo apostolo Majori sacram esse, tradit Pennottus Historiæ Tripartitæ lib.* 3, *cap.* 13, § 3.

Notitia illius cœnobii, quod verisimiliter

B

71 *Quoniam igitur ex Ostiensi constat, monasterium illud, quod* Desiderius *junior incoluit, quodque postea reformare aggressus est, in insula Tremitensi situm esse, aut saltem in aliqua ex Diomedeis; cúmque ita loqui videatur Ortelius, ut in hisce insulis non nisi unum, alicujus saltem notæ, monasterium agnoscere debeamus, Lubinus quoque in Notitia abbatiarum Italiæ unum tantùm insulæ Tremitensis cœnobium assignet, consequens est, illud, quo de agimus, non esse distinguendum ab eo, quod nunc est Canonicorum Regularium sub titulo S. Mariæ Tremitis, ut pag.* 392 *scribit laudatus Lubinus; asserens, abbatem illius memorari Chronici Casinensis lib.* 3, *cap.* 27, *illo utique, quod agit de reformatione à* Desiderio *susceptâ. Huc etiam facit, quod lego apud Pennottum lib.* 3, *cap.* 13, § 13, *ubi refert initium privilegii Tremitensibus concessi, quod ita habet :* Urbanus Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ferro Tremetensi abbati *&c. Perperam autem typothetarum incuriâ ibidem privilegium illud dicitur Urbani III, nam cùm cetera Romanorum Pontificum privilegia, à Leone IX usque ad Gregorium XIII, referat Pennottus eo ordine, quo sederunt, cur Urbani III privilegium præmisisset illi, quod Alexander III concessit ? Unde vix ambigo, quin privilegium, ab Urbano abbati Ferro indultum, ad Pontificem spectet ejus nominis secundum : nam Ferro aliquis à Transmundo suffectus, ac demum à* Desiderio *in Tremitensis cœnobii regimine confirmatus dicitur in Vita num.* 39 *&* 40.

idem est cum eo, quod Beatus junior incoluerat;

72 *Lubinus cœnobio Tremitensi statim descripto, eâdem pag.* 392 *aliud subjungit his verbis :* Abbatia titulo S. Mariæ de Treniche, cujus anno MLXIV abbas erat Transmundus filius Oderisii comitis Marsorum sexti, qui fuit Valvensis episcopus; sicut Ughellus observat tom. 1, (*antiquæ editionis*) pag. CCLVI. *At non potuit non animadvertere Lubinus, vitiosam esse apud Ughellum scriptionem : præterquam enim quòd Treniche locus sit geographis planè, quos vidi, omnibus ignotus, Transmundus, qui ab Ughello dicitur anno* 1074 *ad episcopales infulas ecclesiæ Valvensis subvectus, haud dubiè non est alius ab eo, quem memorat Ostiensis, sæpè laudato cap.* 27, *lib.* 3. *Is autem à Beato nostro circa annum* 1071 *Tremitensi præfectus cœnobio, & eodem anno dignitate exutus, patrocinante Hildebrando archidiacono, obtinuit abbatiam titulo S. Clementis de insula Balvensis, seu, ut habet verior lectio, Pennensis comitatûs, ut ipse Lubinus observat pag.* 176, *ibidem insuper dicens, abbatiæ istius meminisse Chronicon Casinense lib.* 3, *cap.* 27. *Iste autem Transmundus, teste Ostiensi ibidem, ex abbate S. Clementis, antistes Balvensis, seu, ut nunc scribitur, Valvensis factus est. Evanescit igitur abbatia de Treniche, distincta à Tremitensi : quòd autem Ughellus scripserit,* ex abbate S. Mariæ de Treniche, *ex eo fortè ortum est, quòd vetustum detritumque nactus sit exemplar.*

nec diversum ab eo, quod de Treniche vocat Lubinus.

E

73 *De reformatione monasterii Sublacensis, quod situm est intra fines Tiburtinæ diœcesèos in Latio, nunc agro Romano, ad Anienem fluvium, & ubi S. Benedictus primordia vitæ monasticæ posuit, non meminit Ostiensis. Illam Mabillonius Annalium tom.* 5, *pag.* 49 *& seq. refert ad annum* 1072. *Erat scilicet, referente Mabillonio, cœnobium illud miserabilem in statum redactum, tum ob externorum vexationes direptionesque, tum ob monachorum dissolutos mores, ac vel maximè ob infirmitatem senumque Humberti abbatis, suos ad officium revocare non valentis. Hæc ubi innotuerunt Alexandro Papæ II, Hildebrandum archidiaconum, nostrumque* Desiderium *eò submisit, labenti domui prompto medicamine subventuros. Quod quàm feliciter cùm ab ipsis, tum à Joanne, sacri loci abbate trigesimo secundo, in Humberti locum suffecto, præstitum fuerit, apud laudatum Mabillonium videre curiosus lector poterit. Nescio autem, quis sit iste* venerabilis Hugo, Ostiensis & Veletrensis episcopus, *qui, ut Mabillonius ait,* Alexandro Papæ desolationem illius cœnobii exposuit. *Certum siquidem est, B. Petrum Damianum, à Stephano IX creatum Cardinalem episcopum Ostiensem, superfuisse usque ad annum* 1072, *eique in sedem Ostiensem successisse Giraldum seu Gerardum, sub pontificatu Gregorii VII, anno, ut tradit Ughellus,* 1077 *mortuum. Consulatur Mabillonius ipse tom.* 5 *Annalium, ad annum Christi* 1067, *num.* 8, *ubi agens de instrumento quodam, cui Gerardus, tamquam Ostiensis episcopus, subscriptus legitur, ait, si ista subscriptio verè subsistat, oportere ut viventi adhuc Petro Damiano successerit, seu illi dignitatem abdicanti substitutus fuerit, asseritque demum Gerardum post Damiani obitum ab Alexandro II creatum fuisse Ostiensem episcopum.*

Sublacensis cœnobii reformatio feliciter suscepta.

F

AUCTORE U. S.

74 *Interruptum geſtorum ordinem reſumamus. Pauca num.* 56 *dixi de beati Pontificis præclaris facinoribus molitionibuſque verè ingentibus, quibus, abbas cùm eſſet, tum Caſinenſe aliaque cœnobia reſtauravit, tum B. Benedicti baſilicam, aliaſque ad Caſinatum ditionem pertinentes innovavit. Veteri eccleſia in monte Caſino deſtructa, anno* 1066 *novam perquàm magnificè ædificare aggreſſus eſt. Quantæ molis opus illud fuerit, breviter indicat Nuceus in Notis ad cap.* 28 *litter.* i. Majora (*inquit*) fabricæ Caſinatis impendia exhauſta fuiſſe, nec quidem in iis, quæ extant, ſed in iis, quæ non extant, facilè colliget, qui nativam hujus montis faciem cogitaverit, exſcindendis nempe ſaxeis criſtis, demoliendiſque igni ferrove rupium molibus abruptiſſimis, ut magnificæ ſubſtructioni pateret area. Uni ciſternæ excavandæ (ſunt autem Caſini octodecim) plura aureorum millia conſumpta ſunt. *Adeò ſcilicet arduum opus videbatur, ut humanis illud viribus multorum etiam annorum ſpatio perfici poſſe diffiderent monachi Caſinenſes, ac propterea beatum Abbatem ſuum à propoſito deterrere omni modo conati ſint.*

Caſinenſem eccleſiam ingenti molitione reædificat,

75 *Verùm ardentem* Deſiderii *animum, ut, quæ conceperat, proſequeretur, fiducia in Deum vehementer accendit, & ad inchoata perficienda mirificè juvit multorum inſignis pietas & munificentia. At quoniam religioſæ virorum principum liberalitatis luculenta teſtimonia in Vita infrà danda fusè enarrantur, nihil attinet hìc recenſere donationes illas, quibus Caſinatum fortunæ maximopere auctæ fuerunt, &* Deſiderio *facultas acceſſit abſolvendi baſilicæ ſtructuram ſumptuoſiſſimam, eamque pretioſiſſimis ornamentis ditandi, quæ omnia hìc referre ſuperſedeo, utpote ab Oſtienſi ſufficienter expoſita. Annos quinque vaſto huic & eleganti operi impendit* Deſiderius, *& anno* 1071 *abſolutum, ipſis Kalendis Octobris non minori honore & magnificentia ad ſempiternam nominis ſui famam dedicari curavit. Feſtivitatem hanc Oſtienſis latiſſimè deſcribit, addens quæ quoque novæ baſilicæ loco reconditæ ſint Sanctorum reliquiæ: brevius ſolemnitatem dedicationis refert Marcus Antonius Scipio in Elogiis abbatum Caſinenſium, titulo* Deſiderius, *cujus hìc verba tranſcribo.*

piorum adjutus eleëmoſynis: ſolemnis

76 Itaque feſtæ celebritatis gratulationem & pompam frequens ſacrorum præſulum numerus & honeſtiſſima clariſſimorum virorum corona mirificè cumulavit; quippe ſupra monachorum centurias & ipſum Romanæ nobilitatis florem, cùm ex Italiæ totius epiſcopis & ampliſſimo Purpuratorum Patrum cœtu ad quinquaginta quatuor antiſtites Alexandrum Pontificem comitabantur, (inter quos duodecim noſtri Ordinis Cardinales eminebant) tum verò principes Salerni, Capuæ, Beneventi, Neapolis; comites Marſorum ac Belvenſium, cum ſua quiſque aſſeclarum familia ad ſacræ dedicationis celebritatem convenere; at verò vulgarium hominum concurſus, vicinis præſertim ex oppidis, adeò ingentes facti, ut capaciſſimo cœnobio occupato, ac ſubjectæ urbis domiciliis hoſpitum multitudine onuſtis, omnia editi montis latera, viæ omnes, & longè latéque extenſa camporum planities concurſu undâque populi ſternerentur. Hæc autem tanta multitudo per ſeptem dies Deſiderii ſtudio & charitate liberali cibo potuque refecta eſt.

illius conſecratio, magno virorum principum præſulumque

77 *Hæc Scipionis narratio conformis eſt iis, quæ infrà in Vita uberiùs referuntur: diſcrepat in eo, quòd Scipio quinquaginta quatuor antiſtites iſti celebritati interfuiſſe aſſerat, editio autem, quam ſequor, tantùm quinquaginta tres, archiepiſcopos ſcilicet decem, epiſcopos verò quadraginta tres. At Nuceus in Notis ad caput* 30 *ita loquitur ad num.* 4: Codex B legit quadraginta & quatuor: in idem tamen recidunt. Codex Petri Caſtellanum electum non computat epiſcopum: computaverat Leo, nam altero poſt conſecrationem baſilicæ die ordinatus eſt & in epiſcopum unctus. *Teſte eodem Nuceo in Notis ad cap.* 34 *num.* 3, *codex ſignatus litterâ B ſolam Oſtienſis ſcriptionem continet. Verùm ſi Caſtellanum adnumeraverit Leo, non quadraginta quatuor ſed quadraginta quinque epiſcopos ſcriptum oportuit: quivis enim recenſitos in Chronico cap.* 30 *præſules computans, cum Caſtellano electo antiſtites inveniet quinquaginta quinque à ſede ſua denominatos, niſi fortè dicendum ſit, unam eamdemque perſonam duos obtinuiſſe epiſcopatus, vel alicujus nomen bis poſitum eſſe levi quâdam & facilè condonandâ inadvertentiâ.*

concurſu: numerus epiſcoporum,

78 *Poſtrema hæc conjectura ſatis mihi appareret veriſimilis: nam inter epiſcopos loco vigeſimo tertio memoratur Melfitanus, & iterum trigeſimo nono Melfittenſis, nihilque video, quod magnoperè vetet de eadem perſona utramque ſcriptionem accipere. Scio quidem inter epiſcopatus Italiæ non tantùm reperiri Melphitanum ſeu Melphitenſem dictum à civitate Melphi provinciæ Baſilicatæ, ſed inſuper Melphitenſem à Melpheta, ſeu Malfatta vel Morſetta in Apulia Peucetia, & hujus quidem epiſcopatûs originem antiquiſſimam putari, referrique ab aliquibus ad tempora Principis Apoſtolorum: verùm, ut rectè obſervat Orlendius Orbis ſacri & profani part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 28, *num.* 10, Mirum .. eſt, epiſcopatum adeò vetuſtum, ut ab Apoſtolorum temporibus ſuum jactet exordium, in nullo ex ſacris conciliis, quæ ante ſeculum duodecimum ſunt habita, conſpicuum eſſe. Primus enim epiſcopus Melphictenſis (*Ughellus ſcribit Melphitenſis*) cujus memoria ad poſteros fuerit traducta, eſt Joannes, qui inter epiſcopos Romanæ provinciæ ſubſcriptus legitur in concilio Lateranenſi ab Alexandro III ſummo Pontifice anno MCLXXIX indicto. *Fatetur quoque Ughellus tom.* 1 *Italiæ ſacræ, col.* 916, *ante jam dictum Joannem nullum reperiri loci iſtius epiſcopum. Hoc ſanè ſcriptorum ſilentium non parùm conjecturæ meæ favet; ſi enim Melphictenſis epiſcopus, à Melphitano in provincia Baſilicatæ diſtinctus, tam celebri feſtivitati adfuiſſet, quomodo non aliqua ſaltem illius memoria à quoquam ſcriptore fuiſſet tranſmiſſa? Quomodo Ughellus ipſe, minimè adverſans antiquitati epiſcopatûs Melphictenſis, non hunc ſaltem anonymum ante Joannem notâſſet? Utut ſit, ſtatuat de conjectura mea lector, quod voluerit: minoris enim res hæc momenti eſt, quàm ut operoſius inquiri debeat.*

qui feſtæ celebritati interfuerunt,

79 *Mabillonius de* B. Victore *noſtro agens in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ſeculo* VI, *part.* 2, *aliquorum epiſcoporum, qui conſecrationi baſilicæ Caſinenſis interfuerint, nomina propria refert, laudatque libellum manuſcriptum de hac dedicatione, quem ex bibliotheca Caſinenſi cum aliquot aliis monumentis vulgavit Antonius Caracciolus typis Neapolitanis anno* 1626. *Recuſus ille eſt tom.* 5 *Scriptorum Italia pag.* 76 *& ſeqq. atque hunc titulum præfert:* Anonymi, ſed antiqui & fide digni ſcriptoris narratio celeberrimæ conſecrationis & dedicationis eccleſiæ Caſinenſis ab Alexandro II P. M. factæ ex Ms. cod. XLVII bibliothecæ Caſinenſis. *Præmiſſis autem multis de* Deſiderii *conatibus in exſtruenda baſilica, deque illius ornatu, ita ſubdit auctor anonymus:* Opti-

& de his variorum

mum

A mum autem mihi & non contemnendum videtur, nomina & numerum episcoporum & magnatium aliquot, qui adfuere (cùm universos non sit facilè reminiscì) memoriæ tradere, quatenus eorum numerositate, innumerâ etiam populi multitudine, qui tunc undique terrarum confluxit, ipsius dedicationis gloria innotescat.

scriptorum relationes,

80 *Ego quoque tùm ob eamdem causam, tum ad horum episcoporum ampliorem notitiam anonymi elenchum huc transferendum censui. Post verba statim relata sic habet :* Sunt autem hi : Joannes episcopus Portuensis, Joannes episcopus Tusculanensis; Ubaldus episcopus Sabinensis; Alphanus archiepiscopus Salernitanus; Ildebrandus archiepiscopus Capuanus; Joannes archiepiscopus Neapolitanus; Joannes archiepiscopus Surrentinus; Girardus archiepiscopus Sipontinus; Bisantius archiepiscopus Tranensis; Drogo archiepiscopus Tarentinus; Erasmus episcopus Signinus; Petrus episcopus Anagninus; Honestus episcopus Verolensis; Ambrosius episcopus Tarracinensis; Leo episcopus Cajetanus; Pandulphus episcopus Marsicanus; Palumbus episcopus Soranus; B Martinus episcopus Aquinensis; Guilielmus episcopus Theanensis; Joannes episcopus Calenus, sive Foriclaudiensis, ut est in Bulla Alexandri II; Petrus episcopus Venafranus; Goffridus episcopus Aversanus; Joannes episcopus Picenus; Maraldus episcopus Pestanus; Albertus episcopus Bojanensis; Rogerius episcopus Civitatensis; Campo episcopus Draconariensis; Stephanus episcopus Trojanus; Balduinus episcopus Melfitensis; Joannes episcopus Cannensis; Robertus episcopus Florentinensis; Nicolaus episcopus Termulensis; Guilielmus episcopus Larinensis; Petrus episcopus Guardiensis; Joannes episcopus Vigilensis; Innacius episcopus Monorbinensis; Guilielmus, sive Guibertus episcopus Rubbesanus; Datto episcopus Ostunensis; Petrus episcopus Monopolitanus; Joannes episcopus Juvenatiensis : Maynardus episcopus Arianensis; Arnaldus episcopus Acherontinus; Constans episcopus Venusinus; Ugo episcopus Hydruntinus; Goffridus episcopus Perusinus; Theobaldus electus Castellanus, qui videlicet altero post dedicationem die episcopus consecratus est.

nonnihil diversæ,

81 *Elenchus hic præsules, adnumerato Castellano electo, sex supra quadraginta recenset : Chronicon autem quinquaginta & quinque, nisi, ut verisimile est ex dictis suprà num. 78, Melfitanus & Melfittensis eadem sit persona. Observat Mabillonius loco statim laudato, multò plures antistites ab Ostiensi recenseri, quàm ab anonymo, archiepiscopos nempe Amalfitanum & Oiretanum; priori nomen fuit* Joannes, *ut colligo ex Ughello, qui eum anno* 1070 *creatum scribit : posterioris nomen edicere nequeo, aut sedem satis certò. Anonymus quoque Acheruntinum sive Acerentinum & Hydruntinum tantùm episcopos scribit, quos Ostiensis archiepiscopos nominat, & rectius, cum, teste Ughello, Acheruntina sedes facta sit archiepiscopalis sub Leone IX, vel certè sub Urbano II, & Hugo Hydruntinus, eodem Ughello teste, anno* 1068 *archiepiscopum se subscripserit. Contrà ubi Ostiensis Tarentinum episcopum dumtaxat scribit, melius eum archiepiscopum notat anonymus, cùm sedes hæc archiepiscopali dignitate donata fuisse legatur ab anno* 978.

82 *Desiderantur quoque in anonymi elencho episcopi nonnulli ab Ostiensi memorati, & quorum nomina ex Ughello hic suppleo : Balvensis,* Joannes *dictus & creatus circa annum* 1071, *Penuensis* Pampus; *Rosellanus, nunc Grossetanus, cùm Grossetum ex antiquæ Russellæ ruinis exsurrexerit,* Bodo *sive* Dodo; *Nolanus fortè* Saxo, *qui sub Urbano II floruit & anno* 1093 *etiam superstes fuisse legitur; Lucerinus verisimiliter* Azo, *qui anno* 1075 *sedisse scribitur; Sernensis sive Sarnensis verisimiliter quoque* Risus I, *auctoritate Alexandri II creatus anno* 1066, *cujus dies obitûs ignoratur; at in Ughelli catalogo nullus inter ipsum & Joannem, qui sedit anno* 1119, *est medius; Salpitanus sive Salpensis, vel* Raynaldus, *vel ejus successor* Gulielmus. *Desideratur etiam apud anonymum episcopus Avellinensis seu Abellinensis, sed hujus nomen detegere non licuit, cùm, teste Ughello, post Timotheum, qui ecclesiam hanc adhuc regebat anno* 501, *nomina episcoporum per annos sexcentos notata non sint : De Melfitano, quem etiam annumerat Ostiensis, vide nostram num.* 78 *conjecturam. Anonymus duos episcopos ab Ostiensi omissos commemorat, Venafranum & Picenum : atque hæc de discrimine inter utramque scriptionem dicta sufficiant.*

83 *Elencho anonymi hæc subdit Caracciolus :* At ex originali diplomate Alexandri II, quod est in archivo Cassinensi, habentur præterea prælati ecclesiastici interfuisse huic ecclesiæ Cassinensis consecrationi, videlicet Ildebrandus archidiaconus S. R. E., Petrus Dam. Ost. episcopus. Et post episcopos omnes hi Cardinales subscribunt jam dicto diplomati : Ego Firminus Card. S. R. E., Leo Card., Stephanus Card. presbyter, Landulphus Card. presbyter, Leo Card. presbyter pro omnibus presbyteris, Cardinalibus, diaconibus & clericis S. R. E. *Cetcrùm laudatæ dedicationis celebritatem Menardus Fastis suis Benedictinis inseruit, tamquam annua ibidem veneratione cultam, ita scribens ad diem 1 Octobris :* Ipso die dedicatio & consecratio ecclesiæ patriarchalis sancti patris nostri Benedicti in monte Cassino ab Alexandro Papa secundo. *Menardum secutus est Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt.*

84 *Post ædificatam dedicatamque ecclesiam curas suas Beatus convertit ad cœnobium, quod quidem initio præfecturæ suæ renovare cœperat, sed nondum sufficiens erat ingenti monachorum numero indies crescenti. Nam, ut perhibet Ostiensis in Vita num.* 57, *intra biennium à dedicatione ad alterum ferè centenarium Congregationis Casinensis multitudo accedentium undique copiâ excreverat. Trium circiter annorum spatium structuræ huic impensum fuit. Monasterii restaurationem innovationemque compendio refert Mabillonius ad annum* 1072, *in Annalibus tom.* 5, *pag.* 48, *ubi circa finem habet :* Cùm verò mons ad illius capituli spatium ampliandum suffoderetur, frequentes terræ motus facti sunt, quod Leo Marsicanus ob sepulturas tunc necessariò violatas, quæ fortè sanctorum hominum fuerant, accidisse putat, tametsi consimiles illic non rarò fiant : *quas voces* non rarò *si, ut videtur, Mabillonius referat ad tempora Leonis, manifestè ipsi contradicit, cùm ita scribat Leo Vitæ num.* 65 : Aliàs sanè satis rarò in hoc loco solet fieri terræ motus, *atque ita legunt Chronici Casinensis editiones planè omnes, quas vidi. Hanc Ostiensis scriptionem intactam servavit, imò & inobservatam præteriit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* VI, *part.* 2, *pag.* 606. *Non in-*

AUCTORE U. S. *allegantur & confutantur,*

E *Dedicationis hujus in Fastis memoria.*

Frequentes terræ motus tempore innovati Casinensis

AUCTORE U. S.

quiro, verúne iſti terræ motus adſcribendi ſint ſepulcrorum violationi, ut cum multis aliis exiſtimâſſe ſe æſſirmat Oſtienſis: lubens etiam fateor, commemoratos terræ motus ex cauſis naturalibus oriri potuiſſe. Verùm undecumque profecti ſint, malim credere Leoni, ſcribenti, ſua ætate infrequentes aliàs fuiſſe terræ motus, quàm Mabillonio, multis ſeculis ab ea ætate remoto, contrarium aſſerenti.

monaſterii: hujus ſtructuræ jam penè nihil ſupereſt.

85 *Plura de cœnobiis eccleſiiſque à* Deſiderio *aut exſtructis aut innovatis hìc non addo: breviter tamen obſervo, nunc tum baſilicæ tum cœnobii, ab ipſo ædificati, penè nihil ſupereſſe. Ingenti enim terræ motu dejecta deſtructaque ſunt anno* 1349, *ut teſtatur Gattula in Hiſtoria Caſinenſi, pag.* 545 *de ſola loquens eccleſia. At Scipio in Elogiis abbatum, titulo* Guilielmus epiſcopus VI, abbas LXXVI, Quo tempore, *inquit*, celeberrimum illud, longéque ſpecioſiſſimum templum, quod olim Deſiderius abbas ædificârat, cum inſigni monaſterio funditus everſum eſt, adeò ut ne cubiculum quidem incolume remanſerit. *Nuceus in Notis ad cap.* 28 *num.* 5 *docet, ſitum ſolum & pavimenti teſſellati reliquias etiamnum*

B *reſtare, ſed veteris ſtructuræ magnificentiam in ruinis etiam ipſis detegi.*

Verſus à Beato in apſide eccleſiæ deſcripti.

86 *Sæpe laudatus Nuceus in Notis ad cap.* 29, *lib.* 3 *Chronici inquirit, an Caſini, an Sublaci lex monaſtica à S. Benedicto fuerit promulgata. Diſſertationi huic anſam dederunt verſus aliquot, quos Beatus in apſide baſilicæ deſcribi juſſit. Referuntur illi infrà in Vita, num.* 53, *legemque Caſini primùm editam fuiſſe non dubiè affirmant. Verſus illos omnino adoptat Nuceus, multiſque argumentis ſtabilire nititur militantem pro Caſinatibus vetuſtiſſimam, ut loquitur, traditionem, à recentioribus quibuſdam in dubium revocatam. Controverſia hæc hujus propriè loci non eſt, unde ſufficiet hìc adduxiſſe, quæ Nuceus, relatis Zachariæ, Urbani II, Calliſti II, Romanorum Pontificum, aliorumque teſtimoniis ſubdit:* Atque hæc ſanè Deſiderium permoverunt, ut conſtanti inconcuſſaque ſecuritate in abſida novæ baſilicæ cubitalibus aureiſque litteris inſcribi juſſerit: LEX HINC EXIVIT &c.: notiſſimam enim tunc veritatem cavillari, & in invidiam trahi poſſe non timuit, & revera per tot ſecula non legitur cavillata. *Nucei Excurſum hiſtoricum conſulat*

C *prudens lector, ſi lubet, expenſiſque rationum momentis, tum pro Caſinenſibus, tum contra illos adductis, ſtatuat, quod voluerit, de iſta controverſia, quam hìc decidere minimè mihi viſum eſt ad inſtitutum noſtrum pertinere.*

J. S.

§ VII. Plurimæ donationes ad ordinem chronologicum reductæ: violata eccleſia Caſinenſis, ideoque ad aliquot dies interdicto ſuppoſita: donationum aliarum chronotaxis.

Variæ donationes anno 1069 *& ſequentibus*

PETRUS Diaconus *poſt relatam electionem Gregorii Papæ VII, plurimas refert principum virorum donationes*, B. Deſiderio *abbati aut monaſterio Caſinenſi factas, ſed ordine nonnihil perturbato. At illæ ad ordinem utcumque reduci poſſunt ope inſtrumentorum, quæ edidit Gattula in Hiſtoria Caſinenſi, & in Acceſſionibus ad illam Hiſtoriam. Nam ex illis liquet, multas donationes, quas ſub Gregorii VII pontificatu narravit Petrus Diaconus, ante illum eſſe figendas. Prima ex illis videtur donatio Borelli comitis, relata in Actis num.* 72, *quâ Caſinenſibus concedit eccleſiam S. Petri de Avellana: Donatio enim apud Gattulam in Acceſſionibus recitata pag.* 179 *notatur* anno .. 1069, menſe Martio, Indictione ſeptima. *Sequitur ibi reſtitutio facta eidem monaſterio per Gualterium, ſed ſine ulla temporis nota, ita ut diu poſt factam, Petro Diacono facilè credamus. Sequenti menſe ſecuta videtur donatio comitum Theodini & Oderiſii fratrum, & Bernardi comitis, quos omnes* Valvenſes comites *vocat Diaconus. Hi dederunt Caſinenſibus duo monaſteria, per S. Dominicum abbatem in comitatu Valvenſi erecta, de quibus Acta num.* 73. *Donatio quidem apud Gattulam notatur* anno 1067, menſe Aprilis, *ſed* Indictione ſeptima, *quæ inſinuat annum* 1069. *Quapropter, cùm Petrus Diaconus hanc poſt alteram narraverit, malim credere, hanc poſteriorem eſſe, quàm toto ferè biennio priorem, & in annos æræ vulgaris potiùs mendum irrepſiſſe, quàm in annos Indictionis. Anno* 1070 *figendæ etiam videntur aliquæ donationes, aut prætermiſſæ, aut ſeriùs relatæ in Chronico Caſinenſi. Tales ſunt donationes comitum Teanenſium, Joannis & Landulfi, qui ſinguli per diploma diſtinctum donant mediam partem caſtri, quod* Mortula *vocatur, & aliàs etiam* Mirtula *dictum fuit; ſed modò ferè deſertum eſt. Utrumque donationis inſtrumentum recitatur apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 170, *& ſignatur* anno milleſimo ſeptuageſimo,... menſe Septembri, nona Indictione, *quæ eo anno inchoata eſt menſe Septembri. Eodem anno, eademque Indictione, ſed* menſe Novembri, *ibidem pag.* 171 *notatur donatio* Berardi Marſorum comitis, *qui tunc Caſinenſibus donavit* monaſterium ſanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, qui dicitur Lucus, *ut habet diploma latiùs videndum. Solùm hìc obſervo, Berardum hunc Marſorum comitem planè eumdem mihi apparere cum Bernardo, qui mox memoratus eſt in alia donatione cum Theodino & Oderiſio comitibus Valvenſibus: nam in utroque inſtrumento di-*

F *citur* filius quondam Berardi comitis. *Eodem anno aut ſequentibus ſecuta eſt donatio Nobilonis comitis caſtri Viperæ, qui monaſterium S. Euſtaſii cum variis eccleſiis obtulit Caſinenſibus. Notatur inſtrumentum donationis apud Gattulam in Hiſtoria pag.* 282 anno MLXX, *ſed* Indictione decima, *quæ inchoata eſt à menſe Septembri anni* 1071. *Itaque in annis Chriſti aut Indictionis eſt mendum: nam Indictio congruit anno* 1071 *aut* 1072.

à variis principibus

88 *Anno* 1072 *multas donationes accepit Beatus noſter. Prima eſt Richardi Capuæ principis, quæ in Actis apud nos refertur num.* 71. *Nam inſtrumentum apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 176 *notatur datum* anno principatûs (*Richardi*) quarto decimo, menſe Februario, Indictione decima; *id eſt, anno* 1072. *Ex inſtrumento etiam liquet, monaſterium iſtud fuiſſe dictum, non ſimplicitur* S. Angeli, *ut habent Acta, ſed* S. Michaëlis archangeli, *cum cognomine* ad Formam, *aut* ad Formas. *Olim vero dictum fuerat* ad Arcum Dianæ, *ut etiam legitur in Chronico Caſinenſi lib.* 1 *cap.* 57, quia templum ejuſdem Dianæ inibi fuit. *Addit Nuceus in Annotatis:* Quippe

A pe Dianæ Tifatinæ (à Tifata monte proximo) templum ibi fuiſſe, etſi auctores ſilerent omnes, ex ſolis lapideis litteratis monumentis, ibidem adhuc extantibus, habere potuit. *Altera ejuſdem principis Richardi donatio habetur apud Gattulam ibidem pag.* 177, *notaturque facta eodem* anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, menſe Auguſto, Indictione decima. *Donat ibi Caſinenſibus* eccleſiam S. Benedicti Piczoli, ſitam in Capua non longè ab eccleſia archiepiſcopatûs *&c.*, *una cum eccleſia* S. Petri *in Scaphato*, ſitam in territorio Neapolitano *&c. Eodem anno, menſe Septembri, monaſterium Caſinenſe accepit eccleſiam S. Magni in civitate Fundis cum tribus aliis, ut habent Acta num.* 73, *ubi donatores dicuntur* Leo & Girardus Fundani conſules. *At in diplomate donationis apud Gattulam in Hiſtoria Caſinenſi pag.* 259 *ſolius ferè Girardi conſulis fit mentio cum Labinia conjuge. Leonis tamen conſulis, tamquam donatoris, etiam qualiſcumque fit mentio poſt medium diplomatis, ita ut putem rectè utrique attributam donationem. Notatur illa* anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, menſe Septembris, Indictione decima. *Notanda erat Indictio* XI, *quæ inchoatur menſe Septembri. Donatio Joannis Hiſernienſis, quæ in Actis narratur num.* 74, *facta eſt eodem anno & menſe ſecundum diploma, recitatum in laudato mox Opere pag.* 264, *ubi donantur* monaſterium S. Benedicti de Bangnarola *cum duabus aliis eccleſiis, ſicut in Actis legitur. Datum eſt diploma* anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, menſe Septembris, undecima Indictione. *Eodem veriſimiliter anno, menſe Decembri, ſigenda eſt donatio Azzonis, nobilis Marſicani, qui Caſinenſi abbatiæ dedit caſtrum* Mota, *ut in diplomate, aut* Meta, *ut vocatur in Actis num.* 73, *cum omnibus, quæ poſſidebat* in valle de Orbeto. *Donatio mendoſiſſimè ſcripta notatur* anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, & dies menſe December per Indictionem decimam. *Notanda quidem erat eo anno & menſe Indictio undecima, ſed tabelliones in Indictionibus frequenter errant. Ceterùm Petrus Diaconus in loco Actorum, quem exponimus, non nominat* Azzonem *donatorem, ſed plura ſimul donata dicit* à quibuſdam nobilibus Marſicanis.

Deſiderio abbati

89 *Anno forſan eodem, aut fortè etiam* 1073, *donatio ampla Littefridi conſulis Fundani, aut Littefridæ ducis, ut vocatur in diplomate apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 180, *ſigenda videtur. Nam notatur menſe Octobri, & Indictione undecima, ſed barbarè omnino ſcripta eſt, ut dubium admodum ſit, an Indictio, quæ annum* 1072 *innuit, rectè ſit expreſſa. Donatio ſatis expoſita eſt in Actis num.* 74, *modò addamus, abſolutam non fuiſſe, ſed factam ſub ea conditione, ut locum haberet, ſi legitima prole careret Littefridus. Anno* 1074, *menſe Octobri, Nobilo comes, qui antè Caſinenſi abbatiæ dederat monaſterium S. Euſtaſii, eidem adjecit quatuor alias eccleſias cum poſſeſſionibus ad illam ſpectantibus, videlicet* S. Marci, S. Barbati, S. Hilarii & S. Eleutherii. *De his Petrus Diaconus lib.* 3 *cap.* 61 *ſic habet:* Præterea & Nubilo comes de caſtro Vipera obtulit huic loco monaſterium

* idem

ſancti Euſtaſii infra eundem * caſtrum, & eccleſiam ſancti Barbati & ſancti Eleutherii & ſancti Hilarii, atque monaſterium ſancti Euſtaſi in caſtello Ribza. *Hæc utcumque differunt ab iis, quæ dedi ex inſtrumento donationis, edito apud Gattulam in Hiſtoria, pag.* 283; *non ſolùm quia multò ſeriùs utramque donationem ponit Petrus Diaconus, quàm inſtrumentum; quod notatur factum* anno Domini MLXXIV, & XXXVII anno principatûs domni Landolfi principis, menſe Octobris, XIII Indictione; *quæ omnia indicant annum* 1074; *ſed etiam quia refert, alterum S. Euſtaſii monaſterium à Nobilone aut Nubilone comite donatum. Itaque veriſimile eſt, hoc ultimum monaſterium ſeriùs donatum, & ſic tres donationes diverſis annis factas ad idem tempus relatas eſſe à Petro. Porrò Landolfus princeps, in diplomate memoratus, eſt Landulphus IV princeps Beneventanus; ex eoque colligitur, caſtrum* Vipera *fuiſſe in ditione Beneventana. De illo caſtro meminit Marius de Vipera archidiaconus Beneventanus in Chronologia Epiſcoporum Beneventanorum pag.* 93, *ubi ait caſtrum iſtud* à familia de Vipera poſſeſſum *fuiſſe* uſque ad annum Domini MCCCV.

pro monaſterio

90 *Anno* 1075, *aut potiùs* 1076, *contigit donatio Joffredi Ridelli, natione Normanni, & ducis Cajetæ, quæ ſatis exponitur in Actis num.* 75. *Donatio apud Gattulam in Hiſtoria pag.* 267 *notatur facta* milleſimo ſeptuageſimo quinto, menſe Februarii, quartadecima Indictione. *Indictio innuit annum* 1076, *& hunc probabiliùs donationi adſcribere debemus, quia etiam additur,* & octavo decimo anno principatûs domni Richardi, *Capuæ principis. Nam ſuprà eodem menſe Februario Indictio decima, ſive annus* 1072, *jungitur cum anno decimo quarto Richardi in ipſius diplomate. Hic igitur annus ejus decimus octavus debet concurrere cum Indictione decima quarta & anno* 1076. *Veriſimiliter tabellio anni initium deſumpſit à Paſchate, ut in multis provinciis uſitatum erat eo tempore, & ſic currebat ipſi annus* 1075 *menſe Februario, quando nobis eſt annus* 1076. *Eodem anno, menſe Auguſto, ſigenda eſt donatio Landonis Hirpinenſis domini, quæ refertur in Actis num.* 75: *nam geminum Landonis diploma, apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 181 *datum, notatur* anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto, menſe Auguſto, Indictione XIV. *Anno* 1077 *notatur donatio Roberti de Bello Prato, natione Normanni, qui Caſinatibus conceſſit eccleſiam S. Joannis, ſitam in territorio oppidi, quod* Pons curvus *dicitur, & non longè Aquino diſtat verſus Lirim fluvium. Diploma Roberti habetur apud Gattulam in Hiſtoria pag.* 313, *datum* anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe Aprilis, quintadecima Indictione. *Anno eodem aut ſequenti ſigenda eſt donatio Petri nobilis Romani, qui Caſinatibus dedit* eccleſiam S. Antonini, ſitam in territorio montis Porculi. *Notas haſce ſolùm chronologicas habet donationis inſtrumentum, editum à Gattula in Hiſtoria pag.* 236, *quòd datum ſit ſub pontificatu Gregorii VII,* Indictione prima, menſe Septembris, die vigeſima quarta. *Quare ſi tabellio Indictionem inchoavit à Kalendis Septembris, ut tunc uſitatius erat in Italia, deſignat annum* 1077, *ſi verò (quod minùs eſt veriſimile) Indictionis initium à Kalendis Januarii ſumpſit; ſignavit annum.* 1078.

Caſinenſi factæ.

91 *Certò anno* 1078 *contigit controverſia illa inter Caſinates & Capuanos, quæ refertur in Actis num.* 77. *Nam illa Capuæ tractata eſt coram Gregorio VII, quem anno* 1078 *Capuæ fuiſſe conſtat ex Epiſtola ipſius prima libri ſexti,* datâ Capuæ Kalendis Junii Indictione prima, *ut videri poteſt apud Labbeum tom.* 10 *Conciliorum col.* 196. *Præterea eodem anno, menſe Novembri, Gregorius Papa controverſiam illam Romæ de-*

AUCTORE J. S.

decidit in favorem Casinensium. Judicium Gregorii edidit Gattula in Historia pag. 254 *&* 255, *datumque est* Romæ VII Idus Decembris,... anno VI pontificatûs domini Gregorii VII Papæ, Indictione secunda. *Omnes notæ congruunt cum anno* 1078. *Eodem anno Jordanus princeps Capuanus dedit* Desiderio *pro abbatia Casinensi* castellum *aliquod*, Suju *dictum, & in ducatu Cajetano situm. Donatio apud Gattulam in Accessionibus pag.* 187 *notatur* nono Kalendas Octubris, anno ab Incarnatione Domini... millesimo septuagesimo octabo, per Indictionem secundam. *At, quod ibidem pag.* 186 *habetur privilegium, ab eodem Jordano Cassinatibus datum, videtur figendum anno* 1077, *etsi* anno millesimo septuagesimo octavo *notetur. Nam illum annum innuit prima Indictio cum mense Decembri conjuncta, & annus vigesimus principatûs Richardi & Jordani, & mentio Richardi tamquam viventis, qui in altero tamquam defunctus memoratur. Observavit hoc ipse Gattula, monuitque, annum* 1078 per incogitantiam *scriptum fuisse pro* 1077. *Anno* 1079 *Joannes comes donavit suam partem* de castello Sujo, *quod idem esse puto cum castello* Suju *memorato; & similiter suam partem* de monasterio S. Erasmi *in civitate Formiana, jam antè donato per Joffridum Ridellum. Donatio apud Gattulam in Historia pag.* 267 *&* 268 *recitatur, factaque est anno* 1079, mense Madio, Indiccione secunda. *Petrus Diaconus de his ita scribit cap.* 44: Præterea Johannes filius Hugonis comitis, patris exemplum secutus, obtulit atque firmavit beato Benedicto integram partem suam de castello Sujo, quod est medietas ipsius, cum universis ad eamdem medietatem pertinentibus, tam intus quam foris; nec non & integram partem suam de supradicto monasterio sancti Herasmi in Furmia. *Existimo, eorumdem bonorum donationes aliquando repetitas fuisse à diversis, quia hi de legitima eorum possessione contendebant. Certè tale exemplum infrà dabo.*

B

92 *Eodem anno* 1079, *verisimiliter mense Aprili, violata est ecclesia Casinensis jussu Jordani Capuæ principis, quem jam variis vicibus beneficum in idem monasterium vidimus, & postea etiam videbimus. Tam graviter tulit S. Gregorius VII illam ecclesiæ violationem, ut & in principem, & in monachos quoque, tamquam negligentiæ reos, commotus sit, & officia divina in eadem ecclesia ad unam alteramve hebdomadam cessare jusserit, ut refertur in Actis num.* 78. *Rem contigisse anno* 1079, *& quidem mense Aprili, colligimus ex Epistolis Gregorii VII hac de causa datis. Recitat Baronius ad annum* 1078 *num.* 24 *Epistolam Gregorii ad Jordanum principem, quem acriter objurgat, & ad satisfactionem hortatur. Data autem est* Romæ undecimo Kal. Maji, Indict. secunda, *id est*, XXI *Aprilis anni* 1079. *Itaque de anno saltem dubitandum non est, & ne de mense quidem, quantùm videtur; quia Gregorius, qui intra duos aut tres dies factum scire poterat, haud dubiè sine mora scripsit ad Jordanum, idque ipse innuit, dicens:* Novissimè ecclesiam beati Benedicti sacrilego ausu intrare, deprædari, & violare non timuisti. *Ex gemina Epistola Gregorii ad Casinates, edita utraque apud Gattulam in Historia pag.* 149, *licèt aliàs careant anno & die, quibus sunt datæ, idem de mense Aprili fit verisimile; quia in secunda dicit Gregorius, se* nuper *ob violatam ecclesiam posuisse interdictum; & mox subjungit:* Verùm quia Ascensionis Domini sollempnitas toto venerabilis orbe nunc imminet, nolentes jam propter alicujus scelus in tanto festo tam religiosum locum officio pietatis carere, decrevimus & vos & eumdem locum ab interdicto absolvere. *Erat anno* 1079 *Pascha* XXIV *Martii, & consequenter festivitas Ascensionis Domini die* 2 *Maii. Quare verisimile est, interdictum fuisse positum circa idem tempus, quo ad Jordanum principem scripsit Gregorius, durâsseque ad octo circiter aut decem dies, & violationem ecclesiæ fuisse commissam aliquot diebus ante interdictum, certè mense Aprili.*

Ecclesia Casinensis violatur

C

93 *Porrò, etiamsi Gregorius Papa* Desiderium *abbatem ejusque monachos nimiæ arguat timiditatis, rationem tamen divina officia prohibendi non repetit ex culpa ipsorum, sed ex crimine Jordani principis & violatione templi, ita loquens in prima ad monachos Epistola:* Quapropter hujus temeritatis noxam inultam esse non ferentes, præsertim cùm locum vestrum violatum esse, & exemplo hujus facinoris deteriora posse vobis contingere perpendamus, ammonemus, ut divinum officium in ecclesia B. Benedicti non faciatis, sed altaria omnia, quæ intùs sunt, detegentes, quantum sit hujusmodi violationis periculum, quosque cognoscere faciatis *&c. In altera Epistola, quâ solvit interdictum, nullam facit mentionem de culpa Abbatis aut monachorum, sed & se & inimicos suos ipsorum precibus commendat, & tandem ipsum Jordanum principem his verbis:* Nec non & pro illo, qui tam sanctissimum locum, toto mundo famosum, violavit, preces effundite, ut Deus det illi cor pœnitens, & sic eum ad se convertat, ut in hac vita & futura mereatur gratiam Dei obtinere. *Ex iis autem, quæ Jordanus postea contulit Casinensi abbatiæ beneficia, facilè colligimus, ipsum Casinensibus omnino satisfeciisse, & pristinum erga ipsos amorem instaurâsse. Ad hanc emendationem non parùm ipsi fortasse profuit pœna post illatam violentiam divinitùs inflicta, de qua Petrus Diaconus ita scribit:* Sed non in longum, postquam officium de ecclesia nostra interdictum est, vindictam distulit dextera Dei. Nam princeps tanti auctor sceleris, postquam pecuniam accepit, lumen amisit. *Poterat sanè ejusmodi flagellum miserantis Dei principem, levitate forsan magis & indignationis cujuspiam impotentiâ, quàm malitiâ lapsum, ad mentem revocare.*

ideoque interdicto ad aliquot dies supponitur.

D

E

F

94 *Anno* 1080 *Robertus Guiscardus, dux Apuliæ & Calabriæ, gestis suis in historia notissimus, donavit* B. Desiderio *abbati monasterium S. Petri Tarenti, civitatis recenter captæ, ut habent Acta num.* 91. *Instrumentum donationis, quo & alia quædam Casinatibus dantur, recitat Gattula in Accessionibus pag.* 183 *&* 184, *ibique notis his insignitur:* Anno ab Incarnatione... millesimo octuagesimo, mense Junio, Indictione tertia. *Eodem anno figendum est Jordani Capuæ principis mox memorati diploma, quo confirmantur Casinatibus omnes donationes, tam ipsius Jordani, quàm patris ipsius Richardi. Habet quidem notas chronologicas invicem non rectè consonantes, prout editum est in Opere jam laudato pag* 184 *& seqq.; cùm datum notetur*, tertio decimo Kalendas Octobris, anno ab Incarnatione millesimo octogesimo, Indiccione tercia. *Nam mense Septembri anni* 1080 *inchoata erat quarta Indictio, sicut mense Septembri* quinta Indictio *notatur in sequenti diplomate anni* 1081, *&* sexta *in tertio anni* 1082, *licèt tria illa ejusdem sint principis & ab eodem notario scripta. Anni quoque principatûs Richardi in hoc instrumento non congruunt*

Donationes aliæ principum virorum

cum

A *cum annis principatûs ſequentium inſtrumentorum, ut conſideranti patebit. Itaque imperitiæ tabellionis vel incuriæ tranſcribentium aut imprimentium hæc imputanda ſunt. Attamen vix dubitare poſſim, quin anno* 1080 *datum fuerit dictum Jordani diploma, quia Petrus Diaconus lib.* 3 *cap.* 47 *dicit*, biennio poſt hæc (*ſive poſt hoc diploma*) *factam eſſe à Jordano donationem monaſterii S. Rufi, quæ clarè ſigitur anno* 1082 *& menſe Septembri. Hoc verò confirmationis diploma laudatus Petrus antè memorat his verbis :* Eodem anno (*non quo violata erat eccleſia Caſinenſis, ut perperam explicat Nuceus ; ſed quo Gregorius concilium Romanum* VII *celebraverat, de quo poſtremò agebat, ſive anno* 1080) Jordanus princeps, cujus ſuprà meminimus, more priorum principum generale præceptum huic monaſterio fecit de omnibus finibus ac pertinenciis ejus. Quo etiam præcepto ſpecialiùs confirmavit eidem monaſterio univerſa, quæ tam pater quàm ipſe huic monaſterio conceſſerant, ſeu concambiaverant, vel reddiderant. *Enumeratio omnium ibi poterit videri.*

anno 1080 95 *Eodem anno* 1080, *menſe Octobri, Robertus Guiſcardus donavit monaſterium S. Nicandri, de quo in Actis num.* 91, *unà cum duabus eccleſiis S. Nicolai & S. Thomæ, ut latiùs videri poteſt in diplomate apud Gattulam in Hiſtoria pag.* 276, *ubi rectè ſignatur anno* milleſimo octogeſimo, menſe Octobre, Indictione quarta. *Die tertia Novembris ſecuta eſt donatio Oderiſii, de qua Petrus Diaconus lib.* 3 *cap.* 61 *ita habet :* Oderiſius præterea Landonis filius, de Babuco ad hunc locum veniens, eccleſiam S. Mariæ ſitam ſub ipſo caſtro, & aliam eccleſiam S. Mariæ in jam dicto caſtro, & S. Pauli, & ſancti Archan-
* Quintiani geli in Mozzani, & S. Quinziani * in hoc cœnobio devotiſſimus obtulit. *Inſtrumentum donationis habetur apud Gattulam in Hiſtoria pag.* 816, *ubi datum legitur* anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octuageſimo, *& Gregorii VII* anno octavo, Indictione tertia, menſis Novembris die tertia. *Fuerat quidem notanda Indictio quarta ; at cùm reliquæ notæ chronologicæ conſonent in annum* 1080, *id tabellionis aut tranſcribentium incuriæ imputandum.* Babucum *oppidum, in quo facta donatio, in Latio memorat Leander Albertus, &* civitatem *vocat. Acceſſit eodem menſe donatio Sanſonis, de quo Petrus Diaconus cap.*
C 44 *hæc ſcribit :* Item Sanſo, filius Alberti, de comitatu Pinnenſi, cartam fecit huic monaſterio de integra ſorte hæreditatis ſuæ, id eſt, de medietate caſtelli, quod dicitur Planellu, cum eccleſia ſancti Stephani ibidem, & de medietate Paſiniani, cum terra mille modiorum menſura. *Donationis diploma recitat Gattula in Acceſſionibus pag.* 182, *in quo omnia latiùs exponuntur. Datum legitur* anno milleſimo octuageſimo, & die menſis November per Indiccione prima. *Rurſum fallit Indictio, quæ tunc erat* quarta. *At imperitus tabellio, qui linguam Latinam non noverat, hunc errorem facilius committere potuit, quàm errare in annis æræ Chriſtianæ.*

& ſequentibus. 96 *Anno* 1081 *Jordanus Capuæ princeps iterum ſe beneficum exhibuit abbati noſtro* Deſiderio, *ipſique pro monaſterio donavit tres partes majoris lacus Aquinenſis, fiſco ſuo addictas ob comitum Aquinenſium cum principe inimicitias, ut in inſtrumento legitur apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 187. *Notatum ibidem eſt* anno milleſimo octoageſimo primo, *&* ſextodecimo Kalendas Octobris, *ac demum* per quintam Indiccio nem. *Quæ omnia rectè congruunt. Anno* 1082, *aut probabiliùs* 1083, *ipſi comites Aquinenſes prædictum lacum* Deſiderio *abbati donaverunt ſcripto diplomate, quod in laudato Opere ſubditur pag.* 188. *Diploma hoc datum legitur*, Anno ab Incarnatione milleſimo octogeſimo ſecundo, Indictione ſexta, menſe Februario, vigeſimo quinto anno principatûs domni Jordani glorioſi principis. *Omnes notæ chronologicæ inſinuant annum* 1083, *modò excipiamus Incarnationis annum, ita ut veriſimile ſit, hunc fuiſſe ſignatum more multis locis tunc uſitato, quo annus* 1082 *currebat uſque ad Paſcha anni* 1083. *Quare ante hanc donationem facta videtur donatio altera laudati principis Jordani, donantis Caſinatibus eccleſiam S. Rufi civitatis Capuanæ. Certè hujus diploma pag.* 189 datum *eſt* octabo Kalendas Octobris, anno ab Incarnatione milleſimo octogeſimo ſecundo, ſcriptum Capuæ per ſextam Indictionem, & anno principatûs *Jordani* vigeſimo quinto. *Hæc enim omnia conſonant in annum* 1082, *& menſem Septembrem.*

Deſiderio factæ. 97 *De prædictis donationibus Petrus Diaconus cap.* 47 *ita ſcribit :* Biennio poſt hæc (*ſcilicet poſt confirmatas omnes donationes*) oblata eſt E ab eodem principe (*Jordano*) in hoc monaſterio eccleſia S. Rufi intra civitatem Capuanam, quæ dudum ſibi conceſſa, & per ſacramenta firmata fuerat ab his, quibus jure hæreditario juxta morem patriæ pertinuerat, cum ſervis & ancillis atque colonis, nec non & libris & ornamentis, & omnibus omnino tam foris quàm intus pertinentiis ipſius, mille librarum auri pœnâ propoſitâ id violare conantibus. Per eos etiam dies comes Adenulphus ſimul & fratres fecerunt oblationem ſuam in hoc loco de lacu majori, qui eſt juxta civitatem Aquinenſem, cum omnibus ejuſdem loci pertinentiis, ſuper eam oblationem, quam ante annum princeps Jordanus fecerat. *Nimirum princeps menſe Septembri anni* 1081 *obtulerat tres partes lacûs comitibus ademptas : comites verò, qui erant quatuor fratres, Adenulphus, Landulphus, Pandulfus & Lando, poſt annum & quinque ferè menſes, ſeu menſe Februario anni* 1083 *totum lacum donârunt, poſtquam veriſimiliter cum principe amicitiam redintegraverant.*

§ VIII. Geſta Deſiderii ad conciliandum cum S. Gregorio VII Robertum Guiſcardum, alioſque principes Normannos : ejuſdem geſta cum Henrico Germaniæ rege : reliqua ante pontificatum ejuſdem. F

Beatus, pace inter Normannos & principem Salerni fruſtra tentata,

QUàm gratioſus apud omnes vicinos principes fuerit beatus abbas Deſiderius, *utcumque jam liquet ex tot donationibus, quas eidem pro monaſterio Caſinenſi factas uſque ad annum* 1083 *vidimus. Quantus verò fuerit pacis amator, quantúmque gratiâ illâ, quâ apud principes mirificè valebat, Sedi Apoſtolicæ profuerit, nunc exponendum. Pars ea Italiæ, quæ hodiernum regnum Neapolitanum conſtituit, multos eo tempore habebat principes. Verùm inter omnes longè eminebant Normanni, nimirum Robertus Guiſcardus,*

AUCTORE J. S.

cui Nicolaus II Papa ducatum Apuliæ & Calabriæ dudum confirmârat, ejusque frater Richardus, quem Capuæ principem idem Pontifex similiter confirmaverat. Verùm principes illi, ut erant bellicosi magis quàm religiosi, non solùm Græcorum & Saracenorum urbes invadebant, sed & principes Longobardos bello impetebant, & civitates Ecclesiæ Romanæ subjectas occupare subinde conabantur. Hac de causa variis vicibus à communione sua eos Romani Pontifices separârunt. Petrus Diaconus lib. 3 cap. 45 varia narrat de progressibus Roberti Guiscardi contra Saracenos in Sicilia, & contra Græcos in Apulia. Relata autem expugnatione Panormi in Sicilia, hæc ad propositum nostrum subdit : Talia igitur ad votum sibi dux evenisse advertens, immenso valde congregato exercitu, super Salernum (*Longobardo principi Gisulfo subjectum*) castra locare disponit. Quod supradictus Papa Gregorius cùm comperisset, per patrem Desiderium Gisulfo principi ducis pacem expetere monuit: ad quod ille nec responsum quidem reddere voluit. Dux verò suum exercitum congregans, circa Salernum tentoria fixit. Ex alia autem parte Richardus princeps rogatu ducis occurrens, cum diversis bellorum machinis illam oppugnare vehementissimè cœpit. Hoc Desiderius audiens, Richardum principem adiit, eumque unà secum ad Gisulfum venire rogavit. Quò dum venissent, post multa verba in vacuum abita *, eorum Gisulfus spernit consilium, & cum duce nullo pacto se confœderaturum jurejurando affirmat. *Itaque capitur Salernum, & Gisulfus principatum suum amittit numquam recuperandum, quamvis titulum principis Salernitani retinuerit.*

B

* habita

Robertum Guiscardum feliciter Gregorio VII conciliat:

99 *Post relatam Salerni expugnationem, ita pergit laudatus auctor:* Inde autem dux cum exercitu, sociato sibi principe, ad hoc monasterium (*Casinense*) venit, atque à Desiderio & Fratribus honorificè susceptus, illorumque se orationibus commendans, attentiùs Campaniam expugnaturus ingreditur. Talia Papæ Gregorii cùm perveniissent ad aures, ducem & principem à liminibus separavit, collectoque exercitu super eos ire disponit. Quod ubi duci nunciatum est, concitè unà cum principe Capuam remeans, dux supra Beneventum, princeps verò supra Neapolim obsidionem firmavit. *In hac obsidione Richardus Capuæ princeps anno 1078, cui mors ipsius passim illigatur*, ab excommunicatione solutus, defunctus est, cui successit Jordanus filius ejus, *ait laudatus Petrus. Mors porrò Richardi profuit* B. Desiderio, *ut optatam inter principes Normannos & S. Gregorium VII pacem conciliaret. Nam primò Jordanus princeps, Richardi filius*, favens Papæ Gregorio, *non modò abstinuit ab oppugnanda ulteriùs Neapoli; sed etiam Roberto duci se opposuit, ita ut inter hos jam bellum oriretur.* Desiderius interea pater hæc audiens, ducem adiit, eumque ad pacem redire rogabat. Cujus monitis Robertus obtemperans, pacem cum principe facit. *Et post aliqua minoris momenti loca à duce expugnata, iterum Petrus hæc subjungit:* Desiderius præterea ægrè ferens, ducem à matris Ecclesiæ gremio diu extorrem manere, Romam adiit, & Papam Gregorium rogare cœpit, ut ducem ab anathematis vinculo, quo eum ligaverat, solveret. Quo impetrato, pacis amator & conservator Desiderius cum Cardinalibus ad ducem profectus, eum ab excommunicationis vinculo solvit. *Ex hisce colligitur*, B. Desiderii *operâ factum esse, ut pax inter Gregorium Papam & Robertum ducem, quæ utilis erat & necessaria Ecclesiæ, firma & stabilis componeretur.*

C

D

pax hæc facta anno 1078.

100 *Operæ pretium erit, si annum facti adeo memorabilis investigemus. Baronius pacem illam illigat anno 1080, ubi ejus conditiones refert num. 35 & seqq. Pagius verò credit, Robertum excommunicatione solutum esse, & Ecclesiæ conciliatum anno 1077, idque latè ostendere conatur ad annum 1074, & rursum ad annum 1077. At utraque sententia errori obnoxia videtur, paxque illiganda est anno 1078. Nam primò pax illa coaluit post mortem Richardi Capuæ principis, quæ contigit anno 1078 non multum provecto, ut facilè ex ipsius & filii ejus Jordani diplomatis colligi potest. Secundò pax facta est post solutam obsidionem Beneventi, ut liquet ex dictis. Atqui Beneventum adhuc obsessum erat circa initium Martii anni 1078. Nam Gregorius VII in concilio Romano IV, quod habitum est* anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octavo, . . . Gregorii Papæ VII anno quinto, & quinto Nonas Martii, Indictione prima, *excommunicat* omnes Nortmannos, qui invadere terram sancti Petri laborant, . . . & eos, qui Beneventum obsident *&c, ut latiùs videri potest apud Labbeum tom. 10 Conciliorum col. 370. Itaque saltem pax concluſa est post initium Martii anni 1078, & sic abundè refutata est sententia Pagii, eam figentis anno 1077. Contra Baronii sententiam non solùm militant Pagii argumenta, quibus evincitur, non tam diu differri posse dictam pacem, cùm varii scriptores illam statim narrent post gesta anni 1077; sed etiam Petrus Diaconus innuit, factam esse non diu post solutam Beneventi obsidionem, & non multò diutiùs post mortem Richardi Capuæ principis. Hic autem certò mortuus erat ante Kalendas Junii anni 1078: nam eo die Capuæ erat Pontifex, ut vidimus num. 91; Capuam autem non venisset, dum in excommunicatione vivebat Richardus. Imò jam defunctus fuisse videtur Richardus, quando die III Martii ejusdem anni concilium suprà dictum habebat Gregorius. Nam æquè excommunicaturus fuisse videtur obsidentes cum Richardo Neapolim, quàm obsidentes Beneventum. Plura igitur non addo, præsertim cùm Baronii sententia nullis nitatur fundamentis. Ad videndas dictæ pacis conditiones, quæ ad gesta* B. Desiderii *minùs pertinent, lectorem studiosum remitto ad suprà laudatum Baronii locum, ubi juramentum fidelitatis, à Roberto factum Pontifici, notatur* tertio Kalendas Julii; *sed annus non adjungitur.*

E

F

Beatus ad Henricum regem accedit,

101 *Gesta* B. Desiderii *cum Henrico rege, quæ damus in Actis cap. 8, figenda sunt anno 1083. Etenim vocatus est beatus Abbas ab Henrico, postquam hic Romam ex parte occupaverat, ut colligitur ex ordine narrandi, quem observat Petrus Diaconus. Nam hic ante ea, quæ ex ipso in Actis damus, cap. 50 de capta per Henricum parte Urbis Transtiberina, in qua est basilica S. Petri Vaticana, sic habet:* Henricus interea imperator, alio anno exercitum congregans, Romam advenit, & porticum sancti Petri per vim cepit, & ex magna parte destruxit, atque archiepiscopum Ravennatem invasorem Apostolicæ Sedis absque consilio & voluntate totius Romanæ Ecclesiæ constituit. *Hæc facta sunt anno 1083, ut scriptores consentiunt, & ut aliis verbis narratur in Actis pontificalibus, collectis ex Chronico Bertoldi, & datis apud nos tom. VI Maii, ubi post duas relatas expeditiones Henrici contra Romam,*

de

A *de tertia auctor sic habet :* Anno MLXXXIII iterum Henricus cum multitudine schismaticorum sive excommunicatorum ante Pentecosten Romam impugnaturus aggreditur : sicque Guibertum Ravennatem, perjurum, depositum & anathematizatum, apud sanctum Petrum intronizavit; non per Ostiensem & Albanensem & Portuensem episcopos, qui hoc privilegium habent, ut & Papam consecrent, sed per Mutinensem & Ariminensem episcopos *&c. Hæc omnia ad annum* 1083 *figit Baronius, quemadmodum & gesta inter Henricum &* Desiderium *abbatem.*

102 *Quàm strenuè & constanter S. Gregorium apud Henricum defenderit abbas* Desiderius, *Acta satis declarant. At crediderim, plus etiam, quàm ibi legitur, pro Gregorio feciſſe* Desiderium. *Certè Gregorius, simul atque anno* 1081 *intellexerat, Henricum regem cum exercitu Romam velle* circa Pentecosten venire, *monuit ea de re* Desiderium, *eumque ad fidem sibi servandam hortatur his verbis :* Tu verò ipse, amande frater, cognoscis, quia, si nos amor justitiæ & honoris sanctæ Ecclesiæ non teneret, tamque pravæ voluntati ac nequitiæ regis & suorum vellemus favere, nulli aliquando prædecessorum nostrorum ab antecessoribus regibus seu etiam archiepiscopis tam amplum & devotum servitium, sicut nos ab hoc rege & ab archiepiscopo, habere potuerunt. Verùm quoniam illorum minas & sævitiam pro nihilo ducimus; magis, si necesse fuerit, mortem suscipere parati erimus, quàm impietatibus eorum assensum præbere, aut justitiam relinquere. Quapropter rogamus & monemus, ut quemadmodum te decet, ita nobis adhæreas, quatenus sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ honor, quæ de te multùm confidit, nunc & semper robur obtineat. *Addit, se certò intellexisse, Henricum operam dare, ut per nuptias filii sui cum filia Roberti Guiscardi hunc ducem ad partes suas trahat ;* Sed, *inquit*, prudentia tua sollicitè invigilet, & quid super hac re actum sit, diligenti examinatione cognoscat. Tu ipse etiam quantocyus ad nos propera. *Ex hisce verisimile est, allaborâsse* Desiderium, *ut Robertus Guiscardus, cui acceptus erat, Gregorio fidelis maneret, quemadmodum revera permansit.*

& causam Gregorii VII strenuè propugnat.

B

103 *Quæ in Actis num.* 86 *referuntur de capta Urbe, de obsesso in arce Sancti Angeli Pontifice, ac de eodem per Robertum Guiscardum liberato & Casinum ducto, innectenda sunt omnia anno* 1084. *Chronotaxim hanc clarè habemus ex Actis pontificalibus Gregorii VII, quæ concinnata sunt ex Bertoldi Constantiensis Chronico, & data apud nos tom.* VI *Maii, in quibus pag.* 147 *num.* 17 *hæc leguntur :* Anno MLXXXIV Henricus in Romanorum finibus hiemavit, ibique Guibertum Ravennatem suum Romam venturum exspectavit. . . . His temporibus Constantinopolitanus (*imperator Alexius Comnenus, quocum Robertus Guiscardus bellum gerebat in Illyrico*) maximam pecuniam Henrico quondam regi transmisit, ut Ruodbertum Wiscardum ducem Calabriæ & Apuliæ, conjuratum militem Domini Papæ, in ultionem ejusdem regis bello appeteret. . . . Sed Henricus acceptam pecuniam . . . ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendit : cujus adjutorio Lateranense palatium feriâ quintâ ante Palmas (*id est* XXI *Martii*) cum suo Ravennate Guiberto intravit. Nobiles autem Romani, præter admodùm paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & quadraginta obsides ei dederunt. Papa autem in castellum Sancti Angeli se recipit, omnesque Tiberinos pontes & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate. *Erat igitur Henricus in Urbe, sed non omnino ibidem prævalebat. Interim in festo Paschali à Guiberto antipapa coronari voluit, ut in Actis sequitur. Nihil quoque prætermittebat, quo Urbem sibi asserere, & arcem Sancti Angeli expugnare conaretur; sed non habebat vires sufficientes ad brevi tempore id perficiendum, & Robertus Guiscardus non permisit, ut diu Romæ moraretur.*

Anno 1084 *Henricus Urbem capit,*

AUCTORE J. S.

104 *Nam eodem anno, ut habent laudata Acta num.* 18, Robertus Wiscardus, dux Normannorum, in servitium sancti Petri, post Kalendas Maii Romam armata manu invasit, fugatoque Henrico, totam Urbem Gregorio Papæ rebellem penitus exspoliavit, & majorem ejus partem igni consumpsit, eo quòd Romani quemdam ejus militem vulneraverunt. Deinde acceptis obsidibus à Romanis, & in castello S. Angeli, quod domum Theodorici dicunt, reservatis, ipse ad recuperandam terram S. Petri reversurus, in brevi plurima castella & civitates Domino Papæ recuperavit. Henricus autem Ruodberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinanter revertitur. . . Dominus autem Papa, collecta synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham & Henricum & omnes eorum fautores promulgavit : quod & in festo S. Joannis Baptistæ præterito jam dudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. *In Actis pontificalibus Centii Camerarii num.* 14 *dicitur Henricus fugisse uno die, antequam Romam advenit Robertus. In tertiis Actis pontificalibus num.* 15 *legitur de Henrico :* Cui nuntius advenit, si non de obsidione exurgeret, à Roberto Guichardi duce Apuliæ expulsus esset. *Quo accepto nuntio, Romanis suis valedixit. De igne per Robertum in Urbem injecto omnia Acta consentiunt; sed secunda & tertia habent, incendium illud fuisse in partibus Urbis* circa Lateranum & Colosseum, *quæ etiamnum raras admodùm domos habent.*

sed per Robertum Guiscardum fugere cogitur & Gregorius Papa

E

105 *Quod verò habet Petrus Diaconus in Actis de Roberto, acsi captâ Româ, liberatoque Gregorio ex arce Sancti Angeli, mox cum eodem Pontifice Urbe egressus esset, refutatur ex omnibus Actis Pontificalibus. Verba ex primis mox adducta insinuant, concilium à Gregorio celebratum, antequam ex Urbe discesserit. Centius Camerarius in Actis secundis num.* 14 *sic habet :* His igitur ita peractis, dux ad propria rediit & patrem suum Gregorium Pontificem, in Lateranensi palatio sedentem, cum fratribus suis episcopis & Cardinalibus in pace dimisit, pertractantem Ecclesiæ negotia pro sui officii debito, de diversis mundi partibus emergentia. *Et num.* 16 : Hic ter quaterque verè beatus Pontifex, post diutinam in Urbe moram, descendit in Apuliam, & occurrente sibi jam dicto duce Roberto Guiscardi, Salerni famosam civitatem gloriosè intravit. *Duo laudati scriptores, ambo contemporanei, consentiunt de mora notabili, quam Roma traxit Gregorius post fugam Henrici; sed prior affert, castella Pontificia interim per Robertum recepta esse; alter ait, Robertum* ad propria *rediisse. Utrumque fieri potuit : nam potuit Robertus ad expugnationem castrorum & civitatum duces & milites suos relinquere, & interim in Apuliam proficisci brevi reversurus. Tertia Acta minùs antiqua num.* 16 *habent :* Dehinc ivit (*Robertus*) ad castrum Sancti Angeli, dominum Papam ab eo abstraxit, secumque Lateranum deduxit. *Post alia verò num.* 17 : Dux

reducitur ad palatium Lateranense,

F

AUCTORE J. S.

verò Apuliæ ſecum dominum Papam deducens, apud Salernum dimiſit.

indeque primò abit Caſinum, deinde Salernum.

106 *Ex hiſce veriſimillimum eſt, S. Gregorium aliquot ſaltem hebdomadis, & forſan menſe uno alterove Romæ manſiſſe poſt fugatum menſe Maio Henricum. In Vita quidem S. Anſelmi Lucenſis, data apud nos ad* XVIII *Martii, num.* 18 *brevior mora innuitur, quando auctor de Roberto dicit:* Ante cujus adventum Henricus, Urbe relicta, fugit: quam una die manu armata dux fidenter expugnavit, Dominumque Papam de anguſtia turris in latitudinem ſacri palatii Lateranenſis cum magno triumpho & gloria reduxit. Itaque, peractis ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt *&c. Verùm neſcimus, quantum temporis ſpatium per* aliquot dies *ille auctor deſignare voluerit, & meritò dubitamus, an exactè inquiſiverit, quanto tempore Gregorius in palatio Lateranenſi ſubſtiterit. Quare magis credendum eſt ſcriptoribus antè laudatis, qui longiorem aſſerunt moram, præſertim cùm ex Chronico Barienſi, apud Pagium ad annum* 1085 *num.* 9 *laudato, conſtet, Robertum tantùm* menſe Octobri *mare trajeciſſe ad expeditionem ſuam contra*
B *imperatorem Græcum cum filio continuandum, ita ut nihil obſtet, quo minùs uſque ad menſem Julium pro Gregorio pugnare potuerit. Porrò Gregorium à Roberto Caſinum fuiſſe deductum, nullus habet ex laudatis auctoribus præter noſtrum in Actis. Attamen res idcirco non videtur dubitationi obnoxia, cùm eundum eſſet Salernum, & vix breviori via Salernum ire poſſent, quàm per Caſinum. Itaque Româ Caſinum, indeque Salernum profecti ſunt.*

Donationes anno 1084

107 *Anno* 1084, *in quo verſamur, piorum liberalitate rurſum creverunt poſſeſſiones monaſterii Caſinenſis. Primam, quam invehio hujus anni, donationem commemorat Petrus Diaconus lib.* 3, *cap.* 56 *his verbis:* Sequenti verò tempore Theodinus, filius Maynerii de Trivento, obtulit huic loco monaſterium ſancti Salvatoris, quod ſitum eſt prope fluvium Treſta, ſimul cum caſtello, quod eidem monaſterio pertinet, vocabulo Peſclatura, & duabus aliis eccleſiis, id eſt, ſancta Maria de Colle Rotundo, & ſanctus Paulus de Petra Corvina, cum univerſis earumdem eccleſiarum mobilibus & immobilibus. *Litteras donationis hujus edidit Gattula in Acceſſionibus pag.* 190, *ubi ſignantur* milleſimo o-
C ctuageſimo quarto anno,.. menſe Aprili, ſeptima Indictione *Monaſterium ibi dicitur ſitum* in territorio Triventino, propinquum flumine Treſta. *Civitas autem* Triventinum, *nunc* Triventum *ſæpiùs dicta, eſt in Samnio, ſive in hodierno comitatu Moliſii, ad Trinium fluvium, ut habet Baudrandus. Alteram donationem ad hunc annum refert Gattula in Hiſtoria pag.* 238, *ubi eomo Henricus Caſinatibus donat eccleſiam quamdam S. Petri* in territorio Lucerinæ *civitatis. Hæc aliàs dicitur* Nuceria Saracenorum. *Donatio notatur* menſe Novembri, quinta Indictione, & Alexii imperatoris quarto anno, *ſine anno æræ Chriſtianæ. Annum hunc* 1084 *inſinuat annus quartus Alexii Comneni; at Indictio congruit anno* 1081. *An dictum inſtrumentum videatur ſatis authenticum, examinare poterunt, quorum intereſt. In Chronico Caſinenſi de donatione illa nihil reperio.*

& ſequentibus monaſterio

108 *Aliam ibidem refert mox laudatus Petrus Diaconus, ita ſcribens:* Tranſmundus quoque Teatinus comes ſimiliter obtulit in hoc monaſterio tria ſui juris caſtella in comitatu Pinnenſe, quorum unum vocatur Arſeta, alterum dicitur Bacucca, tertium nominatur Biſenti, cum terra nichilominus decem milium, & eo ampliùs modiorum. *Donatio hæc latiùs exponitur in Tranſmundi diplomate, edito apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 191, *ubi dicitur datum anno* milleſimo octuageſimo quinto, & dies menſe October per Indictione octava. *Si imperitus notarius Indictionem rectè notavit, & annum novum cum nova Indictione, ut aliqui fecerunt, ordiri voluerit; donatio facta eſt anno* 1084; *ſin erraverit in Indictione, ad annum* 1085 *referenda eſt. Sequuntur apud Gattulam in laudato Opere pag.* 191 *&* 192 *duæ donationes Jordani Capuæ principis, quas ille ambas ad annum* 1085 *refert. At, cùm utraque notetur* Indictione nona, *utraque* anno viceſimo octavo *principatûs Jordani, exiſtimo potiùs illam, quæ ibi prima ponitur, &* octabo Kalendas Martii *facta legitur, eſſe poſteriorem, & ſpectare ad annum* 1086. *Etenim nona Indictio nequit inchoari ante Kalendas Septembris anni* 1085. *Itaque diploma datum anno* 1085, *menſe Februario, certè datum non eſt nona Indictione. Accedit annus principatûs vigeſimus octavus, qui necdum videtur inchoa-* E *tus fuiſſe menſe Februario anni* 1085, *cùm principatum cum patre ſuo obtinuerit Jordanus anno* 1058, *ſed poſt menſem Februarium, quantùm ex variis ipſius diplomatis colligere potui. Quidquid ſit, alterum diploma certò datum eſt anno* 1085, quartâ decimâ Kalendas Decemb.; *alterùm verò* octabo Kalendas Martii, *& anno* 1085, *ſed fortè ad Paſcha uſque productо, & ſic nobis erit annus* 1086. *Donationes in ipſis diplomatis videri poſſunt. De iiſdem etiam & aliis ejuſdem principis fit mentio in Chronico Caſinenſi lib.* 3 *cap.* 61.

Caſinenſi factæ.

109 *Ut numeroſis donationibus finem imponam, demum addo Sikelgaitæ, viduæ Roberti Guiſcardi donationem, de qua in Actis agitur num.* 91. *Donavit illa oppidum Cetrarium, in dotem ſibi conceſſum. Diploma donationis apud laudatum Gattulam datum legitur,* anno milleſimo octuageſimo ſexto, Indictione nona. *Hactenus de donationibus maximis & plurimis, quæ Beato* Deſiderio *liberalitate Catholicorum principum obtigerunt pro monaſterio Caſinenſi. Ex iis utcumque colligere poſſumus, quanti præclarum illum Abbatem fecerint viri illuſtres & principes, qui* F *in vicinis monaſterio Caſinenſi provinciis dominia ſua habebant; quantoque amore & veneratione & ipſum* Deſiderium, *& monaſterium Caſinenſe fuerint proſecuti. Quanta verò fuerit exiſtimatio abbatis* Deſiderii *apud S. Gregorium VII, & apud Cardinales Romanæ Eccleſiæ, magis patebit ex illis, quæ de electione ipſius ad ſummum pontificatum modò illuſtrare aggredior, omiſſis donationibus & tranſactionibus aliquot, quæ minùs attinent ad propoſitum noſtrum, & in Chronico Caſinenſi videri poterunt.*

AUCTORE J. S.

§ IX. Mors Gregorii Papæ VII, cui diu reluctans ſubſtituitur Deſiderius, aſſumpto nomine Victoris III : geſta ipſius in pontificatu, ac beatus obitus.

Gregorius VII, anno 1085 defunctus, præ ceteris

TEmpus beati obitus S. Gregorii VII Papæ tam claris & invicem conſentientibus notis Chronologicis in Actis num. 94 *aſſignatur, ut nullum poſſit eſſe dubium, quin obierit anno* 1085, *die* XXV *Maii, qui erat Dominicus, ut liquet ex littera Dominicali E. Paulus Benredienſis conſentit de die, dum in Vita Gregorii, apud nos data ad* XXV *Maii, num.* 102 *ſcribit, Gregorium defunctum eſſe in feſtivitate* Urbani prædeceſſoris ſui. *Nam S. Urbanus Papa I colitur* XXV B *Maii. Acta Pontificalia, ex Bertholdo ibidem data, num.* 19 *tempus idem clarè aſſignant his verbis :* Tandem ex hac luce anno Incarnationis Dominicæ MLXXXV, Indictione VIII, VIII Kalendas Junii ſubtractus, ſupernæ vocationis βραβεῖον accepiſſe non dubitatur, ſepultus Salerni in eccleſia S. Matthæi, quam ipſe eodem anno dedicavit. *Mitto alios : nam res certa eſt & indubitata, ut credendum ſit, aut memoriæ lapſu aut typothetæ vitio contigiſſe, ut mors Gregorii VII in Annalibus Baronii ad hunc annum legatur fixa* vigeſimâ quartâ menſis Maii. *Nam etiam Martyrologio Romano ad* XXV *Maii S. Gregorii memoria adſcripta eſt. Porrò commendatum à Gregorio ad pontificatum præ ceteris* Deſiderium *noſtrum, non ſolùm habent Acta, ſed etiam Vita Gregorii jam laudata, in qua num.* 101 *hæc leguntur :* Præterea rogatus (*in ſupremo morbo Gregorius VII,*) ut in tanta fidelium perturbatione ſibi ſucceſſorem & eccleſiæ contra prænominatum adulterum (*Guibertum antipapam*) deſignaret ultorem, trium dedit optionem, videlicet Deſiderii, Cardinalis & abbatis cœnobii Caſinenſis ; atque reverendiſſimorum epiſcoporum, C Ottonis Oſtienſis, & Hugonis Lugdunenſis.

Deſiderium abbatem ad pontificatum commendavit :

111 Verùm quia Otto nondum à Germaniæ & Galliæ partibus redierat, . . . Hugo quoque ſua luſtrans gubernacula procul aberat ; interim ſuaſit eligi vicinum Deſiderium, licèt breviſſimè victurum, non tamen abſque typo victoriæ Victorem eſſe appellandum. *Hiſce tribus à Gregorio nominatis quartus additur in Actis noſtris, videlicet Lucenſis epiſcopus S. Anſelmus, cujus Vita edita eſt ad* XVIII *Martii. Attamen in Vita S. Anſelmi nihil invenio de eo per S. Gregorium propoſito electoribus, ita ut illud ipſum utcumque dubium videatur. Wilhelmus Malmesburienſis lib.* 3 *de Geſtis regum Anglorum pag.* 108 *de illis habet ſequentia :* Rogatus eſt (*Gregorius*) à Cardinalibus, ut Papam conſtitueret, beati Petri exemplum referentibus, qui lactantis Eccleſiæ rudimentis vivens Clementem præfecerat. Negavit ille idem exemplum ſecuturum, quod ab antiquo conciliis eſſet vetitum ; conſilium verò ſe daturum. Si vellent hominem in ſeculo potentem, eligerent Deſiderium abbatem Caſſinenſem, qui ſalubriter & in tempore numero militari violentiam Guiberti infringeret ; ſin eccleſiaſticum & eloquentem, acciperent epiſcopum Hoſtienſem Odonem. *Ita ſcriptor ille loco & tempore remotior à rebus geſtis, quàm ſint alii à nobis laudati, ita ut ipſius relatio ut minùs accurata ſit habenda, ſive ſpectemus numerum illorum, quos propoſuit Gregorius, ſive attendamus ad rationes eligendi, quas addidit. In laudata mox Gregorii Vita hæc ad propoſitum noſtrum ſequuntur :* Prædixerat eidem Deſiderio Pater ſanctus, quòd non interfuturus eſſet migrationi ipſius, quamvis ob hoc infirmantem inviſiſſet, & * cum eo uſque * ut in finem perſeveraret, & ſanctas exequias cum ceteris celebraret ; multúmque eum attonitum triſtemque reddiderat. Cúmque hæreret in admiratione, quidnam impedimenti futurum eſſet, ſubitò nuntiatur ei à Nortmannis facta circumvallatio cujuſdam caſtelli ſuo monaſterio ſubjecti ; & compulſus neceſſitate ſuccurendi ſuis, abeundi licentiam accepit : ſicque, licèt invitus, explendæ prophetiæ locum dedit. *Hactenus de poſtremis geſtis & obitu S. Gregorii VII, qui etiam ibi legitur prædixiſſe victoriam, tempore* Victoris III *à Catholicis de ſchiſmaticis in Germania relatam, de qua ad annum* 1086 *videri poteſt Bertholdi Conſtantienſis Chronicon.*

112 *Tempus, quo* Deſiderius *abbas legitima electione in locum Gregorii VII ſubſtitutus eſt Pontifex, clarè exprimitur in Actis, ubi poſt annuam ferè moram, quæ ex ipſius tergiverſatione & detrectatione orta eſt, tandem qualicumque adhibita violentia legitur electus anno* 1086 *in ipſa Dominica feſti Pentecoſtes, quæ eo anno incidebat in* XXIV *Maii. Tantæ dilationis unicam fuiſſe cauſam, quòd* Deſiderius *pontificatum conſtanter detrectaret, dilucidè ex Actis colligitur. Paucis diebus poſt mortem Gregorii vota omnium, qui Salerni erant congregati, jam conſpirabant in* Deſiderium, *ab ipſo Gregorio commendatum. Obierat enim Gregorius* XXV *Maji, & jam ante Pentecoſten, tunc die* VIII *Junii celebratam, rogatus ab omnibus eſt, ut pontificatum ſuſciperet, uti Acta habent num.* 95. *Auctо electorum numero, cùm vim ei inferre pararent ope Jordani principis Capuani, aufugit Caſinum. Poſt fervorem æſtatis, nimirum Septembri menſe aut Octobri, exercitum dictus princeps collegerat, ut* Deſiderium *omneſque electores Romam duceret ; at noluit Romam ire* Deſiderius, *quòd vim ſibi inferendam ſuſpicaretur, & ſic iter prætermiſſum eſt. Tandem poſt Paſcha anni* 1086 *Romam, quò multi ex aliis partibus epiſcopi & Cardinales convenerant, cum aliis proficiſci ſtatuit* Deſiderius, *fortè minùs tunc ſibi à vi inferenda metuens, quòd longè major futurus eſſet electorum numerus ; & fortaſſe etiam, quod non comitaretur Jordanus Capuæ princeps, & Rainulphus Normannus Averſæ comes, qui ambo jurare noluerant, vim* Deſiderio *non inferendam. Nam Giſulphus Salernitanus princeps, qui Salernum, à Roberto Guiſcardo expugnatum, ab aliquot annis amiſerat, magis veriſimiliter indigebat amicitiâ Abbatis Caſinenſis, quàm ut ab eo timere deberet. Demum extrema neceſſitas eligendi Pontificem efficere apud* Deſiderium *poterat, ut qualemcumque timorem ſuum utilitati Eccleſiæ poſthaberet. Itaque ſic tandem die* XXIV *Maii electus eſt* Deſiderius, *&* Victor III *nominatus ; non tamen conſecratus eodem anno, quod nollet aſſentiri, aut, ſi utcumque aſſenſus erat, pontificatum vellet deponere.*

E *Hic verò vehementer obluctans, tandem eligitur anno* 1086, XXIV *Maii,*

113 *Anno* 1087, *in Dominica Palmarum, ſeu die* XXI *Martii, multis precibus principum*

AUCTORE J. S.

electionem acceptat anno 1087, XXI *Martii, consecratur* IX *Maii.*

virorum, episcoporumque & Cardinalium permotus Victor III, *Pontificiæ dignitatis insignia in conventu Capuano resumpsit, & supremi Pastoris officium exercere statuit, ut habent Acta num.* 101. *Itaque post festivitatem Paschalem Casini celebratam, ad Urbem perrexit, deducente principe Capuano cum agmine militari. Cùm autem Guibertus antipapa Urbem teneret, & eam oppugnare nollet* Victor, *Tiberim prope Ostia Tiberina cum suis trajecit, ut civitatem Leoninam & basilicam S. Petri in ea occuparet, quod satis erat ad propositum suum. Ubi verò ex basilica S. Petri, seu potius ex porticu, quam munierant, pulsi erant Guiberti asseclæ, consecratus est* Victor III *die Dominica post Ascensionem Domini, sive* IX *Maii, duobus ferè annis post mortem Gregorii VII, & integro anno, exceptis diebus quindecim, post electionem suam. Hæc tanta* Victoris *ad supremam dignitatem acceptandam mora luculenter ostendit, quàm longè absuerit ab ea ambienda. Judicium verò Gregorii VII, qui* Victorem *optimè noverat, & cui reliquorum omnium judicium tam constanter fuit conforme, ut hi non minùs in offerenda ei dignitate perseveraverint, quàm ipse in eadem rejicienda, abundè probat, summo pontificatu dignissimum fuisse* Victorem. *Vel sic tamen Hugo Lugdunensis episcopus, qui dolebat spem suam fuisse elusam, in gravia contra Virum sanctum erupit maledicta, & Epistolam calumniis refertam contra eum ad Mathildem comitissam circa hoc tempus scripsit. Calumniæ illæ hoc loco refutandæ venirent, nisi id jam factum esset § 2 hujus Commentarii. Quare hic tantùm addo, Mathildem comitissam Hugoni calumnianti minimè credidisse, ut colligitur ex Actis infrà edendis num.* 103. *Si enim pontificatu indignum credidisset* Victorem, *non statim cum exercitu Romam advolâsset ad eum videndum & adjuvandum.*

B

Beatus scribit ad principes: promovet expeditionem

114 Victor *porrò, suscepto tandem pontificatu, strenuum Gregorii VII successorem mox se ostendit. Nam Bertholdus Constantiensis ad annum* 1087, *relata* Victoris *ordinatione, ut loquitur, sed fortè ultimam electionem, aut potiùs acceptationem* Victoris *insinuat, ita prosequitur:* Quis tatim post electionem suam missis usquequaque litteris, se juxta decreta sanctorum patrum declaravit incessurum. Judicium quoque sui antecessoris piæ memoriæ Gregorii Papæ super Heinricum & omnes ejus fautores confirmavit. Consecratus est autem exeunte Maii mense (*imò die* IX *Maii*) apud sanctum Petrum, à Cardinalibus episcopis, Ottone Ostiensi & Petro Albanensi, cum reliquis Cardinalibus. *Hæc ultima de consecratione utcumque insinuant, de electione antea locutum esse Bertholdum; & sic laudatæ* Victoris *litteræ jam ante consecrationem fuerint exaratæ. Circa idem tempus, sive post acceptatam electionem à* Victore, *sive post consecrationem, sive etiam mense Junio, quando cum præclarissima comitissa Mathilde* Victor *Romæ degebat, figendus est conatus ipsius ad conjungendos principes & populos Italiæ contra Saracenos in Africa dominantes, de quo in Actis agitur num.* 108, *ubi ingens relata de iis victoria* Victori *sic attribuitur, acsi ipse exercitum congregâsset, & ipso vivente clades maxima Saracenis Africanis fuisset illata. Verùm, consideratis aliis quoque scriptoribus, existimo* Victorem *eo ferè tantùm modo hujusce expeditionis ducem fuisse, quo successor ipsius Urbanus II promovit crucesignatorum expeditionem in Terram sanctam,*

C

nimirùm hortando, animandoque populos ad eam expeditionem suscipiendam.

D

Christianorum contra Saracenos Africanos:

115 *Mox laudatus Bertholdus ad annum* 1088 *habet sequentia:* His temporibus Pisani & Genuenses, & alii multi ex Italia, Africanum regem paganum hostiliter invaserunt, & deprædatâ ejus terrâ, ipsum in quandam munitionem compulerunt, & eum deinceps Apostolicæ Sedi tributarium effecerunt. *Hoc ipsum, quòd regem illum Apostolicæ Sedi tributarium fecerint, satis insinuat, aliquam in ea expeditione partem habuisse Pontificem. Nolim tamen inde inferre, milites Pontificis aut etiam abbatis Casinensis adfuisse expeditioni, cùm* Victor *omnibus viribus suis indigeret, ut se contra Guibertum utcumque tueri posset. Franciscus Maria Florentinius in Opere Italico de Vita Mathildis comitissæ lib.* 2 *pag.* 238 *laudat verba antiquissimi Martyrologii Lucensis, in quo ad annum* 1089 *hæc habentur:* Fecerunt Pisani & Genuenses stolum* in Affricam, & ceperunt duas munitissimas civitates, Almadiam & Sibiliam in die S. Xisti (VI *Augusti,*) in quo bello Ugo vicecomes filius Ugonis vicecomitis mortuus est. Ex quibus civitatibus, Saracenis ferè omnibus interfectis, maximam prædam auri & argenti, palliorum & ornamentorum abstraxerunt. De qua præda Pisanam ecclesiam mirabiliter in diversis ornamentis amplificavêre, & ecclesiam B. Sisti in Curte veteri ædificaverunt. *Hæc præcedentibus minimè repugnant, ne quoad tempus quidem. Nam expeditio suscipi anno* 1087 *potuit, hortante* Victore III, *& eodem aut sequente anno bellum in Africa inchoari, & continuari anno* 1089, *quo duæ civitates dicuntur occupatæ. Anonymus Casinensis in Chronico ad annum* 1086, *relata ordinatione* Victoris III, *ita deinde habet:* Pisani apud Africam certantes, Saracenos vicerunt. *Notatur quidem apud Muratorium tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag.* 58 *anno* 1086; *sed omnia, quæ ad illum annum habet anonymus ille, spectant ad annum sequentem* 1087. *Ex dictis abundè liquet, Pisanos fuisse præcipuos in illa expeditione cum Genuensibus;* Victorem *verò fuisse hortatorem, & ita exemplum præbuisse expeditionibus crucesignatorum in Terram sanctam, post aliquot annos sub Urbano II secutis.*

* *id est* classem

E

habet concilium Beneventi:

F

116 Victor *porrò, exacto Romæ mense Junio, & forsan aliqua parte Julii, Casinum rediit, & ecclesiam S. Nicolai in Pica consecravit. Deinde Beneventum profectus est mense Augusto, ibique concilium celebravit. In hoc sententia excommunicationis iterata est contra Guibertum antipapam ejusque fautores schismaticos; & præter alia decreta, Hugo archiepiscopus Lugdunensis ac Richardus Massilienses abbas à communione Ecclesiæ separantur, quia ipsi se suis molitionibus contra* Victorem *à communione Ecclesiæ separaverant. Negat quidem Hugo Lugdunensis in Epistola secunda ad Mathildem, se discessisse ab unitate & communione Ecclesiæ. At in prima Epistola satis fatetur, se eo tempore, quo* Victor *ipse electionem suam ratam habuit, numquam consentire voluisse, & in ea mente perstitisse usque ad tempus, quo ad Mathildem scribebat. Etenim conqueritur de Ottone episcopo Ostiensi, quem, verisimiliter falsò, dicit secum conspirâsse in concilio Capuano contra* Victorem, *quod eidem obedientiam exhibuerit. Verba aliqua huc transfero:* Immemor, *inquit,* factus propositi, & factæ nobis sponsionis, quod dicere pudet, cum abbate, (*id est cum* Victore *Papa*) pacem faciens,

AUCTORE J. S.

A ciens; reverentiam ei per omnia ſicut Papæ perſolvit. *Hæc Hugo indignans de Ottone Oſtienſi, quem accuſat, quòd* Victori *perſolverit* reverentiam ſicut Papæ. *Non potuit igitur poſtea meritò inficiari, ſe* Victori *reverentiam & obedientiam* ut Papæ *præſtare noluiſſe; niſi fateri voluiſſet, ſe feciſſe, quod factum ab Ottone improbabat. Accedit Epiſtola illa tota calumniis contra* Victorem *plena, quam veriſimile eſt eo animo ſcripſiſſe Hugonem, ut Mathildem in partes ſuas traheret, ad* Victorem *de pontificatu dejiciendum. At fruſtrà Mathildem tentavit Hugo: imò vix dubitandum videtur, quin præclara illa princeps epiſtolam* Victori *communicaverit, ut magis ab Hugonis molitionibus caveret. Quod ſpectat ad Ottonem Oſtienſem, quem in dicta Epiſtola ut ſibi antea conſentientem &* Victori *contrarium exhibet Hugo, non facilè crediderim, Ottonem aliter Hugoni conſenſiſſe, niſi ad eligendum alium Pontificem, ſi* Victor *in detrectando pontificatu conſtanter perſeverâſſet. Hoc meritò improbari non poterat; ſed Hugo longiùs proceſſit, &* Victori, *poſt iteratam & ab eo acceptatam electionem, non modò obedientiam negavit, ſed perſecutiones etiam inferre voluit. Itaque meritò dicitur à communione Eccleſiæ ſe ſeparâſſe: reſipuit tamen ſub pontificatu Urbani II, & cum eo conciliatus, multa poſtmodùm egregiè geſſit, ſicut videri poteſt in elogio, quod ipſi contextum eſt in Gallia Chriſtiana tom. 4 inter antiſtites Lugdunenſes col. 97 & ſeqq.*

B

ægrotus redit Caſinum, ubi abbatem eligendum curat:

117 *Eodem veriſimiliter menſe Auguſto, cùm in ipſo concilio, quod tribus tantùm diebus continuatum eſt, gravi morbo correptus eſſet* B. Victor, *Benevento Caſinum rediit, ut habent Acta num* 114. *Ubi Caſinum pervenerat, aliqua primùm ad utilitatem cœnobii Caſinenſis decreta condidit. Deinde ſucceſſorem ſuum abbatem per monachos eligendum curavit, electumque Oderiſium S. R. E. Cardinalem, qui erat monaſterii præpoſitus, ſuo ſuffragio confirmavit, & abbatialibus ornamentis inſignivit. Poſt hæc alio rurſum die Cardinales & epiſcopos convocavit, &* monuit atque præcepit, *ut loquitur Petrus Diaconus num.* 115, *ut Ottonem Oſtienſem eligerent ſummum Pontificem. Fecit hoc* B. Victor *ex mente S. Gregorii VII. Nam ex tribus aut quatuor, quos ille pontificatu præ ceteris dignos pronuntiaverat,*

C *ſolus tunc dignus ſupererat Otto Oſtienſis. Mortuus enim erat S. Anſelmus Lucenſis, quem nominatis à Gregorio annumerant aliqui. Morti appropinquabat* Victor, *ex Gregorii conſilio electus. Vivebat quidem Hugo Lugdunenſis; ſed appetendo nimium ſupremam illam dignitatem, & indignis epiſcopo calumniis* Victorem *impetendo, ſe pontificatu prorſus indignum reddiderat. Solus igitur ſupererat Oſtienſis ex nominatis à Gregorio, à quo* Victor *recedere noluit.*

commendat electionem ſucceſſoris ſui,

118 *Porrò ita locutus* Victor *legitur, acſi voluiſſet ſe pontificatu abdicare, ut, vivente ſe, ſucceſſor eligeretur. Non tamen tam ſtrictè intelligenda eſt vox* præcepit, *ut libertatem electoribus auferre voluiſſe cenſendus ſit* Victor. *Qua de cauſa æquè dubium eſt, an verbis Petri Diaconi tam preſsè ſit inhærendum, ut dicendum videatur, voluiſſe* Victorem, *ut ante mortem ſuam fieret electio ſucceſſoris. Imò ipſa quoque verba tam clarè id non inſinuant, ut rem ſatis certam crederem, etſi certò conſtaret, verba* Victoris *exactiſſimè relata eſſe. Dicitur quidem Ottonem manu apprehenſum epiſcopis ceteris præſentâſſe, ita loquens:* Accipite eum, & in Romanam Eccleſiam ordinate, meamque vicem in omnibus, quouſque id facere poſſitis, habete. *Verùm non exiſtimo hæc neceſſariò intelligenda de abdicatione pontificatûs, quemadmodum intellexit Nucens, in hæc ita commentans:* Quibus verbis facultatem illis tribuit novum Pontificem ſubrogandi, necdum ſupremo ſpiritu exhalato, & pontificatu ſe abdicat per tantulum illud ſpatium, quo animam agebat, ut ita ſucceſſoris electio legitimè celebraretur à clero, & ipſe ſe ante obitum imminentis timore ſchiſmatis exſolveret *&c. Hæc, inquam, explicatio minùs neceſſaria; imò & minùs probabilis mihi apparet. Nam, vel abdicabat ſe eo ipſo tempore, vel non abdicabat. Si abdicabat, non poterat ampliùs ſuas vices aliis demandare: ſi non abdicabat ſe* Victor, *non poterant alii ante mortem ejus eligere. Malim igitur exiſtimare,* Victorem *voluiſſe, ut poſt mortem ſuam, quàm poſſet citiſſimè, fieret electio; ideoque vices ſuas aliis demandâſſe, ut omnia diſponerent ad electionem quàm citiſſimè faciendam poſt mortem ſuam.*

& moritur die XVI *Septembris anno* 1087.

119 *Poſt hæc ſepulcrum ſibi juſſit præparari, & demum* poſt diem tertium *obiit anno* 1087, *die* XVI *Septembris. Illud* poſt diem tertium *malè intellexerunt & peſſimè explicârunt aliqui, acſi obiiſſet poſt diem tertium contractæ infirmitatis. Nam cùm Beneventi morbo fuerit correptus, & multas in ipſo morbo diſpoſitiones fecerit, veriſimilius eſt, eum obiiſſe poſt tertiam ferè hebdomadam contractæ infirmitatis, quàm poſt diem tertium. Tempus ipſum abundè hoc docet. Nam concilium triduanum, in quo ægrotare cœpit, habuit menſe Auguſto, & defunctus eſt* XVI *Septembris. Alii crediderunt, poſt diem tertium electi abbatis Oderiſii defunctum eſſe* Victorem. *At id omnino incertum eſt, & magis credo, defunctum eſſe tribus diebus poſt mandatum de præparando ſepulcro. Hinc incertum manet, quo die abbatem ſibi ſufficiendum curaverit, niſi accuratè aſſignatum ſit tempus, quo abbatiam adminiſtravit. Hoc circumſcribitur hoc loco,* annis viginti novem, menſibus quatuor, *quibus adduntur* dies ſedecim. *Etenim regimen abbatiæ propriè inchoavit anno* 1058, *die* XIX *Aprilis, ut dictum eſt num.* 55; *illud igitur ſecundum hunc calculum depoſuit die quarta Septembris: quod non eſt incredibile. Attamen in præfatione num.* 1 *dicitur*

F *præfuiſſe* annis viginti novem menſibus quinque; *ſed ille quintus menſis certò non eſt completus, ita ut credibile ſit, auctorem ibi rotundo numero uſum eſſe, & ſic dixiſſe quinque menſes pro menſibus quatuor & diebus ſedecim. Quod ſpectat ad tempus geſti pontificatus, hoc triplici modo enumerari poteſt, à conſecratione, quod* menſibus quatuor, diebus ſeptem *Acta rectè circumſcribunt, videlicet à die* IX *Maii uſque ad* XVI *Septembris; aut ab acceptata in concilio Capuano electione, quod factum eodem anno, die* XXI *Martii; & ſic præfuit quinque menſibus & diebus viginti ſex, aut demum à prima electione, facta anno* 1086, *die* XXIV *Maii, & ab eo tempore præfuit anno uno, menſibus tribus, & diebus viginti tribus. At hi menſes & dies in Actis, prout edita ſunt, fuerunt prætermiſſi.*

Sepultura Beati & variæ tranſlationes.

120 *Porrò ex iis, quæ per decurſum Actorum dicuntur de infirmitate corporis* B. Victoris, *quæque ibidem leguntur de ſupremo ipſius morbo, clarè eluceſcit, defunctum non eſſe morte ſubitanea, aut veneno eidem propinato, quod jam ſatis refutatum eſt § 2. De præparato ſibi ſepulcro à* B. Victore *in abſida, ut vocant, capituli meminerunt*

Acta

AUCTORE J. S. *Acta num.* 115. *De sepultura verò breviter Petrus Diaconus de Viris Illustribus cap.* 18 *ita scribit:* Sepultus verò est in absyda capituli Casinensis. *De corporis translationibus Gattula in Historia Casinensi sec.* 6 *pag.* 172 *memorat sequentia:* Sanctissimi Pontificis corpus duobus abhinc sæculis à veteri ante capitulum sepulchro ad vetus S. Bertharii dicatum sacellum translatum. Anno deinde MDCL, cùm basilica reficeretur, in sacrarium; ex quo anno MDCLXVI magnâ pompâ ab Angelo de Nuce, abbate tunc Cassinate, atque archiepiscopo postmodùm Rossanensi, ad latus dexterum novi sacelli S. Bertharii humatum est, ut constat ex Actis notarii Francisci Pagliarii civis Sangermanensis. Tandem verò, instituta anno MDCXCII magna solemnitate ac pompa, corpus S. Victoris iterum elevavit, humavitque sub ara sacelli, ejus nomini dicati, Andreas Deodatus, abbas tunc Cassinensis, atque deinde archiepiscopus & ipse Rossanensis, ut ex instrumento constat, eodem anno die XIX Martii rogato penes Acta Joseph Ricardi tabellionis Sangermanensis, cui duo protonotarii unusque notarius Apostolici interfuêre. *Hisce plura non addo; nam &*
B *epitaphium & Officium Beati data sunt* § 1, *ubi de cultu actum.*

VITA

Ex lib. III *Chronici Casinensis,*

Auctoribus Leone Marsicano, & Petro Diacono,

Ex Editione Angeli de Nuce, à Muratorio recusa.

PROLOGUS.

C

Scribendi occasio. E multis

DEsiderius abbas hujus monasterii tricesimus septimus, & quartus hujus loci restaurator ac renovator, sedit annis viginti novem, mensibus quinque *a*. Primus siquidem monasterii hujus fundator atque constructor pater sanctissimus Benedictus: Petronax secundus: tertius Aligernus: Desiderius hic noster extitit quartus *b*. In quo videlicet omnipotens Deus nostro hoc tempore, etiam corporaliter, Euangelicam illam pollicitationem visus est adimplere, quâ dicitur: Amen dico vobis, quòd omnis, qui reliquid *c* domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Hujus planè admirabilis & singularis verè sui ordinis Viri tam dives, tam multiplex, tam denique copiosa est gestorum materia, ut ipsi Jeronimo, si adesset, vel Sulpicio non posset videri ad scribendum indigna. Ego tamen, quamvis omnium imperitissimus *d* & tanto sim operi nequaquam sufficiens, tum pro imperio sanctissimi * patris *e* Oderisii, minimè contempnendo; tum pro maxima, quam idem pater Desiderius in me ab ipsa ferè infantia habere dignatus est dilectione; cùm me, vix dum quatuor & decem annos egressum, in hoc sancto loco quàm libenter suscepit, instruxit, enutriit ac provexit. D

2 Cernens insuper, & dolens cum tanti utilitate operis memoriam quoque tanti Viri, scriptorum negligentiâ paulatim in oblivionem ac per hoc in contemptum fore venturam; licèt non eleganter, licèt denique non sufficienter valeam ejus opera ex toto complecti; aggrediar tamen, confisus de auxilio Dei, quoquo modo illa perstringere, & ad gloriam Dei, tantique Viri sanctam * memoriam, nec non ad solacium filiorum ejus, fratrum nostrorum, literis utcumque mandare; æquius utique judicans cum obedientia & devotione inscitiæ notam subire, quàm de tam pretiosa materia ex toto silere: & indignum prorsus esse decernens, ut, etsi omnia nequeo, vel aliquanta non studeam de tot tantisque operibus ejus referre; prudentissimo utique more venantium, insectantium feras, qui, etsi omnes capere nequeunt, nequaquam tamen, quotquot possunt, capere negligunt. Et quoniam plurima prorsus & ferè innumera tanti Viri sunt opera, E multa me ex ipsis etiam, quæ scio, prætermissurum confiteor; quoniam scribere si omnia voluissem, prolixam certè & enormem historiam condidissem: quamvis ob hoc multis nostrorum, qui mecum pariter illa recolunt, me redarguendum fore non dubitem: sed ego lectorum fastidio utiliter consulens, si ea tantùm, quæ relatu essent dignissima, scriberentur, sufficere judicavi. Nam si qua minùs nostris literis reperiuntur, in ejus operibus luce clariùs conspiciuntur.

pauca delibaturum se profitetur.

** al.* dulcem

3 Hujus sanè Viri primordia, quoniam, opitulante Christo, hinc exordium sumere gestio, ab his, qui ejus ab incunabulis extitere sodales, addidici. Multa præterea ex ejusdem ore veridico, cùm me frequenter sibi nimia bonitate faceret adhærere, percepi. Nonnulla etiam à prioribus quibusdam audivi. Cætera postremò illius & oculis propriis plurima vidi, & universis ferè usque ad obitum ejus interfui. Unde lectorem meum reddere certissimum volo, nulla me in hoc opusculo extrinsecùs additamenta facturum; nulla prorsus de illo, nisi veraciter comperta, scripturum: utpote qui me simplici intellectu legisse meminerim: Perdes, Domine, omnes, qui F loquuntur mendacium, salvo utique intellectu alio, quo dictum id de hæreticis affirmatur. Quòd si fortè aliquis, invidentiâ seu malitiâ ductus, fidem his accomodare noluerit, & favoris potiùs gratiâ huic rei me operam dedisse putaverit; huc, si placuerit, properans aperiat visus & videat, ac per ea, quæ videntur, illa quoque, quæ videri non possunt, semoto livore, considerans admiretur & credat, credensque bonorum omnium Largitori laudes super hoc & gratias referat; sicque tandem me de multis illius pauca, deque maximis minima prorsus scripsisse cognoscat.

auctor non dubiæ fidei.

ANNOTATA.

a *Tempus, quo Casinense monasterium rexit* Desiderius *paulò aliter ab aliis notatur, ut dixi Commentarii prævii num.* 119.

b *Ad locum hunc ita commentatur Angelus de Nuce:* Huic Petri Diaconi, ut conjecto, periodo prætulissem verba Leonis, quæ ad oram ex ejus Codice edimus. Propriùs quippe & concinniùs ad rem faciunt. *Adscripta autem & à Mu-*

d

** al.* reverendissimi

e

TA-

A *ratorio ad calcem remiſſa verba ſunt ſequentia :* Quem videlicet omnipotens Deus adeò cariſſimum habuit, ut illud, quod ſuo fideli famulo Benedicto olim promiſerat, locum iſtum, quem tunc gentibus deſtruendum, diripiendumque tradere cenſuerat, in majorem longè, quàm tunc erat, ſtatum, famamque & gloriam fore venturum, per ipſum noſtro hoc tempore dignatus ſit, ut cernitur, ad effectum perducere. Hujus planè *&c.*

c *Ita hic obſervat laudatus Angelus :* Sive à librarii manu, ſive à ſeculi dialecto *reliquid* pro *reliquit* inductum eſt, religiosè retinuimus. Quemadmodum *alint* pro *aliud*, *ſet* pro *ſed*, *itcirco* pro *idcirco*. Duas enim has litteras D & T Latinioribus quoque permutatas obſervamus in marmoribus apud Gruterum. *Similia in decurſu occurrent non pauca vel amanuenſium incuriæ vel temporis iſtius dialecto attribuenda, ut* abitus *pro* habitus, nichil *pro* nihil ; *ſed hæc impoſterum, utpote minutiora, inobſervata præteribo, ne annotationes nimiùm accumulem.*

d *Obſervat hic Angelus :* Ex hujus ... tantùm prologi lectione religioſam (*Oſtienſis*) modeſtiam,
B judicii maturitatem ac ſapientiam undique redolentis, qualis quantuſque Deſiderii fuerit encomiaſtes Leo, facile eſt æſtimare.

e *Oderiſius hic Deſiderio in monaſterii Caſinenſis regimine ſucceſſit, ſub ipſo functus præpoſiti munere, & à Nicolao II Cardinalis creatus.*

Antiqua capitum partitio.

CAput I. De origine, & infantia, & adoleſcentia Deſiderii.

Cap. II. De ſuſceptione monaſtici abitus ejuſdem.

Cap. III. De vi ſibi illata propter abitum ſuſceptum.

Cap. IV. De fuga Deſiderii ad monaſterium Cavæ.

Cap. V. De reditu ejuſdem ad monaſterium S. Sophiæ de Benevento.

Cap. VI. De profectione Deſiderii ad monaſterium Tremitenſe, & monaſterium Magellæ, & reditu ad S. Sophiam.

Cap. VII. De Alphani & Deſiderii adventu ad
C hoc monaſterium.

Cap. VIII. De viſione Deſiderii & præpoſitura ejuſdem, & archiepiſcopatu Alphani.

Cap. IX. De electione & confirmatione Deſiderii à Papa.

Cap. X. De ſuſceptione Deſiderii in abbatiam.

Cap. XI. Qualiter incœperit renovare monaſterium & ædificia.

Cap. XII. Qua de cauſa caſtellum novum conſtruxerit Deſiderius.

Cap. XIII. De ordinatione Papæ Nicolai, & qualiter ab eo Cardinalis & abbas eſt conſecratus, & qualiter idem Apoſtolicus apud Melphiam Apuliæ conſilium fecerit, & qualiter ſancta Maria de Calena ſit S. Benedicto conceſſa.

Cap. XIV. De reſtitutione S. Benedicti de Salerno, & de concambio ſancti Laurentii, & qualiter cartæ ſancti Benedicti de Salerno nobis pertinentes repertæ, abſconditæ, adque inciſæ pro noſtra invidentia fuerint

Cap. XV. Qualiter à prædicto Papa dominus Oderiſius diaconus ſit ordinatus, & in Aquino dompnus Martinus, & in Benafro dompnus Petrus epiſcopi conſtituti. A. LEONE MARSICANO.

Cap. XVI. Qualiter Ryccardo principatum, & Roberto Guiſquardo ducatum idem Apoſtolicus confirmaverit, & qualiter uterque illorum id adquiſierit.

Cap. XVII. Qualiter idem princeps fecerit præceptum de platea publica monaſterio noſtro Capuæ ſito.

Cap. XVIII. Qualiter aliquanta finitima nobis caſtella partim conceſſerit, partim commutaverit.

Cap. XIX. De quorumdam oblatis eccleſiis & aliis oblationibus.

Cap. XX. Quot, vel qualia ornamenta Deſiderius tunc vel acquiſierit, vel fecerit, & de portis eccleſiæ brevibus.

Cap. XXI. De ordinatione Alexandri Papæ, & controverſia Cadaloy.

Cap. XXII. De flagello fulminum & viſione Abbatis ſuper hoc.

Cap. XXIII. Qualiter per Bareſonum regis Sardiniæ duodecim illuc monachos direxerit, & qualiter à Piſanis diſturbati fuerint. Item de oblationibus ipſius & alterius regis in Sardinia, & de ſatisfactione Piſanorum. E

Cap. XXIV. Item de oblationibus ipſius & alterius regis in Sardinia, & de ſatisfactione Piſanorum.

Cap. XXV. De adventu ducis Roffridi ad Aquinium, & de ingreſſu Normannorum in Marchiam.

Cap. XXVI. Quot hujus monaſterii fratres à prædicto Papa ad honores promoti ſint, & de privilegio nobis contra Hildeprandum archiepiſcopum facto.

Cap. XXVII. De monaſterio Tremitenſi à prædicto Abbate recepto & ordinato.

Cap. XXVIII. Qualiter ab eo vetus eccleſia everſa ſit, & nova conſtructa.

Cap. XXIX. Qualiter Conſtantinopoli artificibus accerſitis, muſivo & lapidibus eandem baſilicam decoravit, & vitro, & picturis.

Cap. XXX. Quantâ gloriâ ipſam eccleſiam dedicaverit, & quibus eam reliquiis adornaverit.

Cap. XXXI. De frequentia populorum propter abſolutionem huc concurrentium.

Cap. XXXII. De regina Agnete & oblationibus ejus.

Cap. XXXIII. De variis eccleſiæ ornamentis, & F
qualiter ad ampliandum clauſtrum, deſtructis prioribus officinis, iterum eas fecerit.

Cap. XXXIV. De renovatione eccleſiæ ſancti Martini, & conſtructione manſiunculæ Deſiderii, & qualiter dedicaverit eccleſias ſancti Bartholomæi & Turrium paradiſi.

Cap. XXXV. De Alberico, & qualiter vocatus interfuerit ſynodo. De Alfano ; de Amato, & Conſtantino Africano.

Cap. XXXVI. De dæmoniaco & Clauda quadam curatis ab Alexandro Papa, & de cambio de ſancta Maria de Palladio, & conceſſione Terracinenſis civitatis.

Cap. XXXVII. De reſtitutione ſive oblatione ac conſtructione monaſterii S. Angeli ad Formas.

Cap. XXXVIII. De ſeptem miraculis meritis beati Benedicti patratis.

Cap. XXXIX. De quibuſdam refutationibus & oblationibus.

Cap. XL. De quibuſdam miraculis beati Benedicti meritis in Galliis & hic patratis.

Cap. XLI. De quorumdam oblationibus.

A. LEONE MARSICANO.

Cap. XLII. De mota quæſtione coram Apoſtolico ſuper eccleſiam ſanctæ Sophiæ, & eccleſiam ſancti Angeli de Formas.
Cap. XLIII. De miraculis quorundam hujus monaſterii monachorum.
Cap. XLIV. De quorumdam oblationibus.
Cap. XLV. Qualiter Robertus Guiſcardus Siciliam ceperit, Salernum & eccleſiam ſancti Matthæi apoſtoli conſtruxit, brachium ſibi reſervans & quàm plurima loca.
Cap. XLVI. De pecunia violenter abſtrata & interdicto.
Cap. XLVII. De quibuſdam oblationibus & confirmationibus.
Cap. XLVIII. De quorumdam monachorum miraculis, & renovatione ſancti Liberatoris.
Cap. XLIX. De cauſa diſſenſionis inter Henricum imperatorem & Gregorium Papam, & qualiter Robertus Guiſcardus Romaniam ingreſſus eſt.
Cap. L. De archiepiſcopo Ravennate invaſore Apoſtolicæ Sedis, & qualiter Deſiderius iverit ad imperatorem, manſerit & redierit.
Cap. LI. De obitu duorum monachorum hujus
B monaſterii.
Cap. LII. De caſtello Saraceniſco & Suio.
Cap. LIII. Qualiter Robertus Guiſcardus adduxit Apoſtolicum ad hunc locum.
Cap. LIV. De viſione nocturna cujuſdam Johannis, & cùm Miſſam Apoſtolicus celebravit.
Cap. LV. De quadam parte ſalutiferæ Crucis huc apportata, & renovatione ſancti Benedicti in Capua, & pluvia poſtulata.
Cap. LVI. De quorumdam oblationibus, & Aldemario hujus cœnobii monacho.
Cap. LVII. De obitu Roberti Guiſcardi, & brachio ſancti Matthæi apoſtoli.
Cap. LVIII. De oblationibus ejuſdem Roberti in hoc cœnobio.
Cap. LIX. De quibuſdam oblationibus & commutationibus.
Cap. LX. De quibuſdam conceſſionibus à Deſiderio factis, & quorumdam oblationibus.
Cap. LXI. De quorumdam oblationibus.
Cap. LXII. De Guaiferio Salernitano.
Cap. LXIII. De libris, quos Deſiderius fieri fecit.
Cap. LXIV. De latronibus.
Cap. LXV. De obitu Gregorii Papæ, & de electione tractanda.
C Cap. LXVI. De electione de Deſiderio facta.
Cap. LXVII. De reditu Electi ad Caſinum.
Cap. LXVIII. De conſecratione electi Papæ Victoris. De corpore ſancti Nicolai.
Cap. LXIX. De eccleſia ſancti Petri, & viſione ejuſdem Apoſtoli.
Cap. LXX. De Guiberto æreſiarcha & perſecutione eccleſiarum.
Cap. LXXI. Qualiter Papa Victor miſit exercitum in Africa contra Saracenos, & de victoria ejuſdem exercitûs.
Cap. LXXII. De concilio generali & conſtitutionibus.
Cap. LXXIII. De obitu Papæ Victoris, & conſtitutione abbatis Oderiſii.
*l. quot Cap. LXXIV. Quos * & qualia ornamenta eccleſiaſtica reliquid in hoc monaſterio in ſuo obitu Papa Victor, qui & Deſiderius abbas.

D

CAPUT I.

Beati natales & ſancta adoleſcentia: fuga duplex è patria: profectio ad varia cœnobia: Leoni IX perquàm carus, & à Victore II commendatus, Caſinenſe inſtitutum amplectitur.

CAP. I. *Deſiderii natales, & adhuc pueri pietas.*

DEſiderius igitur ex nobiliſſima *a* Beneventanorum principum origine ſanguinis lineam ducens, ſpiritu potiùs, quàm carne nobilis eſſe ab ipſis rudimentis infantiæ cœpit, & Dei magis ſervitio, quàm ſæculi vanitatibus operam dare ab ipſis, ut ita dicam, huberibus matris elegit. Studebat nanque Puerulus adhuc frequentare eccleſiam, divinas lectiones & audire libenter & legere, cum quibuſdam etiam religioſis ſæpe de his ſermones innectere, & quæque ab eis de bonis moribus addiſcere poterat, in ſemetipſo fatagebat exprimere. At pater illius ſæcularibus eum negotiis cupiens implicare, &, utpote unicum *b* unicè diligens, * per poſteritatis illius lineam ſuæ nobilitatis nomen diſponeret propagare, puellam ei adæquè nobilem, cùm jam inciperet adoleſcere, ſtuduit deſponſare *c*, utque parentela eadem ad invicem firmaretur, modis omnibus maturare. Sed quoniam Dei Spiritus ſuo igne cor Deſiderii ad mundi contemptum accenderat, è contrario longè aliter, quàm pater diſpoſuerat, agere Puer egregius deſtinabat, ſeque potiùs heremum, quàm nuptias appetere, ſecretis, quibus poterat, geſtibus indicabat, & feciſſet ſuis deſideriis ſatis, niſi quòd diligens parentum cuſtodia, & ſingularis amor ac ſollicitudo ingens impediebat.

a
b
* *adde* cùm
c

II. *Anachoreticæ vitæ propoſitum*

2 Non poſt multos dies, Dei judicio, patre à Normannis perempto, Deſiderius aliquo modo nactus occaſionem, quam dudum optaverat, omnibus cœpit modis, clàm licèt, fatagere, ut deſiderium, quod cogitatu conceperat, opere parturiret. Cuidam igitur monacho bene ſibi noto, prudenti ſatis in ſæcularibus viro, nomine *d* Jaquinto, cujus hoc ego relatione percepi, conſilium totum communicat, pandit votum, voluntatem oſtendit, &, ut ei ſuper hoc fidenter auxiliaretur, fideli prece depoſcit. Erat tunc circitèr annorum viginti. Nôſti, inquiens, mi pater, qualiter me ſeculo huic miſero propinqui innexuerint: ſed quoniam, ut verè tibi fatear, jam dudum Deo vacare decrevi, per ipſum te obteſtor, & obſecro, ut juxta quod ſcis & potes, his me vinculis exolutum, Deo liberiùs ſerviturum, clam omnibus ad aliquam remotiſſimam ſolitudinem transferas. Quid multa? Pollicetur in omnibus Jaquintus auxilium; ſed cavere imperat, ne fortè ſit hæc ſuggeſtio dæmonum *e*. Verùm cùm ejus per omnia firmum in Chriſto pectus agnovit, & iterum iterumque illum frequentando pertemptans, idem ſemper, quod pridem, invenit.

d
e

3 Quadam die jam circa veſperam pariter aſcen-

A *exſequitur, & veſte monaſtica induitur.*

ſcenſis equis, quaſi ſpatiandi gratiâ, civitatem egreſſi, conſequentibus aliquot famulis, eccleſiam beati Petri, cognomento Majoris, quæ juxta eandem civitatem eſt ſita, perveniunt, ibique quaſi causâ orationis ingreſſi, equos & gladium, quo idem Deſiderius tunc erat accintus, prædictis famulis pro foribus, veluti ſervanda relinquunt. Inde jam ferò, per quandam illius eccleſiæ poſterulam vadentes, iter aggrediuntur, & cùm non plus octo milliariis ab inde locus ille diſtaret, ad quem pergere diſpoſuerant, noctis errore ſimul ac pavore confuſi, vix illuc alterius diei manè perveniunt. Quos cùm vir Dei, qui ſolitariam inibi vitam ducebat, Santari nomine, conſpexiſſet, valdè miratus atque lætatus eſt. Moxque inducens illos in cellam ſuam, ac Deſiderium frequenter exoſculans, cœpit ſollerter exquirere, cur ita veniſſent. Cognitâ itaque Deſiderii voluntate, vehementer obſtupuit, quòd Puer tam nobilis, tam delicatus, tam dives & præcipuè parentibus ſingularis, tam ferventer univerſis ſeculi pompis ac vanitatibus ſpretis, ſub tam diſtricto propoſito ſerviturus Domino, acceſſiſſet. Sed quoniam nil Deo difficile aut impoſſibile eſſe ſciebat,

B laudes illi & gratias maximas referens, veterem hominem cum actibus ejus Deſiderium, ipſo vel maximè inſiſtente, exuit, & novum, qui renovatur in Dei cognitionem, illum conſequenter veſtivit, &, Jaquinto in ſua maturiùs redeunte, ſolus Deſiderius cum Santari ſolo remanſit.

III. *Ex eremo vi reductus ad ſuos,*

4 Famuli igitur ejus, ut ſuprà dictum eſt, cum equis & armis ipſius fruſtra illum pro foribus eccleſiæ præſtolantes, cùm diſceſſum illius tandem aliquando cognoviſſent, vicina jam nocte ad civitatem maturiùs revertuntur, matrique ac propinquis, quid accidiſſet, pavitantibus animis referunt *f*. Noctem illam mater continuavit in lacrimis; propinqui verò & affines ipſius, mane facto, equis aſcenſis, per diverſas vicinias requirendi illum gratiâ diſperguntur, ac tandem, quod erat in re, ſuſpicantes *g*, probitatum ejus indicio ad Santari cellam deveniunt. Quam ſtatim violenter ingreſſi, veſte illum monaſtica veſtitum reperiunt, ac vehementer irati, præfatum Dei ſervum contumeliis magnis, & conviciis multis adoriuntur, & inhoneſtè ſatis ſacram veſtem Deſiderium exuentes, manibus eam propriis ſcindunt, eumque priori veſte reveſtiunt, invitum

C licèt ac repugnantem. Ac poſtremò illum equo impoſitum, ipſis lora tenentibus, quaſi maximam ante ſe prædam agentes, ad urbem more triumphantium revertuntur. Hìc jam matris lacrymas, & querelas ſimul ac ſuadelas fruſtra jam in Deſiderium jactas, propinquorum, immò totius urbis, tripudium quis referre contendat? Annum ferè integrum ſub ingenti cuſtodia in domo matris, habitu tantummodò ſecularis, cæterùm mente cælebs exegit, nulluſque illi neque de nuptiis, neque de aliquo actu ſæculari perſuadere aliquatenus potuit. Ita quem fidelem ac ſtrenuum domui ſuæ Diſpenſatorem conſtituere Dominus diſponebat, ab omni eum carnalis contagii macula purum immunemque ſervavit, unde non immeritò à cunctis civibus mirabilis ac deſiderabilis habebatur.

IV. *fugit Salernum, & inde ad monaſteriam*

5 Sed cùm jam ferè nulla fugæ ipſius ſuſpicio matrem teneret, eumque, quoniam conjugatum non poterat, retinere ſecum vel clericum niteretur, ad epiſcopium, quod domui ſuæ ſatis erat contiguum, primò quidem non ſine cuſtodia, dehinc ſecuritate creſcente, ſolum ſæpiùs ire ſinebat. Erat tunc in monaſterio S. Sophiæ *h*

b

præpoſitus nomine Siconolfus, qui Deſiderii deſiderium pleniter noſcens, quoniam per diem, ne ſuſpicio reviviſceret, non præſumebat, nocte cum eo apud epiſcopium ſæpiſſimè loquebatur. Poſt non multos dies noctu, ſicuti conſueverat, ad eum cum equis veniens, cucullâ indutum clàm Salernum perduxit, ac Beneventum perniciter rediit.

6 Mox Deſiderius ad principem Guaimarium *i* conſanguinitate ſibi propinquum accedit, adventûs cauſam oſtendit, orat, ut, quoniam in patria vivere monachus parentum pertinaciâ non auderet, quietè apud illum Deo ſibi ſervire liceret. Si hoc mereretur impetrare, nuſquam inde procederet; ſi verò aliquando illum reddere propinquis deberet, modò ſibi potiùs licentiam daret aliò properandi. Hujûs igitur adventu nimis exhylaratus Guaimarius, & vehementer admiratus tantum in tanto Adoleſcente fervorem, annuit poſtulatis, eumque ſecum per dies aliquot retinens, nullique ſe contra votum reddendum, fidiſſimè pollicens, demum ad monaſterium ſanctæ Trinitatis, quod ad Cavam *k* nuncupatur, non longè à Salerno ſitum, eodem petente, tranſmiſit. Quod propinqui perſequentes * magis ac frequentibus precibus Deſiderium ſibi reddi, Guaimarium interpellant: ſed principe in promiſſione, quam Deſiderio fecerat, permanente, per ſemetipſum Landulfus Beneventanus princeps matris ac propinquorum orationibus fatigatus, Salernum venit, & Deſiderium affinibus reddi depoſcit.

Cavenſe mittitur, è quo

k

E

* *al.* præſentientes

7 Tali igitur tandem aliquando conditione ad Beneventum redeat, impetratur, ut ſine alicujus impedimento vel contradictione apud monaſterium S. Sophiæ ſub monaſtica profeſſione ſibi manere liceret. Poſtquam ventum eſt Beneventum, univerſis affinibus ſibi obviàm ſimul cum civitate ruentibus, cum omni pariter comitatu princeps illum ad monaſterium eſt proſecutus. Gregorius tunc vir valdè prudens & ſtrenuus eidem monaſterio præerat in abbatem, qui Deſiderium multa hylaritate recipiens, pro eo quòd univerſis deſiderabilis erat, tunc primùm mutato ejus nomine, Deſiderium appellari præcepit: nam uſque ad id tempus Dauferius vocabatur.

V. *retractus, ingreditur cœnobium S. Sophiæ:*

8 Ibi ergò illo per annos aliquot *l* ſub vita religioſiſſima commorante, & ſæpe ſecum reputante, monachum in ſua patria perfectum eſſe non poſſe, pervenit interim ad notitiam illius fama monaſterii Tremitenus *m*, quod videlicet in Adriatico mari apud inſulam, Diomedis quondam nomine vocitatam, triginta circitèr milibus à terra diſtans, ſitum eſſe dinoſcitur. Et quoniam jam dudum apud Beneventum familiaritatem abbatis prædicti loci adeptus fuerat, vix licèt impetratâ licentiâ, illuc perrexit, ibique ſatis auſteræ converſationi ſe tradens, non parvum *n* tempus exegit. Sed cùm ab eodem abbate adeò diligeretur, ut eandem ei abbatiam, ſe quoque vivente, contradere cuperet, ille verò ſubjectioni potiùs quàm prælationi mentem accommodaret, ac propterea cedendum loco illi decerneret;

VI. *hinc in varia monaſteria migrans,*

l

m

n

9 Quodam tempore idem abbas ad res monaſterii diſquirendas egrediens, eundem Deſiderium ſecum ire rogavit, quam ille egreſſionis opportunitatem libenter amplexus minimè differendam putavit. Cúmque pariter ad Traſmundi *o* comitis, quoniam res ita poſcebat, curiam perrexiſſent, uxor ejuſdem comitis ſuper adventu Deſiderii, propter quòd ejus affinis eſſet, valdè exhylarata, à viro ſuo, ut ſecum illum aliquandiu retineret,

ad S. Sophiæ redire compellitur.

o

A. LEONE MARSICANO.

etiam invito abbate, obtinuit, cujus videlicet retentionis auctor ipsemet, ut dicit, extitit. Audiens autem celebre tunc nomen heremitarum, Majellæ *p* degentium, illuc properare ac Deo secretiùs servire desiderans, prædictum comitem, ut ibi transmitteretur, oravit, quod & factum est. Ubi cùm tribus circitèr mensibus, à principio videlicet Februarii usque in tertiam post Pascha Dominicam, sub ingenti continentia remoratus fuisset, transmissus est illuc suprà nominatus Jaquintus cum litteris ex parte Apostolici *q* ad heremi ipsius priorem, quarum tenor & priori sub interminatione jubebat, ne illum ampliùs retinere præsumeret, & illi nichilominùs mandat, ne vel aliquantas inibi moras innectere auderet. Ita regressus ad S. Sophiæ monasterium est.

VII. *Leoni PP. IX carus est: incidit in morbum Desiderius,*

10 Non post multos dies Dominus Leo Papa *r* sanctissimus, à partibus ultramontanis regressus, Beneventum intravit, & quoniam Desiderius jam dudum Humberto Sylvæ Candidæ *s* episcopo cognitus & nimis carus extiterat, tam per illum, quàm & per Fridericum, tunc cancellarium, eidem Papæ notus & valdè familiaris efficitur, adeò ut illi frequenter in altaris officio adhæreret, & Euangelium *t* ad ejus Missas sæpiùs legeret. Per idem tempus præfatus Pontifex descendit in Apuliam cum Normannis dimicaturus *u*: sed Dei judicio ab his superatus, ac Beneventum regressus, ordinato Vodelrico *x* archiepiscopo, quem secum adduxerat, post novem circitèr menses Romam reversus atque defunctus est. Interea Desiderius ob nimiam abstinentiam multasque vigilias in languorem non modicum decidens, medendi gratiâ Salernum perrexit.

qui Alfano sanctioris vitæ auctor fit,

11 Ibi itaque illo aliquandiu remorante, Alfanus *y*, qui postmodum ejusdem civitatis archiepiscopatum adeptus est, prudentissimus & nobilissimus clericus, maxima illi est familiaritate conjunctus, cujus animum frequentibus monitis ad mundi contemptum exhortans, sic tandem ab illo exegit, ut monachus fieret, si priùs, ut jam dudum mente conceperat, Jerusolimam ire permissus fuisset. Hac inter illos sponsione firmata, Beneventum reversus Desiderius est, atque post non multos dies mandat eidem Alfano, ut ad se veniat. Renuente illo, ac potiùs pavitante Salernum egredi, iterum Desiderius ad illum abiit, eumque, propter quorumdam inimicantium illi timorem, cucullâ suâ indutum noctu de civitate educens, secum Beneventum adduxit. Cùm verò cœpissent Alfanum nobiles quique viri ac clerici frequentare, eumque ob maximam ejus prudentiam decenter excolere, propositum autem Jerusolimitanæ viæ paulatim cœpisset & in ejus mente tepescere, seque à Desiderii latere nullo unquam modo, nullo unquam tempore assereret velle dividere, tempus ab his aliquantum apud monasterium S. Sophiæ exactum est.

& cum eo ad Victorem PP. II accedit: à quo

12 Cùm ecce fama percrebuit, Victorem Papam ab ultramontanis partibus Romam venisse, eumque ad partes istas in proximo venturum fore. Territus Alfanus hujusmodi nuntio, quòd fratres suos super Guaimarii principis occisione insimulandos procul dubio nôsset, præoccupare statuit Apostolicum, secumque ire orat suppliciter Desiderium. Et quoniam miram cantandi peritiam & medicinæ artis scientiam non parvam habebat, ejusdemque artis codices nonnullos secum à domo detulerat, magni aliquid se habendum in summi Pontificis curia, omnimodis confidebat. Confectis igitur atque aptatis, quotquot potuit, medicaminibus, unà cum civitatis ipsius archiepiscopo *z* ad Romanum Pontificem in Tusciam proficiscuntur, eumque apud Florentiam remorantem reperiunt. In brevi itaque maximam apud illum familiaritatem adepti & satis honorificè habiti sunt.

impetratis litteris, uterque inter Casinenses adscisitur.

13 Sed cùm jam ibi per tempus aliquantum remorati, pro certo Desiderius comperisset, Papam minimè ad partes istas venturum, insuper ultra montes proximè profecturum, simulque valdè inutilem esse proposito suo considerans in ejusdem Pontificis curia conversationem, cœpit omnimodis instare Alfano, ut jam jamque peteret ab eo licentiam revertendi. Petrus *aa* ante non multos dies huic monasterio electus fuerat à fratribus in abbatem, qui pro ipsa sua ordinatione insinuanda, duos hujus loci ad Papam tunc fratres transmiserat. Igitur Desiderius, optata jam dudum opportunitate reperta, accedit pariter cum Alfano ad Romanum Pontificem, simulque pedibus illius prosternentes, orant recedendi licentiam, adduntque petentes, ut gratiâ religiosiùs vivendi per monachos, qui ad eum à Casinensi monasterio venerant, illuc eos transmittere, suisque litteris illos abbati dignaretur ac fratribus commendare. Annuit Apostolicus, atque ita, sicut poposcerant, cum fratribus illis ad hoc cœnobium transmissi sunt, receptique decenter ab abbate & fratribus sociati, honestè nimis atque humiliter inter illos aliquandiu conversati sunt, & ab universis in dilectione plurima habiti, nec non & monasticam ab eodem abbate consecrationem adepti, Friderico *bb* super eorum adventu, plus quàm satis est, gratulante.

ANNOTATA. U. S.

a *De Beati natalibus disseruimus in Commentario num.* 37 *& seqq., quem, si lubet, consule.*

b *Vide dicta in Commentario num.* 40.

c *Fuit quidem Beati parentibus animus eum nuptiis illigandi, numquam tamen nuptiæ re verâ contractæ fuerunt, ut dictum est Commentarii prævii num.* 43 *&* 44.

d Qui abbas postea fuit monasterii sancti Benedicti in Salerno, infrà cap. XIV (*antiquæ partitionis*) "Abbati suo Domino Jaquinto nostro „confratri per ordinem propalavit„. *Ita Nuceus hic.*

e *In hunc locum laudat Nuceus monitum Regulæ S. Benedicti cap.* 58, *& hæc verba adscribit:* Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed, sicut ait Apostolus, Probate spiritus, si ex Deo sunt *&c.*

f *Notat Nuceus in manuscripto legi* referuntur, *idque emendatum à se fuisse.*

g *Teste Ostiensi num.* 1 *beatus Juvenis satis indicârat flagrare se desiderio vitæ solitariæ, ac fortè celebre erat Santari nomen, ut facilè propinqui suspicari potuerint, Beatum nostrum ad ipsum confugisse.*

h *Vide dicta in Commentario num.* 48.

i *Peregrinius de stemmate principum Longobardorum, qui prodierunt ex genere Atenulfi comitis Capuæ, pag.* 292 *Guaimarium hunc ejus nominis IV Salernitanum principem appellat, aitque Beatum cum ipso consanguinitate propinquum fuisse ob Gaitelgrimam, sororem Landulfi V, quem Beati patrem existimavit. Vide dicta in Commentario num.* 38.

k *Consule Commentarium num.* 49.

l *Nu-*

A l *Nuceus hic ita notat:* Puta tres ex computo Peregrinii, quem consule in Desiderio. *Peregrinii verba dedi Commentarii num.* 42.

m Tremitensis *legit editio Parisina anni* 1603, *quam secutus est Mabillonius tom.* 6 *de Actis Sanctorum Ordinis sui, part.* 2 *in* B. Victore III *Papa. Vide dicta de hoc cœnobio num.* 70 *& seq. in Commentario prævio.*

n *Moram* Desiderii *apud Tremitenses concludit Peregrinius sesquianno. Vide Commentarii num.* 42.

o *Peregrinius in* Desiderio *comitem Theatinum nuncupat, scribitque* Trasimundi: *Nuceus in Notis hîc habet* Transmundi, *uti & Mabillonius in Beato nostro.*

p *Consule dicta in Commentario num.* 49.

q *Vox hæc* Apostolicus *à medii ævi scriptoribus passim adhibetur ad designandum Romanum Pontificem.*

r *Hujus nominis IX, de quo nonnulla in Commentario num.* 42.

s Silva..Candida, olim Sylva Nigra dicta, erat urbs Tusciæ viâ Aureliâ, cujus episcopatus postmodùm à Callisto II unitus est ecclesiæ Portuensi finitimæ, *inquit Pagius in Breviario Pontificum pag.* 108. *Civitatem hanc nunc dirutam esse testatur Baudrandus in Lexico.*

B t *De Beati cum S. Leone IX familiaritate aliisque hîc ab Ostiensi enarratis lib.* 3 *Dialogorum* Victoris III *lego sequentia:* Quemque (*Leonem IX*) etiam vidi, ejusque familiaritatem habere merui: sæpe etiam eo in ecclesia Missas celebrante, cum illo ad divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Euangelium legi.

u *Contigit infortunatum hoc prælium anno* 1053, *ut testatur Chronicon Casinense lib.* 2, *cap.* 87, *ubi in sæpe laudata Nucei editione recusa ita lego:* Apuliam cum Normannis dimicaturus perrexit anno Domini millesimo quinquagesimo tertio. *Nucei editionem Lutetiæ Parisiorum adornatam anno* 1668, *in qua eodem modo legitur, verisimiliter non vidit Franciscus Pagius, cùm tom.* 2 *Breviarii, pag.* 351 *scripsit;* Errat itaque Leo Ostiensis lib. 2, cap. XXXVIII, qui prælium,...rejicit in annum MLIV. *Hunc quidem annum signat editio Parisina anni* 1603, *sed haud dubiè amanuensium aut typothetarum incuriâ, aut errore aliunde orto adjecta fuit cifra una. Locos plures, in quibus Laurentii Vincentini editio (Parisinam jam laudatam nihilo meliorem appellat Nuceus in Præfatione ad lectorem) dissentit ab ea, quam curavit Nuceus juxta codices manuscriptos Leonis Ostiensis & Petri Diaconi, dat Erasmus Gattula § 1 Apologiæ pro Leone Ostiensi, ad calcem Historiæ Casinensis.*

C x *Editio, quam sequor, hîc in Notis legit* Hodelrico.

y *Hujus nominis I inter antistites Salernitanos. Toppius in Bibliotheca Neapolitana scribit, eum fuisse principis Guaimarii propinquum; idem existimat Nuceus, in Notis ad cap.* 7 *antiquæ partitionis scribens:* Erat ergò Alfanus ex cognatis Guaimarii & ex illis, de quibus lib. 2, cap. LXXXV, *quo scilicet narratur Guaimarii cædes perpetrata* conjuratione Amalphitanorum,..nec non & cognatorum ac Salernitanorum quorumdam. *Verum ex Alfani terrore sub initium num. nostri* 12 *memorato, si alia desint instrumenta, non ausim concludere ejus cum Guaimario cognationem, cùm potuerit esse ex illustri quadam alia vel Amalphitanorum vel Salernitanorum familia, quæ principis cædis particeps erat. Cæterùm, teste Mabillonio in Annotatis ad Acta Beati nostri,* Alfanus hîc memoratus celebris est inter auctores ecclesiasticos ob varia Opuscula, quæ Petrus Diaconus recenset in libro de Viris illustribus Casinensibus cap. XIX...Ab Arnoldo Wione dicitur inter Sanctos relatus, sed ejus nomen in ullis Fastis sacris reperire non licuit. A. LEONE MARSICANO.

z *Erat is Joannes hujus nominis primus.*

aa *Lib.* 2 *Chronici, cap.* 94 *ita scribit Ostiensis:* Quam ob rem duo fratres ad eum (*Victorem II Pontificem*) qui omnem illi rei hujus veritatem seu necessitatem exponerent, ex parte abbatis & fratrum directi sunt. *Electionem scilicet Petri in locum defuncti Richerii, se insciofactam, indignè ferebat Pontifex.*

bb *Erat is natione Lotharingus, & Petro sponte cedenti suffectus est abbas Casinensis, nec multò pòst à Victore II creatus est Cardinalis, eique in Pontificatu successit Stephanus IX, alias X appellatus.*

CAPUT II.

E

Insignis Beati visio: electio in abbatem: gesta usque ad Cardinalatum: interest concilio Melfitano.

VIII. *Visio Desiderii, qui*

VIderat per hos dies Desiderius visionem non contemnendam, quam satis proximè rei commendavit effectus. Cernebat siquidem, se unà cum Alfano in quadam excelsa ac valdè pulcherrima turre, quæ juxta capitulum fratrum sita esset, consistere; in qua nimirum pater Benedictus videbatur sede decentissima residere. Cúmque ad illius visionem stupefacti paverent, & accedere propiùs nequaquam præsumerent, beatus Benedictus Desiderio hylariter innuebat, eumque juxta se sedere manu porrecta jubebat. Alfanus verò, quoniam vocatus ab eo non fuerat, quasi indignè ferens, de domo illa exibat; quæ nimirum visio manifestissimè portendere visa est, & Alfanum in loco hoc non diu remoraturum, & Desiderium Benedicti patris vicem in hoc monasterio susceperturum. F

Capuano principi fortiter resistit.

15 Non multò pòst igitur à Gisulfo *a* principe Alfanus expostulatus primò apud Salernum in monasterio S. Benedicti *b* abbas effectus; dehinc ejusdem civitatis archiepiscopatum indeptus est. Desiderius verò ad Capuanum monasterium *c* est transmissus præpositus. Richardus tunc Aversanus comes Capuam expugnabat: sed cùm Pandulfus *d* ipsius civitatis princeps indigna quædam & superflua, juxta priorum temporum consuetudinem Desiderio vellet injungere, ille constanti, ut erat, pectore, nequaquam in his ei congruum duceret assentiri. Capuam egressus ad Richardum *e* accessit, & omnium, quæ extra civitatem erat, monasterio pertinentium ab eo securitate accepta, & maximâ insuper illi ex tunc fœderatus amicitiâ, in obedientiis *f* ejusdem monasterii aliquandiu remoratus est, paucissimis in monasterio relictis fratribus, & cæteris ad se accersitis. *a* *b* *c* *d* *e* *f*

IX. *Casinensis abbas eligitur, Stephano PP. IX.*

16 Dehinc cùm prædictus Fridericus in abbatem hujus loci electus, demum verò in Romanum Pontificem, ut suo in loco jam suprà *g* ta- *g*

A. LEONE MARSICANO.

xavimus, ordinatus fuiſſet, Romam ad illum menſe Auguſto cum duodecim aliis loci hujus fratribus nominatim ab ipſo vocatus perrexit, ibique Romana febre perculſus, poſt paucos dies huc rediit. Cùm autem idem Apoſtolicus ad monaſterium hoc poſt quattuor circitèr menſes veniſſet, non multò pòſt gravi languore detentus, atque ad extrema ferè perductus eſt. Accerſitis itaque cœnobii hujus prioribus, dat optionem illis in abbatem eligendi, quem vellent. Qui cùm, habito ad invicem conſilio, nunc illum, nunc alium, ut in talibus conſuetudo eſt, eligendum cenſerent, communis tandem univerſorum conſenſus in Deſiderium expetendum aſpirat, & ut ipſe illis in patrem concederetur, communibus votis Papam exorant.

approbante ſub pacto legationis Conſtantinopolitanæ,

17 Cumque ſatis ſibi placere eandem electionem Apoſtolicus aſſeruiſſet: nam & olim à tempore Leonis Papæ optimè illi apud Beneventum notus extiterat, & ex quo Petrus abbas eundem Deſiderium non ante plenum biennium receperat; multa ſe illi familiaritate devinxerat, ita quidem, ut in camera erat, fratrum electionem confirmavit, dicens: Quòd quamvis plures eo tempore
B religioſos ac ſpirituales viros, multaque honeſtate & prudentia præditos monaſterium hoc haberet, neminem tamen magis idoneum eligere ad id officium de ſuo collegio potuiſſent. Et quoniam, dum ipſe adviveret, nulli ſe mortalium eandem abbatiam traditurum decreverat; Deſiderium verò ad Conſtantinopolitanum imperatorem jam dudum
h Romanæ Sedis apocriſarium *h* facere diſpoſuerat, conſtituit, ut, ſi idem Deſiderius, ſe ſuperſtite reverteretur, ipſe illi vellet abbatiam contradere, ſi verò ante illius reverſionem defunctus fuiſſet, redeuntem illum abſque aliqua contradictione in abbatem congregatio univerſa reciperet. Stephanum itaque Cardinalem, & Mainardum, poſtmodùm Sylvæ Candidæ epiſcopum, illi ſocios itineris donans, & in epiſtolis, quas imperatori mandabat, Caſinenſis abbatiæ illum electum commemorans, emiſit à ſe, præcipiens, ut, expleta legatione, reverti, quàm poſſet citiùs, feſtinaret.

quam ſuſcepit, at non perfecit Deſiderius, ſed
i

18 Deſiderius igitur injunctum ſibi officium perficere ſatagens, aſſumptis quæque eſſent tanto itineri neceſſariis, ſimul cum ſibi traditis ſociis iter aggreſſus, ad monaſterium S. Johannis, quod
C appellatur in Veneris *i*, ut ibi mare ingrederetur, profectus eſt. Cùm autem per dies aliquot ibi fruſtra remoratus fuiſſet, & propter aëris inclementiam mare ingredi nequaquam præſumeret, Sipontum *k* inde contendit, ibi navem, quâ Barim *l* navigaret, ingreſſus, per quendam epiſcopum, qui orationis gratiâ montem Garganum adierat, fratribus ſe commendari, ſeque mare ingreſſum, illis ſignificari rogavit: ſed cùm apud Barim quoque cauſâ tempeſtatis aliquandiu reſtitiſſet, alium item nuntium huc dirigere ſtuduit, per quem videlicet ſignificando mandabat, ob temporis intemperiem uſque ad illam diem apud Barim morari. Contigit autem diſpoſitione divina, quæ illum ad loci hujus recipiendum honorem hactenus retardaverat, ut eo die, quo idem nuntius huc applicuit, eo quoque die fratres noſtri, qui cum Papa profecti fuerant, illo apud Florentiam defuncto atque ſepulto, rediſſent. Mox itaque noſtri, conſilio habito, duos fratres, qui Deſiderium revocare, nuntiata Apoſtolici morte, deberent, feſtinanter tranſmittunt.

19 Jam tandem Deſiderius ſufficienter neceſſaria quæque itineri capto paraverat, jam jamque
m ſimul cum Argiro Barenſium magiſtro *m* navigare diſponebat, cùm ecce ipſo Palmarum Dominico circa veſperam eoſdem nuntios à noſtris directos accepit, defunctum Apoſtolicum, & ſe ad revocandum illum feſtinanter tranſmiſſos ab univerſis fratribus, aſſerentes; rediret ergò quantociùs, & regimen monaſterii, prout Dominus ordinaverat, cunctis ſe deſiderabiliter præſtolantibus, ſumeret. Obriguit Deſiderius tam ſubita Apoſtolici morte perculſus, moxque ſociis advocatis aperuit, quid nuntii detuliſſent, cœperuntque pariter cum Argiro ſatagere, qualiter, antequam mors Papæ divulgaretur, reverti valerent. Non enim dubitabant ſe, cognito ejus obitu, à Normannis vel capiendos, vel diſturbandos. Redemptis igitur protinus, ſeu adquiſitis pro ſe ac ſociis aliquot, quibus veherentur, jumentis, ſecundâ Feriâ poſt Palmas iter aggredientes venerunt ad Robertum Viſcardum *n*, tunc quidem Normannorum tantùm Apuliæ comitem, poſtmodùm verò totius Apuliæ, & Calabriæ atque Siciliæ ducem, rogantes, ut ſecurè illis per terram ipſius tranſire liceret. Qui, ut fuit vir maximæ bonitatis, licèt jam Papæ tranſitum compertum haberet, & ſecuritatem illis conceſſit, & tres Deſiderio equos, quibus adhuc indigebat, largitus
E eſt.

& Caſinenſium moderamen admittit.

20 Ita Deo in omnibus proſperante, ſine aliquo impedimento reverſi, ipſo Paſchali Sabbato jam tardiuſculè ad civitatem S. Germani *o* applicuerunt. Dominicâ verò ſancti Paſchæ valdè diluculo huc aſcendentes, de more monaſterii capitulum fratrum ingreſſi ſunt, præſidentibus Humberto S. Rufinæ, & Petro Tuſculanenſi epiſcopis, & Stephano Cardinali ac Mainardo Deſiderii ſociis. Nam prædicti epiſcopi Humbertus & Petrus, ut longè jam ſuprà *p* retulimus, à Roma tunc Mincii *q* ordinationem fugientes, Beneventum Paſcha celebraturi pergebant; ſed, Deo ordinante, gratiâ tantæ feſtivitatis à noſtris prioribus invitati atque retenti fuerant. Poſt ſollemnem itaque diei tanti ſermonem, mox Umbertus, totius illius ordinationis optimè conſcius, Deſiderium advocat, eique, quemadmodùm olim fuerat à Papa diſpoſitum, obedientiam abbatiæ recipere ex parte fratrum omnium imperat. Nulla in medium *r* mora, nulla expectatio reſponſionis, protinus univerſi ſurgentes eundem Deſiderium acceperunt, atque cum maximis laudibus ad eccleſiam deportantes, in ſede illum abbatis honorificè locaverunt, univerſis tum pro ſollemnitate Paſchali, tum pro ipſius ordinatione immenſâ lætitia & jocunditate repletis, anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis MLVIII *ſ.*

XI. *Monaſterii vetuſta ædificia*

21 Igitur, abbatiâ ſuſceptâ, Deſiderius cœpit modis omnibus ſtudere, atque ſatagere, ut, quod dicebatur, dici veraciter poſſet. Cernens itaque totius monaſterii officinas *t* & anguſtas ambitu & formâ deformes, & cùm vetuſtate, tum inertiâ ruinoſas, adeò ut & contiguo viderentur omnes domate *u* coopertæ, & ingreſſus unius ingreſſui connexus eſſet alterius; incitabatur quidem animo illas aggredi ad renovandum; ſed angebatur iterum, quia, ut tam arduum inciperet opus, nichil ferè penſi *x* habebat. Primò itaque, quaſi experiri cupiens, ſi quid valeret, palatium, quod dudum Richerius abbas ab orientali parte monaſterii inchoatum ad ſolarium uſque perduxerat, opere ſatis decente perfecit, juxtaque ipſum verſus eccleſiam, parvulam quidem, ſed competentem planè, in qua libri reconderentur, ædiculam fabricavit. Quod cùm ſibi proſpero eventu cerneret obveniſſe, domum etiam, in qua abbates manc-

A nere consueverant, quæ videlicet à septemtrionali parte adhærens ecclesiæ, & vilissimis ligni surculis ab inferiori parte sustentata, & viminibus ex parte maxima videbatur constructa, à fundamentis ædificare instituit, adjuncto illi palatio cum absida, quod veteres Todericum *y* appellare solebant.

y

instaurat, novisque exornat:

22 Dehinc, inspirante ac prosperante Deo, mansionem etiam illam, quæ fratres quiescentes diversis præ sui exiguitate solariis continebat, nichilo segniùs renovare aggressus est; in latere scilicet prioris à meridiano, quam funditus evertere ob claustri spatium disponebat. Nam propter ipsius montis verticem, cui nulla ferè constabat planities, vix in hoc loco parvissimi claustri speciem juxta absidam ecclesiæ priores effecerant. Perfecta est igitur eadem domus in longitudine cubitorum sexaginta & centum, in latitudine verò cubitorum viginti & quattuor, in altitudine autem, propter ipsius montis inæqualitatem, quantitatis diversæ, maxima tamen, eamque abietinis trabibus satis pulchrè contignans, lateribus cooperuit diversisque coloribus decoravit. Nichilque moratus, pari tenore vetus capitulum funditus diruens renovavit, illudque gypseâ urnâ *z* in gyro, vitreisque fenestris, ac pulchro variorum marmorum pavimento decorans, tegulis nichilominùs cooperuit, & nimis venusta colorum varietate depinxit.

z

XII. *arcem contra prædones construit.*

23 Interea Frattenses *aa* oppidani, inquietorum scilicet ac perfidorum hominum genus, acsi quidam latrunculi, junctis sibi Minturnensibus aliisque vicinis, nunc furtim, nunc palàm oppida sibi contigua nobis pertinentia infestare non desistebant: terminum siquidem, qui inter nos & illos antiquitus dividebat, id est duo lapidei leones, cùm non procul ab eorum castro consisteret, olim malitiosè clàm confringentes in proximum demerserant puteum; qua nimirum fraude fidentes, si quando terminum nostrum inter duos leones, sicut præcepta continent, computabamus, illi de leonibus, qui secus portas S. Gregorii positi sunt, illud dici pertinaciter affirmabant. Horum igitur frequentissimas molestationes Desiderius egerrimè ferens, simulque illius sententiæ reminiscens, Observatio ordinis nostri summam deposcit quietem & securitatem, cùm neque beneficiis eos, neque rationibus aliquatenus sedare valeret, ad eorum tandem violenter frænandam nequitiam totus intendit, & Adenulfi Cajetani ducis, cui gratiam principis conciliaverat, adminiculo fultus, mox castellum, cui Novum propriè nomen inditum est, in monte, qui Peranus dicitur, omni instantia contra illos erexit, sicque sua deinceps eos tutare, non autem ampliùs aliena pervadere compulit..... *bb*

aa

C

bb

XIII. *Creatur Cardinalis & vicarius Papæ,*

24 Mandat (*Papa*) deinde ad hoc monasterium, quatinus domnus abbas sibi in Marchiam proficiscenti, quàm citiùs potest, occurrat, videlicet ut proximo Martii mensis jejunio & presbyteri gradum & Cardinalatûs pariter officium recipere debeat. Dominicâ igitur primâ Quadragesimæ, paratis omnibus necessariis, iter arripiens, apud Farfense *cc* monasterium Apostolico se conjunxit, ubi nimis ab eo amicabiliter honorificéque receptus, Auximum simul cum ipso profectus est. Ibidem itaque secundo Quadragesimæ Sabbato, quod tunc pridie Nonis Martii evenit, Cardinalis presbyter ab eodem Apostolico ordinatus, & sequenti Dominica abbatiæ consecrationem adeptus, privilegium ab eo satis honorificum, juxta consuetudinem prædecessorum suorum recepit, quo insuper ad Cardinalatûs videlicet ejus dignitatem, & honorificentiam patris sanctissimi Benedicti, per totam Campaniam & Principatum, Apuliam quoque atque Calabriam ab ipso fluvio Piscaria, sicut fluit in mare, vicem suam idem Apostolicus illi concessit *dd*.

cc

A. LEONE MARSICANO.

dd interest synodo Melfitanæ.

25 Post hæc, acceptâ licentiâ remeandi, Romam veniens proximâ Dominicâ mediantis Quadragesimæ, apud ecclesiam beati Petri Missam sollemniter celebravit, atque Romanorum turbâ innumerâ comitatus, ad titulum S. Cæciliæ trans Tiberim, maxima cum laude deductus est, sicque ad hoc monasterium in beati Benedicti est festivitate reversus. Et quoniam ab eodem Pontifice Paschalis festivitatis gratiâ invitatus fuerat, Romam reversus, post festum Urbem egrediens, Melfiam *ee* Apuliæ urbem perrexit, ubi tunc idem Apostolicus concilium celebrare disposuerat, in qua etiam synodo, dum Richardus Capuanus princeps cum aliis quàm pluribus interfuisset, à suprà dicto Papa Nicolao ammonitus, præceptum *ff* fecit B. Benedicto de monasterio S. Mariæ in Calena cum pertinentiis suis.

ee

ff

E

ANNOTATA. U. S.

a *Erat is ejus nominis secundus, Guaimarii, de quo suprà, filius, princeps Salernitanorum, quibus imperavit usque ad annum* 1075, *quo à principatu dejectus est, teste Peregrinio in Stemmate Longobardorum aliquot principum Salerni.*

b *Casinatum jurisdictioni subditum erat illud cœnobium: & quamvis teste Nuceo in Notis ad cap.* 14 *lib.* 3, cellæ monasterii Casinensis, seu granciæ & obedientiæ non per abbates, sed per præpositos de more consueverunt regi, ... Salernitanis tamen morem gerere volens princeps, abbatem ibi constituerat.

c *Cœnobii istius S. Benedicto sacri ecclesiam Beatus instaurâsse dicitur lib.* 4 *Chronici Casinensis, cap.* 33, *quam deinde Paschalis II Papa anno* 1108 *solemniter consecravit.*

d *Vide dicta in Commentario num.* 51 *& seq.*

e *Consule dicenda ad caput seq. Litt. g.*

f *Cangius in Glossario ita scribit:* Obedientiæ verò præsertim dictæ cellæ, præposituræ & grangiæ à monasteriis dependentes, quòd monachi ab abbate illuc mitterentur vi ejusdem obedientiæ, ut earum curam gererent &c.

P

g *Lib.* 2 *scilicet Chronici, cap.* 97.

h Apocrisiarium *scribunt alii: est autem vox à medii ævi scriptoribus adhibita ad significandum legatum Pontificis vel episcopi. Hujus porrò legationis finis fuit Græcos ad concordiam cum Latinis revocare, teste Pagio Breviarii tom.* 2, *pag.* 366.

i *Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 409 *situm ejus sic describit:* Non longè à portu Veneris, à fano Veneris nomen sortito, unde aliquando dicitur abbatia S. Joannis Veneris in Adria, in agro Lancianensi, in diœcesi Theatina, ubi fluvius Sarus, sive Sacer, vulgò Sangro, Adriaticum mare ingreditur *&c.*

k *Urbs est Apuliæ Daunia in ora maris Adriatici ad radices Gargani montis; Caroli Magni ætate exciſa fuit: ejus porrò ruinæ etiam nunc Sipontum dicuntur, teste Baudrando hîc.*

l *Civitas est regni Neapolitani, sita in ea Apuliæ parte, quæ Barianus ager dicitur.*

m *Id est, præfecto, duce, inquit Nuceus hîc.*

n Guiscardum *scribit Peregrinius in Stemmate Normannorum principum Apuliæ, eumque à sum-*

A. LEONE MARSICANO.

ſumma calliditate ita nominatum fuiſſe tradit. Fuit autem primus Normannorum Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ dux.

o *Oppidum eſt ad radices montis Caſini.*

p *Lib. 2 Chronici, cap. 101.*

q *Alio nomine dicitur Joannes Veliternenſis epiſcopus, Benedictus X pſeudopapa. Nuceus autem ita hîc notat:* Leo ſcripſerat, "Simoniaci „tunc Mincii„, quam ſimoniæ notam rejeciſſe videtur Petrus, conſanguinei ſui famæ parcens, quantum poſſet.

r *Aliàs legitur*, Nulla poſt imperium mora.

ſ *Diem Peregrinius in Deſiderio adſcribit* XIII Kalendas Maji, *in quem incidebat Reſurrectionis Dominicæ feſtivitas.*

t *Officinæ dicuntur in monaſteriis, teſte Cangio, ædiculæ, in quibus aſſervantur, quæ ad victum alioſque monachorum uſus ſpectant.*

u *Vox Græca eſt, tectumque ſignificat.*

x *Videtur* Penſum *vel* Penſus *aut* Penſa *vox derivata à* Penſare, *ſolvere, hîcque ſignificat, Beato tum ferè nihil fuiſſe, quo neceſſarias expenſas ſolveret.*

B y *Nuceus ita obſervat ad hunc locum:* Palatium hîc accipio curiam, & tribunal abſidam juri dicendo deſtinatam: Todericum verò cur appellatum, huc uſque non invenio: niſi liceat ariolari à Theodorico Gothorum rege deductum nomen, qui cùm in Italia ſolus regnaret, ac nemini juris dicendi poteſtatem permitteret, niſi à ſe dependentem, ideò omne tribunal Todericum dictum fuerit *&c.*

z *Cangius in Gloſſario, adducto hoc Oſtienſis loco*, urnam *limbum interpretatur.*

aa *Vide quæ de hiſce Frattenſium infeſtationibus, ac tempore exſtructi à Beato adverſus hos alioſque propugnaculi, diximus in Commentario num. 60 & ſeqq.*

bb *Puncta oſtendunt nonnulla ad Beatum non ſpectantia, ex Chronico prætermiſſa eſſe.*

cc *De hoc cœnobio Muratorius in prolegomenis ad Chronicon Farfenſe ſic habet:* Inter cetera . . . monaſteria Farfenſe potiſſimùm olim ſplenduit, in agro Sabinenſi & ducatu Spoletano ad fluvium Farfam (*qui & Fabaris ac Farfarus dictus eſt, teſte Baudrando*) ſitum, & circitèr quadraginta paſſuum millia ab ipſa urbe Roma diſtans. C

dd *Nonnulla ex hoc Nicolai II privilegio delibavimus in Commentario num. 57 & ſeq., locorum notitiam habes ibid. num 58.*

ee *Conſule Commentarium num. 65 & 66.*

ff *Præceptum illud integrum recitat Nuceus in Notis: pauca hîc ſufficient.* Accerſito domino Deſiderio venerabili abbate Caſinenſi pro remedio animæ meæ, meique avunculi Rainulfi ac fratris mei Aſcletini, inveſtivi eum de abbatia, quæ dicitur ſancta Maria in Calena, ſita in finibus Apuliæ inter montem Garganum & mare Adriaticum, juxta caſtellum, quod dicitur Beſti, *Veſtam ſeu Veſtiam civitatem, ut tradit ſæpe laudatus Lubinus.*



D

CAPUT III.

Cœnobii ſui honori utilitatique proſpicit: rem ſacram auget: pro Alexandro II Romam petit: cœnobia in Sardinia conſtituit.

TUnc temporis Giſulfus Salernitanus princeps Deſiderio, ſuper hoc conquerenti, reddidit huic ſancto loco cellam *a* S. Benedicti de Salerno, quam à jure noſtri cœnobii Salernitanorum *b* eatenus violentia ſubtraxerat. Sed cùm, exinde ſubducto abbate, præpoſitum ibi juſta morem cellarum noſtrarum conſtituiſſet, Salernitani nimis hæc indignè ferentes, eidem principi inſtare cœperunt, ut monaſterium illud ordinatum, ſicut antea fuerat, eſſe permitteret. E Coactus itaque princeps illorum rogatu, monaſterium S. Laurentii *c*, intra civitatem Salernitanam conſtructum, quod ſibi jure hæreditario pertinebat, in hoc monaſterio ex integro optulit; nec tamen reſtitutionem *d*, quam antea de ſuprà dicta cella fecerat, irritam fecit.....*e*.

XIV. *Salernitanum cœnobium Caſinenſi ſubditum.*

a

b

c

d

e

27 Hiſdem quoque diebus (*Papa*) & Richardo principatum Capuanum & Rothberto ducatum Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ confirmavit *f*, cum ſacramento fidelitate Romanæ Eccleſiæ ab eis primò recepta, nec non inveſtitione cenſûs per ſingulos annos, per ſingula boum paria denarios duodecim. Sed quoniam horum duorum magnatium, Robberti ſcilicet atque Richardi *g*, qui præ cæteris ſui temporis mortalibus locum hunc dilexerunt, quique huic noſtro Deſiderio nimiùm devoti, fideles & amiciſſimi in omni vita extiterunt, decurrens hiſtoria attulit mentionem, dignum videtur, qualiter ſit uterque ad ſuæ dignitatis honorem provectus, vel breviter Opuſculo iſti inſerere.....*h*, Jam verò domnum Abbatem, licèt dudùm apud Capuam præſidentem, ut ſuprà diximus, ſibi amiciſſimum fecerit, ex eo tamen illum, acſi patrem, modis omnibus venerari, ejus conſiliis ſe committere, ipſi quaſi domino libenter obtemperare. F

XVI. *Roberto Guiſcardo & Richardo Capuano, amiciſſimus,*

f

g

h

28 Primo igitur anno, quo princeps ſimul cum Jordane filio factus eſt, juxta morem priorum principum generale præceptum *i* fecit huic monaſterio de omnibus omninò pertinentiis ac finibus ſuis: ſequenti verò tempore fecit præceptum monaſterio noſtro, quod Capuæ ſitum eſt, de platea publica, quæ erat inter murum civitatis & clauſtrum ejuſdem cœnobii, unde magnam inquietudinem fratres tam à quibuſlibet tranſeuntibus, quàm & à vicinis fœminarum garrulitatibus cotidie patiebantur.

XVII. *cum poſteriore varia*

i

29 Tantæ igitur poteſtatis Deſiderius Dei nutu amicitiâ fretus, nequaquam tam acceptabile tempus negligendum ducens, eidem principi *k* tum precibus, tum muneribus non exiguis inſtare cœpit, ut huic monaſterio, quod tantopere ſe diligere fatebatur, quietem dignaretur & ſecuritatem largiri, & caſtella nobis finitima, quibus undique frequenter infeſtabamur, quæ videlicet jam in ſuam dicionem redegerat, eidem monaſterio in perpetuum poſſidenda firmaret. Ejus itaque

XVIII. *in Caſinenſium tranquillitatem*

k

A taque votis princeps gratantissimè annuens, primò quidem castrum, quod Mortula dicitur, simul cum casa Fortini, dehinc oppidum Frattarum, cujus jam suprà mentionimus; sequenti verò anno Roccam *l*, cognomine Cucurrizzum *, cum omnibus pertinentiis ejus, turrem quoque, quæ juxta mare sita est, in eo videlicet loco, quo mari Lyris fluvius admiscetur, nec non & castellum Teramense: hæc, inquam, omnia principalibus singillatim præceptis huic loco ex integro concessit & confirmavit.

*al. Cucuruzzum *l*

30 Data sunt autem in commutationem eidem principi pro Frattis castellum, quod dicitur Capriata cum omnibus pertinentiis suis, additis insuper trecentis bisanteis *m*. Pro Teramensi verò castro datum est illi castellum, quod dicitur Conca, quod ipse nobis dudum reddiderat, unà cum curte *n* S. Felicis de Miniano. Oppidum præterea vicinius monasterio, quod Pesmontis vocatur, & infestius ac molestius cæteris eodem tempore à comitibus Aquinensibus Desiderius commutavit, pro quo videlicet roccam quidem, vocabulo Cellarellum *, & Postam illis ex toto concessit, retento sibi lacu ejusdem loci cum ecclesiola, quæ juxtà est; partem verò de municipio S. Urbani, nobis tunc pertinentem, id est centum viginti familias, singillatim dedit comiti Adenulfo *o*, in vita tantùm sua tenendam, retentis sibi familiis duodecim cum ecclesia S. Urbani, & cum terra, quæ sufficeret ad duo paria boum: ea videlicet condicione, ut, si vellet, nobis prædictus comes in vita sua eadem hominum familias redderet, nos daremus illi quinquaginta libras denariorum; sin autem post mortem illius, in nostram omnes illi homines dicionem redirent.....*p*.

transigit Desiderius.

m

n

*al. Cellarolam

B

o

p

31 Æstuabat interea ingenti desiderio Desiderius ecclesiastica etiam ornamenta, de quibus usque ad id temporis pauperes admodùm videbamur, undecumque conquirere: sed bonum desiderium, donante Deo, non potuit in tanto homine inefficax esse, sicut in sequentibus pervidebitur. Partim itaque de propriis deferens, partim verò à Romanis amicissimis mutuans, centum & octoginta librarum pretio congesto, omnia ferè ornamenta Papæ Victoris, quæ hac illacque per Urbem fuerant pignorata, redemit, quæ videlicet sunt hæc. Pluviale diarodanum *q* magnum, totum undique auro contextum, cum fimbriis nichilominùs aureis. Planetam diacitrinam *r* magnam aureis listis *s* undique decenter ornatam. Aliam quoque exametam *t* friso nichilominùs in giro circumdatam. Dalmaticam similiter exametam auro & alb.* à capite & pedibus ac manibus insignitam. Tunicam diapistin *u* cum urna amplissima à pedibus & manibus ac scapulis aurea. Stolas auro textas cum manipulis & semicinthiis suis numero novem. Pannum diarodanum cum listis aureis pro faldistorio. Libet præterea hoc in loco designare singula, quæ ex eo, quo ordinatus est, tempore, usque ad renovationem basilicæ majoris, in ecclesiæ utensilibus sive fecerit, sive adquisierit: nam cetera deinceps pleniùs exequemur.

xx. *Supellectilem sacram*

q

C

r

s

t

*Nuceus albis

u

32 Pastoralem virgam argento vestivit & deauravit: fecit ante faciem altaris tabulam auream cum gemmis librarum circitèr decem, nec non & turibulum de auro cum gemmis & smaldis *x* librarum duarum. Librum quoque Epistolarum ad Missam describi faciens, tabulis, aurêâ unâ, alterâ verò argenteâ, decoravit. Codicem etiam Regulæ beati Benedicti pulchro nimis opere de intus comptam, aforis argento vestivit, similiter fecit & de sacramentoriis altaris uno & altero, & duobus nichilominùs Euangeliis & Epistolario uno. Nam usque ad illud tempus in plenario Missâli tam Euangelia, quàm Epistolæ legebantur, quod quàm esset tunc inhonestum, modò satis advertitur. Id ipsum fecit & de alio libello, in quo sunt orationes processionales. Fecit & libellum ad cantandum ante altare, sive in gradu, eumque tabulis eburneis mirificè sculptis & argento ornatis annexuit. Codicem quoque de Vita S. Benedicti, & S. Mauri, & S. Scolasticæ describi studiosissimè fecit.

amplificat, & templi ac cœnobii

x

A. Leone Marsicano.

33 Fecit & portellas argenteas ad ingressum chori librarum circitèr triginta. Fecit & sedilia lignea in circuitu chori cum dossalibus eorum, scalpturâ simul & picturâ præstantes; sed & gradum nichilominùs ligneum ejusdem operis extra chorum in ammonis * modum satis pulchrum constituit, in quo videlicet tam lectiones in nocte, quàm etiam & Epistolæ & Euangelia ad Missas præcipuarum festivitatum legerentur. Per eos etiam dies, cùm rumor increbuisset, regem ad Italiam venturum, nequaquam fenix * perrexit Amalfim, ibique viginti pannos sericos, quos triblattos *y* vocant, coëmit, ut, si fortè necessarium esset, haberet certè, quod regi donaret, pro tutela videlicet & honore monasterii hujus. Hydriam quoque argenteam librarum septem, ibidem tunc adquisivit, ut quam ad ministerium aquæ sanctificatæ in processione dierum Dominicorum, cum alia ejusdem metalli & quantitatis hydria, postmodum illi donata, esse constituit. De triblattis verò omnibus, quoniam rex de via reversus fuerat, pluviales protinus fieri jussit. Videns autem tunc portas æreas episcopii Amalfitani, cùm satis placuissent oculis ejus, mox mensuram portarum veteris ecclesiæ Constantinopolim misit, ibique illas valdè pulchras fieri fecit. Nam nondum disposuerat ecclesiam renovare, & ob hanc causam portæ ipsæ sic breves effectæ sunt, sicut actenus permanent.

honori consulit.

*i. e. pulpiti

*i. e. segnis

y

34 Interea, ut superiùs redeam, defuncto apud Florentiam Apostolico, post duos annos & dimidium, quibus Ecclesiæ præfuit, cùm maxima seditio inter Romanos cœpisset de ordinando Pontifice exoriri, Hildebrandus archidiaconus cum Cardinalibus nobilibusque Romanis consilio habitu *, ne dissensio convalesceret, Anselmum tandem Lucensem episcopum post tres circitèr menses in Romanum Pontificem eligunt, eumque Alexandrum vocari decernunt, nostro Desiderio simul cum principe Romam proficiscente, eique in omnibus suffragante *z*...

xxi. *Alexandro II PP. suffragatur:*

*l. habito

F

z

35 Quintum jam ferè ordinationis suæ complebat Desiderius annum, cùm terribiliùs solito, permissione divina, fulmine monasterium istud attactum est. Cùm enim fratres in ecclesia die quodam de more primæ horæ sollemnia agerent, subitò cælitus fulmen elabsum ipsum ebdomadarium sacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honestæ famæ virum, in choro stantem feriens, extinxit, cæteros verò circumstantes, velut exanimes, ad terram prostravit. Novicium etiam quendam, extra chorum stantem, ante ipsam majorem crucem percutiens occidit. In capitulo tabulas officiales excidit, ipsumque tabularium acsi mortuum reddidit: vultum imaginis abbatis Richerii in eodem capitulo in tabella depictum scidit pariter ac porrò dejecit, & in plerisque monasterii locis percussit; fuit autem dies hæc quinto decimo Hcalendæ Februarii.

xxii. *de flagello fulminum*

36 Quam ob rem consilio cum fratribus Pa- *Beati visio.*

A. Leone Marsicano.

ter venerabilis habito, ad iram Dei placandam, ſtatuit tunc, per omnes menſes primam ſextam Feriam communiter ab omnibus in abſtinentia peragi, ac diſcalciatis pedibus procedendo, Miſſam proinde ſpecialiter celebrari, nec non & omnibus per annum cotidianis diebus orationem pro fulgure ad Miſſam publicam & ad pſalmos ſpeciales edici. Porrò autem dominus Petrus Damiani, cujus jam ſuprà meminimus, ad hoc monaſterium veniens, cùm verbo pariter & exemplo ad Dei ſervitium ferventi zelo, quoſcumque poſſet, accenderet, tandem promiſſione domini Abbatis à cuncta congregatione voluntaria oblatione in remiſſionem omnium peccatorum obtinuit, ut per totius anni ſextas Ferias pane tantùm & aquâ contenti eſſent, ac per ſingulas ſinguli diſciplinas data confeſſione reciperent. Inſuper & triduanum jejunium in caput Quadrageſimæ per annos ſingulos agerent. Multotiens verò Deſiderio cogitanti, & revelari ſibi oranti, quidnam eſſe vellet, quòd ſic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret, quadam nocte per viſum Benedictus pater apparuit, eique inter alia de hoc ſollicitè percontanti, nichil aliud, quàm diabolicas inſidias & antiquam pro loco invidiam eſſe perdocuit *aa*....

B

aa

xxiii. *Fratres in Sardiniam mittit,* *bb*

37 Per idem tempus legati ex parte Bareſonis *bb* regis Sardiniæ ad hoc venere cœnobium, per quos beato Benedicto duo magna & optima pallia rex idem tranſmittens, orat ſibi aliquot ex noſtra congregatione fratres ad monaſterium conſtituendum tranſmitti, ſpondens & pollicens maximum in regno ſuo noſtris utilitatibus honorem & commodum perventurum, ſi monaſticæ religionis ſtudium, hactenus partibus illis incognitum, qualiter apud nos tunc vigere perceperat, apud eos deinceps, nobis ſtudentibus, aſſueſceret. Mox venerabilis Pater, deliberato conſilio, duodecim de melioribus hujus cœnobii fratribus elegit, eiſque tam divinarum Scripturarum codices cum diverſis eccleſiaſtici miniſterii apparatibus ac Sanctorum patrociniis * plurimis, quàm & diverſarum rerum ſupellectilem abundanter præbens, nec non & abbatem, qui illis præeſſe deberet, inſtituens, nimis eos honorificè illuc cum Cajetanorum navi direxit.

* *i. e.* ſcriniis reliquiarum

quos pellunt Piſani; C

38 Verumtamen, Deo permittente, & ſatana impediente, res eadem eodem tempore ad effectum pervenire non potuit. Piſani ſiquidem maximâ Sardorum invidiâ ducti, cùm jam noſtri ad inſulam, quæ Lilium vocatur, proſpero ſatis eventu tranſiſſent & ſcaphis egreſſi opportunum navigationis tempus attenderent, ex improviſo ſuper illos cum armatis navigiis veniunt, & tam noſtros, quàm cæteros omnes indiſcretè ſimul & nimis injuriosè tractantes, univerſa diripiunt *cc*....

cc

xxiv. *ſed his poſtea conciliatis,*

39 Sardorum interea rex, digna pro tantis injuriis ſatisfactione à Piſanis recepta, cùm rurſus ad hoc monaſterium mandâſſet, ſe quidem multò ardentiùs in priori devotione perſiſtere, nos verò propter id, quod evenerat, nequaquam debere neglegere, duos tandem illuc fratres jam poſt biennium ferè tranſmiſſos rex idem alacriter nimis recepit, eiſque eccleſiam beatæ Mariæ in loco, qui dicitur Bubalis *dd*, nec non & ſanctum Heliam de monte ſancto cum integro ipſo monte ad monaſterium conſtituendum per præceptum conceſſit, cum colonis & ſervis quamplurimis, & cum ſubſtantiis ac poſſeſſionibus magnis.

dd

Deſiderius monaſteria erigit,

40 Hunc æmulatus ad bonum alter rex ejuſdem Sardiniæ, nomine Torchytorius, fecit & ipſe cartulam oblationis ſuæ, & tranſmiſit ad hoc monaſterium, de ſancto ſcilicet Vincentio de Taberna cum ſervis ſuis multis & ſubſtantiis plurimis, nec non & de ſancta Maria ad flumen tepidum, & de ſancta Martha, & de ſancto Pantaleone ad Olivarum, & de ſancto Georgio de Tulvi, atque de ſancta Maria de Palma; omnes, inquam, eccleſias has, cum univerſis eorum pertinentiis ad monaſterium ex eis conſtituendum rex prædictus per cartam beato Benedicto contribuit. Ad Piſanos præterea legatus ab Alexandro Papa ſimul cum monacho noſtro directus eſt, ut, niſi anathema vellent Apoſtolicum protinus experiri, cauſam beati Benedicti, quam nequiter abripuerant, ex integro redderent, & debita ſe ſatisfactione purgantes, numquam ampliùs eos aliquatenus diſturbare præſumerent. Qui mox ejus obſecundantes imperiis, & impiè circa nos egiſſe ſe profitentes, veniam ſupplices poſtulant, & quæque tunc ſupereſſe ac reperiri de his potuerunt, ſupplici ſatis devotione reſtituunt, exceptis duntaxat Sanctorum reliquiis, pro quibus ſe, ut ſuperiùs dictum eſt, juramento conſtrinxerant. Non autem multo pòſt, cùm Gotfridus *ee* dux Piſam veniſſet, atque ad eum Deſiderius, qua de cauſa neſcio, profectus fuiſſet, duce intervenient atque ſtudente, poſt multiplicem ſatisfactionem Piſani in ejus gratiam redeunt, & tam eidem Patri, quàm & loco huic ſe fideliſſimos fore de cætero pollicentur.

D

ee

E

F

ANNOTATA. U. S.

a *Monaſterium intellige : cellæ enim nomine apud ſcriptores varios veniunt exigua monaſteria & abbatiæ majoribus ſubjectæ. Vide dicta ad cap. præced. litter. f.*

b *Notat Nuceus aliàs legi*, jam dudum parentum ipſius violentia ſubtraxerat.

c *Ædificatum erat in latere montis, inquit Nuceus in Notis, & Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ.*

d *Licèt monaſteria Caſinatibus ſubdita non per abbates, ſed per præpoſitos, regi conſuevisſent, ex ſpeciali tamen conceſſione Salernitanum S. Benedicti, ut & quædam alia, abbatem obtinuerunt, teſte Nuceo hic.*

e *Reliquo cap.* 14 *pergit Oſtienſis loqui de chartis & edictis oblationis monaſterii Salernitani ad Caſinenſes pertinentibus &c.*

f *Nicolaus ſcilicet II Papa, qui bellorum pertæſus, ut habet Nuceus, cum Normannis pacem inivit, terraſque, quas armis acquiſierant, illis conceſſit.*

g *Ex comite Averſæ princeps Capuanus de gente Normannorum primus fuit Richardus. De Roberto actum in Annotatis ad cap.* 2, *litter. n. Pro ampliore utriuſque notitia, conſule, ſi lubet, Peregrinium, alioſque.*

h *Roberti & Richardi fortunam reſque geſtas fusè deſcribit.*

i *Vox* præceptum *hìc ſignificat diploma, quo privilegia conceduntur.*

k *Richardo ſcilicet Capuano. Commutationibus autem hoc & ſeq. num. commemoratis Caſinatum ſecuritati providit Beatus, qui caſtra viciniora & monaſterio infeſta recepit, remotiora verò dimiſit. Ceterùm locorum iſtorum omnium ſitum hìc accuratiùs deſcribere opera pretium viſum non eſt : ſunt enim pleraque ignobiliora, quàm ut apud geographos paſſim obvios locum habeant. Poterit interim curioſus lector conſulere Eraſmi Gattulæ Acceſſiones ad hiſtoriam Caſinenſem, ubi tam*

A *tam ditionem Caſinenſem exprimit & in tabella geographica ob oculos ponit.*

l Roccam *caſtellum vel præſidium in rupe ſeu clivo exſtructum dici vult Cangius in Gloſſario. Gattula autem Hiſtoriæ Caſinenſis pag. 97 & ſeq. Roccæ nomine oppidum intelligit, aitque olim caſtelli nomine veniſſe oppidum parvum.*

m *Byſantius nummus aureus eſt ab imperatoribus Conſtantinopolitanis cuſus Conſtantinopoli, quæ olim Byzantium vocabatur, unde monetæ nomen.*

n *Curtis villam denotat, vel vicum villæ adjacentem.*

o *Adenulfus, qui hic comes dicitur, idem videtur cum eo, qui num. 23 Cajetanus dux appellatur, eratque ſimul comes Aquinenſis.*

p *Omiſſum totum cap. 19, quod Mabillonius in* B. Victore III *compendio, ita refert:* In capite autem XIX varias donationes (*narrat*) à Gregorio conſule Romano, Baldoino comite de Valle-Sorana, Pandulfo Venafrano comite, Landulfo comite Minianenſi,...& aliis viris piis & illuſtribus factas, quas hic ſingillatim recenſere nihil juvat.

q *Diarhodinus, ut ſcribit Cangius, color roſeus intenſior.*

B r *Id eſt, coloris citrini intenſioris.*

ſ *Limbos intellige: eſt autem limbus pars veſtis extrema.*

t *Id eſt, ex panno holoſerico: & vox ſequens* Friſo *fimbriam ſignificat.*

u *Cangius in Gloſſario ad vocem* Diapiſtus *ſub finem hæc habet ex Hugonis Falcandi Hiſtoria Sicula apud Muratorium tom. 7 Scriptorum Italiæ, col. 256:* Hic diapiſti color ſubviridis intuentium oculis grato blanditur aſpectu.

x *Idem Cangius vocem* Smaldus *&* Smaltum *exponit encauſtum, quia* Smalto *Italis dicitur encauſtum. At hic potiùs lapides pretioſos vox illa videtur ſignificare, ut etiam in illo textu, quem recitat ex veteri ſcheda bibliothecæ Cluniacenſis pag. 563:* Gemmis ac lapidibus, videlicet eis, quos ſmaldos vocant.

y *Id eſt, pallia cocco ter tincta, teſte Cangio; quem pro notitia ornamentorum eccleſiaſticorum, quæ hic enarrantur, proque interpretatione vocum quarumdam, ad quas nihil obſervavi, lector conſulat.*

z *Reliquo iſto capite agitur de ſchiſmate Cadaloi adverſus Alexandrum II Papam.*

C aa *Reliqua parte narrat Leo alias ſtrages à fulmine.*

bb *Hiſtoriam hanc contra anonymi Mediolanenſis cenſuram vindicavimus in Commentario num. 30 & ſeqq.*

cc *Reliqua narratio exponit, quàm indignè à Piſanis habiti fuerint.*

dd *Et hujus & aliorum locorum tum hoc, tum num. ſeq. memoratorum ſitum exploratum non habeo.*

ee *Gotfridus ſeu Godefridus hîc memoratus Etruriæ & Lotharingiæ dux, obtentâ Marchiâ Tuſciæ, etiam marchio appellatus, frater erat Stephani IX Papæ, cognomento Barbatus, diverſuſque à Godefrido Bullonio, ut probat Nuceus in Notis ad cap. 89 lib. 2 Chronici Caſinenſis.*

CAPUT IV.

Cœnobii Caſinenſis immunitas obtenta, & Tremitenſis à Beato ſuſcepta reformatio: novæ baſilicæ exſtructio, ejuſdemque pretioſa exornatio.

EOdem tempore *a* ſollemne Deſiderio privilegium idem Apoſtolicus, præter cætera, ſuper omnimoda hujus cœnobii libertate conceſſit, ne videlicet aliquis alicujus eccleſiæ epiſcopus, præter Romanum Pontificem, non ſolùm in noſtra ac principali eccleſia, verùm etiam in omnibus ubique locorum nobis pertinentibus cellis quamlibet dicionem uſurpare quolibet modo præſumeret, auctoritate Apoſtolica interdicens. Quo etiam tempore cùm Hildebrandus Capuanus archiepiſcopus, elatione quadam turgidus, contra hanc auctoritatem fuiſſet ſummurmurare conatus, publicè in Romana ſynodo *b*, nobis ſuper hoc proclamantibus, privilegiis Apoſtolicæ Sedis convictus, ſe peccâſſe confeſſus eſt. Unde tam ſibi, quàm ſuis ſucceſſoribus univerſis, ſub diſtricto tunc anathemate interdictum eſt, ut nullam ulteriùs inde auderent aſſumere quæſtionem, nullam prorſus contra hunc venerabilem locum promovere aliquando litem.

XXVI. *Caſinenſe cœnobium ſoli Papæ ſubjectum.* *a*

E

b

42 Præterea cùm de rectoribus Tremitenſis *c* cœnobii, quod nobis antiquitus pertinuiſſe, Romanorum quoque Pontificum privilegia pleraque teſtantur, multa eo tempore inhoneſta & nefanda divulgarentur, eidem Deſiderio ad diſquirendum & diſponendum illud, prout ſibi optimum videretur, data ab Apoſtolico auctoritas eſt. Qui cùm abbatem ejuſdem loci Adam, multorum facinorum reum convictum, exinde ſubduxiſſet, Robberto de Laurotello & Petrone de Leſina comitibus & epiſcopis Trajano Draconarienſi, ac Civitatenſi, nec non & abbate Terræ majoris ſe comitantibus, inſulam præfatam ingreſſus, Tranſmundum inibi, filium Oderiſii Marſorum comitis, nimis honorificè ordinat in abbatem, egregiæ ſanè tunc indolis adoleſcentem, prudentiâ & litteris non parùm valentem, honeſtis quoque moribus hoc in loco à puero inſtitutum; niſi demum peſſimorum loci ipſius fratrum conſiliis aſſenſus fuiſſet: ſed illorum planè, quos illi etiam noſter Abbas injunxerat auſcultandos. Nam redeuntibus noſtris, paucos poſt dies tribus de prioribus ejuſdem loci monachis oculos eruit; uni verò linguam abſcidit; fuerant enim apud eum de rebellatione inſulæ à ſociis inſimulati.

XXVII. *Monaſterii Tremitenſis* *c*

F

43 Quod ubi Deſiderio noſtro relatum eſt, indignè nimis & graviter excepit, & maximo eſt ſuper iſta mœrore confectus, tum pro paſſorum miſeria, tum pro jubentis ſævitia, tum denique, quod erat præcipuum, & quod magis cor ejus angebat, pro loci hujus infamia. Et quoniam eodem anno dedicationis eccleſiæ noſtræ fieri præſtolabatur ſollemnitas, ad eam ſuſtinetur venturus, ac juxta culpæ modum ſententiam exceptu-rus. Quem, cùm veniſſet, in totius monaſterii conventu aſpera nimis & digna caſtigatione correptum, graviori pœnitentiæ ſubdidit, eumque *fœdè collapſam diſciplinam*

A. Leone Marsicano.

illuc remeare ulteriùs non permisit. Hildebrandus autem archidiaconus ea, quæ Transmundus gesserat, omnimodis approbans, & nequaquam illum hoc crudeliter, sed strenuè ac dignè in malignos homines fecisse, confirmans, nondum anno completo, eum à domno Abbate aliquandò difficulter extorsit, atque abbatiam sancti Clementis de Insula Balvensis *d* comitatûs primò illi committens, paulò pòst eidem Balvensis episcopatûs addidit dignitatem.

d

Studet erigere, rectoresque * *al.* Transmundus

44 Post hæc Desiderius Ferro monachum, cui præfatus Trasmundus * monasterium commiserat, ad se venire mandavit. Qui cùm ad illum accedere detrectaret; Desiderius verò ad illas partes pergere pro his, quæ contigerant, quodammodò erubescceret, post annum integrum & octo circitèr menses, duci *e* à Sicilia revertenti super his conquestus est, qui protinus illuc transmittens, eum exire compulit, & in potestatem Desiderii delegavit. Comitatus itaque dux *f* episcopis & abbatibus ac monachis simulque Petrone comite Lesinensi duabus galeis *g* armatis insulam ingressus est, & à monachis loci honorifica satis processione receptus, die altera ab universis ejusdem cœnobii fratribus de eadem abbatia sollemniter investitus *h*. Rogatus autem, ut illos firmaret, ne aliquando idem monasterium monasterio Casinensi, se vivente, subjiceret, sed in dicione illud propria retineret, annuit. Rogatus etiam, ut ab omni deinceps Casinensium fratrum calumnia vel querimonia in perpetuum illud esse quietum statueret, abnuit, & hoc se, quia injustum esset, nequaquam facere debere respondit. Ita ergò, juxta quod placuit, omnibus ordinatis, tribusque de fratribus nostris ad custodiam derelictis, reversus est.

e

f

g

B

h

illi varios præficit.

45 Sed cùm postmodùm, revocatis prædictis fratribus, cuidam alii de nostris ejusdem loci regimen commisisset, ille maligno usus consilio, fastu quodam superbiæ inflatus, assumpta tyrannide, rebellare elegit, ita ut semel & bis evocatus ad Desiderium venire contempserit. Quem cùm excommunicâsset, non multos post dies studio fidelium Desiderii simul cum suis fautoribus turpiter captus, atque ad eum perductus est. Et illum quidem non multò pòst ab excommunicatione solutum rursus Asculensi *i* cellæ præfecit: in prædicto verò cœnobio suam vicem abbati Terræ majoris *k* commisit; quo post non multum tempus defuncto, rursum quasi jam nauseans supradicto Ferro ejusdem loci curam restituit; ita dumtaxat, ut, se vivente, sibi exinde responderet: post mortem verò suam in manibus illud Pontificis Romani remitteret. Sed de his hactenus. Nunc ad superiora redeamus, & quemadmodùm novam beati Benedicti basilicam vel ædificaverit, vel dedicaverit, vel adornaverit, prout ipsi præsentes inspeximus, describere properemus.

i

k

XXVIII. *Basilicam novam Casini*

46 In omni igitur Abbas venerabilis prosperitate atque quiete, meritis beatissimi patris nostri Benedicti divinitus constitutus, & in tanta ab universis in circuitu honorificentia habitus, ut non modò mediocres quique, verùm etiam ipsi eorum principes ac duces libenter ei obedire, ejusque voluntati, non aliter quàm sui patris ac domini, in omnibus parere studerent, ad veterem diruendam ecclesiam, & novam pulchriùs atque augustiùs ædificandam, non sine divino instinctu, animum appulit, quamvis plerisque tunc de nostris prioribus grave nimiùm id & intemptabile videretur, plurimúmque ab hac intentione mentem illius avertere tum precibus, tum rationibus, modisque omnibus sint conati, quippe à quibus omni vitæ suæ tempore tantum opus non posse perfici æstimaretur, cùm ille, Deo fidens, ad omnia, quæ pro Deo fiunt, Dei sibi solius polliceretur ac præstolaretur auxilium.

D

magno opere & impensis molitur:

47 Anno itaque ordinationis suæ nono *l*, divinæ autem Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, mense Martio, Indictione quarta, constructâ priùs juxta infirmantium domum non satis magnâ beati Petri basilicâ, in qua videlicet fratres ad divina officia interim convenirent, suprà dictam beati Benedicti ecclesiam, tam parvitate, quàm deformitate, thesauro tanto tantæque fratrum congregationi incongruam, evertere à fundamentis aggressus est. Et quoniam in ipso montis vertice constructa, & ventorum vehementibus flabris quaquaversum patuerat, & igneis frequenter fuerat attacta fulminibus, statuit, de solo Dei auxilio fidens, ejusdem montis saxeam cristam igni ferroque excindere, & quantum spatio fundandæ basilicæ posset sufficere, locum in imo defossum, quo fundamenta jaceret, complanare. Ordinatis igitur, qui hæc toto nisu & instantiâ summâ perficerent, ipse interea Romam profectus est, & amicissimos quosque conveniens, simulque larga manu pecunias oportunè dispensans, columnas, bases ac lilia *m*, nec non & diversorum colorum marmora abundanter coëmit, illaque omnia ab Urbe ad portum, à portu autem Romano per mare usque ad turrem Gariliani *n*, indeque ad Suium, navigiis conductis, ingenti fiducia detulit: ab inde verò usque in hunc locum plaustrorum vehiculis, non sine labore maximo, comportavit.

l

E

m

n

vias complanat, artifices conducit, * *i. e.* molestiæ

48 Et ut magis fervorem fidelium obsequentium admireris, primam hìc columnam ab ipso montis initio sola civium numerositas colli brachiique virtute imposuit: namque ad augmentum fatigii * montis hujus ascensus nimis tunc erat clivosus, artus & horridus; necdum enim in cor ejus ascenderat eandem viam complanare ac spatiare, quemadmodùm postea fecit. Tandem igitur totius basilicæ præter aditum, cum difficultate non parva, spatio complanato, & necessariis omnibus abundantissimè apparatis, conductis protinus peritissimis artificibus, tam Amalfitanis, quàm & Lambardis *o*, & jactis in Christi nomine fundamentis, cœpit ejusdem basilicæ fabricam in longitudine cubitorum centum & quinque, in latitudine verò cubitorum quadraginta & tres *, in altitudine autem cubitorum viginti & octo, basibusque suppositis, columnas desuper decem à latere uno, totidemque ex altero, in cubitis novem erexit, fenestras quoque in superioribus satis amplas, in navi quidem viginti & unam, in titulo *p* verò sex longas & rotundas quattuor, ac duas in absida mediana instituit. Porticus etiam utriusque parietes in altitudine cubitorum quindecim subrigens, fenestris hinc decem, totidemque inde distinxit.

o

F

* *l.* trium

p

& S. Benedicti corpus decentiùs recondit.

49 Aditum interea cùm planitiei basilicæ, quæ cubitorum fermè sex putabatur, consequenter disponeret coæquare, tres non integras ulnas fodiens, subitò Benedicti patris venerabilem tumulum repperit, moxque cum religiosis viris communicato consilio, ne illum aliquatenus mutare præsumeret, confestim, ne quis aliquid de tanto posset thesauro surripere, eundem tumulum, eodem, quo situs fuerat loco, pretiosis lapidibus reoperuit, ac desuper arcam de pario marmore in transversum basilicæ, id est à Septemtrione in Meridiem, quinque per longum cubitis opere nimis pulchro

con-

A construxit. Hoc itaque modo aditus in eminentia priori permansit, ita ut à pavimento ipsius usque ad pavimentum basilicæ octo gradibus descendatur, sub fornice scilicet maximo, qui eidem adito imminet, præter illum utique gradum, quo undique ad altare subitur.

Ecclesiæ novæ altaria, aliaque

50 Porrò in absida majori ad Orientalem plagam statuit altarium beati Baptistæ Joannis, in eo videlicet loco, ubi ejusdem olim oratorium Benedictus pater exstruxerat: à parte verò Meridiana altarium beatæ Dei Genitricis: à Septemtrionali autem altarium beati Papæ Gregorii, juxta cujus absidam bicameratam *q* domum ad thesaurum ecclesiastici ministerii recondendum extruxit, quæ videlicet domus secretarium *r* consuetudinaliter appellatur, eique ejusdem nichilominùs operis alteram, in qua ministri altaris præparari debeant, copulavit. Sanè quoniam spatiandæ ecclesiæ gratiâ partem non modicam cameræ suæ subtraxerat, consequenter etiam prædicto secretario conjunctam eandem cameram ampliorem priori potiùs ac pulchriorem effecit; secus ipsam verò, juxta porticum scilicet principalis ecclesiæ beati Nicolai, curvato pariete, brevem quidem, B sed pulchram admodùm fundavit ædiculam, ab ipsa autem usque ad extimam basilicæ frontem venerabile satis beati Bartholomæi apostoli oratorium opere pari porrexit.

q

r

ad illam pertinentia ædificia recensentur.

51 In ejus etiam fronte prope balvas * majoris ecclesiæ de quadratis & maximis saxis mirificam arcem, quæ vulgò campanarium ſ nuncupatur, erexit. Fecit & atrium ante ecclesiam, quod nos Romana consuetudine paradisum *t* vocitamus, longitudine cubitorum septuaginta septem ac semis, latitudine quinquaginta septem & semis, altitudine verò quindecim & semis; quattuor & totidem in geminis frontibus, octo autem & octo per latera singula super quadrifidas bases habens gerens *u* columnas. In cujus etiam Meridiano latere cisternam maximam, tantumdem longitudinis habens, arcuato opere sub ejusdem pavimento atrii fabricavit. Ante ingressum verò basilicæ, nec non & ante introitum atrii quinque desuper fornices, quos spiculos * dicimus, voluit. In occidentali porrò atrii parte in singulis cornibus singulas basilicas, modo turrium valdè pulchras erexit; in dextro quidem sancti archangeli Michahelis; in lævo autem beati Apostolorum principis Petri, ad quas videlicet interiùs ab atrio quinque gradibus est ascensus. Jam verò extra atrii vestibulum easdemque basilicas, quoniam clivosus valdè ad ecclesiam erat ascensus, montem ipsum sexaginta & sex per longum, totidemque per latum, septem verò cubitis in altum excavavit, adeò ut ab imo usque ad ipsum vestibulum atrii quattuor & viginti marmoreis gradibus, quos ibi constituit, ascendatur, habentibus in spatio latitudinis cubitos sex & triginta.

l. valvas.

ſ *t*

u

** i. e.* fornices acuminatos

C

XXIX. *Accersitis Constantinopoli artificibus,*

52 Legatos interea Constantinopolim ad locandos artifices destinat, peritos utique in arte musiaria & quadrataria, ex quibus videlicet alii absidam & arcum atque vestibulum majoris basilicæ musivo comerent, alii verò totius ecclesiæ pavimentum diversorum lapidum varietate consternerent. Quarum artium tunc ei destinati magistri, cujus perfectionis extiterint, in eorum est operibus extimari *; cùm & in musivo animatas ferè autumet se quisque figuras & quæque virentia cernere, & in marmoribus omnigenûm colorum flores pulchra putet diversitate vernare. Et quoniam artium istarum ingenium à quinquentis & ultrà jam annis magistra Latinitas intermiserat, & studio hujus inspirante & cooperante Deo nostro, hoc tempore recuperare promeruit, ne sanè id ultrà Italiæ deperiret, studuit Vir totius prudentiæ plerosque de monasterii pueris diligenter eisdem artibus erudiri. Non autem de his tantùm, sed & de omnibus artificiis, quæcumque ex auro vel argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, gipso vel lapide patrari possunt, studiosissimos prorsus artifices de suis sibi paravit. Sed hæc aliàs.

A. LEONE MARSICANO.

** lege* æstimari

53 Nunc verò constructam basilicam qualiter ex parte decoraverit, demumque sacraverit, prout possumus, designemus. Plumbeis igitur domatibus * illam totam cum titulo & utroque porticu ac vestibulo decenter operiens, absidam & arcum majorem musivo vestivit, in cujus videlicet circuitûs amplitudine aureis litteris hos versus describi præcepit:

ornamentis variis basilicam

** i. e.* tectis

Ut duce te, patria justis potiatur adepta,
Hinc Desiderius pater hanc tibi condidit aulam.

In absida verò hinc inde sub pedibus sanctorum Baptistæ & Euangelistæ Johannis versus istos:

Hæc domus est similis Synai sacra jura ferentes*,
Ut lex demonstrat, hîc quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exivit *x*, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per clymata secli.

* ferentis

E

x

Fenestras omnes tam navis quàm tituli plumbo simul ac vitro compactis tabulis, ferroque convexis * inclusit. Has verò, quæ in lateribus utriusque porticus sitæ sunt, gipseas quidem, sed similis ferè decoris extruxit.

** l.* connexis

magnificentissimè decorat.

45 Dehinc suppositio trabibus laqueari, coloribus figurisque diversis mirabiliter insignito, parietes quoque omnes pulchra satis colorum omnium varietate depinxit, pavimentum etiam universum totius ecclesiæ cum adhærentibus oratoriis beati Bartholomæi & beati Nicolai, simul etiam & cameræ suæ, mira prorsus & actenus partibus istis incognita cæsorum lapidum multiplicitate constravit: sed illud præcipuè, quod secus altarium est, & in choro gradibus illis, quibus ad idem altare conscenditur, crustis pretiosorum marmorum decenti diversitate distinctis. Frontem quoque chori, quem ferè in medio basilicæ statuit, quattuor magnis marmorum tabulis sepsit, è quibus porfiretica una, viridis altera, reliquæ duæ ac cæteræ omnes in chori circuitu simplices *. Vestibulum autem ecclesiæ desuper quidem musivo fecit pulcherrimo cum superlimineis arcubus decorari; ab inde verò usque ad imum pavimenti totam basilicæ faciem gipso vestiri. Arcus etiam ejusdem vestibuli deforis musivo nihilominùs vestiens, versus Marci *y* poëtæ inibi aureis litteris scripsit. Reliquas verò tres atrii partes diversis, tam Veteris, quàm Novi Testamenti historiis ab intus ac deforis depingi præcipiens, marmoreo totum pavimento constravit. Desuper autem laquearibus ac tegulis adoperuit, vestibulo quoque ejusdem atrii cum geminis turribus pari modo depicto, aperto ac marmorato *.

** al.* candidæ

F

y

** i. e.* marmoribus ornato

ANNOTATA. U. S.

a *Anno scilicet 1066, quo Alexander II memoratum infrà privilegium concessit, eo scilicet Godefridum Tusciæ ducem adversùs Normannos misit Pontifex, eumque cum Cardinalibus comitatus est, ut narratur cap. 25, & Casinense cœnobium invisens, nonnullos ad dignitates promovit, ut initio cap. 26 refertur, quæ, utpote ad Beatum non spectantia, prætermisi.*

b *Ughellus in archiepiscopis Capuanis hoc Hil-*

A. Leone Marsicano.

debrandi (*ab aliquibus dicitur Ulderinus*) *factum innectit synodo Romanæ anno* 1063 *celebratæ: at ex jam dictis liquet, Alexandrum II hanc Casinatibus immunitatem concessisse dumtaxat anno* 1066, *adeòque illigari etiam non potest synodis* 2 *&* 3 *ab Alexandro II Romæ habitis. Itaque statuendum est, factum illud Hildebrandi contigisse in synodo Romana ab eodem Alexandro Romæ coacta anno* 1070, *quæ quidem synodus in Collectione conciliorum locum non habet, celebratam tamen esse constat ex Cosma Pragensi, quem vide, uti & Criticam Pagii ad laudatum annum* 1070.

c *Cœnobii istius notitiam dedi in Commentario num.* 70 *& seqq., ibidem num.* 68 *& seq. reformationis ab Ostiensi relatæ epocham utcumque fixi.*

d *Consule dicta in Commentario num.* 72.

e *Roberto scilicet Guiscardo, qui, ut narrat Ostiensis antiquæ partitionis cap.* 15, *ad expugnandam Siciliam profectus fuerat.*

f *Adnotat hic ita Nuceus:* Deficit dux.

g Galea *medio ævo passim pro triremi sumitur.*

B h *Id est, admissus in possessionem.*

i *Asculum à geographis geminum memoratur, alterum cognomento* Satrianum, *in Capitanata regni Neapolitani provincia; in Marchia Anconitana alterum*, Picenum *appellatum: utri ex duabus hisce civitatibus attribuendum sit laudatum ab Ostiensi monasterium, non inquiro.*

k *Abbatia Terræ Majoris Ordinis est S. Benedicti, sitaque in diœcesi Beneventana. Vide Lubinum in Notitia abbatiarum Italiæ.*

l *Si in omni rigore loqui velimus, mense Martio anni* 1066 *nondum currebat annus* 9 *ordinationis Desiderii, cùm die tantùm* 19 *Aprilis anni* 1058 *in abbatem sit ordinatus; sed vox* ordinatio *minùs strictè hìc accipienda est, ac fortè ad* Desiderii *electionem, quæ facta est circa Natalem Domini anno* 1057, *respexit Ostiensis.*

m Epistylia vocat lilia, quòd liliorum formam referre solerent. *Ita Nuceus hic.*

n *Alio nomine* Liris *dicitur, estque fluvius Italiæ Latium à Campania Felice separans:* Turris *autem* Gariliani *eo loco exstat, quo in mare Tyrrhenum se exonerat.*

o *Nuceus ita hìc observat:* Utriusque siquidem
C nationis cementarii artifices frequentissimi erant, nec modò infrequentes.

p *Cangius in Glossario sic habet:* Titulus pars ea ecclesiæ, in qua altare consistit, βῆμα Græcis, Presbyterium Latinis ecclesiasticis scriptoribus. *Adductis autem tum hoc tum nonnullis aliis ex Ostiensi textibus, ita demum subdit:* Ubi perperam Angelus à Nuce titulum partem esse transversam ecclesiæ, quam nostri la croisée dicunt, existimavit.

q *Id est, duabus cameris constantem.*

r Secretarium nunc ecclesiastici appellamus sacrorum cimeliorum domum, quam & sacrarium & sacristiam. *Ita Nuceus hìc.*

s Campanarium *dicitur turris ecclesiæ, in qua campanæ pendent.*

t Paradisus, *teste Cangio, est atrium porticibus consitum, quod etiam Leo satis hìc exprimit.*

u *Mabillonius in* B. Victore III, *& editio Chronici Casinensis Guilielmi de Bruel, solùm legunt* habens, *omissa voce* gerens. *Alterutra certè redundat.*

x *Consule dicta in Commentario num.* 86.

y *Marcus hic discipulus fuit S. Benedicti, qui magistri sui laudes carmine celebravit, quod post* D *Chronicon edidit Nuceus, ubi à curioso videri potest.*

CAPUT V.

Novæ basilicæ solemnis dedicatio: populi ad eam concursus: imperatricis Agnetis dona.

HIs igitur omnibus intra quinquennii spatium, Deo prosperante & auxiliante, peractis, dedicare basilicam sollemnitate maxima & ingenti tripudio ad sempiternam memoriam Desiderius statuit, adiensque summæ Sedis Pontificem Alexandrum, ad eandem illum dedicationem venire devotissimè invitavit. Quo libentiùs annuente, Hildebrandum quoque archidiaconum ejus, cæterosque Cardinales ac Romanos episcopos *a*, deque Urbanis clericis ac nobilibus plurimos affectu familiarissimo convocavit. Die tantæ sollemnitatis ex consultu Apostolici & Cardinalium in ipsis Healendis Octobris constituta, ac litteris invitatoriis ejusdem Apostolici ad universos episcopos Campaniæ, Principatûs, Apuliæ atque Calabriæ datis. Famâ itaque hujus rei longè latéque vulgatâ, tanta totius ferè Italiæ episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, magnatium nobilium, mediocrium, diversæque condicionis virorum pariter ac mulierum ad diem condictam multitudo confluxit, ut stellarum ferè cæli, quàm illorum omnium numerositatem, cuilibet fuerit æstimare facilius *b*. Ita universæ monasterii officinæ & ipsa quoque officinarum omnium tecta, ita totius ab imo usque ad summum montis itinera, & quid dicam, domus civitatis omnes omnesque plateæ, omnia etiam longè latéque camporum adjacentium spatia congregatorum ad tanta sollemnia cuneis stipata erant, atque conferta. XXX. *Templum celebritur dedicatur,* a E b

56 Apparatus interea per tres illos continuos dies, præcedentes ac subsequentes eandem sollemnitatem, in pane videlicet ac vino, carniumque *c* diversarum ac piscium multiplicitate adeò est copiosus expositus, ut nullus ferè aliquis in F tam innumera multitudine, qui non se sufficienter hæc accepisse dixerit, potuerit reperiri. Interfuere itaque tantæ tunc celebritati archiepiscopi decem *d*: id est, Capuanus, Salernitanus, Neapolitanus, Surrentinus, Amalfitanus, Sipontinus, Tranensis, Acerentinus, Ydrontinus, Oiretanus. Episcopi autem quadraginta & tres, id est, Portuensis, Tusculanensis, Savinensis, Seguinus, Anagninus, Berulanus, Terracinensis, Cajetanus, Aquinensis, Soranus, Marsicanus, Balvensis, Pennensis, Teanensis, Calenus, Rosellanus, Aversanus, Nolanus, Avellinensis, Pestanus, Trojanus, Florentinensis, Melfitanus, Lucerinus, Draconarensis, Civitatensis, Termulensis, Guardiensis, Larinensis, Arianensis, Sernensis, Boviensis, Salpitanus, Cannensis, Rubessanus, Venusinus, Monorbinensis, Vigilensis, Melfittensis, Juvenazensis, Monopolitanus, Stunensis, Tarentinus, Perusinus, & Castellanus electus, qui videlicet in episcopum altero post dedicationem die sacratus est. *ipso Papa & præsulibus bene multis,* c d

57 De magnatibus autem Richardus princeps

Ca-

A *principibusque viris solemnitatem honestantibus.*

Capuanus cum Jordane filio & fratre Rainulfo; Gisulfus princeps Salernitanus cum fratribus suis, Landulfus quoque princeps Beneventanus, & Sergius dux Neapolitanus, Sergiusque dux Surrentinus *e*. Nam dux Robbertus Panormum eo tempore oppugnabat, ideoque tantæ sollemnitati tunc interesse non potuit: sed & Marsorum comitum, ac Balventium, filiorumque Borelli *f* ingens frequentia. Cæterorum verò potentium seu nobilium, tam nostratium, quàm Normannorum, omnium circumquaque terrarum, vel nomina, vel numerum innumerum nulla prorsus fuit possibilitas, vel consilium recensendi. Horum igitur omnium summa devotione & ingenti lætitia, maximo honore ac præcipuâ gloriâ dedicata est eadem beati Benedicti basilica, cum quinque altaribus suis, ipsa die Hcalendarum Octobrium, anno Incarnationis divinæ millesimo septuagesimo primo, Indictione nona, die Sabbati: & altaria quidem mediana, beati videlicet Benedicti & sancti Johannis vocabulis insignita, manu propria prædictus Apostolicus benedixit: altare verò, quod in Australi parte ad honorem sanctæ Dei Genitricis est situm, Johannes episcopus Tusculanensis: quod autem in parte Aquilonari ad nomen beati Gregorii, Hubaldus episcopus Savinensis: sancti verò Nycolai Herasmus episcopus Segninus sollemniter dedicârunt.

e

f

B

Recensentur sacra pignora

58 Quorum sanè Sanctorum reliquiæ tunc in singulis altaribus sint reconditæ, opportunum hoc in loco inferere duximus. In altare itaque beati Benedicti habentur reliquiæ sanctorum apostolorum Philippi & Jacobi, martyrum autem Alexandri Papæ, Sebastiani, Cyriaci, Chrisanctí & Dariæ. Os scilicet cruris, brachii, capitis, & ancæ *g* Abdon & Sennen, atque Ceciliæ virginis. Præter has etiam duo argentea scrinia, plurima diversorum Sanctorum pignera continentia, intra ipsum altare honorificè sunt in marmore superiori suspensa, quæ reverendissimus Benedictus *h* Papa ob amorem & reverentiam sanctissimi patris nostri Benedicti de arcivo Lateranensis palatii abstrahens, in hac ecclesia Casinensi direxit primo anno abbatis nostri Theobaldi, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vicesimo tertio, & hoc omninò interdixit idem sanctissimus Papa, ut nullus præsumat hinc aliquid auferre. Reliquiæ autem istæ sunt de Ligno Domini, de Sanguine Domini, de vestimentis Domini, de spinea corona, de lapide sancti Sepulchri, de velo sanctæ Dei Genitricis Mariæ, apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Joannis, Jacobi & Thomæ, Bartholomæi & Mathiæ, Simonis, Judæ & Mathæi. Spongiam cum sanguine sancti protomartyris Stephani, Laurentii, Stephani Papæ, Pelagii Papæ, Martini episcopi, Prudentii, Juliani, Augustini, Christophori, Æmiliani, Nicandri & Marciani, Alexii, Anastasii, Eugeniæ, Johannis & Pauli, Quadraginta Martyrum, & aliorum multorum locatæ sunt.

g

h

C

in altaribus aliisque templi locis

59 In altare sancti Johannis habetur de spongia, quæ fuit imposita Christo cum aceto; de lapide sancti sepulchri sanctæ Dei Genitricis Mariæ; ex oleo de candela sancti sepulchri, quæ videlicet per singulos annos, modo valdè mirabili, cælitus die sancti Sabbati Paschalis, videntibus cunctis accenditur. De manna sepulchri sancti Johannis Euangelistæ. De aqua Jordanis ex eo loco, ubi Dominus baptizatus est, & de reliquiis sancti Laurentii, Sebastiani & aliorum multorum. In altare sanctæ Mariæ habetur de lapide sepulchri ejusdem, & de reliquiis martyrum Dionysii episcopi, Cæsarii diaconi, Stephani Papæ, Primi & Feliciani. In altare sancti Gregorii habetur de lapide sancti sepulchri, de vestimento sanctæ Mariæ, de vestibus apostolorum Petri & Pauli, & de reliquiis sanctorum Quadraginta Martyrum, nec non Pancratii, Valentini & Hylarii, Martini episcopi, & de dalmatica sancti Ambrosii. In turri argentea, quæ est in arcu majori, hæ reliquiæ positæ sunt; de capite sancti Johannis Baptistæ, de vestimentis sancti Johannis euangelistæ, Andreæ apostoli, Sebastiani, Quadraginta Martyrum, de velo sanctæ Agathæ, de vestimentis sanctæ Susannæ. In absida sancti Joannis. In * corona Salvatoris, Lignum Domini, lapidem sancti sepulchri.

A. Leone Marsicano.

* *forte*, de corona, *& mox* de lapide *honorificè condita.*

60 Super omnia verò hæc, quod tacendum non duximus, in singularum columnarum ejusdem basilicæ capitellis, tempore constructionis, reverenter satis in æreis pixidulis reliquiæ sanctorum Philippi & Jacobi, Johannis & Pauli, Nicandri & Marciani, Cornelii & Cypriani, Cyrini & Maximi, Sebastiani, Focæ, Euticii, Quadraginta Martyrum, de capillis sancti Remigii episcopi, & aliorum multorum locatæ sunt. In altare sancti Nycolai habentur reliquiæ sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani, Sebastiani, Nicandri & Marciani, Cyrini & Maximi, Focæ episcopi, Euticii, Quadraginta Martyrum, & de capillis sancti Remigii episcopi. In quattuor angulis campanarii hæ reliquiæ sunt, Lignum Domini, de lapide sancti sepulchri, de vestimentis sanctæ Mariæ, lapide de sepulchro ejus, sanctorum apostolorum Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Martini episcopi. In cruce campanarii Lignum Domini, de capite sancti Johannis Baptistæ, Bartholomæi apostoli, Cyriaci diaconi. In frontispicio ecclesiæ in cruce ærea Lignum Domini, de lapide sancti sepulchri, Mauri abbatis & sanctorum martyrum Johannis & Pauli *i*.

E

i

61 Peracta igitur sollemniter celebritate Missarum & Apostolicæ Potestatis auctoritate tam iis, quos tunc præsentes esse contigerat, quàm omnium *, qui per octo continuos dies ob devotionem tantæ sollemnitatis ibidem accurrere possent, confessorum peccatorum absolutione concessa, cum maxima & ingenti lætitia singuli redierunt in sua. Verùm præfatæ absolutionis gratiâ, tanta undique huc diversi sexus atque ætatis per eosdem octo dies hominum se continuavit frequentia, ut neminem ferè illorum, qui ad primum diem confluxerant, domum remeâsse putares.

XXXI. *Ingens populi concursus ad celebritatem, ex qua* * *l.* omnibus

F

Nec modus est, populis coëuntibus agmine denso,
Nec requies, properant in lucem à nocte, diemque
Expectare piget.
Lucani * coëunt populi, coit Apula pubes, * *al.* Campani
Ac Calabri, & cuncti, quos alluit æstus uterque,
Qui lævâ & dextrâ Latium circumstrepit omne,
Ipsaque cælestium * sacris procerum monumentis, * cælestium
Roma Petro Pauloque potens rarescere gaudet;
Milia profundens ad mœnia celsa Casini,
Vincit iter durum pietas, amor & Benedicti,
Vincit & alma fides, præsens de * omnibus istic * *lege* Deus.

Cre-

A. Leone Marsicano.

Creditur, & ſummi Benedictus gloria Chriſti. Infidelem certè quiſque ſe credere, miſerum penitus æſtimare, ſi tantæ ſollemnitatis vel fini tandem non ſatageret intereſſe.

& Deſiderii & Caſini nomen inclaræſcit.

62 Ex eo jam per totum Chriſtianum orbem cœpit celebritatis tantæ gloria divulgari; ex tunc locus iſte, licèt ab olim Benedicti patris meritis famoſus, ac nobilis fuerit, nobilior multò ac glorioſior cœpit haberi, patriſque Deſiderii nomen, apud pleroſque jam dudum magnum & celebre, celebrius deinceps ac nobilius per Occidentem totum diffundi, prudentiæ ſimul ac religionis maximæ ab omnibus prædicari, omnibuſque ipſius temporis abbatibus ubique locorum, non ſolum in Occidentalibus & Orientalibus partibus, ſed & per orbem terrarum ab omnibus cenſebatur jure præferri. Partim igitur deſiderio Deſiderium viſendi, partim verò templi tam vulgati & tam celebris contuendi, partim denique in hoc ſacroſancto cœnobio converſandi, & Deo quoad viverent, ſerviendi, multi ex multis & extimis terrarum partibus huc cœpere confluere, & hylariter Deſiderio recipiente, factum eſt, ut intra ipſum fermè biennium ad ſecundum circitèr centenarium congregationis loci hujus ſe numerus porrexiſſet. Jam verò diverſorum regum atque potentium utriuſque ſexus quanta circa eundem venerabilem Patrem cœperit haberi devotio, ſupplices ad eum litteræ & munera decentia teſtabantur, quibus ſe ſuoſque omnes, tam ſuis, quàm fratrum ſub eo degentium precibus attentiùs commendabant.

B

xxxii. *Deſiderium inviſit Agnes imperatrix.*

k

63 Nec imperatricis quoque Agnetis *k* dignum videtur religioſam tacere devotionem, quæ velut altera regina Saba, Salomonis alterius & alterius templi magno videndi deſiderio ducta, ex ultimis huc Germaniæ finibus adventavit, ac per medium fermè iſtic anni ſpatium commorans, multò majora ſe de his, quæ ſuper hoc loco auditu perceperat, tam ſecundùm Deum, quàm ſecundùm ſeculum, videre gaudebat & aſſerebat, meritò cenſens & locum & Patrem & fratres per totum orbem ſui ordinis hominibus celebriores habendos. Optulit autem B. Benedicto, prout auguſtalem dignitatem decebat, dona magnifica, id eſt, planetam diaſperam *l*, totam undique auro contextam. Albam quoque à ſcapulis & capite ac manibus friſo decentiſſimè adornatam, à pedibus verò friſeâ nichilominùs liſtâ, menſuram fermè cubiti in latitudine habens *, circumdatam, ſimulque & amictum cum bruſto *m*, pluviales duos purpureos, pretioſis aureis liſtis ornatos; pannum diarodanum friſatum cum auro ante faciem majoris altaris; nec non & pallium magnum cum elefantis, quod doſſale *n* cognominant: Euglium *o* cum tabula fuſili de argento opere anaglifo, & pulcherrimè deaurato: duo quoque candelabra argentea æquè fuſilia, pondo librarum xii.

l

C

* habente

m

n

o

ANNOTATA. U. S.

a *Nuceus in Notis hìc epiſcopos intelligit Romano Pontifici aſſiſtentes, Oſtienſem videlicet, Portuenſem &c.*

b *Hyperbolica hæc locutio eſt.*

c In tam effuſa populi frequentia conſuetam à carnibus abſtinentiam hoſpitibus præſcribere incommodum fuiſſet & impoſſibile, *inquit Nuceus hìc.*

d *De præſulum numero aliiſque huc facientibus conſule dicta in Commentario num. 77 & ſeqq.*

D

e *Magnates paulò aliter recenſet anonymus in Commentario num. 76 laudatus. Ita habet:* Principes autem Capuani Richardus & Jordanus filius ejus, & Jordanus patruus, Giſulphus princeps Salernitanus, Pandulphus princeps Beneventanus, Sergius dux Surrentinus, Raynulphus comes.

f *Gentile* Borelli *nomen derivatum puto, ut aliàs non infrequenter factum legimus, ab oppido vel caſtro quodam, cujus ſeu comites, ſeu domini erant: locum autem hujuſmodi,* Burella *dictum, invenio in Aprutio Citeriori, haud procul à fluvio Sangro & comitatu Moliſino. Borellum titulo* comitis *exornat Petrus Diaconus infrà num. 72. Borellos quoque ſæpè recenſet Carolus Borellus in Catalogis baronum, quos ſubtexuit ſuo Neapolitanæ nobilitatis Vindici.*

g *Vox eſt Italica, quæ Latinè coxendix.*

h *Hujus nominis VIII in ſerie Romanorum Pontificum.*

i *Ad omnes iſtas reliquias nihil annotandum cenſui, ne juſto longiora fiant annotata.*

E

k *Agnes imperatrix, vidua Henrici imperatoris, qui inter Henricos Germaniæ reges eſt tertius, mater Henrici IV, tunc regis Germaniæ ac poſtea imperatoris, præſtanti erat pietate mulier, nec conſentiebat molitionibus Henrici filii ſui contra Sedem Apoſtolicam. Peccaverat tamen Cadaloo pſeudopapæ contra Alexandrum II adhærendo. Hoc ut expiaret, & ſimul ut quietiùs viveret, in Italiam ſe receperat, & plerumque Romæ degebat, ut videri poteſt apud Baronium, tom. 10 Annalium, ubi multa de Agnete imperatrice variis locis habet. Erat Caſini anno 1073, ut liquet ex Epiſtola Gregorii Papæ VII, tunc recenter electi, ad* Deſiderium *abbatem, ſive ad Beatum noſtrum, quæ videri poteſt apud Baronium ad annum 1073 num. 29.*

l Diaſpram *aliàs legitur. Vox eſt ſatis frequenter uſitata medio ævo in ornamentis eccleſiaſticis, ut videri poteſt in Gloſſario Cangii auctо, in quo tamen ſignificatio ejus non explicatur. Crediderim voce* diaſpro *colorem intenſiſſimè album deſignari, quia recentiores Græci (ut etiam obſervat Nuceus ad eamdem vocem lib. 2 cap. 43 ex Meurſio, cui & alia Lexica Græco-barbara conſentiunt) voce ἄσπρον* album *ſignificant. Hinc Macri in Hierolexico vocem* diaſprum *exponunt* dupliciter album. *Sic paulò inferiùs vocem* diarodanum *exponendam puto de roſeo colore intenſiore, ut idem ſit quod* diarhodenus, *quæ eſt vox aucta ex* rhodinus *roſei coloris ſeu Græca voce* ῥόδον roſa.

F

m *Id eſt,* cum faſcia, vel friſo aurato, *inquit Nuceus. At in Gloſſario Cangii* bruſtus & bruſtum *exponitur opus phrygium ſive acu pictum.*

n Doſſale *aut* Dorſale *eſt pallium ſive aulæum, quod parietibus appenditur, ut habet Gloſſarium Cangii, ubi varia ad id probandum allegantur exempla.*

o *In Margine notatur* Euangelium.

A

CAPUT VI.

Quæ Beatus contulerit novæ basilicæ ornamenta, & quæ tum intra, tum extra claustrum ædificia fecerit: deque variis instauratis & sacratis ecclesiis.

'XXXIII. *Sumptuosa ornamenta,*

LIbet nunc post ecclesiæ dedicationem residua exornationis ipsius describere, ut licentiùs deinceps valeamus Desiderii gestis, tam in ædificiis, quàm & in aliis quibuslibet magnificentiis operam dare. Ad supradictam igitur regiam urbem quendam de fratribus cum literis ad imperatorem, & auro triginta & sex librarum pondo transmittens, auream ibi in altaris facie tabulam, B cum gemmis ac smaltis *a* valdè speciosis patrari *a* mandavit, quibus videlicet smaltis nonnullas quidem ex Euangelio, ferè autem omnes beati Benedicti miraculorum insigniri fecit historias. Quem certè nostrum confratrem imperator Romano *b* nimis honorificè suscepit, & quamdiu ibi *b* mansit, honestè cum suis omnibus reverenterque tractavit, & quidquid ornamentorum * inibi vellet efficere, imperialem ei licentiam tribuit. Fecit itaque & cancellos quattuor fusiles ex ære, ante altare scilicet hinc inde inter chorum & aditum statuendos; trabem quoque nichilominùs fusilem ex ære, cum candelabris numero quinquaginta, in quibus utique totidem cerei per festivitates præcipuas ponerentur, lampadibus subtèr in æreis uncis ex eadem trabe triginta & sex dependentibus.

* *al.* operum

quibus novam basilicam

60 Quæ videlicet ærea trabes, æreis æquè brachiis ac manibus sustentata, trabi ligneæ, quam pulcherrimè sculpi, & auro colorumque fucis interim fecerat Desiderius exornari, commissa est, & supra sex columnas argenteas, quattuor & semis in altitudine cubitos habentes, & octo libras per singulas, in ipsa chori fronte constituit: sub C qua nimirum trabe quinque numero teretes iconas suspendit, tredecim verò quadratas paris mensuræ ac ponderis desuper statuit: è quibus videlicet decem ex quadratis prædictus frater apud Constantinopolim crosso *c* argento sculpsit ac deauravit, habentes per singulas aliæ libras quattuordecim, aliæ duodecim: rotundas verò omnes, argenteâ solùm urnâ quattuor librarum circumdans, cætera coloribus ac figuris depingi Græcâ peritiâ fecit: tres verò alias de quadratis ejusdem metalli atque mensuræ patrari suorum artificum opere nequaquam dissimili Desiderius jussit. Alteram quoque iconam rotundam, ex utraque parte argento mirificè sculpto ac deaurato vestitam, argenteis etiam bullis extrinsecùs in giro circumdatam, quidam nobilis tunc beato Benedicto à regia urbe transmisit, cui postmodùm similis altera fieri jussa; utraque est in ciburio altaris hinc inde suspensa.

c

abundè instruxit Desiderius,

61 Ceraptata *d* etiam ærea fusilia valdè pulchra, duo magna, & parva septem, supradictus frater secum à Constantinopoli detulit. Fecit præterea Desiderius & aliam trabem de argento, librarum circitèr sexaginta, sculptam nichilominùs ac deauratam, quam in fornice majori ante altare, super quattuor argenteas columnas, ex parte inauratas, decem libras, & quinque cubitos altitudinis habentes, locavit. Fecit & duas cruces magnas argenteas librarum per singulas triginta, quarum imagines cælaturâ satis mirificâ prominerent, easque sub prædicta trabe inter easdem columnas hinc inde super marmoreos stipites statuit. Tres porrò reliquas majoris altaris facies argento librarum octoginta & sex, bene sculpto ac deaurato, vestivit: nam reliquorum trium altarium facies veteribus tabulis à tribus partibus adornatæ sunt. Quattuor etiam trabes propter ciburium altaris simili modo sculpto ac deaurato argento extrinsecùs induit; ab intus verò petalis *e* & coloribus decoravit, è quibus duæ habent cubitos in longitudine sex, libras viginti & viginti, duæ verò aliæ cubitos quattuor ac semis, libras viginti & viginti.

A. LEONE MARSICANO.

e

singillatim enumerantur.

62 Sex etiam candelabra magna, tres cubitos altitudinis habentia, de productis ac sculptis argento lamminis fecit, ana *f* sex vel quinque librarum, quæ videlicet in festis præcipuis ante altare in directa linea posita accendi cum maximis faculis debeant. Pulpitum quoque ligneum ad legendum sive cantandum, longè priori præstantius & eminentius, fecit in ascensu graduum sex, idque diversis colorum fucis & auri petalis * de pulchro pulcherrimum reddit: ante quod columnam argenteam, viginti & quinque librarum, partim deauratam, ad modum magni candelabri, sex cubitorum in altitudine habens, supra basem porfireticam statuit, super quam videlicet cereus magnus, qui Sabbato Paschali benedicendus est, follemniter debeat exaltari. Fecit & pharum *g*, id est, coronam maximam de argento, librarum circitèr centum, habens in circuitu cubitos viginti, cum duodecim turribus extrinsecùs prominentibus, sex & triginta ex ea lampadibus dependentibus, eamque extra chorum ante Crucem majorem satis firmâ ferreâ catenâ, septem deauratis malis distinctâ, suspendit. His tantisper de constructione, consecratione, partimque decoratione novæ basilicæ quoquomodo * exaratis, ad cætera monasterii ædificia percomplenda, simul cum nostro Desiderio reditum faciamus.

f

E

* laminis

g

* *al.* quomodolibet

Cœnobii Casinensis vetusta ædificia

63 Post transactam igitur solemnem basilicæ dedicationem, cernens Desiderius, divina cooperante potentia, simulque patris Benedicti meritis, omnia, quæ cœperant, ad perfectum, prout optaverat, perveniisse, audentior jam, immò valentior factus, totius cœnobii ambitum decrevit ingenti animo spatiare, &, ut jam de aliquibus fecerat, reliquas officinas, cum his etiam, quæ ipsemet ante ecclesiæ constructionem construxerat, renovare. Et primò quidem claustrum, quod tantæ congregationi adhuc permodicum esse constat *, ampliare desiderans, everso mox vetere refectorio, quod satis enormiter à latere templo, à fronte verò capitulo inhærebat, quoque * etiam ipse dudum bis tempore diverso adauxerat, in ulteriori illud parte futuri claustri, juxta Meridianum scilicet atrii ecclesiæ latus, decorum valdè satisque magnum extruxit, diversisque totum coloribus pictorum artificio compsit, & laqueari appositò trabibus, tegulis desuper operuit. Legivum *h* quoque perpulchrum & eminens in eo constituit, quod valdè decenter gipso vestitum, cunctis spectabile reddidit. Cujus videlicet domus longitudinis * in cubitis quinque & nonaginta extenditur, latitudo in tribus & viginti porrigitur, in quintadecimum * verò altitudo sustollitur, ab Orien-

F

* *al.* constabat

* *al.* quodque

h

* longitudo

* *al.* quindecim

A. Leone Marsicano.

Orientali parte habens ingreſſum, ab Occidentali verò abſidam, ante quam profectò ampla valdè abbatis menſa ex tranſverſo cernitur conſtituta. Habet autem à latere Meridiano feneſtras quattuordecim, circa pulpitum tres, à Septemtrionali verò duas tantùm, duas quoque rotundas in frontibus ſingulis, omnes vitro tam gipſo quàm plumbo inſigniter laboratas.

deſtruit, novaque

64 Juxta eandem quoque domum, ab Auſtrali parte, coquinam fratrum, amplam ſatis & pulchram, in duobus invicem connexis fornicibus, quos una tantùm columna ſuſtentet, erexit, interque ipſam & refectorium, gradus & januam, unde quæque neceſſaria in idem refectorium ſive conferantur, ſive referantur, conſtituit. Ex altera verò ipſius coquinæ parte cellarium ſtatuit, ex quo videlicet tam refectorio quàm coquinæ quælibet debeant neceſſaria tribui. Poſt hæc, cùm necdum ſufficiens ſibi ad tantam fratrum multitudinem clauſtri ſpatium videretur, Vir certè magnanimis & nimis magnæ fiduciæ, dormitorium atque capitulum, quæ dudum ipſemet magno valdè ſumptu ac ſtudio fabricaverat, necnon & veterem infirmantium domum ex integro eſt aggreſſus evertere, & clauſtri ampliandi occaſione eaſdem quoque domos ampliores efficere. Quoniam igitur exteriorem dormitorii murum porrò longè ab altero in magno montis præcipitio ſtatuebat erigere, quinque croſſam * cubitis maceriam in fundamento maximæ firmitatis gratiâ jaciens, eam in ducentorum ſpatio cubitorum per longum extendit, in altitudine autem cubitorum triginta erexit, quattuor & viginti cubitis à muro interiori diſtantem. Habens à Meridiano tantùm feneſtras amplas viginti, è quibus tres maximæ tribus columnellis marmoreis fulciuntur. Quæ videlicet domus longè priore amplior, firmior ac pulchrior, ſtudioſè nimis eſt & fabrorum peritiâ lateribus tecta, & pictorum artificio coloribus decorata. Juxta quam etiam in ulteriori capite ipſius veſtiarium fratrum conſtruxit, parvum quidem, ſed ſatis competens, pulchrumque.

B

* *i. e.* craſſam

decentiora & commodiora

65 His triennio circitèr conſummatis, montem è veſtigio, qui intrà jacebat, ſuffodere aggreſſus eſt, per longum ſcilicet cubitis centum & quinque, per latum autem quadraginta & novem, per altum verò circitèr ſeptem *; ſicque capituli ædem ab Orientali parte per tranſverſum conſtituit, ut interior ejus frontiſpicii angulus angulo exteriori tituli *i* baſilicæ ſit connexus; abſida verò ipſius appropiare dormitorio videatur: cujus videlicet domus longitudo cubitorum quinquaginta & trium, latitudo viginti, altitudo autem octo & decem habetur; habet autem à latere uno feneſtras vitreas ſpecioſiſſimas novem, ab altero totidem, à frontiſpicio Aquilonali tres rotundas, ab Auſtrali verò duas æquè rotundas, laqueari & pavimento, ſeu picturis pretioſiſſimis * ſufficientiſſimè decorata. Tantam autem tunc, cùm iſta ſuffoderentur, terræ motuum ſumus experti frequentiam, ut uno quidem die vicibus decem & ſeptem, per alios verò aliquot dies nunc quattuor, nunc duobus, modò etiam ſex, vel quinque vicibus, id per dies ſingulos ſentiremus. Quod certè propter innumeras ejuſdem loci ſepulturas *k*, tunc neceſſariò violatas, quæ ſanctorum fortè hominum fuerant, non ab re contigiſſe, multi putavimus: aliàs ſanè ſatis rarò in hoc loco ſolet fieri terræ motus.

* *al.* circiter decem

C

i

* *al.* pulcherrimis

k

exſtruit, ædificia quoque erigit

66 Verùm quoniam ingens præcipitium ab interiori dormitorii parte remanſerat, erectis ſecus domum eandem cameris *l*, & terrâ ſaxiſque cætera replens injectis, itemque ante refectorium, in fronte videlicet clauſtri, curvâ nichilominùs camerâ ciſternam maximam fabrificans, ita demum totius clauſtri ſuperficiem coæquavit. Mox itaque arcus per girum deambulatorios ſuper centum & decem marmoreos columnellas * inſtituens, clauſtrum omne in longitudinem cubitorum centum & quinque *, in latitudinem verò quinque & ſeptuaginta * diffudit. Cujus quia ea pars, quæ majoris baſilicæ erat contigua, ſi cæteris coæquaretur, non aptus in eandem baſilicam eſſet ingreſſus, ſubtus item, & ſuprà deambulatorios fornices fecit, & in ejus utriuſque angularis * marmoreos gradus, quibus in cætera deſcenderetur, inſtituit, ad capitulum * quidem quintodecimum, totumque in circuitu & lapideis pavimentis Bizantei artificum * ſtravit, & picturis pulcherrimis compſit. Nichil hoc moratus expleto, ſolarium palatii illius, quod à Richerio cœptum, ipſe perfecerat, ab eminentia priori ad clauſtri planitiem depoſuit, adque inibi * infirmorum fratrum quietem conſtituit. Porrò ab Occidentali parte clauſtri, juxta ciſternam videlicet, quam prædiximus, cellam noviciorum ordine ſatis aptavit, in qua videlicet idem * juxta regulare inſtitutum & meditari & quieſcere atque comedere novicii ipſi deberent; ſicque jam tandem fratres, qui eatenus ſuper tot operibus inquietati ac moleſtati plus quàm ſatis extiterant, opportuna ſimul & amœna quietis ſtatione locatos, ordini de cætero regulari, quantò ordinatiùs, tantò diſtrictiùs, operam dare perdocuit.

D

* *al.* columnas marmoreas

* *al.* octoginta & quinque

* *al.* quinque & ſexaginta

* *al.* angulis

* *al.* à capitulo

* *al.* artificii

* *al.* inibi cum balneo & ceteris opportunitatibus

* *al addit.:* juxta refectorium videlicet fratrum cellam

67 His igitur omnibus ex voto perfectis, & interioribus fratrum officinis decentiſſimè, ut aptaverat *, conſummatis, ad exteriora ſe nihilominùs ædificia monaſterii perficienda * impiger ac fortis accingit. Ab Occidentali igitur parte primùm maceriam firmiſſimam erigens, portam cubitos penè triginta extra veterem de quadratis ac ſeptis * lapidibus ſtatuit, ſupra quam turrem fortiſſimam in quattuor magnis columnis erectam ingenti camera confirmavit. Verùm cùm exteriùs præcipitium pateret immenſum, tumulus verò interiùs magnus exiſteret, eo defoſſo, præcipitium illud ſaxis ejus & terrâ, clivoſo licèt tramite, pervium fecit, ibique juxtà, extra portam ſcilicet, xenodochium maximum fabricavit: itáque demum hinc inde muro contiguo, ac civitatum more *m* munito, univerſum monaſterium circumſepſit. Dehinc Aquilonali parte palatium quantitatis non modicæ ad hoſpitum quorumque receptionem ædificavit. Piſtrinum quoque tanto decore conſtruxit, ut multi peregrinorum huc venientium, ignorantes, quaſi ad eccleſiam, ſæpiùs illuc oraturi convenerint. Non ceſſabat, dum iſta agerentur, Deſiderius conquirendis eccleſiæ ornamentis inſudare, & undecumque poſſet, quibuſcumque poſſet ingeniis, quæ ejus apta eſſent pulchritudini, comparare.

extra ſepta, & clauſtrum muro cingit.

* *al.* optaverat

* *al.* reficienda

* *al.* ſectis

m

F

XXXIV. *Eccleſiam B. Martini inſtaurat,*

68 Chriſto igitur duce, omnia ſibi, prout optaverat, eveniſſe cognoſcens, hinc ad eccleſiam beati Martini, quæ ſola ferè jam intra monaſterii ambitum de veteribus ædificiis remanſerat, renovandam, totum cor Deſiderius vertit. Diruta namque priori ejuſdem beati Martini baſilica, jactiſque in Chriſti nomine fundamentis, cœpit ejuſdem eccleſiæ fabricam in longitudine cubitorum trium & quadraginta, latitudine viginti & octo, altitudine viginti & quattuor; feneſtras verò ab uno latere novem, ab altero totidem. Porticus etiam utriuſque parietes in ſedecim cubitorum altitudine erigens, feneſtris *n* quattuor & quattuor, to-

n

totidemque ab altero distinxit, & illas quidem, quæ in navi sunt, plumbo simul & vitro compactis tabulis ferro ligatis inclusit. In frontispicio porrò ejusdem ecclesiæ fenestras tres, ac unam in absida distinguens, similis decoris patrari mandavit: illas autem, quæ in porticibus sunt, gipseas quidem, pari verò decore construxit. Columnas verò novem ab uno latere, totidemque ab altero erexit. Secus ipsam quoque ecclesiam curvato pariete, brevem quidem, sed perpulchram domum ad ejusdem ecclesiæ ministerium construxit. Cancellos verò lapideos ante beati Martini altarium mirificos patrari fecit: absidam autem musivo decenter vestivit, in qua etiam aureis litteris hos versus describi præcepit:

Cultibus extiterat quondam locus iste dicatus
Dæmonicis, inque hoc templo veneratus Apollo:
Quod pater huc properans Benedictus in omnipotentis
Vertit honore Dei, Martini & nomine sancti;
Hoc Desiderius post centum lustra vetustum,
Parvumque evertit, renovavit, compsit & auxit.

B 69 Jam verò ipsius ecclesiæ pavimentum quàm sit conspicuum, quàm speciosum ac diversorum marmorum multiplicitate constratum, oculis omnium patet. Leginum* quoque pulcerrimum, auro atque coloribus pictorum ingenio decoratum, ibidem extrui jussit. Ante ipsius namque beati Martini altarium tabulam argenteam ac deauratam & pulcerrimè scultam, quattuor & quadraginta libras habentem, Desiderius patrari mandavit, in qua omnes ferè beati euangelistæ Matthæi & sancti confessoris Christi Martini desculpsit historias. Fecit & portas æreas in ingressu ejusdem ecclesiæ. Juxta eandem verò basilicam mansiunculas, in qua ipse maneret, construens, trabibus appositis, tegulis desuper operuit. Hæc ubi cooperante Domino, prout optaverat, consummavit, beati Bartholomæi apostoli basilicam, cum fratrum universo conventu tertio Nonas Januarias à Johanne hujus antè cœnobii monacho, pòst Sorano episcopo, fecit sollempniter dedicari. In cujus altari Apostolici corporis partem non exiguam in argentea recondidit capsa, in qua etiam has reliquias posuit: de lapide sancti sepulchri, & sanctorum Johannis & Pauli, Viti, Januarii, Hermetis & Quadraginta Martyrum. Enimverò tantæ apud Romanum Pontificem Desiderius auctoritatis habebatur & gratiæ, ut in quibuscumque vellet, proprio pastore viduatis ecclesiis vel cœnobiis, juris ei esset suis ex fratribus episcopos substituere, vel abbates.

*S. Bartholomæi, aliasque dedicat, * i. e.* pulpitum

C 70 Non multo post hæc temporis evoluto, ædeculas quoque illas, quas instar turrium in atrii diximus angulis constitutas, alteram ab eodem Johanne, alteram à Leone fecit Aquinensi episcopo, magna cum lætitia dedicari quarto Idus Septembris. Sanè in altari beati archangeli Michaëlis reliquias condidit sanctorum Nicandri & Marciani, Johannis & Pauli, Viti, Mercurii & Caterinæ, & vocabula *o* sanctorum Apollinaris episcopi, Proti & Jacinthi. Altare verò Principis Apostolorum Leo Aquinensis episcopus divino nomini, ipso domno Abbate, omniumque fratrum præsente conventu, cum magna lætitia & devotione sacravit: in eodem verò altario reconditæ sunt reliquiæ istæ: de quinque panibus ordeaceis*, & sanctorum apostolorum Petri, Matthæi, Jacobi, Nazarii & Celsi, Januarii, Felicissimi & Agapiti, Sergii & Bacchi, Nicandri & Marciani, Aurelii, Protasii, Fortunati & sociorum ejus, & de vestimentis trium puerorum *p*. . . .

& reliquiis exornat.

o

** i. e.* hordeaceis

A. LEONE MARSICANO.

p

ANNOTATA. J. S.

a *In Lexicis Græco & Latino-barbaris Cangii voces* Smaldus & smaltus *aut* smaltum *exponuntur secundum significationem vocis Italicæ* Smalto encaustum. *Verùm, ut jam dictum est ad cap.* 3 *lit.* x, *varii reperiuntur textus, qui magis innuunt genus quoddam lapidis pretiosi. Fortè intelligendi erunt lapides, quos ars encaustica speciosos fecerat.*

b Romano *more Italico pro* Romanus. *Nam nomen est proprium, & designatur Romanus Diogenes eo tempore imperator Constantinopolitanus, cujus imperii finem post Baronium Pagius in Critica figit anno* 1071. *Missus igitur erat ille frater Constantinopolim ante dedicationem ecclesiæ, & verisimiliter pleraque ecclesiæ ornamenta ante dedicationem fuerunt parata.*

c Crosso *pro* grosso *æquè barbaro ponitur. At vox* grosso *eo tempore multùm usitata erat pro voce* crassus, magnus *&c. Nuceus voces explicat de argento, ex quo icones sunt compositæ, dicens:* Non bracteis tantum argenteis vestivit. *Forsan* crosso argento *idem hic est ac* magnis expensis.

d *Vox* ceraptata *etiam occurrit in Chronico hoc lib.* 2 *cap.* 102; *sed eam à Nuceo expositam non invenio. In Glossario Cangii nonnullæ allegantur exempla, quæ omnia mihi videntur insinuare* candelabra *ad cereos imponendum.*

e Petalis, *id est, laminis, ut latè probat Nuceus. Vox* Πέταλον *in eadem significatione Græcis medii ævi usitata fuit, ab iisque ad Latinos verisimiliter translata.*

f Ana *idem hic significat, acsi diceretur* singula, *ut ostendit Nuceus, & Cangius in Glossario.*

g Pharus *Latinè dicitur turris prope mare posita, in qua noctu in commodum navigantium multum luminis accenditur. Ingentes verò illæ lucernæ sive coronæ, quæ in ecclesiis suspenduntur, & multa simul luminaria continent, ob qualemcumque cum pharis similitudinem, medio ævo etiam non raro* phari *fuerunt appellatæ; ut ostendunt Nuceus & Cangius.*

h *Id est, pulpitum ad legendum.*

i *Notat Nuceus, vocem* tituli *abesse in alio codice.*

k *De his terræ motibus in Commentario num.* 84.

l Arcubus videlicet & fornicibus, non cubiculis; *inquit Nuceus.*

m *In alio codice*, ac propugnaculis civitatum more munito. *Sequuntur & aliæ quædam lectiones variantes apud Nuceum. At illas omisi, quòd nullius sint momenti.*

n *De variatione in numero fenestrarum & mox columnarum hæc observat Nuceus:* In codice B numerus vacat. Opinor, quo tempore Leo (*Ostiensis*) scripsit, fabricam non fuisse consummatam: vel inter fabricandum numerus est variatus. Sic ubi vetustior codex legit. "Columnas „ numero sexdecim „: codex Petri (*diaconi*) habet: Novem & novem „.

o *Quid hìc significet* vocabulum, *valde obscurum est. Recurrit vox illa in eadem significatione lib.* 4 *cap.* 8, *ut notat Nuceus, qui fatetur se ignorare, quid eâ propriè significetur.*

p *Hoc loco finem scribendi fecit Leo Ostiensis,*

A. PETRO DIACONO. *ut observat Nuceus, ita scribens:* Hoc caput claudit codicem B., qui solam Leonis Ostiensis Historiam continet... Certè hoc caput legitur in codice Leonis, cujus stylum sapit. Et multa hîc variavit Petrus, ut hinc saltem agnoscere potuerit Lauretus, ab utroque scriptum fuisse. Deinceps autem varias lectiones nostrorum manuscriptorum non habebis: ex unico quippe Petri codice sequentia sumpsimus *&c. Lectiones variantes, quas non dedi, ferè tantùm consistunt in omissionibus, ut apud Nuceum videri potest.*

CAPUT VII.

Variæ variorum donationes: jus in ecclesias S. Sophiæ & S. Angeli Casinensibus confirmatur à Gregorio VII, qui Casinensi ecclesiæ sacris interdicit.

B

XXXVI. *Alexandri Papæ aliorumque,* a b

SEquenti tempore supradictus Papa Alexander *a* Urbem egrediens, venit ad hoc monasterium, qui à Desiderio honorificè susceptus *b*.... Fecit præterea idem sanctissimus Pontifex patri Desiderio privilegium de monasterio sanctæ Mariæ in Palladio *c*, cum attinentiis suis, recipiens ab eo ecclesiam sanctæ Jerusalem *d*, quam Leo Papa reverendissimus, sicut suprà taxavimus, Richerio abbati nostro tradiderat. Concessit etiam prædictus Papa Alexander personaliter *e* nostro Desiderio civitatem Terracinensem, cum pertinentiis suis. Defuncto autem eodem Pontifice *f* clerus populusque Romanus in unum conveniunt, Hildebrandumque Sedis Apostolicæ archidiaconum eligentes, Gregorium *g* appellari decernunt; qui eodem ordinationis suæ anno ad hoc monasterium veniens, sociato sibi Desiderio *h*, Beneventum perrexit *i*... Per idem tempus Richardus princeps per præceptum obtulit beato Benedicto ecclesiam sancti Angeli, quæ nuncupatur ad Formas *k*... Et quoniam locus idem valdè amœnus & satis C aptus monasterio erat, rogavit humiliter Desiderium, ut pro amore suo specialiter indè studeret, quod & fecit, de monasterio Albanetæ *l* integram omnium mobilium medietatem accipiens, & cum medietate etiam ejusdem loci monachorum illuc transmittens, cœpitque Desiderius illud ædificare ex integro tam speciosè, tam spatiosè, quemadmodùm hodie cernitur, ubi etiam intra breve tempus quadraginta & eo ampliùs monachos regulariter victuros aggregavit....

XXXIX. *Desiderio impensè faventium,* m

72 Circa hos dies Michael *m* Constantinopolitanus imperator patri Desiderio per nuntios, quos ad eum direxit, dona quàm plurima transmisit, poscens, ut pro se ac liberis, & pro statu imperii sui Dei omnipotentis clementiam assiduè supplicarent. Insuper etiam ob patris Benedicti reverentiam, pro salute animæ suæ, per præceptum aureâ bullâ bullatum constituit, ut per unumquemque annum hoc monasterium accipiat de palatio Constantinopolitani imperii auri libras viginti quattuor, & pallia quattuor ad nostræ congregationis sustentationem. Borrellus *n* autem comes, Borrelli majoris filius, cùm ob nonnulla sua in hoc loco servitia Desiderii familiaritatem fuisset non immeritò adeptus, monasterium sancti Petri, quod vocatur de Avellana, quod videlicet pater ipsius beato Dominico *o* ante quattuor & quadraginta annos ad construendum tradiderat, quodque idem Borrellus satis ampla terrarum possessione ditaverat, cum ecclesiis & colonis, & cum omnibus omnino pertinentiis ac possessionibus suis, quod est terra quinque millium circitèr modiorum, beato Benedicto devotissimus optulit: cujus monasterii cùm longè pòst Gualterius nepos ipsius duodecim casales de rivo Franculi nequiter retineret, veniens ad hoc monasterium sua sponte nobis ipsos refutavit ac reddidit. D o

præclaræ donationes in gratiam

73 Theodinus quoque & Oderisius atque Bernardus, Balvenses comites, non multò pòst, & ipsi quoque monasterium sancti Petri, quod situm est in valle de Lacu, & aliud monasterium heremitarum in loco, qui dicitur, Pratum Cardosum, quæ nimirum & ipsa nichilominùs à beato Dominico ante non plures annos fundata extiterant, pari modo in hoc monasterio obtulerunt, cum quinque scilicet adjacentibus lacubus, cum ecclesiis & colonis, & cum omnibus omnino pertinentiis ac possessionibus eorum, tam in eodem E comitatu Balvensi, quàm in Marsicano & Teatino. Eodem anno oblatum est beato Benedicto à quibusdam nobilibus Marsicanis castellum, quod nominatur Meta, in valle de Orbeto, cum omnibus finibus ac pertinentiis suis, nec non & ecclesia sancti patris * in loco, ubi Formæ vocantur, & ecclesia sancti Donati supra ipsas Formas, cum omnibus, quæ ad easdem ecclesias pertinent, insuper & universis, quæ ad præfatos nobiles jure hæreditario pertinebant, tam in ipsis Formis, quàm & in valle Frigida *p*. Eodem etiam anno Leo & Girardus Fundani *q* consules optulerunt beato patri Benedicto monasterium sancti Magni cum omnibus sibi pertinentibus, & cum quarta parte de ipsa piscaria Fundani lacus, & cum ecclesia sanctæ Mariæ juxta amphitheatrum Fundanæ civitatis, sancti Mauri & sancti Martini ad Tirille *r*, & sancti Andreæ in Terracina, & sancti Nycolai in urbe Romana, loco, qui dicitur ad Fossa, cum omnibus pertinentiis ac rebus illarum.

* *scilicet* Benedicti

p q r

cœnobii Casinensis.

74 Pari modo autem unà cum Richardo cognomento de Aquila idem * consules optulerunt huic loco ecclesiam sancti Onufrii cum pertinentiis suis. Et quoniam locus idem habilis ad construendum monasterium erat, Desiderius cupiens ibidem facere monasterium, per Girardum *s* præpositum sancti Nycolai in Pica, qui quintus post eum hujus cœnobii abbas effectus est, in statum, quo nunc cernitur, erexit. His quoque diebus Litterfridus Fundanus consul cartam fecit huic monasterio de omnibus, quæ sibi pertinebant de civitate Fundana, & valle de Cursa, & Aquaviva, & Ambrise, & Pastina & Ynola, Campu de Mele Vetera, & de tertia parte piscariæ ad sanctam Anastasiam, & de monasterio sancti Archangeli, & de omnibus, quæ ei pertinebant à paterno vel materno jure. Per idem quoque tempus Johannes Hisernientis vir nobilis similiter optulit huic Casinensi cœnobio monasterium sancti Benedicti, in loco Banlarola, cum duabus aliis cellis ipsius, id est, sanctæ Mariæ & sanctæ Luciæ, cum universis earum pertinentiis. Idem fecit & Morinus comes Benafranus *t* de quattuor aliis ecclesiis, id est, sancti Nazarii de Piperozza, sancti Petri de Sexto, sancti Barbati de Ravenola, & sancti Martini de ipsa Furca.

* iidem

F s t

XLI.

75 Eodem tempore, cùm Landenulfus, qui fue-

A *Restitutiones & concessiones quædam aliæ.*

fuerat comes Caleni *u*, contendissetque nobiscum de alveo fluminis Gariliani *w*, quòd non deberet aliquo modo pertinere castro nostro de Mortula, & quòd ipsi homines de criptis ejusdem loci nichil nobis deberet*, judicio judicum Suessanorum *x* causâ ipsâ diutiùs ventilatâ, victus rationibus cessit, & de his omnibus per cartam se manifestavit nullam prorsus habere justitiam. Sed & Loffridus, qui cognominatus est Monius, per idem tempus ex imperio Richardi principis veniens ad hunc* monasterium in præsentia Desiderii sponte sua per scriptum se manifestavit ac refutavit in manus ejus ipsas piscarias, quæ sunt in flumine Gariliano ad ipsos currentes, qualiter incipit à rivo, qui dicitur Vivus, qui descendit ab ipsis criptis, & vadit usque in rivum, qui descendit à sancta Cruce, & mittit in prædictum fluvium Garilianum, quæ videlicet piscariæ antiquitus pertinuerunt partim huic monasterio, partim sancto Salvatori de Cucuruzzo, quas etiam usque ad illud tempus Suessani comites violenter & malo ordine retinuerant. Sequenti tempore Loffridus, cognomento Ridellus, dux Cajetanorum *y*, obtulit in hoc loco B monasterium sancti Herasmi de civitate Furmiana *z*, & monasterium sancti Petri De Foresta in pertinentia Pontiscurvi cum universis possessionibus ipsorum. Tunc etiam & Lando dominus Arpinensis *aa* civitatis ad mortem veniens, judicium fecit in hoc monasterio de omnibus, quæ sibi jure hæreditario pertinebant, id est, de medietate Arpini & Montis nigri, & sancti Urbani, & Vici albi & Casa Silverii, pœnâ appositâ judicii hujus violatoribus centum librarum auri omnibus id removere quærentibus.

u fuerat comes Caleni
w Gariliani
x Suessanorum
* *l.* deberent
y Ridellus, dux Cajetanorum
z monasterium sancti Herasmi de civitate Furmiana
aa civitatis

XLII. *Lis super monasteriis S. Sophiæ,*

76 Per idem tempus supradicto Papa Gregorio Romæ synodum celebrante, Leo hujus loci bibliothecarius, qui pòst Ostiensis episcopus factus est, ex jussione patris Desiderii proclamationem fecit de cella sanctæ Sophiæ in Benevento, quam nuper Beneventani à dicione hujus cœnobii violenter abstraxerant, cumque ad placitum res perducta fuisset, relecta sunt in omnium audientia nostra munimina, qualiter Arichis *bb* princeps, ejusdem ecclesiæ constructor, illam per præceptum huic cœnobio Casinensi tradiderat: demum verò qualiter omnes Romani Pontifices, imperatores, reges, duces ac principes C prædictam cellam in hoc loco confirmaverant. Quo audito, Papa Gregorius ait, quòd nequaquam possent Beneventani ecclesiam monasterio Casinensi primitus delegatam ab ejus potestate subtrahere: sed Casinensem ecclesiam omnino canonicè ac legaliter eandem cellam in perpetuum obtinere debere....

bb Arichis

& S. Angeli, Casinensi-nensibus adjudicatur à Gregorio VII,

77 Eodem tempore, cùm prædictus Papa Gregorius apud Capuam moraretur, clerici ejusdem civitatis invidis apud eum quæstibus usi sunt, dicentes: Ecclesiam sancti Angeli, quæ olim fuerat juris Capuanæ ecclesiæ, iniquo concambio in jus monasterii nostri transisse. Quam nimirum querimoniam idem Apostolicus, oratu Desiderii, indiscussam manere non patiens, per idoneos ac veraces viros diligenter inquirere studuit, utrùm concambium, quod pro eadem ecclesia datum fuerat, conveniens esse videretur. Qui videlicet hoc studiosissimè disquirentes, invenerunt & probaverunt, quòd ecclesia sancti Johannis de Landepaldi, quæ pro eodem concambio data fuerat, satis plus possessionis & ornamentorum tempore concambii habuisset. Quod etiam Ervæus *cc* tunc ejusdem civitatis archiepiscopus se veraciter cognovisse asseverabat. Quo competenti testimonio præmotæ litis omni dubietate sublata, censuit præphatus Apostolicus, tam archiepiscopum, quàm & Capuanos clericos in perpetuum ab hac quæstione quiescere, nullamque ulteriùs de ipso concambio litem movere. Qui mox privilegio firmum hoc & in perpetuum stabile judicans atque decernens, ut idem monasterium sub cura & regimine Casinensis abbatis manere perpetuò debeat. Eodem quoque privilegio cuncta, quæ vel ibi tunc concessa, vel in futurum essent concedenda, confirmans, temeratoribus quidem hujus decreti, nisi fortè resipuissent, excommunicationis sententiam intulit: observatoribus verò benedictionem Apostolicam & pacem perpetuam provenire optavit....

cc Ervæus

A. PETRO DIACONO.

XLVI. *qui Casinensem ecclesiam interdicto ligat.*

78 Eodem quoque tempore Rosellanensis *dd* ecclesiæ pontifex ad hoc cœnobium veniens, non parvæ pecuniæ summam in hoc loco deposuit. Quod ubi Jordano *ee* principi relatum est, missis militibus eandem pecuniam de ecclesiæ secretario abstractam ad se deferri mandavit. Fratres autem ad hæc: Pecunia*, quæ patri Benedicto credita est, nos alicui viventium minimè damus, sed illam in secretario ponentes, exinde qui præsumpserit, auferat. Milites verò hæc audientes & diabolico stimulo debriati pecuniam de secretario ecclesiæ abstrahentes ad principem deferunt. Tantum verò & tam immane & inauditum flagitium Gregorii Papæ dum perveniisset ad aures, hujus temeritatis noxam inultam esse non ferens, & verens, ne exemplo hujus facinoris iterum nostra ecclesia violaretur, divinum officium in patris Benedicti ecclesia interdixit, altariaque omnia denudari fecit, asserens, quòd in tanto scelere nimiæ negligentiæ & acriter ulciscendæ timiditatis & Desiderium ac fratres arguere posset, & graviùs adversùs congregationem nostram commoveri debere, nisi eâ, quâ locum istum semper dilexerat, caritate detineretur....

dd
ee
* *l.* pecuniam

E

ANNOTATA. J. S.

a *Hoc iter Alexandri Papæ II, & gesta ipsius cum* Desiderio *abbate, innectenda sunt anno* 1072, *sive inter dedicationem ecclesiæ Casinensis, factam* 1 *Octobris anni* 1071 *& mortem Alexandri, de qua mox loquemur.*

F

b *Omissa hic sunt quædam ab Alexandro II Casini & Aquini gesta, quòd non spectent ad* B. Victorem.

c *In Urbe situm est hoc monasterium, de quo etiam meminit Leo Ostiensis lib.* 2 *cap.* 97, *ubi hæc observat Nuceus:* Palladium monasterium erat sub titulo SS. Sebastiani & Zotici inter arcum Titi & arcum Constantini, seu inter Colosseum & S. Mariam novam, ut ait Antoninus, Callixtus II in bulla pro monasterio Casinensi & Innocentius III, Monasterium S. Sebastiani in Palladio. *In bulla verò Alexandri II, quam ad hunc locum partim recitat Nuceus, ita loquitur Pontifex:* Tradimus & concedimus abbatiam sanctorum martyrum Sebastiani & Zozimi, quam vulgares usitato nomine Palariam solent nuncupare. *Sic* Pallaria *vocatur loco allegato ab Ostiensi. Hæc utcumque diversa videntur, quia uno loco dicitur* S. Mariæ, *alio* S. Sebastiani & Zozimi *vel* Zotici; *aliàs etiam in* Palladio, *aliàs in* Pallaria *vel* Pallara. *His de causis, opinor, Lubinus pag.* 340 *duas ejusdem fere nominis abbatias tamquam diversas recensct, & primam vocat* Pal-

A. Petro Diacono.

ladium, *alterum* S. Mariæ in Pallara. *At quæ de ſitu utriuſque dicit, mihi perſuadent, eamdem eſſe; cùm omnia loca ſint vicina, quibus utramque jungit. Quod autem antè* S. Mariæ, *deinde* S. Sebaſtiani *ſit dicta, non habet difficultatem. Martinellus in Roma ſacra pag.* 302 *de illa abbatia agit ſub nomine in* Palladio, *aitque in* Pallaria *dictam fuiſſe* corrupto vocabulo. *Collapſa fuerat, ſed à Thadæo Barberino Urbis præfecto & Urbani VIII nepote reſtituta eſt, ſive potiùs rurſum ædificata, & militiæ Hieroſolymitanæ tradita, ut narrat Martinellus. In noviſſima Romæ veteris & hodiernæ deſcriptione, edita Italicè anno* 1750, *de eadem eccleſia agitur ſub nomine* di S. Sebaſtiano alla Polveriera *tom.* 1 *pag.* 411, *ſed breviter.*

d *Abbatia eſt Sanctæ Crucis in Hieruſalem, quam nunc tenent Ciſtercienſes Congregationis Longobardicæ. Eccleſia illius abbatiæ una eſt ex ſeptem ſtationibus Urbis. De variis Ordinibus, qui ad tempus eccleſiam illam tenuerunt, plura dabit Lubinus pag.* 333.

e *De donatione Terracinæ, quæ civitas eſt epiſcopalis ditionis Pontificiæ prope mare Mediterraneum, & non longè à limite regni Neapolitani, rectè obſervat Nuceus, datam* perſonaliter *eſſe* Deſiderio, *non abbati aut monaſterio Caſinenſi.*

f *Mors Alexandri II ab aliis figitur die* 20 *Aprilis anni* 1073, *ab aliis die ſequenti* 21, *ab aliis demum die* 22, *quo ſepultus eſt. Poterit de beato Alexandro II agi in Supplemento Operis noſtri ad* 20 *aut* 21 *Aprilis: nam cultum ipſius Majoribus noſtris antea incognitum, æquè ac* Victoris III, *probavit Sanctiſſimus Dominus Benedictus XIV in egregio Opere ſuo.*

g *Electus eſt S. Gregorius VII ipſo die ſepulturæ Alexandri II, ſive* 22 *Aprilis, ut omnes conſentiunt; & poſtridie de electione ſua ſcripſit ad* Deſiderium *abbatem, eumque Romam invitavit his verbis:* Tu autem ipſe quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantùm Romana Eccleſia te indigeat, & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. *Totam Epiſtolam dat Labbeus tom.* 10 *Conciliorum col.* 6. *An Romam revera tunc profectus ſit* Deſiderius, *non invenio.*

h *De hoc itinere S. Gregorii VII agit Baronius ad annum* 1073 *num.* 96. *Erat Pontifex Beneventi cum* Deſiderio, *quando* intrante menſe Auguſto, *aliqua pactio inter Gregorium & Landulphum principem Beneventanum facta eſt, cui cum aliis ſubſcripſit* Deſiderius presbyter Romanæ Eccleſiæ, *omiſſo abbatis titulo.*

i *Aliqua hîc omiſſa ſunt ſpectantia ad Gregorium VII.*

k *Conſule de hac donatione Commentarium num.* 89. *Omittitur hîc, quo modo Richardus princeps eam eccleſiam permutatione acquiſiviſſet.*

l *De Albaneta monaſterio plura leguntur in Chronico lib.* 2 *cap.* 30, *ubi obſervat Nuceus,* quingentis ferè paſſibus à Caſinenſi cœnobio in Occidentem *eſſe diſſitum, nimirum in ipſo monte Caſino. Addit, nunc quoque parvum ibi eſſe monaſterium. Et demum:* Ibique magnus magnæ Societatis inſtitutor Ignatius religioſo receſſu ad exercitia Spiritualia peragenda cum Petro Ortizio aliquamdiu manſit. In cujus deinde honorem cubiculum à ſancto viro habitatum, in ædiculam conſecratum eſt à Caſinatibus, tanti hoſpitis memoriæ obſequentibus. *De receſſu S. Ignatii in montem Caſinum, ubi quadraginta diebus manſit ad exercitia Petro Ortizio tradenda, agitur in Vita utraque ipſius ad* 31 *Julii.*

m *Michaël Ducas imperio potitus eſt anno* 1071, *illudque perdidit anno* 1078, *ſecundum chronotaxim Pagii.*

n *Borelli numerantur inter viros illuſtres, qui interfuerunt dedicationi eccleſiæ Caſinenſis num.* 56.

o *Borellus pater monaſterium S. Petri de Avellana S. Dominico abbati fundavit, ut legitur in Vita S. Dominici, juxta Soram in alio monaſterio defuncti. Data eſt illius Dominici Vita apud nos ad* 22 *Januarii, ibique in Annotatis de hoc monaſterio actum. In eadem Vita, refertur fundatio monaſterii* in Valle de Lacu, *quod ibi vocatur* S. Petri de Lacu. *Et* in Prato Cardoſo *S. Dominicus eremiticam vitam aliquo tempore duxiſſe dicitur. Quare, ne longior ſim, ad illam Vitam remitto. Et ſolùm obſervo, S. Dominicum hunc non eſſe confundendum cum S. Dominico Loricato, de quo agetur ad* 14 *Octobris. Porrò pro chronotaxi harum & ſequentium donationum conſulendus eſt Commentarius prævius § 7.*

p *Loca illa regionis Marſorum, aut comitatus Marſicani, curioſiùs non inveſtigo.*

q Fundi *civitas eſt epiſcopalis regni Neapolitani non longè à limite ditionis Pontificiæ, & decem circitèr milliaribus diſſita Terracinâ, quæ eſt in ditione Pontificia. Monaſterium verò S. Magni nunc Ordinis Olivetani eſſe, obſervat Nuceus.*

r *De eccleſia illa in comitatu Fundano ſita iterum agitur lib.* 4 *cap.* 84, *uti & de eccleſia S. Magni mox memorata, & de monaſterio S. Onuphrii inferiùs memorando.*

ſ *Hic Girardus, ſtirpe illuſtri comitum Marſorum genitus, ſub* Deſiderio *factus eſt monachus, ut dicitur lib.* 4 *cap.* 43. *De ſingulis eccleſiis, quæ Caſinenſi abbatiæ fuerunt donatæ, nihil obſervo, ne annotationes in immenſum excreſcant.*

t Venafrum *civitas eſt epiſcopalis in Campania, ſive in provincia Terræ Laboris, decem tantùm milliaribus, ut ſcribit Baudrandus, diſtans à monte Caſino. Hujus comes haud dubiè hîc deſignatur, littera* v *mutatâ in* b, *ut frequentiſſimè ſit in Chronico Caſinenſi.*

u Calenum *item erat civitas Campaniæ; ſed quæ dudum deſtructa eſt, ut plerique volunt. Baudrandus tamen exiſtimat, eam modò* Carinulam *dici, aut certè Carinulam ex Caleni ruinis creviſſe. At Carinula ipſa nunc ferè deſerta eſt, ut obſervat.*

w Garilianus *fluvius, Italicè* Garigliano *Latinè* Liris *dictus, Latium à Campania felice ſeparat, decurritque in mare Mediterraneum.*

x Sueſſa, *vulgò* Seſſa, *civitas eſt epiſcopalis Campaniæ, quatuor milliaribus diſtans à memorato flumine Liri verſus Capuam.*

y Caieta, *civitas item epiſcopalis in Latio novo & regno Neapolitano, in peninſula maris Mediterranei ſita.*

z Formiæ *civitas erat vicina Cajetæ, ſed exciſa fuit à Saracenis, ejuſque epiſcopatus Cajetam tranſlatus. Ait Baudrandus, apud Græcos* Phormiæ & Hormiæ *dictam fuiſſe; & ex ejus ruinis creviſſe Molam, quod oppidum eſt ſatis amœnum ad ſinum Formianum, nunc Cajetanum dictum. Obſervat Nuceus, monaſterium illud poſtea ad Olivetanos tranſviſſe, locumque nunc dici* Caſtellone, *prope Molam in tabulis notatum.*

aa Arpinum *oppidum eſt regni Neapolitani in La-*

A *Latio non longè à ditione Pontificia, inter montem Caſinum & Soram.*

bb *De donatione monaſterii S. Sophiæ, ſive æternæ Sapientiæ, per Arichem principem Beneventanum, qui ſororem ſuam ibi abbatiſſam primam ſtatuit, agitur in Chronico lib. 1 cap. 9. At, quando ibi habitavit* Deſiderius *noſter, abbas præerat, non abbatiſſa. Fuerat enim initio conſtructum pro monialibus, ut legitur lib. 1 cap. 6.*

cc Ervæum, *ſive* Hervæum, *anno 1073 factum archiepiſcopum Capuanum exiſtimat Ughellus tom. 6 Italiæ ſacræ recuſæ col. 325; quia hæc contigiſſe anno 1073, quo Gregorius VII fuit Capuæ cum* Deſiderio *noſtro, ſibi certò perſuaſerat. Verùm Pontifex ille etiam Capuæ fuit anno 1078, quo hæc facta eſſe, oſtendi in Commentario num. 93. Quapropter incertum eſt, an Hervæus ab anno 1073 fuerit archiepiſcopus.*

dd Ruſellæ, *aliàs* Roſellæ, *civitas fuit antiqua Etruriæ in ditione Senenſi, quæ epiſcopatu gaviſa eſt uſque ad ſeculum 12; ſed tum epiſcopatus Groſſetum tranſlatus eſt, ut colligitur ex catalogo epiſcoporum Roſellanorum aut Roſellenſium & Groſſetanorum, quem dat Ughellus tom. 3 Italiæ Sacræ col. 660 & ſeqq. Attamen ex illo catalogo nequit certò colligi, quod ſit nomen epiſcopi, de quo hic fit mentio.*

B

ee *Jordanus erat princeps Capuanus, filius Richardi ſæpe memorati. De tempore rei peractæ, pœnaque & emendatione Jordani, conſule Commentarium num. 94 & ſeqq.*

CAPUT VIII.

Deſiderii cum Henrico IV congreſſus, in quo Eccleſiæ jura invictè tuetur: communio cum Cluniacenſibus ſancita: variæ tranſactiones.

1. *Henricus IV minacibus litteris*

Imperator *a* interea per comites Marſorum miſit epiſtolam ad patrem Deſiderium, ut iret ad eum. Ad quam epiſtolam nullum omninò reſponſum dedit, quia neſciebat, cujuſmodi ſalutationem *b* ei ſcriberet. Idem miſit illi aliam ſatis minando, quòd nec ad eum ierit, nec ad ſcripta ſua reſponderit, mandavitque ei, ut Farvæ *c* ſibi occurrere non moraretur, niſi fortè vellet graviter pœnitere. Ad hæc Deſiderius reſcripſit ei pro ſalutatione debitæ fidelitatis obſequium, ideò, quia nullam ei fidelitatem ſe debere putabat, & cùm multas illi rationes in ipſius litteris poſuiſſet, ſe propter Normannos non poſſe illum adire, ſed ſi fortè cum Romano Pontifice vellet pacem facere, inveniret aliquam occaſionem illum adire, & ad ultimum, ut illum ad pacem animaret, ſcripſit, neque regnum, neque Sacerdotium in tanto diſſidio incolume poſſe conſiſtere. Ad hæc imperator iratus, & multa contrà Deſiderium indignatione commotus, nuntiis ſuis, quos ad principem *d* mittebat, omninò interdixit, ne Deſiderio aliquid loquerentur, & principi mandavit, ut Deſiderium, quantùm valeret, læderet, niſi ſua ſponte ad imperatorem veniret.

a
b
c
d

80 Hoc ubi Deſiderius pater agnov't, Romano Pontifici hæc omnia litteris intimavit, &, quid ſibi inde eſſet agendum, conſulit, ſed nullum ab eo ſuper hoc reſponſum accepit. Rurſus igitur imperator miſit Deſiderio litteras, ut nullo modo dimitteret, quin ad eum in Paſcha iret, & cum eo ipſam feſtivitatem celebr ret, & aliam miſit monachis de eadem re, ſed adhuc differens ire ad illum diſtulit. Poſtquam verò princeps & omnes Normanni ad imperatorem pergebant, & princeps Deſiderium ſecum ire hortabatur, idem Abbas fratres convocans, dixit ad eos: Anguſtiæ michi ſunt undique: ſi enim ad imperatorem non iero, imminet periculum & everſio monaſterii; ſi autem iero & voluntatem ejus implevero, incurram periculum animæ; ſi verò iero, & voluntatem ejus non fecero, imminet periculum corporis mei, ſimulque timeo, ne iratus imperator ita Normannis monaſterium iſtud, quod ſub tutela & defenſione ejus eſt, ſicut & totum principatum concedat.

A. Pertò Diacono. *Deſiderium accerſit, qui, conſulto Papa,*

81 Pergam tamen ad eum tradens me morti & periculo, neque enim faciam animam meam pretioſiorem, quàm patrem ſanctiſſimum Benedictum: nam & pro veſtra communi ſalute animarum & corporum, locique iſtius incolumitate, ſi aliter fieri non poteſt, opto à Chriſto anathema eſſe. Si enim milies occidar, nullus me ſeparabit à dilectione loci iſtius; nam, non dico imperatori, qui Chriſtianus eſt, ſed etiam alicui pagano, ſive tyranno, occurrere non recuſo, dummodò res monaſterii valeam ab ejus barbarie liberare. Nam & Leo Papa, ut civitatem Romanam à devaſtatione & incendio liberaret, Genſerico *e* regi Ariano occurrit; & Savinus *f* Canoſinus Attilam æquè Arianum ad convivium invitavit, & de manu ejus calicem accepit & bibit; & pater Benedictus Zallam, ſimiliter perfidiæ Arianæ hominem, etiam in oratione *g* ſuſcepit, ut eum afflictione ruſtici mitigaret. Hæc cùm dixiſſet, patri Benedicto ſe commendans, iter arripuit.

& communicato cum fratribus conſilio,

e f

g

82 Ita tamen, Deo ſe protegente, cavit, ut in toto illo itinere, & in tota illa mora, quam ibi habuit, cùm multi ſibi epiſcopi & honorati viri, amici etiam ſui quàm plurimi & imperatoris cancellarius occurriſſent, neminem oſculatus eſt *, cum nullo eorum ſimul oraverit, comederit aut biberit. Poſtquam verò Albanum *h* pervenit, neque ipſe ad imperatorem ivit, neque ad illum aliquem miſit, ſed per totam illam hebdomadam minæ ſibi ab imperatore tantummodò mittebantur: nam mandabat ei, ut ſibi fidelitatem faceret, & homo ipſius per manus deveniret, & abbatiam de ſua manu reciperet. Quæ videlicet omnia Deſiderius forti animo contempnebat, dicens, ſe non modò pro abbatia, ſed nec pro honore totius mundi id minimè eſſe facturum. Cúmque tam rigidum & inflexibilem eum imperator eſſe cerneret, iratus eſt valdè, præcepitque principi, quatinus nuntios ſuos acciperet & cum eis ad monaſterium veniret, illiſque ipſum aſſignaret: ſed cùm princeps multa illi bona de Deſiderio frequenter locutus fuiſſet, & eum ad illum duxiſſet, ita flexit ſe, ut ipſe coram principe amicitiam ſibi promitteret, & de corona imperiali ac *i* requirenda illum pro poſſe ſuo adjuvaret, ſalvo tamen ordine ſuo.

eum adit; ſed iniqua mandanti

F
* ſit

h

i

83 Quæ quoniam ad comparationem ſuperiorum Deſiderio levia viſa ſunt, quia aliter n quivit, conſenſit, & coram principe hoc ei promiſit.

renuit obſequi, & Eccleſiæ dignitatem

A. Petro Diacono.

sit. Cúmque adhuc exigeret, ut virgam *k* abbatiæ ab ipso reciperet, respondit, quia cùm Romani imperii coronam eum habere vidisset, tunc, si sibi videretur, abbatiam ab ipso reciperet, si verò nollet, dimitteret. Post hæc imperator, accepto à principe magno quantitatis pretio, per præceptum aureâ bullâ bullatum confirmavit totius Capuani principatus attinentias, retento sibi & imperio monasterio Casinense *l*, cum universis rebus ac pertinentiis suis. Super hæc interim, quandiu ibi permansit Desiderius, cotidie ac sæpè cum episcopis, qui cum imperatore erant, de honore Apostolicæ Sedis contendit, & præcipuè etiam cum episcopo Ostiensi *m*, qui etiam Papæ Gregorio favere videbatur: cùm ille ei privilegium *n* Nycolai Papæ, quod cum Hildebrando archidiacono & centum viginti quinque episcopis fecerat, ostendisset, ut numquam Papa in Romana Ecclesia absque consensu imperatoris fieret, quòd si fieret, sciret se non pro Papa habendum esse, atque anathematizandum. Unde Desiderius tam illum, quàm omnes, qui eum adjuvabant, palàm convicit.

contra Henricianos fortiter propugnat.

84 Dixit enim, neque Papam, neque episcopum aliquem, neque archidiaconum, neque Cardinalem, sed nec ullum hominem justè hoc facere potuisse: Apostolica enim Sedes domina nostra est, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus est prælata; & ideo nulla ratione posse constare, ut eam aliquis, quasi famulam, vendat. Quòd si hoc à Nycolao Papa factum est, injustè procul dubio & stultissimè factum est, nec pro humana stultitia potest aut debet amittere suam dignitatem Ecclesia, nec unquam debet à nobis hoc aliquatenus consentiri, nec, Deo volente, ampliùs fiet, ut rex Alemannorum Papam constituat Romanorum. Cùm ad hæc iratus episcopus dixit: Quòd si hæc Ultramontani audirent, omnes simul adunati unum fierent. Desiderius respondit: Certè si non solùm hi, sed etiam totus mundus contra hoc in unum congregaretur, numquam nos ab hac sententia excludere posset: potest quidem imperator ad tempus, si tamen permiserit Deus, prævalere, & vim ecclesiasticæ justitiæ inferre, nostrum tamen consensum ad hoc numquam poterit inclinare. His & hujuscemodi pluribus cotidie cum eis & sæpissimè contendebat, & justis eos rationibus convincebat. Cum archiepiscopo etiam Ravennate *o* super eadem re satis contendit, & de prædicto privilegio justis eum rationibus vicit, cur etiam de Papatu se intromisisset, non leviter reprehendit; sed cùm multis rationibus satisfacere voluisset, nec valuisset, invitum se fecisse respondit: nam si hoc non fecisset, honorem suum imperator procul dubio perdidisset. Desiderius autem ab eodem imperatore præceptum aureâ bulla bullatum de hujus loci possessionibus accipiens, & licentiâ redeundi ab imperatore impetratâ, ad hoc monasterium est reversus.

II. *Communio cum Cluniacensibus inita: variæ transactiones.*

85 Circa hæc tempora Ugo *p* venerabilis abbas Cluniacensis, vir celeberrimæ vitæ ac famæ, ad patris Benedicti limina valdè devotus advenit, quem venerabilis Desiderius honorificè, ut tantum decebat virum, suscipiens, & societatem Cluniacensium fratrum nostræ congregationi adjungens, memoriam *q* illorum apud nos, nostræque congregationis apud illos, in morte & in vita iidem viri venerabiles in perpetuum habendam sanxerunt.... Sequenti tempore Jannellus & Scifridus pro parte sua & parentum suorum renuntiaverunt se huic monasterio de castello Saracenisco *r* cum pertinentiis suis, recipientes præsentialiter à Desiderio monetæ Papiensis solidos ducentos, centum librarum auri pœnâ propositâ. His porrò diebus Desiderius ante præsentiam Jordani principis concessit Goffrido, cognomento Monio, diebus vitæ suæ castrum Suiense *s*, in eo tenore, ut ipsum castrum non recognosceret, neque à principe, neque ab ullo homine, nisi à prædicto abbate & successoribus suis, & serviret inde huic monasterio & ejus abbatibus per rectitudinem, ad mortem verò prædictum castrum in loci hujus potestate rediret.

ANNOTATA. J. S.

a *Nimirum Henricus rex Germaniæ, & postea imperator, qui Romam obsidebat propter inimicitias cum S. Gregorio VII, à quo erat excommunicatus. Vide Commentarium num.* 101, *ubi ostendi hæc figenda esse anno* 1083, *quo capta ab Henrico civitas Leonina, sive pars Urbis transtiberina cum ecclesia Vaticana.*

b *Quia non tantùm excommunicatus, sed regno privatus erat.*

c *Farfa est abbatia Ordinis S. Benedicti cum oppido in Sabinis.*

d *Ad Jordanum nimirum Capuæ principem.*

e *Factum hoc S. Leonis refertur à S. Prospero sub consulatu Valentiniani octavo & Anthemii, id est, ad annum* 455. Urbem, *inquit*, omni præsidio vacuam Genfericus (*Wandalorum in Africa rex*) obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto Leone Episcopo: cujus supplicatio ita eum Deo agente lenivit, ut, cùm omnia potestatis ipsius essent, tradita sibi civitate, ab igne tamen & cæde atque suppliciis abstineretur: *non tamen ab expilatione, ut sequitur. Poterat noster adjicere legationem S. Leonis ad Attilam Hunnorum regem, ab eodem auctore relatam.*

f *Narratur hoc in Vita S. Sabini episcopi Canusini in Apulia, quæ data est apud nos ad* 9 *Februarii. Nam cap.* 3. *Totila Gothorum rex Arianus dicitur à S. Sabino aut Savino* ad prandium invitatus. *Cùm autem cæcus esset Sanctus, & dono prophetiæ clarus, Totila pro servo eidem* poculum *præbuit, ut videret, an id prophetiæ spiritu nosceret. Sanctus verò non modò poculum è manu regis accepit, sed simul indicavit, cujus manu præberetur. Si pro* Totila *legendum sit* Attila, *ut notatur apud Nuceum in erratis corrigendis, erravit Petrus Diaconus, quia Attila numquam vidit S. Savinum.*

g *Historia narratur à S. Gregorio in Vita S. Benedicti apud nos tom.* 3 *Martii pag.* 285 *num.* 31. *Zalla autem ille non modò Gothus erat Arianus, sed etiam crudelis & ferox. Venit ad S. Benedictum pessima intentione, sed miraculo repressus, & monitis emendatus recessit. Voces verò* in oratione suscepit *non sic intellige, acsi cum Zalla Ariano orâsset S. Benedictus, quod S. Gregorius non dicit. At fortè Petrus per* in oratione suscepit, *tantùm voluit dicere*, ad colloquendum admisit. *Nam cum eo locutus est, ut abstineret ab affligendo rustico, quocum venerat.*

h *Albanum est civitas parva episcopalis Latii. Episcopus autem Albanensis est unus ex sex episcopis Cardinalibus.*

i *Dictio hîc valde obscura est, & fortasse corrupta. Sensus est, quòd Henricus rogaverit* Desiderium, *ut juvaret pro acquirenda corona imperiali, quantùm posset, salva dignitate & conscientia sua.*

A k *Præcedentia facilè concedere poterat* Desiderius, *quia non debebat Henricum juvare ad coronam impetrandam, nisi debito & licito modo, nimirum si se emendare & pacem cum Pontifice inire vellet. At investituram ab imperatore non accepisset, cùm Gregorius VII investituras laïcorum hominum manibus collatas gravissimè prohibuisset, & ejusdem cum Gregorio sententiæ esset* Desiderius, *ut postea ostendit in pontificatu suo. Hac de causa, ut se illis Henrici sollicitationibus liberaret, insinuavit, abbatiam suam non esse sub alterius quàm imperatoris coronati protectione; promisitque vel investituram se tunc accepturum, vel dimissurum abbatiam, hoc ultimum scilicet intendens, si eò usque in angustias redigeretur.*

l *Desiderabat* Desiderius, *ne supremum dominium temporale alteri traderetur, sed sub solo imperatore maneret.*

m *Erat tunc episcopus Ostiensis Otto, qui postea electus est Pontifex, & Urbanus II dictus. Captus fuerat Otto Ostiensis ab Henrico, aut potiùs detentus, quando ad ipsum missus erat, ut legitur in Actis pontificalibus Gregorii VII, apud nos tom. 6 Maii pag. 146 num. 15. Postea tamen Otto ab*
B *Henrico dimissus est, ut habent altera Acta pontificalia ibidem pag. 153 num. 15. Dubium revera mihi videtur, an de illo agat auctor, licèt voce* episcopum Ostiensem. *Nam Guibertus antipapa etiam Cardinales creaverat, interque eos Joannem aliquem, de quo Ciaconius tom. 1 col. 871,* Ostiensis episcopi *titulo decoraverat. Itaque dubium est, utrum verus Ostiensis, an personatus hic intelligatur. At si verus Ostiensis cum Beato nostro ibi disputaverit, id tantum fecit exercitii gratiâ, ut veritas magis eluceret.*

n *Agitur de privilegio Nicolai II, dato in gratiam Henrici IV in concilio Romano sub Nicolao II, anno 1059. De hoc decreto multa ad illum annum collegit Baronius. Poterunt illa videri, uti & concilium & decretum ipsum apud Labbeum tom. 9 Conciliorum col. 1099 & seqq.*

o *Guibertus archiepiscopus Ravennas erat, quem Henricus IV contra Gregorium VII fecerat antipapam, & Clementem III vocabat. Erat hic in exercitu Henrici, & anno 1084 in captam Urbem introductus est.*

p *Colitur S. Hugo abbas Cluniacensis die 29 Aprilis, ad quem ipsius Acta apud nos data. Adve-*
C *nit Casinum eodem verisimiliter anno 1083, quo apud Henricum fuit* Desiderius.

q *In precibus videlicet, ut ostendunt annotationes Nucei. Hic etiam recitat epistolam* Desiderii *abbatis ad S. Petrum Damianum, cui promittit, se memoriam illius obitûs quotannis celebraturos.*

r *De* Saracenisco *oppido aut castello, ut hic vocatur, quod jam diu antè Casinatibus concessum fuerat, plura leguntur in Chronico Casinensi lib. 2 cap. 90. Situm est in valle, & etiamnum subest Casinatibus.*

s *Occasione hujus castri in feudum ab abbate concessi recitat Nuceus juramentum fidelitatis, quod faciebant, qui abbatis Casinensis fiebant vassali.*

CAPUT IX.

Beatus Gregorium VII fugientem benignè fovet: Roberti ducis donationes in gratiam Desiderii: ejus cura circa rem litterariam & indigentes.

LIII. *Gregorium VII ab Henrico IV profugum suscipit Beatus.*

ALio præterea anno Eynricus imperator Romam cum exercitu venit, & supradictum Papam Gregorium, qui in arce sancti Angeli se contra eum munierat, cum diversis bellorum machinis oppugnare modis omnibus cœpit. Hoc ubi Robberto *a* duci, qui ea tempestate Constantinopolitanum imperatorem expugnabat, relatum est, Boamundum *b* filium suum in ipsa expeditione relinquens, Italiam citissimè rediit, ac immensum valdè exercitum congregans, ob Papæ liberationem contra imperatorem ire disponit. Quod ubi Desiderio nuntiatum est, nuntium Romæ ilico destinavit, qui & Papæ liberationem, & imperatori *c* adventum ducis nuntiaret. Tunc imperator Urbe egrediens, ob id scilicet, quia sine militum præsidio erat, civitatem Castellanam *d* ingressus est. Robbertus autem dux Romæ cum exercitu ad ecclesiam sanctorum quattuor Coronatorum intempestæ noctis silentio dum advenisset, ex consilio Romanorum consulis ignem in Urbem immisit. Romani igitur re inopinata perculsi, ac in igne extinguendo dum essent intenti, dux confestim cum exercitu ad arcem sancti Angeli properans, Pontificemque inde abstrahens, Romam sine mora *e* egressus, Papam Gregorium ad hoc monasterium usque deduxit. Quem Apostolicum noster abbas usque ad ipsius exitum *f* cum episcopis & Cardinalibus, qui eum secuti fuerant, sustentavit.

a
b
E
c
d
e
f

LV. *Donum S. Crucis Casino factum: cœnobii Capuani restauratio.*

87 His porrò temporibus quidam Amalfitanæ civitatis nobilis, mundo mundanisque omnibus abrenuntians, ad hunc locum pervenit, & à Desiderio gratanter susceptus & monachus factus, partem non exiguam ligni salutiferæ & vivificæ Crucis, auro & lapidibus pretiosis ornatam, & in aurea ycona locatam, quam ipse de palatio Constantinopolitano abstulerat, in conjuratione, quæ contra Michaëlem *g* imperatorem facta est, beato Benedicto devotissimus optulit. Desiderius autem post ista Capuam pergens, & officinas monasterii Capuani in ruinis jam positas cernens, ad renovationem illius animum dedit: diruptâ namque priori ecclesia, jussit conduci artifices alios ad capitella columnarum miro opere facienda; evocansque ad se Benedictum ejusdem loci præpositum, præcepit, ut in ejusdem ecclesiæ renovatione, omnibus rebus postpositis, specialiter invigilare studeret: cujus ille imperio parens, patris Benedicti basilicam, sicut nunc cernitur, pulcherrimam satis construxit. Quæ quidem ecclesia habet in longitudine cubitos octo & nonaginta, in latitudine duos & quinquaginta, in altitudine quadraginta; columnas ab uno latere novem, ab altero totidem....

g

LVII. *Obitus Roberti ducis, cujus*

88 Hoc interea anno Robertus *h* dux, qui cum Constantinopolitano imperatore ejusque exercitibus multa jam dudum prælia prosperè gesserat, mul-

h

A. PETRO DIACONO. multaſque ejus urbes occupaverat, cùm eſſet in eadem expeditione, obiit.... Non autem videtur indignum hîc ex parte aliqua ſummam oblationum iſtius ducis ejuſque conjugis Sicelgaitæ *i* ad ſcientiam poſterorum annectere, qui ſupra omnes ferè ſui temporis mortales locum iſtum, patrem Deſiderium, & noſtram congregationem diligere, exaltare & honorare ſtuduerunt. Prima igitur vice quando idem Abbas Regium *k* perrexit ad eos, donavit ei dux ſexcentos bizantios, & quinque pallia, & unam naviculam auream. Alia vice pallium unum magnum & gemmas atque margaritas quàm plures pro ſhcifatis *l* ſeptingentis. Item alia vice ad caſtrum Villari donavit ei ſexcentos bizantios & duo millia tarenos *m* Africanos & tredecim mulos cum tredecim Saracenis, & unum tappetum * magnum: item quando ægrotavit, mandavit huic mille ſhcifatos: item à Gallipoli *n* mandavit trecentos bizanteos & duo millia tarenos.

i — LVIII. — k — l — m — * id eſt, aulæum — n

89 Quando prima vice venit huc, & ivit in Campaniam, poſuit in capitulo duodecim libras auri & centum bizanteos, & ſuper altare ſancti Benedicti trecentos ſhcifatos & tria pallia, & centum ſhcifatos pro fabrica dormitorii, & centum in refectorio, & quadraginta in oſpitali *, & duodecim libras denariorum in infirmario, & centum michalatos *o* pro pictura capituli. Quando venit ſuper Aquinum *p*, miſit huc quingentos bizanteos. Quando recepit Barim *q*, donavit Deſiderio duodecim libras auri. Item ſecunda vice quando perrexit ſuper civitatem Tiburtinam *r*, poſuit in capitulo duodecim libras auri, ſuper altare verò centum ſhcifatos & unum pallium magnum. Tertia vice quando reverſus eſt à Roma cum Papa Gregorio, poſuit in capitulo mille ſolidos Amalfitanos, & centum bizanteos ſuper altare, & abiens hinc miſit centum nonaginta farganas *ſ* fratribus in dormitorio. Alia vice miſit huc mille tarenos pro piſcibus: item mille tarenos & unum navigium valens ſolidos mille; item quadringentos ſolidos Amalfitanos: item à Romania *t* miſit huc mille michalatos.

ut & Sicelgaitæ conjugis — B — * hoſpitali — o — p — q — r — ſ — t

90 Uxor præterea ipſius, quando ægrotavit, miſit beato Benedicto quadraginta & quinque libras argenti & pallium unum; item quando venit huc poſt mortem ducis, poſuit in capitulo trecentos ſhcifatos, & cooperuit omnes menſas refectorii manteliis *u*. Alia vice obtulerunt beato Benedicto altarium aureum, cum gemmis, margaritis & ſmaltis ornatum: coopertorium altaris ſericum, cum urna purpurea, ornatum margaritis ac ſmaltis: calicem aureum parvum: planetam purpuream cum friſo & cum aquila de margaritis: tunicam unam de panno perſo *w* inaurato: pluviales quattuor: albas ſericas quattuor: albas de mataſſa *x* bambacii octo: candelabra de criſtallo & honichino * atque argento parium * unum. Alia candelabra argentea cum malis *y* criſtallinis parium unum: bazili *z* de argento parium unum librarum ſeptem: laternam argenteam librarum octo: ſcrinium argenteum ſuper altare cum nigello *aa* librarum octo: ſcrinium eburneum magnum: coppas *bb* duas argenteas deauratas cum nigello librarum quindecim, cum quibus fratres in præcipuis feſtivitatibus biberent: concam argenteam cum aquiminili *cc* ſuo librarum viginti quattuor: urceum de criſtallo majorem: ſcutellam argenteam cum nigello librarum quatuordecim: ſcutellam aliam librarum ſedecim: alias duas librarum decem. Pannum ſericum magnum cum uno roto *dd*, & alios æquè magnos tres, & quattuor minores. Circitoria *ee* de altare ſancti Benedicti quattuor. Duas cortinas Arabicas *ff*, quæ pendent ſupra chorum; alias duas cortinas, quæ appenduntur in circuitu chori per Quadrageſimam. Item quando venit huc poſt mortem ducis, poſuit in capitulo quinque libras auri, & duas dedit in infirmario, unam pro expenſis, alteram pro balneo conſtruendo.

dona planè egregia — u — C — * onychino — * id eſt, par — w — x — y — z — aa — bb — cc — dd — D — ee — ff

91 Super hæc omnia & multa alia, quæ nec recoli, nec numerari poſſunt, optulerunt beato Benedicto monaſterium ſancti Petri imperialis in Tarento, cum decima de piſcaria & cum decima manualium ſuorum: monaſterium ſancti Angeli in Troja, ſancti Nycandri, ſancti Anaſtaſii in Calabria, ſancti Nycolai in Sellectano & Fundicum in Amalfi cum pertinentiis ſuis. Anno ſequenti eadem duciſſa Sicelgaita per conſenſum filii ſui ducis Roggerii *gg* optulit beato Benedicto per cartam aureâ bullâ ſignatam locum, qui Cetrarius dicitur in Calabria, cum toto portu ſuo & omnibus pertinentiis ſuis, atque univerſis colonis ibidem habitantibus, quod videlicet in dotem à prædicto conjuge ſuo duce Robberto dudum receperat, ea tamen condicione, ut, quoad ipſa viveret, idem locus in ejus dominio permaneret: poſt obitum verò ejus abſque ulla hæredum ſeu ſucceſſorum ſuorum calumnia ad hujus monaſterii jus remearet, appoſitâ pœnâ centum librarum auri, quicumque hujus oblationis ſuæ violator exiſtere temptaviſſet. Super hæc autem tranſmiſit beato Benedicto per Deſiderium altare pretioſiſſimum auro ac ſmaltis, margaritis & gemmis, quodque his omnibus multò pretioſius eſt, beatiſſimi apoſtoli & euangeliſtæ Matthæi ſacroſanctis reliquiis mirificè decoratum.

commemorantur. — E — gg

92 Non ſolùm autem in ædificiis, verùm etiam in libris deſcribendis operam Deſiderius dare permaximam ſtuduit: codices namque nonnullos in hoc loco deſcribi præcepit, quorum nomina hæc ſunt: Auguſtinum contra Fauſtum: De Opere monachorum: de Sermone Domini in monte: Omelias quinquaginta ſuper Epiſtolam ad Romanos: Sermones, Epiſtolas Pauli *hh*: de Geneſi ad litteram: Epiſtolas ejus: Paſtorale ejus: de Baptiſmo parvulorum. Ambroſium de rebus geſtis in eccleſia Mediolanenſi: de Patriarchis: de Fide ad Gratianum imperatorem: Sermones ejus. Regiſtrum Leonis Papæ. Regiſtrum Felicis Papæ. Regulam Baſilii. Jeronimum ſuper Ezechielem; ſuper Epiſtolas Pauli; ſuper duodecim Prophetas. Eugepium *ii*. Sermones Severiani *kk*: Hiſtoriam Anaſtaſii. Hiſtoriam Langobardorum, Gothorum & Wandalorum. Hiſtoriam Jordanis * epiſcopi de Romanis, & Gothis. Hiſtoriam Gregorii Turonenſis. Joſephum de Bello Judaico. Hiſtoriam Cornelii * cum Omero. Hiſtoriam Erchemperti *ll*. Bedam ſuper Tobiam. De Locis ſanctis. Euangelium majorem auro & lapidibus pretioſis ornatum, in quo has reliquias poſuit: de ligno Domini, & de veſtimentis ſancti Johannis Euangeliſtæ.

LXIII. Deſiderius libros complures deſcribi — hh — ii — kk — * al Jornandes vocatur — * Taciti, opinor — ll

93 Sermones Leonis Papæ. Sermones Gregorii Nazianzeni. Doctrinam patrum. Sacramentorum *mm* cum Martirologio. Sacramentorum aliud. Ordo epiſcopalis. Gualfridum *nn* de Officiis. Super Regulam. Paſſionaria totius anni, libros quattuor. Antiphonaria de die duo, in choro ſemper habenda. Antiphonarium de nocte. Vitas patrum. Inſtituta patrum. Actus Apoſtolorum cum Epiſtolis canonicis, & Apocalipſim. Epiſtolas Pauli. Paralipomenon. Super Cantica Canticorum Origenis, Gregorii & Berengarii. Johannem Criſoſtomum de Reparatione lapſi. Dialogum *oo*, quem ipſe

curat, & famis tempore egentibus ſubvenit. — mm — nn — oo

A ipſe cum Alberico diacono edidit de miraculis monachorum loci iſtius. Dialogum aliud. Dialogum de Vita ſancti Benedicti. Hilarius myſteriorum & ymnorum. Sedulium de Euangeliis. Juvencum de Euangeliis. Medicinalis. Pſalterium. Creſconium de bellis Libicis. Verſus Arichis, Pauli & Caroli. Verſus Paulini. Ciceronem de Natura deorum. Inſtituta Juſtiniani, Novellam ejus. Terentium. Oratium cum geometria. Ovidium Faſtorum. Senecam. Virgilium cum Egogla* Theodori. Donatum..... Hoc præterea tempore fames maxima per totam ferè Italiam facta eſt. Tunc Deſiderius, cum fratribus communicato conſilio, cibos indigentibus abundanter conferebat.

* ecloga LXIV.

ANNOTATA. J. S.

a *De hoc facto vide Commentarium num.* 103, *ubi oſtendimus, omnia eſſe facta anno* 1084. *Robertus certè tunc bellum gerebat contra Alexium Comnenum imperatorem Græcum; at ipſe non ampliùs erat in ea expeditione, quando Roma ab Henrico capta eſt die* 21 *Martii. Nam*

B *ſic non habuiſſet tempus ſufficiens poſt captæ Urbis nuntium acceptum, ut exercitum colligeret, & jam menſe Majo eſſet Romæ. Itaque jam antea in ditionem ſuam redierat, ut Gregorio in tempore poſſet ſuccurrere. Pagius ad annum* 1082 *contendit, jam illo anno Robertum in Apuliam rediiſſe.*

b *Hic ille eſt Boamundus, qui in prima expeditione principum cruceſignatorum egregiè ſe geſſit, & Antiochiæ, ſuâ maximè operâ occupatæ, anno* 1098 *principatum obtinuit.*

c *Hunc nuntium veroſimiliter miſit* B. Deſiderius, *non ignorante Roberto, quòd hic mallet fugare Henricum, quàm cum illo pugnare. Volebat quidem ſuccurrere Pontifici; at nolebat hoſtem habere Henricum.*

d Civitas Caſtellana *viginti & octo ferè milliaribus Italicis Româ diſtat, eſtque civitas Etruriæ in colle poſita. Quamdiu ibi ſubſtiterit, nullus exprimit; ſed citò ſe in Germaniam recepit, ut alii teſtantur.*

e *Non tam citò Româ egreſſus eſt Gregorius, quàm hîc innuitur, ut probavi in Commentario num.* 105 *&* 106.

C f *Hoc verum eſſe poteſt. Non tamen Caſini manſit, ſed Salerni mortuus eſt anno ſequenti Gregorius.*

g *Michaël Ducas anno* 1078 *imperio ſpoliatus eſt, & in monaſterium detruſus, ut paſſim notum eſt apud hiſtoriographos.*

h *De tempore mortis Roberti Guiſcardi, cujus bella contra Alexium Comnenum apud hiſtoricos videri poſſunt, hæc notat Nuceus ex Anonymo Barenſi:* Anno MLXXXV, in menſe Julii, in die S. Alexii (*id eſt,* 17 *Julii*) obiit Robertus dux in Kefalonia. *Eſt autem* Cephalenia *inſula Græciæ in mari Jonio, olim etiam* Samos *dicta.*

i Sikelgaïta *vocatur in diplomatis donationum Roberti, uti & in proprio, quo poſt mortem mariti anno* 1086 *oppidum* Cetrarium *dedit Caſinenſibus, apud Gattulam in Acceſſionibus pag.* 193.

k Regium Julium *intellige, quod aliqui* Rhegium *malunt ſcribere. Eſt autem urbs archiepiſcopalis, & caput Calabriæ ulterioris, ſita in ora freti Siculi, è regione Siciliæ inſulæ.*

l *Voce* ſhcifati, *pro qua* ſquifati, ſcyfati *&* ſchifati *ſcribunt alii, nummos deſignari notabilis valoris, ſatis liquet ex hoc loco, & ex aliis in Gloſſario Cangii auctо ad vocem* ſcyphati. *At valorem explicatum non invenio.*

m Tarenus *eſt nummus aureus, de cujus valore conſuli poteſt laudatum Gloſſarium.*

n *Gallipolis eſt civitas epiſcopalis regni Neapolitani ad ſinum Tarentinum.*

o Michalati, *aliàs* Michaëlitæ, *ſunt nummi aurei, imagine cujuſdam Michaëlis Conſtantinopolitani imperatoris inſigniti, ut ex Tyrio probatur apud Cangium.*

p Aquinum *civitas eſt regni Neapolitani non longè à limite ſtatus Eccleſiaſtici & à monte Caſino.*

q Barium *notiſſima civitas eſt ejuſdem regni ad mare Adriaticum. Hanc Græcis eripuit Robertus.*

r Tibur *civitas eſt Latii in ditione Pontificia, vulgò* Tivoli *dicta.*

ſ *Vocem* farganas *ignotam ſibi ait Nuceus, ſuſpicaturque fortè legendum* ſarganas. *Hanc verò vocem exponit* ſportas vimineas, crates ex juncis. *Verùm, ſi legendum eſt* ſarganas, *malim credere* lodices *deſignari, cùm donum ſit datum pro*

E *dormitorio. Certè per voces vicinas* ſargea *&* ſargia *lodices medio ævo ſubinde intelliguntur, quia lodices frequenter componuntur ex panno illius nominis. Eadem igitur ratione* ſarganæ *aut* ſerginæ *dici potuerunt.*

t *Per* Romaniam *hîc intellige ditionem imperatoris Conſtantinopolitani.*

u *Id eſt, mappis lineis, & veriſimiliter etiam mantilibus accumbentibus.*

w *Id eſt, coloris cærulei ſubobſcuri, qualis eſt floris mali perſicæ, à qua nomen coloris, Italis* perſo, *Gallis* pers.

x *Id eſt, ex tela bombycina:* metaſſa *enim Italis eſt maſſa aliqua filorum collecta, ut liquet ex Vita S. Franciſcæ Romanæ tom.* 2 *Martii pag.* * 103 *num.* 2, *ubi eadem vox habetur & explicatur.*

y *Superior pars candelabri* malum *dicta,* quòd inſtar mali fructûs rotunda eſt, *inquit Nuceus.*

z *Vox* bazili, *aliàs* bacile, baccile, *&* bacino *habet obſcuram ſatis originem. At* pelvim *ſignificat, ut liquet ex variis exemplis apud Cangium adductis.*

aa *Nuceus in caput ultimum lib.* 2 *illud* cum F nigello *explicat de encauſto, & conſentit Gloſſario Cangii, ubi dicitur* encauſtum nigrum vel ſubnigrum, ex argento & plumbo confectum.

bb *Id eſt, calices aut cyathos ad bibendum.*

cc Conca *vel* concha *eſt vas aut labrum ad lavandum:* aquimanile *verò aut* aquamanile *vas ad aquam, quæ ad lavandum effuſa eſt, recipiendam.*

dd *Quid voce* roto *ſignificetur, non invenio.*

ee Quibus altaria circumvolverentur ad cuſtodiam, *ait Nuceus. Cangius in Gloſſario dicit:* Ubi circitoria neſcio an alia ſint à pannis, quibus tempore Quadrageſimæ tegebantur ac velabantur altaria. *At neutra opinio mihi placet, quia neutra rectè videtur congruere variis locis, in quibus occurrit eadem vox* circitorium. *In Chronico Caſinenſi lib.* 3 *cap.* 74 *inter ornamenta, quæ reliquit abbatiæ ſuæ Beatus noſter, hæc enumerantur:* Circitoria magna & optima undecim. *Mox iterum:* Circitoria quinque, & coopertoria quinque. *Deinde,* Circitorium aureum *&c. Plura ibi enumerantur circitoria, & ferè ſemper junguntur cum coopertoriis. Quis modò credat, fuiſſe*

A. PETRO DIACONO. *tantum numerum circitoriorum, si illa tantùm usui fuissent ad circumvolvendum altare ad custodiam, aut ad obtegendum tempore Quadragesimæ? Quis persuadeat sibi, circitoria ad illos usus adhibita fuisse aurea? Quapropter magis existimo, per vocem* circitorium *designari velum illud, quo calix tegitur, quando acceditur ad altare ad sacrificandum, aut ab altari receditur; vocè verò* coopertorium *significari corporale, ut vocamus, cui & sacra hostia imponitur & calix, quodque eo tempore simul serviebat pro lineo illo calicis operculo, quod modò* pallam *dicimus. Ratio prima conjecturæ meæ est, quòd inter dona Roberti hoc capite recensita, inter dona relicta à* B. Victore III, *quæ enumerantur cap.* 74, *nihil recenseatur, quo illa duo, ad Sacrificium quàm maximè necessaria, significari possint, nisi designentur per voces* circitoria *&* cooperatoria. *Ratio hæc magis urget in Chronico Cavensi apud Muratorium tom.* 7 *col.* 951, *ubi enumerantur omnia, quæ Roffridus Casinensis abbas anno* 1189 in sacristia *invenit. Recensentur ibi* circitoria *&* cooperatoria *plura; at præter illa nihil aliud, quo vela calicis & corporalia possunt de-*

B *signari, cùm tamen illa quàm maximè sint necessaria ad Sacrificium, & in sacristia haberi debeant. Altera ratio est, quod circitoria & coopertoria plerumque in enumeratione conjungantur, ideoque usum non quidem eumdem, sed vicinum habere videantur. Verùm hæc de istis sufficiant.*

ff *Aulæa nempe texturæ Arabicæ.*

gg *Rogerius erat filius & successor Roberti Guiscardi. Donationem Cetrarii, & monasteriorum mox dictorum suis locis in Commentario recensui. De Cetrario hæc notat Nuceus:* Locum autem dicit, non castrum, vel terram, ut totum illum tractum comprehendere se velle indicet, intra cujus fines plures olim fuerunt vici, seu pagi, & villæ, ut Cetrarius, S. Angelus &c. Eorum ditio possidetur adhuc à monasterio Casinensi pleno jure in utroque foro, spirituali & temporali.

hh *Intellige expositas ab Augustino, quia hujus Opera recensentur.*

ii *Scripsit aliquis* Eugippius, *aut* Eugepius *presbyter, Vitam S. Severini Noricorum apostoli, datam ad* 8 *Januarii. Hicne, an alius fuerit* Eugippius. *qui multa collegit ex Operibus S.*

C *Augustini, hoc loco non inquiro.*

kk *Severianus Gabalorum in Syria episcopus, & S. Joannis Chrysostomi æmulus, Sermones aut Homilias aliquot posteritati reliquit.*

ll Erchempertus *fuit monachus Casinensis*, qui scripsit Historiam Langobardorum Beneventi, Capuæ, Salerni &c., *inquit Gattula in Historia Casinensi pag.* 70, *ubi & plura de eo videri possunt.*

mm *Id est*, Sacramentarium, *ut vulgò vocatur, aut* Sacramentorum codicem.

nn *Designatur Walafridus Strabo, qui scripsit de Officiis divinis & alia quædam.*

oo *De Dialogis* B. Victoris *Petrus Diaconus lib. de Viris illustribus cap.* 18 *hæc scribit:* De Miraculis præterea, quæ à B. Benedicto, & à monachis Casinensibus gesta sunt, unà cum Theophilo diacono libros edidit quatuor. *Ad hæc pauca observanda. Primò Dialogos illos anno* 1651 *primus Romæ edidit Joannes Baptista Mari, ac deinde sæpiùs recusi sunt. Verùm, ut observat Gattula in Historia Casinensi pag.* 183, ex hisce Dialogorum libris tres tantùm supersunt, eorumque tertius, in quo de miraculis extra cœnobium Casinense factis agitur, mutilus est. *Secundò in Actis vocatur* Albericus *diaconus, qui Dialogos illos cum Beato edidit, in loco allegato* Theophilus. *Fortè Albericus est verum nomen, Theophilus verò nomen ad interloquendum adoptatum. Tertiò addo ex laudato Petro Diacono, quæ de aliis Beati scriptis subjungit:* Cantum etiam B. Mauri composuit. *Tum utrumque Opus commendat his verbis:* In quibus, qui vult, artis grammaticæ tramitem, & monochordi sonori magade reperiet notas. *Epistolas etiam aliquot ab eodem in pontificatu scriptas* ad Philippum regem Francorum, *&* ad *sanctum* Ugonem abbatem Cluniacensem, *testatur.* D

CAPUT X.

Mortuo Gregorio VII diu reluctans & invitus substituitur Desiderius, qui, depositis Pontificatûs insignibus, Casinum revertitur. E

ANno autem Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo quinto, Indictione octava, cùm venerabilis ac semper recolendæ memoriæ domnus Gregorius VII Papa apud Salernum infirmitate magna detineretur, interrogatus ante diem tertium obitus sui ab episcopis & Cardinalibus, qui tunc unà cum Desiderio præsentes erant, quid post suum obitum de Romanæ Sedis ordinatione juberet; respondit, ut, si unquam aliquo modo possent, eumdem Desiderium ad hoc Officium promoverent: is enim præter id, quòd primùm presbyter Cardinalis Romanæ tunc Ecclesiæ esset, & prudentiâ maximâ, & religione singulari, & principum circummanentium amicitiâ multâ polleret: si verò hunc nullatenus flectere ad ista valerent, aut archiepiscopum Lugdunensem Ugonem *a*, aut Ottonem Hostiensem *b* aut Lucensem episcopum, quem priùs ex is * habere possent, in Papam eligere post suum obitum quantociùs festinarent. Hoc statuto, defunctus est octavo scilicet Hcal. Junii, die Dominico, & honorabiliter intra ecclesiam *c* beati Matthæi apostoli & euangelistæ sepultus, cùm sedisset in Pontificatu annis duodecim, mense uno, diebus tribus. LXV. *Gregorii VII de successore judicium.* *a* *b* * his F *c*

95 Et quoniam Romana Ecclesia Pastore destituta remanserat, & hæretici atque schismatici more luporum illam nitebantur invadere, Desiderius unà cum episcopis & Cardinalibus, nec non & laicis religiosis, qui actenus in Catholica unitate & obedientia Papæ Gregorii fideliter perstiterant, cœpit unanimiter agere, qualiter eam posset decentissimè ordinare. Miserunt ergò & convenire fecerunt undique aptas huic officio personas, quatinus ex eis unanimi consensu eam personam cum gratia & auxilio Dei eligerent, quæ idonea & apta tanto Ordini esset. Convenientes post hæc ad prædictum Abbatem episcopi & Cardinales, cœperunt eum super præfati Pontificis judicio appellare, utque in tanta temporis necessitate periclitanti subveniret Ecclesiæ, papatum suscipiendo, instantissimè flagitare. Ad hæc ille, papatum se suscipere obstinatissima respon- *Desiderius novi Pontificis electionem promovere*

sio-

A sione recusavit: aliis verò, quibus sciret & posset, modis ad Romanæ Ecclesiæ servitium se paratum esse spopondit. Die Pentecostes Savinensi *d* episcopo & Gratiano *e* Româ venientibus occurrit, eisque verba, quæ cum Papa Gregorio de Ecclesiæ ordinatione habuerat, retulit, pariterque cum eis Jordanum principem & Raynulfum comitem adiit, atque ad servitium & adjutorium Romanæ Ecclesiæ adhortatus, libentissimè ad omnia paratos invenit.

d *e*

studet, se ipsam omni modo exclusum cupiens.

96 Cœpit deinde Cardinalibus vehementer insistere, ut de Pontificis eligendi persona quantociùs deliberarent, & ut ad comitissam Mattildam *f* litteras mitterent, quatinus studeret, ut & ii, quos prædiximus, episcopi, & quotquot idoneæ tanto officio personæ judicarentur, Romam sine tarditate venirent. Quod illi facere negligentes, cum Jordano principe clàm machinabantur eidem Abbati pastoralem curam injungere, & suasionibus multis nitebantur eum quoquo modo Romam perducere, putantes, violenter se id ei posse imponere. Quod ipse præsentiens, omninò renuere & contradicere cœpit, sicque ad hoc monasterium reversus, iterum Normannos & Langobardos *g*, & omnes, quotquot potuit, ortari * ad Romanæ Ecclesiæ servitium cœpit, & multos ex eis promptos & paratos ad rem ipsam invenit: sed quia fervor æstatis nimius erat, propterea tunc Romam ire distulerunt, quo usque se & calor æstatis imminueret, & tempora infirma *h* transirent. Postquam verò princeps, conducto exercitu, hujus rei gratiâ Romam eundi Campaniam venit, comitantibus etiam se unà cum Desiderio non nullis partium istarum episcopis, ipse suspectus *i* prædictorum consiliorum, ampliùs procedere noluit, dicens, Quòd nisi Jordanus princeps, & comes Raynulfus, & episcopi Romani * fidem suam sibi præsenti darent, nullam super hac re vim illi illaturos, neque alios inferre passuros, ipse cum eis nullatenus pergeret. Renuentibus facere, hac de causa res tunc infecta remansit.

f

g

* hortari

B

h

i

* *id est*, episcopi Cardinales

LXVI. *Nullis precibus aut rationibus*

97 Jam ferè annus in tali fluctuatione transierat, quo in Apostolica Sede nullus Pastor erat, nullus Dominici gregis curam subibat, & Guibertus æresiarcha *k* oves Christi sanguine redemptas suis cum sequacibus laniabat, cùm circa Paschalem festivitatem episcopi & Cardinales Romanæ Ecclesiæ de diversis partibus Romam convenientes, mandaverunt prædicto Abbati, ut unà cum episcopis & Cardinalibus Romanis, qui secum tunc morabantur, & cum Gisulfo Salernitano principe, qui tunc à Cysalpinis partibus venerat, ad eos quantociùs pergerent, quatinus de Romanæ Ecclesiæ ordinatione simul tractarent. Ille nichil suspicans, de se jam illos aliquid cogitare, cùm jam nulla de eo mentio ab aliquo fieret, assumptis præphatis omnibus, Romanam pervenit ad urbem. Eo die, quo applicuit, in Vigiliis Pentecostes, instante Desiderio, ut pontificatûs apex personarum earum injungeretur alicui, quæ vel ipsis vel ei videbantur idoneæ, renuerunt prorsûs omnis Romanus & clerus & populus consentire. Per totam autem ipsam diem multâ frequentiâ, quotquot Catholicæ parti favebant, tam clerici quàm laici, ad eum convenientes, jam circa vesperam congregati sunt pariter omnes tam episcopi & Cardinales, quàm & cæteri Romani, qui in fidelitate beati Petri Apostolorum principis perseverabant, in diaconiam sanctæ Luciæ, quæ est juxta Septe solis *l*, cœperuntque omnes unanimiter Desiderium multis precibus obsecrare, ut Romanum pontificatum suscipere non recusaret, eumque obtestare per divina, per humana omnia, ut subveniret periclitanti Ecclesiæ, in naufragio constitutæ, multotiens ad genua ejus, nonnullis lacrymantibus, omnes pariter ruentes.

k

C

l

A. PETRO DIACONO.

ad suscipiendum pontificatum moveri se simens,

98 Desiderius verò, qui jam dudum decreverat vitam suam in quiete transigere, & qui magis optabat in divina peregrinatione suum tempus finire, cœpit omnimodis refutare, & hoc se numquam consensurum firmiter repromittere. Instare illi vehementer, perseveranter insistere, ipse vehementiùs reniti, resistere perseverantiùs, dicens: Pro certo sciatis, quia si aliquam michi violentiam super hoc intuleritis, ego quidem, prout citiùs potuero, Casinum redibo, & nullo modo unquam inde me intromitto; vos autem propter hoc ridiculum magnum & vobis & Romæ Ecclesiæ facitis. Et quia tardior jam ora * processerat, imminente jam nocte, ad sua quique reversi sunt. Summo mane Dominicà Pentecostes omnes unanimiter ad eum iterum convenientes, eadem cœperunt repetere, & ipse nichilominùs in semel fixa sententia perdurare. Videntes se omnino jam nichil proficere, dixerunt Desiderio presbyteri & Cardinales episcopi, quoniam quemcumque ipse illis consuluisset, ipsum illi parati essent eligere. Unde, cum Cencio Romanorum consule consilio habito, tandem ut Hostiensis episcopus Papa eligeretur, decrevit.

* hora

E

demum invitus eligitur,

99 Post hæc quæsierunt ab eo, ut ipsum Pontificem, quem eligerent, in Casinensi monasterio reciperet, eumque donec Ecclesia tranquillaretur, cum suis omnibus sustentaret, sicut & de supradicto Papa Gregorio fecerat; quod Desiderius libentissimè facere repromisit, & per ferulam, quam manu gestabat, eos in fide sua de hoc investivit. Cùm autem jamjamque de Hostiensi episcopo decernerent, repentè iterum quidam de Cardinalibus, contra canones *m* esse hanc electionem affirmans, nequaquam se consensurum clamavit: illi pro tempore, pro necessitate hoc ferre oportere astruentibus *, nequaquam eum ad suam sententiam flectere valuerunt. Verùm ut sapientûm Salomon sapiens attestatur, non est prudentia, non est consilium contra Deum: mox enim episcopi & Cardinales, unà cum clero & populo, in Desiderii duritiam stomachantes, & videntes se nil posse cum eo precibus agere, statuerunt violenter causam perficere. Tandem itaque universi pariter uno consensu & animo illum capientes, invitum & renitentem attrahunt, & ad ecclesiam prædictam Christi martyris Luciæ perducunt, ibique eum juxta morem Ecclesiæ eligentes, Victoris ei nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum & voluntatem fecerunt, cappam quidem rubeam induebat, albam verò numquam ei potuerunt induere.

m

* adstruentes

F

LXVII. *sed papatûs insignia exuens ad cœnobium suum redit.*

100 Eo igitur tempore præfectus imperatoris *n* à duce & ejus matre dimissus, propter illud videlicet odium, quòd episcopi & Cardinales, faciente tamen Salernitano principe, Salernitanum archiepiscopum sacrare noluerunt *o*, die noctuque cum aliquantis, ære iniquo conductis, in capitolium contra eundem Electum conveniens, persecutiones ei maximas intulit. Post quattuor dies idem Electus Romam egressus, venit Ardeam *p*, ibi per triduum remoratus, abiit Terracinam, ab inde crucem & clamidem * & cætera pontificatûs insignia ita dimisit, ut eis ulteriùs uti nullo unquam modo persuaderi potuerit, decernens potiùs omni vitæ suæ tempore in divina

n *a*

p

* chlamydem

A. Petro Diacono. peregrinatione vitam finire, quàm tanti Ordinis fascibus gravissimis colla submittere. Insistebatur ei cotidie precibus lacrimisque creberrimis, objiciebantur ecclesiarum magna discrimina, ingerebatur plurimarum perditio animarum, quibus ei manifestissimè divina indignatio intendebatur; sicque Casinum reversus est. Cæterùm per anni totius *q* curriculum adeo mentis ejus propositum immobilis perstitit, ut nullis omnino argumentis ad eorum potuerit hortamenta precationesque deflecti. Non tamen ob hoc Cardinales & episcopi, qui cum eo erant, aliquatenus quiescentes, Jordano principi instare cœperunt, ut quantociùs properaret, & propter consecrationem ejusdem Electi Romam cum eis pergeret: qui cum magno exercitu ad hoc monasterium veniens, partim deortatione ipsius Electi, partim timore æstatis ulteriùs progredi nolens, reversus est.

ANNOTATA. J. S.

a *Hugo antea fuerat episcopus Diensis, & legatus erat Pontificius in Gallia, vir sanè multis rebus bene gestis præclarus; sed invidiâ contra* B Victorem III, *ut videbimus, ad tempus in transversum actus. Vide de omnibus Commentarium nostrum num.* 110 *& seq.*

b *Hic Otto post* Victorem *electus est Pontifex, dictusque est Urbanus II; Lucensis verò episcopus erat S. Anselmus, cujus Vita apud nos edita ad* 18 *Martii.*

c *De corpore S. Gregorii VII, ibidem invento integro post quinque ferè secula, & translato, consule Commentarium ipsius Vitæ prævium apud nos tom.* 6 *Maii pag.* 104.

d *Secundum Ciaconium in Gregorio VII, fuisset* Domnizo, qui & Regizo, *inquit, hic Sabinensis episcopus, cùm dicat illum interfuisse exsequiis S. Anselmi Lucensis, anno sequenti* 1086 *defuncti. At nec Domnizo cum Regizone confundendus est, neque alteruter fuit episcopus Sabinensis, quantùm existimo; licèt in novissima Ughelli editione uterque in catalogo episcoporum Sabinensium reperiatur. Errori occasionem dedit Baronius in Annalibus ad annum* 1086, *num.* 10: *nam cùm in Vita S. Anselmi legatur,* Sutriensis episcopus, nomine Bonizo; *ex ea apud Baronium legitur,* Sabinensis episcopus dominus Domnizo. *Inde error Ciaconii æquè ac Ughelli. Porrò Ughellus in catalogo episcoporum Sabinensium* C *col.* 160 *collocat Gregorium, quem Gregorius VII misit ad Henricum regem, aitque tunc creatum fuisse episcopum Sabinensem, & vixisse usque ad pontificatum Urbani II. Itaque hic esset episcopus Sabinensis hoc loco memoratus. Verùm Gregorius ille erat* diaconus *Romanæ Ecclesiæ, quando à Gregorio VII missus est* ad principes *regni, ut legitur in sæpiùs laudata Vita Gregorii num.* 79. *Potuit tamen idem Gregorius postea creari Sabinensis episcopus; at fateor, me frustra quæsivisse, ut argumento solido id certum facerem.*

e *Gratianus hic procul dubio erat Cardinalis, & inter Cardinales presbyteros ponitur à Ciaconio in Gregorio VII.*

f *Mathildis comitissa celeberrima est in Historia hujus seculi ob defensionem Pontificum contra Henricum IV. Vita ipsius fuit versibus heroïcis à Domnizone presbytero conscripta, ex qua Annalibus suis multa inseruit Baronius.*

g *Principes designat hodierni regni Neapolitani, qui origine plerique erant Normanni, eodem seculo in illas provincias ingressi, aut Longobardi, qui seculo sexto, quo in Italiam irruperunt, aliquot in hisce provinciis principatus acquisiverunt.* D

h *Tempora infirma vocat menses æstivos, quibus peregrini vix Romam ire possunt sine gravis morbi & mortis periculo.*

i *Id est, suspecta habens prædicta consilia.*

k Hæresiarcham *vocat, quia antipapa erat & princeps schismatis.*

l *De hac S. Luciæ diaconia, seu ecclesia & titulo Cardinalis diaconi, agit Martinellus in Roma sacra pag.* 366, *vocans eam* S. Luciæ in septem viis; *observansque, etiam nominatam fuisse,* In septizonio, In septa solis, & In septodio. *Addit, sic dictam fuisse* à septizonio, quod Apollini palatino sacrum fuerat.

m *Voluit, ut observat Nuceus, contra canones fore electionem, quia Ostiensis jam erat episcopus, & ad alium episcopatum transiturus erat, quod antiquis canonibus fuit prohibitum, ut ambitioni & avaritiæ occasio eriperetur. Verùm necessitas eligendi dignissimum Pontificem fecit, ut jam antè non semel, & postea sæpiùs, illis canonibus derogatum sit.*

n *Quis ille sit, non invenio. Attamen existimo, illum Romæ fuisse relictum ab Henrico imperatore, quando hîc Romam deserebat anno* 1084, E *adveniente Roberto Guiscardo; & eo tempore captum fuisse à Roberto duce, captivumque detentum. At mortuo Roberto, dux Rogerius ipsius filius & successor, & Sikelgaïta mater ejus illum Henrici præfectum Romam abire permiserunt, ut opponeret se episcopis & Cardinalibus Catholicis, ipsique electo Pontifici.*

o *Ratio, cur Rogerius dux in Cardinales & episcopos malè animatus, Henricianum præfectum dimiserit, hîc datur; videlicet quia illi nolebant consecrare Alphanum II archiepiscopum Salernitanum, quem Rogerius dux consecratum volebat; sed obsistebat Gisulphus princeps nomine & jure Salernitanus; sed urbis illius possessione exutus.*

p Ardea *exiguum oppidum est ditionis ecclesiasticæ in Latio,* sexdecim millibus passuum, *ait Baudrandus, Româ dissitum, & paulò longiùs Terracinâ, quò tendebat* Victor, *ornamenta pontificalia depositurus, & Casinum reversurus.* F

q *Non integro anno, sed usque ad finem anni* 1086, *& diutiùs etiam, ut videbimus.*

CAPUT XI.

Beatus Papa coronatur: Guiberti antipapæ depopulationes & sacrilegia: Victoris de Saracenis triumphus.

LXVIII. *Tandem assiduis episcoporum aliorumque postulationibus*

SEquenti anno mediante Quadragesima, apud Capuam episcoporum concilio congregato, cùm prædictus Electus unà cum episcopis & Cardinalibus Romanis eidem concilio præfuisset, Cencius etiam Romanorum consul cum aliis nobilibus Romanis, & Jordanus princeps & Rogerius dux cum omnibus ferè suis optimatibus interfuisset, post finem concilii rursus insperatè, & nichil eo de his suspicante, cùm multis precibus lacrimisque à clericis & laicis perurgeretur, biduo immobilis perstitit. Tandem cùm dux & princeps, unà

A unà cum episcopis cæterisque Catholicis viris, flentes ejus pedibus adjacerent, multis rationibus & orationibus coactus, vix tandem succubuit, & præteritam electionem crucis & purpuræ resumptione firmavit, duodecimo scilicet Hcalendas Aprilis, Dominica in ramis Palmarum: inde Casinum reversus, ibidem Pascha celebravit.

cedit, & in Pontificem consecratur.

102 Peracta festivitate, cum Capuano ac Salernitano principe Romam perrexit, ac juxta civitatem Hostiensem Tiberim cum omnibus transiens, cùm gravi infirmitate detineretur, extra porticum sancti Petri tentoria fixit, & quoniam Ravennas æresiarcha, qui, vivente Papa Gregorio, papatum invaserat, ecclesiam sancti Petri armata manu tenebat, non integro die à militibus principis Dei auxilio expugnata & recepta est. Dominico verò die post Dominicam Ascensionem, multis Romanis & omnibus ferè Transtiberinis sollemniter cum maxima frequentia occurrentibus, præfatus Electus à Romanis episcopis, Hostiensi videlicet, Tusculanensi, Portuensi atque Albanensi, Cardinalibus quoque & episcopis atque abbatibus quàm plurimis assistentibus, more ecclesiastico consecratus & in Apostolicam Sedem locatus est septimo Idus Magi. Quo etiam die corpus sancti confessoris Christi Nicolai *a* à civitate Mirensi, in qua per annos septingentos septuaginta quinque quieverat, Barim delatum est. Prædictus autem Pontifex per octo circitèr dies Romæ remoratus, unà cum prædictis principibus ad hoc monasterium rediit.

B *a*

LXIX. *Beati cum Mathilde congressus, cujus ope*

103 Post exiguum verò temporis spatium comitissa Mattildis Urbem adiens, magnis eundem Pontificem supplicationibus per legatos interpellavit, quatinus ejus frui aspectibus, ejus potiri colloquiis mereretur: eam quippe causam sibi Romam veniendi fuisse permaximam suggerebat. Cogebat corporis languor loco non abscedere; sed quia pro sanctæ utilitate Ecclesiæ omnibus se disposuerat vel extremis periculis objectare, iter per mare aggressus est. Cúmque ad Urbem perveniſſet, à comitissa & ejus exercitu ac cæteris beati Petri fidelibus devotissimè officiosissiméque susceptus est, atque apud ecclesiam beati Petri octo diebus permansit. Deinde in festivitate sancti Barnabæ *b* super altare sancti Petri Missam sollemniter celebrans, eadem die auxilio & ope præfatæ comitissæ per Transtiberim *c* Romam intravit. Transtiberim tunc totam, Romanorumque permaximam partem, & nobilium penè omnem populum, castellum quoque sancti Angeli, basilicam beati Petri, civitatem Hostiensem *d* ac Portuensem in sui juris dicione tenebat: morabatur verò apud insulam Romæ, quæ & ipsa sui juris extabat.

b *c* *d*

recuperat ecclesiam S. Petri.

104 Die igitur, qui Apostolorum natalitia præcedebat, nuntius quidam, quasi ex imperatoris parte adveniens, omnes consules, senatores ac populum Romanum de corona summovit *e* imperii, cùm subitò Romani supervenientes, præter beati Petri ecclesiam, universa ceperunt: ecclesiam verò ipsam, quam supradicti Pontificis homines desuper tuebantur, ingredi nullo modo potuerunt. Sed quia Guiberti æresiarchæ multitudo permaxima erat, hi, qui ex parte Papæ Victoris erant, contra tantam hostium manum obsistere non valentes, in transtiberim, sive in castellum sancti Angeli discesserunt. Jam die mediante in ecclesia sanctæ Mariæ in Turribus Ravennas æresiarcha Missam cantavit: nam utrumque campanile, igne & fumo supposito, ceperat; sole autem jam ad occasum vergente, hii, qui in ecclesia steterant, palàm cum armis suis descendentes, reversi sunt. Ita ea, prò dolor, Apostolica & Universalis beati Petri Ecclesia, eo die, quo ejus præcipuè festivitas extitit, omni tam nocturno, quàm diurno officio caruit. Sic Guiberti æresiarchæ spes frustrata est, qui in Apostolorum solempnitate Missas illic celebrare affectabat. Altera die ab hæreticis Apostolicum altare lotum, & Missa est ibi peracta. Die verò sequenti omnes ad propria sunt reversi, & eadem ecclesia in dicionem Papæ Victoris rediit.....

e

A. PETRO DIACONO.

LXX. *Guibertus antipapa Ecclesiam*

105 Guibertus interea æresiarcha, qui post præstita domino suo beatæ memoriæ Gregorio septimo Papæ fidelitatis sacramenta & obedientiam novem annis exhibitam, Apostolicum thronum invaserat, cernens Victorem Papam ab omnibus in maxima veneratione haberi, Heynricum imperatorem *f* solvens ab observatione juramenti, quod apud Canusiam *g* Tusciæ oppidum olim Papæ Gregorio fecerat, Romam attraxit, & cum eo expugnare Catholicam Ecclesiam *h* cœpit. Hi verò, qui ex parte Papæ Victoris in ultramontanis partibus erant, imperatorem Romæ remorare cognoscentes, contra eum rebellare disponunt. Contra quos Heynricus imperator adveniens, facto, ut assolet, vario bellandi eventu, diutissimè pluribus deprædationibus & incendiis ac cædibus utrimque decertatum est.

f *g* *h* E

crudeliter vexat; probis omnibus

106 Tandem præphatus imperator, relictis ad resistendum in Germania copiis, assumto partim suo, partim conductitio sive gregario exercitu, Romam & suburbana ejus deprædationibus & incendiis ac cædibus, quibus valuit, quadriennio *i* devastavit, & tandem suo Simone magis pretio quàm vi inthronizato, ab eodem imperialem coronam accepit, & tam non faventibus, quàm non communicantibus sibi suisque complicibus, & Romæ, & in omni Romano imperio, sævissimam & diuturnam intulit persecutionem. Hujus rei causâ & ecclesiæ penè totius Romani imperii desolatæ, & Christiana religio propemodum dissipata, & viginti milia hominum & eo ampliùs in diversis regionibus, katopapa *k* Guiberto coöperante, cæsa sunt. Qui etiam, pulsis Catholicis episcopis & abbatibus & aliis ecclesiarum præpositis, scientiâ pariter & religione pollentibus, sceleratos & idiotas singulis civitatibus & cœnobiis vel ecclesiis singulos, interdum autem binos vel annuos prælatos dampnabili prioris magistri sui Simonis magi mercimonio substituens, in deprædationibus sanctorum locorum & Christianorum sibi non faventium, dum non esset, qui armato resisteret, longè latéque voluntate quidem Neronis & Decii, sed minùs possibilitate crassatus * est.

i *k* F

**forte* grassatus

107 Idem verò Guibertus, qui multò rectiùs Papa demens, quàm Clemens *l* dici debuit, in oppidulo suo, quod Argenteum dicitur, quasi ad sui munitionem excelsa turri fabricata, præstolabatur simoniacos angelos, cum quibus volando in putidissimas stigias paludes rueret scilicet, cruribus suis, Deo per omnia Papæ Victori propitio, confractis & ad nichilum redactis: cui nemo Apostolicam reverentiam sive obedientiam exhibebat, præter imperatorem & complices ejus, vel qui se illi propter avaritiam, quæ est idolorum servitus, vel perpetuò, vel ad tempus, pacto jusjurando, vendiderunt, quorum plurimi, quibus ejus perfidia claruerat, dum execranda sacrificia celebraret, non intererant, scientes eundem nulli Romanorum Pontificum successisse, sed præscripto modo perjurum & invasorem ac simoniacum Papæ Gregorio fuisse superinjectum:

obedientiam exhibentibus Victori III.

l

nam

A. PETRO DIACONO.

nam Catholici, qui fidem & religionem zelo Dei tuebantur, Papæ Victori, scientiâ & religione præstantissimo, adhærebant.

LXXI. *ejus de Saracenis insignis victoria.*

108 Æstuabat interea ingenti desiderio idem Victor Apostolicus, qualiter Saracenorum, in Africa *m* commorantium, confunderet, conculcaret atque contereret infidelitatem. Unde, cum episcopis & Cardinalibus consilio habito, de omnibus ferè Italiæ populis Christianorum exercitum congregans, atque vexillum beati Petri apostoli illis contradens, sub remissione omnium peccatorum, contra Saracenos in Africa commorantes direxit. Christo igitur duce, Africanam devoluti dum essent ad urbem, omni nisu illam expugnantes, Deo adjuvante, ceperunt, interfectis de Saracenorum exercitu centum milibus pugnatorum. Quod, ne quis ambigat, hoc absque voluntate accidisse divina, illo die, quo Christiani de Saracenis victoriam adepti sunt, eo etiam Italiæ divinitus patefactum est.

m

ANNOTATA. J. S.

a *De translatione corporis S. Nicolai Barim agetur ad diem 6 Decembris, quo colitur.*

B

b *Colitur S. Barnabas* XI *Junii, ita ut circa initium Junii Romam rursum venerit* Victor, *& vix octo diebus Casini potuerit commorari.*

c *Videtur auctor voce illa* Transtiberim *in varia uti significatione, nisi ubique designet partem Urbis transtiberinam versus Etruriam, quæ longè minor est parte opposita, sed continet castrum S. Angeli, & basilicam Vaticanam S. Petri. Verisimiliter Romam seu majorem Urbis partem intravit per pontem ante castrum S. Angeli impositum Tiberi, aut per insulam Lycaoniam, S. Bartholomæi nunc dictam, quam Tiberis in Urbe efficit, in qua commoratus fuisse dicitur.*

d Hostiensis *aut potiùs* Ostiensis civitas, *aliàs* Ostia, *aut* Ostia Tiberina, *civitas erat prope ostia Tiberis in mare illabentis; & ex altera Tiberis parte erat* Portus Romanus, *hic* Portuensis *civitas dicta. Utraque excisa est à Saracenis; sed utriusque episcopatus manet. Ostiensis decanus est sacri collegii Cardinalium, Portuensis verò subdecanus.*

e *Fortè legendum* summonuit, *ut observat Nuceus.*

C

f *Observet studiosus lector, de Guiberto antipapa & Henrico imperatore hîc narrari præterita, quæ facta erant sub pontificatu Gregorii VII, licet auctor per illa*, cernens Victorem Papam *&c.*, *quasi insinuet, se recentia narrare.*

g *Castrum erat munitissimum Mathildis comitissæ, quæ Tusciam sive Etruriam possidebat, eaque forsan de causa* Canusiam *in Tuscia collocavit auctor. Attamen non erat in Tuscia strictè sumpta, sed potiùs in Lombardia Cispadana, sive in hodierna ditione ducis Mutinensis, & prope confinia ducatûs Parmensis, ut etiamnum in tabulis geographicis notatur* Canossa. *Leander Albertus pag. 567, ubi egerat de Regio Lepidi, illustrans loca vicina, quæ sunt ad lævam fluminis Lenciæ, de Canusia hæc scribit:* Propiùsque ad amnem Canossa, munitissimo situ castellum, ubi Mathildis comes Gregorium VII Pontificem Romanum abdidit, insidiis & vi Henrici IV imperatoris, Ecclesiæ Romanæ hostis, petitum. Qui dein criminis pœnitens huc capite pedibusque denudatis summa hyeme per nives & glaciem impetrandæ veniæ causâ ad Pontificem grassatus, ab eo perhumaniter admissus, & in gratiam acceptus est. *Res peracta est anno 1077, absolutusque ab excommunicatione Henricus sub conditionibus, quas observaturum se promisit, quasque minimè implevit. Videri potest Gregorii VII Vita ad 25 Maii.*

D

h *Venit Henricus cum exercitu, ut Guibertum Romam duceret anno 1081; sed non ante annum 1083 partem Urbis Transtiberinam cum basilica S. Petri intercepit, & anno 1084, auro Romanis multis, alteram Urbis partem occupavit, eodem anno fugatus per Robertum Guiscardum, ut dictum in Commentario num. 101. Attamen ab eo tempore Guibertus semper aliquos sibi faventes in Urbe habuit, & passim ibi mansit.*

i *Hîc repetuntur jam dicta, quia Henricus non nisi illo quadriennio, aut potiùs triennio, Romæ aut in ejus vicinia fuit.*

k *Fortè voluit dicere* cacopapa, *id est*, malo Papa, *à Græco* κακὸς malus.

l *Vocabatur à suis* Clemens III.

m *Hæc expeditio militaris in Africam, si simpliciter accipiatur, prout verba enuntiare videntur, difficultatem patitur. Quapropter consule Commentarium num. 114 & 115, ubi probavi cœptam quidem expeditionem, vivente & promovente* Victore, *sed victoriam fuisse relatam post ejus obitum.*

E

CAPUT XII.

Synodum Beneventi celebrat Victor: ejus decreta, & Casinum reversi sanctus obitus: supellex sacra ab eo relicta.

LXXII. *Synodum Beneventi cogit, in qua*

PRæphatus autem Victor Papa tertius Urbem egrediens, venit ad hoc monasterium, sociatisque sibi episcopis & Cardinalibus, ecclesiam sancti Nicolai in Pica solempniter dedicavit. Mense autem Augusto sinodum celebrare cum episcopis Apuliæ & Calabriæ, nec non Principatuum statuens, Beneventum perrexit. In qua videlicet idem Apostolicus præsidens, ait: Novit dilectio vestra, carissimi fratres & coëpiscopi, omni etiam orbi non latuit, sancta Romana & Apostolica Sedes, cui, Deo auctore, deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæreseos trapezitas malleis crebrisque tunsionibus subjacuerit, adeo ut columpna Dei viventis videretur jam penè concussa nutare, & sagena summi Piscatoris, procellis intumescentibus, cogeretur in naufragii profunda submergi. Guibertus enim æresiarcha, qui, vivente sanctæ memoriæ prædecessore meo Papa Gregorio, Romanam invasit Ecclesiam, præcursor antichristi ac signifer satanæ effectus, non cessat oves Christi conculcare, occidere & dilaniare.

Guiberti enormia scelera exponens.

110 Irritator enim, persecutor, exaggerator & accensor injuriarum Papæ Gregorii factus, quantas calamitates, quantas tribulationes & quantas persecutiones ei intulerit, referre quis valeat? Conspirationes & conjurationes adversùs eum excitavit, Urbe fugavit, Sacerdotio perjurus ac simoniacus, quantum ad se fuit, privavit, atque contra eum Romanum imperium, gentes & regna commovit, & quod à seculo non est auditum,

A tum, ipse excommunicatus & dampnatus, eundem sanctum Pontificem excommunicare præsumpsit, & Romanam urbem actenus sacrilegiis, omicidiis, perjuriis, conspirationibus, flagitiis & omnibus vitiorum & criminum ludibriis deturpare non desistit, & Simonis Magi munitus perfidiâ ipsiusque officina factus, nequitiarum suarum complices ad tam impiissimum & execrabile facinus evocans, imperatorisque exercitum congregans, Apostolicæ Sedis invasor est factus, contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum & Apostolorum decreta, contra canonum & Romanorum Pontificum jura, nullo Cardinalium episcoporum præcedente judicio, nullo Romani cleri approbante suffragio, nullo devoti populi fervore adibito, in sancta Romana Ecclesia omnis malitiæ, nequitiæ & perditionis caput est factus.

eum anathemate ligat: Hugonem Lugdunensem

111 Sed omnipotentis Dei clementiâ prædictum Pontificem Gregorium, post labores & certamina, ad æternam requiem evocante, cùm jam unanimi concordia episcoporum & cleri ac populi Romani nostram parvitatem, omnibus modis contradicentem & renitentem, Apostolicæ Sedi præfeciſſent, non timens æterni Imperatoris judicium,

B usque nunc Christum & oves, pro quibus suum sanguinem fudit, persequi non omisit. Ideircò auctoritate Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum, omni sacerdotali

* & honore officio, honore * privamus, & à liminibus illum Ecclesiæ separantes, anathematis vinculo innodamus. Nôstis præterea, & bene nôstis, quantos dolos, quantasque persecutiones mihi intulerint Ugo Lucdunensis *a* archiepiscopus, & Richardus *b* Massilienſis abbas, qui pro fastu & ambitione Sedis Apostolicæ, quam actenus latenter habuerant, postquam se non posse adipisci perviderunt, in sancta Ecclesia schismatici facti sunt, & Richardus quidem electionem nostram Romæ cum episcopis & Cardinalibus fecerat. Ugo autem post modicum ad nos veniens, pedum effusus vestigiis, dum obsequium nobis Summi Pontificis invitis ac retractantibus exiberet, legationem à nobis in partibus Galliarum postulaverat & acceperat, quoad itaque parvitatis nostræ infirmitatem, factæ & collaudatæ à seipsis electioni, conspexerant repugnare, omnibus ipsi nobis modis insistebant, ne onus abicerem, pro Ecclesiæ necessitate impositum.

a

b

C *& Richardum Massilienſem vitari jubet.*

112 Sed ubi nos ad id deflexos contemplati sunt, conceptam diu ambitionis flammam clibanus exturatus *c* evomuit. Quapropter omnium sibi fratrum videntes unanimitatem pertinaciùs in eo scandalorum scelere reluctari, ab eorum, & nostra continuò sunt communione sejuncti. Unde vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abstinere curetis, nec illis omnino communicetis, quia Romanæ Ecclesiæ communione sua sponte sejuncti sunt, quoniam, ut beatus scribit Ambrosius, qui se à Romana Ecclesia segregat, verè est hæreticus *d* æstimandus. Constituimus etiam, ut si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ *e* personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei episcopo seu abbati audientia concedatur. Insuper et gratiam beati Petri & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

c

d

e

Decretum edit de investituris.

113 Item si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum, vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat: nec mirum, cùm omnes vendentes & ementes trecenti decem & octo patres in Nicæno concilio congregati excommunicaverunt, dicentes: Qui dat, & qui recipit, anathema sit. Quando ergò tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos non devitatis, si eorum Missas auditis, vel cum eis oratis, cum illis excommunicationem subitis: quos quidem sacerdotes *f* esse saltim credere, omnino errare est. Pœnitentia verò & communio à nullo, nisi à Catholico suscipiatis *: si verò nullus sacerdos Catholicus affuerit, rectius est sine communione manere visibili, & invisibiliter à Domino communicari, quàm ab hæretico communicari, & à Deo separari. Nulla enim conventio Christi ad belial, ait Apostolus, neque pars fideli cum infideli: omnis autem hæreticus infidelis est: simoniacus verò, quia hæreticus *g*, ideò infidelis; sacram enim communionem Christi quamvis visibiliter & corporaliter Catholici, propter imminentes hæreticos, habere non possint, tamen, dum mente & corpore Christo conjuncti sunt, sacram Christi communionem

E invisibiliter habent. Hæc igitur dum cunctorum episcoporum, in eodem concilio residentium, auctoritate confirmata fuissent, facientes exemplaria per Orientem & Occidentem disseminaverunt.

A. PETRO DIACONO.

f

* *suscipiatur*

g

114 In eodem verò concilio idem Pontifex graviter infirmatus, post actum per tres dies concilium, festinanter Casinum rediit, atque cum episcopis & Cardinalibus ad hoc monasterium ascendens, in capitulum fratrum se ferri præcepit, & sub districtissimo anathemate interdixit, ne quis successorum *h* suorum auderet vendere, vel alienare terraticum *i*, ecclesias, villas vel quascumque possessiones huic Casinensi cœnobio pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum auderet facere cartam vel libellum, absque scientia abbatis sui, quòd si feciſſet, irritum esset. Constituit etiam tunc, ut omnia monasteria, quæ sub dicione hujus nostri Casinensis cœnobii sunt, prandium *k* per unumquemque annum huic nostræ congregationi faciant. Hoc statuto, omnium monachorum unanimi consensu, præfatis episcopis in eodem capitulo residentibus atque confirmantibus, domnum Oderisium *l*, religiosum valdè virum, & Romanum diaconum, qui tunc in hoc

F monasterio præposituræ fungebatur officio, abbatem constituit.

LXXIII. *Casini varia ordinat, & designatis sibi*

h

i

k

l

115 Post hæc, convocatis eisdem episcopis atque Cardinalibus, monuit atque præcepit, ut, juxta quod prædecessor suus Papa Gregorius jam dudum decreverat, Ottonem *m* Ostiensem episcopum in Papam eligere, quanto possent citiùs, perstuderent, eumque, quia præsens erat, manu apprehendens, cæteris episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romanam Ecclesiam ordinate, meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habete. His ita dispositis atque decretis, sepulchrum sibi construi in absida *n* ipsius capituli jussit, atque post diem tertium feliciter migravit ad Dominum sexto decimo Hcalendas Octobris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo septimo: à patris autem Benedicti transitu anno quingentesimo septuagesimo nono *o*, cùm præfuisset in hujus monasterii regimine annis viginti novem, mensibus quatuor, dies sedecim: in Sede verò Apostolica ab ipso suæ electionis exordio anno uno, sacrationis mensibus quattuor, diebus septem.

successoribus, sanctissimè moritur.

m

n

o

A. PETRO DIACONO. LXXIV.

116 Ista præterea ornamenta idem Papa Victor ad mortem suam in hoc monasterio dereliquid : quæ omnia ferè post dedicationem ecclesiæ partim ipse cum fratribus hujus cœnobii acquisivit, partim ab aliis in pignore posita recollegit. Planetæ diaspræ *p* deauratæ quinque, & tres sine auro : diarodanæ tres deauratæ, diapisti duæ & alia cetrina, purpureæ deauratæ septem, & aliæ quinque purpureæ, & duæ exametæ *, planeta Johannis medici; planetæ cotidianæ sex, quadragesimales quattuor. Dalmaticæ paratæ octo, & aliæ undecim. Pluviales auro ornatos triginta octo, & alios octoginta septem. Albas lineas centum nonaginta tres, de serico decem. Stolæ deauratæ cum manipulis suis decem & novem : de argento cum manipulis suis tres : stolæ aliæ decem & octo. Semicintia *q* septem. Fanones *r* aurei pro subdiaconibus tres, & alii quattuordecim. Camisi *s* magni deaurati cum amictis suis duo, & alii de serico septem. Panni *t* de altare sancti Benedicti. Facies *u* una cum margaritis & altera facies deaurata. Coopertoria *w* cum auro tres, & duo alia sine auro.

Recensetur numerosa simul ac sumptuosa supellex sacra à Beato

117 Circitoria magna & optima undecim. Panni de altare sancti Johannis, circitoria quinque & coopertoria quinque. Panni de altare sanctæ Mariæ : facies una purpurea cum auro, coopertorium cum smaltis, circitoria quattuor, opertoria quattuor. Panni de altare sancti Gregorii, circitorium aureum, & alios quattuor sine auro, opertoria quattuor, dossales *x* magni decem & novem, dossales minores triginta. Ostiaria *y* septem. Calices aurei duodecim cum patenis suis, septem majores & quinque minores. Fistula *z* aurea cum angulo. Calices argentei Saxonici duo, & alii argentei septem. Fistulas argenteas duas. Turibula de auro duo, de argento deaurata duo, alia argentea maxima duo, & alia argentea octo. Candelabra de cristallo parium unum, & aliud parium argenteum cum onichino, & aliud parium argenteum cum malis Christallinis, & alia candelabra quinque. Duæ laternæ argenteæ magnæ, & una cotidiana. Euangelium ipsius, Euangelium imperatoris, Euangelium Papæ Stephani, Euangelium imperatricis, duo Euangelia fratris Firmi, Euangelium abbatis Aligerni. Duo sacramentoria cum argento. Epistolaria duo, unum cum tabula aurea, aliud cum tabulis argenteis. Regulam sancti Benedicti cum tabulis argenteis. Capsa magna argentea cum gemmis & smaltis. Scrinia argentea duo.

Casinensi ecclesiæ relicta.

118 Duas cruces aureas magnas cum gemmis, & duæ aliæ aureæ minores, & tres argenteæ ad processionem. Candelabrum. Urceum cum aquamanili suo. Fumigatorium Græcum, aliud cum nigello. Urceum cum smaltis : omnia hæc argentea. Pixis aurea cum smaltis pro corpore Domini, & alia major argentea cum nigello. Coppetellæ *aa* de pernis tres. Calices onichino duos. Bacilia argentea paria duo. Centum libras auri non laborati. Stolæ aureæ duæ. Fanonem *bb* imperialem totum aureum. Scaramangæ *cc* imperatorum duodecim. Coronam de argento super altare sancti Johannis cum crucibus quinque, & aliam crucem Græcam. Coronam argenteam deauratam & lapidibus pretiosis ornatam, ferens sex cruces; aliam coronam super altare sancti Benedicti, ferens tres cruces, lapidibus pretiosis ornatas. In sancto Nycolao coronam argenteam, & crucem argenteam fusam. Coronæ argenteæ, quas in veteri ecclesia invenit, undecim. Hæc de reverendissimi Victoris tertii Papæ Vita & moribus, ac loci istius renovatione seu adornatione breviter dicta sufficiant. Cæterùm quandiu mundi istius orbita volvitur, ejus laudabile meritum semper accipit incrementum, per Jesum Christum Dominum nostrum * vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

* *adde* qui

ANNOTATA. J. S.

a *De Hugonis Lugdunensis molitionibus contra* Victorem *vide dicta in Commentario num.* 116. *Calumniæ ipsius refutatæ sunt* § 2.

b *Erat Richardus abbas S. Victoris Massilienſis, & S. R. E. Cardinalis, rebusque benè gestis clarus. At hìc lapsus est cum Hugone Lugdunensi; sed postea cum eodem resipuit, & sub Urbano II Ecclesiæ Romanæ communionem obtinuit. De eo videri possunt Historici Massilienses, & Gallia Christiana tom.* 1 *col.* 685.

c *Id est, apertus, sive non amplius obturatus. Ambitio Hugonis obturata fuerat, quando* Victor *pontificatum recusabat, quia sperabat se facilius ad pontificatum per resistentiam* Victoris *perventurum, si omnibus* Victorem *volentibus consentiret. At spes illa omnino evanescebat, consentiente in sui electionem* Victore.

d *Colligitur hoc ex verbis Ambrosii in Oratione de Excessu Satyri num.* 47, *sive tom.* 2 *col.* 1127, *ubi agens de Luciferianis schismaticis, ita loquitur :* Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim, cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit; non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur. *Fortè & aliis locis idem clariùs dixerit S. Ambrosius.*

e *Hìc* Victor *renovat leges jam à Gregorio VII latas.*

f *Occasione horum verborum longa dissertatione quærit Nuceus*, utrùm sacerdotes & episcopi schismatici, simoniaci & excommunicati sint veri sacerdotes. *At breviori explicatione difficultas amoveri potest. Etenim sacerdotes illi ordine sacerdotali non carent; sed jurisdictione & licito usu sacerdotii sunt privati. Non sunt igitur sacerdotes ad sacramenta licitè administranda, aut alia ministeria sacerdotalia obeunda; quod nec ipsis est licitum, nec aliis licet in iis cum ipsis communicare. Plura de iis apud theologos & canonistas videri possunt.*

g *Simoniacus est hæreticus, si credat simoniam sibi esse licitam, uti credebat Simon magus, à quo nomen habet simonia.*

h *Nimirum Pontifex simul erat & abbas, & successoribus suis abbatibus ut Pontifex prohibuit alienationem possessionum monasterii.*

i Terraticum, *aliàs* terragium *dictum, est census, qui domino terræ persolvitur ab iis, qui terram colendam accipiunt.*

k *Occasione prandii hujus, quod singula monasteria congregationi Casinensi quotannis semel procurare debebant, multa de juribus abbatiæ Casinensis disputat Nuceus.*

l *De electione Oderisii abbatis lib.* 4 *cap.* 1 *pleniùs agitur hoc modo :* Dum idem Pontifex graviter infirmatus ad hunc locum (*Casinum*) venisset, in capitulo fratrum se deferri in lecto præcepit, ibique in præsentia episcoporum & Cardinalium, qui cum eo erant, admonuit fratres, ut, juxta quod B. Benedicti Regula præcipit, abbatem

A tem ſibi de ipſa congregatione eligerent. Fratres verò, habito conſilio, omnes pari conſenſu Oderiſium ad tantum ordinem recipiendum dignum proclamantes, elegêre. Quod cùm ſupradicto Papæ Victori retuliſſent, ipſe voluntatem eorum & electionem valde laudabat, eumdemque protinus vocari faciens, omnino invitum & renitentem, & virtute, quâ poterat, obſiſtentem, ſeque infirmum, & neſcium tantum ordinem regere voce, quâ poterat reclamantem, & per ipſum Deum, ne hoc faceret, obteſtantem, per virgam & Regulam de abbatia eum inveſtivit. *De hoc abbate Oderiſio lib. 4 cap. 25 legitur, eum obiiſſe* 4 Nonas Decembris, *ubi obſervat Nuceus, ipſius memoriam Faſtis Benedictinis adſcriptam eſſe. Poterit igitur ad prædictum diem examinari, an etiam legitimo cultu honoretur.*

m *Eumdem jam cum noſtro* Victore *commendaverat Gregorius VII: & revera electus deinde fuit, ac Eccleſiam bene adminiſtravit ſub nomine Urbani II.*

n *Per abſidam capituli intelligitur pars capituli interior in arcum deſinens.*

o *Secundum hanc epocham S. Benedictus obiiſſet anno* 508 *aut* 509. *At vixit multo diutius; ſed de Benedicto nunc non agimus. De tempore verò, quo Beatus abbatiæ & Sedi Apoſtolicæ præfuit, conſule Commentarium num.* 119.

B

p *Planetæ* diaſpræ *ſunt coloris albi*, diarodanæ *roſei*, diapiſtæ *viridis*, cetrinæ *verò coloris citrini, ut jam antè dictum. Menda Grammaticalia lector ipſe obſervare poterit.*

q *Vox* ſemicinctium *varia ſignificat. Hîc autem videtur veſtis propria epiſcopis aut abbatibus, qui pontificalibus utuntur. Apud Cangium allegatur textus, quo abbati cuidam conceditur, ut in feſtis utatur mitrâ, chirothecis, dalmaticâ & ſemicinctio. Multa etiam de ſemicinctiis allegat Nuceus ad lib. 3 cap. 20. Exiſtimo hîc deſignari veſtem illam, quæ nunc paſſim* tunicella *vocatur, quâque induuntur epiſcopi infra dalmaticam.*

r Fano *linteum aut ſudarium ſignificat. Hîc ſtrictiùs vox illa ſumi videtur pro mappula ſubdiaconorum. Mappula autem illa, quam portabant in brachio ſiniſtro, ut portatur manipulus, veriſimiliter tunc erat formâ nonnihil diſtinctâ à manipulis diaconorum & ſacerdotum.*

C

f Camiſia *eſt illa veſtis talaris, quæ paſſim* alba *vocatur, quæque ſuperiùs etiam* alba *fuit dicta*; amictus *verò eſt veſtis, quæ collum cingit, & ſub alba induitur.*

t *Vox* pannus *multa medio ævo ſignificabat, & jam aliquot vicibus in his Actis occurrit. Periſtroma autem inter alia ſignificari hac voce, clarè liquet ex allegata apud Cangium Vita S. Athanaſii Neapolitani. Itaque hîc item per pannos poſſunt deſignari periſtromata pretioſa, quibus altaria undique exornari poſſent. Attamen probabilius puto, per pannos deſignari mappas lineas, quibus menſa altaris cooperiri debet: nam in enumeratione ſupellectilis ſacræ ejuſdem monaſterii, quæ habetur in Chronico Cavenſi tom. 7 Scriptorum Italiæ col.* 951 *non fit mentio pannorum; ſed* tualliarum, *quæ ibi idem eſſe videntur, quod hîc panni.* Tualliæ *autem magis deſignant mappas altaris, quàm periſtromata, quæ non ſunt neceſſaria.*

u *Si panni, ut dixi, mappas deſignent; ab iis neceſſariò diſtinguenda eſt facies. Hæc autem illud altaris ornamentum, quod in Rubricis Miſſæ* pallium *vocatur, mihi videtur.* (*In Belgio paſſim* antependium *dicitur.*) *Conſtituit enim faciem altaris à ſuppedaneo uſque ad menſam. Minor tamen illius ornamenti uſus eſt in Italia, quod illa pars altaris plerumque pretioſo marmore ſit ornata.*

w *Quid ſint* coopertoria, *& mox* circitoria, *vide in Annotatis ad cap. 9 lit.* ee.

x *Hac voce ſignificari aulæa, jam antè obſervavi.*

y *Tapetes dicit, qui ante oſtium appenduntur.*

z *Nuceus in Excurſu hiſtorico, quem habet ad cap. 64 lib. 4, probat, ſimiles fiſtulas in uſu fuiſſe ad communionem ſub ſpecie vini dandam populo, quando populus ſub utraque ſpecie communicabat.*

E

aa Coppetella *vaſculum eſt.* Pernas *verò eſſe conchas marinas, ex quibus colliguntur margaritæ ſive uniones, obſervat Nuceus cum variis Lexicis.*

bb *Vidimus mox* fanones *ſubdiaconorum. Hîc verò vox illa ſignificationis eſt nonnihil diverſæ. Nam* fano *etiam ſignificat linteum aut ſudarium, in quo fiunt oblationes à populo: atque eo ſenſu hîc videtur uſurpari.*

cc *Vox* ſcaramanga *aut* ſcaramangum *paſſim in Lexicis exponitur* chlamys, penula *aut* pallium. *Cangius in Lexico Græco-barbaro ex Leunclavio de ea voce ſic loquitur:* Veſtis, quam viri militares geſtant ſupra veſtes alias interiores, ad arcendas pluvias, nives, gelu, & cætera aëris incommoda. *Ea vocis expoſitio multis textibus comprobatur. Attamen non omnia exempla, quæ ab eodem Cangio afferuntur in Gloſſario Latino-barbaro huic vocis ſignificationi ſatis videntur congruere. Dubito etiam, an huic loco ſatis conveniat data expoſitio, cùm non videam, unde tot chlamydes imperiales accepiſſet monaſterium Caſinenſe. Malim igitur conjicere, fuiſſe pallia accepta à Michaële Duca imperatore Conſtantinopolitano. Nam inter hujus dona num.* 72 *in Actis leguntur* pallia quatuor *ſingulis annis mittenda Caſinenſibus. Hæc autem quatuor pallia ſi tribus annis miſerit, erunt pallia duodecim, quæ* imperatorum *veriſimiliter vocantur, quia imperatoris erant dona, non quia pallia erant imperatoria. Ceterùm ſi quæ voces barbaræ hîc non ſint expoſitæ, illas jam antè expoſitas lector inveniet. Menda verò Grammaticalia lectoribus ipſis obſervanda reliqui, quia nimis ſunt frequentia.*

F

AUCTORE J. S.

DE B. LUDOVICO ALAMANDO

ARCHIEP. ARELAT. ET S. R. E. CARDINALE

SALONÆ JUXTA CAMPOS LAPIDEOS IN PROVINCIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Ludovicus Bullâ pontificiâ Beatis adscriptus : cultus ipsius, & Officium, diu intermissum, postea resumptum : hodiernus reliquiarum ipsius status.

B AN. MCDL. *B. Ludovicus Alamandus*

Illustraturus Vitam, moresque & gesta beati Cardinalis Ludovici Alamandi, *ab utroque extremo cavendum mihi esse video. Primò videlicet cavendum, ne contradicam ipsius beatitati, miraculis à Deo patefactæ, & Sedis Apostolicæ judicio comprobatæ, licèt aliàs varia ipsius gesta probare nequeam. Neque enim ignoramus, multos Sanctorum Fastis adscriptos esse, multosque insigni etiam præ aliis gloria in cælis coronatos, de quorum gravibus peccatis nullum potest esse dubium. Rursum nihilo minùs cavendum, ne ob titulum Beati* Ludovico *concessum in id labamur extremum, ut omnia ipsius gesta laudare velimus & approbare, cùm constet & Sanctos fuisse homines erroribus obnoxios, variosque ex iis in errores satis graves periculososque fuisse lapsos, & aliquando etiam non sine culpa. Verùm divina bonitas, quæ Paulum ex persecutore Ecclesiæ fecit Apostolum, quæ Petrum graviter lapsum erexit, quæ ex publicanis & meretricibus non paucos ad excelsum sanctitatis gradum perduxit, quæ latronem in cruce illuminavit; divina, inquam, bonitas electos suos ita sapienter regit, ut, quos ex iis ad tempus*

C *à recta semita aberrare permittit, eos misericordiâ suâ infinitâ in viam veritatis reducat. Hinc in Christianis minùs consideramus, quales fuerint in primo aut in medio vitæ suæ cursu, quàm quales fuerint in fine. Hujus autem Beati exitus certè fuit laudatissimus, imò & laudabile fuit initium, &, quantùm nôsse possumus, laudabilis vitæ pars longè maxima. Itaque, si ipsum ad tempus aberrantem à recta via viderimus, cogitare debemus, id ei commune esse cum multis aliis, etiamsi fortè non sine culpa erraverit, priora verò & posteriora ipsius merita effeciisse, ut miraculis post mortem fulserit, & numero Beatorum legitima auctoritate sit adscriptus.*

à Clemente VII Beatis adscriptus,

2 *Certè* Ludovicum Alamandum *Beatorum Fastis unà cum B. Petro Luxemburgico adscripsit Clemens Papa VII per bullam pontificiam, datam anno* 1527, *die* IX *Aprilis. Bulla hæc apud nos jam edita est in B. Petro de Luxemburgo ad* 2 *Julii* § 4. *Quare huc solùm pauca ad* B. Ludovicum *spectantia transferre placet. Primò affirmat Pontifex, magnum dudum fuisse* Christi fidelium, & potissimùm civitatis... Arelatensis erga Ludovicum Alamandum, S. R. E. Cardinalem, & ecclesiæ Arelatensis archiepiscopum, *cujus corpus* in E Arelatensi *ecclesia quiescit*, devotionis *affectum, populumque* non solùm *dictæ civitatis*, sed *etiam* aliarum partium *ad ipsum tamquam ad protectorem concurrisse. Secundò asserit, mirum non esse, si* miraculis *illustretur, cùm*, ut fide dignorum habet assertio, *Jesu Christi* pro posse *imitator extiterit. Hoc autem probat, quia* Ludovicus *exegit* vitam cælibem, castamque & inviolatam,.... calcatis hujus mundanæ vitæ, quamvis illustri *esset ortus* prosapia, illecebris. *Tertiò dicit, Renatum Siciliæ regem, cui Provincia suberat, ob miracula* Ludovici *in ecclesiam Arelatensem fuisse beneficum; canonicos verò*... ob singulares... Ludovici virtutes,... nec non jejunia, orationes, vigilias, & quàm plures Deo gratas & acceptas operationes *desiderare, ut sibi liceat corpus ipsius ad commodiorem locum ecclesiæ suæ transferre, eum* pro Beato *colere & venerari. Quartò annuit Pontifex, ut canonicis liceat* Ludovici *corpus ad commodiorem locum transferre, eumdem colere & venerari ut Beatum. Quintò demum de utroque Beato subjungit Pontifex hanc restrictionem :* Non intendimus tamen propterea, eosdem Petrum & Ludovicum in catalogum Sanctorum esse relatos, donec servatis debitis solemnitatibus, in Sanctorum canonizatione servari solitis, ad illorum canonizationem deventum fuerit *&c. Hæc de bulla illa Pontificia, quæ loco assignato integra videri potest, ad propositum nostrum sufficiunt.*

F

gemino sacello & Officio cultus. Officium, dein diu omissum,

3 *Porrò, accepta hac permissione Pontificia, corpus fuit elevatum & translatum. At hujusce elevationis & translationis Acta, si qua tunc fuerunt composita, dudum sunt perdita, ut colligo ex Actis in nupera corporis visitatione, de qua mox agam, compositis. Officium quoque compositum est, & veteri Breviario Arelatensi additum sub Joanne Ferrerio archiepiscopo Arelatensi, qui cathedram illam occupabat, quando cultum* B. Ludovici *permisit Clemens, quique defunctus est anno* 1621, *succedente in archiepiscopatum ex fratre ipsius nepote ejusdem nominis. Postea tamen dictum Officium diu fuit prætermissum. Hinc Saxius in Pontificio Arelatensi in* B. Ludovico *ita de propagato ejus post beatificationem cultu scribit :* Illique sacellum Arelate & Altæcumbæ (*in Sabaudia*) extructum est, invocato ejus patrocinio ut confessoris pontificis in Breviario nostro pervetusto his verbis : "Quo die obiit glorioſæ me-

mo-

A „ moriæ beatus Ludovicus Alemandi Cardinalis „ Arelatenſis, fit Officium ſemiduplex cum pri- „ mis & ſecundis Veſperis, & omnia dicantur de „ communi confeſſoris pontificis„, *nimirum præter orationem & lectiones ſecundi nocturni. In Annotatis ad Saxium de Breviario illo additur hæc notula:* Antiquum Breviarium Arelatenſe, à Ferrerio præſule compoſitum anno MDI, & à Ferrerio nepote MDXLVII mendis purgatum reſtitutumque. *Necdum poterat anno 1501 Officium Breviario inſeri; ſed eidem poſtea ad calcem fuit additum. Attamen deinde omiſſum eſt, neque illud invenire potui in Officiis propriis Arelatenſibus, quæ gemina habemus ſeculo XVII impreſſa. Hinc Saxius addit:* Cur verò tanti Cardinalis Officium intermiſſum fuerit, ignoro. Reſtituatur tamen neceſſe eſt Gaſpari præſulis curâ, ſtudio & diligentiâ, provincialem ſynodum hoc anno celebraturi. *Ita Saxius circa annum 1629; ſed necdum tam citò reſumptum fuit dictum Officium.*

reſumitur anno 1670, cujus oratio

4 *Reſumptum tamen fuit ſeculo XVII cum leviuſcula forſan immutatione, fixumque die Dominico ante feſtum Dedicationis S. Michaëlis archangeli, ut in perpetuum eo die dicatur ritu duplici. Tale nobis tranſmiſſum eſt anno 1752 curâ & diligentiâ humaniſſimi domini Joſephi Antonii de Brantes, theſaurarii & pœnitentiarii eccleſiæ metropolitanæ Avenionenſis, cum hiſce annotatis:* Officium beati Ludovici Alemandi, S. R. E. Cardinalis, archiepiſcopi Arelatenſis, in veteri Breviario Arelatenſi tempore Ferrerii archiepiſcopi notatum, nunc à ſeculo intermiſſum, inſtante capitulo Arelatenſi, ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino D. Franciſco Adheymar de Monteil de Grignan, archiepiſcopo Arelatenſi, reſtitutum, à ſynodo provinciali approbatum, & deinceps celebrandum ſingulis annis die Dominica ante feſtum Dedicationis ſancti Michaëlis archangeli in ſola S. Arelatenſi eccleſia ſub ritu duplici confeſſoris pontificis, ex decreto dato die XIX Aprilis anni 1670. *Omnia dicuntur de communi confeſſoris pontificis præter orationem, & tres lectiones ſecundi nocturni, quas dabo. Oratio hæc eſt:* Deus, qui meritis & interceſſionibus beati Ludovici confeſſoris tui atque pontificis, dignaris mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, claudis greſſum, ſurdis auditum reſtituere; concede propitius, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum *&c.*

B

C

& tres lectiones

5 LECTIO IV. Ludovicus Alemandus apud Bugeſios ex illuſtri familia ortus, morum ſanctitate conſpicuus, ſcientiâ & doctrinâ clarus, inter canonicos & comites Lugdunenſes primam dignitatem habuit. Poſtmodum epiſcopus Magalonenſium, ſive Montis Peſſulani factus, poſt diſceſſum Joannis de Embroniaco ad Piſas, ad eccleſiæ Arelatenſis curam & adminiſtrationem vocatus eſt. Mox à Martino V ſummo Pontifice eodem anno presbyter Cardinalis ſub titulo ſanctæ Cæciliæ creatus. Tanta egit apud Ludovicum tertium, Neapolitanum regem & Provinciæ comitem, ſumma cum auctoritate & gratia, ut rex ratas habuerit omnes imperatorum regumque Arelatenſium conceſſiones in eccleſiæ Arelatenſis utilitatem factas. In Italiam vocatus, Bononiæ legationem obtinuit. Inde ad concilium Baſileenſe, à Martino V indictum, ſe contulit.

pro Vitæ compendio

6 LECTIO V. Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus fuit; immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ acerrimus defenſor, feſtum ejuſdem conceptionis ſexta Idus Decembris in Eccleſia ſummo cum honore deinceps celebrandum curavit. A Nicolao V ſummo Pontifice benè meritus, in inferiorem Germaniam, legationis munere fungens, miſſus eſt. Multos labores pro concilianda Eccleſiæ pace tulit. Arelatem rediens, effuſa in ſacras ædes liberalitate fuit commendatiſſimus. Nam ſuis ſumptibus & impenſis præcipuam matris eccleſiæ partem, quæ ſancta ſanctorum dicitur, peramplis fornicibus erectis, intermediis aliis minoribus, & novem hinc inde capellis, conſtruxit. Arcam argenteam, reliquiis Sanctorum, præcipuè S. Trophimi, nobilem, quam Gasbertus dedicârat, in paſtophorio, ſeu ædicula, ſupra majus altare incluſit, & ſingulis annis in feſto S. Trophimi exhibendam coram populo mandavit. Maxima charitate in pauperes excelluit, vitam angelicam duxit.

AUCTORE J. S.

recitantur

7 LECTIO VI. Tandem Vir ex omni parte beatus migravit ad cælum Salone ad Cravum, die decima quinta Calendas Octobris, ætatis ſuæ ſexageſimo nono, ſalutis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo. Ejus corpus tranſlatum eſt Arelate, ubi ferè tota provincia ad celebrandas ejus exequias advolavit. Numerantur enim viginti tres urbes, quæ præter ſacerdotes, Religioſos & plebem, huic celebrationi adfuêre. Tantâ ejus tumulus miraculorum gloriâ enituit, ut referente Pio II Pontifice Maximo, ex omni parte invalidorum frequens undique concurſus ſpe ſanitatis factus fuerit. Cæcis viſum, claudis greſſum, mutis loquelam, ſurdis auditum reſtituit, mortuos ſuſcitavit. Quibus miraculis permotus Clemens Papa VII, Ludovicum Alemandum unà cum Petro de Luxemburgo in Beatorum numerum retulit, & tamquam Beatum in eccleſia Arelatenſi venerari & invocari permiſit. Ejus oſſa à ſubterraneo tumulo educta, in capſula honorificè condita ſunt, & uſque ad hodiernum diem piè & devotè à Chriſti fidelibus coluntur. *Hactenus Officium, in quo ſtudioſè prætermiſſa ſunt omnia, quæ ſpectant ad controverſias concilii Baſileenſis cum ſummo Pontifice.*

E

Ex viſitatione reliquiarum, facta anno 1752, conſtat,

8 *Porrò ad notitiam ulteriorem de Beati reliquiis dandam proderit viſitatio corporis, facta anno 1752 per reverendiſſimum dominum abbatem Jacobum de Grille d'Eſtoublon S. T. D. & vicarium generalem archiepiſcopi Arelatenſis, præſentibus ampliſſimis dominis Jacobo Henrico de Grille de Robiac, præfecto ſacrarii, & Joanne Joſepho Harenboure theſaurario eccleſiæ metropoliticæ Arelatenſis, qui deputati erant à capitulo, ut adeſſent apertioni arcæ, prædicto vicario demandatæ ab illuſtriſſimo domino Joanne Jacobo Chapelle de Jumelhac, archiepiſcopo Arelatenſi: nam accuratè in Acta relatum eſt, quid in arca fuerit inventum, Actaque ipſa, ſigillo archiepiſcopi munita, & à prædictis omnibus nomine ſubſcripto confirmata, ad nos per antè laudatum dominum de Brantes, quo petente viſitatio reliquiarum facta eſt, fuerunt tranſmiſſa. Ex hiſce igitur Actis, Gallicè ſcriptis, ea colligam breviter, quæ ad propoſitum noſtrum ſufficere videbuntur.*

F

reliquias eſſe in bono ſtatu, ac elevatas fuiſſe anno 1632,

9 *Primò conſervantur reliquiæ in arca lignea inaurata. Secundò, apertâ arcâ, inferiùs inventa eſt tabula, & faſcia rubra in quatuor extremitatibus obſignata ſigillo archiepiſcopi Arelatenſis Jacobi du Forbin de Janſon, qui anno 1711 dignitatem illam eſt adeptus. Ruptis verò ſigillis, quæ integra erant reperta, invenerunt omnes fere reliquias, involutas goſſipio & telæ ſericæ, ac pleraque oſſa benè conſervata, maximè caput, cui etiamnum inhærent ſex dentes. Tertiò in arca repererunt Acta triplicia totidem viſitationum. Prima in membrano ſcripta erant archiepiſcopi Are-*

AUCTORE J. S.

latenſis Joannis Jaubert de Barraut, quæ erant inchoata die XIX *Novembris & finita* XXX *Novembris, anno* 1632. *Etenim cùm laudatus archiepiſcopus reliquias inveniſſet ſine ullo teſtimonio ſcripto, quo de illarum veritate conſtitiſſet, aliâ viâ in earum veritatem voluit inquirere. Nam primùm in illo loco, ubi indicio epitaphii inventa olim fuerant Beati oſſa, diligenter fodi juſſit uſque ad imum, ut videret, an non alia quoque ibidem reperirentur oſſa, quæ horum veritatem poſſent dubiam reddere. Cùm autem alia nulla fuiſſent inventa, advocavit peritum medicum, dominum Nicolaum de Valleriole, qui, poſt diligentem oſſium luſtrationem, aſſeruit, omnia eſſe unius corporis. Hiſce peractis inquiſitionibus, laudatus archiepiſcopus arcam, in qua continebantur Beati oſſa, publicæ fidelium venerationi magna cum ſolemnitate ſupra majus altare exponi juſſit die* XXX *Novembris uſque ad finitas Veſperas, poſt quas ipſe cum primariis eccleſiaſticis, comitante ſupplicantium longo agmine, arcam ad locum ſuum reportavit.*

viſitatas anno 1655, *in aliam thecam tranſlatas anno* 1666 *& ſæpiùs deindè inſpectas.*

10 *Altera Acta erant Franciſci Adheimar de Monteil de Grignan, qui præcedenti archiepiſcopo ſucceſſerat. Hic anno* 1655 *ſacra oſſa* B. Ludovici *viſitare voluit, & omnia invenit, ut deceſſor invenerat. Tertia Acta ſub eodem archiepiſcopo ſcripta ſunt anno* 1666, *die* XXIII *Maii, compoſitaque juſſu Stephani Franciſci de Gerard, canonici eccleſiæ metropolitanæ, & vicarii generalis archiepiſcopi. Ex hiſce conſtat, ſacras Beati reliquias ex theca priori tunc fuiſſe tranſlatas in aliam inauratam, quæ hodierna videtur. Præter hæc Acta, in eadem arca anno* 1752 *reperta ſunt tria alia teſtimonia authenticè ſcripta. Primum datum eſt anno* 1676, *die* X *Martii per Joannem Baptiſtam Adheimar de Monteil de Grignan, qui tunc archiepiſcopi coadjutor erat, & poſtea fuit ſucceſſor. Teſtatur hic, ſe prædictas reliquias viſitâſſe. Alia duo ſunt Jacobi de Forbin de Janſon, qui priore, quod datum eſt anno* 1714, *die* XXV *Auguſti teſtatur, ſe dediſſe partem aliquam reliquiarum* B. Ludovici Alamandi *epiſcopo Montis Peſſulani; ſecundo, quod anno* 1740, *die* XX *Decembris datum legitur, laudatus archiepiſcopus docet, aliam reliquiarum Beati partem à ſe datam eſſe epiſcopo Piſtorienſi, ſuffraganeo archiepiſcopatûs Florentini. Hæc ſanè ſufficiunt, ut*

C *intelligamus, cultum* B. Ludovici *legitimè inchoatum fuiſſe; deinde tamen intermiſſum, rurſumque reſumptum & hodie perſeverantem.*

Bailleti ineptæ obſervationes

11 *Bailletus ad* XVI *Septembris in* B. Ludovico Alamando *de inchoato ipſius cultu ſatis bene ſcribit. Verùm addit, intermiſſum fuiſſe* ſcrupulis illorum, quos nimis malè habebant ea, quæ fecerat pro concilio Baſilcenſi contra Eugenium IV. *Admirabilis auctor eſt Bailletus, qui potuit ſine auctore diſcere cauſam intermiſſi cultus, quam Saxius ipſe, quem laudat in margine, ignorare ſe profitetur. Saxius enim de intermiſſo cultu hæc tantùm ſcribit:* Cur verò tanti Cardinalis Officium intermiſſum fuerit, ignoro. Reſtituatur tamen neceſſe eſt Gaſpari præſulis curâ, ſtudio & diligentiâ. *Hæc verba invitabant Bailletum ad inquirendum, an Officium non eſſet reſumptum; non ad comminiſcendam cauſam intermiſſionis Arelatenſibus ipſis ignotam, & pluſquam integro ſeculo præteritam. Nihilo felicior eſt Bailletus initio Vitæ* B. Ludovici, *ubi dicit, nullam ferè difficultatem fieri hoc tempore, quo minùs inter Sanctos primi Ordinis numeretur* B. Ludovicus Alamandus. *Ad probandam ineptam hanc obſervationem, poſtea affirmat, inter Sanctos primi* D *ordinis numeratum eſſe à Caniſio in Martyrologio, non obſtante prohibitione Pontificis, vetantis titulum* Sancti B. Ludovico *dari, antequam fuerit canonizatus. Addit, non auſum eſſe idem Andream Sauſſayum, ſed ab hoc ſolùm Beatis adſcriptum.*

refutatur: memoria Beati in aliquot Martyrologiis.

12 *Verùm hiſce obſervationibus nihil eſt inanius, nihil falſius. Non potui reperire ullum martyrologum, à quo* B. Ludovicus *honoretur titulo* Sancti. *Caniſius, ſive potiùs Martyrologium Germanicum, quod ejus nomine paſſim laudatur, in gemina editione anni* 1573 *& anni* 1599 *ne titulum quidem* Beati *ſtrictè concedit, ſed ſolùm ita habet:* Item beata memoria Ludovici archiepiſcopi Arelatenſis & Cardinalis. *Sauſſayus longiori elogio* Ludovicum *exornat &* Beatum *clariùs nominat, titulumque probat his verbis:* In Arelatenſi metropolitana æde ſepultus eſt, ubi tot miraculis claruit, ut horum multitudine excitus Clemens Papa VII Romæ dato diplomate illum in cælitum numerum beatitatis nomine retulerit, honoribuſque, quibus Beati coli conſueverunt, unà cùm B. Petro de Luxemburgo proſequendum decreverit, elato de ſubterraneo ſitu E ad baſilicæ intimum gremium ejus corpore venerando. *Caſtellanus in Martyrologio Univerſali eumdem memorat hoc modo:* Salone ad Cravum in Provincia, beati Ludovici Alamandi, archiepiſcopi Arelatenſis, Cardinalis tituli S. Cæciliæ. *Præiverat omnibus auctor Florarii Sanctorum Ms., ſed ſine titulo* Beati, *cùm ſic habeat:* Item Ludovici Cardinalis Arelatenſis. *Hæc ultima annuntiatio oſtendit, poſt mortem Beati noſtri fuiſſe magnam ſanctitatis ipſius famam, cùm ille auctor in Belgio ſcripſerit anno* 1486, *id eſt, poſt Beati obitum annis ſolùm triginta & ſex.*

§ II. Acta Beati ex Ms. danda: alii quidam ſcriptores, qui de ipſo egerunt

Qualiſcumque Beati Vita ex Ms. edenda: F

NUllam hactenus B. Ludovici Alamandi *Vitam antiquam typis editam novimus; nulla hoc tempore Acta antiqua Beati in tabulariis eccleſiæ Arelatenſis inveniri potuerunt, ut nobis perſcripſit diligentiſſimus inveſtigator dominus Joſephus Antonius de Brantes jam laudatus, cujus diligentiâ accepimus, quæ de cultu & reliquiis Beati modò dicta ſunt, cum veteri epitaphio, quod ſuo loco dabitur. Verumtamen in Bulla Clementis VII mentio fit de* vitæ Annalibus, *ita ut credendum ſit, aliqua fuiſſe conſcripta de geſtis & miraculis* B. Ludovici *ante annum* 1527, *quo Bulla illa Pontificia fuit data. Habeo revera præ manibus qualemcumque Beati Vitam, erutam ex Ms. Rubeæ-Vallis, qui prioratus eſt Canonicorum regularium in Brabantia. Acta hæc veriſimiliter conſcripta ſunt eodem ſeculo* XV, *quo* B. Ludovicus *obiit, certò ante annum* 1527, *quo Beatis adſcriptus eſt* Ludovicus: *nam ea de re in Actis nulla fit mentio. Videtur auctor aut in concilio Baſileenſi præſens fuiſſe, aut geſta* B. Ludovici *in illo concilio didiciſſe ex aliquo, qui ibidem fuerat: nam cùm in reliquis omnibus admodùm ſit jejunus, iis maximè inſiſtit, quæ de moribus Beati Baſileæ fuerunt cognita, caritatem patientiamque ipſius præ ceteris commendans, & aliquot*

A *liquot exemplis illustrans. De controversiis verò, quæ viguerunt concilium inter & Eugenium Papam, maluit altùm silere, quàm judicium suum proferre. Sic enim laudat* Ludovicum, *ut ne verbo quidem Eugenii IV gesta aut concilii Basileensis improbet. Miracula etiam varia enarrat, post mortem Beati patrata, quæ speciatim ab alio quopiam relata necdum vidi, quamvis de miraculis* B. Ludovici *generatim multi loquantur. Acta hæc edam, ut fide digna, sed minùs plena, & in aliquibus minùs accurata, quia auctor verisimiliter in Belgio scripsit, nec omnia illa, quæ Arelate meliùs investigari potuissent, tam diligenter quærere curavit.*

scriptores præcipui, qui de ipso egerunt :

14 *Inter scriptores, quorum Opera typis vulgata sunt, primus locus pro Vita Beati nostri debetur Æneæ Silvio Piccolominæo, qui postmodùm ad summum evectus pontificatum, Pius II dictus est. Nam hic* Ludovicum *nostrum multis annis in concilio Basileensi vidit, ejusque mores observare & considerare potuit. Notandum quidem est, Pio II maximè displicuisse Opuscula, quæ degens Basileæ contra auctoritatem Summi Pontificis, & pro auctoritate concilii exaravit, omniaque illa ab eodem fuisse retractata in Bulla, quam Labbeus edidit tom.* 13 *Conciliorum col.* 1407. *In hac etiam abundè retractat omnia, quæ contra Eugenium IV erant scripta, dum fatetur, se juvenem & inexpertum Basileam venisse anno* 1431, *ac vera esse credidisse, quæ à maledicis contra Eugenium dicebantur. Nihil tamen retractavit de iis, quæ in commendationem morum* B. Ludovici *protulit: sed ea potiùs confirmavit, dum dixit:* Quantum capiebamus, tantum defendimus aut oppugnavimus : nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. *Quæ igitur dixit de moribus* Ludovici, *vera credenda sunt, cùm in hisce falli minùs posset. De* B. Ludovico *subinde etiam meminit Historia Concilii Basileensis, scripta per Augustinum Patricium, canonicum Senensem, cui alios quosdam scriptores, concilii Basileensis defensores addit Bailletus in tabula critica ad hunc diem. Verùm utile magis nobis erit Pontificium Arelatense Petri Saxii, qui in eo multa de Beato nostro memorat; uti & Opus Ludovici Doni d' Attichi, quod inscripsit Flores Historiæ sacri collegii S. R. E. Cardinalium, in quo etiam sat multa de Beato nostro sunt collecta. Hi tamen duo non sunt Beato contemporanei, cùm ambo floruerint seculo* XVII, *id est duobus ferè seculis post obitum Beati. Reperiuntur & alii ejusdem seculi scriptores, quos per decursum suis locis nominabimus.*

B

C

aliqui ex recentissimis.

15 *Pleniorem inter novissimos* B. Ludovici Alamandi *Vitam suo stylo concinnavit Bailletus, jam aliquot vicibus memoratus. Hic autem eo scripsit modo, ut non obscurè ex beatitate* Ludovici *patrocinium quærat illis, qui decretis Romanorum Pontificum pertinaciter opponere se præsumunt. Verùm inanis est ille conatus, cùm Beatus mentem mutaverit. Reperiuntur & alii scriptores recentissimi, qui crediderunt, aut saltem contenderunt,* B. Ludovici Alamandi *beatitatem utilem esse ad auctoritatem conciliorum efferendam supra auctoritatem Romani Pontificis, aut ad excusandum illos, qui vocem supremi Ecclesiæ Pastoris audire detrectant, ejusque mandatis obedire. At illi vix minùs ridiculè ratiocinari videntur, quàm dissereret ille, qui ex sanctitate Pauli Apostoli aut synagogam Judaïcam ecclesiæ Christianæ primis temporibus præferendam fuisse contenderet, aut persecutoribus Ecclesiæ patrocinium quæreret & excusationem. Verùm hæc, quæ breviter suo loco tractanda sunt, necdum agimus. Dicta interim sufficere credimus de scriptoribus, licèt multò plures de Beato egerint singulis à morte ipsius seculis : nam omnes, quorum operâ utemur, suis locis nominabimus.*

AUCTORE J. S.

§ III. Beati patria, natales, dignitates variæ, officiaque & gesta usque ad concilium Basileense.

Stirps Beati nobilis,

DE *natalibus & patria beati* Ludovici *Acta habent, natum esse* ex nobili prosapia in finibus Franciæ ac Subaudiæ. *Vera hæc sunt, sed minùs distincta. Scriptores verò seculi* XVII *de his in varias abierunt sententias. Petrus Monod in Amedæo Pacifico num.* 76 *satis insinuat, novam se proferre sententiam, ubi de patria Beati nostri sic loquitur:* Galli, non renuentibus Italis, tanti Viri natales sibi vindicant. Constans tamen est apud Salutienses Subalpinos fama, eum gentilem suum esse, ex oppido S. Michaëlis ad Vallem Macram, in quo oppido vicus est itemque turris, quæ ab Alemannis nomen habent. Alemannorum autem nobilissimam familiam è Germania, quam Alemaniam vocant, (unde & illis nomen hæsit) ortam esse perhibent, easque partes insedisse Othonibus in Italia latè dominantibus. Ludovico pater fuit Antonius nomine, cui frater Franciscus, apud Arelatenses diversatus, ubi etiam nepos Ludovicus melioris literaturæ tyrocinium posuit. *Hæc ille. At dissentiunt alii. Ludovicus Doni d' Attichi episcopus Augustodunensis, & Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi, ab hisce longè abeunt; sed invicem rectè consentiunt. Saxius, qui paulò post Monodum, & aliquot annis ante Donium Attichium scripsit, ita habet:* Natalis Ludovico Alemando locus fuit Arbencium, municipium apud Bugesios, prope cœnobium S. Claudii Vesontionum archiepiscopi. Petrus illi pater ex illustri gente, quæ Arbencio imperitabat; mater verò soror Francisci de Conzi, quæ præter Ludovicum, Hugoninum peperit Arbencii dominum...

E

F

patria, parentes, fratres.

17 Est & alia gens Alemandorum nobilis in Gallia, quos hodie Delfinates appellant. Utrique familiæ stirpem eamdem inesse censet, qui Cadurcenses episcopos vulgavit. Alteram gentem Alemandorum apud Salutienses Subalpinos... inesse, fama est in oppido S. Michaëlis ad Vallem Macram, ubi vicus & turris, quæ ab Alemanis nomen habet. Amplissimam familiam eas partes insedisse constat, Ottonibus in Italia latè dominantibus. At licèt diversis in provinciis diversæ Alemandorum supersint familiæ, una tamen Bugesiorum Arelatensibus Ludovicum dedit. *Hisce consonat quoad rem laudatus Donius, cujus verba idcirco non adduco. Verùm Samuel Guichenon in Historia Bressiæ & Bugesiæ, quæ circa medium seculi* XVII *Gallicè scripta est, pro patria solùm assentitur Saxio, non item pro patre & matre Beati. Nam part.* 3 *pag.* 3 *consentit,* Ludovicum *Arbencii in Bugesia natum esse, & refutat sententiam aliquorum, qui in comitatu Burgundiæ natum dixerant, uti & Monodum, qui* Ludovicum *Salutiensibus attribuerat. Patrem*

verò

AUCTORE J. S.

verò Beati nec Petrum *vocat*, nec Antonium; *sed* Joannem Alamandum *vocatum fuisse declarat. Matrem verò illius fuisse dicit Mariam de Castellione, eosque matrimonio fuisse junctos die 2 Septembris anni* 1374. *Hisce porrò liberos attribuit quatuor, nempe Petrum, Joannem, Galterum &* Ludovicum. *Hæc sententia ceteris probabilior apparet, quia laudatus scriptor magis videtur examinâsse genealogias, quàm alii; & affert probationes aliquot. Verùm tricæ illæ genealogicæ non tantùm faciunt ad honorem* B. Ludovici, *ut illis diutiùs inhærere lubeat. Quapropter solùm addo verba Dionysii Sammarthani, qui Guichenonem sequitur, tom.* 1 *Galliæ Christianæ col.* 582, *de primordiis* Ludovici *ita scribentis:* Ludovicus natus est anno circitèr MCCCXC parentibus Johanne Alamando, domino Arbencii in pago Belicensi, ac de Montgeffon (*in comitatu Burgundiæ secundùm Guichenonem*) & Maria de Castellione de Michaille.

Natus videtur anno 1381 *vel* 1382, B

18 *Quòd spectat ad annum natalem Beati, ille passim figitur circa* 1390, *nec sine aliquo fundamento. Nam cùm constet, ipsum obiisse anno* 1450, *& Pontifex in Bulla beatificationis dicat, defunctum esse* sexagesimo vel circà *ætatis anno, ex his videtur colligi, circa annum* 1390 *fuisse natum. Dubito tamen, an ea opinio non aberret ad annos aliquot: imò potiùs vix dubito, quin aberret ad annos satis multos. Certè in lectionibus Officii* Ludovicus *dicitur obiisse anno* ætatis suæ sexagesimo nono. *Hoc enim si verum est, natus fuit anno* 1381 *post* XVI *Septembris, vel anno* 1382 *ante prædictum diem. Si modò respiciamus ad alia, quæ majorem aut minorem pro alterutra sententia verisimilitudinem inferunt, stabit omnis verisimilitudo pro lectionibus Officii. Secundum Guichenonem parentes ipsius matrimonio juncti sunt anno* 1374, *ita ut verisimilius sit* Ludovicum, *qui inter liberos recensetur quartus, post septem aut octo ferè annos, sive anno* 1381 *aut* 1382, *natum esse, quàm post annos sexdecim, præsertim cùm Galterus, inter fratres tertius, jam anno* 1390 *canonicus Lugdunensis dicatur à Guichenone. Accedunt officia ipsius* Ludovici, *quæ innuunt, ante annum* 1390 *verisimiliter mundo datum. Nam anno* 1418 *Magalonensem creatum videbimus episcopum, postquam jam varia obiverat officia ecclesiastica. Fuisset igitur in ætate viginti & octo annorum creatus episcopus; quod non est quidem incredibile, si afferantur monumenta certa; minùs tamen verisimile, quando de ætate aliunde dubitatur. Præterea fuit Beatus in concilio Constantiensi, quod anno* 1414; *& in Pisano, quod anno* 1409 *inchoatum est, ut suo loco videbimus. Fuisset igitur jam in concilio, quando necdum viginti habebat annos, si natus esset anno* 1390. *Demum Officio* B. Ludovici *major fides hìc habenda videtur, quàm Bullæ Pontificiæ; cùm quia auctor Officii non videtur recessurus fuisse à bulla, nisi certas habuisset pro majori ætate Beati rationes, tum quia ipsa Bulla insinuat, non fuisse exactè in ætatem Beati inquisitum, dum dicit* sexagesimo vel circa. *Itaque probabilius existimo, Beatum fuisse natum anno* 1381 *vel* 1382, *quàm circa* 1390.

C

in juventute fit canonicus Lugdunensis,

19 *Post studia, quæ Arelate peracta scribit laudatus num.* 16 *Monodus, tacentibus ea de re aliis plerisque, aut fortè etiam ante peracta omnino studia, Lugduni canonicatum* B. Ludovico *datum, plerique scriptores habent. Istud beneficium obtinuisse* Ludovicum *resignatione fratris sui Galteri, asserit Bailletus, non alio forsan fundamento, quàm quòd Galterus anno* 1390 *Lugdunensis fuisse canonicus dicatur à Guichenone. Ipsius quoque canonicatûs non aliud invenio fundamentum, quàm assertionem Saxii aliorumque, qui Saxium sunt secuti. Monodus in Amedæo Pacifico pag.* 176 *de juventute* Ludovici *diversa scribit, sed forsan minùs vera, ita loquens:* Tantoque deinceps studio libris incubuit, ut inter doctissimos illius ævi meritò censeretur: quo factum, ut Amedæus Cardinalis Salutiensis eum in domesticis habere voluerit, enituitque inter paucos Avenione in aula pontificia. *Non admodum verisimilia sunt ista, præsertim quæ dicuntur de commoratione* Ludovici *inter domesticos Amedæi Cardinalis Salutiensis. Quod verò de aula Avenionensi dicitur, ubi degebat Petrus de Luna antipapa, quem Gallia pro vero Pontifice aliquo tempore coluit, non est omnino improbabile. Certius tamen, quod mox subjungit:* Petrum Lunensem, ut ferè Galli omnes, principio coluit, tergiversantem deinde deseruit. *Hoc commune fuit Beato nostro cum aliis Sanctis. Ludovicus Donius aliam quoque dignitatem, aliorum judicio attributam beato* Ludovico, *ita memorat:* Addunt Frizonius, Robertus, & Auberius (*ac deinde Bailletus*) cœnobii Trenorchiani Ordinis S. Benedicti in diœcesi Cabilonensi administrationem ei concessam. *Idem credidit Dionysius Sammarthanus in archiepiscopis Arelatensibus; sed postea tom.* 6 *Galliæ Christianæ col.* 799 *retractatur is error, diciturque ortus ex confusione* Ludovici nostri cum Ludovico de Palude. *Utrùm non æquè ex aliqua confusione apud laudatum Sammarthanum in Arelatensium archiepiscoporum catalogo dicatur ante episcopatum fuisse* præcentor Valentinensis, *inquirendum aliis relinquo.*

D

E

interest concilio Pisano, & deinde Constantiensi ut doctor:

20 *Verumtamen ante episcopatum alia quædam officia habuit* B. Ludovicus, *qui* magister & decretorum doctor *in Vita vocatur. Ut doctor quoque interfuit concilio Constantiensi, ac verisimiliter etiam Pisano. Certè utrique interfuisse se dicit apud Æneam Silvium de Concilio Basileensi lib.* 1 *in fine, ubi* fuisse se Pisis ac Constantiæ, *dixit* Ludovicus *noster*, nec umquam sessionem vidisse quietiorem aut devotiorem, *quàm eam, nimirum Basileensem, de qua agebat. Idem* Ludovicus *antè apud Æneam fol.* 13 *Basileenses sic alloquitur:* Constantiensis concilii recens memoria extat, ubi & plurimi ex nobis fuerunt, & ego etiam, qui nondum Cardinalis nec episcopus, sed tantùm doctor eram *&c. Quantum egerit* Ludovicus *in dictis conciliis, non liquet, ut necesse non sit, illorum conciliorum historiam texere. Pisanum celebratum est anno* 1409 *propter schisma Ecclesiæ, quæ duos habebat Pontifices, Gregorium nempe XII, qui passim pro vero Pontifice agnoscitur; & Petrum de Luna, qui se dicebat* Benedictum XIII, *& pro antipapa habetur. Ambo in illo concilio fuerunt depositi, & electus est Papa Alexander V. Attamen depositi non acquieverunt, & aliqui dubitârunt, an legitima fuerit depositio, & consequenter canonica electio Alexandri. Itaque post concilium Pisanum pro duobus tres erant Pontifices. Hac de causa anno* 1414 *& sequentibus habitum est concilium Constantiense, ubi schisma ferè sublatum est, cedentibus pontificatu duobus, & deposito Petro de Luna, qui tamen numquam se submittere voluit. Habebat* B. Ludovicus *tempore Pisani concilii annos circitèr viginti septem aut octo secundum epocham nostram; in Constantiensi verò triginta duos aut paulò plus. Interfuit igitur multis actionibus con-*

F

tra

A *tra dubios Pontifices inſtitutis; unde fortè contigit, ut crederet eadem licere contra Eugenium IV, certum Pontificem.*

ſit abbas S. Petri de Turribus, deinde epiſcopus Magalonenſis,

21 *Dionyſius Sammarthanus tom. 2 Galliæ Chriſtianæ col.* 754 Ludovicum *numerat inter abbates ſeculares S. Petri de Turribus, diœceſis Anicienſis, ubi die* 1 *Martii anni* 1417 *vicarium habebat Petrum de Crotis canonicum eccleſiæ cathedralis. Alia, quæ habebat beneficia, dum anno* 1418 *creatus eſt epiſcopus, mox videbimus. Saxius quidem epiſcopatui ipſius nullam aliam dignitatem præter canonicatum præmittit, ita ſcribens in Pontificio Arelatenſi col.* 330: Primam dignitatem ſuſtinuit canonicus & comes Lugdunenſis: unde ad altiorem gradum aſcendit. Nobilitate ſiquidem generis, & morum ſanctitate conſpicuus, Franciſco de Conzi Avenionenſium legato (*& archiepiſcopo tunc Narbonenſi*) epiſcopus Magalonenſium inauguratus eſt. *Verùm tom. 6 Galliæ Chriſtianæ col.* 798 *de initio epiſcopatûs Magalonenſis, & de dignitatibus* B. Ludovici *præviis hæc leguntur:* Petri demortui in locum Magalonenſis epiſcopus creatus eſt Ludovicus

B decretorum doctor. Fuerat canonicus & præcentor eccleſiæ Narbonnenſis, Lugdunenſis verò cuſtos erat, & abbas S. Petri de Turre, cùm à Martino V bullâ datâ Gebennis x Calend. Julii, pontificatûs anno 1 (hic eſt MCDXVII) promotus eſt. *Agebat tunc Beatus, ſecundum chronotaxim noſtram, annum ætatis trigeſimum ſextum aut ſeptimum; idque veriſimilius eſt, quàm fuiſſe annorum tantùm circiter viginti & octo, ut ſequeretur ex ſententia eorum, qui circa annum* 1390 *natum ſcripſerunt. Aliqui ſcriptores non Magalonenſem, ſed Maclovienſem in Britannia Aremorica, epiſcopatum* B. Ludovico *attribuerunt. At is error jam ſatis ab aliis refutatus eſt, & ex ſola nominis ſimilitudine ortum duxerat. Tantò autem facilius oriri potuit, quantò minùs notus erat ſeculo* XVII *epiſcopatus Magalonenſis: nam ante medium ſeculi* XVI *ſedes ex civitate & inſula Magalona, quæ tota undique mari cingitur, ad civitatem non longè diſtantem, & in continente ſitam, quæ* Mons Peſſulus *aut* Mons Peſſulanus *dicitur, à Paulo Papa III tranſlata eſt.*

quam eccleſiam per vicarios rexit, reſidens in aula Pontificia vicecamerarius.

22 *Porrò laudati auctores tom. 6 Galliæ Chriſtianæ obſervant, numquam tempore epiſcopatus ſui Magalonæ degiſſe* Ludovicum, *ſed Florentiæ in aula Pontificia Martini V fuiſſe, dum vicarios ſibi ſubſtituit ad regendum epiſcopatum.* Ludovicus ergo electus Magalonenſis, *inquiunt*, Florentiæ degens in curia Romana, ubi Franciſci Narbonenſis archiepiſcopi, Papæ camerarii, in partibus ultramarinis agentis, locum tenebat, cùm ipſe per ſe eccleſiam ſuam adire non poſſet, Petrum Anianæ abbatem alioſque commiſit die VIII Martii an. MCDXIX vicarios generales, qui eo abſente Magalonenſem eccleſiam regerent. Nonnulla pro Monſpelienſi academia à ſummo Pontifice, cujus lateri ſemper aſſidebat, obtinuit privilegia XVI Calend. Jan. anni MCDXXII, quæ apud Gariellum prolixiùs recitantur. Graſſante Ticini peſtilentia, cùm concilii locum mutari, Senaſque transferri patribus placuiſſet, Ludovico præcepit Martinus, ut cum Senenſium oratoribus de excipiendis Patribus, & tuenda concilii libertate, ad quod unà cum Cardinalium cœtu ſe conferre meditabatur, paſciſceretur. Bulla data apud S. Mariam Majorem Idibus Auguſti, pontificatûs anno VI, *id eſt, anno* 1423. *Hæc ultima ex Odorico Raynaldo in Annalibus eccle-*

ſiaſticis ad annum 1423 *num.* 3, *ubi pars bullæ recitatur, deſumpta ſunt. Meditabatur nimirum Martinus V generale concilium Senis habere, Senaſque adire; ſed propoſitum adeundi eventu caruit. De geſtis autem* Ludovici *in epiſcopatu Magalonenſi hæc demum ſubjiciuntur in Gallia Chriſtiana:* Latam à Franciſco Narbonenſi archiepiſcopo, Papæ camerario, ſententiam exſecutioni mandavit, & abſolvit Reginaldum ſancti Guillelmi abbatem ab excommunicatione aliiſque, quas incurrerat, cenſuris, inſtrumento dato Romæ apud S. Mariam Majorem die Veneris, x menſis Septembris, an. MCDXXIII, Indict. 1. AUCTORE J. S.

Creatus archiepiſcopus;

23 *De tranſlatione* Ludovici *ad archiepiſcopatum Arelatenſem iidem ſcriptores ſic habent:* Ludovicus autem paulò pòſt III Nonas Decembris ejuſdem anni ad Arelatenſem metropolim à Martino V aſſumptus eſt, ut conſtat ex Actis conſiſtorialibus. *Hæc epocha congruit cum dictis Dionyſii Sammarthani, qui tom. 1 col.* 582 *in archiepiſcopis Arelatenſibus obſervat*, Ludovicum *in inſtrumento, facto x Septembris anni* 1423, *tantùm vocari Magalonenſem epiſcopum; ſed electum fuiſſe Arelatenſem ante diem* XIX *Januarii anni ſequentis. Tum ſubdit:* In Arelatenſibus tabulis nullum inſtrumentum ejus nomen præfert ante diem VI Junii anni MCDXXV. Anno MCDXXVI, IX Cal. Julii Cardinalis tituli S. Cæciliæ creatur à Martino Papa V. *Hæc pro Chronotaxi, certè quoad annos, ſequenda ſunt, etiamſi Saxius eodem anno archiepiſcopum & Cardinalem creatum crediderit.* E

ac deinde Cardinalis

24 *Lubet tamen audire Saxium, laudes electi Cardinalis celebrantem.* Illuſtris, *inquit*, genere, illuſtris ingenio, illuſtris ſanctimoniâ, illuſtris dignitate, purpurâ illuſtriſſimus evaſit, & vulgo Cardinalis Arelatenſis audiebat. Eum verò egiſſe apud Ludovicum III, Neapolitanum regem & Provinciæ comitem, ſumma cum authoritate & gratia, teſtatur diploma, quod conſecutus eſt in utilitatem Arelatenſis eccleſiæ, quo rex ratas habuit imperatorum regumque Arelatenſium conceſſiones, in ejuſdem eccleſiæ utilitatem factas, pro urbibus, caſtris, municipiis, privilegiis, libertatibus, franqueſiis, quas vocant, ſive immunitatibus, aliiſque latifundiis, quæ epiſcopus Arelatenſis & eccleſia poſſident in provincia Arelatenſi. *De die, quo Beatus noſter cum undecim aliis creatus eſt Cardinalis, conſentiunt Raynaldus in Annalibus ad annum* 1426 *num.* 26, *& Oldoinus in Opere Ciaconii auctо tom. 2 col.* 841. *Nam ambo ſcribunt, duodecim illos Cardinales fuiſſe creatos anno* 1426, *die* XXIV *Maii.* F

legatuſque Bononienſis: curam habet de concilio Senenſi,

25 *De geſtis* Ludovici *in cardinalatu hæc ſolùm ante concilium Baſileenſe affert Saxius;* Ludovicus antiſtes noſter in Italiam vocatus, Bononiam legatus obtinuit. *Sammarthanus ita loquitur:* Ludovicus fuit præterea Bononiæ legatus, & Apoſtolicus vicecamerarius. *At vicecamerarius fuiſſe videtur ante cardinalatum. Laudatus Oldoinus col.* 842 *de officiis in Italia à* Ludovico *geſtis obſervat, dici à Ciaconio, ipſum* vicecamerarium ac prolegatum Bononiæ ante cardinalatum renunciatum fuiſſe. *Addit autem:* Quidquid ſit, certum eſt cardinalatûs dignitatem titulo S. Cæciliæ ei delatam à Martino fuiſſe, & in Italiam vocatum, ejuſdem Martini juſſu functum legationis munere Bononiæ: inde, jubente ipſo Martino, Baſileam ad ſynodum, quam indixerat Martinus anno ſui pontificatus ultimo, ſeſe contu-

AUCTORE J. S.

lisse. *Verùm in hisce aliqua sunt incerta, alia ex errore profecta. Incertum primò, an* B. Ludovicus *in Italiam vocatus sit à Martino V, cùm potiùs ab initio episcopatûs Magalonensis usque ad cardinalatum, imò usque ad concilium Basileense, in Italia videatur mansisse, nisi fortè ad breve tempus ad civitatem Arelatensem profectus sit: de quo non constat.*

Basileensi non interfuit ab initio.

26 *Incertum secundò, utrùm prolegatus fuerit Bononiæ, an legatus: & utrùm hoc officium gesserit ante, an post cardinalatum obtentum. Legatum fuisse plures affirmant; quibus accedit Epitaphium antiquum, circa finem Commentarii dandum, in quo tamen legatio Bononiensis cardinalatui præponitur. Falsum verò videtur primò,* Ludovicum *nominatim à Martino V ad concilium Basileense fuisse missum, cùm illud concilium jam fuerit indictum à Martino ab anno* 1424 *in bulla, quâ confirmat decretum concilii Senensis, de celebrando post septennium Basileæ concilio generali latum. Bulla illa videri potest apud Raynaldum ad annum* 1424 *num.* 5. *Falsum etiam est,* Ludovicum *ex legatione Bononiensi ad concilium fuisse profectum; cùm Româ clanculùm discesserit, postquam concilium diu fuerat inchoatum, ut videbimus. Sammarthanus de eo ante concilium hæc memorat:* Anno MCDXXX, IV Idus Martii, subscripsit (B. Ludovicus) quibusdam statutis, ad Cardinalium dignitatem spectantibus, post electionem Eugenii IV, qui etiam ea confirmavit, antequam coronaretur. *Verùm hæc procul dubio facta sunt anno* 1431, *quo Eugenius IV creatus est Pontifex: sed more illorum temporum currebat adhuc annus* 1430 *die* XII *Martii anni* 1431, *quo res peracta est.*

B

§ IV. Gesta Ludovici in concilio Basileensi, in quo non fuit ab initio, sed postea præcipuam auctoritatem habuit.

Concilium Basileense, statim se opponens Eugenio, dia erat inchoatum,

EOdem die III *Martii anni* 1431, *quo Pontifex electus est Eugenius IV, debuisset inchoari concilium Basileense secundùm ea, quæ in Constantiensi, & postea in Senensi concilio fuerant statuta. Alexander abbas Virziliacensis, aut potiùs Vezeliacensis in Burgundia, Basileæ eodem die adfuit, & præsentiam suam testatus est instrumento coram multis testibus facto, quod videri potest apud Martenium tom.* 8 *Amplissimæ Collectionis pag.* 2. *Hoc erat famosi illius concilii qualecumque initium. Eodem tamen anno plures paulatim advenerunt. Inter hos erat Julianus Cæsarini, Cardinalis S. Angeli, præses concilii dudum nominatus à Martino V, & deinde ab Eugenio IV confirmatus. Itaque prima sessio concilii habita est eodem anno, mense Decembri, paucis tantùm præsentibus, interque eos pauci ssimis episcopis. Eodem mense Decembri Eugenius Papa IV* concilium Basileense dissolvit: legatum suum Cardinalem Julianum revocat, & aliud concilium, Bononiæ post annum cum dimidio celebrandum publicè indicit, *inquit Augustinus Patricius in Historia concilii Basileensis, edita apud Labbeum tom.* 13 *Conciliorum, ex quo illam semper laudabo. Prima ratio dissolvendi hæc datur ibidem col.* 1492: Patres parvo numero non supra decem Basileæ convenisse; quamvis tempus præscriptum septennii (*à Concilio Senensi*) ante octo menses esset elapsum; neque videri æquum, à tam paucis episcopis universæ Ecclesiæ leges præscribi. *Aliæ rationes ibidem videri possunt. Hoc initium fuit controversiarum, quæ inter Eugenium IV & concilium Basileense viguerunt: nam Basileenses, quamvis revera pauci, statim se opposuerunt dissolutioni, variasque anno* 1432 *sessiones habuerunt, in quibus omnia ferè diriguntur ad attollendam auctoritatem concilii supra ipsum Pontificem, quem uti & S. R. E. Cardinales cum interminatione pœnarum ad concilium vocârunt. Nimirum fortia consilia placuerunt Patribus Basileensibus, cùm verisimiliter plus profeciss ent, si magis pacifica & moderata fuissent secuti. Verùm hisce immorari nolo, cùm anno* 1433 *pax inter Eugenium IV & Patres Basileenses fuerit inita, revocante Eugenio decretum dissolutionis concilii; cúmque* B. Ludovicus Alamandus, *de quo unicè agimus, concilio non adfuerit ante pacem cum Eugenio factam; aut certè solùm venerit, quando de concordia tractabatur.*

D

E

quando B. Ludovicus, clanculùm Româ egressus,

28 *Etenim de adventu* Ludovici *Cardinalis Arelatensis docemur ex Epistola Philippi ducis Mediolanensis, quam edidit Martenius tom.* 8 *Collect. Ampl. col.* 620. *Data est Epistola anno* 1433, *die* XXI *Julii, quando Cardinalis Arelatensis Genuæ degebat, ut veniret ad concilium. Philippus autem, qui istud Patribus Basileensibus perscribit, hostis erat Eugenii, & vel ea de causa concilio magnopere favebat, ut vel ipsa hæc Epistola luculenter manifestat. Quæ porrò de* Ludovico *nostro narrat Philippus, huc transfero:* Ut autem ego vobiscum participem, *inquit*, quæ habeo de tangentibus bonum præfati concilii, significo vobis, quòd reverendissimus dominus Cardinalis Arelatensis ad civitatem meam Januæ nuper applicuit seminudus & quasi solus; ita quidem quòd quando attigit, omnes videntes ad magnam pietatem * induxerit. Asserit ipse, quòd cùm sæpenumero petivisset licentiam à summo Pontifice transferendi se ad illud sacrum concilium, illeque eam semper sibi negâsset, applicuit proximis diebus galea aquardia magnificæ civitatis meæ Januæ in faucem Romanam, & factâ sibi notitiâ, deliberavit omnino à Roma discedere, & cùm jam sub certo alio colore urbem egressus fuisset, remisit, &c. Cùm verò procederet ad galeam, contigit, quòd à nonnullis hominibus apud Tyberim insultatus est, quos putat fuisse ex illis Cardinalis de Ursinis. Sed cùm equum præstantem haberet, cœpit fugere, quamquam & ipse & equus in cursu deciderint, non absque læsione unius genu sui. Equo autem hinc inde vagante, cœpit solus ipse pedibus ambulare, studens appropinquare galeæ, & cùm non reperisset eam ita citò, sicuti voluisset, occultavit seipsum in certis arbusculis, gratiam divinam expectans, & si quid posset de galea sentire.

* *i. e.* commiserationem

F

29 Tandemque factum est, quòd nonnulli socii galeam exeuntes & quærentes super ripam ipsum dominum Cardinalem, emissis, ut fieri solet, vocibus & clamoribus, quia nullibi videbatur, cùm ipse prima facie dubitaret *, ne alii essent, eum pro parte summi Pontificis inquirentes, post cognitos socios signum fecit, ex quo ad eum statim quatuor accesserunt, deferentes eum super humeros ultra Tyberim, attingente etiam aqua fluminis usque ad guttura deferentium. Re-

navique Genuam vectus, anno 1433 *ad illud venit.*

* *i. e.* timeret

du-

A ducto ergo in galea, & satis attonito pro discriminibus, in quibus fuerat, cùm patronus galeæ diceret, non satis tutum esse ibi morari diutiùs, deliberaverunt, &c. recedere, & Januam se dirigere, quò in diebus quatuor attigerunt. Demum præfatus dominus Cardinalis ad illud concilium statim accedet, intenturus toto studio & animo agendis ibi rebus. Ex cujus accessu, non dubito, recipiet illa sancta synodus solamen & gaudium singulare, nec indignè quidem, cùm sit ipse Præsul sapientissimus & maximæ reverentiæ: cujus præsentia ipsum concilium non mediocriter quidem ornabit & augebit, dabitque magnum favorem & præsidium rebus agendis. *Hactenus Philippus dux, ex cujus Epistola certum est, non fuisse* B. Ludovicum *in concilio duobus primis annis, sed venisse anno* 1433, *quando de pace agebatur. An autem Pontificem deseruerit, & ad concilium venerit, quia existimabat, se debere obedire concilio, sub gravibus pœnis omnes vocanti, an alia quapiam de causa, difficulter divinare possumus.*

Ortâ controversiâ de loco, Eugenius concilium transfert Ferrariam:

30 *De Cardinale autem Arelatensi in Historia concilii nihil reperio, quamdiu utcumque pacifica & tranquilla fuerunt sessiones. Verùm in sessione* XVII, *habita mense Januario anni* 1437, *acris orta est contentio, quia eligenda erat civitas, ad quam venirent Græci ad tractandum cum Patribus concilii de concordia sancienda inter Ecclesiam Latinam & Græcam. Nolebant Græci Basileam venire, nec Avenionem jam ipsis propositam, nec in Sabaudiam; sed cupiebant, ut aliqua civitas Italiæ pro tractanda unione designaretur. Eugenius Papa ejusdem cum Græcis erat sententiæ. Cùm igitur, rogantibus Græcorum legatis, ut aliqua civitas Italiæ designaretur, res fuisset proposita, in duas factiones scissum est concilium. Nam una pars nihil Græcis concedere voluit, nisi antè oblata loca, videlicet Basileam, Avenionem, & Sabaudiam. De his Augustinus Patricius col.* 1543 *ita loquitur:* Secedit magna pars Patrum, quæ Pontifici erat infensa, & concilium in Italia nullo pacto volebat. Hæc factio vili ex plebe magna ex parte constabat; quamvis ducem haberent Cardinalem Arelatensem, & nonnullos alios prælatos. *Quo modo factio hæc numerum suum auxerit, explicat his verbis:* Clericos undique cogunt: veniunt turmatim ex vicinis oppidis & civitatibus sacerdotes, & qui etiam in urbe
C Patribus serviebant plerique, & in ecclesia togati convenientes, jussa præstabant suffragia. *Opposita pars, quæ* Florentiam & Utinum in Foro Julii, *aut aliam civitatem Græcis oblatam volebat, sic ab eodem describitur:* In alia parte sanctæ Sabinæ, qui & sancti Angeli dicitur, sancti Petri ad Vincula Cardinales erant, & plerique alii digni prælati, numero tamen longè superabantur. *Hæc discordia in sessione* 26 *duo peperit decreta contraria, ut ibidem videri potest. Notatur autem sessio habita* IV Kalend. Junii *anni* 1437. *Ex illis verò decretis Eugenius Papa approbavit illud, quod concilium in Italiam transferebat, ut Græci desiderabant. Itaque cùm inter Græcos & Pontificem rectè conveniret de celebrando in Italia concilio, illud primò Ferrariæ indictum est, eòque pervenerunt Græci cum imperatore suo Joanne Palæologo & cum patriarcha Constantinopolitano.*

Basileenses verò rursum incipiunt contra Eugenium agere,

31 *Interim Basileenses, sive pars major & deterior concilii, dum intellexissent, Eugenium favere Græcorum desiderio, & parti concilii ipsis consentienti, in sessione* 26, *quæ est* 27 *apud Patricium, reversi sunt ad criminationes & ad processus contra Eugenium Papam,* prohibente tamen & protestante Juliano Cardinale sanctæ Sabinæ præsidente concilii. *Nec modò contra Eugenium bruta fulmina jecerunt Basileenses, sed etiam contra synodum, quam Ferrariæ convocavit, dissoluta Basileensi. Rursum sub gravissimis comminationibus omnes Basileam vocant Cardinales, & præsentibus ibidem prohibent discedere. Principes interque eos Sigismundum imperatorem in suas partes trahere conantur. Verùm imperator, quantumvis multùm antea favisset concilio, dignum pietate sua dedit responsum, apud Patricium col.* 1547 *sic expressum:* Ad ea cæsar respondet, molestissimo se animo audire has novas seditiones inter Pontificem & concilium exoriri: hortari, ut maturiùs in tanta re se gerant, neque ea agant, quæ divisionem & schismata sint paritura, quo nihil rebus gerendis pernicioſius evenire potest: invenisse eos Ecclesiam Dei pacificam: ... meminisse debere Patres suæ professionis, cùm prædicent, se ideo convenisse, ut Christiani populi mores emendent, hæreses pellant, & dissidentium animos componant: cavendum, ne contrarios effectus pariant, ut qui Græcos se unituros pollicentur, Latinos seque ipsos scindant *&c. Græci ipsi viderant, quàm parum à tali concilio sperare possent, & missos Constantinopolim concilii legatos rejecerant, & cum Pontificiis navigabant in Italiam.* Quod cùm Basileæ nuntiatum esset, *inquit Patricius col.* 1550, illos scilicet è Græcia solvisse cum legatis Papæ, variæ inter Patres sententiæ, multæque contentiones agitabantur. *Addit, Julianum Cardinalem publica oratione eos ad concordiam cum Eugenio revocare conatum;* sed obstinatis animis frustra narrabatur fabula, *eodem testante.* Perstant in sententia Basileenses, & nisi in loco à se delecto non videntur passuri concilium celebrari. E

discedentibus Eugenii legatis cum aliis multis, Ludovicus eligitur præses.

32 *Verùm illa Basileensium pertinacia effecit, ut legati Pontificii omnesque Cardinales, uno excepto, Basileâ discederent. Hac de re Patricius col.* 1554 *ita habet:* Julianus autem Cardinalis sanctæ Sabinæ, sancti Angeli appellatus, ut vidit Basileenses in proposito Pontificem deponendi obstinatos, Basileâ discessit v Idus Januarii (*anni* 1438.) Et Patres, concione advocata, Ludovicum Cardinalem Arelatensem, qui unicus Cardinalis in concilio supererat, præsidentem creant cum plena potestate. *De eodem Æneas Silvius, tamquam concilii præside, in Commentariis de concilio Basileensi lib.* 1 *fol.* 2 *sic loquitur:* Medius F erat inter omnes primoque loco ut judex fidei, totiusque disputationis moderator & arbiter, Ludovicus Cardinalis & archiepiscopus Arelatensis, prælatus cùm multis virtutibus insignis, tum præcipuè fortis & constans. *Sub hoc Præside Basileenses nihilo segnius aut moderatiùs processerunt contra Eugenium Papam, eique adhærentes, quàm antea fecerant. Novi quidem, hæc non facere ad gloriam Beati; nihil tamen dissimulandum censeo, sed omnia, quatenus* Ludovicus *partem in illis habuit, breviter perstringenda. Itaque Basileenses varias propositiones, tamquam fidei veritates in concilio definiendas produxerunt. Octo simul propositas exhibet Æneas Silvius in Commentariis de gestis concilii Basileensis lib.* 1 *fol.* 2. *Tres priores erant generales, quas his verbis exprimit laudatus Æneas:* Veritas est Catholicæ fidei, sacrum generale concilium supra Papam, & alium quemvis potestatem habere. *Secunda est:* Generale concilium legitimè congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate sua potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est. *Tertia:*

AUCTORE J. S.

Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus. *Has propositiones multis contentionibus occasionem dedisse, liquet ex eodem auctore.*

Cùm octo articuli contra Eugenium definiendi essent propositi,

33 *Narrat fol.* 10, *varios principum legatos rogâsse, ut decisio differretur. Recitat compendio orationem Panormitani archiepiscopi, dilationem multis rationibus persuadere conantis, cui alii multi adhæserunt. Inter alia autem dicebat, solis episcopis dandam esse vocem* decisivam, *alios verò* consultativam tantùm habere vocem, futurumque hac vice scandalum, si sine episcopis res fidei terminum sumeret. *Ut brevis sim, fortiter insistebat, ut exspectarentur principum oratores, qui Moguntiam ad principum conventum erant profecti. Ipsi quoque consenserunt præsentes* principum oratores, & quasi facta conspiratione, *inquit Æneas*, in unam sententiam consonârunt, conclusionem pro viribus impedituri. *Deinde contra horum omnium sententiam longa oratione definitionem dictorum articulorum persuasit* Ludovicus Alamandus, *de quo sic Æneas Silvius fol.* xi: Ubi autem complures sunt auditi, . . . Ludovicus Cardinalis Arelatensis, vir omnium constantissimus, & ad
B gubernationem generalium conciliorum natus, oratorum omnium, qui loquuti fuerant, verba resumpsit. *Mox conatus est ostendere, plerorumque principum oratores affuisse examini articulorum, ut probaret, non amplius esse exspectandum. At archiepiscopum Mediolanensem offenderunt hæc* Ludovici *verba:* Ex territorio ducis Mediolanensis archiepiscopus Mediolanensis affuit: qui licèt orator non sit, qualis tamen quantusque prælatus habeatur, non ignoratis. *Nam subdit Æneas:* Cúmque ita dixisset, commotus aliquantisper archiepiscopus, Haud meliùs, inquit, præsidentis locum tu tenes, Arelatensis, quàm ego oratoris ducalis. Pluribusque lacessere eum verbis pergebat. At Cardinalis, ut est patientissimus injuriarum, nullaque prorsus contentione provocabilis; Hoc est, ait, quod mox volebam. Namque si orator est archiepiscopus, nulla omnino supereſt suo duci querela, qui oratorem suum in rerum discussione habuit. *Modica hæc contentio, quam patientiâ suâ prudenter composuit* Ludovicus, *multum conduxit ad patientiam ipsius commendandam, ideoque à me observata est.*

C *contentioque gravis orta, Ludovicus longam habuit orationem,*

34 *Quod modò spectat ad longæ illius orationis compositionem, quæ adversarios, maximè episcopos, acerrimè pungit, aptior est ad movendum animos mediocriter doctorum, quàm ad objectas difficultates dissolvendas, profanaque eruditione magis abundat, quàm sacrâ. Ad objectionem Panormitani de non permittenda decisione rerum fidei suffragiis multitudinis, ita respondet:* Meminerit tamen ipse Panormitanus, quoniam non est novus hic procedendi modus. Ordinem procedendi ipsum sibi concilium ab initio dedit, nec unquam postea immutavit: tibique hoc aliàs, Panormitane, placuit, cùm multitudo te sequeretur: nunc, quia non sequitur, displicet. Sed non sunt decreta conciliorum, ut voluntates hominum, mutabilia. Scias præterea, quia illi ipsi episcopi, qui verbo tecum sentiunt, mente non sentiunt *&c. Addit alia plurima, parùm ad rem pertinentia. Verùm in illo concilio voces inferioris ordinis frequenter prævaluisse, multa Oratoris dicta insinuant. Nam fol.* 13 *ita loquitur:* Utcumque est, opus Dei hac vice autumo, ut inferiores ad decidendum reciperentur. Revelavit enim ea nunc Dominus parvulis, quæ sapientibus abscondit. En horum inferiorum zelum, constantiam, rectitudinem, magnanimitatem videtis. Ubi D
nunc concilium, si soli episcopi, solique Cardinales vocem habuissent? Ubi nunc conciliorum authoritas *&c.? Brevis responsio est. Nam concilium fuisset Ferrariæ, & postea Florentiæ, sub capite suo congregatum, nec schisma excitâsset Basileæ. Paulò post iterum dicit:* Episcopi autem, quos solos Panormitanus habere vult vocem, videtis quàm pauci nobiscum sunt; & illi ipsi, qui præsentes adsunt, haudquaquam valent virtute irrumpere iniquitatem: extimescunt terrenam faciem potentis, & ponunt scandalum in agilitate sua. Audistis hodie vota prælatorum, audistis quòd omnes voluntati regis dixerunt se acquiescere, nullus Dei &c. *Hæc satis ostendunt, quàm paucos episcopos sibi faventes in illa controversia habuerit Cardinalis Arelatensis, cujus tota oratio magis pungit adversarios, quàm probet causam.*

magnoque plausu exceptus, pro tribus prioribus concludit;

35 *Attamen non caruit Orator plausu adulantium, ut Æneas fol.* 14 *enarrat his verbis:* Cùm Arelatensis feciſſet loquendi finem, omnes in eum affixis vultibus admirationem stupore prodebant: deinde laudare, hic memoriam, ille doctrinam: hunc esse unum, qui dignissimè præsideret; qui & confutare objecta nôsset, & (ut præsidentem E
decet) impenetrabilem se convitiis exhiberet. *Sic tamen res necdum erat peracta. Verùm opposuerunt se vehementissimè omnes, qui Panormitano adhærebant.* Nec res sine violentia fuit, *inquit auctor*, cùm nec mandata Præsidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur. *Jussit quidem Arelatensis articulos decernendos prælegi; sed Panormitanus interlocutus est hoc modo:* Vos (ait) Patres, nostras contemnitis preces, reges & principes contemnitis, prælatos contemnitis. At cavete, ne, dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini. Vultis concludere, sed vestrum non est concludere. Nos prælatorum major pars sumus, nos concilium facimus, ad nos concludere spectat: egoque nomine prælatorum supersedendum esse concludo. *Vera hæc erat, & minimè inepta oratio. Hanc tamen longiore oratione refutare voluit Joannes de Segovia, qui post inepta & falsa non pauca, concluſit hoc modo, Præsidem alloquendo:* Quare si hinc sine conclusione abeas, rationem te hujus rei in districto Dei judicio redditurum scito. *Eodem modo virum urgebant alii plures fol.* 16 *nominati*, in tantumque illum premebant, ut nec animum resumere paterentur. *Mitto convitia, minas, turbas, aliaque multa, ut videamus, qua arte se expediverit* Ludovicus *noster, & quo modo pro tribus articulis ex octo stabiliendis concluserit.* Utendum astu censuit, *ait Æneas*, utque tumultum aliquantisper componeret, Habeo, inquit, novas ex Francia litteras. *Ita silentium nactus est, & nonnihil de litteris locutus, paulatimque ad rem regressus, subitò adjunxit, se pro tribus propositionibus* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti concludere. Atque his dictis lætus alacerque consurgens, ab omnibus suæ partis hominibus summè probatus & laudatus recessit. Et alii quidem eum, alii vestimentorum fimbrias deosculabantur, secutique ipsum complurimi, prudentiam ejus magnopere commendabant, qui licèt origine esset Gallicus, Italos tamen hac die, summâ homines astutiâ, superâsset. Communis tamen omnium opinio fuit, hoc Spiritus sancti magis, quàm ipsius Arelatensis opus fuisse. *Hæc Æneas Silvius, postmodùm meliora doctus.*

36 *Restabat alius actus, simili aut majori etiam festinatione finiendus. Condendum & appro-*

ban-

AUCTORE J. S.

deinde pro decreto de iis facto, non exſpectatis legatis, qui graviſſimè indignantur,

bandum erat decretum. Reverſi autem ex conventu Moguntino principum oratores impedire decretum ſtatuerant. *Condito decreto, & à particularibus approbato, convocantur omnes, etiam principum oratores, ad approbationem decreti die nona Maii anni* 1439. *Verùm legati, ut obſervat Æneas fol.* 16, in choro eccleſiæ detinebantur, ibique de pace, ſi qua poſſet haberi, agitabatur. *Hac uſus occaſione Cardinalis Arelatenſis, lectis iis, quæ erant congregationi prælegenda,* ex more concluſit, oratoribus principum adhuc in choro perſiſtentibus, *ut Æneas Silvius teſtatur, cujus ſanè teſtimonium minimè poteſt eſſe ſuſpectum. Verùm oratores, ut intellexerunt, ſe adeo deceptos, non modò totum templum querimoniis impleverunt; ſed etiam inanes eſſe dixerunt concluſiones, quæ eo modo fierent, & in Cardinalem præſidem acerbiſſimè invecti ſunt. Archiepiſcopus Mediolanenſis, ad convitia converſus, de Arelatenſi dicebat,* ipſum eſſe, qui copiſtarum pædagogorumque gregem nutriret, remque cum eis fidei concluderet, alium eum Cathelinam vocitans, ad quem deſperati & perditi omnes confugerent: illorumque ipſum eſſe principem, & cum illis eccleſiam regere; nec in re omnium maxima magnis prælatis & magnorum principum oratoribus auſcultare. *Panormitanus non minùs acriter pungebat, dicens, ipſos non eſſe ex Deo, cùm verba Dei non audirent; & lucem odiſſe, quòd malè agerent, ac tandem ex malis fructibus malos cognoſci. Addidit verè, ſe timere,* ne hujuſmodi concluſiones revocarentur, tamquam malæ fructus arboris. *Mitto alia ab aliis magis ſubtiliter contra concluſiones factas diſputata.*

B

quoſque oratione placare fruſtra ſtudet. Abeuntibus legatis, cetera peragit:

37 *Præſes interim ſilebat. At ubi omnes dixerant, modeſta oratione omnes placare, & dicta quorumdam refutare conatus eſt.* Mediolanenſi verò, *inquit Æneas fol.* 17, quòd eum nimis turbatum videbat, nimiúmque commotum, nihil reſpondit, ne fortè ex gravibus verbis graviora ſuſcitarentur. *In fine orationis verſus* ad multitudinem, bono animo eſſe Patres rogavit, quia nunquam eos dimitteret, etiamſi oporteret mori eum, dediſſe ſe ſuam concilio fidem, illamque velle obſervare, nec eum ex ſuo propoſito aut minas aut preces cujuſpiam poſſe dejicere; paratum ſe ad omnia fore, quæ ſacrum ſibi concilium præciperet *&c. Finita oratione, rurſum ortæ ſunt contentiones, clamores, proteſtationeſque oratorum tantæ, ut decretum legi non poſſet. Inter hæc verò* ſubitò Arelatenſis *ſurrexit,* cum multitudine Patrum receſſurus, *ut videbatur. Verùm cùm Panormitanus aliique legati vellent ſoli in eccleſia manere, ille iterum cum ſuis reſedit; legati verò poſt proteſtationes peractas abierunt.* Arelatenſis autem, illorum receſſu ſilentium nactus, lectis omnibus, quæ neceſſaria reputavit, petentibus promotoribus, concluſit, & facto fine concionem dimiſit. *Addit hiſce Æneas Silvius, concilii tunc admirator & laudator maximus:* Bis igitur *(nimirum ante adventum legatorum, & rurſus poſt abitum)* magnis in difficultatibus concluſit Arelatenſis; quoniam nec materia nec forma potuit ſine concertatione concludi: fuitque utraque miraculoſa concluſio, & præter ſpem omnium, vel Arelatenſis induſtriâ, vel Spiritus ſancti munere habita. *Sic ille. At eventus docuit contrarium, & ædificium, quod fundamento carebat, diu ſtare non potuit.*

C

38 *Ut omnis forma videretur obſervata pro tribus propoſitionibus dictis, indicenda erat ſeſſio. De hac iterum gravis fuit altercatio inter Panormitanum, cui reliqui adhærebant principum oratores, &* Ludovicum *præſidem, qui multitudinem ordinis inferioris faventem habebat. Hic autem evicit, ut ſeſſio haberetur die Sabbati, ſexta decima Maii (in Actis eſt hæc ſeſſio* XXXIII*) & Panormitanum acriter pupugit, quòd factus videretur Eugenii defenſor, qui antea ipſi maximè fuerat contrarius. Addidit,* ſi contra eas *(propoſitiones generales)* ſentiret Eugenius, Papam corrigi æquius eſſe, quàm veritatem omitti. *Specioſum ſanè dictum hoc eſt; ſed legatis aliiſque prælatis non conſtabat de veritate, ideoque ſeſſioni, quam impedire non poterant, intereſſe noluerunt. Attamen legati ad chorum venerunt, & conditiones aliquas petierunt, ut ad ſeſſionem venirent. Inter has erat, ut ſola prima propoſitio declararetur definita. At non obtenta hac conditione, receſſerunt. Audiamus tamen, quos* Ludovicus *noſter habuerit præſentes in ſeſſione, indeque colligemus, quibus auctoribus in omnibus prævaluerit.* Nullus Arragonenſium prælatorum interfuit, nullúſque omnino ex tota Hiſpania. Ex Italia ſoli Groſſetanus epiſcopus, & abbas de Dona... Ex duabus aliis nationibus *(Gallica & Germanica)* mitrati *(id eſt, epiſcopi aut abbates)* fuerunt ſolum viginti. *Itaque ſecundum Æneam, qui ipſe adfuit, erant epiſcopi & abbates ſimul viginti & duo, ex quibus veriſimiliter ne decem quidem fuerunt epiſcopi. Nam Groſſetanus erat tantùm epiſcopus à concilio creatus, & fortè alii quidam tales fuerunt.* Alii verò domi latebant, fidem in corde, ſed non in ore habentes, *inquit auctor, qui non rarò aliquos accuſat, quòd aliter ſentirent, aliter loquerentur, idque ipſum Arelatenſis frequenter dictitabat. At judicium de iis, quæ in corde hominum latent, Deo rectiùs permittetur. Non obſtante abſentia plerorumque epiſcoporum,* plena tamen omnia fuerunt ſubſellia procuratoribus epiſcoporum, archidiaconis, præpoſitis, prioribus, presbyteris, ac divini & humani juris doctoribus, quos aut quadringentos, aut certè plures eſſe dijudicavi, *ait Æneas, eoſque maximè unanimes ſemper fuiſſe obſervat. Mirabile verò eſt, quod præmittit, factum Arelatenſis ad implenda loca epiſcoporum.* Cogitârat Arelatenſis, quod erat futurum, plurimaſque Sanctorum reliquias tota urbe perquiri juſſit, ac per ſacerdotum manus in ſeſſione portatas, abſentium epiſcoporum locum tenere: quæ res maximè devotionem auxit *&c.* F *Tam novum id erat, quàm alia multa in eodem concilio facta. Ceterùm ſeſſio pacificè habita eſt, promulgatumque decretum, nullo contradicente, quia omnes aberant, qui contradicere voluiſſent. Addit quoque Æneas, duos ex legatis principum, nimirum Cæſareum & Gallicum, in ſequenti congregatione ſe excuſâſſe de abſentia, & utrumque dixiſſe ſe ſolùm abfuiſſe, quia mandatum habebant de pace componenda, non quia dubitabant de veritate propoſitionum definiendarum. His verò de hac declaratione gratias egit Arelatenſis.*

indicta pro iiſdem articulis & pacificè habita ſeſſio, principum legatis adeſſe nolentibus.

§ V. Proſecutio geſtorum Ludovici in concilio Baſileenſi uſque ad finem ſchiſmatis.

STatutis tribus propoſitionibus, tamquam fidei veritatibus, *in conventu Baſileenſium, non diu poſt Patres illi ad condemnationem Eugenii Papæ*

AUCTORE J. S.

Legati principum frustra rogant, ut Basileenses

progressi sunt. Verùm Æneas Silvius illum actum cum adjunctis suis non enarravit, sortè quia pestilentiâ contactus, illis gestis non affuit. Certè pestis circa id tempus Basileenses gravissimè afflixit, ut videbimus: ac ipse etiam Æneas eâ se laborâsse scribit. De initio illius pestilentiæ Augustinus Patricius col. 1565 *ita habet:* Mense Martio anni MCDXXXIX pestis Basileæ serpere cœpit. *Ubi deinde idem auctor narravit breviter contentiones exortas inter Basileenses ob octo propositiones, ex quibus tres priores tandem à multitudine approbatas vidimus, subjicit col.* 1568 *postulationes legatorum principum, ut Basileenses abstinerent à processu contra Pontificem, quæ propositæ sunt die* XXIII *Maii, anno* 1439. *At Patres post multam disceptationem, die* XIII *Junii responderunt,* Neque sibi licere, neque utile esse reipublicæ, ut à judicio contra Eugenium supersederetur. *&c.*

abstineant à judicio contra Eugenium:

40 *Hæc aliquot rationibus probare conati sunt, ut ibidem videri potest col.* 1569, *ubi etiam sequitur, quid post rejectas legatorum postulationes egerint Basileenses.* Coacta igitur concione, his, quibus demandata res erat, jubent, ut omnia ad B judicium conficiendum parent, & communi consensu quinque alias conclusiones, quas veritates fidei appellabant, jam legatis silentibus, approbant IX Kalendas Julii (*sive die* XXIII *Junii*) ejusdem anni, ac publico edicto citari statuunt Eugenium Pontificem ad sententiam audiendam ad VII Calendas ejusdem mensis, *id est, die* XXVII *Junii. Propositiones quinque tunc approbatæ habentur apud Æneam Silvium fol.* 2. *Prima ex illis facit Eugenium veritatibus fidei repugnantem, quia transtulerat concilium Basileense; secunda facit resipiscentem, quia edictum translationis revocavit; tertia facit inexcusabilem in errore, & quarta relapsum in errorem revocatum, quia rursum concilium transtulit; quinta demum facit pertinacem in errore & consequenter hæreticum.*

illi verò depositionis sententiam dant contra Pontificem.

41 *Habita igitur fuit sessio* XXXIV *die dicta* XXV *Junii anni* 1439, *in eaque Eugenius IV de pontificatu dejectus declaratur, ut contumax, inobediens, rebellis, canonum violator, pacis perturbator, Ecclesiæ scandalizator, simoniacus, perjurus, incorrigibilis, schismaticus, à fide devius, pertinax hæreticus, &c. &c. In hac sessione, inquit Patricius,* insulati præsules triginta C novem interfuere inter episcopos & abbates, inferioris autem Ordinis non minùs trecentis. *Eugenius Pontifex tunc utilissimè occupabatur Florentiæ in concilio, ubi Græci Ecclesiæ Romanæ se subjecerunt die* VII *Julii sequentis. At illud ipsum concilium jam antè illegitimum declarârant Basileenses. Finita verò condemnatione Eugenii, legatos mittunt ad principes, ut doceant ipsos causam abdicationis,* jubeantque hujusmodi decretum ab omnibus suscipi. *Noverant sanè illi imperare, si fuissent, qui obedire vellent. At jam veniebat tempus, quo qui omnes videbantur despicere, ab omnibus despicerentur. Neque enim principes deserunt Eugenium pro vero & legitimo Pontifice habere. Curas ipsorum declarat breviter Patricius col.* 1572 *his verbis:* At Basileenses, dejecto suis decretis Eugenio à pontificatu, magis magisque in dies angebantur, cùm pestis domi admodùm sæviret, & Eugenius eos foris acriter impugnaret, præsertim unione Græcorum confecta. *Dicta autem pestilentia dubitationem ingessit Basileensibus, an non esset consultius ad electionem Pontificis mox procedere, quàm sexaginta diebus exspectare. Attamen vicit sententia, quæ sexaginta diebus exspectandum suadebat.*

D

Interim pestis Basileæ sæviens multos ex ipso concilio extinguit,

42 *Quantùm porrò sæviret lues, quóque in ea calamitate modo se gesserit* Ludovicus Alamandus, *exponit Æneas Silvius lib.* 2 *fol.* 20 *ita scribens:* Cumque jam steriles exureret Syrius agros, latiùs undique grassata est pestis, & fervescens dietim morbus, incredibile est, quantas animas orco dimiserit. Horribile visu erat, horatim funera per vicos exportari, semperque aut Dominicum Corpus aut unctionis extremæ Sacramentum, in viarum compitis esse; & ubique planctum, ubique gemitum exaudiri. Nulla expers luctûs in tota urbe domus patebat.... Cadebat sine numero urbana plebecula: utque in primo autumni frigore sylvarum folia concidunt, sic juventutis corpora expirabant. Tantaque morbi vis fuit, ut aliquem nunc in platea lætum & validum cernens, post horam decimam humatum fore audires. Jamque tot erant morientium funera, ut sepulturæ loca deforent.... Quam ob causam ita exterriti Patres erant, ut nullus jam in eorum facie sanguis rubesceret. *Tum narrat mortem Ludovici prothonotarii, & Ludovici patriarchæ Aquileiensis, quos ut Eugenio infestos sæpè exhibuit, eosque vocat* duas concilii columnas. *Mox addit obitum aliorum, quorum unus in Helvetia, alter Argentinæ, tertius Spiræ, quartus in Hungaria, quintus in Bohemia pro Basileensibus erant; & subjungit:* Eratque & intra concilium & extrà ubique timor & tremor. *Demum generatim multos in concilio defunctos enumerat, & aliquos etiam ex ipsis Cardinalis Arelatensis domesticis.* E

multique suadent Ludovico, ut secedat: quod facere renuit.

43 *Et mox fol.* 21: Illis autem diebus, quibus fervidior erat pestis, quibusque dietim plus quàm centum apparebant funera, magnæ apud Arelatensem habitæ preces sunt, ut vicinum aliquod in rus secederet: eratque omnium domesticorum aut familiarium ejus vox eadem: Quid agis, spectate Pater? Fuge hunc saltem lunæ defectum: salva tuum caput, quo salvo, salvamur omnes; quo etiam pereunte, omnes perimus. Quod si te pestis opprimat, ad quem confugiemus? Quis nos reget? Quis ductor hujus fidelis exercitus erit? Jam tuam cameram irrepsit virus, jam secretarius tuus, jamque cubicularius tuus mortem obiit. Considera discrimen, & salva te ipsum, & nos. Sed neque illum preces, neque domesticorum funera flectere potuerunt, volentem potiùs cum vitæ periculo salvare concilium, quàm cum periculo concilii salvare vitam. Sciebat enim, quoniam se recedente, pauci remansissent, faciléque committi fraus in ejus absentia potuisset. *Addit, alios quoque ipsius exemplo mansisse; ex eaque cum vitæ periculo perseverantia infert, Patres Basileæ potiùs quæsivisse* fidei veritatem, *quàm* propria commoda. *Fortè rectiùs intulisset, sævâ illa pestilentiâ monitos fuisse à Deo, ut magis examinarent, an justa & Deo grata essent, quæ moliebantur. Interim pergebant, sed, ut habet Patricius col.* 1572, undecimo deinde Kalendas Augusti, cùm acriùs pestis grassaretur, Arelatensis consilium erat, cessandum à conventione & actibus conciliaribus usque ad finem Septembris, differendamque novi Pontificis electionem ad Kalendas Novembris. *At illud consilium effectu carnit: & perrexerunt agere Basileenses.* F

44 *Verùm, cùm legatos misissent ad principum conventum, qui habebatur Moguntiæ, nihil contra Eugenium obtinuerunt. Eugenius verò in con-*

A *Eugenius damnat Basileenses: hi verò*

concilio Florentino acriter percussit Basileenses per bullam die IV *Septembris anni* 1439 *datam, quâ ipsi & ipsorum veritates damnantur, eosque declarat* excommunicatos esse, & privatos omni dignitate honore & beneficio *&c. Observat Patricius, qui hæc narrat col.* 1575, *Patres* magnâ molestiâ *fuisse affectos, & ad apologiam recurrisse. Erant, qui petebant, ut decretum Pontificis*, ut libellus hæreticus publico consensu damnaretur. *At, dissuadente Joanne Segovio*, quamvis Arelatensi aliter videretur, res in aliud tempus dilata est. *Ad hæc observo, bis consequenter actum esse contra consilium Cardinalis Arelatensis, cujus auctoritas eo tempore videtur nonnihil fuisse imminuta, ut etiam ex sequentibus patebit. Audiamus Patricium:* Mense deinde Octobri, cùm subrogandi Pontificis tempus à Basileensibus præfixum adesset, plures è vicinis locis, & maximè è Sabaudiensi principatu Basileam ad concilium accesserunt, ut Tarentasiensis archiepiscopus *&c. Hæc accessio Sabaudorum Cardinalem fecit suspectum, ut videbimus. Afferuntur & literæ imperatoris, acriter conquerentis de Eugenii depositione, rogantisque, ne procederetur ad electionem alterius.* Arelatensis verò Cardinalis properandum dicebat, neque ampliùs differendum, *ait Patricius*, consulendum Ecclesiæ & puritati fidei, auctoritatique generalium conciliorum, neque quempiam timendum; se paratum esse & vitam ponere pro defendenda Ecclesia. *Huic consilio alii acquieverunt, & omnia ad electionem parabantur.*

B

omnia parant ad electionem novi Pontificis, de qua Ludovicus

45 *Primò à concilio* tres diliguntur, abbas Scotus, Joannes Segobius, & Thomas Corcellus. *Hi futuri erant electores Pontificis, sed antè eligere debebant secretò alios electores usque ad eum numerum, ut præter Cardinalem, qui unicus erat, alii simul essent triginta & duo. Nullus ex tribus illis erat episcopus, & dolebat Cardinalis, excluſum se quoque potestate nominandi electores alios. Vidit igitur nimis serò, Ordini inferiori nimiam se dedisse auctoritatem. Quare* Arelatensis Cardinalis, conventus sive deputationes adiens, conquerebatur, sibi injustè adscribi, quòd multitudo ex Sabaudia ad novam electionem suâ operâ advenisset, quasi eorum suffragiis uti vellet ad electionem *&c.*.. Dolere autem, quòd non plenè de se confiderent Patres; quòd cùm consuetum esset, præsidentes Cardinales ab omnibus

C

deputationibus admitti in consultationibus, ipse ut canis spretus in deligendis electoribus admissus non sit, officia sua in defensionem concilii commemorans. Conversus tandem ad imaginem Crucifixi, magno juramento juravit, se nullum cupere Pontificem, nisi per quem conservaretur Ecclesiæ status: oportereque eligi virum potentem, ut per se ipsum posset se sustentare: alioquin actum esse de Ecclesia. *Post hæc in sessione* XXXVII *leges conditæ sunt pro electione futura, ac demum electores publicè declarati in congregatione, quæ habita est* XXIX *Octobris.*

multum anxietatis & sollicitudinis ostendit.

46 *Observat Æneas Silvius lib.* 2 *fol.* 22, *miram omnium fuisse curiositatem ad audiendam electorum nominationem. De* Ludovico *hæc notat:* Cardinalis autem Arelatensis in tanta re anxius, & pluribus occupatus negotiis, aliquanto tardiùs venit, quàm tempus exegit, expectationemque sui non sine admiratione omnibus præbuit. Qui tamen, ut ad subsellia resedit, morâ suâ primitus excusatâ: Hodie, inquit, magna res agitur: in nominatione, quæ statim aperietur, status Ecclesiæ pendet. Si tres viri, quibus rem commisistis, bene egerint; fateor quippe * tardiusculè me venisse: si autem malè, nimis citò assum. Quæ verba & trementi voce & ore pallido, atque ex abundantia cordis pronuntiavit. Qui sic locutus, aspectu tristis, animo turbatus, & oculis minax, cunctis terrori erat, tantumque mentis mœrorem ostendit, ut plurimi collachrymati sint, qui ejus in fronte statum suum condiscunt. *Addit auctor, causam tantæ trepidationis fuisse, quòd timeret Cardinalis, ne in electione omissi essent præcipui prælati. Hinc, ubi omnium nominationem intellexerat*, exhilaratus est Cardinalis animus, *ait fol.* 23 qui usque ad illam horam trepidus stupidusque permanserat, nec persuaderi sibi poterat nominationem istiusmodi fieri. Ut autem vidit episcopos & abbates in magno numero assumptos, & nationes, quæ in concilio erant, æquis portionibus honoratas, & animi simul vigorem, & frontis recepit colorem. Factusque lætus, sereno vultu concionem quoque exhilaravit, quæ illo mœstitiam ostendente, non tristis esse non poterat. *Non poterat tamen Cardinalis timere, ne ipse excluderetur, quia elector erat* jure proprio, *ait fol.* 22, *ut fuissent omnes Cardinales, si qui venire voluissent.* Primus itaque omnium electorum Cardinalis fuit Arelatensis, vir & constantiæ insuperabilis, & prudentiæ incomparabilis, cujus virtuti haud adscribere titubaverim, quæcumque in concilio gesta sunt, quia nec sine illo prælati perseverâssent, nec alicujus principis umbra protexissent. *Ita Æneas, cum illo deinde conclave ingressus, non tamen ut elector.*

E

Cardinalis, peracta re divina, & juramento facto, conclave cum electoribus ingreditur,

47 *Die sequenti* XXX *Octobris* rem divinam fecit Cardinalis Arelatensis, qui electores omnes communicavit, *inquit Patricius col.* 1578. *Tum in sessione* XXXVIII *aliquot leges, maximè pro electione, sunt promulgatæ.* His omnibus publico decreto firmatis, Arelatensis primùm, & tum alii electores juramentum, ut aliàs conceptum erat, præstiterunt. *Æneas Silvius fol.* 23 *multùm laudat pietatem* Ludovici, *singulis sacram communionem distribuentis.* Quam rem sic ordinatè, *inquit*, sic solenniter, sic devotè peregit, ut ex videntibus nemo tenuerit lacrymas, nisi qui pectus habuit aut saxeum aut ferreum. *Ejusdem juramentum sic exprimit:* Ego, (inquit) reverendissimi Patres, coram Domino meo Jesu Christo, cujus modò sacratissimum corpus indignus

F

peccator manducavi, cuique in tremendo & magno finali judicio de omnibus per me factis rationem sum redditurus, promitto, juro & voveo, quoniam in hoc electionis negotio, ad quod nunc, volente concilio, mittimur, nil aliud quæram, quàm populi Christiani salutem, & universalis Ecclesiæ bonum. Idque mihi curæ erit studere, ne authoritas generalium conciliorum vilipendatur, ne fides Catholica expugnetur, neve Patres in concilio persistentes opprimi possint. Hoc quæram, hoc solicitabo, ad hoc viribus totis incumbam: nihil in hac re aut mei aut meorum amicorum causâ faciam: sed solum Deum & Ecclesiæ suæ utilitatem respiciam. Hoc animo, hac mente, hoc denique corde conciliare suscipio juramentum. Fuitque ejus sermo & vivax & terrificus, omniumque astantium commovit animos. *Deinde, ubi alii etiam juraverant, eodem die conclave, cujus cubicula per sortem singulis assignata erant, ingressus est* Ludovicus, *pontificalibus ornamentis indutus, & populo benedicens, sequentibus longo ordine aliis. Ingressus verò conclave*, in sacello, quod celebrandis Missis parâtum

AUCTORE J. S.

* *fortè* quidem

AUCTORE J. S.

tum erat, ante altare, & ante ipſum Chriſti vexillum genibus flexis & nudo capite orationibus Deo porrectis, & domui & habitatoribus benedixit. Sicque poſitis pluvialibus & mitris, illuc ſe quiſque recepit, ubi nomen ſuum recognovit. *Hæc Æneas, qui ut cæremoniarum clericus ſimul fuit ingreſſus.*

illos poſtridie hortatur ad eligendum virum potentem:

48 *Quid ſequenti die electoribus commendaverit* Ludovicus, *ſilente Æneâ, Patricius col.* 1578 *exponit his verbis:* Poſtridie verò, antequam ſuffragia inirentur, Arelatenſis Cardinalis multis verbis hortatus eſt collegas ſuos, ut in Pontificem eligerent virum quempiam genere & divitiis potentem, qui neceſſitati Eccleſiæ providere poſſet: alioquin omnia fruſtra ceſſura: opus eſſe magna & præſenti pecunia ad quadraginta millia nummorum; & tali Pontifice, qui in ſuo imperio Patres ſuſciperet, & ab adverſariis tueri poſſit. *Æneas verò fol.* 24 *multa refert de ordine conclavis, interque alia de cibariis obſervat, vetitum fuiſſe plus quam unam ſpeciem ad ſingulos deferre, ita ut ſubtraheretur altera carnis ſpecies, ſi gemina deprehenderetur allata. Hoc autem cùm contigiſſet archidiacono Cracovienſi;* B *eaque de re conquerenti reſponderetur,* Quoniam id idem obtigiſſet Cardinali, *ſic reſpondiſſe archidiaconum refert Æneas:* Proh Cardinalem mihi æquiparas, hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut (ut verius loquar) non hominem. Ego apud ipſum meo infortunio ſum locatus: omnia, quæ facit, perluſtris mihi cortina indicat: nec adhuc aut bibere eum aut comedere vidi: &, quod mihi moleſtius eſt, inſomnes noctes inſomneſque dies ducit... Aut legit ſemper, aut negotiatur: nulla ei minor quàm ventris eſt cura. Mihi nihil cum eo commune eſt: ego Polonus ſum, ille Gallicus: mihi ardet, illi friget ſtomachus: illi ſanitas, mihi mors jejunium eſt. Ego, nî multum comedam & multum dormiam, citò deficiam. Illi econtrario omnia ſunt. Jejunent Gallici, & Poloni comedant. Quo dicto, cunctos in riſum vertit. *Ex hiſce faceti Poloni dictis varii ſcriptores commendant ſobrietatem* Ludovici *in victu & in ſomno, miramque frugalitatem.*

eligitur demum Amedæus Sabaudiæ dux: C

49 *Quod verò ſpectat ad electionem, cùm & multi Sabaudi eſſent inter electores,* & Ludovicus *omnium caput ipſe in ditione ducis Sabaudiæ natus eſſet, non miramur multa ſtatim ſuffragia in Amedæum Sabaudiæ ducem ab initio conſpiràſſe, licèt laïcus eſſet, & in rebus eccleſiaſticis inexpertus. Volebant enim electores hominem potentem, eoque loquebantur modo, acſi Eccleſiæ ſatis proſpectum eſſet, modò ipſi ſe per ſuum Pontificem contra Eugenium tueri poſſent. Aliqui tamen obſtabant, teſte Æneâ fol.* 25, & non eſſe homini laïco citò imponendas manus dicebant, quod videretur omnibus monſtri ſimile, principem ſeculi ad Romanum pontificium accerſiri: quæ res nimiùm eccleſiaſticis derogaret viris, quaſi nullum haberent tantæ dignitati idoneum. Alii hominem, qui fuerit conjugatus, cuique proles eſſet, ineptum ſacerdotio exiſtimabant. Alii, Romanum Epiſcopum legis doctorem eſſe oportere, aſſeverabant, multiſque litteris præpollentem. *Bene hi ratiocinabantur in mala cauſa, quales aliqui ſemper fuerunt Baſileæ. At alii videbant actum eſſe de ſuo concilio, niſi eligerent hominem, qui illud ſuâ potentiâ protegere poſſet, talemque dicebant Amedæum Sabaudiæ ducem,* qui alterum in Italia, alterum verò in Gallia pedem habet; cui omnes ferè Chriſtianorum principes aut ſanguine attinent, aut amicitiâ favent; cujuſque D quanta ſit virtus, jam ſuprà retulimus, *inquit aliquis apud Æneam fol.* 26. *Itaque mirari non debemus, Patres Baſileenſes, qui multa fecerunt mirabilia, conſenſiſſe in Amedæum* ſex & viginti *ſuffragiis* (*apud Æneam fol.* 26) Nonis Novembris, *illumque, qui princeps ſimul erat & ſolitarius, unico ſaltu ad pontificatum Baſileenſium & Sabaudorum aſcendiſſe. Mirarer ſanè, ſi id aliàs factum eſſet; ſed laſſus mirando geſta Baſileenſium, illorum facta amplius mirari nequeo. Porrò, cùm ex triginta tribus electoribus tantùm viginti ſex ſuffragia ſua dediſſent Amedæo duci;* Arelatenſis, *ait Patricius col.* 1579, ſeptem illos, qui Amedæum non elegerant, hortatur, ut etiam ipſi Amedæum, eligerent. Qui reſpondentes, ſatis eſſe, ſi electionem laudarent, aliam electionem facere recuſârunt. Perfecta electione,... Arelatenſis nomine collegarum retulit omnia, quæ geſta erant, & rurſum omnium nomine elegit Amedæum Sabaudiæ ducem in Romanum Pontificem *&c.*

miſſæ ad Amedæum legationis caput eſt Ludovicus: ille papatum acceptat

50 *Factam electionem in ſeſſione* XXXIX *confirmârunt Baſileenſes.* Deinde legatos numero viginti quinque ad Amedæum legant, qui concilii nomine electionem nuntient, & conſenſum exigant, *teſte Patricio col.* 1581. Princeps legationis Cardinalis Arelatenſis erat. *Amedæus autem* erat Ripaliæ,... ibique cum decem aliis nobilibus viris habitum geſtabat eremiticum, vocaturque militum ſancti Mauritii decanus, *non abdicato tamen ducatu. Proceſſit obviam legatis dux eremita, intellexit electionem, & conditiones ſibi propoſitas. De hiſce nonnihil difficultatis oſtendit, maximè de juramento, quod exigebatur. Attamen facilius in omnia conſenſit, quàm credi potuiſſet de homine ſolitudinis amante,* & acceptis pontificalibus indumentis, benedictionem ab Arelatenſi, & annulum Piſcatoris accepit *&c. Poſtridie Ripaliâ profecti ſunt Tonuntum, ubi Amedæus, jam* Felix *dictus, barbam eò uſque retentam depoſuit.* In die autem Epiphaniæ (*anni* 1440) celebratis ſacris, Arelatenſis orationem habuit, in qua multa diſſeruit de virtutibus, & nobiliſſimo genere electi *Amedæi. Hic deinde, rogante* Ludovico, *ducatum filio ſuo dimiſit, & alia fecit ad nos minùs attinentia.* Ludovicum *deinde per litteras juſſit præſidere cœtui Baſileenſi. At hæ litteræ non placuerunt Baſileenſibus. Nam Patricius col.* 1583 *ita habet:* Literæ Felicis poſt hæc, quibus legationem & præſidentiam concilii Cardinali Arelatenſi demandaverat, cùm lectæ in concione non placerent, deletæ ſunt, & ex regiſtris abraſæ, & rurſus aliis verbis conceſſæ. F

& deinde Baſileæ coronatur. Ludovicus ad principum conventum cum aliis legatus,

51 *Die* XXIV *Julii anni* 1440 *Amedæus, ſive Felix antipapa, Baſileæ* coronatus eſt in ſuggeſtu præ foribus templi ex materia excitato, & conſecratus in Romanum Pontificem, Cardinale Arelatenſi vicem Oſtienſis epiſcopi gerente, *inquit Patricius col.* 1585, *ubi de his plura. Latiùs tamen omnem pompam enarrat Æneas Silvius in Epiſtola ad Joannem de Segovia, quæ à curioſis videri poteſt. Neque enim totam concilii Baſileenſis aut ſchiſmatis hiſtoriam ſcribendam ſuſcipio; ſed ſolùm geſta* Ludovici Alamandi. *Anno* 1441 Ludovicus *cum alio, quem Cardinalem dixerat Felix, venit ad diætam Moguntinam, ubi jam ante ipſum erat Joannes de Segovia, tamquam Cardinalis & legatus Felicis. Quo ibi modo fuerit exceptus* Ludovicus *cum aliis, exponit Patricius col.* 1590 *his verbis:* Pau-

A lò poſt Cardinalis Arelatenſis, ut legatus de latere, unà cum Joanne Friſingenſi, quem appellabant S. Martini Cardinalem, Maguntiam venit. Principes Joannem Lyſuram ad eum mittunt: aſſerunt ſe Arelatenſem honoraturos ut verum Cardinalem, ſi legationis inſignia ponat, auditoſque eum æquo animo, & alios, ſi ille crucem, alii habitum Cardinalis domi dimittant. *Hoc principum reſponſum nequaquam placuit* Ludovico *ejuſque ſociis, quos pro Cardinalibus non habebant principes, ſicut nec* Ludovicum *pro legato, quia Felicem non habebant pro vero Pontifice.*

minùs bene excipitur, & re infecta, redire cogitur.

52 *Attamen demum cedere ſtatuunt.* Igitur IX Kalendas Aprilis Cardinalis Arelatenſis, cruce domi relicta, cum aliquibus ex collegis & familiis ſuorum Cardinalium, quos etiam domi dimiſerat, ad locum congregationis venit, ubi multa primùm ipſe, & plura Thomas de Corcellis ejus collega dixit de poteſtate ſuprema conciliorum, de recto concilii judicio contra Eugenium, & de legitima & neceſſaria electione Felicis. *Poſt hos ſimiliter auditi ſunt legati Eugenii Papæ* non ſine magno principum applauſu, cùm viſi eſſent optimè adverſariorum objecta repuliſſe, *ait Patricius.*

B *Idem col.* 1592 *obſervat, Joannem Segovienſem à Baſileenſibus electum fuiſſe, poſthabito* Ludovico *noſtro, qui reſponderet ad argumenta legatorum Eugenii; eumque*, dimiſſo domi Cardinalari habitu, *tamquam privatum multa coram principibus diſputâſſe* pro cauſa Baſileenſium. *Verùm, etſi ille electus ad dicendum eſſet*, quòd doctrinâ & elocutione valeret, *legati Eugeniani, utpote causâ prævalentes*, eorum veritates, quas tantopere extollerent, *affirmârunt* eſſe falſas fatuitates, eorum omnia geſta, ut iniqua & fatua, damnantes & irridentes. Baſileenſes verò, poſt hæc audiri petentes, non ſunt ampliùs admiſſi. *Itaque redire poterant Baſileam, re infecta.*

Legatus item Francofordiam ad Fredericum cæſarem, nihil obtinet pro Felice:

53 *Anno* 1442 *de* Ludovico *noſtro rurſum aliqua memorat Patricius col.* 1599. *Primò, cùm Baſileenſes ad imperatorem Fredericum legatos deſtinarent cum epiſtola ſynodali, eaque compoſita eſſet à Panormitano, non placuit dicta Epiſtola.* Hortante autem Arelatenſi Cardinale, Æneas Senenſis aliam formulam edidit, quæ ab omnibus, & etiam ab ipſo Panormitano probata. *Vehemens videtur fuiſſe epiſtola contra Eugenium, quantùm ex compendio apparet. Plura dicenda ſunt de conventu Francofordienſi, ad quem cæſar properabat,*

C *&* quò *à Baſileenſibus* deſignati ſunt legati Cardinalis Arelatenſis, & Panormitanus & Joannes Segobienſis, Cardinales vocati, qui menſe Maii ſecundo Rheno iter acceperunt in celebritate Pentecoſtes. *Deinde col.* 1600: Baſileenſes legati interim... ſexto Kalendas Junii Francofordiam navibus appulerunt, ſuſceptique ſunt à civibus perbenignè, non tamen ut legati Apoſtolici, juſſique ſunt inſignia legationis domi dimittere. Eadem die Federicus cæſar Francofordiam ingreſſus eſt... Qui vetuit Baſileenſes ſibi honoris gratiâ obviàm dari. Poſt aliquot dies Baſileenſes cæſarem adierunt, redditiſque litteris concilii & Felicis, cauſam ſuam, Panormitano orante, commendant, *&c. Reſpondit cæſar, pacem ſe deſiderare, exſpectareque illos juſſit, donec Aquiſgrano, quò coronandus ibat, eſſet reverſus; atque interim cauſam ſuam exponerent coram eis*, quos ipſe ſuo & principum nomine ad hoc opus conſtituerit. *Fecerunt id Panormitanus & Segobienſis. Verùm* Arelatenſis Cardinalis, ubi cæſari gratias egit, obtulit ſe comitem itineris cæſari, aſſerens, ſe ut Arelatenſem archiepiſcopum principem imperii eſſe, pertinereque ad ſe coronam cæſari imponere, quod prædeceſſor ſuus Arelatenſis aliàs feciſſet. *Quid ad hæc reſponderit Fredericus cæſar, non addit auctor, ſed poſt duos dies diſceſſit*, quem Arelatenſis ſecutus eſt. *Poſt diſputationes Francofordiæ habitas, nihil obtinuerunt Baſileenſes pro Felice ſuo. Poſtea tamen imperator Baſileam acceſſit, ſed urbem intrare noluit, niſi priùs Baſileenſes promitterent, ſe conſenſuros in aliud concilium. Accepta hac promiſſione, ingreſſus eſt, ad latus comitante* Ludovico *cum alio Felicis Cardinale, viditque Felicem, & acceſſit; non tamen veneratus eſt ut Pontificem.*

AUCTORE J. S.

cauſæ quædam privatæ in concilio actæ: Amedæi conatus irriti.

54 *Privatæ etiam cauſæ in concilio actæ ſunt, ut Patricius narrat col.* 1606, *ubi obſervat, Arelatenſem* magnâ curâ *cum aliis ſuaſiſſe, ne Joannes Baccheiſtein cauſæ ſuæ judicium proſequeretur, ſed fruſtra. Alii volebant, ut quatuor eſſent præſides:* quod annitente Felice, ac Arelatenſi Cardinale, admiſſum non eſt. *Alia deinde anno* 1443 *contentio fuit inter Baſileenſes de eccleſia Friſingenſi, eaque finita eſt contra ſententiam* Ludovici *noſtri, ut videri poteſt col.* 1609. *Relanguit deinde*

E *fervor Baſileenſium: nam oratores regis Aragoniæ, inter quos præcipuus erat Panormitanus, fuerunt revocati, & Felix ipſe jam ante illos Baſileâ diſceſſerat Lauſanam, quò demum ſe transtulerunt illi etiam, qui Baſileæ manſerunt, donec juſſu Frederici imperatoris coacti ſunt diſcedere. Æneas Silvius, quem antea concilio Baſileenſi additiſſimum vidimus, ſed qui, Baſileâ relictâ, ad Fredericum imperatorem ſe contulerat, ibique mentem mutaverat, in Opere de ſtatu Europæ cap.* 38 *de conatibus Felicis antipapæ ita loquitur:* Fuerunt ei cum rege Franciæ Karolo, cum Alfonſo rege Aragonum (qui tum hoſtis Eugenii Papæ fuit) cum Philippo duce Mediolani, cum pluribus aliis de recipienda ejus auctoritate tractatus: qui omnes incaſſum abiere. Fuit & Fridericus imperator apud eum in Baſilea; ſed clàm nocte intempeſta, ne adoràſſe idolum videretur, abiit. * Reverentiam ei, tamquam Vicario Jeſu Chriſti, ſubditi ejus tantùm & Suitenſes populi, & Baſileenſes, & Argentinenſes, & qui Alberto parebant Bajoariæ duci, præbuerunt. Fuit etiam magna ſpes obtinendæ Germaniæ, cùm ſex principes electores in eam ſententiam fœdus iniſſent, ut, niſi Eugenius poſtulatis eorum annueret (poſtulabant autem res prorſus negandas) in Amedei,

F quem Felicem V appellaverunt, obedientiam tranſirent. Sed cùm illorum conſilia Fridericus pervertiſſet, & qui ſub nomine ſynodi Baſileæ degebant, abire juſſiſſet, deſperato meliori ſucceſſu, interveniente per legatos ſuos Karolo Franciæ rege, Eccleſiæ pacem dedit, & Nicolao Pontifici Maximo reconciliatus, relicto nomine Papæ, cardinalatûs honorem retinuit, in quo paulò pòſt non ſine boni viri opinione deceſſit, felix princeps & nimiùm felix, ſi ſenium ſuum eccleſiaſticis titulis non fœdâſſet. *Ita ille, qui antè & Baſileenſe concilium & Felicis electionem tantopere prædicaverat.*

** forte adiit*

De pace agi cœptum ante mortem Eugenii; at illa concluſa biennio pòſt,

55 *Porrò ad propoſitum noſtrum minùs ſpectat, operosè inquirere, quibus gradibus ad concordiam ſit perventum. Satis ſit dixiſſe, de concordia jam actum fuiſſe ante mortem Eugenii IV, qui anno* 1447, *die* XXIII *Februarii, piè defunctus eſt. Romæ tunc degente Æneа Silvio, Frederici imperatoris legato, qui mortem Eugenii & electionem Nicolai V fusè narrat in Oratione ad Fredericum eodem anno habita, quam edidit Baluzius tom.* 7 *Miſcellaneorum pag.* 525 *& ſeqq.; conditiones*

AUCTORE J. S.

verò pacis fuisse compositas interveniente Carolo VII Galliarum rege cum aliis principibus. Addunt scriptores, Lugduni habitum fuisse conventum ad componendas pacis conditiones, certumque videtur, fundamenta pacis ibi jacta esse, licèt nullus de illo conventu prolixam & enucleatam dederit relationem. Ludovicum *nostrum in illo conventu fuisse præcipuum ex parte Felicis eique adhærentium, constat ex Monstreleto illius temporis scriptore, quem allegant varii. Verba ipsius videri possunt apud Coloniam in Historia Litteraria Lugdunensi tom. 2 pag. 388. Felix iis conditionibus nomen Papæ abdicavit, ut Cardinalis esset & legatus Apostolicus in Sabaudia, sive in tota ditione, ubi fuerat pro Pontifice habitus.* Ludovicus *noster, qui ob schisma omnibus dignitatibus erat privatus, in omnia jura præcedentia fuit restitutus. Ita etiam alii omnes, qui schismati adhæserant, in pristina jura sunt restituti.*

Amedæus demum papatum deponit, & Basileenses cœtum suum dissolvunt.

56 *Non tamen Felici concessum est, ut illi, quos ipse Cardinales dixerat, eam dignitatem omnes haberent. Docet hoc Raynaldus ad annum 1449 num. 7 his verbis :* Quod spectat ad Amedæi pseudocardinales, non venisse cum ipsis ad pactionem ullam Nicolaum, refert Stephanus Infissura; sed voluisse, ut pontificio arbitrio se permitterent. *Hoc satis colligitur ex iis, quæ Æneas Silvius cap. 38 de Europæ statu in hunc modum scribit :* Johannes Segobiensis, homo Hispanus, moribus & doctrinâ illustris, qui cum summos theologiæ præceptores doctrinâ æquaret, ab Amedæo, dum se Papam dixit, cardinalatûs eminentiam acceperat: & deinde unioni consentiens, à Nicolao Pont. Max., cardinalatûs dimisso titulo, Cæsarienſi ecclesiæ præfectus fuerat, in altissimis reconditus montibus parvo monasteriolo contentus, Alchoranum *vertit & refutavit. Aliquos tamen ex iis, quos Felix Cardinales creaverat, purpurâ ornavit Nicolaus, ut observat Raynaldus; at non omnes. Vi conditionum admissarum aliquos fuisse relictos in ea dignitate innuit S. Antoninus part. 3 tit. 22 cap. 12. Convenit etiam inter Nicolaum Papam & Felicem, ut omnes censuræ aliique processus occasione schismatis facti revocarentur, quemadmodum utrimque factum est, & quidem à Felice eo cum apparatu, acsi fuisset Pontifex. Demum die* VII *Aprilis anni* 1449 *Felix abdicavit pontificatum in cœtu Basileensium.*

C *Basileenses voluerunt similiter cum honore gesta sua concludere. Itaque habuerunt alteram sessionem Lausanæ ad abrogandas censuras aliosque processus contra Eugenium aliosque factos, & ad confirmandum alia quædam. In tertia sessione elegerunt Nicolaum V Papam, acsi Sedes vacâsset; in quarta Amedæum creant Cardinalem episcopum Sabinensem. Hæc Basileensium, qui ea omnia Lausanæ fecerunt, decreta non fuissent necessaria; sed utilia haud dubiè visa sunt ad schisma penitus exstinguendum.*

Vera concilii Basileensis censura.

57 *Edmundus Martene in præfatione ad tom.* 8 *Amplissimæ suæ Collectionis longè uberiorem dedit relationem de concilio Basileensi, quam pag.* 46 *concludit his verbis :* Et sic finis fuit schismatis, simulque concilii Basileensis, quod per annos circitèr novem & decem (*imò octodecim*) pauca bona, infinita peperit mala, partium studio & defectu debitæ summo Patri reverentiæ. Suos habuit propugnatores, qui pro ejus defensione scripserunt, Æneam Silvium, Dominici Capranici secretarium, & postea episcopum Senensem, Cardinalem, ac tandem Papam Pium II, qui vivente adhuc Eugenio errorem agnovit, & veniam petiit: & Antonium (*imò Nicolaum*) Panormitanum, à Felice purpurâ donatum, qui & ipse purpuram abjecit, "& graviter Panormi ægro-„ tans, querebatur sæpè de nepotibus suis, quo-„ rum consilio & impulsu in Basileensi concilio „ se abripi cum schismaticis passus est,„ uti refert Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom. 1, pag. 165. *Obiit Nicolaus Panormitanus archiepiscopus anno* 1445, *id est, ante Eugenium IV, & ante schisma finitum. Opusculum igitur, quod scripsit pro defensione gestorum Basileensium, compositum est tempore schismatis, non postea, ut aliqui credidisse videntur.*

D

§ VI. Judicia varia variorum de gestis B. Ludovici cum Basileensibus : refutantur illi, qui negant, ipsum pœnituisse gestorum in concilio.

E *S. Antoninus Basileenses acri stylo perstringit:*

S *Anctus Antoninus, præsul Florentinus, doctrinâ theologicâ & mira vitæ sanctitate præstantissimus, qui floruit concilii Basileensis temporibus, & omnia per otium considerare potuit, gesta omnia Basileensium part. 3 tit. 22, cap. 10 atris pingit coloribus. Nam § 4 observat primò, multos fuisse Cardinales Basileæ, quando concilium ab Eugenio* auctoritate Apostolica dissolutum est, & legatus revocatus ab ea præsidentia. Illi tamen, *inquit*, obturaverunt aures suas, non audientes vocem Domini, sed, congregatione illa facta conciliabulo nullas vires habente, nisi ut synagoga sathanæ, authoritate suæ temerariæ præsumptionis cœperunt Eugenium ad adeundum concilium citare, solicitati ad hoc à duce Mediolani, ægrè pontificatum ejus ferente, quòd non sibi favebat. *Et post pauca, quæ brevitatis causâ omitto, ita pergit :* Qui igitur in Basilea congregati erant, . . . suam temeritatem prosequentes, deposito Eugenio à papatu, erexerunt sibi in idolum prædictum ducem Sabaudiæ Amedæum dictum, quem apostaticum factum Felicem nuncupaverunt. Qui inthronizatus, non in Sede Petri, sed Luciferi, qui sedem suam posuit ad Aquilonem. *Addit quædam contra præcipuos schismatis auctores, & maximè contra legatos regis Aragoniæ, Eugenio tum infensi. Deinde subdit :* Et per hunc modum Basilea peperit basiliscum . . . . Permansit autem hoc schisma usque ad tempora Nicolai quinti *&c. De fine schismatis & subjectione Amedæi idem breviter agit cap. 12. Verùm data verba sufficiunt ad mentem S. Antonini de Basileensium gestis intelligendam.* Ludovicum *nostrum, post cujus obitum scripsit, non magis accusat, quàm reliquos, neque ipsum excusat, sed generali censuræ involvit.*

F

Monodus putat Ludovicum nostrum ex zelo errâsse,

59 *Huic porrò censuræ S. Antonini omnes ferè scriptores, qui de hisce postea egerunt, meritò subscribunt. Nolim tamen multos accumulare, quandoquidem præ reliquis omnibus gesta sua contra Eugenium damnâsse videatur ipse* Ludovicus, *ut contra scriptores quosdam recentissimos inferiùs probabo. Petrus Monod in Amedæo Pacifico omnes intendit ingenii vires, ut Amedæum, graviter à S. Antonino perstrictum, criminis maculâ eripiat. De ipsius verò promotoribus pag.* 170 *non audet tam favorabile ferre judicium. De nostro autem* Ludovico *pag.* 175 *nominatim agere incipit*

A *pit hoc modo :* Princeps (*promotorum Amedæi*) occurrit Ludovicus Alemanius, tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinalis, Arelatenſis vulgò nuncupatus, quem tantò libentius probris eripio, quanto religioſius eſt conſecratos & Divis adſcriptos pia oratione tueri. Tametſi enim in iis, quæ adverſus Eugenium geſſit, errâſſe illum nunc in comperto ſit, zeli tamen quàm offenſionis plùs in ejus actionibus fuiſſe, auſim affirmare. *Deinde pag.* 177 : Quid illum Eugenio commiſerit, non invenio, niſi quòd Vir eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus ferre non poterat, Eugenii indulgentiâ in ſuos ſolvi eas leges, in quibus condendis Conſtantienſis ſynodus tam impensè incubuiſſet. *Conjectura eſt incerta, cùm non oſtendatur, quas leges Conſtantienſis ſynodi Eugenius ſolvi permitteret. Altera ratio, quæ additur, petitur à multorum lingua maledica, quâ lacerabatur fama Eugenii, acſi illis nimiùm credidiſſet* Ludovicus. *At ne hæc quidem mihi placet, quia Eugenii mores abundè perſpectos habere poterat* Ludovicus, *qui ſatis diu Romæ cum ipſo fuerat. Deinde multa in laudem Beati accumulat poſtmodum danda.*

Spondani conjecturæ, & Attichii multas

60 *Spondanus ad annum* 1438 *num.* XI *de* B. Ludovico Alamando *ſcribit ſequentia :* Vir quidem ille Arelatenſis legationibus Apoſtolicis aliiſque rebus præclarè geſtis inſignis, magnaque pietate, doctrinâ & religione, ac vitæ auſteritate conſpicuus (ut plurimorum auctorum elogia, quæ in unum collegerunt auctores Amedæi Pacifici, & Additamentorum in Vitas Pontificum Ciaconii) ſed quem ſive ſimultas aliqua (à pluribus aſſerta, licèt non adeo probata) ſeu zelus non ſecundum ſcientiam, & nimia credendi calumniatoribus facilitas, ab Eugenio retraxerat, & in defenſione concilii Baſileenſis, quod legitimum credebat, obfirmaverat, præcipuum ſanè illius columen poſt abſceſſum ceterorum omnium Cardinalium, aliorumque præcipuorum antiſtitum... Sed ſchiſmatis hinc exorti culpam pœnitentiâ ipſum diluiſſe, intelligi datur ex ſancto ejus fine &c. *Hiſce omnino conſentit Attichius jam antè laudatus, qui in hanc ſententiam varia ex variis collegit. Primò ait :* Ludovicus Cardinalis Arelatenſis (*inter Baſileenſes erat*) velut ſplendidiſſimus quidam ſapientiæ ſol inter minora ſydera, ſed tamen pro infirmitatis humanæ ratione eclipſim paſſus. *Deinde, expoſitis aliquot geſtis* Ludovici *in cœtu Baſileenſium, ita pergit :* Quæ verò ei contra Eugenium tanta livoris cauſa fuerit, & unde graves illæ, quas cum eodem Pontifice geſſit, inimicitiæ profluxerint, ambiguum eſt. Certè Cardinalis de Turrecremata illum vocat Eugenii ſummi Pontificis inimicum, quia ab eo, inquit, juxta inſatiabilem ambitionem ſuam non valuerat impetrare, ut avunculo ſuo ſuccederet in officio camerarii Apoſtolici. Auberius aliam etiam cauſam huic non abſimilem ex Alano Carterio adducit, quòd, cùm à Martino Papa S. R. E. camerarius conſtitutus eſſet, ab hoc ipſo officio amotus eſt per Eugenium. Sed ego cum Saxio, Victorello & Spondano probabiliùs cenſeo, non odio aut ſimultate aliqua ſtimulatum eſſe Ludovicum noſtrum, aut in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis fuiſſe adverſus Eugenium, ut arbitrati ſunt multi; ſed fortaſſe nimia credulitate calumniatoribus ejuſdem Pontificis datâ deceptum, & pravo aliquo zelo ductum propugnandi acta concilii Baſileenſis, cujus ipſe præſes & coryphæus fuerat, quodque ipſe legitimum credebat, ægerrimèque * ferre conſueverimus ea reſcindi, quæ à nobis conſtituta fuere, aut æqua ſemel viſa ſunt, cùm unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet : vel quòd Vir eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus æquo animo tolerare non poterat, ſolvi aut relaxari, ut ſibi videbatur, ab Eugenio, errore fortaſſe facti, qui in Romanum Pontificem cadere poteſt, eas leges, in quibus condendis ſynodus Conſtantienſis tantopere deſudâſſet.

C

* *l.* cùm ægerrimè

AUCTORE J. S.

61 Traxit ergo eum, ut opinor, potiùs inordinatus juſtitiæ amor, quàm vindictæ cupiditas, cùm referat ſuprà memoratus Æneas Sylvius, gravis & oculatus teſtis (quamvis & ipſe tunc eodem tuendi Baſileenſis conventiculi ſtudio ac morbo excæcatus) tantâ fuiſſe in ſemel ſuſceptis pro religionis cauſa, ut putabat, propoſitis perſeverantiâ Ludovicum Cardinalem, ut, ſæviente quamvis apud Baſileam peſtilentia, nullis amicorum precibus aut conſiliis, domeſticorumve ſuorum funeribus, ob oculos continuò poſitis, flecti potuerit, quò ab ea diſcederet, vel rus ad aliquot dies aut menſes peteret, malueritque potiùs cum propriæ vitæ periculo ſervare integritatem concilii, quod ſciebat ſe diſcedente ſolutum iri, quàm cum ipſius concilii & Eccleſiæ, ut exiſtimabat, diſpendio vitæ ac ſaluti corporis ſui conſulere. At non in hoc ſolùm multiplex ejus virtus enituit; E ſed in multis quoque aliis, quæ, niſi quòd in mala cauſa fuerunt acta, digna omnino videntur admiratione, quæque ad poſteritatis memoriam & imitationem fideli calamo tranſmittantur; quamquam mala apud Deum fortaſſe cauſa illi non fuit, qui bona fide concilio, aliàs tunc illegitimo, adhæſit. *Tum laudat conclave, quod revera optimè fuit ordinatum, ſubditque :* Ut autem ad Ludovicum noſtrum... redeamus. Erravit tamen, idque periculoſiſſimè ac pernicioſiſſimè, cùm poſt decretum Eugenii Papæ de tranſlatione concilii, Cardinalibus & pleriſque aliis, & eccleſiarum præſulibus Baſileâ diſcedentibus, ipſe penè ſolus remanſit, cujus proinde potiſſimùm authoritate conſtitit tota illa hominum colluvies, quæ aliàs ſponte dilapſa & diſſipata fuiſſet. Quamobrem debitas non immeritò pœnas luit, cùm ab Eugenio ſacro fulmine ictus, omnique beneficio ac dignitate eccleſiaſtica, tanquam factionis Baſileenſis præcipuus author ac primipilus, eſt ſpoliatus. Sed... cùm Felix ultrò apoſtolicam dignitatem... depoſuit Ludovici noſtri conſilio, qui ei pontificiam tiaram priùs Ripalliam uſque detulerat,... à Nicolao Papa V in gratiam receptus, ac priſtinæ dignitati reſtitutus eſt, ut nullæ ſchiſmatis reliquiæ aut veſtigia ſupereſſent. *Hactenus Attichius, ex quo brevitatis cauſa non pauca omiſi.*

accumulantis : omnes illi eum erràſſe ac pœnitaiſſe agnoſcunt.

F

62 *Si quis modò ex me quæſiverit cauſam, quæ* Ludovicum *in tantas contra Eugenium contentiones, ac tandem in fœdum ſchiſma impulit, dicam candidè me cauſam non ſatis noviſſe. Omnia enim, aut pleraque certè, quæ hactenus allata ſunt, ex meris conjecturis videntur prolata. Si tamen meas quoque conjecturas ex modo procedendi, quo uſus eſt* Ludovicus, *& ſimul ex aſſertis auctorum ſynchronorum adjungere liceat, dicam ſpecie boni deceptum & zelo nimio abreptum videri* Ludovicum. *Non quidem prorſus negaverim, parùm de Eugenio contentum fuiſſe, cùm id aſſeratur ab aliquot auctoribus illius temporis. At illis ſcriptoribus non conceſſerim, ultionis libidine ad arma contra Eugenium proſiluiſſe* Ludovicum, *cùm Viri intentionem illi perſpicere non potuerint, ac ipſius ſanctitas a tali cogitatione abſtinere nos cogat. Contentum de Eugenio non fuiſſe* Ludovicum, *utcumque oſtendit clandeſtina hujus fuga, quâ, vetante fruſtra Eugenio, ad concilium ſe proripuit. Petiit qui-*

Fortè Ludovicus tantùm venit ad concilium, ut vocanti obediret,

AUCTORE J. S.

quidem sæpè ab Eugenio facultatem adeundi concilium, sed eà semper negata est, ut dictum num. 28. Repulsa hæc sæpiùs iterata vel sola efficere poterat, ut minùs bene erga Eugenium afficeretur, imò & minùs benè de ipso sentiret, præsertim cùm in ea videatur fuisse opinione, ut crederet, concilio vocanti potiùs parendum esse, quàm Eugenio retinenti. Nam & fuga ipsa, & omnia deinde gesta in concilio, omnino evincere videntur, persuasum fuisse Ludovico, *potestatem generalis concilii majorem esse potestate summi Pontificis, ac Pontificem debere concilio parere, non concilium Pontifici. Talem potuerat opinionem paulatim imbibere in concilio Pisano & magis in Constantiensi, quibus juvenis interfuerat. Nam ibi concilii auctoritas supra dubios Pontifices fuerat confirmata: & fortasse non satis advertit, quantùm interfit inter Pontifices dubios unicumque & indubitatum Christi Vicarium.*

& concilii auctoritatem defenderet: quod faciens ultra limites progressus est:

63 *Cùm igitur maximam haberet existimationem de auctoritate concilii generalis, & de obedientia ipsi præstanda; minorem verò de auctoritate summi Pontificis, quam exigunt claves Petro datæ, & mandatum Christi, quo eidem oves suas pascendas commisit; non potuit non ægerrimè ferre, facultatem adeundi concilium sibi ab Eugenio negari, idque fugâ ipsâ ostendit. Non alia autem intentione fugam arripuisse videtur ad concilium, quàm ut concilio pareret, & auctoritatem conciliorum defenderet, si pergeret Eugenius concilium Basileense velle dissolvere. Hinc nihil postea frequentiùs in ore habuit, quàm sanguinem etiam fundendum pro auctoritate concilii generalis. Itaque opinionem suam, quam ex disputatis in conciliis Pisano & Constantiensi altè menti impresserat, nimio fervore propugnare voluit, imò usque ad Pontificis depositionem & alterius electionem, usque ad schisma, inquam, summa contentione & pertinaciâ defendit. Defectus certè hic fuit non levis, nec magna carens temeritate, ut satis viderunt illi, qui scientiâ ceteris præstabant in concilio, quales erant Panormitanus, Ludovicus Romanus, aliique apud Æneam Silvium lib. 1 de Gestis Basileensium fol. x & xi memorati. At* Ludovicus *noster, qui scientiâ theologicâ minùs imbutus fuisse videtur, quàm lectione multorum librorum, ut facilè colligi potest ex iis, quæ variis vicibus disputavit, adeo in sua opinione se obfirmaverat, ut nec rationes contrà disputantium satis intelligere potuerit, nec adverterit, cœtum illum Basileensium, quando ipse præsidebat, non posse ampliùs haberi pro concilio generali; ac demum omnium principum legatos offendere non timuerit urgendo depositionem Eugenii. Tantæ Viro, nimiùm pro sua opinione fervido, ortæ erant tenebræ.*

C

at errorem agnovit, & pœnitentiâ malè gesta correxit.

64 *Verùm infelix exitus tantorum moliminum oculos aperire potuit Viri aliàs minimè mali. Vidit demum fœdum schisma conflatum esse in Ecclesia, & Pontificem suum, quem fortè æquè, ac Martinum V post concilium Constantiense, cito ab omnibus agnoscendum speraverat, à toto ferè mundo improbari. Vidit non paucos ex iis, qui inter præcipuos fuerant in concilio, non Felici suo, sed summo Pontifici subjectos, ac Felicis purpuram ab aliquibus etiam abjectam. Hinc videre potuit, gesta sua improbari; potuit serio & tranquillo examine facta sua excutere, & eorum temeritatem tandem agnoscere & deflere. Neque dubitandum, est, quin id fecerit, ut ostendam contra aliquos id negantes. Quare de pœnitentia* B. Ludovici *ita scribit laudatus Attichius:* Nec facile est explicare, quantos præteritæ culpæ pœnitens, pro Ecclesiæ dignitate & tranquillitate curanda, ac fopiendo schismate, labores adierit. Quin imò, tamquam alter Petrus, Ecclesiæ pro Christo princeps, recordatus eorum, quæ ab ipso adversus Dominum, & adversus Christum ejus Eugenium Basileæ, quamvis fortè ignoranter, commissa fuerant, recogitansque annos suos in amaritudine animæ suæ, flevit amarè, ac pœnitentiæ lacrymis bonisque operibus, delictum suum diluere & expiare satagens, relictâ Romanâ curiâ, in qua primas olim tenuerat, mundique pompis ac negotiis nuntium remittens, in diœcesim suam Arelatensem se recepit, boni pastoris munia deinceps illic obiturus. Enimvero jejuniis, orationibus, pauperumque largitionibus vacans, quibus ipsemet frequens in nosocomiis ministrabat *&c. Haclenus Attichius, cui diploma beatificationis consonat, quatenus commendat* jejunia, orationes, vigilias *Beati. De susceptis verò laboribus ad schisma penitus exstinguendum Saxius loquitur hoc modo:* Nec facile est explicare, quos pro concilianda Ecclesiæ pace, & abrogando schismate labores tulerit. *Dionysius Sammarthanus tom. 1 Galliæ Christianæ col. 584 de* Ludovici *pœnitentia ita disserit:* Sed schismatis hinc exorti culpam pœnitentiâ ipsum diluisse, intelligi datur ex sancto ejus fine *&c. Hoc solum argumentum sufficeret, etiamsi alia omnia deessent. Mitto scriptores alios, qui de pœnitentia* B. Ludovici *consentiunt, ut examinemus argumenta illorum, qui mallent, defunctum fuisse in ea opinione, quam sequebatur tempore concilii Basileensis.*

D

E

Contra negantes schisma Basileense, & pœnitentiam B. Ludovici,

65 *Bailletus, Natalis Alexander, aliique negant pœnitentiam* B. Ludovici, *contenduntque, in ea defunctum opinione, quam secutus fuerat concilii Basileensis tempore. Non difficulter percipimus, quid scriptores illi præ oculis habeant, dum sustinere nituntur opinionem illam æquè mirabilem ac improbabilem. Vellent inter Beatos invenire aliquem, qui Romanæ Ecclesiæ decretis constanter se opposuit, nec mentem umquam, ne in morte quidem, mutavit, acsi rebellibus Ecclesiæ filiis nihil ampliùs timendum foret, postquam Beatum aliquem futilibus aliquot ratiunculis exhibere conati fuerint sibi in rebellione similem. Verùm tam ineptæ & frivolæ sunt rationes, quibus Basileenses labe schismatis eximere, & quibus pœnitentiam* Ludovici Alamandi *negare contendit Alexander, ut mirer, similia scribi potuisse ab homine aliàs erudito. Etenim fatetur, nec justam fuisse depositionem Eugenii, nec canonicam electionem Felicis, vel sic tamen tom. 8 dissert. 8 art. 7 affirmat, schismaticos propriè dictos non fuisse Basileenses. Quàm autem futilibus utatur argumentis, mox videbimus, ubi breviter ostendero, schismaticos revera fuisse Basileenses.*

F

ostenditur, Basileenses revera fuisse schismaticos,

66 *Primò S. Antoninus, doctrinâ theologicâ & sanctitate præstans, cujus verba dedi num. 58, non dubitavit, quin fuerint schismatici Basileenses, quorum congregationem vocat* conciliabulum, *& Felicem* idolum, *dicens, illum* non in Sede Petri, sed Luciferi *sedisse. Secundò Eugenius IV, quem indubitatum Pontificem agnoscit Alexander, in sessione publica concilii Florentini, quod Alexander œcumenicum fatetur, dedit constitutionem* Moyses, *in qua sic habet de Basileensibus:* Decernimus etiam & declaramus, omnes & singulos prædictos fuisse & esse schismaticos & hæreticos. *Non erant illa inania fulmina: sed est declaratio summi Pontificis in concilio œcumenico. Tertiò verba S. Thomæ, quæ allegat ipse Alexander, luculenter ostendunt, schismaticos fuisse Basileenses.*

Ete-

A *Etenim S. Thomas secundâ secundæ quæst.* 39 *art* 1 *ita habet:* Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum ad invicem seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput.... Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. *Certum autem & manifestum est, Basileenses renuisse subesse Eugenio IV, quem ut certum & indubitatum Pontificem venerata est tota Ecclesia, ut & ipsi talem agnoverunt Eugenium ante depositionem. Æquè certum est, Basileenses recusâsse communicare membris Eugenio subjectis, cùm excommunicaverint concilium Florentinum aliosque Eugenio adhærentes. Mitto alia argumenta, quia schisma Basileensium clarius est, quàm ut pluribus probari debeat.*

nec bona fide satis excusari posse,

67 *Quæ verò respondentur ab Alexandro, tam infirma sunt, ut pro omnibus ferè schismaticis similia afferri possent. Primò recurrit ad bonam fidem, quâ ipsos excusat, quòd crederent se jus habere contra Eugenium, & hunc revera culpabilem. Verùm eodem argumento, siquis voluerit malignari, excusabit omnes schismaticos & hæreticos: nullus enim illorum fuit, qui pro opinione sua non allegaret aliquid rationis aut argumenti verisimilis. Verùm, ut abstineam ob odiosis comparationibus, an S. Paulus non dicit Act.* 26: Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Jerosolymis *&c. An igitur propter illam suam opinionem, quâ Ecclesiam persequi cœpit, illam persecutionem peccato caruisse, seque bene fecisse, credidit Paulus? At peccatum suum hic multis locis confitetur. Itaque non omnis ignorantia, non qualiscumque opinio de honestate actionis, malè operantem peccato eximit, nec excusabuntur in supremo judicii die rebelles Ecclesiæ filii, etiamsi frivolis aliquot ratiociniis tandem sibi persuaserint, non obligari se ad obediendum decretis summi Pastoris, & Christi in terris Vicarii. Etenim in re tam gravi, qualis est rebellio contra summum Pontificem, non leviter aut temere procedendum est, nec statim doctorum quorumlibet sequendæ opiniones, quas*

B

C *non rarò superbia potius dictavit & pertinacia, quàm vera ratio. Quapropter incredibile prorsus est, Basileenses omnes in tam diuturna rebellione contra indubitatum Pontificem, & contra concilium Florentinum, tam bona semper fide processisse, ut nihil nimia contentione, nihil temeritate, nihil superbo supremi Capitis contemptu, nihil pertinaciâ peccaverint, ut nullum ipsis de justa sic procedendi ratione, nullum de jure suo, nullum de æquitate causæ suæ, nullum de potestate sibi arrogata, nullum de veritate criminum Eugenio afflictorum, nullum de necessitate deponendi Pontificem & alterum eligendi, suborta sit dubitatio. Non facilè profectò crediderim majorem fuisse illorum omnium & singulorum ignorantiam in scindendo Ecclesiam, quàm olim fuit Sauli in persequendo. Fingamus tamen, aliquos inter illos fuisse, qui semper bona fide crediderunt, omnia rectè & legitimè agi, illi materiales, ut loquuntur theologi, saltem fuissent schismatici.*

aut aliis rationibus

68 *Secunda Alexandri ratio est, quia Basileenses objectum schismatis crimen in Eugenium regerebant. Quid, quæso, ineptius dici potest ad illos excusandos? Nam id fecerunt omnes hæretici & schismatici: id hodieque faciunt Janseniani, qui minimè dubitant pelagianismum aut semipelagianismum Catholicis adversariis objicere. Tertia Alexandri ratio est æquè inepta, nimirum quòd Basileensibus ad Ecclesiæ unitatem redeuntibus non sit proposita certa aliqua formula, schismaticis proponi solita, quòdque processus contra ipsos facti fuerint aboliti, honorque omnibus restitutus, imò & Nicolaus ab ipsis electus Pontifex, acsi Sedes vacâsset. Respondeo, illis omnibus solùm probari, misericorditer cum ipsis egisse Nicolaum, ut nulla schismatis semina remanerent. Facilè credidero, non æquè omnibus Basileensibus constitisse de causæ suæ injustitia. Hinc multi non fuissent concordiæ assensi, si duriter & secundum disciplinæ rigorem procedere voluisset Nicolaus. Quapropter misericordiâ in illos usus est, sicut frequenter aliàs fecit Ecclesia, ut schisma penitus aboleretur: idque revera consecutus est. Hinc S. Antoninus, cui mens Nicolai Papæ poterat esse optimè perspecta, tit.* 22 *cap.* 12 *ita scribit de fine schismatis:* Verùm post duos annos (*à suscepto per Nicolaum pontificatu*) vel circa, in se ipsum reversus (*Felix*) & ab aliis exhortatus, per procuratores suos coram ipso Nicolao renuntiavit omni juri, quod haberet seu pretenderet habere in papatu, certis conventionibus adhibitis, videlicet ut Cardinalis remaneret ipse Amedæus, ac legatus in regione illa; & aliqui etiam ex suis Cardinalibus in dignitatibus suis persisterent, qui doctissimi viri erant, & alii prælati in sedibus suis. Quibus omnibus Nicolaus verus Pontifex cum Cardinalibus acquievit pro bono pacis, & amotione schismatis Basileensis: quod cessavit in totum. *Antonino consentit Jannotius Manettus, testis item synchronus, qui asserit, tanta benignitate usum Nicolaum, ut cœtum Basileensium dissolveret & schisma. Nam in Vita Nicolai V, edita apud Muratorium tom.* 3 *Scriptorum Italiæ part.* 2 *col.* 922 *affirmat, id suis virtutibus consecutum Nicolaum, ut* schisma jam dudum inveteratum, prædicto Amedæo illius concilii principe errata sua recognoscente ac confitente, & pœnitente, & sanctitati suæ, ut par erat, adhærente, dissolveret deleretque. Ipsum enim Romanæ ac Catholicæ Ecclesiæ, ubi veteres perfidiæ suæ errores recognovit, Cardinalem sponte creaverat: quod solum, unicum, & certum dissolvendi illius concilii remedium, convenientsque & idoneum ejusmodi dissolutionis antidotum fore suâ sapientiâ existimaverat *&c.*

E

F

ab Alexandro adductis.

69 *Quartò ait Alexander, non probari, Basileenses revera fuisse schismaticos ex eo, quòd* schismatici *sæpè fuerint vocati ante pacem factam. Respondeo, ut schismaticos fuisse condemnatos ab Eugenio IV in synodo œcumenica Ferrariensi & Florentina. Verum, inquit,* schismatis rei fuissent Gallicana ecclesia, rexque Christianissimus, & alii principes, qui cum synodo Basileensi ad extremum usque communicaverunt. *Respondeo, aliquos principes multa egisse, ut pacem componerent inter Basileenses & summum Pontificem; at me investigare nolle, an aliqui non nimis molliter cum Basileensibus egerint. Depositio saltem Eugenii & electio Felicis à principibus improbata est, ideoque certum est, schismati Basileensium assensos non esse principes. Hoc in Carolo VII Francorum rege laudârunt Eugenius IV & Nicolaus V, & magis etiam laudavit Nicolaus (ut quinta habet æquè frivola objectio) labores Caroli VII, quos*

AUCTORE J. S.

tandem diligenter & feliciter impendere cœpit ad ſchiſma penitus tollendum, & pacem Eccleſiæ reſtituendam. Totum, quod hactenus attulit Alexander, & quo tres paginas implevit, reducitur ad bonam fidem Baſileenſium, quæ ſemper diverſis modis aſſeritur, numquam probatur. Quare tranſeo ad ultimum ipſius argumentum: nam id ſolum ferè ſpectat ad propoſitum noſtrum.

Fruſtra objiciuntur miracula & ſanctitas Ludovici,

70 *Sextò itaque ait, ne Baſileenſes dicantur ſchiſmatici*, prohibet Ludovici Alamandi miraculis comprobata ſanctitas. *Miſerum ſanè ratiocinium, cùm conſtet, multos peccâſſe, ac deinde tamen Sanctos evaſiſſe. Inter Sanctos primæ claſſis habemus Paulum, cùm ipſe tamen dicat 1 Timoth. 1 ℣ 15:* Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. *Miraculis autem non claruit* Ludovicus *in concilio, ſed poſtquam omnia, quæ ibi malè ſtructa erant, deſtruxerat. Verùm contendit Alexander*, Ludovicum *numquam pœnituiſſe geſtorum in concilio Baſileenſi, idemque contendit de Felice, qui conſilio* Ludovici *noſtri papatum depoſuit. Ut autem aſſertum tam improbabile ſuſtineat, utitur argumento negativo, dicitque nullum afferri illius pœnitentiæ teſtem. At ego jam adduxi pro pœnitentia Felicis duos teſtes ſynchronos, num. 68 laudatos, videlicet S. Antoninum & Jannotium Manettum, qui ambo diſertis verbis affirmant Felicis ſive Amedei pœnitentiam.* Ludovici *verò pœnitentiam inſinuat ipſum epitaphium, ubi legitur:* Devotè viam eſt univerſæ carnis & Catholicè ingreſſus. *Quid illud* catholicè *ſignificaverit apud Arelatenſes, quando mortuus eſt* B. Ludovicus, *facilè intelligemus, modò advertamus, Arelatenſes tempore ſchiſmatis ſemper adhæſiſſe Romanis Pontificibus, & conſequenter eo tempore abhorruiſſe à Baſileenſibus, & eorum Papa Felice.*

B

cùm hunc geſtorum Baſileenſium pœnituerit.

71 *Quippe* Ludovicus *anno 1440 non modò ſententiâ Pontificiâ exutus eſt archiepiſcopatu Arelatenſi aliiſque dignitatibus: ſed vicarius etiam in eccleſia Arelatenſi à Pontifice ſtatutus eſt; curavitque Renatus Siciliæ rex & Provinciæ comes, ut ſententia Pontificia exſecutioni mandaretur, quemadmodum teſtatur Raynaldus in Annalibus ad annum 1440 num. 3. Hinc, cùm* Ludovicus *eccleſiam ſuam inviſere vellet, peſſimè exceptus eſt ab Arelatenſibus, ſicut habet Vita num. 8. Hinc Arelatenſes in gemino* Ludovici *epitaphio, utroque ſatis prolixo, nullam planè faciunt mentionem de Baſileenſibus* Ludovici *geſtis, illa ipſa ſilentio ſuo non obſcurè damnantes, uti etiam fit in Bulla beatificationis, & in lectionibus Officii. Quapropter Arelatenſes, qui tempore ſchiſmatis averſabantur* Ludovicum, *quique eumdem in exſequiis miro concurſu honorârunt, dum obſervant* catholicè *defunctum eſſe, ſat clarè inſinuant, defunctum non eſſe in iis opinionibus, quas tempore ſchiſmatis defenderat. Hoc etiam ex ipſis Beati factis eluceſcit. Mitto igitur alia ſcriptorum teſtimonia, quibus minimè indigemus, cùm facta ipſa loquantur. Facta autem clarè oſtendunt, longè alia mente fuiſſe* Ludovicum, *quando Felici perſuaſit, ut ſe ſubjiceret, ipſeque ſe ſubjecit Nicolao V, quàm fuerat in æſtu diſputationis contra Eugenium IV.*

C

Ipſa Ludovici & aliorum ſubjectio demonſtrat,

72 *Primò certum eſt, non alia ſenſiſſe Nicolaum V de iis, quæ inter Baſileenſes & Eugenium Papam fuerant diſputata, quam ſenſerat Eugenius ipſe, factaque Eugenii probata fuiſſe Nicolao, Baſileenſium verò molitiones graviſſimis verbis improbatas. Hoc non ſolùm ex conjectura habemus, nec dicimus, quia Nicolaus fuit Eugenii diſcipulus & ſucceſſor; ſed ex ipſis quoque Nicolai litteris, partim ad Carolum Francorum regem, partim ad omnes fideles datis, quas edidit Harduinus tom. 9 Conciliorum. In omnibus optimè loquitur de Eugenio, & in quarta col. 1316 ipſum etiam vocat* ſanctæ memoriæ *prædeceſſorem. In ſecunda verò ad omnes fideles contra Baſileenſes & Felicem ipſorum Papam fortiter ſcribit, & col. 1313 ſic loquitur:* Quàm ſit plena periculis & horrenda ſchiſmaticorum immanitas,... animarum illorum perditio docet, qui... viam univerſæ carnis ingreſſi, in tetrum barathrum dilabuntur. Contra quos licèt per felicis recordationis Eugenium Papam IV prædeceſſorem noſtrum, ſacraſque & œcumenicas Ferrarienſem, Florentinam & Lateranenſem ſynodos plurimi proceſſus tam generales quàm ſpeciales habiti fuerint, diverſas pœnas & ſententias continentes, quas in ſuo robore volumus permanere, & habere præſentibus pro expreſſis &c. *Tum omnibus decretis Eugenii, quæ allegatis verbis confirmata ſunt, novam pœnam adjungit contra Felicem ejuſque fautores, nec dubitat verbis* notorii ſciſmatici, hæretici, excommunicati &c. *Amedæum compellare. Ex his liquet, non minùs fortem contra ſchiſmaticos fuiſſe Nicolaum, quàm fuerat Eugenius, quem in hac Epiſtola etiam ſuperat. Liquet præterea, à Nicolao confirmatam eſſe conſtitutionem* Moyſes, *quâ damnantur propoſitiones Baſileenſium, quas ut fidei veritates ipſi decreverant, & pro fundamento ſtatuerant ad condemnandum Eugenium. Itaque Baſileenſes, qui Eugenium, fictitias illas fidei veritates non admittentem, pro hæretico habuerant, aut ſententiam mutare debebant, aut non poterant Nicolaum habere pro Catholico.*

D

E

non perſtitiſſe ipſos in erroribus ſuis,

73 *Nunc ſtudioſus lector attendat, & conſideret, an Baſileenſes potuerint Nicolao Pontifici ſe ſubjicere, aut eumdem Pontificem eligere, niſi abjicerent fatuas illas fidei veritates, quæ totius rebellionis contra Pontificem fuerant fundamentum. Si in eadem erant ſententia, in qua antè fuerant, ſi Eugenium credebant hæreticum, Nicolaum ſimiliter hæreticum exiſtimabant, quia eadem ſentiebat. Si Felicem credebant legitimum Pontificem, Nicolaum habere debebant pro ſchiſmatico. Quo igitur modo ſine graviſſimo crimine poterant perſuadere Felici, ut jure in pontificatum cederet in favorem Nicolai, hominis, (ut credidiſſe finguntur) hæretici & ſchiſmatici? Licebatne forſan pro bono pacis Felici ſuadere, ut hæretico & ſchiſmatico pontificatum traderet? Deinde quomodo Baſileenſes ceſſionem Felicis laudare poterant? Quomodo Nicolaum poterant ipſi Pontificem eligere, ſi ſuis fidei veritatibus inhærentes, hæreticum credebant & ſchiſmaticum? Quapropter æquè omni fundamento ac veriſimilitudine deſtituta eſt opinio Natalis Alexandri, & aliorum quorumdam, contendentium errores ſuos à Baſileenſibus non fuiſſe agnitos, & non ideo correctos, quia tandem viderunt ſe malè egiſſe. Graviſſimam enim prævaricationem adjeciſſent opinioni ſuæ ſchiſmaticæ, ſi priſtinæ inſiſtentes opinioni, ſecundum quam hæreticus erat Nicolaus, vel ſic tamen ipſum elegiſſent. Quippe non ſolùm tenebantur ſubeſſe ſummo Pontifici Nicolao, ſed etiam corrigere errores intellectus ſui Eccleſiæ unitati contrarios, & ingenium ſuum ſubjicere in obſequium fidei. Non ſolùm, inquam, obedire debebant Nicolao, ſed etiam credere, ſe rectè facere ipſi obediendo ut ſummo Pontifici: nemo enim rectè operatur, niſi operetur ſecundum conſcientiam ſuam.*

F

74 *Ita-*

A

secundum quos non poterant Nicolao obedire.

74 *Itaque, cùm Basileenses contraria omnia fecerint gestis in concilio contra Eugenium, omniaque contra hunc gesta pro non gestis haberi voluerint; cúmque Nicolao, Eugenii vestigiis fideliter insistenti, debitam obedientiam curaverint restituendam; nequaquam dubitandum est, quin viderint, se malè egisse, ideoque malè gesta correxerint, quia intellexerunt mala esse. Sic minimè dubitamus de pœnitentia furis, ubi novimus, ingentem pecuniæ summam, quam furto abstulerat, domino suo restitutam. Nihilo magis dubitamus, quin calumniator viderit, malè se egisse, si perspiciamus, ipsum strenuè laborâsse ad famam alienam, maledictis suis læsam, quantum fieri poterat, reparandam. Nam, quotiescumque errores suos quis corrigit, creditur id facere, quia vidit se errâsse. Ita Basileenses, qui coram universo orbe errores suos correxerunt, & malè facta emendârunt, credendi sunt id feciſse, quia viderunt se errâsse & malè feciſse. Ità Certè sentiendum de Felice, de* Ludovico *nostro, & de majore illorum parte. Nolim tamen negare, aliquos fortasse inter illos fuisse, qui nec opinionem*

B

nec mentem mutaverant, quique in concordiam & dissolutionem cœtus sui non consensissent, si rem potuissent impedire. De illis, siqui fuerint, sanè non disputo: de illis unicè ago, quorum operâ concordia fuit inita, & obedientia summo Pontifici restituta.

Quod conjicit Alexander, non pœnituisse Ludovicum,

75 *Alexander tamen contendit,* consultiùs *asseri* & veriùs, Ludovicum Cardinalem Arelatensem *gestorum* in synodo Basileensi .. non pœnituisse, quia nihil se egisse pœnitendum persuasus erat. *Vellem sanè, ut satis probabiliter possem existimare, sine omni culpa in concilio fuisse* B. Ludovicum. *Imò & lubens agnosco, videri ex ignorantia processisse omnia illa, quæ in concilio pœnitenda commisit. Verùm iterùm dico, non omni ignorantia excusari malè agentem. Quare malim Deo committere judicium de ignorantia Beati nostri; nec ausim judicare, quo usque illa excusare potuerit actiones temerarias & schismaticas. Illud pro certo habeo, illam ignorantiam* B. Ludovico *prosuisse, ad veniam à divina misericordia faciliùs impetrandam. Verùm omni judicio carere mihi videtur dictum Alexandri,* non pœnituisse, quia nihil se egisse pœnitendum persuasus erat. *Etenim, etiamsi perrexisset credere,*

C

ut fortasse in actionis fervore crediderat, omnia justè acta esse contra Eugenium, videbat saltem omnia illa in fumos abiisse. Videbat, nihil ferè boni in concilio factum. Videbat, innumera mala ex schismate, quod agendo contra Eugenium induxerant, orta esse, & damnum animarum non leve. Itaque, nisi cor habuisset saxo durius, non poterat non deplorare tantam animarum jacturam. Audiamus porrò, unde ille credat, persuasum fuisse Ludovico, *se nihil egisse pœnitendum.*

prorsus improbabile est, & fundamento destitutum:

76 *Affert pro improbabili illa opinione decretum Lausanense, quo Basileenses Nicolaum elegerunt Pontificem, quia in illo decreto ne verbo quidem insinuant, se malè processisse; sed potiùs gesta sua laudant Basileenses, ut videri potest apud Raynaldum ad annum* 1449 *num.* 5. *Respondeo, non tantam fuisse Basileensium omnium humilitatem, ut exemplo S. Augustini publicam erratorum & malè gestorum suorum confessionem facere voluerint, quemadmodum alii multi nôrunt & dolent se peccâsse, qui tamen nollent scripto publico peccata sua mundo manifesta facere. Quapropter minùs attendendum est ad verba illius decreti, quàm ad subjectionem ipsam, & secutam pau-*

lò post cœtus Lausanensis dissolutionem. Non enim poterant se Nicolao subjicere, si credidissent hæreticum; non poterant non credere hæreticum, si suas fidei veritates, quæ omnium malè gestorum erant fundamentum, defendere pergerent ut tales. Quare, cùm Nicolao se subjecerint, sive cum ipsum elegerint Pontificem, quod facere non poterant, nisi mutata opinione, viderunt ruinosum esse fundamentum suum: viderunt Eugenium perperam abjectum, perperamque electum Amedæum. Viderunt, multas à se turbas in Ecclesia excitatas, de quibus non poterant non dolere subjectionis auctores. Pœnitentiam igitur, quam verbis dissimulârunt, facto prodiderunt. Sic dissimulârunt, pontificatum Nicolai V pro legitimo à se haberi ante electionem suam, dum ipsum quasi elegerunt. At, ablata sibi libertate alterius eligendi satis ostenderunt, non fuisse illam electionem strictè dictam, quæ non sit sine libertate; sed potiùs agnitionem Pontificis antea electi.

quia decretum subjectionis Basileensium id minimè evincit.

77 *Si quis modò quæsiverit, quare tantopere pœnitentiam dissimulaverint Basileenses, quando ad obedientiam Nicolai Pontificis accesserunt; responsio erit facilis, nimirum ut verecundiæ suæ & honori parcerent, quantum fieri poterat. Hoc ut ipsis facere liceret, permisit Nicolaus V, cùm ut pernicioſum schisma tolleret, tum ut nullæ schismatis reliquiæ permanerent. Etenim credibile quidem est, nonnullos Basileensium, ubi semel errores suos agnoverant, animo satis fuisse generoso ad publicam illorum confessionem faciendam. At cùm in multitudine hominum multi semper reperiantur infirmi, cúmque in cœtu illo aliqui verisimiliter pristinis erroribus inhærerent, alii solùm de jure suo dubitarent; sperare non poterat Pontifex, omnes unanimi consensu se subjecturos, si in decretis, quibus ad obedientiam accedere debebant, errores suos apertè agnoscere & publicè confiteri debuissent. Sperandum magis erat, dissoluto semel cœtu, singulos salutis suæ curam habituros, & recogitaturos in amaritudine animæ suæ, quibus procellis & fluctibus universam Ecclesiam exposuissent. Allegatus num.* 68 *Jannotius Manettus insinuat, isto consilio usum fuisse Nicolaum; & verisimile est, eadem ratione permotos fuisse concordiæ auctores, inter quos primus fuit* Ludovicus *noster, ad ita condenda submissionis suæ decreta, nisi fortè & hi voluerint honori suo parcere, quantùm possent. Quidquid* F *sit,* B. Ludovicus *sincerè se Nicolao Pontifici subjecit, multosque dicitur pertuliſse labores ad schisma penitus exstinguendum.*

§ VII. Gesta Beati post concilium usque ad obitum: beata mors, sepultura, epitaphia, miracula.

Asserta Beati legatio in Germaniam inferiorem est incerta:

DE *gestis* B. Ludovici, *post pacem Ecclesiæ restitutam, pauca innotuerunt. Saxius, ubi dixerat,* Ludovicum *dignitati Cardinalitiæ, quâ fuerat privatus ab Eugenio, à Nicolao restitutum, subjungit:* Exinde in inferiorem Germaniam, legationis munere fungens missus est, et in itinere detentus, equis, mulis onerariis, & commeatu privatus. Nec facile est explicare, quos pro concilianda Ecclesiæ pace, & abrogando schismate labores tulerit. Quibus discordiis sopitis

AUCTORE J. S.

tis & extinctis, Arelaten rediit. *Eadem habet Attichius, & lectio secunda Officii de legatione etiam consentit; sed non addit, spoliatum esse in itinere. Attamen dubitare cogor, an illa in inferiorem Germaniam legatio sat habeatur firmata, cùm de illa apud antiquiores nihil inveniam, & in Actis quoque altum de illa legatione sit silentium. Quin potius Acta nostra num. 7 & 8 utcumque contraria sunt. Nam ibi* Ludovicus *in legatione suscepta pro Basileensibus Francofurtum ad Fredericum imperatorem, quem etiam Aquisgranum usque secutus est, rebus suis dicitur spoliatus, quando Moguntiâ Basileam revertebatur. Potuit igitur ex confusione aliqua oriri illa opinio de legatione per Nicolaum V* Ludovico *demandata, illaque pro dubia, ut minimùm, habenda videtur.*

Hic tempore concilii collegit documenta pro immaculata conceptione,

79 *Officium, laudatum in Commentario num. 6, celebrat Beati pietatem in asserenda immaculata beatissimæ Virginis conceptione, ipsique attribuit, quòd Conceptionis festivitas* sexto Idus Decembris *fuerit instituta. Ad hoc propositum Spondanus in Annalibus ad annum* 1435 *num.* 12 *scribit sequentia:* In Actis Navarricis extat mandatum concilii (*Basileensis, quod anno* 1435 *erat legitimum*) decimo Calendas Junii præsentis

B

anni datum Ludovico Cardinali Arelatensi, qui aderat: quo post narratas disputationes, quæ factæ fuissent apud delegatos concilii pro rebus fidei tractandis, de Conceptione beatissimæ Virginis, utrùm ejus anima in instanti suæ infusionis in corpore, præservata fuerit à peccato originali, an non: injunxit, ut diligenter procuraret, per omnes bibliothecas ac singula archiva universitatum, ecclesiarum, monasteriorum, regumque ac principum, perquiri quoscumque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones, conclusiones publicas vel privatas quaslibet in generalibus studiis & alibi de hac materia factas, aut ad eam quomodolibet spectantes; easque extrahi, & ad synodum deferri, ut iis adjuta posset illa quæstionem hanc decidere & definire. Id verò Ludovicum Cardinalem diligenter præstitisse, intelligitur ex declaratione facta post quadriennium in sessione XXXVI.

Quam ab omnibus propugnandam decreverunt Basileenses tempore schismatis.

80 *Rursum ad annum* 1439 *num.* 38 *scribit Spondanus, decretum de immacula Conceptione conditum in Sessione* 36, *observatque* illud boni *saltem ab iis præstitum,* ne semper malè agere dici possent. *Ex ipso Decreto apud Labbeum tom.* 12 *Conciliorum col.* 622 *aliqua huc transfero. Observatur, quæstionem diu disputatam fuisse in utramque partem. Tum subjungitur:* Nos verò, diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac sancta synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis & matura consideratione pensatis, doctrinam illam, differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tamquam piam & consonam cultui ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis, approbandam fore, tenendam & amplectendam, diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias ecclesias sexto Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur, statuimus & ordinamus eamdem celebritatem præfata die in omnibus ecclesiis, monasteriis, & conventibus Christianæ religionis, sub nomine Conceptionis festivis laudibus colendam esse &c. *Hactenus Basileenses, quorum decretum vim nullam habuit, quia erant schismatici, quando illud condiderunt. Putat tamen Spondanus, illo decreto obtinuisse Basileenses, ut pestis, quâ gravissimè affligebantur, cessaret, uti revera tunc cessavit.* Ac nihilominus, *inquit*, tanta etiam fuit vis hujus Basileensis decreti, antiquam ejusmodi doctrinam confirmantis, ut, quod alicubi observatum reperimus, immediatè post tota civitate experimento palpabili remissa sit, quin immò & cessaverit, quæ vehementer, ut vidimus, grassabatur pestis gravissima. *De festivitate verò immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis multa collegit Benedictus XIV, feliciter regnans, in Opere Italico de Festis D. N. Jesu Christi & B. V. Mariæ, quod Latinum fecit Michaël Angelus de Giacomellis, part. 2 num.* 184 *& seqq.*

D

Munificentia Beati in ecclesiam Arelatensem:

81 *Porrò de munificentia Beati, qui* effusa in sacras ædes liberalitate commendatissimus *erat, Saxius hæc memorat:* Suis sumptibus & impensis mediam ecclesiæ matricis partem, & eam, in qua Sancta sanctorum ad Orientem erant, quòd antiquitatem redolerent, solo prostravit, ut diruta amplioribus spatiis nova excellentiorique forma excitarentur. Constructa autem est ecclesia & efformata, peramplis fornicibus erectis, intermediis aliis minoribus, & ædificatis hinc inde novem cubiculis, quæ capellas dicimus: & in abside seu superiori curvatura principis fornicis, sub qua positum est primarium altare, pastophorium, thalamum scilicet cubiculum interius (ut explicat Hieronymus) constituit, in quo arcam argento affabrè elaboratam, quam Gasbertus (*archiepiscopus Arelatensis, anno* 1341) dedicârat, magno cultu & reverentiâ inclusit, cineribus Sanctorum & præcipuè Trophimi nobilem, quotannis pervigilio diei, quæ divo Trophimo sacra est, exhibendam. Spectante enim populo, sacri illi cineres ex suprema ædicula in theatrum, ad altaris gradus excitatum, funibus demittuntur, præbentque in ipso descensu non tam gratum, quàm pium, venerandum, perpetuâque memoriâ celebrandum spectaculum. *Et mox:* Sunt & alia, quæ tanti Viri munificentiam & liberalitatem testentur. Ornavit enim castrum Saloniæ urbis variis ædificiis; & episcopium, quod Arelate est, aulis, diversisque contignationibus illustravit. *Eadem ex Saxio dat Attichius. Ex tot constructis aut ornatis ædificiis utcumque etiam colligitur, Beatum, concordiâ Ecclesiæ restitutâ, non multùm abfuisse à suâ ecclesia, quam antea rarò viderat, degens in aula Romana, aut in legatione Bononiensi, & demum Basileæ & Lausanæ.*

E

F

Pia mors Salonæ, & corporis translatio Arelatem:

82 *Alia Beati gesta Saxius non commemorat, sed generatim solùm dicit:* Quod summum est, angelicam vitam duxit, gratiâque miraculorum excelluit. *De miraculis, opinor, post mortem loquitur, & sic multos habet sibi assentientes, cùm de miraculis in vita nihil uspiam reperiam. Ad obitum itaque Beati mox accedit Saxius, & partem hymni recitat, in quo mentio fit de extrema unctione Beato data, de loco obitûs, & de corpore Arelatem citò translato. Verba subjungo:* Atque omni parte beatus, Salone ad Cravum obiit anno MCDL: Arelatemque translatus est, ut patet ex sacro & solemni in ejus laudem carmine:

Hic laborans in extremis,
Sacramentum Unctionis

Si-

AUCTORE J. S.

A Sibi dari complacuit,
Minorum ac in Ordinis
Conventu castri Salonis
Felix ejus finis fuit.
Citò corpus, ut decuit,
Translatum in Arelatem,
A clero plebeque fuit
Susceptum honorificè.

Salona, *aut* Salon, *ubi hìc æquè ac in Officio Beatus dicitur defunctus, oppidum est Provinciæ inter Aquas Sextias & Arelatem, ut habet Baudrandus in Lexico, qui etiam observat, situm esse juxta Campos lapideos, regiunculam Provinciæ lapidibus obductam, quæ nunc vulgò* la Crau *dicitur. Hac de causa ab aliquibus dicitur* Salona ad Cravum, *à nobis* Salona juxta Campos lapideos. *Paulò pòst observat Saxius, obitum* B. Ludovici *ab auctore Amedæi Pacifici collocari Altæcombæ in Sabaudia ex veteri traditione. At ea opinio, licèt eam non refellat Saxius, omnino apparet improbabilis, quia locus ille nimiùm distat Arelate. Neque enim verisimile est, Beatum, postquam ad ecclesiam suam accesserat, ibique multa exstruere cœperat, longiùs recessisse. Aut certè, ut id credamus,* B *major requiritur auctoritas, quàm afferatur pro ea opinione contra omnium aliorum consensum. Facilè crediderim,* Ludovicum *nostrum aliquando Altæ-combæ apud Cistercienses fuisse; sed malim suspicari, id contigisse, postquam Basileenses Lausanam se receperant, aut quando de pace agebatur; tunc enim minùs ab eo loco aberat, & sæpè à negotiis vacabat.*

exsequiæ maximo concursu honoratæ: epitaphium,

83 *De exsequiis Beati, magno populorum concursu celebratis, ita habet laudatus Saxius:* Celebrandis verò exequiis tota ferè provincia Arelatem advolavit. Numerantur enim viginti tres urbes, quæ per sacerdotes, Religiosos, & plebem processioni seu exequiarum celebritati adfuere. *Eadem habet Officium, & Attichius. Saxius verò subjungit:* Ejus ossa veneranda in dextro altaris cornu recondita fuere, hac sepulchrali epigraphe:

„ Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
„ Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

„ Unde, sicut Deo placuit, anno milleno qua-
„ tuor centeno cum quinquies deno, luce verò
„ sextâ mens. Septemb. decimâ, bonæ memoriæ
„ reverendus in Christo pater & dominus Lu-
C „ dovicus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. S.
„ Cæciliæ presb. Card., Arelatensis vulgariter nun-
„ cupatus, sacræ hujus basilicæ administrator be-
„ ne meritus, & princeps vitæ laudabilis & con-
„ versationis honestæ, ad majus vocatus tribu-
„ nal, devotè viam est universæ carnis & Ca-
„ tholicè ingressus. Orate pro eo, ut ejus anima
„ requiescat in pace. „ *Sobrium sanè est hoc epitaphium, & à turpi adulatione alienum. Quin & auctores, qui non adhæserant schismati Basileensi, nonnihil de anima defuncti videntur timoris indicare per illa verba:* Ad majus vocatus tribunal. *Laudant verò mores honestos & vitam laudabilem, observantque solicitè, defunctum esse* devotè & Catholicè. *At, qui* Ludovicum *tempore schismatis Basileensis malè exceperant, ut in Vita legitur num.* 8, *quique de gestis ipsius in concilio Basileensi altissimum ubique servant silentium, quòd illa improbarent, non observâssent,* catholicè *defunctum esse, nisi scivissent, ipsum gestorum suorum tempore schismatis pœnituisse, ut jam antea observavi. Ex miro illo ad exsequias* Ludovici *concursu similiter colligitur, notam in Provincia fuisse* Ludovici *pœnitentiam. Cùm enim in Provincia abhorruissent à schismate Basileensi, non concurrissent tanta cum alacritate ad exsequias Viri, quem olim pro schismatico habuerant, nisi constitisset de mente mutata.*

alterum epitaphium.

84 *Aliud epitaphium, aut certè præcipuam illius partem edidit Dionysius Sammarthanus tom.* 1 *Galliæ Christianæ inter instrumenta pag.* 103. *Illud ipsum ex Ms. nobis transmisit laudatus antè dominus de Brantes, notans haberi in libro Ms. Capituli metropolitici Arelatensis, signato* B, *ante primum folium. Conscriptum est rudi & vitioso carmine, quale subjungo:*

Marmor (*aliàs* hic lapis) ostendit, ad quid caro mortua tendit:
Nam cinis est factus, mortis jam vulnere tactus.
Millibus ab annis centum quater, & quinquaginta
Exulat * Alamandi Ludovicus à seculo fatus *, * *al.* exultat * *al.* fatus
Hìc tumulatus, saliens in æthera summum,
Doctor egregius, præsulque Magalonensis
Camerarii Papæ vices * longo tempore gerens, * *al.* vice
A Magalona basilicam * ad hanc translatus, * *al.* basilica
Bononiæque datus à Papa dignus legatus
Cæciliæ sanctæ Romæ * titulo decoratus * *al.* Romanæ
Cardinaquelatus pòst apice sublimatus,
Pro cujus anima, precor, effundite preces. E
Spernite mortales fugientia quæque sodales,
Flebilem hunc mundum, Adam petitote secundum,
Quem qui quæsierit, valde beatus erit.

Videt lector, varias lectiones ad marginem notatas esse, quia variè exscriptum fuit, fortè quia character fuit lectu difficilis. Deinde studiosus lector observet, officia & dignitates Beati diligenter in epitaphio fuisse expressas, omissis tamen gestis in concilio Basileensi. Si tanto odio Arelatenses damnabant gesta Basileensia, ut illorum nullam facere voluerint mentionem, Ludovicum *tamen* in æthera summum *translatum sine dubio asserebant; nos dubitare minimè possumus, quin noverint Basileensia gesta ab ipso* Ludovico *damnata fuisse. Si igitur de pœnitentia* Ludovici *nullus apertè loquitur, ne Clemens VII quidem in Bulla beatificationis, ut objicit Natalis Alexander, id factum, quia omnes acta Basileensia malebant silentio damnare, quàm & acta illa & pœnitentiam Beati commemorare.*

Anno 1451 *aut* 1452 *inquiri cœptum est in miracula,*

85 *Laudatus Sammarthanus post datum epitaphium statim subjungit hæc verba:* Anno MCDLI, XIX Januarii, ac sequentibus diebus, inquisitum est in miracula, quæ variis in locis patraverat. Hujus autem inquisitionis Acta in archivis ecclesiæ cathedralis asservantur. *De inquisitione cœpta anno* 1451, *die* XIX *Januarii, facilè credo Sammarthano, quia Beatus in ipsa sepultura miraculis cœpit claresc̃ere; nisi tamen epocha inquisitionis expressa sit modo veteri, quo annus inchoabatur à Paschate, & sic inquisitio inchoata fuerit die* XIX *Januarii anni* 1452, *sive anno uno & quatuor mensibus post Beati obitum. Verùm, sive anno* 1451, *& quatuor mensibus post obitum* Ludovici, *sive anno* 1452, *inchoata fuerit inquisitio; dubito, an Acta illius inquisitionis etiamnum* in archivis ecclesiæ cathedralis *asserventur. Certè nobis perscriptum est anno* 1752, *præter ea, quæ nobis erant transmissa, aliud nihil reperiri potuisse in archivis tam archiepiscopatûs quàm capituli, licèt illustrissimus dominus archiepiscopus Joannes Josephus omnia diligentissimè perquiri jusserit, ut nobis transmitterentur. Itaque, licèt etiam in perlustrandis bibliothecis Romanis Acta illa quæsiverimus, ex miraculis illis nihil habere potuimus præter pauca, quæ leguntur in Actis edendis. Verumtamen, quid scriptores gene-*

AUCTORE J. S.

ratim dicant de miraculis B. Ludovici, *videamus.*

quæ fiebant ad sepulcrum, ut varii scriptores

86 *Primus ex illis, qui innotuerunt, de miraculis* B. Ludovici *testis est Æneas Silvius, in libro de Europæ statu cap.* 38 *ita scribens:* In Arelate ad sepulchrum Ludovici Cardinalis sanctæ Cæciliæ, ejus urbis episcopi, quem Basileæ in consessu Patrum præsidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, & invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus. *Ex hoc alii haurire potuerunt. Horum, quò sim brevior, enumerationem accipe ex Attichio num.* 12, *ubi post verba Æneæ jam data, sic pergit:* In eumdem ferè sensum, imò & verba, Philippus Bergomensis: "Ludovicus (inquit) Arelatensis, „ vir doctissimus atque eloquentissimus, qui Basi„ leensi synodo ex consensu omnium Patrum præ„ fuit his temporibus, cum multa edidisset Opu„ scula (quæ odio, ut existimo schismatis perie„ runt, *ait Attichius*) & quidem digna, non si„ ne magna sanctitatis opinione decessit: & ob „ eam rem ad ejus sepulcrum magna miraculo„ rum opinio orta est, & infirmorum magnus con„ cursus.„ *Dubito sanè, an vera sit assertio Bergomensis de scriptis* Ludovici *nostri, cùm nihil de*

B *scriptis ipsius apud alios reperiam. Saxius tamen æquè ac Attichius suspicatur, ea odio schismatis periisse. Si revera perierint, crediderim, ipsum* Ludovicum *ea abolevisse, quantùm potuit. Pergit Attichius:* Vernerus illorum temporum æqualis, sed veneno, ut reor, infectus schismatis, cui auctoritatem ex Cardinalis nostri sanctitate frustra concillare nititur: "Ludovicus, ait, Alamandi e„ piscopus Arelatensis, vir sanctæ vitæ & miræ pa„ tientiæ, singularisque columna concilii Basileen„ sis, cui diu præsedit, multis coruscat miraculis.„ *Ad hæc observandum, Wernerum Rolewink, professione Carthusianum, nequaquam fuisse schismaticum; dubitâsse tamen, utrùm jure an injuriâ Basileense concilium egerit contra Eugenium. Nam, relato schismate, subdit:* Causa fuit satis nova, nec ante hæc tempora visa, quia concilium Basileense deposuit Eugenium, unicum & indubitatum Papam *&c. Hæc autem verba potiùs sunt improbantis molimina Basileensium, quàm approbantis. Plura videri apud ipsum possunt ad annum* 1434 *fol.* 88 *à tergo.*

testantur cum Bulla beatificationis.

87 *Redeo ad Attichium, qui ita prosequitur:* Quæ (*verba Werneri*) totidem ferè verbis repetit Philippus de Lignamine. Paradinus quoque illum scientiâ incomparabilem, & miraculis editis celeberrimum vocat. Lambertus Vanderburchius & Joannes Chenu in Historia præsulum Galliæ, admirandæ sanctitatis ac eruditionis fuisse scribunt, & miraculis fulsisse testantur. Quemadmodum & Georgius Garnefelt, Cartusiæ Coloniensis alumnus, Ludovicum, inquit, Cardinalem Alamannum, vulgò Arelatensem apellatum, post mortem miraculis claruisse invenio in libro benefactorum nostrorum minorum. *Addit demum Andream Saussayum, qui lapsum in cœtu Basileensium* Ludovicum, *& erroris pœnitentem agnoscit. Præcedentes verò scriptores etiam recensent Saxius, & auctor Amedæi Pacifici, excepto Garnefeldio, pro quo additur Nostradamus in Historia Provinciæ, cujus verba Monodus pag.* 179 *ita recitat:* Ludovicus Alemandus Cardinalis, Arelatensis archipræsul, vir sanctæ vitæ & patientiæ inauditæ, singularis columna concilii Basileensis celeberrimi, cui diu præsedit, multorum & grandium miraculorum famâ illustris. *Hisce de miraculis & virtutibus Beati consona est bulla Clementis Papæ VII, quâ Beatis adscribitur.*

88 *Ceterùm Bailletus mirè in hisce non modò* D *triumphat, sed etiam insultat Catholicis, qui stant pro auctoritate concilii Ferrariensis & Florentini, acsi ea consistere non posset cum beatitate* Ludovici. *Verùm necesse non existimo refutare hominem, quem ad singulos ferè passus cespitantem invenio. Tot errores manifestos & exaggerationes ineptas in Vita* B. Ludovici *commisit Bailletus, ut multitudo me deterruerit, quominùs ubique errantem corrigerem. Ad triumphos verò ipsius abundè respondi, quando ostendi, omnia gesta* Ludovici *contra Eugenium ab illo ipso destructa esse, cùm omnia haberi voluerit pro non factis; cumque curaverit, ut tota Ecclesia se subjiceret Nicolao, qui Eugenio se similem exhibebat in agendo contra Basileenses, & Eugenium etiam superavit in Epistola ad omnes fideles apud Harduinum tom.* 9 *col.* 1314. *Præteritorum igitur pœnitens erat* Ludovicus, *aut prævaricator. Pœnitentes autem multos reperi Beatis adscriptos, prævaricatores nullos. Quare nullas habent spes consequendi æternam salutem rebelles Ecclesiæ filii, qui usque ad finem in pertinacia sua persistere volunt; si solùm tales habent, quales ex* B. Ludovici *beatitate ineptis ratiociniis sibi confingere nituntur. Audiant vocem supremi* E *Pastoris, cui Christus oves suas pascendas commisit, ut ovibus Christi revera annumerari mereantur. Unico passu humilis obedientiæ magis accedent ad beatam æternitatem, quàm mille ratiociniis, quibus vel invitæ & reclamanti conscientiæ silentium imponere frustra laborant.*

Explodantur ineptiæ Bailleti.

VITA

Auctore anonymo,

Ex Ms. Rubeæ Vallis.

PROLOGUS.

Ratio scribendi.

GLoria & honor omnipotentis Dei est, virtuosam electorum ejus conversationem scriptis recitando auribus fidelium commendare, quatenus omnes, ad quos lucerna gestorum ipsorum, F super candelabrum agnitionis constituta, luminis sui radios emiserit, ad sublimia virtutum studeant exercitia conscendere. Scripturus igitur aggredior narrationem per modum tragediæ ad profectum omnium fidelium, qui lecturi sunt; ubi evidenter apparebit, quàm potenter, quámque prudenter beatissimus & patientissimus vir Ludovicus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, omnia tela nequissimi hostis scuto patientiæ devicit; insuper & quæ diabolus per se non valuit, * ** adde* sed per nequissimos homines perpetravit; sicuti patebit de multis opprobriis & convitiis, quas * Vir ** quæ* iste sanctissimus libenter sustinuit, & cum sancto prothomartyre Stephano pro persequentibus se exoravit *a*.

a

ANNOTATIO.

a Titulus Prologo præpositus hic erat: Prologus in Vitam beati Ludoici Alemanni, Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis, qui floruit anno Domini millesimo quadringentesimo quadra-

ge-

A gesimo. *Porrò studiosus lector satis advertet, auctorem hujus Vitæ non fuisse contrarium concilio Basileensi, neque etiam Eugenio Papæ. Itaque videtur fuisse ex illis, qui de controversiis inter Eugenium & Basileenses agitatis judicare nolebant; quales multi erant etiam post pacem Ecclesiæ restitutam.*

CAPUT I.

Beati natales, dignitates, gesta varia, obitus & sepultura.

Beati patria, dignitatesque usque ad concilium Basileense: a

B Beatus Ludoicus Cardinalis ex nobili prosapia in finibus Franciæ ac Sabaudiæ *a* extitit oriundus; & à pueritiæ suæ tempore virtutibus ac moribus optimis fuit imbutus; quique litterarum studiis mancipatus, in tantum profecit, ut magister & decretorum doctor factus magnificus, ecclesiæ Arelatensis archiepiscopi primùm, nec non Ecclesiæ Romanæ presbyter Cardinalis tituli sanctæ Ceciliæ exinde dignè ordinaretur & sublimaretur.

Basileensium est præses, floret virtutibus, b

3 Hic post decessum domini Juliani *b* Cardinalis sancti Angeli cum pluribus aliis prælatis, ad consolationem sacrosanctæ synodi Basileensis, universalem Ecclesiam repræsentantis, ob magnitudinem animi, & constantiam fidei, fuit destinatus ad præsidendum ibidem, sicut usque ad finem ejusdem sacri concilii fidelissimus Athleta Christi & Ecclesiæ in multis periculis, & laboribus, & tentationibus perseveravit septemdecim *c* annis. Ipse enim quasi pater erat omnibus inhabitantibus Basileam, integer corpore, gratus aspectu & affatu, caritate diffusus, in exercitatione sancta die ac nocte assiduus, in patientia singularis, sobrius & justus, affatus & visus mulierum fugitans. Parcus erat in somno, quippe qui tribus ferè horis per noctem quiescebat, adeo ut hi, qui illi parebant, & cum eo divinas laudes decantabant, quas etiam reverenter & distinctè legebat, in his & aliis officiis fatigati, ejus promptitudinem admirarentur.

C *misericordiâ, liberalitate, mansuetudine,*

4 Ipse neminem, quantùm fieri poterat, sine consolatione relinquebat, & sæpè lachrymabatur ob inopiam afflictorum, non parcendo sibi, ut aliis prodesset consilio & auxilio. Ipse quàm plurimis eleemosynas publicè & privatim faciebat, doctoribus & viris religiosis larga manu subveniebat: qui aliàs ob privationem bonorum & beneficiorum suorum propter decreta & mandata Eugenii Papæ & principum, ex timore aut consilio recessissent. Hos omnes alebat & consolabatur, testificans majoribus & minoribus, quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cælorum. Erat etiam magnificus valde in gratia hospitalitatis, ut nemo eo tempore similis illi. Disciplinam inter domesticos conservabat. Ad maledicta aut convitia, à quàm pluribus etiam & à subditis illata, non remordentia verba, sed grata & decentia benignè ac sine clamore respondebat, aut ad ædificationem astantium tacebat, immo obsequiis ac beneficiis mitigabat. Ex hoc nonnunquam quidam & in concilio dicebant: Domine, cur sustinetis injurias à talibus indignis illatas? Quibus respondebat, sursum oculis erectis, hoc modo: Domine Jesu Christe, zelus domus tuæ comedit me, & ob hoc volo libenter sustinere propter te.

A. ANONYMO. *zelo Græcos uniendi Ecclesiæ, d*

5 Ipse etiam pro reductione Bohemorum *d*, & Græcorum sincerè & ferventer totis viribus laborabat, & pro reductione Græcorum præcipuè de substantia sua plura liberaliter tribuebat, immò pretiosissima clenodia & vestes ac dalmaticas pontificatus sui, insuper libros codicesque præclaros cum vasis argenteis impignoravit, pecuniam recepit, ac horum causà expendit, & pro tantis beneficiis convitia multa & damna pertulit, quia ficta & indurata eorum mens permansit, nam duplici corde *e* in sacro Basileensi concilio comparuerunt & recesserunt. *e*

patientiâ injuriarum, f

6 In abbatia sua Francfordiæ coram domino imperatore Frederico, atque imperii electoribus, & aliis principibus justitiam & veritatem sacrosanctæ synodi manifestavit *f* ac prædicavit. Ibidem etiam publicis injuriis æmulorum obtrectatione plexus non respondit. Unde quidam prælatus contumeliam ejus ferre non valens, nec tollerare, sed patientiam illius increpans, opprobrianti ait, falsè dicta prompsisse. Quem beatus Ludovicus repellens, ait: Nunquid non ego tollerare debeo verbales injurias, cùm Jesum, cujus res agitur, nedum verba, sed verbera dira conflixerint. Eidem etiam, de Maguntia redeunti versus Basileam, insidiæ graves, ac cæteris ambasiatoribus *g* factæ sunt: duo enim comites cum armatis satellitibus quadringentis ipsos insecuti, quadraginta & ampliùs prælatos & clericos in quadam silva citra Argentinam captivaverunt & spoliaverunt ac in turribus recluserunt, ac decem diebus humiliaverunt, ubi & prophetia denuo Joannis in Apocalypsi impleta est, dicentis: Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, & habebitis tribulationem diebus decem: esto fidelis usque ad mortem. E *g*

quas mira lenitate tolerabat, ut variis

7 Tandem omnibus rebus spoliati, Deo favente, fuerunt dimissi, præsertim quia inter eos non erat, qui quærebatur. Dominum enim Ludoicum Arelatensem arbitrabantur se cum cæteris comprehendisse, qui pro decem millibus computabatur, sed frustrata fuit eorum sæva malignitas, Deo cuncta disponente, ac Servum suum protegente: nam aliis præcedentibus & captivatis, contigit Dominum Arelatensem paululùm & parumper tardare in oppido, ubi mansit. Tamen omnia ejus clenodia & utensilia cum aliis, quos spoliaverunt, prout in comitiva invenerunt, cuncta tulerunt. Cives verò oppidi non permiserunt eum egredi, donec recessissent, atque consules & cives Argentinenses veniissent cum lancearii multis, à quibus in salvo conductu eorum cum his, qui secum fuerant, non sine ingenti furore & audacia prædictis hostibus insequentibus, & sæpe vim inferentibus, demum cum magno timore in civitatem Argentinensem salvus introductus est. Deinde omnibus rebus spoliatus, Basileam regressus, æquanimiter in patientia pia propter spem futurorum portabat, gratias agens Deo, qui non deserit sperantes in se. Cùm autem Ecclesia Dei congregata in Basilea voluisset gladio spirituali punire omnes persecutores illos, & sententiâ excommunicationis ligare, ac omnibus Christi fidelibus denunciare, ipse pius & misericors remisit offensam *h* & injuriam cum omni benignitate: insuper suppliciter rogavit pro eis, ne sententia formidabili ab Ecclesia tam ipsi quàm sequaces eorum ligarentur, propter pœnitentiam, quam sperabat ab eis futuram. Et sic Patres sacri concilii multa prece superati, cessaverunt à persecutione, Deo injuriam committentes. F *h*

A. ANONYMO. *exemplis ostenditur. Beati obitus & sepultura.*

8 Præterea à domino Eugenio Papa ecclesiâ suâ privatus, rege quoque Franciæ bona sua arrestante *i* & minas inferente, ut plena ejus patientia ostenderetur, in humilitate suam causam Deo plurimùm commendavit. A civibus etiam & incolis episcopatus sui, quos pio amore per aliquot dies visitare venerat, inhonestè receptus fuit, quibusdam eum subsannantibus, quibusdam posteriora sua contra eum nudantibus. Ipse manibus complosis dixit: Misereatur vestri omnipotens Deus, fratres & filii mei, & cedens furori eorum, inde recessit. Qui tamen postea de hoc & de aliis malis valde pœnitentiam egerunt. Tandem post multos *k* agones patientiæque coronas XVI die mensis Septembris in Sallone in conventu fratrum Minorum beato fine quievit in Domino, & in crastinum fuit portatus in ecclesia sua cathedrali, & à parte altaris magni tumulatus, deinde exequiæ honorabiliter factæ fuerunt, prout decuit.

i

k

ANNOTATA.

a *De Natalibus & patria Beati actum est in* B *Commentario* § 3. *Locus natalis tunc erat sub duce Sabaudiæ, nunc verò est sub rege Galliæ.*

b *Julianus Cæsarinus, S. Angeli Cardinalis, præses erat concilii Basileensis; sed anno* 1438, *cùm Eugenius IV concilium transtulisset Ferrariam, cum aliis legatis Pontificiis, Cardinalibusque & episcopis, discessit Basileâ, & Ferrariam profectus est. Mansit tunc* Ludovicus Alamandus, *invito Eugenio, & electus est præses Basileensium. Vide dicta in Commentario num.* 30 *& seqq.*

c *Duravit cœtus Basileensis ultra annos septemdecim; sed* Ludovicus *non fuit tanto tempore illius præses.*

d *Per Bohemos intelliguntur Hussitæ hæretici, qui tunc in Bohemia prævalebant. Ad convertendos autem Hussitas, & ad Græcos Ecclesiæ uniendos, erat congregatum concilium. At Basileenses parùm profecerunt apud Hussitas; Græcos verò ad Ecclesiam reduxit Eugenius in concilio Florentino.*

e *Immeritò Græcos accusat auctor, quia illi maluerunt esse in concilio, in quo præsens erat visibile Caput Ecclesiæ, quàm in cœtu contentioso, qui contra Caput suum insurgebat.*

f *De gestis* Ludovici *coram Frederico actum est* C *num.* 53. *Hic auctor omnia, quæ laudata ab aliquo intellexit, laudare non dubitavit.*

g *Vox barbara aut Gallica* Ambasiator *legatum significat. Quæ hîc referuntur facta, redeunte* Ludovico *cum sociis Basileam, Saxius retulit post pacem Ecclesiæ redditam. At magis crediderim huic auctori, tamquam antiquiori.*

h *Satis nôsse poterat* Ludovicus, *duabus functus legationibus, fulmina Basileensia non multum terroris allatura. Vel sic tamen laudanda est Viri patientia.*

i *Anno* 1440 *ecclesia Arelatensi privatus est* Ludovicus, *ut dictum in Commentario num.* 71. *Habebat etiam aliqua beneficia in ditione regis Galliarum. Hæc non tam citò subtracta* Ludovico *crediderim, tandem tamen & hæc subtracta, quando Carolus VII omnino voluit Basileenses ad concordiam impellere. Vox* arrestare *Gallica est, & significat* detinere.

k *Auctor jam variis vicibus ostendit, se nimis addictum concilio Basileensi. Hunc verò affectum hîc quàm maximè prodit, cùm transeat unico saltu ad mortem Beati, nulla facta mentione conciliationis* Ludovici *& Basileensium cum Nicolao V. Excusari tamen utcumque potest, cùm similiter* D *tacuerit de gestis contra Eugenium, & de Felice ne meminerit quidem. Ceterum de loco mortis, & exsequiis* Ludovici, *plura allata sunt in Commentario num.* 82 *&* 83.

CAPUT II.

Miracula Beati post mortem.

Beneficia

IN die dictæ sepulturæ presbyter quidam Arelatensis exequiis interfuit: qui cùm longo tempore antè febricitaret, rettulit in verbo veritatis, quòd de post non febricitavit.

a

Post paucos dies homines sancti Amantii *a*, qui locus est de temporalitate * dictæ Ecclesiæ Arelatensis, volentes celebrare exequias dicti Patris, nec ceram in promptu habentes ad hoc necessariam, mutuo receperunt cereos, & illos ponderari fecerunt, ut redderent, & solverent, quod E consumptum fuisset: qui dictos cereos ardere fecerunt in principio exequiarum usque ad finem per spacium duarum horarum cum dimidia. Completo officio, cerei denuo ponderati, reperti sunt tantum ponderare, & aliqui plus, quàm fecerant ante illuminationem.

* *i. e.* de dominio temporali

b

Cùm hospes diversorii Mutonis *b* Arelatensis intrâsset quandam cameram suæ domûs, repperit lectum incensum, nec potuit extinguere, sed recommendavit domum suam Deo, & beatæ Virgini, ac dicto domino Cardinali flexis genibus & devotè: & in continenti dictum incendium cessavit, & ultrà non processit, licèt esset ventus validus & boreas fortis. Ea propter promisit tenere unam lampadem ardentem ante tumulum ejus per annum integrum.

& miracula

10 Quædam matrona de Arelate paralytica, incedens cum appodiamentis *, & audiens miraculum ceræ, factum in loco sancti Amantii, vovit se Deo & dicto domino Cardinali: & quadam die ad ecclesiam se transtulit, ibidemque juxta ejus tumulum Missam celebrari fecit ad Dei & dicti Cardinalis laudem. Quâ finitâ, supra tumulum devotè se prostravit; deinde post modicum F spatium surrexit sana: relictisque sustentaculis, incolumis domum abiit, gratias agens Deo & servis suis.

* *i. e.* fulcris

Alius, decem septimanis in membris contractus & impotens per omnia, adductus est ad tumulum, votoque facto, sanatus surrexit, ac per se recessit. Simile quoque contigit alteri.

Quandam infirmitatem mulier quædam per plures annos passa, ita ut interdum visu privaretur, nocte somniavit sic, quòd, si se Deo & domino Cardinali recommendaret, levaretur; sed somnium illud nihili pendens, utpote quæ nulla audierat de seipso miracula facta, per octo dies distulit. Postea recordata somnii, promittens caput cereum, se domino Cardinali recommendavit. Quo facto, statim recepit sanitatem.

patrocinio

11 Puer biennis, febribus laborans, pulsum amisit, clausit *c* & colorem mortis induit, adeo *c* ut ab hominibus mortuus putaretur. Mater verò ejus flens, illum ad ecclesiam portari fecit, & supra tumulum Viri Dei posuit. Quo facto, multitudine populi præsente ac vidente, subitò cœpit sudare, deinde pulsum & colorem vitæ recipe-

A pere, eodemque contextu fuit ſanitati reſtitutus.

Cùm puella quædam, nondum trima, per ſeptem dies in tantum fluxum ventris pateretur, ut de ejuſdem vita diffideretur; voverunt illam parentes ejus Deo & Servo ſuo, promittentes ei imaginem ceream, ſi eorum filia ſanitati reſtitueretur: quæ ilico cœpit melius habere, & paulò pòſt reſtituta eſt priſtinæ ſanitati.

Puella quædam alia, duodecim annis ſurda, adducta ad ſepulchrum Viri Dei, auditum recepit.

Alius quidam à gutta liberatus eſt.

Furioſi tres compotes mentis redduntur.

De peſte quoque ac epidimia aliqui liberantur.

Puella quoque, decem annis muta, loquelam recepit.

Erat quidam Arelate adeo contractus & impotens, quòd non poterat incedere ſine ſuſtentaculis, nec manibus quidquam poſſet ori porrigere. Hic recommendavit ſe, ſimiliter & parentes ejus, Deo & Servo ejus: & per eoſdem portatus ſuper tumulum, aliquantulùm jacuit, ſed facto modici temporis intervallo ſanus ſurrexit.

B 12 Faber quidam ejuſdem civitatis per novem
B. Ludovici ſeptimanas jacuit lecto impotens, & infirmus corpore, & contractus ſic, quòd non potuit pati, ut in aliqua parte ſui corporis tangeretur: & ob hoc cordam alligatam ſuper lectum habebat, mediante qua de uno latere ad aliud cum magno labore ſeſe volvebat. Tandem ſe Deo & ejus Servo recommendans, ſupra tumulum Viri Dei ſe portare fecit, ibique per aliquod intervallum temporis jacuit, & tandem ſurrexit incolumis, multitudine populi vidente atque gratias agente.

Filia cujuſdam graviſſimè infirma, habens apoſtema ſub axilla, & ab omnibus deſperata, per matrem Deo & Viro Dei commendata, ac ad tumulum delata, pauliſper pauſans, tandem, multis videntibus, convaluit.

Quidam febres peſtilentiales & apoſtema habuit, de cujus vita deſperabatur: qui tribus diebus ac noctibus nec dormivit nec comedit. Tandem nocte tertia pater ejus, ſolus jacens in camera proſtratus in terram, filium ſuum Deo & domino Cardinali vovit, promittens pro eo unum dare cereum, ſi recuperaret ſanitatem: & facto voto, exivit cameram, & repperit filium juxta

C ignem jacentem, qui jam inceperat dormire. Et
* *i. e.* cœpit ſciſcitatus horam, quâ dormire initiavit *, cognovit, quoniam eâdem horâ, quâ votum fecerat. Et poſt hujuſmodi dormitionem febres reliquerunt, dictumque apoſtema crepuit, ita quòd infra duos dies omnimodis ſanatus fuit.

13 Alius ſex ſeptimanis uno brachio ſic con-
variis perſonis tractus & impotens, quòd minimè moveri potuiſſet, acceſſit ad ſuprà dictum tumulum, & ſupra illud ſe depoſuit devotè orando: qui inde ſurrexit ſanus, in præſentia multorum brachium ſuper caput ponens, & circumcirca volvens in ſignum ſanitatis.

Incola quidam Arelatenſis, duodecim diebus in uno latere ac tibiis ſe ſuſtentare nequiens, facto voto, ad tumulum ductus & proſtratus, poſt modicum ſurrexit ſanus.

d Quidam Carpenſis *d*, carens in ſiniſtro oculo viſu, auditis miraculis Viri Dei, Arelaten ſeſe tranſtulit: atque ſupra ſepulchrum ejus flexis genibus per horæ ſpacium oravit, viſumque recepit, præſentibus multis, qui Deo & Servo ſuo gratias egerunt.

Sexagenarius quidam, duobus annis cæcus, emiſſoque voto ad eccleſiam ductus, ibique confeſſus, in altari juxta tumulum Viri Dei Miſſam celebrari fecit, & novenam complevit, infra quam viſum totaliter recuperavit. A. ANONYMO.

Alius Avenionenſis, cùm fuiſſet cæcus per tres annos, inſuper ita contractus & impotens, quòd ſeſe movere non potuit, emiſſo voto de ſepulchro viſitando, & completo, recuperavit visûs priſtinam ſoſpitatem.

14 Septuagenarius quidam Arelatenſis, quatuor *præſtita* annis omnino lumine orbatus, per alterius ducatum ſepulchrum Viri Dei adiit; & peccata confeſſus, ſupra tumbam ejus duobus diebus ſtetit, devotè per intervalla proſtratus: die autem tertia viſum recuperavit, præſente epiſcopo pluribuſque aliis.

Puer quidam Arelate quadriennis, ſupra quandam trabem more puerorum ludens, cecidit ſuper quoddam gradarium *e* lapideum: qui pro mortuo elevatus, & per aviam ac ſororem ſupra ſepulchrum Viri Dei portatus, infra ſpatium unius horæ ſurgens, cum eiſdem ad domum paternam rediit ſanus. *e*

Quidam poſt ludum invitatus ad cœnam, ſenſit ſe poſt cœnam multùm gravatum in ſtomacho, & ilico loquelam amiſit, fuitque per aliquot dies non manducans neque bibens. Qui recolens, quanta Deus per Servum ſuum operatur miracula, ſe eidem recommendavit, pollicendo, quòd, ſi reciperet ſanitatem, nudus, tacens, nec comedens neque bibens, tumulum ejus viſitaret. Quo voto emiſſo, unum morſum ſpongiæ pilis nigris mixtum evomuit, & ſtatim curatus fuit. E

15 Quædam mulier, de civitate exiens in quen- *recenſentur.*
dam ſuum hortum extra mœnia, ducenſque ſecum filiam bimam, & alios duos parvulos, illos dimiſit juxta quendam puteum; cumque mater intenderet circa collectionem herbarum comeſtibilium, parva ejus filia in puteum cecidit. Quod mater ut cognovit, nullum habens ſolacium, dictum puteum adjutorio cujuſdam perticæ intravit, & dictam filiam, ſubmerſam & mortuam, ad ſe traxit; donec ſuperveniret perſonæ, quæ matrem & filiam à puteo abſtraxerunt, eaſque veſtibus exuerunt ac lintheis calidis induerunt. Cùm autem hoc filiæ non proficeret, mater illam Deo & Servo ejus devovit, moxque illa reſpiravit F & convaluit.

Quidam per quotuor annos leproſus, & propterea in nemore ſeparatus habitabat: cui in ſomnis occurrit, quòd ſe voveret Deo & domino Cardinali, de quo tamen nihil audierat. Qui tranſeuntem hominem quodam die alloquens, & unde veniret, interrogans, reſponſum ab eo accepit, quòd de corpore ſacro. Et inquirens, de quo corpore, audivit, quòd de corpore domini Cardinalis, quod erat in eccleſia Arelatenſi humatum. His auditis, memor ſomnii ſui, devotè ſe vovit corpori ſacro, & poſt tres dies cœpit ſanari, ita quòd ſquamæ de facie ac manibus ejus ceciderunt: unde ſanus ad domum ſuam rediit, gratias agens Deo, qui cum Unigenito Filio ſuo & Spiritu ſancto vivit & regnat trinus & unus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

2 *Caſtrum S. Amantii notatur in extrema parte diœceſis Arelatenſis, & non longè à Salona, ubi*

A *bi Beatus obiit, apud Dionyſium Sammarthanum in tabula provinciæ Arelatenſis.*

b *Vox* mutonis *ponitur pro* vervecis, *opinor, à Gallico* mouton.

c Oculos *veriſimiliter addendum, licèt non habeatur in apographo noſtro.*

d Carpum, *vulgo* Carpi, *oppidum eſt in dictione Ducis Mutinenſis. Hujuſne oppidi eſſet incolæ, an alterius cujuſdam loci ſynonymi, edicere nequeo.* D

e Gradarium *eſt ſeries graduum Latinè* ſcalæ *dicta. Hic tamen locus magis innuit lapidum acervum.*

DIES DECIMA SEPTIMA SEPTEMB.

SANCTI, QUI COLUNTUR XV KAL. OCTOBR.

S Anctus Heraclides } martyres
Epiſc. } in Cy-
S. Myro Epiſc. } pro.
S. Ariadne martyr, Prymneſiæ in Phrygia Salutari.
B S. Juſtinus presbyter Martyr, Romæ.
S. Narciſſus } MM. Romæ.
S. Creſcentio }
S. Socrates } MM. in An-
S. Stephanus } glia.
S. Floſcellus puer M., qui colitur Belnæ in ducatu Burgundiæ.
S Agathoclia ancilla M.
S. Valerianus }
S. Macrinus } MM.
S. Gordianus }
S. Theodora matrona, Romæ.
S. Satyrus conf., Mediolani.
S. Rodingus vel Chraudingus,
C fundator & abbas Bellilocenſis, prope Bellum-locum in Campania Galliæ.
S. Lambertus ſeu Landebertus, epiſcopus Trajectenſis & martyr, & ea occaſione BB. Petrus, Andoletus &c., Leodii in Belgio.
S. Columba virgo ſanctimonialis M., Cordubæ in Hiſpania. E
B. Reginaldus eremita, cultus in eccleſia Melinæenſi prope Flexiam in provincia Andegavenſi.
S. Hildegardis virgo, magiſtra ſororum Ord. S. Benedicti in Monte S. Ruperti juxta Bingium in diœceſi Moguntina.
B. Gandolphus conf., presbyter Ord. S. Franciſci, Politii in Sicilia.
B. Petrus Arbueſius, Canonicus regularis Mart., Cæſarauguſtæ in Hiſpania. F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

PHilippus, *ex monacho Eremi Sanctæ Crucis fontis Avellanæ factus epiſcopus Nucerinus in Umbria, apud Ughellum tom. 1 Italiæ ſacræ recuſæ col. 1067 inter epiſcopos Nucerinos memoratur cum titulo* Beati, *diciturque obiiſſe anno 1285, die 21 Januarii; ſed adjungit Ughellus, in antiquo Calendario Fontis Avellanæ diem ejus obitûs notari 17 Septembris his verbis:* XVII Septemb. obiit D. Philippus epiſcopus Nucerinus monachus congregationis. *Vitam* Philippi *in variis Opuſculis ſcripſit Ludovicus Jacobillus, & ubique cum titulo* Beati; *primò in Opuſculo de Sanctis & Beatis Gualdenſibus pag. 99, ubi obitum* Philippi *figit 21 Januarii; rurſum eamdem Vitam cum aliqua diverſitate edidit in Opere de Sanctis Umbriæ tom. 1 pag. 111, ibique eumdem obitûs diem ſtatuit, monet tamen, alios obitum* Philippi *figere 17 Septembris. Verùm dum tertiò de* Philippo *egit in Chronologia Epiſcoporum Nucerinorum, obiiſſe eum dixit die 17 Septembris, ut ibidem videri poteſt pag. 88. Demum tom. 3 de Sanctis Umbriæ pag. 350 iterum agit de* Philippo *epiſcopo, & mortuum dicit anno 1285, die 17 Novembris. Ex omnibus his quid de die mortuali concludere debeam, hactenus ignoro. Indicia cultus publici, quæ profert Jacobillus, non ſunt etiam cer-*

A certa. *Quare examen omnium lubens remitto ad ſupplementum Operis* xxi Januarii

Charalampi *cum Pantaleone & Sociis hodie breviter meminerunt Menæa & Menologium Sirletianum, veriſimiliter quia ſimul in eadem eccleſia Conſtantinopoli fuerunt culti. De* Charalampo *& Sociis actum eſt ad* x Febr.

S. Hoïldis *virginis tranſlationem hac die celebrari Trecis in Campania, ſcribit N. Des Guerrois in Opere de Sanctis, quorum reliquiæ Trecis ſervantur. De* S. Hoïlde *egerunt Majores noſtri ad* xxx Aprilis.

SS. Juſtini & Similini *presbyterorum & confeſſorum memoria hodie à Molano celebratur in additionibus ad Uſuardum, uti & à Sauſſayo in Supplemento Martyrologii Gallicani, à Caniſio in Martyrologio Germanico, & Ferrario. Omnes laudant S. Gregorium Turonenſem, qui de illis agit lib. de Gloria Confeſſorum cap.* 49. *At* Similinus *ibidem in editione Ruinartii vocatur* Miſilinus. *De utroque jam apud nos actum eſt cum aliis Martyrologiis, de* Juſtino *nimirum die* 1 *Maii, de* Miſilino, *aut* Miſſolino *die* 24 *ejuſdem menſis. Adeat igitur*

B *ſtudioſus lector dies* 1 & xxiv Maii.

Odo, *presbyter Ordinis Prædicatorum, Gandavi in Flandria memoratur cum titulo* Beati *apud Jacobum Lafon in Anno Dominicano. At de cultu ipſius nihil novimus, & jam in Prætermiſſis memoratus eſt ad* xix Junii.

S. Pantaleonem *martyrem cum Charalampo & Sociis hodie breviter annuntiari à Græcis, idque veriſimiliter fieri, quia Conſtantinopoli ſimul in eadem eccleſia coluntur, ſuprà monui. De* S. Pantaleone *apud nos actum eſt ad* xxvii Julii.

SS. Piſtis, Elpis & Agape *cum matre* Sophia, *Latinè* Fides, Spes, Charitas, *&* Sapientia, *memorantur hodie in Menæis Græcis, & in Menologio Sirletiano, At de iis actum eſt, ut jam heri dictum, die* 1 Auguſti.

Sidonii, *neſcio cujus, mentio fit ultimo loco in Martyrologio Labbeano, apud nos tom.* 7 *Junii edito. Si fortè indicetur S. Sidonius Appollinaris, actum de eo eſt ad* xxiii Auguſti.

S. Nicolai Tolentinatis *Octava annuntiatur apud Belinum. Actum eſt de Sancto* x Septemb.

S. Mauritii *epiſcopi conf. mentio fit in codice U-*

C *ſuardino Bruxellenſi, & in additionibus Mss. ejuſdem urbis ad Grevenum. Fortè legendum erit* Maurilius, *de quo actum eſt ad* xiii Septembris.

SS. Emiliani (*aliàs* Emilæ) & Hieremiæ *martyrum Cordubenſium meminit hodie Uſuardus, quem alii etiam ſecuti ſunt. Acta data ſunt ad* xv Septembris.

SS. Maximi & Theodoti *martyrum in Græcia memoriam ad hunc diem repetit Galeſinius. De illis unà cum Aſclepiodota, quibuſcum etiam repetuntur in Menæis, egimus* xv Septembris.

S. Merinus *abbas hodie eſt apud Camerarium. Vide dicta in Prætermiſſis ad* xv Septembris.

SS. Luciæ & Geminiani *martyrum ad hunc diem memoria eſt in Menæis & Menologiis Græcorum. At de illis egimus cum Martyrologio Romano ad* xvi Septembris.

S. Euphemiæ *martyris memoria repetitur hodie in Faſtis Hieronymianis apud Florentinium, ubi etiam habetur* xvi Septemb.

BB. Petri & Adoleti, *tamquam martyrum cum S. Lamberto in Catalogo generali meminit Ferrarius. Dantur hodie Acta S. Lamberti, ibique examinabitur, quidquid ad comites ipſius* Petrum & Adoletum *ſpectat.* D

Alpais *pœnitens pluribus commemoratur apud Rayſſium in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii.*

Lambertus *monachus Valcellenſis, ut venerabilis, memoratur apud laudatum Rayſſium.*

Broganus, *ut Sanctus laudatur apud Colganum in Opere de Sanctis Hiberniæ tom.* 1 *pag.* 515, *ubi dicitur ſcripſiſſe Vitam metricam S. Brigidæ, vocaturque* Broganus, cognomento Cloen. *In Annotatis ad hac pag.* 518 *ſubjungit Colganus:* S. Broganus, qui in eccleſia de Rostuirck in Oſſoria colitur xvii Septembris, juxta Marianum, Gormanum, Calendarium Caſſelenſe, & alios: nam illa eccleſia eſt vicina monti Bladhmay & eccleſiæ Cluainmorenſi, ubi ſcholiaſtes hujus hymni ſuprà in præfatione aſſeruit, hymnum compoſitum eſſe. *Hæc ſanè viderentur ſufficere ad cultum* Brogani *aſſerendum; ſi alia non obſtarent, ac dubitationem ingererent. Verùm* Broganum *non invenio in ampliſſimo Sanctorum Hibernorum catalogo, qui impreſſus anno* 1621 *multò etiam plures ut Sanctos continet, quàm revera colantur in Eccleſia. Non occurrit, inquam, in illo Catalogo, niſi fortè idem ſit cum* Brochano *epiſcopo, qui ibidem recenſetur ex Vita S. Patricii per Jocelinum ſcripta, ubi cap.* 50 *apud Colganum* Brochanus *ſine titulo* Sancti *laudatur ut epiſcopus, & filius ſororis S. Patricii. In Annotatis ad locum allegatum Colganus promittit, ſe acturum de* Brocano, *ut ibi ſcribitur nomen, ad* viii Julii & xvii Septembris. *At eo uſque Opus ſuum non produxit. Allegatis tamen verbis utcumque inſinuat, eumdem ſibi videri, qui* viii *Julii & qui* xvii *Septembris memoratur. Quidquid ſit, ad* viii *Julii* Brocanum *in Prætermiſſis tantùm memoravit Sollerius noſter; ſed quæ de illo protulit, diverſa videntur ab iis, quæ de hodierno aſſeruit Colganus. Nihil igitur definio; idemne ſit hodiernus, an diſtinctus, non inquiro. De cultu verò mihi non ſatis conſtare dico, cùm forſan allegata Colgani verba nihil ſignificent, niſi memorari à laudatis martyrologis* Broganum *in eccleſia, ubi defunctus aut ſepultus eſt. Si revera colatur, libenter dubitationem deponemus poſt debitam inſtructionem.* E F

S. Tarraſis, *aut* Taraſii, *confeſſoris hodie memoriam annuntiat Grevenus, ita ſcribens:* Tarraſis confeſſoris, cujus corpus juxta Conſtantinopolim in ſpelunca repertum, titulo appoſito: Hic requieſcit corpus S. Tarraſis confeſſoris, in urbem primùm regiam, deinde Venetias tranſlatum, in monaſterio B. Zachariæ quieſcit. *Hiſce ferè conſonant Molanus in Additionibus ad Uſuardum, Maurolycus in ſuo Martyrologio, Caniſius in Germanico, & Ferrarius in Catalogo Generali. Pluſcula habet Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 8 *cap.* 37, *ubi ſub titulo* de S. Tharraſi confeſſore *ita ſcribit:* Tharraſis confeſſor, Græciâ, ut creditur, oriundus: eo quòd de vita ipſius nihil certum habetur, confeſſione Chriſti & pœnitentiâ clarus apud Conſtantinopolim eremi incola, angelicam vitam duxit, ubi in pace quievit. Corpus autem ejus in ſpelunca repertum eſt (in qua & pœnitentiam egiſſe putatur,) cum titulo in tabula ſcripto: Hic requieſcit corpus ſancti Tharraſis confeſſoris. Quod inde levatum tempore Alexii confeſſoris,

A ris, intra urbis regiæ ambitum honorificè ſepulturæ traditum eſt. Proceſſu verò temporis inde tranſlatum fuit Venetias ab ipſius patriæ civibus : atque in monaſterio S. Zachariæ depoſitum quieſcit. Cujus tranſlatio facta eſt xv Cal. Octobris. Nam de eo, quo tempore floruit, quóve die ad Chriſtum migravit, aliter reperiri non valuit. *Hactenus Venetus ille ſcriptor. Monaſterium autem S. Zachariæ, in quo depoſitum* Tarraſii *corpus teſtantur varii, eſt monialium Ordinis S. Benedicti. Ex dictis incertum eſt, cujus* Tarraſii *ſit iſtud corpus. Verùm ad* xxv *Februarii egimus de* S. Taraſio *patriarcha Conſtantinopolitano, cujus corpus ſepultum eſt extra Conſtantinopolim in monaſterio, quod ipſe exſtruxerat* in ſiniſtra parte Boſphori Thracii, *ut habet Vita num.* 16. *Hunc verò ſepulturæ locum ſi conferamus cum Hiſtoria tranſlationis, ab Andræa Dandulo ſcripta in Chronico Veneto, dubitare non poterimus, quin corpus ſit* S. Taraſii *patriarchæ, licèt id Dandulus ipſe ignorâſſe videatur. Accipe igitur relationem Danduli ex Chronico, ſicut editum eſt tom.* 12 *Scriptorum Italiæ, ubi col.* 236 *hæc leguntur :* Hoc tempore, Imperante Baſilio apud Græcos, corpus Sancti Tharaſii taliter Venetias tranſlatum eſt xvi * Kalendas Octobris. Quidam namque mercatores Veneti ad promontorium quoddam pervenerunt, cui nomen Chilendro, & dum moram ibi contraherent, quidam ſacerdos Mathemaucenſis eccleſiæ cum duobus ſociis Petro & Joanne ad eccleſiam, quam propè ſitam audiverat, orationis causâ profectus eſt ; & cùm illuc appropinquâſſent, monaſterium cernunt, ſed in eo neminem reperiunt. Cúmque ſacerdos eccleſiam intrare vellet, inſpiratus intelligit ſibi dici : Tolle hoc corpus ſanctum, & defer tecum. Cùm autem corpus ubi eſſet ignoraret, utpote qui numquam affuerat, ſuper eccleſiæ pavimentum ſe ſtravit, & lachrymabiliter divinam precabatur Clementiam, ut ſi Divina fuerit commonitio, ſibi pleniùs referetur. Surgit autem poſt orationem, & ei ſuggerebatur, ut tolleret corpus ſanctum. Cœpit ergo per eccleſiam omniquaque reſpicere, & tandem ad altare accedens, videt ſuperiùs Sancti imaginem, cujus ſubſcriptio erat SANCTUS THARASIUS : videtque in pariete pannum affixum. Quo elevato, per feneſtram intra ſpeluncam quamdam aſpexit. Ibi enim ſanctum jacebat corpus ſerico panno velatum, quatuor lampadibus ardentibus ante eum. Caſu autem quodam ſacerdos manu læſus erat, eamque ad collum pendentem tenebat. Ut verò feneſtræ eam appoſuit, continuò ſanitatem recepit. Lætus igitur & animoſior factus, ſecurus manum impoſuit, ut probaret, ſi corpus movere poſſet. Cùm igitur ſiniſtra manu apprehendiſſet, tanta corpus agilitate ſublevatum eſt, ut vivens videretur ipſe conſurgere, & dicere : Tolle me, quia tecum venire præſto ſum. Sublatum igitur corpus ad navem, quæ tribus milliaribus aberat, celeriter portant, cujus dominus & patronus erat vir nobilis & devotus Dominicus Dandulo, qui læto animo corpus ſanctum cum reverentia ſuſcepit ; à quo degradando duo duces, videlicet Henricus Dandulo, & nos Andreas qui loquimur, originem duximus. Non multò autem pòſt corpus ſequuntur monachi cum lachrymis ululantes, atque proclamantes : Reddite nobis Patrem noſtrum, crudeles homines ; hinc exire non poteritis, niſi reddatis eum. Una alia vice quidam exteræ nationis unum ipſius dentem furati ſunt, & donec redderent, nequaquam exire potuerunt. Veneti autem ſe ad reditum parant, eorumque verba contemnunt ; & cùm aliæ naves procellarum violentiâ jactarentur ; illa, in qua erat pretioſus theſaurus, quaſi anſer natare ſuper undas maris videbatur. Cùm reverentia igitur multa deducitur : & devotione incomparabili ab epiſcopo, clero, & populo Venetiarum ſuſcipitur, potiſſimè à monialibus ſancti Zachariæ, ubi tunc ducentarum ancillarum Chriſti collegium manebat, ibique ſacrum corpus depoſitum eſt. Patuit autem incunctanter tam ex loco, quàm ex habitu, quòd heremiticam duxerat vitam, nam poſt tergum cujuſdam feræ pellem quaſi pro pallio habere videbatur. *Hæc laudatus Dandulus, qui ſeculo* XIV *Venetiarum dux fuit, & pro tempore ſuo admodùm eruditus. Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib.* 4 *pag.* 190 *eamdem tranſlationem recitavit ex Chronico Ms. Danduli, quod aſſervatur in bibliotheca regia Pariſienſi. Video tamen, ſubinde verba aliqua eſſe mutata : quod mirandum non eſt, quia Muratorius, qui Chronicon edidit, in præfatione conqueritur de mendis codicum, in quibus illud habetur. Quod præcipuè ad nos ſpectat, apud Cangium ad nomen* Taraſii *additur* patriarchæ, *ſed putem eſſe vocem adjectitiam, cùm Veneti ignoraverint eſſe corpus* S. Taraſii *patriarchæ, ut liquet ex ultimis vocibus:* Patuit autem incunctanter tam ex loco, quàm ex habitu, quòd heremiticam duxerat vitam *&c. Non rectè quidem ratiocinabantur Veneti, quando ex iis indiciis colligebant,* Taraſium *eremitam fuiſſe. At in eum errorem non incidiſſent, ſi noviſſent* S. Taraſium *patriarcham illius monaſterii fuiſſe fundatorem, & in eodem ſepultum. Nam ex eo clarum videtur, corpus* S. Taraſii *patriarchæ tranſlatum eſſe Venetias. Hujus verò tranſlationis adjuncta omnia latiùs examinari poterunt in Supplemento Operis ad diem, quo de* S. Taraſio *patriarcha Conſtantinopolitano actum jam eſt,* xxv Februarii.

Paulus de Trincis, *ſæpè vocatus* Paulutius, *frater Ordinis Minorum, & præcipuus promotor reformationis Obſervantium, non ſolùm in Martyrologiis Franciſcanis ad hunc diem memoratur cum titulo* Beati *apud Arturum à Monaſterio, ſed etiam in variis Opuſculis à Ludovico Jacobillo* Beatus *nominatur, & ab aliis pluribus. Defunctus eſt hoc die* 17 *Septembris* Fulginei, *anno* 1390, *ut vult Jacobillus, qui Vitam* Pauli *ſeparato etiam Opuſculo Italicè edidit anno* 1627. *Exhibet ibidem imaginem venerabilis* Pauli *radiis illuſtratam, ſed nullibi dicit, antiquitus eo modo fuiſſe depictam. Unicum affert antiqui cultûs ſignum pag.* 90 *aſſerens, capellam aliquam vetuſtate collapſam eſſe,* quæ jam erecta fuerat memoriæ B. Pauli. *Verùm non poſſumus indubitatam habere fidem aſſertioni probationibus deſtitutæ, cùm aliunde perſpectam habeamus facilitatem Jacobilli in aſſerendo ex conjecturis aut incertis traditionibus. Quare, priuſquam* Paulum Trincium *Beatis inſeramus in Opere noſtro, certiora requirimus legitimi cultus teſtimonia, libenter ſcri-*

* *apud Cangium* VII

A *ſcripturi de Viro geſtis & virtutibus illuſtri, ubi dubitatio de cultu exempta fuerit.*

Jacobus, *laïcus Ordinis Minorum*, Tiferni in Umbria *annuntiatur hoc die in Martyrologio Franciſcano cum titulo* Beati. *Accedit Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom.* 2 *ad hunc diem, & Angelus Conti in Opuſculo Italico de Sanctis & Beatis Tifernatibus pag.* 83. *Hi duo aſſerunt, corpus, quod ante ſepultum jacebat poſt altare majus, anno* 1620 *fuiſſe tranſlatum ad ſacellum ejuſdem eccleſiæ, ibique in arca inaurata ſupra altare illius ſacelli locatum: atque ibi quotannis viſitari à populo. Agerem haud dubiè de* Jacobo *ut Beato, ſi illa tranſlatio centum annis præceſſiſſet celebrem Urbani VIII Bullam, quia ſic qualemcumque* Jacobi *cultum ſatis probatum haberemus. Verùm, cùm nullum aliud cultûs argumentum afferatur, illaque tranſlatio paucis tantùm annis laudatam Bullam præceſſerit, cultus immemorialis non ſatis certus nobis apparet: eaque de cauſa ſufficiat interim hæc annotâſſe.*

Agnes & Clara, *virgines Ordinis S. Claræ, à variis ſcriptoribus ita celebrantur, ut planè*
B *crediderim, nos de iis acturos inter Beatas. Omnibus verò diligenter expenſis, mediam viam inire ſtatui: neque enim invenio tam certa publici & ſatis antiqui cultus indicia, ut nulla remaneat dubitatio. Itaque ſpectantia ad præclaras iſtas Virgines, quarum geſta minùs cognita ſunt, compendio hîc exhibebo. Ambæ Aſſiſio in Hiſpaniam & Barcinonem dicuntur miſſæ à S. Clara, cujus* Agnes *dicitur fuiſſe conſanguinea, &* Clara *rurſum conſanguinea* Agnetis. *Certius eſt, primum Ordinis S. Claræ monaſterium à dictis Virginibus Barcinone fundatum & inhabitari cœptum anno* 1233, *ut varii auctores affirmant. Prima illius monaſterii præfecta, &, ut certè nunc vocatur, abbatiſſa, fuit* Agnes, *quæ cum fama ſanctitatis obiit anno* 1281, *die* XVII *Septembris, ſecundum epitaphium ejus ſepulcro inſculptum, quod Hiſpanicè exhibet Franciſcus Diago in Hiſtoria comitum Barcinonenſium lib.* 3 *cap.* 8. *At Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1281 *exhibet idem Epitaphium, ſed nonnihil in die & anno obitûs diverſum, illudque dicit, ſuo etiam tempore conſpectum fuiſſe* lapidi marmoreo inſculptum *eo*
C *loco, ubi ante tranſlationem* Agnes *fuerat ſepulta. Verba ſubjungo:* Hîc eſt ſepulta ſancta virgo Agnes, quæ hujus monaſterii per quadraginta & ſeptem annos & ampliùs prima abbatiſſa exiſtens, tantò in morte & pòſt glorioſa coruſcavit miraculis, quantò, dum viveret, ſanctitate vitæ & claritate famæ præfulſit. Obiit autem anno Domini MCCLXXX Kal. Octobr. feria IV. *Apud Diagum verò ultima verba ſic habentur:* Obiit anno Domini MCCLXXXI, XV Kal. Octobr. in feria IV. *Dies* 17 *Septembris erat anno* 1281 *feria quarta, ut colligitur ex littera Dominicali, quæ illo anno erat* E. *Verùm anno* 1280 *tam* 17 *Septembris, quàm* 1 *Octobris, quæ eſt dies in Latino Epitaphio expreſſa, erat feria tertia. Itaque præferendum videtur Epitaphium, prout Hiſpanicè legitur apud Diagum, morſque* Agnetis *figenda anno* 1281, *die* 17 *Septembris.* Clara *verò non diu pòſt obiiſſe dicitur; ſed tempus propiùs non aſſignatur. De prima ſepultura ad annum* 1281 *hæc ſcribit Waddingus:* Utraque ſepulcrum accepit ſub dio in cœmeterio, quod poſtea hortus evaſit, ubi detectæ beneficio magni ſplendoris, ſuper ſepulcra cælitus noctu coruſcantis, tranſlatæ ſunt ad ſacellum S. Joannis, & repoſitæ honorificè in duabus arculis ligneis, byſſo & auro coopertis. *Tum deſcribit ſtatum, in quo utraque inventa eſt. Verùm non potui ullum reperire argumentum idoneum, quo evincam, laudatas Virgines antè ſub dio ſepultas fuiſſe, ac deinde ad ſacellum S. Joannis tranſlatas. Quin & Epitaphium inſinuat, ab initio ſepultas fuiſſe in ſacello S. Joannis, ibique manſiſſe in primo ſepulcro uſque ad annum* 1601, *quando locus ſepulcri mutatus eſt, ut partim eſſet intra chorum, partim in anteriori parte ſacelli, ubi eſt populus. In hac tranſlatione facta ſunt, ut liquet ex Actis à notario ſcriptis, quorum exemplar habeo, quæ ad aliam tranſlationem, veriſimiliter numquam factam, refert Waddingus. Fuit revera in illa tranſlatione, quâ ambarum corpora die* 28 *Februarii ad alium ejuſdem ſacelli locum delata ſunt, aliquid ſolemnitatis, præſente epiſcopo cum ſex abbatibus. Celebratum eſt divinum Officium: dixit ad concionem epiſcopus. Attamen in Actis non*
E *invenio, corpora publicæ venerationi fuiſſe expoſita. Præterea tranſlatio, anno* 1601 *ob privatam devotionem monialium ab epiſcopo facta, non eſt ſatis antiqua ad probandum cultum immemorialem, nec ullum aliud invenio publici cultus indicium. Quæ de cauſa à titulo beatitatis dando cogor abſtinere hactenus, ſicut cautè abſtinuerunt Majores noſtri in Prætermiſſis ad* 28 *Februarii, ubi memoratur jam dicta tranſlatio; & ſolùm moneo, in cœnobio Barcinonenſi, ubi corpora ſervantur, non exſtare Vitam Ms.* Agnetis & Claræ, *ut aliqui crediderunt.*

Senſum, *laïcum Ordinis Minorum, pietate & virtutibus inclytum, hodie producit Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano cum titulo* Beati. *Eumdem titulum venerabili huic Viro attribuit Jacobillus in Opere Italico de Sanctis & Beatis Umbriæ tom.* 2 *pag.* 259, *ubi ipſius Vitam compendio enarrat. At illorum loquendi modus non ſufficit nobis ad agendum*
F *de* Senſo, *tamquam de Beato, cùm ipſi titulo beatorum quoſvis pios facilè donârint, maximè primus, quem alter ſine alio examine ſæpè ſequitur. Waddingus* Senſum *laudat ad annum* 1370 *& ſeqq., ſed à titulo* beati *abſtinet; alii verò nulla eccleſiaſtici cultus indicia proferunt. Itaque de hoc Viro venerabili videri poſſunt allegati auctores, Plures etiam alii ſine probatione cultûs apud Arturum laudati ſunt, de quibus ille conſuli poteſt. Nos tamen etiam agemus de uno ex illis, cujus cultus oſtendi poteſt.*

Caſimiri, *abbatis Olivenſis, Ordinis Ciſtercienſis prope Gedanum in Pruſſia, ut martyris &* Sancti, *memoriam annuntiat Henriquez, quem & Chalemotus & Bucelinus in ſuis Menologiis ſunt ſecuti. At non allegat ea cultus eccleſiaſtici indicia, quibus de eo nobis conſtare poſſit.*

Clara Bugia, *virgo Ordinis S. Claræ Venetiis, laudatur cum titulo* Beatæ *apud Benignum Fremaut in Opere Belgico de Vitis Servorum Dei Ordinis S. Franciſci ad hunc diem, ubi compendioſam dat Vitam. Verùm certa publici cultus indicia non affert: & Waddingus, qui* Claræ *geſta memorat ad annum* 1514 *num.* 12 *& ſeqq.* Beatæ *titulo eam non honorat. Qua-*

A re eam interim prætermittimus, uti & Beatricem Venieri, quam simili titulo honorat Fremanus.

Ervagindi *Conf. meminit codex Bruxellensis in Usuardo Sollerii. At illum, cùm ponatur in* Waslagio, *eumdem credimus cum Chraudingo, aut Rodingo, cujus nomen variè admodùm scriptum & luxatum reperitur, & de quo hodie agemus.*

Martyres *aliquot & forsan etiam confessores tanta cum confusione & luxatione nominum proferuntur hodie in Martyrologiis Hieronymianis, ut nec de numero illorum, nec de loco martyrii aut mortis, certi aliquid statuere valeam. Quare satis mihi erit apographorum verba huc transferre. Textus Florentinii post annuntiatam Chalcedone* S. Euphemiam, *de qua pridie egimus, sic habet:* Saleosi. Suiportio depositio S. Pauli episcopi. Macrobi. Gaudiani. Ysici episcopi & martyris. *Codex Corbeiensis, ibidem in Annotatis laudatus, tantùm differt in ultimo, quem ita annuntiat:* Isici martyris. *Magis differt vetustissimus codex S. Willibrordi, seu Epternacensis, apud Flo-*

B *rentinium* Antverpiensis *dictus, cùm ista contineat:* Saleoti, Stoporci, Paulini episcopi, Macrobi, Gaudiani, Husici. *Hìc omnia videntur esse Sanctorum nomina, omnesque videntur locari Chalcedone cum S. Euphemia, cùm in aliis* Suiportio, *locum potiùs insinuare videatur, quàm nomen Sancti. Tria Martyrologia contractiora, in multis invicem consentire solita, tres ex omnibus sine loco afferunt, eosque iisdem his verbis enuntiant:* Pauli, Isici martyris, Macrobi. *In aliis Martyrologiis vetustis nihil de his invenio.*

Madilama, *ut* sancta virgo Martyr, *reperitur in Fastis Alexandrino-Æthiopicis apud Jobum Ludolfum. Ejusdem fit mentio in alio Coptorum Menologio, imperitè Latinè reddito, ubi* virgo *vocatur sine mentione martyrii. Castellanus* Madilamam *memoravit ex laudatis Fastis. At nobis non satis nota est ad eamdem inter Sanctos locandam.*

Germanus *abbas notatur in additionibus Bruxellensibus ad Grevenum; sed sine adjunctis, ex quibus nosci possit.*

Hodiani *nomen est in Martyrologio Augustano.*

C *At legendum* Gordiani, *de quo cum duobus Sociis infrà agetur.*

Landomari, *in indice* Laudomari, *episcopi confessoris, meminit Florarium Ms. Sanctorum. Aut nomen corruptum est, aut Episcopum illum necdum novimus.*

Leandræ virginis *mentio est apud Grevenum, & in Florario Ms. Sanctorum, at nihil adjungitur. Suspicor esse nomen luxatum aut* S. Landradæ, *aut alteriùs Sanctæ, vèro nomine satis notæ.*

Stephanus, *Conversus Ordinis Cistercienſis,* in Clara-valle, *cum titulo* Beati, *memoratur in Menologiis Cistercienſibus, ac miraculis post mortem claruisse dicitur; sed nulla proferuntur publici cultus indicia.*

B. Ursulinæ virginis *mentio est in additionibus Mss. Bruxellensibus ad Grevenum; sed sine aliis adjunctis: neque ullibi quidquam de beata aliqua* Ursulina *reperimus.*

Robertus Bellarminus, *ex Societate Jesu S. R. E. Cardinalis, magnâ sanctitatis famâ hoc die obiit Romæ. Verùm necdum de viro virtutibus & meritis aliàs inclyto agere possumus: actu-*

ros tamen aliquando aut nos aut posteros nostros confidimus. D

Desiderii *martyris hodie meminit Martyrologium Morbacense apud Martenium tom. 3 Anecdot. Puto designari* S. Desiderium *episcopum, ut fertur, Rhedonensem, qui cum* Reginfrido *archidiacono suo occisus est in Alsatia.* Desiderii *simul &* Reginfridi *meminit Martyrologium Usuardinum Hagenoyense, hac ex parte auctum, uti & Greveni editio. Solum* Desiderium *ponit codex Montis Sancti cum titulo* Rudunensis episcopi. *Plura Martyrologia utrumque simul annuntiant* XVIII Septemb.

SS. Joannis, Victoris & Stephani *martyrum apud Marsos memoriam in utroque Sanctorum Catalogo hodie recolit Ferrarius. Verùm ipse eosdem reducit die sequenti, quo coluntur* XVIII Septemb.

SS. Sophia & Irene *MM. hodie memorantur in Menologio Sirletiano. At redeunt die sequenti, quo adscriptæ sunt Martyrologio Romano & Menæis* XVIII Septemb.

S. Eustorgius *Mediolanensis episcopus memoratur hodie in Florario Ms. Sanctorum. At in Romano Martyrologio & in Mediolanensi* XVIII E Septembris.

S. Thomæ à Villa nova *episcopi hodie meminit Balinghem in Kalendario Mariano. Colitur in Ecclesia die* XVIII Septemb.

Constantini, *aliàs* Constantii, *aut* Constantiæ, *cum socio* Sanctino *aut* Sanctia, *meminerunt apographa Hieronymiana; annuntianturque* in Nocera *aut* Nuceriæ, *quod in idem recidit. In contractioribus, quæ apud nos data sunt tom.* VII *Junii, magna similiter est varietas. Cùm tamen ubique* Nuceria *assignetur horum Martyrum palæstra, ibique tam in Martyrologio Romano, quod pro ordine dierum sequimur, quantùm fieri potest, quàm in aliis pluribus, memorentur biduo seriùs Felix &* Constantia *martyres, omnes istas varietates remittimus ad* XIX Septemb.

Martyrum centum *hodie meminit Galesinius cum Menæis, ubi hi annuntiantur in Ægypto, & mox agitur de* Peleo & Nilo, *ac demum de Martyribus Palæstinis. De omnibus istis simul agitur in Menologio Basiliano, quo etiam die Romano Martyrologio inserti sunt,* XIX Septemb.

Simon *eremita Camaldulensis cum titulo* Beati F *ad hunc diem memoratur apud Castellanum; sed à pluribus refertur ad diem, quo obiisse etiam legitur in Historia Ordinis Camaldulensis lib. 2 cap. 50, & quo cultus examinari poterit,* XIX Septembris.

S. Hiltrudis *elevatio commemoratur apud Molanum, aliosque martyrologos recentiores. De* Hiltrude *agetur cum Martyrologio Romano ad* XXVII Septemb.

Sigebertum *regem Orientalium Anglorum hodie dat Castellanus. At Martyrologio Anglicano insertus est ad* XXVII Septemb.

S. Francisci stigmata *hoc die celebrantur in Ecclesia, & in multis Martyrologiis. At de iis agetur, quando dabitur Sancti Vita, die* IV Octobris.

Monachi *conf. in Hibernia mentio fit in impresso Catalogo Sanctorum Hiberniæ, notaturque hic dies 17 Septembris, ac laudatur Martyrologium Cartusianorum, cujus auctoritas nobis non sufficit, præsertim cùm in variis Sanctorum Hibernorum catalogis eumdem non reperiamus. Redit tamen* Monachi *memoria in Greveno, quo*

die

A *die ulteriùs de cultu inquiri poterit, ad* XVII Octob.

S. Florentii Auraciſenſis (*lege* Arauſicani) *epiſcopi & conf. mentio eſt in Florario Ms. Sanctorum. At toto menſe è loco ſuo motus eſt; nam colitur* XVII Octobris.

Theodote *martyr Menæis impreſſis hodie inſerta eſt cum prolixo elogio. At eadem recurrit in Menæis, quo etiam die eſt in Menologiis, cum Socrate presbytero* XXI Octobr.

S. Gebetrudis, *Habendenſis in Lotharingia abbatiſſæ*, inventio *hodie memoratur in Uſuardo Sollerii noſtri ex codice Montis-ſancti. Natalis* S. Gebetrudis, *ut jam inſinuatum eſt ad* 20 *Auguſti, veniet die* VII Novembris.

D Tobias, *quintus epiſcopus Hieroſolymitanus, inſertus eſt Martyrologio univerſali à Caſtellano, fortè ob ea, quæ ex Theodorico Pauli dedit Papebrochius noſter in Catalogo Patriarcharum Hieroſolymitanorum ante tom.* III *Maii pag.* VI. *At jam obſervavit ibidem Papebrochius, memoriam* Tobiæ, *cujus geſta ignota ſunt*, neque in Græcorum, neque in Latinorum Faſtis ullis *antiquis occurrere. Addit tamen* Tobiæ *Hieroſolymorum epiſcopi memoriam recurrere, (quando res ulteriùs examinari poterit) in Florario Ms. Sanctorum ad* XVII Decemb.

DE SS. HERACLIDE ET MYRONE

EPISCOPIS MM. IN CYPRO INSULA.

SYLLOGE.

J. S.

B E

Ex Martyrologiis & Vita S. Auxibii.

SEC. I ET FORTE II. *Horum Martyrum memoria in Faſtis & cultus:*

Menologium Græcorum, quod Latinum fecit Sirletus, hodie tres unà Martyres videtur annuntiare, cùm ita habeat: Eodem die natalis beatorum martyrum, Heraclidis epiſcopi Tamaſi Cypri, & ſanctarum feminarum Sophiæ & Irenæ. *Verùm* Sophia & Irene *disjunguntur ab* Heraclide *in Menæis, & ibi, uti & hîc rurſum, memorantur die ſequenti, quo de illis agemus cum Martyrologio Romano. In Menæis impreſſis alius cum* Heraclide *hodie jungitur. Græcè enim habent, quæ ſubjungo Latinè:* Eodem die ſacroſanctorum martyrum Heraclidis & Myronis epiſcoporum Tamaſienſium in Cypro. *Poteſt ſanè eodem die utriuſque memoria celebrari, etiamſi eodem die & anno non ſint defuncti, ſi ejuſdem civitatis fuerunt epiſcopi. Lequienus in Oriente Chriſtiano tom.* 2 *col.* 1059 Heraclidem *primum*, & Mironem *ſecundum ponit inter epiſcopos Tamaſienſes in Cypro, laudatque Stephanum Luſinianum in Hiſtoria Inſulæ Cypri, quæ mihi deeſt. Luſinianus igitur non modò utrumque ſtatuit epiſcopum, & utrumque martyrem; ſed etiam, teſte Lequieno,* Ejus (*Mironis*) natalis ſolemnitatem menſe Septembri à Cypriis agi ſolitam ait ipſo die, quo Heraclidis.

C

Epiſcopi ambo fuerunt in Cypro.

2 *Verùm memoriâ lapſus eſt Lequienus, dum hunc diem ex Menologio Græcorum dicit eſſe* XXVII Septembris, *cùm ſit* XVII *ejuſdem menſis dies. Hoc die memoria horum Sanctorum etiam reperitur apud Maximum Cytheræum: & Ferrarius* S. Heraclidem *inſeruit Catalogo ſuo generali, ſed ſine Socio, quòd ignoraret Menæa Græca. In his autem annuntiationi adduntur duo hi verſiculi:*

Πυρᾷ τεθέντες Ηρακλείδης τε Μύρων,
Θεῷ προσηνέχθησαν ὡς ὀσμὴ μύρῳ.
Rogo impoſiti Heraclides & Myro,
Deo oblati ſunt ut odor unguenti.

Hi verſiculi utcumque inſinuant, igne combuſtos fuiſſe Sanctos. Id tamen ex illis omnino certum non eſt, quia auctor fortaſſe metaphoricè loqui voluit; rogoque uti potuit pro quacumque corporis affli-

ctione Martyribus illata. Utrum ſatis quoque certum ſit, Myronem *fuiſſe ſucceſſorem* Heraclidis *in epiſcopatu Tamaſienſi, non definio. Imò magis credo,* S. Heraclidem *ab initio Salaminenſem potiùs fuiſſe epiſcopum, quàm Tamaſienſem. Certè id magis conforme videtur Actis mox laudandis, ex quibus geſta ipſius utcumque innoteſcunt. Utraque autem urbs apud antiquos notiſſima eſt.* Salamis, *aut* Salamine, *poſtea nomen mutavit, &* Conſtantia *dicta fuit, ac tum certè fuit totius Cypri metropolis eccleſiaſtica.*

3 *Pauca porrò, quæ de* S. Heraclide *invenimus ſcripta, leguntur in Actis S. Barnabæ parùm certis, & in Vita S. Auxibii Solorum in Cypro epiſcopi, quæ etiam auctorem non habet coævum; ſed aliquot ſeculis poſteriorem. In Actis S. Barnabæ, ſub mentito nomine Joannis Marci ſcriptis, & apud nos editis ad* XI *Junii, ſive tom.* 2 *dicti Menſis, ad propoſitum noſtrum auctor de S. Barnaba, & S. Joanne Marco, cujus perſonam aſſumit, narrat ſequentia:* Cúmque ab urbe Lapitharum (*nota in Cypro*) egreſſi fuiſſemus, per montes tranſivimus, & venimus in caſtellum nomine Lampadiſtum.... Illic invenimus Heracleonem, & apud eum diverſati ſumus. Hic erat ab urbe Tamaſiorum, qui venerat, ut ſuos viſeret. Quem cùm Barnabas inſpexiſſet, agnovit eum eſſe, cui aliquando in urbe Cithienſium occurrit unà cum Paulo; cui & Spiritum ſanctum dederunt, & mutato nomine Heraclidem appellârunt: eumque in inſula Cypro epiſcopum ordinavimus, & eccleſiam in ſpelunca apud Tamaſum, & fratres, qui erant illic, unà cum ipſo inſtructos confirmavimus, & Dei ſermonem illi commendavimus. *Secundum hæc* S. Heraclides *fuit converſus à SS. Paulo & Barnaba, quando hi fuerunt in Cypro, ut refertur in Actis Apoſtolorum cap.* 13. *Epiſcopus verò ordinatus eſt à Barnaba & Joanne Marco, qui navigârunt in Cyprum, poſtquam Barnabas à Paulo ſeparatus eſt, ut legitur Act.* 15 ℣ 39. *Deinde in dictis S. Barnabæ Actis pag.* 434 *rurſum de* S. Heraclide *fit mentio. Nam ubi auctor dixerat, ſe cum Barna-*

S. Heraclides converſus à S. Paulo, deinde à S. Barnaba ordinatus epiſcopus,

F

AUCTORE J. S.

ba veniſſe Salamina, & ad loca vicina, hæc ſubjungit: Ibi rurſus Heraclidem invenimus, quem ſtudiosè Chriſti Euangelium prædicare docuimus.

Pauli mandato poſtea S. Auxibium

4 *Hiſce conformia reperiuntur in Vita S. Auxibii Solorum in Cypro epiſcopi, quæ data eſt apud nos ad* XIX *Februarii, ſive tom.* 2. *Nam Barnabas dicitur in ſecunda ſua peregrinatione per Cyprum cum Joanne Marco veniſſe Salaminem: & deinde additur:* Cúmque Heraclidem inſulæ archiepiſcopum inveniſſent, agnitum prædicandi Chriſti Euangelii rationem eum edocuere, eccleſias atque in eis miniſtros conſtituere, eumque complexi, in pace ſolverunt. *Poſtea in iiſdem Actis dicitur S. Paulus Apoſtolus miſiſſe* Epaphram & Tychicum, alioſque nonnullos in Cyprum... ad Heraclidem inſulæ archiepiſcopum, eidem ſcribens, ut Epaphram Paphi, Tychicum Neapoli epiſcopum conſtitueret. In urbibus verò aliis alios colloca: ſed & in urbem, inquit, Solorum deſcende, in eaque virum Romanum, Auxibium nomine, perquire, eumque Solis conſtitue epiſcopum... Litteris, quas Apoſtoli miſerant, acceptis & perlectis, extemplo B. Heraclides nihil cunctatus, id, quod jubebatur, præſtitit. Cúmque Solos ingreſſus, B. Auxibium inveſtigaret, indicatum eſt ipſi, ecquo is in loco habitaret. Urbe igitur egreſſus in locum Dios, ſive Jovis, dictum, illum ibi reperit, & poſt mutuam ſalutàtionem & complexum, hiſce B. Heraclides verbis uſus eſt: Fili Auxibi, ad te à Chriſti Apoſtolis miſſus ſum.

B

epiſcopum Solorum conſtituit:

5 Quouſque hoc in loco deliteſcis, nec te ipſe oſtendis? Quamdiu abſcondis lucernam ſub modio, ac non potiùs ponis ſuper candelabrum Salvatoris, ut luceat iis, qui hac in urbe ſunt? Ageſis in poſterum, & eos, qui in idololatriæ tenebris verſantur, illumina. Agedum, eſto deinceps præco veritatis. Quouſque pecuniam abſcondes, quam à Domino tuo accepiſti? Septuplo illam lucro cumula. Contende tu quoque audire! Euge ſerve bone & fidelis: in modico fidelis eſto: ſupra multa te conſtituam. Num ſacram audiiſti Scripturam dicentem, quòd qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent? Semina præſenti hac hieme, ut in exultatione & cum pace metas. Ne timeas eos, qui occidunt corpus; ſed eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna. Ipſe enim dixit: Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Et rurſus: Quando tradent vos ducibus & regibus, ne ſitis ſolliciti, quomodo aut quid loquamini: ſanctus enim Spiritus docebit vos, quæ loqui oportet. His dictis, ſanctus Heraclides, adjuncto ſibi ſancto patre Auxibio, civitatem ingreſſus eſt. Et facta oratione, eccleſiæ formam, ambitu quidem parvam, ſed Chriſti gratiâ magnam, in terra delineavit. Eoque totum canonem eccleſiaſticum, ut ab Apoſtolis ipſe didicerat, edocto, Numinique commendato, poſt oſculum ei impreſſum, in ſuam ſe civitatem recepit. *Hactenus Vita S. Auxibii. At neceſſariò fatendum eſt, tam hanc, quàm Vitam S. Barnabæ mendis non carere, nec fidei eſſe indubitatæ.*

C

6 *Quapropter notanda ſunt nonnulla, quæ in allegatis minùs certa, aut etiam non ſatis probabilia videntur. Primò, quod dicitur de Epaphra miſſo in Cyprum, ut Paphi epiſcopus ſtatueretur, non facilè ſe admiſſurum, jam obſervavit Sollerius noſter ad* XIX *Julii in S. Epaphra, qui paſſim creditur Coloſſenſis fuiſſe epiſcopus; & certè Coloſſenſibus aliquo tempore prædicavit. Attamen certi erroris argui nequit auctor Vitæ: nam Epaphras, poſtquam jam Coloſſenſibus prædicaverat, captivus Romæ fuit cum Paulo. Non manſit igitur conſtanter apud Coloſſenſes, ita ut poſtmodum in Cyprum mitti potuerit, ibique epiſcopatum accipere. Lequienus in Oriente Chriſtiano tom.* 2, *col.* 1059 *inter epiſcopos Paphi primum nominat Epaphram ex allegata Vita, ſed fide relicta penes auctorem. Dubium ſimiliter eſt, quod additur de Tychico ad epiſcopatum Neapoleos in Cyprum deſtinato: nam Tychicus variis civitatibus tribuitur epiſcopus, ut videri poteſt ad* XXIX *Aprilis, ubi breviter de Tychico actum. Nolim ſanè contendere, Vitam S. Auxibii eſſe irrefragabilis auctoritatis; at monumenta, quæ pro aliis Tychici epiſcopatibus afferuntur, non ſunt certò majoris ponderis, ſed potiùs levioris. Laudatus Lequienus, qui col.* 1061 *Tychicum ponit primum Neapoleos epiſcopum, alium ejuſdem nominis producit Neapolitanum epiſcopum multò poſteriorem.*

D

verùm ex relatis aliqua non omnino certa,

E

7 *De Actis S. Auxibii, ex quibus pleraque de* S. Heraclide *deprompſimus, jam obſervavit Bollandus noſter, ſcripta non fuiſſe ante tempora Conſtantini Magni, ſive ante ſeculum* IV, *quia in illis legitur, Salaminem urbem tunc* Conſtantiam *fuiſſe dictam; quo verò tempore ſcripta fuerint, difficulter dici poſſe. Ex hiſce, uti etiam ex annotatis quibuſdam Bollandi ſatis liquet, non eſſe irrefragabilem illius Vitæ S. Auxibii auctoritatem, cùm auctor duobus aut tribus, ut minimùm, ſeculis poſterior ſit ſancto Auxibio. Attamen talis quoque non eſt Vita illa, ut inter apertè fabuloſas computanda veniat. Tillemontius quidem tom.* 2 *Monument. Eccl. notâ* 5 *in S. Joannem Marcum, Acta S. Auxibii, etiamſi agnoſcat ſcripta eſſe* cum gravitate, *multò vehementiùs accuſat, & ad tempora longè poſteriora reducere conatur. Verùm leves omnino ſunt objectiones: neque enim vox* archiepiſcopus *Vitæ inſerta evincit, ipſam ſeculo* IV *poſteriorem eſſe; neque id oſtendit ulla alia Tillemontii objectio, ut facilè probari poſſet, ſi hic locus talem diſputationem exigeret. At nunc alia me vocant. Quare de ætate* S. Heraclidis *ſolùm obſervo, veriſimiliter defunctum eſſe ſeculo* I, *quo etiam vitam finire potuit* S. Myro, *maximè ſi uterque martyrio coronatus eſt, ut habent Menæa. Quia tamen ea epocha minùs certa eſt pro* S. Myrone, *dubitanter epocham poſui: Seculo primo, & forſan ſecundo. Epiſcopatum* S. Heraclidis *non affixi certæ civitati, quia vocatur ubique in Actis* Archiepiſcopus Cypri. *Lequienus* Heraclidem *primò ponit Tamaſſi, deinde Salamine;* Myronem *verò Tamaſſi* Heraclidis *ſucceſſorem.*

F

uti nec Acta S. Auxibii: annus emortualis ignotus.



DE

DE S. ARIADNE MARTYRE

PRYMNESIÆ IN PHRYGIA SALUTARI.

J. S.

Ex Martyrologio Romano & Faſtis Græcis.

Sub Adriano vel Antonino Pio. *Memoria Sanctæ in Faſtis ſacris : elogium,*

AD hunc diem tranſtulit Baronius S. Ariadnen *martyrem, quam in Martyrologio Romano memorat his verbis :* In Phrygia ſanctæ Ariadnæ martyris ſub Hadriano imperatore. *At Græcorum Faſti omnes conſentiunt in diem ſequentem, ubi Menologium, ab Eminentiſſimo Sirleto Latinè redditum, ita habet :* Item ſanctæ martyris Ariadnæ, quæ ſub Adriano imperatore martyrii certamen confecit, propterea quòd idola execraretur, & Chriſti fidem colens, pro illius confeſſione ſanguinem fudit. *Menologium Baſilianum Sanctam longiore, & nonnihil diverſo elogio celebrat. Hoc ex Latina interpretatione huc transfero :* Ariadne martyr floruit Adriano & Antonino imperatoribus. Hæc Chriſtiana, & cujuſdam opulenti hominis, qui Phrygiæ principatum tenebat, ſerva, die quadam, cùm filii heri ſui natales celebrarentur, compellitur idolorum fanum unà cum illis ingredi, feſtumque diem agere. Quod cùm facere nollet, crudeliſſimè cæditur. Deinde carceri tradita, inediâ maceratur. Inde educta, ad regionis præfectum adducitur, ut torqueretur : à quo iterum impulſa idolis ſacrificare, cùm ad id induci nequiret, ſuſpenditur, & in lateribus ſcalpitur. Mox ſoluta è carcere, correpta occaſione, ad montem fugam intendit. Quod ubi cognovere milites, inſecuti cum gladiis eam ſunt. At illa, cùm ſibi nullum patere effugium cerneret, Deum oravit, ut ab illis liberaretur : ſtatimque diſciſſa divino nutu petra illam excepit : iterumque clauſa & coagmentata, eidem gratias agenti ac decedenti pro ſepulcro fuit.

in quo martyrium non ſine fabulis refertur :

2 *Hæc ultima multis videri poterunt fabuloſa. Attamen illa novo iterum prodigio augentur in Menæis impreſſis, quæ aliàs conſentiunt de qualitate Sanctæ, & de occaſione martyrii. Græca huc non transfero, quia jam impreſſa ſunt, & quia elogium non videtur tanti faciendum : ſed elogium fideliter Latinè redditum ſubjungo :* Hæc Adriano & Antonio * imperantibus decertavit, ancilla cujuſdam Tertilli, viri principis Prymneſiæ civitatis in Phrygia Salutari. Et quia recuſabat natalem herilis filii in fano idolorum celebrare, atrociter cæſa eſt & dimiſſa. Cùm autem rurſus eam perſequeretur præfectus ; appropinquans ad aliquam petram, rogavit Deum, ut liberaretur. Diſciſſâ autem divino nutu petrâ, in medio illius inventa eſt, petris rurſum coëuntibus. Viri verò, qui illam inſequebantur, apparitione angelorum equis inſidentium & haſtas tenentium occiſi ſunt & perierunt. *Tam diſciſſio petræ, quàm angelorum apparitio, ad fabulas amandandæ videntur. In Menæis adduntur hi verſiculi :*

Σώζει ῥαγεῖσα τὴν Ἀριάδνην πέτρα
Χριστὸς γὰρ αὐτῷ ἔσκεπε ζωῆς πέτρα.
Servat diſciſſa Ariadnen petra :
Chriſtus enim ipſam viſitavit vitæ petra.

In Synaxario, quod olim fuit Sirmondi, additur, Ariadnen *alio nomine etiam* Mariam *fuiſſe dictam, quod alibi non invenio.*

tempus & locus martyrii.

3 *Quod ſpectat ad tempus & locum martyrii, de quibus non accuratè conſonant Faſti Græcorum, ſi eorum dicta de tempore conciliare vellemus, dicendum eſſet,* S. Ariadnem *paſſam eſſe anno* 138, *quo Adrianus Antoninum Pium adoptavit & cæſarem fecit, quoque ipſe deinde mortuus eſt, & Antoninum habuit ſucceſſorem. Nam ſic aliquo modo verum eſſet, ſub Adriano paſſam eſſe Sanctam, & paſſam eſſe ſub Adriano & Antonino. Verùm tanta non eſt auctoritas monumentorum allegatorum, ut multùm nos torquere debeamus ad aſſerta omnia concilianda. Quapropter martyrium fixi ſub Adriano vel Antonino Pio. Locus martyrii in Menæis propiùs aſſignatur, quàm in Menologiis ; quæ tamen loco in Menæis aſſignato non repugnant. Dicitur Tertillus Sanctæ herus fuiſſe* primus *τῆς Προμισέων Πόλεως, eaque ponitur in Phrygia Salutari. In enumeratione autem urbium & provinciarum Orientalis imperii, quam fecit Hierocles Grammaticus, apud Bandurum in Imperio Orientali pag.* 41 *inter civitates Phrygiæ Salutaris nominatur* Πρύμνησσος Prymneſus, *quam indicatam exiſtimo. Nam etiam apud Cellarium in Geographia antiqua tom.* 2 *pag.* 89 *inter urbes Phrygiæ Magnæ, cujus pars deinde* Salutaris *dicta fuit, occurrit* Prymneſia *aut* Prymneſus ; *advertitque auctor in Notitia epiſcopatuum Phrygiæ Salutaris haberi ὁ Προμισοῦ, ubi ſcribitur eodem planè modo, quo in Menæis. Fuit hæc civitas epiſcopalis, ut videri poteſt apud Lequienum in Oriente Chriſtiano tom.* 1 *pag.* 843, *ubi aliquos recenſet illius epiſcopos.*

*Antonino Pio

AUCTORE J. S.

DE S. JUSTINO PRESB. MARTYRE

ROMÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti memoria diversis diebus in Martyrologiis, & cultus.

CIRCA AN. CCLIX. *Sanctus hoc die à variis annuntiatus ut confessor,*

Sanctum Justinum *presbyterum diversis diebus plurima annuntiant Martyrologia cum nonnulla diversitate: alia enim martyrem faciunt, alia confessorem. Primum ex omnibus, quæ* Justinum *memorârunt ad hunc diem* XVII *Septembris, est Romanum parvum, à Rosweydo editum, in quo sic habetur:* Romæ, Justini presbyteri, ad quem beatus Laurentius in vico Patricii nocte venit. *Ado ad eumdem diem longius contexuit elogium, ita scribens:* Item Romæ viâ Tiburtina, ad S. Laurentium, natale B. Justini presbyteri, quem beatus Sixtus ordinavit. Ad quem beatus Laurentius in vico Patricii in crypta Nepotiana nocte venit, ut thesauros sibi à sancto Sixto commendatos pauperibus erogaret. Cui & dixit: Comple votum meum, ut laventur pedes Sanctorum & vestri per manus meas. Beatus Justinus respondit: Hoc Dominicum præceptum est: fiat voluntas Domini nostri Jesu Christi. Et posita pelve, misit aquam, & lavit omnium virorum pedes. Veniens autem ad B. Justinum, cœpit primò osculari pedes ejus & lavare. Et ubi lavit omnium pedes, commendavit se beato Justino. Hic ejusdem martyris corpus honorificè sepelivit in prædio Cyriacæ viduæ, quam idem martyr facto signo Christi, & posito super caput ejus linteo, de quo exterserat Sanctorum pedes, ab infirmitatibus capitis sanavit. Hic sanctum Hippolytum & Concordiam, Irenæum, Abundium, Cyrillam filiam Decii cæsaris, martyres, & alios plurimos sepulturis condivit. Et persecutione Decii, Galli, & Volusiani, confessionis gloriâ insignissimus fuit. *Hactenus Ado, qui præ oculis habuit Acta S. Laurentii, ex quibus omnia sunt accepta, ut inferiùs ostendam: atque ea est ratio, cur de martyrio ejus taceat. Usuardus* S. Justinum *eodem die ut confessorem Martyrologio suo inseruit, uti & Notkerus, sed uterque multò breviùs. Accedit antiquum Martyrologium, quod ex Trevirensi codice edidit Martenius tom. 6 Collect. Amp., ubi brevissimè ad hunc diem legitur:* Et Justini confessoris.

ab aliis ad IV *Augusti, partim ut confessor, partim ut martyr,*

2 *In multis item antiquis Martyrologiis ejusdem sancti* Justini *memoria recolitur ad* IV *Augusti. Rabanus hæc habet:* Sancti Justini confessoris Christi, de quo narratur in Passione Xisti atque Laurentii, quòd multos ad fidem Christi converteret, nec non & sanctorum martyrum (*corpora*) sepeliret. *Notkerus:* Item Justini presbyteri, de quo narratur in Passione sancti Laurentii, quòd multos ad fidem Christi converteret, & plurimorum martyrum corpora sepeliret. *Hieronymiana apographa eodem die* Justini *obscuriùs meminerunt, clariùs alia Martyrologia mox laudanda eumdem ut martyrem annuntiant. Hac de causa Sollerius noster in Prætermissis ad* IV *Augusti dubitavit, an idem sit* Justinus, *qui in Hieronymianis aliquando* Justinus, *aliàs* Justus *vocatur, observavitque, certò eumdem esse, qui illo die à Rabano & Notkero sine martyris titulo; à Wandelberto verò & aliis ut martyr laudatur. Wandelberti verba hæc sunt:*

Justinus pridie proprio celebratur honore
Presbyter in numero Sanctorum, cæde peremptus
Crudeli, exquirens tumulos qui condecoravit.

Plurima Martyrologii Usuardini auctaria Wandelberto consentiunt de Martyrio S. Justini. *Illud asserunt codices Mss. apud nos laudati, Antverpiensis maximus, Ultrajectensis, Leydensis, Lovaniensis, Centulensis, Bruxellensis, Aquicinctinus, unus Reginæ Suecia, quibus accedunt editiones Greveni, Belini & Molani: at genus martyrii ab his non explicatur.*

Romæ in variis ecclesiis ut martyr colitur;

3 *Codex Hagenoyensis genus mortis exponit, atque habet sequentia:* Item Romæ viâ Tiburtinâ, natale S. Justini presbyteri & martyris, qui sub persecutione Decii & Galli atque Volusiani imperatorum, confessionis gloriâ insignissimus fuit, & multos sepelivit martyres, & plures Christianos in domo sua abscondens, & alimenta præbens, tandem per pontem in Tiberim præcipitatus martyrium complevit. *Unde acceperit auctor, ea morte peremptum esse* S. Justinum, *me planè latet, cùm neque in Actis, neque apud alios scriptores antiquos inveniam, eo modo Sanctum esse defunctum. De martyrio tamen recentiores plerique, partim ad* IV *Augusti, partim ad hunc* XVII *Septembris consentiunt. Ex his Baronius in Martyrologio Romano Sanctum laudat verbis sequentibus:* Romæ viâ Tiburtinâ natalis sancti Justini presbyteri, qui in persecutione Valeriani & Gallieni confessionis gloriâ fuit insignis. Hic beati Xisti Pontificis, Laurentii, Hippolyti, aliorumque plurimorum Sanctorum corpora sepelivit, ac demum sub Claudio martyrium consummavit. *Piazza in Hemerologio sacro ad* XVII *Septembris testatur,* S. Justinum *coli ut martyrem in ecclesia S. Laurentii extra muros,* ubi, *inquit,* jacet sepultus in angulo confessionis. *Addit, ibi venerationi fidelium exponi ipsius* caput, *&* unum brachium, *atque altare esse* S. Justino *dedicatum. Eumdem coli affirmat in ecclesia S. Praxedis, ubi alia pars corporis asservatur; & in ecclesia S. Laurentii in Lucina, ubi exponitur brachium. Aliquid etiam reliquiarum attribuit ecclesiæ*

AUCTORE J. S.

A

cleſiis ſanctæ Mariæ Majoris, ſancti Clementis, & S. Laurentii in Paniſperna. *Addit, olim in atrio S. Petri eccleſiam fuiſſe* S. Juſtino *dicatam, & turrim ab eodem denominatam. In aliis quoque regionibus coli* S. Juſtinum *ob tranſlatas eò reliquias, inferiùs videbimus.*

& martyrium ipſius ex Actis innoteſcit.

4 *Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum de Actis* S. Juſtini *ita ſcribit :* Intextæ ſunt ejus res geſtæ in Actis S. Laurentii martyris : ſeorſum autem poſitas, & uberiùs conſcriptas habemus in noſtra bibliotheca, ubi legitur, illum non tantùm Valeriani & Gallieni temporibus fuiſſe gloriâ confeſſionis illuſtrem, ſed etiam ſupervixiſſe ad tempora Claudii imperatoris, tuncque martyrio coronatum fuiſſe. Sanè quidem Wandelbertus, & antiquiora monumenta eumdem appellant martyrem. *Hæc eo loco Baronius ; ſed in Annalibus ſub Claudio II imperatore non meminit de martyrio* S. Juſtini, *licèt ibidem ad annum 269 agat de multis martyribus per* Juſtinum *ſepulturæ traditis. Eadem enim cauſa, quâ alii martyrologi* S. Juſtinum *ut confeſſorem memorârunt, alii ut martyrem, effecit, ut Baronius, dum ſecundum Annalium tomum elucubrabat, ipſius martyrium videatur ignorâſſe ; illud verò cognoverit, quando Martyrologium Annotatis illuſtravit. Ado nimirum, aliique ipſum ſecuti, non viderant niſi Acta S. Laurentii, in quibus de Martyrio* S. Juſtini *nihil legitur, eaque occaſione ipſum pro confeſſore habuiſſe videntur. At Wandelbertus, aut ipſa* Juſtini *Acta vidit, prout deinde vidit Baronius, aut illius martyrium aliunde didicit. Itaque martyrologorum quorumdam de martyrio ſilentium non poteſt impedire, quominùs* S. Juſtini *presbyteri martyrium pro certo & indubitato habeamus.*

B

Acta hæc, licèt minùs authentica, inferiùs edenda.

5 *Etenim in Actis, quæ vidit Baronius, quæque præ manibus habeo, non modò martyrium aſſeritur, ſed latè etiam deſcribitur. Noſtrum apographum notatur exſcriptum ex codice Ms. Vallicellenſi, additurque haberi etiam in codice Lateranenſi. Dubitare nequeo, quin eadem ſint Acta, quæ vidit Baronius, cùm quòd dicat,* habemus in noſtra Bibliotheca, *id eſt, in Vallicellenſi ; tum quòd omnia Baronii dicta noſtris congruant. Acta porrò illa nec auctoris coætanei ſunt, nec ab homine perito ſunt ſcripta, nec multum auctoritatis habere poſſunt, cùm erroribus aliquot non careant. Attamen tam apertè fabuloſa non ſunt, aut talia, ut facta præcipua, quæ de* S. Juſtino *narrantur, pro veris haberi nequeant. Quapropter Acta illa, debitis annotationibus illuſtrata, inferiùs edenda cenſui. At cùm de* S. Juſtino *multa etiam legantur in Actis S. Laurentii, apud Surium editis ad* x *Auguſti, quæ Pinius noſter edere noluit, quia fabulis ſaltem fœdata ſunt ; ex iis huc traducam ſpectantia ad* Juſtinum : *hæc enim pleraque talia ſunt, ut credere poſſimus vera eſſe, ſicut multa alia vera & ſanctorum Patrum auctoritate confirmata in iiſdem actis leguntur.*

C

Geſta inter S. Laurentium & S. Juſtinum, qui fortè ſepelivit S. Sixtum.

6 *Itaque primò laudata S. Laurentii Acta apud Surium de geſtis inter Laurentium &* Juſtinum *hæc habent :* Beatus Laurentius audivit, in vico Patricii multos Chriſtianos in crypta Nepotiana adunatos. Eò accedens cum rebus, quæ eſſent Sanctis neceſſariæ, comperit ibi eſſe homines promiſcui ſexus ferme ſeptuaginta tres, intranſque cum lacrymis, pacem omnibus impertiit. Erat illic Juſtinus presbyter, à beato Sixto ordinatus, ad cujus pedes ſe miſit beatus Laurentius, & ambo in pavimento volutabantur, atque invicem oſculabantur pedes. Dixitque beatus Laurentius ad beatiſſimum Juſtinum : Comple votum meum, & laventur pedes Sanctorum & veſtri per manus meas. Juſtinus presbyter dixit : Hoc Dominicum præceptum eſt : fiat voluntas Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et accepta pelvi, miſit aquam in eam, & lavit omnium virorum pedes : veniensque ad beatum Juſtinum, primò oſculabatur pedes ejus, deinde lavit. Lotis omnium pedibus, commendavit ſe beato Juſtino. *Hæc facta dicuntur, poſtquam S. Sixtus Papa S. Laurentio prædixerat martyrium propinquum. Relato paulò pòſt martyrio S. Sixti, dicuntur veniſſe* clerici, presbyteri & diaconi, & plurimi è plebe Chriſtiana, *qui S. Sixtum & ſocios martyres ſepelierunt. At ex illis nullus nominatur, ita ut incertum ſit, an inter illos fuerit* S. Juſtinus.

prout ſepelivit SS. Romanum, Laurentium, Hippolytum & ſocios,

7 *At relato poſtea martyrio S. Romani militis, qui in certamine S. Laurentii converſus eſt, & ante ipſum coronatus, ut ad* IX *Auguſti apud nos videri poteſt in S. Romano, mox de* S. Juſtino *noſtro hoc ſubjungitur :* Venit autem Juſtinus presbyter noctu, collectumque corpus ejus ſepelivit in crypta in agro Verano. *Rurſum, relata morte S. Laurentii, dicuntur tyranni abiiſſe,* relicto corpore *ejus* in craticula. *Et ſubditur :* Porrò ſummo mane rapuit illud Hippolytus, & è ſuis facultatibus condivit aromatibus & linteis, ſignificavitque Juſtino presbytero . . . Itaque B. Juſtinus presbyter & Hippolytus, plorantes & multùm triſtes, tulerunt corpus ejus, venienteſque in prædium viduæ Cyriacæ viâ Tiburtinâ, . . . uſque ad veſperam illic depoſuerunt illud in crypta viâ Tiburtinâ in eodem Cyriacæ viduæ prædio, in agro Verano, quarto Idus Auguſti, jejunantesque celebrârunt vigilias noctis triduo cùm multa Chriſtianorum frequentia, nec ceſſârunt à luctu & lacrymis. Beatus verò Juſtinus presbyter obtulit Sacrificium laudis, & participes ejus facti ſunt omnes. *De S. Cyriaca vidua & martyre, de qua hìc mentio eſt, actum eſt apud nos ad* XXI *Auguſti. Hippolyti verò, ſimiliter memorati, martyrium cum Concordia & tota familia ſua, de quibus apud nos ad* XIII *Auguſti, in laudatis S. Laurentii Actis continuò ſequitur, relataque omnium morte, hæc ſubjunguntur :* Relictaque ſunt corpora Sanctorum in campo juxta Nympham, ad latus agri Verani Idibus Aug. Nocte eadem venit Juſtinus presbyter, collectaque eorum corpora eodem loco ſepelivit.

E

F

S. Concordiam diu quæſitam,

8 Cœpit verò curioſè inquirere diebus multis corpus B. Concordiæ martyris, & cùm non inveniret, mœrore affectus, non ceſſabat lacrymas fundere. Tertio decimo autem die ab Hippolyti paſſione Porphyrius miles venit ad cloacarium quemdam, ſperans ſe in veſtimentis B. Concordiæ aurum, argentum & gemmas reperturum, dixitque cloacario : Si poſſis tacitum apud te habere ; indicarem tibi quiddam non parum tuæ arti quæſtuoſum. Cloacarius reſpondit : Secretum apud me erit : tu modò dicas veritatem. Ait Porphyrius : Ante hos dies juſſit Valerianus præfectus coram ſe Concordiam quandam è familia Hippolyti Chriſtiani plumbatis interfici, & ejus mortuæ corpus projici in cloacam. Eam ego puto in veſtibus ſuis habere margaritas & aurum. Cùm eſſet autem cloacarius fidelis, & occultè Chriſtianus, dixit ad Porphyrium : Demonſtra mihi locum, & ego nocte quæram eam : atque, ubi invenero, nuntiabo tibi. Dicebatur verò cloacarius ille Irenæus : venitque ad Juſtinum presbyterum, & narravit ei omnia, quæ feciſſet, & in-

AUCTORE J. S.

indicâſſet porphyrius. B. Juſtinus Presbyter gratias agens Deo omnipotenti & Domino Jeſu Chriſto flexis genibus, cum lacrymis dixit : Eamus nocte, fili, ad cloacam. Reſpondit Irenæus; Sine, ut priùs accedam ad Porphyrium. B. Juſtinus presbyter dixit : Vide, fili, ut ſacramentum tibi creditum conſerves. Abiit Irenæus ad Porphyrium, iſque indicavit ei locum, venitque cum illo nocte, & invenit ſacrum corpus incontaminatum : quærentes autem in veſtibus ejus, nihil repererunt. Fugit ergo Porphyrius. Irenæus verò vocavit ad ſe Abundium Chriſtianum, & cum illo attulit corpus B. Concordiæ ad Juſtinum presbyterum. Qui illud ſuſcipiens, gratias egit Deo, & ſepelivit apud corpora ſanctorum Hippolyti & ceterorum.

SS. Irenæum, Abundium. Multos converſit,

9 Altera die Valerianus id audiens, Irenæum & Abundium comprehenſos, juſſit vivos in clocam demergi : atque ita necati ſunt VII Calend. Septemb. Eorum corpora beatus Juſtinus presbyter inde extracta ſepulturæ mandavit juxta corpus beati Laurentii in crypta in agro Verano. *De SS. Irenæo & Abundio actum eſt apud nos ad* XXVI *Auguſti. At laudata S. Laurentii Acta*

B *necdum tacent de* S. Juſtino. *Nam relata modo improbabili Decii imperatoris morte, de Tryphonia, quam uxorem Decii ſtatuunt, ſit pergunt :* Uxor autem ejus Tryphonia venit ad beatum Juſtinum presbyterum, & cum filia Decii Cirilla miſit ſe cum lacrymis ad pedes ejus, orans, ut baptizarentur. Eas cum gaudio excepit B. Juſtinus presbyter, indixitque illis jejunium ad ſeptem dies. Die ſeptimo expleto, baptizavit eas : quæ res toto orbe divulgata eſt. Altera die Tryphonia orans reddidit ſpiritum ; & corpus ejus beatus Juſtinus presbyter in ea ſepelivit crypta, in qua humatus eſt S. Hippolytus, quintodecimo Calend. Novemb. *Quid ſentiendum de hiſce, quæ certè parum probabilitatis habere videntur, examinari accuratiùs poterit ad* XVIII *Octobris : quo die nomen S. Tryphoniæ Martyrologio Romano adſcriptum eſt. Interim Acta ſic pergunt :* Ab illa die B. Juſtinus accuratè perveſtigavit, ſicubi corpora Sanctorum abſcondita eſſent, promiſitque præmium militibus. Audientes autem milites Tryphoniam Decii uxorem cum filia Cyrilla Chriſto nomen dediſſe, ad ſex & quadraginta venerunt ad beatum Juſtinum presbyterum cum uxo-

C ribus ſuis : proſtratique ad pedes ejus petierunt ſe baptizari.

eoſque martyrio coronatos deinde ſepelit.

10 Deinde B. Juſtinus, collecto omni clero, perquiſivit, quis in locum B. Sixti ſubſtituendus & ordinandus eſſet. Et ordinaverunt venerabilem virum Dionyſium, eumque conſecravit Maximus Oſtienſis epiſcopus. Obtulit autem ei ad baptiſmum Juſtinus presbyter quadraginta ſex milites, & ab eo baptizati ſunt in nomine Trinitatis. His auditis, Claudius princeps juſſit comprehendi Cyrillam, filiam Decii cæſaris, & milites.... *Deinde narrato Cyrillæ martyrio, ſequitur :* Collegit autem corpus ejus beatus Juſtinus presbyter, & ſepelivit cum matre ejus, ubi jam antè poſuerat corpus beati Laurentii, quinto Calendas Novembris. *De S. Cyrilla latiùs agetur ad* XXVIII *Octobris, quo colitur. Militum verò, qui cum ipſa comprehenſi dicuntur, martyrium, latiùs examinandum ad* XXV *Octobris, quo leguntur in Martyrologio Romano, ſimiliter ſubjungitur, & de ſepultura eorumdem additur :* Corpora illorum Juſtinus presbyter & Johannes nocte collegerunt, & ſepelierunt in crypta, multis præſentibus Chriſtianis, in via Salaria, in clivo Cucumeris octavo Calendas Novembris. *De cœmeterio ad clivum Cucumeris, quod erat veteri via Salaria, & ubi ſepulti ſunt hi ultimi martyres, latè agit Aringhus in Roma ſubterranea lib.* 4 *cap.* 35. *Idem auctor lib.* 4 *cap.* 16 *fuſè tractat de cœmeterio S. Cyriacæ, quod erat in agro Verano juxta viam Tiburtinam, & in quo ſepulti ſunt omnes martyres ſuperiùs memorati. In eodem etiam cœmeterio ſepultus demum eſt* S. Juſtinus, *tot Sanctorum ſepulturâ clarus, ut habent Acta inferiùs danda.* D

§. II. De reliquiarum tranſlatione Friſingam : deque reliquiis in aliis civitatibus.

Sancti reliquiæ unà cum reliquiis S. Alexandri Papæ

E

Quamdiu in primo ſepulcro manſerit corpus S. Juſtini, *certò non invenio. Illud tamen indubitatum mihi eſt, aut ſeculo* IX *elevatum fuiſſe, aut citiùs. Etenim anno* 834 *reliquiæ* S. Juſtini *presbyteri unà cum reliquiis S. Alexandri Papæ Friſingam tranſlatæ videntur. Hoc certè legitur in Officiis propriis eccleſiæ Friſingenſis ad* IV *Auguſti, quo feſtivitas Sancti ritu duplici celebranda præſcribitur. Verba lectionis ſextæ hæc ſunt :* Cujus venerandas reliquias anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo triceſimo quarto, Calendis Julii, Hitto epiſcopus Friſingenſis Romæ à Gregorio IV Papa poſt inſtantiſſimas preces obtinuit, easque unà cum S. Alexandri Friſingam adduxit. Quæ multis & magnis miraculis in itinere attactu ſolius feretri claruerunt. Nam tertiana & quartana febre laborantes, ſanati ſunt. Quidam etiam mente captus, incolumis eſt effectus. Cæcus etiam per manum tractus ad feretrum, lumen recepit. *Hæc abundè confirmantur ex Actis ipſis tranſlationis, quæ accepimus olim ex codice Ms. bibliothecæ univerſitatis Ingolſtadienſis, tranſmittente Joanne Gamanſio frequenter laudato in hoc Opere. Præmittitur Vitæ compendium, ex Actis S. Laurentii concinnatum, quo certi reddimur, agi de* Juſtino *hodierno, etiamſi Friſingæ colatur ut confeſſor, & die* IV *Auguſti, quo hodiernus* Juſtinus *presbyter revera martyrio coronatus eſt. Non aliam autem cauſam eſſe putem, cur Friſingenſes* Juſtinum *presbyterum colere cœperint ut confeſſorem, quam quod ſola viderint S. Laurentii Acta, extractumque ex iis de* S. Juſtino *compendium.* F

ab Hittone epiſcopo obtentæ, & factis aliquot in via miraculis,

** lege* **Junii.**

12 *Miſſo itaque inutili illo vitæ compendio, brevia tranſlationis Acta, pro majore ſaltem parte, huc transfero :* Anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXIV, XII Kal. Julii *, Icto venerabilis antiſtes Friſingenſis Romam pervenit. Quem Papa Gregorius in die Pentecoſtes excipiens honorabiliter, ejus petitiones invitus admiſit. Venerat namque pro ſanctis Alexandro atque Juſtino. Poſt igitur allocutiones inſtantiſſimasque preces cor Apoſtolici * Dei eſt emollitum, & theſaurum illum tradidit pontifici. Ferimus igitur pretioſi ponderis nobilem ſareinam. Cives mirati, ſubitò concurrunt. Fama Sancti totam concitat urbem, præcipuè propter ſanctum Alexandrum, qui quintus * poſt beatum Petrum pontificalem tenens cathedram martyrio eſt coronatus. Sanctum etiam Juſtinum presbyterum, cujus

** ſupple* **virtute**

** imò* **Sextus**

A jus mentionem facit Paſſio Laurentii levitæ, ſibi de Roma tolli vehementer dolebant. Sequenti verò die venit tanta multitudo, quantam vix capere poſſe totam credes civitatem. Eximus alacres, ſed egreſſum noſtrum ſubitus imber ac nimius * .... inhibere non valuit. Geroldus quidam, tertiana febre diu vexatus, tacto feretro, Engelboldus verò, quartana febre laborans, ſunt ſanati. Quidam cocus, Giak nomine, mente fuit captus: qui ductus ad tabernaculum, meritis Sanctorum ibi incolumis eſt effectus. Anemunt quidam de noſtris viſum perdiderat: ſed per manum tractus, per feretrum lumen recepit. Tunc & alia quàm plurima, quæ teſtibus roborata, ... qui piè ſapit, inficietur.

* ventus, turbo, *aut quid ſimile*

* *deſunt voces aliquot*

13 Hujuſmodi gratiarum rumore comperto &c. *Incipit hic auctor narrare, quantus fuerit concurſus populi in oppidis & vicis, quos cum ſacris reliquiis tranſibant. At cogor aliqua omittere, cùm plures voces in Ms. legi non potuerint, & ſic dictio redderetur prorſus imperfecta. Itaque omiſſis illis, quæ exigui ſunt momenti, cum Ms. proſequor:* Et erat jam veluti quadam lege ſancitum, ... ut ab obcurrentibus catervarum turmis eò uſque per octo ferè aut ampliùs ſpatia milliarium Sancti deducerentur, donec quoque aliarum villarum plebes cum crucibus obviàm properarent. Singuli turmarum globi ſua ſigna ferebant. Quibus præeuntibus confuſè multitudo maxima permiſcetur. Nonnumquam verò aut profundæ paludes, aut aſperrimæ caules aquarum, aut lapſus, aut anguſti tramites, fauces præruptæ, perſequentes præpediebant; .... ſed omnia vincit amor. Terentianus verſus eſt: Nihil tam difficile eſt, quin facile fiat, quod voluntarius agas. Quis alius his hunc ardorem, niſi tu, Iheſu bone, donaveras? Tu enim ſolus etiam vincis, cùm judicaris. Et idcirco etiam tuos ſemper invincibiles facis, ut ille caſtrorum tuorum miles & invictiſſimus athleta, Quis, inquit, ſeparabit nos à charitate Chriſti, tribulatio an anguſtia? Non. Item: ſed "Omnia ſupera„mus propter eum, qui dilexit nos„. Me miſerum! fateor totiens ipſis etiam membris intremuiſſe, quotiens aut ad vehendum manus admovi, aut ad ſupplicandum adii. Quiddam enim ſupra naturam humanam adeſſe ſentiebatur, ab his utique, qui fideliter accedebant. *Hactenus auctor,* B *qui ubique inſinuat, ſe rebus geſtis adfuiſſe. At* C *nihil addit de receptione reliquiarum in civitate Friſingenſi, indeque conjicio, hæc ipſum ad Friſingenſes ſcripſiſſe antequam reliquiæ in urbem eſſent delatæ.*

Friſingam translatæ.

14 *Porrò jam monui, initio pro* Julii, *legendum eſſe* Junii, *quia Hitto Romam venit ante Pentecoſten; dies verò duodecimus Kalendas Julii, ſive dies vigeſimus Junii menſis numquam venit ante Pentecoſten. Anno autem* 834 *Paſcha incidebat in quintum Aprilis, & conſequenter Pentecoſte in* XXIV *Maii; cùmque dies* XII *Kalendas Junii ſit vigeſimus primus Maii; cenſendum eſt, Hittonem veniſſe Romam tribus diebus ante Pentecoſten, quod cum ſequentibus aptè cohæret. Donatio tamen reliquiarum fieri potuit ipſis Kalendis Julii, ut habet Officium: neque enim veriſimile eſt, Hittonem epiſcopum veniſſe Romam, ut paucis tantùm diebus ibi maneret. Carolus Meichelbeck in Hiſtoria Friſingenſi lib.* 2 *cap.* 1 § 4 *pro tranſlatione dictarum reliquiarum laudat ſcriptorem* ſæculi ſive undecimi, ſive ad ſummum duodecimi, *qui* ad IV Idus Decembris Martyrologio venerabilis Bedæ *ſequentia de Hittone epiſcopo adjecit:* Qui & S. Alexandrum, & S. Juſtinum de Roma huc attulit. *Deinde Meichelbeckius ipſe ſubjungit:* Tranſlationem verò corporum ſanctorum Alexandri Papæ & martyris, & S. Juſtini presbyteri referri videmus ad annum Chriſti DCCCXXXIV, quo Hittonem Romam veniſſe, & à Gregorio IV Papa benignè exceptum, ac ſacris illis aliiſque reliquiis in feſto Pentecoſtes donatum fuiſſe ſcribunt. *Verùm de donatione in feſto Pentecoſtes peracta non conſtat ex Actis.*

Anno 834,

15 *Addit mox laudatus ſcriptor:* Sacræ illæ divorum Alexandri & Juſtini exuviæ deinceps fuere tranſlatæ in eccleſiam cathedralem, ipſique Sancti inter patronos hujus diœceſis præcipuos hodieque locum habent, atque annuo uterque officio etiamnum colitur. Incertum tamen eſt, ſub quo epiſcopo ea poſterior tranſlatio acciderit. Weihenſtephanenſes noſtros S. Alexandri brachium religioſè olim aſſervâſſe, alicubi legimus; quidquid Bartholomæus Piazza ad diem III Maii & XVII Septembris aliter de horum Sanctorum reliquiis ſentiat. *Hactenus ille, primùm attribuens reliquias illas cœnobio ſui Ordinis Benedictini, quod Friſingæ in monte S. Stephani ſitum eſt,* & Weihenſtephanenſe *vocatur. Hanc autem ſententiam deinde cap.* 2 § 3 *confirmat inſtrumento donationis anni* 838, *in quo leguntur hæc verba:* Ad Friſingas in monte S. Stephani, in eccleſia, ubi requieſcunt ſanctorum corpora Alexandri Papæ atque Juſtini confeſſoris. *Aliud traditionis inſtrumentum hunc in finem allegat cap.* 3 § 3, *illudque part.* 2 *inter inſtrumenta edidit pag.* 353. *In hoc autem leguntur ſequentia:* Hoc factum eſt in publico * ſynodo in monte ſancti Stephani, ubi oſſa cum pulvere ſancti Alexandri & ſancti Juſtini honorabiliter humata cernuntur, die quo factum eſt, id eſt Octobris, anno Incarnationis Domini DCCCLX, Indictione VIII. *Hiſce adjungit auctor hanc annotationem:* Sacras illas exuvias poſteris temporibus fuiſſe tranſlatas in eccleſiam cathedralem, diſcimus ex Chronico Weihenſtephanenſi, in quo poſt annum Chriſti DCCCLX hæc legimus: "Non longo abhinc tem„poris intervallo venerabiles illæ reliquæ SS. „Alexandri Papæ & martyris, & S. Juſtini pre„sbyteri, ad cathedralem Friſingenſem ſunt tranſ„latæ .... A quo autem epiſcopo, quove „anno precioſus ille reliquiarum theſaurus ab „eccleſia S. Stephani fuerit ablatus, non ſatis „conſtat.„

deinde ibidem tranſlatæ ad cathedralem.

E

* publica.

F

16 *Hæc omnia ſat firmis niti videntur fundamentis, & facilè componi poſſunt cum aſſertis Bartholomæi Piazza de reliquiis Romæ etiamnum ſervatis; modò utrumque ſcriptorem explicemus ſecundum conſuetudinem ferè ordinariam loquendi de reliquiis Sanctorum. Etenim non contendent, opinor, Friſingenſes, omnia ſibi tradita fuiſſe oſſa SS. Alexandri & Juſtini, neque ſolebant Romani tota Sanctorum corpora aliis tradere, ut frequenter in Opere noſtro dictum eſt poſt Baronium. Illi tamen, qui notabilem corporis partem acceperant, partem ſuam ſolebant* corpus *vocare, uti & partem retentam* corpus *vocabant Romani. Ita & factum de* S. Juſtini *corpore, dubitare vix poſſum. At Moguntini accedunt etiam, & ſimiliter reliquias* S. Juſtini *presbyteri habere ſe credunt. Certè Serarius in Moguntiacis lib.* 1 *cap.* 17, *ubi enumerat reliquias Moguntiæ ſervatas, iis accenſet* S. Juſtini *noſtri reliquias, cùm ſic habeat in illo catalogo:* Sanctus Juſtinus presbyter, qui S. Laurentium & alios martyres ſepe-

Ejuſdem etiam reliquiæ Romæ: Moguntini etiam

AUCTORE J. S.

livit, de quo Romanum Martyrologium die XVII Septembris, & ibidem Baronius. *Verùm dubitari potest, an Moguntini satis nôrint, cujus* Justini *sint reliquiæ, quas possident.*

aliquas se habere credunt, uti & alii quidam.

17 *Nam in antiquo Breviario Moguntino, quod impressum notatur anno* 1495, *ad* IV *Augusti præscribitur Officium* Justini confessoris celebriter, sicut de confessore pontifice. *Certè* Justinus *noster non est pontifex. Nomen* Justini *commune est multis Sanctis, ita ut Moguntini possent habere alterius cujuspiam reliquias. Attamen dies* IV *Augusti, quo jam dicto Breviario adscripta fuit festivitas* S. Justini *apud Moguntinos, favet sententiæ Serarii, cùm illo ipso die Sanctus martyrio coronatus dicatur in Actis, cúmque eodem die cultus fuerit à Frisingensibus, ita ut pars reliquiarum vel à Frisingensibus vel à Romanis fortasse ad Moguntinos pervenerit. Gabriel Bucelinus in Sacrario Benedictino ad hunc diem aliis omnino locis assignat reliquias* S. Justini *presbyteri, de iis hæc scribens:* Ejus insignes reliquiæ habentur in Hirsfeldt: reliquum corpus asservatur in monasterio S. Mariæ Novæ Romanæ. *At inter corpora & reliquias Sanctorum ecclesiæ S.* B *Mariæ Novæ, de quibus agit Martinellus pag.* 230, *non invenio mentionem* S. Justini. *Quàm verò sit certum, quod asserit Bucelinus de reliquiis* in Hirsfeldt *servatis, planè ignoro. Ceterùm* Hirsfeldt *oppidum est Hassiæ, quod apud abbatiam Benedictinam accrevit. Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico ad hunc diem corpus* S. Justini *martyris hodierni attribuit monasterio Antiquarensi Patrum Excalceatorum sanctissimæ Trinitatis. Acceperunt revera Patres illi corpus alicujus sancti Martyris, quem* Justinum *nominaverunt, erutum anno* 1641 *ex cœmeterio S. Callisti cum aliis pluribus. At illud non est corpus* S. Justini, *de quo nunc agimus, sed alicujus Sancti incogniti. Videri potest Chronicon Ordinis SS. Trinitatis Excalceatorum, quod Hispanicè scripsit Alexander à Matre Dei, part.* 3 *pag.* 112, *ubi narrat, quo modo corpora illa Romæ fuerint obtenta, & variis Hispaniæ monasteriis donata.*

ACTA

C

Ex Ms Vallicellensi.

Persequente Christianos Claudio II,

POst mortem Decii cesaris & Valeriani prefecti *a* magnum sancti Dei viri ceperunt habere gaudium: unde multi ex paganis ad eos venientes baptizabantur in nomine sanctæ Trinitatis. Tunc Claudius Rex *b*, volens & ipse sui nomen exaltare imperii, in duritia suæ mentis persistens, & assumens sibi auctoritatem contra Christianos, milites misit, ut curiosè & diligenter quærerent, ubi ipsi Christiani essent. Tunc milites studiosè perscrutantes, ubi Christi fideles manerent, & quoscumque invenire poterant, nolentes diis dare libamina interficiebant. Quos occultè tollens Justinus presbiter cum lacrimis sepeliebat. Audito autem Claudius de beato Justino, quòd & ipse curam habet de Sanctis, & quòd confortat & confirmat Sanctos, ne tyrannorum penas pertimescant, irâ commotus misit auctoritatem suam, ut quicumque illum invenire potuissent, comprehensum presentiæ suæ presentarent. Quod cùm relatum fuisset Justino D presbitero, cepit timere de Christi fidelibus, qui cum eo absconsi erant, pro persecutionibus impiorum, ne, si ipse, qui custos & predicator eorum fuerat, martyrio deficeret, grex & turba fidelium, qui cum eo acthenus absconditi latitabant, terrore martyrii pavefacti, viam salutis relinquerent, &, quod deterius foret, compulsi à carnificibus, simulacris manufactis libamina incenderent.

a

b

Justinus de ipsorum constantia sollicitus est:

2 Tum beatus Justinus, collecta Christianorum multitudine, extendens manus suas super omnes, suspiciens in celum oravit cum lacrimis, dicens: Domine Deus omnipotens, rex celi & terræ, cujus potentiâ angeli nutriuntur & homines, respice ad Ecclesiam tuam: da ei robur, præbe fortitudinem, gratiam, constantiam: depelle timorem, separa mollitiem, remove formidinem, tolle mobilitatem: funda istos tuos fideles Christianos in tuo amore, consolida eos in tua dilectione, liga eos in fidei tuæ fidelitate, firma cor & mentem istorum, ne callidus hostis adversarius noster diabolus, qui circuit ut leo, querens, quem devoret, possit eos subvertere, & à veritatis tramite deviare: prebe eis auxilium gra- E tiæ tuæ, concede mortis effugium, quatenus & ut te toto corde diligant, &, quæ dignè postulant, assequantur, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat per omnia secula seculorum: cúmque omnes cum lacrymis, & suspiriis respondissent, Amen, facta est illico vox de celo ad beatum Justinum, dicens: Constans esto, Justine, cum plebe fidelium, quoniam tibi & fidelibus istis corona parata est: nam multa vobis debentur certamina.

Aliqui ex ipsis capti, martyrio coronantur:

3 Ad hanc itaque vocem perterriti martyres, prostrati in terram propter luminis splendorem tamquam mortui jacebant. Videns itaque beatus Justinus, quòd exaudisset Dominus orationem, quam pro se & pro Sanctis ad Dominum profuderat, benignè excitans eos consolabatur, exhortans & confortans eos de visitatione, eo quòd dignatus est eos Dominus visitare, & dare eis spem & tollerantiam perferendi martyrium pro gloria regni sui & pro vita eterna, quam promisit diligentibus se. Tunc milites tenuerunt quosdam, quos invenerant in via Salaria, qui veniebant à Christianis: & duxerunt ad Claudium. Quibus Claudius dixit: Miseri & sine corde, quare deos immortales liberatores orbis atque conser- F vatores reipublicæ non adoratis? Qui respondentes, dixerunt uno animo: Nos adoramus dominum Jesum Christum salvatorem nostrum, qui in celis est, qui fecit celum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: ipsi confitemur, ipsum deprecamur, qui nos de manibus tuis potest eripere, & vitam nobis tribuere sempiternam: nam simulacris manufactis numquam humiliamur, nec statuis hominum mortuorum thurificare debemus, qui non solùm nos; verùm etiam seipsos ab eterno interitu liberare non possunt. Hoc audiens Claudius imperator, precepit eos cum plumbatis cedi: & cùm diu cederentur, clamabant omnes, quasi ex uno ore, dicentes: Gratias tibi agimus, Domine Jesu Christe, quoniam regni tui januas ingredi meruimus, & pervenire ad gloriam tuæ visionis: & hec dicentes, Deo reddiderunt spiritum.

hos sepeliens Sanctus capitur: tormentisque,

4 Tunc venit nocte Justinus presbiter & auferens corpora eorum cum aliis Christianis, multùm tristis & merens, sepelivit. Tunc milites Claudii invenientes eos, tenuerunt beatum

Ju-

A Juſtinum ſolum, (alii, relicto eo, fugerunt) & ligatum adduxerunt ad Claudium. Tunc juſſit Claudius parari ſibi tribunal in palatio ſuo & præſentari ſibi Juſtinum catenis vinctum: quem ſic interrogat, dicens: Tu es Juſtinus ſacrilegus, qui nec deos colis, nec principum inſtituta cuſtodis? Beatus Juſtinus dixit ei: Ego ſacrilegus non ſum, ſed ſum ſervus Domini mei Jeſu Chriſti, quem tu, miſer, blaſfemare non times. Tunc iratus Claudius juſſit os ejus lapidibus cedi. Qui dum cederetur, gratias agebat Deo. Eâdem horâ ceciderunt vincula de collo, & de manibus ejus: quem Claudius iterum ſic aggreditur, dicens: Quare, ſtulte, per diverſa tormentorum genera perire deſideras? Ecce commoneo te: ſacrifica diis immortalibus. Reſpondit Juſtinus presbiter, & dixit: Miſer, manufactis idolis me humiliare compellis? infelix, te potiùs humiliare deberes Chriſto Creatori omnium, & non manufactis idolis vanis: nam tu & dii tui pariter peribitis, quos injuſtè adoras. Eâdem autem horâ Claudius juſſit eum in equuleo levari: qui dum diſtenderetur nervis, cepit gratias agere Deo. Tunc Claudius imperator juſſit laminas ardentes circa latera ejus poni, & cingulis radentibus lacerari.

B

& aliis modis tentatus,

5 Eâdem horâ juſſit Claudius beatum Juſtinum deponi de equuleo, & tradidit cuidam miniſtro officii in cuſtodia. Poſt dies verò quadraginta Claudius ſedens pro tribunali, precepit ſibi beatum Juſtinum preſentari. Qui dum preſentatus fuiſſet, dicit ei Claudius: Sic & tu ſtultus factus es, Juſtine ſacrilege? an putas nos ſacrilegia tua ignorare, quæ cum ſimilibus tuis profanis jam per longa tempora commiſiſti? nonne tu auſus es temeritate nefaria agere contra deos, & contra precepta invictiſſimorum imperatorum, quia ſacrilegum illum Laurentium *c* ſepeliſſe diceris: & Romanum militem perditiſſimum abſconsè tuliſſe deprehenderis: & quàm plurimos hujus nefariæ ſectæ veſtræ tecum pariter abſconſos habuiſſe inclamaris. Vel hoc recordare, quia non colens deos traditus es in manus noſtras. Infelix, putabam te ad ſenſum redire, & tibimet ipſi quaſi ſapientem conſulere: ideo tibi dulci ac leni ſermone loquebar, & decus atque potentiam eminentiſſimi imperii tibi, qui penè nichil es, exequebar. Et tu confidis in arte magica, & non honoras deos, neque principum præcepta cuſtodis. Eâdem horâ beatus Juſtinus dixit ad Claudium: Tormenta tua, miſer, non paveſco; ſed cupio: nam tormenta æterna metuo, que te torquere habent, & patrem tuum diabolum.

c

C

conſtantem ſe præbet,

6 Tunc Claudius irâ commotus juſſit, ut cum ſcorpionibus diu cederetur. Et cùm diutiſſimè cæderetur beatiſſimus Juſtinus, hilari vultu gratias reddebat Deo, dicens: Gloria tibi Domine Jeſu Chriſte, quia tu es Deus omnium rerum. Eâdem horâ dixit Claudius ad Juſtinum presbiterum: Miſer, conſidera ætatem tuam, ne & tu pereas. Reſpondit B. Juſtinus, dicens: Ego potiùs deſidero pudicè mori, quàm impudicè vivere. Tunc Claudius imperator dixit: Adhibete ei & fuſtes. Ille autem pro nichilo tormenta reputabat. Eâdem horâ Claudius iratus dixit ad beatum Juſtinum: Sacrifica diis immortalibus. Beatus Juſtinus dixit: Ego me obtuli ſacrificium Deo & Domino Jeſu Chriſto, quia ſacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus. Tunc iratus Claudius juſſit eum in conſpectu ſuo expoliari, & diutiſſimè flagellari, ſub voce præconia dicens, Deos blaſfemare noli. B. Juſtinus dixit: Ego gratias ago Domino meo Jeſu Chriſto, qui me dignatus eſt connumerare inter ſervos ſuos, ſed tu, miſer, torqueris in inſania & in furore tuo. Tunc Claudius zelo diaboli repletus, precepit eum cordis fortiter corripi, & lectos ferreos adduci. Et dixit Claudius ad B. Juſtinum: Reſipiſce, miſer, à ſtultitia tua, & adora deos, quos nos adoramus: quod ſi non feceris, ſuper hunc lectum ardentiſſimum mactaberis. B. Juſtinus dixit: Infelix, has epulas ego ſemper concupivi: nam iſta tormenta temporalia michi ſunt ad gloriam: tibi autem parant eternum interitum. Ex Ms.

& martyrio coronatur.

7 Tunc Claudius dixit: Video in te artem magicam: & profectò novi, quia tormenta deludis: me tamen non deliras. Et dixit Claudius ſuis miniſtris: Extendite eum, & cum ſcorpionibus cedentes affligite. Eâdem horâ Juſtinus proſtratus in lecto ardentiſſimo, ſubridens, gratias agens, dicebat: Benedictus es, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui donâſti miſericordiam tuam michi famulo tuo, quam meritus non fui. Miniſtri autem fortiter agitantes Martyrem cum furcis ferreis jacentem in lecto ardentiſſimo, ceperunt deficere. Eâdem horâ beatiſſimus martyr Chriſti Juſtinus alacri vultu contra Claudium dicebat: Diſce, miſer, diſce, quanta ſit Domini mei Jeſu Chriſti miſericordia: nam tormenta, quæ tu michi modò irrogas, michi refrigerium, tibi eternum ſupplicium parant. Omnes etenim, qui aderant, mirabantur de conſtantia ſancti Martyris. Audiens hoc Claudius, juſſit eum capitis ſubire ſententiam: & levatus de lecto, in quo jacuerat, ibi coram Claudio capite truncatus eſt. Tunc venientes noctu, levaverunt Chriſtiani cum lacrimis venerabile corpus ejus, jejunantes & agentes vigilias noctis, ſepelierunt illud in crypta in agro Verano *d* pridie Nonas Auguſti: ubi florent orationes ejus uſque in hodiernum diem ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

E

d

F

ANNOTATA.

a *Hæc verba congruunt cum Actis S. Laurentii, in quibus Decius* cæſar *& Valerianus* præfectus *frequenter vocantur: at non congruunt cum veritate hiſtorica, & clarè inſinuant, auctorem non fuiſſe peritum hiſtoriæ illorum temporum. Imperante Decio, Valerianus revera floruit, & præfecturis aliiſque dignitatibus exornatus fuit. Uterque etiam Chriſtianos acriter perſecutus eſt; ſed, mortuo Decio, imperavit primùm Gallus cum Voluſiano filio; deinde verò Valerianus, qui Gallienum filium ſibi collegam aſſumpſit. Imperârunt hi ſimul uſque ad tempus, quo Valerianus à Perſis captus eſt. Tunc Gallienus imperare perrexit octo circiter aut novem annis, atque eo tempore ceſſavit acris illa perſecutio, quam contra Chriſtianos moverat Valerianus.*

b *Claudius II, qui hic* rex *vocatur, imperium adeptus eſt poſt Gallienum anno 268. Pagius ad annum 268 & 269 rotundè edicit, nullos fuiſſe martyres ſub Claudio II; ſed rationes non allegat, quibus id poſſit evinci. Tillemontius verò tom. 4 Monum. in S. Dionyſio Papa agnoſcit, aliquos probabiliùs ſub Claudio II eſſe paſſos.*

c *De ſepultis per* S. Juſtinum *SS. Laurentio, & Romano milite, aliiſque multis, dictum eſt in Commentario num. 7 & ſequentibus. Verumta-*

A *men Acta non ſunt tam accuratè aut peritè ſcripta, ut ratiocinia iis inſerta ſic prolata credamus. Illa potiùs auctoris, qui perſonis convenientia meditari voluit, quàm tyranni & Martyris eſſe exiſtimamus.*

d *Id eſt, in cœmeterio* S. *Cyriacæ, ubi Juſtinus S. Laurentium, alioſque multos ſepelierat. Ceterùm Acta illa procul dubio diu poſt mortem Sancti ſcripta ſunt ab auctore parùm perito, nec multum auctoritatis habere poſſunt. Illa tamen dedi, cùm quia commemorata ſunt à Baronio & aliis, tum quia non habemus meliora.* D

DE SS. NARCISSO ET CRESCENTIONE MARTYRIBUS

J. S.

ROMÆ

Ex Martyrologiis, & Actis S. Laurentii.

FORTE SUB VALERIANO. *Sancti hi Martyres pluribus Faſtis adſcripti,*

OBſcura admodum eſt memoria duorum Martyrum, quos ad hunc diem Baronius in Martyrologio Romano commemorat his verbis: Item Romæ ſanctorum martyrum Narciſſi & Creſcentionis. *Laudat pro hiſce Bedam alioſque antiquos. At per Bedam apud Baronium intelligitur Martyrologium Bedæ quidem nomine impreſſum; ſed minùs antiquum, aut, ſi quid Bedæ habeat, multis partibus auctum. Primus martyrologus, qui hoſce Martyres ſimul annuntiavit, eſt auctor Romani parvi per Roſweydum editi, qui poſt annuntiatum Romæ S. Juſtinum presbyterum, de quo hodie agimus, ita pergit:* Item Narciſſi & Creſcentiani. *Ado hunc ſequi, & aliunde augere ſolitus, ſic habet:* Romæ in crypta arenaria, ſanctorum martyrum Narciſſi & Creſcentionis. *Adonem ſecutus eſt Uſuardus his verbis:* Item Romæ ſanctorum martyrum Narciſci & Creſcentionis. *Similia habet Notkerus. Recentiores martyrologi plerique antiquiorum verba adoptârunt. At Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ prolixius texuit elogium. Duas tamen addidit conjecturas minimè certas. Prima eſt expreſſa his verbis:* Narciſſus & Creſcentio eodem anno, eademque perſecutione, quibus ſanctus Laurentius, paſſi ſunt. *Hæc nec in Actis S. Laurentii* C *leguntur, nec in ullo monumento antiquo, quantum exiſtimo. Altera Ferrarii conjectura hæc eſt:* Martyrio coronati ſunt XV Kal Octobris. *Hujus conjecturæ nullum aliud invenio fundamentum, quàm quòd illo die primùm annuntiati ſint ab auctore Romani parvi, deinde ab aliis. At illa conjectura frequenter fallit, cùm ille auctor non rarò dies pro arbitrio fixerit.*

2 *Acta S. Laurentii apud Surium ad* X *Auguſti habent ſequentia:* Eadem nocte (*S. Laurentius paulò ante martyrium ſuum*) abiit inde: perquiſivit, ubi congregati eſſent Chriſtiani, ſive in domibus ſive in cryptis. Venit autem in vicum, qui dicitur Canarius, reperitque multos Chriſtianos in ædibus cujuſdam Narciſſi Chriſtiani collectos: ingreſſuſque in eas cum lacrymis, pedes eorum lavit, deditque eis de theſauris, quos beatus Sixtus epiſcopus ei tradiderat erogandos. Invenit autem illic etiam Creſcentionem cæcum, cum lacrymis ipſum rogantem, & dicentem: Pone manum tuam ſuper oculos meos, ut videam faciem tuam. Beatus Laurentius lacrymans dixit: Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui aperuit oculos cæci nati, te illuminet: impreſſoque ſigno Chriſti in oculos ejus, vidit lumen & beatum Laurentium, ſicut petiit. *De martyrio* SS. Narciſſi & Creſcentionis *in illis Actis nihil habetur, ita ut ex illis colligi nequeat, utrùm paſſi ſint ſub Valeriano, ſicut S. Laurentius, an verò deinde ſub Claudio II, ſicut S. Juſtinus presbyter, in iiſdem Actis ſæpe memoratus, aut etiam ſub Aureliano aut ſeriùs.* E

noti ſunt in Actis S. Laurentii;

3 *Reperiuntur in Apographis Hieronymianis varii Martyres, qui nomine* Creſcentii, Creſcentionis & Creſcentiani *annuntiantur. Horum aliquem eſſe eumdem cum* Creſcentione *hodierno, non eſt inveriſimile, ut jam obſervavit Sollerius noſter ad* IV *Auguſti, ubi* Creſcentianus *cum aliis datur ex Hieronymianis.* Creſcentianus *ille Romanus cum hodierno* Creſcentione *idem eſſe poteſt: nam & hodiernus in Romano parvo nominatur* Creſcentianus. *Potuit idem auctor, qui Juſtinum presbyterum à* IV *Auguſti ad hunc diem tranſtulit, idem facere de* Creſcentiano. *Dantur & duæ martyrum claſſes ad* X *Auguſti, & in utroque reperitur* Creſcentio. *Si hi duo revera ſint, uterque poteſt eſſe idem cum hodierno. At ſatis conjecturarum incertarum. Piazza ad hunc diem corpora* SS Narciſſi & Creſcentionis *attribuit eccleſiæ S. Praxedis, neſcio, quo fundamento. Baronius in Annotatis ad Martyrologium ſcribit iſta;* Erat nomine Creſcentionis dictum nobile cœmeterium Romæ via Salariâ, non longè à cœmeterio Priſcillæ, ut indicant tabulæ Vaticanæ, in quibus cœmeteriorum nomina perlegimus. *Plura non addo, quia omnia mihi videntur valdè incerta.* F

& omnia ad ipſos ſpectantia valde ſunt incerta:

4 *In Martyrologio Hiſpanico Joannis Tamayi Salazar ad hunc diem celebratur tranſlatio* S. Narciſſi *martyris Romani, quem auctor ille hodiernum intrepidè declarat.* Hiſpali, *inquit*, in Bætica depoſitio ſacrorum pignorum ſancti Narciſſi martyris Romæ paſſi, quæ in cœnobio Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Excalceatorum, eleganti theca incluſa, cultu magnifico venerantur. *Hactenus omnia vera eſſe exiſtimo. At in Annotatis Tamayus nimis facilè deſignat* Narciſſum, *cujus modò Acta inveſtigamus. Verùm Sanctus ille, cujus anno* 1641 *corpus acceperunt Religioſi Patres Excalceati ſanctiſſimæ Trinitatis, non videtur eſſe* Narciſſus *hodiernus. Certè id colligere nequeo ex Chronico laudati Ordinis, ſcripto Hiſpanicè per Alexandrum à Matre Dei, qui part.*

prout incertum eſt nobis, ubi modò ſit corpus S. Narciſſi.

A 3 *pag.* 112 *narrat, quo modo varia Sanctorum corpora ex cœmetrio S. Calliſti Romæ fuerint obtenta per P. Joannem ab Annuntiatione, procuratorem generalem Ordinis ſui. Inter hæc corpora recenſetur* corpus S. Narciſſi martyris, *idque unà cum corpore S. Calliſti traditum dicitur conventui Hiſpalenſi ejuſdem Ordinis. At non additur, utrùm corpus cum illo nomine ſit inventum, an verò nomen poſtea ſit impoſitum. Si autem nomen revera inventum fuerit, necdum erit certum, hodiernum eſſe, quem poſſident Hiſpalenſes. Habeo ante me Epiſtolam P. Maximiliani Ledent, anno* 1673 *ad Papebrochium noſtrum datam, in qua hæc leguntur*: Quidam è noſtris Venetiis ſcribit eſſe illic nobilem, qui è catacumbis dictis S. Calepodii accepit ſacrum corpus S. Narciſſi martyris, cujus feſtum incidit in XVII Septembris. D

DE SS. SOCRATE ET STEPHANO MM.

IN ANGLIA C. S.

SYLLOGE.

FORTE SUB DIOCLETIANO. *Memoria in Martyrologiis.*

Hoſce duos Magnæ Britanniæ Martyres, nomine tantùm & palæſtrâ Anglicanâ notos, vetuſta æquè ac recentiora Martyrologia ad præſentem Septembris diemmagno conſenſu annuntiant. Ex Hieronymianis apographis Epternacenſe apud Florentinium in Notis ad Martyrologium ſuum eos ſic memorat: XV Kal. Octobris: Britanniæ Socratis Stephani. *Beda in Martyrologio apud nos ante tomum* 2 *Martii edito, ad eumdem diem habet:* In Britanniis, Socratis & Stephani; *in Metrico tamen altùm ſilet. Iiſdem verbis eos refert Notkerus: conſonat Rabbanus & Ado, & poſt hunc Uſuardus, uti & Ms. Florarii noſtri Sanctorum compilator,* In Britanniis, *inquientes,* ſanctorum Socratis & Stephani. *Hos denique ſecutus Baronius in Martyrologio Romano hâc die ait:* In Britannia ſanctorum martyrum Socratis & Stephani. *Cetera Martyrologia, quæ magno numero proferre poſſem, prætereo; quia præter Martyrum nomina, incertamque in Britannia palæſtram, nihil nos docent.*

Eorumdem elogium

2 *At prolixiùs de iiſdem agit Joannes Wilſonius in ſuo Martyrologio Anglicano, primùm anno* 1608 *ac deinde cum nonnullis emendationibus anno* 1640 *edito. Elogium, quod ibi texuit, ex Anglico Latinum ſubjungo. In poſteriori itaque editione ſic habet:* In Wallia Auſtrali Paſſio SS. Stephani & Socratis martyrum, natione nobilium Britannorum, qui cùm per S. Amphibalum presbyterum & martyrem ad fidem Chriſti converſi eſſent, in perſecutione Diocletiani imperatoris per acerbiſſima tormenta in Britannia necati ſunt circa annum Chriſti CCCIV. Eorum memoria antiquitus celebris fuit in Wallia Auſtrali, præcipuè in ducatu Monumethenſi, ubi multa etiamnum monumenta eorumdem nomini & honori dicata ſuperſunt. *Hæc ibi, mutatis nonnullis, quæ in priori editione paulò aliter poſuerat. Dixerat enim Sanctos* cum aliis multis ob eamdem cauſam (*Chriſtianam ſcilicet religionem*) *necatos fuiſſe; de cultu verò ſcripſerat:* Multa etiamnum in Wallia ſuperſunt templa, antiquitus in honorem eorum conſecrata; ubi etiam ipſorum memoria ad hæc uſque tempora celebris eſt, præſertim in ducatu Monumethenſi, & adjacentibus partibus Auſtralibus. C

in Martyrologio Anglicano

3 *Hiſce conſona habet Michael Alfordus in Annalibus eccleſiæ Britannicæ, tom.* 1, *ad annum Chriſti* 287, *num.* 30, *laudans prædictum Martyrologium, & auctores, quorum neminem exprimit, quique mihi aliunde ignoti ſunt. Non magis ſcio, quæ vetera manuſcripta viderit Eminentiſſimus Baronius, de quibus in Notis ad textum Martyrologii ſui ſuprà relatum ſic meminit:* Agunt de iiſdem hac die Beda, Uſuardus, Ado & alii; quibus etiam adſtipulantur vetera Manuſcripta. *Certè ego hujuſmodi nec in Muſeo noſtro reperi, nec ab aliis in lucem data legi, neque Baronius ipſe de hiſce ſanctis Martyribus, quantùm deprehendere potui, in Annalibus ſuis mentionem fecit. In hac itaque inſtrumentorum penuria aliud facere non poſſum, quàm indagare, quo fundamento Wilſonii dicta niti viderentur. Sanctos Britannos ſive Anglos fuiſſe, martyrium in ea inſula conſummatum ſatis veriſimile facit; quod autem ad nobilitatem ſtirpis eorum attinet, qua ratione id probabit Wilſonius?* E

Satis veriſimile, exponitur.

4 *A veriſimilitudine pariter non aberrat, quòd eos in Diocletiani perſecutione paſſos velit; in ea enim ſuos heroes etiam Anglia ſpectavit, de quibus Beda lib.* 1 *Hiſtoriæ, cap.* 7 *de S. Albano agens, hæc ſcripſit:* Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron & Julius, Legionum urbis cives, aliique utriuſque ſexus diverſis in locis perplures, qui diverſis cruciatibus torti, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati, animas ad ſupernæ civitatis gaudia perfecto agone miſerunt. *De SS. Aarone & Julio actum in Opere noſtro eſt ad diem* 1 *Julii; de Sanctis verò Albano, ejuſque in fide magiſtro Amphibalo, clerico ad* XXII *Junii, ubi in Actis ſecundo loco editis, circiter bis mille ejus operâ ad Chriſtum converſi, coronatique martyrii laureâ fuiſſe dicuntur, quorum omnium martyrium ad magnam Diocletianeam perſecutionem anni* 303 *ibidem relatum eſt. Inter hos ergo* SS. Socrates *ac* Stephanus *fuiſſe à Wilſonio crediti ſunt, ideóque S. Amphibali diſcipuli, & acerbiſſimis tormentis necati, ab eodem dicti ſunt: quod etſi certum non ſit, non inepta tamen conjectura eſt. Eadem de cauſa palæſtram eorum in Auſtrali Wallia collocavit, quia multi in ea provincia à S. Amphibalo Chriſtum edocti glorioſo martyrio defuncti ſunt. Huic opinioni multùm favet, ſi, ut Wilſonius ait, in Monumethenſi ducatu, vulgò Monmouth-ſhire, ſancti Martyres noſtri eccleſias ſibi dicatas olim habuerint, & nunc etiam eorumdem ſacra monumenta ſuperſint, de quibus tamen ego poſt diligens examen nihil potui apud alios reperire.* F

Tamayi aſſertum fictitium.

5 *Porrò quamquam Martyrologia omnia, quæ de hiſce ſanctis Martyribus meminere, palæſtram eorum in Britannia ſtatuant, Joannes Tamayus ta-*

AUCTORE C. S.

tamen in Martyrologio Hiſpanico ad hunc diem Septembris eoſdem Britoniæ ſive Brioniæ, quæ olim Hiſpaniæ in Gallæcia civitas fuit, nunc exciſa, paſſos aſſerere non dubitavit. Britonia in Hiſpania, *inquit*, SS. Socratis & Stephani, qui in dira Ulpii Trajani perſecutionis procella propter fidem capti Catholicam, variis tormentis dilaniati, tandem martyres ſupremo coronantur agone. *Hujus aſſerti ſui, cui martyrologos ceteros adverſari agnoſcit, vadem citat pſeudo-Julianum, quem more ſuo ceteris omnibus præfert.* Julianus, *ait*, archipresbyter Toletanus in Chronico, anno XCIV, num. XXVI, fol. XVI, licèt in codice edito corrupta nomina Sanctorum Martyrum & locus palæſtræ reperitur, eos agonem compleviſſe affirmat in Britonia Hiſpaniæ hac ſerie: "In eadem perſecutione (Trajani) in Hiſpania, civitate Brionia vel Briania (lege Britonia) ſanctorum martyrum Sociotis (repone Socratis) & Stephani. Alii ſub Nerone." *Subdit etiam ibidem ejuſdem Juliani Epigramma Ms. inter poëmata Hali de eiſdem agens: verùm tam hæc, quàm prædictum Chronicon cùm in Opere noſtro tum ab aliis fictitium eſſe jam toties oſtenſum eſt, ut ulteriori refutatione nil opus ſit.*

DE S. FLOSCELLO, PUERO, MART.,

QUI COLITUR BELNÆ, IN DUCATU BURGUNDIÆ.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu, tranſlationibus, tempore martyrii, & Actis.

Colitur Belnæ, quò corpus ejus

Belnæ, quæ oppidum Galliæ in ducatu Burgundiæ eſt, medio ævo Belnum, indigenis Beaune *appellatum, cujuſdam ſancti pueri,* Floſcelli, *vel* Flocelli, *aut ſicut in nonnullis ipſius Actis legitur,* Victoris Flocelli, *corpuſculum in veneratione eſt, quò jam ab aliquot ſeculis tranſlatum fuiſſe, multiſque miraculis inclaruiſſe perhibetur. Caſtellanus in Martyrologio univerſali ad hunc* XVII *Septembris diem in margine notat, eum Gallicè paſſim* ſaint Flaceau, *& quibuſdam in locis etiam* ſaint Frouceau *appellari. De corpore ejuſdem ad prædictum oppidum tranſlato ſequentia accipe ex Martyrologio Belnenſi, fol. 63, ad nos olim tranſmiſſa, & ad hanc diem ſepoſita.* Undecimo Calendas Maji. Belno caſtro, Exceptio SS. Floſcelli & Hernei, ex quibus glorioſus Chriſti athleta Floſcellus, ſicut Paſſio ipſius ſcripta teſtatur à fidelibus Chriſtianæ religionis ſcriptoribus, in villa Duurnunenſi, quæ eſt in pago Conſtantino, digna veneratione ſepultum, & à Deo magnis eſt virtutibus clarificatum.

C

ex Conſtantienſi agro tranſlatum

2 Sed cùm invaleſcente gentilium furore, eo in loco debiti honoris religione ſanctiſſima membra carerent, à quibuſdam prædicti caſtri militibus pariter cùm S. Herneo Cœnomannenſi abbate reverentiſſimo, in villam Ruffianam tranſportati, ſignis & virtutibus claruerunt. Inde divina diſponente miſericordia, Othonis comitis tempore in Belnenſium * tranſlati ſunt, ibique uſque nunc fideliter, humiliterque poſcentibus pro quibus ** clementi pietate ſuccurrunt. *Hæc ibi: folio verò 179 ejuſdem Martyrologii de eodem ſacro depoſito hæc rurſum legere eſt:* Quinto Idus Novembris. Eadem die Tranſlatio corporis B. Floſcelli martyris, in hac eccleſia Belnenſi quieſcentis, quod corpus per venerabiles patres, dominum Simonem, titulo S. Ceciliæ presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis legatum in Francia, & Girardum Dei Gratiâ Eduenſem epiſcopum, de loco ad locum magis venerabilem die prædicta eſt tranſlatum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto.

* *adde* oppidum

** quibuſvis

dicitur in Paſſione ejus

3 *Quæ hîc de prima ſancti Martyris noſtri in Conſtantienſi pago, vulgò* le Coutantin *in Normannia Inferiori, ſepultura ex ejuſdem Paſſione dicuntur, nullam certam fidem merentur; cùm illa Paſſio, ut infrà oſtenſuri ſumus, inter fabuloſas rejicienda ſit, & in ipſo citato loco fabulatorem ſuum prodat. Scriptor enim illius anonymus, cùm dixiſſet,* S. Floſcellum, *quando in ardentem rogum conjiciendus erat, petiiſſe à Deo, ut non igne, ſed alio quolibet ſupplicio coronaretur, utque mereretur corpus ſuum, conſummato martyrio,* ad propriam patriam, atque ad pagum proprium redire, qui dicitur Conſtantinus; *cùm hæc, inquam, dixiſſet ſcriptor, narrata poſtmodum Sancti cæde, his verbis progreſſus eſt:* Chriſtiani autem auferentes ejus corpuſculum, abſconderunt eum animo devoto, loco quieto & ſatis bene ornato. Quieſcente autem ibidem ipſius corpuſculo quatuor & eo ampliùs menſibus, commoniti in ſomnis nautores * Chriſtiani de provincia B. Floſcelli, euntes, furati ſunt corpuſculum ejus; quod optimo * ſijndone veſtitum navi immittentes, & extenſo velo per magnum pelagus navigantes, cum cereis inſigniter ardentibus, tertia die venerunt ad provinciam pagi, qui vocatur Conſtantinus.

F

* *i. e.* nautæ

* optima

cum adjunctis fabuloſis

4 In craſtino verò congregatis omnibus provinciæ ipſius epiſcopis, die tertio Kalendarum menſis Martii inter pſalmorum melodiam & omnium pſallentium gaudia ſepelierunt membra ejus, veluti ingenti odore aromatum fragrantia, in monumento locelli, vocabulo Chriſtonno, in villa, quæ ab hominibus illius provinciæ & pagi nominatur Duurix Duuronno. *Hactenus ipſe: ſed quis credat fabulatori illi, qui Antonini temporibus, ferventeque, ut aſſerit, perſecutione, in qua* Floſcellum *paſſum ſtatuit, eccleſiam Dei in Conſtantienſi pago tot vicinis epiſcopis florentem, tamque pacatè ſacri corporis exceptione publicè exultantem comminiſcitur, quàm ſub Chriſtianis im-*

AUCTORE C. S.

A *imperatoribus unquam potuit fuisse ? De Constantino quoque pago communior sententia est, illum à Constantio Chloro, vel ab ejus nepotibus Constante aut Constantio, id nomen accepisse, prout apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum videre licet. Hinc per prolepsim vocabulum istud à scriptore Passionis usurpatum fuisse dicendum est : sed eo ipso is sese à* S. Floscelli *ætate longiùs abfuisse manifestat.*

& tempore incerto.

5 *Villam* Duurix Duuronno, *vel* Duurnunensem, *ut in Belnensi Martyrologio legitur, frustra quæsivi. De* Rufiana *in Sequanis, ad quam sancti Martyris corpus deinde translatum fuisse, idem Martyrologium asserit, consuli potest mox laudatus Valesius. Quis verò gentilium furor in citato Martyrologio memoretur, incompertum mihi est, nisi fortè aliqua barbarorum irruptio designetur. Ad S. Herneum quod attinet, is haud dubiè est Erneus, cujus vitam illustratam habes apud nos tom.* 2 *Augusti, ad diem* IX, *pag.* 425 *& seqq., ubi eum seculo* 6 *inclinante vixisse ostenditur, sepultumque in vico Celciaco, in ecclesia S. Georgii martyris. In Annotatis ad lit.*

B *l nova S. Erinei translatio ex Analectis Mabillonii memoratur, facta à Francone seniore, episcopo Cenomanensi, qui ab anno* 793 *usque ad* 816 *sedisse ibi dicitur ; verùm & ea translatio intra vicum Celsiacum peracta fuit. Ceterùm fatetur ibidem Boschius noster, nescire se, quò sacra Ernei ossa tandem evaserint. Per Ottonem comitem, cujus tempore Belnenses, ut habet eorum Martyrologium, sacra illa pignora acceperunt, verisimiliter aliquis è Burgundiæ comitibus indicatur ; cujus nominis cùm non unus fuerit ante annum* 1265, *quo ultima translatio facta est, nihil hinc quoque certi determinare possumus.*

Transfertur ibidem denuò anno 1265 ;

6 *Utut hæc se habeant, certiora sunt, quæ de postrema* S. Floscelli *translatione intra eamdem ecclesiam Belnensem numero* 2 *retulimus ex sæpe dicto Martyrologio. Simon enim titulo S. Cæciliæ S. R. E. Cardinalis, per quem ea facta dicitur, fuit Simon de Bria Gallus, qui legationibus pro Apostolica Sede Romana in Galliis diu functus est, annoque* 1281 *Nicolao III in Pontificatum successit, Martinus II, aliis IV dictus. Girardus autem Æduensis, sive Augustodunensis episcopus, in cujus diœcesi Belna est, quique & ipse translationi adfuit, tom.* 4 *Galliæ Christianæ, col.* 402

C *& sequentibus cognominatus fuisse dicitur* de Rupe, *seu* de Rocca, *vel potiùs* de Beauregard, *in eaque sede, ad quam anno* 1253 *electus fuerat, anno* 1275 *adhuc sedisse. In elogio ipsius ibidem de hoc ipso argumento legitur :* Sub eo corpus S. Flocelli Belnæ in honestiorem locum elevatur per Simonem Cardinalem S. Cæciliæ legatum, V Idus Nov. MCCLXV. *Eadem habet Claudius Robertus in sua item Gallia Christiana in laudati Girardi periodo. Ceterùm utraque translationis annuntiatio num* 1 *&* 2 *relata, à Sollerio nostro inter Auctaria Usuardi totidem verbis recensita est ex codice S. Mariæ Belnensis, cum eo tamen discrimine, quòd prior translatio, sive Exceptio sacrorum corporum, ibidem non* undecimo Calendas *Maji, sive* XXI *Aprilis, ut habet Ms. meum, sed* XXVI *Aprilis referatur, quo die etiam in Opere nostro in indice Prætermissorum de ea facta est mentio.*

ubi gemino Officio colitur ;

7 *Gemino autem Officio ecclesiastico Sanctum nostrum apud Belnenses coli, aut saltem coli solitum fuisse, docent me lectiones propriæ à patre Petro Francisco Chiffletio nobis descriptæ* ex Breviario S. Mariæ Belnensis, edito MDXVII, *ubi primò legitur :* In Natali S. Floscelli XVII Septembris. *Lectiones istæ compositæ sunt ex Actis ejusdem, quæ infrà examinabimus. Pro antiphonis verò Laudum sequentes versus hexametri satis inepti leguntur.*

Spiritus invictus habitacula carnea linquens,
Est visus multis comitari cœtibus almis.
Millia mox septem populorum credere Christo,
Et limphis vivis properant cum Cæsare nasci.
Ex patria Sancti nautæ venerabile quærunt
Corpus, & inventum patriæ cum laude reducunt.
Conveniunt noti, confines, atque propinqui,
Ac Margaritam condunt veneranter honestam.
Martyris ad tumulum si quis conducit egenum,
Ex ejus meritis fertur medicina salutis.

Alterum de eodem Officium In Translatione S. Floscelli IX Novembris, *qua scilicet die corpus ejus intra ecclesiam Belnensem ad honorabiliorem locum translatum fuisse diximus, ibidem præscribitur. Sed, quod mireris, lectiones propriæ, ex reliqua Passionis parte concinnatæ, martyrium Sancti tantum continent, nec ullam de translatione aut elevatione sacri corporis mentionem faciunt.*

E

uti etiam uno in Constantiensi diœcesi.

8 *Nec Belnæ tantùm, verùm etiam per totam Constantiensem in Normannia Inferiori diœcesim* S. Floscellum *aliquo cultu gaudere, discimus ex ejusdem episcopatus Breviario, ex Nicolai de Briroy Constantiensis episcopi mandato, & Capituli consensu, anno* 1610 *Constantiis edito, quod habeo præ manibus. In eo enim ad diem* XVII *Septembris Officium ecclesiasticum novem lectionum de* S. Flocello *martyre, simul & de S. Lamberto recitandum præscribitur. Officium autem illud totum est de Communi, excepta oratione, quam subdo.* Concede nobis, clementissime Pater cælestis, meritis & intercessionibus sancti martyris tui Flocelli nostrorum cunctorum veniam peccatorum, ac beatæ perennitatis in gloria tua cum electis tuis præmium sempiternum. Per Dominum &c. *Cultus hic haud dubie ipsi ibidem defertur tamquam Sancto indigenæ ; quia nempe Passio infrà examinanda illum in Constantiensi pago natum esse narrat. Baronius num.* 13 *laudandus memoriam ejusdem etiam Augustoduni celebrem esse affirmat : verumtamen in ejusdem diœcesis Breviario, quod anno* 1534 *auctoritate Jacobi Huralti episcopi Æduensis excusum, in Museo nostro exstat, nullam prorsus de eo Sancto mentionem factam reperio. Hinc conjectare licet, Baronium ita sensisse, quia illum Augustoduni passum credebat, aut Augustodunum pro Augustodunensis diœcesis oppido, quale Belna est, scripsisse ; vel certè, si de ecclesiastico Officio ibi agat, in posteriori aliqua ejusdem Breviarii editione Officium de Sancto nostro additum fuisse ; quod ego determinare non possum.*

F

Sanctus, antiquis ignotus, à recentioribus

9 *Porrò hujus sancti pueri Martyris nulla omnino in antiquis Martyrologiis, Gallis æquè ac ceteris, exstat memoria, licet eum sub ethnicis imperatoribus Romanis coronatum fuisse Acta tradant. In recentioribus tamen ad hunc diem* XVII *satis notus est. In primis Dominicus Georgius in Annotatis ad Martyrologium Adonis observat,* Floscellum *vel* Flocellum *martyrem in uno è suis Adonianis codicibus, uti & in Sangermanensi apographo suo hodie annuntiari. De eodem ad hunc diem meminerunt varia Usuardi Auctaria apud Sollerium, quæ ob vetustiorum inopiam juverit hîc recitâsse. Codex Hagenoyensis sic habet :* Ipso die sancti Floscelli martyris. *Matricula Carthusiæ Ultrajectinæ :* Flocelli pueri mar-

AUCTORE G. S.

martyris. *Codex Bigotii* : Ipso die, sancti Floscelli martyris. *Belnensis codex* : Natale sancti Floscelli martyris. *Belinus mendosè* : Ipso die, sancti Flesselli, martyris egregii. *Ac denique etiam mendosiùs editio Florentina*: Ipso die, sancti Stefelli, martyris egregii.

martyrologis hâc die enuntiatus.

10 *Prolixior hîc est Grevenus, sancto Martyri elogium ex ejusdem Actis texens in hunc modum* : Passio S. Floccelli pueri, qui tempore Antonini imperatoris, cùm Christianos in tormentis positos confortaret, cum leone in carcerem, ab eo devorandus missus est; sed ipso orante, leo moritur. Eductus è carcere, atque in ignem missus, igne exstincto, ipse postmodùm martyrium suum implevit. *Brevius, non sine mendo tamen, habet Molanus* : Ipso die, sancti Frecilli, martyris egregii. *Longum denuò elogium recitat auctor nostri Ms. Florarii Sanctorum, eadem, quæ Grevenus, aut similia Acta secutus. Hactenus illi, nullo addito martyrii loco. At Petrus Galesinius*, Augustoduni, *inquit*, sancti Florelli martyris, qui decem annos natus, pietate in Christo adhærescens, egregiè coronatur. *Eamdem palæstram simul & mortis genus Eminentissimus Baronius in Martyrologio Romano assignavit his verbis* : Augustoduni, sancti Floccelli pueri, qui sub Antonino imperatore, & Valeriano præside multa passus, demum à feris discerptus, martyrii coronam adeptus est. *Consonat Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, ubi satis prolixum elogium more suo exhibet. Verùm hæc jam discutienda sunt.*

B

Sancti ætas unde conjici potuerit: palæstra,

11 *Puerilis sancti Martyris ætas, qualem non nulli ex relatis martyrologis & Actorum scriptor ipsi tribuunt, ex sacri corpusculi mole haud dubiè deprehensa est; aliqua tamen Actorum apographa eumdem modò* puerum, *modò* virum *appellant. Palæstram qui notant, eam non aliunde didicisse videntur, quàm ex Catalogo Petri de Natalibus, qui lib.* 8, *cap.* 92 *de Sancto sic orsus est* : Flocellus, puer decennis, passus est apud urbem Augustodunensem. *Non aliunde, inquam; quia in nullo è Mss. nostris, infrà enumerandis (si unum minoris momenti excipias,) nec in edito apud Mombritium, martyrii locus Augustodunum assignatur : sed vel omnia palæstram silent, vel Romam assignant;* C *quamquam hæc ad cetera non satis consequenter. De martyrii quoque genere non omnino conveniunt eadem apographa : horum enim tria de eo sic ajunt* : Beatæ verò memoriæ virum Floscellum ad se revocatum (*Antoninus imperator*) expoliavit vestibus, quibus erat indutus, & vestivit eum stolâ lineâ, tradiditque eum foràs in platea, & interfecerunt eum. *Simili modo legit Mombritius, sic inquiens* : Tandem imperatori præsentatus Antonino, vestibus spoliatus, & stolâ lineâ indutus, foràs in plateam traditus est quinto decimo Calendas Octobres.

genus martyrii, dies

12 *Consonant duo alia apographa ex Breviario Belnensi, ubi hæc legere est* : Floscelum Judaico more propriis exspoliatum vestibus, lineâ lugubrique stolâ circumdans (*Antoninus*) in platea eum coram cunctis, proh dolor, occidendum, *præcepit. In alio denique Ms. nostro legitur* : Imperatoris jussu in platea civitatis Augustodunensis capite plexus est. *Contrà auctor Florarii nostri Ms., Petrus de Natalibus in Catalogo, Baronius tam in Martyrologio, quàm in Annalibus, & Saussayus in Martyrologio Gallicano, eumdem à feris discerptum scribunt, quia scilicet hi omnes, aut eorum aliquis in sancti Martyris Actis pro voce* foràs *legerint* feris, *vel certè sic legendum esse censuerint. De martyrii die magis convenit; quippe illum die* XV *Calendas Octobris coronatum fuisse, communis omnium sententia est, si Petrum de Natalibus excipias, qui sive ex diverso apographo, sive ex errore,* XIV Calend. Octobris *signavit.* D

& tempus incerta.

13 *Nec magis certum est, quo tempore Sanctus passus sit. Longioris Passionis compilator id sub Antonino & Maximiano, post S. Georgii martyrium, quod sub Diocletiano contigit, factum esse, ridiculè affirmat, ut num.* 15 *videbimus. In brevioribus Actis solus Antoninus memoratur; quod an de Ælio Antonino Pio, an de Marco Aurelio Vero Antonino, accipiendum sit, denuò incertum est. Hinc factum puto, ut Eminentissimus Baronius tom.* 2 *Annal. Eccles. ad annum Christi* 154, *num.* 3 *agens de martyribus in persecutione Antonini Pii coronatis, S.* Floscellum *ceteris annumeraverit, dicens* : Augustoduni in Gallia Floscellus & alii : *& ad annum* 179, *num.* 37 *inter martyres sub Marco Aurelio passos eumdem rursus recensuerit*, Inter alios, *inquiens*, magna laude dignum fuit martyrium Flocelli pueri, qui post multa tormenta feris objectus, ab illis discerptus est : celebris est ejus memoria Augustoduni. *Eumdem porrò* Floscellum *utroque loco memorari manifestum est; ideóque non nisi ex memoriæ lapsu, fallente Antonini nomine, Eminentissimus Annalista eum in Annalibus geminâsse dicendus est, quem in Martyrologio suo tantum unum agnovit. Verùm quis ex tam dubiis Actis, qualia ea esse dicemus, certum martyrii tempus determinet? Ego quidem, donec meliora instrumenta producta fuerint, malo nihil, quàm aliquid temerè statuere.* E

Varia geminæ Passionis apographa;

14 *Actorum sive Passionis ejus apographa in Museo nostro varia servari, jam sæpe insinuavimus. Inter hæc tria prorsus conveniunt, quorum unum à Petro Francisco Chiffletio, viro de Museo nostro optimè merito, ex Ms. monasterii Accincti & S. Benigni Divionensis, alterum à Papebrochio nostro ex Ms. Cistercii, cod.* 6. *num.* 35, *tertium denique nescio unde, transumptum est. Horum omnium initium est* : Passionem B. Floscelli pueri, qui tempore Antonini Cæsaris & Maximiani, publicè præsentium, sub præside Valeriano, pro fide Christi certans, pati promeruit, dignum duximus memoriæ commendare. *Alterum ab eodem Chiffletio è Breviario S. Mariæ Belnensis, de quo num.* 7 *meminimus, descriptum, sic incipit* : Eo igitur tempore, quo Antoninus cæsar & Maximianus Romæ præfuerunt, diabolicæ fraudis illusione decepti, non justitiæ legibus Urbem regere & ornare, sed tyrannidis suæ crudelitatem exercere studuerunt. *Huic simile est & aliud ex eodem fortè Breviario desumptum.* F

longior Passio

15 *Altera denique Passio, prædictis multo brevior, cujus etiam geminum exemplar Ms. habemus, à Mombritio edita, sequens exordium habet* : Temporibus Antonini passus est sanctus puer Flocellus sub Valeriano præside. *Ab hac non multùm discrepat ea, quam Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 8, *cap.* 92 *recensuit. Id porrò universim notari potest, alteras ex alteris vel contractas, vel ampliatas fuisse; & quod in hujusmodi scriptis non rarò accidit, contractiores paucioribus fabulis infartas esse. Certè ego prolixiora apographa nostra prelo indigna reputo, mecumque reputabit eruditus lector, dum aliquot eorumdem commenta perpende-*

derit. *In ipso mox limine, ut patet ex dictis, imperitus compilator* S. Floscellum tempore Antonini cæsaris & Maximiani *passum asserit; quasi hi duo simul imperâssent, inter quorum imperium plus quàm seculum interceſſit, ſive per Antoninum designatum voluerit Ælium Antoninum Pium, ſive Marcum Aurelium Antoninum. Ne verò quis ſuſpicetur* Antoninum *ex amanuensis errore pro* Diocletiano *in aliquem codicem irrepſiſſe;* Antoninum *habent omnia apographa, & ſolum quidem breviora, qualia etiam Petrus de Natalibus & Mombritius ediderunt. Sed & Antonini nomen in omnibus apographis poſtea recurrit, Diocletiani nuſquam. Nihilominus ſub Diocletiano, vel poſt ipſum* S. Floscellum *paſſum fuiſſe, idem ille ſcriptor imprudens ſignificat, dum & ipſe quædam de S. Georgio martyre, qui ſub Diocletiano martyrium ſubiit, velut anteriora narrat, & judicem de iiſdem loquentem inducit.*

fabuloſa eſſe oſtenditur,

16 *Idem fabulator imperatorem triginta tres pueros, qui ſecum idolis immolarent, elegiſſe comminiſcitur, eoque audito,* Floscellum *puerum* congregatis omnibus viris eccleſiaſticis & plebe cum miniſtris, *pro Chriſtiana fide publicè perorâſſe. Quamquam autem Puer ille divinis præceptis inſtructiſſimus ubique exhibeatur à biographo, idem tamen ille præſidem per idola, ſi ipſi credimus, adjuravit. Eodem teſte,* cùm *ſanctus Puer in equuleo* appenſus eſſet, exceptor Officii, eum non ſolùm illius civitatis, (*quam tamen biographus nuſquam indicat;*) ſed & provinciæ totius dominum eſſe primumque affirmabat: quo audito, juſſit eum præfectus de equleo ſubmitti *&c. De malefico quoque futilem quamdam fabellam texit in hunc modum:* Tunc vocatus maleficus confixit in palmis & in lingua B. Floscelli clavos extra civitatem. Tunc Victor Floscellus maximè Deo gratias agere cœpit, dicens: Repletum eſt gaudio os meum...

preloque indigna:

17 Cùm hæc B. Floscellus decantaret, nuntiatum eſt Valeriano (*præſidi,*) qui vocato ad ſe malefico dixit: Puniendo me corripis; nam non bene linguam ſeductoris confixiſti; quia ſemper populum ſeducens, alloquitur. Cui maleficus jurans dixit: Per virtutem deorum crede mihi, quoniam plus, quàm ſolebamus aliis Chriſtianis, clavos in linguam ejus infixi: verùm poſco, ut aliquod mihi pecus adducatur, quatinus, ipſi taliter clavis impoſitis, videre valeas, ſi vivere poterit. Et continuò taurus adductus, cùm confixus fuiſſet, mortuus in terram cecidit. *Nec minùs nugatorium eſt, quod ait, Sanctum verba ſua, quæ confixâ clavis linguâ loquebatur, cuidam dictâſſe, ab illoque proprio Martyris ſanguine excepta fuiſſe.* Dictavit autem, *inquit,* ſcriptori B. Floscellus hos ſermones, quos ſcriptor in charta de ſanguine ejus ſcripſit. *Vide etiam, quæ ſuprà num.* 3 *&* 4 *de tranſlatione ſacri corporis ex eadem Paſſione retulimus: cetera mitto, quia hæc certè ſufficiunt, ut hujuſmodi Actis omnis fides abnegetur.*

brevior incertæ fidei, unde edenda.

18 *Non tam fabuloſa ſunt contractioris Paſſionis apographa, qualia ſcilicet Petrus de Natalibus & Mombritius edidère: nec tamen eam veritatis antiquitatiſque ſpeciem præferunt, ob quam bonæ notæ inſtrumentis fidem prudenter non poſſumus negare. Imò ego non poſſum deponere vehementem ſuſpicionem, ne iſtud* Floscelli *nomen fictitium ſit, anonymo cuidam puero martyri, cujus corpus in veneratione meritò erat, attributum, Actaque ipſa ex incerta traditione compilata, aut etiam penitus conficta. Formidinem hanc movet mihi martyrium ejuſdem ac memoria antiquioribus omnibus martyrologis tam Gallis, quàm ceteris omnino ignota; Acta aut apertè fabuloſa aut dubia, quæque præter cultum aliunde cognitum, cetera omnia incerta relinquunt; ac ipſum denique* Floscelli *vocabulum, ignoti nominis puero martyri haud ineptè imponendum. Attamen cùm hæc mea tantùm ſuſpicio ſit, nolo contractiorem illam Paſſionem à lectore deſiderari, ideóque eam ex editione Mombritiana recudam, annotatis more noſtro, quæ ad eamdem illuſtrandam facere videbuntur.*

AUCTORE C. S.

PASSIO

Ex editione Mombritii.

Tolerato equuleo, victo leone, puerum

TEmporibus Antonini *a* paſſus eſt ſanctus puer *b* Flocellus ſub Valeriano præſide. Nam cùm Chriſtianos in fide confortaret, dicens: Nolite timere, à præſide juſſus eſt in equleo ſuſpendi, & vehementer flagellari; deinde in carcerem cum leone devorandus mitti: ſed, illo orante, leo cecidit, & mortuus eſt. Apparuerunt que ibi candelabra ſeptem lucidiſſima cum odore incenſi, & eſcâ Domini refectus eſt *c*. Audiens hoc quidam de civitate, qui habebat filium cæcum, ſurdum & mutum, intellexit eſſe apud eum gratiam Dei, & veniens ad hoſtium * carceris, rogavit eum cum lachrymis, ut pro puero oraret. Qui ait: Crede in eum, in quem Chriſtiani credunt, & ſanabitur.

a
b
c
* oſtium

ſanat, & poſt alia, occiditur.

2 Tunc ille credere confeſſus eſt; & orante Flocello, puer ſanatus eſt. Apparitores autem à præſide miſſi ad carcerem, ut viderent, ſi à leone Flocellus devoratus fuiſſet, viderunt luminaria, & leonem mortuum, & audierunt Sanctum pſallentem. Quod cùm renuntiâſſent præſidi, is ait: O Flocelle, quàm prævalent maleficia tua! Et præcepit rogum magnum extra civitatem fieri, eumque cremandum duci. Qui cùm oraret, facta eſt vox de cælo confortans eum. Properantibus eis ad ignem, ſemper ab angelo dextro Sanctus Dei protegebatur. Et cùm projectus in medio ignis jacêret *d*, illico tempeſtas valida, de cælo veniens, ignem extinxit, ipſumque angelus illæſum ab igne liberavit. Poſt hæc vocatus veneficus, in palmis & lingua ejus clavos confixit *e*. Tandem imperatori præſentatus Antonino, veſtibus ſpoliatus, & ſtolâ lineâ indutus, foràs *f* in plateam traditus eſt quinto decimo Calendas Octobris *g*.

d
F
e
f
g

ANNOTATA.

a *Conſule Commentarium num.* 13 *& duobus ſeqq.*

b Puer decennis *legitur in editione Petri de Natalibus, ubi etiam palæſtra Martyris additur,* Apud urbem Auguſtodunenſem. *Vide Commentarium num.* XI.

c *De hac refectione nihil habet Equilinus.*

d *Equilinus præter alia minoris momenti hîc habet:* Sed Puer ab angelo ſibi à dextris aſſiſtente hortatus, ignem ingreſſus eſt, & continuò tempeſtas *&c.*

e *De malefico nihil memorans Equilinus, tantùm ait:* Quem præſes juſſit linguâ & palmis clavis configi.

A f *Pro* foràs *idem Equilinus legit* feris, *post verba ad præcedentem litteram relata, sic inquiens:* Et dum nihilominus Christum confiteretur, stolâ indutus lineâ, feris in platea exponitur, & ab eis discerptus, martyrio coronatur. *Adi Comment. num.* 12.

g *In mox laudato Catalogo legitur* XIV Cal. Octobris. *Vide dicta in Commentario num.* 12. *In longiori Passione hìc subditur translatio corporis ad pagum Constantiensem, quam num.* 3 & *seqq. retulimus & examinavimus. Subduntur etiam nonnulla generatim de beneficiis, quæ ad ejusdem tumulum ibidem impetrata fuerint; & ex quibus liquet, scriptorem istius Passionis à primis Christianæ æræ seculis longiùs abfuisse, cùm inter cetera ibidem loquatur de pueris voti causâ sancto Martyri mancipandis.* D

DE S. AGATHOCLIA ANCILLA M.

J. S.

Ex Fastis Romanis & Græcis.

S. Agathoclia, Romano Martyrologio ex Græcis

AGathocliam *martyrem ex Fastis Græcis Martyrologio Romano inseruit Baronius, sic eam annuntians:* Eodem die sanctæ Agathocliæ ancillæ cujusdam mulieris infidelis, quæ longo tempore verberibus, aliisque ærumnis ab ea vexata, B ut Christum negaret, oblata demum judici & sæviùs laniata, cùm in confessione fidei persisteret, excisâ linguâ, in ignem projecta est. *Ita Baronius ex Menologio Sirletiano pro majori parte; sed Fasti Græci in exponendis* S. Agathocliæ *cruciatibus invicem utcumque dissentiunt, & non omnino consentiunt cum Baronio. In Menologio Sirletiano Latinè vocatur* Agathochia; *sed mendum putem esse typographicum, cùm in reliquis Fastis constanter legatur* Agathoclia, *uti & in indice Martyrologii Sirletiani. In eo hæc leguntur:* Sancta martyr Agathochia, serva Nicolai cujusdam Christiani hominis, & Paulinæ uxoris, cùm esset Christiana, & Deum timeret, quotidie cruciabatur, ab hera infideli muliere idolorum cultrice, quæ Agathochiam octo annis asperis lapidibus verberabat in vertice, eamque nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme & frigore ad ligna colligenda, per totos octo annos studens illi persuadere, ut adoraret idola. Quod cùm omnino recusaret, laniata est, & excisa lingua: & in carcerem conjecta: fame affligebatur: postremò injecto in collum igne, præsentem C vitam cum æterna commutavit.

inserta, elogio laudatur ut martyr:

2 *Menæa impressa elogium exhibent huic ferè consonum. Attamen ibidem* S. Agathoclia *non vocatur* serva, *sed potiùs Nicolai & Paulinæ dicitur filia. Certè verba Græca sic exponenda videntur:* Ἥτις ἐγένετο Νικολάου θυγάτηρ ἀπὸ Χριστιανῶν, καὶ Παυλίνης τῆς αὐτοῦ γυναικός. Hæc erat Nicolai Christiani filia, & Paulinæ ejus conjugis. *De carcere, in quo fame afflicta fuerit, nihil quoque habent Menæa. Reliqua satis consonant: & duo versiculi, qui adduntur, etiam habent igne in collum injecto occisam fuisse. Menologium Basilianum in pluribus dissidet, cùm ita habeat:* Martyr Agathoclia, professione Christiana, serva Nicolai cujusdam, Paulinæque ejus uxoris, qui priùs Christiani fuerant, deinde à Christo deficientes idola colebant: sollicitabatur & ipsa ut E Christum abnegaret, & ad idolorum culturam se transferret. Verùm cùm ad id induci nequiret, annos octo excruciata fuit, adhibitis per singulos dies diversis tormentis. Nam aliquando asperis saxis in spondylo & facie, aliquando virgis in capite & humeris cædebatur. Sed cùm in Christi fide constans permaneret, ferreo malleo comminuitur: tum præcisâ linguâ, in carcerem conjicitur, proposito interdicto, nequis ei cibum afferret. Verùm disponente Deo, luscinia avicula arboreos fructus deferens, illam alebat. Postremò domina ejus ingressa carcerem, candente vecte ferreo eam interemit. *In id omnes Græci consentiunt, non fuisse judici traditam; sed ab hera dirè tortam, & igne interemptam. Hoc autem non alio modo rectiùs intelligitur, quàm si credamus occisam ferro candente ad collum admoto. Quam verò certa sint adjuncta aliqua, defectu meliorum scriptorum definiri nequit.*

non videtur Hispaniæ adscribenda.

3 *Vides, opinor, nec locum, nec tempus martyrii ab ullo indicari. Tantò faciliùs eam Hispaniæ adscribere potuit Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad hunc diem, ubi* F *eam annuntiat* Octogesæ in Illergetibus Hispaniæ, *& passam ait sub Domitiano,* anno Domini XCIV. *At solum laudat Flavium Dexterum, auctorem nempe Chronici fictitii, aliosque recentiores hunc secutos. Quare dicta illa Tamayi pro non dictis haberi debent, ut nôrunt eruditi Hispani. Græcum est* Agathocliæ *nomen, & à solis Græcis olim fuit celebrata, ita ut dubitare non debeamus, quin alicubi in ecclesia Orientali sit passa.*

DE

DE SS. MARTYRIBUS VALERIANO, MACRINO, ET GORDIANO

Ex Martyrologiis.

J. S.

Hi Martyres, in Martyrologiis antiquis notiſſimi,

Res ſanctos Martyres, ex ſolis ferè Martyrologiis notos, Baronius in Romano ſic hodie memorat: Novioduni ſanctorum martyrum Valeriani, Macrini & Gordiani. *Præceſſerunt antiqui martyrologi, mutato tamen nonnihil nomine civitatis, quæ Sanctorum palæſtra ſtatuitur. Nam Hieronymiana apud Florentinium ita habent:* In Neviduno ſanctorum Valeriani. Magrini. & Gurdiani. *Epternacenſe ibidem habet:* Neveduno Valeriani, Macrini, Gordiani. *Corbeienſe:* Neveduno natalis SS. Valeriani, Magrini, Gurdiani. *Ex contractioribus apud nos planè conſentiunt Rhinovienſe & Richenovienſe. Contractiora alia minùs quidem accuratè ſine loco, eoſdem tamen Sanctos exhibent, uti & facit Gellonenſe apud Acherium, & Antiquiſſimum apud Martenium tom. 3 Anecdotorum. Ado in ſuo Martyrologio eoſdem ſic expreſſit:* Nividuno, natalis ſanctorum Valeriani, Macrini & Cordiani. *Uſuardus conſentit his verbis:* Nividuno, ſanctorum martyrum, Valeriani, Macrini & Gordiani. *Notkerus locum alio modo expreſſit, ſic habens:* Novioduno, Valeriani, Macrini & Gordiani. *Hactenus antiquiores, qui valde ambiguum relinquunt locum, in quo paſſi ſunt Sancti.*

non videntur alicui civitati ſatis certò adſcribi poſſe,

2 *Recentiores verò in varias abierunt ſententias. Sauſſayus in Martyrologio Gallicano ad diem ſequentem eos tali exornat elogio:* Novioduni in Nivernis ſanctorum Valeriani, Macrini & Gordiani, ſub Decio necatorum ob aſſertionem Chriſtianæ pietatis. *Qui Martyrologium Romanum fecerunt Gallicum, nimirum Philippus Labbe, Simon Mothier, & Claudius Caſtellanus, locum Gallicè vocârunt* Nyon, *quæ eſt civitas Helvetiæ in ditione Bernenſi, à Latinis aliquando* Nevidunum *dicta, ut invenio in aliquot lexicis Geographicis. Auctor noviſſimi Martyrologii Pariſienſis cautè Sanctos illos annuntiavit hoc modo:* Niveduni ſanctorum Valeriani, Macrini & Gordiani martyrum. *Ex hiſce vehementer ſuſpicor, in nulla civitate Galliarum hos Sanctos bene notos eſſe, aut cultu aliquo honorari. Quod ait Sauſſayus, ſub Decio paſſos eſſe, me moveret, ſi aſſertum eſſet ab auctore, qui verba ſua magis ponderare ſolitus eſſet, quàm fecit martyrologus iſte. Itaque, licèt primo intuitu exiſtimaverim, hos Martyres in aliqua Galliarum civitate paſſos eſſe, aut certè in Helvetia, ubi ipſos fixerunt plerique martyrologi Galli recentiores; cùm nec apud ſcriptores Gallos, nec apud Henricum Murer in Helvetia Sancta quidquam certi de illis inveniam; vehementer dubito, an ullo modo ad Galliam aut Helvetiam pertineant.*

& fortè iidem ſunt cum antè memoratis.

3 *Certè antiqui ſolam nominant civitatem, non provinciam, in qua paſſi ſunt Sancti. Fuit autem Noviodunum etiam in Pannonia, ut habet Cellarius in Geographia antiqua tom. 1 pag. 360. Aliud quoque Noviodunum aſſignat dictus auctor pag. 371 in Mœſia inferiore, quæ poſtmodùm Scythia fuit dicta, & nunc Beſſarabia dicitur. Hinc nonnulla mihi ſuſpicio oritur, Sanctos hodiernos poſſe eoſdem eſſe cum illis, de quibus ex Faſtis Græcis & Hieronymianis egi ad* XIII, *ſive tom.* IV *Septembris pag.* 55. *Nam inter hos reperitur aliquis* Valerianus, *alius* Gordianus, *alius* Macrobius *apud Græcos, cujus nomen in Hieronymianis multipliciter ſcriptum eſt. Nihil certi poteſt affirmari, neque enim nominum ſimilitudo ad hoc ſufficit. Solùm inſinuo qualemcumque ſuſpicionem, quia video illos, quos memoravi ad* XIII, *non fuiſſe annuntiatos ab Adone, Uſuardo, Notkero, qui hodiernos annuntiant. Hodiernos verò prætermiſſos à Rabano, qui illos memoravit. Verùm hæc ſolùm valent ad inquirendum ulteriùs, ſi quid ſolidioris argumenti accederet, non ad ſtatuendum aliquid certi.*

A D

DE S. THEODORA MATRONA

ROMÆ

U. S.

SYLLOGE.

Sanctæ notitia unde hausta : memoria in Fastis nonnullis : corporis Ariniano Romam translatio.

POST INITIUM SECULI IV. *Sanctæ memoria in nonnullis*

OMnis, quæ de sancta hac Matrona in Martyrologio Romano Fastisque nonnullis habetur, notitia non aliunde hausta est quàm ex Actis SS. Abundii & Abundantii, datis ad diem præcedentem. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ brevi hoc elogio Sanctæ memoriam recolit: Theodora nobilis matrona Romana Christum colens, Diocletiano & Maximiano Christianos persequentibus, sanctis martyribus viventibus sedulò ministrabat : & post necem corpora illorum conquisita & collecta sepelienda curabat. Hæc corpora sanctorum martyrum Abundii, Abundantii, Marciani, & Joannis noctu ad martyrii locum accedens cum pueris suis, proprio vehiculo imposita, in prædium suum apud montem Soractem XXVIII ab Urbe milliario deportata, ibi apud Arinianum aromatibus condita & linteaminibus involuta sepelivit. Quæ in hujuscemodi pietatis officiis diu versata, tandem ad præmium evolavit in cælum XV Kalendas Octobris. *In fine adscribit:* Ex Martyrol. & Pass. SS. Abundii & Abundantii. *Martyrologium Romanum Baronii haud dubiè designat, in quo Sancta ad præsentem diem breviter annuntiatur his verbis:* Romæ S. Theodoræ matronæ, quæ in persecutione Diocletiani sanctis martyribus sedulò ministrabat.

Fastis: ab aliis, quibus idem nomen, distinguenda est.

2 *Sanctæ quoque nostræ meminerunt Gallonius de Virginibus Romanis pag.* 46, *Arturus in Gynæceo & Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro ad hunc diem. Horum autem verba transcribere necesse non est; nihil enim peculiare continent, solamque ipsius in sanctorum martyrum servitio exhibitam caritatem laudant. Ferrarius in annotatione observat primò, correctione egere signatam in Actis oppidi Ariniani ab Urbe distantiam, cùm non* 28 *sed* 20 *tantùm milliarium sit. Suspicatur Cardulus, ut diximus ad diem præcedentem in Annotatis ad Passionem SS. Abundii & Abundantii litter.* ee, *differentiam hanc ex eo oriri, quòd breviora olim essent, quàm nunc sint milliaria. Observat Ferrarius secundò, distinguendam esse* Theodoram *nostram ab ea, quæ die* 1 *Aprilis in Martyrologio Romano recolitur. Rationem affert, quòd illa soror fuerit S. Hermetis martyris, vixeritque & martyrio coronata sit sub Adriano, imò Trajano imperatore anno* 117, *ut ad diem* 1 *Aprilis dictum est in Opere nostro. Diversa quoque & ab aliis, quibus nomen est Theodora, quæque à vetustioribus martyrologis recensentur, ut liquet tum ex regionibus, quibus adscribuntur, tum etiam ex adjunctis aliis. Grevenus in Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum ad diem* XXVIII *Decembris sic habet:* Theodoræ matronæ Romanæ, *quæ si eadem est cum nostra, nescio, cur à Greveno ad illum diem relata fuerit.*

3 *Gesta* S. Theodoræ *alia non novimus, quàm quòd in illius domo Christi fideles delitescerent, ut perhibet Passio SS. Abundii & Abundantii apud nos num.* 2: *quòd viginti tres anonymos martyres, de quibus eadem Passio, cum Joanne presbytero sepulturæ mandârit in crypta ad clivum Cucumeris, situm viâ Salariâ veteri, ut ex Aringho diximus in Annotatis ad Passionem SS. Abundii & Abundantii litter.* r; *quòd glorioſum illorum certamen in carcere Mamertino degentibus Abundio & Abundantio nuntiaverit, illosque etiam unà cum SS. Marciano & Joanne in prædio suo honorificè sepeliverit. Locum, quo situm erat* S. Theodoræ *prædium, in Commentario prævio de SS. Abundio & Abundantio &c. num.* 34 *dedi ex laudato Aringho Romæ Subterraneæ lib.* 4, *cap.* 40, *num.* 2. *Addit ibidem Aringhus:* Ubi ipsa insuper Theodora digna martyribus meritorum consortio juncta, pari quoque honore condita est. *Cetera* Theodoræ *gesta, uti & annus illius emortualis, incomperta sunt: unde illius obitum latè fixi post initium seculi* IV.

Pauca ejus gesta nota sunt: E

4 *Cardulus in Notis ad Historiam SS. Abundii & Abundantii litter.* k *de* Theodora *nostra præter alia hæc habet:* Quare non immeritò inferiùs (*in Historia primæ translationis SS. Abundii & Abundantii apud nos Appendicis num.* 14) Beata nuncupatur, ejusque imago apud Arinianum in pariete depicta memoratur. *Ex statim laudata translationis Historia liquet,* S. Theodoræ *corpus initio seculi* XI *jussu Ottonis III imperatoris unà cum corporibus SS. Abundii & Abundantii aliorumque martyrum delatum fuisse ad recenter exstructam basilicam S. Adalberti, nunc S. Bartholomæi dictam, sitamque in insula Tiberina, in qua ecclesia* S. Theodoræ *corpus sua ætate etiam quievisse, auctor est Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro. Miraculum, quod in ejusdem translationis historia, apud nos num.* 16 *Appendicis de SS. Abundio & Abundantio &c narratur, quia breve est, huc etiam transfero.* Et dum juxta ecclesiam beati Eutichii martyris transirent ii, qui ea (*corpora SS. Marciani & Joannis*) deferebant, viderunt ex imagine beatæ Theodoræ, quæ ibi erat depicta, aquam incipientem defluere, ita ut etiam sacerdotes, qui ibidem vigilias celebrabant, ex ea faciem sibi lavare potuissent. Quod omnipotens Deus ad hoc demonstrâsse putandus est, quòd sanctorum martyrum

corpus Romam Ariniano deportatum. F

ab-

A absentiâ locus, in quo sepulti fuerant, in prædio beatæ Theodoræ captivus remansit. Quæ quidem aquæ emanatio nec antea visa fuerat, nec postea visa fuit. D

DE S. SATYRO CONFESSORE

MEDIOLANI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

Sancti memoria in Martyrologiis & cultus: elogium à S. Ambrosio scriptum, & Vita ex eo composita: qualiscumque vitæ chronotaxis.

AN. CCCXCII AUT CCCXCIII. *Nomen Sancti in Martyrologiis ad hunc diem,*

BAronius *in Martyrologio Romano* S. Satyrum, *fratrem S. Ambrosii, hodie annuntiat his verbis:* Mediolani depositio sancti Satyri confessoris, cujus insignia merita sanctus Ambrosius ejus frater commemorat. *Præiverat Galesinius, ita scribens:* Mediolani sancti Satiri confessoris, de quo S. Ambrosius frater in libro, quem de illius obitu confecit. *Addit in Annotatis:* Alii postridie hujus diei de eo faciunt, sed ecclesia Mediolanensis hoc ipso die. *Martyrologium Mediolanense Baronii verba repetit, atque ista in Annotatis subjungit:* De S. Satyro agit Martyrologium Romanum, Breviarium & Missale Ambrosianum cum Missa propria, Officium ejusdem editum Romæ sub Clemente X Pontifice Maximo ad usum sanctimonialium S. Ambrosii *&c. Longius elogium dat Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad eumdem diem, ibique adjungit hæc verba:* Extat Mediolani ecclesia S. Satyro dicata, in qua corpus illius asservatur.

2 *Verùm quod de corpore dicitur, errori obnoxium est, ut observatur in Martyrologio Mediolanensi, ubi de illa ecclesia hæc leguntur:* Anspertus de Blasono, . . . archiepiscopus in umbilico ferè urbis Mediolani ædificandam curavit sacram ædem SS. Sylvestro & Satyro, quemadmodum antea scripsi, in qua Ferrarius falsò affirmavit asservari corpus divi Satyri. *Etenim duæ aliæ sunt ecclesiæ, quæ de corpore Sancti litigant, ut infrà videbimus, videlicet ecclesia S. Ambrosii, in qua sacellum est, olim* S. Victoris ad cælum aureum, *nunc* S. Satyri *dictum, quod ipsi anno* 1752 *curiosè lustravimus; altera S. Victoris, Ordinis Olivetani, in qua multæ cernuntur inscriptiones ad corpus ejusdem sancti spectantes, quas ipsi exscripsimus. In hac autem splendidissima S. Victoris ecclesia festivitas* S. Satyri *celebratur ad* XVII *Septembris ritu duplicis primæ classis, & habentur indulgentiæ plenariæ. Habet eadem ecclesia sacellum laterale cum altari dicato* S. Satyro. *Solemnem quoque memoriam* S. Satyri *Romæ celebrari in ecclesia S. Ambrosii, quæ olim utriusque Sancti fuit domus paterna, ibique* S. Satyri *reliquias haberi, asserit Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro ad* XVII *Septembris. Verùm de cultu* S. Satyri *die* XVII *Septembris plura non addo: de controversia verò, quæ inter duas jam dictas ecclesias viget de possessione corporis, inferiùs ea proferam, quæ sufficere videbuntur.* *quo Mediolani colitur,* C

3 *Memoria* S. Satyri *etiam recolitur in Martyrologiis aliquot antiquioribus, sed ad diem* XVIII *Septembris. Isto die codices Hieronymiani apud Florentinium, post annuntiatum Mediolani S. Eustorgium episcopum, sic habent:* Et sancti Satyri. *Nudum* Satyri *nomen exhibet codex Corbeiensis, uti & Epternacensis. Hisce consonant Rabanus, & multa Martyrologia contractiora, videlicet Richenoviense, Augustanum & Labbeanum apud nos, Gellonense apud Acherium, ac vetustum Autissiodorense apud Martenium tom.* 3 *Thesauri Anecdotorum. Apud eumdem tom.* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 721 *aliud Autissiodorense Martyrologium ita habet:* Mediolano natale S. Saturi fratris S. Ambrosii episcopi. *Usuardus* Satyrum *suo Martyrologio non inseruit. Attamen ipsius memoria variis codicibus Usuardinis postea est addita, uti & editionibus quatuor apud Sollerium nostrum, ubique ad* XVIII *Septembris. Ex his solam Greveni annuntiationem huc transfero:* Mediolani depositio beati Satyri confessoris, fratris sancti Ambrosii episcopi, qui ejus virtutes eleganti delucidans stilo, in libro, quem inscripsit de Excessu Fratris, dicit eum sacri dona baptismatis casto corpore & puro corde intemerata servâsse. *Mitto plura Martyrologia recentiora, quibus ad eumdem diem memoria* S. Satyri *est inserta: solúmque observo, antiquiora omnia in hunc diem conspirare.* *in antiquioribus ad* XVIII *Septembris.* E

4 *Acta* S. Satyri *primus conscripsit S. Ambrosius, aut potiùs eum laudavit oratione funebri, quam postmodùm edidit. Oratio illa in novissima editione Operum S. Ambrosii edita est tom.* 2 *col.* 1113, *vocaturque S. Ambrosii liber* de Excessu fratris sui Satyri. *Habita autem est à S. Ambrosio in ipso exsequiarum tempore, præsente exanimi corpore, quod sepulcro erat inferendum, quodque interim jacebat facie cooperta. Narravit in ea sanctus doctor insignes Fratris sui virtutes, & facta aliqua historica inseruit. Attamen nec ordine historico omnia Sancti gesta exposuit; nec ullam rerum etiam præcipuarum dedit chronotaxim. Hinc non nisi ex probabilibus conjecturis haberi possunt anni, quibus natus & defunctus est* S. Satyrus. *Post dies septem iterum ad sepulcrum* S. Satyri *accessit Ambrosius, & aliam habuit Orationem ad leniendum dolorem communem; eaque, post primam edita, vocatur liber* de Fide resurrectionis. *Sanctus Oratione funebri à fratre Ambrosio laudatus,*

5 *In ea rursum variis vicibus declarat ingentem amorem in Fratrem defunctum, ostenditque, quàm bene de felici ipsius morte sentiret; at gesta non memorat. Hæc igitur nobis edenda non est, eaque de causa huc aliqua transfero. Exorditur* *ac memoratus in secunda Oratione ab eodem dicta:*

AUCTORE J. S.

hoc modo: Superiore libro aliquid indulsimus desiderio, ne tamquam ferventi plagæ austeriora adhibita medicamenta exasperarent magis quàm lenirent dolorem; simul quia Fratrem sæpiùs allocuti sumus, & oculis tenebamus, absurdum non fuit relaxare paulisper affectum naturæ, qui lacrymis magis pascitur, fletibus delinitur, stupore defigitur.... Nunc quoniam die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, à Fratre paululùm ad communem humani generis cohortationem juvat derivare mentem, intentionemque transfundere, ita ut neque toti sensibus defigamur in Fratre, ne obrepat affectus; neque tantæ exsules pietatis & gratiæ, eum, quem diligimus, deseramus. *Hæc attulit, opinor, Ambrosius, ut rationem redderet, cur in prima Oratione plusculùm dolori indulserit, quàm episcopum decere fortasse credent aliqui, indolentiæ Stoïcæ magis amantes, quàm Christianæ pietatis & patientiæ. Col.* 1145 *S. Ambrosius iterum amorem suum in Fratrem declarat, & mortem ejus qualem existimet, his verbis insinuat:* Præstitisti mihi, Frater, ne mortem timerem: atque utinam moriatur anima mea in anima tua! *In fine Orationis iterum ad Fratrem hoc modo se convertit:* Quid enim mihi superest solatii, quàm quòd me citiùs ad te, Frater, spero venturum, nec digressus tui inter nos longa divortia fore, tuisque intercessionibus mihi hoc posse conferri, ut citiùs desiderantem tui advoces? *Plura in hac Oratione ad propositum nostrum non invenio.*

B

edenda Oratio funebris, & Vita ex ea composita.

6 *Quapropter solam Orationem primam ex novissima editione, cum Surii editione collata, inferiùs recudam, & annotatis debitis illustrabo. Verùm, quia illa Oratio formam Vitæ minùs refert, adjiciam Vitam* S. Satyri, *quæ modò edita habetur apud Mombritium tom.* 2 *fol.* 249 *sine auctoris nomine. Quo tempore Vita illa fuerit conscripta, non potest ex ea colligi, sicut neque auctoris nomen mihi innotuit. At parùm refert, cùm scriptor ille in omnibus exactè conatus sit sequi S. Ambrosium, & solùm voluerit in ordinem redigere, quæ ille in funebri Oratione sine ullo ordine narraverat. Hanc igitur Vitam solùm ea de causa edendam puto, non quia plura habet, quàm Ambrosius de* S. Satyro. *Auctor Martyrologii Mediolanensis etiam nominat inter scriptores Vitæ* S. Satyri *Hilarionem monachum, qui scripsit Vitas Sanctorum à Jacobo de Voragine prætermissas, & cujus Opus impressum est Mediolani anno* 1494. *At ea Vita minimè indigemus, cùm nihil addat ad Vitam à Mombritio editam, quæ vetustior est, aut certè solùm usui esse poterit ad corrigenda illius editionis menda. In jam dicto Martyrologio memoratur etiam* Legendarium Ms. sacrarii Franciscani, *quo fortasse continebitur Vita à Mombritio edita. Si tamen sit alia, non erit magnopere necessaria, cùm posteriores biographi omnia haurire debuerint ex Ambrosio.*

C

Sanctus natus inter 330 *&* 340,

7 *Hisce observatis, aliqua dabimus puncta qualiscumque chronotaxis: nam pleraque certis annis nequeunt innecti. Primò ignotus est annus natalis* S. Satyri. *Constat tamen, medium fuisse inter S. Marcellinam sororem & S. Ambrosium fratrem. Hoc enim ipse Ambrosius clarè edicit num.* 16, *ubi dicit,* Virum inter duos fratres, alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium. *Erat igitur natu major S. Ambrosio, quem constat pluribus annis juniorem fuisse sorore sua Marcellina, ut probatum est ad Vitam Marcellinæ, die* XVII *Julii datam. Porrò Tillemontius tom.* 10 *Monum. Eccl. Notâ* 1 *in Ambrosium rectè ostendit, natalem S. Ambrosii esse figendum circa annum* 340. *Quapropter, cùm nesciamus, utrùm uno tantùm aut pluribus annis Ambrosio senior fuerit* Satyrus, *hujus ætatem figo inter annum* 330 *&* 340. *Suspicor tamen propinquiorem fuisse anno* 340, *quàm* 330, *quia* Satyrus *& Ambrosius, ut vultu erant simillimi, sic ætate verisimiliter non longè distantes.*

D

in juventute causas egit, deinde præfectus

8 *Post peracta studia,* Satyrus, *dum juvenis erat, in foro versatus est ut causidicus, sicut fecit S. Ambrosius. Hic Fratris eloquentiam num.* 14 *laudat his verbis:* Nam quid spectatam in stipendiis forensibus ejus facundiam loquar? Quàm incredibili admiratione in auditorio præfecturæ sublimis emicuit? *Hæc verba non modò causidicum eloquentem ostendunt; sed etiam præfectum fuisse* Satyrum *insinuant. Clariùs tamen num.* 17 *Ambrosius edicit, alicui provinciæ* Satyrum *præfuisse, dum de ipso sic loquitur:* Itaque qualis in universos fuerit, provincialium, quibus præfuit, studia docent; qui parentem magis fuisse proprium, quàm judicem, loquebantur; gratum piæ necessitudinis arbitrum, constantem æqui juris disceptatorem. *Hæc provinciæ alicujus præsidem clarè designant; sed nullibi invenio, cui præfuerit provinciæ. Tempus etiam præfecturæ* Satyri *non assignatur.*

E

fuit alicujus provinciæ,

9 *Certum tamen est, juvenem fuisse* Satyrum, *dum causas in foro egit, & ætatis fuisse non multùm provectæ, dum præfecturæ dignitatem obtinuit. Etenim S. Ambrosius episcopus ordinatus est aut anno* 374, *aut certè circa illum annum, ut bene ostendit Tillemontius Notâ* 3 *in Ambrosium. Dubitare autem non possumus, quin* Satyri *præfectura episcopatum Ambrosii præcesserit, cùm quia* Satyrus *erat natu major, tum vel maximè, quia Ambrosio episcopo aut semper cohabitavit, aut certè, si præfecturam obtinebat, dum ille creatus est episcopus, non diu ab illo postea abfuit. Itaque præfectura* Satyri *omnino videtur figenda ante annum* 374, *aut certè non seriùs, quàm illo ipso anno.*

licèt dignitates non cuperet:

10 *Ambrosius, qui Liguriæ præerat, dum factus est episcopus, num.* 8 *declarat, ejusmodi dignitates, nec à se, nec à* Satyro *fuisse desideratas, simulque innuit, illas fuisse episcopatu suo priores.* Quàm nec ipsi nos, Frater carissime, sæculi hujus delectabant honores, quòd nos à nobis invicem dividebant? Quos ideo adepti sumus, non quia fuit eorum appetenda perceptio, sed ne vilis dissimulatio videretur. Aut fortasse ideo sunt tributi, ut, quia immaturo tui obitu nostræ futurus eras voluptatis occasus, sine nobis jam vivere disceremus. *Honores, de quibus loquitur Ambrosius, non coëgissent Fratres diversis habitare locis, nisi eodem tempore habuissent præfecturas diversarum provinciarum. Itaque dum Liguriæ præerat Ambrosius; altero cuidam provinciæ præsidebat* Satyrus. *At non diu ab Ambrosio abfuisse videtur* Satyrus, *postquam ille ad Mediolanensem promotus est episcopatum. Quippe Ambrosius ita semper de Fratre loquitur, acsi toto episcopatûs sui tempore* Satyrum *habuisset secum, & domui suæ præpositum.*

F

postea cum fratre Ambrosio habitans,

11 *Accipe, lector, aliqua, quæ simul docebunt, quanto amore Fratres illi essent conjuncti.* Et ego te, Frater, non requiram? *ait num.* 3, aut possum umquam obliviscì tui, cum quo vitæ hujus semper aratra sustinui, labore inferior, sed amore conjunctior.... Qui pio semper sollicitus affectu latus meum tuo latere sepiebas, caritate ut frater, curâ ut pater, solicitudine ut se-

AUCTORE J. S.

A senior, reverentiâ ut junior. *Rursus num.* 7 : Quid igitur nunc agam, cùm omnes vitæ istius suavitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim? Tu enim mihi unus eras domi solatio, foris decori : tu, inquam, in consiliis arbiter, curæ particeps, deprecator sollicitudinis, depulsor mœroris : tu meorum adsertor actuum, cogitationumque defensor : tu postremò unus, in quo domestica sollicitudo resideret, publica cura requiesceret. *Plura ejusmodi prætermitto : nam hæc abundè ostendunt*, Satyrum, *post Ambrosii promotionem ad episcopatum, non diu ab ipso abfuïsse, ac deinde usque ad mortem non recessisse ab ipso, nisi ad breve tempus ad negotia peragenda.*

domum ipsius rexit. Baptismum suscepit,

12 *Ex hisce liquet*, Satyrum *non solùm habitâsse cum Ambrosio episcopo ; sed simul fuisse œconomum & præfectum domûs episcopalis. Hoc aliis etiam locis asserit Ambrosius, & num.* 12 *observat, correctionem servorum planè relictam fuisse* Satyro, *ita scribens :* Quàm sine felle ipsa indignatio : quàm servulis ipsis coërcitio non amara, cùm te fratribus magis deferre, quàm ex affectu diceres vindicare. Nobis enim professio repressit studia coërcendi : immò tu Frater, ab omni nos abducebas coërcitionis affectu, vindicare pollicens, & lenire desiderans. *At aliqua hìc oritur dubitatio de tempore, quo baptizatus est Sanctus. Certum est, baptizatum esse occasione naufragii, ut habet Ambrosius num.* 13 *&* 14. *Nam ubi naufragium ipsius refert Ambrosius, ait ipsum unicè timuisse*, ne vacuus mysterii exiret è vita. *Et num.* 14 *narrat, ipsum quidem tunc baptismi suscipiendi avidum fuisse ; illum tamen noluisse accipere à schismatico, sed exspectâsse, donec veniret ad ecclesiam Catholicam. Mox verò*, ubi primùm copia liberior ecclesiæ fuit, implere non distulit ; Deique gratiam & accepit desideratam, & servavit acceptam. *Clarum igitur est, baptismum fuisse susceptum à* Satyro *non diu post naufragium.*

B

post aliquod naufragium,

13 *At non æquè clarè liquet, quo tempore, aut in quo itinere istud naufragium contigerit. Tillemontius in Ambrosio art.* 17 *existimat, naufragium illud* Satyri *contigisse in ultimo ipsius itinere in Africam, baptizatumque in Africa, ex qua deinde reversus, non diu post defunctus est. Hæc opinio si vera est, baptizatus est* Satyrus *aut eodem, quo obiit, anno, aut saltem non toto unius anni curriculo ante mortem. Fateor lubens, verba S. Ambrosii occasionem præbere istud opinandi. Nam num.* 8 *sic loquitur :* O fallax lætitia ! ô incerta humanarum rerum curricula ! Ex Africa redditum, ex mari restitutum, ex naufragio servatum, putabamus jam nobis non posse eripi : sed graviora naufragia in terris positi sustinemus. Nam quem non potuerunt naufragia maris ad mortem deducere, strenuis natatibus evitata, ejus mors cœpit nobis esse naufragio. *Si quis hunc locum dumtaxat consideret, credat sanè, naufragium, de quo agit S. Ambrosius, in ultimo itinere Africano contigisse, nec tempore fuisse disjuncta, quæ simul hìc coacervantur. Attamen, cùm oratores aliquando disjuncta tempore & loco simul conjungant, diligentiùs considerandum est, an ea sit mens Ambrosii : nam difficulter credere possum*, S. Satyrum *multis annis baptismo carere voluisse, postquam habitare cœpit cum episcopo Ambrosio, qui de se & ipso num.* 7 *ita scribit :* Quis non usus nobis, & prope visus ipse, somnusque communis? Quæ discreta umquam voluntas? Quod non commune

C

vestigium? fere ut cùm gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus videremur attollere. *Difficulter, inquam, credi potest, tantam fuisse animorum conjunctionem, & vel sic multis annis à baptismo abstinuisse* Satyrum, *qui ea de causa Ambrosio divina Mysteria peragenti numquam adesse potuisset.*

non in ultimo itinere Africano,

14 *Præterea Ambrosius ipse multa habet, quæ prorsus illi opinioni videntur contraria. Num.* 14 *dicit :* Fortitudinem quoque ejus si quis pleniùs spectare volet, consideret, quoties post naufragium invicto quodam contemptu vitæ hujus maria transfretaverit, diffusasque regiones obeundo peragrârit : postremò quòd hoc ipso tempore periculum non refugerit, sed ad periculum venerit. *Non satis video, quomodo hæc rectè componi possint cum opinione Tillemontii. Quæ enim ratione dicitur sæpiùs* post naufragium *maria transfretâsse, diffusasque regiones obiviisse, si in ultimo suo itinere naufragium istud contigerit? Neque enim ad ita loquendum sufficit, si prope Sardiniam, ut credit Tillemontius, naufragium passus, ulteriùs in Africam perrexerit, indeque redierit in Italiam & Mediolanum. Nam hoc nihil aliud erat, quàm iter inchoatum perficere. Loquitur ergo S. Ambrosius de naufragio diu præterito, & de variis itineribus postea à* Satyro *institutis, ut etiam colligitur ex sequentibus verbis :* Postremò quòd hoc ipso tempore &c. *De reditu enim ex Africa hoc dicit, tamquam de facto nuperrimo, cùm tamen omnia in eodem facta essent itinere secundum Tillemontium.*

E

sed in alio itinere, & diu antè.

15 *Secundò ubi naufragium* Satyri *narrat Ambrosius, loquitur tamquam de re diu præterita, & vel maximè, quando exponit cautionem ab ipso adhibitam in baptismo petendo, nec ullum adjungit verbum, quo innuat, in ultimo itinere illa contigisse. Tertiò quando num.* 5 *narrat reditum* Satyri *ab ultimo itinere, non facit ullam mentionem de ipsius naufragio, sed meminit de morbo, quo laboraverat, his verbis :* Quomodo consternata mens erat ægritudinis tuæ nuntio? *Quarìo num.* 8 *pericula illius itineris ita memorat Ambrosius :* Revocabam te, Frater, ne ipse Africam peteres, ac potiùs aliquem destinares. Timebam te committere viæ, fluctibus credere, & solito metus major incesserat animum. Sed & peregrinationem explicuisti, & rem ordinâsti, & veteri & sentinoso, ut audio, navigio iterum te fluctibus credidisti &c. *Nihil iterum hic de naufragio, quod ibi tamen vel maximè memorandum fuisset, si in illo itinere contigisset. Quapropter in loco num.* 13 *dato, qui mox sequitur, loquitur Ambrosius de naufragio aliquo diu præterito. Quintò demum, ubi num.* 14 *Ambrosius facundiam* Satyri *in foro & in præfectura breviter perstrinxerat, subjungit :* Sed malo illa laudare, quæ, perceptis Mysteriis Dei, duxit humanis esse potiora. *His verbis innuere videtur, aut in ipsa præfectura baptizatum esse, aut non diu post præfecturam. Certè pauca habuisset dicenda de gestis ipsius post baptismum, si illum in Africa suscepisset ante ultimum reditum, post quem obiit. Hæc paulò prolixiùs disputanda censui, ne Vir sanctus, fraterque & convictor S. Ambrosii jam episcopi, baptismum usque ad obitum ferè distuliisse videatur.*

F

AUCTORE I. S.

§ II. Refutantur variæ opiniones de anno mortis Sancti, & tempus, quo videtur obiisse, assignatur.

Defunctus est Sanctus post reditum ex Africa,

REstat investigandum tempus, *quo* S. Satyrus *ab hac vita ad æternam transivit. Annum non assignat S. Ambrosius, sed num.* 8 *&* 6 *clarè dicit,* Satyrum *obiisse post reditum ex Africa. Rediisse verò videtur per Siciliam, & exiguo post reditum tempore obiisse; cùm S. Ambrosius num.* 6 *sic habeat:* Et quidem tibi, omnipotens æterne Deus, gratias ago, quòd vel hæc nobis suprema solatia non negâsti, quòd amantissimi Fratris ex Siculis Africanisve regionibus exoptatum nobis reditum contulisti: ita enim maturè, postquam venit, ereptus est, quasi propter hoc solùm videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret. *Secundò reditus ille videtur susceptus hiemali tempore. Nam*

B *Ambrosius num.* 14 *reditum illum laudat,* & Satyri *fortitudinem, quòd* ad periculum venerit, patiens injuriæ, negligens frigoris. *Ex duabus hisce observationibus difficulter credi potest,* Satyrum *obiisse* XVII *Septembris, quo colitur. Nam sic post reditum quinque saltem mensibus superfuisset, quod aliunde etiam minùs fiet verisimile.*

quando maximus erat timor Mediolani,

17 *Tertiò rediit & defunctus est* Satyrus, *quando ingens metus erat in Italia, & Mediolani nominatim. Hinc Ambrosius num.* 9 *dicit:* Raptus est, ne in manus incideret Barbarorum: raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes, ne postremò sanctarum virginum atque viduarum, quod omni morte acerbius est, colluvionem videret. *De iisdem Fratrem deinde sic affatur num.* 10. Nam quâ eras sanctæ mentis misericordiâ in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantùm ingemisceres, quàm doleres in Alpium vallo summam nostræ salutis consistere, lignorumque concædibus construi murum pudoris? Qua afflictione mœreres, tam tenui discrimine tuos ab hoste distineri, ab hoste impuro atque crudeli,

C qui nec pudicitiæ parceret, nec saluti. *Porrò timor ille jam impendebat, dum in Africa aut in itinere erat* S. Satyrus. *Ut enim paulò pòst habet Ambrosius, reditum* Satyro *dissuadebat Symmachus,* quòd ardere bello Italia diceretur, quòd in periculum tenderes, (*inquit Fratri*) quòd in hostem incurreres; respondisti hanc ipsam tibi causam esse veniendi, ne nostro deesses periculo, ut consortem te fraterni discriminis exhiberes. *Itaque terror non exiguo tempore, sed diu duravit.*

& dum soror ipsius Marcellina ibidem degebat.

18 *Quartò mortuus est* Satyrus, *quando soror ipsius sancta Marcellina erat Mediolani. Hoc, quod etiam valet ad tempus mortis* Satyri *investigandum, aliquis perperam negavit, neglexerunt alii. At clarum est, Marcellinam fuisse cum Ambrosio, dum rediit & defunctus est* Satyrus. *Num.* 10 *Ambrosius Fratrem de ea sic alloquitur:* Certè felicior (*es tua morte*) quàm sancta soror, quæ tuo solatio destituta, de suo pudore sollicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnosa, neque alterum (*nempe* Satyrum *defunctum*) sequi potest, neque alterum derelinquere: cui tumulus hospitium tuus, & corporis tui sepulcrum est domus. Atque utinam vel hoc tutum diversorium! *Hæc clarissimè demonstrant, Marcellinam eo tempore fuisse Mediolani. Non* D *minùs clarè idem ostendit num.* 22 *his verbis:* Sanctæ verò sorori quid fiet, quæ licèt divino metu pietatem temperet; rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit, strata humi, & totum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mœrorem integrat? *Plura addit de sororis dolore. At hæc sufficiunt, ut intelligamus Marcellinam fuisse Mediolani: ideoque necesse non est adducere plura, quibus id ipsum probari potest. Itaque annum, quo defunctus est* S. Satyrus, *nunc propiùs investigemus.*

Mors Sancti non est figenda anno 378 *aut* 379.

19 *Tillemontius Notâ* 8 *in S. Ambrosium* S. Satyri *mortem figit anno* 378 *aut* 379, *secutus Hermantium, qui in Vita S. Ambrosii lib.* 2 *cap.* 15 *eamdem ferè epocham statuit. At ea sententia mihi planè improbabilis apparet, quia S. Marcellina eo tempore non erat Mediolani, ut inferiùs ostendam; neque rationes Tillemontii sunt alicujus ponderis. Ait, anno* 378 *trepidari potuisse in Italia, quia Alemanni Rhenum trajecerant prope Basileam. At planè frivola est ea ratio, cùm illi longè abessent, & Gratianus imperator jam eos* E *vicerit mense Maio, ut narrat ipse Tillemontius tom.* 5 *Imperat. in Gratiano art.* 6. *Addit ille aliam rationem terroris, qui anno* 378 *aut* 379 *poterat esse in Italia. Etenim Gothi anno* 378, *die* IX *Augusti, ingentem de Valente Orientis imperatore retulerunt victoriam prope Adrianopolim in Thracia, occisoque Valente, varias vastârunt provincias, ut refert Ammianus lib.* 31 *cap.* 16, *tandemque venerunt* ad usque radices Alpium Juliarum, *si credimus Ammiano. At difficulter credi potest, Gothos eo anno tam longè progressos esse, cùm post victoriam primò Adrianopolim frustra tentârint, indeque Perinthum & Constantinopolim versus, duxerint exercitum. Certè Jornandes de Rebus Geticis cap.* 26, *relatâ Gothorum victoriâ, & morte miserabili Valentis, tantùm subjungit:* Quo tempore Vesegothæ Thracias, Daciamque Ripensem post tanti gloriam trophæi, tamquam solo genitali potiti, cœperunt incolere. *Accedit, quòd in hisce provinciis frequenter deinde victi sunt ab imperatore Theodosio, non verò prope Alpes Julias. Quare crediderim, Ammianum loqui de incursu quodam Gothorum, qui postea contigit, ægrotante Theodosio, ut habet Jornandes cap.* 27. *Quidquid sit, non poterat anno* F 378 *dicere S. Ambrosius,* in Alpium vallo summam *Italiæ* salutis consistere, *cùm eo tempore Gratianus imperator cum exercitu suo esset in Pannonia, ideoque Gothos facilè observare posset, si in Italiam tendere voluissent.*

nec probat Tillemontius defunctum esse

20 *Alia ratio Tillemontii mortem* S. Satyri *figendi non multis annis post initium episcopatûs Ambrosii petitur ex hisce Ambrosii verbis num.* 8: Denique ea, quæ ambo nequiveramus concludere, solus implêsti. Plaudebat sibi, ut audio, Prosper, quòd sacerdotii mei occasione redditurum se, quæ abstulerat, non putabat: sed vehementiorem tuam unius efficaciam expertus est quàm duorum. Itaque solvit omnia *&c. Ad hæc verba rectè observat Tillemontius,* S. Satyrum *ob istud negotium verisimiliter suscepisse iter Africanum, post quod obiit. Nam verba sequentia Ambrosii istud omnino innuunt, dum Fratrem sic alloqui pergit:* Peregisti omnia, & ubi perfunctus omnibus revertisti, tu solus nobis, qui omnibus es præferendus, eriperis; quasi ideo mortem distuleris, ut consummares pietatis officium, palmam efficaciæ reportares. *Itaque lubens agnosco,*

ne-

AUCTORE J. S.

A *negotium iſtud finitum fuiſſe paulò ante mortem* S. Satyri.

21 *Verùm non æquè bona eſt altera obſervatio, quam huic ad propoſitum ſuum adjungit Tillemontius. Exiſtimat, controverſiam illam cœptam eſſe ante epiſcopatum Ambroſii, quia Ambroſius & Satyrus ſimul negotium illud cœperant, & concludere nequiverant. At ego magis credo, rem eſſe cœptam ab epiſcopo Ambroſio & fratre ipſius, ſed modeſtè, & non coram judicibus, quòd Ambroſius epiſcopus nollet de re temporaria coram judicibus diſceptare. Ideo nimirum* plaudebat ſibi Proſper, *credebatque* ſacerdotii *Ambroſii* occaſione *ſe non cogendum ablata reddere. Id autem ſibi ea occaſione perſuadere non poterat, niſi Ambroſius revera fuiſſet ſacerdos. Quare ea verba nihil omnino habent, quod perſuadere poſſit,* Satyrum *eſſe defunctum prioribus annis epiſcopatûs Ambroſii.*

prioribus annis epiſcopatûs Ambroſii:

22 *Baronius ad annum* 383 *num.* 14 *exiſtimat,* S. Satyrum *eodem anno* 383 *obiiſſe.* Præſenti, *inquit,* anno obitus Satyri fratris contigit, ut ex eo perſpicuè poteſt intelligi, cùm idem Ambroſius ait, eum litteris Symmachi revocatum, ne ex Africa in Italiam veniret, flagrante ipſa Italia bello civili, nimirum cùm Maximus in Italiam (ut dicemus) ducturus diceretur exercitum. *Hactenus Baronius. At ea ſententia non videtur probabilior, quàm præcedens. Etenim ille terror, de quo loquitur S. Ambroſius, & de quo* Satyrum *monebat Symmachus, in Italia certò non erat ante mortem Gratiani, qui cum exercitu in Galliam tranſiverat adverſus Maximum. Poſt mortem Gratiani adventus Maximi tyranni revera timeri poterat; ſed Ambroſius ipſe poſt auditam Gratiani mortem non diu Mediolani manſit. Nam ſtatim, ubi mors Gratiani innotuerat in Italia, Ambroſius ut Valentiniani junioris legatus in Galliam profectus eſt ad Maximum, & cum eo pacem iniit. Itaque nec ante legationem Ambroſii mors* Satyri *rectè figi poteſt, quia poſt terrorem ex ea morte ortum Ambroſius non diu manſit Mediolani; nec poſt legationem, quia Ambroſius in iſta legatione pacem cum Maximo conciliavit. Dici igitur nequit,* S. Satyrum *obiiſſe anno* 383 *poſt mortem Gratiani, ut etiam aliunde liquet: nam S. Marcellina ſoror* Satyri *anno* 383 *Mediolani non erat.*

neque mors ipſius figenda anno 383,

B

C 23 *Alii ſcriptores mortem* S. Satyri *fixerunt anno* 387, *quo Maximus tyrannus ſubitò ex Gallia in Italiam irrupit, venitque Mediolanum, fugiente Valentiniano imperatore, ac totam occupavit Italiam. Dubitandum ſanè non eſt, quin ingens terror tunc fuerit in multis Italiæ urbibus. Attamen neque de iſta turbatione loqui videtur Ambroſius, neque anno* 387 *figenda eſt mors* S. Satyri. *Quippe Maximus in Italiam irrupit, quando ea de re minimè ſollicitus erat Valentinianus, cujus legatum Domninum dolis in eam adduxerat opinionem, ut Maximum pacis cum Valentiniano ſervandæ ſtudioſum crederet. Audiamus hac de re Zozimum lib.* 4 *pag.* 767, *ubi narrat, Domninum à Valentiniano ad Maximum fuiſſe legatum, ſubditque:* Itaque cùm veniſſet ad Maximum Domninus, capitibus legationis omnibus expoſitis, omni cum obſervantia comitateque exceptus eſt. Nam & dignabatur eum honore Maximus eximio, & tanta munerum mole ſatiabat, ut imperatorem Valentinianum nullum huic parem habiturum amicum Domninus exiſtimaret. Ac poterat uſque adeo Domninum decipere Maximus, ut etiam partem exercitus ſui cum eo mitteret, quæ imperatori contra barbaros, ſubjectis ipſi Pannoniis imminentes, eſſet auxilio. Poſteaquam hæc conſecutus Domninus abiiſſet, ac ſibi placeret ob copiam magnitudinemque munerum, quæ acceperat, & conceſſorum ſibi ſociorum ſatellitium; viam ab Alpibus domum ducentem imprudens Maximo faciliorem reddidit. Quod Maximus futurum proſpiciens, eaque de cauſa cunctis adparatis rebus, univerſis cum copiis ſubſequutus eſt, tacitè præmiſſis in itinere cuſtodibus, qui omnem curam adhibebant, ne curſu quis prætergreſſus, Maximi tranſitum in Italiam Domnini comitibus nuntiaret *&c. Hoc dolo, ut ſequitur,* omni cum celeritate Italiam, nemine præpediente, ingreſſus eſt, *neque aliud ſuperfuit Valentiniano, niſi ut quàm celerrimè fugeret. Itaque de hac irruptione non loquitur Ambroſius, ſed loquitur de hoſte, qui necdum Alpes tranſiverat. Conſtat etiam,* Satyrum *non fuiſſe anno* 387 *defunctum, quia eo anno Marcellina non erat Mediolani.*

neque anno 387,

24 *Verùm hoc caput, quo tres ſententiæ jam relatæ ſimul refutantur, hoc loco ſtabiliendum eſt. S. Marcellina Romæ velum virginitatis accepit à Liberio Papa, ut habemus ex Ambroſio lib.* 3 *de Virginibus cap.* 1. *Perrexit illa deinde Romæ cum aliis virginibus habitare annis non paucis, quando S. Ambroſius jam erat epiſcopus, ut ex variis colligitur. Primò enim habemus ex Epiſtola* 5 *S. Ambroſii, ſanctam Marcellinam, abſentibus* Satyro *& Ambroſio, habitâſſe Romæ cum Indicia virgine, de eaque teſtatam eſſe,* nulli eam ſe vitiorum familiaritati dediſſe, optare cum ea ſibi à Domino Jeſu partem reſervari in regno Dei. *Hæc innuunt, ſatis diu Marcellinæ convixiſſe Indiciam; cúmque Romæ ſimul habitaverint, abſente Ambroſio; vix dubitari poteſt, quin ſimul ibi habitaverint, quando ille erat epiſcopus. Figitur quidem illa Epiſtola ab editore* circa an. 380; *at ſine ullo argumento, quo evinci poſſit, non æquè ſcriptam eſſe anno* 390. *Secundò Marcellina videtur cum aliis virginibus Romæ vixiſſe, quando anno* 377 *S. Ambroſius ad ipſam ſcripſit tres libros de Virginibus. Certè nullibi innuit Ambroſius, ipſam tunc fuiſſe Mediolani. Contra lib.* 3 *cap.* 14 *inſinuat, aliarum virginum fuiſſe magiſtram. Hortatur enim, ut de nimio jejunandi rigore nonnihil remittat,* ut magiſtra ſuppari ſervetur ætati. *Erat igitur virginum magiſtra Romæ, non Mediolani.*

cùm S. Marcellina Mediolani non habitaverit

E

F

25 *Tertiò id colligitur ex Epiſtolis Ambroſii ad Marcellinam datis, quibus eam facit certiorem de geſtis Mediolani. Inter has prima ordine inter Ambroſianas noviſſimæ editionis eſt vigeſima, quam Ambroſius ita orditur:* Quoniam in omnibus ferè Epiſtolis ſollicitè quæris de Eccleſia, accipe, quid agatur. *Tum ſuè exponit, quàm fortiter reſtiterit Valentiniano juniori pro Arianis eccleſiam poſtulanti, quæ figuntur anno* 385 *apud Tillemontium in Ambroſio art.* 38, *& ab editore Epiſtolæ. Altera eſt Epiſtola* 22, *quâ Sanctus ſorori exponit inventionem corporum SS. Gervaſii & Protaſii, relatam à Tillemontio art.* 47 *ad annum* 386. *Tertia eſt inter Ambroſianas quadrageſima ſecunda, quâ Ambroſius Marcellinæ narrat geſta cum Theodoſio imperatore, poſt victoriam ab eo relatam de Maximo tyranno. Figitur hæc anno* 388. *Ex hiſce igitur veriſimillimum fit, S. Marcellinam conſtanter Romæ manſiſſe uſque ad annum* 388, *& forſan etiam uno alterove anno diutiùs. Attamen conſtat, ipſam deinde habitâſſe cum fratribus Mediolani, quo venire potuit circa annum* 390, *certè inter* 388 *&* 392: *neque enim facilè*

ante annum 388,

AUCTORE J. S.

credidero, ſacram ſanctamque virginem ſolùm veniſſe Mediolanum, ut fratres inviſeret, indeque Romam reverteretur.

& ibidem tamen habitaret, moriente Satyro.

26 *Erat Mediolani S. Marcellina, quando accuſata fuit Indicia virgo, quacum antè Romæ habitârat, ut certò colligitur ex Epiſtola quinta. Factum igitur illud circa annum* 390 *videtur figendum. Erat Romæ Marcellina, quando graviter ægrotabat S. Ambroſius aliquot menſibus ante mortem* S. Satyri, *ut liquet ex hiſce Ambroſii verbis num.* XI *ad* Satyrum *directis:* Denique proximè cùm gravi quodam atque utinam ſupremo urgerer occaſu, hoc ſolùm dolebam, quòd non ipſe aſſideres lectulo, ac votivum mihi cum ſancta ſorore partitus officium, morientis oculos digitis tuis clauderes. *Rurſum colligitur ex verbis Ambroſii num.* 5, *Marcellinam aliquo tempore ante obitum* Satyri *fuiſſe cum Ambroſio, cùm dicat:* Etſi ſancta ſuperſit ſoror, integritate venerabilis, æqualis moribus, non impar officiis, tibi tamen ambo plus timebamus, in te vitæ hujus jucunditatem repoſitam putabamus *&c. Porrò non veniſſe ad fratres ſuos Marcellinam, ut deinde Romam reverteretur, rurſum colligitur ex verbis Ambroſii num.* 10, *ubi de illa dicit:* Neque alterum (*fratrem*, Satyrum *nempe*) ſequi poteſt, neque alterum derelinquere. *Tum de ſe ſubjicit:* Nam quid de me loquar, cui neque mori licet, ne ſororem relinquam *&c. Si nec Ambroſius mortem optare poterat, nec Marcellina, ne alter alterum relinqueret, ſtatuerant igitur deinceps ſimul vivere: nam exiguo invicem poterant eſſe ſolatio, ſi alter Mediolani, altera Romæ habitaret. Accedit Vita S. Marcellinæ, ad* XVII *Julii data, in qua dicitur, poſtquam Romæ virginitatem erat profeſſa, ibique habitaverat, Mediolanum ad fratres veniſſe, & ibidem cum ipſis habitâſſe, ac in eadem urbe poſt fratres obiiſſe. De ſepultura demum nullus dubitat. Omnes fatentur Mediolani ſepultam. Aliqui tamen exiſtimârunt, Romæ defunctam, & Mediolani voluiſſe ſepeliri, idque colligunt ex epitaphio. Verùm epitaphium iſta non evincit, nec res ipſa eſt veriſimilis. At, quocumque loco obierit, erat Mediolani, moriente* Satyro; *cúmque ibi non videatur fuiſſe ante annum* 388, *ante hunc annum obitus* S. Satyri *non eſt figendus.*

B

C

Figenda igitur eſt mors S. Satyri

27 *Quapropter quærendum eſt aliud Italiæ periculum, idque ſatis perſpicuè reperiri videtur poſt mortem Valentiniani II, anno* 392, *menſe Maio, Viennæ in Gallia occiſi. Etenim cædes illa non modò graviſſimum dolorem Ambroſio creare debuit, ſed etiam ingentem formidinem Italiæ afferre, maximè Chriſtianis, cùm Arbogaſtes, cujus ſcelere occiſus erat Valentinianus, & barbarus eſſet & gentilis, Eugeniumque, quem Valentiniano ſufficiendum curaverat, ad omnia poſſet impellere. Hac de morte Ambroſius in Epiſtola* 53 *ita ſcribit Theodoſio imperatori:* Silentium meum rupit ſermo clementiæ tuæ: nihil enim in tam triſtibus rebus melius facere in animum induxeram, quàm, ſi fieri poſſet, me ipſum abdere. Sed quia in receſſu aliquo delitescere, & ſacerdotio exire non poteram, vel ſilentio intra me latebam. *De iiſdem temporibus in Epiſtola* 59 *ad Severum epiſcopum hæc ſcribit:* Nos autem objecti barbaricis motibus, & bellorum procellis, in medio verſamur omnium moleſtiarum freto *&c. Paulinus in Vita S. Ambroſii num.* 26 *exponit, quàm fortiter tempore Valentiniani obſtitiſſet Ambroſius, ne Gentilibus concederet aram victoriæ & ſumptus cæremoniarum. Tum ſubjungit:* Sed poſtquam auguſtæ memoriæ Valentinianus in Viennenſi civitate (quæ eſt Galliarum civitas) vitam finivit; Eugenius ſuſcepit imperium: qui ubi imperare cœpit, non multò pòſt, petentibus Flaviano tunc præfecto & Arbogaſte comite, aram victoriæ & ſumptus cæremoniarum, quod Valentinianus auguſtæ memoriæ, adhuc in junioribus annis conſtitutus, petentibus denegaverat, oblitus fidei ſuæ conceſſit.

D

inter mortem Valentiniani II

28 Hoc ubi cognovit ſacerdos, derelicta civitate Mediolanenſi, ad quam ille feſtinatò veniebat, ad Bononienſem civitatem emigravit, atque inde Faventiam uſque perrexit. Ubi cùm aliquantis degeret diebus, invitatus à Florentinis, ad Tuſciam uſque deſcendit, declinans magis ſacrilegi viri adſpectum, non formidans imperantis injuriam: nam & Epiſtolam ad eumdem dedit, in qua convenit conſcientiam illius *&c. Fuga illa S. Ambroſii figenda eſt anno* 393: *neque enim Eugenius ante annum* 393 *Alpes tranſviviſſe videtur, cùm quòd bellum haberet in Gallia contra Francos, tum quòd legatos priùs mitteret ad Theodoſium imperatorem ad pacem cum eo ſanciendam, ut narrat Zozimus lib.* 4 *pag.* 776. *Hiſce obſervatis, quæ Tillemontius quoque admittit in Theodoſio art.* 77, *facilè inveniemus, quo circitèr tempore defunctus ſit* S. Satyrus. *Etenim omnia clarè inſinuant, defunctum eſſe inter mortem Valentiniani II & adventum Eugenii in Italiam. Huic tempori congruunt omnia, quæ in Oratione funebri dixit S. Ambroſius, ut modò oſtendendum eſt.*

E

& adventum Eugenii tyranni

29 *Conqueritur Ambroſius in Oratione de motibus barbarorum, graviſſima ſuis imminere mala aſſerit, dolet* in Alpium vallo ſummam *ſuorum* ſalutis conſiſtere. *Hæc omnia erant veriſſima ſub finem anni* 392 *& initium anni* 393. *Nam Eugenii exercitus magna ex parte conſtabat ex barbaris, barbaruſque erat, qui non ſolùm exercitui, ſed ipſi etiam Eugenio imperabat. Audiamus Oroſium illorum temporum ſcriptorem lib.* 7 *Hiſtoriarum cap.* 35. Mortuo Valentiniano auguſto, *inquit*, Arbogaſtes Eugenium tyrannum mox creare auſus eſt, legitque hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipſe acturus imperium, vir barbarus animo, conſilio, manu, audaciâ; potentiâque nimius, contraxit undique innumeras invictaſque copias, vel Romanorum præſidiis vel auxiliis barbarorum, alibi poteſtate, alibi cognatione ſubnixus. *Itaque barbarus erat, natione Francus, & gentilis, qui totum quaſi regebat exercitum, & maximam barbarorum ducebat multitudinem. His igitur optimè congruunt dicta Ambroſii de motibus barbaricis.*

F

in Italiam,

30 *Quantopere autem ab iis metuere deberet cum ſuis Ambroſius, docet Paulinus in Vita num.* 31, *ita ſcribens:* Promiſerat enim Arbogaſtes tunc comes, & Flavianus præfectus (*etiam gentilis*) Mediolano egredientes, cùm victores reverſi eſſent, ſtabulum ſe eſſe facturos in baſilica eccleſiæ Mediolanenſis, atque clericos ſub armis probaturos... Cauſa autem commotionis hæc fuit, quia munera imperatoris, qui ſe ſacrilegio miſcuerat, ab eccleſia reſpuebantur, nec orandi illi cum eccleſia ſocietas tribuebatur. *Non immeritò ergo ab illis metuebat Ambroſius jam ante ipſorum adventum. Demum æquè verum erat tertium, nimirum in ſolo Alpium jugo conſtitiſſe ſalutem eccleſiæ Mediolanenſis, quando ſub finem anni* 392 *aut initium anni* 393 *perorabat Ambroſius. Nullus enim aderat, qui ab ingreſſu Italiæ Eugenii exercitum arcere auderet aut poſſet. Sola Alpium juga nivibus cooperta moram injicere poterant hiemali tempore.*

31 *Ei-*

A *nimirum sub finem anni 392*

31 *Eidem tempori congruit, quod ait Ambrosius, Symmachum affirmâsse*, ardere bello Italiam, *ut* Satyro *persuaderet, ne rediret Mediolanum. Nam haud dubiè multæ fuerunt dissensiones in urbibus Italiæ, electo Eugenio tyranno, dum aliæ ipsum vellent recipere imperatorem, aliæ recusarent agnoscere. Optimè etiam apparet, quo modo ille terror Italiæ inchoari potuerit diu ante adventum* Satyri, *& post obitum ipsius adhuc durare, nimirum quia Eugenius non statim duxit versus Italiam. Eidem tempori congruit consilium morientis* Satyri, *quod ipsum alloquens Ambrosius, ita refert:* Qui etiam ultimo spiritu... de cavenda incursione barbarorum nos sæpiùs admonebas, commemorans, non frustra te dixisse fugiendum. *Nam revera Ambrosius istud consilium secutus est, ut jam vidimus num.* 28. *Demum isto tempore Marcellina videtur fuisse cum fratribus Mediolani, cùm nullam habeamus Epistolam Ambrosii ad ipsam post annum* 388. *Quapropter omnia S. Ambrosii dicta aptè congruunt tempori, quod inter mortem Valentiniani II & adventum Eugenii in Italiam intercurrit; nec ullo tempore tam probabiliter figi potest obitus* S. Satyri, *quàm anno* 392 *aut* 393.

B *aut initium anni 393: dies obitûs est ignotus.*

32 *Si satis constaret de die, quo Sanctus obiit, alteruter ex dictis annis certò assignari posset. Verùm diem obitûs non memorat S. Ambrosius, nec biographus, qui Ambrosium secutus est. Hieronymiana quidem Martyrologia* S. Satyrum *habent ad* XVIII *Septembris; at id factum videtur occasione S. Eustorgii episcopi Mediolanensis, quocum commemoratus videtur* S. Satyrus, *quòd dies obitûs esset ignotus. Mediolanenses revera* S. Satyrum *colunt hoc die* XVII *Septembris, eaque de causa ad hunc ipsum diem Martyrologio Romano fuit insertus. Verùm ex die festivitatis diem obitûs tutò deducere nequimus, maximè in hisce adjunctis, cùm constet, diem festivitatis pro arbitrio statui, quando non constat de die mortuali, nisi alia quædam subsit ratio aliquem diem eligendi. Itaque nihil certi pro die mortis* S. Satyri *ex Martyrologiis aut cultu haurire possumus, præsertim cum verba S. Ambrosii magis innuant, Sanctum hiemali tempore obiisse. Nam loquens de ejus reditu, post quem obiit, laudat Viri fortitudinem, quòd redierit* negligens frigoris. *Quare hiems inchoata saltem fuisse videtur, dum* Satyrus *erat in itinere; cúmque obierit non diu post reditum; obitus certò figendus illa hieme, quâ finitus est annus* 392 *& inchoatus annus* 393 *: neque propiùs tempus assignare tutò possum.*

C

§ III. Controversia de possessione corporis S. Satyri: Sanctus sepultus in ecclesia Portiana, apud S. Victorem, ubi corpus postea servatum.

Controversia de corpore S. Satyri

DE *corpore* S. Satyri *diuturna est controversia inter duas ecclesias, sive inter duo præclara Ordinum Religiosorum cœnobia, quæ singula illud ecclesiæ suæ attribuunt. De utraque ecclesia (altera ex iis rectiùs* sacellum *vocatur) jam aliqua exposuit Henschenius noster ad* VIII *Maii in S. Victore Mauro, inclyto martyre Mediolanensi, cujus nomine utraque aliquando fuit insignita. Altera ex his ecclesiis olim dicta fuit* Portiana *à conditore Portio. De hac frequenter meminit S. Ambrosius in Epistola* 20 *ad Marcellinam sororem, ubi narrat, quantùm sibi fuerit certandum, ne ecclesia illa* Portiana, *quæ & extramurana basilica, & vetus ab eodem postea appellatur, Arianis traderetur, eam multis modis pro Arianis suis occupare tentante Justina imperatrice. Ibidem de nova etiam basilica meminit, ita scribens:* Nec jam Portiana, hoc est, extramurana basilica petebatur; sed basilica nova, hoc est, intramurana, quæ major est. *Quænam sit illa basilica nova, hîc non examino, quia non conducit ad propositum nostrum, id solum observo,* Portianam *basilicam jam fuisse veterem tempore Ambrosii.*

34 *Porrò basilica illa Portiana postea dici cœpit* S. Victoris ad corpus; *nec dubium est, quin eæ voces* ad corpus *fuerint additæ, ut distingueretur ab aliis* S. Victoris *ecclesiis, quæ sunt Mediolani. Possederunt illam* S. Victoris ad corpus *ecclesiam aliquot seculis monachi Benedictini, donec anno* 1507 *in eorum locum successerint monachi Olivetani, qui primùm exstruxerunt amplissimum cœnobium, deinde & novam basilicam. Hac verò occasione, cùm destructa fuit vetus basilica,* E *Sanctorum corpora ex illa in novam anno* 1576 *translata sunt à S. Carolo Borromæo, qui & corpus* S. Satyri *unà cum corpore S. Victoris invenit & transtulit. Judicium sancti hujus Cardinalis archiepiscopi videtur sufficere debuisse adversæ partis patronis ad acquiescendum, cogitandumque, esse alterius Sancti corpus, quod* Satyri *esse crediderant; at illi, ut in similibus frequenter contingit, non omnino deposuerunt opinionem præconceptam de* S. Satyri *corpore apud se servato. Itaque horum etiam ecclesiam & sacellum paucis illustremus.*

inter monachos Olivetanos S. Victoris,

35 *Inter ecclesias Mediolani conditas à S. Ambrosio una est, quæ, ipso etiam vivente,* Ambrosiana *fuit vocata. De illa meminit sanctus doctor in Epistola* 22 *ad Marcellinam, ubi & de dedicatione ejusdem agit, & de illatis corporibus SS. Gervasii & Protasii nuperrimè inventis, de quibus ita scribit:* Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. *Hæc Ambrosius anno* 386, *quo dedicata est ampla illa basilica Ambrosiana, quæ etiamnum exstat, quamque anno* 1752 *curiosè nos ipsi lustravimus, aquè ac basilicam jam memoratam S. Victoris, & sacellum* S. Satyri *modò memorandum. Juxta basilicam Ambrosianam amplissimum est cœnobium Ordinis Cistercienſis, cujus usui servit una pars ecclesiæ Ambrosianæ: in altera verò parte ministeria sua obit clerus. Inter basilicam Ambrosianam & cœnobium Cistercienſium est sacellum* S. Satyri, *in cujus pariete exteriùs vidimus hanc inscriptionem satis recentem:* Sacellum S. Satyri, olim S. Victoris ad Cælum aureum nuncupatum, exteriùs reparatum anno Dñi MDCLXXI.

& monachos Cistercienſes S. Ambrosii,

F

36 *Raphaël Moneta monachus Olivetanus in Opere, quo corpus* S. Satyri *basilicæ S. Victoris vindicat, quodque inscripsit,* S. Satyri confessoris... tumulus illustratus, *face* 3 *pag.* 72 *observat, istud* S. Satyri *sacellum non videri, nisi* unam ex *basilicæ* Ambrosianæ *capellis,* licèt paululùm extra ordinem, & sejunctam à primaria, in qua monachi asservant augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. *Tale mihi revera visum fuit sacellum istud, nec umquam cernenti incidit cogitatio, particularem hanc esse ecclesiam. Laudatus auctor deinde hæc subjicit:* Longitudo autem Satyrianæ illius ædiculæ non excedit duodecim, latitudo verò octo ulnas, quarum quatuor con-

qui habent sacellum S. Satyri.

AUCTORE J. S.

ſtituunt ferè unam Romanam decempedam. Tantula capella, ipſaque adeo Ambroſianæ conjuncta, reputata fuit ſemper hujus membrum, quippe nullum alium niſi per eam habet acceſſum. *Joannes Petrus Puricellus, ſacræ theologiæ doctor & archipresbyter eccleſiæ Laurentianæ, in Opere, quod ſcripſit de Monumentis baſilicæ Ambroſianæ, num.* 19 *multa differit de vetuſtate illius ſacelli, illudque Ambroſianâ baſilicâ vetuſtius videri inſinuat. Attamen non profert argumenta, quibus cogamur tantam iſti ſacello vetuſtatem attribuere. Tentat perſuadere, fuiſſe eccleſiam Fauſtæ, quæ certò eſt Ambroſianâ vetuſtior, & de qua meminit Ambroſius in Epiſtola* 22 *ad Marcellinam. At ea ſuſpicio eſt contraria communi opinioni Mediolanenſium, & jam abundè refutata apud laudatum Monetam face* 3. *Illud verum eſt, quod & probat Puricellus, ſacellum iſtud olim fuiſſe vocatum*, S. Victoris ad cælum aureum.

Satyrus ſepultus eſt ad lævam S. Victoris M.;

37 *Hiſce obſervatis de utraque æde, videlicet de baſilica olim* Portiana, *deinde* S. Victoris ad corpus, *& de ſacello* S. Satyri, *quod olim dicebatur* S. Victoris ad cælum aureum, *ſepulturam, inventionem & tranſlationem corporis* S. Satyri *ſic exponam, ut ex iis prudens lector ſatis ſit intellecturus, in qua eccleſia modò ſervari videatur Sancti corpus. Dungalus, ſcriptor ſeculi* IX *in libro Reſponſionum adverſus Claudium Taurinenſem, edito Antverpiæ anno* 1572, *pag.* 108 *&* 109 *ſic habet:* Idcirco, ut arbitror, Ambroſius ſuum fratrem Satyrum, quem nimiùm dilexerat, juxta ſanctum martyrem Victorem ſepelivit... Cujus epitaphium hoc dictavit tetraſtico.

Uranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Ad hoc epitaphium, quod ipſi Ambroſio attribuit Dungalus, pauca ſunt obſervanda. Primò ex hoc epitaphio aliqui crediderunt, Sanctum noſtrum fuiſſe vocatum Uranium Satyrum. *At magis credo, vocem Græcam* οὐράνιος, *Latinè*, cæleſtis, magnus, excelſus, *honoris causâ nomini adjectam fuiſſe, præſertim cùm voces* Uranius *&* Uranicus *etiam apud Latinos uſitatæ fuerint medio ævo, ut videri poteſt in Gloſſario Cangii. Certè* Satyrus *nullo alio loco* Uranius *vocatus legitur. Secundò utraque pars litigantium conſentit,* Victorem Maurum *eſſe, ad cujus lævam ſepultus eſt* S. Satyrus.

hic autem ſepultus jacebat in baſilica Portiana:

38 *Vita inferiùs danda num.* 12 *habet, ſacrum corpus juſſu Ambroſii priùs deportatum fuiſſe* ad baſilicam Ambroſianam; *ſubditque:* Quod tamen in altera longè baſilica [ad] lævam glorioſi martyris propriis manibus tumulavit. *Eadem planè habet Hilarion monachus. Jam verò de altera illa baſilica, in qua ſepultus dicitur* S. Satyrus, *mira eſt contentio inter Puricellum, pro ſacello* S. Satyri *pugnantem, & Monetam, de baſilica Portiana, ſeu S. Victoris ad corpus, locum rectè exponentem. Etenim hæc explicatio fluit ex ipſo Dungali loco. Nam, eo teſte, & conſentiente Puricello*, S. Satyrus *ſepultus eſt apud S. Victorem Maurum. Atqui hic Sanctus jacebat ſepultus in baſilica Portiana, quæ ideo deinde vocata eſt* S. Victoris ad corpus. *Itaque* S. Satyrus *etiam fuit ſepultus in baſilica Portiana. Tam porrò certum eſt, S. Victorem fuiſſe ſepultum in baſilica Portiana, tamque communi ſcriptorum conſenſu receptum, ut Puricellus ipſe fol.* 29 *non fuerit auſus id omnino negare. Cùm tamen viderit, ea ratione ſepulturam* Satyri *ibi quoque neceſſariò ſtatuendam, alio modo effugere tentavit, cogitavitque corpus S. Victoris tranſlatum fuiſſe antè mortem* S. Satyri, *delatumque ad ſacellum jam dictum. Verùm planè improbabilia ſunt, quæ de illa tranſlatione commentus eſt, & abundè per Monetam refutata. Præterea omnes paſſim ſcriptores tradiderunt, corpus S. Victoris Mauri in Portiana baſilica non ſolùm ſepultum eſſe; ſed in eadem quoque ſervatum deinde fuiſſe, quod inventio demum confirmavit.*

in eadem igitur baſilica ſepultus eſt Satyrus.

39 *Contraria etiam Puricello ſunt allegata ex Vita verba*, In altera longè baſilica ſepelivit. *Quippe ſacellum* S. Satyri *non meretur nomen baſilicæ; & certè non eſt* altera baſilica *ab Ambroſiana, cujus potiùs pars haberi debet. Ego enimvero longè magis credo, ſacellum illud necdum fuiſſe ædificatum; ſed poſtea fuiſſe baſilicæ adjunctum. Quàm fuiſſe eccleſiam Ambroſianâ vetuſtiorem. Certè probari nequit, jam tum exſtitiſſe: neque admodùm veriſimile eſt, S. Ambroſium prope ſacellum amplam ædificare voluiſſe baſilicam. Pugnat tamen Puricellus variis armis, ut evadat ex loco opinioni ſuæ incommodo, & textum ſuſpicatur corruptum. Quare ex gemino Ms. docet, locum ita legendum:* In altera non longè baſilica ad lævam glorioſi martyris Victoris *&c. Credamus tantiſper, hanc eſſe veram lectionem, quia multa mendosè in Mombritio edita ſunt, nihil habebit Puricellus. Nam ne ſic quidem cogitare poſſumus, corpus fuiſſe ſepultum in ſacello* S. Satyri, *tum quòd baſilica non ſit, nedum altera ab Ambroſiana, tum quòd ibi non jaceret ſepultus S. Victor. At Portianæ eccleſiæ, quæ cathedralis olim fuit, utraque lectio rectè congruit. Nam erat baſilica longè altera ab Ambroſiana: erat etiam baſilica* non longè *diſtans ab Ambroſiana, cùm exigua ſit diſtantia inter Ambroſianam & S. Victoris ad corpus baſilicam; erat etiam ditata corpore S. Victoris, ad cujus lævam poſitus fuit* S. Satyrus.

Objectio Puricelli, ex conjecturis

40 *Objectionem habet Puricellus ex eo, quòd corpus delatum priùs dicatur ad baſilicam Ambroſianam, eamque proponit his verbis:* Sed ne credibile quidem cæteroqui hoc videtur, ut, ſi Satyrum Ambroſius ſepeliri voluiſſet in baſilica Portiana, eundem priùs ad hanc deferret Ambroſianam, hîc funebrem ad populum recitaret orationem, hîc Miſſæ Sacrificium pro ipſo celebraret. Quid enim vetabat, quo minùs hæc ipſa commodè perageret in Portiana? Quæ, ſicuti metropolitana olim fuerat, quidni ſatis etiam populi capax, qui ad Satyri funus conveniret? Certè autem non ita ſe habebat hæc ſancti Victoris ad cælum aureum baſilica. Quamobrem longè credibilius hoc videtur, ut propter ipſius anguſtiam & propinquitatem maluerit Ambroſius deferri rectà funus ad Ambroſianam, ibique funebria peragi ſolemnia, ita ut, his omnibus in hac baſilica peractis, non aliud reſtaret, quàm ut cadaver in propinqua ſancti Victoris ad cælum aureum baſilica tumulo daretur. Quocirca conſequens etiam illud eſſet, ut in hac ipſa ſanctus etiam Victor martyr & Maurus, ac ſanctorum Naboris & Felicis ſocius, unà ſimul cum eodem Satyro in eadem urna conquieſceret: quod auditu mirum videtur. Mirum profectò, ſed non ita procul à vero. *Ita ille ſatis acutè, ſi ratiocinando res ſolùm peragenda eſſet.*

incertis petita, vim non habet,

41 *Verùm in eo ratiocinio aliqua pro certis habentur, quæ certa nequaquam ſunt. Primò non omnino certum eſt, corpus* S. Satyri *priùs delatum fuiſſe ad baſilicam Ambroſianam, ibique peracta ſolemnia, quamvis id auctor anonymus Vitæ,*

per

AUCTORE J. S.

A *per Mombritium editæ, tradiderit cum aliis ipſum ſecutis: neque enim ille ſcriptor tam antiquus videtur, ut rem ſua auctoritate certam facere poſſit. Secundò minimè certum, imò parùm etiam veriſimile eſt, ut ſuperiùs monui, ſacellum illud* S. Satyri, *ſive S. Victoris ad cælum aureum, jam extitiſſe tempore S. Ambroſii. At, etſi fingere velimus utrumque eſſe certiſſimum, nihil abſurdi fecerit S. Ambroſius, ſi in altera eccleſia Fratrem pro concione laudare voluerit, eumdemque in altera ſepelire, ut pompa funebris fieret diuturnior, & forſan etiam ut Ambroſiana baſilica, quæ Portianam amplitudine ſuperabat, immenſum populum, ad exſequias accurrentem, meliùs caperet. Sic, ubi invenerat corpora SS. Gervaſii & Protaſii, ut ipſe narrat in Epiſtola 22 ad Marcellinam, tranſtulit ea primùm* veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ. *Deinde* ſequenti die, *inquit*, tranſtulimus ea in baſilicam, quam appellant Ambroſianam. *Itaque neque aliquid inveriſimile dicitur feciſſe Ambroſius, neque ob qualemcumque veriſimilitudinis exceſſum in dubium vocanda ſunt, quæ aliunde ſunt ſatis certa.*

42 *Talis eſt exiſtentia corporis S. Victoris Mauri in baſilica Portiana, quæ inde nomen traxit* S. Victoris ad corpus. *Fatetur Puricellus*, mirum *videri, ſi illud corpus ſit in ſacello* S. Satyri, *quia nullum potuit proferre ſcriptorem, qui id umquam affirmaverat, quia habebat ſibi oppoſitam nubem teſtium, perpetuam traditionem, ipſumque nomen eccleſiæ S. Victoris ad corpus, & demum corporis inventionem authenticis tabulis conſignatam. Laudat Moneta non modò ſcriptores, qui teſtantur corpus S. Victoris ſervari in baſilica Portiana; ſed in fine Operis ſui etiam ex tabulario S. Victoris adducit ſeptem antiqua diplomata, quæ idem de S. Victoris corpore continent. Septem autem illa diplomata, in quibus clarè aſſeritur, corpus S. Victoris in ſua eccleſia conſervari, & quæ partim ſunt ſeculi undecimi, partim duodecimi, teſtatur ſe in tabulario vidiſſe & examinâſſe Franciſcus Coratus notarius publicus. Porrò de numero teſtium, qui affirmârunt corpus S. Victoris in ſua eccleſia quieſcere, & de perpetua traditione, Moneta face 5 pag. 157 ita generatim loquitur:* Omnibus ſeculis (*veneranda antiquitas*) proclamavit & coluit Mauri Victoris corpus in Portiana. Oneroſum valde & ſuperfluum foret, recenſere, omnium ætatum auctores, qui hoc tradiderunt. Satis fuerit affirmare, quòd nemo hactenus in dubium verterit. De divo Satyro quidem nonnullis exiſtimatum eſt, extra Portianam illum quieſcere, nimirum in Ambroſiana, cùm nondum ex Dungalo compertum fuiſſet & declaratum epitaphium antè dictum, docens, illum aſſociatum martyri Victori in ſepulcro .... At verò de corpore S. Victoris Mauri profectò quis unquam dubitaverit, nedum negaverit, quieſcere in ſua baſilica, ad corpus propterea nuncupata? *Hactenus Moneta, cui plura de his non addo. Attamen breviter hîc inſinuandum cenſeo, communicatam perhumaniter nobis fuiſſe à RR. PP. S. Ambroſii Diſſertationem Ms., cujus auctor oſtendere conatus eſt, baſilicam Portianam non fuiſſe illam, quæ poſtea illud nomen habuit, & deinde* S. Victoris ad corpus *dicta eſt; ſed ſacellum* S. Satyri. *At, cùm ea opinio mihi videatur fundamento carere, & componi non poſſe cùm dictis S. Ambroſii de baſilica Portiana, Diſſertationem malui non allegare, quàm refutare.*

B *cùm ſolidiſſimè probata ſit exiſtentia S. Victoris in ſua eccleſia.*

C

§ V. Inventio & tranſlatio corporum SS. Victoris & Satyri ad novam eccleſiam: tranſlatio capitum in thecas argenteas.

Cùm tranſferenda in novam baſilicam eſſent corpora,

E *Xiſtentia corporis S. Victoris in ſua eccleſia, & corporis* S. Satyri *apud Victorem ſepulti, egregiè confirmata eſt anno 1576, quando, exſtructâ novâ à monachis Olivetanis eccleſiâ, vetus erat deſtruenda, ideoque reliquiæ ex vetere in novam transferendæ. Præerat eo tempore eccleſiæ Mediolanenſi S. Carolus Borromæus, S. R. E. Cardinalis, vir inſigni doctrina, prudentia & ſanctitate conſpicuus. Hic autem rogatus ab abbate & monachis S. Victoris, ut vel ipſe reliquias, quas in vetere eccleſia habere ſe credebant, inſpicere vellet, aut alios ad id delegare, cùm* ipſe, *ut habent Acta notarii*, aliis impeditus negotiis, huic muneri pro tunc vacare non poſſet, mandavit reverendo presbytero domino Ludovico Monetæ, qui locum & arcas inviſeret, in quibus illæ poſitæ erant. Qui ea diligenter recognovit, nullâ tamen arcâ apertâ, & ipſi illuſtriſſimo domino antiſtiti retulit. Poſtea verò & ipſe illuſtriſſimus & reverendiſſimus Cardinalis eò venit, & eaſdem inſpexit & recognovit, atque etiam marmoream arcam aperuit, quæ defoſſa erat poſt altare majus, ſcilicet inter ipſum altare & loculum SS. Victoris & Satyri, de quo inferiùs *&c. Acta illa, quia valde prolixa ſunt, tota non lubet exſcribere.*

E

S. Carolus Borromæus jubet priùs luſtrari ſepulcrum SS. Victoris & Satyri:

44 *Solùm huc transferam, quæ propiùs ſpectant ad SS. Victorem &* Satyrum, *vel ad diligentias à S. Carolo factas, de quibus paulò pòſt ſubjungitur:* Cúmque verò aliæ quoque reliquiæ recenſendæ eſſent & tollendæ, & inter alias corpus S. Satyri, qui in arca lapidea cum S. Victore martyre poſitus erat, ut inferiùs deſcribitur; de quo S. Satyro eſſet aliqua controverſia cum reverendis monacis S. Ambroſii, ut veritas appareret, mandavit reverendo domino Joſepho Maſcardo ejus vicario, ut & cæteras reliquias recenſeret, tranſferendaſque pararet, & ſepulcrum ipſum, in quo dicerentur eſſe corpora ipſorum SS. Victoris & Satyri, diligenter inſpiceret & conſideraret. Qui ſepulcrum ipſum inſpiciens, quaſdam litteras in ipſo agnovit, qui nomen ipſius ſancti Satyri præ ſe ferrent, de quibus inferiùs, & cæteras reliquias ex arcis exemit, & paravit modo hîc deſcripto. *Sequitur enumeratio reliquiarum*, die Veneris decima tertia Julii MDLXXVI *per Maſcardum inventarum. At ille nihil habet de loculo SS. Victoris &* Satyri.

F

illud deinde ipſe aperit: & corpora inventa,

45 *At horum ſepulcrum aperuit ipſe S. Carolus, ut habent Acta apud Monetam pag. 359 hoc modo:* Poſtea verò iterum eò venit illuſtriſſimus & reverendiſſimus Cardinalis archiepiſcopus, qui ipſum SS. Victoris & Satyri ſepulcrum aperuit, corpora recognovit, inſcriptiones conſideravit, ſuſtulit, & paravit ad tranſlationem, ut hic deſcribitur: Die veneris, vigeſimo menſis Julii MDLXXVI. Ad præſentiam illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. D. Caroli, tituli ſanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis, ſub altari majori

AUCTORE J. S.

ecclesiæ S. Victoris fuit inventa marmorea quædam capsa, sex lapidibus sibi mutuò cohærentibus, laminis plumbeis constructa, in qua reperta fuerunt corpora glorioſissimorum sanctorum Victoris martyris & Satyri confessoris, distincta inter se dilucido intervallo. Corpus enim S. Satyri erat à læva S. Victoris, ejusdemque capiti innitebatur lapis lateritius (signum maximæ antiquitatis) in quo scripta legebantur hæc verba, videlicet S. SATYR.: à dextera verò S. Satyri erat situm corpus S. Victoris, habens innixum omnino in omnibus similem lapidem lateritium supradicto, in quo legebantur hæc verba, videlicet, S. VICTOR, quorum litteræ V & T erant scriptæ modo retrogrado. *Sequuntur nomina testium hisce præsentium, inter quos nominatur ipse etiam abbas S. Ambrosii. At hæc videri possunt ad* VIII *Maii in S. Victore, ubi num.* 3 *hæc pars instrumenti ex Puricello data est.*

ligneis thecis imposita, transfert ad sacristiam, ubi per alios ossa à cineribus separantur.

46 *Recitatis testium nominibus, Acta sic pergunt:* Post hæc dicta corpora sanctorum Victoris & Satyri excerpta fuere ex dicta arca marmorea, & reposita in capsis ligneis cum cineribus, & quæ sigillatæ fuerunt & reconditæ in sacristia veteris ecclesiæ cum aliis capsis aliorum Sanctorum corporum jam priùs in ea repositis, & janua seu ostium clausum cum clavi & sigillatum sigillo B. Virginis præfati illustrissimi Cardinalis, & S. Victoris dicti abbatis. Illico clavis consignata fuit penes illustrissimum & reverendissimum D. Cardinalem. Et in die sequenti ex ordine & jussu præfati illustrissimi & reverendissimi domini Cardinalis, reverendus D. Jo. Franciscus à Basilica Petri, & reverendus D. Rodulphus della Cruce primicerius ecclesiæ majoris, accesserunt ad dictam sacristiam, quam clausam & sigillatam repererunt eo ordine, quo priori die clausa & sigillata fuerat, & induti cottis, & accensis luminibus, adstantibus & adjuvantibus sacrista & aliis monacis dicti monasterii; primò corpus seu ossa S. Victoris extraxerunt è dicta capsa lignea, reponendo super mappa linea, & excerpta sunt ossa à cinere, & cinerem ipsam involverunt in panno lineo ad effectum reponendi in urna. Secundò extractum fuit corpus S. Satyri modo, quo suprà, & excerptis (*ossibus scilicet*) à cinere, cinerem ipsam involverunt in alio panno lineo ad effectum, ut suprà. Ossa autem reposita seu restituta fuerunt in suis capsis ligneis, prout antea erant. Quæ capsæ postmodùm sigillatæ fuerunt duobus sigillis pro utraque earum sigillo S. Victoris.

C

S. Carolus corpora solemniter defert ad novam ecclesiam:

47 Quæ omnes capsæ corporum Sanctorum in dicta sacristia remanserunt usque ad hodiernam diem, quâ solemniter, & solemni processione præcedente, ut infrà, translata fuerunt ad ecclesiam novam. Hinc est, quòd ita mandante præfato illustrissimo & reverendissimo D. cardinali & archiepiscopo, & eo assistente, convocato in ecclesia majori clero tam seculari quàm regulari cum capitulo R. D. cardinalium ordinariorum nuncupatorum ecclesiæ, ac officialium præfatæ cathedralis ecclesiæ Mediolanensis, astantibus excellentissimo senatu, & magnificis D. vicario & duodecim provisionum indictæ urbis Mediolani, & magna caterva populi processionaliter eundo recessum fuit à dicta ecclesia majori, & processionaliter ventum fuit ad ecclesiam novam, mox ad basilicam veterem S. Victoris, in qua illustrissimus & reverendissimus Cardinalis archiepiscopus, pontificalibus vestimentis indutus, unà cum cardinalibus ordinariis nuncupatis solemniter indutis pluvialibus, capsas septem reliquiarum & ossium Sanctorum super humeros sustulerunt, &, cùm propter modicum intervallum ecclesiæ veteris & novæ, & longos cleri ordines longiùs procederetur, aliquam civitatis partem circumeundo, & perventum esset ad S. Ambrosii majoris, successerunt oneri R. P. abbates & seniores monaci dictæ congregationis cuculati. Qui cum ad dictam plateam reversi essent, ibi penes pontem præfatus illustrissimus & reverendissimus Cardinalis archiepiscopus, & cæteri nuncupati ordinarii iteratò capsas ipsas sumpserunt, & detulerunt ad ædem novam S. Victoris cum maxima copia luminarium.

D

ibique imponit aræ, donec peragerentur officia divina.

48 Et depositis omnibus ipsis capsis seu arcis super altare majus dictæ ecclesiæ, decantatæ fuerunt rogationes, & per præfatum illustrissimum & reverendissimum Cardinalem recitatæ multæ orationes Sanctorum. Mox etiam celebrata fuit Missa in cantu per ordinarios ecclesiæ majoris: & facto sermone ab ipso illustrissimo & reverendissimo antistite, ab ipsa ecclesia recessit, & ejus jussu capsæ prædictæ remanserunt supra dicto altari usque ad horas Vesperarum. Quâ horâ reversus ipse illustrissimus & reverendissimus Cardinalis, dictas capsas, seu arcas ligneas tolli & reponi, & custodiri mandavit in scurolo subtus altare dictæ ecclesiæ. Itaque factum fuit ad præsentiam præfati illustrissimi & reverendissimi domini Cardinalis archiepiscopi, existentis in scurolo dictæ ecclesiæ nomine S. Victoris, & ipsius illustrissimi & reverendissimi domini Cardinalis mandato & jussu facta fuit recognitio capsarum lignearum & sigillorum super eis impressorum, & nullam fraudem violentiamque factam fuisse, & omnia non violata, sed salva inventa fuisse. Et statim jussit arcas ipsas ligneas aperiri, & ex eis extrahi ossa & corpora Sanctorum, & illa reponi in capsis seu arcis plumbeis, ad hunc effectum fabricatis.

E

Deinde corpora plumbeis capsis imposita,

49 *Mox sequitur transpositio ossium in capsas plumbeas, quam coram S. Carolo Borromæo peregerunt tres abbates, videlicet* Clemens *abbas* S. Victoris, Philippus de Mediolano, *unus ex* visitatoribus congregationis Olivetanæ, *& abbas* beatæ Virginis Mariæ loci Nerviani, *ac* Hieronymus de Armatis de Cremona, *abbas* monasterii beatæ Virginis loci Bedagii. *Missa autem recensione aliarum reliquiarum, transeo ad capsam quintam & sextam, de quibus pag.* 368 *hæc leguntur:* Quinta capsa lignea, sigillata duobus sigillis S. Victoris, inscripta S. V.: in qua adsunt ossa S. Victoris cum suo capite. Sexta capsa lignea, sigillata ut suprà, cum inscriptione S. S., in qua adsunt ossa corporis S. Satyri cum capite suo. Hæc enim duo corpora recondita fuere in capsa plumbea intermediata eomet ordine, quo legitur in visitatione prædicta diei vigesimi, facta per illustrissimum & reverendissimum D. Cardinalem, scilicet à latere dextero, signato S. VICT., reconditum fuit corpus S. Victoris in sandali rubeo, cum capite involuto sandali rubeo propter separationem menti; & in ea parte capsæ positus fuit lapis lateritius cum inscriptione litterarum reversarum, S. VICTOR, qui repertus fuit in arca marmorea veteri, prout legitur in prædicta visitatione. Et ab alio latere dictæ capsæ plumbeæ, signato S. SATIR, reconditum fuit corpus S. Satyri in sandali viridi, cum capite involuto sandali viridi, cum lapide cocto, S. SATYRUS, invento in arca veteri, prout suprà legitur.

F

50 Quæ

AUCTORE J. S.

A

& ſub altari majori depoſita, uti & cineres in urnis.

50 Quæ capſa plumbea fuit clauſa cum coperto plumbeo, & implumbata, ut ſuprà. Et tranſportata fuit ſupra in eccleſiam ad altare majus, & ſubtus ipſum altare repoſita in arca marmorea cum feneſtrella ferrea è latere Euangelii. Super qua arca inſcripta ſunt hæc verba: videlicet: CORPORA SS. VICT. MART. ET SATYRI CONFESSORIS, SUB ALTARI MAJORI ANTIQUARUM ÆDIUM RECONDITA: INDE GREGORIO XIII PONT. MAX., HUC A CAROLO CARD. TIT. S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPO SOLEMNITER TRANSLATA SUNT, SEPT. CAL. AUG. MDLXXVI. Quibus corporibus ſanctis in dicto altari majori reconditis, poſitæ etiam fuerunt cineres dictorum corporum ſanctorum Victoris & Satyri in urnis duabus terræ coctæ coloris viridis, una ad dexteram, & altera ad ſiniſtram altaris: ſuper quibus inſcripta ſunt hæc verba, videlicet: COLLECTA EX SEPULCRO SANCTORUM VICT. MARTYRIS, ET SATYRI CONFESSORIS. Quibus ita peractis, cùm ſerò factum eſſet, & hora tarda, præfatus illuſtriſſimus & reverendiſſimus D. Cardinalis juſſit ſuperſederi à repoſitione aliarum capſarum *&c. Mitto aliarum reliquiarum depoſitionem, ut ex iiſdem notarii Actis addam reliqua de SS. Victore &* Satyro.

B

Depoſitio reliqui cineris in alia urna:

* heſterna

51 *Die* XXVII *menſis Julii, ut legitur pag.* 372, *Clemens abbas S. Victoris, & alii duo abbates ſuperiùs laudati, coram teſtibus omni exceptione majoribus*, acceſſerunt ad altare majus dictæ eccleſiæ novæ, in quo externa * die repoſita fuit capſa plumbea implumbata cum corporibus SS. Victoris & Satyri, & cum urnis duabus: & viſitato ipſo altari, compertum fuit clauſum, prout heri ſerò clauſum fuerat: & tunc, ſublato lapide marmoreo ſeu coperto, in eo præfati DD. abbates poſuerunt aliam urnam albam terræ coctæ, in qua poſitum erat reliquum cineris collectæ ex prædictis corporibus SS. Victoris & Satyri: & hoc è latere ſeu parte Epiſtolæ dicti altaris: & ſtatim repoſitum fuit copertum, & clauſum fuit circumcircà cum laminis ferreis implumbatis. *Reliqua ſpectant ad alias reliquias. Acta hæc, quæ multa ſimul diverſorum dierum inſtrumenta complectuntur, ſubſcripta leguntur à tribus notariis, aut potiùs à quatuor, notaturque in fine per tertium notarium* die quinto Septembris MDLXXVI, *videlicet per ipſum Cardinalis archiepiſcopi vicarium generalem, Caſarem de Bland.*

C

inſcriptio ad conſervandam rei memoriam poſita.

52 *Porrò ad conſervandam hujus tranſlationis memoriam, Gregorius Raynoldus abbas poſt annos centum lapidi incidenda curavit hæc verba, quæ juxta chorum ad latus Euangelii ſupra portam ſunt poſita:* ADESTO CIVIS. SS. VICTORIS MARTYRIS ET SATYRI CONFESS. SACRA CORPORA SUB ARA MAJORI RECONDITA VENERARE, QUÆ IN BASILICA PORTIANA OLIM QUIESCENTIA, ET A S. CAROLO CARD. BORROMÆO ARC. MED. RECOGNITA OLIVETANÆ FAMILIÆ PIIS STUDIIS ANNUENTE, RELIGIOSI PP. IN NOVA ECCLESIA MAGNIFICE EXSTRUCTA CONDIDERE ANNO MDLXXVI. NEC IN IRRITUM CADUNT VOTA GEMINO SANCTORUM INNIXA PATROCINIO, QUORUM ALTER SANGUINE TELLUREM HANC CONSECRAVIT, ALTER VIRTUTIBUS D. AMBROSIUM FRATREM EXPRESSIT. SOLEMNIS TRANSLATIONIS PUBLICIS TABULIS CONSIGNATÆ MONUMENTUM HOC EXTARE VOLUIT D. GREGORIUS RAYNOLDUS HUJUS COENOBII ABBAS ANNO MDCLXXVI. *Hactenus de tranſlatione ipſorum corporum.*

Anno 1602 *SS. Victoris & Satyri capita*

53 *Anno* 1602, *die* XXIII *Martii, capita SS. Victoris &* Satyri *à prædicto loco ablata, & argenteis thecis incluſa ſunt, regente tunc eccleſiam Mediolanenſem Federico Borromæo, S. Caroli nepote ex fratre. Hujus tranſlationis Acta edidit jam ſæpè laudatus Moneta poſt præcedentia. Ex iis illa ſolùm huc tranſferam, quæ neceſſaria videbuntur pro notitia rerum geſtarum, omiſſis aliis. Narrat primò notarius Antonius Cerrutus, ex Actis, tempore S. Caroli Borromæi factis, conſtare de capitibus utriuſque Sancti, unà cum corporibus in arca ſub altari depoſitis; deinde ſic proſequitur:* Cumque præfati reverendi abbas & monachi dicti monaſterii S. Victoris, ob inſignitatem dictarum reliquiarum, præcipuè verò capitum dictorum SS. Victoris & Satyri, & ob eorum erga dictos Sanctos reverentiam, honorem & devotionem, & ad hoc, ut pietatis devotioniſque excitandæ causâ pro dierum ratione piis Chriſti fidelibus exponi poſſint, & in proceſſionibus de more ferri, duas thecas argenteas magni ponderis & valoris fieri curârint, in una quarum caput ejuſdem S. Victoris, in altera verò caput S. Satyri recondantur, & ad id requiſierint illuſtrem & reverendiſſimum J. U. D. dominum Antonium Senecam, decanum eccleſiæ majoris Mediolani, qui ut piæ & honeſtæ petitioni præfatorum reverendorum abbatis & monachorum ſatisfaceret, & pro præmiſſorum omnium & ſingulorum plena & omnimoda executione, hodierna die unà cum me notario infraſcripto ſe contulit ad dictam baſilicam S. Victoris, ibique ipſe reverendiſſimus D. Seneca pluviali indutus, unà cum M. reverendo patre Don Michaële abbate dicti monaſterii, pariter pluviali induto; & reverendo D. Philippo de Mediolano abbate Vicoboldoni, de ſacriſtia exiit præcedentibus monachis dicti monaſterii cum quatuor intortitiis.

E

à corporibus ſeparata,

54 Et facta ante altare majus oratione, dum motectum cantaretur in organo. Et aperto ipſo altari majori, & tabula marmorea ſuperiori amota, recognita fuerunt, quæ in eo continebantur: & in ſtipite altaris in medio reperta fuit capſula magna plumbea, cujus operculum erat implumbatum, ita ut nullo modo aperiri poſſet. A dextris urna viridis coloris: à parte ſiniſtra urnæ itidem duæ, altera viridis, altera rubei coloris. In angulo altaris prope urnam rubeam vaſa quædam inſtar canalium, in quibus fortè ſunt cineres. Ipſâque capſâ plumbeâ eductâ, & ſuper menſam collocatâ, præfatus reverendiſſimus D. Seneca incenſavit, factaque ejus recognitione, reperta eſt ſignata à latere dextro S. V., & ab alio latere S. SA., & quòd reliquiæ erant involutæ, illæ quidem Victoris, ſignatæ S. V. à parte anteriori, ſerico rubeo: illæ verò S. Satyri, ſignatæ S. SA., ſerico viridi à parte poſteriori. Amoto velo rubeo, repertum eſt inter ſacra oſſa permulta S. Victoris, in una parte caput ejuſdem S. Victoris, ſerico rubeo involutum.

F

& argenteis thecis incluſa,

55 Quibus ſic recognitis, præfatus reverendiſſimus Seneca, unà cùm M. R. P. abbate ſupraſcripto partes minores capitis, mentum ſcilicet & aliquos dentes, à reliquo capitis ſeparatos, ſerico eodem involutos, repoſuit in eadem capſa loco, ubi priùs erant. Pars verò capitis ſuperior integra, mento excepto, fuit velo rubeo novo involuta, & repoſita in theca argentea, honorificè

con-

AUCTORE J. S.

confecta ad effectum, de quo suprà. Et duo dentes in pixide argentea repositi fuerunt ad partem pro illustrissimis Cardinalibus Borromæo & Sfondrato .... Deinde amoto velo viridi, in alia parte intermediata similiter reperta fuerunt ossa permulta, ita ut plena esset ossibus S. Satyri, & inter alia caput velo viridi involutum, cum latere perantiquo, scripto S. SATYR. His pariter sic recognitis, præfati reverendissimus Seneca & abbas suprascriptus, duobus dentibus ad partem in eadem pixide repositis pro præfatis illustrissimis dominis, tum reliquiis S. Satyri corporali mundo tectis, caput integrum velo albo novo involverunt, & in theca argentea honorifica reposuerunt ad effectum, de quo suprà.

transferuntur ad thecam majorem supra altare:

56 Hisque peractis, præfatus reverendissimus D. Seneca, & reverendi abbates prædicti, thecis argenteis acceptis, processionem fecerunt circa ecclesiam sub baldachino, præcedentibus monachis cum luminibus: & inde iverunt ad confessionem, ubi repositis thecis super altari, Missa celebrata est à præfato reverendissimo D. Seneca. Interea verò capsula prædicta operculo suo cooperta, ac plumbo implumbata, reposita fuit in dicto altari suo loco. Deinde urnæ & capsula prædicta fuerunt panno serico, quem brocatellum vocant, coloris aurei tectæ. Tum stipes altaris tectus fuit lapide integro sericeo impolito: deinde mensa altaris superposita, prout antè erat, & opere cœmentario, ac ferreis quibusdam clavibus, ac plumbo cum stipite firmata... Celebratâ verò Missâ, reconditæ fuerunt thecæ prædictæ argenteæ, in quibus inclusa fuerunt sacra capita in reliquiario, quod supra altare confessionis fabricatum est: cujus crates ferrea quatuor clavibus munita est, diverso opere fabrili confectis; præter antas nuceas exteriùs auro ornatas seu depictas, cum verbis sequentibus. In anta dextra: SANCTORUM PETENDA SUNT SUFFRAGIA. In anta sinistra: UT IPSI SUPPLICENT PRO ECCLESIA. Beda. *Hactenus instrumentum, quod enumeratione testium, & subscriptionibus notariorum firmatur.*

B

inscriptio de his posita.

57 *Hujusce quoque translationis memoriam conservare volunt Patres Olivetani per inscriptionem lapidi incisam in ecclesia sua, quæ sic habet:* Sanctorum Victoris & Satyri capita, olim à S. Carolo inspecta, è suis loculis excerpta, & argenteis thecis inclusa, Em. Card. Federico Borromæo Med. Arch. annuente, fuere in bono lumine collocata anno MDCII. Pati non poterat Olivetani Ordinis pietas gemina sydera felicitatis horoscopos diutiùs delitescere. Habes ergo thesauros non jam humi defossos, sed pretiosæ religionis lucris expositos, quibus non tam oculi quàm corda diteſcant. Monumentum rei posuere MDCLVI. *Habetur & altera de hac translatione inscriptio, in parte postica altaris majoris posita, quam nos ipsi ibidem anno 1752 cum reliquis exscripsimus; sed illam omitto, quia datæ sufficiunt. Ceterùm novi quidem Puricellum & Religiosos Cistercienses S. Ambrosii hisce omnibus non acquiescere. At censeo, judicium S. Caroli Borromæi, cum rationibus allegatis conjunctum, prudenti lectori sufficere debere, ùt de veritate corporum SS. Victoris & Satyri ulteriùs non dubitet. Malui igitur brevitatem sectari, quàm ratiocinia quælibet fusè examinare, cùm illud abundè feciſſe videatur Moneta.*

C

D

ACTA

SIVE ORATIO FUNEBRIS

Auctore S. Ambrosio.

Ex editione novissima Operum S. Ambrosii, cum editione Surii collata.

CAPUT I.

Ambrosius mira pietate de obitu Fratris sui loquitur; exponit insignem caritatem, quâ invicem erant conjunctissimi, & varia Satyri officia recenset.

E

Ambrosii pietas, in obitu Fratris,

DEduximus, fratres dilectissimi, hostiam meam, hostiam incontaminatam, hostiam Deo placentem, dominum & fratrem meum Satyrum. Memineram esse mortalem, nec fefellit opinio, sed superabundavit gratia. Itaque nihil habeo, quod querar: sed habeo, in quo Deo gratias agam: quia semper optavi, ut si quæ perturbationes vel Ecclesiam, vel me manerent, in me potiùs ac meam reciderent domum. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu, cùm omnia motibus sint suspecta barbaricis, communem mœrorem privato dolore transegi, & in me conversum est *a*, quicquid omnibus timebam. Atque utinam hîc consummatum sit, ut dolor meus publici doloris redemptio sit. Nihil quidem habui, fratres charissimi, in rebus humanis tanto Fratre preciosius, nihil amabilius, nihil charius. Sed præstant privatis publica. Ipsius quoque si quis sententiam scisciteretur, mallet occidi pro aliis, quàm sibi vivere. Propterea enim pro omnibus secundum carnem Christus est mortuus, ut non nobis solis vivere disceremus. Accedit illud, quòd ingratus divinitati esse non possum. Lætandum est enim magis, quòd talem fratrem habuerim, quàm dolendum, quòd fratrem amiserim: illud enim munus, hoc debitum est. Itaque perfunctus * sum, quamdiu licuit, concesso mihi fœnore: qui deposuit pignus, recepit. Nihil interest, utrùm abjures depositum, an doleas restitutum. In utroque enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, pietas est: cùm pecuniæ fœnerator illud possit; naturæ Author, & necessitudinis creditor fraudari non queat? Itaque quanto uberior fœnoris summa, tanto gratior sortis usura.

a

F

**forte* perfruitus

omnia divinæ voluntati permittentis: communis dolor

2 Unde ingrati de fratre esse non possumus, quia quod naturæ communis fuit, reddidit: quod gratiæ singularis est, meruit. Quis enim communem conditionem recuset? Quis doleat proprium sibi pignus ereptum, cùm ad solatium nostri Filium suum unicum pro nobis Pater tradiderit ad mortem? Quis exceptum se putet esse debere à con-

A conditione moriendi, qui non ſit exceptus à conditione naſcendi? Magnum pietatis myſterium, ut mors corporis nec in Chriſto eſſet excepta: ac licèt naturæ Dominus, carnis tamen, quam ſuſceperat, legem non recuſaret. Et mihi neceſſe eſt
b mori: illi neceſſe non fuit? An qui de ſervo *b* dicit, Si eum volo ſic manere donec venio, quid ad te? non potuit ipſe ſic manere, ſi vellet? Sed perpetuitate vitæ hujus ſibi pretium, mihi ſacrificium perdidiſſet. Quod igitur majus eſt ſolatium noſtrî, quàm quòd ſecundum carnem & Chriſtus eſt mortuus? Aut cur ego vehementiùs fleam Fratrem, cùm ſciam illam mori non potuiſſe pietatem? Cur ſolum præ cæteris fleam, quem fletis omnes? Privatum dolorem communi dolore digeſſi: præſertim cùm meæ lachrymæ nihil proſint: veſtræ autem lachrymæ fidem adſtruant, conſolationem afferant. Fletis divites, & flendo probatis, nihil opitulari repoſitas divitias ad ſalutem; cùm pecuniæ pretio mors differri non queat, & pari uſu divitem inopemque dies ſupremus eripiat. Fletis ſenes, quòd in hoc liberorum ſortem pavetis. Et ideo quia vitam corporis producere non poteſtis, inſtituite liberos non ad uſum
B corporis, ſed ad virtutis officium. Fletis & juvenes, quòd naturæ finis non ſit maturitas ſenectutis. Fleverunt & pauperes, & quod multo eſt pretioſius, multoque uberius, lachrymis ſuis ejus delicta laverunt. Illæ ſunt lachrymæ redemptrices, illi gemitus, qui dolorem mortis abſcondunt: ille dolor, qui perpetuæ ubertate lætitiæ veteris ſenſum doloris obducat. Itaque licèt privatum funus, tamen fletus eſt publicus: et ideo non poteſt fletus eſſe diuturnus, qui univerſorum eſt affectibus conſecratus.

de morte Satyri, quocum conjunctiſſimus erat Ambroſius,

3 Nam quid te, mi Frater amantiſſime, fleam, qui mihi ſic ereptus es, ut eſſes omnium? Non enim perdidi uſum tui, ſed commutavi. Antè corpore inſeparabilis: nunc individuus affectu. Manes enim mecum, ac ſemper manebis. Et quidem, cùm viveres nobiſcum, numquam te patria eripuit mihi, nec ipſe mihi umquam patriam prætuliſti. Et nunc alteram præſtitiſti: cœpi enim hîc jam non eſſe peregrinus, ubi melior mei portio eſt. Numquam enim totus in me fui, ſed in altero noſtri pars major amborum: uterque autem eramus in Chriſto, in quo & ſumma univerſitatis & portio ſingulorum eſt. Hic mihi tumulus
C genitali ſolo gratior, in quo non naturæ, ſed gratiæ meæ fructus eſt. In iſto corpore enim, quod nunc exanimum jacet, præſtantior vitæ meæ functio: quia in hoc quoque, quod gero, corpore, uberior tui portio. Atque utinam ut memoriæ, ut gratiæ, ita etiam vitæ tuæ hoc quicquid eſt, quod ſpiramus, ſpirare poſſemus, dimidiumque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret uſum. Par enim erat, ut quibus indiviſum ſemper fuit patrimonium facultatum, non eſſet vitæ tempus diviſum. Vel certè qui indiſtincta ſemper habuimus vivendi conſortia, non haberemus diſtincta moriendi. Nunc verò, Frater, quò progrediar, quóve convertar? Bos bovem requirit, ſeque non totum putat, &
* *al.* amorem frequenti mugitu pium teſtatur affectum *, ſi fortè defecerit, cum quo ducere collo aratra conſuevit. Et ego te, Frater, non requiram? aut poſſim umquam obliviſci tui, cum quo vitæ hujus ſemper aratra ſuſtinui? Labore inferior, ſed amore conjunctior, non tam mea virtute habilis, quàm tuâ patientiâ tolerabilis: qui pio ſemper ſolicitus affectu, latus meum tuo latere ſepiebas, chari-

A. S. Ambrosio.

tate ut frater, curâ ut pater, ſolicitudine ut ſenior, reverentiâ ut junior. Ita in unius neceſſitudinis gradu complurium mihi neceſſitudinum officia impendebas, ut in te non unum, ſed plures amiſſos requiram: in quo uno ignorata adulatio, expreſſa eſt pietas. Neque enim habebas, quod ſimulatione adderes, qui totum pietate comprehenderas, ut nec incrementa reciperes, nec vicem expectares.

qui lacrymas ſuas excuſat Chriſti exemplo.

4 Sed quò immemor officii, memor gratiæ, immodico dolore progredior? Revocat Apoſtolus, & tamquam frenos mœrori inducit, dicens, ſicut nuper audiſtis: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non triſtes ſitis, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Date veniam, fratres chariſſimi. Neque enim omnes poſſumus dicere: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti *c*. Sed ad imitandum, ſi authorem quæritis, *c*
habetis, quem poſſitis imitari. Non omnes ad docendum idonei: utinam omnes ad diſcendum habiles. At non gravem lachrymis contraximus culpam *d*: non omnis infidelitatis, aut infirmitatis *d*
eſt fletus. Alius eſt naturæ dolor, alia eſt triſtitia diffidentiæ, & plurimùm refert deſiderare, quod habueris, & lugere, quod amiſeris. Non
E ſolus dolor lachrymas habet, habet & lætitia lachrymas ſuas. Et pietas fletum excitat, & oratio ſtratum rigat, & precatio juxta propheticum dictum, lectulum lavat. Fecerunt & fletum magnum ſui, cùm patriarchæ ſepelirentur. Lachrymæ ergo pietatis indices, non illices ſunt doloris. Lachrymavi ergo, fateor, etiam ego: ſed lachrymavit & Dominus. Ille alienum, ego Fratrem. Ille in uno lachrymavit omnes: ego in omnibus lachrymabo te, Frater. Ille noſtro, non ſuo, lachrymavit affectu. Neque enim Divinitas lachrymas habet: ſed lachrymavit in eo, qui *e* *e*
triſtis fuit: lachrymavit in eo, qui crucifixus eſt, qui mortuus, qui ſepultus. Lachrymavit in eo, de quo hodie nobis inſinuavit Propheta, dicens: Mater Sion, dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. In eo lachrymavit, quòd matrem Sion dixit, genitus in Judæa, ſuſceptus ex Virgine. Matrem autem ſecundum Divinitatem habere non potuit, qui author eſt matris. Ille factus eſt non divina generatione, ſed humana: quia Homo factus eſt, Deus natus eſt. Sicut & alibi habes: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. In puero enim nomen ætatis, in filio plenitudo Divinitatis eſt: factus ex F
Matre, natus ex Patre: idem tamen & natus & datus, non diverſum, ſed unum putes. Unus enim Dei Filius, & natus ex Patre, & ortus ex Virgine, diſtanti ordine, ſed in unum concurrente nomine, ſicut & præſens lectio docet, quia & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus: homo utique corpore, altiſſimus poteſtate. Etſi Deus & homo diverſitate naturæ, idem tamen, non alter, in utroque. Aliud ergo ſpeciale naturæ ſuæ, aliud commune nobiſcum, ſed in utroque unus, & utroque * perfectus. Non **al.* in utroque igitur mirandum eſt, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus. Fecit ergo Jeſum eum, utique qui ex corpore nomen accepit. Fecit eum, de quo etiam patriarcha ſcribit David: Mater Sion, dicet homo, & homo factus eſt in ea. Homo autem factus, diſſimilis utique eſt, non Divinitate, ſed corpore: nec diſcretus à Patre, ſed exceptus in munere: manens in conſortio poteſtatis, ſegregatus in myſterio paſſionis.

5 Plura loci hujus tractatus expoſcit, quibus poſſimus oſtendere authoritatem Patris, propriе-

A. S. Ambrosio. *Affectus Ambrosii in Fratrem,*

tatem Filii, Trinitatis totius unitatem, sed consolandi hodiè, non tractandi partes recepi: quamquam abducere à mœrore animum intentione tractandi, consolationis usus sit. Sed temperandus mihi magis mœror, quàm alienandus affectus est: ut mulceantur magis desideria, quàm sopiantur. Non libet enim abire à Fratre longiùs, & occupatione subduci: cùm velut comitandi ejus gratiâ hic sermo susceptus sit, ut diutiùs sensu prosequar proficiscentem, & quem oculis teneo, mente complectar. In illo enim totam oculorum aciem figere libet: cum illo totis animorum officiis immorari, illum toto blanditiarum ambire obsequio, dum stupet animus: nec amissum credo, quem adhuc cerno præsentem: nec mortuum puto, cujus adhuc officia non requiro: quibus ego vitæ meæ usum, & spirandi omne munus addixeram. Quid enim referam tantæ gratiæ, tanto labori? Ego te, Frater, hæredem feceram: tu me hæredem reliquisti. Ego te superstitem optabam: tu me superstitem dimisisti. Ego pro muneribus tuis, ut compensarem beneficia, vota referebam: nunc & vota perdidi, sed tamen tua beneficia non amisi. Quid agam mei successor hæredis? Quid agam meæ
B vitæ superstes? Quid agam exors hujus, quod capio, luminis? Quas grates, quæ munera referam tibi? Nihil à me, præter lachrymas, habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solas superstites habeo, lachrymas non requiris. Nam etiam cùm adhuc viveres, flere prohibebas: mœroremque magis nostrum, quàm tuam mortem, tibi esse testabaris dolori. Prohibent ulteriùs prodire lachrymæ, fletusque revocant. Prohibet etiam tui gratia: ne, dum nostra deflemus, de tuis meritis desperare videamur. At certè nobis etiam mœroris istius minuis acerbitatem: non habeo quod timeam, qui timebam tibi: non habeo, quod mihi jam mundus eripiat. Etsi sancta supersit soror, integritate venerabilis, æqualis moribus, non impar officiis: tibi tamen ambo plus timebamus, in te vitæ hujus jucunditatem repositam putabamus. Propter te vivere delectabat, propter te non pigebat mori. Te enim ambo superstitem precabamur, tibi nos supervivere non juvabat. Quando non cohorruit animus, cùm metus hujusmodi titillaret? Quomodo consternata mens erat ægritudinis tuæ nuncio? Væ miseræ opinioni: putabamus redditum, quem videmus dilatum. Tuis
C enim votis apud sanctum martyrem Laurentium *f*
f impetratum esse nunc cognoscimus commeatum, atque utinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogâsses. Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi.

de cujus reditu gratias Deo agit, & cujus mortem dolet,

6 Et quidem tibi, omnipotens æterne Deus, gratias ago, quòd vel hæc nobis suprema solatia non negâsti, quòd amantissimi Fratris ex Siculis Africanisve regionibus exoptatum nobis reditum contulisti. Ita enim maturè, postquam venit, ereptus est, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret. Habeo planè pignus mecum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere. Habeo quas complectar reliquias. Habeo tumulum, quem corpore tegam. Habeo sepulchrum, super quod jaceam: & commendabiliorem Deo futurum esse me credam, quòd supra sancti corporis ossa requiescam. Utinam sic potuissem adversus mortem quoque tuam meum corpus objicere! Si gladiis petitus esses, me pro te potiùs suffigendum dedissem. Si exeuntem potuissem revocare animam, meam potiùs obtulissem. Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus: nihil flatus in os inspirâsse morienti. Putabam enim, quòd aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem. O infelicia illa, sed tamen dulcia, suprema oscula pignora! O amplexus miseri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus supremus evanuit! Stringebam quidem brachia, sed jam perdideram, quem tenebam: & extremum spiritum ore relegebam, ut consortium mortis haurirem. Sed nescio quomodo vitalis ille mihi halitus factus est, & majorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atque utinam, si tuam nequivi meo spiritu vitam producere, vel ultimi anhelitus tui vigor transfundi potuisset in meam mentem, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noster spirâsset affectus! Hanc mihi hæreditatem, Frater charissime, reliquisses, quæ non lachrymabili dolore percuteret affectum, sed memorabili gratia commendaret hæredem.

multiplicia ipsius recensens officia,

7 Quid igitur nunc agam, cùm omnes vitæ istius suavitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim? Tu enim mihi unus eras domi solatio, foris decori. Tu (inquam) in consiliis arbiter, curæ particeps, deprecator solicitudinis, depulsor mœroris. Tu meorum assertor actuum, cogitationumque defensor: tu postremò unus, in quo domestica solicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam, me in fabricis *g* ecclesiæ id sæpè veritum esse, ne displicerem tibi. Denique ubi redisti, objurgâsti moram: ita domi forisque eruditor quidam & arbiter sacerdotis, ut domestica cogitare non sineres, publica curare censeres. Ut vereor, ne videar arroganter dicere. Hæc enim laudis tuæ portio est, quia sine offensione ulla & gubernâsti fratris domum, & commendâsti sacerdotium. Sentio equidem, quòd repetendis officiis tuis, recensendisque virtutibus afficiatur animus, sed tamen in ipsa mei affectione requiesco: atque hæ mihi recordationes etsi dolorem renovant, tamen afferunt voluptatem. An ego possum aut non cogitare de te, aut umquam sine lachrymis cogitare? Et potero umquam, aut tanti non meminisse Fratris, aut sine lachrymabili quadam meminisse gratia? Quid enim mihi umquam jucundum, quod non esset ex te profectum? Quid umquam mihi sine te, aut tibi umquam sine me voluptati fuit? Quis non usus nobis, & propè visus ipse, somnusque communis? Quæ discreta umquam vo-
F luntas? quod non commune vestigium, ferè ut cùm gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus videremur attollere? Quod si quando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares, affectum vultum cerneres, mœstum animum judicares: non assueta gratia, non vigor solitus prænitebat: suspecta omnibus solitudo metum alicujus ægritudinis afferebat. Ita novum videbatur omnibus nos dividi. Ego certè fraternæ oblitus *h* absentiæ, quasi præsentem, reflexa sæpiùs cervice, quærebam, & coram alloqui atque adspicere videbar mihi. Sed tamquam suspensum collo jugum, ubi speratis excideram, trahere me putabam: difficilis progredi, verecundus videri, & redire deproperans, quòd sine te procedere non liberet. At verò ubi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere vestigia, quàm verba, nec incessus, quàm sermò crebrior, nec ambulandi cura, sed colloquendi gratia. Uterque enim nostrûm ex alterius ore pendebat. Non intento adspectu legere iter, sed mutuo solicitos excipere sermones, haurire oculorum gratiam, spirare fraternæ imaginis voluptatem.

8 Quàm

A *ſolertiamque & ultimum iter Africanum.*

8 Quàm virtutes tuas tacitus mecum ipſe mirabar? Quàm plaudebam mihi, quòd tali me Dominus Fratre donaverat, tam pudico, tam efficaci, tam innocenti, tam ſimplici: ut cùm tuam innocentiam cogitarem, efficaciam deſperarem: cùm efficaciam cernerem, innocentiam non putarem: ſed utrumque mira quadam virtute jungebas. Denique ea, quæ ambo nequiveramus concludere, ſolus implêſti. Plaudebat ſibi, ut audio, Proſper, quod ſacerdotii *i* mei occaſione redditurum ſe quæ abſtulerat, non putabat: ſed vehementiorem tuam unius efficaciam expertus eſt, quàm duorum. Itaque ſolvit omnia, nec moderationi ingratus tuæ, nec illudens pudori, ſed modeſtiæ gratus, nec inſolens efficaciæ. Sed cui, Frater, illa quæſiſti? Nos enim idem volebamus laborum tuorum eſſe præmium, quod documentum erat. Peregiſti omnia, & ubi perfunctus omnibus revertiſti, tu ſolus nobis, qui omnibus es præferendus, eriperis: quaſi ideo mortem diſtuleris, ut conſummares pietatis officium, palmam efficaciæ reportares. Quàm nec ipſi nos, Frater chariſſime, ſeculi hujus delectabant honores, quòd nos à nobis invicem dividebant: quos B ideo adepti ſumus, non quia fuit eorum expetenda perceptio, ſed ne vilis diſſimulatio videretur. Aut fortaſſe ideo ſunt tributi, ut quia immaturo tui obitu noſtræ futurus erat voluptatis occaſus, ſine nobis jam vivere diſceremus. Equidem præſagæ mentis agnoſco formidinem, dum repeto ſæpè, quæ ſcripſerim. Revocabam te, Frater, ne ipſe Africam peteres, ac potiùs aliquem deſtinares: timebam te committere viæ, fluctibus credere, & ſolito metus major inceſſerat animum. Sed & peregrinationem explicuiſti, & rem ordinâſti, & veteri & ſentinoſo (ut audio) navigio iterum te fluctibus credidiſti. Namque dum celeritatem aucuparis, cautelam prætermiſiſti, avidus noſtræ gratiæ, diſſimulans periculi tui. O fallax lætitia! ô incerta humanarum rerum curricula! Ex Africa redditum, ex mari reſtitutum, ex naufragio ſervatum, putabamus jam nobis non poſſe eripi, ſed graviora naufragia in terris poſiti ſuſtinemus. Nam quem non potuerunt naufragia *k* maris ad mortem deducere, ſtrenuis natatibus evitata, ejus mors cœpit nobis eſſe naufragio. Quid enim ſupereſt ſuavitatis, quibus tam prædulce decus, tam charum in his mundi tenebris lumen extinctum eſt, in quo non noſtræ ſolùm familiæ, C ſed totius patriæ decus occidit.

ANNOTATA.

a *Baronius ad annum 383 num. 14 ex hoc loco credidit, periculum commune privato S. Ambroſii dolore fuiſſe redemptum, remque contigiſſe èxiſtimat anno 383, quando occiſo Gratiano imperatore, timebatur, ne Maximus tyrannus exitium afferret Italiæ. Verùm oſtendi in Commentario §. 2, omnia hæc figenda anno 392 vel 393, cùm, perempto Valentiniano II, Eugenius tyrannus timebatur. Quod verò ſpectat ad commune periculum, hoc necdum erat ablatum, dum iſta perorabat Ambroſius. Nam Eugenius revera cum agmine ſuo in Italiam venit; ſed minora, quàm timeri poterat, intulit damna, & citò ab imperatore Theodoſio victus fuit.*

b *De S. Joanne apoſtolo Joan. 21.*

c *Verba ſunt S. Pauli apoſtoli, quibus uti ſe non poſſe ait humilis Ambroſius, quòd luctum ſuum nollet aliis ad imitandum proponere.*

d *Non agnoſcit hîc in naturali illo dolore cul-*

pam levem, ut nonnemo credidit, ſed ſolummodo negat gravem. A. S. AMBROSIO.

e *Hoc loco expreſſi editionem Surii & aliorum. Noviſſima habet:* Sed lacrymavit eo, quo triſtis fuit: lacrymavit eo, quo crucifixus eſt, quo mortuus, quo ſepultus eſt. *Et mox:* Eo lacrymavit, quo matrem Sion dixit. *Senſus eſt, non Divinitas, ſed homo, ſive humana natura lacrymavit.*

f *Votum hoc S. Marcellinæ attribuit Baronius ad annum 383 num. 15. At clarum eſt, vota* Satyri *referri ab Ambroſio. Interim ex toto hoc loco liquet, Marcellinam utriuſque ſororem fuiſſe Mediolani ante reditum* Satyri, *qui ante iter vota illa nuncupare S. Laurentio potuit.*

g *Editiones priores habent* publicis. *At noviſſimus editor Benedictinus obſervat, in omnibus Mss. legi* fabricis *eccleſiæ. De Ambroſiana eccleſia per S. Ambroſium ſtructa egimus in Commentario num. 35. Verùm & alias ille ædificavit, de quibus agi poterit ad 7 Decembris in Ambroſio.*

h *In noviſſima editione,* impatiens & non oblitus abſentiæ. *At illud* non *certò redundat, ideoque hîc Surium ſecutus ſum.*

i *Perperam hinc intulit Tillemontius, rem eſſe cœptam ante ſacerdotium Ambroſii. Nam ſi Proſper occaſione ſacerdotii ſe non redditurum putabat, jam ſacerdos ſive epiſcopus erat Ambroſius, quando ille reſtitutionem primò negavit. Fortè erat hereditas aliqua fratribus debita, quam Proſper ad ſe traxerat, quámque ambo ſimul fratres amicè primùm repetierant. Quis ille ſit Proſper, non liquet. At habitabat in Africa, ubi eum convenit* S. Satyrus, *ut liquet ex ſequentibus.* E

k *Licèt naufragium aliquando paſſus ſit* S. Satyrus, *& hic locus utcumque videatur inſinuare, illud contigiſſe in ultimo illo itinere Africano; alia tamen ſunt argumenta, quibus oſtenditur, diu antè illud contigiſſe naufragium. Vide dicta in Commentario num. 13 & ſeqq.*

CAPUT II.

Omnium dolor de morte S. Satyri, quem Ambroſius morte ſua periculis ſubtractum docet: Sanctus naufragio ereptus, baptiſmum non vult ſuſcipere à ſchiſmatico, ſed illum deinde in eccleſia Catholica ſuſcipit. F

Ambroſius laudans omnium dolorem, Satyrum tamen felicem dicit.

HAbeo ſanè vobis, fratres dilectiſſimi, plebs ſancta, maximam gratiam, quòd non alium dolorem meum, quàm veſtrum putatis, quòd vobis accidiſſe hanc noſtri creditis ſolitudinem, quòd fletum totius civitatis, ætatum omnium, ordinum omnium vota novâ quadam pietate defertis. Non enim miſericordiæ privatæ dolor, ſed quoddam publicæ officium & munus eſt gratiæ. Aut ſi qua vos mei tangit miſericordia, quòd talem Fratrem amiſerim, habeo fructum uberem, habeo veſtri pignus affectus. Mallem Fratrem vivere: ſed tamen publicum officium in ſecundis rebus jucundius eſt, in adverſis gratius. Neque verò mihi me-

S. Ambrosio.

mediocre meritum tanti videtur officii. Neque otiosè vel in Actibus Apostolorum Thabitam *a* mortuam flentes viduæ describuntur : vel in Euangelio mota lachrymis viduæ prosequens turba funus adolescentis inducitur, cui resurrectio debebatur : illam tamen Thabitam viduæ, hunc tota civitas flevit. Non ergo dubium est, vestris lachrymis Apostolorum patrocinium comparari, non (inquam) dubium est, Christum misericordiâ motum. Cùm vos flentes videret, etsi nunc non tetigit loculum, suscepit tamen commendatum spiritum : etsi non appellavit corporis voce defunctum, divinæ tamen potestatis authoritate à cruciatibus mortis, & nequitiæ spiritalis incursionibus ejus animam liberavit. Etsi non resedit in loculo, qui erat mortuus, tamen requievit in Christo. Etsi non locutus est nobis, tamen ea, quæ supra nos sunt, cernit, & quæ potiora sunt nobis, jam se videre lætatur. Per ea enim, quæ in Euangelio legimus, quæ futura sunt, intelligimus : & præsentium species, indicium est futurorum. Non opus fuit ei resurrectione temporali, cui æterna debetur. Quid enim in hanc miseram & ærumnosam recideret labem, atque in hanc flebilem vitam rediret, quem raptum magis esse ex tam imminentibus malis, urgentibusque periculis gaudere debemus ? Nam si pacato seculo, bellisque cessantibus, raptum Enoch nemo deflevit, sed magis Propheta laudavit, sicut de illo Scriptura dixit : Raptus est, ne malitia mutaret cor ejus : quanto magis nunc jure dicendum est, cùm ad seculi lubricum vitæ accedat ambiguum : Raptus est, ne in manus incideret barbarorum ? Raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes, ne postremò sanctarum vîrginum atque viduarum, quod omni morte acerbius est, colluvionem videret ?

quòd morte sua impendentibus periculis sit ereptus,

10 Ego verò te, Frater, tum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, sed periculis : non vitam amisisti, sed ingruentium acerbitatum formidine caruisti. Nam quâ eras sanctæ mentis misericordiâ in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantùm ingemisceres, quàm doleres, in Alpium vallo summam nostræ salutis consistere, lignorumque concædibus construi murum pudoris ? Qua afflictione mœreres tam tenui discrimine tuos distineri ab hoste impuro atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret, nec saluti ? Quonam, inquam, hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortasse, quod gravius est, spectare cogemur : rapi virgines, & avulsos à complexu parentum parvos liberos supra tela jactari, incestari sacrata Deo corpora, & senilem viduæ maturioris uterum in usus desuetos onerum redire, non pignorum ? Quonam, inquam, modo ista tolerares, qui etiam ultimo spiritu, tui jam fortassis oblitus, & adhuc nostri non immemor, de cavenda incursione barbarorum nos sæpiùs admonebas, commemorans non frustra te dixisse fugiendum : fortasse ideo, quòd nos destitui tua morte cernebas : quod non infirmitate animi, sed pietate faciebas : etsi infirmus pro nobis, tamen firmus tibi. Qui cùm à viro nobili revocareris Symmacho tuo parente *b*, quòd ardere bello Italia diceretur, quòd in periculum tenderes, quòd in hostem incurreres : respondisti, hanc ipsam tibi causam esse veniendi, ne nostro deesses periculo, ut consortem te fraterni discriminis exhiberes. Felix igitur tam opportuno obitu, quia non es in hunc servatus dolorem. Certè felicior, quàm sancta soror, quæ tuo solatio destituta, de suo pudore solicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnosa, neque alterum sequi potest, neque alterum derelinquere : cui tumulus hospitium tuus, & corporis tui sepulchrum est domus. Atque utinam vel hoc tutum diversorium ! Cibus in fletibus, potus in lachrymis. Cibum etenim dedisti nobis panem lachrymarum, & potum dedisti nobis in lachrymis in mensura, aut fortasse ultra mensuram. Nam quid de me loquar, cui neque mori licet, ne sororem relinquam : neque vivere libet, ne à te revellar ? Quid enim mihi sine te potest esse jucundum, in quo omnis semper fuit nostra jucunditas ? Aut quid diutiùs in hac vita degere juvat, atque in terris morari, in quibus tamdiu jucundè viximus, quamdiu simul viximus ? Etsi esset, quod hîc delectare nos posset, sine te delectare non posset. Etsi quando voluissemus impensè vitam producere, jam tamen sine te esse nollemus. Hæc intolerabilia. Quid enim tolerabile sine te tanto vitæ comite, tanto laborum meorum officiorumque consorte ? Cujus ego casum, quo esset tolerabilior, nec præmeditari potui : ita pavebat animus de illo tale aliquid cogitare, non quo conditionem ignorarem : sed quidam votorum usus sensum communis fragilitatis obduxerat, ut de illo, nisi secunda omnia, cogitare nescirem.

declaratque maluisse se ante fratrem sibi simillimum vitâ defungi,

11 Denique proximè cùm gravi quodam, atque utinam supremo, urgerer occasu, hoc solum dolebam, quòd non ipse assideres lectulo, ac votivum mihi cum sancta sorore *c* partitus officium, morientis oculos digitis tuis clauderes. Quid optaveram ? Quid rependo ? Quæ vota deficiunt ? Quæ ministeria succedunt ? Aliud præparabam : aliud exhibere compellor, non jam ipse ministerium funeris, sed minister. O dura oculorum lumina, quæ potuistis fratrem videre morientem ! O immites & asperæ manus, quæ clausistis oculos, in quibus plus videbam ! O durior cervix, quæ tam lugubre onus, consolabili licèt obsequio, gestare potuisti ! Hæc tu, Frater, mihi justiùs exhiberes. Hæc ego à te expectabam. Hæc ego officia desiderabam. Nunc verò ipse meæ vitæ superstes, quod sine te solatium capiam, qui solus mœrentem solari solebas, excitare lætitiam, mœstitudinem propulsare ? Qualem te nunc ego, Frater, adspicio, jam nulla mihi verba referentem, jam nulla offerentem oscula ? Quamquam ita mutuus semper utrique nostrûm insederit amor, ut interiore potiùs foveretur affectu, quàm forensi blanditiâ divulgaretur. Neque enim aliorum quærebamus testimonium, qui tantam nostri gratiam tenebamus. Ita virilis se utrique nostrûm germanitatis succus infuderat, ut non blanditiis probare amorem, sed conscia mente pietatis interno amore contenti, fucum blanditiarum non requirere videremur, quos & ipsa in amorem mutuum imago formaret. Nescio enim qua expressione mentis, qua corporis similitudine, alter in altero videbamur. Quis te adspexit, qui non me visum putaret ? Quoties aliquos salutavi, qui quoniam te priùs consalutaverant, se à me jam dicerent salutatos ? Quanti tibi dixerunt aliquid, qui se mihi dixisse memorarent ? Quæ mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitia, quòd eos errare in nobis cernerem ? Quàm gratus error, quàm jucunda prolapsio, quàm religiosa fallacia, quàm suavis calumnia ? Neque enim de tuis erat aliquid aut factis, aut sermonibus, quod timerem, qui mihi tua lætabar ascribi. Tamen si vehementiùs contenderent, quòd se mihi aliquid intimâsse memorarent, respondebam ridens & gaudens : Vide-

A dete, ne Fratri dixeritis. Nam cùm omnia nobis eſſent noſtra communia, individuus ſpiritus, individuus affectus: ſolum tamen commune non erat ſecretum amicorum: non quo conferendi periculum vereremur, ſed tenendi ſervaremus fidem. Sanè ſi conſilio pendenda res eſſet, erat ſemper commune conſilium, non ſemper commune ſecretum. Nam etſi amici ita alteri noſtrùm dicerent, ut dicta ſua ad alterutrum pervenirent: tamen ſcio plerumque ita fidem ſecreti eſſe ſervatam, ut nec fratri committeretur. Erat enim fidele indicium, & extraneo non eſſe proditum, quòd non eſſet cum fratre collatum. His igitur tantis ac talibus bonis in exceſſum quemdam, fateor, mentis elatus: ſuperſtitem me timere deſieram, quòd illum vitâ crederem digniorem. Et ideo excepi plagam, quam ferre non poſſum. Tolerabiliora enim tanti doloris præmeditata, quàm inexplorata, vulnera.

ipſius laudans caritatem & prudentiam.

12 Quis jam mœſtum ſolabitur? Quis afflictum levabit? Cum quo participabo curas? Quis me ab iſtius mundi vindicabit uſura? Tu enim actor * negociorum, cenſor ſervulorum, arbiter fratrum; non litis, ſed pietatis arbiter. Nam ſi quando aliquid cum ſancta ſorore mihi conferendum fuit, utra melior videretur ſententia, te judicem ſumebamus: qui nullius læderes os, atque utrique ſatisfacere geſtiens, & amandi affectum tenebas, & cenſendi modum: ut & utrumque gratum dimitteres, & utriuſque tibi gratiam vindicares. Aut ſi ipſe aliquid diſceptandum deferres, quàm grata contentio tua? quàm ſine felle ipſa indignatio? quàm ſervulis ipſis coërcitio non amara? cùm te fratribus magis deferre, quàm ex affectu diceres * vindicare. Nobis enim profeſſio repreſſit ſtudia coërcendi. Imò tu, Frater, ab omni nos abducebas coërcitionis affectu, vindicare pollicens, & lenire deſiderans. Non mediocris igitur prudentiæ teſtimonium, quæ ita à ſapientibus definitur: Bonorum primum eſſe, Deum ſcire, & verum illud atque divinum pia mente venerari: illam amabilem & concupiſcendam æternæ pulchritudinem veritatis tota mentis charitate diligere. Secundum autem, in proximos à divino illo fonte atque cæleſti naturæ derivare pietatem. Quod etiam mundi ſapientes noſtris hauſêre de legibus. Neque enim derivare iſta in hominum diſciplinas, niſi de cæleſti illo divinæ legis fonte potuiſſent.

* in ultima editione auctor

* *ibid.* diſceres *mendosè*

C

Satyrus, naufragium paſſus, & divino præſidio ſervatus,

13 Quid igitur obſervantiam ejus erga Dei cultum prædicem? qui priuſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea, quâ veheretur, navis ſcopuloſo illiſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus ſolveretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterii exiret è vita, quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum *d* popoſcit: non ut curioſos oculos inferret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium *e* involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans juvaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſideravit. Simul fortitudinem ejus ſpectare licet, qui fatiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis, ex ſeipſo adminiculum ſuæ virtutis aſſumpſerit. Nec deſeruit ſpes, nec feſellit opinio. Denique primus ſervatus ex undis, & in portum terrenæ ſtationis evectus, præſulem ſuum, cui ſe crediderat, recognovit: ſtatimque ubi etiam cæteros ſervulos ſuos, vel ipſe liberavit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amiſſa deſiderans, Dei eccleſiam requiſivit, ut ageret gratias liberatus, & myſteria æterna cognoſceret, pronuncians nullum referendæ gratiæ majus eſſe officium. Quod ſi homini non referre, ſimili homicidio judicatum eſt: quantum crimen eſt, non referre Deo? Eſt ergo prudentis, agnoſcere ſeipſum, & quemadmodum à ſapientibus definitum eſt, ſecundum naturam vivere. Quid enim eſt tam ſecundum naturam, quàm referre Authori gratiam? Adſpice cælum hoc, nonne Authori refert gratiam, cùm videtur? Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Mare ipſum, cùm ſedatum atque tranquillum eſt, divinæ ſerenitatis teſtatur indicium; cùm movetur, indignatio ſuperna terrori eſt. Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm advertimus, quòd inſenſibilis natura quadam ſenſibili ratione ſuos fluctus coërceat, & fines ſuos unda cognoſcat? Nam de terris quid loquar, quæ divino obedientes præcepto, omnibus ſponte animantibus pabulum ſubminiſtrant: atque id, quod acceperint agri, velut creſcentibus uſuris, multiplicatum, cumulatumque reſtituunt? Ergo ille, qui natura duce divini rationem operis igneo mentis vigore perceperat, ſcivit primo omnium Servatori ſuo gratiam eſſe referendam. Sed quia referre non poterat, habere poterat. Eſt enim hujuſcemodi gratiæ vis, ut & cùm refertur, habeatur: & habendo referatur.

A. S. AMBROSIO.

E

baptiſmum accipit in eccleſia Catholica.

14 Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum Myſterii cæleſtis involuti in orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur, ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quàm majus putabat fuſum in viſcera, quod tantum ſibi tectum orario profuiſſet? Sed non ita avidus fuit, ut eſſet incautus. Scimus enim pleroſque aviditate ſtudii prætermittere cautionem. Advocavit ad ſe epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam: percontatuſque ex eo eſt, utrumnam cum epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia *f* conveniret. Et fortè & ad id locorum in ſchiſmate regionis illius eccleſia erat. Lucifer *g* enim ſe à noſtra tunc temporis communione diviſerat: & quamquam pro fide exulàſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putavit tamen * fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent: cujus patiebantur velut quoſdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus evacuatur ejus paſſio, corpuſque diſtrahitur. Itaque quamvis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor navigare: tamen eò tranſire maluit, ubi tutò poſſet exolvere. Judicabat enim divinæ ſolutionem gratiæ in affectu ac fide eſſe: quam quidem ſtatim, ubi primùm copia liberior Eccleſiæ *h* fuit, implere non diſtulit, Deique gratiam & accepit deſideratam, & ſervavit acceptam. Nihil igitur eâ prudentiâ ſapientius, quæ divina & humana ſecernit. Nam quid ſpectatam ſtipendiis forenſibus ejus facundiam loquar? Quàm incredibili admiratione in auditorio præfecturæ ſublimis emicuit? Sed malo illa laudare, quæ perceptis Myſteriis Dei, duxit humanis eſſe potiora. Fortitudinem quoque ejus ſi quis plenius ſpectare volet, conſideret quoties poſt naufragium invicto quodam contemptu vitæ hujus maria tranſfretaverit, diffuſaſque regiones obeundo peragrârit.

f

g

* Satyrus

h

A. S. Ambrosio. rit. Postremò, quòd hoc ipso tempore periculum non refugerit, sed ad periculum venerit, patiens injuriæ, negligens frigoris, atque utinam solicitus cautionis: sed hoc ipso beatus, quòd dum licuit vigore uti corporis, inoffenso ad exequenda, quæ vellet, functus juventutis officio, vitam vixit, debilitatem ignoravit.

ANNOTATA.

a *Historia Tabithæ (ita scribitur nomen) Act. 8 ℣ 36 refertur. Illam defunctam omnes flebant propter insignia opera misericordiæ. Petrus verò defunctam resuscitavit. Historia illa, uti & sequens de resuscitato unico viduæ filio Luc. 7 ℣ 12, tantùm afferuntur ab Ambrosio, ut ostendat, non esse novum aut malum, sed bonum & laudabilem luctum illum, quem de* Satyri *morte omnes exhibebant.*

b *Hic Symmachus honoris tantùm causâ* parens *dici videtur, quòd senior esset &* Satyrum *amaret. Dubitandum non videtur, quin agatur de Quinto Aurelio Symmacho, celebri oratore, qui omnibus ferè dignitatibus fuit ornatus, licèt esset gentilis. De illo latiùs agit Tillemontius in Historia Imperatorum tom. 5 in Theodosio art. 91.*

c *Ex hoc loco colligitur, Marcellinam jam ante ultimum iter* Satyri *cum fratribus suis Mediolani habitâsse.*

d *Ex his liquet, etiam tempore S. Ambrosii fidelibus, qui baptizati erant, permissum fuisse, Sacramentum Corporis Christi secum domum deferre, & in itinere circumferre, ut Baronius ad annum 57, aliique scriptores ostendunt. At catechumenis, quibus nec sumere nec videre licebat Corpus Christi, quique ante consecrationem ex cœtu fidelium dimittebantur, idem non erat permissum, quod baptizatis. Hac de causa* Satyrus *non vidit sacram Hostiam, sed eam sudario involutam collo apposuit. Factum* Satyri, *Eucharistiam sic deferentis ad collum, fideliumque eam sic ipsi tradentium, non improbat S. Ambrosius; sed Fratris fidem laudat. Nihil itaque videntur feciſſe, quod repugnaret consuetudini illius temporis. Verùm consuetudo Eucharistiam laïcis in manus tradendi, & omnino domi aut in itinere permittendi, postmodùm rectè abrogata est ob abusus inde ortos, & ad majorem reverentiam sanctissimo Sacramento conciliandam.*

e *Orarium tempore S. Ambrosii sumebatur pro sudario, eaque significatione ille etiam utitur ea voce aliis locis.*

f *Hic sanè locus apertè declarat, necessariam esse communionem cum Romana Ecclesia, ut quis censeatur Catholicus. Non solius* Satyri *aut Ambrosii hæc erat sententia: totum concilium Aquilejense, anno 381 habitum, in quo plurimi fuerunt episcopi doctrinâ & sanctitate illustres, in eamdem ferè sententiam scribit ad Gratianum, Valentinianum & Theodosium imperatores in Epistola inter Ambrosianas* XI, *ubi hæc leguntur:* Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra: inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant. *At hæc breviter observata sufficiant, quia modò de his non agimus.*

g *Agitur de Lucifero episcopo Calaritano, quem alii repudiârunt ut schismaticum, alii ut Catholicum & Sanctum laudârunt. Eidem certò contraria sunt verba S. Ambrosii; sed alii quidam loquuntur mitiùs de facto Luciferi. At necesse non est, ut hìc examinemus controversiam intricatissimam. Papebrochius noster ad 20 Maii dedit Acta Luciferi Calaritani, multaque ad eum purgandum attulit. Tillemontius tom. 7 Monum. Eccles. contrariam opinionem defendit. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV in Opere de Canonizatione Servorum Dei lib. 1 cap. 40 multa accumulat pro utraque opinione, & rem indecisam relinquit.*

h *In Africa baptizatum credunt, qui existimant in ultimo itinere Africano baptismum à S.* Satyro *susceptum. At ego in Commentario num. 12 & seqq. multò citiùs baptizatum ostendere conatus sum, & secundum opinionem meam locus baptismi est incertus.*

CAPUT III.

Sancti verecundia, castitas, temperantia, justitia, aliæque virtutes: Ambrosius suum & sororis Marcellinæ dolorem variis modis lenire conatur.

Sancti verecundia, castitas,

QUa verò prosecutione simplicitatem ejus edisseram? Ea est enim quædam morum temperantia, mentisque sobrietas. Date, quæso, veniam, & permittite dolori meo, ut de eo mihi paulò uberiùs liceat loqui, cum quo jam non conceditur colloqui. Certè & vobis proficit, ut advertatis, non fragilitate quadam vos hoc officium, sed judicio detulisse: nec misericordiâ mortis impulsos, sed virtutum honorificentiâ provocatos. Anima enim benedicta omnis simplex. Tantæ autem simplicitatis erat, ut conversus in puerum, simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentium morum speculo reluceret. Intravit igitur in regnum cælorum, quoniam credidit Dei verbo: quoniam sicut puer artem repulit adulandi, injuriæ dolorem clementer absorbuit, quam clementiùs vindicavit, querelæ, quàm dolo, promptior: satisfactioni facilis, difficilis ambitioni, sanctus pudori: ut frequenter in eo superfluam magis verecundiam prædicares, quàm necessariam quæreres. Sed nunquam superflua fundamenta virtutis. Pudor enim non revocat, sed commendat officium. Itaque velut quadam virginali verecundia suffusus ora, cùm vultu affectum proderet, si fortè aliquam subitò veniens offendisset parentem, velut depressus & quasi demersus in terram, licèt in ipso nequaquam dissimilis cœtu virorum, rarus attollere os, elevare oculos, referre sermonem: quod pudico quodam mentis pudore faciebat, cum quo castimonia quoque corporis congruebat. Etenim intemerata sacri baptismatis dona servavit, mundus corpore, purior corde, non minùs adulterini sermonis opprobrium, quàm corporis abhorrescens: non minorem ratus pudicitiæ reverentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis castitate. Denique in tantum castimoniam dilexit, ut nec uxorem expeteret: licèt in eo non solùm castitatis appetentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & conjugium dissimulabat, & jactantiam declinabat: tantaque erat dissimulatio, ut nobis quoque urgentibus dis-

ter-

A ferre magis consortium, quàm refugere videretur. Hoc unum itaque fuit, quod nec fratribus crederet, non aliquâ cunctationis hæsitantiâ, sed virtutis verecundiâ.

temperantia in variis,

16 Quis igitur non miretur Virum inter fratres duos, alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse, ut alterius minoris castitatem, alterius sanctitatem referret, non professionis vinculo, sed virtutis officio? Ergo si libido atque iracundia reliquorum vitiorum educatrices sunt, jure castitatem atque clementiam dixerim quasdam virtutum parentes: quamquam pietas quoque, ut omnium principatus bonorum, ita etiam seminarium virtutum est cæterarum. Nam de parsimonia quid loquar, & quadam habendi castitate? Is enim non quærit aliena, qui sua servat: nec inflatur immodico, qui contentus est proprio. Nihil ergo aliud, nisi proprium recuperare voluit, magis ne fraudaretur, quàm ut ditaretur. Nam eos, qui aliena quærunt, rectè accipitres pecuniæ nominabat. Quòd si radix malorum omnium avaritia est, utique vitia exuit, qui pecuniam non requirit. Non umquam

B accuratioribus epulis, aut congestis ferculis delectatus est, nisi cùm amicos ad epulas rogaret: quantum naturæ satis esset, non quantum voluptati superesset, requirens. Et certè erat non pauper opibus, sed tamen pauper spiritu *a*. De istius beatitudine nequaquam utique dubitare debemus: qui neque ut opulens exultavit in divitiis, neque ut pauper exiguum, quod habuit, judicavit.

a

justitia seu potiùs caritas in omne hominum genus.

17 Superest ut ad conclusionem cardinalium virtutum, etiam justitiæ partes in eo debeamus advertere. Nam etsi cognatæ sint inter se, concretæque virtutes, tamen singularum quædam forma & expressio desideratur, maximéque justitiæ. Ea enim, sibi parcior, foris tota est: & quicquid habet, quâdam inclementiâ sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos. Sed hujus multiplex est species. Alia erga propinquos, alia erga universos, alia erga Dei cultum, vel adjumentum inopum. Itaque qualis in universos fuerit, provincialium, quibus præfuit, studia docent: qui parentem magis fuisse proprium, quàm judicem loquebantur, gratum piæ necessitudinis arbitrum, constantem æqui juris disceptatorem. Inter fratres autem qualis fuerit, licèt omne ho-

C minum genus benevolentiâ complecteretur, indivisum patrimonium docet, nec distributa, aut delibata, sed reservata hæreditas. Etenim pietatem sibi causam esse negavit testandi. Nam hoc quoque ultimo sermone signavit, cùm, quos dilexerat, commendaret, sibi nec uxoris arbitrium fuisse ducendæ, ne à fratribus divelleretur, nec testamenti faciendi voluntatem, ne nostrum in aliquo arbitrium læderetur. Denique & oratus, & obsecratus à nobis, nihil tamen condendum putavit, non oblitus pauperum, sed tantum obsecrans esse tribuendum, quantum nobis justum videretur. Quo uno satis & divini timoris expressit indicium, & humanæ edidit religionis exemplum. Nam quod pauperibus contulit, Deo detulit. Quoniam qui largitur pauperi, Deo fœnerat: & postulando, quod justum est, non exiguum, sed totum, reliquit. Hæc enim est summa justitiæ, vendere quæ habeas, & conferre pauperibus. Qui enim dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Ergo dispensatores nos, non hæredes reliquit: nam hæreditas successori quæritur, dispensatio pauperibus obligatur. Unde non immeritò, quantus fuerit, hodie quoque per vocem lectoris parvuli Spiritus sanctus expressit: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec fecit proximo suo dolum. Hæc est generatio requirentium Deum. Hic ergo & in montem Domini ascendet, & in tabernaculo habitabit Dei: & ingressus sine macula, operatus est justitiam, locutus est veritatem, non decepit proximum: nec pecuniam fœneratus est suam, qui semper voluit recuperare hæreditariam. Agnosco oraculum: quod enim nulla ordinavit dispositio, Spiritus revelavit. A. S. AMBROSIO.

Tantis ornati virtutibus mortem non esse lugendam,

18 Quid verò illud recenseam, quòd supra ipsam justitiam pietate progressus, cùm quædam incubatori communium fructuum mei contemplatione muneris putaret esse tribuenda, largitatis me jactabant authorem, portionis suæ lucrum ad commune consortium conferebat? Hæc & alia, quæ mihi tunc erant voluptati maximæ, nunc recordatione doloris exasperant. Manent tamen, eruntque semper, nec tamquam umbra prætereunt, neque virtutis gratia cum corpore occidit, nec idem naturæ meritorumque finis; licèt ipsius naturæ usus non in æternum occidat, sed temporali quadam vocatione requiescat. Talibus igitur E perfunctum virtutibus, ereptum periculis, desiderio magis quàm amissione flebo. Suadet enim ipsa opportunitas mortis, ut prosequendum magis gratiâ, quàm dolendum putemus. Scriptum est enim, in communi dolore proprium vacare debere. Neque enim prophetico sermone uni illi mulieri, quæ figuratur, sed singulis dicitur, cùm Ecclesiæ dictum videtur. Dicit ergo & ad me, & dicit Scriptura cœlestis: Hoccine doces, sic instituis Dei plebem? An nescis, quia exemplum tuum, periculum cæterorum est? Nisi fortè exauditum non esse te quereris? Primum istud arrogantis est impudentiæ, mereri solum velle, quod multis etiam Sanctis negatum noveris, cùm scias, quia non est personarum acceptor Deus. Nam etsi misericors Deus, tamen, si semper exaudiret omnes, non jam ex voluntate libera, sed ex quadam velut necessitate facere videretur. Deinde cùm omnes rogent, si exaudiret omnes, nemo moreretur. Pro quantis quotidie rogas? Numquid constitutio Dei contemplatione solvenda est tui? Cur ergo non impetratum aliquando doles, quod non semper impetrabile esse cognoscis? Stulte *, *al.* Stulta
F inquit, super omnes mulieres, nonne vides luctum nostrum, & quæ nobis contigerunt? Quoniam Sion mater nostra omnium in tristitia contristatur, & humilitate humiliata est. Lugete validissimè & nunc, quoniam omnes lugemus: & tristes sitis *, quoniam omnes contristati sumus. * *al.* estote
Tu enim contristaris in Fratre. Interroga terram, & dicet tibi, quoniam hæc est, quæ debeat lugere tantorum superstes germinum: Et ex ipsa, inquit, initio omnes nati: & alii venient, & ecce penè omnes in perditionem ambulant: & in exterminium fit multitudo eorum. Et quis ergo debet lugere magis, nisi quæ tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu, qui pro uno doles? Absorbeat igitur nostrum dolorem communis dolor, & acerbitatem proprii mœroris excludat. Non enim dolere debemus eos, quos cernimus liberatos. Neque enim otiosè tam sanctas hoc tempore animas corporeis vinculis reminiscimur absolutas. Namque velut divino judicio tam graves viduas ita uno tempore defunctas videmus, ut profectionis quidam videatur excessus, non mortis occasus: ne veterana emeritis stipendiis pudicitia in dubium diu servati pudoris incideret.

A. S. Ambrosio.

ret. Quos gemitus mihi, quos dolores tam acerba excitat recordatio? Etsi mœroribus non vacabant, tamen in ipso dolore privato, in ipso tantorum amisso flore meritorum, communis quædam naturæ me conditio solabatur: defixusque in uno dolor, acerbitatem publici funeris domesticæ specie pietatis obduxerat.

rationibus & Scripturæ locis probat

19 Repeto ergo, sacra Scriptura, solatia tua. Juvat enim tuis præceptis, tuis sententiis immorari. Quia facilius est cœlum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere. Sed jam audiamus, quæ scripta sunt: Nunc, inquit, retine apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer, qui tibi contigerunt, casus. Si enim justificaveris terminum Dei, & filium tuum recipies in tempore, & in mulieribus collaudaberis. Si hoc ad mulierem, quanto magis ad sacerdotem? Si de filio, non utique absurdum etiam de fratrum amissione talia posse memorari: quamquam si mihi fuisset filius, numquam eum ampliùs dilexissem. Nam sicut in obitu liberorum effusi labores, suscepti frustra dolores, mœrorem videntur augere: ita etiam in fratribus consuetudinis usus atque collegii acerbitatem doloris accendunt. Sed ecce B dicentem Scripturam audio: Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuaderi. Qui enim fles casus Sion, & consolare propter dolorem Hierusalem. Vides enim, quia facta nostra contaminata sunt, & nomen, quod nominatum est super nos, penè prophanatum est: & juvenes nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & levitæ nostri in captivitate fuerunt, & mulieres nostræ contaminatæ sunt, & virgines nostræ vim passæ, & justi nostri rapti, & parvuli nostri proditi sunt, & juvenes nostri servierunt, & fortes nostri invalidi facti sunt. Et quod omnium majus, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua, nunc & tradita est manibus eorum, qui nos oderunt. Tu ergo excute multam tuam tristitiam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi propitietur fortis, & requiem faciat tibi Altissimus requietione dolorum.

Ambrosius, qui tamen Fratris frequenter erat memor,

20 Cessabunt igitur lachrymæ. Parendum est enim remediis salutaribus, quia debet aliquid inter fidos & perfidos interesse. Fleant ergo, qui spem resurrectionis habere non possunt: quam non sententia Dei eripit, sed fidei inclementia. Intersit inter Christi servulos, idolorumque cultores C: ut illi fleant suos, quos in perpetuum existimant interisse. Illi nullas habeant lachrymarum ferias, nullam tristitiæ requiem consequantur, qui nullam putant requiem mortuorum. Nobis verò, quibus mors non naturæ, sed vitæ istius finis est, quoniam in melius ipsa natura reparatur, fletus omnes casus mortis abstergat. Certè si illi sibi aliqua solatia repererunt, qui finem sensûs defectumque naturæ, mortem arbitrati sunt; quanto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum conscientia pollicetur? Habent gentiles solatia sua, quia requiem malorum omnium, mortem existimant. Et ut vitæ fructu carent, ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graves & assiduas sustinemus. Nos verò, ut erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non absumpta mors, sed æternitas receptura est. Cessabunt ergo lachrymæ, aut si cessare non poterunt, in communibus lamentis flebo te, Frater: & sub dolore publico domesticos gemitus tegam. Nam cessare quî poterunt, cùm ad omnem sonum nominis tui lachrymæ surrepant, vel cùm usus ipse recordationem excitat, vel cùm affectus imaginem repræsentat, vel cùm recordatio dolorem renovat? Quando enim dees, qui tantis officiis repræsentaris? Ades, inquam, & semper offunderis: & toto te animo ac mente complector, adspicio, alloquor, osculor, comprehendo, vel in ipsa quiete nocturna, vel in luce clara *b*, cùm revisere & solari dignaris mœrentem. Denique ipsæ jam noctes, quæ quasi molestiores, vivente te, videbantur, quòd mutui conspectus copiam denegarent: ipse jam somnus, colloquiorum nostrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis esse jam cœpit, quia te mihi reddidit. D *b*

nec meminisse ejus poterat sine lacrymis:

21 Non igitur miseri, sed beati, quorum nec præsentia deficit, nec cura minuitur, & augetur gratia. Etenim somni similis imago mortis. Quòd si in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhærentes, & quasi inter carceraria religatæ claustra membrorum, possunt tamen animæ altiora & discreta perspicere: quanto magis spectant hæc, cùm jam puro æthereoque sensu nulla corporeæ labis impedimenta patiuntur? Meritóque mihi conquerenti, vergente quodam jam in occasum die, quòd non revisseres quiescentem, totus omni tempore individuus, affuisti, ita ut illo perfusus sopore membrorum, cùm ego vigilarem tibi, tu viveres mihi, dicerem: Quid est mors, Frater? Nam certè nullis à me separabare momentis. Ita enim ubique præsto eras, ut quàm in istius vitæ usu habere copiam nequibamus, nunc nobis semper & ubique præsto sit. Nam tunc utique omnia præsto esse non poterant: nec enim complexiones nostræ, conspectusque & oculorum corporalium suavitates, locis omnibus & omnibus temporibus suppetebant. Animorum imagines semper nobiscum erant, etiam quando non eramus unà: quæ ne nunc quidem occiderunt, assiduéque advolant, quò majore desiderio, eò majore copia. Teneo igitur te, Frater, nec mihi te aut mors, aut tempus avellet. Ipsæ dulces lachrymæ sunt: ipsi fletus jucundi, quibus restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus evaporat affectus. Neque enim sine te esse possum, aut tui non meminisse umquam, aut meminisse sine lachrymis. O amari dies, qui interruptam copulam proditis! O flebiles noctes, quæ tam bonum consortium quietis, & individuum mihi comitem perdidistis! Quas ederetis cruces, nisi se offunderet imago præsentis, nisi visiones animi repræsentarent, quem species corporis denegaret? Jamjam, Frater animo meo charissime, quamquam immaturo decesseris obitu, beatus tamen, qui ista non sustines, nec amissum fratrem mœrere compelleris, quem absentem diu ferre non poteras, sed recursu celeri revisebas! Quod si tunc solitudinis meæ tædia repellere, mœstitiam fraternæ mentis ablevare properabas: quantò nunc crebriùs afflictum animum debes revisere, & ex te conceptum, per te lenire mœrorem? At mihi tamen dat aliquas officii usus inducias, & obsequii sacerdotalis intentio abducit animum. E F

dolor S. Marcellinæ sororis de morte Satyri:

22 Sanctæ verò sorori quid fiet? Quæ licèt divino metu pietatem temperet, rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit, strata humi & totum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mœrorem integrat. Nam licèt fletum plerumque sermone suspendat, in oratione renovat. Et quamvis Scripturarum memoriâ consolationes serentibus præcurrat, flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat, lachrymarum ubertatem tunc præcipuè, quando nemo interrumpe-

re

re possit, instaurans. Ita quod miserearis, habes: quod reprehendas, non habes. Flere enim in oratione, virtutis est. Et quamquam istud familiare virginibus, quibus mollior sexus, tenerior affectus, contuitu communis fragilitatis, in lachrymas etiam sine domestici sensu doloris exuberat; tamen cùm major causa mœrendi est, finis mœroribus excluditur. Deest igitur consolandi via, quia suppetit excusandi gratia. Neque enim possis prohibere, quod doceas, præsertim cùm religionis adstruat lachrymas, non doloris; & communis seriem deplorationis, metu pudoris obtexat *c*. Consolare ergo, qui potes adire animum, penetrare mentem. Cernat te esse præsentem, sentiat non esse defunctum, ut cujus secura de merito, ejus functa solatio, discat pro eo non graviter dolere, qui se admonuerit non esse dolendum.

peroratio Ambrosii ad Fratrem mox sepeliendum.

23 Sed quid ego te morer, Frater? quid expectem, ut nostra tecum commoriatur & quasi consepeliatur oratio? Licèt ipsa species & exanimis corporis forma soletur, oculosque manens gratia & permanens figura *d* demulceat: nihil, inquam, moror. Procedamus ad tumulum. Sed prius ultimum coram populo vale dico, pacem prædico, osculum solvo. Præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed jam mihi præ cæteris desiderabilem, domum. Para hospiti consortium: & quemadmodum hîc omnia nobis fuere communia, ita illic quoque jus dividuum nesciamus. Ne, quæso, cupientem tuî diu differas: properantem expecta, festinantem adjuva: & si diutiùs morari tibi videbor, accerse. Neque enim umquam prolixiùs absumus à nobis, tu tamen solebas revisere. Nunc quoniam tu redire jam non potes, nos ad te ibimus. Æquum est, ut officium rependamus, subeamus vicem. Numquam nobis fuit vitæ conditio discretior: semper aut sanitas, aut ægritudo communis, ut cùm alter ægresceret, alter in morbum incurreret: cùm alter revalesceret, uterque consurgeret. Quomodo jus nostrum amisimus? Et nunc consortium ægritudinis fuit, quomodo mortis consortium non fuit? Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam: Tibi hostiam meam offero. Cape propitius & serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis. Hæc meî jam libamina præmitto. In hoc ad te pignore venio: non pecuniæ, sed vitæ pignore: ne me diutiùs residere facias tanti fœnoris debitorem. Non mediocris est fraterni amoris usura, nec vilis naturæ fors, quam cumulavit incrementum virtutis. Possum ferre, si citò cogar exsolvere.

ANNOTATA.

a *Hîc in multis Mss. & editionibus additur:* Quoniam ipsorum est regnum cælorum. *At illæ voces dictionem reddunt minùs perfectam, nisi fortè aliæ quædam exciderint, quæ sensum implebant.*

b *Ad hunc locum apud Surium in margine hæc notantur:* Etiam clara luce sæpè S. Satyrus apparet fratri suo. *Verùm existimo, omnia S. Ambrosii dicta satis intelligi posse de imaginatione sola, quâ sibi Fratris repræsentabat speciem.*

c *Tam multa de lacrymis Marcellinæ sororis Mediolani dicere non potuisset Ambrosius, si ipsa, ut nonnemo voluit, tunc habitâsset Romæ. Nam neque illa sciviſſet mortem Fratris, neque sciviſſet Ambrosius, quid ipsa post mortem illius egisset.*

d *Ex his verbis liquet*, S. Satyri *corpus fuisse præsens & facie non cooperta, quando peroravit Ambrosius.*

A. ANONYMO.

VITA

Auctore anonymo

Ex editione Mombritii frequenter correcta.

Satyrus, frater S. Ambrosii, nobili stirpe natus,

PRobabile satis & laude dignum videtur, si clarorum gesta virorum non silentio tegamus, sed modis quibuscunque ad incitamentum multorum pandamus. Laus siquidem Dei est non minima, cùm ea referuntur; evidens exemplum posteris relinquitur, Christianæ fidei profectus adquiritur; non parva sanctis angelis lætitia tribuitur: dæmonicis spiritibus ingens confusio & mœror quotidie generatur: descripto denique summæ sanctitatis titulo meritò invident, qui se contemni ac destrui per Christi gratiam vident. Beatissimum igitur Satyrum antistitis eximii doctorisque præcipui institutoris ac nutritoris nostri reverendæ memoriæ sanctissimi Ambrosii fuisse germanum, plurimorum scientiâ constat notissimum: quorum Deo digna prosapia quàm excelsa atque præclara Romanorum principum apicibus extiterit, usque adeo toto penè Occidenti est cognita *, ut præsenti putetur relatu superflua. Ambrosius *a* denique ipsorum illustris genitor sublimi in Romano senatu potitus honore, reipublicæ defensor & idoneus propugnator effectus, & præfecturæ administrationi condignus inventus, Galliarum provinciæ senatusconsulto pro sui industria prælatus est: cujus probitas morum & studiorum perspicacia in procreato ex eo germine conjici facilè poterit. Utrique etenim incredibili admiratione in adjutorio præfecturæ sublimes emicuerunt. Verùm sanctissimi pontificis Ambrosii quæ fuerit à cunabulis vita, qualiter primò cùm adoleviſſet ad consilium tribuendum præelectus fuerit; qualiterque in proximo Lyguriæ Hæmyliæque provincias ad regendum susceperit: qualiter etiam de consulatu *b* ad episcopatûs fastigium nutu divino accitus sit, in libro Vitæ ipsius, qui nosse cupit, sufficienter invenire valet.

E

* cognitum

a

F

b

S. Ambrosio episcopo convivit,

2 Nunc de beatissimo fratre ipsius Satyro, de quo sermonem adorsi sumus, quantùm in fratris ipsius scriptis cognovimus, breviter deflorare, Christo opitulante, conabimur. Vir igitur Domini Satyrus, videns suum cælesti oraculo germanum subitò ex præsidatu ad pontificale officium sublimatum, adeo ejus lateri adhæsit, ut domo propria ac genitali patria, rerumque omnium multiplici copia derelicta, unici fratris amorem ipsâ vitâ duceret cariorem: eratque illi, ut ipse Sanctus refert, in consiliis arbiter, curæ particeps, deprecator sollicitudinis, depulsor mœroris, bonorum assertor actuum, cogitationumque defensor. Postremò unus erat, in quo domestica sollicitudo resideret, publica cura requiesceret. Itaque sine offensione ulla gubernabat sacerdotium. Ita denique virilis se utrisque ipsorum germanitatis succus infuderat, ut non blanditiis probarent amorem, sed conscientiâ mentis & pietatis interno amore contenti fucum blanditiarum

A. ANONYMO. non requirerent, duos una in amorem mutuum imago formaret.

eidem vultu simillimus & conjunctissimus,

3 Quæ in tantum fuit assimilis, ut alter in altero videretur; adeo ut, cùm unum aspiceres, alterum te vidisse putares: unde persæpè contingebat, ut ab isto consalutati ab illo se dicerent resalutatos. Ita gratus erat in utriusque aspectibus error, jocunda prolapsio, religiosa fallacia, suavis calumnia. Quanta autem sancto pontifici hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitia: qui errare alios in se & Fratre suo cerneret. Nam cùm in se vehementiùs intenderent, & sibi aliquid intimâsse, quod Fratri solummodo condixerant, memorarent; respondebat ridens & gaudens: Videte *, fratri dixeritis. Cùm enim omnia essent communia, individuus spiritus, individuus affectus, solum tamen commune non erat secretum amicorum: non quo conferendi periculum vererentur; sed ut tenendi servarent fidem. Reverendus quidem præsul in divinis præstabat officiis: at strenuissimus Christi *c* confessor Satyrus adjutor & auctor erat negotiorum, censor servulorum, & arbiter fratrum.

* *Amb.* Videte, ne

c

placidis moribus excellit: è naufragio

d

4 Media *d* inter eos religiosa soror Marcellina, carissimis germanis inconvulsè adhærens, integritate venerabilis, æqualis moribus, non impar officiis existebat. Cùm quasi, quando aliquid conferendum fuit, cujus melior videretur sententia, beatum Satyrum judicem sumebant; qui nullum læderet, utrisque satisfaceret, ut & utrimque sibi gratiam vindicaret. At si ipse aliquod disceptandum deferret, quàm grata contentio ejus etiam, quàm sine felle ipsa indignatio, quàm etiam in servulos ipsos non amara reprehensio; cùm se quasi fratribus magis honorem deferre, quàm ex affectu in eos probaretur vindicare. Quid igitur observantiam ejusdem Viri erga Dei cultum prædicem? Qui, priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cùm ea, quâ veheretur, navis scopulosa illisa vado & turgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur; non mortem metuens, sed ne vacuus mysteriis exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his ipsis divinum illud fidelium Sacramentum poposcit; non ut curiosos oculos insereret archanis; sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari illud fecit in

C orario: orariumque involvit in collo: atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resoluta tabulam, cui supernatans juvaretur; quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.

servatus, baptismum desiderat:

5 Simul quoque fortitudinem ejus spectare licet: qui fatiscente remigio, non quasi naufragus tabulam sumpserit; sed quasi fortis ex se ipso adminiculum suæ virtutis adsumpserit. Nec deseruit eum spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus, præsulem suum, cui se crediderat, recognovit: statimque, ubi etiam cæteros servulos suos vel ipse liberavit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei ecclesiam requisivit, ut ageret gratiam liberatus: & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referendâ gratiâ majus esse officium. Quòd si homini non referre, simile homicidio judicatum est; quantum crimen est non referre Deo? Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum Mysterii cælestis involuti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano; quàm majus putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset? Sed non ita avidus fuit, ut esset incautus. Scimus enim plerosque aviditate studii prætermittere cautionem. Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam: percunctatusque ex eo est, utrùm cum episcopis Catholicis, hoc est cum Ecclesia conveniret. D

sed recusat eum à schismatico accipere, accipit à Catholico.

6 Et fortè ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat. Lucifer enim se Catholica tunc temporis communione diviserat. Et quamquam pro fide exulâsset, & fidei suæ reliquisset hæredes: non putavit tamen fidem esse in schismate: nam etsi fidem erga Deum tenerent: tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit; non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur. Itaque quamvis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor navigare; tamen eò transire maluit, ubi tutò posset exolvere. Judicavit enim divinæ solutionem gratiæ in affectu ac fide esse. Quam quidem statim, ubi primùm copia liberior ecclesiæ fuit, implere non distulit; Deique gratiam & accepit desideratam, & servavit acceptam. E

Sancti mira verecundia, insignis castitas,

7 Qua verò persecutione simplicitatem ejus edisseram? Quæ tanta fuit, ut conversus in puerum simplicitate illius ætatis innoxiæ perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentium morum speculo reluceret. Itaque velut quadam virginali verecundia suffusus ora, cùm vultu affectum proderet; si fortè aliquam subitò veniens offendisset parentem, velut deprehensus, quasi diversus in terram aspiciebat. Licèt in ipso nequaquam dissimilis cœtu virorum, rarus os suum attollere, elevare oculos, referre sermonem: quod pudico quodam mentis pudore fiebat. Cum quo castimonia quoque corporis congruebat. Etenim intemerata sacri baptismatis dona servavit, mundo corpore, purior corde, non minùs adulterini sermonis obprobrium, quàm corporis perhorrescens; non minorem ratus pudicitiæ reverentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis castitate. Denique adeo castimoniam dilexit, ut nec uxorem expeteret, licèt in eo non F folùm castitatis appetentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & conjugium dissimulabat, & jactantiam declinabat. Hoc unum itaque fuit, quod ipsum nec fratribus crederet, nec aliquâ cunctationis hæsitantiâ, sed virtutis verecundiâ.

parsimonia, justitia, caritas in fratres,

8 Quis igitur non miretur Virum, inter fratres duos, alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse, ut alterius muneris castitatem, alterius sanctitatem referret, non professionis vinculo, sed virtutis officio? Nam de parsimonia ejus quid loquar, & quadam habendi castitate? Is enim non quærit aliena, qui sua servat: non inflatur immodico, qui contentus est proprio. Nihil ergo aliud nisi proprium recuperare voluit, magis ne frauderetur, quàm ut ditaretur. Nam eos, qui aliena quærerent, rectè accipitres pecuniæ nominabat. Supereſt, ut ad conclusionem cardinalium virtutum, etiam justitiæ partes in eo debeamus advertere: quæ qualis ei in universos fuerit, provincialium, quibus præfuit, studia docent: qui parentem illum magis fuisse proprium quàm judi-

A dicem loquebantur, gratum piæ neceſſitudinis arbitrum, conſtantem æqui juris diſceptatorem. Inter fratres autem qualis fuerit, licèt omne hominum genus benivolentiâ complecteretur, indiviſum patrimonium docet, nec diſtributa, nec delibata, ſed reſervata hæreditas. Etenim pietatem ſibi cauſam negavit eſſe teſtandi. Nam hoc quoque ultimo ſermone ſignavit, cùm quos dilexerat, commendaret, ſibi nec uxoris arbitrium fuiſſe ducendæ, ne à fratribus divelleretur; nec teſtamenti faciendi voluntatem, ne ipſorum in aliquo arbitrium læderetur.

liberalitas in pauperes. In Africam proficiſcitur, peractoque negotio

9 Denique & oratus & obſecratus ab illis, nihil tamen condendum putavit, non oblitus pauperum; ſed tantum obſecrans eſſe tribuendum; quantum ipſis juſtum videretur: quo uno ſatis & divini timoris expreſſit indicium, & humanæ edidit religionis exemplum. Nam quod pauperibus contulit, Deo detulit: quoniam qui largitur pauperi, fœneratur Deo: & poſtulando, quod juſtum eſt; non exiguum, ſed totum reliquit. Hæc enim ſumma juſticiæ *e*, vendere, quæ habeas, & conferre pauperibus. Talibus igitur perfunctus virtutibus, ereptuſque periculis *f*, fortiſſimus athleta Chriſti Satyrus, iterum ad Africanas partes repedare opus habuit, recepturus videlicet quoſdam paternæ hæreditatis honores: quos tamen ideo repetere voluit, non quia fuerit horum appetenda perceptio: ſed ne vilis diſſimulatio videretur. Plaudebat enim ſibi Proſper, & ſacerdotii occaſione redditurum ſe, quæ abſtulerat, non putabat. Quod quidem iter ægrè tulit ſanctus epiſcopus, non ferens animo diuturnam amantiſſimi Fratris abſentiam: cùm nec ad modicum tanti Viri conturbernio ſeparari vellet. Miſſis ergo poſt ipſum litteris revocare Fratrem conatus eſt, ne ipſe Aphricam pergeret: ſed potiùs aliquem deſtinaret. At ille fretus animi fortitudine, cœptum iter proſequi non omiſit: pervenitque, Deo volente, Siciliam *g*. Peregit omnia; peregrinationem explicuit; communem rem ordinavit: & ille, qui eam malè invaſerat, ſolvens omnia, vehementiorem unius efficaciam expertus eſt, quàm duorum.

e

f

B

g

revertitur, non obſtante periculo, quod Italiæ imminebat:

10 Poſt hæc Vir Domini perfunctus omnibus, reverſionem acceleravit: qui dum à Symacho nobili viro ſuo parente revocaretur, quòd ardere bello Italia diceretur, quòd in periculum tenderet: quòd in hoſtem incurreret; reſpondit: Hæc ipſa mihi cauſa eſt veniendi, ne communi periculo deſim, ut conſortem me fraterni diſcriminis exhibeam. Eo denique tempore hoſtiles per Galliarum Alpes barbarorum impetus Italiam irrumpere geſtiebant, tam impuri atque crudeles, qui nec pudiciciæ parcerent, nec ſaluti. Videres *h* rapi virgines, & avulſos à complexu parentum parvulos ſupra tela jactari, incœſtari ſacrata Deo corpora, & ſenilem viduæ maturioris uterum in uſus deſuetos onerum redire, non pignorum. His & hujuſcemodi gravibus nequaquam Vir ſanctus terretur nunciis: ſed veteri & ſentinoſo navigio iterum ſe fluctibus credens, reverſus eſt, Deo comite, Mediolanum. In quo facto fortitudinem ejus ſi quis plenius ſpectare volet: conſideret, quotiens poſt naufragium invicto quodam contemptu vitæ hujus maria transfretaverit, diffuſaſque regiones obeundo peragrârit, poſtremò quòd hoc ipſo tempore periculum non refugerit; ſed ad periculum venerit.

C

h

11 Nec multùm poſt incommoditate tactus corporea, lectulo graviter ſeſſus decubuit. Tum verò mœror & luctus omnium, præcipuè tamen ſororis irremediabilis dolor. Illum ex Aphrica redditum, ex mari reſtitutum, ex naufragio reſervatum, tam inſperato ſibi eripi lachrymabiliter flebant cum eis univerſi ſexus, ætates, & ordines: & auferri ſibi proprium Patrem nova quadam pietate dolebant. Quid immorer? Ille quidem præſenti vitæ decedens, ad Chriſtum, quem ſemper videre deſideraverat, in æternum victurus, tranſiit, ſed immenſum Italicis luctum reliquit. De cujus laudabilis vitæ excurſu & fœlici exceſſu ſacratiſſimi præſulis Ambroſii, ſæpè nominandi fratris ipſius, quamvis immenſi doloris & lachrymarum plena ſcripta habentur inſignia: de quibus aliqua ſubnectere non incongruum duximus.

A. ANONYMO. *paulò poſt reditum, lugentibus omnibus, moritur,*

& ab Ambroſio fratre ſepulturæ traditur,

12 Tranſlato denique ad cæleſte regnum ſanctiſſimo Satyro, magnificus pontifex ſacroſanctum corpus ipſius ad baſilicam Ambroſianam *i* honorificè deportari fecit, proſequentibus illud innumeris exequiarum turmis. Quod tamen ipſe lachrymarum rivulis irroratum in altera longè baſilica *k* [ad] levam glorioſi martyris propriis manibus tumulavit: & ultimum vale dicens, lachrymabili voce quaſi viventem affatus eſt Fratrem: Nunc frater quò progrediar: quóve convertar? Bos bovem requirit, ſeque non totum vivere putat, & frequenti mugitu pium teſtatur affectum: ſi fortè defecerit, cum quo ducere aratra conſuevit. Ego te, Frater, non requiram, aut poſſum unquam obliviſci tui, cum quo vitæ hujus ſemper aratra ſuſtinui, labore inferior, ſed amore conjunctior, non tam mea virtute habilis, quàm tuâ patientiâ tolerabilis: qui pio ſemper ſollicitus affectu latus meum tuo latere ſepiebas, caritate ut frater, curâ ut pater, ſollicitudine ut ſenior?

i

k

E

oratione priùs lugubri & lacrymis laudatus.

13 His & aliis quamplurimis verbis fraterno dolori ſatisfaciens, lachrymis ſuffuſus, in cælum attollens oculos, ait: Tibi, omnipotens æterne Deus, gratias ago: quòd vel hæc nobis ſuprema ſolatia non negâſti, quòd amantiſſimi Fratris ex Siculis regionibus exoptatum nobis reditum contuliſti. Ita enim maturè, poſtquam venit, ereptus eſt, quaſi propter hoc ſolùm videretur eſſe dilatus, ut ad fratres rediret. Habeo planè pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio poſſit avellere. Habeo, quas complectar reliquias: habeo tumulum, quem corpore tegam: habeo ſepulchrum, quo jaceam. Et commendabiliorem Deo futurum me credam, quòd ſupra ſancti corporis oſſa requieſcam. Tibi nunc, omnipotens Chriſte, innoxiam commendo animam: tibi hoſtiam offero. Cape propitius ac ſerenus fraternum munus, ſacrificium ſacerdotis; qui te immaculatum Deo Patri pro nobis omnibus ſacrificium obtuliſti. Tibi laus æterna & infinita gratiarum actio: quia tu es immortalis & benedictus Deus: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

F

ANNOTATA.

a *Ambroſius pater* S. Satyri *erat præfectus Galliarum, quando natus eſt S. Ambroſius, ut habet S. Paulinus in Vita S. Ambroſii. At, cùm* S. Satyrus *ætate Ambroſium præcederet, non æquè liquet, utrùm jam Galliarum præfectus eſſet Ambroſius pater, quando natus eſt Sanctus noſter. Stirpe certè natus eſt Romana & nobili, in qua dudum fuerant conſulatus & præfectura, ut pro-*

A. ANONYMO.

batum est ad 10 Februarii in S. Sotere virgine & martyre, quæ sub Diocletiano passa est, & Ambrosii ac Satyri erat consanguinea.

b *De S. Ambrosio agetur ad 7 Decembris. Hìc solùm observo, consulem non fuisse, ut hìc dici videtur, sed consularem, sive præfectum Liguriæ Æmiliæque potestate consulari. Nam hi seculo* IV consulares *vocabantur, licèt antea, quamdiu stetit Romana respublica, illi solùm fuerint* consulares *dicti, qui consulatum aliquando gesserant.*

c *Mendosè in editione Mombritii legitur* Christo. *Mendum correxi ex Hilarione monacho, qui in omnibus ferè consentit huic Vitæ, ex qua suam fecit, omissis tantùm aliquibus. Cùm autem aperta ejusmodi menda sint frequentia apud Mombritium, & facilè aut ex Hilarione aut ex Ambrosio possint corrigi, corrigam ea deinde, hocque hìc præmonuisse sufficiat.*

d *Si auctor velit dicere, mediam ætate inter fratres fuisse Marcellinam, aberrat: nam erat natu maxima. Quod verò dicitur mox* inconvulsè *iisdem adhæsisse, tantùm verum est de tempore posteriore. Nam Marcellina non habitavit Mediolani cum fratribus usque ad annum* 388, *ut ostendi in Commentario num.* 24 *& seqq.; sed postea ipsis constanter cohabitavit.*

B

c *Verba hæc, ut omnia ferè præcedentia, sunt S. Ambrosii, qui divitias mundi non desiderabat, & Christi consilium allegat, sibi & sorori Marcellinæ sequendum.* D

f *Loquitur auctor de naufragio antè relato.*

g *Et procul dubio etiam in Africam.*

h *Hæc ex S. Ambrosio non rectè collegit auctor. Nam Ambrosius metuebat quidem, ne talia contingerent: at non asserit facta esse. Agitur autem de tempore, quo Eugenius tyrannus cum exercitu ex Gallia in Italiam venit, ut ostendi in Commentario num.* 27 *& seqq.*

i *Basilica Ambrosiana, à conditore Ambrosio nomen sortita, etiamnum exstat. Ampla est & vetusta, partimque est cleri secularis, partim monachorum Ordinis Cistercienſis, quorum amplissimum cœnobium est prope basilicam. Plura de hac basilica in Commentario* § 3.

k *Hæc ecclesia creditur fuisse* Portiana, *à fundatore Portio sic dicta, sed postea vocata* S. Victoris ad corpus, *ob corpus S. Victoris martyris ibi sepultum. Destructa illa fuit anno* 1576 *ob nimiam vetustatem, novaque à monachis Olivetanis ædificata, egregiéque ornata, de qua in Commentario num* 33 *&* 34. E

DE S. RODINGO VEL CHRAUDINGO

FUNDATORE ET ABBATE BELLILOCENSI

PROPE BELLUM-LOCUM IN CAMPANIA GALLIÆ,

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Notitia monasterii, quod condidit: memoria Sancti in Martyrologiis: cultus recentior & antiquus: ex Vitis quæ edenda? mentio illius apud varios.

CIRCA FINEM SECULI VII *Belli-loci notitia.*

Bellus-locus, vulgò Beau-lieu, *olim* Waslogium *dictus, vetus monasterium est diœcesis Virdunensis in Argona, Galliæ in Campania tractu, duobus milliaribus Gallicis Claromontio dissitum in Meridiem, teste Baudrando in Geographia, cui ferè consentiunt Mappæ geographicæ, in quibus inter fluvios Arolam & Axonam collocatur. Sammarthani fratres tom.* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 154 *illud modò congregationis Cluniacensis esse notant, ibidemque alia ejusdem nominis cœnobia recensent, ab hoc nostro distinguenda. At Mabillonius in Appendice* 2 *ad Sec.* 4 *Benedictinum in observationibus prævviis ad* S. Rodingi *Vitam, & Bailletus in Vita, abbatiam illam non Cluniacensis, sed S. Vitoni Congregationis esse docent. Porrò hujus loci fundator primusque abbas fuit* S. Rodingus, *vel, ut in Actis infrà memorandis scribitur,* Chraudingus, *Gallicè* S. Rouin, *natione Scotus, qui è patria sua in Gallias appulsus, in Theologiensi seu Tabuleiensi cœnobio in Vosago monachis primùm adscriptus est, & fortè etiam abbas præfuit. Deinde verò majoris solitudinis amore ductus, in Argone silva prædicto monasterio initium dedit, quod & post varios casus ab Austresio viro potenti, aliisque adjutus perfecit, atque sanctissimis institutis, sacrisque ossibus suis, ex eremo, ut jusserat, eò delatis, illustravit.* F

2 *Emortualem ejus diem fuisse* XVII *Septembris, Vitæ ejusdem testantur, illoque die in Benedictinis Menologiis, pauciſque aliis ipsius memoria celebratur. Menardus de eo ad hunc diem sic habet:* In Argonia silva, Depositio S. Rodingi, episcopi & confessoris. *Iisdem verbis illum annuntiat Bucelinus in Menologio Benedictino, ubi ipsum* Rodincum *appellatum fuisse ait, ac deinde elogium satis prolixum contexit. Episcopum illum sanctlique Pauli in Virdunensi cathedra successorem etiam facit Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani; sed perperam, ut videbimus. Rectiùs Castellanus in Martyrologio Universali ad eumdem diem Gallicè habet:* In Campaniæ & Lotharingiæ confinibus, S. Chraudingus, monachus Tabulegiensis, & primus abbas Bellilocensis in Argona. *Rectè item Martyrologium Parisiense:* In Campania Gallica natalis S. Rodingi, monasterii Belli-loci conditoris & primi abbatis. *Hac item die illum per totam diœcesim Virdunensem coli solitum commemoratione de communi*

Sancti hac die memoria & cultus,

A *ni confessoris abbatis tam in Missa, quàm in Horis Canonicis, habemus ex Missali ac Breviario Virdunensi, quorum hoc anno* 1560 *jussu Nicolai Psalmei episcopi & comitis Virdunensis editum, annoque* 1625 *Parisiis recusum, illud verò ejusdem episcopi auctoritate anno* 1554 *Parisiensibus pariter typis vulgatum, exstat in Museo nostro. Prima Oratio in Missali de ipso ibidem præscripta est hujusmodi :* Deus, qui hodiernam diem sacratam nobis in beati Rodingi, confessoris tui & abbatis solennitate tribuisti, adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, ut cujus gloriamur meritis, muniamur suffragiis. Per Dominum *&c.*

quem antiquitus jam celebrem

3 *Antiquissimum verò ejus apud Bellilocenses suos, imò & in Virdunensi diœcesi cultum manifestè probant, quæ habet Flodoardus lib.* 4 *Historiæ Remensis, cap.* 41, *unde sequentia excerpo.* Cùm autem domnus Dado, Virdunensis episcopus, hanc (*Montis-falconis*) à rege impetrâsset abbatiam, & hæc mira (*miracula S. Balderici abbatis*) cœpisset audire, constituit, ut omnibus annis trium monasteriorum sacra pignera simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum. De sede scilicet urbis Virdunensis S. Vitonus & S. Agericus, sanctus verò Baldericus de monasterio suo, & sanctus Rodvicus de Waslojo. In quo conventu innumera postmodum sunt patrata miracula, ut vix præterierit hujusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus ; maximè tamen illi, qui patrocinia B. Balderici sunt experti. Rodvicus *hic æquè in editione Parisiensi anno* 1611 *per Jacobum Sirmondum, quàm in Duacena anno* 1617 *per Georgium Colvenerium curata, legitur ; posterior tamen in Scholiis monet, in exemplari Ms., quo pro versione Gallica usus fuerat Nicolaus Chesneau,* Rodincus de Vaslojo *haberi. Utut sit, certum est, hæc non de alio, quàm de sancto Abbate nostro accipi posse.*

B

fuisse probatur ; corpus ejus Belli-loci.

4 *Hæc seculo nono ad finem vergente, vel decimo inchoato contigisse, liquet tum ex tempore episcopatûs Dadonis, tum ex regno Arnulphi, qui Carolo Crasso sub finem anni* 887 *exauctorato ac paulò pòst mortuo successit, quique is ipse rex est, à quo Dado abbatiam Montis-Falconis acceperat, prout Dado ipse testatur apud Richardum de Wassebourg in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ lib.* 3, *fol.* CLXXIIII. *Celebrem autem vel tunc fuisse* S. Rodingi *venerationem, nemo inficiabitur, qui Flodoardi dicta mox relata legerit. Alterum antiqui ejusdem cultûs testimonium præbet Vita B. Richardi abbatis S. Vitoni Virdunensis, qui circa medium seculi* XI *obiit. De eo enim biographus ejus, monachus S. Vitoni, apud Mabillonium Seculo* 6 *Benedictino, parte* 1, *pag.* 525 *sic scribit :* Ut autem venerabilium fenium* fideli narratione didicimus, viginti & unius abbatiæ rector & institutor hic beatus pater exstitit, ... in quibus adhuc quàm plurimis servari vidimus ejus institutionum insignia, inter quas Bellogiensis ecclesia, meritis glorioſi martyris Mauritii insignis, & sancti Rodingi confessoris, cujus ipse Vitam honorifico sermone composuit, & feretrum auro & argento decoravit, exstat ejus sacris studiis nobilitata, cujus fastigium augmentavit, clausstro & necessariis officinis adornavit *&c. Ceterùm sacrum ipsius corpus in Belli-locensi monasterio adhuc religiosè asservari Mabillonius in observationibus præviis, aliique affirmant.*

C

* fenum

5 *Hisce addo, quæ in Vita ejusdem, ab Hugone Menardo lib.* 2 *Observationum edita, anonymus scriptor de tuguriolo, in quo ultimam vitæ ætatem solitarius exegit, refert his verbis :* S. Rodingi tuguriolum adhuc supereſt, ad quod ægroti confluunt, & maximè ex febre laborantes, qui hausta aquâ de fonte, tugurio adjacente, sanitatem consequuntur. *Hæc ille : quæ tamen an vera sint, aut saltem an verè ejusdem Sancti sit tugurium, meritò dubitare nos jubet Vita altera, ab eodem Menardo in calce Opusculi sui, & à Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis vulgata, quæ & melioris, quàm ista, notæ est, & B. Richardum mox laudatum probabiliter auctorem habet. Cùm enim B. Richardus ejusdem etiam loci abbas fuerit, & nihilominus locus, in quo* S. Rodingus *solitariè vixit, in ea Vita ignotus esse dicatur, non possumus dictis alterius biographi, qui etiam aliàs fabulatur, sine justa formidine assentiri ; aut si tugurium aliquod ibi verè in veneratione sit, dubitare certè licèt, an illud à* S. Rodingo *reipsa fuerit inhabitatum. Verba autem laudati biographi hæc sunt :* Verùm longiùs à monasterio non recessit ; sed inter opaca silvarum latitans, (incertum quippe est, ubinam habitaverit) miliario solùm dimidio disparatus mansit ab illo. *Erat ergo, dum hæc scriberentur, ignotum Sancti tugurium, locique, ubi habitavit, sola distantia cognita. Quidquid sit, in tabula diœcesis Virdunensis &c., apud Calmetum tom.* 1 *Historiæ Lotharingiæ præfixa, locum aliquem* S. Ruin, *paulo minus, quàm uno milliario Gallico, à Belloloco dissitum reperi ; an ibi præfatum tugurium fortè sit, divinare nequeo. Atque hæc sunt, quæ de* S. Rodingi *cultu reperi, quem mox ab obitu cœpisse, verisimile est ; ideóque negare non possumus, quod in eadem Vita apud Menardum primo loco de triduano populi ad sacrum cadavèr concursu dicitur :* Corpus sacrum delatum est in Belli-loci monasterium, ubi vix triduo pòst ob turbam ægrotorum, qui undique veniebant, sepeliri potuit.

AUCTORE C. S.

Quid de ejusdem cella censendum ?

D

Exstat gemina Sancti Vita ;

6 *Jam dixi, duas* S. Rodingi *Vitas ab Hugone Menardo in Martyrologio Sanctorum Ordinis Benedictini vulgatas esse. De harum prima, quam scilicet libro* 2 *Observationum inseruit, in ejusdem calce notavit :* Hæc Vita decerpta est ex veteri Ms. codice, qui in abbatia Belli-loci servatur. *Initium hujus est :* S. Rodingus, vel Rodincus fuit natione Scotus, nobili loco natus anno quingentesimo nonagesimo quarto. *Circa alteram verò, quam sub finem Opusculi adjecit, monuit sequentia :* Hanc Vitam sumpsi ex veteri Ms. codice cœnobii S. Petri Catalaunensis, quam hîc, ne uno quidem apice mutato, posui, quamvis alteram lib. 2 Observationum inseruerim ; cùm inter illas aliquod discrimen intersit. Nam quædam aliter narrantur, & nonnulla sunt in una, quæ non sunt in altera. *Ex hoc autem vario modo loquendi, quo priorem Vitam ex veteri codice* excerptam, *alteram* ne uno quidem apice mutato *positam ait, videtur in priori illa quoad stylum saltem aliqua mutâsse. Certè uno ut minimum in loco ea ab ipso interpolata est.*

E

F

una recentior fabulis conspersa ;

7 *Utramque ab anonymo scriptam Mabillonius viderat, dum Seculum secundum Benedictinum adornaret ; sed quia neutra satis aut sibi invicem cohærere, aut accurata esse ipsi videbatur, maluit* S. Rodingi *Acta ad aliud tempus differre, dum meliora obtinuissèt. Verùm ex Bellilocensi monasterio nihil, ex cœnobio autem S. Petri Catalaunensis non aliam Vitam, quàm quæ à Menardo postremo loco recensita est, impetra-*

AUCTORE C. S.

vit, quamque propterea in Appendice 2 ad Seculum IV Benedictinum, parte 2 è suo Ms. excudit. De priori Vita Mabillonius ibidem in Observationibus præviis hoc tulit judicium: Quæ apud Menardum alia legitur Vita, auctoris est certè recentioris, qui ex Richardi (*quem Vitæ à se editæ auctorem facit*) libello, & ex vulgi qualicumque traditione eam consarcinavit, ut cuivis legenti facile erit judicare. *Mabillonio hac in parte lubens assentior; id certum est, populares in ea fabellas contineri, quas suis locis exhibebimus.*

altera, probabiliter auctore Richardo,

8 *Non sic argui potest Vita altera, ab eodem Menardo, ut diximus, secundo loco, & à Mabillonio edita. Richardi abbatis S. Vitoni illam opus esse, licèt nullum auctorem præferat, posterior non immeritò judicavit ex dictis biographi ejusdem beati abbatis num.* 4 *relatis, secundum quæ* S. Rodingi confessoris... ipse Vitam honorifico sermone composuit. *Hujus venerabilis, vel, ut alii volunt, beati Richardi, abbatis S. Vitoni Virdunensis, Acta in Opere nostro ad diem* XIV *Junii illustrata habes, ubi anno Christi* 1046 *obiisse dicitur, consentiente Mabillonio Sec.* 6 *Benedict., part.* 1, *pag.* 518. *Ex illius verò ætate, dictisque*

B *biographi ejusdem mox laudatis, Mabillonius sic statuit:* Nec dubito, quin illa ipsa sit (*Vita S.* Rodingi *à Richardo composita,*) quam referimus ex Ms. codice Catalaunensi, quem annorum ferè sexcentorum esse dicunt. *Codicem illum mihi videre non licuit; sed si re vera id ætatis sit, omnino verisimilis est Mabillonii opinio; nam & sic laudatus codex ad Richardi ferè tempora referendus erit, & ipse Richardus cœnobii S. Petri Catalaunensis curam gessit, monachosque cum libris & ornamentis è suo monasterio illuc deduxit, prout apud eumdem Mabillonium tom.* 4 *Annal. ad annum Christi* 1028, *num.* 43 *videre est.*

melior, quam recudemus.

9 *Jam quod ad ipsam Vitæ historiam spectat, ea nihil habet, propter quod auctorem ejus magnoperè culpemus, ipsiusque fidem requiramus; nec tamen hujusmodi est, ut singula ejusdem dicta admittenda sint. Etenim quamvis de venerabilis viri bona fide dubitare non liceat, trium tamen, & ultrà, seculorum spatio, quod* S. Rodingi *inter ac Richardi tempora intercessit, nonnulla illius gesta, gestorumque adjuncta ex hominum memoria partim excidere, partim incertis traditionibus, ut fieri assolet, adulterari potuerunt, quæ ab invicem*

C *discernere haud ita facile fuerit Richardo, tanto post tempore scribenti. Incompertum etiam est, utrum ipsi antiquiora aliquot instrumenta, an sola traditio præluxerit. Hanc igitur, quia antiquior non suppetit, ex Mabillonio recudemus, collatam cum edita Menardi, & solitis Annotatis castigabimus illustrabimusque, postquam præcipua rerum capita sequenti paragrapho discussérimus.*

Tertia Ms. rejicitur: Sancti apud varios mentio.

10 *Præter duas istas Vitas typis editas, habemus & aliam Ms., à Theoberto abbate Theologiensi anno* 1735, *die* 1 *Februarii ad Museum nostrum transmissam, sepositamque ad hanc diem Septembris. Hæc florido, facetoque stylo conscripta est, sed ætate sua utrique suprà memoratæ longè postponenda; à recentiori scilicet quopiam concinnata, qui Vitam à Menardo primo loco editam, aut aliquod ejusdem exemplar Ms., elegantiori phrasi voluit exornare. Ceterùm de* S. Rodingo *nostro agunt etiam Richardus Wasseburgius in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ, Cointius in Annalibus Francorum, Jacobus Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ, Bailletus in Vitis Sanctorum, Calmetus in Historia Lotharingiæ, Simon Martinus in Sacris reliquiis eremi, aliique, quibus ferè omnibus utraque ista Vita aut alterutra præluxit.* D

§ II. Sancti patria: episcopatus non satis probabilis: chronotaxis incerta: Vita monastica Tabulcii: Waslogium ab eo conditum: annus emortualis.

Sanctus non fuit Gallus natione,

S*Anctum* Rodingum *vel* Chraudingum *ex Scotia, quo nomine hodierna Hibernia olim veniebat, ortum esse, tam Vita utraque, quàm scriptores alii, quos quidem viderim, consentiunt, excepto Wasseburgio, qui lib.* 2 *Antiq. Galliæ Belgicæ, in Episcopo* XVII *Virdunensi, seu in Agreberto, eumdem illustri genere in Gallia natum scribit.* Laudatus Agrebertus, (*ait Gallicè,*) in adolescentia sua educatus fuit cum quodam principe Gallo, propinquo suo (*Gallicè* son parent) nomine Grodingo, qui seculum deseruit, vitamque E religiosam duxit valdè austeram; ita ut post obitum suum inter Sanctos reputatus fuerit; & ex patrimonio suo monasterium, Waslogium nuncupatum, fundavit, quod ex amore erga prædictum episcopum Agrebertum, hujus, ejusdemque successorum episcoporum Virdunensium administrationi perpetuò subjecit, prout scribit Bertarius in sua Historia. *Porrò cùm idem Wasseburgius Agrebertum illum Pippini Heristalli propinquum pariter faciat, consequenter* S. Rodingum *ad illustris istius Majoris-domus familiam utcumque reducit.*

sed Scotus, seu Hibernus.

12 *Verùm hanc Gallicam Sancti patriam, & illustrem stirpem, ceteris omnibus ignotam, nescio, unde didicerit Wasseburgius: nam Bertarius quidem, seu Bercarius, Virdunensis seculo nono & decimo presbyter, quem laudat, de iis nullo verbo meminit, sed in Agreberto tantùm ait:* Hujus tempore S. Grodingus Waslogium monasterium constructit, & sub ditione nostræ ecclesiæ posuit. *Divinare itaque nequeo, unde in eam opinionem venerit Wasseburgius; alium enim auctorem nullum laudat. Sed neque verisimile apparet, tam illustres sancti Fundatoris in Gallia natales, etiam* F *quarto post ipsius obitum seculo, apud Bellilocenses suos usque adeò ignotos fuisse, ut vel hi, vel eorum abbas Richardus, illum gente exterum, & ex Scotia advenam, crediturі fuissent, si vera essent asserta Wasseburgii. Æquè ignota ceteris fuit Waslogiensis monasterii ex Sancti patrimonio erectio, ut ex dicendis constabit. Quapropter malo ego illum cum utraque Vita, reliquisque scriptoribus, Scotum seu Hibernum dicere, qui, ut multi alii fecere, ex insula sua religionis ergò egressus, in Gallias adventaverit.*

Non videtur fuisse episcopus

13 *Haud ita facilè crediderim, eumdem episcopatu in Scotia initiatum fuisse, antequam in Gallias appelleret, ut ambæ Vitæ pariter asserunt, in quarum altera ex Catalaunensi codice à Mabillonio edita, cui ibidem titulus erat;* Vita sanctissimi ac beatissimi Chraudingi episcopi & abbatis, *tantùm dicitur* officio pontificali insignitus; *in altera apud Menardum*, annum agens trigesimum septimum ad episcopatum promotus, *eoque* quatuor annos ritè & sapienter *functus fuisse narratur. Sanè hanc episcopalem dignitatem suspectam meritò habuit Mabillonius in Observationibus prævis*

A *viis ad Vitam; quia eo, ut inquit, titulo plerique donantur, qui ex Anglia vel Hibernia in has regiones commigrârunt, quoſque nihilominus epiſcopos non fuiſſe exiſtimat. Exemplo eſſe poteſt S. Furſeus, cujus Acta apud nos illuſtrata habes tom. 2 Januarii, qui ibidem pag. 50 in Annotatis lit.* b *epiſcopus fuiſſe à nonnullis perperam creditus eſt. Mabillonio favet codex quidam Virdunenſis, in quo, ipſo teſte tom. 1 Annal. Benedict., ad annum Chriſti 680, num. XI, exſtat eadem Vita per Richardum ſcripta, in qua, licèt eadem, quæ ſuprà, præfixa ſit inſcriptio,* nulla *tamen* mentio eſt de epiſcopali ejus dignitate.

in Scotia; certè non Virduni.

14 *Favet item Virdunenſe Breviarium ac Miſſale, quæ, ut num. 2 dictum eſt,* S. Rodingum *annua commemoratione ad diem* XVII *Septembris honorandum præſcribunt, ſed tantùm* ex communi confeſſoris abbatis, *non epiſcopi. Hinc ego ſacras illas inſulas, quibus biographus, gemino ſeculo & medio ipſo junior, illum exornat, ut meritò dubias, inter titulos ejuſdem tacere malui, quam attribuere. Quod autem Sauſſayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad hunc diem dicit, eum S. Paulo in epiſcopatum Virdunenſem*

B *ſucceſſiſſe, manifeſtus error eſt, ex eo forſitan natus, quòd ipſum eidem Sancto, ad dictum epiſcopatum evecto, in abbatia Theologienſi, cui is præerat, ſuffectum fuiſſe, in Vita, quam Menardus edidit, legiſſet, & abbatiale munus cum epiſcopali incautus confuderit.* Rodingus *enim inter Virdunenſes epiſcopos minimè occurrit; imò Bercarius mox laudatus S. Pauli ſucceſſores Giſloaldum, Gerebertum, Armonium & Agrebertum recenſet, & ſub hoc ultimo* S. Rodingum *noſtrum Waſlogium ſeu Bellilocenſe monaſterium condidiſſe affirmat.*

Ipſius chronotaxis, ex Vita deteriore

15 *Quod ad Sancti ætatem, rerumque ab eo geſtarum tempora attinet, Vita prima apud Menardum multa habet, ex quibus vitæ ejus chronotaxis maximam partem ordinari poſſet, ſi ejuſdem auctor ad faciendam fidem tam idoneus eſſet, quàm confidenter affirmat. Secundùm illum* S. Rodingus... nobili loco natus anno DXCIV,... annum agens trigeſimum, ad epiſcopatum promotus eſt; quem cùm quatuor annos ritè & ſapienter adminiſtrâſſet, à Deo juſſus,... in Galliam transfretavit, & ad Theologienſe, diœceſis Trevirenſis, monaſterium devenit. Ibi cucullam induit... ſub

C magiſterio S. Pauli abbatis;... cui ad pontificium eccleſiæ Virdunenſis honorem evecto ſucceſſit in abbatiam invitus. *Hoc munere laudabiliter functus,* monachis divinam de ſuo deceſſu voluntatem aperuit, alioque abbate electo, Virdunum venit, ubi cum S. Paulo antiſtite biennio manſit. *Poſt hæc aliquod initium monaſterio Bellilocenſi dedit, quod & poſtmodum è Romano itinere redux perfecit, ex eoque* duodecim annis ſupra centum natus, *in ſolitudinem ſeceſſit, in qua* decimum ſeptimum ſupra centeſimum annum agens, *pia morte ad cælos evolavit die* XVII Septembris.

à nonnullis contexta,

16 *Hiſce preſsè inhærens Simon Martinus in ſacris reliquiis eremi ad hunc diem, nativitatem ipſius anno 594, mortem anno circiter 711 vel 712 affixit; unde liquet, ex memoriæ lapſu aut typothetarum errore factum eſſe, quòd ſuprema ejuſdem ætas tantùm* ſeptuaginta ſeptem annos *exceſſiſſe ibidem dicatur; cùm hoc pacto mors ad annum circiter 671 referenda fuiſſet. Ex iiſdem biographi dictis Calmetus in Hiſtoria Lotharingiæ tom. 1, col. 404 in Annotatis, partem chronotaxeos* S. Rodingi *ſic ſtatuit:* Natus eſt anno DXCIV. Factus eſt epiſcopus anno DCXXIV. Seceſſit è Scotia poſt quadriennium epiſcopatûs anno DCXXVIII. *Tam grandævam tamen ætatem, quam Vita illa ipſi tribuit, maluit tacitè præterire, & mortem illius non anno 711, quò biographi calculi deducunt, ſed tantùm anno circiter 680 illigare, adeóque vitam ejuſdem annis dumtaxat 86 concludere.* AUCTORE C. S.

& à quodam fruſtra correcta,

17 *Coïntius tom. 4 Annalium Francorum ad annum Chriſti 686, num. 25 ſuſpicatus, mendum in numeros codicis Bellilocenſis irrepſiſſe,* (*ita ſcilicet, ut in anno ætatis* CXVII *littera* C *nonnihil loco mota ſit, legendumque* XCVII) *retento natali anno 594, beatum ejuſdem obitum ad annum Chriſti 691 adſcripſit. Id autem eò magis credidit Coïntius, quia Armonium epiſcopum Virdunenſem, qui Sancto morienti adfuiſſe in Vita dicitur, ante annum 711 diu defunctum, annoque 691 Virduni ſediſſe ſtatuebat. Et quod ad Armonium quidem attinet, non ſatis exploratum eſt, quo anno is Virdunenſem epiſcopatum adierit, quoque eumdem cum vita depoſuerit. Waſſeburgius, & poſt eum Coïntius annos Chriſti 689 & 701 aſſignant, Calmetus verò 691 & 703; at nullus eorum ſua aſſerta probat. Bercarius jam ſuprà laudatus illum inter Gerebertum & Agrebertum re-* E *cenſet, ſed nihil de annis meminit. Id unum certum habemus, eumdem anno ſeptimo Childeberti regis, qui fuit Chriſti 701 prædictæ eccleſiæ præſediſſe; ut patet ex charta Pippini Heriſtallenſis ejuſque conjugis Plectrudis, quam exhibet Calmetus tom. 1 laudati Operis, col. 262 & ſeq. inter Inſtrumenta.*

non ſatis probabilis eſt.

18 *Verùm etſi hac ratione Sancti obitus ad epiſcopatum Armonii reduceretur, nequaquam tamen veriſimile eſt, mendum in annos ætatis illius irrepſiſſe, & pro anno* CXVII *ſubſtituendum eſſe* XCVII. *Etenim cùm in eadem illa Vita* S. Rodingus *dum* duodecim annis ſupra centum natus eſſet, deſignato abbate Stephano, *in eremum ſeceſſiſſe dicatur, manifeſtum eſt, illam numerorum correctionem locum hic habere non poſſe. Hinc ego, quo magis Vitam illam conſidero, dictaque biographi cum ejuſdem chronotaxi confero, eò magis perſuaſum habeo, eam nihili faciendam eſſe, neque inhærendum eſſe calculis incerti minimíque antiqui ſcriptoris, qui tum alibi fabellas venditat, tum hîc extraordinariam longævitatem non ſatis idoneus auctor affirmat. Miſſis itaque factis, quæ biographus ille de anno ejus natali ceteraque chronotaxi refert, alia quædam inquiramus, ex quibus deinde tempus, quo vixerit, utcumque ſtatui poſſit.* F

Non venit cum S. Columbano. Tabuleium ſeccedit,

19 *Vita edenda num. 1 Sanctum noſtrum unà cum SS. Columbano & Gallo in Galliam adventâſſe, dubiè affirmat;* Comites autem, *inquiens,* itineris ejus fuiſſe traduntur BB. Columbanus & Gallus. *Sed hæc traditio admitti non poteſt, neque cum ceteris ejuſdem biographi dictis conſentit. Etenim cùm S. Columbanus aliquot ante ſeculi ſexti finem annis in Galliis jam verſatus fuerit, & Tabuleienſe ſeu Theologienſe cœnobium circa annum 623 primùm conditum ſit, quî potuit* S. Rodingus *ad monaſterium, mox aut ſaltem non diu poſt ſuum in Gallias adventum ſecedere, ut idem biographus ſignificat, ſi eò cum Columbano appulerit? Hunc porrò* Rodingi *in laudatum cœnobium ſeceſſum, ſuſceptumque ibidem monachatum, etiam Vita altera tradit, conſentientibus, quotquot de Sancto ſcripſere. Eſt autem Theologienſe monaſterium nunc Ordinis S. Benedicti, vulgò* Tholey *dictum, in diœceſis Trevirenſis ac Lotharingiæ finibus in Voſego, non procul ab oppido S. Wandelini ad fluvium Saravum conditum.*

20 *In*

AUCTORE C. S.

20 *In eo vixerat, vel fortaſſe etiam tum florebat S. Wandelinus ſeu Wendelinus, ejuſdem loci abbas, natione, ut fertur, Scotus ac regia ſtirpe progenitus. Celebris quoque ibidem fuerat, aut adhuc erat S. Paulus, ad Virdunenſem epiſcopatum poſtea promotus, in cujus Vita, ad diem* VIII *Februarii illuſtrata, pag.* 176, *num.* 6 *inter cetera hæc legere eſt:* Cœperunt ad eum ex longinquis terræ partibus, audita de eo famæ opinione, multi confluere (*ad Tabuleienſe cœnobium*,) & ſe ejus magiſterio non ſolùm mediocrium filii, ſed & præpotentum ac nobilium generoſitate progeniti, unanimes convolare. *Horum igitur, aut alterutrius deſiderio, famâve per hos iſti cœnobio jam comparatâ illectus, potuit* S. Rodingus *eò ſe etiam contuliſſe, monaſticis diſciplinis in tam ſancta ſchola imbuendum.*

ubi probabiliter ſub S. Wandelino,

21 *Vita primo loco à Menardo data diſertè aſſerit, id ſub S. Paulo factum eſſe.* Ibi, *inquit*, cucullam induit, & ſub magiſterio S. Pauli abbatis prima rei monaſticæ rudimenta didicit. *At verò Cointius tom.* 3 *Annal. Franc., ad annum Chriſti* 640, *num.* 61, *negans S. Paulum Tabuleienſem abbatem umquam fuiſſe, ſed ex magiſtro ſcholarum ejuſdem loci, epiſcopum creatum eſſe*, S. Rodingum *noſtrum ſub illo quidem magiſtro, ſed abbate Wandelino, primis monaſticæ vitæ præceptis inſtitutum eſſe opinatur. Et ſanè Paulum tironibus quidem præfectum, ſed numquam abbatem ibidem fuiſſe, ex ejuſdem Vita pag.* 176, *num.* 5 *longè probabilius apparet, cùm de abbatiali ejus munere nulla in ea fiat mentio, & de eodem expreſsè dicatur:* Amabatur ab omnibus, venerabantur univerſi, placebat cunctis, nimioque affectu pro ſuæ ſanctitatis reverentia, excepto nomine PASTORIS, colebatur vice magiſtri.

& ſub magiſterio S. Pauli

B

22 *Idem confirmari poteſt ex Vita Sancti noſtri edenda, in qua biographus rationem reddens, cur hic à S. Paulo jam epiſcopo benigniſſimè fuerit acceptus, de abbatiali Pauli dignitate nihil memorans, tantùm ait:* Qui ideo beatum Virum eâ, quâ docebat, venerabatur honorificentiâ, quia in ſuprà dicto monaſterio Tabuleio, ubi ille abbas, exſtiterat, hic (*Paulus*) ante præſulatûs officium plurimos annos ſub habitu monaſticæ religionis exegerat. *De anno, quo laudatus S. Paulus ex Tabuleienſi monaſterio Virdunenſibus infulis admotus eſt, neque ex antiquis monumentis conſtat, neque ſatis conſentiunt recentiores. Conſuli de hiſce poteſt Commentarius prævius ad ejuſdem Vitam* § 3, *ubi Bollandus noſter id non niſi anno Chriſti* 630 *aut ſequenti factum eſſe, admodum probabiliter conjectat, quem & Cointius & alii ſecuti fuere. Hinc de tempore, quo* S. Rodingus *in eodem monaſterio habitaverit, utcumque conjicere pariter licet.*

monaſticam vitam duxit;

C

23 *Porrò poſt probatam Tabuleienſibus ſuis virtutem* S. Rodingus *eidem monaſterio abbas præfectus eſt, ut utraque Vita ejus teſtatur. Deceſſorem ejus non prodit Vita edenda, in qua num.* 2 *ſic legitur:* His virtutum indiciis cùm ſancti Viri fama jam jamque plurimis notificaretur, defuncto abbate, fratrum electione, & Trevirenſis metropolitani auctoritate, dominici gregis paſtor inſtituitur. *In altera verò apud Menardum S. Paulo* ad pontificium eccleſiæ Virdunenſis honorem evecto . . . in abbatiam invitus *ſucceſſiſſe quidem dicitur; ſed ex ſuprà dictis parùm probabiliter. Non video tamen, cur illum ejus loci abbatem fuiſſe, tam confidenter negemus, quàm negat Cointius citatus, licèt nullum ſolidum argumentum in medium adducat. Nam quòd ipſum Grimoni abbati ſubfuiſſe ait, Grimonem verò Wandelino ſucceſſiſſe, ut habet tum loco citato, tum ad annum* 631, *num.* 13, *non probat. Nec morari nos debent Theologienſium abbatum editi Catalogi, quòd* Rodingo *nomen in iis non occurrat, cùm hos ad biographi noſtri ætatem aſcendere non probetur, imò ab ea quàm longiſſimè abſint.*

& fortè abbas præfuit.

D

24 *Ex laudato monaſterio Sanctus noſter, ſive tum abbas, ſeu tantùm monachus fuerit, ſecretioris ſolitudinis ergò cum ſuorum venia ſecedens, S. Paulum epiſcopum Virduni convenîſſe dicitur; ab eoque digreſſus, Waſlogienſi monaſterio in Argona ſilva aliquod initium dediſſe. Et primò quidem ſatis infeliciter: prohibente quippe Auſtreſio loci domino, cœpta interrumpere coactus eſt, quæ deinde poſt Romanum iter eodem ſibi conciliato, proſperrimè perfecit. Iſta loci primordia Claudius Robertus, ac Sammarthani fratres, in ſua quique Gallia Chriſtiana, Cointius in Annalibus, Calmetus in Hiſtoria Lotharingiæ, aliique anno Chriſti* 642 *innectunt; ad quem ea revocari poſſe etiam Mabillonius in Annalibus ibidem num.* 15 *admittit. At verò licèt nihil occurrat, ex quo ea ſententia erroris certò arguatur, nihil tamen etiam profertur, quod eam epocham anno* 642 *potiùs, quàm uni ex proximè præcedentibus, aut ſubſecutis, qui ſcilicet inter annum Chriſti* 630 *vel* 631, *annumque* 649 *aut unum alterumve priorem efluxere, quibus ſecundum communiorem ſententiam S. Pauli epiſcopatus continetur, illigandam eſſe ſuadeat.*

Waſlogienſe monaſterium ante medium ſeculi VII,

E

25 *Unica hiſce opponi poteſt Bercarii, Virdunenſis, ut diximus, presbyteri auctoritas, ſecundùm quem primordia iſta ad ſeculum* VIII, *paucis ſaltem annis inchoatum rejicienda ſunt. Ita enim poſt S. Pauli elogium ibidem proſequitur Bercarius:* Poſt hunc extitit Giſloaldus epiſcopus, Gerebertus, Armonius, Agrebertus, epiſcopi. Hujus tempore S. Grodingus Waſlogium monaſterium conſtruxit, & ſub ditione noſtræ eccleſiæ poſuit. *Præfuit autem eccleſiæ Virdunenſi Armonius, Agreberti deceſſor, ſeculo octavo ineunte, ut ſuprà num.* 17 *probatum eſt. Verùm non tanti facienda eſt Bercarii hac in parte auctoritas, ut propter eam à biographis, ceteriſque licèt recentioribus recedendum eſſe exiſtimemus. Ex ipſo etenim textu, quem dedimus, liquet, illum de quatuor iſtis epiſcopis præter nomina & ſucceſſionis ordinem nihil ſciviſſe; atque adeo de rebus Virdunenſibus iſtius temporis parùm inſtructum fuiſſe: quod quidem eo minùs mirandum eſt, quòd ſuo tempore, ut in Prologo ipſe præfatur, principalis Virdunenſis eccleſia igne ſuccenſa, librique ejuſdem ex magna parte exuſti fuiſſent. Adde, quòd ejuſdem fides etiam alibi vacillet: nam S. Paulum S. Germani, Pariſienſis epiſcopi, fratrem germanum fecit, quod admitti non poſſe, Bollandus noſter in Commentario prævio, ſuperiùs laudato oſtendit* § 2, *num.* 7.

non ſeculo VIII, *conditi;*

F

26 *Ex iiſdem Bercarii verbis altera præterea difficultas oritur, quam non facilè eſt dirimere. Ille ſiquidem Waſlogienſe monaſterium* ſub ditione eccleſiæ *Virdunenſis à ſancto Fundatore ſuo poſitum fuiſſe aſſerit; cùm in Vita edenda num.* XI *idem Sanctus dicatur à Childerico rege præceptum impetrâſſe, quo hic* ipſam abbatiam ſua regia defenſione munitam, ab omni prorſus externo ſervitio liberam & immunem eſſe conſtituit, reſervato Virdunenſium pontifici, cujus diœceſi continetur, reſpectu ſacrorum Ordinum & Benedictionis. *Quòd autem Bercarius aliam, quàm cujus biographus meminit, ſubjectionem indicaverit, colli-*

pro quo præceptum regium impetrâſſe dicitur.

AUCTORE C. S.

A *ligitur ex eodem in elogio Amalberti chorepiſcopi, ubi ait:* Tunc (*Amalberto vacantem ſedem adminiſtrante*) perdidit iſta eccleſia Waſlogium, & Tilliacum & Stagnum, & Merlam, & Caſcam Petriam, & alia quamplurima: fuit enim hoc ſub tempore Caroli Magni. *Eò porrò majoris ponderis eſt hîc Bercarii teſtimonium, quò res ſuæ ætati propiores enarrat. Quapropter ut iſthæc concilientur, nihil mihi aliud veriſimilius occurrit, quàm quòd laudatum monaſterium immunitate, quam à Childerico obtinuerat, non diu poſt Sancti mortem, ſub Agreberto privatum fuerit, eamdemque ſub Amalberto recuperaverit. Certè hac ratione biographo ſua ſtabit auctoritas, ſimulque intelligetur, unde Bercarius in eum venerit errorem, ut Waſlogium ſub Agreberto conditum & Virdunenſi eccleſiæ ſubjectum fuiſſe exiſtimaret.*

27 *Quam Regulam ſanctus Abbas obſervaverit, ſuiſque præſcripſerit, non prodit Vita edenda. Benedictinam fuiſſe Menardus in Vita primo loco edita ſcribit;* In hoc, *inquiens*, monaſterio Regulam ſancti patris noſtri Benedicti, quam in cœnobio Theologienſi didicerat, ſervari voluit. Ita vetus Vitæ illius codex Ms., qui in monaſterio B Belliloci ſervatur. *Menardo conſentiunt alii Benedictini, qui* S. Rodingum *ſuis Menologiis, ac Mabillonius, qui eumdem Annalibus, Sanctorumque Ordinis ſui Actis, inſeruerunt. Vellem equidem tam illuſtri Ordini tam ſanctum Virum adſcribere; ſed, ut id faciam, non ſufficit Vita illa ex codice Belli-locenſi, quam veluti cujuſdam recentioris opus Mabillonius ipſe rejecit, quæque, ut ſuprà diximus, non uno in loco fabulas olet. Non dubito tamen, quin eamdem Regulam, quam in Theologienſi cœnobio didicerat, in Waſlogienſi voluerit obſervari; verùm hanc Benedictinam fuiſſe non conſtat, neque Mabillonius certo auſus eſt affirmamare in annotatis ad Vitam S. Pauli, Sec. 2 Benedict., pag. 270, ubi de eadem Theologienſi abbatia ſic ait.* A primo conditu Regulæ S. P. Benedicti addicta fuiſſe videtur.

Agaunenſem Regulam

28 *Coïntius in Annalibus ad annum Chriſti 642, num. 65 non improbabiliter exiſtimat, in utroque cœnobio non aliam tum ſervatam fuiſſe, quàm quæ in Agaunenſi S. Mauritii abbatia vigebat. Verba ejus huc refero:* Cùm Regula, *inquit*, quam Rodingus in cœnobio Bellilocenſi cuſtodiendam præcepit, non alia cenſenda ſit ab ea, C quam priùs in monaſterio Theologienſi didicerat, ut monachis Theologienſibus, ſic & Bellilocenſibus normam Agaunenſium præſcriptam exiſtimamus. Huic opinioni non parùm favet primarium templum, ut apud Agaunum, ſic etiam apud Tabuleium, & apud Bellum-locum, Deo in honorem S. Mauritii, ſociorumque martyrum dedicatum. *Ita ipſe, qui Belli-locenſis codicis, utpote recentioris, auctoritate ſtare pariter recuſat. Quamvis autem ea Coïntii ſententia certa non ſit, mihi tamen ſatis veriſimilis apparet.*

ibidem ſervandam probabiliter tradidit.

29 *Porrò quia Bellum-locum primò Waſlogium appellatum fuiſſe diximus, juverit de tempore atque occaſione mutati nominis hîc aliquid addidiſſe. Factum id ſeculo* XI *eſſe docet Vita S. Popponis abbatis, in Opere noſtro ad diem* XXV *Januarii edita & illuſtrata, ex cujus capite* 7, *num.* 26 *de hoc argumento ſequentia excerpſi.* Abbatiam inſuper S. Mauritii, Wasloi dictam, cum omnibus ejuſdem loci appendiciis ei (*Popponi abbas*) delegavit; utque eò in agendis, quæ oportuerant, deſudaret, eum admonere curavit. Quâ ſuſceptâ, quia eam, quam ſitus loci jucunditate ſui commendabilem dedit, in officinis, monaſteriique bre-

Monaſterii nomen mutatum ſeculo XI*:*

viſſimis clauſtris vileſcere invenit, funditus monaſterium cum adjacentibus illi receptaculis everſum, majori, quàm fuerat, elegantiâ reædificavit, atque priſtino nomine mutato, ex honeſtate ſui Beloacum denominari dictavit. Atque eo quidem vocabulo jam ad præſens circumquaque eſt promulgatum; nec illo, evolutis ad nos uſque diebus, conſtat eſſe privatum. *Ceterùm ſive hîc in voce* Beloacum *aliquod mendum cubet, ſive S. Poppo locum re vera ita appellârit, ex vetuſto nomine* Waſloi *manifeſtum eſt, hodiernum* Bellum-locum *deſignari; atque hoc poſteriori modo etiam in Vita edenda vocitatur.*

annus Sancto emortualis incertus.

30 *De anno, quo Sanctus mortem in eremo, non procul à ſuo monaſterio diſſita, ſanctiſſimè obiit, neotericos variare monui ſuprà num.* 16 *&* 17; *quorum tamen ſententiæ eò redeunt, ut, qui Vitæ à Menardo primo loco datæ preſsè adhærent, id anno* 711 *vel* 712, *qui verò tam longævam ſeptemdecim ſuprà centum annorum ætatem ipſius rejiciunt, anno circiter* 680, *ut Mabillonius ac Calmetus, vel* 691, *ut Coïntius, contigiſſe opinentur. Res planè dubia eſt, nec ullo certo fulta argumento, niſi quòd in Vitis ipſius nonnullis viris illuſtribus convixiſſe dicatur, quorum ætas eum ad ſeculum ſeptimum jam decrepitum, vel certè ſeneſcens perveniſſe perſuadet. Inter hos S. Paulus Virdunenſis epiſcopus circa ejuſdem ſeculi medium obiit; Childericus II Auſtraſiæ primùm rex ac deinde monarcha, à quo privilegium accepiſſe* S. Rodingus *dicitur, dudum poſt medium ejuſdem factus eſt rex, eodemque ſeneſcente occiſus; Armonius denique, qui ſecundùm primam Vitam Menardi, Sancto morienti adſtitit, ſeculo octavo inchoato Virdunenſi eccleſiæ adhuc præſidebat. Hinc ego mortem* S. Rodingi *noſtri latiori phraſi circa finem ſeculi ſeptimi cenſui collocandam.*

VITA

Auctore fortè B. Richardo abbate S. Vitoni ſeculo XI

Ex editione Mabillonii Sec. 4 Benedict. part. 2.

CAPUT I

Sancti in Galliam adventus: monachatus in Tabuleio: ſeceſſus in eremum, atque inde expulſio: peregrinatio Romana, & reditus: monaſterii erectio.

E Scotia jam epiſcopus appulſus, Tabuleium ſecedit,

BEatus Chraudingus Scotorum proſapiâ exortus *a*, cùm jam eſſet Catholicæ fidei inſtitutionibus edoctus, & officio pontificali inſignitus *b*, patriam, parenteſque relinquens, tranſmiſſis proſpera navigatione tribus, ut ajunt, maribus, Chri-

a b

A. B. Richardo.

sto præduce, fines ingreditur Belgicæ regionis. Comites autem itineris ejus fuisse traduntur beati Columbanus & Gallus *c*, quorum alter Italiam, alter Galliam meritis tuetur & precibus. Vir autem Domini Chraudingus, cùm solitariæ vitæ flagraret desiderio, pervenit ad monasterium S. Mauricii, situm in saltu Vosago, quod Tabuleium antiquitus vocabatur, eo quòd sectis in modum tabularum lapidibus fuerit ædificatum; nunc appellatur Theologium *d*, quòd theoricæ vitæ sit aptum, vel quòd de Deo inibi frequens habeatur colloquium: ubi cùm à patre loci & fratribus benignè fuisset susceptus, magnis in brevi cœpit publicari virtutibus.

ubi abbas fit: Jubstituto deinde sibi Chroduino,

2 Erat enim obedientiâ præclarus, scientiâ præditus, orationi deditus, caritate diffusus, Deo devotus, patientiâ mirabilis, morum benignitate perdulcis, agilis in opere, sedulus in taciturnitate, justitiâ insignis, humilitate incomparabilis. His virtutum indiciis cùm sancti Viri fama jam jamque plurimis notificaretur, defuncto abbate, fratrum electione & Trevirensis metropolitani auctoritate Dominici gregis pastor instituitur *e*, cujus nimirum industriâ idem cœnobium temporalium quoque rerum locupletatum est opulentiâ, & suavi odore virtutum circummanentium respersit corda. Unde à multis Vir Dei cœpit frequentari, qui se orationibus ejus commendare desiderantes, & monitis salutaribus instrui cupientes, ad eum, quasi ad fontem vitæ cursitabant sitientes: quorum frequentiam molestè ferens, & remotioris vitæ desiderio fervens, subrogato sibi in regimine suo nepote Chroduino *f*, quem de natali solo secum adduxerat, ammonuit, ut gregem sibi commissum benignè regeret, bonis exemplis informaret, paternam super eos sollicitudinem gereret, & remigio piæ gubernationis ad portum salutis perducere satageret.

inde abiens, salutato B. Paulo episcopo Virdunensi,

3 Tunc, data & accepta benedictione, vale dicens, fratribus quibusdam secum assumtis, de monasterio egreditur, ab illis non sine gravi mœrore separatur. Dispositum iter arripiens, proficiscitur, Virdunensem pagum ingreditur, à B. Paulo, ejusdem civitatis episcopo *g*, cum digno honore suscipitur; qui ideo beatum Virum eâ, quâ decebat, venerabatur honorificentiâ, quia in suprà dicto monasterio Tabuleio, ubi ille abbas exstiterat, hic ante præsulatûs officium plurimos annos sub habitu monasticæ religionis exegerat. Venerabilis ergo pater Chraudingus obtentu familiaritatis paucis cum eo diebus exactis *h*, rogatus ab eo, ne longiùs discederet, sed voti compos in proxima eremi vastitate locum ad habitandum eligeret, comitantibus secum duobus tantùm, ut fertur, discipulis, saltum ingreditur Argoennæ *i* solitudinis.

Argonam ingressus, Waslogii monasterium inchoat.

4 Desideransque invenire locum suis votis commodum & circuiens montes & colles & concava vallium, devenit ad locum, cui antiquitas vocabulum indidit Waslogium, præ nimia, ut reor, vastitate, quasi Vastus locus vocatum, quem moderni, mutato nomine, Bellum-locum *k* ob pulcherrimum loci situm vocari maluerunt: cujus amœnitate Christi Famulus admodùm delectatus, junctis sibi in labore fidissimis sodalibus, succisis undique virgultis, & radicibus arborum erutis, diu quæsitum construere cœpit habitationis locum. Interea, ubi erant lustra ferarum, fit domus orationum: inter fructeta salvificæ Crucis eminere conspiceres vexilla: ibi chorus psallentium hymnidicas Deo laudes personat, ubi lupus ululare, vulpes gannire, philomela dulciter garrire, omniumque genus bestiarum seu volucrum diversis vocibus perstrepere consueverat: locus ille solitudinis in cultum vertitur divinæ laudationis. Nec mora, divulgatur horum gestorum opinio per multos in populo, nuntiatur circumquaque, ignotos advenisse peregrinos, qui non inter homines, sed inter bestias agrestes sibi construere habitationes, famâ vulgante, referuntur.

Hinc ab Austresio contumeliosè expulsus,

5 Hæc ad notitiam cujusdam divitis, nomine Austresii, qui in prædio suo, quod ex nomine illius vocatur Austresii-curtis *l*, per id tempus morabatur. Is denique cùm audisset, homines barbaricæ gentis silvam, quæ jure hereditario à se possidebatur, introisse, sibique in ea mansiunculas, præcisis arboribus, construere, mandavit eis, dicens, non esse æquum aliena invadere; esseque superbæ temeritatis & audaciæ in non suo velle habitare. Recederent potiùs velociter, ne ibi periculum incurrerent exitiale, ubi se putaverant habitationem tutissimam reperisse. Quæ cùm Viro Dei nuntiata fuissent, parvi pendens minas hominum, opus noluit deserere inchoatum *m*. Cujus constantiam nuntiis domino suo referentibus, Austresius vesanæ mentis furiis exagitatus, missis satellitibus, jussit eos flagellis cædi, & cum magno dedecore de sæpe dicta silva expelli.

Romam, Austresio interim pœnas luente, contendit.

6 Quod cùm ministri diaboli perpetrâssent, & pauperes Christi contumeliosis affectos injuriis extra limites silvæ illius expulissent, cernens Vir Domini, se suosque sodales omni humano solatio destitui, reperto salubri consilio, peregrinationis laborem denuò aggressus, ad Limina Apostolorum pervenire cupiens, Romam pergit, ibi eorum obtentu imploraturus per divinæ voluntatis judicium, quonam in loco suæ peregrinationis aliquando posset figere gradum. Post cujus discessum impius Austresius cœlesti plagâ percutitur, liberis orbatus, animalibus cunctis ac pecudibus innumeris, servorumque & ancillarum numerositate privatur; super hæc quoque gravi corporis languore invaditur, cujus continuis doloribus noctes diesque insomnes ducere cogitur *n*. Interea almus Dei sacerdos Chraudingus Romam perveniens, ibi ante sacratissimam Apostolorum præsentiam *o* fusis precibus, Spiritu sancto revelante *p*, responsum accepit, ad Gallias iterum sibi proficiscendum fore, & ad locum dilectæ solitudinis, de qua expulsus fuerat, reverti debere.

Romà rediens, editis miraculis prædium comparat: q

7 Qua revelatione animatus, ad Gallias iterum reflexit, tandemque ad viculum, qui Riessonis *q* vocatur, distans à monasterio sexdecim millibus, pervenit. Eo tempore ariditas magnæ siccitatis fines occupaverat illius regionis: cumque Vir sanctus super fontis cujusdam marginem resedisset, & panis edulio, hausturque aquæ corpusculi lassitudinem refocillare desideraret, nulla aquarum copia inibi potuit reperiri, unde aviditas potandi in sitiente valeret exstingui. Tunc conversus ad Dominum, de fonte misericordiæ suæ aquas sibi perfundere oravit, & virgam, quam manu gestabat, solo fixit. Mira res! mox fons ab imo terræ ebulliens prosilivit, & aquas copiosissimas in amnem derivavit. Ad cujus facti spectaculum dum occurrerent universi, matrona, cujus ditioni reditus famulabatur ipsius fundi, inter ceteros affuit; cum qua Vir sanctus conventione facta, cùm sibi nihil esset pretii, divinæ largitatis munificentiâ in prædicto fonte tantum reperit pondus auri, quanti animadversum est per illud posse appretiari: & mox ab ea in conspectu omnium ædificandæ ecclesiæ primordiale incrementum suscepit possessionem ipsius fundi.

8 Ta-

A 8 Talibus propalatus oſtentis, dum ubique vulgaretur, quædam vidua apud prædiolum ſuum, quod Argiſivilla dicitur, gravi ægritudine detenta, ſuppliciter mandavit, ut ſe viſitare dignaretur. Ad quam mox ut Vir Dei ingreſſus, orationem pro ea fudit, à lecto ægritudinis incolumem erexit: quæ collati non ingrata beneficii, confeſtim Medico ſuo tradidit in hereditatem poſſeſſionem ipſius fundi *r*. Hæc & ſimilia eo agente, non defuerunt, qui Auſtreſio principi, diutino languore attrito, ea ſtuduerunt narrare. Ille mente conſternatus, quòd ipſum eſſe didicerat, quem à ſaltu flagellatum præceperat expelli; inter ſpem tamen & metum poſitus, ut ſe inviſere dignaretur, humiliter mandavit. Vir autem patientiſſimus, immemor injuriarum, ad eum properare non renuit, & confitenti crimen, quod in ſe commiſerat, benignè indulſit; nec mora, à Domino, ut ſanaretur, obtinuit *ſ*.

9 Ille ne Curatori ſuo ingratus exſiſteret & immunis, ſilvam, de qua eum indecenter expulerat, perpetuò poſſidendam contradidit. Non longè autem germana ejuſdem Auſtreſii, nomine Bava, in prædio ſuo, quod Bonna *t* dicitur, diſſolutione membrorum debilis tenebatur; ad quam B rogatus, mox ut Vir ſanctus intravit, priſtinæ eam reſtituit ſanitati, & ipſum nihilo minùs prædium ab ea perpetuò habendum ſuſcepit. His peractis, ad dilectæ ſolitudinis locum cum gaudio repedat, & cum ſociis, undique in adjutorium concurrentibus plurimis, cœptum opus conſummare accelerat. Conſtruitur in honorem S. Salvatoris, ſanctique Mauricii martyris & ſociorum ejus monaſterium *u*, quod in brevi collatione fidelium non parùm eſt locupletatum. Et quia monaſticæ religionis nomen novum & quaſi ignotum adhuc in illis regionibus habebatur, multi, non ſolùm mediocres & pauperes, ſed & nobiles & divites, lucra ſpernentes ſæculi labentis, nudi evadentes naufragium mundanæ cupidinis, appulerunt portum miniſterii & quietis *x*.

mulierem, Auſtreſium, — *r* — *ſ* — *& hujus ſororem ſanat: cœptum monaſterium perficit.* — *t* — *u* — *x*

ANNOTATA.

a *Vita altera, apud Menardum lib. 2 Obſervationum edita*, S. Rodingi, *quem etiam* Rodincum *appellat, nativitatem anno 594 illigat; ſed quàm parùm iſti Vitæ fidendum ſit, diximus in Commentario prævio, num. 6, 7, 15 & ſeqq.* C

b Annum agens trigeſimum, *inquit Vita mox laudata, addens ipſum eo* quatuor annos *laudabiliter functum fuiſſe, ante ſuum in Gallias adventum. Vide tamen dicta in Commentario, num. 13 & 14.*

c *De S. Columbano agendum erit die 21 Novembris, quo colitur; de S. Gallo autem die 16 Octobris. Horum ſocium itineris fuiſſe Sanctum noſtrum non credimus. Adi num. 19 Commentarii.*

d *De hoc monaſterio conſule Commentarium num. 19 & ſequentibus, ubi etiam reperies, ſub quo abbate, quove magiſtro monaſticæ vitæ rudimenta ibidem didiciſſe potuerit.*

e *In Vita altera apud Menardum non mortuo abbati, ſed S. Paulo*, ad pontificium eccleſiæ Virdunenſis evecto, *in abbatiam ſucceſſiſſe dicitur. Vide, ſi lubet, Commentarium num. 23.*

f *Chroduinus hîc aliunde ignotus mihi eſt.*

g *S. Pauli, Tabuleienſis ſeu Theologienſis primum monachi, deinde epiſcopi Virdunenſis Acta apud nos illuſtrata habes ad 8 Februarii, ubi non niſi anno Chriſti 630 vel 631 epiſcopus factus, ac circa annum 649 vitâ functus eſſe dicitur.*

h Biennio *illum apud S. Paulum manſiſſe Vita altera aſſerit, quam ſecuti Coïntius ac Baillètus, quia Belli-locenſis cœnobii primordia ad annum Chriſti 642 retulêre, hunc ad S. Paulum acceſſum anno 640 illigârunt. Verùm conſule Commentarium num. 24 & ſeq.*

i *Argona, Gallis* l'Argone, *Galliæ tractus eſt in Campania.*

k *De hujus cœnobii ſitu adi Commentarium num. 1; de tempore fundationis ejuſdem num. 24 & ſeqq., ac de mutato denique ipſius nomine, num. 29.*

l *Neſcio, an locus is eo nomine adhuc notus ſit. Huic tamen valde affine eſt* Autrecour, *quod Guilielmus de L'Iſle in tabula Campaniæ, & adjacentium regionum, vix duobus milliaribus Orientem verſùs à Bello-loco collocat.*

m *Hæc Sancti agendi ratio ſatis mira videri poteſt, meritóque dubitari, an cum iiſdem adjunctis, cum quibus hîc narratur, res tota contigerit.*

n *Vita altera hanc Auſtreſii punitionem non ſine adjuncta fabula refert.* Interea Auſtreſii domus gravibus morbis, iiſque inſanabilibus à Deo percutitur: ejus uxor, liberique brevi intervallo moriuntur; ſolus ipſe cum filia, nomine Bana, ſuperſtes manſit. Ut autem tantorum malorum origo ipſi Auſtreſio non eſſet occulta, digitis puellæ nomen S. Rodingi ſcriptum apparuit, quod nulla arte potuit oblitterari. E

o *Id eſt*, corpora.

p *Angelus apparens id ipſi præcepiſſe in Vita mox citata dicitur. Præterea ſi eidem credimus, dum Sanctus Romæ degeret, non tantùm* quidam pauper triennio jam quartana febre devexatus, ad ſolum veſtimentorum illius contactum ſanitati reſtitutus eſt, *verùm etiam* ingens ægrotorum turba ad eum venit, quos omnes ſigno Crucis ſanavit, atque etiam manuum impoſitione, & quà tranſibat, ſemper aliquod ſanctitatis ſuæ veſtigium relinquebat; *quæ quidem omnia ab alio, quàm à biographo illo aſſerta deſideramus.*

q *Videtur eſſe hodiernum* Rezonville, *quod apud Calmetum in Tabula Geographica diœceſis Virdunenſis, tomo 1 Hiſtoriæ Lotharingiæ præfixa, pari ferè diſtantia, quam biographus mox aſſignat, à Bello-loco notatur in diœceſi Metenſi.* F

r *Prædium hoc in Vita edita à Menardo* Argiſimilla, *in altera apud eumdem* Argevilla *appellatur; ubi omiſſo, quod priori numero retulimus, fontis eliciti prodigio, aurum hîc à Sancto mirabiliter inventum dicitur, & pro eodem prædio* Argevilla *datum mulieri, quæ ſanata fuerat, quæque illud dono dederat.* Sed quia, *inquit*, ipſi mulieri nihil reſidui ad vitam ſuſtentandam ſuperabat, extremum baculi in fonte, (*ad quem confederat*,) immergens, inde magnam vim auri eduxit, quam mulieri in pretium prati dedit.

ſ *Vita altera cœptam de Sancti nomine digitis puellæ prodigioſè inſcripto fabulam*, (*de qua vide ſuprà ad litteram* n) *hoc loco ſic abſolvit:* Vir Dei ad eum (*Auſtreſium*) venit, eumque cum filia Bana ſolo attactu ſanavit; quæ in volam manûs intuens, nomen S. Rodingi oblitteratum animadvertit. *Porrò in Vita, quam edimus, mox* Bava *occurret, quæ tamen non* filia, *ſed* ſoror *Auſtreſii fuiſſe dicitur.*

A. B. Richardo.

t *In altera Vita, in qua, ut monui de* Bava *Auſtreſii filia, non de* Bana *ejuſdem ſorore agitur, de prædio* Bonna *nulla fit mentio.*

u *In Vita mox citata de eccleſia à Sancto tum condita, (neſcio, an verè) dicitur*: Eccleſia erat ingentis ſubſtructionis: in ea erant altaria quatuor & viginti.

x *Calmetus tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingiæ, col.* 404 *ſcribit, magnum illum diſcipulorum numerum omnes Scotos fuiſſe; quod ubi didicerit, ignoro. In Vita altera, inter eos* etiam eccleſiæ Virdunenſis canonici non pauci *fuiſſe dicuntur. Ego pleroſque eorum Gallos fuiſſe exiſtimo. Benedictinam Regulam à Sancto ibi præſcriptam fuiſſe eadem Vita mox citata aſſerit: verùm adi Commentarium num.* 27 *& ſeq.*

CAPUT II.

Privilegia, reliquiæ & bona monaſterio per ipſum impetrata: ſeceſſus in eremum: ſancta mors & ſepultura.

B

Româ privilegium à Pontifice, Agauno os S. Mauritii refert:

CErnens ergo Vir Deo plenus, idem cœnobium neceſſariis rebus non mediocriter cumulatum, dignum duxit, illud Sanctorum pignoribus inſigniri, & privilegio Romani Pontificis roborari. Quapropter longiſſimum, ſed feliciſſimum iter aggrediens, Romam pervenit, cauſam, propter quam ierat, Papæ innotuit, ſumtoque pro libitu ejus auctoritatis ſcripto, ad Gallias velociùs greſſum reflectit *a*. Tranſcenſis igitur Alpibus, pervenit ad locum, cui antiquitas nomen indidit Agaunum *b*, ardenſque deſiderio adipiſcendi reliquias Martyrum *c*, accerſiri fecit loci præpoſitum, cui omne animi ſui ſecretum aperit, &, ut ſuis votis faveat, ſuaſibilibus verbis allicit, atque in recompenſatione pondus pecuniarum excedens numerum repromittit. Conventione igitur utrimque firmiter habita *d*, nocte ſequenti ad priùs notatum multa curioſitate glorioſiſſimi martyris Mauricii accedit uterque ſepulcrum, ſumenſque de pera, quod inæſtimabilis theſauri venditor popoſcerat pretium, os brachii à cubito, quicquid uſquam eſt gemmarum vel auri, pretioſius recepit; moxque imperat ſuis fugam accelerare, & in eundo nullam moram facere. Cúmque lætitiæ magnitudine infatigabiles acceleratione viæ jam monaſterio propinquarent, undique confluentibus populorum catervis, cum magno gaudio excipiuntur, & ſub oculis omnium Vir beatus pretioſiſſimas reliquias egregii martyris Mauricii in loco eodem collocat, patrocinioque ejus & nomini & priùs adquiſita, & pòſt acquirenda perpetuò tradidit * & commendat.

a

b

c

d

C

* *al.* tradit

aliud privilegium & villam à Childerico obtinet.

11 Itaque procerum larga liberalitate, vel pecuniarum in coëmtione poſſeſſionum profuſione uſque ad ſeptingentos ſeptuaginta manſos *e* excreverat fundatæ noviter incœptio abbatiæ; quas nimirum res ne poſtmodum à miniſtris diriperentur iniquitatis, conſilio habito, regalis præcepti auctoritate confirmari conſtituit. Adito ergo glorioſo Childerico *f*, qui tunc temporis Francorum obtinebat regnum, ipſius clementiâ voluntati ſuæ implorat tribui effectum. Jungunt precibus ejus preces diverſæ palatinorum poteſtates, quorum ſanctitatis ejus fama occupaverat aures. Favore ergo omnium uſus, non modò, quod petebat, obtinuit, verùm etiam largitione principis villam quamdam, Ermeriacam *g* nuncupatam, accepit, quam ei rex præcepto delegavit; & ipſam abbatiam ſua regia defenſione munitam, ab omni prorſus externo ſervitio liberam & immunem eſſe conſtituit, reſervato Virdunenſium pontifici, cujus diœceſi continetur, reſpectu ſacrorum Ordinum & benedictionis. Compos igitur voti, ad monaſterium Vir Dei venerabilis rediit, & de boni gregis augmento exſultans, curam agebat filiorum, ſub tanti Patris vigilantia, partim ex circumjacentis regionis finibus, partim ex tranſmarinis confluentium, præſentiam ipſius deſiderantium, patriæ ac generis ejuſdem Scotorum.

e

f

D

g

Subrogato ſibi Stephano, in eremum

12 Compoſitis igitur, quæ fratrum neceſſaria videbantur utilitati, cernens ſibi quiddam ſubtrahi perfectionis, dum animo circa multa occupato, & terrenis implicato negotiis, minùs theoricæ vitæ intenderet dulcedini, convocatis fratribus ſuis voti deliberationem aperuit; quòd ſcilicet vel in ultima ſenecta in ſolitudinem vellet ſecedere, ut ab humano conſortio remotus, liberiùs poſſet in divina contemplatione oculum mentis figere. Erat autem ejuſdem Congregationis monachus quidam, Stephanus nomine, plùs ceteris religioſæ deditus vitæ, ac regularis diſciplinæ inſignitus vigore. Hunc itaque cum conſenſu fratrum eis patrem præfecit; & uno comite contentus, egreſſus à monaſterio, ſeceſſit in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis, & deinceps habitavit ſecum *h*.

E

h

ſecedit, unde ſuos ſæpe viſitat,

13 Verùm longiùs à monaſterio non receſſit; ſed inter opaca ſilvarum latitans (incertum quippe eſt, ubi habitaverit) miliario ſolùm dimidio diſparatus manſit ab illo *i*. Diebus etiam feſtis ad monaſterium recurrere conſueverat, ibique Miſſarum ſollemnia peragens, ac fratribus ſpiritualis alloquii pabulo refectis, ad ſqualorem ſolitudinis remeabat. Noctibus inſuper locum reviſere ſolebat, ut, ſi quid actitari negligentiùs inveniret, corrigeret. Cúmque circa pullorum cantum, vel ad intuitum Arcturi, ſeu ortum Boſphori *k*, ſeu ceterorum ſiderum diem nuntiantium, (erat enim, ut ſunt plurimi nationis Scotorum, aſtrologiæ peritus) auroram propinquare ſentiret, à nemine viſus, in ſolitudinem redibat, in pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus perpetuans, terris invitus, deſiderio cæli civibus jam admixtus.

i

k

F

Graviter decumbens, convocatis ſuis

14 Igitur cùm jam Dominus Famulum ſuum à tam laborioſo certamine vellet quieſcere, & ad bravium ſupernæ vocationis admittere, viribus corporis cœpit deſtitui, & immanitate febrium graviter vexari. Qui accerſito diſcipulo juſſit, ut dilecto filio ſuo abbati Stephano id nuntiaret, & ipſe cum fratribus ad exitum ſuum Domino commendandum properaret; quibus concurrentibus, & in præſentia Patris, ſuper humum cilicio tantùm ſubſtrato jacentis, adſtantibus indicat, ſe jam reſolvi, & à convalle peregrinationis ad patriæ cæleſtis gaudia à Domino invitari. Quibus auditis, filii mœſtitia intolerabili flere cœperunt ſuper diſceſſum amantiſſimi Patris. Ille verò, quantùm poterat, ne pro ſe fletus emitterent, inhibebat, quin potiùs ſibi ad patriam revertenti ut congratularentur, admonebat; ſimul etiam docebat, mortem iſtam corporis Sanctis non eſſe timendam, ſed magis appetendam, per quam Chriſto inhæſuri, tranſitum faciunt de morte ad vitam. Diſſolvi enim & eſſe cum Chriſto, multo,

in-

A inquit, melius, quàm prolongati incolatus mei quotidie affici angoribus.

postrema monita dat,

15 Cumque eum inter amarissimas lacrymas fratres rogarent, ut, dum adhuc viveret, ad monasterium se sineret referri, quò necessaria ejus funeri liberaliùs possent provideri; Domini, inquit, est terra, & plenitudo ejus: nec enim locus justificat, quem conscientia peccati condemnat. Hìc ergo mihi erit terminus vitæ præsentis, hìc ingressus, Domino referante, vitæ subsequentis. Vos autem obsecro, ut diligenti studio corpus meum condatis in tumulo, ut & vos præceptorum Domini memores excipiat Sanctis in cælo promissa requies. Inter hujuscemodi verba deficiente virium valetudine, intelligens se mox recessurum de corpore, Viaticum petiit; atque Dominici Corporis & Sanguinis participans communione, fixis in terram genibus, tensis ad cælum manibus, prior pro sui exitûs exspectatione Responsorium cœpit canere, psalmorum concentus modulanter & inconfusè ceteros, quia voce non poterat, signo manûs admonere.

moritur, & in suo monasterio sepelitur.

16 Hujus ultimi laboris intentionem perpetuans, decidentibus ab altitudine cæli manibus, cunctis artubus ad occasum vergentibus, inter manus sustentantium, inter lacrymosa suspiria filiorum, decimo quinto Kalendas Octobris animam vinclis carnei carceris exemtam, mercibus plenam felicibus, reddit Christo, bonis inhæsuram perennibus *l*. Celebratis, quas ordo ecclesiasticus docet, funeralibus exsequiis, arreptum cadaver exanime, humerisque superpositum, cum psalmis, hymnis & canticis spiritualibus ad monasterium usque deportant, & ante aram S. Johannis Euangelistæ, ut ipse adhuc vivens mandando petierat, & petendo præceperat, cum debita veneratione in defossum sepulcri deponunt locum, ubi præsentibus & futuris, indubitata fide quærentibus, ejus patrocinii beneficia præstantur, largiente & cooperante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula, & nunc & semper Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Vita altera de secundo hoc Romano itinere privilegioque à summo Pontifice impetrato,*

C *nihil legitur; sed Sanctus ipsemet alio modo, si isti biographo credimus, immunitati monasterii prospexit. Verba accipe:* Monasterii opere feliciter absoluto, mala ipsi ventura providens ob quorumdam nequitiam, qui aliquando monachos essent vexaturi, eorumque facultates direpturi, frequenti populi concessu (*imò* confessu) pontificia veste indutus, ejusmodi homines à fidelium communione separavit, clara & distincta voce psalmum centesimum octavum proferens: "Deus laudem meam ne tacueris„ &c. Vix extrema psalmi compleverat, cùm vox de cælo ab omnibus audita est in hæc verba: Petitio tua exaudita est, & hanc domum in tutelam accipiam. *Hactenus ibi, sed quàm parùm verisimiliter, judicet æquus lector.*

b *De vetusto celeberrimoque Agaunensi ad inferioris Vallesiæ limitem, SS. Mauritii sociorumque ejus monasterio consuli potest Commentarius prævius ad Vitam S. Severini abbatis Agaunensis, § 1.*

c *Ex sacris scilicet reliquiis S. Mauritii, aliorumve Thebæa legionis, de quibus ad diem 22 hujus mensis Septembris agendum erit.*

d *Hujusmodi sacrarum reliquiarum emptiones, ab antiquis frequenter factæ, bona eorumdem fide excusandæ sunt.*

e *De voce hac consule Cangium in Glossario, ubi variè usurpari ostenditur, & modò pro villa cum servis, modò pro certa agri mensura accipi.* E

f *Designat Childericum ejus nominis II, Clodovei II filium, Austrasiæ primum regem, deinde monarcham. Coïntius in Annalibus hunc Sancti accessum ad Childericum anno 665, dum is Austrasiæ rex tantummodo esset, nescio, quo fultus argumento, illigavit. Attamen Childericus hìc non Austrasiæ, sed* Francorum regnum *obtinuisse dicitur.*

g *Menardus edidit,* Domeriacam.

h *Vita priori loco à Menardo data illum duodecim supra centum annos numerâsse ait, dum in hanc eremum secessit. Adi Commentarium num. 15 & seqq.*

i *Vide, quæ de loco, in quo supremam ætatem exegit sanctus Eremicola, in Commentario num. 5 observavimus.*

k *Imò,* Phosphori, *ut rectè habet editio Menardi.*

l *Secundùm Vitam alteram, quam rejecimus, numerabat Sanctus tum* decimum septimum suprà centesimum annum; *ipsique morienti, aut saltem funeri ejusdem,* affuit episcopus Virdunensis Armonius, (*de quo adi Commentarium num. 17,*) affuit & quidam monachus Theologensis, ab angelo admonitus. F *Sed quàm parùm isti biographo fidendum sit, § 1 Commentarii diximus. De anno quoque obitûs Sancti actum est in eodem Commentario, num. 30.*

AUCTORE C. S.

D

DE S. LAMBERTO SEU LANDEBERTO

EPISCOPO TRAJECTENSI ET MARTYRE, ET EA OCCASIONE DE BB. PETRO, ANDOLETO ETC.

LEODII IN BELGIO,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Notitia ſeptem biographorum Sancti, quibus Reinerus non eſt accenſendus : Vitæ quatuor edendæ.

PROBABILIUS AN. DCCIX. *Ex ſeptem præcipuis Sancti biographis*

Sancti Lamberti, Landeberti *vel* Lantberti, *Trajectenſis epiſcopi, Vitam ſeptem veteres præcipuè ſcripſerunt, videlicet Godeſchalcus, Stephanus, poëta anonymus, Anſelmus, Sigebertus, Nicolaus & Ægidius, quorum primus diaconus, ſecundus epiſcopus, quartus & ſextus canonici, omnes eccleſiæ Leodienſis, quintus & ſeptimus monachi, prior Gemblacenſis in Brabantia, alter Aureæ-vallis in ducatu Luxenburgenſi fuerunt; ſecundus denique, poëta ſcilicet, incertæ profeſſionis, ſed patriâ Leodienſis veriſimiliter. Hiſce alii addunt Reinerum monachum ad S. Laurentium apud Leodium; ſed perperam, ut probabimus. Godeſchalcum memoratus Anſelmus apud Joannem Chapeavillum in Opere de Geſtis pontificum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodienſium, tom. 1, cap. 32 in Agilfrido ſic indicat :* Hic (*Agilfridus epiſcopus Leodienſis*) primus Vitam S. Lamberti per quendam clericum ſuum, Godeſchalcum nomine, ſcribi fecit. *Anſelmo conſonat Sigebertus Gemblacenſis in Vita* S. Lamberti, *ubi ait :* Vitam S. Lantberti primitus juſſu Agilfridi epiſcopi ſcripſit Godeſchalcus, diaconus ipſius congregationis, qui fuit tempore Pipini tertii & Caroli Magni.

C *primus eſt Godeſchalcus,*

2 *Hiſce adde Nicolaum, qui in Epiſtola dedicatoria, Vitæ prævia, agens de iis,* qui priùs Vitam & martyrium B. Lamberti conſcripſerunt, *&* quibus, *ut ipſe ait*, etiam apud nos maximam authoritatem non levis, ſed venerabilis ſanxit antiquitas, *mox ſubdit :* Horum primus (ut à majoribus noſtris accepimus) fuit Godeſchalcus quidam eccleſiæ noſtræ diaconus, tempore Caroli Magni imperatoris auguſti, & Agilfridi noſtri epiſcopi. *Porrò Vitam, quæ Godeſchalci nomine circumfertur, ejuſdem verè eſſe agnoſcunt etiam neoterici, ut nihil opus ſit plura teſtimonia pro eadem adducere. Verùm duo ſunt, de quibus non ita convenit : primum tempus, quo eam Godeſchalcus conſcripſerit; ſecundum, an is ipſe non habuerit præ oculis alterum biographum priorem ſe, cujus Opuſculum tantummodo limaverit. Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores tom. 4, ſeculo 8, in Godeſchalco non dubitant, quin Vita illa contrà ac Nicolaus & is, quem Renerum appellant, & poſt hoſce neoterici crediderunt, ante epiſcopatum Agilfridi, ſed à laudato tamen Godeſchalco compoſita fuerit. Rationes, quibus id evinci aiunt, juverit hic expendiſſe.*

3 *Certum eſt, Godeſchalcum geſta* S. Lamberti *magna ex parte didiciſſe ex Theodoëno, ejuſdem ſancti epiſcopi diſcipulo vel famulo, de quo ipſe Godeſchalcus in Vita edenda num. 6 hæc ait :* Landebertus pontifex perrexit ad monaſterium, quod vocatur Stabulaus; nec ampliùs in obſequium ejus remanſerunt quàm duo pueri : qui unus ex ipſis nomine Theodoënus, qui multùm nobis de vita & opere ejus ſolitus eſt narrare. *Jam verò, inquiunt, Agilfridus Leodienſi eccleſiæ præfuit anno 773, inter quem annumque 674, quo ſanctum Exſulem ad laudatum monaſterium ſe contuliſſe ſtatuunt, nimium temporis elapſum eſt, quàm ut Vita tum primùm ſcribi potuerit cum iis adjunctis, quæ retulimus. Argumentum alterum depromunt ex Vita S. Huberti, ab ejuſdem diſcipulo vel familiari conſcripta. Jam exſtabat, aiunt, Vita* S. Lamberti, *quando Vitam S. Huberti, ſucceſſoris illius, anonymus iſte exarabat, cùm hic illam laudaverit. Sanè in fragmento infrà num. 191 recitando Hubertinus biographus poſt narratam* S. Lamberti *tranſlationem diſertè ait :* Quantis autem, qualibuſve miraculis ſuum velle Dominus in tali facto per omne iter reverſionis eorum commendârit, ſchedula geſtorum ejuſdem ſancti Pontificis annotata continet.

qui non poſt medium ſeculi octavi, E

4 *Hanc porrò S. Huberti Vitam ante medium ſeculi octavi ſcriptam fuiſſe cenſent, quia pro certo habent, primam ejuſdem ſancti confeſſoris tranſlationem, quam anno 743 illigant, anonymo occaſionem dediſſe ſcribendi, ut habent ibidem pag. 75. Nec parùm illis favet, quod idem anonymus Opuſculum ſuum concluſerit cum prædicta tranſlatione, muneribuſque à Carolomanno ea occaſione oblatis, neque de miraculis ad tumulum deinde factis ullam præterea mentionem fecerit. Addunt denique & tertium argumentum, ex quo concludi poſſe arbitrantur, Vitam* S. Lamberti *circa annum 729 vel 730 exaratam eſſe. Manifeſtum enim eſſe obſervant, Godeſchalcum eam non edidiſſe, niſi poſt ſancti Martyris tranſlationem, quam ad annum 720 referunt; nec ante S. Huberti obitum, quem anno 727 affigunt. Hoc autem utrumque, velut brevi antè contigiſſet, Godeſchalcus ſic memorare ipſis videtur, ut ſignificet, ſeſe paucis annis poſt Chriſti 727, ideoque circa annum 729 vel ſequentem ſcripſiſſe.*

F *ſed diu ante ejuſdem medium,*

5 *Verba, quibus id indicari putant, haud dubiè iſta ſunt ex editione Mabillonii* : Suffragante Domino, narrare volumus, quòd nuper poſt a-

Vitam illam ſcripſiſſe videtur,

li-

AUCTORE C. S.

A liquot annos S. Landebertus per visionem cuidam viro venerabili apparuit, ut sine aliquo cunctamine corpus suum ad Leodicum deferretur... Sanctus autem Hucbertus... illo tempore in hac regione pontifex erat &c. *Ego eruditorum istorum sententiam catenus amplector, quòd laudatam* S. Lamberti *Vitam diu ante episcopatum Agilfridi (cujus initium tom.* 3 *Galliæ Christianæ auctæ, col.* 831 *anno* 768 *vel* 769 *innectitur) nec multis annis post ejusdem sancti Martyris translationem anno* 721 *vel* 722 *factam, scriptam esse existimem; sed annum ipsum nolim cum ipsis determinare. Primum suadent rationes ab iis allegatæ, non item secundum. Sed neque solum temporis spatium, quod inter Sancti ad Stabulenses secessum & Agilfridi episcopatum fluxit, evincit, Vitam illam sub Agilfrido exaratam non fuisse à Godescalco; cùm istud tantum non sit, quin Godescalcus jam senex tum potuerit scribere, quæ olim junior à Theodoëno sene audierat; si hic quoque juvenis fuerit, quando cum sancto Episcopo suo exsulavit, & ad senectutem pariter pertigerit.*

neque anonymum tantùm expoliviſſe,

6 *Alterum dubium movet Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 636, *num.* 10, *ubi affirmare non dubitat, biographum illum, qui multa ex Theodoëno se didicisse ait, anonymum esse, omnium, qui de* S. Lamberti *gestis scripserunt, antiquissimum. Deinde huic ætate proximum statuit Godescalcum diaconum sub laudato Agilfrido*, qui priorem authorem, ut ex utriusque, *inquit*, collatione constat, legit expolivitque. *Primi autem scriptoris anonymi Opusculum per fragmenta publicatum esse asserit à Chesneo tom.* 1 *Scriptorum Historiæ Franciæ; Godescalcum verò ab Henrico Canisio, tom.* 2 *Lectionum antiquarum, & Joanne Chapeavillo tom.* 1 *de Gestis pontif. Tungrens. &c.* Canisius, *inquit*, tomo 2. Antiquæ lectionis Godescalcum publicavit, ratus illum ipsum esse, quem Godescalcus præ manibus habuit; errorem ostendit Godescalcus, editus à Chapeavillo. *Cointio favent, quæ de tempore scriptæ Vitæ & Agilfridi episcopatu suprà diximus, nec satis conciliari posse observavimus.*

ut perperam censuit Cointius.

7 *Verumtamen malo ego memoratam Vitam cum Anselmo ceterisque omnibus Godescalco tamquam primo auctori adscribere; licèt idem Anselmus in assignando, quo ille scripserit tempore, hallucinatus sit. Quod autem fragmenta à Chesneo edita variis in locis phrasi discrepent ab aliis per Canisium, & Chapeavillum vulgatis, nihil planè evincit: id enim etiam in aliis Sanctorum Vitis frequenter accidit, ex describentium scilicet vel incuria vel licentia, quâ solœcismos & malè tortas periodos, ne lectori tædio sint, corrigendas arbitrantur. Id autem in Vita per Godescalcum scripta locum præcipuè habere potuit. Etenim non tam emendatè eam exaratam fuisse, quàm Canisius & Chapeavillus edidit, liquet ex Sigeberto Gemblacensi, qui in Vita danda num.* 63 *de ejusdem autographo ita loquitur:* Vitam S. Lantberti... licèt pro simplicitate sensus multis barbarismi & stylocismi vitiis (*Godescalcus*) expresserit, eam tamen totam ad honorem sancti Martyris ipse aurigraphus aureis litteris scripsit.

C

Godescalci auctoritas & fides.

8 *Ex hactenus dictis collige, Godescalcum tam tempore, quàm loco satis vicinum fuisse* S. Lamberto, *nec alia ipsi defuisse adjumenta, ut ipsius Vitam rectè veraciterque conscriberet. Sed licet gesta ejusdem perspecta habere potuerit, pauca tamen ex multis exponere curavit, generalibus encomiis Sancto suo exornando magis, quàm factis sigillatim explicandis intentus. Quæ tamen ex iis recensuit, ea velut à veraci, idoneoque scriptore tradita, in pretio semper habita fuerunt, habenturque hodiedum, si causam martyrii, quam ipse tradit, excipias; quæ quia nonnullis minùs illustris, quàm vellent, videbatur, post duo secula displicere cœpit, deinde in dubium revocari, tandemque velut ex timore ficta rejici: an rectè, suo loco videbimus. Sanè Stephano, qui initio seculi* x *Leodiensis episcopus creatus est, in ea Vita nihil præter stylum displicuit, ut mox constabit. Utriusque auctoris etiam seculo* xii *adolescente maximam apud Leodienses auctoritatem fuisse, asserit Nicolaus, num.* 2 *relatus. Godescalcum à veracitate (exceptâ tamen causâ martyrii) pariter laudat Sigebertus Gemblacensis in Vita danda num.* 63. *Nunc ad ceteros biographos progredior.*

Secundus biographus Stephanus, cur

9 *Secundum Vitæ* S. Lamberti *scriptorem diximus Stephanum episcopum Leodiensem, cujus elogium exstat tom.* 6 *Historiæ litterariæ Franciæ, à pag.* 168, *ubi ex antiquorum testimoniis etiam ab eruditione & eloquentia laudatur. Ipse se in Epistola dedicatoria Vitæ prævia sic indicat:* Domino patri Herimanno archipræsuli Stephanus humilis Tungrorum episcopus. *Præfuit autem Tungrorum, id est, Leodiensi ecclesiæ ab anno* 903 *usque ad* 920, E *prout cùm laudati Historiæ litterariæ, tum Galliæ Christianæ scriptores tom.* 3, *col.* 836 *& sequenti affirmant. Eodem tempore Colonienſi archiepiscopatu functus est Herimannus, ut in Opere postremo col.* 643 *& sequenti videre licet. Scribendi causam Stephanus ipse his verbis exponit:* A quibusdam nobiscum agentibus festum S. Lantberti, qui litterariâ videbantur sibimet scientiâ præditi, non minimùm sumus despectuosis risuum injuriis lacessiti; quandoquidem priscorum haudquaquam cato eloquio edita legebatur apud nos præfati Patris Vita & Passio, atque nulla propria Officiorum cantabatur modulatio.

& quomodo scripserit.

10 *Displicuit itaque nonnullis seculo decimo ineunte Godescalci rudis stylus, quorum uti & aliorum precibus ut faceret satis Stephanus episcopus, profitetur se vetustam* S. Lamberti *Vitam* stylo præpollentioris ingenii *compsisse, subnexuisseque* musicæ artis ratione authentica... cum antiphonis responsoria nova, in quibus ordini lectionum respondet series tonorum. *Verùm utut ipsius eruditio vel eloquentia ab antiquis laudata fuerit, rudi sanè sermone propositum suum exsecutus est, nec aliam ferè laudem hac in parte meritus, quàm religionis & sinceritatis, quâ &* S. Lamberti *gloriam in terris augere studuit, & primum biographum fideliter interpretatus est. Exstat totum Opus hoc in membranaceo codice, cujus characteres à Stephani seculo non abhorrent, quique fuit olim Cornelii Duyn, nunc Musei nostri, notaturque* P. Ms. 16. *Ac primò quidem habetur proœmium, deinde Vita in novem lectiones partita. Sequuntur Antiphonæ & Responsoria pro Vesperis, Matutino & Laudibus, vetustis notis musicis inscripta. Subduntur antiqua Miracula, Euangelium & homiliæ. Porrò Miraculorum scriptor manifestat, se sub Francone & Stephano episcopis, id est, seculo* ix *&* x *vixisse.*

F

Huic synchronus anonymus poëta fuit.

11 *In eodem codice ponè sequitur Vita ejusdem Sancti metrica, versu heroico scripta, auctore quidem anonymo, sed quem Stephani tempore jussuque scripsisse constat ex postremis Operis versibus, qui sunt hujusmodi:*

Pontifici Stephano sit laus & gloria sacrò,
Cujus præcepto dicta hæc sunt fulgida metro,
Nominis & claram carpat de voce coronam.

Por-

AUCTORE C. S.

Porrò unum dumtaxat Stephanum, cum scilicet, de quo mox egimus, in Leodiensium episcoporum catalogo reperio. Videtur autem poëta iste eodem tempore scripsisse, quo scripsit Stephanus: cùm enim hic varios versus vitæ prosaicæ ex proprio ingenio suo intexuerit, in fine verò ejusdem Vitæ decem omnino versus, omnesque antiphonas, unâ tantùm exceptâ, ad Nocturnos & Laudes ex laudato poëta mutuatus sit, verisimile est, Vitam illam metricam perfectam & Stephano traditam esse, dum hic prosaïcam penè absolverat, nec adhuc Officium ordinaverat. Divisum id Opus est in quadraginta capita, quorum tituli præmittuntur in fronte. Initium tale est:

Pagani ritus coluerunt templa deorum.

Et statueram equidem poëma hoc, quantùm scio, adhuc ineditum, vulgare; sed quia mutilum reperi, parte scilicet posteriori capitis 40, capitibus 41, 42, 43, & priori parte capitis 44, ejusdem lacinias Commentario dumtaxat inseram, ne totum pereat.

Post hos Anselmus, auctas ab Ægidio. Sigebertus

12 *De Anselmo, quem quarto loco nominavimus, quique paulò post medium seculi* XI *scripsit, consuli potest Commentarius prævius ad Acta S. Theodardi* § 1, *num.* 5 & 6, *tom.* 2 *Septembris, pag.* 581. *Hujus Opus multis additionibus seculo* XIII *auxit Ægidius de Leodio, Aureæ-Vallis monachus, quas unà cum Anselmo editas habes apud Chapeavillum jam aliàs laudatum. Aliud ejusdem exemplar sine Ægidii additionibus vulgaverunt Martenius & Durandus ex vetusto codice monasterii Andaginensis, tom.* 4 *Collect. ampliss., à col.* 843. *Post Anselmum ætate sequitur Sigebertus monachus Gemblacensis in Brabantia, qui in fine seculi* XI & *initio* XII *floruit. Hic in libro de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. ultimo sua etiam Opera recensens, ad propositum nostrum hæc ait:* Vitam quoque S. Lamberti cùm in primis urbanè meliorâssem, postea rogatu Henrici, archidiaconi & decani ecclesiæ S. Lamberti, defloravi comparationibus antiquorum juxta consequentiam rerum. Quamvis priorem, utpote simplicem, quidam magis amplectantur, & curiosiùs transcribant: est enim sensu apertior & verbis clarior.

duas Vitas scripsit, quarum una Reinero

C

13 *Vitæ secundo loco ab eo scriptæ, hactenus ineditæ, exemplar habeo ex collegio nostro Lovaniensi, cujus prima pars descripta notatur* ex secunda parte Hagiologii Brabantinorum, *collati* cum Ms. Rubeæ Vallis, *ex quo etiam secunda pars alio charactere est addita. Titulus ei præfixus hic est:* Vita & passio sancti Lantberti episcopi secundùm Sigebertum Gemblacensem. *Ex allegatis autem Sigeberti verbis dubitare ampliùs nequeo, quin Vita nomine Reineri vel Reneri, monachi ad S. Laurentium prope Leodium edita à Chapeavillo, Reineri non sit, sed ejusdem Sigeberti, primo scilicet loco ab ipso conscripta & laudata. Ratio manifesta est, quòd præter insertas variis locis comparationes ex veteri Testamento potissimùm depromptas, unumque* S. Lamberti *in pueritia miraculum, cetera omnia in utraque Vita tam similia sint, ut non nisi paucis vocibus hinc & inde discrepent. Hæc verò discrepantia ipsi Sigeberto tribui potest, qui dum dictas comparationes priori Vitæ intexeret, unicum istud miraculum postea cognitum, ceteris adjungere, & aliquot phrases, ut fieri assolet, immutare facilè potuit.*

14 *Possem id adductis ex utraque Vita textibus hîc demonstrare; sed ne longior sim, malo lectorem ad Vitam edendam cum edita à Chapeavillo conferendam remittere. Addo tamen alterum argumentum, ipsius scilicet Reineri silentium, qui cum lib.* 2 *de Scriptoribus monasterii sui Opuscula sua, & inter hæc aliquot etiam sanctorum Vitas, sanctique* Lamberti Triumphale Bulonicum *recenseat, de ejusdem Vita ne verbo quidem meminit. Exstat autem Opusculum illud de memoratis Scriptoribus apud Bernardum Pez. tom.* 4 *Thesauri anecdotorum, parte* 3, *col.* 19 & *sequentibus. Eodem, quo Reinerus, seculo* XII *floruit Nicolaus, inter Sancti biographos à me ultimo loco recensitus, qui in Epistola dedicatoria Vitæ seipsum his verbis manifestat:* Dilecto in Christo & verè diligendo domino suo Wederico, Letiensis ecclesiæ venerabili abbati, Nicolaus ecclesiæ S. Mariæ sanctique Lamberti, quæ est in Leodio, canonicorum & diaconorum ultimus, salutem. *Wedericum hunc Lætiensi in Hannonia abbatiæ, vulgò* Liessies *dictæ, præfuisse ab anno* 1124 *usque ad* 1147, *scribunt Galliæ Christianæ auctores tom.* 3, *col.* 124; *unde licet tempus scriptæ Vitæ colligere.*

D

perperam tribuitur. Nicolaus seculo XII *scripsit:*

exponitur, cur scripserit,

E

15 *Quid porrò illum ad scribendum impulerit, ipse similiter ibidem sic exponit:* Quidam ex dominis & prioribus nostris parvitatem meam sæpius sunt exhortati, quatenus digniorem passionis causam beati Viri, & gesta ejus vetustate jam obruta, diligenter pervestigarem, & conscribendo tanquam in lucem retraherem ... Assumpsi hoc opus plenum laboris & sollicitudinis; quia nihil penitus ex hoc inveniri poterat in libris eorum, qui priùs Vitam & martyrium B. Lamberti conscripserunt, quibus etiam apud nos maximam authoritatem non levis, sed venerabilis sanxit antiquitas. *Deinde primos biographos Godeschalcum & Stephanum nominat, de iisque sic prosequitur:* Qui cùm de vita & sanctissima conversatione ejus quædam magnificè satis disseruerint, mirandum valdè est, cur glorioſam & tanto Sacerdote dignam martyrii ejus causam silentio præterierint, scribentes ea, quæ & gloriam videntur obscurare Martyris, & subsannandi occasionem præbere calumniatoribus & incredulis.

& quibus usus sit monumentis.

F

16 *Habes hîc, lector, Vitam cudendi causam, Sancti videlicet martyrium, à primis biographis, quorum primus æqualis aut suppar fuit, non rectè, ut nonnulli quidem putabant, aut certè minùs, quàm vellent, honorificè expositum. Quos autem ipse Nicolaus post quatuor & ultrà à* S. Lamberti *martyrio elapsa secula pro nova Vitæ cudenda auctores adhibuerit, deinde enumerans, ait:* Hæc equidem partim ex gestis regum Francorum, partim ex Chronicis Reginonis Pruniacensis abbatis, & Sigeberti venerabilis monachi de cœnobio Gemblacensi, partim ex epistolis diversorum episcoporum, partim ex Vita B. Landoaldi presbyteri, seu S. Landradæ virginis, partim ex relatione majorum & scriptis virorum fidelium excerpere curavi, & in libelli formam seriemque redegi. *Hactenus Nicolaus, cujus verba prolixiùs hîc danda censui propter memoratam de martyrii causa controversiam* § 9 & *sequentibus discutiendam.*

Vitæ quatuor unde

17 *Ex hactenus memoratis Vitis edemus quatuor. Primam auctore Godeschalco, cujus exemplar habemus in antiquo codice Ms. Musei nostri, quo ad editionem certè uterer, nisi multitudo mendorum, quæ lectionem non modò ingratam, verùm etiam frequenter vix intelligibilem faciunt, & amanuensi maxima ex parte adscribenda sunt, me deterruisset. Hinc cogor Mabillo-*

A *billonii editionem ſequi, quam ipſe Seculo 3 Benedictino, parte 1, à pag. 69 ex editis à Chapeavillo, Henrico Caniſio & Mss. curavit. Neque tamen codicem noſtrum negligam, ſed ex eo Mabillonianam editionem aliquoties corrigam, monito lectore, ubi operæ pretium fuerit. Librum autem miraculorum & tranſlationis, quem ipſe à Vita ſeparavit, ſub uno eodemque titulo annectam; quamvis enim etiam in codice noſtro hæc ab illo ſeparetur per ſolitam clauſulam:* Epliē. Vita vel obitus ſĉi Landeberti epiſcopi, qui paſſus eſt xv Kl. Octob., *ſine novo tamen titulo mox ſubditur de miraculis ac tranſlatione:* Poſt hæc in præfata villa &c.

& quare edendæ. 18 *Et conſentit Mabillonius, hæc ejuſdem, cujus Vita eſt, auctoris eſſe: quia & ſtylus convenit, & Vitæ auctor promiſerat, ſe ſancti Epiſcopi martyris* Vitam & virtutes *ſcripturum, & in fine de miraculis & tranſlatione rurſum ait, ſe* pauca... de Vita & de virtutibus, *id eſt, miraculis, ejus narrâſſe. In codice noſtro in calce Opuſculi additur excuſatio ſcriptoris, de humili ſtylo ſuo veniam petentis; ſed ea ipſa excuſatio tam barbari ſermonis eſt, ut, licèt aliàs ineditam,*

B *referre pigeat. Poſt Godeſchalcum edam Stephanum ex codice num.* 10 *laudato, & ubi alicujus momenti diſcrimen ab editione Chapeavilleana occurret, lectorem in Annotatis monebo. Antiqua tamen Miracula, quæ in eodem codice noſtro recenſentur, quia admodùm prolixas & tetricas obſervationes, quæ ad hiſtoriam minimè ſpectant, ferè continent, hiſce præciſis, Commentario inſeram. Tertio loco ſubjiciam Sigebertum, hactenus ineditum, ex Ms., quod num.* 13 *indicavi. Addam denique & Nicolaum ex recenſione Joannis Chapeavilli tom.* 1 *de Geſtis pontificum Tungrenſium &c., à pag.* 317. *Viſum autem eſt omnes haſce quatuor Vitas excudere, tum quòd aliæ plura aliis contineant, tum ut variè ſentientes de cauſa martyrii* S. Lamberti, *quibus auctoribus nitantur, perſpiciant. De Anſelmo & Ægidio nonnumquam in Commentario etiam agemus.*

§ II. Sancti patria & illuſtres parentes, nomen & baptiſmus: fabulæ de ejuſdem nutrice.

C *Sanctus naſcitur Trajecti ad Moſam* TRajectum, *quod nunc inſignis Belgii civitas eſt, in ripa Moſæ fluvii ſita,* S. Lamberto *noſtro patriam obtigiſſe, Godeſchalcus, & qui poſt ipſum ſcripſere, biographi omnes tradiderunt. Illuſtres quoque tam generis nobilitate & opibus, quàm religione Chriſtiana ejuſdem parentes fuiſſe, iidem conſentiunt.* Glorioſus igitur vir Landebertus pontifex, *inquit Godeſchalcus*, oppido Trajectinſe oriundus fuit & alitus ex parentibus locupletibus ſecundum ſæculi dignitatem inter præſides venerandis & longâ proſapiâ Chriſtianis. *Conſonat Stephanus his verbis:* Landbertus... inſigni ex proſapia Trajectenſi vico extitit oriundus. *Sed & parentes ejus* Chriſtianiſſimos *appellat. Similiter poëta anonymus cecinit:*

Juxta cor proprium Paſtorem quærere juſtum
Diſpoſuit Dominus, plebis miſerando labores,
Urbe Trijectenſi faciens hunc corpore naſci
Germine, ſublimi quod nobilitate vigebat.

Conſentit pariter Anſelmus apud Chapeavillum, à quo ex nobiliſſima tunc temporis Trajectenſium ſtirpe natus *dicitur. Sed licèt hi omnes* S. Lamberti *parentes à nobilitate celebrent, nullus tamen eorum nomina prodit.* AUCTORE C. S.

ex parentibus illuſtribus & piis, 20 *At verò Sigebertus, aliique poſteriores, patrem ejus Aprum, matrem Heriſplindem dictos eſſe affirmant. Sigebertum, qui de iiſdem præclarè loquitur in Vita, audiamus.* Lantbertus... inſigni ex proſapia Trajectenſis oppidi vico extitit oriundus, & bonis ac religioſis parentibus natus... Hanc generis claritatem, ad ſe de longinquo derivatam, pater & mater ipſius illuſtrabant de proximo. Matrem ejus, inter Francorum nobiles prænobilem, accepit à patribus poſteritas, vocatam fuiſſe Heriſplindem. Pater verò Aper nominatus, cùm eſſet de primo ordine ſenatorum, qui vocantur viri illuſtres, & qui in curia regis anteponuntur ſecundo & tertio ordini ſenatorum, qui vocantur viri reſpectabiles & viri clariſſimi, inter ipſos primos excellebat. *Hiſce conſona habet Nicolaus canonicus*, Lambertus, *inquiens*,... inſigni ex proſapia in Trajecto extitit oriundus, qui eſt ſupra Moſam fluvium grandis vicus, non longè à dirutis urbis Tungrorum mœnibus.

E *Apro & Heriſplinde.* 21 Pater ejus Aper, vir illuſtris, hæreditariam à majoribus ſuis ſibi relictam comitatûs illic ſtrenuè gubernabat dignitatem. Mater verò, Heriſplendis nomine, claritatem nobilitatis moribus exornabat pudicitiæ & honeſtatis. *Prætereo Ægidium, qui ſimillima habet in Additionibus ad Anſelmum, patremque Sancti* Aprum, *matrem* Hyſplindem *&* Heryſplendem *vocat. Hæc porrò generis nobilitas & parentum religioſa pietas optimè congruunt cum iis, quæ de ſancti Pueri educatione, ceteriſque ad ipſum ſpectantibus, iidem ſcriptores deinde enarrant. Paternam ædem, in qua natus eſt Sanctus, neſcio, quæ obſcura traditio partem facit collegii noſtri Trajectenſis ad Moſam, quæ etiam hodiedum domus* S. Lamberti *vocatur, & in quodam cubiculo habet ejuſdem Sancti ſtatuam ſeu hermam cum inſcriptione, quæ ipſum ibidem olim natum, ejuſdemque ædis ex herede patronum affirmat.*

Probabilius natus eſt 22 *Annum, quo primam lucem Sanctus aſpexit, certum determinare non poſſumus, nec tamen etiam ab eo multùm aberrare, ſi veræ ſint notæ chronologicæ, quas Sigebertus & Nicolaus in Vita appoſuerunt. Horum prior de tempore ejus natali in Vita edenda num.* 2 *ſic habet:* Regnum F autem Francorum tunc temporis regebat poſt Lotharium medianum filius ejus Dagobertus, qui regnans in Neuſtria, regnum Auſtraſiorum filio ſuo Sigiberto commiſerat, & qui adhuc puero tutores dederat Cunibertum Colonienſem epiſcopum, & Majorem-domûs Pipinum I, patrem ſanctarum Gertrudis & Beggæ. *Nicolaus quoque in Vita num.* 5 *ita ait:* Eo tempore Eraclius poſt Focam Romani faſtigium adeptus erat imperii; eam verò partem regni Francorum, quæ Auſtria dicitur, Dagoberti regis filius Sigebertus, admodùm juvenis prudenter ſub patre gubernabat per Cunibertum Colonienſem epiſcopum, & Majoremdomûs Pipinum primum. *Obſervat autem Cointius ad annum Chriſti* 633, *num.* 2, *Pippinum ab eis perperam nominari, totamque regni Auſtraſiæ adminiſtrationem fuiſſe penes Cunibertum & Adelgiſum, vel Adalgiſelum ducem, qui vices Pippini Majoris-domûs expleret. Adelgiſum ducem cum Cuniberto juniori regi tutorem etiam attribuit idem Sigebertus in Vita ejuſdem S. Sigeberti tom.* 1 *Februarii pag.* 228, *cap.* 3; *verùm hæc quæſtio ad propoſitum noſtrum non facit.*

AUCTORE C. S.

23 *Secundùm hæc* S. Lamberti *nativitas inter annos Christi 633 & 638 reponenda est. Anno* quippe 633 *ex sententia jam recepta S. Sigebertus cum prædictis tutoribus regno Austrasiæ à patre donatus est; anno verò 638 idem Dagobertus obiit : constatque, annos, qui inter utramque epocham effluxerunt, cum Mauricii imperio concurrisse. Hinc Coïntius* S. Lamberti *ortum ad annum Christi 636 referendum censuit*, Hisce, *inquiens*, temporibus natus est S. Lambertus. *Porrò ut manifestum est, ex productis Sigeberti & Nicolai verbis certum annum excudi non posse, ita unum ex iis, qui inter Sigeberti apud Austrasios regni initium, Dagobertique mortem interceserunt, Sancto nostro natalem fuisse, facilè credidero; quia in hac sententia Sanctus idoneæ ad episcopatum ætatis fuerit, dum ad eum anno 669 vel sequenti promotus est, ut* § 4 *dicemus; neque aliunde quid obstat, quod suadeat contrarium.*

inter annos 633 & 638.

24 *Nomen Sancti variè scribi suprà jam insinuavi. Antiquiores eum* Landebertum, Landibertum *&* Lantbertum *dixerunt; nunc* Lambertus *solet appellari, atque ita jam ab aliquot seculis appellatus est. Anonymus poëta* Landbertum *scripsit, & de hujus nominis etymo ita cecinit:*

Nomen ejus variè scriptum : non fuit baptizatus

B

Quem tunc felices Puerum voluêre parentes
Landbertum dici; præsaga voce futuri
Dicimus hoc factum, patriæ defensor ut esset,
Linguæ barbaricæ sat præsignante figura.

Alluserit scilicet ad voces Belgicas Land *&* Berd, *quarum prima* regionem, *altera* asserem *significat; quasi sanctus Puer sic dictus fuisset, quòd patriæ suæ velut contra hostes repagulum futurus esset. Nunc ad incerta fictitiaque progredior. Sigebertus Gemblacensis in Vita num.* 1 *scribit*, S. Lambertum *à S. Remaclo baptizatum, aut certè è sacro fonte susceptum fuisse.* Bonis, *inquit*, ac religiosis parentibus natus, etiam per bonos & religiosos viros in Christo est renatus. Fuit siquidem Remacli, postea episcopi Trajectensis, spiritualis in baptismate filius.

à S. Remaclo. Insulsa Ægidii

25 *De baptismate hæc etiam intellexit Ægidius Aureæ-Vallis in Additionibus ad Anselmum cap.* 5, *ubi ait:* Qui (*pater ejus*)... Puerum ex ingenua uxore Hysplinde habuit, illumque ad baptizandum Viro Dei Remaclo tradidit, ejusque in baptismate spiritualis existens pater, nomen Lambertus ei imposuit. *Hæc ipsi; sed ne probabiliter quidem. Sanctus enim Remaclus eo annorum spatio, intra quod* Lambertum *secundùm ipsius Sigeberti dicta probabiliùs natum esse diximus, in Neustria adhuc agebat, nec nisi pòst in Austrasiam evocatus est, ut patet ex Commentario prævio ad ejusdem Vitam tom.* 1 *Septembris, pag.* 673, § 3. *Multò minùs persuaderi mihi patiar insulsam fabulam, quam idem Ægidius ibidem refert in hunc modum:* Dicitur etiam, quòd eadem (*Sancti*) nutrix vocabatur Lina nomine, & quòd nata fuisset cæca, filia cujusdam viduæ nobilis Francorum genere.

C

de ejus nutrice fabula

26 Quæ monita fuit visione angelica, ut ad domum comitis Apri in Trajecto accederet, quia de sua uxore Heryslende filium eodem tempore esset habiturus, quem cùm suscepisset, & suas mammillas virgineas suxisset, ex ipso lacte virgineo defluenti suos oculos perungeret, & lumen suorum oculorum, sicut Montanus monachus in ortu B. Remigii de lacte Ciliniæ anus decrepitæ, reciperet. Quò cùm virgo Lina perveniisset, & ut edocta erat, implêsset, statim lumen suorum oculorum recepit, & deinceps infantem Lambertum suo lacte virgineo nutrire meruit. *Quis sine stomacho ferat hujusmodi fabulatoris ineptias, quibus nutricem virginem sancto Puero non erubuit comparare, scilicet ut hunc pro castitate cæsum esse melius persuaderet. De S. Remigio Remensi episcopo agendum erit ad diem* 1 *Octobris : consuli interim potest tomus* 1 *Maji, pag.* 25 *&* 26, *ubi de sancto illo Montano actum est. Verùm ex isto Montani facto figmentum suum persuadere frustra nititur Ægidius, cùm Montanus oblitis oculis lacte Ciliniæ, vetulæ quidem, sed tamen matris S. Remigii, quem ipsa lactabat, visum recepisse dicatur; Ægidius autem longè alia fingat.*

D

rejicitur. Altera ejusdem narratio

27 *Fiseno tamen placuit tam in Historia, quàm in Floribus ecclesiæ Leodiensis fabulam istam sine censura referre. Magis etiam miror, illam* S. Lamberti *nutricem à quodam anonymo seculi* XV *apud Chapeavillum tom.* 3, *pag.* 225 *sanctam virginem Madalbertam dici, dum ibidem in Historia solemnis ostensionis reliquiarum Leodiensium ait:* Pro quarta vice (*ostensum fuit*) feretrum S. Magdalbertæ virginis, nutricis & gubernatricis S. Lamberti in pueritia sua &c. *Hujus castissimæ virginis Acta illustrata habes in Opere nostro ad diem* VII *Septembris; sed tam procul abest, ut in hisce simile quid occurrat, ut potiùs ex iisdem contrarium evincatur. Ex hisce collige, quantum fidei mereatur aliud prodigium, quod idem Ægidius de* S. Lamberto, *dum ejusdem nutricis curæ infantulus commissus esset, contigisse ibidem memorat verbis, quæ subdo.* Deus autem omnipotens, *ait Ægidius*, qui linguas infantium facit disertas, cui nihil est impossibile, ipse Lamberti infantiam pio & miro insignivit miraculo; qualis quoque vel quantus erga matres debeat esse filiorum affectus, per eum patenter exprimit.

E

de sancto Infante prodigiosè loquente

28 Cùm diebus jejuniorum mater pueri Lamberti ex more vellet loca Sanctorum circuire, quàm humiliùs potuit, nutricem Infantis, sibi & suis familiarem, in secreto monuit; & ut panem subcinericium diei congruentem in reditu suo pararet, indixit; superaddens, ut erga Infantem adhuc in cunis vagientem lege nutricis pervigilaret. Ad manifestandum igitur imposterum B. Lamberti sanctitatem & nutrix præceptum dominæ oblivisendo neglexit, & domina, orationibus explectis, reditum maturavit. In ipso ergo reditûs articulo Infans, cui ætas usum loquendi penitus negabat, ad nutricem in hæc verba dixit : Mater mea, ô pia nutrix, jam ferè pulsat ad ostium; vide, si ex ejus jussu paratum habes panem subcinericium. Nutrix igitur, quia præter se & Infantem cuncti aberant, quis esset, qui ita loqueretur, mirari & circumspicere cœpit; cùm ecce Infans eadem ingeminando verba, ad nutricem apertè loqui cœpit.

F

antiquioribus biographis ignota.

29 Mox ergò domina adveniente, nutrix stupefacta ex miraculo, se ream ex suo neglectu apud dominam reddidit, & quomodo Infans apertis verbis eam de præparando pane admonuisset, veraciter aperuit. Divina potentia, quæ ob notam incredulitatis erga cælestem nuncium os Zachariæ ad tempus clausit, ipsa simili ordine os infantis Lamberti mirificè aperuit ante tempus, qui exemplo filii ejus Joannis, principis adulterium suo loco erat reprehensurus, & inde palmam martyrii adepturus. *Hactenus Ægidius, ad cujus dicta sic præfatur Fiseni lib.* 3 *Hist., num.* 14 : Dabit, quam voluerit, fidem lector. Facti una testis est puella. *Ego verò etsi divinæ Omnipotentiæ nihil omnino impossibile esse agnoscam, prodigium istud reipsa contigisse non facilè credam; non quòd facti una testis puella sit, sed quòd omnibus an-*

A *antiquioribus biographis de eodem silentibus, solus Ægidius, qui nutricem illam virginem insulsè commentus est, minimè idoneus sit ad illud persuadendum.*

§ III. Sancti Pueri educatio : an sub S. Landoaldo ? Ejusdem institutio sub S. Theodardo : hujus corpus ab illo Legiam allatum.

Sanctus Puer instituitur ; an à S. Landoaldo,

Eligiosos Sancti parentes sedulò curâsse, ut magnæ spei Puer humanis æquè ac divinis litteris & præceptis pro sui generis claritudine excoleretur, Godeschalcus & Stephanus disertè docent in Vita. Horum primus num. 2 *sic habet* : Cùm vidisset pater ejus tantam industriam Filii, & à cunctis dilectum, exsultabat & gratias agebat Deo, lætabatur in gaudio pro eo, quòd decoratam vi-

B debat Prolem. A prima ferè ætate tradidit eum ad viros sapientes & historicos sacris litteris edocendum. Ille verò cum magno studio officio usus assiduo adhæsit, & velociter ipsum consummavit. *Similia habet, ut dixi, Stephanus, quo etiam teste, adhuc puer* instructus... divinis dogmatibus, & ubertim vigoratus monasticis sanctionibus *fuit ; sed neuter eorum præceptores illos nominat. Unum tamen ex illis fuisse S. Landoaldum archipresbyterum, primus, quem quidem viderim, tradidit Nodgerus, seculi* x *&* xi *episcopus Leodiensis ; vel qui ejus jussu scripsit ejusdem S. Landoaldi Vitam, apud nos ad diem* xix *Martii editam. In hac enim non modò de pia* S. Lamberti *per Landoaldum institutione fit mentio, verùm etiam duo insignia miracula referuntur, quæ sanctum Discipulum non parùm commendant.*

cum quo fontem elicuisse

31 Refertur, *inquit ibidem biographus cap.* 1, idem B. Landoaldus specialem patronum nostrum, sanctum scilicet Lambertum, primâ pueritiâ nutrivisse, propter quod & illustris vir Aper, ejusdem Pueri pater, prædium vocabulo Wintershovum, super Archa fluvium positum, eidem ad inhabitandum, & ecclesiam construendam, perpetuo jure concessit, & eumdem Pue-

C rum divinis dogmatibus imbuendum cum eo manere constituit. Ubi dum artifices operi insistunt, & aquam, utpote de paludibus turbidam, fastidiunt ; B. Landoaldus cum puero Lamberto, invocato Christi nomine, cum crucis protensione fontem limpidissimum baculi impressione omnium usibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet usque hodie. Alio item tempore cùm usui necessario ignis deesse videretur, accitus à sancto viro Puer, ignem inferre jubetur. Cœpit idem imperio reniti, & cur statim jubenti non satisfecerit, palàm fateri. Vas, inquit, domine, quo ignis opportunè importetur, deesse vides ; & quo hunc modo inferri jubes ? Promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus ; sed ut votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit defectus.

& prunas ardentes in veste illæsa

32 At pius pater, ubi hæsitantis Pueri animum persensit ; Placetne, inquit, fili, paternæ jussioni moram fieri, cùm eâ, quâ tegeris, veste ignis satis commodè queat inferri ? Quâ Puer motus increpatione, cùm præterea obedientiæ exemplo cogeretur, imperio patris sanè obtemperat, paullòque progressus, ignem requirere properat. Quo tandem invento, nihil adesse videns, quocum opportuniùs ferret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus, infrà collocat, & ita veste illæsa ad patrem usque deportat. Tunc vir sanctus novitatem miraculi secum altiùs considerare, felicisque Pueri meritum perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare ; quo quidem ardens elementum naturam suam vel ostendere timuit, vel omnino coactum est occultare. At ubi ad populares aures recens adhuc miraculum accessit, tum omnium ore Puer extollitur, tum etiam res divinitus gesta cum obedientis merito jubentis imperio adscribitur. Itaque ex utriusque sanctitate virtus eadem acta creditur. Operabatur & alia multa per eorum meritum illic Christus miracula, quorum rumore Childericus rex, tunc sedem habens apud Trajectum, tactus compunctione, sumptus necessarios mittebat ei quotidie. *Hactenus ille S. Landoaldi biographus.*

ex obedientia ipsi attulisse dicitur :

33 *Eumdem deinde secuti fuere Sigebertus Gemblacensis in Vita* S. Lamberti, *Nicolaus canonicus, & Ægidius. Inquirendum itaque est, quantum isthæc fidei mereantur. Nodgerus, vel ejus nomine biographus Harigerus, in eadem Vita S. Landoaldi loco citato, cap.* 2, *unde sua hauserit,* E *his verbis indicavit :* Huic repositioni (*corporum SS. Landoaldi & sociorum, à S. Floreberto Leodiensi episcopo factæ*) interfuit quidam Frangerus, homo nostra ætate senissimus, qui & ante infestationem paganorum novem annis villæ ejusdem (*Wentershovi*) extiterat procurator & villicus : Hildebrandus quoque presbyter, quem propria manu ante paucos annos tumulavit Sarabertus æquè presbyter, hujus notitiæ relator fidelissimus, qui & hæc, quæ præmisimus, ab eodem Frangero commemorabat, multis attestantibus, se audisse, & libellum de vita eorum pariter vidisse, (quem quia antiquaria manu commemorat scriptum, & à stillicidio ceræ penè infusum, lectorem ejus non ignoramus fuisse perrarum ;) at verò, quæ hactenus paucis perstrinximus verbis, illinc se delibâsse, nuperrimè verò incursione Hungrorum (*post medium seculi* x) propter incuriam custodum cum aliis rebus eumdem libellum deflagrâsse.

quod utrumque non satis certum esse,

34 *Ex hisce habemus, exstitisse quondam alteram SS. Landoaldi, sociorumque ejus Vitam, Nodgero Harigeroque multò antiquiorem, quippe* F *quæ sub medium seculi* x antiquaria manu *scripta legebatur, ex qua Sarabertus presbyter suas memorias concinnavit, quas Nodgerus vel Harigerus in Vita conscribenda secutus est. Restat igitur, ut videamus, an ista* S. Lamberti *à Landoaldo institutio cetera chronologiæ non repugnet. S. Landoaldum anno Christi* 651, *à S. Martino I Papa S. Amando socium adjutoremque datum, in Belgium venisse probavit Henschenius noster in Commentario prævio ad Vitam ejusdem S. Amandi die* VI *Februarii,* § 12. *Juxta dicta suprà num.* 22 *& seq.* S. Lambertus *tum annum ætatis* 15 *circiter agebat, aut etiam jam excesserat adeòque in* prima pueritia, *ut in S. Landoaldi Vita dicitur, ab eo institui non potuit. Idem hoc ex tempore suscepti ab eo episcopatus confirmatur : nam cùm S. Theodardo anno* 669 *occiso successerit, debuit anno* 651 *primam pueritiam dudum excessisse, nisi eumdem admodum juvenem illâ sacrâ insulâ donatum fuisse, sine solido fundamento dicere velimus.*

ex Sancti ætate ab antiquioribus asserta,

35 *Si pueritiam latiùs accipere velimus pro adolescentia, evanescet quidem proposita difficultas, sed id parùm conforme videbitur dictis Godeschalci,*

AUCTORE C. S.

ci, qui in Vita num. 2 & 3 asserit, S. Lambertum *adhuc puerum à magistris suis ad domum paternam rediisse, ibidemque pueritiæ annos excessisse, ac tandem jam adolescentem S. Theodardi disciplinæ traditum esse.* Cùm autem imbutus fuisset, *inquit ibidem*, à prudentissimis viris, reversus est ad domum patris sui. Pueritiæ verò annos excedens, ævum adolescentiæ cum industria senectutis gerebat... Eodem tempore oppido Trajectense cathedræ pontificali præsidebat summus pontifex Theodoardus divinæ dispensatione providentiæ. Protinus pater ejus commendavit eum jam supradicto antistiti, divinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula regia erudiendum. Erat enim adolescens sapiens *&c. Simillima habet Stephanus, à quo diserte vocatur* Puer bonæ indolis, *dum ad patrem rediit, &* memorabilis adulescens, *quando S. Theodardo est commissus.*

& tempore aditi episcopatus ostenditur.

36 *Verùm & hos quoque mitiùs interpretari oportet, tum quòd parùm verisimile videatur, Sanctum ante exactos pueritiæ annos è magistrorum disciplina domum revocatum fuisse; tum ne idem ille circa annum 670 in episcopatum S. Theodardo successisse dicatur, cui à sex vel septem circitèr antè annis vix ephebus, instituendus traditus fuerat. Procedimus hìc in communiori eruditorum sententia, ex qua S. Remaclus, S. Theodardi proximus decessor, non ante annum 660 episcopatum abdicavit. Si verò id ante Sigeberti regis mortem, quæ non seriùs, quàm Kalendis Februarii anni 656 contigisse nunc passim creditur, reipsa præstiterit,* (*ut Limpenus ad diem* x *Septembris in S. Theodardo*, § 3 *dubitavit*) *minor erit in Godeschalci Stephanique dictis difficultas: quia sic aliquot annos citiùs in S. Theodardi disciplinam potuit transire. Ex hisce omnibus statue, quæ de Sancti institutione sub Landoaldo recensuimus, ut minimùm maximè dubiæ fidei esse, nec posse Nodgeri Harigeriique auctoritatem nos certos reddere, præsertim cùm in eadem Vita etiam alii errores historici occurrant, velut dum Trajectensis episcopatus post abdicationem S. Remacli novem annis vacâsse dicitur; cùm tamen constet, Remaclo abdicanti Theodardum mox successisse, ut alibi in Opere nostro ostensum est.*

B

Traditur S. Theodardo episcopo

37 *Diximus suprà*, S. Lambertum, *postquam optimis magistris usus, humanis divinisque præceptis egregiè imbutus esset, ad domum paternam rediisse, in eaque commoratum esse, donec S. Theodardo, circa annum 661 ad episcopatum Trajectensem evecto, à pio patre traditus est*, divinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula regia erudiendus, *ut ait Godeschalcus. Dubitari meritò potest, qua ratione* S. Lambertus monasticis disciplinis in aula regia erudiendus *hìc dicatur. Hinc ad ea verba Mabillonius Sec. 3 Benedictino, part. 1, pag. 70 sequentia annotavit:* Hìc aulæ regiæ nomine ædem episcopalem interpretor. Neque enim verisimile est, Theodoardum, virum sanctum, assiduè in aula regis versatum fuisse. Nisi fortè quis dicat, Landebertum quidem commendatum Theodoardo, qui eum divinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula regia per abbatem monachosque palatinos erudiri curaverit. *At mihi utraque interpretatio displicet: prima quidem, tum quia insolita ea vocis* aulæ regiæ *pro episcopali domo est usurpatio, tum quia Godeschalcus ipse verbis mox recitandis utrasque ædes satis distinguere videtur. Secunda verò interpretatio Godeschalco etiam minùs conformis est, qui Sancto Theodardum ipsum, non alios, magistrum assignat, ut legenti manifestum erit.*

C

38 *Malo itaque Godeschalcum unâ adjectâ voculâ & sic exponere, ut velit* S. Lambertum *Theodardo traditum fuisse, ut ille ab hoc tam monasticis disciplinis* (*monachus enim is fuerat*) *in domo episcopali, quàm etiam rebus in aula regis tractandis instrueretur. Ut ita sentiam suadet ipse contextus, in quo mox sequitur:* Erat enim adolescens sapiens, aspectu amabilis, colloquio affabilis; recta conversatione tam cum pontifice, quàm & in domo regia militare cœpit, ita ut omnibus hominibus esset conformis. *Quamquam autem Childericus II, de cujus aula hìc agitur, & ceteri Austrasiæ reges, sedem suam Metis potissimùm haberent, is tamen Trajecti frequenter commoratus fuit, prout Henschenius tam ex diplomatibus ibidem ab eo datis, quàm ex Vita S. Landoaldi observavit in Annotatis ad eamdem cap. 2, lit. b; consentitque Coïntius tom. 3 Annal. ad annum Christi 667 num. 33. Nec video Theodardi sanctimoniæ obesse, si is pro ecclesiæ suæ regnique negotiis, & officii causâ in regis sui aulâ penè pueri aula Trajectensi frequenter versatus sit, quod & ab aliis sanctis episcopis justis de causis factitatum esse constat.*

D

erudiendus in studiis monasticis

E

& cum eo regiam frequentat.

39 *Eodem, quo nos, modo Godeschalcum intellexit Sigebertus Gemblacensis in Vita num. 7 dicens:* Commendatur etiam huic (*Theodardo*) Lantbertus à suo patre, ut ad ejus exemplar eruditatur, qui in ecclesia & in curia multùm videbatur suscipiendus. *Constat porrò S. Theodardum sub S. Remacli disciplina monachum egisse, antequam episcopatu initiatus est, ideóque potuit sanctum discipulum suum* Lambertum *monasticis præceptis imbuere & exercere, quantum episcopale munus vivendique ratio permittebat. Stephanus tamen de monasticis disciplinis nil memorans, tantùm ait:* Huic (*S. Theodardo*) memorabilis adulescens Lantbertus, nobilitate cluentissimus, formâ corporis elegantissimus, commendatur in aula regia educandus; ut velut pretiosus lapis multiplicibus poliretur argumentis, & competens fieret cælestibus ornamentis. *Credimus igitur*, S. Lambertum *tum monachum nequaquam fuisse, licèt eorumdem vitam unà cum sancto magistro suo Theodardo, quantùm per ecclesiastica negotia licebat, imitaretur. Quos autem sub tanto viro progressus fecerit, ejusdem sanctitas & episcopales æquè ac monasticæ virtutes postmodùm probaverunt.*

Ejusdem S. Theodardi apud Nemetes occisi corpus

40 *Occiso ab impiis apud Nemetes circa annum Christi 668 vel 669 S. Theodardo, ut ad diem* x *hujus mensis Septembris probatum est, ibidemque honorificè sepulto*, S. Lambertus, *quod de dilectissimo magistro suo in terris supererat, sacro corpore se suosque privari iniquum ratus, eò advolavit, & post primos irritos conatus tandem impetratum in villa Legia deposuit. Silent quidem de hoc argumento Godeschalcus, Stephanus & poëta anonymus; sed præter ceteros, qui post illos de Sancto nostro scripsere, tractant illud etiam S. Theodardi biographi, quorum lucubrationes editas habes ad mox dictum diem Septembris. Inter hos primo loco editus anonymus pervetustus cap. 2, num. 16 & seqq. sic habet.* His itaque gestis, rumor stare loco nescius, viresque eundo acquirens, ad B. Lamberti, ut liquet, postmodùm in episcopio subrogati, notitiam pervenit; *occisum scilicet apud Nemetes in Germania Theodardum, ibidemque sepultum miraculis fulsisse.* Qui almus Vir scelus horrendum per suspiria longa revolvens, gemitus ex alto ciebat, pulchras genas jam primo flore vernantes oculorum flumine calido perrorabat: & quis à lacrymis temperaretur, qui vultum

A tum angelicum tanto mœrore obnubilatum conſpiceret?

gemino itinere repetit,

41 Ergò quamprimùm ſe ex more eripiens, diu deſiderati magiſtri præſentiam felix feliciter requiſivit, quæſitum invenit. Populo refragante, quem toto corde deſideravit, minimè adipiſcens, ſpem conceptam ſibi conſiderans ademptam, continuò eſt reverſus. Nec mora datur, nec requies. Secundò etiam, parato multo ære, felicioribus auſpiciis ſe appulit ad eumdem locum. Mox venerabilis Viri repentina reditio illius terræ colonos oppidò ſollicitos reddidit; & quaſi avium agmina denſatis cuneis ejus præſentiam proceres repetebant; quorum pectora ſaluberrimis cibans mandatis, placido ſic ore profatur: Fratres cariſſimi & commilitones conſtantiſſimi, ſemper pati, quàm facere, præſtat injuriam. Corpus patris noſtri Theodardi præſulis, jam altera repedatione petitum, nolite negare, quem à nobis ſoſpite vita digreſſum in confinio veſtro rebus humanis conſtat exemptum. Nolite, quæſo, filios proprio privare genitore; cùm potiùs ex præceptis divinis proficuum orbatis ſolatium impendere debeatis. Sufficiat vobis, quòd veſtras ſanguine terras ſacravit. Jam nunc exanime reddite corpus.

B

& tranſlatum ſepelit

42 His dictis omnium rigor aſtantium flecti cœpit ad miſericordiam; neque enim ante angelici Viri mellifluam ſupplicationem quiſquam inflexibilis quiverat permanere: & collatâ ſententiâ, humillimè deprecantem ſtatuunt exaudire. Hos igitur Vir Deo devotus, ut eos ſibi arctiùs devinciret, & ſuo propoſito faceret conniventes, loculis opulentiſſimis, quos ſecum tulerat, patefactis, non modò argenti xenia cuique virorum ac mulierum parvulorumque, ſecundùm cujuſque modulum non diſtulit erogare; & ut de plurimis ſileamus, numquam abſtitit, donec virorum quemque, ſenem & adoleſcentem, ſingulorum nummorum, prægnantes verò gemino munere ſolaretur. Denique omnipotentem Deum, qui ſibi ſelices tribuerat ſucceſſus, gratificans, omnibus valefaciens, ſecum corpus beatiſſimi martyris cum hymnis & laudibus feliciter avexit.

in villa Legia: ſed incertum, an id ante,

C

43 Tum demum ſui potitus efficientiâ, in villa, (*hodie Leodio*) quam uno ex latere fluminis (*Moſæ*) unda alluit, ubi idem poſtea ſucceſſit Epiſcopus, cinereſque proprii corporis, ex hac luce migrando, conſecravit, ſancto Dei præſuli Theodardo ſummo cultu libitinam elegit. *Hactenus auctor ille anonymus, cui conſonant Sigebertus tam in Vita edenda, quàm Reneri nomine edita, Nicolaus, Anſelmus & Ægidius, quorum tamen duo primi factum referunt quidem, antequam de* S. Lamberti *epiſcopatu loquuntur, ſed tamen ante eumdem ab illo initum contigiſſe, expreſsè non aſſerunt; alii verò poſteriores duo idem illud ipſi jam epiſcopo, niſi fortè prolepſi uſi ſint, adſcribunt. Inter neotericos quoque hac de re non ſatis convenit: nam Coïntius ad annum Chriſti 668, num. 13, Bartholomæus Fiſen in Hiſtoria eccleſiæ Leodienſis lib. 4, num. 2, & Joannes Roberti in Vita* S. Lamberti, *Gallicè verſa, & in compendium contracta per Alardum le Roy, cap. 5, utrumque Sancti iter ad Nemetes & tranſlationem corporis ad initia epiſcopatûs ejus referunt; Foullon verò lib. 2, Hiſtoriæ Leodienſis cap. 12 epiſcopatui præmittendum cenſuit, & pro hac ſententia ſtat major antiquorum auctoritas.*

an poſt initum epiſcopatum contigerit.

44 *Si divinare liceat, à vero forſitan non aberrabimus, ſi* S. Lambertum, *quod in primo itinere nondum epiſcopus fruſtra tentaverat, ſacris infulis auctum impetrâſſe dicamus. Hac ratione faciliùs apparet, cur ſancti magiſtri ſui corpus in villa Legia, quæ modò ampliſſima civitas Leodium eſt, potiùs quàm Trajecti, ubi epiſcoporum ſedes erat, tumulaverit; quia ſcilicet in ea villa prædium quoddam ædeſque erant juris proprii epiſcoporum Trajectenſium; aderat & ſacellum ſeu parva eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, ſeculo* VI *à S. Monulpho erecta. Locum hunc, quia orationi ſacræque ſolitudini aptiſſimus erat,* S. Lamberto *præ ceteris dilectum fuiſſe ait Nicolaus in Vita; ideóque ſatis veriſimile eſt, ipſum ſacras Theodardi exuvias ibi deponere voluiſſe, ut ad eas, quoties libuiſſet, ſecuriùs & quietiùs precibus vacaret.*

§ IV. Electio ejus ad epiſcopatum Trajectenſem, actaque in eo uſque ad exſilium.

E

Circa annum 670 ſit epiſcopus Trajectenſis,

Sancto Theodardo per martyrium, ut diximus, è vivis ſublato, ſanctus diſcipulus ejus Lambertus *cum ſummo cleri, plebiſque atque optimatum ſtudio, annuente Childerico II Auſtraſiæ rege, in epiſcopatum ſucceſſit: quod cùm non diu poſt ejuſdem Theodardi necem contigiſſe dicatur, ad annum 668 ad finem vergentem referri ſolet, cujus menſe Septembri die x Theodardus interfectus paſſim creditur. Verumtamen ex iis, quæ apud nos in Commentario prævio ad S. Theodardi Acta, § 3, num. 24 obſervata ſunt, facilè potuit anno primùm 669 contigiſſe; quod ob dicenda, § 8 & 10 nobis præplacet. Agebat tum ſecundùm dicta de natali ejus tempore num. 22 & ſeq. annum ætatis ſuæ circiter 32; neque enim Ægidio Aureæ-Vallis aſſentiri poſſumus ſine ullo teſte aſſerenti, ipſum* anno ætatis ſuæ vigeſimo primo *epiſcopatum iniiſſe. Hæc tamen Ægidii opinio etiam placuit Fiſeno lib. 4 Hiſtoriæ eccleſiæ Leodienſis, num. 1, eamque Bucherius in Chronico epiſcoporum Trajectenſium ad annum Chriſti 635 & 656 dubiè admiſit. At Henſchenius tom. 1 Februarii in S. Amando pag. 834 num. 91, & Coïntius ad annum Chriſti 636, num. 9, quibus Foullonus lib. 3 Hiſt. Leod., cap. 1 proximè accedit, eamdem rectiùs rejecerunt.*

F

& ob virtutes Childerico II charus eſt:

46 *Forſitan Ægidius in hanc opinionem ivit, quia* S. Lambertum *circa annum 638 natum eſſe ex Nicolao deduxerat, à quo anno uſque ad 659, cui* ſecundùm Chronica, *ut ait, S. Theodardi martyrium affixit, anni viginti & unus numerantur. Quid ſanctus Epiſcopus primis præſulatûs uſque ad exſilium ſuum annis egerit, non explicant Godeſchalcus & Stephanus, niſi quòd eum munere ſuo egregiè functum dicant, & apud regem Childericum auctoritate & conſilio multum valuiſſe; qua de re anonymus poëta ſic etiam cecinit:*

Sed cùm jam dicta præſul Tedardus ab urbe
Deceſſit, ſtimulis terebratus mortis iniquæ,
Orabant proceres conſtanter & ordo minorum,
Ut ſibi Landbertum meruiſſent ſumere ſanctum
Paſtorem, dignos Domini qui paſceret agnos.
Pontificalis eum quia ſuſceptura nitebat

AUCTORE C. S.

Cathedra, divino cœpit splendere coturno.
Annuit his votis sublimis justio regis:
Landbertum sanctum repetitum terque quaterque
Gloria pontificis simul & cathedra recepit.
Quem rex præ reliquis, ut honoris munere dignum,
Tempore, quo vixit, carè ac veneranter amavit.

sed non Clodoveo II, cujus diploma

47 *Nicolaus canonicus in Vita num.* 16 *&* 17 *ait, eumdem etiam apud Clodoveum II, Childerici patrem, summa in veneratione pretioque fuisse, laudatque hunc in finem quoddam diploma in ipsius gratiam ab eo datum, in quo ipsum honorificis titulis exornaverit. Verba ejus subjungo:* Non immeritò familiariter eo utebatur, ejusque se orationibus commendabat, & consilio submittebat Clodoveus rex Francorum; nec quicquam in dispositione regni sui videbatur ei satis validum, quod non erat tanti Viri prudentiâ & authoritate corroboratum. Quantæ autem existimationis & auctoritatis B. Lambertus apud regem fuerit, manifestè patet; cùm eum idem pacificus rex non solùm episcopum, sed & patrem & apostolicum virum appellet in eo privilegio, quod promulgavit, ipso sancto Præsule petente, pro immunitate & possessionibus ecclesiæ S. Mariæ perpetuæ Virginis, in cujus nomine & honore eo tempore Trajecti vigebat post Tungris quædam dignitas pontificalis cathedræ: quod privilegium usque hodie apud nos conservari dubium non est.

B

perperam laudavit Nicolaus. An Theodorico III,

48 *Nicolaum secutus est Fisenus lib.* 4, *num.* 6, *qui tamen fatetur, memoratum diploma diu frustra à se quæsitum esse;* Id verò, *inquiens*, lectori dedissemus, si magno conquisitum studio usquam potuissemus invenire. *Nicolao pariter credidit Foullonus; at de privilegio illo à se reperto non meminit. Nec magis invenit illud Chapeavillus, qui ista Nicolai dicta sine ulla annotatione præteriit. Sed & frustra sanè quæsivit Fisenus, cùm Clodoveus II juxta receptam chronologiam anno* 655 *vel* 656 *mortuus*, S. Lamberto, *anno* 669 *vel* 670 *ad episcopatum primùm evecto, istud dare non potuerit. Quam ob rem, si Nicolao credere velimus, aliquod hujusmodi diploma in* S. Lamberti *gratiam à Clodoveo datum exstitisse, istud non Clodovei II,* C *sed ejusdem nominis III fuisse oportet, qui patri suo Theodorico III seculo* VII *decrepito in regnum successit.*

ut ait Sigebertus?

49 *Admitti pariter non potest, quod Sigebertus Gemblacensis ait in Vita edenda num.* 14, *sanctum videlicet Episcopum non minùs Theodorico in Neustria, quàm Childerico in Austrasia, eodem tempore regnantibus, acceptum fuisse, sic ut horum neuter sine consilio ipsius quidquam in regnis suis decerneret. Id, inquam, admitti non potest; Theodoricus enim nimis exiguo tempore cum majore-domûs Ebroïno regnavit in Neustria; neque etiam verisimile est, ipsum Austrasiæ Episcopi consiliis pro regno suo administrando usurum fuisse, etiamsi mox è regno suo deturbatus non fuisset. Quam ob rem, si sanctus Episcopus hujusmodi gratiâ apud eumdem umquam floruit, id factum oportet, dum is postea monarchiâ potitus est.*

S. Landradam velâsse, & ecclesiam Belisiensem

50 *Ex Sancti jam episcopi discipulis una fuisse traditur sancta virgo Landrada, quæ ab ipso velata, Belisiense puellare monasterium duobus milliaribus à civitate Trajecto, totidemque Tungris in ingressu Taxandriæ sive in Hasbania condidisse, & ejusdem ecclesiam ab eodem dedicari curâsse dicitur. Nobilissimæ hujus virginis Vitam illustratam habes apud nos ad diem* VIII *Julii, scriptam à Theodorico abbate Trudonopolitano, qui seculo* XII *paucis annis inchoato obiit. Is porrò num.* 7 *Vitæ, postquam narravit structam ab ea in loco divinitus præsignato sanctissimæ Dei Genitrici ecclesiam, ad propositum nostrum sic progreditur:* Tunc verò Lambertum episcopum, postea Christi martyrem futurum, evocat (*S. Landrada*) & pia commonitum familiaritate, quâ se ab initio sanctæ animæ obligaverant, novæ suæ & ecclesiæ consecrationem, & reliquiarum impositionem ex voto impetrat. *Deinde ait, multas virgines sese ipsius disciplinæ subjecisse, subditque;* Hâc tali virginum militiâ, his gymnasiis in brevi locus adolevit, & in omnis humanitatis crescens annositatem, non, ut priùs, à beluis Belua, sed Belisia, hoc est Bene Elysia, vocari cœpit. D

dedicâsse videtur circa initia

51 *De hisce nihil meminerunt Godeschalcus & Stephanus: at Sigebertus & Nicolaus Theodoricum secuti sunt, eamque* S. Lamberti *consiliis ad ista omnia usam esse affirmârunt. Tempus ædificati monasterii, dedicatæque ecclesiæ non indicavit Theodoricus; sed, si Sigeberto in Vita num.* 33 *credimus, ea* Francis Pippino (*Heristallo*) principante, contigerunt; *qui cùm primùm anno* 681 *Major-domus Austrasiæ factus*, S. Lambertum *Stabuleto, ubi inter monachos exsulabat, ad sedem suam reduxerit, eadem non ante præcitatum annum ex Sigeberti sententia possunt reponi. Verumtamen cùm ex ipsius S. Landradæ Vita, quæ Sigeberto præluxit, ibidem in Commentario prævio num.* 3 *ostensum sit, illam circa annum* 620 *nasci debuisse, maluimus ista ad primos* S. Lamberti *episcopatûs annos referre, ne virginem, ab adolescentia asceticis exercitationibus assuetam, tantò seriùs monasterium suum inchoâsse dicamus. Neque magna hic est Sigeberti auctoritas; qui cùm loco citato S. Landradæ obitum, curatamque à* S. Lamberto *sepulturam, quæ sub Pippino contigerunt, etiam exponat, facilè potuit tempora confudisse.* E

episcopatus sui. S. Hubertum

52 *Porrò memoratam ecclesiæ dedicationem Cointius ad annum christi* 669, *num.* 6 *primis Sancti episcopatûs annis pariter innectendam censuit, & scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 3, *col.* 995 *Belisiensis parthenonis primordia ad annum.* 669 *retulerunt. Ceterùm de eodem monasterio, vulgo* Munster-Bilsen *nuncupato, plura in Commentario prævio de S. Landrada* § 1 *reperies. Exstat hodieque, sed in illustrium canonicarum capitulum commutatum est. Idem Nicolaus in Vita duos alios* S. Lamberti *discipulos memorat, sanctum scilicet Hubertum, postea episcopum, sanctamque Odam viduam, Huberti amitam, quos ob Ebroïni tyrannidem, ex Neustria in Austrasiam concessisse, ait, ibidemque* S. Lamberti *monitis adeò inflammatos esse, ut eorum alter sancto Magistro suo in episcopatum successerit, altera apud Amanium in sancta viduitate reliquum vitæ exegerit. Quod ad S. Hubertum attinet, Joannes Roberti libellum de Conversione ejusdem edidit anno* 1621, *ab anonymo conscriptum, in quo idem ille è Neustria in Austrasiam adventus, & institutio sub* S. Lamberto *adstruitur; sed cùm fabulosa illa S. Huberti per Sergium I Papam consecratio ibidem cap.* 3 *narretur, non potest is magnæ esse auctoritatis.* F

ac fortè etiam S. Odam instituit.

53 *Verumtamen eumdem* S. Lamberti *discipulum fuisse, dubitare nos non sinit, alter Huberti*

ti

A *ti biographus ſynchronus ac familiaris, à Surio editus ad diem* III *Novembris, qui de eodem ad epiſcopatum jam evecto hæc ait:* Juvabatur namque præfatus Domini famulus non modò Chriſti exemplis, ſed & Prædeceſſoris ſui nuperrimis inſtitutis. *Id ipſum adhuc clariùs diſertiſque verbis docet Godeſchalcus in Vita* S. Lamberti *num.* 29 *dicens:* Sanctus autem Huebertus, qui quondam Landeberti diſcipulus fuit *&c. S. Odam Huberto Neuſtriam deſerenti comitem fuiſſe prædictus Converſionis auctor cap.* 1 *ſcribit his verbis:* Adhærebatque illi, quaſi comes individua, amita ſua Oda, quæ extitit Boggis Aquitanorum ducis recèns defuncti vidua. *In diœceſi Leodienſi colitur die* XXIV *Octobris Officio ſemiduplici, in cujus lectionibus ad ſecundum Nocturnum ſimiliter dicitur, defuncto viro ſuo Boggo Aquitanorum duce, in Auſtraſiæ partes veniſſe, & unà cum Huberto* S. Lamberti *monitis incitata, ſanctioris vitæ genus arripuiſſe. Multùm quoque ibidem laudatur à xenodochiis & eccleſiis erectis, piaque in pauperes & eccleſiæ miniſtros munificentia, præſertim Amanii prope Hoyum in diœceſi Leodienſi, ubi, ut diximus, vitam ſanctiſſimè finivit & colitur: quæ omnia, uti & tempus rerum geſtarum, ad diem* XXIV *Octobris examinanda relinquo.*

B

Non interfuit tranſlationi S. Vedaſti,

54 *Sigebertus in Chronico, vel potiùs interpolator ejus, per Miræum edito, ad annum Chriſti* 658 *ſcribit,* S. Lambertum *noſtrum inter ceteros epiſcopos tranſlationi corporis S. Vedaſti per S. Autbertum factæ interfuiſſe, quando S. Audomarus, qui pariter aderat, oculorum lumen, quo orbatus erat, recepit, eoque denuò privari impetravit. Hinc* S. Lamberti *in præfata tranſlatione præſentiam Maſſæus in Chronico lib.* 13, *Miræus in Originibus Benedictinis, cap.* 5, *Locrius in Chronico Belgico ad annum* 687, *Malbrancus lib.* 4, *cap.* 1 *de Morinis, Fiſenus & Foullonus jam aliàs laudati, velut indubiam tradiderunt. Tranſlationem hanc Henſchenius ad diem* VI *Februarii in S. Vedaſto pag.* 787, *num.* 22 *anno Chriſti* 667 *illigavit, à quo non multùm diſſenſit Coïntius, qui eamdem ad annum* 666 *retulit, circa quem eam contigiſſe etiam cenſuit Mabillonius. Henſchenii ſententia tamquam vero proxima ad diem* IX *Septembris in Audomaro pag.* 390 *denuò admiſſa eſt; ſic tamen, ut uno alterove anno ſeriùs aut citiùs dicta tranſlatio fieri potuerit.*

C

ut aſſeruit interpolator Sigeberti.

55 *Jam verò ex ſuprà dictis* S. Lambertus *non niſi anno* 669, *vel* 670, *epiſcopatu initiatus eſt, adeóque ſecundùm Henſchenii, Coïntii ac Mabillonii ſententiam non potuit S. Vedaſti tranſlationi intereſſe. Sed & ipſum eidem omninò non interfuiſſe, ſuadet trium præcipuorum de eadem tranſlatione ſcriptorum ſilentium; anonymi ſcilicet monachi Vedaſtini, Alcuini & Fulberti, quorum lucubrationes Henſchenius ad citatum diem Februarii recenſuit, quique, ut rectè obſervavit Coïntius, omnes de S. Audomaro, nullus de* S. Lamberto, *in iis meminerunt. Nihil quoque de hoc argumento apud* S. Lamberti *antiquos biographos legere eſt, ne apud Sigebertum quidem: unde utcumque confirmari poteſt Miræi ſententia, Sigeberti ſcilicet interpolatori tribuenda eſſe, quæ de eadem tranſlatione in laudato Chronico leguntur. Henſchenii ſuſpicionem, unde in hunc errorem interpolator ille inductus eſſe videri poſſit, mox memorabimus.*

56 *Is in Vedaſto num.* 27 *Commentarii prævii opinatus eſt,* S. Lambertum *epiſcopum alteri geminæ dedicationi, Hunicurtenſis primùm eccleſiæ, ac deinde Vedaſtinæ Atrebati, ſub S. Vindiciano, qui Autberto in epiſcopatum Atrebatenſem proximus ſucceſſit, adeſſe potuiſſe. Pro prima laudat Baldericum in Chronico Cameracenſi & Atrebatenſi, ubi lib.* 1, *cap.* 26 *habentur ſequentia:* Præterea idem præfatus pontifex Vindicianus in vico, qui à ſede Cameracenſe ferè VII milibus diſtans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis accepit, monaſterium, aceerſitis ſecum non paucis coëpiſcopis, unáque etiam B. Lantberto Leodecenſe martyre precioſiſſimo, ad laudem Dei & venerationem S. Petri conſecravit, ibique clericos & ſanctimoniales conſtituit. *Monaſterium hoc idem eſt cum Hunicurtenſi, quod anno* 684 *Amalfridus S. Bertino Sithienſi abbati donavit, & de quo in hujus Sancti geſtis conſuli poteſt Commentarius prævius tom.* 2 *Septembris, pag.* 575, *num.* 117 *& ſequenti.*

AUCTORE C. S. *Potuit tamen dedicationi eccleſiarum*

57 *Sancti Vindiciani Vitam à Franciſco Doreſmieux abbate Montis-Eligiani conſcriptam edidit Henſchenius ad diem* XI *Martii, in cujus capite* 2, *num.* XI *ſimillima de ejuſdem templi dedicatione narrantur. Ipſe Henſchenius in Commentario prævio initium epiſcopatûs ejuſdem Vindiciani anno* 676 *innexuit ob ſuam de annis regni Theodorici ſententiam, quam deinde in Exegeſi præliminari ante tomum* III *Aprilis num.* 18 *correxit, monuitque idem illud initium ab anno Chriſti* 670 *repetendum eſſe. Coïntius verò annum* 669 *aſſignat, quod exiguum diſcrimen ad præſentem controverſiam nil facit; cùm in utriuſque ſententia* S. Lambertus *memoratæ dedicationi intereſſe potuerit, antequam circa annum* 674 *è ſua ſede pelleretur. Quo autem anno ea dedicatio facta fuerit, ignoratur. Verùm dum Amalfridus monaſterium illud anno* 684 *S. Bertino donavit, jam præerat ibi ſanctimonialibus Auriana ejuſdem Amalfridi filia, & veriſimiliter aliquot annis jam præfuerat, adeóque & templum ibidem fuerat conditum. Hinc facilè fieri poteſt, ut laudata dedicatio ante* S. Lamberti *exſilium contigerit.*

Hunicurtenſis

E

& Atrebatenſis S. Vedaſti adfuiſſe.

58 *Porrò ex relatis Balderici verbis ſuſpicatus eſt Henſchenius,* S. Lambertum *noſtrum, ut ad Hunicurtenſem, ita & ad Atrebatenſem S. Vedaſti eccleſiam, quam S. Vindicianus abſolverat, dedicandam ab hoc eodem evocatum fuiſſe. Cúmque in hac poſteriori dedicatione corpus S. Vedaſti denuò elevatum fuerit, hinc ipſe factum cenſuit, ut* S. Lambertum *priori tranſlationi ſub S. Autberto, Vindiciani proximo deceſſore adſtitiſſe ab aliis creditus ſit: quam quidem ſuſpicionem ibidem confirmat, obſervans, priorem tranſlationem, quæ in Aquicinctino & Orteliano Ms. Chronico Sigeberti S. Autberto rectè tribuitur, in Gemblacenſi ac Lipſiano tribui Vindiciano. Verùm hæc Henſchenii ſuſpicio vel conjectura tantùm eſt, ex qua nihil certi ſtatui poteſt, eóque minùs poteſt, quòd annus etiam poſtremæ dedicationis aliunde non innotuerit.*

F

§ V

AUCTORE C. S.

§ V. Sancti Episcopi è sede sua expulsio, intruso Faramundo: secessus Stabuletum, & illustre obedientiæ & tolerantiæ exemplum.

Cæso Childerico, Sanctus è sede sua pellitur,

Interea dum sanctus Episcopus gregi suo sedulò invigilaret, cæso Childerico rege, immutata est regni facies, ipseque è sede sua pulsus, inter monachos Stabuleti septennio exsulavit, ut omnes ejusdem biographi testantur. Inter hos Godeschalcus num. 5 & seq. sic ait: Igitur cùm interfectus fuisset ab impiis gloriosus rex Childericus, tunc invidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum Virum, cum adversariis sæviſſimis iniqua & falsa consilia machinantibus, ut eum de sede pontificali dejicerent. Ita autem prævaluit iniquitas eorum, ut deponerent eum de sede sua sine causa; & privatus est honore suo absque culpa. Post hæc Faramundum in cathedram illius constituerunt. Electus autem Dei Landebertus pontifex perrexit ad monasterium, quod vocatur Stabalaus *&c. Similiter Stephanus Godeschalco inhærens:* Commovit (*diabolus*) odia, excitavit jurgia, turbavit ecclesiæ pacem, posuit firmamentum regni formidinem. Rabie crudelitatis adeò corda hominum accendit, ut non viderent cælum, neque recordarentur Dei judiciorum. Hoc itaque veneno per membra diaboli graviter dispersо, princeps regni interficitur, videlicet Childericus rex gloriosus.

B

eique Faramundus

60 Mox etenim invidiæ pondus & odium adversus Dei famulum commovit Lantbertum. Hinc hostili rabie magis ac magis grassante, & invidia diaboli nequiter exardescente, Lantbertus sacerdos Christi inclitus debiti honoris privatur dignitatibus, ac de pontificali cathedra vir cælebs * ejicitur sine causa. Pro nefas! Regalis interiit sublimitas, pravorum prævaluit iniquitas, sacerdotalis confusa est sanctitas, justitiæ profanata est æquitas! Heu! cogor scriptis depromere rem veritatis. Tunc suggestum Trejectensis ecclesiæ latro Faramundus invasit ineptè! *&c. Hisce addo & anonymum poëtam, Stephano synchronum, qui de eodem argumento cap. 7 ita cecinit:*

*forte celebris

C

Sed postquam tetigit mundanæ debita carni
Rex, tunc primorum rabies exire coëgit
Pontificem sanctum, propria de sede repulsum.
Qui quanto populis præsens in tempore mansit,
Lumina doctrinæ quia furva per avia fudit,
Præcinctus lumbos, manibus gestare lucernas
Ardentes studuit, cælestia semina misit;
Dans exempla bonis, feriens & prava macheris.
61 Ille domum propriam præclaræ luminis instar*

*iniquè substituitur.
* l. lucis ad instar*

Lumine lustrabat: sed non conventio lucis
Esse potest tenebris; ideo mundana volentes
Ejecêre Sacrum, ne possit pellere pravum.
Hoc qui patrârunt, Faramundum nomine quemdam
Arripiunt, & eum jam dicti in sede reponunt
Præsulis almifici, quò, Sancte, beatior esses: D
Nam Dominus Christus magis hos ait esse beatos,
Propter justitiam quos dat dejectio passos.
Præsul enim tunc cœnobium, quod nomine dicunt
Stabolaum, subiens, monachorum dogmata duxit
Annos per septem.

Hactenus illi, nullum certum turbati regni, sanctique Præsulis exsilii auctorem indicantes, quem Ebroïnum fuisse Sigebertus ac Nicolaus rectè affirmant. Ebroïnus majoratu domus regiæ, quem sub Clothario III in Neustria Burgundiaque gesserat, succedente in regnum fratris sui Theodorico, etiam fungebatur: verùm Francos Burgundionesque, quibus exosus erat, mox ita offendit, ut hi post paucos regni Theodorici menses evocatum ex Austrasia, ubi regnabat, Childericum sibi regem præficerent, tonsis Theodorico & Ebroïno, & horum primo in S. Dionysii prope Parisios, altero in Luxovienſe monasterium detrusis.

E

Factum hoc est sub Ebroino

62 *Childerico deinde ante expletum in Neustriæ regno quadriennium occiso, Theodoricus è monasterio dimissus, pristino regno suo restitutus est. Ebroïnus verò & ipse quoque Luxovio egressus, multos ex Austrasiis sibi conciliavit, ac primò quidem Clodoveum quemdam, quem Clotharii III filium mentiebatur, in partem regni Austrasiæ evexit; deinde autem desertis ejusdem partibus, initaque cum Theodorico pace, majoratum domûs apud eumdem obtinuit; prout apud Coïntium, Pagium, aliosque rerum Francicarum scriptores pluribus videre est. Porrò Ebroïnus inter cetera, de quibus accusatur, scelera, nihil prius habuit, quàm ad firmandam potentiam suam viros magnos sanctosque, à quibus se olim læsum opinabatur, quosque tyrannidi suæ minimè assensuros noverat, loco suo dejicere & in exsilium ablegare. Ex hisce S. Leodegarium, Augustodunensem episcopum, fidem, quam Theodorico dederat, fallere & ad pseudo-Chlodovei partes transire recusantem, evulsis oculis, Augustoduno abduci, fame perimendum curavit; ac deinde tamquam Childerici cædis reum post diros cruciatus capite truncari; de quibus omnibus consuli potest ejusdem S. Leodegarii Vita apud Mabillonium Seculo 2 edita, & ab auctore æquali conscripta.*

F

circa annum 674; non tamen in pseudo-synodo,

63 *Inter ceteros verò viros sanctitate illustres, quorum sacerdotalem constantiam Ebroïnus verebatur, non postremo loco erat* S. Lambertus *noster, quem summa quoque, quâ apud Childericum regem olim valuerat, auctoritas ipsi etiam reddebat magis exosum. Et hunc igitur è sede sua expulsum, exsulare coëgit, substituto in ejusdem locum Faramundo, Ebroïni moribus simillimo. Factum hoc Coïntius Pagiusque ad annum 674 referunt, circa quem reipsa referendum esse liquet ex ejusdem post septennium ab exsilio reditu, quem circa annum 682 contigisse, infrà num. 83 videbimus. Sigebertus in Vita num. 18 hanc sancti Episcopi è sede sua expulsionem in synodo, à rege Theodorico Ebroïni consilio convocata, factam esse scribit his verbis:* Consilio Ebroïni à rege Theodorico convocatâ ad synodum episcoporum turbâ, qui quasi canes muti non valebant latrare contra falsitatis testimonium, alios episcopos exordinant, alios geminatâ injustitiâ ordinant.

quæ aliquot annis seriùs

64 Et ne quis in regno vel ecclesia restaret, qui pro veritatis defensione clipeum fidei auderet erigere exemplo vel instinctu Lantberti, qui præ

cæ-

A cæteris liberiùs injuſtitiæ adverſari audebat, omnes diaboli complices inſurgunt in Lantbertum, veritatis amicum, & concinnatis injuſtitiæ cauſis, eum ab epiſcopatu deponunt. *Similiter in Chronico ad annum Chriſti 685 ait:* Theodoricus rex Ebroïnum in gratiam recipit, ejuſque conſilio ſynodum epiſcoporum cogit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroïni epiſcopatu privat, aliquos etiam eorum irrevocabili exilio damnat. Sub tam procelloſo domeſticæ perſecutionis tumultu Sanctus etiam Lambertus à Trajectenſi amotus epiſcopatu, in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis expetit portum, ibique per ſeptem annos habitavit ſecum.

65 *Sigebertum ſecutus Eminentiſſimus Baronius in Annalibus ad citatum annum 685, ipſius verba adoptavit: ſed præterquam quòd eo anno* S. Lambertum *ſedi ſuæ jam reſtitutum infrà viſuri ſimus, nullus alius biographorum, ne Nicolaus quidem, de ea ſynodo meminit. Quapropter quod de Baronio Pagius ad annum 674, num. 7 exiſtimavit, Sigeberto accidiſſe credo, ut in pſeudo-ſynodo, quam anonymus ſcriptor Vitæ S. Leodegarii apud Mabillonium Seculo 2 juſſu Theodorici ac Ebroïni habitam ait, & in qua tam ejuſdem Leodegarii inimici epiſcopi juſto Dei judicio plexi fuere, quàm S. Leodegarius injuſtè damnatus, ſanctum* Lambertum *epiſcopatu ſuo privatum fuiſſe crederet; quod Godeſchalci Stephanique dictis minimè conſonum eſt. Ambo enim Sancti noſtri exſilium poſt Childerici cædem ſic referunt, ut illud non diu poſt hanc contigiſſe ſignificent. Utriuſque verba num. 59 & 60 recitavimus. At verò prædictam ſynodum aliquot annos ſeriùs convocatam fuiſſe, ex eadem S. Leodegarii Vita conſtat, eamque Coïntius & Pagius anno 678 alligârunt, dum* S. Lambertus *jam aliquot annis apud Stabulenſes morabatur.*

eſt coacta.

B

66 *Intruſum in Trajectenſem ſedem,* Faramundum *Godeſchalcus, & poſt eum omnes appellant; Stephanus eumdem multis ſceleribus onerat; ſed neuter illorum, uti nec poëta anonymus, qualis fuerit ante invaſum epiſcopatum, edicit. Primus omnium Sigebertus num. 18 Vitæ ipſum Colonienſem clericum fuiſſe aſſeruit:* Fertur, *inquiens,* Colonienſis epiſcopus conſpirâſſe huic pravorum factioni; qui etiam clericum eccleſiæ ſuæ Faramundum ad epiſcopatum Trajectenſem contra jus & fas paſſus eſt promoveri. *Id ipſum iiſdem verbis habet in Vita breviori, Reneri nomine edita, in qua eumdem epiſcopum de nefario pecuniæ in eam rem uſu accuſat. Verba ejus accipe:* Fertur Colonienſis epiſcopus conſpirâſſe huic pravorum factioni, zelo invidiæ ductus, & primores populi datâ pecuniâ ad odium Lamberti concitâſſe, qui etiam clericum eccleſiæ ſuæ Pharamundum ad epiſcopatum Trajectenſem contra jus & fas paſſus eſt promoveri. *Sigebertum viderat Nicolaus canonicus, neque tamen Faramundum eccleſiæ Colonienſis clericum certò auſus eſt affirmare in Vita num. 19, ubi ait:* Pharamundum quemdam, ut dicunt, Colonienſem clericum, calcatâ omni ſacrorum canonum reverentiâ illuc obtrudendo, (*Ebroïnus*) violenter intronizavit.

Aliquorum de hoc Faramundo,

C

67 *Hinc Gelenius de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine pag. 41 laudans Nicolaum, alioſque Leodienſes ſcriptores, de Faramundo, quem inter Colonienſes epiſcopos vigeſimo primo loco recenſet, ſic ait:* Putatur idem, qui ex clero Colonienſi intruſus in cathedram exulantis S. Lamberti fuerat. *Multò tamen rectiùs Galliæ Chriſtianæ ſcriptores tom. 3 col. 629 eam infamiam à Colonienſi ſede amovent; cùm nec ratio temporis, nec quidquam aliud præter nomen iſti opinioni faveat; nec aliunde veriſimile ſit, tam nefarium hominem, è ſede, quam invaſerat, expulſum, ad tam illuſtrem epiſcopatum aſcendiſſe. Idem Gelenius ibidem pag. 277 Annonem I illum epiſcopum eſſe exiſtimavit, de quo loquitur Sigebertus, ſuſpicatuſque eſt, eumdem in Pippini Heriſtalli cum Alpaïde adulterium conſenſiſſe, & in* S. Lambertum, *pellicatum iſtum redarguentem, convocata ſynodo, depoſitionis ſententiam pronuntiâſſe; quod certè à vero alienum eſſe, meritò obſervant laudati Galliæ Chriſtianæ ſcriptores, col. 628 & ſequenti. Perperam quoque Fiſenus tam in Floribus, quàm in Hiſtoria eccleſiæ Leodienſis, Aldewino crimen iſtud affingit, cujus epiſcopatûs initium, in loco Galliæ Chriſtianæ mox citato Coïntius ad annum 680, Sammarthani autem ad 690, id eſt utrique aliquot annos poſt Sancti expulſionem, reponunt. Ego verò ob iſtud Sigeberti aſſertum, quod ipſemet ſibi dubium fuiſſe additâ voce* fertur, *indicavit, malo nullum Colonienſium epiſcoporum tanti criminis ſuſpectum habere, quàm certum aliquem immeritò inſimulare.*

aliiſque adjunctis opiniones expenduntur.

68 *Ejectum è ſede ſua ſanctum Epiſcopum ad Stabulenſe diœceſis ſuæ in Arduenna cœnobium unà cum duobus ſeu diſcipulis ſeu famulis ſeſe recepiſſe, omnes uno ore narrant ejus biographi. De hoc monaſterio, quod hodiedum celebre eſt, vulgò* Stavelo *nuncupatum, ejuſque conditore S. Remaclo Trajectenſi pariter epiſcopo, pluribus actum eſt in Opere noſtro ad diem 111 Septembris, quo hic colitur. Eumdem S. Remaclum Stabulenſibus etiam tum præfuiſſe credidit Nicolaus, cùm in Vita edenda num. 32 ſcripſerit, eum ibidem in vivis ſuperfuiſſe, dum Sanctus noſter poſt ſeptennium in epiſcopatum ſuum reſtitutus eſt. Harigerus quoque apud Chapeavillum in S. Remaclo cap. 51* Lambertum *inter illius diſcipulos recenſet; Notgerus verò tom. 1 Septembris, pag. 683* Lamberti *in Stabulenſi monaſterio commorationem ſic recenſet, ut ea ſub eodem contigiſſe poſſit videri. Hinc Fiſenus lib. 4 Hiſt. eccleſ. Leod, num. 14, uti & in Floribus ejuſdem eccleſiæ eam ſententiam velut indubiam amplexus eſt.*

Sanctus ſtabuletum ſe recipit,

69 *Quidquid ſit de Sancti diſcipulatu ſub Remaclo, ex dictis certum eſt, hunc, qui inter annos Chriſti 667 & 671 ad cælos abiit, Stabuleto non præfuiſſe, dum ſanctus Exſul noſter eò advenit. Rectiùs Mabillonius tom. 1 Annal. Benedict. ad annum Chriſti 674, num. 40,* Coïntius *ad eumdem annum, num. 12, & Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores tom. 3, col. 940 Sigolino abbate id factum eſſe opinantur. E duobus exſilii ſociis unus fuit Theodoënus, ex quo Godeſchalcus multa de* S. Lamberto *ſe accepiſſe teſtatur. Vitam tamen, quam Sanctus ibidem ſanctiſſimè duxit, præter unum illuſtre obedientiæ ac tolerantiæ exemplum, tam ipſe, quàm ceteri biographi, non niſi generali virtutum commemoratione perſtrinxerunt, ut ſuo loco videre eſt. Attamen non ingratum fore lectori exiſtimo, ſi, quæ de heroico iſto facinore cecinit poëta anonymus, hic recenſuero. Itaque ſic habet.*

non ſub S. Remaclo, ſed fortè ſub Sigolino;

F

70 Præſul enim tunc cœnobium, quod nomine dicunt
Stabolaum, ſubiens, monachorum dogmata duxit
Annos per ſeptem; ſed eoſdem qualiter egit
Scripturis aliis, lector, ſat ſcire valebis.
Nam modò parva loquor, metri ratione retentus,

ubi ob ſonum calceo editum, juſſus

AUCTORE C. S.

Pandens, ſimplicitas vel quæ pacientia manſit
Huic inter reliquos fraterni nominis actus.
Accidit ergò, vigil hyemali tempore noctis,
Cùm ſolitas Domino vellet dependere laudes,
Ut ſurgens caperet celeri conamine ſoccos,
Unus & elapſus fugeret, terramque feriret,
Cujus de ſonitu vexatio fratribus hæſit,
Quâ depulſa quies quoſdam turbamine preſſit,
Atque loci patrem talem commovit in iram,
Ut præcepta daret, dicens: Quicumque peregit
Hoc opus, ille foràs pergat, ſtans atque laborans
Jam crucis ad ſtabulum, nivis ac brumalia tangat
Frigora, patratæ quæ ſunt purgamina culpæ.
Hæc pater ignorans, ſonitum quis fecerit, inquit.
Hoc Sacer aure trahens, per magna ſilentia greſſum
Fixit, & egrediens, nudis incedere plantis
Cœpit, apudque crucem gaudenti pectore manſit,
Stanſque, canenſque Deo ſuper hæc cruciamina carnis,
B
Cor, ait, attritum, quod mitis factio cingit,
Non Deus hoc ſpernit, ſed ſecum lumine comit.
Scilicet ut ſupplex Domini veſtigia Chriſti
His imitans pœnis, exemplum in corpore ferret
Ejus, quod patitur tales in carne procellas.
71 Interea Sanctus cruciatibus inditus altis
ſub dio ad crucem nudipes Stabat, & ad laudes cordis laxabat habenas.
Hinc angor quatit, inde rigor; nix influit altis
Sedibus adveniens, hyemis quam cana ſodalis,
Aſpera mollicies inviſa caloribus, atque
Crudelis candor, nudis ac mitibus algor,
Cujus veſtitus nullum portare calorem
Novit, & ut veſtit, citiùs frigeſcit amictus.
Inſuper & boreas undis dabat aſpera duris
Flamina, ſaxoſum qui jam nutriverat imbrem
Sic turbatus erat, ſic denſus inhorruit aër,
Quod Sanctum Domini patientem tanta videret.
Hæc quoque Landbertus, cùm jam ſanctiſſimus eſſet,
C
Dicta ſuper paciens, pſallebat famine dulci,
Ut poſſet Chriſti ſollers imitator haberi.
Intendebat enim doctæ ſub acumine mentis,
Quòd caro non poſſit digno ſociamine jungi
Spiritui, nî trita priùs vapulamine duro,
Deſerat illecebras pollutæ veſtis iniquas.
Unde canit Paulus, nobis ſat fidus amicus,
Sanguineæ carnis non eſt conſcendere ſurſum,
Incorruptelam nec jam corruptio carpet;
Hæc ſatis exponens, priùs hoc, quod dixerat, inquit.
72 Taliter inſtructus Landberti præſulis actus,
hiemali tempore in precibus pernoctat; In bello fortis, ne princeps aëris hujus
Prævaleat, propriam domitabat verbere carnem,
Pro certo noſcens, quòd nî ſit paſſio carni,
Agminibus cæli nulla compage ligari
Hæc valet, ut carpat paradiſi gaudia veri.
Ut fratres igitur ſacri ſolemnia ritûs
Explevere quidem, cupientes pellere frigus,
Tunc adeunt cellam, quâ manſio grata caloris
Eſſe ſolet, quæruntque ſimul, quis frater abeſſet,
D
Et quo detentus ſacris non eſſet in ymnis*. *hymnis
Tunc ait abbati quidam de fratribus aſtans:
Te, pater, audivi nocte hac diſponere quendam,
Ut crucis ad ſtabulum pergat dimittere culpam.
Tunc alius dixit: Dominus Landbertus habetur
Ante crucem conſtans, ymnis modulatur & orat,
Nudatus plantas, & opertus tegmine duro;
Quem crudelis hyems adimet de nomine noſtro,
Ni citò ſubventum fuerit de more paterno.
Hæc pater advertens, cœpit cum ſupplice voto
Mente pavoratus, quoſdam diſponere fratres,
Ut ſubeant, ipſumque rogent ad ovile reverti.
73 Confeſtim pergunt, & ovantem pectore cernunt, *ſtupentibus abbate & monachis.*
Erectis oculis, manibuſque ad ſydera tenſis;
Te Dominum, dicunt, abbas fratreſque precantur,
E
Hinc ut eas clemens, & eorum viſibus aſtes:
Qui rumpendo moras, ad eorum limina venit.
Tunc pius allacrymans, illi proſternitur abbas,
Atque ſimul fratres veniam de pectore poſcunt:
Sancte Pater, nobis noxam de corde remitte,
Ignorando quidem, quæ geſſimus, acta fatemur.
Hæc dixere illi: ſanctus Landbertus & illis,
Hæc vobis Dominus clemens indulgeat, inquit:
Nam Paulus dicit: Nudis & frigore tactis
Servitium Domini digno de corpore conſtat.
Continuò calidas ad aquarum ducitur undas,
Veſtibus atque aliis indutum ſemper honorant,
Perque manus jam, perque pedes tunc oſcula donant,
Huncque Dei ceu diſcipulum gaudenter adorant,
Ac ſic illorum pulſabant ſydera voces:
F
Heu! nunc mi frater, quàm heu, fratercule nobis!
Nocte ſub hac Dominus cur nos cælavit, ut eſſent
Cara Deo nimiùm nobis hæc abdita facta;
Nec ſentire quidem fuimus, nec cernere digni.
Ejus ut ex meritis accreſcat gloria major,
Et nos denigret diro ſtillamine torpor,
Manſimus expertes hujus vexamine Sancti!
74 *Hæc eadem etiam habent ceteri biographi, qui addunt, Sanctum, excepto aſpero, quo indutus erat, cilicio, cetera nudum fuiſſe: ex quo ſanè facto de reliquis ejuſdem heroicis virtutibus, quas per ſeptennium inter monachos ibidem exercuit, facilè licet judicare. De cruce, ad quam ſanctus Epiſcopus illuſtre iſtud exemplum dedit, juverit aliqua obſervâſſe. Hæc* ſub divo poſita, *teſte Nicolao in Vita, num.* 26, ex more monaſterii hujuſmodi corrigendis erat diſciplina. *Ejuſdem ſitum & uſum etiam indicat Sigebertus num.* 22 *Vitæ dicens:* Hæc crux lapidea inter oratorium & dormitorium erat ſtatuta. Filii Iſraël in deſerto ob tædium longi itineris ac laboris murmurantes *De illo pœnitendi modo*

&

A & pro hac noxa percuſſione ignitorum ſerpentium pereuntes, ſanabantur ab aſpectu ænei ſerpentis, in figura crucifigendi Filii hominis, à Moyſe pro ſigno exaltati. Ad hunc modum credibile eſt, hanc quoque crucem pro ſigno poſitam fuiſſe, ut ad aſpectum illius hi, qui erant Chriſti, carnem ſuam crucifigerent cum vitiis & concupiſcentiis, & ſi qui pertæſi longi laboris in via Dei laſſeſcerent, ad aſpectum crucis ex morte Chriſti longanimitatem ſpei reſumerent, & ſic ignita antiqui ſerpentis venena effugerent. *Et infrà rurſum ait:* Ad quam addicti regulariter pœnitebant, ſi qui graviuſculis culpis delinquebant.

nonnulla obſervantur.

75 *Hujuſmodi autem pœnitendi modum etiam in aliis monaſteriis uſitatum fuiſſe, diſcimus ex Vita S. Auſtrebertæ, abbatiſſæ Pauliacenſis*, S. Lamberto *ſynchronæ, in qua apud nos tom. 2 Februarii, pag. 422, num. 15 ſimile exemplum legitur. Cùm enim ſancta abbatiſſa per dormitorium molli paſſu incedens, inquireret, an omnes moniales rectè quieſcerent*, præpoſita neſciens, eſſe Dei famulam, valdè eam increpavit, dicens: Cur ita agis, ſoror? Quare inquietas quieſcentes? Vade, inquit, ad crucem. Illa autem gaviſa cucurrit B quantocyus, ſtetitque immobilis pſallens, donec hora competenti, ſigno tacto, conſurgerent omnes. Præpoſita verò cùm cognoviſſet, quod fecerat, cadens ad pedes ejus, veniam precabatur. *Sed Stabuletum redeamus*; Eodem loco exſtat in hunc uſque diem ſignum Crucis in facti memoriam, *ait Mabillonius in Annotatis ad Vitam* S. Lamberti. *Fiſenus quoque ſæpe laudatus*, Ferrea (*crux*) hodie eſt, *inquit*, ſitu, ut aiunt, eodem; ſed humilis, & monumentum exempli tam nobilis parùm honeſtum.

Hujus facti monumentum Stabuleti,

76 *Joannes Bertholet in Hiſtoria Gallica ducatus Luxemburgici à paucis annis edita, tom. 2, pag. 133 de eodem loco quidquam ſingulare annotat, quod apud alios non legi. Verba ejus ex Gallicis Latina ſubjungo.* Oſtenditur hodiedum Stabuleti locus, in quo eam pœnitentiam ſubiit, & venerationis ergò ſuper eo exſtructum eſt tectum ejus latitudinis, cujus terra erat, quam nix non operuit. *Ita ipſe, neſcio quod ſervati immunis à nivibus terræ ſpatii prodigium inſinuans, biographis penitus ignotum. Certè Godeſchalcus in Vita num. 7 ſcribit, Sanctum ibi in medio nivium ſtetiſſe, nivibuſque coopertum fuiſſe.* Interim, *inquit*, C tantum jugiter nivis fundebatur, quæ deſuper talos ipſius Pontificis uſque pervenit. *Et infrà num.* 9: Erat autem caput ejus & humerus coopertus nive per totum. *Godeſchalco conſonat Nicolaus num. 27 Vitæ, ubi* tectus... nive magis quàm veſte *dicitur: & rurſum:* Eruitur ab illa nivium denſitate. *Ait quidem Sigebertus num.* 27, Nix cùm larga defluëret, non tamen ultra talos Præſulis aſcendebat; *ſed & id ipſum inſinuato prodigio contrarium eſt. Quapropter non video, ſuper quod terræ ſpatium, nivibus ea occaſione intactum, religionis ergò tectum conſtrui potuerit, niſi fortè ſuper iſtud exiguum, quod ibidem ſtans pedibus ſuis preſſit.*

& Leodii, ut fertur, poſitum.

77 *Tradit præterea Nicolaus num. 28 Vitæ, ab illo heroico ſancti Præſulis facinore ortum apud Leodienſes morem eſſe, ut intra principis eccleſiæ ſepta crux ſub dio erigeretur in perpetuam rei geſtæ memoriam.* Specialiter itaque, *inquit*, ob hujus triumphi memoriam in principali eccleſiâ Leodii, ubi idem precioſus Martyr corpore requieſcit, mos iſte primùm inolevit, ut intra clauſtralia ſepta ſub divo vexillum Crucis Dominicæ perpetuò ſtabiliretur; licèt nonnullæ hoc eccleſiæ uſurpare ſibi videntur alio quidem religionis genere. *Uti poſtremum hoc Nicolaus rectè addidit, ita nudum ejuſdem aſſertum ſine ullo antiquorum teſtimonio dubium mihi minimè eximit, an ſicut ceteræ eccleſiæ, ita & Lambertiana Leodii, non alio religionis genere, quàm in memorati facti memoriam, crucem illam olim erexerit. Denique commentis annumeranda eſt ea opinio, de qua Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis pag. 17 ſic ait:* Neque deſunt, qui S. Hubertum reſpexiſſe huc opinentur, quando urbi Leodio pro inſigni dedit peronem aureum, aurea infixa cruce. *Quaſi verò S. Huberti ætate hujuſmodi inſignium civitatibus uſus jam fuiſſet.*

Veriſimillimum eſt, Sanctum inter Stabulenſes

78 *Quæri hic poteſt*, an S. Lambertus, *dum Stabuleti exſulavit, monaſticum habitum monachus geſſerit. Ad quæſtionem ita reſpondit Mabillonius in Obſervationibus præviis ad Vitam num.* 8. Eum in cœnobio Stabulenſi ſeptem annos exſulem vixiſſe conſtat. Atqui tum temporis mos erat, ut etiam relegati, ſeu retruſi in monaſteria, Religioſas veſtes ſuſciperent. Teſtes ſunt S. Leodegarius, Ebroïnus Luxovii, Childericus Francorum rex Sithiu, ejuſque filius Theodoricus Fontanellæ in monachos attonſi. Quantò magis id adfirmare licet de Landeberto, qui, licèt de ſede ſua pulſus ſit, volens Stabulaum feceſſit? Hinc Stephanus epiſcopus in ipſius Vita: „Inter quos„ (inquit, monachos ſcilicet Stabulenſes) "venit noviſſimus ordine, ſed primus ex„ ſtitit ſanctitate; poſtremus numero, ſed præ„ cipuus devotionis ſtudio.„ Denique in Chronico Sigeberti nonnulli codices Mss. ſic habent ad annum DCLXII: "S. Lambertus monachus effi„ citur.„ *Hactenus Mabillonius, cujus ſententia mihi quoque admodùm veriſimilis apparet.*

monachatum profeſſum eſſe.

79 *Verumtamen id ex adductis exemplis non conficitur: iſti enim, vel inviti juſſi ſunt tonderi, ne quid in regno moverent: ſanctus autem* Lambertus, *cùm ſponte ſua ad Stabulenſes ſe receperit, potuit inter eos non monachus commorari, donec, mutata rerum facie, ſedi ſuæ reſtitueretur. Atque huic opinioni favet Godeſchalcus, qui num. 6 Vitæ duos pueros ſeu famulos Sancto Stabuleti commoranti in obſequio manſiſſe affirmat*; Nec ampliùs, *inquiens*, in obſequium ejus remanſerunt, quàm duo pueri. *An ergò ejus temporis monachi aliquot ſibi famulos aliquando ſervabant? Nihil pariter evincunt Stephani dicta, quæ vera eſſent, licèt Sanctus monachum non induiſſet. Sigeberti quoque auctoritas, qui monachatum ipſius etiam in Vita num. 20 adſtruit, non ſufficit, ut quòd quatuor ferè ſeculis ante ipſum contigit, certum faciat. Attamen cùm ex Godeſchalco conſtet*, S. Lambertum *Stabuleti inter monachos etiam communi eorum dormitorio uſum fuiſſe, veriſimillimum omnino arbitror, eumdem ibidem monachum profeſſum eſſe.*

§ VI. Sancti Epiſcopi in ſedem ſuam reſtitutio per Pippinum Heriſtallum: cura diœceſis & epiſcopales virtutes.

In ſedem ſuam reſtituitur.

SEptem annis expletis S. Lambertum *Stabuleti inter monachos commoratum fuiſſe, quando, expulſo tandem invaſore Faramundo, Trajectenſi*

AUCTORE C. S.

cathedræ ſuæ reſtitutus eſt, teſtatur Godeſchalcus num. 10 *Vitæ, & poſt eum ceteri biographi omnes. Tam felicis eventus tempus & auctorem laudatus Godeſchalcus his verbis ſignificat:* In illo tempore erat princeps Pippinus ſuper plurimas regiones & civitates ſitas in Europa. Auditis operibus beati Viri, ſub unius diei articulo juſſit eum cum magno honore ad propriam ſedem revocare. *Stephanus verò de eodem argumento in Vita num* 23 *hæc ſcribit:* Illo tempore Pippinus monarchiam regni & principatum gerebat populi, vir armis ſtrenuus & divinæ religionis cultor præcipuus. *Sigebertus autem num.* 25 *Vitæ ſic ait:* Pippinus ſecundus Anſigiſi & Beggæ filius, ubi cunctos, qui inter ſe concertando Franciam diſcindebant, viriliter vicit, ſolus ſub Theodorico rege principatum totius Franciæ obtinuit, & perturbatum regni & eccleſiæ ſtatum diſpoſuit meliorare *&c.*

81 *Nec minùs clarè loquitur Nicolaus in Vita num.* 29, *ubi ait:* Interea evoluto ſeptennio, irâ Dei in miſericordiam versâ, poſt horridam tempeſtatem facta eſt in eccleſia Dei tranquillitas: nam Ebroïnus, qui Franciam fraude, crudelitate, avaritiâ, diu vexaverat, juſto Dei judicio miſerè interficitur. At dux Auſtriæ Pipinus ſecundus, Anſigiſi filius, Pipini primi ex Begga filia nepos, cujus ut erat hæres nominis & honoris, ita juſtitiæ & religionis, vir acer conſilio & manu ſtrenuus, totam potentiam ſuam & ſtudium ad honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ & liberationem patriæ convertit, regemque Theodoricum, ut tyrannicam crudelitatem in principalem clementiam commutaret, non minùs bellico apparatu, quàm juſtitiâ ſuâ coëgit. Igitur tranquillatis rebus ſub Pipino, cùm jam nulla tempeſtas bellorum intercluderet exequutionem legum *&c. Hiſce illi omnes Pippinum Heriſtallum deſignant, ſed non eoſdem annos; qui propterea paucis hìc diſtinguendi ſunt.*

à Pippino Heriſtallo,

B

82 *Ebroïno, à quo ſanctum Epiſcopum noſtrum è ſede ſua pulſum fuiſſe, § 5 diximus, occiſo anno* 681, *in majoratum-domus Theodorici regis ſuffectus Warado vel Waratto, pacem & concordiam iniit cum Pippino Heriſtallo, qui velut militiæ dux Auſtraſiis Theodorico infenſis præerat, ut oſtendunt Coïntius & Pagius ad hunc annum. Iidem meritò cenſent, conditionem pacis eam præcipuè poſitam fuiſſe, ut Pippinus Theodoricum agnoſcens, majoratu-domûs in Auſtraſia fungeretur. Poſt hæc anno* 687 *Pippinus Auſtraſios adverſus Theodoricum ejuſque majorem-domûs Bertharium denuò eduxit, profligavitque eos in campo Textriciano. Nec multò poſt, interfecto eodem Berthario, univerſæ monarchiæ Franciæ major-domûs palatii factus eſt. Conſule, ſi lubet laudatos annaliſtas & Henſchenium in Exegeſi ad Diatribam Dagobertinam, tomo* III *Aprilis præfixam. Nunc unde digreſſi ſumus, eò redeamus. Nicolaus cum Sigeberto, ut ex dictis liquet,* S. Lamberti *reditum ex monaſterio ad epiſcopatum ſuum refert ad annum Chriſti* 687. *Neque aliud præferunt etiam Stephani verba; niſi fortè hic contra communem uſum per* monarchiam regni *ſolius Auſtraſiæ moderamen intellexerit; quam Pippinus tamquam militiæ dux tutabatur adversùs Theodoricum, cui Auſtraſii parere aliquot annis detrectârunt.*

non anno 687,

C

83 *Contrà verò nihil obſtat, quo minùs Godeſchalci, proximi rebus geſtis biographi, dicta accipiantur de majoratu-domus ſolius Auſtraſiæ, quo Pippinum per initam anno* 681 *pacem potitum eſſe diximus. Nam cùm eum non monarchiam adminiſtrâſſe, ſed tantùm* ſuper plurimas regiones & civitates ſitas in Europa *principem fuiſſe dicat, ejus dicta de ſolo majoratu-domus Auſtraſiæ commodè accipi poſſunt: atque ita omnino accipienda eſſe exiſtimo. Etenim ſi* S. Lamberti *exſilii finem, quod ſeptennio toleravit, uſque ad annum* 687 *differamus, initium quoque ejuſdem anno circitèr* 680 *illigare oportebit. Tum verò qua ratione tam Godeſchalcus, quàm Stephanus ſecummetipſis conciliari poterunt? Ex eorum enim ſententia,* cùm interfectus fuiſſet ab impiis glorioſus rex Childericus (*anno ſcilicet* 673, *ut putat Pagius cum Coïntio, vel* 675, *ut Henſchenius,*) tunc invidus omnium bonorum diabolus feſtinus inſurrexit contra beatum Virum, ... ut eum de ſede pontificali ejicerent; *&* mox, *ut ſecundus loquitur,* ... invidiæ pondus & odium adversùs Dei famulum commovit Lantbertum, *ejecitque è cathedra epiſcopali. Verba utriuſque dedimus num.* 59 *&* 60.

ſed anno 681 *vel* 682,

84 *Similis difficultas in Nicolai ac Sigeberti dictis occurrit: nam & hi ambo ſancti Præſulis exſilium inter prima Ebroïni ſcelera poſt Childerici necem recenſent, licet tempora confundentes, ea, quæ poſt acciderunt, eidem exſilio ſine temporum ratione præmittant. Deinde ſic non potuit, contrà ac duo poſteriores biographi aſſerunt, admittuntque neoterici critici, Sanctus noſter ab Ebroïno expelli; ſed vel à Dagoberto II rege, anno* 678, *aut certè non ſeriùs, quàm anno* 680 *mortuo, vel poſt ejus necem, dum Martinus cum Pippino, vel hic ſolus Auſtraſianæ militiæ ducatum gerebat, quod neutiquam admittendum eſt. Dixi,* à Dagoberto: *nam huic ut ceteras paſſim Auſtraſiæ civitates, poſt Childerici necem, & pſeudo-Chlodovei repulſam, Trajectum paruiſſe, ſolidè probat Henſchenius in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 2, *cap.* 8, *& in Exegeſi in eamdem Diatribam, cap.* 3 *ante tomum* III *Aprilis, conſentiente Pagio in Critica ad annum Chriſti* 674, *num.* 14 *& ſequenti.*

quo Pippinus major-domûs Auſtraſiæ

E

ad epiſcopatum ſuum revocavit;

85 *Credimus itaque hujus exſilii finem in annum Chriſti* 681 *vel ſequentem incidiſſe, ad quem ab anno* 674 *vel* 675 *ſeptem anni numerantur, quos* S. Lambertus *inter Stabulenſes monachos exegit. Tum enim Pippinus, ut diximus, per initam cum Theodorico & Waradone pacem majoratu domus regiæ apud Auſtraſios pacatè fungens, ad reparanda eccleſiæ damna animum adjeciſſe, ſanctumque Epiſcopum in ſedem ſuam reſtituiſſe videtur. Eamdem ſententiam tuentur Coïntius & Pagius, quorum primus ad citatum annum* 681, *num.* 64, *alter ibidem num.* 31, *præterea cenſent, occaſionem* Lambertum *reſtituendi Pippino tunc obtigiſſe, quòd inter ceteras civitates Auſtraſianas, quæ vi coactæ Ebroïnianis partibus eò uſque adhæſerant, Trajectum cum univerſa ferè diœceſi per dictam pacem ad Pippini ſortem acceſſerit. Et in hac quidem opinione faciliùs intelligitur, cur Sanctus toto ſeptennio exſulaverit; verùm cùm ex ſuprà dictis Trajectum jam aliquot antè annis Dagoberto paruerit, nec aliunde ſciamus, eamdem civitatem poſt hujus cædem ab Ebroïnianis occupatam fuiſſe, iſta aſſertio non ſatis veriſimilis eſt. Ad hæc non advertit Pagius, qui ad annum* 674, *num.* 12 *& ſeqq. contra Coïntium cum Henſchenio aſſeruerat, Trajectum Dagoberto adhæſiſſe.*

factus, Sanctum poſt ſeptennium exſilii

F

86 *Videtur igitur* S. Lambertus *non diu poſt Childerici regis cædem è cathedra ſua ab Ebroïno, qui magnam partem Auſtraſiæ ſuis partibus adjunxerat, ejectus eſſe, & in exſilio commoratus,*

quam-

A *quamdiu Trajectum Ebroino primùm ac deinde etiam Dagoberto paruit. Causa autem, cur Dagobertus tam ſanctum Præſulem non revocaverit, incomperta mihi eſt; niſi fortè quòd Dagobertus abhinc aliquot annis ex Hibernia, ubi ipſe quoque exſulaverat, regreſſus, in regno ſuo haud ita pridem obtento nihil innovandum cenſuerit, aut quòd Sanctus ipſe inter Auſtraſiæ optimates, ut ſæpe accidit, adverſarios habuerit, qui ejuſdem reſtitutionem impedierint. Quod ad Faramundum attinet, ſcribit Nicolaus canonicus in Vita num.* 30, *illum pàcatis per Pippinum regni rebus, de epiſcopatu peſſimè occupato, nec meliùs geſto ſibi conſcium, cùm epiſcoporum judicium formidaret, ſponte ſua fugiſſe, & nemine cogente, ſedem vacuam reliquiſſe.*

& Faramundum expulit.

87 *Sed hìc, ut ſæpe aliàs, à vero deviat Nicolaus: Godeſchalcus enim, Stephanus & Sigebertus diſertè docent, Faramundum è ſede, quam invaſerat, dejectum, totâque provinciâ expulſum eſſe.* Pòſt ſeptem annis expletis, *inquit Godeſchalcus*, depoſitus eſt Faramundus de ſede pontificali, & ejectus eſt de provincia Trejectinſe. *De eo-*

B *dem Stephanus num.* 23 *ait:* Interea infelix pervaſor eccleſiæ Trejectenſis, Faramundus ... ſuis exigentibus culpis, plurimorum criminatus conviciis, expulſus eſt à pontificali cathedra, & ab eadem ejectus provincia. Septem quippe annis præfuit ibi ſolùm nomine, nulla tamen die actionis profuit opere. *Sigebertus denique ſic habet:* Cui (*Pippino Heriſtallo*) inter alia hæc laudis materies occurrit: Trajectenſis mercenarius Faramundus tandem juſtâ cleri & populi abdicatus ſententiâ, non tantùm ab eccleſia Trajectenſi, ſed etiam ex tota provincia expellitur.

Ejecto Faramundo, ſanctus

88 *Quanta cum exſultatione à grege ſuo exceptus fuerit ſanctus Præſul, quidque ſuis redditus mox præſtiterit, videri poteſt apud biographos, neque commentatione eget. Quapropter anonymi poëtæ de hiſce verſus hìc tantùm ſubjungo.*

Expletis igitur ſeptem feliciter annis,
Ex quo cœnobium jam dictum Sanctus adivit,
Rumor habens alas Faramundum narrat abîſſe,
Abjectumque foràs, patriæ ac de limine pulſum.
Tunc plebs & clerus ſuſtollit ad æthera voces,
Et clamore preces volitare per altà videres
Nubila, lector, ibi tandem ſi fortè fuiſſes.
C Depoſcunt ovium balatus undique mites,
Ut reddatur eis Landberti gratia ſancti,
Paſtoris priſci ſub eorum vocibus apti.
Iſta per alta meat, per rura, per infima curſat
Vox penetrans omnes ſecreti flaminis aures.
Tunc Pippinus erat princeps regionibus illis,
Ad quem fama Viri celeri delapſa volatu
Intrat & exponit tanti miracula Sancti.

ſummo cum gaudio ſuſcipitur:

89 Confeſtim princeps divino tactus amore
Juſſit, ut eductum de cellæ ſedibus, aptis
Pontificem ſacrum plebis poſcentibus odis
Reſtituant, ſediſque ſuæ perdebita reddant.
Ad caulas etenim Sanctus dum ducitur urbis,
Grex illi proprius claris exultat in ymnis,
Collaudans Dominum, qui perdita reddidit illis
Latè diffuſis patriæ per plana catervis.
Inde per externas vicini regminis urbes
Maxima prægrandes dabât exultatio laudes,
Sancta quòd almifici Paſtoris cura revixit,
Et florens iterum verborum ſemina mittit.
Hinc igitur propria Landbertus ſede receptus,
Moribus eximiis, & vitæ clarus in actis,
Veſtiri ſtuduit divinæ tegmine veſtis!
Hinc indeficiens Domini ſub lege manebat,
Cujus nulla means ſuberat contagio carni,
Hanc quia divino jungebant frena timori.

AUCTORE C. S.

plebi invigilat, diœceſim luſtrat,

90 Omnibus atque horis illi cuſtodia plebis
Stabat, & ad morſus mittebat tela lupinos.
Cor oculoſque ſui divina luce repleri
Poſcebat cunctis humili ſub pectore votis,
Ut Domini plebem recto ſub calle regendam
Ejus ſub manibus ducat ſapientia mundam.
Non apud hunc viguit pravi perſona potentis,
Unde eliminium fuerat per tempora paſſus;
Sed quemcumque bonâ cernebat degere vitâ,
Huic ſolamen erat ducens ex mente paterna.
Ille quidem vivens ſancto ſub flamine pauper,
Pauperibus Chriſti tribuebat dona decenter.
Cúmque monaſteriis cœpiſſet viſere fratres,
Dans elemoſinam, cæleſtia prædicat illis;
Quidquid eis tribuit, Chriſto eſt tribuiſſe gaviſus,
Mente quidem tractans, quòd dixerit eſſe beatos
Chriſtus eos, qui ſunt miſero de corde vocati,
Clementes pariter, quos ſic clementia cinget,
Ut veniam carpant omnis pro labe reatûs. E
Ille volebat enim vili ſub veſte videri;
Sed mens tecta fuit pretioſi ſtamine fili;
Non pompare ſuum carè decorando ſedile
Quæſivit, fulgens ornatu mentis honeſtæ.

virtutibus fulget.

91 Cúmque daretur ei fulgenti veſte venuſtas
Maxima, quod ſecli præcellens quærit honeſtas,
Sæpe retruncatam ſplendenti murice veſtem
Induit, & clarum manſueſcere fecit honorem.
Hic ſubjectus erat ſerventi pectore Chriſto,
Ejus & ad laudem terreno munere prædo
Dignus honore ſacro, doctrinâ, lumine, verbo,
Corrector ſcelerum, rectorum dulcis amator,
Fortis in adverſis, humilis per proſpera pacis,
Juſtitiæ cupidus, recto non devius ulli,
Nec terrore teri potuit, nec munere frangi.
Carnem quippe Deo caſto ſervavit honore,
Atque gregem proprium condigno pavit amore.
Sollicitus plebis patrias luſtravit & urbes,
Confirmando fidem Trino de nomine natam,
Ut Patris ac Nati ſancto cum Flamine numen
Eſſe Deum credat, jam quiſquis amaverit unum;
Hic ubi manabat miſeris gentilibus error, F
Obvius aſſiſtens, firmabat pectora Paſtor.

§ VII. Apoſtolatus ejus apud Taxandros: incerta quædam de ejuſdem geſtis cum S. Willibrordo, & apud Mechlinienſes.

Taxandris idololatris

NEque intra gregem ſuum apoſtolicum Virum caritas ſua continuit, ſed ad ethnicos quoque Euangelico lumine illuſtrandos emiſit. Ampliſſimum ad hoc opus campum offerebant ipſi vicini Taxandri, quos avita barbaries idolorum cultui adſtrictos etiam tum tenebat. Taxandrorum regionis, quam alii Toxandriam, Texandriam & Theſſandriam ſcribunt, ſitum & limites Nicolaus canonicus in Vita exponit. Ac primò quidem num. 35 ejuſdem limites Trajectum versùs ſic aſſignat: Re-

AUCTORE C. S.

gio, cui Taxandria nomen eſt, ... à Trajectenſi oppido verſus Septemtrionem vix tribus milliaribus diſparatur. *Et num.* 42 *de Beliſia monaſterio, vulgò* Bilſen, *agens*, Locus iſte, *inquit*, in ingreſſu Taxandriæ poſitus, duobus à Trajecto, duobus à dirutis urbis Tungrorum muris diſtat milibus. *Fines verò ejuſdem, quà ad Septemtriones extenditur, ibidem num.* 39 *indicat, dum ait:* Fluvius Moſa Rheni fluminis aquis infectus & tumidus, jamque ſeipſo major, fontique ſuo per omnia diſſimilis, non longè à mari Anglico Taxandros & cæteros ejuſdem regionis incolas à Friſonibus dividit.

Chriſtum prædicat, non ſine vitæ periculo,

93 *Hinc Henſchenius noſter in Exegeſi de Epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi, ante tom.* VII *Maji, cap.* 12 *contra Philippum Cluverium docet, Taxandros ad dexteram Demeræ fluvii partem longiſſimè verſus Septemtrionem, ad uſque Caninefates & Batavorum confinia habitâſſe. Hadrianus quoque Valeſius in Notitia Galliæ Taxandriam à tertio à civitate Trajecto lapide uſque ad Moſæ Vahaliſque, qui Rheni pars eſt, confluentes expreſſiùs extendit. Ut verò lector minùs miretur, cur tam vicinus Tungris ac Trajectenſibus populus ad id uſque tempus, id eſt, uſque ad ſeculum* VII *jam decrepitum, in idololatria perſeveraverit, Nicolaum juverit audiſſe.* Hæc ſiquidem regio, *ait num.* 35, vaſtis & ferè continuis paludibus obſita, & ob id ne finitimis quidem aliquo commercii jure tunc ſatis nota & pervia, multitudinem agreſtis populi in ſe continebat, cujus mores barbaros ipſa etiam ſolitudo & ſuperſtitio efferaverat. *His itaque barbaris* S. Lambertus *non ſine præſenti vitæ ſuæ periculo, ut tradunt biographi, & res ipſa veriſimile facit, Chriſtum annuntiavit tam felici ſucceſſu, ut Taxandrorum apoſtolus meritò appelletur.*

B

ſed feliciſſimo eventu,

94 *Etenim teſte Godeſchalco in Vita num.* 13 *& ſeq.*, plurima templa & ſimulacra (*ibidem*) deſtruxit, *tantúmque apoſtolica ſua prædicatione effecit, ut barbari illi*, qui primùm velut ferociſſimæ beſtiæ eum diſcerpere cupiebant, poſtmodùm adtendentes ſancti Viri bonitatem, tanta manſuetudine converſi (*ſint*) & fide Chriſti confirmati..., ut ipſum imitari optarent. *Hæc eadem etiam clariùs habet Stephanus num.* 36 *Vitæ dicens:* Tunc, *poſt ſtrenuam prædicationem*, egregius Doctor & facundiſſimus Prædicator idola dejecit, populum baptiſmate ſanxit, eccleſias conſtruxit, ſacerdotes ordinavit, totamque regionem illam Chriſto Domino conſecravit, & in ſervitutem Dei in perpetuum delegavit. *Juverit anonymum quoque poëtam hîc retuliſſe ſic canentem:*

C

Poſt ubi paganis inerat veſania major
In tellure quidem, quæ fert Texandria nomen,
Illuc intrepidus fidei fervore perunctus
Ivit, & inſpiciens falſorum phana deorum,
Prædicat, æternis frangi debere ruinis,
Ut nova divinis fiant habitacula ſanctis.
Hinc quoque ſublato populis errore vetuſto,
Jam ſimulacra, malis olim conſtructa ſub annis,
Præcipitata ruunt paſſim per rura per urbes.

multis eorum converſis: in ipſius labores

95 Tunc populi fremitus gentili voce redundans
Auditur multus; ſed non perterritus aſtas,
Sancte Dei Landberte, potens per verba, per actus.
Nam quicumque priùs ſuccenſi mente furoris
Advenere ſimul Sanctum diſcerpere vivum,
Auditis fidei verbis de munere Trinæ,
Abſceſſêre, ſatis Chriſto de corde fideles.
Uſus barbaricus ſic eſt abjectus ab illis.

Per hanc porrò S. Lamberti *prædicationem magna ad diœceſim Trajectenſem facta eſt acceſſio, de qua Nicolaus ſeculo* XII *in Vita num.* 41 *hæc ſcripſit:* Tota itaque regio illa, quæ diverſa ab incolis ſuis ſortitur vocabula, & quæ curſu Moſæ dextro latere uſque in Septentrionalem oceanum porrigitur, apoſtolatui martyris Chriſti Lamberti debet, quòd errorem ſuum cognoſcere, & quòd Chriſtianæ fidei gratiam obtinere meruerit; & ideo Leodienſi parochiæ, ſicut hodie cernimus, ſubdita eſt. *Haud ſcio tamen, an ſoli* S. Lamberto *debeatur, & non aliquam partem S. Hubertus, ejuſdem in epiſcopatu & apoſtolicis laboribus ſucceſſor, ſibi meritò vendicet. Etenim in ipſius Vita ab ejuſdem diſcipulo conſcripta, editaque à Surio ad diem* III *Novembris, inter populos ab eo converſos ad fidem Taxandri recenſentur. Verba biographi ſubjungo.* D

ſucceſſit poſtea S. Hubertus.

96 Omnem namque Arduennam, hiſce (*idolorum*) cultibus hactenus mancipatam, in brevi ſacrilega ſervitute liberam, famulitio Domini ſubjugavit. Si qui autem faceſſenti generali idolorum cultu ſupereſſent, qui more ſacrilego aut pulveris eorum reverentiam haberent, vel cætera hujuſmodi obſervari debere, uſu nefando putarent, hos ad ſe deductos triennii pœnitentiâ plectebat; ſicque prælïator Domini in fines eorum ſtrenuè adverſarias inſequendo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longè latéque ampliavit, ita ut Taxandria & Brachbante, eorum detegendo inſidias, eos penitus annullaret, effigieſque eorum populi, Chriſti gratiâ illuminati confringerent, & penitus abdicarent *&c. Utut eſt, conſtat*, S. Lambertum *Taxandriæ apoſtolum meritò audire, eidemque velut auctori magnum illud, cujus Nicolaus meminit, diœceſis Trajectenſis, nunc Leodienſis augmentum deberi, quæ lapſu temporis ac præſertim ſeculo* XVI *per novam epiſcopatuum in Belgio erectionem multùm mutilata eſt.* E

Non ſatis certa ſunt, quæ Nicolaus tradit

97 *Nicolaus in Vita num.* 39 *& ſequentibus auctor eſt*, S. Lambertum *Euangelii lumen etiam ulteriùs Septemtrionem versùs, ad finitimos Taxandriæ Friſiæque populos tranſtuliſſe. Poſt narratam enim Taxandrorum converſionem ita progreditur:* Deſcendit Euangelicæ prædicationis gratiâ ad populos ipſi Taxandriæ finitimos, quò fluvius Moſa, Rheni fluminis aquis infectus & tumidus... non longè à mari Anglico Taxandros & cæteros ejuſdem regionis incolas à Friſonibus dividit. *Sic ipſe veterem Caninefatium ſedem Batavoſque deſignat. Deinde ſubjungit, S. Willibrordum, qui à S. Sergio I. Papa epiſcopus ordinatus, eodem tempore in caſtello, quod Ulterius Trajectum dicitur, Chriſti fidem etiam Friſonibus prædicabat, ab eo conventum fuiſſe, hoſque duos viros, collatis invicem conſiliis, apoſtolico muneri ſtrenuè vacâſſe. Sed & locum, in quem* S. Lambertus *neophytis prædicandi gratiâ cum eodem Sancto convenire ſolebat, ex veterum traditione in pago* Teſtebranto *ſitum fuiſſe affirmat.* F

de conjuncta SS. Lamberti & Willibrordi opera

98 *Verba ejus accipe.* Si antiquorum relationi creditur, locus eſt in pago, quem Teſtebrantum dicunt, haud longè à Moſa, aliquanta arborum amœnitate inumbratus, ad quem B. Lambertus, adſcito in opus Euangelii viro Dei Willibrordo, ſolitus erat ſæpius deſcendere, & confluentibus ad ſe noviter baptizatorum turbis opera Chriſtianæ religionis exponere, annuncians eis, quia, ut ait Apoſtolus, "Fides ſine operi-„bus mortua eſt.„ *Eumdem denique locum, dum iſta ſcriberet, eccleſiâ* S. Lamberto *ibidem olim*

ex-

A *exſtructâ, annuoque populi confluxu celebrem fuiſſe, tradit his verbis:* In eodem loco eccleſia in honorem B. Lamberti dedicata tantæ hodie venerationis eſt apud incolas regionis illius, ut ſingulis annis illuc ad impetranda Martyris beneficia concurrentes, etiam ipſas arbores, quæ atrium opacant, ferro attrectare ſacrilegium reputent. *Henſchenius in Exegeſi ante tomum* VII *Maji, cap.* 12 *notat, in diviſione regni Lotharii anno* 870 *facta, comitatum* Teſtrebant *nominari, quem ipſe Caninefatibus adſcribit. De eodem pago Hadrianus Valeſius in Notitia Galliæ ex Godefrido Wendelino, canonico Tornacenſi, obſervat,* Teſtrebantum vel Teiſterbant dici, quaſi Taxandriæ limitem.

in prædicatione Euangelii,

99 *Vix dubitare poſſum, quin S. Willibrordus ante ſuſceptum epiſcopatûs ordinem* S. Lamberto *notus jam fuerit. Ita mihi ſuadet Alcuinus in ejus Vita apud Surium ad diem* VII *Novembris, ubi dicitur Pippinus Heriſtallus S. Willibrordum benignè exceptum, ad prædicandum in Auſtraſia verbum Dei aliquo tempore detinuiſſe, antequam eumdem pro obtinenda epiſcopali conſecratione Romam ad Sergium Papam deſtinavit. Alcuini verba ſubjungo.* Qui (*Pippinus ſcilicet*) eum cum omni
B honore ſuſcipiens, ſed nolens tanto doctore ſe vel ſuam privare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni ſui prævidit, quò potuiſſet idololatriæ ſpinas extirpare, & puriſſima verbi Dei ſemina per munda novalia abundantiùs ſpargere. *Morabatur autem Pippinus ordinariè in diœceſi Trajectenſi, nec procul à Trajecto; Heriſtalli ſcilicet, ubi palatium habuit. Hinc veriſimile non eſt, iſta ſine conſilio* S. Lamberti *ejus regionis epiſcopi, cujus ſanctitas & apoſtolicus zelus Pippino utique perſpecta erant, facta eſſe; niſi fortè ſanctus Epiſcopus eo ipſo tempore procul à ſede ſua Taxandris prædicaverit.*

de qua nihil habent ceteri biographi.

100 *Idem S. Willibrordus, Pippino petente, à Sergio I Papa anno* 696 *in feſto S. Cæciliæ epiſcopus Friſonum Romæ conſecratus eſt, & ad prædicandum iiſdem Euangelium remiſſus, uti in hujus ſancti Pontificis geſtis ad diem* IX *Septembris,* § 6 *Commentarii prævii ex Beda probatum eſt. An eodem tempore, quo ipſe in caſtello Ulterioris Trajecti & apud Friſones apoſtolatu fungebatur,* Lambertus *ad poſtremos Taxandros tranſgreſſus fuerit, mihi incompertum eſt; verumtamen nihil*
C *occurrit, unde Nicolai aſſerta de communicatis collatiſque ab utroque ſancto apoſtolo conſiliis, actiſque in Teſtebranto, erroris convincam, aut confirmem. Favet tamen ipſi traditio ab eo laudata, eccleſiaque & annuus ad eam concurſus populi, ſua ætate frequentata. Sed cùm neque* S. Lamberti, *neque Willibrordi antiquiores biographi ea de re quidquam annotatum reliquerint, non poſſum ſoli Nicolao, ab utriuſque ætate longiùs remoto, indubitatam fidem habere.*

Creditur Sanctus etiam prædicâſſe

101 *Taxandriæ contigua eſt Brabantia noſtra, in qua Mechlinienſis eſt ager, ubi* S. Lambertus *pariter prædicâſſe putatur. Certè Cornelius van Geſtel tom.* 1 *Hiſtoriæ ſacræ & profanæ archiepiſcopatûs Mechlinienſis, pag.* 23 *ſcribit, eum à Mechlinienſibus velut ſuum ante adventum S. Rumoldi apoſtolum honorari.* Certum (*eſt inquit*) S. Lambertum, Tungrorum epiſcopum, Chriſtianæ fidei lucem hîc (*Mechliniæ*) & in vicinis locis ingenti virtutum exemplo, prædicatione & miraculis invexiſſe; eaque ratione Taxandri & Malinates S. Lambertum omnes ut apoſtolum ſuum venerantur... Imò fertur Mechliniæ Deiparæ ædes, nunc parochia & collegiata eccleſia, dignitate & civium numero ſecunda, ab eo in Mechlinia veteri conſecrata. Jactant denique Muſena, Battela & Zempſa (pagi ſunt in Vicinia Mechliniæ) ſuas quoque olim à S. Lamberto dicatas eccleſias. Porrò poſt ejus mortem ad reliquias ſuperſtitionis, quas vix penitus dimiſerant, rediere. AUCTORE C. S.

Mechlinienſibus, apud quos, ut loci apoſtolus

102 *Huc pariter ſpectant, quæ Sollerius noſter in Corollario ad Acta S. Rumoldi ſeparatim edita, cap.* 1 *refert in hunc modum:* Ceterùm eo loci (*in vico Malinas*) miſſionem ſuam, ſeu, ut loquitur Baldericus, eremiticam vitam adorſus eſt ſanctus Mechlinienſium patriarcha Rumoldus, alter iſtius regionis apoſtolus poſt S. Lambertum. Hunc Chronica Mss., aliaque in Commentario prævio adducta teſtantur, etiam Mechliniæ, vel ſaltem ubi Mechlinia ſubinde condita eſt, vicinique locis fidem annuntiâſſe; adeò ut colli apud Hof-ſtade nomen ſupereſſe dicatur S. LAMBRECHS-BERG (*Latinè* Mons S. Lamberti *eſt*) quòd ex eo colle gentilibus prædicaverit. Certè in ſumma olim veneratione apud Mechlinienſes fuiſſe S. Lambertum, ſive quòd primus eorum apoſtolus fuerit, ſive quòd Leodienſem eccleſiam ut dominam agnoſcerent, clariſſimè datur intelligi non ſolùm ex ſacello ei dedicato, ſed ex formula civici juramenti, ex urbis Regeſtis mihi à nobiliſſimo Cuypero communicati, quod ad finem uſque ſeculi XVI uſitatum fuiſſe, certiſſimum eſt. Hoc ſe civitate donandus obſtringebat Dº. S. LAMBERTO, Dæ. S. MARIÆ, REGI ET URBI FIDELEM FORE. E

antiquum cultum obtinet,

103 Pingi ſolitus erat in habitu pugnantis equitis, tamquam ejus ductu & patrocinio Normanni devicti & fugati fuerint. Eumdem ſanctum Muſenis idolum evertiſſe volunt, ejectiſque idololatris, clericos ſeu canonicos ſubſtituiſſe, qui deinde S. Rumoldo ſeſe aggregaverint; quo nomine intelligendæ veniant DEO MILITANTIUM COPIÆ ILLIC ADUNATÆ, de quibus tam diſertè meminit Theodoricus, *S. Rumoldi biographus. Hactenus Sollerius. Conſequenter ad hanc de prædicato apud ſuos per* S. Lambertum *Euangelio, archidiœceſis Mechlinienſis hodiéque celebrat diem ejus natalem Officio ritus duplicis, in cujus lectione* V *de eodem leguntur ſequentia:* Martyrii cupidus, ad Taxandros, Brabantos, alioſque finitimos populos digreſſus, eos jugi prædicatione & admirabili patientia ad Chriſtum convertit. *Idem Officium, ſed ritu tantùm ſemiduplici in proxima diœceſi Antverpienſi legitur. In Leodienſi quoque Breviario, anno* 1636 F *excuſo, ad diem* XXVII *Octobris exſtat Officium de S. Rumoldo, in cujus lectione* IV *iſte* Lamberti *apud Mechlinienſes apoſtolatus pariter aſſeritur, verbis, quæ ſubdo.* Inde pervenit (*S. Rumoldus*) ubi Scaldis fluvius ad Mechliniam ſe in mare exonerat; ibique Chriſti fidem, per S. Lambertum epiſcopum plantatam, ſic rigavit, ut poſt ipſum apoſtolus Mechlinienſium habeatur. *Obiter tamen obſerva, perperam hîc dici, Scaldim fluvium, qui Mechliniam non alluit, ibidem in mare exonerari.*

& quædam patrâſſe narratur,

104 *Addo denique Latinè, quod ex quodam Ms. Chronico Mechlinienſi, Flandricè exarato, Tungris apud canonicos Regulares deſcripſit & ad hunc diem ſepoſuit Papebrochius noſter.* Cùm S. Lambertus audiret, Danos in Mechlinienſem agrum irruiſſe, Muſenas profectus eſt, ubi idoli templum ſtabat, ut dicitur; ibique multa miracula patravit. Templum hoc etiam ſupererat anno MD, jamque eſt S. Lamberti eccleſia. Collegit populi turmam, & infidelibus obviavit, qui ad fluvii ripam caſtra metati erant in monte, nunc dicto BATTEL à commiſſa ibi pugna (*pugnam vulgus* Battallie *dicit*) fugavitque eos. In cujus

AUCTORE C. S.

jus rei memoriam S. Lamberti ecclesia ibidem visitur. Præterea legitur prope sacellum extra portam dictam Audogems puerum sanâsse, qui lapsus fuerat in cultrum, quem extraxit. Post multa pia opera, Mechliniæ exhibita, clericos & presbyteros ibi reliquit; ac propterea etiam ecclesiam ibidem fuisse necesse est. Cumque Mechlinia tunc ad unam fluvii (*Diliæ*) ripam in agro Grimbergensi sita esset, oportet eam fuisse ecclesiam S. Mariæ. Etenim si alia quædam tunc exstitisset, ejusdem aliqua memoria supereſſet. Prima, quam S. Lambertus dedicavit, ecclesia fuit Musenis, ex qua canonici S. Rumoldi originem ducunt.

partim fabulosa,

105 Nullus ante ipsum alius episcopus ibidem prædicâsse legitur; quia verò is regionem adversùs infideles tutatus est, Mechlinienses eum pro tutelari habent, & effigiem ipsius instar equitis gladio manus armati exhibent... Anno MCCCIV S. Lamberti nomen formulæ juramenti, quod civitas præstat aut admittit, insertum est, & vetusta S. Lamberti memoria renovata, additaque S. Mariæ Magdalenæ, veteri patronæ, antequam S. Lamberti nomen celebre evasisset. *In*

B

hisce multa falsa incertaque veris immixta sunt: cujusmodi in primis est ista contra Danos vel Normannos pugna, qui S. Lamberti *ætate in hasce partes nondum venerant. Quam ob rem isti fabulæ fingendæ occasionem fortè dedit longissimo post Sancti obitum tempore ejusdem auxilium adversùs eosdem barbaros à Mechlinienſibus feliciter imploratum, unde equestris ejus effigies etiam potuit oriri. Quod de Musenensi templo ait, infirmare non possum, nec certò admittere; cùm vetustatis amor multa hujusmodi soleat fingere, & Chronicon istud, quod ad annum usque* 1530 *pertingere annotavit Papebrochius, ad id persuadendum minime sit idoneum.*

partim incerta.

106 *In ea quoque Diliæ ripa S. Mariæ ecclesiam jam tum fuisse, parùm est verisimile ex iis, quæ Sollerius variis in locis tam Commentarii prævii, quàm Corollarii ad Acta S. Rumoldi, de illius temporis Mechliniæ situ statuque disseruit. Verumtamen ex Trajectensis civitatis vicinia satis verisimile est,* S. Lambertum, *ut Taxandriæ incolis, ita etiam Mechlinienſibus aliisque Brabantis Christum annuntiâsse, ideóque eumdem tamquam suum, ante S. Rumoldum, apostolum non immeritò ab illis honorari. Quot porrò annos sanctus Episcopus Taxandris & ceteris convertendis impenderit, nusquam reperi. Ceterùm Sigebertus & Nicolaus deinde agunt de pio S. Landradæ in Belisiensi suo parthenone obitu, apparitione & sepultura per* S. Lambertum *mirabiliter curata, de quibus cùm hîc nihil præterea annotandum habeamus, laudati biographi consuli possunt: nos ad ejusdem Sancti martyrium progredimur.*

C

D

§ VIII. Sancti martyrium, de cujus tempore variant sententiæ, anno 709 probabiliùs illigandum: fabulæ de SS. Sergio & Huberto: responsio ad argumenta objecta.

Martyrium ejus, quod sæculo VIII *contigit.*

DE S. Lamberti *martyrio duo controversa sunt, causa & tempus, quorum ultimum præsenti § examinabimus. Scriptor Vitæ S. Huberti, ejusdemque discipulus vel familiaris, in Vita à Surio edita ad diem* III *Novembris diserte asserit,* S. Lambertum *proximum ejus decessorem* Pontificalem apicem apud urbem Tungrensem quadraginta annis strenuè *tenuisse. Totidem annos in episcopatu ipsi tribuunt Nicolaus in Vita num.* 73 *& Sigebertus pariter in Vita tam edenda num.* 63, *quàm in edita nomine Reneri cap. ultimo, aliique. Quadraginta hosce annos incompletos interpretatus est laudatus Sigebertus, qui eum* anno episcopatus sui XL *martyrium subiisse scripsit; idque S. Huberti biographo conformius est, quia alioquin tam pauci menses ad complendum annum quadragesimum primum defuissent, ut annos quadraginta & uno potiùs, quàm quadraginta tantùm exegisse ab illo dici debuisset. Hinc pro varia de episcopatûs illius initio opinione eruditi annum ejusdem emortualem fixerunt. Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis Sec.* 3, *part.* 1, *pagg.* 66 *&* 77 *eædem ejus circa annum* 708 *reposuit, quem tom.* 2 *Annalium ad eumdem annum num.* 1, *uti & Coïntius, determinârunt, repetito ab anno* 668 *istorum* 40 *annorum initio; quod & alii fecerunt, quos nil interest nominâsse.*

E

anno Christi 709

108 *At Pagius in Critica ad annum Christi* 698 *num.* 1 *non alteri, quàm anno* 707 *martyrium istud illigandum contendit, tum quòd S. Theodardum anno* 667 *occisum esse, eodemque* Lambertum *ipsi successisse, tum quòd hujus Sancti corpus Trajecto Leodium anno* 720 *translatum esse crederet; quod utrumque ad diem* X *Septembris in S. Theodardo* §. 3 *refutatum jam est, & nos, quantùm ad ultimam partem attinet, infrà* § 13 *refutabimus. Sed nec annum* 708 *pro emortuali certò assignare audemus. Cùm enim ex dictis num.* 45 *non satis constet, an S. Theodardus mense Septembri anni* 668, *an* 669 *martyrio coronatus sit, incertum pariter est, utro è duobus annis* S. Lambertus *in episcopatum ejusdem successerit, adeóque utrùm ad annum usque* 708, *an* 709 *supervixerit. Quam ob rem dum aliunde non suppetunt certa pro alterutro anno determinando argumenta, is pro Sancti emortuali habendus est probabiliùs, quocum cetera antiquissimorum biographorum dicta faciliùs possunt componi, quique minus difficultatis creat. Hunc verò esse annum* 709 *infra* § 10 *num.* 147 *& seq. probabimus, ideóque hunc veluti probabiliùs Sancti supremum in margine annotavimus: sancti enim Huberti biographo, à cujus auctoritate nihil nos recedere cogit, omnino standum existimamus.*

F

probabiliùs innectendum est.

109 *Non eadem tamen, ut dixi, scriptoribus omnibus hac super re est sententia. Henschenius no-*

A *noſter, licèt tam diuturnus* 40 *annorum epiſcopatus ipſi diſpliceret, in Diatriba tamen de Epiſcopatu Trajectenſi lib.* 2, *cap.* 6 *martyrium ejuſdem ſtatuendum cenſuit* anno DCCVII, aut etiam ſeriùs, uti dicetur, *inquit*, XVII Septembris. *Rurſum in S. Amando tom.* 1 *Februarii pag.* 837, *num.* 104 *idem illud ante annum* 707 *figi non poſſe pronuntiavit. Verumtamen in Exegeſi de epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi, tomo* VII *Maji præfixa, cap.* XI *in eâdem ſententia vacillans, ait:* De anno cædis non ſatis conſtat. Præ reliquis placet, quòd in codice Ms. Aureæ-Vallis ſcribitur paſſus anno ſecundo Childeberti regis, qui foret annus Chriſti DCXCIX: neque hinc multùm abeſt Sigebertus in Chronico, aſſerens paſſum anno DCXCVIII. Sed ea accuratiùs erunt diſcutienda XVII Septembris, die ejus natali. *Ad ejuſdem ſeculi* VII *finem etiam multi alii ſcriptores, præſertim rerum Leodienſium, mortem illius referunt, ſed ex alio prorſus, quàm Henſchenius, capite, aliâque nixi hiſtoriâ, quam ipſe non uno loco inter commentitia rejecit.*

Quæ de cæde ipſius S. Sergio Papæ revelata

110 *Narrat ſcilicet Nicolaus in Vita num.* 55, *S. Hubertum, ſuadente* Lamberto, *ad Apoſtolorum limina Romam adiiſſe, quo tempore S. Sergius I Cathedram S. Petri ibidem tenebat. Deinde num.* 73 *& ſequentibus ſcribit*, S. Lamberti *martyrium eodem tempore, quo contigit, laudato Sergio per angelum nuntiatum eſſe, ipſique ab eodem imperatum, ut virum, Hubertum nomine, quem eodem die in baſilicam ſanctorum Apoſtolorum principum introëuntem ex certis ſignis agnoſceret, ſancti Martyris in epiſcopali ſede ſucceſſorem ordinaret. Addit præterea, paſtoralem ejuſdem* S. Lamberti *virgam, ſeu pedum, ne qua dubitandi ratio ſupereſſet, Pontifici ab eodem angelo traditum, & conſequenter Hubertum à Sergio agnitum & epiſcopum conſecratum eſſe. Unde verò hæc hauſerit Nicolaus, ſic indicat:* Qualiter autem à Papa Sergio eodem die cognitus (*S. Hubertus*,) & de nece dilecti magiſtri ſui Lamberti per ſignum baculi ejus certior ſit factus, ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, libellum illum relegat, quem à viris fidelibus editum de vita & converſatione ipſius Huberti ante epiſcopatum, à pleriſque apud nos & haberi & legi non eſt dubium.

C *conſecratoque per eumdem S. Huberto narrantur,*

111 *Libellum hunc edidit Joannes Roberti Societatis Jeſu presbyter in Hiſtoria S. Huberti, in cujus capite* 3 *non modò ea, quæ ex Nicolao mox attigimus, referuntur, verùm etiam alia non minùs mirabilia narrantur. Nam teſte anonymo illius ſcriptore, dum S. Hubertus epiſcopale munus deprecaretur*, ecce omnibus divinitus pontificalibus B. Lamberti induitur, quæ ſubitò à loco martyrii ab angelis tranſlata ſunt ei. Cúmque iſtis induto ſola ſtola defuiſſet, ſtatim ſtola ſerica alba auroque contexta Huberto per angelum à beata Virgine Maria, eccleſiæ Tungrenſis patrona, eſt tranſmiſſa. *Nicolaum deſcripſit Ægidius Aureæ-Vallis monachus in Additionibus ad Anſelmum, cap.* 21 *in S. Huberto, eumdemque vel citatum anonymum Fiſenus tam in Hiſtoria, quàm in Floribus eccleſiæ Leodienſis ſequendum exiſtimavit. Porrò cùm laudatus S. Sergius initio ſeculi* VIII, *anno ſcilicet* 701 *vel* 702 *obierit, ut in hujus Commentario ad diem* IX *Septembris probatum eſt, varii* S. Lamberti *martyrium ad ſeculi* VII *finem retulerunt, ſed ad diverſum tamen annum pro ſua item varia de epiſcopatûs illius initio ſententia.*

112 *Sigebertus in Chronico, ubi initium illud anno* 658 *affixerat, Sancti cædem, additis* 40 *epiſcopatûs annis, ad annum* 698 *repoſuit; quod & Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, & utrumque ſecutus Baronius in Annalibus fecerunt. Bucherius verò in Chronico epiſcoporum Trajectenſium & Leodienſium, & Miræus in Faſtis Belgicis epiſcopatum anno* 656, *necem* 696 *innexuerunt. Verùm tota illa de SS. Sergio Hubertoque narratio jam dudum velut fabuloſa exploditur ab eruditis, inter quos ſunt Henſchenius in Diatriba de epiſcopatu Trajectenſi lib.* 3, *cap.* 9, *Mabillonius Sec.* 3 *Benedict., part.* 1 *in Annotatis ad vitam* S. Lamberti, *Cointius ad annum Chriſti* 708, *num.* 43, *Pagius, & quotquot denique Sancti noſtri martyrium ad ſeculum* VIII *aliquot annis jam inchoatum referre non dubitant. Conſuli etiam poteſt in opere noſtro ad diem* IX *Septembris Commentarius prævius de eodem S. Sergio* § 6, *ubi iſta ut antiquioribus ignota, meritòque ſuſpecta habita ſunt. Ego verò eadem certæ falſitatis arguere non dubito, cùm ex ſuprà dictis certum ſit, S. Sergium aliquot annis ante* S. Lamberti *martyrium obiiſſe. Deinde quis tanta prodigia credat incerti temporis fideique ſcriptori* E *anonymo, dum de iiſdem altùm ſilet ejuſdem S. Huberti biographus, ipſius diſcipulus aut familiaris, quique propterea hæc nec ignorare potuiſſet, nec debuiſſet præterire.*

AUCTORE C. S. *fabulæ ſunt ab eruditis exploſæ,*

& antiquis biographis ignota.

113 *Lubet verba illius de S. Huberto ad epiſcopatum evecto ex editione Surii hìc referre.* Poſt glorioſum beatiſſimi ac præcellentiſſimi antiſtitis Lamberti à rebus humanis exceſſum, qui pontificalem apicem apud urbem Tungrenſem quadraginta annis ſtrenuè ferens, vitæ quidem exempla poſteris dereliquit, mortis autem acerbæ viriliter ferendo diſcrimina, & ſummi Paſtoris veſtigiis inhæſit, & quantum amoris circa Dominicas oves haberet, aperuit; utpote quibus & vivens vitæ contulit paſcua, & pro quibus non metuit mortis ſubire diſpendia, Hubertus venerandus præſul ejus ſedi ſubrogatur epiſcopus, cui non erat virtute ſecundus. *Ita ipſe Vitam S. Huberti ab ejuſdem epiſcopatu exorſus, laudes ejus geſtaque proſequitur, nulla mentione facta de tam prodigioſa ordinatione, quâ ad commendandam ſancti epiſcopi ſui ſanctimoniam nihil illuſtrius potuiſſet adferre. Quid cauſæ etiam fuiſſe dicemus, quòd memoratam de* S. Lamberti *martyrio* F *revelationem, per angelum S. Sergio factam, ignoraverint aut prætermiſerint Godeſchalcus, Stephanus, poëta anonymus, Anſelmus & Sigebertus: quid, inquam, cauſæ afferemus quàm quòd nihil tale acciderit?*

Reſpondetur ad argumenta pro fine ſeculi VII

114 *Non opus eſſet de hac controverſia pluribus agere, niſi exſtaret quidam libellus inſcriptus* de tempore & cauſa martyrii B. Lamberti, Tungrenſis epiſcopi, Diatriba chronologica & hiſtorica, *excuſus Leodii anno* 1679, *in quo non aſſeruntur quidem memorata prodigia, ſed* S. Lamberti *martyrium ſub S. Sergio Pontifice contigiſſe, variis argumentis defenditur. Auctorem hujus Diatribæ, qui nomen ſuum ipſi non præfixit, fuiſſe Renatum Franciſcum de Sluſe, canonicum Leodienſem & abbatem Amanienſem, atque Eminentiſſimi Cardinalis Sluſii germanum fratrem, aliunde didici. Scriptioni occaſionem dedit illuſtriſſimus Antonius Godeau epiſcopus Vencienſis, qui cùm in Hiſtoria ſua eccleſiaſtica, Gallicè edita, tam cauſam, quàm annum martyrii* S. Lamberti, *quales à Leodienſibus paſſim creduntur, cum eruditis neotericis negâſſet, laudatum Sluſium ad ſcribendas vindicias*

AUCTORE C. S.

seu dictam Diatribam excitavit. Non est meum singularia Godeau asserta, quæ ad substantiam rei non faciunt, uti &, quæ ipsis opposuit Sluſius responsa, refellere aut probare; verùm ea tantummodo referam, confutaboque, quibus hic Sancti martyrium circa seculi VII *finem, sedente in Apostolica Cathedra Sergio, collocandum esse propugnat.*

à Sluſio producta; ac primò ostenditur,

115 *Itaque cap.* 3 *adversùs Henschenium nostrum hæc ait:* Scriptores nonnulli referunt, cognitum fuisse, Deo admonente, beati Viri obitum à Sergio PP., & ab eodem B. Hubertum Martyris nostri successorem divino jussu ordinatum. Hanc narrationem fabulis accensèt Henschenius; quàm rectè, viderint alii. Antiquam tamen esse, diffiteri non potest, cùm à Nicolao, qui duodecimo sæculo scripsit, tamquam à Majoribus tradita referatur. Vixerit igitur fabulæ hujus auctor (ut hoc Henschenio concedam) ea saltem ætate, quâ recentior erat B. Huberti ordinationis memoria. Itaque si narrationi suæ fidem conciliare volebat, nisi prorsus amens fuerit, iis saltem annis eam consignâsse credendus est, quibus accidere potuerit, ne primo aspectu falsitatis redargueretur. Unde fabulosa sit, necne hæc narratio, parùm nostrâ interest, dum ex ea constet, relatam jam tum fuisse beati Martyris nostri passionem ad annos Sergii, & non Constantini, quem inter & Sergium cadunt Joannes VII *, Joannes VIII * & Sisinnius.

B

* *imò* VI
* *imò* VII

opinionem illam non esse tam antiquam, quàm velit:

116 *Respondeo, nusquam à Nicolao asseri, eam narrationem* à majoribus traditam, *aut ut talem ab eo referri; cùm tantùm dicat, eamdem legi in libello,* quem A VIRIS FIDELIBUS editum de vita & conversatione ipsius Huberti ante episcopatum à plerisque (*Leodiensibus*) & haberi & legi non est dubium. *Non soli Majores* viri fideles *sunt: sed cujus temporis hi fuerint, non indicat Nicolaus. Quinimò cùm ipse nullam narrationi suæ auctoritatem ab antiquitate vindicet, cúmque nec synchronus S. Huberti biographus, nec Godeschalcus, nec Stephanus, nec poëta anonymus, nec Anselmus, nec Sigebertus denique eam umquam vidisse vel audîsse videantur, verisimilius est, eamdem seculo* XII *antiquiorem non esse. Quid igitur mirum, si is in assignando Pontifice, quo sedente* S. Lambertus *cæsus sit, erraverit, eumque Sergium crediderit, qui tantùm septem vel octo annis ante istius martyrium è vivis excesserat? Porrò errâsse ipsum liquet ex tempore emortuali S. Theodardi, annisque quadraginta, quibus* Lambertum *episcopatum gessisse, asserit non modò S. Huberti primus biographus, verùm etiam ipse Nicolaus, aliique suprà nominati. Adde, quòd scriptor, qui tanta prodigia, antiquioribus omnibus ignota, commentus est, etiam pro ceteris nullam fidem mereatur, dum alia obstant. Ad alterum argumentum progredior.*

C

secundò, basilicam S. Lamberti,

117 Sed ne solis conjecturis (*verba Sluſii sunt*) niti videamur, certum & ἀναμφισέητον temporis illius characterem exhibere licet ex morte Grimoaldi, Pipini & Plectrudis filii, qui, ut præcedenti capite vidimus, anno Christi DCCXIV, mense Aprili cæsus fuit à Rangario IN BASILICA S. LAMBERTI, LEODICI. Scriptor Vitæ S. Huberti, ejusdem familiaris ac discipulus, narrat hanc basilicam constructam fuisse à beato viro (*S. Huberto*) circa ordinationis suæ annum XIII. Eo quippe anno B. Lamberti reliquias in illam transtulit IV Kal. Maii, cujus translationis annua festivitas solenni ritu hodiéque celebratur. Renerus monachus cæsum refert Grimoaldum paucis annis à translatione. Statue, anno saltem uno; neque enim minus potes, cùm translatio Aprili exeunte facta sit, & in Aprilem etiam Grimoaldi cædes inciderit. Nisi fingas, in ipsa reliquiarum translatione cæsum fuisse Grimoaldum, quod nullo teste probabis umquam. Igitur anno Christi DCCXIV labebatur saltem decimusquartus ordinationis B. Huberti, & illius annus primus saltem à XVII Septembris anni Christi DCC numerandus erit, quo Sergius adhuc Sedem Apostolicam obtinebat. *Hactenus ille.*

D

in qua Grimoaldus anno 714 occisus est,

118 *Admittimus Grimoaldum, Pippini Heristalli ex Plectrude uxore filium,* in basilica S. Lamberti Leodii *occisum esse: id enim Gesta regum Francorum, Historia jussu Childebrandi conscripta, auctor libelli de Majoribus domus regiæ, & Annalista Metensis, quos Cointius ad annum* 714 *num.* 1 *exhibet, unanimi consensu testantur. Annum etiam cædis & mensem ibidem sic exprimit Chronicon San-Dionysianum:* DCCXIV. Depost. Grimoaldo in mense Aprili, & depost. Pippino in mense Decembrio. *Ad eumdem annum eædem illam refert Ado in Chronico, à Sluſio laudatus, ubi etiam addit, Theudoaldum in locum defuncti patris sui Grimoaldi à Pippino substitutum esse* anno Incarnationis domini DCCXIV in mense Aprili. *Admittimus etiam auctoritatem biographi S. Huberti, secundùm quem ille* S. Lamberti *corpus* tertiodecimo anno sui præsulatus *Trajecto Leodium transtulit, &* in loco, ubi passus est, *collocavit. Sed negamus, ante conditam aut dilatatam à S. Huberto ecclesiam, nullam aliam Legiæ fuisse, quæ* S. Lamberti *nuncupata fuerit; quod & biographus Hubertinus non asserit, & cui oppositum disertè docet Godeschalcus.*

E

Leodii exstitisse

119 *Hic in Vita num.* 23 *& sequentibus de cultu ipsius in villa Legia non diu post obitum Sancti inchoato multa habet, quæ in compendium contracta subjicio.* Post hæc, *inquit*, in præfata villa Leodio infra cubiculum, ubi Sanctus Dei felicem fudit cruorem, luminaria ex divina accensa potentia resplendebant. *Subdit, virum quemdam ob furtum uxoris suæ ab eodem Sancto bis monitum castigatumque; duos item alios cæcos, divinitus jussos eamdem cellam venerari, visum recepisse.* Quo audito, *prosequitur Godeschalcus,* cœperunt homines Sanctum Dei debita ammiratione de die in diem jugiter expetere & cum magna diligentia locum illum venerari; & jam cùm basilicam populus ibidem cœpisset ædificare, auditis miraculis per universam regionem illam, quæ Dominus pro Servo suo dignatus est ostendere, omnis populus laudes dabat Deo. *Addit & virginem, Odam nomine, cæcam pariter, cùm spe ducta ad eumdem locum accederet, jamque appropinquaret, invocato Sancto, visum impetrâsse. Tum pergit:* Item ex hoc ampliùs concurrebat mistus vulgo populus utriusque sexus, senes & parvuli, ad basilicam in honore ipsius Sancti ædificandam, sicque auxiliante Deo velociter consummata est. Similiter, ubi virgo lumen ex fide recepit, credentibus in testimonium basilica in ejus nomine est constructa, & assiduè venerata.

F

diu antequam S. Hubertus

120 Etiam fideles & devoti Deum timentes, composuerunt lectum, & fabrili arte ordinaverunt illum, & sic posuerunt illum in locum, ubi jaculatus fuerat Pontifex. Ibi Dominus magnas & absque numero virtutes atque mirabilia operatus est cotidie. *Post hæc Godeschalcus Sancti apparitio-*

A *ritionem*, anni circulo *post mortem* expleto, *divinamque in Dodonem ceteroſque parricidas vindictam, ac alteram denique ejuſdem apparitionem, corpus ſuum Leodium transferri mandantis, exponit. Ac tum denique de tranſlatione acturus*; Sanctus autem Hucbertus, *inquit*, qui quondam Landeberti diſcipulus fuit, quique illo tempore in hac regione pontifex erat, auditis his miraculis,... ordinem rei diligenter inquiſivit *&c. In Ms., quod edidit Chapeavillus, cap.* 12 *eadem narrantur, & poſt relatam geminam Sancti de furto conquerentis apparitionem, poſt duos cæcos illuminatos, populique ad locum martyrii confluxum, diſertis verbis dicitur, baſilicam ibidem conſtructam jam fuiſſe, priuſquam corpus eò transferretur. Verba accipe.*

S. Lamberti corpus eò tranſtulit.

121 Poſtmodùm ibidem populus cœpit ejus honori & nomini ædificare (ex virtutum illius magnificentia & admiratione animatus) honeſti cultus eccleſiam, quæ ad augmentum dilatandæ gloriæ ejus multum profecit, ut quamvis ille locus ejus careret corpore, tamen & ex ædificio eccleſiæ pateret, & ex meritis & miraculis ipſius, quòd ibi ſemper præſens eſſet, *beneficia ſcilicet ibidem opem ſuam implorantibus à Deo impetrando. Conſonat Sigebertus in utraque Vita, in ea ſcilicet etiam, quam Reneri nomine laudat Sluſius, in cujus cap.* 25 *poſt eadem miracula legitur*: His augebatur recens veneratio novi Patroni, & accenſa populi devotio baſilicam Sancto ædificabat tanto citiùs, quanto devotiùs. *Deinde caput* 26 *ſic orditur*: Hæc Legienſium devotio adeò Domino placuit, ut jam crebrò multis Dei fidelibus cœlitus viſio appareret, ut ſanctus Martyr relatus Trajecto, martyrii loco reſtitueretur *&c. In hac igitur, qualiſcumque ea demum fuerit*, baſilica S. Lamberti Leodici *Grimoaldus Pippini filius, pro patris ſui ægrotantis ſalute deprecans, occiſus eſt Chriſti anno* 714, *poſt mortem autem Sancti quinto vel ſexto, quando ea, quieſcente etiam tum ſacro corpore Trajecti, variis miraculis à Deo illuſtrata, jam celebris evaſerat; ideóque auctor Diatribæ emortualem S.* Lamberti *annum ad Pontificatum Sergii revocandum eſſe fruſtra probare conatur ex anno cædis Grimoaldi, Sanctique tranſlationis, quam anno* 721 *vel* 722, *& menſe Decembri, non Aprili contigiſſe* § 13 *probabimus. Neque morari nos debet Reneri ſeu Sigeberti auctoritas, dum Grimoaldi cædem tranſlationi poſtponit, cùm ea minimè tanta ſit, ut rationum momentis, quæ produximus, ullo modo poſſit opponi.*

Tertium Sluſii argumentum

122 *Poſtremum argumentum pro confirmanda ſententia ſua Diatribæ auctor repetit à numero annorum, quos S. Hubertus in epiſcopatu exegit.* Ex eadem, *inquit*, S. Huberti hiſtoria confirmatur, quod aſſerimus. Illum enim annis ut minimùm triginta cathedram epiſcopalem tenuiſſe narrant ſcriptores; & res ab eo geſtæ non minus temporis ſpatium requirunt. Poſt tranſlatas enim beati Martyris reliquias Leodium ex vico ignobili, ut vocat Godeſcalcus, in civitatem erexit, tranſlata in illam epiſcopali ſede, muris cinxit, legibus ornavit, baſilicam D. Petro apoſtolo conſtruxit; & ut compendio abſolvam, ea geſſit, quæ non XVII aut XX annorum, quot à tranſlatis beati Martyris reliquiis ad ejus obitum fluxiſſe narrantur, ſed longè majus temporis intervallum exigere videntur. At hujus beati confeſſoris reliquiæ tranſlatæ ſunt anno XVI poſt ejus obitum (ut teſtatur ſcriptor, qui tranſlationi interfuit, *nempe ejuſdem S. Huberti biographus*) tertio Carlomanni regis (*id eſt Majoris-domus*,) qui cum anno Chriſti DCCXLIII vel DCCXLIV concurrit. Numera nunc retrò annos XXX & XVI, ſive XLVI, & in finem ſeculi ſeptimi ac Sergii Pontificatum incurres; *ſub quo ſcilicet & Lamberti mors & Huberti ordinatio conſequenter contigiſſe debuerunt.*

AUCTORE C. S.

nihil pariter probat.

123 *De tranſlationis tempore libens aſſentior, ſed triginta iſtos epiſcopatûs annos ex ſcriptorum, quorum nullum nominat, fide non poſſum credere. Res quoque, à S. Huberto poſt tranſlatum Legiam* S. Lamberti *corpus geſtas, non probat Sluſius tantæ molis fuiſſe, ut ea intra annum* 722, *quo tranſlationem factam eſſe dicemus, annumque* 727, *quo Hubertus obiit, fieri non potuerint. Certè nihil ejuſmodi in ipſius biographo ſynchrono & familiari legitur, multaque de hoc argumento fabuloſa à recentioribus tradi non dubitavit Foullonus lib.* 3, *cap.* 4, *ubi Hubertina Leodii mœnia ceteris commentitiis annumeravit. Ceterùm non eſt hujus loci ea fuſiùs tractare, quæ examinari refutarique latiùs poterunt ad diem* III *Novembris, quo ſanctus ille epiſcopus confeſſor colitur.*

§ IX. Cauſa martyrii alia à duobus primis biographis, alia à ceteris aſſignata.

Pro cauſa martyrii Godeſchalcus & Stephanus

A *Ltera, quæ majoris momenti eſt, à ſcriptoribus ventilata controverſia, eſt de cauſa, ob quam* S. Lambertus *martyrio coronatus ſit; dum alii primorum biographorum ſcriptis inhærere malunt, alii ſpecioſiorem lauream cum minùs antiquis ſancto Martyri adſerere. Godeſchalcus omnium primus Sancti biographus, qui ipſi aliquo tempore fortè convixit, ut dictum eſt, quique multa ſe de eo ex Theodoëno ejuſdem miniſtro, & exſilii ſocio, didiciſſe teſtatur, non aliam cædis ipſius cauſam allegat, quàm Galli ac Rioldi necem; qui cùm in eccleſiæ Trajectenſis bona homineſque impiè & crudeliter debaccharentur, ab ejuſdem ſancti Epiſcopi amicis, illo penitus inſcio, commiſſis manibus interfecti fuere. Horum enim cædem Dodo quidam, eorumdem conſanguineus, vir in Pippini Heriſtalli aula imprimis potens, tam impotenter tuliſſe dicitur, ut cum collecta ſatellitum manu ad* S. Lamberti *ædes Legiam advolaverit, nec Galli tantùm ac Rioldi percuſſores, ſed & obvios quoſque famulos, & ipſum ſanctum Epiſcopum in oratione proſtratum interemerit. Verùm cùm hæc controverſia in* S. Lamberti *geſtis præcipua ſit, operæ pretium erit Godeſchalci verba hîc retuliſſe.*

cædem Galli & Rioldi aſſignant.

125 *Hic in Vita num.* 15 *& ſequenti ſic ait*: Et jam cùm Dominus vocâſſet S. Landebertum, ut propter tanta merita dignam redderet ei mercedem, inſurrexerunt duo peſſimi homines, Gallus & germanus ſuus Rioldus, in adverſitatem ejus, ſævientes eccleſiæ ſuæ in tanta opera perverſa, ut nullus eos ferre poſſet; nec evadendi erat locus ante illos. Repleti autem amici Pontificis irâ & triſtitiâ, ac calamitate magna compulſi, & humilitate compreſſi, interfecerunt eos ex merito eorum. In diebus illis erat Dodo domeſticus jam ſupradicti principis Pippini, proprius conſanguineus eorum, qui interfecti fuerant; & erant ei poſſeſſiones multæ, & in obſequio ejus

AUCTORE C. S.

pueri multi. Cùm audiſſet autem necem proximorum, collegit magnam copiam virorum fortiſſimorum ad bellandum, moxque irruit ad interficiendum beatum virum Landebertum pontificem in villa, cui vocabulum eſt Leodio, ſita ſuper fluvium, qui vocatur Moſa. *Ita Godeſchalcus, qui deinde indignam ſanctiſſimi Viri cædem pergit exponere, nullâ aliâ martyrii causâ aſſignatâ. Nec aliam innuit Stephanus, Leodienſis epiſcopus ſeculo* X, *ſecundus, ut diximus,* S. Lamberti *biographus, qui eadem, licèt aliis verbis enarrat.*

Poëta anonymus iſti addit aliam

126 *At poëta anonymus, Stephano ſynchronus, præter allegatam cauſam, alteram ex fama memorat, Dodonis ſcilicet in Sanctum odium, ob improbatum Alpaïdis ſororis ſuæ cum rege, id eſt, cum Pippino Heriſtallo Majore domus regiæ pellicatum. Verba poëtæ, quia alibi dare non poſſum, hìc ſubdam, exorſus, ubi ſuprà deſierat.*

Sanctus enim quàm ſæpe ferens jejunia ſancta,
Intulit in noctes tetris inſtantibus auris;
Sæpe ſuis cùm viſceribus conduceret eſcam,
Clarens rorifluam præbebat luna lucernam:
B Ultima namque dies aſtabat ſemper ocellis
Illius, unde bonum fecit certamine curſum.
Eheu! muſa canens, cauſas canitura doloris!
Quis tibi flatus habet claras inducere voces
Inditus, extenſis efflans hinc inde labellis?
Stridula quæ dulces effringet tibia cantus,
Garrulitate cavas mulcens hinnitibus aures?
Saltando coràm quis & arridendo jocoſus
Hiſtrio gannitus extollet voce decoros?
Unde priùs calamis efflabas guttura plenis
Spumanti facie, mento vibrata ſubacto,
Inde redundantes adduces flaccida fletus,
Emittens tremulam lugenti pectore vocem,
Attrectare necem cantu cùm cœperis almam
Landberti ſacri diro jugulamine cæſi.

127 Ergo propinquanti ſupremæ fine diei,
nempe Pippini pellicatum cum Alpaide Cùm Sanctus Domini deberet ritè vocari,
Sacris pro meritis decorandus luce perenni;
Ecce duo fratres, nam Gallus & inde Rioldus
Nomine ſunt dicti, torta de fœce liquati,
Inſurgunt pariter, per villas atque per agros
* prædis Eccleſiæ famulos predis * & verbere preſſos
Addicunt morti; qui non tolerare queuntes,
C Dedecus id notum per amicos, perque nepotes,
Efficiunt latè Landberti præſulis almi.
Qui nimis audaces, tulit hoc cùm fama, viritim
Accenſi ſtimulis, & cordis vulnere læſi,
Atque irritati, ceu crebra pericula paſſi,
Non potuere pati tales impunè reverti.
Sperantes juſto tunc indignamine duci,
Conſurgunt citiùs, confiſi mente vel armis,
Atque adverſantes mortis miſère tenebris:
His etenim dictis ſic deliquêre coacti.
Interea domui Pippini principis auctor
Hujus erat ſceleris, dictus de nomine Dodo,
In quo fidentes, patriam vexâſſe putantur
Jam dicti fratres, ejus de carne propinqui.

128 Fertur enim trito multis ſermone, quòd eſſet
à Sancto reprehenſum: utramque etiam Præſul Landbertus diris inviſus amicis
Pravi Dodonis, pallens ob ſtupra ſororis
Illius ad regem, quam rex cum conjuge viva
Ducebat pelicem, proculcans jura pudoris.
Hinc & Dodo ſuum plùs exaltabat honorem.
Qui noſcendo neces dictorum corpore fratrum, D
Sat memor in dictis, quæ ſunt de carne ſororis,
Præſulis exitium cœpit diſquirere ſacrum,
Explorando vias, quibus hunc occidere poſſet
Atque illos pariter, noxæ quos fama dediſſet.
Ex hiſce habemus, ſeculo X *aliquot annis inchoato ſeu adoleſcente, à multis exiſtimatum fuiſſe, Dodonem ad inferendam* S. Lamberto *necem non ſola Galli & Rioldi cæde, ſed & ejus Sancti euangelica libertate in improbando Alpaidis Pippinique adulterio, incitatum fuiſſe; quod poëta anonymus amplectendum, Stephanus verò epiſcopus, velut Godeſchalco ſcriptori ſynchrono aut coævo incognitum, rejiciendum aut ſaltem prætermittendum judicavit. Utramque iſtam cauſam etiam affert, magiſque exponit Anſelmus canonicus Leodienſis, qui paulò poſt medium ſeculi* XI *ſcripſit, apud Chapeavillum in Geſtis pontificum tom.* I, *cap.* XI *in* S. Lamberto, *unde ſequentia excerpſi:* Talibus virtutum exercitiis ad glorioſum venitur martyrium, cujus cauſa duplex extitit. E

aſſignat Anſelmus canonicus,

129 Et prima quidem fuit, quòd pervaſores rerum eccleſiaſticarum duos quoſdam fratres aliqui ex beati Martyris propinquis, ipſo neſciente, interfecerant; quod eorum proximus Dodo quidam in ſanctum Pontificem cauſam ſui retorſit odii. Altera fuit cauſa, quòd Pipinus Major domus regiæ, face libidinis adulterinæ ſuccenſus, memorati Dodonis ſororem Alpaidem legitimæ conjugi Plectrudi ſuperinduxerat. De qua re Sanctus Dei Lambertus, tantum in principem perhorreſcens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat; & nunc terrores divini judicii minitando, nunc honeſtatem legalis thalami commendando, & adulterii obſcœnitatem deteſtando, hoc apud ferocem animum Vir apoſtolicus effecerat, ut jam in fornicaria minùs inſaniret. Quod ubi illa primùm ſentire potuit, furiis agitata libidinis, fratrem gemebunda per internuntios convenit, contumeliam ſibi à Sacerdote illatam memorat, ejus inſtinctu averſum à ſe conqueritur principis animum, commodius ſibi fore, Lambertum vitâ privari, quàm à tanto viro divortio ſeparari: inſidiatoris interitu hoc ſibi poſſe præſtari, quòd nullius ab invicem diſſidii deinceps infortunium poſſet interveniri. Bibit ille transfuſum à viperea ſororis lingua venenum; armat ſtatim ex domeſticis regiæ domus in necem Epiſcopi milites auxiliares, & miſer, dum in Sacerdotis necem crudeliter graſſatur, neſcit, quia ſibi æternam mortem, illi finem laborum & perpetuam pariat vitam *&c.* F

qui in altera editione Reginonem

130 *Ab hac editione Chapeavilli differt ea, quam Martenius & Durandus tom.* 4 *Ampliſſ. collect. veterum ſcriptorum à col.* 843 *curaverunt ex Ms. codice Andaginenſi, quem ante annos ſexcentos, vivente Anſelmo, exaratum fuiſſe, ac genuinum ejuſdem ſœtum eſſe, cujus editum à Chapeavillo exemplar dumtaxat compendium ſit, ibidem pronuntiant. Hìc igitur col.* 848 *& ſequenti toto cap.* 6 *nullo verbo de Alpaïde facto, unica martyrii cauſa rejicitur in Dodonem, Galli ſcilicet ac Rioldi nece ſtimulatum. Deinde Sancti cædes, ſepultura, tranſlatio Leodium & aliquot miracula memorantur uſque ad finem capitis. Tum ſequitur caput* 7 *cum hoc titulo:* Item alia de eodem opinio. Huic beatiſſimo Viro teſtimonium perhibet Regino abbas Prumienſis, ita ſcribens inter

A inter cetera in Chronicis suis, quæ à primo Incarnationis Dominicæ anno usque in nongentesimum octavum ejusdem Domini annum extendit. „ Tempore, inquit, Vigilii Papæ habita est synodus Aquileiæ contra hæreticos, qui beatam „ Mariam solùm hominem, non Deum hominem „ genuisse affirmabant; in qua synodo Catholicè „ institutum est, ut Maria semper Virgo Theothocos diceretur; quia non solùm hominem, „ sed verum Deum & Hominem genuit.

131 „ Ea tempestate claruit Lambertus Tungrensis ecclesiæ episcopus; qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpâsset: (sic „ habet alterius adhuc scripturæ relatio nobis à „ prioribus relicta,) rex Pippinus tunc temporis monarchiam regni tenens, sororem memorati Dodonis legitimæ conjugi pellicem induxerat, & suadente diabolo, licitos amores illicitis postposuerat: pro qua re hic solus auctoritate sacerdotali principem publicè adulterii arguere non reformidabat; & nunc minitando terrores divini judicii, nunc honestatem legalis thalami commendando, & contrà turpitudinem adulterii detestando, hoc apud ferocem ejus a- B „ nimum Vir apostolicus effecerat, ut jamjamque „ minùs in fornicaria insaniret. Quod ubi illa primùm persentiscere potuit, furore simul & libidine æstuans, qualis Jezabel in Heliam, vel „ Herodias in Johannem, fratrem gemebunda audiit, fratri contumeliam à Sacerdote sibi illatam „ memorat; instinctu ipsius aversum à se regis animum; mori satius esse, quàm tam honestis „ ignibus privari cum dedecore; fâxit, ut Sacerdos intereat, nullum posthac regalis thalami „ fore dissidium.

& nescio quod scriptum

132 „ Bibit ille transfusum à viperea sororis „ lingua alto pectore venenum: armat statim ex „ domesticis regiæ domus ad necem Episcopi mites auxiliarios; & miser, dum in Sacerdotis necem crudeliter grassatur, nescit, quia sibi æternam mortem, illi finem laborum & perpetuam pariat vitam.„ Hanc passionis ejus causam scriptorem Vitæ ipsius ideò tacuisse arbitror, ne, ut fit, eorum incurreret offensam, quorum majores tali notati essent infamia. *Non vacat, nec operæ pretium est hîc inquirere, an istud Andaginense exemplar genuinum Anselmi Opus sit, ut laudati editores censuerunt; sed quod ad argumen-* C *tum nostrum magis spectat, observo, non omnia ex laudata editione hîc virgulis notata Reginonis esse, sed pauca dumtaxat, eaque contra historicam veritatem turpiter truncata & avulsa à ceteris. Regino enim editionis Argentoratensis anni* 1609, *pag.* 390 *post annum* 622 *sic habet:* Hoc tempore synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei quintum universale concilium suscipere diffidit. Quæ synodus facta fuerat temporibus Vigilii Papæ contra hæreticos, qui beatam Mariam solùm hominem genuisse affirmabant, in qua synodo Catholicè institutum est, ut Maria semper Virgo Θεοτόκος diceretur; quia non solùm hominem, sed verè Deum & hominem genuit. Ea ætate (*nempe qua synodus Aquileiæ S. Sergio Pontifice habita est*,) claruit Lambertus Tungrensis ecclesiæ episcopus, qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpâsset, ab iniquissimo Dodone & aliis viris de palatio missis improvisè conclusus, intra domum ecclesiæ in Leodio vico occiditur. *Hæc Regino, nec quidquam ea de re amplius.*

laudans, Reginonis dicta

133 *Hinc autem liquet primò, quàm imperitè Anselmus, vel quisquis istius capitis septimi auctor est, Reginonis textum truncando, cum ipsi errorem affingat, quasi is synodum seu conciliabulum Aquileiense, circa annum Christi* 698, *S. Sergio I Pontifice habitum, cum concilio œcumenico V, anno Christi* 553 *sub Vigilio Papa Constantinopoli celebrato confudisset; cùm tamen idem Regino utramque synodum diserte distinxerit. Liquet secundò, quàm ineptè synodos sic confundendo,* S. Lamberti *ætatem cum Pontificatu Vigilii ejusdem capitis auctor composuerit. Liquet denique tertiò, totam illam de Pippini cum Dodonis sorore pellicatu, & inde secuta sancti Episcopi cæde historiam, quæ virgulis affecta subjungitur, à Reginone traditam non esse, sed ab alio incerti nobis temporis & fidei scriptore, qui propterea exiguum ponderis habere debet ad præsentem, quam tractamus, controversiam dirimendam. Progrediamur modò ad alios, qui eamdem historiam, sic cœptam perfecerunt, novisque adjunctis exornârunt.*

AUCTORE C. S. *fœdè confudit.*

134 *Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum Christi* 698 *Reginonis dicta, num.* 32 *relata sic interpretatus est:* S. Lambertus Pipinum principem increpare ausus, quòd pellicem Alpaïdem suæ legitimæ uxori Plictrudi superduxerit, à Dodone fratre ipsius Alpaïdis Leodii martyrizatur. *In Vita cap.* 4 *prolixiorem historiam texens, primos Sancti biographos cum ceteris, ab utrisque aliquid mutuatus, conciliare conatur, multaque reliquis eatenus incognita sic exponit, quasi ipse spectator adfuisset; quæ omnia in compendium contracta subjungo.* S. Lambertus *Pippinum de pellicatu cum Alpaïde liberè crebróque compellans, eum acriter arguit, & tantùm non ad officium reducit. Hoc audito, Alpaïs de illata sibi ab Episcopo injuria apud fratrem Dodonem conqueritur, opem & vindictam precatur. Spondet ille, & adhibitis secum potentioribus amicis, sanctum Præsulem ab arguendo sororis suæ adulterio compescere laborat. At ubi nil verbis profici advertit, Gallum & Rioldum consanguineos suos in episcopatûs familiam & bona cum armata manu immittit; quos duos, cùm Sanctus paternis monitis ab incepto cohibere frustra studuisset,* Petrus & Andolecus *vel* Andoletus, *ipso planè inscio, commissâ pugnâ peremerunt.*

Sigebertus eamdem Alpaïdis historiam, E

135 *Horum morte intellecta,* Dodo S. Lamberti *necem decernit, data opportunitate inferendam. Interea Pippinus in villam suam Jopiliam venit, cui proximus erat Legia vicus, in quo Sanctus prædium aliquod cum ædibus habebat, ubi, ut sæpe aliàs, solitudine loci delectatus, tum morabatur. Inde consilii causâ à Pippino accersitus, Jopiliam properat. Inter convivandum Pippinus craterem suum à sacra Episcopi manu sibi porrigi religionis ergò flagitat, obtinetque; nec mora, ceteri omnes convivæ, ejus exemplum sequuntur. Visa est hæc pellici opportuna occasio, qualemcumque cum sancto Episcopo suo communionem extorquendi; dumque alii frequentes accurrunt, ipsa se clanculùm turbæ ingerit, & ceterorum manibus suas miscens, craterem aliquem ipsi præripere conatur. Verùm* Lambertus *odoratus, quod res erat, adulteram repellit, de mulièbri audacia cum Pippino expostulat, & ex aula egreditur. Hac spe falsa pellex, Pippino suggerit, ne se insalutata Episcopum è palatio abire permittat. Mandat ille; ipse verò Deum testatus, se numquam cum adultera communicaturum, inde discedit. Furit spreta mulier, fratremque suum Do-*

plurimùm exornavit, F

AUCTORE C. S.

donem ad tollendum è vivis sine ulteriori mora Antistitem impellit: idque ille postero diluculo exsequitur.

quem Nicolaus & Ægidius ferè secuti sunt.

136 Habes hîc, lector, tragœdiæ istius ex Sigeberti relatione compendium, secundùm quam multò illustrior, & ad commendandum S. Lambertum aptior est causa martyrii, quàm quæ à Godeschalco & Stephano allegatur. Quia verò noverat Sigebertus, nihil hujusmodi apud laudatos biographos legi, in fine totius Vitæ de Godeschalco notat sequentia: Gesta quidem ejus veraciter prosecutus, de causa martyrii parùm libero ore locutus est. Quod hac de causa fecisse creditur, ne sui temporis regibus culpam majorum suorum videretur exprobrare. Ex illicito quippe Pippini & Alpaïdis conjugio natus est Carolus Martellus, ex Carolo Pippinus tertius, qui ex principe in regem Francorum promotus est, de Pippino Carolus Magnus. Porrò utut glorioſior sit ea causa martyrii, sub medium tamen seculi XII, id est, inter annum 1143 & 1147, quo Nicolaum scripsisse § 1 diximus, non alia ejusdem Vita, quàm quæ à Godeschalco vel Stephano scripta est,

B in ecclesia Leodiensi legebatur. Tunc enim nonnulli, quibus ista primorum biographorum narratio displicebat, quòd tanto Martyre minùs digna videretur, Nicolao auctores fuere, ut Vitam conscriberet, in qua alia cædis causa traderetur; uti manifestum est ex ipsius Nicolai dictis, quæ quia num. 15 jam recitavi, hîc non recenseo. Quos verò scriptores ipse hac in parte secutus fuerit, satis declarat, dum inter monumenta, quibus pro Vita concinnanda usus est, Reginonem Prumiensem & Sigebertum Gemblacensem nominat; quem posteriorem sic secutus est, ut quæ ille de Gallo ac Rioldo ecclesiam iniquè vexantibus, & deinde cæsis, ex Godeschalco relationi suæ immiscuerat, tacitus præterierit; credo, ut purior illustriorque martyrii causa appareret. Nicolai vestigiis inhæsit Ægidius Aureæ-Vallis monachus in Additionibus ad Anselmum, cap. XI in S. Lamberto, apud Chapeavillum.

§ X. Causa martyrii à Godeschalco & Stephano tradita asseritur, & ad argumenta aliter sentientium respondetur.

C

Godeschalci auctoritas nunc passim admissa est,

VAriantibus eo, quo diximus, modo de causa, ob quam S. Lambertus martyrio coronatus sit, vetustis scriptoribus, qui post illos scripsere, eam partem diu amplexi sunt, quæ sancto Martyri glorioſior videbatur; idque haud dubiè eo confidentiùs, quòd ratio silentii Godeschalci & Stephani, quam Sigebertus allegat, omnino verisimilis appareret. Hinc idem Stephanus apud Baronium tom. 3 Annal. ad annum Christi 698, num. 1 vehementer vapulat, quasi principibus adulandi studio, reprehensum à S. Lamberto Pippinum adulterum subticuisset. Proficiente deinde inter eruditos crisi, ea sententia non modò in dubium vocata, sed etiam velut commentitia à multis deserta est, ita ut oppoſita nunc sit communior, si Leodienses scriptores excipias. Primus, quem quidem noverim, Henschenius noster in Diatriba de tribus Dagobertis lib. 4, cap. 7 & alibi, deinde Bollandus in S. Suiberto tom. 1 Martii, pag. 79, num. 45 eam historiam, ut suspectam ut minimùm habuerunt. Eamdem tamquam fabulosam D rejecerunt Hadrianus Valesius tom. 3 Rerum Francicarum, lib. 23, Mabillonius Sec. 3 Benedict., parte 1 in S. Lamberto, Coïntius ad annum Christi 708, num. 9 & seqq., Pagius in Critica Baronii ad annum 698, num. 2 & seqq., Longuevallius tom. 4 Historiæ ecclesiæ Gallicanæ, aliique.

quem de Alpaïde studiosè siluisse,

138 Contrariæ sententiæ sui etiam non desunt sectatores, inter quos sunt Joannes Roberti, Fisonus, Foullonus & Slusius in Diatriba jam sæpe laudata § 8. Juverit itaque rationes, quæ in utramque partem produci possunt, diligenter expendisse. Non tam inepta est ratio, ob quam Godeschalcum de reprehenso Pippini pellicatu siluisse, adstruunt memorati scriptores, quin eâ induci potuisset, si prædicta reprehensio causam martyrio reipsa dedisset. Etenim sive Godeschalcum sub Carolo Magno, sive sub Pippino Brevi, sive sub Carolo Martello scripsisse statuas, odiosum certè erat ea litteris consignare, quibus & Pippini Heristalli, cetera optimi principis, turpis libido, tam sancti Episcopi fuso sanguine notata, & Martelli probrosi natales, sui ævi lectoribus revocarentur in memoriam, & ad posteros transmitterentur: E quod certè & ipsi Martello, & hujus filio Pippino, & Carolo nepoti non poterat non displicere. Similis ratio etiam Stephanum initio seculi X ad silentium movere potuisset, eò magis, quòd Vitam à Godeschalco scriptam politiori tantùm stilo edere promisisset, quódque Caroli Simplicis consanguinitatis affinis esset, ut in hujus diplomate dicitur tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 837.

non probant aliorum veterum

139 Ait quidem Mabillonius in Observationibus ad S. Lamberti martyrium, longè atrociorem esse fabulam de Caroli Martelli damnatione, quam tamen Hincmarus, Adrevaldus, aliique in vulgus spargere non dubitârunt, imperante Carolo Calvo, illius abnepote: verùm etiamsi æqualis infamia ad Carolum Calvum inde redundâsset, tantùm consequeretur, alios aliis audaciores in scribendo fuisse. Ad id unum tamen dumtaxat valet allegata silendi ratio, ut, si ea Pippini adulteri reprehensio, illataque propterea S. Lamberto mors per alia satis idonea testimonia tradatur, solum istud Godeschalci, Stephanique silentium multum sui ponderis amittat. Videamus itaque, quibus & quàm vetustis monumentis nixa ea sententia prodierit. Scriptor Vitæ S. Huberti, synchronus & familiaris, de S. Lamberti martyrio sic loquitur: F Mortis autem acerbæ viriliter ferendo discrimina, & summi Pastoris vestigiis inhæsit, & quantum amoris circa Dominicas oves haberet, aperuit: utpote quibus & vivens vitæ contulit pascua, & pro quibus non metuit mortis subire dispendia. Venerabilis Beda in Martyrologio de S. Lamberto martyre more suo tantùm meminit; de causa modoque nihil docet.

de Sancti martyrio dicta,

140 Nihil quoque de iisdem memorans Florus in Auctario Bedæ ante tom. 2 Martii sic habet: In Gallia, in villa Leudegus, natalis S. Lamberti episcopi & martyris, qui sectando justitiam, adeptus est martyrii palmam. Nec quidquam certius ex Wandelberto habemus, qui in Martyrologio suo metrico ait:

Lambertus quintum denum virtute coronat,
Factio quem cæsum semper tremebunda pavescit.

Solius Dodonis meminit Rabanus Maurus in suo item Martyrologio, ubi cùm S. Lambertum ab exsilio, consentiente Pippino tunc principe revocatum, & episcopatui suo redditum dixisset, subdit: Ibique per plures annos in Ecclesia Dei nobiliter vixit.

A vixit. Hunc verò Dodo, domeſticus jam ſupradicti principis Pipini, machinatione peſſima occidi fecit. Ipſe verò per innocentem mortem ad Dominum migravit. *Plus aliquid dicit Ado, pariter in Martyrologio, his verbis:* Tungrenſi diœceſi, in Leodio, villa publica, natalis ſancti Lamberti epiſcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpâſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de palatio miſſis, improviſè concluſus, intrà domum eccleſiæ occiditur.

quæ nova ſententia

141 *Adonem ſecutus Notkerus*, Tungrenſi diœceſi, *inquit*, natalis ſancti Landeberti epiſcopi: qui, dum regiam domum zelo religionis accenſus increpâſſet, intra domum eccleſiæ occiditur. *Eadem quoque, quæ Ado, habet Regino Prumienſis in Chronico, præterquam quòd inter Sancti interfectores Dodonem primo loco nominet: verba ejus dedimus num.* 132. *At Uſuardus ſimpliciùs ait:* Apud Leodium, beati Lamberti epiſcopi Tungrenſis, qui à nocentibus innocenter occiſus, aulam cæleſtis regni perpetuò intravit victurus. *Habes hîc vetuſtiſſimos, qui præter Godeſchalcum de* S. Lamberti *martyrio meminerunt. Manifeſtum autem eſt, nihil ex quinque primis & ultimo eorum haberi poſſe pro ſtabilienda ſententia, quæ Sancti eadem Alpaïdi adſcribit. Ceteri tres videntur mihi huic hiſtoriæ cudendæ primam occaſionem dediſſe. Cùm enim ſanctus Epiſcopus ob increpitam domum regiam occiſus apud iſtos legeretur, & aliunde conſtaret, Pippinum illicitis Alpaïdis amoribus, ex qua Carolum Martellum & Childebrandum genuit, implicitum fuiſſe; pronum fuit, ut iſtorum verba avidè arriperent, & de reprehenſo Pippini pellicatu interpretarentur omnes, quibus martyrii cauſa, à Godeſchalco Stephanoque tradita, diſplicebat velut* tanto Sacerdote *minùs digna, uti pluribus ſua ætate diſplicuiſſe, Nicolaus in Epiſtola dedicatoria teſtatur.*

B

occaſionem dederunt, ſed cum Godeſchalco

142 *Hinc igitur primus omnium anonymus poëta, cujus verba num.* 128 *recenſuimus, ex* trito multis ſermone, *Dodonem & Alpaïdis fratrem, & ob improbatum ejuſdem cum Pippino adulterium* S. Lamberto *infenſum dixit, licèt cetera Godeſchalci narrationi inhæreret. Deinde Anſelmus geminam cædis cauſam retulit, ut num.* 129 *& ſeqq. dictum eſt. Poſt hunc Sigebertus Gemblacenſis utramque componere ſtuduit, & famoſo illo convivio præterea exornavit. Nicolaus denique priori cauſa penitus prætermiſſa, ſecundam unicè retinendam cenſuit, & reliqua Sigeberti dicta adoptavit. Sic ego hiſtoriam illam paulatim concinnatam credo, cui multa adjuncta immiſcentur, quæ illius auctores non niſi pro ſuo ingenio fingere potuerunt. Verùm iſta martyrologorum & Reginonis dicta ſuperiùs relata non hujuſmodi ſunt, quin cum primis Sancti biographis facilè conciliari poſſint, adeóque & debeant; neque enim manifeſta antiquiorum dicta ex ambiguis recentiorum, ubi nihil id cogit, fas eſt interpretari.*

C

facilè conciliantur.

143 *Jam verò minimè veriſimile eſt, ut Mabillonius & alii ante me obſervârunt,* S. Lambertum, *dum eccleſiaſtica bona, gregemque tam iniquè & crudeliter à Gallo Rioldoque invadi vidit, de eorumdem prædonum injuſtitia apud Pippinum, ſi aderat, aut apud alios, qui ejus vices gerebant, conqueſtum non eſſe; dumque nihil proficeret, etiam increpuiſſe, ac divina judicia minatum eſſe, niſi ab eccleſiæ gregiſque ſui oppreſſione abſtineretur. Interea cùm Sanctus hæc conſtanter ageret, potuerunt Gallus & Rioldus ab illius conſanguineis occidi, & horum nece vehementiùs incitatus Dodo, ad importunum, inviſumque familiæ ſuæ Monitorem, ea data ulciſcendi opportunitate, perimendum impelli. Hæc expoſitio nec laudatorum martyrologorum & Reginonis, nec Godeſchalci Stephanique dictis adverſatur; imò poſtremorum narratio eam exigit, cùm veriſimile non ſit,* S. Lambertum *ſuam pro grege auctoritatem apud optimates aulæ, cujus Dodo unus erat, non interpoſuiſſe. Eadem interpretatio planè conformis eſt S. Huberti biographo, qui verbis num.* 139 *recitatis,* Lambertum *pro Dominicis ovibus mori non metuiſſe teſtatur.*

Nuſquam inſinuat Godeſchalcus,

144 *Hactenus ergò nihil habemus, unde Godeſchalcum & Stephanum ex adulandi principibus ſtudio, vel diſplicendi metu, veram martyrii cauſam cum veritatis, ſanctique Martyris gloriæ diſpendio ſubticuiſſe arguamus; quippe quam aliam fuiſſe, quàm quæ ab eis tradita eſt, nullus aſſeruit ex adductis ſcriptoribus, quorum alii eodem, quo Martyr occubuit, alii altero pòſt ſeculo floruerunt. At Sluſius in laudata Diatriba cap.* 4 *credi vult, Godeſchalcum, quod de Pippini reprehenſione palàm dicere non audebat, lectori non oſcitanti ſatis indicâſſe.* Narrat enim, *inquit*, beatum Antiſtitem à Gallo & Rioldo "appetitum con- E
„ vitiis & contumeliis, & in rei familiaris dire-
„ ptione gravibus diſpendiis oppreſſum.„ Cauſam tot injuriarum non exprimit, ſed ita inſinuat, ut Alpaïdis emiſſarios agnoſcas. "Conſanguineus, in-
„ quit, horum erat Dodo;„ qui ex Galli & Rioldi cæde occaſionem, quam quærebat, ſe tandem inveniſſe lætatus eſt ſæviendi in Antiſtitem. Pergit Godeſchalcus, & poſt beati Viri cædem, plebis & procerum narrat lachrymas, ſed omnium "cum
„ ſilentio, ne accuſarentur Dodonis ſcelus per
„ indicium fletûs damnaviſſe.„ De Pipino alterum ſilentium. Quî autem fieri potuit, ut tantus princeps, qui à pietate & juſtitia non mediocriter commendatur, cædem Antiſtitis ſui, ante oculos ſuos crudeliter patratam, ultum non iret, non aliquo ſaltem doloris ſenſu proſequeretur, ſi nihil ſuberat, quod eum ab officio revocaret? Proclivius ſanè eſt credere, humana imbecillitate lapſum eſſe Pippinum, & (quod de Salomone ac primo parente noſtro ait B. Auguſtinus)
„ noluiſſe contriſtare delicias ſuas.„

Sanctum ceſſum eſſe F

145 Sed rurſus Godeſchalcum audiamus. "Cor-
„ pus, inquit, exanime vili operimento conte-
„ ctum„ ſecundo Moſa Trajectum relatum eſt, ut ſepeliretur. Ubi clerici "non audentes in de-
„ corando honeſto cultu ſepulchri ejus immora-
„ ri, in tumba patris ejus Apri, ibidem quieſcen-
„ tis, non tam condiderunt, quàm abſconderunt,
„ & ſuperjecto grandi lapide, non tam coope-
„ ruerunt, quàm compreſſerunt.„ Unde hic metus, niſi à Pipino, niſi ab Alpaïde, quæ muliebribus illecebris Pipinum dementaverat? *Hæc Sluſius, quæ ne in compendium redacta aliquid ſui roboris amitterent, viſum eſt totidem ipſius verbis referre. Nunc reſponſum accipe. Cauſam injuriarum, quibus ſanctum Præſulem Gallus & Rioldus affecerunt, revera non prodidit Godeſchalcus; ſed nec Dodonem fratrem Alpaïdis dixit. Non magis eumdem lætatum eſſe aſſeruit,* ex Galli & Rioldi cæde occaſionem, quam quærebat, ſe tandem inveniſſe ... ſæviendi in Antiſtitem. *Verba ejus in editione Chapeavilli, quam Sluſius ſecutus eſt, hæc ſunt:* Horum (*Galli & Rioldi*) conſanguineus quidam, Dodo vocatus, de primatibus palatinis unus, utpote Pipini ducis familiaris, abundans poſſeſſionibus multorum ſervorum, & militum conſtipatus obſequio & comitatu, cùm

AUCTORE C. S.

audiſſet affinium neces, ad vindictam expetendam animatur, & ſanguine ſanguinem judicavit ulciſcendum. *Quis hinc Sluſii aſſertum eruat, nec potiùs dicat, ſolam conſanguineorum ſuorum cædem Dodonem ad vindictam impuliſſe?*

ob reprehenſum adulterium Pippini,

146 *Porrò quot ſunt perverſorum hominum pravæ libidines, totidem potuerunt Gallum & Rioldum in* S. Lambertum *concitare, ut neceſſe non ſit Pippini reprehenſionem, cujus Godeſchalcus nuſquam meminit, aut aliam certam cauſam determinare. Quod ad populi ceterorumque metum attinet, nihil pariter opus eſt hunc à Pippino aut Alpaïde repetere, cùm ea Dodonis potentia & apud Pippinum gratia, qualem Godeſchalcus mox deſcripſit, ſatis ſuperque eſſe debuerit ad incutiendum ipſis timorem,* ne accuſarentur Dodonis ſcelus per indicium fletûs (*adde etiam per ornatum tumuli*) damnaviſſe. *Et erat quidem metus ille tantò juſtior, quantò certiùs ex recenti ſancti Epiſcopi, ejuſque domeſticorum cæde conſtabat, Dodonis ad ſcelera audaciam non inferiorem ejus potentiâ eſſe. Denique ut tam ad hoc, quàm ad cetera hactenus objecta argumenta reſpondeam, dico veriſimillimum eſſe, memoratas eccleſiæ Trajectenſis per Gallum & Rioldum vexationes, atque ipſam* S. Lamberti *cædem, abſente & Suevico bello in Alemannia detento Majore-domûs Pippino contigiſſe. Rationem hujus aſſerti mei accipe.*

B

qui probabiliùs tunc in Suevia bellans,

147 *Diximus ſuprà* § 8, *probabile eſſe, S. Theodardum ad annum Chriſti* 669 *vivendo perveniſſe, ejuſque menſe Septembri occiſum; ideóque &* S. Lamberti *cædem, qui ipſi proximè ſuccedens, eam cathedram quadraginta annis tenuit, in annum Chriſti* 709 *probabiliter incidiſſe. Hoc autem anno Pippinum in Alemanniam ſeu Sueviam exercitum duxiſſe, quatuor antiqui annaliſtæ apud Cheſneum in Hiſtoria Franciæ ſcriptorum teſtantur. Annales Nazariani ibidem tom.* 2, *pag.* 3 *ſic habent:* DCCIX Pippinus perrexit in Alamaniam: *Petaviani pag.* 6: DCCIX quando domnus Pipinus perrexit in Suavis contra Wilarium; *Tiliani pag.* XI: DCCIX Pippinus pugnavit in Suavis: *Metenſes denique tom.* 3, *pag.* 267: Anno ab Incarnatione Domini DCCIX Pippinus contra Alamannos exercitum ducens, magnificè de illis, omnique illa regione triumphavit. *Jam verò ſi Pippinus tum temporis Trajecto tam procul abfuit, ruit tota iſta Sigeberti ac Nicolai narratio, neque*

C

Godeſchalci Stephanique fides culpanda eſt, nec Pippinus tam atrocis facinoris, quale eſt ſancti Epiſcopi ſui parricidium, reus agendus. Sanè in hac ſententia omnia rectè ſe habent, quæque objici poſſent, difficultates evaneſcunt.

Trajecto longè aberat,

148 *In primis ſic inconcuſſa manet primorum biographorum auctoritas, eorumdemque narratio multò veriſimilior evadit. Nam mihi quidem iſta eccleſiæ Trajectenſis tam dira oppreſſio, quæque ſubſecuta eſt* S. Lamberti *& domeſticorum ejus barbara cædes, præſente, & quaſi coràm inſpectante Pippino patrata, difficilis creditu ſemper viſa eſt, niſi huic aliqua cum illo ſimultas interceſſiſſet. Dum autem iſta anno* 709 *illigamus, facilè intelligimus, Gallum ac Rioldum ex Pippini abſentia audaciores factos, memoratam vim adhibere, & conſanguinei ſui Dodonis potenti patrocinio fultos,* S. Lamberto *fruſtra reclamante, aliquo tempore impunè continuare potuiſſe, ac denique à* Petro & Andoleto, *cùm nihil ſubſidii ab aula ferretur, vim vi repellentibus occidi. Eadem Majoris-domûs abſentia Dodoni quoque, ob utriuſque cædem impotentiùs excandeſcenti, animos addere potuit, ut non modò interfectores, ſed & ipſum Epiſcopum, qui adverſùs prædones illos apud palatinos haud dubiè fortiter peroraverat, è medio tolleret, ne is apud Pippinum ſibi ſuiſque poſtmodùm moleſtiam crearet. Ut verò hæc nihil habent à veriſimilitudine alienum, ita conformia ſunt Godeſchalci & Stephani dictis, qui totam* S. Lamberti *martyrii cauſam in Dodonem, conſanguineorum ſuorum nece furentem rejiciunt, de Pippino autem & Alpaïde altùm ſilent.*

D

quando Lambertus occiſus eſt.

149 *At enim, inquies, ſi Pippinus nullam in eo facinore partem habuerit, cur inultum reliquit? Sed præterquam quòd potentiorum crimina ſæpe impunita maneant, eadem ipſa Pippini abſentia favebat Dodoni, tum ut cauſas fingeret, quibus apud abſentem ſcelus ſuum extenuaret, tum ut amicis deprecatoribus uteretur. Favebat ipſi conſanguineorum cædes, cujus reum Sanctum fingere potuit: favebat potentia ſua, priſtinaque cum Pippino familiaritas. Favebat præterea belli Suevici continuandi apparatus, quod Pippinum tribus ſequentibus annis partim per ſe, partim per duces ſuos proſecutum eſſe, ſuprà laudati annaliſtæ affirmant. Hujuſmodi autem turbulenta tempora animos principum ad bellicas curas magis, quàm ad privatorum injurias vindicandas intentos reddere ſoluerunt. Utut eſt, in hac mea ſententia multò minùs, quàm in oppoſita, patitur Pippini exiſtimatio,* qui, *teſte Sluſio,* à pietate & juſtitia non mediocriter commendatur.

E

Reſpondetur ad argumenta

150 *Superſunt duo Sluſii argumenta, leviori negotio diſſolvenda. Primum deſumit ab auctoritate Marci Velſeri, quaſi hic* S. Lambertum, *inſtigante Alpaïde, caſum legiſſet in ſeculi octavi ſcriptoribus. Locus, quem Sluſius laudat, habetur lib.* 4 *Rerum Boïcarum, ubi Velſerus agens de S. Corbiniano, primo epiſcopo Friſingenſi, ex Aribone narrat, illum à Grimoaldo Boiorum duce invitatum, recuſâſſe ad eum accedere, quamdiu Pilitrudem, Theobaldi fratris ſui viduam, pro uxore haberet. Deinde ſubdit:* Propè fuit, ut procax fœmina (*Pilitrudis*) veterem Herodiadis tragœdiam repeteret; & recentia Alpeidis in Lambertum, Geilæ in Chilianum exempla erant ante oculos: nam conſtitit, agitata eſſe id genus conſilia, non ignaro periculi Corbiniano. *Velſeri dicta ſic excipit Sluſius:* Hæc Marcus Velſerus ex auctoribus, ut profitetur, fermè Godeſchalco noſtro συνχρόνοις. Ecce igitur, notum erat & publicum apud Boios, quod ſilebatur in Auſtraſia,

F

Lambertum & Chilianum, ut pœnâ, ſic etiam causâ pares; utrumque ſcilicet mulieris impudicæ, hunc Geilæ, illum Alpaïdis furore cæſum fuiſſe.

ex Marco Velſero,

151 *Reſpondeo, iſta Velſeri dicta & ſenſa eſſe, non auctoris Godeſchalco fermè ſynchroni, Aribonis ſcilicet in Vita S. Corbiniani, quam ipſe ſæpe laudat, noſque ad diem* VIII *hujus menſis Septembris dedimus, in qua nullum de* S. Lamberto *vel Alpaïde verbum legitur. Id unum ergò ex adducto loco ſibi habet Sluſius, Velſerum ejuſdem ſecum de Sancti noſtri martyrii cauſa opinionis fuiſſe, qui propterea exiſtimavit eamdem cognitam fuiſſe Pilitrudi, quam conſtat ex Aribone S. Corbiniani vita per Ninum quemdam infidiatam eſſe. Ceterùm Marci Velſeri auctoritas nos morari non debet. Ultimum denique argumentum Sluſius formatà titulo Martyris, quem mox ab obitu ejus communi omnium conſenſu ipſi adſcriptum fuiſſe obſervat; atque inde deducit; eum* non ob privatam familiæ ſuæ rixam, ſed ob cauſam, quæ ad religionem pertineret, ſanguinem fudiſſe. Martyrem enim, *proſequitur*, ut ſæpe inculcat

B. Au-

AUCTORE C. S.

A B. Auguſtinus, non facit pœna, ſed cauſa. Ideóque in Romano Martyrologio ejus memoria hoc elogio celebratur, quòd "cùm regiam domum ze-„lo religionis increpâſſet, à nocentibus innocens „occiſus, aulam regni cæleſtis perpetuò victu-„rus intraverit.

& à titulo Martyris

152 *Ego verò hæc omnia libens admitto, ſanctumque* Lambertum *ut Martyrem veneror. At nego vel inde conſequens eſſe, eumdem ob reprehenſam Pippini incontinentiam, vel in mea ſententia* ob privatam familiæ ſuæ rixam *occiſum eſſe. Ad diem* x *Septembris Martyrologiis inſcriptus ut Martyr legitur S. Theodardus*, Lamberti *proximus in epiſcopatu deceſſor*, qui, *ut habet Romanum*, animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis. *Eumdem ut Martyrem annuo Officio colunt Leodienſes; nec aliam tamen cauſam proferunt martyrii, quàm quòd pro eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus, quas ab iniquis invaſoribus fruſtra repetierat, Childericum II regem Auſtraſiæ interpellaturus profectus, in via ab hujuſmodi adverſariis trucidatus ſit. Ob ſimilem bonorum eccleſiæ, gregiſque ſui defenſionem* S. Lambertum *occiſum exiſtimo. Gallus enim ac Rioldus hunc & illa deprædabantur; neque dubi-*

B *tare nos ſinit apoſtolica Viri virtus, quin apud palatinos, quorum Dodo unus erat, juſtis querelis & monitis, cúmque nihil his proficeret, etiam comminationibus adverſus prædones illos egerit. Veriſimile deinde eſt, Dodonem hinc adeo in Sanctum exarſiſſe, ut audita conſanguineorum nece, velut data ulciſcendi opportunitate, ad ejuſdem cædem advolaverit, quam ipſe, teſte Godeſchalco, placidiſſimè excepit.*

petita & in contrarium adducta.

153 *Planum autem eſt, hac ratione ſanctum Epiſcopum ob privatam familiæ ſuæ rixam cæſum dici non poſſe, licèt Dodo hac, tamquam opportuna occaſione, uſus fuerit. Confirmari hæc ſolidè poſſunt ex biographo S. Huberti jam ſæpè laudato. Hic primam* S. Lamberti *Vitam certè viderat, cùm ad eam lectorem remittat his verbis:* Quantis autem, qualibuſve miraculis ſuum velle Dominus in tali facto (*in tranſlatione corporis Sancti noſtri*) per omne iter reverſionis eorum commendârit, ſchedula geſtorum ejuſdem ſancti Pontificis annotata continet. *Viderat ergo, inquam, quæ de Sancti martyrio in eo legebantur; neque illud etiam tamdiu antè contigerat, quin ejuſdem ſatis recens memoria tum ſupereſſet, unde veram*

C *cædis illius cauſam perſpectam haberet. Nihilominus congruenter ad Godeſchalci dicta ait, illum pro ovibus ſuis mortem ſubiiſſe.* Mortis, *inquiens*, acerbæ viriliter ferendo diſcrimina, & ſummi paſtoris veſtigiis inhæſit, & quantum amoris circa Dominicas oves haberet, aperuit; utpote quibus & vivens vitæ contulit paſcua, & pro quibus non metuit mortis ſubire diſpendia.

Pia S. Huberti de eodem ſenſa.

154 *Porrò martyrii palmam non recentiores modò, ſed & antiqui omnes* S. Lamberto *debitam agnoverunt, prout abunde conſtat tam ex Godeſchalco ceteriſque ſcriptoribus, quàm ex martyrologis jam allegatis & deinceps allegandis. Libet tamen pia S. Huberti, viri omni exceptione majoris, de ea ſenſa ex ejuſdem Vita hîc apponere.* Reminiſcens, *ait idem biographus*, perfectionis Deceſſoris ſui, ardebat cupiditate martyrii, minus ſe deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino tradidiſſet morti etiam officia corporis. Doloris namque illius interni, amaritudiniſque animi, quo flagrabat amore martyrii, teſtes erant lachrymæ, quæ ſolent prodere intima conſcientiæ, quas in recordationem B. Lamberti ſolitus erat dolor elicere, genarumque orbes aſſidua humectatione alluere. Unde inter pias exuberationes fletuum, alta ſuſpiria pulmonum, crebrò talia conqueſtus eſt: O me infelicem, terque miſerandum, cujus ſe peccata in tantam ſuſtulêre congeriem, ut non idoneus dignuſque poſſim reperiri confortio tanti Viri, martyrii triumphum ſubeuntis, palmamque victoriæ invadentis!

Sanctus Pippinum ad frugem reducere

155 *Denique, antequam huic controverſiæ tractandæ finem imponam, quæri poteſt, utrùm igitur* S. Lambertus *in cauſa pellicatûs Alpaïdis cum Pippino nihil egiſſe dicendus ſit. Etenim cùm de illo pellicatu, ex quo Carolus, cognomento Martellus ſeu Tudites, natus eſt, ex probatiſſimis ſcriptoribus apud omnes conſtet, mirum ſanè videri debet, ſi ſanctus Epiſcopus noſter tantum probrum in diœceſi ſua, & quaſi coràm tacitus tulerit. Reſpondeo, etſi de argumento hoc proximi ejus ætati ſcriptores nihil tradiderint, prudenter tamen dubitari non poſſe, quin ſanctus Antiſtes, quem inter ceteras ipſius illuſtres virtutes, ab heroïco animarum zelo meritò commendat primus ejus biographus, quique eodem teſte num.* XI *Vitæ*, clementer docebat, ordinabiliter inſtruebat, à conſuetudine peccandi omni virtute retrahere nitebatur; *& ut num.* 12 *loquitur, qui* non reſpiciebat E
ad perſonam potentium; *dubitari, inquam, non poteſt, quin talis tantuſque Vir omni modo allaboraverit, ut principem, cetera religioſum & optimum, tam pudendis vinculis expediret, & gregis ſui offendiculum tolleret.*

haud dubiè conatus eſt. Non ſatis certa ſunt,

156 *Quando verò ſanctis ejus conatibus Pippinus ceſſerit, non conſtat omnino; quamquam hos non inanes fuiſſe colligere liceat ex Commentario hiſtorico de S. Suiberto epiſcopo* § 6, *tom.* I *Martii, pag.* 78 *& ſequentibus, ubi multa extremis tum* S. Lamberti *tum Pippini annis ab hoc & Plectrude, legitima ejus conjuge, piè geſta narrantur, quæ abjectam tum Alpaidem fuiſſe ſuadent. Bartholomæus Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis inter perſonas virtute illuſtres eamdem Alpaïdem in Orpienſi parthenone pœnitentem, ſanctéque mortuam, ad diem* XVII *Septembris recenſet, laudans Ms. Leodienſe, Waſſeburgium & Raiſſium. Fiſeno credidit Coïntius ad annum* 692, *num.* 4; *at Pagius in Critica ad annum* 698, *num.* 5 *antiquiorum teſtimonia meritò requirit. Porrò Orpium duplex eſt in Brabantia, Majus & Minus; Majus, de quo hîc agitur, pagus eſt, nunc diœceſis* F
Namurcenſis, ubi ſacrarum virginum cœnobium antiquitus floruit, in quo vixit S. Adilia, de qua ad diem XXX *Junii in Opere noſtro breviter actum eſt. Seculo præcedenti nulla ejuſdem ſupererant veſtigia, teſte Jacobo barone Le Roy in Topographia hiſtorica Gallo-Brabantiæ pag.* 249.

quæ de Alpaïdis in monaſterio pœnitentia

157 *De Alpaïde Orpii ſepulta hæc addit ibidem:* Tumulum ejus & inſcriptionem ALPAÏDIS COMITISSÆ, CONTHORALIS PIPINI DUCIS ante has turbas fuiſſe accepi, in eccleſia majori, ſed nunc ne veſtigium quidem eſt. *De eadem etiam agit Autbertus Miræus in Faſtis Belgicis ad diem* XXV *Junii in S. Odvino, ubi ſic ait:* Secundo lapide ab Hugardia & à Thenis oppido viſitur Orpium majus, pagus Brabantiæ celebris, in diœceſi Namurcenſi, ubi eadem Alpais ad meliorem frugem converſa, monaſterium virginum fundârat, quod à Normannis aut aliis barbaris everſum putatur. Alpaïdis autem tumulus in Orpienſi templo parochiali retro aram Deiparæ anno MDCXVIII eſt inventus. *Perperam tamen Alpaïdem illam ibidem dixerat Caroli Martelli, cujus mater fuit,*

AUCTORE C. S.

pellicem fuisse. Incertum quoque est, an ista Orpiense monasterium fundaverit, cùm alii alios fundatores assignent.

ceteriſque huc ſpectantibus narrantur.

158 *Nec magis scio, utrùm Hugardiense canonicorum collegium eidem Alpaïdi initia dotemque suam debeat, ut laudatus Miræus loco citato præmisit. Nam Fisenus in Historia ecclesiæ Leodiensis lib. 7, ad annum 980, num. 7 quamdam comitissam Alpaïdem Hugardiæ memorat, cujus piâ munificentiâ capitulum S. Pauli Leodii reddituum incrementa ceperit. Atque hinc mihi altera suspicio oritur, eam ipsam fortè esse Alpaïdem, cujus tumulus Orpii olim inventus, synonymæ Pippini pellicis fuisse falsò forsitan creditus est. Utut hæc se habeant, ego, ut dixi, dubitare vix possum, quin Pippinus* S. Lamberti, *aliorumque sanctorum virorum, quibus illum impensè favisse constat, saluberrimis monitis obsecutus, Alpaïdi nuntium remiserit. Si aliunde constaret, Dodonem Alpaïdis fratrem fuisse, minùs ægrè admitti posset, eumdem ob rejectam à Pippino sororem suam, ad vexandum perimendumque sanctum Episcopum privato aliquo odio accensum fuisse; verùm id ex iis tantùm habemus, qui contra primorum biographorum auctoritatem ac fidem, novam martyrii causam finxerunt.*

B

§ XI. Martyrii locus & adjuncta: BB. Petri & Andoleti martyrium expenditur: eorumdem corpora antiquitus honorata: poëtæ anonymi narratio.

Sanctus occisus est Leodii

Discussis, quæ ad S. Lamberti *martyrii tempus causamque pertinent, restant pauca quædam de ejusdem martyrii adjunctis, deque illis, qui cum ipso simul cæsi fuere, dicenda. De loco, in quo Sanctus passus est, convenit inter omnes biographos; fuisse scilicet Legiam seu Leodium, tunc villam exiguam, nunc unam ex amplissimis totius Belgii civitatibus, Leodiensis ditionis caput, ejusdemque episcopi ac principis sedem. Vetustum loci hujus situm & faciem Nicolaus in Vita edenda à num.* C *57 exponit, meritò observans, eam, in quam hic excrevit, amplitudinem sancto martyri* Lamberto *deberi; quippe cujus sanguine primùm purpuratus, deinde sacro ejusdem corpore per S. Hubertum ditatus, episcopali cathedra, ac subinde etiam principatûs sede meruit illustrari. Habebat autem Sanctus ibidem quoddam prædium ædesque ecclesiæ suæ: aderat & sacellum, SS. Cosmæ & Damiano à S. Monulpho Trajectensi olim episcopo dedicatum, si hujus biographis in utraque Vita, tom.* IV *Julii à pag. 157 data, uti & Nicolao in Vita* S. Lamberti, *& Ægidio Aureæ-Vallis in S. Monulpho cap. 33 fidem habemus. In hoc igitur prædio suo sanctus Episcopus morabatur, quando ab impio Dodone ejusque satellitibus improviso circumdatus atque occisus est.*

in cubiculo ſuo,

160 *Ut autem Legiam sive Leodium pro Sancti palæstra omnes agnoscunt, ita de determinato cædis loco nonnihil dissentiunt. Godeschalcus tam in nostro antiquo Ms. codice, quàm apud Mabillonium, & Sigebertus in utraque Vita illum* in cubiculo *suo cæsum esse disertè affirmant. Cubiculi etiam tantùm meminit Stephanus, poëta anonymus* cellæ; *Anselmus verò nullum locum prater ejusdem Sancti domum designat. Contrà in* D *alio Godeschalci exemplari per Chapeavillum edito, cap. 8 narratur* Sanctus Vir oratorium ingressus, *ibidemque occisus esse: idem locus* nominis sanctæ Trinitatis invocatione consecratus *ibidem dicitur. Nicolaus quoque cap. 6 Vitæ, num. 72* Lambertum ante altare sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani *telo transfixum scribit, videlicet in eo oratorio seu sacello, de quo mox meminimus, & in quo ipsum passum esse perhibent iidem biographi S. Monulphi. Posteriores sequuntur Fisenus & Foullonus, quorum primus in Notationibus ad Hist. lib. 4, num. 36 rationem suæ opinionis exponit, & quoddam pictorum figmentum refellit.*

non in oratorio SS. Cosmæ & Damiani,

161 *Sic autem habet:* Godeschalcus (*qualem scilicet Chapeavillus edidit*) martyrii locum appellat oratorium, & locum sanctissimæ Trinitatis invocatione consecratum. Nicolaus eodem modo loquitur, & sanctum Præsulem ante altare sanctorum Cosmæ & Damiani cæsum affirmat: quos equidem secutus sum, quamquam alius vel domi tantùm cæsum vel in cubiculo dicat. At prius magis consentaneum est famæ per Majores in hanc ætatem transmissæ. Hodieque in veteri choro, qui martyrii locus est, altare visitur, ante quod E sacra victima Lambertus procubuit. Ac denique quotannis ipsa Leodiensis ecclesia festo sancti Martyris die canit in, æde sanctorum martyrum palmam obtinuisse Lambertum. Pictoribus tamen nequaquam assentior, qui sacris operantem interfici pingunt. Veterum nemo unus id prodidit. Et verò quis credat, Episcopum, jamjam à somno excitatum, in eo temporis articulo, quo mortem videbat oculis, ad Sacrum faciendum se convertisse? *Hactenus Fisenus; & rectè quidem, quia Godeschalci exemplar Chapeavillanum vel huic simile tantùm viderat, aut genuinum judicabat.*

ut apud nonnullos legitur.

162 *Verùm mihi præplacet exemplari nostro ac Mabilloniano inhærere, quippe cui Stephanus, anonymus poëta & Sigebertus consentiunt, nec dissentit Anselmus, ut meritò suspicari liceat exemplar, quod Chapeavillus secutus est, interpolatum fuisse. Quod spectat ad traditionem, & quæ ex Officio Leodiensi laudavit Fisenus, ea exigui ponderis sunt, cùm Nicolai tempore Vita per Stephanum scripta, in qua id non legitur, in ecclesia Leodiensi adhuc legeretur, ut suprà observavimus, & traditio illa quàm antiqua sit, Fisenus non e-* F *dicat. Mabillonius in Annotatis verba Nicolai, quibus Sanctum* ante altare sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani *trucidatum ait, sic excepit:* Hoc est in loco, ubi tempore Nicolai altare SS. Cosmæ & Damiani cernebatur. Non enim in oratorio, sed in cubiculo necatus est S. Landebertus. *Verùm licèt Nicolaus utcumque sic explicari possit, id certè fieri nequit in Godeschalci exemplari per Chapeavillum edito, in quo non modò Sanctus moriturus* oratorium ingressus, *sed & interfector ejus eumdem* locum nominis sanctæ Trinitatis invocatione consecratum *non reveritus esse dicitur. Sed ut dixi, exemplari nostro standum puto.*

Primus Sancti impetus,

163 *De modo animique motibus, quibus* S. Lambertus *hostium adventum primo excepit, etiam non nihil variant biographi. Godeschalcus in Ms. nostro hac de re hæc habet:* Cúmque vidisset hæc (*hostes effractis januis irrumpentes*) memoratus puer (*Baldoveus Sancti famulus*) subitò currens nuntiavit Pontifici; qui Pontifex necdum in soporem conversus, adhuc exspectabat felice somno dormire, nesciens, quòd ad agonem properaturus esset; sed hoc audito nuntio, velocissimè

AUCTORE C. S.

A mè ſurgens. Tunc ſacerdos ilico Landibertus, diſcalceatis pedibus, fortiſſimus præliator, continuò adprehenſo gladio in manibus ſuis, ut contra hoſtes ſuos pugnaturus acceſſit; & Chriſtus, quem ſemper in auxilium ſibi poſtulaverat, non longè ab illo erat. Sed apud Altiſſimum conſilium inivit, ſempiternùm manſurum, tacita mente confiſus in Domino. Nec mora, commutans gladium de manibus projecit ad terram, dicens: Si fugero, gladium devitare poſſum: ſi autem perſtitero, aut cadendum mihi eſt, aut vincendum. Sed nec aliquando perdam victoriam meam; quia melius eſt mihi mori in Domino, quàm ſuper iniquos manus bellaturus inicere. *Hiſce quoad ſubſtantiam conſonat editio Mabillonii, à nobis recudenda.*

quo vim vi repellere voluit,

164 *Conſonat etiam Stephanus, in eo tamen diſcrepans, quòd* S. Lambertum *non à famulo monitum, ſed armorum tumultu è ſomno excitatum eſſe aſſeveret.* Continuò Lambertus, *ait*, Dei agonitheta fortiſſimus, armorum congreſſione expergefactus, à lecto ſurrexit, enſem manu corripuit, & contra hoſtes dimicare deliberavit. Nec mora extitit, ſententiam prioris animi mutavit,

B gladium in terram projiciens, & hæc corde dicens: Eripe me de inimicis meis, Deus meus *&c. Hæc eadem paulò aliter leguntur apud Godeſchalcum in exemplari, quo uſus eſt Chapeavillus, in quo cap.* 8 *narratur Sanctus velut pugnando gladium vibrâſſe; cúmque hoſtem in cubiculo nondum adeſſe adverteret, mutato conſilio, abjeciſſe. Verba ejus accipe.* Lambertus clamore illorum, fragore ac colliſione armorum perc[illegible]ellitur, lecto excutitur, & oblitus cæleſtis ar[illegible]naturæ, quâ ſpirituales nequitiæ expugnantur, immemor etiam Apoſtolici præcepti, Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei; arripuit gladium, & vibrato eo, non invento hoſte, quem feriret, manum continuit; & ad ſe reverſus, nam mente paululùm exceſſerat: gladium projecit, & hoc orationis gladio ſe defendit: Eripe me de inimicis meis, Deus meus *&c.*

omni culpa caret,

165 *Sigebertus cùm in Vita edenda, tum in edita à Chapeavillo Reneri nomine, de arrepto gladio pariter meminit, ac mox ſubdit:* Sed ad ſe reverſus, ſe temeritatis damnavit; & quia illicitè ſaltem attentaverat arma, ſe ante Deum con-

C gruenti addixit pœnitentiæ. *Præiverat ipſi poëta anonymus, qui ex rumore, utique incerto, dixerat*, Lambertum *propterea ſeptennio pœnitere decreviſſe, ſi ſuperviveret. Verba infrà num.* 174 *referemus. Contrà Anſelmus in Vita cap.* XI *negat, ipſum quidquam hujuſmodi tentâſſe*; At Vir Dei, *inquiens*, intrinſecùs ſomno, cui poſt vigilias deſeſſa membra reclinaverat, improviſo tumultuantium fragore expergiſcitur, ſtatimque nihil vel contrà moliri quærens, cùm & poſſet, (ſciebat enim, quia bellatores Chriſti exemplo Magiſtri moriendo potiùs, quàm repugnando, nôrunt vincere) totum corpus in oratione proſternens, pretioſam conſtantiſſimè mortem operitur. *Anſelmi dicta adoptavit Ægidius Aurea-Vallis; Nicolaus quoque de apprehenſo gladio primoque illo ſeſe defendendi deſiderio altum ſiluit.*

nec obfuit martyrio.

166 *Ego verò propter primorum biographorum auctoritatem dubitare non poſſum, quin ſanctus Antiſtes ſomno gravis, ac nihil tale ſuſpicatus, inopino hoſtium acceſſu mox perculſus, primo non conſulti animi impetu pro defenſione ſui arma ſumpſerit, eaque, ſuccedente ſtatim rationis imperio, abjecerit. Sic humani quidem aliquid paſſus eſt, ſed nullius tamen peccati argui poteſt, præſertim cùm vitam ſuam defendere etiam epiſcopis liceat. Ut autem abjiciendo gladio ipſum ſui impetûs pœnituiſſe manifeſtum eſt, ita fabellam olet iſta indicta ſibi ſeptennii pœnitentia, quâ idem poëta ad aliam cudendam fabulam poſtea utitur, ut ſuo loco videbimus. Porrò quia ad martyrium requiritur, ut martyr illatam ſibi mortem acceptaverit, juvat hìc obiter obſervare*, S. Lambertum *poſt ſubitò compreſſum illum ſui defendendi impetum, non modò non repugnâſſe, ſed & duobus nepotibus ſeu cognatis ſuis, ceteriſque domeſticis, qui hoſtibus fortiter reſiſtebant, perſuaſiſſe, ut abjectis armis, mortem placidè exciperent; ac eumdem denique, ne tentatâ quidem fugâ, in oratione humi proſtratum, occiſum eſſe, ut inter omnes ipſius biographos convenit.*

Petrus & Andoletus jam antiquitus

167 *Non eadem eſt ratio de laudatis* S. Lamberti *nepotibus*, Petro & Andoleto, *quibus martyrii laureolam aliqui etiam adſcribunt, quos Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ſecutus, ad hunc diem* XVII *Septembris ſic ait:* Apud Ledium (*id eſt* Leodium) ſanctorum martyrum Petri & Adoleti. *Deinde in Annotatis laudat* Paſſionem S. Lamberti epiſcopi, cum quo martyrio coronati ſunt. *Eoſdem velut ſanctos martyres Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis ad præcitatum diem unà cum* S. Lamberto *recenſet, ubi poſt breviſſimum hujus elogium ſubdit:* Sancti ejus nepotes, Petrus & Andoletus, ut certaminis, ſic & gloriæ ſocii ſunt; ideóque & ſuus hìc locus illis dari debuit. Glorioſum tamen illorum certamen, quia in S. Lamberti Vita deſcribendum fuit, illud ibi lector inveniet. *Videamus itaque, quid pro horum martyrio antiqui biographi aſſeruerint. Godeſchalcus in exemplari Chapeavilli cap* 8 *de eorumdem cæde ſic loquitur:* Interea, referatis oſtiis, & admiſſo hoſte, Petrus & Andoletus primum & matutinum ſacrificium Deo immolantur: deinde cætera familiæ conſtipatio obruitur, mactatur, nulla facta diſcretione pueri & ſenis, maturæ ætatis & immaturæ.

E

ut ſancti martyres habiti ſint.

168 *Hiſce conſonat Stephanus in Vita num.* 32, *ubi ait:* Cúmque intrepidi (*inermes tamen & ad excipiendam necem parati*) oſtio erupiſſent cubiculi, extemplo cædentibus adverſariis, martyrio digni, divinis conſpectibus ſunt immolati. *Anſelmus quoque cap.* 10 *neminem nominans, omnes ea occaſione cæſos, martyribus annumerat his verbis:* Adverſariis ex omni parte irrumpentibus, multi ante Paſtorem trucidantium ferro ad cælum præmittuntur, procul dubio martyres effecti. *Eadem tranſcripſit Ægidius, ſed primo loco* Petrum & Andoletum *nominavit. Sigebertus eos* omnes ad occumbendum pro juſtitia & innocentia *animatos à* S. Lamberto *fuiſſe, Nicolaus* Petrum *atque* Andoletum amore ferventes martyrii cervices ſuas furentibus & ferientibus adverſariis conſtanter objectâſſe *affirmant. At verò in noſtro Godeſchalci exemplari, cui conforme hac etiam in parte eſt editum à Mabillonio, dicuntur quidem duo iſti ſancti Antiſtitis Nepotes ſalutaribus ipſius monitis inducti, ut ab hoſtium vi repellenda deſiſterent, & pro eluenda, quam commiſerant, Galli ac Rioldi cæde mortem placidè exciperent; verùm de martyrii laurea ſic obtenta nulla mentio habetur. Juverit ipſa verba ex editione Mabillonii retuliſſe.*

F

Biographorum de ipſis

169 Tunc duo nepotes ejus, Petrus & Audolecus, ſurgentes, arreptiſque fuſtibus, cœperunt fortiter percutere, qui ingreſſi fuerant domum, & mox expulerunt eos à facie domûs. Tunc

AUCTORE C. S.

ait vir Dei Landebertus ad nepotes ſuos, & ad juniores ſuos, qui ibidem in domo erant: Si me verè amatis, Chriſtum, ſicut ego, diligite & Domino Jeſu Chriſto peccata veſtra confitemini: me oportet diſſolvi, & cum Domino vivere... Et ait ad nepotes ſuos: Recordate, quòd rei & noxii vos in crimine iſto (*in cæde ſcilicet Galli ac Rioldi*) fuiſtis. Neſcitis, quòd Deus non judicabit bis peccatores, nec peccata dimittit injudicata? Sed quod tunc egiſtis injuſtè, modò recipitè juſtè. Quid ad me vos venitis? Ambulate ante conſpectum illorum, & ibi, quod dediſtis, recipite. Melius eſt carnes veſtras ad lacerandum tradere, & manus veſtras ſervare innoxias, ut ſpiritus veſter ſalvus fiat in æternum. Tunc reſpondit unus ex nepotibus ſuis: Lege modò in voluminibus Domini tui, & perfice opus tuum, quod cœpiſti feliciter; & ut Dominus vult, ita erit de nobis. Tunc ſanctus vir Landebertus, arrepto Pſalterio, iſtum verſum primùm reperit: "Quoniam requiret Dominus ſanguinem ſervorum".

varia narratio expenditur.

170 Sicut Zacharias, quem interfecerunt inter templum & altare, dum moreretur ait: Videat Dominus & requirat; ita & iſte invictus & firmus permanſit. His dictis, omnibus extra cubiculum ejectis, proſtravit ſe in terram, extenſis brachiis in cruce, orationem fundens cum lachrymis: & ſubitò pervenerunt carnifices, & ingreſſi domum, interfecerunt in ore gladii omnes, quos ibidem invenerunt. *Certè tota hæc narratio eorum martyrii palmam obſcuriorem facit. Porrò etiam Godeſchalcus apud Chapeavillum, Stephanus & Sigebertus agnoſcunt, eos ad prædictam Galli ac Rioldi cædem ſuo ſanguine expiandam à* S. Lamberto *inductos fuiſſe. De eadem cæde pariter meminit Anſelmus cap.* XI; *ita ut ſoli Nicolaus & Ægidius eam tacitè præterierint, haud dubiè ut martyrii cauſam à damnato Alpaïdis pellicatu unicè repeterent: qua fide, æquus lector judicet. Fatendum tamen eſt, laudatos SS.* Petrum & Andoletum *vitam ſuam, quam ex ſancti Epiſcopi contubernio plurimis virtutibus veriſimillimè ornaverant, Chriſtiana heroïca morte, ex virtutis amore liberè acceptata, terminâſſe; unde & minùs ſtrictè dicti martyres veterum more audire potuerunt. Et verò quis non ſuſpiciat, viros, quibus ſtirpis nobilitas, ætas florida & armorum uſus ad licitam ſui defenſionem ingentes animos addebant, ad Sancti monita à feliciter cœptis mox abſtinuiſſe, ſeque inermes hoſtium gladiis mactandos ultrò objeciſſe, ut eccleſiæ prædonum cædem luerent, quam pro eccleſiaſticarum rerum & hominum adverſus eoſdem defenſione ex bona fide & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut loquuntur Theologi, forſitan commiſerant.*

C

Eorumdem corpora

171 *Utut autem hæc ſe habeant, conſtat eos jam antiquitus ut ſanctos martyres à Leodienſibus habitos, eorumdemque corpora inter Sanctorum reliquias Leodii aſſervata & in ſacra veneratione habita fuiſſe. Hinc meritò miratur Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis cap.* 15, *nihil de eorum prima tranſlatione vel elevatione apud* S. Lamberti *biographos reperiri.* Quid Petri, *inquit*, & Andoleti, ceterorumque, qui ceciderunt, corporibus factum fuerit, nemo prodidit. In æde SS. Coſmæ & Damiani condita fuiſſe, mihi perſuadeo, quandoquidem nulla deinceps eorum fiat ab illis mentio, qui Legiam advectum denuò S. Lamberti corpus ſcripſerunt. At jam inde ab olim SS. Petri & Andoleti corpora Leodii conſtat aſſervari colique. Quò magis miror, ceteros, quorum par in morte cauſa fuit, obſcuros in tenebris & ſilentio deliteſcere. Sed apud Deum remuneratorem juſtiſſimum nullæ tenebræ, qui nullum umquam rectè factum relinquet inglorium. *Placet mihi hæc Fiſeni obſervatio: nam quod ad ſepulturam pertinet, eam veriſimilem facit loci opportuna vicinitas, ad quem ſine Dodonis invidia metuque facilè potuerunt eorum corpora deportari.*

D

Leodii in ſacra veneratione ſervata.

172 *Quod verò habet de cultu utrique Leodii jam antiquitus exhibito, manifeſtum id eſt ex Anſelmo, Ægidio, aliiſque vetuſtis inſtrumentis, quæ infrà producemus. Anſelmus ſcriptor ſeculi* XI *apud Chapeavillum tom.* 1, *cap.* 30 *in S. Floreberto ſic habet:* Hujus (*S. Floreberti Leodienſis epiſcopi*) corpus cum Petro & Andoleto, qui occiſi ſunt cum B. Lamberto, uno compoſitum eſt ſepulchro. *Ægidius ibidem de S. Floreberto*, In magna, *ait*, ſanctitate requievit in Chriſto,... ſepultuſque eſt in eccleſia S. Lamberti, ubi multis ſignis & miraculis choruſcans, poſt aliquod tempus levatum eſt corpus ejus, & in feretro decenter locatum... Poſt multos verò annos levata ſunt etiam corpora SS. Petri & Andoleti, qui cum B. Lamberto martyrizati ſunt, & cum corpore B. Floreberti in uno collocata ſunt feretro; quod feretrum in ciborio juxta corpus B. Lamberti uſque in hodiernum diem collocatum eſt cum aliis Sanctorum pignoribus. *Tempus elevationis eorum non potui aſſequi; ſed revera elevata fuiſſe, probant inſtrumenta laudata & ſuis locis referenda. Ceterùm eorumdem memoriam nullo Officio eccleſiaſtico in Leodienſium Breviariis celebrari comperi. Nihil quoque de reliquis, qui cum ipſis interempti fuerunt, uſquam deprehendi. Nunc de more ſubjicio, quæ de* S. Lamberti *martyrio cecinit poëta anonymus.*

E

S. Lamberti & ceterorum cædes

173 Contigit ergò Virum cæleſti munere dignum
Urbi vicinas extra ſecedere partes.
Venit & ad villam, quæ Legia nomine fertur,
Ignorando diem, quæ vult adducere finem
Ultima ſupremum, cælos quando eſſet iturus,
Corporis & claras quòd ſit clauſura feneſtras
Ejus, & excelſis illum junctura catervis.
Quod cùm præſcirent pravi Dodonis amici,
Se ſub agenda parant inſanæ mentis, & inde
Ipſe ſuique ſimul laxantes corda furori,
Inſurgunt animis peramara mente ſubactis,
Complicibus junctis pergunt ad funera Patris:
Carnificem ſævo ſe ſic habet agmine Dodo.
Ecce propinquantes præcingunt tecta domorum;
Et tunc Landberti quò ſunt habitacula ſancti,
Suprà conſpiciunt Crucis admirabile ſignum,
Auri ceu puri radiis fulgentibus inſtans.
Ex his pœnituit quoſdam poſt tempora, quorum
Notificata manent dictis hæc ſigna decoris.
Poſt igitur rupêre moras, tunc Dodo ſuique,
Quod cœpere doli, pejus peperere dolori.
Inſtantes obiter valvas muniminis intrant,
Diſruptis clauſtris, ſat jam per aperta meantes.

F

per anonymum poëtam

174 Tunc ſocii, famulique domûs, dictique nepotes
Arreptis gladiis, forti virtute reſiſtunt,
Et ſic exſuperant, ut eos extra atria cogant.
Tunc Domini Sanctus robuſto pectore ſumptis
Armis militiæ, ceu pugnaturus adeſſe
Cœpit; & hinc ſecum Chriſti mandata revolvens,
Non decuiſſe virum ſacris altaribus aptum,
His ferramentis ut ſe præcingat & armis;
Nec jam terreri ſub eis, qui corpora cædunt,
Qui nullis animum poſſunt occidere telis;

Ar-

A

Arma solo tribuit, se pœnituisse notavit,
Hæc quia suscepit, Christi cùm miles adesset.
Hinc est fama volans, tensis sublimiter alis,
Quòd dixisset enim Sanctus sub famine mentis,
Annis se septem voluisse reducere pœnis,
Si vitalis ei ferretur corpore flatus.
Inde suis tribuit mandata nepotibus ista:
Vos nolite manus [vestras *] inducere telis, *vestras deerat
Sed potiùs factam per vos agnoscite culpam;
Sponte quidem dignam nunc vobis carpite pœnam.
Est etenim justum carnem conjungere flagris,
Ex qua probra ruunt laxis in corpore venis,
Spiritus ut possit salvari luce perenni,
Qui de cælorum descendit sede nitenti.
Quod Deus hîc punit, jam bis non judicat ipsum;
Et peccata quidem nulli sine verbere donat.
175 Hæc ait, & cellam cunctos exire coëgit,
Et sua membra solo crucis in velamine pressit, *metricè exposita.*
Orans, ut Christus, cui se devovit habendum,
Se citò perducat paradisi ad gaudia lætum.
Carnifices, rursus stabilito robore, juxtim
Currentes obiter cuneata per agmina mixtim,
B Fortiùs erumpunt, postesque ac limina frangunt,
Et quos inveniunt, confestim nubibus addunt.
Expavit nimiùm telis volitantibus aura,
Ac de conspicuis visa est nudata teristris,
Sic & tristis erat pallens nebulatenus aër,
Ut malè siccatis non flumina promeret arvis;
Hoc est, Omnipotens fidei documenta malignis
Nulla dabat, quia salvandos non esse videbat.
Cellam tunc adeunt, orans quâ Sanctus habebat
Indita membra solo, manibus sub sydera tensis,
Dissolvi cupiens, claro sociamine Christo
Conjungi melius pensabat pectore puro,
Sicut, Paule, tuis promuntur verba loquelis.
Unus & ex illis scandens super ardua cellæ,
Hunc telo figens, auxit sibi vulnera culpæ.
Sic animam claris cælorum reddidit astris,
Quam facer angelicus deduxit ad æthera cœtus.

Hæc anonymus, in quibus pro licentia poëtica pauca sunt cum grano salis accipienda. Quod verò num. 174 *de indicta à Sancto sibimetipsi per septennium pœnitentia ait, præter ipsum nemo memorat, & inter fabulas ablegandum est.*

C

§ XII. Translatio sacri corporis Leodio Trajectum; sepultura ibidem miraculis clara: cultus ejus & ecclesiæ Leodii: parricidarum pœna divinitus prædicta.

Corpus Trajectum vehitur: fabulæ de indicio angeli

Cæsis eo modo, quo diximus, S. Lamberto *& domesticis ejus, pauci, qui communem stragem evaserant, post discessum hostium reversi, sacrum corpus Episcopi (de ceteris enim apud nullum è biographis mentio est) cimbæ impositum è villa Legia Trajectum, quinque circiter milliaribus dissitum, secundo flumine Mosa avexerunt, ut, ubi episcopalem sedem habuerat, sepeliretur. Appulsum tota civitas velut optimi Patris sui funus magno cum luctu ac lamentis excepit, ut testantur biographi, & ipsa Viri merita exigebant. Diem* XVII *Septembris, id est, eumdem, quo cæsus est, Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis cap.* 15 *huic funebri pompæ omnino verisimiliter assignat. Sed vulgarem fabulam sapit, quod de accepto adventûs ejusdem nuntio per angelum ibidem addit his verbis:* Trajectensibus annuntiatum ferunt ab angelo, qui supra Dei Parentis ædem omnibus conspicuus, digito ad Mosam intento, glorioſas invicti Martyris exuvias commonstrârit: ejus hodie supereſſe monumentum, angeli signum in ejusdem templi culmine, manu ad fluvium protenta. *Ego istam angeli statuam memorato prodigio, cujus nullus biographorum meminit, confingendo occasionem dedisse potiùs existimo, quàm ejusdem monumentum esse.*

177 *Non majoris facio alterum prætensum miraculum, quod veteribus pariter ignotum Sigebertus Gemblacensis primùm ac deinde Ægidius in hac eadem translatione contigisse tradiderunt. Sigebertum num.* 53 *audiamus.* Delectabile ac pium erat videre omnes Pastori suo impendere pignus amoris; sed miserabile ac mirum erat circa erraticas oves iram pii Pastoris advertere. Traditur enim à majoribus, quia cùm omnibus Sanctum exosculandi liber aditus pateret, si qua pelex se ingerebat ad corpus Martyris osculandum, quasi quodam turbine rotata retrocedebat. Per pelicum ergò repulsam clarebat nimis, Deo & sancto Martyri pelicem illam odiosam fuisse, quæ duplici crimine Franciam infamaverat, & sanctam conturbaverat ecclesiam. *Per hanc pellicem designat Alpaïdem, cujus jussu, contrà ac Godeschalcus & Stephanus tradunt*, S. Lambertum *occisum fuisse suprà retulerat. At ego vehementer suspicor, prodigiosum illum pellicum à sacro corpore repulsum pro prædicta Alpaïdis fabula utcumque confirmanda, vel ex ea natum esse; quod minùs mirabitur lector, si, quod* § 2 *retulimus, meminerit non dubitâsse Ægidium pro via ad eamdem sternenda* S. Lamberto *infanti nutricem virginem dare.* *& pellicum repulsu.*

178 *Sancti Martyris corpus è navi in feretro mox depositum, ad S. Petri ecclesiam, ubi ejusdem pater sepultus jacebat, delatum est, ut habent Godeschalcus, poëta, Stephanus & Sigebertus, quorum duo primi etiam addunt, clerum populumque totam noctem sacras apud illud excubias egisse. Situm hujus ecclesiæ, quæ hodieque paræcialis est extra civitatis mœnia, Nicolaus in Vita num.* 76 *his verbis exposuit:* Erat autem solitaria, sita ferè in ipsa Mosæ ripa ad Orientalem clivum montis, quem incolæ Castra vocant, habens inter se & Trajectum quasi quemdam limitem Jecoram fluviolum. *Ejusdem ecclesiæ etiam meminit, eamque* hereditatem S. Lamberti *appellat Hugo II Leodiensis episcopus apud Henschenium in Exegesi de episcopatu Tungrensi & Trajectensi ante tomum* VII *Maji, cap.* XI, *num.* 60, *ubi laudati episcopi diplomatis pars recitatur, in quo anno* 1296 *duci Brabantiæ Joanni concedit, ut* totum oppidum Trajecti & Wyck cum suis suburbiis sint in dominio ducis, exceptis duabus parochiis, videlicet S. Maria, ubi, *inquit*, olim nostra sedes fuit posita, necnon & S. Petrus existens in suburbio Trajectensi, qui quondam fuit hereditas S. Lamberti. *Corpus in ecclesia S. Petri deponitur,*

179 *Postero die Trajectenses perculsi timore, quem non à Pippino, sed à Dodone ortum diximus, non fuerunt ausi sepulcrum tanto Episcopo dignum apparare; ideoque apertâ ipsius patris tumbâ, venerabile Martyris corpus cum paternis ossibus compositum saxo cooperuerunt, ut inter omnes biographos convenit. In eo tamen discrepat* *& in paterno sepulcro tumulatum, claret miraculis.*

AUCTORE C. S.

Nicolaus, quòd ſacrum ſunus non eodem, quo appulerat die, ſed poſtridie manè in prædictam S. Petri eccleſiam illatum fuiſſe dicat, eo conſilio, ne, ſi in celebriori S. Mariæ aut Servatii eccleſia tumularetur, Pippini indignatio ingraveſceret. Sed priorum auctoritas præferenda eſt: & à Pippino nihil propterea timendum fuiſſe, ſuprà ſatis multis oſtendiſſe nos arbitramur. Nec defuere divina prodigia, quibus Deus Martyris ſui merita palàm fecit. Omnes enim biographi tradunt, ad ſepulcrum ejus cæleſtem angelorum melodiam, & huic mixtam notiſſimam ipſius S. Lamberti *vocem, die noctuque auditam eſſe. De ſuaviſſimo præterea odore, dum tumulabatur, divinitus effuſo, Stephanus, & poſt ipſum alii meminerunt.*

Poëtæ de hiſce narratio.

180 *Haſce Sancti exſequias, quæque in iis contigêre, poëta anonymus ſubjectis verſibus celebravit:*

Cujus enim ſacrum poſt tanta pericula corpus
Naviculâ poſitum, paucis redeuntibus, inde
Ducitur evectum proprios ad ſedis honores;
Qui * cùm ritè ſinum cœpiſſet pandere portus,
Maximus auditur per rura, per oppida luctus,
Ivit quòd ſic Vir pretioſus ad æthera martyr.
B Complosſis manibus dum fertur clamor ad alta,
Cauta timoris erat ſonitum conſtringere cauſa.
Hinc feretro ponunt, & id ad ſublimia ducunt
Sedis, ubi Petrus ſuſcepit Apoſtolus illud.
Tunc clerus, populuſque ſacris ſic queſtibus orant,
Ut noctem vigiles divinis laudibus addant.
Non id ſunt auſi proprio decorare ſepulcro,
Callentes patrio ſtatuerunt ponere tapho *,
Tunc plùs oſſa patris ſacrantur ab oſſibus iſtis.
Exin præclaris anglôrum * vocibus almum
Eccleſiæ templum reboabat dulce canorum.
Ut ſubtilis erat dicti vox Præſulis alma!
Illuc vicini, multo admiramine ducti,
Sæpiùs accedunt, & quid ſit, noſcere quærunt;
Qui ſint, quidve canant, vel quæ ſint munera vocis.
Sed tunc interiùs proprios extendere viſus
Dum cupiunt, ea vox tenui ſubducitur aurâ,
Ut ſolet audiri, cùm vas contingitur æris,
Et ſonus aſſurgens paulatim ducitur aſtris.
Sed doctè dum ſe retrahunt, ut longiùs eſſent,
Dulcibus auditu reſonabat vocibus aër.
Solibus in primis manſit celebratio talis,
C Alme, tuo, Landberte, loco cæleſtibus ymnis.

* *i. e.* cui

* *i. e.* ſepulcro

* *i. e.* angelorum

Cubiculo ejus Leodii miraculis illuſtrato,

181 *Illuſtrato in eum modum Trajectenſi ſancti Præſulis ſepulcro, cœpit etiam Legienſe ejus cubiculum, in quo ſacrum ſanguinem fuderat, miraculis adeò inclareſcere, ut brevi in eccleſiam excreverit. Religionem loco conciliârunt primò lumina divinitus in eo crebrò accenſa, quorum fulgore tota domus reſplendebat. Acceſſit gemina Sancti apparitio, Theodoëno quemdam in ſomnis placidè monentis, ut pectinem ſuum, quem illius uxor furto inde abſtulerat, reddendum curaret; eoque non reddito, acriter reprehenſum diro vulnere caſtigantis. Ad hæc cæci duo, Baldegiſilus & Raginfredus nomine, in ſomnis ſimiliter admoniti fuere, primus quidem, ut in venerando illo Martyris cubili excubaret, alter ut illud emundaret; & mox expergefactus Baldegiſilus, recepto oculorum lumine, fecit imperata: Raginfredus verò, dum demandato operi ſeſe accingeret, viſu pariter donatus eſt, ſeque eidem loco deinceps mancipavit. Miracula hæc antiqui æquè ac recentiores biographi narrant, adduntque, inde factum eſſe, ut frequenti populo undique illuc confluente, baſilica ibi exſtrui cœpta ſit.*

D

duæ eccleſiæ ibi eriguntur. Oda illuminata

182 *Ad inchoatum autem opus citiùs perficiendum multum contulit cujuſdam cæcæ virginis Odæ ſanatio, quæ ex auditis* S. Lamberti *miraculis concepta ſpe viſûs, ſe quoque eò duci curavit; cúmque jam non procul inde ſe abeſſe intelligeret, invocato ejuſdem Sancti nomine, ſui voti compos mox facta eſt, & ad deſideratum locum gratias actura pervenit.* Item ex hoc, *ait Godeſchalcus*, ampliùs concurrebat miſtus vulgo populus utriuſque ſexus, ſenes & parvuli, ad baſilicam Sancti ædificandam; ſicque velociter conſummata eſt. *Addit in hujus miraculi monumentum etiam alteram eccleſiam erectam fuiſſe.* Similiter, *inquit*, ubi virgo lumen ex fide recepit, credentibus in teſtimonium baſilica in ejus nomine eſt conſtructa, & aſſiduè venerata. *Credidero tamen, hanc poſteriorem, aut etiam utramque, ſacellum potiùs fuiſſe quàm baſilicam, ſi hæc vox pro majori aliqua eccleſia, ut ſolet, uſurpetur.*

an eadem cum ſynonyma Rhodæ culta?

183 *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ad diem* XXVII *Novembris recenſet S. Odam virginem, Rhodæ in diœceſi Silvæducenſi patronam, eamque eamdem facit cum illa, de qua nunc loquimur. Eamdem etiam annuntiat Miræus in Faſtis Belgicis & Burgundicis; ſed an ea ipſa fuerit, de qua Godeſchalcus, non edicit. Molanum ſecutus eſt Fiſenus tam in Hiſtoria, quàm in Floribus, ubi etiam ait, eccleſiam in loco, ubi viſum acceperat, ab ea conditam, S. Walburgis nomini conſecratam, totique monti ad ſuum uſque tempus nomen inde relictum fuiſſe. Utrùm S. Oda, quæ Rhodæ colitur, eadem ſit cum noſtra, ad præcitatum diem Novembris examinari poterit: ſed quod Fiſenus ait, eccleſiam illam* S. Walburgi *tum dicatam fuiſſe, neque cum Godeſchalco, neque cum ipſius Fiſeni dictis conciliari poteſt. Godeſchalcus enim diſertè ait, ipſam* in ejus (S. Lamberti *utique, ut res ipſa exigebat*) nomine conſtructam *eſſe. Deinde cùm ipſe Fiſenus S. Odæ mortem ſub annum* 713 *cum Molano & Miræo collocet, quî potuit hæc eccleſiam S. Walburgi dicare, quæ circa annum* 748 *ex Anglia in Germaniam primùm venit, & circa annum* 780 *defuncta eſt, ut in hujus geſtis videri poteſt tom.* III *Februarii ad diem* XXV, *quo colitur. Sed Leodium redeamus.*

E

Sancti cultus Leodii; in ejus eccleſia

184 *De cultu, quem in eodem loco, quo occiſus fuerat,* S. Lamberto *Leodienſes impendere perſeverârunt, Godeſchalcus ibidem ſic proſequitur.* Etiam fideles & devoti compoſuerunt lectum, & fabrili arte ornaverunt illum; & ſic poſuerunt illum in locum, ubi jaculatus fuerat Pontifex. Ibi Dominus magnas & abſque numero virtutes atque mirabilia operatur cotidie. *Per* lectum *in Vitis Sanctorum ſæpe* feretrum *vel* lipſanotheca *deſignatur; ac propterea hîc pro ſimili re accipienda eſt, quam ſcilicet ſuper pavimento, quod ſuo ſacro ſanguine aſperſerat, religionis & monumenti cauſâ impoſuerunt. Atque hæc eſt illa* baſilica S. Lamberti, *in qua Grimoaldum, Pippini Heriſtalli atque Plectrudis filium & Majorem-domus Neuſtriæ, dum pro ægrotantis patris ſalute precaretur, anno* 714 *occiſum eſſe, varii veteres tradiderunt. Conſuli illi poſſunt apud Coïntium anno citato num.* 1 & 2: *ſuffecerit hîc unum & alterum produxiſſe. In Hiſtoria juſſu Childebrandi conſcripta de eo ſic legitur:* Ægrotante Pippino Jobii-villâ ſuper Moſam fluvium, cùm ad eum viſitandum idem Grimoaldus veniſſet, cùm ad orationem in baſilica S. Landberti martyris proceſſiſſet, à cru-

de-

A delissimo viro, impio Rantgario nomine, interfectus est.

occiditur Grimoaldus.

185 *Consonat annalista Metensis, qui ait:* Anno ab Incarnatione Domini DCCXIV, ægrotante Pippino in Jopila villa publica, quæ sita est super fluvium Mosam, cùm ad visitandum eum Grimoaldus filius ejus properaret, & ad orationem in basilica S. Lamberti martyris processisset, & diutiùs in oratione pronus persisteret, à nequissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit. *Ceterùm eam Grimoaldi cædem prædicto anno & antequam* S. Lamberti *corpus eò delatum esset, contigisse observavimus* § 8 *contra Reinerum seu Sigebertum, qui eamdem* post paucos annos translationis ejus *perperam collocavit. Talia* S. Lamberti *cultûs primordia in villa Legia fuerunt, cum quo hæc in amplissimam civitatem, translato subinde illuc ejusdem sancti Martyris corpore & episcopali cathedra, postea excrevit. Sequitur apud Godeschalcum aliosque divina in impium Dodonem & quos sacrilegæ cædis socios habuerat, vindicta, quam* S. Lambertus *Amalgisilo thesaurario apparens, veridico ore vaticinatus est.*

Apparens, pœnas Dodonis

186 *Laudatam apparitionem, quæque mox secuta fuerunt, Godeschalcus* anni circulo (*nempe post Sancti martyrium*) expleto *contigisse affirmat; cui proximè accedens Anselmus cap.* XI *pœnam Dodoni divinitus inflictam* ipsi *martyrii illius* anno *illigavit. At magis discrepat poëta anonymus, qui integrum septennium inter utrumque intercessisse commentus est, quo toto tempore* S. Lambertum *nihil de se revelare voluisse fabulatur, ut septennium pœnitentiæ, quod propter apprehensa arma sibi proposuerat, penitus expleret. Attamen vel sic fabulantem audiamus.*

Hunc igitur Sanctum Dominus claresceré multis
Decrevit signis, virtutibus inde notatis,
Postquam dicta super stilus ascribenda peregit,
Ostendens mitem sacro de Præsule finem,
Quas non nostra suis audet contingere plectris
Calliope ludens, quia sunt miracula summi
Patris, ab excelso qui conspicit omnia gyro:
Est & ei vilis stulti sapientia mundi.
Sed quod fama bonis ingesserat auribus olim,
Illud enim pangam, pressis sub pectore fibris.
Illa piam ducens per celsa, per infima vocem,
Non reticere valet: Pretiosus corpore Martyr!

C *& sociorum ejus prædicit:*

187 Illius ergò sacer coràm cùm finis adesset,
Et sumptis armis, voluisset miles haberi,
Hinc & pensâsset cordis libramine recti,
Abjectis armis, ut se prosterneret arvis,
Quòd se dixisset septem gestare per annos
Pœnituisse bonum, carni si vita maneret;
Cùm se ferre Deo sacris deberet in ymnis,
Et non militiæ nimiùm crudelibus armis.
Unde per hos septem tacito sub tempore jussa
Nulla revelando de se facienda jubebat.
Sed post expletos jam dicti temporis annos
Advenisse viro clarus narratur eidem,
Qui tunc clavigeras astabat reddere curas
Ecclesiæ sacræ: sic tunc cœpere loquentes:
Unde venit Dominus, multis non visus ab annis?
Ille quidem, Fuimus Romam jam visere, dixit;
Sed nunc tempus adest, & nos idcirco venimus,
Dignæ mercedis, frater, quòd Dodo, fuique
Præmia suscipiant, dominis & debita reddant,
Se quibus addiderant studiis servire malignis.
Nunc tu vade celer, Dodoni & talia defer:
Audito, princeps, exhinc sermone vocantis,
Ibis, & ante Deum rationis famina pones,
Per te cur tetigit Landbertus limina mortis.
Nuncius advenit Dodoni & talia promsit.

quod vaticinium mox impletur.

188 *Hactenus poëta, cujus Opusculum, dilacerato ex codice nostro membranaceo uno aut altero folio, deinde mutilum est, ut num.* XI *monuimus. Verùm istud septennium, ceteris scriptoribus planè ignotum, quodque aliâ fabellâ, num.* 175 *rejectâ nititur, fabulosum planè est, sancto-que Martyri, cujus gloriam Deus tam Trajecti, quàm Legiæ jam manifestaverat, parùm honorificum, ne dicam, injuriosum. Ceterùm Godeschalcus, Sigebertus & alii tradunt, Dodonem putrefactis intestinis, & per os fœdè projectis, horrenda morte sui sceleris pœnas luisse. Sigebertus ex fama, seu traditione, nescio quàm certa, addit, ejusdem cadaver ob intolerabilem fœtorem in Mosam dejectum fuisse. Alios tanti facinoris reos variis modis periisse, iidem testantur, sic ut intra unius anni spatium post Sancti apparentis vaticinium ex tanto parricidarum numero pauci superfuerint, quos tamen ipsos morte horribiliorem vitam duxisse idem Sigebertus asseverat. Huc spectat, quod Wandelbertus in Martyrologio suo ad* E *præsentem diem cecinit:*

Lambertus quintum denum virtute coronat,
Factio quem cæsum semper tremebunda pavescit.

§ XIII. Corporis translatio per S. Hubertum facta Trajecto Leodium: ejusdem tempus & adjuncta quædam.

S. Hubertus, divinitus monitus,

TAm *feliciter cœpto auctoque* S. Lamberti *in villa Legia cultui novum magnumque incrementum addidit ejusdem sacri corporis translatio, facta à S. Huberto, ipsius, ut aliàs diximus, in episcopali cathedra proximo successore. Translationis causam modumque posteritati commendârunt duo primi* SS. Lamberti *& Huberti biographi; quorum prior rem gestam paulò latiùs prosecutus, tempus non nisi confusè assignavit, dicendo eam* nuper post aliquot annos *contigisse: alter verò tempus & aliquot alia adjuncta disertè expressit; sed pro miraculis in ea factis lectorem ad primum remisit. Hinc utriusque narratio magno nobis usui erit. Itaque S. Huberti biographus apud Mabillonium Sec.* 3, *part.* 1, *pag.* 81 *de hoc argumento scribit sequentia.* Anno autem ordinationis ejus (*S. Huberti*) duodecimo crebras sibi prodidit oblatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, uti à Trajectensi oppido ossa levaret S. Landeberti, & in locum, quo celebratam ejus passionem nôsset, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio ejus animum inæstimabili recreavit gaudio. F

corpus Sancti Trajecto Leodium refert

190 Attamen in quodam meditullio positus, cùm neque visioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret; quod sic erat occultum, judicavit à Domino quærendum. Nam cunctis, tam monasterialibus indicto quàm & civitatis clericis, necnon & laicis jejunio, quæ sibi divina voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere studuit. Tandemque edoctus, ancipiti submotâ sententiâ, tertiodecimo anno præsulatus sui, cœtu sibi clericorum adjuncto, nec non populari agmi-

AUCTORE C. S.

agmine coacto, accitis etiam venerabilibus episcopis & sacerdotibus, tumulum Viri Dei adiit, ibidemque spirituales observantes excubias, Divinitatemque pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut, quæ antistiti suo facienda, mandaverat, quo perficerentur, annueret, secundosque proventus attribuendo, suam voluntatem, ut taliter fierent, cunctis palàm ostenderet. Quorum piis votis omnipotentiæ Divinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione urnam, quâ sanctissimus cinis conditus servabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate busta beati Viri ex loculo protulere, & cum magno gaudio, quà venerant, referentes, in loco, in quo passus est, terræ mandavere.

non die 28 Aprilis,

191 Quantis autem, qualibusve miraculis Dominus suum velle in tali facto per omne iter reversionis eorum commendârit, scedula gestorum ejusdem sancti Pontificis adnotata continet. Fabrica ejusdem basilicæ, quâ beati Viri conditæ sunt reliquiæ, qualiter ab eodem sancto viro Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere supersedi. *Hactenus ipse de laudata translatione, quæ quo Christi anno contigerit, inprimis indagandum est. In variis Martyrologiis memoria ejusdem translationis adscripta legitur ad diem* XXVIII *Aprilis, quo etiam de ea exstat Officium in Breviariis Leodiensibus. Verumtamen eam hoc die factam non esse, discimus ex Reinero, monacho S. Laurentii apud Leodium, in Triumphali Bulonico, apud Bernardum Pezium tom.* 4 *Thesauri anecdot., part.* 3, *col.* 152, *ubi lib.* 5, *cap.* 3 *hæc habet:* Sancitum insuper (*anno* 1143 *occasione castri Bullionici per* S. Lamberti *patrocinium recepti*) episcopali est auctoritate, id ipsum ecclesia Leodiensi probante, ut IIII Kalendarum Majarum ejusdem triumphi, necnon & translationis (quia idem Martyr de Trajecto in Leodium est translatus) solemnis in posterum agatur memoria, quoniam VIIII Kal. Januarii ipsa primitus translatio facta, eo die propter Dominici Natalis vigiliam debità non posset celebrari honorificentiâ.

B

sed 24 Decembris,

192 *Vixit autem Reinerus iste seculo* XII *Leodii, eoque ipso tempore, quo memoratum decretum conditum est; ac propterea non possumus testimonium ejus suspectum habere. Reineri verba seculo* XIII *adoptavit Ægidius, cap.* 38 *in Alberone II episcopo Leodiensi, apud Chapeavillum tom.* 2, *pag.* 92, *ubi tamen seu ipsius, seu amanuensis aut editoris vitio, pro* nono *legitur* octavo Calendas Januarii, *manifesto utique errore; cùm hic dies iisdem verbis, quibus Reinerus usus est,* propter Dominici Natalis vigiliam *impeditus fuisse ab eodem dicatur. In recentiori tamen Leodiensi Breviario, quod præ manibus habeo, dicti triumphi festivitas ad præcitatum diem* XXVIII *Aprilis instituta quidem tum dicitur, sed additur:* Pariterque per eam prior illa antedicta translatio, (*per S. Hubertum facta,*) cujus memoria die hac ab olim recurrebat, celebrior fuit reddita. *At licèt hæc annuam dictæ translationis memoriam jam ante annum* 1143 *die* XXVIII *Aprilis Leodii recoli solitam asseverent, eo tamen factam fuisse non affirmant, vel si affirment, malo ego Reinero, quàm Breviarii compilatori credere.*

C

ut ostenditur,

193 *De eodem decreto ex Ægidio meminit Fisenus in Historia lib.* 5, *num.* 2, *& lib.* 10, *num.* XI, *neque id refutat. At verò Foullono lib.* 3, *cap.* 3 *incredibile apparet, tam solemnem Natalis Dominici diem, mensemque hibernum Decembrem à S. Huberto translationi faciendæ electum esse. Neque inepta est hæc Foulloni observatio, qui cùm adverteret diem* XXV *Decembris ab Ægidio assignatum non cum Vigilia, sed cum ipso festo natalitio concurrere, consequenter credidit, translationem in hoc non in illa factam esse, ab eodem affirmari. Ad hanc porrò difficultatem responsum habes ex Reinero, qui diem* XXIV *cum Vigilia rectè composuit, & translationi assignavit. Quod ab hibernum mensem attinet, non est, quòd propterea Reinerum erroris arguamus. Nam quid in eo tam incredibile apparet, si S. Hubertus cælestibus indiciis jam sæpius monitus, & ab aliis, ut mox videbimus, quibus* S. Lambertus *apparens eadem mandata dederat, interpellatus, celebratoque insuper ab universo clero populoque jejunio, de divina voluntate jam planè edoctus, translationem divinitus imperatam ad proximum Ver minimè differendam censuerit?*

D

idque anno 721 vel 722;

194 *Certè ex Godeschalco mox dicemus, sanctum Martyrem mandâsse,* ut sine aliquo cunctamine corpus suum Leodicum deferretur. *Adde, quòd Trajectum circitèr quinque dumtaxat milliaribus Belgicis distet Leodio, ut hiberno die sacra illa pompa facilè peragi potuerit. Præterea in sententia eorum, qui episcopalem sedem unà cum sancti Martyris corpore Trajecto Leodium à S. Huberto translatam esse existimant, videri potest hic eum diem præ ceteris elegisse, ut postridie sacris ibidem solemniter operaretur, atque ita dies, qui Christo Domino Natalis erat, idem esset & ecclesiæ Leodiensi. Ex dictis sequitur, memoratam translationem anno Christi* 721 *vel* 722 *illigandam esse, ut paucis ostendo. Diximus* § 8, S. Lambertum *probabilius anno* 709, *die* XVII *Septembris martyrii palmam consecutum esse. Huic successit S. Hubertus, qui* tertio decimo anno præsulatus sui, *ut ex ejusdem biographo mox probavimus, translationem curavit, idque die* XXIV *Decembris, teste Reinero. Itaque si S. Hubertus ante* XXV *Decembris episcopatu initiatus sit, eodem die anni* 721 *currebat annus præsulatûs ejus tertius decimus; si verò seriùs quàm citato die, ejusdem annus duodecimus adhuc currebat* XXIV *Decembris anni* 721; *atque adeò translatio, de qua agimus, ad alterutrum ex assignatis annis reponenda est.*

E

quod probatur contra Pagium,

195 *Nobis proximè consensit Coïntius in Annalibus, qui cùm* S. Lambertum *anno* 708, *id est, uno anno citiùs quàm nos, cæsum esse statuisset, & non viso Reinero vel Ægidio, sequeretur Martyrologia, in quibus translationis memoria quarto Kalendas Maii recolitur, ejusdem Sancti corpus anno* 721 *translatum fuisse non dubitavit. Similiter Mabillonius in Annotatis annum* 720 *vel insequentem assignavit; quia martyrium* circa annum DCCVIII *fixerat. Verùm cùm ex dictis sanctus Martyr probabilius anno* 709 *occisus sit, cùmque de mense, quo S. Hubertus eidem suffectus fuerit, non constet, & translatio secundùm Reinerum die* XXIV *Decembris facta sit, non ausim annum* 721 *potiùs, quàm* 722 *certò assignare. At certè nullo modo assentiri possum Pagio, qui in Critica ad annum* 698, *num.* 1 *ut eamdem non alio anno, quàm* 720 *contigisse persuadeat, ita ratiocinatur. In primis ex antè dictis à se statuit,* S. Lambertum *jam ab anno* 667 *episcopum fuisse; deinde additis quadraginta episcopatûs annis, ejusdem martyrium anno* 707 *illigat; ac tandem anno tertio decimo pòst translatio-*

F

A *lationem refert ad præcitatum annum 720.*

196 *De episcopatûs illius exordio egerat ad annum 658, num. 5, ubi velut* futile *rejecit argumentum Coïntii, quo hic S. Theodardum non citiùs quàm anno 668 interemptum fuisse probaverat ex die ipsius emortuali, qui* x *Septembris in Martyrologiis legitur, & præcepto Childerici regis in favorem ejus dato Trajecti anno 667 die* VI *ejusdem mensis. Cùm enim S. Theodardus, dum Childericum II regem pro ecclesiæ suæ cansis accederet, apud Nemetes occisus sit, idque ad diem* x *Septembris referant Martyrologia, Coïntius ex utriusque loci distantia rectè statuerat, S. Theodardi cædem non contigisse anno 667, cujus mense Septembri die* VI *tam Childericus quàm Theodardus adhuc fuerat Trajecti. At verò argumentum istud Pagio futile visum fuit, quia Sancti, ut ait, plerumque aliis diebus, quàm quibus coluntur, ad Deum migrârunt, & quia in* S. Lamberti *morte monstraturum se promittebat, Theodardum anno 667 vitâ functum esse. Videamus igitur, qua ratione promissa exsequatur.*

qui Sancti martyrium ad annum 667

B 197 *Post ea, quæ numero præcedenti protulimus, ita ferè prosequitur, Translatio* S. Lamberti *celebratur* XXVIII *Aprilis, ad quam in plurimis Martyrologiis Mss. & excusis indicatur: cùm verò hujusmodi solemnitates diebus Dominicis de more peragerentur, annoque 720, qui decimus tertius est ab anno 707, dies vigesimus octavus Aprilis in Dominicam inciderit, eo anno illa translatio facta videtur, ideóque & Hubertus* Lamberto *successisse. Deinde agnoscit quidem, diem illum nec in S. Huberti nec in* S. Lamberti *Vita memorari, & sanctorum translationes aliis, quàm quibus contigerunt, diebus in Martyrologiis dedescriptas esse:* sed cùm Hubertus, *inquit*, Trajecto Leodium non tantùm reliquias S. Lamberti, sed & cathedram pontificalem transtulerit, Legia seu Leodium, recuperato S. Lamberti corpore, in magnam urbem evaserit, & à populis etiam remotis orationis gratiâ frequentari cœperit, pronum est existimare, eum diem semper huic translationi sacrum fuisse, ideóque & Lambertum anno DCCVII martyrii gloriam consecutum. *Ita ipse, quod promiserat, monstrâsse sibi visus est.*

& translationem ad annum 720

C 198 *Tota igitur ratiocinii ipsius vis innititur Martyrologiis, in quibus* S. Lamberti *translatio ad diem* XXVIII *Aprilis signata est. Hæc autem fallere, probavimus ex Reinero, donec quis Martyrologium hujusmodi anno 1143 antiquius protulerit, quod non præstitit Pagius, qui Reinerum non viderat, nec fortè etiam consuluerat Ægidium. Fruſtra igitur Pagius propterea negavit, S. Theodardum die* x *Septembris, quo Martyrologiis adscriptus est, martyrium subiisse, fruſtra ejusdem cædem anno 667, sancti verò* Lamberti *necem anno 707, & translationem denique anno 720 illigavit. An S. Hubertus eodem die unà cum sacro Decessoris sui corpore episcopalem cathedram Trajecto Leodium transtulerit, hîc non inquiro: si tamen id præstiterit, ut vult Pagius, ostendimus diem* XXIV *Decembris, quo translationem corporis factam esse Reinerus affirmat, perquàm idoneum fuisse, ut postridie in ipso Domini natali festo, episcopatum Leodii auspicaretur. De reliquis, qui à nobis hac in parte dissentiunt, dixisse sufficiat, eos pro varia sua opinione de SS. Theodardi atque* Lamberti *emortuali anno, varium translationis annum consignare. Hactenus*

perperam reposuit.

de tempore translationis: nunc de nonnullis aliis ejusdem adjunctis agamus.

AUCTORE C. S.

199 *Vidimus suprà ex Vita S. Huberti, hunc anno duodecimo ordinationis suæ crebra visione monitum, ut* S. Lamberti *corpus Leodium transferret. De hisce visionibus non meminit Godeschalcus, sed ipsum* S. Lambertum *cuidam venerabili viro apparuisse, idque mandâsse asseverat. Addit, etiam alios eadem de re divinitus monitos fuisse. Verba ejus audiamus.* Nuper post aliquot annos S. Landebertus per visionem cuidam viro venerabili apparuit, ut sine aliquo cunctamine corpus suum ad Leodicum deferretur; & hoc idem sacerdotibus & fidelibus viris, Deum timentibus, multis revelatum est modis. *Ne verò venerabilem illum virum fuisse ipsum S. Hubertum credamus, ibidem mox ita prosequitur:* Sanctus autem Hucbertus, qui quondam Landeberti discipulus fuit, quique illo tempore in hac regione pontifex erat, auditis his miraculis, cum timore Dei festinans, ordinem rei diligenter inquisivit &c. *Videtur ergò hic apparitiones S. Huberto factas ignorâsse; forsitan quia ille has diu celavit, ita ut, quæ aliis obtigerant, translationi causam dedisse perhiberentur. Alter autem biographus, S. Huberti discipulus, atque adeò de rebus ejusdem melius instructus, verisimiliter maluit referre, quæ ad sanctum magistrum suum propriè attinebant.*

Revelationes translationi præviæ.

E

Quid de episcopis, qui interfuisse

200 *De episcopis, quos biographus ultimò laudatus ad eam solemnitatem à S. Huberto accitos fuisse ait, nihil planè memorat Godeschalcus, à quo tantùm dicitur sanctus ille episcopus* cum multis sacerdotibus & levitis & ceteris clericis psallentibus, & cùm magna præterea Christianorum multitudine *eam translationem peregisse. Et nulla quidem apparet ratio, ob quam hic episcoporum præsentiam ignorâsse vel ex industria prætermisisse dicatur; sed cùm aliunde sciamus, moris fuisse, ut ad hujusmodi solemnitates vicini episcopi invitarentur, non est, cur id hîc quoque factum esse non credamus, nisi fortè Nativitatis Domini festivitas eos domi cohibuerit. Joannes Roberti in Annotatis ad S. Huberti Vitam recenset episcopos, quos dictæ translationi reipsa interfuisse acceperat.* Clarissimus, *inquit*, vir D. Claudius Despretz in suis ad me missis Analectis, ex antiquis Ms. scribit, huic translationi affuisse Annonem archiepiscopum Colonienſem, Rigobertum archiepiscopum Remensem, Vindicianum episcopum Atrebatensem, Garulphum Tornacensem, Berkembodum * Morinensem, Dominicum Ambianensem & Willibrordum Ultrajectensem.

F

*Erkembodonem à nonnullis dicuntur?

201 *Roberti Annotata secuti sunt Sammarthani fratres tom. 2 Galliæ Christianæ in catalogo episcoporum Ambianensium in Dominico, & Adrianus dela Morliere lib. 2 Antiquitatum Ambianensium cap. 15; ubi tamen, omisso Rigoberto, Annonem, qui Colonienſis fuit, Remensem archiepiscopum perperam dixit. Eosdem etiam cum Roberto numerat Fisenus lib. 5 Historiæ cap. 2, qui & Agrebertum Virodunensem episcopum à Wassebergio (lib. 2 Antiquitatum Galliæ Belgicæ fol.* CXIIII) *ceteris accenseri observat. Quia verò nescimus, quàm vetusta, quantæve fidei fuerint ista à Claudio Despretz visa Mss., nec alia nobis suppetunt ejus rei monumenta, non tam inquirendum esset, utrùm laudati episcopi huic translationi interfuerint, quàm an interesse potuerint; quod operæ pretium non futurum judicavi. Id unum tutò asserere possum, aliquorum ex his e-*

AUCTORE C. S.

piscopatûs tempus, quale à scriptoribus traditur, cum translationis tempore non concurrisse, aliorum verò admodùm dubium esse, ac ceterorum denique præsentiam planè incertam.

Corpus incorruptum repertum est.

202 *Alterum in utroque biographo observandum est, quòd in Vita S. Huberti*, busta beati Viri *è sepulcro levata dicantur. Id autem non sic accipiendum esse, quasi non nisi ossa & cineres sacri corporis illius superfuerint, liquet ex Godescalco, qui illud integrum & incorruptum repertum esse non obscurè significat verbis, quæ subdo.* Venerabilia membra Christi Martyris, odore suavissimo fragrantia, Hucbertus pontifex solida & inlibata reperit, & cum timore & honore maximo de sepulcro elevans, in pretiosis vestimentis illa involvit; ea quoque, quibus dudum fuerat indutus, sub sigillis cum magna cura reposuit. *Similiter in exemplari à Chapeavillo edito cap.* 14 *dicuntur ejusdem* venerabilia membra . . . odore suavissimo fragrantia . . . salva & intemerata *inventa; eademque de mutatis asservatisque vestibus ibidem legere est. Anselmus quoque, licèt in S. Huberto cap.* 21 *scribat*, ossa *sancti Martyris ab illo translata esse, capite tamen* XI *in* S. B Lamberto *disertè dixerat:* Ex revelatione divina, beato successore ejus Huberto agente, corpus sanctissimi Martyris in locum passionis, Leodium videlicet, cùm incorruptum fuisset inventum, est translatum. *Hæc lectorem monendum censui, ne ex alterius biographi verbis inducat in animum*, S. Lamberti *corpus jam tum in cineres abiisse.*

Versus poëtæ anonymi

203 *Cetera ad eamdem translationem spectantia, quæ aliqua elucidatione indigent, in Annotatis illustrabimus. Interim anonymi de eadem versus subjicio, qui in mutilo nostro codice translationem sic prosequitur:*

Hinc etenim corpus solida cum carne repertum
Suscipiunt, sacris altè volitantibus ymnis.
Tunc urbs mœstitiam conectit laudibus atram;
Quòd se conspiciat visu Custodis abactam:
Grex ovium luctus altis balatibus addit,
Quòd se desertum Pastoris cura relinquit.
Cœptum ducit iter plebis veneratio mitis,
Et comitantur idem crebris miracula signis.
Sic adîre locum Sancto dormire paratum,
Carnis & illius roseo de rore perunctum.
Illius inde loci plebs assurrexit ovanter,
C Et sua largifluis ornare cubilia donis
Maturat, satagitque, sacros ut spargat odores.

de eadem translatione.

204 Tunc alios audire fuit per compita cantus,
Dum tuba mugitus per devia quærere claros
Bombica temptaret, ringentibus undique musis:
Stridula carpsit iter resecare per alta canoras
Tibia ritè vias: tali Landbertus honore
Martyr & eximius deductus ad intima Præsul,
Carne quiescit ibi, vitam quo reddidit astris.
* Cui Qui * terræ populus gemmis auroque nitentem
Egregiam struxisse domum signatur & aptam,
Munera muneribus jungens & prædia donis,
Mausolium comens, & dans laquearia fulcris,
Quam Domini Christi sic lux virtutis honorat,
Ut sibi Landbertum dilectum munere promat.

Hactenus anonymus, qui Opusculo suo coronidem imponens, indicat se jubente Stephano episcopo Leodiensi, quem seculo X *ineunte sedisse, num.* 9 *diximus, scripsisse, dum ita subdit:* D

Pontifici Stephano sit laus & gloria sacro,
Cujus præcepto dicta hæc sunt splendida metro,
Nominis & claram carpat de voce coronam.

§ XIV. Miracula quædam in Leodiensi ecclesia antiquitus facta: Ægidii narratio de Normannis divinitus territis &c discussa: nova ecclesia exstructa.

Ecclesia Leodii miraculis magis illustratur:

T*Ranslato Leodium sancti Martyris corpore, ecclesia ipsius miraculis magis magisque inclarescere cœpit, de quibus Godeschalcus sic loquitur:* Pauca verò, quæ de vita & de virtutibus ejus narravimus, omnibus auditoribus fidem certam præstare debent, dum hodie juxta tumbam ejus in argumentum rerum probandarum cippi fracti ostenduntur, & plurimæ catenæ & E compedes rumpuntur, claudi gressibus solidatis, & diversis infirmitatibus vexati, omni languore de corporibus & anima sublato, incolumes ad propria revertuntur. Dum autem in parvis præcedentibus temporibus multa quidem miracula sunt gesta; quis modò digna æstimatione comprehendet, quanta & qualia per prolixa temporum spatia gerenda erunt, dum numquam juxta beati Præsulis atque glorioſi Martyris tumbam usque in hodiernum signa & mirabilia fieri cessent. *Hæc ipse seculo octavo; sed quæ ista fuerint miracula, ulteriùs non exponit.*

Septem contracti & cæci simul sanati;

206 *Auctor Antiquorum miraculorum, quem num.* 10 *diximus sub Francone & Stephano, sive seculo* X *ineunte vixisse, tria miraculorum genera recenset, quæ in eadem ecclesia contigerunt. Horum primum, quod ad Sancti lipsanothecam spectat, num.* 215 *recensebimus. Duo alia, auctoris tempore facta, quia alibi commodè dari nequeunt, hîc accipe.* Alio denique pòst multorum temporum in excursu memorandum universis seculorum succursibus tale communi visu spectantes crevimus. Nocte etenim Natalis ejus, dum Vigiliarum cantisonus actitabatur cultus, jamque octavi Responsorii altè personabat melos ymnidicus, uno in puncto, unoque momento, contractorum necnon pariter cæcorum officia virtute membrorum cælitus per dudum suetos poros refusa, septeno lætantia numero spirant reparata. Quo in facto aliquid laudium addere, magis est profectò decerpere. *Animadversiones, quas pro suo ingenio ibidem prolixè subdit, quia satis frivolæ ineptæque sunt, nec ad historiam pertinent, sciens prætereo, & ad aliud, quod pòst has sequitur, progredior.*

cæca nata ecclesiam adire divinitus monita,

207 Tenente de cetero statim (*pòst Francone*m) successum episcopii viro sanctitatis atque generositatis illustri, Stephano pontifice insigni, solius Filii Dei prodigium in prælibati Patris celsitate perspeximus gestum, quod numquam de altero nec visu, nec relatu percepimus notum. Quædam cæca nata, & quotenus plures prolium genuit, sic multata (*id est, & plures liberos jam enixa, cæca permanens*) in hunc modum per somnium audire meruit à voce Dominica, ter in sur-

AUCTORE C. S. *in obſequio ſancti Martyris*

A ſingulis noctibus ita ad ſe exorſa : Quid diu in nativa durans manes cæcitate? Surge pernix, limina Lantberti martyris adi : inibi tibi dabitur potio guſtus ſalutigeri, quâ hauſtâ, percipies viſum tui, quo ſolâ illius gloriâ in te demonſtrandâ actenus caſſata caruiſti. Dumque id tertiò aurium officio excepit, finitimiſque juxtim poſitis crebro rimate (*Ῥῆμα Latinè* ſermo *eſt*) expoſitum edidit, omnium hortamine coacta, habitaculum liquit, & in Leodicum uſque itiner tendens venit. Tum eadem valvarum foribus greſſu propinquans, extemplo acſi thanata (*id eſt* moribunda à Θάνατος mors,) ſolo cecidit, palpitans. Quam multis, qui aſſiſtebant, ſuſtinenter præſtolantibus, & quidnam fors eventuum fini daret, nôſſe cupientibus, felici auſpicio illa poſt multum ſenſim reſpirans, & ſeſſu paululùm ſe erigere nitens, biberem (*id eſt* cyathum *ſeu* potum) ſe * porrigendum clamoribus increpuit, horrendum ſonans.

* ſibi

208 Quem cùm procùl haudquaquam remoratum funditus epotavit, ipſis ſuis manibus tamquam ſquamas ab oculis vellere cœpit; ac niſi ſi ab aliis ſtrictim tenta contrairetur, ultra opus ab ipſa fricati, radicitus ſtirparentur. Sic videſcens, nec maritum nec filios erat cognoſcens; ſed velut quos nondum habuerat, qui eſſent, eis importunantibus, neſcia interrogabat. Creaturarum ſubſtantias, quas antè niſi ſolis agnoſcebat vocabulis, admodùm ſtupida mirans, tota ſequenti ebdomada earum diſcere hebetando quærebat diſtantias; ita ut palàm cunctis facultas daretur advertendi, quòd numquam uſa fuiſſet lumine ſui. A pluribus tamen eam ſcientibus omni juramine teſtabatur, ſic ortam exſtitiſſe parentibus. *Potus, de quo ibi loquitur auctor, veriſimiliter fuit liquor quidam aliquibus* S. Lamberti *reliquiis, vel ad ipſius invocationem benedictus, aut in vaſculo, quo ipſe olim uſus fuerat, propinatus. Ceterùm hæc de miraculis in Leodienſi baſilica impetratis habet ſcriptor ille, qui præfatus erat, ſeſe ex plurimis tria tantùm ad ſanctiſſimæ Trinitatis gloriam relaturum, quia, ut ibidem ait*, ſi omnia paginis ingeſta ſingillatim ſcriptui mandarentur, nimiæ longiturnitatis ſpatio vacantia, faſtidium irrogare haberentur.

ibidem mirabiliter donatur viſu.

B

209 *Memorabile quoque eſt, quod Anſelmus canonicus Leodienſis, qui paulò poſt medium ſeculi* XI *ſcripſit, ſua ætate ibidem contigiſſe annotavit in Geſtis epiſcoporum Leodienſium apud Martenium & Durandum tom.* 4 *Collect. ampliſſ. veterum ſcriptorum, col.* 852 *& ſeq., ubi cap.* 12, *cui titulus eſt*, De contracto manifeſtè erecto, *ſequentia leguntur*: Liceat adhuc ad laudem & gloriam Domini, Martyris ejus pretioſi unum enarrare, cujus noſtra memoria geſti in præſenti eccleſia, ubi venerandum ejus requieſcit corpus, tòt eſſe poſſunt teſtes, quot, qui hoc idem videre, ſunt ſuperſtites. Adoleſcentulus quidam à primis pueritiæ annis eccleſiam, & quocumque procederemus, cum ſcabellis perreptare, & continuis ſeptem annis erga ſigna pulſanda, oſtia feranda & referanda ſedulus eſſe ſolebat: quotidie ex fraternarum ſtipe eleëmoſynarum alebatur; nec aliunde vivere noverat. Unde contigit, cùm inter fratres ſermo incideret de gyrovagis quibuſdam, ſigna in ſe facta mentientibus, ut, ſi iſte erectus foret, ſine dubio hoc credi debere aſſeveraretur; quippe qui præ nimia ſimplicitate nedum aliquid fingeret, longè priùs falli quàm fallere poſſet.

Alter contractus,

C

210 Taliter apud nos ſeptem paulò plus minuſve converſatus annis, quadam vice, ſicut erat hilaris & ad exhibenda talia agilis; ſed cetera omninò claudus & debilis, ad menſam fratribus occurrere feſtinans, cryptam, in qua ſancti Martyris eſt mauſolæum, pergit claudere. Venitur ad ſiniſtri lateris oſtium, cui dum ſummis innixus articulis peſſulum obdere tenderet, ſenſit paulatim laxari tibias, à coxis disjungi; adeò ut non jam articulorum amminiculo ſubrigi, ſed ſic ſe ita poſſe crederet, ut totus in directum ad hoc valeret aſſurgere. Miratur ac ſtupet ſimplicitas adoleſcentuli novam in ſe rectè incedendi potentiam; nec unde hoc ſibi contigerit, intelligere valens, neſcio, timore an pudore, rem nulli publicat. It itaque incaſſum ſcabellis aliquamdiu, multo nunc, quàm antè verè debilis, impotentior; ac tandem ex matriculariis quemdam ad ſe ſecretò advocans, eidem, quid donante Deo poſſet, oſtendit. Ille primùm præ pavore rei inuſitatæ fugiens, ſed ſubinde reſumptis viribus rediens, tempus & ordinem curationis inquiſivit.

211 Illo ſimpliciter narrante, cognovit, nobis narravit, & ex illo, ſcabellis in virtutis teſtimonium ante Martyris tumulum derelictis, novellos baculo ſuſtentante didicit regere greſſus. Contractum priùs & poſt erectum vidimus; aliquantis eum pòſt vixiſſe annis vidimus; ſcabella in teſtimonium virtutis retinemus. Hæc ideò non dicimus, ut quotidiana Dei in nos ob ſancti Martyris meritum beneficia extenuare velimus, quæ tòt ac tanta ſunt, ut humanus ea vix comprehendere valeat animus; ſed ut his, qui nova & inuſitata mirari conſuevere, ſatisfaceremus, & ut nova memorando, ad diſquirenda quotidiana ſtudioſorum ſollicitudo excitaretur. *Hactenus Anſelmus. Hiſce duo addidit Ægidius in editione Chapeavilli tom.* 1, *in* S. Lamberto. *Primum cap.* 18 *eſt de quodam laïco Leodienſi erga Sanctum piè affecto, qui cùm ter noctu æra campana ad matutinum Officium pulſari audiſſe ſibi viſus eſſet, ac toties eccleſiam, quam clauſam inveniebat, fruſtra acceſſiſſet, dum antè ſacellum S. Agathæ* aliquantulum in orando moram faceret, viſum eſt ei, quòd perſonam quamdam honeſtam & reverendam cano capite & raſam coronam habentem, amictam pallio, egredi videret de capella illa, quæ illum manu apprehendit, & ut ſequeretur, innuit.

ſubitò erectus. Sancto devotus, in eccleſiam

E

F

212 Et cùm ad oſtium eccleſiæ perveniſſent, aperta eſt ilicò in eorum adventu janua miraculosè, & ſic vir ille in eccleſiam introducitur uſque ad medium. Qui cùm vellet chorum intrare, perſona illa clauſit oſtium chori, & extra chorum dimiſit eumdem. Tunc audivit interiùs fragorem & circa feretrum B. Lamberti ſonitum, & quædam ſigna, per quæ intellexit, quòd ipſe eſſet B. Lambertus, qui eum in eccleſiam introduxerat; & ita Deum & Sanctum ejus glorificans, horam matutinalem expectavit. *Alterum recenſet cap.* 19, *eſtque hujuſmodi:* Erat quidam miles de pago Hasbanico, qui ſolitus erat deridere facta B. Lamberti, & deridendo blaſphemare. Tranſivit aliquantulùm temporis ſine vindicta; ſed cùm parvi penderet correctionem ſuam, quadam dit, juſto Judice judicante, os blaſphemum diſtortum eſt ita, quòd videbatur os habere ad aures. Dedit iſta vexatio intellectum auditui. Qui ilico venit Leodium ad miſericordiam glorioſi Martyris, culpam ſuam coram omnibus recognoſcens. Sub feretro circitèr tribus diebus in precibus jacuit; & ſic demum veniam obtinuit, & per beatum Martyrem priſtinam rece-

mirè introductus; blaſphemus punitus, ſanatur pœnitens.

AUCTORE C. S.

pit soſpitatem : & ab illo tempore devotus & humilis circa venerationem B. Lamberti permansit. *Hæc Ægidius, qui propter fabulas, quas alibi venditat, in hujusmodi rebus exiguæ apud me est auctoritatis.*

Ægidii narratio de Normannis à lipsanotheca

213 *Idem scriptor cap.* 12 *narrat, eamdem* S. Lamberti *basilicam, Francone episcopo, à Normannis succensam fuisse, sed pretiosam Sancti lipsanothecam ab eorumdem primùm avaritia, ac deinde etiam ab aëris injuriis divinitus servatam esse. Sic autem habet :* Processu temporis, Francone præsulatûs Leodiensis functo dignitate Normanni, gens scilicet Beluina feritate spirans, Leodium violenter irruperunt, & municipiis effractis atque combustis, civibus etiam immoderata cæde fusis, & substantiis eorum sublatis, ad ultimum ecclesiam S. Lamberti igne consumpserunt, eam solo coæquantes, sola ruinæ & combustionis vestigia reliquerunt. Deinde ad locum, in quo sanctum corpus venerabatur, barbarica præsumptione volentes accedere, & optima, quæ invenirent, diripere, divinitus incussa formidine, resilientes aufugerunt. Qui fugientes hoc modo, fugam suam consolabantur, dicentes, sibi dispendium venisse, quòd solam & non adeò pretiosam circa Martyris corpus micantem fabricaturam non abstulissent.

B

divinitus repulsi, & de prodigio nivium,

214 Detecto itaque sanctuario, & sancti sepulchro, flatibus ventorum, nivibus & pluviis expositio, mirabilis virtus Omnipotentis apparebat in laude sui Martyris, quòd toties complutâ undique imbribus terrâ & circumquaque nivibus opertâ, super sepulchrum ejus nec pluviæ gutta defluebat, nec crispata nivium conspersio insidebat. Mirum erat & insolitum, quòd locus corporis sacri nudo aëri patens, siccum aërem suscipiebat, humidum verò respuebat. *Fisenus lib.* 5 *Historiæ, num.* 45 *vix credere potest, Lambertianam basilicam à Normannis tunc succensam fuisse, quia Ægidium hujus rei primum auctorem credebat, neque ullus alius de nova ecclesia eo tempore ædificata meminit, ac ipse denique Ægidius scribit, structam à S. Huberto, & vetustate collabascentem, à Notgero postmodùm restauratam esse. Hinc mavult Fisenus existimare, Normannos tam à* S. Lamberti *ecclesia, quàm ab ejus lipsanotheca violanda divinitus absterritos fuisse. At fallitur : nam primò quidem Annales Francorum Bertiniani à Chesnio vulgati tom.* 3 *Script., pag.* 261 *ad annum Christi* 882 monasterium S. Landberti in Leudico *ab iisdem incensum fuisse diserte affirmant.*

C

corrigitur ex scriptore

215 *Secundò scriptor antiquorum miraculorum, de quo num.* 206 *meminimus, rei gestæ synchronus aut proximus, id ipsum tradit ; sed stilo tam barbaro, tamque implexo, ut vix intelligi possit, quid sibi velit. Sic igitur scribit :* Ergò dum truci peste Nortmannica quaquaversum quodcumque populando bachatâ, in cremata prorsus, quâ somate * quiescit (*sanctus Martyr*) suæ sedis aula, necdumque saltem medietinæ reparationis acceleratu demum structa, de locis, ad quæ fugerat, relatum, sui custodes pernoctarent vigili cura, nivium enormis exuberantia, prout totum erat patulum fenestris, affluens, nihil penetralium, nisi tantùm ejus sandalia, dimisit inoperiens. Atqui neque per quippiam sursùm, neque, quantum medietas palmæ capit, laterorsum, his venerabilitatem servans, extitit accedere audens. Quod è vestigio manè palàm plebeja multitudine scitum, mactæ mirabilitatis extollentiâ ubique sonuit inaltatum. Cujusque tunc temporibus visores, adhuc nobiscum degentes, morantur narratores. *Post hæc auctor ad pia monita conversus, observat, rectè accidisse, ut nives sacro corpori parcerent illius, quem obedientiæ causâ in Stabulensi monasterio sub dio in psalmis pernoctantem olim cruciaverant.*

* *i. e.* corpore

D

Miraculorum antiquorum,

216 *Obscuram porrò barbaramque narrationem sic interpretor : Post Normannicam vastationem, cùm* S. Lamberti *corporis custodes apud illud, ex loco, quo Normannorum metu deportatum fuerat, jam relatum, in ejusdem exusta & ne rudi quidem opere restaurata ecclesia pernoctarent ; ingens nivium vis per propatulum fornicis proruens, quidquid in ecclesia erat, cooperuit præter* sandalia, *id est velum, quo Sancti lipsanotheca contecta erat. Nihil nivium in illud desuper, nihil quoque circumcircà ad dimidiæ palmæ spatium, velut ex reverentia sacri pignoris, in pavimentum decidit : quod ubi plebs manè intellexit, summis laudibus celebravit. Jam ad Ægidium redeamus. Videtur huic anonymus ille præluxisse ; neque negare possumus, Lambertianam basilicam à Normannis succensam fuisse, cùm id laudatus miraculorum scriptor tam disertè asseveret. Neque hujus auctoritati obesse potest objectum à Fiseno aliorum de restaurata ecclesia silentium, quippe ex quo non nisi negativum argumentum desumi potest. Multò minùs obstat, quòd Notgerus ecclesiam à S. Huberto conditam, vetustate collabascentem postmodùm restauraverit : potuit enim post Normannicum incendium pro ea temporum calamitate utcumque reparari, ac deinde seculo* x *decrepito, cùm muri, qui incendio superfuerant, ruinam minarentur, à Notgero nova à fundamentis, uti factum est, suscitari.*

E

rei gestæ proximo :

217 *Verùm ex ejusdem anonymi relatione convincitur Ægidius additæ fabulæ de tentata à Normannis sacræ lipsanothecæ direptione, eorumdemque ob incussam divinitus formidinem præcipiti fuga, quæ ipse, forsitan non intellecto anonymo, cùm apud aliorum Sanctorum corpora aliquoties facta legisset, hìc quoque contigisse opinatus est. At cùm anonymus, rebus gestis proximus, de eo miraculo non tantùm non meminerit, sed lipsanothecam securitatis gratiâ aliò translatam fuisse affirmet, liquet Ægidium fabulatum esse. Adde, quòd etiam aliunde verisimilius sit,* S. Lamberti *corpus, ne in barbarorum manus incideret, tempestivè absconditum vel in tutiorem locum translatum fuisse, uti Foullonus lib.* 3 *Hist. Leod., cap.* 10, *etsi anonymum non vidisset, adversùs Ægidium jam observavit, adductis aliorum sacrorum corporum translationibus, eadem de causa prudenter institutis. Præterea istud nivium miraculum, quod semel factum ab anonymo traditur, Ægidius liberaliter multiplicavit ;* Toties, *inquiens,* complutâ undique imbribus terrâ, & circumquaque nivibus opertâ, super sepulchrum ejus nec pluviæ gutta defluebat, nec crispata nivium conspersio insidebat.

F

Nova ecclesia à Notgero condita.

218 *De ecclesia à Notgero, qui anno* 972 *Leodiensis episcopus consecratus est, ædificata Anselmus cap.* 50 *apud Chapeavillum hæc habet :* Ecclesiam sanctæ Mariæ, & sancti Lamberti (*quæ una eademque est*) ædificiis latioribus ampliavit, ornamentis ditioribus decoravit, claustra ad domorum ædificia renovavit. *In editione Marteniana legitur :* Domum sanctæ Mariæ & sancti Lamberti, sicut in præsentiarum est, cum ornamentis, claustro & ædificiis episcopii renovavit. *Hæc eadem Ægidius paulò latiùs prosecutus est in hunc modum :* Monasterium B. Lamberti patroni nostri,

A ſtri, cujus vita venerabilis, mors pretioſa, qui causâ & pœnâ martyr in ſanguine ſuo locum civitatis noſtræ cultui divino conſecravit, longè in melius, quàm fuerat, immutavit. Eccleſia enim, quam B. Hubertus ædificaverat, infirmitate minoris operis & vetuſtate incumbentis temporis ad lapſum declinaverat. Hac diruta, templum ſexaginta canonicorum, juxta magnificentiam dilatati cordis ſui, ſecundùm amplitudinem & ſublimitatem operis, quæ cernitur, in caput & protectionem civitatis & patriæ protegendæ exaltavit, ornamentis ditioribus decoravit &c. *Incertum tamen eſt, an Notgerus eam omninò perfecerit; quia eamdem à Baldrico, ipſius ſucceſſore, primùm dedicatam fuiſſe, tradit idem Anſelmus cap.* 59 *dicens:* Ipſe, præſente Colonienſi archiepiſcopo, videlicet Heriberto, ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti eccleſiam dedicavit. *Ceterùm hæc ea eccleſia eſt, in qua floret illuſtre illud canonicorum collegium, penes quod nunc eſt tota principis ac epiſcopi eligendi poteſtas, ſummaque inter principatûs ordines auctoritas.*

AUCTORE C. S.

B

§ XV. Sacri feretri cum parte corporis tranſlatio ad caſtra Leodienſium ante Bullionium: miracula ea occaſione patrata.

Duo ſynchroni, quorum unus Reinerus,

SUb *medium ſeculi* XII, *anno ſcilicet Chriſti* 1141, *contigit celebris tranſlatio* S. Lamberti *ad caſtra Leodienſium, qui cum epiſcopo ſuo Alberone II Bullionium obſidebant, cujus memoriam ob feliciſſimum eventum annua ſolemnitate Leodii ad diem* XXVIII *Aprilis recoli, ſuprà jam diximus. Rei geſtæ ſeriem prolixè ſcripſerunt duo ſynchroni, unus anonymus, alter Reinerus vel Renerus, monachus ad S. Laurentium Leodii, cujus etiam alia Opuſcula exſtant. Anonymi librum, qui* Triumphus S. Lamberti martyris de caſtro Bullonio *inſcriptus eſt, in* 22 *capita partitum edidit Chapeavillus tom.* 2 *de Geſtis Pontif. Leod., exiſtimavitque auctorem illius Nicolaum canonicum eſſe, à quo etiam Vitam* S. Lamberti *ſcriptam habemus: quod etſi ſatis veriſimile, tamen certum non eſt;* C *ideóque illum anonymi nomine laudabimus. Reineri Opuſculum, in quinque libellos diviſum, ex Laurentiani monaſterii Ms. codice vulgavit Bernardus Pez tom.* 4 *Theſauri Anecdot. parte* 3 *cum hoc titulo:* Triumphalis Bulonici libelli v.

à Sancto miraculosè ſanatus,

220 *Hoſce Reinerus ipſe ſuos eſſe agnoſcit lib.* 2 *de Claris ſcriptoribus ſui monaſterii, cap.* 9, *apud laudatum Pezium col.* 42, *ubi lucubrationes ſuas recenſens, inter cetera ait:* Præterea quinque exaravi libellorum Opuſculo, qualiter diebus noſtris eccleſia Leodienſis Bullonienſe caſtrum, pervaſoribus triumphatis, divina receperit virtute, tituloque præſignavi: Triumphale Bulonicum. *Scribendi cauſam allegat grati animi officium erga eumdem Sanctum, cujus patrocinio à gravi morbo liberatus fuerat. Ita enim loquitur in Prologo:* Verùm, quòd iners ego ac imperitus tantum aggredi negotium præſumpſi, amor dumtaxat in Sanctum & devotio me induxerunt. Quippe gratiarum debitor ille eram, quas ex hiſtoria tam ſolemni dependere non otioſum habui. Etenim cùm per annum ferè duabus angerer quartanis, & aut urerer ardoribus, aut frigoribus contraherer, ita ut præſentium pertæſo, miſeriæ mihi & oneri jam eſſet, quòd viverem; poſtquam nuper à loco quietis, ſicuti infrà liquebit, reverendum Sancti corpus elatum eſt, inter languentium alios greges ſuffragium imploraturus acceſſi; quòd indignum inexhauſtâ fuerit clementiâ exaudire dignatus, habui experimento beneficium ſoſpitatis.

de triumpho Bullionico ſcripſerunt.

221 *Quod ad tempus ſcriptionis attinet, cap. ultimo alteram victoriam anno* 1153 *relatam memorat, & ejuſdem Sancti patrocinio adſcribit. Quam ob rem non ante illum annum Triumphale ſuum ſcripſiſſe dicendus eſt, niſi fortè pauca illa ceteris poſtea adjecerit. De fide, quâ libellos iſtos exaravit, in Prologo ſic ait:* Multi quidem multa loquuntur, atque, ut in ejuſmodi ſolet negotiis, diverſæ diverſorum ſententiæ ſunt. Verumtamen prout inveſtigare ab eis diligentiùs potui, qui interfuere, poſui veritatem ... In quo (*Opuſculo*) & ſi præter verum quidquam poſitum ſit, relatoribus an ſcriptoribus æquiùs hoc imputetur, benivoli ſententiæ lectoris defero. Sed amica religioſis veritas eſt; unde à quibus hæc accepi, nequaquam ſuſpicer eos aliquid finxiſſe, dum modeſtia hoc excuſet perſonarum. *Porrò uterque ſcriptor fide dignus eſt, & quoad rerum ſubſtantiam conſentit, licèt adjuncta quædam aliter ab altero referantur. Quia verò ambo multi ſunt in rebus bellicis enarrandis, quod noſtri inſtituti non eſt, conſultius duxi ea tantùm recenſere, quæ ad* S. Lambertum *propriè ſpectant, cetera autem, quantùm ad tranſlationis ac triumphi notitiam neceſſe eſt, breviter exponere.* E

Bullionum, quod Obertus emerat,

222 *Godefridus Bullionius, poſtmodùm Hieroſolymorum rex, cum ſacram Terræ ſanctæ expeditionem verſus finem ſeculi* XI *meditaretur, caſtrum ſuum Bullionium, vulgò Bouillon, intra Arduennam ſilvam, in confinio ditionis Leodienſis ſitum, Oberto Leodienſi epiſcopo oppignoraverat, ea adjecta conditione, ut niſi à certis perſonis redimeretur, ad ipſius diœceſim perpetuò pertineret. Oblatam conditionem avidè arripuit Obertus, quia caſtrum illud naturâ & arte admodùm munitum erat, & ab ejuſdem incolarum prædationibus Leodienſes multa fuerant paſſi.* Epiſcopus itaque, *ait anonymus,* miſeriis pauperum compatiens, piè violentus, memoriam beati Martyris, loculum ſcilicet, in quo jacebant ſacratiſſimæ ejus reliquiæ, auro coopertum excruſtavit, & in majori eccleſia & omnibus totius epiſcopii eccleſiis aurum, F gemmas & cætera, quæ decoro ambitu altaria, pulpita & textus eccleſiarum venuſtabat, detraxit, & mille trecentis argenti puriſſimi marcis (*Reinerus tres auri marcas addit*) undecumque corraſis, hâc ſummâ pecuniæ duci traditâ, prædictum caſtrum emit, direptiones, captivitates, mendicitates, pericula morteſque redemit.

occupatum à Barrenſi comite, Albero II obſidente,

223 *Poſt hæc cùm nemo eorum, quorum ex pacto intererat, memoratum caſtrum redemiſſet, & Euſtachius comes Bononienſis, Godefridi frater, teſte Reinero, etiam juri ſuo ſolemniter ceſſiſſet, in jus ditionemque Leodienſis epiſcopatûs tranſiit, manſitque uſque ad Alexandri epiſcopatum. Tum verò Rainaldus Barrenſis comes, titulo repetendæ hereditatis avitæ, corruptis, ut ajunt, cuſtodibus, illud occupavit. Alexandro ſucceſſit Albero II, qui poſtquam pro eo recuperando cùm imperatorem, tum Romanum Pontificem fruſtrà interpellâſſet, idem illud obſidione cinxit, repeturus vi & armis, quod aliter obtinere non potuerat. Expeditionis initium Reinerus anno epiſcopatûs ipſius quinto,* XVI *Kalendas Septembris illigat; anonymus anno Chriſti* 1141. *Obſeſſis præ-*

AUCTORE C. S.

erant duo Rainaldi ducis filii Hugo & Rainaldus, quos in agris prædantes Leodienſis exercitus in caſtrum compulerat, quique à patre ſuo ſuppetias exſpectabant. Interea dum Leodienſes obſidionem urgere molirentur, obſeſſi fortiter ſe defenderent, uti apud utrumque ſcriptorem pluribus videre eſt, injecta prioribus mens eſt de ſancti Patroni ſui auxilio apud deductum in caſtra loculum implorando.

poſtulante exercitu, corpus S. Lamberti

224 Ea dum geruntur, *ait Reinerus*, nutu Dei, omnia ſuaviter diſponentis, epiſcopo, (*qui in caſtris aderat*) & majoribus eccleſiæ viſum eſt, ut venerabile B. Lamberti corpus, de loco motum ſuæ pauſationis, ad caſtra deportaretur, quatinus præſentiâ vel munimine tanti Patroni amplior accreſceret animus exercitui, atque ubi virtus ceſſiſſet humana, divina per ſuum operari Martyrem dignaretur Omnipotentia. Nam principes quoque exercituſque omnis, populus denique civitatis, qui edicto erat epiſcopali proceſſurus, id ſummopere efflagitabant. Quocircà licèt multa hæſitatione, multo deliberaminum tractu, poſtremò tamen complacitum eſt neceſſitati tantæ ſatisfieri. *Anonymus hæc eadem latiùs exponens, cùm epiſcopum ſuos ad fortiter pugnandum exhortantem induxiſſet, cap.* 10 *ſic progreditur:* Poſtquam præſul finem dicendi fecit, erecti omnes, quaſi divino moverentur oraculo, reſponderunt: Enitemur pro viribus modis omnibus, dabimuſque operam, ut res noſtra proſperè adminiſtretur, ſi venerit in caſtra noſter ille Martyr, cui militamus, qui conſtantiam infundat animis noſtris, & corporibus provideat ſanitatem, animabus æternam impetret ſalutem.

B

Leodio ad caſtra

225 Ille denique, ſi huc afferatur, afflictos conſolabitur, tœdioſos roborabit, vulnera noſtra curabit, omnemque languorem auferet, opus cœptum maturabit, & paci noſtræ conſulet, & Deum pro nobis orabit, & placatum faciet. Reſpondit præſul, hæc difficilia eſſe, ut Theſaurus tamdiu abſconditus revelaretur abſque ſui præſentia; cùm per ſe quoque vix auderet illud ſacratiſſimum corpus movere, nedum tranſportare abſque archiepiſcopi & ſuffraganeorum ſuorum, comitum quoque & principum, cæterorumque regni primorum ſolemniter advocata præſentia. Mandaret quidem populo de civitate, villiſque & urbibus, ut ſibi cum armis & victualibus affatim ſubveniret, beatus verò Martyr, utpote qui devotione præſens erat, pro eis intercedere non ceſſaret. Quibus cùm hæc verba non ſatisfacerent, ſed magis magiſque inſtarent, dicentes, ſe loco negotioque deſiſtere, ſi non impleretur, quod ipſi divinitus inſpirati acclamabant, victus tandem epiſcopus, videlicet quem pro tempore urgebat neceſſitas, communicato conſilio cum archidiaconis, quos ſecum habebat, conſenſit, ut beati Martyris reliquiæ illò afferrentur.

C

accerſi jubet; clero Leodienſi

226 Præmiſerat quidem nuntium cum litteris, quibus mandabat congregari exercitum; ſed ne fortè minùs ei crederetur, venerabilem Henricum archidiaconum præpoſitum, imitandæ humilitatis virum, cujus ſtudium & fides valdè erat neceſſaria, hac fungi legatione monuit, ut per eum res, quæ erat ad perſuadendum difficillima, pro utilitate & pace communi à filiis eccleſiæ perficeretur. Spargebantur hinc inde, ut in tali re fieri ſolet, rumores varii; & licèt ficta plerùmque dicerentur, pro qualitate verborum infundebant pluribus metum & ſpem partim timoris, partim gaudii. At ubi venit archidiaconus, congregatis in ſcholis B. Lamberti coarchidiaconis & religioſis viris, quibuſdam præterea de clero & populo, quos ſanioris conſilii eſſe ſciebat, brevi mandata peregit. Excubabant*, inquit, epiſcopus & comes (*Namurcenſis Henricus*) cum ſuis baronibus, neceſſariis egentes, parviſque copiis multitudinem hoſtium ſemper ſuſpectam habentes, die noctuque in armis vix laborem ſuſtinentes; ſed ſpe & patientiâ adhuc adverſa omnia ſuperantes; mandantque per amicitiam & fidem, ut eis celerem ſuccurſum faciatis, ſi ſalutem, ſi pacem communem, ſi eorum denique vitam diligitis.

D

* Excubant

ægrè conſentiente.

227 Cum armis & victualibus venite; & quia ſic urget neceſſitas, per ſummam & veram vobis præſul indicit obedientiam, ut beati Patroni noſtri ſacratiſſimum feretrum illò vobiſcum deportetis. Nec diù conſulendum, nec tardè vobis eſt ſuccurrendum: omnis enim dilatio ruinoſa eſt; ſed quicumque fideliter beatum Martyrem diligunt, id maturiùs adimpleant. Commune periculum eſt, ſi negligitur; ſolemne tripudium, ſi mandatis præſulis & precibus veſtrorum defenſorum obſecundatur. Hæc fide, quâ poterat, cum lachrymis quoque archidiacono proſequente, omnium accenſi ſunt ſpiritus auxilium ferre, plebemque civitatis & omnes viros bellatores illic cum neceſſariis copiis mittere. De corpore verò beati Martyris movendo diverſi diverſa ſenſere. Fuerunt, qui dicerent, unum de ſociis paſſionis ejus (*puta* B. Petrum *vel* Andoletum) tollendum, ut ſatisfacerent hoc velamento petitionibus principum. Sed ubi plebi mandatum eſt, uti omnes omni occaſione poſtpoſita egrederentur, & non exeuntium bona publicarentur, reſponderunt, ſe non ituros, nec opem aliquam, niſi præcederet eos beatus Martyr, ullius incommodi ſeu damni intentatione laturos. Unde licèt multis diſpliceret, perſuadente domino Joanne de Louverval archidiacono, neceſſitas coëgit aſſenſum.

E

Mira quædam ad Sancti feretrum facta;

228 Itaque conſultum eſt, ut poſt matutinos hymnos loci convenientia notaretur, & manè ante conſpectum populi humili devotione corpus ſacratiſſimum moveretur. Quid autem ea nocte æditui eccleſiæ viderint, quid audierint, quantis mirabilibus obſtupuerint, ſuperſedeo ſcribere; præſertim cùm & ipſi, qui hæc viderunt, non hæc auribus infuderunt multorum, & cælandum ſatius æſtimaverint, quàm prodendum. *Hactenus anonymus. De iiſdem prodigiis Reinerus meminit, poſt verba num.* 224 *relata ſic proſecutus:* Quod (*conſilium de Sancti corpore in caſtra deferendo*) etiam approbâſſe Martyrem, cùm ſucceſſu rerum, tum & revelationibus & indiciis eſt quibuſdam ſatis compertum, aſſeverantibus loci cuſtodibus, quòd tantis plerùmque motibus circa dies illos feretrum, quo felicia claudebantur pignora, concuſſum ſit, tantus terror inceſſerit divinus, uti non auderent illò, præſertim noctibus accedere aut ingredi: nam obſtupeſcunt carnalia, dum emicant ſpiritualia. Ad cumulum profectò tuæ glorificationis hoc agebatur, ô Martyr, ô decus & gloriæ corona Leodienſis, quòd à loco transferebaris priſtinæ quietis, quatinus tua per te reciperes, qui jam cohæres Chriſto factus in regno, nullius, niſi propter tuos, egens factus eſſes.

F

ad quod in medio eccleſiæ poſitum ſurda

229 *Pergo ex eodem Reinero cap.* 2, *quæ deinde facta ſunt, enarrare.* Igitur VI Kalendarum Septembrium convenientibus tam monachis, quàm clericis atque numeroſâ diverſi ſexus & ætatis frequentiâ, abbates virique religioſi ſubeuntes in ſecretarium cryptæ, quod tantum aſſervabat theſaurum, debitâ ſacrum feretrum reverentiâ extulere, mellitiſque laudum conventibus in voce exul-

A exultationis & confessionis personantibus, in medio est ecclesiæ locatum. Multa ibi vota, multæ præces ac lacrimæ fusæ: Sancti quoque virtus præfulsit mirificè. Quædam mulier, quæ capitis obsurduerat dolore, cùm occurrisset ad feretrum, opemque fideli affectione pio lacrimatu implorâsset, subitò in verticem grave quoddam pondus supernè sensit decidisse, & quasi duos ferri duculos utrique auri penetrabiliter infixos. Ex quo terræ consternata, dum ita cælesti medicamine sensum audiendi plenè recuperâsset, Deo & Martyri gratias reddidit.

aliique infirmi sospitantur.

230 Denique puella quædam passionis trino genere miserabiliter angebatur. Modò etenim febre, modò paralysi, interdum epilepsiaco quassabatur incommodo. Super qua nimiùm parentes affecti, votum Martyri vovere, illiusque ad martyrium (*id est, lipsanothecam vel sacellum*) cujuslibet speciei oblationem, infirmæ æquilibratam, deferre statuerunt. Piæ supplicum devotioni pia sanctæ Trinitatis operatio affuit, quæ actutum puellam eisdem ad integrum passionibus liberavit. Puer quoque erronei sensus ac turbidæ mentis in sobrium rationis statum compositus est. Alia etiam

B proveniisse sanitatum ferebantur remedia. Sed miracula pro augenda fiunt devotione: fit ergo ad devotionem provectior, qui est ad credulitatem inclinatior. *De hisce miraculis nihil habet anonymus, licèt* S. Lamberti *corpus cum sua lipsanotheca* de secreto illo, in quo diu jacuerat, ad publicum *à viris religiosis productum, & in medio ecclesiæ collocatum, magno cum circumfusi populi gaudio, precibus ac lacrymis frequentatum fuisse, similiter asseveret. Sed videtur is de nonnullis rerum adjunctis minùs rectè instructus fuisse, quàm Reinerus, ut liquet ex eo, quod mox subdit idem anonymus.*

Pars corporis loculo inclusa

231 *Etenim ibidem sic prosequitur:* Postera die tempestivis horis dictis Regularibus impositæ sunt reliquiæ, quæ delatæ sunt in illo færetro, quod auro olim exuerat Obertus episcopus, dum Bullonium venderet ecclesiæ B. Lamberti dux Godefridus. *Certè hîc ita loquitur anonymus, quasi totum* S. Lamberti *corpus ad castra translatum fuisset; quod disertè negat Reinerus, cujus narrationem resumo.* Tunc primi, (*ait citato cap.* 2) atque saniores provido solliciti metu, ne quid fortè tristius super Martyris corpore accideret, si delatum in castra foret, (nam bellorum incertos eventus esse, atque nunc isthinc, nunc illinc adversa misceri & prospera) decreverunt, ut resignato eodem feretro, inde levaretur, tutiorique interim loco reconderetur. Quod videlicet sunt

C executi abbates religiosi, & ad hoc electi probabiles viri, qui beata ossa penes altare sanctæ Crucis, situm in oratorio eidem basilicæ adjuncto, ingenti, sicut par erat, metu ac devotione ad nocturnum transposuere silentium. Aliquas tamen in ipsum feretrum reliquias reponentes, denuò signaverunt, & hoc ad castra exhibuere perferendum.

cum particula sanctæ Crucis fertur

232 *Non fuit igitur totum sancti Episcopi martyris corpus, sed aliqua tantummodò ipsius ossa in loculo ad obsessores translata: idque anonymus facilè potuit ignorâsse, cùm res in nocturno silentio & clanculum gesta fuerit; vel si sciverit, silendum censuisse, ne clero invidiam apud populum crearet. Reineri dicta adoptavit Ægidius Aurea-Vallis cap.* 31 *in Alberone II, quem Foullonus, qui Reinerum haud dubiè non legerat, propterea perperam rejecit, nixus anonymo. Redeo ad Reinerum caput* 4 *ordientem.* Nec quievit pietas populi vovere vota, oblationes offerre, donec inde sublatum cum tabula operosè fabrefacta, cui Dominicæ Crucis portiuncula inesset, castris deportaretur, choris monachorum atque clericorum tanto Patri debito affectu & veneratione prosequentibus, atque canticorum officio usque Mosam fluvium per Publicum montem deducentibus, per Sanctorum cœnobia, inibi constituta, honorificè priùs decantatis laudibus. Neque popularium defuit ingens turba; suas ipsi laudes, sua personuere cantica.

ad navim: per viam miraculis clarens,

233 Verùm loculo venerabili exceptum navi devotus grex pium Pastorem multa obsecratione & lacrimis commendans, uti prosperè abiret, prosperiùs rediret, quia gressu non ulteriùs valebat, diu tamen voto sequens & oculis, in sua tandem rediit. Concurrebat autem undique obviam feretro sancto de vicis ac villulis utriusque sexus multitudo, fiebantque sanitates plurimæ tam medicabilis Ligni virtute, quàm beati Martyris merito & oratione. Ad Nandrienſem quippe villam ubi ventum est, homo languidus, quem acerba membrorum contractio dissolverat, ipsi feretro applicitus, exoratâque Sancti clementiâ, celeri est sospitate instauratus. Deinde in villa E Phriere (*ab anonymo* Freitura *dicitur*) cæcus lumen recepit oculorum. Unde cùm esset digressum, quidam miles, qui quartano diu typo (*id est*, febri) laboraverat, & capitis valitudinario utebatur assiduè, ubi salubrem attigisset loculum, suppositisque humeris aliquanto tulisset spatio, incommodis fuerat liberatus. Qui etiam armis protinus resumptis, officiosas retribuens gratias, secutus in expeditionem est. *De contracto in Nandrienſi villa sanato nihil habet anonymus; cetera consentiunt.*

honorificè deducitur.

234 Secuta dehinc nocte (*verba iterum sunt Reineri*) apud villam Uphei (*anonymo* Ufey) mansione disposita, ubi præstolabatur Leodiensis exercitus, devota fidelium sedulitas cum incolis loci celebre exegit pervigilium. Inde matutino dum movissent, advenit, qui diceret, sequenti die, III videlicet Kalendas Septembris, Rainaldum comitem (*Barrensem*) cum quingentis equitibus, & quindecim peditum milibus bello conflicturum. Quapropter accelerato itinere, prono jam in occasum sole, Thelim villulam venere.... Nocte ergo media directo exercitûs ad episcopum veredario, qui super bello disceret, cùm F in lucem jam aurora erumperet, exinde progressi, Vilantiam properatò villam contendêre. Illuc rediens legatus, bellum eo procul dubio futurum die nuntiat. Sed formidolosos siniſter facilè rumor enervat. Unde complures inepta formidine fracti, soloque auditu vulnerati sunt. Diffidentiâ ergo diffugere muliebri. Ac cæteri cùm vitalis Ligni, tum sancti Martyris confidentiâ potiùs, quàm ferro armati, per angustos semitarum tractus in auxilium sociis maturaverunt pectore virili. Ab utroque autem exercitu missi exploratores, qui, quomodo sese partes haberent, vestigare ac referre deberent, dum sibi occurrissent, taciti ac dissimulantes ad socia se castra retulere: atque hostes quidem ex suis cognito, quanta obsidentium, quanta eorum, qui tunc confluxerint, esset copia, satius probaverunt conatu temerario absistere, quàm periculum in se ultrò arcessere. *Hîc libelli* 2 *finis est.*

AUCTORE C. S.

§ XVI. Lipsanothecæ solemnis adventus in castra: Hugonis morbus divinitus inflictus, pœnitentia & pia mors: castri deditio.

Sacræ reliquiæ in castris exceptæ

REinerus *lib.* 3, *cap.* 1 *sacrorum lipsanorum in castra adventum, quæque hunc subsecuta fuere, ita pergit exponere:* Posteaquam fuerat auditum in castris, Dominicæ Crucis insigne cum tanto adesse patrocinio, ab episcopo exercituque, pro expectatione belli instructo, armis occursum est. *Castrorum locum, in quo Sancti lipsanotheca deposita fuit, anonymus cap.* 17 *his verbis exponit:* Episcopus beati Martyris loculum jussit ferri in eam partem castelli contra Malum pertusium, in pratum, quod dicitur S. Lamberti, quod Symois alluit, ubi & castris locus B & exercitui commeatus suppetebat. Illic in parvo arctoque satis posuerunt feretrum tentoriolo, deputatis in circuitu suis in tuguriis cum domino Joanne archidiacono clericis, qui vespere & manè & meridie narrarent & annuntiarent laudes Domini, ut in tempore oportuno exaudiret voces eorum. Illic quoque cives & populus Legiæ sua fixere tentoria, quibus præesse jussus est Eustachius advocatus de Asbania.

Leodienses gaudio, hostes metu implent.

236 *Redeo ad Reinerum, qui eumdem in castris locum, sacris lipsanis paucis assignat, ac de ingenti alacritate, qua Leodienses, metuque, quo obsessos adventus eorumdem affecit, sic pergit narrare:* Ea igitur incessit lætitia, eæ choros ducentium voces insonuere, uti existimâsses, arcam fœderis Domini exercituum tunc excepisse Israhel. Et sacrum quidem feretrum intra paratum sibi tentorium, in loco, qui Pratum sancti Lamberti dicitur, receptum, deputatisque custodibus, & qui congruis temporibus divinas dicerent laudes, clericis, quidnam in se contineret, quantam detulisset opem, mirâ cœpit continuò declarare potentiâ, ut liquidò patuerit omnibus, venisse Deum in castra. Enim verò ad præsentiam C ejus, qui erant in castro sive præsidiis, & invicto se loci situ inexpugnabiles arbitrabantur, subita hebetudine ac metu, quasi fulmine tacti, per hoc, si mens non læva fuisset, sibi animadvertissent prædici, quòd tali forent machina expugnandi.

Ad harum conspectam Hugo concidens,

237 Quin etiam Ugo (*Rainaldi Barrensis comitis filius*,) qui hereditario jure ipsum post patrem possidere castrum acceperat, dum viso eminus feretro, juvenili arrogantia insultaret, toto statim dissolutus corpore cœpit tremere, sensuque perdito, retrorsum ruit, excors & insolens, qui non intellexisset, cujus indignè fieri cohæres attentaret. Sed ubi paulatim sese resumpsit, Rainaldum fratrem cum primis è familiaribus seorsum evocat; quantum terroris patiatur, aperit; intentionem in eo suam esse, quatinus sancto Martyri satisfaciat, suumque castrum illi restituat. Super quo etiam voluntatem esse patris quærendam, ac sibi, quo urgeatur periculo, insinuandum. Se omnimodis obsecrare, ut pereunti paterna pietate prospiciat. Quod petebat, sese executuros, illi promittunt. Induciæ ponuntur in hebdomadam, intra quam hoc ipsius (*patri*) referri potuisset. *Hactenus narratis consentit scriptor anonymus, præterquam in dictis de Hugone, quæ non nihil aliter refert.* D

castrum dedere desiderat:

238 *Nam primò quidem non ait, ipsum viso Sancti feretro arroganter insultâsse, ut auctor est Reinerus. Verba ejus cap.* 13 *accipe:* Stabat in vestibulo basilicæ, respiciens per fenestras Hugo Rainaldi filius, miles egregius, caput & princeps obsessorum, qui viribus subitò destitutus, repentinaque formidine correptus, exanimis corruit ad aspectum sanctarum reliquiarum. *Secundò scribit, ipsum, postquam ex deliquio sui compos factus est, arcem sub honestis conditionibus sine ulla mora Leodiensi episcopo dedere voluisse, illumque inter cetera ad suos hæc loquentem induxit:* Honesto itaque conveniente placito, cedamus Divinitati, humiliemus animas nostras Omnipotentiæ ejus, interim dum adhuc saluti nostræ & vitæ parcitur; quia Miles emeritus, qui nunc in castra venit, velimus, nolimus, sua domo non fraudabitur. Quapropter si vestra patiatur benignitas, descendam, domumque hanc unà mecum perpetuæ Virgini, pioque Martyri dedam, ne veniat super nos indignatio, & corripiat nos Deus, non jam in misericordia, sed in E judicio.

abnuentibus ceteris ac deditionem differentibus

239 *Tum subdit anonymus, Rainaldum ceteroſque negâsse, sese inconsulto patre castrum hostibus tradere posse: sed missuros ad ipsum, qui intra octiduum ejusdem mandata referrent; & horum dictis Hugonem, licèt ægrè, acquievisse. Hisce observatis, ad Reinerum redeo. Is narrata cujusdam molendini, in quo hostile præsidium erat, incensione, cap.* 2 *sic prosequitur:* Evolutis induciarum diebus, cùm præscriptus juvenis (*Hugo*) suos requireret, quid egissent, quid super salute sua tractâssent, vel patris quæ esset sententia, ubi nil actum (*neminem scilicet ad patrem missum esse, ut habet anonymus*) intellexerat, gravi stomachatus indignatione, Volentibus, inquit, sive nolentibus, quod suum est, Sanctus recipiet. Sed en ego divina plector animadversione, & vestra faciente obstinacia crudeli, en morior! Verùm ô milites, ô amici! si misero parcitis, inite jam demum mihi ac vobis salubre consilium. Dum instaret vehementiùs, illi ultrà non ferentes, eum tam dirè anxiari, nocte secuta per abditos silvarum calles misêre castri procuratorem & militiæ antesignanum, qui ad patrem illius rem perferret, ac referret sententiam: qui juramento etiam firmavit, quòd sequenti haud dubiè Dominica reverteretur, nisi fortè aut hostili captione, aut morte præventus. F

graviter torquetur.

240 Sed ab eo fide neglecta, posthabita est sponsio: nec enim peregit legationem, nec rediit ad socios; sed cuidam militi adjunctus, de his, quæ in castra convehebantur, prædationes agebat. Juvene, qui morarum fastidiebat tarditatem, condicta denuò die à suis exquirente, quænam voluntas seu deliberatio patris esset, ac respondentibus, se nuntium misisse quidem, minimè verò esse reversum; tum acerrimo luctu ille æstuans, & mente captus, horrendo cœpit modo agitari, seipsum discindere, manus brachiaque dentibus appetere, ad Sancti velle feretrum prorumpere. Verùm ligatus à ministris penes remotiora continebatur, divulgato, quoniam ægrotaret. Sed nullam eo admittente quietem, immò quæ sola sibi libera remansissent, labia linguamque morsibus lacerante, idque inter inconditas crebriùs voces perstrepente; Quærite consilium, quærite consilium; sui mœrore & anxietate circum-

A cumfusi, statuêre Rainaldum fratrem ejus tam tristis nuntium rei apud patrem fieri, fortasse præsentis aspectu, absentis alterius filii traheretur affectu, parvi penderetque alienam hæreditatem, ob quam tam gratum amitteret hæredem.

Rainaldus parem adire frustra tentat;

241 At cùm adolescenti processuro electissimum vellent equum exhibere, itatenus bestia neque ictibus urgeri, neque hortantium potuit vocibus moveri, ut fixo gradu in simulachrum putaretur obriguisse. Qua scilicet difficultate facta, accessit experimento etiam artis industria: nam ipsius equi velavere oculos, agebantque, quatinus vel sic procederet. Quia verò non est consilium, non est conatus contra Dominum, hærente illo, astus sollertiaque exinanita est hominum. Ita ergo adolescentis iter impeditum. Possessor autem equi molestissimè habens, tanti se usu vehiculi destitutum, ne deficiens quoque in mortem conspexisset, sequenti die armigero jussit, si quo posset pacto aquatum illum producere & alicui saltem adversariorum attribuere. Quod ultroneum statim minantis sequens arbitrium, à montis est supercilio ad aquam deductum; unusque militum

B mox ascendit transductum & bello habile & cursu probavit præstantissimum. *Eadem de memorato equo narrat biographus, qui addit, ceteros, qui in castro erant, equos vires defecisse; illum verò* à Theodorico de Turre *commodatum fuisse* hac conditione, ut si perderetur, nec ei restitueretur, sexaginta libras susciperet pro equi commutatione. *Denique addit, eumdem Henrico comiti Namurcensi, qui in Leodiensi exercitu militabat, tunc missum, illumque eo usum fuisse.*

captivus mirabiliter elabitur.

242 Igitur conjicere castrenses poterant, (*prosequitur Reinerus cap.* 3) sese divinitus impediri, atque superiori bestiæ repugnantia suam rebellionem pertinaciamque coargui. Nec minùs porrò in eis, quàm in juvenibus illis, notam fecit Sanctus virtutem suam, qui post furoris quidem contentionumque jurgia, plerùmque tantâ adversum semetipsos armabantur insaniâ, ut alterutros gladiis appeterent. Horroris quoque ac terribilis cujusdam pavoris tetra super eos caligo incubuerat. Sicut enim postmodùm fatebantur ipsi, singularem tunc in eis animadvertisse miseriam fuit, cùm exteriori non solùm obsidionis vallarentur angustia; verùm, gravius quo nihil esset, intestino

C discordiæ malo sua lacerarent mutuò viscera. Quò contrà dum captivus quidam, qui plurimum jam tempus illic fecerat in compedibus, virtutem Martyris invocâsset, ex edito se turris loco deorsum mittens, quàmlibet devolutus per asperrima sit præcipitia, non solùm læsionis tantùm nil pertulit, quin immò vincula, quibus stringebatur, superno soluta beneficio, ab eodem sunt ante feretrum deportata, & in argumentum tantæ virtutis appensa. Etenim fides ac devotio merentur gratiam; perfidia & præsumptio incurrunt offensam.

Multis è castris Leodiensium jam dilapsis,

243 *Capite* 4 *Reinerus agit de machinis bellicis, quæ cùm ad prohibendos obsessos, ne aquam haurirent, tum ad expugnandum ipsum castrum magno molimine parabantur. Verùm cùm longioris moræ Leodiensis exercitûs milites taderet, & ad annonæ inopiam atque continuos imbres accederet etiam timor à Barrensi comite Rainaldo, qui cum plurimis copiis quamprimùm adfuturus dicebatur, eorum pars magna è castris dilapsa est:* adeo ut, *teste anonymo cap.* 17, vix in duabus noctibus diebusque tribus in omni circa eam partem, in qua tentoriolum B. Lamberti splendebat, pla-

nitie remanerent trecenti, partim tædio, partim inopiâ necessariorum, partim metu hostium, qui superventuri sperabantur, pluribus recedentibus. *Ea res episcopum & Leodiensium primores impulit, ut intermissâ machinarum fabricâ castrum invaderent.* Ad quintum decimum itaque Kalendadarum Octobrium, (*ait Reinerus lib.* 4, *cap.* 1) qui dies glorioso splendescit natalitio B. Lamberti, ut se in expeditione quisque pararet, edictum est in castris: nam eo magis die virtus Sancti sperabatur affutura præliatoribus suis. *Actum est viriliter ab omni exercitu; sed non eo, quem speraverant, successu.*

AUCTORE C. S.

comes Salmensis indutias facit: Hugo & Rainaldus

244 Verumtamen, *subdit Reinerus*, ibi quoque tunc operata est manus Martyris: quamquam enim inconsultiùs plurimi pugnarent, ac nudo corpore & obviis pectoribus fuerint hostibus expositi, nullus tamen fuit, qui se illo quereretur fuisse assultu gravatum. *Illud quoque animadversum est, obsessorum multos, velut suæ defensionis salutisque immemores, etiam tum mutuo odio se invicem petiisse. Ceterùm* jam hespero diem claudente, descendit exercitus de monte, militibus dumtaxat loricatis studio acriori urgentibus inclusos. *Sed propior erat castri deditio, quàm obsessores existimabant; quippe quæ paucis diebus post, & quidem sine ullo sanguine ac periculo facta est, uti ibidem cap.* 2 *&* 3 *narrat Reinerus, cujus verba hùc denuo transfero.* Venit tunc in castra Heinricus comes Salmiensis, ex sorore ortus Rainaldi comitis. Hic ab episcopo & principibus petitis atque impetratis induciis, collocuturus nepoti suo Ugoni, quem esse inæqualem audierat, & tam illos, quàm cæteros ad deditionem hortaturus, in castrum successit....

E

infirmi ad lipsanothecam adducti: Hugo moritur.

245 Comes denique (*Salmensis*,) viso juvenis (*Hugonis*) tam exitiali malo, divinam esse ultionem animadvertit, compunctusque in lacrimas, ut simile caverent, reliquos ammonuit. Unius etenim plagam pluribus debere fieri cautelam. Accepta proinde ab universis sponsione, quòd, nisi intra dies septem à domino suo illis subveniretur, se & castrum dederent; quatinus idem Ugo ad feretrum Martyris efferretur, & ab episcopo solveretur excommunicatione, & eorum, quæ in Sanctum deliquisset, veniam mereretur, obtinuit. Verumtamen talis interjecta pactio est, ut, quousque fieret deditio, ipse juvenis (*Hugo*) apud episcopum obses detineretur. Quin & frater illius

F Rainaldus, qui, ne fieret deditio, pertinaciter restiterat, gravi confectus dolore membrorum, ad feretrum perducitur, Sancto satisfacit, voto se obligat, quòd res ejus nulla ulteriùs temeraret pervasione, dummodò imminens evadere periculum meruisset. Nonnulli etiam adversariorum, alii alio ultionis modo multati sunt, ne quis leve æstimaret manus mittere in Sanctum Domini. Interea Ugo cruciatuum longo angore consumptus, multúmque Martyris nomen inclamitans, diem clausit extremum, sanè per hoc insinuans, quo indignante compulsus sit ad exitum. *Hæc Reinerus, à quibus hinc inde dissentit anonymus, ut infrà ostendemus, postquam cetera ex eodem Reinero recensuerimus.*

Lipsanotheca in castrum deditum infertur.

246 *Is igitur narrationem sic texere pergit:* Ad cujus scilicet partem comes præfatus (*Salmensis*) maturatò proficiscitur, supernæ indignationis iram, primogeniti mortem, alterius incommoditatem, suorum miserias exponit attonito, suadetque sibi tandem ac suis consulat. Cùm res enim tam in arto sint, cedendum esse, & debere dimitti, quod nequeat teneri. Itaque perpendens...

AUCTORE C. S.

ille, quia velle Divinitati repugnare, conatus esset humanos excedere, malorum vehementiâ extorsus, in deditionem consensit anno à pervasione duodecimo. O diem triumphalem! Tunc planè sicut sol in ortu suo rutilat, ita Martyris nomen effulsit magnificentiâ, qui de cœlo contra hostes dimicans, quod penitus non potuissent humanæ vires, divinæ virtutis hoc peregit potentiâ. Ejectis igitur è castro adversariis, XI Kal. Octobris intromissum est splendido cum triumpho feretrum venerabile, & in medio ecclesiæ locatum, quæ camerato transvoluta opere, decentis structuræ reddit aspectum. Hæc S. Baptistæ Johannis sacrata est ad titulum, quem Lambertus splendidè imitatus, æquè occubuerat propter justitiæ & castitatis testimonium. Dicebantur itaque laudes Deo secundùm multitudinem magnitudinis ejus, præconia Martyri, quoniam humiliâsset, sicut vulneratum, superbum, & in virtute brachii sui dispersisset inimicos suos.

Hugonis sera pœnitentia.

247 *Suprà mox monui, anonymum Triumphi scriptorem in nonnullis à Reinero dissidere. Discrimen est in tempore obitûs Hugonis, pactisque propterea conditionibus de reddendo castro: quod antequam exponam, libet ipsum de translato ad castra Hugone pœnitente audire.* His, *inquit*, firmatis (*utrimque per Henricum comitem Salmensem*) conditionibus, deportatur infirmus (*Hugo*) in lecto ante episcopum, cujus tantummodo cognitionem tenuit, dominum eum appellans, & petiit, ut ab excommunicatione eum absolveret, & indulgentiam eorum, quæ in Sanctum deliquerat sua pervadendo, hac extrema necessitudine largiretur. Flebat autem episcopus, & charitatis affectu compatiebatur misero; & ne quid super dolorem vulnerum adderet, absolutionem & indulgentiam, prout petebat, ei non negavit. Deinde ad patrem illius comes Salmensis revertitur, *eique, ut ibidem subdit, periculum vitæ, in quo filius ejus natu-major Hugo versabatur, exponit; utque castrum dedi permittat, persuadet, sub ea tamen conditione, si Hugo adhuc viveret.*

& pia mors, ab anonymo narrata,

248 Expendens, *inquit*, vir efferus, quia in se vadit, cùm vadit in Deum, annuit fieri, quod petebat; si tamen vivens adhuc inveniretur filius, qui ægrotabat: at si Vita excessisset, junior filius in obsidiatum transiret episcopi, deditio verò in suum differretur adventum. Repedant legati, juvenem viventem reperiunt, castrique deditionem continuò faciunt. O triumphalem & faustum diem! *Deinde de pia Hugonis morte & tempore, quo obiit, cap. 21 hæc habet:* Itaque ea nocte legitimis possessoribus in castro exultantibus, adversarii quondam nostri, qui viderant oculis suis Dei mirabilia, dolore torquentur geminato, mortuo Hugone juvene clarissimo, egregio satis milite & industrio. De quo quidem multi nostrorum bonam spem habent, quòd veniam & misericordiam possit adipisci, si permittat altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus viæ investigabiles & judicia incomprehensibilia. Tertia enim, antequam excederet, die humili affectu Viaticum susceperat, & postquam beatus Martyr, gloriosus Victor, in castellum delatus est, in ejus tentoriolo se deferri fecit; in loco, in quo jacuerat, sanæ menti restitutus est, gratias de triumpho Martyris, de arce reddita egit, gratias eis quoque, qui sibi infirmo in castris obsequium præstiterant, retulit. Et licèt mortem temporalem non evaserit, potens est Deus ab æterna morte liberare eum, qui non judicat bis in id ipsum. Et quis scit, an ideo raptus sit, ne iterum malitia mutaret intellectum illius?

uti & pœnitentia Rainaldi junioris.

249 *Ex his manifestum est, alterutrum, Reinerum scilicet vel anonymum, in assignando Hugonis emortuali tempore errâsse; cùm hic illum post, ille verò ante deditam arcem obiisse affirmet: sed uterlibet verum dixerit, nil facit ad propositum nostrum. Rainaldi quoque ad Sancti reliquias accessum, quem Reinerus præmisit, anonymus post deditionem refert, de eoque sic scribit:* Post hæc frater Hugonis junior Rainaldus adductus ante feretrum Martyris, toto ferè inutilis corpore, absolutionem postulat & meretur, promittitque, quòd nihil in æternum de B. Lamberti possessionibus usurpabit, si ei præsens judicium evadere donetur. *Hac ratione Bullionense castrum, quod armis inexpugnabile videbatur,* S. Lamberti *patrocinio feliciter recuperatum est.*

§ XVII. Lipsanotheca non sine miraculis Leodium relata, & pretiosè exornata: festum annuum decretum: duæ aliæ victoriæ: Officia instituta.

Lipsanotheca, patratis per viam miraculis,

RE tam prosperè gesta, S. Lamberti *lipsanotheca Dionanto & Namurco Leodium solemniter, nec sine miraculis relata est: qua de re anonymus, oculatus testis, cap. 22 scribit sequentia:* Manè post Missarum solemnia cum exultatione & lætitia inclitus Triumphator è castro elatus est, cujus sacrum feretrum super carrum impositum, usque Dionantum oppidum, (*vulgò* Dinant *ad Mosam fluvium*) evectum est. Quid referam solemnem gloriam, triumphum magnificum ingenio tenui, lingua vix balbutiente, cùm si adesset mihi Maronis vel Homeri facunda loquacitas, non sufficeret explicare? Devotioni tamen tuæ, beate Martyr, prout vires dederis, famulabor, dicamque, quod vidi; quàm gloriosè Namurci cæcum illuminaveris à nativitate puerum septennem: Andanæ (*indigenis* Andenne, *municipium ad Mosam est in comitatu Namurcensi*) jam de ipsis mortis faucibus revocâsti * clericum juvenem: Hoji (*quod oppidum est vulgò* Huy *in ditione Leodiensi*) contracto gressum dederis, quem numquam parentes viderant euntem. Jam perlatus Leodium, qua devotione susceptus sis, quanto honore civitatem tuam coronaveris, dicant tui filii, quos dulciter enutris &c. *Ita ipse Leodiensibus cetera enarranda relinquens.*

* revocaveris

Leodium refertur,

251 *At Reinerus lib. 5 iter quidem Bullionio Leodium usque similiter perstringit; sed quid Leodii præterea contigerit, paucis tamen memorat, ideòque juverit ipsius narrationem hic de more exhibuisse.* Triumphatis, *ait*, hostibus, postquam noster Fortis armatus sua recepisset, omniaque illius jam in pace disponerentur, suam * repetere Leodium placuit. Unde celebratis post biduum maturè Missarum sollemniis, feretrum plaustro superpositum ad oppidum Deonantum est subvectum: inde Namurcum petitur. Illic puero septenni cæco à nativitate videndi per Martyrem usus

* suum

A uſus provenit. Apud Andetennam quoque (*ſuprà* Andana *vocatur*) clericus acerba corporis valetudine exhauſtus, ab ipſo penè mortis hiatu ad vitam retractus eſt & ſalutem. Nec Hojenſe oppidum tam medicabilis gratia præteriit. Ibi contracto, quem nunquam ambulâſſe teſtarentur parentes, novi greſſus officia indulſit.

ubi recepto reliquo ſacri corporis, miraculis

252 Jam porrò ubi feretrum navigio Leodium peracceſſit, triumphali coronata gaudio, tota ſe in occurſum civitas effudit, plauſibilibuſque canticis ac feſtis ordinibus Duci emerito pompæ morem prætulit. Exceptumque in portu S. Jacobi à monachis & clericis eccleſiaſtico cultu atque per inſulæ monaſteria deportatum, redditiſque canora modulatione hymnis, ad majorem denuò eſt eccleſiam relatum. Corpus deinde beati Martyris ab altari ſanctæ Crucis, penes quod repoſitum fuerat, levatum eſt, decentique illatum feretro, in medio eccleſiæ debitis aſſervabatur obſequiis. Nec ſupernæ deſtitit pietatis munificentia, quæ ad probanda illius merita iterare ſit dignata ſalutis opera. Nempe dum quidam languidus, quem totum poſſideret ægritudo, ad ejus martyrium deferretur vehiculo, gratia ſanitatis illius fidei occurrente, in itineris medio, B antiquo decem eſt leproſorum ſalvatus exemplo, qui dum irent oſtendere ſe ſacerdotibus, jubente Domino, priuſquam perveniſſent, mundati ſunt ab lepræ incommodo. Exilivit ergo, ſtetit, & ambulabat ille homo; & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

denuò fulget;

253 Quemdam quoque captivum, quem in vincula, artamque cuſtodiam barbaries conjecerat hoſtium, ſe invocantem exaudivit, ut eriperet pii Martyris meritum. Nam ſubitò diſſiluere, quibus vinciebatur, boiæ, ſicque indepta fugiendi opportunitate, ut ſuum honorificaret Liberatorem, eaſdem pro virtutis indicio ad eccleſiam detulit cum gratiarum actione. Sed Sanctorum vera beatitudo ſignorum non eget teſtimonio: quocirca vanum æſtimo his ſuperaddere plura, cùm prorſus pateat indubitatè, infinitaque adſtipulentur documenta, ſancto Martyri apud Deum nihil eſſe impoſſibile. Verùm acta hæc Dominicæ Incarnationis anno MCXLI, Indictione * III IIII, regnante Romanis Cunrado II *, anno regni ejus quarto, epiſcopatûs autem domni Alberonis II quinto. Laudes meritorum ipſius, & C mirabilium, quæ fecit, præconia poſteris mittent ſeculis, ut omnis cognoſcat generatio. *Prætereo, quæ idem Reinerus, à Dei beneficiis ad juſtam ejuſdem de peccatoribus vindictam tranſiens, de arcanis in humanis veſtibus ignibus, incendioque civitatis, quod ob* S. Lamberti *circumlationem, ab indignis factam, contigiſſe opinatus eſt, ibidem exponit; & ad propoſitum noſtrum redeo.*

pretiosè exornata deponitur: memoria annua decernitur.

254 *Capite* 3 *& ultimo ſic progreditur:* Elapſis poſt hæc duobus ferè annis, venerabile Martyris corpus in crypta ſub altari ſanctæ Trinitatis ingenti cum gloria & honore XIV Kal. Januarias eſt relocatum, per hoc ſcilicet temporis ſpatium tam feretro, quàm ſecretario eodem, auro ac gemmis, tum & lapideis extrorſum tabulatis, ſuperiorum triumphum operoſâ repræſentantibus ſculpturâ, præclarè adornatis. Sancitum inſuper epiſcopali eſt auctoritate, idipſum eccleſia Leodienſi probante, ut IIII Kalendarum Majarum ejuſdem triumphi, necnon & tranſlationis (quia idem Martyr de Trajecto in Leodium eſt tranſlatus) ſolemnis in poſterum agatur memoria, quoniam VIIII Kal. Januarii ipſa primitus tranſlatio facta, eo die propter Dominici Natalis Vigiliam debitâ non poſſet celebrari honorificentiâ. Quæ nimirum qualiter à ſancto ſit Huberto divina olim ammonitione peracta, quot & quantis virtutum ſignis tunc mirificaverit Dominus Sanctum ſuum, quia reperitur à multis multimodè conſcriptum, viſum meæ eſt parvitati inde habere ſilentium.

AUCTORE C. S.

Fiſeni narratio de eadem lipſanotheca

255 *Fiſenus lib.* 10 *Hiſtoriæ, num.* 37 *ſcribit, pretioſum illud feretrum, incensâ anno* 1185 *die* XXVIII *Aprilis, tranſlationi* S. Lamberti *ſacra, ob peccata populi Lambertianâ baſilicâ, vi ignium metallo ſive aureis ſuis laminis nudatum fuiſſe, ſolumque loculum ligneum, in quo* S. Lamberti *corpus jacebat, ingenti miraculo illæſam permanſiſſe. Sic autem ait:* Sancti verò Lamberti conditorium, quod auxilii (*adversùs incendium*) implorandi gratiâ in medium templum protulerant, quaſi ſceleribus infenſus opem ferre detrectaret ſanctus Martyr, ignium vim non ſuſtinuit. Metallum omne, quo fuerat ornatum, flammæ violentiâ defluxit. Subjectam è ligno aram, ipſumque marmor, quo ſolum ſubſternebatur, flammarum ardor confecit, ac redegit in cineres. Quóve nemo ambigeret, potuiſſe S. Lambertum, E non voluiſſe, ultrices impietatis flammas reſtinguere, interius ligneumque ſacri corporis conditorium, non flamma, non ipſe fumus violavit. *Deinde poſt multa denuò ait:* Auguſto illo templo miſerum in modum ſic everſo, corpus S. Lamberti cum ceteris Sanctorum reliquiis ſacris ad S. Bartholomæi delatum eſt, dum novum opus ſurgeret. *Ita quidem Fiſenus, ſed quo auctore hæc ſcribat, non indicans.*

parùm veriſimilis.

256 *Neque id facilè credere poſſumus ſoli Fiſeno aſſerenti. De incendio illo meminit Ægidius Aureæ-Vallis cap.* 53 *apud Chapeavillum in Radulpho epiſcopo; verùm de prædicto miraculo nullum verbum facit. Nihil etiam de eodem habet Chapeavillus in Annotatis, ubi varia Chronica laudat, in quorum aliquibus memoratum incendium ad dictum annum* 1183, *in aliis ad* 1185 *refertur. Addit præterea eadem, quæ Ægidius habet, legi in Vita S. Odiliæ, per ſcriptorem, ut ait, ſynchronum conſcripta, unde Ægidius, aliique iſta prompſiſſe dicendi ſunt. Fabuloſum pariter aut leviter aſſertum haud dubiè viſum fuit Foullono, qui in Hiſtoria ad annum Chriſti* 1185 *idem incendium enarrat, de miraculo autem illo altùm ſilens, tantummodò ait:* Divi Lamberti ferculum, auro gemmiſque inſigne, exportatum eſt quidem, amiſſis tamen gemmarum præſtantioribus. *Sed & hunc hallucinatum arbitror, dum* lectricium, *quod apud Ægidium legitur, ipſe, ut in margine annotavit, pro* S. Lamberti ferculo *accepit. Ægidius enim jacturam ſacræ ſupellectilis ea occaſione factam recenſens, inter cetera ita ait:* Lectricium, auro, & gemmis pretioſis inſigniter fabre factum, exportatum eſt quidem, ſed de ipſis gemmis perditæ ſunt præſtantiores. *Per* lectricium *autem cum Cangio* pulpitum *malo intelligere. Ceterùm rectè obſervat Foullonus, ſæpe dictum incendium anno* 1185 *accidiſſe, ſi rectè ſe habeant verſiculi ab Ægidio ibidem relati, qui ſunt hujuſmodi:*

Annis tranſactis à Chriſto mille ducentis,
Subtractis ter quinque, ruit locus iſte per ignem,
Feſto Vitalis Domini fuit ultio talis.

Duæ aliæ victoriæ

257 *Idem Reinerus ibidem victoriam alteram ab Henrico, ejus nominis II epiſcopo Leodien-*

AUCTORE C. S.

si, de Henrico comite Namurcensi anno 1153 *relatam memorat, sanctique* Lamberti *patrocinio adscribit. De eadem victoria agit Ægidius Aureæ-Vallis cap.* 43 *ipsis Reineri verbis usus, sed addit* S. Lamberti *corpus dici tum quoque ad castra translatum fuisse, sic inquiens:* Corpus etiam B. Lamberti portatum illuc dicitur, & in prato quodam sub tentorio collocatum, ubi à canonicis, qui cum feretro venerant, nocte dieque Horæ canonicæ & Missæ devotè decantabantur. *Ex quorum testimonio, quove rumore ista scripserit Ægidius, nescimus; at cùm nihil hujusmodi apud Reinerum, nihil quoque apud alios legatur, non possumus ea ex auctoritate Ægidii admittere, qui tum alibi in venditandis ex incerto rumore fabulis nimiùm facilis est, tum hîc etiam satis indicat, sese asserti sui certum vadem non habere.*

Sancti patrocinio adscriptæ:

258 *Est & altera victoria Leodii celebris, annuoque Officio ad diem* XIII *Octobris olim & hodiedum celebrata, sub nomine* Triumphi S. Lamberti, *de Brabantinorum duce Henrico, anno Christi* 1213 *relata. Historiam hujus satis prolixam habes apud Chapeavillum tom.* 2, *à pag.* 604, B *inscriptam,* Triumphus S. Lamberti martyris in Steppes. *Auctor anonymus se canonicum Leodiensem & synchronum fuisse indicat. De eodem triumpho multis agit Ægidius Aureæ-Vallis, ibidem in episcopo Hugone de Petraponte. Verùm cùm utriusque lucubratio bella, quæque ad historiam Leodiensem propriè, non ad* S. Lambertum *pertinent, fermè contineat, locum ei hîc minimè dandum esse censeo. Id sufficiat hic meminisse, in ea varias* S. Lamberti *seu apparitiones seu revelationes referri, factas præsertim Joanni Abbatulo, ejusque matri Odiliæ, quos Leodienses scriptores* Beatorum *titulo honorant, quibus revelationibus tum Leodiensibus instantes calamitates, tum insignem illam victoriam prænuntiari creditum est.* Civis quoque quidam, *teste anonymo scriptore Triumphi* in acie ipsum euntem Martyrem confessus est veraciter se vidisse.

de ultima fit Officium annuum;

259 *Ut itaque tam insignis victoriæ memoria annuo Officio celebraretur, à Leodiensibus sancitum est.* Anno autem MCCXIX, *inquit idem anonymus cap.* 19, rogatus à duce (*Brabantiæ*) pontifex, *id est, episcopus Leodiensis,* ipsâ Triumphi vigiliâ intravit ecclesiam, festum ipsum prohibens ultrà fieri, quod jam per septennium fuerat celebratum; convocatisque majoribus, & assensum præbentibus voto suo, sic recessit. *At verò ægrè id cives tulere & Joannes Abbatulus, qui non secùs ac si festum celebrandum esset, luminaria præparavit. Et in Vigilia quidem de Triumpho nil factum est:* Sequenti autem nocte (*verba sunt ejusdem anonymi*) surgit vir Dei (*Joannes*) ocyùs, deprecans Dominum, revelationes, quas super hoc festo viderat, adimpleri. Pulsatisque ad vigilias signis solemnibus, paratisque luminaribus, festivæ satis Dei nutu vigiliæ decantantur... Facto igitur manè, clerus unanimiter convenit episcopum, prohibitioni factæ nequaquam ultrà consentiens; & sic reversus ad ecclesiam, solemnitatis residuum, hoc est, Missam & Vesperas, celebriùs, quàm potuit executus est. Ex eo autem tempore Triumphi hujus annua facta est memoria. *Eadem hodiedum, ut dixit, ibidem perseverat, celebraturque quotannis ad diem* XIII *Octobris Officio duplici, cujus Lectiones secundi Nocturni historiam Triumphi exhibent.*

260 *Neque annua tantùm festivitate Leodienses gratum suum erga* S. Lambertum *animum posteritati testari voluêre: dum enim exercitus eorum ab hostium cæde reversus est,* decretum est, *ait idem anonymus cap.* 19, ex communi consensu capituli, ut in omni hebdomada apud majorem ecclesiam beati Martyris agatur memoria, sicut & Sabbathis de beata statutum est Virgine... Cúmque per majorum incuriam in hebdomada, quæ post Albas sequitur, hoc intermisisset oblivio, & ipse homo Dei (*Joannes,*) sicut in visu prævideràt, de prædictis clerum argueret, statutum est, ut deinceps, transactis mox festis Paschalibus, numquam in hebdomada omni intermittatur hujus sancti Patroni memoria. *Exstat hodiedum in Breviario seu in Proprio Leodiensi Officium illud hebdomadale de* S. Lamberto, *omnibus feriis quintis extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor tempora, vigilias, diesque novem Lectionum Officio impeditos, recitandum. Ad alia progredior.*

D

hebdomadale Officium præscribitur.

§ XVIII. Inspectio corporum S. Lamberti, Petri & Andoleti: S. Lamberti capitis solemnis circumlatio: eorumdem sacrorum corporum publica exhibitio.

E

Anno 1489 *corpus Sancti*

Seculo XV *ad finem vergente, facta est inspectio sacrorum corporum, quæ in Lambertiana basilica Leodii asservantur; cujus rei exstat instrumentum quoddam ab anonymo synchrono, ut apparet, conscriptum, & à Chapeavillo in Suffridi Petri Opusculo editum tom.* 3 *De gest. Pont. Leod., pag.* 213 *& sequentibus, hunc titulum præferens:* Historia visitationis feretri B. Lamberti martyris & pontificis, & aliarum reliquiarum ecclesiæ Leodiensis. *Ego, quæ ad* S. Lambertum *nostrum, ejusque in morte socios pertinent, ceteris prætermissis, ipsis anonymi verbis hîc recensebo.* Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, mensis Aprilis quartadecima, horâ sextâ de sero, venerabiles & generosi viri, domini & magistri, Godemillus de Eldris scholasticus, Henricus ex Palude cantor, Joannes Biliton, presbyteri, Wilhelmus de Liberme & Jacobus de Corswaremia, subdiaconi canonici Leodienses, unà cum dominis Crispino Roefs parvæ mensæ canonico & notario, necnon Brunone de Tills S. Materni, Joanne Jorlet etiam parvæ mensæ, Joanne de Dyck, aliàs de Wert, & Christiano de Goe, capellanis ecclesiæ Leodiensis, testibus, de mandato & voluntate venerabilium & generosorum virorum, dominorum decani & capituli Leodiensis, confessi & contriti, sacris vestibus solemniter induti, cum luminaribus & omni decentia feretrum & locum glorioſi martyris beatissimi Lamberti accesserunt. F

suavissimè fragrans, cum inscriptis laminis.

262 Quo aperto, evaporavit cœlestis & super omnem humanam dulcedinem dulcissimus odor, continuè durans. Et in ipso feretro repererunt sarcofagum pulcherrimum, nobili opere constructum, rubicundum, in cujus superscriptione habentur hæc verba: LOCULUS SANCTI LAMBERTI MARTYRIS ET PONTIFICIS, de anti-

A antiqua littera conſcripta. Quo aperto & interiùs mundiſſima ſyndone ſubducto *, ſæpefati domini repererunt primum pannum, ſive baldetrinum aureum, integrum, mundiſſimum; ſecundum autem baldetrinum, in quo beatiſſimus Lambertus ab initio fuerat tumulatus, & deinde tranſlatus, aliquatenus conſumptum propter nimium temporis lapſum. Et inter illa duo baldetrina repererunt unum epitaphium plumbeum, in quo de antiqua littera habentur hæc verba: SANCTUS LAMBERTUS MARTYR ET PONTIFEX; unà cum quodam alio epitaphio cupreo deaurato, in quo habentur hæc verba: CHRISTI MARTYR ET TUNGRORUM VICESIMUS NONUS ET PENULTIMUS EPISCOPUS LAMBERTUS HIC REQUIESCIT, CUJUS SACRATISSIMUM CORPUS HIC REPOSITUM EST A LEODIENSI EPISCOPO ALBERONE SECUNDO XIV KALENDAS JANUARII, ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MCXLIII, POST TRIUMPHATUM AUTEM ET RECEPTUM BULLIONEM, ANNO III.

* ſubducta

263 Nec non quodàm alio protocollo hujuſmodi tenoris: "Ad rogatum illuſtris D. domi-
B „ni Guidonis de Hembercourt, qui devotiſſi-
„mè à nobis aliquas reliquias petiit; Nos gene-
„raliter domini canonici præſentis eccleſiæ B.
„Lamberti annuendo ejus precibus contulimus
„ſibi pretioſum munus, captum circùm baſes &
„venerandos pedes B. Lamberti martyris, præ-
„ſentibus dominis, decano videlicet D. Joanne
„de Seranio & ſuo confratre etiàm canonico
„M. Theodorico Godeſchaldi &c. Cum præ-
„ſentibus capellanis ejuſdem eccleſiæ. Datum
„& viſitatum anno Domini MCDXLIX, menſis
„Januarii die Joannis Chryſoſtomi pro die Ve-
„neris, præſente me notario infraſcripto, in te-
„ſtimonium cum prædictis vocato, præcisè ho-
„râ quintâ poſt veſperas. Ita ſignavi, Joannes
„Junenis„.

& inſtrumento quodam

264 Deinde apertis omnibus panniculis, venerunt ad venerandum corpus beatiſſimi Lamberti, quod illic unà cum venerandiſſima teſta, (*id eſt, calvaria*) capitis ipſius glorioſi Martyris conſervatum & collocatum repererunt, miro odore fragrantiſſimo. Quas quidem beatiſſimas reliquias inter corporalia ſacratiſſimo (*videtur deeſſe* Martyris, *addit hîc editor*) Chriſti ſanguine aſperſa, unà cum teſta digniſſimè repoſuerunt,
C reliquerunt & dimiſerunt, unà cum certa parte capillorum beatiſſimi Lamberti, necnon quadam corda nodoſa, quâ uti conſuevit idem Martyr glorioſus. Et iterùm primò ſarcophagum, & deinde feretrum ſuis clavibus clauſerunt, & bene firmârunt, & deinde TE DEUM LAUDAMUS ſubmiſſa voce dicto, ſe exuerunt, & lotis manibus, & ablutione manuum ad ſacrarium miſſa, abierunt ad propria.

inſpectatur, & iterum includitur:

265 *Quarta poſt die* BB. Petri & Andoleti *reliquiæ ſimiliter inſpectæ fuerunt, de quibus ibidem ſic ſubditur:* Decima octava ejuſdem menſis fuit per dictum cantorem ex eadem commiſſione coram prædictis notario & teſtibus viſitatum feretrum beatorum martyrum ſociorum beatiſſimi Lamberti, ſcilicet Petri & Andoleti, quorum corpora integra reperta ſunt, uno capite dempto, ſcilicet S. Petri, qui minor inter eos erat ſtaturâ; ejuſdem tamen capitis mentum ſive mandibulum cum dentibus illic habetur. In quo feretro duæ ſcedulæ repertæ ſunt & repoſitæ, quarum ſcedularum una ſine ſigillo continebat hæc verba: HÆC SUNT RELIQUIÆ PETRI & ANDOLETI COGNATORUM B. LAMBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS, QUI CUM EO PASSI SUNT. Alia verò cum ſigillo magno rotundo, virgineæ ceræ, ut apparuit, impreſſo, quod imaginem beatiſſimi Lamberti habebat, continebat hæc verba: HIC JACENT CORPORA SANCTORUM PETRI ET ANDOLETI COGNATORUM B. LAMBERTI. Scriptura autem de antiqua litera, quæ habebatur in circumferentia dicti ſigilli talis erat: SANCTUS LAMBERTUS EPISCOPUS LEODIENSIS ET PATRONUS.

inſpiciuntur etiam BB. Petri & Andoleti corpora,

AUCTORE C. S.

& aliorum reliquiæ, & ſuis locis reponuntur.

266 Quibus omnibus debitè viſitatis, & omnibus reliquiis debitè recollectis, idem D. cantor eaſdem in & ad eorum feretrum in pannis ſericis & munda ſyndone involvit, & cum dictis ſcedulis ac alio prothocollo præſentis viſitationis, manu dicti D. Criſpini notarii ſcripto & ſubſcripto, decentiſſimè collocavit, ipſumque feretrum ilicò firmiſſimè claudi juſſit, ac ad locum ſuum priſtinum decenter reponi fecit & mandavit. *Poſtridie reliquiæ SS. Materni epiſcopi & Magdalbertæ virginis, aliorumque Sanctorum ſimiliter inſpectæ fuerunt de quibus tom.* III *Septembris, pag.* 109 *in S. Madelberta, & tom.* IV *ejuſdem menſis pag.* 397 *in S. Materno videre licet. Poſt iſta laudatum inſtrumentum concluditur his verbis:* Tandem omnibus his ſacroſanctis reliquiis digniſſimè in ſuis collocatis, claves feretri tam exteriores quàm interiores fuerunt per dominos meos decanum & capitulum portatæ & collocatæ in archiviis eccleſiæ in capſa ſuperiori, quæ intitulatur MECHLINIA.

E

Eodem anno 1489 *ob calamitoſa tempora*

267 *Sequitur in ejuſdem Suffridi Petri Opuſculo apud Chapeavillum* Hiſtoria ſolemniſſimæ feſtivitatis venerandi capitis S. Lamberti, Leodii habitæ *eodem* anno Domini MCDLXXXIX, ejuſdem auctoris *anonymi. Cùm verò ſcriptor ille feſtivum apparatum, ſupplicationis ordinem pompamque, & cetera ejuſmodi, quæ in ſimilibus ſolemnitatibus ſolent adhiberi, admodùm prolixè exponat, ne æquo longior ſim, hæc tantùm perſtringam aut præteribo, cetera ejuſdem verbis recenſebo. Poſt Prologum ſic orditur:* Anno igitur à Nativitate Domini MCDLXXXIX, Pontificatûs verò ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, D. Innocentii divinâ providentiâ Papæ octavi anno quinto, epiſcopatûs denique reverendi in Chriſto patris domini, domini Joannis de Horn, ſimiliter quinto, cùm pax patriæ Leodienſis, & regionum quies circumjacentium, propter temporum intemperiem & guerrarum * inſultus, quæ tunc undique duriùs deſæviebant, & villas devaſtabant, & oppida, abſente paſtore, teperent; placandi cæleſtis Numinis gratiâ meritis & interceſſione Patroni, per venerabiles & generoſos viros ac dominos decanum & capitulum eccleſiæ Leodienſis, gratiâ ſancti Spiritus, ut piè credendum eſt, divinitus inſpiratos, quia ſalutem non humana ope, ſed Sanctorum tantùm interventu proventuram ſperabant, ſolemniſſima hæc, de qua loqui intendo, eſt ordinata feſtivitas.

F

** i. e.* bellorum

caput S. Lamberti

268 In qua præcipuo cum honore illud metuendum ſanctiſſimi pontificis & martyris Lamberti, noſtri patroni caput, quod per trecentorum quadraginta & ſex & eo amplius annorum ſpatium penè occultum & intactum cum corpore ſupra chori ingreſſum ſine præcipuo & ſingulari aliquo ſibi honore exhibito in tumba jacuerat, eſt per fori & clauſtri circuitum deportatum. *Pergit anonymus & feſtivum eccleſiæ apparatum, Sanctique in primis lipſanothecæ è pretioſis pannis ornatum, reliquarum eccleſiarum, cleri, Religioſorum, populique ad Lambertianam baſilicam confluxum, ceteraque*

AUCTORE C. S.

raque hujuſmodi commemorat. Deinde ſic proſequitur: Poſtquam igitur SS. Laurentii, Jacobi, Ægidii, & Vallis S. Lamberti abbates, necnon eccleſiæ majoris ac ſecundariarum prælati atque ſuppoſiti, habitu cum eleganti & ornatiſſimo in templi medio, & religioſi ſacerdotalibus veſtiti, per ſedium ordinem in choro, parochiarumque inveſtiti cæterique reliquiarum geſtores, in ſcamnis ſanctuarii circa gradum ſuis in locis ſinguli ſubſtitiſſent, reverendus in Chriſto pater & dominus, D. Jaſpar abbas Stabulenſis, vir jam grandævus, mitrâ caput ornatus & baculo ſuſtentus paſtorali, venerabilibus inſignibuſque viris ac dominis Petro de Hoelnoes diaconatûs, & Jacobo de Corſwarem, ſubdiaconatûs fungentibus officiis, comitatus, Miſſarum celebraturus ſolemnia, ad altare proceſſit.

269 Eo dehinc modeſto gradu cum luminaribus & thuribulis locum, in quo Martyr glorioſiſſimus quieſcit, cum eiſdem miniſtris aſcendente, Tractum illum devotiſſimum, ADJUVA NOS DEUS &c gloriosa modulatione in templi medio dominus cantor cum duobus canonicis genibus flexis exorſi ſunt. Hunc clerus proſequitur, humi ſternuntur univerſi, oritur ſilentium, ceſſat ſtrepitus, tuſſis reprimitur, attentiſſimis quiſque animo & ſenſibus ea, quæ à nominatæ facundiæ viro, domino Petro de Hollengnoel, hujus feſtiviſſimi cauſam diei & occaſionem tam celebris noſtro excogitatæ Patrono reverentiæ, atavis noſtris & omnibus retrò ſæculis inviſæ, præclarè, imò quàm elegantiſſimè declarante, verbis diſſerebantur Gallicis, accuratiùs auſcultabat. Fit deinde generalis peccatorum confeſſio: abbas abſolutionem confert clero & populo genua flectentibus; & vice verſa, clerus eidem. Et continuò per abbatem, diaconum & ſubdiaconum antedictos illud ſemper honorandum & populo tantopere expetitum caput de tumba aſſumitur, omnibuſque continuò demonſtratur.

ex lipſanotheca elatum

B

270 Quo viſo, cunctorum commota ſunt viſcera, corda tremuerunt, & nemo tam ferrei pectoris, qui non fuerit commotus ad lachrymas; illamque extemplo antiphonam, LÆTARE ET LAUDA & univerſus clerus genibus provolutus, cantore inchoante, devotiſſimè jucundo modulamine cecinerunt. Quo facto, abbas & versùs Occidentem & versùs Orientem venerando populum capite ſignavit; ad altare defert, Miſſæ officium devotus exequitur &c. *Poſt Miſſam facta eſt ſolemniſſima ſupplicatio, quam anonymus prolixè deſcribit, & inter cetera de ſacris corporibus in ea tranſlatis hæc habet:* Hinc ſancti feretrum Theodardi à quatuor parvæ menſæ canonicis, & pari modo poſt eos à totidem S. Materni aliud pretioſius S. Lamberti, omni cum ſolemnitate cappas indutis rubeas, portabantur, circa quæ miniſteriorum torticiones* cum diverſi generis luminaribus, quorum tanta fuit copia, ut numerum in ſcripta redigere difficillimum foret, digniſſimè ſunt delatæ.

magna cum ſolemnitate

C

* *i. e.* faces

271 *Circumlatum in eodem ſupplicantium agmine ſejunctum à ſacro corpore eſt* S. Lamberti *caput*, ſupra quod etiam pretioſum à quatuor junioribus capellanis, quàm pulcherrimas rubei coloris dalmaticas veſtitis, tapetum ferebatur. *Supplicatione finita, idem caput in Lambertianam baſilicam relatum eſt, quod* cum venerabili Sacramento, omnibus humi proſtratis, ſupra menſam exquiſito decore ſub corona, altaris ad inſtar piè diſpoſitam, collocârunt, circa quam tres abbates mitrati, eidem priùs reliquiis & feretris ſuper impoſitis, in cathedris digniſſimè pauſaverunt. *Poſt hymnum* Te Deum, *aliaque in laudem* S. Lamberti *cantata*, venerabile Sacramentum, & caput venerandum cum reliquiis ad altare *relatum eſt.* Statim oſtia chori lateralia ſunt aperta; duo dominorum & beneficiatorum totidem ad digniſſimi capitis cuſtodiam deputantur, qui accurrenti ipſum exhiberent populo intuendum, cujus tanta fuit illo die copia, & confluxus, ut exiguo viribus præ nimia preſſura vix ad illud pateret acceſſus; unde & æreas per columnas reſtibus circumligatis, turbæ ab altaris propinquo nimiùm aditu arcebantur.

Leodii circumfertur, & populo exhibetur;

D

272 *A meridie poſt ſolemnes Veſperas, vergente ad Occaſum ſole*, omnibus unà dominis cum luminaribus congregatis, inſignes viri Godenolus de Eldris, Petrus de Holgnoel & Henricus ex Palude, pretioſiſſimè ſacerdotalibus decorati, illum metuendiſſimum Sancti verticem, tympanis & choris ſuave ſonantibus, maxima coram populi frequentia ac dulci cantorum & fiſtularum jubilo, ad locum ſuæ requietionis priſtinum cum eximia gloria portaverunt; per eoſdemque accepta benedictione, clericuli ſua carmina jubilantes, & populi de ſui magnificentia Patroni ſupremi Rectorem olympi laudibus proſequentes, ad propria ſunt reverſi. *Contigit hæc ſolemnitas die* XXVIII *Aprilis, quo primæ* S. Lamberti *tranſlationis, factæ Trajecto Leodium, & Bullionienſis triumphi memoria celebrabatur. Foullonius ad dictum annum ex eventu obſervat, eamdem Deo placuiſſe; cùm Hornei epiſcopi partes exinde nullam gravem cladem acceperint. Sacrum illud caput Erardus à Marka Leodienſis epiſcopus ſeculo* XVI *pretioſâ thecâ exornavit, teſte Chapeavillo tom.* 3, *in Erardo cap.* 3, *ubi iſta leguntur ad annum* 1508: Zelo honoris Dei ac B. Lamberti martyris accenſus, argenteam thecam inauratam, quâ venerandi Martyris calvaria majori religione aſſervaretur coleretur que, vocatis undecumque ſumptu maximo aurificibus, affabrè fieri curavit.

deinde reponitur. Pretioſâ thecâ poſtea includitur.

E

273 *Eodem anno* 1489 *menſe Julio in eumdem finem ſacræ reliquiæ Lambertianæ eccleſiæ populo denuò ſolemniter exhibitæ fuerunt, cujus rei Hiſtoria proximè ſequitur apud Chapeavillum, cujus auctor idem anonymus creditur. Operæ pretium non eſt Opuſculum illud, utut exiguum, hìc attexere, ideóque ea tantùm referam, quæ de* SS. Lamberti, Petri *atque* Andoleti *reliquiis in eodem dicuntur. Cœpit ea reliquiarum publica exhibitio prædicti anni* 1489 *menſe Julio, die* X, *variiſque diebus, nonnumquam tamen interruptis, ad accendendam Leodienſium pietatem & fiduciam continuata eſt. Prima itaque vice*, publicæ venerationi expoſitus fuit amictus S. Lamberti martyris & pontificis. *Sexta vice* feretrum ſanctorum martyrum Petri & Andoleti, ſociorum conſanguineorum B. Lamberti, qui cum eo paſſi ſunt. In quo feretro omnia oſſa eorum continentur, uno capite dempto, cujus tamen mandibula eſt ibidem; de quorum venerando martyrio in eorum oſſibus magna ſigna apparent. *Octava vice*, corda nodoſa B. Lamberti martyris & pontificis. *Nona vice*, amictus plenus ſanguine, in quo Lambertus martyr glorioſus martyrium ſubiit. *Decima vice*, caput glorioſi martyris Lamberti, unà cum capillis capitis ſui.

Eodem anno 1489 *S. Lamberti Petri & Andoleti*

F

274 *Denique* ultima vice fuit oſtenſum feretrum beatiſſimi Lamberti, in quo veneranda oſſa ſui glorioſi corporis decentiſſimè continentur. Item

reliquiæ denuò publicè oſtenduntur.

A Item baculus paſtoralis, quem eâdem horâ, quâ martyrium ſuſtulit B. Lambertus, angelus Domini miraculosè præſentavit Papæ Sergio, manè in aurora obdormienti, & annuntiavit ei martyrium B. Lamberti, quódque S. Hubertum Romæ peregrè in eccleſia S. Petri exiſtentem præficeret in epiſcopum Tungrenſem. Quod & Papa fecit Sergius, & Huberto, Romæ in eccleſia S. Petri in oratione reperto, baculum aſſignavit, quem idem Hubertus Leodium reportavit. Item ſtola, maniptilum *, cirotecæ, ſandalia, calcei ejuſdem beatiſſimi Lamberti. *Hactenus ipſe, ad quæ aliud obſervandum non habemus, niſi quòd iſta paſtoralis ſancti Martyris pedi Romam per angelum tranſlati hiſtoria, ceteraque, quæ de SS. Sergio Hubertoque ibidem dicuntur, refutata jam ſint à nobis ſuprà § 8.*

* *fortè manipulus*

§ XIX. Partes Sancti capitis Romæ, ac fortè etiam Friburgi in Briſgoia: alterius Sancti corpus eſt, quod Piſauri in Italia, uti & illud, quod in diœceſi Gerundenſi in Catalonia aſſervari dicitur.

B *Reliquiæ S. Lamberti Romæ* EMinentiſſimus Baronius *ad annum Chriſti* 828, *num.* 23 *ſcribit, aliquas* S. Lamberti *noſtri reliquias Romæ & olim & ſuo tempore cultas eſſe. Poſtquam enim dixit, SS. Marcellini & Petri martyrum reliquias ab Einhardo ſive Eginhardo, Carolo Magno priùs à ſecretis, tum abbate Selingenſtadienſi, Trajectenſi eccleſiæ S. Servatii donatas, ibidem miraculis claruiſſe, ſubdit:* At rependit Trajectenſis eccleſia Romanæ Eccleſiæ pro ſacris pignoribus Sanctorum duorum martyrum acceptis ab Einhardo, ad eamdem mittendo S. Servatii mentum & alias S. Lamberti, ejuſdem eccleſiæ epiſcopi & martyris, ſacras reliquias, quæ hactenus in baſilica S. Petri Romæ ſervantur, atque digno honore coluntur.

C *Incertum eſt, an Baronius hiſce indicare voluerit, memoratas* S. Lamberti *reliquias eodem circitèr tempore, quo Trajectenſes SS. Marcellini & Petri portionem acceperunt, an tantùm diu poſtea, Romam allatas fuiſſe; ſed poſterius ex dicendis veriſimilius eſt. Incertum pariter eſt, an per eccleſiam Trajectenſem, quæ eas Romanis donavit, deſignârit Servatianam, an Leodienſem, ad quam priùs Tungrenſis, deinde Trajectenſis epiſcopatus, tranſlatus fuit. Dubitandi ratio eſt, quòd* S. Lamberti *corpus integrum ſeculo octavo Leodium tranſlatum fuiſſe ex ſuprà dictis conſtet.*

in Vaticana baſilica, 276 *De iiſdem ſacris Reliquiis diſertè meminit Proprium Vaticanum, ſive* Lectiones propriæ Sanctorum, quorum corpora vel inſignes reliquiæ in ſacroſancta Vaticana eccleſia coluntur; *ubi ad diem* XVII *Septembris Officium de* S. Lamberto *ritûs duplicis præſcribitur, & in lectione ſexta ſic legitur:* Corpus Trajecti primò ſepultum, Leodium inde magnâ pompâ traductum, cujus pars Romam tranſlata, & in baſilica S. Petri collocata eſt. *Conſonat Carolus Piazza in Hemerologio ſacro ad hunc diem de loco cultûs* S. Lamberti *inquiens:* In S. Petri, ubi eſt pars ejus corporis, quæ colitur in ſuo altari in ſacrario. *Franciſcus Torrigius in Diario Vaticano ad eumdem diem Sancti* caput *ibidem eſſe affirmat. Ejuſdem item* caput *auctor Romæ antiquæ & novæ inter reliquias, quæ in Vaticanæ eccleſiæ ſacrario aſſervantur, tom.* 1, *pag.* 61 *recenſet. Verumtamen non integrum ſancti Martyris caput, ſed illius tantummodò inſignem partem Romæ aſſervari, monent Leodienſes ſcriptores, eaque de re conſentiunt Romani canonici Vaticani, teſte Chapeavillo, qui Gerardi Voſſii Tungrenſis præpoſiti litteras, anno* 1604 *Româ datas, pro ea ſententia laudat & recitat. Juverit Chapeavilli dicta hìc retuliſſe.* AUCTORE C. S.

277 *In ſæpe laudato Opere tom.* 3, *pag.* 638 *hæc ait:* Gerardus Voſſius præpoſitus Tungrenſis, antiquitatum indagator, literis ab Urbe miſſis rogârat reverendum dominum Joannem Dullardum, decanum Leodienſem, certumne eſſet, caput ſeu calvariam S. Lamberti martyris, Leodienſium patroni, in eccleſia Leodienſi aſſervari, ex quo ea cum mento S. Servatii Romæ in archivis baſilicæ S. Petri à quadringentis annis eſſe diceretur. Dominus Dullardus quæſtionem propiùs examinari fecit per hiſtoriæ Leodienſis peritos, & inter alios dominum Danielem Raymundi ad S. Materni in eccleſia Leodienſi canonicum; qui ex veteribus eccleſiæ noſtræ ſcriptoribus & continua traditione liquidò teſtatum fecit, veram Martyris calvariam à paſſione illius anno decimo tertio, Domini verò DCCXI (*imò ſeriùs*) è Trajecto Leodium per divum Hubertum tranſlatam, illam ipſam eſſe, quæ hodie Leodii videtur & colitur. Qua re cognita, dictus Voſſius negotio cum iis, ad quos res pertinebat, in Urbe examinato, obtinuit, ut Romani non ampliùs calvariam, ſed aliquam ſaltem illius partem ſe habere profiterentur: ſic enim ille ad decanum Dullardum ex Urbe quarta Septembris reſcripſit. *non ſunt totum ipſius caput,*

D 278 *Sequitur epiſtola Voſſii, quam hìc ſubjungo.* Impetravi tandem, ut nuper Billeo noſtro meis ad eum datis literis inſinuavi, apud canonicos baſilicæ S. Petri de Urbe, ut non ampliùs dicerent ſe habere caput S. Lamberti (quòd inde magnum nimis præjudicium eccleſiæ Leodienſi generaretur) ſed reliquias de capite S. Lamberti; quo modo etiam jam epigraphen in ſuo reliquiario mutârunt, ac etiam in ſolemni oſtenſione reliquiarum altera Paſchæ (*die, ſeu Feria* 2 *Paſchæ*) recitârunt, non ampliùs dicendo: "In „ hac theca eſt caput S. Lamberti epiſcopi & „ martyris &c„; ſed: "In hac theca ſunt reli„ quiæ capitis S. Lamberti &c. „ Eaſque jam oſtendunt in pulchra theca argentea deaurata. Acceditque ad majorem ſanctorum Lamberti & Servatii honorem, quòd illorum imagines ad capellam præcipuam in ſacriſtia majore ejuſdem baſilicæ ſpectabili pictura ſunt depictæ cum nouninibus eorum ibi appoſitis: quod ut fieret, ego multo tempore adlaboravi, ut Sancti illi patriæ noſtræ illo in loco honorarentur *&c. Hactenus epiſtola Voſſii, in qua, quæ virgulis notata ſunt, ex Italicis feci Latina. Ceterùm de Gerardo Voſſio, ejuſque Operibus conſuli poteſt Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ, in qua anno* 1609 *obiiſſe dicitur.* *ſed ejuſdem pars inſignis,*

E 279 *Fiſenus lib.* 12 *Hiſt. eccl. Leod. num.* 22 *ex tempore quadringentorum circitèr annorum,* *fortè ſeculo* XIII *ea allata,*

AUCTORE C. S.

rum, ex quo canonici Vaticani, teſte Voſſio, eam ſacri capitis portionem Romæ ſervatam eſſe affirmabant, colligit, eamdem ab Hugone Petrapontino epiſcopo Leodienſi Romam allatam fuiſſe, dum is eo profectus eſt, ut concilio Lateranenſi IV, ſub Innocentio III Papa anno Chriſti 1215 celebrato, intereſſet, & ab eodem Pontifice inſignes reliquias etiam obtinuit. Fiſeno conſentit Foullonus in Hiſtoria ad eumdem annum; & ſatis probabiliter, cùm hæc ſententia dictis canonicorum S. Petri conformis ſit, & ſimul occaſionem aſſignet, quâ ſacræ illæ reliquiæ Romanis donatæ ſint. Iſtud certum eſt, SS. Servatium ac Lambertum *Romæ antiquitus ſingulariter cultos fuiſſe. Id autem liquet ex ſacello cum altari utriuſque nomini in veteri eccleſia S. Mariæ de Febribus, quæ Vaticanæ baſilicæ, cui adhæret, ſacriſtia nunc eſt, jam olim dicato, & hodiedum ſuperſtite.*

& antiquo altari & ſacello

280 *Paulus de Angelis à Janningo noſtro tom.* VII *Junii, pag.* 157 *in Baſilica S. Petri Vaticana laudatus, inter cetera ſacella dictæ eccleſiæ S. Mariæ de Febribus iſtud ſic recenſet:* Sacellum ſanctorum Lamberti & Servatii, à Georgio de Cæſarinis canonico, ad quod fuit tranſlatum

B corpus S. Joannis Chryſoſtomi, & eſt ſepulchrum omnium canonicorum baſilicæ. *Idem ait Joannes Giampinus de Sacris ædificiis Conſtantini Magni cap.* 14, *ſect.* 13, *unde diſcimus, ſacellum illud à memorato Georgio de Cæſarinis, (quod obſcurè aſſerit de Angelis)* ampliſſima dote locupletatum *fuiſſe. De eodem ſacello apud Raphaëlem Sindonem in Deſcriptione altarium ſacroſanctæ baſilicæ Vaticanæ, anno* 1744 *Romæ edita, cap.* 18 *hæc legere eſt:* Ad Auſtrum (*in eccleſia S. Mariæ de Febribus*) alterum ſequitur ſacellum antiquiſſimum, ſanctis Lamberto & Servatio epiſcopis dicatum, & à Georgio de Cæſarinis, baſilicæ canonico, redditibus auctum, in cujus altare, (ut infrà dicetur) corpus S. Joannis Chryſoſtomi, antequam in ſacellum, quod chorum appellamus, juſſu Urbani VIII transferretur, ſummo cum honore delatum, & in nobili marmoreo labro Ægyptiaco conditum fuit.

in eccleſia S. Mariæ de Febribus honorata.

281 *Occaſione eò tranſlati S. Joannis Chryſoſtomi corporis altare illud anno* 1567 *denuò conſecratum, iiſdemque SS. Joanni,* Lamberto *atque Servatio dicatum fuit, ut conſtat ex inſtrumento, quod ibidem exhibetur. Tandem ſubditur:*

C In hoc denique ſacello omnes ferè, quæ ad baſilicam pertinent, Sanctorum reliquiæ magno cum decore ſervantur, & feriâ ſecundâ poſt Paſcha populo oſtenduntur. Sunt etiam in ejus pavimento ſepulchra canonicorum, & olim Sacellum canonicorum appellabatur, nunc vulgò La capella delle ſacre reliquie; *id eſt,* ſacellum ſacrarum reliquiarum. *Hæc de* S. Lamberti *reliquiis cultuque Romæ ipſis exhibito dicta ſufficiant, quibus, ut dixi, facilè conſentiunt Leodienſes, quia, ut mox videbimus, hi non poſſunt diffiteri, ejuſdem Sancti caput integrum apud ſe non aſſervari. Haud ita facilis fuit concordia cum Trajectenſibus, qui ejuſdem pariter caput inter ſacra ſua cimelia ſeſe habere rebantur, exhibebantque, donec id facere prohibiti fuerunt; neque enim, quod oſtendebant, aliqua dumtaxat capitis illius, quod Leodii eſt, pars dici poteſt.*

Caput alterius Trajecti.

282 *De controverſia hac jam dudum deciſa Fiſenus ſuprà laudatus ſcribit ſequentia:* Ejuſdem enim Lamberti ſacrum caput oſtentant Trajectenſes . . . At certè narravimus ex antiquis ſcriptoribus, incorruptum & ab omni putredinis illæſum vitio fuiſſe beati Martyris corpus, cùm Trajecto Leodium adveheretur. Quis ergò credat, cervices admoto ferro reſciſſas eſſe, ut Trajecti caput relinqueretur? Nulla certè à quoquam relicta eſt iſtius memoria. Poſtea verò aliquando miſſum Leodio fuiſſe, nemo unus ait. Sapienter ergo ſancitum, ne populo deinceps Trajectenſes exhiberent publicè venerandum, quod habent, caput, aut S. Lamberti eſſe affirmarent. In eodem tamen ſacrario, ſicut ab olim, ſervant, quòd viri alicujus ſancti eſſe negari non poſſit; fortaſſis unius ex illis, qui ejuſdem cum Lamberto palmæ ſocii fuerunt. *Ita ipſe poſt litem, ut dixi, jam finitam: nec habeo, quod addam præterea; niſi quòd idem illud caput in reliquiarum ſacrario ibidem conſpexerim, alicujus* ignoti ſancti *titulo exhiberi.*

D

Friburgenſes in Briſgoia credunt,

283 *Aliam de ejuſdem Sancti capite difficultatem pariunt Friburgenſes in Briſgoia, de quibus Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* XVII *hujus menſis Septembris ſic ait:* Eſt . . . celeberrima Martyris memoria apud Friburgenſes in Briſgoia, qui ſe ſancti Martyris caput habere gloriantur ex donatione Rudolphi epiſcopi, qui frater erat Bertholdi quarti Zeringiæ ducis. *Eadem aſſerit Philippus Engelbrechtus Egentinus in Vita metrica* S. Lamberti, *quam petente ejuſdem civitatis ſenatu, compoſuit vulgavitque anno Chriſti* 1519, *& in cujus calce Friburgenſes ad* S. Lamberti *cultum invitans, ita cecinit:*

E

Cujus habet caput auſpiciis urbs nata Zeringi
Libera Briſgôum Rudolfo autore Friburgum.
Hunc colite, ô læti cives, Heroa quotannis,
Phœbus in obſcuras cùm torquet lumina chelas,
Scorpion obliquo viſurus tramite nigrum.
Feſta coronatæ ſuſpendite ſerta puellæ,
Votaque concipiant omnes matreſque nuruſque:
Hunc unum ſervate ſenes, lævisque juventus:
Hic arcere poteſt, quicquid perferre moleſtum.
Hic peſtem prohibet, ſævas & Apollinis iras.
Nunc canite ad numeros lætum pœana canoros!

F

Magne pater Lamberte, tuos defende clientes,
Qui tibi ſuppliciter præſentes vovimus aras;
Huc oculos deflecte tuos, vitæque ruenti
In ſervile nefas clavos oppone trabales,
Ut nos ſyncero Chriſtum qui corde fatemur
Te duce, in æthereas poſt ultima tempora ſedeis
Lumina ſuſcipiant nullis obnoxia fatis.

penes ſe etiam eſſe S. Lamberti caput

284 *Quid porrò per* S. Lamberti caput *deſignet, & unde acceptum ſit, in Epiſtola dedicatoria ad ſenatum Friburgenſem his verbis declarat:* Hîc verò veſtrum ſtudium maximopere commendatur, quòd indefeſſo labore, multis impenſis, Divum hunc noſtrum tutelarem exornare non ceſſatis, cujus penè totum caput, auro & argento circumveſtitum, magnis ceremoniis veneramur. Quod munus Rudolfus Zeringiæ dux, fratri ſuo Berchtoldo quarto gratificaturus, cùm eſſet Trajectenſis ad Moſam epiſcopus, hùc à Leodio tranſvexit. *Rudolphus ille, quem alii Radulphum appellant, tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ au-*

ctæ,

AUCTORE C. S.

A *ctæ, col. 875 & seq. Leodiensem episcopatum ab anno Christi 1158 usque ad 1191 tenuisse dicitur: quo propterea tempore donationem illam factam esse oportet. Verumtamen non eodem seculo sacræ illæ reliquiæ publicam venerationem Friburgi habuisse videntur, sed in Friburgensium comitum sacrariis diu delituisse, donec tandem inde in lucem eductæ fuerunt.*

quod de ejusdem portione explicat Fisenus.

285 *Ita docet idem poëta mox laudatus, qui in eadem Epistola dedicatoria sic denuò ait:* Præclarè igitur facitis, qui tam inenarrabile donum, ante aliquot annos in sacrario comitum Friburgensium inventum, tam piè effertis. *Cùm itaque auctor ille anno 1519 Opusculum illud ediderit, & prædictum caput* ante aliquot annos *primùm inventum fuisse asserat, non nisi seculo decimo sexto publica ejusdem veneratio Friburgi cœpta esse videtur. Modus, quo isthæc cum Leodiensibus Sancti reliquiis componantur, is est, quem suggerit Fisenus lib. 5, num. 8, ubi postquam de Romanis ac Trajectensibus egit,* Reliquum jam erit, *inquit*, cum Friburgensibus certamen, quod quidem facili negotio dirimetur, si cum Romanis insignem sacri illius capitis portionem habere se fateantur. Nec abnuere Leodienses possunt, quando id, quod colunt ostentantque caput, nequaquam integrum sit. *Et rectè quidem, si Engetinus poëta auxesi usus sit, dum Friburgenses reliquias* pene totum caput *appellavit, qua de re ego, qui nec hasce nec illas umquam vidi, nihil possum statuere.*

B

Alterius Sancti corpus est,

286 *Papebrochius noster in libello de Itinere suo Romano observat, Pisauri, quæ ducatus Urbinatis civitas est, in paræciali ecclesia S. Cassiani servari magnam partem corporis alicujus sancti martyris, quem Pisaurenses cum* S. Lamberto *nostro confuderunt. Ita enim ait in ejusdem ecclesiæ descriptione:* In sacristia verò capsa lignea (*est*) continens caput, præcipua ossa, & pyxidem cineribus plenam de corpore cujusdam S. Lamberti martyris, ex Basque seu Vasconia inferiori huc delati, quem ex inepta cujusdam scioli conjectura cum magno Lamberto confundentes, die XVII Septembris colunt ut episcopum martyrem. Versus in lateribus capsæ descriptos incuria tempusque penè delevit, ex quibus nunc ferè tantùm hæc supersunt. *Sequuntur versus mutili, quos integros hic subjicio ex Ms. à Nicolao*

C *Nicolino, priore ac rectore ejusdem ecclesiæ anno 1660 ad nos transmisso.*

Christus olympiades sancta sub lege ducentas
Et nonas decies egerat atque duas;
Antistes Romana Pius tum jura secundus
Sacra dabat fidei, quique Senensis erat;
Præsul erat delubra regens in pace Joannes,
Quique sacerdotum firma columna fuit:
Sub duce Alexandro florebant celsa Pisauri
Mœnia, bellipotens Sfortia quem genuit;
Gallorum de gente trahens Antistitis hic dux
Hæc Basque eduxit membra sacrata sui.
Martyris hæc igitur, putri tellure relicta,
Lamberti corpus lignea capsa tenet.

quod Pisauri in Italia asservatur;

287 *Notandum porrò est, olympiades hic usurpari pro lustris seu quinquenniis, atque ita designari annum Christi 1460, quo Pius II Romanam S. Petri Cathedram tenebat, & Pisauri dominabatur Alexander Sfortia, de quo in versibus pariter fit mentio; sed quis Joannes tum temporis ibidem episcopus fuerit, exploratum non habeo: nam apud Ughellum tom. 2 Italiæ sacræ recusæ, col. 864 legitur Joannes de Benedictis ab anno 1419 usque ad annum 1455 Pisauri se-*

disse, & huic tum mortuo Barnabas Merlonius anno 1471 suffectus esse; nisi forte in alterutro anno mendum sit, ut suspicari facit tot annorum sedis vacatio, vel nisi aliquis episcopus intermedius exciderit. Utut autem hæc se habeant, ex ipso loco, ex quo sacrum illud corpus acceptum esse laudati versus affirmant, satis liquet, istud S. Lamberti *Trajectensis episcopi non esse, cùm de hujus in Vasconiam translatione nulla usquam exstet memoria, imò oppositum extra omnem controversiam sit.*

uti & illud, quod in Catalonia esse dicitur.

288 *Non magis probabiliter* S. Lamberti *nostri corpus penes se esse aliqui Hispani credidere runt, ex quorum fide Joannes Tamayus in Martyrologio suo Hispanico ad hunc diem Septembris sic loquitur:* Gerundæ in Hispania Depositio sacrati corporis B. Lamberti episcopi Trajectensis martyris, quod in ecclesia B. Mariæ oppidi de Lledo honorifico tumulo inclusum, apud accolas pia religione percolitur. *Nec tamen hic Tamayus Chronicon Dextri, aut Juliani adversaria, vel similia commentitia scripta, ut sæpe aliàs, secutus est; sed Antonium Domeneccum, aliosque, quibus tamen ipsemet in Annotatis non audet as-* E *sentiri.* Gotholani (*id est, Catalani*) nostri, *inquit*, contendunt ejus sancti Martyris corpus in ecclesia collegiata S. Mariæ urbis Lledensis, diœcesis Gerundensis, translatum fuisse, ibidemque honorificè conditum. Antonium Vincentium Domenec de Sanctis Gotholanis lib. 1, die XVII Septembris, fol. 88 auscultà; qui postquam vitam mortem & sepulturam beati Martyris descripsisset, prosequitur: "Postea decursis pluribus „seculis, corpus hujus glorioſi Sancti ad eccle„siam collegiatam S. Mariæ de Lledo in episcopa„tu Gerundensi translatum est, ubi cum magna „veneratione custoditur„. Hæc nostri Gotholani; sed procul dubio pro Leodiensibus stat possessio, scriptorum frequentia, & præsumptionis apex. Crederem aliquot sacra pignora apud Lledenses asservari, quibus sæpe collegiata suffulta, totum habere præsumit. *Hactenus Tamayus, cujus censuram probo; quamquam & id mihi valdè dubium est, an aliqua* S. Lamberti *Trajectensis portio ibidem servetur.*

F

§ XX. Insignes Sancti reliquiæ in abbatia Lætiensi: aliæ etiam alibi & loca aliquot ipsi dicata.

Lætiensis abbatia in Hannonia

NIhil *hujusmodi difficultatis habent* S. Lamberti *reliquiæ, quæ in Lætiensi abbatia jam à multis seculis religiosè coluntur. Illustre hoc Ordinis Benedictini monasterium, Latinè* Lætiæ, *indigenis*, Liessies *dictum, conditum est in Hannonia ad Helpram fluvium, primosque fundatores agnovit Wibertam comitem & ejus conjugem Adam post medium seculi octavi, estque* S. Lamberto *nostro dicatum. Magnus in eo sacrarum reliquiarum thesaurus servatur, de quibus Cimeliarchium conscripsit ediditque Monibus Hannoniæ anno 1645 Philippus Brasseur presbyter Montensis. Hic in parte 2 reliquias quatuor patronorum loci, quorum* S. Lambertum *primum esse ait, recensens, sic loquitur:* Temporis antiquitate præcellunt S. Lambertus & D. Hiltrudis (*virgo velata;*) cujus rei fidem facit præal-

AUCTORE C. S.

tum phylacterium deauratum, notabilem utriusque Sancti particulam continens, à cujus tergo in summitate ita legitur: "S. Lambertus, & S. Hil„trudis benedictionem à Deo monasterio suo „Lætiensi patroni impetrant„.

insignes habet S. Lamberti.

290 Jam quod ad alias S. Lamberti reliquias pertinet, earum quædam dicto Wiberto fundatori per Walcandum episcopum Leodiensem donatæ fuerunt; quædam etiam Wederico tertio abbati Lætiensi per Alberonem, episcopum itidem Leodiensem, anno MCXLIII. De qua Alberonis donatione plenioris notitiæ gratiâ venerandæ antiquitatis testimonium produco, videlicet litterarum copiam, quæ sic habet: "Anno ab „Incarnatione Domini millesimo centesimo qua„dragesimo tertio, quarto decimo Kalendas Ja„nuarii facta est Leodii repositio reliquiarum B. „Lamberti martyris de vasculo, in quo post „passionem à S. Huberto locatus fuerat, in vas „aliud, quod in honore ipsius Martyris decen„ter fabricatum fulgebat, sub præsentia Leo„diensis episcopi, videlicet Alberonis secundi, ad„stante frequentia procerum & cleri. Huic re„positioni interfuit domnus Wedericus, hujus B „ecclesiæ Læciensis abbas tertius, atque exin„de maxima & pretiosa dona revertens detulit, „videlicet os de corpore ipsius Martyris, & de „cinere tam carnis ipsius quàm vestimentorum „& lecluli, in quo primùm sepultus fuit.

reliquias, in pretiosa theca

291 „Quæ decimo Kalendas Januarii cum „gaudio Lesciis excepta, ad decus & tutelam „ecclesiæ in vasculo argenteo in honore ipsius „præparato jacent recondita. Hujus exceptionis „lætitiam solemni festivitate hac ipsa die quot„annis placuit renovare, ut & ecclesia de Pa„trono suo frequentiùs gaudeat, & rei gestæ „veritatem posteritas agnoscat„. His litteris appensum erat sigillum rubeum, sed præ vetustate albescens, in quo erat videre S. Lambertum sedentem in solio, sinistrâ pedum gestantem, & dexteram habentem elevatam, in cujus circuitu hæc legitur superscriptio: SIGNUM SANCTI LAMBERTI MARTYRIS DE LÆCIIS. *Idem instrumentum recitat Fisenus in Notationibus ad lib.* 10 *Historiæ, num.* 4 *acceptum anno* 1636 *à reverendissimo domino Antonio de Winghe abbate ejusdem monasterii, qui testabatur, sese illud descripsisse & contuliſſe* cum originali scripto in membrana & sigillo munito. *In utroque autem una & altera litterarum discrepantia levis momenti occurrit; præcipua est in inscriptione, quam Fisenus sic edidit:* signum S. Lamberti de Læciis. *Redeo ad Philippum Brasseur, qui ibidem Cimeliarchium suum prosequitur.*

C

argentea inclusas,

292 Cæterùm dicti S. Lamberti reliquiæ tam Wiberto, quàm Wederico datæ, communi lipsanotheca cum aliis sanctis reliquiis simul inclusæ fuerunt ad (*id est* usque ad) annum MDCXXIII; & tunc seorsim ab aliis separatas magnificæ turri

an pedes?

triangulari, tres partes * altæ, ex puro putoque argento fabricatæ, includi curavit D. Antonius de Winghe, ut constat ex tribus subjectis inscriptionibus. Prima inscriptio: "Calix, qui cum S. „Lamberto sepultus fuit„. *Calicem hunc eburneum esse albique coloris, notat auctor ad marginem. Deinde pergit eamdem primam inscriptionem referre.* "De vestimentis sacerdotalibus S. „Lamberti. De linteo sancti Martyris sanguine „tincto. Pie spectator, hìc venerare reliquias S. „Lamberti martyris, Tungrorum episcopi, Ta„xandriæ apostoli, Leodiensium & Lætiensium „patroni: quas Walcandus & Albero II, Leo„diensis episcopi, Wiberto Lætiensis monaste„rii fundatori, & Wedrico abbati III donâ„runt.

D

quas partim Wibertus loci fundator,

293 Secunda inscriptio: "Hic reconditi sunt „cineres carnis & vestimentorum S. Lamberti, „ac lectuli, in quo primò sepultus fuit; quos „Wedricus tertius abbas Lætiensis cum aliis re„liquiis ex prima corporis translatione secum „Lætias retulit x Kalend. Januarii anno MCXL„III„. Tertia inscriptio: "Has reliquias S. Lam„berti episcopi & martyris ab ejus successoribus „Lætiensi ecclesiæ donatas, & communi lipsa„nothecæ cum aliis SS. reliquiis inclusas, Anto„nius de Winghe abbas XXXVII, & monachi „Lætienses ob singularem tanti Patroni venera„tionem hùc seorsim transferri curârunt anno „MDCXXIII„. *Hæc Brasseurius de* S. Lamberti *reliquiis in abbatia Lætiensi, de quibus aliqua observanda veniunt. Anonymus scriptor Vitæ S. Hiltrudis virginis & reclusæ Lætiensis, quam Mabillonius Sec.* 3 *Benedict., part.* 2 *seculo* XI *scriptam esse existimat, de ejusdem* S. Lamberti *reliquiis per Wibertum impetratis, & in Lætiensi cœnobio, quod cum conjuge sua Ada condebat,* E *depositis, disertè meminit loco citato pag.* 421 *& sequenti, unde transcripsi, quæ subdo.*

à Leodiensibus accepisse dicitur,

294 Oratorio tandem expleto, & ecclesiæ parietibus erectis & culmine adposito, clausque bene officinato, circummanentes episcopos vel abbates, præcipuè Tungrensem pontificem adeunt, Sanctorum reliquias &* consecrationem petunt & impetrant. Pontifex pretiosas plurimorum Sanctorum donavit reliquias, præcipuéque S. Lamberti: unde ut ejus meritis novum suum oratorium dedicarent, familiaritate, amicitiâ, suasione exegit. Denuntiant rem Cameracensi antistiti, ad cujus diœcesim oratorium respicit; qui cum debito honore & reverentia S. Lamberti nomini illud dedicavit die III Nonarum Novembris. *Est quidem anonymus hic tribus seculis secundùm Mabillonii sententiam ea fundatione posterior, sed fortè antiquiora monumenta habuit, aut si non habuerit, ex eo tamen liquet illam de Lætiensibus* S. Lamberti *reliquiis traditionem minimè recentem esse. Observat tamen Brasseurius suprà laudatus, in locum Walcandi episcopi, à quo Wibertus eas accepisse dicitur in lipsanotheca inscriptione, forsitan meliùs substituendum esse S. Florebertum, cùm hunc, non illum, Wiberti tempore Leodii sedisse existimet.*

** fortè ad*

F

partim Wedericus abbas

295 *Walcandus certè longiùs abest à tempore, ad quod loci primordia referri solent, quàm ut illa donatio ipsi adscribi facilè possit. An tum adhuc vixerit S. Florebertus similiter dubitari potest. Controversia pendet à tempore primæ fundationis ejusdem monasterii, de qua agi poterit ad diem* XXVII *Septembris, quâ Martyrologiis inscripta est S. Hiltrudis virgo reclusa Lætiensis, & fundatorum filia. Dicendum præterea est, easdem reliquias Nortmannorum manibus, qui ut alia Belgii loca, monasterium istud vastârunt, in tempore humanâ operâ, aut casu vel divinitus subductas fuisse, ut, quæ Wederico donatæ dicuntur, ibidem hodieque supersint. Quæri etiam posset, quo pacto Wedericus, qui circa medium seculi* XII *Lætiensibus præfuit, tertius ejus loci abbas dicatur: verùm ad hoc jam respondit Fisenus in Notationibus ad lib.* 10, *num.* 4 *ex litteris R. D. Antonii de Winghe abbatis docens, abbates à restauratione monasterii dudum post Nort-*

A *Nortmannicam vaſtationem denuò numerari cœpiſſe, nulla habita ratione eorum, qui eam præceſſerant.*

296 *Wedericum abbatem depoſitioni corporis* S. Lamberti *anno* 1143 *Leodii adfuiſſe, prout in inſtrumento num.* 287 *recitato aſſeritur, negari non poteſt. Idem ille eſt, cui Nicolaum, canonicum Leodienſem, Vitam* S. Lamberti *edendam, ejuſdem depoſitionis occaſione, ut multis placet, conſcriptam dedicâſſe* § 1 *diximus. In illius Epiſtola dedicatoria de Lætienſibus ſancti Epiſcopi martyris noſtri reliquiis ſic meminit:* Et quoniam veſtra Lætienſis eccleſia ſpecialiter B. Lamberti patrocinio gloriatur, ejuſque reliquias pro amore indubitato complectitur, hoc parvitatis meæ Opuſculum ſanctitati veſtræ tranſmitto. *Sunt, qui hæc de reliquiis per Wedericum à prædicta ſolemnitate reduce Lætias allatis interpretantur; quod etſi ſatis veriſimile ſit, certum tamen non eſt, cùm Nicolaus Vitam illam citiùs ſcribere potuerit, & de prioribus reliquiis meminiſſe. Vide dicta* § 1. *Id certè ex laudati Nicolai teſtimonio indubitatum eſt,* S. Lamberti, *velut monaſterii patroni, reliquias Lætiis in pretio ſacraque veneratione jam tum habitas & aſſervatas fuiſſe.*

Leodio Lætias attulit:

B

297 *Reverendiſſimi domini Antonii de Winghe, qui pretioſam hierothecam, de qua num.* 292 *& ſeq., confici curavit, cara nobis poſteriſque noſtris memoria ſemper erit, exſtatque ejus viri, de Muſeo noſtro optimè meriti, inſigne elogium in Præfatione Bollandi ad R. D. Thomam Luytens, abbatem Lætienſem, ante tom.* 1 *Januarii cap.* 4, § 1. *Eamdem lipſanothecam, quam viderat, multùm laudat Arnoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 284, *ubi eam* altam ſanè maximique ponderis turrim quamdam, ex puro putoque argento, ſumma artificis manu & artificio prope admirabile fabrefactam *eſſe ait, eaſdemque, quas retulimus, inſcriptiones recenſet. Porrò trina* S. Lamberti *apud Lætienſes memoria eſt in ejuſdem monaſterii Martyrologio Ms. Bedæ aucti, quod in Opere noſtro habes ante tom.* 2 *Martii inter Bedæ & Flori auctaria. Prima eſt ad diem* XXVIII *Aprilis, ubi legitur:* Et commemoratio tranſlationis reliquiarum S. Lamberti epiſcopi & martyris; *illius ſcilicet, quæ Trajecto Leodium facta eſt, licèt non eo die aut menſe, ut ſuprà jam docuimus. Altera ponitur die* XVII *Septembris, quæ Sancti in cælo natalis eſt. Tertia denique ad diem* XXIII *Decembris ea ipſa eſt, quam à Wederico inſtitutam diximus, quæque ibidem annuntiatur his verbis:* Eodem die adventus reliquiarum S. Lamberti martyris atque pontificis, quas venerandæ memoriæ Unedricus *, hujus loci abbas tertius, ab epiſcopo Leodienſi Alberone II devotiſſimè impetratas, eccleſiæ Lætienſi x Kal. Januarii ſolenniter invexit, ſolenniterque ipſius diei memoriam quotannis celebrandam inſtituit.

Ibidem triplex Sancti memoria recolitur.

C

**l.* Wedericus

298 *Fiſenus in Notationibus ad lib.* 5, *num.* 2 *inſignes item & miraculis celebres* S. Lamberti *reliquias in Flandriæ pago prope Inſulas civitatem ſervari aſſerit verbis, quæ ſubjicio.* Pagus eſt primo ab Inſulis lapide Watignia (*incolis* Watignies) dictus, viâ regiâ, quæ ducit Atrebatum. Hîc in turri argentea, argenteoque brachio, S. Lamberti martyris reliquiæ ſervantur, colunturque inſigni religione populi, magnâ frequentiâ concurrentis; ſed maximè natali die ſancti Martyris, aliiſque ſequentibus ſeptenis. Mortalium pietati miracula Deus rependit ſæpiſſimè.

Aliæ ejuſdem reliquiæ in Flandria

Ipſum tranſlationis feſtum eodem, quo Leodii, die celebrari ſolitum eſt cum abſtinentia ab opere ſervili: ſed abhinc paucis annis ſublatum eſt ab epiſcopo Tornacenſi, rogatu paſtoris ob incommoda ruſticorum; & ſolùm feſtum XVII Septembris reſervatum. Quod meo ſanè judicio evincit antiquitatem cultûs S. Lamberti, ſuperant hominum memoriam initia. Conſtat ex iſtius eccleſiæ rationibus, jam tum ab anno ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo quarto celebres fuiſſe multitudinis concurſus & donaria. Hæc ex paſtore Watigniæ Joannes Matho noſter accepit & ad me miſit. AUCTORE C. S.

299 *De duobus aliis locis in Arteſia mox ſubdit ibidem:* Bina ſunt in Arteſia miraculis & multitudinis concurſu nobilitata S. Lamberti templa. Alterum Ariæ proximum, in pago pænè ſuburbano, quem Lambertum appellant, aſſervat ſacrarum ejus reliquiarum portiones non ignobiles. Alterum eſt in agro Audomarenſi. *Ego hæc ipſius fide retuli, quia de nullo è tribus iſtis locis alibi quippiam inveni. Ceterùm dubitare nequeo, quin ejuſdem Sancti reliquiæ aliquot etiam alibi in veneratione habeantur: nam & Peſſina pag.* 518 *Phoſphori Pragenſis in Diario ſacrarum reliquiarum, quæ Pragæ in metropolitana S. Viti eccleſia aſſervantur, ad hunc diem* XVII *Septembris* S. Lamberti epiſcopi & martyris duo inſignia fruſta, allata per Carolum (IV *ſcilicet*) MCCCLVII *memorat, & aliquas illuſtri domino Guidoni de Hembercourt anno* 1449 *à Lambertianis canonicis donatas fuiſſe, ex authentico inſtrumento num.* 263 *narravimus.*

& Arteſia,

E

300 *Eſt & in Brabantia noſtra pagus nomine Lovaniolum, vulgò* Lovenioul, *unum fermè milliare Belgicum à civitate Lovanio verſus Thenas diſſitus, cujus eccleſia paræcialis* S. Lambertum *noſtrum tutelarem jam à multis ſeculis veneratur. Certè jam ſtabat ibi vetuſta eccleſia aliqua ipſius nomini dicata, & patrocinio celebris, tempore Anſelmi canonici Leodienſis, qui paulò poſt medium ſeculi* XI *Geſta epiſcoporum Leodienſium continuavit. In his enim apud Martenium & Durandum tom.* 4 *Collect. ampliſſ. veterum ſcriptorum col.* 851 *ipſe de ea diſertè ita meminit cap.* 8, *ubi titulus eſt,* Quòd apud Loviniol in memoria ejus contigerit. Nec inter hæc prætereunda eſſe arbitror quædam de miraculis ejuſdem ſancti Martyris, quæ me ante biennium à presbytero quodam, nomine Waritio, contigit audiſſe. Poſſeſſiuncula eſt quædam hujus eccleſiæ (*Leodienſis*) nimis contigua oppido, quòd Lovanium nomine, diminutivum ex ſuo nomine eidem villulæ indicit vocabulum; cognominatur enim Loviniol.

& in Brabantia prope Lovanium

F

301 Continetur in eadem poſſeſſione eccleſia, quæ ut lignea antiqua patrum religione diu eſt ſervata, parietes nunc minores meliorare ſtudent cœmenti & lapidum ſtructurâ. Referebat memoratus presbyter, ſe multa audiſſe & vidiſſe in eodem loco Chriſti Domini miracula; quæ cùm majori ex parte memoriâ exciderint, pauca, quæ in mente veniunt, ſtrictim ſtatui memorare. *Deinde tria, ut ipſe ea appellat, miracula recitat. Primum cap.* 9, De equo in rabiem verſo: *ſecundum cap.* 10, De quodam, qui pedem foribus eccleſiæ illiſit, & putrefactum amiſit: *tertium cap.* XI, De eo, qui vomitu furtum prodidit. *Neſcio, an meliora his ex Waritio didicerit Anſelmus: at nemo, ut reor, meritò conqueretur, tria iſta à me prætermiſſa eſſe. Subdit denique Anſelmus:* Pro hujuſmodi miraculis

vetus eccleſia, cultu olim celebris.

AUCTORE C. S.

Domini non parva eidem loco ſervatur reverentia, nihilque indecens, quod inultum ſit, circa eamdem eccleſiam ſive atrium ejus credunt poſſe contingere.

Loca alia in Germania

302 *Idem Anſelmus præmiſerat ibidem cap.* 8 *duo alia loca in Germania, antiquo* S. Lamberti *cultu ſimiliter celebrata. Capiti præfixus is titulus eſt:* Quòd in Bauvari* & pago Wirzeburgenſi ad memoriam ejus frequenter fiunt miracula. *Tum ſequitur:* In diverſis profectò terrarum partibus, ubi in honore & memoria venerandi Martyris oratoria habentur conſtructa, pro ejus meritis frequenter fiunt miracula; ut liquidò conſtet fidelibus, nihilominus ejus preces vigere, ubi cineres ejus cernuntur abeſſe, quàm nobiſcum, ubi præſens eſt corpore. Eſt in Bavaria lacus, qui quamdam infra ſe inſulam blando ſtagnantis aquæ allambit circuitu. In hac in honore B. Lamberri ſitum eſt monaſterium, quod ab anteceſſoribus domni Piligrini, Colonienſis archiepiſcopi ibidem cum clauſtro & officinis monaſterio neceſſariis conſtructum, & opulentiſſimis prædiorum reditibus ab eiſdem eſt ditatum: ubi quòd ſæpiſſime ad memoriam ſancti

B Martyris & epiſcopi noſtri miracula Chriſti fiunt, frequenter audivimus. *Verùm hæc Anſelmi fide dicta ſunto; nam ego quidem de monaſterio iſto apud alios nihil reperi. Piligrinus, quem laudat, Colonienſi eccleſiæ præfuit ante medium ſeculi* XI.

S. Lamberto

303 Haud longè ab urbe Wirzeburg (*proſequitur ibidem Anſelmus*) vicus cognomento Duckelinhuſen eccleſiam habet in honore ejuſdem ſancti Martyris, ad quam in anniverſario paſſionis ejus undique confluere conſuetudinem habent provincialium frequentia; atque huc copioſa frumenti, vini & pecorum convehere ſancto Martyri xenia: dumque devotè ſtudent offerre carnalia, præter inviſibilia animarum amminicula, ſæpiſſimè læſorum quacumque parte

*abundat ſe

corporum etiam ſeſe gaudent inde ſe * referre medicamenta. Teſtis eſt domnus Thicuvinus epiſcopus, & quotquot ex illis partibus ad nos venire ſolent clerici ſive laici. *Thicuvinus, ſeu Theoduinus ille ſynchronus fuit Anſelmo, quocum etiam Romam profectus dicitur tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ auctæ col.* 859. *Rectè etiam obſervat Martenius ex Alberici Chronico, ipſum natione Noricum & de Bavaria fuiſſe, ideóque idoneum*

C *ejus rei teſtem eſſe.*

dicata.

304 *Denique ut hiſce finem imponam, celebris eſt ejuſdem* S. Lamberti *inſignita nomine abbatia olim in Carinthia, nunc in Styria, de qua videri poteſt Bucelinus in Topographia. Ad manum mihi eſt libellus de Styriæ collegiis & monaſteriis præcipuis, Græcii anno* 1740 *editus, in quo de eodem monaſterio agitur, & de vetuſtiſſima ibidem ante monaſterium condita eccleſia ſequentia legere eſt.* Eccleſiæ vetuſtatem ſcriptus item codex alius commendat, in quo illa à Caraſtro Carnorum principe fuiſſe exſtructa legitur eo, uti conjecturam capere licet, conſilio, ut, cùm ab iis ſanguinem duceret, qui oblatæ divo Lamberto necis fuere authores, ſacra hac in æde majorum ſcelus perpetuis religionibus expiaretur. *Hæc ibi: quàm verè, ignoro. Nunc antequam finem huic Commentario imponam, pauca aliqua de ejuſdem* S. Lamberti *in ſacris Faſtis memoria, feſtiſque & Officiis, quibus variis in locis colitur, ſubjungo.*

✠

D

§ XXI. Sancti memoria in Martyrologiis, feſta & Officia de eodem in variis diœceſibus.

Sancti memoria Martyrologiis

Celeberrima ſanè eſt apud martyrologos claſſicos S. Lamberti *noſtri memoria ad diem hunc* XVII *Septembris, qui ex ſæpe dictis ipſius martyrio, quod tum ſubiit, conſecratus eſt; quorum etſi aliquos alibi jam retulerimus, tamen pro more noſtro eos hîc recenſebimus. Beda, ipſi Sancto ſynchronus, in Martyrologio ſuo ante tom.* 2 *Martii edito, illum ut ſolet, breviter ſic annuntiat:* Natalis S. Lamberti epiſcopi & martyris. *Hinc mirari licet, cur in Martyrologio metrico, ejuſdem nomine edito apud Acherium tom.* 10 *Spicilegii*, S. Lamberti *memoria non ad diem hunc, ſed ad Nonas Junii celebretur hoc modo:*

E

Junius in mundo Nonis miratur adeptum
Et ſummi Lantberti animam trans ſydera verti.

Rectiùs Wandelbertus, in ſuo item metrico Martyrologio eum cum Bedæ proſaico ceteriſque martyrologis ad hunc XVII *Septembris diem retulit his verbis:*

Lambertus quintum denum * virtute coronat, * *Kalend.*
Factio quem cæſum ſemper tremebunda paveſcit.

Quid iſtis indicare voluerit, docuimus num. 188. *Eodem ſeculo nono Rabanus prolixius elogium, geſta ejus complectens, ad præcitatum diem ipſi texuit his verbis:* In Gallia prope civitatem Trajectum in villa Liudovico * paſſio Landeberti epiſcopi, qui ab infantia Dei ſervitio mancipatus fuit. Hic ſeptem annos vitam ſanctam agens, inter monachos habitavit. Poſtquam autem Faramundus de ſede pontificali depoſitus eſt, & ejectus de provincia Trajectenſe, tunc agmina clericorum & vulgus populorum una pariter voce ingenti poſtulabant Dominum, ut paſtorem eorum dominum Landebertum recepturi eſſent, quem, conſentiente Pipino tunc principe, ad propria recipere meruerunt, ibique per plures annos in

i.e. Leodio

F ecclesia Dei nobiliter vixit. Hunc verò Dodo, domeſticus jam ſupradicti principis Pipini, machinatione peſſima occidi fecit. Ipſe verò per innocentem mortem ad Dominum migravit.

ad diem 17 *Septembris*

306 *Similiter etiam alii ejuſdem ſeculi martyrologi eodem die ipſum celebrârunt. Ado ſic habet:* Tungrenſi diœceſi in Leodio *, villa publica, natalis S. Lamberti epiſcopi; qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpâſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris, de palatio miſſis, improviſè concluſus intra domum eccleſiæ, occiditur. Cujus ſepulcrum creberrimis miraculis illuſtratur, ac mors ejus nihilominus pretioſa in conſpectu Domini commendatur. *Adonem penè deſcripſit Notkerus; Uſuardus verò propriis ſuis verbis uti maluit, ſic inquiens:* Apud Leodium beati Lamberti, epiſcopi Tungrenſis, qui à nocentibus innocenter occiſus, aulam cæleſtis regni perpetuò intravit victurus. *Prætereo multa alia Martyrologia, quibus eodem die inſcriptus eſt, & unum addo Romanum Baronii, in quo legitur:* Apud Leodium B. Lamberti epiſcopi Trajectenſis, qui, cùm regiam

al. Leogio

A giam domum zelo religionis increpâſſet, à nocentibus innocens occiſus, aulam regni cæleſtis perpetuò victurus intravit. *Hactenus de die natali.*

& ad alios menſes

307 *Inter auctaria Uſuardina apud Sollerium noſtrum ad diem* XXVIII *Aprilis tranſlationem ejuſdem annuntiant Codex Bruxellenſis, Matricula Carthuſiæ Ultrajectinæ, Editio Lubeco-Colonienſis & Grevenus, quorum duo ultimi ſic aiunt:* Apud Leodium tranſlatio ſancti Lamberti epiſcopi ejuſdem loci (*imò Trajectenſis*) & martyris. *In laudata Matricula* confeſſor *perperam dicitur. Rectiùs Molanus ibidem:* In Leodio tranſlatio S. Lamberti martyris. *De hac tranſlatione egimus* § 13, *ibidemque obſervavimus, feſtum hoc apud Leodienſes celebre eſſe, eoque geminam tranſlationem recoli, primam à S. Huberto, alio tamen die ac menſe factam Trajecto Leodium; alteram factam ad caſtrum Bullionium, quæ &* Triumphus Bullionicus *dicitur. Geminæ præterea tranſlationis meminit Molanus, ibidem ad diem* XXIV *Maji dicens:* Tranſlatio ſancti Lamberti; *& ad* XXIII *Decembris:* Eodem die tranſlatio beati Lamberti ab eccleſia ſanctæ Mariæ

B in cryptam, & ejuſdem cryptæ dedicatio in honore omnium Sanctorum. *Ita quidem ipſe, ſed non aſſequor, quas tranſlationes hîc indicet, quia nullam iſtis diebus factam reperi; niſi unam Lætias, de qua vide num.* 297. *Credibile tamen eſt, ei aliquod Kalendarium præluxiſſe.*

& dies adſcripta eſt.

308 *Ex hujuſmodi certè vel ſimili libello hauſiſſe dicendus eſt, quæ ad diem* XXVIII *Octobris denuò habet:* Eodem die, *dicens,* dedicatio baſilicæ ſancti Lamberti martyris. Facta eſt autem hæc dedicatio ſexto anno epiſcopatûs Baldrici noſtri epiſcopi à ſanctiſſimo viro Dei Hereberto Colonienſi archiepiſcopo. *Dedicationem hanc baſilicæ, à Notgero epiſcopo erectæ, Fiſenus ad eumdem diem anni* 1014 *refert lib.* 7 *Hiſt. num.* 26. *Aliam denique feſtivitatem Grevenus & Molanus die* XIII *Octobris annuntiant.* Ipſo die, *inquit Grevenus,* Triumphus S. Lamberti epiſcopi Leodienſis & martyris. *Cùm verò duplicem ſancti Patroni ſui Triumphum celebrent Leodienſes, Molanus expreſſiùs ait:* Eodem die Triumphus ſancti Lamberti in Steps. *Steppenſis victoriæ annuam memoriam, aſſignato die perpetuò celebrandam, à Leodienſibus ſancitum fuiſſe ſeculo* XIII,

C *narravimus ſuprà* § 17 *num.* 258 *& ſeq., quò lectorem remittimus.*

Feſta, quæ de ipſo quotannis

309 *Sancti Epiſcopi Martyris noſtri cultum probare, actum agere eſſet, tum quòd is ex hactenus allatis luce clarior eſt, tum quòd ex fama eſt notior, quàm ut noſtra illuſtratione indigeat. Attamen cùm in Romano Breviario locum nondum habeat, pro inſtituto noſtro diœceſes aliquot recenſebo, in quibus colitur. Illius ſacram venerationem tam Trajecti ad Moſam, ubi epiſcopali munere functus, & in paterno ſepulcro tumulatus fuit, quàm in villa Legia, in qua ab impiis martyrium paſſus eſt, antiquam eſſe, ex ſuprà dictis ſatis ſuperque conſtat. Quantùm verò in poſteriori loco is cultus creverit, poſtquam à S. Huberto illuc delatum corpus ejus eſt, me tacente, clamat Leodium, ex villa jam dudum una ex ampliſſimis Belgii civitatibus, epiſcopi principis ſede & illuſtriſſimo Lambertiano canonicorum capitulo illuſtrata.*

celebrantur in eccleſia

310 *Leodii dies tres ſibi ſacros quotannis habet. Primus eſt dies* XXVIII *Aprilis, quo, ut mox diximus, prima* S. Lamberti *tranſlatio ſimul & triumphus Bullionicus recolitur. Hunc diem laudatæ feſtivitati ab Alberone II epiſcopo Leodienſi jam à ſeculo* XII *aſſignatum, Erardus à Marka ejuſdem civitatis epiſcopus & S. R. E. Cardinalis anno* 1526 *multo ſolemniorem reddidit, conſentiente canonicorum capitulo, ut in poſterum feſtus eſſet in populo, annuaque ſupplicatione, in quam ipſe perpetuos reditus conſtituit, nundiniſque celebraretur, quæ hodieque perſeverant. Ita diſcimus ex Chapeavillo tom.* 3 *in Erardo, cap.* 15, *Foullono in Hiſtoria, & ex Breviario Leodienſi, in cujus lectione* 6 *legitur:* Quas (*tranſlationes*) poſtmodùm Erardus à Marka, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & legatus, ſolemniore moderno ritu colluſtravit. *Ceterùm Officium ritu duplici præſcribitur ex Communi unius martyris cum Lectionibus ſecundi Nocturni & Oratione propriis.*

Leodienſi; Officium de eodem

311 *Rurſus ad diem* XIII *Octobris memoria triumphi in Steppes, ſed ſine feſto in populo, Officio duplici cum Lectionibus propriis recolitur; de quo triumpho conſule* § 17 *à num.* 158. *Solemnius eſt feſtum Sancti natale die* XVII *Septembris, quod cum vigilia prævia & per Octavam celebratur, habetque omnia propria ex Vitis ejus concinnata. Denique habent Leodienſes Officium ejuſdem hebdomadale, occaſione victoriæ in campis Steps relatæ perpetuò præſcriptum, uti loco mox citato diximus. Neque intra Leodienſis diœceſis terminos* S. Lamberti *cultus ſe continuit: nam & ſuprà diximus, Romanos Vaticanæ baſilicæ S. Petri canonicos annuum de eo Officium ritu duplici ad diem* XVII *Septembris legere, & alia loca memoravimus, in quibus ejus veneratio viget. Multæ quoque aliæ diœceſes ad prædictum Septembris diem Officium de eodem recitant, aut certè olim recitârunt, ut liquet ex multis Breviariis, ſive Propriis variarum diœceſium, partim nova, partim antiqua, quæ in Muſeo noſtro aſſervantur.*

E

in variis diœceſibus, & apud Ciſtercienſes.

312 *Hujuſmodi ſunt in Belgio diœceſes Mechlinienſis, Antverpienſis, Ruræmundenſis, Ultrajectenſis, Tornacenſis, Namurcenſis, & Audomaropolitana: in Germania Colonienſis, Moguntina, Oſnabrugenſis, Hildeshemienſis, Auguſtana & Paſſavienſis; in Galliis Pariſienſis, aliæque, quas nimis longum foret recenſere. De cultu ejus apud Lætienſes in Hannonia ſatis diximus* § *præcedenti. De Ciſtercienſibus ſcribit Ægidius Aureæ-Vallis apud Chapeavillum tom.* 2, *pag.* 266, *eos ſeculo* XIII *in comitiis ſuis generalibus, ſuadente Roberto Langonenſi, epiſcopo Leodienſi, decreviſſe,* ut per univerſum Ordinem ſingulis annis prædicti Martyris feſtum ſolemniter celebraretur, de quo antea ſimplex tantummodo fiebat commemoratio. *Ad manum mihi eſt Ciſtercienſe Breviarium, anno* 1643 *Pariſiis editum, in quo ad hunc diem Septembris Officium duodecim lectionum de Communi unius martyris reipſa præſcribitur. Verùm cùm de celebri ejuſdem cultu nemo dubitare poſſit, hiſce pluribus non immoror & Vitas cum Annotatis ſubjungo.*

F

A. GODESCHALCO DIACONO.

VITA PRIMA

Auctore Godeſchalco, diacono Leodienſi Seculo VIII, ex editione Mabillonii, collata cum Ms.

PROLOGUS.

a SI pagani *a* figmenta ſæva & nefanda prolixâ ſtudeant pompâ plurima mendacia codicibus ſuis commendare, ut eorum vana gloria diſcurrat, cur nos Chriſtiani ſalutiferi taceamus miracula Chriſti, cùm poſſimus vel tenui ſermone ædificationes de hiſtoria Sanctorum pandere hominibus? Ergo quamvis tantæ rei narratione ſanB cti viri Landeberti pontificis opera indigni videamur loqui, auctorem tamen Chriſti caritas popoſcit frequenter, etiam ſi Dei juverit favor, b mihi quæ ab adoleſcentia comperta eſt *b*, & per viros prudentes cognovi adfirmantes; non leporem animo inquirens ſermone, ſed devotione pleniſſima, ipſius animatus precibus, enarrare tentabo, ejuſque curſum vitæ, vel glorioſum peractum martyrium, in quantum ad noſtrum pervenit auditum, licèt inculto ſermone, ferre conabor in publico, ut cujus vita eſt cum Chriſto, memoria gloriæ relatu celebretur in mundo; præſertim cùm traditione Eccleſiaſtica, & Apoſtolica admonemur auctoritate, Sanctorum vitas ſeu virtutes nonnullas commemorare, ut ſcriptum eſt: "Memoria Sanctorum cum laudi„bus„: & "Laudemus viros glorioſos„ qui contemſerunt regna mundi. Ergò dignum eſſe credimus, ut quotieſcumque Sanctorum ſollemnia curriculo anniverſario celebramus, ex eorum geſtis aliquid ad ædificationem convenientibus Chriſtianis in Domini laudibus debeamus recitare: quoniam revera Chriſti muneris eſt, quidquid in Sanctis ejus laudabile invenitur. Igitur ſancti ac C beatiſſimi antiſtitis Landeberti, adjuvante ſuperna gratia, quamquam imperito ſermone & impolitâ loquelâ Vitam & Virtutes exordiri procuro.

ANNOTATA.

a *In codice noſtro num.* 1 *Commentarii prævii laudato legitur* paganorum, *& præmittitur iſti tulus minio pictus:* Incipit prologus de paſſione ſancti Landeberti epiſcopi. *Deinde ſemper* Landibertus *vocatur. Nos Mabillonii editionem, cui alii codices paſſim conſentiunt, ſumus ſecuti. Vide tamen de varia nominis ejus ſcribendi ratione Comment. num.* 24.

b *Ita locum hunc reſtitui ex codice noſtro, cùm apud Mabillonium mendoſiùs legeretur:* Auctorem tamen Chriſti caritas popoſcit, frequenter etiam favor mihi quæ ab adoleſcentia comperta eſt.

CAPUT I.

Sancti natales & inſtitutio: epiſcopatus Trajectenſis, & ex eodem expulſio: geſta Stabuleti.

GLorioſus *a* igitur vir Landebertus pontifex oppido Trejectenſe *b* oriundus fuit & alitus, ex parentibus locupletibus, ſecundùm ſæculi dignitatem inter præſides venerandis, & longâ proſapiâ Chriſtianis. Ipſe verò erat in pueritia formoſus & nobilis, electus in gente & progenie ſua, creſcebat benignus inter famulos & cognatos ſuos vultu fulgenti, & omni affectione pollebat eminentis ætatis *c*. Cùm vidiſſet autem pater ejus tantam induſtriam Filii, & à cunctis dilectum, exſultabat & gratias agebat Deo, lætabatur in gaudio pro eo, quòd decoratam videbat Prolem. A prima ferè ætate *d* tradidit eum ad viros ſapientes & hiſtoricos *e* ſacris litteris edocendum. Ille verò cum magno ſtudio, officio uſus aſſiduo adhæſit, & velociter ipſum conſummavit. Cùm autem imbutus fuiſſet à prudentiſſimis viris, reverſus eſt ad domum patris ſui. Pueritiæ verò annos excedens, ævum adoleſcentiæ cum induſtria ſenectutis gerebat. Spiritus ſapientiæ, & humilitatis gratia reſplendebat in eum, augebaturque cotidie in bonis operibus.

Nobiliter natus & litteris imbutus,

a
b
c
E
d
e

3 Eodem tempore oppido Trejectinſe cathedræ pontificali præſidebat ſummus pontifex Theodoardus *f* divinæ diſpenſatione providentiæ. Protinus pater ejus commendavit eum jam ſupradicto antiſtiti, divinis dogmatibus & monaſticis diſciplinis in aula regia erudiendum *g*. Erat enim adoleſcens ſapiens, aſpectu amabilis, colloquio affabilis, recta converſatione tam cum pontifice, quàm & in domo regia militare cœpit, ita ut omnibus eſſet conformis. Etiam cùm eſſet formâ præcipuus, fortis & velox, agilis & multùm firmus in bello *h*, animo clarus, ſpecie ornatus, caritate, caſtitate & humilitate fundatus, F etiam & ad opus *i* lectioni vacabat. Tantam denique gratiam in conſpectu pontificis invenire meruit, ut quaſi filium heredem & ſucceſſorem ſibi eum adoptaret eligere, ſi licitum ei fuiſſet propter inſtitutionem canonicam.

inſtituitur à S. Theodardo

f
g
h
i

4 Interfecto itaque præfato antiſtite Theodoardo *k*, copioſa multitudo virorum, in regione illa habitantium, cognoſcentes Landeberti prudentiam & opera atque converſationem nobiliſſimam, clàm locutione in invicem eligere eum diſponebant ad pontificalem ſedem. Ergò optimates Viri & illuſtriſſimi, qui eo tempore rectores palatii videbantur, glorioſo domno Childerico regni *l* famam beati Viri innotuerunt & actus ejus non ſilentes, teſtimonium perhibentes, quòd dignus erat ſacerdotio fungi, & onus pontificale accipere. Habuit itaque effectum eorum petitio, libenterque obtinuerunt, quod devoti poſtulaverunt. Tunc * plebs, inſpirante Spiritu ſancto, uno accepto conſilio, ſimul cum regis imperio, favente Domino, à quo jam dudum electus fuerat, ſubrogatus eſt, ut pater eſſet eccleſiæ Trejectinſis.

cui in epiſcopatum Trajectenſem ſuccedit;

k
l

* à plebe

§ I-

A

5 Ipſe verò timore Domini repletus, officio ſumto, in opus bonum multiplicabatur *m* cotidie. Porrò rex, cùm almitatem & prudentiam ejus agnoviſſet, diligebat illum ſuper omnes pontifices & optimates ſuos. Erat autem Landebertus pontifex ſtaturâ procerus, facie decorus, cæſarie formoſa, inclytus oculis, manibus honeſtis, digitis longis, carne candida: à planta pedis uſque ad verticem capitis fuit irreprehenſibilis. Erat autem in conſilio perſpicax, & omnem ſapientiam cum cura & moderatione gerebat: apud regem ſummum tenebat locum. Igitur cùm interfectus fuiſſet ab impiis glorioſus rex Childericus, tunc invidus omnium bonorum diabolus feſtinus inſurrexit contra beatum Virum cum adverſariis ſæviſſimis iniqua & falſa conſilia machinantibus, ut eum de ſede pontificali dejicerent. Ita autem prævaluit iniquitas eorum, ut deponerent eum de ſede ſua ſine cauſa; & privatus eſt honore ſuo abſque culpa. Poſt hæc Faramundum in cathedram illius conſtituerunt *n*.

quo dum optimè jungitur, iniquè expulſus

m

n

6 Electus autem Dei Landebertus pontifex perrexit ad monaſterium, quod vocatur Stabulaus *o*, nec ampliùs in obſequium ejus remanſerunt, quàm duo pueri. Qui unus ex ipſis nomine Theodoënus, qui multum nobis de vita & opere ejus ſolitus eſt narrare; qualiter per annos ſeptem ibidem vitam ſanctam & angelicam converſationem duxit devotione intentiſſima, in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in caritate, in longanimitate, & in omni cuſtodia, Sanctorum exemplum imitabatur. Pater verò monaſterii diligebat eum vaklè, & omnis congregatio cum magna pietate atque benignitate venerabatur illum. Conſtantiæ virtus magis ſcilicet ac magis fulgebat in eo. Et dum eſſet Vir venerabilis Landebertus epiſcopus in præfato monaſterio, contigit, eum mediante nocte pro conſueto ordine expergefieri, ut ad ſolitariam orationem pergeret devotus; porrectaque manu, arreptiſque ſandalibus, de quibus unus elapſus, corruens de manu ejus cecidit in pavimentum, ſonuſque ejus quieſcentium aures inquietavit.

ſecedit Stabuletum, ubi inſigne

o

7 Hæc audiens pater monaſterii, neſciens, quis hoc egiſſet, ait: Qui iſtum ſonum fecit, ſtatim ambulet ad crucem *p*. Tunc Sacerdos religioſus illicò obedientiam ſine mora ſequens, relictis omnibus, quæ habebat in manibus, nihil ſecum portans, niſi tantùm unum aſperum, quo indutus erat, cilicium, nudiſque plantis diſcalciatis pedibus, clàm de lectulo exſiliens, muto * veſtigio feſtinus cucurrit uſque ad locum, ubi fuerat ei imperatum. Erant autem media hieme nimia frigora, vehementiſſimuſque algor brumali circulo ingruerat *q*, ita ut glacies congelaret & nix rarò flueret. At ubi Dei Famulus immobilis perſiſtens, protenſis manibus, inflexibilibus brachiis diutiùs immorabatur, pſalmorum cantus efficaciter perſolvens; & * interim tantum jugiter nivis fundebatur, quæ deſuper talos ipſius Pontificis uſque pervenit.

obedientiæ & tolerantiæ

p

C

* *al.* moto

q

8 Nec dominus immemor, qui cuncta die noctuque prævidet, & omnia ſcit, antequam fiant, laborantem Servum ſuum diutiſſimè proſpexit, ubi in quadrageſimo primo pſalmo canebat: "Quando veniam & apparebo ante faciem Dei „mei!„ Cui Dominus paratus ad ignoſcendum, audivit illum orantem; & à Domino factum eſt, ut ſolebat; in nocturno tempore citiùs gallorum cantus adfuit: nec morâ tranſactâ, fratres monaſterii, pulſato ſigno, ingrediuntur ad vigilias. Officio peracto, exierunt de ſanctuario feſtinanter, præ nimio frigore introgreſſi utique domum ſibi ad calefaciendum. Interim ſanctus Domini fortiùs certando ſemper ſtabat invictus * ad crucem. Tunc pater monaſterii requirens, ait: Et ſi habemus omnes fratres noſtros? E quibus unus dixit: Ego te audivi hac nocte indicare crucem; ſed neſcio: quis fuiſſet. Adhuc illo loquente, alius de fratribus intravit, dicens: Verè domnus Landebertus hac nocte diutiùs ad crucem diſcalciatus perſeverat. At ipſe abbas pavefactus & in timore converſus, dixit ad fratres: Ite velociter, & poſtulate eum humiliter, ut veniat ad nos.

ſpecimen præbet,

* Et *abundat.*

A. GODESCHALCO DIACONO.

* *Mab.* junctus

9 At illi procurrentes, invenerunt eum ſtantem ad crucem. Erat autem caput ejus & humerus coopertus nive per totum. Ipſe verò Domnus apoſtolicus tunc ore promebat: "Cor con„tritum & humilitatum Deus non ſpernit„, & reliqua. Illi verò, qui miſſi fuerant, poſtulantes dixerunt: Domine, pater noſter precatur, & fratres ſuggerunt, ut ambules jam in hoſpitium ad illos. At ille abiit cum eis: & ubi intus venit, ſtatim pater monaſterii unà ſimul cum monachorum agmine ad pedes Pontificis provolutus genibus, veniam poſtulans, ait: Ignoſce mihi, Pater, ignoſce, quia neſciens peccavi, quod ſic inſipienter egi: da indulgentiam tuis devotis famulis. At ille: Data ſit vobis à Deo indulgentia, quia tu non inſipienter egiſti, ſed prudenter feciſti, ut Paulus dixit: In frigore & nuditate ſubjicio corpus meum. Et continuò fratres balneum paraverunt ei, & mutaverunt illi * veſtimentis aliis, & oſculantes manus & pedes, ad invicem mutuò dicebant: Noluit Dominus nobis in hac nocte notum facere, ſed pro augenda ejus gloria & lucri promerenda pœnitentia *r* abſconditum fuit à nobis.

mirante abbate cum monachis.

E

* illum

r

F

ANNOTATA.

a *In codice noſtro litteris minio ductis præfigitur titulus:* Incipit Paſſio ſancti Landeberti epiſcopi.

b *Id eſt*, Trajectenſi: *eſt autem Trajectum, indigenis* Maeſtricht, *civitas Belgii ad fluvium Moſam, ubi Jecoram recipit; unde &* Trajectum ad Moſam *appellatur. Vocatur etiam* Trajectum Superius, *ut diſtinguatur ab alio* Trajecto, *vulgo* Utrecht, *quod ad Rhenum conditum*, Inferius *dicitur. Adi etiam Commentarium prævium num.* 20 *& ſequentibus, ubi de* S. Lamberti *patria & parentibus, quos Sigebertus & Nicolaus* Aprum *&* Heriſplindem *vocant, ceteriſque eò ſpectantibus actum eſt.*

c *Apud Mabillonium legitur:* Et omni affectione pollebat eminenti ætate: *ſed partim reſtitui ex codice noſtro, qui ita habet:* In omni affectione pollebat eminentis ætatis.

d *In codice noſtro voces iſtæ* à prima ferè ætate *ad præcedentem periodum referuntur; ſed ex conſequentibus ad utramque referri poſſunt.*

e *Mabillonii editio habet* ſtoricos, *quæ vox barbara ejuſdem ſignificationis eſt. Sigebertus Gemblacenſis & Nicolaus canonicus in Vitis tertio & quarto loco dandis primum ſancti Pueri magiſtrum S. Landoaldum fuiſſe ſcribunt.*

f *Ejus Acta illuſtrata habes ad diem* 10 *hujus menſis Septembris. De epiſcopatu Trajectenſi nihil opus eſt hîc diſputare; cùm hunc Henſchenius ſolidiſſimis argumentis hactenus non convulſis, dudum ſtabilierit, ac deinde Petrus Dolmannus adversùs Baronem de Craſſier aquè ſolidè propugna-*

A. GODESCHALCO DIACONO.

pugnaverit. Impugnavit quidem eumdem à paucis annis Joannes Bertholet Societatis Jesu presbyter Dissertatione 3, quam in calce tomi 6 Historiæ Luxemburgensis vulgavit; sed nihil novi produxit, ad quod responso opus sit. Respondit tamen jam nunc, confutavitque ipsius qualiacumque argumenta Joannes Baptista de Marne, ejusdem Societatis presbyter, Dissertatione 2 sub calcem Historiæ comitatûs Namurcensis, anno 1754 editæ.

g *Quomodò hæc verba Mabillonius, & nos contra ipsum interpretati simus, vide in Commentario num. 37 & duobus sequentibus.*

h *Bellum hîc spirituale intellige, ut suprà* militare; *neque enim profanæ militiæ nomen umquam dedit.*

i *Alibi rectiùs legitur:* Cùm opus erat, *vel:* Cùm opus esset.

k *S. Theodardi martyrium apud Nemetes in Germania anno Christi 669 probabiliùs contigisse diximus § 4, num. 45, & § 8, num. 108, ideóque initium episcopatûs* S. Lamberti *eodem § 4 circa finem anni 669 vel initium 670 reposuimus.*

B l *Fuit is Childericus Austrasiæ rex, deinde monarcha ejus nominis secundus.*

m *Mabillonii editio, omissa voce* in, *habet,* opus bonum augebatur cotidie.

n *Hanc sanctissimi Episcopi è sede sua expulsionem circa annum 674 referendam esse ostendimus § 5, ubi & de Childerici cæde, Ebroini tyrannide & Faramundo pseudo-episcopo pluribus actum est.*

o *Stabuletum, vulgò* Stavelo, *hodieque celebre est Ordinis S. Benedicti monasterium in Arduenna, à S. Remaclo conditum, quem tum etiam in vivis superfuisse ejus loci abbatem, perperam credidit Nicolaus in Vita, ut num. 68 & sequenti observavimus.*

p *Erat ea crux sub dio posita, ad quam monachi ex superiorum mandato delicta sua luebant. Vide, quæ de hoc pœnitendi modo, & cruce Stabulensi diximus in Commentario prævio num. 70 & sequentibus.*

q *Apud Mabillonium legitur:* Erat autem media hieme, nimio frigore, vehementissimusque algor: brumalis circulus ingruerat. *In sequenti etiam periodo pauca ex codice nostro restitui.*

C r *Codex noster habet:* Pro ipsius augenda gloria & lucri promerenda præmia. *Mabillonii lectio paulò melior est. Utrobique autem indicatur, divino nutu id ita accidisse, ut sanctus Episcopus sua merita accumularet.*

CAPUT II.

Sancti in sedem suam restitutio & cura pastoralis: Taxandrorum conversio; ejusdem martyrium.

Sedi suæ restitutus omnium cum applausu,

IGitur pòst septem annis expletis, depositus est Faramundus de sede pontificali, & ejectus est de provincia Trajectinse. Tunc agmina clericorum & vulgus populorum una pariter voce ingenti postulabant Dominum, ut pastorem ecrum domnum Landebertum reciperent. In illo tempore erat princeps Pippinus super plurimas regiones & civitates sitas in Europa *a*. Auditis operibus beati Viri, sub unius diei articulo jussit eum cum magno honore ad propriam * sedem revocare. Longum est enarrare, quanta exsultatio in universo populo fuerit, quantæ laudes & hymni in adventu ejus. Tripudiantes psallebant sacerdotes cum levitis, monachorum agmina & universi clerici laudes Christi vociferantes, advenæ & peregrini, inopes & pauperes, viduæ cum pupillis per urbes lætantes. Ita omnis terra lætabatur, quasi unum ex Apostolis Christi suscepissent. D

a

* *Mab.* primam

11 Regressus autem Domnus apostolicus *b* ad urbem propriam, institutionis suæ normam cotidie augmentabat in melius: sed qualem se demum quantumque se præstiterit, quis dignè valeat explicare, vel quis tantâ copiâ verborum instruere existimat, aut quæ oratio tantæ affluentiæ ubertatem exundans, quæ cuncta ejus bona, ut decet, queat prosequi? Erat enim in lege Domini sine lassitudine persistens; nulla conversatione noxia se inquinabat. Actus vitæ suæ omni hora custodiebat, oculum mentis suæ ad Dominum semper defixum habebat, consilium & opus suum semper ad Dominum convertebat; pedes ejus directi erant ad orationem & ad euangelizandum pacem. Etiam sicut fidelis servus & prudens à Domino constitutus, ut ejus familiæ tribuat cibum in tempore opportuno, sic ille populum sibi commissum omnimodis festinabat spiritali reficere cibo. Clementer docebat, ordinabiliter instruebat, à consuetudine peccandi omni virtute retrahere nitebatur.

multis virtutibus fulget,

b

E

12 Erat enim spiritu fervens & sollicitudine impiger *c*; operibus ornatus & valdè clarus, inter divites & pauperes medius, non respiciebat ad personas potentium, sed potiùs ad morum elegantiam. Quantùm vivere unumquemque sanctiùs videbat, tantò eminentiùs illum honorabat. Ipse quoque pauperibus fenerabatur cibum, & oculis adspiciebat cælum, ulnas * tendebat ad dandum, mercedem procul dubio exspectabat ex alto. Quando verò monasteria visitabat, elymosina prædicationem secuta est *d*: quidquid in illa conferebatur, contulisse in Deum lætabatur, semper revolvens illud, quod Dominus dixit: "Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur". Erat & in vestimento vilis, sedile proprium in privato numquam ornabat *e*; & cùm ei vestimenta pretiosa ex more pontificali præpararentur, aliquoties retruncata & deformia ipsa induebat, quia unde alii videbantur extolli, ille studebat se ex hoc semper humiliare. Sub specie honesta animus benignus militabat.

& manus suum strenuè obit

c

* *Mab.* vulnus

d

F

e

13 Erat itaque Christo subjectus semper, & devotione armatus, pontificio dignus & doctrinâ munitus, honorem sæculi recusando humilis, subjectus in suscipiendo, in corrigendo vehemens, & fortis in periculo, patiens in adversis, glorioSus in misericordia, strenuus in disciplinis, justitiæ severitate terribilis, ad gratiam promtus, ad ignoscendum paratus, in castitate corporis perseverans, nutritor gregis, pastor ecclesiæ perfectus, plebi monita Christi præcepta præbens. Cura pastorali sollicitus, lustravit urbes & municipia circumquaque sibi commissa, Euangeliorum coruscabat lumine. Augebat fidem Christianorum, & crebrò miserabilem errorem gentilium nidoribus fœtidis ejiciebat; cognitoque errore,

suos erudiens; & Taxandros idololatras

A rore, illuc intrepidus, & cum calore fidei inflammatus pergebat. Introivit itaque aliquando
f in Taxandriam *f*, ubi plurima templa & simulacra destruxit. Fremitum ergò gentilium, quasi signifer bellator, corporis timore abjecto, inermis, fidei fervore roboratus ingerebat, Christi caritate securus, prædicatione sancta sufficienter corda errantium replebat, & ad viam veritatis adducebat.

ad Christum convertens.

14 Illi autem, qui primùm velut ferociſſimæ bestiæ eum discerpere cupiebant, postmodùm attendentes sancti Viri bonitatem, tanta mansuetudine conversi & in fide Christi confirmati erant, ut ipsum imitari optarent. Sicque demum quasi cælitus lumen ostendebat, & illustrabat ut radius solis partes illas, barbarorum usu abjecto. Itaque fœtores idololatriæ odore suaviſſimo quasi ex
g aromatibus adspergebat *g*. Cum omni auctoritate gentibus prædicabat, & semper suaviſſimam habebat de his, quæ Dei sunt, adlocutionem. Apostolicam normam habebat in doctrina humana; ostendebat contra vulnera regulam honestam, & rectè arguebat clementer, quod credens docebat, & quod docebat, imitabatur. Ipse verò
B roborabat se in vigiliis, in orationibus, in jejuniis, in eleemosynis: fidem servabat, cursum consummationis & coronam justitiæ exspectabat: ante oculos ejus semper dies ultima versabatur. Hujusmodi Landebertus pontifex exercitatus virtutibus, divinâ gratiâ comitatus, uberiùs multa & magna operatus est, perficiens bona, quæ non sufficit evolvere lingua.

Iniqua patitur ab impiis:

15 Et jam cùm Dominus vocâsset S. Landebertum, ut propter tanta merita dignam redderet ei mercedem, insurrexerunt duo pessimi homines, Gallus & germanus suus Rioldus in adversitatem ejus, sævientes ecclesiæ suæ in tanta opera perversa, ut nullus eos ferre posset; nec evadendi erat locus ante illos. Repleti autem amici Pontificis irâ & tristitiâ, & calamitate magna compulsi & humilitate compressi *h*, interfecerunt eos
h ex merito eorum. In diebus illis erat Dodo domesticus jam supradicti principis Pippini, proprius consanguineus eorum, qui interfecti fuerant; & erant ei possessiones multæ, & in obsequio ejus pueri multi. Cùm audîsset autem necem proximorum, collegit magnam copiam virorum fortissimorum ad bellandum, moxque irruit ad inter-
C ficiendum beatum virum Landebertum pontificem in villa, cui vocabulum est Leodio *i*, sita
i super fluvium, qui vocatur Mosa. Appropinquavit autem Pontificis gloria, & domestici *k* pœna.
k

dum Legiæ piè moratur,

16 Tunc adveniens vir Dei Landebertus pontifex in villam jam supradictam, quæ vocatur Leodio, circa mediam noctem, sicut solebat, exsurgens solitarius, relictis discipulis, solus ibat in nocturno ad orationem devotus, totam spem suam Deo committens, psalmorumque canticis ac vigiliarum studio propè ad lucis ortum orando usque perduxit. Postea verò veniens, & cum baculo, quem in manu tenebat, pulsans ostium cameræ, vocans discipulos, ait: Expergiscimini & levate, jam adpropinquat & hora est, ut psallamus Domino in matutinum lætitiæ. Conlevatisque fratribus, tunc unà cum illis Domino Matutinorum reddidit obsequia, Officioque peracto & cursu expleto, reversus est domum: & pro tantis laboribus in multis bonis operibus, quæ semper ab exordio suæ infantiæ feliciùs peregit, & in ipsa nocte, sicut erat consuetus, in vigiliis diutiùs immoratus est & multas Domino querulus fudit preces. Præ nimia autem lassitudine (erat quippe valdè gravatus) ad lectum vadens, cupiebat quiescere paululum. At ille in stratu suo recubans, adhuc felici somno exspectabat dormire.

A. GODESCHALCO DIACONO.

domus ejus à Dodone

17 Manè verò facto, cùm fulgens aurora diei daret initium, unus quidam puer ex famulis ejus, nomine Baldoveus, cujus ad vigilandum in ipsa nocte ante Domnum apostolicum fuerat jussum, exivit foras in accubitu domûs ipsius, & vidit turbam multam hostilis exercitus venientis per turmas & cuneos, quam nebula sequens tegebat. Et nonnulli, qui sequebantur de ipso exercitu, viderunt super domum, ubi ipse Domnus apostolicus erat, sursum in altitudine inter cælum & terram crucis Dominicæ signum, clariùs auri metallo fulgens. Et erat multitudo copiosa virorum pugnatorum ad bellandum, & erant induti loricis & cassidibus, clipeis & lanceis, gladiisque præcincti, & sagittis cum pharetris armati præcedebant filium perditionis, impiissimum Dodonem; ferratis dentibus, sicut lupi rapaciſſimi ad deglutiendum, & super Ovem Domini erant intenti ad
l immolandum, quem Christus promisit *l* in medio luporum ponere. Cùm verò Dodo & plurima multitudo sodalium ejus cum eo appropinquâsset, & intrare cœpisset, januis fractis, ostiis & sepibus disruptis, desuper adscendere * cœperunt.
E

* *al.* supermontare

viris armatis cingitur;

18 Cúmque hoc vidisset memoratus puer, subitò currens nuntiavit Pontifici: qui Pontifex nec *m* in soporem conversus, adhuc exspectabat felici somno dormire, nesciens, quòd ad agonem properaturus esset; sed hoc audito nuntio, velociſſimè surgens. Tunc sacerdos Dei Landebertus ilicò discalciatis pedibus, ut fortissimus præliator, adprehendens gladium in manibus suis, ut contra hostes suos pugnaturus accederet. Sed Christus, quem semper in auxilium sibi postulaverat, non longè ab illo erat. Sed apud Altissimum consilium inivit sempiternùm mansurum, tacita mente confisus in Domino *n*. Nec mora, commutans gladium de manibus suis projecit in terram, dicens: Si fugero, gladium devitare possum; si autem perstitero, aut cadendum mihi est, aut vincendum. Sed nec aliquando perdam victoriam meam, quia melius est mihi mori in Domino, quàm super iniquos manus bellaturus injicere. Hæc eo dicente, ecce subitò venerunt
F impii ad ostium domûs ejus, & lanceas suas in parietes defixerunt & nonnulli ingressi fuerunt *o*.
m
n
o

ipse suos ad mortem jam-Eltè excipiendam

19 Tunc duo nepotes ejus Petrus & Audolecus *p* surgentes, arreptisque fustibus cœperunt eos fortiter percutere, qui ingressi fuerant domum, & mox expulerunt eos à facie domûs. Tunc ait vir Dei Landebertus ad nepotes suos & ad juniores suos, qui ibidem in domo erant: Si me vicariò amâstis, Christum, sicut ego, diligite, & Domino Jesu Christo peccata vestra confitemini: me oportet dissolvi & cum Domino vivere. E quibus unus ex nepotibus suis, nomine Audolecus *q*, ait ad illum: Et non audis, Domine mi, quod forìs inimici Dei clamant: Ignem mittite, ut succendatur domus, & ardeant vivi? Tunc vir Dei Landebertus ait: Non timeamus persecutorum sævitiam *; quia ignis erit illis in vindictam, qui manducabit carnes eorum usque in medullis suis, donec deficiant: nos verò in Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Et ait ad nepotes suos: Recordamini, quòd rei & noxii vos in crimine isto fuistis *r*: nescitis, quòd Deus non judicat bis peccatores, nec peccata
p
q

* *Mab.* insidias

r

A. GODESCHALCO DIACONO. *hortatus, post reliquos occiditur.*

dimittit injudicata? Sed quod tunc egistis injustè, modò recipite justè.

20 Quid ad me vos venistis? Ambulate ante conspectum illorum, & ibi, quod dedistis, in judicio Dei recipite. Melius est carnes vestras ad lacerandum tradere, & manus vestras servare innoxias, ut spiritus vester salvus fiat in æternum. Tunc respondit unus ex nepotibus suis Audolecus *f*: Lege modò in voluminibus Domini tui, & perfice opus tuum, quod cœpisti feliciter, & ut Dominus vult, ita erit de nobis. Tunc sanctus vir Landebertus, arrepto Psalterio, istum versum primùm reperit: "Quoniam requiret Do„minus sanguinem servorum suorum „. Sicut Zacharias, quem interfecerunt inter templum & altare, dum moreretur, ait: Videat Deus, & requirat; ita & iste invictus & firmus permansit. His dictis, & omnibus extra cubiculum ejectis, prostravit se in terram extensis brachiis in cruce, orationem fundens cum lacrymis; & subitò pervenerunt carnifices, & ingressi domum interfecerunt in ore gladii omnes, quos ibidem invenerunt *t*. Unus autem ex ipsis adscendens super tectum cubiculi, ubi sanctus Landebertus orabat, in ictu teli jaculavit eum, qui, cursu beato consummato, reddidit spiritum *u*, cujus famulatui angeli præstant obsequium, & cum magna claritate efferunt animam ejus.

Matt. cap. 10: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.

m Nec *deest in editione Mabillonii. Desunt & ista, quæ paulò post sequuntur*: sed hoc audito nuntio, velocissimè surgens; *id est*, surrexit.

n *Mabillonius sic habet*: Sed apud Altissimum, in quo consilium vivit sempiternum mansurum, tacita mente confisus, nec mora *&c. Non peccâsse autem* S. Lambertum *primo illo ad se defendendum impetu, nec hunc ejusdem martyrio obfuisse, in Commentario prævio num.* 166 *observavimus.*

o Et nonnulli ingressi fuerunt *desideratur etiam apud Mabillonium.*

p Audolecus *habet tam codex noster, quàm Mss., quibus usus est Mabillonius; ab aliis tamen* Andoletus *vocatur, & hoc nomine apud Leodienses notior est.*

q *Apud Mabillonium hîc est* Audoënus: *sed* Audolecum *cum codice nostro retinendum censui, quia sic etiam habet Stephanus in Vita num.* 35.

r *Loquitur de cæde Galli & Rioldi; quam tamen culpâ carere potuisse, observavimus suprà in Commentario num.* 170.

s Audolecus *desideratur apud Mabillonium.*

t *Non constat, qui hi martyrii socii fuerint, præter* Petrum & Andoletum, *quos duos ut sanctos martyres, corporibus eorum inter sacra lipsana religiosè asservatis, à Leodiensibus, sine Officio tamen ecclesiastico, honorari liquet ex dictis in Commentario prævio* § xi, *num.* 167 *& sequentibus, &* § 18, *num.* 265 *&* 273.

u *Annum ejus martyrii probabiliùs fuisse Christi* 709 *diximus in Commentario* § 8. *Præfuit autem episcopatui Trajectensi, teste biographo S. Huberti, annis quadraginta, quibus septennium exsilii includitur. De die conveniunt biographi & martyrologi, qui eum die* 17 *Septembris coronatum dicunt, excepto Beda in Metrico apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii, ubi de eodem agitur Nonis Junii.*

ANNOTATA.

a *Pippinus II, Heristallus dictus, de quo, uti & de tempore, quo hæc contigisse credimus, consule Commentarium* § 6.

b *Hæc vox, quæ pro Romano Pontifice propriè adhiberi solet, à Godescalco hîc & rursum inferiùs pro episcopo, sancto scilicet* Lamberto *usurpata est.*

c *Ista ab initio numeri huc usque desiderantur in editione Mabillonii.*

d *Mabillonius legit:* Eleemosynam prædicatio secuta est.

e *Apud eumdem Mabillonium legitur:* Sed & in privato se numquam ornabat. *Lectionem codicis nostri retinendam puto, & Godescalcum alludisse ad sedile episcopale, quod dum munere suo Sanctus publicè fungeretur, de more episcoporum exornatum habebat, privatim domi suæ vulgari utens. Eodem modo Godescalcum interpretatus est Stephanus in Vita num.* 27.

f Taxandria, *quam alii* Thessandriam, Toxandriam & Texandriam *scribunt, Belgii tractus est, cujus situm & limites in Commentario prævio dedimus num.* 92 *&* 93 *sequenti.*

g *Hinc Taxandrorum apostoli nomen promeruit. Sed & Mechlinienses, Taxandris proximi, eumdem velut suum ante S. Rumoldum apostolum venerantur. Adi Commentarium prævium* § 7.

h *Mabillonius pro* & humilitate compressi, *mendosè habet*; & humanitate nimia.

i *Villa hæc post translatum eò* S. Lamberti *corpus & episcopalem cathedram in amplissimam civitatem, quæ principatûs Leodiensis caput est, excrevit. Habebat autem ibi sanctus Episcopus ædes cum sacello SS. Cosmæ & Damiani, à S. Monulpho episcopo Trajectensi, ut creditur, erecto.*

k *Id est, impii* Dodonis.

l *Mabillonius habet* permisit; *sed perperam, ut liquet ex verbo* ponere, *quod sequitur, pro quo* poni *fuisset dicendum. Nostri codicis lectio bona est; nam sic alluditur ad verba Christi apud S.*

CAPUT III.

Sacri corporis Trajectum translatio & sepultura: Leodiense cubiculum miraculis illustratum, binæ ecclesiæ erectæ: pœna parricidarum ejus: idem corpus Leodium relatum & depositum.

CORpus itaque beatissimi viri Landeberti pauci, qui à foribus fuerunt *a* & evaserunt, ex famulis ejus posuerunt illud in navicula sub vili tegmine opertum, & navigantes venerunt usque ad sedem pontificalem suam *b* Trajectensem. Audito hoc nuntio per oppida, quòd domnus Landebertus consummatus esset martyrio, contremuit universa regio, & in pavorem conversa est; & loquebantur ad invicem mutuò: Si diutiùs in mundo habitâsset, aucta potiùs opera incrementâsset. Ideo utinam cum ipso interemti fuissemus, quia absentiam ejus ferre non possu-

Corpus Trajectum translatum

a

b

A possumus. Et jam ista sermocinantes nullo modo quibant temperare à fletu. Tunc subito currente nuntio, omnes plateas implevit rumor, civitas tota simul lamentabatur, repleti omnes tristitiâ & metu proceres cum silentio flebant amarissimè. Ergò cùm corpusculum ad portum perveniſſet, petierunt eum ex more deponi de nave in feretro; quem inditum in basilicam S. Petri deferunt *c* clerici cum hymnis, populus cum lamentis, ibique excubias vicissim agentes, noctem pervigilem ducunt.

c

& in paterno sepulcro tumulatum, miraculis

21 Crastina autem die non fuerunt ausi decoratum parare sepulcrum, sed cum magno metu in tumba patris unà cum ipsius cadavere mancipatus est Sanctus, & multùm festinanter saxo coopertus, ibi sub magno servatur honore, vallatus tumbâ, resurrecturus in gloria *d*. Ruit in obsequium funeris pœnè omnis civitas. Tali pompa Pastor fudit cruorem in fine, & sic constipatus, repositus est in sepulcro: cujus angeli Dei custodientes monumentum, diebus ac noctibus psallentes in ipsa basilica, & adinstar vocis ipsius sancti ac beatissimi Landeberti cum aliis ejus simili modulatione dulcissima resonantes. Quem multi

d

B ex loci illius civibus audientes & mirantes, cupientesque introire basilicam, nullo modo erant ausi intrare.

illustratur; uti & cella ejus Legiæ,

23 Etiam cùm nonnulli appropinquarent ad sanctum locum, ut certiùs audita intelligerent, mox paullatim silebant voces psallentium; cùm regrederentur longiùs, resonabant cantus psallentium, sicque permanebat famulatus angelicus *e*. O ineffabilis potentia Creatoris generis humani! Quis potest investigare potentiam & misericordiam, qui tanta dignatus es ostendere servis tuis, ut non solùm animas eorum, sed & cadavera permittas custodiri ab angelis tuis? Quis dubitare potest de promissis tuis, Redemtor sæculi, qui humanum non sinis genus perire *f*? Post hæc in præfata villa Leodio infra cubiculum, ubi sanctus Dei felicem fudit cruorem, luminaria ex divina accensa potentia resplendebant crebriùs, ita ut domus illa tota refulgeret, quasi radius solis.

e

f

ubi furtum à a Sancto vindicatur.

24 Itaque remanserat ibidem pecten Pontificis optimus valdè: mulier autem quædam videns eum, cupiditatis stimulo exagitata, rapuit eum, atque in propriam contulit mansionem. Quadam autem nocte apparuit per visum beatissimus Landebertus cuidam viro, marito hujus feminæ, nomine Theodoëno *, & ait illi, blando eum compellans sermone: Reddat uxor tua pectinem nostrum, quem retinet injustè. Ille autem cùm à somno evigilâsset, ordinem visionis conjugi suæ narravit. Illa autem visionem hanc pro nihilo habens, absque tædio utebatur ipso. Post modicum secundò apparuit præfato Theodoëno, & cum magna comminatione, quod priùs mandaverat, ingeminando subnexuit, & quasi è navi exiens, baculum manu tenens, subito ictu per visum percussit illum in pectus; cui mox apparuit vulnus

C

* *al.* Theodoino

* *Mab.* manet in eo

insanabile in ipso loco, & manat ex eo * tabes cum sanguine mixta. Tunc cum metu reddidit, quod blandè non intellexit.

Duobus cæcis ibi illuminatis, inchoatur ecclesia, cui

25 Igitur in supradicta villa Leodio cæcus quidam erat, nomine Baldegisilus: ille admonitus fuit per visum surgere & excubare ad locum, ubi Vir Dei pro Christi nomine per martyrium sanguinem suum fudit. Expergefactus à somno statim lumina propria recepit, quasi numquam orbatus fuisset, & injunctam obedientiam perfecit, magnificans Dominum & S. Landebertum, pro cujus merito lumina vitæ præsentis recepit. Item alius in eodem loco, nomine Raginfredus, duobus capitis luminaribus amissis, admonitus in somnis emundare locum pro sancti Pontificis martyrio reverendum, ubi se ad hoc opus incipiendum accingit, lumen recepit: sanus demum ab ipso loco non discessit, sed ad ipsum locum servire dispositi. Quo audito, cœperunt homines Sanctum Dei debita veneratione de die in diem jugiter expetere & cum magna diligentia locum illum venerari. Et jam cùm basilicam populus ibidem cœpisset ædificare, auditis miraculis per universam regionem illam, quæ Dominus pro Servo suo dignatus est ostendere, omnis populus laudes dabat Deo.

A. GODESCHALCO DIACONO.

illustratâ etiam Odâ, alia additur.

26 In illis diebus erat quædam virgo cæca, nomine Oda *g*, quæ cùm intellexisset signa & virtutes Dei manifestas, cum magna fide cœpit iter carpere ad sanctum locum. Cùm autem appropinquâsset, & qui cum ea erant, locum illum cernerent, indicaverunt, quòd jam propè esset de eo. Illa cum gaudio ex intimo corde nomen sancti Viri invocare cœpit. Continuò misericors Deus atque propitius omnibus, qui invocant eum, reddidit ei, quod antea numquam habuit, lumina scilicet præclara in oculis suis. At illa gratias

g

E agens Deo, pervenit ad locum prædestinatum. Item ex hoc ampliùs concurrebat mistus vulgo populus utriusque sexus, senes & parvuli, ad basilicam in honore ipsius Sancti ædificandam, sicque auxiliante Domino, velociter consummata est *h*. Similiter ubi virgo lumen ex fide recepit, credentibus in testimonium basilica in ejus nomine est constructa & assiduè venerata *i*. Etiam fideles & devoti Deum timentes composuerunt lectum *k*, & fabrili arte ornaverunt illum, & sic posuerunt illum in locum, ubi jaculatus fuerat Pontifex. Ibi Dominus magnas & absque numero virtutes atque mirabilia operatus est cotidie.

h

i

k

Sanctus interfectorum suorum pœnam prædicit,

27 Pòst anni circulo expleto, in visione nocturna S. Landebertus thesaurario Amalgisilo, qui olim judex *l* ejus fuerat, apparuit, & leniter cum eo loqui cœpit. At ille causam adventûs ejus diligenter interrogando inquirebat. Sanctus autem Landebertus respondens, dixit illi: Fuimus visitare Romam, & inde reversi solliciti sumus de amico nostro Dodone & sociis ejus. Est enim tempus, ut debitum exsolvant, & digna recipiant eorum, quæ olim in nos impiè fecerunt. Visione ablata, confestim verba hujuscemodi opera sunt

l

F secuta. Et jam Dodo, qui primus & princeps in necem Antistitis cucurrit, ultione divina percussus, omnibus infra arcana repositis, per os suum putrefactis & fœtidè projectis, infelicem & pessimam vitam finivit præsentem *m*, post tantam pompam sæculi in profundum inferni retrusus, sine fine cruciatur.

m

eventu secuto.

28 Alii verò, quorum numerus non est computandus, proximi consanguinei, qui ibidem fuerunt, invicem gladiis sunt interemti. Ille autem, qui propriis manibus pupugit eum, à germano suo crudeliter interfectus, in inferno funditus manet vallatus. Alii autem ex eis à dæmonibus vexati, & diversis generibus vocum ululantes, quæ humana natura contremiscebat, audire Landeberti nomen & auscultare formidabant: & paucis ex eis expleto anno remanentibus, ceteri omnes pessima & turpissima morte præventi, miserrimam & amarissimam vitam amiserunt, & in igne perpetuo, qui diabolo & angelis ejus præparatus est, pœnis & tormentis ineffabiliter cruciantur. Sanctus autem Landebertus insignis martyr palmâ victoriæ coronatus, cum angelis & archangelis & cum

A. GODESCHALCO DIACONO.

omnibus ſemper exſultat in ſæcula juſtis *n*.

29 Suffragante Domino, narrare volumus, quod nuper poſt aliquot annos S. Landebertus per viſionem cuidam viro venerabili apparuit, ut ſine aliquo cunctamine corpus ſuum ad Leodicum deferretur; & hoc idem ſacerdotibus & fidelibus, viris Deum timentibus, multis revelatum eſt modis *o*. Sanctus autem Hucbertus, qui quondam Landeberti diſcipulus fuit, quique illo tempore in hac regione pontifex erat, auditis his miraculis, cum timore Dei feſtinans, ordinem rei diligenter inquiſivit. Et cùm omnia ſciſcitatus eſſet, cum ſenioribus loci illius conſilium iniens, & ſciens, quòd nutu Dei omnia revelata ſunt, juſſit, ut corpus beati Pontificis abſque ulla dilatione ad locum prædeſtinatum cum magno honore deferrent. Præparavit etiam veſtimenta ornata, quæ neceſſaria eſſent de ſacratiſſimi corporis cura, & acceſſit cum multis ſacerdotibus & levitis & ceteris clericis pſallentibus, & cum magna præterea Chriſtianorum multitudine, quæ circa beati Martyris corpus pſalmos & hymnos & cantica ſecundùm divinæ religionis ritum pia devotione decantabat.

n *S. Hubertus, apparitionibus præviis, corpus ejus* *o*

B

30 At venerabilia membra Chriſti Martyris odore ſuaviſſimo fragrantia Hucbertus pontifex ſolida & inlibata reperit, & cum timore & honore maximo de ſepulcro elevans, in pretioſis veſtimentis illa involvit; ea quoque, quibus dudum fuerat indutus, ſub ſigillis cum magna cura repoſuit. Hinc inde fratrum fideliter pſallentium chori cum cymbalis canoris, organiſque ſuaviſſima modulatione ſonantibus concinebant. Et hinc angelorum agmina in excelſis pſallentium, & omnipotentem Dominum de triumpho martyris Landeberti laudantium, ab idoneis teſtibus viſa & audita ſunt. Porrò omnis plebs vario concentu & intermiſto gemitu, antiphonarum quoque ſonitu concinens, & præ magnitudine triſtitiæ vix hæc verba ſequentia explicare potuit: O Paſtor bone, cui hanc plebem ſervandam committis? O dulcedo pauperum, ô illuminator gentium, noli deſerere nos, quos divinis verbis, exhortationibus ſpiritualibus, ſicut pater unicum filium admonebas & conſolabaris.

integrum repertum tranſfert Leodium.

31 His autem dictis, turba multa rectum iter carpens, S. Landebertum proſequebatur. Refocillata autem plebe in loco, qui dicitur Nivialla *p*, contigit, ut alius pauper cæcus cupiens feretrum attingeret, & lumen recepit, & cum magno gaudio laudes Dei vociferans, & gratias ei & Landeberto referens, pergebat. Egreſſæ inde turbæ corpus ſanctum in villam, cujus vocabulum Herimala *q* vexerunt. Dumque ibi commorati eſſent paullulum, ad augendam populi fidem, & ad famam Sancti accumulandam inſtigante Domino, alius contractus in conſpectu populi allatus eſt, qui cùm adſpexiſſet feretrum, ſubitò omnes compagines membrorum ejus ſolidatæ & confirmatæ ſunt, atque illo Landebertum proſequente, omnis populus glorificabat Dominum. In præfatis autem locis, in quibus Dominus has virtutes operari dignatus eſt, à fidelibus & devotis Chriſtianis baſilicæ venerabiles in honore S. Landeberti ædificatæ ſunt.

Per viam cæcus & contractus ſanantur.

p

q

32 Poſt hæc turba univerſa cum Sancto ad optatum locum pervenit; at omnes habitatores loci illius gaudentes ac exſultantes in occurſum deſiderati corporis exierunt, & cum honore magno ſuſceperunt, & dignam ei præparaverunt manſiunculam, quæ opere artificum mirabili & copioſa mole auri, argenti & gemmarum & lapidum pretioſorum, ac diverſis ſtructuræ ſpeciebus, in eumdem locum à potentibus collatis, ita fabricata eſt, ut vix ſermo narrantis ſufficiat exponere *r*. Ibique, ut decebat, urbana & venerabilis mirifica memoria *ſ* hac prægrandi eccleſia compoſita eſt, ampliùſque cotidie devoti Chriſtiani eum venerantur. Ibi cæci lumine recepto, leproſi plurimi ſcabie mundati, paralytici læſione corporis mundati, à dæmonibus vexati reſipiſcentes, divina largitate & gratiâ ſani efficiuntur. Sed ſi quis ſingillatim omnia mirabilia, quæ ibidem Deus per merita S. Landeberti aſſiduè operatur, ut geſta ſunt, nunc enoteſcere voluerit, faſtidium legentibus irrogabit.

Leodii magnificè deponitur, multiſque miraculis

33 Pauca verò, quæ de vita & de virtutibus ejus narravimus, omnibus auditoribus fidem certam præſtare debent, dum hodie juxta tumbam ejus in argumentum rerum probandarum cippi fracti oſtenduntur, & plurimæ catenæ & compedes rumpuntur, claudi greſſibus ſolidatis, & diverſis infirmitatibus vexati, omni languore de corporibus & anima eorum ablato, incolumes ad propria loca revertuntur. Dum autem in parvis præcedentibus temporibus multa quidem miracula ſunt geſta, quis modò digna æſtimatione comprehendet, quanta & qualia per prolixa temporum ſpatia gerenda erunt, dum numquam juxta beati Præſulis atque glorioſi martyris tumbam uſque in hodiernum ſigna & mirabilia fieri ceſſent *t* per auxilium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum. Amen *u*.

aſſiduè illuſtratur

t

u

ANNOTATA.

a *Mabillonius legit:* Qui fideles erant.

b *Idem Mabillonius habet:* Uſque ad ſedem Pontificatus ſui.

c *Iſta in Ms. noſtro codice ſic leguntur:* Ergò cùm corpuſculum ad portum perveniſſet, ſuſceperunt ex more expoſitum de navi in feretro: deinde ad baſilicam S. Petri eum deferunt *&c. Sed cùm hoc loco aliquot detritæ voces manu recentiori reſtitutæ ſint, malui editionem Mabillonii ſequi, præterquam in voce* portum, *quæ antiqua manu in codice noſtro legitur, & pro qua Mabillonius legit* portam. *De eccleſia S. Petri vide Commentarium num.* 178.

d *Apud Mabillonium eſt:* Reſurrecturus jacet cum gloria. *Utrobique autem verba iſta ſuſpicionem movere poſſunt, hanc Vitam ſcriptam eſſe, antequam de ſacro corpore Leodium tranſferendo ageretur. Huic ſuſpicioni præterea favet, quòd in codice noſtro Vita ab Hiſtoria miraculorum & Tranſlationis ſejuncta ſit per conſuetam clauſulam* Explicit Vita &c.; *& apud Mabillonium quoque utraque velut diverſum Opuſculum ſeparatim ſit edita. Verùm ex dictis § 1 Vita & memorata hiſtoria ejuſdem auctoris eſt, & utramque eodem tempore exaratam eſſe, ſuadet tum hiſtoriæ initium, quæ ſine ullo titulo ſic incipit:* Poſt hæc in præfata villa Leodio, *tum ipſa miracula, quæ mox poſt depoſitum Trajecti corpus, Leodii contigiſſe narrantur. Itaque aut Godeſchalcus hìc locutus eſt oratorum more, quibus non inſolitum eſt in hujuſmodi rebus præſenti tempore pro præterito uti, aut dum Sanctum reſurrecturum dixit in gloria, non communem carnis reſurrectionem, ſed glorioſam ejuſdem tranſlationem deſignavit, per quam Leodium, unde venerat, reverſus eſt.*

e *Stephanus infrà in Vita ſecunda num.* 38 *cæleſtem illum concentum* primorum dierum tempore

du-

A *durâſſe ait. Succinit poëta anonymus, dicens:*
Solibus in primis manſit celebratio talis,
Alme, tuo, Landberte, loco cæleſtibus ymnis.
Quot tamen diebus perſeveraverit, non reperi.

f *Hic ſubditur in codice noſtro:* Explicit Vita vel obitus ſancti Landiberti epiſcopi, qui paſſus eſt xv Kl. Octb. *Deinde alio titulo ſequuntur, quæ ſubjicio. Mabillonius iiſdem hunc titulum præfixit:* Liber de miraculis & tranſlatione.

g *Vide, quæ de hac Oda virgine annotavimus in Commentario num.* 183.

h *Hæc eſt ea* baſilica S. Lamberti Leodici, *in qua Grimoaldum, Pippini Heriſtalli filium anno* 714, *dum pro patris ſui incolumitate oraret, occiſum eſſe varii veteres ſcriptores, num.* 118 *Commentarii laudati, teſtantur.*

i *Adi Commentarium num.* 182 *& ſequenti.*

k Lectus *in Vitis Sanctorum pro feretro vel lipſanotheca ſolet uſurpari: quare videntur Leodienſes, etſi ſancti Martyris corpus penes ſe non eſſet, ſimile quid in loco, ubi ſanguinem fuderat, in rei geſtæ memoriam poſuiſſe.*

l *Id eſt, opinor, qui in epiſcopali ejus curia officio judicis fuerat functus.*

B m *Sigebertus in Vita ex fama addit, corpus ejus, ſcatens vermibus, ob intolerabilem fœtorem in Moſam projectum fuiſſe.*

n *In codice noſtro de Dodonis ſociorum pœna paulò latiùs agitur; & poſt iſtas voces,* funditus manet vallatus, *ſtilo barbaro ita legitur:* Alii à dæmonibus vexati, ululantes & diverſa genera vocum hejulantes, Sancti Domini nomen formidantes & clamantes, perverſa opera & deformiſſima facientes, quem * humana natura contremiſcit audire, quanta & qualia peſſima & turpiſſima atque crudeliſſima ſunt operata * demones in corporibus eorum uſque in finem vitæ ipſorum, & ſic producti funeſtis * pro meritis ſolvuntur ab inferis. Quid etiam amplius de his miſerrimis, & de infelice & amariſſima eorum morte narrare queamus, quia ſi per ſingula, quæ geſta ſunt, eorum detrimenta enotare voluerimus, dies antè quàm ſermo ceſſabit. Nam in modicum tempus poſt viſione relata * de multitudine oſtium qui cum Dodone domeſtico ad necem S. Landiberti fuerunt, pauci ex eis infra annum remanſerunt. Nam & ipſi pro nihilo reputati, manentes ſine ſenſu & abſque memoria, propter exemplum amariſſimæ vitæ * fuit eis conceſſa ad tempus. Martyr Chriſti ſanctus in perpetuum coronatus, triumphat cum Chriſto, poſt palmam victoriæ in ſinu Abrahæ receptus, exultas cum cunctis à * ſecula Sanctis.

* quæ
* operati
* funeſti
* viſionem relatam
C
* amariſſima vita
* per

o *In Commentario num.* 189 *& ſequentibus recitavimus hiſtoriam hujus tranſlationis ex biographo & familiari S. Huberti, ubi dicitur, huic* anno... ordinationis ejus duodecimo *per crebras revelationes id ipſum imperatum fuiſſe. Vide dicta ibidem.*

p *In Vita S. Huberti apud Surium legitur hic Sanctus in quodam prædio ſuo* Nuvella *vel* Nivella *capturæ piſcium operam dediſſe: hunc locum, qui longè alius eſt à* Nivella *Brabantiæ oppido, illum ipſum eſſe arbitror, qui in tabula Epiſcopatûs Leodienſis per Nicolaum Viſſcher ad ſiniſtram Moſæ ripam non toto milliari Germanico à Trajectenſi civitate verſus Leodium ſitus, notatur* Nay aliàs Nyvels.

q *In laudata tabula notatur pagus* Hermael *in eadem Moſæ ripa, eademque ferè diſtantia à* Nyvels, *quâ hic locus Trajecto abeſt. In citata S. Huberti Vita dicitur hic hoſpitatus eſſe in villa* Hannale *vel* Harmalia, *qui locus fortè idem eſt cum* Hermael.

r *De hac eccleſia biographus S. Huberti num.* 191 *Commentarii relatus ſic ait:* Fabrica ejuſdem baſilicæ, quâ beati Viri conditæ ſunt reliquiæ, qualiter ab eodem ſancto viro Huberto ordinata ſit, quia oculis videntium ſe offert, de ea aliquid dicere ſuperſedi.

A. GODESCHALCO DIACONO.

ſ Memoria *aut ipſam ſancti Martyris eccleſiam aut tumbam vel lipſanothecam ſignificat. Quod ad tranſlationis tempus attinet, in Commentario prævio § 13 probavimus, eam die 24 Decembris anni 721 vel 722 factam eſſe.*

t *Miracula aliquot ibidem antiquitus impetrata retulimus in Commentario § 14.*

u *In codice noſtro ſequitur auctoris epilogus, in quo ſuam in ſcribendo imperitiam excuſat, ſed ſtilo tam barbaro, tamque vitioſo, ex amanuenſium fortè inſcitia, ut epilogum illum omittendum judicaverim.*

VITA SECUNDA

E

Auctore Stephano epiſcopo Leodienſi,

Ex vetuſto codice noſtro P. Ms. 16, collato cum editione Chapeavilli.

PROLOGUS.

DOmino *a* patri Herimanno archipræſuli *b* Stephanus humilis Tungrorum epiſcopus *c*. Cùm cotidie aliorum explorari concertetur actio, ac, ſi quid reprehenſibile inſuerit, maculare non differt probroſa intentio, detergenda penitus diffinitur meritò culpata contagio, per quam & blaſphemantium jam ceſſet cachinnalis deriſio. Nam à quibuſdam nobiſcum agentibus feſtum ſancti Lamberti, qui literariâ videbantur ſibimet ſcientiâ prædíti, non minimùm ſumus deſpectuoſis riſuum injuriis laceſſiti, quandoquidem priſcorum haud quaquam cato eloquio edita legebatur apud nos præfati Patris Vita & Paſſio, atque nulla propria Officiorum cantabatur modulatio. Abhinc ſanè frequenti fratrum noſtrorum precamine rogatus, ſæpiſſimis vicibus extiti coactus, ea omnia ſuſcipere innovanda proprii impenſione ſenſus, notamque hujuſmodi infamiæ à nobis propellendam omnibus. Illis verò ſuper hoc multimodè argumentantibus, & agendum quàm plurimorum ſimilitudine ſtipulantibus, animum revocans, reſtiti mente affixus, idque, quod monerent, an bonum foret, procera hæſitatione intra memet ſum queſtus.

Herimanno archiepiſcopo Colonienſi
a b c

F

2 Ecce tandem anguis ſylogiſmicus per flexos globos latè ſinuatus, linguiſque triſulcis ſquamea colla tumidus, lumina mei cordis infundendo merſus, hujuſmodi dialecticæ nuntius michi aſtitit, fatus: Omne, inquit, bonum utile, & omne utile bonum: utile bonum nullum malum; nullum malum utile bonum: Nullum bonum omne malum; omne malum nullum bonum. Ergò Creatori

cauſam, modumque

A. STEPHANO EPISCOPO.

tori in ſuis Sanctis laude celebratum, celebranti creaturæ in ſuis ſtudiis utile bonum. Quòdque meliorando optimum, nullum probatur exiſtendo malum: econtrà, quod abſit, nam fors omnia verſat, negligendo relictum, amborum eſſe nullum continet bonum. Tum equidem ei veraciùs credens, quæ vera à falſis jugi more ſolet eſſe ſecernens, aliquid monitæ utilitatis conſequi ex eo malui geſtiens, quàm muti tenacitate ſilentii, laboris fructu carere negligens.

3 Hoc itaque deliberativi generis conſilium magis eligendo pertractans,

ſcriptionis ſuæ exponit,

Invoco non Driades nymphas, nec clamito Naïdes,
Carmina quæ prodant, verſus & comata dedant,
Nec peto Mercurium, linguâ, ſermone ſuperbum,
*diſcurrere Qui pennata ferat citiùs diſcutere * verba,
Sed verum Dominum cunctorum ſupplico Regem,
Omnia qui tribuit, numquam diſpendia ſentit,
Famine cuncta juvat, nil prorſus juſſa retardant,
B Arce poli reſidet, terram, pontumque gubernat,
d Quæque *d* ſic penetrat, ceu pugno cuncta recludat.
Is Pater & Proles, nec non & Spiritus almus,
Subſiſtens Trinus, ſed ſubſtans creditur unus.
Perſonas numerat nam ſubſiſtentia ternas,
Eſſe tamen proprium numerat ſubſtantia nullum.
Det pedibus lucere meis, det lumina cordis,
* *al.* vernæ Auxilium miſero dignetur dedere verno *.

4 Enimvero neque faſtu ſuperbiæ tumens, neque quemquam patrum contemptu habens, quinimmo prælibatæ utilitati parêre libens, ſtilo præpollentioris ingenii eandem acceleravi comens. Exinde muſicæ artis ratione autentica ſubnectuntur cum antiphonis reſponſoria nova, in quibus ordini Lectionum ſeries reſpondet tonorum, quotenus ſibi æquando extendi quitur numerus horum. Adhuc etiam animi viſu extat delectabile in tanti Patroni immorari laude.

& Vitam cenſuræ ipſius ſubjicit.

e Cantica quapropter muſeo compta lepore *e*
Succinctim replicant, ac ejus geſta renarrant.
Quæ omnia, pater, tuo ſenſui corrigenda committo,
f Notitiâ *f* veri, quo numquam fallere nôſti,
C Falſa ſed ex veris proſternere cuncta moliris,
Quæ majora fide debent, quàm ſenſus haberi.
Quocirca in ſoliditate tui pectoris jam requieſcat meæ vacillatio mentis viritim defenſa, ſiquidem meretur, pedo tuæ paſtoralitatis; ſin autem, ſecretim caſtigata * leni virga tuæ paternitatis.
* *al.* caſtiga

ANNOTATA.

a *In inſigni codice noſtro Ms., de quo vide Commentarium prævium num.* 10 *ſequens titulus minio notatus præfixus eſt:* Incipit proëmium in Vita vel Paſſione atque reſponſoriis beati Lantberti martyr.

b *Herimannus hic (apud Chapeavillum* Hermannus *legitur) fuit archiepiſcopus Colonienſis, de quo conſule num.* 9 *Commentarii.*

c *Stephanus fuit epiſcopus Leodienſis; ſed quia epiſcopalis cathedra Tungris primò collocata fuit, atque inde Trajectum, & Trajecto denique Leodium tranſlata, Trajectenſes ac Leodienſes epiſcopi à primo ſedis loco longo tempore etiam* Tungrenſes *dicti fuerunt. Porrò de Stephano conſule Commentarium num.* 9 *&* 10.

d *Chapeavillus habet* omnia; *verùm hujuſmodi minutias, ne annotata accumulem impoſterum præteribo.*

e *Apud Chapeavillum eſt:* Muſæ decompta lepore.

f *Sic reſtitui ex laudata editione; nam in codice noſtro perperam legitur* Notitiam. *Meliùs tamen codex noſter in verſu mox habet:* Falſa ſed ex veris; *pro quibus ibidem eſt:* Falſa ſed exuris.

D

CAPUT I.

Nobiles Sancti natales: præclara inſtitutio: epiſcopatus Trajectenſis, & ex eo depulſio.

Nobiliter natus probè eruditur:

IGitur glorioſus martyr Landebertus, & æterno Regi ſacerdos dilectiſſimus, inſigni ex proſapia Trajectenſi vico extitit oriundus. Hic denique puerulus apud parentes Chriſtianiſſimos degens, & bonæ indolis eſſe incipiens, primevam ſtatim ſuam ætatulam, undâ ſacri Baptiſmatis purificatam, Chriſto Domino conſecravit, ſeque totum adhuc, prout novit & valuit, divinis voluntatibus mancipavit. Qua de re cæleſti gratiâ præeunte, ejus affines unanimiter decrevere, ut, quem à pueritiæ annis vita illuſtrabat ſanctitatis, auctoritas erudiret litteralis, juvaretque perducens ad faſtigium ſummæ perfectionis. Hujus itaque conſilii diſpenſatione reperta, immò eam Dei diſponente clementia, Puer formâ conſpicuus, ſenſu docibiliſſimus, peritiſſimis viris traditur erudiendus. Eccleſiaſtica religione admodùm inſignitur, & cæleſtium myſteriorum igneo amore penitraliter inflammatur; tantoque celeriùs liberalium fluenta artium epotavit, quantò ardentiùs in amore Dei totum ſe olim transfudit. Nec celantur ei quæcumque obſcura geruntur, quoniam nulla ad diſcendum mora eſt, ubi Spiritus ſanctus doctor adeſt.

domum regreſſus, virtutibus micat.

6 Inſtructus tandem divinis dogmatibus, & ubertim vigoratus monaſticis ſanctionibus *a*, deſtinavit corde Puer bonæ indolis regredi ad domum genitoris. Quod ſagaci animo concepit, ad effectum actionis uſque perduxit. Tunc benignus pater, cariſſimum pignus excipiens amabiliter, intellexit, ſpirituali mente non mediocriter eum tranſcendere annos pueritiæ.

a

Gaudebant ambo, Lantbertus honore paterno,
Et pater inſignis Lantberti ex actibus almis.

Equidem Puer ſtrenuus, nitens totis viribus vir fieri perfectus, juxta Pſalmographi vocem ibat cotidie de virtute in virtutem, præparans ſe ad illa peragenda, quæ incommutabilis Dei providentia per ipſum ante tempora ſæcularia fieri prædeſtinavit opera. Quamvis juvenis eſſet ætate, morum tamen grandevus probitate, jactantiam vitabat, pompam ſæculi viriliter conculcabat: quidquid habere poterat, pauperibus erogabat *b*, condens cælo theſauros, ubi poſſideret eos, cùm ſolutus feliciter tranſitoriis, vivere feliciùs inciperet manſuris.

b

7 Eodem tempore agius pontifex Teodardus,

&

A *S. Theodardo magiſtro* & clariſſimus Chriſti martyr futurus, vir ſacerdotali reverentia plenus, & coram divinis conſpectibus ſacerdos beatificandus, in memorato ſuperiùs vico epiſcopalem adminiſtrabat dignitatem. Huic memorabilis adulescens Lantbertus nobilitate cluentiſſimus, formâ corporis eligantiſſimus commendatur, in aula regia educandus; ut velut pretioſus lapis, multiplicibus poliretur argumentis, & competens fieret cæleſtibus ornamentis. Tum ſanè columba Chriſti ſine felle amaritudinis, Lantbertus videlicet alumnus laudabilis, ſollerter adhærens magiſterio præfati antiſtitis, cœpit illum venerari ſicut dominum, diligere quemadmodùm patrem cariſſimum, & in cunctis actibus obſequi juxta edictum Apoſtoli, ceu decebat Servum Domini. Enimvero ex tanti patris conſortio replebatur propenſiùs gratiâ, ditabatur locupletiùs ſapientiâ, augebatur cotidie meritorum affluentiâ. Quod iſdem antiſtes tacito * contemplans, & ſubtili indagatione perſcrutans, quantus qualiſque foret, intellexit, ideóque totum ſe in ejus amorem tranſvexit; utpote in dilectum heredem & gratiſſimum ſucceſſorem *c*.

*tacitè

c

B *mirabiliter proficit; cui interfecto*

8 Adeptus ſiquidem magni ſacerdotis amorem, & edoctus admodùm tenere monita Scripturarum, implebat duplex caritatis præceptum, diligens tota mente Deum, amplectenſque proximum integro amore, ſicut ſemetipſum. Parvi pendebat præſentia, veluti devoverat in pueritia *d*, æſtimans pro nichil omnia, præter quod erat æternæ ſalutis gratia. Cæleſtibus animo inhiabat, ſeſe in holocauſtum illi mactabat, qui ei ſingulare deſiderium factus erat. Poſtquam verò ab impiis interfectus, palmam beatitudinis ſanctus percepit Teodardus *e*, fidelis Trajectenſium caterva, pio paſtore viduata, cœpit vehementer perquirere alium ſimilem ſanctitate, quem in ejus loco poſſet ſubrogare. Diu quæſitis, ſcrutatiſque diligenter omnibus, ſanctior nemo inventus Lantberto. Hunc itaque ditatum honoribus ſanctimoniæ, illuſtratum commerciis parſimoniæ, Spiritus ſancti præeunte clementia, plebs Trajectenſium pariter congregata epiſcopum fieri elegit, & in loco magiſtri ſuccedere acclamavit.

d

e

communi conſenſu in epiſcopatu Trajectenſi, C

9 Regalis quoque celſitudo ac palatinorum procerum multitudo, ejus opinione cognita, illum in ſolio pontificali ſine mora conſtituerunt ſublimari. At Vir manſuetus, omni bonitate refertus, & in humilitatis gradibus à Chriſto fundatus, indignum ſe myſteriis ſacerdotalibus, multis denegavit proſecutionibus. Grandis, inquit, fratres mei, honor eſt pontificalis; ſed grave pondus iſtius eſt honoris. Indignum me fore pronuntio; ſuſcipere, quod vultis, nequeo; vires michi non ſubpetunt; ſanctitatis opera non præſtò aſſunt; vitæ innocentis regulam me tenere nequaquam cognoſco: ideò gubernaculum eccleſiaſticæ rectitudinis accipere diffido. Contra iſtiuſmodi excuſationis molimina Trajectenſium caterva hujus reſponſionis intulit verba:

Proſapiâ polles, meritorum lumine fulges,
Moribus ornaris, pietate coruſcus haberis,
Omnibus excellis; ideò nos undique paſces.

diu reluctatus, ſufficitur.

10 Hinc vulgari more frementes, ſtrepituque populari ſuper eum irruentes, dixerunt ſimul omnes: Lantbertus civis noſter, operum plenitudine celeber, oportet, ut fiat epiſcopus noſter: ſic voluntas eſt Dei, ſic principes ſtatuunt regni. Illum omnis elegit clerus, univerſus acclamat populus. Sed Vir humillimus cùm pleniter adhuc his non adquieſceret petitionibus, altiùs commoti, & divina inſpiratione accenſi, à maximo uſque ad minimum cuncti dixerunt ad illum: Non nos, Lantberte, diutiùs protrahas, ſed pro certo ſcias, quia, velis, nolis, noſter epiſcopus eris, & Trajectenſium paſtor vocaberis. Ita omni clero exclamante, & ſic utroque ſexu vociferante, clamor ad cælum tollitur, & mens Lantberti tantis vocibus moderatur. Adquievit eorum petitionibus, ſuſcipiens curam præſulatûs, ne obœdientiam deſereret, quæ ceterarum virtutum comes eſſe aſſolet. Ita Dei dexterâ exaltatus, & epiſcoporum benedictione conſecratus, in Trajectenſis eccleſiæ faſcibus venerabilis Lantbertus pontifex eſt inſtitutus.

A. STEPHANO EPISCOPO.

Epiſcopalibus virtutibus fulgens,

11 Sortitus denique culmen religionis, perpetuè ſtuduit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Mactabat omni die holocauſtum Domino, non ex alieno pecore, ſed ex proprio corpore. Nec vacabat à Miſſarum ſollempniis, celebrans memoriam ſalutiferæ paſſionis, offerenſque Deo libamen, pro quibus redditurum ſe ſciebat rationem. Erat planè lætiſſimus facie, ſereniſſimus mente, alloquio dulciſſimus, converſatione manſuetiſſimus, mortuus terrenis voluptatibus, vivens divitiis ſpiritualibus. In domo quippe illius veritas erat ei gloria, in operibus ejus æquitas ſplendebat & juſtitia. Inſtabat prædicationibus aſſiduis, arguens delinquentes ſermonibus veritatis. Increpabat deſides correptionibus temperantiſſimis, obſecrans rectè gradientes exhortationibus paternis. Exuberabat elemoſinis, coruſcabat miraculis, quoſque monebat doctrinis, informabat exemplis.

E

Nec ſtilo ſcribi, nec fas eſt promere verbis,
Quæ bona Vir ſtrenuus, divino munere fretus,
Edocuit verbis, oſtendit denique factis.

à Childerico rege honoratur;

12 Sed quia minimè poterat lucerna, candelabro cælitus impoſita, latitare ſub modii umbra, cœpit inter ſuos præcipuus haberi, quem talibus inditiis Chriſtus Dominus mundo diſpoſuit manifeſtari. Interea longè latéque ejus ſanctitatis diffuſa opinione, pervenit ad notitiam regis Childerici, qui eo tempore inter Francigenas ſceptrum obtinebat regni *f*, quòd Lantbertus paſtor eccleſiæ Trajectenſis in famulatu ſummi Creatoris ſupereminens haberetur mortalibus cunctis. Unde factum eſt, ut cum ſummo honore veneraretur à rege, primumque gradum vendicaret ejus amicitiæ, extans princeps amabilis in regni palatio, & pontifex affabilis in regali conſilio. Illius providentiâ optimatum dirigebantur geſta, ipſius prudentiâ reipublicæ tractabantur utilia. Magnificabilis rex & exercitus, qui tanti Sacerdotis parebant juſſionibus!

f

F

Quamvis multa Deo ſervirent, crimine victo,
Attamen hortator ſcelerum per corda malorum
Effudit virus, gaudens in pejus abire
Omne genus hominum, cælos ne poſſit adire.

quo occiſo, pellitur ex epiſcopatu ſuo,

13 Quapropter commovit odia, excitavit jurgia, turbavit Eccleſiæ pacem, poſuit firmamentum regni formidinem. Rabie crudelitatis adeò corda hominum accendit, ut non viderent cælum, neque recordarentur Dei judiciorum. Hoc itaque veneno per membra diaboli graviter diſperſo, princeps regni interficitur, videlicet Childericus rex glorioſus. Mox etenim invidiæ pondus & odium adverſus Dei famulum commovit Lantbertum. Hinc hoſtili rabie magis ac magis graſſante & invidiâ diaboli nequiter exardeſcente, Lantbertus ſacerdos Chriſti inclitus debiti hono-

A. STEPHANO EPISCOPO.

honoris privatur dignitatibus, ac de pontificali cathedra vir cælebs ejicitur ſine cauſa. Prô nefas! Regalis interiit ſublimitas, pravorum prævaluit iniquitas, ſacerdotalis confuſa eſt ſanctitas, juſtitiæ profanata eſt æquitas *g*.

g

14 Heu! cogor ſcriptis depromere rem veritatis. Tunc ſuggeſtum Trejectenſis eccleſiæ latro Faramundus *h* invaſit ineptè. Præſulatûs nempe curam ad ſeculi miſerrimus rapuit pompam, non ad perennis vitæ palmam. Etenim uſurpavit epiſcopium, invaſit dominium, animarum extitit latro, eccleſiæ publicus prædo. Temeravit Sacramenta Dominici Corporis, commaculavit apicem canonicæ rectitudinis, violavit ſanctuarium, profanavit ſacerdotium, confudit religionem, immutavit ordinem, perdidit innocentiam, captivavit naturam. Æquitatem debellavit, juſtitiam exhorruit, benedictionem habere contempſit, maledictionem adquirere non timuit, nullum facinus execravit, nullum ſcelus intactum reliquit. Monſtravit verbo & opere, qua mentis intentione ad regimen introductus fuiſſet eccleſiæ. Plura referre pudet, quid doli magiſter egiſſet.

& intruditur Faramundus. *h*

B

ANNOTATA.

a *De* ſanctionibus *ſeu diſciplinis* monaſticis *nihil habet Godeſchalcus; verùm Sigebertus & Nicolaus in Vitis dandis ipſum ſub diſciplina S. Landoaldi vitam monaſticæ ſimilem duxiſſe affirmant.*

b *Neque de hac in pauperes liberali miſericordia meminit Godeſchalcus.*

c S. Lambertum *ſub Theodardi diſciplina plurimùm profeciſſe, etiam tradit Godeſchalcus in Vita, quam conſule num.* 3.

d *Neſcio, an hîc ſtricti nominis votum, an propoſitum ſancti Pueri indicare voluerit.*

e *Probabiliùs anno* 669, *die* 10 *Septembris. Adi Vitam primam & Annotata ad eam cap.* 1.

f *Childericus II ejus nominis, tum Auſtraſiæ regnum obtinebat.*

g *De Childerici cæde, quæque eam ſecuta ſunt, regni perturbatione, Ebroïni Majoris-domûs arrepta tyrannide, ſanctique* Lamberti *expulſione conſule Commentarium prævium* § 5.

h *De hoc etiam egimus in eodem mox laudato* §.

C

CAPUT II.

Seceſſus in monaſterium, & vita ibi ſeptennio acta: ejectio Faramundi, Sanctique in ſedem ſuam reſtitutio.

Sanctus inter gregis ſui planctus

AT Lantbertus Chriſti athleta, clementer ferens cuncta, præſulatûs liquit ſceptrum, commendans curam ovium ei, qui lavit baptiſmate, ac redemit Sanguine. Cúmque diſcederet Vir mitiſſimus, conviciorum injuriis addictus, & numquam ad iracundiam labefactus, omnis eum populus lamentabatur, omnis clerus lugebat, & eum proſequendo gementes, dicebant: Cui nos committis, Paſtor vigilantiſſime, cui nos deſeris, Sacerdos ſanctiſſime? Quam ob rem relinquis gregem devotum, & quare ſupplicem clerum? Quis nos ab inſidiis tuebitur hoſtis? Quis orabit Deum pro nobis? Quis peſtilentias depellet? Invadent nos lupi rapaces, dilaniabunt nos ferociſſimi hoſtes. Nemo erit, qui abigat, nemo erit, qui renuat. Tu ſtabilitas fortium, reparatio debilium, defenſor in adverſis, decus in proſperis, pauperum conſolator, orfanorum adjutor, viduarum receptor. Te cuncti ſequemur, tecum omnes moriemur. Si ſuperbi te deſpiciunt, & filii Belial perſequuntur, nos oves tuæ diligimus & veneramur.

D

16 It cælo clamor fratrum, lacrimæque gementum
Tunc Pater evictus, lacrimis ita fatur obortis:
Pro re pauca loquar:
Non paſtor deerit vobis, non cura ſalutis.
Unum eſt, quod mando repetens, iterumque monebo.

diſcedens, Stabulaum contendit,

O filii kariſſimi, & oves Paſtoris ſummi, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Declinate à malo, & facite bonum; aderit vobis fortiſſimus adjutor, qui eſt verus promiſſor, neque ſinet perire, quos redemit ſua paſſione Jeſus Chriſtus Dominus, qui eſt in ſecula benedictus. Poſt hæc ſacras manus attollens, & oculos ad cælum dirigens, benedixit clero & populo, conſignans eos Chriſti ſignaculo. Quibus etiam dulciter omnibus exoſculatis, ipſe Domnus cum paucis comitibus *a* quoddam monaſterium petiit, quod Stabulaus *b* olim vocabulum accepit. Ibi præſertim Vir memorabilis, ſequeſtratus à cuſtodia Dominici gregis, cum ſenatoribus cœli infra curiam terreni converſatus eſt paradiſi.

E

a
b

17 Sub regulari diſciplina illic monachorum vivebat caterva, quorum converſationem eſſe inter cœleſtia, plurimarum virtutum prodebant teſtimonia. Inter quos venit noviſſimus ordine, ſed primus extitit ſanctitate, poſtremus numero, præcipuus devotionis ſtudio. Hunc patres monaſterii ut cariſſimum patrem recolebant; illi fratres univerſi aſſurgebant, ceu domino & patri. Quem Deus gratiâ perfuderat, omnibus bonis amabilis erat. Interea in præfato commorans cœnobio, famulabatur totis niſibus Deo, ſitiens illi placere, cui ſe templum ſpoponderat eſſe. Incumbebat creberrimis orationibus, tantò ſiquidem liberiùs, quantò à paſtorali cura quantiſper fuerat alienatus. Quantam humilitatem erga prælatos exhibuit, quantam benignitatem apud omnes tenuit! Nullus verbo explicare, nullus calamo poteſt comprehendere. Frugalitatem namque in eo laudari non eſt neceſſe, quam ſic mirabiliter exercuit, ut ipſa macies corporis illum Domino comprobaret cunctis in odorem acceptum fore ſuavitatis.

ubi inter monachos vivens,

F

18 Verùm quid ad cumulum ſuæ perfectionis pietas voluit oſtendere Omnipotentis, licèt breviter commemorandum, præſenti tamen ſermone non eſt tranſeundum. Cujuſdam ergò noctis ſilentio, dum ſimul cum fratribus quieſceret in dormitorio, clàm de lectulo voluit ſurgere, ut prolixis orationibus poſſet inſiſtere attentiùs. Cúmque ſuis alterum ex coturnis acciperet, alterum eorum à manu lapſum eſt, ferienſque ſoli pavimentum, quieti fratrum incuſſit ſonitum. At pater cœnobii expergefactus, & hujus archani ignarus, dixit: Cujus reprehenſibili audacia hæc modò contigit negligentia, noſtrum morem expleat, crucem protinus adeat, & quod deliquit negligenter, diluat obœdienter.

juſſus ab abbate, hiemali tempore

Tunc

A Tunc Lantbertus ſacerdos patientiſſimus, ſpe firmiſſimus, & animo lætiſſimus, juſſionem prælati libentiſſimè complevit, & ad crucem, ſicut ovis ad victimam, properavit. Nil detulit ſecum ad immane frigus repellendum, niſi tantummodò unum, quo indutus erat, cilicium.

A. Stephano Episcopo.

19 Et quidem nox illa vehementiſſimi algoris gelu fuit aſperrima, ac nivali glacie frigidiſſima. Ardebat planè interiùs flammâ Paracliti Spiritus; iccirco exteriùs frigoris contempſit cruciatus. Stante verò illic ſanctæ Trinitatis Hoſtia, & infatigabiliter ſui Salvatoris exorante ſuffragia, cælum, ut veraciter credimus, ejus mundiſſimis patuit precibus, & ad ſupernos uſque pervenit auditus. Ergò cùm illud Davidicum mente caneret, & ore proferret: "Quando veniam, „& apparebo ante faciem tuam, Domine „„, actum eſt cælitus, ut gallorum cantus audiretur ſolito citiùs. Surrexerunt itaque fratres devoti, ut vigilias celebrarent more ſollempni. Denique Officio competenter peracto, exierunt omnes de ſanctuario, geſtientes domi ignem accendere, quo exuerentur validiſſimo frigore; quem nimia aviditate ambientes, &, ut opportunum erat, undique circumdantes, abbas, dum aſtantes inſpexit, Lantbertum deeſſe cognovit. Percunctatus alios, ubinam eſſet venerabilis Sacerdos, reſponſum eſt à fratribus illi, quòd ipſe foret, qui crucem adire judicatus fuiſſet.

ferè nudus jub dio pernoctat;

B

20 Ad hæc abbas benignus in ſtuporem converſus, ſuſpirans, imoque trahens à pectore vocem, inquit:

abbas, errore ſuo agnito,

Heu! nimis infelix, quæ te dementia cœpit?
Innocentem damnare nefas, Sacerdotem glacialibus pruinis deſtinare facinus eſt execrabile.

Sic mœrens dixit; poſt hæc aſtantibus infit: Ite fratres, ite, rogo, celeriter, poſcite Patrem noſtrum humiliter, ut ad nos veniat feſtinanter. At illi curſim properantes, & quod juſſum erat, perferentes, repererunt manſuetiſſimum Sacerdotem in frigore & nuditate mirabiliter Domino pſallentem: Cor contritum & humiliatum, Deus, non ſpernas, ſed benignè ſacrificium noſtræ ſervitutis accipias, ut ædificentur muri Hieruſalem ad tui nominis gloriam & honorem, quod eſt benedictum in ſecula. Præterea cùm conſtantiſſimus Confeſſor Domini, & acceptabile ſacrarium Spiritus ſancti, ad ſequentia Pſalterii intentionem cordis dirigeret ſui, aſtiterunt miſſi fratres, pro reliquis veniam implorantes, & hoc ex præcepto abbatis nuntiantes.

C

21 Abbas, dulciſſime Pater, obſecrat, quò ad fratres quantotiùs abeas. Quorum verba non renuit, ſed cum eis ad domum properavit, ubi monachorum turba inedicibili caumate *c* erat coacta. Ipſo domûs intrante limina, & inenarrabiliter reflagrante ejus facie beatiſſima, abbas cùm omni Chriſticolarum turma ad S. Lantberti proſtratus eſt veſtigia. Quem actutum talibus allocuti ſunt ſermonibus: Ignoſce nobis, Pater venerabilis, ignoſce fratribus tuis, & ne reputes, ſupplicitèr flagitamus, quod contra te ſic inſipienter egimus. Miſerere precantibus, dans indùlgentiam petentibus.

eum revocat, veniam petit,

c

Ad quæ hoc reſponſum paucis ita reddidit Heros:

Ne, deprecor, kariſſimi, ne, deprecor, dicatis Domini, ſurgite, obteſtor, velociùs, meis immò indulgete exceſſibus: nil adversùm me deliquiſtis, quod valeam donare vobis. Quibus elevatis, & oppidò anxiatis, lætus & hilaris Pater dixit amabilis: Quæſo, patres, ne turbemini diutiùs; haud me terruit frigoris impetus. Affuit mihi Protector vitæ meæ, cuſtodiens me in neceſſitatis tribulatione, & exaudiens ſua larga miſeratione. Propter quod illi gratias rependite, & ejus nomen benedicite.

22 Hinc pias manus cælo intulit fratrumque benedicens collegio, dixit:

& ipſum balneo & veſte reficit.

O Deus omnipotens, cæleſtia lumine complens,
Qui cælum, terras, pontum dicione gubernas,
Ut ſint cuncta tuis in tempore ſubdita votis,
Hos, expoſco, tuos benedic per ſecula ſervos.
Protege ab inſidiis, ſerva virtutibus almis,
Donec te videant, & cæli regna prehendant,
Te tribuente, Deus, qui nunc & ſemper in ævum
In triplici virtute tui benedictus haberis.

Igitur omnibus reſpondentibus, Amen, ſic faciat Deus; cognoverunt ſenes cum junioribus, quòd inmodicis præmiorum muneribus ſanctum ſublimâſſet Lantbertum Dominus. Deinde officia caritatis illi cupientes impertire, & poſt certamen intolerabile amantiſſimum Patrem volentes reficere, balneum illi parare ſtuduerunt, & veſtibus nitidis eum circumdederunt. Sic fortiſſimus Chriſticola & patientiſſimus Dei Athleta poſt obœdientiam honoratur, poſt tropheum ſublimatur, non, ut promeruit tolerantiæ ſinceritas, ſed, ut potuit mortalium poſſibilitas. Inter hujuſcemodi miraculorum inſignia degebat Lantbertus Chriſti victima, exſtans cotidie ſacerdos & hoſtia in odorem ſuavitatis accepta; crucifixus huic mundo, vivens Redemptori ſuo; dejectus à peſtiferis hominibus, allectus à ſupernis civibus, pulſus ab epiſcopio, aſcitus in æternitatis collegio; fugatus à cura ovium, invitatus ad cæli palatium.

E

23 Interea infelix pervaſor eccleſiæ Trajectenſis, Faramundus videlicet filius iniquitatis, falsò nuncupatus paſtor ovium, appellandus meritò angelus tenebrarum, ſuis exigentibus culpis, plurimorum criminatus conviciis *d*, expulſus eſt à pontificali cathedra, & ab eadem ejectus provincia. Septem quippe annis præfuit ibi ſolùm nomine, nulla tamen die actionis profuit opere. Dignè à fidelibus in terra eſt perſecutus, qui manifeſtè Deo erat contrarius. Dilaniatus autem graviter populus, & clementer Dei miſeratione liberatus, cœperunt totis viribus quærere, & multiplicibus argumentis ſtatuere, qualiter pontificem egregium ac patrem modeſtum mererentur recipere Lantbertum. Illo tempore Pipinus monarchiam regni, & principatum gerebat populi *e*, vir armis ſtrenuus, & divinæ religionis cultor præcipuus. Hic B. Lantberti percunctata manſuetudine, & admodùm cognita ſanctitate, miſit legatos ad monaſterium ſuperiùs prælibatum *f*, qui ſanctum depoſcerent Lantbertum, quatinus dignaretur venire ad regem, ſuique præſulatus recipere dignitatem.

F

Ejecto Faramundo, Sanctus a Pippino

d

e

f

24 Venientes illi, qui à rege fuerant miſſi, Lantbertum ſacerdotem hujuſcemodi ſunt allocuti: Te, Pater, rex obſecrat, omniſque populus flagitat, ut à monaſterio exeas, gregem, quem dudum non ſponte deliquiſti*, recipias, & opus Domini, ut incepiſti, perficias.

ſuæ ſedi reſtituitur

* *i. e.* dereliquiſti

Tum Senior *g* pro re lacrimis ita fatur obortis: Fateor, rexi, non ut decuit; vixi, non ut debui: paſcere ulteriùs non ſum idoneus, præeſſe ampliùs non concupiſco, qui prodeſſe nulli valeo.

g

Subjunxêre viri, dicentes hæc Seniori:

A. STEPHANO EPISCOPO.

Te, virorum nobilissime, te, sacerdotum sanctissime, per caritatem Dei deprecamur, per amorem proximi obtestamur, ut nobiscum venias, regimenque tuarum ovium dignanter recipias.

Altiùs, ecce, gemens responsum hoc reddidit Heros:

Refutare, fratres, quod dicitis, non audeo; regis edictum contemnere non debeo; proximorum necessitatibus subvenire cupio. Vobiscum ire non differam; quod jubetis, incipiam: potens est Deus perficere, & ad finem certum usque perducere.

cum summo omnium gaudio.

25 Hinc ergò beatissimus confessor Lantbertus, felix commercium aggressus, multimoda examinatione probatus, ad propriam sedem est reversus. Sic Exul sacratissimus, ac inenarrabili patientia plenissimus, gregem suum recepit, magnificè protexit, & indefessè custodivit. Quanta, illo regrediente, exultatio in universo efferbuerit populo, quis peritissimorum potest comprehendere scripto? Exultabant cælorum cives, individuæ Trinitati referentes immensas præconiorum laudes. Gaudebat omnis terra, jubilans Domino in lætitia. Plaudebant universi in excelsis, & dicebant non tantùm voce excelsa, quantùm mente devota: Agamus gratiarum actiones Domino; visitavit enim nos, oriens ex alto; quoniam retribuit nobis Dominus Pastorem nostrum, Patrem & Custodem nostri vigilantissimum.

B

Sic rex & populi, pariter dites & egeni, Psallebant alacres, resonabant undique laudes. Ita Miles emeritus, Vir permaxima tribulatione purgatus, dignè ovium suarum vocibus attollitur, & in cathedra Trajectensium decenter relocatur *h*.

h

ANNOTATA.

a *Duos tantùm ejus seu discipulos seu famulos ipsum ad monasterium Stabulense comitatos fuisse, testatur Godeschalcus suprà in Vita num. 6. Præterea quæ Stephanus hîc de Trajectensium in sancti Præsulis sui discessu, & hujus ad illos sermone refert, etsi à vero non abhorreant, ab ipso tamen Stephano aut excogitata aut amplificata, & pro suo ingenio exposita videntur.*

b *Vide dicta ad caput 1 Vitæ 1, ad lit. o.*

c *Vox Græca καῦμα Latinè æstus est; ideòque Stephanus, qui propter intensum frigus monachos ad hypocaustum congregatos indicare voluit, ea malè usus fuisse dicendus est; nisi locum illum vehementi igne æstuâsse voluerit dicere. Chapeavillus habet* medicabili caumate, *atque ita sensus est integer.*

C

d *Id est*, accusationibus.

e Pippinus *cognomento* Heristallus, *qui hîc designatur, numquam rex aut monarcha Francorum fuit, sed Major-domus, primùm Austrasiæ, deinde totius monarchiæ; sic tamen, ut præter titulum nihil ipsi regiæ potestatis deesset; unde & rex à nonnullis appellatus est. Hîc autem per prolepsin monarchiam regni tenuisse seu ut Major-domûs administrâsse dicitur; cùm Austrasiæ tantummodo Majoratu palatii fungeretur, quando* S. Lambertum *in suam sedem restituit. Adi Commentarium § 6.*

f Stabuletum *scilicet, ubi inter monachos monasticam vitam degebat.*

g Senior *apud medii ævi scriptores honoris titulus est, & dominum significat. Hîc de* S. Lamberto *dicitur.*

h *Hæc circa annum 681 vel 682 contigisse ostendimus in Commentario § 6.*

D

CAPUT III.

Sancti episcopales virtutes: diœcesis ab eo lustrata: Taxandri ad Christum adducti: martyrium: corporis translatio & sepultura prodigiis clara.

SUblimatus namque iterum ad episcopale solium, tantis cœpit sanctitatibus choruscare, quantis Dei Pontificem constat decuisse. In corde illius sinceritas & legis plenitudo; in ore ipsius veritas, & lenitatis pulchritudo; in consilio ejus vigor & sapientia; in actibus suis æquitas & habundantia; in conversatione ipsius innocentia & castitas; in habitu ejus gloria & honestas. Erat nimirum fide constantissimus, spe firmissimus, caritate integerrimus, insignitus prudentiâ, præditus temperantiâ, fortitudine roboratus, justitiâ locupletatus, bonorum operum exhibitione singularis, doctrinâ & virtutibus admirabilis. Exornaverat illum pietas æterni Patris, sicut vitæ meritis, ita & prodigiorum miraculis *a*. Personas potentium non respiciebat, sed potiùs ad morum elegantiam intendebat. Quem religiosiùs vivere sciebat, illum eminentiùs honorabat. Omnibus omnia factus erat, ut omnes lucrifaceret.

Episcopalibus virtutibus fulget,

E

a

27 Intra domûs septa numquam ejus ornabantur sedilia *b*, sed volvebat in memoria humili, quæ possessurus erat in vita perenni. Vestimentorum tegumenta non adeò induebat preciosa, ut primus ei amictus saccus erat cilicinus. Studebat corpus humiliare in terris, quatinus anima exaltari mereretur in cælis. Lustrabat villas ac oppida, sibi à Christo commissa, sciens repperire homines, quos faceret æternæ hæreditatis consortes. His equidem sollicitudinibus serviens, & hanc justitiæ esuriem indeficienter habens, ingressus est Texandriam *c*, paganorum erroribus deditam, & idolorum spurcitiis profanatam. Ergò cùm inibi facundissimo sermone fidem Catholicam cœpisset differere, pagenses * ejusdem provintiæ in unum convenere, volentes Prædicatorem veritatis unanimiter discerpere, & post contumeliarum ludibria ad ignominiosæ mortis destinare tormenta. Quos irâ & sævitiâ frendentes, & diabolico spiritu bachantes, confessor Domini Lantbertus intrepidus & fortis istiusmodi allocutus est verbis.

diœcesim lustrat, Taxandris prædicat,

b

F

c

* *i.e.* ethnici

28 O viri fratres, quoniam estis sensûs & rationis capaces, audite, quæso, patienter, & ea, quæ dixero vobis, animis rationabiliter infigite vestris *d*. Omnipotens Deus, Pater ingenitus, cujus ego sum servus, quique solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, ipse unum de se genuit sine tempore Verbum, per quod fecit omnia ex nichilo, quæ sunt in hoc mundo. Quam sine initio nativitatem, & absque fine generationem admirari spirituali intellectu possumus, sed intueri visu corporali nequaquam valemus. Nec Pater anterior, nec Natus posterior est. Nam ex his duabus personis, sed una individua & incomprehensibili essentia, procedit Spiritus sanctus, Patri & Filio similis majestate, & consubstantialis indiscreta Deitate. Hæc in perso-

& expositis illis

d

nis

A nis Trinitas & in eſſentia una & coæqualis Divinitas, poſtquam ex nichilo creavit univerſum orbem, compegit ex limo terræ primum hominem; cui dormienti coſtam abſtulit, & de ea mulierem formavit, ut ex eorum immaculata ſobole apoſtatarum ſarcirentur angelorum ruinæ.

29 Quos in paradiſo deliciarum poſuit, & ex omni ligno comedere juſſit, tantúmque à ligno ſcientiæ boni & mali abſtinere mandavit, ut per obœdientiam ſine carnis morte ad cæleſtem angelorum patriam quandoque potuiſſent tranſire, ſi ſe aſtringerent caritatis vinculo per obœdientiam Creatori ſuo. Sed prô dolor! invidia ſerpentis, homo cupiditatum illectus eſt illecebris, ſicque per hoc morti obnoxius, à paradiſo eſt ejectus.

Chriſtianis myſteriis, ab idolis

Nec ſolus meritam præſumptor ſenſerat iram; ſed ſecum omnem generis ſui traxit propaginem, & in mortiferi facinoris invexit acerbitatem. Hinc mundi princeps homines ſibi ſubdidit omnes, donec is, qui egit *e*, carnem de Virgine ſumpſit, quâ hominem redimeret à reatu prævaricationis, quem pro infirmitate carnis malitia callidi ſeduxerat hoſtis. Quem verò ex Patre natum dixi ſine tempore, ex intemerata Genitrice, Maria videlicet ſemper Virgine, natus eſt in tempore, & ad electri ſimilitudinem unus in utraque & ex utraque natura, & Deus permanſit cum Patre, & ad redemptionem noſtram homo mortalis factus eſt ex Virgine Matre. Qui verus Deus & homo prodiens ex Virginis utero, mortalium more eſt circumciſus, & ab Johanne in Jordane baptizatus. Deinde diſcipulos elegit; plurima virtutum ſigna peregit, & quod veraciter erat, mundo palàm declaravit.

e

B

30 Ad ultimum ſuæ voluntatis poteſtate animam ſuam poſuit in cruce, ut nos redimeret ſuo ſanguine, quos diabolus à prima mundi origine aſtrictos tenebat captivitati ſuæ. Celebrato tandem paſſionis myſterio, deſtructoque mortis imperio, vivens die ſurrexit tertio, reddens nobis privilegium naturæ, quod in primo perdidimus parente. Sicque quadraginta diebus ſuis diſcipulis manifeſtatus, eiſdem ad ultimum recumbentibus apparuit, & in univerſum orbem ire mandavit, ut remiſſionem peccatorum prædicarent, & quod dixerant, cunctis gentibus annuntiarent. Ac demum, illis cernentibus, cælos rediit, & victor mortis ad dexteram aſſedit Patris. Qui Spiritus ſancti cariſmate referti in cunctis finibus orbis ſunt diſperſi, & hanc fidem annuntiârunt omnibus, quam nos indubitanter credimus, & vobis in ejus nomine & pro ejus amore conſtanter prædicamus. Hæc & his ſimilia beatiſſimo Lantberto proſequente, & mirabiliter euangelizante, converſi ſunt ad fidem Catholicam, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Tunc egregius Doctor & facundiſſimus Prædicator idola dejecit, populum baptiſmate ſanxit, eccleſias conſtruxit, ſacerdotes ordinavit, totamque regionem illam Chriſto Domino conſecravit, & in ſervitutem Dei in perpetuum delegavit.

ad Chriſtum tranſfert.

C

31 Interea talibus inſtaret curis dum Paſtor herilis, dimicans bella victorioſiſſimi Regis, ut præliator invictus & fortis, triumphalem palmam martyrii merito compos in hoc modo contulit illi *f*. Duo ſiquidem fratres nequiſſimi, Gallus videlicet ac Rioldus vocati, adversùs beati famulos inſurrexerunt Lantberti, affligentes illos dira calamitate & multiplici. Quos cùm Antiſtes patientiſſimus humillimis, ut reſipiſcerent, exoraret precibus, & ſæpiſſimis argueret increpationibus, tantò pertinatiùs gregem eccleſiæ dilaniabant, quantò patientiùs, ut oves Domini, eorum ſævitiam perferebant. Quocirca Pontificis clientes & cognati, qui erant proſapiâ nobiliſſimi, & rebus ditiſſimi, zelo doloris accenduntur, afflictione ſubjectorum inſtigantur, & ut maleficos perſequi debeant, eo ignorante, communi conſilio deliberant. Nam ſupradictorum fratrum protervia creſcente, & in malitia perdurante, viros genere famoſiſſimos, armis conſpicuos, ab inchoato opere nequaquam * piguit animum revocare.

Gallus & Rioldus in epiſcopatum bacchantes

f

A. STEPHANO EPISCOPO.

* *abtendat* nequaquam *occidantur: hinc Dodo cum viris armatis*

32 Quid plura? Illos bello obpetierunt, utroſque mortis piaculo indiderunt. Quibus ita interemptis, & in inferni baratrum demerſis, Dodo infelix, eorum, qui multati fuerant, proximus affinis, hereditatem infandi ſuſcepit criminis. Perſecutionis quippe ſucceſſionem ad ſatiandam ſui furoris immanitatem, non tamen ad ſuæ utilitatis recepit incolumitatem. Hic namque ſuperbiâ tumidus, conſiliis habitis & armis rigidus *g* lœtum beati antiſtitis Lantberti ob conſanguineorum necem corde cœpit meditari, & ipſi opere inſidiari. Unde ſibi ſocios copulans audacter iniquos & ad prœliandum fortiſſimos, Leodium adierat, quo Cœlebs *h* his diebus fortè manebat. Eadem nocte Pontifex digniſſimus, coronâ martyrii ſublimandus, relictis in domo ſoporatis ſodalibus, ad orationem perrexit ſolitarius, quam diutiſſimè producens, & infatigabiliter perſolvens, ad lucis crepuſculum uſque protelavit, totamque ſpem ſuam Domino commiſit.

g

h

E

Igneus aſtrigeras jam ſol migrabat ad arces,
Crinibus & roſeis tenebras aurora fugabat,

Cùm Pater memorabilis domum repetiit, diſcipulos à ſumno excitavit, & ut matutinales hymnos ſecum canerent, eiſdem imperavit.

33 Quibus ſtrenuè, & velut decebat, religioſè completis, ipſe Domnus jejuniis & orationibus nimiùm erat fatigatus: qua de re famulis ſuggerentibus, ad lectum regredi eſt compulſus, quatinus laſſitudinem vexati corporis quantiſper quiete alleviaret ſoporis. Sed fruſtra ibi quærebat levamen, ubi nullam volebat habere mollitiem. Corpus etenim ſuum, quod per diem ſine remiſſione macerabat, per noctem ſine intermiſſione affligebat. Mundatus nempe dudum ſacro baptiſmate, ſublimatus demum ſacerdotali conſecratione, paraclyti Spiritus purgabatur illuſtratione, candidandus ad ultimum proprio cruore. Nondum verò obdormierat, ſed feliciùs quieſcere expectabat, cùm unus *i* è famulis domo foras exiit, & hoſtilem cuneum eminus venire conſpexit. At ipſe concitus intrò rediit, &, quid viderit, ſuis comitibus nuntiare nec diſtulit. Tunc omnes illi in ſtuporem formidinis ſubitò verſi, Domnum pontificem non fuerunt excitare auſi. Præſtolati ſunt diu ſilentes, donec appropinquarent adverſarii venientes.

Leodium properat, qui domum Sancti,

F

i

34 Sed neque tranſiliendum puto, quod quibuſdam exercitum ſequentibus à tergo omnipotentis Dei oſtendit celſitudo.

ſupra quam crux appareret, effringunt:

Edicam ſcriptis, clamabo vocibus altis,
Totus ab integro ſæclorum noſcat ut ordo.

Viderunt planè ſignum mirabile inſtar Crucis Dominicæ ſupra domum Pontificis rutilare, quod præ ſplendore claritatis nec viſu erat facile, nec dictu affabile * ulli. Hoc utique Chriſtus Dominus ideò voluit oſtentare mortalibus, ut per id liquidò daretur intelligi, illum veraciter redemptum Sanguine Chriſti, atque crucifixum deſideriis mundi. Cùm autem Dodo ferociſſimus, armis nequitiæ accinctus, junctis ſibi nefandis complicibus, ad villam perveniſſet ſuperiùs nomina-

* effabile

A. STEPHANO EPISCOPO.

tam, cœpit minister maliciæ arma concrepare, socios provocare, & sanctum Dei Sacerdotem hac illacque bachando perquirere. Hinc satellites, vesani lictoris jussis obsecundantes, effractis foribus, disruptisque sepibus, sicut inter oves lupi, cortem atrociter sunt ingressi.

Sanctus, abjecto gladio, suos ad patiendum

k

35 Continuò Lantbertus, Dei agonitheta fortissimus, armorum congressione expergefactus *k*, à lecto surrexit, ensem manu corripuit, & contra hostes dimicare deliberavit. Nec mora extitit, sententiam prioris animi mutavit, gladium in terram projiciens, & hæc corde dicens: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me: quoniam neque iniquitas mea, neque peccatum est, propter quod insurrexerunt adversùm me fortes & iniqui. Ecce sinagogæ potentium quærunt animam meam, quam deprecor ut suscipias in pace, qui es miserator & misericors, Domine. Hæc itaque cum lacrimis B. Lantberto implorante, impii apparitores procaciter fremebant, lanceasque parietibus infigebant, & domum penitrare temptabant. Ast duo nepotes ipsius, Petrus videlicet atque Audolecus, fortiter eis resistebant, qui domum intrare volebant. Quibus ita frementibus, & viriliter agentibus, Vir inquit sereniſſimus: Si me, filii, hactenus veraciter dilexistis, nunc consilii mei obœdite præceptis. Vestra Jesu peccata confitemini, & orate pro invicem, ut salvemini. Sic Pastor sanctus dixit; contrà sic Audolecus respondit. Ignem, Pater karissime, ignem minantur mittere, quo domus hæc incendatur, & nos pariter exuramur.

B

Hortatur: his occisis,

l

36 Ad hæc Vir venerabilis dixit: Nolite timere, filii, flammas incendii: certè potens est dextera Dei eripere nos à periculo imminenti. Illos, ut timeo, sempiterna induet confusio: super nos, ut credo, Dei efflorebit sanctificatio. Attamen vos, qui rei fuistis in crimine *l*, sententiam ultionis modò recipite, ne vos infernalis cruciet gehenna, sed expiatos perennis excipiat vita. Ita omnes informans, & sacerdotali potestate corroborans, à penitralibus jussit nepotes egredi, quò mererentur fieri holochaustum Regis æterni. Cùm intrepidi hostio erupissent cubiculi, extemplò cædentibus adversariis, martyrio digni divinis conspectibus sunt immolati *m*. Inde Pater egregius, & Pontifex constantissimus, pavimento soli in modum crucis posternitur, & misericordem Deum humillimis precibus deprecatur: verùm quid ejus felix anima tunc Deo fuerit locuta, quæ mortalis valet prodere lingua? Sed sine dubio talia petiit, qualia statim impetrare promeruit. Ingressi autem intrinsecus adversarii furentes, interfecerunt omnes in ore gladii, quoscumque repererunt ibi.

m

C

ipse quoque interficitur. Corpus Trajectum delatum

37 Denique unus ex crudelissimo agmine, inflammatus immanissimi furoris rabie, tectum desuper subiit, & beatum Pontificem terræ prostratum inspexit; moxque diabolico spiritu exagitatus,

Percussit telo victurum in secula Christo.

Sic pretiosus Domini sacerdos Lantbertus, testis gloriosus, felici martyrio est consecratus, taliterque regnum cælorum, quod diu desideravit, vivens & coronatus feliciter intravit. Jacuit quippe beati Viri corpus exanime, perfusum sanguinis sui imbre; sed anima ab angelis in cælum est evecta, & inter consortia supernorum civium collocata, ubi fruitur gaudens & exultans societate Apostolorum, glorificatione prophetarum, confessione * martyrum, cohereditate confessorum, integritate virginum, obtinetque palmam perennis gloriæ, & stolam jocunditatis æternæ. Corpus tandem sacrosanctum pauci, qui evasere internecionis periculum, navi velociter imposuerunt, & ad Trajectum usque delatum, in ecclesia Apostolorum Principis honorificè sepelierunt *n*.

* *al.* confessione

D

n

Exanimes artus nec liquit cælica virtus,
Monstravit populis, quantæ fuerit bonitatis
Hic, feritate furens quem Dodo peremerat amens.

& sepultum, divinitus illustratur. Tempus martyrii.

38 Nam dum conderetur tumulo, immensus odor affuit è cælo, vincens omnia aromata suavitatis fragrantiâ. Nec defuit angelorum sublimitas ejus sarcophago, primorum dierum illum custodiens tempore, ostendensque sui carminis prosodiâ, quæ munerum præmia in cæleſti aula ejus posſideret anima.

Ut subtilis erat dicti vox Præsulis alma!
Illuc vicini multo admiramine ducti,
Sepius accedunt, & quid sit, noscere quærunt,
Qui sint, quidque canant, vel quæ sint munera vocis.
Sed tunc interiùs proprios extendere visus
Dum cupiunt, ea vox tenui subducitur aura,
Ut solet audiri, cùm vas contingitur æris,
Et sonus assurgens paulatim ducitur astris.
At doctè dum se retrahunt, ut longiùs essent,
Dulcibus auditu resonabat vocibus aër *o*.

E

o

Convenit etiam omnis penè provintia, de absentia ejus lugentes ineffabili mestitia & ad cælos alta usque emittentes suspiria. Complevit autem sacratissimus pontifex Lantbertus & martyr Christi gloriosissimus cursum sui agonis xv Kl. Octobr., regnante Deo vivo & vero in Trinitatis plenitudine, & Unitatis majestate, cui extat laus & Sanctorum jubilatio, nec non & perpes gratiarum actio, nunc & semper per immortalia sæculorum sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *Quæ miracula* S. Lambertus *episcopus patraverit, nullus veterum, quem quidem vidi, tradidit.*

b *Vide dicta ad caput* 2 *Vitæ primæ, lit.* e

c *Consule Annotata ad cap.* 2 *Vitæ primæ, litt.* f *&* g.

F

d *Subdit hîc prolixum sancti Episcopi sermonem, quo Stephanus ipsum pro suo sensu doctrinam Christianam explicantem inducit.*

e *Id est*, qui fecit *seu* creavit homines.

f *Vitiosa hæc periodus est, quæ tamen scriptoris mentem satis exponit. Apud Chapeavillum legitur:* Palmam martyrii Christus Dominus hoc modo contulit.

g *Ita restitui ex Chapeavillo, cùm in codice nostro mendosè legeretur:* consiliis habitus & armis frigidus.

h *Ita etiam habet Chapeavillus. Idem Stephanus suprà num.* 13 *eadem voce, de* S. Lamberto *agens, denuo utitur, sic inquiens:* Cathedrâ Vir cælebs ejicitur. *Fortè insignem Sancti castitatem voluit denotare, vel alludere ad vocis etymon, de quo Festus apud Robertum Stephanum in Thesauro ait:* Cælibem dictum existimant, quòd dignam cælo vitam agat.

i Baldoveus *is erat, teste Godeschalco suprà.*

k *Hîc discrepat Stephanus à Godeschalco, qui num.* 18 *Vitæ* S. Lambertum, *non armorum strepitu, sed à Baldoveo famulo suo excitatum dicit,*

A *dicit; ſed Godeſchalci potior eſt auctoritas.*

l *Quid per crimen hîc ſignificet, vide ſuprà num. 32, & conſule Commentarium num. 170.*

m *De* BB. Petri & Audoleci *ſeu* Andoleti *martyrio & cultu adi Commentarium* § XI, *num. 167 & ſequentibus, &* § 18, *num. 265 & 273.*

n *De ſacro ejus corpore ex villa Legia Trajectum ad Moſam avecto, ceteriſque eodem ſpectantibus vide Vitam primam cap. 3 & Annotata ibidem.*

o *Hiſce indicat, ad* S. Lamberti *tumulum, ejuſdem vocem inter cæleſte melos auditam fuiſſe: qua de re adi caput 3 Vitæ primæ. Ceterùm verſus illos, ut ſæpe alios, hauſit ex poëta anonymo, ex quo eos num. 180 Commentarii dedimus.*

VITA TERTIA

Auctore Sigeberto Gemblacenſi,

B *Ex Ms. Rubea-vallis & Hagiologio Brabantinorum.*

CAPUT I.

Illuſtres Sancti parentes: inſtitutio apud SS. Landoaldum & Theodardum: corporis & animi dotes: corpus S. Theodardi tranſlatum Leodium.

Nobiliſſimis parentibus natus,

GLorioſus vir Lantbertus, æterno regi martyr acceptus, & vero Sacerdoti ſacerdos dilectus, inſigni ex proſapia Trajectenſis oppidi vico extitit oriundus, & bonis ac religioſis parentibus natus, etiam per bonos & religioſos viros in Chriſto eſt renatus. Fuit ſiquidem Remacli, poſtea epiſcopi Trajectenſis, ſpiritualis in Baptiſmate filius *a*. Hujus Pueri, majorumque ejus in Eccleſia Dei multa refulſit gratia, multa in regno Francorum præminuit gloria: nam inconcuſſa Chriſtianitatis fides eis inter orthodoxos augebat reverentiam, & carnis nobilitas per opulentiam rerum pariebat dignitatem ſeculi, & inter proceres regni multam poteſtatem. Hanc generis claritatem, ad ſe de longinquo derivatam, pater & mater ipſius illuſtrabant de proximo. Matrem ejus, inter Francorum nobiles prænobilem, accepit à patribus poſteritas vocatam fuiſſe Heriſplindem. Pater verò, Aper nominatus, cùm eſſet de primo ordine ſenatorum, qui vocantur viri illuſtres, & qui in curia regis anteponuntur ſecundo & terno ordini ſenatorum, qui vocantur viri reſpectabiles & viri clariſſimi, inter ipſos primos excellebat.

C *a*

& naturæ dotibus inſtructus, à pio patre

2 Regnum autem Francorum tunc temporis regebat poſt Lotharium medianum filius ejus Dagobertus *b*, qui regnans in Neuſtria, regnum Auſtraſiorum filio ſuo Sigeberto *c* commiſerat, & qui adhuc puero tutores dederat Cunibertum Colonienſem epiſcopum *d*, & Majorem-domûs Pipinum primum, patrem ſanctarum Gerdrudis & Beggæ *e*. Qualis hic Puer in mundo foret, ab incunabulis Dei diſpenſatio præmonſtrabat: quæque enim bonæ indolis rudimenta, quæque lineamenta pulchritudinis in bonæ ſpei puero ſolet præformare natura, vel, quod verius eſt, ipſius Auctor naturæ, hæc omnia jam in ejus infantia apparebant; quia jam & membris formoſus, & pro ætate inter cognatos & famulos vultu & affectu benignus eſſe videbatur, ac per hoc omnium dilectione dignus. Unde pater ejus non ingratus Deo, qui tantum ſibi de Filio promittebat, divinæ voluntati ſuam contemperat voluntatem & Filium divino mancipat ſervitio, ad quod eum jam quodammodò videbat aſpirare. Et quia doctrina vim promovet inſitam, rectique cultus pectora roborant, ſanctum ſancto Filio magiſtrum elegit, ne ſimplicem oculum Diſcipuli tenebraret aliqua culpa magiſtri.

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI. *b c d e*

eruiendus traditur S. Landoaldo, f g

3 Initiandum ergò ſtudio litterali ſubmiſit eum Landoaldo *f*, viro ſatis ſpectato ſapientiâ & ſcientiâ, ſanctitate & induſtriâ. Hic Landoaldus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbiter fuit, & à Martino Papa *g* Romanorum Amando epiſcopo Trajectenſium ad auxilium exercendæ prædicationis deputatus, ad Gallias venit, & ordinatus Trajectenſis eccleſiæ archipresbiter, ibidem Deo militabat. Et quia idem epiſcopus pro ſtudio prædicandi ſe expedierat epiſcopali ſarcina, ipſe vices epiſcopi diligenter & opportunè ſupplebat, & per noven annos rexit eccleſiam, epiſcopo vacantem, donec Remaclus cathedram Trajectenſis eccleſiæ ſuſcepit *h*. Landoaldus ergò teneros annos ſancti Pueri paterno ſinu ſuſcipiens, ad normam ſanctæ vitæ informabat primævæ ætatis mores. Requievit olim ſpiritus Heliæ ſuper Heliſeum: nec hoc ſuffecit Heliſeo; ſed rem difficilem, tamen Deo poſſibilem petiit, ut ſpiritus Heliæ duplex fieret in ſe: ſic & nunc ſpiritus Landoaldi requievit ſuper Lantbertum, & credo, quia ſpiritus magiſtri duplex factus eſt in Lantberto, cujus gratia ſuper gratiam magiſtri excrevit in mundo.

h

quocum orans, i

4 Vir illuſtris Aper, ut filium ſuum Lantbertum faceret tenaciorem propoſiti, fundum ſuæ proprietatis, vocabulo Wentreshovum *i*, jure perpetuo delegavit illi illiuſque tutori Landoaldo, ut eccleſiâ ibi conſtructâ, tantò inſtantiùs vacarent, ille docendi, ille diſcendi deſiderio, quantò remotiùs degerent à ſeculi vanitate. Ubi dum inſiſteretur in ædificanda eccleſia, artifices ſuper penuria potabilis aquæ conquerebantur; quia aqua ibi ex paluſtri colluvie collecta eos bibentes magis torquebat amaritudine, quàm aliqua ſuavitate refocillabat. Sanctus magiſter, ſanctiorque magiſtro Diſcipulus, fidem habentes in eum, qui amaris aquis de Mara dulcedinem indidit, communicato voto, pariter exorant pietatem Omnipotentis.

F

fontem elicit:

5 Invocato ergò ſanctæ Trinitatis nomine, baculo deſignatur locus in modum ſanctæ Crucis: res mira, ſed fidei non inuſitata! fons ibi ſtatim emanavit limpidiſſimus, qui & aperuit, quantum Sancti apud Deum poſſent, & incolis ex tunc & modò omni uſu habilis fuit. Cujus beneficii memoriam, dum patres, generatim narrando, tranſmittunt ad filios, merita Sanctorum accumulant, quia per eos nomen Domini benedici faciunt. Ita Lantberto & Landoaldo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

qui ut essent Sancti, secundùm propositum Dei vocati sunt. Renovatur hîc antiquitatis historia: Moyses & Aaron penuriam sitientium Hebreorum relevare à Deo jussi, bis virgâ silicem percutientes, aquas largas ejecerunt. Sed illi ab Inspectore cordium redarguti incredulitatis, Terram repromissionis intrare non meruerunt: isti verò in fide roborati, Deum coram omnibus sanctificaverunt.

ignem in veste defert: ad patrem redit.

6 Jussus aliquando sanctus Puer à magistro ad usus suos ignem afferre, cùm non esset, in quo illum deferret, & non parêre magistro nefas duceret, in veste positum ignem miranti magistro attulit. Et ille, qui tres pueros, in fornace Chaldeorum cum vestimentis suis detrusos, ita servavit, ut nec vestimenta eorum immutata essent, hujus etiam vestem illæsam servavit, ut clarescceret, quia igne sancti Spiritus, quo interiùs ardebat, ignem materialem superaverit. Et Puer quidem strenuus jam tunc nitens totis viribus fieri vir perfectus, quantùm sub ferula sancti magistri profecerit, quàm puro pectore adbiberit pietatis ac scientiæ verba, otiosum est hîc inculcare verbis, cùm fructum tam proficui laboris adhuc hodie
B passim exuberare videamus. Sub Landoaldo felix Adolescens non leniter exercitatus, ad genitorem regressus est; nec est facile dictu, quo uterque affectus sit gaudio, dum & Filius pro paterno affectu, & pater pro Filii profectu gratulabatur.

k Instituitur à S. Theodardo:

7 Sancto Theodardo Trajectensium episcopo *k* substituto, commendatur etiam huic Lantbertus à suo patre, ut ad ejus exemplar erudiatur, qui in ecclesia & in curia multùm videbatur suspiciendus. Ex cujus viri latere adeò profecit, ut in cunctis negotiis non tantùm exemplo, sed etiam miraculo esset omnibus. Erat enim verè dignus, aspectu amabilis, colloquio affabilis in recta conversatione, & omnibus conformis, vix ullis imitabilis. Parvi pendebat præsentia, veluti devoverat in pueritia, æstimans pro nihilo omnia, præter quod erat æternæ salutis gratia, cælestibus animo inhærens, sese in holocaustum Domino mactabat. Hîc videor mihi videre Josue ministrum Moysi, qui, Moyse in monte Syna cum Deo remorante, excubans ad radices montis, conviviis & lusibus peccatorum non intererat, & Moyse in castra revertente, non recedebat de tabernaculo Fœderis; &
C ideò, imponente Moyse manus suas super eum, meruit Moysi successor fieri.

corporis animique dotibus

8 Sed quid opus est hinc inde quæsitis laudationum fucis illum colorare, quem sapientia ipsis coloravit virtutibus? Superfluum est extrà quærere materiam laudis, cùm eum Creator ad tantam formaverit gratiam, ut in toto corpore ejus vix subrepserit aliqua naturæ menda, in animo verò ejus vix aliqua nociva macula apparuerit. Quia tamen oportet eum laudare, ut ex vero eum laudemus, decet. Is, qui habitudinem corporis ejus aut novit, aut ab his, qui eum noverunt, didicit *l*, scripsit eum fuisse fortem, velocem, multùm agilem, firmum in bello, formâ præcipuum, staturâ procerum, facie decora, cæsarie formosa, inclitis oculis, manibus honestis, digitis longis, carne candida; ut à planta pedis usque ad verticem capitis esset irreprehensibilis. Et ut veniamus ad bona animi, erat charitate plenus, castitate præcinctus, fundatus in humilitate, opportunè orationi, opportunè lectioni, opportunè negotio seculari, vel rei familiari intentus. Ecce, vides Hominem adeò donis gratiæ, adeò bonis naturæ ditatum, ut dicas, eum in virum perfectum formatum à Deo. Ecce, inquam, habes hominem cuivis personæ habilem conformari, in quo si attendas ea, quæ sunt laïci, quid de laïco ei defuisse dicas? Si quæras, quæ sunt clerici, totum clericum invenias. D

plurimùm excellens,

9 Quis jam miretur pulchritudinem & bonam indolem legislatoris Moysi, quem præ elegantia ejus Thermuth filia Pharaonis aluit, & in filium adoptavit, in quo tam excellens gratia decoris fuisse legitur, ut quoties per plateas bajulabatur, vel gradiebatur, omnes visa ejus pulchritudine hærentes, ea, in quibus studium habebant, desererent, & Moysi specie potiùs delectarentur. Moyses in manibus Pharaonis à filia positus, & à rege sibi blandiente dedignatus capiti suo regni diadema imponi, diadema in terram projecit, & pedibus conculcavit *m*: Lantbertus æquè principem mundi malè sibi blandientem aspernatus, diadema superbiæ ejus humilitate sua dejecit & conculcavit. Moysem contra Ethiopes fortiter & sapienter bellantem Tarbis filia regis Ethiopum admirata adamavit, ejusque amorem saluti patris & patriæ præferens, amplexibus ejus adhæsit *n*: Lantbertum sancta Ecclesia, qui Ethiopes mundi viriliter debellabat, sponsum sibi elegit. *m* *n* E

omnibus in veneratione est. S. Theodardi occisi corpus

10 His causis facilè comparatum erat, ut Lantbertus omni honore omnique amore dignus judicaretur. Propter hoc itaque Theodardo episcopo erat cordi, ut præoptaret eum sibi eligere successorem, nisi sciret Apostolica auctoritate decretum, ne sacerdotes audeant alios designatis nominibus sibi subrogare, ne episcopatus non divinum munus, sed hereditarium putetur esse compendium; & ne quisquam, quod Dei est, putet homini deberi. Porrò in aula regis non levis erat æstimatio de Lantberti nomine, quem & regalis celsitudo & procerum multitudo reverebatur. Theodardo præsule per innocentiæ viam ad gloriam martyrum perducto *o*, Vangiones *p*, in quorum territorio mortem oppetierat, non credebant hoc fortuitu accidisse, sed Dei suaviter omnia disponentis nutu præsens novi martyris tutamen sibi procuratum esse sperabant; ideóque non patiebantur corpus ejus asportari à sua parochia, cujus præsentiâ optabant æternaliter gloriari. *o* *p*

à Vangionibus Leodium transfert.

11 Hæc acerbitas rei nimiùm perculerat Trajectenses, & Lantberti mentem, plùs credo omnibus, consternaverat. Sed ipse temperans dolori (quippe in quo post Deum tota urbs inclinata recumbebat) ad repetendum præsulis corpus se accinxit. Et primò frustratus non destitit, sed toto animo & sensu suo ad explendum operam usus, rem effecit ex sententia. Relatum itaque Sancti corpus in villa publica Leggia tumulavit *q*, præsciens, quòd eam Divinitas suo etiam sanguine & nomine specialiter consecrandam prævidebat, & ad ampliandam martyrum gloriam parabat in urbem ampliare *r*. Talis apparuit pietas Joseph erga Jacob patrem suum in Ægypto defunctum: talis quoque fuit diligentia Moysi erga requirenda Joseph patriarchæ ossa, in Ægypto sepulti, ut uterque eorum referretur ad sepulturam patrum suorum. F *q* *r*

ANNOTATA.

a De S. Remaclo episcopo Trajectensi ac deinde abbate Stabulensi egimus ad diem 3 hujus mensis Septembris. Sed S. Lambertum *ab eo baptizatum vel è baptismate susceptum fuisse, parùm probabile esse diximus in Commentario prævio num. 25.*

b *Fuit is Dagobertus I, Chlotarii II filius.*

c *In-*

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

c *Indicat S. Sigebertum Austrasiæ regem, cujus gesta elucidatæ sunt in Opere nostro ad diem 1 Februarii.*

d *De S. Cuniberto Coloniensi episcopo agendum erit ad 12 Novembris, quo colitur.*

e *B. Pippini de Landis Acta illustrata sunt ad diem 21 Februarii, S. Gertrudis abbatissæ Nivellensis in Brabantia ad 17 Martii, S. Beggæ denique danda venient ad 17 Decembris. Porrò quæ de tempore S. Lamberti natali ex hisce statuimus, vide in Commentario num. 22 & sequenti.*

f *Vita S. Landoaldi archipresbyteri, ex qua ista hausit Sigebertus, data apud nos est ad diem 19 Martii.*

g *Is fuit S. Martinus Papa, ejus nominis I.*

h *Falsum esse, quæ de Trajectensi sede novem annos vacante & per S. Landoaldum administrata narrat, probatum jam est in S. Amando tom. 1 Februarii pag. 833, & in S. Remaclo tom. 1 Septembris, pag. 674. Quid verò de hac sancti Pueri sub Landoaldi institutione, cujus Godeschalcus & Stephanus non meminerunt, sentiendum sit, consule Commentarium nostrum prævium num. 30 & sequentibus.*

B i Winterhoven *pagus est Belgii inter civitates Hasletum & Tungros. De eodem meminit Gottefridus Wendelinus in Natali solo legum Salicarum, pag. 104, ubi locum hunc non alium statuit, quam Windogasti, unius ex quatuor legum conditoribus, domicilium*, Windoheim *sive* Windehove *apellatum.*

k *Quæ de S. Lamberti per S. Theodardum institutione hîc narrat, ea ex Godeschalco & Stephano deprompsit.*

l *Godeschalcum indicat, cujus verbis mox utitur.*

m *Ista omnia hausit Sigebertus ex Flavio Josepho, qui quantam fidem hîc mereatur, videri potest ad diem 4 Septembris in Commentario ad Vitam S. Moysis prophetæ § 5, num. 40 & 41.*

n *Sunt & hæc ex ejusdem Josephi fabulis, de quibus consule laudatum Commentarium § 6, num. 55 & sequentibus.*

o *Occisus est S. Theodardus probabiliùs anno 669, die 10 Septembris, apud Nemetes in Germania, ut alibi diximus.*

p *Germaniæ populus, cujus caput est civitas, nunc Wormatia appellata.*

q *De reppetito, translatoque S. Theodardi per* C S. Lambertum *corpore nihil prorsus legitur apud Godeschalcum & Stephanum. At Sigebertus ea discere potuit ex Vitæ S. Theodardi auctore anonymo pervetusto, data apud nos ad diem 10 Septembris, pag. 588 & sequentibus, in qua capite 2 eadem fusiùs narrantur, quæ in Commentario prævio num. 40 & sequentibus inde recensuimus. Eamdem translationem idem Sigebertus narrat in Vita S. Theodardi, ad præcitatum diem Septembris tertio loco excusa.*

r *Ista ex Sigeberti conjectura dicta accipio: neque enim Godeschalcus aut Stephanus tradiderunt, S. Lambertum de martyrio suo jam tum edoctum fuisse.*

CAPUT II.

Sancti episcopatus Trajectensis, Ecclesiæ & regno utilis: episcopi & abbates ipsi synchroni: expulsio è sede sua: vita monastica Stabuleti.

QUis Trajectensium ecclesiæ substituì debe- *Omnium consensu episcopus Trajectensis creatus,* ret episcopus, multùm deliberabatur in ecclesia, multùm super hoc in aula regis Hildrici *a* tractabatur, qui mortuo patruo suo Sigeberto *b*, regnum Austrasiæ à patre suo Clodoveo acceperat *c*. Jamque paulatim sermo de palatio ad ecclesiam, ab ecclesia ad populi frequentiam discurrebat, nullum Lantberto meliorem esse, ac per hoc nullum episcopatu Trajectensium esse digniorem: ei competere ex canonica auctoritate, ut in ecclesia sua fructum militiæ suæ perciperet. E Cum palatio concordat ecclesia, consentit clerus cum populo, unum optant omnium corda, millia populi uno ore acclamant. Se ille oneri negat esse parem, ac per hoc magis cogi meretur. Quam unanimis olim fervor Israël & Judam inspiravit ad eligendum sibi in regem David, quem Dominus invenerat secundùm cor suum, tam favorabilis erat consensus cleri & populi in eligendo Lantbertum, quem & ipsum invenerat Dominus secundùm cor suum, qui faceret omnes voluntates Dei. Et cùm unum esset cor omnium, præ cæteris tamen credas dixisse Trajectenses ad Lantbertum, quod viri Juda ad David contribulem suum dicebant: Os tuum sumus & caro tua; heri quoque & nudiustertiùs tu eras, qui educebas & reducebas Israël: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israël; & Tu eris princeps super nos.

13 Tandem Vir ditatus honoribus sanctimoniæ, illustratus commerciis parsimoniæ, annuit unus omnibus morigerari, ut omnes de se uno in Christo gloriari possent. Adeptus culmen religionis perpetua studuit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat insula. Mactabat omni die holocaustum Domino, non ex pecore alieno, F sed ex corpore proprio. Consilium & opus suum semper ad Deum convertebat, cor & pedes dirigebat ad euangelizandam pacem. Septem quippe dona Spiritus sancti, quæ Christo substantialiter insunt, huic quoque pro captu humano accidentaliter aderant. Spiritus consilii in eo vigebat egregiè, & quidquid agebat, spiritu sapientiæ moderabatur. Rex verò Hildricus, videns eum cunctis præstare, pluris eum habebat cunctis regni primoribus, ejusque episcopis, eique apud animum suum, apud aures & os suum dabat primum locum, & cujus cor credebat Spiritus sancti oraculum esse, cujusque linguam habebat pro veritatis organo, ei ulteriùs dederat amicitiæ suæ summam, eumque sibi à secretis fecerat, qui, ut fertur, erat ejus etiam à commentariis. Unde à corde & ab ore illius omnis Austrasia pendebat, cumque tota regalis curia reverebatur.

ob virtutum splendorem regibus Hilderico

14 Frater quoque Hildrici regis Theodoricus, *& Theodorico charus & à consiliis est. Sancti episcopi* qui in parte Franciæ, quæ Neustria dicitur, regnabat, præsentiam appetebat Lantberti, & inter proceres & amicos suos ei servabat gratiæ copiam.

Et

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

Et si quid in regno suo auctorizandum erat, non putabat satis ratum fore, nisi etiam Lantberti approbatum esset consilio *d*. Ipsi sanè Francorum reges Theodoricus & Hildricus, quamvis pro simplicitate minùs per se saperent, in hoc tamen sapiebant, quia audiebant sapientes. Primus enim sapientiæ gradus est sapere, secundus audire sapientem. Unde quia Lantberti tam sancti & tam prudentis viri, aliorumque sanctorum episcoporum consilio disponebantur regni negotia, erat in utroque regno rerum facies pulchra, & prosperabatur fides Ecclesiæ. Erant quippe tunc temporis sancti episcopi, qui scientiâ prædíti & sapientiâ, sanctè & justè secundas partes regni adjuvabant. In his præminebant Audoënus Rothomagensis *e*, Austrigisilus Biturigensis *f*, Eligius Noviomensis *g*, Vindicianus Cameracensis *h*, Audomarus Tarwanensis *i*, Leodegarius Augustodunensis *k*, Faro Meldensis *l*.

d

e f g h i k l

& abbates Sancto synchroni,

15 Inter hos eminebat Lantbertus, aureum sidus Ecclesiæ, velut inter ignes luna minores emicat. Hos Lantbertus suspiciebat ut patres & natu-majores, eosque imitando, à singulis eorum aliquid gratiæ hauriebat. Porrò illi Lantbertum præcordialiter amabant ut filium, jam de flore ætatis fructus emittentem, eique post se quasi ex hereditaria successione regimen ecclesiæ competere gaudebant, quem justum ante Deum & homines videbant sine querela in omnibus incedere, & ire indies de virtute in virtutem. Erant præterea etiam abbates, & tunc & nunc nominabiles sanctitate, Bertinus *m*, Philibertus *n*, Wandregisilus *o*; Ursmarus Lobiensis *p* in tyronem Christi adolescebat. Hi erant Lantberti contemporales, tales erant ejus contubernales. Hi, ut Cherubim, virtutum suarum alas concutiebant alter ad alterum, & in laudem Dei orbem terræ commovebant.

B

m n o p

quorum meritis ecclesia & regna diu tranquilla fuerunt.

16 Hi aliique, qui in ea ætate, ut stellæ in firmamento cæli lucebant, quasi triginta sex fortes regis David per æqualitatem quadrati numeri firmitatem fidei præsignantes, cum nostro David, Lantberto scilicet, manu forti Christi mundum sapientiâ & fortitudine illustrabant, & in manibus eorum bella adversùm hostes Dei prosperabantur. Inter quos Lantbertus, ut alter David, à Deo datus ad ecclesiæ regimen, ut filius saltûs excrescens ad perfectionis culmen, ut tenerrimus ligni vermiculus humilitatis virtute dura & fortia demoliens, ut polimitarius *q* variis virtutibus & ipse ornatus, & alios ornans, ad tres primos virtutum gradus perpaucis ascensu faciles pervenit, sapientiâ thronum ecclesiæ gubernans, humilitate vestigia sequendi Christum præsignans, fortitudine adversitates Deo debellans. Horum meritis diu tranquillata est ecclesia Dei, diuque status regni prosperatus est. Postmodum propter populi torporem dormiente Jesu in navi sanctæ Ecclesiæ, ecce motus magnus factus est in mari hujus mundi. Facile est causam tanti motus edíscere.

C

q

Ebroinus, restituto in regnum Theodorico,

17 Theodericus & Hildricus fratres bipartitum Franciæ regnum regebant; sed quia Theodericus hebetioris ingenii erat, Ebroïnus Majordomûs simplicitate ejus abusus, commovit in regem odia totius populi. Franci enim alienam invidiam in Theodericum retorquentes, dejiciunt eum regno, & fratrem ejus Hildricum ex Austria invitantes, eum sibi regem præficiunt: quos quamdiu habuit Hildricus moderatè *r*, potenter utrique regno præfuit. Ubi & ipse modum excessit, insolentiùs agens, diu contra torrentem brachia tendere non potuit. Nam quia severior justo quemdam nobilem Francorum, nomine Bodilonem, contra legem cædi fecit ad stipitem ligatum, ab eodem Bodilone in venando exceptus periit. Theodericus totum regnum recipit; recrudescit malitia Ebroïni, quoscumque comperiunt favisse pertinaciùs partibus Hildrici, hos pessumdant, trucidant, privant honoribus, mulctant proscriptione, relegant exiliis.

r

D

Sanctum episcopatu pellit,

18 Quia Hildrico nullus fidelior vel amicior fuit, quàm Lantbertus, totum pondus tribulationis super eum incubuit. Videbatur enim nihil actum fuisse morte Hildrici, si intimus Hildrici Lantbertus impunitus abiret, de quo certum tenebant, quia numquam factioni iniquitatis suæ assentiretur *s*. Ideò consilio Ebroïni à rege Theoderico convocatâ ad synodum episcoporum turbâ, qui quasi canes muti non valebant *t* latrare contra falsitatis testimonium, alios episcopos exordinant, alios geminatâ injustitiâ ordinant. Et ne quis in regno vel ecclesia restaret, qui pro veritatis defensione clipeum fidei auderet erigere exemplo vel instinctu Lantberti, qui præ cæteris & pro cæteris liberiùs injustitiæ adversari audebat, omnes diaboli complices insurgunt in Lantbertum, veritatis amicum, & concinnatis injustitiæ causis, eum ab episcopatu deponunt *u*. Fertur Colonienſis episcopus conspirâsse huic pravorum factioni; qui etiam clericum ecclesiæ suæ Faramundum ad episcopatum Trajectensem contra jus & fas passus est promoveri *x*.

s

t

E

u

x

qui Faramundo intruso, recipit se

19 Miser ergo Faramundus, quia abiit in concilio ipsorum, in cathedra pestilentiæ sedit, de quo quid aliud poterat dici, quàm quod Veritas dicit: "Qui non intrat per ostium in ovile ovium, „sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui „autem intrat per ostium, pastor est ovium. Fur „non venit, nisi ut furetur & mactet, & perdat„. Lantbertus pastor bonus, exemplo Pastoris essentialiter boni, paratus dare animam suam pro ovibus suis, non ut mercenarius fugit, sed declinavit procellosum domesticæ persecutionis naufragium, & clementer ferens cuncta, præsulatûs liquit sceptrum, commendans curam ovium ei, qui lavit baptismate, ac redemit Sanguine. Habebat sanè Vir patiens exilii sui ducem David regem, qui instinctu filii sui Absalon suis contra se conspirantibus, assumpsit scutum patientiæ; & ne esset causa ruinæ in Israël, flens operto capite & nudis pedibus fugit, Deo causam justitiæ suæ committens.

F

Stabuletum, ubi sub disciplina monastica

20 Expetens ergo Stabulaus *y* monasterium à Sigeberto rege fundatum ante aliquot annos, & fervore sanctæ religionis ubique nominatum, monasticæ quietis portum elegit, ibique per septem annos angelicam ducens vitam, habitavit secum. At ex omni ecclesiasticæ familiæ numero duo tantùm pueri ejus obsequio adhæserunt, quorum Theodoënus nomine illi, qui primus scripsit Vitam sancti Viri, relator verax & testis idoneus operum ejus fuit *z*. Ecce, habemus Virum ad exemplar virtutum omnibus propositum, qui sciens, quid solum summus Magister à se discere mandârat, in humilitate mitis cordis, & in patientia sua quærebat requiem animæ suæ. In obedientia verò se coheredi suo Christo conformabat, qui obedivit Patri usque ad mortem. Quale rogo, erat videre Virum nobilem natu, nominabilem sanctitate, præsulem officio, rebus olim potentem, in tantillo temporis agentem jam probatum monachum, quod vix quilibet alter posset assequi multa annorum quantitate?

y

z

21 Re

A 21 Re vera non eum plùs nimio res delectavêre ſecundæ, quem mutatæ non quaſſaverunt: numquam enim amittitur ſine dolore, quod cum amore poſſidetur. Qui cupit, ille etiam metuit: qui metuit, numquam liber vel ſecurus vivit *aa*. Lantbertus noſter nihil mundi doluit perdere, quia nihil concupivit; ac per hoc ſemper ſecurus ſui fuit, & liber in Chriſto. Amotus ab epiſcopatu per injuſtitiam, quando expoſtulavit de irrogata ſibi injuria? Quam appellavit perſonam? Ad cujus ſe audientiam addixit? Cui juriſperito ſuam commiſit cauſam? Nullum regno vel eccleſiæ ſcandalum concitavit, ſuæ ruinæ nullius voluit miſcere ruinam. Soli Deo cauſam ſuam revelans, dicebat, quod Filius Dei ad Patrem dicebat per Prophetam: "Exurge, Domine, & in„tende judicio meo, Deus meus & Dominus „meus, in cauſam meam.„ Jam nunc videamus in uno teſtimonio obedientiæ, quanti æſtimata ſit Lantberti cœnobialis converſatio. Tendens ſemper ad perfectionem, augebat aliquid ad ſuæ ſervitutis ſenſum, ſciens, quidquid ſupererogaret, à vero Samaritano ſibi reddendum eſſe. Unde noctibus Canonicas vigilias præveniens, ſolvebat B Deo privatas excubias.

mirum in modum fulget.

aa

22 Ad hoc unâ noctium dormitorio volens egredi, inquietavit fratres dormientes, altero ſandalio à manu ſibi elapſo: qui ſciens, quòd ex cenſura Regulæ deberet adire crucem, qui fratrum quietem turbâſſet, ſtatim ad nutum indignantis abbatis *bb* lecto exilivit, & ſandalia, & quæ habebat in manibus, relinquens, uno tantùm aſpero cilicio indutus, nudis pedibus diſcalciatus, & penè nudus crucem adivit. Hæc crux lapidea inter oratorium & dormitorium erat ſtatuta. Filii Iſraël in deſerto ob tædium longi itineris ac laboris murmurantes, & pro hac noxa percuſſione ignitorum ſerpentium pereuntes, ſanabantur ab aſpectu ænei ſerpentis, in figura crucifigendi Filii hominis à Moyſe pro ſigno exaltati. Ad hunc modum credibile eſt, hanc quoque crucem pro ſigno poſitam fuiſſe, ut ad aſpectum illius hi, qui erant Chriſti, carnem ſuam crucifigerent cum vitiis & concupiſcentiis; & ſi qui pertæſi longi laboris in via Dei laſſeſcerent, ad aſpectum crucis ex morte Chriſti longanimitatem ſpei reſumerent, & ſic ignita antiqui ſerpentis venena effugerent.

Ob excitatum ſandalio ſonitum, penè nudus

bb

23 Lantbertus ergò eâdem patientiâ, eâdem obedientiâ, quâ Chriſtus obedivit Patri uſque ad mortem crucis *cc*, crucem adiit, ad quam addicti regulariter pœnitebant, ſi qui graviuſculis culpis delinquebant; ibique pſalmis & hymnis intentus pernoctabat immobilis. Frigus noctis illius gelu exaſperabatur, & nix cùm larga defflueret, non tamen ultra talos Præſulis aſcendebat *dd*. Tota prorſus hiemalis facies nimis horrebat: ſed ille mitiſſimus, quia ardebat planè interiùs flammâ Paraclyti Spiritus, iccirco exteriùs frigoris non ſenſit cruciatus. Cælum ejus patuit precibus, & oratio ad ſupernos pervenit auditus. Ipſo interim canente verſum pſalmi: "Quando veniam & ap„parebo ante faciem Dei?„ ſolito citiùs cantum dabant galli. Fratres ſurgunt ad præſcripta vigiliarum munia, & poſt hæc domum introgreſſi, accendunt ignem copioſum. Inter calefaciendum abbas inquirit, ubinam ſit Lantbertus, qui fratrum conventui deſit. Unus fratrum dixit, Lantbertum eſſe, qui Regulari judicio per intempeſtam noctem ad crucem ſit addictus.

ſub dio ad crucem pernoctat:

cc

dd

24 Abbas expaveſcit, & ire fratres ad eum revocandum urget. Eunt, eumque canentem offendunt *ee*: "Cor contritum & humiliatum Deus „non ſpernit.„ Eo revocato, advolvitur ejus genibus abbas & omnis congregatio. Abbas ſe incuſat, & culpam excuſans, veniam de ignorantia vel intemperantia poſtulat. Lantbertus accuſator ſui imputat ſibi culpam, nihil eſſe dicens, quod eis ignoſcat. Fratres benevolentiæ ejus recompenſant gratiam, & balneum illi parantes, veſtimenta ejus mutant. Inde manus ejus pedeſque exoſculantes, gratantur ei unanimes dicentes, hoc factum eſſe pro ejus augenda gloria. Egregius verò Præſul, expanſis in cælum manibus, fratres ſic benedixit:

ee

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI. *revocatus, balneo & veſte fovetur.*

O Deus omnipotens, cæleſtia lumine complens,
Qui cælum, terras, pontum ditione gubernas,
Ut ſint cuncta tuis in tempore ſubdita votis,
Hos, expoſco, tuos benedic per ſecula ſervos,
Protege ab inſidiis, ſerva virtutibus almis,
Donec te videant, & cæli regna prehendant,
Te tribuente, Deus, qui nunc & ſemper in ævum
In triplici virtute tui benedictus haberis *ff*. f

ANNOTATA.

a *Id eſt, Childerici II, tum regis Auſtraſiæ, ut ſuprà diximus.* E

b *S. Sigeberto Auſtraſiorum rege, fratre Chlodovei II ex Dagoberto I, ſed ex alia matre. Geſta ejus illuſtrata ſunt ad diem* 1 *Februarii.*

c *Errat Sigebertus, dum Childericum Auſtraſiis regem præfectum eſſe ſcribit à patre ſuo Chlodoveo, quem conſtat paucis annis antè obiiſſe. Adi Commentarium num.* 47 *& ſequenti.*

d *Quàm parùm veriſimilia ſint hæc omnia, quæ de Theodorico III, tum Neuſtriæ rege, poſtea monarcha, hîc ſcribit Sigebertus, oſtendimus in Commentario prævio num.* 49.

e *Hujus Acta illuſtrata ſunt ad diem* 24 *Auguſti.*

f *S. Auſtregiſili Bituricenſis Vita data eſt ad diem* 20 *Maii; verùm is multis annis obierat, antequam* S. Lambertus *epiſcopus crearetur, imò antequam naſceretur.*

g *De S. Eligio agendum erit die* 1 *Decembris; ſed nec hic uſque ad* S. Lamberti *epiſcopatum ſupervixit.*

h *Hujus Vitam habes in Opere noſtro die* XI *Martii. Vide Commentarium noſtrum prævium num.* 57. F

i *De S. Audomaro actum eſt ad diem* 9 *Septembris.*

k *Hujus Sancti geſta elucidanda venient die* 2 *Octobris.*

l *S. Faro colitur* 28 *Octobris.*

m *De S. Bertino abbate Sithivenſi actum eſt die* 5 *Septembris.*

n *Indicat S. Filibertum vel Philibertum, abbatem in Herio Galliæ inſula, de quo vide Opus noſtrum ad diem* 20 *Auguſti.*

o *Fuit is abbas Fontanellenſis, cujus geſta in Opere noſtro expoſita ſunt die* 22 *Julii: ſed ante* S. Lamberti *epiſcopatum vivere deſiit.*

p *De eo vide ad diem* 18 *Aprilis.*

q *Videtur patriarcham Joſeph deſignare, de quo in Geneſi cap.* 37, ℣ 3 *legitur:* Fecitque (*pater*) ei tunicam polymitam.

r *Hanc vocem ſic reſtitui, cùm in Ms. noſtro tantùm legeretur:* modera, *omiſſo deinde duabus aut tribus litteris ſpatio vacuo.*

ſ *De hiſce omnibus conſule Commentarium prævium* § 5.

t *Pro* valebant *in contextu deleto, in margine*

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

alia manu adscriptum est; volentes.

u *Istam pseudo-synodum, in qua S. Leodegarius Augustodunensis episcopus iniquissimè condemnatus fuit, aliquot annis seriùs, dum Sanctus noster Stabuleti jam exsularet, habitam esse, diximus in Commentario num. 63 & sequentibus.*

x *Faramundum in sancti Episcopi sedem iniquè intrusum fuisse, docent etiam Godeschalcus & Stephanus; sed neuter eorum aliquem Colonienſem archiepiscopum ejus sceleris reum facit. Adi Commentarium num. 66 & sequenti.*

y *Consule Commentarium num. 68 & sequenti.*

z *Ita ipse ex Vita prima num. 6.*

aa *In margine Ms. nostri pro* vivit, *alia manu notatur*; erit.

bb *Godeschalcus, qui id ex Theodoëno audire potuit, disertè ait, abbatem, qui ignorabat, à quo strepitus ille editus esset, hoc ita imperâsse.*

cc *Id est, Christi exemplum, quantum potuit, imitatus. Ceterùm de eo pœnitendi modo aliquid observavimus in Commentario num. 74 & sequenti.*

dd *Nescio, quod nivis prodigium, de quo nec Godeschalcus, nec Stephanus meminit, hic indicare voluerit Sigebertus.*

B ee *In margine Ms. pro* offendunt, *alia denuò manu notatur:* attendunt.

ff *Hos versus mutuatus est ex Vita secunda num. 22.*

CAPUT III.

Sancti in sedem suam restitutio, & cura pastoralis: Taxandri ab idolis ad Christum adducti: S. Landradæ sepultura per ipsum miraculo clara.

Ejecto Faramundo, suæ sedi restituitur; a

EVoluto septennio, tandem Altissimo placebat, ut post horridam & diutinam tempestatem cæli faciem serenaret. Pippinus secundus, Angisisii & Beggæ *a* filius, ubi cunctos, qui inter se concertando Franciam discindebant, viriliter vicit, solus sub Theodorico rege principatum totius Franciæ obtinuit, & perturbatum regni & Ecclesiæ statum disposuit meliorare. Cui inter alia hæc laudis materies occurrit: Trajectensis mercenarius Faramundus tandem justâ cleri & populi abdicatus sententiâ, non tantùm ab ecclesia Trajectensi, sed etiam ex tota provincia expellitur *b*. Ilico omnium ad cælum tollitur oratio, omnium ad principem Pippinum legatio dirigitur, ne ampliùs Trajectenses pii patris Lantberti careant solatio. Punito divinitus Absalon invasore paterni regni, quanta super hoc fuit exultatio in Israël populo Dei; tanta tunc erat lætitia populo Dei pro repulsa invasoris Faramundi; & tantùm isti gestiebant pro revocando Lantberto ad episcopatum, quantùm illi laboraverant pro reducendo David in regnum. Placet justa petitio principi, & edicit Pastorem ovibus suis restitui.

damna ecclesiæ restaurat, diœcesim lustrat:

26 Ita miles emeritus permaxima tribulatione purgatus, ovium suarum vocibus attollitur, & in cathedra Trajectensium decenter relocatur. Et meritò, quia in corde illius erat sinceritas & legis plenitudo, in ore illius veritas erat & pulchritudo. Quanta super ejus reditu fuit exultatio omni ordini, ætati & sexui! qualiter omnes, in sua unusquisque causa, jocundati sunt, ille novit, qui solus omnium affectus discernit. Regressus igitur Vir apostolicus ad propriam urbem, depravatam à pseudo-Christianis ecclesiasticæ institutionis reparavit normam. Et ut David dicebat, Non ignoro me hodie regem factum super Israël, & ipse credens, se nunc primùm episcopum factum, ea, quæ retrò sunt, oblitus, in anteriora se extendebat. Malens ergò esse, quàm dici episcopus, superintendebat instantiùs sibi & universo gregi, non subterfugiens, quò minùs omne consilium Dei annunciaret omnibus; timensque servi mali & pigri notam, qui reposuit in sudario pecuniam domini sui, nihil remissi faciebat cordi & corpori suo; sed urbes & municipia lustrabat, & per corda, ligonibus verbi exculta, semen vitæ in tempore jaciebat.

Taxandris, non sine periculo vitæ c

27 Aliquando etiam limites suæ diœcesis excedebat, ne à Domino diceretur servus inutilis, quòd id solum fecerit, quod facere debuerat. Erat in proximo provincia Tessandrorum *c*, ubi adhuc vigebat idololatria; & dolens fortis Christi Athleta, hostes Christiani nominis de tam contiguo adversari regno Regis sui, armis fidei accingitur, & calore virtutis inflammatus, crebris E eos assultibus lacessebat, & oblata eis pace Dominica, tentabat omnimodis, si quo modo super filios pacis pax sua requiesceret. Illi cùm fremerent ut barbari, & eum discerpere cuperent, ipse ultrò se ingerens bello, templa & simulacra eorum destruebat, aliquando verò eos verbi dulcedine demulcens, sermocinabatur eis. Ut vos, inquit, fratres, de vera salute moneam, me & mea & vestra utilitas monet; ut & vos salvemini, & ego de vobis fructum laboris habeam. Nihil est homini utilius, quàm salutem quærere: sed quis salutem quærat, nisi sciat, quid sit salus? Quomodo quærat, si nesciat, unde expetenda sit? Qui aliunde, quàm à Deo, qui ipsa salus est, quærit, nihil agit. Si homo, neglectâ animâ, corpori tantùm consulat, nihil distat à pecude, quæ secundùm corporis sui habitum terram inspiciens, soli corpori intendit. Quia ille est homo, qui seipsum agnoscit; agnosce homo, quis sis, qualis creatus sis, quis futurus sis.

idololatriam redarguens, d

28 Homo es, quia de limo *d* plasmatus es, animal rationale & mortale es, medius inter pecora & angelos. Per rationem es pecore melior, per mortalitatem angelo inferior. Qualis verò creatus sis, ostendit corporis tui habitus. Cur solus homo creatus est ore sublimi, erecto pectore, & rectis manibus? Nimirum ut corpore & corde & actu semper cælo intendat. Vis scire, qualis futurus sis? Terra es, & in terram revertêris. Si tamen *e* salutem animæ quæsieris, immortalitatem *e* consequêris. Ad hoc consequendum necesse est, ut sciat homo, quis vel quid sit Deus. Si nescit, quis vel quid sit Deus, sciat saltem, quis vel quid non sit Deus. Vis scire, quid sit Deus? Deus est, qui omnia ex nihilo creavit, qui omnia regit, qui semper vivit sine initio, sine fine, sine circumscriptione loci & temporis, sine mutabilitate substantiæ. Audite etiam, quid sit Deus. Deus est æternus & ipsa æternitas, sapiens & sapientia; & quidquid virtutis alicui adest per accidens, hoc soli Deo inest substantialiter. Quis autem Deus non sit, quis hominum nescit? Homo, lapis, lignum, vel aliquid tale, non est Deus: postremò nulla creatura Deus est. Non *f* est Deus aliquid eorum, quæ per privationem aut contrarietatem boni dicuntur; ut sit injustus, malus, vel aliquid tale. Qui homo est, hæc solius na- *f*

tu-

turæ magisterio discet, & inspectâ creaturâ, Creatorem intelliget.

Christum prædicat, g

29 Deus creavit cælum & terram, & ultimum omnium creaturarum plasmavit hominem, dans ei arbitrii libertatem, ut per voluntarium boni appetitum *g* mereretur etiam boni præmium; talem eum condens, ut, si non peccaret, immortalis esset, si peccaret, mortalis fieret. Qui diabolo magis, quàm Deo, credens, in mortem cum omni genere suo corruit, quod in tantam malitiam erupit, ut præsumeret Deum fecisse hominem, & per diluvium deleret de sub cælo omnem carnem, solas octo animas per annum integrum in arca reservans. Horum posteri, contra Deum volentes habere refugium, dum turrim usque in cælum erigerent, Deus superbiam filiorum Adam ponens super cor suum, linguâ humanâ, quæ una omnibus erat, divisâ in septuaginta duabus linguis, eos à se divisit. Omni malo gravior excrevit idololatria, quam quia solus pœnè Abraham abhorruit, benedictionem à Deo meruit & promissionem, quòd in semine ejus, qui est Christus, benedicerentur omnes gentes. Hic de Virgine natus, verus Deus & verus homo in una sua persona faciens opera divinæ & humanæ naturæ, B quidquid est hominis absque peccato, in homine egit & pertulit; & clarens verbis & signis, quod Dei est, non abscondit.

eosque tandem

30 Sed ut uno calore solis cera mollescit, & limus durescit, sic ad calorem verbi divini boni ad fidem emolliti sunt, mali contra fidem obdurverunt. Ut ergò Deus operaretur opus suum, ut hominem scilicet salvaret, opus peregrinum & alienum adeò operatus est, ut ipse, qui est vita omnium, in homine pro homine gustaret mortem, & mortem crucis. Qui, spoliato inferno, à mortuis tertia die resurgens, & ad cælos ascendens, & Spiritum sanctum mittens discipulis cum scientia omnium linguarum, misit eos in mundum prædicare, & baptizare in nomine sanctæ Trinitatis. Hinc in omnem terram exivit sonus Apostolorum & apostolicorum virorum. Hic sonus tandem ad vos usque pervenit. Unde pro vobis, fratres, doleo usque ad animam, quia repellentes verbum Dei, judicatis vos indignos esse æternâ vitâ. Fugite, charissimi, ab idololatria. Sapientibus loquor; vos ipsi judicate, quod dico. Quid prodest coli simulachra, quibus non est C anima, neque vita? Fugite, inquam, ab idololatria, quia nulla major hâc est injuria in Deum, qui dicit per prophetam: "Gloriam meam alteri ,, non dabo.,, Fugite à tenebris, qui lucem naturalis rationis habetis.

ad Christiana sacra

31 Jam pœnè totus mundus credidit. Ut sol tres mundi cardines, Orientem, Meridiem, Occidentem, suâ præsentiâ attingit: Septentrionalem verò cardinem jactis radiis à longè illustrat; sic Sol mundi Christus Orientem nascendo sacravit, Meridiem in Ægyptum fugiens invisit, nec reliquit Occidentem, ubi Apostolos misit, per quos jam caput mundi Roma inflexit cervicem. Quartus hic cardo, quem incolitis, quamvis propter solis absentiam tardiùs lucem admittat, tamen à longè illuminatos videt, & si præsentiâ solis caret, solaris tamen lucis usu non minùs eget. Hoc modo, charissimi, si ipsum Christum, si Christi Apostolos non vidistis, beati estis, si creditis in eum, quem non vidistis. Si in ipsum Solem non potestis aciem infigere, intendite oculos ad montes à Sole illustratos. Per hos montes, per apostolicos scilicet viros, longè latéque fidei luce transmissa, jam credidit Hispania, tripartita Gallia, Germania, & remotæ sub alio orbe Britannia & Scotia. Francia de proximo vos arguit obstinatæ incredulitatis. Cùm misericordiâ Domini plena sit terra, quare super vos, tamquam super filios incredulitatis manet ira Dei? Currite ad lucem, credite in Deum Patrem, & in Jesum Christum filium ejus, & in Spiritum sanctum. Credite futuram carnis resurrectionem, timete ultimum judicii diem, in quo habebimus omnes judicari; mali, ut eant in supplicium æternum; boni, ut habeant vitam æternam cum angelis, non in angelicam mutati naturam, sed pro meritorum varietate in variis angelorum ordinibus ad angelicam provecti gloriam.

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

feliciter ad-ducit.

32 His & talibus Prædicator Christi paulatim abolens ab eorum cordibus barbariem gentilitatis, inescabat eos ad Christianitatis mansuetudinem, & idololatriæ fœtorem *h* removens, spargebat ubique Christi bonum odorem. Illi tamen humanitatis respectu adducti, attendebant virtutem & pietatem sancti Viri, qui, quod ore prædicabat, opere explebat; & eum imitari volentes, patiebantur se ab eo in fide Christi confirmari. Nec antè destitit Signifer Christi, quàm omnem illam gentem, de regno diaboli abactam, ad regnum *i* Regis regum transduxit. Hæc est, Christe, tua E gratia: hæc est boni Militis tui constantia, qui opus Apostolicum aggressus, ad castra tua insignem adduxit triumphum. Ecce Thessandriæ Apostolum, merito Apostolis & apostolicis viris conferendum. Cùm enim ad judicandum venerit Princeps pastorum, & quisque pastorum ei repræsentaverit, quotam partem mundi sua prædicatione adduxerit ad fidem, hic Pastor noster inter pastores non inanis apparebit; sed etiam ipse multos suo labore ab idololatria vel malitia retractos post se trahet, & accipiet multiplicem gloriæ coronam.

h

i

S. Landrada Lamberto apparens, jubet

33 Quàm gloriosus sit Deus in seipso, nullo modo deprehenderetur ab hominibus, nisi aliqua mirabiliter in Sanctis suis operaretur, per quæ à nobis intelligatur verè esse mirabilis. Francis Pippino principante, construxit cœnobium in villa Belisia S. Landrada virgo *k*, per omnia S. Lantberti consilio animata & usa auxilio; quæ imminente die sui exitus, ut parata ad nuptias Sponsi sui intraret cum accensa bonorum operum lampade, accersivit familiariter eumdem S. Lantbertum, ut F ab eo Vitæ viaticum acciperet. Accelerante viam sancto Viro, illa interim soluta est carnis ergastulo; sed Deus, cui nihil gratius fraterna charitate, nec illum, nec illam passus est privari fructu mutuæ amicitiæ. Nam in eundo jocunda Præsuli apparuit visio. Ante oculos jacentis, & quasi per extasim semivigilantis stabat clara videri ipsa virgo Christi Landrada, eumque amicabili vultûs & oris gratiâ compellans, Unde, inquit, tibi ô mi amice, hæc insolita mei incuria, ut te ad me visitandam tanta tenuerit mora?

k

corpus suum Wentreshovii sepeliri,

34 Lantbertus, prætendens affectum familiaritatis, reddebat hæc verba excusationis: Me nec incuriæ nec moræ incusare habes, quem ad te venire maturantem prævenit ocior mortis tuæ necessitas. Ecce, quia adsum, & tu jam intrâsti in gaudium Domini tui, justa tibi solvam ex debito; tu, quæso, mihi indica, quo in loco corpusculum ex tuo placito sepeliam. Et illa: Suspice, inquit, cælum. & diligenter illum in terris locum notato, in quo videris modò per micantem lucem cælitus apparere sanctæ Crucis signum. Lantbertus eam monstrantem sequens oculis & mente, ecce videt locum in terris cælesti luce de-

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

signari in modum sanctæ Crucis, & ab ore colloquentis sibi virginis hæc ultima verba accipit: Hunc locum, Lantberte, tibi insinuatum cælitus, scias olim delegatum à Deo meæ sepulturæ. Hac vice sermonum sancta virgine cælo recepta, Vir sanctus somno solutus, applaudebat sibi de cælestis visionis oraculo. Locus autem, qui cœlestis lucis signo irradiabatur, Wentreshovum *l* erat, quem ipse S. Lantbertus, à S. Landoaldo inibi nutritus, prima sui tyrocinii indole insigniverat.

l

Quod, eo invito, Belisiæ tumulatum,

35 Lantbertus tanto quidem properantiùs maturabat viam, quanto sciebat hoc Deo & sponsæ ejus fore gratius; & veniens Belisiam tardiùs voto, quàm pedibus, (animo enim cupienti nihil satis festinatur) visionem omnibus pandit, eosque ad illam exequendam nititur flectere, quàm potest blandiùs ac facundiùs. Omnes contra unum reclamant, omnes uno ore tumultuando conclamant: Absit, Lantberte, absit, o Præsul beate. Hîc ipsa sancta virgo à te Deo consecrata fuit: hæc ecclesia ejus operâ & impensis constructa, à te per eam est dedicata: hîc omnia ejus per te ab ea Deo delegata sunt: hîc Deo famulantium turba per eam & per te adulta est; & ubi digniùs ossa ejus quiescent, quàm hîc, ubi præsentialiter tot bonorum ejus operum apparent testimonia? Et hæc quidem omnia etiam tuæ sanctitatis merita, Lantberte, accumulant, dum per tuæ pastoralitatis studium hîc & merito & numero aucto fidelium populo, fidei & virtutis exuberant dona. Lantbertus offensus pervicaciâ omnium, Gratum est, inquit, præesse civibus; sed grave est omnibus placere. Ecce, quia sermo Dei & meus non capit in vobis, vos omnes invitus sequar: certus sum tamen, quia cælestis oraculi non deerit effectus.

B

triduo post Wentreshovii invenitur.

36 Lantbertus igitur, sepulta sancta virgine magis ex populi, quàm ex suo placito, animo fluctuabat, hinc de cælesti oraculo certus, illinc incertus de sepulto virginis corpusculo. Ob hoc omni orandi modo se addicens, quærebat rem ab eo, cui nihil impossibile esse sciebat. Sic exacto triduo, convocato populo ait, virginem Christi pridem defunctam, vestro etiam judicio magni dico fuisse meriti; & ideò non leve esse duco, quod ab ore ejus jam cum Christo regnantis mihi teneo indicatum. Ideò ne gravemini, quod precor, ut apertâ virginis tumbâ, rem ipsam oculis experiamur. Obeditur ei ab omnibus; tumba aperitur; sed nihil reperitur de sancto ibi sepulto corpore, cum ipso sarcofago aliàs transposito. Expallet vultus omnium; solus Lantbertus gaudet, & attonitos paternè demulcens, Quia, inquit, diffidentiam vestram experti estis, jam nunc Dei mirificentiam experiamur, & in loco mihi designato sancti corporis glebam quæramus. Eo duce Wentreshovum curritur, qui mente & oculis relegens cælestis signi ostensa sibi vestigia, ostendit locum beneplacitum sanctæ virgini. O rem novam! Ibi sancti corporis glebam, cum ipso sarcophago transportatam inveniunt, tam compositè tamque decenter relocatam, ut nulli esset dubium, angelico ministerio sanctam virginem illuc translatam fuisse.

C

Auctoris observatio, & Sancti laus.

37 Et quid mirum, si ille, qui martyri suo Clementi habitaculum in modum templi marmorei præparavit in mari angelicis manibus *m*, hujus quoque virginis corpus per angelos, mysteriorum Dei administros, tam competenter transtulit *n*? Huic miraculo tamquam inusitato si quis discredit, moveat eum saltem argumentum à contrario. Quippe cùm sciat, multorum corpora in sanctis locis indignè sepulta, per angelos malos longè projecta esse, non diffidat, sanctos angelos ad nutum Dei sanctæ virgini suam impendisse operam, & voto verbisque S. Lantberti fidem fecisse. Attollunt ergò cuncti Dei virtutem, super omnia prædicant fidem & meritum glorioſi Lantberti, cujus conversatio jam in cælis erat, quamvis corpore adhuc teneretur in terris, in quo videbant impleri illam Domini vocem: "Omnia possibilia sunt credenti.„ O Virum dignum Deo, cui nihil deest ad perfectionis cumulum, paratum etiam ascendere ad illam charitatem, quâ majorem nemo habet, ut animam suam poneret pro amicis suis! Quam enim majorem daret Rex suo emerito Militi, quàm ut coronatum martyrio donaret rude æternæ quietis. Nos ut extremam manum operi imponamus, jam nunc passionis ejus vexillum erigamus.

D

ANNOTATA.

a *S. Begga, Pippini Landensis filia, Ansigisi, Ansegisi vel Ansigili uxor, & Pippini Heristalli mater, colitur die 17 Decembris.*

b *Faramundi expulsionem sanctique* Lamberti *in sedem suam restitutionem, ad annum 681 vel 682, quo tempore Pippinus solius Austrasiæ majoratum-domûs gerebat, referendam esse ostendimus in Commentario § 6, quem consule.*

E

c *De Taxandria vide Commentarium num. 92.*

d *In margine legitur*, humo.

e *In margine notatur*, sed cùm.

f *In margine:* Non quid.

g *In Ms. nostro hæc vox luxata, sic habetur* oppe-.

h *In margine est*, fervorem.

i *In margine pro* regnum *habetur* æterni: *unde consequenter mox pro* regum *legendum esset* regnum. *Cetera totus ille sermo Sigeberti, non Sancti est.*

k *S. Landradæ virginis & primæ abbatissæ Belisiensis Vita data est ad diem 8 Julii, auctore Theodorico abbate Trudonopolitano, ut diximus in Commentario prævio num. 50, ubi etiam num. 51 de tempore conditi ejusdem monasterii breviter egimus.*

l *Vide Annotata ad cap. 1, lit. i.*

F

m *S. Clemens Papa & martyr, quem hîc indicat, colitur 23 Novembris, quo die hæc examinari poterunt.*

n *Eadem leguntur in Vita S. Landradæ, unde ea discere potuit Sigebertus.*

CAPUT IV

Pippinus ob ductam Alpaïdem pellicem correptus: pellicis odium & insidiæ: Sancti, illâ instigante, martyrium.

Pippinum ob ductam, viva conjuge,

PIppinus, ut prædiximus, principabatur egregiè super omnes principes Francorum, cujus gloriam augebant crebri victoriarum tytuli, quem ad virtutem incitare poterant saltem deducta ab utroque parente nobilitatis & sanctitatis monumenta. Ut enim fileam de sanctitate Gerdrudis ma-

A materteræ *a* ejus, vel Clodulei *b* Mettenſis epiſcopi, qui fuit patrinus ipſius; quis S. Beggæ matris ejus vitam non miretur? Quis neſciat ſanctimoniam paterni avi ejus Arnulphi *c*, qui primò major-domûs regis, pòſt Mettenſis epiſcopus, & in vita & in morte mirabilis mundo fuit? Jam verò etiam filiorum ejus potentia vigebat in regno, è quibus Drogo *d* dux erat Campanenſium, at Grimoaldus *e* hereditarium patris principatum expectabat. Hos illi genuerat legitima ſua conjux Plictrudis. Et cùm Pippino nihil gloriæ, nihil potentiæ, nihil felicitatis deeſſet, numquam ei ſuper induſtriam fortuna fuit.

39 O nihil umquam tutum apud diabolum! Vir tam victorioſus, de ſeipſo non potuit triumphare, & ferreum pectus ſuum paſſus perforari molli telo libidinis, puellam nobilem & elegantem, nomine Alpaïdem, ſuperduxit legitimæ conjugi ſuæ Plictrudi, ex qua etiam ſuſcepit filium Karolum, cui poſtea propter indomitam bellandi fortitudinem Tudetes, ſive Martellus, agnomen fuit. Hæc ſoror erat Dodonis *f*, qui domeſticus Pippini principis erat, vir plenus opibus, genere clarus, per amicos & cognatos, & multos ſibi obſequentes pueros, multam potentiam aſſecutus in regno. Cùm autem nullus eſſet epiſcoporum, qui ſtaret ex adverſo, & opponeret ſe murum pro domo Iſraël, ut ſtaret in bello in die Domini, Lantbertus oportunè, importunè arguebat principem, & alterum ſe Heliam vel Joannem exhibebat, & quorum imitabatur zelum, ad eorum quoque tendebat meritum, ut, quibus par erat in certando conſtantiâ, par foret in vincendo gloriâ. Helias Aab *g* . . . regem Iſraël hoſtem pertulit & vicit, & eum ad hoc arguendo attraxit, ut intentatam Dei iram à ſe differret, quam fortè ex toto effugiſſet, niſi eum Jezabel uxor ſua, contra Deum concitans, ſub peccato vendidiſſet.

40 Joannem Herodes ſe arguentem metuebat, & pro eo multa faciebat; ſed eum quoque Herodias uxor per laſciviam ſaltantis filiæ ad jusjurandum, & per hoc ad necem Sancti perpulit. Tertius Helias, vel alter Joannes noſter, ſcilicet Lantbertus, in ſpiritu & virtute Heliæ & Joannis, etiam ipſe directus parare viam Domino, arguebat liberè Pippinum principem, nec ſecundæ Herodiadis timebat rabiem. Nam quod animi habebat Herodias, cùm Herodes Joanni, eum pro adulterio arguenti, libenter accommodabat aurem; hoc animi habebat etiam Alpaïs *h*, cùm Pippinus Lantberto, eum pro pelicatu ſuo arguenti, obediebat. Equidem vir aliàs laudabilis & religioſus, hoc excepto, multum Lantberti jocundabatur conſiliis, & monitis flectebatur; qui ſi amantem pelicem fallere potuiſſet, nimirum lucrosè audiſſet ſe meritò increpantem Præſulem. Helias in cælum raptus, expectat adhuc per Antichriſti gladium victoriæ palmam, Joannes pro veritate caput ſuum martyrio devovit; tertius duorum Lantbertus ſe quoque dignum exhibuit ad bibendum calicem Domini.

41 Pelex rem ad fratrem ſuum Dodonem refert, eique omne conſilium ſuum deferens, precabatur, ut ejus ope aboleatur opprobrium generis ſui, quod nimis invaleſceret, ſi per Lantberti cenſuram contingeret ſuum à principe divortium. Ille cauſam ſuam & ſororis cum valentioribus ſui generis communicans, per ſe & per eos Epiſcopum compeſcere ab increpatione principis laborat; quem quia invenit inflexibilem, nec faciem alicujus contra juſtitiam revereri ſenſit, proximis & amicis ſuis promittit de cauſa ſororis ultionem. Hinc duo fratres, Gallus & Rioldus, conſanguinei Dodonis *i*, neptis ſuæ Alpaïdis miſerantes vicem, laceſſendi Epiſcopum oportunitatem quærunt, & inſurgentes cum omnibus ſuis in eccleſiæ Trajectenſis familiam omnem, qualicumque arte contra eos calumniam concinnant, nullam, quam eis inferre poſſunt, moleſtiam prætermittunt; ſi quo modo poſſent per hoc ſententiam Præſulis inflectere, ut ſaltem causâ ſuorum à redargutione principis deſiſteret. Sed res aliter, ac rati erant, ceſſit. Juſtus nempe, ut leo confidens, clipeo patientiæ contra omnes ſe protexit incurſus, & gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, contra minas terrenæ poteſtatis ſe accinxit, & galeam ſalutis indutus, agebat indubitanter rem veritatis. Et primò quidem blandè compellebat eos, & quibus modis pietas Patris, & cenſura Præſulis poterat, eos ab injuſta deterrebat violentia.

42 Sed quia in ventum fundebat verba, ſe quàm familiariter in Deum rejiciens, dicebat: Exurge, Domine, & judica cauſam meam; memor eſto opprobrii ſervorum tuorum. At filii Belial acriùs Dei fideles impetebant, & omni genere nocendi tribulabant innocentes. Illi, quibus res erat pro anima, & quibus tota ſpes in ſola innocentia pendebat, inconſulto Epiſcopo, armis obviàm ire parant, ut aut ulciſcantur ſuas injurias, aut ne moriantur inulti. Concurſum eſt, pugnatum eſt. Pugnant illi pro temeritate, repugnant iſti pro ſalute: Gallum & Rioldum, conſanguineos Dodonis, locat ſuperbia in prima fronte belli, Petrum & Audolecum, conſanguineos Præſulis, ex adverſo in prima acie opponit juſtitia. Galli & Rioldi degeneres animos timor arguit; Petri & Audoleci dexteras ad virtutem erigit innocentia. Virtus innocentiæ favit, victoria ceſſit parti eccleſiaſticæ: Gallus ac Rioldus, factionis iniquæ principes, cæſi oppetunt; Petrus atque Audolecus, eccleſiæ vindices, referunt vexillum victoriæ *k*. Confuſi ſunt impii, nec erubuerunt; victi ſunt, ſed defatigati non ceſſerunt: Dodo enim, qui fuerat incentor omnium malorum, jam & ipſe efficitur belli auctor, & vilipendens, quod de ſacerdotibus dicitur ex ore Dei: „Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei;„ graſſatur in ipſum caput ſancti Epiſcopi, devovet eum morti, in eum ſolum retorquet nepotum ſuorum ultionem.

43 Pippinus princeps illis diebus Jopiliam *l* venerat, ad villam Leggiæ contiguam, ubi Vir ſanctus, quaſi pro regni negotio ad ejus curiam invitatus, ſuam præſentiam non negavit. Princeps & principis pelex vultum ſerenant contra eum; alii iram diſſimulant, ſimulant alii lætitiam, multi pro ſuo quiſque arbitrio habitum cordis variant. Tractabat autem pelex oportunè aliquem parare ſibi precatorem, per cujus interventum poſſet ſibi conciliare animum Epiſcopi, vel ſaltem ab importuna reprehenſione principis in præſentiarum mitigare. Convivium apparatur; invitatur Epiſcopus; jocundatur prorſus omnis curialis frequentia. Princeps oblatum ſibi à pincerna poculum innuit afferendum eſſe Epiſcopo, ducens benedictionis vice, ſi de conſecrata ſancti Epiſcopi manu poculum acciperet, quod olim à Martino, Turonenſi epiſcopo, ſciebat quæsiſſe Maximum imperatorem *m*. Sed Pippinus majorem benedictionem à Lantberto percepiſſet, quàm Maximus imperator à Martino percepit, ſi talem gratiam apud Lantbertum uxor Pippini meruiſſet, qua-

a b *c* *d* *e* *f* B *g* C *h*

Alpaïdem, arguens, *incurrit in odium pellicis;* *cujus frater Dodo familiam Sancti infeſtat,*

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI. *i* *& duobus ſuorum cæſis, ejuſdem necem decernit.* E *k* *Sanctus in conzivio Pippini* *l* *m*

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

qualem apud Martinum uxor Maximi promeruit *n*.

44 Martinus melioris Maximo imperatore æstimavit presbyterum suum, cui poculum porrexit ante regem; Lantbertus nullum Pippino prætulit. Exemplum principis secuti minores proceres, omnes à sancta manu sancti Episcopi poculum sibi porrigi efflagitant. Dum ad hoc omnes mixtim irruunt, & se confusè ingerunt, ut alter alterum præveniat; ecce pelex sua manu clanculùm manibus aliorum intermixta, satagebat vel sic de manu Episcopi præripere poculum. Ille antè & retrò oculatus, præcavit femineas insidias callenti animo, & ad principem conversus, de nimietate femineæ præsumptionis conqueritur, quæ callida arte quæsîsset inurere sibi notam non placitæ Deo communionis. Inde se aulâ proripuit, & omnem illam principalis convivii imminuit jocunditatem *o*. Nec sic quievit versutia feminæ, nihil volentis relinquere inexpertum. Vesperi parante redire Episcopo, ei per suggestionem pelicis à principe jubetur, ne abeat insalutata sua conjuge.

45 Episcopus, loquente in se Spiritu veritatis, Testor, ait, ô maxime princeps, testor verè Jesum, spem vitæ nostræ, me numquam fornicariæ communicaturum; quia mandavit nobis Paulus: "Ne commisceamini fornicariis". Testor, inquam, Deum, me numquam eam salutaturum; quia scio dixisse amicum Dei Joannem: "Si quis "non permanet in doctrina Christi, non eum reci- "piatis, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi "Ave, communicat operibus illius malignis". Te ei communicare nimis doleo, te nolle resipiscere ægrè fero; propter hoc Dei iram tibi timeo. Pelex igitur videns, causæ suæ nihil esse reliqui, jamjamque, si diu advivat Lantbertus, timens sibi imminere divortium, rem totam seriatim fratri furioso mandat, & oleum camino addens, obtestatur, ut quantotius agat de occidendo Episcopo. Dolorem, quem Dodo habebat de nece nepotum suorum, exaggerabat geminatus de repulsa sororis suæ dolor; jamque in hoc totus erat, ut sibi & sorori suæ satisfaceret.

46 Præco veritatis Lantbertus, jam tendens ad bravium supernæ vocationis, venerat Leodium; Dodo verò ad vicum Auridum secesserat, satis Leodio contiguum: parat arma, socios aggregat, à domo etiam regia, suo vel sororis suæ nomine comparatos evocat auxiliarios. Dilationis moras odit, iras colligit differendo, irascendo stimulos furoris ad cotem durissimi cordis acuit. Lantbertus interim præscius instare suum agonem, noctem illam insompnem duxit; non quia terrerent eum aliqua insompnia mortis; sed quia spe præoccupabat furura quietis gaudia. In ipso namque conticinio noctis surgens ad confitendum Domino, angelico se in terris obsequio exercebat. Horâ celebrandæ nocturnæ synaxis *p* excitatis discipulis ait: Surgite otiùs, promisit Deus coronam vigilantibus. Officio expleto, ceteri se lecto reddunt; ipse prestat * boni operis cursum consummando. Circa crepusculum corpore corruptivo aggravante animam, cœpit exemplo Domini cuntis ad passionem tædere, & oculis gravatis sompno, captabat dormiens modicum quietis.

47 Tunc ecce, circa auroram rarescentibus tenebris, hostilem exercitum cuneatim incedere videt & nunciat excubitor episcopalis domûs, nomine Baldoveus; & quamvis nebula manè ascendens liberum intuitum retunderet, facile erat rem deprehendere vel ex visa multitudine virorum, vel ex audita collisione armorum. Micabant loricæ, proëminebant cassides in capite, levæ tegebantur clipeis, dextetæ armabantur spatis & lanceis; præibant fundibularii cum sagittariis. Audite rem mirabilem, divinæ pietatis indicem! Ut enim clareret, Lantbertum in nullo gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem ei mundus crucifixus erat, & ipse mundo, eique jam à terra in cælum per virtutem Crucis ascensum in cælis parari, quidam sequentes exercitum vident signum admirabile stupentes supra domum, in qua erat Pontifex, instar Dominicæ Crucis, clarius omni metallo, à terra usque ad cælum rutilare. Constat quibusdam, qui spe pactæ mercedis, non aviditate fundendi sanguinis, & tantùm ad augendum numerum militum, non ad patrandum scelus Dodonem sequebantur, sanctam crucem fuisse conspicuam; illis econtrà occultabatur objectu nebulæ, qui cupiditate rapinæ & expectatione præmii spirabant in perniciem sancti Pontificis *q*.

48 Primo Constantino imperatori ad bellum æmuli signum crucis igneo fulgore rutilum in cælo apparuit, quo inscriptum videbatur Τούτῳ νίκα, quod est, In hoc signo vinces *r*. Lantberto quoque in procinctu belli stante, signum crucis apparuit super domum ejus, planè portendens illi, qui stigmata crucis Christi in corde & corpore suo pertulerat, jam à Deo victoriam & coronam parari. Dilecto quoque Domini Benedicto via palliis strata & lampadibus à terra usque ad cælum parata esse, per quam ad cælum ascenderet, quibusdam apparuit *s*: Lantberto verò quàm Benedicto glorioſior via parata est, qui per ipsam crucem, à terra usque ad cælum rutilantem, cælos ascendit. Lantbertus quoque felicior fuit ipso Heliâ: Helias enim igneo curru in cælum raptus, morte dilata, longam spem vitæ æternæ adhuc tenet: Lantbertus, morte obita, in cælum ductus per crucem igneæ lucis, in æterna vita gaudet cum Christo.

49 Acies hostium jam quasi ad præcinctum appropinquabat: excubitor domûs inclamat dormientes, quibus ipse jam circumstans exercitus esse poterat nuncius horroris. Testis Christi Lantbertus attonitus gravedine sompni & rei acerbitate, discalciatis pedibus surgit, & arripit gladium, quasi se suosque defensurus: sed ad se reversus, se temeritatis damnavit, & quia illicitè saltem attentaverat arma, se ante Deum congruenti addixit pœnitentiæ *t*. Te, inquit, bone Jesu, qui dixisti: "Mihi vindictam, & ego "retribuam", te precor, ne perdam victoriam meam, quia satius est mihi mori in te, quàm super inimicos meos bellando mittere manus. Tu bellator fortis, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Jam irruptis portis, jam effractis foribus, ipsos domûs parietes impingebant lanceis; aliqui etiam introgressi, ignem intentabant. Petrus & Audolecus introgressos eliminabant, & tam multis tam paucorum viribus fruſtra conabantur resistere; quos Sanctus pro tempore consolans, Si, inquit, me, fratres, vicariè amâstis, Christum, sicut ego diligo, diligite: vestra Jesu peccata confitemini, & orate pro invicem, ut salvemini. Me oportet jam dissolvi, & cum Christo vivere.

50 Scitis vos, ô nepotes mei, reos & noxios fuisse in crimine isto *u*, de quomodò ultio expetitur; quod tunc injustè egistis, modò, precor, justè ac patienter luite. Non judicabit Deus bis in id ipsum, nec consurget duplex tribulatio. Ne, quæso, peccatum vestrum ante Deum inundet, nec per manus vestras sanguis sanguinem

poculum Alpaidis benedicere renuit, *n*

o

& eam salutare: hinc ipsa instigante, Dodo

cum armatorum manu ad Sancti ædes

C

p

* *fortè* perstat

primo diluculo properat. Crux lucida

D

q

supra easdem ædes apparet.

r

E

s

Irrumpentibus in ædes hostilibus, Sanctus

t

F

suos ad piè moriendum hortatus, *u*

A nem tangat. Non timeamus ſævitiam perſecutorum, quia illis erit in vindictam gladius & ignis, qui manducabit carnes illorum uſque ad medullam. Vos tantùm manus veſtras ſervate innoxias, ut & ſpiritus veſter in æternum ſit ſalvus: veſtras etiam carnes date illis ad dilacerandum. His ultimis monitis Patris ſui, jam in agonia conſtituti, animati ſunt omnes ad occumbendum pro juſtitia & innocentia. Ipſe arrepto Pſalterio, & primum pſalmi verſum, qui occurrit, pro præſagio accipiens: "Quoniam requiret Dominus „ ſanguinem ſervorum ſuorum „ ; hoc ſubjunxit ultimum: Videat Dominus, & requirat. Et egreſſis omnibus extra cubiculum, & quaſi agnis in medio furientium * expoſitis, ipſe extenſis manibus, terræ in modum crucis proſternitur, & orans cum lacrymis, in manus Domini animam ſuam commendavit, ut nemo umquam affectuoſiùs ſe Deo commendaverit.

* l. furentium

huni recubans, telo transfigitur.

51 Carnifices interea Petrum & Audolecum peremerunt, & quotquot eccleſiaſticæ clientelæ ibidem invenerunt. Unus cæteris truculentior, aſcenſo tecti culmine, eumque videns hærentem ſolo pavimenti, cor ejus jacto telo transfixit *x*; animam verò ejus cum ipſo orationis murmurio angeli intulere cælo. Pretioſus ergò ſacerdos Domini Lantbertus, qui hîc fuerat particeps omnium cuſtodientium mandata Dei, fruitur illic gaudens & exultans, omnium Sanctorum contubernio. Cum continentibus & virginibus redimitus ſerto caſtitatis, confeſſor cum confeſſoribus, ante Deum bibit ſecundum calicem confeſſionis; monachus cum monachis accipit centuplum æternæ recompenſationis; apoſtolus cum Apoſtolis in ſede judiciariæ poteſtatis ſedet; propheta cum prophetis ſpe gaudet, patriarcha cum patriarchis fide fulget; poſtremò martyr cum martyribus calicem ſalutaris accipiens, nomen Domini invocat, quia majus non habuit, quod Domino retribueret pro omnibus, quæ retribuit ſibi. Inter novem etiam locum ordines angelorum habet, in quo ſingulis pro merito officii ſui participet. Itaque factus omnium particeps, electus eſt in æterna curia municeps, ubi obtinet palmam perhennis gloriæ, & ſtolam jocunditatis æternæ.

x

B

ANNOTATA.

C

a *Indicat S. Gertrudem virginem, abbatiſſam Nivellenſem in Brabantia, cujus geſta elucidata ſunt ad diem* 17 *Martii. Erat hæc Pippini I, cognomento* Landenſis, *filia, & ſoror S. Beggæ, ex qua & Anſegiſo Pippinus II natus eſt.*

b S. Clodulphum *ſeu* Chlodulphum *Metenſem epiſcopum indicare voluit, cujus geſta expoſita ſunt ad diem* 8 *Junii, quo colitur.*

c *S. Arnulphus ante aditum epiſcopatum in ſeculo uxoratus, S. Chlodulphum, cujus mox meminimus, & Anſegiſum procreavit, ex quo & S. Begga Pippinus, ut diximus, genitus eſt. S. Arnulphi res geſtas vide ad diem* 18 *Julii.*

d *Drogo Campaniæ dux, Pippini ex legitima uxore ſua Plectrude filius, in variis Annalibus apud Cointium obiiſſe notatur anno* 708.

e *Fuit hic alter legitimus Pippini filius, qui dum anno* 714 *in eccleſia* S. Lamberti *Legiæ pro ægrotantis patris ſui incolumitate oraret, interfectus eſt.*

f *Dodonem Pippini domeſticum ac potentem virum fuiſſe, teſtantur etiam Godeſchalcus & Stephanus; ſed eumdem Alpaïdis fratrem fuiſſe, primus, quem novi, ſcripſit anonymus, cujus verba recitavimus in Commentario num.* 128.

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

g *Lege* Achab. *Hic in Ms. noſtro deinde vox una aut altera excidit, ut locus vacuus indicat.*

h *In Ms. noſtro mendosè hîc legitur* Alpaïdis. *Porrò hîc incipit Sigebertus contra Godeſchalci ac Stephani fidem novam martyrii* S. Lamberti *cauſam comminiſci. Conſule Commentarium noſtrum §§ 9 & 10.*

i *Gallum & Rioldum Dodonis conſanguineos fuiſſe, & Trajectenſem eccleſiam rapinis ſuis graviter afflixiſſe, didicit ex Godeſchalco & Stephano: verùm hi nullam affligendi cauſam aſſignant, nec Alpaïdis umquam meminerunt.*

k *Totum bellum hoc Sigebertus pro ſuo ingenio exornavit, cùm Godeſchalcus & Stephanus tantùm dicant, Gallum ac Rioldum à* Petro & Audoleco, *qui eccleſiaſticarum rerum prædationes ultrà ferre non poterant, occiſos fuiſſe.*

l Jopilia, Jopila, Jopilum, Jupila, Jobii-villa, *vulgo* Jupille, *vicus eſt in ripa Moſæ prope Leodium, ubi Pippinus villam habuit, in qua etiam obiiſſe creditur.*

m *Hiſtoriam hanc refert Severus Sulpicius cap.* 23 *Vitæ S. Martini, qui colitur die* XI *Novembris.*

n *Adi Dialogos ejuſdem Severi Sulpicii lib.* 2, *cap.* 7.

o *Et hoc quoque totum convivium antiquioribus omnibus ignotum primus confinxit Sigebertus, atque ita retulit, quaſi ipſe eidem interfuiſſet.*

p *Id eſt,* Officii nocturni.

q *Quibus ea crux viſa fuerit, quibus occultata, Sigebertus ex ſola conjectura dixiſſe videtur, nam antiquiores biographi tantùm dicunt, eam nonnullis* de ipſo exercitu, *vel* exercitum ſequentibus *ita apparuiſſe.*

r *S. Conſtantini imperatoris geſta illuſtrata ſunt ad diem* 21 *Maji, ibique de prodigioſa cruce, quam adversùs Maxentium moturus vidit, actum eſt cap.* 3. *Voces Græcus reſtitui, cùm in Ms. noſtro legeretur vitioſè* Duthoyca.

s *Vita S. Benedicti, Ordinis ſui fundatoris, auctore S. Gregorio Magno, data eſt die* 21 *Martii, ubi cap.* 6 *iſta viſio refertur.*

t *Sanctum, abjecto mox gladio, quem ſomno gravis primo mentis impetu ad ſui defenſionem arripuerat, mutâſſe ſententiam, aiunt etiam Godeſchalcus & Stephanus; ſed de indicta ſibi propterea pœnitentia neuter meminit. Poëta anonymus, num.* 174 *relatus, ex rumore fabulatus eſt, eum ſeptennio pœnitere, ſi viveret, ſtatuiſſe. Vide Commentarium num.* 166 *&* 188.

u *In cæde ſcilicet Galli & Rioldi, de qua conſule Commentarium num.* 167 *& ſequentibus.*

x *Primus Sigebertus ſcripſit,* S. Lamberti *cor transfixum fuiſſe. Godeſchalcus ait:* In ictu teli jaculavit eum: *Stephanus:* Percuſſit telo victurum in ſecula Chriſto: *Poëta anonymus:* Hunc telo figens, auxit ſibi vulnera culpæ.



CAP. V.

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

CAPUT V.

Corporis ſepultura Trajecti : Dodonis & ſociorum pœna : miracula Leodii facta, & eccleſia ibi ædificata : Corpus eò tranſlatum : Grimoaldi cædes divinitus punita : Nortmanni à ſacro corpore repulſi : auctoris obſervatio : tempus martyrii.

Corpus Trajectum delatum, ad eccleſiam S. Petri,

PAuci ex ſatellitio ſancti Martyris, qui evaſerunt mortis periculum, tegentes vili tegmine corpus roſeo cruore perfuſum, quantotius navigio Trajectum tranſvexerunt. Volat fama per populos, pavore & horrore univerſos concutiens : pavent omnes pro offenſa principis *a*, horrent omnes pro indebita nece Præſulis, deflent Trajectenſes, ſe amiſiſſe pii Patris benevolentiam, nec tamen ſatis audent debitam tanto Patri reverentiam exhibere. Vix caros lugere, vix reos vacat odiſſe. Expoſito ad portum ſancto corpore, cucurrit populus ſine nomine & numero, & quanti apud omnes S. Lantbertus æſtimatus ſit, ex confuſis omnium planctibus æſtimari poterat. Impoſitus feretro defertur ſanctus Martyr ad baſilicam S. Petri cum honore debito ; clerus cum pſalmis & canticis proſequitur, populus complodit manus cum lamentis : populus pernoctat ſolemniter, clerus ritè frequentat excubias.

a

Pellices repellens, in paterna tumba ſepelitur :

53 Juvat omnes allambere veſtigia pii Patris ; magna ſe putat ſuffragia meruiſſe, cui contingebat ſanctis membris infigere oſcula. Delectabile ac pium erat videre omnes Paſtori ſuo impendere pignus amoris ; ſed miſerabile ac mirum erat circa erraticas oves iram pii Paſtoris advertere. Traditur enim à majoribus, quia, cùm omnibus Sanctum exoſculandi liber aditus pateret, ſi qua pelex ſe ingerebat ad corpus Martyris oſculandum, quaſi quodam turbine rotata, retrocedebat *b*. Per pelicum ergo repulſam clarebat nimis, Deo & ſancto Martyri pelicem *c* illam odioſam fuiſſe, quæ duplici crimine Franciam infamaverat, & ſanctam conturbaverat Eccleſiam. Tantus autem timor Trajectenſes pro hujus rei acerbitate inceſſerat, ut nec mauſoleum dignum tanti nominis Viro auderent præparare : idcirco apertâ tumbâ Apri patris ipſius S. Lantberti, manè facto cum oſſibus patris ſui corpus ſanctiſſimi Filii ejus uſque ad tempus tumulandum decreverunt.

C

b

c

Cæleſtis melodia ibidem audita.

54 Exanimes artus non liquit cælica virtus,
Monſtravit populis, quantæ fuerint bonitatis.

Ne enim terrerentur populi humano terrore, quo minùs ſanctum Domini Lantbertum digno honore venerarentur, cœpit ad tumulum ejus noctu & interdum in die audiri angelicum conticinium pſallentium, quoties ibi humanum ſilentium eſſe videbatur. Nec defuerunt, qui rei ipſius veritatem ſcrutabantur, & cùm apponerent omnem mentis & aurium diligentiam, videbatur eis [ex qualitate vocis S. Lantberti bene ſibi nota *d*,] quòd ipſe Sanctus cum aliis, qui ſecum occubuerant, divinæ Majeſtati dulcem melodiam caneret *e*. Si quis eâ horâ vellet adire baſilicam, præ horrore non poterat introire, & quanto quis ſe propiùs ingereret, tanto minùs angelicas voces admittebat retuſis auribus : cùm autem elongabatur, angelica melodia ampliùs iterabatur. O ineffabilis potentia tua, Chriſte ! Quis compenſet tua magnalia ? Ecce, palàm facis, quod ore tuo dixiſti : „Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.„ Omnes enim tibi vivunt, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

D

d

e

Sanctas apparens, Dodonis & ſociorum ejus

55 Miles Chriſti glorioſus Lantbertus, quantus apud Regem regum in cælis eſſet, cœpit ſtatim in terris patefacere, per hoc multò beatior, quòd per eum etiam poſt mortem nomen Domini benedicebatur in populis. Apparens enim nocte theſaurario, nomine Amalgiſo *f*, judici quondam ſuo, eum blando compellabat alloquio : qui de cauſa adventus ſui ab eodem viro diligenter inquiſitus ; Romam, inquit, ivimus ; Româ, ecce, redimus, viſitaturi Dodonem & complices ejus ; ſanguis enim innocentium, qui mecum pro Chriſto ſuper terram effuſus eſt, jam jamque expetit ab eo vindictam, nec ſuam Deus ab eis gratiam elongabit. His dictis, diſparuit. Sed quia viſio non fuit fantaſtica, rerum exitus docuit. Dodo nempe ſancti Antiſtitis interfector ſtatim incurrit iram divinæ ultionis : nam omnia vitalia putrefacta & fœtida per os ſuum projiciens, oſtendit omnibus infelicitatem ſuam per miſerabilem vitæ exitum ; & qui hîc pompâ ſeculi abuſus eſt, deputatus eſt in inferno jam * inexſtinguibili, & vermi non morienti.

f

E

* igni

Mortem prædicit, verus vates.

56 Fertur etiam, quòd propter intollerantiam nimii fœtoris corpus ejus in fluvium Moſam projectum ſit, vermibus & tabe corruptum *g* ; nec aliam ſepulturam meruit, qui miſerabilem tanti criminis ſibi memoriam acquiſivit. Dodoni in crimine æquandus ille, qui Sanctum Domini ſuis manibus peremit, fratri ſuo miſer bello congreditur, & fratrem perimens, mutuò à fratre perimitur. Ut ajunt, paucis omnia concludam : infra anni ipſius ſpatium vix aliquis evaſit, qui in nece ſancti Martyris reus fuit : & ſi quis ſuperfuit, in tantum ſe aut ſenſu *h* perdoluit annullari, ut illos fælices duxerit eſſe, qui citata, quamvis miſerabili, morte conſumpti ſunt. At Chriſti Martyr coronatus triumphat, & victoriæ palmam *i* tenens, in ſinu Abrahæ exultat. Sic, Chriſte, in Sanctis tuis de inimicis triumphas, & diligentes te diligens, honorificas honorantes te.

g

h

F

i

Sancti cubiculo divinitus illuſtrato, cæcis

57 Legia, quæ illuſtrari meruit Patroni ſui martyrio, quamvis corpore ipſius ſe ad tempus doluerit viduatam eſſe, tamen miraculorum ejus immunis non fuit. In cubiculo namque martyrii illius conſcio luminaria, divinitus accenſa, ſæpius reſplendebant ; ut tota domus, quaſi ſolis radius, refulgeret, [ut lucem illam vix humanus ferret *k*] oculus. Hæc famæ primordia verificabat ſequens gratia miraculorum, quorum hîc ſumma capitulanda eſt. Theoditnum *l* quemdam Vir ſanctus ſemel per viſum monuit, ut pectinem ſuum optimum redderet, ab ejus uxore ſibi præreptum : tertio *m* non parentis ſibi pectus affecit inſanabili ictu, ſicque ſuum ab invito recepit. Baldigiſilus juſſus per viſum excubare ad locum martyrii ejus, & alter quidam Raginfridus eumdem locum emundare monitus, ambo lumen oculorum, quo carebant, receperunt, in ſuo quiſque tempore.

k

l

m

58 Veniebat cum fide ad hunc locum virgo

A Oda, & ipſa cæca; & loco proxima ut nomen invocavit ſancti Martyris, quod volebat, accepit *n*. His augebatur recens veneratio novi Patroni, & accenſa populi devotio Sancto baſilicam ædificat, tantò citiùs, quantò devotiùs. Lectus etiam Sancti à fidelibus fabricatus, in illo loco poſitus eſt, ubi Sanctus telo iniqui transfixus fuit. Hæc Legienſium devotio adeò Domino placuit, ut jam crebrò multis fidelibus cælitus viſio appareret, ut ſanctus Martyr relatus à Trajecto, martyrii ſui loco reſtitueretur. Sanctus Hubertus, ſanctiſſimi Lantberti diſcipulus & ſucceſſor, non contraibat Dei & Martyris voluntati. Anno igitur epiſcopatus ſui XIII *o* tumulum Sancti aperiens, corpus ejus ſolidum & illibatum ac miro odore reſperſum invenit: mutavit veſtimenta, & priora pro dandis pignoribus *p* ſervanda ſigillavit.

59 Claruit vel transferendo, hoc beneplacitum fuiſſe Domino: in villa quippe Nuella *q* requieſcente populo, pauper & cæcus, ditatus eſt reddito ſibi officio oculorum. Nec multò pòſt in villa Hermala *r* cunctis requie relevantibus laborem, paraliticus *ſ* ibidem adductus, in aſpectu ſancti feretri ſolidata compage membrorum, ſibi redditus eſt. In ſingulis his locis ſtatim baſilicæ in honorem ſancti Martyris fundabantur. Cum tali tripudio appropinquabatur tuo, ô Legia, municipio *t*! Quanta & qualis fuerit proceſſio cleri & populi, quanta & qualis exultatio undique concurrentium, quanta omnium liberalitas in dandis Sancto muneribus, quanta fuerit fidelium orandi & vota ſolvendi puritas; hæc & hujuſmodi facilius à ſapiente æſtimari poterunt, quàm alicujus ore vel ſtilo narrari.

60 Habes, Legia, tuum gaudium; ecce, tenes tuum ſpeciale patrocinium. Hinc cœpit tui profectus * initium, per hunc in urbem exaltata, proveheris de filia in matrem *u*: per hunc in epiſcopalem ſedem promota, in omnem profeciſti honeſtatem. Aliis urbibus in ſenium quodammodo vergentibus, tu per hunc effloruiſti in pulchræ juventutis ſtatum. Protegat te in ævum ſuis ſanctis Martyr ſuffragiis, qui te ad hoc provexit, ut in terra merito & nomine magnificeris. Ex tunc in reliquum tempus non eſt modus vel numerus miraculorum; cùm omnibus per Lantberti nomen ibi Deum invocantibus in veritate ſemper patuerit oſtium divinæ miſericordiæ. Erat illic videre compeditorum vincula, debilium ſuſtentacula, in argumentum virtutis Dei appenſa. Quicumque veniebat fidei tenax, numquam redibat inefficax.

61 Hic quoque ſanctus Martyr, ſicut piis & fidelibus pius & oportunus adjutor erat, ita erat contra impios aut ſeverus correptor aut juſtus ultor. Poſt paucos enim annos tranſlationis ejus *x*, ægrotante ſæpe nominato Pippino Majore-domûs, ibat ad eum viſitandum filius ejus Grimoaldus, qui devotus S. Lantberto, ideò fortè ampliùs, quia occubuerat pro defenſo matris ejus Plictrudis matrimonio *y*, divertit Legiam, & ad tumulum Sancti oraturus acceſſit. Inter orandum exceptus ibidem ante altare S. Lantberti perimitur à quodam ſatellite Rabbodonis ducis Friſonis, cujus filiæ à patre ſuo Pippino ſibi deſponſatæ connubium expectabat *z*. Sed Rabbodo id impunè non tulit, cujus inſtinctu innocens occubuit Grimoaldus: nam non multò pòſt idem Rabbodo mirabiliter à dæmone ludificatus, ſubita periit & æternali morte *aa*.

62 Poſt deceſſum S. Lantberti gens Normannica beluina feritate ſpirans, Leodium, id eſt Legiam, violenter irrupit, & municipiis effractis atque combuſtis, civibus etiam immoderata cæde fuſis, & ſubſtantiis direptis, ad ultimum eccleſiam S. Lantberti igne conſumpſerunt, & eam ſolo coæquantes, ſola ruinæ & combuſtionis veſtigia reliquerant. Deinde ad locum, in quo ſanctum corpus venerabatur, barbarica præſumptione volentes accedere, & optima, quæque invenirent, diripere, divinitus incuſſa formidine reſilientes auſugerunt; qui fugientes hoc modo, fugam ſuam conſolabantur, dicentes, ſibi diſpendium eveniſſe, quòd ſolam & nunc adeò pretioſam circa Martyris corpus ita micantem fabricam non abſtuliſſent *bb*. Quia longum eſt & tædioſum ſingula S. Lantberti miracula particulariter enarrare, Dei per eum operantis potentiam laudemus univerſaliter.

63 Vitam S. Lantberti primitus juſſu Agilfridi epiſcopi ſcripſit Godeſcalcus, diaconus ipſius congregationis, qui fuit tempore Pippini tertii & Caroli Magni *cc*; quam licèt pro ſimplicitate ſenſûs multis barbariſmi & ſtylociſmi vitiis expreſſerit *dd*, eam tamen totam ad honorem ſancti Martyris ipſe aurigraphus aureis litteris ſcripſit, & geſta quidem ejus veraciter proſecutus, de cauſa martyrii *ee* parùm libero ore eſt locutus. Quod hac de cauſa feciſſe creditur, ne ſui temporis regibus culpam majorum ſuorum videretur exprobrare. Ex illicito quippe Pippini *ff* & Alpaïdis conjugio natus eſt Carolus Martellus, ex Carolo Pippinus tertius, qui ex principe in regem Francorum promotus eſt; de Pippino Carolus Magnus *gg*, quo nemo ante ipſum vel poſt ipſum fuit major; de quo dubitari poteſt, fortior, an felicior eſſet, potentior in republica, an religioſior in Eccleſiaſtica diſciplina. Paſſus eſt autem S. Lantbertus XV Calendas Octobris *hh*, anno epiſcopatûs ſui XL, ſub rege Francorum Hildeberto, Theodorici regis filio, à quo Theodorico reges Francorum ſolo nomine regnabant, penes majores-domûs potentiâ regni conſtitutâ, uſque ad Pippinum tertium in regem promotum.

n *o* *p* *eò transfertur non ſine miraculis:* *q* *r* *ſ* *t* *quantùm hinc boni Leodio acceſſerit.* * *al.* provectus *u* *Grimoaldi in Sancti eccleſia cædes divinitus punita:* *x* *y* *z* *aa* *A. Sigeberto Gemblacenſi. Normanni à Sancti corpore repulſi.* *bb* *Auctoris animadverſio de primo biographo: tempus martyrii.* *cc* *dd* *ee* *ff* *gg* *hh*

ANNOTATA.

a *Imò Dodonis, ut alibi ſæpe dictum eſt.*

b *Hanc mirabilem pellicum repulſam Sigebertus primus è biographis tradidit.*

c *Alpaïdem deſignat, quam* S. Lamberti *necis ream fuiſſe non credimus:*

d *Quæ uncis incluſa ſunt, reſtituimus ex Vita breviori ab eodem Sigeberto, ut* § 1 *probavimus, conſcripta, & Reinero perperam attributa. In Ms. enim noſtro hìc luxato ita legitur:* Videbatur eis vocis ſibi notæ unde S. Lamberti, quod ipſe Sanctus *&c.*

e *Conſule Godeſchalcum in Vita prima, num.* 22, *& Stephanum in Vita ſecunda, num.* 38.

f *A Godeſchalco* Amalgiſilus *vocatur; atque ita etiam legitur in Vita breviori mox citata.*

g *De corpore in Moſam projecto nihil legitur apud Godeſchalcum.*

h *In Ms. noſtro* cenſu *legitur; ſed cùm in Vita breviori ad. lit.* d *laudata, habeatur* ſenſu, *hæc lectio præplacet. Fortè tamen legendum*, ſenſum.

i *Ms. noſtrum habet:* Victoriam palmæ; *quod ex eadem Vita breviori correxi.*

k *Uncis incluſa ex laudata Vita breviori denuò reſtitui, cùm in Ms. noſtro poſt verbum* refulgeret, *omiſſis ceteris, tantùm ſequeretur*, oculus.

l Theoduïnum *habet Vita brevior, Godeſchalcus*, Theodoënum.

A. SIGEBERTO GEMBLACENSI.

m *Godeſchalcus tantùm bis Sanctum ipſi apparuiſſe teſtatur; tertiam vicem adjunxit Sigebertus.*

n *De hiſce tribus lumine donatis agit Godeſchalcus cap.* 3, *ex quo, uti & quæ de eccleſia Leodii erecta ſubdit, ea didicit Sigebertus.*

o *Hunc annum, quem in Chriſti* 721 *vel* 722 *incidiſſe oſtendimus, deprompſit ex biographo S. Huberti apud Surium.*

p *Id eſt pro ſacris reliquiis diſtribuenda.*

q *In Vita breviori legitur* Nivella. *Vide Annotata ad Vitam primam cap.* 3 *lit.* p.

r *In eadem Vita breviori eſt* Harmala. *Conſule præcitatum cap.* 3 *Vitæ primæ, ad lit.* q.

ſ *A Godeſchalco* contractus *dicitur.*

t *Legia ſive Leodium, vivente* S. Lamberto, *villa tantùm fuerat; ſed veriſimile tamen eſt, eam ob locum martyrii illius, miraculis & eccleſiâ illuſtratum, jam tum incrementa cepiſſe.*

u Matrem *reſtitui ex Vita breviori; nam in Ms. noſtro perperam legitur,* martyrem.

x *Quæ hîc narrat, anno Chriſti* 714 *contigiſſe probavimus in Commentario prævio num.* 118 *& ſequentibus; ideóque erravit Sigebertus, dum eadem aliquot annis poſt delatum eò Sancti corpus* B *contigiſſe aſſeruit.*

y *Conſule Commentarium* § 9 *&* 10, *ubi id refutavimus.*

z *Errat Sigebertus; Coïntius enim ad annum Chriſti* 711, *num.* 7 *ex Annalibus Metenſibus & Geſtis regum Francorum probat, Teutſindam vel Theodoſindam, Radbodi Friſonum ducis filiam, Grimoaldo reipſa nuptam fuiſſe, anno ſcilicet* 711 *ſecundùm citatos Annales.*

aa *Fabulatur hîc denuò Sigebertus, dum Radbodum* non multò poſt *Grimoaldi cædem, in cujus ſuſpicionem ipſe revera venit, ludificatum à dæmone obiiſſe ait. Conſtat enim ex Annalibus à Coïntio ad annum Chriſti* 719, *num.* 14 *citatis, ipſum primùm prædicto anno* 719 *vitâ functum eſſe, cùm jam antè Carolum Martellum cum exercitu ſuo cecidiſſet, ut apud eumdem Coïntium ad annum Chriſti* 716 *num.* 1 *videre eſt. Quod de ludificatione dæmonis ait, conſule Acta S. Wlfranni epiſcopi Senonenſis tom.* 3 *Martii, à pag.* 146 *in Appendice.*

bb *De hac irruptione Normannica conſule Commentarium prævium* § 14, *ubi ex vetuſtiori anonymo oſtendi, minimè veriſimilia eſſe, quæ de eo* C *metu ad* S. Lamberti *corpus Normannis incuſſo narrat Ægidius Aureæ-Vallis; ſed ibidem non obſervaveram, Ægidio hac in parte Sigebertum præluxiſſe. Anonymo tamen ſtandum putamus.*

cc *De Godeſchalco & tempore, quo ſcripſit, egimus in Commentario* § 1.

dd *In Ms. noſtro perperam legitur:* repreſſerit.

ee *Ita correxi ex Vita edita nomine Reineri; nam Ms. noſtrum vitiosè habet:* & cum martyrii.

ff *Vox* Pippini *ex Ms. noſtro exciderat; quam ex mox laudata Vita reſtitui.*

gg *De hac prætenſi ſilentii cauſa conſule Commentarium prævium* § 10.

hh *De die martyrii convenit inter omnes: de anno egimus in Commentario* § 8 *&* 10.

D

VITA QUARTA

Auctore Nicolao, canonico Leodienſi ſeculo XII,

Ex editione Joannis Chapeavilli.

PROLOGUS.

DIlecto in Chriſto, & verè diligendo Domino ſuo Wederico, Letienſis eccleſiæ venerabili abbati *a*, Nicolaus eccleſiæ ſanctæ Mariæ, ſanctique Lamberti, quæ eſt in Leodio, canonicorum & diaconorum ultimus, ſalutem. Sicut nihil eſt, quod amicis & fratribus, honeſta petentibus, negare debeamus, ita & eorum eſt à nobis non exigere, quod nimis arduum tarditate aut E tenuitate ingenii aſſequi non valeamus. Temerarium enim valdè eſt, quod quidam præclaras illuſtrium virorum res & memoriâ dignas aggrediuntur ſcribere, quibus nec ingenium natura, nec eruditionem doctrina, nec orationis ſplendorem indulget eloquentia. Sicque fit, ut cùm magnitudinem rerum, quas exornare debuerant, verbis nequeant explicare, ariditatem ingenii ſui, & imperitiam coguntur * manifeſtare. Grandes enim * cogantur materias, ut ait Hieronymus ad Heliodorum epiſcopum, ingenia parva non ſufferunt, & in ipſo ſuo conatu, ultra vires auſa, ſuccumbunt. Quod & mihi eveniſſe fateri non erubeſco, qui nec oratoriâ eloquentiâ clarus, nec ſubtilis ingenii mihi conſcius, vitam & paſſionem beati Lamberti martyris, quam ſcribere inſtitueram, dignis verbis pronunciare non ſufficio.

Excuſans imperitiam ſuam, *a*

2 Quod equidem opus non cujuſlibet levitatis motu, ſeu jactantiæ faſtu in me ſumpſiſſe, ſciat veſtra paternitas; ſed quidam ex dominis & prioribus noſtris parvitatem meam ſæpius ſunt exhortati, quatenus digniorem paſſionis cauſam beati Viri, & geſta ejus vetuſtate jam obruta, diligenter perveſtigarem, & conſcribendo tanquam in F lucem retraherem. Diu multúmque ſuper hoc hæſitavi, quia & tantam rem aggredi valdè invidioſum, & majorum meorum authoritati contradicere erat inſolens, & verè irreligioſum. Sed, ut arbitror, nullam meretur, vel vereri debet cujuſquam obtrectatoris invidiam, qui ad ſcribendum non incitatur amore propriæ laudis, ſed præcepto cogitur præſidentis. Parui itaque injunctis, & inter multiplices occupationes meas aſſumpſi hoc opus, plenum laboris & ſollicitudinis; quia nihil penitus ex hoc inveniri poterat in libris eorum, qui priùs vitam & martyrium B. Lamberti conſcripſerunt, quibus etiam apud nos maximam authoritatem non levis, ſed venerabilis ſanxit antiquitas *b*.

ait ſe ſcribere rogatum, ut aliam

3 Horum primus, (ut à majoribus noſtris accepimus,) fuit Godeſchalcus quidam, eccleſiæ noſtræ diaconus, tempore Caroli Magni, ex Francorum regibus imperatoris auguſti, & Agilfridi noſtri epiſcopi *c*. Secundus verò fœlicis memoriæ Stephanus, decimus poſt B. Lambertum Leodienſis epiſcopus *d*: qui cùm de vita & ſanctiſſima converſatione ejus quædam magnificè ſatis diſſe-

b

martyrii cauſam prodat: argumentum Operis

c

d

rue-

A ruerint, mirandum valdè eſt, cur glorioſam & tanto Sacerdote dignam martyrii ejus cauſam ſilentio præterierint, conſcribentes ea, quæ & gloriam videntur obſcurare Martyris, & ſubſannandi occaſionem præbere calumniatoribus & incredulis *e*. Nec tamen eorum ſcriptis derogo, aut Opuſculum hoc meum memorabilibus virorum venerabilium dictis comparo; in quo non oſtentationem eloquentiæ, ſed verbis ſimplicibus veritatem polliceor hiſtoriæ, omnino declarare cupiens, quorum principum tempore, vel à quibus parentibus B. Lambertus nativitatis exordium ſumpſerit; quo doctore ſacras Literas didicerit, quibuſve in pueritia miraculis floruerit, quàm ordinabiliter ad epiſcopatum promotus, quàm irrationabiliter ab eccleſia Tungrenſi ejectus, quámque glorioſè iterum intronizatus, ſemper tamen patientiam & humilitatem tenuerit; qua ætate claruerit, & quomodò poſt converſionem Taxandrorum, poſt multa ſanctitatis ejus opera, vitam martyrio finierit, qualiterque horam & gloriam paſſionis ejus Romanus Pontifex per angelum manifeſtè cognoverit *f*.

4 Hæc equidem partim ex geſtis regum Francorum, partim ex Chronicis Reginonis Pruniacenſis abbatis, & Sigeberti venerabilis monachi de cœnobio Gemblacenſi, partim ex epiſtolis diverſorum epiſcoporum, partim ex Vita B. Landoaldi præsbyteri, ſeu S. Landradæ virginis *g*, partim ex relatione majorum & ſcriptis virorum fidelium, excerpere curavi, & in libelli formam ſeriemque redegi; imitatus quodammodo apis ſolertiam, quæ ex diverſis floribus ſuccos convehens, & in favos diſponens, varium ſaporem in unam commutat mellis dulcedinem. Et quoniam veſtra Letienſis eccleſia ſpecialiter B. Lamberti patrocinio gloriatur, ejuſque reliquias pro amore indubitato complectitur *h*, hoc parvitatis meæ Opuſculum ſanctitati veſtræ tranſmitto, pater venerabilis, ſummopere vos deprecans, ut non in eo ſcribentis imperitiam, ſed eorum, quæ inſcribuntur, & Martyris attendatis magnificentiam. Valete, & orate pro me.

f *& auctores recenſet.*

g

h

ANNOTATA.

a *De* Wederico *vel* Widerico *abbate Letienſi in Hannonia adi Commentarium prævium num.* 289 *& ſequentibus.*

C b *Ecce hic candidè fatetur Nicolaus, ſeculi* XII *ſcriptor, ſeſe cauſam martyrii* S. Lamberti, *qualem ipſe exponet, apud nullum veterem biographum reperiſſe.*

c *Vitam auctore Godeſchalco, de quo conſule Commentarium* § 1, *dedimus primo loco.*

d *Hujus quoque Opuſculum ſecundo loco recenſuimus.*

e *De cauſa martyrii prolixè diſputatum eſt in Commentario* § 9 *& ſequenti.*

f *Hanc apparitionem ut fabuloſam rejecimus* § 8.

g *De utroque Sancto ſermo infrà recurret.*

h *Conſule Commentarium* § 20.

A. NICOLAO CANONICO.

CAPUT I.

Sancti illuſtres & pii parentes, & inſtitutio ſub SS. Landoaldo & Theodardo: hujus corporis tranſlatio Trajectum ab eo facta: in epiſcopatum ſucceſſio.

Illuſtribus parentibus, Aper & Heriſplende natus,

GLorioſus vir Lambertus, & æterno Regi ſacerdos & martyr electus, inſigni ex proſapia in Trajecto extitit oriundus, qui eſt ſuper Moſam fluvium grandis vicus, non longè à dirutis urbis Tungrorum mœnibus. Pater ejus Aper, vir illuſtris, hæreditariam à majoribus ſuis ſibi relictam comitatûs illic ſtrenuè gubernabat dignitatem. Mater verò, Heriſplendis nomine, claritatem nobilitatis moribus exornabat pudicitiæ & honeſtatis. Eo tempore Eraclius poſt Focam Romani faſtigium adeptus erat imperii: eam verò partem regni Francorum, quæ Auſtria dicitur, Dagoberti regis filius Sigebertus admodum juvenis, prudenter ſub patre gubernabat per Cunibertum Colonienſem epiſcopum & majorem-domûs Pipinum primum, viros fide, juſtitiâ, conſiliis, conſpicuos *a*. Sub his itaque principibus, ab illuſtribus, ut præmiſſum eſt, Lambertus natus eſt parentibus. Qui, quoniam Chriſtianiſſimi erant, in conjugali copula Deo placere ſtudentes, cùm hunc talem Deo promeruiſſent divitiarum ſuarum Hæredem, ſacris eum literis imbuendum, & Eccleſiaſticis miniſteriis mancipandum, nec ſine divina Providentia, diſpoſuerunt; quod etiam ipſius Pueri beata ſpirare videbatur infantia.

E

a

S. Landoaldo magiſtro, multùm proficit;

6 Et quia pater ejus vir prudens erat, ſanctum ſancto magiſtrum elegit Filio, ne puerilis innocentia, columbina ſimplicitas, cujuſlibet pravitate doctoris inficeretur. Initiandum ergò ſtudio literarum ſubmiſit eum viro venerabili Landoaldo, cujus vitæ integritas, & ſcientiæ ſermoniſque ubertas, in hac regione tunc celebris habebatur. Hic ſiquidem Landoaldus ſub S. Amando epiſcopo archipresbiter eccleſiæ Tungrenſis ordinatus, Deo ibidem militaverat, eandemque eccleſiam per novem annos epiſcopo vacantem, uſque ad ſacerdotium B. Remacli, diligenter rexerat. Landoaldus itaque teneros annos ſancti Pueri paterno ſinu complectens, ad normam ſanctæ vitæ informabat primævæ ætatis mores. Divina ſiquidem gratia, quæ ſe ejus cordi abundanter infuderat, pueritiæ ejus teneritudinem manifeſtè provehebat in virilis ſenſûs maturitatem. Qui quantùm ſub eodem beato viro profecerit, quàm puro pectore pietatis ac ſobrietatis doctrinam hauſerit, ſuperfluum arbitramur inculcare verbis, cùm fructum tam fœlicis arboris adhuc hodie paſſim exuberare videamus.

F

cum eoque eccleſiam ædificans, fontem elicit;

7 At vir illuſtris Aper de profectu Filii ſui non mediocriter exultans, & Deo verbis & factis gratias referens, fundum proprietatis ſuæ, quod Wentershovium dicitur, jure perpetuo delegavit illi, illiuſque tutori Landoaldo, ut eccleſiâ ibi conſtructâ, tantò inſtantiùs vacarent, ille docendi ſtudio, iſte diſcendi, quantò remotiùs viverent à va-

A. Nicolao canonico.

nitate sæculi. Ubi dum insisteretur in ædificanda ecclesia, artifices super penuria potabilis aquæ conquerebantur, quia ibi aqua ex paluſtri colluvie collecta bibentes magis torquebat amaritudine, quàm aliqua refocillaret suavitate. Sanctus magister, sanctiorque magistro Discipulus fidem habentes in eum, qui amaris aquis de Marath dulcedinem indidit, qui aquas de petra produxit, communi voto pariter exorant pietatem Omnipotentis. Invocato ergò nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, baculo designant locum in modum crucis. Mira res, sed fidei non inusitata! Fons ibi statim emanavit limpidissimus, qui usibus hominum amabilis, dum quotidiano incolas reficit beneficio, tanti miraculi non sinit interire memoriam.

prunas afferre ab eodem jussus,

8 Similiter die quadam, cùm jam hyemalis algor inhorruisset, fortè ignis in habitaculo venerabilis sacerdotis Landoaldi penitus defecerat: qui advocato prædicto Puero, Curre, inquit, Fili, & à vicina domo ardentes prunas defer, usibus nostris necessarias. Cumque vas ad convehendum ignem puer Lambertus in promptu non haberet, & doctoris urgeret imperium, cucurrit tamen velociùs, ne modicâ saltem morâ ingratum faceret suum magistro ministerium. Homines autem regionis illius per sylvas & paludes, quibus abundant, dispersi, longè à se invicem distant & habitant. Itaque ad vicinum tugurium, in quo copiosum ignem ardere à longè notaverat, festinus accessit, sibique carbones dari à circumsedentibus expetiit. Quærentibus autem illis cum irrisione, (cùm vas non haberet,) velletne eos in vestibus suis excipere; ille, ut erat columbinæ simplicitatis, palliolum suum ambabus manibus & brachiolis extensum diligenter aptavit, exceptamque in eo sufficientem ardentium prunarum copiam, ne qua tamen possent effluere, firmiter astrinxit, lætusque cum festinatione rediit.

B

eas in veste sua innocuè portat.

9 Cùmque coram magistro eas humiliter deposuisset, vestemque excussisset, nullum penitus in ea apparuit corruptionis signum, nullum vel modicæ adustionis vestigium. Mirari cœpit intra se venerabilis sacerdos, & omnipotenti Deo gratias agere; quia sicut videbat vestem illæsam ab incendio, sic mentem Pueri sinceram & mundam notaverat ab omni elationis vitio *b*. Interea fœlix adolescens Lambertus sub Landoaldo in divinarum & mundanarum literarum scientia non mediocriter exercitatus, & viam Domini juxtà teneræ modum ætatis sufficienter est edoctus, mundus & integer mente & corpore ab iis vitiis, adversùm quæ parùm cauta est lubrica ætas adolescentium, maximè eorum, quos & nobilitas carnis & rerum opulentia impellit ad petulantiam.

b

C

A S. Theodardo ulteriùs institutus,

10 Cùm itaque jam juventutis attingeret florem, commendatur à patre, quem post Deum miro venerabatur affectu, sanctissimo viro Theodardo, qui B. Remacli successor, Tungrensi *c* tunc præsidebat ecclesiæ. Quem venerabilis pontifex Theodardus, quasi dilectissimum pignus & unicum filium, spirituali susciplens & complectens desiderio, ejusque mores & actus tacita & subtili consideratione perscrutans, cœpit venerari & admirari; quia deprehenderat in Juvene multiplices divinæ gratiæ donationes; multò fœliciorem se reputans talis Alumni famulatur & contubernio, quàm Moysen Josue, seu Heli Samuëlis ministerio. Erat enim verè dignus B. Lambertus, aspectu amabilis, colloquio affabilis, rectam conversationem habens cum omnibus hominibus. Parvi pendebat præsentia, veluti devoverat in pueritia, æstimans pro nihilo omnia, præter quod erat æternæ salutis gratia.

c

D

gratiæ & naturæ donis eminet.

11 Cælestibus animo inhærens, sese in holocaustum Domino mactabat. Et sicut hi conscripserunt, qui quantitatem seu qualitatem formæ ejus memoriæ prodiderunt, ita eum summus Artifex & naturæ ratio composuit, ut in toto ejus corpore vix aliquid reperiri posset, quod excedere videretur modum venustatis & elegantiæ. Denique tanta erat circa episcopum in obsequendo ejus humilitas, in sacra lectione assiduitas, in oratione devotio, in jejuniis moderatio, in eleëmosynis largitas, in hospitalitate hilaritas, ut in oppido populoso, & inter magnorum principum assiduos conventus, quibus eum interesse Tungrensis ecclesiæ negotia sæpiùs cogebant, solus vitæ suæ qualitate promeruerit, quatenus eum & boni possent veraciter prædicare, & mali formidarent detrahere.

Corpus S. Theodardi repetit, & Leodii sepelit.

12 Contigit interea beatum præsulem Theodardum per innocentiæ viam in territorio Spirensium *d* ad martyrii coronam pervenire. Cujus rei acerbitate, & tam lugubri Lambertus consternatus est nuntio: quamvis enim eum sanctorum martyrum gloriâ sublimatum non dubitaret, tamen non temperavit à lachrymis, quas eliciebat non incredulitatis diffidentia, sed desiderium charitatis. Angebatur maximè, quòd dulcissimi patris saltem supremo non interfuisset funeri. Ut ergò eum, quem dilexerat vivum, honoraret mortuum, ad solatium universi doloris sui accinxit se constanter ad repetendum corpus exanime sacerdotis & martyris: & licèt id frustra jam primò tentaverit, secunda tamen profectione, quod desiderabat, obtinuit. Relatum itaque tam sacratissimum pignus non sine magna exequiarum pompa sepelivit, ejusque tumulo honoravit villam. Legiam *e*, tunc quidem ignobilem vicum, hunc verò ordinatione divina & ipsius B. Lamberti patrocinantibus meritis, totius hujus regionis caput, principatûs domicilium.

d

E

e

Auctoris de sede Tungrensi observatio.

13 Eo siquidem tempore Tungrorum civitas ab Hunnis jam pridem funditus eversa, evolutis ab excidio suo plùs quàm ducentis annis, vix à paucis inhabitabatur, cunctaque suæ antiquæ nobilitatis & claritatis insignia, vastitatis & solitudinis ipsius magnitudo obliteraverat; solam verò pontificalis cathedræ dignitatem, quam à B. Materno *f*, primo ipsius civitatis episcopo, acceperat, adhuc in ecclesia S. Mariæ perpetuæ Virginis, inter ipsas murorum suorum ruinas inconcussè retinebat. Et quoniam Trajectenses, qui erant ei versùs Orientem satis finitimi, rebus, multâque populi frequentiâ tunc in ea regione potentiores habebantur; eorum ordinatione & dispositione Tungrensis sedes, tamquam decrepita & præmortua mater, à validiore & prudentiore filia gubernabatur; adeò ut usque ad sacerdotium B. Huberti, non minùs Trajectensis, quàm Tungrensis episcopatus diceretur *g*.

F

f

g

S. Theodardo in episcopatum,

14 Igitur qui Tungrensi ecclesiæ substitueretur episcopus, multùm desiderabatur in ecclesia Dei, multùm super hoc tractabatur in aula regis Francorum Clodovei, ejusque filii Hildrici *h*, qui sub patre regnabat in Austria. Nam Sigebertus *i*, Clodovei frater, absque liberis jam obierat. Itaque paulatim sermo intra ecclesiam, ab ecclesia ad populi frequentiam, discurrebat, nullum Lamberto meliorem, nullum eo Tungrensium episcopatu esse digniorem, quem certissimè

h

i

nove-

A noverant ditatum honoribus ſanctimoniæ, illuſtratum commerciis parcimoniæ. Spiritus ſancti ergò inſpirante gratia, plebs Trajectenſium pariter congregata in epiſcopum eum ſibi eligi, & in loco magiſtri ſuccedere acclamavit. Regalis etiam celſitudo ac palatinorum procerum multitudo, apud quos non levis exiſtimatio Lamberti erat, electioni aſſentiendo, tulere ſuffragium. At vir Dei Lambertus, qui ſacerdotium ſtuduerat mereri, non ſuſcipere, ſe indignum tali honore, ſe tanto oneri cauſabatur incongruum.

aliquantulùm reluctatus, ſufficitur.

15 Sed quantò plùs repugnabat, tantò magis omnium in ſe ſtudia concitabat; eò quòd ampliùs ab omnibus judicabatur ambiendus, quò in appetendo epiſcopatu inveniebatur minimè ambitioſus. Omnibus itaque acclamantibus, jamque piam violentiam invito renitentique ſe facturos minitantibus, cœpit Vir Deo plenus intra ſe cogitare, quia divinæ dona gratiæ meretur amittere, quiſquis ſub ſpecie humilitatis pertinaciter refugit per ea, quæ habet, bona proximis prodeſſe. Timebat manifeſtæ Dei voluntati reſiſtere, & charitatis & obedientiæ terminos excedere; ſicque per omnia verè humilis, verè Deo

B ſubjectus, & fragilitatis humanæ non immemor, tantæ plebis regimen ſuſcipere timuit; ſed de Dei vocantis ſe virtute præſumendo, conſenſit. Sic Trajectenſium teſtimonio, comprovincialium epiſcoporum judicio approbatus, per ſacræ unctionis miniſterium Spiritûs ſancti virtutem ſuſcipiens, Tungrenſi cathedræ viceſimus

k nonus *k* præſedit epiſcopus.

ANNOTATA.

a *Hæc Nicolaus hauſit ex Sigeberto in Vita tertia, num. 2., de quibus vide dicta in Commentario, num. 22 & ſequenti.*

b *Totam hanc Landoaldi hiſtoriam deſcripſit ex Vita S. Landoaldi, aut ex Sigeberto in Vita mox laudata, ipſis illius verbis ſæpe uſus.*

c *Vide dicenda inferiùs ad lit.* g

d *Nota eſt* Spira *Germaniæ civitas ad Rhenum flumen, antiquorum Nemetum caput, nunc in Palatinatu Inferiori.*

e *Hanc tranſlationem didicit ex Sigeberto, vel qui huic præluxit, antiquiore anonymo biographo S. Theodardi, de quo ſuprà ad caput 1 Vitæ tertiæ, lit.* q.

C f *S. Materni geſta illuſtrata ſunt in Opere noſtro ad diem 14 Septembris, ubi de hiſce conſuli poſſunt.*

g *Cùm Godeſchalcus, Stephanus, Sigebertus, & ante hunc Anſelmus SS. Theodardum &* Lambertum *epiſcopos* Trajectenſes *unanimi conſenſu appellent, itáque dictos eſſe Nicolaus ipſe agnoſcat, hic* Tungrenſes *tamen appellare affectat, quaſi epiſcopatûs ſedes tum etiam Tungris fuiſſet. Verùm vide dicta in Annotatis ad cap. 1 Vitæ 1, lit.* f.

h *Childericum II Auſtraſiæ regem, poſtea monarcham, Chlodovei II filium deſignat; ſed errat Nicolaus, dum eumdem Childericum ſub patre ſuo regnâſſe in Auſtraſia dicit, prout obſervavimus ad cap. 2 Vitæ tertiæ, ſcriptæ à Sigeberto, quem Nicolaus hic, ut ſæpe aliàs ſecutus eſt. Atque hinc in alium impegit errorem, dum de S. Lamberto epiſcopo creando actum eſſe ſcribit in aulâ Chlodovei, qui tum multis annis obierat. Vide dicta in Commentario num. 47 & ſequenti.*

i *Fuit is S. Sigebertus ejus nominis III, Auſtraſiæ rex, cujus Acta habes apud nos ad diem 1 Februarii.*

A. NICOLAO CANONICO.

k S. Lambertus *fuit vigeſimus epiſcopus Trajectenſis: ſed Nicolaus novem epiſcopos, qui ante S. Servatium Tungrenſes fuerunt, ceteris annumerat, & omnes Tungrenſes appellat.*

CAPUT II.

Epiſcopatus à Sancto egregiè adminiſtratus: ejuſdem depulſio è ſede ſua: Vita ſeptennio acta Stabuleti.

Ob epiſcopales virtutes regibus Clodoveo

SOrtitus itaque apicem dignitatis eccleſiaſticæ, ſtuduit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Non imminuit in eo, ſed multiplicavit anterioris vitæ gratiam collatæ poteſtatis excellentia; nec penitus in ejus animo locum habuit peſtis, quæ religioſarum mentium ſtatum ſæpiùs evertens, his, qui cæteris præſunt, nimis familiaris eſt, elatio. Mactabat omni die holocauſtum Domino, non ex pecore alieno, ſed ex corpore proprio. Conſilium & opus ſuum ſemper ad Dominum convertebat; cor ejus & pedes directi erant ad euangelizandam pacem. Jamque per acceptam ſuperabundanter ſpiritualium donorum gratiam opinio ejus longè latéque celebriter prædicabatur, non ſolùm prærogativâ meritorum, ſed & claritate miraculorum. Unde non immeritò familiariter eo utebatur, ejuſque ſe orationibus commendabat, & conſilio ſubmittebat Clodoveus rex Francorum; nec quicquam in diſpoſitione regni ſui videbatur ei ſatis validum, quod non erat tanti Viri prudentiâ & authoritate corroboratum *a*.

E

a & Childerico caras, privilegium obtinet.

17 Quantæ autem exiſtimationis & authoritatis B. Lambertus apud regem fuerit, manifeſtè patet; cùm eum idem pacificus rex non ſolùm epiſcopum, ſed & patrem, & apoſtolicum virum appellet in eo privilegio, quod promulgavit, ipſo ſancto Præſule petente, pro immunitate & poſſeſſionibus eccleſiæ S. Mariæ perpetuæ Virginis, in cujus nomine & honore eo tempore Trajecti vigebat poſt Tungris quædam dignitas pontificalis cathedræ: quod privilegium uſque hodie apud nos conſervari non dubium eſt *b*.

F

b

Similiter poſt obitum Clodovei S. Lambertum nimia familiaritate venerabatur Hildricus, qui patri ſucceſſerat in regno Auſtriæ *c*. Siquidem Auſtria dicebatur ea pars regni Francorum, quæ à Burgundia uſque ad mare Friſonum extenditur, & hinc Rheno, illinc ſylvâ Carbonariâ ſeu Hannoniâ concluditur *d*. Hæc tota ſancti Viri expetebat authoritatem & conſilium; ejuſque meritis eccleſia Dei tranquillata eſt, rexque Hildricus aliquamdiu bonitate floruit & proſperitate.

c

d

Theodorico monarchâ, Ebroinus Sanctos perſequens,

18 Sed quia reges, ſicut nec ſervire cuiquam volunt, ita ſemper majorem dominationem deſiderare non deſinunt, Hildricus, poſtpoſito Viri Dei conſilio, abjecto germanitatis affectu, animum & manum tetendit in regnum fratris ſui Theodorici, qui regnabat in Neuſtria, eoque expulſo, fraterni regni non ſine ſanguine uſurpavit principatum *e*. Sed non eſt diuturna ſcelere

e

A. NICOLAO CANONICO.

quæsita potentia : nam paulò pòst Hildricus ob insolentiam morum suorum insidiis quorumdam Francorum in venatione exceptus, graviterque vulneratus interiit *f*. At Ebroinus, vir crudelis & malitiosus, qui sub Theodorico rege majordomûs Franciæ sæpius turbaverat, audita morte Hildrici, sanctæ religionis habitum rejecit : nam timore Hildrici monachum in Luxovio professus fuerat. Ita maximum suæ factionis exercitum à Burgundia colligens, Theodoricum in regnum Francorum reduxit *g* ; non quia eum diligebat, sed quia per eum se ulcisci desiderabat. Totam denique injuriarum suarum ultionem maximè in ecclesiam Dei retorsit, magnosque ac sacerdotales viros, quorum ei sanctitas & libertas vocis suspecta erat, de medio auferens, alios ex eis exilii proscriptione, alios carcerum & tormentorum maceratione afflixit.

19 De quorum numero B. Leodegarium, Augustudinensem episcopum, miris cruciatuum modis Christo martyrem fecit. Et quia B. Lambertus intima & spirituali familiaritate Hildrico conjunctus fuerat, timens prædictus vir nequam, ne eum, qui sanctitate & authoritate cæteris præeminebat, suæ factioni haberet contrarium, & justitiæ ac publicæ libertatis defensorem, eum ab episcopatu Tungrensi expulit, & Pharamundum quendam, ut dicunt, Colonien sem clericum, calcatâ omni sacrorum canonum reverentiâ, illuc obtrudendo, violenter intronizavit *h*. Quanta autem per hunc invasorem facta fuerit in Tungrensi ecclesia totius divini & humani juris confusio, bonorum omnium desolatio, quàm oppressa æquitas, quàm dissoluta pravitas, si vellemus scripto prosequi, non jam videremur inchoati Operis historiam texere, sed tragediam, deplorando, conscribere. Per hunc Tungrensis ecclesia plùs experiendo, quàm legendo didicit, quia fur non venit, nisi ut furetur & mactet & perdat.

20 Hac itaque horribili tempestate in regno Francorum excitata, omnia omnino confusa, omnino turbata erant per prædictos sceleratos ministros, per Ebroinum Austria, per Pharamundum Trajectensis ecclesia. Sed omnipotens Deus, cujus gloriæ laus magnificatur, cùm Sanctorum suorum virtus declaratur, fieri hoc misericorditer permittebat, ut, quanta esset in servo & sacerdote suo Lamberto fortitudo patientiæ, & virtus veræ humilitatis, manifestaretur per flagellum tribulationis. Nam Lambertus Christi athleta, clementer ferens cuncta, præsulatûs liquit sceptrum, commendans curam ovium ei, qui lavit baptismate, & redemit sanguine. Et quem nec dignitatis sublimitas tumidum, nec magnæ possessiones cupidum, nec diuturna tranquillitas effecerat resolutum, superveniente articulo persequutionis, adeò Virum Dei patientiæ æquanimitas roboravit, ut nec eum vehemens tribulatio fractum, nec privatio honoris confusum, nec rerum temporalium damna conspexerint miserum.

21 Volebat tyrannis & oppressoribus Ecclesiæ Dei sacerdotali authoritate resistere ; sed eorum & multitudinem & mentis nimiam obstinationem considerans, infructuosum laborem prudenter declinando, cedendum tempori adjudicavit, ne etiam videretur intercepti honoris ultionem exercere, non pro justitia decertare. Gaudebat, honores transitorios & publicarum curarum se evasisse tumultus, seque nunc beatum pronunciabat & fœlicem, cùm liber ab omnibus, diu optatam monasticæ quietis obtinere poterat securitatem. Summa & sola pii Patris sollicitudo erat filiorum destitutio, quorum sicut semper in charitate Christi desideraverat salutem, sic sine maxima cordis contritione non poterat videre perniciem. Nec minor apparebat erga eum in orbatis Trajectensibus filialis affectio, quem etsi propter persequutionis sævitiam retinere non audebant, ab ejus tamen præsentia & amplexu avelli vix poterant.

22 Cúmque discederet Vir mitissimus, omnis cum populus cum clero lamentabatur, longiúsque eum ab oppido prosequentes, cum gemitu & lachrymis dicebant : Cur nos deseris, Sacerdos sanctissime ? Cui nos committis, Pastor vigilantissime ? Cur relinquis gregem devotum, & quare supplicem clerum ? Quis orabit Deum pro nobis, & quis sublato Pastore, à morsibus nostris luporum arcebit insidias ? Tu sacerdotes sermone & opere, tu populum prædicationis exhortatione informabas ; tu destitutis solatium, captivis precium, tu jejunis cibum, nudis largiebaris operimentum. O decus, ô lumen Ecclesiæ, ô custos & pater patriæ ! Educ nos tecum, ut qui in tranquillitate tuis instituti sumus præceptis, tuis jocundati beneficiis, tuæ mereamur participes esse tribulationis. At venerabilis Sacerdos tantis suorum vocibus & lachrymis permotus, lachrymas pietatis & ipse fundens, parumper substitit ; conversusque ad eos, qualiter verbum Dei, viam justitiæ & salutis, quam ex ore ejus audierant, conservarent, edocuit ; adhibitisque Sanctorum de patientia exemplis & præceptis, ne in præsentibus tribulationibus deficerent, utque in Deo constanter sperarent, sæpius admonuit ; quia Deus non confundit sperantes in se.

23 Post hæc sacras manus & oculos ad cælum elevans pro astantibus & devotis sibi filiis paternam ad Deum fudit orationem, consignansque eos Crucis signo salutari, & absolutos in osculo pacis ; animæquiores remisit ad propria *i*. Tanta autem fuit prædictorum tyrannorum potestas & crudelitas, ut ex omni ecclesiasticæ familiæ numero vix duo pueri obsequio tanti Viri adhærere non timuerunt * ; quorum alter, Theodoënus nomine, ut majores nostri scriptum reliquerunt, operum ejus veridicus relator & testis idoneus extitit. His itaque comitibus, vir Dei Lambertus cœnobium in loco, cui Stabulaus nomen est, situm expetiit. Hic siquidem locus inter vastos & confragosos Ardennæ saltus, nulli tunc humanæ habitationi habilis, squalidus horrebat, sterili & emoriente terra, non segetibus, non pomiferis arboribus apta, non alendis pecoribus grata, non commerciis quæstuosa, quâ, exceptis aliquot rivorum seu fontium irrigationibus, horribiliorem non incoluerunt Paulus vel Anthonius eremi solitudinem.

24 Hìc S. Remaclus cœnobium devotione & expensis Sigeberti regis constructerat *k* & ordinaverat, aggregatis in eo multis fidelibus, quibus sub Regulari disciplina multis annis, illic strenuè præfuit, vitamque & omnem conversationem suam, tamquam præclarum monasticæ perfectionis speculum subditis exhibuit. Hunc ergò locum, quia solitarium, & ideò congruum, monachis præbebat habitaculum, sanctus pontifex Lambertus elegit expetendum. Tantus itaque Vir, qui videbatur, & erat, sanctitate & dignitatis excellentiâ venerabilis, obedientiam Filii Dei summopere imitari desiderans, non affectata corporis aut verborum inclinatione, sed vera &

pro-

f

g

S. Lambertum è sede sua pellit, intrusò Faramundo :

B

h

quod sanctus æquo animo ferens,

C

sibique gratulans, sed de grege solicitus,

D

inter suorum lacrymas discedit,

E

& cum duobus servulis ad Stabulense cœnobium

i

* timuerint

F

se recipit, ubi inter monachos septennium transigit :

k

A profunda mentis humiliatione, jugum obedientiæ & ſubjectionis ab abbate ſibi imponi petiit & obtinuit; ibidemque per ſeptem annos ſanctam & angelicam vitam in omni virtutum obſervantia exegit. Ad declarandam autem veram animi ejus virtutem & patientiæ fortitudinem, unum obedientiæ ejus ſubjiciamus exemplum, ut perfecti audiant in illo, quid imitentur, & infirmi, quid venerentur.

ob lenem ſonitum calceo editum

25 Solitus erat Vir memorabilis inter cætera ardui propoſiti inſignia ſolemni conſuetudine publicas fratrum religioſo furto prævenire vigilias, atque per ſecretæ orationis devotionem divinæ contemplationis deguſtare dulcedinem. Cùm igitur nocte quadam ad id peragendum clàm lectulo ſe ſubtrahens, piè feſtinaret, unum de ſandaliis, (quod genus calceamenti vulgariter cothurnos dicimus) à manu ejus elapſum corruit, ferienſque pavimentum dormitorii, ſonitu modico quidem, ſed inſolito, altum tanti conventus interpellavit ſilentium. O quanta erat apud eoſdem Dei ſervos gravium culparum diſtricta correctio, cùm in hujuſmodi fortuitis exceſſibus tam ſevero plecterentur judicio! Nam pater monaſterii hoc repentino turbatus ſonitu, tali culpæ Regularem
B non diſtulit adhibere medicinam; ſed culpæ au-
l thorem ignorans, ſignis & nutibus *l* quibuſdam præcepit, ut exiret ad crucem, quicunque temerario ſonitu interruperat fratrum ſilentium & quietem.

juſſus ab abbate, bruma-li nocte ferè nudus

26 Statim vir Dei Lambertus præceptum obedientiæ, quaſi proſpera juberentur, adimplere contendens, ſicut erat adhuc ferè nudus, ſolo ciliciolo contectus, diſcalceatis pedibus dormitorium egreſſus, crucem adiit, quæ ſub divo poſita, ex more monaſterii hujuſmodi corrigendis erat diſciplina. Hyems erat, quæ nive & glaciali aſperitate ſævior inhorruerat; & ut pro comperto habemus, omnis ferè Ardennæ regio, & ea maximè, quæ præfatum obſidet cœnobium, inter ſuas, quas prædiximus, incommoditates ſpecialiter tantâ perurgetur aëris inclementiâ, ut longiorem & aſperiorem, quàm cæteræ partes Auſtriæ, nivium & hyemalis horroris ſemper patiatur moleſtiam. Stabat ergò Sacerdos mitiſſimus, inſtar crucis ante ſe poſitæ, ſtabat planè vivens hoſtia Chriſti, crucifixus mundo carniſque deſideriis, cum pſalmorum modulatione offerens Deo
C ſuaviſſimos fructus obedientiæ. Ardebat planè interiùs flammâ Paracleti Spiritûs; idcirco exteriùs frigoris contempſit cruciatus. Quid ejus affectu devotius? Quid oratione mundius? ut confiteri conſtanter poſſimus, cælum ejus patuit precibus, & oratio ad ſupernos pervenit auditus.

ſub dio in oratione perſeverat: inde revocatus,

27 Verè beatum Virum, & hoc ſupplicio ſacratis martyribus Chriſti comparandum, quem divina Providentia & præſentibus tribulationibus exercebat, & ob multorum ſalutem ad majoris certaminis gloriam reſervabat. Tectus itaque nive magis quàm veſte Martyr noſter, purior auro, quod per ignem probatur, immobiliter perſeveravit in orationis devotione, quouſque fratres vigiliarum ſolemnitate tranſacta, cogente eos ſumma neceſſitate, domum hyemalem ingreſſi ſunt, accenſoque igne copioſo, calore refocillabant corpora ſua, immanitate frigoris inter multiplices veſtes jam ferè præmortua. Ibi abbas per abſentiam Viri Dei, quid in eo egerit, ſerò deprehendens, confuſus expalluit, ſeque ſacrilegum, ſe homicidii reum lachrymando proteſtans, cunctis fratribus ſtuporem incuſſit formidinis, quòd tantum ac ſacerdotalem Virum pro levi exceſſu tam injurioſæ deputâſſet pœnitentiæ. Currunt fratres, alter alterum pia feſtinatione prævenire contendentes; & quem putabant ſeminecem, inveniunt cum alacritate ſpiritûs pſalmos Domino decantantem. Eruitur ab illa nivium denſitate, fratrumque deſiderantium conventui honorificè redditur, referens & obedientiæ exemplum & ſuæ liberationis miraculum. A. NICOLAO CANONICO.

ſe accuſat. Hujus rei memoria Leodii.

28 Abbas verò & univerſitas fratrum non temperantes à lachrymis, humiliter ejus devolvuntur pedibus, ſuæ ignorantiæ veniam deprecantes. At Vir juſtus ſeipſum, ut ſcriptum eſt, in primis accuſans, ſicut ad impoſitam ſibi pœnam extitit verè patiens & humilis, ita ad ignoſcendum, quod rogabatur, non fuit pertinax aut difficilis. O verè manifeſta in ſervo ſuo Lamberto divinæ virtutis operatio, per quam ad exequendum tam arduum hujus obedientiæ præceptum inflammata eſt ejus mentis alacritas, quod vix umquam aliqua ſit creditura poſteritas. Specialiter itaque ob hujus triumphi memoriam in principali eccleſia Leodii, ubi idem precioſus Martyr corpore requieſcit, mos iſte primùm inolevit, ut intra clauſtralia ſepta ſub divo vexillum Crucis Dominicæ per- E
petuò ſtabiliretur *m*; licèt nonnullæ hoc eccleſiæ *m*
uſurpare ſibi videntur alio quidem religionis genere.

ANNOTATA.

a *Progreditur Nicolaus in eodem errore, quem ſuprà in Annotatis ad cap.* 1, *lit.* h *obſervavi. Præterea, quod Sigebertus in Vita tertia, num.* 14 *de Theodorico III perperam ſcripſerat, ipſe non magis rectè Chlodoveo II adſcripſit.*

b *Privilegium hoc ab aliis fruſtra quæſitum eſſe, imò numquam exſtitiſſe meritò credi, oſtendimus in Commentario prævio num.* 48.

c S. Lambertus *factus eſt epiſcopus ſub finem anni* 669, *vel initium ſequentis, annuente Childerico II rege Auſtriæ, qui non niſi poſt mortem patris regnare cœpit. Vide Annotata ad caput præcedens lit.* h.

d *Non iidem ſemper fuerunt regni Auſtriæ ſeu Auſtraſiæ termini, quos non eſt hujus loci examinare. Videri hac de re poteſt Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, ad vocem* Auſtriæ. *Idem ad vocem* Carbonaria ſilva *profert locum ex Annalibus Metenſibus ad annum* 690, *ubi dicitur:* Pippinus ad Carbonariam ſilvam pervenit; qui terminus utraque regna (*Auſtriam & Neuſtriam*) dividit. F

e *Conſtat, Childericum ad regnum evocatum eſſe à Neuſtraſiis, qui Ebroïni Majoris-domûs Theodorici tyrannidem pertæſi, hunc & illum exauctorârunt, & in monaſteria relegârunt. Adi Commentarium num.* 61, *& Vitam tertiam num.* 17.

f *Conſule mox laudatam Vitam & numerum.*

g *Cæſo Childerico, Theodoricus ex San-Dionyſiano, Ebroïnus è Luxovienſi monaſterio prodierunt. Et Ebroïnus quidem primùm quemdam pſeudo-Clodoveum, quem Chlotarii III filium mentiebatur, ad regni Auſtraſiæ partem evexit, poſteà verò ad Theodoricum acceſſit; uti num.* 62 *Commentarii dictum eſt.*

h *De hiſce omnibus conſule Commentarium num.* 63 *& ſequentibus.*

i *Iſthæc omnia ex Nicolai conjectura dicta accipe.*

k *Acta S. Remacli illuſtrata ſunt ad diem* 3 *Septembris, ibidemque in Commentario prævio* § 6 *actum eſt de Stabulenſi cœnobii exſtructione.*

A. NICOLAO CANONICO.

l *Non* signis & nutibus, *sed manifesto vocis imperio abbatem istud mandâsse, diserte aiunt Godeschalcus & Stephanus.*

m *Hoc ante Nicolaum nemo veterum tradidit, neque is satis idoneus testis mihi est, ut id credam, cùm ut in ceteris ecclesiis, ita & in Lambertiana Leodiensi alio religionis genere ea crux statui posuerit.*

CAPUT III.

Reditus ad episcopalem cathedram suam: disciplina ecclesiastica restituta: Taxandri, aliique ad Christum adducti: congressus cum S. Willibrordo.

Pippino Heristallo Majore-domûs facto,

INterea evoluto septennio, irâ Dei in misericordiam versâ, post horridam tempestatem facta est in ecclesia Dei tranquillitas: nam Ebroïnus, qui Franciam fraude, crudelitate, avaritiâ, diu vexaverat, justo Dei judicio miserè interficitur. At dux Austriæ Pipinus secundus, Ansigisi filius, Pipini primi ex Begga filia nepos, cujus ut erat hæres nominis & honoris, ita justitiæ & religionis, vir acer consilio & manu strenuus, totam potentiam suam & studium ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ & liberationem patriæ convertit, regemque Theodoricum, ut tyrannicam crudelitatem in principalem clementiam commutaret, non minùs bellico apparatu, quàm justitiâ suâ coëgit. Igitur tranquillatis rebus sub Pipino, cùm jam nulla tempestas bellorum intercluderet exequutionem legum, cœperunt inter Domini sacerdotes faciles commeatus, & ad tractanda ecclesiastica negotia assidui fieri conventus.

fugit Faramundus, & ecclesia Trajectensis

30 Quod Pharamundus, Trajectensis ecclesiæ invasor & pestis, considerans, qui in rerum motibus & dubiis temporibus firmissimam spem hactenus habuerat, cœpit formidare pacati statum temporis, ecclesiastici æquitatem examinis, & sicut scriptum est; "Fugit impius, nemine perse-
C „quente, „ proprii sceleris eum perurgente conscientia, episcopalem sedem, quam malè diu occupaverat, pejus fugiendo dereliquit; &, ut dicitur, in tota illa provincia numquam postea comparuit *a*. Sic tandem Deo propitio, à tyrannide ejus liberata Trajectensis ecclesia, quanta pertulerit, quàm injustè dilectum patrem suum Lambertum perdiderit, & miserabiliter recordari, & liberè cœpit conqueri; totoque affectu conversi ad Dominum, multis suspiriis & lachrymis deprecabantur, quatenus destituto & luporum morsibus exposito gregi, & desolatis filiis spiritualem pastorem & desideratissimum patrem Lambertum verus pastor Christus restituere dignaretur.

a

S. Lambertum sibi reddi à Pippino

31 Et quia Deus liberaverat Austriam per Pipinum, qui, ut præmisimus, sub rege Theodorico rempublicam Francorum strenuè administrabat, eumdem principem unanimiter adeunt, suæque præteritæ calamitatis deploratione præmissâ, Consule, inquiunt, princeps clarissime, miserabiliter diuque afflictæ Trajectensi ecclesiæ, tuâque industriâ restitue huic multitudini destitutæ, huic desolato gregi Pastorem proprium, à quibus pacifico tuo adventu, solâque famâ modestiæ & justitiæ tuæ exterritum abegisti invasorem & mercenarium. Et quia hoc tempus non longa oratione, sed festina indiget consolatione, mitte, qui perquirant, & educant à cœnobio Stabulensi beatissimum virum Lambertum pontificem nostrum, in quo est sana doctrina, conversatio angelica; quia certissimè aut ipsius, aut nullius, reformabitur magisterio, quæ depravata & corrupta est in nobis per illum perditionis filium Pharamundum, synceritas Christianæ fidei, & ecclesiastica religio. D

impetrat: Sanctus Stabuleto rediens

32 At dux Pipinus vir, qui licèt militaribus studiis occuparetur, divinitatis tamen cultum & ecclesiarum Dei tranquillitatem in secundis non habebat, Trajectensem habitum veneratus est & desiderium, eorumque petitionem non spernendam ratus, cùm rem altiori diligentia perscrutatus esset, summos & religiosos viros, quorum familiaritate & consilio admodùm utebatur, ad prætatum cœnobium destinavit, ut non videretur vanum & leve, quod tantorum legatorum expetebatur authoritate. Nondum B. Remaclus, illius fundator & rector monasterii, vitâ excesserat; sed in senectute bona diem vocationis suæ & æternæ retributionis præmium fœliciter expectabat *b*. Igitur cùm ex legatis audîsset venerabilis ille sanctorum conventus & Trajectensium devotionem & religiosam pii principis petitionem, pacemque ecclesiis per eum redditam, immensas omnium bonorum largitori Deo gratias egerunt, multúmque de charitate Dei, de salute proximi, ad invicem conferentes, sanctum ac Deo amabilem virum Lambertum ad salvandum populum sibi creditum, ad reformandam Catholicæ fidei regulam, ab illa divinæ contemplationis dulcedine non sine multis gemitibus & lachrymis abstractum emiserunt, eumque religiosâ honorificentiâ persequentes, ad salutem multorum, quod erat, esse compulerunt. *b* E

communi omnium lætitiâ excipitur,

33 Quis sufficienter verbis exprimere valeat lætitiæ magnitudinem devoti gregis in reditu pii Pastoris sui? Quis ratione comprehendat utriusque sexus omnis ætatis & ordinis concursus ex agris, effusiones ex oppidis? Præeuntium turbarum lachrymæ gaudiis plenæ, voces, plausus, congratulationes, circumquaque personabant, dicentium: Benedictus, qui venit in nomine Domini! At verò in Trajectensi clero & populo tanta efferbuit exultationis amplitudo, ut ad videndum & complectendum animarum suarum Patrem & Conservatorem ipsa oppidi mœnia & tecta ferè è sedibus suis evelli viderentur & lætari. Nam Tungrensis & Trajectensis ecclesia, quid in præsule suo Lamberto spiritualium beneficiorum habuerit, plùs carendo, quàm fruendo, modò satis experta, majoribus votorum gaudiis eum prosequi videbatur, & complecti restitutum, quàm primitus post electionem inthronizatum. Piis itaque ovium suarum vocibus diu desideratus Pastor attollitur, & in pontificali cathedra sua decenter relocatur. F

& collapsam disciplinam restituit.

34 Erat verè & sine superstitione religiosus, nihil à cœnobita per sacerdotium immutatus. Neque sub obtentu resumptæ dignitatis rigorem monasticæ disciplinæ relaxabat, ita ut à cunctis videri posset ambiguum, utrùm ejus industria & magnanimitas in singulari professione & humilitate, an in episcopali prælatione, & hac communi conversatione specialiùs & mirabiliùs aptaretur. Qui ad reparandam ecclesiasticæ religionis regulam, quæ per pseudo-christianos depravata erat, valdè sollicitus, plus erga corrigendos agebat

A gebat manſuetudine, quàm ſeveritate, plúſque provocabat delinquentes ad obedientiæ ſalubritatem per exhortationem charitatis, quàm per rigorem poteſtatis. Non enim poterat doctrina ejus eſſe contemptibilis, qui in omni actione ſua videbatur & erat irreprehenſibilis. Nam ut de cæteris à Deo ſibi collatis virtutibus taceamus, tanta ſpecialiter in eo abſque elatione fulgebat illa angelicæ caſtitatis puritas, ut non ſolùm fornicatio circa eum locum non haberet, ſed nec quælibet immunditia nominaretur aut ſcurrilitas.

*Dum Taxandris idololatris prædicat, *l. afficeret*

35 Sed & tanta fervebat in eo latitudo Dominicæ charitatis, ut, ſicut exultabat in Deo de ſalute fidelium, ſic afficiebat * cor ejus error & perditio vicinorum gentilium. Nam regio, cui Taxandria nomen eſt, quæ à Trajectenſi oppido versùs Septemtrionem vix tribus miliaribus diſparatur, necdum Euangelicæ gratiâ prædicationis cognitâ, idololatriæ cultu ſordebat. Hæc ſiquidem regio vaſtis & ferè continuis paludibus obſita, & ob id ne finitimis quidem aliquo commercii jure tunc ſatis nota & pervia, multitudinem agreſtis populi in ſe continebat, cujus mores barbaros ipſa etiam ſolitudo & ſuperſtitio efferaverat. B Hanc conſtanter ingreſſus eſt Veritatis prædicator Lambertus, & ad illos ſanctorum martyrum, ſeu etiam Domini noſtri paſſiones, oculos mentis convertens, pro infidelium ſalute ad omnem non ſolùm convitiorum, ſed etiam pœnarum tolerantiam ſe præparabat.

hi idola ulturi, armati concurrunt,

36 Et quia incolæ regionis illius non continebantur civitatibus, ſed pluribus & ſparſis vicis inhabitabant, fana eorum, in quibus ob deorum ſuorum culturam frequentes & celebres conventus habebant, intrepidus expetebat, prædicans & annuncians verbum ſalutis, lumen Euangelii, planéque conteſtabatur eis, quàm prophana, quámque Deo odibilis eſſet ſimulachrorum ſervitus, dum, quod uni & vero Deo, omnium Creatori, ſingulariter jure debetur, hoc ad ejus injuriam, creaturæ, immò dæmoniis, ab hominibus irrationabiliter exhibetur. At barbari, ſuperſtitionis & inveterati erroris ſui valdè tenaces, mirabantur quidem ad inſolitam Viri ſancti prædicationem; ſed deorum ſuorum injuriam & objectionem æquanimiter ferre non poterant. Cucurrit itaque & commovit fama prædicationis ejus totam C illam provinciam, & ſuggerentibus ac inſtigantibus templorum ſacerdotibus, habitatores ejus barbarico more furentes, armati coëunt, unanimiter ſtatuunt, ut inventum Domini Sacerdotem priùs verberum & verborum contumeliis afficerent, & poſtmodùm ignominioſæ mortis ſupplicio interimerent.

ſed eo viſo, manſuefacti, inſtruuntur,

37 Sed cùm omnis illa furentis populi armata multitudo ad præſentiam ſancti Pontificis irrupiſſet, tanta in vultu ejus lux cœleſtis gratiæ refulſit, ut divino nutu perterriti, depoſitis armis & animis, ſtarent parati obedire, qui venerant occidere. Tunc B. Lambertus, qui Teutonicæ linguæ peritus erat, (& ſine interprete ſermo conſerebatur) cœpit eis retexere humanæ creationis & prævaricationis originem; & qualiter ob ſalutem hominum natus ex Virgine Dei Filius, in cruce moriendo, graviſſimum mortis deſtruxerit imperium. Cúmque eis expoſuiſſet tremendum poſt hanc brevem & caducam vitam illius extremi diei judicium; & quàm beata & perpetua Sanctorum & timentium Deum futura ſit retributio; & impiorum quàm miſerabilis damnatio, compuncti ſunt corde, & profuſis pœnitentiæ lachrymis, ſe peccâſſe confeſſi ſunt.

38 At ſanctiſſimus Chriſti ſacerdos Lambertus, intelligens per Spiritum ſanctum, viſitatum à Deo cor eorum, dixit eis: Nemo veſtrùm ſalutis ſuæ deſperatione frangatur, pervicaciâ obdurati cordis à remedio pœnitentiæ fontem divinæ Pietatis avertat; quia maximum miſericordiæ ſuæ aditum omnibus ſalvari cupientibus benignitas noſtri patefecit Salvatoris; & ſi veræ pœnitentiæ affectus in vobis eſt, ſolum & verum Deum, Creatorem omnium, ejuſque unigenitum Filium Jeſum Chriſtum, Redemptorem noſtrum, ore & corde credendo, confitemini, & falſorum deorum ſimulachra, quorum ſpurciſſimo ritu eum per ignorantiam offendiſtis, abjicite, & ad obtinendam omnium peccatorum veſtrorum veniam & remiſſionem, ſacroſancti Baptiſmatis ſuſcipite purificationem. Cùm itaque ad hanc vocem ſancti Prædicatoris certatim idola ſua contriviſſent aut abjeciſſent, confluebant cum maxima humilitate & contritione cordis ad ſuſcipiendum divinæ regenerationis Sacramentum; & baptiſata eſt ab eo infinita populi multitudo. A. NICOLAO CANONICO. *& baptizantur, idolis abjectis.*

Rebus hîc compoſitis, alibi prædicans,

39 Et cùm ad nutriendam & informandam hujus novæ Chriſtianitatis teneram, & quaſi adhuc palpitantem rudemque infantiam, eccleſias per opportuna loca conſtruxiſſet, & presbyteros & levitas in eis ordinâſſet, deſcendit Euangelicæ prædicationis gratiâ ad populos ipſi Taxandriæ finitimos, quo fluvius Moſa Rheni fluminis aquis infectus & tumidus, jamque ſeipſo major, fontique ſuo per omnia diſſimilis, non longè à mari Anglico Taxandros & cæteros ejuſdem regionis incolas à Friſonibus dividit *c*. Erat eo tempore in caſtello, quod Ulterius Trajectum *d* dicitur, confeſſor Chriſti Willibrordus, quem beatus Papa Sergius *e*, petente prædicto duce Pipino, epiſcopum ordinaverat, eumque mutato nomine Clementem appellans, honorificè direxerat ad prædicandum incredulam *Friſonum gentem, in quorum regno idem caſtellum ſupra ripam Rheni ſitum eſt. Hujus itaque ſancti Viri nomen & ſtudium cùm audîſſet B. Lambertus, deſiderabat videre eum, ſecum reputans, ut verè per omnia humilis, ſuæ aliorumque ſaluti fore valdè neceſſarium, ſi tanti patris in opus Euangelii præſentiam habere mereretur & conſortium.

c
d
e
* *l.* incredulæ *& genti*

cum S. Willibrordo confert in Teſtebranto

40 Similiter venerabilis ſacerdos Willibrordus, qui & Clemens, comperta ſancti viri Lamberti opinione, maximo eum videndi deſiderio inflammatus, tranſmiſſis tot aquarum interfluentium obſtaculis, venit ad eum, mutuóque ſe invicem fraternis aſtringentes amplexibus, alterutrùm ſibi referebant, quæ & quanta per eorum miniſterium divina gratia operata eſſet in gentibus. Et, ſi antiquorum relationi creditur, locus eſt in pago, quem Teſtebrantem dicunt, haud longè à Moſa, aliquanta arborum amœnitate inumbratus, ad quem B. Lambertus, adſcito in opus Euangelii viro Dei Willibrordo, ſolitus erat ſæpiùs deſcendere, & confluentibus ad ſe noviter baptizatorum turbis opera Chriſtianæ religionis exponere, annuncians eis, quia, ut ait Apoſtolus, "Fides ſine o-„peribus mortua eſt *f*.„

f

ubi in ejus honorem eccleſia condita eſt.

41 In eodem loco eccleſia in honorem B. Lamberti dedicata, tantæ hodie venerationis eſt apud incolas regionis illius, ut ſingulis annis illuc ad impetranda Martyris beneficia concurrentes, etiam ipſas arbores, quæ atrium opacant, ferro attrectare, ſacrilegium reputent. Tota itaque regio illa, quæ diverſa ab incolis ſuis ſortitur vocabula, & quæ curſu Moſæ dextro latere clauſa, uſque in Septentrionem * oceanum porrigitur, apo- *Septentrionalem ſto-

A. NICOLAO CANONICO.

ſtolatui martyris Chriſti Lamberti debet, quod errorem ſuum cognoſcere, & quòd Chriſtianæ fidei gratiam obtinere promeruerit; & ideò Leodienſi parochiæ, ſicut hodie cernimus, ſubdita eſt *g*.

ANNOTATA.

a *Hanc ſpontaneam ex ſolo metu Faramundi ceſſionem & fugam Nicolaus adſtruit contra omnium veterum auctoritatem, qui ipſum à clero populoque è ſede, quam invaſerat, totaque diœceſi Trajectenſi expulſum eſſe tradiderunt. Sed & eadem æquo ſeriùs facta narrat, cùm ex dictis in Commentario prævio § 6 ea contigerint, quando Pippinus, in ſola Auſtraſia Majoratu-domûs fungebatur.*

b *Imò verò jam ante aliquot annos ad cælos evolaverat, inter annos 667 & 671 vitâ functus, uti in ejuſdem geſtis ad diem 3 Septembris probatum eſt: finis autem exſilii* S. Lamberti *incidit in annum 681 vel 682. Vide dicta in Commentario § 6.*

B c *Hiſce omnibus veterum Caninefatum ſedem indicat, qui inſulam Vahalim inter & Moſam habitârunt. Ibidem etiam erat pagus ſeu comitatus* Teſtebrantum *ſeu* Teyſterbant, *de quo ſequenti numero meminit Nicolaus.*

d *Nota eſt ea Batavorum in Belgio civitas ad Rhenum, Caninefatum tractui vicina, vulgò* Utrecht *appellata. Vocatur autem* Trajectum Ulterius *ſeu* Inferius, *ut à Trajecto ad Moſam, quod* Superius *dicitur, diſcernatur.*

e *De S. Sergio I Papa conſule Opus noſtrum ad diem 9 Septembris, ubi § 6, pag. 437 de S. Willibrordi, cujus Acta die 7 Novembris illuſtranda venient, epiſcopali conſecratione anno 696 actum eſt.*

f *Hanc* SS. Lamberti *ac Willibrordi in apoſtolicis laboribus communem operam & conjunctionem primus è biographis Nicolaus tradidit. Adi Commentarium à num. 97.*

g *Magna hujus regionis pars, ſeculo* XVI *per novorum epiſcopatuum erectionem in Belgio, à diœceſi Leodienſi avulſa eſt.*

C

CAPUT IV.

Beliſienſis parthenon, Sancto auctore, à S. Landrada conditus: ejuſdem virginis apparitio, & ſepultura miraculosè ab eodem procurata: SS. Hubertus & Oda ad ſanctimoniam inflammati.

S. Landrada, à Sancto olim velata,

FUerunt etiam per idem tempus nonnulli in ſæculari habitu, qui monitis & exemplis tanti Patris animati, ob amorem cæleſtis patriæ ſpretis divitiarum ſuarum illecebris, ad arctiorem vitam ſe contulerunt. Ex quo numero Landrada virgo, claris orta natalibus, ſe & ſua Deo contradidit, & in Biliſia *, proprietatis ſuæ villa, cœnobio conſtructo, & de manu beati Pontificis illibatæ virginitatis inſignita velamine, cum aliis pleriſque puellis arduum angelicæ caſtitatis inibi aggreſſa eſt propoſitum *a*. Locus iſte in ingreſſu Taxandriæ poſitus, duobus à Trajecto, duobus à dirutis urbis Tungrorum muris diſtat milibus; eo maximè glorioſus, quòd nunc uſque continere meretur eccleſiam à S. Lamberto in honorem B. Mariæ perpetuæ Virginis dedicatam.

* *al.* Beliſia

D a

43 Hîc itaque cùm ſacratiſſima Chriſti ſponſa Landrada, poſtquam aliquamdiu ferventer exhibuiſſet Deo virgineæ profeſſionis obſequium, ſuperveniente valida carnis ægritudine, venit ad mortem, miſſoque nuncio, beatum Virum auſu ſanctæ familiaritatis accerſivit, ut in extremis ſuis orationum ejus conſolationem promereretur & ſuffragium, quem in via Dei, in profeſſione virginali, doctorem habuerat & conſcium. Et fortè tunc Epiſcopus longiùs aberat; audita autem virginis graviſſima infirmitate, conſternatus eſt animo, omneſque moras feſtinatione redimens, Biliſiam properabat. Sancta verò virgo interim carne ſoluta eſt; quod & beato Viro in loco, ubi ea nocte manſionem acceperat, per viſum revelatum eſt. Apparuit autem in ſomnis ipſa virgo jocunda facie, cæleſti veſte & lumine ſplendida, ut per ipſius habitûs claritatem indubitanter ſciret, eam jam transîſſe ad immortalitatis beatitudinem. Cúmque eam Epiſcopus de collata ſibi à Chriſto virginitatis corona familiariter congratulando alloqueretur, adjecit: Si abſens corpore, non animo, circa finem tuum, dilecta filia, & jam verè Regis mei ſponſa, tibi adeſſe non valui, ſaltem nunc edoce, quo in loco corpus tuum debeam ſepelire.

ipſi apparens, mandat corpus ſuum

E

44 Cui illa, Suſpice, inquit, ſurſùm Pater, & locum eum, quem lux in modum ſanctæ crucis in terris tibi facit eſſe conſpicuum, (& ecce, lux in modum crucis rutilans videbatur) hunc, inquam, locum ſcito mihi in ſepulturam à Deo conceſſum. Locus autem ille, qui deſuper emiſſa in modum ſanctæ crucis claritate beato Viro in terris deſignabatur, Wentershovium erat, quem ipſe S. Lambertus ſub Landoaldo, ut præmiſimus *b*, indole ſua inſigniverat. Evigilans itaque, & de tanta viſione nihil hæſitans, ſub omni celeritate venit Biliſiam; & convocatis fidelibus, quorum maxima multitudo ad exequias ſacræ virginis convenerat, & ſuam præſtolabatur præſentiam, revelatæ ſibi myſterium aperuit viſionis; omni modo ad id exequendum laborans facunda allocutione, paterna dulcedine, inclinare animos tantæ multitudinis. Sed id fruſtra tentatum eſt: nam ut ſanctimonialium aures hic ſermo perculit, quæ circa ſacrum funus filiali affectione, virginea ſedulitate, excubabant, dolor tranſiit in ſtuporem, viſumque eſt eis tolerabilius perdidiſſe vivam, quàm non habere ſaltem mortuam.

Wentershovii ſepeliri: renuentibus monialibus,

b

F

45 Querulis itaque fletibus perſtrepentes, ſancti Pontificis advolutæ pedibus, Cur, inquiunt, ſanctiſſime Pater, hujus loci, hujus noſtræ profeſſionis ruinam moliris & excidium, cujus fundâſti principium? Certiſſimè enim nos compellis hunc noſtræ profeſſionis locum deſerere, qui adeò ſordens & indignus propter nos à te reputatur, ut non poſſit ad recondendos maternos cineres mundam ſaltem terram continere. Et ô nos infelices & miſeras, quæ tam dulciſſimæ matris noſtræ & in carne perdidimus præſentiam, & ad cumulum doloris noſtri non merebimur habere aut aſpicere ſepulturam! Sed parce pudori noſtro, Pater dulciſſime, moveantque te filiarum tuarum gemitus & lachrymoſa ſuſpiria, & patere, ut mater noſtra hîc habeat ſepulturæ locum, ubi tot annis

Beliſiæ tumulatur, ſed triduo pòſt,

A nis Deo acceptum, & tuo teſtimonio comprobatum ſanctæ virginitatis cuſtodivit propoſitum. Inclinaverat ad pietatem animos audientium tam lugubris ſacrarum virginum habitus & oratio; conclamaturque à tota illa multitudine aſtantium, non debere contemni tam pium, tam humanum, tam rationabile earum deſiderium.

non Beliſiæ, ſed una cum loculo

46 Coarctatus Epiſcopus, hinc viſionis certitudine, illinc tot fidelium clamoſa petitione; Fiat, inquit, ut vultis: ſcitote tamen certiſſimè, quia non erit irritum paternitati noſtræ manifeſtatum cœleſtis viſionis oraculum. Sepelitur itaque honorificè ſacrum virginis corpus in eodem loco, non ex voluntate Pontificis, ſed tumultuantis judicio multitudinis. At Vir Dei ad conſuetum ſibi recurrens orationis præſidium, toto triduo non deſtitit divinam implorare clementiam, ut omnipotens Deus ſuæ voluntatis de ſepelienda virgine, quod ſibi reveſaverat, conſilium non credentibus faceret manifeſtum. Et poſt triduum exurgens ab oratione, cum ſumma reverentia & fide acceſſit ad tumulum virginis, convocatiſque multis, qui aderant, fidelibus, Eja, inquit, filii, accedite, & aperite, hoc ſepulchrum, ut experiamini, quod nobis revelatum eſt per viſionem, completum eſſe per manifeſtam divinæ potentiæ exhibitionem. Studioſè itaque huic ſe accingentes operi, cum omni diligentia & timore tumbam aperiunt; ſed nulla prorſus funeris indicia, nullas tam recenter ſepultæ virginis reliquias reperiunt, non vel ipſum lapideum, in quo recondita fuerat, ſarcofagum.

B

Wentershoviireperitur.

47 Mirantibus & præ novitate rei omnibus, qui aderant, ſtupentibus, ſolus vir Dei Lambertus optato ſibi exhilaratus eſt miraculo, eoſque paternè demulcens, Nolite, ait, turbari, ſed ſuper incredulitate veſtra pœnitentiam agentes cum omni humilitate & contritione cordis, properate Wentershovium, orantes Dominum, ut & locum à ſe prædeſtinatum, & in eo virginis ſuæ dignetur vobis manifeſtare monumentum. Statim cum ſumma devotione Wentershovium properant: at ſacerdos Dei Lambertus incunctanter adiit locum, ſibi in viſione cœlitus deſignatum; quem cùm eo præcipiente aliquantiſper fodiendo, egeſta humo, penetrâſſent, invenerunt & agnoverunt ſarcofagum, & in eo virginis corpuſculum, ſicut in Biliſia fuerat, tam decenter reconditum, ut omnibus pateret abſque dubio hoc * niſi angelorum actum eſſe miniſterio. Vertitur illa tota admiratio concurrentis populi in laudem omnipotentis Dei, digniſque præconiis ſancti Pontificis efferunt merita, qui in terris poſitus, mente habitabat in cœleſtibus.

C

* *adde* non

SS. Hubertus & Oda, in Auſtraſiam venientes

48 Eo etiam tempore, quo prædicti Ebroïni crudelitas regnum Francorum graviter opprimebat, erat adoleſcens nobilis, Aquitanus genere, ſub Theodorico rege comes palatii, Hubertus *c* nomine & literarum ſtudiis eruditus, & armorum exercitatione ſtrenuus. Hic, quia prudentis erat ingenii, conſiderans Ebroïnum ad omnem malitiam promptiſſimum, & præcipuè eccleſiaſticis viris ſingularem inimicum, execratus omnes actus illius, Franciam Sequanorum deſeruit, & in Auſtriam ad Pipinum, cujus juſtitia & virtus bellica tyrannos circa ſe ferè omnes compreſſerat, ſe contulit. Adhærebat ei, quaſi comes individua, amita ſua Oda, quæ erat Boggis Aquitaniæ ducis recèns defuncti vidua *d*. Cùm ergò in parochia Tungrenſi circa memoratum principem vir illuſtris Hubertus aliquamdiu converſaretur, beati Pontificis celebre nomen, ejuſque angelicæ converſationis & apoſtolicæ doctrinæ ingens præconium, famâ ubique diſcurrente, cognovit; cupienſque videre & audire eum, deſcendit Trajectum.

c

d

A. NICOLAO CANONICO.

49 Quem Vir Dei gratanter accepit, multiſque diebus ſecum detinuit; ex cujus ſanctiſſimo contubernio & exemplo, frequentique colloquio cor clariſſimi comitis adeò immutatum, penituſque ſuccenſum eſt cæleſtis patriæ deſiderio, ut abjecto militiæ cingulo, calcatâ mundanæ potentiæ gloriâ, caſtris Dominicis in clericali habitu adſcribi voluerit: tamque pium ſanctæ devotionis affectum mancipâſſet effectui, ſi non eum copula legitimi, quo alligatus erat, retinuiſſet conjugii *e*. Apoſtolicum tamen ſequutus conſilium, habebat uxorem, tamquam non haberet, rebuſque ſæcularibus ſic utebatur, ut domum propriam non tam poſſidere videretur, quàm adminiſtrare. Deinde totus in virum commutatus alium, novo vivendi genere, ſolo habitu mundanam dignitatem profitebatur, re autem ipſa & affectu non miles, ſed clericus, non comes, ſed Lamberti diſcipulus erat.

S. Lamberto auctore, mundum contemnunt;

e

quorum primus ipſi ſucceſſit,

E

50 Jam enim tunc occultè operabatur in eo Spiritus ſanctus per miniſterium ſacerdotis ſui Lamberti, quod ad ſalutem multorum poſtea manifeſtè latiùs propagatum eſt, cùm per angelicam viſionem *f* in epiſcopali regimine ipſi beato Magiſtro dignus hæres ſuccedens, ſancta converſatione, apoſtolica prædicatione & Trajectenſem eccleſiam illuſtravit, & poſtea Leodienſem feliciter fundavit, quam non ſine Dei nutu ex ignobili vico in urbis claritudinem, ex filia in matris ſublimavit dignitatem. Sed & amita ejus Oda, venerabilis matrona, cujus paulò ſuperiùs memoriam fecimus, doctrinam ſancti Pontificis gratanter expetebat, depoſito ſæcularis gloriæ ambitu, humiliter ſedens ſecus pedes ejus, audiebat aſſiduè ab eo verba caſtitatis & ſobrietatis, quæ in corde ſuo tamquam in bonam terram ſemen recondens, & in his die ac nocte meditans, retulit in tempore ſuo Deo acceptum ſanctæ viduitatis fructum ſexageſimum.

f

altera in ſancta viduitate defuncta eſt.

F

51 Nam Chriſti ſacerdotis Lamberti ſpirituali exhortatione ad contemptum mundi viriliter accincta, poſſeſſionum ſuarum reditus, qui erant ampliſſimi, in uſus pauperum & ſervorum Dei cœpit abundanter erogare: & ad ultimum, cùm poſt paſſionem S. Lamberti omnium, quæ habebat, Chriſtum ſcripſiſſet hæredem, in prædio ſuo, quod Amanium dicunt, non longè à Leodio eccleſiam in honorem B. Georgii martyris extruxit, ubi in ſancto viduitatis propoſito infatigabiliter Deo ſerviens, feliciter requievit. Hæc quidem & alia multa per ſacerdotem ſuum Lambertum dignatus eſt Dominus operari; quæ ſi per ſingula ſcriberentur, faſtidium lectoribus generare viderentur. Nos verò ut extremam huic operi manum imponamus, jam nunc paſſionis ejus vexillum erigamus.

ANNOTATA.

a *Vide Annotata de tota hac S. Landradæ hiſtoria ad caput* 3 *Vitæ tertiæ. Profitetur autem Nicolaus in Prologo num.* 4, *Vitam S. Landradæ (de qua in Commentario prævio num.* 50 *meminimus) ſibi præluxiſſe.*

b *Suprà cap.* 1, *num.* 6 *& ſequentibus.*

c *Hic eſt S. Hubertus, qui Sancto noſtro in epiſcopatum proximè ſucceſſit. Colitur die* 3 *Novembris, quando Vita ejus à diſcipulo ſuo vel*

A. NICOLAO CANONICO.

familiari scripta dabitur. De præsenti argumento consule Commentarium prævium num. 52 *&* 53.

d *S. Oda vidua, quæ Amanii in diœcesi Leodiensi obiisse dicitur, & corpore quiescit, colitur* 24 *Octobris, ad quam diem hæc omnia examinari poterunt. Vide interim dicta in Commentario num.* 52 *& sequenti.*

e *S. Hubertum matrimonio illigatum fuisse, ex quo S. Florebertus natus est, testatur etiam illius biographus in Vita suprà laudata, apud Surium, ubi ait:* Nos torum ipsius circùm ambientes, unáque nobiscum egregius filius ejus Florbertus, præstolabamur glorioſam ipsius migrationem. *Hic sanctus filius sancti patris in episcopatu proximus successor fuit, colituruque die* 25 *Aprilis, ubi de eo actum est.*

f *De visione hac, quam in Commentario fictitiam diximus, infrà sermo recurret.*

CAPUT V.

B

Pippini cum Alpaïde pellicatus reprehensus: S. Huberti Romana profectio: antiquus Legiæ situs, & S. Lamberti in ea ædes: cetera ejusdem gesta in causa Alpaïdis.

Sanctus Pippinus de repudiata Plectrude,

PIpinus verò, ut præmisimus, eo tempore sub rege Theodorico regnum Francorum strenuè gubernabat, cujus principatum præcipuè illustrabat & rerum in bellis à se gestarum claritas, & cum morum temperantia justitiæ æquitas. Sed ô misera, semperque incerta & casui obnoxia, humanæ fragilitatis conditio! Vir tantus & bellator præcipuus, superveniente tentatione, de seipso triumphare non potuit, quem sicut virtus & industria inter adversa bellorum effecerat modestum & fortem, sic, superatis aut pacatis hostibus, securitas & potentia resolvit in

C

adulterii turpitudinem. Cùm enim filii ejus Grimoaldus & Drogo *a* paternæ felicitatis gloriam eo maximè exornarent, quòd jam in ipso juventutis flore à nobilitatis suæ splendore non videbantur esse degeneres, Pipinus matrem eorum Plectrudem, uxorem suam legitimam repudiavit, eique superinduxit puellam elegantem, Alpaïdem nomine *b*, quæ erat soror Dodonis *c*, viri inter Francos proceres nobilis & potentis. Et factum est in oculis totius Franciæ publicum hoc adulterium.

a

b c

Ductaque Alpaïde pellice arguit, d

53 Sed hæc, quæ tanti principis gloriam maculavit incæstûs *d* turpitudo, facta est amatori puritatis Lamberto pontifici dignissima honestæ mortis occasio. Nam rectores ecclesiarum Austriæ tanti reatum criminis in principe manifestè considerantes, non delictum corripiendo sanare, sed penitus per adulationem dissimulando, augere studuerunt; sicque dum aut beneficia ejus amittere, aut offensam verentur incurrere, facti sunt tamquam canes muti non valentes latrare. Sed veritatis præco Lambertus, qui Pipinum spirituali jam dudum diligebat affectu, ejusque casum non sine gravi cordis sui afflictione videre poterat, zelum Phinees vel Eliæ tota mente concepit, plusque tanto viro in hac causa prodesse, quàm placere appetens, ingressus est ad eum in spiritu & verbis Joannis Baptistæ, sanctamque pristinæ dilectionis in corde conservans dulcedinem, & in ore sacerdotalis constantiæ præferens authoritatem; Non licet, ait, tibi eam habere uxorem *e*.

D

e

& ad frugem reducere nititur.

54 Exceperat Pipinus in humilitate cordis verba hujus salutaris increpationis, totusque in conspectu beati Pontificis confusione plenus, visus est velle, quòd redintegrato conjugio, & abjecta pellice, niteretur obtinere remedium pœnitentiæ. Sed mox ut amatæ pellicis species oculis ejus se ingessit, animus æger & adhuc incertus, vim tantæ tentationis ferre non prævalens, facilè succubuit; & quod in eo jam videbatur extinctum, revixit acriùs illiciti amoris desiderium. Nec sic tamen destitit Lamberti constantia, sæpiúsque præsentiam Pipini repetens, tamquam bonus & spiritualis medicus, infundebat vulneri ejus modò increpando aspera, modò demulcendo levia; aliquando etiem referebat laudando crebros victoriarum ejus titulos, patriæ valdè utiles; asserens,

E

eum specialiter solum principem, cujus labore & industriâ per Dei providentiam pax & justitia vigeret in regno Franciæ, & floreret status religionis ecclesiasticæ, & ob hoc verendum sibi esse dicebat, ne tantæ gloriæ præconium decoloraret hujus infamiæ opprobrium.

S. Hubertus Romam proficiscitur. Ab Alpaïde incitatus f

55 Interea, dum non cessat Pontificis admonitio, dum speratur & expectatur fructuosa principis correctio, vir memorabilis Hubertus, per omnia beati Pontificis usus consilio, Romam profectus est *f*. Proposuerat siquidem triumphalia Apostolorum visitare limina, ut fervorem religionis & temptum mundi, quem ex disciplina & institutione magistri sui Lamberti jam conceperat, per eorum merita ad effectum perduceret, seque Apostolicæ Sedis Præsulis orationibus commendaret. Quem qualiter Sergius Papa exceperit, eique per angelicam visionem mortem ipsius B. Lamberti martyris Romæ revelaverit, Deo annuente, in sequenti narrabimus: sed nunc narrationis nostræ seriem prosequamur. Alpaïs verò illicitæ copulæ sibi conscia, in metum suspicionemque devoluta, graviter intrinsecus angebatur, fratrique suo Dodoni quotidie deplorabat, quas à Lamberto pontifice perferebat contumelias, qui suam cum principe conjunctionem præsumebat vocare fornicationem, summoque studio laborabat inurere ipsis & omni eorum posteritati tantæ infamiæ opprobrium, si per ejus importunitatem inter ipsam & principem fieret divortium.

F

Dodo, Lambertum promissis frustra tentatum,

56 Potuit facilè ad quamlibet nefandam hujus injuriæ ultionem mens Dodonis impelli, in cujus pectore naturaliter regnabat superbia & crudelitas, omnemque publicarum legum contemnebat severitatem propter Pipini affinitatem. Et licèt gravi indignatione permotus Dodo, ignominiam sororis diluere jam deliberâsset sacri peremptione Pontificis, non tamen furioso impetu rem exequutus est. Videbat enim, tantæ sanctitatis & authoritatis Virum non posse interfici sine maxima totius Austriæ perturbatione & scandalo. Dissimulato itaque ad tempus furore, & motum suæ indignationis contegens, aliqua rationis specie beatum Virum per domesticos & familiares suos priùs conveniendum judicavit, studiosè pertentatus *, si quo modo posset, promissis majoribus muneribus & obsequiis, libertatem vocis corrum-

* pertentaturus

A rumpere, & animi constantiam infringere. Jactabat etiam, quanta in regno Francorum generis sui claritas excrevisset & potentia, quam ipse Præsul in sui perniciem incitatam graviter sentiret, si sororis suæ matrimonium saltem tacendo non approbaret.

occidere statuit. Vetus Leodii facies

57 Sed animus beati Præsulis, qui zelo religionis fervebat, nec blanditiis decipi, nec terroribus ad hoc potuit emolliri, ut per veritatis silentium videretur tantæ iniquitati præbere consensum. Cujus religionem & constantiam ad contemptum suum vir nequam Dodo retorquens, acriori adversùs eum sævire cœpit invidiâ, tempusque opportunum quærere, quo voluntati suæ satisfaceret in ejus occisione, cujus explendæ matura venit occasio. Fortè his diebus, videlicet circa autumni initium, Pipinus Jopiliam *g* venerat, villam regiam, & ad ministrandos principales sumptus tam ex seipsa, quàm ex adjacentium regionum commoditatibus habilem & copiosam. Eodem etiam tempore morabatur Christi sacerdos Lambertus in viculo, non longè superiùs à nobis dicto Legia, qui in valle situs inter opaca nemorum, inter ardua montium, B fontibus & fluviolis per prona decurrentibus, valdè erat delectabilis & irriguus. Distat autem à Tungris versùs Meridiem vix tribus miliaribus.

g

58 Hunc locum, sicut narrat antiquitas, & scripta patrum edocent, cùm B. Monulphus *h*, vicesimus primus Tungrorum episcopus, quadam die cum suis intrâsset, captus situ & amœnitate, substitit, propheticoque spiritu tactus; Eja, inquit astantibus, locus, quem Dominus ad salutem multorum fidelium suorum elegit, & quem per merita cujusdam servi sui postmodùm magnificè illustratum summis civitatibus æquabit. Statimque ecclesiolam illic ædificare præcepit, quam in honorem SS. Cosmæ & Damiani martyrum Domino dedicavit. Hæc idcirco de statu & habitu Legiæ interseruimus, ut liquidò sciamus, à quibus augmentum acceperit initiis, & collato hujus & illius temporis statu, meritò magnificemus Deum in martyre suo Lamberto, patrono nostro, per cujus merita, per cujus corporis præsentiam, promotus est locus iste in civitatis amplitudinem, & in episcopalis cathedræ sublimitatem. Quam equidem causam suo tempore, suo ordine, si Dominus permiserit, scribere curabimus. C

sanctique Monulphi de eo vaticinium.

h

59 Hunc ergò locum vir Dei Lambertus valdè diligebat, & frequenter, ut illic orationi aut lectioni liberiùs vacaret, inhabitabat; quia tunc temporis adeò erat invius & solitarius, ut quandam eremi videretur habere similitudinem. Nam ab Occidentali & Septentrionali plaga montibus & sylvis maximis claudebatur; Meridianam verò partem Mosa fluvius reducto & curvato paululùm sinu ambiens, inaccessibilem faciebat; sed quà Orientem spectat, adiri faciliùs poterat, montanis à Mosa aliquantulùm recedentibus, sesequeque juxta ejus ripam quinque ferè miliaribus usque Trajectum in directam & speciosam longitudinem clementer extendentibus. Habebat illic juxta præfatum sanctorum martyrum oratorium Lambertus compactam ex lignis cellulam, & alia hujusmodi ædificia suorum usibus necessaria, in quibus hi, qui tanti Viri digni habebantur contubernio, ejus moribus vivebant, & instituebantur exemplo.

S. Lambertus ibidem ædes habebat, in quibus

sæpe morabatur virtutibus fulgens.

60 Ipsa autem domus Pontificis in nulla re differre videbatur à cujuslibet privati mansione, nullum penitus sæcularis pompæ, nullum libidinis aut luxuriæ signum; sed multimoda patientiæ & abstinentiæ præferens indicia. Et quamvis extrinsecus in oculis hominum, ad declinandam jactantiam, moderato & competenti, nec penitus abjecto habitu uteretur, intrinsecùs tamen caro ejus vili & asperrimo atterebatur cilicio. Abstinentiæ verò ejus & vigiliarum, seu orationum assiduitatem & instantiam ætas imbecillior nullo modo retardabat, quæ sexagesimum annum *i* jam excesserat. Qui licèt summis eremi cultoribus in omni spiritualium perfectione virtutum jure creditur æqualis, specialiùs tamen & peculiariùs ornabatur humilitatis gratiâ & castitatis. Effulgebat in ejus angelico aspectu & paterna dulcedo & episcopalis sanctitatis authoritas, ut vel sola faciei ejus contemplatio aliorum maxima esse posset instructio.

A. NICOLAO CANONICO.

i

Hinc Jopiliam evocatus à Pippino,

61 Igitur, ut præmisimus, cùm Pipinus eo tempore ad tractanda regni negotia in Jopilia aliquamdiu resideret, & Lambertus Legiam suam sancta & verè angelica conversatione illustraret, evocatur quadam die idem Vir Dei pro summis reipublicæ causis ad palatium, ad quod propter locorum vicinitatem non erat ei laboriosus ac difficilis transitus; exiguo enim spatio à se invicem E distant Jopilia & Legia, duobus fluviis, Mosâ & Urtâ *k* interfluentibus, seseque illic commiscentibus. Descendit Jopiliam, expletisque, pro quibus venerat, invitabatur à principe ad convivium, multisque ejus victus precibus, discubuit, gaudentibus maximè summis & illustribus viris, qui aderant, quòd obtinere meruerint. Cùm verò inter prandendum minister Pipino poculum obtulisset, ille religiosè admodùm innuit porrigendum Episcopo, summopere desiderans resumere sanctificatum illius benedictione.

k

Alpaïdis pateram benedicere renuens, abscedit:

62 Exemplum ducis sequuti reliqui proceres, qui simul accumbebant, cùm pateras suas Viro Dei ad benedicendum summa cum devotione transmitterent, esset que inter ipsos pincernas, dum alter alterum prævenire contendit, quantùm principalis convivii disciplina patiebatur, religiosa quædam decertatio, diabolica non defuit tentatio. Nam prædicta Alpaïs occasione hujus piæ jocunditatis credens, sibi non debere negari, quod videbat omnibus sic distribui, cyphum suum sanctificandum latenter ingessit Episcopo. Sensit hoc Lambertus, & conversus ad Pipinum, importunitatem & audaciam mulieris incusat, relictoque F prandio, ipsam aulam egreditur, ne per cujuslibet communionis vel benedictionis consortium reatui impudentis adulteræ aliquem videretur præbuisse consensum. Statimque immutata est tota illa convivantium procerum lætitia, timentium, ne, vincente rationem furore, Pipinus per suggestionem mulieris gravius quid agere cogeretur contra salutem & vitam Pontificis.

revocatus, constanter negat, se

63 Pipinus tamen, dissimulato magis, quàm sedato animi sui motu, missis à latere suo honorabilibus viris, Lambertum iterum revocavit ad palatium, eumque multis blanditiis & magnis beneficiorum promissionibus est aggressus, quatenus severitatem & constantiam ipsius inflecteret ad approbandum Alpaïdis matrimonium, dicens eam claritate & potentiâ generis sibi convenire, ex qua legitimos principatûs suri generaret hæredes; nec debere vocari adulterium, sed potiùs honestatis duplicationem & augmentum. Affirmabat præterea sub attestatione divini nominis, non leviùs se ferre posse hujus conjugii dissidium, quàm propriæ vitæ & honoris dispendium *l*. Sed cùm Lambertus his parùm moveretur, nolletque prioris

l

A. NICOLAO CANONICO.

sententiæ rigorem dissolvere; Pipinus dissimulatum hactenus indignationis suæ æstum intra se ulteriùs non valuit cohibere, totoque habitu legitimi & Christiani principis transgressus modestiam, furore plenus, talem se ei præbuit, qualem se vel sacrilegus Achab Eliæ, vel adulter Herodes Joanni Baptistæ.

cum ea communicaturum, & Pippino m

64 Præcepit itaque ei irâ tumens, si vitæ vel honoris sui periculum nollet incurrere, ut Alpaïdem, tamquam honestam principis uxorem, placaret sibi humili satisfactione, eamque debito salutationis officio honoraret, antequam de palatio recederet *m*: jam enim declinabat dies ad vesperam. Tunc verò amator castitatis, & veritatis defensor, Lambertus Christi sacerdos, supremo religionis fervore succensus, erexit se aduersùs Pipinum intrepidus, & manifestè loquente in se Spiritu sancto, Hactenus, inquit, spem salutis tuæ habens, paterna dulcedine, mitioribus verbis, ad remedium pœnitentiæ te exhortari & incitare non destiti, tamquam humilem & religiosum, veréque Christianum principem; sed, ut video, immanitatem perpetrati à te facinoris dedignatur recognoscere sublimitas tuæ potestatis, nosque per eam coactos vis divinæ legis prævaricari præceptum, si tantam, tamque manifestam iniquitatem tuam dissimulando, voluerimus cum adultera tua habere damnatæ communionis consortium.

B

acriter increpito, Legiam regreditur.

65 Vivit omnipotens Deus, cujus ego sum servus, me numquam communicaturum huic fornicariæ, ex cujus conjunctione pristinæ virtutis tuæ gloria tam turpiter obscuratur; & quod graviùs doleo, æternæ perditionis interitus, nisi resipueris, tibi certissimè præparatur. Si verò potestatem, quam à Deo accepisti, commutas in tyrannidem, paratus sum pro veritate, pro castitatis defensione, quascumque intuleris persequutiones, ipsam etiam mortem, libenter excipere. Statimque in his verbis à conspectu principis & aula cum summa constantia recessit, transmissoque Mosa fluvio, ad dilectam sibi Legiæ solitudinem regressus est *n*.

p

ANNOTATA.

a *De Grimoaldo & Drogone vide Annotata ad Vitam tertiam, cap. 4, litt. d & e; ex quo hæc deprompsit Nicolaus.*

C b *Constat Alpaïdem Pippini pellicem fuisse, ex qua ei genitus est Carolus Martellus; at repudiatam ab eodem fuisse Plectrudem, auctores non consentiunt.*

c *Alpaïdis fratrem fuisse Dodonem non legitur apud Godeschalcum & Stephanum. Nicolaus hîc secutus est Sigebertum in Vita num. 39, cujus vestigiis etiam institit, ut aliam, quam quæ à Godeschalco & Stephano tradita fuerat, martyrii causam procuderet, licèt ipso etiam teste in Prologo, istis* etiam apud *Leodienses* maximam authoritatem non levis, sed venerabilis sanxit antiquitas.

d *De adulterio seu pellicatu Pippinum arguunt ceteri scriptores, de* incestu *nullus, quem sciam, præter Nicolaum.*

e *Dubitare non possumus, quin* S. Lambertus *Pippinum ad frugem revocare conatus fuerit, ut in Commentario num. 155 & sequentibus diximus; verùm hunc usque ad ejusdem sancti Episcopi martyrium in pellicatu perstitisse, non est verisimile. Vide dicta ibidem.*

f *Viam sternit ad fabulam sequenti capite referendam, quam ipse primus è biographis Vitæ* S. Lamberti *inserit.* D

g *Adi Annotata ad cap. 4, Vitæ tertiæ, lit. l.*

h *S. Monulphus colitur 16 Julii, ubi geminam ipsius Vitam habes. De structo SS. Cosmæ & Damiani sacello, de quo mox Nicolaus, vide Commentarium num. 159.*

i *Supremam Sancti ætatem nemo præter Nicolaum tradidit; sed secundùm dicta de tempore ejus natali § 2, sexagesimum aliquot annis potuit superâsse. In Vita S. Landradæ die 8 Julii, num.* 10 Sanctus senex *vocatur, dum ad illam morituram properabat.*

k *Aliàs* Uta, *exiguus fluvius, qui in Mosam à dextera ripa, in qua Jopilia sita erat, illabitur. Legia verò, quæ nunc utramque ripam Mosæ occupat, tum sinistræ dumtaxat insidebat.*

l *Hoc Pippini responsum ceteris in convivio gestis, quæ primus invenerat Sigebertus, Nicolaus adjecit.*

m *Sigebertus in Vita præcedenti cap. 4 scripserat,* S. Lambertum *post rejectam cum sua patera pellicem, eamdemque femineæ audaciæ apud Pippinum accusatam, ex aula se proripuisse, & ex hujus mandato, insalutata conjuge, abire prohibitum, eam salutare abnuisse; quæ Nicolaus alio rursum modo exposuit.* E

n *Digna quidem hæc est tanto Episcopo reprehensio; sed à nullo veterum tradita, & post quatuor ab ejusdem Sancti nece secula à Nicolao primùm concinnata.*

CAPUT VI.

Sancti martyrium: hujus revelatio S. Sergio Papæ facta: corporis ejus translatio Trajectum & sepultura ibidem prodigiis illustris.

Dodo ab Alpaïde incitatus, armis paratis, F

ALpaïs verò nimia confusione plena, tamquam altera Herodias, ad ultionem hujus contumeliæ muliebri furore inflammata, Pipini animum, verbis Lamberti exasperatum graviter, facilè impulit ad interfectionis ejus consilium. Et missis statim per noctem de palatio multis satellitibus & viris audacibus, fratri suo Dodoni, qui non longè aberat, quid Lambertus cum duce recenter egerit, quid dixerit, malitiosa mandat relatione, verbis depravatis ad deterius persuadendum studiosè compositis. Addit præterea, tamquam oleum camino, ut dum principi placet, dum dolor ejus recens est, Lambertum maturet occidere; quia ejus vita eorum erat opprobrium & ruina. Quibus ille auditis, totus in rabiem versus, vix se continet; oblatam, quam diu desideraverat, explendæ hujus nefandæ cædis opportunitatem inhianter arripit; & quamvis à ratione alienus in effusionem sanguinis innocui jam jamque præceps ageretur, rem tamen differt in crastinum, metuens, ne crudelitatis suæ maximam pateretur jacturam, si Lambertus aut quilibet ejus contubernalis, latitando aut fugiendo, huic occisioni eximeretur obscuræ noctis beneficio *a*.

67 Conceptæ itaque iniquitatis eum exagitan-

a

te

A. Nicolao canonico.

A te conſcientia, pervigil & quietis impatiens, huc illucque velut animi impotens rapiebatur, armatos aggregans, & ad tam deteſtandum facinus informatus, ſæpiſſimè cauſatus tardiorem noctis receſſum, quæ ſola deſiderii ſui morabatur effectum. At mitiſſimus Chriſti ſacerdos Lambertus ſolitas ſacrarum vigiliarum Deo exhibebat excubias, offerens in conſpectu Altiſſimi ex ingenti cordis contritione ſpirituales & placabiles mundiſſimæ orationis hoſtias. Solebat enim deguſtata modici ſomni requie, poſt primam noctis vigiliam ad orationem cum ſilentio ſolitarius exurgere, atque in fervore ſpiritûs conſtitutus, uberiores preces, quæ de charitatis ardore procedebant, effundere, cùm pro commiſſo ſibi grege, pro totius mundi & eorum, qui in ſublimitate ſunt, ſalute & tranquillitate ſupplicabat; ſeu cùm de collatis ſibi divinæ miſericordiæ beneficiis, modò præterita recolendo, modò præſentia, vel quæ repoſita ſunt in futuro, Sanctorum præmia puriſſimæ mentis oculis contemplando & ſperando, ineffabiles Deo gratias exhibebat.

A dum Sanctus, exacta in precibus nocte,

68 In his itaque cùm plus quàm mediam noctis illius partem tranſegiſſet, dato ſigno diſcipulos à ſomno excitavit, cum quibus nocturnos hymnos, ut à ſanctis patribus eſt inſtitutum, ſumma cum devotione celebravit. Quibus ſolemniter completis, ad orationem iterum procubuit, quam uſque ad ipſius auroræ viciniam devotè producens, corpuſculum ſuum, longo jejuniorum & vigiliarum uſu attritum, exigua ſomni requie refecturus, in lectulo depoſuit; quia ejus diſcretionis ſpirituali experientiæ valdè notum erat, quòd immoderatæ & irrationabiles pernoctationes & vigiliæ frequenter dejecerunt, quos ſomnus ſuperare non potuit. Rareſcentibus itaque tenebris, & apparente jam luce, ecce Dodo ad explendum deteſtabile carnificis miniſterium, furentibus animis, veniebat cum armata ſatellitum ſuorum multitudine. Sed & abs re videri non arbitramur huic operi inſerendum, quod ad declarandum martyris ſui Lamberti meritum omnipotens Deus, quibus voluit, dignatus eſt oſtendere.

paululùm quieſcit, ædes ejus, ſupra quas

69 Nam quidam ex militaribus viris, qui Dodonis exercitum ſequebatur, cùm jam in proſpectu eſſet Legia, erectis ſurſum oculis, viderunt ſupra cellam, in qua idem vir Dei Lambertus pauſabat, in ipſo ſereno aëre victorioſiſſimæ Crucis Domini ſignum flammeo colore ultra ſolis radios rutilare. Ut enim verè credimus, Lamberto, qui mundo crucifixus erat, & per crucem de antiquo hoſte promittebatur victoria, & per claritatem ſplendoris in cæleſtibus martyrii gloria. Dodonis igitur ſatellites & commanipulares, cum atroci tumultu & terribili armorum ſtrepitu ducem ſuum circumvallantes, locum pacis, domicilium religionis, cellam tanti Sacerdotis hoſtiliter ſunt aggreſſi; omnibus, qui illic in obſequio ejus aderant, ad inſolitam armatorum aciem ſtupentibus, atque ipſius mortis expectatione trepidando huc illucque diſcurrentibus. Vir autem Dei repentè à ſomno excitatus, quid præter ſolitum vellet tanta ſuorum inquietudo & trepidatio, non facilè inprimis potuit advertere.

crux divinitus apparet, infringere aggreditur.

C

70 Sed cùm aforis furentium inconditum clamorem & armorum colliſionem audiſſet, rem, ut erat, ſe videlicet peti, veraciter intellexit; tandemque in ſe reverſus, ad divinum confugit auxilium *b*; & fidei ſcutum, & conſueta orationum arma corripiens; Exurge, inquit, Domine, & judica cauſam meam; & ne obliviſcaris pauperum tuorum in finem. Aderant illic duo nepotes ejus, Petrus videlicet & Andoletus nomine, viri genere & divitiis inſignes, & rebus militaribus magnanimes. Hi tam inopinato, tamque gravi cum beato Viro intercepti periculo, priſtinæ virtutis ſuæ non immemores, arreptis fuſtibus, quos caſus obtulerat, in ſacrilegos, qui effractis foribus atrii, interiorem domum Pontificis conabantur irrumpere, audaci feruntur impetu, eiſque longiùs proturbatis, mutua ſe & ſuos exhortatione ad virtutem exacuentes, ad reſiſtendum adverſariis ſe viriliter præparant. Quod cùm mitiſſimus Chriſti ſacerdos Lambertus ſubintellexiſſet, advocatis nepotibus ſuis, Continete, ait, dilectiſſimi filii, manus veſtras, & ab effuſione humani ſanguinis ſervate innoxias: valdè enim alienum eſt à viris fidelibus, & à noſtræ diſciplinæ ſectatoribus malum pro malo reddere, & illatas manu propria ulciſci velle injurias.

Lambertus ſuos ad piè moriendum excitat,

b

71 Audite itaque chariſſimi, ultima hæc patris veſtri verba, & ad eum, apud quem eſt miſericordia & copioſa redemptio, ſpem cordis veſtri firmiter erigite, atque ante ejus conſpectum omnes reatus veſtros humiliter confitendo, proprio vos condemnate judicio. Tunc Petrus & Andoletus per Spiritum ſanctum veræ pœnitentiæ affectu concepto, abjectis armis, per humilitatem confeſſionis implorant ſalutarem gratiam indulgentiæ & reconciliationis. Quos cùm Sacerdos Chriſti ſecundùm urgentis periculi inſtantiam abſolviſſet, & epiſcopali benedictione corroborâſſet, ait: Exite nunc, eja verè milites Chriſti, cum omni fiducia ad eos, qui quærunt vos occidere, nobilitatemque animi per contemptum injuriarum & ipſius mortis viriliter demonſtrate, ut, ſicut in vobis eſt cauſa juſtior, conſcientia purior, ita & virtus patientiæ, quam diligit Chriſtus & coronat, effulgeat hodie robuſtior. De me, pro quo vos plurimùm ſollicitos video, Domini voluntas fiat. Illi autem, tamquam divino accepto oraculo, ſtatim velut ad præparatas ingentes corporum delitias feſtinârunt, oſtio cubiculi inermes, ſed vultu interrito, proruunt, non carnificum manibus tracti, ſed amore ferventes martyrii, cerviceſque ſuas furentibus & ferientibus adverſariis conſtanter objectantes.

& duobus nepotibus ſuis aliiſque

E

72 Quibus crudeliter interfectis, ſatellites Dodonis, quaſi quodam guſtu hujus cædis ad acriorem ſævitiæ rabiem inſtigati, diruptis ſepibus, effractis parietibus, truculentiores belluis introrſus irruunt, laniando & mactando inventum illic modicum gregem ſervorum Dei, qui innocentiam ſuam etiam inter gladios carnificum conſervantes, non reſiſtendo aut fugiendo, ſed mortem conſtanter excipiendo, victoriam ſuam forti patientia maximè decorabant. At electus Dei Lambertus ante altare ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani *c*, martyr mox ipſe futurus, in modum crucis ſe proſtraverat, horam martyrii ſui in loco ſacrato & ſacerdoti congruo, in ſumma orationis devotione expectans. Unus autem ex illa ſacrilega impii Dodonis caterva, ad facinus cæteris audacior, ſuper faſtigium oratorii armatus incunctanter evolat, tanquam in conſpectu principis ſui rem gratam, rem facturus egregiam; ſtatimque disjunctis cum impetu tegulis, cùm beatum Virum introſpexiſſet humi proſtratum orare, non dedit honorem Deo, ſed diabolico exagitatus ſpiritu, lanceâ *d*, quam tenebat, magno libratâ conamine, percuſſit eum, & mortali tranſfodit vulnere.

cæſis, ipſe quoque lanceâ interimitur.

F

c

d

73 Sic ſacrilegus Dodo & Deo odibilis propter ſororis ſuæ adulterium in viro Dei Lamberto apoſtolicæ authoritatis conſtantiam, & ſalutarem

Sancti martyrium Sergio Papæ nunciatur ab angelo,

A. NICOLAO CANONICO.

rem linguæ ſacerdotalis increpationem per turbæ * carnificis miniſterium nefanda cæde ultus, & æternæ damnationis incurrit interitum, & poſteritati ſuæ tanti facinoris jugem pœnam, & indefi-

* *an* per errore?

ciens uſque hodie dereliquit opprobrium. Sic Lambertus martyr beatiſſimus annis quadraginta *e* Tungrenſis eccleſiæ venerabiliter functus ſacerdotio, vir divina religione & ætate venerabilis, omnium virtutum gratiâ adornatus, angelicæ caſtitatis puritate conſpicuus, Taxandrorum ſpecialis apoſtolus, tanquam matutinum ſacrificium, in conſpectu Domini primo manè immolatus, verè ſacerdos & hoſtia ad baſim altaris occubuit; itáque inter ipſa arcana affectuoſæ orationis verba in laude & contemplatione Dei extremum ſpiritum exhalavit. O quàm precioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus! Nam ipſa univerſi orbis imperio ſublimis, & Apoſtolica Sede glorioſa urbs Roma mortem & meritum beati martyris Lamberti in ipſo temporis momento jam cognoverat, quo eum divina diſpoſitio in humili & ignobili tunc vico Legia manibus iniquorum laniandum tradiderat.

qui ejus pedum tradens, mandat S. Hubertum, f

74 Siquidem beatæ memoriæ Sergius *f*, qui Romanæ Eccleſiæ Sacerdotium vitæ merito, ut præmiſimus, adornabat, vigiliis & orationibus fatigatus, modicum ſomnum fragilibus membris indulgens, circa ipſius diei obdormierat auroram, quâ ſacerdos Chriſti Lambertus propter virtutis & caſtitatis defenſionem & teſtimonium per manum ſcelerati Dodonis conſequutus eſt martyrium. Et ecce angelus Domini, cæleſti luce conſpicuus, ei in viſione aſſiſtens, Diligenter, inquit, frater, iis, quæ tibi à Domino per me manifeſtantur, intende, & fidem verbis adhibe, & quod præcipietur, ſtudioſiùs exequere. Lambertus Tungrorum epiſcopus hâc ipsâ horâ intra ſanctuarium Domini ab impiis eſt pro pietate immolatus; & quia in terris martyrum Chriſti imitari ſtuduit fidem & conſtantiam, eorum in cæleſti curia conſortium obtinere promeruit & gloriam. En ejus paſtoralem baculum, in quo gregem Chriſti ſibi creditum vigilanter rexit & pavit, à loco paſſionis ejus tibi ſubitò tranſlatum ſuſcipe. Et viſus eſt ei baculum porrexiſſe, dicens: In hoc ſubſtitues ad regimen Tungrenſis eccleſiæ tali Viro dignum hæredem & ſucceſſorem, ipſius Lamberti doctrinâ & moribus inſtitutum, à Deo in ſacerdotem jam electum, Hubertum nomine, quem ad Apoſtolorum limina hodie venientem his & his ſignis inter alios poteris agnoſcere.

C

qui Romam tum venerat, ei ſubſtitui.

75 Statimque evigilans Papa, cùm de viſione adhuc hæſitaret, invenit juxta ſe repoſitum, ſicut ab angelo in viſu acceperat, paſtoralem B. Lamberti baculum: quem cum timore & admiratione maxima ſuſcipiens, & oculis præluſtrans, non jam inanem & phantaſticam, ſed plenam fide, & certè divinam eſſe viſionem intellexit, viriſque religioſis, quos in obſequio ſuo habebat, quid viderit, quid audierit, quod ſignum acceperit, ex ordine aperuit. Facta igitur oratione & immolatâ laudis hoſtiâ, ad exequendum viſionis præceptum circa Apoſtolorum limina ſtudioſus advenientium perſcrutator conſedit. Et fortè memorabilis vir Hubertus, finito longo peregrinationis ſuæ labore, eadem nocte in proximo Urbi vico manſionem acceperat. Qualiter autem à Papa Sergio eodem die cognitus, & de nece dilecti magiſtri ſui Lamberti per ſignum baculi ejus certior ſit factus, ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, libellum illum relegat, quem à viris fidelibus editum de vita & converſatione ipſius Huberti ante epiſcopatum, à pleriſque apud nos & haberi & legi, non eſt dubium *g*. Sed ad propoſitum redeamus.

D

g Dodo & ſocii divinitus puniti.

76 Adeptus itaque impius Dodo tam ſceleratam victoriam, in multa ſuperbia cordis ſui regreditur per vicini montis aſcenſum, qui nunc Publicus dicitur, qui ab Occidentali plaga longo quidem, ſed leni tractu & clemente clivo versùs Orientem ſe extendens, ferè in ipſo Septentrionali latere prædicti oratorii terminatur. Quam verò pœnam pro commiſſo hoc piaculo, & quàm horrendum nefariæ vitæ exitum Dodo ſacrilegus cum ſuo exercitu incurrerit, ſequens libellus indicare poterit, quem de Tranſlatione & miraculis B. Lamberti martyris ſcribendum diſpoſuimus *h*.

h Sancti Martyris corpus Trajectum advehitur,

77 Igitur pauci, qui ex domeſticis ſancti Viri evaſerant periculum mortis, licèt homicidarum illorum cuneus receſſiſſet, adhuc tamen nimiùm pavidi, & vix ſui compotes, ſacratiſſimum Sacerdotis & Martyris ſui corpus exanime inveniunt, præcioſo proprii ſanguinis rore perfuſum, in eodem orantis habitu, quo ante altare ſanctorum martyrum proſtratum mors occupaverat. Quod cum multo gemitu lachrymoſiſque ſuſpiriis deoſculantes, ab oratorio venerabiliter efferunt, impoſitumque naviculæ per defluum Moſæ alveum ad vicinum oppidum Trajectum dirigunt ſepeliendum. Ruit in obſequium funeris ferè tota regio, quam fama tanti ſceleris velox nuntia circumquaque jam excitaverat. Cùm verò navicula portui Trajectenſium applicuiſſet, ſacrumque Martyris corpus expoſuiſſet, vehementi clamore, ploratuque & planctibus utraque fluminis Moſæ ripa perſonabat, virorum ſcilicet & mulierum, quorum innumerabilis multitudo extincti Paſtoris deſiderio illuc confluxerat.

E

& cum magno omnium planctu exceptum,

78 Pauperum, viduarum, pupillorum ululatus maximè exaudiebatur, qui tanto Patre, tanto Conſolatore & Defenſore invidiâ & malitiâ iniquorum ſe eſſe deſtitutos, protenſis in cælum manibus conquerebantur. Sed & ſacer eccleſiaſticus ordo in lugubri veſte ſuo aſſiſtens Pontifici, exequiarum celebrationem & pſalmodiæ ſpiritualem modulationem crebris interrumpebat ſingultibus & ſuſpiriis, quæ in recordatione amiſſi Patris eliciebat vis interni doloris & amaritudinis. Sic diei ſubſequentem noctem continuant, nullis queſtibus prætermiſſis, quos in tali caſu doloris magnitudo ſuggerebat. Sed tantam lugentium multitudinem ſubitus rumor graviter conſternavit: dicebatur enim, (nec id vanum erat) Pipinum, ejuſque domeſticos valdè ſuper hoc indignari *i*, reputantes ad ſuam invidiam ſtudioſè fieri tam liberam, tam publicam de occiſione Pontificis popularium querelam, tam illuſtrem & inter lachrymas glorioſam beneficiorum ejus memoriam, tam celebrem circa ejus exequias lamentantium frequentiam.

F

i

præ timore Pippini & Dodonis ſine pompa

79 Exterritis itaque omnibus, maximè quia Pipinus non longè aberat, communis planctus in ſilentium vertitur; nec jam credebant, quenquam ipſorum Dodonis crudelitatem effugere, cui in Sacerdotem Domini videbant tantum licuiſſe. Quapropter hi, qui potentiores inter eos videbantur, & penes quos ſpecialiùs erat ejus exequiarum cura, accepto ad invicem conſilio, ſtatuerunt ad mitigandam principis indignationem ſepelire eum in loco humili, minori quidem apparatu, quàm exigeret dignitas tanti Sacerdotis & Martyris. Erant in ipſo oppido Trajecto duæ celebres eccleſiæ, quarum una B. Mariæ perpetuæ Virginis *k*, Tungrenſium pontificum eo tempore ſecunda ſedes habebatur; altera verò beati Apoſtoli Bartholomæi,

k

quæ

A. NICOLAO CANONICO.

A quæ ſanctiſſimi confeſſoris & epiſcopi Servatii meritis & corpore magnificè decorabatur *l*. Sed in his venerabile beati Viri corpus tumulare minimè præſumpſerunt, ne claritas loci augere videretur gloriam & honorem Sepulti.

l

in paterno tumulo deponitur, miro fragrans odore,

80 Unde manè facto, feretrum ejus ſine aliqua funeris pompa intulerunt in quandam eccleſiam S. Petri Apoſtolorum principis *m*, in qua vir illuſtris Aper, quem S. Lamberti ſuprà memoravimus patrem, in lapideo ſarcofago corpore requieſcebat. Erat autem ſolitaria, ſita ferè in ipſa Moſæ ripa ad Orientalem clivum montis, quem incolæ Caſtra vocant, habens inter ſe & Trajectum, quaſi quendam limitem, Jecoram fluviolum *n*. Igitur monumentum hoc aperientes, ſacroſancta Martyris filii membra in eo cum patris oſſibus, tunc verè felicibus, reverenter compoſuerunt, aſtantibus multis fidelibus, quorum devotio in recordatione extincti Paſtoris nec affectum ſuum cælare, nec lachrymas poterat cohibere. Cùm verò beatæ illæ celebrarentur exequiæ, maxima dulciſſimi odoris in eodem loco cælitus effuſa eſt fragrantia, cujus mira ſuavitate omnes, qui aderant, refecti ſunt *o*.

m

n

o

& cælesti lumine & concentu honoratur. Tempus martyrii ejus.

B 81 Sed magnis majora ſuccedunt: nam clauſo & obſignato diligenter Martyris tumulo, & recedente populi frequentia, ſanctorum angelorum cum hymnis cæleſtibus & immenſo lumine illic affuit manifeſta cuſtodia, quorum præſentiam & dulciſonam modulationem multi religioſi viri ſæpiùs audire & videre meruerunt, beatique Lamberti vocem, tamquam ſibi cognitam, proteſtati ſunt ſe verè audiſſe inter illum felicem chorum beatorum ſpirituum, ſanctæ & individuæ Trinitati hymnos decantantium *p*. Quæ viſio quotidie circumquaque divulgabatur, plebſque Trajectenſium & tota vicinia cum omni alacritate & devotione ſepulchrum Martyris frequentabant, publicos crebroſque conventus illic agentes. Nec jam poterat eos alicujus poteſtatis violentia abſterrere à veneratione Martyris, circa cujus ſepulchrum tantam conſiderabant gloriam & magnificentiam noſtri Redemptoris, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum; amen. Paſſus eſt autem B. Lambertus quintodecimo Kalendas Octobris, ſub rege Francorum Childeberto *q*, filio Theodorici regis, quo tempore faſtigium Romani imperii invaſerat Tiberius, qui & Abſimarus *r*, Leontio ab imperio excluſo, & in cuſtodiam retruſo.

p

q

r

C

ANNOTATA.

a *Adverte hîc, lector, quomodò hæc de caſu propter reprehenſum Pippini cum Alpaïde pellicatum* S. Lamberto *hiſtoria tandem ita adoleverit, ut jam tota ejuſdem Sancti cædis cauſa in iſtud unicum rejiceretur. Anſelmus geminam martyrii cauſam retulerat; primam, quam ex Godeſchalco & Stephano didicerat, Galli & Rioldi necem: alteram, reprehenſum Pippini pellicatum. Sigebertus utramque componere conatus, Gallum & Rioldum à Dodone Alpaïdis fratre incitatos ſcripſit ad eccleſiam affligendam, ut ſanctum Epiſcopum à redarguendo Pippino deterrerent; dumque id agerent, ipſos cæſos fuiſſe. Deinde Pippini convivium commentus eſt, iraſque Alpaïdis; necem denique ſubjunxit ſancto Epiſcopo illatam à Dodone, conſanguineorum ſuorum cæde & ſororis repulsâ inflammato. Nicolaus verò convivium quidem ceteraque adoptavit, ſed Galli & Rioldi cædem, quò illuſtrior appareret martyrii cauſa, prætermiſit.*

b *De arrepto primùm gladio, de quo omnes priores biographi meminerunt, altùm ſilet Nicolaus; credo, quòd id Sancto minùs honorificum reputabat: verùm hujuſmodi ſilentium non finit hiſtoriæ veritas.*

c *Adi Commentarium num.* 160 *& ſequentibus, ubi* S. Lambertum *non in oratorio SS. Coſmæ & Damiani, ſed in cubiculo ſuo interfectum eſſe obſervavimus.*

d Telum *ceteri biographi appellant, quæ vox etſi varia arma, quæ manu tractantur, ſignificet, pro ſagitta tamen potius uſurpata videtur à Godeſchalco, qui num.* 20 *Vitæ ait:* In ictu teli jaculavit eum.

e *Totidem ei in epiſcopatu annos tribuit S. Huberti biographus & familiaris, quibus annumerandi ſunt ſeptem, quos Stabuleti exſul exegit. Caſus autem eſt probabiliùs anno* 709, *ut in Commentario pluribus oſtenſum eſt.*

f *S. Sergium I Papam indicat, cujus Vita illuſtrata eſt ad diem* 9 *Septembris. Porrò, quæ Nicolaus hîc de* S. Lamberti *nece eidem ſancto Pontifici divinitus revelata, conſecratoque per ipſum S. Huberto, & ceteris eódem ſpectantibus pergit enarrare, fabulæ ſunt in Commentario num.* 110 *& ſequentibus jam rejectæ, nec ſtare poſſunt cum chronotaxi vitæ* S. Lamberti, *ante quem S. Sergius aliquot annis obierat.*

g *Haud dubiè deſignat hîc libellum, qui* Converſio S. Huberti comitis *inſcribitur, edituſque eſt à Joanne Roberti, in cujus cap.* 3 *iſta commentitia ordinatio cum aliis adjunctis fabuloſis narratur.*

h *Utrùm laudatum libellum ſcripſerit Nicolaus, incompertum mihi eſt; ſaltem ad manus meas non pervenit.*

i *Incuſſum à Pippino metum primus dixit Nicolaus, quem non ab alio, quàm à Dodone repetendum eſſe oſtendimus in Commentario num.* 144 *& ſequentibus, ubi etiam obſervavimus, Pippinum veriſimiliùs longè abfuiſſe, quando* S. Lambertus *occiſus eſt.*

k *Exſtat hodiéque ibidem eccleſia S. Mariæ, antiquo canonicorum capitulo inſignis.*

l *Hæc eccleſia à S. Monulpho in honorem S. Servatii condita,* Servatiana *ſolet appellari, dubitatque Henſchenius in Exegeſi hiſtorica de Epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi ante tom.* VII *Maji, cap.* 9, *utrùm umquam* S. Bartholomæi *dicta fuerit, cùm hæc appellatio eccleſiæ S. Mariæ videatur convenire. Ceterùm floret hodiedum Trajecti S. Servatii baſilica inſigni collegio canonicorum.*

m *Vide dicta in Commentario num.* 178.

n *Vulgò* Jecker, *Gallicè* le Jar, *fluviolus eſt ditionis Leodienſis, qui Tungros interfluit, & prope Trajectum in Moſam illabitur.*

o *Hujus fragrantiæ, ſilente Godeſchalco, etiam meminit Stephanus.*

p *Eadem leguntur apud Godeſchalcum ceteroſque biographos.*

q *Childeberti III obitum Coïntius & Pagius anno Chriſti* 711 *illigant: ideóque cùm* S. Lamberti *martyrium ex dictis probabiliùs inciderit in annum* 709, *ſub Childeberto rectè dicitur contigiſſe.*

r *Tiberius Apſimarus imperio, quod invaſerat, tum exauctoratus erat, ab anno ſcilicet* 705, *ut vult Pagius.*

AUCTORE C. S.

DE S. COLUMBA,

VIRGINE SANCTIMONIALI ET MARTYRE,

CORDUBÆ IN HISPANIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctæ memoria in Martyrologiis : hujus, non Senonenſis, aut alterius, celeberrimus cultus in Hiſpania.

AN. DCCCLIII. *A vetuſtioribus prætermiſſa,*

Quinta hæc eſt, ſed ſui ſexûs prima, ex martyribus Cordubenſibus, qui in hoc Septembris tomo celebrandi occurrunt. Etenim ad diem XV *SS. Emilam & Hieremiam, ad* XVI *verò SS. Rogellium & Servio-Deo, in eadem urbe Cordubenſi, eademque perſecutione Arabica paſſos dedimus. Quæ hiſce hodie accedit* S. Columba, *virgo Cordubenſis erat, quæ mortalium nuptias, quas & ſanguinis nobilitas, & formæ venuſtas & opes luculentæ ipſi facilè parabant, ex cæleſtis Sponſi amore averſata, religioſam omnibuſque virtutibus eminentem vitam in monaſterio Tabanenſi, ac deinde in ipſa urbe Cordubenſi prope baſilicam S. Cypriani duxit, eamque præclaro martyrio feliciter coronavit. Ignorârunt eam Ado & Uſuardus, licèt hic paucis poſt ejuſdem martyrium annis Cordubæ fuerit, quemadmodùm ad præcitatos dies jam obſervavimus. Sed & poſteriori loco vidimus, non omnes ejus temporis Cordubenſes martyres ab Uſuardo cognitos, aut certè non omnes Martyrologio ejus inſertos fuiſſe, cùm SS. Emila ac Hieremias in eo legantur, non item Rogellius & Servio-Deo; at quâ de cauſa, ignoramus.*

Martyrologio Romano aliiſque hodie rectè inſerta eſt,

2 *In Romano Baronii ad hunc diem ſic breviter annuntiatur :* Cordubæ ſanctæ Columbæ virginis & martyris. *Paulò prolixiùs præiverat Petrus Galeſinius in Romano pariter Martyrologio eodem die dicens :* Cordubæ in Hiſpania, S. Columbæ virginis & martyris, quæ omnibus virginalibus virtutibus mirificè exculta, Chriſti ſponſi, quem unicè coluit, deſiderio exardeſcens, gaudenti animo datis pro eo cervicibus, martyrium ſubiit. *Ad eumdem diem illam Tamayus in Martyrologio Hiſpano celebrat ſequenti elogio :* Cordubæ in Hiſpania Bætica, S. Columbæ virginis & martyris, quæ cùm in Tabaonenſi cœnobio lilia colligeret candida caſtitatis, & purpureas quæreret agonis roſas, ut Chriſto ſponſo florarium attexeret variegatum, urbem ingrediens, fidei ſuæ documenta propalans, ad martyrium utrâque florum coronâ redimita cucurrit, & in petræ foramen volitans, illic cæleſtis Columba ſecuritatem adinvenit æternam. *Hoc denique die eamdem memorant in ſacris Faſtis Benedictinis Menardus, Dorgainus & Wionius, uti & alii recentiores in ſuis, quos prætereo.*

S. Columba, in cælis natalis ſuit,

3 *Dies is* XVII *Septembris ſanctæ Virgini noſtræ in cælis natalis fuit, teſte S. Eulogio, qui eum diſertè ſignat; attamen non ſemper eo die in Hiſpania culta fuit; ſed alibi die* XXXI *Decembris, alibi* VIII *Januarii, alibi* III *Aprilis, ut Ambroſius Morales in Scholiis ad S. Eulogii Memoriale Sanctorum teſtatur. Porrò cùm die* XXXI *Decembris S. Columba Senonenſis, virgo pariter & martyr in Martyrologiis celebretur, hinc factum, ut nonnulli hanc, non Cordubenſem Martyrem, ab Hiſpanis tum cultam fuiſſe exiſtimaverint, prætéritâ Cordubenſi. Suſpicionem auxerunt Breviaria, in quibus Lectiones de Senonenſi virgine præſcribebantur, non de Cordubenſi. Verùm ad utrumque hoc argumentum rectè jam reſpondit laudatus Morales,* S. Columbam *virginem ac Martyrem, quam Hiſpani peculiari cultu proſequi ſoluere, non aliam eſſe contendens, quàm laudatam ab Eulogio. Juverit ipſius Morales verba retuliſſe, quibus inſignis ejuſdem Sanctæ cultus eâdem operâ probabitur.*

cujus celeberrimus

4 *Is itaque in Scholiis ad lib.* 3, *cap.* 10 *occaſione precis, quâ S. Eulogius, Vitam claudens, eam invocat, ſequentia annotavit :* Quemadmodùm ſanctæ hujus Martyris vitam & cædem copioſiùs atque etiam facundiùs divus Eulogius perſcripſerat, ita etiam pia prece hîc in fine voluit ipſam compellare. Et utroque quidem fuit Virgo digniſſima : ut enim ejus vita eximiis ſanctitatis exemplis plena, conſtantiaque in morte admiranda, majorem hiſtoriæ ſeriem, præſtantioriſque ſtyli ſplendorem promerebantur; ita quoque ingentem in cælis dignitatem adepta, præſentius & majus ſuis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod avidè deberet expoſci. Et hæc profectò inſignis vitæ mortiſque in hac Virgine præſtantia, hæc digna ejus invocatio, cui principium jam hinc fecerat Eulogius, faciunt, ut credam hanc noſtratem Cordubenſem Columbam, non illam alteram ex Senonibus Gallicanam, eſſe, quam tanto opere ubique inſigni cum religione Hiſpania tota concelebret. Et ſunt præterea plures aliæ cauſæ, quæ me permoveant, cùm nulla ſit, quæ contrarium poſſit oſtendere.

in Hiſpania cultus

5 Quæ enim, rogo, cauſa nos potuit incitare, ut Gallicanam Martyrem longè ex Senonibus, hoc eſt, ex remotiſſima Galliæ, quantùm ad Hiſpaniam pertinet, regione ſolummodò auditam, tanto cultu veneraremur ? Celebritas, credo, martyrii ejus, cujus Martyrologia uno penè verbo meminerint, Equilinus paucula ſcripſerit; cùm Breviaria noſtratia minimè in Lectionibus aut in die feſtivitatis ejus concordent. Fuit profectò Senonica Columba virgo ſanctiſſima, martyr ſtrenua; ſed ipſa in cælis reſidens, inde nos libenter audiens, optat nos veritatem invenire & confirmare; & illum legitimum cultum, qui ut ab Hiſpanis Hiſpaniæ Divæ debetur, eidem aſſererę. Is verò cultus tantus eſt, & tanto ope-

re

A re insignis ac penè singularis, ut non alienigenæ, sed Alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniam quàm plurima S. Columbæ nomine sacrata, quæ populorum eximia veneratione statis diebus solemni ritu frequentantur. Parentes devotione in hanc Divam permoti, ejus nomen filiabus imponunt. Burgensis ecclesia inter dignitates (ut dicunt) habet S. Columbæ abbatem. Habet eodem nomine & honore primariæ dignitatis sacerdotem ecclesia Segoncina. Sacellum quoque hujus Divæ ibidem in summo templo est, structurâ nobile, cultu eximium, & proventibus insigniter locuples: quamquam utrobique corrupto jam nomine S. Coloma, non Columba vocetur.

exponitur, 6 Hæc tanta veneratio, tam varius cultus religionis, plurimorum tot signis testata devotio, tot testimoniis declarata, & tam pia animorum propensione semper exaucta, cur externæ, & non patriæ, cur alienigenæ, & non civi, cur peregrinæ, & non domesticæ & penè tutelari Divæ tribueretur? Indigenam habeamus, quæreremus externam? Propria aderat, alienam advocaremus? Nostratem profectò nos colimus, Hispanam Mar-

B tyrem veneramur, & vernaculum in ea, jureque quodam communis patriæ nobis debitum patrocinium meritò exquirimus legitima religione. Sed dies, inquis, quo S. Columbæ festivitas in Hispania celebratur, Decembris nimirum ultimus, S. Columbæ Senonensis est natalitius, non Cordubensis; quæ si coleretur, XVII Septembris debuit occupare. Dicam equidem, quod sentio. Primum variant hîc Breviaria. Segoncinum namque VIII Januarii die, Caurien se III Aprilis, S. Columbam habent.

non est synonyma Senonensis, 7 Sed ego credo, cùm S. Columbam Cordubensem nostratium aliqui celebrare vellent, nec diem, quo passa martyrium, scirent; & ultimâ Decembris Columbam coli cernerent, Cordubensem arbitrati, eum diem ei sine discrimine attribuerunt. At Lectiones Senonenses martyrium referunt. Nimirum quemadmodùm dies natilitius nostratis Divæ erat incognitus, ita etiam vita & passio, quæ non passim in divi Eulogii libris legebatur. Inde quæ ad manum erat, nomenque idem veluti proprium dabat, arripuerunt. Hoc ipsum in S. Marina nostrati, hoc est, Gallicien si, factum videmus. Nihil erat proprium, quod

C legerent; divæ Margaritæ historiam ex parte ei accomodârunt. Hæc habui, quæ de S. Columbæ nostræ cultu dicerem; liberum interim judicium eis relinquens, qui aliter sentire maluerint. *Hactenus Morales, non minùs eruditè, quàm piè, ac denique modestè,* S. Columbæ *in Hispania celebris cultum Cordubensi Virgini martyri vindicans.*

sed Cordubensis 8 *Hæ rationes Eminentissimo Baronio in Annotatis ad Martyrologium Romanum placuerunt, & mihi quoque hujusmodi videntur, ut nullum aut perquam exiguum dubitandi locum relinquant. Ceterùm errorem hunc, eruto è latebris post medium seculi 16 S. Eulogii Opere, Cordubenses saltem agnoverunt, quippe qui tam hujus sanctæ Virginis, quàm ceterorum Cordubensium martyrum Lectiones ex eo excerptas, & auctoritate Clementis VIII PP., anno 1601 probatas, Breviario suo inseruerunt,* S. Columbæ *Cordubensis virginis & martyris festo ad diem* XVII *Septembris, quo Eulogius eam passam scribit, rectè relato, prout discimus ex Martino de Roa in libro de Festis Sanctisque Cordubensibus ad hunc ipsum diem, & in Kalendario, quod eidem Operi præfixit. An cetera Hispaniarum ecclesiæ, in quibus ejusdem Virginis cultus viget, Cordubensem in hac parte post-* AUCTORE C. S. *modùm secutæ sint, inexploratum mihi est; nisi quòd id suo tempore nondum factum fuisse, laudatus de Roa queratur.*

virgo & martyr, 9 *Præter Baronium & Roa, etiam Marieta in Historia Ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ lib. 3, cap. 25, & Antonius de Yepes in Chronico generali Benedictino ad annum Christi 853, Ambrosio Morales consentiunt. Et Yepesius quidem aliud insuper argumentum adjunxit, quo se magis motum ait, ut isti sententiæ firmiùs adhæreret. Advertit videlicet, Hispanos eam* S. Columbam *colere, cujus corpus in Hispania asservatur; id autem Senonensis martyris non esse, cùm Galli istud sibi vindicent; atque ita ex pacifica utrimque corporum possessione satis probari, Senonensem non esse, quam Hispani tam propenso animo venerantur; adeòque non aliam, quàm Cordubensem Martyrem. De S. Columbæ Senonensis corpore (nam & Arimineuses ejusdem sacra lipsana sibi etiam vindicare dicuntur) agendum erit ad diem* XXXI *Decembris, quo colitur; de Cordubensis verò exuviis § sequenti tractabimus. Citati scriptores eadem de celebri Virginis nostræ cultu ex laudato Ambrosio narrant, qui & ipse eadem habet in Chronico ge-* E *nerali Hispaniæ lib. 14, cap. 21, ubi etiam ait,* S. Columbam *in Gallæcia, Asturia & Lusitania, corrupto in* Combam *nomine, magna in veneratione haberi, ecclesiisque ac festis honorari. Sed & prope Beneventum locuples virginum cœnobium esse asserit sub ejusdem invocatione dicatum; verùm id ipsius fidei relinquo, cùm aliunde nihil de hoc cœnobio, Sanctaque ejus tutelari didicerim.*

quæ hodie colitur. Tamayo respondetur. 10 *Rationibus pro causa erroris à Morales allatis addi posset & altera, si Nagara, provinciæ Ruconiæ in Castella veteri civitas, olim* Senonæ *dicta fuisset, ut Yepesius in Chronico generali Benedictino, Centuriâ 6, cap. 2 ait; laudans quoddam Ordonii II regis privilegium, in quo id dicitur. Nam cùm* S. Columbæ *nostræ corpus Nagaram vel prope eam antiquitus translatum fuisse, infrà ostensuri simus, eò facilius fuit Hispanis Senonensis virginis martyris gesta & diem cultûs* Columbæ *suæ Cordubensi adscribere, si Nagara dicta umquam* Senonæ *fuisset. Verùm hujus appellationis fides sit apud Yepesium, qui & ipse eam suspectam habet. Tamayus in Martyrologio Hispanico ad diem* XXVIII *Maji præter Cordubensem duas* F *alias synonymas virgines in Hispania recensetiunam scilicet Aduren sem ex Chronico Juliani, alteram Tritien sem ex Luitprandi Adversariis. Hisce ex aliis scriptoribus addit quatuor alias Lusitanas; videlicet Interamnensem, Tauragien sem, Conimbricen sem & Archen sem; atque hinc contra Morales concludit, ex celebri illo* S. Columbæ *in Hispania cultu nihil certi pro Cordubensi potiùs statui posse. Sed ad hæc paucis respondeo, Tamayum quoad duas priores deceptum esse suppositiiis Juliani & Luitprandi schedulis; ex quatuor verò Lusitanis Conimbricensem ad diem* XX *Julii datam quidem esse in Opere nostro, sed ibidem simul observatum, eo solùm titulo dari, quòd ejusdem reliquias in regio sanctæ Crucis monasterio venerationi fidelium expositas populares scriptores testarentur. De ceteris autem tribus eadem occasione Sollerius noster ibidem addidit, veriùs dici; eas solo nomine cognitas esse, nec de cultu earum hactenus constare. Non est igitur, cur ad Sanctam illam Lusitanam, non nisi obscurè, aliasve etiam minùs notas tam celebrem in Hispania venerationem referamus, dum Indigenam habemus, non minùs sanctimoniâ vitæ, quàm martyrio illustrem.*

AUCTORE C. S.

Id tamen facit Tamayi objectio, ut non tam certò asserere ausim cum suprà citatis scriptoribus, Columbam *in Lusitania cultam, eamdem esse cum nostra.*

§ II. Vita & Passio à S. Eulogio scripta: notitia Tabanensis monasterii, in quo vixit, quodque destructum flevit: factum Martyris mirabile: corpus ubi asservetur.

Vitam ejus scripsit S. Eulogius.

B

SAnctæ Columbæ *nostræ gesta S. Eulogius Cordubensis presbyter, electus episcopus Toletanus, & martyr, qui etiam ceterorum in eadem Arabica persecutione Cordubensium martyrum Acta conscripsit, paulò latiùs, quàm passim aliorum, lib. 3 Memorialis Sanctorum, cap. 10, posteritati transmisit. De hoc Sancto, cujus Vitam in Opere nostro illustratam habes ad diem* XI *Martii, nihil opus est hîc plura annotare, nisi quòd res magnam fortè partem sub oculis suis gestas referat, quódque viri sanctitas ac conditio nullum de ipsius in scribendo fide dubium permittant. Ea porrò Vita tres Virginis status complectitur; secularem scilicet sub matris suæ imperio, quæ rebus mundanis dedita, nuptias ipsi frustra persuadere conata est. Alterum religiosum in monasterio primùm Tabanensi, ac deinde in altero intra civitatem Cordubensem; ac denique martyrium, ad quod ex posteriori loco, divino igne accensa, convolavit. Necesse non est singula hîc illustrare, cùm id in Annotatis de more Vitæ subjiciendis satis præstari possit: de monasterio tamen Tabanensi, quod Sancta nostra celebre reddidit, luxitque excisum, pauca dicenda sunt.*

Notitia monasterii Tabanensis,

C

12 *De hujus loci situ, fundatoribus ac præfectis, S. Eulogius lib. 2 Memorialis, cap. 2 de S. Isaaco ejusdem monacho & martyre scribens, docet sequentia.* Ex improviso spiritali flagrans ardore (*S. Isaac*) monachorum vitam exoptans, Tabanos viculum petiit, qui in partibus Aquilonis inter prærupta montium, & condensa sylvarum septenis ab urbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum atque ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum, summâ timoris Dei reverentiâ præditum, Hieremiam patruelem habebat; qui etiam inclytus opibus, rebusque abundans, & conjux ejus venerabilis Elisabeth ac liberi, totaque penè cognatio, sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobii jacientes, divinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eò contulerant. Ibi per triennium B. Isaac sub regularibus disciplinis, seu sub reverentissimo abbate Martino, prædictæ fœminæ fratre, in sancto proposito militans, . . . judicem petiit *&c. Quamquam autem monasterium illud feminas æquè ac viros aleret, noli existimare, eos omnes sub eodem tecto habitâsse; contrarium enim S. Eulogius in Vita à nobis danda, num. 7 disertè affirmat, docens geminum cœnobium fuisse, cui utrique Martinus sic præsidebat, ut Elisabeth feminis præesset, rarusque esset virorum ad mulieres accessus. Sed S. Eulogium audiamus.*

13 Quia claustra fœminarum, *inquit*, à cellulis monachorum altis interjectis disparata maceriis, licèt unius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omninò contuendi se facultatem præbebant. Sed si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitum pia impetraret * humanitas, sola venerabilis Elisabeth per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior, & totius erat mater vera monasterii. *Quam Regulam Tabanenses illi professi fuerint, non reperimus: at Benedictini eos suis annumerant, quod nec confirmare, nec inficiari possumus. Porrò Martini ac Elisabethæ soror erat* S. Columba *nostra, quorum pietate accensa, post obitum matris, quæ pio Virginis desiderio semper obstiterat, eò se contulit, ibique sub fratris sororisque disciplina vitam monasticam amplexa est. Neque dubium videtur, quin sororis suæ, ejusque conjugis Hieremiæ exemplo, facultates suas, quas ei mater reliquerat, ad dotandum promovendumque cœnobium impenderit. Quantùm verò illud ipsum morum sanctimoniâ, piaque eruditione illustraverit, ex eodem S. Eulogio conjicere pronum est. Verba subjungo.*

D

in quo vixit, quodque exemplis suis

**fortè* imperaret

E

14 Ibi, *inquit*, sancta Virgo, terrenis se exuens, hæret cælestibus, & mentem ad studium Scripturarum convertens, fit admodùm eruditior investigandi ac differendi sententiarum obscura. Crescit beatæ Virginis sanctimonia, & latè diffusa cœnobii fama, etiam procul sitarum ad se urbium discursus invitat, quò talium exemplorum magisteriis imbuerentur. *Hinc ipsa ceteris virginibus instruendis præfecta est; cúmque deinceps ex solitariæ vitæ desiderio, in semota à ceteris cellula cum superiorum licentia, soli Deo vacans, aliquamdiu vixisset,* denuò ad instruendos divinis pastibus convirginalium animos . . . ad cœtum *revocata est. Erat autem utrumque cœnobium non tantùm alumnis suis, sed & exteris, qui eò frequenter confluebant, sanctitatis schola, & velut martyrum instituendorum palæstra. Audi S. Eulogium lib. 2, cap. 10 de sancta Sabigotho, ejusque viro martyribus loquentem.* Virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipuè tamen Tabanense cœnobium, . . . quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat Occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum; inde instituta percipiunt; ibi se poculo vitæ perennis ingurgitant; ibi sanctissima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur; discit ibi totius sancti timoris industriam; ibi geminum pignus * sub beatarum tutela constituunt.

multùm promovit,

F

**i.e.* liberos

15 *Ex eodem monasterio etiam aliquot ejusdem alumni ad martyrium prodierunt, à S. Eulogio memorati. Hi sunt S. Isaac anno 851, die* III *Junii, S. Hieremias, suprà laudatus Elisabethæ conjux, & Isaaci patruelis, eodem anno, die* VII *Junii, S. Fandilas ex hujus loci monacho creatus sacerdos monasterii S. Salvatoris, anno 853 die* XIII *ejusdem mensis, ac denique S. Digna virgo eodem anno ac mense, sed die* XIV; *de quibus ad præcitatos dies in Opere nostro actum est, quosque eodem anno* S. Columba *nostra; Dignæ forsitan magistra, aut certè in cœnobio socia, in martyrio subsecuta est. Tanta verò Tabanensis cœnobii celebritas non potuit non gentilibus Saracenis gravis esse; præsertim cùm illud velut quoddam armamentarium, unde divina adversùs sectæ suæ impietatem tela promerentur, instructique athletæ procederent, meritò posset ha-*

& à Saracenis destructum flevit,

A *haberi. Hinc factum puto, ut inter cetera asceteria hoc quoque virginum cœnobium excisum voluerint, sanctimonialibus ejus incolis ad urbem translatis, prout S. Eulogius in Vita num.* 10 *scribit his verbis:* Interea cùm furor persequutionis, quí in excidium ecclesiarum fremebat, hanc fœminarum collectam urbi admoveret, in prædiolum, quod dudum sibi in confinio basilicæ S. Cypriani exstruxerant, sese conferunt retrudendæ.

jussu regis Mahomadi,

16 *De hac basilicarum destructione sequentia accipe ex eodem S. Eulogii Memoriali lib.* 3, *cap.* 3. Interea cùm sæpius contra Dei catervam sæva principis conspiratio inolesceret, affligeretque ubique Christicolas, & nec sic omnes generali dilapsu, ut fidebat, ad ritum suum proruerent, jubet ecclesias nuper structas diruere, & quidquid novo cultu in antiquis basilicis splendebat, fueratque temporibus Arabum rudi formatione adjectum, elidere. Qua occasione satrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina subruunt, quæ à tempore pacis, studio & industriâ patrum erecta, penè trecentorum à diebus conditionis suæ numerum excedebant annorum. *Ita ipse de persecutione sub Mahomado,* B *Habdarrahmani filio ac successore, vehementiùs efferveſcente. Fortè tamen mirabitur lector, Mauros virginibus sacris, quas ex desertis montibus exegerant, locum in ipsa urbe sua regia concessisse.*

cum ceteris in urbem translata.

17 *Sed, ut aliàs jam insinuavi, ipsi Christianos non tam exstinctos, quàm sectæ suæ aggregatos cupiebant, ne regio incolis orbaretur; ideóque præter enormia tributa singulis mensibus pendenda, sannis potiùs ac maledictis, ceterisque id genus opprobriis religionem Christianam ex animis indigenarum sensim evellere, quàm ipsos indigenas exstirpare malebant. Adde, quòd, ut Eulogius ibidem cap.* 4 *ait, rebellionis insurgentia bella, fugatusque ac cæsus in aliquot locis Mahomadi exercitus, ipsum non parùm sollicitum redderent, prohiberentque, ne omne suum odium in Christianos palàm effunderet. Hinc factum opinor, ut Tabanenses sanctimoniales in urbe sua habitare facilè permiserit, quia ea ratione celebrem illam Christianæ religionis palæstram, ad quam in montibus positam plurimos confluxisse vidimus, clausam tenebat, &* C *hac qualicumque humanitate sua nobilibus familiis Cordubensibus, ex quibus earum aliquæ natæ erant, utcumque gratificabatur. Ceterùm notat Morales in Scholiis ad libri* 2 *caput* 2, *nullum Tabanensis monasterii vestigium suo tempore exstitisse, neque se situm ejusdem conjecturâ assequi potuisse.*

Sanctæ ad martyrium properantis

18 *De causâ martyrii hìc ea denuò moveri posset quæstio, quam ad diem* XVI *hujus mensis in SS. Rogellio & Servio-Deo attigimus; utrùm scilicet liceat martyri sponte se judici sistere, eumque ad martyrium inferendum provocare: nam & hæc sponte se stitit, ut ex S. Eulogio habemus, cujus verba subjungo.* Jam ardentiùs, *inquit*, in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter servierat, anhelans pervenire; quibusdam etiam revelationibus ad id frequenter impulsa, quodam die, irrupto latibulo, reseratis tacitè foribus, in forum digrediens, licèt incognita * viarum urbis existeret, provido tamen exploratu, quo judex moraretur, addiscit. Ibi cùm perveniſſet, ejusque astaret obtutibus, dat professionem Catholicæ fidei, profert Evangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni esse sceleris talia præsumentem annun-

** i. e.* ignara

cians, ipsum denuò arbitrum, quare se talibus sacrilegiis combinaret, blandis admodùm verbis hortatur, *&c. Certè non modò is sanctæ Virginis spontaneus ad judicem accessus, sed & clandestinus è monasterio suo egressus, ordinarias prudentiæ ac martyrii leges excedit.*

AUCTORE C. S.

mirabile factum, ex divino impulsu

19 *Verùm hæc ex peculiari sancti Spiritus impulsu, qui martyrii ardorem in* S. Columbæ *pectore vehementer accenderat, orta esse, probant revelationes, quibus eam ad heroïcum istud facinus* frequenter *excitatam fuisse, S. Eulogius testatur. Id ipsum omninò suadet vitæ antè actæ sanctitas, & insignis in confessione constantia; quæ duo nonnulli auctores apud Eminentissimum Prosperum de Lambertinis, nunc Benedictum XIV PP., in sæpe laudato, laudandoque Opere de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione, lib.* 3, *cap.* 17, *inter sancti Spiritus impulsûs signa recensent. Et antè actam quidem vitam summis elogiis celebrat S. Eulogius; nec minùs in confitendo perseverantiam commendat. Bis enim, eo teste, confessa est: primò apud judicem, deinde in palatio &* satraparum concilio; *utrobique fortiter ac constanter. Quin &* blanditiis, *nuptiarumque & opum illecebris ca-* E *stissimæ Virginis mentem ab iis frustra tentatam fuisse, idem biographus satis indicat, dum eam coram satrapis sic loquentem inducit:* Non talem Christus habet sponsam, quæ immutari de pristina compactione arrarum ejus prævaleat. Nam quis ditior illo est, ut vos me copiis rerum credatis illicere? Quis pulchrior eo est, cujus speciei forma præ filiis hominum claret, ut vos me nuptu terreno arbitremini oblectandam? *&c.*

ortum fuisse dicendum est.

20 *Hinc* cùm fortissimam Virginis constantiam *(prosequitur post aliqua S. Eulogius)* consules universi adverterent; & neque mutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum assertionis ejus ferre valerent; continuò ante fores palatii eam trucidari præcipiunt. *Subdit denique ultimum in ipsum carnificem suum virtutis actum, dicens:* Non se priùs decollari permisit, quàm præmio lictorem Virgo sacratissima honoraret. *Hisce adde sacri corporis ejus submersi inventionem, in qua aliquid prodigii interceſſisse insinuat Eulogius, ut mox videbimus. Adde denique celeberrimum ejusdem Sanctæ cultum in Hispania, quæ eam tamquam verè martyrem variis in locis veneratur. Neque hæc eò à me ad-* F *ducta existimari velim, quòd de vero ipsius martyrio meritò dubitari posse crederem; sed ne præclarum istud sanctæ Virginis factum, licèt mirandum magis, quàm imitandum, inobservatum præterirem; utque nihil obstare ostenderem, quò minùs illud Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis, auctorem habuisse credatur.*

Alia circa hoc factum observatio.

21 *Neque verò deerat ratio, quæ singulare aliquid audendum suadere poterat. Pergebat scilicet impius Mahomad Christianos in dies magis magisque vexare, & quorumdam, qui se Christianos haberi volebant, operâ aliquos etiam ad negandum Christum compulerat, prout S. Eulogius cap.* 5 *acerbè conqueritur. Hinc imbecillioribus Christianis timor auctus est, Mauris verò non parùm arrogantiæ, veluti de religione Catholica jam triumpharent, accessit. Audi S. Eulogium cap.* 6 *prosequentem.* Hisce interim imminentibus malis, *inquit*, & hujuscemodi ærumnis Ecclesia vapulante, ferunt ob hoc regem ingenti copulatum lætitiâ, ampliora fidelibus scandala irrogaturum se promittere: &, ut alibi taxatum est, dira incursatione, molestiâque contriturum, si commo-

AUCTORE C. S.

dum regnandi ſucceſſum diutiùs obtineret. Adeò ut plerique procerum, olim decedentium martyrum ſubſannantes conſtantiam, nobis referrent: Quò nunc abiit illa veſtrorum virtus agoniſtarum? quò aufugit magnanimitas? quà abſorpta temeritas deliteſcit? ubi ſe enervata fortitudo abduxit? Qui dudum concitis greſſibus certatim ad expugnandum dogmatiſtem noſtrum (*Mahometum*) occurrentes, debita ultione perempti ſunt. Nunc adſint, nunc veniant, modò properent, ſi divinitus inſpirati, illud in veritate conſervant certamen. *Nemo non videt, in hujuſmodi rerum ſtatu opportunum Virginis factum & Eccleſiæ glorioſum fuiſſe; tum ut imbecilliores Chriſtiani tam heroico facinore confirmarentur in fide, tum ut blaſphemantium ora obſtruerentur, diſcerentque infideles, fruſtra ſe de victa religione priſtinaque fidelium fortitudine triumphum canere, dum etiam imbelles puellæ pro ea ſanguinem ſuum fundere geſtirent.*

22 *Cetera biographi dicta in Annotatis, Vitæ de more ſubjiciendis, ſatis illuſtrabimus: at de ſanctæ Martyris corpore nonnulla reſtant dicenda. S. Eulogius teſtatur illud, non ut cetera martyrum, in eadem perſecutione cæſorum, corpora, in patibulo ſuſpenſum, nec in platea gentilis plebeculæ ſannis relictum; ſed*, ut erat lineis indutum, *ſportæ impoſitum fluminique immerſum, &* poſt ſextum diem illæſum & integrum quorumdam ſolertiâ monachorum divinitus (*ſibi*) allatum, dignoque officio in baſilica S. Eulaliæ virginis & martyris, quæ in vico Fragella conſtituta eſt, honorabilem *meruiſſe* ſepulturam. *Quid tamen divini in ea corporis ſublatione contigerit, non edicit Eulogius.* De oppidulo *quoque* Fragellas *nihil ſe habere, quod dicat, ait Morales in Scholiis; in Chronico autem* vicum *de regione urbis, Cordubenſis ſcilicet, vel de platea*, Fragellas *dicta, interpretatus eſt; quod & Tepeſius, Marieta & Roa fecerunt: ſed quiſquis is locus fuerit, modò ignoratur. Nec magis certò ſcitur, quamdiu in dicta S. Eulaliæ baſilica ſacrum illud corpus permanſerit, quave occaſione inde poſtea ſublatum & aliò tranſlatum fuerit; niſi quòd aliqui non improbabiliter ſuſpicentur, factum id eſſe fidelium curâ ſub tyrannide Saracenorum, ne ſcilicet ab his impiis violaretur.*

Corpus primùm in S. Eulaliæ eccleſia depoſitum, B

23 *Tranſlatum autem fuiſſe laudati ſcriptores conſentiunt, & ſuo tempore in Ruconia Caſtellæ veteris provincia, partim in regali S. Mariæ Nagarenſi abbatia, partim in* S. Columbæ *prioratu, eidem abbatiæ ſubjecto, aſſervatum affirmant. Unum pro ceteris Ambroſium de Morales audiamus. Is lib.* 14 *Chronici generalis Hiſpaniæ, cap.* 21 *verbis Hiſpanicis hæc ſcribit:* Regale S. Mariæ Nagarenſis monaſterium Ordinis S. Benedicti ibidem in vicinia prioratum poſſidet, SANCTAM COLUMBAM appellatum, in quo iſtius Sanctæ corpus in ſumma veneratione ſervatur, magnaque cum iſtius tractus populi frequentia ac devotione inviſitur. Sanctum verò caput eſt in dicto regali monaſterio, incluſum Sanctæ ſtatuæ, affabrè factæ & pretiosè ornatæ, quod vidi. *De Nagarenſis monaſterii fundatione conſuli poteſt Mabillonius tom.* 4 *Annalium, ad annum Chriſti* 1052, *num.* 29. *De eodem loco pluribus agit Tepeſius in Chronico, Centuriâ* 6 *ad eumdem annum, cap.* 2 *&* XI, *ubi catalogum abbatum & priorum illius exhibet.*

nunc in prioratu S. Columbæ, & Nagaræ

24 *De prioratu verò* Sanctæ Columbæ, *quem, antequam Nagarenſi monaſterio ſubderetur, vetuſtam abbatiam fuiſſe aſſerit, cujus tamen initia ſe ignorare fatetur, tractat tum alibi, tum præcipuè Centuriâ* 5 *ad annum Chriſti* 923, *ubi ſimul obſervat, Sanctæ Martyris corpus poſt extinctam dignitatem abbatialem in eo prioratu nihilominus ſemper remanſiſſe, inſignique cultu honorari perſeverâſſe. Hiſce ſcriptoribus opponit ſe Tamayus in Martyrologio Hiſpanico cùm ad diem* XXVIII *Maii occaſione cujuſdam* S. Columbæ *pariter virginis, quam veluti Tritii ſive Nagaræ paſſam eo die memorat; tum ad præſentem Septembris diem, contendens, S. Columbam, cujus corpus Nagaræ honoratur, Nagarenſem martyrem eſſe, non Cordubenſem. Aſſerti ſui unicum vadem appellat Luitprandum in Adverſariis num.* 149 *&* 150; *illis ſcilicet, quæ haud ita pridem excogitata fictaque eruditi critici, etiam Hiſpani, jam exploſerunt: quam ob rem & Majores mei ad præcitatum Maii diem de ea in Prætermiſſis tantummodò egerunt, ſecuti de Roa, qui cum Morales & Marieta ſentit, ac propterea lectorem ad* XVII *Septembris remiſerunt.*

D

Servatur. Reſpondetur ad objecta Tamayi.

25 *Martinus de Ximena in Epiſcopatu Giennenſi & Biatienſi, & Annalibus ejuſdem ad annum* 853 *præterea ſcribit, in oppido* Martos *Hiſpanis dicto, quod Auguſta Gemella Tuccina fuiſſe à multis creditur, traditionem vigere de aſſervatis ibidem in quodam S. Marthæ paræcialis eccleſiæ ſacello reliquiis* S. Columbæ *Cordubenſis aliorumque martyrum Cordubenſium; ideóque ſacellum illud in ſingulari veneratione haberi. In hunc finem profert vetuſtam inſcriptionem marmori inciſam, quam olim in prædicto ſacello poſitam fuiſſe, ſuo autem tempore in carcere viſi affirmat. Ea porrò tam dubiè ſcripta, totque in locis detrita eſt, ut nihil certi pro argumento noſtro inde erui poſſit, niſi quòd hæ voces,* Auguſta Gemella Tuccitana, *&* victoria & cuſtodia ſunt ſancte Columbe, *in ea occurrant; ſed &* Sancto martiris Cipriano *ibidem etiam legitur; cetera, ipſo teſte Ximena, omninò obſcura ſunt, ideóque traditionem illam aut parùm aut nihil poſſunt firmare. Nunc Vitam ex S. Eulogio ſubjungo.*

An ejuſdem reliquiæ in oppido Martos? E

VITA ET PASSIO,

Auctore S. Eulogio, presb., mart. F

Ex ejuſdem Memoriali Sanctorum lib. 3, *cap.* 10.

CAPUT I.

Virginis natales & patria: virtutis ſtudium in ſeculo: rejecta nuptia: ingreſſus & vita in monaſterio Tabanenſi.

Auctoris præfatio.

COgimur vel numeroſitate certantium, vel debita ſponſione votorum, in longam dictionis ſeriem ſtylum protendere. Hinc eſt, quòd ul-

A ultrà, quàm putabamus, in magnum codicem materies aucta Opuſculi, penè modum mediocritatis exceſſerit; quia poſt tot funera & importabilium ærumnarum diſcrimina nullum prorſus talia opinaremur aggreſſurum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quo cunctorum rationes, ut promiſimus, enarremus *a*.

a

Nuptias, invitâ matre, averſata, b

2 Interea fuit virgo quædam nobilis & decora, Columba nomine, ex oppido Cordubenſi progenita, præfati abbatis Martini & Eliſabeth, de quibus in præcedentibus memoravimus *b*, ſoror; quæ cum inter bona parentum tenerrimè in annis puellaribus degens, propoſitum Eliſabeth ſororis ſuæ, quod cum viro ſuo Hieremia *c* adhuc vulgo admixti gerebant, agnoſceret; (qui longè antequam monaſterium peterent, multis ſe Chriſto religionibus inter conventus populi conſecrârunt) perſæpe genitorum relicto conſortio, domum ſororis frequentiùs viſitans, talibus ſe conſignandam votis exoptat, anhelaque hujus propoſiti verna cupit exiſtere. Confeſtim itaque terrena omnia ſpernere deſiderat; ſed adverſatur Puellæ intentioni genitrix repugnatura; quæ etiam contra ſobolem Eliſabeth, ejuſque virum fœdis iracundiæ

c

B motibus excitata, graviter conqueritur, quòd ita Adoleſcentis illiceret animum; quòd ſicut ſe, & iſtam diſperderet, mundumque flore ſuo vernantem, diſſipato matrimonio, relinquentes, in ſolatio exterorum id cuperent egerere.

câ mortuâ, Tabanenſe monaſterium ingreditur,

3 Inter hanc autem conflictationem (ut vulgi mos eſt) diſquiritur ad copulam nuptialem Puella, crebriſque interpellationibus fæcularitate involvere exoptant, cæleſtium thalamorum nuptiis divinitus aſſignatam. Et cùm nec illa conſentiret, nec mater deſiſteret, quò nihilominus nuptui traderetur, ipſa mater, Dei providentiâ, ex improviſo moleſtiâ ægritudinis occupata, ſub celeri vocatione mundo exempta receſſit. Remanet Dei Famula, non tam matris obitu contriſtata, quàm lætior gratiâ ſuæ devotionis ſine cujuſquam præjudicio adimplendæ. Verùm nonnullo tempore in ſancta religione apud urbem utriſque ſororibus verſantibus, continuò expleto jam propriis, ut diximus, ſumptibus Tabanenſi cœnobio, eo ſe viri cum mulieribus Chriſto militaturi conferunt. Ibi ſancta Virgo, terrenis ſe exuens, hæret cæleſtibus, & mentem ad ſtudium Scripturarum convertens, fit admodùm eruditior inveſtigandi ac

C diſſerendi ſententiarum obſcura.

ubi virtutibus mirè fulgens

4 Creſcit beatæ Virginis ſanctimonia, & latè diffuſa cœnobii fama etiam procul ſitarum ad ſe urbium diſcurſus invitat, quò talium exemplorum magiſteriis imbuerentur. Hæc autem Virgo ſub fratris ſui Martini & Eliſabeth regimine manens, præcellit meritis, & gratiâ honeſtatis omnibus præit: in converſatione laudabilis, in humilitate ſublimis, in caſtitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miſerandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diſerta, ad inſtruendum prompta. His quoque virtutibus clarens, cunctorum in ſe provocabat affectum, omnibus norma ſpeculumque ſanctitatis exiſtens. Et quia crebrò adverſarii tentationibus propulſabatur, ideò

** fortè* flexibus frequentioribus ſe coram Domino flectibus *mactat; verens, ne diu congeſta laborum viliſſimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad majorem ſanctitatis cautelam erigitur, metuque hoſtis adacta, ſolertiùs ad ſummam virtutum diſtrictiori vitâ contendit.

5 Hanc ſæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit faſtidium, ſpeciem virorum prætendit, longum aſtruit victum, diverſiſque fatigat phantaſiis. Quibus horribili metu compulſa, luget immaniter, ne lapſu mortis à conſortio dirimatur Sponſi, cujus tanto ſe ardore charitatis aſſerebat interiùs eſſe conflagratam, ut quaſi exciſæ carnis cicatrice, pro ejus deſiderio mente vulnerata exiſtens, niſi ſolo ejus intuitu in cælis, nullo modo, ſe perhibebat *d*, poſſe ſanare. Nullum umquam peccatorem, quamvis gravioribus oppreſſum peccatis, ſermone ſuo læſit, de nullius actibus judicavit, de nullius deſperavit ſalute; nec quemquam, licèt fœdis infamatum deſpexit rumoribus. Scio, referebat, verſutias dæmonum, ſcio inſolentias hominum, qui interdum ipſum maledictionis ſubſannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet Omnipotens. Multa enim ſunt judicio condemnata humano, quæ divino ſunt probata & ſanctificata conſilio.

d

detractionis, iracundiæ

6 Et plerumque opinationibus ſuis tranſgrediuntur homines divinam ſententiam, dum cujus meriti apud illum quiſque permaneat, neſciant. Et tamen jam quaſi præſagi occultorum, vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cùm utique inculpabiliùs, ſi ad ſe reverterent, judicarent; & ſi, quanto vel quali oneri unuſquiſque ſubjaceat, vel quo ſit debito reus, intenderent, nullatenus culpabiliter de incognitis diſputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quò in veritate exprobratio divina, contra nos olim prolata firmetur, quæ ait: Attendite & auſcultate. Nemo, quod bonum eſt, loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam propter peccatum ſuum, dicens: Quid feci? Qui proprii facinoris trabe neglecta, de feſtucis aliorum ſolliciti permanentes, quod levi ſuſurrationis jure captaverint, verum nihilominus & nullatenus incredibile eſſe affirmant. Numquam autem Virgo clementiſſima ſine cauſa iram admovit, niſi cùm fortè aut infantulis *e*, aut aliquam è ſororibus negligentem aſpiceret; quas ſolo intuitu oculorum redarguebat humiliter.

E

e

& otioſi ſermonis fugitans, & ſolitudinis amans

7 Numquam aliquando in cujuſquam prorupit contumeliam; numquam os ejus vaniloquio eſt occupatum; nuſquam aniles & otioſas fabulas ſuis paſſa eſt admitti auditibus. Chriſtum corde, Chriſtum ore ſæpiùs meditans, illam frequentiùs cum omni affectu canebat antiphonam, quam in laudem Sanctorum beati Patres ſuavi cantu aptaverunt: Aperi mihi, Domine, paradiſi januam, ut ad illam patriam revertar, ubi

F mors non eſt, ubi dulce gaudium perſeverat. Cum his colloqui delectabatur, quorum mens ſpirituali virtute ſuccincta, mortificata cum vitiis & concupiſcentiis membra gerebant; nec cuiquam ſe, niſi fortè ſpiritualibus viris, & id perrarùm ac ſeriùs, viſendi præſtabat acceſſum: quia clauſtra fœminarum à cellulis monachorum altis interjectis diſparata maceriis, licèt unius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen ſequeſtratis ſe manſiunculis retrudentes, nulli omninò contuendi ſe facultatem præbebant. Sed ſi ſubinde aut fratribus congrua inſtaret neceſſitas, aut hoſpitum pia impetraret *humanitas, ſola venerabilis Eliſabeth per feneſtram ſe exhibebat cernendam, quæ prior & totius erat mater vera monaſterii.

** fortè* imperaret

ſolitariè vivit;

8 Quodam igitur tempore petiit à conſororibus Columba, ut inter ipſa clauſtra in quodam angulo cellula ſibi daretur, quo ſecum ſola demorans, immunis à ceterarum ſtrepitu fieret. Annuunt pro rogatu ſanctæ ſorores, præbentque adminiculum ſuo conſenſu augendi Virginis ſanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confide-

tentationibus exercetur: temerarii judicii,

A. S. Eulogio.

fidebant mercedem. Ut enim præmio dignum est sanctæ conversationis studium, ita & erga piè viventes religiosus affectus. Nec distat à factis bona consensio, quæ non virtute animi, sed virium quassatur defectu: ut cùm fortè non fuerit vigor corporis talia exercendi, sit mentis intentio similibus delectandi. Communia sunt enim operis sancti commercia, & eò fiunt Christo gratissima, quò simpliciter in charitate perfecta ad nostrum referimus commodum fraternæ sanctitatis studium.

ad instituendas moniales revocata, dono orationis & lacrymarum emicat.

9 Denique indeptâ benedictione sororum, exors omni cœnobialium actione curarum, Virgo venerabilis in contemplatione Dei & meditatione Scripturarum multum temporis perseverans, post crebra suspiria & fletus immensos, in quibus speciali munere supra plurimos cælitus eminebat, denuò ad instruendos divinis pastibus convirginalium animos revertitur ad cœtum. Ferunt namque illam persæpe ternas & quaternas horas, nec non usque in medium diem in oratione decumbere; & cùm nulla resonarent suspiria, nulloque singultu membra incuterentur, in magno tamen silentio fletum promebat: adeò ut subtus matta *f*, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lacrymis pavimentum ostenderetur. Maximum etiam in obsecrationibus stando expendens curriculum *g*, in tantam subitò ferebatur theoriam *h*, ut geminatus ex utroque oculo rivulus lacrymarum ad mentum descendens, in unum conversus meatum, crebra stillatione guttatim, quasi è tecto, in humum influeret.

f B

g h

ANNOTATA.

a *Ita S. Eulogius initio capitis* 10 *præfatur, ut hoc cum præmissis connectat.*

b *De Martino ac Elisabetha egerat lib.* 2, *cap.* 2, *unde & nos eorumdem notitiam dedimus in Commentario prævio num.* 12 *&* 13, *quem consule. De eadem etiam in Opere nostro ad diem* 9 *Maji inter Prætermissos facta est mentio ex Gynæceo Arturi, ubi cum titulo* Beatæ *annuntiatur, sed non probatur cultus ejus.*

c *Hic Elisabethæ conjux in Tabanensi monasterio, quod unà cum uxore fundaverat, inter monachos, prout ipsa ibidem inter sanctimoniales vixit, indeque ad martyrium evectus est. Ejus gesta ex S. Eulogio data habes apud nos ad diem* 8 *Junii. De Tabanensi autem monasterio vide Commentarium litterâ* b *citatum.*

C

d *Pro* perhibebat *lege* perhiberet, *uti & mox* sanari *pro* sanare.

e *Per* infantulas *haud dubiè juniores puellas intelligit, quæ in Tabanensi monasterio inter sacras virgines educabantur, & quarum curâ ipsi commissa fuerat.*

f *Id est*, storea, *sive stratum è juncis, stramine, similive materia contextum.*

g *Id est*, temporis spatium.

h *Vox Græca* Θεωρία *Latinè* contemplatio *est.*

D

CAPUT II.

Virginum cœtus in urbem translatus: rerum cælestium & martyrii desiderium in Sancta vehementer accensum: gloriosa confessio & martyrium: corpus è fluvio receptum & tumulatum.

In urbanum monasterium cum ceteris translata, a

E

INterea cùm furor persequutionis, qui in excidium ecclesiarum fremebat, hanc fæminarum collectam urbi admoveret, in prædiolum, quod dudum sibi in confinio basilicæ S. Cypriani extruxerant, sese conferunt retrudendæ *a*. Hîc jam constituta beatissima Virgo incomparabiliter flebat, lugebatque ubertim, & suam quietem, quam gerebat in montibus, & tumultus, quos in urbe incurrerat. Semper tamen & corde & linguâ clamabat: Tu nôsti, Domine, quia diem hominis non concupivi super terram. Semper prædicabat, semper orabat, semper psalmos canebat, semper in ore ejus laus & benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarii parietibus cohærebat, tantúmque objectu maceriæ à vestibulo altaris dirimebatur, si quem fortè cantum Sanctorum laudibus resonantem per natalitia martyrum audîsset à clericis psallentibus, confestim quadam jucunditate cælestium desideriorum compuncta, prorumpebat in lacrymas; ut non minùs illam introrsus crederes proclamare: Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei! Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

ad sola cælestia anhelans,

11 Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens Sancti cujusque retenta, ab illa ineffabili claritate Sanctorum, cum magna supernorum desideriorum siti exusta sejungitur, velut obstantibus murorum repagulis, ne ad civitatem viventium concito, quo vult, gressu pertingat, quasi è regione onus membrorum sibi credens resistere, plorat & dicit: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? Cum illo utique esse desiderat, cum quo Apostolus, resoluta jam mortalitate, cupiens permanere, dicebat: Dissolvi & esse cum Christo, melius est. Verùm indesinenter his votis S. Columba insistens, cùm plus aliquid, ut reor, in semetipsam cruciatus ipsa inferret, quàm furens imploderet *b* carnifex, vigiliarum, jejuniorum atque orationum scilicet continuando labores, quasi parva essent ista omnia, proprio & ultróneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, etsi majora exerceret, non confidebat.

F

b

& martyrii cupida, judici se sistit,

12 Ac metuens, ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud Patrem commodi reperiret, ad ineffabile martyrii indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cælorum, dicente Evangelio: Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Hinc jam ardentiùs in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter servierat, anhe-

A helans pervenire, quibuſdam etiam revelationibus ad id frequenter impulſa, quodam die, irrupto latibulo, reſeratis tacitè foribus, in forum
c digrediens, licèt incognita *c* viarum urbis exiſteret, provido tamen exploratu, quò judex moraretur addiſcit. Ibi cùm perveniſſet, ejuſque aſtaret obtutibus, dat profeſſionem Catholicæ fidei, profert Euangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni eſſe ſceleris talia præſumentem annuncians, ipſum denuò arbitrum, quare ſe talibus ſacrilegiis combinaret,
d blandis admodùm verbis hortatur *d*. Cujus ſpeciem, verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, ſatrapum concilio repræſentat;

13 Ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet,
Chriſtumque profeſſa, omnes ſuæ potiùs debere ſaluti conſulere, quàm vanis inſiſtere deceptionibus, quibus eam transvertere conabantur. Dicebat etiam: Non talem Chriſtus habet ſponſam, quæ immutari de priſtina compactione arrarum ejus prævaleat: nam quis ditior illo eſt, ut vos me copiis rerum credatis illicere? Quis pulchrior eo eſt, cujus ſpeciëi forma præ filiis hominum claret, ut vos me nu-
e ptu terreno arbitremini oblectandam *e*? Quis cul-
B tus vel ſecta Euangelicæ fidei veritate ſanctior eſt, quæ per totum orbem Apoſtolorum vocibus promulgata, æternæ ſpei credentibus præmium repromittens: omne prophetiſmum, quod ab illa diſſentit, anathema eſſe, in veritate non dubium eſt. Quam ob rem, relicta vanitate, verum Euangelii Ducem requirite; quò meliùs filii lucis, quàm genimina tenebrarum, mortiſque ſoboles, appellemini. Ille etenim dixit: Qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.

14 Igitur cùm fortiſſimam Virginis conſtantiam
decollatur: corpus in fluvium projectum, conſules *f* univerſi adverterent, & neque immutari poſſe talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum aſſertionis ejus ferre valerent, continuò ante fores palatii eam trucidari præcipiunt.
f Quam cum ſumma reverentia foro conſtituentes, non ſe priùs decollari permiſit, quàm prædio lictorem Virgo ſacratiſſima honoraret: ſicque pro-
g nior cervicem inclinans, in lapſu juguli *g* delicatum corpus ſternitur. Nec mora, ut erat lineis
h indutum, cadaver ſportâ immiſſum alveo *h* projici principes mandaverunt, nec ſicut cetera occiſorum cadavera, aut pro foribus neglexerunt,
C i aut equuleo ſuſpenderunt *i*, XV Calend. Octob.,
k Erâ DCCCXCI *k*.

15 Quod poſt ſextum diem illæſum & integrum quorumdam ſolertiâ monachorum divinitus nobis allatum eſt, dignoque officio in baſilica S. Eulaliæ virginis & martyris, quæ in vico Fragellas *l* conſtituta eſt, honorabilem meruit ſepulturam. Hoc nobis ad fidem de ea relatum eſt. Ceterùm tu ſacratiſſima, quæ utiliter Eccleſiam Catholicam & vivens converſationis exemplo, & moriens celſo meritorum inſtituis patrocinio, eſto memor cultoris tui, erue me de laqueis mundi, abſtrahe perturbationibus ſæculi, & confer poſt mortem requiem paradiſi. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit cum Patre & Spiritu Sancto, unus & immortalis Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

A. S. EULOGIO. *recipitur a Chriſtianis. Auctoris epilogus.* *l*

ANNOTATA.

a *De regis Mahomadi adversùs eccleſias mandato, cauſiſque, ob quas ſacras virgines in Cordubenſi civitate potiùs, quàm in Tabanenſi monaſterio habitare permiſiſſe videatur, conſule Commentarium prævium, num.* 15 *& duobus ſequentibus.*

b *Id eſt*, inflicturus fuiſſet.

c *Voce* incognita *pro* ignara *utitur.*

d *De iſto clandeſtino ſanctæ Virginis è monaſterio ſuo egreſſu, ſpontaneoque ad judicem acceſſu egimus in Commentario prævio num.* 18 *& ſequentibus.* E

e *Ex hiſce liquet, ſanctam Martyrem non ſolùm ad renunciandum Chriſtianæ religioni, ut verbis ſubſequentibus indicatur, ſed etiam ad terrenas nuptias, propoſitis opum carniſque illecebris, ab illis Saracenorum optimatibus ſollicitatam fuiſſe, ſed irrito planè ſucceſſu.*

f Conſules *hîc pro magiſtratûs vel gentis primoribus uſurpavit. Sic lib.* 2, *cap.* 1 *annum* conſulatûs *Habdarrahgmani pro ejuſdem* regni *anno adhibuit.*

g Jugulus *hîc pro* gladio *vel* ſecuri, *qua jugulari ſolet, accipitur.*

h *Videtur Bœtis fluvius hîc indicari, qui Corduba præterlabitur.*

i *Sic inter cetera SS. Emilæ, Hieremiæ, Rogelliî ac Servio-Deo corpora crucibus vel equuleis trans fluvium ab iis ſuſpenſa fuiſſe vidimus ad diem* 15 *&* 16 *hujus menſis, ubi de iiſdem ſanctis martyribus actum eſt.*

k *Id eſt anno Chriſti* 853.

l *Ignotum hunc locum eſſe ſcriptoribus Hiſpanis, diximus in Commentario prævio num.* 22. *Ceterum ibidem & numeris ſequentibus de tranſlato poſtmodùm aliò corpore etiam egimus.* F

A D

DE B. REGINALDO EREMITA,

CULTO IN ECCLESIA MELINÆENSI PROPE FLEXIAM IN PROVINCIA ANDEGAVENSI.

J. S.

SYLLOGE.

§ I. Corporis tranſlatio, cultus, miracula.

AN. MCIV. *Reliquiæ B. Reginaldi ſervatæ in abbatia Melinæenſi,*

QUem ad hunc diem remiſerunt *Majores noſtri beatum* Reginaldum, *in nullis reperire potui Martyrologiis, etiam Gallicis. Corporis verò elevatio & tranſlatio, ſolemniter facta die* XI *Auguſti, effecit, ut Sollerius noſter in Prætermiſſis ad eumdem diem hæc notaret:* S. Reginaldi eremitæ tranſlatio in eccleſia Melinæenſi, diœceſis Andegavenſis, facta anno MDCLIII hoc die, recolitur quâvis I Dominicâ Auguſti. Optamus, ut alicunde eruatur Vita, & antiquus liber miraculorum ejus in diem, quo obiiſſe legitur, XVII Septembris. *Hæc Sollerius, ex quibuſdam indiciis conjiciens, exſtare aliquam Sancti Vitam & librum miraculorum. Verùm ex variis epiſtolis, quas de hiſce ante me habeo, ſatis perſpicio, nec Vitam exſtare, nec relationem miraculorum tam copioſam, ut* liber *vocari poſſit. Dabo tamen infrà de geſtis & miraculis, quantum accepi. De eccleſia Melinæenſi, quæ eſt abbatia Canonicorum Regularium, ſic habent Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana tom. 4 pag. 532:* S. Joannis Melinenſis Ordinis Auguſtiniani, diœceſis Andegavenſis, fundatorem agnoſcit Henricum II, regem Angliæ... Aucta eſt poſtmodùm abbatia,... apud quam ſervantur reliquiæ B. Renaldi eremitæ, qui locum, ubi ſita eſt abbatia, cum ſociis incoluit, & anachoretæ B. Mariæ de Melinais nuncupabantur. Unita eſt nunc Collegio Flexienſi Patrum Societatis Jeſu, *nimirum ab Henrico IV Galliarum rege.*

B

C *petentibus Canonicis abbatiæ,*

2 *Porrò cùm Canonici Regulares dictæ abbatiæ deſiderarent, ut corpus* B. Reginaldi *elevaretur, ac decentiùs locaretur, antiſtiti Andegavenſi, qui erat illuſtriſſimus dominus Henricus Arnaldus, obtulerunt libellum ſupplicem, quem Latinè redditum ex Actis tranſlationis huc transfero:* Cùm ab aliquot annis in reſarcienda eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ Melinæſienſis multis in locis inventa ſit imago Eremitæ unius, cujus ad baſim ſcriptum eſſet, S. RENAULD; in feneſtella item prope altare majus ad latus Epiſtolæ capſa lignea his vocibus prænotata: JESUS, MARIA, S. RENAULD; in capitello ejuſdem feneſtellæ ſaxeo ſcriptum quoque apparuerit S. RENAULD 1556; in abbatiæ ejuſdem capitulario multa extent monumenta authentica, quibus conſtet, jam inde à ſeculo non uno concurſum populorum magnum factum eſſe ad eas reliquias colendas, cùm ruinam traheret pars eccleſiæ, in oratorio domeſtico poſtea depoſitas, remedium morbis deſperatis ibidem inventum; idcirco in feſtis ſolemnibus eaſdem reliquias incenſari quidem ſolitas: cùm nulla tamen adhuc dies aſſignata fuerit, quâ ejus Sancti memoria recolatur: quamobrem ſupplicant Canonici Regulares abbatiæ Melinæſienſis, Ordinis S. Auguſtini, illuſtriſſimo ac reverendiſſimo domino Henrico Arnaldo epiſcopo Andegavenſi, ut aliquem probatæ fidei ac virtutis virum illuc mittere ne gravetur, qui de rei veritate inquirat: tum ipſe, ſi commodum eſt, venire ne gravetur, quò reliquias S. Reginaldi è loco, in quo ſunt, in decentiorem, hoc eſt omnium primum, probè reſarcitum, ſolemni cultu transferat. *Hactenus libellus ſupplex.*

E

ab epiſcopo Andegavenſi anno 1653

3 *In Actis verò, prout nobis Latinè tranſmiſſa ſunt, mox ſubjungitur:* Ea ſupplicatione admiſſa, epiſcopus Melinæſium miſit venerabilem virum Petrum Syette, eccleſiæ Andegavenſis canonicum & præcentorem: qui rem ita habere comperit, ut expoſita fuerat IV Septembris anni MDCLII. En igitur, quo res modo deinde peracta eſt, epiſcopi publicum inſtrumentum. *Tum ſequitur* Inſtrumentum authenticum, epiſcopi Andegavenſis de tranſlatione reliquiarum S. Reginaldi. Henricus Dei miſericordiâ, & Sedis Apoſtolicæ gratiâ, epiſcopus Andegavenſis omnibus, ad quos ſpectat, ſalutem in Domino. Notum cunctis facimus, quòd, cùm ad preces Canonicorum Regularium abbatiæ Melinæſienſis Ordinis S. Auguſtini, jam à die XXX Julii, poſt inquiſitiones antè factas juſſu noſtro de reliquiis S. Reginaldi confeſſoris decrevimus perſonaliter accedere ad dictum cœnobium S. Joannis Evangeliſtæ, ſitum in parœcia S. Columbæ prope Flexiam, diœceſis hujus noſtræ, ad eaſdem reliquias è loco, in quo nunc depoſitæ ſunt, in locum nobis deſignatum transferendas, aſſiſtentibus venerabilibus & diſcretis viris, magiſtris Carolo Ogier pœnitentiario & Renato Brecheu promotore noſtro, in eccleſia cathedrali noſtra canonico utroque, tum Sylvano Gandon doctore in theologia, canonico eccleſiæ S. Petri Andegavenſis, & Joanne Baptiſta le Mercier baccalaureo, parocho Moranenſi, eleemoſynariis noſtris, ac magiſtro Baltazare Muſard, qui nobis eſt ab epiſtolis, die Sabbati IX Auguſti anni MDCLIII Andegavo profecti, eodem die Flexiam acceſſimus, ac biduo pòſt, die Lunæ, menſis ejuſdem undecima, mane Melinæſiam unà cùm iiſdem devenimus.

F

diligenter recognitæ,

4 Occurrerunt nobis F. Andreas Freſlon cœnobii prior, ac ceteri Religioſi cum cruce, candelabris & aqua benedicta, atque ad altare majus deduxerunt. Adoratâ S. Euchariſtiâ, itum in ſacriſtiam eſt. Ibi nos pontificalia veſtimenta induimus, ceteri ſuorum officiorum propria. Dictâ in choro Tertiâ, proceſſum eſt ad oratorium conventuale ejuſdem abbatiæ. Religioſos comitabantur multi, partim parochi, partim capellani ex vicinia, puta ex parochiis S. Columbæ, S. Quintini, Vallis Landerici, Cleſs, Thorée &c., atque

A que ex urbe ipſa Flexienſi ſacerdotes permulti. Decantato hymno, VENI CREATOR, inquiſivimus nos quoque ipſi de reliquiis S. Reginaldi. Itaque ad cornu Epiſtolæ oſtenſa nobis eſt arca lignea probè clauſa, cujus clavis penes nos erat, data ſcilicet ab eo, quem illuc paulò antè miſeramus, commiſſario. In arcâ capſa erat item lignea, iſtis vocibus inſcripta: JESUS, MARIA, S. RENAULD: in qua Prior aſſeruit reliquias eſſe S. Reginaldi confeſſoris, in iis locis olim eremitæ, in illud oratorium ante annos octo novemvè relatas è capella eccleſiæ, præ vetuſtate collabente. Ejus rei multi teſtes auditi. Aperta eſt illa in altari, adſtantibus præter ceteros ante appellatos M. Antonio Barard medico, & Urbano de la Plameſe chirurgo, utroque Flexiâ accito. Extracta oſſa poſt incenſationem medicus & chirurgus, qui rem antè examinaverunt, poſt ſolitum juramentum, affirmârunt oſſa ea eſſe hominis proceræ ſtaturæ, atque hominis ejuſdem: quod ex colore & proportione æſtimarent; vetuſta porrò illa, ſic ut plurima deeſſent.

& magna cum ſolemnitate

5 Ex reliquiis ſic antè recognitis partem aliquam ſumpſimus ad dedicationem altarium, & uſum crucis pectoralis, partem aliis eccleſiis aliquot diſtribuimus. Melinæſii relicta oſſium pars longè maxima, in capſula iterum incluſa, & feretro impoſita, poſt ſolemnem incenſationem proceſſionaliter delata à diacono & ſubdiacono & majoribus, quam Religioſi aliquot cum pluvialibus ac facibus comitabantur, cùm interim chorus decantaret antiphonam, SURGITE SANCTI &c. Ubi perventum in eccleſiam eſt, repoſita ſunt ſacra oſſa ad latus Euangelii in menſa ad id præparata. Facta deinde eſt proceſſio cum reliquiis ſuo deinceps loco reſtitutis. Reliquo die, donec facta eſt tranſlatio, iiſdem cuſtodes adhibiti ſunt Religioſi duo. Celebrata de more eſt Miſſa de uno Confeſſore non pontifice. Quâ abſoluta, & data benedictione pontificali, publicata eſt indulgentia XL dierum in eorum gratiam, qui huic cæremoniæ vel ejus parti alicui interfuiſſent. Decantata deinde Sexta. Poſt prandium, dictâ Nonâ, habita eſt concio ab uno è Religioſis de prærogativis vitæ ſolitariæ, & veneratione ſacris reliquiis debita. Veſperas pòſt in habitu pontificali decantavimus.

C *in nova arca recluſæ & tranſlatæ ſunt,*

6 Secuta eſt proceſſio, uti mane, & dum chorus decantaret antiphonam, DE HIERUSALEM & alias convenientes, in capella, antè S. Jacobi dicta, depoſitæ ſunt ſacræ reliquiæ, in qua ab annis propè quingentis quieverant, donec, muro fatiſcente, inde auferrentur anno MDCXXXVI, & juxta altare primùm, pòſt in oratorium conventuale transferrentur. In nova capſa è ligno deaurato incluſa ſunt, intra velum album floribus diſtinctum, cranium, alia quædam capitis oſſa, aliaque partim minora, partim majora. Incluſa ibidem ſunt Acta authentica ejuſdem tranſlationis cum Sancti elogio. Hæc præcipua. "Anno Do„mini MDCLIII, die undecima Auguſti, regnan„te Ludovico XIV, hæ reliquiæ corporis S. Re„ginaldi confeſſoris ab illuſtriſſimo ac reverendiſ„ſimo domino Henrico Arnauld epiſcopo An„degavenſi viſitatæ, tranſlatæ, & in hac capſa „publico ac ſolemni ritu conditæ fuerunt. Capſæ „ejuſdem claves Priori dedimus, vetantes, ne „quis eam abſque noſtra licentia aperiat, & in„tra ipſius altaris ſuperiorem ſtructuram * inclu„ſimus.

** vox dubia*

7 Decantato demum hymno TE DEUM LAUDAMUS, ad celebrandum quotannis ejus tranſlationis feſtum, Auguſti diem undecimum aſſignavimus. Datum Melinæſii die undecima Auguſti anno Domini MDCLIII. Henricus epiſcopus Andegavenſis. *Et inferiùs.* De mandato domini epiſcopi. Muſen. *Feſtivitas autem, quæ ipſo tranſlationis die* XI *Auguſti hîc figitur, poſtmodùm ab eodem epiſcopo ad alium diem tranſlata eſt, ut ſequitur:* Ut commodiùs populi è vicinia ad celebrandum illud feſtum conveniant, ab eodem illuſtriſſimo epiſcopo aſſignata deinde eidem eſt Dominica prima Auguſti.

AUCTORE J. S. *inſtituto tranſlationis feſto,*

8 *Quibus porrò locis ſacris aliquid reliquiarum* B. Reginaldi *dederit epiſcopus, exponit ipſe in charta ſimiliter ſubſcripta, quam Latinè huc transfero:* Aliquid ex reliquiis S. Reginaldi habuerunt in ejus tranſlatione præter illuſtriſſimum epiſcopum & abbatiam S. Joannis Melinæſienſis, abbatia Omnium Sanctorum Andegavi, Ordinis S. Auguſtini; abbatia B. Mariæ de Bello-loco prope Cenomanum, ejuſdem inſtituti; eccleſia prioratûs Caſtellenſis, Ordinis ejuſdem; noſocomium Andegavenſe; moniales S. Urſulæ Andegavi; moniales B. Mariæ Flexiæ *; moniales S. Franciſci Flexiæ; noſocomium S. Joſephi Flexiæ; moniales Viſitationis Flexiæ; moniales Benedictinæ Balgii *; noſocomium S. Joſephi Balgii. *Hæc ad cultum* B. Reginaldi *demonſtrandum abundè ſufficiunt. Obſervare autem poterit lector, paſſim hîc vocari Sanctum; à nobis verò* Beatum. *Nolim idcirco improbare modum loquendi illorum, qui titulum* Sancti B. Reginaldo *attribuunt; at mihi viſum eſt, ſufficere poſſe titulum* Beati, *cùm cultus, uni ferè loco affixus, cultum, quo Beati coluntur, non excedat.*

& aliquot reliquiis diſtributis in varias eccleſias.

* La Fleche E

* Baugé

9 *In ſcripta quadam de Beato notitia, olim à Melinæenſibus ad Papebrochium noſtrum miſſa, de celebratione feſtivitatis hæc adduntur:* Id enim verò fit inſolito hominum concurſu ex vicinis oppidis pagiſque, cùm præſertim eccleſiam Melinæenſem ea die viſitantibus indulgentiam plenariam conceſſerit Alexander Papa VII. Eódem confluunt quotidie multi, præſertim quos febris vexat, ut ab ea liberentur, & multæ ſteriles, ut fœcundæ fiant. Quàm multa in iis apud Deum poſſit S. Reginaldus, eventus docet. *In epiſtola Gallica Prioris Melinæenſis, cujus nomen commodè legere nequeo, data anno* 1692 *ad Papebrochium noſtrum, aſſeritur, ſacellum & altare, in quo depoſitæ ſunt Beati reliquiæ, ab epiſcopo eidem fuiſſe dicatum. In alia notitia mox laudata ſolùm dicitur, ſacras reliquias fuiſſe ab epiſcopo in locum priſtinum reſtitutas, ſive* in capellam eam, quæ ex re jam S. Reginaldi dicitur. *Accedit laudatus Prior in ſuis litteris teſtis magnæ devotionis, quâ vicinorum locorum populus in neceſſitatibus ſuis ad Beatum recurrit, maximè in febribus, mulieres in ſterilitate, & ad recuperandas res perditas. Adjungit, ante tranſlationem reliquiarum interrogatas & examinatas fuiſſe ultra triginta perſonas fide dignas, quæ teſtatæ ſunt, ſibi poſt invocationem illius Beati accidiſſe inuſitata & miraculoſa. Addit, ſibi ab annis ſexdecim, quibus in illa abbatia vixerat, multa revelata fuiſſe à perſonis privatis, quæ illæ invocatione* B. Reginaldi *obtinuerant.*

Beatus magno vicini populi concurſu honoratus,

F

10 *Quin & paulò magis exponit beneficium monaſterio ſuo ab aquis periclitanti conceſſum, cujus fuerat teſtis ocularis. Rem in pauca contraho ex relatione Gallica. Cùm nives abundantes, quæ obtegebant vicinos monaſterio colles, ſubitò diſſolverentur, tanta derepentè fuit aquæ copia, ut impletis ſtagnis, aſcenderent ad ſummitatem ag-*

clientibus ſuis

AUCTORE J. S.

geris, qui præcedente anno fuerat perruptus, & consequenter minùs poterat esse solidus. Religiosi omnes, moniti de periculo, quod monasterio suo imminebat, simul se contulerunt ad reliquias B. Reginaldi, *& ipsius opem implorârunt. Restitit agger aquis, donec hæ paulatim defluerent, & sic omne periculum cessaret. Hæc paulò pluribus in laudatis litteris. Hic demum adjungo aliqua beneficia, prout nobis transmissa, & Beati patrocinio creduntur obtenta. Illis legitur subscriptus* Petrus Syette, canonicus & præcentor ecclesiæ Andegavensis, *cui ante translationem illorum examen ab episcopo fuerat commissum. Titulus illius scripti est:* Miracula facta ad invocationem S. Reginaldi.

11 Multi provectæ ætatis homines id uno ore asserunt, magnum ab omni memoria populorum concursum fieri solitum, ut remedium morbis penè desperatis ea re pararetur, præsertim febribus, ut steriles fœcundæ fierent, ut res perditæ recuperarentur.

varia vicissim præstitit beneficia.

Duo filii Petri Busson, caussarum patroni apud Flexiam, lentis febribus confecti, cùm Missam celebrari curâssent ad tumulum S. Reginaldi, statim sanati sunt: quod pater cum juramento asseruit.

B

Petrus le Boussier è parochia Clefs pedem ferè omnino sibi incautus absciderat. Invocato sancto Confessore, heri sanatus est, quod testatus est N. Langlois chirurgus Flexiensis.

Renata le Barbier, vidua Renati Busson causidici Flexiensis, multis ac præsertim primogenito filio, quartanâ laboranti, sanitatem eodem modo obtinuit, cùm frustra fuissent alia remedia. Id testata est ipsa, gravi quoque ægritudine ope S. Reginaldi liberata.

Margarita Nadreau Flexiensis, cùm anno ætatis XXV tertianâ laboraret, repentè curata est, cùm ad tumulum ejusdem Sancti supplex venisset.

Martialis Blondeau, faber ferrarius, cùm menses tres quartanâ laborâsset ineunte hieme, adhibitis sibi reliquiis S. Reginaldi, repentè convaluit. Hi omnes id asseruerunt jurati coram domino Syette commissario.

Anna Vedie, soror domestica, ut vocant, in nosocomio Balgiensi, lenta febre pridem languens, ac prope hydrops *, frustra tentatis remediis, ipso die sanata est, quo Franciscus Maudoux cognatus, tum parochus Toreensis, Melinesii Sacrum celebravit. Scripto id ipsa testata est, adhibito juramento.

* hydropica

C

§ II. Beati ætas, & gesta parùm certa.

De Beati gestis conjecturæ

DE *gestis* B. Reginaldi *pauciſſima habentur cognita. Constat tamen, ipsum floruisse sæculo* XI, *& sub initium sæculi* XII *defunctum. Creditur primò Religiosus fuisse in abbatia S. Joannis de Vineis Suessione, deinde discipulus B. Roberti de Arbrisello, Ordinis Fontis Ebraldi fundatoris, de quo actum est apud nos ad* XXV *Februarii; ac demum in solitudine sibi oratorium struxisse, S. Joanni Euangelistæ sacrum, ubi nunc est abbatia Melinæensis, ibique cum discipulis piè vixisse, ac vitam finivisse* XVII *Septembris anni* 1104. *Prædicta habeo ex litteris & notitiis ad Papebrochium nostrum anno* 1692 *missis. F. Soriz, Prior cœnobii Fontebraldensis mentem suam declarat his verbis:* De sancto Reginaldo hæc accipe. Hic prope Flexiam in provincia Andegavensi B. Roberti Arbrissellensis discipulus & socius, ejus exemplo heremicola, in agro, seu in silva Melinesii monasterium extruxit & rexit, quod nostræ domus Fontebraldensis quædam adhuc præ se fert vestigia. Illud enim colunt Canonici Regulares, & Canonicus Regularis erat sanctus Robertus. Templum habet sancto Joanni Euangelistæ sacrum: & virorum in suo Ordine sacella sub eodem nomine inauguraverat Robertus. Insignia monasterii hujus aquila sunt, sunt & nostra. Ista denique eodem tempore, quo Fontebraldense archi-cœnobium, condita domus. Hæc omnia pro certo apud nos habentur, referuntur ab historicis, & ab ipso Malleacensi Chronico ad annum MCIV * indicantur. Eumdem Reginaldum autumant, de quo Ivo Carnotensis in suis Epistolis, illius solitudinis incolæ Canonici, & verisimile est. *Hactenus de* B. Reginaldo *laudatus Prior Fontebraldensis.*

D

* *imò in impresso* MIII

13 *Altera notitia paulò prolixior ita habet:* Sanctus Reginaldus, natione Gallus, ortus in Picardia, Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini ingressus, plures annos exegit in abbatia S. Joannis de Vineis Suessione sæculo undecimo magna sanctitatis laude. Sed cùm perfectioris vitæ studiosus urbium tumultum fugere vellet, solitudinis amore captus, B. Roberto de Arbrisello comitem ac discipulum se dedit. Is in silva Cratumnensi (oppidum Cratumnum * est apud Andes non ignobile) eremum sibi fecerat, in qua Deo vacabat unà cum discipulis pluribus. Yvo magnus ille Carnotensium episcopus, cùm vitæ genus, illis temporibus sanè insolens, non approbaret, nihil non egit, ut Reginaldum ab eo consilio avocaret, scriptâ ad illum epistolâ sanè acri, quæ inter ipsius Epistolas est ducentesima quinquagesima tertia *. At frustra omnia. Igitur B. Roberto sic adhæsit, ut magistro discipulus, ut patri filius. Verùm cùm deinde Fontis Ebraldi silvam elegisset Robertus, in qua prima Ordinis fundamenta jaceret, ejusque discipuli secessissent alii aliò, abdidit se Reginaldus in silva Melinæensi dicta prope Flexiam: ibique sacellum exstruxit S. Joanni Euangelistæ sacrum, ad suum eorumque usum, quos vitæ solitariæ socios & quasi discipulos habuit.

probabiles variorum;

E

* Craon

* *imò* 256

probabiles variorum;

14 Eo in loco hominibus penè nullis, at Deo angelisque notissimus, in pœnitentiæ in primis austeræ operibus se annos permultos exercuit, omni præterea virtutum genere clarissimus: atque in eodem Deo spiritum reddidit, ineunte sæculo duodecimo; quo die, quove anno, incertum. Constat illud tantùm, eum in vivis adhuc exstitisse anno MCIV * secundum Chronicon Malleacense. In eo sacello, in quo Deo inservierat, hoc est, in opere suo, est sepultus, ac multis deinceps miraculis claruit. Quo factum, ut ex provinciis vicinis magnus ad ejus tumulum concursus hominum fieret, & solitudo ipsa solitudo esse desineret. Non ita multò pòst eodem in loco abbatiam insignem fundavit Henricus II, Anglorum rex idem & Andium tunc comes. *Hæc ibi.*

qui mortuum dicunt sub initium sæculi XII:

* *in impresso Chronico* MCIII

15 *At modò aliqua observanda sunt de gestis Beati, quæ in datis notitiis ex conjecturis fere referuntur. Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 8 *pag.* 130 *&* 131 *inter discipulos B. Roberti Arbrissellensis etiam recenset* B. Reginaldum *nostrum, consentitque de monasterio Melinæensi ab eo pro solitariis condito. Chronicon Malleacense, quod laudatur, ad annum* 1103 *hæc solùm habet, post recensitos duos alios sanctitate flo-*

pleraque de gestis asserta expenduntur:

A *florentes:* Tertius quoque monachus in Britanniæ & Turoniæ finibus florebat Rainaldus. *Hæc verosimiliter de* B. Reginaldo *nostro, qui in Andibus, non longè à finibus Britanniæ ac Turonensis provinciæ degebat, explicantur. Nescio tamen, an eà explicatio sit omnino certa, cùm auctor breviùs nominare potuisset ipsam provinciam Andegavensem, in qua Beatus noster degebat. Verisimile etiam potiùs, ut dicit laudatus Prior, quàm certum est, Epistolam Ivonis Carnotensis, quæ in secunda editione est 256, & fratri* Rainardo *inscribitur, datam esse ad* B. Reginaldum. *Ex illa Epistola, opinor, orta est conjectura, Beatum nostrum priùs habitâsse in abbatia Suessionensi S. Joannis de Vineis. Nam improbat Ivo, quòd* Rainardus, *relicta* ecclesia beati Joannis Baptistæ, *in qua Deo servire cœperat, vitam solitariam esset aggressus. Itaque certius non est,* B. Reginaldum *habitâsse priùs in monasterio S. Joannis Baptistæ de Vineis, quàm sit certum, laudatam Ivonis Epistolam ad ipsum fuisse scriptam.*

obitus Sancti fixus hoc die & anno 1104:

16 *Quod verò dicitur de anno & die mortuali ignotis, non congruit cum gemino exemplari alicujus antiqui scripti, quod ante me habeo. Unde extractum illud fuerit desumptum, neglexit annotare, qui misit. Verùm tam fuit vetustus character, ut aliqua legi non potuerint, quemadmodum Gallicè adscriptum reperio. Primò ita habet utrumque exemplar, manu omnino diversa scriptum:* XV Kal. Octobris obiit Raynaldus venerabilis heremita tempore domni Bernardi secundi abbatis anno MCIIII. *Tum sequitur tale epitaphium:* Beatus Raynaldus * egregius anachorita sub hoc jacet tumulo, qui tempore domni Bernardi secundi abbatis hujus monasterii obiit XV Kal. Octob., anno Domini MCIV. Post cujus obitum frequens, & penè innumera variis morbis ac doloribus languentium turba, fusis ad ejus tumulum precibus incolumitatem recepit. *Quis fuerit* Bernardus *ille, secundus abbas jam anno* 1104, *non invenio. Certè fundatio abbatiæ Melinæensis eo tempore posterior est, factaque ab Henrico II Anglorum rege, ut liquet ex diplomatis de ea datis apud laudatos num.* 1 *Sammarthanos fratres. Fuerit igitur Bernardus abbas monasterii illius, quod excitare cœperat* B. Reginaldus, *qui forsan amore solitudinis & vitæ privatæ Bernardum sibi successorem vivens substituit. Nihil certè obstat, quo minùs regia fundatio potuerit accedere ad hunc locum dudum inchoatum & inhabitatum.*

* *in alio* Regnaldus

AUCTORE J. S.

beneficium Religioso præstitum.

17 *Verùm quiscumque fuerit ille* Bernardus *abbas, quem fateor mihi non satis notum, beneficium aliquod* B. Reginaldi *ex jam laudatis exemplaribus scriptis huc transfero:* Anno Domini MDXXXVIII à decimo die Septembris ad quindecimum Decembris frater Georgius Carrel, hujus monasterii Religiosus, membrorum penè omnium laborans impotentiâ atque imbecillitate, precibus ad divi Reginaldi tumulum fusis, idque novem E dierum spatio, convaluit omnino ex morbi gravitate. Propter quod acceptum beneficium, hoc feretrum suis expensis componi ac depingi curavit anno MDXLVII. *Hæc, quæ poterant cum aliis Beati beneficiis conjungi, ad hunc locum potiùs retuli, quia in iisdem chartis notata sunt, in quibus de morte & anno emortuali agitur. Plura non addo, quia plura ad notitiam nostram non pervenerunt.*

DE S. HILDEGARDE VIRGINE,

MAGISTRA SORORUM ORD. S. BENEDICTI

IN MONTE S. RUPERTI JUXTA BINGIUM IN DIOECESI MOGUNTINA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Acta S. Hildegardis jam edita, & illius auctores : alia quædam ex Ms. edenda : Vita supplenda in hoc Commentario maximè ex Sanctæ scriptis.

AN. MCLXXIX. *Vita Sanctæ impressa, cujus auctor Theodoricus,*

INter *Sanctos, qui seculo* XII *floruerunt, locum non vulgarem habet* S. Hildegardis *virgo, virtutibus, miraculis, propheticis scriptis, ac mira nominis celebritate clarissima, cujus gesta modò illustranda suscipio. Vita ipsius ad hunc diem impressa est apud Surium, & jam anno* 1566 *Coloniæ edita. Auctorem Vitæ Theodoricum abbatem Benedictinum omnes passim recentiores dicunt, sed non addunt, cujus monasterii sit abbas. Apud Surium de Theodorico hæc notantur:* Claruit is anno MCC, estque diversus à Theodorico abbate S. Trudonis. *Distinctio hæc certa est, cùm Theodoricus, Trudonopolitanus abbas anno* 1100 *floruerit. Trithemius in Catalogo illustrium virorum pag.* 138 *parùm exactè de Theodorico, ejusque ætate loquitur:* Theodoricus, *inquit,* abbas Ordinis S. Benedicti, beatæ Hildegardis quondam amator castissimus, vir tam in Scripturis sanctis quàm in litteris secularibus exercitatus & doctus, ingenio promptus, sermone scholasticus, scripsit ad multorum ædificationem Vitam ejusdem Hildegardis sponsæ Christi lib. 4, Epistolas quoque varias ad diversos, & quædam alia nobis incognita. Claruit temporibus Henrici

AUCTORE J. S.

VI, (*defuncti anno* 1198) anno Domini MCC. *Trithemius memoriæ lapsu, aut, ut magis credo, errore transcribentium aut imprimentium, Vitam in quatuor libros videtur dividere, cùm tantùm sint libri tres, ut clarum & certum est ex singulorum præfatione, & conclusione libri tertii. De scriptorum ætate infra.*

sed tuà cum Godefrido, qui librum à compositi:

2 *Primus fortè est Trithemius, qui Theodoricum biographum vocavit* abbatem; *multúmque dubito, an revera abbas fuerit, imò potiùs credo, monachum fuisse, non abbatem. Certè monachus tantùm fuit, quando Vitam conscripsit. Præterea non solus Theodoricus laudatam* Hildegardis *Vitam scripsit; sed eam ante ipsum scribere cœpit Godefridus monachus, cujus est liber primus. Secundum verò & tertium composuit Theodoricus, jubentibus Ludovico & Godefrido abbatibus. Hæc omnia clarè eruuntur ex præfationibus, quas omnes composuit Theodoricus. Etenim toti Vitæ ita præfari incipit:* Dominis venerabilibus, Ludovico & Godefrido abbatibus, Theodoricus humilis servorum Dei servus, salutem cum devotis orationibus. Authoritatis vestræ præceptum accepi,
B ut post Godefridum, virum ingenio clarum, Vitam sanctæ ac Deo dilectæ Hildegardis virginis (quam ille honesto stylo inchoavit, sed non perfecit) in ordinem redigerem, & quasi odoriferis floribus serta contexens, visiones ejus, gestis suis insertas, sub divisione librorum, in unius corporis formam redigerem. *Tum post aliquot excusationes, quid fecerit, sic explicat:* Itaque parui eo modo, ut præfati viri liber, primæ positionis locum obtinens, nullam suæ dispositionis patiatur jacturam: deinde secundus liber visionum pulcherrimum & admirabilem textum: tertius miraculorum... à nobis digestam, divisam & ordinatam contineret scripturam. *Itaque primus liber est Godefridi, excepta præfatione, continetque pleraque Sanctæ gesta, non tamen mortem: visiones quoque & miracula in hoc libro aliqua referuntur. At liber secundus de visionibus & tertius de miraculis & morte* Hildegardis, *solius sunt Theodorici.*

neuter abbas fuit, ambo monachi.

3 *Jam verò ambos hosce scriptores, non abbates, sed monachos fuisse, habeo ex Actis Mss., pro Canonizatione* S. Hildegardis *compositis, & apud nos edendis, in quibus num.* 7 *hæc leguntur:* Bruno custos S. Petri in Argentina & presbyter
C juratus dicit de vita beatæ Hildegardis, ... quòd in libello, qui de ejus vita à duobus Religiosis, scilicet Gotfrido & Theodorico, qui cum beata Virgine morabantur, statim post ejus obitum est scriptus, legit: quem omnibus modis vera credit continere *&c. Ex his habemus primò, auctores Sanctæ convixisse, & non modò esse contemporaneos, sed in multis etiam testes oculatos. Hac de causa Theodoricus, licèt in præfationibus de more multis utatur excusationibus, numquam pro excusatione allegat ignorantiam gestorum, visionum aut miraculorum* S. Hildegardis, *& ne insinuat quidem nisi rarò, se aliorum instructione indigere, aut aliorum relatione uti, ad gesta Sanctæ conscribenda. Itaque dubitare non possumus, quin Godefridus & Theodoricus fuerint ex iis monachis, qui in monasterio* B. Hildegardis *rem divinam peragebant, eaque de causa poterant omnia habere perspectissima. Godefridus verosimiliter erat natu major, isque solus Vitam scripsisset, nisi mors interveniisset. Nam defunctum fuisse Godefridum, quando scribebat Theodoricus, liquet ex præfatione libri secundi, in qua* Godefridus bonæ memoriæ *vocatur. Habemus secundò, Vitam fuisse scriptam* statim post *Sanctæ obitum. Habemus tertiò, errâsse Bailletum in tabula critica, non modò* D *quia Theodoricum facit abbatem, & solum Vitæ scriptorem, cum Trithemio, sed etiam magis, quia dixit, eum vixisse* viginti aut triginta annis *post mortem* S. Hildegardis, *acsi non esset scriptor omnino contemporaneus. Hanc Vitam primo loco recudam ex Surio, collatam tamen cum Ms. Bodecensi, cujus lectiones variantes accepimus.*

Alia Vita Ms., non edenda:

4 *Alteram quoque habemus Vitam* S. Hildegardis *in codice nostro Ms., qui notatur* P. Ms. 17: *eademque nonnihil interpolata nobis transmissa est ex codice Ultrajectino S. Salvatoris. Utrumque Ms. contuli, & initio nullam ferè differentiam inveni, circa finem verò annotationes quasdam Vitæ insertas reperi in codice S. Salvatoris, quæ non habentur in codice nostro, olim etiam Ultrajectino. Auctor hujus Vitæ ignoratur, sed verisimiliter non habitavit Moguntiæ, aut in ejus territorio, cùm de scriptis Sanctæ ita loquatur:* Sanè si cui placet de illius visionalibus verbis legere, acquirat de ejus scriptis, quæ jam circa partes Maguntiæ vulgantur dispersæ. *Præterea non opinor, auctorem illius Vitæ prorsus fuisse Sanctæ contemporaneum. Qua de causa illam edendam non censeo, præsertim cùm pauciss-* E *ima doceat, quæ in priori Vita non leguntur, & tota ferè ex scriptis Sanctæ sit contexta sine multo delectu. Dabo igitur ex brevi illa Vita in Commentario, quidquid utile ad lectorem instruendum credidero, omissis longis textibus, qui in ipsis Sanctæ scriptis legi possunt, & ad ipsius gesta aut mores minimè spectant.*

Acta inquisitionis in virtutes & miracula, ex Ms. edenda.

5 *Aliud scriptum de* S. Hildegarde *anno* 1641 *ad Bollandum misit P. Joannes Gamans, frequentissimè in hoc Opere laudatus. Unde acceptum sit, adscripsit Gamansius his verbis:* Ex Bodecensis cœnobii Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, Passionali pergameno Ms. insigni mensis Septembris fol. CCXLVII, ubi post mutilam Vitam S. Hildegardis attexuntur sequentia. *Titulus scripti hic est:* De testimonio miraculorum sanctæ Hildegardis, quæ Dominus ejus meritis operatus est, tam in vita ejus, quàm post mortem. *Compendium est Actorum, quæ anno* 1233 *composita sunt ab iis, qui in virtutes & miracula* S. Hildegardis *inquisiverunt, & Acta inquisitionis suæ ad Sedem Apostolicam transmiserunt. De tempore & Actis ad summum Pontificem missis liquet ex fine hujus compendii. Verùm collector hujus compendii adeo omnia resecuit ad solam Actorum formam spectantia, ut ex* F *illo nequeam perspicere, cujus auctoritate delegati fuerint inquisitores illi, archiepiscopine Moguntini, qui tunc erat Sigefridus III, an verò summi Pontificis Gregorii IX. Verùm ex Epistola Gregorii IX, recitanda num.* 208 *&* 209 *habemus, Acta illa fuisse composita jussu ipsius Gregorii, qui ad examen illud instituendum delegavit præpositum, decanum & scholasticum Moguntinos. In eadem verò Epistola conqueritur Pontifex, defectus aliquot in Actis illis esse inventos, quòd non essent omnia satis clarè exposita. At illis defectibus non perit Actorum fides historica. Quare dabo hæc inquisitionis Acta post Vitam, debitis annotationibus illustrata.*

Opera Sanctæ in Commentario laudanda, & scriptores alii.

6 *Præter antiqua hæc documenta de* S. Hildegarde *multa ipsius Opera, partim impressa, partim etiamnum manuscripta habemus. Ex hisce majorem præ ceteris ad augendum hunc Commentarium materiam præbebunt Epistolæ, quarum magnum numerum habemus impressum Coloniæ anno* 1566 *una cum aliquot Opusculis & Vita San-*

Etæ,

AUCTORE J. S.

A *ctæ, recuſumque in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunenſis tom. 23. Alteram non modicam partem dedit Martenius Ampliſſimæ Collect. tom. 2. Nonnullas etiam aliis locis editas inveni, nonnullas habeo Mss.: nec dubito, quin plures variis locis etiamnum in tabulariis aut bibliothecis lateant. Præcipuas tamen, quæ in cœnobio Sanctæ in unum volumen erant collectæ, omnes editas exiſtimo. Alia quoque Sanctæ Opera, quæ latiùs ſuo loco recenſebo, aliquod etiam dabunt ſubſidium ad geſta & virtutes ipſius illuſtrandas. Scriptores aliqui paulò poſteriores, quales ſunt Vincentius Bellovacenſis, Richerius Senonienſis, Albericus monachus in Chronico, qui ſeculo* XIII *floruerunt, aliique plures, pro geſtis* S. Hildegardis, *non ſunt omnino negligendi. Verùm hos alioſque ſuis locis laudabimus, & ſequemur vel refutabimus, prout ratio exigere videbitur. Ceterùm neceſſe non eſt recenſere omnes Vitas poſterioribus ſeculis & variis linguis ſcriptas. Habeo ſanè Italicam, Hiſpanicam, Germanicam, Gallicam, Belgicam. At nulla illarum quidquam addit ad antiqua documenta præter errores. Bailletus quidem criſim profitetur, eamque ſeveram, ſed ſæpe*

B *plura corrumpit quàm corrigit, & raro producit documenta aliis ignota. Hunc tamen ſubinde ſolemus corrigere, quia ſaltem ſeveritate criſis nomen ſibi peperit.*

§ II. Natales, pueritia, vita monaſtica in Monte S. Diſibodi: viſionibus à pueritia illuſtratur, eaſque demum ſcribere cogitur: quo modo Opera ſua ſcripſerit.

Nata eſt Sancta anno 1098,

DE *tempore natali* S. Hildegardis *Vita Ms., tam in codice noſtro quàm in Ultrajectino S. Salvatoris, ita habet:* Anno Incarnationis Domini MC, qui erat annus quadrageſimus quintus Henrici illuſtris, hujus nominis quarti regis, &

C tertii imperatoris, fuit in Galliæ citerioris partibus virgo tam generis quàm ſanctitatis ingenuitate nobilis, in territorio Maguntinæ civitatis. *Pro deſignato anno mox adducuntur* S. Hildegardis *verba hoc modo:* Poſt Incarnationem, inquit, Domini anno milleſimo centeſimo, dum doctrina Apoſtolorum, & ardens juſtitia, quam in populo Chriſtiano ſanctus Spiritus conſtituerat, laxari cœpit, nata ſum, & parentes mei cum ſuſpiriis Deo me fovebant. *Hæc quidem* Hildegardem *natam faciunt anno* 1100, *laudanturque tamquam ipſa Sanctæ verba pro illa opinione. Verùm ex Vita edenda, in qua lib. 2 cap. 1 ille ipſe* S. Hildegardis *locus rectiùs allegatur, intelligimus, epocham anni* 1100 *ſolùm dari pro deſignando tempore, quo juſtitia laxari cœpit; & Sanctam ſolùm dicere,* illis temporibus *ſe natam. Voces autem* illis temporibus *explicari debent cum aliqua latitudine, acſi dictum eſſet* circa illa tempora; *cùm* S. Hildegardis *annum ſuum natalem alio modo & certiùs aſſignet in præfatione Operis ſui præcipui, quod* Scivias *nominavit. Certè in laudata præfatione aſſerit, ſe ſcribere juſſam viſiones ſuas anno* 1141, *& tunc fuiſſe* quadraginta duorum annorum, ſeptemque menſium. *Secundum hæc verba anno* 1098, *aut prioribus menſibus anni* 1099 *nata eſt Sancta. Quo minùs verò nativitatem ipſius ad annum* 1099 *differri poſſe credamus, facit annus emortualis, non alius figendus quàm* 1179, *quo annum agebat octogeſimum ſecundum. Nata igitur eſt anno* 1098, *& quidem ante* XVII *Septembris, quo defuncta eſt, cùm aliàs non inchoaſſet annum ætatis octogeſimum ſecundum.*

genere nobili in comitatu Spanheimenſi. Ab infantia

8 *Joannes Trithemius, abbas Spanheimenſis, in Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1150 *de parentibus & patria* S. Hildegardis *ita loquitur:* Fuit autem hæc ſanctiſſima Virgo... oriunda ex comitatu Spanhemenſi de villa Bickelleheim dicta, patre Hildeberto milite, matre verò Mechtilde progenita, temporibus Henrici imperatoris IV nata in mundum, anno videlicet Gebhardi abbatis Hirſaugienſis VII. Cujus pater in curia comitum de Spanheim cum aliis nobilibus militans verſabatur, homo rectus & Deo devotus. *Comitatus Spanheimenſis eſt in Palatinatu inter fluvios Moſellam & Nahaam, & pro ſpirituali juriſdictione in diœceſi Moguntina. Annus Septimus Gebhardi abbatis, quo* Hildegardem *natam ſtatuit Trithemius, ab eodem connectitur cum anno* 1098, *quem & nos Sanctæ natalem ſtatuimus. Quid tertio ætatis ſuæ anno contigerit* S. Hildegardi, *ipſa exponit in Vita lib. 2 num. 16. Conſentit Vita Ms., in qua hæc leguntur ex* Hildegardis *ſcriptis adducta:* Ac in tertio ætatis meæ anno tantum celitus lumen vidi, quòd anima mea in viſceribus meis contremuit: ſed præ impedimentis infantiæ de his nil potui proferre. *Mirabile etiam eſt, quod traditur in teſtimonio miraculorum inferiùs edendo num. 7; idque dixiſſe aſſeritur,* cùm quinque annos haberet. *In Proœmio verò jam allegato de his ita ſcribit:* Virtutem autem myſteriorum, ſecretarum & admirandarum viſionum à puellari ætate, ſcilicet à tempore illo, cùm quinquennis eſſem, uſque ad præſens tempus, mirabili modo in me ſenſeram, ſicut & adhuc, quod tamen nulli hominum, exceptis quibuſdam paucis & religioſis, qui in eadem converſatione vivebant, quâ & ego eram, manifeſtavi. *Itaque tertio ætatis anno mirabile lumen vidit ſine intelligentia ſufficienti, quinquennis verò viſiones cœpit intelligere.*

E

F

viſiones habet; octennis traditur vitæ monaſticæ.

9 *Neoterici aliqui memoriæ lapſu quinquennem* Hildegardem *vitæ monaſticæ adſcribunt ſub diſciplina Juttæ. At Vita num. 2 teſtatur,* octo *ferè* annorum *fuiſſe, quando tradita eſt Juttæ, ſororicomitis Spanheimenſis, inſtituenda religioſis diſciplinis. Conſentit de* octavo ætatis ſuæ anno *Teſtimonium miraculorum num. 7, eamque ab ea ætate* ſub beati Benedicti Regula *à parentibus oblatam fuiſſe* in Monte ſancti Diſibodi *teſtatur. De hiſce verò in Vita Ms. verba ipſius Sanctæ iſta allegantur:* In octavo autem anno in ſanctam converſationem ſpiritualis vitæ oblata ſum, & uſque ad quintum decimum annum fui multa videns, & plura ſimpliciter loquens, ita quòd illi admirabantur, qui hæc audierunt, à quo eſſent, & unde venirent. Tunc & ego in memetipſa admirata ſum, quòd, cùm intra in anima mea hæc vidi, exteriorem etiam viſum habui, & quòd hoc de nullo homine audivi. Quapropter & magno timore correpta ſum, nec ampliùs de meo interiori lumine cuiquam manifeſtare audebam. Attamen multa loquendo ac de futuris dicendo ſæpè protuli. Et quando hujus viſione luminis plenè

AUCTORE J. S.

nè perfundebar, multa, quæ audientibus aliena videbantur, loquebar. *Hæc ipsa uberiùs recitata leguntur in Vita edenda lib. 2 cap. 1, ubi etiam declarat, crescente ætate, magis se magisque de suis visionibus siluisse, quamdiu erat sub disciplina magistræ suæ B. Juttæ, & post mortem quoque ipsius aliquot annis, donec Deus cogeret visa revelare, & demum conscribere. Hinc de istis visionibus rursum dicit in proœmio ad librum Scivias:* Interim usque ad id temporis, quo illud Deus suâ gratiâ manifestari voluit, sub quieto silentio compressi. *De modo autem, quo visionibus istis fruebatur, ibidem hæc subjungit:* Visiones verò, quas vidi, non eas in somnis nec dormiens, nec in phrenesi, nec corporeis oculis, aut auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepi; sed eas vigilans, circumspiciens in pura mente oculis & auribus interioris hominis, in apertis locis secundum voluntatem Dei accepi. Quod quomodo fit, carnali homini perquirere difficile est. *Hæc interim de visionibus Sanctæ, de quibus plura dabo inferiùs.*

Mortuâ B. Juttâ, S. Hildegardis præest:

10 *Dum verò visiones suas tanto studio occultabat* S. Hildegardis, *è vivis abiit Jutta magistra, cui humiliter solebat obedire, ipsaque cœpit aliis præesse. Dodechinus, sub finem ejusdem seculi abbas S. Disibodi, in Appendice ad Chronicon Mariani Scoti ad annum 1136 ad propositum nostrum ita habet:* Obiit divæ memoriæ domina Juda, quæ viginti quatuor annis in Monte S. Disibodi inclusa, soror Megenhardi comitis de Spanheim. Hæc sancta mulier inclusa est Calendis Novembris, & aliæ tres cum ea, scilicet Hildegardis, & Sumet (*Mabillonius legit* suimet *id est* Juttæ) vocabuli duæ, quas etiam, quoad vixit, sanctis virtutibus imbuere studuit. *Hæc quidem chronotaxis non omnino consonat assertis de vita monastica per* S. Hildegardem *inchoata, dum ferè octo erat annorum. Nam, si Jutta viginti & quatuor annis fuit recluſa, & defuncta anno 1136; recluſit se primùm anno 1112, aut certè circa 1112, si anni illi fortè non fuerint completi, aut si qui illis superaddendi sint menses. At* S. Hildegardis *anno 1106 erat octo annorum, eaque de causa videtur sex annis cum B. Jutta vitam monasticam duxisse ante epocham Dodechini. Dicendum itaque videtur, aut in numeros Dodechini errorem irrepsisse, aut* Hildegardem *alio priùs loco* C *vixisse sub disciplina ejusdem Juttæ. Certè omnia antiqua instrumenta unanimi consensu* Hildegardem *ab anno ætatis octavo faciunt monacham in Monte S. Disibodi. Erat locus in comitatu Spanheimensi, eratque ibi cœnobium Ordinis Benedictini, de quo fusè actum est ad* VIII *Julii in Commentario prævio ad Vitam S. Disibodi fundatoris. Abbas verò cœnobii Fulchardus eodem anno cum Jutta obiit, & successorem habuit Cononem aut Cunonem, sub finem anni 1136 consecratum. Sub hujus obedientia igitur erat* S. Hildegardis, *quando anno eodem paucis præesse cœpit.*

excitatur à Deo ad scribendum visiones suas;

11 *Post obitum B. Juttæ, de qua ad* XXII *Decembris agendum erit,* S. Hildegardis, *ut ipsa asserit in Vita num. 17, perrexit de more visiones habere, easque silentio premere, donec tandem stimulis divinis excitata, de iis monachum magistrum suum consuleret. De his in proœmio ad Scivias sic habet:* Sed puellari meta transacta, cùm ad præfatam ætatem perfectæ fortitudinis perveniſſem, audivi vocem de cælo dicentem. Ego lux vivens & obscura illuminans, hominem, quem volui, & quem mirabiliter, secundum quod mihi placuit, excussi, in magnis mirabilibus ultra D modum antiquorum hominum, qui in me multa secreta viderunt, posui. *Hæc omnia dicuntur de* S. Hildegarde, *quam Deus ad sublimem visionum gradum provehere volebat. Quæ sequuntur de eadem sunt, docentque, quantum Deus illam humiliaverit, ne excellentiâ visionum in superbiam elevaretur. Verba subdo:* Sed in terram stravi illum, ut se non erigeret in ulla elatione mentis suæ. Mundus quoque non habuit in eo gaudium nec delectationem, nec exercitationem in rebus illis, quæ ad ipsum pertinent, quia eum de pertinaci audacia abstraxi, timorem habentem, & in laboribus suis paventem. *Hæc sanè obscura sunt, sed sensus est: mundum pro* S. Hildegarde *nihil habuisse, de quo gauderet, quo delectaretur aut exercitaretur, quia Dei timore erat plena.*

sed diu præ verecundia & timore silens,

12 *Hæc utcumque explicantur sequentibus verbis:* Ipse enim in medullis & in venis carnis suæ doluit, constrictum animum & sensum habens, atque multam passionem corporis sufferens, ita quòd in eo nulla securitas habitavit, sed in omnibus causis suis se culpabilem æstimavit. Nam ruinas cordis ejus circumsepsi, ne mens ipsius per superbiam aut per vanam gloriam se E elevaret, sed magis in omnibus his timorem & dolorem, quàm gaudium aut petulantiam sentiret. Unde in amore meo scrutatus est in animo suo, ubi illum inveniret, qui viam salutis curreret. Et quemdam (*scilicet monachum directorem*) invenit, & eum amavit, agnoscens, quòd fidelis homo esset, & similis sibi in aliqua parte laboris illius, qui ad me tendit; tenensque illum simul cum illo in omnibus his per supernum studium contendit, ut absconsa miracula mea revelarentur. Et idem homo super semetipsum se non extulit, sed ad illum in ascensionem humilitatis, & intentione bonæ voluntatis, quem invenit, se in multis suspiriis inclinavit. Tu ergo, ô homo, qui hæc non inquietudine deceptionis, sed in puritate simplicitatis accipis, ad manifestationem absconditorum directa, scribe, quæ vides & audis. *Hæc omnia, licèt utcumque obscura sunt, dirigebantur à Deo ad animandam* Hildegardem, *ut scriberet visiones suas secundùm consilium illius monachi, quem tunc cœperat consulere.*

morbo & alia visione,

13 *Quid illa post ejusmodi visionem fecerit, subjungit hoc modo:* Sed ego, quamvis hæc viderem & audirem, tamen propter dubietatem & malam opinionem, & propter diversitatem verborum hominum, tam diu, non in pertinacia, sed in humilitatis officio, scribere recusavi, quousque in lectum ægritudinis, flagello Dei depressa, caderem; ita quòd tandem multis infirmitatibus compulsa, testimonio cujusdam nobilis & bonorum morum puellæ, & hominis illius, quem occultè (ut præfatum est) quæsieram & inveneram, manus ad scribendum apposui. *De visione porrò illa, quâ præcipuè ad scribendum animata fuit & adjuta, statim in principio Proœmii sui hæc memorat:* Ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cùm cœlesti visioni magno timore tremula intentione inhærerem, vidi maximum splendorem, in quo facta est vox de cælo, ad me dicens: O homo fragilis, & cinis cineris, & putredo putredinis, dic & scribe, quæ vides & audis. Sed quia timida es ad loquendum, & simplex ad exponendum, & indocta ad scribendum ea, dic & scribe ea, non secundum os hominis,

A nis, nec ſecundum intellectum humanæ adinventionis, nec ſecundum voluntatem humanæ compoſitionis; ſed ſecundum id, quòd ea in cæleſtibus deſuper in mirabilibus Dei vides & audis, ea ſic diſſerendo proferes, quemadmodum & auditor, verba præceptoris ſui percipiens, ea ſecundum tenorem locutionis illius, ipſo volente, oſtendente & præcipiente, propalat. Sic ergo & tu, ô homo, dic ea, quæ vides & audis: & ſcribe ea, non ſecundum te, nec ſecundum alium hominem; ſed ſecundum voluntatem ſcientis, videntis & diſponentis omnia in ſecretis myſteriorum ſuorum.

quâ intellectus ipſius mirè illuſtratur, fortiùs impellitur.

14 Et iterum audivi vocem de cælo mihi dicentem: Dic ergo mirabilia hæc, & ſcribe ea hoc modo edocta, & dic: Actum eſt milleſimo centeſimo quadrageſimo primo Filii Dei Jeſu Chriſti Incarnationis anno, cùm quadraginta duorum annorum ſeptemque menſium eſſem, maximæ coruſcationis igneum lumen aperto cælo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor totumque pectus meum velut flamma, non tamen ardens, ſed calens, ita inflammavit, ut ſol rem aliquam caletacit, ſuper quam B radios ſuos immittit. Et repentè intellectum expoſitionis librorum, videlicet Pſalterii, Euangeliorum, & aliorum Catholicorum, tam veteris quàm novi Teſtamenti, voluminum ſapiebam, non autem interpretationem verborum textûs eorum, nec diviſionem ſyllabarum, nec cognitionem caſuum aut temporum callebam. *Hactenus Sancta ipſa, cujus poſteriora verba Vitæ inſerta ſunt num.* 2. *Nunc quædam veniunt obſervanda. Primò ex allegatis clarum eſt, Sanctam humili & verecundo timore diu noluiſſe de viſionibus ſuis ſcribere, diviniſque inſpirationibus ad ſcribendum invitantibus utcumque reſtitiſſe, donec gravi & mirabili correpta morbo, rem communicaret cum monacho, & per hunc cum abbate Cononе, ut Vita habet num.* 4, *ubi etiam additur, morbo liberatam fuiſſe, ſimul atque animum ad ſcribendum appulit. Prodigioſa iſta ſanatione non minùs, quàm præcedenti morbo atque prodigioſo, excitatus abbas, poſt aliquod tempus priora Sanctæ Scripta detulit Moguntiam, ibique ea cum archiepiſcopo Henrico & cum præcipuis viris eccleſiaſticis communicavit, ut habet Vita num.* 4, *& rurſum num.* 17, *ubi ipſa allegantur Sanctæ verba ſequentia:* Hæc ad audientiam Moguntinæ eccleſiæ allata cùm eſſent & diſcuſſa, omnes ex Deo eſſe dixerunt, & ex prophetia, quâ olim prophetæ prophetaverant.

C 15 *Secundo conſtat ex allatis verbis, ſcientiam* S. Hildegardis *non fuiſſe ſtudio acquiſitam, ſed infuſam à Deo. Hinc in Vita num.* 17 *ipſa dicit, ſcribere ſe cœpiſſe,* cùm vix notitiam litterarum haberem, *inquit,* ſicut indocta mulier me docuerat. *Ignorabat certè linguam Latinam, quia eam numquam didicerat. Attamen ſuperno illuſtrata lumine, intelligebat ſcripta Latina, quantum apparet, eo ſenſu, ut ſciret, quid ſcriptis illis contineretur, non quid ſingula verba ſignificarent. De mirabili illo modo, quo intelligebat myſteria, quoque ea demum ſcribere compulſa fuit, ex variis ipſius ſcriptis, quæ partim edita non ſunt, plura habentur corraſa in Vita Ms. Hæc igitur, cùm non omnia habeantur in Vita imprimenda, huc transferam:* Ab infantia ergo mea, inquit, uſque ad præſens tempus, cùm jam plus quàm ſeptuaginta annorum ſim, hoc lumen in anima mea ſemper video, & non exterioribus oculis, nec cogitationibus cordis, nec ulla col-

Nonnullebatur doctrina ſtudio acquiſita, ſed mirabili modo,

latione quinque ſenſuum exteriorum illud percipio, manentibus tamen exterioribus oculis apertis, & aliis corporeis ſenſibus in ſua virtute. Lumen enim, quod video, locale non eſt, ſed nube, quæ ſolem portat, multò lucidius; nec altitudinem, nec longitudinem, nec latitudinem in eo conſiderare valeo. Illudque UMBRA VIVENTIS LUMINIS mihi nominatur: atque ſicut ſol, luna, & ſtellæ in aqua apparent, ita ſcripturæ & ſermones, & virtutes, & quædam opera hominum formata in illo mihi reſplendent. Quidquid autem in hac viſione video, vel didicero, hujus memoriam per longum tempus habeo: & ſimul video & audio & ſcio, & quaſi in momento, quod ſcio, diſco. Sed quodcumque non video, illud neſcio, quia velut illitterata ſum, & de his, quæ ex illo lumine ſcribo, non alia verba pono, quàm quæ audio, Latiniſque verbis non limatis (*adde* utor *vel quid ſimile.*) Nec audio verba, ſicut quæ ab ore hominis ſonant, ſed ſicut flamma coruſcans, & ut nubes mota in aëre puro. Hujus quoque luminis formam nullo modo cognoſcere valeo, ſicut nec ſphæram ſolis perfectè intueri poſſum.

E *prout exponitur, à Deo infuſa.*

16 Attamen aſpicio interdum in eodem lumine aliam lucem, quæ mihi LUX VIVENS nominatur; ſed hanc non video frequenter, ejuſque formam multò minùs, quàm prioris luminis formam, ſufficio determinare. Dumque iſtam lucem intueor, omnis mihi triſtitia omniſque dolor auferetur de memoria, ita ut tunc mores ſimplicis puellæ, & non vetulæ mulieris habeam. Anima autem mea nullâ horâ caret primo lumine, quod umbra viventis luminis vocatur: & illud video, velut in lucida nube firmamentum abſque ſtella aſpiciam; & in ipſo video, quæ de fulgore viventis lucis loquor. Permanſi autem ab infantia mea uſque ad quadrageſimum ætatis annum prædicta ſemper videns, & ſæpè aliquid inde loquens, ſed penitus nihil ſcribens. Et tunc in eadem viſione ſenſi venas meas & medullas plenè viribus reſtitutas, quibus per multas infirmitates à juventute mea defeceram. Tuncque compellente me Spiritu, intimavi iſta cuidam monacho, quem mihi magiſtrum propoſueram. Qui ſatis admirans de his, injunxit mihi, ut, quæ viderem & quæ vidiſſem, abſconsè ſcriberem, quatenus ipſe, viſo initio & fine ſcriptorum, poſſet de iis judicare, vel ſaltem æſtimare, quid rei eſſet.

F

Anno 1141 *ſcribere cœpit, & decennio primum Opus abſolvit.*

17 *Porrò Sancta, ubi morbo ſe tandem ſcribere compulſam teſtatur verbis jam datis ex proœmio ad Scivias, hæc ſubjungit:* Quod dum facerem, altam profunditatem expoſitionis librorum (ut prædixi) ſentiens, viribuſque receptis de ægritudine me erigens, vix Opus iſtud decem annis conſummans ad finem perduxi. In diebus autem Henrici Maguntini archiepiſcopi, & Conradi Romanorum regis, & Cunonis abbatis in monte beati Diſibodi pontificis, ſub Papa Eugenio, hæ viſiones & verba facta ſunt. Et dixi & ſcripſi hæc, non ſecundum adinventionem cordis mei aut ullius hominis, ſed ut ea in cæleſtibus vidi, audivi, & percepi per ſecreta myſteria Dei. Et iterum audivi vocem de cælo mihi dicentem: Clama ergo, & ſcribe ſic. *Epocha data non habet difficultatem, præterquam in Eugenio Papa, & Henrico archiepiſcopo, Conradus enim diu fuit rex & Cono abbas, antequam Sancta cœpit ſcribere, ſive ante annum* 1141. *Verùm Eugenius tantùm Papa creatus eſt anno* 1145, *Henrici archiepiſcopi Moguntini initium*

AUCTORE J. S.

in Gallia Christiana tom. 5 col. 471 figitur anno 1142. *Respondeo, hæc non obstare, quo minùs credamus, Sanctam cœpisse anno* 1141. *Nam Eugenium nominâsse videtur, quia major pars istius Operis sub ejus pontificatu scripta est, & quia ille partem Operis vidit & probavit, licèt sub duobus Eugenii decessoribus aliqua scribere cœpisset. Eadem fuit ratio nominandi Henricum Moguntinum, qui partem Operis jam ante Eugenium viderat. Hinc tamen colligimus, scripta Sanctæ non statim, ubi illa scribere cœperat, ad Moguntinum archiepiscopum perlata esse, sed seriùs, ubi pars notabilis erat absoluta. Albericus in Chronico ad annum* 1141 *nobis omnino consentit, ita scribens:* Hoc anno S. Hildegardis cùm esset annorum quadraginta duorum & septem mensium, librum Scivias per Spiritum sanctum visitata incœpit, & per decem annos consummavit *&c.*

Sancta in libris scribendis, cùm ignara esset sermonis Latini,

18 *Restat inquirendum, an* S. Hildegardis *libros suos conscripserit propria manu, & eo planè sermone & modo, quo eos habemus conscriptos. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1147 *ita de scriptis Sanctæ loquitur, acsi credidisset, nullo alterius subsidio in scribendo usam fuisse, & sic aliis quoque locis loquitur. At rem videtur magis examinâsse in Chronico Sponheimensi ad annum* 1179, *ubi de conscriptis per* S. Hildegardem *Operibus ita scribit:* Hæc sancta Virgo divinis revelationibus visitari à juventute sua meruit: ex quibus multa jussione divina ad utilitatem posterorum conscripsit. Verùm cùm esset Latini sermonis ignara, & præter simplicem psalmodiam nihil ab homine didicisset, interno Spiritus sancti magisterio edocta, omnem scripturam, positionem, seu constructionem orationis perfectè intellexit. Revelationes autem suas & visiones cœlestes partim Latino partim Teutonico protulit eloquio; quas Gotfridus monachus S. Disibodi, capellanus & confessor ejus, fecit Latinas & congruas, redigens in eum ordinem & formam, in qua hodie leguntur. Inter cætera verò ejus volumina, magnum in eodem loco volumen, quod Epistolas ejus ad diversos, Homilias, Vitas Sanctorum, & alia, quæ divinitus edocta edidit, continet: quod moniales istius loci eam propria manu scripsisse falsò confirmant, cùm & Latini sermonis fuerit ignara, & ad scribendum propter C crebras infirmitates & humidum caput penitus indisposita. Nihil enim eorum, quæ ibi ostenduntur hodie, propria manu scripsisse credendum est: quippe cùm nesciret scribere; sed præfatus monachus omnia vel scripsit, vel scribi procuravit. *Hactenus Trithemius, cujus opinio conformis est antiquis documentis. Gotfridus verò ille aut Godefridus monachus, cujus operâ in scribendo usa est Sancta, idem fortè est cum illo, qui librum primum Vitæ composuit.*

habuit monachum adjutorem, qui omnia connectebat,

19 *Eo autem modo, quo exponit Trithemius, composita esse omnia scripta* S. Hildegardis, *colligitur ex ipsa ejus Vita, in qua num.* 2 *asserit Godefridus, litterarum ignaram ita fuisse, ut nec* interpretationem verborum *nosceret*, nec divisionem syllabarum; nec cognitionem casuum aut temporum *vocum Latinarum haberet. Deinde Theodoricus in præfatione libri secundi modum scribendi insinuat, ita scribens:* Magnum est etiam illud & admiratione dignum, quòd ea, quæ in Spiritu audivit vel vidit, eodem sensu & eisdem verbis, circumspecta & pura mente, manu propria scripsit, & ore edidit, uno solo fideli viro symmysta contenta, qui ad evidentiam grammaticæ artis, quam ipsa nesciebat, casus, tempora, & D genera quidem disponere, sed ad sensum vel intellectum eorum nihil omnino addere præsumebat vel demere. *Addit auctor ex ipsius* Hildegardis *Epistola ad Adrianum Papam, à Deo monitam fuisse, ut, quando* desuper ostensa *non protulisset* in lingua Latina *more apto hominibus*, ille, qui limam habet, ad aptum sonum hominum explere non negligat. *Utebatur igitur adjutore in scribendo, Deo ipso jubente, quia non noverat cogitationes suas Latino sermone explicare. Sic ipsa dicit verbis num.* 14 *adductis:* Quodcumque non video, illud nescio, quia velut illiterata sum. Et de his, quæ ex illo lumine scribo, non alia verba pono, quàm quæ audio, Latinisque verbis non limatis. *Dictio est imperfecta. At hæc Sanctam velle dicere existimo: Scribo verba Latina audita, & alia non addo Latina ad explendam dictionem, aut adjuncta exponenda.*

& quantùm videtur, Latina faciebat, quæ ipsa non noverat Latinè dicere.

20 *Quare, quantùm concipere possum,* S. Hildegardis *has in scriptis suis habuit partes. Visiones suas vernaculo sermone explicabat, verba verò Latina, quæ in iis audiebat, manu sua scribebat, prout audierat. Deinde, ipsa dirigente, Godefridus omnia faciebat Latina, omniaque aptè connectebat. Hinc laudatus Trithemius dicit:* Visiones cælestes partim Latino (*nimirum verba audita*) partim Teutonico protulit eloquio, *scilicet personas aliasque res visas. Hoc modo scribere cœpit in monte S. Disibodi, ubi monasticam vitam inchoaverat, teste Theodorico in Vita num.* 14. *At primum Opus suum, ut idem testatur, diu pòst absolvit in monasterio novo, de cujus fundatione modò agendum.* E

§ III. Aucto monialium numero, S. Hildegardis fundat cœnobium in Monte S. Ruperti: non vidit ibi S. Bernardum, nec regulam Cistercienſem amplexa est: Scripta Sanctæ ab Eugenio III probata: finitum Opus Scivias. F

Aucto monialium numero, Sancta novum cœnobium

UBi S. Hildegardis *revelationes suas scriptis consignare cœperat, pusillus virginum cœtus, cui à morte B. Juttæ præfuerat, multùm cœpit accrescere. Cùm igitur locus, in quo habitabant, nimis fieret angustus, cogitatum est de construendo novo cœnobio, ut habet Vita num.* 6, *ubi additur, locum Sanctæ fuisse revelatum. Vel sic tamen morbus intervenire debuit, ut Cono aut Cuno, abbas S. Disibodi, in discessum Virginis consentiret. Verùm plura non addo de iis, quæ satis in Vita sunt exposita. Trithemius de nova illa fundatione in Chronico Sponheimensi ad annum* 1148 *scribit sequentia:* Anno MCXLVIII, . . . sancta virgo Hildegardis, magistra sponsarum Christi in Monte S. Disibodi post mortem B. Juttæ (sicut diximus) constituta, divinitus admonita, cum decem & octo sanctis virginibus ad Bingos transivit, & monasterium in monte trans Naham fluvium, juxta sepulcrum S. Ruperti ducis & confessoris ædificavit, ipsumque locum cum omnibus rebus & possessionibus partim precio de manu comitis Hilden-

denheimensis, in Trevirensi parochia manentis, partim commutatione, partimque donatione comitis de Spanheim & aliorum fidelium, in jus proprietatis redigens, defensioni ecclesiæ Moguntinæ temporibus perpetuis, Apostolico interveniente privilegio, commendavit. *Deinde, post aliqua de natalibus & de scriptis Sanctæ, de causa novæ fundationis rursum ista scribit:* Verùm, cùm multi in circuitu nobiles filias suas magisterio ejus traderent, & fieret eis locus ad manendum angustus, de licentia tam summi Pontificis quàm abbatis sui, ad Montem S. Ruperti (sicut diximus) cum octodecim sacris monialibus transivit, inter quas una erat Hiltrudis, filia comitis Meginhardi, virgo sanctissimæ conversationis, & B. Hildegardi multùm familiaris, ob cujus intuitum comes pater multa eidem loco beneficia impendit. *Hactenus Trithemius, qui fundationem figit anno* 1148.

fundat in Monte S. Ruperti: fundatio, ut minimùm, cœpta anno 1147.

22 *In Gallia Christiana novissimæ editionis tom.* 5 *col.* 653 *cœnobium vocatur*, Sanctus Rupertus Bingensis, seu Mons S. Ruperti vel Roberti juxta Bingam. *Ibidem observatur, esse aliud cœnobium monialium Ordinis Cisterciensis, quod etiam vocatur* Mons S. Roberti *in diœcesi Leodiensi. De tempore verò & loco fundationis laudata Gallia Christiana sic habet:* Fundatur hoc cœnobium puellare Ordinis S. Benedicti anno MCXLVII à S. Hildegarde, prima ejusdem abbatissa, prope oppidum Bingen ex altera parte fluminis Nahæ, ubi in Rhenum influit, quatuor à Moguntia milliaribus, *Germanicis videlicet. Hæc satis accurata credo.* Bingen *verò oppidum est in ditione electoris Moguntini, jacetque ad ripam Rheni, Latinè olim* Pinguia *sæpiùs, nunc passim* Bingium *dictum. Porrò videt lector, uno anno hic citiùs figi fundationem, quàm apud Trithemium, & rectè, cùm certum sit, saltem cœptam esse anno* 1147. *Etenim, quando Eugenius Papa III anno* 1148 *scripsit ad S.* Hildegardem, *ut videbimus, Epistolam inscripsit,* Dilectæ in Domino filiæ Hildegardi, præpositæ in Monte beati Roberti. *Erat igitur fundatio jam tunc facta, & anno præcedenti inchoata, præsertim cùm Epistola non in fine anni, sed circa initium mense Januario aut Februario fuerit data. Finis tamen ejusdem Epistolæ insinuat, fundationem fuisse recentem. Nam ita ad ipsam scribit Eugenius:* Quod autem insinuâsti nobis de loco illo, quem in spiritu tibi prævidisti, hoc permissione & benedictione nostra & episcopi tui fiat, ita quòd ibi regulariter cum sororibus tuis vivas secundum Regulam S. Benedicti sub clausura ejusdem loci. *Ad hæc respondit Sancta:* Ego autem, ô Pater, in loco celitus mihi ostenso, juxta verba benedictionis tuæ, secundum Regulam S. Benedicti, sub clausura ejusdem loci cum sororibus meis maneo, & hoc me tam vivente, quàm defunctâ, semper observari desidero.

Relatio Trithemii de accessu S. Bernardi ad S. Hildegardem,

23 *Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1147 *narrat, S. Bernardum venisse ad Montem S. Ruperti, sive ad oppidum Bingium, ibique cum* S. Hildegarde *egisse, quando in Germania circa partes Rheni prædicabat, hortabaturque fideles crucem assumere ad expeditionem in Terram Sanctam. Res figenda esset anno* 1146, *si satis videretur certa. At Manricus in Annalibus Cisterciensibus, & post ipsum Pinius noster ad* XX *Augusti in S. Bernardo pag.* 193 *meritò dubitârunt. Accedit Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 6 *pag.* 410, *aut fortassè Martenius, qui tomum illum, defuncto dudum Mabillonio, complevit, & anno* 1739 *edidit. Nam ille edicit candidè:* Quæ de Bernardi cum ea (S. Hildegarde) colloquio refert Trithemius, valde suspecta sunt. *Addit etiam rationes, quas paulò magis exponam. At audiamus priùs Trithemium, cujus relatio saltem docebit, quàm varia fuerint judicia hominum de scriptis Sanctæ, quidque de iis senserit S. Bernardus.* Inde (*Francofurto, ubi prædicaverat S. Bernardus*) navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis monialis, virgo Christi devotissima, . . . in Monte sancti Ruperti construxit cœnobium, cum qua dulces fertur de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque divo Bernardo sancta Christi Famula & scriptis nota, & relatione multorum in Domino comprobata. Ad quam cùm perveniset, post orationes consuetas & salutationis obsequia, præcepit sibi volumina exhiberi, quæ illa divinitus inspirata conscripsit.

AUCTORE J. S.

quamvis rectè exponat judicium S. Bernardi

24 Quibus diligenter ex parte revisis, ultrà quàm dici potest admirans, dixisse fertur ad socios: "Hæc scripta non sunt humanitus adinventa, nec potest ea mortalis homo capere, nisi „ad Dei similitudinem intus & in anima fuerit „reformatus per amorem.„ Ad hæc præpositus virginum, monachus devotus & sanctus, nomine Heribertus, viro Domini respondit: "Reverende Pater, vera quidem sunt, quæ dixisti; sed „multi homines, docti & indocti, Religiosi & „mundani, animam Famulæ Christi quotidianis „oblocutionibus cruciant, dum cerebri phantasmata, aut fallaciter per dæmones indoctæ Fœminæ garrulantur immissa.„ Cui vir Dei: "Non „miramur, inquit, frater charissime, si dormientes in peccatis divinas revelationes existiment „somnia, cùm sciamus verum dixisse sanctum „Apostolum: Animalis homo non percipit ea, „quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, & „non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Omnibus enim in peccatis superbiæ, luxuriæ, avaritiæ, seu aliis vitiis, quasi dormiendo, jacentibus, divinæ admonitiones consueverunt somnia videri, quoniam, si vigilarent „in timore Domini, signa divinæ operationis vera cognoscerent. Qui autem hæc immitti à dæmonibus existimant, ostendunt se divinæ contemplationis nullam penitus habere scientiam, „similes illis judicandi sunt, qui Dominum & „Salvatorem nostrum Jesum Christum in Beelzebub potestate ejicere dæmonia dixerunt.„ Ad sanctam quoque Hildegardem per interpretem: „Et tu, Filia, inquit, non timeas locutiones hominum, cùm Deum habeas protectorem, quoniam illorum sermones peribunt ut stipula, verbum autem Domini manet in æternum„. Post hæc vir Dei navigio descendit ad Bopardiam *&c. Hactenus Trithemius, ad cujus relationem aliqua breviter observabimus.*

de visionibus Sanctæ, omnino videtur improbabilis.

25 *Primò verba S. Bernardo attributa omnino conformia sunt tam admirabili sanctitati & sapientiæ ipsius, quàm judicio ejusdem de scriptis & meritis* S. Hildegardis, *in Epistola inferiùs danda expresso. Quapropter facilè crediderò, similia de scriptis Sanctæ dixisse Bernardum, quando ea Treviros allata vidit, & examinare potuit. Secundò visitatio illa S. Bernardi, & lustratio scriptorum* S. Hildegardis *in ipso monasterio, prorsus apparent commentitiæ, aut certè ex errore solùm profectæ. Etenim de adventu S. Bernardi ad* S. Hildegardem *tacent antiqui scriptores omnes, cùm qui de S. Bernardo scripserunt, tum qui de* S. Hildegarde, *licèt biographus noster S. Bernardum commemoret, ut Sanctæ & scriptis ejus addictissimum. Præterea S. Bernardus ad* S. Hildegardem *scripsit*

AUCTORE J. S.

anno verisimiliter 1148; *hæc verò respondit, ut videbimus. Epistolæ autem sic scriptæ sunt, ut videantur invicem numquam vidisse. Demum nec S. Bernardus in itinere, de quo agit Trithemius, per Rhenum navigio descendisse videtur, cùm in libro Miraculorum ipsius tom.* IV *Augusti pag.* 338 *terrestre iter describatur, ita ut ipse non modò Bingium non venerit, sed neque illud præternavigârit, aut prope accesserit. Ipsa quoque* Hildegardis *verisimiliter necdum erat Bingii, quando eò ad ipsam venisse dicitur S. Bernardus. Visitatio igitur illa S. Bernardi prorsus est improbabilis: neque nos morari debet, quòd eam admiserit Bailletus, aliàs non rarò justo severior in crisi exercenda. Nam nimis sæpè experimur, scriptorem illum non tantâ diligentiâ inquisivisse in facta Sanctorum à recentioribus tantùm tradita, quantâ uti debuisset, ut Vitas Sanctorum scriberet erroribus vulgaribus expurgatas.*

Sancta numquam amplexa est institutum Cisterciensium.

26 *Sanè idem Bailletus aliam quorumdam scriptorum Cisterciensium opinionem æquè improbabilem pari facilitate adoptavit. Chrysostomus Henriquez, quem ille laudat, in Menologio Cistercien. pag.* 316 *Ordini Cistercienſi attribuit* Hildegardem, *quam tamen initio Benedictinam fuisse agnoscit. Habitum verò ab ea mutatum dicit,* hortante sancto Bernardo. *Laudat pro sua opinione Barnabam de Montalbo, qui asserit, mutationem à* S. Hildegarde *factam* ob devotionem, quâ in D. Bernardum ferebatur. *Deinde adducit Annales Ordinis, in quibus eadem asseruntur. Mitto alios scriptores idem ex errore asserentes. Errorem hunc jam observavit Papebrochius noster ad* XVIII *Junii in S. Elizabetha Schonaugiensi, quam aliqui æquè ac* Hildegardem *Cistercienſibus adscripserunt, quamvis utraque sit Benedictina. Contigisse hoc videtur ex confusione plurium monasteriorum ejusdem nominis: nam num.* 22 *monui, in diœcesi Leodiensi esse monasterium monialium Cistercienſium, quod* Mons S. Roberti *dicitur, quemadmodum illud, quod juxta Bingium* S. Hildegardis *incoluit. Hoc verò esse instituti Benedictini certum est. Laudatus Papebrochius pag.* 606 *num.* XI *testem oculatum exhibet se his verbis:* De Hildegarde pridem nobis constabat, qui Bingii fueramus anno MDCLX, ibique sacra illius & ossa & scripta, nec non cucullam videramus coloris non candidi, ut Cistercienſium, sed ex rufo subnigri, ut Benedictinarum fuit. *Plura non addo, quia res est minimè dubia.*

Cùm initio anni 1148 *ante concilium Remense Treviris esset*

27 *Anno* 1148 *contigerunt, quæ biographus num.* 5 *narrat de examinatis Treviris Sanctæ scriptis jussu Eugenii Papæ III, & præsente S. Bernardo. Biographus ait, ea Treviris acta esse post concilium Remense. At Pagius ad annum* 1148, *quo passim concilium Remense creditur habitum, quod inchoatum est mense Martio, pluribus ostendit, Eugenium fuisse Treviris, ibique concilium celebrasse ante Remense. Certè ex Actis Inventionis S. Matthiæ apostoli, apud nos datis tom.* III *Februarii, cap.* 4, *pag.* 453 *habemus, Eugenium III fuisse Treviris* XIII *Januarii anni* 1148, *cùm eo die templum S. Matthiæ dedicaverit. Cùm autem ibi tribus mensibus dicatur substitisse, necesse est, ut dicamus, ipsum jam Treviris fuisse mense Decembri anni* 1147. *Brouwerus itaque in Annalibus Trevirensibus ad annum* 1147 *hisce conformia scribit, quando ait, Eugenium III Treviros ingressum esse die Sabbato ante Dominicam primam Adventûs. Egit igitur Pontifex Treviris totis ferè mensibus Decembri, Januario & Februario, ita ut Januario aut Februario mense figenda sint, quæ de examinatis ibi in concilio Sanctæ scriptis tradit Vitæ scriptor. At hic, ut ex dictis liquet, in levi illo temporis adjuncto erravit, quòd examen scriptorum postponat concilio Remensi: nec incredibile est in eum errorem incidere potuisse scriptorem contemporaneum, quandoquidem hoc factum plus quàm triginta annis esset præteritum, dum ab ipso fuit conscriptum. Ipsa tamen* S. Hildegardis *in eumdem errorem non incidit: nam asserens in Vita num.* 17, *scripta sua ab Eugenio examinata, non aliud assignat tempus, quàm quo Treviris erat Pontifex.*

Eugenius III. misit examinatores ad S. Hildegardem,

28 *Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1150 *facta Treviris paulò latius, quàm legantur in Vita, enarrat, hæc scribens:* Anno prænotato (*imò anno* 1147) Eugenius Papa III venit ad Trevirim cum decem & octo Cardinalibus, episcopis quoque & abbatibus multis, invitatus ab Adelberone Trevirorum archiepiscopo, quibus ipse per menses tres ibidem commorantibus in cibo & potu copiosissimè providit. Eugenius autem Papa, convocatis episcopis, abbatibus, & clericis multis ex tota Germania & parte Galliæ, synodum celebravit, & multa constituit ad Ecclesiæ Dei honorem simul & utilitatem... In memorato concilio Treviris celebrato miracula, visiones, & scripta, quæ omnipotens Deus per famulam suam Hildegardem operabatur apud Bingios, ad aures summi Pontificis Eugenii plurimorum narratione pervenerunt. Quibus auditis, Pontifex volens rem novam & arduam investigare diligentiùs, misit ad Virginem Christi Adelbertum (*seu potiùs* Alberonem) Virdunensem episcopum cum quibusdam aliis viris doctis, & Deum timentibus, dans eis in commissis, quatenus dictorum omnium inquirerent veritatem. Qui cùm perveniſſent ad Famulam Dei, & ea, quæ à summo Pontifice habebant in commissis, cum reverentia exequerentur, non solam revelationum seriem & famam, sed modum quoque & causas ab ea diligentissimè inquirebant. Quibus illa simpliciter respondebat ad omnia, & quid circa eam operata fuisset Divinitas, cum summa humilitate aperuit. Informatione sufficienti accepta, nuncii Apostolici, libris visionum Virginis, illa petente, secum assumptis, ad Papam Trevirim redierunt: & quòd omnia invenerint vera, quæ dicebantur de Famula Christi, & solida, renunciârunt. Deinde volumina, quæ illa divinitus illuminata scripserat, unà cùm Epistola, quam dederat, Eugenio Papæ cum reverentia tradiderunt.

& ipse in concilio scripta ejus examinat:

29 *Monendus hìc lector, nonnihil exaggerationis esse in illis, quæ dicuntur de voluminibus Sancta. Neque enim volumina multa eo tempore conscripserat Sancta, sed primum revelationum suarum Opus solùm inchoaverat, ita ut folia intelligere debeamus per volumina. Quod additur de Epistola, incertum, ut minimum, & parùm verisimile est. Petiit tamen ab Eugenio, verisimiliter per dictos nuntios, ut sibi liceret habitare in Monte S. Ruperti. At pergamus cum Trithemio:* Pontifex scripta Virginis coram multis fecit publicè recitari, & per se lectoris quandoque functus officio, partem non modicam legens recitavit. Omnes, qui audiebant verbum lectionis, in admirationem ducti, Omnipotentis misericordiam, qui talia operabatur in fragili sexu, collaudabant. Aderat his D. abbas Bernardus, aderat & Ludovicus abbas S. Mathiæ Trevirensis, amicus sanctæ Virginis: quibus mediantibus, omnium dubitationum nebulæ à cogitationibus auditorum pellebantur. Omnibus ergo rogantibus, qui aderant, si-

A simul & hortantibus Romanum Pontificem, ne Lucernam tam insignem, divinaque illustratione succensam, pravorum hominum machinatione pateretur extingui, libenter consensit, & litteras virgini Hildegardi tenoris sequentis transmisit.

deinde honorificas eidem scribit litteras, quibus ipsa respondet.

30 *Litteras Eugenii ex collectione tom. 23 Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis pag. 537 huc transfero:* Eugenius servus servorum Dei, dilectæ in Domino filiæ Hildegardi, præpositæ in Monte beati Roberti salutem & Apostolicam benedictionem. Miramur, ô filia, & supra id, quod credi potest, miramur, quia Deus jam nostris temporibus nova miracula ostendit; cùm te spiritu suo ita perfudit, quòd diceris multa secreta videre, intelligere & proferre. Hoc à veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te & vidisse & audisse. Sed quid nos ad hæc dicere valemus, qui clavem scientiæ habentes, ita quòd claudere & aperire possimus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus. Congratulamur igitur gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, hoc admonentes, ut scias, quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Gratiam autem hanc, quæ in te est, con-

B serva & custodi, ita ut ea, quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas, quatenus illud audias: Aperi os tuum, & adimplebo illud *&c. Conclusio Epistolæ data est num. 22. Respondit Eugenio Sancta per Epistolam admodùm prolixam, & ex visione compositam, libertate sibi consueta, quam mirari non debemus, cùm ipsa non sequeretur ingenium suum, sed accepta in visione proferret, juvante & combinante omnia monacho directore. Initium Epistolæ hoc est:* O mitis Pater, ego paupercula fœmina scripsi tibi hæc (*hanc Epistolam*) in vera visione in mystico spiramine, sicut Deus voluit me docere. O fulgens Pater in tuo nomine, tu venisti in terram nostram, sicut Deus prædestinavit, & vidisti de scriptis veracium visionum, sicut vivens lux me docuit, & audisti eam amplexibus cordis tui. Nunc finita est pars scripturæ hujus. Sed tamen eadem lux non reliquit me, sed in anima mea ardet, sicut eam ab infantia mea habui. Unde nunc mitto tibi litteras istas in vera admonitione Dei *&c. Deinde multa stylo prophetico dat Eugenio monita, quæ videri possunt. In fine dicit, se manere* in loco cælitus *sibi* ostenso, *ita ut certum sit, ipsam jam*

C *habitâsse in monte S. Ruperti, quando ad Eugenium rescripsit.*

Hæc in novo monasterio habitare cœpit circa initium anni 1148,

31 *In eodem jam habitâsse loco videtur, dum ad ipsam scribebat Eugenius, cujus Epistola anno 1148 data est, & verisimiliter mense Januario aut Februario, cùm sub finem Februarii aut initium Martii Pontifex discesserit Treviris, concilium Remense mense Martio inchoaturus. Certè Epistolæ inscriptio,* Præpositæ in Monte B. Roberti *insinuat,* Hildegardem *ibi tunc habitâsse. Attamen non æque certum apparet, in eodem loco fuisse* Hildegardem, *quando ipsa examinata est à nuntiis Apostolicis. Vita enim num. 5 habet, missos fuisse* ad cœnobium, sub quo eadem Virgo tot annis degebat inclusa, *id est, ad cœnobium in Monte S. Disibodi, nulla mentione facta de commoratione* Hildegardis *in Monte S. Ruperti, cujus fundationem auctor narrat post omnia, quæ de examine scriptorum diximus. Conjicere quidem possemus, auctorem prius omnia spectantia ad scripta narrare voluisse, & deinde novam fundationem. At nuntiorum adventus ad Montem S. Disibodi semper pergit suspicionem ingerere,* Hildegardem *tunc ibi habitâsse, nisi eo ex nova habitatione fuerit vocata, ut coram abbate S. Disibodi examen fieret. At hæc evocatio est incerta, & à nullo asserta. Itaque fortè* S. Hildegardis *adhuc habitabat in Monte S. Disibodi, quando fuit examinata, peractoque examine, licentiam ab abbate & nuntiis obtinuit discedendi ad novum monasterium. At, quidquid sit de conjecturis illis incertis, constat certò, monasterium novum à Sancta inhabitari cœptum circa tempus, quo scripta ipsius Treveris examinata sunt, id est, ineunte anno 1148, aut anno præcedente.*

eo tempore partem primi Operis sui absolvit, totum verò circa 1151:

32 *Porrò quando* S. Hildegardis *ad Eugenium Papam rescribebat, absoluta erat* pars scripturæ *de revelationibus ipsius. Loquitur autem Sancta de primo Opere suo, quod tribus libris distinxit, &* Scivias *nominavit, duabus vocibus connexis,* Sci vias, *id est,* Nosce vias Domini. *Hujus Operis verisimiliter liber primus erat perfectus, dum ipsa ad Eugenium scribebat, partem esse absolutam. Omnes tres libri fuerunt perfecti circa annum 1151: nam ipsa decennium attribuit compositioni Operis prædicti, quod inchoatum anno 1141 vidimus num. 17. Ex his clarè intelligimus, partem solùm Operis visam fuisse in concilio Trevirensi, non totum Opus, nedum omnia* S. Hildegardis *Opera,* E *quæ diu pòst paulatim fuerunt conscripta. Probatio verò scriptorum Sanctæ in concilio Trevirensi hæc est. Judicavit Eugenius Papa cum Patribus concilii, Sanctam non ex illusione dæmonis, non ex cerebri phantasmatis, ut calumniabantur aliqui, sed ex divinis revelationibus haurire, quæ scribebat; ideoque permisit Sanctæ, ut scribere* prudenter *pergeret visiones suas. Sollicitè tamen monet, ut in humilitate se conservet; idemque monuit S. Bernardus in Epistola inferiùs danda. Rectè quidem illi & prudenter, cùm humilitas Christiana donorum Dei & virtutum tutissima sit custos ac conservatrix. At id ipsum non ignorabat* S. Hildegardis, *à Deo docta & donis cælestibus, inter quæ locum non minimum habet humilitas, largissimè ditata, ut ex ipsis ejus scriptis intelligitur.*

hoc Opus, Scivias *dictum, & variis vicibus impressum.*

33 *Cæterùm Opus* Scivias *impressum fuit Parisiis anno 1513 typis Henrici Stephani, unà cum visionibus quinque aliorum. Deinde recusum fuit Coloniæ anno 1628 unà cum Revelationibus S. Elizabethæ Schonaugiensis. Has editiones ante me habeo; plures alias aliis investigandas relinquo. Primus liber complectitur sex visiones prolixè expositas; secundus multò prolixior septem alias; tertius omnium prolixissimus visiones tredecim. Totum Opus attentè perlegere studui, multaque in eo inveni præclara documenta: sed non pauca sunt obscuriora, quàm ut facilè à quolibet intelligi valeant. Sancta rarò de se loquitur. Ubi verò id facit, insigni cum humilitate loquitur. Accipe, lector, pauca. Librum secundum sic orditur:* Et ego homo, litteras non callens more fortium leonum, nec docta ex infusione illorum, sed manens in mollitie fragilis costa*, imbuta mystico spiramine, vidi *&c. Tertii libri hoc est initium:* Et ego homo sumpta ab aliis hominibus, quæ non sum digna nominari homo propter transgressionem legis Dei, cùm deberem esse justa, & sim injusta, nisi quòd Dei creatura sum ipsius gratiâ, quæ me etiam salvabit, vidi *&c. In illa visione paulò pòst sic habet:* Et iterum audivi eum dicentem mihi: O quàm pulchri sunt oculi tui in divina narratione, dum ibi consurgit aurora divino consilio. Et iterum respondi de interiori scientia visionis ipsius: Ego mihi appareo in sinu animæ meæ ut cinis cinereæ putredinis, & sicut pulvis instabilitatis: unde sedeo pavens in umbra si-

id est, mulier

F

AUCTORE J. S.

cut penna. Sed ne deleas me de terra viventium ut peregrinam, quia in magno sudore laboro in hac visione, & quia etiam de vilitate mei stulti sensus, qui meus est in carne, reputo me frequenter in minimum & in vilissimum locum, ita quòd non sim digna vocari homo, quia valde timeo, non audens tua mysteria narrare. O bone ac mitis Pater, doce me, quæ tua voluntas sit, quid debeam proferre: ô tu metuende Pater, & ô tu dulcissime, & ô tu plene omnis gratiæ, ne derelinquas me, sed conserva me in tua misericordia. Et iterum audivi eumdem mihi dicentem: Nunc die, quomodo edocta es. Volo, ut dicas; quamvis cinis sis. *Plura in Opere ipso videri possum.*

§ IV. Fama Sanctæ multùm inclarescit: ad ipsam scribunt S. Bernardus, Conradus Romanorum rex, multi episcopi, quibus illa liberrimè respondet.

B

Fama Sanctæ

Baronius in Annalibus ad annum 1148, *relato examine scriptorum* S. Hildegardis, *num.* 33 *hanc subjungit observationem:* Visitatio ista & examinatio de Hildegarde facta majorem illi conciliavit existimationem, de qua Joannes Saresberiensis hæc habet libro 1 Epistolarum sancti Thomæ Epist. 171 in fine: Visiones & oracula beatæ illius & celeberrimæ Hildegardis, quæ apud vos sunt (mittite scilicet.) Quæ mihi ex eo commendata est & venerabilis, quòd eam dominus Eugenius specialis charitatis affectu familiariùs amplectebatur. Explorate etiam, & rescribite, an ei sit de fine hujus schismatis aliquid revelatum. Prædixit enim in diebus Papæ Eugenii, quòd non esset, nisi extremis diebus, pacem & gratiam in Urbe habiturus. *Albericus monachus, scriptor seculi* XIII, *in Chronico ad annum* 1141 *multa refert de revelationibus* S. Hildegardis, *quæ ex ipsa jam dedi, & de scripto Opere* Scivias *omnino dictis consentit. De auctoritate ejusdem Sanctæ observat sequentia:* Quæ fuit ista Hildegardis, & quantæ authoritatis, insinuant epistolæ magnatum terræ ad eam transmissæ, Apostolicorum Eugenii, Anastasii & Adriani, imperatoris Conradi & Frederici, patriarchæ Hierosolymitani, & archiepiscoporum, abbatum & præpositorum, & una specialis Epistola B. Bernardi abbatis Clarevallensis *Addit ibi multa, quæ omitto, quia jam aliunde data sunt.*

C

multùm inclarescit.

35 *Idem Albericus ad annum* 1153 *de* S. Hildegarde *hæc scribit:* Eodem anno quædam virgo Christi Hildegardis de Alemannia, cùm esset magni nominis, Spiritu sancto inebriata, per capitulum & seniores Cistercienses, qui literas suas ei dederant, scisitata & rogata, ut secundum quod Deus ei manifestaret, rescriberet eis, si quid esset in Ordine, quod Deo displiceret, rescripsit litteram istam in persona Domini nostri Jesu Christi Cistercienti capitulo generali in hæc verba: Ego fons vivus dico ad illos, qui propter nomen meum tunicâ meâ induti, peregrini sunt in venatione mundi. *&c.* Hæc autem Hildegardis, cùm neque literas neque Latinum didicerit, fecit librum Epistolarum egregium, in quibus multa de temporibus novissimis continentur: & alium librum, qui Scivias, id est Sciens, intitulatur; & tertium, qui inscribitur: Divinorum operum expositio. *Hactenus Albericus.*

D

Epistola S. Bernardi ad S. Hildegardem:

36 *Verùm, ut magis perspiciamus, quanta fuerit fama* S. Hildegardis *apud viros, quos præcipuos tunc habebat Ecclesia, ipsas adibimus Epistolas ad Sanctam datas, & ab eadem rescriptas. Inter priores certè, si non omnium prima, est Epistola S. Bernardi, quam conjicio datam anno* 1148 *tempore concilii Trevirensis. Hanc ex antè laudata Bibliotheca Patrum tom.* 23 *pag.* 552 *totam subjicio.* Dilectæ in Christo filiæ Hildegardi, frater Bernardus Clarævallensis vocatus abbas, si quid potest oratio peccatoris. Quod de nostra exiguitate longè aliter quàm nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Ad dulcedinem autem piæ charitatis tuæ scribere properavi, quamvis id breviùs omnino, quàm vellem, negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te est, & ut eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & devotionis affectu studeas respondere, admonemus; sciens quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, quod in nobis est, hortamur & obsecramus. Cæterùm, ubi interior eruditio est, & unctio docens de omnibus, quid nos aut docere possumus aut monere? Diceris enim cælestia secreta rimari, & ea, quæ supra homines sunt, Spiritu sancto illustrante, dinoscere. Unde rogamus magis, & suppliciter postulamus, ut nostri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter, qui nobis in spiritali societate juncti sunt. Nam cùm spiritus Deo conjungitur, confidimus quòd nobis multùm prodesse valeas & subvenire. Multum enim valet deprecatio justi assidua. Nos etiam pro te assiduè oramus, ut conforteris ad bona, instruaris ad interiora, dirigaris ad permansura, ita ut ne hi, qui spem suam in Deum posuerunt, desperando pro te claudicent; sed ut in profectu benedictionis, quam à Deo accepisse cognosceris, bene confortati, in melius & melius proficiant. *Hæc S. Bernardus, non minùs clarè quàm prudenter exprimens suum de* S. Hildegarde *judicium, quod sexcentorum aliorum judicio æquivalet.*

E

& Hildegardis

37 *Si ad gloriam* S. Hildegardis *conducit Epistola talis S. Bernardi, uti revera conducit plurimùm; non minùs S. Bernardo honorifica est Epistola* S. Hildegardis, *præsertim cùm ipsa passim omnibus Epistolis suis hortari soleat, monere, & subinde acriter etiam increpare; rarissimè verò & parcissimè laudare, ita ut nullam inter Epistolas ipsius inveniam tot laudibus plenam, & omni simul redargutione ac monitione vacuam. Hac de causa integram huc transfero.* In spiritu mysteriorum tibi dico, ô venerabilis pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei valde metuendus es illicitæ stultitiæ hujus mundi, vexillo sanctæ Crucis cum excelso studio in ardenti amore Filii Dei capiens homines, ad bella pugnanda in Christiana militia contra tyrannorum sævitiam, quòd sum valde constricta in visione, quæ apparet mihi in spiritu mysterii, quam non video exterioribus oculis carnis. Ego misera & plus quàm misera in nomine fœmineo, ab infantia mea vidi mirabilia magna, quæ lingua mea non potest proferre, nisi quod me docet Spiritus Dei, quàliter ea dicam. Certissime & mitissime pater, audi me in tua bonitate indignam famulam tuam, quæ numquam ab infantia mea securè vixi, & de tua

F

pie-

AUCTORE J. S.

A pietate & ſapientia intellige in anima tua, ſecundum quod doctus fueris in Spiritu ſancto, quoniam ea, quæ tibi de me dicta ſunt, ſecundum hunc modum ſunt. Scio enim in textu interiorem intelligentiam expoſitionis Pſalterii, Euangelii, & aliorum voluminum, quæ monſtrantur mihi in hac viſione, quæ pectus meum tangit, & animam meam ſicut flammam * comburens, docens me hæc profunda expoſitionis; ſed tamen non docet me literas in Teutonica lingua, quas neſcio. Sed tantùm ſcio in ſimplicitate legere, non in abſciſſione textûs, quia homo ſum indocta de ulla magiſtratione cum exteriori materia: ſed intus in anima mea ſum docta: unde loquor tibi, de te non dubitans, ſed de ſapientia & pietate tua conſolabor pro eo, quia multa ſchiſmata ſunt in hominibus, ſicut audio homines dicere. Nam cuidam monacho, quem ſcrutata ſum in converſatione probatioris vitæ, hæc primùm dixi: & illi omnia ſecreta mea monſtravi, & conſolatus eſt me ita, quòd hæc magna & timenda ſunt.

* *fortè* flamma non comburens

38 Volo, pater, ut propter amorem Dei in orationibus tuis mei recorderis. Ego ante duos annos te in hac viſione vidi ſicut hominem in ſole aſpicere, & non timere, ſed valde audacem: & ploravi, quòd ego tantùm erubeſco & inaudax ſum. Bone pater & mitiſſime, pono me in animam tuam: ora pro me, quia magnos labores in hac viſione habeo, quatenus, quod video & audio, dicam. Et interdum in magnis infirmitatibus de hac viſione in lectum proſternor, quia taceo, ita quòd non poſſum me erigere. Ergo cum mœrore coram te plango, quia mobilis ſum cum motu in torculari arbore in natura mea, orta de radice ſurgente in Adam, qui factus eſt exul in peregrinum mundum de ſuggeſtione diaboli. Nunc autem ſurgens curro ad te. Ego dico tibi: tu * es mobilis, ſed ſemper erigens arborem: & victor in anima tua es, non tantùm te ipſum ſolum, ſed etiam alios homines in ſalvationem erigens. Tu autem aquila es aſpiciens in ſolem. Oro te per ſerenitatem Patris, & per ejus Verbum admirabile, & per ſuavem humorem compunctionis, ſcilicet Spiritum veritatis, & per ſanctum ſonitum, per quem ſonat omnis creatura; & per ipſum Verbum, de quo ortus eſt mundus, & per altitudinem Patris, qui Verbum ſuavi viriditate in uterum Virginis miſit, unde illud carnem, ſicut circumædificatur mel favo, ſuxit, ut non ociosè in verbis meis torpeas. Sed ea in cor tuum pone, ita ut non ceſſes, tum tranſeas per foramen animæ tuæ ad Deum per me aſpiciens, quia ipſe te vult. Vale, vale in anima tua, & eſto robuſtus in certamine in Deo. Amen. *Ita* Hildegardis, *cujus Epiſtolam poſtpoſui, ſicut edita eſt. Attamen exiſtimo, hanc priùs ſcripſiſſe, Bernardum verò reſpondiſſe. Utcumque etiam ſuſpicor, ſcripſiſſe* Hildegardem, *antequam ipſa & ſcripta ejus erant juſſu Eugenii III examinata; dictumque examen occaſione harum litterarum inſtitutum eſſe.*

ad Bernardum.

* *fortè addendum* non

39 *Inter priores principes, qui ad* S. Hildegardem *ſcripſerunt, fuit Henricus archiepiſcopus & elector Moguntinus, anno* 1153 *de dignitate dejectus, & defunctus poſt annum & medium, ut habet Pagius ad annum* 1153 *num.* 1. *Hic ad* Hildegardem *ſcribens, Epiſtolam ſuam pag.* 541 *orditur his verbis:* Cùm multa bona & admiranda miracula de te audiamus, pigritiæ noſtræ reputandum eſt, quòd te tam ſæpè non viſitamus, ut poſſemus. Sed plurimis negotiis impediti, animam ad ea, quæ æterna ſunt, vix aliquando & tardè ſuſtollere valemus. *Tum rogat, imò præcipit, ut quamdam monialem, abbatiſſam electam, permittat abire cum illis, qui veniebant ipſam abducturi ad prædictam dignitatem. Epiſtola humana eſt, excepto mandato ſatis forti de tradenda moniali. Mirabitur fortaſſe lector reſponſum* S. Hildegardis; *ſed tanto magis videbit, ipſam non ſuo ingenio Epiſtolas compoſuiſſe; ſed revelata à Deo ſcripſiſſe. Si quem enim revereri & amare aliàs debebat; revereri debebat archiepiſcopum, & protectorem ſuum, qui ſe, quantùm certè novimus, ſemper benignum exhibuerat. Attamen ita prophetico more reſpondet:* Perſpicuus fons, qui non eſt fallax, ſed juſtus, dicit: Hæ cauſæ, quæ de poteſtate hujus puellæ ſunt allatæ, apud Deum inutiles ſunt, quoniam ego altus & profundus & circuiens, qui ſum incidens lux, eas nec conſtitui, nec elegi, ſed factæ ſunt in conviventi * audacia ignorantium cordium. Omnes fideles audiant hæc in capacibus auribus cordis, & non in auribus, quæ foris audiunt, ut pecus, quod ſonum capit, & non verbum, Spiritus Dei in zelo dicit: O paſtores, plangite & lugete in hoc tempore, quia neſcitis, quid facitis, cùm officia in Deo conſtituta diſpergitis in facultates pecuniæ & in ſtultitiam pravorum hominum, timorem Dei non habentium; ubi maledicta malitioſa, & minantia verba veſtra, non ſunt audienda. Virgæ veſtræ hoc modo ſuperbè elatæ, non ſunt in Deo extentæ, ſed in pœnis præſumptionis flagitioſæ voluntatis veſtræ.

* *fortè* conniventi

40 Sed & ille, qui eſt, ô homo, tibi dicit: Audi quæ * in multis ſervitiis me negligis. Cælum de ultione Domini apertum eſt, & nunc inimicis funes dimiſſi ſunt. Tu autem ſurge, quia dies tui breves ſunt: & reminiſcere, quia Nabuchodonoſor cecidit, & quòd corona ipſius periit. Et multi alii ceciderunt, qui ſe temere in cælum exaltaverunt. Ah! tu cinis, quare non erubeſcis in altum te ſpargere, cùm debeas eſſe in putredine? Nunc ergo rabidi erubeſcant. Tu verò ſurge, & maledictionem relinque, illam fugiendo. *Hactenus* S. Hildegardis, *quæ non obſcurè exemplo Nabuchodonoſor prædicit, Henricum dignitate ſua privandum, & non diu admodùm victurum, prout revera factum eſt. Multi tamen voluerunt, Henricum non adeo fuiſſe culpabilem, & deinde piè defunctum. Illam verò monialem, quæ abbatiſſa erat electa, & cujus electionem tam graviter Sancta improbabat, exiſtimo fuiſſe ſororem Hartvici archiepiſcopi Bremenſis, de cujus morte agetur num.* 46, *& de qua veriſimiliter loquitur Sancta in Actis num.* 23. *Ceterùm non dubito, quin in hac quoque Epiſtola verè dicere potuerit* S. Hildegardis, *quæ ſcripſit ad Arnoldum Henrici ſucceſſorem,* Myſtica verba à me non profero, ſed ſecundum ea in viventi lumine video, ita quòd ſæpè, quæ mens mea non deſiderat, & quæ etiam voluntas mea non quærit, mihi oſtenduntur, ſed illa multoties coacta video. *Verùm de ſcriptis ad Arnoldum plura dabo inferiùs.*

cui reſcribens depoſitionem & mortem prædicit.

* *fortè* qui *aut* quia

41 *Prioribus, qui litteras ad* S. Hildegardem *dederunt, annumerandus eſt etiam Conradus III rex Germaniæ, vulgò imperator dictus, licèt non fuerit coronatus: nam anno* 1152 *defunctus eſt, ita ut Epiſtola ipſius, pag.* 551 *impreſſa, inter annum* 1148 *&* 1152 *figenda ſit. Partem huc transfero:* Quia regali culmine impediti, *inquit,* ac diverſis turbinibus & procellis quaſſati, te inviſere pro velle noſtro non poſſumus, literis tamen noſtris te adire non omittimus. Nam, ut

Scribit ad Sanctam Henricus Moguntinus,

Epiſtola Conradi Romanorum regis,

au-

AUCTORE J. S.

audivimus, revera superabundat in te confessio summæ laudis per sanctimoniam vitæ innocentis, & per magnificentiam Spiritus desuper mirificè in te venientis. Unde quamvis secularem vitam agamus, ad te properamus, ad te confugimus, ac orationum & exhortationum tuarum suffragia humiliter quærimus, quoniam longè aliter vivimus, quàm debeamus. *Addicit deinde favores suos, & filium suum Sanctæ precibus commendat.*

& respondet Sanctæ illum monentis & varia prædicentis;

42 *Ad has litteras Sancta respondit, partim Conradum suaviter monendo, partim prædicendo pejora tempora, qualia fuerunt sub Frederico I Conradi successore. Prima Epistolæ pars hæc est:* Qui vitam dat omnibus, dicit: Beati sunt, qui candelabro summi Regis dignè subjacent, & quos Deus in magna providentia procuravit, ita ut eos de sinu suo non abscindat. In illo, ô tu rex, permane, & squalorem de mente tua abjice, quoniam Deus omnem, qui eum devotè & purè quærit, conservat. Sed & regnum tuum ita tene, & tuis unamquamque justitiam provide, ut à superno regno alienus non fias. Audi, in quadam parte à Deo te avertis: & tempora, in quibus es, velut in muliebri persona, levia sunt, & etiam in contrariam injustitiam, quæ justitiam in vinea Domini destruere tentat, se inclinant. Postea verò pejora tempora venient, in quibus veri Israëlitæ flagellabuntur, & in quibus Catholicus thronus in errore movebitur; & ideo novissima eorum, velut cadaver in morte, blasphemiæ erunt. Unde & hic dolor in vinea Domini fumigat. *Non obscure hic Sancta prædicit schismata, aliaque Ecclesiæ mala, quæ nata sunt sub Frederico I, ad quem deinde etiam scripsit Epistolam hac multò fortiorem, ex qua suo loco aliqua dabo. Addit multa eodem spiritu prophetico de variis Ecclesiæ temporibus & vicissitudinibus, illaque non difficulter explicari possent, si luberet futura tunc tempora propiùs lustrare. Verùm, omissis illis, clausulam Sanctæ ad Conradum subjungo:* Et iterum ille, qui omnia novit, tibi, ô rex, dicit: Hæc tu, homo, audiens, teipsum à voluntate tua compesce, & te corrige, quatenus ad tempora illa purificatus venias, in quibus de factis tuis amplius non erubescas.

Arnoldi archiepiscopi Colonienſis,

43 *Arnoldus archiepiscopus Colonienſis circa eadem tempora ad* Hildegardem *humanissimam scripsit Epistolam, quâ librum ipsius petiit, quaque ipsam pag.* 543 *sic alloquitur:* Quia enim, uti jam diu dispositum habemus, ad vos minimè venire valemus, in quantum in præsentiarum possumus, nos vobis committimus, manus nostras in vestras damus, fidem fide conjungimus, totum nos vobis commendamus. Præterea librum, quem ipsa divino Spiritu inspirata scripsistis, remota omni occasione, quia nec volumus nec possumus eo carere, si imparatus sive non, per præsentium portitorem nobis transmittere non dubitetis, ubi Deum tentare nolumus, sed ubi mirabilia ejus videre desideramus. *Quæ ad Arnoldum respondet* S. Hildegardis, *mystica sunt pleraque & utcumque obscura. De libro suo clariora subjungit his verbis:* Nunc autem, ô pastor populi tui, ego paupercula scripta veracium visionum istarum tibi misi, sicut petisti, nihil humani ingenii & propriæ voluntatis meæ continentia; sed quæ indeficiens lumen compositione sua, & eisdem verbis manifestare voluit, quomodo sibi placuit; cùm nec ipsum, quod nunc tibi scribo, ingenio meo, nec ullo humano arbitrio, sed superna ostensione compositum sit.

44 *Ad eadem ferè tempora spectat Epistola Hillini Trevirensis archiepiscopi, quæ pag.* 544 *ita habet:* Quoniam Dei sapientia, quæ infirma mundi eligit, ut fortia confundat, jocundum tibi * habitaculum in tua virginitate eligere complacuit, lucis suæ gratiam in Spiritu consilii & scientiæ amplioris in te largiùs effudit: cujus, ut arbitror, lucis effusione etiam aliorum mentes ad studia meliora & saluti viciniora excitari voluit & illustrari, te mediante, Mater veneranda, & sinceriſſima charitate amplectenda. Supereſt igitur, Virgo Christi dilectissima, veræ Vitis, cujus sub umbra quiescis, cujus fructus gutturi tuo dulcis & amplexabilis, veræ, inquam, Vitis propagines in hoc mare procellosum latiùs extendere, cælestis poculi, quo inebriaris, dulcissimum saporem ad lucra animarum quaqueversum propensiùs dilatare; quæ gratis accepisti, gratis dare, ne fortè arguaris lucernam, ad utilitatem proximorum accensam, sub modio abscondere voluisse. Rogo ergo, Mater sancta, cum cæteris ad portum consolationis tuæ confugientibus, . . . quatenus de cella illa regis vinaria, cujus voluptatis abundantiâ etiam in hac vita mirabiliter inebriaris, guttas aliquas ad me peccatorem per præsentium latorem stillare scripto digneris; tum propter eum, qui tibi ea posse præstitit, tùm ea propter, ut veritatis experientia comprobet, quod quorumdam auribus de gratia tibi cælitus infusa rumor dubitanter infert *&c. Epistola, quam rescripsit* S. Hildegardis, *partim mystica & ænigmatica est, partim etiam prophetica & hortatoria in conclusione, qua talis est:* Species columbæ te docet, & verbum Dei non caret in te scientiâ. Nunc ergo vigila & in virga ferrea constringe: doce, & vulnera tibi commissorum unge, & in æternum vives.

Gonteri Spirensis episcopi, item Constantiensis,

45 *Scripsit etiam circa hæc tempora ad* S. Hildegardem *Gonterus Spirensis episcopus, qui inter alia pag.* 546 *sic illam alloquitur:* Quod bonus odor es tam remotis quàm vicinis, & de Spiritu sancto solamen omnibus te quærentibus, divinæ pietati gratias referimus. . . . Rogamus autem intimè sanctitatem tuam, quatenus pro dilectione nostra Deum pro nobis interpelles, & orationibus tuis eum nobis placabilem facias . . . . Rescripta quoque tua ad nos desideramus. *Sancta verò respondens, multis ad emendationem vitæ hortatur Gonterum. Sic autem orditur:* Lux summæ inspirationis, ô homo, tibi dicit: Admonitionem Spiritus sancti, qui in te ascendit, ne abscindas à te per malam consuetudinem operum tuorum, quia Deus requirit in te, quod olim attendit perditam ovem reducere, quando crimina hominum absterſit. *Et paulò post:* Unde tu, ô homo, qui multa nigredine involutus es, surge citiùs ad ruinam, & ædifica in cælestibus, ut nigri & sordidi erubescant in tua exaltatione, cùm surgis à nigredine tua, quia anima tua vix vivit propter opera tua *&c. Tota Epistola est hortatis ad pœnitentiam. Talis ferè est responsio* S. Hildegardis *ad episcopum Constantiensem, cujus nomen non exprimitur, & cujus hanc ob causam Epistola temporis est magis incerti. Ille pag.* 547 *Sanctæ preces & litteras petit his verbis:* Fama sapientiæ tuæ, longè latéque diffusa, à nonnullis veridicis mihi relata, ad id desiderium me provocavit, ut de remotis partibus solatium atque sublevamen tuum quærerem, & me precibus tuis commendarem. . . . Quapropter dilectionem tuam sincera devotione deposco, quatenus apud Dominum orationibus tuis mihi succurras, & rescripto tuo me munias: quia tam propria voluntas mea, quàm cura terrena, ferè omnibus modis à servitio Dei me abstra-

A trahit. *Reſcripſit Sancta minimè blandiens, ſed inanem gloriam in ipſo præcipuè redarguens. Epiſtolam verò concludit hoc modo:* Surge ergo citiùs, & ambula recta itinera, antequam ſol tibi occidat, & antequam dies tui deficiant.

Hartvici archiepiſcopi Bremenſis,

46 *Incerti etiam temporis eſt Epiſtola Hartvici archiepiſcopi Bremenſis, qui hîc* Hertuvigus *vocatur, cùm ultra annos viginti fuerit epiſcopus, & obiiſſe dicatur circa annum* 1168. *Perſcribit ille pag.* 543 *obitum ſororis ſuæ,* Richardis abbatiſſæ, *quæ monialis fuerat ſub diſciplina* S. Hildegardis, *& à fratre ad memoratam dignitatem pertracta, ita ut poſſit eſſe ea, quam petebat Henricus Moguntinus archiepiſcopus, ut dictum eſt num.* 40. *Porrò teſtatur Hartvicus, piè admodùm defunctam fuiſſe, &* ex toto corde lachrymabiliter deſiderâſſe, *ut manſiſſet in clauſtro* S. Hildegardis, *à quo invita fuerat avulſa. Hinc veniam de illo receſſu petens, ita Sanctam alloquitur:* Et ſi in aliquo deliquiſſe videtur, cùm ex ea non fuerit, ſed ex me, ſaltem lacrymas ejus, quas pro receſſu clauſtri illius effudit, quarum multi teſtes ſunt, attendas: & niſi mors impediviſſet, vix habitâ licentiâ ad te veniſſet: & quia

B morte detenta eſt, me pro ea venturum, ſi Deo placet, ſcias. Sed Deus, qui remunerator omnium bonorum eſt, de bonis, quæ ſibi exhibuiſti ſola inter omnes, & ſuper omnes tam cognatos quàm amicos, de quibus Deo & mihi gratulabatur, hîc & in futuro ad omnem voluntatem tuam te remuneret. *&c. Reſcripſit Sancta Epiſtolam ſatis prolixam, & præclaris monitis plenam. Laudat etiam Hartvicum, & Richardem ipſius ſororem, de qua dicit:* Plena charitas in anima mea fuit ad ipſam, quoniam vivens lux in fortiſſima viſione docuit me ipſam amare. *Poſt multas ipſius laudes, animam ipſius fratri commendat, & Epiſtolam ita concludit:* Unde & ego abjicio dolorem illum de corde meo, quem mihi feciſti in hac filia mea. Deus concedat tibi per ſuffragia Sanctorum rorem gratiæ ſuæ, & beatam remunerationem in futuro ſeculo.

& abbatis Eberbacenſis cum Sanctæ reſponſo.

47 *Abbas Eberbacenſis, Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Moguntina, & ferè inter Moguntiam & Bingium, ſed ultra Rhenum, & magis prope Moguntiam, ex prioribus videtur fuiſſe abbatibus, qui ad* S. Hildegardem *ſcripſerunt. Nomen exprimitur pag.* 554 *litterâ* E, *ſed mendosè, opinor,*

C *cùm nequeat ferè alius eſſe à Ruthardo, primo illius cœnobii abbate, & littera* E *ſequentibus etiam non congruat. Laudatus abbas Sanctam ita alloquitur:* Magnificamus & glorificamus pro vobis Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui reſpicit ſe trementes, potens exaltat humiles, qui & magna vobis fecit, quia potens eſt. Elegit, ſicut ipſi audivimus & vidimus, ſacrarium pectoris veſtri in habitaculum ſibi, ſcientiamque divinam, incerta & occulta ſapientiæ ſuæ vobis manifeſtavit.... In omnibus his oleum effuſum nomen veſtrum, & ideo adoleſcentulæ dilexerunt vos, & nos currimus in odorem unguentorum veſtrorum. *Addit alia ſimilia, preces Sanctæ flagitat, & ſua eidem ſervitia offert. Ad has litteras* S. Hildegardis *egregia monita repoſuit, & in fine optima abbati prædixit, ita ſcribens:* Tibi autem, ô homo, refectio fiet in cinctura femorum tuorum, ubi verum deſiderium in manibus tuis habes, cùm theſaurum veræ pecuniæ non negligis. Terra tibi dormit, quoniam naufragium mundi te non lædit. In fine temporis tui Deus ſuſcitabit te: ipſe in magno honore te conſtituet. O ſerve bone, illum laudabis, & ipſe in æternum ſalvabit te.

AUCTORE J. S.

§ V. Ad Sanctam ſcribunt Anaſtaſius IV & Adrianus IV, Romani Pontifices, Fredericus imperator, epiſcopi, abbates, aliique multi, quibus reſpondet.

Ad Sanctam amanter ſcribit Anaſtaſius IV,

QUamquam *difficile eſt Epiſtolas* S. Hildegardis *in ordinem redigere, cùm notis chronologicis non ſint inſignitæ, volui tamen ex tempore, quo perſonæ floruerunt, qualemcumque ſaltem ordinem inducere, & ſic huc uſque dedi ſolas ferè Epiſtolas inter annum* 1148 *&* 1153 *ſcriptas. Nunc proſequendo ordior ab Epiſtola Anaſtaſii IV, quæ data eſt anno* 1153 *aut* 1154, *cùm ille priori anno ſit Papa creatus, ſequenti defunctus. Anaſtaſii Epiſtola pag.* 539 *hæc habet:* Anaſtaſius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Hildegardi dilectæ filiæ in Chriſto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exultamus in Domino & gratulamur, quòd nomen Chriſti de die in diem glorificatur in te, ita ut & admirantes dicamus: Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia? Audivimus enim & vidimus multa de te. Scimus etiam, quòd piæ memoriæ prædeceſſor noſter, cui ad nutriendum Sponſam Chriſti per divinam gratiam ſucceſſimus, te multo affectu dilexit, amplexus eſt, & audivit. Cujus & nos veſtigia ſecuti, ſcribere tibi ſtuduimus, & reſcripta tua videre deſideramus, quærentes illa, quæ Deus in te operatur, quamvis nos in bonis claudicemus... Admonemus igitur, rogamus, & obnixè tibi injungimus, ut cum ſoribus tuis preces ad Dominum fundas, quatenus per virtutem ipſius ad juſtitiam nos erigere valeamus *&c.*

E

cui Sancta reſpondet, prædicens mala Urbi imminentia,

49 *Reſponſum* S. Hildegardis *multò prolixius eſt. Hortatur Dei nomine Anaſtaſium, ut mala fortiter eradicet. Deinde varia propheticè prædicit, & de ſuis viſionibus aliqua ſubjungit. Demum iterum hortatur Anaſtaſium ad ſubditos corrigendos. Ex ſingulis pauca huc transfero. Sic orditur:* O perſona, quæ es præcellens armatura, & mons magiſtrationis valde ornatæ civitatis *, quæ conſtituta eſt in deſponſatione Chriſti; audi illum, qui non incepit vivere, nec laſſatur in defectione. O homo, qui in oculo ſcientiæ tuæ laſſus es ad refrenandum magniloquia ſuperbiæ in hominibus in ſinum tuum poſitis, cur non revocas naufragos, qui de magnis caſibus ſuis ſurgere non poſſunt, niſi per adjutorium? Et quare non abſcindis radicem mali, quæ ſuffocat bonas & utiles herbas, dulcem guſtum & ſuavem odorem habentes? Filiam Regis, ſcilicet juſtitiam, quæ in ſupernis amplexibus eſt, & quæ tibi commiſſa fuerat, negligis. *&c... *Hanc admonitionem poſt multa concludit, & ad prædictionem pergit hoc modo:* Unde tu, ô homo, qui ſedes in principali cathedra Domini, contemnis, quando malum amplecteris, ita quòd illud non abjicis, ſed oſcularis, quoniam ipſum ſub ſilentio in pravis hominibus ſuſtines. Et ideo omnis terra turbatur per magnam viciſſitudinem errorum; quia quod Deus deſtruxit, homo amat. Et tu, ô Ro-

i.e. Eccleſiæ.

AUCTORE J. S.

ma, velut in extremis jacens conturbaberis, ita quòd fortitudo pedum tuorum, super quos hactenus stetisti, languescet, quoniam filiam Regis, videlicet justitiam, non ardenti amore, sed quasi in torpore dormitionis amas, ita ut eam à te expellas: unde & ipsa à te fugere vult, si non revocaveris eam. Sed tamen magni montes maxillam adjutorii tibi adhuc præbebunt, te sursum erigentes, & magnis lignis magnarum arborum te fulcientes *&c. Roma certè multùm turbata est per schisma, quod exortum est quinque aut sex annis post hanc prædictionem: & jam antè turbari cœpta est Ecclesia sub Adriano IV per Fredericum imperatorem.*

& hortans ad curam pastoralem.

50 *Deinde Sancta de se subjicit verba partim laudata in Vita num.* 14, *ubi tamen scripta dicuntur ad Adrianum IV, ita ut vel in Vitam irrepserit mendum, vel in collectionem Epistolarum, sed primum est verisimilius. Quidquid sit, ad alterutrum Pontificem hæc scripsit* S. Hildegardis, *cujus verba subjungo:* Sed ille, qui sine defectione magnus est, modò parvum habitaculum tetigit, ut illud miraculum videret, & ignotas literas formaret, ac ignotam linguam promeret, atque ut multimodam, sed sibi consonantem, melodiam sonaret. Et dictum est illi: "Hoc, quod in
B „ lingua desuper tibi ostensa non secundum for-
„ mam humanæ consuetudinis protuleris, quoniam
„ consuetudo hæc tibi data non est, ille, qui li-
„ mam habet, ad aptum sonum hominum expo-
„ lire non negligat.„ *Epistolam demum claudit admonitione tali:* Tu autem, ô homo, apparens constitutus pastor, surge, & curre citiùs ad justitiam, ita ut coram magno Medico non accuseris, quòd ovile ipsius à sorde non exterseris, nec oleo unxeris. Ubi autem voluntas crimina nescit, & ubi homo desiderium non rapuit *, ibi homo omnino in profundum judicium non cadit. Sed culpa hujus ignorantiæ per flagella tergitur. Ergo tu, ô homo, sta in recto itinere, & Deus salvabit te, ita quod in stabulum benedictionis & electionis te reducet, & in æternum vives.

** id est,* non consensit

Adriano IV, ad se scribenti,

51 *Adrianus IV, qui Anastasio successit sub finem anni* 1154, *pag.* 540 *ad* S. Hildegardem *scribit sequentia:* Gaudemus, filia, & exultamus
C in Domino, quòd honestatis tuæ opinio ita latè longéque diffunditur, ut multis fias odor vitæ in vitam, & à turba fidelium populorum in tui præconium exclametur: "Quæ est ista, quæ „ ascendit per desertum tanquam virgula fumi?„ Unde cùm animam tuam usque adeo exístimemus divini amoris igne succendi, ut ad bene operandum exhortatione aliqua non indigeas; superva-caneum duximus exhortatoria tibi verba multiplicare, animumque tuum, virtute divina sufficienter innixum, aliqua verborum suppositione fulcire. *Addit tamen pulchram exhortationem ad perseverantiam, subditque in fine:* De cætero autem commonitoria verba de te audire desideramus, quia spiritu miraculorum Dei imbuta diceris *&c. Respondit breviter* S. Hildegardis, *multaque Adriano prædicens & gravia certamina, hortatur ad fortitudinem, non sine ipsius laude, ita ut etiam salutem æternam ipsi satis clarè videatur prædicere.*

Hildegardis multa prædicit certamina.

52 *Audiamus initium, & alia quædam.* Qui vitam dat viventibus, dicit: O homo diram duritiam leænarum & fortitudinem leopardorum patiendo sustinebis, & naufragium in captura prædarum senties, quoniam omnibus his datus es in fatigationem ad te currentibus. Habes enim intelligibilem intellectum contra sævissimos mores hominum, in quibus æstuando refrenabis capillos currentium equorum, qui non desistunt currere ad semitas prædarum. *Et post similia plura:* Sed hoc grave pondus magisterii, quod portas, non est in indignatione Dei, ubi etiam mores ursorum & pardorum, & interdum venenum aspidum, tibi & subsequentibus occurrent. Sed gladius Dei illos occidet, ita dum inter illos bonus dux surgat. Nunc autem moneo te, ut subjectis tuis frenum imponas, nec eos malum adversus te loqui sinas. Unde & vera Lux tibi dicit: Quare non percutis nequissimos servos, qui tibi occultè insidiantur, sicut araneæ, quæ pungunt? Vigila ergo strenuè, quod postulat causa in moribus populi in hoc tempore. O mitissime pater, memorare quòd homo in terra es, & ne timeas, quòd Deus derelinquat te, quoniam lumen illius videbis. D

Fredericus imperator ad eamdem scribens, ait impleta esse, quæ prædixerat: E

53 *Non multis verisimiliter annis post Adrianum ad* S. Hildegardem *scripsit Fredericus I imperator, cognomento* Ænobarbus *aut* Barbarossa, *qui coronatus est imperator anno* 1155. *Epistola igitur figenda est inter annum* 1155 *&* 1159, *quo defunctus est Adrianus IV, quoque schisma contra Alexandrum III exortum est, favente Frederico antipapæ. Epistola enim à Frederico tum imperatore, & ante schisma, quantùm apparet, data est, sed fortasse non ante dissensiones inter Fredericum & Adrianum exortas. Fredericus autem pag.* 551 *ad Sanctam ita scribit:* Notum facimus sanctitati tuæ, quoniam ea, quæ prædixisti nobis, cùm Ingelheim manentes, te ad præsentiam nostram venire rogavimus, jam in manibus tenemus. Sed nos tamen in omni conatu pro honore regni laborare non cessabimus. Quapropter dilectionem tuam quàm intimè admonemus, ut cùm sororibus tibi commissis ad omnipotentem Deum preces pro nobis fundas, quatenus in terrenis negotiis laborantes, ita se convertat, ut gratiam ipsius obtinere valeamus. Certum autem debes habere, quòd super omni negotio tuo, ad nos per te directo, neque amicitiam, neque odium alicujus personæ attendemus, sed solius justitiæ respectu æquitatem judicare proponimus. *Ex his habemus primò,* S. Hildegardem *habuisse colloquium cum Frederico in Ingelheim, quod est inter Moguntiam & Bingium; secundò, tunc aliqua Frederico à Sancta fuisse prædicta, quæ impleta sunt. Habitum verisimiliter illud colloquium,* F *dum rex erat Fredericus, & necdum coronatus imperator, sive inter annos* 1152 *&* 1155, *de anno tamen certò non constat, uti neque de rebus prædictis, nisi fortè Sancta prædixerit Frederico dissensiones, quas cum Adriano IV erat habiturus. Habemus tertiò,* S. Hildegardem *habuisse aliquam controversiam, quæ judicanda erat in curia Frederici; at qualis illa fuerit, æquè est ignotum.*

quem illa rescribens fortiter monet,

54 *Ex responso verò* S. Hildegardis *abundè colligitur, molitiones varias Frederici ab ipsa minimè fuisse probatas, aut potiùs à Spiritu sancto, qui per Sanctam aliàs indoctam loquebatur, apertè improbatas. Nam imperatorem sic incipit alloqui:* A summo Judice hæc verba diriguntur ad te: Valde admirabile est, quòd hanc personam homo habet necessariam, scilicet quæ tu rex es. *Deinde dat parabolam minùs claram, quâ ipsius imperium videtur improbari, & mox clariorem subjicit monitionem, ita scribens:* Nunc, ô rex, solicitè provide, quia omnes regiones sunt obumbratæ cum fallaci turba illorum, qui in nigredine peccatorum justitiam delent. Raptores & errantes

viam

A viam Domini destruunt. O tu rex, cum sceptro misericordiæ pigros & peregrinos & sævissimos mores rege. Tu enim habes nomen glorioſum, quòd rex es in Israël. Valde glorioſum est nomen tuum. Vide ergo, quando ſummus Rex te conſiderat, ne accuſeris, quòd officium tuum rectè non dijudicaveris, & ne tunc erubeſcas: quod abſit. Manifeſtum eſt, quòd juſtum eſt, ut præceptor prædeceſſores ſuos in bono imitetur, quia nigerrimi ſunt mores illorum prælatorum, qui in laſcivia & in putredine currunt.

prædicens ei imperium ſatis longum, ſed turbulentum.

55 Hoc fuge, ô rex. Sed eſto armatus miles, diabolo fortiter repugnans, ne te Deus diſſipet, & ne terrenum regnum pro hoc erubeſcat. Deus liberet te de æterna perditione, & tempora tua non ſint arida, & Deus te protegat, ut vivas in æternum. Avaritiam abjice, abſtinentiam elige, quod ſummus Rex valde amat. Nam valde neceſſe eſt, ut in cauſis tuis providus ſis. Video enim te in myſtica viſione in plurimis turbinibus & contrarietatibus viventem ante oculos vivos. Sed tamen ad * tempus regnandi habes in terrenis materiis. Cave ergo, ne ſummus Rex proſternat te propter cæcitatem oculorum tuorum, qui

** fortè adhuc*

B non rectè vident, quomodo virgam rectè regendi in manu tua habeas. Vide etiam, ut talis ſis, ne gratia Dei in te deficiat. *Hactenus* S. Hildegardis, *cujus verba ſi quis attentè conſideret, videbit ſatis longum imperium Frederico prædici, ſed turbulentum; quale revera fuit, maximè ob diſcordias ipſius cum Romanis Pontificibus, quibus tamen finem impoſuit ante mortem.*

Arnoldo Moguntino mortem citò venturam prædicit:

56 *Epiſtola Arnoldi archiepiſcopi Moguntini data non eſt poſt annum* 1160, *& veriſimiliter non ante ſchiſma anno* 1159 *exortum (cui Arnoldus adhæſit cum Frederico imperatore) aut ſaltem non diu antè. Arnoldus autem Sanctæ pag.* 541. *hæc ſcribit:* Scimus quia Spiritus, ubi vult, & quomodo vult, inſpirat, dividens unicuique dona ſua, prout vult. Hoc autem dicimus, nihil hæſitantes de te. Nam quid mirum eſt, ſi ille inſpiratione ſua te docet, qui quondam agri cultores & ſycomores vellicantes, prophetas conſtituit, & aſinam humana verba proferre fecit. Dona ergo Dei refutare non debemus nec valemus. *Tum preces Sanctæ flagitat. Reſpondit* S. Hildegardis, *Arnoldum fortiter increpans, & interitum ipſi prædicens, ut multi jam obſervârunt, Aliqua huc transfero:* O pater,

C vivens Lumen hæc verba mihi ad te dedit: Quare faciem tuam abſcondis à Deo, quaſi in perturbatione iracundæ mentis tuæ? . . . Lux vivens tibi dicit: Cur non es fortis in timore tuo? Quaſi zelum habes, quaſi triticum excriberes, ita ut ſuperando dejicias, quod tibi contrarium eſt. Sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui inquietam mentem abſterge, & de te ipſo & de populo tuo injuſtitiam abſcinde, quia tempus bellorum in moribus hominum nunc inſtat, ita quòd nec in diſciplina, nec in diſtrictione timoris Domini ſunt. Tu autem ne formides eos ad bonum coërcere, quoniam, ſi propter hoc tribulationem & anguſtiam ſuſtinueris, ne paveas, quia Filius Dei eadem paſſus eſt. Surge ergo ad Dominum, quoniam tempus tuum citò veniet. *Hæc* S. Hildegardis *Arnoldo, cujus cædem, à Moguntinis anno* 1160 *in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ peractam, ex Conrado narrat Baronius ad annum* 1160 *num.* 32, *obſervans, ipſum eodem anno in conciliabulo Papienſi primum ſubſcripſiſſe ſententiæ contra Alexandrum III, legitimum Pontificem latæ.*

57 *Florebat eodem tempore S. Eberhardus archiepiſcopus Juvavenſis ſive Salisburgenſis, qui partes Alexandri Pontificis defendebat, multúmque ſollicitus metu Frederici imperatoris, ad* S. Hildegardem *circa annum* 1160 *ita ſcribebat pag.* 544: Ego peccator in valle lacrymarum poſitus, multis ſeculi turbinibus & procellis attritus, intùs timores, foris pugnas paſſus, obnixè tuam poſtulo dilectionem, ut pro me preces fundere digneris, quatenus divina miſericordia ſuæ pietatis viſcera ſuper me aperiat, & ab omnibus tribulationibus clementer eripiat, quia & imperator pro ſchiſmate, quod nunc in Eccleſia eſt, nobis vim inferre conatur. Meminiſſe etiam debet charitas tua, Virgo Deo digna, quia cùm eſſem apud Moguntiam in curru ejuſdem imperatoris, ſanctis orationibus tuis attentiùs me commendavi. *Deinde petit litteras Sanctæ, ſed ſigillo obſignatas.*

AUCTORE J. S. *S. Eberhardus Salisburgenſis, metuens à Frederico, ſcribit ad Sanctam,*

cui illa reſponſum ſcribit laude & ſolida conſolatione plenum.

58 *Ad Sanctum hunc epiſcopum alio planè ſtylo utitur Sancta, quàm uſa fuerat in priore Epiſtola; nam Eberhardum paſſim laudat. Ex longiuſcula Epiſtolæ initium & alia pauca huc transfero:* O tu perſona, *inquit*, quæ in vice Filii Dei viventis es, ſtatum tuum nunc video, velut duos parietes quaſi angulari lapide conjunctos, quorum alter ut candida nubes apparet, alter aliquantulùm umbroſus; ſic tamen, quòd nec candor E ille huic umbroſitati, nec eadem umbroſitas huic candori ſe intermiſcet. Parietes iſti labores tui ſunt, animo tuo conjuncti, ubi ex altera parte intentio, & ſuſpiria tua per anguſtam viam ad Deum in candore anhelant, & ex altera circuitus laboris tui aliquantulùm in umbroſitate ad populum tibi ſubjectum pertinet, ita tamen, quòd candorem intentionis tuæ velut domeſticum habes, & umbroſitatem ſecularium laborum velut quoddam tibi alienum inſpicis, nec hæc tibi intermiſceri permittis, & ideo fatigationem in animo tuo frequenter habes. *Deinde pulchrè docet, labores externos, ex caritate & obedientia ſuſceptos, minimè obeſſe viro Deum amanti, & concludit hoc modo:* Nunc, ô pater, ego paupercula forma video, quia voluntas tua januam virtutum optat, quæ tibi veniet, ita quòd in iſtis virtutibus molendinum finis corporis tui complebis. Qui eſt, & qui omnia perſcrutatur, animam & corpus tuum in ſalute ſua tenet. *Vita hujus S. Eberhardi, cujus nomen in Epiſtola non exprimitur, ſed ex ſede & tempore innoteſcit, data eſt apud nos ad* XXII *Junii. Defunctus eſt anno* 1164.

F *Epiſtola Conradi Wormatienſis epiſcopi,*

59 *Ad eadem ferè tempora fortaſſe ſpectat Epiſtola Conradi I, epiſcopi Wormatienſis, qui tom.* 5 *Galliæ Chriſtianæ col.* 674 *defunctus dicitur anno* 1163. *Attamen magis credo, ſcriptam eſſe ante ſchiſma Eccleſiæ. Quidquid ſit, Conradus aliorum more ad* S. Hildegardem *recurrit tamquam ad oraculum, eique hæc ſcribit pag.* 547: Deo gratias agimus, qui te lucernam clariſſimam aureo candelabro impoſuit, & lucis ſuæ claritatem longè latéque per te in domo ſua clareſcere fecit. Quapropter ſoror & filia dilectiſſima, ex radiis, quibus te Solem juſtitiæ indubitanter illuminare credimus, nubila mentis noſtræ, quæ nos opprimunt, ex incongruenti tribulationum turbine & diverſarum cogitationum inundatione, depelli obnixè exoramus. *Addit, nuntium plura de rebus ſuis dicturum, & reſponſum flagitat. Reſpondit Sancta partim hortando, partim laudando, ita ordiens:* Tu perſona es ſedens ſupra cathedram Chriſti, & virgam ferream in manu tua habes ad regendum oves tuas. Aſpice ad Solem juſtitiæ, & ad plurimas ſtellas, quæ ſunt genera virtutum, ut non deficias in cibo vitæ: quia bonus paſtor eſt, qui ſemper in bonis operibus floret, & qui

AUCTORE J. S.

in recta viriditate oves ſuas paſcit... Qui verò proprietatem voluntatis ſuæ de ſe abſcidit, cæleſte ædificium cum margaritis & precioſis lapidibus & optimo auro ornat. Tu igitur te talem fac, ut lapis precioſus fias, & in ſumma Hieruſalem orneris. *Cetera hiſce conformia ſunt.*

Adelberti Virdunenſis,

60 *Adelbertus epiſcopus Virdunenſis, qui anno* 1148 *ab Eugenio III ad* S. Hildegardem *examinandam fuerat legatus, cùm primicerius erat, anno* 1156, *ut aliqui habent, admotus epiſcopatui, quem deinde cum vita monaſtica mutavit, circa eadem tempora, veriſimiliter ante ſchiſma, ad* S. Hildegardem *ſcripſit, ſic exordiens:* Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo, quæ te ſibi à teneris annis mancipavit famulam. *Tum hortatur ad humilitatem, & preces flagitat ac litteras. Reſpondens verò Sancta, hortatur ad curam paſtoralem, ſic incipiens:* Lux vivens, quæ miracula oſtendit, dicit: Qui pater es in perſona tua, & paſtor in propoſitione animarum, extende brachium tuum, ne inimicus homo ſuperſeminet zizania in agro tuo *&c.*

patriarchæ Hieroſolymitani,

61 *Magis incerta eſt epocha Epiſtolæ patriarchæ Hieroſolymitani, qui ad* S. Hildegardem *ſcripſit ex Oriente Epiſtolam, ut ipſius ac ſororum ejus precibus ſe commendaret. Nomen patriarchæ ſolùm inſinuatur litterâ I, & quidem mendosè, ut exiſtimo, quia* Amalricus *fuit Latinus patriarcha toto illo tempore, quo fama* S. Hildegardis *adeo inclaruerat. Itaque dubitandum non videtur, quin Epiſtola ſit Amalrici, qui pag.* 549 Hildegardem *ſic alloquitur:* A multis per longa terrarum ſpatia partes noſtras adeuntibus, & genua ſua ad ſepulcrum Domini flectentibus, multoties percepimus, quòd divina virtus in te & per te operetur: unde ipſi gratias indefeſſas, prout poſſumus, humiliter offerimus. *Mox ait, ſe diu deſiderâſſe occaſionem ſcribendi, quâ demum oblatâ utitur; & in laudes Sanctæ excurrens, preces his verbis poſtulat:* Nunc autem, ô Filia, ad te referentes conſolationem tuam, cœlitus tibi oſtenſam, humiliter requirimus, ac nos orationibus tuis cunctarumque ſororum tuarum commendamus, quatenus nobis, in procellis mundanarum curarum fluctuantibus, piè apud illum interveniatis, cujus thalamum poſt hujus vitæ terminum intrare deſideratis *&c. Reſpondit* S. Hildegardis *per Epiſtolam initio plenam allegoriis ſatis obſcuris. Deinde verò patriarcham his conſolatur verbis:* Video autem te in anima tua ſollicitum in via, quæ ad Deum tendit. Sed cùm mens tua in turbinem ierit propter viciſſitudinem laborum tuorum & aliorum, columba te perfundet, & ſimplicem turrim ante conſpectum Dei te faciet. Pugnam verò, quam intus & exteriùs, in utroque ſcilicet homine pateris, Deus in temporibus tuis circa te hoc modo allevabit, ut eam ſuſtinere poſſis: unde fiduciam tuam in ipſum pone, nec de miſericordia ejus deſpera. Et hoc faciens in gratia Dei ad vitam vives.

alterius epiſcopi cum reſponſo S. Hildegardis.

62 *Poſt hanc ſequitur Epiſtola Henrici, epiſcopi de* Bevez, *cujus nominis nullam invenio civitatem, ita ut ſuſpicer, nomen eſſe corruptum. Quidquid ſit, ille etiam ex longinquis partibus ad* S. Hildegardem *recurrit, ita ſcribens:* Benedictus Deus, qui benedixit te in omni benedictione ſpirituali, ita quod in odore unguenti, quo unxit te Deus unctione miſericordiæ ſuæ, trahatur etiam per te in longinquis partibus mundi multorum devotio. Nam manifeſta Dei circa te dignatio mihi peccatori; ac turbinibus ſeculi gravato, magna eſt conſolatio, quamvis à te corpore, ſed non mente, plurimùm remoto... Nos igitur propriæ conſcientiæ diffidentiâ nullam in actibus noſtris adipiſcendæ ſalutis habentes confidentiam, per charitatem ſancti Spiritus te obſecramus in remotis regionibus, ut orationibus tuis indulgentiam peccatis noſtris implores à Domino. Præterea quantulamcumque conſolationem, ſeu admonitionem ſaluti noſtræ neceſſariam, nobis reſcribere non pigeat tuam dilectionem *&c. Reſpondens* S. Hildegardis, *pulchrâ utitur parabolâ, quâ ipſum ad veram ſapientiam & charitatem hortatur. Principium, cui reliqua ſunt conformia, huc transfero:* Vivens Lux oſtendit mihi hæc, & dixit: Dic ad hominem illum: Vidi quaſi pulchram formam virtutis, quæ fuit pura ſcientia. Facies ejus valde clara erat, oculi ejus velut hyacinthus, & indumenta ipſius quaſi pallium ſericum. Habebat quoque ſuper humeros ſuos epiſcopale pallium ſimile ſardio. Et hæc advocavit pulcherrimam amicam Regis, videlicet charitatem, dicens: Veni mecum. Et venientes, pulſabant ambæ ad januam cordis tui, dicentes: Tecum habitare volumus. Cave ergo ne reſiſtas nobis *&c.*

§ VI. Sancta à multis perſonis conſulta de occultis & arcanis, quæ ſine revelatione divina ſcire non poterat.

Sancta de S. Diſibodi geſtis conſulta,

Tanta eſt multitudo litterarum, quas accepit, & quibus reſpondit S. Hildegardis, *ut nullo modo ad ſuos ſingulæ annos reduci poſſint defectu notarum chronicarum, præſertim cùm non paucæ ſint perſonarum, quæ aut minùs ſunt cognitæ, aut quæ diu in eodem officio fuerunt verſatæ. Hac de cauſa ad quemdam rerum ordinem Epiſtolas Sanctæ reducam, & modò recenſebo illas, quibus conſulta fuit de occultis & arcanis. Harum tantus eſt numerus, ut manifeſtè liqueat, quaſi univerſalem fuiſſe hominum perſuaſionem, occulta & arcana multa* S. Hildegardi *revelata fuiſſe. Ordior à Cunone aut Conone abbate S. Diſibodi, ſub cujus præfectura fuerat Sancta, antequam fundaret cœnobium in Monte S. Ruperti. Hic igitur ipſam optimè noverat, & eidem hæc ſcribit pag.* 559: Quia Sanctitas veſtra in eo, qui nec fallit nec fallitur, plurima ſecreta ſpiritu videt, peto, ut, ſi qua de patrono noſtro B. Dyſibodo Deus vobis revelaverit, mihi aperiatis, quatenus cum fratribus meis illi ex hoc devotiſſimas laudes referre non differam. *Precibus ipſius enixè ſe commendat.*

de his pauca generatim, plura de aliis reſcribit.

64 *Reſpondit Sancta ad interrogata de S. Diſibodo, de quo aliqua generatim ibi ſcribit, ut in ipſa Epiſtola videri poteſt: de Vita ejuſdem Sancti ſcripta inferiùs agemus. Verùm non ſolùm id egit Sancta; ſed Cunonem etiam liberè reprehendit de nimia in ſubditos ſeveritate, & inſtantem mortem eidem prædicit. Pauca huc traduco:* O quàm magna ſtultitia in homine illo eſt, qui ſe ipſum non corrigit, ſed quærit, quid in alieno ſinu ſit; & crimina illa, quæ in eo invenit, non celat.... *Et mox Dei nomine:* Et quare non times frangere hominem, quem non creâſti? Tu enim non ungis eum, ita ut nec eum regas, nec colas: ſed in nimietate illum corrigis.

Nunc

AUCTORE J. S.

A Nunc tempus deficiendi tibi adeſt. Sed Deus, qui te creavit, te perdere non vult. Hæc ergo intellige. *Rurſum in concluſione:* Tu autem, ô pater, qui hæc à me paupercula forma petiſti, talem te in conſpectu Dei fac, ut cùm tempus in hoc ſeculo tibi defecerit, tempus tuum in æternitate feliciter prolongetur, ita ut in ſalvatione juſtorum appareas.

Adamus abbas Ebracenſis conſulit S. Hildegardem,

65 *Adamus* abbas de Ebra, *ſive Ebracenſis, Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Herbipolenſi, vir ſanè multùm laudatus apud Manricum in Annalibus Ciſtercienſibus, ad* S. Hildegardem *pag.* 553 *ſcribit ſequentia:* Cùm primùm notitiam nominis veſtri ſuſcepi, gaviſus ſum gaudio magno. Adauxit Deus gaudium meum, cùm nutu benigno & mirabili direxit nos, ut videretur facies, & audiretur vox veſtra in terra noſtra, mihique, quod vix ſperare poteram, mutuam conceſſit collocutionem. De quibus autem me vobis dixi anxium, confido vos non immemorem eſſe, & quia diverſi diverſa ſentiunt, alii illud, ſi bonum eſt, & ſalus apud Dominum, benedictus Deus: ſi periculum, orate Deum, bonum mihi, & ſalutem animæ tribuat, & omne periculum excludat. B Nunc verò literas mitto, & nuncium noſtrum domino imperatori pro cauſa veſtra, & ſpero per gratiam Dei nos exaudiri, & ubicumque ſervitii noſtri indigueritis, parati erimus ſervire vobis. *Mox petit preces, & reſcripta Sanctæ ad dubitationem ſuam, quæ videtur fuiſſe de retinendo aut deponendo abbatis munere, ut colligitur ex reſponſo* S. Hildegardis. *Interim obſervo, Sanctam aliquando excurriſſe verſus partes Herbipolenſes, ſicut eamdem in aliis quoque provinciis fuiſſe videbimus. Quod verò ſpectat ad negotia Sanctæ per Adamum abbatem imperatori commendata, qualia illa fuerint, ignoramus. At vix dubitamus, quin eadem ſint, de quibus loquitur Fredericus imperator in Epiſtola ad* S. Hildegardem, *commemorata num.* 53. *Nunc pauca de Sanctæ reſponſo. Epiſtola eſt admodùm longa, parabolis non nimis obſcuris tota ferè contexta, laudibus Adami abbatis conſperſa, & præclaris monitis. De officio non deponendo ipſum monentes inducit varias virtutes, & nominatim charitatem & humilitatem. Solam dabo concluſionem:* Et tu, pater, audi: ſicut ſtella matutina auroram in lumine ſuo præcurrit, ſic omnibus præbe auxilium ab oſculo dilectionis, quam tibi Deus dedit: C & vitam tibi dabit, quam in prima die inſpexit.

ui & abbas S. Anaſtaſii in Urbe,

66 *Ordinis item Ciſtercienſis erat abbas S. Anaſtaſii in Urbe, quem ad ſcribendum* S. Hildegardi, *præter vulgarem famam, movere potuerat non ſolùm S. Bernardi auctoritas, ſed etiam Eugenii III, qui ex abbate ejuſdem cœnobii Pontifex fuerat electus. Quid ille petat à Sancta, quam antè mirificè laudat, his verbis exprimit pag.* 555: Et quoniam familiare Chriſti organum, receptaculum Spiritûs ejus es, humili prece te poſcimus, ut in ſpiritu & veritate ores pro me & his, qui curæ noſtræ commiſſi ſunt... De cætero rogo, ut Spiritus, qui revelat arcana & occulta ſapientiæ ſuæ, indicet tibi, quid mihi expediat in portando obedientiæ Chriſti onere, ſcilicet perſeverare, an quieſcere, ut vacem ipſius contemplationi. Quidquid ſuper hoc revelatum fuerit tibi, ne abſcondas mihi; quia paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, ut faciam voluntatem tuam. Librum, quem ſcripſiſti, ut ſcribatur nobis, & conſilio & adjutorio veſtro opus habemus... Deſideramus enim quàm maximè videre illum, & inſpicere mirabilia Dei in illo *&c. Ad propoſitam dubitationem* S. Hildegardis *ita reſpondet:* Perfice ergo ſuſtentationem ovilis tui, & da ei præcepta, ſcilicet virgam magiſtri præbendo, & poſtea unguentum medici exhibendo, quia utilius tibi eſt, ut in hoc labore vigiles, aliis per doctrinam tuam in ſubjectione miniſtrantibus, quàm teipſum in voluntate tua exerceas. Nam ſi te ſupponeres, tædium te vallaret, ita ut mens tua areſceret. Ideo vigila ſuper gregem tuum præbendo ei bona exempla, quæ deſiderat anima tua *&c.*

abbas alius,

67 *Conradus abbas* de Keisheim, (*in titulo ſcribitur*, de Ketsheim, *& fortè legendum* de Reisheim, *ut habet Trithemius*) *ſimilem dubitationem* S. Hildegardi *proponit pag.* 555 *ita ſcribens, poſt varias Sanctæ laudes:* Obſecro igitur cum omni devotione, ut ad ipſum Sponſum, qui requieſcit in cubiculo cordis tui, qui tuis petitionibus aurem clementiæ ſuæ libenter inclinat, pro me intercedas, & ab ipſo petas, quatenus tibi manifeſtetur, utrùm mihi utilius ſit onus paſtoralis curæ deponere, an diutiùs ferre, quia in eo valde premor, & memetipſum oblivioni trado. *Reſpondit Sancta non diſſimulando crimina ſubditorum ipſius, ſed ea gravibus verbis innuendo, nec ipſum videtur Conradum excuſare, ſed ad pœnitentiam hortatur. Tum eumdem ſic alloquitur:* Nunc tu, ô miles, eſto robuſtus & armatus per vias planas; & cura cincturam renum illorum, qui tecum ſunt, & coërce te ipſum in bonis operibus, ut cor tuum illuminetur in ſole, & non fatigeris in recto itinere, contra te ipſum bellans. Ergo paſtoralem curam non relinque.... Circui ergo ſollicitè in bona providentia, ne talentum tuum infeliciter abſcondas *&c. Addit tamen reſtrictionem verbis obſcuris, quæ inſinuant, ipſi relinquendum officium, ubi nihil boni præſtare apud ſuos poſſet.* E

Manegoldus abbas Hirſaugienſis

68 *Manegoldus abbas celeberrimi olim cœnobii Hirſaugienſis in Silva-nigra, & in diœceſi Spirenſi, ſimile quid petierat, ut colligitur ex reſponſo* S. Hildegardis, *quamvis ipſe in Epiſtola id non declaret, ſed ingentem de* S. Hildegarde *exiſtimationem ſolùm inſinuet cum hac petitione pag.* 556: Rogo te, mea Mater & Domina, memento mei in tuis ſanctiſſimis orationibus, dilige humillimè te diligentem: recognoſce in Chriſto te reverentem, & literas mihi reſcribe in Deo rogata. *Sancta ſic reſpondet, varia prædicens:* O F dulciſſime pater, & in amore Chriſti frater, ollam video circumdatam tam magna claritate, ut vix videre poſſim, ſi olla ſit. Sed & ibi video aliquantulum amari guſtus, contritum tamen magna contentione, & poſtea turbinem, qui tamen ad præmium Dei prædeſtinatur. Vigila ergo ſtrenuè, quia cauſa populi in moribus in hoc tempore talia poſtulat: O mitiſſime pater, ego paupercula forma in vera luce non video, ut omnino de officio tuo movearis... Tu enim in præſentia Dei es, ſicut fumus myrrhæ & thuris: unde mons Sion quærit, ut ſis eſca in domo Jacob.... Quapropter per ſeptem feneſtras proſpice, conſiderans, ubi accipiter veniat; & cave, ne ille te decipiat. Paſce ergo oves tuas in manſuetudine correptionis, quia dies ſalutis non fugit, & nondum cinis eris. *Hactenus* S. Hildegardis, *cujus verba de turbine ad futurum tempus referenda omnino exiſtimo, licèt Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1161, *recitans hanc epiſtolam, crediderit, eam fuiſſe ſcri-*

AUCTORE J. S.

ptam, quando orta erat dissensio inter monachos, qui ea de causa ad S. Hildegardem *scripserunt, & abbatem hunc Manegoldum. Agnoscit quidem Trithemius, turbas Hirsaugiensis cœnobii à Sancta fuisse prædictas, sed verbis coràm, non scriptis litteris. Agam de re tota § sequenti, ibique dabo Epistolam monachorum cum Sanctæ responso.*

abbas S. Mariæ,

69 *Abbas* S. Mariæ, *Trithemio* S. Mariæ ad Martyres apud Trevirim, *pag. 557 similem interrogationem proposuit* S. Hildegardi, *cujus* alloquium, *licèt brevissimum*, aliquando *se nactum fuisse dicit, post alia in laudem Sanctæ prolata, ita scribens:* Per ipsum autem, cui devotè vivitis, à quo & arrham Spiritûs accepistis, hoc singulare ac secretum munus à vobis expetimus, quatenus familiaritatem impetrandi obtinere studeatis à Domino, ut inter cætera revelationum charismata, nostræ conditionem humilitatis vobis insinuare dignetur, videlicet utrùm in hoc officio honoris & oneris, prælationis & periculi, animæ salutem mereri me proviserit, vel ab hoc absolvi, utile mihi fore perspexerit: & si quid revelationis super hac re acceperitis, per eumdem præsentium latorem scripto id continente mœstitiam nostram consolari vestram non pigeat charitatem. *Non respondit* S. Hildegardis *ad quæsita omnia: insinuavit tamen, nimis anxium esse abbatem, eique potiùs cogitandum esse de se & subditis corrigendis, quàm de officio dimittendo, ita concludens:* Sed ego hanc causam, quam requiris, inutilem tibi esse vidi. Unde teipsum cum officio tuo coërce, apprehenso aratro. Deus autem succurrat tibi in omnibus necessitatibus tuis, & non sinat te inutiliter laborare.

B

abbas Campidonensis,

70 *Abbas Campidonensis in Suevia ad* S. Hildegardem *similiter recurrit, arcana intelligere desiderans. Epistolæ initium & finem dabo.* Benedictus Deus, *inquit pag. 558*, cujus Spiritus, ubi vult, spirat, & cordis vestri penetralia dulcedine cælestis harmoniæ sic implere & pingue-scere consuevit, ut admodùm mirabilem ac venerabilem viris æquè & fœminis vos effecerit. *Et concludens:* Utique & vos pro nostris supplicare curetis peccatis, & aliqua de statu nostro & ecclesiæ nostræ nobis divinitus revelata intimare humillimè deposcimus. *Ad hæc* S. Hildegardis *dedit responsum satis prolixum, hortans ad excidenda diligenter mala semper pullulantia, atque ita exordiens:* O homo, declina à malo, & fac bonum: quia homo in se habet, quod semper in mente errat, & millenarium numerum ibi proponit, quem nequaquam perficit. *In fine egregiam addit consolationem, ubi observârat* per pœnitentiam & confessionem *deleri peccata, hæc scribens:* Sic tu, chare fili Dei, fac, quia in æternum vives, & quoniam lapis in cælesti Jerusalem eris; ideo etiam acriter lucrari debes.

C

abbas S. Martini Colonienſis,

71 *Magna sollicitudine ad* S. Hildegardem, *tamquam ad interpretem Dei, recurrit abbas S. Martini Colonienſis, cujus nomen* A *expressum*, Alardus *est, ut existimo, quia ipse Sanctæ contemporaneus fuit, & defunctus est ante annum 1160. Hic Epistolam suam pag. 559 ita orditur:* Domina, domina, ut verè creditur, à Deo dilecta & benedicta, omnia, quæ per vos virtus operatur divina, vera profectò esse novi & sancta. Nec etiam fallor, quin quæcumque à Deo petieritis, impetrare possitis, uti fideles homines adstruunt, qui hoc in veritate probaverunt. Unde & ego certus, quantum audeo, sanctitatem vestram rogo, Deo pro me peccatore clementiam implorare, quatenus mihi nimiùm fluctuanti & in miseriis laboranti, quodlibet solatium consolationis impendere dignetur. Siquidem anxiatus est in me inopinabiliter spiritus meus, & in me turbatum est cor meum pro his, quæ heu! peccatis meis exigentibus, multis annis, & nunc maximè patior, & nemo præter Deum nôsse poterit, cujus oculis omnia nuda sunt & aperta. Et quia tantùm in solius Dei cognitione sunt;... idcirco per gratiam cooperatoris & protectoris nostri Spiritus sancti obsecro, ut quidquid, eo revelante, vobis innotuerit, vel spei de me ostendere dignatus fuerit, per omnia, sicut se res habet, scriptis tradita, per hunc reverendissimum D. abbatem renuncientur, uti ipse idem repromisit. *Addit, desiderâsse se ad ipsam venire, si fieri potuisset, ut omnia verbis explicaret.*

D

quem afflictum instruit & consolatur Sancta.

72 *Responsum* S. Hildegardis *& pulchram instructionem, & magnam cum adhortatione perpetua consolationem continet. Principium & finem huc transfero.* De vivente Lumine, *inquit*, hæc verba audivi: Tu fabro illi similis es, qui multa vasa fundit, & ea fulgentia per ignem non* facit. Hinc disce, quòd opera tua fulgore charitatis non careant. Sed discretione ea circumfode, quatenus unumquodque opus tuum rationabile sit. Et hæc quoque in abstinentia & oratione, ac in bona consuetudine Sanctorum fiant, qui de vivo fonte velut rivuli emanabant, & qui cibum hominibus dederunt, quem in gaudio deglutire potuerunt. Si enim tribuli pro pane dantur, comedi non possunt: ita etiam si stridentia verba per magistros discipulis dicuntur, ipsos non ædificant, sed in errorem eos ducunt. Magister namque verba doctrinæ suæ in materna dulcedine cribrare debet, ita ut discipuli gaudentes os suum aperiant, & illa deglutiant. *Sequuntur alia multa, sanè pulchra & varia: sed ad conclusionem progredior.* Tu autem, ô fili Dei, Deus, qui te creavit, per victoriam militiæ suæ te vult, ut in oculo scientiæ suæ appareas; quoniam te non derelinquet. Solem ergo per fidem aspice, ut fidelis servus sis, & in nocte lunam attende, quando vitia te opprimere volunt; ita ut timor Domini omnia in te pertranseat; & non lædêris, sed in æternum vives.

* *videtur legendum* facit

E

Similiter instruit abbatissam S. Glodesindis.

73 *Anxia etiam & dubia erat abbatissa S. Glodesindis Metensis, quæ pag. 560 ad* S. Hildegardem *hæc scribit:* Quia de gratia vestra & benevolentia multùm præsumimus, nolumus vos latêre, quòd in periculo magno positæ sumus, dum multorum regere animas cogimur, quæ nobis non sufficimus. Inde est, quòd Sanctitatem vestram rogamus attentiùs, & obsecramus in Domino Jesu, quatenus insciti am nostram literis vestris confirmare & exhortari curetis, quid facere debeamus, vel stare in obedientia nobis injuncta, vel cedere, ut alia succedat, & meliùs agat; siquid Dominus Jesus inde vobis revelare dignetur. *Reposuit Sancta Epistolam satis prolixam, in qua varia dat monita ad rectè regendum, & præfecturam non deponendam, satis clarè insinuat inter alia, quæ brevitatis causâ mitto, hæc scribens:* Unde unusquisque magister, quamdiu verba doctrinæ proferre potest, virgam correctionis, quam de manu Dei accepit, non abjiciat, quia sæpè lutum luto abjicitur, sicut magister per discipulos, & discipuli per magistrum abluuntur... In his enim disce, ne propter nebulam vicissitudinis discipulorum tuorum; nec etiam propter tædium laboris fugias. Nam multi plus propter tædium laboris, quàm propter necessitatem illam, quòd discipulos suos vincere non possunt, fugiunt *&c.*

F

74 *Hactenus huc spectantes evolvi Epistolas,*

Co-

AUCTORE J. S.

A *Arcana ex Hildegarde quærit abbas Elvacenſis,*

Coloniæ primùm editas, & in Bibliotheca Patrum recuſas. Hiſce plurimas adjecit Martenius tom. 2 Collectionis Ampliſſimæ, ex quibus aliqua ad propoſitum noſtrum ſimiliter decerpam. Verùm cùm multa ibi locorum nomina videantur luxata, aliqua conabor reſtituere ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1150, ubi enumerat eos, qui ad S. Hildegardem *ſcripſerunt. Albertus abbas Elvacenſis in Suevia (nunc præpoſitura ibi eſt Canonicorum) col.* 1012 *ad* S. Hildegardem *ita ſcribit:* Libenter beatitudini veſtræ ſalutationis officium, tanto terrarum ſpatio interjecto, porrigimus, amplectentes in vobis magnalia Dei, qui vos & purioris vitæ ſanctitate pollere fecit, ac ſpiritu prophetiæ ſupra humanam opinionem vobis indidit præſentia tangere, revolvere præterita, futura prævidere, ut divini muneris novitate dupliciter honorata, verè hominibus hujus temporis ſtupenda ſitis & veneranda.... Cujus interventu & veniam peccatorum, & remedium laborum, & conſolationem dolorum obtinere, atque divinæ ſecretum diſpoſitionis cognoſcere gaudemus. Accuſat nos conſcientia noſtra, terret culpa, peccata redarguunt. Turbamur intus, foris

B periclitamur, nuſquam nobis ſecuritas, undique circumſonat hoſtis.... De his & aliis, ſuper quibus maturitatem veſtram nuntii noſtri conſuluerint, divinum oraculum conſulite, & quidquid nobis de miſericordia Dei exſpectandum ſit, Mater ſanctiſſima, reſcribite. *Sancta, ad hæc reſpondens, partim hortatur ad majorem conſtantiam, partim afflictum conſolatur, ac prædicit, tempus ultionis divinæ necdum veniſſe. Solum initium hic recito:* Qui videt, nec viciſſitudine mutatur, dicit: Tu homo, nondum habes alas volandi, quæ tempeſtates tolerant, & quæ ad rectam moderationem aëris pertinent.... Nam lenis es, & non acutus in oculo correptionis ad arguendos pravos & nigros mores hominum; ſed tamen gratia Dei inſpicit te, non habentem clauſuram duritiæ cordis *&c.*

abbas Zwifaltenſis, 75 *Bertholdus abbas Zwinieldenſis (Trithemio* Zwifaltenſis *in Suevia) col.* 1017 *conqueritur* de injuriis & tribulationibus, quas crudeles perſecutores *ipſi inferebant, petitque ut* voluntatem Dei *inquirens*, aliquod ſolatium per litteras *remittat, idque claritate ingenioſo ſuo accommodatum.* Licèt enim, *inquit*, conſolationibus verborum veſtrorum

C factus ſum ſæpè lætior, obſcuritatibus tamen eorum, eo quòd non plenè intellectui meo paterent, factus ſum triſtior. *Sancta breviter ſic reſcribit:* Lux vivens dicit: Quemdam hominem vidi, quem quaſi debilem ac claudum in præcellentia magiſterii dimiſi. Quomodo? Qui in imbecillitate carnis ſuæ, velut nudi naufragi, rebelles erant, hos ipſe fugit propter timorem belli. Sed nunc illum video, ſicut humilem flebilem peregrinum. Unde illum inſpicio, velut filium hæreditatis, virgâ verberatum propter inquietudinem morum mentis ſuæ *&c.*

aliique 76 *Abbas Reitinhaſilenſis, cùm etiam electus eſſet abbas Salemenſis in Suevia, Ordinis Ciſtercienſis, dubitans, quid facere deberet, col.* 1018 *cum* S. Hildegarde *rem communicavit*, ſicut cum ſponſa & famula Chriſti & conſcia ſecretorum Dei, *petiitque, ut* ſancti Spiritus voluntatem, ... ſimpliciter de hac re *inſinuaret. Reſpondit Sancta hoc modo:* Quicumque agrum vel ovile propter fidem procurationis ſuſceperit, ipſa dimittere non debet, ſed ſicut paterfamilias ea reget. Qui enim ovile ſuum relinquit, & aliud recipit, præceptorum Dei prævaricator nominatur. *Addit pia ad regendum monita. Abbas Zwetellenſis, Ordinis Ciſtercienſis in Auſtria, curâ gregis multùm gravatus, col.* 1024 *conſulit Sanctam. an abbatis deponere dignitatem debeat, petitque, ut*, quidquid placuerit Spiritui ſancto, *reſcribat. At Sancta partim hortatur ad curam paſtoralem ſtrenuè & manſuetè continuandam, ſalutaria dans cum in finem monita. Conſilium verò iſtud abbatis ab initio improbat, ſic ordiens:* In mente tua cogitando exaggeras, quod de unoquoque labore quieſcere vel deſiſtere velis, ac ſic manum ad operandum opus Magiſtri tui non levas; ſed frementibus dentibus intra te dicis: Omnia, quæ mihi contradicendo adverſantur, ſuſtinere non poſſum *&c.*

abbates, 77 *Richardus, abbas* in Springhersbat, *(Trithemio Germanicè* Sprengerbach, *olim idiomate magis Belgico* Springersbach, *ut invenio nomen expreſſum in aliquo diplomate apud Hontheimium in Hiſtoria diplomatica archiepiſcopatûs Trevirenſis, ſed etiam ibi nomen variatur. Eſt autem Regularium Canonicorum in diœceſi Trevirenſi) cùm crederet ſe viribus deſtitutum* tam mentis quàm corporis, *diu deſideraverat* S. Hildegardem *viſere, quando per litteras col.* 1031 *ad ipſam venit, in quibus ait:* Nunc itaque, ſanctiſſima E & inter fœminas benedicta, per vos Dominum quærere de cauſa mea, ex more Dominum cupio conſulere, an mihi jam ab hac ipſa occupatione & diſpenſatione potiùs ceſſandum & deſiſtendum ſit. Si id liceret, per vos maximè vellem cognoſcere & inveſtigare *&c. Reſcripſit Sancta, ipſum hortans ad onus portandum, conſolanſque ut virum Deo carum. Prælatus in Hegennehe (apud Trithemium* præpoſitus Canonicorum Regularium in Heyna) *col.* 1034 *de multis queritur corporis & mentis infirmitatibus & defectibus, uti & de jugo inimicorum ſuorum: atque his omnibus malis liberari cupit per* S. Hildegardis *preces. Hæc etiam adjungit:* Peto etiam, ... ut de futuro ſtatu vitæ meæ me doceatis. Hæc autem omnia à vobis quærere ea præſumptio fecit; quia hæc omnia vobis poſſibilia eſſe per eum, qui in vobis habitat, Chriſtum celebris fama divulgavit. *Reſpondit breviter* S. Hildegardis, *fugeret prælationem*, ſi te non audiunt, *inquit. Magis tamen eidem ſuadet, ut eam retineat, & vigil ſit.*

& præpoſiti 78 *Hanc quæſtionem ſumma cum ſollicitudine* S. Hildegardi *col.* 1036 *proponit abbas de Veſcera, Ordinis Præmonſtratenſis, in comitatu Hennebergenſi*, F ſolatium ſimul & conſilium *quærens, quòd ſe inutilem crederet.* Ne igitur, *inquit*, Domini gregem propter meam negligentiam contingat periclitari, cogitavi curam ſuſceptam derelinquere, & ad alterum locum me transferre. Quapropter ſuppliciter precor, ut dubiam mentem conſilio veſtro confirmetis, & quæ ſit voluntas Domini ſuper hac re, mihi ſcriptis veſtris remandate... Ecce veſtrum ſuper hac cauſa exſpectamus judicium, quoniam, quidquid Domino inſpirante mihi ſuggeſſeritis, id me ſubire propoſui *&c. Huic omnino ſuadere videtur Sancta, ut curam paſtoralem deponat ob defectum fortitudinis. Nam poſt aliqua defectum illum inſinuantia, hæc ſubdit:* Unde idem faciat ſe ſimilem ovi, & non paſtori. Tu homo es, ſicut undans in aquis, qui vix liberatur, ne dimergatur: ita quòd ubique prudentiam inſpicis, ſed tamen deficis in viribus, non autem in voluntate. Unde & gratia Dei ad te reſplendet.

monaſteriorum 79 *Præpoſitus Vallis-Dei, diœceſis Moguntinæ in Rhingavia, ubi modò ſunt moniales Ordinis Auguſtiniani, col.* 1043 *rogat* S. Hildegardem, *ut*

AUCTORE J. S.

velit ſolvere, *quod promiſerat, Ex reſponſo autem liquet, ipſum petiiſſe conſilium de præpoſitura deponenda. Hoc enim Sancta fortiter diſſuadet, ita exordiens:* Nunc tibi dico, homo, qui vineam aut ſaxoſum habet agrum, & intra ſe dicit: Laborioſum eſt hic laborare, ac ſic eos reliquit, tædioſus laborator eſt..... Vinea ſacerdotale officium eſt. Qui autem virgam correptionis in populo gravi habet, hic ſaxoſum agrum poſſidet. Quem iſta fatigant, intra ſe dicit: Illa vita eſt aliena vita, ac iſta vita mihi melior eſt. Et ſic quod hoc tempore excogitat, hoc tempore derelinquit, ſicut flos, qui areſcit... Sacerdos autem erigat ſe, & alios feſtinet adjuvare. Nunc hæc provide,... quia ſi ſecundum cogitationes tuas, quæ in te volant, faceres, in utraque parte deficeres, & in pœnitentia recordareris, quid deliquiſſes. Tu autem cum populo iſto mane, & eum non relinque, ut in æternum vivas.

80 *Abbas in Rappenberg* (*Trithemio* præpoſitus in Coppenberg, *ac fortè legendum in* Cappenberg, *Ordinis Præmonſtratenſis in Weſtphalia*) *col.* 1044 *longè diverſam* S. Hildegardi *quæſtionem proponit. Voluit ipſe ad Sanctam venire;* ſed *inquit*, in tanto turbine tempeſtatum & procellarum, quâ tota Eccleſia nunc quatitur & turbatur, impeditus, rebus & corpori timens, retardatus venire non potui. *Videntur hæc inſinuare ſchiſma Eccleſiæ, quod contra Alexandrum III fovit Fredericus imperator, ita ut prælatus eccleſiâ ſuâ ejectus, de illo veriſimiliter Sanctam conſuluerit, per fratrem, quem pro ſe miſit, & de quo ſcribit:* Ad conſulendum enim Spiritum Dei, qui in vobis habitat, de præſenti ſtatu eccleſiæ noſtræ, eum ad vos direxi. *Ad hæc* S. Hildegardis *prælatum pulchrè conſolatur, docens Deum adverſa homini immittere, ut eum corrigat. In fine ſic hortatur:* Ideo tormenta tua ne timeas, quia locum tuum in diſperſione non video, ſed ligaturam oneris tui (*id eſt præfecturam*) Deus ſic vult: & oves, quæ ad te currere volunt, collige. Quæ autem te nolunt, in miſeratione tolera, donec te vocant, & in æternum vive.

diverſorum

B

81 *Quanta eſſet multorum exiſtimatio de cognitione arcanorum quorumlibet in* S. Hildegarde, *oſtendunt etiam Epiſtolæ ſequentes trium præpoſitorum. Prima col.* 1046 *eſt præpoſiti S. Victoris Moguntini, qui multis peccatis inquinatum ſe fatetur*, quæ vos, *inquit*, Domina, Spiritu ſancto revelante, meliùs ſcitis:... Spiritus enim docet vos omnia. Ergo veſtræ ſanctitatis pedibus advolutus, cùm ſim pulvis & cinis, humillima devotione poſco, ut ſuper me Conſolatorem & Liberatorem animarum noſtrarum invocetis, meque ſcire faciatis, an mihi ſit ſpes ſalutis, an prædeſtinatus ad vitam, aut præſcitus ad mortem *&c.* *Verùm* S. Hildegardis *ad ultimam quæſtionem non reſpondit, ut paſſim aliàs, licèt aliquando viris ſanctis æternam vitam clarè videatur prædicere. Hortatur igitur, ut declinet à malo & faciat bonum;* ſpemque ingerit his verbis: Unde elige tibi rectas vias, & in æternum vives. *Metum etiam incutit, ita concludens.* Ergo, ô fili Dei, citò ſurge, antequam tibi ſol occidat. *Præpoſitus Confluentinus col.* 1047 *Sanctam ſic alloquitur:* Quia in omnibus tribulationibus meis ſemper tuis conſolationibus me mercâſti *, & cuncta jam ſunt impleta, quæ mihi prædixiſti: quæſo, ut & nunc miſericordiæ Dominum in cunctis, quæ me foris & intus premunt, conſolari depoſcas: & ſi quid de me vides, & maximè ſi à benigno Jeſu aliquam ſpem in futura vita audeam ſperare, ô dilectiſſima, & amantiſſima, tranſcribas. *Reſcribens Sancta, hortatur, ut* viciſſitudinem morum *corrigat, monetque occulta eſſe Dei judicia, hoc addens:* Sed Deus non jubet, ut judicia ſua ſuper te ediſſeram, ſed ut pro te orem. *Præpoſitus S. Andreæ Colonienſis col.* 1048 *multis tentationibus oppugnatum ſe queritur, Sanctamque conſulit*, paratus, *inquit*, facere quidquid mihi, ſive revelatione divina, ſive conſilii tui ſapientiâ præceperis. Ne paveas, nec celes *&c.* *Ad hæc ita reſpondit* S. Hildegardis, *ut ſimul doceret præpoſitum, qualis moribus eſſet, inſtrueretque & moneret, ut fieret melior.*

Ordinum.

C

* *fortè* recreâſti

E

82 *Abbas quidam col.* 1055 *multùm ſollicitus de ſchiſmate, quod erat contra Alexandrum III, patrocinante Frederico imperatore, & cujus causâ multi prælati perſecutionem patiebantur, conſilium* S. Hildegardis *quæſivit, ita ſcribens:* Igitur quoniam Eccleſia in Apoſtolica dignitate & nomine claudicat, & ad quod Caput ſuum reſpiciat, veraciter ignorat,... inito bono conſilio, ad vos confugio, ſimulque efflagito, ut quidquid, Spiritu ſancto edocta, de hoc vel de me ipſo ſentiatis, mihi reſcribere velitis: veſtris enim conſiliis in omnibus obedire paratus ſum. *Non abſolutè reſpondit ad hanc quæſtionem* S. Hildegardis, *quia, ut innuit, reſponſio non profuiſſet. Nam ſic orditur:* In viſione, quâ ab infantia mea vigilanti oculo in ſpiritu meo vidi, per aliam viam, quàm in hoc ſæculo nata ſim, in altum aſpexi, & hæc verba ad te dicere vidi & audivi: Mens tua aratro ſimilis eſt, quod dura, aſpera, ac mollia evertit & dividit. Tu enim cognoſcere, evertere ac dividere illa attendis, quæ in tanta duritia ſunt, quòd ea perfringere non potes; & quæ in tanta aſperitate ſunt, quòd te vulnerarent, ſi ea tangeres; & quæ in tanta mollitie ſunt, quòd ea contereres, ſi illa dirè & aſperè tangere velles. Duritia namque, quæ à Sole juſtitiæ claudicavit, Eccleſiam nunc circumdedit, quam tu perforare non prævales. Unde in corde tuo ad Deum dic: Domine, qui omnia nôſti, in magiſtris meis tibi obedire volo, quamdiu Catholicæ fidei me reſiſtere non cogunt. *Hæc utcumque exponuntur. Duritia erat in ipſo ſchiſmate, aſperitas in principibus ſecularibus, mollities in epiſcopis; acſi diceretur, durius eſt ſchiſma, quàm ut poſſis illud tollere:* & principes ſæculi in tanta aſperitate ſunt, quòd te non audirent, ſi eis diceres, quod in ſcientia tua juſtum habes, *ut ſequitur: epiſcopi verò* tantam mollitiem nunc ſectantur, *ut neſcires, quid cum illis ageres. Monet tamen Sancta abbatem, ut Chriſti exemplo diſcipulos ſuos teneat, reliquos Deo dimittat.* Unde qui te per obedientiam oſculantur, & per caritatem amplexantur, in ſummo ſtudio tene, nec eos relinque; alios autem Deo dimitte. *Et mox:* Tu ergo ſpe tua ad unum Deum tende, quia ipſe Eccleſiam ſuam non derelinquet.

De ſchiſmate rogata Sancta, reſponſum declinat.

E

F

83 *Quemadmodum abbates multi, ſic non paucæ abbatiſſæ* S. Hildegardem *conſuluerunt. Abbatiſſa in Altuvich* (*Trithemio in* Altwick, Trajectenſis diœceſis) *col.* 1061 *ad Sanctam hæc ſcribit:* Dominus noſter.... inſpiravit cordi meo, ut puto, quatenus onus regiminis, quod graviter porto, derelinquam, & me ſolitudini alicujus cellulæ includam... Ergo quoniam ſcio, vos apud Deum eſſe tanti meriti, quòd ex Spiritus ſancti revelatione cognoſcere valeatis, quid expediat homini facere, propterea humilibus precibus exoro pietatem veſtram, quatenus pro me Dominum velitis conſulere,.... & quidquid gratiæ Dei per Spi-

Abbatiſſæ item variæ

AUCTORE J. S.

A Spiritum ſuum ſanctum de his placuerit, revelare. *Poſt pauca* S. Hildegardis *ita reſpondet:* O filia, non eſt utile apud Deum, ut onus tuum abjicias, & ovile Dei relinquas, cùm illud lumen habes, per quod illi luceas *&c. Abbatiſſa in Kizingun (forte* Kitzingen *in Franconia ad Mœnum, ubi modò ſunt Urſulinæ) col.* 1063 *poſt multa elogia Sanctam his verbis compellat:* Sonet vox tua in auribus meis, & quid ſalubrius ſit, utrùm onus, quod porto, deſeram, an diutiùs feram, mihi petenti divinitus enarra. *Reſpondet* S. Hildegardis *abbatiſſam laudans, & ad fiduciam de Deo excitans:* Bonum eſt tibi onus laboris tui, quod in Deo ſuſcepiſti, portare ita, ſi oves volunt audire admonitionem Dei per magiſtrationem tuam. Et ſi ulla ſcintilla in eis coruſcat, non relinquere illas, ne raptor eas rapiat. *Abbatiſſa in Widergoldeſdorf col.* 1070 *idem rurſum petit hoc modo:* Quapropter, Dulciſſima, obnixè ſupplico, ut dignemini à Deo perquirere vobis, utrùm ſit ipſius voluntas, ut iſtam ſarcinam portem, aut abjiciam; quia plus adhuc conſtrictione obedientiæ, quàm Dei amore perſeveravi. Idcirco, ſi auderem, de loco magiſterii libenter diſcederem: quia mihi valB de durum eſſe videtur, ut omnibus moribus aliorum ſerviam, & ut in voluntate illorum permaneam *&c. Hortatur* S. Hildegardis, *ut pergat* martyrium, *quo eam in officio ſuo affligi fatetur, conſtanter portare, ſic eam conſolans:* Sed tamen in hac parte plurimi Sancti ſicut martyres ad Deum veniunt. Ac ideo & tu confide in Deum, quia non derelinquet te, & Spiritus ſanctus dolorem tuum minuet.

conſilium S. Hildegardis

84 *Abbatiſſa de Crouchdal, in Vita* Crutendal, *quæ* S. Hildegardem *apud ſe viderat, col.* 1071 *ad ipſam ſic incipit ſcribere:* Poſtquam diu deſideratâ præſentiâ & affabilitate veſtra, Deo opitulante, merui relevari à puſillanimitate ſpiritûs, & tempeſtate priori, aliquantiſper quievi, & quia verba veſtra non ab humano ingenio, ſed à Luce vera .... non dubito procedere, conſilio veſtro, quod propoſui facere, diſtuli adhuc perficere. *Ex reſponſo liquet, ipſam etiam conſilia agitâſſe de officio deponendo. In fine precatur*, ut quid correptione vel correctione dignum Lux viva per Spiritum ſuum de me, *inquit*, vobis manifeſtaverit, ſcribere mihi non differatis. *Reſpondet* S. Hildegardis *breviter:* Ubi vides lutC tum, illud ablue, & quod aridum eſt, fac viride: ſed & aromata, quæ habes, fac ſaporem habere. *Deinde monet, ne temere de aliis judicet. De ſolitaria vita ſic ipſam inſtruit:* Quoniam in ſolitaria vita, quam requirit ſonus verborum tuorum, non valeres quieſcere propter viciſſitudinem diverſorum morum: quia tunc noviſſima tua multò pejora fierent, quàm prima, & etiam tam gravia, ut jactura lapidis eſt.

de arcanis exquirunt.

85 *Abbatiſſa Superioris monaſterii Ratisbonenſis col.* 1074 *ad* S. Hildegardem *ſcribens*, de duabus inquiſitionibns *reſponſum petit*, ſi videlicet, *inquit*, de re, pro qua jam maximè affligitur cor meum, aliquod periculum timendum, vel de Dei miſericordia præſumendum ſit. *Hoc in alia Epiſtola expoſitum fuerat. Alterum eſt de officio abbatiſſæ deponendo. Ad hoc ita* S. Hildegardis *reſpondet:* Nunc autem dulciſſima filia, curam tibi creditam in tali veritate provide, ne propter tædium aut laborem eam dimittas. *Mox hortatur ad ſtudium bonorum operum. Primam verò quæſtionem, quæ forſan erat de prædeſtinatione, gravibus verbis reprehendit, ita ſcribens:* O filia Adæ, ... attende Scripturas... Scriptura enim ſpeculum eſt, in qua per fidem Deum aſpicimus: quia adverſarius noſter vigilat & non dormit. Ideo cum illa adverſus eum pugnare debemus, & Deum tentare non debemus, ſed devotè adorare.... Sæpè enim homo quaſi in impetu à Deo ſcire vult, quod ſcire non licet, & per hoc ſervitutem Dei dimittit: unde diabolus multùm gaudet, & in utraque parte eum deficere videt. Talis verò ſciſcitatio ſtulta eſt, ſicut illa, quæ à falſo propheta quæritur. In omnibus his Deus non tentari, ſed adorari debet *&c.*

Aliæ etiam perſonæ

86 *Sacerdos quidam, volens amplecti vitam monaſticam, dolenſque ſuum illud propoſitum differri, ad Sanctam recurrit, hæc rogans:* Quapropter, Virgo Deo devota, nos omnes poſt Deum ad te ſuſpirantes, ſummopere petimus, quærimus, pulſamus, quatenus à ſolitis precibus nullatenus deſiſtas, donec locum certum habitationis nobis, aut, ſi id tibi tentatio in Deum videatur, ſaltem nunc diſcretum religionis Ordinem miſericors Deus tibi pro nobis inſinuare dignetur.... De cetero litteras tuas & de his & aliis deſidero. Præterea librum tuum tranſcribere multùm cupio. *Reſcribens* S. Hildegardis *hortatur ad conſtantiam in propoſito: nec tamen edicit locum* E *aut Ordinem, cui ille ſe aggregaret. Ratio ſilentii non alia erat, opinor, quàm quòd Deus de illis nihil ipſi revelaret. Sic frequenter obſervo, ad interrogata non reſpondere Sanctam, aut ſolùm ex parte reſpondere, quia plura petebantur, quàm Deus per ipſam manifeſtare volebat.*

Sanctam conſulunt

87 *Non minùs arcanum erat, quod col.* 1092 *quærebat magiſter quidam Trajectenſis, taleque, ut rariſſimè ea de re reſponderit Sancta, quando erat interrogata, licèt id ipſum perſonis aliquot piis non interrogata indicaverit. Queritur ille ſe ob peccata ſua multis modis eſſe afflictum.* Unde, *inquit*, non inani quidem temeritate, nec ſuperflua curioſitate; ſed tamquam in camino tribulationis excoctus, æſtuanti deſiderio ex tuis cupitis reſcriptis ſupplex & anhelus exſpecto refrigerari, deſiderans ex ipſis tam ſuperni Diſpenſatoris de ſtatu vel exitu mearum anguſtiarum præfinitam ſententiam animadvertendo experiri, quàm à te conſilium ſanitatis ex ipſius inſpiratione ſuſcipere. Sed ante omnia, & per omnia, ardenter ſitio ex te certificari, ſi tandem in cœtu ſalvandorum me Divinitas præordinavit computari. *Reſcribit Sancta inſtructionem, & tum addit:* Nunc F autem, ô ſerve Dei, in meliore via parvæ feneſtellæ in ſplendido lumine in te apparent, ita quòd exoptando bonum deſideras. In altera verò via in nigro turbine occupatus es. Sed tu, ô miles, cum clara militia ſurge, & turbinem hunc vince, quoniam gratia Dei te tangit & monet, ſicut etiam in ſcientia ſecreti tui intelligere potes. Sic declina à malo, & fac bonum, & Deus te requirit, & in te quieſcet.

de occultis Dei arcanis.

88 *Anonymus quidam Weiſionenſis col.* 1108 *multùm obteſtatur Sanctam, non ſolùm ut pro ſe preces fundat, ſed etiam ut apud Deum exquirat arcana his verbis propoſita*; Quid ſit, quòd me toties ad ſe clamantem de profundis nequitiarum & de luto fæcis eripere dedignatur, ſi ſperare ulteriùs veniam, ſi ſpiritum contribulatum & contritum mihi largiri velit, Domina, intenta prece exquire *&c. Verùm* S. Hildegardis *pro reſponſo ad ejuſmodi quæſtionem, quam ſatis clarè improbat, reſcribit utilem monitionem, ut ſtabilis ſit in bono.* Nunc mentem tuam, *inquit*, ad bona reſtaura, & aſpice in fontem aquæ ſalientis, & non require diverſas cauſas in aliena do-

AUCTORE J. S.

mo.... Mens tua pura ſit in Deo, & in eſurie juſtitiæ Dei, ac in recto itinere, & Deus ſuſcipiet te. Unde labores, quos propter Deum incœpiſti, & quos facis, tibi ſufficiant. Sed mentem tuam & cogitationes tuas, quantùm potes, ad Deum dirige. *Canonicus quidam Trajectenſis col. 1109 ita ad* S. Hildegardem *ſcribit:* In humilitate itaque ſupplico, ... quatenus arcana divinæ revelationis de ſtatu meo, præcipuè ſecundum interiorem hominem, mihi in miniſterio tuæ manifeſtationis ad doctrinam & cautelam ſpiritus mei exhibeas. Quod debes quidem ex promiſſo; quia cùm in tranſitu meo verſus Romam irem, hæc à tua Caritate impetraverim. *At reſpondens* S. Hildegardis, *monet ut velociùs ſurgat, & à diabolo fugiat.*

§ VII. Sancta à multis congregationibus conſulta de iis, quæ emendari poſſent, aut etiam de arcanis aliis, & invitata ad monita conſcribenda.

B

Clero Colonienſi, inſtructionem flagitanti,

Actenus oſtendi, S. Hildegardem *ab abbatibus & abbatiſſis multis, & ab aliis etiam perſonis conſultam fuiſſe de rebus occultis, quas ſine revelatione divina ſcire non poterat. Nunc integras clericorum aut monachorum producam congregationes, quæ ſimili de cauſa & pari fiducia ad Sanctam ſcripſerunt. Agmen ducat clerus eccleſiæ metropolitanæ Colonienſis, qui* S. Hildegardem *in urbe ſua viderat, & monita ſalutaria dantem admirabundus audiverat. Unde Philippus decanus cum omni clero pag. 572 ad ipſam hæc ſcribit:* Quia maternam pietatem veſtram diligimus, vobis notum facimus, quia poſtquam à nobis receſſiſtis, cùm per divinam juſſionem ad nos veniſſetis, ubi verba vitæ, prout Deus vobis inſpiravit, nobis aperuiſtis, in maximam admirationem ducti ſumus pro eo, quòd Deus in tam fragili vaſe, in tam fragili ſexu hominis, tanta mira ſecretorum ſuorum operatur. Sed Spiritus, ubi vult, ſpirat: nam ex multis rerum indiciis manifeſtum fit, quòd in præcordiis veſtris placitam ſibi ſedem elegerit. Meritò & nos in admirationibus noſtris ad vos, quaſi ad vivum Dei templum, preces oblaturi accedimus, & de corde veſtro, ſicuti revera de Dei oraculo, veritatis reſponſa flagitamus. Beatitudinem enim veſtram quàm intimè exoramus, ut deſideria noſtra, quoniam ad curam animarum reſpiciunt, intentiùs Deo commendetis: & ſi quid adhærens Deo animus veſter in vera viſione (ut aſſolet) de nobis perviderit, literis nobis intimare curetis. Rogamus etiam, ut ea, quæ viva voce nobis priùs dixiſtis, literis quoque commendetis, & nobis tranſmittatis; quia dum carnalibus concupiſcentiis dediti ſumus, ſpiritualia, quæ nec videmus, nec audimus, facilè per negligentiam oblivioni tradimus. *Hactenus clerus Colonienſis.*

C

Salutaria ſcribit monita,

90 *Remiſit Sancta ſcriptum longiſſimum, quo graviſſimis verbis & Dei nomine negligentiam clericorum in cura animarum, aliaque vitia reprehendit, monitaque dat plurima, multaſque etiam miſcet prædictiones. Pauca è multis excerpam, præſertim monita & prædictiones. Principium hoc eſt:* Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, paſtoribus Eccleſiæ dicit. *Et poſt multa:* Vos conſtitui ſicut ſolem & cætera luminaria, ut luceretis hominibus per ignem doctrinæ, in bono rumore fulgurantes, & ardentia corda parantes. *Deinde rurſum:* Benedicti & ſignati in cæleſtibus perſonis habitaculum eſſe debuiſtis, myrrham & thus redolens, in quo etiam Deus habitaret. *Inferiùs:* Per doctrinam, quoque Scripturarum... anguli fortitudinis Eccleſiæ eſſe deberetis eam ſuſtentantes, ſicut anguli, qui terminos terræ ſuſtinent. *Circa medium Epiſtolæ multa incipit prædicere mala, quibus Deus Eccleſiam caſtigaturus erat, quia eccleſiaſtici nec in moribus nec in doctrina tales erant, quales eſſe debuiſſent. Tam clarè autem prædicit futuros hæreticos, ut ea de re nullum videatur dubium relinqui. Attamen bona aliqua immiſcet, & ſatis declarat, hæreticos non omnino prævalituros.*

D

& multa de hæreticis futuris, qui tamen

91 *Pauca ſolùm excerpo:* In tempore illo, cùm iſtud fiet, per quemdam errantem populum, pejorem erranti populo, qui nunc eſt, ſuper vos prævaricantes prævaricatores ruina cadet, qui ubique vos perſequetur, & qui opera veſtra non celabit *Et poſt multa de illis:* Cúmque iſti curſum erroris ſui hoc modo confirmaverint, doctores & ſapientes, qui tunc in fide Catholica fideliter perſiſtunt, undique perſequentes expellent: ſed tamen non omnes, quoniam aliqui eorum fortiſſimi milites in juſtitia Dei ſunt. Sed & quaſdam congregationes Sanctorum, quorum converſatio ſancta eſt, movere non poterunt. Quapropter principibus & divitibus conſilium dant, ut eoſdem eccleſiæ magiſtros, & reliquos ſpirituales homines, ſcilicet ſubditos eorum, fuſtibus & lignis coërceant, quatenus juſti fiant. Et in aliquibus hoc complebitur: unde alii territi contremiſcent. Sed tamen, ſecundum quod Eliæ dictum eſt, multi juſtorum ſervabuntur, qui in erroribus iſtis non confundentur. *Deinde obſervat, hæreticos illos, de quibus loquitur, non eſſe ſocios Antichriſti, ſed præcurſores, ita ſcribens:* Iſti autem deceptores illi non ſunt, qui ante noviſſimum diem venturi ſunt, ſed præcurrens germen illorum ſunt. *Similiter admonet, nec hæreticis impunitam fore impietatem, nec Catholicis, qui fideles permanſerint, inutilem fore perſecutionem illam.* Sed tamen, *inquit*, poſtquam ipſi in perverſitatibus Baal, & in aliis pravis operibus ſic inventi fuerint; principes & alii majores in eos irruent, & velut rabidos lupos eos occident, ubicumque eos invenerint. Tunc aurora juſtitiæ, & noviſſima veſtra meliora prioribus erunt, ac de omnibus præteritis timorati eritis, & quaſi puriſſimum aurum fulgebitis, & ſic per longa tempora permanebitis.

E

F

Coloniæ non erant permanſuri, prædicit S. Hildegardis.

92 *In concluſione ad Colonienſes ita ſe convertit:* Nunc, ô filii Dei, audite & intelligite, quid Spiritus Dei ad vos dicat, ne de meliore parte pereatis. Et Spiritus Dei vobis dicit: In civitatem & regionem veſtram adſpicite, & nefarios homines à vobis abjicite, qui pejores Judæis ſunt, & ſimiles Sadducæis. Nam quamdiu vobiſcum manſerint, tuti eſſe non poteritis. Eccleſia enim ſuper iniquitate iſtorum plorat & plangit, quoniam filii ejus iniquitate iſtorum contaminantur. Quapropter ipſos à vobis projicite, ne congregatio & civitas veſtra pereat, quoniam in Colonia pridem convivium regalium nuptiarum præparatum eſt, unde plateæ ejus adhuc fulminant. Ego autem timida & paupercula per duos annos valde

fa-

A fatigata fum, ut coram magiſtris & doctoribus ac cæteris ſapientibus in quibuſdam majoribus locis, ubi manſio illorum eſt, vivente voce iſta proferrem. Sed quia Eccleſia diviſa erat, vocem hanc interim ſubſtraxi. *Hactenus* S. Hildegardis, *quæ videtur Lutheri tempora prædixiſſe; ſed id clariùs perſpiciet, qui omnia non modò Colonienſibus, ſed etiam Trevirenſibus, & Wernero de Kircheim prædicta, accuratè voluerit expendere. Periculum non modicum eo tempore imminuit Coloniæ, quæ archiepiſcopum ſuum vidit ab hæreticis corruptum; ſed feliciter caput erexit & hæreticos expulit; uti hic Sancta ipſos monere videtur.*

Trevirenſibus ſimiliter petemibus

93 *Treviris item fuerat* S. Hildegardis, *in eadem veriſimiliter excurſione, quâ Colonienſes inviſit. Hinc præpoſitus S. Petri cum toto clero Trevirenſi ad eamdem hæc ſcribit pag.* 576: Cùm per divinam permiſſionem revelentur ex multis cordibus cogitationes noſtræ ad vos per divinam voluntatem, cum toto anniſu corporis, tota devotione mentis vos diligimus. Scimus enim Spiritum ſanctum vos inhabitare, & plurima cæteris hominibus incognita per ipſum vobis manifeſtari. Nam ex quo à nobis receſſiſtis, cùm in diebus B Pentecoſtes nuper ad nos ſuperna diſpoſitione veniſſetis, ubi comminationem Dei nobis imminere prædixiſtis, multa diſpendia eccleſiarum, & multa pericula hominum circa nos & apud nos vidimus & experti ſumus, quia ſecundum bonum conſilium, quod nobis dediſtis, iram Dei placare negleximus, & niſi per miſericordiam Dei vindicta ipſius retractata fuiſſet, forſitan eiſdem periculis imminentibus in deſperatione ſuccubuiſſemus. Et quia Deus in vobis eſt, & verba ipſius ab ore veſtro ſonant, quàm intimè maternalem dilectionem veſtram exoramus, ut ea, quæ viva voce nobis tunc propalâſtis, per præſentem bajulum ſcripta nobis tranſmittatis, quatenus ſuccedens poſteritas & vindictam Dei & miſericordiam ejus ſuper nos directam videat, & vos conſciam ſecretorum ipſius veram & dilectam eſſe cognoſcat *&c.*

prædicit mala civitatibus & clauſtris ex hæreſi oritura,

94 *Ad hæc* S. Hildegardis *prolixè reſpondit, multa monendo, increpando, & prædicendo, ita incipiens:* Ego paupercula forma, quæ in me nec ſanitatem, nec vim, nec fortitudinem, nec doctrinam habeo, ſed quæ magiſtris ſubdita ſum, de myſtico lumine veræ viſionis, ad prælatos & C clerum Trevirenſium hæc verba audivi: Doctores & magiſtri tubâ juſtitiæ canere nolunt: ideo oriens bonorum operum in eis extinctus eſt *&c. Poſtquam negligentiam paſtorum & prælatorum multis redarguit, ad prædictiones bonorum & malorum futurorum ita pergit:* Unde vocem hanc de cælo dicentem audivi: O filia Sion, corona de capite tuo inclinabitur, & pallium dilatationis divitiarum tuarum tibi imminuetur, & in parvum numerum conſtringetur, & de regione in regionem expelleris. Per potentes enim homines plurimæ civitates & clauſtra diſſipanda ſunt. Et principes dicent: Abſtrahamus ab eis iniquitatem, quæ totum mundum in ipſis ſubvertit. Et vidi & audivi, quòd hæc pericula & contritiones regionibus & clauſtris propter prævaricationem obedientiæ aliorum præceptorum legalium conſtitutionum occurrent; & vidi, quòd tum in hujuſmodi prævaricationibus aliqui Deo adhærebunt, & ad ipſum anhelabunt, quemadmodum in tempore Heliæ factum eſt.

95 Hi verò cum magno honore perſiſtent, & velut holocauſtum Deo habebuntur, quia à malis receſſerunt, ut Noë & Loth. Et hæc eadem purgatio in hoc muliebri tempore in modico incipiet, & poſtea major fiet. Et deinde virile tempus veniet, in quo bella & prælia ex juſto Dei judicio erunt. Sed hoc muliebre tempus tamdiu non durabit, quamdiu huc uſque perſtitit. Tunc juſtitiæ & judicia Dei ſurgent, & diſciplina ac timor Dei in populo erunt, & juſti & boni homines in ſpirituali populo fient, qui tamen in parvo numero propter humilitatem manebunt, & in primam auroram ſicut eremitæ revertentur.... Et tunc fortes viri ſurgent & prophetabunt, & omnia vetera & nova Scripturarum, & omnes ſermones per Spiritum ſanctum effuſos colligent, & intellectum eorum ſicut monile cum precioſis lapidibus ornabunt. Per hos & per alios ſapientes plurimi ſæculares boni fient, & ſanctè vivent. Hoc autem ſtudium ſanctitatis citò non areſcet, ſed diu durabit, quia hæc omnia propter errans tempus fient, ubi multi martyres in fide erunt. Nam Vir præliator hoc faciet, qui initium & finem operum ſuorum in his aſpicit, quatenus erranti populo in hoc reſiſtat.... Poſt hæc omnia ſpiritalia ſine tædio & defectu confortabuntur.... Et tunc vires & fortitudo ac ſanitas in populo fient, quia Vir præliator aërem ſanitate replebit, E & etiam viriditatem virtutum producet, ne fideles corpore & animâ in errante tempore deficiant. *Addit:* Sed tempus hoc errorem hoc modo tenebit, uſque dum illud Deus in gratia & miſericordia, ac in zelo ſuo diſcutiat.

& ſic Trevirim poſtea magis in fide florentem fore.

96 *Sub finem ait:* Et Trevirim novo igne, qui diſcipulis in igneis linguis apparuit, inter fideles primo valde ornatam vidi, ita quòd omnes plateæ ipſius in aurea fide cum miraculis tunc diffuſæ fuerant. *Plura non addo. At non dubito obſervare, nihil in omnibus iſtis me reperire, quod non fuerit impletum. Facilè hoc videbit, qui hiſtoriam eccleſiaſticam utcumque cognitam habet, modò attendere voluerit, quantum Eccleſia ſeculo* XVI *paſſa ſit detrimentum, quantumque eo etiam tempore Catholici doctrinâ & moribus præſtare cœperint majoribus ſuis, qui multis ante* S. Hildegardem *ſeculis, & aliquot etiam poſt ipſam vixerunt. Treviris ab hæreticis multum paſſa eſt, ut prædixerat Sancta; ſed prævaluit, & mores priſtinos emendavit; ut futurum clarè enuntiat.*

Inſtructio Ciſtercienſibus ſcripta, & petita ab Eberbacenſibus.

97 *Jam vidimus num.* 47 *Epiſtolam abbatis Eberbacenſis ad Sanctam. Eidem quoque cum tota congregatione ſcripſit Meffridus Prior illius cœnobii Ciſtercienſis, preces flagitans, & Epiſtolam Sanctæ, quam* de ſecularibus, *inquiunt pag.* 578, & idiotis, ad ſpiritalem converſationem converſis, quos nos converſos dicimus, Spiritu ſancto vos ſcripſiſſe audivimus. *Miſit haud dubiè Sancta Epiſtolam,* ad Griſeos monachos, *id eſt Ciſtercienſes, inſcriptam, quæ admodum prolixa eſt, quamque inchoat hoc modo:* Ego paupercula, in lecto ægritudinis pluſquam per biennium jacens, hæc vidi, & vocem de cælo ad me ſic dicentem audivi: Ad ſpiritalem populum, quem Deus in præſcientia ſua cum miraculis prophetiæ, ſecundum quod ipſi placuit, præſcivit, quæ vides & audis, ſcribe *&c. Multam ſanè laudem Ordinis illius Epiſtola continet; ſed arguit illos,* quos ipſi converſos vocant, quorum plurimi ſe ad Deum in moribus ſuis non convertunt, *inquit Sancta. Hinc inferiùs ita monet:* Nunc vos, magiſtri, ſupradictos homines, ſcilicet converſos, in ordine veſtro corripite & corrigite, quia plurima pars eorum nec in die nec in nocte operatur, quoniam nec Deo nec ſeculo ad perfectum ſerviunt. *Alia quoque documenta prudens lector inveniet in eadem*

AUCTORE J. S.

uti & bona ex conſtantia in fide, zelo, & doctrina aliorum,

AUCTORE J. S.

dem Epiſtola, quam Sancta concludit hoc modo : Ego autem paupercula, ab infantia mea debilis & infirma, in myſtica & vera viſione ad hanc ſcripturam coacta ſum, eamque in gravi ægritudine in lecto jacens, Deo jubente & adjuvante, conſcripſi, quatenus illam prælatis & magiſtris, qui ad ſervitium Dei ſignati ſunt, repræſentarem, ut in ipſa, quaſi in ſpeculo conſiderarent, qui & quales eſſent, & ut eam illis demonſtrarent & aperirent, qui per obedientiam illis ſubjecti ſunt. Et audivi vocem de cælo dicentem : Nemo verba hæc contemnat, ne ſi ea contempſerit, vindicta Dei ſuper eum cadat.

Fratribus in Kircheim Sancta

98 Wernerus de Kircheim (*oppidum eſt Sueviæ in ducatu Wirtenbergenſi, ubi etiam fuerat Sancta*) cum cæteris ſocietatis ſuæ fratribus, *non modò preces* S. Hildegardis *enixè poſtulavit, inſigni eam ornans elogio, ſed etiam, quemadmodum Colonienſes & Trevirenſes, verba ipſius ſcripto commendata habere voluit, eam gratiam poſtulans his verbis pag.* 581 : Adhuc unam petitionem vos petere præſumimus, ſcilicet ut verba, quæ Spiritu ſancto vos docente, nobis & aliis quàm plurimis in Kyrcheim præſentibus de negligentia ſacerdotum,

B quam in divino Sacrificio habent, aperuiſtis, materna pietate nobis ſcribere & tranſmittere non negligatis, ne à memoria noſtra elabantur, ſed ut ea attentiùs præ oculis noſtris habeamus *&c.*

viſionem ſuam exponit de Eccleſia,

99 *Sancta ita incipit reſpondere :* In lecto ægritudinis diu jacens, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, vidi vigilans corpore & animo pulcherrimam imaginem, muliebrem formam habentem, quæ electiſſima in ſuavitate, & chariſſima in deliciis tantæ pulchritudinis erat, ut eam humana mens nequaquam comprehendere valeret, & cujus ſtatura à terra uſque ad cælum pertingebat. Facies quoque ipſius maxima claritate effulſit, & oculus ejus in cælum aſpexit. Candidiſſima etiam veſte ex albo ſerico induebatur, & pallio precioſiſſimis lapidibus, ſcilicet ſmaragdo, ſaphiro, baccis quoque & margaritis ornato, circumdabatur : calceamenta ex onychino circa pedes habens. Sed facies ejus pulvere aſperſa erat, & veſtis in dextero latere ſciſſa fuerat, atque pallium ejus elegantem pulchritudinem ſuam amiſerat, & calceamenta ipſius denigrata erant. *Sequuntur querelæ graviſſimæ illius imaginis, quæ, ut inferiùs exponitur, Eccleſiam*

C *repræſentabat, contra vitia & peccata non levia ſacerdotum.*

cujus futura mala, ab hæreticis

100 *Deinde ſequuntur prædictiones, quæ ſeculo* XVI *omnino impletæ ſunt, hoc modo :* Principes enim, & temerarius populus ſuper vos, ô ſacerdotes, qui me hactenus neglexiſtis, irruent, & vos abjicient & fugabunt, & divitias veſtras vobis auferent, pro eo quòd tempus ſacerdotalis officii veſtri non attendiſtis. Et de vobis dicent : Adulteros iſtos & raptores, & plenos omni malo ab Eccleſia ejiciamus. Et in hoc facto obſequium Deo ſe exhibuiſſe volunt, quia Eccleſiam per vos pollutam eſſe dicunt. Unde Scriptura dicit : Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania ? Adſtiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum ? Nam permiſſione Dei ſuper vos in judiciis ſuis fremere incipient plurimæ gentes, & multi populi de vobis meditabuntur inania, cùm ſacerdotale officium veſtrum, & conſecrationem veſtram pro nihilo computabunt. His aſſiſtent in everſione veſtra reges terræ, & terrenis rebus inhiabunt, & principes, qui vobis dominabuntur, convenient in hoc uno conſilio, quatenus vos de terminis ſuis expellant *&c.*

101 *Neſcit ſanè, quid ſeculo* XVI *factum ſit in magna parte Germaniæ, & in aliis quoque regnis, imo in ipſa Suevia, ubi hæc dicta fuerunt, qui non perſpicit, omnia eſſe completa. Ad majorem verò prædictionis claritatem obſervo, hic non addi illam conſolationem, quæ additur in ſcriptis ad Colonienſes & Trevirenſes, quòd civitates iſtæ in fide deinde ſint futuræ magis florentes, ſicut revera in Kircheim factum non eſt. Contrà additur alia prædictio, his verbis expreſſa :* Et iterum ego paupercula fœminea forma gladium evaginatum in aëre pendentem vidi, cujus acies una ad cælum, altera ad terram verſa erat. Et gladius iſte ſuper ſpiritalem populum extendebatur.... Et vidi, quòd gladius iſte quædam loca ſpiritalium hominum abſcindebat, quemadmodum Jeruſalem poſt paſſionem Domini abſciſſa eſt. *Hoc iterum clariſſimè factum eſt Lutheri temporibus. Demum adjungitur hæc qualiſcumque conſolatio :* Sed tamen vidi, quòd plurimos timoratos, puros & ſimplices ſacerdotes in adverſitate iſta ſibi Deus obſervabit *&c.* D *infligenda, prædicit.*

Fratres in Hagenhe conatur pacificare.

102 *Ad* S. Hildegardem *alia de cauſa ſcripſit Congregatio Fratrum in Hagenhe, diſcordiis ſciſſa, quod Sanctæ innotuerat, & cui malo jam mederi cœperat. Poſt honorificam enim cum elogio ſalutationem, ſic ipſam compellat pag.* 582 : Hoc autem idcirco dicimus, ut diſſenſionem, quam in loco noſtro ortam eſſe ſcitis, quemadmodum incepiſtis, Spiritu ſancto vos docente, ſedare & extirpare non omittatis : & ut per hoc quoque literas commonitorias nobis tranſmittatis, quia niſi citiùs extinguatur, periculum magnum tam animarum quàm corporum facilè incurremus. *Reſpondit* S. Hildegardis *per Epiſtolam longam, quæ de multis vitiis & virtutibus inſtructionem continet, admonitionemque & adhortationem ad ſtudium virtutum. Verùm pauca ſolùm huc transfero. Initium hoc eſt :* Ego paupercula forma, multa ægritudine diu gravata, per veram Sapientiam cogebar, ut hæc verba ipſius populo loci hujus proferrem *&c. Concluſio eſt ejuſmodi :* Nunc itaque ego paupercula & debilis forma, vobis loci hujus præfatis fratribus dico : Inextinguibilis vitæ ignis in vobis ardeat, & vos lumine ſuo ita perfundat, ita ut in ipſo permanere valeatis, ut priùs incepiſtis. *&c.* E

Aliæ congregationes,

103 *Sacerdotes in Rutdelingun* (*fortè* Reutlingæ, *vulgò* Reutlingen *in Suevia*) *apud Martenium col.* 1093 *ad* S. Hildegardem *ita ſcribunt :* Exultavimus & delectati ſumus in his, quæ dicta ſunt nobis, ſcilicet legationem conſolatoriam nobis affuturam. Et exſpectantes exſpectavimus, & nondum intendiſti. *Paulò poſt innuunt, novi aliquid ſe aggreſſos, preceſque Sanctæ inſtanter poſtulant. Suſpicor, fuiſſe congregationem ſacerdotum, qui vitam Religioſam erant amplexi, quique conſilia* S. Hildegardis *ſequi volebant. Certè ita reſpondet Sancta, acſi ſcriberet ad ſacerdotes, qui mundanis rebus nuntium remiſerant, dicens :* O quales illi ſunt, qui in peregrinatione vitam requirunt, & qui in exilio alieni ſunt partis illius, quam propter Deum reliquerint. *Ceterùm laudat ipſorum propoſitum, & hortatur ad fortitudinem in ſervitio Dei, ita concludens :* Intrate ergo pugnam, ut fortes vernaculi, qui enim in exilio ſunt, non poſſunt habere certam victoriam in corpore manentes ; ſed fugere debent peſtilentiam naufragi mundi, & ſolidare columnam mentis ſuæ cum angulari Lapide. Ideo, ô fortiſſimi milites, non fatigemini per viciſſitudinem inſtrumenti, quia Deus requiret agnos ſuos inter lupos. F

104 *Præfectus quidam hoſpitali domui, dictus*

ma-

AUCTORE J. S.

A *variorum Ordinum,*

magiſter *pauperum* in Lutherum, *cum ſuis col.* 1112 S. Hildegardem *conſulit his verbis:* Salutaria itaque ſanctitatis veſtræ documenta exoptamus à vobis audire, & ſtatum vitæ noſtræ diligenter à vobis intelligere: & quidquid vobis Deus ſuper hoc revelaverit, nobis dignamini reſcribere, hoc ſcientes quòd conſiliis & monitis veſtris pro poſſe noſtro obtemperare decrevimus. Nam nobis injunctum eſt, ut pauperibus ſerviamus, quod ſine gravedine tumultuantis animi implere non poſſumus. Quapropter à vobis ſcire deſideramus, utrùm nobis utilius ſit ad clauſtrum nos recludere, an in tumultu iſto perſeverare. *Reſcribens* S. Hildegardis, *eleganter exponit parabolam hominis, qui in latrones inciderat, per Samaritanum ſublevato & curato; monetque, ut, ſicut Chriſtus vulnera Adami ſanavit per ſe & ſuos; ita ipſi imitentur verum illum Samaritanum, curando ſcilicet corpus & animam pauperum.* Ita, *inquit*, & tu fac in miniſterio, ad quod à Magiſtro tuo conſtitutus es; quoniam Deo placet ut miſericordia egentibus impendatur, & ut peccantes ad pœnitentiam ducantur.

B *S. Hildegardis conſilia expetunt.*

105 *Monachi Benedictini Sigebergenſes, in diœceſi Colonienſi trans Rhenum, ad* S. Hildegardem *col.* 1114 *ita ſcribunt:* Quàm ſpeciali caritatis affectu vos in matrem ſpiritualem elegerimus, & in conſortium orationum noſtrarum ſuſceperimus, omnium ſecretorum Cognitor novit, & ex frequentibus nuntiis, quos vobis tranſmittimus, veſtra quoque Dilectio animadvertere potuit. Sed vos econtra affectum matris in nobis numquam oſtendiſtis, litteras commonitorias, quas etiam nolentibus, utpote mater filiis, dirigere debueratis, ne quidem deſiderantibus umquam obtuliſtis ... Petimus enim, ut aliqua de ſtatu loci noſtri, in vera viſione edocta, nobis aperiatis, & ut verba comminatoria, & correptionem habentia, nobis tranſmittatis *&c. Reſcripſit demum* S. Hildegardis *monitionem cum laude cœnobii Sigebergenſis, in quo tamen non omnes æquè ferventes fuiſſe inſinuat his verbis:* Congregationem enim iſtam video ut nubem, quæ apparet ut lux illa, quando dies abſcedit & nox appropinquat. Inter vos etiam video quoſdam in bona intentione ut ſtellas lucere, quoſdam autem in obſcuritate fatigationis laſſeſcere. Unde ſurgite, & apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta *&c.*

C *Hirſaugienſes monachos, ab abbate ſuo diſſentientes,*

106 *Monachi Hirſaugienſes, quorum abbatem* S. Hildegardi *ſcribentem vidimus num.* 68, *alia de cauſa ad ipſam recurrunt col.* 1116. *In cœnobio illo, aliàs florentiſſimo, diſcordia orta erat inter abbatem & priorem, cui major monachorum pars adhærebat. Hi ea de cauſa Sanctæ ſententiam exquirunt hoc modo:* Deo teſte, domino abbati in nullo detrahimus, quem tamen paternæ lenitatis per multa in nobis immemorem, & quibuſdam familiaribus ſuis laxiùs indulgentem, libera quoque poteſtate in omnibus immoderatiùs utentem ingemiſcimus. Siquidem maximis calumniis & infamiis opinionem noſtram ſuper hæc lacerari perpendimus, & præcipuè pro lacrymabili diſcordia pridem inter nos orta, & nihilo minùs inter ipſum abbatem noſtrum & priorem nuper commota..... Quapropter incerti, quid agamus, ut veſtris orationibus divina voluntas nobis aliquatenus ſuper his eluceſcat, humillimè imploramus *&c. Reſcripſit Sancta litteras, multum conſolationis habentes, quæ pacem reduxerunt. Nonnulla excerpam Dei nomine prolata:* Valles interdum virent & florent de rore cæli & de calore ſolis, ac interdum areſcunt & deficiunt in viciſſitudine tempeſtatum. Sed tamen valles iſtas, quæ propter diverſitatem tempeſtatum aliquando pulchritudinem ſuam perdunt, non habeo omnino in tali oblivione, quaſi amodo in pulchritudine ſua non reſurgant. Sic etiam non obliviſcar loci hujus, in quo tu ſtas, quia ſapientia non carebit in eo materiâ ſanctitatis, ut ipſe primùm in rectitudine proceſſit. Tu autem eſto lucidum ovile in victoria, conculcans vitia, quæ in inquieto tempore concutiunt te: & non erubeſce, quòd te propter mala opera tua accuſes, quoniam Deus omnia vulnera ungit & tergit in pœnitentia. *Hæc omnia ad ipſum cœnobium Dei nomine proferuntur.*

ad concordiam reducit Sancta.

107 *Tum ſubditur, contumaciam inferiorum contra ſuperiores ortam fuiſſe ex defectu miſericordiæ horum, & omnes invitantur ad miſericordiam invicem exhibendam. Trithemius, qui diſcordiam illam narrat in Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1161, *poſt recitatas* S. Hildegardis *litteras ſubjungit:* Poſtea verò quàm fratres has à B. Hildegarde litteras ſuſcepiſſent, non parùm in Domino gaviſi ſunt, & mentibus compuncti, de pace inter ſe tractare unanimiter cœperunt. Manegoldus quoque abbas (*de cujus ad Sanctam Epiſtola, & hujus reſponſo actum eſt num.* 68) monita Virginis ſecutus, omnem de corde amaritudinem expulit, & ſe patrem filiis juxta Regulam deinceps pientiſſimum pro viribus exhibiturum in omnibus repromiſit. Unde fratres dulcedine verborum ejus compuncti, ſe ut humiles & obedientes patri ſubjectos præſtare in cunctis pollicentur. Per miſericordiam itaque omnipotentis Dei, & orationes S. Hildegardis, pax inter diſſidentes reformata eſt, & finis optatus turbationi impoſitus. *Porrò laudatus Trithemius ad annum* 1160 *ſcribit,* S. Hildegardem *tunc Hirſaugiæ fuiſſe, & monachis illam diſcordiam, niſi ſe emendarent, prædixiſſe. Verùm in allegatis litteris nulla fit mentio illius excurſionis ad Hirſaugienſes, & prædictionis* S. Hildegardis. *Quapropter, etiamſi revera apud Hirſaugienſes aliquando fuerit Sancta, ut videbimus § 12, omnino mihi perſuadeo, illam Sanctæ excurſionem ſerius figendam. Quod verò ſpectat ad prædictionem relatæ diſcordiæ, non aliam fuiſſe putem, quàm quæ legitur in Epiſtola ad Manegoldum abbatem num.* 68.

D E F *Aliæ Congregationes*

108 *Monachi Eberbacenſes, quorum abbas* S. Hildegardi *antè ſcripſit, ut vidimus num.* 47, *ut & eorum prior num.* 97, *unanimi conſenſu ad Sanctam has detulere preces col.* 1118: Dilecta Domina, obedire debemus maternæ ammonitioni veſtræ, quia veritas Domini per vos loquitur. Ammonitiones enim veſtras libenter percipimus, precamurque humili petitione, ne, quod in nobis corrigendum eſt, nos celetis, ſed ut Domino, qui vobis multa ſecreta referat, placuerit, nobis id inſinuare ſtudeatis. *Fecit Sancta, quod petebatur, monuitque, ut caveant à diſcordia & contentione. Pauca huc tranſfero.* Cavete ergo, *inquit*, ne felicitatem illam, quæ in prædeſtinatione Dei in vobis eſſe videtur, retrorſum abjiciatis per nimietatem bellorum temeritatis *&c.*

de reformatione ſua

109 *Prior & monachi Zwifeldenſes col.* 1119 *ad Sanctam recurrunt pro reformatione ſua, hæc ſcribentes:* Ceterùm quia abyſſus deſperationis in reparanda cœnobii noſtri religione vallavit nos, & pelagus irrationabilitatis ejus cooperuit capita noſtra, humiliter & ſuppliciter ante faciem veſtram proſtrati, conſilii veſtri ſolatium cum omni devotione expoſcimus. Speramus enim, quòd veſtris

AUCTORE J. S.

orationibus apud Dominum obtinere possitis, quatenus per Spiritus sancti revelationem aliqua nobis profutura denuntiare debeatis &c. *Respondit Sancta per monitionem longam & fortem, quâ negligentiam & varia monachorum illorum vitia acriter perstringit, eosque ad pœnitentiam & emendationem hortatur. Moniales Zwifeldenses simili modo col.* 1120 *ad* S. Hildegardem *scribunt.* Rogamus etiam Pietatem vestram, *inquiunt*, ut, cùm divinæ visioni insistitis, commonitoria verba ad nos dirigatis, & quomodo à via negligentiæ ad viam correctionis redire debeamus, nobis ostendere non negligatis. *Hisce fortissimam monitionem remisit Sancta, arguens & increpans, hortansque ad vitam magis regularem. Cæterùm de Suifaltensibus in Suevia monachis & monialibus hic agi, ostendam num.* 179.

sollicitæ, consilium ea de re

110 *Prior & monachi Montis S. Disibodi, quibus* S. Hildegardis *non poterat non esse notissima, col.* 1123 *monita ipsius partim precibus, partim querelis exigunt, sic ordientes :* Cùm in exteras nationes verba admonitionum vestrarum mittatis, & quàm plurimos viam rectitudinis desiderare faciatis, nos, qui vos ferè à cunabulis

B

novimus, & apud quos per plurimos annos fuistis, miramur, cur verba cælestium visionum nobis sitientibus subtrahatis. Scimus enim, quomodo apud nos educata, quomodo docta, quomodo conversata estis; quia non alio quàm muliebri operi institistis, non aliis codicibus quàm simplici Psalterio imbuta estis, & sine querela bonam & sanctam conversationem dilexistis. Sed divina pietas cælesti rore, ut voluit, vos imbuit, & magnitudinem secretorum suorum vobis aperuit. Et cùm in his vobis congaudere deberemus, Deus vos nobis nolentibus eripuit, & ad alios homines transtulit : quod cur fecerit, perscrutari nec scire possumus, sed tantùm hoc nolentes & volentes in multa perturbatione sufferimus. Nos enim sperabamus salutem loci nostri in vobis sitam esse; sed Deus aliud, quàm vellemus, disposuit. Nunc autem, quia voluntati Dei resistere non possumus, ipsi cedimus, & vobis congaudemus, quoniam plurima hucusque invisa, hucusque inaudita, per divinam revelationem manifestâstis, hucusque clausa reserâstis. Nam Spiritu Dei plena, multa scribitis, quæ ab homine non

C

didicistis, quæ sancti & docti viri mirantur. Eapropter, quamvis longè à Sanctis simus, quia peccatores existimus, supplices rogamus, ut tum pro gloria Domini, tum pro antiqua & justa familiaritate memor nostrî sitis, & verba consolationum nobis porrigatis *&c. Ad hæc rescripsit* S. Hildegardis *prolixam adhortationem, cui admiscere videtur prædictiones futurorum, quâque monet monachos illos, ut ad primum fervorem redeant.*

S. Hildegardis requirunt.

111 *Monachi S. Eucharii Trevirensis col.* 1126 *ad* S. Hildegardem *tamquam ad matrem scribunt, laudantes Deum, qui, inquiunt*, hæc à sapientibus & prudentibus hactenus abscondit, quæ mirabiliter diebus nostris Humilitati tuæ revelavit. Proinde, quia viam mandatorum Dei corde dilatato currere non possumus, admonitionis tuæ stimulis excitari, prout tibi Deus dederit, vehementer desideramus. De cetero indubitanter cognoscas, quia in litteris tuis, scilicet in libro Scivias, delectati simus, sicut in omnibus divitiis. *Sancta prolixè rescripsit, nonnulla in monachis istis laudans, nonnulla reprehendens, docensque obedientiam, humilitatem, caritatem & alias virtutes. Sequitur col.* 1130 *Epistola* Prioris & monachorum Cistellensium *ad Sanctam, quam* ut superiorem & ut carissimam

D

matrem *venerari se dicunt. Si consulimus responsum ad hanc Epistolam, videbimus idem hujus responsi esse principium cum initio Epistolæ* S. Hildegardis, *relato in Chronico Alberici ad annum* 1153, *ubi illa Sanctæ Epistola dicitur anno* 1153 *scripta* Cistercienſi capitulo generali. *Rectè, opinor, id habet Albericus, quia* Cistercienſe cœnobium *aliquando etiam vocatur* Cistellense, *ut habet Valesius in Notitia Galliarum pag.* 146, *& revera* Cistellæ *nomen cum Gallico* Cisteaux *magis convenit, quàm vulgare nomen* Cistercium. *Hi autem Cistellenses inter alia* S. Hildegardem *sic alloquuntur :* Nam multa audivimus de vobis, unde valde gaudemus, ut possitis arcana Dei scrutari, & de occultis suis non modica manifestare. Proinde clementiam vestram petimus, ut, quod in nobis, & in Ordine nostro, scilicet monastico, vobis, immò, divinis oculis displicet, secundum quod Deus vobis ostenderit, nobis rescribere non ambigatis. *Præstitit* S. Hildegardis, *quod petebatur; rescripsit Epistolam bene longam, quâ vehementer queritur*, dulcissimam caritatem *ab ipsis scissam esse. Priorem tantùm Epistolæ partem dedit Martenius, quòd tria folia à codice abscissa essent.*

Abbas S. Disibodi testatur fructum, quem Sancta ibi præsens fecerat,

112 *Ultima tandem Epistola illarum, quas edidit Martenius, ad* S. Hildegardem, *est* Henrici (imò Helingeri) abbatis & conventûs Montis S. Disibodi, *nec responsum Sanctæ ad hanc edidit Martenius. Jam verò occasione mutati nominis Helingeri in Henricum, quæ tam certa est, quàm notabilis luxatio, lectorem monendum censeo, plura nomina propria hominum aut locorum procul dubio luxata esse apud Martenium, & non pauca me restituere conatum ex Trithemio aut aliunde, non tamen omnia certò emendare potuisse : nam etsi clarè subinde videam, nomina Germanica ab editore Gallo à naturali sono detorta esse; non æquè est facile vera substituere. Malui igitur inemendata relinquere illa, quæ non poterant conjecturâ quasi certâ restitui. Verùm audiamus Helingerum cum suis :* Quia, Mater dilecta, omnipotentis Dei, sancti Paracliti Spiritus instinctu, nec non & jussione ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nuper vestram Sanctitatem ad nos venisse cognovimus, eidem Paraclito, prout possumus, licèt non condignè

F

valemus, gratias incessanter referimus. Quia, ut veraciter fateamur, illustrationis ejus ardorem & tactum plenissimè inter nos & in nobis persensimus; dum omnis odii & inimicitiarum fomenta, per plures jam annos inveterata, omnes unanimi consensu abjecimus, & in veræ caritatis unitatem pleniter, quasi uno corpore & animâ, convenimus. Eapropter Sanctitatis vestræ Dilectionem obnixis precibus pulsamus, ut prædicti splendoris, divinâ gratiâ vobis collati, inspectu, per quem vestræ Caritati clausa, & ceteris mortalibus absconsa, oculis cordis vestri referantur, ... si veraciter in vera caritate, quæ est initium omnium bonorum, convenerimus, vel si qua radix alicujus dissensionis inter nos adhuc lateat, manifestetis: sed & de aliis quibusque majoribus (ut de minoribus admissis taceamus) quæ divinæ Majestatis oculis contraria cognoveritis, nobis scriptis manifestare velitis. *Hæc ostendunt fructum, quem præsens in Monte S. Disibodi tulerat Sancta. Monachos verò ad majorem etiam ex ejus monitis fructum colligendum anhelâsse, monstrat ipsa postulatio.*

113 *Altera eorumdem petitio subjungitur hoc*

mo-

A *petitque, ut ſcribat Vitam S. Diſibodi: quod poſtea fecit.*

modo: Super hæc unanimi conſenſu januàm veſtræ Caritatis opportunè & importunè pro deſcriptione geſtorum ac virtutum, nec non & Vitæ patroni noſtri, nec non & veſtri, beatiſſimi Diſibodi, in cujus domo ab ipſis cunabulis nutrita eſtis, pulſamus, veſtræque Pietatis aures intimè commonemus, atque obnixis precibus indefeſſè profuſis expetimus, quatenus etiam memoria veſtræ Beatitudinis per hoc in laudibus ejuſdem patris noſtri habeatur, ut quidquid Deus de ipſo vobis revelaverit, nobis aperiatis *&c. Huic petitioni, quantùm valuit, ſatisfecit Sancta. Nam habemus Vitam S. Diſibodi, editam apud nos ad* VIII *Julii. Eadem exſtat in codice noſtro, qui notatur* O Ms. 12, *ex quo principium huc traduco:* In myſtica viſione, ut Deus voluit, propter mentionem & juſſionem prælatorum meorum, ſcilicet Helengeri abbatis, cunctorumque fratrum, in Monte S. Diſibodi Deo famulantium, de vita & meritis ejuſdem beati patris aſpiciebam, & poſt prolatas viſiones libri Vitæ meritorum, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, regnante Frederico Romanorum imperatore, ſub

B preſſura Apoſtolicæ Sedis, ferè per triennium in lecto ægritudinis jacens, ex pietate Sapientiæ vocem de cælo, vigilans corpore & anima, ſic dicentem audivi *&c. Tum ſubjungitur Vita S. Diſibodi, de qua inferiùs, ubi de omnibus Sanctæ Operibus agetur, plura dicam. Quid verò ad priorem poſtulationem reſponderit* S. Hildegardis, *&, an omnino ad illam reſponderit, planè ignoro. Dicit quidem Martenius:* Reſponſum ad hanc Epiſtolam (*Helengeri*) extat inter editas S. Hildegardis Epiſtolas; *ſed fallitur: nam ſolùm exſtat reſponſum ad aliam Helengeri Epiſtolam, num.* 123 *memorandam.*

§ VIII. Sancta etiam conſulta de quæſtionibus theologicis, Scripturiſticis, aliiſque ad fidem vel ad mores ſpectantibus.

C *Propoſitæ etiam S. Hildegardi quæſtiones*

Quamquam non poſſumus non mirari, Sanctam à tot viris, dignitatibus & ſcientiâ inclytis, de rebus occultis & arcanis conſultam fuiſſe, magis tamen obſtupeſcere cogor, dum perſpicio, ad Mulierem indoctam, & omnis ſcientiæ ſtudio acquiſitæ expertem, delatas fuiſſe quæſtiones ex theologia ſubtiliſſimas, ex ſacris Litteris difficillimas, ipſamque non dubitâſſe reſponſa dare theologica & ſcripturiſtica, quamvis aliquando ad quæſita, curioſa magis quàm utilia, plenum reſponſum non dederit. Eberhardus epiſcopus Bambergenſis, qui Sanctam antea inviſerat, quæſtionem eidem ſubtilem admodùm propoſuit, ita ſcribens pag. 545 *:* Hujus bonæ opinionis fragrantiam odorati, ad Dominum, qui in te veneratur & conſulitur, ex toto corde occurrimus. Quod enim multis præſtitiſti, uni mihi non denegabis. Nam cùm de curia imperatoris per te tranſiremus, quia Spiritu ſancto imbuta es, tuæ charitati exponendum commiſimus. "In Patre ma„net æternitas, in Filio æqualitas, in Spiritu „ſancto æternitatis æqualitatiſque connexio „. Quod & nunc, ſecundum quod Deus tibi revelavit, expoſitum videre deſideramus. *Orditur Sancta à brevi hortatione, quâ ad gregem ſuum diligenter paſcendum excitat Eberhardum. Tum ita ad quæſtionem progreditur:* Nunc, ô pater, ego paupercula ad verum Lumen proſpexi, & ſecundum quod ibi in vera viſione vidi & audivi, quod tibi exponi petiſti, ita expoſitum, non verbis meis, ſed veri Luminis, cui nunquam ullus defectus eſt, in hunc modum tranſmitto. *Tum patris æternitatem, Filii æqualitatem, connexionem Spiritus ſancti, oratione ſatis longa & ſubtili ſic exponit, ut doctiſſimus theologus multùm ſudaret, & fruſtra fortaſſe, ad talem expoſitionem dandam. Concludit demum Epiſtolam hoc modo:* Nunc, ô paſtor & pater populorum, Deus tibi det, ut ad lumen pervenias, ubi ſcientiam veræ beatitudinis accipias.

AUCTORE J. S.

theologicæ & ad fidem ſpectantes,

115 *Sacerdos quidam, cujus nomen per* C *ſolùm deſignatur, pag.* 561 *multùm ſe precibus* S. Hildegardis *commendat, ut, inquit,* orationibus veſtris ad Dominum adductus, merear illuminari, & à cæcitate cordis ſanari. *Et mox:* De Corpore & Sanguine Chriſti, in quibus tota ſpes fidelium eſt, etiam docete me, & qualiter in ſpiritu tam incorrectum quàm correctum ad idem Sacramentum ſacerdotem accedentem videatis, E mihi in Domino manifeſtare curetis. *Reſpondere ſic incipit Sancta:* In vera viſione vigilantibus oculis de Sacramento Dominici Corporis hæc verba audivi & vidi: Deus id, quod fuit, permanſit; &, quod non erat, aſſumpſit. *Subjungit Incarnationem Filii Dei, eâque enarratâ, ita pergit:* Itaque eadem virtus Altiſſimi, quæ in utero Virginis carnem operata eſt, ſuper altare ad verba ſacerdotis oblationem panis & vini in Sacramentum Carnis & Sanguinis convertit, virtute ſua illud fovens. *Addit alia multa, quæ brevitatis causâ mitto, ibidem videnda.*

ſcripturiſticæ etiam magis curioſæ, quàm neceſſariæ:

116 *Wibertus aut Guibertus, monachus Gemblacenſis, Ordinis S. Benedicti in Brabantia, triginta & octo quæſtiones difficillimas, ex Veteri Novoque Teſtamento, & ex hiſtoria eccleſiaſtica collectas, quas monachi Villarienſes, abbatiæ item in Brabantia celeberrimæ, ad Sanctam proficiſcenti commiſerant,* S. Hildegardi *tranſmiſit, eamque per litteras rogavit, ut earum ſolutionem aggrederetur. Cur eas ipſe non tulerit in litteris pag.* 583 *exponit hoc modo:* Gaudium, quod de viſione & collocutione tua, cum abbate noſtro tempore quadrageſimali ad te proficiſcendo, F divinitus mihi indultum credideram, ad tempus quidem mihi invidiâ (ut puto) diaboli ſublatum eſt. Nam cùm Coloniam uſque proceſſiſſemus, iter noſtrum, impediente ſathana, ... ulteriùs deſtitimus .... Interim tamen de quæſtionibus illis, quas per me fratres Villarienſes ad te ſolvendas mittebant, quaſque ego revocatus ab itinere, tibi perferendas dilecto mihi Baldo commiſi, quid actum ſit, vehementer ſcire cupio, utrùm videlicet, necne ad te pervenerint. Quòd ſi pervenerunt, obſecramus omnes noſtræ partis amici tui, in ſpiritu tuis affuſi pedibus, ut mare ſolutionis earum fiducialiter ingrediens, auræ Spiritus ſancti vela committere non pertimeſcas, tali duce freta, ſine difficultate placido portui mox allapſura *&c. Aggreſſa eſt Sancta opus arduum, quod proponebatur, & ad omnes quæſtiones reſpondit, ut videri poteſt pag.* 584 *& ſequentibus. Attamen tale eſt reſponſum iſtud, ut dubia omnia non ſolvantur. Reſponſo addidit litteras elegantes, quibus Wibertum hortatur ad virtutes inſtituto monaſtico congruas & neceſſarias, maximè ad caritatem & humilitatem. Panca ſolùm*

ex-

AUCTORE J. S.

excerpo. Nunc, ò fili Dei, *inquit*, in valle veræ humilitatis positus, in quiete ambula sine elatione, quæ præcipiti monti assimilata, difficilem & velut impossibilem ascensum vel descensum præbet innitentibus, & in cujus summitate nullum ædificium patet. Homo enim, qui tentat altiùs ascendere, quàm possit pervenire, ille nomen sanctitatis absque securitate possidet, quia solo nomine sine ædificio bonorum operum, & quâdam ineptâ lætitiâ mentis gloriatur *&c.*

Congregationi Hunniensi Sancta exponit Regulam S. Benedicti:

117 *Congregatio cœnobii Hunniensis utilem magis pro vita rectè instituenda doctrinam à* S. Hildegarde *petiit, videlicet expositionem Regulæ S. Benedicti, dicens ad eam se confugere* in necessitatis articulo, tamquam ad firmissimum inexpugnabilis municipii asylum, *ac post magnifica elogia, hæc subdens:* Itaque relatum est nobis de Operibus vestris, quoniam breviter & lucidè Ecclesiæ filiis tanquam desiderabiles divitias contuliſtis, & quia nec hoc dono caretis, pedibus sanctitatis vestræ convoluti, omnes in commune petimus Pietatis vestræ almitatem, ut aliquid super Regulam B. Benedicti patris nostri memoriale vestrum relinquatis, admodùm nobis

B necessarium.... Preciosius itaque opibus Crœsi, imò totiùs mundi gazis opus carius exhibebitis, si petitioni nostræ in hoc, admodùm universis claustris necessariæ, satisfeceritis. Si enim totam sacram Scripturam exponeretis, nihil tam utile, tam charum nobis, exhibere possetis. *Fecit Sancta, quod rogabatur, & in Regulam S. Benedicti scripsit Commentarios, post Epistolas ipsius impressos pag. 590 & seqq. Præfatiunculam ipsius hîc recito:* Et ego paupercula fœminea forma, & humano magisterio indocta, ad verum Lumen, & ad memoriam beati Benedicti, secundum petitionem vestram prospexi, quatenus ea, quæ in doctrina Regulæ ipsius intellectui hominum difficiliora & obscuriora sunt, mihi per gratiam Dei manifestarentur *&c. Opusculum verò concludit his verbis:* Igitur ego paupercula fœminea forma hæc verba de Sapientia audivi, quæ me obscura verborum Regulæ supradicti patris B. Benedicti docuit, quatenus illa apertè proferrem. Unde mansueti, mites & timorati hæc audiant, & pio corde intelligant, & humili devotione suscipiant.

C *docet confessarium, quomodo confitentes tractare debeat,*

118 *Sacerdos quidam Trevirensis, qui curam animarum habebat, apud Martenium tom. 2 Ampl. Collect. col. 1095 simul flagitat pro se preces* S. Hildegardis, *&* consolatoria verba, *ac deinde addit:* Et quomodo his præesse possim, quos sub regimine sacerdotii regere debeo, benignè insinuetis. *Breviter quidem ad hæc, pulchrè tamen, aliqua documenta rescribit Sancta. Primò monet, ut peccatorem* medicus frequenter cum misericordia ungat, nec fœtentem livorem in illo esse sinat, quia lepra per summum Medicum abstergitur, ubi se homo sacerdoti ostendit. *Secundò observat, aliquos venire sine debita præparatione & proposito se emendandi, qui* nolunt relinquere malas vias suas. Certè hi, *inquit*, debent ligari,... quoniam iniquitates suas deserere nolunt. *Addit tertiò:* Homo autem, qui semper cum dolore iniquitates suas deserit, ita quòd non vult in sordida peccata sæpiùs demergi, non est prædicto modo ligandus, sed in doloribus suis ungendus, in quocumque loco sit. Magnus enim Medicus vigilantes suscitat, & dormientes corripit, & in malis suis perseverantes occidit.

119 *Magister quidam theologus Parisiensis col. 1097 ostendit, magnam etiam fuisse Parisiis famam* S. Hildegardis. *Nam post varia elogia difficilem & subtilem ei proponit quæstionem, ita scribens:* Nos autem, quamvis à te longè positi simus, fiduciam in te habentes, quædam à te petimus; scilicet quoniam plurimi contendunt, quòd Paternitas & Divinitas Deus non sit, quid inde in cælestibus sentias, nobis exponere & transmittere non differas. *Error ille erat Gilberti Porretani episcopi Pictavienſis, qui illum retractavit anno 1148 in concilio Remensi, agente maximè S. Bernardo. Ad propositam quæstionem insigni cum humilitate respondere incipit* S. Hildegardis, *comparans se cum parva penna, quam de terra levat, & volare jubet Deus, & ita pergens:* Penna autem à se ipsa non volat, sed aër eam portat. Sic ego non sum imbuta humanâ doctrinâ, nec potentibus viribus, nec etiam æstuo in sanitate corporis, sed in adjutorio Dei consisto. Et dico tibi, quomodo in vera visione edocta sum, quid Paternitas & Divinitas sit, quoniam ego à te percepi, hoc plurimis necessarium esse, quatinus veraciter in fide roborentur. Nam ad verum Lumen vidi, & didici vigilanter & apertè videndo,... quòd Paternitas & Divinitas Deus est, quia homo hanc potestatem E non habet, ut de Deo dicat, sicut de humanitate hominis.... Vivens ergo Lux in secreto verbo sapientiæ dicit: Deus plenus est & integer, & absque principio temporum, & ideo non potest dividi sermone, sicut homo dividi potest; quoniam Deus totum est & non alius, ac idcirco illi nihil abstrahendum aut addendum est. Nam etiam & Paternitas & Divinitas est ille, QUI EST, ut dictum est, EGO SUM, QUI SUM, & QUI EST, plenitudinem habet.... Et quicumque negat, quòd Paternitas & Divinitas Deus sit, Deum negat, quia vult, quòd aliqua vacuitas in Deo sit, quod non est; sed Deus plenus est; & quod in Deo est, Deus est *&c. In fine breviter hortatur doctorem ad servanda Dei præcepta.*

D *respondet doctori theologo, Divinitatem à Deo non distingui:*

monachum instruit de variis modis, quibus homines à dæmonibus tentantur.

120 *Frater quidam col. 1099 multùm conqueritur de schismate, quo divisa tunc erat Ecclesia; sed ea de re tunc* S. Hildegardis *nihil respondit. Ille verò in fine aliam proponit quæstionem his verbis:* Nam à malignis spiritibus multoties tam occultè quàm apertè impugnor, qui me plurimùm fatigant & seducere volunt: & quid de his sentias, rogo, ut per scripta tua mihi renunties. *Ad hanc quæstionem prolixè satis respondit Sancta, dividens aërios spiritus* in quatuor partes, *hominesque variis modis ab illis tentari asserens. Primæ parti attribuit tentationes* per luxuriam... in omni genere vitiorum. *Secundam partem dicit dominari* in omni inconstantia, & hominem, *inquit*, in insanam iracundiam immittit. *De tertia ait, eam* velut in ostensione angelorum & prophetiæ *errores producere, multúmque lædere* in vana gloria per jactantiam & per contumaciam. *Quartam demum partem ait* in multiplici diversitate *familiariùs agere cum hominibus, abhorrere tamen à Cruce & passione Domini; permittere verò* quædam bona in hominibus, *sed* ipsis in eisdem bonis moderationem *abstrahere*, ita quòd suggestione sua eos in majorem altitudinem in mentibus suis ascendere permittit, quàm perficere possint, & sic ipsos requiescere non sinit. Nam sanctitatem, & præcipuè vanitatem, non formidat; sed fortitudinem & stabilitatem in magno odio habet *&c. Plura de his ibidem videri possunt.*

F

§ IX.

A

§ IX. Multi ad Sanctam scribunt, ut preces, consolationem, monita, aliaque similia obtineant: quibus illa rescribit.

Ad Hildegardem scribit S. Elisabetha Schonaugiensis,

VIdimus, S. Hildegardem *à multis fuisse consultam de rebus arcanis, aut de quæstionibus difficilibus. Nunc eamdem videbimus plurimorum litteris pulsari variis de causis, acsi commune fuisset omnium ferè refugium. Primam hîc pono S. Elisabetham Schonaugiensem, quæ eodem tempore in diœcesi Trevirensi florebat, & multis revelationibus inclaruerat. Citiùs tamen obiit S. Elisabetha, nimirum anno* 1165, *ut apud nos ostensum est ad Acta ipsius, data ad* XVIII *Junii, ubi etiam recitatur Epistola satis prolixa, quam ad impetrandam consolationem scripsit ad* S. Hil-

B degardem. *Pauca ex illa seligo, ad Sanctam hanc maximè spectantia:* Gratia & consolatio Altissimi repleat vos gaudio, *inquit Elisabetha*, quia meæ perturbationi benignè compassa estis, sicut ex verbis Consolatoris mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me revelatum fuisse dixistis, fateor verè quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse propter ineptos sermones populi, multa loquentis de me, quæ vera non sunt. Sed vulgi sermones facilè sustinerem, si non & hi, qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbiùs contristarent. Nam & hi, nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident: & de his, quæ ignorant, temerè judicare non formidant. Audio & quosdam litteras, de suo spiritu scriptas, sub nomine meo circumferre *&c. In fine preces flagitat, &* consolatoria verba.

quam illa consolatur & instruit.

122 *Respondit* S. Hildegardis *pag.* 562, *de more præmittens, non se loqui de suo ingenio*, sed de serena Luce. *Tum differit de homine, & de inspiratione Dei, quâ homines aliquos præ ceteris illustrare dignatur. Demum ad S. Elisabetham ita se convertit:*

C Audi, ô solicita filia, quia homines istos, quos inspiratio Dei ita imbuit, aliquantulùm fatigat ambitiosa suggestio antiqui serpentis.... Nunc iterum audi: qui opera Dei perficere desiderant, semper attendant, quòd fictilia vasa sunt, quoniam homines existunt: & semper aspiciant, quid sint, & quid futuri sint: & cælestia relinquant illi, qui cælestis est, quoniam ipsi exules sunt, cælestia nescientes, sed tantùm mystica Dei canentes, sicut tuba, quæ solummodo sonos dat, nec operatur, sed in quam alius spirat, ut sonum reddat. Sed & loricam fidei induant mites, mansueti, pauperes, & miseri existentes, sicut etiam Agnus ille fuit, cujus sonus tubæ ipsi sunt, mores etiam simplicis infantis habentes; quia Deus illos semper flagellat, qui in tuba ipsius canunt, prævidens, ne fictile vas illorum pereat; sed ut sibi placeat. O filia, Deus faciat te speculum vitæ. Sed & ego, quæ jaceo in pusillanimitate timoris, interdum sonans aliquantulùm, velut parvus sonus tubæ à vivente Lumine: unde Deus juvet me, ut permaneam in suo ministerio. *Ex chronico Alberici monachi ad annum* 1155 *colligitur*, S. Hildegardem *aliquando etiam à S. Elisabetha visitatam fuisse.*

AUCTORE J. S.

Helengerus abbas S. Disibodi,

123 *Helengerus, abbas S. Disibodi, & Cononis anno* 1155 *successor, qui* S. Hildegardem *diu noverat, ita eidem scribit pag.* 558: Cùm totus mundus veraci præconio clamet, vos sancti Spiritus ditatam esse jubilo, ego, qui primus debueram esse, & alios ad Beatitudinem vestram invitare, huc usque inerti tædio delitui: sed nunc tandem timore & pudore correptus, his verbis vos salutare necessarium duxi. *Mox se ipse accusare incipit, & conqueri de malè observata in suo monasterio disciplina regulari. In fine verò ait:* Consolationis ergo vestræ scripta humilitati meæ dirigite *&c. Rescripsit Sancta multùm hortando ad emendationem vitæ. Demum circa finem hæc addit:* Ego autem paupercula video in te nigerrimum ignem contra nos accensum: sed ejus in bona scientia obliviscere, ne gratia & benedictio ipsius à te recedat tempore officii tui. *Habuit revera* S. Hildegardis *difficultates cum abbate S. Disibodi circa liberam electionem directorum suorum, ut postmodùm videbimus.*

abbas S. Emmerami Ratisbonensis,

E

122 *Abbas S. Emmerami Ratisbonensis (qui* provisorem *se vocat in inscriptione, sed Epistola utraque satis innuit, præfectum fuisse sive abbatem cœnobii) opem* S. Hildegardis *pro alio implorat, ita scribens pag.* 556: Per te enim omnes justi magnificè gloriantur, & hactenus desperati beatificè lætificantur, quia sperant, se per te posse reconciliari Christo. Unde & præsentium litterarum lator, ut asserit, de salute sua desperans, nuper mihi miserias suas conquestus est, obsecrans, ut eum ad præsentiam tuæ Beatitudinis cum litteris commendatitiis dirigerem. Idcirco, ô Famula Christi, pietati & compassioni tuæ eum commendo, suppliciter rogans, ut pro amore Dei omnipotentis pro salvatione ejus totis viribus cum omnibus tibi obedientibus labores *&c. Utrùm fuerit monachus, an alius, qui mittebatur ad Sanctam, non liquet manifestè; nec inveniо, quo successu* S. Hildegardis *pro ipso laboraverit. Attamen ex hujus responso suspicor, monachum fuisse gravibus conscientiæ stimulis, & fortasse scrupulis agitatum. Qualiscumque fuerit, Sancta abbatem gravibus verbis hortatur ad curam gregis sui, ita ordiens:* Qui est, dicit: O homo, ubique circumspicere debes, ut abigas insidiatores ovium tuarum. Vide etiam, ut inspicias cicatrices vulnerum illorum, quia multæ nebulæ circueunt in spirituali populo *&c.*

F

aliique monasteriorum

125 *Abbas Neuenburgensis magno etiam cum affectu scribit ad* S. Hildegardem *pag.* 556, *dicitque, belli timore impeditum se fuisse, quominus ad ipsam veniret. Tum preces ipsius studiosè flagitat, & subjungit:* Aliquod pignus salutis, per quod prosperare valeam, & vestri memoriam habeam, per præsentium latorem transmitte. *Rescripsit* S. Hildegardis, *ipsumque hortata est ad fortitudinem in cura pastorali, rectè observans, belli tempore non abjicienda militi arma ob difficultates exortas. Similia pag.* 561 *per litteras petit abbatissa in Elostat, insigne texens Sanctæ elogium, eamque deinde sic alloquens:* Igitur Mater benedicta, da veniam, & sustine non modicum quid insipientiæ meæ, sed magnam insipientiam meam: sine, ut paululùm coram te cordis mei dolorem aperiam: & cùm audieris, consolare, obsecro, ancillam tuam. Porto enim pondus importabile, quoniam jubeor tortitudines sororum mearum corrigere *&c. Breviter, sed amicè admodum rescribit* S. Hildegardis, *ipsam animans ad laborem pro suis continuandum. Pruden-*

AUCTORE J. S.

dentiâ tamen opus esse in Dei servitio, rectè observat his verbis: Quicumque agrum corporis sui per discretionem lacerat, subitanea præventio finis illi non nocebit, quia symphonia Spiritus sancti, & læta vita eum suscipiet. Sed cavendum est, ne homo per nimietatem laborum corpus suum occidat, sed in rationalitate peccata prohibeat. Filia, memor esto, quòd possibilitatem hominem creare (*potentiam creandi hominem*) non habes. Unde Deum leniter ora, ut meliorem vitam tibi det: & hoc Deo acceptius est, quàm quòd in nimietate tristitiæ ipsum deprecetis. Deus te templum vitæ faciat. *Similiter amicam Epistolam pag.* 563 *scribit G præpositus Francofurtensis, cui illa respondit per adhortationem seriam ad mores corrigendos.*

superiores

126 *Epistolas olim editas, quæ huc spectant, hactenus recensui. Accedunt aliæ multæ apud Martenium tom.* 2 *Collect. Ampl. nuper vulgatæ. Hic col.* 1013 *scribit abbas Mulenbrunnensis* (*aliàs* Mulbrunnensis *in diœcesi Spirensi & in ducatu Wirtenbergico*) *petens litteras*, quibus instruatur, confortetur, consoletur corpus *ipsius* & anima. *Abbas S. Michaelis Bambergensis col* 1016, *morti sè propinquum credens, preces* S. Hildegardis
B *vehementer rogat, &* scripta consolationis. *Utrique sic rescripsit Sancta, ut ad virtutem hortetur, & institutionem utilem subministret. Pro consolatione primi in fine addit hæc verba:* Dominus non derelinquet te, sed dabit tibi refectionem salutis. *Alterum responsum concludit his verbis:* Vigila strenuè & surge in lumine, ut virgam ipsius, honestè in die feras: nam si exterior homo in flagello Dei aliquando fatigatur; interior tantò fortior exsurgit de fortissima vi, quæ te sustentare vult in circumeunte rota gratiæ suæ. *Abbas S. Eucharii Trevirensis col.* 1019 *ad Sanctam scribit, preces flagitans &* admonitoria verba. *Idem rursus col.* 1021 *litteris aliis exigit* litteras promissas, *& in fine addit:* Sed & etiam, quod tibi visum fuerit de negotio tibi commisso, rescribas. *In his de* S. Hildegarde *ita loquitur*, Quam Deus cum mirabili castitatis prærogativa tam alta & tam insigni mirificavit ingenii excellentia, ut non solùm philosophorum & dialecticorum, verùm etiam antiquorum prophetarum exsuperes acumina. *Ad priorem Epistolam* S. Hildegardis *apta rescripsit ad pascendum gregem monita, uti etiam ad secundam.*
C *In primo responso hæc de moribus abbatis illius præmittit:* Qui est, dicit: O homo, tu indutus es loricâ fidei, & circumamictus cingulo sanctitatis, velut homo faciem suam in speculo videt, non habens in hoc plenum gaudium, quia interdum dubitat, utrùm facies ipsius pulchra sit, an non. Nam mens tua similis est ædificio, quod à longè aspicitur, & quod nebula aliquando tegit. Sed & præceps es sicut sarcina, quam portator in venditione portat *&c. Ita bona & defectus regiminis ipsius præmittit in responso ad secundam.*

ad S. Hildegardem

127 *Abbas Bosonis-villæ in Lotharingia, cùm ob turbas in cœnobio suo ortas infamiâ laboraret cum monachis, col.* 1022 *ad* S. Hildegardem scribens, *flagitat super hoc* aliquod consolationis verbum, *& preces, quibus reconcilientur* Deo & hominibus. *Rescribens* S. Hildegardis, *cœnobii illius statum exponit, & ad emendationem hortatur. Nicolaus abbas Halesbrunnensis* (*Trithemio* in Heilsbronn) *insinuans, se solitum* S. Hildegardem *subinde visitare, col.* 1025 *litteras, quibus præmoneatur, petit, ac preces, quibus à malo eripiatur. Rescribit Sancta, ipsius intentionem laudans, ipsumque ad laborem adhortans. Addit alia quædam obscuriora. Hanc sequitur col.* 1027 *Epistola quinque simul abbatum Ordinis Cistercienſis, ac diœcesis Bisontinæ, videlicet Bellæ-vallis, Cari-loci, Clari-fontis, Caritatis & Bethaniæ. Hi duo diversa petunt, Sanctam priùs magnifico elogio ornantes. Primum sic exprimunt:* Quatenus aliqua nobis de nostro statu divinitus vobis revelari, nobisque insinuare curetis, humillimè deposcimus. *Alterum hoc modo:* Sed hæc mulier præsentium latrix, femina nobilis est, & cujusdam amantissimi viri uxor est. Hæc devotione multa venit ad te humilis & pedestris, cùm in equis & multo comitatu possit venire. Causa autem hæc est adventûs ejus. Jam multo tempore sterilis permansit, cùm tamen primùm pueros generavit; sed illis mortuis, & alios non gignens, dolore vehementi afficiuntur ipsa & maritus ejus. Hinc est, quòd ad te Ancillam & familiarem Christi confugit, habens fiduciam, quòd meritis & orationibus tuis obtineas apud Deum, ut possit adhuc fœcundari, & benedictum fructum ventris in prolis procreatione exhibere Christo *&c. Ad primum* S. Hildegardis *cum laude illorum abbatum egregia reposuit monita & documenta. Ad secundum ita respondit:* Quod verò matronam Dei adjutorio
E fœcundari petitis, hoc in Dei voluntate & potestate est; quia ipse novit, ubi prolem concedat, ubi prolem auferat... Ego enim, quoniam rogâstis, pro ipsa Deum orabo; sed ipse faciat, quod inde piè & misericorditer fieri disposuit.

scribunt,

128 *Abbas Eberburdæ, extra Germaniam positus, forsan Averbodiensis in Brabantia, cùm hujus abbatiæ nomen Belgicum & Gallicum utcumque cum* Eberburde *consonet, col.* 1029 *Epistolâ satis prolixâ, & elogiis plenâ, preces* S. Hildegardis *postulat. Hæc contrà hortatur, ut gregem suum diligenter pascat, & in se etiam oculos deflectat. Alius abbas, qui frequenter coràm egerat cum* S. Hildegarde, *quam cum antiquis prophetis comparat, col.* 1033 *petit* verba consolationis, *quibus* in procellis fluctuantem erigat. *Illa verò per varias figuras ipsum hortatur ad strenuè vigilandum*, antequam, *inquit*, umbra obitus tui appropinquet. *Præpositus de Flanheim* tunc Regularium, *ait Trithemius, diœcesis Moguntinæ, col.* 1033 *ita preces suas* S. Hildegardi *proponit.* Interim igitur accepta sit vobis, quæso, devotio mea: &, sicut dudum verbo rogavi, orate pro
F me ad Dominum, ut vobis revelet, quæ circa me sunt, quatenus de bonis reddere gratias, de malis verò dignis pœnitentiæ fructibus Deo satisfacere merear, antequam moriar. *Monet Sancta, ut strenuè vigilet, & ovile suum corripiat, hæc in fine addens:* O bone miles, nunc surge, quia gratia Dei ad te currit, & in æternum vives, ita quòd vivens lapis sis in cælesti Jerusalem. *Prælatus monachorum in Elvestat col.* 1037 *conqueritur de non accepto ad litteras suas responso, & preces* S. Hildegardis *postulat. Hæc verò rescribens, videtur in illo aliquid scrupuli improbare, illumque hortari ad sacrificandum, dicens:* Tu habes fiduciam cogitando in Filium Dei: sed tamen dubitas cibum illum frangere, quem ipse comedere vis in dictante mente tua *&c.*

preces,

129 *Prælatus in Selboth, in diœcesi olim Moguntina, col.* 1037, *magnis elogiis* S. Hildegardem *celebrans, non modò preces enixè flagitat: sed etiam hæc addit:* Neque enim dubito, quin omnia, quæ volueris, apud Habitatorem tui sancti pectoris Spiritum sanctum obtinere possis. Sed nec de hoc ambigo, quin omnem statum meum, & omnia, quæ circa me aguntur, præ-

te-

A terita, præsentia & futura, per præsentes litteras, ipso revelante, cognoscas. Unde, si ullo modo vilitas parvitatis meæ id petere præsumit, pedibus Sanctitatis tuæ toto animo & corpore submissus deprecor, ut pro eodem statu meo, sive ammonendo de præteritis atque præsentibus, sive præmonendo & cautum faciendo de futuris, & vitæ meæ fine, si id contrarium tibi non sit, per scripta tua animam meam lætificare ne dedigneris. *Respondit* S. Hildegardis *ad petita, non tamen ad omnia. Humilitatem verò ipsi maximè necessariam esse insinuat, & hanc addit rationem:* Quia Deus non habitat in illo habitaculo, quod in se ipso stare vult: sed amat domum illam, quæ se nescit, & dat illi unguentum optimum. *Præpositus in Herde col.* 1039 *ita ad Sanctam scribit:* Quas gratiarum actiones, Domina & Mater sanctissima, vestræ condignè referre poterimus pietati, quæ ad visitationem nostri monasterii, nec imbecillitatem nimiam corporis vestri attendere voluistis, nec difficultatem itineris præ nimia cordis vestri dulcedine abhorruistis: & rursum iterata visitatione nos lætificare studuistis. *Deinde preces flagitat &* rescripta. *Rescribens* S.
B Hildegardis *hortatur, ut in loco suo siet, acsi petiisset consilium de loco mutando, quod præsens fortasse fecerat.*

consolationem, monita,

130 *Præpositus Augustinianorum Hamelienſis in ducatu Brunswicensi, qui* S. Hildegardem *aliquando* inviserat, *diuturna corporis infirmitate fatigatus, preces &* scripta *Sanctæ postulat. Et hoc adjicit:* Finem laborum, si licet, Sanctissima, ut remandes, imploro. *Reposuit Sancta instructionem & adhortationem ad corporis infirmitates fortiùs & constantiùs tolerandas; sed laborum finem non memorat. Abbas in Wadego* (*apud Trithemium* in Wadegos: *Wadegotienſis designatur seu Vadegotienſis, Ordinis Præmonstratenſis in diœcesi Trevirenſi*) *col.* 1041 *vehementer Sanctam videre desiderans, visitationem ipsius flagitat, saltem* scripto *& precibus, si* nequit præsentia corporali. *Misit illa scriptam Epistolam, quâ hortatur ad cautelam & pœnitentiam. Sic præpositus in Undereſtlorf* (*Trithemio* in Elversdorff) *col.* 1042 *brevi Epistola* auxilium consolationis *à* S. Hildegarde *petens, responso ipsius monetur, ut Deum timeat, in ovibus pascendis fortitudinem adhibeat, & candorem in verbis. Præpositus Erfordienſis in Thuringia col.* 1049
C *commendat* familiarem *suum*, amore Dei *proficiscentem ad* S. Hildegardem, *cujus etiam preces flagitat. Rescripsit* S. Hildegardis *salutaria monita, inter alia dicens:* Cessa à peccatis tuis, quoniam Deus non vendidit te in perditione, sed requirit te in perdita ove, quæ revocata est ad vitam. *Hartmannus præpositus ecclesiæ metropolitanæ Moguntinæ col.* 1050 *postulat doceri, quid in se Deo displiceat, & quomodo illud emendare possit, Sanctam compellans his verbis:* Tibi enim cumulata felicitate concessum est, & sentire sapienter, & proferre utiliter. Stillantium auctoritas Scripturarum sedem invenit in te, manet apud te, & de te facit armarium *&c. Reposuit Sancta monitionem, ut fugeret duplicitatem, & alia quædam vitia, ita finiens:* Nunc autem ora & confide, quòd Deus non derelinquat te, & aurora citò ad te procedet in liberatione.

aliaque similia postulantes.

131 *Heldericus præpositus S. Simeonis Trevirenſis col.* 1051 *preces* S. Hildegardis *flagitat, eamque insigni celebrat elogio, cujus partem subjungo:* Multorum relatu, propriique corporis mei auditu suavissimum tuæ beatitudinis odorem hauriens, lætatus & admiratus sum in his, quæ dicta sunt mihi ... Quis enim umquam legit vel audivit, mulierem indoctam vel penitus illitteratam de profundissima abysso divinorum arcanorum tantas eructationes exhalare, de fluminibus aquæ vivæ tantam abundantiam sitientibus propinare? Verè mirabilis Deus, verè benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna solus *&c. Reposuit Sancta hortationem seriam, ad* rubiginem peccatorum *abstergendum*, antequam umbra mortis superveniat. *Præpositus in Knethstede, Ordinis Præmonstratenſis in diœcesi Colonienſi, col.* 1052, *multùm de Sancta confidens, quærit* remedium consolationis, *cupitque doceri*, quo ordine magis *placare possit* offensam divinæ Majestatis. *Rescribens Sancta hortatur ad magnam de Dei ope fiduciam.* Tu etiam, *inquit*, in ipsum confide, ita quòd omnia opera tua ante eum ponere non erubescas, & dic, sicut filius patri suo dicit, cùm delinquens corripitur, quòd prolis suæ in ipso non obliviscatur. *Præpositus Bonnenſis col.* 1059 *mirum in Sanctam declarat amorem, quia, ut dicit, ipse probaverat omnia, quæ antè de ipsa per famam audiverat. Respondens* S. Hildegardis, *egregiam mittit instructionem, hortans maximè ad mundi contemptum, & sic statim exordiens:* O homo, qui E
fæculum diligis, & qui illud in voluntate tua habes, in comprehensione morum tuorum tempestati similis es, quæ rarò pura est *&c.*

Abbatissæ

132 *Abbatissæ quoque complures ad* S. Hildegardem *recurrerunt, ut preces, consolationem, monita salutaria, aliaque similia ab ipsa impetrarent. Inter has prima occurrit Hadelheidis abbatissa Ganderheimnenſis, in ducatu Brunswicensi, olim Sanctæ discipula, quæ suum declarat affectum, preces pro se & pro grege suo petit, & venturam se* expedito tempore *ad Sanctam promittit*, ut ore, *inquit*, ad os loquamur, manu ad manum, quod bonum est, operemur; sicque antiqua stabilietur societas, quam in nobis confirmet Deus caritas. *Rescribens* S. Hildegardis, *hortatur, ut uni Deo constanter serviat. Altera abbatissa loci non nominati col.* 1057 *preces similiter postulat, &* consolationis litteras. *Hanc Sancta respondens hortatur ad constantiam, & fiduciam de Deo. Abbatissa in Wethderswinkele* (*Trithemio* in Wekerswinkel, *legendum* in Wechterswinkel, *eratque Ordinis Cistercienſis in diœcesi Herbipolenſi*) *col.* 1058 *cupit assumi in filiarum* S. Hildegardis *numerum, petitque ipsius orationes, &* litteras commonitorias, quas, *inquit*, pro Dei amore libenti F
animo semper observabo. *Huic Sancta sic respondet:* Vivens Lux dicit: Aridum fabulum inutile est, & terra, quæ per aratrum nimis frangitur, rectum fructum non dabit. .. Et sicca terra, quæ saxosa est, germinat spinas atque alias inutiles herbas. Sic incongrua abstinentia, quæ non habet justum modum & rectum statum, prosternit carnem hominis, quia non datur ei viriditas justæ refectionis: unde etiam homo arescit. Ubi hoc est, certè ibi peribunt volatiles virtutes, scilicet humilitas & caritas, pulcherrimorum florum; quoniam nimia abstinentia caret viriditate virtutum: sed ibi crescit ventosa fama inutilitatis, ibique insurgunt multi terrores, quasi sancti sint, & sancti non sunt. *Tota Epistola pergit idem argumentum pulchrè tractare. Abbatissa de Altena col.* 1060 *queritur de non acceptis diu litteris, easque petit. Respondet Sancta per varias parabolas, quibus hortatur ad fortiter Deo serviendum.*

complures

133 *Abbatissa S. Mariæ Ratisbonenſis col.* 1063 *sibi multùm gratulatur de notitia* S. Hildegardis, *quam sibi fuisse saluti declarat, imò & meritis i-*

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

pſius, in articulum mortis ruentem, *ſe ſervatam inſinuat. Sancta verò ipſam hortatur ad patientiam, monetque, ut ab ira caveat; atque inter alia ſcribit ſequentia:* In proximo enim tempore ipſe (*Deus*) caſtigando te admonuit, & ob aliquam cauſam, quam in te video, adhuc monebit de mala conſuetudine, quam tibi bonum eſt vitare. *Abbatiſſa in Koufungim* (*Trithemio* in Kegſungen) *col.* 1065 *hæc ad* S. Hildegardem *ſcribit:* Celebre factum eſt in ore omnium volumen illud volans, quod prophetæ datum eſt in eſcam, in tuo quoque ore.... requieſcere...Diſcurre autem, feſtina, excita Eccleſiam, imò principes Eccleſiæ... Virgam enim ab Aquilone ſuper iniquitatem vigilantem te vidiſſe, & gaudemus & contremiſcimus: unde & litteras tuas conſolatòrias recipere deſideramus *&c.* *Ad hæc nihil reſpondet* S. Hildegardis, *ſed ſeriò monet abbatiſſam de vita emendanda ante mortem, quam non longè abeſſe prædicit.* In ſpiritu, *inquit*, veraciter tibi dico: animam tuam cuſtodi.... Hoc ante diem mortis facito... Accipiter enim inimicus tuus circuit, tentans, quomodo animam tuam vulnerare poſſit. Ab illo te cuſtodi per ſtudium bonorum operum, & per abſtinentiam peccatorum, quia dies tui longa tempora non habent *&c.* *Abbatiſſa in Gerbeſtethde* (*apud Trithemium* in Gerbſtede) *col.* 1066 *preces* S. Hildegardis *flagitat.* Præterea rogo, *inquit*, ut aliquid mihi de libris veſtris tranſmittatis, omni devotione ſemper deſerviendum. *Reſcripſit Sancta diſſerens de lapſu Adami, & de Incarnatione Chriſti, qui hominem lapſum reparavit.*

B

134 *Abbatiſſa Montis S. Cyriaci prope Erphordiam col.* 1067 *enixè pro ſe ſuiſque flagitat preces* S. Hildegardis. *Hæc verò prædictæ abbatiſſæ caritatem non parùm laudat, ſed in ea requirit mentem magis quietam.* Omnia, *inquit*, quæ pro anima tua poſcis, implebo. Nunc ceſſa de inquieta mente, & quietem tibi aſſume. *Monet etiam, ne corpus nimiâ abſtinentiâ frangat, hac addita ratione:* Sæpe video, quando homo per nimietatem abſtinentiæ corpus ſuum affligit, quòd tædium in illo ſurgit, & tædio vitia ſe implicant, pluſquàm ſi illud juſtè paſceret. *Demum in fine hanc dat conſolationem:* Video animam tuam valde rutilantem in puro homine. *Abbatiſſa in Lubboldesberge* (*apud Trithemium* in Lubbelsberg) *col.* 1069 *conſolationem afflicta quærit; & hanc abundè obtinuit.*

varia

C

Num S. Hildegardis, *laudans ipſam, quòd abſtineret à peccatis, hæc ſubdit:* Unde video te ſicut rutilantem fulgorem ſolis per inſpirationem Spiritus ſancti, nec omnino exſilium perditionis; ſed aſpicientem ad ſolem ſicut aquilam per pœnitentiam, quæ dulciſſima mater eſt: & ideo Deus valde amat te. *Abbatiſſa alia loci non expreſſi col.* 1069 *queritur, multùm ſe affligi & periclitari* tentationibus malorum ſpirituum. *Repoſuit Sancta monitionem egregiam, cujus initium ſubjungo:* O filia Adæ, in vera viſione ſic docta ſum. Quicumque hoc facit, quòd voluntates corporis ſui relinquit, hic Abrahæ, qui patriam ſuam reliquit, & viro ſapienti, qui domum ſuam ſupra petram ædificat, aſſimilatur. Homo enim, qui in hac terrena vita aliam vitam colit, hujus vita angelica eſſe probatur, quia tempeſtas hujus ſæculi eum non movet, nec terroribus diabolicæ deceptionis proſternitur. Sed ſicut Abraham patriam ſuam reliquit, & præceptis Dei obedivit, ſic iſte carnalia deſideria ſua derelinquit, & præceptis Dei per eleemoſynas & orationes ac per alia bona opera obedit *&c.*

135 *Abbatiſſa Bambergenſis col.* 1072 *cupit* in conſortium fraternitatis *à* S. Hildegarde *recipi*, & commonitoriis litteris *confirmari. Reſcribens Sancta ipſam hortatur ad laborandum apud populum, & ad filias ſuas ſub diſciplina continendas. Abbatiſſa Veteris-monaſterii Moguntini col.* 1073 *ita* S. Hildegardem *alloquitur:* Si aliquantulùm, Domina mea, de infirmitate veſtra convaluiſtis, gaudeo: ſin autem, ex animo condoleo. *Preces inſuper petit, & litteras. Reſpondet Sancta:* Voluntas Dei quaſi in ſigno mortis me ſtraverat, velut anima mea de hoc ſæculo ſuſpiraret: ſed gratia Dei aliquantulùm me in novo dono nunc erexit. *Addit, Deo gratum eſſe commiſerationis affectum, ipſamque hortatur ad conſtantiam in Dei ſervitio. Abbatiſſa Nuſſimenſis* (*Trithemio* in Nuſia) *col.* 1076 *multùm ſollicita*, cauſam animæ *ſuæ ſe* S. Hildegardi *permittere ſcribit, &* reſcripta *petit. Hanc Sancta ad pœnitentiam hortatur, & ad bona opera, priuſquam moriatur, facienda. Abbatiſſa Colonienſis col.* 1077 *ad* S. Hildegardem, *quam habere matrem cupiebat, filiæ inſtar ſcribit, ut ab ea conſolationem obtineat. Repoſuit Sancta inſtructionem brevem, ut conſtans eſſet in bonis, ita ordiens:* Onus tuum in recto itinere firmiter porta, & oves tuas, quantùm potes, coërce: & hoc melius tibi eſt, quàm diverſa vagatio mentis. *Abbatiſſa de Didenkirkim* (*apud Trithemium* in Didenkirchen) *juxta Bonnam col.* 1078, *quam Sancta antè inviſerat, enixè rogat* commonitoria verba. *Reſcripſit* S. Hildegardis *inſtructionem ſatis prolixam ad rectè regendum, & ad mores ſuos corrigendum. Pauca ſolùm excerpo:* Cùm enim homo carnem ſuam moderatè paſcit, lætos & manſuetos mores habet. Sed cùm in nimietate ciborum & conviviorum vivit, unumquodque nocivum vitium in ſe pullulare facit. Qui autem per immoderatam abſtinentiam corpus macerat, ſemper iratus vadit *&c.*

D

à S. Hildegarde

E

136 *Abbatiſſa Auturnacenſis* (*apud Trithemium* prope Andernach) *col.* 1079 *varia inquirit de conſuetudinibus monaſterii* S. Hildegardis, *præmittens hæc verba:* Multorum namque teſtimonio didicimus, de ſecretis cæleſtibus plurima mortalibus intellectu difficilia & rara, vobis divinitus ad ſcribendum revelari, & quæque vobis agenda, non deliberatione humana, ſed Deo edocente ordinari. *Tum ita pergit:* Aliud etiam quoddam de conſuetudine veſtra ad nos pervenit, virgines videlicet veſtras feſtis diebus pro ornamento candidis quibuſdam uti velaminibus, coronas etiam decenter contextas capitibus earum deſuper impoſitas, & his utraque parte & retrò angelicas imagines inſertas, in fronte autem agni figuram decenter impreſſam: inſuper & digitos earumdem quibuſdam decorari anulis. Quæ omnia, ut credimus, ad amorem ſuperni Sponſi ducitis... Præterea, & quod in his omnibus non minùs mirandum nobis videtur, in conſortium veſtrum genere tantùm ſpectabiles & ingenuas introducere: quod nos plurimùm etiam admiramur *&c.* *De his omnibus, quòd nova viderentur, reverenter rationem petit abbatiſſa, aliquot etiam Scripturæ textus objiciens. Reſcripſit* S. Hildegardis *Epiſtolam prolixam, in qua rationes reddit de ornatu monialium ſuarum, & de inſtituto ſuo recipiendi ſolas nobiles, prout ibidem videri poterit. Abbatiſſa de Crouchdal* * (*alia viriſimiliter, quàm cujus Epiſtolam memoravi num.* 84, *cùm in altera* H *nomen indicet, in altera* A) *col.* 1082 *magno ſtudio flagitat, ut* S. Hildegardis *indicet, quo modo* pro exceſſibus *ſuis Deum placare poſſit. Reſcripſit Sancta longam inſtructionem, in*

F

petunt.

* Crutendal

qua

A *qua multas virtutes commendat, maximè caritatem, obedientiam & humilitatem.*

137 *Sanctimonialis quædam, litterâ* G *nomen suum indicans, olim discipula* S. Hildegardis, *sed diu ab illa & longè remota, verisimiliter quia ad aliquam dignitatem erat promota, suum in Sanctam amorem declarat his verbis col.* 1086: Quid scribam vel quid dicam tam unicæ tamque in Christo dilectissimæ Matri, penitus ignoro; quia ipsa vis amoris omnem mihi sustulit scientiam locutionis, immò etiam vinum mœroris, quo divina absentia tua me inebriari fecit, tantùm me afflixit, ut non solùm dictandi, verùm etiam vivendi mihi fastidium generârit. Melius enim mihi fore crederem numquam te vidisse, numquam te erga me tam benignam tamque materna viscera gerentem sensisse, quàm per tanta locorum spatia latè separata sine mora lugeo te quasi perditam. *Subjungit spem suam de ea adhuc videnda, & preces enixe flagitat. Ad hæc* S. Hildegardis *magna cum laude & consolatione illius virginis respondet, circa finem sic eam alloquens:* Nunc autem de te gaudeo, quia in te completa sunt, quæ de te audivi & desideravi, & tu mecum gaude... *Et*

B *concludens:* Gaude igitur & lætare in Deo tuo, quoniam in æternum vives. *Aliquis anonymus col.* 1088 *multùm se excusat, & veniam petit, quòd Sanctam diu non visitâsset, ne litteris quidem: & miram ipsius affabilitatem simul exprimit, dicens:* Quippe quem antea nec voce, nec habitu, nec facie, necdum etiam famâ agnitum, ut primùm veni, ... gratiâ vestri benignissimè recepistis, & statim vestri colloquii participatione, quòd magnum duco, recreare dignata estis. *Remisit Sancta brevem instructionem, quâ hortatur ad mundi contemptum. Monachus quidam Benedictinus col.* 1089 *flagitat preces,* & litteras correptionis, *addita hac ratione:* Credo enim per Spiritum, per quem cuncta, præterita, præsentia, & futura perspicis, etiam tibi patere secreta mei cordis. Verè numquam vidi diem mihi dulciorem, quàm ut ad tuam præsentiam pervenirem. Mallem namque nudis pedibus incedere pro sola verborum tuorum auditione *&c. Rescribens* S. Hildegardis, *desideria ipsius bona laudat, ipsumque instruit, ut sint puriora, ipseque sit fortis.*

138 *Alius anonymus col.* 1090 *preces* S. Hildegardis *flagitat his verbis:* Cognosco me pec-

religiosæ C câsse, orate pro me. Non quæro terrenum lucrum, non rem transitoriam, sed gratiam Dei mei, & salutem animæ meæ. Succurrite mihi *&c. Respondit Sancta hortando ad pœnitentiam, cujus quinque gradus assignat. Quidam frater col.* 1096 *queritur, peccatis se gravatum,* & blasphemiæ spiritu *circumvallatum. Huic* S. Hildegardis *instructionem remittit, in qua dicit:* Unde & homo, qui per scientiam boni & mali se multùm peccâsse recordatur, cùm ad Deum suspirat, denuo per pœnitentiam in Deo renascitur. *Decanus S. Martini Moguntini, cupiens videre iterum* S. Hildegardem, *magno cum affectu col.* 1102 *litteras ipsius petit, quibus consolationem obtineat. At illa utilia magis, quàm blanda, rescribere solita, seriò hortatur ad pœnitentiam, & orditur hoc modo:* De nimio cibo & de immoderato potu vini immoderata vitia crescunt, & caro etiam hominis sæpè languescit, ita quòd vix vivere potest. *Alius quidam congregationi præfectus col.* 1103 *se suamque congregationem precibus* S. Hildegardis *multùm commendat. Hæc verò rescribens, docet variis similitudinibus, à quibus in regimine suorum cavere debeat. Monachus*

* *al.* Mulbrunnensis *quidem Mulenbrunnensis* * *col.* 1104 *petit à* S. Hildegarde, *ut sibi mittat* aliquid de cælesti admonitione. *Misit revera ad ipsum Sancta elegantem instructionem, quâ egregiè docet, illos, quos præteritorum peccatorum pœnitet, & qui se emendare student, benignè recipi à cælesti Patre familias, non verò tædiosos, qui contra superiores suos obmurmurare volunt magis, quàm se emendare.*

Aliæ personæ

AUCTORE I. S.

139 *Monachus Ebrensis, Ordinis Cistercienſis, col.* 1107 *humillimis litteris orationes & verba consolationis à* S. Hildegarde *petens, responsum accepit, cujus hoc est initium:* Video, quòd Deus faciem suam à te non abscondit, sed cum flagellis suis te constringit, sicut ipsi placet. Item in animam tuam, & in gaudium corporis magnum lumen consolationis Dei venturum video, cùm ipse voluerit. *Addit alia similia; sed monet, ut quædam inutilia fugiat. Monachus quidam & presbyter col.* 1110 *multùm sibi gratulatur, quòd benevolè à* S. Hildegarde *fuisset exceptus, petitque sequentia:* De ceteris, *inquit*, quæ vobiscum secretiùs contuli, cùm opportunum fuerit, scriptis me certificare curabitis. *Rescribit Sancta pulchram parabolam de tribus mulieribus, quas ita explicat:* Nunc, fili mi, primam mulierem, & puellas ejus attende ... Prima enim mulier caritas est E cum puellis suis, videlicet benevolentia & largitate... Sed mulierem rugosam omni studio fuge.... Mulier rugosa... amor sæcularis est... Mulierem autem mercatricem ad te collige.... Mulier verò mercatrix philosophia existit, quæ omnem artem instituit, & quæ crystallum, id est fidem, invenit, cum qua ad Deum pervenitur.

variis instructiones petunt & impetrant.

§ X. Epistolæ quædam S. Hildegardis ad Philippum abbatem Parcensem, & hujus ad ipsam ex Ms.: gesta cum S. Gerlaco: aliæ Epistolæ seriùs ad Sanctam datæ cum responsis ejusdem.

Litteræ quædam S. Hildegardis ex Ms. huc missæ.

JOannes *Masius, abbas Parcensis, Ordinis Præmonstratensis, prope Lovanium, anno* 1641 *ad Bollandum transmisit tres Epistolas* S. Hildegardis *ad Philippum abbatem Parcensem, & unam Philippi ad* Hildegardem, *quam aliquando inviserat. Cùm autem duo abbates Parcenses contemporanei fuerint* S. Hildegardi, *qui ambo* Philippi *nomen habuerunt, meritò dubitarem, utrùm primus, an secundus fuerit Philippus, qui illud litterarum commercium cum Sancta habuit, nisi Epistolis addita esset hæc annotatio:* Fuit iste Philippus secundus abbas Parcensis ab anno Christi MCXLII usque ad annum MCLXV, vir non tantùm multùm pius, sed & doctus. Unde plurimos libros suo tempore in pergameno exscribi curavit, qui adhuc modò extant. *Inter hos numerantur* Visiones S. Hildegardis. *Fuit ille Philippus primus, sed inter abbates secundus, cui post breve alterius regimen Philippus II successit, ut hic æquè ac primus à* S. Hildegarde *litteras accipere potuerit. De Epistolis porrò huc missis tale testimonium dedit ipse Masius:* Copiæ supra positarum Epistolarum R. D. Philippi abbatis Parcensis ad S. Hildegardem, & S. Hildegardis ad ipsum R. D. Philippum, sunt extractæ & exscriptæ ex anti-

AUCTORE J. S.

quissimo codice bibliothecæ nostræ Parcensis, & de verbo ad verbum cum originalibus conveniunt. Quod testor hac x Octob. MDCXLI. Joannes Masius abbas Parcensis. *Dabo has Epistolas integras, quia necdum editas novi, & quia spiritum propheticum Sanctæ, quo absentia & abdita cognoscebat, egregiè manifestant. Non est omnino certum, quo scriptæ sint ordine. Eo igitur ordine singulas recitabo, quo exaratas utcumque innuit ipse contextus.*

Sancta scribit Philippo abbati Parcensi,

141 *Primæ ad Philippum scripsisse videtur* Hildegardis, *mittens ad ipsum mulierem quamdam pœnitentem, quæ non fuerat rectè confessa, & cui peccatum exponendum indicaverat, ut ex responso Philippi patebit. Hanc igitur Epistolam, lector, accipe:* Philippo abbati Hildegard. O Pater, qui in omni negligentia tua Deum times, & qui eum diligis, ita quòd pro quibusque inutilibus ad ipsum suspiras, tu ad Fontem aquæ vivæ curre, non solùm te, sed etiam alios infirmos, quos vulneratos vides, lavando; ipsisque vinum pœnitentiæ infunde, & eos oleo misericordiæ ungere non cesses. In hoc enim illum, qui vivus fons & integra rota est, imitaris, qui peccatores
B ad auxilium misericordiæ ejus confugientes comprehendit, impiosque ei contradicentes amaro judicio judicat. Circulum verò hujus rotæ nullus mons tangere valet, quoniam umbra ipsius super omnia excelsa est: nec ipse etiam ab ullis infimis obnubilari potest, cùm omnia excellat. Deus namque per nullum, nisi per seipsum, vivit: unde nec initium nec finem habet. Ideo quicumque ad auxilium gratiæ suæ confugerit, à beatitudine æternæ vitæ numquam deficiet; sed denuo per Deum vivum scintilla salvationis excitatur, quia ipse peccatoris mortem non vult, sed ut per eum vivere incipiat. Nunc autem, ô mitis pater, qui in vice Christi es, suscipe hanc mulierem, scilicet Idam, quæ occulta vulnera sua nondum perfectè manifestavit, & eam, ac cæteros ad te confugientes diligentissimè medicinâ pœnitentiæ percura, quatinus in rota veræ Trinitatis in æternum vivas. *Ida, de qua fit mentio, aut apud* S. Hildegardem *fuerat, & cum his litteris ad Philippum abbatem missa est, aut litteras ab* Hildegarde *acceperat. Certè ipsam monuit Sancta de peccato aliquo in confessione exponendo, ut liquet ex Philippi abbatis Epistola, quam subjungo.*

C 142 Philippus Dei gratiâ ecclesiæ beatæ Mariæ, quæ est in Parco Lovaniensi, dictus abbas, H. de Binga ancillarum Dei venerabili magistræ bonum salutis æternæ. Crede, Mater venerabilis, crede, Dilecta Deo, ex quo virtutum tuarum, quibus Ancillam suam divina Benignitas mirificavit, fama prædicante, notitiam habui, te dilexi, de te mihi sermo cum laudibus frequenter sine fastigio *, tu cordis mei meditatio fuisti sæpissimè. Hujus rei testis est labor itineris, quem assumpsi, ut venerabilem vultum tuum, speculum videlicet illuminatæ mentis tuæ, videre, & tecum loqui ore ad os possem. Deo gratias: quam quæsivi, quam diu multùm optaveram præsentiæ tuæ dulcedinem promerui, & collocutionis tuæ consortium indigno mihi non denegâsti. Sed doleo, quòd adquievi fratribus meis, qui mecum venerant, & nullam moram facere sinebant tecum, ut volebam. Sed spero, quòd adhuc te fruar in Domino, sive in præsenti vita, sive post eam, tuis orationibus amœna paradisi introductus. Ora igitur, Mater venerabilis, ora pro me amante, & venerante gratiam Dei in te, & pro congregatione fratrum & sororum, quam habeo regere, ut pacem & concordiam nobis Dominus tribuat, peccata dimittat, perseverantes in suo servitio faciat. De pœnitente autem muliere, Ida videlicet, voluntati tuæ, quam Dei credo, obedivi, pœnitentiam jungens * pro peccato, quod, Domino revelante, ad purum ei detexisti. Sed quia senio confecta, & legibus pœnitentiæ multo jam tempore confracta est, peto, ut, quomodo scis, & animæ suæ utile prospexeris, unde relevetur, ei impendas.

qui eidem rescribit de muliere, cui illa peccatum detexerat:

* *fortè* fastidio

* *fortè* injungens

D

143 *Ad hanc respondit, opinor,* S. Hildegardis *per Epistolam mox dandam, etiamsi in ea nihil dicat de minuenda aut protrahenda Idæ pœnitentia, quia id verisimiliter abbatis prudentiæ totum relinquere voluit. Epistolam præclara monita continentem subjungo.* Philippo abbati Hildegardis. Fides, quam homo per inspirationem Spiritus sancti ardenti corde ad Dominum habet, valde glorioſa est, cum in amplectione dilectionis invisibilia, tamquam ea, quæ visa delectant, amplectitur. Sic etiam laudabile est in te, quòd propter amorem Dei me debilem & indoctam fœmineam formam videre & audire dignatus es. Ventus enim de excelso monte flavit, coram ornatis civibus & turribus parvam pennam flatu suo E
movens, nullam per se possibilitatem * volandi, nisi per ventum, habentem. Quod nimirum Deus omnipotens idcirco facere curavit, ut ostenderet, quid per rem, quæ nec minima de se præsumeret, operari posset. Vos autem, qui in officio prophetarum, cui adjuncta est cura apostolici ordinis, viriliter statis, suffragium orationum vestrarum mihi, quam super stratum infirmitatis meæ usque adhuc decumbentem coràm positam vidistis, porrigite, ut in gratia Dei valeam permanere, quoniam nullam in me securitatem retinens, omnem spem meam & fiduciam in Dei solius misericordiam constitui.

altera Hildegardis

* *i. e.* potentiam

144 Nunc autem, ô pater, qui in vice Christi es, curam super oves congregationis tuæ cum virga præceptorum Dei habe, quibus eas corripias & regas, ne in superbiam eleventur: quod vitium assimilatur urbi, quæ supra petram nequaquam fundata est, ideoque ruendo destruitur, quoniam firmum fundamentum non habuit. Peccatores quoque, qualicumque crimine vulneratos, oleo misericordiæ frequenter inunge: nec in mala consuetudine peccatorum, velut quatriduanus Lazarus, feteant: cornuque salutis, id est, veræ humilitatis in omnibus tuis erige: (quæ virtus nubi saphirini F
coloris, per quam sol potenter fulget, comparatur) in hoc verum Solem, scilicet Filium Virginis, imitando: qui in summa humilitate ad terras descendit, in qua etiam ad dextram Patris sui ascendit. Ab eis etiam malam consuetudinem peccatorum abscinde, eosque hoc modo, velut monile, cum pretiosis lapidibus adornare satage, ut tu cum eis, & ipsi tecum, ad æternum gaudium pariter veniatis. Nunc autem gratia Spiritus sancti lucernam veræ charitatis omnipotenti Deo te efficiat: qui etiam pro adjutorio, quod animæ & corpori modò exhibes, æternam mercedem tibi donare dignetur.

ad Philippum Epistola:

145 *Quæ restat Epistola* S. Hildegardis *ad Philippum, rescripta est ad interrogationem ipsius, timentis ob signum, quod ei in celebratione divinorum acciderat, & de quo multùm sollicitus fuisse videtur. At hæc Epistola timorem facilè exemerit.* Philippo abbati Hildegardis. O bone & fidelis serve Dei, qui causam vel significationem signi Dei, nuper ostensi, pertimescens scrutaris, quod in scientia solius Spiritûs Dei est, qui initium

tertia ad eumdem.

A tium non habet, & cui nulla creatura assimilari valet, audi, quæ ad interrogationem tuam respondeo. Istud, quod tibi accidit, velut ramum, in multis ramusculis divisum, video. Quare non propter te solum factum est; sed etiam propter subditos tuos, & propter alios multos, ut corda eorum, qui hoc audierint, paveant, & negligentias suas corrigant, & non nisi cum timore & reverentia divina celebrent, ne ut * judicio Dei, vel irrisioni dæmonum ex permissione ipsius Dei subjaceant. Nam & istud ego factum esse vidi quadam irrisione aëreorum spirituum, permittente tamen Deo propter causas suprà dictas. Unde, dulcis & mitis pater, non conturberis: sed age Deo gratias, si causâ tui aliqui hoc audientes corrigantur. Et sacerdotale officium propter hoc ulteriùs agere non differas: sed confessione & pœnitentiâ purgatus, in celebratione Missarum Deo servire stude. Nunc ergo serve Dei, sine trepidatione gaude, & exulta in Domino, quia ipse Deus te amat, & animam tuam suscipiet. *Hactenus* S. Hildegardis *ad Philippum abbatem Parcensem.*

* *forte* vel

B *Sancta visionem habet de futura gloria*

146 *Cùm autem versemur in Belgio, lubet hoc loco referre, quid* S. Hildegardi *intercesserit commercii cum S. Gerlaco eremita, qui ipsius tempore vitam valde austeram duxit in ducatu Limburgensi, duobus ferè milliaribus Belgicis à civitate Trajectensi, & in hodierna diœcesi Ruræmundensi, ubi modò est cœnobium virginum Ordinis Præmonstratensis*, Sanctus Gerlacus *dictum. Auctor Vitæ S. Gerlaci, datæ ad* v *Januarii, cap.* 8 *ad propositum nostrum scribit sequentia:* Erat eo tempore in partibus Maguntiæ virgo quædam sanctissima, Hildegardis nomine, famosissima illa prophetissa Novi Testamenti, cum qua familiariter locutus est Deus, & ostendit ei secreta cælestia. Hæc per manum sanctæ memoriæ domini Henrici Maguntinensis archiepiscopi sacro velamine Domino consecrata, cùm nullis litteris, nisi tantùm Psalmis Davidicis esset erudita, per Spiritum sanctum edocta, de divinis oraculis & sacramentis sibi revelatis grandia edidit volumina..... Hæc per multa temporum curricula doctrinæ salutaris lampade sanctam Ecclesiam illuminavit, Epistolis ad diversas personas missis corroboravit, & claris miraculis illustravit.

C *S. Gerlaci, cui mittit coronam suam.*

147 Hæc igitur Christi Sponsa, dum Regem & Dominum dominantium sedentem in throno more solito in vera videret visione, & assistentium ei Sanctorum distinctos ordines & choros lustrando circuiret, inter confessorum splendidissimum chorum sedem conspexit lucidissimam, inæstimabili decore circumdatam, & mirificè adornatam. Et videns, vehementer super hoc admirata, didicit divino edocta oraculo, hanc gloriam & honorem sancto præparatam esse Gerlaco, qui S. Servatium quotidiana peregrinatione frequentaret in Trajecto. Hac revelatione Virgo Domini de meritis B. Gerlaci certificata, tota in ejus sacrum amorem succensa flagravit; & in signum perpetuæ, quam cum eo quandoque perceptura erat, societatis & felicitatis, coronam, quâ in die consecrationis suæ ab episcopo coronata est, ei transmisit: quæ hujus rei testis, devotè nunc usque in ecclesia nostra conservatur. *Hæc auctor anonymus quidem, sed S. Gerlaco & magis* Hildegardi *suppar, cùm cap.* 16 *narret, se egisse cum aliquo sene, qui S. Gerlacum viventem cognoverat.*

148 *Supersunt aliquæ illustrium virorum Epistolæ, necdum memoratæ, quas in hunc locum distuli, quia datæ sunt posterioribus* S. Hildegardis *annis, ut ex his perspiciat studiosus lector, insignem sanctitatis & sapientiæ cælestis famam, quâ circa annum* 1148 *Sancta inclarescere cœpit, usque ad obitum ejus continuatam esse. Rudolphus, aliàs Rodulfus episcopus Leodiensis ab anno* 1168 *usque ad* 1191, *in laudata Bibliotheca Patrum tom.* 23 *pag.* 547 *ad* S. Hildegardem *scribit*, in maxima mentis & corporis fluctuatione constitutus, *quia, ut fatetur, & alii scriptores consentiunt*, innumeris malis *Deum offenderat. Petit autem preces & rescripta Sanctæ* ad excitandam somnolentiam, *in qua erat, &* ut vel ultimam æternæ quietis *sortiretur* mansionem. *Rescripsit* S. Hildegardis, *hortando ad vitam bonam, & ad curam animarum, finitque Epistolam his verbis:* Deus te protegat, & animam tuam de æterna pœna liberet.

AUCTORE J. S. *Scribunt ad Sanctam Rodulfus Leodiensis episcopus,*

149 *Godefridus episcopus Ultrajectinus pag.* 548 *suum erga* S. Hildegardem *affectum declarat his verbis:* Soror charissima, ex quo primò te cœpi in Christi charitate diligere, nunquam memoria tua, super mel & favum dulcis, in animo meo potuit excidere. Cogit enim me in tuam dilectionem virtus Dei, quæ habitat in te, quæ operatur per te, quæ familiarem præ cæteris illi Sponso reddit te, qui æternaliter salvat omnes sperantes in se. Et quoniam charitas diffusa est in corde tuo, rogo te in charitate, quâ in omnes abundas, ut omni diligentia, omni conatu studeas Deum pro me exorare *&c. Reposuit* S. Hildegardis *adhortationem seriam & satis claram, ex qua nonnulla huc transfero:* Tu etiam populo adjutorium in vice Christi præbe, ne sis sicut tuba, quæ sonat, & non operatur. Sed esto bonus odor virtutum, ut in æternum vivas. Et dic; Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum seculi. Nam quando intelligis, quia in episcopali cathedra es, in omnibus viis tuis Deum lauda, in bonis operibus eum exalta, & præcepta ejus sine tædio iterando rumina, per fidem eum osculare, & in bonis operibus eum amplectere: in bona conversatione Deum tuum ipsum ostende, & in judiciis suis eum ut justum Regem magnifica, ita ut populum tuum rectè regas, & cum misericordia ungas, & noxiale crimen post te non trahas, scilicet ut munus pro justitia accipias: & sic invoca nomen ipsius, ut in omnibus his timorem ad ipsum habeas, quoniam Rex est, & hoc omnibus diebus vitæ tuæ facias *&c.* E F

Godefridus Ultrajectensis,

150 *Episcopus Pragensis, cujus nomen litterâ* H *innuitur, ad Sanctam etiam scripsit. Fuerit fortasse Henricus, qui episcopatum Pragensem adeptus certè non est, nisi sub finem vitæ* S. Hildegardis: *nam huic nullus alius Pragensium episcopus convixit cum illo nominis initio. Quisquis fuerit, ad Sanctam hæc scribit:* Dominum Deum nostrum magnificando glorificamus, cujus Spiritu illuminata, plurimorum tribulationibus consolando & sublevando subvenis; & fructum boni operis, eodem Spiritu cooperante, in multorum mentibus multiplicas, sicut etiam per plurima terrarum spacia de te referri audivimus. Unde Sanctitas tua noverit, quia magnum desiderium inest nobis te videre, atque colloquio tuo perfrui in Christo: sed magna difficultas locorum hoc fieri impedit. *Postulat deinde, ut* orationibus *suis subveniat,* & bona consilia *porrigat. Remisit* S. Hildegardis *monitionem seriam, quâ hortatur ad majorem in virtute constantiam, cùm*

episcopus Pragensis,

in

AUCTORE J. S.

in prosperis tum in adversis, quamque concludit hoc modo : Nunc tu, ô homo, qui circuis in moribus tuis per plateas vicissitudinum tuarum, & non ardenter intueris aspiciens in medicinam tuam & alterius; surge respiciens in Solem in recta moderatione, & lumen non fuge, illud abjiciens per austeritatem iniquitatis, quatenus non erubescas, quando summus Rex inquirit opera tua in sæculo tuo, & in æternum vives.

Arnoldus archiepiscopus Trevirensis,

151 *Arnoldus I, ab anno circiter* 1170 *archiepiscopus Trevirensis, suum erga* S. Hildegardem *affectum per litteras pag.* 550 *gratiosè declarat, testaturque ad episcopatum se promotum esse contra voluntatem suam. Hac igitur de re Sanctam consulit, ita scribens:* Sed quia nescimus, cujus vocatione [*adde* promoti] simus ad tale ministerium, hoc maximè anxietatem nobis infligit. Si ex Deo esse sciremus, crederemus, quòd qui cœpisset in nobis opus bonum, & perficeret. *Itaque & responsum de his, & crebras petit* S. Hildegardis *instructiones. Rogat etiam de energumena in Monte S. Ruperti liberata, de qua postmodùm agam. Nunc verò quid ad alia responderit Sancta, audiamus. Orditur illa hoc modo:* Tu arbor es à Deo constitutus, quemadmodum Paulus dicit: Omnis potestas à Deo est; quia secundum summum Magistrum per invocationem nominis sui omnis potestas nominata est. *Deinde incipit salutaria dare documenta, serióque monet, ut caveat à superbia, à cupiditate divitiarum, ab injustitia, à vanitate, ac ut virtutes amplectatur statui suo congruas. Tum subdit hæc verba:* Ego autem, ut jussisti, ad verum Lumen aspexi, & vix inceptionem bonorum operum adspicere potui. Tu quidem bona opera studiosiùs operare, ut postea per gratiam Dei plura scribam.

B

Philippus Colonienſis,

152 *Philippus archiepiscopus Colonienſis pag.* 550 S. Hildegardem *per litteras sic alloquitur:* Quamvis locorum diversitas mutui aspectus & desiderabilem collocutionis subtrahat gratiam; quos Christi charitas conjunxit, semper tamen tenebit animorum vicinitas. Unde est mihi desideratissimum, quòd in hoc anno, dum transitus viæ, & gratia te videndi diu desiderata occurrit. Sed ægritudo & tenuitas tui corporis cor meum & multorum in terra nostra, te in Christo amplectentium, turbavit & perculit, semper exoptantium vitæ tuæ sospitatem, veræque salutis æternitatem, *Tum laudat Sanctam, ut* perfusam divini charismatis munere, *& ut* in cælo conversantem; *petitque* ex occulto Dei *inquirat, sibique* commonitoria verba, prout Deus... donaverit, *transmittat. Paruit* S. Hildegardis, *misitque adhortationem satis claram, ex qua lubet nonnulla recitare.* Tu autem, qui lucida stella per episcopale officium appellaris, & qui de nomine summi sacerdotis radias, lumen tuum, quod verba justitiæ sunt, subditis tuis non abscondas; quoniam in corde tuo sæpè dicis: Si ego mihi subjectos verbis terrerem, molestum me haberent, quia eos superare non valeo. Utinam amicitiam eorum tacens retinere possem! Itaque sic dicere & facere tibi non expedit. Sed quid? Terribilibus verbis, propter episcopale nomen & corporis tui nobilitatem, eos, ut rapiens accipiter, non terreas; nec periculosis verbis, velut clavâ, eos percutias: sed verba justitiæ cum misericordia eis misce, & ipsos cum timore Dei inunge, proponens eis, quàm periculosa animabus & felicitati eorum injustitia sit. Certissimè, certissimè, certissimè, hoc modo audient te. Per

C

squalidos autem & instabiles mores te illis non admisceas, nec quid cuique placeat seu displiceat, inspicias: quoniam, si hoc feceris, minor ceteris coram Deo & hominibus apparebis: nam talia personam tuam non decent. *Hæc aliaque latiùs prosecuta, sic concludit:* Nunc, ô tu pater, qui in pastorali nomine es, paupertatem hominis hæc scribentis non dedigneris, quoniam ista non secundum me, nec secundum altum * hominem dictavi nec protuli: sed ea hoc modo scripsi, quemadmodum ipsa in vera visione, vigilans mente & corpore, vidi & audivi; quia, ut aliqua ad te scriberem, jussisti.

D

* *fortè alium*

& Philippus Flandriæ comes.

153 *Philippus Alsatius Flandriæ comes pag.* 552 *ad* S. Hildegardem *hæc scribit:* Vestra noverit Sanctitas, me paratum esse ad faciendum, quidquid scirem vobis placere, quia sancta conversatio vestra & vita honestissima sæpissimè meis insonuit auribus, omni famâ suavior.... Unde est, quòd ad Pietatis vestræ gratiam mitto præsentium latorem, fidelissimum servientem meum, qui pro me misero peccatore vobiscum loquatur, cùm ego tamen multò libentiùs ad vos venissem, & vobis locutus fuissem.... sed... ad hæc vacare non poteram. Instat enim jam tempus, quo aggredi debeam iter Hierosolymitanum,... super quo consilium vestrum mihi intimare dignemini per litteras vestras. *Postulat insuper preces* S. Hildegardis, *consiliumque, utrùm manere potiùs debeat in Terra sancta, an post expeditionem susceptam reverti ad suos. Rescripsit Sancta ad comitem instructionem, quâ ipsum maximè hortatur ad justitiam. Ultimam partem huc transfero:* Tu etiam pro omnibus negligentiis & peccatis, ac pro omnibus injustis judiciis tuis cum signaculo Crucis ad Deum vivum confuge, qui via & veritas est, & qui etiam dicit: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. Et, si tempus venerit, quòd infideles fontem fidei destruere laborant, tunc eis (quantùm per adjutorium gratiæ Dei potueris) resiste. Ego enim in anima mea video, quòd sollicitudo, quam de angustiis animæ tuæ habes, auroræ, quæ mane oritur, similis est. Unde Spiritus sanctus te in pura & vera pœnitentia ardentem solem efficiat, ut eum quæras, & ipsi soli servias, ita ut in summa beatitudine in æternum vivas.

E

F

§ XI. Sancta monasterium suum omni onere liberat: energumena ibi liberata: ob sepulturam cujusdam olim excommunicati Sanctæ ecclesia interdicto subjecta.

Sancta monasterii sui possessionem acquirit,

Acta num. 9 *&* 10 *testantur*, S. Hildegardem, *Deo jubente, effecisse, ut monasterium suum in Monte S. Ruperti careret omni onere, & ut nullum jus pro re temporali in illud haberet abbatia S. Disibodi; pro directione verò secundum Regulam S. Benedicti non aliter dictæ abbatiæ subesset, quàm quòd Religiosæ virgines ex illa abbatia directores & præpositos suos libera electione assumerent. De hisce* S. Hildegardis *in Opusculo ad congregationem sororum suarum, post Epistolas impressо, pag.* 594 *sic loquitur:* O filiæ,

AUCTORE J. S.

A liæ, quæ vestigia Christi in amore castitatis subsecutæ estis, & quæ me pauperculam in humilitate subjectionis propter supernam exaltationem vobis in matrem elegistis, non ex me, sed ex divina ostensione per materna viscera vobis dico: Locum istum, videlicet locum requietionis reliquiarum beati Roberti confessoris, ad cujus patrocinium confugistis, inveni in evidentibus miraculis per voluntatem Dei in sacrificium laudis, & in permissione magistrorum meorum ad ipsum perveni, & eum mihi & omnibus me subsequentibus cum divino adjutorio liberè attraxi. *Hæc initio fundationis facta sunt, probante & confirmante Henrico archiepiscopo Moguntino. Nam ab hoc fundationem confirmatam testatur Vita num.* 10.

ejusque reditus liberos ei vindicat,

155 *Quod verò adjungit ibi biographus, ab Arnoldo etiam archiepiscopo, qui anno* 1153 *Henrico successit, omnia fuisse confirmata, factum existimo, postquam abbas S. Disibodi aliquid juris attribuere sibi voluerat in bona monasterii S. Ruperti. Nam tunc* S. Hildegardis, *jubente & per morbum cogente Deo, fecit ea, quæ pergit narrare hoc modo:* Postea autem per admonitionem Dei ad Montem B. Dysibodi, à quo per

B licentiam secesseram, perrexi; & petitionem hanc coram omnibus ibidem habitantibus perfeci, scilicet ne locus noster & prædia eleemosynarum loci nostri ab illis essent ligata, sed soluta, quærens tamen in opportunitate utilitatis salvationem animarum nostrarum, & sollicitudinem regularis districtionis. Et secundum quod in vera visione percepi, ad patrem, videlicet ad abbatem loci illius, dixi: Serena lux dicit: Tu sis pater præpositi & salutis animarum mysticæ plantationis filiarum mearum. Eleemosyna earum nec ad fratres tuos pertinet; sed locus vester refugium earum sit. Si autem in contrariis sermonibus vestris perseverare volueritis, contra nos frendentes, eritis similes Amalechitis & Antiocho; de quo scriptum est, quòd templum Domini despoliavit. Quòd si aliqui inter vos in indignitate * sua dixerint: Allodia earum volumus imminuere: tunc ego, QUI SUM, dico, quòd pessimi raptores sitis. Si autem pastorem spiritalis medicinæ ipsis abstrahere tentaveritis, tunc iterum dico; quòd similes sitis filiis Belial, & in hoc justitiam Dei non inspicitis: unde & justitia Dei destruet vos.

* indignatione

C

ac filias suas monet, ut in eo post mortem suam pacificè maneant.

156 Et cùm ego paupercula forma his verbis prædictam libertatem loci & allodiorum filiarum mearum à præfato abbate & à fratribus ejus peterem, eam cum permissione codicis omnes mihi constituerunt. Cuncti autem, tam majores, quàm minores, hæc videntes, audientes, & percipientes, maximam benevolentiam ad ista habebant, ita ut etiam ad nutum Dei scriptis firmata sint. Unde fideles hæc discant, affirment, perficiant & defendant, quatenus benedictionem illam percipiant, quam Deus Jacob & Israëli dedit. *Hæc facta sunt, ut jam dixi, tempore Arnoldi archiepiscopi Moguntini, qui præfuit ab anno* 1153 *usque ad* 1160. *Porrò videtur* S. Hildegardis, *quando hæc scribebat, in spiritu prævidisse, dissensiones in monasterio suo orituras. Nam satis insinuat, post obitum suum fore, ut non eodem modo floreret, sollicitéque monet filias suas, ut à discordiis caveant. Verba Sanctæ subjungo:* Sed ô quàm magnum planctum hæ filiæ meæ post obitum Matris suæ habebunt, quoniam verba ejusdem Matris suæ ampliùs non sugent: & sic in gemitu & luctu per plurima tempora cum lacrymis dicent; Heu, heu! libenter Matris nostræ ubera sugeremus, si eam modò nobiscum præsentem haberemus. Quapropter, ô filiæ Dei, admoneo, ut charitatem habeatis inter vos, sicut ego Mater vestra à pueritia mea vos admonui... Spiritus sanctus vobis dona sua det, quia post finem meum vocem meam amodo non audietis. Sed vox mea numquam ducatur inter vos in oblivionem, quæ frequenter inter vos in charitate sonuit.... Unde si quis in hac turba filiarum mearum discordiam & discessionem hujus habitationis & spiritalis disciplinæ facere voluerit, donum Spiritus sancti avertat hoc de corde illius. Quòd si Deum contemnens, id tamen fecerit, manus Domini occidat illum coram omni populo, quia dignus est, ut confundatur. Quapropter, ô filiæ, locum istum, quem ad militandum Deo elegistis, omni devotione & stabilitate inhabitate, quatenus in eo superna præmia adipiscamini *&c.*

Electionem liberam præpositi seu directoris, scriptâ

157 *Non invenio, ullam deinde difficultatem* S. Hildegardi *creatam fuisse de possessione libera bonorum temporalium. Verùm abbas S. Disibodi, sive Helingerus iste fuerit, sive Helingeri successor, quod edicere nequeo, difficultatem movit, contra liberam electionem præpositi seu directoris. Scripsit ea de re* S. Hildegardis *ad Alexandrum Papam III, durante adhuc schismate, ita ut controversia illa certò figenda sit inter annum* 1159, *quo Alexander III electus, & schisma inchoatum, ac inter annum* 1177, *quo Fredericus imperator cum suis Alexandro se subjecit, & schisma finivit. Existimo tamen, rem contigisse aut post annum* 1170, *aut non diu ante illum annum, cùm quòd* S. Hildegardis *in Epistola sua dicat, Ecclesiam* diu *schismate laborâsse, tum quòd in scripto mox memorato, quod composuit, dum septuaginta erat annorum, id est, circa annum* 1168, *nullam de illa controversia faciat mentionem. His breviter de tempore observatis, audiamus controversiam ipsam ex Epistola* S. Hildegardis *ad Alexandrum III, quem pag.* 540 *alloquitur hoc modo:* Nunc, ô mitissime Pater, ego & sorores meæ genua coram Paterna pietate tua flectimus, orantes, ut digneris paupertatem pauperculæ Formæ respicere: quæ nunc in magna tristitia sumus, eo quòd abbas de Monte S. Dysibodi & fratres ejus privilegiis & electioni nostræ contradicunt, quam semper habuimus, de

E

F

qua semper magnâ cautelâ providendum nobis est, ne aliquatenus nobis tollatur; quia si nobis timoratos & religiosos, quales quærimus, non concederent, religio spiritalis omnino in nobis destrueretur.

ad Alexandrum III Epistolâ, obtinet S. Hildegardis,

158 Unde Domine mi, propter Dominum adjuva nos, ut vel electionem nostram obtineamus, vel alios, ubi possimus, qui nos secundum Deum & utilitatem nostram procurent, liberè quæramus & accipiamus. Nunc iterum rogamus te, piissime Pater, ne petitionem nostram, & etiam nuntios istos despicias, qui per fidelem amicum nostrum moniti, te petentes, ad nos diverterunt; & hoc, quod apud te obtinere quærunt, facias, quatenus post finem hujus vitæ, quæ ad vesperum jam declinat, in indeficientem lucem pervenias *&c. Obtinuit Sancta, quod cupiebat. Alexander tamen ad ipsam non rescripsit; sed ad Wezelinum præpositum S. Andreæ Colonienſis misit Epistolam, in qua habet sequentia:* Ex parte dilectæ in Christo filiæ nostræ Hildegardis, prioriſſæ Montis S. Roberti in Binga, & sororum ejusdem loci, ad nostram audientiam noveris perveniſſe, quòd, cùm magistrum sibi & præ-

AUCTORE J. S.

positum de monasterio S. Dysibodi, sicut consueverant, elegissent; abbas illius loci *, quæ de persona monasterii sui facta fuerat, concedere noluit, sed eamdem personam eis renuit adhuc assignare. Unde, quoniam prædictis sororibus in his, quæ ad salutem pertinent animarum, diligenter convenit provideri, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus utramque partem, cùm super hoc fueris requisitus, ad tuam præsentiam convoces, & rationibus super electione præpositi hinc inde diligentiùs intellectis, causam ipsam, justitia mediante, decidas. Et si prædictæ sorores de illo monasterio præpositum habere non potuerint, facias, ut saltem de alio habeant competentem. *Videtur accepisse Sancta, quod petebat; & verisimile est, abbatem S. Disibodi maluisse consentire electioni jam factæ, quàm permittere, ut præpositus ex alio cœnobio eligeretur.*

* *adde* electionem

quæ in schismate Alexandrum agnovit verum Pontificem.

159 *Porrò occasione Epistolæ* S. Hildegardis *ad Alexandrum observo, Sanctam in schismate adhæsisse Alexandro legitimo Pontifici, etiamsi archiepiscopatus Moguntinus tunc occupatus esset à Christiano, qui antipapæ & Frederico imperatori adhærebat, sed deinde Alexandro se submisit. De legitimo autem Alexandri pontificatu mentem suam in ipso Epistolæ initio sic declarat Sancta:* O summa & glorioſa persona, quæ primùm constituta es per Verbum Dei, per quod omnis creatura rationalis & irrationalis in genere suo facta est, tibi specialiter idem Verbum claves regni cælestis per indumentum humanitatis suæ, scilicet ligandi atque solvendi potestatem concessit. *Eumdem deinde hortatur, ut facilem se præbeat in venia schismaticis concedenda, si pœniteant, hæc scribens:* Sic & tu, ô mitis Pater, benignum Patrem imitare, qui pœnitentem filium, & ad se revertentem, saginatum vitulum propter illum occidens, cum gaudio susceptit....Et stella matutina, quæ solem diei præcucurrit, esto in ecclesia, quæ diu schismatis caligine confusa, lumine justitiæ Dei caret. Et tu ergo secundum zelum Dei corripe, & de oleo misericordiæ pœnitentes unge, quoniam Deus magis vult misericordiam, quàm holocaustum. *Hæc Epistola, opinor, occasionem erroris præbuit Trithemio, qui in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1150 *Alexandrum III ponit inter illos, qui ad* S. Hildegardem *scripserunt; nisi Alexander revera ad ipsam scripserit, & Epistola non sit edita.*

C

Cùm mulier nobilis energumena in monasterio

160 *Vita lib.* 3 *cap.* 2 *longam refert historiam de quadam muliere nobili, quæ multis annis à dæmone fuerat obsessa, ductaque ad varia loca Sanctorum celebrata patrocinio, nec tamen malo illo liberata, antequam venit ad monasterium* S. Hildegardis, *ubi dæmon mulierem tandem reliquit. Contigit hæc liberatio circa annum* 1170, *ut colligo ex Epistola Arnoldi archiepiscopi Trevirensis num.* 151 *memorata. Nam scripsit Arnoldus ad Sanctam, quando non diu electus erat archiepiscopus: (electionem Arnoldi figunt alii anno* 1169, *alii* 1170, *quod exactiùs investigare non est necesse.) & de liberatione illius energumenæ, tamquam de re recenti Sanctam interrogat his verbis:* Et scimus quòd Deus in loco sancto suo apud vos salutem operatus, obsessam misericorditer liberando, visitaverit plebem suam. Unde, ut modum liberationis obsessæ nobis rescribatis,.... attentissimè rogamus. *Ad hæc* S. Hildegardis *ita respondit:* In illa autem, quæ obsessa fuit, multa mirabilia vidimus, quæ modò per scripta proferre non possumus: sed cognovimus, quòd diabolicus sufflatus de die in diem usque ad recessum suum defecit: & eadem mulier à fatigatione diaboli liberata est: & etiam infirmitate, quam antè in se non cognovit, tunc occupata est. Sed nunc vires tam corporis quàm animæ plena sanitate recepit.

D

S. Hildegardis maligno hospite liberata esset, interrogata

161 *Mulier illa videtur fuisse Colonienſis, dictaque* Sigewize. *Certè decanus ecclesiæ Colonienſis Sanctorum Apostolorum ipsam optimè noverat, & pro filia habebat, ut discimus ex ipsius ad* S. Hildegardem *Epistola, in qua pag.* 577 *hæc scribit:* Ex die, quâ nobis innotuit, quòd sororem, imò filiam nostram specialem, dominam Sigewizen, in vestræ Beatitudinis consortium collegistis, non solùm nos, immò universa Colonienſium civitas, nutu Dei ad pietatis amorem succensa est. Inde est, quòd jam manifestè per omnes terminos terræ nostræ à cunctis proclamatur: Ecce odor dominarum de S. Roberto, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Benedictæ itaque sitis à Domino, quæ in modico & humili vestro monticulo ea opera pietatis celebrâstis, quæ cunctæ sublimitates montium, universæque vallium nostrarum latitudines celebrare, non dicimus, non potuerunt, sed neglexerunt. Audivimus siquidem nuperrimè, fama prodente, quod ille hostis antiquus per orationes vestras ejectus sit. Quod si ita est, obsecramus, modum & ordinem ejectionis nobis rescribendo significetis, quatenus vobis congaudeamus, & perpetua vobiscum devotione Deum collaudemus. Ipsam quoque dominam Sigewizen, sicut familiariùs cognoscimus, ita specialiùs salutamus, devotas in Christo orationes promissas renovantes, & easdem ab ipsa expectantes.

E

Sancta, liberationem bonis operibus multorum attribuit.

162 *Humillimè respondit Sancta, multorum simul bonis operibus ejectionem dæmonis attribuens, & sic ordiens:* Deus opus suum fecit, sed illud uno modo non constituit. *Deinde docet, Deum varia variorum bona opera ad unum finem dirigere. Tum subjungit:* Sic etiam in hac muliere, de qua quæritis, gestum est: pro qua alti & altiores, parvi & minores, cum laboribus & orationibus unum dixerunt, & singulatim clamaverunt, secundum quod Spiritus sanctus eos hoc officium docuit. Nam quidam per suspiria misericordiæ, & quidam per orationes & vigilias pro ipsa laboraverunt: quidam etiam jejunia & castigationem in corpore suo sustinebant: multi quoque pro ipsa eleemosynas dederunt; & maxima turba cum adjutorio cujusque boni, quod facere potuit, se ad ipsam declinavit: & aliqui in magno studio sine tædio hoc perfecerunt, & ita omnes ad Deum pro ipsa simul adspiciebant, quemadmodum etiam dies circulum suum complet. Nunc autem cum laude simul dicamus: Gloria tibi, Domine. Benedictio Dei in gratia ipsius super vos sit, & super omnes, qui super illam misericordiâ moti sunt, quoniam ipse Dominus dicit: Misericordiam volo, & non sacrificium. *Hæc læta sanè erant; sed modò alia referam, quæ non potuerunt non gravissimum Sanctæ dolorem creare.*

F

Cùm in cœmeterio S. Hildegardis sepultus esset juvenis olim excommunicatus,

163 *Tempore schismatis duo erant de archiepiscopatu Moguntino contendentes, alter nimirum legitimus, & adhærens Alexandro III Papæ, erat Conradus; alter verò Christianus per Fredericum imperatorem intrusus, qui tamen archiepiscopatum postea retinuit, & anno* 1177, *quando pax inita est inter Alexandrum & Fredericum, cedente Conrado, Christianus ab Alexandro Papa confirmatus est, ita ut ab eo tempore legitimus fuerit archiepiscopus Moguntinus, & cùm Alexandro*

A *dro III conjunctissimus. Mansit autem Christianus in Italia aliquot annis post pacem initam, & interfuit concilio Lateranensi, quod inchoatum est anno 1179, die 2 Martii. Ante illud concilium, verisimiliter anno 1178, juvenis aliquis, qui antea fuerat excommunicatus, sed dudum absolutus, in cœmeterio* S. Hildegardis *fuit sepultus. Hac de causa prælati Moguntini, qui pro absente archiepiscopo ecclesiam illam administrabant, mandatum miserunt* S. Hildegardi, *ut corpus illud juberet exhumari, vel abstinere à divinis in ecclesia sua celebrandis. Quomodo mandatum illud exceperit Sancta, exponit in scripto, inter Epistolas edito pag. 563, quod hunc habet titulum:* Ad prælatos Moguntinenses propter divina per illos interdicta. *Illud scriptum sic inchoatur:* In visione, quæ animæ meæ, antequam nata procederem, à Deo opifice infixa est, coacta sum ad scribendum ista, pro ligatura, quâ à magistris nostris alligatæ sumus propter quemdam mortuum, conductu sacerdotii sui apud nos sine calumnia sepultum.

sed postea absolutus; ipsaque corpus illius ejicere jussa non pareret,

164 Quem post paucos sepelitionis suæ dies cùm eumdem magistri nostri nos à cœmeterio nostro ejicere jussissent, ex hoc non minimo terrore correpta, ad verum Lumen, ut solita, aspexi, & vigilantibus oculis in anima mea vidi, quòd, si juxta præceptum ipsorum corpus ejusdem mortui efferretur, ejectio illa in modum magnæ nigredinis ingens periculum loco nostro minaretur, & in similitudine atræ nubis, quæ ante tempestates & tonitrua apparere solet, nos circumvallaret. Unde corpus ejusdem defuncti, utpote confessi, inuncti, & communicati, & sine contradictione sepulti, nec efferre præsumimus, nec consilio seu præcepto istud suadentium vel jubentium acquievimus, non consilium proborum hominum, aut prælatorum nostrorum omnino parvi pendentes: sed ne Sacramentis Christi, quibus ille vivens adhuc munitus fuerat, injuriam sævitate fœminea facere videremur. *In Examine de miraculis, infrà dando, num. 6 dicitur ille* injustè *fuisse excommunicatus, ut suspicio oriatur, excommunicatum fuisse tempore schismatis, & fortasse quia defendebat partes Alexandri III, legitimi Pontificis. Additur ibidem de* S. Hildegarde, *quando ejiciendus erat ille sepultus:* Ipsa tumulum ejus baculo suo signo Crucis signavit, & sic sepulcrum ejusdem adhuc non poterat inveniri.

C *ecclesia interdicto subjicitur. Hoc verò ubi aliquo tempore servârat,*

165 *Redeo ad scriptum* S. Hildegardis, *quæ pergit hoc modo:* Sed ne ex toto inobedientes existeremus, à divinarum laudum canticis hactenus secundum eorum interdictum cessavimus, & à participatione Dominici Corporis (quoniam per singulos ferè menses ex consuetudine frequentavimus) abstinuimus. Super quo dum magna amaritudine tam ego quàm omnes sorores meæ affligeremur, & ingenti tristitia detineremur, magno tandem pondere compressa, verba ista in visione audivi: Propter verba humana, Sacramenta indumenti * Verbi mei, quod salus vestra est, & quod in virginea natura ex Maria Virgine natum est, dimittere vobis non expedit: sed inde vobis à prælatis vestris, qui vos ligaverunt, licentia quærenda est. *Hujus mandati ratio additur. Tum verò subjungit Sancta:* In eadem quoque visione audivi, quoniam in hoc culpabilis essem, quòd cum omni humilitate & devotione ad præsentiam magistrorum meorum non venissem, ut ab eis licentiam communicandi quærerem, maximè cùm susceptione illius mortui culpâ non teneremur, qui omni Christiana rectitudine munitus à sacerdote suo, cum tota Pingensi processione sine contradictione cujusquam sepultus esset. Et ita hæc vobis dominis & prælatis nuncianda, mihi divinitus imposita sunt. Aspexi etiam aliquid super hoc, quòd vobis obediendo hactenus à cantu divini officii cessantes, illud tantummodo legentes remisse celebramus, & audivi vocem à vivente Luce procedentem de diversis generibus laudum, de quibus David in Psalmis dicit: Laudate eum in sono tubæ *&c. Pergit hîc multa proferre de cantu sacro, quem diabolo exosum affirmat.*

* *i. e.* Corporis

AUCTORE J. S.

prælatis innocentiam suam scripto exponit,

166 *Deinde verò ad prælatos Moguntinos hanc dirigit monitionem:* Quapropter summâ vigilantiâ vobis & omnibus prælatis satagendum est, & antequam os alicujus ecclesiæ laudes Deo canentium per sententiam claudatis, vel eam à tractandis vel percipiendis Sacramentis suspendatis, causas, pro quibus hoc faciendum sit, diligentissimè priùs discutiendo ventiletis. Et studendum vobis, ut ad hoc idem zelo justitiæ Dei, non indignatione vel injusto motu animi, seu desiderio ultionis trahamini: & cavendum semper, ne in judiciis vestris circumveniamini à sathana, qui hominem à cœlesti harmonia, & à deliciis paradisi extraxit. Pensate itaque, quoniam, sicut Corpus Jesu Christi de Spiritu sancto ex integritate Virginis Mariæ natum est, sic etiam canticum laudum secundum cælestem harmoniam per Spiritum sanctum in Ecclesia radicatum. Corpus verò indumentum est animæ, quæ vivam vocem habet; ideoque decet, ut corpus cum anima per vocem Deo laudes decantet .... Qui ergo Ecclesiæ in canticis laudum Dei sine pondere certæ rationis silentium imponunt, consortio angelicarum laudum in cælo carebunt, qui * Deum in terris decore suæ laudis injustè spoliaverunt, nisi per veram pœnitentiam & humilem satisfactionem emendaverint. Qui ergo cæli claves tenent, districtè caveant, ne eis & claudenda aperiant, & aperienda claudant, quia judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet; nisi, ut ait Apostolus, præsint in sollicitudine *&c. Plura non addo ex illo scripto, quod longissimè productum est, quia nihil ferè præterea habet, quod pertinet ad hanc controversiam, imò cùm omnia deinde sint moralia, suspicor, non unum esse Sanctæ Opusculum, sed multa variis occasionibus ad Moguntinos scripta in fine huic addita fuisse.*

E

* *fortè* quia

F *instanterque flagitat, ut tollatur interdictum,*

167 *Hoc* S. Hildegardis *scriptum tale est, ut administratores ecclesiæ Moguntinæ non videantur sine insigni duritia negare potuisse, quod petebat. Etenim non solùm venit Moguntiam, ut laudatum scriptum offerret, sed etiam probare voluit, sepultum in cœmeterio suo dudum ante mortem fuisse absolutum. Vel sic tamen, non nisi interposita auctoritate archiepiscopi Colonienſis ad tempus obtinere potuit, quod cupiebat, ac deinde in easdem reducta fuit angustias. Hæc omnia habemus ex litteris* S. Hildegardis, *ad Christianum archiepiscopum in Italia degentem anno 1179 datis, in quibus pag. 542 Sancta factum exponit his verbis:* O mitis pater, cùm prælati nostri Moguntini mortuum juvenem, ante mortem suam ab anno diu absolutum, & omnibus Christianæ fidei Sacramentis munitum, sicut etiam antè in litteris tibi insinuavi, apud nos sepultum, à cœmeterio nostro ejicere nos jussissent, vel à Divinis nos cessare, ego ad verum Lumen, ut soleo, aspexi: & in illo Deus mihi præcepit, ne unquam voluntario consensu meo ejiceretur, quem ipse à sinu Ecclesiæ in gloriam salvationis deputandum susceperit; quoniam nigredo magni periculi nobis in-

AUCTORE J. S.

inde proveniret, eo quòd contra voluntatem ejus Veritatis esset. Si enim iste timor omnipotentis Dei mihi non obstitisset, eis humiliter obedissem, & quemcumque in nomine tuo, qui dominus & advocatus noster es, eumdem mortuum jussissent efferre, si excommunicatus non esset, servandum jus Ecclesiæ grata voluntate concessissem.

quod tandem obtinet, patrocinante archiepiscopo Coloniensi.

168 Cùm autem per aliquod tempus non sine magno dolore & tristitia cessassemus, in vera visione animæ meæ à summo Judice (cujus præcepto resistere ausa non fui) pondere gravissimæ infirmitatis coacta, ad prælatos nostros in Moguntiam veni, & verba, quæ in vero Lumine videram, ut ipse mihi præcepit, scripta repræsentavi, quatenus in illis cognoscerent, quæ voluntas Dei in hac causa esset. Veniam quoque coram ipsis, qui tunc aderant, amaris lacrymis petens ab eis, flebiliter & suppliciter misericordiam quæsivi. Sed cùm eorum oculi ita caligâssent, ut nullo respectu misericordiæ me respicere potuissent, plena lacrymis ab eis discessi. Sed cùm plurimi homines super nos misericordiâ moverentur, licèt pro voluntate sua nos adjuvare non possent,

B fidelis amicus meus, scilicet Colonienſis archiepiscopus, ad ipsos in Moguntiam venit, & quodam milite libero homine assistente, qui sufficientibus testibus probare voluit, quòd ipse & prædictus mortuus, adhuc in corpore vivens, cùm pariter in eòdem excessu fuissent, pariter etiam ab anno, eodem loco, eâdem horâ, ab eodem sacerdote soluti essent, eodem sacerdote etiam, qui eos absolvit, præsente, ab eis cognita hujus rei veritate, idem præsul de te præsumens, licentiam celebrandi divina usque ad reditum tuum securè in pace obtinuit. *Hæc ad Christianum archiepiscopum* S. Hildegardis, *quæ ab eodem ante illam controversiam humanissimas acceperat litteras, hoc modo pag.* 542 *à Christiano conclusas:* Nos autem vobis in omnibus necessitatibus vestris adesse, ac in omnibus prodesse, prout Deus donaverit, pro certo sciatis. *In iisdem Sanctam antè sic alloquitur:* Et quia divino Spiritu te inspiratam cognoscimus, exhortatoria verba tua desideramus *&c. Ad hæc quoque responderat* S. Hildegardis *per egregiam adhortationem ad curam pastoralem, docens episcopi esse gregem suum pascere.*

C *Deinde renovatur interdictum jussu ab sentis archiepiscopi, ad quem Sancta supplex scribit.*

169 *Attamen, sive Moguntini administratores nimis exacerbati fuerint in* S. Hildegardem, *quòd ipsa tempore schismatis se satis declarâsset pro Alexandro III, sive nimis ægrè tulissent, quòd non statim obedivisset præcepto de exhumando homine excommunicato, Christianus archiepiscopus renovavit interdictum, instigantibus procul dubio vicariis Moguntinis. Nam* S. Hildegardis *in Epistola priùs laudata, post verba jam recitata, sic pergit:* Cùm autem, dulcissime domine, fiduciam maximam de tua misericordia haberemus, per eosdem prælatos nostros post reversionem suam à Roma è synodo litteras tuas Divinorum interdictorias accepimus: quas, ut paternæ pietati tuæ confido, numquam misisses, si veritatem hujus rei agnovisses. Sicque, mitissime pater, in priori ligatura multò majori dolore & tristitiâ tuimet ipsius jussione constitutæ sumus. Unde in visione animæ meæ, in qua numquam me aliquo verbo turbâsti, jussa sum corde & ore dicere: Melius est mihi incidere in manus hominum, quàm derelinquere præceptum Dei mei. Ergo, mitissime pater, obsecro te in amore Spiritus sancti, ut propter pietatem æterni Patris, qui pro salute hominis in suavi viriditate misit Verbum suum in Virginis uterum, plangentium & dolentium filiarum tuarum lacrymas despicere non velis, quæ ob timorem Dei tribulâtiones & angustias hujus injustæ ligaturæ sustinemus. Spiritus sanctus infundat tibi, ut ita super nos misericordiâ movearis, ut etiam tu post finem vitæ tuæ pro hoc misericordiam consequaris. *In hac eadem Epistola* S. Hildegardis *orditur à gratiarum actione de litteris gratiosis, quas antea à Christiano acceperat; indeque fiduciam sibi ortam dicit ad causam ipsi exponendam, hæc subjiciens:* Unde, bone domine, nos famulæ tuæ, quæ sedemus in tristitia tribulationis & angustiæ, in spiritu humilitatis pedibus tuis provolutæ, causam intolerabilis doloris nostri in pura veritate lacrymabiliter tibi aperimus eâ fiduciâ, quòd ignea charitas, quæ Deus est, tibi inspiret, ut cum paterna pietate lamentabilem vocem, quâ in tribulatione nostra afflictæ ad te clamamus, misericorditer exaudiri * digneris. *Hactenus* S. Hildegardis, *cujus Epistolam hanc si quis rectè consideret, non minùs fortem reperiet, quàm humilem & supplicem. Non possum sanè non admirari, tam duriter actum fuisse cum Sancta; præsertim postquam absolutio excommunicati abundè videtur probata fuisse, curante archiepiscopo Coloniensi. Ut autem magis etiam miretur studiosus lector, totum Christiani archiepiscopi responsum subjungo.*

* exaudire

D

E

Hic verò respondens blandis utitur verbis,

170 Christianus D. G. Moguntinæ sedis archiepiscopus, reverendæ & in Christo dilectæ dominæ Hildegardi, & universis sponsis Christi, cum ipsa Deo famulantibus, de virtute in virtutem ascendere, & Deum deorum in Sion videre. Etsi in admiranda ac laudanda potentia Dei & Salvatoris nostri clementia, minimè sufficientes, imò prorsus indigni simus, tuo tamen, ut digni efficiamur, charissima in Christo Domina, sedulo confisi suffragio, illum gratiarum actione prosequimur, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendens, utpote à Patre luminum, cui in anima tua dignè complacuit, & eam vero & inæstimabili lumine suo illustravit, cujus gratia præveniente & subsequente collatum est sanctæ devotioni tuæ cum Maria ad pedes Domini sedere, & supernæ Hierusalem visionibus vacare. Hæc manifesta sanctæ conversationis tuæ indicia & stupenda veritatis testimonia, ita animam nostram, charissima in Christo Domina, tuis jussionibus, ne dicam precibus, obligatam tenent, ut quidquid umquam sanctis votis tuis accedere noverimus, ad hoc cordis nostri intentionem meritò inclinare debeamus, sperantes, & summam post Deum in tua Sanctitate fiduciam habentes, nos sanctissimo odoramento orationum tuarum gratiam Dei prævenientem & subsequentem percipere, & hanc peccatricem animam nostram tuæ Sanctitatis interventu clementiam Creatoris sui, sibi tandem placitam, invenire. Inde est, quòd super tribulatione & afflictione, quam ex suspensione Divinorum unà tecum facer conventus sustinet, tanto arctiùs vobis condolemus, quantò evidentiùs innocentiam vestram in hac parte perpendere valemus.

F

interdictumque tolli jubet, probata sepulti absolutione.

171 Verùm quia constat Ecclesiæ, sepultum apud ecclesiam vestram defunctum in vita sua excommunicationis sententiam incurrisse, dum adhuc eidem Ecclesiæ de absolutione ipsius incertum extitit, vobis interim propter statuta sanctorum patrum (non evitanda) clamorem cleri declinare & scandalum Ecclesiæ dissimulare, periculosum nimis fuit, donec idoneo testimonio bonorum vi-

A rorum in facie Eccleſiæ illum abſolutum fuiſſe comprobetur. Proinde veſtræ, (ut dignum eſt) afflictioni ex intimo corde compatientes, eccleſiæ Maguntinæ reſcripſimus in hunc modum, ut, ſi bonorum virorum veraci aſſertione de abſolutione præfati defuncti ei oſtenſum fuerit, divina vobis officia celebrari præcipimus, rogantes & obnixè Sanctitati veſtræ ſupplicantes, quatenus, ſi ex culpa noſtra vel ignorantia vos in hac parte moleſtavimus, petenti veniam non ſubſtrahatis miſericordiam: & Patrem miſericordiarum exorare dignemini, ut ſanos & incolumes nos veſtro ſancto conſpectui & eccleſiæ Maguntinæ repræſentet, ad honorem Dei & eccleſiæ veſtræ, & ſalutem animæ noſtræ. Conſervet vobis Dominus ſanitatem & ſanctitatem. *Hactenus Chriſtianus archiepiſcopus, vir multis naturæ dotibus ornatus, ſed miles potiùs, quàm epiſcopus. Invaſerat ille archiepiſcopatum Moguntinum tempore ſchiſmatis, expulſo Conrado legitimo archiepiſcopo, anno 1165. Ab eo tempore ſemper aut rebus bellicis aut politicis occupatus fuit, non ducis tantùm, ſed & militis ſubinde officium exercens. Inita anno 1177 pace inter Alexandrum Papam & Fredericum imperatorem, hortante fruſtrà* S. Hildegarde, *ut Chriſtianus ad eccleſiam ſuam veniret, manſit tamen in Italia, rebus plerumque bellicis occupatus, & illo ipſo anno, quo datam Epiſtolam ſcripſit ad* Hildegardem, *cum clade ſuorum captus eſt, & biennio in carcere detentus, ac demum anno 1183 in caſtris defunctus. Hæc fuſiùs relata videri poſſunt in Moguntiacis Serarii auctis, & Francofurti impreſſis anno 1722, tom. 1 pag. 569. Si miles ille epiſcopus tanti faciebat* ſtatuta ſanctorum patrum non evitanda, *poterat ea tanto rectiùs ſibi occinere*, quanto evidentiùs, *ut fatebatur*, innocentiam *Sanctæ* perpendere *valebat.*

B

§ XII. Varia S. Hildegardis itinera, & loca, ubi fuit, expoſita. Fundat cœnobium Eibingenſe.

Sancta multos etiam viva voce docuit & monuit:

NOn *litteris tantùm ſcriptis* S. Hildegardis *Chriſti fideles, Religioſos maximè & clericos, ad pietatem inſtituere conata eſt, ſed viva etiam voce accedentes ad ſe erudiebat. Horum autem ingentem fuiſſe multitudinem teſtatur Vita num.* 19, *ubi auctor ait*, ex omni tripartita Gallia atque Germania *confluxiſſe* ad eam undique utriuſque ſexus populorum examina. *Hominum non vulgaris notæ, qui ex longinquis Germaniæ, Galliæ & Belgii partibus ad Sanctam profecti fuerunt, varia in recenſendis Epiſtolis ſe nobis obtulerunt exempla. Vidimus inſuper*, S. Hildegardem *in variis locis fuiſſe, & ubique dediſſe monita ſalutaria. De hiſce Vita num.* 44 *ſic habet:* Inter hæc etiam illud de ipſa eſt notabile, quòd Coloniam, Trevirim, Metim, Herbipolim, Babenberg, Spiritu divino non modò acta, ſed coacta, veniens, clero & populo, quæ Deus voluit, annunciavit: & in Monte ſancti Diſibodi, Siberg, Eberbach, Hirſaugia, Swifelden, Mulenbrunnen, Rudenkyrchen, Kitzingen, Crutendal, Herde, Werde, Andernacho, in Monte S. Mariæ, in Elſim & Winkelo, quæ ad utilitatem animarum pertinebant, juxta ea, quæ ei Deus revelaverat, manifeſtavit. *Loca hic nominata, & alia aliunde addenda, oſtendunt, Sanctam itinera inſtituiſſe ſatis longa ad varias Germaniæ partes, ita ut procul dubio multum temporis itineribus illis inſumptum fuerit.*

excurrit in Franconiam ad varia loca,

173 *At dubitari poteſt, utrùm* S. Hildegardis *eodem tempore conſequenter tot civitates, aliaque loca adiverit, an diverſis temporibus, modò proficiſcendo verſus unam partem, modò verſus aliam. Secundum mihi apparet veriſimilius: imò ſatis etiam certum eſt, aliquas excurſiones* S. Hildegardis *non poſſe conjungi cum itinere Colonienſi & Trevirenſi. Etenim ex Epiſtola Frederici imperatoris, num.* 53 *memorata, habemus, Sanctam certè ante annum* 1159, *& veriſimiliter ante annum* 1155 *fuiſſe Ingelhemii cum Frederico, & ibidem nonnulla ipſi prædixiſſe, quæ impleta erant ante* 1159. *Eodem forſan tempore, quo fuerat Ingelhemii, Sancta profecta eſt in Franconiam. Nam ibi fuerat, antequam ad ipſam ſcribebat abbas Ebracenſis, de cujus Epiſtola egi num.* 65. *Manricus autem in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum* 1155 *num.* 4 *exiſtimat, Epiſtolam Adami abbatis Ebracenſis ſcriptam eſſe circa dictum annum, idque admodùm veriſimile eſt; & non longè à vero abeſſe poteſt, cùm obitus Adami abbatis figatur anno* 1161. *Quare videtur Sancta in Franconia fuiſſe inter annum* 1150 *&* 1160, *& conſequenter credibile eſt, ipſam eo tempore fuiſſe Herbipoli, & Bambergam, quæ antiquo nomine* Babenberg *in Vita vocatur, uſque perveniſſe. In eodem etiam itinere viſerit cœnobium monialium Benedictinarum Kitzingenſe, quod paucis milliaribus ſupra Herbipolim ad Mœnum erat ſitum, ſed poſtea ab hæreticis deſtructum eſt, ut docet Ignatius Gropp in Collectione rerum Wirceburgenſium diſſert.* 6 *num.* 8, *ubi addit, monaſterium illud modò inhabitari ab Urſulinis. De Epiſtola abbatiſſæ Kitzingenſis ad Sanctam egi num.* 83.

E

venit Coloniam, variaque invisit cœnobia,

174 *Alio veriſimiliter itinere excurrit* S. Hildegardis *ad partes Germaniæ Inferioris, & Coloniam uſque pervenit. Fuit autem Coloniæ, quando Philippus, qui anno* 1167 *aut* 1168 *factus eſt archiepiſcopus, illius eccleſiæ erat decanus. Videtur igitur iter figendum inter annum* 1160 *&* 1167: *nam etiam innuit num.* 92, *Eccleſiam jam aliquo tempore diviſam fuiſſe, ſchiſmate, opinor, quod anno* 1159 *exortum eſt, antequam Colonienſibus prædiceret ea, quæ num.* 90 *& ſeqq. videri poſſunt. In eodem itinere inviſerit procul dubio cœnobium Sigebergenſe inſtituti Benedictini, quod in diœceſi Colonienſi ultra Rhenum ad Sigam amnem ſitum eſt, non longè à Bonna oppido. In Vita quidem* Siberg *ſcribitur; ſed leviuſcula illa nominis mutatio ſcrupulum movere non debet, præſertim cùm aliàs frequenter* Sigberg *& etiam* Siberg *vocetur. Sigebergenſes affectu ſpeciali, tamquam matrem proſequebantur* S. Hildegardem, *ut patet ex ipſorum Epiſtola, de qua egi num.* 105. *In diœceſi etiam Colonienſi eſt* Werde, *abbatia Ordinis Benedictini, Latinè* Werthina, Werdena *aut* Werda, *quam* S. Hildegardis *legitur inviſiſſe. Multò longiùs itaque progreſſa eſt: nam* Werthina *eſt ad confinia comitatûs Marchiæ, & ad Ruram flumen ſita. Attamen & aliud fuit cœnobium in diœceſi Colonienſi* Werda *dictum, ſitumque ad Rhenum duobus aut tribus milliaribus infra Duſſeldorpium, ubi modò oppidum vulgò* Keyſerſweert, *ſive* Cæſaris Werda *nominatum. Alterutrum certò viſitaverit Sancta. Ad oppoſitam planè partem diœceſis Colonienſis, & in limite ferè Trevirenſis ad Rhenum, eſt* Andernachum, *aliàs* Antenacum

F

AUCTORE J. S.

dictum, ubi etiam in illo itinere fuit S. Hildegardis. *Propè Antenacum erat cœnobium feminarum, cujus abbatissa ad Sanctam scripsit, ut vidimus num.* 136. *Tale quoque cœnobium erat in* Didenkirchen *juxta Bonnam: nam abbatissa in* Didenkirchen *scripsit ad* S. Hildegardem, *ut dictum est num.* 135. *Quantùm verò præsentia ipsius Sanctæ ibidem placuisset, liquet ex laudata Epistola. Abbatissa enim apud Martenium col.* 1078 *monita flagitans, hac utitur ratione:* Me etenim ex his corroborari, dum præsens aderatis, opportuno tempore proposuistis. *Tum subdit:* Præterea, si non ampliùs audeo rogare, utar tamen precibus Cananeæ, quæ respondebat Domino in Euangelio, dicens: Quòd etiam catelli edant de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Eadem fidei devotione vos secundariò rogo, ut de mensa vestra, id est, de visione illa, quâ multa mirabilia frequenter videtis, mihi valde desideranti de suprà dictis summatim apponatis *&c. Ex hac porrò Epistola, uti & ex aliis quibusdam, certò habemus, plura monasteria fuisse visitata à Sancta, quàm quæ exprimuntur in Vita. An etiam plura ex memoratis in Vita spectent ad diœcesim Colonien-*

B *sem, aut ad hanc* S. Hildegardis *excursionem, edicere nequeo, cùm aliquorum situm non satis certò inveniam.*

pergit Treviros & Metas,

175 *Treviris fuisse* S. Hildegardem in diebus Pentecostes, *novimus ex Epistola cleri Trevirensis ad Sanctam, num.* 93 *laudata. At de anno, quo ibi fuit, nihil certi reperio. Browerus quidem in Annalibus Trevirensibus, aliique ipsum secuti, existimant* S. Hildegardem *anno* 1160 *venisse Treviros: sed nullam aut rationem aut conjecturam illius epochæ assignat. Quapropter mihi annus est incertus, & æquè incertum, utrùm ante an post iter Colonien-*

C *se Treviros venerit Sancta. Verumtamen, cùm in fine Epistolæ ad Colonienses Sancta dicat,* Per duos annos valde fatigata sum, ut coram magistris & doctoribus ac cæteris sapientibus in quibusdam majoribus locis, ubi mansio illorum est, vivente voce ista proferrem; *cùm his, inquam, duorum ferè annorum itinera insinuet; suspicor intra biennium & Coloniam & Treviros venisse Sanctam, & ad alia loca, ita ut duorum annorum spatio frequenter fuerit in itinere, licèt subinde ad monasterium suum redire potuerit. Verùm, quidquid sit de tempore, id certum est,* S. Hildegardem *Trevirensibus æquè ac Colonien-*

sibus multa tam mala quàm bona prædixisse. Quod autem credit Browerus, illa fuisse impleta in schismate, quo anno 1183 *per septennium divisa est ecclesia Trevirensis, nequaquam admittendum videtur, nisi de malis citò venturis, quæ modica tantùm futura dixerat. Nam præcipua mala & bona, quæ prædicebat, diu post superventura, ipsa clarè satis insinuat. Porrò Treviris Metas proficisci potuit* S. Hildegardis. *Certè ipsam Metis fuisse Vita testatur; sed non invenio, quid ibi nominatim egerit.*

lustrat aliquot monasteria diœcesis Moguntinæ,

176 *Inter majores civitates, ad quas* S. Hildegardis *profecta est, Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1160 *ponit etiam Moguntiam, de qua tacet Vita. Non dubito, quin fuerit aliquando Moguntiæ, cùm illam in itinere pertransire potuerit; an verò ibi quoque ea manifestaverit, quæ in aliis civitatibus, ob silentium biographi, minùs est certum. Certius est, ipsam in variis Moguntinæ diœcesis monasteriis fuisse, variaque sibi à Deo revelata ibidem manifestâsse. Hac de causa fuit in Monte S. Disibodi, ubi erat educata. Quantum verò ibi emendationis fructum suis monitis produxerit, jam dictum est ex Epistola abbatis* D *num.* 112. *In eadem diœcesi est* Everbach, *ut in Vita scribitur, aliàs* Eberbach, *abbatia Cistercien-*

sis, jam sæpiùs memorata, sitaque in Rhingavia. Hanc & facilè, utpote non longè distantem, adire poterat Sancta, & cum fructu sua enuntiare, cùm monachi Eberbacenses monita ipsius maximi facerent, ut liquet ex ipsorum Epistola num. 108 *commemorata. Tertium cœnobium diœcesis Moguntinæ, quod adivisse* S. Hildegardis *dicitur, in Vita est* Rudenkyrchen, *aliàs* Rodenkirchen, *quasi* Rubea ecclesia. *Erat abbatia Ordinis Præmonstratensis, & diœcesis Moguntinæ, ut clarum fit ex aliquot epistolis Pontificiis apud Martenium tom.* 4 *Collect. Ampl. col.* 468 *& seqq.: nam hæ inscribuntur episcopis Wormatiensi & Spirensi,* ac dilecto filio abbati monasterii in Rodenkirchen, Præmonstratensis Ordinis, Moguntinæ diœcesis. *Hoc jam observatum erat in Gallia Christiana tom.* 5 *col.* 600, *sed ulterior illius monasterii situs ibidem non adjungitur.* In Winkelo *etiam fuisse dicitur* S. Hildegardis, *quo nomine designari monasterium diœcesis Moguntinæ existimo. Certè ad ripam Rheni in Rhingavia inter Bingium & Moguntiam est vicus* Winkel, *qui aliquando* Vinicella *Latinè dicitur. Erat* E *ibi prope abbatia* Mons S. Joannis *dicta, de qua videri potest Gallia Christiana tom.* 5 *col.* 582. *An aliud etiam in Winkel fuerit monasterium, me latet.*

ibique fundat monasterium Eibingense.

177 *Ad eamdem Rheni partem uno tantùm milliari à suo cœnobio* S. Hildegardis *aliud monasterium fundavit, nec dubitandum est, quin illud sæpiùs inviserit. In Actis inquisitionis de miraculis num.* 8 *hæc secunda fundatio breviter sic exprimitur:* Præterea trans flumen Rheni ad unam leucam aliud monasterium fundavit, ubi triginta præbendas instituit; *id est, censum sufficientem triginta monialibus. Nomen loci* Hibingen *exprimitur ibi num.* 3, *diciturque* S. Hildegardis *iisse* ad villam Hibingen, ubi monasterium etiam fundaverat, *atque in transitu Rheni puellæ, quæ cæca erat nata, visum dedisse, aquâ Rheni oculos ejusdem lavans. Tempus illius fundationis expressum nullibi invenio. In Gallia Christiana tom.* 5 *col.* 654 *mentio fit monasterii Eibingensis in catalogo abbatissarum Montis S. Ruperti, quæ se cum suis monialibus Eibingam receperunt, quando seculo* XVII *cœnobium S. Ruperti à Suecis in cineres fuit redactum. Hoc contigisse anno* 1632 *asseritur, in-* F *deque abbatissæ utriusque monasterii titulum sumpserunt, nimirum* Montis S. Ruperti & Eibingæ, *ut adjungitur. Situs verò & fundatio ibi sic exprimuntur:* Porrò Eibingense hoc monasterium, S. Giselberti memoriæ sacrum, situm est in Rhingavia, proximè Rudesheimium, montana versus, ab ipsa B. Hildegarde excitatum, fuitque semper titulo prioratûs pathenoni Rupertino subjectum adunatumque. *Majores nostri, Henschenius & Papebrochius anno* 1660 *Eibingæ fuerunt, & ab abbatissa, cum monialibus ibi tunc degente, perhumaniter excepti fuerunt, ut ipse Papebrochius notavit in Itinere suo Romano Ms.*

proficiscitur in Sueviam, & aliqua

178 *Excurrit etiam* S. Hildegardis *in Sueviam. Etenim inter monasteria, quæ invisit, duo certè reperiuntur in Suevia, Mulbrunnum videlicet in ducatu Wirtenbergico, & in diœcesi Spirensi situm, vulgò* Maulbron *dictum; & Hirsaugia, eidem inclusa diœcesi, sed situm paulò longius in Silva Nigra. De adventu* S. Hildegardis *ad cœnobium Hirsaugiense agit Trithemius ad annum* 1160, *atque ab illa ante discessum hæc verba ad Hirsaugienses fuisse prolata:* Lux divina negli-

gen-

A gentias filiorum ſuorum valde odit & deteſtatur, quia nemo rectè ſervit Deo, qui ſpiritum torporis & negligentiæ non penitus à corde ſuo repellit. Et ideo dicit vobis Lux illa, quæ omnia poteſt: Conſiderate ſemitas veſtras, & nolite declinare à via recta, quoniam expetivit vos ſatanas ad tentandum, & niſi cautè ambulaveritis in timore Domini, citò & velociter ſuſcitabit vobis gravem in medio veſtri perturbationem. *Non negaverim ejuſmodi monita Hirſaugienſibus à Sancta fuiſſe data; at non exiſtimo, iis prædictam fuiſſe diſcordiam, de qua egi num.* 106 *&* 107, *quia mihi perſuadeo, hanc Sanctæ excurſionem ſeriùs fuiſſe ſuſceptam. Magis credo, verum eſſe, quod de ulteriori* S. Hildegardis *itinere Trithemius ſubjungit his verbis:* Ab Hirſaugia digrediens ſponſa Chriſti religioſiſſima Hildegardis, ad cœnobium Swifaltenſe noſtri Ordinis proficiſcitur, & tam monachis quàm virginibus Chriſti tunc ibidem commorantibus verbum à Domino ſibi commiſſum fideliter annuntiavit.

illius provinciæ loca viſitat,

179 *Hæc, inquam, vera eſſe opinor, licèt iter illud ſatis prolixum non uno tractu veriſimiliter abſolverit, & fortaſſe adierit loca quædam intermedia. In Vita quidem monaſterium illud vocatur* Swifelden, *non* Swifaltem, *ut modò paſſim dicitur; ſed, præmiſſa diligenti inquiſitione, eumdem utroque nomine locum deſignari puto. Situm autem eſt cœnobium* Swifaltum, *vulgo* Swifaltem, *in diœceſi Conſtantienſi, & in montibus Sueviæ, ad rivum geminum concurrentem, & paulò inferiùs, aliquot milliaribus ſupra Ulmam, Danubio ſe miſcentem. De Epiſtola abbatis* Zwifaltenſis, *qui* Zwinieldenſis *ſcribitur apud Martenium, egi num.* 75. *De Epiſtola Prioris & monachorum, qui ibidem* de Zwifelda *ſcribuntur, & de monialium* Swifeldenſium *litteris diſſerui num.* 109. *Ex tribus illis Epiſtolis, & maximè ex illis, quibus* S. Hildegardis *ad ſingulas reſpondit, apertè colligitur, diſciplinam in duplici illo virorum & mulierum cœnobio multùm fuiſſe relaxatam eo tempore, ipſoſque monachos & moniales modum quæſiviſſe, quo reformarentur. Itaque dubitari vix poteſt, quin* S. Hildegardis *tantum iter ſuſceperit, ut diſciplinam collapſam in illo monaſterio reſtitueret. Non alios autem eſſe* Swinieldenſes, Swifeldenſes *aut* Swifildenſes, *quàm* Swifaltenſes, *de quibus agitur, ob has rationes exiſtimo. Primò* B *Trithemius, qui omnes* S. Hildegardis *Epiſtolas vidit, inter abbates, qui ad ipſam ſcripſerunt, recenſet* Swifaltenſem, *& nullum alium ſimilis nominis. Secundò idem docet, Sanctam ibidem fuiſſe, licèt Vita habeat, eam fuiſſe in* Swifelden. *Tertiò* Swifaltenſe *cœnobium erat duplex, virorum & feminarum. Tale erat etiam* Swifeldenſe *dictum, cùm tam monachi quàm moniales ad Sanctam ſcripſerint. Quartò multùm quæſivi, an abbatia aliqua Swifeldenſis reperiretur in Germania præter Swifaltenſem; nec ullam aliam reperire potui. Quintò demum in Spicilegio eccleſiaſtico Germaniæ part.* 3 *pag.* 864 *& ſeqq. aliqua edita ſunt decreta, ad cœnobium Swifaltenſe ſpectantia, in quibus video nomen illius abbatiæ ſeculo* XII *&* XIII *variè ſcribi: nam variis vicibus vocatur* Swifulda, *aliàs* Swiveltum, *ſed ſapiùs* Swifalten.

& ſalutaria multis dat monita:

180 *In eodem itinere* S. Hildegardis *videtur veniſſe ad oppidum* Kircheim, *quod Sueviæ eſt in ducatu Wirtenbergico, vulgò* Kirchen *modò dictum. Nam Sanctam ibi quoque fuiſſe, multaque & gravia de futuris temporibus prædixiſſe in Kircheim, liquet ex iis, quæ narrata ſunt num.* 98 *& ſeqq. Porrò ex initio viſionis, quam Sancta ſi-gît anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, videtur ſatis evinci, totum illud* S. Hildegardis *iter in Sueviam contigiſſe aut illo ipſo anno* 1170, *quo viſionem ibi verbis prolatam, & poſtea ſcriptam, habuerat, aut certè non diu pòſt. Ceterùm ſi incolæ ducatûs Wirtenbergenſis velint attentè conſiderare, quæ* S. Hildegardis *in Kircheim prædixit de ejiciendis ſacerdotibus, & de locis ſacris abſcindendis, divitiiſque eccleſiarum auferendis, videbunt, impleta eſſe, quæ illa ſeculo* XII *futura dixerat. An in illo itinere plura monaſteria inviſerit Sancta, mihi non conſtat. Reſtant certè alia, quæ in Vita aſſeritur adiviſſe. At hactenus invenire non potui, ubi terrarum illa fuerint ſita; præter ultimum mox in diœceſi Moguntina memoratum.*

alia quædam monaſteria, à S. Hildegarde luſtrata:

181 *Primum ex illis in Vita vocatur* Crutendal, *in Epiſtolis* Crouchdal. *Erat abbatia feminarum, eaque in Germania, ut nomen Germanicum inſinuat. Epiſtolam abbatiſſæ in Crouchdal, in qua ait, ſe* S. Hildegardem *vidiſſe præſentem, recenſui num.* 84, *& alteram quoque alterius forſan illius monaſterii abbatiſſæ num.* 136. *Secundum ex illis monaſteriis eſt* Herde. *Bucelinus in Germania ſacra part.* 2 *pag.* 44 *ait,* Herde *eſſe* E *præpoſituram Ordinis Præmonſtratenſis. Idem ſcribit Hugo in Annalibus Præmonſtratenſibus tom.* 1 *col.* 816, *laudans Trithemium in Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1150, *ubi habet in editione Francofurtenſi* Præmonſtratenſium. *Verùm in editione poſteriore anni* 1690, *quæ accuratiùs facta eſt typis S. Galli,* Regularium *dicitur præpoſitura, & locus* Herad *ſcribitur, ita ut res ſit valde incerta. Attamen certum eſt,* S. Hildegardem *bis in Herde fuiſſe, &* iterata viſitatione *illius monaſterii Religioſis gaudium attuliſſe, ut ex Epiſtola Præpoſiti ad ipſam, de qua egi num.* 129, *intelligitur. Tria poſteriora cœnobia, de quibus nihil invenio in Epiſtolis, ſic in Vita exprimuntur:* In Monte S. Mariæ, in Elſim & Winkelo. *De* Winkelo *egi num.* 176; *de aliis nihil habeo dicendum.*

Sancta Pariſios & Turones profecta.

182 *Ceterùm ad itinera* S. Hildegardis, *modò ex Actis & Epiſtolis memorata, accedit aliud ſatis longinquum in Galliam. Hoc in Vita omnino prætermiſſum eſt. At Acta inquiſitionis in virtutes & miracula* S. Hildegardis *num.* 9 *&* 10 *teſtantur, ipſam fuiſſe peregrinatam ad ſepulcrum S. Martini, ſive ad civitatem Turonenſem, &* in F *illo itinere veniſſe Lutetiam Pariſiorum, ubi ſcripta ſua dedit examinanda, quæ, ubi Turonibus Pariſios redierat, examinata recepit, ut infrà dicetur. Iter illud hiemali tempore, aut ſaltem autumnali ſuſceptum, cùm in Octava S. Martini, ſive circa medium Novembris fuerit Pariſiis, quò rediit menſe Januario. De anno illius peregrinationis non conſtat; certum tamen eſt, ſub finem vitæ ſuæ eam à Sancta ſuſceptam eſſe, cùm anno* 1233 *adhuc duo teſtes viverent, qui Pariſiis ſacræ theologiæ ſtudebant, quando ibidem fuit Sancta. Itaque, cùm inter annum* 1173 *&* 1233 *ſint anni ſexaginta, veriſimilius eſt, poſt annum* 1173 *ibidem fuiſſe Sanctam, quàm antè, ne dicere neceſſe ſit, teſtes illos fuiſſe octogenariis majores.*



AUCTORE J. S.

§ XIII. Scripta S. Hildegardis multorum elogiis celebrata: scriptorum enumeratio: aliqua eidem afficta.

De Sanctæ dono prophetico sive scientia arcanorum communis erat seculo XII perjuasio,

QUanta fuerit fama sapientiæ divinæ S. Hildegardis *viventis, quanta existimatio de scientia ipsius prophetica, sive de cognitione quorumlibet arcanorum, abundè vidimus ex Epistolis ad ipsam scriptis. Epistolas enim ultra centum & triginta recensui ad Sanctam datas, & pleraſque personarum minimè vulgarium. Adeo autem inveni omnes elogiis ipsius insignes, ut vix ulla sit, quæ testimonium non dicat, aut certè persuasionem non insinuet, de cognitis à* S. Hildegarde *occultis iis, ad quæ scientia hominum non solet pertingere. Vitæ quoque scriptores de visionibus Sanctæ, & de scientia rerum arcanarum clarissima dant testimonia. Accedunt Acta anno 1233 composita ad inquirendum in virtutes & miracula* S. Hildegardis: *nam in hisce plurimi rursum testes communem illam opinionem suis testimoniis confirmant. Eodem ferè tempore vixit scriptor Vitæ S. Gerlaci, cujus elogium de* S. Hildegarde *dedi num. 146. Vocatur ab ipso* famosissima Prophetissa Novi Testamenti, cum qua familiariter locutus est Deus. *Asseritur* per Spiritum sanctum edocta, de divinis oraculis & sacramentis sibi revelatis grandia *edidisse* volumina, & doctrinæ salutaris lampade sanctam Ecclesiam *illuminâsse &c. Ex Chronico Alberici monachi, qui etiam seculo* XIII *floruit, jam aliqua de sanctitate & scriptis propheticis* S. Hildegardis *antea recitavi.*

B

continuata seculo XIII.

184 *Eodem etiam seculo floruit Vincentius Bellovacensis, qui in Speculo historiali lib. 27 cap. 83 de* S. Hildegarde *scribit sequentia:* Per idem tempus in Alemanniæ partibus admirabilis quædam Virgo provectæ ætatis erat, cui tantam divina virtus gratiam contulerat, ut cum laïca & illiterata esset, mirabiliter tamen rapta frequentiùs in somnis disceret, non solùm quod verbis effunderet, sed etiam quod scribendo Latinè dictaret, ut dictando Catholicæ doctrinæ libros conficeret. *Hæc ille ex alio, quem non nominat,*

C

corrigenda in eo, quod in somnis *dicatur sua didicisse; cùm ipsa passim testetur, se vigilantem & apertis oculis fuisse, quando visiones habebat. Deinde Vincentius subjungit:* Hæc fuit, ut æstimo, S. Hildegardis, quæ multa fertur prædixisse de futuris: ad quam scripsisse dicitur etiam beatus Bernardus Clarevallensis. *Richerius monachus Senonienſis, ejusdem seculi* XIII *scriptor, in Chronico Senonienſi lib. 4 cap. 15* S. Hildegardem *celebrat hoc elogio:* Ante hos annos ferè triginta (*imò fere octoginta*) fuit in inferioribus Alemanniæ partibus Sanctimonialis quædam inclusa sanctissimæ conversationis & vitæ, Hildegardis nomine, cui Deus etiam inter cætera gratiam prophetiæ contulerat. Et, quòd mirum est dictu, quod numquam antea didicerat, linguâ loquebatur Latinâ, & scribebat. Prophetavit quippe de statu regnorum, & eventibus futurorum: & inde libros propria manu conscripsit. Scripsit etiam librum medicinalem ad diversas infirmitates, quem ego Argentinæ vidi.

Non admittenda tamen omnia Richerii dicta.

185 Scripsit siquidem de Ordine futurorum Prædicatorum & Fratrum Minorum, qui temporibus nostris primùm esse cœperunt. Dixit quippe apertè, quosdam Fratres futuros altè tonsuratos in habitu religioso, sed inusitato, qui in principio sui quasi Deus à populo reciperentur: nec aliquid proprium habituros prædixit; sed tantummodo eleemosynis fidelium victitarent, nec de his eleemosynis in crastinum reservarent: & ita tali paupertate contenti, civitates, & castella, & regiones prædicando circuirent; & ita in primordio suo Deo & hominibus cari haberentur: sed proposito suo decidentes, viliores haberentur. Hæc Hildegardis de Prædicatoribus & Minoribus Fratribus fertur prædixisse, quod postea verum actus ipsorum esse probavit. *Hactenus Richerius. Verum exiguam ille fidem meretur in iis, quæ de Ordinibus Prædicatorum & Minorum dicit, tum quòd ubique in Chronico suo Prædicatoribus iratum se exhibeat & inimicum, tum quòd in referenda utriusque Ordinis institutione varios committat errores, ut verisimile sit, ipsum pauca de utroque Ordine novisse præter malignos vulgi rumores, quos avidè videtur arripuisse. Certè modo tam improbabili contra Prædicatores variis locis declamat, ut sibi magis apud prudentes nocuerit, quàm laudato Ordini. An autem* S. Hildegardis *aliquid prædixerit*

D

E

de origine Ordinum Prædicatorum & Minorum, mihi planè incompertum est; imò & minùs probabile, quia id apud alium auctorem satis probatum non reperi. Vix tamen dubito, quin Richerius viderit fictitiam illam prophetiam, de qua inferiùs plura dicemus.

Scripta ipsius ab aliis etiam

186 *Prætermitto elogia scriptorum, qui sequentibus seculis prophetica* S. Hildegardis *scripta celebrârunt, quia de fama Sanctæ nullus dubitare meritò poterit. Ex omnibus tamen duos seligo, quòd ipsi libros* S. Hildegardis *legisse se testentur. Primus est Vincentius Cartusianorum Axpacensium in Austria Prior, qui remittens exscriptos* S. Hildegardis *libros, de iis ita scribit in Thesauro Anecdotorum Bernardi Pez tom. 6 pag. 356:* Prædilecte mi pater, ante aliquot dies finivi dicta S. Hildegardis, quæ potuissem citiùs finivisse, nisi patres de Tegernsee (*abbatia est in Bavaria*) suasissent mihi, ne in scribendo me gravarem. Quæ dicta Hildegardis præ festinatione scribendi parùm attendi, dum scriberem. Idcirco oportebit me ipsa de novo perlegere. Attamen scribendo aliqua memoriæ adhæserunt, videlicet de triplici tempore, scilicet muliebri, acro, &

F

cadente: quorum primum, cujus finem spero adesse, multùm & plus quàm credi potest, Ecclesiam debilitavit. Secundum, scilicet acre vel acrum (*aliàs* virile à S. Hildegarde *dictum*) ipsam mirabiliter confortabit, per multos labores & sudores ipsam à peccantibus humoribus expurgando. De uno miror & doleo, quòd videlicet ex auditu prophetiarum ipsius Hildegardis, aut ex lectione earumdem non invenio aliquem, qui percutiat pectus suum, vel qui scindat vestimenta sua, sicut Josias rex propter inventionem libri Legis fecisse legitur. Sed quasi omnes ipsam nec approbant nec improbant.... Scriptum per fratrem Vincentium in Axpach in profesto S. Martini anno MCDLX.

deinde commendata ut prophetica.

187 *Trithemius, qui variis locis & in diversis Opusculis suis de* S. Hildegarde *scribit, in Chronico Hirsaugiensi dicit:* Nos verò cuncta ejus scripta non solùm legimus in virginalibus libris, qui sunt in ejus monasterio apud Bingios repositi, sed fecimus etiam pro nobis rescribi, cum adhuc monasterio præsideremus D. Martini in Spanheim. *Ibidem paulò antè de scriptis San-*

Etæ

AUCTORE J. S.

A *ctæ ita loquitur:* Et revera, in quantum nos judicare possumus, ejus scripta, non humano sensu vel intellectu sunt edita, sed divino potiùs Spiritu mirabiliter infusa, & ideo non passim intelliguntur ab omnibus, sed ab illis duntaxat utcumque possunt intelligi, quorum pura mens Deo per amorem meruit uniri. *Idem scriptor* S. Hildegardem *laudat, ut prophetiis, scriptis Opusculis & miraculis illustrem in Chronico Sponheimensi ad annum* 1180, *& in Catalogo virorum illustrium Germaniæ pag.* 138, *ac demum in Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 2 *cap.* 119 *& lib.* 3 *cap.* 334. *Ex ultimo hoc loco quædam huc transfero:* Sancta verò Hildegardis famula Christi, per multos annos in camino paupertatis & infirmitatis decocta, quò plus affligebatur in corpore, eo ampliùs proficiebat in mente. Crebris enim revelationibus angelicis consolabatur ægritudinem carnis. Sub ejus magisterio maxima disciplina regularis vitæ in præfato cœnobio vigebat *&c. Addit plura, jam satis antè dicta, & aliqua etiam minùs accurata, tam hoc loco quàm aliis; sed illa ex antea disputatis poterunt corrigi.*

B *Varia Sanctæ Opuscula,*

188 *Opuscula* S. Hildegardis *Trithemius variis etiam locis enumerat, prout ea viderat manuscripta, & pro se exscribi curaverat. In Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1147 *ea enumerare incipit hoc modo:* De cujus mirandis Opusculis nos vidimus & legimus subjecta; In Regulam sancti patris nostri Benedicti brevem Explanationem, lib. 1. *Impressa est hæc Explanatio cum Epistolis* S. Hildegardis *in editione Coloniensi anni* 1566 *pag.* 231 *hoc titulo:* Regula S. Benedicti juxta S. Hildegardem explicata. *Deinde verò recusa est in Bibliotheca Patrum Lugdunensi.* Ad Wigbertum monachum Gemblacensem super triginta quæstiones Responsalem lib. 1. *Hic item liber iisdem locis unà cum Epistolis impressus est.* Vitam S. Ruperti ducis Bingionum lib. 1. De Vita S. Disibodi Hibernensis episcopi lib. 1. *Ambas has Vitas habemus in codice Ms. unà cum explanatione Regulæ S. Benedicti. Ambæ etiam impressæ sunt apud Surium & in Opere nostro, prior nimirum ad diem* XV *Maii, altera ad* VIII *Julii.* Octo & quinquaginta Homilias super Euangelia Dominicalia per anni circulum lib. 1. *Hoc Opusculum non vidi, nec editum esse novi. Idem tamen Homiliarum Opusculum aliis quoque locis recenset Trithemius, & in laudato Catalogo illustrium Virorum pag.* 138 *de laudatis Homiliis dicit;* Super Euangeliis Dominicalibus Homelias LVIII composuit valdè obscuras, & (*non*) nisi devotis & eruditis intelligibiles. *Fortè obscuritatis causâ non sunt editæ. Redeo ad enumerationem Trithemii.* De Sacramento Altaris contra quosdam hæreticos, lib. 1. *In Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 2 *cap.* 119 *hunc librum dicit esse scriptum* contra Catharos, *uti in Germania nominabantur illius temporis hæretici, in Gallia* Albigenses *dicti, qui non pauca cum Calvinianis deinde natis habebant communia. Hic quoque liber non est editus, nisi sit illa Epistola prolixissima, quam* ad Moguntinenses *inscriptam habemus inter Epistolas.*

C *partim edita,*

189 Volumen quoque magnum, quod SCIVIAS prænotavit, in quo de via Domini atque Sanctorum ejus valde subtiliter disputat. *Hoc Opus editum est ab anno* 1513, *& deinde variis vicibus recusum. Non meminit de Operis in tres libros divisione Trithemius, sed* grande volumen *vocat. In tres tamen libros divisum est, & libri singuli in varias visiones. Subjungit Trithemius:* Aliud etiam volumen, quod Vitæ meritorum prænotavit, & in tres libros divisit. *Hoc ineditum huc usque puto.* Volumen simplicis medicinæ, opus naturale multùmque mirabile lib. 1. Aliud compositæ medicinæ librum unum. *De his duobus libris addit Trithemius in Catalogo Virorum illustrium pag.* 138: In his duobus mirabilia & secreta naturæ subtili expositione ad mysticum sensum refert, ut nisi à Spiritu sancto talia fœmina scire minimè posset. *Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis lib.* 8 *pag.* 779 *de his ita scribit:* Liber simplicis & alius compositæ medicinæ eidem Hildegardi à Trithemio tribuuntur: atque typis exscripti exstant sub ejus nomine libri quatuor physicæ, quorum primus medicamenta ex aquis, terris, salibus & metallis; secundus & tertius ex plantis, quartus ex animalibus persequitur. Prodiere Argentorati apud Joannem Schottum MDLXXXI *&c. Libros illos impressos* S. Hildegardis *esse, certò affirmare non ausim: sed, cùm nec impressos ejus nomine viderim nec scriptos, malim ea de re judicium relinquere iis, qui utrosque conferre potuerunt. Matthæus Westmonasterienſis ad annum* 1292 *etiam aliqua* S. Hildegardis *scripta* E *recenset, & de his sic loquitur:* Atque librum simplicis medicinæ secundum creationem, octo libros continentem, librumque compositæ medicinæ de ægritudinum causis, signis atque curis, qui omnes recepti sunt, atque incanonizati à Papa Eugenio in concilio Trevirensi *&c. Hoc ultimum certè, quod de omnibus* S. Hildegardis *scriptis oscitanter asseritur à variis, planè falsum est, quia necdum inchoati erant illi libri, quando anno* 1148 *Eugenius Papa probavit prima Sanctæ scripta, sive partem libri* Scivias *dicti.*

partim inedita enumerantur.

190 *Post data verba subjungit Trithemius:* Volumen magnum, *cujus titulus est,* DIVINORUM OPERUM. *Hoc ineditum puto; sed quatuor diversis locis à Trithemio insertum est catalogo Operum* S. Hildegardis, *uti & liber* Vitæ meritorum. *Utrumque etiam recenset Westmonasterienſis loco mox allegato. Verumtamen laudatus mox Fabricius existimat, duo illa Opuscula non distingui à tribus libris visionum* S. Hildegardis, *qui titulo* Scivias *impressi sunt. Ratio Fabricii hæc est, quòd Trithemius variorum Operum initia recensens in libro de Scriptoribus ecclesiasticis pag.* 281 *idem* F *ferè initium attribuat libro* Scivias, *& libro* Divinorum operum. *At nec idem prorsus initium est, quod recitat Trithemius, & mox videbimus, Opera illa certissimè distingui, & diversis longè temporibus esse composita. Interim pergamus cum Trithemio, qui subdit:* Epistolarum ad diversos magnum volumen composuit. *In Catalogo Virorum illustrium pag.* 138 *alia quædam addit, ita scribens:* Ad clerum Trevirensis urbis (*scripsit*) de futuris Ecclesiæ calamitatibus librum unum: ad Colonienses quoque de eadem materia librum unum. Miranda in his prædicit, tamen sine determinatione temporis. *Hæc inter Epistolas impressa sunt, & de illis egi* § 7. Scripsit etiam ad petitionem quorumdam sacerdotum Exhortatorium secularium lib. unum: ad Sorores suas Exhortationis lib. unum. *Posterius hoc editum est cum Epistolis loco ultimo, & continet expositionem Symboli S. Athanasii vulgò dicti. At* Exhortatorium secularium *non videtur editum.* Ad Monachos griseos lib. unum. *Editus hic liber inter Epistolas, uti & alia à Trithemio memorata, exceptis carminibus. De his verò subdit:* Carmina diversa, dulci melodiâ composita. *Et lib.* 2 *Vi-*

AUCTORE J. S.

rorum illustrium Ordinis S. Benedicti cap. 119 : Carmina & cantica cum dulci & mirabili melodia de vitiis & virtutibus per modum dialogi plura composuit. *De his hactenus ineditis mox plura videbimus.*

Certiora Sanctæ scripta eo enumerata

191 *Porrò certiora* S. Hildegardis *scripta recensentur etiam in Actis inquisitionis de miraculis, anno* 1233 *compositis, & infrà edendis ; ibique additur, quo ordine & quanto tempore singula fuerint conscripta. Ibidem num.* 9 *de primo Opere legitur* : Librum suum Scivias decem annis complevit, *nimirum illum inchoavit anno* 1141, *ac finivit circa annum* 1151, *aut hoc ipso anno, ut jam observavi num.* 32, *ubi plura de illo Opere. Sequuntur alia Opera sequentibus octo annis composita hoc modo :* Librum (*scripsit*) simplicis medicinæ, librum expositionis Euangeliorum, Cælestis harmoniæ cantum, linguam ignotam cum suis litteris : quæ omnia octo annis perfecit : quod pleniùs in accessu (*sive præfatione*) libri Vitæ meritorum colligitur. *Tria hîc recensentur Opuscula intra octo annos, sive ab anno circiter* 1151 *usque ad* 1159 *composita, de quibus etiam mentio fit in Vita num.* 14. *At suspicor, illo etiam*

B *tempore compositum fuisse librum* Compositæ medicinæ, *& fortè incuriâ transcribentium illius memoriam hoc loco excidisse. Certè in iisdem Actis inferiùs num.* XI *cum aliis Sanctæ Opusculis recensetur, ita ut dubium non sit, quin illud quoque Opusculum Sancta exaraverit, æquè ac librum Simplicis medicinæ. De expositione Euangeliorum numquam edita jam satis egimus superiùs. De Cælestis harmoniæ cantu illud observo, voces cantui additas fuisse ignotas, sive ignotæ linguæ, ut etiam Vita habet num.* 14. *An alia ab hoc Cantu sint Carmina, quæ Trithemius suprà dicit composita* de vitiis & virtutibus per modum dialogi, *& an hæc satis certò sint* S. Hildegardis, *judicandum relinquo iis, qui codices ipsos Mss. consulere poterunt. At minimè credo*, S. Hildegardis *esse Carmina illa, quæ de secta Flagellantium hæreticorum edita sunt apud Ignatium Gropp in Collectione Scriptorum Wirceburgensium pag.* 122 *in Chronica Michaëlis de Leone.*

ordine, quo fuerunt compositæ.

192 *Laudata Acta post verba jam data sic pergunt :* Postea quinque annis subsequentibus (*id est, ab anno circiter* 1159 *usque ad* 1164) librum Vitæ meritorum scripsit. Postremò vero librum Divinorum operum septem annis scripsit,

C quod per accessum ipsius libri pleniùs patet. *Itaque hic liber videtur inchoatus circa annum* 1164, *finitusque circa* 1171. *Verùm enumeratio data annorum tam certam non producit epocham, ut ultimum Opus non potuerit duobus aut tribus annis seriùs esse finitum. Potuit enim, absoluto uno Opere, subinde multis mensibus exspectare, antequam aliud aggrederetur, præsertim cùm multas & aliquando prolixas iisdem temporibus scriberet Epistolas, & parva quædam Opuscula Epistolarum codici deinde inserta, & idcirco Epistolis annumerata. Hæc autem scripta modò ex Actis enumerata, unà cum codice Epistolarum, de quo mentio fit num.* XI, S. Hildegardis *esse in illo examine, cujus Acta laudamus*, conventus *fuit* confessus, *ut legitur num.* XI. *Præterea, cùm posterioribus vitæ suæ annis* S. Hildegardis *Lutetiam Parisiorum pertransiret, ut sepulcrum S. Martini inviseret in urbe Turonensi, tria præcipua Opuscula sua doctoribus Parisiensibus examinanda dedit*, scilicet librum Scivias, librum Vitæ meritorum, librum Divinorum operum, *ut dicitur num.* 9. *Dicuntur autem fuisse in manibus doctorum Parisiensium* ab Octava Martini usque ad Octavam D Epiphaniæ, *id est, per duos ferè menses. Deinde libri examinati dicuntur redditi per magistrum Wilhelmum Antissiodorensem*, S. Hildegardi *dicentem :* Quòd esset magistrorum sententia, non in eis esse verba humana, sed divina. *De hoc librorum examine, præter monialium partem, quatuor laudantur jurati testes, ex quibus duo eodem tempore Parisiis studuerant.*

Varia Opuscula codici Epistolarum olim inserta, & cum illis edita :

193 *Certissimis his* S. Hildegardis *Opusculis accedit volumen Epistolarum, quo continentur etiam sequentia saltem Opuscula, superiùs ex Trithemio enumerata, videlicet Expositio Regulæ S. Benedicti ; Responsio ad Wibertum Gemblacensem de triginta, aut potiùs triginta octo quæstionibus ; Ad Clerum Trevirensem de futuris Ecclesiæ calamitatibus ; Ad Colonienses de eadem materia ; Exhortatio ad Sorores suas ; Ad griseos monachos. Opusculum de Sacramento Altaris etiam editum videtur inter Epistolas alio titulo pag.* 117, *ubi inscribitur*, Ad prælatos Moguntinenses propter divina per illos interdicta. *Nam hoc inchoatur*, In visione, quæ animæ meæ ; *quale initium Opusculo de Sacramento Altaris assignat Trithemius in libro de Scriptoribus ecclesiasticis. Certè in illo ad* E *Moguntinenses Opusculo de Sacramento Altaris variis locis differit Sancta. Præter Epistolam ad S. Bernardum, quam inter libros ponit, Trithemius mox laudatus recenset codicem* Epistolarum ad diversos centum triginta quinque, *uti etiam in Catalogo Virorum illustrium. At in Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 2 *cap.* 119 *inter scripta* S. Hildegardis *recenset* Epistolas multas ad diversos numero centum triginta sex ; *nimirum tunc reliquis annumerans Epistolam ad S. Bernardum. Ex hac verò enumeratione colligo, editas modò esse omnes* S. Hildegardis *Epistolas, quas codex ille continebat, exceptâ forsan ultimâ ad abbatem S. Disibodi. Nam in editione Colonienſi præter adjecta Opuscula impressas invenio Epistolas quinquaginta & tres, recusas in Bibliotheca Patrum. Martenius verò edidit alias octoginta & tres* Hildegardis *Epistolas, & ultimam ad abbatem S. Disibodi omisit, si scripta fuit. Editæ igitur sunt ex illo codice Epistolæ centum triginta sex. Si autem aliqua ibi sit omissa, poterit illa, quæ extat longissima ad Moguntinenses, inter Opuscula numerari.*

aliquæ Epistolæ nec codici inſertæ nec editæ.

194 *Ceterùm dubitandum non est, quin & plures, quàm illas* 136 *codici insertas, Sancta Epistolas scripserit : nam & alia Vitæ inserta est, & tres alias dedi ad solum abbatem Parcensem datas. Præterea Mabillonius tom.* 2 *Veterum Analectorum pag.* 548, *ubi enumerat Opuscula Ms. Guiberti sive Wiberti Gemblacensis, ad quem* S. Hildegardis *scripsit Responsum de triginta octo quæstionibus, memoratum num.* 116, *& iterum ex Trithemio num.* 188 *ait, se vidisse aliquot Epistolas Guiberti ad* S. Hildegardem, *& hujus Sanctæ ad Guibertum, quæ certò non sunt editæ præter unam dictis quæstionibus adjunctam. Asserit ibidem etiam Mabillonius, vidisse se Epistolam Guiberti ad Philippum archiepiscopum Colonienſem*, cujus mandato de scribenda sanctæ Hildegardis Vita se parêre dicit. *Hinc orirî potest suspicio, laudatum Guibertum Gemblacensem etiam scripsisse Vitam* S. Hildegardis. *Verumtamen non existimo, id ab ipso revera perfectum, cùm quia Mabillonius non dicit, se tale ipsius Opusculum vidisse, quod inveniſſet æquè ac Epistolas Guiberti, tum quòd nullus unquam de Vita* S. Hildegardis *per Guibertum scripta meminerit. Itaque meditatus fuerit tale Opusculum, sed verisimiliter prætermi-*

se-

AUCTORE J. S. *à Gebenone Priore Eberbacensi;*

A *scrit, quia intelligebat, Vitam Sanctæ jam scriptam esse à Godefrido & Theodorico, & fortasse alia etiam de causa. Quidquid verò sit causæ, ex ineditis Guiberti &* Hildegardis *Epistolis, abundè liquet, non omnes* S. Hildegardis *Epistolas fuisse codici insertas, & deinde editas. Idem rursum ostendi potest ex enumeratione Trithemii, de qua aliquid observabo in Annotatis ad Miracula lit.* z. *Verisimiliter aliquæ conservatæ non fuerint, quòd non videretur operæ pretium, aliæ forsan aliis de causis neglectæ.*

Speculum futurorum temporum, nomine S. Hildegardis laudatum,

195 *Alia quædam* S. Hildegardis *nomine invenio laudata, quæ illius non sunt. Sic Matthæus Westmonasterienſis ad annum* 1292 *laudat inter Opera* S. Hildegardis *aliquod* Speculum temporum futurorum, *sive* Pentacronum, (*legendum* Pentachronon)... in titulo de novis religionibus, *ex eoque producit locum benè prolixum, quem ineptè intorquet contra Fratres Minores. Verùm Opus illud non est propriè* S. Hildegardis, *sed ex ipsius Operibus collectum à Gebenone, Priore Eberbacensi, qui floruit sub initium seculi* XIII, *& suppar fuit* S. Hildegardi. *Bernardus Pez in Thesauro Anecdotorum tom.* 3 *part.* 3 *dat Monumenta monasterii Benedictoburani in Bavaria historiam illustrantia, recensensque codices Mss., pag.* 629 *sic habet num.* XIV: Gebenonis Prioris in Eberbach Speculum futurorum temporum, sive Pentachronon sanctæ virginis Hildegardis. Codex scriptus est manu seculi XIV. Incipit Opus: "Honorabilibus viris semper in Christo diligendis Mag. Raymundo Scholastico & Mag. Reinhero canonicis S. Stephani in Moguntia frater Seleno*, dictus Prior in Elerbach *, si quid potest peccatoris oratio. Sancta virgo Hildegardis fundatrix & magistra monasterii S. Ruperti &c. *Fabricius in Opere jam laudato pag.* 79 *de Gebenone agit, eumque ait floruisse circa annum* 1220, *ipsique laudatum ex Pezio Speculum futurorum temporum attribuit. Quapropter, si paululùm attendisset, non attribuisset idem Opus deinde* S. Hildegardi.

B

* *legendum* Gebeno
* Eberbach

ex Operibus S. Hildegardis compositum est

196 *Hermannus Cornerus, scriptor Ordinis Prædicatorum, qui floruit sub initium seculi* XV, *optimè noverat laudatum Gebenonis Opus, & dicta nostra egregiè confirmat. Nam in Chronico suo edito apud Georgium Eccardum tom.* 2 *Corporis Historici medii ævi, ad annum* 1140 *hæc scribit de* S. Hildegarde, *post natales ejus non benè expositos:* Hæc multa & miranda prædixit. Quantæ autem sanctitatis fuerit hæc sancta Mulier, ostenditur in Epistola Gebenonis in Pentachronon S. Hildegardis, ubi dicitur: "Sancta virgo „Hildegardis * & magistra monasterii S. Ruperti, „quod situm est apud Pingriam, quantæ sancti„tatis quantique meriti fuerit apud Deum & apud „homines, caritatem vestram latere non credo. „Sed, si forsitan ignoratis, legite libellum Vitæ „ejus, legite diversas Epistolas magnatum terræ „ad eam transmissas, & præsertim trium Apo„stolicorum, puta Eugenii, Anastasii, & Adriani, „Conradi quoque regis & Frederici imperato„ris, patriarchæ Jerosolymitani, archiepiscopo„rum, episcoporum, abbatum & præpositorum, & tunc dicere potestis in veritate: Ma„gnificavit eam Deus in conspectu regum, & fa„cies principum admirata est eam. Hæc sancta „Virgo libros quosdam, Deo jubente, imò co„gente, scripsit, in quibus quædam valde uti„lia, & nostris temporibus necessaria, de præ„senti statu Ecclesiæ, & de futuris usque ad „Antichristum, & de ipso Antichristo prophetavit.

C

* *adde* fundatrix

197 „Sed quia omnes libros ejus pauci ha„bere possunt vel legere ea, quæ de futuris „temporibus, & de Antichristo in tribus libris „suis, scilicet Sci vias, quem nominavit sic, „eo quòd doceat scire vias, & libro Divinorum „Operum, & libro Epistolarum suarum prophe„tavit, in hunc unum libellum ex maxima par„te collegi, & prout meliùs potui, in quinque „tempora ordinavi. Quæ quidem quinque tem„pora qui diligenter legere & studiosè distingue„re voluerit, & præsentem statum Ecclesiæ, & „omnia futura tempora, & pericula ac adventum „Antichristi, quasi in speculo pervidebit. Unde, „si placet vobis, vocetur liber ipse Speculum „futurorum temporum, sive Pentachronon san„ctæ Hildegardis, id est, de quinque tempo„ribus, de quibus in eo prophetat. PENTA enim „quinque, & CHRONOS tempus Græcè dicitur, „&c. *Hactenus ex Epistola Gebenonis Cornerus, qui multa addit de* S. Hildegarde, *sed minùs necessaria ad propositum nostrum. Hæc verò abundè docent, cujus sit Opus, quod laudat Westmonasterienſis. Attamen sunt dicta pleraque & vaticinia* S. Hildegardis, *sed subinde mendosa, quæ attulit Westmonasterienſis, ut videre poterit studiosus lector, si conferre voluerit Epistolam* S. Hildegardis *ad Colonienses, laudatam à nobis num.* 90 *& seqq.; cui aliqua etiam inserta sunt ex Epistola ad Trevirenses.*

D

E

Speculum illud perperam laudatum fuit contra Franciscanos.

198 *In Epistola ad Colonienses nihil prorsus invenio, quod spectare possit ad Ordinem S. Francisci præter hæc verba:* Sed & quasdam congregationes Sanctorum, quorum conversatio sancta est, movere non poterunt, *deceptores scilicet hæretici, qui prædicuntur. Sicut autem Ordo S. Francisci meritò haberi potest una ex sanctis istis congregationibus, quibus hæretici non prævalerent, prædicente* S. Hildegarde; *sic etiam videtur produxisse aliquot ex viris illis, quos iisdem temporibus futuros prædixit* S. Hildegardis *in Epistola ad Trevirenses his verbis:* Et tunc fortes viri surgent, & prophetabunt, & omnia vetera ac nova Scripturarum, & omnes sermones per Spiritum sanctum effusos colligent, & intellectum eorum, sicut monile cum pretiosis lapidibus, ornabunt. Per hos & per alios sapientes plurimi sæculares boni fient & sanctè vivent. Hoc autem studium sanctitatis citò non arescet, sed diu durabit *&c. Hæc, inquam, rectiùs congruunt præclaro Ordini Minorum, quàm quæ sine judicio & delectu attulit Westmonasterienſis. At nec Franciscani tam sui Ordinis amantes erunt, opinor, ut eadem aliis quibusdam religiosis Ordinibus congruere non fateantur.*

F

Oudinus S. Hildegardis revelationes vocat illusiones cerebri:

199 *Catholici auctores, qui Bibliothecas scriptorum ediderunt, meritis passim laudibus* S. Hildegardem *celebrârunt. Ipse etiam Guilielmus Cave, licèt heterodoxus, in Historia litteraria ad annum* 1170 *Sanctam his verbis laudat:* Raris animi dotibus prædita, & egregia erga Deum pietate, erga religionem zelo insignis, visionibus divinitus concessis & prophetiis inclarescere cœpit. *Addit plura, sed sine omni obtrectatione. Attamen Casimirus Oudinus in Commentario de Scriptoribus eccleſiasticis tom.* 2 *col.* 1572, *post recitata Cavei verba, pergit in hunc modum:* Claruit igitur multis, ut volunt, revelationibus, quæ apud amantes mysticarum visionum, devotosque simplices, plurimi æstimantur: sed apud graves atque à muliebri simplicitate alienos viros modici admodùm ponderis sunt, nullius meriti, puriſſimæ vacui cerebri illusiones nocturnæ: qui idem omnino ac meritò sentiunt de aliis omnibus mulierum ejusmodi visionibus, sexum muliebrem

AUCTORE J. S.

præsertim, utpote infirmiorem, afficientibus. *Vides, lector, Oudinum nihili facientem visiones & vaticinia* S. Hildegardis, *licèt iis in admirationem sui & amorem traxerit Romanos Pontifices, imperatores, principes alios, seculares & ecclesiasticos, episcopos & abbates plurimos, doctores eruditione præstantes, congregationes clericorum & monachorum complures, ac demum quasi totam Germaniam, ac magnam Galliæ & Italiæ partem.*

laudat tamen prophetiam fictitiam contra Ordines mendicantes.

200 *At audiamus iterum hominem, illis omnibus suo judicio sapientiorem. Post enumerata aliquot Sanctæ Opuscula, sic loquitur:* Inter prophetias Hildegardis præstantissima illa est, quam necdum impressam vidi; nempe "Revelatio Hil„degardis de fratribus quatuor mendicantium Or„dinum„. *Et mox:* Quam (*prophetiam*) ab aliquo Cistercienſi concessam mihi aliquando, ex Ms. codice transcriptam, admiratus sum ita clarè depingentem Ordines quatuor mendicantes cum Jesuitis, etiam longo pòst tempore ipsis succedentibus. *Verùm talia scribere non potuit, nisi excæcatus malitiâ suâ, odioque virorum religiosorum, quos tam stolidè oppugnat. Etenim aut*

B *ea tantùm scribere voluit, quæ vera credidit; aut sine veri cura calumniari studuit Oudinus. Si primum, quomodo existimare potuit, ex purissimis vacui cerebri illusionibus, quales dicit visiones* S. Hildegardis, *potuisse* ita clarè *depingi* Ordines quatuor mendicantes cum Jesuitis, etiam longo pòst tempore ipsis succedentibus? *Quomodo, inquam, credere potuit, ex illusionibus cerebri prævisos esse viros diu pòst futuros, eorumque mores clarè descriptos, nisi ipse fatuas passus sit cerebri illusiones? Si verò calumniari solùm studuit Oudinus; quomodo saltem curam non habuit, ut cautè procederet, & invicem pugnantia in brevi elogio non conjungeret? Verùm frustra hæc ego in Oudino requiro: nam & auctoritatem revelationibus* S. Hildegardis *detrahere voluit, & rursum illius, vel invitæ, uti voluit auctoritate ad infamandum Ordines Religiosos; neque illa facere potuit, nisi secum ipse pugnaret.*

At visiones S. Hildegardis pro illusionibus non sunt habendæ:

C 201 *Nunc breviter examinemus utramque seorsum assertionem Oudini. Quod spectat ad primam de exigua fide adhibenda revelationibus & visionibus quibuslibet, maximè mulierum, minùs me haberet hac in re repugnantem, si modum non excessisset, si non nimis omnem fidem iis detrahere voluisset, si distinxisset inter visiones & prædictiones nullius judicio probatas, & visiones celeberrimæ* S. Hildegardis, *aliarumque aliquot Sanctarum. Etenim satis novimus, quaslibet visiones mulierum, subinde potiùs imaginationes phantasticas, non admittendas esse pro veris ac divinis revelationibus. At non minùs constat, spiritum prophetiæ non esse exstinctum in Ecclesia, darique aliquando revelationes verè divinas, tam virorum quàm mulierum, Itaque ad extremum nimis declinat non solùm ille, qui omnibus visionibus indifferenter fidem adhibet; sed ille etiam, qui omnes habet pro vacui cerebri illusionibus. Jam verò, si non omnes indifferenter admittendæ sunt visiones, nec omnes rejiciendæ; necessariò dicendum est, inter personas, quæ visiones habere se dictitant, distinguendum esse. Si autem ulla est persona medii ævi, de qua multorum judicio, aliisque indiciis constat, gavisam fuisse divinis revelationibus, ea est* S. Hildegardis. *Hanc enim gratiâ propheticâ à Deo ornatam, judicavit S. Bernardus, judicârunt Eugenius III Papa cum Trevirensi concilio, Anastasius IV & Adrianus IV, summi Pontifices: & hi quidem tale tulerunt* D *judicium post maturum examen personæ ipsius, & scriptorum ejus usque ad id tempus. Hisce assensi sunt per annos triginta, quibus deinde supervixit Sancta, personæ innumeræ, interque has multi doctores, episcopi, principes; multi item, qui Sanctam à pueritia noverant; multi, qui familiariter sæpè cum ipsa egerant. Horum omnium judicio cùm suum præferre velit Oudinus, meretur profectò, ut rideamus potiùs hominis arrogantiam & superbiam, quàm ad ipsius dicta attendamus, præsertim cùm censendus sit illa protulisse eadem levitate, qua Religionem suam & fidem apostata deseruit.*

& fictitia contra Ordines Mendicantes prophetia nimis apertam ostenait calumniam.

202 Revelatio Hildegardis, *ut vocat Oudinus,* de fratribus quatuor mendicantium Ordinum, *quam ipse tantopere mirari se fingit, &* Jesuitis *etiam liberaliter adaptat, acsi nulla inter institutum aut mores Jesuitarum & Ordinum mendicantium esset differentia, nihil quatuor Ordines mendicantes invicem differrent, est declamatio inepta, cujus stylus* S. Hildegardi *adeo non convenit, ut vix aliud scriptum produci possit, quòd à stylo ipsius magis sit alienum. Facta verò enuntiata in illo scripto, sive mores hominum ibidem expositi, minimè congruunt cum moribus Ordinum mendi-* E *cantium aut Jesuitarum. Ego sanè non modò nullum ex dictis Ordinem novi, sed ne unum quidem in ullo ex laudatis Ordinibus hominem, cujus mores tales sunt, quales in dicto scripto depinguntur. Imò tam aperta est calumnia Oudini, qui inter Catholicos diu vixit, ut plus quàm muliebris simplicitatis essem, si credere possem, ipsum tales existimâsse Ordines mendicantes & Jesuitas, quales homines insulsa illa lacinia describit. Fuerit perversus, fuerit pessimus Oudinus, atque ea de causa facilè mala de aliis formaverit judicia; non sinam tamen mihi facilè persuaderi, ipsum adeo fuisse insipientem, ut sine mendacio scribere potuerit, mores Ordinum mendicantium & Jesuitarum in scripto illo rectè exprimi, aut Ordines illos dicto scripto fuisse prædictos. Ceterùm prophetiam illam verisimiliter confictam esse circa medium seculi* XIII, *& quidem contra Dominicanos & Franciscanos, quando Guilielmus de S. Amore cum aliis Ordines mendicantes oppugnare cœpit; postea verò nonnihil immutatam; nec inventam in monasterio Bingensi, ubi alia* S. Hildegardis *scripta servantur, jam observârunt Majores nostri tom.* 1 *Martii pag.* 667 *in Annotatis ad Vitam S. Thomæ Aquinatis.* F

§ XIV. Mors Sanctæ figenda anno 1179: sepultura: reliquiæ, destructo cœnobio S. Ruperti, ad Eibingense translatæ: miracula: tentata canonizatio, sed non perfecta: nomen Martyrologiis adscriptum, & cultus.

Mors Sanctæ non est figenda anno 1180,

De anno, quo S. Hildegardis *ad meliorem vitam translata est, non convenit inter scriptores. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1180 *scribit sequentia:* Anno Conradi abbatis IV, Indictione Romanorum XIII, in die S. Lamperti, hoc est XV Kalend. Octobris, moritur sanctissima Christi famula Hildegardis, præ-

po-

A posita & magistra sanctimonialium in Monte divi Ruperti prope oppidum Bingen, quod in descensu Rheni fluminis quatuor distat à Moguntia milliaribus, anno ætatis suæ octogesimo secundo. Cujus corpus in eadem ecclesia, quam ipsa dudum à fundamentis construxerat, ante majus altare fuit cum reverentia populi magna sepultum. *Consentientia hisce de ætate, anno mortuali & sepultura* S. Hildegardis *habet Trithemius aliis quoque locis, nimirum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis & in Chronico Sponheimensi. Epocham Trithemii, quam non longè à vera abesse alia quædam insinuant, sine ulteriori examine secuti sunt scriptores varii. At Pagius vidit epocham Trithemii non rectè consonare cum Vita* S. Hildegardis, *ideoque ad annum* 1178 *eam corrigere voluit, ita scribens num.* 8: Hoc anno S. Hildegardis abbatissa (*præposita aut magistra monialium aliàs nominata*) in Monte S. Ruperti prope Bingium in diœcesi Colonienſi (*imò Moguntina*) ad Deum migravit. Theodoricus enim abbas (*potiùs monachus*) qui anno MCC floB ruit (*rectè dixisset, qui* S. Hildegardi *convixit*) in ejus Vita cap. ult. ait, eam LXXXII ætatis suæ anno, XV Kalend. Oct., ad cælestem Sponsum migrâsse. Subdit, id contigisse primo crepusculo noctis Dominicæ diei. Quare cùm XV Kalend. Octob., seu dies XVII mensis Septembris hoc anno in Dominicam incidat, evidens est, Trithemium in Chronico Hirsaugiensi, quem passim alii sequuntur, perperam hanc mortem in annum MCLXXX distulisse. *Hactenus Pagius.*

nec 1178; *sed obiit anno* 1179.

204 *Verùm rectè quidem ostendit, Sanctam non vixisse usque ad annum* 1180, *quia tunc dies* XVII *Septembris incidebat in diem Mercurii, sive in feriam quartam: sed non æquè evincit, defunctam non esse anno* 1179, *quo dies* XVII *Septembris concurrebat cum die Lunæ. Etenim dicitur obiisse* primo crepusculo noctis Dominicæ diei, *id est, primo diluculo sub finem noctis illius, quæ diem sequitur Dominicum, sive die Lunæ, oriente aurora, ut pluribus probabo in Annotatis ad Vitam. Hæc expositio non est violenta, sed ob alia argumenta omnino necessaria. Nam ex dictis* § XI *constat, Sanctam superfuisse aliquo tempore post concilium Lateranense anno* 1179, *mense Martio habitum. Præterea aliunde etiam necessaria est, quia alio argu*C *mento probari potest,* S. Hildegardem *certò non obiisse ante annum* 1179. *Rem paucis ostendo. Ex præfatione ad librum Scivias* S. Hildegardis *scribere cœpit anno* 1141, cùm quadraginta duorum annorum septemque mensium *esset. Si autem anno* 1141, *etiam primo die anni, tantùm annos habebat quadraginta duos & menses septem, non poterat anno* 1178 *annum ætatis agere octogesimum secundum, quo defuncta est, quia sic annum octogesimum primum complebat die* 1 *Junii anni* 1179 *aut seriùs. Constat igitur, Sanctam usque ad annum* 1179 *supervixisse: & ulteriùs ex dictis liquet, annum ætatis ipsius octogesimum secundum fuisse tantùm inchoatum, aut eam certè non vixisse nisi ad annos octoginta unum, & ut summum menses tres aut ferè quatuor.*

Corpus Sanctæ in choro sepultum, anno 1489 *visitatum,*

205 *Corpus* S. Hildegardis, *teste Trithemio, sepultum fuit in choro ante altare majus. Magnum verò fuisse concursum populi ad ipsius sepulcrum in anniversario Sanctæ die, testantur Acta inquisitionis num.* 5: *neque id mirandum, cùm & ante & post sepulturam ipsius varia facta sint miracula, in iisdem Actis asserta, aut in Vita num.* 57. *Porrò solemnem corporis elevationem nullam invenio. Ea verisimiliter numquam est facta, quòd canonizatio sæpiùs quidem fuerit tentata, sed hactenus, ut videbimus, ad finem non perducta. De visitatione reliquiarum minùs solemni Serarius in Moguntiacis lib.* 2 *cap.* 38 *hæc scribit:* Cùm ibi (*in Monte S. Ruperti*) diversarer, volumenque (*in quo collecta sunt Sanctæ scripta*) de quo paulò antè, percurrerem, inveni notata hæc: "Anno MCDLXXXIX, Novembris „die XVII, ex commissione reverendissimi & gra„tiosissimi domini, D. Bertholdi (*archiepiscopi „Moguntini*) missi reverendus & nobilis domi„nus Wolfgangus de Bicken, ecclesiæ Mogunti„næ canonicus, & in spiritualibus vicarius, & ho„norabilis D. Jo. Bertram de Numburg, artium „ & sacræ Scripturæ doctor, reliquias S. Hilde„gardis aperuerunt: sed sine testimonio litterali de „ejus canonizatione. Acta in præsentia nob. & De„votæ dominæ Alheidis de Reiffenberg abbatissæ, „& virginum sanctimonialium & nob. & venerabilis „domini Petri Nothaffi canonici Moguntini„ *&c. Laudatus Serarius, cujus Opus anno* 1604 *impressum, paulò antè dixerat:* In Rupertino ipsius cœnobio servantur adhuc ejus reliquiæ, ac magnum scriptorum in pergameno volumen, sicuti & Epistolarum in Eberacensi Rhingaviæ monasterio.

E

206 *Verùm, postquam anno* 1632 *per Suecos combustum est monasterium Rupertinum, ut dictum est num.* 177, *aliò delatæ sunt reliquiæ* S. Hildegardis, *& S. Ruperti aliorumque, videlicet ad monasterium Eibingense, de cujus per* S. Hildegardem *fundatione & situ in Rhingavia num.* 177 *egi. Etenim Papebrochius noster in Itinere Romano Ms. pag* 23 *narrat, se anno* 1660 *cum Henschenio Moguntiâ excurrisse* in Eibingen. *Tum subdit de reliquiis ibi visis:* Ibique, monstrante abbatissa, vidimus reliquias præclarissimas, corpus S. Ruperti, ... totum corpus S. Hildegardis, quæ monasterium in Monte S. Ruperti Bingii fundaverat virginibus nobilibus, quod cùm esset per bella Suecica dirutum, in hoc Eibingense sibi subjectum cum abbatissa sua se transtulerant virgines, toto reliquiarum thesauro mirabiliter detecto, & conservato per ipsos Suecos, nocturnis luminibus circa locum conspectis incitatos, ut Catholicis quærendas reliquias & asportandas permitterent. Ibidem vestis illius erat, & caput cincinnis crinium ex rufo canescentibus obductum, culter quoque hyacinthino instructus manubrio veluti dimidius, à S. Bernardo (*ut fertur*) donatus Divæ unà cum theF ca ex bubalino corio confecta. Inter libros ingens volumen membranaceum erat Ms. ac bicolumnare, continens omnia Opera S. Hildegardis: sed nusquam illa fabulosa revelatio de hominibus Antichristum præcessuris, quæ contra Dominicanos ac Franciscanos primùm concinnata, his temporibus de Societatis hominibus exposita, per calumniatorum nostrorum manus vagatur cum plausu ignorantis plebis. *Hactenus Papebrochius. Ceterùm non reperio, ossa* S. Hildegardis *divisa fuisse, aut aliis donata. At de capillis Sanctæ in veneratione habitis apud Trevirenses testantur Acta Miraculorum num.* 5. *Gelenius etiam in Colonia sua, recensens thesaurum sacrum ecclesiæ SS. Joannis & Cordulæ, ei pag.* 445 *aliquid annumerat* de capillis S. Hildegardis.

& diruto S. Ruperti monasterio, delatum ad Eibingense cum aliis reliquiis.

Sancta multis clara miraculis, quæ cessant jubente archiepiscopo:

207 *Sanctam & in vita & post mortem multis claruisse miraculis, habent Vita & Acta Miraculorum; in his tamen num.* 10 *additur, miracula deinde cessâsse, præcipiente archiepiscopo Moguntino,* ut à signis cessaret, *ne videlicet nimio populi ad Sanctæ sepulcrum confluentis tu-*

AUCTORE J. S.

multùm divinum Officium & religio monialium detrimentum pateretur. His conformia ſcribit laudatus ſuprà Serarius. Cæterùm, *inquit*, narrat Germanicus vitæ libellus, tot ad illas ejus reliquias divina vi miracula fieri ſolita, ut propter ingentes hominum concurſus valdè impediretur virginum quies, in temploque pietas ac religio: veniſſe igitur Moguntinum archiepiſcopum, & Beatæ ipſi præcepiſſe, mirabilium id genus operum finem ut faceret: ipſamque, ut majoribus obſequendum mortua etiam doceret, paruiſſe: illorum tamen vel oculatos, vel diligentes ac certos examinatores fuiſſe non paucos, qui anno Domini MCCXXXIII, Decembris die XVI, ſuis communita ſigillis ea Romam mitterent, & à Sede peterent Apoſtolica, ut in Sanctorum ac Sanctarum catalogum Beata hæc referretur. *Acta hunc in finem confecta de virtutibus Sanctæ & miraculis, quæ jam frequenter laudavimus, & poſt Vitam edemus, prædicta omnia abundè confirmant.*

Acta pro canonizatione compoſita de miraculis, B

208 *Illud porrò examen inſtitutum eſſe, eaque Acta confecta juſſu Gregorii IX ſummi Pontificis, diſcimus ex Annalibus eccleſiaſticis Odorici Raynaldi ad annum* 1237 *num.* 59. *Nam ibi in aliis ſuis litteris Gregorius IX de illis ſic loquitur:* Supplicantibus nobis olim dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſa & ſororibus monaſterii S. Roberti de Bingia Maguntinenſis diœceſis, ut recolendæ memoriæ Hildegardem abbatiſſam ejusdem monaſterii, quæ in vita & poſt mortem multis dicitur coruſcâſſe miraculis, Sanctorum aſcribere catalogo curaremus, deferri ad nos libros ipſius, quos ſancti Spiritus revelatione compoſuiſſe creditur, facientes, cùm præter Pſalterium nullas litteras didiciſſet, nos præpoſito majoris eccleſiæ W... decano & A. Scholaſtico S. Petri Maguntini noſtris dedimus litteris in mandatis ut de ipſius vita, converſatione, fama, meritis & miraculis, ac generaliter de omnibus circumſtantiis per teſtes fide dignos inquirerent diligentiùs veritatem, nobis quod invenirent, cum prædictis libris ſub ſigillis ſuis fideliter remittentes. *Hæc Pontifex de mandato ſuo, vi cujus laudata Acta ſunt compoſita.*

ſed non ſatis accuratè: hinc Gregorius IX aliud examen, C

209 *Verùm cùm hoc exſecutioni mandatum non fuiſſet cum tanta accuratione, quantam in re tanti momenti requirebat Gregorius; per litteras modò recitari cœptas aliud jubet examen inſtitui. In his enim litteris, anno* 1237 *datis, ita pergit:* Quorum ad nos inquiſitione remiſſa, quoſdam invenimus in illa defectus; cùm enim habeatur in depoſitionibus teſtium ad noſtram præſentiam deſtinatis, quòd eadem multos curaverat dæmoniacos & infirmos, nec perſonæ, nec loca, nec tempora deſignantur; neque reperitur in eis, quid vel quæ magiſtra dixerit, cùm tamen dicatur ibidem, majorem partem conventûs idem, quod magiſtra, dixiſſe. Præterea cùm magiſtra ipſa primò interrogata depoſuerit, illam multa ſigna feciſſe, in dictis depoſitionibus invenitur, tam* dixiſſe idem, quod teſtes alii & conventus. Quocirca mandamus, quatenus in inquiſitione præfata diligenter ac providè juxta formam illis traditam procedentes, quæ inveneritis, ſub ſigillis veſtris diſtinctè ac prudenter expoſita, uſque ad noſtrum beneplacitum fideliter conſervetis. Dat. Viterbii II Non. Maii Pontif. noſtri anno XI. *Utrùm hoc Gregorii IX mandatum exactiùs fuerit perfectum, nullibi invenio. Fortè priores illi miraculorum inquiſitores partim erant defuncti, aut ad alias dignitates promoti. Ex teſtibus etiam non pauci poterant deeſſe, cùm interim quatuor anni poſt primum examen effluxiſſent, & provectæ ætatis eſſent teſtes complures. Quidquid fuerit cauſæ, de repetito illo examine nihil invenio.*

* *fortè* tantùm

D

aliud etiam Innocentius IV inſtitui jubet:

210 *Innocentius IV, Gregorii ſucceſſor, anno* 1243 *alias dedit litteras ad decanum, ſcholaſticum, & alium canonicum Moguntinum, repetens defectus prioris inquiſitionis, teſte ibidem Raynaldo num.* 39, *& adjungens ſequentia:* Mandamus, quatenus ſi proceſſiſtis, in inquiſitione hujuſmodi, recipiendo ſingillatim ſuper præmiſſis teſtes fide dignos, & eorum dicta, prout quilibet per ſe ſimpliciter & ſeriatim depoſuit, faciendo conſcribi, proceſſum ipſum ſub ſigillis veſtris nobis tranſmittere ſtudeatis. Alioquin de prædictis omnibus, & novis miraculis, ſi quæ feciſſe dicitur; nec non de vita ipſius per fide dignos inquirentes ſollicitè veritatem, dicta ipſorum teſtium, quos ſingillatim examinare curetis, prout eorum quilibet per ſe coram vobis purè, ſimpliciter, & diſtinctè, ac ordinatè, quod ſuper prædictis omnibus ſciverit, depoſuerit, faciatis cum attentione conſcribi, nobis illa ſub ſigillis eiſdem fideliter remittentes. Datum Later. VIII Kal. Decemb. *Quem hoc mandatum habuerit effectum, ignoro: at certè cauſa* S. Hildegardis *ad finem perducta non eſt ſub Innocentio IV, aut ſub ipſius ſucceſſoribus toto ſeculo* XIII; *& ſic res fiebat ſemper magis difficilis.*

E

canonizatio iterum tentata ſeculo 14, *ſed numquam perfecta.*

211 *Attamen ſeculo* XIV *iterum tentata eſt canonizatio* S. Hildegardis, *ut refert Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1317, *ita ſcribens:* Joannes Papa vigeſimus ſecundus ad inſtantiam Petri archiepiſcopi Moguntini Willichino abbati Spanheimenſi & quibuſdam canonicis eccleſiæ Moguntinæ per Apoſtolica ſcripta mandavit, quatenus ad Montem ſancti Ruperti prope oppidum Bingen, ubi Nahus Rhenum influit, accedentes, de vita, moribus, ſignis atque miraculis divæ Hildegardis, primæ fundatricis & abbatiſſæ dicti monaſterii,... inquiſitionem facerent diligentem: & quidquid inveniſſent veritate probatum, ad Apoſtolicæ Sedis examen fideli narratione tranſmitterent. Inquiſitionis peracto ſcrutinio memorati commiſſarii vitam præfatæ Monialis religioſam atque ſanctiſſimam, ac multis miraculis, tam poſt mortem ejus, quàm priùs, ſufficienter comprobatam invenerunt: eamque dignam canonizatione cenſentes, neceſſaria pro effectu negotii ad Romanum Pontificem memoratum deſtinârunt. Pontifex autem, teſtimoniis ſibi deſtinatis diligenter relectis, ad canonizandam Virginem non fuit difficilis, quemadmodum Apoſtolico ſcripto factus ſum certior, quamvis optatum à multis negotium non perduxit ad effectum. Ejus quoque prædeceſſor, Clemens Papa quintus, in eadem re commiſſarios antè dederat. *Hæc Trithemius de tentata ſeculo* XIV *canonizatione. At illa ſemper fiebat difficilior, quia ad mandatum archiepiſcopi Moguntini miracula ceſſaverant, nec teſtes ſupereſſe poterant ad probandum miracula prioribus poſt mortem annis patrata. Itaque ſolemnis canonizatio, quæ facilè fieri potuiſſet, ſi primi delegati ad cauſam examinandam accuratiùs proceſſiſſent, numquam eſt peracta.*

F

Memoria Sanctæ à ſeculo 15 Martyrologiis inſerta,

212 *Verumtamen martyrologi à ſeculo ſaltem* XV S. Hildegardem *celebrare cœperunt, ita ut veriſimile ſit, cultum ipſius fuiſſe permiſſum, etiamſi canonizatio non fuerit ſolemniter celebrata. Codex Hagenoyenſis, exhibens auctum nonnihil Uſuardi Martyrologium, & anno* 1412 *exaratus, apud Solterium noſtrum in Uſuardi auctariis hoc die ſic habet:* In monaſterio S. Ruperti in Pingwia, Maguntinæ diœceſis, ſanctæ Hildegardis

A sanctimonialis & prophetissæ. *Ibidem* Hildegardis virginis *meminit matricula Cartusiæ Ultrajectinæ. Longius elogium contexuit Grevenus hoc modo:* Apud Pinguiam in dioceſi Maguntinenſi, depoſitio ſanctæ memoriæ Hildegardis virginis, quæ tempore S. Bernardi abbatis odorem ſuæ ſanctitatis latè ſparſit, adeo ut plurimi Romani Pontifices ei ſcribentes, ſe & Eccleſiam Romanam orationibus illius commendaverint: cúmque Latini ſermonis eſſet ignara, Spiritu ſancto docente, omnia, quæ ſcripſit, Latinè exceptoribus dictavit. *Molanus eamdem celebrat his verbis:* Apud Bingam, ſanctæ Hildegardis virginis, quæ tempore S. Bernardi abbatis odorem ſuæ ſanctitatis latè ſparſit. *Accedit Baronius in Martyrologio Romano, ita ſcribens:* Apud Bingiam in diœceſi Maguntinenſi ſanctæ Hildegardis virginis. *Baronium ſecuti ſunt omnes, qui Martyrologium Romanum variis idiomatibus exhibent.*

& cultus circa idem tempus veriſimiliter inchoatus.

213 *In Florario Sanctorum Ms., quod ſeculo* XV *compoſitum, de* S. Hildegarde *ad* XVII *Septembris hæc habentur:* In Brugis (*lege* Bingis) depoſitio ſanctæ Hildegardis virginis anno ætatis ſuæ LXXXII, anno ſalutis MCLXXXI, *imò* 1179. *Petrus de Natalibus, epiſcopus Equilinus, qui floruit ſeculo* XIV, de S. Hildegarde virgine *multò prolixius dat elogium, in quo nihil invenio corrigendum præter diem obitûs malè fixum* X Cal. Julii. *Mitto tamen iſtud elogium, quia omnia ibi dicta jam abundè ſunt expoſita. Menardus in Martyrologio Benedictino ad hunc diem ſic habet:* Apud Bingiam, in diœceſi Maguntinenſi, ſanctæ Hildegardis virginis & abbatiſſæ. *Wion ad eumdem diem:* Apud Bingam depoſitio S. Hildegardis virginis & abbatiſſæ, quæ tempore S. Bernardi abbatis odorem ſuæ ſanctitatis latè ſparſit. *Hi cum aliis pluribus* S. Hildegardi *dant titulum* abbatiſſæ, *quia cœnobio à ſe fundato præfuit. Attamen* abbatiſſæ *titulo ipſa numquam uſa videtur, nec viventem umquam* abbatiſſam *ab aliis dictam inveni; ſed frequenter* magiſtram *monialium, aliàs* præpoſitam, *aliàs* prioriſſam. *Quæ verò poſt Sanctam cœnobio ipſius Rupertino præfuerunt,* abbatiſſæ *fuerunt dictæ. Bucelinus in Menologio Benedictino affert geſtorum plerorumque compendium, quod in paucis corrigi poteſt ex diſputatis in hoc Commentario. De cultu* S. Hildegardis *Trithemius de Viris illuſtribus lib.* 3 *cap.* 334 *breviter hæc ſcribit:* Cujus feſtum agitur IV Calendas

B C Octobris; *ſed veriſimiliter legendum eſt* XV Calendas Octobris, *ſive die* XVII *Septembris. Cultum hunc ſeculo* XIV *aut* XV *inchoatum ſuſpicor, quia nomen* Hildegardis *tunc Martyrologiis inſertum.*

VITA

Auctoribus Godefrido & Theodorico monachis.

Ex editione Colonienſi & Surii, collata cum Ms. Bodecenſi.

PRÆFATIO.

a D Ominis venerabilibus Ludovico *a* & Godefrido abbatibus, Theodoricus humilis ſervorum Dei ſervus, ſalutem cum devotis orationibus. Authoritatis veſtræ præceptum accepi, ut poſt Godefridum, virum ingenio clarum, Vitam ſanctæ ac Deo dilectæ Hildegardis virginis, (quam ille honeſto ſtylo inchoavit, ſed non perfecit) in ordinem redigerem, & quaſi odoriferis floribus ſerta contexens, viſiones ejus, geſtis ſuis inſertas, ſub diviſione librorum, in unius corporis formam redigerem. Viſum eſt mihi hoc opus viribus meis nimis arduum, quin etiam & verecundum, ut ſcilicet quaſi quidam arbiter ſederem, & de alieno opere ſententiam tenerem. Cùm ecce dubio & anxio influxit animo, quòd vires, quas imperitia denegat, charitas miniſtrat; & melius eſſe, cum pudore hominum ferre ridiculum, quàm obedientiæ ſubire periculum. Itaque parui eo modo, ut præfati viri liber, primæ poſitionis locum obtinens, nullam ſuæ diſpoſitionis patiatur jacturam: deinde ſecundus liber, viſionum pulcherrimum & admirabilem textum; tertius, miraculorum, quæ mirabilis Deus per eam operari dignatus eſt, à nobis digeſtam, diviſam & ordinatam contineret ſcripturam. Ita præcedentis ſcriptoris non minuetur gloria, & ad veram ſapientiam, cœleſtemque viſionem & divinam virtutem legentium E incitabitur memoria. Quis enim bonus non magis incitabitur magnis affectibus ad vitam perennem, ſanctè & piè & juſtè vivendo, anhelare; cùm viderit Gemmam præclaram, tot ornamentis virtutum, videlicet virginitatis, patientiæ ſimul & doctrinæ, tam inſigniter radiare? Idcirco dedimus operam, ne in abſconſo vel ſub modio accenſa Lucerna Chriſti poneretur, quaſi occultanda, ſed ſuper candelabrum poſita, luceret omnibus, qui in domo Dei ſunt, vitæ, verborum & morum ſplendiſluis exemplis imitanda. Quod ſi quid in hac re indocta obſequentis peccavit temeritas, benigna jubentium dominorum indulgeat charitas: totumque ſuo delictum aſſcribat ſtudio, quæ tam gravi nos imbecillos voluit onerare operis negotio *b*. *b*

AUCTORE J. S. *Præfatio Theodorici in Vitam totam.*

ANNOTATA.

a *Præfatio deeſt in codice Bodecenſi. Qui fuerint duo illi abbates, Ludovicus & Godefridus, aliis divinandum relinquo.*

b *Hactenus locutus eſt Theodoricus, tum ſequetur toto libro primo dictio Godefridi. Titulos capitum antiquæ diviſionis, datos in editione Colonienſi, ſed à Surio omiſſos, hoc loco dare poſſem, ſed quia nimis multa & minuta ſunt capita, titulis hiſtoriæ nihil addentibus Vitam augere nolo.* F

LIBER I.

De geſtis Sanctæ.

CAPUT I.

Sanctæ natales, pueritia viſionibus illuſtrata: vita monaſtica ſub Jutta magiſtra.

a IN Romana republica regnante Henrico *a*, fuit in Galliæ citerioris partibus virgo, tam generis quàm ſanctitatis ingenuitate illuſtris, nomine Hil-

A. GODEFRIDO.

Hildegardis, patre Hideberto *b*, matre Mechtilde progenita. Qui licèt mundanis impliciti curis & opulentiâ conspicui, Creatoris tamen donis non ingrati, Filiam prænominatam divino famulatui mancipârunt, eò quòd jam ineuntis ætatis ejus præmatura sinceritas ab omni carnalium habitudine multùm dissentire videretur. Mox namque ut poterat primam tentare loquelam, tam verbis quàm nutibus significabat his, qui circa se erant, secretarum visionum species *c*, quas præter communem cæteris adspectum, speculatione prorsus insolita intuebatur. Cùm * jam ferè esset octo annorum, consepelienda Christo, ut cum ipso ad immortalitatis gloriam resurgeret, recluditur in Monte sancti Disibodi, cum pia Deoque devota fœmina Jutta *, quæ illam sub humilitatis & innocentiæ veste diligenter instituebat, & carminibus tantùm Davidicis instruens, in psalterio decachordo jubilare præmonstrabat. Cæterum præter simplicem psalmorum notitiam, nullam literatoriæ vel musicæ artis ab homine percepit doctrinam, quamvis ejus extent scripta non pauca, & quædam non exigua volumina. Verùm hoc ex ipsis potiùs dictis in promptu est declarare. Ait enim sic in libro suo, qui Scivias prænotatur: Cùm quadraginta duorum annorum, septemque mensium essem, maximæ coruscationis igneum lumen aperto cœlo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor, totumque pectus meum, velut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit. Et repentè intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterii, Euangelii, & aliorum Catholicorum, tam veteris quàm novi Testamenti voluminum sapiebam, non autem interpretationem verborum *d* textûs eorum, nec divisionem syllabarum, nec cognitionem casuum aut temporum habebam.

Sanctæ natales: visiones in ipsa puericia cœptæ: vita monastica:

b

c

* *in Ms.* cûmque

* *ibidem* Juttha

B

d

3 Sed ut ad propositum redeam, Virgo Christi voto monasticæ professionis & sacri velaminis benedictione provecta * crescebat, & ibat de virtute in virtutem, annitente & congaudente provectibus ejus suprà prænominata * matre venerabili, quæ jam ex discipula magistram, ac præviam semitarum excellentium, eam fieri cum admiratione cernebat. Flagrabat siquidem in ejus pectore charitatis benignitas, quæ nullum à sua latitudine excluderet. Turrim quoque virginitatis murus tuebatur humilitatis: hinc cibi potûsque parsimonia vestium vilitate fovebatur: inde tranquillitas cordis pudibunda silentio * ac verborum parcitate monstrabatur: quæ omnia sanctarum monilia virtutum, summi fabricata manu Artificis, patientia custos in Sponsa Christi exornanda servabat. Sed quoniam vasa figuli probat fornax, & virtus in infirmitate perficitur: non defuerunt ei ab ipsa ferè infantia crebri & penè continui languorum dolores, ita ut pedum incessu perrarò uteretur: & cùm tota carnis materia fluitaret, vita illius esset quædam pretiosæ mortis imago. Quantum verò exterioris hominis viribus deerat, tantum interiori per spiritum scientiæ ac fortitudinis accedebat: & corpore tabescente, mirum in modum fervor spiritûs inæstuabat.

virtutes eximiæ: crebri morbi.

* *in Ms.* perfectaq

* *Ms.* nominata

C

* *Ms.* pudibundi silentii

4 Cúmque in sancto proposito multis annis succresceens, soli Deo complacere satagaret, jamque tempus instaret: quòd ad multorum provectum vita ejus ac doctrina patesceret, commonetur divinitus, voce ad eam facta, ut de cætero, quæ videret & audiret, scribere non cunctaretur. Illa verò per fœmineam verecundiam, & vulgi vaniloquia, & temeraria hominum judicia trepidante, cùm quæ ostensa sunt cœlitus secreta, revelare stimulo acriori coarctaretur non hæsitare, tandemque dum longa ægritudine tabefacta decubuisset, primò cuidam monacho, quem sibi magistrum proposuerat, & per eum abbati suo, cum metu & humilitate causam hujus flagelli aperuit. Ille rei novitatem insolitam mente pertractans, quanquam Deo nihil impossibile esse cognosceret, adhibitis de collegio prudentioribus, experiendum judicavit, quod audiebat: ac de scripturis & visionibus ejus quædam scisitatus, ea, quæ Deus daret, monuit declarare. Mox ut illa scribendi opus, quod non didicerat, attentavit, redeunte virium sibi solita possibilitate *, de lecto languoris erigitur. Tunc abbas, accepta inusitati miraculi certitudine, non suo contentus judicio, rem ad publicam notitiam vidit * esse proferendam: venienque ad matricem sedem Moguntinam *, coram venerabili archipræsule Henrico & capitaneis ecclesiæ, quod cognoverat, exposuit. Scripta quoque, quæ Virgo beata nuper ediderat, ostendit.

jubente Deo scribere incipit visiones suas:

D

* *Ms.* potestate

* *Ms.* judicavit

* *ibid.* Moguntiam

5 Per idem tempus sanctæ Romanæ Sedis Antistes, felicis memoriæ Eugenius, celebrato Rhemis universali concilio *e*, per Adelberonem Trevirorum archiepiscopum devocatus *, Treviri morabatur. Visum est pontifici Moguntinæ civitatis & majoribus cleri, ad Apostolici cognitionem esse * veniendum, quatenus ipsius authoritate nosceretur, quid de compertis recipiendum aut refutandum foret. At Papa summæ discretionis, auditu tantæ novitatis attonitus, cùm Deo sciret cuncta esse possibilia, rem diligentiùs investigare gestiens, venerabilem Virduni præsulem *f*, & cum eo Adelbertum *g* primicerium, aliasque personas idoneas dirigit ad cœnobium, sub quo eadem Virgo tot annis degebat * inclusa, ut sine strepitu vel curiositatis acumine, quid rerum * esset, ab ipsa scisitarentur. Quibus humiliter inquirentibus, cùm illa simpliciter, quæ de se erant, aperuisset, ad Apostolicum redierunt, & magnâ ipsius, magnâ cunctorum adstantium expectatione, quæ audierant, retulerunt. His Papa recognitis, jubet repræsentari scripta beatæ Hildegardis, quæ sibi de præfato cœnobio perlata susceperat, & ex manibus propriis tenens, ipseque recitatoris vice functus, archiepiscopo & Cardinalibus, omnibusque, qui de clero aderant, publicè legit, ac responsa virorum, quos ad hæc indaganda miserat, pronuncians, omnium mentes & voces in laudem Conditoris, & congratulationem excitavit. Aderat etiam ibidem sanctæ recordationis Bernardus abbas Clarevallis, quo mediante, cæterisque annitentibus, monebatur summus Pontifex, ne tam insignem Lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiam tantam, quam tempore ipsius Dominus manifestare vellet, sua authoritate confirmaret. Ad hæc reverendus Pater patrum, tam benignè, quàm & sagaciter, assensum præbens, literis salutatoriis beatam Virginem visitavit, in quibus concessâ sub Christi & beati Petri nomine licentiâ proferendi, quæcunque per Spiritum sanctum cognovisset, eam ad scribendum animavit. Sed & locum, quo illa fovebatur, honoravit, datis ad Abbatem *h* & fratres cœnobii gratulatoriis ex suo nomine literarum apicibus.

scripta ipsius Treviris examinata & laudata ab Eugenio III.

e

* *Ms.* vocatus

* *Ms.* de his esse

f

g

* *Ms.* tegebatur

* *Ms.* quod verum

F

h

ANNOTATA.

a *Tempus natæ Virginis propiùs exponitur in Commentario num.* 7, *& locus num.* 8. *Vocatur* Gal-

A *Gallia citerior respectu Germaniæ. Ms. Bodecense sic incipit:* Henrico hujus nominis quarto Augusto *&c.*

b *In Ms. Bodecensi:* Patre Hildeberto, matre Mathilde *&c.*

c *De visionibus Sanctæ ab ipsa infantia consule Commentarium § 2, ubi etiam num. 9 de tempore, quo tradita est vitæ monasticæ sub disciplina B. Juttæ.*

d *Quàm mirabiliter à Deo illuminata fuerit, & quot stimulis ad scribendum excitata, fusè ostendi in Commentario num. xi & seqq. Deinde num. 19 probavi, ipsam adjutore monacho usam esse ad componenda Opera sua.*

e *Fuit Eugenius III Treviris sub finem anni 1147 & anno 1148 ante concilium Remense, ut ostendi in Commentario num 27, ubi vide omnia hæc exposita.*

f Albero *vocabatur, & episcopatum ultrò dimisit anno 1156. Deinde defunctus dicitur anno 1158.* Beati *honoratur titulo in Gallia Christiana Sammarthanorum inter episcopos Virdunenses. Castellanus verò* Alberonem *ut venerabilem memorat ad 2 Novembris, ubi de cultu inquiremus.*

B g *Hic Alberoni in episcopatu successit anno 1156, & scripsit ad* S. Hildegardem, *ut dictum in Commentario num. 60.*

h *Nimirum ad Cononem abbatem S. Disibodi. At hæ litteræ numquam videntur editæ.*

CAPUT II.

Fundat cœnobium in Monte S. Ruperti prope Bingium, illudque cum Sororibus suis inhabitat: pergit perpetuis visionibus illustrari.

Cùm locus deesset auctò moniali-um numero, * *Ms.* circumfluebant

IGitur beata Hildegardis cum fiducia humillima verbis, quæ non ab homine, neque per hominem acceperat, aperuit & perfudit tam sanctæ opinionis odorem bonum longè latéque fragrantem. Tunc confluebant * ad eam filiæ nobilium non paucæ, sub habitu religionis regularibus semitis instituendæ. Cúmque omnes unum reclusionis habitaculum vix caperet, jamque de transferendis & ampliandis earum mansionibus consilium versaretur; demonstratur illi per Spiritum * locus, ubi Naha *a* fluvius Rheno confluit, videlicet collis à priscis diebus sancto Ruperto *b* confessori ex nomine attitulatus, quem ille olim patrimonii jure possederat, ibique cum beata genitrice sua, Bertha nomine, & sancto Wiberto confessore, vitam feliciter in Dei opere ac famulatu consummavit, ac de sepultura ejus ac reliquiis loco nomen inhæserat. Itaque dum Virgo Dei locum transmigrationis, quem non corporalibus oculis, verùm intima visione cognoverat, abbati suo & fratribus designaret, sed illis hæsitantibus, eò quòd discessum ejus molestè ferrent, ne jussum Dei peragere impediretur, decidit, ut pridem *, in lectum prolixi languoris, de quo non antea surrexit, quàm abbas & cæteri divino se nutu urgeri conspicerent ad consentiendum, nec obstarent, sed pro posse anniterentur. Ex quibus Arnoldus ex laico monachus, qui forti obstinatione renitendo cæteros ad obsistendum videbatur animare, dum esset in prædio ecclesiæ villa Wilara, tanta vexatione subitò percussus est corporis, ut de vita quoque desperaret, linguamque in immensum turgentem ore continere non posset. A. GODEFRIDO.

* *Ms.* Spiritum sanctum

a

b

* *Ms.* priùs

7 Postulavit ergo nutibus quibus poterat, ut ad sancti Roberti ecclesiam deferretur: moxque, ut illic vovit, quòd ulteriùs non obstaret, sed pro posse anniteretur, protinus recepta incolumitate, cœpit adjutor esse præparantium mansiones, & propriis manibus dissipare vineta, ubi domus ædificarentur, sanctimonialium receptaculis aptæ. Ipsa verò, cujus migrationi hæc habitacula præparabantur, dum propter moras divinæ visionis exequendæ jaceret gressuum penitus officio destituta, & tanquam saxea rupes, de lecto, in quem deciderat, nullatenus moveri posset, non satis credulus abbas referentibus, intravit, ut videret. Cúmque totis viribus per se conaretur, vel de capite illam sustollere, vel de latere in latus reclinare, nihilque conando penitus efficeret, tam insolito stupefactus miraculo, cognovit non passionis humanæ, sed divinæ correptionis esse, quod gerebatur, nec ulteriùs * contraeundum fore cœlesti edicto, ne deterius quippiam & ipse pateretur. Quoniam verò locus prænominatus partim ad Moguntinæ Ecclesiæ canonicos pertinebat, & fundus cum oratorio sancti Roberti possessio erat comitis Bernhardi de Hildensheim, facta per interventum fidelium legatione, Virgo Dei præscia licentiam sibi & sororibus suis obtinuit illic inhabitandi. *Sancta, novum in Monte S. Ruperti*

* *Ms.* nec sibi ulterius

E

8 Igitur post longam gradiendi defectionem, dum jam utrinque deliberatum esset, ut cum consororibus * dimitteretur ad locum, quem in spiritu præviderat, ingressus abbas ad jacentem & afflictam, dixit, ut in nomine Domini surgeret, abitura ad mansionem sibi cælitus prædestinatam. Tunc illa dicto citiùs surgente, tanquam nihil tam prolixo tempore debilitatis sensisset, stupor & admiratio cunctos, qui aderant, apprehendit. Nec immeritò, cùm & ea, quæ circa decumbentem fieri * visa erant, non minùs essent stupenda, quia ex quo locum mutandi cælitus accepit mandatum, quoties res ad effectum tendere videbatur, toties illa levamen passionis in suo corpore sentiebat: ac vice mutata, quoties obnitentium contradictione cassari negocium cernebatur, toties ista, licèt absens, intensiore gravamine laborabat. Aliquando de stratu repentè consurgens, cunctosque reclusionis angulos & habitacula perambulans, loqui omnino non poterat: rursumque ad lectum rediens, deficiente gressu, loquebatur ut priùs. Quo languoris genere non tunc solùm laboravit: sed & quotiescunque fœminea trepidatione tardâsset vel dubitâsset supernæ voluntatis peragere negocia, hoc certitudinis in se capiebat argumentum. *exstruit cœnobium, miro morbo coacta,*

* *Ms. addit* suis

* *Ms.* geri

F

9 Tandem ergo Dei Famula cum decem & octo puellis Deo sanctis * pristinæ habitationis loco decedente, quantum his, quos deserebat, doloris & luctûs derelinquebat, tantum regioni, ad quam accedebat, gaudii & exultationis afferebat. Fuerant namque illi de Bingensi * oppido & contiguis villis multi honoratorum, & de plebe non exigua multitudo, qui eam cum grandi tripudio & divinis laudibus exceperunt. At ipsa cum suo (immo Christi) grege pusillo paratum sibi locum ingressa, divinam, quæ cuncta dispensat, sapientiam devota cordis alacritate magnificabat, & commissas tutelæ suæ sanctimoniales virgines materno affectu fovebat, & regularibus institutis prudenter imbuere non cessabat. Et ne alieni juris *illudque cum suis monialibus inhabitat,*

* *Ms.* sacratis

* *Ms.* Binguensi

A. GODEFRIDO.

ris possessionem videretur invasisse vel occupare, de donariis fidelium, quæ famâ nominis ejus adducti deferebant, locum suæ habitationis, partim dato precio, partim facto concambio, à proprietariis prædictis obtinuit. Quem quia liberum suscepit, liberum manere perpetuò constituit; ita ut patrocinio tantùm Moguntinæ ecclesiæ subjectus, non alium, quàm sedis ipsius archiepiscopum haberet defensorem, ne, si laicum advocatum assumeret, ovili lupum videretur inducere: quo ferè generali morbo per orbem plurimæ vexantur ac vastantur ecclesiæ. Erga prælatos cœnobii, de quo migraverat, hoc tantùm subjectionis sibi suisque filiabus retinuit, ut quæ de spiritualibus, hoc est, de ordinis tenore & de monachatûs professione quærenda essent, ab eis potiùs, quàm aliunde susciperent: & prout res & tempus poscceret, sacerdotes de ipso cœnobio susciperent, quos propria & libera electione *c* nominatim expetivissent: qui eas tam in cura animarum ac divinis exequendis officiis, quàm in temporalium procuratione sustentarent.

c

10 Quæ omnia non solùm permissu, sed & consulto venerabilis Henrici atque Arnoldi *d* Moguntinæ metropolis archipræsulum, sed & scriptis eorundem cum consensu abbatum, decreta & confirmata sunt: ne quid potestatis in prædia sancti Ruperti sibi usurparet ecclesia sancti Disibodi, privilegiorum authoritate, immò, ut pressiùs dicam, superni Numinis interdicto vetitum est: siquidem hæc ipsa Virgo, dum revelatione intima cognosceret, pro tali negotio eundum sibi esse ad idem cœnobium, & instar Jonæ prophetæ trepidatione quâdam detineretur, divinæ castigationis flagello tacta, penè languit usque ad mortem. Quo verbere commonita, se fecit in oratorium deportari, ibique se, quò Deus jubebat, ituram, si correptio cessaret, devovit. Deinde petiit, ut equo imposita, & manibus sustentata deduceretur: moxque ut viæ pauxillum deducta est, receptis viribus, letabunda procedebat. Pervenienque ad Montem prænominati confessoris, cui * venire compulsa esset, exposuit, atque locum suæ habitationis cum allodiis ad se pertinentibus, ab illis * cœnobii fratribus absolvit, relicta illis plurima portione possessionum, quæ illi cum sororibus susceptis traditæ fuerant, & insuper pecuniarum non modica quantitate, ne quid usquam justæ querelæ relinqueretur.

& sub protectione solius archiepiscopi constituit.

d

* *Ms.* quomodo

* *Ms.* illius

C

11 Verùm, ut ea, quæ series narrationis exigit, repetam, beata Hildegardis, quamvis in se Liæ *e* parturientis crebros dolores sustineret, nihilominus speciosæ Rachelis oculos claros lumine speculationis internæ pascebat: & quæcunque interiùs adspexisset, dictis & scriptis, prout noverat expedire, pandebat. De quo genere speculandi seu videndi modo (qui perrarus ac pluribus etiam excellentium Sanctorum noscitur in hac mortalitatis umbra incompertus fuisse) res poscit ut aliqua dicantur * : quod ipsius verbis potissimùm, quantùm vel ipsa pandere potuit, cognoscatur. Sic enim dicit in epistola, quâ ad Wibertum Gemblacensem *f* monachum, de his, quæ de ea relatu famæ audierat, scisitantem, rescripsit: Deus (inquit) ubi vult, ad gloriam nominis sui, & non terreni hominis, operatur. Ego quidem * trementem timorem habeo, quoniam nullam securitatem ullius possibilitatis in me scio. Sed manus meas ad Deum porrigo, quatenus velut penna, quæ omni gravedine virium caret, & quæ per ventum volat, ab ipso sustinear: nec ea, quæ video, perfectè scire possum, quamdiu in corporali officio sum, & in anima invisibilis *, quoniam in his duobus homini defectus est. Ab infantia autem mea, ossibus & nervis ac venis meis nondum confortatis, visionem hanc in anima mea usque ad præsens tempus semper video, cùm jam plusquam LXX annorum sim: animaque mea, prout Deus vult, in hac visione sursum in altitudinem firmamenti, & in vicissitudinem diversi aëris ascendit, atque inter diversos populos se dilatat, quanvis in longinquis regionibus & locis à me remoti sint. Et quoniam hæc tali modo in anima mea video, idcirco etiam secundum vicissitudinem nubium & aliarum creaturarum ea conspicio. Ista autem nec exterioribus oculis video, nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque sensuum meorum percipio: sed tantùm in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita quòd nunquam in eis defectum ecstasis passa sum, sed vigilanter die ac nocte ea video.

Contemplationi sic erat addicta,

e

* *Ms.* aliquid dicatur

f

* *Ms.* addit semper

D

* *Ms.* invisibili

12 Itaque sicut ex verbis præcedentibus colligimus, verè mirus & perrarus * huic sanctæ Virgini speculationis adfuit modus. Nempe ad similitudinem sanctorum animalium, quæ vidit Ezechiel *g*, ipsa certum pennatum animal ibat, & non revertebatur: & iterum ibat, & revertebatur: quia ab activa vita, quam apprehenderat, ad quælibet infima non revertebatur: & à contemplativa, quam, carne obsita, jugiter tenere non poterat, in activam vitam revertebatur. Quasi enim ei de activæ vitæ modo diceret Deus, Non te deseram neque derelinquam, à bono proposito non permisit eam redire: & iterum, quasi de contemplativæ vitæ modo ei diceret, Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt, de speculatione suæ incomprehensibilis Majestatis ad actualis vitæ laborem eam permisit redire. Averte (inquit) oculos tuos à mea contemplatione, quia ipsi me avolare faciunt, dum me in hac vita ad perfectum comprehendere non sufficiunt. Unde & Psalmista ait: Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: quia quo altiùs puro corde quæritur, eo sublimiùs, quàm sit incomprehensibilis, comprehenditur. Eo modo beata Virgo in carne adhuc posita, & per activam laborabat, & per contemplativam in ipsam Divinitatis lucem totis desideriis inhiabat. Sed hîc primo libro ponentes terminum, benedicamus Dominum, qui Ancillam suam ab ipso ortûs sui principio electam respexit, & eam dilectam usque ad claritatem visionis suæ provexit.

ut cum ea & cum perpetuis visionibus tamen jungeret vitam activam.

E

* *Ms.* perdius

g

F

ANNOTATA.

a Nava *Latinè, aut* Navus *dicitur, vulgò* Naw. *Modicus est amnis in Palatinatu inferiori, & prope Bingium, juxta quod cœnobium fuit conditum, in Rhenum influit. Locus expositus est in Commentario num.* 22.

b *De S. Ruperto Bingii duce & B. Bertha ejus matre actum est apud nos ad* 15 *Maii.*

c *Pro libertate electionis ad Alexandrum Papam recurrit aliquando Sancta, ut dictum in Commentario num.* 157. *Itaque, cùm Alexander creatus sit Pontifex anno* 1159, *non uno aut altero anno laboravit Sancta, sed plus quàm toto decennio, ut omnia rectè ordinarentur.*

d *De Henrico & Arnoldo archiepiscopis actum est in Commentario variis locis.*

e *Respicit auctor ad frequentes Liæ partus, non ad difficultatem, quæ major fuit Rachelis.*

f *Habemus responsum* S. Hildegardis *ad multas quæ-*

A *quæſtiones Guiberti Gemblacenſis monachi, ut dictum eſt in Commentario num. 116. At Epiſtolam hîc citatam necdum editam vidi; & plures ad Guibertum ineditas eſſe, obſervavi num. 194.*

g *Locus in Ms. ſic exprimitur:* Quæ Ezechielis prophetia tangit, ipſa certè tamquam pennatum animal *&c.*

LIBER II.

De viſionibus Sanctæ.

PROLOGUS.

Auctor de viſionibus ſcripturum ſe dicit.

GRandem quidem materiam ingenia parva non ſufferunt: ſed charitas & obedientia, quibus me totum ſemper vobis debere profiteor, Ludovice & Godefride abbates optimi, mentem meam etiam de impoſſibilibus ad poſſibilem facultatem efferunt. Unde quanvis nullo fretus ingenio, tamen præceptis veſtris in charitate Chriſti obtemperavi, & libellum ſecundum de Vita beatæ Hildegardis virginis, ſecretis & arcanis viſionibus quaſi quibuſdam amœnis floribus reſperſum, ab eo loco, quo præcedentem librum Godefridus *a* bonæ memoriæ terminavit, ordinare & perficere, Deo favente, curavi. In quo ex verbis ipſius Deo dilectæ Virginis tanta elucet claritas prophetiæ, ut nihil minus ab antiquis patribus videatur percepiſſe gratiæ. Nempe ſicut legitur de Moyſe, quòd indeſinenter fuerit in tabernaculo, ſic & ipſa in viſionum cæleſtium morabatur umbraculo: videlicet ut, ſicut ille, ſic iſta à Deo, ut aliquid diſceret, aut auditores ſuos aliquid doceret. An non morabatur in cæleſti tabernaculo, & tranſcenderat nebulam totius carnalitatis, cùm dictatum & verba Euangelii Johannis, In principio erat Verbum, & cætera, eam docuit Spiritus veritatis? Ipſe enim Spiritus ſanctus, qui in cor Johannis profluxit, quando hanc profundiſſimam revelationem de pectore Jeſu ſuxit, per diviſivam ſuæ dignationis gratiam hoc iſtam voluit diſcere, quod ille dignus fuit dicere. Sed de his iterum loqui differamus, & propoſita, adſpirante ipſo Spiritu, diſſeramus. Nec moveat lectorem, quòd quædam, quæ in præcedenti libro Vitæ ejus præſcripta ſunt, eadem in ſubſequenti etiam Opere viſionum ejus, nihilominus deſcripta ſunt: quia dignum judicavimus, ut & qualitas ordinis in recitatione hiſtoriæ ejus ſervaretur, & authoritas vel integritas verborum, quæ per Spiritum ſanctum prolata ſunt, in deſcriptione viſionum ejus nullatenus mutilaretur *b*.

a b c

ANNOTATA.

a *Godefridus ille primum librum ſcripſit, excepto prologo. Reliqua omnia ſunt Theodorici, qui hæc ſcribit.*

b *Præcipua ratio repetitionis eſt diverſitas ſcriptorum. Noluit Theodoricus librum primum mutilare iis, quæ erant allata de viſionibus, nec ea hîc omittere voluit. Prologus ille in Ms. Bodecenſi erat omiſſus.*

A. THEODORICO.

CAPUT I.

Sancta Latini ſermonis ignara, libros tamen Latinè ſcribit: viſionibus à pueritia gaudet: eas cogitur ſcribere: multos conſilio juvat & monitis, & ſuas rectè dirigit.

Sanctæ ſcripta prophetica.

IGitur beata Virgo in loco, ad quem viſu divino migraverat, librum viſionum ſuarum, quem apud Montem ſancti Diſibodi inchoaverat, conſummavit *a*, & quædam de natura hominis & elementorum, diverſarumque creaturarum, & quomodo homini ex his ſuccurrendum ſit, aliaque multa ſecreta prophetico ſpiritu manifeſtavit. Patet etiam, quàm eleganter epiſtolis, de diverſis provinciis ad ſe directis, reſponderit, ſi quis tenorem verborum ejus, ex revelatione divina *b* prolatorum, altiùs conſiderare voluerit. Sunt tamen in unum volumen compilatæ & ſuæ, & illæ, quæ ad ſe fuerant * deſtinatæ. Quis verò non miretur, quòd cantum dulciſſimæ melodiæ mirabili protulit ſymphonia, & literas non priùs viſas cum lingua edidit antea inaudita *c*? Præter hæc, Euangelia quædam expoſuit, aliaſque typicas expoſitiones compoſuit: quæ omnia quia ei clavis David aperuit, gratulari meritò & cantare animæ ſuæ licuit, quòd eam Rex in cellaria ſua introduxerit, ut inebriaretur ab ubertate domûs ſuæ, & potaretur torrente voluptatis ſuæ: unde & ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à timore Domini concipiens, pareret ſpiritum, & ſalutes *d* ſuper terram faceret. Magnum eſt etiam illud & admiratione dignum, quòd ea, quæ in ſpiritu audivit vel vidit, eodem ſenſu & eiſdem verbis, circunſpecta & pura mente, manu propria ſcripſit, & ore edidit *e*, uno ſolo fideli viro ſymmyſta contenta, qui ad evidentiam grammaticæ artis, quam ipſa neſciebat, caſus, tempora & genera quidem diſponere, ſed ad ſenſum vel intellectum eorum nihil omnino addere præſumebat vel demere. De hoc certè etiam ad Adrianum Papam *f* ſcripſit, quòd ſic in cæleſti viſione ſibi dictum audivit: Cùm deſuper tibi oſtenſa ad formam humanæ conſuetudinis non protuleris in Latina lingua, quia hæc conſuetudo tibi non eſt data, ille qui limam habet *, ad aptum ſonum hominum explere non negligat.

a d e f

* *Ms.* venerant

c

F

* *Ms.* ſcientiam haberet

Viſio ipſius ſingularis:

15 Congruum autem videtur, ut hoc in loco ſcripta viſionum ejus aliqua inſeramus: & ex his, quàm convenienter ſententia illa de Canticis, Dilectus meus miſit manus ſuas per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus, ſibi adaptari queat, videamus. Hæc ſcripta ita ſe habent. In myſtica (inquit) viſione & in lumine charitatis * de ſapientia, quæ nunquam deficiet, verba hæc ſic audivi & vidi: Quinque toni juſtitiæ humano generi à Deo miſſi intonant, in quibus ſalus & redemptio credentium conſtat. Et hi quinque toni excellentiores omnibus operibus hominum ſunt, quia omnia opera hominum de his nutriuntur, qui ſunt, qui in ſonis non eunt, ſed cum quibus omnia opera hominis in

* *Ms.* claritatis

A. THEODORICO.

quinque ſenſibus corporis ejus perficiuntur. Et de illis talis ratio eſt: Primus tonus per fidele Abel ſacrificium, quod Deo immolavit, opere completus eſt. Secundus autem, quando Noë per præceptum Dei arcam ædificavit. Tertius verò per Moyſen, quando ei lex data eſt, quæ punctum * circunciſionis Abrahæ fuit. Sed in quarto tono Verbum ſummi Patris in Virginis uterum deſcendit, & carnem induit: quia idem Verbum cum aqua limum coagulaverat, & ſic hominem formaverat: unde & omnis creatura per hominem ad ipſum clamavit, qui eam fecerat, ſicque propter hominem Deus omnia in ſe portavit. Alio enim tempore hominem creavit, alio autem ipſum portavit: ut omnes, quos conſilium ſerpentis perdiderat, ſibi attraheret. Quintus autem tonus perficietur, cùm omnis error & irriſio finietur: & tunc homines videbunt & cognoſcent, quòd nullus citra Dominum * quicquam facere poſſit. Hoc verò * in quinque tonis à Deo miſſis vetus & novum Teſtamentum perficietur, ac mirificus numerus hominum complebitur. Et poſt hos quinque tonos Filio Dei quoddam lucidum tempus dabitur, ita quòd ab omni carne palam cognoſcetur. Poſtea Divinitas in ſemetipſa operabitur, quandiu vult.

* *forte* pactum

* *Ms.* contra Deum

* *ibid.* modo

B

quomodo ab infantia viſiones habuerit,

16 Sapientia quoque in lumine charitatis docet, & jubet me dicere, quomodo in hac viſione conſtituta ſum. Et ego verba hæc non dico de me, ſed vera Sapientia iſta dicit de me, & ſic loquitur ad me: Audi, ô homo, verba hæc, & dic ea, non ſecundum te, ſed ſecundum me: & docta per me, hoc modo dic de te: In prima formatione mea, cùm Deus in utero matris meæ ſpiraculo vitæ ſuſcitavit me, viſionem iſtam infixit animæ meæ. Nam poſt Incarnationem Chriſti anno MC doctrina Apoſtolorum & ardens juſtitia, quam in Chriſtianis & ſpiritualibus conſtituerat, tardare cœpit, & in hæſitationem vertebatur. Illis temporibus nata ſum, & parentes mei cum ſuſpirio * Deo me vovebant, ac tertio ætatis meæ anno tantum lumen vidi, quòd anima mea contremuit: ſed præ infantia de his nihil proferre potui. In octavo autem anno ætatis meæ in ſpiritualem converſationem Deo oblata ſum, & uſque in quintum decimum annum fui multa videns, & plura ſimpliciter loquens, ita quòd & admirabantur, qui hæc audierunt, unde venirent, & à quo eſſent. Tunc & ego in me ipſa admirata ſum, quod cùm infra * in anima vidi, exteriorem etiam viſum habui: & quod hoc de nullo homine audivi, atque viſionem, quam in anima vidi, quantùm potui, celavi: multaque exteriora ignoravi de frequenti ægritudine, quam à lacte matris meæ hucuſque paſſa ſum, quæ carnem meam maceravit, & ex qua vires meæ defecerunt. His valde fatigata, à quadam nutrice mea quæſivi, ſi aliqua, exceptis exterioribus, videret: & nihil mihi inde reſpondit, quoniam nihil * videbat. Tunc magno timore correpta, non audebam hæc cuiquam manifeſtare, ſed tamen plura loquendo, dictando, de futuris ſolebam enarrare. Et quando hac viſione pleniter perfundebar, multa, quæ audientibus aliena erant, loquebar. Sed cùm vis viſionis aliquantulùm ceſſit, in qua me plus ſecundum mores infantis, quàm ſecundum annos ætatis meæ exhibui, valde erubui, & ſæpe flevi, & multoties libenter tacuiſſem, ſi mihi licuiſſet. Præ timore autem, quem ad homines habebam, quomodo viderem, nulli dicere audebam. Sed quædam nobilis fœmina, cui in diſciplina eram ſubdita, hæc notavit, & eui-

C

* *forte* intra

* *Ms.* ſuſpiriis

* *Ms.* nihil horum

dam ſibi notæ monachæ *g* aperuit.

D

17 Eidem fœminæ Deus per gratiam ſuam quaſi rivulum ex multis aquis infudit, ita quòd bonis operibus quietem non tribuit *h*, quouſque bono fine præſentem vitam finivit, cujus etiam merita Deus per quædam pulchra oſtendit ſigna. Poſt cujus finem ita permanſi videns in quadrageſimum ætatis meæ annum. Tunc in eadem viſione magnâ preſſurâ coacta ſum palàm manifeſtare ea, quæ videram & audieram. Sed valde timui & erubui proferre, quæ tam diu ſilueram. Venæ autem medullæ * meæ tunc plenæ virium erant, in quibus ab infantia & juventute mea defectum habebam. Iſta cuidam monacho magiſtro meo intimavi, qui bonæ converſationis & diligentis intentionis ac veluti peregrinus à ſciſcitationibus morum multorum hominum erat. Unde & eadem miracula libenter audiebat: qui admirans mihi injunxit, ut ea abſconſa * ſcriberem, donec videret, quæ * & unde eſſent. Intelligens autem, quòd à Deo eſſent, abbati ſuo intimavit, magnoque deſiderio deinceps mecum in his laboravit. In eadem viſione ſcripta Prophetarum, Euangeliorum, & aliorum ſanctorum quorumdam philoſophorum, ſine ulla humana doctrina intellexi, E ac quædam ex illis expoſui, cùm vix notitiam literarum haberem, ſicut indocta mulier me docuerat. Sed & cantum cum melodia in laudem Dei & Sanctorum abſque doctrina ullius hominis protuli & cantavi, cùm nunquam vel neumam *i*, vel cantum aliquem didiciſſem. Hæc ad audientiam Moguntinæ eccleſiæ allata cùm eſſent & diſcuſſa, omnes ex Deo eſſe dixerunt, & ex prophetia, quâ olim prophetæ prophetaverant. Deinde ſcripta mea Eugenio Papæ *k*, cum Treberi eſſet, allata ſunt, qui ea gratanter coram plurimis legi fecit, ac per ſeipſum legit, multúmque de gratia Dei confidens, benedictionemque ſuam cum literis mihi mittens, præcepit, ut ea, quæ in viſione viderem vel audirem, ſcriptis attentiùs commendarem.

g *easque ſcribere cœperit, ac ſcripta fuerint examinata.*

h

* *Ms.* & medullæ

* *Ms.* abſconsè

* *Ms.* quæ eſſent *&c.*

i

k

18 Itaque * beatæ Virginis pulcherrima viſione, & ſui timoris, quem ad acceſſum Spirirus ſancti capiebat, recitatione, de Apoſtolici quoque benedictione, & de percepta ab eo ſcribendi permiſſione, patenter colligimus, quòd ille dilectus ſuus Sponſus cæleſtis Jeſus Chriſtus verè miſit manum ſuam, id eſt, operationem & inſpirationem Spiritus ſancti, per foramen, hoc eſt, F per occultam gratiam ſuam, & venter ejus, ſcilicet mens ſua, ad tactum ejus, hoc eſt, ad infuſionem gratiæ ſuæ intremuit, ob inſolitum vigorem ſpiritûs & pondus, quod interiùs ſenſit. Quid aptius? quid convenientius? Certè ſicut per illum in Helia *l* ſibilum auræ tenuem * frequentior viſitatio ſignatur: ita divini Spiritus ſaporem toties deguſtabat mens ejus, quoties in contemplationis ſublimitate ſuſpendebatur. Et quid fecit? Surrexi, inquit, ut aperirem Dilecto meo. O verè beata Virgo! quæ, ſicut ſcriptum eſt, quia dilexit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habet amicum Regem, id eſt, Chriſtum, à quo tale percepit donum. Secundum menſuram enim, quam ſibi dare Spiritus ſanctus voluit (nam ſicut ſpirat, ubi vult, ſic etiam dividit ſingulis, prout vult) quin ſurgeret & Dilecto aperiret, recuſare non poterat: & nunc voce, nunc literis, peſſulum oſtii ſui aperiens Dilecto, foris exequebatur, quod intus audivit. Quid intus audivit? Deriventur foràs fontes tui, & in plateis aquas tuas divide.

Sancta mirabili modo à Deo viſitata,

* *Ms.* Igitur ex *&c.*

l

* *Ms.* tenuis

19 Igitur dum ad hunc modum bonorum operum

A *multos consilio, doctrinâ, exhortatione juvat,*

rum rivis affluentibus quasi paradisi fluminibus irrigaretur, non modò tota vicinia, verùm etiam ex omni tripartita Gallia atque Germania confluebant ad eam undique utriusque sexus populorum examina, quibus per gratiam Dei utriusque vitæ affatim accommoda impendebat exhortamina. Ad salutem enim animarum suarum proponebat eis & solvebat quæstiones sanctarum Scripturarum *m*. Plurimi consilium ab ea percipiebant necessitatum corporalium, quas patiebantur: nonnulli quoque benedictionibus suis à languoribus alleviabantur. Quia verò prophetico spiritu cogitationes & intentiones hominum cognoscebat, quosdam perversa & frivola mente ad se, quasi ad explorandum, accedentes redarguebat: qui dum spiritui, qui loquebatur, non valerent resistere, correpti & emendati, cogebantur à pravo incepto desistere. Sed & Judæos, dum ad se venirent causâ interrogationis, convictos de lege sua, ad Christi fidem exhortabatur verbis piæ admonitionis. Omnibus enim, juxta Apostolum, omnia facta, extraneis quidem adventantibus, quanvis reprehensibilibus, blandè & leniter, prout eis videbat competere, loquebatur.

m

B *& subditas suas diligenter & manſuetè regit.*

20 Secum autem commorantes puellas cum multo dilectionis ac maternæ dulcedinis affectu castigabat, quoties vel rancor cujuslibet controversiæ, vel dolor secularis tristitiæ, sive desidia, aut negligentia in eis oriebatur. Denique voluntates, intentiones & cogitationes earum in tantum perspiciebat, quòd in officiis etiam divinis, secundum qualitatem cordis sui, propriis benedictionibus eis * respondebat. Prævidebat enim in spiritu vitam hominum & conversationem, necnon & vitæ præsentis quorundam consummationem, ac secundum qualitatem morum & meritorum, gloriam & pœnas animarum eorum: quæ tamen tanta mysteria nulli, præterquam illi soli homini revelabat, cui (ut prædiximus) omnia secreta sua manifestabat. Sicut denique tempus tacendi, ita noverat, quid & ubi, & cui, & cur, quomodo, & quando tempus esset loquendi. In his autem omnibus summam omnium virtutum servabat humilitatem. Et sciens, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, semper gratiæ divinæ omnipotentem laudabat benignitatem.

* *Ms.* benedict's *ſine* eis

ANNOTATA.

C

a *Loquitur auctor de primo Opere* Scivias *dicto, quod anno* 1141 *in Monte S. Disibodi inchoavit, & circa* 1151 *in Monte S. Ruperti finivit.*

b *De Epistolis, quæ æquè ac alia Opera spiritu prophetico scriptæ sunt ex visionibus divinis, multa dedimus* § 4 *& seqq.*

c *De Opere musico, quod Sancta composuit, consule Commentarium num.* 191, *ubi & reliqua ipsius Opera enumeravi.*

d *Ultima verba in Ms. sic leguntur:* Concipiens pareret, & spiritum salutis super terram faceret.

e *Audita Latinè scripsit, visa, opinor, Germanicè aut scripsit aut adjutori suo Latinè vertenda oretenus exposuit. Consule dicta in Commentario num.* 19 *&* 20.

f *Epistola data est ad Anastasium Papam, quæ allegatur, ut observavi in Commentario num.* 50. *Scripsit tamen Sancta etiam ad Adrianum IV, indeque factum puto, ut ex Epistolis in codice conjunctis unam pro altera nominaverit auctor.*

g *In Ms. legitur,* Cuidam noto sibi monacho aperuit. *Hæc lectio verior videtur: nam fœmina, cui Sancta rem aperuit, fuit B. Jutta magistra ipsius, & hæc verisimiliter directori suo.* A. THEODORICO.

h *Hæc de B. Jutta, de qua ad* 22 *Decembris agemus, iterum rectiùs habentur in Ms. hoc modo:* Ita quòd corpori suo in vigiliis, jejuniis, & cæteris bonis operibus quietem non tribuit.

i *In Ms.* neuma, *quod pro modulatione sumitur.*

k *De examine scriptorum Treviris facto consule Commentarium num.* 27 *&* 28. *Reliqua verò de visionibus ipsius* § 2 *exposita sunt,*

l Sibilus auræ tenuis 3 *Reg.* 19 ℣ 12 *significabat Eliæ visitationem Domini.*

m *Quot quámque diversa de sacris Litteris, de rebus theologicis, de arcanis & occultis, quæstiones* S. Hildegardi *proponerentur, videri potest ex disputatis in Commentario* § 6, 7 *&* 8.

CAPUT II.

Sancta in visione discit locum ad fundandum monasterium, eaque occasione multa patitur: Deum tamen in omnibus adjutorem habet & consolatorem.

E

Sancta visionem de loco mutando celans, graviter ægrotat,

TAntis ac talibus gratiarum adornatam dotalibus Sponsus cælestis Sponsam suam dilectam, licèt crebris inviseret visitationibus, tamen, ut scriptum est, quanto magna erat, humiliaret se in omnibus, permisit eam sæpe variis ægritudinum vexari passionibus. Quod ut evidentiùs pateat, textus visionum ejus producatur in medium, ut & virtus in infirmitate perfecta non lateat, & lectoris etiam, dum alternis uti delectatur, allevietur tædium. Vis scire, quid perpessa fuerit pro eo, quòd non manifestaverit ostensam sibi cælitus visionem, propter suam de loco, in quo tunc erat, in alium transmigrationem? Audi ipsam ita scribentem: Quodam (inquit) tempore ex caligine oculorum nullum lumen videbam, tantoque pondere corporis deprimebar, quòd sublevari non valens, in doloribus maximis occupata jacebam: quæ ideo passa sum, quia non manifestavi visionem, quæ mihi ostensa fuit, quòd de loco, in quo Deo oblata fueram, in alium cum puellis meis moveri deberem. Hæc tam diu sustinui, donec locum, in quo nunc sum, nominavi: & ilico visu recepto, levius quidem habui, sed tamen infirmitate nondum ad plenum carui. Abbas autem meus, & fratres & populus ejusdem provinciæ, cùm percepissent de hac mutatione, quid hoc esset, quòd de pinguedine agrorum & vinearum & de amœnitate loci illius ad inaquosa, ubi nulla essent commoda, ire vellemus, mirum habuerunt: & ne hoc fieret, sed ut nobis resisterent, in invicem conspiraverunt. Me quoque quadam vanitate deceptam esse dicebant. Cúmque hæc audîssem, cor meum contritum est, & caro mea & venæ aruerunt: & per dies plurimos lecto decumbens, vocem magnam audivi, me prohibentem, ne quicquam ampliùs in loco illo de visione hac proferrem vel scriberem.

F

A. THEODORICO. *in mutando autem loco plurimas patitur obloquiones,* **Ms.* videretur

22 Tunc quædam nobilis marchioniſſa, nobis nota, archiepiſcopum Moguntinum adiit, & ei hæc omnia, aliiſque ſapientibus manifeſtavit. Qui dixerunt, quòd nullus locus, niſi per bona opera ſanctificaretur: unde & hoc, ut fieret, conveniens videtur *. Tunc antiquus deceptor per multas irriſiones me excribravit, ita quòd multi dixerunt: Quid eſt hoc, quod huic ſtultæ & indoctæ fœminæ tot myſteria revelantur, cùm multi fortes & ſapientes viri ſint? In diſperſionem itaque vertetur. Multi enim de revelatione admirabantur, utrùm à Deo eſſet, an de inaquoſitate aëreorum ſpirituum, qui multos ſeducunt. Et ita in iſto loco *a* cum viginti puellis nobilibus, & de divitibus parentibus natis, manſi, nullam * habitationem ſeu habitatorem hîc inveniens, excepto veterano quodam & uxore ejus ac filiis. Tanta quoque adverſitas tribulationum & preſſura laborum ſuper me cecidit, velut cùm tempeſtuoſa nubes ſolem obtegit, ita quòd valde ſuſpirans & lachrymas fundens, dixi: O, ô, Deus nullum confundit, qui in ipſum confidit. Sed iterum Deus gratiam ſuam mihi adhibuit, quemadmodum cùm ſol recedentibus nubibus apparet, & velut cùm mater flenti infanti lac præbet, unde ipſe poſt fletum gaudet. Tunc in vera viſione vidi, quòd tribulationes iſtæ in exemplo Moyſis ſuper me veniſſent: quia cùm ille filios Iſrael Ægypto trans mare rubrum duceret in deſertum, ipſi contra Deum murmurantes, Moyſen quoque valde afflixerunt, quanvis eos Deus mirificis ſignis illuſtrâſſet. Ita Deus aliqua parte me affligi permiſit à communi populo, à propinquis meis, & ab aliquantis, qui mecum manſerunt, cùm eis neceſſaria defuerunt, niſi quantum nobis per gratiam Dei in eleemoſynis dabatur: quia ſicut filii Iſrael Moyſen afflixerunt, ita & iſti ſuper me caput moventes, dixerunt: Quid prodeſt, quòd nobiles & divites puellæ de loco, in quo eis nihil defuit, in tantam penuriam devenerunt? Nos verò gratiam Dei nobis ſuccurrere expectabamus, qui hunc locum nobis * oſtenderat.

a **Ms.* nullamque

B

** Ms. addit* ſolum *poſtea modò proſpera habuit, modò adverſa.*

23 Poſt preſſuram doloris hujus, gratiam ſuam Deus ſuper nos pluit. Nam multi, qui nos priùs contemnentes inaquoſam inutilitatem nominaverant, venerunt ad nos undique adjuvantes, & benedictionibus nos replentes. Multi etiam divites mortuos ſuos in honore apud nos ſepeliêrunt. Plurimi quoque viſionem hanc in fide cognoſcentes, magno deſiderio ad nos venerunt, ſicut per Prophetam dictum eſt: Venient ad te, qui detrahebant tibi. Tunc ſpiritus meus revixit, & quæ priùs in dolore fleveram, nunc, quia Deus in oblivionem me non duxiſſet, præ gaudio flevi, cùm locum iſtum extollendo, & multis utilibus * rebus & ædificiis multiplicando confirmavit. Sed tamen Deus noluit, quòd in plena ſecuritate conſtanter perſeverarem, ſicut ab infantia mea in omnibus cauſis meis fecerat, cùm nullam ſecuritatem gaudii vitæ iſtius mihi dimiſit, per quod mens mea elevari poſſet. Nam cùm librum Scivias ſcriberem, quandam nobilem puellam, ſupradictæ marchioniſſæ filiam, in plena charitate habebam, ſicut Paulus Timotheum, quæ in diligenti amicitia in omnibus ſe mihi conjunxerat, & in paſſionibus meis mihi * condoluit, donec ipſum librum complevi. Sed poſt hæc propter elegantiam generis ſui, ad dignitatem majoris nominis * ſe inclinavit, ut mater cujuſdam ſublimis eccleſiæ nominaretur: quod tamen non ſecundum Deum, ſed ſecundum honorem ſeculi hujus quæſivit. Hæc in alia regione à nobis remota, poſtquam à me receſſit, vitam præſentem cum nomine dignitatis citò perdidit *b*. Aliæ etiam quædam nobiles puellæ ſimiliter fecerunt, ſe à me ſeparantes: ex quibus quædam poſtea tam negligenter vivebant, quòd multi dixerunt, quia opera earum oſtenderent, quòd in Spiritum ſanctum, & in hominem, qui de Spiritu ſancto loquebatur, peccâſſent. Ego autem & diligentes me admirabamur, cur tanta perſecutio ſuper me veniret, & Deus conſolationem mihi non adhiberet, cùm in peccatis perſeverare non vellem, ſed bona opera, Deo adjuvante, perficere deſiderarem. In his librum Scivias complevi, ſicut Deus voluit.

** vox* utilibus *non eſt in Ms.*

** non eſt in Ms.* mihi

** Ms.* majorem

D

b

24 Ex præcedenti viſionis deſcriptione & beatæ Virginis liquet afflictione, quòd locum, quem ſibi præmonſtratum, & pro quo retardantem cæcitate caſtigavit, ipſe Dominus elegit & præelegit in hæreditatem ſibi, ut nomen ſuum ſanctum impenſiùs glorificaretur ibi, tum propter S. Ruperti merita, & ſecum ibi in Chriſto quieſcentium, tum propter profectum ſanctæ Virginis, & ſecum illuc venientium. Inter hæc ſubit mentem veteris hiſtoriæ recordatio, & pulchra ſe nobis offert de Delbora * prophetiſſa *c*, & loco, in quo ſedit, ad noſtram prophetiſſam & locum noſtrum comparatio. Sic enim Origenes dicit: Præſtat non minimam conſolationem mulierum ſexui, & provocat eas, ne pro infirmitate ſexûs deſperent, etiam prophetiæ gratiæ capaces ſe fieri poſſe: ſed intelligant & credant, quòd meretur hanc gratiam puritas mentis, non diverſitas ſexûs. Delbora quippe, quæ apes interpretatur, in prophetiæ forma verſatur. Certum namque eſt, quòd omnis prophetia ſuaves cæleſtis doctrinæ favos & dulcia divini eloquii mella componat, ut David dicit: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo! Hæc inter Rama & Bethel ſedere dicitur: & Rama, excelſa: Bethel, domus Dei interpretatur. Nihil enim humile, nihil dejectum erga prophetiæ ſedem reperitur. Sicut & apud Salomonem ſedes ſapientiæ, vel in portis civitatum conſiſtit, vel in murorum mœnibus habitat, vel in turribus liberè agit. Hoc modo prophetia in beata Hildegarde inter domum Dei & excelſa dicitur habitâſſe, quod nunc videri etiam in promptu ſit localiter: poteſt tamen accipi & ſpiritualiter. Docet enim te, ô ſancta anima, quæcunque ibi habitas, quæ ſuper terram ſunt, reſpuere, & quæ in cælorum excelſis ſunt, ubi Chriſtus in dextera Dei ſedet, quærere. Illuc te prophetia ejus hortatur aſcendere, illuc auditores ſuos molitur imponere. Benedicta ergo gratia Dei * de loco ſuo, de cujus emancipatione, quam in ſpiritu prævidit beata Virgo, dicit ita in ſcripto ſuo.

Obſervatio de ſpiritu prophetico Sanctæ,

E

* Debbora *c*

F

** Ms.* gloria Domini

25 Vidi in viſione, & docta & coacta ſum, ut prælatis meis revelarem, quòd locus noſter cum ſuis pertinentiis loco, in quo Deo oblata fueram, abſolvendus eſſet, præterquam quòd ſubjectionem & obedientiam Deo ibi ſervientibus deberemus, quandiu bonam fidem erga nos inveniremus *d*. Hæc abbati meo *e* intimavi, ſed infirmitate correptus, nihil inde diſpoſuit, quoniam & * poſt paucos dies vitam finivit. Ad abbatem verò ſuccedentem & Moguntinum archiepiſcopum & majores eccleſiæ cùm hæc perveniſſent, in fide & charitate ea ſuſceperunt, atque ita fieri cum ſigillo ſcripturæ confirmaverunt. Inter hæc à quibuſdam multas infeſtationes pertuli, ſicut Joſue, quem præ aliis victorem inimici conabantur du-

qua in adverſis Deum ſemper habuit adjutorem,

d e

** Ms.* quia etiam

ce-

A tere in confusionem : sed sicut Deus ipsum adjuvit, ita me & filias meas liberavit. Sed sicut Joseph fratres sui invidebant, quòd à patre plùs aliis amaretur, ac ipsum vendentes, tunicam ejus scissam patri retulerunt, dicentes, quòd fera illum devoraverit : ita & quidam malevoli tunicam gratiæ & laudis Domini in nobis scindere volebant : sed Deus nobis succurrit, sicut Joseph in honorem restituit. Quanvis autem multam pressuram haberemus, tamen per gratiam Dei augmentabamur, sicut & filii Israel, qui quantò plus opprimebantur, tantò magis crescebant. In gaudio itaque cordis mei ad Deum adspiciebam, & quia in tribulationibus mihi adstiterat, secura esse volebam.

consolatorem, eumdemque castigantem

26 Hic opportunè considerare possumus, quòd beata Virgo, licèt corpore infirmitatis attritione, diabolicæ quoque & humanæ infestationis prægravaretur vexatione, semper tamen divina roborari & confirmari meruit consolatione. Siquidem Spiritus sanctus gratiam suam multis profuturam in electo Vase suo volens conservare, omnis fæculentiæ rubiginem limâ correctionis in ea studuit elimare, ut ex castigatione proficiens, B voluntatem Domini diligenter investigaret : & juxta Apostolum, rationabile obsequium Deo reddens, totum vitæ suæ cursum ad ejus sententiam ordinaret : & meritò. Gratuito enim suo dono naturæ & gratiæ simul illustrans eam bono, præparabat ei gratiam in abundantia magna & gloria, gratiam in terris, gloriam in cœlis, gratiam sublimium meritorum, gloriam ineffabilium præmiorum dabat. Inde est, quòd à terrenis castigabatur, sicut scriptum est : Flagellat Deus omnem filium, quem recipit, ut in ea meritorum augerentur merita, sicut & in subsequenti visione declaratur, quam describit ita :

morbo planè mirabili.

27 In lectum ægritudinis quodam tempore me Deus stravit, & aëris pœnis totum corpus infudit, ita quòd venæ cum sanguine, caro cum liquore, medulla * cum ossibus in me aruerunt, velut anima mea à corpore eximi deberet. In isto strepitu triginta dies fui, ita quòd ex calore aërei ignis venter meus fervebat. Unde quidam hanc ægritudinem pro pœna computabant. Virtus quoque spiritus mei, carni meæ infixa, defecit, nec ex hac vita translata, nec pleniter fui in ea. Corpus etiam meum immutatum sterne- C batur in terram super cilicium, nec tamen vidi finem meum, cùm & prælati mei, filiæ & proximi, cum planctu magno venirent, & obitum meum viderent. At ego in vera visione aciem magnam angelorum, humano intellectui innumerabilem, per hos dies interdum vidi, qui de exercitu illo erant, qui cum Michaële contra draconem pugnabant, & hi sustinebant, quid de me Deus fieri juberet. Sed unus fortis ex eis, clamabat ad me, dicens : Ei, Ei, aquila, quare dormis in scientia? Surge de dubitatione. Cognoscêris, ô gemma in splendore, omnes aquilæ videbunt te, sed mundus lugebit, vita autem æterna gaudebit : & ideo aurora ad Solem surge. Surge, surge, comede & bibe. Mox acies tota clamabat voce sonora : Vox gaudii, nuncii siluerunt, nondum venit tempus transeundi : Puella, ergo surge. Statim corpus meum & sensus mei ad præsentem vitam mutabantur. Quod filiæ meæ, quæ priùs fleverant, cernentes, de terra me levantes, in lectum reposuerunt, & sic pristinas vires recepi. Pœnalis autem infirmitas à me pleniter non recessit : sed tantùm spiritus meus de die in diem plus, quàm priùs, in me confortabatur. Nam pessimi aërei spiritus, quibus pœnales cruciatus hominum injuncti sunt, pœnam hanc, quæ mihi ab eis, ut Deus permisit, inferebatur, subministrabant, sicut & tortores fecerunt, qui beato Laurentio & aliis martyribus prunas apponebant, qui & ad me festinantes, voce magna clamabant : Seducamus istam, ut de Deo dubitet & blasphemet, cur eam tantis pœnis implicet. Sicut enim in Job permissione Dei factum est, quòd satan corpus ejus ita percussit, quòd vermibus scateret : ita aërius ignis subintrans, carnem meam consumpsit : quod & Jeremiæ accidit, qui dolorem suum flebiliter planxit. Sed diabolus ei persuadere non potuit, quòd Deum blasphemaret. Ego verò mollis in carne, timida in mente, de pœnis istis plurimùm terrebar. Sed Deus me confortavit, quòd eas patienter ferebam, atque in spiritu meo dixi : O, ô Domine Deus, omnia, per quæ me tangis, bona esse scio, quoniam cuncta opera tua, bona & sancta sunt, quoniam hæc ab infantia mea promerui. Sed tamen confido, quòd animam meam in futura vita sic cruciari non permittas.

ANNOTATA.

E

a *Loquitur de loco sibi ostenso, sive de Monte S. Ruperti, licèt verbum* mansi *contrarium videatur innuere; sed* mansi *idem ibi est ac* habitare cœpi. *At Sancta, cùm dicit* cum viginti puellis, *videtur contraria biographo num.* 9, *ubi dicit, eam ex Monte S. Disibodi discessisse* cum decem & octo puellis. *Utrumque erit verum, si duæ se adjunxerint in adventu ad Montem S. Ruperti.*

b *Hæc abbatissa, de cujus recessu Sancta doluit, videtur esse soror Hartvici Bremensis archiepiscopi, qui mortem ipsius ad* S. Hildegardem *perscripsit, ut dictum in Commentario num.* 46.

c *De Debbora videri potest liber Judicum cap.* 4.

d *In Ms. est,* quàm diu bonum videre illorum erga nos inveniremus.

e *Hic abbas S. Disibodi verisimiliter fuit Covo aut Cuno, anno* 1155 *defunctus, quando successit Helingerus.*

F

CAPUT III.

Morbi mirabiles Sanctæ, instructio monialium, conversio malè suspicantis philosophi : visiones variæ.

Sancta morbo aliisque malis vexata, laborare non cessat,

CUmque in his doloribus adhuc laborarem, in vera visione admonita sum, ut ad locum, in quo Deo oblata eram, irem, & verba, quæ Deus mihi ostenderat, proferrem : quod & feci : ac in eodem dolore ad filias meas redii. Ad alia quoque loca congregationum iter arripui, ac verba, quæ Deus jussit, explanavi. In his omnibus vas corporis mei quasi in clibano coctum est, sicut & Deus multos probavit, quos verba sua proferre jussit : unde laus sibi sit. Qui & magnum auxilium in duabus filiabus meis & aliis mihi præbuit, quòd passionibus meis infatigabiliter condolebant. Unde & suspirans Deo gratias egi, quòd homines tædium mei non habebant.

A. Theodorico.

bant. Si enim tantam preſſuram dolorum, qui à Deo non eſſent, in carne mea habuiſſem, tam diu vivere non potuiſſem. Quanvis autem in his cruciarer, in ſuperna viſione tamen dictavi, cantavi, ac ſcripſi, quæ Spiritus ſanctus per me proferre volebat *a*. In his autem languoribus triennio finito, vidi, quòd Cherubim in flagrante igne, in quo ſpeculum myſteriorum Dei eſt, aëreos ſpiritus, qui me torquebant, quaſi igneo gladio inſequebatur, ita quòd à me fugerent, clamantes: Ah, Ah, Væ, Væ. Num iſta, iſta ſic abibit, quòd eam non rapiemus? Mox ſpiritus meus in me pleniter revixit, corpuſque meum in venis & medullis recreatum eſt, ſicque tota convalui.

a

& demum divinitus poſt multam patientiam liberatur: b

29 Ecce qualiter ſancta Virgo duplici modo nunc languorum doloribus cruciata, nunc dæmonum terroribus vexata *b*, ſub defenſione angelica glorificabatur. Denique ex una parte, qua laborabat infirmitate, fœmina miræ innocentiæ munivit ſe virtute patientiæ, & quaſi ejus moleſtiæ ſermo divinus blandiretur, Sufficit, inquiens, tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficietur: libenter gloriabatur in infirmitatibus, ut in-

B habitaret in ſe virtus Chriſti: & eo præſumebat ſe diligi, quo merebatur argui. At ex altera parte, quæ dæmonum irritabatur arte, Bellatrix egregia iterum ſe doctrinæ Apoſtolicæ armavit cuſtodiâ. Quâ? Galeam, inquit, ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei. Et iterum: Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates tenebrarum harum. Hac itaque magna bellandi arte, & his armis Propugnatrix invicta decertabat: & adhuc carne incluſa, & in terris poſita, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus dimicabat. Quapropter & ipſi principes tenebrarum horruerunt, quando tanta arte inſtructam & omni armatura fortium vallatam Fœminam contra ſe procedere viderunt. Horruerunt, inquam, & Væ ſuum conclamantes, cum confuſione fugerunt, quoniam timor & tremor ſuper eos venerunt, cùm viderunt cherubin terribilem, ut caſtrorum aciem ordinatam, Famulam quidem Dei protegentem, ſe flammeâ frameâ, ne eam vexarent, proſequentem. Itaque admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti

C ſunt, tremor apprehendit eos, ita ut dicerent: Caſtra Dei ſunt hæc, fugiamus Iſraëlem. Et ſtatim fugerunt. Ita inter ſuperos & inferos ſpiritus Athleta Dei luctabatur, propulſatiſque adverſariis, lætâ ſemper victoriâ gloriabatur. Nec illud ſilendum, quòd cùm quadam vice febribus laboraret, quoſdam Sanctos vidit, qui dicebant: Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum. Et alii ad ipſam: Dolorem, inquiunt, quem pateris bona voluntate ſufferre debes. Et ecce alii Sancti ita inter ſe conferebant: Nobiſcum ibit, an non? Et alii reſpondebant: Præterita, præſentia, & futura nondum permittunt eam: ſed tamen cùm opus perfecerit, nobiſcum eam tollemus. Tunc ſimul omnes clamabant: O felix anima & certiſſima, ſurge, ſurge ſicut aquila, quia ſol te produxit, & neſciſti. Et ilico convaluit.

philoſophum malè ſuſpicantem convertit: monialium tentationes divinitus noſcit.

30 Nec ſolùm cùm moleſtiam languorum vel ſævitiam dæmonum, ſed etiam cùm infectationes incurrit hominum, affuit ei Dominus, & corda adverſariorum convertit in melius, ſicut ipſa deſcribit de converſione philoſophi, primò ſibi, immò Deo contrarii, in quo verè poſtea facta eſt mutatio dexteræ Excelſi; & cùm vanitates, quæ per deceptionem ſatanæ oriebantur in cor- D dibus puellarum ſuarum, removit exhortationibus ſanctarum Scripturarum, de quibus ita dicit: Quidam philoſophus, de divitiis honoratus, cùm de his, quæ videram, diu dubitâſſet, tandem ad nos venit, & locum noſtrum ædificiis, allodiis, & aliis neceſſariis valde ornavit: unde anima mea exhilarata fuit, quia Deus in oblivionem nos non adduxit. Acri enim ſcrutatione, ſed ſapienti, exquiſivit, quæ eſſent vel unde eſſent viſionis hujus ſcripta, donec inſpiratione divina pleniter credidit, & qui priùs malitioſis verbis nos ſpreverat, cùm Deus injuſtitiam in corde ejus ſuffocâſſet, majoribus benedictionibus ad nos converſus fuit: ſicut & Pharaonem Deus in mari rubro ſubmerſit, qui filios Iſraël capere voluit. De hujus immutatione multi admirati, magis crediderunt, & per ipſum ſapientem Deus benedictionem ſuam ſuper nos fudit, ſicut unguentum, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Unde & omnes nos eum patrem nominavimus. Hic & qui tantus princeps in nomine ſuo fuit, petiit, ut apud nos ſepeliretur, & ita factum eſt. Tunc mens mea ſolidata eſt, & curam egi filiarum mearum in neceſſariis tam corporum quàm E animarum, ſicut à magiſtris mihi erat ſtatutum. Ad veram ergo viſionem adſpiciebam magna ſolicitudine, quomodo aërei ſpiritus contra nos pugnarent: vidique, quòd iidem ſpiritus quaſdam nobiles filias meas per diverſas vanitates, quaſi in rete perplexerant. At ego per oſtenſionem Dei eis hoc innotui *, ipſaſque verbis ſanctarum Scripturarum & regulari diſciplina, bonaque converſatione circumfodi & munivi. Sed quædam ex eis, torvis luminibus me adſpicientes, verbis occultè me laniabant, dicentes, quòd importabilem ſtrepitum regularis diſciplinæ, quo eas conſtringere vellem, ſufferre non poſſent. Sed Deus in aliis bonis ſapientibuſque ſororibus, quæ in omnibus paſſionibus meis mihi adſtiterunt, ſolatium adhibuit, ſicut in Suſanna factum eſt, quam Deus à falſis teſtimoniis liberavit. Quanvis autem hujuſmodi tribulationibus frequenter fatigarer, tamen librum Vitæ meritorum *c*, divinitus mihi revelatum, per gratiam Dei ad finem perduxi.

* *Ms.* hoc in eis notavi

c

Virtutes Sanctæ: ejus diſputatio

31 Sic inter adverſa & proſpera ſe agebat Virgo Deo devota, ut nec in proſperis elevaretur, nec in adverſis deprimeretur: ſed in utroque unum & eundem ſervans vigorem, nec vituperio concutiebatur, nec laude ſeducebatur. Intentum enim, tanquam arcum, animum ad omnem diſciplinam habebat: quo non langueſcente, authoritate modò manſueta, modò ſevera, ſe ſuoſque regebat. Erat quippe in ea comitate condita gravitas, & ex ejus lingua melle dulcior orationis profluebat ſuavitas. Habebat verò in omnibus ſanam doctrinam, ſicut de natura hominis, de conflictu carnis & ſpiritûs, de ſanctorum patrum exemplis ſcribit, quod percepit per revelationem divinam. In vera, inquit, viſione vidi figuram hominis, qui quanvis in duabus naturis *d* ſit animæ & corporis, unum tamen ædificium eſt, velut cùm homo ex lapidibus domum componit, de cineroſa quoque materia eam tegit, & confirmat, ne cadat & confundatur. Homo enim opus Dei eſt, & cum omni creatura eſt, ac omnis creatura cum ipſo eſt. Sed opus hominis, quod ſine vita eſt, operi Dei, quod vita eſt, ſimile non eſt, ſicut vas figuli, ædificationibus fabri ſimile non eſt. Natura verò animæ ad infinitam vitam adſpicit: corpus autem

F

d

A caducam vitam amplectitur : nec unanimes sunt, quia quanvis simul sint in homine, in duo tamen dividuntur. Hac similitudine cùm Deus Spiritum * suum per prophetiam & sapientiam, vel per miracula in hominem mittit; carni illius sæpe dolores infligit, quatenus Spiritus sanctus ibi habitare possit. Si autem eam doloribus non constringit, tunc secularibus moribus facilè admiscetur : sicut in Samsone & Salomone aliisque accidit, qui in suspiriis spiritûs defecerunt, ad delectationem carnis se inclinantes : quia prophetia, sapientia & miracula in gaudio jucunda sunt. Sed cùm homo interdum delectationem carnis per suggestionem diaboli colit, sæpe dicit : Ah immundo fœtore fæcis fœteo. Quid est, quòd spiritus carnem affligit? Quia ipse spiritus gustum peccati ex natura sua odio habet. Cùm autem caro desideria animæ frangit propter frequentem delectationem, in qua per fœtorem peccati se involvit, ita quòd spiritus propter eandem molestiam suspirare non potest, tunc caro affligit spiritum, & afflictio hæc in duas partes per gratiam Dei dividitur.

* *in Ms.* Filium *mendosè*

de pugna carnis & spiritûs, & de carne * *imò à* filio

32 Conflictus verò iste, qui dictus est de figura, quæ homo est, in Abel incepit, quem frater suus odio habuit : & in Noe, qui à filiis * suis injuriam pertulit : & in Abraham, qui de amicis opprobria sustinuit : & in Jacob, qui propter fratrem suum profugus fuit : atque in Moyse, qui ab amicis afflictus est, quia inimicis consenserunt. Hæc afflictio quoque inter discipulos Christi erat, quia propter duritiam infidelitatis caro unius * spiritum suffocavit. Cæteri autem cum spiritu in afflictione contra carnem erant. Zachæus quoque Euangelicus cum spiritu in afflictione contra carnem fuit. Juvenis autem, qui in Euangelio cum Christo loquebatur, contra carnem cum spiritu in afflictione non erat : unde & à Filio Dei fugit. Saulus etiam in incredulitate sua spiritum primitus continuit : sed Deus malum hoc in ipso dissipavit, sicut de cælo satanam in abyssum projecit, & de Saulo Paulum fecit. Abel autem, qui in affluenti desiderio animæ immolavit, sanctificatus est : Cain autem repudiatus, quia caro spiritum ejus per odium suffocavit. Noë etiam justificatus, quia Deo sacrificavit. Sed filius ejus spurcitiæ carnis patrem deridendo respondit : & ideo libertate caruit, nomine filii indignus, servus vocatus est. Abraham quoque multiplicatus est, quoniam Deo obediens, carnem suam contra carnis jura diligenter affligebat. Hic in alienam gentem conversus est. A filiis autem & amicis ejus libertas illorum, qui sibi resistebant, evanuit : à filiis quippe Israel ejecti sunt, qui liberi extiterunt. Jacob quoque Deo dilectus, quia in desiderio animæ justitiam semper bibit, in benedictionibus Dei perseveravit. Esau autem frater ejus benedictione spoliatus est, propter odium, quod ad ipsum habuit. Moyses famulus & amicus Dei, quæ in mysteriis & miraculis habuit & servavit, responsum carnis in se oppressit. Unde qui eum odio habebant, perierunt, nec in terram promissionis pervenerunt. Apostoli carnem suam opprimebant. Sed Judas in desiderio animæ totus cæcus fuit, qui Christum magis sequebatur, ut à populo honorificaretur, quàm ut in eum crederet; sicut & discipuli, qui desiderium animæ pleniter non habebant, doctrinam quidem Christi libenter audierunt, sed quoniam in spiritu tædiosi erant, cum perfectionem justitiæ ejus sufferre non possent, ab eo fugerunt.

* Judæ

C

33 Zachæus in jucunditate carnis afflictionem spiritûs contra carnem habuit, ita quòd opera sua sibi displicuerunt. Unde cùm de Filio Dei audîsset, quòd justus esset, ilico ad eum cucurrit, & in eum credidit, quia peccata sua priùs per spiritum planxit. Sed juvenis in Euangelio positus, divitiis oneratus, famam rerum libenter audiens, ad Dei Filium venit, quærens, quid facturus esset : sed cùm perfectum responsum accepisset, in tristitiam corruit : & quia caro spiritum suffocavit, à Christo recessit. Saulus quoque importunus corde indurato contra fidem Christi cornua superbiæ erexit : sed Deus illum stravit, carnis voluntatem in eo mortificavit, & ad bonum eum convertit. Ego autem paupercula forma hos præcipuè dilexi & invocavi, qui carnem suam in spiritu afflixerunt, & ab his declinavi, qui se contra spiritum induraverunt, & eum suffocaverunt. Nec unquam requievi, sed in tribulationibus plurimis fatigata fui, donec rorem gratiæ suæ super me pluit, sicut familiari suo dixit : Inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te angelus meus. Et iterum : Famulo meo præstiti honorem magnum, & omnes inimicos ejus humiliavi. Sed & in plurimis injuriis Deus ita me constrinxit, quòd cogitare non audebam, quanta benignitas gratiæ ejus erga me foret, cùm tamen magnas contrarietates illis occurrere videbam, qui veritati Dei resistebant. Et de tribulationibus & pœnis, quas de aëreo calore passa sum, corpus meum ita conculcatum est, sicut limosa terra, cùm aqua conglutinatur. Magnæ profectò esset utilitatis, indagare obscuritatem eloquiorum tantæ sublimitatis, si non esset nobis indictum, potiùs textum visionum sanctæ Virginis scriptis exarare, & historiam vitæ ejus aliquibus verbis explanare. Exercet * enim sensum nostrum, ut fatigatione fieret dilatatus : & quod capere non posset otiosus, caperet exercitatus, nunc verò, quia ad alia festinamus, visiones ejus carptim intento calamo perscribamus, ait enim.

A. THEODORICO. *affligenda, ut prævaleat spiritus.*

E

* *Ms.* exerceret

34 Tres turres in visione adspiciebam, per quas Sapientia quædam occulta mihi manifestavit. Prima tria habebat habitacula. In primo nobiles puellæ cum quibusdam aliis erant, quæ in ardenti charitate verba Dei ex ore meo audiebant, atque in hoc quasi esuriem semper habebant. Sed in secundo aliæ quædam stabiles & sapientes fuerunt, quæ in cordibus suis veritatem Dei amplectebantur, dicentes : O, quandiu ista nobiscum perseverabit? Et ex hoc fatigatæ non sunt. In tertio verò habitaculo fortes armati ex communi populo erant, qui vehemens ad nos iter facientes, in admirationem de prædictis miraculis ducti sunt, magnoque desiderio ea amaverunt, & hoc sæpè faciebant, sicut communis populus in firma & forti turri alicujus principis defensionem quærit, ut ab inimicis muniatur. In secunda verò turri tria habitacula erant, quorum duo arida in siccitate fuerunt, & eadem siccitas quasi densa nebula apparebat. Et qui in his duobus habitaculis fuerunt, in unum consentientes, dixerunt : Quæ & unde sunt ista, quæ hæc quasi de Deo loquitur? Durum est nobis aliter vivere, quàm qui nos præcesserunt, aut qui adhuc vivunt. Quapropter ad illos, qui nos cognoscunt, convertemur, quia in aliis perseverare non possimus. Sicque ad præfatum communem populum *e*, & nec in illo, nec in præfata turri ullius utilitatis erant. Et in vera visione audivi vocem ad ipsos dicentem : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. In tertio autem ejusdem turris habi-

Visio Sanctæ de hominibus diversis :

F

e

A. THEODORICO.

taculo communis populus fuit, qui multiplici amore verba Dei, quæ de vera visione proferebam, dilexit, ac in tribulationibus mihi adstitit, quemadmodum publicani Christo adhæserunt. Sed & tertia turris tria propugnacula habebat, quorum primum ligneum fuit, secundum ex fulgentibus lapidibus ornatum, tertium de sepi factum. Aliud autem ædificium in visione mihi occultatum est, ita quòd verba de eo nunc non dico: sed in vero lumine audivi, quod futura scriptura, quæ de illo exarabitur, fortior & excellentior præcedentium erit.

alia, in qua intelligentiâ Euangelii imbuitur:

35 Subsequenti demum tempore mysticam & mirificam visionem vidi, ita quòd omnia viscera mea concussa sunt, & sensualitas corporis mei extincta est, quoniam scientia mea in alium modum conversa est, quasi me nescirem. Et de Dei inspiratione in scientia * animæ meæ quasi guttæ suavis pluviæ spargebantur: quia & Spiritus sanctus Johannem Euangelistam imbuit, cùm de pectore Jesu profundissimam revelationem suxit, ubi sensus ipsius sancta Divinitate ita tactus est, quòd absconsa mysteria & opera aperuit, In principio, inquiens, erat Verbum, &c. Nam Verbum, quod ante creaturas sine initio fuit, & quod postea sine fine erit, omnes creaturas procedere jussit, & opus suum in ea similitudine produxit, sicut faber opus suum fulminare facit: quia quod ante ævum in prædestinatione sua fuit, modò visibiliter apparuit. Unde & homo opus Dei cum omni creatura est. Sed & homo operarius Divinitatis, & obumbratio mysteriorum Dei esse, atque in omnibus sanctam Trinitatem revelare dicitur, quem Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit. Sicut enim Lucifer in malignitate sua Deum dispergere non potuit, ita nec statum hominis destruere valebit, quanvis in primo homine id tentavit. Omnem itaque * dictatum & verba Euangelii hujus, quod de initio operis Dei est, prædicta visio me docuit, & me explanare fecit. Vidique, quòd eadem explanatio initium alterius Scripturæ (quæ necdum manifestata erat) esse deberet, in qua multæ scrutationes creaturarum divini mysterii quærendæ essent *f*.

** Ms.* scientiam

B

** Ms.* omne quoque

f

observatio auctoris in laudem Sanctæ.

36 Ecce quantùm scribentes progressi sumus, tantùm nobis insignium visionum, actuum & verborum sanctæ Virginis auctus est cumulus. In quibus summæ gratiæ tanta exuberat doctrina & veritas, ut eam summo opere non amplecti, omni conamine non venerari, ingens sit obstinatæ mentis temeritas. Quis enim nisi Spiritus divinus, gratiarum largitor optimus, tam profluo fonte sapientiæ salutaris eam potavit, quòd affluentia spiritualis doctrinæ, qu si flumen aquæ vivæ tam largiter de ejus corde emanavit? Pennâ siquidem internæ contemplationis in ipsa abdita volavit supernæ visionis, ubi didicit Euangelium Johannis. Et quis sapiens ambigat, hanc Sanctam sedem fuisse æternæ Sapientiæ, cui revelavit Deus tantum thesaurum internæ scientiæ? Certè moralis disciplinæ honestas, quæ sibi familiaris fuit, ita naturales animi sui motus composuit, ut amore divinæ speculationis rationabili progressu ad superna proveheretur, ubi læto cordis jubilo sponso suo Christo proclamare delectaretur: Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum: ubi inter habentes tres cithoras caneret canticum Moysis servi Dei, & canticum Agni, Legis scilicet & Euangelii. Et nos igitur secundi libri termino hîc fixo, etiam canticum laudis Domino canamus, dum tam vastum pelagus visionum sanctæ Virginis enavigamus. Interim autem respiremus, & ad miraculorum ejus libellum describendum vela navigii nostri, Spiritu sancto favente, reparemus. D

ANNOTATA.

a *In Ms. tantùm:* quæ proferre volebam.

b *Post vocem* vexata, *in Ms. aliqua adduntur hoc modo:* non solùm non superabatur; verùm etiam multiplici victoria sub defensione angelica glorificabatur.

c *Vide dicta de hoc Opere in Commentario num.* 192.

d *Id est, duabus constat partibus. Modus ille loquendi, quo animam & corpus duas vocat naturas, frequentiùs occurrit in Sanctæ scriptis. At nihil censenda est intelligere illo loquendi modo, nisi duas partes, ut liquet ex sequentibus verbis, ubi dicit* unum *esse* ædificium.

e *Dictio, quæ hîc imperfecta est, in Ms. perfecta est hoc modo:* Sicque ad præfatum communem populum se convertebant, *&c.*

f *Huc usque codex Bodecensis, ex quo lectiones variantes dedi. At sequens caput, & totus liber tertius in illo deest.* E

LIBER III.

De miraculis & morte beata.

PROLOGUS.

Auctor generatim miraculorum copiam laudat.

DEcursis jam duobus libris superioribus de beatæ Hildegardis virginis vita & visionibus, subsequenter de miraculis ejus & virtutibus scribere ulteriùs mihi quidem non est pigrum, vobis autem necessarium, ô Ludovice & Godefride abbates clarissimi. Itaque hunc tertium aggredior ordinare librum, non securitate efficientiæ, sed præsumptione susceptum obedientiæ. Sed quare vobis necessarium? Utique, quia valida causa est amor sanctus, quo sicut eam in vita dilexistis, ita & in morte ab ea non separari pio affectu proposuistis. Hoc itaque sancto amore affectis vobis fuit necessarium, quòd per me vestrum vicarium gesta ejus ad notitiam pervenirent futurorum hominum, ut pro his glorificarent Dominum, qui in Sanctis suis mirabilis, mirabiliter in ea operatus est, ut in omnibus bonis esset immutabilis. Quicquid enim de ea dici potest, totum est jucundum & amabile, totum decorum, utile & honorabile, quia non solùm omni morum sanctitate, vel mysteriorum Dei interna contemplatione, verùm etiam spectabilis fuit & est miraculorum insignium operatione, quorum numerum excedens tanta habetur copia, quòd eam verbis vix possunt extollere etiam præclara ingenia. Sed tamen ad enarranda pauca de pluribus, si vobis orantibus Dominus dignetur nobis in altum ductis Spiritûs sui auram prosperam dare, secundo verbi cursu portum salutis speramus intrare. Valete. F

CAP. I.

A

CAPUT I.

Sancta varios patrocinio ſuo ſanat ægrotos, etiam aliquos abſentes: exponit litteras divinitus productas: adit multa loca pro populi ſalute.

Ægroti varii,

IGitur curationum tam potens gratia in Virgine enituit beata, ut nullus ferè ægrotus ad eam acceſſerit, quin continuò ſanitatem receperit. Quod ex ſubjectis ſatis patebit exemplis. Puella quædam nobilis Hildegardis parentes, domum & ſeculum reliquerat, & ſanctæ Hildegardis piæ matris magiſterio ad votum adhæſerat. Hæc quodam tempore, cùm tertianis febribus vexaretur, nec ullo remedio curaretur, unicum

B ſibi incidit conſilium, ut ſanctæ Virginis imploraret auxilium. Quæ juxta verbum Domini, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, manum ſibi imponens cum benedictione & precibus, ſanavit eam, propulſatis febribus.

Subſequenti tempore quidam frater Roricus, qui in quadam cella ſub monachico habitu & propoſito religioſè converſabatur, ſimili modo tertianis acriter torquebatur. Qui audiens in prædicta ſorore factum miraculum, devotè & humiliter ejus petiit & obtinuit benedictionis ſignaculum: ex quo ſtatim febris fugata eſt, ægrotus curatus eſt.

In eodem cœnobio Bertha quædam ancilla ſororibus ſedulè ſerviebat, quam tumor colli & pectoris vehementer angebat. Siquidem ad hoc dolor proceſſerat, quòd nec cibum, nec potum capere, nec ſalivam deglutire poterat. Hæc ad Famulam Dei adducta, ſignis potiùs quàm verbis, morbi, morti jam proximi, flagitavit remedia. Cui illa compatiens, etiam propter boni ſervitii ſui aſſiduitaten, ſigno ſanctæ Crucis locis dolentibus contrectatis, optatam reddidit ſanitatem.

C

interque illos etiam abſentes,

39 Suevus quidam de vico Dalevingun toto corpore intumuit: & auditâ famâ ejus, emenſo magno itinere, ad eam veniens, ſpe ſua fruſtratus non fuit. Denique per aliquot dies charitativè eum ſecum detinuit, & manibus ſuis languidum contrectans & benedicens, per gratiam Dei priſtinæ incolumitati reſtituit.

Infans quidam de Rudenesheim *a* Simon, ſeptem hebdomadas natus, miſerabili motu membrorum omnium fuit agitatus: qui à nutrice ſua delatus, precibus ejus, Deo annuente, eſt ſanatus.

Non ſolùm autem vicinis, ſed etiam ſubveniebat longè poſitis. Quidam enim Arnoldus de Waccherneim, olim ſibi notus, guttur ita dolens, quòd halitum ſuum difficulter trahebat, quia per ſe non poterat, orationum ejus ſuffragia devotè expetebat. Quæ confidens de Dei miſericordia, aquam benedixit, amico miſit: quam ut guſtavit, dolor (Dei dono) eum dimiſit.

Mulieris cujuſdam Hazechæ filia in Binga infirmabatur, & poſt triduum nihil loquebatur. Cúmque mater currens pro filia, ſanctæ Virginis auxilium peteret, nihil aliud quàm aquam benedictam ab ea accepit: quâ illa guſtatâ, ſtatim vocem & vires recepit. A. THEODORICO.

In eodem caſtro juvenis tanta ægritudine detinebatur, quòd jam in extremis eſſe putabatur: huic præfata mulier, cujus filia convaluerat, quam adhuc reliquam habuit aquam, in potu dedit, & faciem inde abluit: & protinus receptis viribus convaluit.

40 In epiſcopatu Trevirorum Lutgardis quædam nobilis puella, cùm adoleſcentuli cujuſdam ad carnem ſpecioſi vehementi amore deperiret, quia copiam explendæ voluptatis ſuæ præ ſuî cuſtodia habere nequiret, parentes ejus, causâ reſcitâ hujuſmodi defectionis, conſilium & auxilium ſanctæ Virginis per nuncium fideliter expetiêrunt: & pro deſiderio cordis ſui efficaciter exaudiri meruerunt. Ipſa enim, oratione præmiſſa ad Deum, panem profuſis lachrymis benedixit de ſua menſa, quem puellæ miſſum cùm dediſſent ad comedendum, ilico ardoris illius penitus in ea refriguit incendium. *ope Sanctæ ſanitatem*

Matronam etiam Sibyllam de civitate Lauſanenſi trans Alpes *b*, quæ ejus adjutorium per nuncium expoſtulavit, miſſis ei ſubjectis literis, à profluvio ſanguinis liberavit. Hæc, inquit, verba circa pectus & umbilicum tuum pones in nomine illius, qui omnia rectè diſpenſat: In ſanguine Adæ orta eſt mors, in ſanguine Chriſti extincta eſt mors. In eodem ſanguine Chriſti impero tibi, ô ſanguis, ut fluxum tuum contineas. Itaque, ut dixit unus, matrona præfata hoc modo eſt liberata. *b*

E

41 Nec hoc prætereundum, quòd cùm particulæ crinium vel veſtimentorum ejus quibuſcunque languidis apponebantur, priſtinæ incolumitati reſtituebantur. Denique uxor Scolteti *c* Bingenſis, cùm partu diutiùs laboraret, & de vita jam deſperaret, ad monaſterium Virginis Dei ocyùs curritur: ſi aliquid ad ſubveniendum eſſet tantopere laboranti, quæritur: puellæ ejus reſtem capillorum ejus, quam aliquando ſervaverant, obtulerunt: & ut hac ad nuda circuncingeretur, admonuerunt. Quod ut factum eſt, illa, partu feliciter edito, morte liberata eſt. *obtinent.* *c*

Similiter & aliæ duæ matronæ per eandem reſtim liberatæ ſunt ſimili parturitionis labore.

Nec minùs profuit duabus de Sudernesheim mulieribus, quas propter mentis amentiam cùm parentes ad loca ſancta circunducerent, & nihil proficerent, tandem ut, puellis tranſmiſſis, ipſa reſti circuncinctæ fuerunt, ilico ſoſpitatem mentis & corporis receperunt,

F

42 Quid illud, quòd eadem Virgo etiam per viſum eos præmunire in neceſſitatibus voluit, quos in orationibus commendatos habuit? Juvenis de Ederich Rudolphus noctu in parva villa fuit hoſpitatus: qui cùm tempore quietis cubitum iret, ſuffragia ſanctæ Virginis fuit precatus. Mira res! Illa eodem ſchemate & habitu, quo in corpore fuit, per viſum ei apparuit, & quòd periculum vitæ ab inſidiantibus ſibi inimicis incurreret, ſi non citiùs recederet, aperuit. Qui ſtatim ut de loco cum quibuſdam ſociis diſceſſit, quoſdam illic remorantes hoſtium phalanx circa mane oppreſſit: qui ſe ſtultè egiſſe cognoverunt, quia tempeſtivè ad viſionem ejus non receſſerunt. *Abſentem, monet de periculo; alterum ſanat:*

Quanvis ſit miraculoſum, non tamen eſt incredibile, quòd ſanctæ Virgini adhuc in carne degenti, hominibus impendere beneficia in ſpiritu fuit poſſibile, cùm ad declarandum ejus meritum Chriſtus ei tam abſentium quàm præſentium deſideria revelare dignatus eſt per ſpiritum. Nam

A. Theodorico. militem quendam, juxta Andernacum *d* in extremis jacentem, cùm amici ejus inviſerent, & de rebus ſuis conſultarent, fortè affuit hora, ut ſigno audito, relictâ ad cuſtodiam ſolâ fœminâ, ipſi ad eccleſiam properarent. At ille ſilentium nactus, toto corde altis ſuſpiriis Deum invocavit, & ut per merita hujus ſanctæ Virginis ſanitatem ſibi conferret, ſuppliciter poſtulavit. Nec mora: finita oratione, recreari meruit tali viſione. Videri ſibi videbatur venerabilem Virginem ad ſe ingredientem, &, ſi ſanus fieri vellet, blanditer inquirentem. Quod ut oppidò ſe deſiderare retulit, illa capiti ſuo manum imponens, ſubintulit: In nomine ejus, qui dixit, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, infirmitas hæc à te recedat, & eſto ſanus. Quo dicto, viſio diſparuit: & æger de lecto ſurgens cum admiratione omnium, qui cognoverant, convaluit.

d

Litteras in corporali divinitus ſcriptas exponit:

43 Non abs re videtur etiam referre, quod de presbytero quodam factum eſt, quia & quædam ſanctæ Virginis virtutum in eo portio eſt, & res digna miraculo rectè memoriæ in exemplum mandatur, quò negligenter quilibet vivens, Deo volente, emendetur. Res in Suevia vico Rudesheim ita geſta eſt. Presbyter ille quadam vice, peracto jam die, cùm nox inſtaret, intravit eccleſiam, ut lumen Sanctis daret, cùm ecce vidit ſuper altare duas candelas ardentes radiare. Venerat ſecum unus juvenis ſcholaris, in adjutorium divini ſervitii ſibi aſſiduus & familiaris. Ad quem cùm diceret, quare candelas extinguere neglexiſſet, & ille reſponderet, quòd eas extinxiſſet: acceſſit ſacerdos ad extinguendum, & invenit pallam altaris explicatam, ſicut evolvitur ad divinum Sacramentum agendum. Cúmque ſtaret ſtupefactus, juvenis ille corruens in terram, clamavit, & ipſe in ecſtaſi factus: Gladius Domini occidit nos. Quem cùm presbyter percuſſum putaret, feſtinavit ut eum à terra levaret. Sed ille nullam habens læſionem protulit hunc ſermonem: Si literas, quæ in palla altaris ſunt, viderimus, non moriemur. Exiſtimans autem eum hoc præ timore ignoranter clamare, acceſſit iterum ad altare: & in loco, quo ſacra conficiuntur, invenit in palla *e* quinque literas *f* in modum crucis abſque humano opere ſcriptas, ſcilicet in expanſione. A. P. H. in erectione, K. P. D. His viſis, & diligenter notatis, juvenis viribus receptis erigitur. Sacerdos, pallâ complicatâ, & candelis extinctis, domum ſtupidus revertitur. Literæ ſeptem diebus duraverunt, octavo die & deinceps non comparuerunt. Quod ſecum mirans, religioſis & ſapientibus factum innotuit. Sed quid portenderet, à nullo homine experiri potuit, donec poſt ſedecim tandem annos, cùm fama toti mundo beatam Hildegardem Spiritu ſancto illuſtratam divulgaret, veniens ad eam, cognoſcere meruit, ſicut ipſa per Spiritum ſanctum didicit, quid tantum oraculum deſignaret. Sicut enim quondam Daniel in pariete viſas, ſic ipſa in palla deſcriptas, in hunc modum expoſuit literas: K. Kyrium. P. Presbyter. D. deriſit. A. Aſcendat. P. Pœnitens. H. Homo. Quod ille audiens, timore correptus, peccatricem accuſat conſcientiam: & correctus & monachus effectus, præteritæ vitæ negligentias emendare aggreditur per pœnitentiam, & ſicut ſancta Virgo literas expoſuit, ad altiorem & diſtrictiorem vitam aſcendens, perfectum Dei ſervum ſe in ſancta converſatione exhibuit.

B

e f

C

44 Inter hæc etiam illud de ipſa eſt notabile, quòd Coloniam *g*, Trevirim, Metim, Herbipolim, Babenberg, Spiritu divino non modò acta, ſed coacta, veniens, clero & populo, quæ Deus voluit, annunciavit, & in monte ſancti Diſibodi, Siberg, Everbach, Hirſaugia, Zuifelden, Mulenbrunnen, Rudenkyrchen, Kitzingen, Crutendal, Herde, Werde, Andernacho, in monte ſanctæ Mariæ, in Elſim & Winkelo, quæ ad utilitatem animarum pertinebant, juxta ea, quæ ei Deus revelaverat, manifeſtavit.

g

D

varia loca, jubente Deo adit: alia miracula.

Interea cùm juxta villam Rudesheim, Rheni fluenta navigio ſulcaret, & ad contiguum monaſterium ſanctimonialium properaret, quædam mulier cæcum puerulum geſtans in ulnis, navi appropinquavit, & ut ei ſanctas manus imponeret, flebiliter acclamavit. Quæ pio affectu memor illius, qui dixit, Vade ad natatoria Syloë, & lava, aquam fluvii ſiniſtrâ hauſit, & benedixit manu dextera: quam ut oculis pueri injecit, divina favente gratia, viſum recepit.

Alio tempore homo quidam, qui caducum morbum acriter patiebatur, venerabilem Virginem, ut ſibi ſubveniret, anxius deprecabatur. Quæ ſalubri benedictione ita eum conſignavit, quòd à die illa & deinceps idem morbus ampliùs eum non gravavit. Quod cùm domi nunciâſſet in ſe factum miraculum, gaviſi ſunt domeſtici ejus, Deoque gratias egerunt.

E

ANNOTATA.

a Rudesheim *oppidum eſt ad oppoſitam Rheni ripam prope Bingium.*

b Lauſanna *civitas eſt Helvetiæ, olim epiſcopalis, ſed modò ab hæreticis poſſeſſa. Non Germanis propriè, ſed potiùs Italis trans Alpes ſita eſt.*

c *Id eſt, prætoris.*

d Antenacum *vocatur à Baudrando, eſtque oppidum ad Rhenum Electoris Colonienſis, ſitum in confinio ditionis electoris Trevirenſis, aliquot milliaribus infra Confluentiam.*

e Palla *in tota hac relatione ſignificat linteum, cui tempore Miſſæ ſacra Hoſtia imponitur, quod aliàs modò* corporale *vocamus.*

f *Quinque tantùm ſunt litteræ, etiamſi bis tres ſimul legantur, quia* P *media bis legitur, & hoc modo ponuntur* K A P. H. D

g *De locis his aliiſque, in quibus Sancta fuit, egi* § 12.

F

CAPUT II.

Diuturnus S. Hildegardis morbus: mulier nobilis, quæ à dæmone obſeſſa, & fruſtra ad varia loca fuerat ducta, in ejus monaſterio liberatur.

Sanctæ morbus diuturnus: differit de modo, quo dæmon homines obſidet,

INter cætera autem virtutum inſignia, data eſt à Domino ſanctæ Virgini ab obſeſſis corporibus dæmones ejiciendi gratia, ſicut de quadam nobili & adhuc teneræ ætatis fœmina deſcribit factum ipſa venerabilis Mater, ait enim: Poſteaquam me viſio docuit dictatum & verba Euangelii Johannis, in lectum ægritudinis decidi, de cu-

A cujus pondere nullo modo me levare potui. Hæc de flatu auſtralis venti in me afflata eſt ; unde corpus meum tantis doloribus conterebatur, quòd anima vix ſuſtinebat. Poſt dimidium annum idem flatus corpus meum ita perforavit, quòd in tanto agone fui, quaſi anima de hac vita tranſire deberet. Tunc alius ventoſus flatus aquarum huic calori ſe admiſcuit : unde caro mea aliqua parte refrigerabatur, ne ex toto combureretur. Sic per integrum annum afflicta ſum, ſed tamen in vera viſione vidi, quòd vita mea in temporali curſu necdum fineretur, ſed adhuc aliquantulùm protraheretur. Interea mihi relatum eſt, quòd in inferioribus Rheni partibus à nobis remotis quædam nobilis fœmina à diabolo eſſet obſeſſa. Nuncii quoque de hac ad me ſæpiùs venerunt. At ego in vera viſione vidi, quòd ipſa permiſſione Dei quadam nigredine & fumo diabolicæ congloboſitatis obſeſſa erat & obumbrata, quæ totam ſenſualitatem rationalis animæ illius opprimebat, nec eam elevato intellectu ſuſpirare permittebat, velut umbra hominis aut alterius rei, vel fumus oppoſita obtegit & perfundit. Unde hæc rectos ſenſus & a-
B ctus perdebat, & inconvenientia ſæpiùs clamabat & faciebat. Sed cùm hoc malum juſſione Dei in illa attenuabatur, tunc leviùs gravabatur. Et me cogitante & ſcire volente, quomodo diabolica forma hominem intraret, vidi, & reſponſum audivi, quòd diabolus in forma ſua, ut eſt, hominem non intrat *a*, ſed cum umbra & fumo nigredinis ſuæ obumbrat & obtegit. Si enim forma illius hominem intraret, citiùs membra ejus ſolverentur, quàm ſtipula à vento diſpergatur. Quapropter Deus non permittit, quòd hominem in ſua forma intret. Sed ſupradictis perfundens, ad inſaniam & inconvenientia evertit, & per eum, quaſi per feneſtram vociferatur, & membra illius exteriùs movet, cùm tamen in eis in forma ſua interiùs non ſit, animâ interim quaſi ſopitâ, & ignorante, quid caro corporis faciat.

a

46 Deinde vidi prædictæ artis & perverſitatis agmen malignorum ſpirituum, qui totum mundum pertranſeunt, quærentes, ubi inveniant eos, per quos ſchiſmata & diverſitates morum faciant. Hi ab initio, ut creati ſunt, coram juſtiſſimis angelis Deum contempſerunt, dicentes : Quis eſt iſte, qui tantam habet poteſtatem ſuper nos? Hoc in invidia, odio & irriſione dicentes, adhuc in his perſeverant, & omnia in his faciunt, quia errorem irriſionis primi inceperunt. Quoniam verò Deus populum per iſtos purgare vult, permiſſione & juſſione ejus ſtuporem in aëre commovent, ac per ſpumam aëris peſtilentiam evomunt, atque inundationes & pericula in aquis faciunt, bella excitant, adverſitates & mala producunt. Hæc Deus tunc fieri permittit, cùm homines per arrogantiam criminibus ac homicidiis involvuntur. Sed cùm Deus populum ſuum ſic purgaverit, eoſdem ſpiritus in confuſionem ducit, ſicut in præfata muliere contigit. Cùm enim nequam ſpiritus, Deo permittente, plures per eam, propter pravos mores & peccata, quæ eis perſuaſerat, palàm confunderet, quibuſdam exterritis, & per hoc pœnitentibus, idem malignus ſpiritus confuſus eſt. Nam Deus amicos ſuos adverſitatibus & infirmitatibus affligi permittit, ut à malis purgentur, unde inimici confunduntur, cùm electi per purgationem fulgentiores lapides coram Deo efficiuntur. Cúmque mulier illa per plurima lo-

& de malitia, quâ hominibus nocent. Mulier obſeſſa,

C

ca ad Sanctos eſſet deducta, ſpiritus, qui eam oppreſſerat, devictus meritis Sanctorum & votis populorum, vociferabatur, quòd in ſuperioribus Rheni partibus Vetula quædam eſſet, per cujus conſilium expellendus foret. Quod amici ejus percipientes, octavo anno fatigationis ſuæ ad nos eam, ſicut Dominus voluit, perduxerunt. A. THEODORICO.

47 Operæ precium eſt, hoc in loco, antequam verba Virginis Chriſti ulteriùs perſequamur, epiſtolas inſerere, quas abbas de Brunwilre *b* ſibi, & ipſa viciſſim illi, de hac dæmoniaca voluit mittere, ut ex his apertiùs intelligatur & diaboli nequitia, & laudentur propenſiùs, licèt occulta, ſemper tamen juſta, Dei judicia. Cùm enim poſt ſeptem annos ipſa mulier Brunwilre adduceretur, ut ibi meritis ſancti Nicolai liberaretur, nequam ſpiritus conjuratus, dixit, ſe ſuum non relicturum vaſculum, niſi per cujuſdam vetulæ in ſuperioribus Rheni partibus, ſicut ipſa ſuprà dixerat, conſilium & auxilium, nomen ejus evertens, & quòd Scrumpilgardis vocaretur, deridens. Itaque conſilium inierunt, & literas deprecatorias in hunc modum ei miſerunt : Hildegardi dominæ & matri venerandæ, totiſ-
E que viſceribus amplectendæ Chriſti ſponſæ, & Regis altiſſimi filiæ, G. qualiſcunque Brunwilarenſis cœnobii proviſor, cum ſuis fratribus in valle lachrymarum ſedentibus, ut poſſunt, in orationibus omnimodæ dilectionis devotum famulatum. Quanvis, amantiſſima Domina, facie nobis ſitis incognita, virtutum tamen veſtrarum famâ nobis eſtis celeberrima : & licèt abſentes ſimus corpore, ſpiritu tamen vobis præſentes ſumus aſſiduè, & qualis ſit erga vos noſtræ dilectionis affectus, novit ſcientiarum Dominus. Auditum eſt itaque in terra noſtra, & celebri ſermone vulgatum verbum hoc, quod factum eſt de vobis à Domino, qui * fecit vobis magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Sed quibus quantiſque miraculis in vobis clareſcat fons vividæ lucis, tam nomen, tam clerus, quàm populus, & rerum proteſtatur eventus. Nam in vobis fulget opus non humanum, ſed divinum, gratia præcedens, donum præpollens, quod non dictat humana ratio, ſed quod procedit ex fonte lucidiſſimo. Sed quid moramur? Flere magis libet, quàm loqui. Ergo ſanctitatis veſtræ, ô Domina piiſſima,
F dulcedo non reputet temeritati, quòd in ſimplicitate cordium, ſed nimia neceſſitate compellente, aperire vobis cauſam neceſſitatis noſtræ præſumimus, quoniam à vobis bonum conſilium recipere non dubitamus. Nam quædam nobilis fœmina à maligno ſpiritu per aliquot annos obſeſſa, per amicorum manus ad nos deducta pervenit, quatenus adjutorio beati Nicolai (ſub cujus patrocinio ſumus) ab hoſte imminenti liberaretur. Sed verſutia & nequitia callidiſſimi & nequiſſimi hoſtis tot hominum ferè millia duxit in errorem & dubium, quòd Eccleſiæ ſanctæ maximum timemus detrimentum. Nam omnes nos cum multitudine populi pro liberatione fœminæ iſtius jam per tres menſes multis modis laboravimus, & quod ſine mœrore dicere non poſſumus, peccatis noſtris exigentibus, nihil profecimus. Omnis itaque ſpes noſtra poſt Deum in vobis eſt. Dæmon enim iſte nunc quadam die conjuratus, tandem manifeſtavit nobis mulierem hanc obſeſſam liberandam eſſe per virtutem veſtræ contemplationis, magnitudinem divinæ revelationis. Nunquid & magna in ejus liberatione intendit Deus?

de qua ad Sanctam ſcribit abbas Brunwillarenſis, b

b

** forte* quia

A. THEODORICO.

Utique. Itaque largissima benignitas nostri Redemptoris laborem nostri negocii & mœroris, sed & lætitiæ & exultationis, per vos plenissimè consummare dignabitur, ut omnis error & infidelitas hominum adnihiletur, & obsessa famula Dei liberetur, ut cum Propheta dicamus: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, &: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quidquid ergo Deus de his vobis insinuaverit, seu visione revelaverit, nobis Sanctitas vestra literis designare studeat, obnixè & humiliter deprecamur. Vale.

& de qua liberanda consilium dat S. Hildegardis,

48 Cúmque beata Hildegardis literas istas suscepisset, diligenterque perspexisset, rogantibus piè condolens, omnes sorores monuit, ut pro præfata necessitate publicis & privatis orationibus humiliter insisterent: ipsaque, oratione præmissa, oculos mentis ad Dominum elevabat: & responsum hoc, secundum quod in vera visione vidit & audivit, & non per alium, quàm per inexhaustam sapientiam dictatum, ita rescribit: G. ecclesiæ Brunwillarensis Abbati, H. Cùm flagellis Dei sim longa & gravi ægritudine constricta, vix aliquantulùm petitioni vestræ re-

B

spondere valeo. Hæc à me non dico, sed ab illo, qui est. Diversa genera malignorum spirituum sunt. Hoc verò dæmonium, de quo quæritis, has artes habet, quæ moribus hominum in vitiis assimilantur: unde & cum hominibus libenter manet, ac ideo etiam Crucem Domini & reliquias Sanctorum, ac cætera, quæ ad servitium Dei pertinent, aliquantùm negligit, & deridet, nec multùm pertimescit. Ea quidem non diligit, sed fugere dissimulat, velut aliquis stultus & negligens homo verba & minas, quæ sibi à sapientibus inferuntur, parvipendit: quapropter & difficiliùs, quàm aliud dæmonium, expellitur. Nam nisi in jejuniis, flagellis, orationibus, eleemosynis, ac

* *decesse videtur* non

ipso jussu Dei * ejicietur. Audite ergo, & non responsum hominis, sed ipsius, qui vivit. Eligite septem boni testimonii, & quos vitæ meritum probat, sacerdotes in nomine & ordine Abel, Noe, Abraham, Melchisedech, Jacob, & Aaron, qui viventi Deo sacrificium obtulerunt, septimum in nomine Christi, qui seipsum Deo Patri in cruce obtulit: & jejuniis, flagellis, orationibus, eleemosynis, & Missarum celebrationibus præmissis, humili intentione & habitu sacerdo-

C

tali, cum stolis ad patientem accedant, & eam circunstantes, unusquisque eorum virgam in manu teneat, in figura virgæ, quâ Moyses Ægyptum, mare rubrum, petramque præcepto Dei percussit, ut sicut Deus ibi per virgam miracula ostendit, ita & hîc pessimo hoste virgis ejecto, seipsum glorificet. In figura septem donorum Spiritus sancti septem sacerdotes erunt, ut Spiritus Dei, qui in initio ferebatur super aquas, & qui inspiravit in faciem hominis spiraculum vitæ, spiritum immundum ab homine fatigato exsufflet. Et primus, qui in nomine Abel erit, virgam in manu tenens, dicat: Audi maligne & stulte spiritus, quicunque in homine isto habitas, audi verba hæc non per hominem præmeditata, sed per illum, qui est, & qui vivit, manifestata, &c. Cúmque sancta Virgo literas istas, Spiritu sancto revelante, perfeciset, per manus ejus, qui occultè quæsierat, sicut in libro Scivias dicit, ad monasterium, ubi mulier tenebatur, misit, ut super eam humiliter recitarentur. Cúmque veniset lector ad locum illum, ubi in finem scriptum est: Et ego indocta & paupercula fœminea Forma, ô blasphemiæ & derisor spiritus, tibi dico in illa veritate, quâ ego paupercula & indocta Forma de lumine sapientiæ hæc vidi & audivi, & per eandem sapientiam tibi præcipio, ut de ista homine in vera stabilitate, & non in turbine instabilitatis tuæ exeas: idem nequam spiritus totus intremuit, ac tantos ululatus cum horridis clamoribus ejulando emisit, quòd adstantibus maximos terrores incussit. Et dum his ferè per dimidiam horam bacchando inistitisset, tandem, ut Deo placuit, vas, quod diu possederat, reliquit. Mulier cùm se esse liberatam sensit, manus adstantibus porrexit, ut eam erigerent, quia vires non habuit.

D

cùm exiguo tempore fuisset libera, redeunte dæmone, mittitur

49 Tunc ante principale altare sancti Nicolai se prostravit, & gratias Deo pro liberatione sui egit, populis hæc cernentibus, &, ut vulgus solet, perstrepentibus, sed & gratias & laudes Deo cum signorum pulsationibus resonantibus, fratribus quoque hymnum, Te Deum laudamus, canentibus: heu, quod miserabile dictum est, idem antiquus hostis occulto Dei judicio rediit: & vas, quod reliquerat, repetiit. Unde fœmina tota contremiscens, & cum stridore & clamore se erigens, plùs quàm priùs insanire cœpit. Unde exterritis, qui aderant, & mœstitiâ comple-

E

tis, nequam spiritus interrogatus, cur repetere ausus fuisset creaturam Dei, quam reliquerat, respondit: Signum Crucifixi exterritus fugi. Sed cùm nescirem, quò irem, vas meum vacuum & non signatum repetii. Cúmque præfatis literis & conjurationibus sanctæ Virginis, ut exiret, cogeretur, frendens clamabat, quòd non nisi in præsentia ejusdem Vetulæ egrederetur. Tunc, qui sanioris erant consilii, amicis & tutoribus fœminæ persuaserunt, ut ad beatam Virginem eam perducerent. Accepta itaque abbatis & fratrum benedictione cum commendatitiis literis, cœperunt illò ire. Literæ autem in hunc modum erant: H. venerabili dominæ, omni gratiarum actione dignæ, G. Brunwillarensium abbas indignus, cum suis fratribus vivere, proficere, mundum pede subter habere, & quidquid famulæ Christi excellentius optari potest. Quod Dominus vos respexit, gratiamque suam infudit, jam totus mundus novit. Sed nos, qui hactenus per nuncios nostros & literas pro necessitate mulieris, maligno spiritu obsessæ, Sanctitati vestræ locuti sumus, nunc saltem per personam ipsius

F

cum magna spe ad vos directam, urbem necessitatis repetimus, & preces precibus devotè superaddimus, ut, quò magis est vobis vicina corporaliter, eò ampliùs sitis ei propitia spiritualiter. Nam dæmon literis vestris, quas Spiritu sancto dictante misistis, conjuratus, vas possessum per brevem horam reliquerat: sed heu, nescimus quo judicio Dei, rediit, vasque derelictum denuò invadens, illud nunc acriùs, quàm priùs, fatigat. Nobis autem eum iterum conjurantibus, & fortiter ei insistentibus, tandem respondit, quòd vas possessum non nisi in præsentia vestra relinquet. Eapropter ipsam ad Sanctitatem vestram mittimus, ut quod nos, peccatis exigentibus, non meruimus; per vos compleat Dominus, & antiquo hoste ejecto, ille, qui potens super omnes est, in vobis glorificetur. Valeat materna dilectio vestra.

ad Sanctam, ubi post multa pietatis exercitia,

50 His epistolis prælibatis, congruum videtur, ut ad hoc, unde paululùm deflexit, oratio revocetur, & videamus, quomodo Deus ad Virginis suæ glorificationem tam diu hujus fœminæ distulit liberationem. Poterat enim Omnipotens & per alios Sanctos, ad quos circunduducta

A ducta tot annis fuerat, pro obsessa facilè, quod petebatur, præstare. Sed gloriam hujus miraculi in sanctam Virginem transferens, meritorum ejus qualitatem evidenter voluit cunctis suo tempore manifestare. Quod qualiter acciderit, ex verbis ipsius meliùs cognosci poterit. De adventu, inquit, præfatæ mulieris multùm exterritæ fuimus, quomodo eam videre vel audire possemus, de qua plurimus populus per tot tempora erat commotus. Sed Deus rorem suavitatis suæ super nos pluit, & absque horrore & tremore in habitacula sororum absque adjutorio virorum eam locavimus: & deinceps nec pro horrore, nec pro confusione, quâ dæmon supervenientes pro peccatis confudit, nec pro irrisoriis vel turpibus verbis, quibus nos superare voluit, nec pro pessimo flatu suo, ei ullatenus cessimus. Et vidi, quòd in ipsa muliere tres cruciatus passus est: primum, cùm illa de loco ad locum Sanctorum ducta est: secundum, cùm communis populus eleemosynas pro ea dabat: tertium, cùm per orationes spiritualium ex gratia Dei abire compulsus est. Itaque à Purificatione sanctæ Mariæ nos & comprovinciales no-
B stri utriusque sexus, jejuniis, orationibus, eleemosynis, & corporum castigationibus usque in Sabbathum Paschæ pro ipsa laboravimus. Interim per Dei potentiam coactus immundus spiritus, multa de salute baptismi, de Sacramento Corporis Christi, de periculo excommunicatorum, de
c perditione Catharorum *c*, & his similiùm, ad confusionem sui, ad gloriam Christi, coram populo, quanvis invitus, protulit: unde multi fortiores ad fidem, multi promptiores effecti sunt ad peccatorum emendationem. Sed, ubi illum falsa proferre in vera visione vidi, illum statim redargui: unde mox conticescens, dentibus in me frendebat: loqui verò illum propter populum non prohibui, cùm vera proferebat.

prorsus liberatur in Sabbato sancto.

51 Denique Sabbatho sancto, cùm fons baptismatis consecraretur, per flatum sacerdotis, quem in fonte mittit, cum verbis, quæ Spiritus sanctus rationalitati hominis & doctoribus Ecclesiæ infudit, quoniam in prima creatione Spiritus Domini aquas movit, sicut scriptum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas: mulier illa præsens ibi erat, atque timore magno cor-
C repta, ita contremuit, quòd terram pedibus perfodit, & de horribili spiritu, qui eam oppresserat, sufflatum sæpe emisit. Mox in vera visione vidi & audivi, quòd vis Altissimi, quæ sanctum baptisma obumbraverat, & semper obumbrat, ad diabolicam conglobositatem, quâ fœmina illa fatigabatur, dixit: Vade satana de tabernaculo corporis mulieris hujus; & da in eo locum Spiritui sancto. Tunc immundus spiritus per verenda loca fœminæ cum egestione horribiliter egressus est, & ipsa liberata est, ac deinceps sana in sensibus animæ & corporis permansit, quamdiu in præsente seculo vixit. Quod postquam in populum divulgatum est, omnes cum canticis laudum & verbis orationum dicebant: Gloria tibi, Domine. Itaque ut Deus permisit, quòd satan totum corpus Job horrore & fœtore vermium perfunderet, & ut ille æstimabat, quòd per deceptionem suam, quâ honorem Dei abnegaverat, istum etiam superare posset, Deo animam ejus custodiente, tangere eum non potuit, quia Job Deum in fide non dereliquit, unde & confusus ab eo discessit, quia Deus per ipsum satan superavit, ut sciret, quoniam Deo nullus prævalere posset; sic & hæc mulier cum maligno spiritui ad vexandum tradebatur, Deus non permisit, quòd anima ejus in bona fide deficeret; unde & inimicus in ea confusus est, quia à justitia Dei eam avertere non potuit. His & hujusmodi verbis, Virgo Dei divinæ misericordiæ opera, propter se & per se celebrata, nihil sibi attribuens, leniter, suaviter, verecundè & humiliter referebat: quia virtutum jactantiam fugere, virtutis loco ducebat.

A. THEODORICO.

ANNOTATA.

a *Hæc non congruunt cum sententia theologorum. Vide itaque Benedictum XIV in Opere frequenter laudato lib.* 4 *part.* 1 *cap.* 29 *num.* 2.

b *Cœnobium est Ordinis Benedictini, unius horæ intinere Coloniâ distans, quod* Brunvillarium *aut* Brunwillarium, *aut etiam* Bruwiler *vocatum reperio. Secundum Catalogum abbatum, quem tom.* 3 *Galliæ Christianæ col.* 759 *& seqq. dat Dionysius Sammarthanus, abbas hic laudatus debuit esse Geldolphus, cujus mors figitur anno* 1177.

c *Novatiani hæretici, qui orti sunt seculo* 3, *se Græco nomine* Catharos *sive* puros *dixerunt. At hi* E Cathari, *qui seculo* 12 *fuerunt in variis Europæ provinciis, longè sunt diversi. Ne dicta repetam, videri possunt ea, quæ de Catharis seculi* 12 *&* 13 *observavit Henschenius tom.* 3 *Aprilis pag.* 679.

CAPUT III.

Gravis morbus Sanctæ, quæ in visione sanatur: beneficia variis præstita: mors & sepultura miraculis honestata.

Gravis Sanctæ morbus: invisit varias congregationes: a

UNde & post hujus virtutis tam humilem & nihil omnino de se præsumentis recitationem, quasi cum Apostolo diceret, Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ *a*, qui me colaphizet, statim subnectit eam, quæ subsecuta eam fuit, quasi verè stimulus contra extollentiam, totius carnis suæ debilitationem. Post hæc, F inquit, nimirum post mulieris illius liberationem, magna ægritudo iterum invasit me, ita quòd venæ meæ cum sanguine, ossa cum medullis emarcuerunt, & viscera mea infra * me ** forè intra* distracta sunt, totumque corpus meum ita elanguit, sicut herbæ viriditatem suam in hyeme perdunt. Et vidi, quòd nequam spiritus inde irridebant, cachinnando dicentes: Vah ista morietur, & amici ejus flebunt, cum quibus nos confudit. Ego autem exitum animæ meæ adesse non vidi. Infirmitatem autem istam plusquàm quadraginta dies & noctes patiebar. Inter hæc in vera visione mihi ostensum fuit, quòd quasdam congregationes spiritualium hominum, virorum ac mulierum, inviserem, eisque verba, quæ Deus mihi ostenderet, manifestarem. Quod dum tandem facere tentarem, nec vires corporis haberem, infirmitas mea aliquantulùm lenita est: & præceptum Dei exequens *b*, dissensiones, quas quidam *b* inter se habebant, sedavi. Has vias, quas Deus mihi præcepit, cùm negligerem propter populi timorem, dolores mihi corporis sunt augmentati, nec cessabant, quousque obedivi: sicut & Jonæ con-

A. THEODORICO.

contigit, qui valde afflictus fuit, quo usque ad obedientiam se reclinavit.

Sanitas eidem in suavi visione restituta.

53 Supernam post hæc Sponsa Christi meruit visitationem, quâ tantam percepit consolationem, ut ex ejus delectatione diceret, se repletam fuisse inæstimabilis gaudii exultatione. Pulcherrimus, inquit, & amantissimus vir in visione veritatis mihi apparuit, qui tantæ consolationis fuit, quòd omnia viscera mea velut odore balsami ejus adspectus perfudit. Tunc gaudio magno & inæstimabili exultabam, semperque eum prospicere desiderabam. Et ipse his, qui me afflixerunt, præcepit, ut à me discederent, dicens: Abscedite, quia nolo, ut ampliùs eam sic torqueatis. Qui cum magno ululatu recedentes, clamabant: Ah quòd huc venimus, quia confusi recedimus. Mox ægritudo, quæ me inquietaverat, velut aquæ, quæ per procellosos ventos inundatione commoventur, ad verba viri me dereliquit, & vires recepi, quemadmodum peregrinus, cùm in patriam revertitur, possessiones suas recolligit, atque venæ cum sanguine, ossa cum medullis in me reparata sunt, quasi de morte suscitata fuissem. At ego tacui in patientia,
B silui in mansuetudine, & sicut pariens post laborem, ita loquebar post dolorem.

Opera quædam scripta:

54 Post hæc ab abbate meo & fratribus humillimâ instantiâ & devotione coacta sum, ut Vitam *c* sancti Disibodi, cui priùs oblata eram, ut Deus vellet, scriberem, quia nihil certi inde haberent. Et oratione cum invocatione Spiritus sancti præmissa, ad veram Sapientiam, in vera visione commonita, prospexi: ac secundum, quod ipsa me docuit, Vitam & merita ipsius Sancti
d conscripsi. Deinde librum Divinorum operum *d* scripsi, in quo, ut omnipotens Deus mihi infudit, altitudinem, profunditatem & latitudinem firmamenti vidi, & quomodo sol & luna, stellæ & cætera in illo constituta sunt. Multa & alia scripturarum monumenta, & insignia prophetiæ gratiæque documenta sancta Virgo confecit, sicut superiùs diximus, in quibus eruditæ à Spiritu sancto ejus animæ ac divinis deditæ indicia colligimus. Plurimum enim emolumenti in eis invenire possunt, qui amorem doctrinæ & scientiæ gerunt, utpote quæ à Deo ordinata, & per ipsam hominibus sunt propalata, in qua Dei Sapientia, quasi in solio potentiæ sublimi auctho-
C ritate sedebat, & per eam mirabilia faciens, rerum judicia decernebat.

beneficia miseris

55 His, prout possibilitas ingenioli suppetebat, à nobis digestis, calamum ad verba sanctarum filiarum ejus vertamus, & quæ de ipsa memoratu digna scripserunt, maximè quæ de beato transitu ejus sunt, viderunt & audierunt, & manibus suis tractaverunt, adjuvante Domino, fideliter & veraciter huic operi annectamus.

Mulierem, inquiunt, quandam acriter à dæmonio muto vexatam, super quam & fratres de
e Lacu *e*, plurimùm laboraverant, cùm ad se magno labore virorum in lecto deportata esset, pia Mater, audaciæ & præsumptioni dæmonis verbis à Spiritu sancto prolatis confidenter resistens, ab orationibus & benedictionibus non cessavit, quousque per gratiam Dei ab hoste maligno eam liberavit.

Simili modo & alia mulier, quæ propter furorem insaniæ diris vinculis ligata fuit, cùm ad se adducta fuisset, solvi eam monuit, & statim sub admiratione omnium, qui aderant, sanitate mentis & corporis recepta, cum gratiarum actione remeavit ad propria.

56 Item de claustro Schefenburch sororem D
quandam diabolus ad sancta opera, orationes, *præsita.*
vigilias & jejunia, ad perceptionem quoque Sacramentorum, simulans se esse angelum lucis, hortabatur, & criminalium confessione, quibus nunquam subjacuerat, confundere eam nitebatur. Inter quæ etiam ita eam afflixit, quòd nomina & aspectum quorumdam hominum & animalium in tantum abhorrebat, quòd ipsis visis vel auditis, horribili voce per longam horam perstrepebat. Hæc à Priore & Conventu cum literis ad sanctam Virginem missa, ab ea & confortata, & à diaboli errore est liberata.

Eadem virtute alias duas mulieres à dæmonio obsessas, liberavit, quarum una, cùm esset paupercula & cæca, in eleemosynam ejus recepta, in spirituali habitu vitam feliciter consummavit.

Mors Sanctæ

57 His itaque præmissis, quia ad finem operis hujus festinamus, finem quoque vitæ sanctæ Virginis, quibus Deus illustraverit, sicut præfatæ sorores eum descripserunt, videamus. Cùm beata, inquiunt, Mater Domino multis laborum certaminibus devotè militâsset, vitæ præsentis tædio affecta, dissolvi & esse cum Christo quotidie cupiebat. Cujus desiderium Deus exaudiens, fi- E
nem suum, sicut ipsa præoptaverat, spiritu prophetiæ ei revelavit, quem & sororibus prædixit aliquandiu. Itaque infirmitate laborans, octogesimo secundo ætatis suæ anno, xv. Kalend. Octobris, ad Sponsum cælestem felici transitu *f* mi- *f*
gravit. Filiæ autem ipsius, quarum omne gaudium & solatium ipsa erat, funeri dilectæ Matris amarissimè flentes assistebant. Nam licèt de præmiis & de suffragiis sibi per ipsam conferendis non dubitarent, propter discessionem tamen, per quam semper consolabantur, maximo cordis mœrore afficiebantur. Deus verò, cujus meriti apud se esset, in transitu suo evidenter declaravit.

& sepultura miraculis illustrata.

58 Nam supra habitaculum, in quo sancta Virgo primo crepusculo *g* noctis Dominicæ diei felicem animam Deo reddidit, duo lucidissimi & diversi coloris arcus in firmamento apparuerunt, *g*
qui ad magnitudinem magnæ plateæ se dilataverunt, in quatuor partes terræ se extendentes, quorum alter ab Aquilone ad Austrum, alter ab Oriente ad Occidentem procedebant. At in summitate, ubi hi duo arcus jungebantur, clara lux ad quantitatem lunaris circuli emergebat, quæ latè se protendens, tenebras noctis ab habita- F
culo depellere videbatur. In hac luce crux rutilans visa est, primum parva, sed crescendo postea immensa, circa quam innumerabiles varii coloris circuli, in quibus singulis singulæ rutilantes cruciculæ oriebantur cum circulis suis, priore tamen minores conspiciebantur. Et cùm hæ in firmamento se dilatâssent, latitudine sua ad Orientem magis pertingebant, & terram versus domum, in qua sancta Virgo transierat, declinare visæ, totum montem clarificabant. Et credendum, quòd hoc signo Deus ostendit, quanta claritate Dilectam suam in cælestibus illustraverit. Nec defuerunt, antequam sepeliretur, miracula meritum sanctitatis ejus attestantia. Nam duo homines, qui sanctum corpus ejus spe bona tangere præsumpserunt, à gravi infirmitate convaluerunt. Exequiis igitur venerabiliter à reverendis viris celebratis, in venerando loco est sepulta, ubi meritis ejus, omnibus pio corde quærentibus præstantur multa beneficia. Odor quoque miræ suavitatis de sepulchro ejus redolens, dulcedinis suæ fragrantiâ aliquorum hominum nares perfundit & pectora. Speramus itaque & indubitanter

cre-

A credimus, apud Deum esse memoriam immortalem, qui in hac vita donorum suorum prærogativam ei contulerat specialem, cui laus sit & honor in secula seculorum, Amen.

ANNOTATA.

a *Stimulus carnis & angelus satanæ, de quo loquitur Apostolus* 2 *Cor.* 12 ℣ 7, *variis modis exponitur. Hic auctor cum aliis multis intelligit corporis infirmitatem, quâ vexatus fuerit S. Paulus, ne revelationum suarum excellentiâ in superbiam erigeretur. Hoc sensu verba rectè adaptantur* S. Hildegardi.

b *Varia Sanctæ itinera exposui in Commentario* § 12.

c *De scripta Vita S. Disibodi actum est in Commentario num.* 188, *& num.* 113, *ubi etiam recitavi partem Epistolæ abbatis id petentis.*

d *De scripto libro Divinorum operum actum est num.* 192.

e *Cœnobium Lacense, sive* de Lacu, *Ordinis S. Benedicti*, in finibus Trevirorum, non longè ab Andernaco *ponit Bucelinus in Germania sacra part.* 2 *pag.* 51.

B f *Anno* 1179, *ut ostendi in Commentario num.* 204.

g *Per crepusculum* noctis Dominicæ diei *intelligenda est aurora sequentis diei Lunæ, ut observavi in Commentario num.* 204; *non verò aurora diei Dominicæ, ut locus intelligi posset, si nihil obstaret. Itaque obiit Sancta die Lunæ* XVII *Septembris, circa horam quartam post mediam noctem. Datur quidem crepusculum vespertinum & matutinum: sed hic matutinum intelligi, colligo ex sequentibus, ubi dicitur:* Clara lux ... tenebras noctis .. depellere videbatur. *Nam in* primo crepusculo *vespertino tantùm oriri incipiunt tenebræ; in primo matutino tenebræ sunt, & hæ tantùm incipiunt dispelli per modicum lucis. Jam verò Sanctam fuisse defunctam, non die Dominica, ut credidit Pagius; sed die Lunæ primo diluculo, quando nox diei Dominicæ adhuc durabat, necessariò dicendum est, quia constat, non esse defunctam ante annum* 1179, *quo dies* 17 *Septembris incidebat in diem Lunæ. Nam in Epistola ad Christianum archiepiscopum Moguntinum, laudata in Commentario num.* 169, S.

C Hildegardis *meminit de prælatis Moguntinis, qui reversi erant* à Roma è synodo, *Lateranensi videlicet, quæ habita est mense Martio anni* 1179. *Vivebat igitur anno* 1179, *& non potuit ante illum annum, & ante mensem Junium, inchoare annum ætatis suæ octogesimum secundum, ut in Commentario ostendi num.* 204. *Quapropter, cùm argumentis istis certum fiat, non esse defunctam anno* 1178, *quo dies* 17 *Septembris erat Dominica, locus omnino exigit explicationem datam; dicendumque, biographum studiosè crepusculum noctis Dominicæ diei distinxisse à crepusculo diei Dominicæ; nec dixisse Sanctam die Dominica defunctam esse, sed sub finem noctis sequentis.*

A. THEODORICO.

ACTA

Inquisitionis de virtutibus & miraculis.

Ex Ms. Bodecensis cœnobii Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis.

NOs igitur hujus auctoritate mandati *a* ad monasterium sancti Ruperti personaliter accedentes, testes fide dignos recepimus, in hunc modum de vita, conversatione, fama, meritis & signis, ac aliis circumstantiis beatæ Hildegardis, numerositatem testium refutantes, cùm potiùs tempus, quàm testium copia, non possit haberi. Magistra sancti Ruperti in Pinguia, Elsa *b* nomine, jurata de miraculis beatæ Hildegardis protestatur, quòd viderit Mechildem apud tumbam beatæ Hildegardis liberatam à dæmonio obsessam. Vidit Regnissem, Segnissem, nobiles mulieres, eodem loco liberatas à dæmoniis, quæ posteà servirent in eodem monasterio per tempora vitæ suæ. Vidit etiam epilepticos ibidem quàm plures liberatos. Similiter tertionarii, quaternarii *c*, apud sepulcrum ejus ad nominis ejus invocationem sunt liberati. Idem jurata dicit prioriſſa Agnes, soror magistræ. Idem dicit Beatrix custodissa *d*, Odilia celleraria, Heddewigis conversa *e* ibidem dicunt se vidisse. Sophia cantrix idem dicit. Roricus sacerdos juratus idem dicit, sed addidit, quòd cùm ad jurandum *f* venisset ipsam dæmoniacam, & antequam quidquam loqueretur ei, binomium ipsum vocabat, dicendo: Henrice Rorice: quod antè in partibus illis fuerat ignotum. Vidit etiam quatuor corvos in fenestris infra ecclesiam tunc residentes. Requirens à dæmoniaca, qui illi corvi essent, respondit, dicens, quòd socii sui, & egressum ejus exspectarent. Quo dicto, hiatum magnum faciens, fumum nigerrimum exhalavit: & sic obsessâ liberatâ, statim non comparuerunt: quod senior pars ita protestatur. Addidit etiam, quòd vidit decem & octo dæmoniacos per invocationem ejusdem Virginis liberatos apud ejus sepulcrum. Daniel sacerdos juratus idem dicit. Episcopus *g* loci ejusdem juratus idem dicit.

De energumenis liberatis multorum testimonia, *a*

E *b*

c

d *e*

f

F

g

2 Requisita magistra *h* Jutta, de ipsa dicit, quòd infra triginta annos hæc omnia contigerunt. Beatrix custodissa de Confluentia jurata dicit, quòd cùm esset annorum duodecim, oblata eidem monasterio fuit, & aliquo tempore cum beata Hildegarde conversata, vidit & audivit, quòd sancta Hildegardis diem obitus sui publicè in capitulo prædixit, & quòd post mortem ejus vidit Mechildem *i* cæcam, illuminatam per invocationem ejusdem Virginis. Vidit etiam mente captum restitutum sanitati. Item vidit ancillam Metzam, quæ cùm terram de ejus sepulcro deportâsset, & loco minùs honesto locâsset, à beata Hildegarde correptam & percussam: sicque compulsa, terrâque repositâ, & de hoc conterrita *, statim est liberata. Vidit Clementem *k* so-

alia de variis miraculis, *h*

i

**forte* conterrita

k

Ex Ms. rorem, quæ nunc est, quòd propter crines beatæ Hildegardis, quos fratri suo dederat, flagellata fuit, donec ab eodem deotissimè * crines fuerunt restituti. Vidit etiam laicam mulierem, cui superexcreverat os in crure, quòd ire non potuit. Eodem osse beatæ Hildegardis crinibus linito, statim os evanuit, & sic est curata. In istis crinium articulis major pars & sanior capituli regina *l* jurata concordat. Vidit etiam eum, qui ex indignatione beatam Hildegardem trusit pede, pede privatum per flagellum Dei. Hoc idem dicit celleraria jurata, quæ beatæ Virgini commorabatur sex annis & ampliùs; adjiciens, quòd quædam tertionaria *m* ejus auxilium implorans, ipsa aquam per calicem suum eidem transmisit: quâ gustatâ, curata est. Adjecit etiam, quòd, cùm duæ puellæ servirent refectorio beatæ Hildegardis, dixit illis: Bene cavete vobis per quatuordecim dies, & agite pœnitentiam: & finitis illis diebus, exspiraverunt. Adjecit etiam eadem de quodam clerico, quòd ei simili modo contingeret: cui celleraria *n* Hedewigis conversa jurata concordat.

B 3 Mechildis jurata dicit, quòd ipsa à matre sua audiverit, se esse cæcam natam, & [cùm] beata Hildegardis ad villam Hibingen *o*, ubi monasterium etiam fundaverat, iret visitatum, occurrit ei mater sua eam deferens, & gratiam beatæ Hildegardis implorans; ipsa verò beata Virgo, cùm adhuc in navi esset, aquâ Rheni oculos cæcæ liniens, visum ei restituit. Irmingardis requisita & jurata dixit, se hoc idem vidisse. Addidit etiam, quòd beata Hildegardis quamdam puellam, quæ in scholarem se transmutaverat, nomine expresso, scilicet Bertrudim *, licèt eam antè non viderit; cui dixit: Convertere ad statum meliorem, quoniam annos tuos non ultrà novi; acsi diceret, Hoc anno morieris. Sed cùm beatam Hildegardim vidisset, compuncta, confessa est, se esse mulierem: & sic conversa, eodem anno mortua est. Cum hac concordant superiores juratæ. Eadem etiam puella propter ejus pulchritudinem, ne à pluribus amaretur, colore tetro se fuscavit, & propterea tota vicinia clamat idem. Adjecit etiam, quòd, cùm quædam matrona de morte sui mariti esset suspecta, & expurgatio ferri candentis sibi indiceretur, ad beatam Hildegardim cucurrit, factum sibi indicans, beata verò virgo Hildegardis ferrum benedixit candens: & cùm ferrum candens deportaret, illæsa permansit. Cui facto publica fama concordat in civitate Pinguiensi. Dixit etiam, quòd, cùm bis ipsa in extremis laboraret, invocato ejusdem beatæ Virginis auxilio, liberata est. Dicit etiam, quòd viderit, eâ mortuâ & vivâ, ejus nomine invocato, dæmoniacos & epilepticos liberatos.

4 Hoc idem dicit Hedwigis de Alceia jurata, adjiciens, quòd beata Hildegardis in lecto ægritudinis semper fuit perlustrata *p*; & cùm sequentiam instinctu Spiritus sancti, quæ sic incipit: O VIRGA ET DIADEMA per claustrum ambulando decantabat. Cui concordat custodissa, & celleraria juratæ. Item dicit, quòd viderit candelam ardentem super tumbam ejus, cùm cantábatur Missa pro defunctis. Quâ exstinctâ, Euangelio incepto, per se est accensa, non semel, sed sæpiùs. Vidit etiam hominem insanum & ligatum & dæmoniacum super tumbam ejus, à quibusdam violenter deductum, à quorum manibus tandem se exemit, & in flumine Naho, quod est in pede montis, se submersit: & cùm multi circumstantes crederent, eum esse mortuum, inventâ ejusdem Virginis gratiâ, vivus est extractus. Qui se liberatum à dæmonio confessus est, & ab aqua per manicam beatæ Virginis esse defensum. Huic facto publica fama concordat, & major pars conventûs jurata. Rapodo, Hilde, Humbertus, cives Pinguienses dicunt, quòd beatam Hildegardim viderint multis diebus, & quòd dæmonia ab omnibus *q* suæ provinciæ, & aliunde venientibus ejecerit, epilepticos curârit, & multa alia signa, quæ fecit, & hoc ipsi viderint, & quòd de sanctitate ejus non sit dubitandum. Hartradus juratus concordat cum prædictis, & hoc adjecit, quòd quatuor dæmoniacos & epilepticos per merita ejusdem Virginis vidit liberatos. Henricus canonicus Pinguiensis juratus dicit, quòd crines beatæ Virginis duabus mulieribus infirmis appositi, & statim sunt liberatæ: de dæmoniacis & epilepticis concordat cum prædictis, scilicet cum Rapodone, Hilde, Humberto civibus, & cum Hartrado canonico Pinguiensi. Conradus tamen Pinguiensis de visu concordat de dæmoniacis cum prædictis.

5 Item magistra *r* jurata certâ relatione, & à melioribus fide dignis, & ab ipsa domina de Dorabecq didicit, quòd cùm in anniversario sanctæ Hildegardis quoddam lumen, cujus longitudo manum non excessit, quod vix per celebrationem Missæ posset durare, accensum in honore præfatæ Dominæ, quod ab hora vespertina usque ad horam Missæ sequentis diei perduravit: in ejus etiam anniversario tota vicinia confluit & confluxit ad ejus sepulcrum. Intellexit etiam à senioribus monasterii de puero cæco nato *s*, cui visum restituit aquâ Rheni oculis suis linitis, dum inter Ruedesheym *t*, quod distat à sepulcro ejus per milliare, quod ipsa etiam trepida coram nobis est confessa ita esse. Intellexit enim * à majoribus, quòd, cùm Wilhelmus Trevirensis archidiaconus, cui cùm crines beatæ Hildegardis dati pro reliquiis essent, & in pixidula serica recondidisset, & illam intra ligneam locâsset, in ecclesia Dalvanii super altare posuisset ecclesiæ, & his, quæ erant in altari, exustis, pyxidula serica permansit illæsa, ipsâ pyxidulâ ligneâ penitus combustâ. Intellexit etiam, quòd quædam mulier nobilis Trevirensis, cùm per incantationem cujusdam juvenis mente capta esset, ita quòd penitus mente alienata esset, parentes super hoc dolentes ad beatam Hildegardim confugerunt, gratiam ejus quærentes: quæ panem in mensa sua benedixit, & eidem infirmæ transmisit: quo gustato, statim curata est. Quod miraculum vidit Odilia celleraria & Hedwigis conversa juratæ, quæ tunc secum fuerunt in mensa *u*. Intellexit etiam à majoribus monasterii, quòd, quæcumque soror monasterii inania in divino Officio cogitaret, beata Hildegardis eam statim reprehendit; & cùm lectiones legerent, eis secundum earum intentionem benedictiones dabat, de verbo ad verbum exprimens earum voluntatem: quarum quasdam vidit, quòd idem postea in habitu Cisterciensis Ordinis sunt confessæ.

6 Item cùm quidam injustè excommunicatus in suo monasterio esset tumulatus, & cùm propter hoc ecclesia Moguntina divina ibidem suspendisset, & ejici *w* deberet, ipsa tumulum ejus baculo suo signo crucis signavit, & sic sepulcrum ejusdem adhuc non poterat inveniri. Item cùm quidam per homagium diabolo se astrinxisset, ut quolibet anno aliquod animal eidem sacrificaret; animalia primò obtulit, deinde filios, ultra uxorem.

* *fortè* devotissimè

l

m

n

B *partim à vivente patratis*, *o*

* *adde* nominaverit

C

partim post mortem, *p*

D

q

ac de aliis beneficiis *r*

f

t

* *fortè* etiam

F

u

& mirabilibus *w*

A rem. Ipſa hoc ſentiens, ad beatam Hildegardim confugit, auxilium implorans, rem ei ex ordine exponens. Ipſa verò partem crinium ſuorum eidem tradidit; & illa ſecundum ejus mandatum ſuis crinibus innexuit. Quod dæmon ſentiens, marito dixit: Me decepiſti: nihil juris in ea habeo propter incantationes Hildegardis. Ipſe maritus eam in balneo denudans locavit, ut ſic tandem perficeret, quod volebat. Et cùm diabolus eam habere non poſſet, marito collum confregit. Item cùm quidam
x epiſcopus Maguntinenſis, Chriſtianus *x* nomine, per pulſationem campanarum Pinguiæ reciperetur, ipſas campanas perſonare intellexit, unam hæc verba, PASTOR LUGE; alteram, IN SALUTE TUA CITO FUGE. Hæc verba videbantur eſſe ad epiſcopum. Quaſi in perſona epiſcopi: ABEO, TERRAM IN CONFUSIONE RELINQUO. Et hæc verba præſentibus ſororibus dixit in ſpiritu. Cum
* *fortè deeſt* Beatrix qua concordat prioriſſa Agnes, * cuſtodiſſa Odilia, Sophia, & aliæ quamplures juratæ. Mechildis etiam jurata dicit, quòd ipſa diu vexabatur à dæmonio, & dicit, quòd per invocationem beatæ Hildegardis ſit liberata, & quòd conventus eam ſic vexari & liberari viderit, qui adhuc hodie ibidem fuit.

B 7 Dicit etiam, quòd viderit alios dæmoniacos & quaternarios & tertiarios ibidem liberatos: *multis. Teſtimonium de ſtirpe, puericia, vita religioſa,* cum qua concordat Jutta, ita quòd addidit, puerum quemdam epilepticum, pro quo apud tumbam beatæ Hildegardis exoravit, eſſe liberatum, & quòd carpentarius caſtri matri * ſuæ, cùm mente captus eſſet, invocata beata Hildegarde, auxilio ejus eſt liberatus: cum qua concordat publica fama ejuſdem loci. Mechildis jurata dicit, quòd viderit beatam Hildegardim, & quòd ei continuè permorabatur, quæ etiam concordat cum Mechilde cæca nata. Deta etiam, quæ poſt mortem beatæ Hildegardis viſum recepit, & in aliis concordat cum magiſtra. Bruno cuſtos ſancti Petri in Argentina & presbyter juratus dicit de
* *fortè* ſcilicet vita beatæ Hildegardis, ſed * quòd per publicam famam audivit, & quòd in libello, qui de ejus vita à duobus religioſis, ſcilicet Gotfrido & Theodorico, qui cum beata Virgine morabantur, ſtatim poſt ejus obitum eſt ſcriptus, legit: quem omnibus modis vera credit continere, ſcilicet quòd à nobilibus parentibus originem duxit; quæ, cùm quinque annos haberet, vaccam vidit, & ſuæ nutrici dixit: Vide, nutrix, quàm pulcher
C vitulus eſt in vacca illa, albus & diverſis maculis in fronte & in pedibus & in dorſo diſtinctus: quod nutrix admirata, ſtatim matri retulit. Mater verò, cujus vacca fuit, præcepit, quòd, poſtquam pareret, partum ei præſentaret. Quo facto, omnia, ſicut puella beata Hildegardis prædixerat, vera eſſe cognovit: quod parentes ejus admirantes, & alienos mores ab aliis hominibus eam habere cernentes, eam monaſterio includere diſpoſuerunt: quam octavo ætatis ſuæ anno cuidam incluſæ, Juttæ nomine, ſorori comitis de Spanheim, commendantes, ſub beati Benedicti Regula eam ſervire Domino in Monte ſancti Diſibodi obtulerunt.

8 De converſatione vitæ dicit, quòd, cùm *geſtis, fundatione duorum monaſteriorum, inſigni fama,* fama de ejus ſanctitate latè diffunderetur, nobiles quamplurimæ puellæ ad eam confluxerunt. Sed cùm domûs recluſionis habitaculum omnes capere non valeret, à Domino tum commonita, immò coacta, ut ad ſanctum Rupertum ducem ſe transferret. Quod cùm abbati per ſuum confeſſarium retuliſſet, & ipſe hoc moleſtè ferret, quibus miraculis licentiam obtinuerit, & ad locum divinitus oſtenſum tranſierit, & quomodo Ex Ms.
in loco ignoto monaſterium novum conſtruxerit, & cum decem & octo nobilibus puellis ibidem Domino inſervire inſtituerit, in Vitæ ejus libello pleniùs invenitur. In quo monaſterio quinquaginta dominarum præbendas inſtituit, & duas ſacerdotum: præterea pauperum matronarum ſeptem in honore ſancti Spiritus, & in honore beatæ Mariæ. Præterea trans flumen Rheni ad unam leucam aliud monaſterium *y* fundavit, ubi *y*
triginta præbendas inſtituit. De fama dicit, quòd tres Apoſtolici, ejus famâ auditâ, ei ſcripſerunt, Eugenius, Adrianus, Anaſtaſius, quibus & ipſa ſcripſit: præterea Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Magdeburgenſis *z* archiepiſcopi; *z*
patriarcha Hieroſolymitanus, epiſcopi & quamplures, & ſanctus abbas Bernhardus Claræ Vallis, ac alii abbates, & præpoſiti, & ceteri eccleſiarum prælati ei ſcripſerunt: quibus & reſcripſit: quæ omnia ex libris Epiſtolarum ejus colliguntur.

9 De meritis ejus dicit: Conradus rex, Fre- *ſcriptis libris, iiſque examinatis & probatis,* dericus imperator, de exitu eorum inquirentes, futura audierunt, & ſic ad meliora eos reduxit: quod ex jam dicto Epiſtolarum libro pleniùs habetur. Et quòd annuatim in ejus anniverſarii die multus populus tam vicinorum quàm remotorum ad ejus concurrit ſepulcrum, ſalutem animæ & corporis ab ea poſtulantes. Præterea cùm magnum tenemium *aa* non habuerit, quadrageſimo *aa*
ſecundo *bb* ætatis ſuæ anno libros non paucos *bb*
ſcribere incepit Spiritus ſancti revelatione, quod pleniùs in acceſſu libri ejus Scivias continetur. Librum ſuum Scivias *cc* decem annis complevit: *cc*
librum Simplicis medicinæ, librum Expoſitionis Euangeliorum, Cæleſtis harmoniæ cantum, linguam ignotam cum ſuis litteris, quæ omnia octo annis perfecit: quod pleniùs in acceſſu libri Vitæ meritorum colligitur. Poſtea quinque annis ſubſequentibus librum Vitæ meritorum ſcripſit: poſtremò verò librum Divinorum operum ſeptem annis ſcripſit, quod per acceſſum ipſius libri pleniùs patet. De ſignis ibi dicit, quòd modis omnibus credit, quòd ſigna, quæ in vita ejus per eam Dominus fecit, quæ etiam in Vitæ ejus libello ſcripta, vera ſunt: & plura tam in vita quàm in morte ejus miracula per eam Dominus ſit operatus, quàm hominum memoria habeat. De circumſtantiis dicit, quòd cùm libros ejus, ſcilicet librum Scivias, librum Vitæ meritorum, F
librum Divinorum operum, ſecundum monaſterii ſui exemplaria conſcripſiſſet, & cùm in peregrinatione ad beatum Martinum Thuronis *dd* ire *dd*
diſpoſuiſſet, libros jam dictos ſecum Pariſius *ee* *ee*
detulit, &, ut ſecuriùs in eis ſtudere poſſet, ab epiſcopo *ff* loci, tunc præſidente, per multos la- *ff*
bores & magnas tribulationes obtinuit, quòd omnes in theologia tunc magiſtros convocavit legentes, & cuilibet eorum per tres quaternos ipſos libros ad examinandum dedit ab Octava Martini uſque ad Octavam Epiphaniæ. Quibus examinatis, epiſcopo reſtituerunt: qui magiſtro Wilhelmo Autiſſiodorenſi, pro tempore ſuo magiſtro, eos aſſignavit: qui & ſibi * eos reſtituit, * *id eſt*, Hildegardi affirmans, quòd eſſet magiſtrorum ſententia, non in eis eſſe verba humana, ſed divina.

10 Dicit etiam de fama, quòd mater ſua, cùm *alia teſtimonia: cur ceſſaverint miracula:* de monaſterio, quod conſtruxerat, ad duo diſtaret milliaria, in villa, quæ dicitur Lorche *gg*, *gg*
cum aliis quampluribus matronis, cognitâ beatæ Hildegardis ſanctitatis famâ, eum ſecum tranſvexit, ſuppliciter rogans, ut ſibi benedictionis manum

Ex Ms. num imponere dignaretur : quod & fecit. De libris examinatis magiſter Arnoldus, Scholaſticus ſancti Petri, idem dicit, quod Bruno, quia tunc Pariſius ſtuduit in theologia : magna pars conventûs ita concordat cum Brunone, præter ejus acceſſum ad beatam Hildegardim. Magiſter Joannes, canonicus Maguntinenſis, & nunc præpoſitus Pinguienſis, de examinatione librorum concordat etiam cum prædictis, quia eodem tempore Pariſius ſtuduit in theologia, dicens, quòd pauci jam viventes melius quàm ipſe de ſancta Hildegarde noverint veritatem. Quærentibus etiam nobis à conventu, quare beata Hildegardis modò non faceret ſigna, dixerunt, quòd, cùm poſt mortem ejus Dominus tot miracula oſtenderet, & concurſus populorum tantus fieret ad ſepulcrum ejus, quòd religio & divinum Officium per tumultum populi turbabantur in tantum, quòd domino archiepiſcopo Maguntinenſi illud retulerunt. Unde ipſe accedens perſonaliter ad locum, præcepit ei, ut à ſignis ceſſaret.

Ii ſimi S. Hildegardis cum his Actis ad Pontificem miſſi.

11 Dicit etiam Roricus ſacerdos, ſuprà cum primis teſtibus numeratus, quòd in membris illius obſeſſæ *hh*, quam conjuravit, dæmon apparuit in modum magnæ * muris, & appoſitis crinibus beatæ Hildegardis de uno membro ad aliud fugit viſibiliter : quod etiam colore nigro, ſicut carbo fuſcavit. Tandem, cùm diu eſſet fatigatus, abſceſſit in modum fumi teterrimi, nec ultrà cum corvis apparuit. Scripta *ii* etiam ejus, quæ conventus ita confeſſus eſt ſu[illegible] eſſe, ſcilicet librum Scivias, librum Vitæ meritorum, librum Divinorum operum, Pariſius per theologiæ magiſtros examinatos ; librum Expoſitionis quorumdam Euangeliorum, librum Epiſtolarum, librum Simplicis medicinæ, librum Compoſitæ medicinæ, ac Cantum ejus cum lingua ignota, cum libello, qui de ejus vita conſervatus eſt ſcriptus, per eumdem Brunonem ſacerdotem, ſancti Petri in Argentina cuſtodem, virum fidelem & bonæ famæ, & ſupradicti monaſterii procuratorem, ſub ſigillis noſtris clauſos tranſmittimus, veſtræ ſanctitatis Paternitatem genibus provolutis exorantes, quatenus Lucernam tam eximiam, hactenus quaſi ſub modio abſconſam ; nunc ſuper candelabrum ponere velitis, ut luceat omnibus his, qui in domo Dei ſunt, nomen ejus Sanctorum catalogo inſerendo, aliquibus viris idoneis dantes in mandatis, ut actum auctoritate veſtra tam pium opus ad debitum effectum proſequatur, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Acta ſunt hæc apud S. Rupertum. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, decimo ſeptimo Calendas Januarii.

hh
* magni
ii

C

ANNOTATA.

a *De his Actis egi in Commentario num.* 5, *ubi obſervavi, Acta fuiſſe compoſita juſſu Gregorii Papæ IX, qui ad examen de virtutibus & miraculis* S. Hildegardis *inſtituendum delegavit præpoſitum, decanum & ſcholaſticum Moguntinæ eccleſiæ. At collector Actorum reſecuit illa omnia.*

b *Erat illa cœnobii præfecta, quæ* abbatiſſa *diceretur, ſi jam illo titulo uſæ fuiſſent præfectæ S. Ruperti, uti uſæ ſunt poſtea.*

c *Id eſt, laborantes febri tertiana & quartana.*

d Cuſtodiſſa *eſt præfecta ſacrario.*

e *Videtur aliquid eſſe mendi, forte ſcriptum fuerit* una mente. D

f *Veriſimiliter*, ad adjurandum.

g *Non capio, quis ille ſit epiſcopus, & dubito, an vox non ſit mendoſa, niſi forte ſit* chorepiſcopus, *qui* epiſcopus loci *ſecundum Græcam vocis etymologiam vocatur.*

h *Cujus loci hæc Jutta fuerit magiſtra, non additur. Elza erat magiſtra cœnobii S. Ruperti. Eidem igitur non præerat Jutta. Itaque Jutta forte præerat cœnobio Eibingenſi, de quo agetur num.* 33 ; *aut forte etiam* magiſtra *vocatur, quia præfuerat cœnobio S. Ruperti, & ob ſenium vel alia de cauſa præfecturam depoſuerat.*

i *Si omnia rectè ſint expoſita, alia hæc eſt Mechildis, quàm ſit illa, quæ num.* 3 *teſtabitur, viſum ſibi puellulæ reſtitutum.*

k *Veriſimiliter* Clementia *vocata fuerit.*

l *Vox* regina *redundat, aut ſcriptum fuerit* cum Regina.

m *Id eſt, aliqua tertiana febri laborans. Dictio eſt imperfecta, ſed perficietur, ſi pro* implorans *legatur* implorante.

n *Suſpicor, deeſſe hic nomen celleraria, quæ num.* 1 *vocatur* Odilia, *legendumque, ut ibidem,* Odilia celleraria, Hedewigis converſa *&c.* E

o *Vicus modò vocatur* Eibingen, *ſitus ultra Rhenum in Rhingavia. De fundato ibidem monaſterio Eibingenſi ſermo recurret num.* 8, *& de illa fundatione latiùs egi in Commentario num.* 177.

p *Teſtatur, opinor, ipſam fuiſſe vultu aut capite divinitus radiante.*

q *In margine apographi notatum eſt*, fortè hominibus. *At non video, illam correctionem eſſe neceſſariam, ſi codex clarè habuerit*, omnibus. *Neque enim incredibile eſt, omnes energumenos, qui ad viventem perducti ſunt, malo ſuo fuiſſe liberatos.*

r *Utrùm Elza magiſtra num.* 1 *laudata, an Jutta num.* 2, *non exprimitur.*

ſ *Mechildis cæca nata num.* 3 *teſtatur, ſe infantem aquâ Rheni ſanatam, allegans matris ſuæ teſtimonium. Hic verò* puer *cæcus natus dicitur viſu donatus. Attamen ſuſpicio eſſe poteſt, idem rurſum referri miraculum, cùm vox Germanica, quæ reſpondet Latinæ voci* infans, *aquè ſignificet puellum & puellam.*

t *Hic aliquæ voces ſunt omiſſæ. Veriſimiliter* F *ſcriptum fuerit* inter Ruedesheym & Eibingen erat, *quod num.* 3 *dictum eſt* Hibingen, *ubi monaſterium fundavit : nam hoc num.* 8 *dicitur* ad unam leucam *diſtare à ſepulcro Sanctæ.* Ruedesheim *verò intermedium eſt utrique loco, & minùs diſtat.*

u *Ibi nempe viderunt benedicentem pani, miſſo ad puellam mente captam ; at ſanationem illius ex aliis intelligere debuerunt, niſi mulier fuiſſet deducta ad monaſterium : quod non aſſeritur.*

w *De hiſce fusè actum eſt in Commentario* § XI.

x *de Chriſtiano archiepiſcopo quædam ſunt dicta ibidem num.* 163 *&* 171, *ubi mors illius relata. Quæ autem hîc referuntur, non potuerunt contingere, niſi tempore ſchiſmatis : nam in diœceſi Moguntina Chriſtianus numquam fuit poſt pacem anno* 1177 *Eccleſiæ reſtitutam.*

y *Geſta hæc latiùs in Vita ſunt expoſita. Primum monaſterium, quod fundavit, & ubi* quinquaginta prædendas, *id eſt, reditus pro quinquaginta monialibus nobilibus, fundâſſe dicitur,*

eſt

A *est Mons S. Ruperti, ubi ipsa habitavit; alterum est cœnobium Eibingense, quod primo erat subjectum, & de quo videri possunt dicta in Commentario num.* 177. *De Epistolis quoque latè actum est* § 4 *& seqq.*

z *Inter editas* S. Hildegardis *Epistolas nulla occurrit archiepiscopi Magdeburgensis. Attamen inter eos, qui ad Sanctam scripserunt,* archiepiscopus Magdenburgensis *etiam recensetur à Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1150, *ibique additur;* Archiepiscopus Ravennensis, *cujus Epistola similiter non est edita, &* multi de Italia, *cùm paucas tantùm editas habeamus Epistolas ex Italia ad Sanctam datas. Itaque dicendum, quorumdam Epistolas non fuisse codici Epistolarum insertas, dum ille codex est collectus, nec postea editas, ut ostendi in Commentario num.* 195.

aa *Vox hæc verisimiliter mendosè scripta est, aut planè est barbara. At suspicor, designari intellectum, & hunc esse sensum: Etsi Sancta intellectu naturali nequaquam excelleret, multos tamen scripsit libros ex Dei revelatione.*

B bb *Impleverat Sancta annos quadraginta duos & menses septem, quando cœpit scribere, ut clarè habetur ex præfatione ad librum Scivias hîc laudata, dictumque in Commentario num.* 13 *&* 14.

cc *Anno* 1141 *cœpit hunc scribere ex allegato Commentario num.* 17. *At hujus & reliquorum librorum tempora assignavi num.* 191 *&* 192 Ex Ms.

dd *Notissimum est, sepulcrum & corpus S. Martini in civitate Turonensi multis seculis fuisse maximè celebratum, magnoque peregrinorum concursu honoratum. Verùm de his agemus in S. Martino ad* XI *Novembris. Peregrinationem verò illam* S. Hildegardis *posterioribus vitæ ejus annis figendam, ostendi in Commentario num.* 182.

ee *Nimirum Lutetia Parisiorum in itinere occurrebat, & jam eo tempore universitatem habebat maximè celebrem. Vox* Parisius *frequenter medio ævo ponitur sine immutatione.*

ff *Episcopus Parisiensis erat Mauritius, qui cathedram illam longo tempore administravit, pluribus laudatus in Gallia Christiana tom.* 7 *col.* 70 *& seqq.*

gg *Vicum* Lorich *ad oppositam Rheni ripam duobus circiter milliaribus Germanicis infra Bingium in variis tabulis notatum invenio.*

hh *De hac obsessa, & testimonio Rorici plura num.* 1.

ii *Hic examinatores, qui à Gregorio IX jussi erant etiam Opuscula scripta* S. Hildegardis *transmittere, ut liquet ex verbis Gregorii in Commentario num.* 208 *datis, ad Pontificem se convertunt, & post enumerationem librorum, quos mittebant, flagitant canonizationem.* E

DE B. GANDOLPHO CONFESSORE,

PRESBYTERO ORDINIS S. FRANCISCI

POLITII IN SICILIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Memoria B. Gandolphi in aliquot Martyrologiis: Vita scripta & edita per modum Dialogi, recudenda sine pa-
C rergis unà cum miraculis: processus pro cononizatione impressus, è quo alia danda. F

CIRCA AN. MCCLX. *Beati memoria ad hunc diem recentioribus Fastis inserta:*

Olitium celebre oppidum Siciliæ in diœcesi Cephaleditana, ad XVI *Aprilis dedit nobis civem suum alio loco defunctum, S. Guilielmum eremitam, hodie verò suggerit* B. Gandolphum, *Ordinis S. Francisci presbyterum, in Italia quidem natum, sed Politii defunctum, ibique plurimis miraculis celeberrimum. Memoriam hujus Beati primus, quantùm novi, in Fastis celebravit Octavius Cajetanus, in Martyrologio Siculo ad hunc diem ita scribens:* In Politio S. Gandolfi confessoris, Ordinis Minorum S. Francisci. *Secutus est Ferrarius in Catalogo generali, ubi habet:* Politii in Sicilia B. Gandulphi Ordinis Minorum. *In Annotatis observat,* Sanctum *vocari à Cajetano, hæc adjiciens:* Colitur enim in ea urbe, uti Patronus illius. De quo in Chronico Minorum. Obiit circa annum salutis MCCLIV. *Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano ad eumdem diem* B. Gandolphum *memorat his verbis:* Politii in territorio (*potiùs diœcesi*) Cæphaludensi beati Gandulphi confessoris, virtutibus & miraculis glorioſi. *Franciscus Carrera in Pantheo Siculo* B. Gandolphum *commemoravit longiori elogio, quod prætermitto. De cultu Beati, qui seculo* XIV *inchoatus est, & certissimus, latiùs & commodiùs agam post Vitam: hoc solùm interim observo, non obiisse beatum* Gandolphum *die* XVII *Septembris; sed præcipuam Beati festivitatem eo die celebrari.*

2 *Vita* B. Gandolphi *non statim post obitum illius fuit conscripta. Attamen non tanto post tempore fuit composita, ut non potuerint præcipua facta in hominum memoria perseverare. Auctor quoque multum diligentiæ videtur adhibuisse, ut omnia, quæ Politienses nôsse poterant, exactè investigaret, nec dubitandum videtur, quin Fran-* *Vita scripta à Jacobo episcopo post auditos testes,*

AUCTORE J. S.

ciſcanos etiam conſuluerit. Vitam autem conſcripſit anno 1320, id eſt, annis circiter ſexaginta poſt mortem Beati, Jacobus de Narnia, epiſcopus Cephalæditanus, qui apud Pirrum in Sicilia ſacra tom. 2 pag. 442 dicitur epiſcopatum adeptus anno 1304, obiiſſe verò anno 1324. De Vita ab eo ſcripta laudatus Pirrus ita ſcribit: Per id temporis anno eodem (1320) Ind. III, ſuam perluſtrans diœceſim, cùm Politium adiiſſet, ubi à clero populoque illius rogatur, ut venerabile corpus B. Gandolphi Ordinis Minorum, qui anno MCCLX obierat, & tam in Vita, quàm poſt eam, multis coruſcabat miraculis, exhumaretur, & honorifico atque decenti locaretur ſepulcro, precibus eorum ſe præbuit difficilem, ne levitatis inſimularetur, quòd corpus Viri pii, cujus ſanctitas teſtibus non ſuiſſet comprobata, colendum exponeret. Attamen voluit Deus, ut quem glorià & honore coronaverat in cælis, homines venerarentur in terris. Divinitus ergo munitus * eſt antiſtes: agnovitque, ex Dei voluntate non eſſe populi petitionibus reſiſtendum. Ergo tum de vitæ ſanctitate, tum de prodigiis diligenter inquirens, publicis omnia tabulis conſignari voluit, ac de tota re Dialogum ipſe conſcripſit &c. Hæc ſatis inſinuant, accuratam in ſcribendo diligentiam à Jacobo epiſcopo adhibitam.

* monitus, opinor

B

3 Rurſum pag. 477 Pirrus de Vita à Jacobo ſcripta ſic meminit: Mox antiſtes B. Gandolphi acta, geſta & miracula pluribus comprobans teſtibus, librum de eo, novem lectionibus compactum, per modum dialogi conſcripſit. Octavius Cajetanus in Animadverſionibus ad Vitas Sanctorum Siculorum tom. 2 pag. 68 de his obſervat ſequentia: Res geſtas B. Gandolphi Dialogo complexus eſt Jacobus Narnia epiſcopus Cephaludenſis anno Chriſti MCCCXX. Autographum membranis exaratum Politii in argentea lipſanotheca B. Gandolphi ſervatur. Dialogus ille poſt mortem Cajetani editus eſt anno 1632, multiſque teſtimoniis roboratus, ut videbimus inferiùs. Cajetanus verò, qui authenticum apographum habuit, rationem ſubjungit, cur ipſe Dialogum integrum non cenſuerit edendum, ita pergens: Sed quoniam ea Vita à Jacobo epiſcopo, inductis perſonis, copioſiùs deſcripta, multa continet, quæ ad rerum geſtarum fidem nullum habere momentum videbantur; nos, iis reciſis, alteram Vitam compoſuimus, pleriſque rebus additis, quæ apud Politienſes certâ famâ conſtant, ut hiſtoriæ cupidis faceremus ſatis. Vera & idonea eſt ratio non edendi integrum Dialogum, quam allegat Cajetanus, quia Dialogus plura continet ad Beati res geſtas minimè ſpectantia, & ſic attentio lectoris, Dialogum pervolventis, avocaretur à Beato ad quæſtiunculas varias nequaquam neceſſarias, quæ magnam Dialogi partem conſtituunt. Quapropter ſuperflua illa ſimiliter reſcindam, edamque Vitam B. Gandolphi ſine forma dialogi, ſic tamen, ut omnia ſim daturus ad Beatum ſpectantia, ipſaque auctoris verba accuratè ſine ulla mutatione repræſentaturus. Ubi verò ſuperflua quædam omittentur, puncta interpoſita non modò innuent omiſſionem, ſed etiam in Annotatis verbulo indicabo, quid fuerit omiſſum.

& cum multis parergis per modum Dialogi, brevius recudenda.

C

4 Porrò Vita illa, ut jam innui, impreſſa eſt anno 1632 in collectione variorum proceſſuum, qui de vita, geſtis & miraculis B. Gandolphi fuerunt inſtituti ſub duobus conſequenter epiſcopis Cephalæditanis, videlicet Martino Mira, & Stephano de Muniera. Prioris epiſcopatus apud Pirrum tom. 2 pag. 467 inchoatur anno 1607, & extenditur uſque ad annum 1619, cui non ſtatim, ſed anno 1620 ſubſtitutus eſt alter, anno 1621 conſecratus, ac deinde anno 1631 defunctus, ut latiùs ibidem videri poteſt. Deinde ſucceſſit Octavianus Brancifortius, cujus tempore tota collectio impreſſa eſt hoc titulo: Proceſſus auctoritate ordinaria, & delegata à ſancta Sede Apoſtolica formatus per illuſtriſſimum ac reverendiſſimum Fr. Don Stephanum Muniera epiſcopum Cephaludenſem ſuper ſanctitate vitæ, miraculis & veneratione piæ memoriæ B. Gandolphi à Binaſco, patroni generoſæ civitatis Politii, Ord. Minorum S. Franciſci &c. Ad hunc titulum breviter obſervo, unum quidem dumtaxat exprimi epiſcopum, cujus auctoritate proceſſus formati fuerint; varia tamen in eadem collectione contineri Acta ſub deceſſore ipſius facta. Waddingus, dum ſcribebat Annales Minorum, eamdem collectionem de B. Gandolpho accepit, ut ſcribit ipſe ad annum 1260 editionis poſtremæ num. 50, ubi ſic habet: Miſit mihi nuper ſenatus Politianus librum auctoritate delegata Sedis Apoſtolicæ compactum per epiſcopum Cephaludenſem, fratrem Stephanum Muniera de ſanctitate, miraculis, & veneratione hujus beati Viri, in quo omnia per modum proceſſûs congeſta ſunt, quæ ad ejus famam poſthumam quoquo modo ſpectare videntur.

Collectio multorum proceſſuum impreſſa, quam etiam habuit

D

E

5 Tum contenta libro ſic breviter exponit: Diligenter deſcribitur ſacellum bipartitum, in quo ejus corpus honorificè requieſcit; referuntur ornatus, donaria, & tabulæ miraculorum, quorum peculiaris & diſtincta habetur memoria. Adjicitur Vita & Hiſtoria tranſlationis à Jacobo Narnienſi, epiſcopo Cephaludenſi deſcripta, quam nos ad compendium reduximus. Subduntur undecim miracula ante corporis inventionem facta; deinde ducenta quinquaginta duo ab invento corpore uſque ad annum MCCCXXII, inter quæ, præter aliqua particularia & præclara prodigia, per ſuas claſſes, relatis & nominatis ipſis perſonis, referuntur duo à vexatione dæmonum liberati; duodecim ſurdi, cæci viginti novem, muti tres, variis languoribus oppreſſi quatuor, ſcrophulis laborantes quinque, brachiis ſaucii viginti octo, renes & latera dolentes quinque, ventris & ſanguinis profluvio ægrotantes tres, herniam & calculos patientes octoginta duo, crurum & pedum infirmitate detenti ſexdecim, paralytici decem, hydropici octo, nervis attracti octo; fiſtulâ, rheumate, aliiſque malis affecti viginti tres, ſancti Viri precibus integræ ſanitati reſtituti. Poſt hæc ſubjungitur examen miraculorum hoc poſteriori tempore editorum. Primùm expenduntur patrata in ipſa civitate Politii, cujus eſt patronus; deinde ea, quæ in civitate Caſtelli Veterani; tertiò quæ in oppido Calata-Vulturii; quartò, quæ ſecundò in ſupradicta civitate Politii Deus per interceſſionem hujus ſui Famuli operari dignatus eſt. Sequitur demum Officium proprium ejuſdem Gandulphi, quod in ejus feſtivitate recitabatur in eccleſia cathedrali (*lege* in parochiali & *primaria oppidi Politienſis*) & commemoratio, quâ memoriam ejus notis muſicis quotidie celebrare ſolebant &c. Hactenus Waddingus, ex cujus relatione facilè colliget lector, in illo libro multa eſſe ad gloriam B. Gandolphi ſpectantia, quæ in ordinem reducam, & omnia huc transferam.

Waddingus, illius ſummam exhibens.

F

6 De auctore Dialogi, ex quo geſta in vita habentur, jam ſuprà egi. Poſt Dialogum verò ſequun-

A *Ex illa Collectione multa de Beato danda.*

quuntur Miracula ante corporis elevationem facta, quæ verisimiliter eodem tempore, & fortè etiam ab eodem Jacobo episcopo Cephalæditano conscripta sunt. Hoc tamen ultimum non est certum; quia de Dialogo quidem per Jacobum scripto satis certa reperimus testimonia, non item de Miraculis sine forma dialogi exaratis. Post dicta Miracula sequitur pag. 70 Corporis inventio & translatio, *quæ non videtur conscripta ab episcopo; sed à presbytero quodam Politiensi. Nam continet aliqua, quæ facta sunt, postquam episcopus Politio discesserat. Demum pag.* 73 *subduntur plurima Miracula post corporis elevationem patrata. Hæc auctorem habent presbyterum Politiensem, ut liquet ex relatis ibi pag.* 77, *apud nos infrà num.* 45, *ubi fit mentio de* Sacerdote, per episcopum ad scribenda Sancti miracula deputato. *Idem fuerit presbyter, qui elevationis Historiam conscripserit, ut certè verisimillimum est. Porrò omnia illa, quia Vitam integram constituunt, consequenter annotatis illustrata dabo. Deinde verò ex variis notariorum Actis, partim Latinis, partim Italicis, breviter colligam spectantia ad cultum Beati, uti & miracula nonnulla posterioribus seculis facta, ut studiosus lector habeat conjuncta, quæ ibidem latè dispersa sunt.*

B

§ II. Quædam in Actis omissa supplentur & examinantur.

Beatus Binasci in ducatu Mediolanensi natus

PAtria B. Gandolphi *in Vita nullibi exprimitur. At scriptores Franciscani aliique, qui de Beato agunt, passim affirmant, Binasci in ducatu Mediolanensi natum esse. Hinc ab illis vocatur* Gandolphus de Binasco. *Attamen Petrus Rodulphius Tossinianensis in Historia Seraphicæ Religionis lib.* 1 *pag.* 103 *patriam* Beati *tam ambiguè exprimit, ut magis videatur insinuare, Mediolani natum fuisse, & cognomento familiæ dictum esse* de Binasco, *aut, ut ipse scribit,* de Benasco. *Nam supra effigiem Beati hæc posuit verba:* Vera B. Gandulphi Mediolanensis effigies. *Elogium verò orditur hoc modo:* Beatus Gandulphus de Benasco Mediolanensis *&c. Eumdem*

C *loquendi modum servavit Waddingus ad annum* 1260 *num.* 42, *ubi de Beato sic incipit narrare:* Obiit hoc anno beatus Gandulphus de Benasco Mediolanensis *&c. Sic quidem illi loquuntur: suspicor tamen, non dici ab ipsis Mediolanensem, quia in urbe natum crediderunt; sed quia natus est in territorio aut ditione Mediolanensi. Certè Arturus à Monasterio in Martyrologio & Fremantus in Legendis Belgicis Franciscanorum, etsi Waddingum passim sequi soleant, Binasco natales* B. Gandolphi *attribuunt. Siculi verò omnes, quos de* Gandolpho *consului, in Binascum consentiunt. Pro omnibus adduco Cajetanum, qui* B. Gandolphi *Vitam orditur in hunc modum:* Gandolphus in opido Binasco, quod in Gallia Cisalpina haud longè Mediolano distat, ortus est; incertum, quo anno; sed in ea tempora incidit, quibus Ecclesiæ Dei columen, sanctissimus Franciscus, Ordinem suum cælestibus instituit præceptis. *Consentit Processus impressus de patria Binasco. Nam pag.* 12 *inscriptio tabulæ pictæ in Beati sacello habet, Binasci natum esse: & rursum pag.* 30 *dicitur ea de re constare famâ publicâ & antiqua traditione.*

laudatur brevi elogio

8 *Laudatus mox Tossinianensis* B. Gandolphum *tali laudat elogio:* Beatus Gandulphus de Benasco Mediolanensis, suo tempore concionator devotus, cujus vita semper probata fuit, & mores inculpati, vir magnæ abstinentiæ & assiduæ contemplationis, cui panis & aqua plerumque cibum potumque præbebant. Rudibus vestibus carnem suam edomabat. Otium fugiebat malorum omnium seminarium: in bona opera perpetuò erat intentus, ut malignus spiritus, hostis humani generis perpetuus, eum semper occupatum inveniret. Castitatis fuit perquam studiosus, obedientiæ sanctæ constanter & integrè addictus. Paupertate & humilitate facilè omnes superabat. Doctrinam ecclesiasticam moribus ornatissimis illustrabat. Divinâ quoque perfusus sapientiâ intrinsecus, semper cælestibus fruebatur delectationibus. Porrò B. Gandulphus in hoc præcipuus, ut incenderet corda & commoveret animos ad crucem Christi bajulandam: qui cùm anno MCCLX concionaretur in oppido Policii provinciæ Siciliæ, obiit in die Sabbati sancti, in hospitali S. Nicolai, sepultusque in cathedrali ecclesia, quia tunc temporis non aderat ibi locus Fratrum, qui postea fuit constructus, concepta jam devo- E tione in B. Gandulphum, vel ab universitate, vel, ut aliis placet, à regina Blanca, sub titulo S. Francisci.

Creditur obiisse anno 1260, *quod certum non est.*

9 *Accuratam Vitæ* B. Gandolphi *chronotaxim dare non possumus, cùm illam neglexerit primus biographus, ne mortualem quidem assignans annum. Hac de causa dubito, an planè certo nitatur fundamento assertio Franciscanorum & Siculorum, communi consensu dicentium, Beatum obiisse anno* 1260: *neque enim ullum potui reperire argumentum, quo omnem eximerem dubitationem, & nonnulli testes in Processu dissentiunt, pauci tamen. Attamen, cùm nihil præterea in contrarium reperiam, communi ferè opinioni libenter acquiesco. Ex illo autem obitûs anno colligitur, natum fuisse Beatum sub finem seculi* XII, *aut seculo* XIII *non multis annis provecto. Etenim biographus num.* 3 *innuit,* Gandolphum *ad Ordinem S. Francisci venisse, dum hic Sanctus fundator in vivis erat. Certè illis verbis,* Audiens... S. Francisci vitam cælibem, *tamquam de vivente S. Francisco loquitur. Cùm autem hic obierit anno* 1226, & Gandolphus *non dicatur puer fuisse aut adolescentulus, quando Ordinem ingressus est, verisimile fit, non diu post annum* 1200 F *mundo datum esse. Aliunde etiam verisimile est, non diu admodùm ante dictum annum natales* B. Gandolphi *figendos. De senectute enim ipsius in Vita non fit mentio, ut ætatis quidem fortasse fuerit provectæ, & sexagenarius aut sexagenario major, non tamen septuagenarius aut octogenarius. Verùm hæc solùm ut verisimilia, non ut planè certa, prosequor. Porrò dissentiunt scriptores de loco, ubi Ordinem S. Francisci amplexus est Beatus. Waddingus cum aliis scribit:* Sancti Francisci institutum amplexus est in Sicilia. *Cajetanus verò cum aliis etiam:* Ejus (*S. Francisci*) militiæ instinctu Dei Gandolphus in Italia nomen dedit. Exinde in Siciliam juvandæ rei Christianæ missus, Panormi aliquamdiu commoratus est. *Alterutrum certè verum est, sed utrumque ambiguum.*

* * *
* *
*

VITA

A. JACOBO EPISC.

VITA

Auctore Jacobo episcopo

Ex editione Politienſi anni 1632

CAPUT I.

Beati virtutes generatim: vita religioſa in Ordine Minorum: propoſitum vitæ ſolitariæ: prædicationes, prædictiones, miracula, & pius obitus.

B

Virtutes Beati generatim perſtrictæ, *a*

SAnctorum *a* nos ad exemplum nil efficaciùs provocat, quàm ſi vitam ipſorum & actus, ſecundum hujus nominis Sancti interpretationem, noſcamus. Illum profectò ſanctum aſſerimus, qui, ſaltem voto, ſanguine proprio tingitur, in melius firmat propoſitum, & terrenis minimè actibus eſt affectus. Beatus itaque pater noſter Gandolphus ſic carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit, ut trabea carne *b* conſumpta, oſſa ejus, quaſi adhærentia pelli, intuentibus vultum ſqualidum demonſtrarent, ſic etiam nimia macie deſpectibilis videretur, ut vitali tantummodo in ejus corpuſculum ſpiritu, palpitante corpore, migraret; mentem ejus ſic ipſe Sanctus firmo propoſito virtutibus ſtabilivit, ut de arcta tunc Minorum Regula deſerti ſolitudinem arctiorem, contemplationi amicam peroptaret, & ut antra ſaxea locum in ſolatium, liberiùs Chriſto ſerviturus, peteret, terrenis erat corde & corpore jam exutus. Talis namque ejus vita præceſſerat, ut, ſi miraculis caruiſſet, impoſſibile utique videretur: & talia ſecuta fuerunt miracula ingentia. Quod ſi utrumque ſermone dialogico clariùs referam, vitam ejus & actus imitabuntur ſuaviùs, qui ejuſdem exempla toto corde ſequi & opere concupiſcunt..... *c*.

b

C

c

2 Gandolphus namque candor lilii fuſus *d* interpretatur: ſunt enim aliquæ proprietates in lilio, quæ ſancti Patris actibus coaptantur, candor videlicet, odor, fulgor, & croceus color, reflexio terræ, adhæſio humoris, attractio, diſtributio, & inopinabilis emptio. Beatus igitur Gandolphus ſic corporis puritate canduit, ut de illo dicatur: Candor *e* eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Sic odore innocentiæ per exempla bonæ vitæ flagravit, ut ſibi * dicatur à Domino: Ecce odor Filii noſtri, ſicut odor agri pleni, quem Dominus benedixit. Sic in cæleſti ſapientia per evitationem peccati fulſit in ſeculo, ut de illo decantet populus: Præ fulgore in conſpectu ejus nubes, id eſt, peccata, tranſierunt, grando, & carbones ignis, id eſt, pœnæ peccati. Sic per charitatem ultrà, quàm credi poteſt, colore croceo rubuit, ut ſibi dicat Dominus: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sic etiam per humilitatis virtutem reflexit in abdicatione ſæculi, ut verè ipſum alloquatur Dominus: Super quem reſpiciam, niſi ſuper humilem & quietum? Sic per perſeverantiam boni propoſiti Deo hæſit, ut ſic dicat Dominus: Cœnabo cum ipſo, & ipſe mecum. Sic de virtute in virtutem abundantiùs crevit, ut dicat ipſe Domino: Creſcere me fecit Dominus in terram paupertatis. Sic divini humoris gratiam proximis diſtribuit in miraculis, ut de eo dicat Dominus: Domus Dei extruitur, & creſcit in manibus ejus. Sic per adoptionem gloriæ de mundo in cælum erupit, ut dicat tibi Dominus: Conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Ejus itaque nomen & rei conſequens fuit, ut ipſius finis probat eventus, & præclara ejus opera, qualia futura erant, indicant manifeſtè ejus finem & miracula. Reverendus *f* pater & dominus dominus Jacobus venerabilis Cephaludenſis epiſcopus, ſcripſit anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo, Indictione 3, tempore tranſlationis ejuſdem.

& eum qualitatibus lilii collatæ. *d*

e

* *id eſt*, ei

D

f

3 Gandolphus ſervus & amicus Omnipotentis, doctrinæ Chriſti non oblivioſus factus, ſed factor operis, mundi hujus anfractus & vana oblectamenta, quibus præſens ſolet ætas frequentiùs implicari, proſpiciens, pedemque à talium ſemitis retrahens, per hujus abrupta ſæculi immaculato cupit calle tranſire. Adeo ſibi diſplicebat, quidquid agebatur in ſæculo, ut inquinamenta peccati ſibi non deeſſe putaret, ſi conſilia Chriſti, velut præcepta, ipſum ad frugem vitæ melioris non adſtringerent. Et tandem, ſuis renuntiatis & propriis *g*, ſub jugo ſanctæ obedientiæ loco Domini ſe homini mancipavit, in cujus manibus & voluntatem propriam abdicaret. Audiens autem Vir beatus ſancti Franciſci vitam cælibem, & ejus Regulam Euangelicam, verbo luculentam & opere, nominari, ſancti Spiritus ductus conſilio, ſub ejus elegit vita & habitu Domino deſervire: ſub cujus diligenti obſervantia Regulæ ſic innocenter alitur, ut Ada, veteri homine, continuò ſpoliatus, Chriſtum indutus, in virum brevi tempore quaſi alterum videretur mutatus. E. patris *h* jam ſacer æmulus, taliter in ea per tempora virtutis actibus perſeveranter ſe egit, ut jam nominis ejus fama celebri Sanctus ex fructibus acclametur *i*....

Ingreditur Beatus Ordinem S. Franciſci, in quo E

g

h

i

4 Beatus itaque Gandolphus Spiritum ſanctum ex ſuis virtuoſis actibus in ſe habentem * præſenſit, cùm futura minabatur prædicendo pericula, intra conſcientiam corrigendo enormia, ad virtutum hortando regimina, correctis conſilia dando ſalubria, devotos confirmando in gratiam, & pro omnibus orando gloriam. Sic enim & ipſi Apoſtoli, priùs ſanctum recipientes Spiritum, poſtea prædicabant. Temporalia namque bona ſic ipſe abdicavit ex intimis, ut ſic egreſſus de ſæculo, ut ingreſſus dives paupertatis præſidio, ſolis cæleſtibus gloriaretur. Fidei etiam unitatem ſic obſervare ſollicitè ſtuduit in vinculo charitatis, ut nunquam ſe à Dei & proximi ſocietate aliquâ culpâ disjungeret, uni corde ſibi *k* & animo Deo junctus. Tantam enim * in Chriſto delectationem prætendit, ut in obitu ſuo, quod in vita delectabiliter geſſit, oſtenderit; cùm non niſi in cruce Domini, quam nudam * nudus ſecutus eſt; & Chriſti Matris ſalutatione angelica, eam reiterando ſæpiùs, gloriaretur, ſingulis dicendo ſingultibus, Ave. Et eæ erant delectationes ejus uſque in finem, ut Spiritum ſanctum ſe induerit habitantem, quem nunquam per culpam repulit; nunquam locum dedit aliqua occaſione diabolo:

multis virtutibus clareſcit, * *fortè* habitantem

k

* *fortè* etiam

* *fortè* quem nudum

nun-

A nunquam fomento consentiens secum, dum per inhabitantem Spiritum sanctum potiùs hostem calcavit fortiter, satellitem & superbum.

5 Et, quia nequit abscondi civitas super montem posita, & ardens lucerna, quin luceat; quatuor famam sanctitatis ejus præcipuè in Minorum Ordine extollebant, ciborum cruditas, vestium asperitas, vigiliarum pernoctatio, & disciplinarum castigatio. Ipse enim Vir vitæ venerabilis secundâ & quartâ & sextâ feriâ, & tribus
l antiquorum Fratrum quadragesimis *l*, in annos singulos consuetis, semel in die tantùm modico pane sustentabatur & aquâ: una tantùm vili tunica tectus præter cilicium, quod nuda gestabat in carne. Totam quasi noctem ducebat insomnem amicæ contemplationis dulcedine. Sic etiam mente levabatur in Dominum, ut non nisi præ lassitudine quandoque corporis, fatigatus etiam sine intermissione orando, somno raperetur fortiter. His verò & aliis castigatus quotidie disciplinis, de suæ sanctitatis fama, quod sibi displicebat quamplurimum, Fratres loci audiens quandoque conferentes, honestam fugæ materiam, sibi non modicùm necessariam, invenire, si eam sibi Do-
B minus revelaret, intra se cogitare cœpit. Audiens
m autem in Petraliæ *m* alpibus montes esse asperrimos, omnis copiâ penuriæ abundantes, negantes ascendere volentibus iter, hominum sejunctus solatio, in quibus solitaria loca sunt contemplationi amica, vitam sibi cupit solitariam ducere, ut in antro saxeo, sibi providendo à Domino in solatium, vacare liberiùs Dei possit servitio, locum-
n que, non mentem, mutare disponit *n*....?

6 Prodest enim, fili, pro salute animæ interdum loci mutatio, dummodo mutetur affectus. Naturæ hominis est etenim, ut sibi stare negetur, eò quòd nunquam juxta verbum propheticum in eodem statu permanet, in quo si non proficit, deficit. Vir itaque Dei famulus mandatorum in sæculo complementum perfecerat: sed viam consiliorum in Regula ei * circumaggredi concupivit, ne in mandatis fortè aliquando negligenter * existat, quòd, qui minima, ut ait Apostolus, negligit, paulatim deficit. Sed tandem, ut magis à corporis contradictionibus omnino quiesceret, & ut de virtute in virtutem proficiens, Deum videat deorum in Sion, ad ultimum perfectionis gradum volens pertingere, seipsum juxta veritatis vocem abnegans, crucem proprii corporis per
C viam asperiorem accipit, ut sequatur liberè Chri-
o stum ejus *o*.... Vir autem vitæ venerabilis, quamvis perseverare perfectè se fortè in Regula existimaret, impulsum tamen timet inanis gloriæ, quæ mundi contagio & hominum consortio in multis fuit casus facilis ad ruinam. Non enim posset quis rectè toto corde habitare cum Domino, qui multorum accessibus frequentatur: nec sine causa, Elongavi ecce fugiens, per Prophetam dicitur, & in solitudine mansi, in qua sedebit solitarius & tacebit, ad altum contemplationis conscendens, ut levet se super se: & ideo, Fuge, B. Machario dictum est, homines, & salvaberis.

7 Licentiâ tandem sui superioris impetratâ & habitâ, quemdam de Fratribus, Paschalem nomine, qui ejusdem Patris in omnibus sequebatur monita, secum sumens, ad tam pium propositum, sibi divinitus inspiratum, de loco Fratrum Panormo perrexit, Christi nomine invocato. Et cùm allectus Servus Dei contemplationis quiete ac dulcedine, gradu concito ad præparata sibi à Deo loca solitaria properaret, corporis lassitudi-

& magna vitæ austeritate.

Deinde solitariam agere vitam cupiens,

* *fortè* etiam

* negligens

impetratâ licentiâ, cum in finem transit Politium.

ne fatigatus, Domino dirigente, pervenit Politium. Est autem Politium in Siciliæ partibus locus imminens *, frigoribus asper, rebus frugifer, populo habitatus insigni, à Petraliæ montium alpibus milliario sexto. Erat autem in eadem terra religiosa quædem fœmina, Pisana nomine, pauperum hospita, quæ Dei Famulum domum suam recipiens, omnem sibi humanitatem exhibuit *p*...

8 Cernens itaque Politii populus sancti Viri verborum eloquentiam, ejus facundam facundiam, vitam admirabilem, & efficacem in moribus disciplinam, ut pro eorum ædificatione totâ ibi Quadragesimâ populo prædicet verbum Dei, & * omnium communiter precibus invitat. Quos, ne tam ipsius impediant propositum, columbina simplicitate precatur. Sed eorum tandem divinitus instantiâ, suam utilitati communi non præferens, spiritu humilitatis assensit *q*... Participavit itaque Vir beatissimus bonitatem divinam ex providentia, & ei * idcirco cura sibi de eo fuit: & ejus voluntatis motum cognoscens, ex causa pium ejus propositum impedivit. Præviderat enim Dominus, ut de tanto corporis ejus thesauro Politii terram ditaret munificè, ut in hoc loco insignior ab omnibus & celebrior haberetur.

9 Sed cùm Servus Dei in Quadragesima verbo prædicationis insisteret, contigit socium ejus, Paschalem nomine, in infirmitate decumbere. Cúmque sic gravatus de vita desperaret, & morti jam proximus, diebus quinque persistens in transitu prædicto, locutionis officio nimiùm angustiari cœpit, & defixo intuitu sic totis oculis Dei Famulum respiciebat quandoque, quasi ejus compassionem saltem peteret, ut velut parturientis dolore detractus, nimiùm torqueretur. Sed cùm morientis spiritus esset penè à corpore absolutus, ipse frater nec mori poterat, nec ad vitam nisi miraculosè reduci; nimirum * in modum beatus pater Gandolphus suo compatens * socio, jam lacrimis orationi procumbens, & quod hæc * esset de Fratre jam quasi mortuo, precibus à Domino impetravit. Et tandem ab oratione surgens, continuò socium sic alloquitur: Adjuro te (inquiens) Frater, per Dominum Jesum Christum, uti, si peccatum aliquod, cujus nondum pœnitentiam egeris, seu cujus miseriâ antiquus hostis te sic miserabiliter corpore cruciat *r*; aut, ne in æternum pereas, misericorditer te, ut pœniteat, Dominus expectat, mihi tanquam presbytero statim pandas: & ut sic de tanta liberatus angustia, unà mecum simul per * te Domini, ut tibi ipse indulgeat, misericordiam imploremus. Ad cujus vocem Frater continuò reviviscens, Gratias Deo, & tibi refero, (inquit) Pater, quòd me de pœnis inferni *s*, & de corporis angustiis, tuis gloriosis precibus Dominus liberavit. Incuriâ, Pater, seu negligentiâ peccata quædam confiteri omiseram, quibus me diabolus fatigabat. Quorum confessione facta, & Patris sacerdotis beati absolutione obtenta, factâque reverentiâ Sancto, inclinato capite dictus Frater migravit ad Dominum *t*.... Hic autem... ad vitam jam prædestinatus erat æternam;.... sed præviderat Dominus, beatum Gandolphum pro eo rogare debere,.... ne in peccatis decederet,... ut orationibus beati Patris in ejus resuscitatione majus miraculum appareret....

10 Obeunte autem diem ejus socio, alius Frater de sui mandato superioris, Rogerius nomine, beato Viro adjungitur. Erat enim adjunctus socius vagis oculis in aspiciendis mulieribus, verbis vanis ac lubricis, in aliis etiam quamplurimum dis-

A. JACOBO EPISC.

* eminens, *opinor*

p

ubi precibus populi detinetur ad concionandum;

* *fortè* cum

q

* ei *redundat*

E

socio moribundo loquelam ad confitendum restituit;

* *fortè* mirum

* compatiens

* quid hoc

r

F

* pro

s

t

alteri prædicit mortem infelicem.

A JACOBO EPISC. dissolutus, qui, cùm, à talibus ut abstineret, per beatum Virum sæpe commonitus, incorrigibilis penitus videretur, voce scilicet prophetica tam Viri vitæ venerabilis: Quiesce, prædixit, fili, & à talibus resipiscens, animum retrahe: alioquin post meum obitum vitam tuam malo fine concludes. Sed Viro Dei tandem corporis debitum persolvente, miser ille Frater, habitu Religionis depositio, & sæcularis Messanam adiens, ex perpetrato per eum maleficio, patibolo* est affixus *u*....

*patibulo

u

hirundines tempore concionis silere jubens, habet obsequentes.

11 Cùm autem beatus Gandolphus quartâ majoris hebdomadæ feriâ in majori ecclesia Politii populo prædicans, garritu hirundinum nequaquam audiri posset, maximus ex hoc populi tumultus increvit. Attendens itaque Vir vitæ venerabilis, quòd ex iis verbum Dei non fructificabat, ad nutum facto silentio, Ex parte Domini nostri Jesu Christi (inquit) vobis, aves, præcipio, quòd, donec verbum Dei annunciem, penitus sileatis. In tantum autem hirundines, quasi auscultare volentes, continuò siluerunt: quæ, donec, completo sermone, reverendus Sanctus eis mandavit, non cantârunt *w*.... Beatus itaque pater

w

B noster Gandolphus..... tribus temporibus insignia miracula, quatuor in vita, & post mortem viginti tria, & post translationem quasi infinita operatus est, ut de ipso rectè dicatur: In vita sua fecit monstra, in morte mirabilia ... Multos igitur Sanctos legimus, eò quòd justi erant, quibus animalia sævissima servierunt.... Et ideo, si tanto Patri paruerunt hirundines, non mireris.

Mortem prædictam piè obit.
*i. e. sui

12 Completo itaque tanto prædicationis ministerio, sui obitus præscius, Domino revelante, ejus* corporis dissolutionem sic populo propheticè nuntiavit: Scire volo vestræ honestatis præsentiam, me hîc non prædicaturum deinceps; quasi diceret: Me Dominus ad se vocat. Et confestim ad hospitium rediens, corporis cœpit infirmitate gravari. Et videns Christi Confessor, Dominum ad se eum vocare, tamquam athleta Domini fortis, armis cælestibus se protexit Et cùm tandem viribus corporis repentè se videret destitui, junctis manibus, ex cœpti laboris ne fraudaretur effectu, humiliter Domino supplicavit, ut, si vivere plus in sæculo sibi prorsus negaretur, nihilominus passionis Christi lamenta flendi Dominus præstare spatium dignaretur: &

C statim Crucem Domini, quam semper in mente gesserat, sibi præsentari mandavit. Quam ulnis amplexus strictissimè, sic compassivis suspiriis & gemitibus super eam amicissimi Christi passionem plorabat, acsi corporaliter Christum tunc sibi cerneret crucifixum. Sic etiam impressis in ea labiis osculando, Ave, pluries iterando &, Ave, inenarrabili gemitu, corde, voce, & ore lamentabiliter gemit: qui super eam flens & dolens, ma-

x gno die Sabbati post Parasceven *x* feliciter obdormivit in Domino, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Dominus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vita, ut impressa est, hunc præfert titulum:* Legenda B. Gandolphi, à reverendissimo Jacobo Narnia, episcopo Cephaludensi, scripta anno Domini MCCCXX, Indict. 3. *Prima pars, quæ ad obitum usque pertingit, & in novem lectiones dividitur, dialogus est inter Jacobum & Thomam. Verùm omnia, quæ Thomæ nomine dicuntur, ad Beatum non spectant. Hac de causa omitto* D *omnia Thomæ attributa cum iis, quæ Jacobus protulit ad solvendas Thomæ objectiunculas. At nihil omissum est, quod pertinet ad Beatum. Omnia verò connexa sunt eo, quo scripta sunt ordine.*

b *Pro* carne *forsan auctor scripserit* carnis. *Certè dictio sic est magis concinna, & suspicor aliquot menda typothetarum in Vitam irrepsisse. At menda, aut suspicionem de mendis, tantùm breviter notabo in margine.*

c *Hactenus Jacobus generatim sancti Viri decora perstrinxit quasi in præfatione. Tum interloquitur Thomas, & quærit de impositione nominum, quod omittitur cum initio responsi.*

d *Nec etymologiam, nec qualitates lilii examino, quia ad Beati gloriam non spectat, rectène an secùs sint expositæ.*

e *Locus hic audaciùs adaptatus est Beato, cùm Sapient. 7 ℣ 26 dicatur de increata Sapientia. Alia etiam quædam sequuntur ex sacris Litteris allata, ex quibus nonnulla ibidem de Deo dicta, & in alio sensu Beato accommodata. Hæc studiosus lector facilè inveniet, modò attendat voces in aliquibus modicè mutatas esse.* E

f *Dubitari potest, an Jacobus ipse illam observationem scripserit. Nam annotatio esse potest alterius, quæ loco non suo in Dialogum irrepserit.*

g *Clariùs idem dixisset auctor hoc modo:* Consanguineis relictis & rebus propriis.

h *Nimirum S. Francisci.*

i *Hic interloquitur Thomas, quærens, quomodo viri sancti cognoscere possint, adesse sibi Spiritum sanctum. Tum ad illa respondet Jacobus, & ad Beatum redit.*

k Sibi, *opinor, hîc, ut aliàs frequenter, positum pro* illi, *id est, proximo, ut sensus sit, Beatum uno corde animoque proximo & Deo conjunctum fuisse.*

l *Tres illæ Quadragesimæ in Regula S. Francisci, apud Prosperum Stellartium edita, cap. 3 sic exprimuntur:* Et jejunent à festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti: sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis F autem temporibus non teneantur nisi sextâ feriâ jejunare. *Ex his liquet, Beatum non modò rigidiùs jejunâsse, quàm Regula præscribebat, solo nimirum pane & aquâ contentum; sed etiam multò frequentiùs. Nam quadraginta diebus post Epiphaniam, quibus jejunium non erat præceptum, sed commendatum volentibus, ipse jejunabat, & pro feria sexta singulis hebdomadis tres suo jejunio deputaverat ferias. Ceterùm tres illæ Franciscanorum Quadragesimæ non sunt justè quadraginta dierum: nam prima, à festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, semper longior est quadraginta diebus: secunda verò aliquando brevior, nimirum quando inter Epiphaniam & Quadragesimam, toti Ecclesiæ communem, non intercurrunt dies toti quadraginta, ut subinde contingit.*

m Petralia, *aut* Petralia superior, *oppidum est Siciliæ in monte positum. Alpes hîc sumuntur, opinor, pro excelsis montibus. Cajetanus in Vita* Petraliam *vocat* Petram, *dicitque Panormo id oppidum distare* L *passuum millibus hæc adjungens:* Id in edito montis vertice situm, ru-

pes

A pes circum arduas habet, præruptosque montes asperosque, & rerum copiâ destitutos.

n *Objectio interlocutoris de mutatione loci hîc omittitur.*

o *Omissa hic exempla quorumdam, qui locum mutârunt.*

p *Hic interlocutor aiebat, non videri necessariam fuisse Beato superioris licentiam: quod rectè mox refutatur.*

q *Disputatio de Dei providentia, cui subsunt omnia, hîc resecta est.*

r *Phrasis nonnihil perturbata videtur. Nam hîc rectiùs subjiceretur:* Mihi tamquam presbytero statim pandas. *Verùm difficulter tota dictio in ordinem redigi potest sine mutatione aliquot vocum. Waddingus ad annum* 1260 *num.* 148 *verba* B. Gandolphi *sic exprimit.* Adjuro te per Jesum Christum, ut, si reatum aliquem habeas, nondum per pœnitentiam deletum, propter quem antiquus hostis ita te miserabiliter cruciat, mihi tamquam sacerdoti reveles, ut Dominus, (qui ne pereas in æternum, indulgentissimè te expectat, & per angustias has monet) tui misereatur.

B s *Hæc verba nolim nimis crudè lector accipiat, uti neque illa, quæ de omissione quorumdam peccatorum statim sequuntur, acsi satis constaret, Fratrem illum fuisse eo tempore damnationi proximum ob delicta mortifera, in confessione negligenter omissa. Etenim, si rerum adjuncta perpendamus, vix poterimus dubitare, quin* B. Gandolphus *solus fuerit cum Fratre, quando ipsum allocutus est de confessione facienda. Unde ergo innotescere potuit tale Fratris illius responsum? Certè* B. Gandolphus *istud non vulgâsset. Præterea, si omnino certum esset, moribundum talia protulisse verba; quis certò definiret, graves revera fuisse culpas, quæ Fratrem angebant, & non potiùs leviores defectus, quos dæmonis tentatio exaggerabat, ut virum in desperationem induceret? Quidquid fuerit, pro certo id habeo, moribundum à Beato ad quietem reductum, loquelâque receptâ, iterâsse confessionem, & demum placidè obiisse.*

t *Varia ibi satis prolixè disputata sunt de prædestinatione, quæ necessaria non sunt, ideoque pleraque omissa.*

u *Hic interlocutor objicit, illicitas esse divinationes, & ad illam objectionem respondetur.*

C w *Quæ hic omissa, spectant ad imperium hominum in feras, quæ Sanctis quibusdam paruerunt; & mox alia quædam resecta de gratia miraculorum.*

x *Si Beatus, ut plerique deinde scripserunt, obiit anno* 1260, *Cajetanus rectè mortem ipsius fixit die* 3 *Aprilis: Pascha enim anno* 1260 *incidit in* 4 *Aprilis.*

CAPUT II.

Auctore incerto, sed contemporaneo.

Sepultura Beati: miracula ante corporis elevationem facta.

a POst *a* cujus obitum tantus de ore ejus & corpore odor suavissimus exhalabat, ut ejusdem obitûs quindecim diebus pòst locus, in quo mi-

A. INCERTO. *Locus, in quo Beatus obiit, diu suavem spirat odorem:* b

gravit ad Dominum, miro modo spiraret odorem. Clerus verò, & populus occurrentes cum reverentia magna, quâ decuit, ad majorem ecclesiam ejusdem terræ *b* Politii (ut ipse se sepeliendum, mandaverat) sanctum corpus honorificè portaverunt, & in electo loco per eum, dum viveret, quamvis despecto, cum reverentia posuerunt.

14 Philippus de Larratana, habitator Politii, ab ejus nativitate duas linguas in ore habens, annos ferè viginti locutione privatus *. Audiens autem, ad sepulchrum beati Gandolphi cereos accensos sine studio humano visos esse, & multa miracula Dominum per eum dignatum ostendere, cum fide & devotione veniens ad sepulchrum ejus, & prostratus, pro sua sanitate cum lacrymis Dominum devotè rogavit. Cumque, præ tristitia locutionis amissæ somno pressus, ibi modicùm obdormiret; tandem surgens, cœpit alta voce nomen Domini invocare, & sic Deum in beato Gandolpho laudans, rectam locutionem recepit. *Ad ejus sepulcrum mutus loquelam obtinet:* * *adde* erat

15 Margarita de Mado à Politio *c*, cùm filios optaret habere, beatum Gandolphum rogans *, ut sibi à Domino impetraret. Nocte verò sequenti Vir sanctus, sibi apparens, Quod tibi postulas, (ait) à Domino impetravi. Ecce dabitur tibi filius, sicut petis. Concepit igitur fœmina: & cùm suo tempore pareret, periclitabatur in partu: & morti propinqua *, conquereretur de Sancto; iterum sibi apparens, inquit, Confide filia, quia jam Dominus te adjuvabit. Et interrogante muliere, quis esset; se Gandolphum Dei famulum nominavit. Quod & factum *d* est. *mulier filium & partum felicem impetrat,* c * rogavit * *adde* cùm d

16 Jacobus de Flore, à Politio, casu mirabili auditum perdiderat, nec poterat per sex annos aliquod remedium invenire: sed audiens famam sanctitatis Viri Dei, ad sepulchrum ejusdem veniens, aurem, de qua non audiebat, terræ apposuit; & tres stillæ inde sanguinis emanârunt, statimque ibi, nondum recedens, recuperavit auditum. *surdus auditum:*

17 Scarlata, quædam mulier à Politio, ulcere pessimo, in naso sibi extorto *, de consilio medicorum ipsum oportebat incisione curari; alioquin tota ejus facies rodebatur. Quæ ad sepulchrum beati Gandolphi veniens, ibi prostrata obdormivit. Et ecce quidam in habitu religioso sibi apparens, faciem ejus pallio, quo erat indutus, confricavit. Et cùm mulier interrogaret, quis esset; dixit, se vocari Gandolphum. Quæ surgens de tumulo Viri sancti, continuò se sanam invenit. *mulier liberatur ulcere periculoso,* * exorto, *opinor* F

18 Andreas de Fersio, à Politio, cùm longo tempore febribus continuis æstuans, nullum à Sanctis potuisset invenire auxilium, præ ira conditionaliter votum vovit, quòd si suis miraculis beatus Gandolphus eum sanaret, ad ejus honorem Missam faceret celebrari, alioquin de cætero eum non adoraret *e* pro Sancto. Qui dum in fervore febris esset, dicti sui pœnitens, cum devotione & lacrymis, beato Gandolpho se commendans, continuò est curatus. *vir febribus,* e

19 Alexandrina de Ferraria, habitatrix Petraliæ superioris *f*, annos quindecim sanguinis profluvio fatigata, ope medicorum cùm sanari non posset, ad sepulchrum beati Gandolphi accedens, & centies orationem Dominicam dicens, perfectè se sanam invenit. *mulier sanguinis profluvio,* f

20 Petrus de Longo, à Politio, nervorum attractione & reumatibus per decennium in lecto ja- *vir decennali infirmitate,*

A. INCERTO. jacuit, nec modo aliquo remedium poterat invenire, & tandem auxilium B. Gandolphi petit. Qui ſibi de nocte apparuit, &, eo interrogante, quis eſſet, Gandolphus ſervus Dei, ait, ſum. Qui cùm ſurgere vellet, ut adoraret eum, & requieſceret; beatus Gandolphus eum manu erexit ſanum. Et de mane ad ſepulchrum ejus veniens, Dominum in Sancto ſuo glorificavit.

mulier cæcitate, 21 Flaminga, mulier à Politio, cùm quodam die Sabbati poſt Nonam quoddam opus lanificii texeret, oculis ejus in albedinem verſis, lucem ſtatim perdidit oculorum. Nocte verò ſequenti, cùm nimio dolore dormire non poſſet; rapta tamen à ſomno, præ triſtitia obdormivit. Et ecce quidam in habitu religioſo ſibi apparuit, interrogans eam, ſi ipſum cognoſceret. Sed cùm illa eum non cognoſcere diceret; Vade (inquit beatus Gandolphus) ad eccleſiam B. Virginis; & votum vove, ſervitia tali hora ne facias; & illuminaberis. Expergefacta itaque mulier à ſomno, cum ſpe & fiducia ad eccleſiam, facto mane, acceſſit; & ſuper ſepulchrum ejus manuducta procumbens, ibidem cum lacrymis diutiùs orans, lumen oculorum recepit.

B *vir herniâ,* 22 Rogerius Capitaneus à Politio, cùm rupturam pateretur inteſtinorum, & præ onere ad ambulandum factus eſſet inhabilis, orationi ſe dans & lacrymis, ſuper ſepulchrum Viri ſancti prolixiùs oravit; & vomitu ſuperveniente, ex ore ejus ſanies cùm ſanguine multo extitit *: & ſtatim reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati.

* *fortè* exivit

puer diſſenteriâ, 23 Peregrina, mulier à Politio, filium ſuum (ut aſſeruit eum cuſtodiens) infirmitatem diſſenteriæ patientem habuit, ita ut per inferiores partes apertas jam emitteret inteſtina. Ad ſepulchrum tandem beati Viri puerum portavit; & cum lacrymis ipſum Deo & beato Gandolpho devotè commendans, profluxus ſanguinis miraculosè ceſſavit: & puerum perfectè ſanum invenit.

vir herniâ, 24 Riccardus de Raila, à Politio, cùm rupturam inteſtinorum graviter adeo pateretur, ut etiam reſpirare nequiret, accedens cum devotione ad ſepulchrum Sancti, & ibi pernoctans, de mane ſe ſanum reperit.

mulier partûs periculo, C 25 Philippa de Capitaneo, à Politio, cùm quinque diebus periclitaretur in partu; & proquinqua jam morti, deſperaret ſuam vitam, ſubitò partus, viſcerum rupturam faciens plicatus, per poſteriora volebat exire de ventre. At recordata beati Viri, altis vocibus cum lacrymis ſuſpirando, nomen ejus invocavit devotè: & ſubitò partus ſe vertens, ut debuit, naſcitur, & mulier tali periculo liberatur.

alia cancro, 26 Lombarda de Trupella, à Politio, fiſtulam ſeu cancrum in mamillis habens, ipſarum amputationem expectabat in proximo. Sed memor B. Gandolphi, votum vovens, venit ad ſepulchrum ejus: & ibi orans * cum lacrymis, ſic mamillæ illi mulieri reſtitutæ ſunt integræ, ut infirmitatis nullum potuiſſet veſtigium invenire.

* cùm ibi oraret

alia ſanguinis fluxu, 27 Saracena de Joanne de Roſa, à Politio, annis quindecim fatigata ſanguinis fluxu, accedens devotè ad ſepulchrum beati Gandolphi, ibi diu orans cum lacrymis, ſanitatem integram reportavit.

presbyter malo dentium, 28 Presbyter quidam, nomine Philippus, à Politio, infirmitatem gravem patiebatur in ore, ex qua infirmitate unus dens de ore ejus cecidit, & de aliis dentibus, qui in eo remanſerant, nulla integritatis remanſerat ſpes. Sed Bellaſai, mater ejus, vovens *, ut, ſi ſanaret beatus Gandolphus dictum presbyterum, Miſſam pro ejus honore faceret celebrare, & ſtatim, alium dentem in ore ejus invenit, priore dente in manu matris ejus remanente, & accedens dictus Presbyter ad ſepulchrum Beati Gandolphi, de' ore perfectè ſe ſanum invenit. D

* cùm voveret

mulier malo mamillarum, 29 Benvenuta de Birriola, à Politio, cùm quamdam inflaturam maximam in mamillis haberet, & nata fuerint in eis plura & nimia foramina, putredine defluente fœtida, vicinorum conſortium habere non poterat; ſuaſu tamen filii B. Gandolpho humiliter ſe devovit. Et ad ſepulchrum ejus accedens, centies ibi Pater noſter ad laudem Dei & B. Gandolphi, dixit, & exſurgens inde, perfectè ſe ſanam invenit.

vir dolore iliorum, 30 Tudiſcus Dente, à Politio, infirmitate yſiaca graviſſima torquebatur. Et cùm multis temporibus nullum poſſet remedium invenire, beatum Virum humiliter exoravit, ut eum à tali infirmitate dignaretur ſanare. Et accedens cum imagine ceræ & candelis ad ſepulchrum beati Confeſſoris, eum * devotione rogavit, ut medicinam ſalutiferam pro eo daret; alioquin mortem optatam ſæpiſſimè impetraret. Et ibi diu orans, ſubitò dolorem maximum viſcerum in corpore E ſentiens, torqueri cœpit graviſſimè. Confiſus miſericordiæ Dei, magis atque magis Domini Confeſſorem humiliter invocabat, & confeſtim, dolore ceſſante, ſanatus eſt.

* *fortè* cùm

mulier injuſta vexatione, 31 Bellaſai de Joanne, à Politio, per vim domo expulſa, nullum jus à judice poterat invenire. Sed accedens ad ſepulchrum beati Viri, humiliter ſimilia verba dixit: Beate Gandolphe, advocatum non habeo, judicem propitium habere nequeo, domum calumniosè perdo, fœmina miſerabilis ad te recurro, qui Judici æterno ſemper aſſiſtis, cauſam meam tibi per omnia commendo. Inde recedens, domum deſolata revertitur, & tamquam hoſpita in aliena domo recipitur. Nocte verò ſequenti judici Sanctus apparuit, Niſi deſolatæ fœminæ, dicens, juſtitiam facias, ſcias, te incurrere iram Dei, & in extremo judicio reddes ei coram Judice rationem. Iterum mulieri eadem nocte apparens, Vade (inquit) cras de mane ſecura ad judicem, & recuperabis domum, quam per calumniam perdidiſti. Tali viſione judex perterritus, de mane conſurgens, continuò jubet advocari fœminam: & mutuò inter ſe recitant viſionem: de injuſtitia facta F tum veniam petit judex, mandans nihilominus, domum ſibi reſtitui: quod & factum eſt.

alia lateris paralyſi, 32 Jacoba de Joanne Palmerino, à Politio, ſupra tres annos uno latere arida, ſic inutilis facta eſt, ut ad nullum opus conſurgere poſſet: ſed ſemper in lecto jacens, paupertate & ægritudine gravabatur. Audiens tandem beati Viri famam miraculis celebrem, cœpit nomen Domini invocare; & Sancto Dei devotè ſe commendans, Unum de duobus, (inquit) Pater, poſtulo: aut ſanitati me priſtinæ reſtitue, aut gratiâ tuâ mortem optatam incurram. Et diu lacrymans, obdormivit. Cui Sanctus apparens, Surge, ait, filia, quia tuis precibus te ab infirmitate Dominus liberavit. Et illa continuò ſurgens, invenit ſe perfectè ſanam, & per ſeipſam ad ſepulchrum Sancti properans, Deum in beato Viro collaudans, vota ibi vovit Domino, & ſoluta eſt.

aliæ renum malo, 33 Jacoba de Garofalo, à Politio, cùm gravem infirmitatem in renibus pateretur, & ex hoc de lecto ſurgere non valeret, votum beato Sancto vovit, quòd ſi eam de tali infirmitate ſanaret, centies ſuper ejus ſepulchrum diceret Pater no-

A noſter, continuando per annum. Et continuò de mane ſurgens, perrexit ad tumulum Sancti Dei, & decantans Pater noſter, ſtatim ab infirmitate ſanatur.

34 Joanna de Papaleone, à Caſtronovo *g*, dum ſcrophularum *h* pateretur infirmitatem, itáque reſpirare turgiditate gutturis & deglutire non poſſet, famam ſancti Viri audiens, cùm commendare ſe Sancto deberet, præ ira, cùm ſanari non poſſet, aſſeruit *i* Proh Dominum noſtrum! Et tandem, cùm deſperata de ſua ſanitate diffidiſſet, Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, dictum pertæſa *k*, in tranſitu laborabat. Cùm autem ejus vicini, eo quòd bona erat, amariſſimè flerent, ſubitò fœmina reviviſcit. Et apertis oculis, Benedictus Dominus, (ait) qui per beatum Gandolphum dignatus eſt me ſanare. Et vicinis interrogantibus, quis eſſet, Habitatorem Politii, ait, ſe eſſe, mihi aſſeruit. Et continuò ſurgens fœmina, perrexit Politium; & ad ſepulchrum Sancti properans, cum devotione, fide, & oratione ibi continua pernoctavit; ſed mane tandem, ad propriam rediens domum, nullum infirmitatis potuit ſui gutturis invenire veſtigium.

alia ſtrumis in collo, *g* *h* *i* *k*

B 35 Filii Nicolai de Coſta de Rami, à Politio, fratres, Rogerius & Andreas nomine, quorum alter, ſcilicet Rogerius, adeò gravem infirmitatem patiebatur in cruribus, ut longiſſimis temporibus claudicaret *l*. Accedens tamen pater eorum ad eccleſiam beatæ Virginis, in quo corpus beati Gandolphi erat repoſitum, cum devotione & lachrymis ſuper ſepulchrum Sancti, * orationibus pernoctans cum filiis, ita de mane ſani reperti ſunt, ut utriuſque defectûs nullum potuerit pater modicum veſtigium reperire.

& alii demum gravi infirmitate. *l*

* *adde* in

ANNOTATA.

a *In impreſſis talis hiſce præfigitur titulus:* Miracula B. Gandolphi ante corporis inventionem facta. *Scripta autem ſunt ab auctore certè contemporaneo, ſed fortè non ab ipſo Jacobo epiſcopo: Vide dicta in Commentario num. 6.*

b Terra *hic ſumitur pro oppido.*

c A Politio *huic ſcriptori familiare eſt pro* Politienſis.

d *Videlicet, ut erat promiſſum de adjutorio Dei in partu.*

C e *Similia aliquando committunt ægroti impatientes, minimè imitanda.*

f Petralia Superior *dicitur ad diſtinctionem Petraliæ Inferioris, quæ in valle poſita eſt prope montem, in quo eſt* Superior. *Ad hanc tendebat Beatus, ut in vicinis montibus vitam duceret ſolitariam, quando Politii detentus eſt ad concionandum.*

g Caſtrum novum *oppidum eſt Siciliæ mediterraneum, & in diœceſi Agrigentina ſitum.*

l h Scrophulæ *ſunt ſtrumæ in collo.*

i *Id eſt, protulit iracundè has voces.*

k *Id eſt, dicti pœnitens.*

l *Mendosè videtur impreſſum hoc beneficium. Nam non modò dictio variis locis imperfecta hæret; ſed etiam alterius malum non exprimitur, licèt ambo videantur ſanati.*

A. INCERTO.

CAPUT III.

Beati corpus anno 1320 elevatum, & gemina ipſius feſtivitas inſtituta.

SAnctiſſimi Domini Joannis Papæ vigeſimi ſecundi, ſereniſſimi principis domini Federici *a* regis Siciliæ tempore, beatiſſimi Gandolphi confeſſoris hoc modo inventio facta eſt. Venerando domino Jacobo Cephaludenſi præſule *b*, jam ut per annos ſingulos tenetur, diœceſim viſitante, hac de cauſa terram Politii, eo quòd locus ſuæ diœceſis eſt celebrior, ut plurimùm frequentabat. Sed hoc tempore contigit, ut, cùm viſitationis officio intraret eamdem terram, miraculorum tandem beati Viri fama celebris oſtenſa, per eum dudum facta miracula revelata, quaſi fidelibus ejus inventio celebranda, eorumdem fidelium devotione validus clamor, ſuæ figura imaginis ante multa tempora ejuſdem præſulatûs ob devotionem depicta, & habitantium inibi humilis, non ſemel, ſed pluries, facta petitio, ejus aſſenſum quærentium, ut de terra Viri venerabilis corpus & theſaurus incomparabilis levaretur. Hæc & alia inducentia ad dicti præſulis pervenerunt auditum. Et quamvis promptum ſe pro fidei exaltatione reddere teneretur ad corpus beati Gandolphi, ut theſaurum abſconditum, effodiendum, inductivis non obſtantibus talibus, ſe difficilem ſæpiùs exponentibus talia demonſtrabat. Cùm autem annis ſingulis præſul ipſe talibus frequenter ſollicitaretur indiciis, tandem viſitationis gratiâ revoluto tempore, feſtis Paſchalibus Politium uſque deſcendit.

Cùm Jacobus epiſcopus frequenter rogatus eſſet, ut Beati corpus elevaret; *a* *b*

E 37 Sed cùm die ultimo Sabbati Quadrageſimæ ſermonem clerus de ſancti exhumatione corporis ingereret ex oſtenſa revelatione divina, ut protinus effoderetur, omnium reſedit aſſenſus. Ipſe verò epiſcopus his & aliis ſollicitatus aſſiduè, in eccleſia, in qua ſancti Viri reliquiæ ſervabantur, exiſtens, ad fidem ſibi aliquam faciendam, non ut inquiſitor, ſed ut verum probaret eſſe, quod aſſerunt, cupiens experiri teſtimonia, non ut teſtes *c* ſuper vita ejus & miraculis cœpit audire. Quorum concors aſſertio tantam certitudinem beati Viri miraculorum & vitæ inducebat, ut de fide ſibi facta, niſi corporis Sancti exhumationi conſentiat, divinæ inſpirationi proculdubio videretur reſiſtere. Cupiens tandem eorum votis annuere, ut occultè foderent *d*, & ut per hoc, ſi appareret clariùs, præſtaret aſſenſum. Igitur cùm ſerò eſſet die Sabbati illa, & fores eccleſiæ clauſæ eſſent, ignorantibus ex temporum longinquitate locum foſſoribus, mulieris tandem non vocatæ inditio cognoverunt. Locus verò ille, in quo beati Viri reliquiæ ſervabantur, ſic ſe foſſoribus foſſilem præbuit, ut modico quaſi labore pervenirent ad corpus. Vocato itaque præſule, & quid ſit clericis faciendum de eodem invento ſancto corpore, ſciſcitantibus, cum omni, quâ diligentiâ decuit, præſul ipſe totum corpus mandavit perquiri. Et factum eſt, ita quòd invento integrè *e*, & mundiſſimo poſito linteo, ad altaris gradus majoris clerici honorificè portaverunt.

tandem, auditis teſtimoniis, illud occultè fodiendo quærit & invenit: *c* *d* *e*

38 Mandat itaque iterum præſul, ut, corpore de incineratione *f* per venerabilium manus Sa-

f

A. INCERTO. *elevat, ac in altari deponit,*

cerdotum purgato, diligentissimè postmodùm lavaretur: & factum est ita. Sed cùm sanctissimum illud corpus reverenter aquâ lavaretur & vino, cœperunt continuò Viri sancti miracula coruscare mirum in modum. Dum hæc nocte illa Sabbati ferè media, talia peraguntur; nidificantes in ecclesia illa hirundines, quasi choraulæ, intervallis competentibus alternatim tribus vicibus cantaverunt. Nec mirum, si in ejus corporis inventione psallebant, quia dum Sanctus viveret, ejus nutu sibi aliàs pararuut *g*. Ad quarum decantationem mirabilem unà simul cum clericis præsul ipse alta voce TE DEUM LAUDAMUS solemniter decantavit. Elevato itaque de terra corpore, & in altari cum reverentia posito, quanta devotione ubique Siciliæ miraculorum ejus divulgata est fama, qui salutem corporis ejus precibus sunt misericorditer assecuti, testimonium afferunt veritati.

g

sequentibus multis miraculis: gemina Beati festivitas instituta.

39 Posthæc autem die tertia ad sedem propriam dicto præsule redeunte, sit undique populorum concursus. Et qui terrâ sepulchri sancti Patris liniti, & qui aquâ, quâ corpus lotum est Viri sancti, aspersi, & qui ejus venerabilibus tacti reliquiis fuerunt, cum sanitate quamplurimi ad proprias domos cum gaudio & lætitia sunt reversi. Cujus obitûs festum cùm magna die Sabbati post Parasceven, quo Sanctus migravit ad Dominum, festis jam initiatis Paschalibus, non posset commodè celebrari: & ideo deliberatione provida Politienses in tertia Dominica mensis Septembris, decimo septimo die ordinaverunt solemniùs celebrandum, in hoc exemplum sanctæ matris Ecclesiæ sequentes laudabile, quæ multorum Sanctorum ex causa diei festivitate mutata, continua devotione duobus temporibus eorum festum devotissimè ac solemniter agit. Unde Translationis die, secundâ feriâ post Pentecosten *h*, suo tempore remanente, tempus aliud eis aptum, quo duplici honore devotiùs suum venerarentur Concivem, deputaverunt, anno videlicet Domini millesimo trecentesimo vigesimo, Indictione tertia, septimo Maii *i*, sic providente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum Amen.

h

i

ANNOTATA.

C

a *Joannes XXII pontificatum gessit ab anno 1316 usque ad 1334. Fredericus verò Aragonius Siciliam eodem tempore possidebat, dictus aliàs rex* Trinacriæ, *sed nomen* Siciliæ regis *etiam usurpans.*

b *Rectiùs diceretur* Jacobus præsul *&c. Mox etiam sequens phrasis non est perfecta. At studiosus lector facilè perspiciet, quid auctor dicere intendat.*

c *Id est, non cum omni illa forma, quâ testes strictè interrogari solent; sed ut sine illa forma verum investigaret.*

d *Addendum est*, mandat, præcipit, *aut quid simile.*

e *Adde* corpore. *Et mox* in mundissimo *&c. Sensus est: Ubi totum corpus erat inventum, & in lineo mundo positum, illud clerici portârunt ad gradus summi altaris.*

f *Cùm sine loculo Beatus fuisset sepultus, terra & cineres ossibus adhærebant. Voluit itaque episcopus, ut ossa expurgarentur.*

g *Legendum, opinor*, paruerunt. *Nam in Vita num.* XI *legitur, siluisse hirundines ad mandatum Beati, ad concionem in eadem ecclesia dicentis.* D

h *Hæc dubitationem ingerunt de die, quo olim peracta est translatio, quoque deinde celebrata, presertim cùm libellus impressus tot scateat mendis typographicis, ut illi parùm fidere possimus. Inferiùs innuitur, translationem esse peractam die 7 Maii, si mendum non sit. Waddingus presiè inhæret dictis, ita de translationis ejusque festivitatis die scribens:* Facta est hæc translatio anno MCCCXX in Sabbato Pentecostes, sed celebratur ibidem 2 feriâ post Pentecosten. *At sic non celebratur translatio illo ipso die, quo peracta est, ut Acta videntur dicere. Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo ad 17 Maii dictam translationem commemorat, quæ erat feria tertia post Octavam Pentecostes anno* 1320.

i *Dubito, an fortè legendum non sit* 17 Maii *secundum Cajetanum, qui in Actis etiam translationem eodem die peractam scribit, uti & Carrera in Pantheo Siculo. Ambo addunt, nundinas eo die institutas esse.*

CAPUT IV. E

Miracula post elevationem corporis facta.

GUalterius Claramontensis, à Politio, vinum, de quo lotum est nocte illa corpus beati patris Gandolphi, in vase fictili colligens, domum suam cum gaudio reportavit. Et dum mane sequentis diei vas illud requireret, totum ferè reperit floribus Gelsiminis *a* quasi undique coopertum. De cujus vasis vino debiles & infirmi aliqui aspersi, perfectè sanati sunt. Vas autem illud usque in diem hodiernum in ecclesia, in qua corpus beati Viri jacet, pro thesauro in testimonium reservatur.

In vino, quo corpus lotum, flores inventi multis salutiferi:

a

41 Religiosa fæmina, Joanna nomine, Rogerii Longi uxor, à Politio, cum magna instantia vinum de vase prædicto impetravit: eoque obtento, in domum propriam, acsi thesaurum obtinuisset incomparabilem, cum ingenti gaudio est reversa. Cùm autem digitum super ampullam vitream illius vini poneret, vinum prædictum ad summitatem oris vasis accedens, quàm citiùs pugilli ejus digitum de ore vasis violenter pellebat. Sed cùm dicta fæmina tribus jam vicibus ori prædicti vasis digitum iterum atque iterum respondendo *, hoc plurimùm miraretur, eò quòd quantò sæpiùs ori vasis digitum poneret, tantò fortiùs removebatur compulsus. Et ut indignam se reputans manibus propriis vas sancti liquoris detinere, cum magno timore & lacrymis in arca quadam eâ, quâ potuit, reverentiâ vas prædictum reposuit. Putans autem religiosa prædicta ex eo, quòd tàm indignè prædictum vas vini teneret, maximum incurrisse peccatum, cum singultu & lacrymis genuflectens, suppliciter Dominum & beatum Gandolphum, ut sibi parcerent, orationibus & suspiriis deprecabatur.

vinum illud post alia mirabilia,

F

** fortè reponendo*

42 Cùm autem in continua oratione persisteret, & somno aliquantulùm sopiret*, cùm penè vigilaret, in extasi quasi posita, ecce duo viri, habitu induti Minorum, sibi apparuerunt, & causam tantæ tristitiæ inquirentibus, ipsa religiosa dictis fratribus enarravit. Unus verò illorum, poplite flexo, sibi vas illud instanter petebat

in oleum reperitur mutatum.

** fortè sopiretur*

A tebat oſtendi. Sed cùm ipſa fœmina ſibi penitùs oſtendere denegaret illud, major eorum ſibi petiit arcam, in qua tantum vinum erat reconditum, aperiri. Religioſa verò fœmina cernens virum, ſtaturâ procerum, vultu decorum, modica canicie venerandum, quo vocaretur nomine *b*: ſed de hoc interrogare eundem cupiens, cœpit non modicùm fluctuare. Cui Vir vitæ venerabilis: Ne timeas, ait, Deo devota filia, mihi vinum mei corporis exhibere, quia pro animæ tuæ ſalute domum hanc curavi ſollicitè viſitare. Et apertâ arcâ, oblatoque ſibi vaſe vitreo, liquor vini in liquorem olei reperit jam converſum. Cujus aliqua parte per virum venerabilem hauſta, de reſiduo vaſis olei beatus Gandolphus dictam religioſam unxit, mandans eidem, ut deinceps temporalibus fuſis ultrò curis amodo non curaret, adjiciens, ut reſiduum olei cum reverentia reſervaret. Quo ſibi aſſignato, & in arca poſito, viſio ſibi monſtrata ſtatim diſparuit. Fœmina verò continuò ſurgens, habitu religionis aſſumpto, & vitam poſtmodùm religioſam ducens, in regula ſanctæ Claræ perſeverans egit.

b

B 43 Duo ex majoribus clericis Politii ſecundo inventionis corporis beati Patris die ſecretò inter ſe condixerunt, mutuò conferentes, quòd pretioſum corporis ejus theſaurum occultè abſconderent, ne fortè (quod abſit) manus ſacrilega ipſum auſu nefario temerè raperet, & aliò aſportaret. Et cùm factis implere cuperent, quæ animo cogitaverant, manſionarium *c* illius eccleſiæ, bonæ vitæ hominem, tertium ſibi in eorum adjutorium aſſumere ſtatuerunt: eique pium *d* ipſorum propoſitum manifeſtârunt. Et ſic horum trium communicato ad invicem conſilio, mediæ noctis ſilentio ad eccleſiam, ubi corpus erat ſanctiſſimum, perrexerunt. Et ut id inter eos eſſet ſecretius, juramento priùs firmiter obfirmârunt, pacis oſculo ſibi etiam dato, & ſic venerandum corpus, honorificè linteis involutum, eodem * manſionario ad præparatum locum ferendum ſecretiſſimè tradiderunt, in quo ipſum recondere diſponebant.

Clerici, qui conſpiraverant ad reliquias abſcondendas,

c

d

* eidem

44 Exeuntes itaque de eccleſia omnes tres ſimul, ab ea longè quaſi lapidis jactus, ſubitò ab eis ipſe manſionarius eſt avulſus, &, ſicut Deus voluit, diſparuit ab eis. Sed cùm duo ſimul ipſi pergentes, tertium quærerent ſtupentes, non modicùm mirabantur de ſocio ſic aſſumpto, putantes, quòd Sancti meritis virtute divina in eccleſia beatas reliquias Dominus aſſumpſiſſet. Re ſic habita, admirati omnes, ſimul domum ſuam mœſto animo redeuntes, cum lacrymis & ſingultibus atque ſuſpiriis mirum in modum ambulantes, totam noctem duxerunt inſomnem, Dominum quoque lacrymis exorantes, ut, ubi remanſiſſet tertius ille, indicaret eis. Sed cùm ferventiùs orarent, ferè facta eſt dies craſtina. Cùm autem jam aurora clareſceret, ſi de ſocio poſſent invenire veſtigium, amaro animo ad eccleſiam redeuntes, in quo loco diſparuerat, dictum manſionarium, quaſi attonitum multúmque ſqualidum corpore, ſtupidum, & ferè exanimem cum ſanctis reliquiis, ut ſibi traditæ fuerant, ſicut Domino placuit, invenerunt: peractiſque Deo gratiis, quò iverit, aut ubi fuerit, ab eo ſubtiliter perquirentes, quòd per multa devia peragendo * extra Terræ mœnia, ut ſibi viſum fuerat, portatus ab alio & reductus, ſociis enarravit. Cernentes verò ſocii miraculum ſibi monſtratum divinitus, & quòd Sanctus reliquias ſuas ab eo loco, in quo jacuerant, transferri noluit, ad eumdem venientes locum, Spiritus ſancti gratia demonſtrante, ſanctum venerandum corpus honorificè & magnificentiùs locaverunt ibidem, anno Domini MCCCXXIII *e*.

divinitus impediuntur.

* *fortè* peragrando

A. INCERTO.

e

45 Ricca mulier à Camerata *f*, cum quibuſdam aliis mulieribus ſpiritu diabolico ducta, artem magicam, in qua dæmonis adjutorium implorabatur, perpetrabat. Et dum in tali ſceleſto opere occupata perſiſteret, in intrinſecis corporis miſerabilis fœmina ſubitò ſe ſenſit torqueri. Cùm autem validiùs torqueretur, voce cœpit alta clamare. Verba nedum inania, verùm etiam opprobrioſa & illicita, proferebat. Videntes itaque conſangunei ejus, ipſam tandem vexatione fatigari enormi, cum fletu magno ipſam à dæmone plangebant invaſam. Audientes verò miraculorum beati Gandolphi famam, per Siciliam divulgatam, pro miſeræ feminæ liberatione acceſſerunt Politium. Et dum invaſam fœminam, ne alicui noceret, ligarent, Politium venientes, in eccleſiam, in qua corpus ſancti Viri erat repoſitum, vix eam introducere potuerunt. Adducta tam * miſera coram ſacerdote, per epiſcopum ad ſcribenda Sancti miracula deputato, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per interceſſionem beati Gandolphi, ut, ſi dæmon eſt, qui eam detinet, & quando venit, & quomodo invaſerit, interrogatur. Qui reſpondit: Dæmon ſum, & in arte magica reprobata vocatus, per hanc, quam cernis, miſeram, ſic ego veni.

Mulier energumena, ad ſepulcrum ducta,

f

* *fortè* tamen

E

46 De ejus itaque nomine iterum interrogat presbyter, ut, ſi unus, vel plures ſint. Reſpondit: Nomen meum Lucifer: non unus, ſed ſumus tres. In virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, & juvante patris noſtri beati Gandolphi interceſſione, tibi præcipio (inquit presbyter) ut de hujus mulieris corpore continuò exeas. Cui dæmon: Noli mihi moleſtus eſſe, quia per hanc vocatus, tuæ vocis imperio non exibo. Et iterum: Ex parte Dei omnipotentis & ſanctiſſimæ Trinitatis (inquit presbyter) te, dæmon, adjuro, & per has ſanctas reliquias, quas nunc oculis hujus miſeræ offero, ut ſtatim de corpore hujus mulieris exeas. A quarum reliquiarum aſpectu ſic revolutis oculis & productis retorta facie, & dentium ſtridore, & membrorum torſione, divertebat intuitum, ut nec ſacerdotem, nec etiam ſanctas reliquias poſſet aliquo modo proſpicere. Et approximatis reliquiis, dæmon reſpondit: Noli me vexare: polliceor enim exire continuò, eò quòd ampliùs propter Gandolphum hîc nequeo habitare. Et presbyter: Signum à me petitum in tuo exitu facies. Alioquin igne, quem times, & magis reliquiarum præſentiâ te vexabo. Pete tibi confeſtim ſignum (inquit diabolus) quia Chriſti & Gandolphi nomine jam exuror. Signa (inquit presbyter) hæc tria volo te facere in egreſſu, ſcilicet vocis terribilis, ſpumæ oris, & ſtridoris dentium. Et dæmon: Polliceor, inquam.

cùm reliquiis Beati dæmon exire compelleretur,

F

47 Exſpectat igitur populus ad promiſſa modico intervallo. Et ecce ſubitò dæmon in vocem horridam rumpens, ſpumam in ore miſeræ fœminæ faciens, & ſpiſſum ſtridorem dentium, ut promiſerat, his peractis ſignis, à mulieris obſeſſo corpore exivit. Ad cujus vocem timore perterritus eſt populus: & miſerabilem fœminam dæmon quaſi mortuam reliquit. Quæ apertis oculis emiſit nimium admiratum: & tandem in eccleſia ſe eſſe proſpiciens, manus cum lacrymis levat ad cælum. Et attonita, quomodo illuc venerat, à populo ſciſcitabatur. Interrogata verò, ſi ſe ſanam cognoſceret. Melius (inquit) me nunc

ſalva evadit;

A. INCERTO.

nunc hodie habeo, quàm tunc pridem. Continuò itaque surgens, & Crucis signo se muniens, de suis culpis veniam petit. Et citò confortata, cælestem Deum in beato Gandolpho collaudans, sana & libera cum gaudio remeavit.

alius energumenus ibidem liberatus.

48 Guilielmus Barberius, à S. Mauro *g*, possessus à dæmone, ligatus etiam teneri non poterat. Sed cùm sui eum portarent Politium, ad ecclesiam B. Joannis Baptistæ, quam in via repererant, orandi causâ declinârunt parumper. Sed eùm ibi pro illius miseri deliberatione beatum invocaverunt Gandolphum, subitò dæmon evanuit: & jacens in terra quasi mortuus, miser ille surrexit, à dæmone liberatus. Veniens tandem Politium totus quasi confractus, cùm se non posset aliquo modo erigere, vexatus à dæmone super sepulchrum Sancti pernoctavit devotè: & de mane fortificatus *h* non modicùm, cum gaudio reversus est.

Varii surditate aut aurium

49 Ricchardus, filius Miralli, à Traina *i*, furdus annis sexdecim, & tremens manibus, accedens ad sepulchrum B. Gandolphi, perfectè sanatus est.

B

Honesta mulier de Joanne de Florino, à Castelluccio *k*, surda spatio duorum annorum, & guttur habens crassum, per quod vix poterat deglutire, his duabus infirmitatibus fatigata, non poterat medicorum ope juvari. Accedens tamen ad sepulchrum beati Gandolphi, sana ad propriam domum est reversa.

Margarita de Mastro Blasio, à Gratterio *l*, annis quindecim auditu carens, veniens ad sepulchrum B. Gandolphi, recuperavit auditum.

Joannes Paschalis, à Bizinio *m*, ab ipsa sua nativitate videlicet viginti quinque annorum, surdus, nunquam audire potuit. Sed veniens ad sepulchrum beati Viri, cœpit juvare magistros, qui cappellam Sancti fabricabant: & certis horis intrans cappellam, deprecabatur Sanctum pro sua sanitate. Accedens tandem ad altare majus, aliquantulùm obdormivit: & de somno surgens, audivit cantare hirundines. Ad quarum cantum cum lætitia surgens, plenè recuperavit auditum.

defectibus laborantes,

50 Desiata, filia magistri Guilli de Desiata, à Hiracio *n*, surda tribus mensibus, veniens ad sepulchrum B. Gandolphi perfectè sanata est.

Nicolaus de Russello, à Drepano *o*, spatio sex annorum surdus, ex qua infirmitate nihil audiebat omnino, veniens tandem ad ecclesiam S. Gandolphi, & ibi diu orans, sanitatem recuperavit auditûs.

C

Bartholomæus, filius Aldoini Carbonarii, à Panormo *p*, tribus annis surdus, accedens ad sepulchrum B. Gandolphi, perfectè sanatus est.

Jacobus, à Calaxibetta *q*, supra triginta annos surdus, dormiens domi suæ somniavit recuperâsse auditum: & evigilans nihil audiebat, ut priùs: sed præ gaudio, quia videbatur sibi recuperâsse auditum, iterum obdormivit. In qua dormitione videbatur sibi audivisse campanas. Interrogans autem, cùm dormiret, quemdam hominem religiosè indutum, pro quo campanæ sonarent. Pro recuperatione (inquit) auditus tui dormientis jam sonant. Hoc audito, nimiâ affectus lætitiâ surrexit, eò quòd auditum recuperavit in vigilia, ut in somnis sibi fuerat prædictum. Audiens tamen miraculorum famam B. Gandolphi, accessit Politium, & respiciens imaginem dicti Beati, in suo sepulchro depictam, dixit se vidisse in somnis illum eumdem, & laudans Dominum in beato Gandolpho, cum gaudio est reversus.

51 Ricca mulier, spatio sexdecim annorum utraque aure surda, veniens ad sepulchrum B. Gandolphi, perfectè se sanam invenit. D *sanantur.*

Calciaranus, à Badom, filius Madom militis, surdus aure sinistra, nulla medicorum ope sanari poterat annis decem & octo. Accedens tandem ad sepulchrum B. Gandolphi, & ibi diutiùs orans, perfectè sanatus est.

Laurentius, filius Bonaccursi, à Panormo, tribus annis surdus, nullo modo audire poterat. Accedens tandem ad sepulchrum B. Gandolphi, perfectè sanatus est.

Magister magistri Blasii, à Gratterio, qui ambabus auribus surdus audire non poterat supra duorum annorum spatium, accedens tamen ad ecclesiam sanctæ Mariæ, ubi corpus B. Gandolphi jacebat, & ibi diu orans, perfectè auditûs sanitatem recepit.

Cæci, aut variis

52 Sibilia de Cuscino, à Caccabo *r*, habens in oculo dextro albedinem in pupilla sex annorum spatio, quo oculo nihil videre poterat, accedens tamen ad sepulchrum beati Gandolphi cum devotione & fide, inde sana recessit. r

s

Sibilia de Conzo, à Calataniseta *s*, oculo dextro spatio sexdecim annorum cæca, quo nihil videre poterat, accedens ad sepulchum beati Viri, recuperavit visum. E

t

Raynaldus, à Camerata, pedatam *t* in oculo sinistro habens spatio dierum quinque, quo nihil videre poterat, accedens tamen ad sepulchrum, beati Viri meritis sanatus est.

u

Joanna de Cayruni, habitatrix Spirlingæ *u*, oculo sinistro cæca, ita ut novem mensibus illo videre non posset, accedens tandem ad sepulchrum beati Viri, sanata est.

Majorana à Milaccio, habitatrix Panormi, utroque oculo cæca, ita ut spatio annorum quatuor videre non potuerit, sed veniens ad sepulchrum B. Gandolphi, lumen oculorum recepit.

Bartholus de Majorana, habitator Panormi, annis tribus cæcus existens, venit ad sepulchrum B. Gandolphi, & ibi devotè orans, lumen oculorum recepit.

oculorum malis affecti,

53 Sabella de Boscho, de Castro novo, habens oculum dextrum totaliter dealbatum, ita ut spatio trium annorum illo nihil videre potuerit, veniens tandem ad sepulchrum B. Gandolphi, & ibi devotè orans, lumen oculorum recepit, & illuminata est. F

w

Matthæus, filius Anselmi, à Platia *w*, sinistro oculo cæcus ferè annis tribus, accedens tamen ad B. Gandolphum, sanatus est.

Andreas Piscis, habitator Panormi, cæcus oculo dextro, quo novem mensibus nunquam videre potuit, veniens tandem ad beatum Gandolphum, statim sanatus est.

Contissa, à Panormo, cæca spatio sex annorum duobus luminibus, videre non poterat; sed accedens ad sepulchrum B. Gandolphi, visum recuperavit.

Bidiata à Gratterio, cæca oculo dextro ferè per mensem, sanari aliquo medicamento nequiens; sed veniens tandem ad corpus Beati Viri, & ibi diutiùs orans, sanata est.

Palma, à Castronovo, infirmitate per menses tres oculi sinistri gravata, quo nullo modo videre poterat, ad beatum Virum accedens, sanata est.

Henricus de Cortisio de Favara, à Calatageronе *x*, cæcus oculo sinistro spatio novem annorum, & oculo dextro parùm videns, nulla

x

me-

A medicorum arte ſanari poterat. Veniens tandem Politium, & ſuper ſepulchrum beati Gandolphi pernoctans oratione & lacrymis, viſum integrè recuperavit de mane.

y Philippa de Cuffia, à Mazaria *y*, pannum in oculis ſic habebat maximum, per quem impediebatur videre. Pergens tamen cum fiducia ad reliquias Sancti, & ſuper ſepulchrum ejus orans, liberata eſt.

z Fluri de Calſo, à Pittineo *z*, oculo dextro cæca, quo nullo modo viderat ſpatio quinque annorum, accedens tamen cum fiducia & oratione ad Sanctum, oculi ſanitatem recepit.

Venturella, filia Jacobi de Cali, à Monte Regali *aa*, ſpatio trium annorum de oculo ſiniſtro lacrymam nequibat reſtringere. Auditâ famâ ſancti Gandolphi cum fide & devotione acceſſit Politium in eccleſia, ubi Sanctus jacebat: & devotè orans, ſanata eſt, & lacryma reſtricta eſt.

54 Philippa, mulier à Politio, civis Panormitana, ſpatio xxv dierum cæca oculis, cujus cæcitas, dum intraret balneum Thermarum, ſupervenit: quæ totaliter non videbat, veniens tandem ad ſepulchrum beati Viri, cum devotione & fide orans, ibi cum lacrymis pernoctando lumen oculorum de mane recepit.

Matthæus, filius Henrici de Curiſcino, pedatam in oculo dextro habens, modo aliquo videre non poterat. Quam infirmitatem adeo graviter ſuſtinebat, ut duorum annorum ſpatio prædicto oculo aliquo modo non videret. Veniens tandem Politium, & ſuper ſepulchrum beati Viri devotè orans, illuminatus eſt.

bb Gratiana, filia Bonelli à Caſtro Joanne *bb*, civis Panormitana, varos ſeu pedatam in oculo ſiniſtro habebat, quo modicùm vel nihil videbat. Veniens tamen ad eccleſiam Virginis, in qua corpus Sancti jacebat, & ibi devotè orans, ſanata eſt.

Chriſtiana, uxor Præzavalli, à Panormo, ſpatio duorum annorum in ſiniſtro oculo lacrymam habens, nulla ope medicorum reſtringere eam potuit. Veniens tamen ad eccleſiam Virginis, in qua corpus Sancti jacebat, rogans beatum Virum, ut dignaretur eam ſanare, tactis ſanctis ejus reliquiis, optatam ſanitatem aſſequitur.

55 Stilla de magiſtro Joanne de Monteleone, à Mazaria, octo annorum ſpatio cæca, & quoddam foramen in umbilico habens, per quod egrediebatur cibus & potus: quam infirmitatem pudore repleta manifeſtare nolebat. Audiens autem Viri ſancti famam in miraculis virtuoſam, votum vovit ejuſdem B. Gandolphi viſitare ſepulchrum. Sequenti tandem nocte Sanctus ſibi in viſione apparuit, habitu religioſo veſtitus. Sed cùm mulier interrogaret eum, quis eſſet: Gandolphum ſervum Dei ſe eſſe aſſeruit. Cùm autem dicta fœmina eum pro ſua ſanitate rogaret, Vade (inquit) Politium & eccleſiam beatæ Virginis viſitans, ſanaberis, ſicut optas. Surgens autem de mane fœmina, pervenit Politium: & dum ſuper ſepulchrum Sancti orationibus intenta pernoctaret, Sanctus iterum ſibi apparens, Cruce ſibi oculum infirmum ſignavit, & locum infirmitatis alterius. Et ſtatim mulier ſana ſurgens, de mane cum gaudio ad propriam remeavit domum.

Fina, uxor Rogerii de Biſiniano, ab Agrigento *cc*, pedatam in ſiniſtro oculo, & in utroque pilum habens annorum octo ſpatio, veniens ad beatum Gandolphum, utroque defectu ſana receſſit inde.

56 Manfredina, neptis Agrigentini epiſcopi, novem annorum ſpatio dextrum oculum album habens, & ſiniſtro modicùm videns, Politium ad eccleſiam beatæ Mariæ, in qua corpus beati Gandolphi jacet, accedens, ibique orans cum devotione beatum Gandolphum, utriuſque oculi lumen recepit.

Benedicta, filia Nicolai Martini Tignoſi, à Politio, oculo dextro carnoſitate gravata, & ſiniſtro quodam panno à ſua nativitate vitiato, videre non potuit. Pernoctans tandem ſuper ſepulchrum B. Gandolphi, & ſæpiùs aquâ reliquiarum ſibi oculos liniens, meritis B. Gandolphi carnoſitas unius oculi ſtatim diſparuit, & pannoſitas alterius ſic receſſit, ut viſum ſancti Viri meritis recuperaverit.

Jacopella, filia Matthæi Cotti, à Calaxibetta, quoddam vulnus in dextro oculo habens annorum ſpatio quatuor, quæ nullo medicorum remedio poterat liberari. Audiens itaque famam miraculorum beati Gandolphi, votum vovit ejus vigiliam jejunare, & centies Pater noſter uno anno pro ejus devotione dicere. Dormiente * verò de nocte, ſibi Sanctus apparuit, & pallio ejus oculorum tergens viſum, & mulieri liberam ſe eſſe à vulnere, quod habebat, dixit: & continuò expergefacta mulier manum appoſuit vulneri, & totam faciem illius partis invenit putredine deturpatam. Surgens verò fœmina, & à vulnere reperiens ſe ſanam, acceſſit Politium, & in cappella B. Gandolphi Deum in Sancto laudavit.

57 Bartholus, filius Venturæ à Caſtrobono, habitator Panormi, cæcus duorum annorum ſpatio non videbat. Accedens tamen cum devotione & fide Politium, & terrâ ſepulchri, aquis reliquiarum S. Gandolphi mixtâ, liniens viſum, lumen recepit: & ad propriam domum cum gaudio rediens, Dominum in Sancto laudavit.

Nicolaus, filius Ricchardi de Artudi, habitator Suteræ *dd*, albedinem in dextro oculo habens, decem annorum ſpatio dicto oculo non videbat. Veniens tamen ad ſepulchrum beati Gandolphi cum patre, meritis B. Gandolphi ſanus reverſus eſt.

Joanninus, filius Jacobi à Caſtronovo, Bicaris *ee* habitor, ſpatio trium menſium ſiniſtrum oculum habens clauſum, in quo pedata maxima erat; ſed veniens ad ſepulchrum B. Viri cum devotione & lacrymis orans, utroque defectu ſanus inde receſſit.

Petronius, filius Bellicii, habitator Caſtri veterani *ff*, cæcus oculo ſiniſtro ſex annis, veniens ad Sanctum ſtatim vidit.

Joannes, à Corleone *gg*, pedatam habens in oculo dextro annorum ſpatio quinque, ſed audiens miracula & famam S. Gandolphi, hæc & ſimilia verba protulit: Si Sanctus & juvare me poteſt, & ſi ob ſui gratiam de hac infirmitate ſanabor, eccleſiam ſuam annis ſingulis viſitabo. His dictis, cœnâ factâ, ad lectum cum patre acceſſit, & poſt dormitionem mane ſurgens, illius oculi lumen plenè recepit.

Juncta, filius Janui, habitator Nicoſiæ *hh*, menſibus quatuor oculo ſiniſtro cæcus, quo nullo modo poterat videre, veniens tandem ad beatum Gandolphum & cum devotione orans, ſanatus eſt.

Thomaſia, habitatrix Panormi, quinque annis cæca, accedens cum devotione ad Sanctum perfectè ſanata eſt.

Henricus, filius Bartholomæi de Ganga matro-

A. INCERTO. *alii ſanationem,*

* *i. e.* cùm dormiret

patrocinante B. Gandolpho, impetrant.

A. INCERTO. na, à Politio, duobus annis habens pedatam in oculo dextro, sed veniens ad sepulchrum Sancti, sanatus est.

Joannes de Spalla, habitator Mazariæ, oculo dextro cæcus ferè tribus hebdomadibus, dormiens in cemeterio majoris ecclesiæ Politii, excitatus à somno, invenit se illuminatum.

ANNOTATA.

a *Vox est Italica, flores albos & odoriferos significans. Aliqui* Jasminum *Latinè vocant, Gallicè* Jasmin.

b *Addenda ad sensum explendum vox* ignorabat, *aut* scire cupiebat, *vel quid simile.*

c *Mansionarius est custos & conservator ecclesiæ, sive ædituus.*

d *Poterat ex qualicumque pietate proficisci tale consilium; sed non ex pietate rectè ordinata & justa; cùm ipsorum non esset sibi solis sacras reliquias vindicare.*

e *Ex anno hìc notato liquet, furtum reliquiarum non fuisse tentatum statim post inventionem, nisi sit mendum, sed die post celebratam pridie Inventionis festivitatem.* B

f *Oppidum est Siciliæ.*

g *Siciliæ oppidum in diœcesi Messanensi hoc nomine vocatur.*

h *Id est, viribus confirmatus.*

i Traina *oppidum est in media ferè Sicilia, Latinè* Hemichara *aut* Imachara *aliàs dictum.*

k Castelluzo *in tabulis Siciliæ notatur aliquot milliaribus à civitate Cephalæditanæ, in cujus diœcesi est Politium.*

l Gratteri *ibidem notatum invenio ferè inter Politium & Cephalædim.*

m Bizini *aut* Vizini *oppidum magis distat Politio, situm versùs Syracusas.*

n Hieracium *civitas est episcopalis in Calabria Ulteriore. Verùm cùm idem locus sæpe recurrat, suspicor, minùs Politio esse dissitum, designarique oppidum aut vicum* Giraci *in tabulis novis dictum non longè à Politio.*

o Drepanum, *vulgò* Trapano, *urbs Siciliæ est maritima & satis nota.*

p Panormus *item maritima est & notissima Siciliæ metropolis.*

q *Oppidum est Siciliæ in diœcesi Catanensi.*

r *Diœcesis Panormitanæ oppidum est, situm ferè inter Politium & Panormum.* C

s Calataniseta *vel* Calatanixeta *longiùs Politio distat, utpote situm aliquot milliaribus ab Agrigento.*

t Pedata *Italis est pedis vestigium. Hìc pro vestigio aut macula oculi sumitur.*

u Spirlinga *oppidum mediterraneum notatur in tabulis aliquot milliaribus à Politio prope Nicosiam.*

w Platia, *vulgò* Piazza, *oppidum Siciliæ est in diœcesi Catanensi.*

x *Oppidum est diœcesis Syracusanæ.*

y Mazara *urbs est Siciliæ maritima, episcopalis & munita cum portu, & nomen tribuit valli sive provinciæ Mazaranæ.*

z Pettina *oppidum notatur in tabulis non longè à mari, & aliquot milliaribus à Cephalædi ad Orientem.*

aa Mons Regalis *civitas est archiepiscopalis, parva tamen, paucis tantùm milliaribus Panormo dissita.*

bb Castrum S. Joannis, *aliàs* Enna *dictum, oppidum est mediterraneum in monte positum, spectans ad diœcesim Catanensem.* D

cc Agrigentum *civitas est Siciliæ episcopalis, sita ad fluvium Agragam non longè à mari.*

dd *Oppidum est Siciliæ mediterraneum in colle positum, & in provincia Mazaræ.*

ee Bicari *Latinè* Bicarum, *oppidum in mediterraneis notatur in valle Mazaræ.*

ff Castrum Veteranum *aut* Castellum Veteranum *ejusdem vallis est oppidum paucis milliaribus distans à mari & à Mazara.*

gg *Ejusdem quoque vallis oppidum est* Corleonis, *sed magis in mediterraneis situm, & in diœcesi Montisregalis.*

hh Nicosia *civitas est in media ferè Sicilia in monte posita.*

CAPUT V.

Prosecutio miraculorum ad sepulchrum, aut patrocinio Beati factorum. E

Robertus de Guirrisi, à Sancto Mauro, loquelam perdiderat, sed veniens ad Sanctum, recuperavit eam. *Loquelæ aut oris impedimenta,*

Dionysius de Aloysio, à Panormo, dolorem intolerabilem patiebatur in faucibus: ex quo dolore vix comedere poterat, nec os aperire. Ad manus medicorum venire timuit, ne deterius ei contingeret. Veniens tandem Politium ad altare beati Gandolphi: ad quem accedens, ibi somno corripitur, & sibi dormienti beatus Gandolphus apparens: Surge (inquit) aperi os, quod ad laudem Domini sibi Dominus fabricavit, non in blasphemias, sed ad nominis Jesu Christi & Domini laudem, qui te creavit. Surgens itaque dictus Dionysius, & aperto ore, comedit & bibit, non sentiens dolorem in ore, sed Deum laudans recessit gaudens.

Maria de Oliverio, à Tauromino *a* quasi muta nec comedere potens, tota tremens corpore ad sepulchrum Sancti veniens, sanata est. *a*

59 Henricus de Bonafata, à Politio, quamdam infirmitatem habens, sanare * non poterat aliquibus medicinis: accedens tamen ad sepulchrum beati Gandolphi, se sanum invenit. *& aliæ infirmitates sublatæ.* * sanari

Victoria mulier, à Mistretta *b*, quâdam detenta infirmitate in ore, veniens ad sepulchrum sancti Viri, & ibi diutiùs orans, sanata est. *b*

60 Joannes de Sophia, à Politio, pastor ovium, cùm audiret socios de beato Gandolpho loquentes, incepit modicùm deridere & dicere: Causâ lucri fit hoc festum. Cùm autem injungeretur sibi, ut acciperet quemdam arietem, & ipse vertens se, ut acciperet eum per crura, subitò aries illius naribus cornu affixit. Itaque perforatis illi naribus ferè usque ad cerebrum, à qua parte sanguinis * nimius instar fluvii emanabat. Sed recordati socii beati Gandolphi, alta voce cœperunt ipsum Sanctum devotissimè invocare. Unus autem illorum sociorum, ut obturaret nares defluentes sanguine, (eò quòd dictus Joannes videbatur extingui) infulam * ejus naso apposuit, & subitò ad invocationem Sancti sanguis cessavit: nec infulam, quam sibi posuerat, in naso sanguine tactam reperit. Nasus verò dicti Joannis *quidam blasphemus primùm punitus, deinde pœnitens sanatus:* * sanguis * *i.e.* sudarium

A nis adeo remanſit contortus, ut rectificari non potuerit, donec ad ſepulchrum Sancti paſtor ille veniret. Venit verò dictus Joannes ad ſepulchrum beati Gandolphi, & Deum in beato Viro laudavit, & ſanatus eſt.

naſi cancer ſanatus.

61 Frater Petrus, filius David Judæi, cancrum habuit in naribus: in cujus naſo natæ ſunt fiſtulæ in corticibus, & adeo putrefactæ ſunt nares ejus cum labio ſuperiore, ut clauſæ eſſent ambæ menſibus quatuor: ob quam infirmitatem exſufflare non poterat. Vovit ſe tandem beato Gandolpho & continuò ceciderunt de naribus ejus cruſtulæ, ſive cortices illæ, & cœpit naribus inſufflare, à quibus eſt ſanatus.

Laborantes ſtrumis,

62 Joannuccius, filius Ali Franci, habitator Corleonis, annorum duodecim, cum ſcrophulis natus, ductus à matre ad ſepulchrum beati Viri, ſanatus eſt.

Roſa, filia de Job, à Nicoſia, ſtrumas ſeu ſcrophulas habens ſpatio ferè ſex menſium, veluti duo ova, accedens tamen ad ſepulchrum beati Viri, ſanata eſt.

c Calvina de Gulgano, à Randacio *c*, ſcrophulas habens ſeptem annorum ſpatio, accedens ad

B ſepulchrum beati Viri, ſanata eſt.

Franciſca de Marina, à Calatagirone, ſcrophulas habens ſpatio ferè ſex menſium, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſanata eſt.

Perna de Bucchivilleri, ſcrophulas habens ferè per quadriennium, ad B. Gandolphum accedens, ſanata eſt.

variis brachiorum d

63 Matthæus de Camarata, civis Panormitanus (ex quadam phlebotomia *d* brachium ejus adeo attractum erat, ut digitos illius brachii ſiniſtri extendere non poſſet ad os, ut poſſet comedere) accedens tandem ad ſepulchrum beati Gandolphi, & ibi diutiùs orans cum devotione & lacrymis, exurgens tandem de oratione, ſanatus eſt.

Antonius de Caſa, à Caſtro-Joanne, brachium ſiccum habens octo annorum ſpatio, accedens ad ſepulchrum Beati, ſanatus eſt.

Abinati, à Panormo, non valens erigere brachium præ dolore ſpatio duorum annorum, accedens ad ſepulcrum beati Viri, ſanatus eſt.

Paganus de Sabbato, civis Panormitanus, brachium dextrum habens aridum & attractum à nativitate, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſa-

C natus eſt.

Raynaldus de Andrea Cannata, habitator Montis Regalis, ſiniſtrum brachium habens aridum ſpatio vigintiquinque annorum, veniens tandem ad ſepulchrum beati Viri, ſanatus eſt.

Recupus à Pogiboniſo, habitator Panormi, dolorem fortiſſimum habens in brachio dextro, accedens ſtatim ad beati Viri ſepulchrum, brachium erexit, & dolor ceſſavit.

Jacobinus, à Corleone, filius Joannis Vulpe, brachio attracto ſpatio annorum XIV, veniens ad ſepulchrum Beati, plenam ſanitatem recepit.

Joanna mulier, uxor Franciſci de Taberna, habitatrix Calataniſſettæ, ambobus brachiis aridis non poterat ſe juvare, ſed veniens ad ſepulchrum Sancti, ſanitatem integram aſſecuta eſt.

affectionibus, aliiſque malis,

64 Manzonius, filius magiſtri Marini aurificis de Panormo, ſiccus brachio dextro undecim annis, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſanus factus eſt.

Duæ ſorores, filiæ Roberti de Rayla, habitatoris Bicari, una quarum brachium ſiniſtrum habens aridum annis duodecim, altera verò latus ſiniſtrum ſiccum habens & gibbum, acce-

dentes, ſanatæ ad proprias domos cum gaudio rediderunt *.

A. INCERTO.

* redierunt

Matthæus, filius Richardi à Sutera, habitator Bicari, brachio & pede contorto attractis novem annorum ſpatio, veniens ad ſepulchrum beati Gandolphi, cum integra ſanitate ad propriam eſt domum reverſus.

Campaninus de Gordo, habitator Caſtri Joannis, ſpatio unius anni brachium ſiniſtrum habens aridum, ita ut ſuper caput ipſum erigere non valeret, accedens, ſanatus eſt.

Thomaſius, filius Richardi de Caſtro-Joanne, brachium ſiniſtrum aridum habens ſpatio annorum quatuor, accedens, ſanatus eſt.

Angelonus, filius Mabiliæ, habitator Bicari, brachium ſiccum habens ſpatio annorum quinque, accedens, ſanatus eſt.

65 Joannes, filius Margaritæ à Puntorno, habitator Hiracii, aridum habens brachium dextrum ſpatio annorum quinque, accedens, ſanatus eſt. *ſanantur.*

Presbyter Nicolaus de Gancio, tremorem manuum patiens ſpatio duorum menſium, accedens, ſanatus eſt.

Amphuſus, à Panormo, aridus brachio an- E norum duodecim ſpatio, veniens ad ſepulchrum beati Viri, aſſecutus eſt ſanitatem.

Nicolaus de Abbate, habitator Panormi, propter quoddam veneficium malè factum remanſit aridus brachio, & accedens ad ſepulchrum ſancti Viri, ſanatus eſt.

Calide Romatica, à Caccabo, habens rheuma in brachio dextro, ita quòd ad omne opus inhabilis erat annorum quatuor ſpatio, veniens ad ſepulchrum, cum gaudio rediit ſana.

Andreas, filius Conſtantinæ, à Panormo, ſiccum habens brachium ſiniſtrum ſpatio novem menſium, acceſſit, & ſanatus eſt.

Jordanus, à Calatagirone, ſic inutilis erat brachio, ut ſuper caput nequiret ipſum erigere. Veniens ad beatum Virum, ſanatus eſt.

Philippus, à civitate Ipſigro *e*, brachium ſi- *e*
niſtrum habens aridum, veniens, ſtatim ipſum erexit.

Ricca, mulier à Gratterio, tremula manibus & capite annorum ſpatio quatuor, veniens, ſanata eſt.

Roſa Joannis Bartholo, à Gratterio, brachio F
ſiniſtro impotens annis quinque, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſtatim ſanata eſt.

Joannes de Sancto Philippo, à Chomiſo *f*, *f*
brachio & pede aridus annis undecim, veniens ad Beatum, integram ſanitatem recepit.

Joannes de Aſſero, ſiccus brachio ſiniſtro annis novem, veniens ad Sanctum, ſanitatem reportavit.

Guilielmus, à Gratterio, à nativitate brachium habens aridum, meritis beati Gandolphi ſanatus eſt.

Rogerius, à Panormo, brachio ſiniſtro impotens, veniens ad ſepulchrum ſancti Viri, ſanatus eſt.

Bartholomeus de Goffrido, à S. Philippo *g*, *g*
habens apoſtema ſæviſſimum in brachio dextro, veniens, ſanatus eſt.

Joannes de Chiachritella, habitator Hiracii, renum dolore fortiſſimo ſic torquebatur, ut ſe unius anni ſpatio erigere non poſſet: ſed veniens ad ſepulcrum Sancti, ſanitatem integram reportavit.

66 Marinus de Fauſtia, à Palatio Atriano *h*, pa- *h*
tiens infirmitatem iliacam decem & octo annorum ſpatio, accedens ad ſepulchrum Beati, ſanatus eſt.

A. INCERTO. *Malum inteſtinorum, lateris & renum dolores ablati.*

Petrus Pittinarius, à Randatio, aridus uno latere menſe uno & medio, medicorum ope ſe juvare non poterat, ſed veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſanus factus eſt.

Magiſter Guilielmus de Calatavulturio, habitator Politii, adeo aridus uno latere, ut ſine adjutorio non poſſet ſe movere, ſed veniens ad ſepulchrum, ſanatus eſt.

Rogerius de Primo, à Politio, dolore renum per menſem ſe erigere non poterat: at veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſine dolore aliquo ſe erexit.

Rogerius Leonardi, à Miſtretta, ventris infirmitate gravatus, veniens ad beati Viri ſepulchrum ſanatus eſt.

Gratia Mundi Marſagula, à Panormo, tribus menſibus fluxu ſanguinis fatigata, veniens ad ſepulchrum Viri Dei, & ibi diù orans, ſe ſanam invenit.

Contiſſa de Sarra, à Panormo, fluxum ſanguinis patiens ſpatio ſeptem annorum, veniens tandem ad beatum Virum, ſanata eſt *i*.

k *Calculis*, B

67 Philippus de Supparella, ab Alcara *k*, non poterat lotium emittere ſine ſanguine annis duodecim, nec emittere lapidem: ſed veniens ad ſepulchrum Beati, ſubitò emiſit vigintiquinque lapides, & ſanus fuit.

Petrus Dulcini, à Randatio, annis quatuor ferè lapide vitiatus, ac etiam ſine ſanguine lotium emittere non poterat. Accedens tamen ad ſepulchrum Beati, & ſuper ipſum cum clamore ſe proſternens, ſubitò eum dolor invaſit, & cùm dolore viſcerum & renum torqueretur, lotium emittendi ſupervenit voluntas. Et cùm illud emittere vellet, emiſit lapidem duriſſimum ſanguine cruentatum: & exurgens tandem integram ſanitatem recepit.

Bartholomæus Sicillini, habitator Bizinii, menſibus octo vitio lapidis laborans, meritis beati Viri eſt ſanatus.

Henricus de Lazaro, à Corleone, annis quatuor etiam de vitio lapidis eſt ſanatus.

Joannutius, filius Gattanci Bonaſia, à S. Philippo, novem menſibus de eodem vitio eſt liberatus.

Joannes, filius Matthæi ab Alicata, habitator Panormi, anno uno de eadem infirmitate fuit per merita Sancti curatus.

C Paulus Matthæi Grandinelli, à Petralia ſuperiore, annis tribus.

Giſtanus, à Nicoſia, annis quatuor.

Magiſter Henricus de Pinnica Falcer, à Panormo, ſurdus & ruptus annis quindecim.

68 Joannes de Claramonte, à Panormo, tribus annis ruptus. *& herniâ*

Philippus, à Nicoſia, annis tribus.

Gerardus de Zannot, à Randatio, annis novem.

Jacobus Deſtanoliva, à Panormo, annis quatuor.

Joannes Guilielmi, à Gratterio, annis quatuor.

Pariſius Belihomo annis duobus.

Joannes de Alcimo annis tribus.

Jacobus Riccius de Caccabo, à Corleone, anno uno.

l Alaymus de Anſelmi, à Bibona *l*, annis novem.

Guilielmus Gualvagni, à Calatagerone, annis quinque.

Filius Pernæ Salvagerii, ab Agrigento, annis tribus.

Petrus de Nicolao, ab Agrigento, annis decem. D

Philippus Nicolai de Grinaldo, à Panormo, annis duobus.

Joannes de Milite, ab Agrigento, menſe uno.

Rogerius Matthæi de Aſtaro, à Panormo, menſibus ſex.

Guilielmus Nicolai de Matthia, à Randatio, annis quatuor.

Joannuccius Petri de Calabria, à Nicoſia, anno uno.

Petrus Joannis, à Corleone, anno uno & medio.

Stephanus Nicolai, à Panormo, tribus menſibus.

Filius Matthæi de Spagnolo, à Politio, annis duobus.

Filius filiæ Dente à d'Oſſo, à Politio, annis duobus.

Andreas de Donzella de Fiſaulis annis octo.

Frederícus de Simone de Mattiniechio, à Politio, annis tribus.

69 Nicolaus filius Pirili de Caſtrobono, à Politio, anno uno. *laborantes*

Philippus, filius Michaëlis de Realis, caſtellanus Politii, annis duobus. E

Simon de Nicolao Charello, à Ciminna *m*, anno uno & medio. *m*

Matthæus filius Nicolai Coſta, à Politio, annis duobus.

Matthæus, filius Stephani Græci, à Politio, annis duobus.

Nicolaus Andreæ, à Politio, annis tribus.

Doniaſtra, uxor Nicolai Medici, à Siracuſa *n*, annis ſex. *n*

Bartholomæus Nicolai de Princi, à Ciminna, anno uno.

Petronius de Guarino, à Ciminna, annis duobus.

Gualterius de Ferruſio, à Petralia ſuperiori, annis tribus.

Andreas Joannis Lombardi, à Spirlinga, à nativitate.

Nicolaus Bellebone, à Caccabo, à nativitate.

Orlandus Furiani annis quinque.

Philippus, à Calataniſſetta, annis tribus.

Nicolaus Caputius, à Randatio, annis quindecim. F

Philippus de Heradio menſibus novem.

Jacobus Murator, à Petralia inferiori, menſe uno.

Magiſter Baldus, à Drepano, annis octo.

Philippus de Ricomanda, à Miſtretta, annis quatuor.

Jacobinus de Politio, à S. Mauro, annis duobus.

Orlandus de Joannebuttaro, à Caccabo, annis viginti.

Caſtronovus de Pinſali, à Monte majore *o*, multis annis. *o*

Millorus Mariſiæ, à Spirlinga, annis quatuor.

Venutus Guilielmus de Bonnaviri annis decem.

70 Philippus Bonſignore, à Caſtro-Joanne, menſibus ſeptem. *plurimi ſanantur.*

Nicolettus Raynaldi de Joanne Caſſo annis quatuor.

Conradus Riccardi de Joanne Nari, à Petralia, annis octo.

Juncta Thomaſii Caldarini, à Caſtro-Joanne, annis undecim.

Pirellus Buzelli, à Calataniſſetta, annis quatuor.

Jaco-

A Jacobinus Andreæ, ab Antiochia *p*, annis tribus.
p Joannutius de Raya, à Randatio, menſibus quatuor.
Filia Petri de Mancialardo anno uno.
Nicolaus Guercius de Luppino multis annis.
Philippus Colliſortæ, à Camerata, annis quatuor.
Guilielmus de Nicoſia annis duodecim.
Andreas Rogerii de Ferro, à Politio, menſibus octo.
Rogerius Joannis de Copetta, à Randatio, anno uno.
Ambertus Philippi, à Randatio, annis duobus.
Bertholinus Joannes, à Corleone, anno uno.
Joannutius Tancredi, à Bicaro, anno uno.
Simon Guilielmi de Giraldo, à Panormo, annis ſex.
Joannutius Jacobi Maronni, à Corleone, anno uno.
Guilielmus Joannis de Capizi, à Caſtro Joanne, annis duodecim.
Pironnus, filius Riccardi de Taverna, menſi-
B bus quatuor.
q Nicolaus de Angelino, habitator Galatis *q*, Andreas de Prozetto, à Caſtro-Joanne, annis novem.
Julianus de Naro anno uno.
Andreas Joannes, à Panormo, menſibus quatuor.
Jacobinus Joannis Viſi, à Catana, annis duobus.
Guilielmus de Randatio annis duodecim.

ANNOTATA.

a Tauromineum, *vulgò* Taormina, *civitas eſt maritima inter Meſſanam & Catanam.*

b Miſtretta *vulgò*, *aliàs Latinè* Miſtrecta, *oppidum eſt Siciliæ in valle Demonæ.*

c Randazzo *oppidum mediterraneum notatur in valle Demonæ.*

d *Vox græca eſt, quæ ſectionem venæ ſignificat.*

e *Hunc locum in Sicilia reperire non potui, ut dubitem, an nomen rectè ſit impreſſum.*

f Chomiſum *inter oppida Siciliæ recenſetur*
C *apud Placidum Caraffam in Deſcriptione Sicaniæ.*

g Sanctus Philippus *oppidum eſt diœceſis Catanenſis.*

h Palatium Adriani, *vel* Adrianum, *oppidum eſt mediterraneum in valle Mazaræ.*

i *Poſt hæc tituli inſtar ſequentibus miraculis præfiguntur hæc verba:* anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo, Indictione tertia, à decimo ſeptimo menſis Maii per totum menſem Julii ejuſdem Indictionis, meritis beati Gandolphi, infraſcripti homines rupturis inteſtinorum & lapidibus laborantes ſanantur. *Annotatio autem videtur ſpectare ad omnia uſque ad finem hujus capitis relata, licèt multa ex præcedentibus eodem etiam tempore facta ſint, ut liquebit infrà ex alia annotatione.*

k *Apud Marium Aretium in Deſcriptione Siciliæ reperitur* Alcara, & oppidulum *vocatur.*

l Bibona, *aut* Bivona, *oppidum eſt in diœceſi Agrigentina.*

m Ciminna *oppidum eſt diœceſis Panormitanæ.*

n Siracuſa, *aut potiùs* Syracuſæ, *urbs Siciliæ eſt maritima & epiſcopalis.* A. INCERTO.

o Mons Major *inter oppida Siciliæ recenſetur apud Caraffam jam laudatum.*

p Antiochiam *in Sicilia nullam inveni. Fortè peregrinus ille erat, & in Sicilia degebat.*

q Galatis *inter oppida Siciliæ recenſetur à Caraffa. Duo autem hic ſimul ponuntur, nomine & patriâ diſtincti, qui ambo videntur ſanati.*

CAPUT VI.

Proſecutio miraculorum eorumdem.

BArtholus, filius Auguſtaræ, à Caſtronovo, crus aridum habens octo annorum ſpatio, venit ad ſepulchrum beati Viri, & cum lacrymis orans, ibi ſanitatem eſt aſſecutus. *Crurum*,

Matthæus de Mancarella, à Calatabellotta *a*, crura nimis tumefacta habens ſpatio quatuor menſium, accedens ad ſepulchrum Beati, ſanatus eſt. *a* E

Presbyter Nicolaus de Iragio de Jardinellis, in crure infirmitatem maximam patiens ſeptem menſium ſpatio, baculo non poterat ſe ſuſtentare. Veniens tandem, ſanatus eſt.

Jacobus de Randatio, à Politio, in ſiniſtro crure vulnus horribile patiens novem annorum ſpatio, accedens, ſanus factus eſt.

Guidottus de Milano Lamericus, civitatis Panormi, crura habens tumefacta annis quatuor, veniens ad ſepulchrum, ſanus factus eſt.

Maynectus de Majorana, à Randatio, in crure dextro guttam frigidam patiens, ad ſepulchrum Sancti veniens, ſanatus eſt.

Suſanna mulier de Caſali S. Gregorii, infirmitatem in cruribus patiens annis quinque, veniens ad beatum Gandolphum, ſanata eſt.

Nicolaus Formarius, à Caccabo, rheuma in crure ſiniſtro patiens annis vigintiquinque, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſanatus eſt.

Jorlandus de Canuſcetta, à Gratterio, rheuma in crure ſiniſtro patiens, veniens ad ſepulchrum Sancti, ſanatus eſt.

Andreas, filius Joannis Mantoni, à Politio, anno uno claudicans, veniens ad ſepulchrum beati Viri, perfectè ſanatus eſt. F

72 Joannutius, filius Gorbi Sala, habitator Grutticelli *b*, pede torto veniens ad ſepulchrum beati Viri, continuò eſt rectificatus. *pedum*, *b*

Guilielmus, filius Laurentii de Cephalo, civis Panormitanus, tribus annis claudus, cum matre ad ſepulchrum Sancti veniens, ſtatim ſanatus eſt.

Filius Nicolai de Gemma, à Politio, pedem habens altero longiorem à nativitate ſua, veniens ad ſepulchrum Servi Dei, pedes obtinuit rectificatos.

Seraphina, mulier de Joanne Caſſata, à Colliſano *c*, novem annis habens pedem dextrum tortum & curvum, accedens, ſanata eſt. *c*

Guilielmus Garbetta, à Calatagirone, habens pedes tumefactos, veniens verò ad ſepulchrum Sancti, perfectè ſanatus eſt.

Andreas Salinello, à Gangio *d*, tribus annis ſe erigere non potuit. Accedens tandem ad ſepulchrum Sancti, ſe erexit. *d*

73 Jacobinus de Medica, à Caccabo, in ge- *genuum*,

A. INCERTO. nibus rheuma doloroſum patiens ſpatio ſex annorum, veniens ad ſepulchrum Servi Dei, ſanatus eſt.

Henricus, filius Joannis Taravelli, habitator Capaci *e*, rheuma in genua v annis habens, accedens, ſanatus eſt.

74 Cantiſſa, mulier à Corleone, tremens corpore ferè per biennium, veniens ad ſepulchrum, ſanata eſt.

tremoris & paralyſis,

Bella de Calatagirone, tremens capite ferè per ſex annos, veniens ad ſepulchrum, ſanata eſt.

Margarita de Traina, tota tremula corpore ſpatio duorum annorum, accedens, ſana facta eſt.

Ventura de Magiſtro Salamone, à Panormo, tremore corporis tremulenta annis triginta, veniens, ſanata eſt.

Flora de Driſia, à Caſtro-Joanne, tremore pedum & manuum & capitis paralyſis morbo annis quinque fatigata, veniens ſanata eſt.

Agneſia de Perna, à Corleone, paralytica per triennium, veniens ad ſepulchrum Sancti, perfectè ſanata eſt.

Divitia de Sparſia, à S. Philippo de Argirio, tremulenta corpore ferè menſibus octo, ita ut ad omne opus inhabilis eſſet, veniens ad ſepulchrum ſancti Viri, perfectè ſanata eſt.

B

Venturina, mulier à Randatio, paralyſim annis quatuor paſſa eſt. Accedens tandem ad ſepulchrum Viri Dei, perfectè curata eſt.

Margarita de Suriano, à Caronia *f*, per annum unum tremore corporis fatigata, veniens ad eccleſiam beati Viri, ſanata fuit.

f

Miralla, mulier de Traina, annis undecim fatigata paralyſi, cùm Sanctus ſibi in ſomnis apparens, Surge, dixiſſet, ſtatim ſurrexit, & ſe perfectè ſanam invenit.

75 Stephanus de Catania, à Calataniſſetta, hydropicus ferè per ſeptennium, veniens ad ſepulchrum beati Viri, ſanatus eſt.

hydropis,

Stilla, filia Joannis de Perco de Biviano, hydropica quatuordecim annis, veniens ad ſepulchrum beati Gandolphi, perfectè ſanata eſt.

76 Muſcata, mulier de Crivaro, à Hiracio, ſpatio annorum duodecim attracta ſe movere non poterat, ſed veniens ad ſepulchrum, ſanata eſt.

contractionis membrorum,

Filius Matthæi Spitalera de Luppino, corpore totaliter attractus & gibboſus, accedens, ſanatus eſt.

C

Roma de Fronduto, à Hiracio, ſic erat debilitata membris & attracta, ut de lecto ſurgere non valeret: ſed veniens, ſanata eſt.

Silvia de Calatabellotta ſic gibbo depreſſa ſe inclinabat, ut ſurſum numquam reſpicere potuerit. Veniens tandem ad ſepulchrum, ſanata eſt.

Sabella Jo. Lombardo, à Mazara, ſic erat attracta per ſeptennium, ut modo aliquo convaleſcere nequiret. Veniens tandem ad ſepulchrum beati Viri, ſanata eſt.

Suſanna de Trovilis, duobus annis lecto contracta jacens, veniens ad eccleſiam B. Gandolphi, ſe ſanam invenit.

Rogerius, filius Nicolai Malandrini, à Racchuia *g*, ſeptem menſibus confractus corpore, ſe erigere non potuit: veniens ſanatus eſt.

g

Mabilia de Regina, à Panormo, annis quatuordecim renibus totaliter confracta *h*, accedens cum devotione ad Sanctum, ſanata eſt.

h

77 Joanna de Pintaguerra, à Politio, fiſtulam in tibia patiens quindecim annis, ipſa* ligatum medicamen tenebat. Et cum oraret ſuper ſepulchrum Beati, audivit Corpus Chriſti laudari in altari majore: & cùm ipſum adoraret, & pro ſua ſanitate Chriſtum rogaret, pannus, quo tibia ligata erat, per ſeipſum miraculoſè cecidit: & dicta puella à fiſtula ſe ſanam invenit.

fiſtularum, * in ipſa

D

Jacobina, filia Guidonis, civis Panormitana, quinque annis fiſtulam habens, veniens ad ſepulchrum Beati, ſanata eſt.

Dulcimagna, à Panormo, tribus menſibus fiſtulam habens, accedens ad ſepulcrum Sancti cum devotione, ſanata eſt.

78 Joannes Sautiſi, à Caſtronovo, annis ſex rheuma maximum patiens, veniens ad ſepulchrum beati Gandolphi, ſanum ſe reperit.

rheumatum,

Roſa de Panzica, à Calaxibetta, toto corpore rheumatibus macerata, cum devotione ad eccleſiam Beati ſe conferens, ſanata eſt.

Novella, mulier à Nicoſia, totaliter affligebatur rheumatibus: & ad ſepulchrum Sancti accedens, perfectè eſt ſanata.

Antoninus de Gulielmo, à Meſſina *i*, quinque menſium ſpatio rheumatibus utroque brachio aridus & cruribus, ad ſepulchrum Viri Dei veniens, ſanata eſt.

i

E

79 Roſa Nicolai de Lumina, à Nicoſia, tortas manus habens, veniens ad ſepulchrum, lacrymiſque orans, ſanata eſt.

& aliorum morborum mala ſublata.

Richarda Prena, à Panormo, vituperoſam infirmitatem patiens, videlicet quòd illud inſtrumentum, ubi recipitur embryo, quod alio nomine vocatur matrix, extra vas ejus egrediebatur, inſtar unius cucumis, duobus annis, veniens ad ſepulchrum Sancti, ſanata eſt.

Petrus de Chundriſi, habitator Caſalis Boli *k*, habens apoſtema ſicciſſimum ſub aſcella menſibus quinque, veniens, ſanatus eſt.

k

Petrus de Gancio, à Politio, apoſtema habens in ventre ad modum unius panis, veniens, ſanatus eſt.

Calzaranus de Baldo, Panormitanus, febricitans ſeptem diebus, & vovens ſe beato Gandolpho, venire ſcilicet ad eum, ſtatim ſurrexit ſanus.

Laurentius, filius Nicolai de Guccio, à Calatavulturio *l*, vituperoſam infirmitatem patiens, videlicet inteſtinum per partes inferiores egrediebatur, nec remitti poterat intrò per octo vel decem dies: & hæc paſſus eſt duorum annorum ſpatio, cùm medicinæ multæ ei applicatæ fuerint. Veniens* tandem ad ſepulchrum beati Viri, inteſtinum rediit ad primum locum, & perfectè ſanatus eſt.

l

* Cùm veniret

F

Sibilia de Auſterino, à Hiracio, à nativitate ſua dolore corporis adeo gravabatur, ut erigere ſe non poſſet: & veniens ſanata eſt.

Jacobina, puella à Gancio *m*, à nativitate ſicca latere, ad nullum opus utilis habebatur: accedens tandem, ſanata eſt.

m

Richardus, ab Alicata *n*, febribus continuis laborans, parum terræ tumuli Sancti ad ſe faciens portare, & hanc aquam* mixtam bibens, ſtatim ſanus de lecto ſurrexit.

n

* *fortè* aquâ

Benedictus, frater dicti Richardi, ab Alicata, in extremis quaſi laborans, mente, cùm ore nequiret beatum Gandolphum invocare, ex intimis ſuſpiriis clamavit: & ſubitò (ſicut Deus voluit) de lecto ſurgens, ſe ſanum invenit.

Pannutius, ab Alicata, infirmitate quaſſatus, multo tempore in lecto decumbens, ad invocationem Sancti ſe contulit: & conſecutus integrè ſanitatem, ſanctas reliquias viſitavit.

Puerum annorum tredecim, à Drepano, à lepra mundavit.

Ada-

A Adamus, ab Alicata, filium ſuum cuidam fratri Minori obtulit, ut beatum Gandolphum pro illius ſanitate rogaret. Et dum frater ante altare preces pro puero funderet, de inteſtinorum ruptoris jam dictus frater *, dictam infirmitatem patiens, liber effectus eſt.

* *fortè* puer

Rubertus, ab Alicata, fiſtulam in crure ſævam patiens, cùm non potuiſſet ſanari temporali remedio, filamenta linita terrâ tumuli ſancti Patris loco unguenti ulceri figens, ſubitò eſt ſanatus.

Aliqua miracula non vulgata: tempus, quo præcedentia facta.

80 Multa etiam miracula per Servum ſuum Dominus dignatus eſt oſtendere, quæ duabus de cauſis ſcripta non ſunt in libro hoc: quarum una eſt, ad non generandum lectori faſtidium, alia, quia infirmitates occultas, narratione verecundas, ſani non publicant. Hæc autem ſunt quatuor, quæ fecit in vita, viginti tria, quæ fecit poſt mortem, ducenta triginta octo *o* poſt tranſlationem, à decimo Maii uſque ad totum menſem Auguſti ſequentis immeditatè, tertiæ Indictionis, anno Domini MCCCXX. Et alia duo *p* anno Domini MCCCXXII.

o

p

B ANNOTATA.

a Calatabellota *oppidum eſt in valle Mazaræ.*

b Gruttæ, *vulgò* le Grotte, *oppidum eſt in diœceſi Agrigentina. An verò* Gruticellum *ſit idem locus, an alius, mihi non conſtat.*

c Coliſanum *aliàs ſcribitur, eſtque oppidum ferè inter Cephalœdim & Politium.*

d Gangium *in mediterraneis vallis Demonæ non longè admodum à Politio in tabulis notatum invenio duplex, videlicet* novum & vetus, *vulgò* Gangi *dictum.*

A. INCERTO.

e Capaci *vicus, aut villa, in novis tabulis notatur non longè à mari Thyrreno, & aliquot milliaribus à Panormo in Occidentem.*

f Caronia *inter oppida Siciliæ recenſetur apud Caraffam.*

g *Fortè legendum* Rachudia, *quod inter oppida numeratur apud laudatum Caraffam.*

h *Fortè ſcriptum fuerit* contracta, & *antè* contractus, *cum agatur de contractis.*

i *Latinè* Meſſana, *notiſſima eſt urbs Siciliæ ad fretum Mamertinum, quo ſeparatur à Calabria.*

k *Varia loca Siciliæ invenio dicta* Caſale; *at nullum reperi cum* Boli *cognomine. Locum tamen noverint incolæ.*

l Calatavulturium *oppidum in mediterraneis eſt, aliquot tantùm milliaribus diſtans Politio.*

m Gancium *idem fortè eſt cum* Gangio, *ſuprà ad lit.* d *aſſignato.*

n Alicata *maritima eſt ad mare Africanum.*

o *Ducenta triginta octo, quæ notantur facta anno* 1320 *à die* 10 *Maii uſque ad finem Auguſti, numeris appoſitis diſtinguuntur in libello impreſſo. Numeri illi quidem perveniunt uſque ad* 250; *ſed hoc factum errore imprimentium, ut notatur in corrigendis. Attamen cum duobus ultimis, quæ facta anno* 1322, *omnia poſt tranſlationem ſunt* 240.

E

p *Hæc ſunt duo poſteriora. Recentiora quædam ex proceſſibus dabo inferiùs.*

APPENDIX

DE CULTU, RELIQUIIS ET MIRACULIS RECENTIORIBUS.

CAPUT I.

C Gemina quotannis Beati feſtivitas, magna cum ſolemnitate & populi concurſu: alia in honorem Beati per annum fieri ſolita. F

Præcipua Beati feſtivitas conſtanter

Vita data num. 39 *teſtatur, anno* 1320, *quando elevatum eſt Beati corpus, geminam inſtitutam eſſe ipſius feſtivitatem. De præcipua, quâ Beati natalis, ſive obitûs dies, celebratur, à tempore Paſchali ad menſem Septembrem tranſlata ſatis ambiguè auctor loquitur, dicens:* Politienſes in tertia Dominica menſis Septembris decimo ſeptimo die ordinaverunt ſolemniùs celebrandum, *nimirum, feſtum præcipuum. Waddingus ex hoc loco, opinor, ait:* Dies verò natalitius (*celebratur*) Dominica III menſis Septembris. *At perſuaſum habeo, feſtivitatem non celebrari Dominicâ tertiâ menſis Septembris, niſi concurrat cum die* XVII *ejuſdem menſis. Nam in Proceſſu impreſſo plurimi teſtes, juridicè interrogati, conſtanter & concordi teſtimonio aſſerunt, feſtivitatem* B. Gandolphi *ab immemorabili tempore celebratam fuiſſe die* XVII *Septembris. Ita pag.* 162 *teſtatur Joſephus Tamburellus, ſacerdos Politienſis, & ſacræ theologiæ doctor,* die XVII Septembris *quotannis* ex antiquiſſima traditione *Politii celebratam fuiſſe feſtivitatem illam, additque, ſuo etiam tempore, id eſt, anno* 1613, *celebrari; nec ullam haberi memoriam in contrarium. Idem teſtatur, Officium celebrari ab omnibus eccleſiaſticis, tam ſecularibus quàm Regularibus, ritu duplici de communi Confeſſoris non pontificis cum Miſſa,* Os juſti *&c. Idem pag.* 167 *teſtatur Thomas Sponſellus, ſacerdos item Politienſis, ac pag.* 173 *Franciſcus Miſtretta J. U. D., & ſacerdos Politienſis, pluresque alii eodem anno interrogati, quorum enumerationem brevitatis causâ omitto.*

2 *Eadem rurſum affirmârunt alii teſtes, anno*

1621

AUCTORE J. S. *à sæculo XIV celebrata est die 17 Septembris*

1621 *interrogati, quorum primus est pag.* 257 Laurentius lo Ciraulo, *sacerdos Politiensis, quem facilè decem alii concordi voce sequuntur eodem anno, sed diebus diversis. Addunt illi, festivitatem illam passim credi celebratam ultra trecentos annos; & rectè, opinor, quia mense Octobri & Novembri anni* 1621, *quibus auditi fuerunt illi testes, annus unus supra trecentos ab institutione illius festivitatis erat elapsus. Accedit Bulla Clementis Papæ VIII, datâ anno* 1595, *quâ indulgentias concedit plenarias illis*, qui ecclesiam beati Gandolphi civitatis Politii, Cephaludensis diœcesis, in festo ejusdem beati Gandolphi, die XVII Septembris ibi celebrari solito, à primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem festi singulis annis devotè visitaverint *&c. Hæc, quibus consonant martyrologi Siculi, omnino sufficiunt, ut intelligamus Beati festivitatem semper die* XVII *Septembris celebratam fuisse, præsertim cùm in toto Processu impresso nihil invenerim, quo insinuetur, festivitatem illam umquam fixam fuisse Dominicâ tertiâ Septembris, præter ambiguam locutionem suprà datam, quæ æquè designat diem* XVII *Septembris, quæque fortasse sic exponenda erit, ut Politienses* Dominicâ tertiâ *post elevationem corporis pro festivitate elegerint diem* XVII *Septembris. Dubitandum porrò non est, quin Politienses ab episcopo suo, qui post corporis elevationem discesserat, facultatem acceperint festivitatis diem statuendi. Præterea multi testes in Processu asserunt, opinionem esse Politiensium, festivitatem non fuisse inchoatam sine consensu Summi Pontificis. Et sanè verisimile est, Jacobum de Narnia, episcopum Cephaludensem, qui tardè & cautè anno* 1320 *ad corporis elevationem processit, nihil ea in re feciisse, inconsulto Pontifice.*

B

celebratur autem Officio de communi ab omnibus ecclesiasticis,

3 *De festivitate illa* B. Gandolphi, *ab omni hominum memoria semper celebrata, & numquam intermissa, plurimi testes in Processu nominati consentiunt, nullo repugnante. Omnes similiter testantur, celebratam fuisse festivitatem cum Missa & Officio de* B. Gandolpho, *à clero seculari & Regulari. Observant ulteriùs testes anno* 1613 *auditi, Officium fuisse* de communi confessorum non pontificum *à tempore recepti concilii Tridentini. Adjungunt illi, ante concilium Tridentinum in usu fuisse Officium particulare & proprium de* S. Gandolpho. *Hujus autem Officii pars magna in Processu edita est pag.* 209 *& sequentibus. Unius ex prioribus antiphonæ partem huc transfero:* Patris Gandolphi adsunt solemnia: miris miraculis pollet assiduus: flos est oblatus regno Siciliæ. *Mitto reliqua, cùm quia Officium mutilum est, multaque mendosè videntur impressa, tum quia nihil faciunt ad gesta Beati confirmanda aut elucidanda.*

C

& honoratur solemni processione cum Beati corpore, quæ etiam fit

4 *Ad augendam porrò celebritatem festivitatis* B. Gandolphi *accedit solemnis processio longi agminis per civitatem, in qua Beati, ut Patroni, corpus, thecæ argenteæ inclusum, honorificè defertur sub umbella, & multo lumine comitante. Nam præcedunt diversæ turmæ & societates secularium, deinde religiosi Ordines, tum clerus universus. Umbellam verò portant & comitantur cum cereis accensis viri primarii & præcipui civitatis magistratus. De hac processionis solemnitate, & de ingenti multitudine populi, ex aliis etiam Siciliæ locis ad festivitatem confluente, testes in Processu consentiunt. Addunt verò testes illi, qui anno* 1613 *interrogati sunt, similem quoque cum reliquiis Beati processionem per urbem institui in Pentecoste, quando celebratur* B. Gandolphi *inventio & elevatio. Verùm de illa nihil invenio in testimoniis eorum, qui anno* 1621 *examinati fuerunt. Attamen illustrissimus Stephanus de Munyera, episcopus Cephaleditanus, qui anno* 1621, *non solùm ut ordinarius, sed etiam ut delegatus Sedis Apostolicæ, de cultu* B. Gandolphi *inquisivit, non solùm confirmavit festivitatem præcipuam, sed illam etiam, quæ ob corporis elevationem in Pentecoste celebratur.* D

in festo translationis: utraque festivitas anno 1621 *confirmata.*

5 *Etenim litteræ ipsius datæ Politii* die XXI Novembris, V Indict., MDCXXI, *sic habent in Processu pag.* 334: Stante supplicatione porrecta ex parte magistratûs civitatis Politii, regni Siciliæ, sanctissimo Domino Papæ Gregorio XV, & provisione, quòd fiat solitum circa venerationem servi Dei Gandolphi, facta per præfatum Sanctissimum Urbis* Romæ VI Aprilis MDCXXI; & juribus adductis, articulatis & probatis per dictum magistratum, & coram nobis Politii degentibus ex causa prædicta ob intimationem, eis à nobis factam, ad ostendendum rationes, quibus moti sunt magistratus & populi & clerus ad venerationem & cultum publicum prædicti servi Dei Gandolphi; quibus probationibus & scripturis constat, vera esse ea, quæ fuerunt expressa in supplicatione prædicta, porrecta præfato Sanctissimo: illisque visis & consideratis, causâ cognitâ, consultè decernimus, tam auctoritate ordinaria nostra, quàm delegata à sancta Sede Apostolica in his fungentes, quòd deinceps circa venerationem prædictam, & cultum publicum, celebrationem Missarum, & festivitatem XVII die Septembris, & in festo Pentecostes, & aliis diebus solitis, serventur ea, quæ hactenus servata fuerunt ex immemorabili consuetudine, jam satis ostensa, usque ad aliud mandatum Apostolicum: mandantes omnibus subditis nostris, ut ita observent, observarique faciant, nihil prorsus innovando in præjudicium dictæ immemorabilis consuetudinis & possessionis, in qua hactenus magistratus & clerus prædicti extiterunt. *Hæc non solùm ab episcopo subscripta est ordinatio; sed statim etiam à notariis transcripta, & multis subscriptionibus roborata.* * *forte* in Urbe E

At in festo translationis non videtur dici Officium.

6 *Ex dictis autem litteris habemus, cultum* B. Gandolphi *immemorabilem legitima auctoritate confirmatum esse; nec modò probatam esse præcipuam festivitatem, sed aliam etiam in Pentecoste haberi solitam. Non additur tamen in litteris, quid in Pentecostes festivitate ad honorem* B. Gandolphi *fieri soleret. At jam vidimus, reliquias ipsius in illa quoque festivitate magno cum splendore transferri solitas in solemni per urbem processione. Verùm non inveni testes, qui assererent, Officium & Missam de* B. Gandolpho *in festo translationis fuisse celebrata. Obstiterit, opinor, festivitas Pentecostes, quominus in Officio & Missa de* B. Gandolpho *aliquid fieret. Videtur tamen aliquando etiam translationis festum Officio honoratum fuisse. Certè in Processu pag.* 211 *multa recitantur ex Officio proprio sub hoc titulo:* In translatone beati Gandolphi. *Antiphona verò prima* ad Vesperas *sic habet:* Gaudeamus omnes in Domino: diem festum agat hæc concio, quem Gandolphi patris dedit inventio. Alleluia. *Hæc videntur insinuare, recitatum aliquando fuisse translationis Officium, nisi compositum quidem fuerit, sed in usum numquam inductum. Cajetanus in Actis de Officio translationis non meminit, sed nundinas ea de causa institutas dicit, ita scribens:* Magna dein cum veneratione beati viri Gandolphi cor- F

A corpus in ara locatum est xv Kal. Junias, qui dies sacro Pentecostes mysterio sacer erat. Eam Politienses ob causam iisdem feriis in sancti Viri memoriam nundinas quotannis celebrant. *Ita quidem Cajetanus; sed anno* 1320 *Pentecostes Dominica erat* VIII *Maii, ita ut* VII *Maii contigerit, si facta sit in pervigilio Pentecostes, ut factam dicit ipse Cajetanus. Waddingus tempus ita exprimit:* Facta est hæc translatio anno MCCCXX in Sabbato Pentecostes, sed celebratur ibidem 2 feriâ post Pentecosten.

Alia fieri solita in honorem Beati,

7 *Præter duas festivitates jam dictas, singulis quoque hebdomadis aliquo cultu honoratur* B. Gandolphus, *imò & diebus singulis. Hic quoque cultus approbatus est in datis episcopi litteris, cùm jubeat, consueta servari, non solùm in festivitatibus, sed* & aliis diebus solitis. *Quænam autem hæc sint, breviter exponam. Testes, anno* 1613 *examinati, unanimi voce affirmant, in sacello* B. Gandolphi *semper lampades aliquot accensas ardere, quotidie ibidem Missas celebrari, singulis autem diebus Mercurii, sive feriis quartis, cantari Missam votivam de* B. Gandolpho, *sumptus ad id suggerente civitate; post Missam verò reliquias Beati populo osculandas præberi. Hæc testes complures, quorum nomina brevitatis causâ omitto.*

B

ad cujus reliquias magnus est concursus.

8 *Æquali aut majori etiam consensu testes asseruerunt, tam suo tempore, quàm ab omni hominum memoria, magnum fuisse hominum concursum ad sepulchrum* B. Gandolphi, *non Politiensium tantùm, sed etiam peregrinorum, qui se Beati patrocinio commendant, multaque in sacello ipsius offerri dona votiva in testimonium beneficiorum, ipsius intercessione obtentorum. Addunt testes anni* 1613, *in supplicationibus, quæ fiunt diebus rogationum, cantari etiam orationem de* B. Gandolpho. *Præterea hi testantur, in publicis necessitatibus aut calamitatibus civitatis suæ Politienses ad* B. Gandolphum *confugere consuevisse tamquam ad Patronum; vel exponendo corpus ipsius in sacello ad publicam venerationem, vel cum illo supplicantium ritu extra civitatem procedendo. Reliquias ejusdem Beati deferri etiam ad personas primarias, dum graviter ægrotant, iidem observant; idque inferiùs videbimus, ubi agetur de miraculis recentioribus, ac demum nomen* Gandolphi *pueris non rarò imponi in honorem Beati.*

C

CAPUT II.

Sacellum B. Gandolphi: corpus honorificè servatum, & sæpiùs visitatum.

Beati corpus, quod integrum non est,

Acta data num. 13 *docent*, B. Gandolphum *sepultum esse Politii in majori ecclesia, quæ Sanctissimæ Virgini Mariæ sacra est, ut deinde in Miraculis dicitur. Jacuit ibi in terra sepultus annis circiter sexaginta, ut creditur, (nam de anno mortuali certa non habemus documenta) & demum anno* 1320 *de terra levatum est corpus, mandante & præsente Jacobo episcopo Cephaleditano, ut Acta habent cap.* 3, *sed satis confusè. Waddingus existimat, eo tempore corpus* inventum *esse* integrum absque ulla offensione. *In eam opinionem verisimiliter deductus est ex Actis, in quibus inventionem & elevationem satis confusè cap.* 3 *narra-*

AUCTORE J. S.

ri, jam dixi. Ego verò ex iisdem Actis potiùs colligo, corpus inventum esse non integrum, sed in ossa dissolutum. Etenim, ubi fossores corpus detexerant, clerici præsentes episcopum rogârunt num. 37, *quid faciendum esset* de eodem invento sancto corpore: *ille verò mandavit, ut* totum corpus *perquireretur. Et mox corpus, non* integrum, *sed* integrè *inventum dicitur; id est, omnia ossa integri corporis inventa sunt. Hæc autem expositio abundè confirmatur ex Processu, cùm nullus testium asserat corpus integrum aut incorruptum fuisse, quando inventum est; sed omnes de corpore loquantur, tamquam de ossibus separatis. Idem satis colligitur ex relatis num.* 44 *de conatu illorum, qui sacrum corpus abscondere nitebantur, quique illud jam extra ecclesiam tulerant. Hoc ipsum factum etiam ostendit, pretiosum illum thesaurum non statim post inventionem tanto studio custoditum fuisse, quanto postea conservari cœpit.*

Servatur in sacello ipsi dicato,

10 *Constat ex multorum testimoniis in Processu relatis, corpus* B. Gandolphi *ab aliquot saltem seculis honorificè servari in sacello particulari dictæ ecclesiæ, quod Beato dicatum est. At nullibi invenio, quo tempore istud sacellum Beato consecratum sit, aut sacræ Beati reliquiæ ad illud delatæ:* E *neque enim id factum videtur illo ipso tempore, quo corpus fuerat inventum. Quidquid verò sit de tempore, certum est multorum testimoniis, sacellum dici* B. Gandolphi, *illudque duplex esse, anterius nimirum sive exterius, & interius. In sacello interiori depositum est Beati corpus in tumba marmorea, cui arca ex argento, aut laminis saltem argenteis vestita, quæ sacras continet reliquias, habetur inclusa. Exterius sacellum rursus duplex aliqui testes faciunt. At sive unum dicamus, sive geminum, in illo pendent lampades ardentes, multaque dona votiva Beato oblata. In illo etiam est altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium quotidie offertur.*

quod anno 1621 *visitavit episcopus.*

11 *Pleniorem sacelli descriptionem subministrat Processus, in quo pag.* 7 *refertur sacelli & deinde corporis visitatio, facta die* XVIII *Octobris anni* 1621, *quam huc transfero.* Die XVIII Octobris, quintæ Indictionis, MDCXXI, illustrissimus & reverendissimus dominus, frater don Stephanus Munyera, tum pro exoneratione sui pastoralis officii ordinarii, tum pro observatione mandati sanctæ Sedis Apostolicæ, sibi Romæ directi die VI Aprilis MDCXXI, accessit ad majorem ecclesiam hujus civitatis Politii, associatus à clero, magistratu, & nobilibus, ac ejus curia & familia: & facta oratione ante altare Sanctissimi Sacramenti, sanctum Missæ sacrificium celebravit, &, eâ finitâ, atque sacra Communione refectis clericis, magistratu, atque officialibus curiæ, & aliis de familia ipsius illustrissimi domini episcopi, ac pluribus de populo, pontificalibus indutus vestibus, accessit ad capellam, quæ BEATI GANDOLPHI nuncupatur, constitutam in ipsa majori ecclesia: ibique precibus Deo fusis, mandavit fieri descriptionem dictæ capellæ, quæ in duabus capellis consistit. F

Sacelli exterioris descriptio,

12 In prima, quæ dicitur anterior, adest altare decenter ornatum cum cruce, candelabris sub serico baldachino: & ante ipsum erant lampades accensæ. Et in ipsa capella adest vetusta effigies, in telâ depicta, servi Dei Gandolphi, Ordinis Minorum S. Francisci, cum miraculis ad modum tabellarum circa eam. In prima est effigies dicti Servi Dei, orantis ad Crucifixum. In secunda est imago dicti Servi Dei, prædicantis populo. In tertia adest eadem imago, suscipiens sanctissi-

AUCTORE J. S.

mum Eucharistiæ Sacramentum à sacerdote ante altare. In quarta est eadem effigies in modum defuncti, & duæ campanæ, quæ ultro videntur sonare, & duo angeli, susçipientes ejus animam. In quinta est pictura sepulcri cum funalibus appensis, & cum concursu populorum & infirmorum. In sexta est depictus fons cum gelsimino, & multitudo infirmorum & vexatorum à spiritibus immundis. In septima est depicta processio solemnis cum arca sub baldachino. In octava est pictura Servi Dei, à quo mulier petere videtur pro salute filii ab equo pressi. In parietibus primò extat imago dicti Servi Dei magna, & aliarum personarum, ei deferentium mulierem, quam benedicendo videtur à dæmonum vexatione liberare, cum inscriptione subter mulierem: "Valde à dæ„monibus vexatam, ab ea pro usu magiæ invo„catis, liberat.„ *Liberatio hujus mulieris relata in Actis num.* 45. *Sic prodigium de gelsimino sive jasmino refertur in Actis num.* 40. *In Actis etiam referuntur alia quædam in tabellis depicta, ut suis locis breviter insinuabo. At quod habetur de puero per equum presso, in Actis non legitur.*

& tabellarum in eo appensarum

13 Et secùs est alia imago parva dicti Servi Dei, ante quam videtur quidam genuflexus, & manu tangere videtur os imago Servi Dei, cum hac inscriptione: "Muto, duas habenti linguas, „loquelam tribuit„ (*in Actis num.* 14.) Et sub dicta figura adest alia imago parva Servi Dei, tangentis narem mulieris, ante pedes ejus prostratæ, in qua adest inscriptio hæc: "Mulieri fistulam in

* *al.* naribus

„naricibus * habenti, in somnis apparuit, quæ à „somnis sana surrexit„ (*in Actis num.* 17.) Item adest alia effigies beatæ Mariæ super altare, & ante est fons cum gelsimino, ad quem videtur concurrere multitudo infirmorum, & cæcorum, & vexatorum à dæmonibus, cum hac inscriptione: "Vas, in quo repositum fuit vinum, ex quo lota „fuerunt ossa Beati, gelsiminum produxit, à quo „multi sanantur„. Item & altera imago parva dicti Servi Dei, benedicentis puerum ab equo pressum, & mulieris eum deprecantis, cum tali inscriptione: "Puerum quasi mortuum sub equi pedibus, „matris precibus sanum restituit. *Hoc, cùm in Actis non reperiam, recentius credo.* Deinde subsequitur alia imago parva dicti Servi Dei, tangentis infirmam in lectulo, cum sequenti inscriptione: "Mulierem, per octo annos fluxum sanguinis pa-

C „tientem, liberat„. *Hoc fortè etiam novum, cùm in Actis non habeatur cum iisdem adjunctis.* Et desuper eâdem alia imago parva dicti Servi Dei, manum extendentis super mulierem genuflexam, cujus inscriptio dicit: "Quædam mulier oculorum „cæca lumen recepit„. *Talis est in Actis num.* 21. Et sequitur alia imago magna Servi Dei, vocati à pluribus, & accedentis ad infirmum agonizantem, cum assistentia parochi, cum crucifixo in manibus, & mulierum & viri plorantis, cum inscriptione sequente: "Agonizantem in extremis liberat, qui „statim à lecto surgit„. *Hoc cum omnibus adjunctis non reperio in Actis.*

ob beneficia per Beatum præstita.

14 Et in alia parte parietis adest effigies magna prædicti Servi Dei, prædicantis populo, & annuentis multitudini hirundinum, (*in Actis num.* XI.) Et sequitur alia figura parva altaris, & super ipsum ossa quædam, & à tergo duo ligones, & prope altare effigies cujusdam pontificis & clericorum, & super altare multitudo hirundinum. *Inventio corporis exprimitur, relata in Actis num.* 37 *& seqq.* Et suprà in altum adest effigies magna dicti Servi Dei demortui, amplexantis Crucifixum supra stratum asperum, & subter caput duæ tegulæ, & desuper duo angeli susçipientes animam, & à tergo duæ campanæ, quæ ultrò sonare videntur. *Est morientis imago. Vide Acta num.* 12, *ubi tamen nihil legitur de campanis ultrò sonantibus. Prodigium hoc adjungit traditio, quæ an satis certa sit, ignoro. Testes quidem non pauci in Processu idem asserunt. At illi nihil scire potuerunt præter traditionem popularem.* Item in eadem cappella adsunt undecim tabellæ appensæ, partim vetustæ, partim recentes, significantes quædam miracula. In una adest effigies Servi Dei, luce & nube circumfusi, apparentis infirmo deprecanti, cum inscriptione horum versuum: D

Aspicis hunc ægrum, febris quem torret anhela,
Qui tenens animam jamjam diffundit in auras:
Dum votum supplex Gandolpho nuncupat, ultrò
Ille vocatus adest, & morbum corpore pellit.
1599.

Cyfræ, in fine positæ, annum sanationis insinuant. Itaque hoc ex recentioribus miraculis est, referendum cap. 3; *quale & aliud subjungitur.* Et in alia tabella est imago infirmæ, ad quam defertur sacra reliquia cum multitudine associantium funalibus accensis, & super illis imagines S. Sebastiani, Dei E Servi Gandolphi, Sanctissimi Sacramenti, B. Mariæ, SS. Cosmæ & Damiani, & sancti Caroli, cum hac inscriptione. *Inscriptio Italica significat sanationem dominæ Annæ Duarez, quæ referetur cap.* 3. *Finitur his verbis Latinis:* Anno Domini MDCXVI votum fecit, & gratiam recepit. *Tum subditur:* Et aliæ novem tabellæ sunt cum effigie Servi Dei, apparentis nonnullis personis orantibus, Religiosis, sæcularibus, & infirmis, absque inscriptionibus. *Hactenus de sacello anteriore.*

Interius sacellum cum suis tabellis,

15 *Mox pergit auctor ad sacellum interius hoc modo:* Et in alia capella interiori, quæ ferreis cancellis antè obseratur, in quam ingressus est ipse illustrissimus dominus episcopus cum ejus curia & familia, ac reverendo vicario Politii, magistratu secreto & procuratoribus dictæ capellæ: in qua adest supra quoddam altare sepulchrum marmoreum, insculptum à parte interiori cum effigie dicti Servi Dei demortui, ac subtùs effigies ipsius populo prædicantis: & deinde ejus arca in processione ducta: & tertiò sculptura sepulchri cum concursu fidelium: & ante ipsum sepulchrum lampades ardentes argenteo vase. Ac sepulchrum ipsum operitur magno serico, quod Damascum nuncupatur, cum floccis aureis pendentibus, & cum F effigie magna Servi Dei, redimita filis ac telis aureis. Ex partè verò posteriori sepulchri adest clausura lignea, depicta ad modum decem & octo tabellarum. In prima adest effigies dicti Servi Dei in actu defuncti. In secunda adest effigies dicti Servi Dei apparentis claudo. In tertia adest effigies ejusdem, tangentis infirmum, cum inscriptione sequenti, videlicet: "Joannes à Calaxibetta, surdus per trigin„ta annos, in somnis à Sancto sanatur„. *Refertur in Actis num.* 50; *sed ibi* Jacobus *vocatur, verisimiliter quia nomen initio non fuerat integrè scriptum.* In quarta adest effigies mulieris, orantis ad sepulchrum, cum inscriptione hac: "Contissa à Pa„normo, cæca (*spatio*) sex annorum, sanatur. (*Vide Acta num.* 53.) In quinta adest effigies Servi Dei, apparentis ad quemdam orantem, cum tali inscriptione: "Petrus de Cundisi, habens aposte„gma * sub ascella, veniens sanatur„. *In Actis num.* 79 Petrus de Chundrisi *scribitur.* In sexta aderat imago Servi Dei prædicti, apparentis cuidam claudo, oranti in grabato, & altari * genuflexo, cum hac inscriptione: "Matthæus de Mancarella à Ca-

* *l.* apostema

* alteri

„lata-

AUCTORE J. S.

A „ latabillotta, crura habens tumefacta, accedens ad ſepulchrum, ſanatur. (*In Actis num.* 71.)

beneficia teſtamibus,

16 In ſeptima eſt imago prædicti Servi Dei cum inſcriptione hac: SANCTUS GANDOLPHUS. Et ſubtùs ſunt inſignia cujuſdam præſulis, & inſcriptio: "Illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino meo „colendiſſimo, Felici Centino, ſanctæ Romanæ „Eccleſiæ presbytero Cardinali Aſculano, Joſeph „Sponſellus doctor phyſicus Politienſis MDCXII. Et ſecus ipſum aderat octava tabella cum hac inſcriptione: "Sancti Gandolphi, orti in Gallia Ciſalpi„na, in oppido Binaſci, Ordinis Minorum, ad „veritatem expreſſa effigies. Qui dum Panormi „in Sicilia commoratur, divinarum rerum com„mentatione, jejuniis, ceteriſque corporis affli„ctionibus, magnum ſanctitatis nomen adeptus, „fama percrebeſcente, fugiendum ratus, obtenta „à ſuperioribus facultate, Politium (Deo volen„te) pervenit, ubi Jeſu Chriſti Euangelium magno „ſpiritu prædicans, multis virtutibus ac miraculis „clarus, piè ſanctéque obiit anno Domini MCCLX, „Sabbato ante Reſurgentis Domini diem, annis „triginta quatuor poſt obitum ſeraphici patris ſan„cti Franciſci. Sacræ ejus reliquiæ à Jacobo Nar-

B „nia Cephaludenſi epiſcopo, civibus Politienſi„bus, ſignis conteſtantibus, inventæ ſunt anno M„CCCXX, die XVII Maii, Joanne XXII Pontifice „Maximo, & Federico II Siciliæ rege„. In nona tabella adeſt effigies Servi Dei cum gelſimino in manibus, benedicentis mulieri genuflexæ, & cum hac inſcriptione: "Agneſa de Renna à Corleone „paralytica perfectè ſanitatem recepit„. (*In Actis num.* 74 *ſcribitur*, Agneſia de Derna *&c.*) In decima adeſt effigies dicti Servi Dei, alii homini apparentis, cum hac inſcriptione, videlicet: "Antonius Gulielmo à Meſſana, brachiis aridus & „cruribus, veniens ſanatur„. *In Actis num.* 78 Antoninus.

in quo corpus in tumba tribus clavibus obſerata.

17 In undecima adeſt dicta effigies dicti Servi Dei, apparentis duobus genuflexis, cùm inſcriptione hac: "Bartholomeus Guglielmi à Bi„zini, laborans ex vitio capitis, perfectè ſana„tur„. *Hoc in Actis non reperio.* In duodecima eſt effigies Servi Dei prædicti, gelſiminum manu tenentis, ac mulieri mamillam tangenti apparentis, & inſcriptio dicit: "Lombarda de Tro„pella à Politio, fiſtulam in mamillis habens, „veniens ad Sanctum ſanatur„. (*Num.* 26 *in Actis.*)

C In tertia decima adeſt imago ejuſdem Servi Dei, cum cruce in manibus, pœnitentis in eremo. In quarta decima perſpicitur effigies prædicta, comparens cuidam presbytero genuflexo. In quinta decima effigies ſepulchri, ad quod videtur genuflexa mulier, cum hac inſcriptione: "Joanna de Sancte à Caſtronovo, patiens gut„tam, venit ad ſepulchrum, & ſubitò ſanatur„. *Hoc in Actis non legitur.* In ultima eſt effigies dicti Servi Dei, apparentis cuidam genuflexo, cum inſcriptione: "Andreas de Salivella à Gan„cio, triennio ſe erigere non valens, ad ſepul„chrum ſanatur„. (*in Actis num.* 72.) Quæ clauſura tribus vectibus ferreis obſeratur: quorum una clavis penes dictum reverendum vicarium, alia penes magiſtratum, & alia penes capellanum detinebatur. *Toſſianenſis jam antè laudatus lib.* 1 *fol.* 103 *de ſervato corpore ita ſcribit.* Corpus ejus ab incolis præcipua colitur veneratione. Cùm ego eſſem Policii anno MDLXXXIV, cupiens videre illud venerabile corpus, ſub tribus clavibus aſſervatum: quarum alteram tenet guardianus conventûs; mirum fuit videre confluentem turbam hominum & mulierum, cùm primùm reſciviſſent: qui ad conſpectum tam magni theſauri tundebant pectora, Sanctum invocantes, cujus meritis incolæ magna commoda reportant. *Ita ipſe, unam ex tribus clavibus attribuens Guardiano, qui in Proceſſu non nominatur inter tres clavium cuſtodes. Sed fieri poteſt, ut una ex tribus multiplicata ſit apud plures. At videamus modò, quo in ſtatu epiſcopus invenerit ſacras reliquias.*

Apertâ tumbâ, circumfertur in theca argentea corpus Beati,

18 Juſſitque, *ait auctor*, illuſtriſſimus dominus epiſcopus aperiri dictam clauſuram. Quâ reſeratâ, intus primò inventa eſt imago vetuſtiſſima ejuſdem Servi Dei prædicti Ordinis. Deaurata item & lintea quædam mantilia reperta ſunt, tum etiam arca lignea, panno intus ornata, in qua conſervatur arca argentea, ſupra quam erat inſculptum caput dicti Servi Dei, & circa arcam effigies duodecim Apoſtolorum, ac B. Mariæ Virginis & angeli Gabrielis, divi Franciſci & divi Antonii de Padua. In qua arca aſſenſerunt magiſtratus & clerus conſervari reliquias & oſſa dicti Servi Dei, quæ venerari hactenus conſueverunt, & per magiſtratum & clerum ac populum, adhibita pia veneratione, coli. Et eis devotè inſtantibus, mandavit illuſtriſſimus dominus epiſcopus, ut arca ipſa proceſſionaliter duceretur per civitatem. Quo mandato ſuſcepto, incepta eſt ſolemnis proceſſio, primò confraternitatum laïcorum cum earum inſignibus, ſecundò Regularium, tertiò cleri ſæcularis. Subſecuti ſunt magiſtratus, haſtas baldachini geſtantes, ſub quo deferebatur à ſacerdotibus ipſa arca: & circa eam pueri nudati quamplures, ac nobiles, funalibus accenſis, nudato capite, omnes incedebant, hymnis & pſalmis Deum deprecantibus omnibus clericis. Deinde proſequebatur idem illuſtriſſimus dominus epiſcopus pontificaliter indutus cum mitra & baculo, aſſiſtentibus paratis, ſubſequente magno ac numeroſo populo, devotè & diſcooperto capite incedente. Et circumducta proceſſione ipſa per dictam civitatem, reverſa eſt ad ipſam eccleſiam majorem.

E

quod deinde viſitatur: oſſa aliaque reperta in theca.

19 Et appulſa arca fuit depoſita coram magiſtratu, populo, & clero: in qua repertæ ſunt burſæ ſericæ, in quibus aſſervantur oſſa prædicti Servi Dei. In prima os capitis; in ſecunda oſſa majora; in tertia oſſa minora. Quæ omnia veneratus, & devotè deoſculatus eſt dictus illuſtriſſimus dominus epiſcopus; & burſam capitis clerus & populus, eam manibus tenente reverendo vicario. Fuerunt etiam repertæ in alia burſa ſcripturæ pertinentes ad dictum Servum Dei ..... Et finita veneratione, fuerunt omnes burſæ oſſium reconditæ in ipſa arca, quæ iterum fuit obſerata & proceſſionaliter ducta ad priſtinum locum in dicta capella *&c. Scripta hæc ſunt eodem tempore à notario, qui etiam prolixè enumeravit ſcripturas in eadem arca inventas, inter quas eſt Vita à nobis recuſa. Aliæ quædam, item in Proceſſu editæ, ſpectant ad præcedentes aliquot earumdem reliquiarum viſitationes, quas ex eis breviter ordine recenſebo.*

F

Oſſa Beati antè variis

20 *Prima viſitatio, in dictis ſcripturis relata, eſt anni* 1523, *cujus Acta leguntur in Proceſſu pag.* 242. *Arcam tunc aperuit, multis teſtibus præſentibus, Franciſcus de Nicchio, vicarius generalis epiſcopi Cephaleditani*, ut meliùs atque congruentiùs, *inquiunt Acta*, præſens arca, vetuſtate quaſi deleta & abolita, ornari atque decorari potuiſſet. *Aperta autem arcâ, invenit* involutum caput ſuum diſtincto atque ſeparato linteamine; ſimiliter crura & brachia ſacculo diver-

AUCTORE J. S.

so insimul alligata; residuum præfati corporis alio varioque sacculo conservatum; *omnia verò cooperta majori linteamine. Ubi omnia lustraverat, ossa suis locis reliquit, excepto capite, quod formæ argenteæ imponi voluit. Octavianus Præconius, episcopus Cephalæditanus eamdem arcam aperuit anno* 1579. *Invenit, ut habent Acta in Processu pag.* 239, *caput & ossa* in diversis sacculis lineis intus dictam arcam, *sed ordinavit*, quòd caput prædicti corporis pro majori veneratione reponatur in ejus incasto argenteo, existente in summitate & in capite dictæ arcæ, & prædictum incastum, ubi poni debebat dictum caput, clauderetur in modum, quòd nullatenus aperiri posset. Ordinavit etiam prædictus reverendissimus dominus episcopus, quòd super sacculos, in quibus sunt prædicta ossa, fiant alii sacculi linei mundiores ob majorem reverentiam *&c.*

vicibus lustrata.

21 *Anno* 1590 *Franciscus Gonzaga, tunc episcopus Cephalæditanus, postea Mantuanus, arcam similiter aperuit, ut legitur in Processu pag.* 248. *Causa aperiendi erat, quòd aliquid tunc vellent apud Sedem Apostolicam agere pro canonizatione* B. Gandolphi : *nam illustris quædam domina, nomine* Elisabetha la Farina, *testamento suo reliquerat notabilem pecuniæ summam, pro canonizatione expendendam. Itaque voluit episcopus hunc in finem, rogante magistratu Politiensi, scripta de vita & miraculis Beati in arca quærere, & simul sacra ossa visitare. Invenit scripta, prout jam antea fuerant inventa. De ossibus inventis hæc dicit.* Insuper & in eadem arca conditos reperimus duos sacculos albæ telæ compositos, quibus recondita sunt ossa prædicti B. Gandolphi : ac etiam sejunctim mentum dicti Beati telâ contectum. In eadem arca reposuimus caput ejusdem Beati, quod supra arca intus caput argenteum conditum, non sine amissionis periculo, extitisse cognovimus *&c. Rursum anno* 1597 *sacrum illum thesaurum lustravit* Emmanuel de Quero, *episcopus Cephalæditanus, omniaque ossa decenter condita reperit, & sine mutatione reliquit, ut habet Processus pag.* 245. *Idem anno* 1607 *fecit Martinus Mira, episcopus Cephalæditanus, teste Processu pag.* 251. *Rursus anno* 1614 *aperta fuit arca, ut per Philippum Clariana notarium exemplar Vitæ ex authentico, in arca conservato, exscriberetur, illudque traderetur Patribus Societatis Jesu, qui Sanctorum Siculorum Vitas Panormi erant scripturi, prout fecit Octavius Cajetanus. Legitur hoc in Processu pag.* 228. *Successit demum visitatio anni* 1621, *jam prolixiùs relata; nec dubito, quin fuerint aliæ plures : sed operæ pretium non facerem, si omnes scrupulosiùs investigarem.*

B

C

CAPUT III.

Antiquæ imagines, altaria, ecclesiæ & cultus in aliis etiam locis : miracula quædam recentiora.

JOannes Blandus, vicarius foraneus, & canonicus cameralis *Politiensis in Processu pag.* 152 *generatim testatur*, B. Gandolphum *non solum Politii & in locis vicinis pro Sancto haberi, sed per totum quoque Siciliæ regnum : idque dicit colligi ex multis imaginibus vetustis, cum titulo* Sancti *pictis, quales attribuit Panormo, Alicatæ, Castello Veterano. Nominatim verò testatur de antiqua imagine in conventu fratrum Minorum Politii servata, cui trecentorum ferè annorum antiquitatem attribuebat anno* 1613, *cum hac inscriptione* SANCTUS GANDOLPHUS. *Unam nobis cum ceteris instrumentis transmissam hîc exhibeo.*

D

Titulus Sancti in multis locis B. Gandolpho datus : imagines ejus vetustæ, ecclesiæ,



SANCTUS GANDOLFUS A BINASCO, ORDINIS *Minorum Sancti Francisci, Generosæ Civitatis Politij Patronus, ubi eius Corpus asservatur.*

Idem plures assignat Politii, & præcipuè in ecclesia S. Nicolai, ubi Beatus obiisse dicitur, & ubi campanæ sponte dicuntur sonuisse, dum moriebatur. Prodigium hoc in una ibidem Italicis asseritur verbis, quæ facio Latina : Quomodo supra fascem sarmentorum defunctus sit S. Gandolphus, & campanæ auditæ sint sonare. *Jam monui, hoc prodigium in Vita non legi, ita ut fortasse ex pictura ortum habuerit. Alter testis, eodem anno* 1613 *auditus, nimirum Josephus Tamburellus, sacerdos Politiensis, pag.* 161 *consentit de titulo* Sancti *attributo* B. Gandolpho, *& de imaginibus variis. Adjungit verò, extra civitatem Politiensem in via publica versus Panormum exstare ecclesiam vetustam, quæ tunc instaurabatur, nomini* B. Gandolphi *dicatam. De hac ecclesia, quæ medio tantùm milliari aberat Politio, primus testis dicit, eam instaurari nomine* S. Gandolphi, *& Beati imaginem in ejus altari esse positam. Tertius testis pag.* 171 *rursum clarè edicit, illam ecclesiam fuisse dedicatam* B. Gandolpho, *eique consonant plures deinde auditi.*

F

altaria, in aliis etiam

23 *Prior conventûs Carmelitarum pag.* 219 *testatur, in ecclesia sua extra mœnia civitatis Politii pictam exstare imaginem* cum diademate & hac inscriptione SANCTUS GANDOLPHUS. *Sic pag.* 220 *testatur Guardianus fratrum Minorum Conventualium, in sua ecclesia Politii pervetustam exstare* B. Gandolphi *imaginem* cum diademate, *&*

in

AUCTORE J. S.

A in altari. Quam, *inquit*, depictam arbitror, ut ex vetuſtate picturæ apparet, & proborum hominum famâ colligitur, quo tempore fuit hoc templum conſtructum. Ac dicti ſancti Gandolphi veram eſſe imaginem, communi conſenſu fertur, prout etiam ejus nominis adeſt nota, juxta ejus manus poſita, majoribus litteris deſcripta, in qua legitur : SANCTUS GANDOLPHUS. *Hæc eadem eſt, quæ ſuprà memoratur. Sic prope Alicatam in ſacello* S. Joannis Baptiſtæ Hieroſolymitani, *ut vocatur in Proceſſu pag.* 222, apparet depicta quædam pervetuſta imago Divi cujuſdam Ordinis Minorum Cappuccini cum diademate circa caput, quemadmodum alii Sancti manent, dexterâ benedicentis, ſiniſtrâ verò librum geſtantis, cum hac prope humerum dextrum inſcriptione, videlicet SANCTUS GANDOLPHUS, *ut teſtatur* Emanuel Tauromina, *vicarius Alicatenſis. Pag.* 224 Bonaventura de Sacca, *Guardianus* conventûs S. Mariæ Angelorum, Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, Panormi exiſtentis, *teſtatur*, qualiter in dicto conventu, B. Gandolphi .... ſuo cum altari imago reperitur, ac etiam in arbore, in qua noſtræ religionis Beatorum imagines ſunt depictæ, *inquit*, *&c. Ibidem pag.* 225 Patres Ordinis Minorum conventûs ſancti Franciſci Panormi *teſtantur*, qualiter beatus Gandolphus à Binaſco.. eo, quo ſolent Beati, cultu ſemper veneratus eſt, ... in hac felici urbe Panormi in eccleſia S. Mariæ Miſericordiæ,... ubi depicta apparet ſimul cum nomine ejus venerabilis imago, quam, *inquiunt*, noſtro judicio pictam fuiſſe tunc exiſtimamus, quando diebus illis in Domino obdormivit. Ita etiam pariter in noſtramet eccleſia in quodam muro ſub choro prope Sanctam Mariam ex Succurſu ... ſimilis priori videtur imago, cui ſcriptum nomen eſt, BEATUS GANDOLPHUS. Et in cornu altaris majoris lævo extat altare cum imagine ad Beati honorem dicatum. Et tandem in tribona majore eminentiùs ex polita manu ... extat etiam Beati imago *&c.*

B

civitatibus Siciliæ, & cultus in Caſtello Veteranо,

24 *Eccleſiam aliquam* B. Gandolphi *fuiſſe in oppido, quod dicitur* Caſtellum Veteranum, *ſitumque eſt prope Mazaram, varii teſtes anno* 1613 *Politii affirmârunt. At idem certiùs & diſtinctiùs habemus ex teſtibus aliis, qui in ipſo Caſtello Veterano de eadem re interrogati ſunt anno* 1612, *menſe Martio, Indictione* 10. *Nam, ſex teſtibus in idem conſentientibus, eccleſia monialium Sanctiſſimæ Virginis Annuntiatæ, olim dicata fuerat* B. Gandolpho, *dictaque fuerat* B. Gandolphi *eccleſia; ſed poſtmodùm, ædificato ibidem monialium monaſterio, cùm huic tradita eſſet eccleſia, nomen paulatim mutaverat, & pro* S. Gandolphi, *ut antè vocabatur, tunc nominabatur* Annuntiatæ, *aut* Sanctiſſimæ Virginis Annuntiatæ. *Laudati teſtes ulteriùs aſſerunt, feſtivitatem* B. Gandolpi *in dicta eccleſia olim magna cum ſolemnitate celebratam fuiſſe, & inſigni concurſu populi honoratam. Addunt, in eadem eccleſia antiquam eſſe tabulam pictam, in cujus medio eſt imago ſanctiſſimæ Virginis, ad dexteram* B. Gandolphi *& ad ſiniſtram S. Georgii, ſub imagine porrò* B. Gandolphi *ſcriptum haberi*, S. GANDOLPHUS.

C

ubi muto loquelam reſtituiſſe creditur,

25 *Præterea quinque teſtes conſentiunt, antiquam eſſe traditionem*, B. Gandolphum *aliquo tempore habitâſſe in illa civitate, ibique miraculis claruiſſe, ac nominatim muto loquelam reſtituiſſe, eaque de cauſa in ſumma fuiſſe veneratione. Teſtimonia compendio relata latiùs videri poſſunt in Proceſſu pag.* 126 *& ſequentibus. Quod autem ſpectat ad commorationem Beati in Caſtello Veterano, illa improbabilis non eſt, etiamſi in Vita non aſſeratur : nam in Vita nihil ferè habemus de locis, in quibus Beatus vivens habitavit.*

& alia feciſſe miracula : loquela puellulæ obtenta Calatavulturii.

26 *Reſtant referenda de* B. Gandolpho *nonnulla beneficia, ad quæ paulatim acceſſimus, dum teſtimoniis incolarum Caſtelli Veterani mutum ibi ſanatum, ſive loquelâ donatum vidimus. Addunt aliqui ex illis teſtibus, alia etiam miracula, ibidem à Beato patrata; ſed nullum nominatim exprimunt. Illud ex teſtimoniis ipſorum conjicere poſſumus, temerè aut falsò jurantes per* B. Gandolphum *ſeverè punitos fuiſſe. Nam dicunt, tantam Beati fuiſſe venerationem & reverentiam, ut, quando quis jurabat per* B. Gandolphum, *ſtatim aliquis admirabundus reponeret :* Jurâſti per ſanctum Gandolphum, & non periſti? *Anno* 1615 *tres etiam teſtes interrogati fuerunt in oppido*, Calatavulturio *dicto, & Politio non niſi ad aliquot milliaria diſſito, ut in Proceſſu legitur pag.* 138 *& ſeqq. Puellula erat trium annorum & ferè dimidii, nomine* Dominica, *quæ numquam fuerat locuta, ſed linguam ſuam perpetuò arrodebat. Margarita puellæ mater, vidua Dominici Græco, ardenti deſiderio invocavit* B. Gandolphum, *ut loquendi gratiam filiæ ſuæ impetraret, aut morte ſalutari animam illa Deo traderet. Ab eo tempore, ut mater cum aliis duabus juramento teſtata eſt, paulatim loqui cœpit, valebatque & optimè loquebatur, quando tres illæ prædictum teſtimonium dederunt. Beneficium id ſpectat ad ſeculum* XVII, *ut ſatis colligitur ex tempore dati teſtimonii, ſed annus ipſe non exprimitur.*

D

Miracula Beati continuata etiam ſeculo XVI : *energumeni*

27 *Redeo modò Politium, ubi anno* 1613 *quatuor viri ex magiſtratu Politienſi in Proceſſu pag.* 3 *generatim affirmant, miracula* B. Gandolphi *ſemper continuata fuiſſe à morte ipſius uſque ad ſua tempora. Hoc verum omnino eſſe exiſtimo, licèt beneficia illa, quæ contigerunt poſt annum* 1322 *uſque ad finem ferè ſeculi* XVI *minùs ſollicitè videantur collecta & ſcriptis mandata. Præterea varii teſtes ex illis, qui anno* 1621 *ſua dederunt teſtimonia, generatim teſtantur, frequenter audiviſſe ſe de ægrotis ſanatis, & de energumenis liberatis patrocinio* B. Gandolphi. *Adjungunt aliqui, non rarò vidiſſe ſe tempore ſupplicationis, quæ cum reliquiis Beati bis quotannis inſtituitur, energumenos adduci ad thecam* B. Gandolphi, *liberatoſque & Deum laudantes diſcedere, quando ipſi in ſupplicatione erant præſentes. Antoninus Bartucello modo magis particulari teſtatur pag.* 289, *vidiſſe ſe ab annis circitèr ſexaginta, id eſt, circa annum* 1561, *adduci hominem à dæmone obſeſſum, qui prope arcam conſiſtens, ſtridebat, & modo valde inuſitato ſe torquebat, inflabatur, & ſpumam in ore habebat, ac demum verſus arcam ſpuebat. Finita verò proceſſione, dum reliquiæ ad eccleſiam erant reductæ, dictus homo, in eccleſiam ingreſſus mortui inſtar cadebat : ſed paulò poſt ſe erigebat, laudans Deum & B. Gandolphum, cujus patrocinio ſe dæmonis vexatione liberatum agnoſcebat.*

E

varii ipſius patrocinio liberati,

28 *Eadem adjuncta idem teſtis refert de femina energumena, quam in ſupplicatione adductam vidit, & deinde in templo lapſam & liberatam, annis circitèr quadraginta ante datum teſtimonium, ſive circa annum* 1581. *Tertium exemplum laudatus teſtis ſubjungit de Philippa la Perdicca, quam aut neptem aut cognatam ſuam fuiſſe dicit. Hanc ſimili modo circa annum* 1601 *liberatam teſtatur, aſſerens omnia ſe vidiſſe tam antè quàm poſt trium illorum liberationem. Particularia hæc facta generali aliorum teſtimonio de energumenis frequenter liberatis confirmantur. Tribus relatis prorſus ſimi-*

F

AUCTORE J. S.

lis est liberatio alterius energumenæ, quam pag. 262 *vidisse se testatur Laurentius lo Ciraulo sacerdos. Attamen hæc rursum alia est, quia contingere debuit anno* 1603, *cùm testetur factam octodecim annis ante annum* 1621. *Philippus de Porcariis, eodem anno* 1621, *die* 2 *Novembris, testatus est aliud factum particulare, quod narrat pag.* 310 *quodque compendio huc transfero. Laudatus testis circa annum* 1611 *quâdam vesperâ circa horam tertiam post occasum solis invenit ancillam suam, Gandolpham Campanara, adeo turbatam & stridentem, ut crederet à dæmone correptam, quemadmodum ipsa etiam dicebat. Qua de causa, juvante servo Joanne Philippo de Gregorio, ipsam duxit ad sacellum* B. Gandolphi, *ubi corpus servatur, accersito etiam domino Vincentio Perdicaro sacerdote. Cœpit hic Dei & servi ipsius* Gandolphi *nomine præcipere dæmoni, ut egrederetur. Et post moram aliquam dæmon* egressus est, *inquit*, tantum edens strepitum, ut videretur ipsi testi totum ecclesiæ majoris tectum disrupisse. *Aliud rursus factum particulare pag.* 304 *testatur Leonardus Selvaggio de Margarita, conjuge Marii Xiacchitano, dicens illud contigisse ante annos ferè quinque, id est, anno* 1616. *Erat in annua supplicatione laudatus testis, ibique dictam Margaritam primùm à dæmone vexatam, & deinde liberatam vidit.*

B

pluvia tempore siccitatis obtenta.

29 *Mattuccius de Curatolo, civis Politiensis, eodem anno* 1621, *die* XXX *Octobris, interrogatus, aliquot* B. Gandolphi *beneficia particularia juratus narravit, ut habet Processus pag.* 299. *Primum erat sexaginta ferè annis præteritum, ita ut factum videatur anno* 1561; *alterum annis ferè quinquaginta & sex, ac figendum consequenter anno* 156.. *Utroque anno magna erat aquæ penuria mense Majo. Hac de causa agmen supplicantium Politiensium cum corpore* B. Gandolphi *processit extra civitatem ad pluviam impetrandam. Hanc verò gratiam utraque vice tam citò obtinuerunt per subitam aëris mutationem, ut jam pluere inciperet, priusquam totum supplicantium agmen rediisset, ut testatur Mattuccius, qui adfuisse se dicit. Idem subjungit, adfuisse se tertiæ supplicantium cum corpore* B. Gandolphi *ad Patres Cappucinos processioni, quando eadem erat aquæ penuria in locis vicinis, ita ut Calatavulturienses longo etiam agmine advenirent ad venerandum* B. Gandolphum. *Rursum, necdum finita processione, repentè delapsa est pluvia, quam prodigiosam credidit testis, quia nullam in aëre deprehendit pluviæ causam. Hoc factum fuisse ait quindecim circitèr annis, antequam testaretur, & hac de causa figendum est anno* 1606, *mense Majo.*

C

Franciscanus graviter ægrotus,

30 *Laurentius lo Ciraulo, sacerdos Politiensis, anno* 1621, *mense Octobri, aliud testatus est Beati beneficium, in Processu relatum pag.* 262. *Vincentius de Martino, Ordinis Minorum de Observantia, gravi decumbebat morbo, & desperatus à medicis. Deferuntur ad infirmum reliquiæ* B. Gandolphi, *quem ille cum fiducia invocabat: ac derepente, pulso morbo, rectè se habet, & convaluit. Hujus sanationis gratiâ tabellam appendit in sacello* B. Gandolphi, *ut observat laudatus testis, qui ait se adfuisse, ac vidisse graviter ægrotantem & subitò sanatum. Ex tabella autem appensa colligo, eamdem esse sanationem, quæ in descriptione sacelli narratur num.* 14, *quatuor versibus expressa, ubi figitur anno* 1599, *quod congruit cum dictis testantis anno* 1621, *& dicentis eam contigisse ante annos ferè viginti & duos.*

31 *Sanationem Joannis de Vigintimiliis, marchionis Hieracii & principis Castriboni, utpote celebrem & notam, plurimi testes in Processu narraverunt, inter quos laudatus Laurentius lo Ciraulo pag.* 263 *testatur se adfuisse, vidisseque & graviter ægrotantem, & repentè sanatum, simulac, allatis reliquiis, Beatum invocaverat. Verùm, cùm pag.* 115 *habeamus Latinum testimonium à notario scriptum, & ab ipso marchione ejusque conjuge, quando venerunt ea de causa Politium, anno* 1608 *die* VIII *Maii subscriptum, mitto brevitatis causa multorum testimonia, & ex illo, missis etiam superfluis, factum breviter refero.* Illustrissimus & excellentissimus dominus, don Joannes de Vigintimiliis, marchio Hieracii, & princeps Castriboni, maxima & gravissima oppressus infirmate, vovit pro sua salute B. Gandolpho, cujus reliquiam petiit cum licentia... episcopi Cephaludensis sibi offerri. Quâ quidem licentiâ obtentâ, prædictam reliquiam... Franciscus Mistretta, tunc vicarius... Politii, cum maxima sacerdotum & nobilium hujus prædictæ civitatis comitiva sibi detulit. Et factâ per ipsum... principem debitâ reverentiâ, intercessione B. Gandolphi gratiam suæ salutis à divina Majestate consecutus est: & vovit simul cum illustrissima & excellentissima domina, donna Dorothea, ejus dilectissima uxore, personaliter se conferre huc Politium, & visitare arcam, in qua sunt reposita ossa... ejusdem B. Gandolphi. *Factum hoc contigit anno* 1605, *ut ex recitato partim instrumento, & dictis aliorum testium clarum est. Venit autem marchio cum conjuge Politium anno* 1608, *obtentâque ab episcopo licentiâ, arcam ipsis aperuit Joannes Blandus, vicarius Politiensis, viderunteque Beati reliquias:* quas quidem reliquias præfati principes illustrissimi omni, quâ decet, reverentia deosculati sunt: & ei obtulerunt, & præsentaverunt lamperium (*id est, lampadem*) magnum argenteum *&c.*

D

& marchio Hieracii, allatis Beati reliquiis, sanantur.

E

Quidam gravi periculo liberatus, deinde febri,

32 *Leonardus Selvaggio, jam suprà laudatus, pag.* 303 *narrat factum mirabile, in quo divinam agnoscit providentiam, patrocinio* B. Gandolphi *propitiam sibi, ut certè credidit, & piè potuit credere. Eques redibat Panormo Politium, portans secum aliquas figuras argenteas pro arca* B. Gandolphi, *& comites habebat similiter equitantes. Cùm autem venisset ad locum, ubi duplex erat via, altera superior, altera inferior juxta mare, & socii omnes pergerent via superiore, ipse eos sequi voluit, & equum cogere, ut eamdem teneret viam. Verùm nullo modo equum inducere potuit, ut viâ illâ pergeret, ita ut equo cesserit, & siverit illum incedere per viam inferiorem juxta mare. Non diu post, cùm semper pergeret, unus ex sociis cursu accedit, nuntiatque socios novem, qui viam superiorem tenuerant, à Turcis captos esse, & se solum effugisse. Credidit igitur Leonardus, patrocinio* B. Gandolphi *factum esse, ut equus noluerit parere, & sic evaserit. Res contigit anno* 1606, *sive quindecim annis ante datum testimonium. Post hæc laudatus testis subjungit alterum beneficium, patrocinio* B. Gandolphi *acceptum ab annis ferè duodecim, id est, circa annum* 1609. *Laborabat tunc graviter febri quartana, omissisque remediis naturalibus, quæ non credebat profutura, opem* B. Gandolphi *precibus implorabat, & subitò se perfectè sanatum sensit.*

F

alius gravi infirmitate,

33 *Aliam ejusdem anni sanationem testatur Laurentius lo Ciraulo, sacerdos jam laudatus, qui reliquias* B. Gandolphi *ad ægrotum portatas comitatus est, & repentinam sanationem vidit. Decumbebat gravi pressus morbo dominus Franciscus Gagliardo, civis Politiensis, petebatque ut Beati reliquiæ ad se deferrentur. Allatas reliquias venera-*

tus,

A tus, & ope Beati implorata, subitò convaluit & in gratiarum actionem componi jussit quatuor figuras argenteas, arcæ B. Gandolphi adjiciendas.

puer primùm malo caduco, deinde loquelæ impedimento,

34 *Ad annum* 1611 *videtur spectare geminum beneficium, præstitum Petro puero Politiensi, filio Hortensii de Trapina, qui utrumque juratus asseruit anno* 1613, *dixitque duos ferè effluxisse annos à tempore, quo ille filiolus gemino laborabat defectu. Puer malo caduco tam graviter laborabat, ut pedibus non posset consistere, & globi instar factus esset. Adhibitis frustra medicis, cùm malum videretur immedicabile, ad* B. Gandolphum *parentes confugerunt. Itaque, quando agmen supplicantium corpus* B. Gandolphi *per civitatem portabat, puerum nudum more ibi usitato nutrici commiserunt, ut illum arcæ reliquiarum tangendum applicaret. Fecit hoc nutrix, sensitque puerum se erigere, simul atque arcam attigerat. Finita supplicatione, puer domum portatus, cùm vestibus induendus esset, pedibus alacer constitit, & sine ulla difficultate incessit. Ablato illo malo, supererat alius puero defectus, nam præ impedimento aliquo oris aut gutturis voces proferre non poterat, volensque loqui, non intelligebatur. Post aliquod tempus, mandante episcopo, aperta est arca reliquiarum* B. Gandolphi, *præsente pueri patre. Hic ea occasione modicum cepit fragmentum ex panno rubro, quo arca erat cooperta. Domum reversus, exiguum illud panni frustum collo filii sui alligavit: & sic ille confestim loqui cœpit, ac voces proferre claras, prout perfectè loquebatur, & sanus erat, quando anno* 1613 *pater de utroque facto juratum dedit testimonium. Res tota latiùs narratur in Processu pag.* 149.

B

mulier gangrenâ,

35 *Anno* 1612, *noctu inter dies* XXVII *&* XXVIII *Decembris, facta est insignis sanatio Joannæ Marrocco, viduæ annorum sexaginta quatuor, quæ gangrenâ aut cancro ad extremum vitæ discrimen erat perducta. Sanationem testata est sub initium anni* 1615 *ipsa Joanna, dixitque se malo illo laborare cœpisse & laborâsse mense Octobri ante duos annos & tres circiter menses, donec noctu inter festivitatem S. Joannis Euangelistæ & Sanctorum Innocentium sanaretur. Accedit testimonium filiæ ipsius Beatricis Marocco, & Petri de Præconio, medici chirurgi, qui laborantem sanare frustra erat conatus. Rem ex horum testimoniis, in Processu relatis à pag.* 118, *compendio trado.*

C

Cancer mense Octobri invasit pectus dictæ Joannæ, quæ ex illo coacta est decumbere, & adhibere medicos. Hi fuerunt Petrus Precone chirurgus, & filius ipsius Gandolphus Precone medicus. Non obstante horum cura, malum semper crevit, & totum pectus occupavit, ita ut in festo S. Joannis Euangelistæ etiam inflatum esset collum totum usque ad os. Jam dixerat chirurgus, ipsam sanari non posse, nisi sanaretur emplastro illo, quod ultimum pectori imposuerat. At neque illud proderat, & ad vesperam festivitatis S. Joannis credebat se morti vicinam. Cœpit igitur duabus horis post solis occasum multo cum planctu invocare B. Gandolphum, *idque continuavit usque ad mediam ferè noctem. Inter orandum dormire cœpit, & mane evigilans, deprehendit pectus suum carere emplastro; vocansque filiam, simul cum ipsa agnovit, pectus omni inflatione carere, & prorsus esse sanatum. Gratias egit Beato, tenensque biduo lectum ad instaurandas vires exhaustas, tertia die sana surrexit, ac gratiarum actionem in Beati sacello repetiit, quando primùm egressa est domo.*

36 *Anno* 1613, *quo testes hi fuerunt auditi, mense Januario* B. Gandolphus *aliud beneficium præstitit dominæ Isabellæ Trabona, uxori, domini Philippi Trabona, in partu gravissimè periclitanti, ut fusè narratur in Processu à pag.* 142 *testimoniis Agathæ de Vizini obstetricis, quæ parturienti adstiterat; domini Artalis Perdicarii sacerdotis, ac fratris dictæ Isabellæ, qui reliquias* B. Gandolphi *ad periclitantem attulerat; alterius, qui eas erat comitatus, & ipsius Isabellæ, quæ gravissimo vitæ periculo erat defuncta. Rem in pauca contraho. Tantus erat parturientis labor, ut proles, antè per obstetricem baptizata, jam defuncta esset quatuor horis ante adventum reliquiarum, & obstetrix nullum sciret remedium ad partum promovendum. Deinde frater parturientis advenit cum reliquiis, easque ipsi imposuit, Beatum eodem tempore invocanti cum obstetrice. Hoc facto, sine difficultate prolem mortuam statim peperit.*

AUCTORE J. S.

alia gravi partûs periculo,

puer herniâ,

37 *Eodem anno* 1613 *in festo Resurrectionis Dominicæ instituta est processio per urbem cum reliquiis* B. Gandolphi, *eo quòd novum ipsi constructum esset sacellum, in quod reliquiæ erant inferendæ. Ea autem occasione beneficium obtentum est Joanni Jacobo Gallegra, puero trienni, herniâ gravissimâ laboranti, cui per biennium remedia frustra erant adhibita. Mater ipsa, dicta Joanna Precone, puerum portavit ad sacellum* B. Gandolphi, *curavitque ipsum tangendum arcâ reliquiarum ad sacellum portatâ. Puer verò, ubi relatus erat domum, inventus est omnino sanus. Hoc testati sunt eodem anno Vincentius Lampsasona, doctor medicus Politiensis, & Petrus Antonius Trabona, sicut latiùs videri potest in Processu pag.* 147 *& seqq.*

E

puer ad extrema deductus febri continua,

38 *Anno* 1614, *die* XVII *Septembris in ipsa* B. Gandolphi *festivitate, sanatus est Nardus, puer quadriennis, filiolus Sancti de Joanne, quando morti videbatur proximus, ut anno sequenti cum juramento testati sunt pater & mater pueri, ex quorum testimonio tempus clarè colligitur. Referuntur illorum asserta in Processu à pag.* 121, *quorum compendium huc transfero. Laborabat Nardus puer febri continua, & omnem jam perdiderat sensum ea nocte, quæ festivitatem* B. Gandolphi *præcedit, ita ut parentes eadem nocte moriturum crederent & jam pararent funeri necessaria. Illucescente die, pater ad sacellum* B. Gandolphi *se contulit, & Beatum cum lacrymis pro salute filii sui oravit. Deinde sumpsit nonnihil aquæ lustralis, rogavitque presbyterum Matthæum Bartucello, ut reliquiis* B. Gandolphi *aquam illam contingeret. Ubi id factum erat, aquam ille continuò domum portavit, ut filio bibendam daret. Tentavit moribundo aquam infundere; sed non potuit. Quare guttas aliquas collo affudit moribundi, qui id sentire videbatur. Post horæ quadrantem, plangente patre, puerulus improvisò potum petiit. Parentibus igitur simul genua flectentibus, & B. Gandolphum invocantibus pro salute pueri, candelamque hunc in finem voventibus, pater ipsi infudit omnem illam aquam lustralem, quæ Beati reliquias contigerat. Mox puer melius habuit, & intra duos tresque dies omnino convaluit. Qua de causa cum gratiarum actione votum suum impleverunt.*

F

virgo pleuritide,

39 *Sanationem Annæ Duarez, factam anno* 1616, *testes referunt, eamque testatur tabella in Beati sacello appensa, ut dictum est num.* 14. *Laurentius lo Ciraulo sacerdos, qui comitatus est reliquias* B. Gandolphi *ad graviter ægrotantem portatas, pag.* 264 *testatur, ipsam post veneration*em *reliquiarum & invocationem Beati, mox cœpisse melius habere, & perfectè sanatam esse. Consen-*

AUCTORE J. S.

ſentit pag. 269 Petrus Gabrieli ſacerdos, qui rediquias ad ægrotantem tulit, ſed in hujus teſtimonio Joanna *vocatur, errore forſan typographico. Inſcriptio tabellæ, quæ hujus beneficii gratiâ in ſacello appenſa eſt, ex Italica in Proceſſu pag.* 10 *Latina facta ſic habet:* Domina Anna Duarez de Figueroa, filia capitanei Duarez, vitæ ſuæ fini propinqua magno cum dolore ex pleuritide, derelicta à medicis ut moritura, commendans ſe Domino noſtro Deo, ſanctiſſimæ ipſius Matri, præſentibus Sanctis, & particulariter B. Gandolpho, ubi hujus reliquiæ ad ipſam fuerunt portatæ, illas venerans, ſubitò multùm fuit recreata, ac deinde convaluit, ita ut infinitas egerit gratias Deo Domino noſtro, ſanctiſſimæ Matri, præſentibus Sanctis, & glorioſo ſancto Gandolpho, cui laus ſit perpetua.

D

40 *Philippus de Porcariis in Proceſſu pag.* 311 *juratus refert beneficium, ſibi à biennio ſere collatum, & idcirco ſigendum anno* 1619. *Infirmus erat, & multum è naribus emittebat ſanguinem, quem nullo poterat remedio ſiſtere. Itaque, cùm haberet fruſtum arcæ veteris, in qua reliquiæ* B. Gandolphi *olim fuerant conſervatæ, illud admovit vultui ſuo, Beati opem implorans: & confeſtim ſtetit ſanguis, ac æger perfectè ſanatus eſt. Hactenus de recentioribus* B. Gandolphi *beneficiis & miraculis. Veriſimile eſt, hiſce etiam alia acceſſiſſe poſt annum* 1621, *quo facta fuit inquiſitio per Stephanum epiſcopum. At recentiſſima illa, ſi qua fuerint ſcriptis mandata, ad notitiam noſtram necdum pervenerunt.*

ac demum effuſione ſanguinis è naribus.

DE B. PETRO ARBUESIO,

CANONICO REGULARI, MARTYRE,

B E

CÆSARAUGUSTÆ IN HISPANIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

O. S.

§ I. Memoria in Martyrologiis: cultus: Vita à recentioribus ſcripta: ejuſdem compendium excudendum.

ANNO MCDLXXXV. *Hoc die, quo obiit, colitur*

Æſarauguſta, quam indigenæ Zaragoça *dicunt, vetuſta Hiſpaniæ Tarraconenſis civitas, archiepiſcopatu inſignis & Aragoniæ regni caput, in eccleſia ſua metropolitana S. Salvatoris religioſo ſplendidoque cultu aſſervat corpus* B. Petri de Arbues, *communiter* Magiſtri Epilæ *appellati, quem ejuſdem baſilicæ canonicum Regularem, & primum Aragoniæ inquiſitorem, Judæi per conductos ſicarios ibidem coram altari principe orantem anno Chriſti* 1485 *confoderunt, unde biduo poſt beatam animam hac* XVII *Septembris exhalavit. De eo ad præſentem diem Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hiſpanico ſic meminit:* Cæſarauguſtæ in Hiſpania B. Petri Arbueſii martyris, qui cùm primus fuiſſet illius urbis inquiſitor apoſtolicus contra hæreticam pravitatem, dum adversùs illius reos ex officio conſtanter inquirit, intra ſedis metropoliticæ angulos ab iiſdem hæreticis confoſſus, ſpiritum Creatori intrepidus agoniſta puriſſimum emiſit. *Eumdem Martyrologio ſuo univerſali inſeruit Caſtellanus, ubi etiam tempus inflictorum vulnerum & mortis ex iiſdem obitæ rectè diſtinxit verbis, quæ ex Gallicis Latina ſubjungo.*

C

2 Cæſarauguſtæ B. Arbueſius inquiſitor, qui hoc die (XVII *Septembris*) mortuus eſt ex lethiferis plagis, quas Judæi ſicarii ipſi inflixerant ea nocte, quæ inter diem XIV & XV hujus menſis interceſſit, dum in Matutino Officio caneretur Invitatorium VENITE in eccleſia S. Salvatoris, cujus erat canonicus. *In Romano Martyrologio nondum locum obtinuit, neque Sanctorum albo à ſummo Pontifice per canonizationem adſcriptus eſt. Rectè tamen cum à laudatis martyrologis cum* Beati *titulo memorari conſtat ex iis, quæ de legitimo ipſius cultu plùs quàm centum annis ante Urbani VIII Pontificis decretum incepto continuatoque, & de ejuſdem ſolemni beatificatione per Alexandrum VII Papam anno* 1664 *facta inferiùs dicturi ſumus. Interim hîc præmiſiſſe ſuffecerit, laudatum Alexandrum in prædicto Brevi conceſſiſſe, ut* de eo ſub ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur de martyre non pontifice ſingulis annis juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani die XVII Septembris, quâ ſpiritum Creatori reddidit.

officio & Miſſa Cæſarauguſtæ

3 Hæc verò (*inquit ibidem Pontifex*) in locis dumtaxat infraſcriptis; nempe in cathedrali eccleſia Cæſarauguſtana, ubi canonicus martyrii palmam conſecutus eſt, ejuſque corpus requieſcit, in eccleſiis generalis inquiſitoris Hiſpaniarum, ac S. Martini inquiſitionis regni Aragoniæ, ubi primus inquiſitoris munus obivit, & à qua ex Apoſtolica auctoritate munus idem accepit; necnon in matrice eccleſia oppidi de Epila, ubi natus eſt; & quantùm ad Miſſas attinet, etiam à ſacerdotibus confluentibus. *Hæc anno* 1664. *Deinde anno* 1694 *adornatum eſt aliud de eodem Beato Officium, de quo in calce ejuſdem typis editi exemplaris, quod præ manibus habeo, ſequentia legere eſt:* Cæſarauguſtana. Supraſcriptas Lectiones ſecundi Nocturni proprias, & Orationem beati martyris Petri de Arbues, prout ſuprà jacent, ab Eminentiſſimo & reverendiſſimo domino Cardinale Caſanate ex præſcripto ſacrorum rituum Congregationis denuò reviſas & correctas, eadem ſacra Congregatio approbavit, & in poſterum in metropolitana eccleſia Cæſarauguſtana, aliiſque locis, quibus Officium cum lectionibus & oratione propriis prædicti Beati ex indulto Apoſtolico hactenus

F

& in aliquot aliis locis

con-

AUCTORE C. S.

A concessum reperitur, recitari & imprimi posse concessit, die XVII Julii MDCXCIV. *Subnotatum erat:* A. Cardinalis Cybo. *Et infrà:* B. Inghiramus Sac. Rit. Congreg. Secret.

4 *Idem Officium atque Oratio anno 1696 ad alia denique loca multò ampliora extensa fuerunt, dum scilicet, ut in eodem exemplari legitur, lectiones illius proprias & orationem* ad humillimas preces archiepiscopi & capituli ecclesiæ metropolitanæ prædictæ (*Cæsaraugustanæ*) sacræ rituum Congregationi à R. P. M. Fr. Bernardo de Cariñena & Ypença, vicario generali Ordinis B. M. Virginis de Mercede porrectas, sacra eadem rituum Congregatio in omnibus regnis Aragonum, in Hispaniis tantùm, in civitate Bononiæ, in omnibus ecclesiis generalis inquisitionis Hispaniarum, necnon in omnibus civitatibus, in quibus tribunalia inquisitionis existunt, & in quibus, sicut & in omnibus enarratis regnis, ecclesiis, civitatibus & locis fit Officium prædicti Beati de Communi unius martyris, ad relationem Eminentissimi & reverendissimi Cardinalis Coloredi, recitari ac imprimi posse benignè concessit. Die XXIV Novembris MDCXCVI. B *Subnotatum denuò erat:* A. Cardinalis Cybo. *Et infrà:* B. Inghiramus Sac. Rit. Congreg. Secret.

in Hispania, & Bononiæ

5 *Per Bononiam hìc* Bologna *designatur, ditionis Pontificiæ celebris civitas in Romandiola, ubi Officium & Missa de* B. Petro Arbuesio *celebrare haud dubiè concessum est, quod Beatus in ea civitate philosophiæ ac Theologiæ studuerit, & utriusque magisterium adeptus, eas publicè professus fuerit, uti ex dicendis constabit. Lectiones primi Nocturni præscriptæ sunt ex Epistola B. Pauli apostoli ad Romanos:* Fratres debitores sumus *&c.: secundi Nocturni suis locis Commentario inserentur: pro tertio denique Nocturno assignatur* Homilia super Euangelium: Nihil est opertum, quod non revelabitur &c.; ut in festo S. Calisti, die XIV Octobris. *Oratio verò hæc est:* Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut B. Petri martyris tui fidem congrua devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei defensione martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum *&c. Ante solemnem beatificationem colebatur, non hac die* XVII *Septembris, quâ obiit, sed* XV *ejusdem, quâ à sicariis confossus fuit. Ita discimus tum ex Joanne Mariana lib.* 25 *Historiæ cap.* 8, *aliisque, tum ex libro* C *Informationum infrà sæpe laudando, ex quo sequentia accipe:* Testis XXXIV ad articulum XIX testatur de visu, fideles cum notabili concursu in civitate Cæsaraugustana colere diem hujus Servi Dei, tamquam unum ex diebus majoris festivitatis, pulsando campanas metropolitanæ ecclesiæ ac incessanter tota die XV Septembris à suis primis Vesperis, sicut fit in die S. Valerii ac S. Vincentii, quibus fit hæc magna solennitas, tamquam patronis principalibus cathedræ episcopalis Cæsaraugustanæ. *De celebri ejusdem cultu inferiùs multò plura dabimus.*

in Italia: olim colebatur die 15.

6 *Beati nostri Vitam à nullo synchrono vel suppari scriptam reperi, aut ab aliis laudari legi; unde non immeritò conqueritur Didacus Garzia de Trasmiera mox laudandus, ex ejusmodi scriptorum inopia pauca ex gestis illius ad posterorum notitiam pervenisse. Recentiores tamen multi, præsertim Hispani, de eodem meminerunt, quos magno numero recenset Tamayus in Notis ad Martyrologium suprà citatum. Inter ceteros verò vitam, mortem ac miracula carmine heroïco exposuit Vincentius Blascus de Lanuza, canonicus pœnitentiarius Cæsaraugustanus, in Opusculo, quod Periphanon, seu de coronis Sanctorum Aragonensium inscripsit, & in libros quinque partitum Cæsaraugustæ vulgavit anno 1623. Post hunc Didacus Garcia de Trasmiera, inquisitor Valentiæ, Siciliæ & Toleti, Vitam Hispanicè stilo ligato composuit, quæ primò Monteregali anno 1647, id est, sedecim circiter annis ante solemnem ipsius beatificationem, excusa est, ac deinde cum supplemento aliquo unà cum beatificationis Bulla anno 1664 Matriti recusa.*

Vitam à recentioribus scriptam

7 *Alteram denuò Vitam, Hispanico similiter sermone, anno 1690 Cæsaraugustanis typis publicavit Joannes Gracianus y Salaverte, Ordinis S. Mariæ de Mercede, provinciæ Aragoniæ historiographus, qui se per matrem suam ex Elisabetha Beati sorore ortum ducere testatur. Hasce Vitas in Museo nostro habemus quidem; sed cùm earum auctores exiguam ab ætate, quâ scripserunt, auctoritatem sibi conciliare possint, multaque in iis ex conjectura dixisse atque exornâsse videantur, satiùs duxi easdem ad concinnandum Commentarium adhibere, quàm Latinè versas excudere. Idem de Vita metrica, Periphano inserta, statui; eóque magis, quòd hæc suis poëticis phrasibus crebrò ad nauseam scateat, & poëmatum* E *more gesta liberaliori stilo amplificet. Hinc præplacet mihi ejusdem Vitæ breve compendium tempore beatificationis Romæ anno 1664 Italicè editum, & illustrissimo domino Joanni Vaguer, canonico ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ, & procuratori causæ ejusdem beatificationis inscriptum, quod Latinitate donatum subjungam. Præplacet, inquam, mihi hoc compendium, quia verisimiliùs ex Actis beatificationis concinnatum est, ideóque erroribus minùs obnoxium debet videri.*

non dabo, sed ejusdem compendium

8 *Verumtamen quia laudatum compendium in Beati morte desinit, omissis miraculis, aliisque, quæ post eam contigerunt, & ad ejusdem cultûs initium & augmentum pertinent, hæc ex citatis Vitis Latinè subjungam, ne qua parte lectores defraudem. Ad eumdem finem, uti & ad Commentarium de Vita conscribendum, utile mihi erit Ms., quod Papebrochius noster ex libro Informationum apud P. Procuratorem generalem Romæ descripsit, & ad hunc diem deposuit, in quo pro impetranda beatificatione ipsius multa de vita, moribus, martyrio, miraculis & cultu antiquo perstringuntur, & nomine Philippi IV Hispaniarum regis, reverendissimi domini inquisitoris generalis* F *Hispaniæ, aliorumque, quorum intererat, nomine probanda exhibentur. Suo item loco Breve beatificationis, modumque ac solemnem pompam, quibus ea Romæ in Vaticana S. Petri basilica publicè celebrata est, in Commentario recensebo. Alios denique auctores, qui de eodem* B. Petro *scripserunt, per decursum laudabo.*

Romæ editum: miracula, aliaque aliunde recensebo.

§ II. Beati patria: parentes nobiles, majores, fratres & sorores: pia educatio: studia litterarum præsertim Bononiæ: magisterii & doctoratus laurea.

Beatus nascitur Epilæ in Hispania.

B*Eatum* Petrum Arbuesium *primam lucem* Epilæ *aspexisse, convenit penè inter omnes, qui de ipsius patria meminerunt, atque ita etiam asse-*

AUCTORE C. S.

asseritur cùm in Ms. instrumento suprà num. 8 *laudato, tum in Bulla beatificationis, verbis num.* 3 *recitatis, tum denique in Officio ejusdem proprio. Est autem Epila exiguum Hispaniæ oppidum seu castrum in Aragonia ad Salonem fluvium, indigenis* el Xalon *dictum, septem milliaribus Hispanicis, teste Didaco Garçia Trasmiera in Vita, versùs Occidentem dissitum Cæsaraugustâ, in cujus diœcesi est. Vincentius Blascus & Joannes Gracianus illam eamdem esse putant cum antiqua Segontia, quam Itineraria Antonini imperatoris in itinere, quod Emeritâ Cæsaraugustam ducit, ab hac ultima sedecim millia passuum distantem exhibent. Dixi*, penè *inter omnes de hac Beati patria convenire: nam canonici Cæsaraugustani in libello supplice Paulo V Pontifici anno* 1614 *pro impetranda ipsius canonizatione oblato, eumdem Cæsaraugustanum facere conati sunt his verbis:* Petrus Arbuesius Cæsaraugustanus, vulgò Magister Epilà eam ob causam fortasse dictus, quòd illustris suæ gentis origo ex hujus nominis oppido esset &c. *Verùm hæc canonicorum opinio nullum, quem sciam, suffragatorem habet, totque convellitur testimoniis contrariis, ut neminem debeat morari.*

B (*unde Magister Epilæ appellatus est*)

10 *Porrò ab Epila patria sua, simul & à magisterio Theologiæ, quo ornatus fuit*, B. Petrus *communiter* Magister-Epilæ, *Hispanicè* el Maestro-Epila, *appellatus est, ut hoc nomine potiùs, quàm* Petri de Arbues, *in Hispaniis veniat. Hinc Alexander VII Papa in Brevi beatificationis ait, confectos esse processus de martyrio &c* Servi Dei Petri de Arbues, aliàs Magistri Epilæ nuncupati. *De hisce laudatus Blascus poëta lib.* 3 *sic cecinit:*

Inter nostrates antiqua Seconcia terras
Molles cantati ad ripas constructa Salonis,
Epila pòst dicta, immutato nomine prisco,
Et rege Alfonso Machometis libera vinclis,
Turribus ac muris circumvallata vetustis,
Nobilibus fœlix dominis, & fertilis agris,
Munera & omniferos terræ fusura nitores,
Frugum altrix, Divûmque parens fœcunda virorum,
Mastrepilam sanctum genuit, quod Rector Olimpi
Languenti mundo postremo tempore sidus
Concessit. Genuitque alios Seconcia multos
Et celebres tulit ipsa viros armisque togâque,
C Et verbo & versu claros, studiisque Minervæ
Egregios; instar quorum Mastrepila noster
Nunc erit, immensum patriæ lumenque decusque.
Quem Epila nascentem vidit, nutrivit, eumque
Audivit teneros fundentem ad inania fletus,
Et flentem in dulces pellexit carmine risus,
Plena coralliferis distillans ubera labris.

Hactenus ipse, insignes Epilæ laudes congerens, quas non vacat hic examinare.

11 *Annum* B. Petri *natalem ibidem præmiserat his verbis:*

circa annum 1441,

Tempus erat, quando sol jam transegerat annos
Quadraginta quatercentos post mille duosque.

Eidem anno 1442 *nativitatem illius illigat Joannes Gracianus Salaverte in Vita cap.* 1, *num.* 3; *cui proximè accedens Didacus Garzia Trasmiera, eam uno anno citiùs, nempe* 1441, *auctor verò Compendii edendi anno* 1440 *affigit. Magis discrepat Ms. instrumentum in causa Beatificationis confectum anno* 1622, *quod num.* 8 *laudavimus, in quo* B. Petrus *natus dicitur* in oppido, Epila nuncupato, Cæsaraugustanæ diœcesis de anno MCCCCXXXV, vel circà. *Verùm illa ipsa correctio vel* circà *satis indicat, de natali anno tum non satis constitisse; ideòque cùm Didacus Garzia, Joannes Gracianus & Compendii auctor seriùs scripserint, & quidem duo ultimi post beatificationem, quando interim aliquid certius de natali ejus tempore potuit comperiri, verisimilius est, felicem illum ortum in unum è tribus istis annis* 1440, *& duobus sequentibus incidisse, aut certè propiùs ad eos accessisse.* D

12 *De parentibus, quibus natus est, liber Informationum in causa beatificationis sic habet:* Articulat, ac probare vult & intendit (*procurator causæ*) qualiter in oppido, Epila nuncupato, Cæsaraugustanæ diœcesis de anno MCCCCXXXV, vel circà, ex Christianis & honestis parentibus, Antonio de Arbues & Sancta Ruiz legitimis conjugibus & ex puro sanguine procreatus ac natus fuit, in figura legitimi matrimonii, Petrus de Arbues, dictus deinde Magister de Epila; qui juxta ritum S. R. E. baptizatus, & deinde confirmatus fuit. Et ita fuit, erat & est veritas, publicum & notorium; & de præmissis omnibus & singulis antiquæ extant memoriæ & traditiones ac publica vox & fama. *Eosdem parentes nominat auctor Compendii, quos non minùs nobilitate familiarum, unde nati erant, quàm pietate spectabiles fuisse affirmat. In Officio ipsius proprio, omissis eorumdem nominibus, de generis nobilitate fit mentio in hunc modum:* Petrus cognomento de Arbues, Epilæ in Aragonia natus, à piis honestisque parentibus, unà cum sanguinis claritate hausit & pietatem. *ex nobilibus parentibus, Antonio Arbues* E

13 *Antonium Arbues & Sanciam Ruys pariter nominat Didacus Garzia Trasmiera & de utriusque nobilitate consentit. Joannes Gracianus Salaverte etiam aliquot* B. Petri *majores, ejusdemque fratrem ac sorores sic recenset:* Ejus pater vocabatur Antonius Arbues, mater Sancia Ruiz, ambo ex illustri sanguine antiqui nobiles *; ut testantur scuta gentilitia Arbuesiorum, quæ in campo aureo tres vittas cæruleas exhibent. Exstant præclara de progenitoribus eorum monumenta in archivis excellentissimorum comitum de Aranda. Dominus Petrus de Epila Arbues matrimonium iniit cum domina Constantia de Ahones: erant autem Ahones prædivites, unaque ex primariis familiis regni. Dominus Petrus Ahones fuit avunculus (*vel* patruus, *Hispanicè enim est* Tio) regis Jacobi, cognomento Victoris; & ex eadem familia duo episcopalem cathedram Cæsaraugustanam tenuerunt. Ejus scutum gentilitium habet campanam elinguem in campo rubro. Inter alios liberos genuit dominum Petrum de Epila Arbues: ut constat ex testamento confecto Epilæ per Sancium Ladraz die XIII Januarii anni MCCCLIV. *& Sancia Ruiz, patris majores* * *Hispan.* Infançones F

14 Dominus Petrus de Epila Arbues uxorem duxit dominam Joannam Suñen, filiam dominorum de las Pedrosas: ita constat ex testamento ejusdem domini Petri, facto Epilæ per Rodriguem de Sadaba, istius loci notarium, die XV Augusti, anno MCCCLVII. Dominus Gonsalvus Arbues, filius domini Petri, conjugem habuit dominam Joannam Ximenez de Villa nova, filiam domini Ximen Garziæ de Villa nova, vicini * Epilæ, & dominæ Romeæ Ferran Muñoz de Pampelona, ex illustri familia civitatis Calatayudæ: ut asserit ultimum testamentum domini Gonsalvi conscriptum Epilæ die XXIX Julii anni MCDXXIV per Martinum de Salamanca notarium. Dominus Gonsalvus procreavit filium dominum Antonium Arbues, *aliquot recensentur,* * *vel* incolæ

B. Pe-

AUCTORE C. S.

A B. Petri Arbueſii patrem, qui matrimonio ſibi junxit Sanciam Ruiz ex nobili familia de Sabada. Hi duos filios genuerunt, quorum primogenitus vocabatur Antonius, ſecundus Petrus; atque hic fuit Inquiſitor noſter & martyr.

15 Filias verò quinque protulerunt; dominas Joannam, Eleonoram, Iſabellam, Sanciam & Beatricem. Joanna nupſit domino Joanni de Medrano de Epila; Eleonora in familia de Garcias de Vera, Iſabella domino Antonio Salaverte, Catholico regi à ſecretis, Sancia in familia de Francias. Ita dominus Antonius Arbues teſtatur in teſtamento ſuo, ſcripto Epilæ die XXIV Februarii anno MCDLXXXV per Antonium de Abiego notarium Epilenſem; & Sancia Ruiz in ſuo item teſtamento, confecto per Martinum Marin die XXVII Julii anni MCDLXIV. In hiſce omnibus filiabus copiosè dotandis pater familiæ ſuæ opulentiam manifeſtavit. Earumdem liberi cum illuſtribus familiis juncti fuere; ſcilicet cum familia de Seſſe, Perez de Alfaro, Urries, Salaberte, multiſque aliis diſtinctæ nobilitatis; quæ noſtri Martyris inquiſitoris nobilitatem evidenter demonſtrant. *Hactenus laudatus Joannes Gracianus,* B *ex cujus fide ea dicta ſunto.*

uti & Beati frater & ſorores.

16 *De* Petri *nomine in ſacro baptiſmatis fonte ipſi impoſito inter omnes pariter convenit, uti & de Chriſtiana ſub piis parentibus inſtitutione, de qua in inſtrumento Informationis ad beatificationem ſic legitur:* Item qualiter dictus Antonius & Sancta conjuges eumdem Petrum, ipſorum filium legitimum & naturalem, in fide Catholica Chriſtianæ doctrinæ rudimentis erudierunt, procurando, ut bonos decet Catholicos, ut in operibus virtutum ſe exerceret. *Præterea à primis eum annis Grammaticæ elementis operam gnaviter dediſſe, eodemque tempore tam in hiſce quàm in virtutum ſtudio felices progreſſus feciſſe, biographi ejus affirmant; idque Didacus Garzia & Joannes Gracianus ſatis prolixè, ex conjecturis, ut exiſtimo, exponunt atque exornant. Hæc omnia Officium ejuſdem proprium breviter complectitur his verbis:* A piis & honeſtis parentibus unà cum ſanguinis claritate hauſit & pietatem: ab ipſis enim incunabulis optimis moribus imbutus, pueritiam ita tranſegit, ut nihil priùs in ætate illa ſibi duxerit excolendum, quàm litteras & Chriſtianas virtutes. *Vide etiam Compendium Vitæ edendum num.* 1.

Pietate & litteris imbutus.

C 17 *Si laudato Joanni Graciano credimus, beatus Adoleſcens præceptis Grammatices jam probè imbutus, Oſcam, quæ Aragoniæ civitas eſt, vulgò* Hueſca *vocitata, à parentibus ſuis miſſus, ibidem in ejuſdem tum celebri univerſitate philoſophiam audiit, atque inde ad paternam domum Epilam regreſſus, Bononiam ſe contulit, ſacræ theologiæ ſtudendi gratiâ in collegio Hiſpanico, cujus alumnorum numero erat adſcriptus. Verùm de philoſophicis placitis ab ipſo Oſcæ exceptis nihil reperi apud alios, ex quibus auctor Compendii Vitæ eum philoſophiam æquè ac theologiam Bononiæ audiſſe diſertè affirmat; quod etiam Vincentius de Lanuza non obſcurè innuit. Hinc mihi iſta Beati in Oſcenſi univerſitate inſtitutio ut minimùm dubia apparet. De Bononienſi in Italia conſentiunt omnes, de eaque in inſtrumento pro beatificatione ſequentia legere eſt:* Item qualiter idem Petrus, adoleſcens factus, miſſus fuit ad civitatem Bononiæ ſtudendi causâ; ubi litteris operam dando, ac multùm in theologia proficiendo, meruit tandem in magiſtrorum numerum adſcribi. Item qualiter adhuc in eadem civitate exiſtens, in collegam inſignis collegii, Hiſpaniarum nuncupati, electus fuit, in quo eximiæ virtutis ſpecimen dando, maxima de illo concepta fuit exſpectatio.

forſan Oſcæ, certè Bononiæ philoſophiæ & theologiæ

18 *Conſonat Officium proprium, quod ita habet:* Adoleſcens liberalibus diſciplinis eruditus, Bononiæ in collegio Hiſpanorum adſcriptus, doctrinâ & eruditione adeò excelluit, ut inde magiſtralem ſacræ theologiæ lauream reportaverit. *Compendii auctor, aliique obſervant, eum philoſophiæ magiſterio antè exornatum fuiſſe; de quibus omnibus, uti & de tempore, quo ea contigerint, Didacus Garzia* § 4 *Hiſpanicè habet, quæ Latinè ſubjungo.* Advenit Bononiam Petrus noſter, ubi tam eximia in litteris ſpecimina coram collegii (*Hiſpanici*) moderatoribus dedit, ut ſine difficultate approbatâ ipſius ſcientiâ, ad probandam pariter natalium conditionem admiſſus ſit, quod quidem ipſi facile factu fuit, cùm ex nobilibus & honeſtis parentibus natus eſſet. Præbendam theologicam collegii adiit anno MCDLXVIII. Multò antè philoſophiæ magiſter creatus fuerat; utque per omnes exercitiorum gradus aſcenderet, ſacræ theologiæ doctoratum adeptus eſt anno MCDLXXIII, die XXVII Decembris, qui annus ſecundus erat (*imò tertius*) Pontificatûs Sixti IV; E ut conſtat ex Annalibus celebris doctiſſimæque univerſitatis Bononienſis.

operam navat, & laureâ magiſterii

19 In inſtrumento quoque doctoratûs ejus inſolitam clauſulam, magnæ æſtimationis, quæ de ejuſdem ſcientia in Italia concepta erat, teſtimonium adſcripſerunt, quæ cùm ſingularis mihi videretur, volui eam eodem Latino idiomate hic referre. Dicunt itaque: "Multiplicia virtutum do„na, quibus perſonam ipſius, artium & philoſo„phiæ magiſtri Petri de Arbues, Altiſſimus mul„tipliciter inſignivit *&c. Ad eadem tempora prædicta refert Joannes Gracianus in Vita cap.* 4, *licèt uno in loco annus* 1663, *pro* 1673 *ex typothetarum fortè incuria, notatus ſit. Addit & alterum ex eodem inſtrumento Bononienſi teſtimonium, in quo ſcilicet dicitur* "venerabilis atque „eximiæ ſapientiæ vir, & artium atque philoſo„phiæ magiſter, Petrus Arbues *&c. Verùm hæc omnia juverit nonnihil expendiſſe. Quod ad annos aditi collegii Hiſpanici Bononiæ, & doctoris laureæ acceptæ attinet, facilè ipſis credidero; cùm id ex Bononienſibus tabulis potuerint addiſcere, nec quidquam in contrarium occurrat. Atque hac ratione Beatus ſecundùm dicta num.* XI *annum ætatis ſuæ trigeſimum egiſſe, aut uno vel altero ſuperâſſe potuit, dum ſacræ theologiæ doctor creatus eſt.*

& doctoratu donatur:

F

20 *Non ita aſſentiri iiſdem poſſum, dum aiunt, illum, mox ut Bononiam advenit, philoſophiæ magiſterio antè alibi inſignitum, in collegii Hiſpanici alumnum cooptatum fuiſſe: obſtat enim auctor Compendii, de quo num.* 17 *meminimus, cui etiam eatenus favet inſtrumentum, ex libro Informationum deſcriptum & eodem numero relatum, quòd de opera ab eo ſtudiis navata Bononiæ priùs agat, quàm de ejuſdem in prædictum collegium admiſſione; atque ita ſatis inſinuet, hanc inſtius operæ præmium fuiſſe. Ceterùm ſæpe memoratum collegium auctorem habuit Ægidium Albernotium, archiepiſcopum Toletanum, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ, de qua optimè meritus eſt, Cardinalem S. Clementis, qui illud poſt medium ſeculi* XIV *in celeberrima illa Bononienſi academia erigendum curavit fundavitque, & inter ceteros ejuſdem alumnos, duos Aragones perpetuò recipi mandavit. Videri de illo poteſt Ciaconius in Vitis Pontificum & Cardinalium tom.* 2, *ubi inſigne*

ibidem fuit collegii Hiſpanici alumnus.

AUCTORE C. S.

magni illius viri elogium pro meritis exhibetur. Porrò B. Petri *virtutes, quibus Bononiæ emicuit, celebrant duo Hiſpani ſcriptores jam crebrò laudati, & pro inſigni ipſius humilitate, ex Proceſſu anno 1613 confecto citant doctoris Joannis Cerçiti, prædicti collegii alumni, teſtimonium: ſed non ſatis diſtinguunt, utrùm hic eo anno teſtimonium ex aliunde cognitis dixerit, an, quod ipſe viderat, ſcripto olim teſtatum reliquerit, quodque deinde alii in Proceſſu recenſuerunt. Addunt denique Beatum noſtrum Bononiæ publicè ſummaque cum laude docuiſſe. Hæc autem ipſius mora Bononiæ haud dubiè cauſa fuit, cur ejuſdem Officium proprium à Sacra rituum Congregatione anno 1696, ut num. 4 & 5 dictum eſt, ad hanc etiam civitatem fuerit extenſum.*

§ III. Fit canonicus Regularis Cæſarauguſtæ, deinde inquiſitor: trucidatur ex odio fidei: annus, dies & adjuncta mortis.

B

Fit canonicus Regularis Cæſarauguſtæ,

Interea dum B. Petrus *Bononienſibus academicis præluceret, metropolitanæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ S. Salvatoris canonicus electus eſt. Florebat in ea eccleſia inſigne canonicorum Regularium collegium, in quod deinde, teſte Gabriele Pennotto in Hiſtoria tripartita ſacri Ordinis canonicorum Regularium lib. 2, cap. 31, num 3, anno 1604, procurante Philippo II Hiſpaniarum rege, canonici ſeculares ſucceſſerunt. At certè hîc aut in anno, aut in numero regis erratum eſt, cùm Philippus II anno Chriſti 1598 vitâ functus ſit, ſuccedente ipſi Philippo ejus nominis tertio, quo regnante id factum eſſe etiam aſſerit Didacus Murillo Tractatu 2 de Excellentiis eccleſiæ metropolitanæ Cæſarauguſtanæ cap. 30. Utut eſt, conſtat, in laudata eccleſia canonicos Regulares reſediſſe, dum* B. Petrus *in eorumdem collegium cooptatus fuit. Ita liquet ex libro Informationum, ubi dicitur:* Electus deinde fuit in canonicum Regularem Ordinis S. Auguſtini, eccleſiæ metropolitanæ Cæſarauguſtæ, per archiepiſcopum, capitulum & canonicos ejuſdem eccleſiæ, ubi de anno MCDLXXVI ſolennem profeſſionem, ut moris eſt, emiſit; Regulari obſervantiæ, quam profeſſus fuerat, exactiſſimè incumbendo, & indies laudabiliter proficiendo. *Pari modo in libello ſupplice pro canonizatione obtinenda per canonicos metropolitanos eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Paulo V Papæ anno 1614 oblato de eodem legitur:* Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini inſtitutum in hac ipſa eccleſia profeſſus, cum ſingulari doctrina & eruditione ſacrarum Scripturarum... morum gravitatem & vitæ innocentiam conjunxit. *Conſonant lectiones Officii illius, in quibus, omiſſo tamen anno profeſſionis, legitur:* Mox in canonicum metropolitanæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ adſcitus, Regularem, quam voverat, obſervantiam conſtantiſſimè ſemper retinuit.

C

ubi profeſſionem edit anno 1476.

22 *De anno conſentit etiam auctor Compendii num. 2 & 3, ubi & diem, quo profeſſus eſt,* IX *Februarii, & tempus, quo primùm electus,* XXX *Septembris, annumque* 1474 *aſſignat. Conſonant pariter Didacus Garzia & Joannes Gracianus, quorum hic electionem de regulari habitu aſſumpto interpretatur, dicens:* Induerunt illum habitu ſuo die XXX Septembris anno MCDLXXIV. *Uterque item ſcriptor ait, Joannem Aragoniæ, Joannis II regis filium, Cæſarauguſtanum epiſcopatum tum tenuiſſe; quod conſentaneum eſt dictis Didaci Murillo, ſecundùm quem in Tractatu de Excellentiis eccleſiæ metropoliticæ Cæſarauguſtanæ, laudatus Joannes, cùm ſacerdotio initiatus non eſſet, adminiſtratoris nomine eidem archiepiſcopatui ab anno 1460 uſque ad* XIX *Novembris anni 1475 præfuit. Priorem, ſub quo profeſſionem emiſit, liber Informationum ſic indicat:* Solemni emiſſa profeſſione canonicorum Regularium S. Auguſtini de anno MCDLXXVI in manibus doctoris Michaëlis Ferrer, Prioris ſanctæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, verè canonicum Regularem ſe præbuit inter omnia obſervantiſſimum ſui inſtituti, ac Religioſum admirabilis exempli factis & verbis.

D

Conſtituitur primus inquiſitor

23 *Laborabant eo tempore Catholici reges Ferdinandus V & Eliſabetha, ut nefariam Mahumeticam ſectam & Judæorum perfidiam, qui etiam poſt ſuſceptum, ſeu ficto ſeu ſincero animo, baptiſmum, ſuperſtitioſis ritibus ſuis clàm operabantur, è regnis ſuis eliminarent. In hunc finem, annuente ſummo Pontifice, ſacrum Inquiſitionis tribunal erexerant, quod in hujuſmodi ſceleratos animadverteret. Itaque R. P. Thoma de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, generali Hiſpaniarum inquiſitioni præfecto, in alios virtute & doctrinâ præſtantes viros diligenter inquirebant, quibus id muneris variis in locis tutò dignéque poſſet committi. Cúmque iis dotibus* B. Petrus Arbueſius *præ ceteris floreret, is unà cum Gaſparo Inglario, Ordinis Prædicatorum, à laudato Thomæ primus Aragoniæ inquiſitor renunciatus eſt anno 1484 die* IV *Maji, teſte Compendii auctore. Tanti Viri ad tam grave officium electio ipſis regibus Ferdinando & Eliſabethæ in Officio Beati proprio adſcribitur his verbis:* Suæque non modò, ſed alienæ etiam ſaluti, pari ſtudio ac ſolicitudine invigilans, virtutibus omnibus ſic enituit, ut Ferdinandus & Eliſabetha, Catholici Hiſpaniarum reges, cùm vellent è ſuis finibus Judaicam exterminare perfidiam, ipſum fidei inquiſitorem in Argonia primum eligendum curaverint. *Conſonat liber Informationum, cujus verba mox dabimus.*

E

in regno Aragoniæ, quo munere

24 *Eidem prorſus anno id etiam illigant Didacus Garzia & Joannes Gracianus; adduntque ipſum, cùm tanto muneri ſe imparem diceret, ex humilitate non parùm reluctatum fuiſſe, ne acceptaret: quod quidem Gracianus, Joannem Gomez, oculatum teſtem annorum 70, in primo Proceſſu teſtatum reliquiſſe aſſeverat. De eodem munere ipſi impoſito, & inſigniter obito, ſequentia habet liber Informationum:* Virtutibus cardinalibus ornatus fuit. Primò virtute prudentiæ claruit, optima media eligendo ad conſequendam divinam gloriam & æternam felicitatem; & in ea excellere ita reputatus eſt, ut, cùm glorioſæ memoriæ Ferdinandus & Eliſabeth, Hiſpaniarum reges Catholici, expelli feciſſent à ſuis regnis omnes Mauros & Judæos, qui Catholicam fidem profiteri recuſarent, novis factis inſtructionibus pro inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ad inſtantiam eorumdem regum, venerabilis Vir iſte fuit * primus, qui deputatus fuit inquiſitor in regno Aragonum per R. P. Thomam de Turrecremata, fratrum Ordinis Prædicatorum, generalem Hiſpaniarum inquiſitorem. Juſtitiam in eodem officio ac aliis ſibi injunctis intrepidè adminiſtravit, in turbinibus cauſarum nec lacrymis, nec precibus frangi patiens,

F

* fuerit

A tiens, constanter jus suum cuique tribuendo.

strenuè fungitur. Virtutes,

25 Fortitudinem ostendit in aggrediendo ardua propter amorem Dei; in tantum, ut, dum aliquando à benevolis amicis moneretur, ut caveret à summa Judæorum invidia, in se excitata, in suo exercendo officio sanctæ inquisitionis; respondere solitus fuerit, nihil solicitum esse, quid ab hominibus sibi posset accidere, dummodò Deo immortali & Christianæ religioni suum officium præstaret. Temperantiam magnam exercuit tam in moderandis & coërcendis delectationibus & concupiscentiis circa bona sensibilia, quàm in ciborum usu; corpus macerando, ut spiritui & rationi subjectum permaneret, omnes corporis illecebras contemnendo. *Et rursus post aliqua:* In assumpto munere & officio inquisitoris adeò mirabiliter magna cum constantia se gessit, ut palam omnibus accuratus æmulator exaltationis sanctæ fidei, & acerrimus persecutor hæresum apparuerit, ejusque diligentiâ ac solicitudine brevi tempore multi hæretici, apostatæ & relapsi debitam suorum criminum pœnam luerint, uberrimum fructum & evidentem utilitatem demonstrando, quæ tunc & in futurum indies ex-

B crescere debuisset ex ipsa erectione tribunalis sanctæ inquisitionis in istis regnis. *Hactenus laudatum instrumentum, ex quo & alias ejusdem virtutes, quas postulator causæ probandas suscepit, juverit hìc subjunxisse.*

quibus eluxit,

26 *Sic itaque in eodem legitur:* Iste Servus Dei in fide Catholica semper vixit, ac usque ad mortem constanter perseveravit, sanam veramque doctrinam non solùm retinuit, sed etiam alios perseveranter docuit, tam in publicis quàm in privatis sermonibus, omnes in vera fidei cognitione ac perfecto Dei amore instruendo, diversimodè pro ipsa fide & incessanter se exercendo, & multa pro ea augenda & conservanda patiendo.... Totam & maximam spem in Deo posuisse ostendit, cum divino auxilio & meritis Christi Domini per opera meritoria vitam æternam se consecuturum sperando: & tali fiducia fretus, omnia ob id temporalia contempsit, ut cælestia adipisceretur; & ob id summos labores & ærumnas passus fuit. Libenter orabat, & ad cælestia contemplanda rapiebatur.... Magna caritate dotatus fuit erga Deum, ob ejus amorem peccata vitando, mandata ipsius servando, & ob id mundana

C despiciendo ac Christum Dominum sequendo, Religiosam ac regularem vitam elegit, ut illi serviret: prout eadem caritate proximum dilexit, summopere curando, ut universaliter omnes in Christianæ fidei observantia perseverarent, cunctos verbo, operibus & exemplo instruendo ad æternam vitam consequendam...

breviter memorantur.

27 Paupertatem quàm maximè amavit, Religiosam vitam ob id eligendo, & liberalem se cum pauperibus ostendendo, operaque misericordiæ tam corporalis, quàm spiritualis in illos exercendo.... Profunda humilitate dotatus fuit, adeò se mitem & humilem reddendo, ut cum inferioribus æqualis & cum æqualibus inferior videretur... Orationi & contemplationi admodùm deditus fuit, diurnis ac nocturnis officiis devotè & sine intermissione continuò interessendo. *Hæc ibi; quibus Joannes Gracianus cap. 6, num. 41 addit, eumdem etiam spiritu prophetico donatum, Magistro Martino Garciæ canonico, viro insignis pietatis & doctrinæ, inquisitoris officium & episcopatum Barcinonensem prædixisse. Præterea ait, vaticinatum eumdem esse, florentissimum regnum urbemque Granatensem è Maurorum jugo ereptum iri, Judæos expellendos, & sacræ inquisitionis officium magis exaltandum. Verùm hæc ultima vaticinia Beatus post obitum suum edidit, ut infrà videbimus: primum autem unde Joannes Gracianus Salaverte didicerit, ignoramus.*

AUCTORE C. S.

Sicarii à Judæis conducti,

28 *Tam insignes porrò beati Inquisitoris virtutes, quæ bonorum omnium venerationem ipsi conciliabant, implacabile Judæorum odium, quibus invicta beati Viri constantia sanctaque severitas gravis erat, in eumdem concitârunt. Scelerati itaque illi nocturna conventicula agentes, de invisa sibi inquisitionis ministris,* Petro *præsertim (nam Gaspar Inglarius jam ab exeunte Januario anni* 1484 *obierat) è medio tollendis deliberare cœperunt. Præcipuos factionis auctores Gracianus quemdam Rabbinum & aliquot divites mercatores, Gasparum Sanctæ crucis, Matthæum Ram & Petrum Sanchez nomine fuisse, nescio ex quo monumento affirmat. Illud certum est,* B. Petri *cædem à Judæis decretam fuisse, & conductos sicarios, qui exscutioni mandarent. Horum primus fuit Joannes de Labadia, ad omne facinus comparatus, quique eo majori odio beatum Inquisitorem persequebatur, quòd soror illius non multò antè in sacri tribunalis carcerem conjecta fuerat & mor-* E *te damnata, ut habet Vitæ Compendium num. 9. Secundus appellabatur Joannes Sperandius, filius Salvatoris Sperandii, qui, teste Graciano, in ejusdem tribunalis carceribus detinebatur. Hisce duobus addit idem Gracianus Vitalem Durantium, natione Gallum, Tristanum Leonis, Antonium Gran Valentinum, & Bernardum Leosan Tolosanum, omnes nefarios homines, ex innocentum oppressione vivere assuetos.*

Beati vitæ insidiantes

29 *Non tam occultas tamen machinationes suas habuerunt, quin in suspicionem venerint apud Catholicos, quorum aliqui, inter quos Gracianus fuisse scribit Antonium Salaverte, Catholico regi à secretis, ipsum de instanti periculo monuerunt, rogârunt que, ut ab eorum insidiis caveret. Verùm ille hisce nihil territus, & pro Christo sanguinem fundere paratus, non secùs ac priùs munere suo strenuè fungi perseverabat. Sicarii itaque, ut conceptum facinus complerent, nocturno tempore per fenestram cubiculi, in quo dormiebat, intrare conati sunt; sed deprehensi, & clamantium vocibus prohibiti fuerunt, ut habent Surita tom 4 Annal., lib. 20, Didacus Murillo in Tractatu de excel-* F *lentiis Cæsaraugustanis, cap. 22, Didacus Garzia, & Joannes Gracianus in Vitis. Addunt tres primi scriptores, eosdem sicarios eadem nocte sese ad metropolitanam ædem contulisse, ut cujus domum perfringere non potuerant, eum ad matutinum Officium venientem trucidarent; eoque non invento, sacrilegam cædem in posteram noctem distulisse. Verùm hæc aliunde nequeo confirmare.*

eum nocte inter diem 14 & 15 Septembris

30 *Tandem ea nocte, quæ inter diem* XIV *&* XV *Septembris intercessit, nefarii parricidæ in ipsa metropolitana ecclesia execrabile cœptum perfecerunt. Libet hac super re Officii verba recensere.* Cùm igitur sacrum inquisitionis munus pari animi ardore & fidei Catholicæ emolumento perageret, magnum sibi contraxit odium ab iis, qui Judaicam perfidiam mordicus asserebant, in eamque relapsi fuerant. De quorum insidiis per amicos & consanguineos certior factus, eisque suadentibus, ut, si vitæ consulere vellet, susceptо se ministerio abdicaret, constanter respondit, libenter se talem ob causam mortem subiturum, idque unicè optare, se ex malo sacerdote bonum fieri martyrem. Nec abfuit optatis

AUCTORE C. S.

eventus; quippe nefarii illi homines, habito sæpe inter se conventiculo, necem in Dei Servum machinati sunt, conductisque ad scelus perpetrandum sicariis, Petrum ante chorum metropolitanæ ecclesiæ orantem, in principio nocturni Officii, cùm ea psalmi verba decantarentur; "Quadraginta annis proximus fui generationi huic, „ & dixi, Semper hi errant corde„, iterato vulnere lethaliter affecerunt. Biduo supervixit, Deo gratias agens, quòd pro fidei defensione mortem mereretur oppetere; eumdemque pro interfectoribus suis deprecans, post recepta Ecclesiæ Sacramenta, decimo quinto Kalendas Octobris, anno à reparata salute MCDLXXXV obdormivit in Domino.

in ecclesia orantem lethaliter vulnerant;

31 *Hisce planè consona sunt, quæ de eodem argumento habet liber Informationum, & hîc subjungo.* Ex integritate vitæ & vero zelo sanctæ Catholicæ fidei in exercendo dicto officio inquisitoris admodùm formidabilis extitit Judæis, qui propterea intestino odio illum ac novum tum erectum tribunal inquisitionis persequentes, in ipsius necem conspirârunt, quasi persuasum sibi habentes, ex illius interitu tribunal illud evanescere debuisse. Et propterea iniquis compertis sicariis, duo ex illis noctis tempore furtim ingressi ecclesiam Cæsaraugustanam, horâ Matutinorum aggressi sunt Servum Dei genuflexum, orantem ante altare majus & sanctissimum Sacramentum à latere Epistolæ. Et dum canebatur in choro versiculus Invitatorii in Matutinis, "Qua„ draginta annis proximus fui generationi huic;„ & ipse Servus Dei recitans angelicam salutationem, proferebat verba; Benedictus Fructus ventris tui; alter & primus ex facinorosis sicariis prædictis, evaginato gladio, graviter eum in cervice percussit, & statim, eo relicto, aufugit: alter verò superveniens, gladio similiter evaginato, semel atque iterum transfixit eumdem venerabilem Virum. Qui vulnera hujusmodi à sacrilegis istis patienter sufferendo, reiteratis vicibus repetendo; Laudetur Christus, quia morior pro sua sancta fide; & alia in honorem & laudem Dei replicando, tandem die Sabbati XVII Septembris MCDLXXXV obdormivit in Domino.

B

ex quibus vulneribus ipse anno 1485

32 *De anno martyrii conveniunt omnes præter Joannem Marietam in Historia ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ, ubi lib 2, cap. 60 manifesto errore illud ad annum 1537 retulit. De die etiam, quo in ecclesia à sicariis confossus, ac deinde defunctus est, dissentit à ceteris Hieronymus Surita lib. 20 Annalium cap. 65, ubi scribit,* B. Petrum *ex acceptis vulneribus obiisse* die Jovis, quæ erat XIV Septembris, media nocte, eâdemque ferè horâ, quâ vulneratus fuerat nocte præcedenti. *Anno 1485, ad quem Beati mortem nobiscum refert Surita, dies* XIV *Septembris, non erat dies Jovis sed Mercurii, ideòque videtur voluisse eam partem noctis indicare, quæ diem* XV *inchoaverat. In hanc autem opinionem induci potuit ex eo, quòd suæ ætate* B. Petri *nostri festum non die* XVII *sed* XV *Septembris, quo non mortuus, sed lethaliter sauciatus fuit, Cæsaraugustæ celebraretur, ut num. 5 observavimus. Porrò, ut cetera mittam, annum dieque inflictorum vulnerum & mortis ex hisce obitæ adversus Marietam atque Suritam invictè probant duo instrumenta non multò post hanc à notariis publicis Cæsaraugustæ conscripta, quæ ex Hieronymi Blancæ Commentario rerum Aragonensium paragrapho sequenti integra recitabimus, & ex quibus interim pauca hîc delibamus.*

C

33 *Primum itaque sic habet:* In Dei nomine. Amen. Noverint universi, quòd anno à Nativitatè Domini MCDLXXXV, die videlicet intitulata, decima septima mensis Septembris apud civitatem Cæsaraugustæ, in sede (*id est ecclesia metropolitana*) ejusdem civitatis Cæsaraugustanæ, inter altare & chorum dictæ sedis, ubi reverendus magister Petrus Arbues, aliàs Epila, quondam sacræ theologiæ professor, inquisitor quondam sanctæ fidei, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatus, fuerat vulneratus, & ceciderat ex ictibus & vulneribus sibi decimo quinto die prædictorum mensis & anni horâ Matutinarum illatis. De quibus vulneribus die præsenti decimâseptimâ ab hac luce transmigravit, & obdormivit in Domino. *Eadem in altero quoque instrumento leguntur, in quo additur, obiisse illum* eâdem quasi horâ, quâ fuerat vulneratus. *Hisce consonat Officium proprium num. 30 relatum, auctor Compendii edendi, Didacus Garcia, Joannes Gracianus, Hieronymus Blanca in Commentario rerum Aragonensium, aliique. Erat autem dies* XVII *Septembris anni* 1485 *Sabbatum, ut habet liber Informationum num. 31 citatus.*

D

die 17 Septembris moritur,

34 *Nescio pariter, unde didicerit idem Surita, quod ibidem ait, dum canonici circa beatum Martyrem sanguine suo aspersum in solo jacentem, adstarent, è vicina domo accurrisse civem quemdam nomine Emmanuelem de Ariño, qui primus sublatum in brachia, ad sacristiam portaverit. Suritam hac in parte secutus est Didacus Murillo: verùm Didacus Garzia laudans antiquissimum librum, ejusdem ecclesiæ capituli gesta continentem, asserit, canonicos quidem tam inexspectato casu, reique acerbitate vehementer perculsos, nec suis ipsis oculis satis fisos, aliquantulùm jacenti adstitisse; at mox rei veritate comperta, eumdem ab ipsorum quatuor sublatum ac diligenter curatum fuisse. Librum verò illum ipse tam vetusti characteris esse ait, ut tempore, quo res contigit, scriptus fuisse possit videri. Auctor Compendii nostri pari modo affirmat, beatum Inquisitorem à laudatis canonicis, qui ex choro, ubi Matutinum officium inchoaverant, ad eum accurrerant,* domum suam *reductum fuisse; ubi post biduum ad cælos evolavit, quod verisimilius apparet.*

domum suam antè delatus.

E

35 *Non magis scio, quàm certis testimoniis nitatur prodigium æris campani de Vililla, quam alii Belillam appellant, quæ teste Murillo suprà citato, locus est, octo aut novem milliaribus Hispanicis Cæsaraugustâ dissitus. Aiunt enim aliqui, eam campanam eadem nocte ac tempore, quo beatus Inquisitor à nefariis perfossus est, sponte sua sonuisse, donec validus funis, quo lingua seu malleus ipsi adhærebat, continuo impulsu spontaneo ruptus sit. Alii id in ipsa Beati morte contigisse arbitrantur; neque dubitat Didacus Garzia asserere, prodigium hoc à tot historicis memorari,* ut de eo non supersit dubitandi locus etiam scrupulosæ incredulitati. *De eodem etiam mentio fit in libro Informationum his verbis:* In iisdem nocte & hora, quibus Servus Dei à facinorosis illis percussus fuit, prodigiosè cœpit de se per se solam pulsari campana, vulgò dicta della Vilella, tanta vi & festinatione, ut non cessaverit, quousque funes, quibus alligata erat lingua, rupti fuerunt. *Utrùm hæc in Processu satis probata fuerint, ignoro; sed in Compendio nostro nihil de iisdem legitur. Facilius creditu est, quod iidem aiunt, Cæsaraugustanos, audita beati Viri cæde, usque adeò in Judæos exarsisse, ut, nisi magistratus, & ipse*

Quid de prodigio æris campani in Vililla?

F

A *ipſe prorex ac archiepiſcopus Alphonſus impediviſſent, Judæos omnes igne aut ferro exſtincturi fuiſſent. Capti tamen poſtmodùm ſcelerati ſicarii, ſacrilegæ cædis pœnas luerunt.*

AUCTORE C. S.

§ IV. Eccleſiæ metropolitanæ Cæſarauguſtanæ luctus : Beati honorifica ſepultura : ſanguinis ibidem antè effuſi, efferveſcentis & multiplicati prodigium.

Eccleſia metropolitana luget per annum.

QUæ *poſt* B. Petri *vulnerationem mortemque Cæſarauguſtæ facta ſunt, Traſmiera & Salaverte pluribus pergunt exponere, librum de geſtis capituli crebrò laudantes. Ex his ſequentia accipe. A die, quo Beatus confoſſus fuerat, ceſſatum eſt triduo à divinis, altariaque pullis veſtibus cooperta ſunt; & poſtquam hac in parte diſpenſatum*

B *fuit & reconciliata eccleſia, Horæ canonicæ ſubmiſſa voce & clauſis jannis dictæ fuerunt. In Nocturno officio dictus eſt pſalmus* 108, Deus, laudem meam ne tacueris; *& antequam Officium inchoaretur, indutus pulla veſte ſacerdos, crucem manibus tenens, duobus pueris tædas geſtantibus, facieſque pullo velo coopertis, comitatus, ante altare pſalmos* Miſerere, *alioſque recitabat, univerſo clero interim genuflexo. Hic ritus per annum integrum duravit uſque ad diem* XXIX *Septembris ſubſecuti anni* 1486. *Ita ferè ipſi. Interim* Petrus *poſt biduum ab acceptis vulneribus ſanctiſſimè obiit, ut diximus, die* XVII *Septembris, ſive poſt horam duodecimam noctis, quæ inter hunc diem &* XVI *media interceſſit, ejuſque venerabile corpus ſacris cononicorum Regularium veſtibus indutum, ad ſacriſtiam eccleſiæ metropolitanæ delatum eſt.*

Beati corpus cum pompa ſepelitur :

37 *Eodem die, qui in Sabbatum inciderat, ſepultum eſſe ſcribit Murillo; idque optimè convenit cum libro Informationum, in quo miraculum ſanguinis illius efferveſcentis, quod ex authentico inſtrumento inferiùs dando, die* XXIX *Septembris factum eſſe conſtat, duodecimo poſt ejuſ-*

C *dem ſepulturam die contigiſſe dicitur. Funus illius præſentiâ ſuâ cohoneſtârunt præter canonicos eccleſiæ metropolitanæ S. Salvatoris, canonici S. Mariæ à Columna, vulgò* del Pilar *dictæ, parœciæ, & Religioſi ordines omnes, atque ipſe etiam ſereniſſimus Alphonſus Aragoniæ, archiepiſcopus Cæſarauguſtanus & prorex, cum omnibus conſiliariorum collegiis, nobilibus & conſulibus civitatis, & res ingenti cum pompa funebri peracta eſt. Sepulturæ locum elegerunt eum ipſum, in quo Beatus perfoſſus cecidit, ubi egeſtâ terrâ ſacrum corpus in ſaxeo loculo inhumârunt. Tum verò celebre iſtud ſanguinis, quem impiorum gladiis ibidem Martyr effuderat, efferveſcentis & mirabiliter multiplicati, inſpectante frequenti populo, prodigium contigiſſe teſtatur liber Informationum, unde ſequentia tranſcripſi.*

ejuſdem ſanguis ibidem antè fuſus, mirabiliter

38 Statim ac Servi Dei corpus in tumulo collocatum fuit, totus ſanguis, in loco percuſſionis effuſus, revixit ac fervere cœpit, acſi tunc effuſus fuiſſet. *De eodem prodigio paulò prolixiùs paulóque aliter denuò mentio fit ibidem in hunc modum :* Servus Dei Petrus de Arbues de Epila ſub die XV Septembris MCDLXXXV noctis tempore inter chorum & altare eccleſiæ cathedralis Cæſarauguſtanæ letaliter vulneratus, ex eiſdem ictibus die XVII ejuſdem obdormivit in Domino. Corpore illius ad ſepeliendum delato ad eamdem eccleſiam, in effodienda ſepultura in eodemmet loco inter chorum & altare, ubi fuerat vulneratus, & ubi ad præſens honorabile ipſius reperitur ſepulcrum, ante & poſt humationem corporis, ad eamdem eccleſiam tranſlati, ſanguis ex præfatis vulneribus ſub die XV Septembris in ipſo loco effuſus, & ex præcedentis temporis diſtantia jam exſiccatus, fervens & quaſi ex vivo corpore profluens, currere cœpit cum magna abundantia ſuper ſolo & pavimento loci præfati, numeroſo affluente populo ad id viſendum, tamquam ad mirabile : unde multæ ac diverſæ perſonæ pro devotione ad intingendum ſudaria & linteamina in dicto ſanguine accurrebant, factum hujuſmodi pro evidenti ac prodigioſo miraculo univerſaliter reputando. Quod ipſum factum amplioribus verbis concludenter probant octo teſtes de viſu, illo tempore ad futuram rei memoriam examinati.

efferveſcit & multiplicatur ;

39 *Utriuſque narrationis diſcrimen in eo eſt, quòd in prima miraculum contigiſſe dicatur* ſtatim ac Servi Dei corpus in tumulo collocatum

E fuit; *in ſecunda verò* ante & poſt humationem *ejuſdem ſanguis exſiccatus fuiſſe. Verùm utraque facilè conciliabitur, ſi vocem* ſtatim *cum aliqua latitudine temporis accipiamus. Certè huic prodigio certam fidem facit inſtrumentum jam aliàs laudatum, quod inter alios exhibet Hieronymus Blanca in Commentario rerum Aragonenſium ad annum Chriſti* 1485, *unde illud totum huc transfero.* In Dei nomine. Amen. Noverint univerſi, quòd anno à Nativitate Domini milleſimo quatuorcenteſimo octuageſimo quinto, die videlicet intitulata, decima ſeptima menſis Septembris apud civitatem Cæſarauguſtæ, in ſede (*id eſt in eccleſia metropolitana*) ejuſdem civitatis Cæſarauguſtanæ, inter altare & chorum dictæ ſedis, ubi reverendus magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, quondam ſacræ theologiæ profeſſor, inquiſitor quondam ſanctæ fidei, à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, fuerat vulneratus, & ceciderat ex ictibus & vulneribus, ſibi decimo quinto die prædictorum menſis & anni, horâ Matutinarum illatis; de quibus vulneribus die præſenti decima ſeptima ab hac luce tranſmigravit & obdormivit in Domino. In quo loco effuſerat * ſanguinem.

F

* effuderat *quod probatur*

40 Qua de cauſa eccleſia erat polluta, taliter, quòd in ea Officia divina celebrare non poterant. Pro cujus reparatione ſecundùm ordinem ſanctæ matris Eccleſiæ dicta eccleſia fuit reconciliata cum cæremoniis eccleſiaſticis. Et deinde tam in dicta decima quinta die, quàm decima ſexta & præſenti die prædictorum menſis & anni, dictus locus, ubi dictus ſanguis fuerat effuſus, fuit per quàm plurimas & diverſas perſonas eccleſiaſticas & laicas viſus, perſpectus & valdè bene recognitus, qualiter vix poterat cognoſci, quòd eſſet ſignum ſanguinis; & ſi aliquid videbatur de dicto ſanguine, erat quaſi nihil, & deperdito quaſi in totum colore dicti ſanguinis; & erat adeò deſiccatum, quòd erat impoſſibile cum aliqua papyro aut panno lini, neque lanæ, nec alia quavis re aliquid ex dicto ſanguine accipi. Et ſic de prædictis multi & diverſi Chriſti fideles fidem & relationem faciebant & fecerunt publicè. *Antequam progredior, quia difficile creditu apparet, ſanguinem eodem die, in cujus nocte fuſus erat, uſque adeò evanuiſſe, obſervâſſe juve-*

rit.

AUCTORE C. S.

rit, eum verisimiliter jam tum abstersum fuisse seu ecclesiæ reconciliandæ causâ, seu jussu archiepiscopi proregis aut magistratuum, ne ejusdem conspectus populum, in Judæos, ut diximus, beati Martyris cæde graviter commotum, vehementiùs concitaret. Nisi forte alteri prodigio adscribendum sit, eum sanguinem tam subitò evanuisse. Pergo reliqua recensere.

ex instrumento authentico

41 Et quia tunc dicta decima septima die, Domino Deo altissimo disponente, ut major memoria de dicto reverendo patre, domino magistro Petro de Arbues, aliàs Epila, inquisitore sanctæ fidei haberetur (qui pro exaltatione sanctæ fidei & pro extirpatione hæreticæ pravitatis, fama publica referente per totam dictam civitatem, dictam mortem passus est) dictus sanguis in dicto loco ante chorum dictæ sedis, ubi effusus fuerat, revenerat, & effluebat, tamquam si de recenti expressus fuisset. Ubi totus populus velociter currebat ad accipiendum ex dicto sanguine; quidam cum papyro, & alii cum panno lini, & aliis diversis modis: & erat tam magna velocitas & decursus gentium ad levandum prædicta & accipiendum ex dicto sanguine, quòd vix homo poterat inter gentes, nisi cum magna vi & cum magno
B exercitio accedere & intrare ad dictum locum & ad dictum sanguinem: tali modo, quòd apud omnem populum communiter illud pro evidentissimo miraculo reputabatur.

a notario publico coram testibus

42 Ideò cùm prædicta evidentissimè viderentur esse in exaltationem sanctæ fidei Christianæ, & in honorem & gloriam fidelium Christianorum, defensionem fidei Christianæ, & confusionem persecutorum illius, & aliorum malorum, & quia memoria est labilis; ut de prædictis in futurum de tam magno & maximo actu perpetuò memoria habeatur, reverendus magister Martinus Garsiæ, sacræ theologiæ professor, dictæ sedis Cæsaraugustæ canonicus, tamquam procurator multùm venerabilis capituli canonicorum dictæ sedis, requisivit per me notarium & testes infrà scriptos fieri ocularem inspectionem & recognoscere dictum sanguinem, & de prædictis facere publicum instrumentum. Et ego Petrus Lalueza notarius
* quamdam * albam tunc accepi quemdam * papyrum album *in manum, quem in præsentia testium infrà scriptorum & maximæ multitudinis populi, qui ibidem cum maxima anxietate ad dictum locum congregati pro videndo dictum sanguinem, & de eo accipiendo erant, publicè docui dictum papyrum
C album, & postea illum posui &.... (*desunt hîc aliqua, detrita forsan in autographo, ut similibus signis etiam Blanca annotavit*) cum illo tetigi in terra in illo loco, ubi erat dictus sanguis; & cum illo in continenti cepi de dicto sanguine, & ex illo dictus papyrus fuit unctus, & illum publicè
* *i. e.* ostendi docui * testibus infrà scriptis, & omnibus ibidem assistentibus circumquaque: in quorum omnium præsentia prædicta fuerunt acta, & apertè prædicta fuerunt visa. Et ante confectionem hujusmodi instrumenti maximus numerus gentium dictæ civitatis de dicto sanguine acceperant, & illum publicè per totam civitatem demonstraverant & publicaverant.

eodem tempore conscripto.

43 Ex quibus omnibus & singulis instatus & requisitus per dictum reverendum magistrum Martinum Garsiæ, procuratorem prædictum, hujusmodi publicum confeci & testificatus fui instrumentum in testimonium & memoriam omnium & singulorum præmissorum, quæ fuerunt acta loco, die, mense & anno, quibus suprà in principio recitatis. Præsentibus testibus ad prædicta magnificis & venerabilibus viris, dominis, Joanne Lupi de Alberuela, Martino de Turrellas, D
Bartholomæo del Molino juris perito, civibus; Garsia Baylo, portionario sedis Cæsaraugustæ, Dominico Catalan, Jacobo Carnoy & Martino Perez, notariis, habitatoribus præfatæ civitatis Cæsaraugustæ.

Sig✠num mei Petri Lalueza, notarii publici civitatis Cæsaraugustæ, auctoritateque regia per Aragonum & Valentiæ regna; qui prædictis interfui: & quia in partem scripsi, & in partem scribi feci, unumque instrumentum publicum, mandato reverendi patris domini magistri Joannis Talauera, fratris Ordinis Prædicatorum, inquisitorisque sanctæ fidei, instante venerabili Petro de Fuentes, procuratore fiscali sanctæ inquisitionis fidei Catholicæ, mihi facto, die secunda mensis Octobris de anno prædicto, computato à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, instrumento publico mediante, ac per discretum Jacobus * Frances notarium publi- * Jacobum
cum Cæsaraugustæ recepto, in hanc publicam formam extraxi & tradidi, ipsumque testimonium præmissorum meo solito signo signavi & clausi. *Hactenus laudatum instrumentum apud Blancam, ex quo illud suis Annalibus inseruit Bzovius: correctis mendis Grammaticalibus, quæ servanda censuimus, ut genuinum daremus. Idem instrumentum contractum edidit etiam Odoricus Raynaldus, item in Annalibus ad hunc annum.* E

Idem prodigium

44 *Renovatum hoc ipsum sanguinis prodigium est eodem anno* 1485 *die* XXIX *Septembris, ut fidem facit instrumentum alterum publicum, quod ex laudati Hieronymi Blancæ Commentariis totidem verbis subjungo.* In Dei nomine. Amen. Noverint universi, quòd anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, die videlicet intitulata, vigesima nona mensis Septembris, apud civitatem Cæsaraugustæ, & inter altare & chorum dictæ sedis, ubi decima quinta prædictorum mensis & anni reverendus magister Petrus Arbues, aliàs Epila, sacræ theologiæ professor & inquisitor sanctæ fidei, fuerat vulneratus & ceciderat & effuserat * sanguinem ejus * effuderat
corporis ex ictibus & vulneribus sibi illatis, ex quibus decima septima die prædictorum mensis & anni, horâ Matutinarum, eâdem quasi horâ, quâ fuerat vulneratus, emiserat spiritum; qui, fama publica referente, pro exaltatione sanctæ fidei Christianæ, & extirpatione hæreticæ pravitatis dictam mortem passus fuit. F

eodem anno die 29 Septembris

45 Celebratis Vesperis submissa voce & januis clausis propter obitum dicti reverendi patris Inquisitoris ex dictis vulneribus, prout tunc temporis propter tam pessimum delictum in dicta sede Officium divinum solitum erat celebrari; & dicto jam psalmo: "Deus laudem meam ne ta„ cueris„ &c., & aliis orationibus, quæ eo die in dicta ecclesia per reverendos & venerabiles dominos canonicos, portionarios & alios beneficiatos & clericos in dicta sede dicuntur & celebrantur, cruce & faciebus infantium (*puerorum scilicet, qui choro inserviunt*) ejusdem sedis velatis (*in signum luctûs ob sacrilegam cædem ibidem patratam*) cum certis cæremoniis; existendo ego Petrus Lalueza notarius infrascriptus, & plures & diversi Christi fideles in dicta sede, nonnulli de ibidem existentibus devotione ducti, cupientes dictum sanguinem ex corpore dicti reverendi patris Inquisitoris effusum ex ictibus & vulneribus, de quibus obdormierat in Domino, videre; accesserunt ad prædictum locum, ubi dictus sanguis effusus erat. Qui locus, ut ne inreverenter

tra-

A tractaretur, ſtabat coopertus cum quodam panno lanæ, vulgò nuncupato REPOSTERO vel RAZEL (*tapetis id genus eſſe exiſtimo.*)

*renovatur coram pluribus, * i. e.* nudârunt

46 Et acceperunt de dicto panno & ſcoperierunt *, & manifeſtum & patentem fecerunt illum locum, ubi dictus ſanguis effuſus fuerat. Ad quem locum (attento, quòd dictus reverendus magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, inquiſitor prædictus, fuit & eſt mortuus, & vitam ſuam, hujuſmodi fama publica referente, pro defenſione ſanctæ fidei & extirpatione hæreticæ pravitatis dedit & poſuit) multi & plurimi de ibidem exiſtentibus continuò volociter cum magna affectione & devotione cucurrerunt pro videndo dictum ſanguinem. Inter quos ego notarius infraſcriptus ad eumdem locum acceſſi & me appropinquavi, & illum locum & dictum ſanguinem ibidem effuſum ego dictus notarius & teſtes infraſcripti cum multis & diverſis ibidem circumſtantibus, bene, attentè & cum maxima attentione recognovimus & perſpeximus. Et vidimus ſignum dicti ſanguinis ibidem experſum ſatis magnæ quantitatis & latitudinis, & quaſi in quodam angulo cujuſdam lateris, ubi dictus ſanguis erat, apertè & manife-

B ſtè vidimus dictum ſanguinem magis rubeum & coloratum, quàm in aliis partibus; in tantum, quòd in illa parte videbatur & demonſtrabatur, quaſi eſſet recenter effuſus & noviter deſignatus: taliter quòd apud circumſtantes (attento, quòd quindecim dies erant completi, quod dictus ſanguis fuerat effuſus, & diebus præteritis fuerat viſus in totum deſiccatus) pro evidenti miraculo reputabatur, & fuit reputatum.

ut oſtenditur ex ſimili inſtrumento,

47 Et tunc pro majori verificatione ego notarius infraſcriptus in præſentia teſtium infraſcriptorum & aliorum ibidem circumſtantium, cum quodam panno lini publicè tetigi in dicto loco, ubi dictus ſanguis videbatur magis coloratus & magis rubeus & quaſi recens; & dictus pannus fuit unctus de dicto ſanguine. Et hoc idem iterum in continenti feci cum quadam papyro alba, quæ in tangendo cum ipſa ſupradictum locum, ex dicto ſanguine fuit uncta; & hoc publicè & patenter in præſentia ultra numerum viginti perſonarum. Et cùm à dicto loco me ſepararem, omnibus ibidem in dicta fede publicè dictum ſanguinem per me receptum demonſtrando, magnificus Garſias Montannes domicel-

C lus dictæ civitatis, Cæſarauguſtæ commorans, dixit; quòd cùm attentis prædictis ſignis, & aliis plurimis de dicto ſanguine his diebus præteritis viſis, evidentiſſimè appareret, quòd prædicta eſſent & redundarent, & manifeſtè demonſtrarent, quòd.... (*hîc denuò nonnullæ voces exciderunt*) dictus reverendus magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, inquiſitor prædictus, pro defenſione ſanctæ fidei, & extirpatione hæreticæ pravitatis mortem paſſus erat.

de eâre facto, aliiſque

48 Ideo de prædictis pro exaltatione ſanctæ fidei Chriſtianæ, & in memoriam futurorum publicum per me notarium infraſcriptum requiſivit fieri inſtrumentum unum & plura & tot, quot inde eſſent neceſſaria & oportuna in teſtimonium præmiſſorum. Quæ fuerunt acta loco, die, menſe & anno, quibus ſuprà in principio recitatis; præſentibus teſtibus ad prædicta honorabilibus, Joanne Montañes, ſcutifero, habitatore villæ de Velchite, Chriſtophoro de Quiros, & Martino Sanz de Ledonia, de domo illuſtris & reverendiſſimi domini archiepiſcopi Cæſarauguſtæ. *Huc uſque inſtrumentum apud laudatum Blancam. De eadem re mentio fit in libro Inforſ mationum, in quo poſt verba de prima ſanguinis prodigioſa multiplicatione, num. 38 primo loco data, mox ſequitur:* & quod mirabilius eſt, duodecim pòſt diebus, advenientibus quibuſdam curialibus, unà cum Petro Sanuza notario levantibus tapetum, quo cooperiebatur ſanguis hujus Martyris, viſus fuit adeò recens & rubicundus, ut abſque difficultate potuerint eodem intingi linteum & quoddam folium papyri; quaſi ſanguis juſti Abel voces adversùs ſicarios levans, dum innocens percuſſus, mitis & patiens de nullo conqueſtus extitit. *Notarius, qui hîc* Sanuza *dicitur, apud Blancam ſe ſcribit* Lalueza; *ideòque in alterutrum locum error irrepſiſſe dicendus eſt.*

AUCTORE C. S.

teſtimoniis. Alterutrum aut utrumque ab Apoſtolica Sede probatum eſt.

49 *Haud dubiè non viderat iſta Joannes Mariana, dum lib. 25, cap. 8 Hiſtoriæ Hiſpaniæ de memorato prodigio tam dubiè locutus eſt,* Corpus, *inquiens*, eodem loco, ubi vulnera ſunt inflicta, ſepulchro illatum; quo tempore fervere ſanguis viſus eſt, niſi oculorum ludibria fuerunt. *Non fuiſſe ludibria, inſtrumenta, quæ produximus, ſatis ſuperque declarant: addo tamen, quæ Didacus Garzia cap. 12 pro primo ſanguinis efferveſcentis miraculo tam ſuprà dicta, quàm alia monumenta laudans, ait in hunc modum:* Hujus rei E confecta ſunt publica inſtrumenta per notarios Petrum de Lalueza, Jacobum Francès, Joannem de Anchias, & Anticum de Vages. Deinde anno MDXXXVII, quinquaginta (*& duobus*) annis poſtquam contigerat, ſex graviſſimi teſtes oculati idem teſtati ſunt in Proceſſu ſub Frederico Portugallio facto. *Utrumque denique, aut certè alterutrum miraculum in proceſſu beatificationis ipſius Romæ probatum fuiſſe, habemus ex Officio ejuſdem proprio, in cujus lectione 6 legitur:* Non defuerunt poſt mortem prodigia, quorum illud imprimis memorabile ac Apoſtolicæ Sedis judicio comprobatum, multiplicatio nimirum & efferveſcentia effuſi cruoris in eodem eccleſiæ metropolitanæ loco, in quo Martyr paſſus fuerat.

Quod de eodem ſanguine in flores verſo

50 *Ut verò hæc tam certis teſtimoniis nituntur, ut in dubium revocari prudenter nequeant, ita aut ad fabulas rejiciendum eſt, aut certè non niſi per metaphoram accipiendum aliud ejuſdem ſanguinis prodigium, quod Joannes Gracianus Salaverte cap. 14 Vitæ commemorat. Ait ſiquidem, ſacrum ipſius ſanguinem, dum efferveſcere, ut ſuprà diximus, & multiplicari cœpit, tam in* F *pavimento, quàm in charta, & linteis, quibus exceptus fuerat, in roſas alioſque purpureos floſculos mirabiliter converſum fuiſſe. In hanc ſententiam laudat hiſtoriographos illius; ſed nullum memorat præter Blaſcum de Lanuza & Hieronymum Manzanum, quorum primum in Periſtephano ſic canentem inducit:*

Innocuus ſanguis (virgultum ſeu vere rubenti
Solvitur in flores) fuſus per viſcera terræ.

Similia denuò habet in hymno Hiſpanico, uti & Manzanus in ſuo, apud eumdem Salaverte laudatis. Sed ex ipſo Blaſci contextu Latino manifeſtum eſt, ipſum de virgulto in florem erumpente, non de ſanguine in eumdem converſo loqui, nec de ſanguine B. Petri, *ſed Abelis agere.*

dicitur, aut tropus eſt, aut fabula.

51 *Id ut pateat, juverit aliquot ipſius verſus recitâſſe. Sic ergo ait:*

Ruſticus ut quondam Chaimus * truncavit Abelum,
Paſtorem ſanctum, invidiâ inſtigatus acerbâ,
Innocuus ſanguis (virgultum ut vere tepenti
Solvitur in flores) fuſus per viſcera terræ,
Vindictam quærens, clamores miſit in arces
Cælituum, pœnæ repetens pro morte ſecures;

* Cainus

AUCTORE C. S.

Sic facer Arbueſi ſanguis, ſic ſanguinis undæ
Ad Dominum clamant, tollunt ad celſa Parentis
Atque Redemptoris Chriſti ad palatia regni
Ingentes gemitus: terra & madefacta cruore,
Impellit motu ſonitus in ſidera multos.

Aliter quidem loquitur in hymno Hiſpanico, ſed tropo, poëtarum more, ibi uſus eſſe dicendus eſt, cum ipſe tom. 2, lib. 2 Hiſtoriæ Aragoniæ, cap. 12 rurſum agens de efferveſcenti ſanguine, de floribus ne verbo quidem meminerit. Idem de Manſano eſto judicium: nam nihil tale accidiſſe indubium eſt ex unanimi de ea re ſilentio tam in inſtrumentis authenticis, quàm in ceteris monumentis ſuprà allatis.

§ V. Cultus ejus non diu poſt mortem inchoatus : ſepulcrum marmoreum ab Hiſpaniæ regibus Ferdinando & Eliſabetha ipſi erectum : lampades ex decreto civitatis appenſæ : cultus inter caſus exceptos in decreto Urbani VIII PP. declaratus.

B

Non diu poſt mortem cultus ipſi

PIa B. Petri *vita, glorioſa mors ex odio fidei ipſi illata, & prodigium effuſi ſanguinis publicè conteſtatum, non potuit non Cæſarauguſtanorum venerationem conciliare & excitare fiduciam, ut, quem Dei amicum in cælis jam eſſe minimè dubitarent, ejus potens patrocinium religioſis obſequiis invocarent. Certè ita factum aſſeritur in libro Informationum, unde ſequentia excerpſi.* Venerabilis Vir tam dum in humanis fuit, quàm etiam poſt mortem, communiter reputatus fuit, prout etiam hodie reputatur ab omnibus Chriſti fidelibus, etiam principibus ac perſonis eccleſiaſticis, pro viro ornato ſupradictis omnibus virtutibus, juſto, ſancto & Dei amico, illum pro

C

tali venerando, prædicando, & ſuis neceſſitatibus atque infirmitatibus apud Deum implorando, preces effundendo, illius imagines cum ſplendoribus publicè & palàm, etiam in eccleſiis, pingendo ac pingi faciendo, taleſque imagines tamquam Sancti venerando, veſtes & reliquias ipſius, ut Sancti, ſumma cum devotione habendo, omniaque alia ac ſingula agentes & exercentes, quæ agi & exerceri ſolent erga eminentes Sanctos & Dei amicos. In quorum comprobationem quamplures extant & graviſſimi ſcriptores, qui de præclara ſanctitate & miraculis hujus Servi Dei ampla præbent teſtimonia in eorum ſcriptis, quæ hìc loco articulorum (*procurator cauſæ*) repetit & producit.

à populo exhibetur,

53 *Laudata teſtimonia non ſunt in Ms. noſtro, ſed varia alii recitant, quorum unum ex Joanne Graciano ſubjungo.* Multi, *inquit*, de inclyto Martyre honorificè meminerunt: & primò quidem dominus Martinus Garzia, ſynchronus doctor & canonicus eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, qui ipſi in officium inquiſitoris ſucceſſit, ac deinde epiſcopus Barcinonenſis creatus eſt, in Sermone 39 ait: "Sicut duo Apoſtoli in Eccleſia „Dei, ſcilicet Petrus in Oriente, & Jacobus in D
„Occidente, ſic duo Martyres & inquiſitores, u-
„nus in Oriente, ſanctus Petrus Veronenſis, a-
„lius ... in Occidente B. Petrus Cæſarauguſta-
„nus, qui mortui pro fide Chriſti uterque, O-
„rientem & Occidentem illuſtrârunt„. *Ex ſanctitate* Petri *gravitatem cædis ejuſdem multùm etiam ampliavit Joannes de Colmenares, Ordinis S. Bernardi abbas Daquilar & inquiſitor generalis Aragoniæ, in ſermone, quem habuit, dum ſacrilegi ipſius ſicarii ſeculari judici traderentur, cujus Ms. exemplar à Pinio noſtro ex Hiſpaniis allatum præ manibus habeo. Sed neceſſe non eſt plura ſcriptorum teſtimonia hìc recenſere pro virtutibus ipſius, quas Sedes Apoſtolica jam probavit. Redeo ad librum Informationum.*

& ſepulchrum illius beneficiis illuſtratur.

54 *In eo poſt pauca de cultu mox poſt ſepulturam ipſi exhibito, impetratiſque ejuſdem patrocinio à Deo beneficiis, ſic denuò legitur :* Tanta fuit Chriſti fidelium devotio & pietas erga Servum Dei, ut à numeroſa frequentia populi ejus ſepulcrum viſitatum & veneratum fuerit & ſit, devotas preces ibi effundendo, & à quàm plurimis diverſis morbis & languoribus affectis ad illud habitus recurſus cum notabili concurſu E
pro obtinenda ex illius interceſſione apud Deum ſanitate; illâque obtentâ, votivas tabellas ibidem affigendo, quæ unà cum cereis, veſtibus & aliis donariis in magna quantitate adhuc appenſæ extant. *Inter hæc anno à beati Martyris nece, quo eccleſia metropolitana, ut ſuprà diximus, luxit, jam elapſo, exſequiæ ipſius die* XXVIII *(alii habent* XXIX*) Septembris cum tanto populi concurſu tantoque apparatu & pompa ſolemniter celebratæ fuerunt, ut, teſte Surita in Annalibus*, populo feſtum cujuſdam glorioſi martyris ab Eccleſia jam canonizati agi videretur. *De eadem ſolemnitate etiam agit Didacus Garzia in Vita Hiſpanica, laudans antiquiſſimum regeſtum ejuſdem eccleſiæ, ex quo recitat ſequentia :* In die feſti erexerunt tumbam ſupra corpus ejus, ubi ſepultum eſt, & quadraginta cereis cinxerunt.

Ferdinandus & Eliſabetha, reges Catholici,

55 *Crevit deinde etiam magis magiſque populi erga Beatum devotio atque fiducia & beneficiorum numerus, quibus moti Catholici reges Ferdinandus & Eliſabetha nobile ipſi mauſoleum ſuis expenſis fieri curârunt, ut in eodem libro Informationum legitur hoc modo :* Attenta univerſali devotione erga Servum Dei, & concurſu populi, felicis recordationis Ferdinandus & Eliſabeth, Hiſpaniarum reges, ſumptuoſum ſepulcrum alabaſtri cum figura ejuſdem venerabilis Viri, eorum expenſis conſtrui fecerunt, prout adhuc in lapide marmoreo publicè extat memoria. *De eodem in Officio ipſius proprio ſic legitur :* Ejus corpus ibidem Ferdinandus & Eliſabetha regali munificentia elaborato marmore ſepeliendum curârunt. *Didacus Garzia, & Joannes Gracianus id anno* 1487, *id eſt, biennio poſt Beati obitum, factum eſſe affirmant. Horum prior præterea aſſerit, hiſtoriam cædis ipſius in eadem marmorea tumba inſculptam exhiberi, quod planè conforme eſt dictis Vincentii Blaſci de Lanuza, qui de eodem mauſoleo lib. 5 Periſtephani ſic cecinit.*

mauſoleum marmoreum

56 Hinc caput extollit moles, ſupereminet ampla
Lamina, quæ inſcriptum ſervet per ſecula nomen,
Quæ narret mortis tempus, quæ clauſa ſepulchro
Membra Petri monſtret; donec ſuprema dierum

Nu-

A Nubiferos montes urat, disperdat & orbem.
Hinc surgit moles magna: omnia nobile marmor,
Historiæ Petri positis hinc inde figuris,
Contegit insculptum. Truculentæ mortis imago
Ad vivum depicta patet: circumdata clathris
Marmora visuntur, variis ornata triumphis
Factorum Arbuesi patris.

Ita ipse: inscriptiones ejusdem sepulcri exhibet Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico ad hunc diem, ubi hæc habet: Primum & antiquius (*epitaphium*) quod jussu Catholicorum regum in parte interiori (*sepulcri*) super ipsum corpus B. Petri Arbuesi martyris, lapide marmoreo plano superscriptum, inventum est, cùm ex commissione Apostolica die xxx mensis Januarii anno à Christo Domino nato MDCXXIII monumentum apertum est, est hujusmodi:

HIC. JACET. REVERENDUS. MAGISTER.
PETRUS. ARBUES. EPILA. ORIUNDUS.
HUJUS. ALMÆ. SEDIS. CANONICUS.
HÆRETICÆ. PRAVITATIS. INQUISITOR.
INTEGERRIMUS. EODEM. IN. LOCO. AB.
B HÆRETICIS. INTEREMPTUS.
XV. KALEND. OCTOBRIS. AN. M. CCCC. LXXXV.

ipsi erigi suo ære curant.

57 Ejusdem sententiæ est epitaphium secundum, literis majusculis in exteriori parte & suprema sepulchri insculptum, quod vitam, officia, munera, mortem, causam agonis, tempus etiam illius, declarat hac serie:

REVERENDUS. MAGISTER. PETRUS. DE. EPILA.
HUJUS. SEDIS. CANONICUS. DUM. IN. HÆRETICOS.
EX. OFFICIO. CONSTANTER. INQUIRIT. HIC. AB.
EISDEM. CONFOSSUS. EST. UBI. ET. TUMULATUS.
ANNO. DOMINI. M. CCCC. LXXXV. XVII. SEPTEMB.
EX. IMPERIO. FERDINANDI. ET. ELISABETHIS.
IN. UTRAQUE. HISPANIA. REGNANTIUM.

Postmodùm verò in fronte ejusdem sepulchri, singulari lapide tertium epitaphium conscriptum construi jussit Elisabetha, Catholica Hispaniarum regina, ob singularem devotionem, quâ sanctum Martyrem prosequebatur, sic:

EADEM. ELISABETH. HISPANIARUM.
* singulari C REGINA. SINGULARI *. IN. CHRISTUM.
PIETATE. EJUS. CONFESSORI. SEU.
POTIUS. MARTYRI. PETRO. ARBUES.
S. I. C. M.

Votivis lampadibus sepulcrum illustratur

58 *Anno quinto post Beati martyrium, Christi* 1490, *ex decreto publico civitatis prædictum sepulcrum ejus perpetua lampade votiva honoratum est. In hanc sententiam laudat Didacus Garzia de Trasmiera librum de gestis capituli metropolitani fol.* 60, *unde recitat sequentia Hispanicè, quæ Latinè reddo.* Anno MCDXC civitas congregato capitulo & concilio, sanxit, ut conficeretur lampas argentea quinquaginta unciarum, quæ ante sepulcrum glorioſi Magistri Epilæ poneretur, & altera lampas fieret cum suo vase, quæ diu noctuque semper arderet, quamque cum vase suo ceterisque necessariis perpetuò curaret civitatis quæstor: atque ita factum est, positumque est vas argenteum & altera lampas. *Hæc argentea lampas ex voto ob sedatam, quæ Cæsarauguſtæ sævierat, pestem à civitate oblata dicitur in libro Informationum, fuisseque* ponderis unciarum quinquaginta, cum annuo onere quòd ex bonis civitatis persolverentur quolibet anno quatuor robæ olei, constituentes CXLIV libras. *Hæc pariter spectant, quæ in eodem libro denuò paulò aliter leguntur his verbis:* Quatuor aut quinque annis post felicem transitum Servi Dei tanta excrevit populi devotio erga ejus sepulcrum, ut publico consilio, communi voto & decreto civitatis Cæsarauguſtanæ deliberatum fuerit, ut ponerentur luminaria perpetua aliquot lampadum juxta sepulcrum, quæ continuò in ejus venerationem arderent, eisdem modo ac formâ, quibus honorantur alii venerabiles martyres, illum in Patronum eligendo pro beneficio recepto liberationis à contagione pestis, tunc in illis partibus grassantis. AUCTORE C. S.

ex decreto civitatis cultus ejus

59 *Surita juratos civitatis (ita quemdam magistratum suum Cæsarauguſtani vocabant) sub quibus istud sancitum est, nominat Petrum Torellas, Laurentium Molon & Albertum de Oriola. Ad eam lampadem deinde etiam aliæ votivæ & anathemata accesserunt: Gracianus enim ex libro visitationum ejusdem ecclesiæ scribit, anno* 1548 *ad Beati sepulcrum sex argenteas lampades & magnam copiam anathematum pariter ex argento, imaginum, manuum, pedum, oculorum, aliaque pretiosa donaria pependisse. De annuo festo ipsius, die* XV *Septembris quotannis solemniter agi solito,* E *jam egimus suprà num.* 5, *quem consule. Interea, dum* B. Petri *cultus nova indies incrementa caperet, causaque beatificationis ejus apud Apostolicam Sedem, ut infrà dicemus, jam ageretur, ab Urbano VIII Papa anno* 1625 *decreta edita, annoque* 1634 *confirmata fuere, quibus omnis cultus publicus servis Dei, à Sede Apostolica nondum canonizatis aut beatificatis, exhiberi vetabatur, præterquam iis,* qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ, vel ordinarii, coluntur.

inter casus exceptos in Decreto Urbani VIII

60 *Hinc cùm reverendissimus dominus Petrus Franciscus de Rubeis, promotor fidei, contra cultum, quem Cæsarauguſtani* B. Petro *exhibere pergebant, protestaretur, Joannes Franciscus Campodarbe, procurator causæ canonizationis ejusdem, anno* 1652, *die* XXIII *Martii obtinuit decretum, per quod, Innocentio X summo Pontifice annuente, declaratum est, constare de casu excepto in decretis laudati Pontificis Urbani VIII. Et sanè difficile non fuit Cæsarauguſtanis immemorabile cultûs tempus probare. Etenim cùm hoc ex Urbani declaratione tempus sit, quod centum annos excedat, cultus verò non diu post martyrium, anno* 1485 *toleratum, ex dictis cœperit, & perseveraverit, si ab hoc anno usque ad annum* 1634 (*quem pro termino assumendum esse, Benedictus XIV Pontifex Maximus feliciter regnans, probat in præclaro suo Opere de Servorum Dei beatific. & Beatorum canonizat. lib.* 2, *cap.* 22) *si, inquam, ab anno* 1485 *usque ad* 1634 *numeres, annum cultûs ipsius circiter quadragesimum nonum supra centesimum cucurrisse deprehendes.* F

ab Innocentio X declaratur.

61 *Exstat hujus declarationis decretum sacræ rituum Congregationis, instrumento publici notarii ejusdem sacræ Congregationis insertum, apud Joannem Salaverte in Vita Hispanica, unde huc transfero.* Relato per Eminentissimum D. Cardinalem Sachetum particulari processu super casu excepto à decreto felicis recordationis Urbani VIII, in SS. Inquisitione edito super cultu non adhibito, cum pronuntiatione archiepiscopi Cæsarauguſtani à Congregatione sacrorum rituum proposita, delegati in causa servi Dei Petri de Arbues, aliàs M. Epilæ, visum fuit Eminentissimis Patribus, cita-

AUCTORE C. S.

citato * R. Patre D. Fidei promotore, constare dicto Servo Dei cultum exhibitum fuisse, & ad præsens exhiberi, & comprehendi inter exceptos à decretis SS. Inquisitionis, & proinde præfatis decretis nequaquam contrarium esse, & posse ad ulteriora procedi, si S. D. N. placuerit. Die XXIII Martii MDCLII. Prout facta relatione per Eminentissimum D. Cardinalem Capponium die XXIX Aprilis MDCLII Sanctissimus annuit.. Federicus episcopus Albanensis, Cardinalis Cornelius. Loco ✠ sigilli. Bernardinus Roccius S. R. C. secretarius.

* *al.* citrà

§ VI. Aliquot Beati apparitiones, & patrocinium adversus pestem: varia morborum genera sanata: duo mortui vitæ redditi.

Ex multis miraculis aliqua referuntur.

JAm sæpe de miraculis beneficiisque per B. Petri *patrocinium patratis & obtentis generaliter meminimus: nunc ad particularia veniamus. In libro Informationum duo de iis Processus auctoritate ordinaria antiquitus formati fuisse dicuntur, unus anno quinto post Beati martyrium, sive Christi* 1490, *alter anno* 1537. *De priori etiam meminit Didacus Garzia, asserens, hunc* Processum apparitionum beati Maestre Epilæ inscriptum esse. *Ex his miraculis plurima versu heroïco celebravit Vincentius Blascus de Lanuza; sed cùm is ante beatificationem scripserit, & ex metri lege atque licentiâ, facta nonnumquam nimiùm ornaverit, perstrinxeritve, malo Joannem Gracianum Salaverte in Vita sequi, ejusque dicta ex Hispanicis Latinè reddere, & ubi necesse fuerit, illustrare, & confirmare ex libro Informationum, sive Ms. nostro inde deprompto, in quo multa hujusmodi miracula breviter perstringuntur, deinde ulteriùs probanda. Itaque laudatus Salaverte ab apparitionibus exorsus, caput* 13 *inscripsit:* Apparitiones inclyti Martyris: est contra pestem patronus; *ac mox progressus est verbis, quæ subdo.*

Beatus apparens cuidam presbytero,

63 Cælestium incolarum apparitiones singularia argumenta sunt ipsorum gloriæ, fomenta nostræ fidei, spesque æterni præmii & resurrectionis corporum in die novissimo. Ego eas devotis Sancto nostro exponam, quæ in variis processibus de apparitionibus ejus & miraculis approbatæ fuerunt. Die Veneris XIX Februarii anno MCDXC, post Martyris mortem quinto, venerabilis dominus Blascus Galvez dicti loci (*Aquilon*) vicarius, qui in obsequiis sancti Inquisitoris fuerat, & ob insignem suam virtutem magni ab ipso habitus, coram doctore Petro de Oropesa, archiepiscopatûs vicario generali sereniſſimi domini Alphonsi de Aragonia, positis ante se tactisque sanctis Euangeliis & corporalibus (*id est linteis, in quibus Corpus & Sanguis Christi in Missa reponitur*) & juratus dixit, rogavit, postulavitque judicem commissarium, ut supra Corpus Domini jurare sibi liceret, & reipsa dixit sequentia: Anno CDLXXXVI vel LXXXVII (*suprà millesimum*) quadam die Quadragesimalis jejunii horâ septimâ matutinâ, cùm in regio palatio Aljaferia essem, beatus magister Petrus Arbues inquisitor mihi apparuit in suo habitu canonicali, vocavitque me: Domine Blasce. Ad præsentiam Viri præ timore concidi, moribundi instar palpitans. *Antequam progredior, observo, mirum videri debere, Blascum* D
Galvez, cùm cetera tempora rectè meminisset, de anno, à quo non multùm aberat, dubitâsse. Quam ob rem suspicari licet, dubium istud ipsius potiùs Graciani fuisse, non discernentis, an in Ms. suo annus LXXXVI, *an* LXXXVII *legeretur. Nunc narrationem resumamus.*

aliqua monita tradit.

64 *Post brevem observationem, quæ ad propositum nostrum non facit, sic progreditur Salaverte, sive Blascus apud ipsum:* Elapso biduo, secundò mihi apparuit in eodem palatio in extremitate quorumdam graduum; & licèt præsentiâ Martyris percellerer, magis tamen animatus sui, cùm me proprio meo nomine compellans, diceret: Domine Blasce, vade, loquere fratri meo magistro Martino Garzia & inquisitoribus. Videbaturque mihi in aurem loqui: & quæcumque mihi dixit, ipsis declaravi, ut jusserat. Erant autem quædam spectantia ad exercitium sacri officii promovendum, & ad grandem gloriam, quâ fruebatur, quamque inquisitoribus obventuram sperabat in præmium laborum, quos Dei causâ subibant in causa sanctæ Fidei. *De hac eadem apparitione in libro Informationum inter cetera, quæ procurator causæ probanda assumpserat, sic legitur:* Post ejus glorioſum transitum ad cælum visibiliter apparuit cuidam sacerdoti, qui, dum viveret, ei servierat, magno circumdatus splendore & claritate, manifestans gloriam & beatitudinem consecutam. *Eadem etiam refertur apud Didacum Garzia in Additionibus, ex libro, anno* 1652 *edito per doctorem Michaëlem Antonium archidiaconum Cæsaraugustanum, ex quo eam fortè didicit Salaverte. Ad aliam progredior apparitionem, eidem Blasco Galvez oblatam.* E

Eidem secundò apparens in gloria, varia mandat,

65 Eodem anno, *inquit laudatus Salaverte,* in nocte Natalitia Domini, omni ex parte fortunata venerabili presbytero vicario in Aquilon, cùm hic in sua ecclesia horâ noctis undecima degens, & per humilem portam egrediens, caput inclinaret, & in tertio scalarum gradu pedem poneret, ibi solis instar splendor ejus oculos subitò perstrinxit, & lucis copia excæcavit: & exclamanti; Jesus; glorioſus Martyr reposuit: Sit cum omnibus. Audita vox, aiebat (*Blascus*) erat suavis, blanda, sancto magistro Petro Arbues propria, qualem ego cognovi. Ad hæc tantus me sudor occupavit, quantum numquam aliàs senseram, quod Sanctus advertens, meque animans, F
dixit: Domine Blasce, ne timeas. Et multùm me recreans, mandavit, ut archiepiscopum dominum Alphonsum certiorem facerem de nonnullis rebus, patri suo regi Catholico significandis, prædicens ipsi & Catholicæ reginæ felices in humanis successus, vitam longam & gloriam æternam pro meritis, favore & protectione inquisitioni præstitis: perseveraret sacrum tribunal ad defensionem fidei & inimicorum terrorem: nullum inter novos subditos Maurum paterentur, nec in iis expellendis ullum modum facerent; archiepiscopum monerem, ut sacram inquisitionem promoveret, nec eidem adversantibus aures præberet. Præterea ait: Dic inquisitoribus, commendare me ipsis, ut sacro officio strenuè fungantur, cùm per hujusmodi labores ego in æterna gloria inter martyres locum obtinuerim.

suum adversùs pestem patrocinium spondet,

66 *Inter prosperos autem successus, quos Beatus regibus Ferdinando & Elisabethæ verbis mox recitatis spopondisse dicitur, præcipuus fuisse videtur urbis & regni Granatensis expugnatio, quod, Mauris subactis, ditioni suæ feliciter adjecerunt, ut inter alios videri potest apud Odoricum Raynal-*

A *naldum in continuatione Annalium eccleſiaſticorum Cæſaris Baronii, ad annum Chriſti* 1491 *& ſequentem. Ad Salaverte redeamus; qui, aliquibus interjectis, quæ ſciens prætereo, ita demum proſequitur:* Ad hæc ait mihi *(Beatus ſcilicet:)* Ego Petrus Arbues hanc gratiam obtinui, ut, qui Redemptori noſtro Jeſu, & ejus ſanctiſſimæ Matri Mariæ, ſanctoque Sebaſtiano, cui ego plurimùm devotus fui, ſe commendaverit, ſive is vir ſeu mulier fuerit, ſi tacto tumulo meo, flexis genibus, ſignum Crucis piè formaverit, & ſemel orationem Dominicam in honorem Domini Jeſu Redemptoris noſtri, & ſalutationem angelicam in honorem Virginis Mariæ recitaverit, dixeritque: Ora pro me beate Petre Arbues, ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti; is liber à peſte ſit, quæ jam exorta eſt, ut videbis. Supradictis vocibus per beatum magiſtrum Petrum Arbues prolatis, & à me auditis, locuta à ſiniſtris eſt altera vox magis gracilis tenuiſque, haud dubiè ab angelo, S. Sebaſtiano, vel S. Petro martyre inquiſitore *(Veronenſi ſcilicet)* magnis ejus patronis & amicis producta; dixitque ſequentia: Conferendo ſemper eleemoſynam ad promovendum ſacellum, quod ipſi exſtruendum eſt, ipſumque religiosè colendo, optima ſanitate frueris: hanc gratiam conſecutus eſt per mortem, quam pro fide Domini noſtri Jeſu Redemptoris tuenda toleravit.

B

ejuſdemque herniam ſanat.

67 Utriuſque vocibus auditis, recepi animum, cúmque neminem viderem, dixi: Non credent mihi. Reſpondit eorum alter, videlicet glorioſus Petrus Arbues, multúmque ſuaviter ait: Imò facient. Si non crediderint tibi, teſtaberis, quâ herniâ, (malo incurabili) laboraveris, & per manum meam ſanatus ſis. Laudetur Dominus noſter Jeſus, amen. Addit venerabilis ſacerdos, ſeſe illum Sanctum appellâſſe; Martyrem verò repoſuiſſe: Domine Blaſce, ne me Sanctum vocaveris; Reſpondit is: Et quare Domine? Cui inclytus Martyr retulit: Spero me futurum. In fine colloquii ſanctus Inquiſitor mandavit, gratiam, quam à Deo impetraverat, in duabus ſcedulis ſcribi, earumque unam ad valvas eccleſiæ metropolitanæ S. Salvatoris, alteram ad S. Mariæ del Pilar appendi. Bonus ſacerdos, curatâ herniâ ſuâ, quâ viginti quinque annos laboraverat, ſine alio medico & medicina tam perfectè ſanatus permanſit, acſi eo morbo numquam afflictus fuiſſet. Dictis ejus fides

C adhibita eſt, & in utraque re *(herniæ ſcilicet curatione, & Beati patrocinio contra peſtem)* Dei gloria manifeſtata eſt. Ab eodem venerabili presbytero orta eſt pia fidelium conſuetudo prodigioſum ipſius tumulum tertiò circumeundi, & ad ejuſdem angulos recitandi preces, quas Sanctus edocuit. *Ceterùm* B. Petri *patrocinium tempore peſtis feliciter, ut ipſe promiſerat, imploratum fuiſſe, liquet ex iis, quæ num.* 56 *de publico civitatis decreto dicta fuerunt.*

Apparet mulieri, cujus os diſtortum

68 Quarta apparitio, *proſequitur Salaverte*, obtigit Mariæ de Ciria, uxori Simonis Blaſci, incolæ auguſtæ celebriſque civitatis Calatayudæ (*vulgò* Calatayud *Hiſpaniæ civitas eſt in Aragonia, quidam eam* Novam Bilbilim *Latinè appellant.*) Conflictabatur iſta domina quadam infirmitate graviſſima, ex qua os diſtortum, magnoque cum cruciatu & fœditate ad aurem contractum permanſerat. Quatuordecim annos in vehementiſſimo illo dolore tranſegerat, nec ullum in humanis remedium repererat, cùm auditâ famâ prodigiorum S. Petri Arbueſii, ad ipſius patrocinium reverenter accurrit; novenam ad ejuſdem miraculoſum ſepulcrum exegit. Quadam die in deliquium animi velut exanimis delapſa, in iſta vitæ parentheſi ſanctiſſimam Mariam cum pretioſiſſimo Filio ſuo in ulnis conſpexit, & ad ejus latus heroïcum Martyrem ſui martyrii vulneribus inſignitum, tam vividis, tam recentibus, quaſi à Judæis tum primùm inflicta fuiſſent.

in naturalem ſitum reſtituit. Mutus & ſurdus

69 Videbatur ſibi (*Maria de Ciria*) coram cælorum Regina & ſancto Martyre in genua procumbere, proſtrataque ſupplicare, ut ſe ſanarent. Finita prece, ſui denuò compos facta, ſubitò ſe ſanatam deprehendit ſine ullo tanti mali veſtigio, quod tot annis paſſa fuerat. Stupendum hoc miraculum Eccleſia approbavit; *nempe ſacra rituum Congregatio habita coram Alexandro VII Papa, die* XXV *Septembris anni* 1661, *in cujus decreto infrà dando dicitur* conſtare de... miraculo... inſtantaneæ ſanationis Mariæ de Ciria ab ore torvo. *Quo autem anno miraculum iſtud contigerit, nuſquam reperi. Ad Joannem Salaverte redeamus.* In Proceſſu, *inquit*, confecto, moderante S. Petri navim Paulo III, archiepiſcopatum verò Cæſarauguſtanum domino Federico de Portugallia, poſtulante invincibili imperatore Carolo V, ſequens S. Petri Arbueſii miraculum & apparitio comprobata ſunt. Bernardus Francès, incola antiquæ civitatis Ainſæ, quod caſtrum & municipium eſt regni Subrarbiæ (*vulgò* Sobrarve, *nunc tractus in Aragoniæ regno*) natus erat ſurdus & mutus, & multis annis permanſit.

E

auditu & loquelâ donatur:

70 Is ad imperialem civitatem (*Cæſarauguſtam*) venit, patrocinium Inquiſitoris martyris imploraturus. Quatuordecim noctes ad ipſius celebre ſepulcrum excubavit; cúmque deſideratam incolumitatem minimè impetrâſſet, quia id tum non expediebat, ad patriam ſuam regreſſus eſt. Dominicâ tertiâ Quadrageſimæ, quâ Eccleſia recolit ſtupendum miraculum, quo Chriſtus auditum & loquelam homini à nativitate muto & ſurdo conceſſit (*imò quâ Eccleſia legit Euangelium de dæmonio muto per Chriſtum expulſo*) Bernardus ſeſe glorioſo Martyri commendavit, & velut alienato à ſenſibus animo duarum horarum ſpatio hæſit. In hac ecſtaſi vidit Sanctum noſtrum indutum veſte tam candida, ut nives ſuperaret, qui vultu pleno inenarrabili ſplendore, indicavit ipſi, quis eſſet, ne tam divinum patronum ignoraret. Mox mutus evigilans, voces in laudem Dei ſuique prodigioſi medici S. Petri Arbueſii emiſit, per cujus patrocinium perfecta ſanitate potitus eſt. Cæſarauguſtam acceſſit, ad honorarium ſacri Martyris tumulum gratias acturus. Solemne hoc miraculum authenticè probatum eſt.

F

os gangrænâ exeſum, ſubitò ſanatum.

71 *Sequitur caput* 14, *ubi inter alia præfatus, ſeſe ex plurimis miraculis approbatis pauca tantùm relaturum, primo loco agit de ſanguinis efferveſcentia & multiplicatione, de quibus nos* § 4 *ſatis multa diximus. Poſt hæc ita progreditur:* Eliſabethæ de Andreu ex Mazaleon, ætatis quatuor annorum, ortum eſt ulcus ſeu gangræna in ore, ſerpſitque in faciem, & carnem exedens paulatim dilatabatur cum terribili fœtore; & exeſo ore, facies computreſcebat. Non videbatur homo, ſed mortis effigies: nec ſine lacrymis & dolore aſpici poterat. Parentes ejus graviter dolentes, intellectis Sancti noſtri miraculis, eam ad ſepulcrum ejuſdem detulerunt, ibique novemdialem devotionem peregerunt. Die tertio puella in afflictæ matris ulnis velut exanimis recubuit, in eoque deliquio duo oſſicula ex ore ipſius deciderunt. Reſtituta ſenſibus Eliſabetha, ſubitò ſanata eſt, nullaque relicta deformitate, naturali ſuæ pulchritudini ita reddita, ut eam parentes non a-

AUCTORE C. S.

gnoscerent. Successit prodigio par admiratio & applausus, gratiisque benefico Patrono redditis, miraculum authenticè conscriptum est, fuitque unum ex approbatis ab Ecclesia. *Probatum autem est à Sacra rituum Congregatione coram Alexandro VII Papa habita anno 1663, die* XXV *Septembris, ut liquet ex Decreto num. 69 laudato, in quo dicitur* constare de... sexto miraculo... pariter instantaneæ sanationis Elisabeth de Andreu ab ulceribus cancri in ore.

Duo pueri mortui,

72 *Hic Salaverte aliqua interserit de beati Martyris sicariis, quæ velut huc non spectantia prætermitto. Tum subdit :* Inter miracula ab episcopis Turiasonensi & Barbastrensi, commissariis Sedis Apostolicæ, duos pueros mortuos vitæ redditos fuisse probatur. Eorum primus obiit in Villa-majore, vico propinquo Cæsaraugustæ. Jam pulsabantur æra campana, ut ad sepulturam deferretur; mater interim, quæ illum tenerrimè amabat, charissimi sui pignoris mortem flens, cadaver illius sustulit in brachia, & cum magnis cordis angustiis, affectu, animique sensu ad S. Petrum Arbuesium, in quem singulari pietate ferebatur, ait: Sancte Maestrepila (ita Martyrem istis seculis appellabant) hunc meorum viscerum filium tibi offero; tuus est; resuscita illum, Sancte mi. Eodem momento vividos colores, quos pallida mors exstinxerat, recepit, oculos aperuit, labia movit, lætoque vultu matrem aspexit. Singularis fuit admiratio & lætitia populi, cujus præcipuis comitata mater cum filio suo accessit ad S. Petri Arbuesii sepulcrum, ubi inter cetera dona obtulit sepulcralem illius syndonem, velut miraculi vexillum, quod etiam cum solemnitate authenticè probatum est.

B

ad vitam revocati: paralytico simul & muto

73 Cæsaraugustæ filius cujusdam mulieris vitâ functus est, quæ ipsum cum fide viva ad Sancti sepulcrum portavit, tantoque cum desiderio, affectu, & precibus pro impetranda per ipsius potens patrocinium filii vita ibidem institit, ut ad mensuram fidei suæ desiderii compos effecta sit. Revixit puer, dedit voces mater mixtas lacrymis, in quas præ gaudio prorumpebat; Dei gloria & Inquisitoris martyris patrocinium manifestabatur: eadem ecclesia magno gaudio vocibusque resonabat, ad ejus rei famam commota est civitas. A metropolitana quoque ecclesia solemnes S. Petro Arbuesio gratiæ actæ fuerunt; miraculum authenticè litteris mandatum est, & sepulcrale linteum ad ejusdem prodigiosum tumulum in monumentum appensum est. Quidam honoratus agricola ex Tosos, dictus Joannes Fernandez, in variis sui corporis membris paralysi laborabat, & malo linguam invadente, obmutuerat. Viginti quinque anni erant, quibus omni humano remedio destitutus jacuerat, cùm sese S. Petro Arbuesio commendavit, ut unicum suum antidotum esset in tam diuturno & acri cruciatu.

C

linguæ & membrorum usus concessus.

74 Quadam nocte somniavit, se videre sacrum Martyrem, qui sibi diceret: Ego à potente Dei manu desideratam sanitatem tibi obtinui. Expergefactus est infirmus; & quia felicitas ipsius non vanum somnium erat (sunt enim aliquando veracia somnia, qualia fuere Josephi & pincernæ Pharaonis) cum firma suæ sanitatis spe, curavit se ad sancti Inquisitoris tumulum deportari. Ibi novemdialem devotionem instituit, & cum admirabilibus adjunctis integra sanitate potitus est. Singulis ex novem diebus unum ex immedicabilibus malis, quibus conflictabatur, ipsi sustulit. Primo die extendit mollivitque nervos, qui emarcuerant & contracti erant: secundo die curavit unum brachium, atque ita singulis reliquis diebus singula corporis membra, semper miraculum aliquod operando. Postremo die sanatâ linguâ loquendi facultatem ipsi reddidit, ut ea uteretur ad agendas gratias S. Petro Arbuesio, tamquam unico patrono advocato suo, in cujus gratiam Omnipotens in uno homine secundùm fiduciam & fidem suam tanta operatus fuit prodigia. D

§ VII. Alia miracula per ejusdem patrocinium impetrata : tumulus, imagines & reliquiæ similiter illustratæ.

Puellæ malum gutturis & oculorum,

P*Ergo ex eodem Salaverte cetera recensere.* Valentiæ (*Hispaniæ Tarraconensis urbs est, Valentini regni caput*) domicella Maria Mascon, ætatis duodecim annorum, aliquot malignos tumores patiebatur in gutture. Ad hæc in oculos defluxerat tam mordax humor, ut afflictissimam puellam etiam visu privaverit. Destituta omni remedio terreno, quadam nocte somniavit de cælesti. Videbat hominem, vel angelum, rogantem, an vellet sanari. Respondit ipsa, quod vehementer desiderabat, nempe cæca visum; utique Domine. Tum is, sequere me, ait, & morbis tuis integrè liberaberis. Petiit puella, At quò, Domine, eundum est? Repositi is: Ad civitatem Cæsaraugustanam, ad sepulcrum S. Petri Arbuesii. Præsto sum, ait domicella Maria; ac mox disparuit felix ductor itineris, ipsaque evigilavit. Credidit firmiter nuntio cælesti, & parentibus, qui ipsius incolumitatem vehementer desiderabant, quid sibi acciderit, indicavit. Pater ejus, dominus Petrus Mascon, & domina Castellana Velvis mater, eam Cæsaraugustam comitati sunt. Novemdialem devotionem anno MDXXXVIII, die XXXI Junii (*mendum hic in numero aut mense est, cùm Junius dies tantùm* XXX *habeat*) ad sancti Martyris tumulum inchoârunt, quam antequam terminâssent, omni malo libera exstitit & visu integro donata est. Actæ Deo grates fuerunt, & fides miraculo habita. E

item alteri afflictum guttur, duobus aliis

76 Joannes Solorzano, pharmacopola Cæsaraugustanus, somniabat, se ad Sancti sepulcrum genuflectere, cùm eum in habitu chori & cum martyrii sui vulneribus conspexit. Mox cum tenero affectu ab eodem flagitavit, ut magnam gutturis sui plagam sanaret, curaretque filium suum, qui ex gemina hernia acutissimis doloribus cruciabatur. Accessit ad eum Sanctus, & ipse sensit guttur suum manu ejus tangi, & ex tactu expergiscens, integræ sanitati se restitutum deprehendit. Deinde cum magna fiducia filium suum inspexit, eumdemque sine ullo utriusque herniæ vestigio invenit. Meritas S. Petro Arbuesio gratias persolvit, insigne anathema obtulit, & utrumque miraculum authenticè examinatum & adscriptum est. *De utroque hoc miraculo etiam mentio fit in libro Informationum, in quo sic legitur :* Joannes Solorzano, vicinus Cæsaraugustæ, habens in gutture quoddam vulnus, quod per septem hebdomadas & ultrà illum cruciârat, & quemdam filium suum laborantem infirmitate herniæ, precibus & intercessioni Servi Dei, cui se commendavit, confidens, illum videns in somnis

&

A & deprecans, ſequenti die ſe & filium ſanum reperit. *Quòd autem Joannes ille, qui Cæſarauguſtanus pharmacopola ſuprà dictus eſt, hic* vicinus Cæſarauguſtæ *dicatur, id oriri potuit ex voce Hiſpanica* vezino, *quæ* & incolam & vicinum *alicujus loci ſignificat. Pergo ad alia.*

herniam ſubitò ſanat.

77 Quidam amabilis puer, nomine Athanaſius, dolores acerrimos patiebatur ex herniis duplicatis. Hic ad S. Petrum Arbueſium deportatus, ceſſante cruciatu, lætus & alacer inſtar angeli adſtitit: at ubi extra eccleſiam referebatur, flevit & vehementiſſimè conqueſtus eſt, quòd acutis doloribus cruciaretur. Hi dolores quadam nocte tam acres fuerunt, ut clamoribus planctuque ſuo nec vicinos dormire ſineret. Itaque horâ ſecundâ aut tertiâ nocturnâ eum ad eccleſiam S. Salvatoris portârunt; ſed januas clauſas offenderunt: & licèt multùm pulsâſſent, inclamâſſentque (*ſcilicet ut eccleſiæ cuſtos fores ſibi aperiret*) nihil reſponſi acceperunt. Athanaſio igitur ad quamdam portæ rimam depoſito, Sancti opem implorârunt, magnis vocibus ſupplicantes, ut eum ſanaret. Et exaudivit eos potens Patronus, qui non dormit nec dormitabit, dum illius auxilio indigemus. Puer

B ſine ullo mali veſtigio perfecta ſanitate donatus eſt. Miraculum hoc anno MDIV authenticè probatum fuit. *Ejuſdem prodigioſæ ſanationis liber Informationum ſic meminit:* Cùm puerulus quidam, Athanaſius Palacio dictus, herniæ infirmitate laborans, ſoleret apportari à parentibus ad ſepulcrum Servi Dei, in quo requiem invenire ſolebat; quadam nocte vehementer oppreſſus, circa mediam noctem ductus ad eccleſiam metropolitanam, ubi erat dictum ſepulcrum, repertis foribus clauſis, ita ut non poſſet ingredi, per rimulam oſtii, quod eſt versùs plateam, inſpiciendo ſepulcrum, ipſo Servo Dei ex corde invocato, ſtatim repertus fuit ſanus.

Virum detentione urinæ & alium

78 In Torrecilla (*locus eſt prope Cæſarauguſtam*) Petrus Eſcartin in malo urinæ cruciabatur, itáque urgebat eum lethalis morbus, ut medici & chirurgi de ejuſdem ſalute deſperarent, & hâc ſententiâ ipſi ſignificatâ, iſtorum unus inter inexplicabiles dolores eidem diceret; Nihil in terra eſt, unde poſſis ſperare ſolatium: commenda te ſancto Maſtrepilæ, miraculis celeberrimo. Erexit ſeſe infirmus cum viva fide animosè è lecto, elevatiſque ad cælos manibus & genibus humi fixis,

C opem Sancti magna voce imploravit, pollicens, ſeſe ad ſepulcrum ipſius vigilaturum. Nec mora ſine ullo impedimento omnem urinam detentam corruptamque ſubitò ejecit, nullamque, dum vixit tam lethalis morbi veſtigium ſenſit. Implevit votum ſuum, in grati animi teſſeram munus obtulit, & miraculum comprobatum eſt. Michaël de Cellas duodecim annos inter acutiſſimos cruciatus altis ſuſpiriis & planctibus exegit, nigreſcente urina, & in calculos verſa; jamque tam altas radices malum egerat, ut ad mortis fauces eſſet deductus.

calculis, mulierem herniæ & cordis malo, liberat.

79 Fluctuabat vita ejus ſine remo & ſpe in ſui corporis vaſculo, cùm quadam nocte ſomniavit, penè ſubmerſam vitæ ſuæ naviculam tam præſenti periculo ſubducendam, ſi S. Petri Arbueſii celebrem tumulum inviſeret. Expergefactus, novemdialem devotionem eo ipſo die cum certa fiducia inchoavit: die verò quarto dum apud Sancti ſepulcrum moraretur, alienatus à ſenſibus eſt, in eaque ecſtaſi & animi deliquio vidit aliquot perſonas cæleſtes; inter quas haud dubiè præcipuus fuit invictus Martyr noſter, licèt ex Michaëlis teſtimonio, quinam iſti fuerint, non conſtet; ſive quòd patroni non facilè agnoſcantur; ſive quòd cæleſtis ejus Protector ſub lucis ſplendore ſe occultaverit. Eventus probavit, quod res erat: ſibi enim redditus, tam perfectè ſanatus eſt, acſi nihil tale umquam paſſus fuiſſet. Anna Galvez duobus malis conflictabatur, herniâ ſcilicet & cordolio tam crebro & vehementi, ut aliquoties mortua credita ſit. Viſitavit ſacrum tumulum novem diebus, & quamquam Sanctum tantummodò rogâſſet, ut ſuam herniam ſanaret, ab utroque malo convaluit; quia omnia cedunt ejus potentiæ, eo quòd divina Omnipotentia ſancto Inquiſitori virtutem quamdam velut infinitam commiſerit in gratiam eorum, qui ad ipſius patrocinium confugiunt.

AUCTORE C. S.

Contemptores ſuos caſtigat, pœnitentes ſanat:

80 Die ſolemni noſtro Martyri ſacra quædam pia mulier dixit viro ſuo: An ſepulcrum Sancti inviſiſti? Cui ipſe reſpondens, ſtultè ait: Mihi nil opus eſt ſancto Magiſtro-Epilæ; nullâ herniâ laboro. Hæc ſunt ipſiſſima illius verba. Verùm ecce, eodem die à divina manu graviter caſtigatus, in utroque latere herniam paſſus eſt, teſte doctore Joanne Bonilla. Decem annis eo malo laboraverat, quando miraculum fidem faciens contigit. *Obſcura hæc ſunt: videtur tamen ſignificare voluiſſe, eumdem poſt decennium ſanatum fuiſſe, & quid ſibi contigiſſet, faſſum eſſe. Poſt hæc ſubdit aliud ſimile.* Joanni Domper ait uxor ſua: Vidi multos Sancti ſepulcrum circumeuntes: an & tu id feciſti? Qui reſpondit, non ſum herniоſus; non eſt, cur ejus ſepulcrum circumeam. Mox eodem momento inteſtinis vehementer deſcendentibus, herniam ſenſit, agnitoque cum pœnitentia ſuo delicto, ſepulcrum S. Petri Arbueſii devotè & humiliter inviſit & ſanitatem petiit. Deprecantem Sanctus exaudivit, & unico momento temporis priſtinæ integritati reſtituit.

E

loquelam muto nato donat.

81 Celeberrimum fuit miraculum, quod in filio marchionis de Berlanga, muto nato, operatus eſt. Viginti annis linguam ejus captivaverat infirmitas, nec ullum profuerat remedium humanum. Famæ miraculorum S. Petri Arbueſii par erat parentum firma fides, qui eum Cæſarauguſtam miſerunt, ut per admirabilem ipſius opem ſanaretur, & firmiter confiſi fore, ut loquelam impetraret, novemdialem devotionem ab eo fieri curârunt. Dum autem glorioſum tumulum circumiret, locutus eſt mutus. Prima ejus vox fuit Jeſus, quo dulciſſimo nomine repetito, deinde Sanctum invocavit, linguaque tam expedita in poſterum manſit, ut nullum prioris mali veſtigium ſupereſſet. *De hoc etiam miraculo mentio habetur in libro Informationum his verbis:* Fuit ad illius ſepulcrum pia devotione portatus quidam mutus à nativitate, marchionis de Berlanga filius; & effatis precibus, ſtatim loquelam recepit, & prima vox emiſſa fuit: Jeſus.

F

Concionatoris memoriæ

82 *Alterius planè generis & ſingulare eſt, quod ſæpe laudatus Salaverte ibidem mox ſubjungit his verbis.* In Proceſſu anno MDCXXIII, die XXIII Januarii confecto, Pater frater Dominicus Gaztelu Ordinis Prædicatorum, nomine Eminentiſſimi domini Cardinalis Xaviere declaravit, cùm ipſi velut primario profeſſori academiæ Cæſarauguſtanæ demandatus eſſet ſermo ſuper belli ſacri Bullam Dominicâ Septuageſimæ in eccleſia metropolitana S. Salvatoris, cúmque concionem ſcripſiſſet, & diligenter mandâſſet memoriæ, permiſiſſe Deum, ut, dum è ſacriſtia ad exedram dicturus pergeret, ea uſque adeò memoriæ exciderit, ut ne unius quidem vocis meminiſſet. Vehementer itaque ſollicitus, ſocio ſuo (erat is dictus Pater frater Domi-

AUCTORE C. S.

minicus) angorem ſuum indicavit, qui ipſum conſolans, ſuaſit, ut S. Petro Arbueſio, cujus ſepulcrum in eadem eccleſia in proſpectu ſuggeſti eſt, ſe commendaret; quod uterque enixè præſtitit. Aſcendit orator in ſuggeſtum, & inter aſcendendum converſis ad Sanctum oculis ait: Sancte benedicte, niſi in his anguſtiis mihi ſuccurreris, actum de me eſt. Aſcenderat, & linceis oculis honorarium tumulum intuens, rem maximè mirabilem deprehendit. Vidit ibidem in uno loco totam concionem ſuam ad litteram deſcriptam, ita ut eam nullo apice omiſſo, totam doctiſſimè & eloquenter recitaverit. Egit gratias Deo, prodigium publicavit, & quamdiu vixit Cardinalis, ejuſdem miraculi ipſe præco fuit.

mirabiliter ſuccurriſſe dicitur.

83 *Quidquid ſit de hoc prodigio, quod nec negare, nec aliunde confirmare poſſumus, juverit ex Alphonſo Ciaconio tom. 4 Pont. Roman. col. 1605 obſervâſſe, Hieronymum Xaverium, Cæſarauguſtæ natum, ſacro Prædicatorum Ordini juvenem nomen dediſſe, & in urbe patria Theologiam publicè docuiſſe, ac poſt alia munia, & ſui Ordinis magiſterium generale, à Paulo V Papa anno 1607 Cardinalem creatum, anno autem inſecuto vitâ functum eſſe. Hinc liquet primò, eam concionem ab Hieronymo Xaverio habitam fuiſſe, antequam Cardinalis eſſet. Secundò eumdem dudum è vivis deceſſiſſe, quando P. Dominicus Gaztelu anno 1623 prædicta teſtatus eſt, adeóque hæc ipſius Cardinalis nomine, velut ab ipſo delegatum, propriè teſtari non potuiſſe. Sic igitur ea verba accipe, ut dicatur retuliſſe pater Dominicus, quod ab Eminentiſſimo Xaverio olim audierat. Nunc Salaverte denuò audiamus.*

B

Pueri herniam curat.

84 Illuſtriſſimus dominus, frater Franciſcus Gamboa, archiepiſcopus Cæſarauguſtanus approbavit miraculum, quod ſanctus Inquiſitor anno MDCLXX die XIV menſis Maji in Alphonſo Soriano, ſedecim menſium puero patravit. Mater ejus Maria Taguada, comitata à Maria Aznar, puerum ad Sanctum detulit. Erat autem ruptus in latere dextero cum magno tumore & cruciatu, quem uno anno paſſus fuerat; nullo adhibito remedio præter faſcias, quibus, ut morbus exigebat, diligenter ſtringebatur. Eodem die dum cincturam conſtringerent, malignum tumorem ſemper augeri deprehenderant; unicaque parentum ſpes non in humana medicina, ſed in S. Petro Arbueſio repoſita erat. Orabat mater, ſupplicabatque pro ſalute ſui filii, Maria Aznar puerulum manu ducens, circuibat ſepulcrum. In tertio circuitu faſciæ in quatuor fruſta ruptæ fuerunt, quas puer, ad earumdem ſtrepitum uno paſſu retrò ſubſiſtens, manu ſua levavit. Accurrit mox mater; puerum inſpicit, eumque omni herniâ & tumore depulſis, omnino incolumem agnoſcit. Metropolitana eccleſia ad agendas Deo gratias TE DEUM LAUDAMUS cantavit. Sereniſſimus dominus Joannes Auſtriacus (*Philippi IV Hiſpaniarum regis filius naturalis, magnus prior Caſtellæ & ſupremus exercituum ductor*) juſſit puerulum ad ſe adduci, aitque: Deus hunc parvulum angelum admodùm maturè ſibi vendicavit. Patrem verò monuit, ut gratum ſeſe Deo & ſancto Martyri exhiberet, puerumque Sancti habitu indueret. Eo ipſo die mediâ horâ ſeriùs, quàm miraculum contigerat, ego (*ſcilicet Salaverte*) in eccleſia metropolitana fui.

C

Sepulcrum multis anathematis illuſtratur.

85 *Poſt hæc idem auctor de aliis Beati miraculis generatim agens, ea penè innumera eſſe aſſerit, atque ita conſtare tum ex anathematis ad ejuſdem ſepulcrum appenſis, tum ex authenticis teſtimoniis. Quod autem ad anathemata pertinet, Blaſcus de Lanuza lib. 5 Periſtephani* B. Petri *ſepulcrum deſcribens, inter cetera de his ita cecinit:*

D

Circumdata clathris
Marmora viſuntur, variis ornata triumphis
Factorum Arbueſi patris: miracula multa
Martyris invicti. Nuſquam numeranda ſalutis
Conceſſæ populis pendent inſignia ceræ,
Argenti rutili & varii monumenta metalli:
Lintea, quæ miſero dudum incubuêre feretro,
Et lini vittæ, fractûmque ligamina membrûm
Corporis exciſi, morborum ſignaque multa:
Namque Petrus multis mirâclis clarus Iberum
Aucturus * fulget.

* Arcturus

Hæc ipſe: Salaverte verò præterea addit, ſimilia etiam aliis in locis, ubi beati Martyris imagines aut reliquiæ aſſervantur, frequenter contingere.

Sacra Beati imago

86 *Hujuſmodi veram Beati effigiem in tabula nucea pictam, annis ducentis antiquiorem, in familia ſua, ad cujus primogenitum jure hereditario pertinebat, unam eſſe aſſerit, quæ tum germani fratris ſui Joachimi Graciani Salaverte erat, olim fuerat matris ſuæ Franciſcæ Salaverte & Serna, quæ ex Eliſabetha,* B. Petri *Germana ſorore, originem lineâ rectâ trahebat. Hanc porrò tot miraculis eluxiſſe affirmat, ut ſacellum, in quo mater illam honorificè ſervabat, anathemata à variis indies oblata non caperet. Addit, aut hanc aut alteram in eccleſia conventûs Ordinis S. Mariæ de Mercede de redemptione captivorum, Calatayudæ in altari expoſitam, ſtatim tot prodigiis inclaruiſſe ut ſcribi vix poſſint. Deinde, eodem teſte, illuſtriſſimus dominus Didacus Antonius Francès de Urrutigoyti, Turiaſonenſis epiſcopus, eidem eccleſiæ pretioſas Beati reliquias donavit, quæ ibidem ſingulari veneratione cultæ, frequentibus miraculis pariter celebres evaſerunt.*

E

& veſtis linea beneficiis claræ.

87 *Rochettum quoque ipſius, ſeu veſtem lineam ſuperiorem, quâ canonici in choro utuntur, quâque* B. Petrus *indutus erat, dum à ſicariis confoſſus eſt, ſacro ipſius ſanguine tinctam, priùs fuiſſe ait in familia dominorum Oriolas & Vera, Beati affinium, tum verò penes excellentiſſimum dominum Dionyſium Ximenes de Urrea, comitem de Aranda, marchionem de Villanova &c, tamquam tam inſignis reliquiæ & illuſtris domûs heredem. Servabatur autem ab eo in quodam ſacello in pretioſa theca, velo ſerico filis aureis ornato involuta, unaque ex parte patenti, ut venerationis gratiâ conſpici poſſet. Solet etiam ejuſdem ora aquæ intingi, quæ ab infirmis epota, penè innumeris, ut ait, ſaluti fuit.*

F

§ VIII. Alia quædam miracula vel beneficia, in libro Informationum relata.

Per Beati patrocinium

PRæter *miracula jam recenſita, multa breviter perſtringuntur in ſæpe laudato libro Informationum, quæ deinde erant probanda. Ea Papebrochius noſter, ut ſuprà jam monui, olim Romæ deſcripſit, omiſſis tamen teſtium dictis; ſive quòd ea in citato libro non exſtarent, ſive quòd operæ pretium non duxerit prolixa eorum teſtimonia referre. Eadem ſic perſtricta ego ex laudato Papebrochii Ms. hîc recenſebo, prætermiſſis, quæ in præcedentibus paragraphis, data opportunitate, jam retuli. Sunt autem ſequentia:* Omnipotens Deus

AUCTORE C. S.

A Deus ad ſui Nominis gloriam & honorem, fideique Catholicæ corroborationem, & ad manifeſtandam Servi ſui ſanctitatem, & univerſalem de illo opinionem & famam comprobandam, non ex arte, neque ex vi verborum, neque ex illicita pactione, ſed ex ejus meritis & interceſſione plurima miracula miſericorditer operari dignatus eſt & adhuc operari dignatur, liberando à variis periculis, laboribus, tentationibus, tribulationibus, infirmitatibus eos, qui ejus auxilium humiliter & devotè implorârant & implorant, in ſequentibus articulis, pro aliqua parte ſpecificanda....

multi herniâ,

89 Joanna Ramirez, uxor Antonii la Forcada, cùm portâſſet filium ſuum Antonium laborantem herniæ infirmitate ad ſepulchrum Servi Dei, illumque ibidem obtuliſſet (*hic*) ſanitatem recepit. Agnes Ramirez, cùm quidam filius ſuus herniæ infirmitate laboraret, & ulteriùs in femore tria vulnera haberet, ad interceſſionem Servi Dei confugiens, illum totaliter ſanari obtinuit. Petrus Las Yegnas ſutor, vicinus Cæſarauguſtæ, habens Michaëlem Sunz ejus filium, infirmitate herniæ laborantem, meritis & interceſſione Servi Dei, cujus precibus ſe commiſerat, ſanari impetravit. Joannes della Caſta, filius Jacobi, maxima herniæ infirmitate laborans, rupturamque in illis partibus habens, precibus & meritis hujus Servi Dei, cui ſe commiſerat, ſanatus fuit, idque inter alios viſum fuit à Petro de Aries, aliàs de Zapias. Raymundus, filius Petri Arques, mercatoris civitatis Cæſarauguſtæ, portans cinctorium *, & exiſtens vulneratus in renibus, remiſſus ad ſepulcrum Servi Dei, ex illius interceſſione, cui ſe commendavit, ſanari meruit. Barbara Paſchaſſeg, habens Michaëlem de Logroño natum cum infirmitate herniæ, ex ſuaſione amicarum quarumdam illum omni humano remedio deſtitutum ad ſepulchrum Servi Dei portavit, ibique miraculosè ſanatus fuit....

B

* *i. e.* herniâ laborans

membrorum torpore,

90 Dominicus Sancto, argentarius, vicinus villæ de Monzon (*Aragoniæ id oppidum eſt, Latinè* Montio *dictum, in colle poſitum inter Ilerdam & Barbaſtrum*) cùm eſſet ita impeditus brachiorum & crurum dolore per tres annos, ut non poſſet laborare, audiens recenſeri miracula Servi Dei, illius interceſſioni & patrocinio ſe commendans, ſanatus fuit. Simon de Eſpern agaſo, habitator loci de Sada, habens brachia ob medicamenta temporalia effecta curva, & genua intrò converſa, precibus & interceſſione Servi Dei ſanatus fuit & redintegratus. Lucia del Pont, uxor Michaëlis Guis, vicina Cæſarauguſtæ, cùm eſſet jam quatuor menſes effecta inutilis, ita ut non poſſet laborare, omni remedio derelicta, Servo Dei ſe commendavit, & circumcirca ſepulcrum, ipſius multoties incedens, ſanata fuit. Petrus Zerro agricultor, vicinus Cæſarauguſtæ, cùm quidam ejus filius cadendo (jam quatuor erant anni) ab arbore nucis, brachium illius unum & dorſum fracta remanſiſſent taliter, quòd brachium prædictum non poſſet mandare (*id eſt*, eo uti;) auditis miraculis Servi Dei, cœpit facere unum novenarium circa ejus ſepulcrum; ac ſtatim curvitas dorſi cœpit declinare & brachium mandare.

C

ſeu paralyſi

91 Mariana de Bolas, vidua ex Luca Brerge civis Cæſarauguſtæ, infirmitate Perliſiæ (*id eſt* paralyſis) gravata, interceſſioni Servi Dei ſe commendans, ac viſitato illius ſepulcro & factis novenariis circa illud, remanſit integrè curata. Jacobus Merpaita familiaris ſancti officii Inquiſitionis, cùm plura curâſſet adhiberi remedia pro ſanitate cujuſdam filii ſui, morbo herniæ laborantis, ſine ulla operatione, tandem ad divina remedia confugiens, & filium precibus Servi Dei commendans, factis circa ejus ſepulcrum novenariis, abſque ulla læſione ſanum evadere impetravit. Quidam puerulus, Chriſtophorus della Coſta nominatus, laborans infirmitate rupturæ, aſportatus à loco de Zabruſt, archiepiſcopatûs Cæſarauguſtæ, ad vigilandum circa ſepulcrum Servi Dei, circa mediam noctem, dum quaſi inciperet deficere & penè mori, ſtatim miraculosè ceciderunt cinctoria, & abſque ulla læſione ſanus remanſit; & canonici, tunc Matutinum officium canentes, audito miraculo, præ gaudio campanas pulſari juſſerunt.

aliiſque malis laborantes,

92 Quædam puella, habens membra arida, duobus lignis ſuſtentata incedens, ſimul ac cum matre ſua circumivit Servi Dei ſepulcrum, repentè corruerunt lignea ſuſtentacula, & abſque ullo impedimento cœpit ſola liberè incedere.... Quidam filius Mariæ Novalles, infirmitate herniæ laborans, precibus Servi Dei commendatus, dum inciperet novenarium, ut moris eſt XIV Septembris in anniverſaria memoria diei, in quo paſſus fuit martyrium (*quia ſcilicet* B. Petrus *nocte inter diem* XIV *&* XV *media in eccleſia confoſſus fuit*) fractum fuit cinctorium & corruit in terram, puero in totum ſano reperto. Quidam filius Petri de Armedia & Joannæ Ricarte, eadem infirmitate laborans, Servo Dei commendatus, ruptis cinctoriis, quæ portabat, miraculosè ſanatus fuit. Simili morbo ex interceſſione hujus Servi Dei, cui fuit commendatus, ſanatus fuit filius Iſabellæ de Alienga, vicarius deinde loci Bleſta, Gabriel Ripol nominatus. Quidam puerulus utriuſque partis rupturam patiens, adimpleto conſilio cujuſdam mulieris, ad quàm fuerat portatus, ut circa ſepulcrum hujus Servi Dei faceret novenarium, ſexta die cùm ad eamdem mulierem rediiſſet, repertus fuit ſanus abſque aliqua ruptura vel læſione...

E

incolumitatem conſequuntur.

93 Veritas fuit & eſt, quòd ultra ſupradicta miracula, ſic ut ſuprà articulata, quàm plura alia extiterunt & extant notabilia miracula ex interceſſione & meritis hujus Servi Dei in diverſis partibus emanata, ſpecialiter & ſingulatim coram judicibus remiſſorialibus ſpecificanda, de quibus deponent teſtes ad plenum informati. Quàm plures Chriſti fideles, videntes, indies magis augeri famam ſanctitatis & miracula hujus Servi Dei, pia devotione ducti, diverſa fecerunt legata pro expenſis faciendis in illius canonizatione impetranda, prout de præmiſſis plura extant teſtamenta. *Poſt hæc obſervat Papebrochius, formata fuiſſe interrogatoria teſtibus proponenda, aliaque ad proceſſum proſequendum ſpectantia; ac poſt multa ſubdit: Anno deinde* MDCXXX *proſequitur cœptum miraculorum examen codicis ſui folio* 747 *his verbis:* Reverende pater, inter alia quamplura miracula ex meritis & interceſſione Servi Dei Petri Arbues emanata, ex antiquiſſimo Proceſſu de anno MCDXC, & alio de anno MDXXXVII, auctoritate ordinaria fabricatis... infraſcripta probari videntur.

F

Tremor manûs ſublatus,

94 Ludovicus de Burgos poſt febrim, quam per menſem cum dimidio paſſus fuerat, manus dexteræ tali tremore affectus remanſit, ut cum ea vix bibere vel comedere valeret. Monitus, ut D. N. Jeſu Chriſto & glorioſæ Virgini ſe commendaret, & devotus eſſet Magiſtri Epilæ, ſtatim acceſſit ad cathedralem eccleſiam, & innixus ſepulturæ ipſius Magiſtri Epilæ, poſt orationem flexis genibus emiſſam ad beatam Virginem, & * quòd

* *adde* poſtquam dixiſſet

AUCTORE C. S.

dominus Magiſter Epila eſſet ſuus interceſſor, empto inde voto ceræ (*id eſt* anathemate cereo) unius brachii cum ſua manu, ad ipſam cathedralem cum tali voto redeundo, in ipſo itinere ab ipſo manûs tremore liberatus & ſanus remanſit, pauco temporis momento duarum horarum à ſuprædicta monitione & acceſſu ad prædictam eccleſiam ad liberationem, ſic ut ſuprà obtentam, intercedente. Factum, ſic ut ſuprà narratum, probatur à depoſitione ipſiuſmet Ludovici, qui habet in conteſtem Euximenum de Embum, qui illum ſic ut ſuprà monuerat, unà cum Jacobo Filipe, qui, ut teſtatur, omnia per Euximenum depoſita vidit, & præſens fuit.

incurvatus puer erectus;

95 Petrus Oleron, dum eſſet puer annorum quinque, ludens cum aliis pueris, projectus ex ſcala S. Mariæ de Miraculo, civitatis Cæſarauguſtanæ, quodam dorſi oſſe confracto, gibboſus remanſit, gibboque ejuſmodi indies excreſcente in tantum, quòd jam effectus annorum decem, incederet ad formam arcûs, quadam ſuperinducta carnoſitate, de cujus inciſione inter chirurgos agitabatur. In hoc ſtatu & ætate conſtitutus, petito nummo à patre pro emenda candela, illamque ardentem ponens à conſpectu ſancti Magiſtri B Epilæ; inſtando, nummum hujuſmodi ſingulis diebus ſibi tradi pro dicta candela, ex quo volebat facere novenale dicto Sancto; ſequenti die nummo accepto, ſolus inter quintam & ſextam horam diei arrepto itinere ad eccleſiam & ſepulturam prædictam, factaque oratione, inter octavam & nonam horam ejuſdem diei, rectus incedere & non eo modo, quo ſolebat, repertus fuit, populo ad id concurrente. Factum probant Arnoldus de Oleron pater, qui habet in conteſtem ipſum Petrum filium, cum quibus accedit depoſitio Joannis de Robres, qui in ſubſtantialibus concordare videtur.

cruram & brachiorum uſus redditus: hernia curata.

96 Joannes ſeu Petrus Creſpo, innocens incedens primò terreſtris cum manibus & pedibus per terram, & inde poſt aliquot annos cum duobus ſuſtentaculis ſeu tampellis, auditis miraculis, quæ ex interceſſione Magiſtri Epilæ emanabant, ad eccleſiam accedens & orans, poſt tres horas cum uno ſolo ſuſtentaculo valdè rectus incedere cœpit; tibias, quas antè curvatas habebat, valdè rectas ſibi reſtitutas invenit, & brachia, quæ ſuper caput elevare non valebat, elevâſſe viſus fuit, C quoad crura & brachia magnam ſanitatem conſecutus. Factum probatur ex depoſitione duorum teſtium de viſu & propria ſcientia, nempe teſtis ſeptimi & noni. Antonius Forcada, puer ſex vel ſeptem annorum, ruptus ſeu confractus à duobus lateribus, ex quibus exibant ilia uſque ad genua, poſt multa humana remedia fruſtra adhibita, febri debilitatus, cùm in magno vitæ diſcrimine conſtitutus reperiretur, Agnes Ramirez ejus mater ad interceſſionem ſervi Dei Magiſtri Epilæ recurrens, facto novendio ad illius ſepulcrum, datâque eleemoſynâ pro tribus Miſſis, ipſo completo novendio & Miſſis celebratis, cingulum ſuſtinens ilia cecidit, & Antonius puer ſanatus comperitur. Factum hoc concludenter probatur ex depoſitione ſex teſtium jam uſque de anno MDXXXVII, videlicet primi, ſecundi, tertii, quarti, quinti & ſexti. *Dubitari poteſt, an hoc non ſit idem miraculum, quod num.* 89 *jam retulimus: aliqua tamen inter relationem differentia occurrit.*

Puella paralytica, aliique

97 Catharina Piños puella Cæſarauguſtana in latere ſiniſtro debilitata, ita ut nec manu nec crure ſiniſtris uti valeret, poſt humana remedia fruſtra adhibita, accedens ex voto ad ſepulcrum ſervi Dei Petri Arbues in eccleſia Cæſarauguſtana, reiteratque per novem dies viſitatione cum celebratione Miſſæ, ſana & libera evaſit. Factum refert & probat ipſamet Catharina, de propria perſona loquens, & comprobatur ex depoſitione quatuor teſtium, concorditer conteſtantium. Cùm Don * Michaëli Baptiſtæ de la Nuza à nativitate filius, nuncupatus Don Martinus Baptiſta, ruptus exiſteret adeò magnâ rupturâ, ut valdè ordinariè ejus inteſtina deſcenderent in burſam ſeu veſicam, ita ut ex manifeſto periculo de ejus vita dubitaretur; poſt plura adhibita humana remedia, quæ nihil profecerant, idem Don Michaël ejuſque uxor, fiduciam habentes in Servo Dei, mandârunt nutrici, ut puerum infantem deferret ad ſepulcrum, illudque viſitando circuiret, offerendo in qualibet vice unam candelam & unum nummum. Talique mandato impleto, poſt plures continuatarum viſitationum (*vices*) in una novena peracta, idem puer ſanus & totaliter curatus repertus fuit; qui licèt adhuc non perfectæ ætatis annorum trium, interrogatus, quiſnam ipſum ſanaverit, reſpondet: Magiſter Epila. Factum concorditer probant quatuor teſtes, inter quos reverendiſſimus Hieronymus Baptiſta de la Nuza, epiſcopus Ablanacinenſis (*id eſt*, Lobetianus; *eſt autem Lobetum, indigenis* Albarazin, *civitas epiſcopalis in Aragoniæ regno*) patruus; don Michaël Baptiſta de la Nuza pater, ipſa nutrix, & chirurgus.

D

* *i. e.* domino

E

hernioſi, habita ad ſepulcrum devotione novemdiali,

98 Jacobus Meſquita Cæſarauguſtanus, ludens cum una fariſſa in experimentum virium ſuarum, in quo delectabatur, ruptus evaſit; & incipiebant illi deſcendere inteſtina. Ob quam infirmitatem cùm cingulum portaret, & multa remedia humana adhibuiſſet gravibus cum expenſis, abſque eò quòd aliquatenus profeciſſent; tandem ex devotione, quam ipſe ſuique parentes & prædeceſſores gerebant erga Servum Dei ob publica & magna miracula, quæ Deus operatus fuerat & operabatur, ſanando diverſas infirmitates & præſertim rupturas, determinavit facere, prout de facto fecit, unam novenam ſepulcro ipſius Servi Dei, circueundo ſepulcrum, & apponendo lumina, ut moris eſt, & eidem ſe magno affectu commendando, ut intercederet apud Deum pro ſua ſalute. Quâ novenâ peractâ, eodem die nono de ſero, cùm feciſſet orationem, eidem Servo Dei ſe commendans, dum manum appoſuiſſet ſuper ſepulcro ad orandum, cecidit illi cingulum, & ſenſit fractam fuiſſe ligulam, cum qua adhærebat & alligatum erat, quamvis ligula prædicta eſſet ex quadam pelle nuncupata de Ante (*id eſt* bubalina,) quam rumpere vix potuiſſent duo homines: ſtatimque curatum ſe tangendo comperiens, gratias Deo egit. Factum refert & probat ipſemet Jacobus in perſona & facto proprio, & comprobant concorditer tres alii teſtes, quorum duo ipſius Jacobi germani fratres.

F

incolumitati reſtituuntur

99 Antonius Chriſtophorus de la Taſſa, puer ætatis duorum annorum, unicus filius Antonii Mathæi de la Taſſa & Urſulæ de Longa, ruptus exiſtens ita, ut illius inteſtina deſcenderent in veſicam, & res valdè magna & monſtroſa videretur, per annum hujuſmodi infirmitatem paſſus, poſt multa humana remedia adhibita ſine fructu, cùm jam operi chirurgi, ut ipſum aperiret, deſtinatus foret, tandem utrique parentes magna devotione, quæ in eorum domo habita fuit & habebatur erga ſervum Dei Magiſtrum Epilam, eique eorum filio commendato cum firma deliberatione faciendi novenam ad illius ſepulcrum cum celebratione novem

Miſſa-

A Miſſarum & eleëmoſynæ largitione, circueundo ſepulcrum de more; in hujus deliberationis votivæ implementum immediatè die ſequenti inceptâ novenâ cum aliis præmiſſis, in ultimis diebus, antequam perficeretur novena, cùm ipſe puer circueundo ſepulcrum, manibus duceretur, in ipſo circuitu cecidit cingulum, & ſanus & curatus miraculosè remanſit. Factum probant Antonius pater & Urſula mater conteſtes, & corroborat teſtis tertius chirurgus. *Hactenus Ms. Papebrochianum ex laudato libro Informationum tranſumptum.*

§ IX. Beatificatio Petri à Carolo V imperatore, & Philippis III ac IV, Hiſpaniarum regibus, flagitata, ab Alexandro VII Papa ad finem perducitur.

B *Carolus V imperator canonizationem ipſius*

TAm pretioſa beati Inquiſitoris mors, ſecutaque poſt eam plurima miracula, meritò exigebant, ut pro publico ipſius cultu per ſolemnem canonizationem apud Apoſtolicam Sedem Romanam inſiſteretur; ſed neque hac in parte operam ſuam deſiderari paſſi ſunt, quorum intererat. Jam ab anno enim 1490, *id eſt, quinto poſt obitum ejus, proceſſus de miraculis Cæſarauguſtæ formatus eſt, ut paſſim teſtantur ſcriptores & liber Informationum, qui etiam ſecundi, anno* 1537 *confecti, meminit. Eodem ſeculo decimoſexto Carolus V imperator & Hiſpaniarum rex cauſam ipſius ad Romanum Pontificem deferri curavit, ſupplicavitque, ut eâ ritè diſcuſſâ, Servum Dei* Petrum *Sanctorum catalogo adſcriberet. Ita inter alios diſertè docet liber Informationum his verbis:* Excreſcente indies magis ac magis fama ſanctitatis & miraculorum hujus Servi Dei, felicis memoriæ Carolus V imperator ſupplicavit ſummo Pontifici Paulo III pro illius canonizatione. *Vincentius Blaſcus de la Nuza tom.* 2 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & profanæ Aragoniæ, lib.* 2, *cap.* 13 *id anno* 1535 *factum ait; ſed in libello ſupplice ab eccleſia metropolitana in eumdem finem anno* 1614 C *Paulo V oblato, quem ibidem recitat, ad annum* 1539 *refertur.*

à Paulo III PP. flagitat:

101 *Utro loco annus rectiùs notatus ſit, aliunde certò non comperi; pro primo tamen facit, quod ait Didacus Garzia de Traſmiera, videlicet anno* 1537 *inſtructum fuiſſe ab epiſcopo Cæſarauguſtano proceſſum de miraculis ipſius, poſtulante Carolo V imperatore, & Paulo III Pontifice jubente. Joannes Mariana lib.* 25 *Hiſtoriæ Hiſpaniæ cap.* 8 *ſic dubiè loquitur, quaſi laudatus imperator ab eodem Pontifice ſacros honores* B. Petro *publicè exhibendos jam impetrâſſet. Sic enim ait:* Decreto ſenatûs aliquantò poſt (*Beati obitum*) addita lampas ſepulchro: quod niſi conſecratis hominibus cæloque dicatis non datur. Id etiam ut Pauli III Pontificis auctoritate fieret, Carolus V auguſtus curavit. Sic meritis honos debitus eſt habitus: nam & quintodecimo Septembris die memoria ejus celebratur anniverſariis ſacris. *Sed ſi quid ejuſmodi Carolus à Paulo Papa obtinuerit, conſtat, cauſam beatificationis ejus ad optatum finem tum minimè perductam fuiſſe. Dixi,* Si quid ejuſmodi obtinuerit; *nam mihi quidem ex aliorum ſilentio veriſimillimum apparet, Marianam hallucinatum fuiſſe, & propter petitam à Carolo V canonizationem credidiſſe, à Paulo III conceſſum fuiſſe feſtum annuum, quod, ut diximus, Cæſarauguſtani ex auctoritate archiepiſcopi ſui die* XV *Septembris, quo non mortuus, ſed perfoſſus* Petrus *fuerat, in metropolitana eccleſia olim celebrârunt.*

AUCTORE C. S.

eamdem à Paulo V petunt Philippus III,

102 *Caroli V veſtigiis inhærens Philippus III Hiſpaniarum rex anno* 1614 *pro eadem cauſa ſupplicavit Paulo V Pontifici. Id ipſum eodem anno menſe Septembri etiam præſtiterunt Cæſarauguſtani canonici metropolitici, cujus litteras ad laudatum Pontificem propterea datas ex Vincentio Blaſco de la Nuza, num.* 100 *ſuprà citato juverit hîc exhibuiſſe.* Beatiſſime Pater, Petrus Arbueſius Cæſarauguſtanus (*imò Epilenſis, ut diximus* § 2) vulgò Magiſter Epila, eam ob cauſam fortaſſe dictus, quòd illuſtris ſuæ gentis origo ex hujus nominis oppido eſſet, canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini inſtitutum in hac ipſa eccleſia profeſſus, cum ſingulari doctrina & eruditione ſacrarum Scripturarum ſic morum gravitatem & vitæ innocentiam conjunxit, ut Ferdinandus rex Catholicus, (qui propagandæ & conſervandæ Chriſtianæ fidei zelo eo tempore in Hiſpaniam ſanctæ inquiſitionis officium introduxit) hunc E in primis contra hæreticam pravitatem Inquiſitorem Apoſtolicum Aragoniæ regno præfici curavit *. Quo in munere adeò conſtanter egit, ut detegendis hæreticorum ſceleribus, eiſdemque puniendis totus incumbens, inimicorum veritatis & hæreſis labe infectorum hominum acerbiſſimum in ſe odium concitârit.

* curârit

& canonici Cæſarauguſtani,

103 Igitur non parva hæreticorum manus in ejus mortem conſpiravit, & cum ſicariis iniquiſſimo ſibi precio conſtituto egit, ut Petrum Arbueſium, ob fidei Chriſti zelum, quo ardebat, perfidis hominibus infenſiſſimum, de medio tollerent. Ad quod patrandum nefarium facinus ſceleratiſſimi ſicarii occaſionem captabant, eaque ſibi viſa commodior: Surgebat media nocte Petrus ad confitendum Domino, Davidis ſecutus exemplum, & cum aliis canonicis fratribus in eccleſiam conveniens, per ſingulas noctes Matutinis ſacris intererat. Hinc & loci & temporis arrepta occaſione, cùm Petrus venerabilis ipſa media nocte mox chorum ingreſſurus ad matutinum Officium de more celebrandum, ante ſacram Euchariſtiam genibus flexis oraret; perditi ſicarii intra eccleſiam inſidiosè abſconditi, ſtatim viſo Petro, ipſum aggreſſi, inter alios, quos intentant ictus, letale vulnus gutturi infligunt, & jugularibus abſciſſis venis, profluens ex illis cruor innocuus ædium ſacrarum pavimentum reſperſit. Corruit illico in terram Vir innocens, gracias agens Domino Jeſu, quòd pro ejus fidei defenſione pateretur. F

quorum libellus ſupplex

104 Inde verò in cubiculum ſuum exportatus, conſtanti animo, nulloque in percuſſores ſuos perturbatus affectu, imò pro illis bene in Chriſto precatus, effuſo pro Chriſto ſanguine, migravit ad Chriſtum anno ab ejus Nativitate MDCLXXXV, die XVII Septembris. Egit vitam piam, religioſam, ſanctam, pro zelo Chriſtianæ fidei mortem apetiit *, ejus meritis & precibus multa diverſi generis homnibus divinitus collata beneficia, multa facta miracula, hodie conferuntur & fiunt. Quam ob rem omnium opinione ſanctus putatur, & ab obitu ſuo uſque ad hæc noſtra tempora pia veneratione colitur. Ejus ſanctitatis & miraculorum famâ jam anno MDXXXIX commotus glorioſæ memoriæ Carolus V Romanorum imperator à felicis recordationis Paulo III Pontifice Maximo, Sanctitatis veſtræ Præ-

* *fortè oppetiit*

AUCTORE C. S.

deceſſore, inſtanter per literas petiit, ut dignaretur Nuntium Apoſtolicum, tunc in Hiſpaniæ regnis conſtitutum, vel alium ſeu alios prælatos deputare, qui Petri hujus benedicti ſanctitatem vitæ, mortem pro Chriſti fide perpeſſam, miracula, aliaque omnia ritè examinarent, quibus ad eum in Sanctos referendum via ſterneretur.

ad eumdem Pontificem recenſetur.

105 Intermiſſa hæc imperatoris peritiſſimi cura fuit ob temporum & bellorum difficultates; ſed beneficia in eos, qui ad hujus Sancti ſepulchrum variis morbis & miſeriis afflicti confugiunt, numquam intermittuntur. Immò majora & mirabiliora in dies apparent; quibus quaſi compellitur omnis hujus regni Aragoniæ ordo, præſertim hoc noſtrum Cæſarauguſtanum capitulum, cujus Petrus beatus portio præclara fuit, ad ea omnia præſtanda, quæ gratum, devotum ac pium erga eum animum oſtendant: ejus interceſſione tot donis ſe ſentit divinitus cumulari. Quare ad ipſum jam olim ſupplicatum & per tot annos intermiſſum nunc ferventiori ſtudio novis beneficiis devincti, de novo revocamus, & à Sanctitate veſtra precamur humiliter, ut quod à Paulo III felicis recordationis quaſi ſeminatum
B & plantatum extitit, Paulo V Petri navis gubernacula tenente fœliciter, & prudenter moderante, ſuſcipiat incrementum ad Dei Omnipotentis gloriam, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis; quemque, ut Sanctitatem veſtram diutiſſimè ſervet, aſſiduis precibus exoramus. Cæſarauguſtæ die XV Septembris, anno Domini MDCXIV.

Proceſſus tum inchoatus, deinde ſub Gregorio XV

106 *Philippi regis ceterorumque piis precibus annuit Paulus V, qui anno 1615 ad eam cauſam delegavit judices Franciſcum Sarratum archiepiſcopum Damaſcenum, Joannem Baptiſtam Coccinum & Alphonſum Manzanedum, auditores Rotæ, qui eodem anno commiſſarios ſuos ad examinanda miracula & virtutes delegârunt Aragoniæ epiſcopos Turiaſonenſem & Terulenſem, ut teſtatur laudatus Lanuza & Didacus Garzia, adduntque eadem mandata ab eodem Paulo V anno 1618 renovata fuiſſe; ſed tum teſte Lanuza archiepiſcopus Cæſarauguſtanus ejuſque ſuffraganei Turiaſonenſis & Lobetanus delegati in Aragonia judices fuere. Inter hæc laudati Pontifex Paulus & Philippus Hiſpaniæ rex anno 1621 mortem obierunt, quorum primo in S. Petri Cathedram ſucceſſit Gregorius XV, alteri in regnum*
C *Philippus ejus nominis IV. Hic paterna exempla ſecutus, anno 1622 apud novum Pontificem ſuam pariter auctoritatem preceſque adhibuit pro* Petri *beatificatione promovenda. Ita liquet ex ſæpe laudato libro Informationum, ſeu quod ex illo deſcripſit Papebrochius, exemplari, in cujus poſterioris initio leguntur iſta:* Ad docendum de puritate fidei, morum & vitæ ſanctitate atque heroicarum virtutum excellentia venerabilis Petri de Arbues, Magiſtri Epila nuncupati, hæreticæ pravitatis inquiſitoris, ac miraculis ex ejus interceſſione & meritis à Deo Opt. Max. emanatis, procurator ſereniſſimi & Catholici Philippi IV Hiſpaniarum regis, reverendiſſimi domini Inquiſitoris Generalis inquiſitionis Hiſpaniarum, tribunalis inquiſitionis Aragoniæ, deputatorum ejuſdem regni, civitatis Cæſarauguſtanæ populi, capituli & cleri metropolitanæ, ac Confratrum confraternitatis S. Petri martyris in cauſa illius canonizationis dat & producit articulos infraſcriptos. *&c.*

promovetur, & Beati ſepulcrum viſitatur.

107 *Delegati judices fuerunt duo ſuprà nominati Joannes Baptiſta Coccinus, Alphonſus Manzanedus & Jacobus Cavalerius auditores Rotæ; in Aragonia verò per litteras remiſſoriales conſtituti epiſcopi Turiaſonenſis & Barbaſtrenſis, per quos, ut in libro Informationum dicitur, ſunt* examinati teſtes, & magnus deſuper compilatus proceſſus, & ad reverendiſſimos dominos ad curiam tranſmiſſus. *Iidem duo epiſcopi ſepulcrum* B. Petri *viſitâſſe dicuntur his verbis:* In eodem Proceſſu folio 53 & ſeqq. adeſt viſitatio ſepulcri iſtius Servi Dei, facta per eoſdem epiſcopos judices delegatos. *Quid in ea viſitatione actum fuerit, non explicat exemplar meum Papebrochianum; ſed Didacus Garzia affirmat, præcipuam civitatis Cæſaraugſtanæ nobilitatem adſtitiſſe, & venerabile corpus repertum cum manifeſto vulnere in maxilla ſiniſtra, ad quod reliquiæ ſanguinis etiam tum adhærebant. Denique ne longiori proceſſuum relatione lectoribus nauſeam pariam, feſtino ad finem, quem ſub Alexandro VII Papa per ſolemnem beatificationem* B. Petri *martyris Cæſaraugſtanorum pii conatus tandem conſecuti fuerunt.* D

Sub Alexandro VII Papa, martyrium ipſius, E

108 *Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV in ſæpe laudato laudandoque à nobis inſigni ſuo Opere de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione, editionis ſecundæ Patavii factæ, lib. 3, cap. 13, num. 12 docet, martyrii ipſius cauſam, rejectis, quæ adversùs eam Petrus Franciſcus de Rubeis promotor Fidei diſputaverat, ſacræ Rituum Congregationi probatam fuiſſe, ab eaque ſancitum eſſe, conſtare de martyrio ipſius & cauſa martyrii. Juverit ipſa Sanctiſſimi Domini verba recenſuiſſe. Quæſierat ibi,* an ad martyrium ſatis ſit, tyrannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversùs fidem Chriſti, quamvis occaſionem mortis deſumat ex alia re, quæ ad ipſam Chriſti fidem aut nihil pertineat, aut non niſi ex accidenti pertineat. *Poſtquam autem reſponderat affirmative, idque aliquot ſanctorum Martyrum exemplis probaverat, his verbis proſecutus eſt:* Unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit, ſufficere ad martyrium, ſi perſecutor ad necem inferendam moveatur ab odio in fidem, licèt occaſio mortis provenerit ex alia re, quæ ratione circumſtantiarum ad fidem non pertineret.

à ſacra rituum Congregatione approbatur, F

109 Clariùs id ipſum comprobatur ex cauſis beatorum Joſaphat Pollocenſis & Petri Arbues: licèt enim in prima Antonius Cerrus tunc Fidei promotor ſtrenuè oppoſuiſſet, Joſaphat mortem non ab odio in Fidem, ſed ab incluſione in carcere cujuſdam ſchiſmatici ſacerdotis derivatam fuiſſe; in ſecunda autem Petrus Franciſcus de Rubeis, pariter Fidei promotor, collectis probationibus oſtendere conatus eſſet, mortem non fuiſſe ex odio in Fidem Petro inflictam, ſed ex eo, quia qui eum occiderunt, contendebant, non eſſe in regnum Aragoniæ inducendum tribunal ſanctiſſimæ inquiſitionis unà cum jure confiſcandi bona delinquentium, & quia duo ex ſicariis odio Servum Dei proſequebantur, quòd eorum patrem & ſororem, quos innocentes reputabant, carceribus inquiſitionis fecerat mancipari; excipientibus nihilominus poſtulatoribus & per invicta argumenta demonſtrantibus, odium in Fidem fuiſſe veram cauſam mortis prædictorum Dei Servorum, atque adeò, quæ à promotoribus adducta erant, ad mortis occaſionem eſſe referenda; ſacrorum rituum Congregatio cenſuit, conſtare de martyrio & cauſa martyrii, & uterque in beatorum Martyrum numerum juxta alibi dicta relatus eſt.

110 *Iſtud ſacræ Congregationis de martyrio & cauſa martyrii* B. Petri Arbueſii *decretum, die*

A *cujus decretum exhibetur. Approbantur etiam miracula:*

XII *Decembris anni* 1661 *conditum, idem Sanctiſſimus Dominus Benedictus XIV lib.* I *laudatiſſimi ſui Operis, cap.* 30, *num.* 4 *recenſuit, unde ego huc transfero.* Propoſito per Eminentiſſimum dominum Cardinalem Sacchettum dubio, an conſtet de martyrio & cauſa martyrii Servi Dei Petri de Arbues, Sanctiſſimus, prævia diſcuſſione, de Fratrum conſilio cenſuit, conſtare de martyrio & cauſa martyrii; ac proinde ad ulteriora procedendum eſſe, nempe ad diſcuſſionem miraculorum, ſi quæ operari dignatus eſt Omnipotens interceſſione vel intuitu ejuſdem Servi Dei: die XII Decembris MDCLXI. *Poſt hæc de diſcuſſis probatiſque miraculis idem Sanctiſſimus, producens aliud decretum, ibidem ſic ſubjungit:* Examinata propterea & approbata fuerunt miracula; quemadmodùm ex hoc alio decreto deſumitur. *Tum ſequitur decretum; quod cùm totum produci ad Sanctiſſimi Domini propoſitum non faceret, idem illud integrum ex Appendice ad Vitam Hiſpanicam per Didacum Garziam, ubi etiam Latinè exſtat, hic recenſebo.*

*& Officium cum Miſſa in metropolitana Cæſarauguſtæ permittitur, *al.* miraculis

III Acriter diſcuſſo dubio propoſito per Eminentiſſimum Chiſium, an conſtaret de duodecim miraculis deſumptis ex Proceſſu compulſoriali, ſacra rituum Congregatio, habita coram Sanctiſſimo die XXV Septembris MDCLXIII, declaravit, conſtare de tertio & ſexto miraculo *; nempe, de tertio inſtantaneæ ſanationis Mariæ de Ciria ab ore torvo, & ſexto pariter inſtantaneæ ſanationis Eliſabeth de Andreu ab ulcere cancri in ore: ac proinde, facta per eumdem Cardinalem Chiſium plena & diſtincta relatione eorum omnium, quæ in eadem cauſa geſta ſunt, deque ſanctitate vitæ, virtutibus, martyrio & cauſa martyrii, prodigio efferveſcentiæ & multiplicationis ſanguinis, & miraculis ſupradictis, ſacra eadem Congregatio cenſuit, quandocumque tutò deveniri poſſe ad ſolemnem canonizationem Petri Arbueſii juxta ritum, &c.: attento, quòd agitur de Martyre cum prodigiis & miraculis maturè diſcuſſis & formiter approbatis. Interim verò, donec ad actum ſolemnis canonizationis deveniatur, Sanctiſſimus litteras in forma Brevis ſuper cultu Beati eidem Dei Servo in eccleſia metropolitana Cæſarauguſtæ cum Officio & Miſſa, de Communi unius Martyris non pontificis deſumendis, præſtando annuit concedendas; poſtquam tamen juxta decretum nuper à Sanctitate ſua editum in baſilica Vaticana hujuſmodi litteræ Congregationi ſacrorum rituum exhibitæ fuerint, & executioni demandatæ. Die XIX Martii MDCLXIV. M. Epiſcopus Savinenſis Cardinalis Ginetus. Bernardinus Caſalius, ſacrorum rituum Congregationis ſecretarius.

C

poſtquam Romæ in Vaticana ſolemnitas facta eſſet.

112 *Decretum Pontificium, cujus mox mentio facta eſt, editum fuit ab Alexandro VII Papa, qui, ut ſacro beatificationis decoro conſuleret, & incommodis, quæ alioquin oriri poſſent, occurreret, prudenter ſtatuit, ut in poſterum beatificationis ſolemnitas in baſilica Vaticana S. Petri Romæ primò omnium terrarum peragereturi. Nam ante illius tempora nulla beatificationis ſolemnitas Romæ fieri conſueverat* in baſilica ſaltem Vaticana, *ut denuò docet ſupra laudatus Sanctiſſimus Dominus Benedictus XIV in eodem eruditiſſimo Opere, lib.* I, *cap.* 24; Verùm, expletis cauſis, prævia diſcuſſione tum virtutum, tum miraculorum, Brevique expedito & Poſtulatoribus tradito, ſi in Urbe fieret beatificationis feſtum, fiebat tantùm in eccleſia ejus Ordinis, quem Dei Servus, ſi Regularis erat, fuerat profeſſus, vel in eccleſia ejus nationis, ex qua Dei Servus natus erat, ſi gens illa propriam habebat in Urbe eccleſiam. *Hanc porrò ſolemnitatem in cauſa* B. Petri *noſtri obſervatam fuiſſe, ſequenti paragrapho videbimus.*

AUCTORE C. S.

§ X. Ab Alexandro VII Beatis adſcribitur: beatificationis ſolemnitas Romæ in baſilica S. Petri peracta: corpus in pretioſum ſacellum tranſlatum.

Alexander VII Papa, edito Brevi,

EOdem anno 1664 die XVII *Aprilis Alexander VII Romanus Pontifex Breve beatificationis* Petri Arbueſii *edidit, cujus exemplar Romæ typis reverendæ Cameræ Apoſtolicæ tum excuſum præ manibus habeo, quod totidem verbis hìc recudo.* Sanctiſſimi D. N. D. Alexandri divinâ Providentiâ Papæ VII Breve Beatificationis Petri de Arbues, canonici metropolitanæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, primi Inquiſitoris in regno Aragoniæ.

E

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

FOrtiſſimos Chriſti athletas, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni, quorum pretioſa in conſpectu Domini morte religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt, ſicuti poſt agonem victores coronâ juſtitiæ donat in cælis juſtus Judex, ita devota convenit fidelium veneratione in terris honorari, ut, qui ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus, infirmitatem noſtram ſua interceſſione juvare dignentur. Quam in rem pro paſtorali noſtro munere, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini divina diſpoſitione præſidemus, propenſis ſtudiis incumbentes, flagitantia id ipſum Catholicorum regum & aliorum Chriſti fidelium vota libenter exaudimus, prout omnibus maturæ diſcuſſionis trutinâ perpenſis, ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Chriſtianæ religionis fideique Catholicæ robur & incrementum, ſanctæque matris Eccleſiæ exaltationem, cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

F

illum beatorum martyrum albo adſcribit,

114 Cùm itaque ad preces chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum regis Catholici, ac dilectorum filiorum generalis inquiſitoris, & miniſtrorum omnium ſanctæ inquiſitionis Hiſpaniarum, ac Deputatorum præſertim in regno Aragonum adversùs hæreticam pravitatem, necnon capituli metropolitanæ eccleſiæ, cleri, juratorum & populi civitatis Cæſarauguſtanæ, proceſſus ritè ac rectè confecti fuerint ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, martyrio, cauſa matyrii, prodigio quoque efferveſcentiæ & multiplicationis ſanguinis, aliiſque miraculis à Deo patratis interceſſione ſervi Dei Petri de Arbues, aliàs Magiſtri Epilæ nuncupati, dum vixit, canonici prædictæ metropolitanæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, & primi Inquiſitoris in dicto regno Aragoniæ, auctoritate Apoſtolica deputati; qui, dum munus in-

AUCTORE C. S.

quisitoris hujusmodi fideliter & summo cum fidei Catholicæ zelo exercebat, à nefariis quibusdam sicariis, Judaicâ perfidiâ infectis, in odium ejusdem Catholicæ fidei immaniter trucidatus, martyrii palmam accepisse asserebatur; iidemque processus in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, accuratissimè discussi fuerint, factaque tandem eorum omnium, quæ in causa gesta sunt, coram Nobis plena & distincta relatione, præfata Cardinalium Congregatio, Nobis annuentibus, censuerit, quandocumque tutò deveniri posse ad solemnem canonizationem ejusdem servi Dei Petri Arbuesii juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacrorum canonum dispositionem, attento, quòd agitur de Martyre cum prodigio & miraculis maturè discussis & formiter approbatis: hinc est, quòd Nos piis memoratorum Philippi regis, Inquisitorum, capituli, cleri, juratorum & populi supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio & unanimi assensu indulgemus, ut memoratus Dei servus Petrus Arbuësius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur.

B

& publico cultu honorandum decernit.

115 Imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu duplici recitetur Officium, & Missa celebretur de Martyre non pontifice singulis annis juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani, die decima septima Septembris, quâ spiritum Creatori reddidit. Hæc verò in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in cathedrali ecclesia Cæsaragustana, ubi Canonicus martyrii palmam consecutus est, ejusque corpus requiescit; in ecclesiis generalis inquisitoris Hispaniarum ad S. Martini inquisitionis regni Aragoniæ, ubi primus Inquisitoris munus obivit, & à qua ex Apostolica auctoritate munus idem accepit; necnon in matrice ecclesia oppidi de Epila, ubi natus est; & quantùm ad Missas attinet, etiam à sacerdotibus confluentibus. Præterea, præsenti tamen dumtaxat anno à datis hisce litteris inchoando, in supradictis ecclesiis solemnia beatificationis ejusdem cum Officio & Missa sub ritu duplici majori, die ab ordinario constituta & intra sex menses promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romæ verò in ecclesia S. Mariæ Montis Serrati, nationis regni Aragonum, intra bimestre, postquam tamen in basilica Principis Apostolorum eadem solemnia celebrata fuerint, pariter celebrari permittimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac decretis super non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii prædictæ Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique, tam in judicio, quàm extra, habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII Aprilis MDCLXIV, Pontificatus Nostri anno nono.

C

S. Ugolinus.

Beatificationis solemnitas

116 *Consequenter ad hæc beatificationis solemnitas Romæ in basilica Vaticana expleta fuit die* XXVII *ejusdem mensis Aprilis anni* 1664. *Ita discimus ex ejusdem Sanctissimi Domini Benedicti XIV laudato Opere lib.* 1, *cap.* 24, *num.* 6, *ubi is observans, hanc beatificationem secundam esse, quæ post Alexandri VII decretum, de quo suprà meminimus, in memorata basilica solemniter facta est, sic scribit:* Secunda solemnis beatificatio (*primam enim dixerat* servi Dei, nunc sancti Francisci Salesii) fuit servi Dei Petri de Arbues, aliàs Magistri Epilæ, canonici ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ, ac primi Inquisitoris regni Aragoniæ; eademque fuit expleta die XXVII Aprilis MDCLXIV, tum nonnulla ad dictam solemnitatem pertinentia, fuerunt tunc edita in Urbe. *Videtur tamen mendum aliquod, forsan typographicum in diem mensis irrepsisse. Eadem enim beatificationis solemnitas in laudata basilica expleta dicitur die* XX *Aprilis in Relatione mox recitanda, & ne in hac errorem cubare existimem, facit epistola dedicatoria Relationi præmissa, quæ* XXI Aprilis *ejusdem anni* 1664 *signata est. Quod spectat ad ea, quæ Romæ tum edita fuerunt, ex iis ad manum mihi est quædam Italica Relatio Romæ tum excusa, & illustrissimo domino Joanni Vaguer, canonico doctorali ecclesiæ metropoliticæ Cæsaraugustanæ, & ejusdem causæ canonizationis procuratori dedicata, quæ & B. Petri Vitæ compendium, quod Latinè recensebimus, & beatificationis in Vaticana basilica solemnitatem habitam continet. Quia verò ex suprà dictis ea beatificatio secunda fuit, quæ ibidem solemniter celebrata est, haud ingratum lectori fore arbitratus sum, si laudatam Relationem sermone Latino hîc exhiberem. Est itaque hujusmodi.*

D

E

in basilica Vaticana peracta, cujus ornatus,


117 Post diuturnum illud duorum ferè seculorum spatium, à quo invictus martyr Petrus Arbuësius canonicus ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ & primus inquisitor in regno Aragoniæ, Deus minimè parcus in bene meritos servos suos largitor, passus non est, eum accidentali Beati gloria in terra diutiùs carere, qui catalogo Sanctorum in cælis adscriptus, inter Superos jam triumphabat. Hinc Breve beatificationis illius manu Vicarii ipsius, Alexandri VII, signato die XVII labentis mensis Aprilis, ea die Dominicâ, XX ejusdem mensis Aprilis, cum solemni officio in Vaticana S. Petri basilica celebrata fuit. Erat hæc basilica pro ratione propriæ suæ magnificentiæ tota exornata heteromallo pannisque auro intertextis, & holosericis Damascenis, limbis pariter aureis discriminatis, inter quæ pendebant bellissimi illi tapetes, qui à celeberrimis pictoribus picti, non minoris pretii sunt, quàm aurum, quo magnificè penitus intertexti sunt. Majores basilicæ portas ornabat Beati effigies, in spatiosa tela depicta, & insignia monarchæ nostri regis Catholici, regnique Aragoniæ, sub quibus, ut non minùs pietati quàm curiositati populi satisfieret, sequentia legebantur: CAPITULUM ET CANONICI METROPOLITANÆ ECCLESIÆ CÆSARAUGUSTANÆ B. PETRO DE ARBUES, COLLEGÆ ET MARTYRI INVICTISSIMO.


F

ceteraque ad eam festivitatem spectantia.

118 Mille & centum magnæ faces in variis argenteis aureisque candelabris dispositæ erant per omnia altaria ad ecclesiam illuminandam. Retro altare majus intra spatium presbyterii majoris, erectum est sumptuosum & magnificum theatrum, cui pro muris erant ejusmodi panni pretiosè texti, pro tecto autem solita magna velaria auro intertexta. In extremo theatri locum Pontificii solii occupabat magnum altare, super quod pretiosâ umbellâ coronata posita erat sacra Beati imago, quæ ab insigni pictore Hyacintho Brandi ad vivum expressa, in omnibus vehemens desiderium excitabat, ut cortinam laneam, quâ tum velaba-

tur,





Palmi Aragon.

A tur, amoveri viderent. Subinde illuſtriſſimus dominus Altieri, epiſcopus Camerinus & Sanctiſſimi Domini noſtri aſſiſtens, rogatus ab ejuſdem baſilicæ capitulo, ut ea ſolemnitate fungeretur, albâ & pluviali rubro cum pretioſa mitra indutus, ac duobus canonicis tunicâ & dalmaticâ ornatis ſtipatus, præcedente cum Cruce clero & capitulo, è ſacriſtia in ſupplicantium morem ad adorandum ſanctiſſimum Sacramentum proceſſit. Deinde ſacroſancta Apoſtolorum corpora veneratus, ad theatrum erectumque ad ſolemnem ceremoniam altare ſe contulit; ubi ad cornu Epiſtolæ in eminentiori ſella conſedit. Ibidem ad dexterum Euangelii latus domini Cardinales & ſacrorum rituum Congregationis conſultores, violaceis induti veſtibus ſedebant; ad ſiniſtrum verò poſt Eminentiſſimum Cardinalem Barberinum archipresbyterum domini canonici & Joannes Vaguer canonicus doctoralis metropolitanæ eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, procurator cauſæ canonizationis ejuſdem Beati; in ſcamnis denique inferioribus aſſiſtebant beneficiati, cum clericis beneficiatis, ceteriſque è clero ejuſdem baſilicæ.

119 Omnibus in hunc modum conſidentibus, unus ex magiſtris ceremoniarum capituli ad Eminentiſſimum Cardinalem Ginetti, præfectum Congregationis ſacrorum rituum, conduxit dominum Caſale, qui, licèt baſilicæ canonicus eſſet, uti ſecretarius nihilominus ejuſdem Congregationis, & cum ſpeciali Pontificis licentia in ea feſtivitate aſſiſtebat cum rochetto (*quod genus lineæ veſtis canonicorum ad uſum chori eſt*) & palliolo aſſiſtebat, locumque inter conſultores obtinebat unà cum domino Febei, præfecto S. Spiritus, dominoque Alberici ſecretario Congregationis de Propaganda fide, qui ambo ex eadem licentia canonicatus ſui ordini cedebant, ut conſultorum munere fungerentur. Poſt hæc laudatus dominus canonicus procurator cauſæ ab alio quodam magiſtro ceremoniarum conductus, accedens ad eumdem Eminentiſſimum Cardinalem præfectum, Breve beatificationis Martyris noſtri reverenter ipſi obtulit, ut exſecutioni mandaretur, in quantum ſpectabat ad ſolemnitatem in baſilica Vaticana priùs quàm in ceteris locis peragenda. Cardinalis acceptum Breve per illuſtriſſimum Caſale tranſmiſit ad Eminentiſſimum Cardinalem Barberini, qui velut baſilicæ caput exſecutionem ejuſdem ſine mora imperavit. Hinc continuè in ſuggeſto, eum in finem parato, Breve illud alta voce lectum eſt à quodam ejuſdem eccleſiæ manſionario, (*ita quidam inter clericos à munere ſuo vocitantur*) aſſiſtente ejuſdem Congregationis notario.

120 His factis, illuſtriſſimus Camerinus, diacono & ſubdiacono comitatus, depoſitâ mitrâ, hymnum TE DEUM LAUDAMUS &c præcinuit, ad cujus initium Beati effigies develata eſt, & à celebrante ceteriſque, flexis in terram genibus honorata, dum interim altera, quæ ſupra portam baſilicæ appenſa, ſimiliter velata fuerat, detegeretur, & in majori planitie inter tubarum ſonum, timpanorum ſtrepitum, minorumque tormentorum bellicorum boatum, cum ingenti omnium gaudio feſtivè ſalutaretur. Finito hymno, qui ſuaviſſimâ muſicâ à quatuor choris cantatus fuerat, dictoque verſiculo; Ora pro nobis B. Petre &c, epiſcopus Camerinus Orationem de Beato decinit; deinde poſito in thuribulo thure ad ſupremum altaris gradum aſcendit, & ſanctam imaginem thure ter veneratus eſt. Poſtea ad ſedem ſuam reverſus, pontificales veſtes, quarum in Miſſa uſus eſt, ibidem induit. Interea canonicus procurator exemplaria Brevis Beatique imagines in panno ſerico pretioſiori excuſa, auroque magnificè ornata, Eminentiſſimis Cardinalibus diſtribuit, & conſequenter canonicis ac conſultoribus ſacræ Congregationis alias ſimiles imagines in tela bombycina, aliaſque in charta expreſſas, beneficiatis & clericis beneficiatis, ceteriſque, qui in choro aderant, donavit. Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, cum canonicis, aſſiſtente diacono & ſubdiacono, Miſſam celebravit de communi Martyrum non pontificum tempore Paſchali. Quantus autem fuerit concurſus populi, qui pro plenariis indulgentiis & peccatorum remiſſione obtinenda ad eam ſacram feſtivitatem ſine numero confluxerat, non tam facile dictu eſt, quàm creditu, univerſam Urbem ad venerandam Beati imaginem eò accurriſſe. *Hactenus dicta Relatio.*

AUCTORE C. S.

121 *Beatificationis ſolemnitate in baſilica Vaticana eo, quo diximus, modo peracta, dubitandum non eſt, quin Aragones eamdem intra bimeſtre ejuſdem anni, ſecundùm facultatem in Apoſtolico Brevi datam, in eccleſia S. Mariæ Montis Serrati celebraverint. Deinde etiam per Hiſpanias in eccleſiis in eodem Brevi deſignatis eadem ſolemnitas repetita eſt; ſed operæ pretium non eſt hiſce diutiùs immorari. Crevit deinde* B. Petri *cultus, ejuſque corpus in magnificum ſacellum, è vario pretioſo marmore intra eamdem metropolitanam eccleſiam, in qua ſepultum fuerat, exſtructum, illatum eſt. Sacelli hujus iconem ſeu ſchenographiam, unà cum ejuſdem deſcriptione Hiſpanica, Joannes Pinius noſter, dum anno 1722 Cæſarauguſtæ degeret, accepit ab ampliſſimo domino Rubio, ejuſdem metropolitanæ eccleſiæ canonico, quam utramque ad majorem beati Martyris gloriam pio lectori hic exhibeo; alteram à calcographo noſtro æri inciſam, alteram ſermone Latino donatam, ut ſequitur.*

Beati corpus transfertur in ſacellum,

E

122 Diametrum & planum continet quadraginta palmos (*Aragonios*) in quadrum. Tota ſacelli ſtructura interior architecturæ Gothicæ eſt, venuſtiſſimè exornata. In medio dicti ſacelli, intra quadratum ſpatium viginti palmorum, erectum tabernaculum eſt ſimile Romano in baſilica S. Petri; ſed hoc ex ære fuſili eſt, iſtud ex marmore nigro, candido & iaſpide, eximiè elaboratis & compoſitis. Intra hoc tabernaculum altare amplum exſtat ad Miſſas celebrandas, ſub quo glorioſi Sancti corpus jacet, & conſpici poteſt per clathros dictæ aræ inſertos; reliquiæ verò Sancti in theca cryſtallina incluſæ ſunt. Eidem aræ impoſita eſt famoſa effigies ſeu ſtatua Sancti ex marmore candido. Hæc omnia cinguntur ſeptis clathrorum ex ære fuſili & baſibus ex ſaxo nigro & iaſpide, altitudinis palmorum ſeptem, cum ſuis acroteriis & candelabris ad lumina accendenda. Totum ejuſdem ſacelli ſolum marmore nigro candidoque ſtratum eſt, parietes pretioſiſſimi marmoris Genuenſis ſeu Piſani laminis incruſtati ſunt ad fornicem uſque, tribus elegantibus picturis hiſtoricis obductum, in quibus vita & martyrium Sancti noſtri cum multis prodigiis ac miraculis exhibentur. Has picturas magnificus limbus obbit; utque ſculptura illius architecturæ Gothicæ conformis ſit, ſeriem granatorum præfert, optimèque inauratus eſt. Fornix quoque ejus, qui eamdem architecturam ſervat, cum ua laterna ſimiliter picta & inaurata, totam interiorem fabricam occupat.

quod paucis deſcribitur,

F

123

tum adhibita

B

C

recenſentur.

AUCTORE C. S. *& incisum æri exhibetur.*

123 *Externam faciem nihil opus est describere, cùm eam æri incisam subjecta tabula clarius exhibeat, quam verbis exponi queat. Id unum hîc observâsse juverit, hanc quoque ex vario marmore, nigro, candido, & iaspide, aut totam, aut certè ex majori sui parte pretiosè exstructam esse: utrum è duobus sit, in Ms. meo non satis exprimitur: primum tamen omnino verisimile, & eidem Ms. conformius est. Statua, quæ in medio sub fenestra apparet, Sanctum refert in habitu canonicorum Regularium cum palma & instrumento martyrii. Nunc Vitam subjungo.*

VITA BREVIS

Ex Relatione Italica Romæ impressa.

Natus è nobilibus parentibus & piè educatus a b c d

NAtus est B. Petrus noster anno orbis redempti MCDXL *a* in castro Epila *b*, territorii Cæsaraugustani *c*, ex parentibus non minùs spectabilibus nobilitate familiarum *d*, unde orti fuerant, quàm conspicuis vitâ religiosâ, quam ducebant. Vix eum Antonius Arbues pater ipsius, & Sancia Ruiz mater, mundo genuerant, quin eumdem per sanctam educationem cælo regenerare studuerint: in quem finem à prima ætate prudentibus piisque præceptoribus traditus, cœpit ipse prima fidei elementa & Catholica dogmata addiscere in domo paterna, ubi ad bonam ipsius indolem accedente benevolâ parentum vigilantiâ, intra breve tempus animum imbuit divinis præceptis, amore Crucifixi & Omnipotentis Dei timore. Hinc factum est, ut à primis annis ob candorem morum pro adulto habitus fuerit in divino servitio, cui, quidquid temporis à studiis supererat, consecrabat, cautè cavens, ne dum intellectum humanis scientiis accommodabat, anima ab exercitiis in cælesti schola vacaret.

Bononiæ magisterii donatur; deinde e C

2 Humanioribus litteris imbutus, Bononiam emittitur, philosophicis ac theologicis operam daturus; in quibus tam celeres progressus fecit, ut ad earumdem metam brevî pertingens, magistris suis fuerit summo solatio, sodalibus exemplo, omnibus singulari admirationi, maximè cùm juncto semper cum progressu in litteris spiritûs fervore, animi ipsius pax & tranquillitas, quam sacri oratores è suggestis suadebant, minimè turbaretur quæstionibus philosophicis, quas magistri in cathedris ventilabant. Itaque magisterii philosophici lauream brevî hîc obtinuit; deinde pro meritis suis collegii *f* alumnis in eadem academia adscriptus, non multò pòst etiam magister in theologia creatus, atque ad utriusque doctoratum, universa civitate plaudente, subinde evectus est. Crescente interim cum adeptis honoribus eos dignè possidendi desiderio, famaque virtutum & doctrinæ illius, quidquid ipse præ humilitate obniteretur, in dies magis magisque inclarescente, tandem anno MCDLXXIV die XXX Septembris inter canonicos Regulares ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ cooptatus fuit.

f

factus canonicus Regularis Cæsaraugustæ, g

3 Anno MCDLXXVI, die IX Februarii sacrum istud institutum solemniter professus est *g*, quod religiosæ vitæ observantiâ tanto illustrius venerabiliusque in terris, quantò meritis potius, Deoque charius, reddidit. Videbatur sibi Servus Dei per hunc canonici Regularis statum, velut per characterem, verus Crucifixi sectator designatus esse, & ab omni humani commercii debito affatim exemptus: qua sancta consideratione incitatus innocuam suæ vitæ rationem tanto nisu perficere studuit, ut virtutum opera continuè multiplicando, in cunctis actionibus suis velut genuina sanctitatis effigies & exemplum ab omnibus haberetur. Brevitas hujus compendii, unico folio constricti, non patitur leviter indicari, nedum exponi, quàm sublimes virtutes ejus animum occupaverint. Quam ob rem prætermissis argumentis, quæ à morte, quam Martyr obiit, & à vita, quam duxit angelicam, repeti possent, martyrium tantùm ipsius paucis hisce lineis breviter exponam. Præteribo igitur, quæ dicere possem de viva fide, quâ Deum sine investigatione impenetrabilium arcanorum ejusdem, in corde suo semper adorabat. Non exponam, ut amorem suum divinæ essentiæ, tribus distinctis Personis unitæ, quam humana mens non capit, ipse subjecerit, laudando semper & magnificando Divinitatem, quæ caret initio.

D

E

omni virtutum genere

4 Silebo, quomodò sanctissimam Christi humanitatem & redemptionis nostræ mysterium venerabundus recolens, de inæstimabili beneficio sibi applauderet, sine scrutatione incomprehensibilis potentiæ Largitoris: & quia probè noverat, ut fides viva servetur, opus esse quotidiano operum alimento, mens ejus nihil extra Deum appetebat, circa divina solùm versabantur sensus, intellectus non alia quàm cælestia meditabatur, memoria nil præter Creatoris bonitatem volvebat, non operabatur voluntas, nisi ut se divinæ Omnipotentis voluntati submitteret. Ad quàm heroica verò facta immortalis in patria vitæ spes ipsum, secura duce fide, adduxerit, prolixæ ejus vitæ Historiæ edocebunt. In hisce legere est, ut B. Petrus facta sua, non secùs ac omnium, qui vivunt, peccatorum maximus fuisset, dolenter detestaretur, & nihilominus in Jesu Christi sanguine, veluti in pretioso thesauro, qui omnium, etsi mille mundi existerent, culpis redimendis sufficiat, omninò confideret. In iisdem legitur, quo contemptu fluxos honores calcaret, quaque animi magnitudine illatas sibi ab aliis injurias ferret; quia solam cælestis regni magnificentiam contemplando assiduè, hanc unam pia cum fiducia expetebat, in eaque spem suam omnem collocabat.

F

mirificè elucet.

5 At intensus ejus amor, quo Deo conjungi studuit, intimum odium, quo peccata prosecutus est, sollicita cura, quâ proximo invigilavit, tenera inimicorum dilectio, pia monita optimatibus data, misericordiæ opera collata in pauperes, & integerrimæ vitæ exempla omnibus exhibita, semper prædicabunt charitatem, quæ ejusdem animam suavissimo incendio depascebatur. Electio, quam pro divina gloria certiùs opportuniúsque augenda, & æterna beatitudine obtinenda semper adhibuit, satis superque testatur, quâ prudentiâ polluerit. Gloria, quâ venerabili inquisitoris munere in Aragoniæ regno functus est, in posterorum memoria semper victura, integritatem justitiæ commendabit. Cœpta maximè ardua, certaque vitæ discrimina, quæ aggressus est, dum Dei honor & Catholica religio ita poscceret, invictam, quâ armatus fuit, fortitudinem similiter celebrabunt. Rigidum frenum, quo sensuum rebellionem edomuit, & longa jejunia vigiliæque, qui-

A quibus corpus ſuum rationi, & carnem ſpiritui ſubjecit, numquam tacebunt debitas ipſius temperantiæ laudes.

Ferdinandus & Eliſabetha tribunal ſacræ inquiſitionis

6 Interea Catholici reges Ferdinandus & Eliſabetha, qui armorum virtute paulò antè poſt formidabile bellum Granatenſe, totam ferè Hiſpaniam Saracenica tyrannide, quâ preſſa fuerat, liberaverant *h*, dum regna in priſtinam tranquillitatem reſtituerent, cum pia ſollicitudine ſtudioſiſſimè laborabant eadem Chriſtianæ religioni penitus addicere. Cúmque majori divini cultus zelo, quàm amplioris regni cupidine incenſi eſſent, generoſa ſeveritate juſſerunt exſulare infideles omnes, qui veritatem Euangelicam detrectarent amplecti *i*. Quia verò plaga à variis abominandis Saracenorum, Judæorum, aliorumque infidelium ſectis populo inflicta, tot annorum ſpatio jam computruerat, altéque exeſa erat, veriti ſunt, ut obviis remediis poſſet ſanari. Hinc ad auctoritatem ſummorum Pontificum Sixti IV *k*, ac deinde Innocentii VIII *l* recurrentes, ſupplicârunt, ut ſacræ inquiſitionis tribunal erigeretur, quod frumentum bonorum ſubditorum ab impiorum zizaniis ſumma cum auctoritate ſegregans, omnis perfidiæ ſemen è regno ſuo eradicaret.

h

i

k

l

B

erigi curant. Beatus fit inquiſitor in Aragonia:

7 Hæc principum poſtulatio, quæ ad magnum Chriſtianæ fidei emolumentum ſpectabat, non modò exaudita eſt à Chriſti Vicario, verùm etiam velut una ex innumeris heroïcis religioſiſque eorumdem actionibus habita, fecit, ut cum communi totius mundi applauſu glorioſum Catholici cognomentum *m* ipſis confirmatum ſit, quod ad poſteros tranſmiſſum, perſeverat adhuc, prout in his cum eodem titulo idem propagandæ ſtabiliendæque religionis zelus perpetuò perſeverabit. Electus itaque eſt generalis inquiſitor pater frater Thomas de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, eidemque facta facultas alios inquiſitores per provincias in inferioribus tribunalibus ſubſtituendi. Hic die IV Maji anno MCDLXXXIV id munus in regno Aragoniæ impoſuit patri fratri Gaſpari Inglario, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, & beato noſtro Petro Arbueſio, qui à caſtro Epila, ubi natus eſt, Magiſter-Epilæ communiter appellatur. Vix regias litteras, quibus Ferdinandus magiſtratibus mandabat, ut ſacrum tribunal recèns erectum valido auxilio fulcirent, Petrus Cæſarauguſtanis juratis *n* exhibuerat, quin ſevera edicta adverſus Judaïcas & Mahumetanas ſuperſtitiones ab electis inquiſitoribus publicata fuerint, & conſequenter ad ea variæ ſententiæ in noxios prolatæ.

m

n

C

quem manere ſuo ſtrenuè fungentem

8 Paucorum ſupplicium multorum mentes concuſſit, quique Chriſtianæ religionis ementita ſpecie Hebraïcam perfidiam velabant, cœperunt percelli accurata indagatione, quâ in occulta ſua ſacrilegia inquiri audiebant. Poſtquam verò intellexerunt, legatos ſuos, quos Cordubam ad regem petulanter miſerant, ne is ſua regia auctoritate novum iſtud tribunal tutaretur, ab eodem cum contemptu & minis repulſos fuiſſe, ſuſcitatoſque prætextu prærogativæ & libertatis regni tumultus cum evidenti emolumento animarum concidere, diabolicum conſilium de Arbueſio per ſicarios è vivis tollendo inierunt. Jam ab exeunte menſe Januario anni MCDLXXXV vivere deſierat Petri collega Inglarius, ideóque omnis officii inquiſitoris auctoritas ſimul cum toto ejuſdem ſtrenuè obeundi ardore, quæ priùs in duos diviſa fuerant, in eo ſolo reſidebat; putabantque impii, Petro publicè trucidato, nihil ſibi ampliùs à tremendo inquiſitionis tribunali juſtiſque ſuppliciorum comminationibus metuendum fore: quaſi ſimilis violentæ necis timor omnes ab inquiſitoris munere exercendo abſterriturus fuiſſet, atque adeò odioſum ipſis ſacri officii tribunal penitus ſupprimendum. Ex EDITO ROMÆ.

infideles, conductis ſicariis,

9 Sceleratum hoc conſilium, in variis conventiculis confirmatum, exſecutioni mandandum ſollicitè curaverunt, electo ad exſecrabile parricidium homine quodam facinoroſo, qui in humano ſanguine perfidiam ſuam recreare conſueverat. Is, Joannes de Labadia nomine, omnes in exſequendo difficultates contemnebat ex odio, quo Beatum proſequebatur ob ignominioſam mortem, quâ illius ſoror ab eodem tribunali paulò antè damnata fuerat, tantúmque aucupabatur opportunitatem, ut certiùs tutiúſque ſcelus perficeret. Interea ſive id ex nota Judæorum audacia, ad omne nefas prompta, ſive ex amore, quem Beatus apud Catholicos ſibi conciliaverat, factum ſit, conſtat, hunc de periculis ſibi imminentibus à multis tempeſtivè monitum fuiſſe. Verùm ille non minùs intrepidus inter minas, quàm precibus inexorabilis, nihil ex juſto ſuo adversùs ſceleratos apoſtatas vigore remiſit, ſed cum fortitudine verè Chriſtiana amicis repoſuit, ſeſe parùm ſollicitum, quid humana perfidia in caput ſuum machinaretur, ſolius Dei & Catholicæ religionis obſequium præ oculis ſemper habuiſſe; & ſi per divinam miſericordiam infidelium odio immolandus victima eſſet, ſupplicare ſe Jeſu ſuo crucifixo, ut ſeſe ex malo ſacerdote, qualis erat, in optimum Martyrem, qualis eſſe deſiderabat, tranſmutaret.

ſicariis,

B

trucidare ſtatuunt.

10 Petrus itaque munus ſuum ſine formidine proſequens, & alienæ animarum magis quàm proprii corporis ſaluti invigilans, paterna monita ingeminabat, ut miſeros illos ad meliora reduceret, nec tamen recedebat à ſeveritate, quam rebellium pertinacia poſtulabat. At Joannes de Labadia Beati cædem magnamque auri ſummam jam partitus cum altero Joanne, cognomento Sperandio, & Vitale Durantio, expectabat unicè quærebatque occaſionem, ut eum traderet. Et non ſecùs ac ſibi perſuaſiſſent ſicarii, enormitatem criminis ſui faciliorem celebrioremque fore, ſi coram Deo, quem abominandis ritibus irritabant, perficeretur, eccleſiam metropolitanam Cæſarauguſtanam, velut impietatis ſuæ theatrum, elegerunt. Habebant ſinguli canonici in eadem eccleſia commoda habitacula; ſolus B. Petrus debebat extra eccleſiam in palatio tribunalis ſui habitare *o*. Sed quid aio, ipſum extra eccleſiam habitâſſe, cui, mente ſemper in Deum fixa, omnis locus erat Dei eccleſia, omnis hora tempus orationis? Attamen ſola mentis contemplatione non contentus, corpus ſuum tam frequenter intra ſacros eccleſiæ muros ſiſtebat, ut, quidqud temporis à publico inquiſitoris officio ſupererat, id omne privatis precibus ibidem impenderet.

F

o

In eccleſia noctu orans, vulneratus

11 Imò tanta erat ipſius in frequentando choro aſſiduitas, ut nocturna quiete neglecta, Horis & matutinis precibus ceteriſque omnibus ſemper intereſſet, nec umquam ob anni tempeſtatem, tenebrarum horrorem, vel ex inſidiantium metu ſeſe ab iis eximeret. Hoc cùm impii advertiſſent, iſta innocens victima ea nocte, quæ diem XV Septembris præceſſit, eodem anno MCDLXXXV *p* ex odio Catholicæ religionis immolata eſt in ipſis Dei altaribus, qui ipſius ſanctæ animæ immortalitatis ſedem in confeſſu martyrum ſuorum ab æterno præparaverat. In hac igitur nocte ſtructis

p

EXEDITO ROMÆ.

clàm insidiis, sicarii & à nemine observati, in eadem ecclesia se absconderunt, paulò antequam Beatus adesset; qui eò advenit indutus sacro habitu, ut matutinis laudibus assisteret, quibus laudati canonici supremum Regem gloriæ singulis noctibus venerantur. Vix autem ante altare majus in genua procubuerat, oculosque ad Deum elevaverat, eo ipso tempore, quo in choro canebatur versiculus; Quadraginta annis proximus fui generationi huic &c.: scelerati Judæi tamquam vindicaturi exprobrationem, quâ in illo cantu majorum suorum pertinacia arguebatur, ex insidiis prodierunt; dumque Petrus Reginam angelorum hisce angelicæ salutationis verbis, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus, laudaret; primò à Durantio, deinde à Sperandio impetitus, variis gladiorum ictibus confixus est.

& relatus domum suam,

12 Quamquam autem moribundus in solo ab ipsis relictus esset, meliùs tamen quàm umquam aliàs vivens, elevata ad cælum mente, in has sanctissimas voces erupit: Laudatus sit Jesus Christus, quia morior propter ejus sanctam fidem. Detestabili scelere expleto, sacrilegi solam fugam meditabantur; sed eam subitus insolitusque timor ipsis adeò præclusit, ut sine plurium sociorum auxilio, qui ad ferendas suppetias parati aderant, eosque magna vi ex ecclesia expulerunt, tum minimè se subtraxissent supplicio, cui brevi pòst à divina humanaque justitia addicti fuerunt *q*. Ad hosce strepitus accurrunt canonici, & inventum Inquisitorem, qui animâ in lingua solùm præpedita, nihil de immatura, & ex odio illata sibi morte conquestus, exsultabat de immortali vita, ad quam à divino amore vocabatur, domum suam sollicitè reportârunt.

bi duo pòst moritur anno 1485, die XVII Septembris.

13 Ibi teneræ charitatis igne exsiccans lacrymas, quas facinoris acerbitas amicis excusserat, hortabatur omnes ad tranquillitatem, ne suam, quacum obiit, perturbarent. Si tamen in morte sua quidquam planctu dignum crederent, offensam Dei, quæ ex sicariorum scelere orta erat, dolerent, non finem vitæ suæ, qui post primorum parentum culpam, omnibus inevitabilis est. In hunc modum toto biduo, quo supervixit, modò amicos consolando, modò pro inimicis deprecando, Deumque assiduè laudando, post susceptа Ecclesiæ Sacramenta, eâdem fide & pietate, quâ, dum rectè valeret, ea veneratus fuerat, die XVII Septembris excessit ad laborum suorum præmio fruendum in patria Beatorum, relictâ in terris magnâ dignâque ex iis, quæ vivus gesserat, famâ sanctitatis.

ANNOTATA.

a *De anno ipsius natali leve aliquod apud scriptores discrimen occurrere, diximus num.* XI *Commentarii prævii, quem consule.*

b *Exiguum id oppidum est ad Salonem fluvium, septem milliaribus, (ut habet Garzia Trasmiera in Vita) ab urbe Cæsaraugustana, in cujus diœcesi est, dissitum. Vide Comment. num.* 9 *&* 10.

c Cæsarauguſta, *incolis* Zaragoça, *nota est civitas in Aragonia.*

d *De nobilitate parentum ipsius, & aliquot patris majoribus sat multa diximus in Commentario num.* 12 *& sequentibus.*

e Bononia, *indigenis* Bologna *celebris Pontificiæ ditionis civitas est in Romandiola; quæ inter cetera decora, quibus floruit, floretque hodiedum, antiquam academiam numerat.*

f *Indicat collegium Hispanicum, ab Eminentissimo Ægidio Albernotio, archiepiscopo Toletano & S. R. E. Cardinale erectum, dotatumque, ut num.* 20 *Commentarii prævii dictum est.*

g *Cæsaraugustanæ metropolitanæ ecclesiæ canonicos Regulares Ordinis S. Augustini fuisse, disertè affirmatur in instrumentis num.* 21 *relatis; in quorum locum seculares clericos deinde successisse, ibidem observavimus. De anno emissæ professionis consentit etiam liber Informationum, eodem numero laudatus. Consule etiam numerum ibidem sequentem, ubi doctor Michaël Ferrer ejusdem ecclesiæ Prior tum fuisse dicitur.*

h *Ferdinandus V & Elisabetha, Castellæ & Aragoniæ, deinde Hispaniarum reges, bellum Granatense annis decem magnis animis gesserunt usque ad annum* 1492, *quo Granatensi urbe regnoque, subactis Mauris, tandem potiti sunt, ut apud Marianam, aliosque historicos & annalistas videre est. In parachronismum igitur hîc incidit hujus Compendii auctor, dum* B. Petro Arbuesio, *quem ipsemet mense Majo anni* 1484 *inquisitorem dictum, annoque* 1485 *martyrio sublatum esse agnoscit, post belli Granatensis finem id muneris primùm impositum fuisse affirmat, belli initia cum ejusdem fine confundens.*

i *Est & hoc edictum in Judæos morte* B. Petri *posterius, quippe primùm anno* 1492 *promulgatum, ut videri potest apud Odoricum Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad eumdem annum num.* 8.

k *Sixtus IV præfuit Ecclesiæ ab anno* 1471 *usque ad* 1484.

l *Innocentius VIII, Sixto IV suffectus, S. Petri Cathedram Romanam usque ad annum* 1492 *tenuit.*

m *De* Catholici regis *titulo, Ferdinando per Alexandrum VI Papam dato, inter alios agit laudatus Raynaldus ad annum Christi* 1496 *num.* 25.

n Jurati *dicti fuerunt quidam magistratus Cæsaraugustanus.*

o *Joannes Mariana lib.* 25 *de Rebus Hispaniæ, cap.* 8 *scribit, palatium seu arcem* Algiafariam *dictam, post* B. Petri *cædem inquisitoribus præsidii causâ in posterum datum esse; sed* B. Petrum *in quodam palatio, inquisitoribus concesso, habitâsse, aliunde confirmare non possum.*

p *De anno, dieque, quo in ecclesia confossus, quoque deinde mortuus est, constare probavimus in Commentario* § 3.

q *Præcipuos sceleris participes in Commentario num.* 28 *recensuimus.*

DIES DECIMA OCTAVA SEPTEMB.

SANCTI, QUI COLUNTUR XIV KAL. OCTOB.

SAnctus Ferreolus mart. Viennæ in Gallia.

S. Methodius episc. mart., Chalcide in Græcia.

S. Sophia martyr } S. Irene martyr }

S. Eustorgius episc. conf., Mediolani in Insubria.

S. Sinerius episc. conf., Abrincis in hodierna Normannia.

B S. Ferreolus episc. conf., Lemovicis in Gallia.

S. Eumenius episcopus Gortynensis, fortè defunctus in Thebaïde.

S. Desiderius episc. } S. Regnisfridus, aut. } martyres in Alsatia. Rainfridus diacon. }

S. Richardis, imperatrix & virgo, Andlaviæ in Alsatia.

S. Thomas à Villanova, archiepiscopus, cognomento Eleemosynarius, Ord. S. Augustini, Valentiæ in Hispania.

B. Josephus à Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci presbyter, Auximi in Marchia Anconitana. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sancti Ferreoli *Ucetiensis episcopi Vita ad hunc diem datur à Bailleto occasione duorum aliorum ejusdem nominis Sanctorum. Verùm non colitur hoc die, sed memoratur in Breviario Ucetiensi antiquo, quod ignorârunt Majores nostri, qui* S. Ferreolum *omiserunt, & dandus est in Supplemento die* IV Januarii.

SS. Speusippi, Eleusippi & Meleusippi *inventio commemoratur in Florario Ms. Sanctorum. De his actum est ad diem* XVII Januarii.

S. Bertulphi abbatis Laubiensis, *(abbatia Benedictina est Belgii in diœcesi Cameracensi) memoria est in Martyrologio S. Salvatoris Antverpiensis. At catalogus abbatum Laubiensium, quem satis prolixum contexuit Dionysius Sammarthanus tom. 3 Galliæ Christianæ à col. 80, nullum exhibet* Bertulphum *abbatem; neque martyrologi Belgæ* Bertulphum *aliquem Laubiensem Sanctis annumerant. Quapropter existimo, collectorem respexisse ad* S. Bertulphum, *qui die 5 Februarii colitur, & revera abbas fuisse videtur. Illum fortasse ex conjecturis annumeraverit abbatibus Laubiensibus. Quidquid sit, videri potest* S. Bertulphi *Vita ad* V Februarii. C

S. Simeonis, *episcopi Hierosolymitani & martyris, memoria celebratur in Fastis Græcorum. Apud Latinos colitur, & Vita data est ad* XVIII Februarii.

Thecla nobilis matrona Tornacensis *memoratur in Prætermissis ad 20 Februarii, & ad hunc diem, quo obiisse dicitur, ulterius examen remittitur. Verùm, cùm nulla cultus publici indicia inveniam, sufficiat dixisse, eam ad 20 Februarii memorari apud Raissium in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, omniaque, quæ de Sancta illa Matrona innotuerunt, legi in Actis S. Eleutherii Tornacensis episcopi. Itaque studiosus lector dicta Acta consulere poterit, & Prætermissos ad eumdem diem* XX Februarii. F

Vide etiam de eadem in Prætermissis ad IX Julii.

SS. Pialæ & Hiæ *VV. MM. elogium hodie dat Labier in Menologio Virginum. Passæ dicuntur in Britannia cum* S. Fingare *sive* Guignerio, *& aliis. Horum Passio data est ad* XXIII Martii.

S. Isidorus Bononiensis *in Martyrologio Universali apud Castellanum annuntiatur* in Italia, *ut* episcopus alterius civitatis. *Bononienses revera celebrant hac die festivitatem alicujus* S. Isidori; *sed illum credunt esse* S. Isidorum *Hispalensem, qui in Ecclesia colitur die 4 Aprilis, uti jam observârunt Majores nostri in Commentario prævio ad Acta S. Isidori Hispalensis. Hac de causa, opinor, credidit Castellanus, alium* S. Isidorum *episcopum Bononiæ servari, & hodie coli. Verùm dubito, an ex errore scriptorum quorumdam Bononiensium, qui affirmârunt,* S. Isidorum *Hispalensem Bononiæ defunctum esse, mox inferre debeamus, Sanctum aliquem synonymum Bononiæ quiescere. Certè non inveni argumenta tam solida pro possessione Bononiensium corporis cujuscumque* S. Isidori, *ut ex errore manifesto de corpore* S. Isidori *Hispalensis alium statim* Isidorum *inferre debeam. De cultu* S. Isidori *Bononiæ ad hunc diem nihil habet Masinus in Bononia perlustrata; sed ad 4 Aprilis, & ad 16 Septembris de eodem agit, & festum hac die celebrari dicit. Cæterùm undecumque orta fuerit opinio de* S. Isidoro *Hispalensi Bononiæ mortuo & sepulto, ex ea alium* Isidorum *episcopum aut doctorem Bononiensibus attribuendum non censeo. Itaque studiosus lector adire poterit Acta* S. Isidori *Hispalensis ad diem* IV Aprilis.

Xistus *in quibusdam Hieronymianis codicibus hodie*

A *die conjungitur cum* Oceano, *annuntianturque ſimul* Nicomediæ, *in uno etiam* Alexandriæ, *ut paulò inferiùs dicam in* Oceano. *In Epternacenſi tamen codice* Syxtus *locatur* Mediolani *cum* Euſtorgio *epiſcopo hodie dando, additurque* Medethei *&c. De* Xiſto *porrò aut* Sixto *alia non reperio, niſi fortè ſit ille* Sixtus, *qui cum aliis multis paſſus eſt Nicomediæ, & de quo cum illis actum eſt tom.* 1 *Aprilis pag.* 536, *ſive ad diem* VI Aprilis.

Eſtrilli Danorum epiſcopi & confeſſoris *meminit Ms. Florarium Sanctorum. Putem legendum* Eſkilli, *aut* Eſchilli, *ut ab aliis vocatur archiepiſcopus Lundenſis in Dania ſeculo* 12 *: nam nomina frequenter luxata ſunt in Florario. Certè* Eſchillus *celebratur apud Chryſoſtomum Henriquez ad* 10 *Aprilis, ut miraculis celeber. At cultum* Eſchilli *non oſtendit, indeque factum, ut* Eskilus archiepiſcopus Lundenſis *in Prætermiſſis tantum apud nos referatur ad* X Aprilis.

SS. Victor & Corona *MM. hodie memorantur apud Grevenum, & apud Ferrarium in Catalogo generali annuntiantur* Feltriæ in Venetia, *ob tranſlationem corporum. De iiſdem agunt & alii quidam neoterici. At noſtri Majores de* Victore & Corona *egerunt ad* XIV Maii.

B

S. Stephania *V. M. annuntiatur à Ferrario in utroque Catalogo* Scalis (*oppidum eſt in Picentibus prope Amalphim, ſive in Principatu Citeriori in regno Neapolitano*) *ubi habet eccleſiam parochialem ſibi dicatam. Conſentit Caſtellanus. Attamen obſervat Ferrarius, nulla exſtare Acta, ex quibus ſciri poſſit, ubi & quando ſit paſſa. Exiſtimare ſe ait Ferrarius,* S. Stephaniam *eamdem eſſe cum* S. Corona, *quæ cum* S. Victore *colitur Feltriæ, ut modò diximus. Illa certè Græco nomine etiam* Stephana *vocatur, & eodem die* Victoris & Coronæ *tranſlatio colitur, quo apud Scalenſes* S. Stephania. *Nihil tamen certi affirmare auſim : ſed, cùm plura non reperiam, remitto ad* Victorem & Coronam, *de quibus ad* XIV Maii.

B. Angelæ virginis (*ut volunt*) Carmelitanæ, *meminit Arturus à Monaſterio in Gynæceo ad hunc diem. At de ea apud nos actum eſt ad* VI Julii.

Henani *aut* Enani *eremitæ in Hiſpania facta eſt mentio in Prætermiſſis ad* 19 *Auguſti, indeque huc dilatus, ut de eo ageretur, ſi debita eſſet*

C *inventa de cultu & geſtis notitia. At ne nomen quidem in Catalogis Sanctorum Hibernorum invenio. Vide itaque dicta ad* XIX Auguſti.

S. Flaccus *martyr* Tuderti in Umbria *colitur & annuntiatur apud Ferrarium. At ejus ſimul &* S. Terentiani *Acta jam data ſunt ad* 1 Septemb.

S. Oceanus *martyr in Apographis Florentinii hodie ponitur* Nicomediæ *cum* Xiſto. *Corbejenſis codex duobus illis adjungit* Medacum. *In Epternacenſi ſolus* Oceanus *memoratur Nicomediæ. Non minor eſt varietas in Hieronymianis contractioribus : nam in Richenovienſi ſcribitur* Oliani *& locatur* Nicomediæ *cum ſociis* Xyſto & Medecio. *In Corbeienſi breviore figitur* Alexandriæ, *ſcribiturque*, Otiani, Xyſti. *In pluribus, omiſſo loco, aliis pluribus immiſcetur. Recentiores unà cum auctariis Uſuardi & Bedæ omitto : cúmque plura non inveniam, ſolùm hìc obſervo*, S. Oceanum *ſatis conſtanter* Nicomediæ *annuntiari, ut credi poſſit ibi paſſum eſſe, aut certè cultum, niſi fortè ſit* Oceanus *martyr, de quo cum aliis tribus Sociis actum apud nos eſt ad* IV Septembris.

Theodoræ *ſine alio titulo mentio ſit in Synaxario Ms. Sirmondi, ſive collegii Ludovici Magni Societatis Jeſu Pariſiis, ibique dicitur ejus &* Caſtoris *martyris haberi ſynaxis* prope pontem Juſtiniani. *Suſpicor deſignari* S. Theodoram *Alexandrinam, de qua actum eſt ad* XI Septemb. D

SS. Cornelius *Papa M., &* Cyprianus *epiſc. M., uterque cum pluribus Sociis leguntur hoc die in Martyrologio impreſſo Prædicatorum. Dati ſunt ad* XIV Septembris.

SS. Emillæ, *aut potiùs* Emilæ, & Hieremiæ *martyrum Cordubenſium hodie meminit Ferrarius. Acta illorum data ſunt ad* XV Septembris.

S. Ninianus *Candidæ Caſæ in Scotia epiſcopus hac die ponitur apud Camerarium. De eo actum eſt ad* XVI Septembris.

S. Ariadne *martyr hodie recolitur apud Græcos, & in Martyrologio Romano Gallici ſermonis, ubi* Adriana *vocatur. Data eſt cum Martyrologio Romano ad* XVII Septembris.

S. Florelli *aut* Floſcelli, *pueri martyris* Auguſtoduni, *memoria hodie eſt apud Maurolycum. Apud alios, ubi de eo actum, ad* XVII Septemb.

S. Satyrus, *frater S. Ambroſii, hodie memoratur in apographis Hieronymianis, in multis auctariis Martyrologii Uſuardini, & apud recentiores. Apud alios & nos die, quo colitur,* XVII Septembris. E

SS. Valeriani, Macrini & Gordiani *hac die memoria eſt apud Sauſſayum in Martyrologio Gallicano. At de illis actum cum Romano ad* XVII Septembris.

Joannis, Victoris & Stephani, *tamquam* ſanctorum martyrum, *præcedente die meminimus ex Ferrario, eoſdemque ad hunc diem remiſimus, quo illos Ferrarius iterum memorat in Catalogo generali, quòd in Annotatis ad præcedentem diem dicat :* Feſtus dies agitur in ſequenti, ut accepimus. *Credidi Ferrario cultum aſſerenti, donec omnia ad Sanctos illos ſpectantia inveſtigare cœpi ad Acta ipſorum illuſtranda. Verùm quanto diutiùs quæſivi, tanto magis de cultu dubitare incepi, & tandem, perlecto Opere illuſtriſſimi domini Petri Antonii Corſignani, Valvenſis & Sulmonenſis epiſcopi, quod anno* 1750 *Latinè edidit, & inſcripſit :* Acta Sanctorum martyrum Simplicii, Conſtantii & Victoriani . . . vindicata, *dubitationem meam optimè fundatam credidi. Porrò ſcripſit illuſtriſſimus auctor laudatum Opus, quia Pinius noſter ad* 26 *Auguſti, ubi illuſtravit SS. Simplicii, Conſtantii & Victoriani Acta, non tantam iis tribuit auctoritatem, quantam illis debitam laudatus antiſtes credidit. Nam Pinius poſt cultum apud Marſos abundè probatum, Acta dictorum Martyrum* ſubleſtæ fidei nobis *eſſe dixit, idque ſuum judicium variis argumentis confirmavit. At illuſtriſſimus Corſignanus fidem illorum Actorum magno conatu defendere nititur. Legi eruditi ſcriptoris vindicias ; ſed in iis reperire non potui, nimis ſeverum fuiſſe Pinii de Actis illis judicium : idque mecum judicabunt, opinor, quotquot in hiſtoriarum criſi ſatis verſati, & partium ſtudio vacui, argumenta utrimque prolata contulerint, & Acta ipſa accuratè expenderint. Objecit Pinius, generalem perſecutionem ſub Antonino Pio in Actis illis aſſeri, qualis ſub Antonino Pio numquam fuit. Objecit præfectum Urbis Pontium, qui ignotus eſt ſub Antonino. Objecit* Monaſterium S. Mariæ *ſub Antonino, Acta magis ſuſpecta facere natum, cùm accedat ad reliqua. Objecit Epiſtolam Pontii præfecti ad imperatorem, à ſtylo ſecundi ſeculi* F

culi abhorrentem. Objecit, ipſum Actorum ſcriptorem perſonam videri prorſus larvatam. Objecit demum, plura in iis Actis referri prodigia, quàm ut credibilia fiant ob exiguam illius ſcriptoris diligentiam. Præterea obſervavit in Annotatis, Pontium præfectum ab imperatore miſſum dici in Franciam ad perſequendos Chriſtianos; in Francia ſtatui portum Illyris, ac populum Illyricum: martyres ipſos, quos præfectus in Francia comprehenderat, dici genus duxiſſe ex illuſtri proſapia Burgundiorum. Tam duræ digeſtionis ſunt hi boli, ut neſciam, quo modo eos concoquere potuerit illuſtriſſimus auctor. Reſpondit tamen ad ſingula, & mira humanitate reſponſum ſuum condire ſtuduit. At leviter ſubinde conqueritur, acſi plus æquo rigori criſeos indulſiſſet Pinius, & non raro cenſores nos vocat. Verùm dignetur illuſtriſſimus Corſignanus iterum expendere, an nimis rigidè Acta cenſuremus, ſi credamus non fuiſſe generalem perſecutionem ſub Antonino Pio, non fuiſſe ſub eodem præfectum Urbis Pontium, non extitiſſe eo tempore monaſterium monialium, non ſcripſiſſe præfectum ad imperatorem Epiſtolam talem, qualem exhibent Acta. Veniam facilem concedat, ſi credere non poſſimus, Acta illa ſeculo ſecundo fuiſſe conſcripta, & conſequenter ſi meliorem requiramus auctorem ad fidem habendam multis prodigiis ibidem relatis. Non iraſcatur nobis, obſecro, ſi exiſtimemus, non niſi ab homine parùm perito ſcribi potuiſſe, quæ in Actis dicuntur de præfecto in Franciam miſſo, de adventu ejus ad portum Illyris, & de populo Illyrico, ac demum de martyrum genere ex illuſtri proſapia Burgundiorum. Etenim, ſi per Franciam intelligere velimus Galliam, quæ Romanis ſeculo ſecundo ſuberat, nec Francia illa dicebatur, nec in illa erat portus Illyris, nec populus Illyricus, nec Burgundiones. Si quis verò Franciam in Germania quærere velit, ubi habitabant Franci, illa ſeculo ſecundo Romanis non ſuberat, nec in eam præfectus mitti poterat ad perſequendos Chriſtianos. Meminerit igitur illuſtriſſimus Antiſtes, nobis quoque propoſitum eſſe, quod in Proœmio ſuo pag. 10 affert ex Seneca: Nil magis homini præſtat, quàm ne pecorum more ſequatur antecedentium gregem pergendo, non quò eundum eſt, ſed quò itur. Si verò pergat exiſtimare, nimis ſeverum fuiſſe Pinii judicium de Actis SS. Simplicii, Conſtantii & Victoriani, legere etiam dignetur, quæ in iis leguntur num. 10, & candidè edicere, an vera credat. Res dicitur contigiſſe, quando Sancti captivi ducebantur in Urbem, atque his verbis exprimitur: Ingreſſu verò Urbis volentes Sancti ad baſilicam S. Petri pergere, antequam imperatoris conſpectui præſentarentur. Cúmque miniſtri iter Sanctorum impedirent, voluntate Dei [&] Apoſtolorum Petri & Pauli factum eſt, ut ligamenta, quibus ligati fuerant, ſolverentur, & nulla interveniente cognitione, ad baſilicam Apoſtolorum pervenerunt. Miniſtri verò, qui Sanctos perduxerant, ita mentibus ſunt alienati, quòd nec eos videre neque tenere potuerunt. Dum hæc Sancti gererent, multitudo Chriſtianorum, quæ ibi ſecurè morabatur, eos ſequi tanta quantitate cœperunt, quòd, quando ad beatorum Apoſtolorum limina pervenerunt, ferè ducenta millia Sanctos ſequebantur. Unde tanta inter idololatras & Chriſticolas eadem die orta eſt diſſenſio, quòd Chriſtiani interfecerunt mille * paganorum legati Pontii præfecti &c. Hæc ſanè tam ineptè conficta ſunt, ut vel ſola ſufficiant ad fidem Actorum labefactandam. Hac de cauſa non niſi leviter ea attigit Lucius Phœbonius in Vita horum Sanctorum pag. 155, & Ferrarius ad 26 Auguſti. Corſignanus ipſe in Marſicana regione part. 2 pag. 29 pro baſilica Vaticana ſubſtituit ſepulcrum ſanctorum Apoſtolorum, & pag. 13 factum totum non leviter immutat, & pugnam illam Chriſtianorum contra paganos prætermittit. Itaque Acta illa, in quibus figmenta leguntur cum moribus Chriſtianorum ſecundi ſeculi adeo pugnantia, non erant à nobis imprimenda ſine cenſura. Nunc pauca etiam reſpondenda ad querelas illuſtriſſimi domini, qui pag. 12 obſervat, ſe anno 1719 ad nos miſiſſe dictorum martyrum Vitam, à Lucio Phœbonio impreſſam, cum nonnullis additionibus Mss. ſelectis; doletque iis uſum non fuiſſe Pinium, fortè quia apud nos erant deperdita. Reſpondeo, non eſſe periculum, ne perdantur notitiæ de Sanctis, poſtquam ſemel ad nos pervenerunt; ſed nos minimè accipere quaſcumque annotationes, ut iis cogamur uti, & aliquando etiam accidere, ut alicui pro nobis traditæ in locis diſſitis huc non perveniant. Si tales ſint notitiæ aut obſervationes, quæ refutandæ magis videntur, quàm admittendæ, frequenter nolumus molem Operis noſtri iis augere, tum ne cogamur contra adjutores noſtros differere, tum ne lectoribus tædium creemus improbabiles quorumdam obſervationes refutando. Hoc ipſum aliquando obſervamus in libris impreſſis: neque enim omnes nominamus, in quibus aliquot errores deprehendimus; ſed credimus ſufficere, modò ita illuſtremus Acta Sanctorum, ut errores illi facilè deprehendi poſſint ab iis, qui ſcripta aliorum cum diſputatis à nobis conferre voluerint. Ut id tamen facilius fieri poſſit, unum alterumque ex præcipuis ſcriptoribus aſſignare ſolemus, qui in errores à nobis refutatos fuerunt lapſi. Verùm hæc ſufficiant pro reſponſo ad Opus illuſtriſſimi Corſignani, cui quàm maximas habemus gratias, cùm de humanitate in ſcribendo, tum de gemino Opere ad nos liberaliter miſſo. Habuimus laudatum Opus jam ferè triennio, nec umquam credidi reſponſo opus eſſe ad judicium Pinii de Actis SS. Simplicii, Conſtantii & Victoriani defendendum; ſed ad hoc qualecumque reſponſum præter opinionem delapſus ſum, dum laudatum Opus pervolvi, ut aliquid certi invenirem de cultu Joannis, Victoris & Stephani. Etenim de horum cultu dubitare cœpi, quòd de illis nihil reperirem apud Phœbonium, nec in Vitis Sanctorum, nec in Hiſtoria Marſorum. Crevit dubitatio, quia planè ignoti ſunt in omnibus Martyrologiis ante Ferrarium, & quia nobis nulla fuerunt tranſmiſſa documenta de illorum cultu, ſicut de cultu aliorum Sanctorum, qui coluntur apud Marſos. Acceſſit, quòd Corſignanus in Regione Marſicana numquam aliter aſſignet diem cultûs, quàm ex Ferrario; quòd idem in Opere de Actis SS. Simplicii &c. pag. 162 fateatur, modò abditum eſſe eorum ſepulcrum. Scribit quidem illuſtriſſimus antiſtes ex Ferrario & Jacobillo, corpora olim fuiſſe tranſlata ad eccleſiam S. Joannis Euangeliſtæ; ſed habeo ante me miſerrimum folium Ms., olim Papebrochio communicatum, ex quo illa habuerunt Ferrarius & Jacobillus, ambo magis diligentes, ne quid omitterent, quàm

* al. mille ferè

A cauti, ne minùs comperta narrarem, aut critici in diſcernendis documentis acceptis. Tandem in laudato Opere Corſignani pag. 246 inveni catalogum Sanctorum, qui ſingulari Officio colunzur apud Marſos. In illo verò non reperio Joannem, Victorem & Stephanum, ſicque vehementer dubitare cogor, an umquam fuerint culti; imò an umquam vixerint.

Viginti quatuor ſeniores, *de quibus in Apocalypſi, memorantur in duabus editionibus Uſuardini Martyrologii, & in Florario Ms. Sanctorum.*

Euſtorgius *in aliquot Auctariis Uſuardinis, ut martyr, annuntiatur. Id factum ex confuſione apographorum Hieronymianorum, in quibus* S. Euſtorgius *epiſcopus Mediolanenſis, de quo hodie agitur, ſubinde martyribus immixtus reperitur.*

Medodi epiſcopi *ſine loco fit mentio apud Martenium tom. 6 Ampliſſimæ Collect. col. 682 in Calendario Verdinenſi. Non dubito, quin nomen ſit corruptum* Methodii, *de quo agitur hodie.*

Thomas de S. Maria, *Ordinis Prædicatorum, ut virtutibus inclytus, celebratur apud Marcheſium in Diario, & apud Laſon in Anno Dominicano. Mors ipſius figitur anno 1545, & anno 1584 dicitur apertum fuiſſe ſepulcrum, & corpus inventum integrum. Plures ex eodem Ordine virtutibus & geſtis venerabiles dabit laudatus Laſon.*

B

CCCXVIII epiſcopi, *(concilii Nicæni) ſunt in Faſtis Alexandrinis mox laudandis.*

Matthæus aſceta *annuntiatur in Faſtis eccleſiæ Alexandrinæ per Ludolfum editis, & in Martyrologio univerſali apud Caſtellanum. At neſcimus, quo tempore* Matthæus *ille vixerit, & an Catholicus fuerit.*

Tiberius diſcipulus *in iiſdem Faſtis legitur, & apud Caſtellanum. Annotat Ludolfus, ipſum fuiſſe ex Septuaginta duobus Chriſti Diſcipulis. At ea de re non ſatis conſtat, cùm ignotus ſit Faſtis Latinis & Græcis, & ne reperiatur quidem in variis catalogis Septuaginta Chriſti Diſcipulorum, quos recenſet Aſſemanus in Bibliotheca Orientali tom. 3 pag. 319 & ſequentibus.*

Eutropius epiſcopus *ſine aliis adjunctis memoratur in Florario Ms. Plures ſunt* Eutropii *epiſcopi, ex quibus unum è loco ſuo avulſerit auctor, ut aliàs ſæpe facit, niſi nomen* Euſtorgii, *de quo hodie agitur, ita ſit corruptum.*

C

Conſtantiæ *Virginis & M. meminit Florarium Ms., &* in Ægypto *locat. Veriſimiliter* Conſtantiam *Nucerinam, quæ cum* Felice *hodie in aliquot Faſtis memoratur, invenerit non ſatis ab Ægyptiis disjunctam.*

S. Caſtor *martyr hodie celebratur in Menæis impreſſis ſine adjunctis, ex quibus poſſit ab aliis diſtingui. Jam aliquot illius nominis martyres apud nos dati ſunt, & ſequentur plures. In numeroſo martyrum Ægyptiorum manipulo etiam aliquis* Caſtor *reperitur poſtridie. In Synaxario Ms., quod fuit Sirmondi additur* Theodora *ſine titulo martyrii, & utriuſque ſynaxis celebrari dicitur* prope pontem Juſtiniani, *ut ſuprà dictum eſt.*

Catharina Queveda, *virgo Clariſſa,* in territorio Palentino *obiiſſe dicitur anno 1540 apud Arturum à Monaſterio in Gynæceo, ubi* beata, *id eſt, ſanctis moribus ornata, dicitur,* & ſpiritu prophetico celebris.

Jacobus IV, *Scotorum rex, memoratur apud Camerarium ut virtutibus inclytus; ſed ſine alio titulo.*

D

Bernardi epiſcopi, *ut* Sancti, *mentio eſt apud Ferrarium in Catalogo generali, &* Papiæ *ipſum annuntiat. Eumdem* Sanctum *vocant Ughellus in Catalogo epiſcoporum Ticinenſium ſeu Papienſium, Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 3 cap. 6, aliique ſcriptores Ticinenſes. Inter hos Joannes Baptiſta de Gaſparis in Breviario Sanctorum epiſcoporum Ticinenſium ultimo loco recenſet* Bernardum Balbum, *(nam ex familia* Balborum *oriundum dicunt) inter Epiſcopos ſanctos, qui non coluntur Officio eccleſiaſtico. At Papebrochius noſter tom. 4 Junii in S. Lanfranco epiſcopo Ticinenſi, cujus ſucceſſor fuit* Bernardus, *& cujus Vitam ſcripſit, pag. 620 obſervavit, nec corpus* Bernardi *umquam elevatum fuiſſe,* nec alio aliquo publicæ veneratio-nis cultu *honoratum.*

Sili, *ut Sancti confeſſoris, meminit Ferrarius,* Vicentiæ *in Italia illum annuntians, dicenſque coli ſolitum Officio ſemiduplici. Franciſcus Barberanus, Ordinis Capucinorum, qui Hiſtoriam eccleſiaſticam Vicentinam anno 1649 Italicè edidit, lib. 1 cap. 59 pro* Silo *laudat verba Ferrarii, dicitque non innotuiſſe de ipſo plura, quia ſcripturæ fuerunt deperditæ. Cultum verò omiſſum fuiſſe dicit propter bullam Urbani VIII.*

E

Bonaventura Firmanus *in Martyrologio Franciſcano* Beatus *vocatur, diciturque miraculis poſt mortem claruiſſe, ſicut virtutibus floruerat in Vita. Defunctus eſt* Firmi in Piceno *circa annum 1528, ut ex Annalibus Minorum Waddingi ad annum 1528 num. 10 colligitur. Corpus poſt novem menſes integrum dicitur inventum, & tranſlatum ad locum honeſtiorem juxta latus altaris.* Beatum *ſuo more vocat Arturus à Monaſterio, non item Waddingus: nec oſtenditur cultus publicus. Plures alii in Martyrologio Franciſcano, qui eodem modo* Beati *vocantur, licèt cultu careant, videri poſſunt.*

SS. Centinæ, Fortunati & Bonifacii *martyrum tranſlatio hoc die, & hoc ipſo anno 1754, quo hæc ſcribimus, magna cum ſolemnitate peracta eſt* Aſiliani *prope oppidum Meſtre in agro Tarviſino, ubi trium martyrum corpora cum inſignibus oſſibus aliorum ſeptuaginta martyrum depoſita ſunt in eccleſia S. Antonio Patavino dicata. Solemnitatem & populi concurſum fuiſſe inſignem in dicta tranſlatione, ex litteris poſtridie ad nos datis accepimus. Nam pridie ſolemnes præceſſerunt Veſperæ, ipſo die mane multa ante ſacras reliquias oblata Deo Sacrificia, & demum ſolemne Sacrum cum muſico concentu decantatum, quemadmodum & à prandio ſecundæ Veſperæ, poſt quas de gloria Martyrum ad concionem dixit. P. Joſephus Maria Zauli S.J. Prædicta autem corpora extracta fuerunt ex variis cœmeteriis Romanis, nimirum corpus* S. Centinæ, *inventum cum nomine proprio, ex cœmeterio Priſcillæ, in quo &* S. Bonifacii *corpus ſine nomine repertum,* S. Fortunati *verò ex Calliſti cœmeterio, ſimiliter ſine nomine. At his duobus nomina omnibus Martyribus congrua, ut fieri ſolet, impoſita fuerunt. Singula autem reperta fuerunt cum vaſe ſanguinis, certiſſimo martyrii indicio, & donata nobili viro Flaminio Cornelio, ſenatori Veneto, qui ea ad prædictam ſui juris eccleſiam transferenda curavit, ibique cum reliquiis aliorum ſeptuaginta Martyrum honorificè in marmoreis ejuſdem*

F

eccle-

A *eccleſiæ loculis recondenda. Ingentem quoque aliarum reliquiarum theſaurum excellentiſſimus dominus Cornelius pro ſuo in Sanctos amore conquiſivit, ut ipſi anno* 1753 *in ſacello ipſius domeſtico vidimus, quando id reliquis ſuis in nos beneficiis adjungere voluit, ut nobis ex illis non paucas, debitis teſtimoniis munitas, ultro donaret.*

Firmi in Piceno dedicatio eccleſiæ metropolitanæ *eſt apud Ferrarium in Catalogo generali.*

Florentii martyris *meminerunt Grevenus, & Martyrologium Ms. Trevirenſe, ſine loco & aliis adjunctis. Quare cùm multi ſint martyres illius nominis, divinare nequeo, quis indicetur.*

Henricus Calſtrius, *Ordinis Prædicatorum, Lovanii in Brabantia memoratur apud Miræum in Faſtis Belgicis cum titulo* Beati; *ſed ſine mentione cultûs.*

Hugo, *monachus aut abbas Curiæ-Dei, Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Aurelianenſi, multùm celebratur apud Henriquez & Chalemotum, tituloque* beati *eorum more ornatur. At non invenio eccleſiaſtici cultus certa argumenta. Qua de cauſa tam* Hugonem, *quàm* Stephanum

B *abbatem, qui apud utrumque ſubjungitur, cogor omittere.* Hugonem *monachum, &* Stephanum *abbatem habet etiam Sauſſayus in Martyrologio Gallicano; ſed in Auctariis, & ſine titulo* beatorum.

Herlindis *virgo, & ſoror Egberti Trevirenſis epiſcopi & Arnulphi Hollandiæ comitis, memoratur apud Grevenum & Caniſium cum titulo* Sanctæ memoriæ. *Verùm neque hic titulus cultum importat, neque illum alibi invenio.*

Rudolphus Corbæus, *Societatis Jeſu presbyter, anno* 1644 *in Anglia in ipſo Miſſæ Sacrificio ab hæreticis captus, & hac die pro fide ſuſpenſus, celebratur in Menologio Ms. ejuſdem Societatis.*

Columbanus *epiſcopus ſine adjunctis aliis commemoratur in Florario Ms. Poſtridie* Columbanus *in Scotia epiſcopus ponitur apud Ferrarium. Itaque res examinabitur ad* XIX Sep.

S. Sigonis presbyteri & confeſſoris *meminerunt hodie Auctaria quædam Martyrologii Bedæ, apud nos Floro adſcripta ante tom.* 2 *Aprilis. Verùm* S. Sigo, *aliàs* Sequanus *presbyter, poſtridie annuntiatur apud plures, & in Mar-*

C *tyrologio Romano* XIX Septem.

Sidonis *memoria legitur in Calendario Lyrenſis monaſterii apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1614. *At non dubito, quin legendum ſit* Sigonis, *de quo jam egimus. Vide itaque* S. Sequanum, *dandum ad* XIX Septemb.

SS. Felicis & Conſtantiæ *meminerunt hodie Auctaria Martyrologii Bedæ, apud nos Floro adſcripta. Sunt in Martyrologio Romano ad* XIX Septemb.

S. Trophimus *martyr in Hieronymianis Florentinii & Codice Corbeienſi annuntiatur ſolus hoc die* Alexandriæ, *ſed in Epternacenſi* Calcedoniæ; *in variis quoque auctariis Uſuardi apud Sollerium noſtrum ſine loco jungitur cum* Oceano & Euſtorgio, *qui certò ad alium ſpectant locum. In Martyrologiis Rhinovienſi & Richenovienſi, datis apud nos tom.* 7 *Junii, & in Martyrologio Rabani* Chalcedone *ſolus ponitur* Trophimus. *Mitto alios martyrologos recentiores. Cùm autem plura de* Trophimo *non reperiam; ſolùm obſervo, à pluribus ipſum Chalcedoni attribui, ita ut ibi figenda eſſet palæſtra martyrii, ſi ſatis conſtaret, ipſum diſtingui à* Trophimo, *de quo cras agetur cum* Sabbatio & Dorymedonte *ex pluribus Faſtis,* XIX Septemb.

Medecii *memoria eſt in Martyrologio Rhinovienſi, ubi ſolus annuntiatur* Nicomediæ. *In Richenovienſi etiam & in Corbeienſi* Nicomediæ *ponitur poſt* Oceanum & Xiſtum, *ſed in poſteriori nomine* Medaci. *In Epternacenſi* Medethei *ſcribitur, & Mediolano cum aliis tribuitur. In Auguſtano & Gellonenſi ſine loco poſt* Oceanum & Sixtum *ſcribitur* Meditei, *in Labbeano* Medilei. *In aliis quibuſdam omnino prætermittitur, uti etiam fit in codicibus Florentinii. Ex his varietatibus nihil certi concludere poſſum, & utcumque ſuſpicor, poſſe eſſe nomen corruptum*

D Mileti *epiſcopi Trevirenſis, qui poſtridie occurrit in Hieronymianis, & aliis Faſtis* XIX Sept.

Mariani *nomen eſt apud Martenium in antiquo Martyrologio Trevirenſi,* & Mariani epiſcopi *meminit Grevenus. Idem à pluribus annuntiatur poſtridie, ubi examinabitur, qualis fuerit, & an diſtinguatur à ſynonymo antè dato,* XIX Septemb.

SS. Conſtantii & Sociorum *martyrum Thebæorum* Dronerii apud Salutias *in Pedemontio memoriam annuntiat Ferrarius in utroque Catalogo. Novimus abbatiam* SS. Conſtantii & Victoris *exſtare prope Draconerium in Diœceſi Salutienſi, nec de horum cultu dubitamus. Geſta verò* SS. Conſtantii & *Sociorum, & aſſerta Ferrarii commodiùs examinabuntur, quando agetur de S. Mauritio & legione Thebæa, ad* XXII Sept.

Arnulphus *comes Hollandiæ, & frater Egberti epiſcopi Trevirenſis, hodie apud Grevenum & Caniſium memoratur cum titulo* beatæ memoriæ, *qui cultum non inſinuat, neque coli* Arnulphum *exiſtimo. Cùm tamen recurrat apud Rayſſium in Auctario Natalium Sanctorum Belgii cum titulo* Beati & martyris, *cultus iterum examinari poterit ad* XVIII Octobris.

Vulchinus, *abbas Sichemenſis, Ordinis Ciſtercienſis, ut* beatus *memoratur hodie apud Chryſoſtomum Henriquez cum dubiis indiciis cultûs. In Calendario impreſſo Ciſtercienſi, & apud Claudium Chalemot* Vulchinus *refertur ad diem, quo de cultu iterum inquiri poterit,* XVIII Octob.

S. Winoci *abbatis tranſlatio* Bergis *in Flandria memoratur apud Molanum, & in pleriſque Faſtis Benedictinis. Natalis celebratur* VI Nov.

S. Martinus *Papa M. hodie annuntiatur in Auctariis Uſuardi Bruxellenſis. Colitur in eccleſia die* XII Novembris.

Egbertus *epiſcopus Trevirenſis, jam ad* 24 *Aprilis in Prætermiſſis memoratus, hodie recurrit apud Grevenum & Caniſium. An colatur ut* Sanctus *aut* Beatus, *quemadmodum aliqui* Sanctum *vocant, examinabitur die, quo obiit,* IX Dec.

A D

DE S. FERREOLO MARTYRE

VIENNENSI IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctus ab antiquis memoratus, & vetuſto cultu honoratus: eccleſiæ eidem dicatæ: reliquiæ tranſlatæ.

CIRCA AN. CCCIV. *S. Ferreolus cum S. Juliano ab antiquis celebratus,*

Inter martyres Galliæ ab antiquis ſcriptoribus multùm celebrantur Julianus & Ferreolus, *amicitiâ ante martyrium non minùs, quàm militiâ & fide Chriſtiana conjuncti, ac in eadem ambo perſecutione paſſi. Julianus die* XXVIII *Auguſti Brivate in Arvernia coronam adeptus eſt,* B *ut in Actis ipſius, ad dictum diem editis, videre eſt:* Ferreoli *verò, qui martyrium prope Viennam Allobrogum conſummavit, aut fortaſſe etiam Brivate, ignoratur natalis. Utrumque ſimul commemorat S. Sidonius Apollinaris lib. 7 Epiſt. 1 ad S. Mamertum Viennenſem, quem comparat cum S. Ambroſio, inventore ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, quòd Mamertus corpus integrum* S. Ferreoli *cum capite S. Juliani inveniſſet & tranſtuliſſet. Verba, laudata à S. Gregorio Turonenſi, dabuntur inferiùs. S. Venantius Fortunatus lib.* 8, *carm.* 4 *ambos cum S. Privato etiam inter præcipuos numerat martyres hoc diſtycho,*

Privatum Gabalus, Julianum Arvernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

S. Gregorius Turonenſis pluribus locis celebrat SS. Julianum & Ferreolum, *ut amicitiâ conjunctiſſimos, & eximios martyres. At verba ipſius commodiùs proferemus infrà, ubi de geſtis ante martyrium & cultu* S. Ferreoli *agemus. Nunc verò videamus, quid antiquiora Martyrologia habeant de* S. Ferreolo: *nam de Juliano modò non agimus.*

2 *In Apographis Hieronymianis non hoc, ſed ſequenti die* XIX *Septembris,* S. Ferreoli *memoria annuntiatur. Florentinius ex codicibus ſuis ita textum expreſſit:* In Gallia civitate Vienna natalis S. Ferioli, & dedicatio baſilicæ ipſius, & tranſlatio ſanctorum multorum corporum, cùm caput S. Juliani martyris de Brivate ſub altario poſitum. *Hæc paulò aliter leguntur in codice Corbeienſi.* Viennâ civitate, natalis ſancti Ferreoli; & dedicatio baſilicæ ipſius, & tranſlatio multorum corporum cum capite ſancti Juliani martyris de Brivate ſub altare poſito. *Dedicatio forſan indicatur illius baſilicæ, quam ſeculo* V *à S. Mamerto conſtructam videbimus. Nam tunc corpus* S. Ferreoli, *& caput S. Juliani ex vetuſta baſilica ad novam tranſlata eſſe conſtat; & hic locus docet, eodem tempore alias quaſdam Sanctorum reliquias eſſe tranſlatas. At nolim, lector cerò credat, tranſlationem illam* de Brivate *Viennam tunc eſſe factam: nam voces illæ* de Brivate *adjungi potuerunt nomini* S. Juliani martyris, *ut explicaretur, ubi Julianus fuiſſet paſſus, non ad inſinuandum, ex quo loco facta fuerit tranſlatio. Codex Epternacenſis, omiſſis dedicatione baſilicæ & reliquiarum tranſlatione, ſolùm habet:* In Galliis civitate Vienna Ferrioli martyris. *Conſentit Martyrologium Richenovienſe his verbis:* Et in Vienna, ſancti Ferioli mart. *Eodem die* S. Ferreoli *meminerunt ſine loco martyrii Gellonenſe, Labbeanum & Auguſtanum Martyrologia, uti etiam primum apud Martenium tom. 6 Collect. Amp. col.* 646. *At ibidem col.* 721 *Autiſſiodorenſe ita habet:* In Galliis civitate Vigenna natale S. Ferreoli martyris. E

& antiquis Martyrologiis adſcriptus ad XIX *Septembris,*

3 *Ado Viennenſis, qui præ ceteris videtur ſcire debuiſſe ſpectantia ad Sanctum Viennenſem, tali* S. Ferreolum *elogio honorat ad hunc diem* XVIII *Septembris:* Viennæ natale S. Ferreoli. Qui perſecutionis tempore, cùm eſſet tribunitiæ poteſtatis, juſſu impiiſſimi præſidis tentus, primò crudeliſſimè verberatus, dein gravi catenarum onuſtus pondere, in teterrimum carcerem truſus eſt. Unde, ſolutis Dei nutu vinculis, & januis patefactis carceris, aggerem publicum ingreſſus, uſque ad Jarem fluvium pervenit. Ubi denuò tentus, vinctis poſt tergum manibus, ad territorium uſque Brivatenſe perductus eſt, atque ibi martyrii palmam capitis obtruncatione percepit. Corpus ejus cum capite beati Juliani ad urbem Viennenſium relatum eſt, & condigno cultu in baſilica conditum, quam Caſtulus, vir præcipui nominis de primoribus urbis Viennenſis, adhuc catechumenus, in honore ejuſdem Martyris condiderat tanto opere, quanta & fide, in ripa ulteriore Rhodani. *Non placet eruditis hodiernis locus martyrii ab Adone aſſignatus, ut mox videbimus. Illum prætermiſit Uſuardus, Sanctum hiſce annuntians verbis:* Viennæ, ſancti Ferreoli, qui cùm eſſet tribunitiæ poteſtatis, juſſu impiiſſimi præſidis tentus, & primò crudeliſſimè verberatus, dein F gravi catenarum onuſtus pondere, in teterrimum carcerem truſus eſt, ac poſtea martyrii palmam capitis obtruncatione percepit. *Notkerus verò eamdem cum Adone palæſtram attribuit* S. Ferreolo, *ita eumdem commemorans:* Viennæ, ſancti Ferreoli, qui cùm eſſet tribunitiæ poteſtatis, pro fide Chriſti crudeliſſimè verberatur, catenis ligatus in carcerem truditur, unde Dei nutu ſolutis vinculis educitur, & poſtea ab inſequentibus ad Brivatenſe territorium perductus, capite detruncatur.

in aliis ad hunc diem XVIII, *ut Brivate paſſus;*

4 *Recentiores martyrologi* S. Ferreolum *etiam annuntiant hoc die, quo Viennæ colitur, ſed de loco martyrii in diverſas abierunt ſententias. Nam alii Brivate occiſum aſſerunt, alii prope Viennam à perſequentibus. Ut mittam alios, Galli ipſi non conſentiunt. Sauſſayus* Ferreolum *ita annuntiat,* Brivate in Arvernia natalis ſancti Ferreoli martyris, qui Diocletiano imperante tribunitia poteſtate in urbe Vienna pollens, ... juſſu Criſpini impiiſſimi præſidis comprehenſus *&c. Poſt relatam evaſionem è carcere* prope Brivates *iterum com-*

recentiores eumdem hodie memorant; ſed de loco martyrii diſſentiunt.

A *comprehensum, & occisum dicit, subjungens de corpore asserta Adonis mox data. Contrà auctor Martyrologii Parisiensis habet sequentia:* Viennæ, natalis sancti Ferreoli, tribuni militum, qui post verbera & carcerem, unde divinitus liberatus fuerat, ab insequentibus satellitibus percussus occubuit. *Baronius in Martyrologio Romano magis videtur propendere in posteriorem sententiam, cum Sanctum prædicet his verbis:* In territorio Viennensi sancti Ferreoli martyris, qui cùm esset tribuniciæ potestatis, jussu Crispini impiissimi præsidis tentus, & primò crudelissimè verberatus, deinde gravi catenarum pondere onustus, in teterrimum carcerem trusus est: unde solutis Dei nutu vinculis, & januis carceris patefactis, exiens, ab insequentibus iterum captus, martyrii palmam capitis obtruncatione percepit. *Ex his, & magis ex Actis Sancti, locus martyrii admodùm appareret dubius, ut infrà ostendam. Interim, prætermissis ceteris martyrologis, solùm observo, inventionem SS. Juliani &* Ferreoli *in aliquot Fastis memorari ad* XV *Februarii, ut ibidem dictum est in Prætermissis, &* Ferreolum *etiam in aliquo Martyrologio haberi ad* VII *Septembris, ut ibi*

B *similiter observavimus. Ruinartius aut memoriæ lapsu aut errore imprimentium,* S. Ferreolum *retulit ad* XVIII *Octobris, quod nonnemo imitatus est.*

Erat Ferreolus militum tribunus, & amicus S. Juliani, cui fugam suadet:

5 *Nunc, quoniam in Actis* S. Ferreoli *multa sunt prætermissa, ea aliunde supplebimus ordine temporis, quo sunt facta.* Ferreolum *militum tribunum & amicum fuisse S. Juliani martyris Brivatensis, habemus ex Vita S. Juliani, data tom.* VI *Augusti pag.* 173, *in qua hæc leguntur num.* 2. Igitur in illo tempore in Viennensi urbe accidit persecutio Christianis sub Crispino quodam præside. Sanctus autem Ferreolus, & ipse à Domino martyr probatus, tunc in supradicta urbe tribunitiam regebat potentiam. Sic tamen regebat militiæ officium, ut sacræ religionis impleret propositum. Beatum autem Julianum, quia esset fidelissimus Christianus, in suo solatio detinebat. Cúmque sanctus Ferreolus comperisset de Christianorum persecutione, ait ad S. Julianum: Cognovi persecutionem Christianorum ad hanc urbem esse venturam; & ideo obsecro, ut te ab isto loco amoveas, quò usque desinat persecutio Christianis. *Eadem fusiùs narrantur in secunda*

C *Passione S. Juliani pag.* 174, *ubi dicitur:* Beatus verò Ferreolus tempore Crispini consularis jam Christi miles, at necdum proditus, officio tribuniciæ potestatis, habitu non corde, specie non affectu, apud præfatam urbem fungebatur. Cui videlicet S. Julianus, ætate jam adultus, collega mox futurus in cælo, providentiâ divinâ solatium præbebat in seculo. Se enim invicem, in contubernio militiæ temporalis constituti, plus fidei studio, quàm militari diligebant affectu, & inter labores publicos Sanctorum societatem fidelibus vinculis sacra dilectio innexuerat. *Hisce subjungitur,* Ferreolum *consilio & precibus effeciisse, ut Julianus clàm discederet in Arverniam,* & ad superstitum Christianorum solamen ipse superstes, vesani furoris impetum paulisper evitaret.

caput S. Juliani martyris accepisse dicitur, quod cum ipsius corpore sepultum.

6 *Attamen S. Julianus Brivate in Arvernia comprehensus fuit, & capite minutus. In laudata verò Passione num.* 5 *dicitur:* Corpus truncum relinquentes (*carnifices,*) ad S. Ferreolum illud, quod parricidales manus abluerant, deferunt caput; quatenus non dubitaret cæsum, quem ense, veritate attestante, videbat defectum: & agnosceret, hoc se excepturum sua in morte, quod per passionem ejus cernebat in corpore. *Verùm, si caput S. Juliani Viennæ accepit* Ferreolus, *ut multi credunt, probabilius est delatum primò fuisse ad Crispinum tyrannum, cùm hoc clarè asserat S. Sidonius Apollinaris in Epistola jam laudata ad Mamertum lib.* 7 *epist.* 1, *ubi dicit:* Et quia tibi soli concessa est.... martyris Ferreoli solida translatio, adjecto nostri capite Juliani, quod istinc turbulento quondam persecutori manus retulit cruenta carnificis. *Hoc quidem, ut dixi, multò probabilius est. Verumtamen creditur ad* S. Ferreolum *pervenisse caput S. Juliani. Hoc autem fieri potuit per ipsum Crispinum, qui caput ad* Ferreolum *miserit, sive ut metum incuteret, sive ut animum ipsius exploraret, quòd haberet suspectum de religione Christiana. Potuit etiam* Ferreolus *caput S. Juliani sibi comparare pecuniam dando illis, qui istud habebant, postquam à Crispino visum fuerat. Quo modo illud acceperit* S. Ferreolus *non edicit S. Gregorius Turonensis; sed accepisse, & cum eodem sepultum asserit lib. de Miraculis S. Juliani cap.* 1 *ita scribens:* Caput quoque ejus Ferreolus martyr accepit, completoque certamine, tam illius membra quàm istius caput in unius tumuli receptaculo conlocantur.

E *Erecta S. Ferreolo ecclesia ad ripam Rhodani,*

7 *Locum martyrii, quia dubius est, infrà examinabimus. At sepultum fuisse* S. Ferreolum *prope ripam Rhodani, Viennæ oppositam, omnia Acta cum Adone & Breviario Viennensi consentiunt. Adjungunt pleraque Actorum exemplaria Mss., ecclesiam eo loco exstructam fuisse à Castulio, quem Ado idem narrans,* Castulum *vocat. In Breviario Viennensi, quod anno* 1522 *impressum, novem lectiones de* S. Ferreolo *ad hunc diem habet, res narratur his verbis:* Qui ne inhonorato diu clarus Martyr lateret sepulchro, Custulius vir præcipui nominis de primoribus Viennensis urbis, catechuminus adhuc, & necdum baptismi gratiam consecutus, basilicam in honore Martyris fecit, fundans eam tanto opere, quanta & fide, præmittens hoc munus Deo, ut ad baptismi consummationem cum patrocinio martyrii perveniret. *Stetit illa ecclesia usque ad tempora S. Mamerti, qui post medium seculi* V *Viennensem administravit ecclesiam, & novam* S. Ferreolo *construxit basilicam, ut refert S. Gregorius Turonensis lib. de Miraculis S. Juliani cap.* 2, *ubi de sua ad sepulcrum* S. Ferreoli *peregrinatione hæc præmittit:* Quodam autem tempore, dum ad occursum beati Nicetii antistitis usque Lugdunum processissem, libuit animo, non aliter nisi orationis causâ, Viennam adire, & præcipuè sepulcrum visitare Ferreoli martyris glorioši. Insederat enim menti propter antiquam dilectionem eorum, me sic esse ejus alumnum, ut Juliani.

F

ea verò fatiscente, aliam condidit S. Mamertus episcopus,

8 Denique, oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos:

Heroas Christi geminos hæc continet aula,
Julianum capite, corpore Ferreolum.

Cúmque hæc legens, ædituum consulerem, cur hæc scripta sic fuerint; respondit: Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rhodani litus ab antiquis fuerat collocata. Denique, cùm impulsante violentiâ amnis, porticus, quæ ab ea parte erat locata, conrueret, providus sacerdos, Mamertus nomine, qui tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinam futuram præveniens, aliam basilicam eleganti opere & in ipsa mensura sagaci intentione construxit, illuc sancti Martyris transferre cupiens corpus. Advenit autem ad hoc opus abbatum atque monachorum magnus numerus,

AUCTORE J. S.

rus, vigilataque nocte, accepto farculo fodere cœperunt. Cúmque in profundum descenderent, tria sepulcra reperiunt, ac confestim stupor mentes spectantium invadit: nec quisquam erat certus, quisnam esset beati Martyris tumulus. Igitur cùm starent omnes in hebeditate mentis attoniti, inspirante, ut credo, Divinitate, unus ex circumstantibus exclamat, dicens: Antiquitus referri solitum erat, & celebri per populos sermone vulgatum, caput Juliani martyris in sepulcro retineri martyris Ferreoli: si, opertorio amoto, unusquisque consideretur, potest, quæ sint membra Ferreoli martyris, protinus inveniri.

qui ad eamdem corpus S. Ferreoli & caput S. Juliani transtulit.

9 Hæc audiens sacerdos, cunctos jubet in oratione prosterni. Quâ impletâ, procedit ad tumulos, detectosque duos, singulos in iis quiescentes invenit viros. Cúmque aperuisset & tertium, invenit in eo virum jacentem inlæso corpore, integro vestimento, qui, deciso capite, caput amplexus aliud brachio retinebat. Erat enim acsi nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus; sed ita integer & inlæsus, ut putares eum adhuc sopore corporeo detineri. B Tunc antistes gaudio magno repletus, ait: Hoc esse cadaver Ferreoli, hoc esse caput Juliani martyris, dubium non habetur. Tunc cum magno psallentio, plaudente populo, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente, perducitur. Hæc autem, ut ad sepulcrum Martyris ab ipso ædituo cognovi, fideliter retuli. Præbet tamen huic operi testimonium Sollius noster (*Sidonius*) ipsi Mamerto scribens, his verbis: Tibi soli concessa est in partibus orbis Occidui martyris Ferreoli solida translatio, adjecto nostri capite Juliani. Unde pro compensatione deposcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc rediit pars patroni. *Hactenus S. Gregorius, qui sic laudat verba Sidonii, ut intermedia nonnulla rescindat. In Breviario Viennensi jam laudato ad* XIII *Decembris agitur festivitas S. Luciæ, sed simul notatur* translatio SS. martyrum Juliani atque Ferreoli: IX lectio & commemoratio. *Hæc etiam relata sunt in S. Mamerto, de quo apud nos actum est ad* XI *Maji. An autem illa translationis festivitas fuerit instituta ob translationem à S. Mamerto factam; an verò ob alteram, quam seculo* VIII *factam videbimus, in Breviario non exprimitur.*

C *Alia seculo* VI *ecclesia in Arvernia S. Ferreolo dicata, alia loco minùs certo:*

10 *Exstabat tempore S. Gregorii Turonensis in Arvernia & alia basilica* S. Ferreoli *prope illum fontem, in quo S. Juliani caput ablutum dicitur. Nam lib. de Miraculis S. Juliani cap.* 25 *refert Gregorius, se in illis partibus fuisse, & gravi capitis dolore laborâsse, ita pergens:* Cúmque per duos dies ab hoc dolore consumerer, die tertia ad basilicam sancti Ferreoli, cui fons ille, de quo superiùs meminimus (*nimirum cap.* 3, *ubi caput S. Juliani in eo ablutum dicit*) est contiguus, advenimus. Distat autem basilica à Brivatensi vico quasi stadiis decem. *Mox addit, se capitis dolore liberatum esse, ubi caput aquâ memorati fontis perfuderat. De eadem* S. Ferreoli *basilica meminit cap.* 48, *ubi dicitur* procul ab ipso vico sita, *sed Ruinartius credit legendum*, non procul. *Eodem tempore nomen* S. Ferreoli *dæmonibus fuisse terribile, docet Gregorius cap.* 30, *hæc scribens:* Energumeni verò cùm advenerint (*ad festivitatem S. Juliani*) plerumque evomunt in Sanctum Dei convicia, cur Sanctos alios ad sua convocet festa, ipsosque nominatim confitentes, eorum fatentur virtutes & merita. Aiunt enim: Sufficiat tibi, Juliane, nos propria virtute torquere, ut quid reliquos provocas? quid invitas extraneos? Ecce Martinum Pannonicum, inimicum jugiter nostrum, qui tres à nostris cavernis repulit mortuos.... Advenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis præsidium misit *&c. Venantius Fortunatus, Gregorio contemporaneus, aliam memorat basilicam,* S. Ferreolo *partim dicatam, ita scribens lib.* 3 *carm.* 7: D

Altera Ferreoli pars est, qui vulnere ferri
Munere martyrii gemma superba nitet.

Editor Browerus credidit, ad Felicem Namneticum scriptum esse hoc carmen. Dubitari tamen ea de re potest ob hunc versiculum, eodem carmine contentum, ut jam advertit Tillemontius:

Fulgor Apostolicus visitat Allobrogas.

Nam Allobroges longè distabant à Britannia, ita ut locus maneat incertus. Verùm ecclesia erat sacra SS. Petro & Paulo, dextera pars SS. Hilario & Martino, sinistra S. Ferreolo.

Ecclesia à Mamerto condita pergebat florere seculo VII; E

11 *Porrò ecclesia* S. Ferreoli *prope Viennam pergebat florere seculo* VII, *quo juvenis erat S. Clarus, abbas postea Viennensis, cujus Vita data est ad* 1 *Januarii. In illa enim num.* 2 *hæc leguntur ad propositum nostrum:* Venerunt (*Clarus & mater ejus*) ad sanctissimum cœnobium ultra Rhodanum, ubi tunc temporis ossa beatissimi Ferreoli martyris quiescebant. Cúmque ibi mulier cum Claro suo puero in compunctione posita, longiores horas protraxisset, jamque vespere ad hospitium suum reverti cuperet, Rhodanus, agitantibus ventis, in undas periculosissimè assurgere cœpit. Jam mater cum Claro puero navim intraverat: desperatisque nautis, penè undis submersa navi, Clarus puer extensis manibus contra ecclesiam beati martyris Ferreoli, lacrymis fusis, exclamâsse dicitur: Deus, pro cujus nomine martyr Ferreolus mortem suscepit, subveni nobis, in periculo positis. Mox Rhodanus blandior redditus, navim brevi impulsu ad littora sua exposuit. *Scripta hæc sunt post corpus Viennam delatum.*

sed destructa est seculo VIII, *& tunc reliquiæ Viennam delatæ.*

12 *Nam seculo* VIII *ecclesia illa* S. Ferreoli *per Saracenos destructa fuit, & sacræ ipsius reliquiæ Viennam translatæ, ut docet Ado Viennensis in Chronico pag.* 504 *proferens sequentia:* Wilcarius Austreberto venerabili episcopo Viennæ succedit. Qui ob cladem Saracenorum, cúm esset domus præclarissima martyrum citra Rhodanum ab eis F jam incensa, ossa beati Ferreoli cum capite Juliani martyris intra urbem transtulit, eisque accelerato opere, non magno pretio, ecclesiam construxit; ubi & eorumdem martyrum reliquias reverenter composuit. *Facta videtur hæc translatio non diu ante medium seculi* VIII. *Nam Sammarthani initium episcopatûs Wilicarii figunt circa annum* 742; *& Maupertuy in nupera Historia ecclesiæ Viennensis anno* 740. *Porrò hujus translationis* occasione Brivatenses dicunt *se caput S. Juliani cum* B. Ferreoli brachio recepisse, *inquit Ruinartius in Annotatis ad Turonensem col.* 851. *At repugnant data Adonis verba, nisi ad Brivatenses illæ reliquiæ postea fuerint missæ. Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum observat, Aimoïnum in Historia lib.* 2 *cap.* 20 *agere de reliquiis* S. Ferreoli. *At illæ non sunt* Ferreoli *nostri Viennensis, sed Ferreoli Vesontionensis, de quo actum est ad* XVI *Junii. Tillemontius tom.* 5 *in SS. Juliano &* Ferreolo *affirmat, in diœcesi & agro Parisiensi ecclesiam etiam aliquam haberi* S. Ferreolo *Viennensi sacram.*

§ II.

A

§ II. Acta alia jam edita, alia scripta: utraque danda: martyrii locus dubius.

Sancti Acta edita: quæ in Mss. habemus, Brivate Sanctum occisum asserunt.

ACta S. Ferreoli *primùm edita fuerunt à Surio ad* XVIII *Septembris, deinde recusa à Ruinartio inter Acta martyrum sincera pag.* 509, *ubi editor ait:* Ferreoli passio integra habetur, quam ex variis codicibus Mss. cum Suriana editione collatis proferimus. *Habemus nos etiam ejusdem Martyris Acta in pluribus manuscriptis, partim nostris, partim aliunde acceptis, quæ satis congruunt cum Suriana & Ruinartiana editione quoad historiam, si excipiamus locum martyrii. Nam in editis locus martyrii alicubi in via statuitur; in Mss. verò omnibus nostris Brivate coronatus asseritur, sicut de suis quibusdam annotavit Ruinartius hisce verbis:* Hìc in nonnullis Mss. Ferreolus dicitur Brivatem ductus fuisse, ibique à præside simul cum Juliano capite plexus. *Hoc, inquam, in omnibus Mss. nostris legitur. Primò in egregio & admodùm vetusto codice nostro Ms. notato* Q Ms. 6, *fugientis* Ferreoli *ultima comprehensio, & cædes sic narratur:* Dein concito gradu ingressus aggerem publicum, usque ad Jarem fluvium percurrit: ubi à persecutoribus comprehensus & tentus, vinctis post tergum manibus ductus est, donec ad vicum, qui vocatur Brivate, perveniret: ubi eum sibi offerri unà cum sancto martyre Juliano præses præcepit: quos non cognita nobis interlocutione discutiens, quia sacrificare contemnerent, plecti capite ex lege constituit. Ibi utriusque beatum sanguinem terra suscepit. *His planè consonat alter codex noster, notatus* Q Ms. 2; *sed fluvius, ad quem Sanctus fugâ perveniisse dicitur, ibi scribitur* Zarem.

B

& enumerantur: in iisdem enarratur

14 *Tertium Ms., quod ex codice Moysacensi huc anno* 1643 *Tolosâ transmisit Petrus Possinus Societatis Jesu, planè etiam consentit cum præcedentibus. Æquè in illum martyrii locum conspirant duo exemplaria, per Chiffletium nostrum huc missa, alterum ex codice Accinctì monasterii, alterum ex Legendario S. Theuderii; sed in hoc posteriori fluvius rursum scribitur* Zarem, *sive* ad Zarem. *Eodem modo nomen fluvii exprimitur in sexto, quod Ultrajectinum est; & in septimo, quod Trevirense ex monasterio S. Maximini, quæ prædictis omnino in ceteris consonant; uti & octavum, quod ex codice cœnobii Bodecensis in diœcesi Paderbornensi transmisit Joannes Gamansius. Accedit Breviarium Viennense anni* 1522, *in quo eadem prorsus leguntur, nisi quòd mutato nonnihil fluvii nomine,* ad Jairam *perveniisse dicatur, ibique captus. Adonis verba, eadem de martyrii loco asserentis, jam dedi num.* 3. *Omnes verò codices in locum sepulturæ consentiunt cum Actis editis; sed adjungunt, ecclesiam fuisse constructam supra sepulcrum. Ex hac autem additione, licèt vera sit & certa, verisimili admodùm ratione colligeretur, Acta edita esse antiquiora, cùm nihil in illis de ecclesia illa legatur; si satis constaret, ea in vetustis & non lacunosis codicibus reperta esse, qualia sunt edita. Verumtamen ex fine Actorum Mss. similiter colligitur, scripta esse ante constructionem secundæ ecclesiæ, quam S. Mamertus circa annum* 460 *ædificavit, cùm Sanctus dicatur invocari in priore ecclesia, nec mentio fiat de altera.*

C

15 *Locum integrum de sepultura & ecclesia supra sepulcrum condita huc ex priore codice nostro transcribo:* Illo verò (*nimirum S. Juliano*) regioni illi per dispensationem divinam donato, beatissimum martyrem Ferreolum fideles, quique de Vienna secuti fuerunt, ad civitatis suæ præsidium fide probabili retulerunt, condentes eum in ripa ulteriore Rhodani, qui [*al.* quæ] civitatem spectat, haut * procul à flumine. Ubi, ne inhonoro diu clarus Martyr lateret sepulcro; Castalius [*al.* Castulius *aut* Castulus] vir præcipui nominis de primoribus Viennensis urbis, inlustris semper familiæ in patres ac posteros, vel quæ ab ipso quaqua versùm deducitur linea optimæ admodùm nobilitatis, catechumenus adhuc, & necdum baptismi gratiam consecutus, basilicam in honorem Martyris fecit, fundans eam tanto opere, quanta & fide, præmittens hoc munus Deo, ut ad baptismi consummationem cum patrocinio Martyris perveniret, ut [*al.* ubi] hodie fusis Deo orationibus plebs lætatur de Martyre, & plebis devotionem Domino beatus Ferreolus insinuat. *Hæc in omnibus omnino manuscriptis leguntur sine ulla mutatione notabili. Consentiunt & Ado & Breviarium Viennense, iis solùm contractis, quæ de familia Castulii in codicibus leguntur. Hæc ipsa quoque non modicam mihi dubitationem ingerunt, tam de loco martyrii, quàm de Actis ipsis, per Surium & Ruinartium editis.*

AUCTORE J. S. *constructio ecclesiæ supra sepulcrum Sancti.*

* haud

E

quæ non sunt in Actis editis, fortasse quia rescissa.

16 *Crescit ea dubitatio, quia Ruinartius nullum nominat codicem, in quo Acta invenerit sine illis, quæ de loco martyrii & de ecclesia exstructa narrantur. Etenim ex illo silentio cogor suspicari, ultimam Actorum partem, videlicet à comprehensione fugientis* Ferreoli *usque ad finem, ex sola editione Surii per Ruinartium esse desumptam. Certè tota illa pars adeo exactè Surianæ editioni consonat, ut ne minimam quidem voculam invenire potuerim mutatam; cum tamen in prima Actorum parte frequens sit vocum discrepantia & satis notabilis. Quis igitur non suspicetur, totum illum Actorum locum ex solo Surio mutuatum esse Ruinartium, quòd crederet, codices suos interpolatos, & editionem Surianam illis ea in parte præferendam? Quippe nullum laudat codicem, qui Surianæ editioni consentiat, licèt alias tres saltem codices diversos alleget ob annotata longè minoris momenti. Cessabit tamen hæc suspicio, si vel unus bonæ notæ ostendatur codex, editioni Surianæ aut Ruinartianæ conformis. Jam verò, si ex sola editione Surii profluxerit pars illa Actorum Ruinartii, quis non meritò judicet, codices antiquos Surianæ editioni præferendos, eaque omnia, quæ in codicibus antiquis leguntur, non autem in Surio, non fuisse Actis antea scriptis ab interpolatore addita, sed potiùs rescissa aut omissa apud Surium, sive quòd lacuna fuerit in codice ipsius, sive quòd crediderit vera non esse, & rectiùs omittenda? Quidquid sit, solâ veritatis investigandæ gratiâ ego hæc differo, sententiam facilè & libenter mutaturus, simulac novero, codices antiquos inveniri Surianæ editioni consentientes.*

F

Tillemontius aliique credunt, prope Viennam coronatum esse Ferreolum.

17 *Tillemontius in SS. Juliano &* Ferreolo, *& Bailletus in Tabula critica ad hunc diem, Acta* S. Ferreoli, *qualia edita sunt à Surio,* excellentia videri *asserunt, non tamen omnino authentica. Addit Bailletus,* nihil valere *ea, in quibus Sancti martyrium figitur Brivate. At mihi magis ambiguum videtur, utra sint præferenda, & judicium Bailleti nihili faciendum existimo, cùm illud videatur protulisse de Actis numquam visis. Sanè omnia illa, quæ Actorum fidem commenda-*

AUCTORE J. S.

re possunt, aut suspectam facere, æquè reperiuntur in utrisque; imò eadem potiùs Acta censenda sunt, quàm diversa; sed vel interpolata sunt in codicibus, aut mutilata & vitiata in editionibus: atque huc redit omnis difficultas. Tillemontius prudenter & probabiliter de loco martyrii disserit Notâ 5, existimans, statuendum potiùs esse prope Rhodanum, quàm Brivate, quia ea sententia magis conformis est assertis S. Gregorii Turonensis, & S. Sidonii Arvernensis episcopi; quódque existimaret, eam quoque haberi in aliquot Actis manuscriptis. Si de ultimo hoc constaret, illam Tillemontii opinionem satis certam crederem, quia verba Sidonii num. 6 data, utcumque favent Tillemontio.

& sibi faventes habent Sidonium & Turonensem.

18 *Affirmat enim Sidonius, Juliani caput ex Arvernia delatum fuisse Viennam ad persecutorem; neque id asserit de corpore* S. Ferreoli. *Tillemontio similiter favet Turonensis, cùm verbis num. 6 datis dicat,* S. Ferreolum *accepisse caput S. Juliani, ita ut uterque existimâsse videatur, S. Julianum aliquo tempore ante* Ferreolum *esse passum. Addit Tillemontius, S. Julianum à Sidonio vocari* nostrum & patronum, *non item* Ferreolum, B *creditque id fieri, quòd Julianus in Arvernia sit passus, non item* Ferreolus. *At hæc observatio vim non habet: nam poterat S. Julianus inter Sanctos Arvernos numerari, quia ibi non solùm passus, sed etiam sepultus erat; quia ibi colebatur, & dicatam sibi habebat ecclesiam.* Ferreolus *verò magis erat Viennensium, apud quos & martyrium inchoaverat, & apud quos erat sepultus, ac colebatur in ecclesia sibi dicata. Itaque verba Sidonii non alia de causa favent Tillemontio, quàm quòd dicat, S. Juliani caput Viennam delatum ad persecutorem, quódque Turonensis asserat, istud acceptum fuisse à* Ferreolo. *Verùm quæri potest, an Sidonio & Gregorio satis certò constiterit de modo, quo caput S. Juliani Viennam pervenisset. Nam certò quidem noverant, illud ibi esse. Verùm tum vicini non sunt temporibus S. Juliani, ut non potuerint conjecturas incertas sequi de modo, quo caput ipsius Viennam pervenerat.*

At iisdem repugnant Acta Mss., quæ non excellentia quidem, sed probabilia sunt:

19 *Quapropter oportet etiam expendere rationes, quæ militant pro opinione contraria, sive pro figenda morte* S. Ferreoli *Brivate in Arvernia. Huic opinioni favent primò Acta omnia Mss. nostra, & aliqua certè Ruinartiana, imò, ut suspicor, omnia, cùm nullum codicem allegaverit in contrarium. Acta autem illa omnino videntur vetustiora ecclesiâ per S. Mamertum structâ, tum quòd de illa non meminerint, tum quòd clarè asserant, Sanctum in priore ecclesia tum fuisse cultum. Acta igitur illa conscripta sunt seculo* IV, *aut seculo* V *ante translationem, post medium ejusdem seculi factam. Non esse autem compositia statim post Sancti martyrium, ex ipso initio abundè colligitur. Quæ verò dicuntur de ecclesia Sancto constructa per Castulium, illud ipsum non minùs certò insinuant. Nihil tamen in iisdem Actis reperimus, quo cogamur seculo* IV *posteriora dicere: sed nihil quoque in illis occurrit, quod magis persuadeat, conscripta esse circa aut post medium seculi* IV, *quàm seculo* V *inchoato, aut ferè medio, ut mirum mihi appareat, tam* excellentia *videri Tillemontio, præsertim cùm nonnulla contineant, quæ Tillemontio in Actis martyrum passim displicere solent, qualia sunt miracula, longiores & liberiores sermocinationes, carcer præter modum atrox, in quem Tribunus militum conjectus dicitur. Similia, inquam, aliàs Tillemontio & Bailleto displicere solent; at in his Actis non displicent. Mihi Acta, in quibus talia reperio,* nec excellentia *videntur, nisi talia ab ætate auctorum probari possint, nec statim repudianda existimo, sed inter probabilia habenda censeo, & ut talia dabo primùm edita à Ruinartio, deinde qualia habentur in Mss., ut lector studiosus eligere possit.* D

& auctoritas ecclesiæ Viennensis, aliaque nonnulla,

20 *Altera ratio, quæ suadet* S. Ferreolum *Brivate occisum, petitur ab auctoritate Viennensis ecclesiæ. Quis Adoni Viennensi antistiti persuasit, Brivate occisum esse* S. Ferreolum, *si illud non invenit in Actis Viennæ servatis suo tempore? Quis Breviario Viennensi illam opinionem inseruit, si illa non fuerit Viennensium? Auctoritas Adonis & Viennensium, omnibus Actis Mss. conformis, me præcipuè movet, quominus acquiescam receptæ modò à neotericis sententiæ de Sancto prope Viennam occiso, tamquam satis certæ. Etenim si semel persuasum fuisset Viennensibus, in vicinia sua occisum fuisse* S. Ferreolum, *ab ea sententia non facilè recessissent, nec Acta interpolâssent, ut locum martyrii ipsius procul à se relegarent. Itaque Acta non videntur hac ex parte interpolata; sed ab initio sic conscripta. Accedit ratio tertia ab ecclesia, quæ* S. Ferreolo *exstructa fuit in Arvernia, teste Turonensi num.* 10, *& quidem prope fontem, in quo ablutum creditur caput S. Juliani. Non video rationem magis idoneam construendi ibidem* S. Ferreolo *ecclesiam, quàm si dicamus, Arvernos credidisse, ipsum ibidem martyrio coronatum. Sic facilè intelligemus, quod in Actis secundis S. Juliani num.* 5 *dicitur:* Corpus truncum (*S. Juliani*) relinquentes, ad S. Ferreolum illud, quod parricidales manus abluerant, deferunt caput. *Cùm enim id insultando fecisse dicantur, probabiliùs creditur factum, quando in Arvernia captus, & morti destinatus erat* Ferreolus, *quàm dum Viennæ liber degebat.* E

quæ sufficere videntur ad locum martyrii pro dubio habendum.

21 *Sic rursum verisimili magis ratione exponitur, quo modo caput S. Juliani sepultum sit cum corpore* S. Ferreoli. *Etenim Christiani utrumque simul Viennam versùs tulerint, & simul sepelicrint. At, si caput S. Juliani jam antè erat Viennæ, non satis capio, qua occasione sepultum fuerit cum corpore* S. Ferreoli. *Certè* Ferreolus *illud secum non tulerit ad carcerem, & consequenter secum non habuit in fuga ex carcere. Quare non invenio, qua de causa Viennenses illud caput ultra Rhodanum tulissent, præsertim cum sepultura* S. Ferreoli *metu persecutoris clanculum peragenda esset. Verùm non hæreamus diutiùs in rebus obscuris admodum & dubiis. Nam nihil certi statuere propono; sed data argumenta mihi sufficere videntur ad locum martyrii* S. Ferreoli *pro dubio saltem habendum. Quod verò spectat ad tempus, Sanctus creditur passus in generali persecutione Diocletiani & Maximiani, sive circa annum* 304. *Rationes allegavi ad* XXVIII *Augusti in Commentario Actis S. Juliani prævio.* F

ACTA

Ex editione Ruinartii, cum Surii editione collata.

CUm per universas provincias genus Christianorum, Deo carum, invisum diabolo, deservire *a* sacrilegis ritibus cogeretur, Crispinus quidam, *a*

A dam, temporis illius præses, in Viennensi civitate juxta imperatorum præceptum cœpit ad sacrificandum cogere * Christianos. Sedens ergo pro tribunali, cum detestabili consilio honorare *b* obtemperantes, contradicentes autem punire decrevit. Quique dum acerbissimè in cunctos Dei servos per ministrum furoris sui grassaretur officium, contigit, ut inter alios etiam beatissimum martyrem Ferreolum, habitu solo, non officio militantem, quòd esset proditus Christianus, sacrificare compelleret, dicens: Parere te ante omnes necesse est, Ferreole, invictissimorum principum legibus, quibus & pro militiæ stipendiis fidem debes, & pro majestate reverentiam, & pro honoris augmento parendi irreprehensibilem devotionem. Quamobrem oportet * te obtemperare consilio, ne dissimulationem * pœna castiget. Sacrificare ergo diis jussus es *c*, quid moraris? Sanctus Ferreolus dixit *: Christianus sum, sacrificare diis non debeo. Imperatoribus, quamdiu salva religione licuit, militavi. Opera mea, cùm tibi parui, justis legibus debui: sacrilegis numquam servivi, adversùs noxios, non adversùs Christianos militare proposui. Stipendia, quæ commemoras, non requiro. Pascat sacrilegum militem sacrilegus imperator. Temporalis vitæ lucra non requiro: mihi sufficit, si salva religione liceat vivere Christianum. Quod si id non liceat, paratus sum mori.

Sanctus, captus & interrogatus

* *Sur.* compellere

b

* *Sur.* oportet igitur

* *ibid.* dissimulantem

c

* *ibid.* respondit

B

2 Præses dixit: Unde tibi, Ferreole, isthæc tanta moriendi fiducia? Fortassis post injuriam legum, post contumeliam principum, venit ex desperatione vivendi *d*. Sed patitur hoc planè abolitum fieri humanitas nostra, quod vel in deos, vel in principes contumaciter protulisti; modò dictorum tuorum te pœniteat, & legibus satisfacias repudiando sectam Christianorum, & numinibus sacrificando. Ferreolus respondit: Humanitatem tuam, & indulgentiam, quam promittis, tibi vel imperatoribus tuis deinceps militaturus exspectet: quorum legibus injuriam non facit, qui legem Dei eis anteponit. Ille potiùs reus est, qui Divinitati detrahit, qui insensibilia & caduca veneratur. Ego Creatorem, non creaturam adoro. Deum non in manufactis quærendum ipse loquitur, qui cuncta formavit, cujus testes sunt cælum, terra, & quæcumque vel deorsum jacent, vel desuper fulgent. Omnia ista illi serviunt, quæ propter nos creans, in omnibus Deus profutura nobis, non dominatura constituit *e*. Vos potiùs rectè ordinata perturbatis, præponendo temporalia æternis, mortua viventibus, scientibus bruta, mendacium veritati: & propterea in superbiam lapsi, atque in perpetuum damnati estis cum spiritibus malignis. Deus verò, qui universorum Dominus est, & æternus Imperator, dedit servis suis per Jesum Christum Filium suum fiduciam moriendi. Per quem etiam donat nobis resurgendi spem, ut ad amplioris vitæ incrementa, præsentis vitæ detrimenta nobis profutura credamus.

constanter respondet:

d

C

e

3 Præses ait: Ut video, jacturam vitæ jam fecisti. At dignum est tamen, ut etiam tormenta contemnat, qui consilii humanitate non flectitur. Quæ nisi sacrificando præveneris *, quàm sint acerba, cognosces. Sed cùm minis cerneret haudquaquam permoveri beatissimum Ferreolum, fisti eum præcepit, & acriùs verberari. Cúmque nec sic, succedentibus sibi ex more tortoribus, eum flecti posse videret, jussit eum oneratum ferro includi in carcere, dicens: Rebellem hunc squalidus & omnem pœnam excedens carcer includat. Reum se sentiat majestatis: careat luce contemtor deorum. Compedito stare non liceat, sedentem quoque ferri deprimant pondera: jacentem etiam ipsa, quæ adstringit, vastior catenarum colligatio consumat, donec ad validiorem præparatus quæstionem *f*, omnia, quæ in criminosos constituta sunt, tormenta percurrat. Quibus dictis, statim ministri præsidis beatissimum Ferreolum, oneratum ferro, in carcerem conjecerunt, adhibitisque custodibus, eum servare cœperunt denuò præsentandum.

acriter verberatus, in atrocem carcerem conjicitur:

* *Sur.* nisi sacrificaveris

EXEDITIS.

f

4 Illic verò biduo exacto, tertia die mane, ut fit, artiori somno oppressis custodibus, sponte solutis vinculis, liberum se Dei Servus agnovit *, & lento gradu accedens ad ostium, illud patere sibi cernit. Itaque secundum Euangelium persecutionem fugiens, ad extraneam properabat regionem. Egressus foras portam *g* Lugdunensem, ancipiti defixus consilio constitit, quærens secum, cui potissimùm viæ insisteret, & ut nulla posset relinquere indicia ipsum insecuturis. Præmissa itaque oratione, difficili natatu Rhodanum transmittere instituit. Sed quænam servis Dei elementa non serviant? aut quando Martyris precibus non quælibet adversa miteścant? Armatus igitur fide, & de Domini promissione securus, amnem fidus ingreditur. Quem sibi incumbentem, deductis blandè vorticibus, leni tergo solidior unda suspendit: atque eum ita beatus Martyr natandi conatu paucis trajicit impulsibus, & in ulteriorem ripam securus exit *h*. Dehinc concito gradu ingressus aggerem publicum, usque ad Jarem *i* fluvium percucurrit; ubi cùm à persecutoribus comprehenderetur, & revinctis post tergum manibus duceretur in eum locum, in quo sepulcrum sancti corporis ejus veneramur, subito instinctu crudelitatis percussus *k*, occubuit. Quem fidelis religiosorum civium devotio ad præsidium civitatis non longè à Rhodano cum summa veneratione tumulavit. Cujus beneficia per civitates, sicut expetuntur votis, ita beneficiis frequentibus approbantur *l*, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est virtus in sæcula sæculorum, amen.

divinitus carcere liberatus fugit; sed rursum captus occiditur.

* *Sur.* sentit

g

E

h

i

k

l

ANNOTATA.

a *Apud Surium:* A ministris satanæ sacrilegis ritibus servire cogeretur.

b *Ibidem:* Cùm detestabili consilio honoraret obtemperantes, contradicentes autem puniret. *Et sic tota dictio in sequentibus nonnihil immutata est, licèt in re non sit differentia.*

F

c *Ibidem:* Sacrifica ergo diis *&c. Similia quædam in responso* Ferreoli *leviter immutata sunt.*

d *Ibidem* Vitæ desperatio te invasit.

e *Ibidem:* Quæ etiam omnia propter nos creavit, nobis utique profutura, non dominatura nobis.

f *Surius habet:* Donec severiori quæstioni præparatus *&c.*

g *Idem:* Egressus autem extra portam *&c.*

h *Ab hoc loco usque ad finem nulla omnino est diversitas inter editiones Surii & Ruinartii, cùm tamen antea sint frequentes, ex quibus præcipuas solùm observavi, ut non immeritò suspicer, illam partem ex sola Surii editione à Ruinartio desumptam, cùm omnia nostra Mss. dissentiant.*

i *De hoc flumine Ruinartius in Annotatis ait:* Videtur esse Geria, vulgò la Gere, qui in Rhodanum labitur. *Vellem certiùs edicere possem, quis sit designatus fluvius. Nam ex eo forte aliquid de loco martyrii colligeretur.*

k *An satis verisimile appareat, occisum esse*

Ex edictis.

Sanctum ab iis, qui fugientem comprehenderant, considerandum relinquo illis, quibus ea Acta excellentia videntur. Mihi certè id parùm probabile fit, præsertim cùm constet, Sanctum fuisse decollatum. Nihil in Actis Mss. reperitur de morte Sancto illata subito instinctu crudelitatis; *sed post acceptam mortis sententiam capite plexus dicitur. Aliud quoque hìc vix credibile apparet, nam dicitur Sanctus primo miraculo ex carcere evasisse, altero fluvium natando trajecisse, & paulò post iterum captus & occisus. Quis facilè credat, Deum gemino miraculo Sanctum adjuvisse, ut eodem die potiùs occideretur satellitum petulantiâ, quàm postea judicis sententiâ?*

1 *Talis Actorum conclusio de beneficiis* per civitates *petitis & obtentis non est in ullo codice nostro. Eam igitur Surii potiùs esse credo, quàm antiqui auctoris.*

ACTA ALTERA

Aut eadem potiùs ex Mss.

B

Ferreolus interrogatur:

DUm per universas provincias Christianorum genus carum Deo, invisum diabolo, deservire sacrilegis ritibus cogeretur, sicut est proditum, Crispinus quidam, temporis illius præses, in Viennensi Civitate, juxtà imperatorum præceptum, cœpit ad sacrificandum cogere Christianos. Et sedens pro tribunali detestabili consilio cœpit *a* honorare obtemperantes, contradicentes autem punire, quique dum acerbissimè in cunctos Dei servos per ministrum furoris sui grassaretur officium; contigit, ut beatissimum martyrem Ferreolum, habitu sibi *, non corde, specie tenus, non officio militantem, quia esset proditus Christianus, sacrificare compelleret, dicens; Parere te primitus necesse est *b* invictissimorum principum legibus, quibus & pro militiæ stipendiis fidem debes, & pro majestate reverentiam, pro honoris augmento parendi inreprehensibilem devotionem. Quamobrem oportet te obtemperare consilio, ne dissimulationem pœna castiget. Sacrificare ergo diis jussus es; quid moraris? Ferreolus dixit: Christianus sum; sacrificare non debeo: imperatoribus, quamdiu salva religione licuit, militavi. Operam meam, cùm tibi parui, justis legibus debui, sacrilegis nunquam promisi *c*. Adversùs noxios, non adversùs Christianos militare proposui. Stipendia, quæ commemoras, non requiro. Pascat sacrilegum militem sacrilegus imperator. Temporalis vitæ lucra non requiro. Mihi sufficit, si salva religione liceat vivere Christianum. Certè, si id non licet, sufficit mori *d*.

* *al.* solo

a

b

C

c

d

& præsidi constanter respondet.

2 Præses dixit; Quæ in te tanta est, Ferreole, moriendi fiducia? An forsitan post injuriam regum, & contumeliam principum venit ex desperatione vivendi? Patitur hoc abolitum fieri humanitas nostra, quod vel in deos, vel in principes contumaciter protulisti, si dictorum tuorum gerens pœnitentiam satisfeceris *e*, repudiando sectam Christianorum, legibus nostris * consenseris, vel sacrificaveris numinibus. Ferreolus dixit: Humanitatem tuam, vel indulgentiam, quam promittis, tibi vel imperatoribus tuis deinceps militaturus exspectet. Quorum legibus injuriam non facit, qui Dei legem præponit. Ille potiùs reus est Divinitati, qui insensibilia, & caduca veneratur. Ego Creatorem, non creaturam adorare proposui: mihi Deum non manufactum quærendum, ipse loquitur, qui cuncta formavit; cujus testes sunt cœlum, & terra, & quæcunque vel deorsum jacent, vel desuper fulgent. Omnia ista illi deserviunt, quæ propter nos creans, in omnibus Deus profutura nobis, non dominatura constituit. Vos potiùs rectè ordinata turbatis, præponendo temporalia æternis, mortua viventibus, sentientibus *f* bruta, mendacium veritati, & propter *g* superbiam lapsos, atque in perpetuum damnatos spiritus Deo, qui universorum Dominus est, & imperator æternus, quique dedit servis suis per Jesum Christum Filium suum fiduciam moriendi, per quem certa spe resurgendi in ampliorem vitæ modum, vitæ præsentis damna nos provehunt.

* imperatorum

e

D

f *g*

3 Præses dixit: Jacturam vitæ, ut video, jam fecisti. Dignum est tamen, ut etiam tormenta contemnat, qui consilii humanitate non flectitur. Quæ, nisi sacrificando præveneris, quàm sint acerba, cognosces. Et cùm his minis non permoveri cerneret beatissimum Ferreolum, fisti eum præcepit, & acriùs verberari. Quem cùm succedentibus sibi ex more tortoribus flecti non posse sentiret; jussit eum oneratum ferro recludi in carcerem, dicens: Rebellem hunc squalidus, & omnem pœnam excedens carcer includat, reum se sentiat majestatis, careat luce contemptor deorum. Compedito stare non liceat, sedentem quoque ferri deprimant pondera, jacentem etiam ipsa, quæ astringit, vastior catenarum junctura sustineat *h*, donec ad validiorem præparatus quæstionem, omnia, quæ in criminosos constituta sunt, tormenta percurrat. Quibus dictis, statim ministri præsidis beatissimum Ferreolum oneratum ferro in carcerem concludentes, præordinatis custodibus servare cœperunt denuò præsentandum.

verberibus affectus, carceri includitur:

E

h

4 Ubi transacto biduo, die tertia diluculo, altiùs, ut fit, depressis sopore custodibus, resolutis sponte vinculis, liberatum se Dei servus agnovit. Et lento accedens gressu ad ostium carceris, patere sibi liberum sentit egressum. Secundùm Euangelium fugere persecutionem ad extraneam præparat regionem. Egressus foras portam Lugdunensem, ancipiti defixus consilio constitit, quærens secum, cui potissimùm viæ insisteret, vel quemadmodùm non posset præbere indicia secuturis. Præmissa itaque oratione, transire Rhodanum difficili parat natatu; qui muros Viennensis urbis alluens, ipso eam, quo percurrit, tramite ornat, ac munit, utilem præbens civibus commeatum, præcipiti autem profundo hostem repellens. Sed quæ Dei servis elementa non serviant? aut quando martyris precibus non quælibet turbida & adversa miteścant? Armatus ergo fide, & de Domini promissione securus, amnem fidus ingreditur: quem superjectum sibi deductis blandè vorticibus leni tergo solidior unda suspendit: atque eum beatus Martyr nisu natantis paucis transmisit impulsibus, & in ulteriorem ripam securus egreditur.

carcere divinitus liberatus, Rhodanum tranat & fugit.

F

5 Dehinc concito gressu ingressus aggerem publicum usque ad Jarem *i* fluvium percucurrit; ubi à persecutoribus comprehensus, & tentus, vinctis post tergum manibus ductus est, donec ad vicum, qui vocatur Brivate *k*, pervenisset, ubi eum sibi offerri unà cum sancto martyre Juliano præses *l* præcepit. Quos non cognita nobis interlocutione discutiens, plecti capite ex lege constituit. Ibi utriusque beatum sanguinem terra suscepit, & claro basilicæ extante monumento, hodieque *m* à circumjectis regionibus frequentatur. Quæ in honorem sancti Juliani martyris constructa est, quia inibi esset cæsus & conditus *n*: ubi evidentibus hodie-

Rursum capitur, & Brivate occisus, prope Rhodanum sepelitur.

i *k*

l

m

n

A dieque virtutibus meritum martyris, & diaboli perſequentis confuſio perdocetur. Illo verò regioni illi per diſpenſationem divinam donato, beatiſſimum martyrem Ferreolum fideles, quique de Viennâ ſequuti fuerant, ad civitatis ſuæ præſidium fide probabili retulerunt; condentes eum in ripa ulteriore Rhodani, quæ civitatem ſpectat, haud procul à flumine.

ubi eccleſia eidem deinde condita.

6 Ubi ne inhonoro diu clarus Martyr lateret ſepulchro, Caſtalius vir præcipui nominis de primoribus Viennenſis urbis, illuſtris ſemper familiæ in patres ac poſteros, vel quæ ab ipſo quaquaversùm deducitur linea optimæ admodùm nobilitatis, cathecuminus adhuc, & necdum baptiſmi gratiam conſecutus, baſilicam in honorem Martyris fecit, fundans eam tanto opere, quantâ & fide; præmittens hoc munus Deo, ut ad baptiſmi conſummationem cum patrocinio Martyris perveniret. Ubi *o* hodie fuſis Domino orationibus plebs lætatur de Martyre, & plebis devotionem domino beatus Ferreolus inſinuat *p*.

o

p

ANNOTATA.

B a *Hic diſſentiunt Mss. in vocibus. Nam vox* cœpit *ſine alia mutatione in duobus omiſſa eſt, in alio, eſt* præcepit; *in alio legitur* honorabat *&* puniebat. *At omnia eódem redeunt.*

b *In aliquot Mss. additur*, Ferreole; *in pluribus omittitur.*

c *In omnibus Mss.* promiſi, *videlicet* operam meam. *Attamen Ruinartius & Surius habent* ſervivi.

d *Aliàs* moriar, *in alio*, cupiò mori.

e *Hic multùm in vocibus diſſonant codices; ſed idem in omnibus ſignificatur: ut etiam ſit in mox ſequentibus.*

f Sentientibus *in omnibus Mss. Ruinartius tamen habet* ſcientibus, *quod ex Surio, qui ſtylum mutavit, acceptum opinor, ut & alia nonnulla.*

g *Hæc uſque ad finem numeri in omnibus ferè codicibus nonnihil erant mendoſa, in aliis magis, in aliis minùs. Ex ea corruptione factum exiſtimo, ut Surius, qui pauciora veriſimiliter habuit exemplaria, verba detorſerit in alium ſenſum hoc modo:* Et propterea in ſuperbiam lapſi, atque in perpetuum damnati eſtis *&c. Surii verba adoptavit Ruinartius: nam ea ſic in codicibus inventa, non*

C *facilè credidero.*

h *In Mss. omnibus*, Junctura ſuſtineat, *non* colligatio conſumat, *ut habent Surius & Ruinartius.*

i *Pro* ad Jarem *in quibuſdam Mss. legitur* ad Zarem, *ut dixi in Commentario num.* 14. *Quis ſit fluvius, ignorare me fateor.*

k Brivas, *hic* Brivate *dictum, oppidum eſt in Arvernia ad Elaverem fluvium. Martyrio ibi coronatus eſt S. Julianus, ibique etiam coronatum* S. Ferreolum, *olim credidit eccleſia Viennenſis: neque id improbabile eſſe, oſtendi in Commentario num.* 19 *& ſeqq. Magis improbabilem puto eorum ſententiam, qui hæc Actis ab interpolatore addita credunt, cùm vix dubitare poſſim, quin reſciſſa ſint à Surio.* Ex Mss.

l *Præſes hic intelligendus non videtur Criſpinus, qui præerat Viennæ; ſed alius quiſpiam eidem ſubditus, qui Brivate mandata dabat. Quod vero auctor ait, oblatos ſimul præſidi fuiſſe Julianum &* Ferreolum, *ipſius aſſertione adeo non ſit certum, ut magis credam, occiſum priùs fuiſſe Julianum, ſicut priùs Viennâ diſceſſerat, & captus erat. Etenim auctor ipſe, tum verbis illis*, non cognita nobis interlocutione diſcutiens, *tum ſilentio ſuo de die martyrii, ſatis inſinuat, ſibi non omnino comperta fuiſſe, quæ Brivate erant peracta tempore martyrii* S. Ferreoli. *In Actis, ſicut à Surio & Ruinartio impreſſa ſunt, auctor aſſeverantiùs de morte Sancti loquitur, an autem veriùs, multùm dubito.*

m *Sex codices in hunc ſenſum conſpirant,* E *licèt aliqui ſint mendoſi, & pro* exſtante *habeant* ex tanto. *Unus habet:* Baſilicæ extante hodie monumento, quæ à circumjectis *&c.*

n *Ex hoc loco colligitur, quando ſcribebat hic auctor, necdum conditam fuiſſe eccleſiam* S. Ferreoli, *quæ præter memoratam S. Juliani exſtabat in territorio Brivatenſi tempore S. Gregorii Turonenſis.*

o *Pro* ubi *in aliis legitur* &, *in aliis* ut.

p *In uno Ms. additur*, Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt virtus & honor in ſæcula ſæculorum. Amen. *Et ſimilis concluſio reperitur in tribus aliis. At ea abeſt à codicibus noſtris, & à Trevirenſi. Habes, lector ſtudioſe, Acta gemina, aut, ut magis credo, eadem diverſo modo edita. Poſteriora hæc nihil habent ex ſola Surii editione; ſed veniunt ex ſeptem Mss., invicem ubique conſentientibus, exceptis ſolùm mendis, aut leviuſculis vocum mutationibus, quæ tranſcribentium ignorantiâ aut negligentiâ in codices irrepere ſolent. Priora verò liberiùs ſuo more edidit Surius, ſtylum ſubinde mutando: quod ipſum præcipuè feciſſe credo, ubi dictionem in codicibus mendosè expreſſam inveniebat. Ruinartium porrò ex Surio* F *multa ſumpſiſſe non dubito, quia in collatione deprehendi, ipſius editionem cum Suriana verbis conſonare, ubi differt à codicibus noſtris; cum noſtris verò ſaltem aliquibus conſonare, quando à Surio diſſidet.*

AUCTORE J. S.

D

DE S. METHODIO EPISC. MART.

CHALCIDE IN GRÆCIA.

SYLLOGE.

§ I. Locus episcopatûs & martyrii variis dubitationibus obnoxius, uti alia ferè omnia ad Sanctum spectantia.

FORTE SUB DIOCLETIANO. *Memoria Sancti in Martyrologiis Latinis hoc die*

B

DE S. Methodio *episcopo, licèt scriptis celebri & martyrio, plura habemus dubitationibus obnoxia, quàm certò enarranda.* S. Methodium *elogio inter Scriptores ecclesiasticos celebravit S. Hieronymus. Ex hoc verò eumdem Fastis inseruisse videntur martyrologi Latini, quorum vetustissimus est, quantum novimus, auctor Parvi Martyrologii Romani à Rosweydo editi. Nam hic ad* XVIII *Septembris sic habet:* Methodii, Olympi Lyciæ, & postea Tyri episcopi, qui sub Diocletiano martyrio coronatus est. *Hæc repetiit Ado, locum martyrii solùm adjungens his verbis:* In Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. *Adonis verba dat Usuardus, observans tantùm ulteriùs, unde fuerint accepta, dum addit:* Ut scribit S. Hieronymus. *Plura ex Hieronymo sumpsit Baronius,* Methodium *in Martyrologio Romano ita memorans:* Natalis sancti Methodii, Olympii Lyciæ & postea Tyri episcopi, sermonis nitore ac doctrina clarissimi, qui ad extremum novissimæ persecutionis (ut scribit sanctus Hieronymus) in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. *Notkerus ab his non dissentit; sed apud ipsum mendosè pro* Chalcide *legitur* Ebacide. *Wandelbertus tale dat elogium:*

Ore, fide Antistes, signisque & sanguine martyr
Methodius, quartum denum celebrandus honorat.

Quartumdecimum *intellige* Kalendas Octobris, *id est, diem* XVIII *Septembris. Mitto Martyrologia*

C *hisce recentiora. In Martyrologiis verò Hieronymi, Bedæ, Flori, & Rabani memoria* Methodii *non reperitur.*

ex S. Hieronymo, qui eumdem elogio celebrat, ut episcopum Olympi & Tyri:

2 *Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum cap.* 83 Methodium *laudat hoc modo:* Methodius Olympi Lyciæ, & postea Tyri episcopus, nitidi compositique sermonis, adversus Porphyrium confecit libros; & Symposium decem virginum; de Resurrectione Opus egregium contrà Origenem, & adversus eumdem de Pythonissa; & de αὐτεξουσίᾳ (*id est, de Libero arbitrio*;) in Genesim quoque, & in Cantica canticorum Commentarios, & multa alia, quæ vulgò lectitantur. Et ad extremum novissimæ persecutionis, sive, ut alii affirmant, sub Decio & Valeriano, in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. *Hactenus S. Hieronymus. Socrates, qui eodem seculo* V, *quo S. Hieronymus defunctus est, floruit, eique suppar fuit, meminit de* Methodio, *tamquam primo oppugnatore Origenis, ita ipsum perstringens lib. 6 cap.* 13: Laboravit hoc morbo (*scribendi contra Origenem*) primùm Methodius, Olympi Lyciæ civitatis episcopus. *Hæc Socrates, plurium hæreticorum defensor, ita ut nihili faciendum sit, quòd ille carpat* S. Methodium *ob oppugnatum Origenem. Illud interim observo, à Socrate dici* Olympi *episcopum, non item Tyri. Accedit S. Maximus, qui* S. Methodium *similiter vocat* Olympi urbis Lyciæ *episcopum, nulla factà mentione de Tyri episcopatu. Verba data sunt in S. Methodio Patarensi ad* XX *Junii.*

3 *Verùm aliæ oriuntur dubitationes de sede episcopali* S. Methodii. *Nam Leontius Byzantius, qui sub finem seculi* VI *aut initium* VII *floruit, & Historiam de Sectis conscripsit, in hoc Opusculo Act.* 3 *pag.* 431 *enumerat doctores, qui floruerunt post tempora Apostolorum usque ad imperium Constantini Magni, interque eos* Methodius *laudatur his verbis:* Methodius Patarensis episcopus, *Græce* Πατάρων Patarorum. *Erat sanè hujus nominis urbs in Lycia, sed longè Olympo dissita. Nam utraque quidem vicina erat mari, sed Olympus versus Pamphyliam, Patara verò versus Cariam erat posita, ac utrique intermedia erat civitas Myrensis, ecclesiastica Lyciæ metropolis, & S. Nicolai episcopatu celebris. Itaque dici nequit, eamdem esse civitatem Patara & Olympum. Frustra allegantur verba Suidæ, in* Methodio *dicentis,* Μεθόδιος Ὀλύμπου Λυκίας ἤτοι Πατάρων, καὶ μετὰ ταῦτα Τύρου ἐπίσκοπος. Methodius Olympi Lyciæ aut Patarorum, & deinde Tyri episcopus. *Etenim verba hæc non significant, Olympum & Patara eamdem esse urbem, ut nimis festinanter dixit Combefisius; sed insinuant dubitationem Suidæ de primo* Methodii *episcopatu, fuissetne Olympensis aut Patarensis. Ratio dubitandi erat, quòd S. Hieronymus aliique* Olympi *episcopum dicerent; Leontius verò & post ipsum alii* F Patarensem *vocarent episcopum. Nam etiam à S. Joanne Damasceno lib.* 3 *de Imaginibus in fine laudatur Opus* S. Methodii episcopi Patarensis, de Resurrectione. *Demum Menologia & Menæa Græcorum* Methodium Patarensem *celebrant ad* XX *Junii, & ex his Fastis de* S. Methodio *Patarensi egit Henschenius noster ad* XX *Junii.*

alii inter scriptores laudant Methodium Patarorum episcopum.

4 *Alia modò exsurgit ex hisce dubitatio. Nam ambigitur, utrùm idem sit* Methodius, *qui ab aliis* Olympensis, *ab aliis* Patarensis *vocatur episcopus. Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum die* XIV *Junii distinctos credidit. In eamdem sententiam propendit Henschenius noster, quando ad* XX *Junii disputavit de* S. Methodio *Patarensi; sic tamen, ut dubitaverit, distinguendine essent, an confundendi, & hujusce rei examen remiserit ad hunc diem. Leo Allatius in Diatriba de Methodiorum scriptis utrumque eumdem credit, dicens fuisse episcopum utriusque civitatis. Hanc opinionem secuti sunt alii plerique, inter quos nuperrimè Lequienus in Oriente Christiano. At nullum invenio argumentum, quo alterutra opinio satis fiat certa. Pro non distinguendis duo-*

Itaque dubium est, an idem sit, & Olympensis simul ac Patarensis,

bus

A bus Methodiis, qui scripserunt ante imperium Constantini Magni, aut potiùs ante finitas imperatorum gentilium persecutiones, afferri potest, quòd unum solum Methodium agnoscat S. Hieronymus, unum dumtaxat recenseant Leo Byzantius, aliique scriptores, qui auctores ecclesiasticos enumerârunt. At reponi potest, alios quoque ab illis omitti, ut mirandum non foret, si ex duobus Methodiis unum omisissent, præsertim si quis contenderet, Patarensem pauca solùm scripsisse, aut omnino non scripsisse, sed alterius scripta illi ex errore attributa. Certè non facilè pro certo admisero, Olympensem simul & Patarensem episcopum fuisse Methodium, ut contendunt Allatius & Lequienus. Cùm enim civitas Myrensis secundum Lequienum tom. 1 col. 965 episcopum habuerit à primo Christi seculo, & intermedia sit Olympo & Pataris, nullo modo sit verisimile, ecclesias Olympensem & Patarensem seculo III aut IV ab eodem episcopo administratas.

aut alterutrius solùm loci episcopus; an verò duo diversi.

5 Mihi sanè verisimilius apparet, posteriores Græcos, qui episcopatum Patarensem S. Methodio doctori attribuerunt, à vero aberrâsse. Nam primus, qui scitur Patarensem dixisse episcopum, est Leontius Byzantius, tribus ferè seculis Methodio posterior. Verùm, si causam erroris conjecturâ investigare voluerimus, nulla erit verisimilior, quàm si conjiciamus, Pataris etiam claruisse aliquem episcopum Methodium, eumque ante Olympensem seculo III floruisse. Etenim sic intelligemus, quo modo contingere potuerit, ut jam tempore S. Hieronymi duplex esset sententia de tempore martyrii S. Methodii, ac alii vellent, ipsum fuisse coronatum ad extremum novissimæ persecutionis; alii medio seculo citiùs, sub Decio & Valeriano. Miror sanè, S. Hieronymum, qui illa scribebat ante finem seculi IV, certò scire non potuisse, utrùm vir tam celeber, qualis fuit Methodius, coronatus esset eodem seculo, an verò circa medium seculi III. At ea dubitatio facilè oriri potuit, si quis Methodius episcopus sub Decio aut Valeriano passus sit, alius verò circa finem persecutionis Diocletiani. Præterea S. Hieronymus Methodium suum Tyri deinde facit episcopum, quod nullus dixit de Patarensi. Demum S. Hieronymus Chalcide passum dicit Methodium. At Græci numquam asseruerunt, Patarensem extra ecclesiam suam esse passum. Quapropter non desunt rationes, quæ suadent, Methodium Olympi ac deinde Tyri episcopum non esse eumdem cum Methodio Patarensi. At ea non invenio argumenta, quibus rem certam facere valeam, ideoque dubiam relinquo.

C

Certè locus episcopatûs est admodùm dubius.

6 Tillemontius, qui de S. Methodio disseruit tom. 5 Monum. Eccl., non minùs ambiguè loquitur de ipsius episcopali sede, & alias insuper movet difficultates notâ 1. Primò dubitat, an Methodius revera fuerit Tyri episcopus, quia translatio ab episcopatu Olympensi ad Tyrium non est admodùm verisimilis ob diversitatem provinciarum, longè invicem dissitarum, nam Olympus est in Lycia, Tyrus in Phœnicia. Augetur difficultas, quia circa tempus, quo Methodius martyr obiit, episcopatus Tyrius videtur possessus fuisse ab aliis. Certè Henschenius noster tom. III Februarii pag. 172 martyrium S. Tyrannionis, episcopi Tyri, ex Eusebio figit anno 310, ut ipsi vix succedere potuerit S. Methodius, & deinde in eadem persecutione coronari, maximè si in Græcia passus est, ut scribit S. Hieronymus. Præterea difficultas non levis oritur ex Epistola Joannis Antiocheni patriarchæ ad S. Proclum Constantinopolitanum, scripta anno 431, editaque in Nova collectione Conciliorum apud Baluzium col. 893, ubi enumerantur præcipui Ecclesiæ doctores, qui floruerunt usque ad inchoatum seculum IV, in variis provinciis, & de Methodio dicitur: In Hellade verò & Illyrico Methodius & alii patres, qui pietate claruerunt. Non capio, cur Antiochenus patriarcha Methodium Helladi adscribat aut Illyrico, si Tyrius fuerit episcopus, aut etiam Olympensis in Lycia. Suspicari quidem possemus, de alio Methodio loqui Joannem Antiochenum; sed ille alius non innotuit; & Hieronymus etiam martyrium S. Methodii doctoris figit in Græcia, quod mirum est, si Olympensis & Tyrius fuerit episcopus. Tot paradoxa suspicionem ingerunt, plures fuisse Methodios, quorum confusione enatæ sunt istæ difficultates.

AUCTORE J. S.

Dubius quoque martyrii locus,

7 Rursum ambiguus est locus martyrii. Chalcidem in Græcia nominat Hieronymus. Hoc Tillemontius & Henschenius exponunt de Chalcide, quæ est in Eubœa insula Græciæ, licèt alia etiam Chalcis sit in Ætolia, Græciæ item provincia. Sophronius, qui Catalogum S. Hieronymi Græcum fecit, coronatum S. Methodium scribit ἐν Χαλκίδι τῆς Ἀνατολῆς, in Chalcide Orientis, designans nimirum Chalcidem Syriæ, quæ nomen dat provinciæ Chalcidenæ, cujus est caput. Hic martyrii locus magis cohæret cum episcopatu Tyrio, & ideo verisimilior esset, nisi obstaret auctoritas S. Hieronymi. Allatius agnoscit, Sophronium habere in Chalcide Orientis, sed nodum velociter scindens, ait corruptè id legi in Sophronio, cùm integrè sic legi debeat, ut Hieronymianis concordent. Facilè admisero, locum non aliter Græcè redditum à Sophronio, quàm Latinè fuerat expressus ab Hieronymo. At non video, quare exscribentium vitio minùs in Hieronymi textum Latinum, quàm in Græcum Sophronii, mendum aliquod irrepere potuerit. Suidas certè habet, ut Sophronius, non ut Hieronymus. Itaque nequeo dicere cum Allatio, locum Hieronymi integrum esse, textum verò Sophronii corruptum, nisi dubia pro certis venditare voluero. Quin potiùs magis propenderem in locum Sophronii, ut confirmatum à Suida, & in Chalcidem Syriæ, ut Tyro propinquiorem, nisi obstarent rursus verba Joannis Antiocheni mox allegata, quibus Methodius annumeratur doctoribus Græciæ aut Illyrici, non Syriæ aut Asiæ. Verùm hæc verba non modò repugnant martyrio in Syria obito; sed æquè contraria videntur episcopatui in Lycia asserto & deinde in Phœnicia.

E

F

imò & tempus,

8 Tempus martyrii, quod à Baronio, Allatio, Tillemontio, & aliis statuitur circa finem persecutionis Diocletiani, & nominatim à Tillemontio Notâ 2 circa annum 311 aut 312, vix certius apparet, quàm cetera jam excussa. S. Hieronymus, ut jam vidimus, passum dicit, vel ad extremum ultimæ persecutionis, vel sub Decio & Valeriano. Dubitatio hæc de Methodii ætate ostendit, S. Hieronymum non fuisse optimè instructum de spectantibus ad Methodium, cujus quidem scripta viderat, sed gesta non æquè noverat. Sophronius locum Hieronymi cum eadem dubitatione Græcum fecit. Suidas idem forsan dicere voluit, sed nonnihil diversa expressit. Nam verba ipsius, exactè reddita Latinè, ita sonant: Qui circa extrema persecutionis temporibus Decii & Valeriani &c. Leontius Byzantius Act. 3 numerat Methodium Patarensem inter illos doctores, qui floruerunt post tempora Apostolorum & ante Constantinum Magnum, Methodium nominans ante S. Gregorium Thaumaturgum. Hæc omnia valde ambigua sunt; cùm enim S. Hieronymus dubitationem extendat à Decio usque ad finem ferè ultimæ persecutionis; quis mo-

AUCTORE J. S.

modò credat, satis constitisse Hieronymò, Methodium *non esse passum tempore aliquo intermedio*, nimirum *sub Aureliano, aut initio persecutionis Diocletiani, aut sub alio imperatore?* Præterea quis certò definiat, *quo anno finem novissimæ persecutionis statuere voluerit S. Hieronymus, annone* 312, *in quo agentibus Constantino & Licinio, finem persequendi Christianos fecit Maximinus; an verò anno* 323, *quo Licinius resuscitatam iterum persecutionem clade sua & morte finire coactus est?*

quod ratiocinia Tillemontii

9 *Tillemontius Notâ* 2 *in* Methodium *allegat rationes aliquot, ut ostendat*, S. Methodii *martyrium contigisse anno* 311 *aut* 312. *Primò observat, Sanctum non esse passum sub Valeriano, ideoque minùs sub Decio, quia scripsit contra Porphyrium*, qui anno 263, *id est*, tribus annis post finitam Valeriani persecutionem, *tantùm annos numerabat triginta. Solida est hæc ratiocinatio: nam satis constat, Porphyrium non tam citò cœpisse scribere contra Christianos, & eidem consequenter non respondisse* Methodium, *nisi diu post finitam Valeriani persecutionem. Secundò allegat Tillemontius ex S. Hieronymo lib.* 1 *contra Rufinum hæc verba Eusebii, scribentis Apologiam Origenis:* Quomodo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere, qui hæc & hæc de Origenis locutus est dogmatibus? *Tum sic argumentatur: Hæc innuunt, necdum mortuum fuisse* Methodium, *quando ita de ipso loquebatur Eusebius. Hic autem Apologiam istam certò non scripsit ante annum* 309. *Itaque eo anno vivebat* Methodius. *Ex his ulteriùs infert, martyrium ipsius figendum sub finem persecutionis Diocletiani anno* 311 *aut* 312. *Non negaverim, istud ratiocinium subtile videri & probabile. Certum tamen non videtur, vixisse* Methodium, *quando ista scribebat Eusebius: & consequenter ex data observatione nequit certa erui conclusio.*

B

non faciunt omnino certum,

10 *Quin imò alii forsan ex allegato Hieronymi loco probare contendent, mortuum jam & Martyrem fuisse* Methodium, *quando ei prædicta objiciebat Eusebius. Nam dicit S. Hieronymus, idem, quod sibi objiciebat à Rufino, objectum ab Eusebio fuisse* Methodio episcopo & martyri. *Et mox ait, idem* ab Ariano homine objici clarissimo & eloquentissimo Martyri. *Dicere enim poterunt, Eusebium ista non objecisse* Martyri, *si vivebat* Methodius, *& postea solùm martyrio coronatus est. At hæc consecutio æquè erit incerta: nec supereſt Opus Eusebii, ex quo clariùs appareret, utrùm de vivente locutus sit* Methodio, *an de mortuo. Præterea; etiamsi certò constaret, vixisse anno* 309 S. Methodium, *ex eo certò colligi non posset, coronatum fuisse anno* 311 *aut* 312; *cùm etiam pati potuerit sub persecutione Licinii circa annum* 320. *Ex disputatis hactenus abundè liquet, pleraque spectantia ad personam* S. Methodii *incerta esse, nimirum an fuerit idem cum* Methodio *Patarensi, an fuerit primùm Olympi, postea verò Tyri episcopus, utrùm scripserit in Asia aut Syria, an in Græcia, martyrne occubuerit seculo* III *an* IV, *utrùm in persecutione Diocletiani, an citiùs, aut etiam seriùs; & demum utrùm coronam martyrii consecutus sit in Græcia, an in Syria. Etenim dubitatio S. Hieronymi de tempore martyrii, cùm ad annos facilè sexaginta extendatur, omnino insinuat, non satis comperta fuisse Hieronymo spectantia ad* S. Methodium; *atque ea de causa nos minùs firmiter inhærere posse iis, quæ de gemino ipsius episcopatu & loco martyrii affirmat.*

C

11 *Ad tot dubia adjungi potest aliud, videlicet an* S. Methodius *alio nomine dictus fuerit* Eubulius, *ut Allatius aliique asserunt ex S. Epiphanio. Nam hic hæresi* 64 *num.* 63, *ubi amplissimum* S. Methodii *locum allegaverat contra Origenianos, subdit, ista esse τῶν ὑπὸ τῦ μακαρίτυ Μεθοδίυ, τῦ καὶ Εὐβυλίυ*, ex disputatis à B. Methodio, qui & Eubulius. *Ex hoc loco colligunt*, Eubulii *etiam nomen fuisse* S. Methodio, *ut etiam observavit Petavius in Annotatis ad locum allegatum. Verùm hæc non videtur fuisse mens S. Epiphanii. Noluit dicere, opinor*, S. Methodio *aliud nomen fuisse* Eubulium, *sed eo nomine disputâsse contra Origenem. Etenim Opus* S. Methodii *contra Origenem de Resurrectione, ex quo plurima adduxit S. Epiphanius, erat Dialogus cum interlocutoribus saltem quatuor, nempe* Proclo & Aglaophonte, *differentibus utcumque pro Origene, ac* Eubulio & Auxentio, *qui contra Origenem disputabant, ejusque errores refellebant. Ex his præcipuus disputator erat* Eubulius, *ut liquet ex Epiphanio num.* 43 *in fine. Quapropter nihil videtur dicere in allegato loco S. Epiphanius, nisi se dedisse, quæ* Eubulii *nomine disputaverat* Methodius. *Itaque* Eubulius *non fuit nomen* Methodii, *sed nomen, quod in illo Dialogo dederat præcipuo disputatori, cujus ratiocinia allegaverat Epiphanius. Sic* S. Methodius *in Symposio suo aut Convivio Virginum personam præcipuam similiter* Eubulium *nominavit. Evanescit igitur fictitium Sancti nomen, ex Epiphanio malè intellecto natum, & aliis omnibus ignotum.*

D

Methodius non videtur habuisse nomen Eubulii.

E

§ II. Scripta S. Methodii, quòrum pars magna perdita, enumerantur.

S. Methodius scriptor magni nominis,

QUamvis certò non constet de loco & tempore, *quibus floruit, episcopatum gessit, scripsitque, ac pro Christo sanguinem fudit* S. Methodius, *ut jam vidimus; certum tamen est, episcopum fuisse & martyrem, multaque edidisse scripta, vergente ad finem seculo* III, *aut seculo* IV, *antequam solus imperaret Constantinus Magnus. Æquè certum est, scriptorem fuisse magni nominis, & multorum elogiis celebratum. S. Hieronymus, jam laudatus num.* 2, *dicit, fuisse scriptorem* nitidi compositique sermonis. *Idem rursum num.* 10 *vocat* clarissimum & eloquentissimum Martyrem. *Idem* Methodius *à S. Epiphanio hær.* 64 *num.* 63 *dicitur* Vir apprimè doctus, acerrimusque veritatis Patronus. *Joannes Antiochenus in Epistola ad S. Proclum anno* 431 *data, recenset* S. Methodium *inter episcopos doctoresque illustrissimos, quorum fides fuit probata, illumque solum nominat ex illis, qui floruerunt* in Hellade, *sive Græcia*, & *in* Illyrico, *ut jam dixi num.* 6. *Leontius Byzantius de Sectis Actione* 3 *numerans præstantissimos doctores, qui floruerunt post tempora Apostolorum usque ad Constantinum, novem tantùm recenset, iisque annumerat* Methodium *Patarensem, qui vel* Methodius *noster est, aut illis annumeratur, quia cum nostro confunditur. Præterea auctoritas* S. Methodii *laudatur à multis Patribus antiquis cum elogio, ut videre est apud Allatium in Diatriba de Methodiorum scriptis, ex qua huc nonnulla breviter transfero. Per Joannem Thessalonicensem episcopum ibidem num.* 16 *vocatur*, Magnus Methodius; *à S. Anastasio Sinaita*, Sapientiâ percelebris; *ab Andrea Cæsariensi rursum*, Magnus, *à S. Maximo, aliisque pluribus* Sanctus martyr. *Verùm, omissis aliis,*

AUCTORE J. S.

A *aliis, Sancti ſcriptorum catalogum texam, exordium ducens ab operibus per S. Hieronymum laudatis.*

primus refutat Porphyrium contra Chriſtianos ſcribentem;

13 *Primò, teſte Hieronymo,* Adverſum Porphyrium confecit libros. *Erat Porphyrius philoſophus gentilis, Chriſtianis infeſtus admodùm, qui ſacras legebat Scripturas, ut Chriſtianos acriùs & ſubtiliùs oppugnaret. Scripſit autem contra ipſos grande Opus in quindecim libros diviſum, de quo latiùs conſuli poteſt Tillemontius tom. 4 Imperatorum in Diocletiano art. 31, ubi obſervat, eum in Siciliam veniſſe anno 267, ibique diu manſiſſe, & contra Chriſtianos ſcripſiſſe. Itaque potuit* S. Methodius *ad ſcripta Porphyrii reſpondere non diu poſt annum 270; & multò etiam ſeriùs, ſi vixerit uſque ad annum 311 aut 312. Certè primus fuit, qui Porphyrium cœpit refutare, teſte variis locis S. Hieronymo. In Epiſtola ad Magnum Oratorem ita habet:* Scripſerunt contra nos *(Chriſtianos)* Celſus atque Porphyrius. Priori Origenes, alteri Methodius, Euſebius & Apollinaris fortiſſimè reſponderunt. Quorum Origenes octo ſcripſit libros: Methodius uſque ad decem millia procedit verſuum *&c. Eoſdem Porphyrii oppugnatores*

B *recenſet in Apologia pro libris contra Jovinianum. In Præfatione verò Commentariorum in Danielem innuit, Opus* Methodii *contra Porphyrium non fuiſſe abſolutum. Nam, ubi dixerat Euſebium & Apollinarem Porphyrio* ſolertiſſimè *reſpondiſſe; ſubjungit:* Et ante hos ex parte Methodius. *Quapropter non eſt incredibile,* S. Methodium *huic Operi eſſe immortuum, & forte pro mercede martyrii coronam conſecutum. Ceterùm hoc Sancti Opus excidit, præter Excerpta pauciſſima, quæ ex Damaſceno & aliis dedit Combefiſius in Operibus* S. Methodii *pag.* 442 *& ſeqq.*

ſcribit Sympoſium virginum, quod ab Arianis

14 *Sequitur apud Hieronymum:* Sympoſium decem virginum. *Dialogus eſt de Virginitate, qui primùm editus eſt à Leone Allatio Romæ anno 1656, deinde recuſus à Petro Poſſino, & demum à Combefiſio (qui antè Excerpta ſolùm illius Operis cum reliquis* Methodii *fragmentis ediderat) idem Sympoſium recuſum eſt in Auctario noviſſimo pag.* 64 *& ſeqq. Porrò Photius hujus Operis dat Excerpta cod.* 237, *& col.* 963 *de eo obſervat ſequentia:* Obſervandum, Dialogum hunc, qui SYMPOSIUM inſcribitur, ſive DE CASTITATE, magnam partem adulteratum eſſe. Offendes enim in

C illo adjectas & Arianas vanaſque opinationes, aliaſque malè ſentientium fabulas. *Combefiſius poſt Dialogum hanc Photii cenſuram ſubjungit pag.* 142; *ſed mox pag.* 143 *de ea re ſententiam ſuam exponit his verbis:* Inter reliqua Methodii, hanc maximè lucubrationem ab hæreticis depravatam, & Arianicas voces habere, Photii cenſura eſt. Putem ego Methodium pro ævi ſimplicitate, nonnulla à ſe inſperſiſſe non ſatis elimata exque regula eccleſiaſtica; velut ferè ſuperiores Patres non prorſus accurati fuere. Nec video, ut nulla hîc quidam deprehendant verè laborantia: nam ſunt aliqua, quæ vix ſenſum Catholicum faciant, quantumvis quis emolliat, ac niſi prorſus vim verbis faciat.

corruptum aliqui credunt, alii purum exiſtimant,

15 *Allatius in Diatriba ſua num.* 12 *negat, opinationes Arianicas reperiri in* Methodii *Sympoſio, quale nunc exſtat. Nam poſtquam obſervaverat, aliqua Patrum ſcripta ab hæreticis corrupta eſſe; & nonnulla etiam in pluribus Patribus vetuſtis reperiri, quæ nec accurata ſunt, nec à poſteris admiſſa; ſic proſequitur:* Quidquid tamen ſit, in hoc planè, quod præ manibus eſt, Sympoſii exemplar, ſimiles hæreticorum fabulæ, potiſſimùm Arianæ, nullæ inſperſæ ſunt: nec eſt, quod non poſſit Catholicè Catholicis auribus exponi. *Addit, Patres ſubinde in fervore diſputationis aliqua protuliſſe minùs probanda, & utcumque ſaventia hæreſibus poſtea enatis.* Quæ licèt vera ſint, *inquit,* in Sympoſio tamen Methodii, quod nunc publicamus, locum non habent, quòd in eo nihil ſit, quod Arianam hæreſin ſtabiliat. Imò ſi rectè ſingula examinentur, ſunt nec pauca, quæ illam refellunt, & penitus deſtruunt. *Vides, opinor, ſtudioſe lector, quàm diverſæ ſint duorum editorum ſententiæ. Nolim ego judicium meum interponere de omnibus, quæ leguntur in Sympoſio, cùm otium mihi per alia negotia non ſuppetat expendendi ſingula tam accuratè. Auſim tamen candidè edicere, criſin Combefiſii iniquiorem* S. Methodio *videri. Si enim aliqua* vix ſenſum Catholicum faciant, *ut ipſe pronuntiat, eaque ab ipſo* Methodio *ſunt conſcripta, quo modo factum dicemus, ut Ariani* S. Methodii *verba in patrocinium hæreſeos ſuæ non allegaverint? Etenim tempore Arianorum notiſſima erant* Methodii *Opuſcula, & Sancti nomen tam celebre, ut Græci ante Arianam hæreſim vix ullum videantur habuiſſe doctorem magis celebrem, magiſque probatum. Præterea legit Photius quatuor diverſa* Methodii *Opera; & de hujus tantùm corruptione conqueritur. At, ſi* Methodius *uſus fuiſſet quibuſdam loquendi modis, qui Arianis favere videbantur, tales veriſimiliter in aliis quoque ipſius Operibus fuiſſent inventi, & ſic Photius non fuiſſet conqueſtus de corruptione ſolius Sympoſii. Dicendum igitur videtur, aut veram eſſe ſententiam Allatii, & omnia* Methodii *verba ſenſu Catholico facilè exponi poſſe, aut rectè dixiſſe Photium, Opus ab Arianis fuiſſe corruptum. Fortè etiam Photius codicem habuit corruptum, Allatius purum.*

E

dialogus eſt in laudem virginitatis.

16 *Perſonæ, quæ loquuntur in Sympoſio, ſunt decem virgines, indeque vocatur,* Convivium decem virginum. *Cùm virginibus verò non raro colloquitur* Arete, *ſive* Virtus. *Accedit* Gregorium *mulier, quæ omnia in convivio peracta narrat* Eubulio. *De* Eubulio *autem, virne ſit* Eubulius, *an etiam mulier* Eubulium *dicta, lis eſt inter Poſſinum & Combefiſium. Nam Poſſinus credit, virum deſignari, quia ubique adjuncta habet maſculina. Hac de cauſa ab eo paſſim vocatur* Eubulius, *aliquando tamen etiam* Eubulium, *ut codices habere fatetur. Combefiſius verò in Annotatis exiſtimat,* Eubulium *etiam eſſe feminam, faſſus nihilominus,* maſculino *generi perſonam ipſius jungi. Sic initio ſtatim de Eubulio dicitur* βϐλομένῳ volens, *quod de femina dicendum erat* βϐλομένῃ; *& ſic conſtanter, ubicumque adjuncta virum aut mulierem deſignare poſſunt, virum indicant. At res levioris eſt momenti, cùm perſona ſit fictitia.*

F

Componit Opus de Reſurrectione contra Origenem,

17 *Poſt laudatum de Virginitate dialogum ſequuntur apud S. Hieronymum duæ lucubrationes contra Origenem, quarum prima nominatur:* DE RESURRECTIONE, *quod* Opus egregium contra Origenem, *vocat Hieronymus. Allatius num.* 13 *multos adducit Patres, qui Opus* de Reſurrectione *laudaverunt. Inter illos plurima ex eodem Opere adducit S. Epiphanius hær.* 64 *contra Origeniſtas; nimirum in editione Petavii à pag.* 534 *uſque ad* 590 *producitur diſputatio* Methodii *contra Origenem, licèt variæ perſonæ inducantur loquentes, maximè* Proclus & Eubulius, *quibus breviter ſubinde reſpondent* Aglaophon & Auxentius. *Nam hoc etiam* S. Methodii *Opus per formam dialogi compoſitum fuit, ut clariſſimè patet ex Epiphanio. Hîc autem pag.* 534, *antequam*

AUCTORE J. S.

adducit dissertationem Methodii, *ita scribit:* Ego verò iis ipsis, qui ante me in eum laborem incubuerunt (*refutandi Originis errores*) & oratoriis lenociniis fucatam hominis nequitiam justissimis rationibus diluerunt, præstantior videri nequaquam affectans,... contentum me iis esse oportere putavi, quæ beatus Methodius in Oratione, quam de Resurrectione scripsit, adversus eumdem Origenem disseruit. Quæ quidem hîc ad verbum omnia transcribam. Sic igitur Methodius, ut infrà scriptum est, loquitur. *Tum omnia* Methodii *sunt, quæ Procli & aliorum nomine differuntur, usque ad paginam* 590: *ibique subjungit Epiphanius:* Atque hæc sunt è beati Methodii, qui & Eubulius (*in hoc Dialogo*) dictus est, scriptis ordine decerpta, quæ de Origene, depravataque Origenis fide, sophisticis cavillationibus implicatâ, in eodem de Resurrectione libro disseruit. Quæ hoc loco proposita sufficere contra illius nugas putavimus impiamque doctrinam.... Et quamquam alia pleraque ad idem argumentum Methodius, ille vir apprimè doctus, accerrimusque veritatis patronus, in eodem libro disputârit totidem ferè, quot à nobis excerpti sunt, versibus; B nihilominus ... satis esse duximus, huc usque ex illius Opere transtulisse. *Hactenus Epiphanius. Nescio sanè, quid causæ fuerit, cur illum locum integrum non dederit Combefisius in Excerptis* Methodii. *Edidit tamen Excerpta aliqua ex libro de Resurrectione, nimirum ex Epiphanio, ex Damasceno, & plura ex Photio, quæ videri apud ipsum possunt inter Methodiana primo loco.*

& de Pythonissa: improbabile est, ipsum retractâsse scripta

18 *Alterum Opus* Methodii *contra Origenem S. Hieronymus exprimit hoc modo:* Et contra eumdem de Pythonissa. *De hoc Opusculo nihil superesse videtur, aut certè etiamnum latet in bibliothecis. Porrò causâ horum contra Origenem Opusculorum Socrates, Novatianorum non tantùm, sed etiam Origenis patronus,* S. Methodium *carpit verbis num.* 2 *datis, tamquam maledicum, & post alia quædam de eodem* Methodio *subjungit:* Methodius quidem, cùm in libris suis Origenem diu multumque insectatus fuisset, postea tamen, quasi palinodiam canens, in Dialogo, quem XENONEM inscripsit, summa eum admiratione prosequitur. *Baronius ad annum* 402 *num.* 18 *meritò arguit Socratem ob hæc dicta, observatque, contrarium prorsus factum à* S. Methodio, *uti* C *habet Eusebius, qui, teste Hieronymo, carpebat* Methodium, *quòd scriberet contra Origenem, quem antea laudaverat. Tillemontius ejusdem est sententiæ, meritóque uterque asserit, fide indignum esse Socratem in iis, quæ dicit de palinodia ob scripta contra Origenem. Res mihi tam bene firmata videtur à Baronio ex silentio defensorum Origenis, ut mirer Pagium potuisse hisce se opponere in Critica ad annum* 402 *num.* 3. *Habuit quidem Pagius Huetium pro sua opinione contra Baronium, & ex illo ait:* Potuit Methodius primùm Origenem laudare, & deprehensis postmodùm erroribus, vituperare, & iisdem demum excusatis ad priorem sententiam redire. *Verùm nec Huetio credere possum, nec Pagio, tantæ levitatis fuisse* Methodium, *ut de Origene sententiam bis mutârit, nec tacuissent Eusebius & Rufinus, si errores Origenis semel oppugnatos demum excusâsset* Methodius.

contra Origenem, quem etiam oppugnat in Opere de Creatis,

19 *Dubitat Allatius num.* 17, *an Dialogum aliquem,* Xenonem *dictum, scripserit* S. Methodius; *creditque se* vestigia manifesta Xenonis dialogi *invenire* in Opere Methodii DE CREATIS, seu Genitis, ex quo Excerpta Photius subministravit in Bibliotheca *col.* 951. *At certius est, illud etiam Opus* Methodii *de Creatis contra Origenem, quem in eo* centaurum *vocat, quòd sacra prophanis misceret, fuisse scriptum. Videri possunt Extracta apud Photium, eademque recusa apud Combefisium pag.* 336. *Verumtamen non est improbabile,* S. Methodium *scripsisse aliquem Dialogum, inscriptum* Xenonem, *in eoque Dialogo Origenem ab ipso laudatum: nam eatenus Socrati fidem habendam existimo. Contrà omnino improbabile appareret, in eo Dialogo palinodiam cecinisse* Methodium, *& sententiam priorem de erroribus Origenis mutâsse, quod ne Socrates quidem apertè dicit. Id enim si fecisset, tam acerbo animo in* Methodium *non scripsisset Socrates, nec Eusebius ipsum ob mutatam de Origene sententiam carpere voluisset.*

potuit tamen Origenem laudare in Opere contra Gentiles aut alibi.

20 *Fortè Dialogus* Xenon *erit illud ipsum Opus, quod contra Porphyrium scripsit Sanctus: nam in Opere contra Porphyrium aut gentiles poterat justa ratione laudare Origenem, ut defensorem Christianorum contra Celsum; imò etiam in tali Opere laudare Origenem potuisset ab ingenio & eloquentia, etiamsi antea contra ipsum scripsisset. Quapropter dubitare meritò possumus, an ille Dialogus fuerit scriptus ante Opera contra Origenem, an verò postea. Si enim scriptus fuerit contra gentiles, sine ulla mutatione opinionis pristinæ de Origenis erroribus, potuit argumenta ipsius contra Gentiles meritò laudare; & sic non erraverit Socrates, nisi in modo enarrandi facta, nimirum quod quasi palinodiæ attribueret, quæ* Methodius *justa ratione fecerat. Ita Socrates obtrectandi studio malè attribuit, quòd* Methodius *errores Origenis impugnare cœperit.* E

Opus de Libero arbitrio contra Valentinianos, & alia duo.

21 *Sequitur apud S. Hieronymum:* Et de αὐτεξουσίᾳ, de Libero arbitrio. *Extracta satis ampla hujus Operis dat Photius cod.* 136 *col.* 939. *Plura dedit Combefisius, credens totum penè Opusculum se edere ex tribus partibus. Prima pars antè edita erat à Meursio, secunda item in Bibliotheca Photii, tertiam habuit ex Ms. Sirmondi, ac in fine modicum addidit fragmentum ex Damasceno. Dialogus est contra Valentinianos hæreticos scriptus, qui interlocutores habet Orthodoxum & Valentinianum, ut latiùs videri potest apud Combefisium à pag.* 347. *Alia duo Opuscula* Methodii *Hieronymus subjungit hoc modo:* In Genesim quoque, & in Cantica Canticorum Commentarios; & multa alia *&c. Observat Allatius num.* 19, *Commentarios in Genesim olim laudatos fuisse nomine* Quæstionum in Genesim; *sed nulla asfert fragmenta alicujus momenti, uti nulla afferuntur ex Commentariis in Cantica.* F

Oratio de Symeone & Anna non est S. Methodii martyris,

22 *Præter jam dicta Combefisius edidit duas* S. Methodii *Orationes; priorem jam antè editam pag.* 396 *hoc titulo:* Methodii episcopi Patarensis & martyris de Symeone & Anna, quo die Domino in templo occurrerunt, ac de Sancta Deipara (*Græcè* εἰς τὴν ἁγίαν Θεοτόκον.) *Alterius pag.* 430 *titulus est:* Sancti patris nostri Methodii episcopi & martyris oratio in Ramos palmarum. *Priorem* S. Methodio *episcopo martyri etiam tribuit Fabricius in Bibliotheca Græca tom.* 5 *pag.* 257, *de altera dubitat. Tillemontius verò Notâ* 6 *in* Methodium *vehementer de utraque dubitat, & in eam inclinat sententiam, ut utramque recentiorem faciat. Henschenius noster, qui re minùs examinata, priorem laudaverat tom.* 1 *Februarii pag.* 268 *in Hypapante Domini, tamquam hujus* Methodii, *in Vita S. Methodii Constantinopolitani tom.* 2 *Junii pag.* 973 *eam* Methodio *nostro prorsus* ab-

A *abjudicat cum* Oudino. *Ego dubitare non possum, quin utraque sit composita aliquot seculis post* Methodium, *quandoquidem auctor iis utitur modis loquendi, qui invaluerunt post concilium Nicænum, & post Ephesinum, ut facilè perspiciet, quisquis antiquitatis bene peritus, eas attentè legere voluerit. Certè vox* ὁμοούσιος, *quâ aliquoties utitur Methodius ille, usitata non fuit ante concilium Nicænum; vox* Θεοτόκος, *quam similiter non solùm in titulo, sed in ipsa quoque oratione repetitis vicibus habet, solùm usui esse cœpit tempore concilii Ephesini. Verùm, ut brevis sim, dicere sufficiat, multas voces in illa Oratione reperiri, quas apud antiquiores Græcos non facilè reperias, totamque dictionem longè distare à nitore & puritate* Methodii *nostri; tantúmque accedere ad stylum Græcorum recentiorum, ut planè non videam, quomodo Allatius ullam styli similitudinem invenire potuerit inter orationem de Symeone & Anna & Symposium* Methodii *de Castitate.*

sed multò posteriùs composita:

23 *Habent tamen argumentum, quod ineluctabile credunt, qui illam Orationem* S. Methodio *martyri attribuere volunt, Combefisius & Allatius, quorum etiam opinioni subscripsit Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca tom.* 5 *pag.* 256. *Initium Orationis tale est, prout Latinè exprimitur apud Combefisium pag.* 396: Cùm olim, quantùm quidem breviter licuit, quæ de virginitate dicenda erant, in Symposiacis de Castitate (Græcè ἐν τοῖς περὶ ἁγνείας συμποσίοις in Symposiis *sive* conviviis de castitate) ceu jactis fundamentis abundè explicuerimus *&c. Credunt Combefisius & Allatius, clarè hic laudari* Symposium *olim à* Methodio *scriptum*, ut nullus sit dubitandi locus, *inquit Combefisius pag.* 469. *Verùm istud argumentum non tanti faciendum est, quanti illud æstimârunt laudati scriptores. Etenim materia de castitate & virginitate talis est, ut plurimi Patres de ea sæpiùs egerint; neque unus* Methodius *martyr castitatem & virginitatem multis laudibus celebrârit. Vox verò* συμπόσιον convivium *talis quoque est, ut pro sermone ad populum per metaphoram minimè ineptam adhiberi possit: nam Chrysostomus in Homiliis suis frequenter dicit, se* convivium exstruere *aut* mensam apponere. *Quapropter auctor illius Orationis ait, se jam in variis orationibus ad populum de virginitate breviter locutum esse. Hoc autem modo explicanda ipsius verba, liquet primo ex numero plurali, quo utitur* ἐν τοῖς συμποσίοις in conviviis, *cùm enim unum tantùm* Symposium *scripserit* S. Methodius *martyr, si illud indicare vellet auctor, diceret* ἐν συμποσίῳ, in Symposio, *non* in Sympositis. *Secundò auctor Orationis dicit, se* breviter *egisse de virginitate: at* Methodius *in Symposio prolixè admodùm de virginitate disputavit. Itaque ineptum est illud argumentum ad Orationem illam* Methodio *martyri adscribendam; cùm ipsa ab initio usque ad finem stylo, verbisque recentioribus, & accurato contra Arianos, Nestorianos, Eutychianosque loquendi modo, apertè clamet, se longè juniorem esse.*

AUCTORE J. S.

24 *De altera Oratione* in Ramos Palmarum, *quæ etiam Chrysostomo adscripta fuit, dixisse breviter sufficiat, non videri illam* Methodii *martyris. Edidit præterea Combefisius nonnulla Excerpta* Methodii, *uti & Allatius aliud quodpiam fragmentum. At ea levioris sunt momenti; nec plura afferuntur, quæ* Methodio *martyri meritò adscribi possunt. Nam legitur quidem* Apocalypsis *aliqua sub nomine Methodii; sed certò recentioris est. In bibliotheca regia Parisiensi habetur Homilia* in Præsentationem *adscripta* Methodio Patarensi, *ut habet Catalogus manuscriptorum in codice* 1194. *Similis tituli* in Præsentationem *homilia in codice* 1171, *qui dicitur esse seculi decimi, attribuitur cuidam Methodio* Myrorum *episcopo. Hanc minimè vidimus, & fortè eadem erit, quæ in altero codice tribuitur Patarensi, in altero verò Myrensi Methodio, de quo nihil præterea inveni. Ceterùm, si inscriptiones, quibus Opuscula in codicibus attribuuntur certis auctoribus, minùs frequenter aberrarent à vero, quàm revera aberrant maximè in codicibus, qui variorum simul scriptorum Opuscula exhibent, suspicarer post medium seculi* V *aut seculo* VI *floruisse aliquem Methodium Patarensem. Nam hic posset auctor esse Orationum, quæ* Methodio *martyri malè attribuuntur; & illius etiam occasione fieri potuisset, ut* Methodius *martyr à Græcis recentioribus* Patarensis *episcopus crederetur. Verùm toties fallunt tituli Opusculis præfixi in codicibus, ut ex illis solidum argumentum haberi nequeat. Ceterùm quæ de* S. Methodio *Patarensi dixerunt Græci in Fastis suis, videri possunt data ad* XX *Junii. An verò alter fuerit* Methodius *Olympensis & Tyrius, de quo nunc agitur; alter Patarensis, de quo ibi actum; mihi magis ambiguum videtur, quàm ut judicium meum interponere velim, aut pro distinctione contendere. Judicet ea de re studiosus lector, uti placuerit. Nam ego solùm de* Methodio *martyre egi, quia omnia non erant exposita ad* XX *Junii. Orationes verò, quæ Martyris non sunt, probabiliter attribuuntur Methodio patriarchæ Constantinopolitano, qui floruit seculo* IX, *& de quo apud nos actum ad* XIV *Junii.*

alia etiam S. Methodio martyri perperam attributa.

DE SS. SOPHIA ET IRENE MM.

EX FASTIS GRÆCIS ET ROMANIS.

J. S.

Hæ Martyres videntur distinctæ à synonymis.

DUas Martyres *sine titulo virginitatis Baronius in Martyrologio Romano hodie sic annuntiat:* Item sanctarum martyrum Sophiæ & Irenes. *Hasce acceptas à Græcis, indicat in Annotatis. Græci autem in Menologio Sirletiano ita habent*; Et commemoratio sanctarum mulierum Sophiæ & Irenæ. *Ne martyrii quidem titulus ibi exprimitur. At in Menæis impressis & martyrium asseritur, & genus mortis. Nam annuntiantur verbis Græcis, quæ consonant his Latinis:* Eodem die, memoria sanctarum martyrum mulierum Sophiæ & Irenes. *Deinde subjunguntur hi versiculi*

Ειρήνη καὶ Σοφία τμηθεῖσαι κάρας,
Σὲ τὸν ὑπὲρ νοῦν εἶδον ἐρχόμενον, Λόγε.

Irene & Sophia, abscissis capitibus,
Te, qui pax es intellectum superans, intuebantur, Verbum.

Nihil præterea de hisce Martyribus adjunctum invenio: neque illarum memoria est ad hunc diem in Menologio Basiliano & similiter abest à variis Gra-

AUCTORE J. S.

corum Faſtis apud nos Mss. Contrà in Ms. bibliothecæ Ambroſianæ habentur ad præcedentem diem, & illo die etiam memorantur in Menologio Sirletiano. Ceterùm nonnulla oriri poteſt ſuſpicio, eaſdem aliis etiam diebus à Græcis commemorari, quandoquidem ſine omni elogio hîc exhibentur, & in paucis ſolùm Faſtis. Verumtamen probabilius apparet, haſce Sanctas eſſe diſtinctas ab aliis ſynonymis, quæ variis anni diebus annuntiantur: quamvis enim ſingularum nomina ſæpiùs per annum recurrant, non ſimul tamen, tamquam ſociæ in martyrio, Sophia & Irene *aliis diebus commemorantur, ut ſimul annuntiantur hodiernæ. Plura non habeo addenda.* D

DE S. EUSTORGIO I, EPISC. CONF.

MEDIOLANI IN INSUBRIA,

C. S.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

§ I. Sancti memoria in variis Martyrologiis variè relata: ejus cultus, Miſſa & Officium: Vitæ, quarum nulla à nobis excudenda.

B

ANTE MEDIUM SECULI IV *Annuntiatur hoc præſertim die à multis,*

Duos hujus nominis ſanctos confeſſores inter epiſcopos ſuos celebrat eccleſia Mediolanenſis, quorum junior ſeculo VI *adoleſcente obiit, coliturque die* VI *Junii, ad quam Henſchenius & Papebrochius de eo paucis egerunt tom.* 1 *ejuſdem menſis, pag.* 643 *& ſequenti. Alter, à S. Athanaſio in Epiſtola ad epiſcopos Ægypti & Lybiæ, ſanctoque Ambroſio in Sermone contra Auxentium laudatus, duobus ſeculis prior eſt, & hac die* XVIII *Septembris, quâ obiiſſe creditur, annuâ memoriâ celebratur. De eo, ad hunc præſertim diem, agunt multa Martyrologia vetuſta & recentiora, luxato tamen ſæpe nomine, additiſque ipſi non rarò perperam ſociis & palmâ martyrii, aut eodem etiam nonnumquam in duos diſtracto. Hieronymianum vetuſtius, à Franciſco Florentinio editum, illum hoc die ſic annuntiat:* In Mediolano depoſitio S. Euſtorgi epiſcopi. *Rhinovienſe inter Hieronymiana contracta, edita à Sollerio tom.* VII *Junii corruptiùs habet:* Mediolanio, Eutropi epiſcopi. *Richenovienſe ibidem:* Mediolanio, Eutropii epiſcopi. *Auguſtanum S. Udalrici rectiùs ait:* Euſtorgii; *Labbeanum:* Euſtorgi.

C

quorum aliqui ipſum ut martyrem perperam memorant,

2 *In genuino Beda de eo nihil legitur; ſed inter ejuſdem auctaria in Opere noſtro ante tom.* 2 *Martii vulgata, Barberinianum apographum eodem die habet:* In Mediolano depoſitio S. Euſtorgii epiſcopi. *Attrebatenſe & Tornacenſe ibidem ipſum ad diem præcedentem perperam retulerunt, ubi aiunt:* In Mediolano depoſitio S. Euſtorgii. *Diem rectiùs cum ceteris aſſignat aliud Martyrologium, quod Bedæ nomen pariter præferens exſtat apud Martenium tom.* 6 *Ampliſſ. Collect., ubi col.* 646, *nomine nonnihil mutato, legitur:* S. Eoſtorgii epiſcopi. *De die conſentit etiam Rabbanus, ad eumdem ſic inquiens:* Mediolano depoſitio Euſtorgii epiſcopi. *Adone & Uſuardo de ipſo ſilentibus, multa hujus auctaria apud Sollerium meminerunt, è quibus tamen non pauci codices & editio Maxima Lubecana Uſuardino textui in fine malè adjecerunt:* Item ſanctorum Trophimi, Oceani & Euſtorgii; *quaſi hi omnes martyrium ſimul paſſi fuiſſent. Codex Hagenoyenſes, qui ipſis etiam alios anonymos adjungit, martyrii lauream diſertè adſcribit;* Ipſo die, *inquiens,* Paſſio ſanctorum martyrum Trophini, Oceani & Euſtorgii, & aliorum. *Codex Vaticanus addit Palæſtram* Nicomediæ, & Euſtorgium *appellat* epiſcopum.

E

3 *Verùm hi omnes codices à vero aberrârunt: certum enim eſt,* S. Euſtorgium, *qui hoc die colitur, Mediolanenſem epiſcopum eſſe, neque hunc martyrem, ſed* confeſſorem, *teſte S. Ambroſio, fuiſſe. Sed neque ad eamdem claſſem alios memoratos martyres ſpectare, videri poteſt apud Florentinium num.* 1 *laudatum. Editio Lubeco-Colonienſis propterea geminum* Euſtorgium *diſtinxit, unum epiſcopum, alterum martyrem, de utroque hac die ſic memorans:* Item Mediolani, natale S. Euſtorgii epiſcopi & confeſſoris. Hic corpora ſanctorum trium Magorum à Conſtantinopoli Mediolanum tranſvexit, & multis miraculis clarens, in pace quievit. Eodem die, SS. Trophimi, Oceani & Euſtorgii martyrum. *Eadem ferè habet Grevenus. In alium errorem impegit Petrus de Natalibus, qui Catalogo Sanctorum etiam duos* Euſtorgios *inſerunt, ambos epiſcopos, quorum unum lib.* XI, *cap. ultimo martyrem faciens, cum duobus ſociis ſuprà dictis breviter ſic annuntiavit:* Trophimus & Oceanus atque Euſtorgius epiſcopus paſſi ſunt martyrium XIV Cal. Octob. *Alterum epiſcopum Mediolanenſem lib.* 4, *cap.* 45 *confeſſorem rectè nominavit, ſed de ejuſdem obitûs die cum ceteris martyrologis minimè conſentiens, in fine Vitæ ſeu elogii ait:* Sanctus autem Euſtorgius in pontificem (*Mediolanenſem, ut præmiſerat*) conſecratus, poſt laudabilia ſanctitatis opera in Domino quievit Mediolani ſepultus III Idus Aprilis.

alii malè geminant, cùm hoc die

F

4 *Huic errori occaſionem dare potuit Euſtorgius presbyter, quem prætermiſit, qui eo Aprilis die paſſus dicitur in Martyrologiis Uſuardinis, ut ad eumdem diem videri poteſt apud nos tom.* 2 *Aprilis, pag.* 13. *Maurolycus tamen & Felicius tam hunc, quàm illum ad diem* XI *Aprilis retulerunt: ſed Epiſcopum Mediolanenſem ad* XVIII *Septembris ſpectare, Majores noſtri ibidem inter Prætermiſſos jam obſervârunt, & ex vetuſtioribus Martyrologiis conſtat,* S. Euſtorgium, *qui hodie annuntiatur, epiſcopum Mediolanenſem fuiſſe, nec martyrem, ſed confeſſorem; licèt aliqui ipſum vel ad alios dies retulerint, vel etiam geminârint. Quod pertinet ad ſanctorum trium Magorum corpora ab*

ſolus epiſcopus Mediolanenſis confeſſor colitur.

ipſo

A *ipso translata Mediolanum, infrà refutabimus. Multò rectiùs Belinus, omisso Eustorgio martyre, hoc die ait:* Eodem die, sancti Eustorgii episcopi & confessoris. *Rectè quoque in Martyrologio Ottoboniano à Dominico Georgio ad calcem Adoniani edito legitur:* Mediolano, depositio sancti Eustorgii episcopi. *Consonat Kalendarium Mediolanense 1, ab eodem ibidem vulgatum, quod singulari charactere, quo majora tantùm festa notantur, habet:* S. Eustorgii ep. Mediol. *Prætereo multa alia Martyrologia, duo dumtaxat additurus; unum Mediolanense à Petro Paulo Bosca editum, alterum Romanum Cardinalis Baronii. Horum primum hoc similiter die habet:* Mediolani S. Eustorgii I, episcopi, testimonio B. Ambrosii celebris, qui corpora sanctorum Regum magorum Mediolanum admirabiliter transtulit; *alterum, ut breviùs, ita rectiùs:* Mediolani, S. Eustorgii primi, episcopi, testimonio B. Ambrosii celebris.

Mediolani colitur

5 *Dubitare non possumus, quin* S. Eustorgii *cultus apud Mediolanenses suos antiquissimus sit, cùm ipse S. Ambrosius suprà laudatus, negans se ullam ecclesiam Arianis concessurum, ipsum inter sanctos sedis suæ episcopos recensuerit & glorioso* B confessoris *titulo condecoraverit, dicens:* Absit, ut tradam hereditatem patrum, hoc est, hereditatem Dionysii, qui in exilio fidei causâ defunctus est, hereditatem Eustorgii confessoris, hereditatem Miroclis, atque omnium retrò fidelium episcoporum. *Quo tamen tempore coli cœperit, incompertum mihi est: nam quod de ecclesia non admodùm diu post mortem ipsi exstructa & à S. Ambrosio eidem dicata, & ejus nomine ab eodem insignita passim aiunt Mediolanenses scriptores, solidis argumentis caret; quamquam fateri oporteat, eam ecclesiam, quæ adhuc supereſt & ejus corpus servare dicitur, admodum antiquam esse. Certiora sunt, quæ de ipsius ecclesiastico cultu, cujus initium nescimus, aliunde habemus. Exstant in Museo nostro Missale insigne ac duo Breviaria Ambrosiani ritus, in quibus ipsius festivitas Missâ & Officio peragenda hoc ipso die Septembris præscribitur. Missale illud, anno 1522 Mediolanensibus typis editum, Missam ejus exhibet, quam, quia pauca de eo habemus; censui hîc recensendum.*

Missâ annuâ

6 *Est itaque hujusmodi.* In sancti Eustorgii archiepiscopi Mediolani. SUPER POPULUM. Beati sacerdotis & confessoris tui Eustorgii nos, quæsumus, Domine, foveat pretiosa confessio, & pia C jugiter intercessio tueatur. Per. SUPER SYNDONEM. Vota populi tui, Domine, propitius intende, & cujus nos tribuis annua solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per. SUPER OBLATAM. Pro sancti confessoris tui Eustorgii commemoratione munera tibi, Domine, quæ debemus, exolvimus; presta, quæsumus, ut remedium nobis perpetuæ salutis operentur. Per. *Sequitur* PRÆFATIO, *cujus prima pars ex communi desumitur, deinde prosequitur:* Eterne Deus. Quando enim tibi sufficienter, Domine, referre gratias valeamus; qui ideo nos solemnitatibus martyrum atque confessorum frequenter exerces, ut & devotione continua fideles tuos incites ad profectum, & fragilitatem nostram piis intercessoribus benignus attollas. Et quæ propriis non meremur operibus, tibi placitis suffragatoribus impetremus. Inter quos debite pietatis obsequium sancto sacerdoti & confessori tuo Eustorgio exhibentes, potentiam tuam, Domine, cujus gratiâ talis extitit, predicamus; atque per eum nobis indulgentiam credimus non negandam. Per. POSTCOMMUNIO. Quesumus, omnipotens Deus, ut hodierne munus solemnitatis acceptum, & corporibus nostris salutem prestet & mentibus. Per. *Hactenus Missa.*

AUCTORE C.S.

7 *E duobus Breviariis, pariter Ambrosianis, vetustius anno 1539 Venetiis excusum, ad eumdem diem Officium de* S. Eustorgio *habet, sed totum ex communi confessoris pontificis præter duas orationes, quæ ferè eædem sunt cum duabus primis Missæ, quam dedimus. Aliud Breviarium à S. Carolo Borromæo editum, & à Federico Cardinale Borromæo & archiepiscopo Mediolanensi recognitum auctumque, impressum est Mediolani anno 1635. In eo hodie festum ejus* solemne *præscribitur cum Officio de communi præter duas orationes jam recensitas, & lectionem tertiam, quæ propria est. Notatur autem Breviarium hoc collatum fuisse cum edito à S. Carolo anno 1582, & in Calendario prævio calamo adscriptæ sunt mutationes à laudato Cardinale Federico factæ: unde discimus, utrobique idem* S. Eustorgii *Officium esse. Lectionem illam, quam postea examinabo, interim hîc recenseo.* Eustorgius è nobili familia in Græcia natus, præclaræ etiam pietatis nomine illustris, in Materni locum, qui eo tempore in Domino sanctè obierat, episcopus summa omnium voluntate creatur. Is præter alia multa religionis E monimenta, quibus ecclesiam sibi commissam ornavit, illud etiam est sempiternâ memoriâ dignum, quòd sacra Magorum corpora, jam inde usque ab urbe Constantinopoli, quò jam pridem è Parthia delata erant, Mediolanum admirabiliter transtulit, eorumque nomine basilicam extruxit, quæ postea Eustorgiana appellata est. Hæc atque alia cùm sanctè egisset, demum clara virtute episcopus, & testimonio S. Ambrosii laudatus, ac sanctitatis in primis, quàm miraculorum magnitudine Deus sæpe testatam fecit, laude clarus quievit in Domino decimoquarto Cal. Octobr. *Hactenus de Officiis Ambrosianis. Pro iis verò, qui Romanum ritum sequuntur, Eminentissimus Cæsar Cardinalis Montius, archiepiscopus Mediolanensis inter Officia propria suæ diœcesis, quæ anno 1642 edita habeo, ad eumdem diem Officium* S. Eustorgii *reposuit cum ritu duplici in sua propria basilica. Sumuntur autem omnia de Communi unius confessoris pontificis, præter lectionem jam datam. Oratio:* Deus, qui nos beati: *lectiones verò quinta & sexta ex Sermone S. Ambrosii de S. Eusebio:* Depositionem: *Missa* Statuit: *Euangelium:* Nemo F accendit, *& Homilia S. Gregorii Papæ, 28 Moral., cap. 6 circa finem:* Quid per oculum exprimitur, *pro lectionibus tertii Nocturni.*

Vita à Mombritio edita

8 *Vitam* S. Eustorgii *nostri sine nomine auctoris edidit Boninus Mombritius inter Acta Sanctorum tom. 1, cujus etiam exemplar aliquod mutilum habeo, nescio unde acceptum. Auctor, qui se nusquam indicat, in fine sic loquitur, acsi eam in ipsius Sancti festivitate pro concione dixisset.* Nos ergo, *inquit*, fratres carissimi, tanto Patri digna reddentes obsequia, exultemus omnes in Domino, & spirituali jucunditate lætemur, & beatissimi pontificis & patroni nostri Eustorgii sancta solemnia corde & animo celebrantes, tota nos ei fide ac devotione jugiter commendemus *&c. At quisquis is fuerit, ipsemet fatetur, sese à Sancti ætate longiùs abfuisse, nec monumenta litteraria consecutum esse, ex quibus ejusdem Vitam concinnaret. Sic enim loquitur:* Nec dubium, quin omnipotens Deus Electum suum, quem ante promotionem suam (*ad episcopatum Mediolanensem*) tam mirificè honorare dignatus est, celebriùs postea mirificaverit; licèt pauca de gestis ejus reperire possimus propter negligentiam præcedentium, qui

AUCTORE C. S.

cognita ſcribere, vel ſcripta aliquando perdita inſtaurare, cùm potuerint, neglexerunt.

recentioris auctoris eſt,

9 *Illum ſeculo* XII *antiquiorem non eſſe, ſuadent nomina Gaſparis, Balthaſaris & Melchioris, quibus tres ſanctos Magos, qui Chriſtum natum in Bethleëmiticis cunis adoraverunt, appellavit, & quibus ante tempora Frederici Ænobarbi à nullo Græco aut Latino ſcriptore nuncupatos legi affirmat Papebrochius in Ephimeridibus Græco-Moſcis ante tom.* I *Maji pag.* VIII. *Id ipſum confirmatur ex eo, quòd idem biographus de laudatis Magorum corporibus, quæ à* S. Euſtorgio *Conſtantinopoli Mediolanum adducta aſſerit, quæque idem Fredericus poſt medium dicti ſeculi Coloniam Agrippinam juſſit transferri, ſic loquatur, quaſi hæc ſuo tempore Mediolani non ampliùs quieſcerent. Ipſum audiamus.* Illic verò ſanctâ illâ arcâ compoſiti, ſancti Reges ſimul, major, medius & minor, quorum nomina Gaſpar, Balthaſar & Melchior, Mediolani die noctuque venerari & glorificari & dignè laudari ſolebant. *Scribunt quidem aliqui Mediolanenſes ſcriptores, corpora illa ante Frederici tempora diu latitâſſe, ideóque de ceſſatione cultûs eorum, ea de cauſa intermiſſi, locutus videri potuit*

B *biographus; ſed primum multùm eſt veriſimilius.*

neque edenda, uti nec aliæ,

10 *Porrò, ut ſuprà faſſus eſt, pauca ex Sancti geſtis didicit, eaque ipſa, quæ habet, cum ſana chronologia pugnant, nec admitti poſſunt, prout jam oſtendit Papebrochius in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus ante tom.* VII *Maji, & nos infrà probaturi ſumus. Eamdem Vitam tamquam recentiorem & variis vitiis inquinatam etiam Tillemontius rejecit tom.* 6 *Monument., Notâ* 8 *in Donatiſtas. Non lubet itaque recudere, præſertim cùm apud Mombritium legi poſſit, ideóque tantùm refutandi causâ geſta Sancti, quæ continet, in hoc Commentario recenſebo. Ad manum mihi eſt altera Vita Ms., Româ olim ad Majores meos tranſmiſſa à patre Matthæo Gerardelli, ſed prætermiſſis nomine auctoris, bibliothecâ & codice, unde deſumpta ſit. Initium ejus eſt:* S. Euſtorgius natione Græcus, archiepiſcopus decimus Mediolanenſis. *Quamquam autem hæc multò brevior ſit Mombritianâ, multò tamen etiam fabuloſior eſt; nec fermè niſi ex fabellis contexta, quas vel refellere piget. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 4, *cap.* 45 *brevem pariter Vitam exhibet, quam, quia ex mox memorata, vel huic*

C *ſimili compoſita eſt, eadem de cauſa præteribo.*

quæ paucis memorantur.

11 *Inter multas alias ejuſdem Sancti Vitas, quas varii recentiores præcipuè Mediolanenſes ſcripſerunt, Petrus Paulus Boſca in Annotatis ad Martyrologium Mediolanenſe laudat unam Ms. auctore Bonaventura Caſtillionæo, quam nondum editam intellexi. Clariſſimi hujus viri, qui præpoſitus inſignis eccleſiæ collegiatæ Ambroſianæ Mediolani obiit anno* 1555, *elogium habes apud Philippum Argelati tom.* I *Bibliothecæ Mediolanenſis, parte altera, col.* 348 *& ſequenti, ubi inter reliqua ejuſdem Opera recenſentur verbis Italicis* Vitæ undecim archiepiſcoporum Mediolanenſium (*inter quos* S. Euſtorgius *unus eſt*) prædeceſſorum S. Ambroſii. *Tum ſubdit Bibliothecæ auctor:* Ms. in 4 autograph. cod. ſign. L. num. 32. in bibliotheca metropolitana, & in archivo monach. S. Ambroſii cod. ſign. A. num 44. *Hujus Vitæ nullum exemplar, quod ſciam, habemus; neque exiſtimavi pro ea obtinenda laborandum mihi eſſe; cùm ejus ſcriptor recentior ſit, & ipſa ab aliis, qui res ſacras Mediolanenſes tractârunt, haud dubiè viſa. Prætereo multos alios ſcriptores, pariter recentiores, qui* S. Euſtorgii *noſtri Vitas ſeu elogia editis libris vulgârunt, quique cum* D *edita à Mombritio quoad ſubſtantiam conſentiunt.*

§ II. Tempus & ordo quo Sanctus epiſcopatum Mediolanenſem tenuit.

Sanctus ſedit Mediolani ſeculo IV.

P*Rinſquam pauca, quæ de* S. Euſtorgio I *perhibentur, diſcutiamus, opus eſt, ut ætatem, quâ floruit, ordinemque, quo in epiſcopatu Mediolanenſi ſucceſſit, indagemus; inde enim de reliquis facilius erit judicium. In primis ex teſtimonio S. Ambroſii, num.* 5 *recitato, indubitatum eſt,* Euſtorgium *noſtrum unum ex hujus deceſſoribus fuiſſe; cùm alter Euſtorgius II ex dictis floruerit primùm ſeculo* VI. *Id ipſum etiam manifeſtum eſt ex S. Athanaſii Epiſtola ad epiſcopos Ægypti & Lybiæ, quam alii anno* 361, *alii* 356 *ſcriptam putant, & in qua Sanctus ille* Euſtorgium *inter Catholicos epiſcopos & apoſtolicos viros, ſeu vivos ſeu defunctos, quos magno numero recenſuit, his verbis laudavit:* Itaque ſi quæ ſcribunt (*Ariani,*) ea ſcriberent orthodoxi, ut magnus & confeſſor Hoſius, & Maximinus Galliæ, aut ejus ſucceſſor, Philogonius & Euſtathius Orientis, vel Julius & Liberius Romæ epiſcopi,... Euſtorgius Italiæ,... aliique, qui idem ac illi ſentiunt; ſi, inquam, illi his eſſent ſimiles, nullus profectò in illorum ſcriptis eſſet ſuſpicionis locus: ſimplex enim ac candidum eſt virorum apoſtolicorum ingenium. E

Tempus ſedis SS. Materni,

13 *Eumdem ſeculo* IV *Mediolani ſediſſe, conſentiunt omnes tam catalogi epiſcoporum ejuſdem eccleſiæ, quàm ſcriptores, ſed de ordine; quo ſederit, non ita conveniunt. Papebrochius in Exegeſi ante tom.* VII *Maji ejuſmodi vetuſtum catalogum exhibet, deſcriptum ab Henſchenio ex Ms. bibliothecæ Ambroſianæ, in quo* S. Euſtorgius I *poſt Myroclem & Maternum, inter Protaſium & Dionyſium hoc modo recenſetur.*

Myrocles, ſedit annos XXII, depoſitus pridiè Kalendas Decembris, ad S. Victorem.

Maternus, ſedit annos XII, depoſitus XV Kalendas Auguſti, ad S. Naborem.

Protaſius, ſedit annos XXII, depoſitus VIII Kalendas Decembris, ad S. Victorem. F

Euſtorgius, ſedit annos XVII, depoſitus XIV Kalendas Octobris.

Dionyſius, ſedit annos XIV, depoſitus VIII Kalendas Junii.

Conſentit Catalogus ſimilis, à Joanne Mabillonio editus tom. I *Muſei Italici, pag.* 109 *& ſequentibus, præterquam quòd Protaſio annos* XXV *ſedis adſcribat. Mabillonii editioni conſonant duo alii catalogi, quos Muratorius tom.* 2 *Rerum Italicarum, à pag.* 228, *& tom.* 4, *à pag.* 141 *vulgavit. At verò Papebrochius ibidem clarè demonſtravit, non modò Maternum Myrocli, ſed etiam* Euſtorgium *Protaſio præponendum eſſe. Id autem hiſce rationibus evincit. Ex Actis S. Materni conſtat, hunc uſque in graviſſimam perſecutionem, à Diocletiano ac Maximiano motam, Mediolani ſediſſe.*

Myroclis

14 *Acta illa Cuperus noſter ad diem* XVIII *Julii illuſtravit, in quibus cùm etiam legatur:* Depoſitus eſt idem Chriſti confeſſor ſub Maximiano; *cúmque hic anno* 305 *imperio ſe abdicaverit, conſequenter mortem S. Materni initio ſeculi* IV *affixit. S. Myroclem, Conſtantino Magno*

im-

AUCTORE C. S.

A *imperante, Mediolanensem episcopum fuisse, probat idem Papebrochius ex Optati Milevitani lib.* 1 *ad Parmenianum, ubi dicitur concilio Romano, à Melchiade Papa in causa Donatistarum anno* 313 *habito, interfuisse. Verba Optati accipe.* Convenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino III & Licinio III coss., VI Nonas Octobris, die sexta feria. Cùm consedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Rheticius & Maternus & Marinus episcopi Gallicani, & Merocles à Mediolano *&c. Idem etiam concilio Arelatensi I anno sequenti celebrato, apud Labbeum tom.* 1 *Conciliorum, col.* 1429 *subscriptus legitur:* Merocles episcopus, Severus diaconus, de civitate Mediolanensi, provincia Italia. *Certum itaque est contrà ac catalogi faciunt, Maternum Myrocli præponendum esse.*

Protasii & Materni

15 *Nec magis dubia est ætas S. Protasii, quem anno* 345 *adfuisse colloquio, quod S. Athanasius cum imperatore Constante Mediolani habuit, Papebrochius ibidem num.* 13 *docet, laudans ejusdem S. Athanasii gesta, ad diem* 2 *Maji illustrata, num.* 166, *ubi id ex ipsius Apologia adductis verbis probaverat. Eumdem denique Protasium anno* 347 *epistolæ synodi Sardicensis ad Julium I Papam subscriptum legi observat apud Hilarium in fragmentis, quamvis corrupto nomine:* Partasius ab Italia de Mediolano. *Apud Labbeum tom.* 2 *Concil., col.* 659 *rectiùs legitur:* Protasius ab Italia, de Mediolano. *Et ibidem col.* 678 *inter eos, qui ejusdem synodi epistolæ ad omnes episcopos subscripserunt, iterum legitur* Protasius. *Sanctum denique Dionysium anno* 355 *è sede sua Mediolanensi in exsilium pulsum esse, docet Papebrochius tam in laudata Exegesi, quàm ad diem* XXV *Maji, ubi ejusdem gesta illustravit.*

B

S. Eustorgius non successit proximè Materno,

16 *Supereſt itaque, quo loco* S. Eustorgius *noster in episcoporum Mediolanensium seriem inserendus sit. In primis videtur is non longè à Diocletiani ac Maximiani temporibus amovendus: nam cùm S. Ambrosius verbis num.* 5 *datis ipsum glorioso* confessoris *titulo disertè honoret, oportet eum aliqua pro Christi fide tolerâsse; neque enim is titulus S. Ambrosii ætate aliis tribuebatur, quàm qui ea de causa aliquid passi fuissent. Hinc non incommodè inter SS. Maternum ac Myroclem statui posset, nisi S. Ambrosius ipsum iisdem verbis, quæ juverit repetiisse, Myrocli postposuisset;* Absit, *inquiens,* ut tradam hereditatem patrum, hoc est, hereditatem Dionysii, qui in exilio fidei causâ defunctus est, hereditatem Eustorgii confessoris, hereditatem Myroclis, atque omnium retrò fidelium episcoporum. *Præterea minuendus tunc esset annorum numerus, quibus* S. Eustorgius *sedisse dicitur in omnibus catalogis: nam septemdecim anni episcopatûs illius additi ad annum* 303, *circa quem S. Maternum obiisse diximus, deducunt nos ad annum* 320, *quo S. Myroclem jam aliquot annos sedisse constat; quippe qui anno* 313 *concilio Romano, annoque* 314 *Arelatensi interfuit. Dicemus quidem, errorem aliquem in annos Materni, Myroclis,* Eustorgii *aut Protasii irrepsisse, sed ut id in Sancti nostri annis factum esse propterea credamus, nihil nos urget, dissuadentque S. Ambrosii verba mox recitata.*

C

sed Myroclem inter & Protasium locandus est.

17 *Non magis verisimile est, quod habent laudati catalogi,* S. Eustorgium *Protasio proximè successisse ante Dionysium. Protasius enim ex dictis anno* 347 *adhuc in vivis erat, neque scitur, quamdiu supervixerit: Dionysius verò anno* 355 *in exsilium pulsus abiit. Hoc autem exiguum inter annos* 347 *&* 355 *medium spatium, à quo reliquum episcopatûs Protasii, & initium sedis Dionysii præterea demendum est, non modò cum septemdecim annis episcopatûs* S. Eustorgii *componi non potest, sed nec satis notabile tempus concedit, quo hic potuerit sedisse. Restat igitur, ut* Eustorgium *medium collocemus inter decessorem Myroclem & Protasium proximum successorem; dicamusque cum Papebrochio, eumdem honorificum confessoris titulum meruisse sub Maximiano, quando adhuc in minoribus Ordinibus ecclesiæ serviebat. Jam quod ad annos in catalogis assignatos attinet, certum est, in iis aliquem errorem cubare, si, ut faciendum probavimus, Maternus Myrocli præponatur; uti probat Papebrochius. Etenim si annos* 22 *Myrocli & totidem, vel etiam* 25, *ut habent alii Catalogi, Protasio tribuamus, &* Eustorgio 17, *habebimus annos* 61 *vel* 65, *quot scilicet inter annum* 303, *circa quem Maternus obiit, annumque* 355, *quo è sede sua pulsus est Dionysius, intercedere non potuerunt.*

Suspicio Papebrochii de annis sedis illorum.

18 *Hinc Papebrochius suspicatus est, cum inversione nominum episcoporum etiam annorum numerum inversum fuisse, atque adeò viginti duos annos Myroclis tribuendos esse Materno, & hujus duodecim Myrocli hoc modo:*

E

S. Maternus, sedit annos XXII, scilicet ab anno CCLXXXII ad CCCIII.

S. Myrocles, sedit annos XII, usque ad CCCXV.

S. Eustorgius, sedit annos XVII, usque ad CCCXXXI.

S. Protasius, sedit annos XXII, usque ad CCCLII.

S. Dionysius, sedit annos IV, usque ad CCCLV.

Nolo equidem totam hanc chronologiam adoptare, quæ suas patitur difficultates. Licet enim in catalogis certè aliquot anni abundent, ænigmatis tamen instar est edicere, an ii Myroclis, an Eustorgii, *an Protasii episcopatui subtrahendi sint. Id unum observo: si decennium Myrocli adimatur, non ampliùs laborabit chronotaxis, &* S. Eustorgius *tanto propiùs ad Maximiani tempora admovebitur. Quia tamen res, ut dixi, incerta est, malui mortem ejus cum annorum latitudine ante medium seculi* IV *annotare.*

Refellitur aliquorum sententia

19 *De ordine succedendi consentit etiam Tillemontius tom.* 6 *Monumentorum, in Historia Donatistarum art.* 13 *& Notâ* 8 *ad eamdem. Sunt tamen non pauci, qui ab hoc ordine recedunt, inter quos Carolus episcopus Novarienſis in Historia ecclesiæ Mediolanensis* S. Eustorgium *Materni proximum successorem facit, secutus, ut ipse ait, Tristanum, omnesque scriptores Mediolanenses. Præcipuum hujus argumentum est, quòd titulo* confessoris *à S. Ambrosio exornetur, ideòque non videatur dubium, quin in persecutione à Diocletiano ac Maximiano cœpta ac deinde continuata passus fuerit. Verùm id nihil evincit, cùm S. Ambrosius non dicat, ipsum jam episcopum fuisse, dum confessor fieri meritus est. Josephus Ripamontius lib.* 2 *Historiæ Mediolanensis, & Ferdinandus Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ, col.* 39 *&* 39 *sequentibus, Maternum Myrocli pariter præponunt, sed hunc inter &* Eustorgium *interserunt quemdam Prosium vel Orosium, quem circa annum* 314 *Myrocli suffectum volunt, laudantque concilium Arelatense eo anno habitum, ex cujus solius subscriptionibus eum notum esse fatentur.*

F

aliter opinantium.

20 *Fefellit illos vitiosum ejusdem concilii exemplar, quale editum observat Papebrochius in collectione Conciliorum Colonienſi anni* 1551 *sub titulo Concilii Arelatensis secundi (quod tamen idem cum primo est) in quo legitur:* Ex provincia Italiæ civitate Mediolanensi Orosius episcopus, Na-

AUCTORE C. S.

zaræus lector. *Sed errorem hunc correctum habes in accuratioribus ejusdem concilii editionibus per Labbeum & Harduinum, in quibus Myrocles seu Merocles verbis num.* 14 *recensitis tamquam episcopus Mediolanensis subscriptus legitur, ac deinde sequitur*: Oresius episcopus, Nazarius lector de civitate Massilienſi, provincia Viennensi. *Hinc meritò monet Papebrochius, Orosium illum tabulæ episcoporum ex decreto concilii* IV *Mediolanensis sub S. Carolo Borromæo editæ perperam insertum, ex eaque eradendum esse. Non magis notus, nec Mediolanensibus episcopis accensendus est Julius, quem duo laudati scriptores* S. Eustorgii *proximum successorem faciunt ante Protasium, nixi concilio Romano, quod anno* 337 *sub Julio Papa celebratum perhibetur, & in quo varii episcopi cum* Julio Mediolanensi episcopo *fuisse dicuntur. Sed illa synodus ab eruditis criticis in multis vitiosa aut penitus supposititia reputatur. Vide Tillemontium suprà citatum, & Pagium in Critica Baronii ad annum Christi* 337, *num.* 10.

B

§ III. Examinantur, quæ de Sancti patria, professione in seculo, modo episcopatus aditi, & translatis per ipsum sanctorum Magorum corporibus, perperam perhibentur: jacet in ecclesia sui nominis.

Quæ de ipsius patria, professione in seculo,

Vita à Mombritio edita S. Eustorgium *natione Græcum, patriâ Constantinopolitanum facit his verbis*: Fuit apud Constantinopolim urbem ante tempus B. Ambrosii, Mediolanensis archiepiscopi, vir Christianissimus, nomine Eustorgius, natione Græcus, patriâ Constantinopolitanus, nobilis genere, sed nobilior moribus, scientiâ quoque inter omnes eruditissimus. *Natione Græcum fuisse, etiam ceteri, qui de eo scripserunt, consentiunt, quibus favet ipsum nomen* Eustorgius. *Verùm Constantinopoli natum fuisse, credi non sinit ejusdem urbis à Constantino Magno conditæ, annoque* 330 *primùm dedicatæ epocha, collata cum iis, quæ de Sancti episcopatûs tempore suprà disseruimus. Posset quidem scriptor per prolepsim explicari, sic ut ipsum natum voluerit Byzantii, ubi Constantinopolis postmodum condita est; sed recentior, minúsque accuratus est, quàm ut de ejusdem assertis exponendis laboremus. Idem biographus* S. Eustorgium *plurimùm commendat tum ab aliis virtutibus, tum à singulari in suggerendis consiliis prudentia, ob quas ipsum imperatori, quem non nominat, in primis carum fuisse affirmat. Deinde occasionem, modumque, quo ad episcopatum Mediolanensem ipse adhuc laïcus evectus est, exponit verbis, quæ huc transfero.*

C

legatione, & modo aditi episcopatus

22 Factum est autem, Domino disponente, ut Virum hunc imperator in Italiam ad partes Lyguriæ, quæ nunc Lombardia dicitur, legatum transmitteret. Qui Mediolanum, ipsius provinciæ metropolim, directè veniens, à populo Mediolanensi honorificè, sicuti dignum fuit, susceptus est. Ibi verò dum commissæ sibi legationis officium clementer exequeretur, pòst aliquamdiu moratus, in tantam devenit gratiam & favorem cleri ac populi, quòd mortuo tunc sancto Dei viro Prothasio, octavo illius civitatis episcopo, non alium nisi ipsum eligerent, consyderantes Viri probitatem eximiam, & Dei gratiam, quæ mira refulgebat in eo; necnon Christianissimi domini suri imperatoris debitam reverentiam *&c. Post hæc* S. Eustorgium *multis reluctantem inducit, ac tandem precibus victum, Constantinopolim cum legatis Mediolanensium redeuntem, ut imperatoris consensum expeteret, quem facilè impetravit. Mediolanenses scriptores de hisce consentiunt, & eorum aliqui tradunt, illum militiam professum esse: Puccinellus in Zodiaco ecclesiæ Mediolanensis parte* 2 *addit, eumdem in quodam bello ducis partibus strenuè functum fuisse. Verùm illi omnes eâdem similive Vitâ nituntur, cujus subleſtam fidem esse monuimus, & ex hoc etiam loco satis liquet.*

D

à variis referuntur,

23 *Imperatorem, cujus biographus sine nomine meminit, Constantinum Magnum fuisse, ceteri laudati scriptores affirmant; nec sanè alius potuit verisimilius assignari; cùm præter hunc nullus Constantinopoli simul & Mediolano imperaverit ante Constantium versùs finem anni* 352, *ut observat Tillemontius Notâ* 8 *in Donatistas. Sub Constantio ea fieri non potuisse, ex suprà dictis indubitatum est. Sedebat enim tum Mediolani S. Dionysius,* Eustorgii *post Protasium successor. Sed neque ad Constantini imperium eadem possunt referri in sententia biographi, qui* S. Eustorgium *successorem facit Protasii, quem anno* 345, *ideóque diu post Constantini mortem, anno* 337 *defuncti, sedisse probavimus num.* 15. *Adde, quòd secundùm saniorem episcoporum Mediolanensium chronologiam Constantinopolis nondum condita esset, dum* S. Eustorgius *episcopatu initiatus est. Hinc non possunt non admodùm suspecta mihi esse, nec non fabulosa videri, quæcumque biographus ille, & post eum ceteri recentiores de* S. Eustorgii *legatione ejusdemque ad sedem Mediolanensem electione tam affirmatè tradiderunt; quæque eorum prior fortasse cùm de gestis ipsius nihil certi haberet, nec sciret, quo modo Græcus ad illum episcopatum perveniſſet, ex simili electione S. Ambrosii confinxit.*

E

fabulosa sunt aut incerta.

24 *Ex eadem S. Ambrosii Vita mutuatum existimo, quod habet Puccinellus in Zodiaco, ubi ait; dum* S. Eustorgius *in sui electionem consentire recusaret, angelum exclamâsse*: Solus Eustorgius inter vos dignus muneris pastoralis. *Legerat is scilicet, puerum simile quid clamaviſſe, dum S. Ambrosius oblatum à populo episcopatum suscipere nolebat. Joannes Franciscus Besozzo in Historia pontificali Mediolanensi, vel qui eam ampliavit, Melchior Riva,* § XI *aliam aditi episcopatus causam allegat. Ait siquidem,* S. Eustorgium *à Constantino imperatore unà cum Nicænis patribus ad Silvestrum Pontificem Romam missum, ut concilium Nicænum confirmaret, eidem Pontifici familiarem evasisse, eaque ratione & communi omnium consensu ad Mediolanensem insulam admotum esse. Ita quidem ipsi, sed nullum auctorem, nullum monumentum laudantes. Rectiùs Breviarii Ambrosiani auctor, legatione ceteriſque prætermissis, in lectione* 3 *tantùm posuit*: Eustorgius è nobili familia in Græcia natus, præclaræ etiam pietatis nomine illustris, in Materni (*imò Myroclis*) locum, qui eo tempore in Domino sanctè obierat, episcopus summa omnium voluntate creatur.

F

Corpora sanctorum trium Magorum

25 *Non magis admitti possunt, quæ de sacris corporibus trium Magorum, qui Christum natum in Bethlehem adorârunt, ab eodem sancto Episcopo Constantinopoli Mediolanum translatis idem biographus, & ceteri omnes Mediolanenses scriptores magno consensu narrârunt. Juverit ipsa biographi ver-*

A *verba hîc retuliſſe. Poſtquam is dixit, imperatorem in electionem* S. Euſtorgii *conſenſiſſe, hunc deinde loquentem inducens, ita progreditur:* Sed audi, quæſo, Chriſtianiſſime domine ſemper Auguſte, jube de Dei & tuis ſacris, quæ voluero, mecum deferri, & ad devotam urbem Mediolanenſem & ejus ſanctam eccleſiam ſacris reliquiis honorandam tranſportari, populumque tibi ſubjectum digna mercede remuneres. Ad quem imperator, Quæ velis, inquit, ſume, accipe, ferto. Eſto, ſicut es: & ſi fieri poteſt, melior efficiaris. Populum meum ſaluta, & abhinc eum ab omni tributo abſolve. Confortatus itaque & diſcedens Euſtorgius, præelegit arcam marmoream ſanctam & ſacratiſſimam, ſanctorum trium Magorum & regum corpora continentem accipere, qui tria munera aurum, thus & myrrham nato in terris Dei Filio Chriſto Domino obtulerunt. Quæ ſiquidem de diverſis terrarum partibus olim à beata regina Helena, genitrice Conſtantini imperatoris, in unum ſtudiosè collecta ſunt, & in eadem arca cum devotione recondita.

Conſtantinopoli Mediolanum

26 Hanc autem ſuperelevatam, divino auxilio comitivâ adjutus, tanto proficiſcens itinere, terrâ marique, multiſque laborans vigiliis & orationibus, fide plenus ad memoratam urbem uſque deduxit. Itaque in celebri loco, ubi in diebus ſuis in honore Dei & ipſorum honorabilis eſt fabricata eccleſia, eandem arcam cum ſanctorum Regum corporibus honeſtiſſimè collocavit; ubi videlicet eſt fons celeber & ſanctiſſimus, in quo baptizabantur ſancti ad Chriſti fidem venientes, cujus aqua ſalubris pro meritis in ea baptizatorum & magna fide credentium, tantam fertur olim divinitus accepiſſe virtutem, ut nonnulli febricitantes, cùm ex ea biberent, à ſuis citò liberarentur febribus, & priſtinam reciperent ſanitatem. Illic verò ſanctâ illâ arcâ compoſitâ, ſancti reges ſimul, major, medius & minor, quorum nomina Gaſpar, Balthaſar & Melchior, Mediolani die noctuque venerari & glorificari & dignè laudari ſolebant. *Hactenus biographus, cui Breviarium noſtrum Ambroſianum conſonat his verbis:* Præter alia multa religionis monimenta, quibus eccleſiam ſibi commiſſam ornavit, illud etiam eſt ſempiternâ memoriâ dignum, quòd ſacra Magorum corpora, jam inde uſque ab urbe Conſtantinopoli, quo jam pridem à Parthia delata erant, Mediolanum admirabiliter

C tranſtulit, eorumque nomine baſilicam extruxit, quæ poſtea Euſtorgiana appellata eſt.

tranſtuliſſe dicitur, quam tranſlationem

27 *Mediolanenſes ſcriptores eamdem tranſlationem, ut dixi, unanimiter tradunt, eamque novo quodam prodigio, quod tamen alii aliter referunt, exornare conantur. Paulus Morigia lib. 2 Hiſtoriæ Mediolanenſis, cap. 10, & Placidus Puccinellus in Zodiaco parte 2 in* S. Euſtorgio *volunt, lupum, qui unum è bobus, qui ſacram arcam vehebant, non procul Mediolano occiderat, à* S. Euſtorgio *juſſum in jugum ſuccedere, mirabiliter paruiſſe. Subdunt, eamdem arcam, cùm ad fontem S. Barnabæ ventum eſſet, tanto pondere preſſam ſubſtitiſſe, ut inde amoveri nequierit, ideóque ibidem depoſitam veluti in loco divinitus deſignato, & ædificatâ eccleſiâ honoratam eſſe. Contrà Ripamontius lib. 2 Hiſt. Mediol. de eodem prætenſo miraculò ſcripſit ſequentia.* In quibuſdam Annalibus invenio, cùm ea tria Magorum corpora Mediolanum adveherentur, haud procul ab urbe quemdam admirabilem caſum incidiſſe, de quo referam, prout accepi. Cùm unus è bobus, qui trahebant arcam, labori fortè ſuccubuiſſet, nec reliquæ deinde belluæ ſufficerent oneri, ſubitò perer-

rans arva lupus, obtulit ſeſe, eumque miniſtri cicurem & quaſi volentem adjunxere jugo; atque ita peregrinum illud animal effuſæ ad videndum civitati novi obſequii ſpectaculum præbuit. AUCTORE C. S.

28 Incredibilis dictu res, vel fortaſſe etiam ejuſmodi, quam ſeveri homines haud ſatis hiſtoriâ dignam putent! Sed ego non referrem, niſi acceſſiſſem ad columnam, quæ in ipſius Euſtorgii baſilica totius eventi ſculptam effigiem oſtendit, & niſi vicus, quem inde Vaccam appellavere, miraculi monumentum eſſet. *Ita Ripamontius, qui de arca mirabili pondere preſſa ad fontem S. Barnabæ, ibidemque depoſita etiam conſentit. At mihi nec columna illa, cujus ætatem non edicit Ripamontius, nec vicus* Vacca *dictus, iſtud lupi prodigium aut trium Magorum tranſlationem à* S. Euſtorgio *noſtro factam perſuadebit. Nolim equidem negare, ſacra illorum corpora Mediolani olim quieviſſe, unde ea poſt medium ſeculi* XII *ſub Frederico I imperatore Coloniam Agrippinam tranſlata fuiſſe, inter alios ſcribit Guilielmus Neubrigenſis, ejus temporis ſuppar hiſtoricus lib. 2 de Rebus Anglicis, cap.* 8. *Neque inquiro, utrùm hic ibidem rectè ſcripſerit:* Nec notum eſt, à quibus perſonis ſacræ illorum (*Magorum*) reliquiæ illuc (*Mediolanum*) delatæ, ibique repoſitæ fuerint. *Sed quidquid de hiſce omnibus ſit, eadem à* S. Euſtorgio *Mediolanum tranſlata non eſſe, perſuadere debet altum de iiſdem ſilentium S. Ambroſii, uti Papebrochius in ſæpe laudata Exegeſi num.* 16 *obſervavit.* *alii aliis adjunctis exornant;* E.

19 *Etenim cùm S. Ambroſius lib. 2 Expoſitionis Euangelii ſecundùm Lucam Magorum ad Chriſti incunabula adventum expoſuerit; quæque Lucas prætermiſerat, ex Matthæo ſtudiosè adjecerit, ne vel verbo tamen de illorum corporibus in urbe ſua quieſcentibus meminit. Quam verò hujus ſilentii cauſam eſſe putemus, niſi quòd ejus tempore ibidem minimè quieſcerent, aut ſaltem à* S. Euſtorgio *eòdem delata non fuiſſent: neque enim id ignorare potuiſſet Ambroſius, qui* S. Euſtorgio *eodem ſeculo, tribus tantùm intermediis, ſcilicet SS. Protaſio ac Dionyſio, & Auxentio Ariano, in Mediolanenſem cathedram ſucceſſerat. Nec uſquam alibi in operibus S. Ambroſii eorumdem corporum fit mentio; quamquam de ipſis ſanctis Magis, ſeu hiſtoria eorum, non ſemel loquatur. Contrà verò eadem tranſlatio,* per S. Euſtorgium *facta, fabulosâ Vitâ nititur, cui recentior ſcriptoris ætas, nihil auctoritatis ipſi addere poteſt, & inepta narratio non poteſt non ſuſpectam facere.* *ſed nec hanc* F

30 *Adde, quòd idem ille biographus, qui de recta chronotaxi parùm fuit ſollicitus, ſatis inſinuet, epiſcopum, qui ſacra illa pignora Mediolanum tranſtulit, ab ætate Conſtantini & Helenæ longiùs abfuiſſe, quàm abfuerit* Euſtorgius, *qui ipſis convixit. Ait enim:* Quæ ſiquidem (*corpora*) de diverſis terrarum patribus olim à beata regina Helena, genitrice Conſtantini imperatoris in unum ſtudiosè collecta ſunt, & in eadem arca cum devotione recondita. *Vides hîc, ſtudiosè lector, biographum aſſerere, corpora illa à S. Helena olim collecta atque in ea arca depoſita fuiſſe; & non obſcurè diſtinguere inter Conſtantinum, eumque imperatorem, à quo memorata corpora* Euſtorgio *data eſſe perſuadere conatur. Atqui tamen ex ætate* Euſtorgii *certum eſt, ipſum eadem cum iis adjunctis à nullo alio imperatore, quàm à Conſtantino accipere potuiſſe. Mitto alia, quæ adversùs prætenſam tranſlationem pariter militant. Ceterùm Papebrochii conjecturæ de eodem argumen-* *ab ipſo factam eſſe oſtenditur.*

AUCTORE C. S.

to videri possunt tum in laudata Exegesi, num. 22 & 23, tum in Sylloge de S. Eustorgio II ad diem VI *Junii.*

Incertum etiam est, quo tempore structa sit ecclesia.

31 *Ex dictis collige, quid censendum sit de ecclesia, quam ea occasione tribus sanctis Magis à* S. Eustorgio *nostro ædificatam, ac deinde Eustorgianam dictam esse volunt. Biographus circa finem Vitæ de ea sic loquitur:* Sepultus est autem B. Eustorgius in venerabili sanctorum Regum ecclesia, in ipsius honore & nomine postmodùm constituta. *His verbis satis agnoscit, eam ecclesiam, ab alio, quàm ab ipso sancto Episcopo conditam fuisse; nisi voce* constituta *pro* dedicata *usus fuerit. Ripamontius lib.* 2 *asserit,* Eustorgium cellam *saeris istis lipsanis asservandis exstruxisse, quæ deinde in ecclesiam ampliata fuerit, sanctique Ambrosii tempore* Eustorgiana *appellari primùm cœperit.* Eustorgius, *inquit,* eo in loco cellam ædificavit, ibique corpora trium Magorum condidit. Hæc est illa cella, quam postea ipsimet Eustorgio dicatam religio & opulentia consecuti temporis mirificam in amplitudinem & laxitatem extulere. Usque in divi Ambrosii tempora basilica Regum dicta est; ipse novo nomine superindito

B veterem appellationem antiquavit, & instituit ibi canonicorum ordinem, quos multò pòst Henricus Septalius in Laurentiani templi ministeria cultumque descripsit, cùm basilicam ipsam Dominicanis fratribus attribuisset.

32 *Similia habent passim alii Mediolanenses scriptores; sed nullus eorum vetus aliquod instrumentum producit, ex quo constet, Eustorgianam ecclesiam tempore S. Ambrosii jam exstitisse: imò verò cùm ex dictis certum videatur, sacra Magorum corpora ejusdem tempore Mediolani non fuisse, liquet, quàm incertis monumentis nitantur, dum eorumdem Sanctorum ecclesiam, antiquato Regum nomine, Eustorgianam appellari per S. Ambrosium cœpisse affirmant. Porrò quocumque tempore ea condita fuerit, jam ab aliquot seculis à patribus Dominicanis, adjecto insigni monasterio possidetur, in eaque* S. Eustorgii *corpus honoratur, prout inter alios multos scribit Franciscus Orlendius tom.* 1 *Orbis sacri & profani, part.* 2, *lib.* 2, *cap.* 5, *num.* 6, *ubi ait:* In vetustissimo ac nitidissimo S. Eustorgii templo, quod FF. Ordinis Prædicatorum nunc possident, nobilissimo illic cœnobio constructo, quiescit ejusdem sancti Archiepiscopi corpus. *Porrò præter jam discussa nihil de eo habet biographus, præter elogium, quo episcopales ipsius virtutes generaliter laudat, & quibus eumdem emicuisse non dubitamus. Diem ejus emortualem sic indicat:* Denique cursu suo feliciter consummato, in pace obdormiens requievit E quartodecimo Calendas Octobres. *Successorem ejusdem nominat* S. Dionysium; *sed perperam, ut suprà probatum est.*

D *in qua ejus corpus quiescit. Dies obitus ejus &c.*

DE S. SINERIO EPISC. CONF.

ABRINCIS IN HODIERNA NORMANNIA.

J. S.

SYLLOGE.

De cultu, gestis, distinctione à S. Severo, & reliquiis.

CIRCA DLXX AUT DLXXX. *Sanctus in Fastis recentioribus memoratus,* C

Posteriorum seculorum martyrologi ad hunc diem commemorant S. Sinerium, *aut* Senerium, *vulgò* S. Sinier, *quem etiam* Senatorem *dictum aliqui asserunt, Abrincensem in Normannia Inferiori episcopum, de quo dubitari potest, an idem non sit cum* S. Severo, *ejusdem civitatis præsule, cujus Vita apud nos data ad* 1 *Februarii. Grevenus* S. Sinerium *annuntiat sine loco expresso:* Synerii episcopi & confessoris. *Clariùs Molanus his verbis:* Apud Abrincas, depositio sancti Sinerii, ejusdem civitatis episcopi & confessoris. *Codex Hagenoyensis, scriptus anno* 1412, *eumdem ita exprimit:* In pago Castina, sancti Severii confessoris, viri sanctitate mirabilis & præclari. *Pro* Castina *scribendum fuit* Constantino *aut* Constantiensi. *Nam civitas Abrincensis est in pago Constantiensi, vulgò* le Coutantin, *& in eodem verisimiliter erat Sesiacum monasterium, ubi sepultus fuit, ut videbimus. Galesinius, Ferrarius, & Canisius* Abrincis *cum Molano* S. Sinerium *annuntiant. Saussayus de more longius texuit elogium, quod sic orditur:* Abrincis sub Rotomagensi metropoli, S. Severii, ejusdem civitatis episcopi & confessoris, qui à pueritia sua signis futuræ sanctitatis enitens, suavi Christi jugo sese pio affectu mancipavit. *Cetera mitto, ex Breviariis uberiùs danda. Demum Castellanus in Martyrologio Universali* Abrincis *eumdem annuntiat Sanctum vulgari nomine Gallico* Sinier, *notatque in margine Latinè vocari* Senatorem. *Quæ addit de reliquiis, dabuntur inferiùs.*

2 *In Officiis propriis ecclesiæ Abrincensis, anno* 1635 *impressis, Officium de* S. Sinerio *ad hunc diem præscribitur celebrandum, ut duplex secundæ classis. Omnia verò dicuntur de communi confessoris pontificis præter lectionem quartam, quæ talis est:* Sanctorum patrum memorias religiosis conventibus honorantes, fratres charissimi, & propria eorum merita, & munera in eis divina miremur. Quæ quanta in beato Senerio utraque fuerint, non est tacendum. Qui à pueritia famulatui divino mancipatus, & in continentia, & castissimis institutionibus enutritus, ad summa merita pervenit; & propter eminentes virtutes dignus sancti Paterni Abrincensis episcopi successor extitit. Et tantâ miraculorum gratiâ præditus fuit, ut non solùm febrium ardores sedare, sed surdis auditum, mutis sermonem, cæcis visum restituisse, & plurimas infirmitates curâsse constanti memoria feratur. Sicque meritis clarus & miraculis, evectus est in cælum.

cultusque hoc die in ecclesia Abrincensi F

3 *Officium* S. Sinerii *eodem die celebratur in ecclesia Rotomagensi, habeturque in Breviariis seculi* XVI, XVII *& demum in Breviario hujus seculi, quod anno* 1736 *impressum est. In Breviario anni* 1627 *hæc ponitur Legenda:* Sinerius, qui

& Rotomagensi,

&

AUCTORE J. S.

A & Senator, poſt Paternum virum ſanctiſſimum, Abrincenſem rexit eccleſiam. Is à pueritia piiſſimis moribus inſtitutus, ita in epiſcopatu ſe geſſit, ut cujus munus exceperat, famam quoque meritis adæquaret. Miraculorum laude illuſtris, cuidam ex diuturno febris æſtu ſurdo & muto effecto, olei ſacri infuſione aurium & linguæ facultatem reſtituit. Ejus præterea oratione cæco nato lumen divinitus redditum eſt, ac nefarii ſpiritus ex oppreſſis corporibus effugati ſunt. His atque aliis mirabiliter editis, apud Siſiacum monaſterium migravit è vita. In cujus morte cæleſtem angelorum concentum monachi audierunt. Sepultus eſt ibidem juxta ſanctorum Paterni & Scubilionis corpora decimoquarto Kalendas Octobris. Illius reliquiæ Rothomagum aliquando delatæ, in eccleſia majori honeſto loco aſſervantur. *Eadem leguntur in Breviario anni 1736, exceptis miraculis, quæ ibidem ſingillatim non enarrantur, ſed verbo generatim perſtringuntur.*

laudatur elogio, in quo geſta ejus

4 *In Breviario Rotomagenſi, impreſſo anno 1578, novem ponuntur lectiones perbreves, quas continua oratione huc transfero:* Fuit in Conſtantini pago vir quidam, Synerius nomine. Hic à pueritia ſua

B in ſervitio Domini cum omni continentia & caſtiſſimis inſtitutionibus emicans, ad ſumma merita pervenit. Ita denique myſtica apparuit converſatione præcipuus, ut ſancto Paterno prædeceſſori ſuo honore ſuccederet, meritis coæquaretur. Ubi dum ipſum gregem cuſtodivit ſolertia paſtorali, contigit, ut quidam homo, Abricenſis dioceſis indigena, nimio febrium fervore teneretur, ita ut ſurdus permaneret & mutus. Igitur diaconus ex illa civitate Romam directus eſt, ut beatorum Apoſtolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum, qui illam urbem muniunt, adiret. Hoc dum ad parentes illius infirmi deveniſſet, rogant, ut eum comitem ſui itineris ſuſcipere dignaretur, confiſi quòd, ſi beatorum Apoſtolorum adiret ſepulcra, protinus poſſet aſſequi medicinam. Euntes autem illi, venerunt ad locum, ubi beatus Synerius habitabat. Quo ſalutato ac deoſculato, cauſas itineris pandunt. Cúmque ibi adhuc morarentur, ſenſit beatus Synerius per Spiritum Domini adeſſe virtutem. Et ait diacono: Infirmum; qui comes eſt itineris tui, rogo, ut meis conſpectibus repræſentes. At ille nihil moratus, velociter ad ægrum vadit, invenitque infirmum

C plenum febre: apprehenſumque eum duxit ad Sanctum Dei. Ille autem, apprehenſa manu infirmi, contraxit eum ad ſe, aſſumptumque oleum benedictione ſua ſanctificatum, linguæ ejus verticique capitis ejus infundit, dicens: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti aperiantur aures tuæ; reſeretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo & muto noxium ejecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogabat nomen ejus. Ille verò clara voce nomen ſuum protulit, & ſtatim factus eſt æger ſanus.

& miracula referuntur.

5 Poſt hæc cuidam nato cæco, qui in monaſterio jam tribus menſibus degerat, ait beatus Synerius: Vis recipere viſum? Cui cæcus: Volo incognita cognoſcere: nam quid eſt lux, ignoro. Unum tamen ſcio, quòd ab hominibus collaudatur. Tunc beatus Synerius benedicto oleo crucem ſuper oculos ejus faciens, ait: In nomine Redemptoris noſtri aperiantur oculi tui: & ſtatim aperti ſunt oculi ejus. Poſtea quædam mulier, tria habens in ſe dæmonia, ad eum deducta eſt. Quam cùm ſacro tactu tetigiſſet, atque oleo ſacro ſignum Chriſti in fronte ejus impoſuiſſet, ejectis dæmonibus, purgata diſceſſit. Sed & aliam puellam, à ſpiritu immundo vexatam, benedictione ei donata ſanavit. Alio quoque tempore quandam puellam, cujus obſcæna corporis ita ex omni parte putruerant, ut, conſumptis carnibus, interiora quæque & ſecreta naturæ nudarentur, perungens oleo benedicto, ita ſanam reddidit, ut mulieribus in ea naturæ nulla deformitas, nullaque ſpecies infirmitatis appareret. Perfectis itaque omnibus virtutibus, quas per eum Dominus fecit: conſtructiſque ac munitis juxta exemplum ſuæ converſationis ab eo Catholicæ eccleſiis, perfecta jam vita & ætate, ſua fœlix anima cum hymnis atque angelicis choris quartodecimo Kalendas Octobris feliciter perrexit ad Chriſtum. *Hactenus Breviarium anni 1578, in quo nihil de loco ſepulturæ, nihil de corporis tranſlatione, nihil de altero nomine, quo etiam* Senatorem *dictum neoterici quidam aſſerunt.*

Nonnemo dubitavit, an S. Sinerius diſtinctus ſit à S. Severo Abrincenſi,

E

6 *Porrò cùm plura non inveniam de geſtis* S. Sinerii, *conſiderare lubet, an ſatis certò diſtinguatur à S. Severo, epiſcopo item Abrincenſi, de quo actum eſt ad 1 Februarii. Illos diſtinguunt Abrincenſes & Rotomagenſes: nam ambos colunt diebus diverſis, & ut Sanctos diſtinctos,* Sinerium *utrique hoc die, Severum Abrincenſes die* VII *Julii, Rotomagenſes die 1 Februarii. Illos ſimiliter diſtinxerunt, qui ſcripſerunt de epiſcopis Abrincenſibus, videlicet Demochares, Chenu, Claudius Robertus, Sammarthani fratres, faciuntque Severum* Senerii *aut* Sinerii *ſucceſſorem. Cointius utrumque etiam admittit, ſed poſt Majores noſtros Severum credit* Sinerio *antiquiorem. De diſtinctione tamen dubitat Claudius Caſtellanus in Martyrologio Univerſali, ubi pag. 893 inter Æmeros de S. Severo ambiguè differit, ſuſpicaturque non eſſe alium à* S. Sinerio, *quòd nomen utriuſque idem ferè ſit, ac facilè ex* Senerio *in* Severum *mutari potuerit. Magis tamen credit, Severum non fuiſſe epiſcopum Abrincenſem,* quia Cointius, *inquit,* ſecundum antiquiores catalogos ſucceſſorum S. Sinerii ſine alio intermedio facit venerabilem Leobaldum. *Verùm hæc ultima conjectura mihi improbabilis apparet, cùm S. Severus in Vita ſua num. 15 clariſſimis verbis dicatur electus epiſcopus eccleſiæ Abrincenſis. Itaque dubitandum non videtur, quin epiſcopus ibi fuerit, ſed qualiſcumque dubitatio oriri poteſt, an* Sinerius *& Severus ſint epiſcopi diverſi: nam præter ſimilitudinem nominis alia quoque nonnulla ſuſpicionem contrariam ingerunt. Nam & patria utrique attribuitur pagus Conſtantienſis, & nihil ferè de uno refertur, quod non poſſit conſiſtere cum iis, quæ referuntur de altero. At levia hæc ſunt, & nullius ferè momenti. Certè hæc non evincunt, Severum &* Sinerium *eſſe eumdem.*

F

ſed omnino dicendum eſt, revera diſtinctos eſſe.

7 *Etenim longè veriſimilius apparet, diſtinctos revera fuiſſe S. Severum &* S. Sinerium. *Nam primò ambo videntur reperti in antiquis catalogis epiſcoporum Abrincenſium. Secundò Severus veriſimiliter floruit multis annis ante* S. Sinerium, *videlicet quando idololatria multis adhuc illarum partium locis vigebat, & ante S. Paternum, cujus ſucceſſor ponitur* S. Sinerius. *Certè in Vita ipſius de idololatris crebra eſt mentio. Præterea inter diſcipulos Severi numeratur in Vita num. 14 Ægidius, qui videtur eſſe Ægidius poſtea Abrincenſis ante S. Paternum epiſcopus. Tertiò, ſi quid valent monumenta Abrincenſia, omnino dicendum eſt, S. Severum in alia eccleſia ſepultum fuiſſe, in alia* S. Sinerium. *Nam Severus in Vita num. 21 dicitur ſepultus* in eccleſia beatæ Genitricis Mariæ, quam ipſe conſtruxerat. *At* S. Sinerius,

AUCTORE J. S.

ſecundum elogium num. 3 *datum, defunctus eſt* aquid Siſiacum monaſterium, *ſepultuſque* ibidem *juxta SS. Paternum & Scubilionem, qui* in Seſciaco... orationis locum, quem ædificaverunt, pariter eadem die occupaverunt *in ſepultura, ut dicitur in horum Vita ad* XVI *Aprilis data, num.* 14. *Itaque in alia eccleſia ſepultus fuit S. Severus, in alia* S. Sinerius, *& conſequenter diſtinguendi ſunt. Quæ enim afferuntur rationes ad utrumque confundendum, leves omnino ſunt conjecturæ, & ſolùm natæ ſunt aliquam ingerere ſuſpicionem. At illa ſuſpicio cedere debet argumentis, quæ diſtinctionem ſufficienter evincunt, præſertim cùm ipſa S. Severi Vita planè diverſa contineat geſta, quàm ſint pauca illa, quæ enarrantur de* S. Sinerio; *&, quamvis illa pauca ſimul cum aliis conſiſtere poſſent, mirandum tamen eſſet quàm maximè, tam pauca de* Sinerio *relata eſſe in Officio, ſi Vita ipſius eſſet, quàm habemus de S. Severo.*

Floruit Sanctus poſt medium ſeculi VI, *defunctus circa* 570 *aut* 580.

8 *Quapropter, relicto S. Severo, qui antiquior videtur, examinemus tempus, quo ferè epiſcopatum geſſit, & defunctus eſt* S. Sinerius. *Hic ab omnibus paſſim dicitur in epiſcopatum ſucceſſiſſe S. Paterno, de quo actum apud nos eſt ad* XVI *Aprilis. Mors autem S. Paterni apud Cointium in* B *Annalibus Francorum ad annum* 563 *num.* 2 *illo ipſo anno* 563 *indubitanter figitur. At cùm rationes non alleget Cointius, quibus epocham illam ſtabiliat, eam non adoptavit Henſchenius, maluitque obitum S. Paterni figere circa annum* 565. *Hæc mihi opinio probabilior apparet, quia magis cohæret cum tempore, quo S. Paternus ægrotare cœpit, quóque defunctus eſt, ut ibidem videri poteſt. Verùm cùm neutra ſit certa, neutra etiam ad annos multos aberrare poſſit, dixiſſe ſufficiat,* S. Sinerium *epiſcopum factum inter annum* 560 *&* 570. *Deinde poſt* S. Sinerium *epiſcopus Abrincenſis fuit Leodovaldus, de quo meminit S. Gregorius Turonenſis lib.* 2 *de Miraculis S. Martini cap.* 36, *ut de epiſcopo Abrincenſi illius temporis. Verùm ex eo deducere non poſſumus, quo anno defunctus ſit* S. Sinerius. *Tantùm inferre licet, defunctum eſſe diu ante S. Gregorium Turonenſem, cùm hic quatuor libros ſcripſerit de Miraculis S. Martini, & illos videatur ſcripſiſſe per intervalla. Caſtellanus pro epocha mortis* S. Sinerii *ſolùm aſſignat* ſeculum VI. *Attamen cùm S. Gregorius Turonenſis circa annum* 595 *ſit defunctus, &* C *diu antè Leodovaldum Abrincenſem memoret, exiſtimo, non longè me aberraturum, ſi obitum Sancti fixero circa annum* 570 *aut* 580.

Reliquiæ Sancti in metropoli Rotomagenſi, à qua

9 *Reſtat, ut nonnulla dicamus de* S. Sinerii *reliquiis, quarum partem aliquam varii ſe habere credunt. Corpus, ſive præcipuam corporis partem ſibi adſcribit eccleſia metropolitica Rotomagenſis, quæ anno* 1639 *particulas aliquas donavit regi Chriſtianiſſimo Ludovico XIII, unà cum aliquot reliquiis S. Severi. Hujuſce donationis litteræ, per canonicos Rotomagenſes & archiepiſcopum ſubſcriptæ, datæ ſunt apud nos in S. Severo tom.* 1 *Februarii pag.* 195. *Qua de cauſa ex iis ſolùm ea huc transferam, quæ ſpectant ad* S. Sinerium *ejuſque reliquias. In illis, relata petitione reliquiarum, ſubjungunt canonici:* Cujus rei gratiâ... in duo potiſſimùm corpora beatorum Chriſti confeſſorum & pontificum, Severi & Sinerii oculos conjecimus, unde ſacra pignora in hunc finem excerperemus. *Tum exponunt, quales S. Severi reliquias ex theca ipſius extraxerint, & de* S. Sinerio *ſubdunt:* Deinde S. Sinerii corpus ex alio veteri tabernaculo, ex ære fuſili elaborato, (quod ob multiplicem reliquiarum ibidem incluſarum copiam OMNIUM SANCTORUM FERETRUM nuncupatur) D ubi ſeparatim in ſericis & verſicoloribus perantiquæ texturæ pannis cum variis inſcriptionibus compoſitum, diem retributionis exſpectat; pari cum reverentia eductum, detectum, perſpectum fuit, excerptoque inde quodam oſſe, calcanei figuram exhibente, in eodem Omnium Sanctorum tabernaculo reconditum. Quæ quidem veneranda duo pignora ſeorſim purpureo ſerico involuta, ſchedulíſque ſignata, in hac arcula, ſerâ claveque munita, collocavimus, auguſtiſſimæ majeſtati tuæ ſedulò tranſmittenda.

particulam accepit Ludovicus XIII, haberi creduntur.

10 *Mox tranſeunt ad aliqua de utroque declaranda,* Et ſyncerè teſtamur in Domino, *inquiunt,...* beati quidem Sinerii depoſitionem in diptycha noſtra ad XIV Kal. Octobris à multis ſeculis eſſe relatam... Præterea fidem facimus, utriuſque geſta in quibuſdam eccleſiarum extare codicibus, & in compendium redacta dicœceſano Breviario contineri. *Et paulò pòſt:* Ambo Conſtantienſem hujus provinciæ agrum cunabulis, monaſticam vitam exemplis, Abrincenſem eccleſiam inſulis illuſtrârunt..... Sinerius, S. Paterni, qui, Childeberto primo rege, Abrincenſi ſedi præfuit, honore meritiſque ſucceſſor, cùm multis & ipſe virtutibus claruiſſet, poſt felicem exitum ad E ejuſdem Paterni & B. Scubilionis ejus ſocii corpora ſepultus eſt in monaſterio, quod Siſiacum appellabant. Utriuſque verò corporis certam indubiamque poſſeſſionem nobis tum diuturna traditio, tum domeſtica documenta confirmant. *Ea tamen documenta ſolùm allegant pro corpore S. Severi, ita ut hujus tranſlatio & poſſeſſio certior ſit, quàm corporis* S. Sinerii.

Aliæ reliquiæ habentur Pariſiis in eccleſia S. Maglorii

11 *Partem corporis* S. Sinerii *Caſtellanus in Martyrologio univerſali adſcribit eccleſiæ S. Maglorii, quæ eſt Patrum Oratorii in ſuburbio Pariſienſi. Verùm reliquiæ illæ ad laudatam eccleſiam olim tranſlatæ dicuntur, tamquam* S. Senatoris *epiſcopi; ſed ſcriptores neoterici crediderunt,* Senatorem *illum non eſſe alium à* S. Sinerio, *atque ex eo, opinor, invaluit ſententia multorum, dicentium* S. Sinerium *alio nomine* Senatorem *fuiſſe dictum. Tranſlatio fusè refertur in Hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis apud Gerardum Dubois lib.* 9 *cap.* 3 *num.* 4, *figiturque circa annum* 964. *Fragmentum illud Hiſtoriæ Francicæ, quo tamquam fundamento omnia nituntur, jam datum apud nos eſt tom.* 1 *Martii pag.* 248, *& tom.* VI *Julii pag.* 592 F *in S. Samſone epiſcopo, qui primus nominatur inter Sanctos, quorum corpora tunc Pariſios tranſlata dicuntur. Adverſus illam tranſlationem nonnullæ prolatæ ſunt difficultates. Verùm poterit illa tranſlatio magis examinari ad* XXIV *Octobris in S. Maglorio, ad quem præcipuè ſpectat. Hic ſolùm obſervo, inter corpora tranſlata quarto loco recenſeri* Senatoris epiſcopi, *nimirum poſt corpora SS. Samſonis, Maglorii & Machuti, qui omnes epiſcopi fuerunt in Britannia Aremorica, & reliquorum longè plurium reliquias. Cointius ad annum* 563 *num.* 3 *de* Sinerio *Abrincenſi cum* Senatore, *cujus corpus tunc tranſlatum eſt, confundendo ita loquitur:* Non alius eſt (*nimirum* Sinerius *Abrincenſis*) à Senatore epiſcopo, cujus reliquiæ (neque enim integrum corpus Rothomagenſes poſſident) cum ſacris pignoribus coævorum præſulum, Samſonis, Maglorii & Machutis, ex Armorica Pariſios ob metum Nortmannorum tranſlatæ ſunt, & in ſuburbio ſancti Jacobi hodie cuſtodiuntur à presbyteris noſtræ congregationis in baſilica beati Maglorii.

12 *Attamen fatetur Cointius,* S. Senatorem

cele-

A

S. Senatoris nomine, quem eumdem cum S. Sinerio hodie credunt.

celebrari in ecclesia S. Maglorii ad XXVI *Septembris; non hoc die* XVIII. *Ex eo saltem liquet, monachos illos S. Maglorii, qui acceperunt dictas reliquias, nescivisse habere se corpus* S. Sinerii *Abrincensis. Quapropter nescio, an illa conjectura sit satis certa, licèt tradita sit à pluribus. Castellanus in Vocabulario Hagiologico ad vocem* Senator *observat, in Pictavia inferiore haberi ecclesiam* S. Senatori *dicatam, notatque ipsum coli die* XXVI *Septembris, & vulgò ibi vocari* S. Senaitre. *Idem rursus ad vocem* Sinerius, *vulgò* S. Sendre, *& Abrincis* S. Sinier, *observat* Senatorem *coli in Pictavia inferiore, & fortè eumdem esse cum* S. Sinerio *Abrincensi. At ego lubens fateor, me in omnibus istis conjecturis tam acutum non cernere, ut aliquid certi affirmare possim. Redibit sermo de S. Senatore ad* XXVI *Septembris, ubi in Martyrologio Parisiensi* Senator *sive* Sinerius *annuntiatur, fortè quia auctor Martyrologii eumdem credidit cum Senatore, ad illum diem annuntiato apud Usuardum. Ceterùm Castellanus in Martyrologio adjungit,* S. Sinerii *reliquias Parisiis etiam haberi in ecclesia S. Victoris, & in ecclesia Sanctissimæ Virginis in Nazaret. Sammarthani tandem observant de* S. Sinerio *sequentia:* Extant quoque in hac diœcesi Abrincensi plurimæ basilicæ sub ejus nomine Deo consecratæ.

AUCTORE J. S.

DE S. FERREOLO EPISC. CONF.

LEMOVICIS IN GALLIA.

POST AN. DXCI. *Sanctus in aliquot Martyrologiis memoratur, & colitur.*

Primus fortâsse ex martyrologis memoriam S. Ferreoli *Lemovicensis episcopi annuntiavit in Generali Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, Philippus Ferrarius hisce paucis verbis:* Lemovicis S. Ferreoli episcopi, *laudans tabulas, Calendarium & monumenta Lemovicensia. Andreas Saussayus longiori* S. Ferreolum *laudat elogio, quo omnia ferè, quæ de ipsius gestis innotuerunt, complexus est. Eumdem* Ferreolum *titulo* Sancti *honorant in Gallia Christiana Sammarthani fratres, & deinde Dionysius Sammarthanus, utrique in catalogo episcoporum Lemovicensium: aliique plures sanctitatem* Ferreoli *ut indubitatam celebrârunt. Bailletus quoque Vitam ipsius, ut Sancti, ad hunc diem conscripsit. Attamen Castellanus in Martyrologio Universali pag.* 930 venerabilem *tantùm vocat, creditque ex errore factum, ut* Sanctus *vocetur à Bailleto. Verùm, etsi Bailletus perperam intellexerit de* Ferreolo, *quod de alio Sancto apud Gregorium Turonensem dicitur, non ideo sanctitas* Ferreoli *& cultus ejus in ecclesia Lemovicensi desinit esse certus. Omne enim dubium tollit Breviarium Lemovicense, in quo Officium de* S. Ferreolo *præscribitur, & quidem in eo, quod habemus impressum anno* 1625, *ritu duplici celebrandum, hoc die* XVIII *Septembris. Omnia autem leguntur de communi Confessoris Pontificis præter tres lectiones mox dandas.*

C

2 *Antiquum autem esse cultum* S. Ferreoli, *colligitur ex translationibus reliquiarum ejus, infrà in Actis memorandis. Accedit Bernardus Guidonis, qui floruit sub initium seculi* XIV, *in Miscellaneis de Sanctis Lemovicensibus apud Labbeum in Bibliotheca tom.* 1 *pag.* 632, *ubi sic habet:* S. Ferreolus episcopus Lemovicensis confessor apud Anexonium in capsa veneratur. Cujus festum recolitur ibidem in festo S. Ferreoli martyris Viennensis, *id est,* XVIII *Septembris. De illius reliquiis Anexonii honoratis idem rursum memoravit apud Labbeum tom.* 2 *pag.* 267 *in Gestis Episcoporum Lemovicensium. Gaufredus Prior Vosiensis, (qui pag.* 290 *ait, scripsisse se anno* 1183) *ibidem pag.* 286 *de cultu, sive de translationibus* S. Ferreoli *ita loquitur:* Sancti Ferreoli confessoris & episcopi Lemovicensis corpus translatum fuit apud Turres per antiquam nobilitatem principum de Turribus, de monasterio S. Augustini (nam dictum monasterium S. Augustini, cùm sit extrà muros villæ & civitatis Lemovicensis, fuit destructum propter guerras tyrannorum, Gothorum, Wandalorum, & plurium aliorum) & deinde fuit portatum apud Annexonium per dictum principem de Turribus, & positum super altare ecclesiæ in capsa aurea Calendas Septembris, regnante Theodeberto, tempore Hilarii Papæ. *Hæc quidem non carent anachronismis manifestis, dum Hilarius aut Hilarus Papa componitur cum Theodeberto rege, quo fuit multò antiquior, & cum translatione* S. Ferreoli *Lemovicensis, qui necdum natus erat, dum S. Hilarus Ecclesiæ Romanæ præsidebat. Gothorum & Wandalorum incursionibus etiam non rectè attribuitur destructio ecclesiæ S. Augustini. Vel sic tamen data verba sufficiunt, ut credamus,* S. Ferreolum *cultum fuisse, non modò seculo* XII, *quo scripta sunt; sed etiam aliquot seculis citiùs, & verisimiliter primis post beatum obitum seculis. Vitia verò chronotaxis auctori condonabimus, sed minimè sequemur.*

E

à pluribus saltem seculis: corpus sæpiùs translatum.

3 *Vitam* S. Ferreoli *Lemovicensis edidit Labbeus in laudato Opere tom.* 2 *pag.* 527, *descriptamque ait* ex Breviariis Lemovicensibus antiquis. *Eamdem habemus manuscriptam ex collectione Andreæ du Chesne, Operibus editis notissimi. Contuli utramque, & exactè consentientem in vocibus etiam deprehendi. Verùm Acta illa multum auctoritatis habere nequeunt, cùm quia non admodùm vetusta videntur, tum quia turpi anachronismo* S. Ferreolum *connectunt cum S. Leone Papa, qui toto seculo antiquior est, & episcopum à S. Leone ordinatum affirmant, tum quia & alia quædam continent mirabilia magis quàm credibilia, ut in Annotatis observabo. Dabo tamen Vitam laudatam, quòd non habeamus meliorem. Verisimile etiam est, ex vetustioribus Actis desumpta esse, quæ in ea narrantur de virtutibus & gestis quibusdam* S. Ferreoli. *Ut verò intelligat studiosus lector, quænam de gestis* S. Ferreoli *præterito seculo probabiliora crediderint Lemovicenses, ex jam laudato ipsorum Breviario tres lectiones, partim ex dicta Vita, partim ex S. Gregorio Turonensi compositas, continua oratione hic subnecto.*

Acta ipsius jam edita, & recudenda; quamvis vitiis laborent.

F

4 Ferreolus Lemovicis natus, liberalibus disciplinis imbutus, admirabili vitæ sanctitate floruit. Abjectâ enim sæculi pompâ, usu cilicii ex pilis camelorum confecti, jejuniis quotidianis (exceptis diebus Dominicis) & frequentibus genuflexionibus

compendium gestorum ex Breviario.

AUCTORE J. S.

flectionibus corpore domito, animum assiduis precibus intentum Deo exhibebat. Pietatis ardore exæstuans, sanctorum Apostolorum martyrumque reliquias venerandi causâ Romanam profectionem suscepit. Qua in peregrinatione multis sanitatem contulit, multis viam salutis ostendit. Regressus in patrium solum, cleri & populi votis expetitus, Lemovicensis episcopatûs onus subiit. Eo in munere ita se gessit, ut nullum seduli pastoris officium prætermitteret. Quo tempore cùm Lemovicensis provincia gravibus morbis, iisque arte humana insanabilibus afflictaretur, sanctus Pontifex paternam suorum curam gerens, triduum jejunus, cinere conspersus, cum fletu & gemitu Sacrificio oblato, in basilica beati Martialis sanitatem exoravit. Tanta verò authoritate valuit apud populum, ut, Gregorio Turonensi teste, Marcum referendarium Childerici * regis, tributa gravia exigentis, ab imminenti mortis discrimine liberaret. Sacris ædibus ædificandis lubens suas opes impendebat. Scribit enim idem Gregorius Turonensis, basilicam sancti Martini in urbe Brivensi, impetu hostili crematam, marmoreis etiam columnis igne solutis, à Ferreolo fuisse omnino

* *imò* Chilperici

B

instauratam. Mortis denique cognito tempore, clericos ad omnes officii partes explendas adhortatus, mœrentes etiam consolatus, decimo quarto Calendas Octobris animam beatam Deo reddidit. Cujus corpus in æde sancti Pauli primùm conditum, inde propter ruinam in monasterium S. Augustini, eoque hostium incursu diruto, in castrum de Turribus, postremò Annexonium translatum est. *Hactenus Breviarium, in quo chronotaxis ferè neglecta est. Unica in ea est nota chronologica ex mentione* Chilperici regis: *nam ita legendum, non* Childerici, *ut perperam fuit impressum.*

Sanctus ad episcopatum promotus inter 565 & 579:

5 *Qualemcumque igitur chronotaxim investigemus, & simul nonnulla examinemus facta, antequam Vitam recudamus. In catalogis antistitum Lemovicensium* S. Ferreolus *locatur post Exotium, cujus Epitaphium scripsit Fortunatus lib.* 4 *carm.* 6. *Hic ibidem dicit, Exotium fuisse defunctum, quando* tria lustra, *id est, annos quindecim, in episcopatu exegerat. Cùm autem decessor Exotii Ruricius adhuc supereſſet anno* 549, *quo ad concilium Aurelianense* V *legatum misit Bantaredum archidiaconum, ut observat Dionysius Sammarnus tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 503, *non fuit defunctus Exotius, nisi circa annum* 565, *aut serius. Deinde ex facto mox referendo innotescit,* S. Ferreolum *jam episcopum fuisse anno* 579. *Quare episcopus factus videtur inter* 565 *&* 579, *nec multis annis à vero aberrare potest, si quis dixerit episcopum ordinatum circa annum* 570. *Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XXXI *Augusti annuntiat ordinationem* S. Ferreoli, quando, *inquit*, à S. Firmino Lemovicensi episcopo, cujus successor fuit, presbyter consecratus, & chorepiscopus constitutus est. *Verùm confudit Saussayus* S. Ferreolum *Lemovicensem cum S. Ferreolo Ucetiensi, qui eodem seculo floruit, & S. Firminum in cathedra Ucetiensi decessorem habuit; sed nihil horum verum est de* Ferreolo *nostro Lemovicensi.*

C

anno 579 morte liberat Marcum Chilperici regis referendarium:

6 *S. Gregorius Turonensis lib.* 5 *Historiæ cap.* 29 *hæc scribit:* Chilpericus verò rex descriptiones novas & graves in omni regno suo fieri jussit. Qua de causa multi relinquentes civitates illas, vel possessiones proprias, alia regna petierunt; satiùs ducentes alibi peregrinari, quàm tali periculo subjacere... Lemovicinus quoque populus, cùm se cerneret tali fasce gravari, congregatus in Calendis Martiis, Marcum referendarium, qui hæc agere jussus fuerat, interficere voluit: & feciſſet utique, nisi eum episcopus Ferreolus ab imminenti discrimine liberâſſet. *Ex hoc facto rectè observat Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.* 208, *magnam fuisse apud Lemovicenses auctoritatem* S. Ferreoli, *quòd furentem populum cohibere potuerit. Et ulteriùs ex illa auctoritate conjicere possumus, jam aliquot annis fuisse episcopum, dum hæc fierent. Facta autem sunt anno decimooctavo Guntramni & Chilperici regum, qui concurrit cum anno* 579.

D

instaurat combustam anno 584 ecclesiam: interest anno 585 concilio II Matisconensi.

7 *Rursum de* S. Ferreolo *meminit Turonensis lib.* 7 *cap.* 10, *hæc scribens:* Magno ea tempestate incendio basilica antè dicti Martini beati apud Brivam vicum ab imminenti hoste cremata est, ita ut tam altarium quàm columnæ, quæ de diversis marmorum generibus aptatæ erant, ab igne dissolverentur. Sed ita hæc ædes in posterum à Ferreolo episcopo reparata est, tamquam si nihil mali pertulerit. Vehementer enim admirantur veneranturque hunc Sanctum incolæ, eò quòd plerumque virtutes ejus experiantur. *Hæc ultima Turonensis verba tam clarè dicuntur de miraculis S. Martini Brivensis, de quo breviter apud nos actum est tom.* 2 *Augusti pag.* 412, *ut mirer potuisse Bailletum ea intelligere de* S. Ferreolo, *quem ante S. Gregorium Turonensem vult defunctum, quia credebat Gregorium loqui de miraculis* Ferreoli *defuncti. At Turonensis de* Ferreolo *tamquam vivente loquitur: & allegat rationem, cur combusta S. Martini Brivensis ecclesia tam bene reparata fuerit, nimirum quòd Sanctus ille apud populum in magna esset veneratione ob miracula. Res apud Cointium refertur ad annum* 584 *quo combustio facta est, num.* 30, *ubi etiam de* S. Ferreoli *miraculis locutum credidit Gregorium; sed postea mentem auctoris melius intellexit. Anno* 585 *habitum est concilium Matisconense* II, *in quo actum est contra aliquot episcopos, quòd suscepissent partes Gondebaldi cujusdam, qui se dicebat filium Clotarii I, & sic ab aliquibus rex fuerat proclamatus. De concilio illo agit Turonensis lib.* 8 *cap.* 20: *agunt de eodem historici Galli, qui possunt consuli. Acta dat Labbeus tom.* 5 *Conciliorum, ubi col.* 988 *post alios tredecim, partim metropolitanos, partim episcopos, subscriptus legitur* Ferreolus episcopus ecclesiæ Lemovicinæ, *quem multo plures sequuntur.*

E

Amicitiâ junctus fuit cum S. Aredio abbate,

8 *Acta danda num.* 2 *habent,* S. Ferreolum *consanguineum fuisse S. Aredii abbatis Atanensis, quem defunctum sepulturæ tradidit. Plura de hisce & de eorum amicitia proferunt ipsa Acta S. Aredii, apud nos data ad* XXV *Augusti; sed de eorum consanguinitate tacent. In Vita* 2 *pag.* 186 *num* 29 *hæc leguntur:* Eodem verò tempore, quo miles Christi (*S. Aredius*) degebat in terris, Ferreolus pastor, ad gubernandam plebem sibi commissam Lemovicum civitate præsul venerandus aderat. Sed quotiens ipse Pontifex febribus urgebatur, aut aliqua ægritudine in gravi dolore aterebatur, ad virum Dei Aridium dirigebat nuntios, ut pro eo plenius ad Dominum intercederet. Qui, celebratis pro eo vigiliis, obtinebat pro Pastore, venerabilis abba pro Antistite, & abjectus & humilis pro sublime. *Hæc sufficiunt ad ostendendum, mutuâ amicitiâ junctos fuisse* SS. Ferreolum *&* Aredium; *non item ad probandam eorum consanguinitatem, de qua certò non constat, quia Acta edenda sufficientem non habent auctoritatem.*

F

9 *De sepultura S. Aredii, de qua video dubi-*

A *quem anno 591 defunctum sepelit:*

bitâsse Cointium & Bailletum, utraque Vita S. Aredii consentit. Prior, relata morte S. Aredii, num. 18 *ita pergit.* Mane autem facto (*post noctem, quâ obierat*) ingens convenit populi multitudo: sed & Lemovicensis pontifex urbis, in superioribus memoratus, nomine Ferreolus, nuntio de transitu ejus accepto, cum omni festinatione iter eò properavit accelerare. Quò tandem perveniens, & super cariſſimi sibi Sancti corpus cum multis lacrymis ac lamentationibus procumbens, eò quàm maximum sibi fatebatur incumbere dolorem, quòd eum in postremis positum nequivisset invenire superstitem. Dein cùm sacratissimum corpus ad ecclesiam beati martyris Juliani, quam à fundamentis exstruxerat idem vir beatus, deferendum decrevisset, & ibidem tumulandum, feretrum, quo jacebat, movere non potuerunt. Cùm igitur ob impossibilitatem movendi corporis Ferreolus pontifex stupidus pariter factus esset & tristis, tam sibi ipsi clericisque suis, quàm universæ, quæ convenerat, multitudini jejunium triduanum indixit, atque à Domino petendum admonuit, ut, quænam esset sua, Sanctique ipsius super sui tumulatione voluntas, omni remoto desi-

B gnaret ambiguo. Tertio itaque peracto jejunio, rursus ad levandum ac deportandum sacrum corpus accedunt. Tum verò à duobus tantùm summa cum levitate sublatum est, atque delatum ad sepulturam, vocibus immensis gaudiisque magnificis Dei mirabilia & Sancti virtutem magnificantibus universis. *Eadem leguntur in Vita secunda num.* 51 *&* 52, *ubi solùm in fine additur:* Igitur corpore ex more tradito sepulturæ, præfatus Episcopus reversus est ad propria.

defunctus deinde Ferreolus anno incerto.

10 *Porrò defunctus est S. Aredius abbas anno* 591. *Itaque supererat eo anno* S. Ferreolus, *& verisimile est, eumdem superfuisse diutiùs, cùm S. Gregorius Turonensis, qui mortem S. Aredii memoravit, nusquam de* S. Ferreoli *obitu loquatur, licèt viventem bis laudaverit. Laudatus Sammarthanus in Catalogo episcoporum Lemovicensium ait:* Ferreolum ex hac vita ad immortalem migrâsse legimus anno DXCV. *At col.* 552, *agens de monasterio S. Pauli, per Sanctum dotato, de ipso dicit:* Qui quidem anno DXCVII ex meliori chronologia mortuus est, inquit noster D. Claudius Estiennot, ac in eadem S. Pauli abbatia sepultus est. *Nihil invenio, quo minùs alterutra opinio possit esse vera. At pro neutra fundamentum sufficiens habeo. Quapropter nihil ulterius statuere placet, nisi* S. Ferreolum *obiisse post annum* 591. *Nullis enim factis post illum annum innotescit. At neque successoris ipsius Asclepii ullam toto seculo* VI *mentionem reperio. Quare nihil obstare video, quo minùs circà post annum* 591 *defunctus fuerit* S. Ferreolus, *aut pluribus etiam annis superfuerit.*

C

VITA

auctore anonymo,

Ex editione Labbei cum Ms. collata.

Sanctus, nobili stirpe natus, virtutibus fulget:

BEatus Ferreolus, vir illustris ex diœcesi Lemovicensi, sicut posteritati reliquit priorum authoritas, extitit oriundus. Erat autem opere sanctus, corpore castus, & charitate diffusus; liberalium artium disciplinis eruditus, conversatione cælicus, vestium splendorem despiciens, ciliciis de pilis camelorum factis ad carnem utebatur. Diebus cunctis, exceptis Dominicis, jejunabat; vinum non bibebat, nisi lymphatum in tantum, quòd videbatur vini speciem non habere. Noctibus singulis hora matutinali exurgens, postea legebat Psalterium cum letania & collectis: pluribus ac crebris genuflexionibus ac teritionibus carnem suam edomabat. Et cùm sanctorum Petri & Pauli limina peragraret *a*, nomen Domini in via prædicabat, verbum Dei signis & prodigiis roborabat, infirmantibus universis salutis remedium conferebat. Cúmque fama ejus sanctitatis ad summi Pontificis Leonis *b* notitiam perveniſſet, obviàm ei abiit, & in domo sua charitativè susciplens, ejusque colloquiis dulcissimis delectatus, maximo cordis & oris jubilo jocundabatur. Et cùm ad propriam regionem, visitatis Sanctorum liminibus, redire disponeret, sanctus Leo Papa, in visu edoctus, pronuntiavit ipsum beatum Ferreolum electum in episcopum Lemovicensem. Moxque idem Pontifex Leo beatum Ferreolum, Deo disponente, episcopum consecravit, & gradu pontificali insignitum, dato sibi osculo pacis, ad prædictam civitatem Lemovicensem, ad quam illum Deus elegerat, in pastorem animarum authoritate concessa direxit. Evolutis autem paucis diebus, cùm ex divina revelatione in eadem urbe ejus præstolaretur adventus, sacerdotes universi, cognito ipsius proximo occursu, cum clero & populo obviàm exeuntes, magno illum cum gaudio susceperunt.

A. ANONYMO.

a

b

F

episcopus factus, degregę suo curam habet; sepelit S. Aredium:

2 Adepta itaque pontificali dignitate, beatus Ferreolus, ne lucerna lumine accensa sub modio latitaret, Catholicæ fidei doctrinam, & euangelicæ prædicationis arcana, ut bonus pastor ovibus sibi à Deo commissis viva voce pandere cœpit, jejunando, orando, prædicando, eleemosynas multas faciendo, virtutum flores in populis seminavit. Cúmque tempore illo factâ plagâ in civitate Lemovicensi & Lemovicino ex diversis morborum incursibus, videlicet dysenteriâ, febribus, & aliis incommodis, populus cruciaretur, B. Ferreolus cum viris religiosis intrans ecclesiam beati apostoli Martialis *c*, consperſus cinere, cum fletu & gemitu per triduum jejunus perstitit; & ut Dominus populum de tanta clade liberaret, Deo sacrificium obtulit. Eo autem in oratione perseverante, angelus apparuit, dicens: Ferreolo, exaudita est deprecatio tua; statimque plaga populum dereliquit. Beatus namque Ferreolus & Aredius *d* abbas sanctus, de eadem parentela, ut fertur, exorti, fuerunt contemporanei. Et cùm S. Aredius de hoc sæculo emigrâsset, B. Ferreolus Lemovicensis episcopus, per nuntios evocatus, ad obitum ejus celeriter venit: tardè tamen accedens, super corpus B. Aredii amarissimè flevit, quia eum vivum non invenisset, & eundem S. Aredium cum debitis obsequiis, & Missarum solemnitatibus B. Ferreolus pontifex reverenter tradidit ecclesiasticæ sepulturæ.

c

d

piè moritur: corpus iteratis vicibus translatum.

3 Cúmque ultimum diem sibi proximum adesse sentiret, congregatis fratribus & clero dixit: Christi monita servate, & mandata ejus adimplete, & judicia Dei tremenda formidate, & memoria mea vobiscum sit. Et omnibus de transitu ejus mœrentibus, dolorem compescuit, & fletum verbis consolatoriis propulsavit. Deinde divinis refectus Sacramentis, manus & oculos ad cælum attollens, feliciter anima è corpore emigravit XIV

A. ANONYMO. Kal. Oct. Sepultus in eccleſia S. Pauli *e*: deinde propter ruinam eccleſiæ tranſlatus ad abbatiam S. Auguſtini *f*. In tranſitu ejus ſplendor maximus ſuper domum ejus de cælo deſcendit, iterumque ad cælum revolavit. Concurrentibus populis, ipſum in quadam capſa lignea poſuerunt, ut manus ejus per quaſdam capſæ feneſtrulas deoſculandæ advenientibus remanerent; unde fuit tantus concurſus, ut uſque in alterum diem non potuerit ſepeliri. Et cùm eccleſia S. Auguſtini per incurſus Gothorum & Wandalorum *g* deſerta apparuiſſet, corpus ejus per antiquam nobilitatem dominorum de Turribus fuit in eorum caſtello delatum. Deinde in eccleſia parochiali apud Annexonium *h*, ſupra altare in capſa deaurata repoſitum: cujus meritis plurima præſtantur à Domino infirmantibus remedia ſanitatum.

ANNOTATA.

a *Vult auctor dicere, opinor: Cùm Romam ad limina Apoſtolorum proficiſceretur. At prædicatio in itinere, qualis aſſeritur, parùm eſt veriſimilis.*

B b *Leo I ſpectat ad medium ſeculi* V, *quando* Ferreolus *necdum erat natus. Leo Hoto ferè ſeculo eſt poſterior* Ferreolo, *& pontificatum adminiſtravit ſeneſcente ſeculo* VII. *Itaque hic anachroniſmus eſt manifeſtiſſimus: nec probabilia ſunt, quæ aſſeruntur geſta ſummi Pontificis cum* Ferreolo. *Imò ipſum hujus iter Romanum, cùm aliunde non confirmetur, pro incerto haberi debet.*

c *De S. Martiale, primo Lemovicenſium epiſcopo, qui hîc* apoſtolus *vocatur, & de eccleſia ipſius, prolixè actum eſt apud nos ad* 30 *Junii. Factum hîc relatum apud antiquiores non inveni, & meritò dubitari poteſt, an verum ſit cum omnibus ſuis adjunctis. Credibile tamen eſt, aliquid veri ſubeſſe.* D

d *De ſpectantibus ad S. Aredium, ejuſque ſepulturam, conſule dicta in Commentario num.* 8 *&* 9.

e *De hac eccleſia Dionyſius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Chriſtianæ col.* 552 *ſcribit ſequentia:* Sancti Pauli in urbe (*Lemovicenſi*) monaſterium conſtruitur à Jocondo & Pelagia, B. Aredii parentibus; atque à S. Ferreolo præſule dotatur.... Modò tantùm eſt eccleſia parochialis. *De dotato monaſterio S. Pauli conſentit Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 102.

f *De abbatia S. Auguſtini, ad Vigennam fluvium ſita, latè agit laudatus Sammarthanus col.* 575 *& ſeqq. Quo porrò tempore ex primo ſepulturæ loco ad S. Auguſtini abbatiam facta ſit tranſlatio, non dicitur. Verumtamen ſi facta eſt ob ruinam prioris eccleſiæ, quæ ſeculo* 6 *conſtructa dicitur, tranſlatio fortaſſe non contigerit ante ſeculum* 8.

g *Magis veriſimile eſt, à Nortmannis ſive Danis, qui ſeculo nono & decimo Galliam ſæpiùs vaſtârunt, deſtructum fuiſſe monaſterium S. Auguſtini. Nam incurſiones Gothorum & Wandalorum multò vetuſtiores ſunt. Monaſterium illud inſtauravit Turpio epiſcopus Lemovicinus, qui cathedram illam accepit ſub initium ſeculi* 10, *ut videre eſt apud Sammarthanum col.* 508. *Ibidem deſtructio monaſteriorum Lemovicenſium attribui videtur Pipino, filio Pipini regis Aquitaniæ. Certè ille Pipinus poſt medium ſeculi noni iteratis vicibus ſe junxit Nortmannis, & cum illis multa deſtruxit in Aquitaniæ provinciis.* E

h *Ibi jam erat ſeculo* 12, *ut colligitur ex datis verbis in Commentario num.* 2.

DE S. EUMENIO EPISCOPO,

J. S. *GORTYNENSI FORTE DEFUNCTO IN THEBAIDE.*

Ex Martyrologiis Græcis & Latinis.

C F

FORTE SEC. VII. S. *Eumenius epiſcopus, in Græcis & Latinis Faſtis notus,*

EUmenium *Gortynæ in Creta epiſcopum breviter memorat Menologium Sirletianum his verbis:* Eodem die natalis beati patris noſtri Eumenii epiſcopi Gortynæ. *Conſentit Calendarium metricum Græcorum, quod editum eſt ante tomum* 1 *Maii, & reliqui ipſorum Faſti, in quibus* S. Eumenius *ut confeſſor annuntiatur, in variis etiam ut* thaumaturgus. *Calendarium dictum habet hunc verſiculum:*

Ογδοάτῃ δεκάτῃ θάνε Ευμένιος μεγαλήτωρ.

Occidit Eumenius decimâ octavâ generoſus.

Quapropter ex errore factum videtur, quòd in Ephemeridibus Moſchorum figuratis vocetur Eumenius epiſcopus martyr. *Latini certè cum Græcis* confeſſorem *credunt* Eumenium; *& Molanus in Additionibus ad Uſuardum de ipſo ſic loquitur: Die* decima octava, ſancti patris Eumenii, epiſcopi Gortynæ, thaumaturgi. *Baronius in Martyrologio Romano de eodem hæc habet:* Gorthynæ in Creta, ſancti Eumeni epiſcopi & confeſſoris. *Galeſinius, laudans in Annotatis* Horologium & Menologium *Græcorum, ex his tale elogium Martyrologio ſuo inſeruit:* In Græcia, ſancti Eumenii epiſcopi, qui uſque ab infantia religionis Chriſtianæ cultor egregius, cùm patrimonium omne pauperibus in eleemoſynam contuliſſet, per omnem ætatem jejuniis & orationi lacrymiſque deditus, ſanctè factorum laudè clarus, eccleſiæ Gortynenſis in Creta epiſcopus factus, ita ſe geſſit, ut cæleſte Chriſti regnum & vitæ euangelicæ exemplis, & miraculis divinè editis propagârit.

2 *In Menologio, Baſilii imperatoris juſſu compoſito, poſt annuntiatam memoriam* S. Eumenii epiſcopi Gortynæ, thaumaturgi *tale datur elogium*; Eumenius thaumaturgus, ab adoleſcentia ſua Chriſtianus, ſumma Deum pietate ac timore colebat. Cùm autem dives eſſet, facultates ſuas omnes in pauperes erogavit: ipſe verò cunctos vitæ ſuæ dies in jejuniis & orationibus tranſigebat: adhortationemque illam magni Pauli apoſtoli diligenter implens, gaudebat cum gaudentibus & flebat cum flentibus, oculoſque lacrymis ſemper conſperſos *virtutibus & miraculis clarus,*

cir-

A circumferebat. Illud præterea agebat, ut obtrectationibus adversus neminem aures accommodaret, neque ullum ipse condemnaret. Imò, si cujus fortè peccatum audisset, putabat se illum ipsum esse, qui peccâsset. Ob hæc igitur rectè facta à clero populoque delectus, Gortynæ urbis Cretæ insulæ episcopus ordinatus est. Quo in pontificatu cùm multos annos vixisset, multosque populos, quæ ad regnum cælorum pertinent, docuisset, donumque multorum miraculorum accepisset, obdormivit, miraculis etiam post mortem insignis usque in præsentem diem. *In Typico Sabæ nomen* Eumenii *impressum est* Eugenius *errore forsan typothetæ.*

in Thebaïdem dicitur profectus ibique mortuus.

3 *Quæ de* S. Eumenio *referuntur in Menæis impressis, multùm sunt diversa, licèt non sint dictis contraria. Elogium Græcè ita exprimitur :* Οὗτος ὁ Εὐμένιος, ἐκ νεότητος πολλαῖς σκληραγωγίαις ἀσκήσεως ἑαυτὸν καθυποβαλών, τλῶ ἄκραν ταπείνωσιν ἐκτήσατο. Διὸ καὶ τῆς οἰκείας τῆς κατὰ Γορτύνιον ἐκκλησίας πεισθείς. Οὕτως δεινότατον δράκοντα κατ' αὐτοῦ ὁρμήσαντα λαμπάσι κατέφλεξεν. Ἐκεῖθεν δὴ τλῶ Ῥώμῃ καταλαβών, οἷά τις πυρσὸς ταῖς θείαις διδαχαῖς κατεφώτισε, ζημείοις τε πολλοῖς καταπλήξας· κἀκεῖθεν τλῶ Θηβαΐδα καταλαβών, καὶ μὴ βουλόμενος, παραύτικα τοῦ αὐχμοῦ τλῶ κατήφειαν καθαρίσας. Ἐν βαθυτάτῳ δὲ γήρα πρὸς Κύριον ἐκδημήσαντα*. Οἱ δὲ παῖδες τῶν Θηβαίων τῇ παθρίδι καὶ πόμνῃ τὸ τοῦτο σκῆνος παραπέμπουσι. Ῥάξος ὄνομα τῷ τόπῳ, ἔνθα καὶ Κυρίλλου τὸ ζεπτὸν κατέχει ζῶμα. Hic Eumenius, cùm à prima ætate asperis se subjecisset virtutum exercitiis, eximiam obtinuit humilitatem. Quapropter gubernacula ecclesiæ Gortynensis ei concredita sunt. Hinc immanissimum draconem, sibi imminentem, tædis ardentibus exussit. Exinde Romam profectus, eam ut facula quædam divinis doctrinis illuminavit, signis & prodigiis multos percellens. Inde verò in Thebaïdem se contulit, quamvis invitus, ibique confestim siccitatis molestiam temperavit. In summa autem senectute decessit ad Dominum. Thebani verò ipsius corpus patriæ & gregi ejus remiserunt. Raxus nomen est loci, qui & venerandum Cyrilli corpus continet.

B

* *lege* ἐξεδημήσατο

Quod de draconе per Sanctum interfecto dicitur, videtur fabulosum.

4 *Præter hoc elogium laudata Menæa* S. Eumenium *pluribus verbis celebrant in Officio, quod de ipso peragitur. Nolim laudes generales & frequenter repetitas longo sermone huc transferri: pauca tamen compendio afferre lubet. Laudatur primò ab affectionibus animi domitis, dicitурque factus* domus Spiritus sancti, *conversationem habuisse* cum angelis, hæresque effectus gloriæ Domini, & patronus *ipsum* celebrantium. *Deinde virtutibus fulsisse dicitur ac* miraculis, *vocaturque* sanctæ civitatis civis & concivis angelorum. *Tertiò celebratur ut* antistes Gortynæ, *ut* maximus & glorioſus in prodigiis, *ut* illuminans corda sedentium in tenebris. *Quartò laudatur, quia* à pueritia *amavit* humilitatem, *quia humiliavit* serpentem, *id est, diabolum superavit, quia* gratiâ sanationum manifestè *ditatus fuit. Ad hæc breviter observo, ex eo, quod hic dicitur* serpentem *vicisse, fortè à Græco recentiore, qui fecit elogium suprà datum, haustam esse draconis interfectionem. Certè Græci recentiores non rarò ex dicto quodam allegorico antiquiorum similes commenti sunt fabulas.*

5 *Quintò dicitur conversò ad Sanctum sermone:* Romam illuminas, faciens prodigia, *ut in dato elogio. Sextò laudatur, quia in Filio Dei incarnato agnovit duas voluntates & duas operationes, ipsumque prædicavit,* ut hominem simul & Deum. *Hic locus utcumque innuit,* S. Eumenium *vixisse post exortos non tantùm Eutychianos, sed etiam Monothelitas, cùm laudetur tamquam hæresi ipsorum contrarius. Septimò dicitur mortuus* in summo senio. *Octavò dicitur Româ missus in Thebaïdem, ibique siccitatem depulisse. Hoc autem ita exprimitur, acsi invitus esset missus: nam verba Græca sic habent:* Roma, tuis perfruita bonis, donum desideratum Thebaïdi nolentem mittit, pater Eumeni. *Fortè per Romam intelligenda est Constantinopolis, quam* Romam novam *primùm, & aliquando* Romam *Græci vocabant. Quare videtur Sanctus exsilio relegatus in Thebaïdem ab aliquo imperatore Monothelita; neque enim ulla allegatur ratio, cur episcopatum suum reliquerit. Nonò demum, ut mittam alia generatim in laudem dicta, dicitur à Thebanis in patriam remissus, sepultusque in loco* Raxus *dicto,* qui jam antè continebat corpus venerandum, & multis certaminibus perfunctum Cyrilli. *Hactenus Menæa, ex quibus liquet, maximo in honore apud Græcos fuisse* S. Eumenium.

AUCTORE J. S.

In Thebaïdem fortè fuit exsilio relegatus: at corpus

E

defuncti Gortynam remissum, & apud S. Cyrillum sepultum:

6 *Porrò Acta S. Cyrilli, apud quem Sanctus dicitur sepultus, data sunt ad* IX *Julii, in iisque locus, ubi S. Cyrillus martyrio coronatus est & sepultus, similiter pag.* 686 *vocatur* Raxus. *Erat autem extra civitatem, festumque S. Cyrilli ibi quoque celebratum à populo dicitur, ut dubitandum non videatur, quin in Raxo ecclesia deinde sit constructa, in eaque sepultus* S. Eumenius. *Lequienus in Oriente Christiano tom. 2 col. 256 & sequentibus texuit catalogum episcoporum Gortynæ, quæ erat Cretæ metropolis, & post S. Cyrillum sub Decio, aut potiùs in persecutione Diocletiani passum, statim subjungit* S. Eumenium, *quia sepultura* S. Eumenii *apud S. Cyrillum insinuat,* Eumenium paulo post tempora Cyrilli claruisse, *ut existimat. At poterat etiam tribus aut quatuor seculis post S. Cyrillum sepeliri in ecclesia, ubi ille colebatur.*

floruit verisimiliter seculo 7.

F

7 *Quapropter magis credo,* S. Eumenium *floruisse seculo* VII, *quia doctrina ipsius laudatur ut opposita Eutychianis & Monothelitis, ut mox observavi: Monothelitæ enim exorti sunt seculo* VII. *Fateor tamen, & hanc conjecturam non esse certam. De loco, ubi defunctus est* S. Eumenius, *mihi etiam non placet observatio Lequieni, qui per Thebaïdem intelligit* Thebas *Bœotiæ civitatem. Clara quidem Græciæ urbs fuerunt Thebæ Bœoticæ, sed non invenio, iis adjunctam fuisse regionem* Thebaïdem *dictam. Quare malim credere designari Thebaïdem Ægypti, ad quam venerit* S. Eumenius, *& ubi defunctus fuerit. Verumtamen, cùm in Menologio Basiliano nihil legatur de peregrinationibus* S. Eumenii; *utcumque dubitandum videtur de illo in Thebaïdem itinere, & de morte ibidem obita, pro quibus nihil invenio præter Menæa, & Marcum Cythæreum episcopum Menæis consentientem. Hac de causa locum mortualem non nisi dubitanter expressi.*

AUCTORE J. S.

DE SS. DESIDERIO EPISCOPO ET REGNIFRIDO, REGINFRIDO AUT RAINFRIDO ARCHID. MM.

IN ALSATIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Locus, ubi Sancti coluntur: eorum in Martyrologiis memoria & cultus: Acta scripta & edenda.

SEC. VII AUT VIII. *Sancti in Martyrologiis aliquot memorati ad* XVII.

IN extrema parte Alsatiæ Superioris versus comitatum Burgundiæ, sive in Suntgovia, vicus est sancti Desiderii *dictus, vulgo* saint Disier, *qui à* S. Desiderio, *in ejus vicinia passo cum socio* Regnifrido, *nomen traxit, quòd uterque Sanctus ibidem sepultus fuerit, & à multis seculis in magna veneratione habitus. Multùm dubitavi, utrùm ad hunc potiùs, quàm ad præcedentem diem spectent laudati Sancti, quòd utroque die à martyrologis aliquot annuntiatos inveniam, quódque ipsa etiam apographa, Acta illorum Sanctorum continentia, in duos illos dies divisa sint. Tandem pro hoc die eligendo secutus sum martyrologos illos, qui aliis magis attenti fuisse videntur ad Sanctos referendos diebus sibi propriis. Qui Sanctos referunt ad* XVII *Septembris, ibidem in Prætermissis ita fuerunt assignati:* Desiderii martyris hodie (*id est* XVII) meminit Martyrologium Morbacense apud Martenium tom. 3 Anecdot. Desiderii simul & Reginfridi meminit Martyrologium Usuardinum Hagenoyense, hac ex parte auctum, uti & Greveni editio. Solùm Desiderium ponit codex Montis Sancti cum titulo Rudunensis episcopi. *Minimè dubitandum est, quin in omnibus istis Fastis designetur* S. Desiderius, *qui Redonensis in Aremorica episcopus fuisse creditur, & ab aliis hoc die memoratur. Duo enim priora Martyrologia in Alsatia fuerunt conscripta vel aucta, ultimum in Lotharingia; indeque factum, ut annuntient Sanctum, ab aliis ejusdem temporis Fastis exsulantem.*

C

2 *Sanctos ad hunc diem accuratiùs annuntiat Autbertus Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis, & quidem duobus locis. Primò pag.* 39, *ubi recensentur* Sancti diœcesis Bisontinæ, qui omnes coluntur Officio ecclesiastico, ex Martyrologio ecclesiæ metropolitanæ Bisontinæ, *de hodiernis sic habet:* XIV Kal. Octob. in territorio Bisonticensi, passio sanctorum martyrum Desiderii Redonensis ecclesiæ episcopi, & Rainfridi archidiaconi, quorum gesta habentur. Corpus hujus S. Desiderii servatur in vico S. Disier, Alsatiæ Superioris, diœcesis Bisontinæ. *Idem pag.* 545 *ad* XVIII *Septembris:* S. Desiderius Redonensis episcopus . . . martyrio coronatus est in territorio Vesontino, & quiescit in sui nominis vico apud Alsatios. Martyrii socium habuit S. Rainfridum archidiaconum. *Secutus est ad eumdem diem Ferrarius in Catalogo generali ita scribens:* In finibus Alsatiæ sanctorum martyrum Desiderii episcopi Rhedonensis, & Rainfridi diaconi. *Eodem etiam die* Desiderium *episcopum, &* Rainfridum *archidiaconum celebrat Saussayus in Martyrologio Gallicano, & rursum in Supplemento. Accedit Castellanus in Martyrologio universali pag.* 980, *ubi in addendis ad* XVIII *Septembris ita Sanctos nostros commemorat:* In Alsatia, S. Desiderius episcopus Rhedonensis, & S. Rachnefridus archidiaconus ejus, mactati per impios.

in aliis ad XVIII *Septembris.*

E

3 *Acta* SS. Desiderii & Rainfridi, *quæ non modò inedita, sed etiam plerisque eruditis neotericis incognita fuisse videntur, accepimus ex gemino codice Ms. Alterum exemplar ad Majores nostros transmisit Chiffletius noster, non notato codice, ex quo illud exscripsit. Alterum anno* 1641 *ad Bollandum misit Joannes Gamansius, frequenter, æquè ac Chiffletius, in hoc Opere laudatus, qui codicem & locum, unde accepit, assignavit his verbis:* Ex Bodecensis cœnobii, Ordinis Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, Passionali pergameno Ms. insigni mensis Septembris, fol. CVI pag. 3. *Hæc duo exemplaria quoad rem satis consonant; in vocibus tamen non rarò dissonant. Utrum sit præferendum, non definio: aliqua enim correctiora videntur in uno, alia in altero. Edam præcipuè exemplar Chiffletianum; sed ex altero corrigam menda clara & aperta. Ubicumque verò lectio dubia videtur, lectorem in Annotatis monebo, maximè quando occurrent nomina propria, aut res alicujus momenti. Nam leviusculas vocum transpositiones aut mutationes, quæ nullius pro re sunt ponderis, tædii vitandi causâ inobservatas passim relinquam. Auctor Actorum ignotus est, & non omnino Sanctis contemporaneus. Suppar tamen utcumque dici potest, cùm non videatur integro seculo post eadem Sanctorum scripsisse, ut in Annotatis observabo ad litteram* p. *Attamen indubitatam fidem de omnibus adjunctis non meretur, cùm videatur plusculùm conjecturis indulsisse, & plura scripsisse, quàm ipse satis noverat.*

Acta eorum conscripta uno ferè post mortem seculo à scriptore conjecturis indulgente.

F

4 *Tempus, quo* S. Desiderius *fuit episcopus, quoque cum Socio ad meliorem vitam transivit, ex Actis certò non eruitur. Dicitur quidem circa finem Actorum cædes Sanctorum contigisse* tempore Childerici regis. *At non explicat auctor, an designatum voluerit Childericum II, an Childericum III. Prior regnum administravit, senescente seculo* VII; *alter regium titulum habuit circa medium seculi* VIII. *Præterea nescimus, an biographus satis fuerit in chronotaxi exactus, quod ra-*

S. Desiderius fortasse fuit in concilio Rotomagensi circa 688:

A. ANONYNO.

ACTA

Auctore anonymo

Ex duobus Mss. invicem collatis.

BEatiſſimus Deſiderius, Rhodonis *a* civitatis indigena, non exiguis parentibus oriundus, imò digni germinis digniſſima proles emergens, decus, quod ſumpſit ex genere, fœlicis vitæ meritis ampliavit: dum in illo, & quod glorificaret, Chriſtus elegit, & quod univerſus veneraretur mundus, effulſit. Qui inter ipſa novellæ juventutis exordia tanto fidei ardore flagravit, ut parentes ad quorum deſiderium ſolet infantia feſtinanter decurrere, pro charitate Chriſti magis iſte voluntariè reliquiſſet: & velut hoſtes animæ carnales affectus effugit; credens ſibi ſufficere poſſe, ſi omnem delectationem in ſolo Patre cœleſti plantaret *b*. Mox itaque convolavit ad Rhodonenſem * civitatem, ibique ſacris literis imbutus & eruditus, omnis diſciplinæ artes ad ſummam perduxit perfectionem. Quidquid in ſacris voluminibus legebat, ſatagebat in opera converti; unde & famoſiſſimus Didaſcalus nominatus eſt in regionibus * illis. Cúmque jam Dominus ſuo voto & bono propoſito ſatisfaceret, deciſa cæſarie, & ſuccedentibus gradibus, eccleſiaſticiſque dignitatibus, electione populi, clericorumque convenientiâ * epiſcopatûs dignitatem aſcendit. In quo divinum miniſterium, & curam pauperum, orphanorum, viduarum & captivorum, atque omnium indigentium *c* inſiſtebat. Quis enim valet enumerare, quàm fuerit in jejuniorum parcitate præcipuus, in vigiliarum dilatatione propenſus, in orationum aſſiduitate laudabilis, in miſerationis opere ſingularis, ut & hoſtem, qui ſibi repugnabat, extingueret, & unde ſe ſolum affligeret, inde ſpes cunctis * maxima ſubveniret. Erat enim verus Dei cultor, & neceſſe erat, quem Deus perfuderat gratiâ, ab omnibus amaretur.

S. Deſiderii patria, ſtudia, Epiſcopatus, virtutes:

a

E

b

* *in Bod.* Hyrodomenſem

* *ib.* partibus

* *ib.* conniventiâ

c

* *ib.* multis

F

Romam proficiſcitur cum Regnifrido & aliis:

2 Cùm verò hæc omnia diu ſecum diligentiſſimè exerceret, & curam maximam erga oviculas Chriſti ſtrenuè ac vigilanter cuſtodiret, & eas Dominus bonis omnibus eruditos atque locupletes proſpiceret; voluit etiam Doctorem finibus extraneis eum conſtituere, qui ſemper pervigil in ſuis exiſtebat. Unde ſumpſit ille conſilium bonum, ſcilicet ut Apoſtolorum limina viſitaret, & reliqua oracula *d* Sanctorum, ubicumque pergeret, Euangelium Chriſti die noctéque prædicaret, nec unquam vacaret à colloquiis divinis, & orationibus, ſicut illis temporibus magna neceſſitas Chriſtianis populis imminebat, pullulantibus hæreticis & ſchiſmaticis. Tunc collectis ſuis comitibus, qui eum voluntario ac promptiſſimo animo ſequi decreverant, ducens etiam ſecum ſocium ſuum Regnifridum diaconum ſuum & filium in baptiſmo, factâque turbâ non modicâ; pergere cœpit, ubi pauper Chriſti potuit: deinde ſuccedente tempore, & ſpatio dierum, multa templa beatorum martyrum, ac confeſſorum perluſtrans, coacervavit ſibi reliquias, & exempla illorum, ob auxilium divinum & cœleſtem theſaurum.

d

A *rarum erat ipſius ævo. In concilio Rotomagenſi, quod celebravit S. Ansbertus, ut refertur in Vita ipſius, apud nos data ad* IX *Februarii, fuit aliquis* Deſiderius *epiſcopus, cujus ſedes non exprimitur. At Henſchenius in Annotatis ad Vitam pag.* 353, *& poſt ipſum Cointius aliique ſuſpicantur, non alium eſſe* Deſiderium *iſtum ab hodierno, Redonenſi paſſim credito. Pagius ad annum* 682 *num.* 8 *ſine ullo dubio* S. Deſiderium *Redonenſem epiſcopis Rotomagenſis ſynodi annumerat, ſynodumque vult celebratam anno* 688 *aut* 689. *At de epocha ſynodi illius vix duos ſcriptores conſentientes reperio, nec Pagii ſententiam omnino certam puto, licèt nequeat multis annis à vero abeſſe. Id certum eſt,* S. Deſiderium, *ſi interfuit ſynodo Rotomagenſi, mortuum eſſe diu poſt Childericum II, nec vixiſſe uſque ad regnum Childerici III, ſed utrique fuiſſe intermedium.*

5 *Verùm non video, ſatis certum eſſe, noſtrum eſſe* Deſiderium, *qui ſedit in illo concilio: nam ſolum nomen & nomen quidem tam commune, rem nequit facere certam. Quapropter de tempore martyrii* SS. Deſiderii *&* Rainfridi *ſolùm annotavi, id figendum eſſe ſeculo* VII *aut* VIII. *Nam hoc verum erit, ſive fuerit in concilio Rotomagenſi, ut veriſimile eſt, non certum; ſive in eo non fuerit, & jam antè ſub Childerico II ſit defunctus; ſive etiam ſuperfuerit uſque ad Childericum III. Cointius ad annum* 684 *num.* 13 *ſcribit,* S. Deſiderium *eo anno factum epiſcopum, ſed ſine ullo fundamento ideneo. Sanè dum omnia ad* S. Deſiderium *ſpectantia diligenter expendo, de ipſo etiam loco epiſcopatûs ipſius tam certò conſtare non credo, ut nullum moveri poſſit dubium. Non aliunde orta eſt opinio, Epiſcopum fuiſſe Redonenſem, quàm ex Actis modò edendis; quòd eruditi aliqui hæc viderint, crediderintque non alium in iis deſignari poſſe epiſcopatum, quàm Redonenſem: nam Redonenſes ipſi abhinc duobus ſeculis* Deſiderium *planè ignorabant, quantùm conjicere poſſum ex libris eorum ritualibus, ex epiſcoporum catalogis, & ex Vitis Sanctorum Armoricæ. Jam verò, ſi attentè conſideremus, civitatem epiſcopalem* S. Deſiderii, *numquam ſcribi in Actis* Redonenſem, *ut ſcribitur civitas Redonenſis in Armorica, ſed ſemper cum differentia primæ ſyllabæ* Rhodonenſem *dici; in Martyrologio verò Hagenoyenſi in Alſatia,* Rudunenſem *epiſcopum dici* S. Deſiderium, *facilè videbimus, conjecturam*

hoc tamen certum non eſt, ut plura alia ſunt dubia.

B

C *quoque fieri poſſe de Rutenenſi epiſcopatu. Certè prima ſyllaba & in Actis, & in dicto Martyrologio magis favet* Rutenenſi *vel* Ruthenenſi *civitati, Gallicè* Rhodes *aut* Rhodez *dictæ: nam, prout in Actis nomen ſcribitur, prima ſyllaba convenit nomini Gallico, prout in Martyrologio, nomini Latino; at neutro loco prima ſyllaba congruit vel Latino vel Gallico nomini urbis* Redonenſis *aut* Rhedonenſis *in Armorica. Fateor tamen, reliquas vocis ſyllabas magis favere Redonenſibus, nec alia intentione hæc obſervo, quàm ne quis certiorem velit* S. Deſiderii *epiſcopatum, quàm revera ſit,*

A ANONYMO.

rum. Tandem pervenit ad locum multo jam tempore desideratum, Romam scilicet, ubi caput ecclesiarum *e* est, & super quam ædificata sunt fundamenta Apostolorum; ibique se in oratione cum suis diutissimè prosternens, petiit sibi dari à Domino immarcessibilem regni coronam, cum reliquis Sanctis, ad quorum omnium fidem Catholicam cucurrit; credens sibi relaxari pondera peccatorum priorum *f*. Cúmque cuncta oracula circuiret, omnium Sanctorum patrociniis * secum assumptis, ac bonis exemplis illic repertis, rediit viâ, quâ venerat, ac in semetipso tractavit, & revolvit omnia, quæ audierat & viderat; magnasque laudes suo retulit Creatori; eo quòd mirabilis factus est in Sanctis, & glorioſus in omnibus operibus suis.

e

f

* *al.* reliquiis

revertens multos morte perdit comites: in Alemannia opponit se episcopo malè docenti:

3 Factum est autem, postquam hæc omnia Vir Dei adimplesset, & videret solem ardentiùs urere, quàm dudum illuc ipso tendente fecisset, timens etiam, quod accidit, non propter se, sed propter eos, qui secuti fuerant illum, decrevit cum suis, ut citiùs fines illos transiret, & ad sedem propriam deveniret, ac desertas oves visitaret. Sed mens refugit humana, quod Domini nutu institutum est. B Accidit namque, ut omnes infirmarentur præter ipsum solum, & duos fratres, quâ etiam infirmitate multi mortui sunt. Ille autem corpora illorum sepelivit, & largas eleemosynas præbens, simul cum precibus luxit eos diebus multis. Completo verò luctu & consolatione recepta, iter anxium peregit propter eos. Venit in fines Alamannorum, ad locum, cujus vocabulum est Morvaugia *g*, ubi dux præerat nomine Williarius *h*. Audivit autem quemdam episcopum *i* non secundùm Catholicam fidem docentem, quem coram omnibus arguens, dicebat illi: O bone pastor, quis te docuit aliunde ingredi in ovile Christi, quàm per ostium? Legisti Euangelium, ubi hæc scripta didicisti? Quare perdidisti, quod cum magno labore acquisiviſti, & in reprobum sensum conversus es? ibi enim dicitur: Qui aliunde intrat, quàm per ostium, ille fur est & latro. Ille autem torvo vultu & pectore irato intuens in eum, dixit se nihil, nisi rectissimam Catholicamque fidem, aliquando prædicâsse. Inde igitur gravissima contentio orta est in populo unà cum duce eorum; ita ut ipse dux adduci præcepisset utrosque in medio eorum, quibus ait: Vos quippe debuistis C lites & contentiones sedare in populo, & Christianam defendere fidem, quia sacerdotio fungimini. Cur ergo plebem hanc concitâstis & turbâstis à credulitate illorum? Cui Sanctus Desiderius respondit: Tacere non possumus, & non loqui, ubicumque contra Deum audimus aliquid repugnare, & documenta fallacia prædicari. Alius affirmabat, dicens: Non ego turbavi populum hunc, qui veritatem loquor; sed iste, qui extraneus atque alienus à fide esse cognoscitur.

g h i

eumque miraculo superat, & populum rectius instruit.

4 In hunc ergo modum contendebant coram rege *k* & reliquo conventu. Tunc repletus sanctus Desiderius igne fidei, ac maximo zelo, quem semper in pectore gerebat, cum fiducia ad judicem dixit: Ignem copiosum jube accendi, ubi totus hic cœtus concurrere possit, & projiciamus baculos nostros in medio ejus; & tunc probabitur eventus rei. Ad hanc vocem dux consentit simul cum episcopo, & cetera plebe; accensusque est ignis vehemens, cujus flamma altiùs percrebuit. Et projectis baculis suis in medio ejus, sancti Desiderii baculus ita illæsus *l* evasit, sicut in ignem projecit; alterius verò ita consummatus est in momento coram ipsis, & in cinerem redactus, ut ab eo, qui tum intromisit, non D possit ampliùs reperiri. Tunc omnis multitudo populi unà cum duce eorum crediderunt iis, quæ à sancto Desiderio dicebantur, videntes signum, quod factum fuerat; & glorificaverunt Deum & Servum ejus, quem miserat liberare illos ab errore vitæ suæ. Mansit autem illic, compellente judice, aliquot diebus, & instruxit eos de omnibus, quibus priùs erraverant; & bene instructos, atque unanimes, & in lege divina proficientes commendavit eos Domino, cui serviebat in Spiritu sancto. At illi valefacientes, simul cum duce, ditatum etiam muneribus sacris, dimiserunt illum ire in pace.

k

l

In vico S. Desiderii Missam celebrat, m

5 Ille autem abiit per viam, quæ ducit ad desertum Vosagi *m*, in regionem Burgundionum, ad montem, cujus nunc vocabulum est SANCTI DESIDERII; ibique reperit oraculum non pergrande, in honore sancti Martini constructum. Ubi cùm ingressus orationis causâ fuisset, facta est concursio populi ad eum, qui viciniores erant, talem Virum audire & videre cupientes, quicunque videlicet præordinati erant ad vitam. Reliquos verò adduxit curiositas pecuniæ, quæ suffocat vitæ verbum, ut non referat fructum. Qui autem E docti erant, affuerunt ejus doctrinæ, & magnificas laudes Deo dederunt. Erat autem in eodem loco sanctimonialis fœmina, quæ excubabat in atrio illius oraculi, sedulum ministerium præbens cunctis venientibus, & in illud introeuntibus. Denique post exhortationem populi, & solemnitatem Missarum secundùm solitum morem expletam, Vir Dei dixit ad eam: Peto à te, castissima virgo, ut des nobis post perceptionem communionis sanctæ, aliquid refectionis, & benedictionis donum, unde sustentare possimus sitim corporis hujus; locus enim ille in penuria aquæ situs est valde. At illa dixit: Pauxillum potûs conservatum habemus in vasculo parvo, propter necessitatem loci istius; sed tamen non audeo tam sancto Viro & Dei servo celari *; studioséque secretarium ingrediens, aquæ inde plenum vasculum reportans, poculum Famulo Dei porrigebat.

* *al.* denegare

& aquâ ibi divinitus multiplicatâ, discedit.

6 Tunc Vir Dei crucis signaculum super ipsum vas fundens, ardorem sitis abstersit, ceteroque populo juxta voluntatem cujusque sufficienter tribuit: ac sic peractum est mirabile, magnumque signum, ut vas, in quo priùs steterat potus, de liquore non fuerit imminutum, verùm F usque ad summum ita inundans, ut in pavimento domunculæ huc & illuc per vasculi circuitum exundaret. Quod nempe per meritum beati Viri, & propter nimiam mulieris castitatem, seu charitatem accidisse, indubiè credendum est. Populus autem stabat stupefactus, cujus cor Deus tetigerat, & intenta mente glorificabant Deum in omnibus quæ audierant & viderant, in eumque magis ac magis credebant. Vir autem Domini nihil suis meritis de miraculo, quod factum fuerat, attribuebat; sed omnium auctori Deo bonorum gloriam referebat; qui magnificat sperantes in se, & qui non patitur justum derelictum, nec semen ejus indigens pane. His autem gestis, jussit sanctissimus Præsul suo socio, scilicet Regnifrido, vestimenta, in quibus Missam priùs celebraverat, in loco pristino recondere, deinde cœptum iter carpere cœpit.

Scelesti quidam, Sanctos insecuti,

7 Audientes autem hæc quidam, qui illuc convenerant, & pulchritudinem vestimentorum ejus considerantes, ac speciem vasorum, calicis scilicet & patenæ, ac phialæ argenteæ, quæ illi nuper felicissimus obtulit judex, exarserunt in concupiscen-

A sentiam illorum *n*; & adhærentes vestigiis beati Viri, cogitare cœperunt, ac mutuò pertractare, quemadmodùm eum interficerent, & spolia ejus diriperent. Ille autem sciens *o*, quæ ventura erant super eum, annuente sibi maximè Christo, valefaciens ancillulæ Christi, cæterisque fidelibus, illic congregatis, proficisci cœpit intrepidus, ad locum passionis, qui nunc vocatur AD CRUCEM. Attamen antè prædixerat, audientibus multis: O dilectissimi Fratres, si alicubi audieritis peregrinos occisos, hic in oratorio beati Martini, sepelire curate. Cùm perveniſſet autem ad locum supradictum, virgulam suis manibus contorquens gracilem huc illucque in modum crucis, ibi se in oratione prostravit, ac suis sequacibus similiter agere præcepit. Quæ virgula, post passionem ejus crevit in arborem magnam in eandem similitudinem crucis. Et nos, & multi vidimus illic stantem, ac diu durantem, quasi annis octoginta *p*, vel eo amplius; unde & locus ille vocabulum sumpsit. Et completâ oratione surrexit, & confortans suos, dixit; Nunc estote viri, ac viriliter agite, & confortetur cor vestrum; quia appropinquat hora vocationis nostræ *q*.

B 8 Adhuc eo loquente, ecce viri iniqui ferro armati accedentes, ut eos punirent *r*. Et sic interfecerunt primò sanctum Regnifridum, ac demum servum Militis Christi insanabili plagâ, capite scilicet in duas partes pugione diviso, semivivum reliquerunt. Tandem venientes ad invictissimum athletam Christi Desiderium, in oratione prostratum invenerunt, eumque gladio percusserunt, eò quòd ad spolia festinabant: adhuc tamen vivum dimiserunt. Tunc demum spolia securi diripientes, neminemque formidantes, viâ, quâ venerant, redierunt. Fertur autem à multis, eos in via rixari cœpisse propter divisionem pecuniæ, & accidisse, ut cùm se ad invicem pacificare non possent, omnes fuissent ab invicem trucidati. Sanctus verò Desiderius, antequam spiritum exhalaret, cùm adhuc minimè à laude divina cessaret, videns etiam servum vivere posse, ait illi: Surge (frater) in nomine Domini, & vepre *s*, quæ circunstat tibi, caput tuum cinge, & renuncia famulæ Dei, unde hodie recessimus, ut huc veniat cum presbytero, & corpora nostra sepeliant in oratorio beati Martini. Ille autem abiit, & jussionem Domini sui complevit, atque C multis diebus ibidem vixit, signumque vepris pro testimonio semper in capite portavit. Vir autem Dei, sentiens non posse diutiùs vivere, quia jam defecerat virtus exterioris hominis, oravit & dixit; Domine Deus omnipotens *t* cunctarum creaturarum Creator, jube animas nostras recipi, ubi omnes receptæ sunt, quæ tibi placuerunt: & da indulgentiam iis, qui nos tribulant. Cúmque hæc & iis similia diceret, expiravit.

9 Dux autem regionis illius nomine Rabiacus *u*, cùm audisset famulos Dei tanta ac talia perpessos, voluit in locum alium transferre, sed viri manibus accedentes secundum jussionem judicis, non valuerunt eos movere de loco, in quo jacuerunt sanctissimi Viri. Veniente verò presbytero oratorii superiùs prælibati, unà cum famula Domini, nomine, ut refertur, Pomponia, servoque martyris Christi Williberto, accesserunt & levaverunt eos absque ulla mora in vehiculum, quod secum adduxerant: & adportantes ad locum pristinum, sic detulerunt, veluti nullum pondus sensissent, ibique cum magno honore eos sepelierunt: nam fiunt illic multa miracula *x* per orationes illorum. Cæci visum recipiunt, claudi gressum, languidi sanitatem, dæmones effugantur, & omnis curatur infirmitas, cæteræque innumerabiles per eorum merita inibi gratiâ Dei peraguntur virtutes. De quibus omnibus est longum stylum trahere per singula, ne fastidium generet; multa enim erant valde.

A. ANONYMO.

10 Denique, ne fortè quis tacitâ dicat conscientiâ, hæc non *y* vera, & falsa adinvenisse, satis certis testimoniis approbemus. Est namque ibi baculus ipsius Sancti, qui de incendio liberatus est; & scintorium *z*, in quo Sanctissimus sedit. Sunt & vestimenta sancta, quibus functus est, dum perficeret opus Dei *aa*, ita adhuc integra, quasi nuperrimè facta, & ab omni permanent læsione. Vidimus & tabulas ipsius Martyris, & corneum graphium in eodem loco. Ac, si quis dolorem dentium patiebatur, cùm tangeret eo dentem, nec ferè *bb*, aut statim, si dignus erat, ab omni fatigatione doloris meruit liberari; & in quibus continebatur calculus Sancti, & ubi pontifex fuerit, & per quanta lustra annorum circuibat corpora Sanctorum, & cætera, quæ præ multitudine ac spatio dierum deleta esse videntur. Dux verò supranominatus videns virtutes Martyrum, loculum fabricari fecit, ac tabulam argenteam, miro opere E sculptam, in qua nomen suum litteris impressit, & super tumulum posuit. Passi sunt autem sancti martyres Desiderius & Regnifridus, quintodecimo *cc* Kalendarum Octobris, tempore Childerici regis, regnante Domino Jesu Christo, in sæcula sæculorum. Amen.

multa ibidem conservantur, quæ usui fuere S. Desiderio.

y z

aa

bb

cc

11 HYMNUS.

Hymnus de Sanctis cum oratione.

Diem *dd* colimus laudibus
Binis dicatum testibus,
Præsuli Desiderio,
Levitæque Regnifrido.
E quibus Desiderius
Claris ortus natalibus,
Nobilitatem generis
Moribus ornavit bonis.
Hic Rhodonensis Pontifex
Regnifridum enutriens.
Baptismate filiolum
Fecit archidiaconum.
Nec defuere varia
Dicendi mirabilia,
Baculum ab incendio
Sanum recepit maximo.
Parvum signavit poculum, F
Multum potavit populum,
Os plenum reddit calicis,
Pro charitate virginis.
Pati pro tuo nomine
Semper paratus, Domine,
Mortis tempus præsciverat,
Venturumque prædixerat.
Post hæc retorsit virgulam
Vir Sanctus in cruciculam,
Quæ creverat, hoc modulo
Dicta crucis vocabulo.
Orantes illic Martyres
Diri plectunt carnifices.
Mox Levitam cum servulo
Tunc Vatem necant gladio.
Sit Trinitati gloria,
Virtus, honor, victoria:
Quæ dat coronam testibus
Quorum pollemus ossibus.
Amen.

ORATIO. Omnipotens sempiterne Deus, da nobis sanctorum martyrum tuorum Desiderii & Regnifridi ita dignè merita venerari; quatenus & ab

n

o

p

q

eos in via occidunt, illecti spoliorum libidine:

r

s

t

sepeliuntur in Monte S. Desiderii, & miraculis clarescunt:

u

x

A. ANONYMO. ab instantibus periculis liberemur, & digni efficiamur gaudiis sempiternis. Per Dominum &c.

ANNOTATA.

a Rhodonis *clarè legitur in apographo, pro* Redonis, *aut potiùs* Redonensis, *vel* Rhedonensis, *si rectè omnes modò credunt, Redonensem in Armorica episcopum fuisse* S. Desiderium, *licèt hic non reperiatur in antiquis Redonensium episcoporum catalogis, nec in Breviariis Redonensibus, ita ut Redonibus planè videatur fuisse ignotus. In apographo Bodecensi legitur* Hyrodonis civitatis, *magis corruptè. Vide dicta in Commentario num.* 5.

b *Omnis illa dictio modo nonnihil diverso legitur in Ms. Bodecensi ut sequitur:* Ut parentes, ad quorum desiderium solet infantia festinanter occurrere, pro charitate Christi voluntariè relinqueret, & velut hostes animæ carnales affectus effugiens, omnem dilectionem in solo Patre cælesti plantaret.

c *Lege*, agere insistebat, *in Bodecensi*, studebat agere. *Sed aliæ etiam quædam voces ibi mutatæ.*

B d *Voce* oraculum *hic scriptor variis locis* oratorium *significat.*

e *In Ms. Bodecensi:* Ubi caput Ecclesiæ Christus Deus est. *At illud* Christus Deus *videtur additum: nam reliqua*, super quam *&c. consonant.*

f *In Bodecensi:* Petiit sibi à Domino simul & beato Petro relaxari pondera delictorum.

g Morvaugia *legit in Ms. Chiffletius, vel, ut in margine notavit,* Norvaugia. *In Bodecensi legitur* Mortenaugia, *& rectiùs, quantùm apparet. Etenim designatur pagus ille Sueviæ, qui hodie vulgò vocatur* die Ortenau, *sive* Ortnavia, *quique juxta Rhenum extenditur inter Brisegaviam & ditionem marchionis Badensis. De eo tractu agitur in Chronico Gotwicensi part.* 2 *lib.* 4 *pag.* 690, *ibique recensentur antiqua nomina* Mortinhauga, Mordinavia, Mordenowa, Mortingia, *& alia vicina.*

h *In Bodecensi* Williharius. *Notus est in variis Chronicis* Williarius *Alemanniæ aut Sueviæ dux sub initium seculi* VIII. *Nam Franci quatuor annis consequentibus, ab anno* 709 *usque ad* 712, *contra ipsum in Suevia bellum gessisse dicuntur. Videri potest Collectio scriptorum rerum Francicarum*
C *apud Bouquet tom.* 2 *pag.* 641, *ubi in Annalibus Petavianis* contra Wilarium *Franci quatuor annis exercitum habuisse dicuntur* in Suavis. *In alio Chronico pag.* 642 *scribitur*, contra Willeharium. *In alio pag.* 644 contra Vilario. *Et pag.* 670 *ex Adone*, contra Wiliarium. *Similia leguntur etiam tom.* 3 *in variis Chronicis, ita ut minimè dubitandum sit, quin* Williarius *sub initium seculi* VIII *fuerit dux in Suevia, ab anno saltem* 709 *usque ad* 712.

i *Quis fuerit ille episcopus, non liquet. At non deerant illis temporibus episcopi parùm religiosi & docti, aut etiam non rectè sentientes de fide.*

k *In Bodecensi*, coram duce. *At Williarius rex vocari potuit, sicut Pippinus Heristallus non rarò rex vocatus legitur eodem tempore, etsi rex propriè non fuerit.*

l *Etiamsi res non sit prorsus incredibilis, tamen hoc prodigium aliaque nonnulla ab eodem relata, minùs certa videri debent, tum quia scriptor non est contemporaneus, tum quia plura id genus congessit.* D

m Vosagus, *aliàs* Vogesus, *nomen est catenæ montium, qui extenduntur inter Alsatiam & Lotharingiam, atque inter hanc & partem comitatûs Burgundiæ, Vocatur etiam* saltus Vosagus, & desertum, *quia amplus ille tractus in hodierno ducatu Lotharingiæ parùm erat inhabitatus,*

n *In Ms. Bodecensi additur:* Putantes eos amplius aliquid thesauri vel pecuniæ habere.

o *Ibidem*, providens in Spiritu *&c. Credidit auctor, Sanctum cædis futuræ conscium fuisse ex iis, quæ dixit, ut mox sequitur. At ego nec dictæ illa pro certis habeo, nec video ex iis, aliquid certò deduci posse præter timorem utcumque præsagum.*

p *Ex annis* octoginta, *quibus arborem illam stetisse scribit auctor, cùm dicat eam à se & aliis multis visum, rectè colligitur, ipsum annis ferè octoginta Sanctis fuisse posteriorem, ac verisimiliter scripsisse non integro post mortem ipsorum seculo.*

q *In Bodecensi:* Vocationis ac passionis nostræ.

r *Fortè legendum*, perimerent, *in Bodecensi est*, morti traderent. E

s *In Bodecensi:* cum una veprium. *Dubitarem sanè, an vox non esset corrupta, si omnia asserta auctoris pro indubiis haberem.*

t *Hanc saltem orationem* S. Desiderii *non potuit auctor scire, quia nullus oranti adfuit. Ex hoc igitur loco patet, ipsum ex conjecturis amplificâsse ea, quæ de Sanctis potuerant innotescere.*

u *In textu* Rabiacus, *in margine autem notatur* Rabiarus. *In Ms. Bodecensi locus est interpolatus hoc modo:* Dux Burgundiæ, nomine Raurachus *&c. Quis ille fuerit, ignoro. At fuerit præfectus loci aut oppidi vel civitatis vicinæ, si vera sunt, quæ sequuntur de tentata per ipsum translatione corporum.*

x *Miracula ad sepulcrum Sanctorum patrata fuisse, non dubito: nam cultus ipsorum ob illa procul dubio cœptus est.*

y *Fortè addendum* nos *legendumque*, & falsa nos adinvenisse. *Illam autem objectionem non satis solvit auctor enumerando omnia illa, quæ* S. Desiderio *in usu fuerant, & ibi servabantur. Nam ex illorum conservatione solùm colligitur, Sanctum statim in veneratione habitum fuisse; minimè verò consequitur, vera esse omnia, quæ narravit auctor.* F

z Scintorium *quid sit, non invenio. At rectiùs fortè in Bodecensi codice legitur* stratorium, *quod sumi potest pro stragulo sellæ jumenti, in quo sederat Sanctus, aut pro alio etiam stragulo, in quo ad quiescendum consederat.*

aa *In Ms. Bodecensi*, in celebratione Missæ.

bb Nec ferè *in Ms. mendosè legitur. In Ms. Bodecensi:* Quo si quis dolorem dentium habens, ipsos dentes attigerit, ab omni fatigatione liberari merebitur. *At ibi omittuntur omnia, quæ in graphio inventa dicuntur.*

cc *In Codice Bodecensi*, decimo quarto Calendas Octobris.

dd *Post Acta in apographo Chiffletii subjungitur Hymnus de Sanctis cum oratione; prout hìc subjunguntur. Videbit studiosus lector, in Hymno repeti aliqua mirabilia, jam antè in Actis relata.*

DE

A D

DE S. RICHARDE IMP. VIRG.

ANDLAVIÆ IN ALSATIA

SYLLOGE HISTORICA. J. S.

Sanctæ in Fastis memoria & cultus : gesta examinata : elogium ex Breviario Argentinensi : miracula.

Sub initium seculi x. *Sancta ad hunc diem in Fastis recentioribus memorata,*

B

QUamquam *cultus* S. Richardis *imperatricis virginis vetustus est & indubitatus, memoria tamen hujus Sanctæ à præcipuis martyrologis celebrari non potuit, quia hi partim ipsâ antiquiores sunt, partim eodem ferè cum ipsa tempore floruerunt. Hac de causa solùm à recentioribus commemorata est, & à Baronio etiam prætermissa in Martyrologio Romano. Joannes Molanus in additionibus ad Usuardum hoc die* S. Richardem *ita annuntiat:* In Germania, monasterio Andelaha, depositio sanctæ Richardis imperatricis, conjugis Caroli Crassi & virginis. *Secutus est Ferrarius in Catalogo Generali, ubi sic habet:* In monasterio Andelaha sanctæ Richardæ augustæ & abbatissæ. *Eamdem memorat* in Germania *generatim Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani. Castellanus in Martyrologio Universali monasterium* Andelaham *& locum obitûs* S. Richardis *in Holsatiam transfert, nescio qua hallucinatione, nisi ipse aut corrector mendorum Holsatiam cum Alsatia confuderit. Nam in Alsatia obiisse Sanctam indubium est, ut rectè habet Martyrologium Parisiense,* Richardem *his verbis annuntians:* Andelahæ in Alsatia, sanctæ Richardis uxoris Caroli tertii, cognomento Crassi, regis Francorum & imperatoris. *Locus optimè hîc exprimitur; sed titulus* virginis *perperam omittitur, cùm ille abundè probatus sit,* & S. Richardi *passim datus. Martyrologi Benedictini, Wion, Menardus, Dorganius & Bucelinus ad eumdem hunc diem* S. Richardem *Fastis suis inseruerunt. Hisce consentiens Arturus à Monasterio in Gynæceo* S. Richardem *tali ornat elogio:* In Alsatia, monasterio Andelahæ, sanctæ Richardis, augustæ virginis, abbatissæ Benedictinæ, olim conjugis Caroli Crassi imperatoris, ac Francorum regis Christianissimi: quæ temporali regno cælesti ac æternum longè anteponens, vitam selegit monasticam, & incensa studio pietatis ac puritatis, virtutum præcipuarum culmen est adepta, quibus exornata in cælum conscendit. *Per decursum videbimus, Sanctam minùs certò* monacham *dici.*

C

2 *Aliis quoque diebus memoria* S. Richardis *à quibusdam celebratur. Grevenus* Richardis virginis *meminit ad* XIX *Augusti, nec existimo aliam esse, quam hodiernam: nam secutus videtur Trithemium mox laudandum. Alius* Richardem *virginem commemorat ad* XX *Augusti, ut ibidem fuit observatum in prætermissis. David Camerarius in Menologio Scotico ad* XX *Septembris* S. Richardis *memoriam agit his verbis:* Sancta Richarda vel Richardis imperatrix, & Gregorii Scotorum regis filia, ac Caroli Crassi imperatoris uxor *&c. An ex Scotia, aut aliunde oriunda sit Sancta, nec-*

uti & aliis aliquot diebus: sed hoc XVIII *Septembris laquorata*

dum examinamus. Hîc solùm observo, S. Richardem *verisimiliter non coli illis diebus; sed* XVIII *Septembris, quo à pluribus annuntiatam vidimus. Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus cap.* 314 *cultum Sanctæ testatur, ita scribens:* Richardus (*lege* Richardis) imperatrix, uxor Caroli Grossi, post obitum mariti, contempto regno terreno, ac mundi regibus spretis, cælestis Regis thalamum concupiscens, monasterium ingreditur: in quo abbatissa constituta, magnis cœpit clarere virtutibus. Ejus festum colitur XIV Calendas Septembris. Claruit anno Domini CM. *Hæc magis examinabuntur inferiùs. Interim afferuntur pro cultu Sanctæ. At vix dubito, quin pro* XIV Calendas Septembris, *legendum sit,* XIV Calendas Octobris. *Certè ad hunc diem in Breviario Argentinensi, quod habemus impressum anno* 1484, *de* Richarde *virgine præscribitur Officium novem lectionum, inchoandum à Vesperis. Aubertinus verò Prior Stivagiensis in vita Gallica cap.* 9 *scribit, in ecclesia Stivagiensi magnificum* S. Richardi *erectum esse altare, eamque coli hoc die. Quidam Ordinis Præmonstratensis sacerdos olim ad Papebrochium nostrum de cultu* S. Richardis *hæc scripsit:* Dum etiam in Alsatia olim agerem, legi in Ms. codice quandam Legendam non ita prolixam sanctæ Richardis inperatricis, olim uxoris Caroli Crassi, cujus festum cum Octava celeberrimum est in abbatiis antiquissimis, Andelacensi Argentinensis episcopatûs, & Stivagiensi Tullensis, olim Canonicorum Regularium, ab eadem sancta Richarde fundatis.

E F

cultu publico & antiquo ut virgo.

3 *Porrò cultum* S. Richardis *antiquum esse, & à seculo saltem* XI *cœptum, colligitur ex solemni corporis translatione, circa medium seculi* XI *facta per S. Leonem Papam IX. De hac Annalista Saxo ad annum* 1048 *scribit sequentia:* Idem Papa (*S. Leo IX*) in cœnobio virginum, quod nominatur Andela in Alsatia, corpus S. Richardis imperatricis de tumulo honorificè elevavit, & in ecclesia recondidit. *Testis accedit ipse S. Leo in litteris num.* 7 *laudandis. Talis elevatio, ab ipso facta summo Pontifice, beatificationi æquivalet, ita ut legitimus cultus vel tunc fuerit inchoatus, vel auctoritate Leonis IX confirmatus, si jam antè initium habuerit. Sanctam autem coli ut virginem, liquet ex Breviario Argentinensi suprà laudato, in quo omnes antiphonæ sunt propriæ, uti & oratio, quæ talis est:* Deus, qui sine professione virginitatis B. Richardem virginem conservâsti, da, ut transgressoribus nobis obtineat apud te veniam, quæ à te sub nomine conjugali promeruit coronam virginitatis. Per *&c. Ad Vesperas hæc sola antiphona psalmis præmittitur:* Adest dies celeberrima, in qua pro incremento Sanctorum gaudet decus angelorum, quia virgo sacratissima Richardis.

AUCTORE J. S. Dei electa, eorum in cælis consors est effecta, cujus prece continua nobis Deus peccatorum pondera releva. *Ad* Magnificat *hæc ponitur:* O Christe, castitatis auctor & amator, qui B. Richardem dilectam tibi sponsam elegisti; dum illi sub nomine conjugali integritatis dignitatem conservâsti, concede, nos apud te illius adjuvari meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. *Ita & propriæ sunt antiphonæ ad Laudes, & responsoria ad Lectiones Matutini. Verùm quæ de stirpe, gestis aut virtutibus Sanctæ in iis dicuntur, commodiùs producam singula suis locis. Hæc itaque de cultu sufficiant. De miraculis & reliquiis aliqua dicentur post gesta examinata.*

Oratio de Sancta Ms., ex qua danda nonnulla: elogium ex Breviario edendum.

4 *Vita* S. Richardis *numquam sic fuit conscripta ab antiquis, ut Vita vocari mereatur, quantùm certè existimo. Attamen transmissam nobis fuit scriptum aliquod, num.* 2 *insinuatum, acsi Vita esset. Verùm Vita non est, sed potiùs oratio aut homilia perbrevis, dicta in festivitate* B. Richadis, *cujus auctor ostendit, pauca sibi nota fuisse de gestis Sanctæ, cùm semper ferè differat de ipsius virginitate in conjugio, illudque argumentum sic versetin omnem partem, ut non nisi paucissima alia historica adjungat. Qua de causa istud scriptum edendum non censeo; pauca tamen illa, quæ habet ad propositum nostrum, lectori communicabo per decursum. Alterum illius scripti exemplar transmisit Joannes Gamansius ex codice cœnobii Bodecensis sine adjuncto exordio; alterum accepimus* ex antiquo Legendario abbatiæ Stivagiensis in Lotharingia Ordinis Præmonstratensis. *In hoc adjunctum est exordium, quod ita inchoatur:* Tota mentis devotione beatæ Richardis virginis, cujus hodie festa celebrantur, agimus memoriam, in qua miram Dei gratiam videre possumus & potentiam *&c. Pro hac oratione, quæ pauca habet historica, dabo lectiones Breviarii Argentinensis, quæ continent ferè omnia ad* S. Richardem *spectantia. Vitam Gallicam* S. Richardis *anno* 1665 *edidit Antoninus Aubertin Prior abbatiæ Stivagiensis, Ordinis Præmonstratensis in Lotharingia. De eadem Sancta breviter meminerunt scriptores quamplures, alii antiquiores, alii recentiores. At horum catalogum hìc non texam; sed nominabo singulos, dum eorum verba ad propositum nostrum conducere credam.*

B

C

Patria Sanctæ incerta:

5 *De patria* S. Richardis *nihil certi habemus ex antiquioribus. Scriptores quidam recentiores in Scotiâ natam, & regis Scotorum filiam fuisse, sed fortè sine fundamento, scripserunt. Horum opinionem rejicit & refellit Raderus in Bavaria sacra tom.* 3 *pag.* 73, *ubi pleraque de* S. Richarde *collegit. Non alio argumento rectiùs refutatur, quàm quòd nullus antiquorum* S. Richardem *dixerit Scotam, aut Scotiæ regis filiam. Alia est conjectura Francisci Guillemanni in Episcopis Argentinensibus pag.* 125, *cui assentitur laudatus Raderus, uti & Laguille in Historia Alsatiæ pag.* 138. *Nam hi conjiciunt, natam fuisse in Alsatia, quia ibidem* in proprietate sua, *ut inferiùs videbimus, construxit monasterium Andlavienſe. Alia etiam* in fundo suo *in Alsatia exstruxit pro abbatia Novientensi, ut num.* 8 *dicetur. Quare, inquiunt, si possedit terras aliquas in Alsatia ex hæreditate, sive acceptas à parentibus, verisimile fit, aut in eadem provincia natam esse, aut in aliqua vicina Germaniæ aut Galliæ. In Oratione Ms. patria Sanctæ non exprimitur, & de natalibus ejus solùm dicitur:* Erat beatissima Richardis nobilissima genere, pulchra facie, pulchrior fide. *In Breviario Argentinensi dicitur* beata Richardis nobili exorta progenie, *& rursum:* Singulari regiæ stirpis refulsit dignitate. *Itaque regia stirps Sanctæ ibidem attribuitur; sed regis filia fuisse non dicitur. Ceterùm natam fuisse non diu post medium seculi* IX, *ex tempore matrimonii utcumque colligi potest; sed patria Sanctæ hactenus mansit incerta.*

D

nupta fuit Carolo Crasso, cum ipsa deinde coronato imperatori.

6 *Nupsit* S. Richardis *Carolo cognomento* Crasso, *filio natu minimo Ludovici Germaniæ regis. De anno nuptiarum non omnino constat: nam ex calculo Reginonis nupta fuit anno* 877, *secundum Hermannum Contractum anno* 875. *Hac de causa etiam incertum est, an Carolus tempore nuptiarum regium titulum cum parte regni paterni haberet, an verò post nuptias eam dignitatem obtinuerit. Defunctus est enim Ludovicus pater ipsius anno* 876, *& pro more temporis regnum suum divisit tribus filiis, Carolomanno, Ludovico, & Carolo Crasso. Huic eo tempore obtigit Alemannia, sive Suevia cum vicinis aliquot provinciis, quas enumerare non est instituti hìc nostri. Verùm Carolus Crassus paulatim adeptus est non modò totum regnum paternum per mortem fratrum suorum; sed & Galliæ regnum eidem deinde obvenit, quòd reges cognati, qui in Gallia dominabantur,* E *etiam sine alio hærede magis idoneo morerentur. Tot regnis coronam imperii adjecit anno* 880, *quando unà cum* Richarde *conjuge in Natali Domini coronatus est per Joannem Papam VIII. Quare decem illis aut duodecim annis, quibus cum* S. Richarde *vixit, obtinuit totum fere imperium Caroli Magni proavi sui: sed omnia paucis hebdomadis amisit, postquam sanctam Conjugem malè tractavit & abjecit. Verùm hæc de Carolo sufficiant. De* S. Richarde *verò inquiramus, quid egerit tempore matrimonii.*

Fundat in Alsatia cœnobium Andelacense sive Andlavienſe;

7 *Constructum fuisse à* S. Richarde *cœnobium Andlavienſe, ad quod oppidum excrevit, modò* Andlaw *vulgò dictum, docent varii scriptores infrà laudandi, quando narrant, Sanctam in illud monasterium se recepisse. Leo IX, qui ibidem elevavit corpus* S. Richardis, *ut dictum est num.* 3, *de illa fundatione testis accedit in bulla ad Mathildem abbatissam data, quo dicti monasterii privilegia confirmat. Bulla illa edita est à Martenio tom.* 1 *Anecdotorum col.* 170. *Monasterium dicitur* sancti Fabiani sanctæque Felicitatis, quod appellatur Helionis, situm in pago Helisatiæ. *Testatur in eadem Pontifex, se transtulisse ad ecclesiam à se consecratam* corpus beatæ Richardæ, primæ constructricis ejusdem venerabilis loci. *Bruschius in Monasteriis Germaniæ fol.* 7 *de illa fundatione ita scribit:* Andlaw, antiquitus Andlaha ab ejusdem nominis fluvio, vel Helionis cœnobium in pago Helisatia, S. Fabiano & S. Felicitati sacrum, canonissarum celebri loco natarum opulentum collegium, ad montana Vosagi situm, fundatum, ac pro duodecim canonissis totidemque canonicis liberalissimè dotatum est anno Christi DCCCLXXX, aut, ut alii volunt, DCCCLXXXVIII, à S. Richarde Scotorum regis filia, Caroli Crassi Romanorum imperatoris conjuge, quæ per divortium à marito segregata, ibi vixit, mortua, & honorifico tumulo post summam aram in sublime collocato sepulta est. *Hactenus Bruschius, qui inter abbatissas tertiam & quartam facit neptes* S. Richardis. *Quod spectat ad annum fundationis, hunc nullibi certo documento probatum invenio. Aubertinus in Vita Gallica cap.* 8 *fundationem credidit factam post divortium Sanctæ. At certò facta est ante divortium, & aliquot annis ante* 888, *cùm Sancta anno* 887 *in monasterium antè fundatum se receperit. Exstat etiamnum nobile illud canonicarum collegium, de quo agit Gallia*

F

A *lia Christiana tom.* 5 *col.* 880, *ubi dicitur* Ordinis quondam Benedictini *fuisse, quod tamen nec in laudata Leonis IX bulla, nec apud antiquos scriptores reperio, eaque de causa non satis mihi videtur probabile.*

benefacit abbatiæ Novientensi,

8 *In Alsatia etiam, & in eadem diœcesi Argentoratensi est Novientum, seu Apri-monasterium, non longè distans Andlavio oppido. Novientum venisse aliquando* S. Richardem, *& beneficam se præbuisse, habet Historia Novientensis monasterii, edita apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum, in qua col.* 1136 *leguntur sequentia:* His itaque temporibus venerabilis Richardis imperatrix Novientum venit, & triginta jugera ruris ac vinearum, & curtim unam cum omni decima ipsius allodii S. Mauricio (*ecclesiæ monasterii*) ad Sacrificia divina contradidit: maximè pœnitentiam agens, quia ecclesiam S. Mauricii in Sigoltesheim per potentiam decimis suis privaverat. Nam in eadem villa in fundo suo ecclesiam in honore S. Petri construxit, ac primò decimas suas, deinde succedenti tempore omnes decimas totius villæ ad ipsam coëgit, excepto prædio S. Mauricii ac familiæ ipsius, & allodio sanctæ Dei Genitricis

B & familiæ ipsius. Hæc igitur de causâ præfatum allodium, ut prædiximus, contradidit, ac in multis deinceps se profuturam promisit. *Mabillonius breviter hæc narrat tom.* 3 *Annalium pag.* 226 *ad annum* 880, *circa quem res contingere potuit; sed annus est incertus.*

& Stivagiensi in Lotharingia multa donat

9 *Monasterio Stivagiensi in Lotharingia, quo donata erat à Carolo Crasso conjuge suo, similiter beneficam se præbuit* S. Richardis, *ut docent litteræ donationis, editæ in Annalibus Ordinis Præmonstratensis tom.* 2 *inter probationes col.* DXXXVIII. *Illæ hoc habent initium:* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Recardis Dei favente clementia imperatrix augusta. Noverit omnium fidelium, præsentium scilicet & futurorum industria, quia nos, ut debitores nos esse cognoscimus, & secundum Deum & homines nobis convenire dinoscitur quoddam monasterium, à Karolo conjuge meo Romanorum imperatore nobis traditum, in honore beati Petri primi Apostolorum, cum omnibus justè & legitimè ad hoc idem pertinentibus, videlicet ecclesiam beatæ Mariæ in eodem loco sitam *&c. Sequitur prolixa enumeratio ecclesiarum, capellarum, terrarum, aliorumque bonorum ad monasterium Stivagiense pertinentium. Tum subditur:* Hæc omnia ego Recardis ortatu * & consilio Karoli mei conjugis & Romanorum imperatoris beato Petro Principi Apostolorum, & ecclesiæ Stivagiensi, & ibi Domino & Principi Apostolorum servientibus, firmissima largitate tradimus atque donamus: ita videlicet ut perhenniter, securè & justè possideant & obtineant sub defensione beatæ Dei Genitricis Mariæ, & beati Petri Principis Apostolorum, nullique hominum aliquod de jure servitium faciant *&c. Sequitur conclusio, & deinde epocha, quæ nonnihil vitiata videtur transcribentium negligentiâ.*

C * hortatu

per diploma anno 884 *datum.*

10 *Nam notæ chronologicæ non satis invicem consonant, atque ita habent:* Data Calendas Maii, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXX, anno II imperii Domini mei Caroli, in Italia IIII, in Francia III, Indictione II. *Eadem notæ habentur in exemplari scripto, quod ex laudata abbatia ad Papebrochium præterito seculo missum est. Itaque non capio, unde Mabillonius acceperit epocham paucioribus notis constantem, quam tradit tom.* 3 *Annalium pag.* 260 *hoc modo:* Datum Kalendis Maii, anno Domini mei Caroli in Italia IIII, in Francia III, Indictione II. *Notat, hæc convenire anno ejus seculi octogesimo quarto: quod verum est: Carolus enim anno* 880 *per mortem fratris sui Carolomanni regnum obtinuerat in Italia, & per mortem Ludovici alterius fratris anno* 881 *partem similiter acceperat in Gallia. Itaque Calendis Maiis anni* 884, *quo & currebat Indictio* 2, *datum videtur laudatum diploma, in quo annus Incarnationis, uti & imperii, qui erat quartus, fuerunt corrupti. Cæterùm Hugo, Annalium Præmonstratensium editor, tom.* 2 *col.* 889 *& sequentibus de Stivagio scribens, affirmat,* partem bonorum Stivagii maximam à S. Richarde *illatam esse fundationi Andelacensis monasterii. At* Richardis *in laudato diplomate videtur asserere, se reddere Stivagiensibus monasterium liberum, & quidem* cum omnibus justè & legitimè ad hoc idem pertinentibus. *Quare, cùm illustrissimus scriptor nulla afferat documenta, quibus probari possit, Sanctam bonis monasterii Stivagiensis usam fuisse pro fundatione Andelacensi, non possum non dubitare, an iis revera eum in finem usa sit, cùm ipsa videatur repugnare.*

AUCTORE J. S.

Scribit ad Sanctam Joannes Papa VIII.

11 *Inter Epistolas Joannis Papæ VIII, una reperitur* ad Riccardam augustam *data, videlicet ducentesima nonagesima octava, simul tamen inscripta Liutwardo Vercellensi episcopo. Rogat Pontifex Imperatricem primò, ut apud Carolum imperatorem intercedat, ut subsidium ferat contra Saracenos Romam infestantes. Secundò legatum suum eidem commendat. Tertium sic exprimit:* Postremò Christi Cultrix, & Deo amabilis filia, molestè accipimus, cur multoties deprecantes spiritali filiæ nostræ Angelbergæ, nullam per vos potuimus conferre medelam, ut, dissoluto exilio, ad sanctum Petrum Apostolum eam reducere faceremus. Unde etiam nunc summopere deprecamur, ut pro amore Dei & nostro sancta Sedes Apostolica de hoc honoretur: & sicut jam dictus Augustus vobiscum pariter repromisit, à captivitate, quâ frustra tenetur, salva & incolumis reducatur. *Hoc ultimum saltem obtinuit Pontifex: nam Angilberga imperatrix, vidua Ludovici II imperatoris, quæ à Carolo Crasso ob molitiones pro Bosone Provinciæ rege capta fuerat & in Germaniam ducta, ab eodem ad Pontificem remissa est. Exauditæ similiter sunt preces pro subsidio contra Saracenos: imperator enim anno* 882 *ea de causa in Italiam* F *profectus est; sed Pontificem interim obiisse intellexit, & parùm prodesse potuit, quia aliis undique curis erat detentus. Ex illa Pontificis Epistola, quæ anno* 881, *aut* 882, *ut magis credo, data est, satis colligitur, bene conveniisse inter Carolum Crassum & ejus conjugem* Richardem: *neque ullibi invenio, dissensiones inter ipsos fuisse ante annum* 887, *ad quem progredimur.*

S. Richardis adulterii accusata virginem se asserit,

12 *Verùm anno* 887 *Carolus imperator, sive quòd nimia credulitate malè loquentibus aures præbuerat, sive quòd infirmo jam tum erat cerebro, ut certè paulo pòst fuisse dicitur, dissensionem excitavit gravissimam. Annales Metenses apud Chesnium tom.* 3 *pag.* 322, *relata Caroli Crassi expeditione infelici contra Normannos Lutetiam obsidentes, ad eumdem annum* 887, *de eodem subjungunt:* Ad extremum ... recessit, & recto itinere in Alamanniam perrexit. Et primò quidem Ludwardum episcopum Vercellensem, virum sibi percharum, & in administrandis publicis utilitatibus unicum consiliarium, objecto adulterii crimine, eò quòd Reginæ secretis familiariùs, quàm oportebat,

AUCTORE J. S.

rebat, immiſceretur, à ſuo latere cum dedecore repulit. Deinde, paucis interpoſitis diebus, conjugem Richardem (ſic enim Auguſta vocabatur) pro eadem re in concionem vocat. Et (mirum dictu) publicè proteſtatur, numquam ſe carnali coitu cum ea miſceriſſe, cùm plus quàm decennio legitimi matrimonii fœdere ejus conſortio eſſet ſociata. Illa econtra, non ſolùm ab ejus, ſed etiam ab omni virili commixtione ſe immunem eſſe profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur: idque ſe approbare Dei omnipotentis judicio, ſi marito placeret, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine, fiducialiter adfirmat: erat enim religioſa Femina. Facto autem diſſidio, in monaſterio, quod in proprietate ſua conſtruxerat, Deo famulatura receſſit. *Eadem planè habet Regino in Chronico ad eumdem annum. Hermannus Contractus, in Chronico, prout editum eſt apud Henricum Caniſium tom. 1 pag. 555, rem ita narrat:* Richarda imperatrix, adulterii cum Liutwardo Vercellenſi epiſcopo, qui apud eam & imperatorem familiariter in palatio vigebat, ab imperatore & aliis incuſata, divino judicio ab omni ſe virorum commixtione integram,

B & eatenus virginem ſe comprobavit; quamvis jam duodecim annis in conjugio imperatoris apparuerit. Moxque ab eo ſeparata, in Andelahenſe cœnobium virginum à ſe conſtructum feceſſit, ibique ſedula in divino ſervitio virgo Regina permanſit. *Mitto alios Chronicorum ſcriptores hiſce conſentientes.*

& divino judicio probat,

13 *Etenim abundè ex his conſtat, accuſatam fuiſſe* S. Richardem, *& ea occaſione virginitatem ipſius innotuiſſe, ipſamque à marito diſceſſiſſe in monaſterium antè fundatum. At dubium apparet, an virginitatem ſuam modo aliquo ſingulari probaverit, ſicut revera ſe ad talem probationem obtulit. De probatione peracta tacent Annales Metenſes & Regino, acſi Sanctæ, virginem ſe affirmanti, fidem habuiſſet imperator. Contractus* divino judicio *virginitatem Sanctæ probatam aſſerens, utcumque innuit, ipſam revera ſubiviſſe examen aliquod, in quo divina potentia illæſam ſervaverit; ſed divinandum relinquit, quale illud fuerit. Scriptores poſteriorum ſeculorum in diverſas quàm maximè opiniones pro ſuo ſinguli arbitrio abierunt. Multi crediderunt, ſine ullo ulteriore examine divortium eſſe ſecutum, quòd Carolus Craſſus tam*

C *ſeverum examen recipere noluerit. Aliqui exiſtimârunt, candentis ferri innoxio contactu crimen à Sancta dilutum. Alii ſcribunt,* aquino judicio *integritatem Imperatricis comprobatam, quòd ita olim legeretur apud Hermannum Contractum pro* divino judicio. *Verùm omnes illæ opiniones, cùm veterum auctoritate deſtituantur, idoneo carent fundamento. Attamen omnino veriſimile eſt, judicium aliquod non vulgare fuiſſe adhibitum ad culpam aut innocentiam accuſatæ Imperatricis deprehendendam, cùm quia id inſinuat Hermannus, tum quia modo tam ſolemni inſtituta erat accuſatio, ut neganti ſimpliciter fides haberi non poſſet, nec famæ imperatricis ſatis proſpectum fuiſſet ſine judicio.*

nimirum igni expoſita,

14 *Oratio Mſ., quam in feſto Sanctæ habitam dixi, ſeverum admodùm examen fuiſſe adhibitum, variis locis affirmat, eique omnino conſentit Breviarium Argentinenſe, ita ut dubitandum non ſit, quin ea fuerit traditio in monaſterio Andlavienſi & Stivagienſi. Auctor Orationis jam in exordio inſinuat, in igne illæſam fuiſſe Sanctam.* Nam rariſſimum eſt, *inquit*, imò impoſſibile, niſi per auxilium divinæ potentiæ, aliquem in medio ignis non ardere, conjugatam virginem eſſe *&c. Deinde in media Oratione docet, accuſatam de adulterio fuiſſe* Richardem, *& ea occaſione virginitatem ipſius, quæ ſemper occulta fuerat, innotuiſſe*, dum per ignem examinatur. *Mox factum ſubjungitur his verbis:* Nota enim cauſa legentibus Chronicam, qualiter cum quodam Vercellenſi epiſcopo peccâſſe accuſabatur. Quo innocente de curia expulſo, paucis diebus interpoſitis, à Carolo imperatore ejus marito dicto, numquam facto, ad judicium vocabatur. At illa, quæ pro occultanda virginitatis pudicitia, uxor numquam facta, uxor putari eſt paſſa, accuſatione adulterii coacta tandem erupit in vocem, & publicè proteſtata eſt, ſe velle in judicio probare, nec uxorem nec adulteram umquam alicujus fuiſſe. Mirabile dictu! Cùm jam, ut ſuprà dictum eſt, pluſquam decennio ſibi copulata eſſet in matrimonio: quod tamen pro nulla fecit jactantia; ſed hac de cauſa, ut, peracto judicio, & ſuſpicione adulterii ablata, ad thorum dicti, numquam facti mariti, ſicut uxor non redire cogeretur, timens, ne poſtmodùm diu occultata virginitate privaretur. Uno namque eodemque judicio probatum eſt, illam nec adulteram nec uxorem alicujus fuiſſe; ſed omnino virginem eſſe apparuit ejus examinatione. D E

in eoque ad probationem virginitatis

15 Nam lineis pannis cerâ intinctis, perfuſis & inebrietatis, & ex quatuor angulis igne accenſis, involuta toto corpore, pannis circa ſe ardentibus, pſallens Domino, conſumptis pannis & tandem in favillam redactis, apparuit ſplendida Virgo, ſicut integra mente, ita & incorrupta corpore, & in medio ignis non æſtuata, nec incendio cute obfuſcata, nec pilo minuta. *Ita orator ille, à quo adjuncta fortè nonnulla exaggerata ſunt. Nam pannos omnes igne conſumptos fuiſſe, non habet Officium Argentinenſe, licèt aliàs quoad modum probationis conſentiat. Antiphona ad* Benedictus *in laudato Officio hæc eſt:* Deus juſtus & verax, cujus promiſſionis præconium in beata Richarde veritas facta eſt: quam per ignem tranſeuntem flamma non nocuit; quæ juſtè odorem ignis non ſenſit in corpore, quia incentiva ſpiritualia priùs fixerat in corde, da, quæſumus, per ejus interventum noxias flammas nos aquâ vivâ reſtinguere. *In reſponſorio 1 nocturni tertii hæc leguntur:* Iſta tuæ, Chriſte, charitatis ardore ſuccenſa, edaces incendii flammas contempſit. Et quia interiùs ardebat igne paracliti Spiritus, idcirco exteriùs corporis non ſenſit. *In fine lectionis 2 de Carolo Craſſo dicitur:* Convocatis viris religioſis & imperii fidelibus, per judicium ignis ipſam examinare decrevit. *Et mox in tertia:* Ceratam camiſiam ei ad cutem induerunt & in quatuor partibus ipſam incenderunt. Ipſa verò quaſi ovis manſuetiſſima immobilis ſtetit: & ignis divinitus eſt exſtinctus, & in nullo eam penitus lædere potuit. *Conſentit Aubertinus in Vita Gallica cap. 5, docens varias haberi picturas, in quibus* S. Richardis *medias inter flammas illæſa exhibetur; aſſerenſque, induſium cerâ tinctum, quo tunc erat cooperta, etiamnum ſervari in abbatia Stivagienſi, in theca æneâ, argenteis laminis exornata. Laudatus antè Hugo tom. 2 col. 920 inter reliquias abbatiæ Stivagienſis recenſet* induſium S. Richardis argenteâ thecâ accluſum. *Tum adjungit:* Illo induta erat, quando ad probationem continentiæ, credulo & ſuſpicioſo imperatori Carolo Craſſo æquivocæ, medios inter ignes illæſa pertranſiit.

manens illæſa.

16 *Ex dictis liquet, traditionem illorum, apud quos Sancta colitur, talem eſſe, ut credant, ipſam igni fuiſſe expoſitam eo modo, ut comburi debuiſſet, niſi divinâ potentiâ fuiſſet conſervata. Non eſt*

qui

A *quidem ea probatio ex illis, quæ frequentiùs adhibitæ fuerunt medio ævo, & postea meritò abrogatæ, quales sunt probationes per duellum, per aquam frigidam, per aquam calidam, per ferrum candens, sive illud manu tractando, sive nudis pedibus per vomeres ignitos ambulando, de quibus aliisque nonnullis consuli potest Longuevallius noster in Dissertatione præliminari ante tomum 4 Historiæ ecclesiæ Gallicanæ. Verumtamen, similem ferè probationem subivit, & minori quidem necessitate, S. Petrus, cognomento* Igneus, *qui per ardentem rogum illæsus transivit. De hujus facto apud nos actum est in Actis S. Joannis Gualberti ad* XII *Julii. Non video igitur, quid obstare possit, quo minùs credamus,* S. Richardem *sic igne examinatam fuisse, quemadmodum in Breviario legitur. Nam intentio præcipientium examen tam severum fuisse videtur, ut, si noxia esset, eidem simul ad pœnam serviret, quod ad examen erat injunctum, ne alio deinde punienda foret supplicio.*

Peracto judicio, secedit in monasterium Andlavienſe: at abbatissa

17 *Relato autem felici exitu tam inusitati examinis, subjungit auctor Orationis Ms.:* Soluta autem non à lege viri, sed ab opinione viri, ... nupsit, cui nubere voluit, imò cui diu nupserat, tunc tandem se nupsisse gaudebat, quia quem concupivit occultè, Virginis Filio Virgo nupsit apertè, postmodùm virginem se exhibens actu & professione. Nam, peracto judicio, mansit postea cum virginibus Virgo in suo, quod de proprio construxerat, monasterio, quod de munda dote sua ditaverat, & Sanctorum reliquiis adornaverat. *Consentit Breviarium, Sanctam statim se contulisse ad monasterium* Andelacense, *modò* Andlavienſe *dictum; consentiunt & scriptores omnes antiquiores, qui de Sancta egerunt. Quare nihil facienda sunt, quæ interponuntur à Browero in Annalibus Trevirensibus ad annum* 888 *hæc scribente:* Et profecta primùm in Italiam, postque Ticini in S. Marini parthenone rudimenta severioris disciplinæ posuit, Turegi & Secanici in Germania eamdem vitæ normam sequuta. *Tum demum subdit constructionem cœnobii Andlavienſis diu antè fundati. Browerum decepit Bruschius, qui fol. 7 agens de cœnobio Andlavienſi, docet se inspexisse monumenta vetera cœnobii Andlavienſis, in iisque reperisse,* S. Richardem *ante fundationem cœnobii Andlavienſis habitâsse* in S. Marini Papienſis urbis præpotenti monialium cœnobio, cujus ipsa fuit suprema gubernatrix, sicut & Secanici ad Rhenum, & Thuregenſis ad Limagum siti, ex mariti sui Caroli Crassi donatione, anno Domini DCCCLXXXI facta. *Hæc Bruschius, non satis attendens ad tempora. Si enim donatio facta est anno* 881, *sex annis præcessit divortium* S. Richardis. *Itaque illas quidem abbatias pro more illius temporis conjugi suæ donavit Carolus Crassus, & ipsa easdem tamquam abbatissa habuit; sed in nulla earum vitæ monasticæ rudimenta posuit, aut monacha habitavit. Aubertinus cap. 6 existimat, Sanctam post divortium priùs habitâsse in monasterio Montis S. Odiliæ; sed conjectura est omni fundamento destituta.*

C

Religiosa nec ibi, nec alibi fuisse videtur, imò nec monacha.

18 *Dubito, an meliori nitantur fundamento, quæ asserit Bucelinus in Menologio Benedictino ad hunc diem, dum, relato secessu Sanctæ in cœnobium Andlavienſe, ita pergit:* Ubi egregia sanctitate virginibus exemplar facta, abbatissa postmodùm eligi meruit. Inde quoque ad regimen SS. Felicis & Regulæ monasterii Tigurini evocata, cùm pulcherrimo vitæ exemplo, & rarâ sanctitatis famâ orbem implêsset, Ordinemque universum exornâsset, plena meritorum ad coronam æternitatis vocata. *Verùm inter abbatissas cœnobii Andlavienſis apud Bruschium, qui catalogum illarum dat pro tempore, quo Sancta superesse potuit, satis plenum,* Richardis *nusquam reperitur. Nihilo magis illa catalogo abbatissarum Andlavienſium inseritur in Gallia Christiana tom. 5 col. 880. Veteres quoque scriptores nihil habent, quo confirmari possit ea opinio. Quin potiùs dubium videtur, an ita in monasterium se receperit, ut simul institutum monasticum suerit amplexa: non enim invenio id clarè assertum ab ullo antiquo scriptore. Quod spectat ad præfecturam Tigurini cœnobii, in Gallia Christiana tom. 5 col. 937 inter abbatissas hujus & duorum aliorum numeratur his verbis:* Richardis imperatrix, Caroli hujus (*Crassi*) separata & relicta conjux, quæ & Landovienſi & Seckingenſi monasteriis præfuit. *At magis credidero, commendatariam fuisse abbatissam, quando vivebat cum conjuge imperatore, quàm Religiosam, dum ab eo erat separata. Quidquid sit, subjicio lectiones Breviarii, oratione continua recitandas.*

AUCTORE J. S.

Sanctæ elegium

19 Sancta Richardis nobili orta stemmate, sed nobilior fide & castitate, quæ cùm elegantis esset formæ, & in omni disciplina educata, & ad nubilem pervenisset ætatem, parentes ejus tradiderunt eam Karolo regi copulatione legitima. Qui E Karolus unà cum Regina veniens Romam, imperialem unctionem atque coronationem ab Apostolico Joanne acceperunt. Et cum magna gloria ad propria revertens, duodecim annos in omni bona conversatione & integritate carnis beata Richardis apud imperatorem permansit. Invidus autem diabolus, videns constantiam Virginis, molitus est seminare discordiam & denigrare tantam laudem castitatis. Tempore illo Luitvardus Vercellensis episcopus, inter cæteros regni fideles præcellens, frequentare solebat imperialem aulam, dans consilia salubria ad augmentum imperii. Sanè cùm negotia regia sedula fidelitate tractaret, à quibusdam malevolis Regina est pulsata, quòd crimen adulterii cum episcopo esset operata. Quod cùm ad aures imperatoris pervolâsset, quasi leo frendens, & in se ipso perturbatus, convocatis viris religiosis & imperii fidelibus, per judicium ignis ipsam examinare decrevit. Qui, communicato procerum consilio, cereatam camisiam ei ad cutem induerunt, & in quatuor partibus ipsam incenderunt. Ipsa verò, quasi ovis mansuetissima, immobilis stetit, & ignis divinitus est extinctus: & in nullo eam penitus lædere potuit: nec immeritò; F quia sigillum veræ dignitatis Domino Jesu Christo soli conscio in nullo penitus violavit. Sicque purgata divino judicio, se ab omni virorum commixtione integram & illibatam virginem comprobavit.

ex Breviario Argentinenſi.

20 Moxque ab imperatore separata, ad Andelacense cœnobium, quod ipsa à fundamentis construxerat, secessit; ibique serviens Regina virgo permansit. Imperator verò in ultionem ab omnibus principibus deseritur, & alius rex pro ipso eligitur: & omnes, qui aderant, hæc videntes, glorificaverunt Deum, qui salvos facit in se sperantes. Itaque Karolus imperator, regno jam privatus, Deo devotè serviens, ut quidam dicunt, à suis strangulatus, obiit, & in Augiensi cœnobio apud Constantiam est sepultus. Glorioſa autem Richardis, postea virtutibus pollens, carnem vigiliis, jejuniis & orationibus macerans, limina Apostolorum aliorumque Sanctorum ubique visitans, & sepulcrum Domini, viroſque religioſos studuit frequentare, & reliquias plurimorum Sanctorum ad locum suum congregare. Inter quæ pretioſa pignora beatum Lazarum, apud Ciprum quondam episcopum, quem Dominus suscitavit à

AUCTORE I. S.

mortuis. Ipsius corpus obtinuit, & ad locum suum transvexit. Cumque cœnobium proprium plurimis prædiis ditâssset, & ornamentis & exenniis innumeris decorâssset, sicuti adhuc cernitur, ac in diutina sancta conversatione perdurâssset, tandem à Domino vocatur, & in cælesti Hierusalem corona immarcessibili & immortalitatis laureatur. Ad tumbam ejus sæpe ægroti & debiles curantur, & Dominus multotiens per ipsam glorificatur. Hujus Virginis assiduis postulationibus imploremus auxilium, ut ipsa pro peccatis nostris semper intercedat ad Dominum. *Hactenus Breviarium, cui consentiunt passim historici de iis, quæ eveniſſe dicuntur Carolo Crasso post divortium. Quod autem in eo asseritur de Sanctæ peregrinationibus ad limina Apostolorum, & ad sepulcrum Domini, apud alios non reperio, ideoque incertum videtur. An verò corpus S. Lazari, quem Dominus suscitavit, credendum sit, quod pro tali habetur in abbatia Andlavienſi, commodiùs examinabitur ad* XVII *Decembris, quo S. Lazarus colitur. Annum, quo* S. Richardis *obiit, nullus antiquorum assignat. Quare conjicere solùm possumus, ipsam facilè perveniſſe usque ad seculum* X: *neque enim provectæ multùm ætatis erat, dum à marito deceſſit, utpote decem tantùm aut duodecim annis nupta, & postea dicitur permansisse* in diutina sancta conversatione.

B

miracula aliunde confirmata:

21 *De miraculis Sanctæ post mortem Breviario consentit Oratio Ms., quæ sic habet:* Cujus merita quanta sunt apud Deum, sæpe probatum est virtute signorum, vel in illuminatione cæcorum, vel erectione claudorum, vel liberatione à dæmonio possessorum, & ubique eam invocantibus præbet Deus adjutorium in necessitate fidelium, tam aliàs, quàm in illo loco, ubi sepultus pretiosus corporis thesaurus, in quo tanta, ut audivimus, fecit Dominus. *In Breviario rursum antiphona ad* Magnificat *in secundis Vesperis miracula Sanctæ prædicat hoc modo:* Domine virtutum, tuam in sancta Richarde virtutem considerantes, tibi super meritis ejus gloriam damus, tuam magnificentiam in ejus magnificis operibus collaudamus: ejus interventu cæcis, claudis, à dæmone obsessis, qualibet denique peste affectis, à te beneficia præstantur *&c. Beneficam quoque esse* S. Richardem *clientibus suis in abbatia Stivagienſi* testatur laudatus Hugo *tom. 2 col. 921, sic ordiens de capite Sanctæ ibidem servato:* In eodem feretro *(cum induſio* S. Richardis *num. 15 memorato)* continetur Sanctæ ejusdem caput, partes in duas divisum. Anno MDCXXXVIII miles Gallus lamellas argenti thecam ambientes, duce inscio, avellere dum molitur, profluvium sanguinis derepente experitur in naso, illudque insanabile, donec sacrilegus fur in lacrymas effusus, Religiosorum preces ad S. Richardem interposuisset. Frequentes ægrorum curationes, referente chronographo Stivagienſi, contigisse ad invocationem S. Richardis, & reliquiarum ejus attactu, constat, & hodiedum testatur peregrinorum concursus frequens, eandem virtutem expertorum, me præsente.

C

D

corporis elevatio & tumba Sanctæ.

22 *Ceterùm quod asseritur de reliquiis Sanctæ Stivagii servatis, non videtur consonum iis, quæ scripsit Ruinartius in Itinere litterario in Alsatiam & Lotharingiam inter Opera posthuma Mabillonii & Ruinartii tom. 3 pag. 455. Etenim, postquam narraverat, se Argentorati inveniſſe Mabillonium,* qui pridie Andelagense canonicarum sæcularium collegium visitaverat, *illiusque fundatricem fuisse* S. Richardem, *& modò* patronam *esse, subjungit:* Cujus sacrum corpus in ecclesia antiqua, nondum è tumulo elevatum, religiosè asservatur sub altari majore. *Si corpus numquam è tumulo elevatum, & asservatum sit sub altari; non possunt partem capitis habere Stivagienſes. At miror, hæc scribi potuisse à Ruinartio, tamquam pridie visa per Mabillonium. Nam constat, elevatum fuisse corpus à S. Læone IX, & positum, ubi modò servatur, ut dictum est num. 3 & 7. Præterea Aubertinus in Vita Gallica cap.* XI *describit sepulcrum Sanctæ, non* sub altari, *sed* post majus altare, *neque sub terra, ut Ruinartii verba videntur insinuare, sed super terram* elevatum ad altitudinem staturæ humanæ. *Addit, tumbam illam miro artificio elaboratam esse, picturisque & ornamentis inauratis decoratam, ac quatuor etiam figuris, quæ gesta quædam Sanctæ repræsentant, distinctam. De elevato supra terram tumulo* post summam aram *consentit Bruschius, cujus verba dedi num. 7. Itaque non videtur Mabillonius tumbam vidisse, aut, si eam vidit, oblitus ipse fuerit tumbæ visæ. Undecumque orta sit erroris occasio, certè erravit Ruinartius, & tota ipsius relatio de corpore non elevato tamquam ex errore profecta haberi debet; ideoque obesse nequit credulitati Stivagienſium de servatis apud se quibusdam Sanctæ reliquiis.*

E

F

DE

A

AUCTORE J. P.

DE S. THOMA A VILLANOVA,

ARCHIEPISCOPO COGNOMENTO ELEEMOSYNARIO EX ORDINE S. AUGUSTINI,

VALENTIÆ IN HISPANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Acta Sancti, à quibus conscripta, & quæ edenda.

MDLV. *Vitam Latinè conscripsit*

B

Sanctus hic Antistes, ingens Valentinæ ecclesiæ gloria, & eximium celeberrimi Ordinis Eremitarum S. Augustini decus, tot nactus est exiguo à morte temporis intervallo sanctitatis & heroïcarum virtutum præcones, eosque & natione & idiomate diversos, ut visum sit, ab hisce exordiri Commentarium, & aliqualem eorum notitiam reliquis præmittere, quò lector intelligat, qui quibus anteponendi, & unde hausta & qua fide digna sint, quæ litteris commendârunt. Primus ætate & Sancto familiaritate proximus occurrit Joannes Mugnatonius, qui teste Thoma de Herrera in Historia Conventus S. Augustini Salmanticæ, Hispanicè conscripta pag. 200, institutum Eremitarum S. Augustini amplexus Toleti, solemnem professionem nuncupavit anno 1523, & postquam varia munia honorificè obierat, ad Segobricenses insulas promotus est sub annum 1556, tenuitque usque ad annum 1571, quo vivere desiit, uti expresiè notat D. Franciscus de Villagrasa in Opere Hispanico, cui titulus: Antiquitas ecclesiæ cathedralis Segobricensis & ejus episcoporum Catalogus, *cap. 43, ubi impensè eum laudat à doctrina & pietate.*

paulò post Sancti obitum Joannes Mugnatonius;

2 Is Mugnatonius Sanctum novit & concionantem frequens audivit necdum vitæ religiosæ mancipatus, dein cum ipso familiariter versatus est, ac tandem ejus haud ita dudum defuncti Opera, ut postea paulò fusiùs exponam, ad publicam utilitatem typis vulgavit. Occasione hujusce editionis gesta Sancti in compendium contraxit, inseruitque præfationi suæ; ubi, postquam temporum istorum calamitates & perversos hominum mores, ex bellorum grassantium & hæreseos Lutheranæ orbem Christianum pervagantis sævitia exortos, deplorâsset, in memoriam revocat viros, qui antè eruditione & virtute claruerunt, & quibuscum illi per ætatem versari contigerat, atque hos inter unum præcipuè commemorare se velle inquiens, ita prosequitur: Ille autem est magister frater Thomas à Villanova, dignissimus olim archiepiscopus Valentinus, cujus quoniam nonnullæ conciones, spectataque doctrina in hoc volumine magna ex parte continetur*, judicavi non abs re facturum me, si vestibulum ante ipsum Operis lectori aliquid de eo Viro, deque illius immortalitate dignissima vita commemorarem. *Ita ille in editione Complutensi anni 1581. Habemus igitur auctorem ætate & auctoritate talem, qualem solemus exoptare, dum gesta alicujus Sancti inquirimus; imò talem, ut, nisi brevitati nimiùm studuisset, ad alios non fuisset recurrendum.*

* *al.* continentur

3 Mugnatonio proximus est, saltem tempore, Josephus Pamphilus ex eodem Ordine episcopus Sigininus, qui Chronica Augustiniana conscripsit, produxitque usque ad annum 1579; sed is breve tantùm elogium S. Thomæ *reliquit, quod idcirco huc transfero ex editione Romana anni 1581 pag.* 119: Thomas à Villanova, archiepiscopus Valentinus in Hispania citeriore, vir doctus & maximus disciplinæ regularis amator & custos, divinique verbi concionator ardentissimus. Hic cùm dignitatem pastoralis curæ suscepisset, nihil prioris sanctæ institutionis omisit, sed orationibus, lectionibus Scripturarum, meditationibusque sanctis & internorum contemplationi, nisi aliorum commodis utilitatique serviret, operam jugiter dabat. Ad pauperes & indigentes multùm erat misericors, quos ut potuisset pro Dei amore aliquantulùm esurientes reficere, jejunus sæpius remanens, sibi competentia cibaria impertivit egenis: ubicumque enim offendisset pauperem, mox sine dilatione, quantùm potuit, illius inopiæ tam in amictu quàm in victu subveniebat. *& Josephus Pamphilus elogium,*

E

4 In omnibus erat pacificus, mitis, quietus, gravis incessu, dulcis eloquio, & jucunda morum majestate ornatus. Adeo verò coram Deo se humiliare didicerat, ut etiam in exteriori conversatione nitor quidam gratiæ spiritalis relucens, internam cordis humilitatem palàm cunctis ostenderet. In habitu suo nihil differebat ab aliis sui Ordinis fratribus. Cùm denique multis annis piè sanctéque vixisset, Deo vocante, infirmari cœpit, sanctoque fine quievit anno à Nativitate Domini MDLV. Sepelitur Valentiæ in templo nostro S. Mariæ de Succursu: in cujus funere plusquam octo millia & quingenti collacrymantes pauperes intervenere. Reliquit multos varioque sermones gravissimis verbis sententiisque refertos, qui summâ inquiruntur diligentiâ ab iis, qui in suggestum ascendere profitentur. Collegia duo instituit atque fundavit, unum Compluti pro fratribus Ordinis, alterum Valentiæ pro clericis. *Hactenus ille, scriptor quidem Italus, sed Sancto coætaneus & in rebus narratis adeo accuratus, ut dubium nullum mihi sit, quin eas didicerit à testibus oculatis.* *quod recitatur;*

F

dein Michaël Salon Hispanicè,

5 *Ætate aliquantùm remotior est à Sancto Michaël Salon, qui tamen cùm præcipuus sit ejus biographus, paulò plenius lectori est denotandus. Audiamus igitur Herreram in Alphabeto part. 2 pag.* 99: Magister Michaël Salon, provinciæ Aragoniæ non minima gloria, in sacro-sanctæ Inquisitionis senatu qualificator, scriptis editis toti orbi notissimus, academiæ Valentinæ publicus sacræ Theologiæ professor, vir doctrinâ & sanctimoniâ ce-

le-

AUCTORE J. P.

lebris & ſuperiori loco dignus, erat anno MDLXIII ſacræ Theologiæ baccalaureus & provinciæ Sardiniæ nobile membrum, poſtea regni Valentini monaſterii * provinciæ Aragoniæ unitis, in ea provincia remanſit. Anno MDLXXV ad capitulum generale venit generalis ſuæ provinciæ diffinitor, & anno MDLXXVI erat Prior Oriolenſis, & anno MDXCIX, in provincialem Aragoniæ confirmatur. Tandem anno MDCXXI & ætatis ſuæ LXXXII in collegio Valentino B. Mariæ de Succurſu hujus mortalitatis ſarcinam depoſuit perpetuâ non minùs virtutum quàm litterarum relictâ memoriâ. *Vir iſte ſub annum* 1584 *violenta febri correptus & ad extremum vitæ deductus, votum nuncupavit Sancto noſtro, forè ut, ſi ſanitatem recuperaret, geſta ejus compilaret ac publicæ luci traderet, factuſque voti reus, mandavit exſecutioni Hiſpanicè typis Valentinis anno* 1588.

* *l.* monaſteriis

primùm plurium teſtium adjumento,

6 *Adjumenta, quibus ad hoc Opus concinnandum uſus eſt, in præfatione ad alteram Vitæ editionem, de qua mox, Hiſpanicè recenſet hoc ordine & his penè verbis:* Solicitè ſtudui indagare apud ejus (Sancti) viſitatores alioſque, qui ei ſervierunt & familiares exſtiterunt; qui etiam tum vivebant & probè admodùm noverant, quomodo egerit toto tempore, quo fuit archiepiſcopus uſque dum mortuus eſt; ſimiliter apud plures Religioſos in Caſtella ætate provectos, qui noverant inſignem ejus pietatem & (vitæ) exemplum, cùm degeret in Ordine. Relata ab illis colligens ac jungens cum eo, quod ſcribit don F. Joannes Mugnatonius epiſcopus Segobricenſis in narratione, quam de P. F. Thomæ ab ipſa pueritia ſanctitate compoſuit in exordio libri de Sermonibus ejuſdem Sancti, uti & cum eo, quod didiceram ex ejus confeſſario, qui fuit Religioſus hujus conventus beatæ Mariæ de Succurſu, qui ipſi adfuit toto archiepiſcopatûs tempore, & quocum ego multùm verſatus ſum, compoſui libellum inſcriptum: "De inſigni„bus & ſingulariſſimis exemplis, quæ in omni „ſanctimoniæ & virtutis genere, præſertim pieta„tis & miſericordiæ erga pauperes, reliquit P. don „Thomas de Villanova archiepiſcopus Valenti„nus„.

B

& iterum ex Proceſſibus ad beatificationem:

C

7 *Idem auctor ſequenti ſeculo aliud ac prolixius Opus edidit etiam Hiſpanicè de geſtis* S. Thomæ: *hoc autem ih jam dicta præfatione totum vel ferè totum deſumpſiſſe ſe profitetur ex Proceſſibus auctoritate Apoſtolica Valentiæ, & aliis in Caſtella inſtitutis ad Sancti beatificationem & canonizationem; ſub finem verò orat lectorem, ut ſecurus ſit de veritate ac fidelitate narratorum, quandoquidem ea, quæ ex memoratis Proceſſibus non deprompſit, quæque pauca admodùm ſunt, acceperit ex certa relatione perſonarum omni fide dignarum; eas haud dubiè indigitans, quas ad primum Opus conflandum conſuluerat. Porrò in dictis Proceſſibus ipſemet Salonius à Priore Generali totius Ordinis procurator conſtitutus fuit anno* 1610 *die* XX *Julii, uti expreſsè dicitur in Relatione facta ad Paulum V PP. num.* 10 *memoranda, & hanc ſecundam Vitam, licèt anno tantùm* 1620 *vulgatam, jam ſcribere inceperat ac veriſimiliter multum produxerat anno* 1617, *uti colligo ex epiſtola toti Operi præfixa, quâ Prior provincialis Aragoniæ ipſum, tum Priorem conventûs Valentini, & in univerſitate profeſſorem theologiæ, hortatur & in virtute obedientiæ conſtringit, ut Vitam illam abſolvat & ſervatis ſervandis in lucem emittat, quam poteſt citiſſimè. In id autem præ ceteris incubuit Salonius, ut Sancti virtutes, & egregias animi dotes illuſtraret, & exemplis teſtimoniiſque roboraret, hunc in finem appellans aliquando ad dictos proceſſus, aliquando nominatim, ſæpiùs generatim ad teſtes, ex quibus narrata percepit; at non adeo ſolicitus videtur fuiſſe, ut rerum geſtarum ordinem ſervaret, vel accuratè denotaret adjuncta, præſertim temporis, in quibus nonnumquam ex aliis ſcriptoribus vel inſtrumentis corrigendus eſt: ſed de ejus ſcribendi modo & ſtylo infrà redibit ſermo.*

D

poſtea alii

8 *Eodem, quo Salonius Vitam proximè laudatam vulgavit, anno* 1620 *Epitomen Vitæ ejuſdem Sancti Hiſpanicè etiam typis Matritenſibus in lucem edidit don Franciſcus de Quevedo Villegas, eques S. Jacobi, cujus exemplar, anno* 1661 *Bruxellis recuſum, præ manibus habeo; non ſignificat, unde eam Epitomen contraxerit, ſuſpicor tamen, uſum illum fuiſſe primo Opere Salonii; nam licèt ab eodem Salonio in nonnullis diſcrepet, in pleriſque tamen optimè ei congruit; imò fortaſſe omne, quod inter utrumque auctorem diſcrimen eſt, ex eo ortum eſt, quòd Salonius, ſicut plura ſecundo Operi addidit ex Proceſſibus, ita aliqua immutârit; quod certiùs affirmare nequeo, cùm primum Opus non teneam. Alteram Vitæ ſynopſim Hiſpanicè edidit Bruxellis anno* 1621 *P. Gabriël Metermannus; & Latinè Antverpiæ anno* 1622 *P. Nicaſius Baxius, uterque ex Ordine Sancti Auguſtini, & uterque ſecundo Salonii Opere uſus. Hos ſecuti ſunt in eodem Belgio duo alii auctores Auguſtiniani Cornelius Curtius & Joannes Nævius, quorum ille* S. Thomæ *elogium dat in Opere Antverpiæ Latinè impreſſo anno* 1636 *de Viris illuſtribus Eremitarum S. Auguſtini, hic Vitæ compendium in Eremo Auguſtiniana, Lovanii edita anno* 1638. *Sed & hi pro pleniore notitia lectorem remittunt ad Salonium; hunc laudat ſimiliter Alphonſus del Caſtillo in Sacrario Valentino, cui Vitam* S. Thomæ *inſeruit ſub annum* 1635.

E

vario idiomate.

9 *Prolixam etiam geſtorum* S. Thomæ *enarrationem inſeruit Vitis Sanctorum Ordinis ſui Gallicè editis anno* 1641, *P. Simplicianus Saint-Martin Eremita Auguſtinianus; is præter Salonium, Baxium & Quevedo, laudat Franciſcum Soto, decanum capellæ Pontificiæ, qui Salonii primum Opus Italicè verſum edidit anno* 1619; *uti & P. Baſilium de Leon; P. Henricum Tves ac P. Hieronymum Canton, quorum primus multa de Sancto dixerit in Sermone habito Toleti anno* 1620; *alter Vitam Gallicè anno* 1622, *tertius metro Hiſpanico ediderit, anno, ut aliunde diſco,* 1620, *& quorum poſterior tamquam Prior conventus Valentini die* XX *Martii mox dicto anno approbavit Salonii ſecundum Opus. Deſunt mihi quatuor hæ lucubrationes & aliæ nonnullæ, quæ memorantur apud Ludovicum Torellum in Vitis Virorum illuſtrium Ordinis S. Auguſtini pag.* 503, *apud Antonium Ludovicum Gandolfum in Diſſertatione Hiſtorica de ſcriptoribus Auguſtinianis pag.* 340 *& apud Antonium de Quintanadueñas in Sanctis Toletanis pag.* 472. *In has autem operoſiùs inquirere ſupervacaneum mihi viſum eſt, quòd non dubitarem, quin earum auctores vel Mugnatonium vel Salonium vel forte etiam minus antiquum ſibi ducem habuerint, ut proinde ad illuſtranda Sancti Acta parùm opis conferre poſſent.*

E

Joannis Baptiſtæ Coccini Relatio,

10 *Majoris utilitatis nobis ſunt tria impreſſa inſtrumenta, quæ poſtremùm commemoranda veniunt. Primum Tractatui de Canonizatione Sanctorum, typis Lugdunenſibus edito anno* 1634, *ſubnexuit à pag.* 449 *uſque ad* 736 *Felix Contelorius in Romana curia advocatus ſub hoc titulo:* De Sanctitate & miraculis, quibus in vita & poſt obitum claruit venerabilis vir frater Thomas à Villa-

A lanova, cognomento Eleemosynarius, archiepiscopus Valentinus, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, ad S. D. N. Paulum V. P. O. M. Relatio illustr. & reverendiss. Joannis Baptistæ Coccini S. Rotæ decani. *Hanc autem Relationem confecit Coccinus mandante eodem Pontifice, sicut ipse indicat pag.* 453 *sic scribens:* Cujus tanti Viri actiones, cùm S. V. placuerit nobis injungere, ut diligenter examinaremus, Processusque super sanctitate vitæ ejusdem, ex mandato sacræ Congregationis Rituum confectos, exactè perpenderemus, ut S. V. deliberare posset, an debeat annuere supplicationibus Catholicæ Majestatis, & aliorum, qui pro illius canonizatione devotissimè instant, ut visum est nobis, negotio, ut par est, maturè discusso, S. V. posse supplicationibus prædictis annuere.

ad Paulum V PP. ex Processibus;

11 *Dicti Processus, quantùm intelligo ex instrumento proximè assignando, ex Hispanica lingua in Italicam translati, laudato Coccino & binis aliis sacræ Rotæ auditoribus Sacrato & Manzanedo consignati sunt mense Octobri anni* 1614, *&* discussis, *verba sunt instrumenti*, in Rota relevantia ac validitate dd. Processuum à judicibus commissariis, iidem Sanctissimo, dimissâ simul copiâ Relationis, oretenus retulerunt die XXIII Januarii anni MDCXVIII, Processus validè fuisse confectos, testes ritè examinatos, nec non plenissimè constare de fidei puritate, sanctitate vitæ, virtutibus & miraculis in specie *&c. Servat autem Coccinus sequentem ordinem. Primò agit de virtutibus Sancti theologicis; secundò de cardinalibus; tertiò de donis Spiritus sancti; quartò de miraculis, fama sanctitatis & veneratione reliquiarum; postremò de validitate processuum; ac singula, puta quatuor priora, confirmat auctoritate processuum, adjectis etiam testium nominibus. Relationi subnectitur decretum beatificationis à Paulo V PP. editum anno* 1618, *& alterum à Gregorio XV PP. super extensione Officii & Missæ anno* 1621.

B

Acta Canonizationis, in quibus varia Vitæ compendia.

12 *Alterius instrumenti, Romæ in typographia reverendæ cameræ Apostolicæ impressi anno* 1658 *sub hoc titulo:* Series actorum omnium in canonizatione S. Thomæ à Villanova *&c, auctor est illustrissimus ac reverendissimus dominus Franciscus Maria Phœbei, sacrorum Rituum congregationi à secretis, sicut indicat in epistola ei præmissa R. P. Andreas Aznar, assistens generalis Hispaniæ Ordinis Eremitarum S. Augustini & procurator causæ canonizationis. Is auctor præter alia multa ad* S. Thomæ *gloriam posthumam pertinentia sex Vitæ compendia comprehendit. Primum pag.* 2, *quod sub annum* 1657 *ab eo exhibitum fuit Alexandro VII PP.; alterum pag.* 8, *quod mense Junio anni* 1658 *communicavit cum Eminentissimis Cardinalibus & consultoribus sacræ congregationis; tertium pag.* 16, *quod sub diem* XII *ejusdem mensis tradidit Eminentissimo Cardinali Pallotto causæ relatori, quodque hic die eodem coram Pontifice, Cardinalibus, consultoribus & officialibus sacrorum Rituum congregationis legit in Quirinali palatio; quartum pag.* 43, *quod, ab ipso etiam Phœbeo congestum, die* 2 *Septembris anni ejusdem in consistorio secreto Pontifici & Cardinalibus prælegit Eminentissimus Sacchettus, sacræ congregationis præfectus; quintum pag.* 55, *quod die* XII *dicti mensis Septembris in consistorio publico coram sanctissimo Domino & Cardinalibus recitavit Marcus Antonius Buratto advocatus consistorialis; sextum denique pag.* 121, *quod idem Phœbeus congessit tradiditque abbrevia-*

tori de curia, qui juxta hoc & quarto loco nominatum, jam pridem impressum, Bullam conficeret, à Pontifice & Purpuratorum senatu subscribendam, post peractam solemnem canonizationem die 1 *Novembris* 1658.

AUCTORE J. P.

Bulla canonizationis; quæ ex enumeratis edenda.

13 *Hæc Bulla canonizationis tertium instrumentum est, quod innuebam sub initium num.* 10, *quodque, licèt in Gloria posthuma recudam integrum, hîc tamen memorandum censui, quia, cùm brevem Vitæ & virtutum* S. Thomæ *historiam complectatur, aliquoties usu venit in Commentario & Annotatis ad Acta: eadem de causa recensitis jam instrumentis subnecto notitiam alterius instrumenti Ms., quod sub initium anni* 1753 *unus è collegis nostris Romæ descripsit ex Ms. bibliothecæ Angelicæ Ordinis S. Augustini, quodque hunc præfert titulum:* Heroicarum virtutum, actionum & miraculorum, à fratre Thoma de Villanueva, Heremitarum Ordinis S. Augustini, & archiepiscopi Valentini patratorum compendiolum. *Nam cùm & hoc è processibus extractum innuatur, eo dumtaxat utar, ubi ad illustranda alia idoneum videbitur. Ex memoratis autem hactenus lucubrationibus recudam primo loco Vitam à Mugnatonio conscriptam; secundo eam, quæ in Serie Actorum tertia est; tertio denique Salonii Hispanicam Latinè expositam, de modo autem, quem in eo servabo, & quo reliqua, præsertim Coccini Relationem, adhibebo in Annotatis, plenius monebo lectorem ad finem Commentarii, postquam nonnulla discussero, quæ à Salonio & aliis vel minùs clarè vel perperam asserta videntur.*

E

§ II. Locus & annus natalis, parentes ac genus Sancti.

Sanctus natus non est Villanovæ,

VIro huic celeberrimo locus natalis obtigit oppidum seu castrum diœceseos Toletanæ in Castella Nova, *quod aliis* Fontisplanum *appellatur, aliis* Fuenllana, *dimidio circitèr milliario dissitum Villanovâ Infantium, vulgò* de los Infantes, *oppido altero, quod ipse Sanctus cognomento suo celebre effecit usque adeo, ut non defuerint, qui existimarent, in hoc ipso natum illum esse, imò ut eadem opinio locum invenerit in decreto Pauli V PP., concedentis facultatem celebrandæ Missæ ac legendi Officii de Sancto, non tantùm in regno Valentino à Religiosis Ordinis S. Augustini, & in Valentina diœcesi ab aliis etiam Regularibus & clericis, sed & per universam Hispaniam ab iisdem Ordinis S. Augustini Religiosis,* nec non in oppido de Villanova de los Infantes prædicto, (*verba sunt decreti,*) ubi dictus Thomas natus & educatus asseritur, ab omnibus etiam utriusque sexus regularibus ac etiam presbyteris & clericis secularibus *&c. Opinioni isti virisimiliter ansam præbuit ipsemet Joannes Mugnatonius episcopus Segobricensis & , ut præcedente § dictum est, primus* S. Thomæ *biographus, qui sic gesta enarrare exorsus est:* Thomas igitur à Villanova in Villanova ortus est, unde & cognomentum accepit.

F

sed Fontisplani

15 *Idem tradiderat Thomas de Herrera in Alphabeto Augustiniano ita scribens:* Natus fuit Thomas, ut ferunt, anno MCCCCLXXXVIII in Marchia Aragoniæ in oppido Villanova Infantum; *idemque Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano,* Natus fuit, *inquiens*, anno MCCCCLXXXVIII... in oppido dicto Villanova Infantum. *Sed dein-*

AUCTORE J. P.

de ſententiam mutavit Herrera in Hiſtoria conventûs S. Auguſtini Salmanticæ, ubi Vitam Sancti, à Mugnatonio Latinè exaratam, Hiſpanicè expoſuit, & ad calcem hæc verba ſubjecit: Natus eſt ſanctus frater Thomas Fontiſplani, (ut conſtat ex proceſſu canonizationis,) loco diſtante Villanovâ Infantium dimidio milliario. *Rectè ſanè: nam licèt nec in proceſſibus beatificationis & canonizationis, nec in ipſa Bulla Alexandri VII PP., nec apud Salonium ceteroſque ſcriptores, quos vidi, paſſim omnes, diſertè exprimeretur* Fontiſplanum *ſeu* Fuenllana, *unius hoc loco ad Mugnatonium corrigendum ſeu exponendum, multùm valeret teſtimonium Franciſci de Quevedo, qui, ſi Villanovæ natus non ſit, prout dici ait Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana, mortuus tamen illic eſt, ac fortaſſe Vitam* S. Thomæ *conſcripſit, in qua profitetur, natum hunc eſſe Fontiſplani, id meo judicio non facturus; ſi probabilis ratio extitiſſet pro oppido Villanovano.*

16 *Igitur Mugnatonius Sanctum Villanovæ ortum credidit, vel quia ab iſto oppido ipſi cognomentum erat, nec penitiùs rem examinavit, vel quia ſenſu minùs ſtricto originem illic habuiſſe dici potuit, cùm parentes caſu dumtaxat, & fortè non niſi poſt initum matrimonium, Villanovâ diſceſſerint Fontiſplanum, ubi natus ipſis eſt* Thomas *filius primogenitus. Audiamus Salonium:* Solemni ſanctæ Matris Eccleſiæ ritu matrimonium iniertunt, & per aliquot temporis intervallum, ſtatim ab inito matrimonio, occaſione cujuſdam peſtilentiæ Fontiſplani degentes in ædibus ſoceri ſui, cui nomen Garciæ Caſtellanos, hunc iſtic filium procreârunt.... qui dictæ familiæ primogenitus fuit. Quamvis autem lucem acceperit Fontiſplani, educatus fuit Villanovæ; atque hinc juxta morem & conſuetudinem Religioſorum in Caſtella, appellatus eſt pater frater Thomas à Villanova. *Non eumdem etiam annum Sancto natalem attribuunt ſcriptores omnes. Quevedo, & del Caſtillo cum paucis recentioribus notant Chriſti* 1487; *Salonius verò atque alii plerique* 1488, *quibus & nos adhærebimus, tum quia is annus exprimitur in Bulla canonizationis, tum quia del Caſtillo fatetur, ſe Vitæ compendium deſumpſiſſe ex Salonio; & Quevedo non videtur ſic rectè determinâſſe annos ætatis, dicens, mortuum eſſe anno* 1555, *ætatis* 67; *meliùs enim dixiſſet, ætatis* 68 *& multùm quidem provecto, etiamſi natum credidiſſet poſt octavum diem menſis Septembris anni* 1487: *fortaſſe mendum in ejus numeros irrepſit.*

anno 1488.

B

C

17 *De nominibus parentum* S. Thomæ *nulla difficultas eſt: pater ei fuit Alphonſus Thomas Garcia, mater Lucia Martinez Caſtellanos, pietate, religione ac genere illuſtres, ut plurimorum conſtat teſtimonio; plurimorum, inquam, quia licèt de religione ac pietate nullus dubitet, ſunt tamen, qui generis nobilitatem ſilentio ſupprimunt, imò qui expreſsè negant; quo fundamento mox videbimus. Audiamus præcipuorum ſcriptorum verba. Salonius, qui veriſimiliter, negantibus anſam præbuit, ſic loquitur cap.* 1 *lib.* 1: Patres ejus majoreſque fuere omnes de gente præcipua... Plures etenim ex ejus propinquis ex parte tum genitoris tum genitricis religioſi fuere Ordinum militarium S. Jacobi, Calatravæ & S. Joannis; atque hos inter aliqui magnæ Crucis Priores. *Quevedo cap.* 1 *ſic item ſcribit:* Fuit Filius legitimus Alphonſi Thomæ Garciæ ex nobilibus principalioribus Villanovæ Infantium, atque affinis & conſanguinei nobiliorum familiarum iſtius regionis. *Hæc ſcriptores iſti Hiſpani, quorum verba, qua potui fidelitate, Latina feci.*

Parentes ejus ſtirpe

18 *Præter hos auctor compendii Vitæ Latinæ, de quo ſermo fuit num.* 13, *tradit ſequentia:* Natus itaque fuit in oppido de Fuenllana Toletanæ diœceſis ex parentibus Alphonſo Thomas, & Lucia de Caſtellanos, principalioribus oppidorum de Villanova de los infantes & Fuenllana nobilibus. *Auctor item alterius Compendii Latini, quod oblatum fuit Alexandro VII PP., quodque impreſſum habes in Serie Actorum omnium in Canonizatione, pag.* 2 *ſic orditur:* Natus eſt Thomas de Villanova... ex Alphonſo Thoma Garzia & Lucia Martinez nobilioribus oppidorum Villanovæ de los infantes & Fuellanæ gentibus. *Mitto ſcriptores alios tum Hiſpanos, tum exteros, del Caſtillo, Baxium, Nævium, alioſque id ipſum affirmantes, & paucos, quos novi, adverſarios in medium profero. Primus occurrit Ludovicus Torellus in Centuria quarta virorum ac mulierum illuſtrium Ordinis S. Auguſtini ſic Italicè pronuntians pag.* 500. Si ad originem ejus attendamus, quamquam illam acceperit à perſonis conditionis humilis, quoad mundum, fuerunt tamen hæ nobiles coram Deo. *Idem affirmat tom.* 8 *Seculi Auguſtiniani pag.* 373: Parentes ejus revera non fuerunt ſtirpe nobiles, attamen bonis fortunæ à Deo ſufficienter donati. *Accedit Quintanadueñas:* Parentes ejus, *inquit*, agricolæ honeſti, ſi nec divites admodùm, nec antiquâ proſapiâ nobiles, quæ vanitas eſt mundo tantopere comprobata, tamen è ſanguine intaminato. *Aſſentitur utcumque Bailletus ad diem* XVIII *Septembris ita ſcribens:* Parentibus ejus, mediocris ſed honeſtæ familiæ, bona ſuppetebant, unde commodè viverent, imò & eleemoſynas elargirentur.

nobiles fuiſſe contra aliquos,

D

E

19 *Hi, & alii ſi fortaſſe ſint, quos conſulere non potui, opinionem illam veriſimiliùs elicuerunt ex ipſomet Salonio, qui revera hinc inde ad eum modum ſcribit, ipſumque Sanctum loquentem inducit, ut, qui nec ad Salonii contextum attenderit, nec contrariæ opinionis auctoritatem ponderaverit, dubitare poſſit de ſtirpis nobilitate. Demus ſpecimen unum & alterum. Cap.* 8 *lib.* 2 *exponens, quàm parcus eſſet ſanctus Præſul erga propinquos & conſanguineos etiam egentes, ne hiſce impertiret, quod eccleſiæ ſuæ pauperibus debitum exiſtimabat, ſequenti exemplo dicta confirmat. Advenerat aliquando fratris vel ſororis filius (Hiſpanicè* ſobrino,) *qui eum inviſeret, atque certiorem faceret de conjugio filiæ ſuæ, quam in infantia multùm amaverat Sanctus, cum viro litterato, fortaſſe advocato ſeu juriſconſulto, Hiſpanicè* letrado: *quapropter magnopere ſuccenſuit; diſplicebant ei quippe matrimonia inita inter perſonas conditionis inæqualis, atque ipſum objurgans, ſæpiùs iſta verba repetiit:* Filia agricolæ cum litterato! Imprudenter egiſtis. *Explicatu difficilius occurrit exemplum aliud.*

quibus dubitandi vel negandi

F

20 *Fratris ipſius natu minimi filias binas ad nuptias expetebant duo nobiles Villanovani, quòd ſobrinæ eſſent Archiepiſcopi; ea tamen conditione, ut à Patruo dotem acciperent, ſtatui maritorum congruentem. Per litteras ei ſignificatum eſt negotium, expoſitumque, quàm honorificum id futurum eſſet conjugium cognatis omnibus, ſi dotem annueret dignam filiabus fratris ſui, quæ jungendæ erant cum viris nobilibus. Reſpondit Sanctus, ſeſe puellis pauperibus aut orphanis Valentinis ſuppeditare communiter ſingulis triginta libras & aliquando ſexaginta, nobilibus autem juxta conditionem; ac proin* ſobrinas ſuas, quæ nobiles

occaſionem

A biles non erant, ſed filiæ agricolæ, *à ſe donandas eſſe ſingulas libris ſexaginta; nec amplius poſtularent, quoniam id ſibi multum videbatur & quidem ſubtrahendum pauperibus Valentinis: nequaquam autem opus eſſe, ut ſobrinæ ſuæ nuptui tradantur* viris nobilibus, ſed ſui æqualibus.

præbuit 21 *Clara ſunt hæc & valida contra Sancti nobilitatem aſſerta, ſed non aſſumenda ſeorſum ab aliis ejuſdem auctoris dictis, qui alioqui ſibi manifeſtè contradiceret. Nam cap. 1 lib. 1 non obſcurè eamdem nobilitatem aſſeruit verbis ſuprà citatis. Eamdem expreſſiùs declaravit lib. 2 cap. 8, quo & ſequenti narraturus, quàm Virum humilem minimè puderet agnoſcere & hoſpitio excipere pauperes conſanguineos, & quàm tamen parcus eſſet erga ipſos ob rationes mox allegatas, ſic loquitur:* Licèt parentes ejus ac majores omnes eſſent nobiles, homines præcipui & inter populares ſuos divites, ſicut cap. 1 libri præcedentis vidimus, nihilominus inter cognatos ejus & propinquos, (ſicut in multis familiis accidit) erant aliqui agricolæ & pauperes. *Hoc modo quaſi cautelam præmittit, ne lector ſtrictiore ſenſu aſſumat, quæ ipſe deinde dicturus eſt, vel tamquam*

B *à Sancto dicta relaturus.*

Salonius, 22 *Itaque verba num. 20 recitata, habito reſpectu ad alia ejuſdem auctoris dicta, ſic accommodè exponi poſſe exiſtimo, ut Sanctus, (ſi tamen hujus ipſa verba ſint, & non potiùs auctoris,) cùm diceret, ſobrinas ſuas,* quæ nobiles non erant, *nuptui tradendas non eſſe* viris nobilibus, ſed ſui æqualibus, *negare abſolutè noluerit, eas genere nobili eſſe oriundas, ſed declarare dumtaxat, eas earumque parentes, deficientibus fortunæ bonis, redactos eſſe ad agricolarum ſtatum, & horum vivendi modo jam aſſueviſſe; qui proinde non conveniret cum ſtatu virorum nobilium, aliorumque, ſplendidiùs juxta conditionem ac facultates ſuas viventium. Præterea, teſte Joanne Alvarez de Colmenar tom. 6 Deliciarum ſeu deſcriptionis Hiſpaniæ & Luſitaniæ, apud Hiſpanos ferebat uſus, ut quiſquis agriculturæ ſe applicaret, cenſeretur derogare ſtirpis nobilitati; atque is uſus obtinuit uſque ad tempora Philippi tertii Hiſpaniarum regis, qui ob defectum agricolarum contrà declaravit, fore ut nobilitate & ſcuto gentilitio inſigniret omnes, qui ſeriò ſe dederent agriculturæ; quo*

C *ſenſu Sanctus, vigente etiam tum priore illo uſu, de fratris ſui filiabus, aliiſque cognatis, qui per agriculturam ad non nobilium ordinem utcumque deſcenderant, dixiſſe potuit, non eſſe nobiles, quamvis ex nobili proſapia prognati eſſent.*

aſſeritur. 23 *Quidquid ſit, ut aliorum auctoritati ſupersedeam, plurimùm hîc denuo pro Sancti nobilitate valet teſtimonium Franciſci Quevedo ſuprà citatum; nam is* eques *erat* S. Jacobi, *teſte Nicolao Antonio*, dominus uti vulgò audiebat, loci Turris Joannis abbatis in tractu illo Caſtellæ novæ, quem nos Mancha dicimus. *In hoc autem eodem tractu ſita ſunt Villanova & Fontiſplanum, ut proinde vir ille, (quem idem Nicolaus Antonius ſummopere commendat ab ingenio, prudentia & eruditione) ſicut non multum remotus à Sancti temporibus, ita nec procul diſſitus à loco natali, probè noviſſe potuerit ac debuerit genus* S. Thomæ, *ut ejus patrem Alphonſum Thomam Garciam adeo confidenter ſcriberet, affinem fuiſſe & conſanguineum* nobiliorum familiarum iſtius regionis.

Sancti fratres & conſanguinei. 24 *Quamquam nemo ceteros Sancti conſanguineos recenſuerit, ex Salonio tamen lib. 2 cap. 9 binos ejus fratres novimus, quibus ad archiepiſcopatum promotus annuam pecuniæ ſummam ad honeſtè familias ſuſtentandas ſubminiſtrabat, & ſororis maritum, ſuppreſſis tamen nominibus. Tertium fratrem eumque religioſum Ordinis S. Auguſtini reperio apud Herreram in Hiſtoria conventûs ejuſdem Ordinis Salmanticæ cap. 37 pag. 262 his verbis ex Hiſpanico in Latinum converſis:* Frater Joannes Thomas filius erat Alphonſi Thomæ & hujus conjugis Luciæ Martinez de Caſtellanos, civium Villanovæ Infantium. Germanus erat ex utroque parente ſancti fratris Thomæ à Villanova. Habitum ſuſcepit in conventu S. Auguſtini Salmanticæ anno MDXXVII, profeſſionem emiſit XV Decembris MDXXVIII, cùm Prior eſſet venerabilis pater F. Martinus de Eztarrona. Vitæ ipſius non eſt amplior notitia. Videtur morte abreptus fuiſſe in juventute; quoniam ulterior ejus memoria relicta non eſt ſive in relationibus Ordinis, ſive in commentariis provinciæ. *Præter hos avum maternum nobis indicat Salonius cap. 1 lib. 1, & avunculum lib. 2 cap. 8; amita Agnes Garzia nominatur in compendio Vitæ quarto, quod Seriei Actorum pro canonizatione num. 12 laudatæ inſertum eſt.*

AUCTORE J. P.

E

§ III. Studia Sancti chronologicè deducta uſque ad ſolemnem profeſſionem in Ordine Eremitarum S. Auguſtini, ac ſacerdotium.

Sententia Salonii de initiis ſtudiorum S. Thomæ, FUſiore quidem ſtylo geſta Sancti enarravit Salonius, *ſed cùm eò præ ceteris collimâſſe videatur, ut heroïcas ejus virtutes & illuſtria in qualibet vitæ ætate facinora graphicè deſcriberet & firmaret exemplis, non raro accidit, ut ordinem temporis neglexerit; quapropter non abs re fuerit ad lectoris majus commodum chronologicam vitæ ſeriem, ſaltem uſque ad ejus archiepiſcopatum, ex ipſomet Salonio & aliis ſcriptoribus collectam præmittere & eâdem operâ obſervare ac diſcutere, ſi qua in re iidem diſcrepent vel in medium proferant aliquid, quod à biographis fuit prætermiſſum. Natus itaque Sanctus Puer anno 1488, poſtquam pueritiam piiſſimè tranſegiſſet, & in ſolo patrio optimis fuiſſet inſtructus linguæ Latinæ rudimentis, miſſus eſt à parentibus ad Complutenſem academiam, juxta Salonium anno ætatis 15 vel 16; igitur ſub annum Chriſti 1503. Illic dum triennio circitèr,* annos *nimirum* natus octodecim *juxta eumdem Salonium, miros in liberalibus artibus ac theologia progreſſus fecerat, mortuo patre, ſtudia aliquamdiu interrumpere & domum redire compulſus fuit; itaque ſub annum 1506.*

F

& ejus parentis obitu 26 *Hoc temporis intervallo idem Salonius, Quevedo & alii, eos ſecuti, collocant primordia xenodochii, à ſancto Adoleſcente inſtituti ex domo, quam pater ipſi teſtamento reliquerat, & ex reliqua hereditate redditibus muniti, quod etiam nunc exſtare inquiunt, &* xenodochium Archiepiſcopi Valentini *appellari. Non exprimit Salonius, quamdiu à morte patris, huic negotio intentus, moratus ſit apud matrem, ſeu quo anno Complutum reverſus ſit, ita in genere dixiſſe contentus:* Dum Complutum rediit ad proſequenda ſtudia jam à Cardinale F. Franciſco Ximenio archiepiſcopo Toletano erectum erat collegium, ejus academiæ

AUCTORE J. P.

maximum; *addit dein Sanctum fuisse inter primarios illius collegii alumnos, finitoque studiorum cursu, gradum feciſſe ad artium ac theologiæ magiſterium, atque artium cathedrâ donatum esse anno 1514, ætatis suæ circitèr 26. Ea dispositio rerum duplicem, sed unam alterâ majorem, difficultatem offendit in instrumentis aliis.*

partim cum aliis instrumentis componitur,

27 *Nam in compendio Vitæ secundo in Serie Actorum ad canonizationem ita legitur:* Anno ætatis XXII ad universitatem Complutensem perrexit & in collegio sancti Ildephonsi quinquennio ad omnium liberalium artium ac præsertim sacræ Theologiæ studia incumbens, nunquam ab orationibus, jejuniis & flagellis abstinuit: subinde, defuncto patre, quæcumque haberet, in paupe-
B res erogare decrevit, & integro patrimonio virginibus pauperibus fœminis alendis addicto, annum agens XXVII, salutis MDXVI in conventu Salmantino Ordinis S. Augustini nomen dedit *&c. Prima difficultas est in anno, quo Sanctus Complutum perrexit: Salonius notat ætatis 15 vel 16, Christi igitur circitèr 1503; compendium Vitæ jam citatum, cui etiam ibidem consonat compendium primum, anno ætatis 22, igitur Christi circitèr 1511; nam post quinquennium anno 1516 mense Novembri vitam religiosam amplexus est. Sed hæc difficultas, verisimili ratione dissolvitur; cùm enim in compendiis multa rescindantur, ita factum intelligi potest, ut* Thomas *annum habens 15 vel 14 Complutum missus sit anno circitèr 1503, ac post data ingenii & optimæ indolis specimina sub annum 1511 ætatis suæ 22 ad universitatem propiùs accesserit, dum scilicet adscriptus fuit alumnis præcipui collegii. Huic conjecturæ favet compendium tertium, ubi, nulla facta mentione de præviis studiis, simpliciter dicitur, virtutibus & ætate proficiens & sortitus animam bonam, in vigesimo secundo constitutus anno* Thomas *in collegium S. Ildephonsi universitatis Complutensis admissus. Præterea nihil impedit, quominus credamus,* Thomam *annos natum 15 primò Complutum abiisse, post triennium rediisse Villanovam, & hîc aliquamdiu substitisse, sed ob alias rationes, quàm à Salonio, Quevedo aliisque, allegatas, ac demum reversum esse ad resumenda studia Compluti.*

partim ex his corrigitur;

28 *Dixi* ob alias rationes, *nam quod aiunt hi,*
C *Sancto demortuum esse patrem, dum annum ætatis ageret 18, Christi circitèr 1506, prorsus adversatur Vitæ compendiis in Serie Actorum & Bullæ canonizationis; unde transcribo sequentia:* Compluti in collegio S. Ildephonsi in disciplinis & facultatibus omnique virtutum genere doctores ipsos facilè superavit. Logicas subinde & theologicas quæstiones explanavit. Jam verò satis in Christiana palæstra edoctus, ac Euangelici memor effati; Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, audito parentis obitu, se cathedræ ornamento, & commodis abdicavit, ac integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit xenodochium in oppido Villanovæ, adhuc Hospitale Archiepiscopi nuncupatum. *Unde manifestè intelligimus, mortem patris & xenodochii fundationem multò seriùs collocandam esse, puta haud ita dudum ante annum Christi 1516, Sancti 28; idque, sepositâ etiam auctoritate, verisimilius multò est. Neque enim facilè continget, ut mater, quantumcumque pia, & reliqui consanguinei permittant adolescenti annorum octodecim, & studiorum, quæ tamen prosequi decrevit, nondum absoluto cursu, ut se bonis omnibus ad eum modum destituat.*

29 *At verò occurrit casu instrumentum apud Herreram in Historia conventûs Salmanticensis, quod nisi commodo sensu accipiatur vel probetur*
D *supposititicium esse, pugnare videbitur non tantùm cum Salonio & reliquis omnibus, qui de morte parentis* S. Thomæ *ac fundatione xenodochii aliquid memoriæ prodiderunt, verùm etiam cùm recitatis hactenus ex Bulla & Vitæ compendiis. Litteræ sunt, quas ipse Sanctus inscripsit utrique parenti anno 1529, quasque eapropter, & quia alibi dandi locus idoneus se non offert, huc integras transferre visum est. Ita habet:* Frater Thomas de Villanova, Provincialis provinciæ Bethicæ Ordinis patris nostri S. Augustini dilectis in Domino parentibus suis Alphonso Thomæ & Luciæ Martinez ejus uxori, & filiis eorum, fratribus suis, & uxoribus eorum salutem ac sinceram in Domino charitatem. Quamvis ex pietate debitæ charitatis cunctis Christi fidelibus subsidium & auxilium ex Dominico præcepto impartiri teneamur; illis tamen multò ampliùs, quorum & probata dilectio & assidua beneficia, & eleemosynarum frequens elargitio, vehementiùs nos obligant: eis enim spiritualium subsidiorum ampliùs debitores sumus, quorum temporalibus eleemosynis sustentamur.

sensus instrumenti unius, ceteris

E

30 Quapropter, cùm ex fratrum nostrorum certa relatione devotionem, sinceritatem, ac charitatis affectum, quem ad Ordinem nostrum geritis, agnoverimus; cupientes in hoc vestræ devotioni ac charitati mutuam vicem reddere, de omnipotentis Dei misericordia confisus, vobis omnium Missarum, orationum, divinorum officiorum, vigiliarum, meditationum, pœnitentiarum, laborum, disciplinarum, jejuniorum, cæterorumque omnium bonorum operum, quæ per fratres & sorores hujus nostræ provinciæ operari divina clementia dignabitur, communionem ac specialem participationem, harum tenore concedo, & ad universa præfatæ provinciæ suffragia, & nostri Ordinis fraternitatem gratis vos recipio. Tam in vita quàm in morte, ut multiplici sanctarum orationum, atque piorum suffragiorum adjuti præsidio & auxilio hîc gratiæ augmentum, continuumque profectum, & in futuro vitæ æternæ præmium ac cæleste regnum faciliùs consequamini. Datum in nostro conventu Cordubensi anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo nono, die verò vigesima quarta mensis Augusti. Fr. Thomas de Villanova Prior Provincialis. *Hactenus ex laudato Herrera pag. 146, ubi ait, epistolæ autho-*
F *graphum, dum scriberet, servatum fuisse apud P. F. Emmanuelem de Navascues, olim rectorem collegii S. Augustini Agredæ.*

omnibus in speciem oppositus,

accommodè explicatur;

31 *Suppositicias esse has litteras, non video, ex quo capite probari queat; nam, sicut infrà probabo, dictæ provinciæ præfuit Sanctus notato anno, nec ejus successorem reperio ante diem quartum Octobris; hinc verisimiliter privilegium istud concesserit parentibus & ceteris, seu viventibus etiam tunc, seu defunctis, exspirante provinciæ regimine. Nam cùm hujuscemodi instrumentum censeri potiùs debeat diploma quàm familiaris epistola, utpote Latino idiomate etiam mulieribus inscriptum, nec quidquam continens præter privilegium & causas ad illud concedendum impellentes, mirum etiam videri non debet, quòd Sanctus matris & fratrum viventium nominibus præmiserit nomen defuncti patris, cùm expressè dicat, se eos recipere,* tam in vita quam in morte, ut hîc gratiæ augmentum . . . & in futuro vitæ æternæ præmium . . . faciliùs *consequantur. Itaque absolvamus, quæ notanda restant usque ad Sancti ingressum in religionem.*

32 *Si*

AUCTORE J. P.

A *varia ſcriptorum aſſerta de Sancti ſtudiis proponuntur.*

32 *Si rectè notaverit Salonius annum, quo Sanctus artium cathedrâ donatus eſt, puta* 1514, *vix tempus ſufficiens reperiemus, ut feciſſe potuerit, quæ tum ab ipſo Salonio, tum in Bulla canonizationis de eo ſcribuntur, uſque ad menſem Novembrem* 1516, *quo religioſum habitum induit. Nam juxta Salonium philoſophiæ curſum docendo explevit, juxta Bullam etiam* Theologicas quæſtiones explanavit, *imò juxta eumdem Salonium liber dein ab omni ſtudiorum genere de eligendo vitæ ſtatu deliberavit, &* uno anno circitèr eo ſe occupavit, priuſquam Compluto diſcederet. *Quapropter exiſtimem ego,* τὸ circitèr *tam latè hic ſumendum, ut aliquot ſaltem menſes anni* 1516 *explanandis quæſtionibus theologicis impenderit, reliquos uſque ad Novembrem electioni ſtatûs. Mugnatonius in Vita ait Sanctum, priuſquam vitæ monaſticæ ſe dederet, invitatum fuiſſe à Salmanticenſi academia,* ut cathedram, quam vocant philoſophiæ naturalis, moderari vellet, haudquaquam levi propoſito ſalario; *ſed* repudiavit, *inquit,* libenter oblatum honorem, ... & quem neque honorum, neque aliarum commoditatum irritamenta Salmanticam perduxerant, Chriſti Redemptoris imitatio perfectæque virtutis ſtudium eò pertulerunt. *Mugnatonio in re conſentiunt Salonius & alii plures; paululùm diſſentit Quevedo ſcribens,* Thomam *vocatum illuc fuiſſe, ut* moralem *prælegeret, & ut ſeſe gratum exhiberet benevolentiæ univerſitatis, trinas ibidem prælectiones habuiſſe, in poſteriori expoſuiſſe pſalmum* In exitu Iſraël de Ægypto, *ac dein altero die induiſſe habitum Ordinis S. Auguſtini: unde hæc acceperit, incompertum mihi eſt: multò minùs aſſequor, unde hauſerit Bailletus, quæ refert tom.* 3 *de Vitis Sanctorum ad diem* XVIII *Septembris his verbis:* Docuit philoſophiam moralem Salmanticæ biennio altero; *& paulo poſt:* Recepit ſe anno MDXVIII in domum, quam habent Salmanticæ *Eremitæ S. Auguſtini. Hæc enim manifeſtè adverſantur ſcriptoribus & inſtrumentis omnibus, quæ conſului, ac proin perperam aſſeruntur. Sunt qui aliter diſponunt annos Sancti uſque ad ingreſſum in Ordinem S. Auguſtini, quibus examinandis ſuperſedeo, ſufficere exiſtimans in medium protuliſſe auctores præcipuos.*

B

Habitum S. Auguſtini ſuſcepit anno 1516, *ſuper quo*

33 Ordini Eremitarum S. Auguſtini in Salmantino conventu nomen dedit (S. Thomas) die XXIV Novembris MDXVI. *Ita in Bulla canonizationis, cui quoad diem, menſem & annum conſonat compendium Vitæ tertium; quoad annum verò & menſem neminem diſſentientem reperi præter jam laudatum Bailletum & mox laudandum Cruſenium. In die differunt Salonius, Quevedo, Baxius & alii recentiores, qui expreſsè ſignant feſtum præſentatæ in templo beatiſſimæ Mariæ Virginis, igitur* XXI, *niſi fortaſſe eo tempore ex cauſa, neſcio quâ, ibidem celebratum fuerit die* XXIV; *certè in eo conſentiunt priores duo aliis num.* 35 *citandis, ut ſtatuant ſolemnem profeſſionem anno* 1517 *die* XXV *Novembris, ſacra beatæ Catharinæ virgini & martyri. Notabile eſt, quod memorat Nicolaus Cruſenius in Monaſtico Auguſtiniano ſuper acceſſu* S. Thomæ *ad Ordinem ſuum:* Eodem hoc anno MDXVII, *inquit pag.* 190, ... à vera fide catholica defecit Martinus Lutherus; *& quibuſdam interpoſitis, ſic proſequitur pag.* 191: Eodem hoc anno, immò eadem die divino miraculo Salmanticæ ſuſcepit habitum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini beatus Thomas de Villanova, per quem Deus voluit reſtaurare in Ordine id, quod tunc per Lutherum adimebatur, cujus etiam meritis pro demeritis ſceleſti iſtius apoſtatæ videbatur ita Deus delectari, ut religioni parceret, in illaque eodem tempore plures viros eruditione ac pietate præſtantes excitaret, qui Spiritu Dei acti ad pugnandum pro ſancta matre Eccleſia egrederentur, armati doctrinâ ac moribus fortiſſimè. *Optima ſanè animadverſio; ſed malim tam ſtrictè non determinâſſet annum ac diem, poſuiſſetque potiùs,* S. Thomam *in Salmanticenſi tyrocinio vitæ, poſtea tantum ſplendorem ſanctiſſimo Ordini, tantamque fidei Catholicæ utilitatem allaturæ, poſuiſſe fundamenta eodem tempore, quo Luther tanto Ordinis dolore & Eccleſiæ detrimento cœpit in Germania ſpargere hæreſeos ſuæ ſemina. Neque enim quoad annum aſſumpti habitus aſſentiri illi poſſum, ubi tot tamque ſolida ſtant teſtimonia pro anno* 1516. *Fortè per aſſumptum habitum deſignare voluit ſolemnem profeſſionem, prout rectiùs exprimit Torellus tom.* 8 *Annalium pag.* 375, *ita ſcribens:* Admiſſus eſt ad ſolemnem profeſſionem die ſacra ... S. Catharinæ ... anno Domini MDXVII, quo anno per adeptionem hujus magni Sancti placuit divinæ bonitati reparare damnum, quod religioni in Germania intulerat infernus draco Eiſlebenſis.

E *& Sancti ætate aliqua obſervantur.*

34 *Variant auctores, ubi notant, quo ætatis anno Sanctus habitum ſuſceperit; Mugnatonius, à quo vix differt Salonius,* habitum, *inquit,* ſuſcepit anno ætatis circitèr trigeſimo. *Bulla canonizationis cum prioribus Vitæ compendiis:* Cùm annum ſeptimum & vigeſimum ageret. *Cauſam diſcriminis hinc ortam exiſtimo, quòd, cùm non reperiatur dies ac menſis natalis* S. Thomæ, *alii numerare cœperint ab initio anni* 1588, *alii ab exitu, & præterea alii completos annos ſignârint, alii incompletos. Sic ſi natum ſupponamus poſt Novembrem* 1488, *menſe eodem* 1516 *necdum compleverat annum ætatis vigeſimum octavum, & ita intelligimus, cur Bulla ei tantùm attribuat annos ætatis ſeptem & viginti, puta completos. Contra verò ſi nativitatem ſtatuamus menſe Januario vel Februario anni* 1488, *recurrentibus iiſdem menſibus anno* 1516, *annum ætatis vigeſimum octavum habuit completum; menſe Novembri vigeſimum nonum valdè productum, ac proin non procul erat ab inchoando trigeſimo; hunc fortaſſe computum iniit Mugnatonius, dum dixit, ſuſcepiſſe habitum anno circitèr trigeſimo, eumdemque Salonius & alii.*

F *profeſſus eſt anno* 1517.

35 *Herrera in Hiſtoria conventûs Salmanticenſis, Salonius, Quevedo, auctor compendii Vitæ Ms. & alii plerique, Sanctum ſolemni profeſſione ſe Deo conſecrâſſe tradunt anno* 1517, *die* XXV *Novembris, S. Catharinæ ſacra, proxima ſcilicet à completo anno novitiatûs, quo ſenſu accipienda etiam ſunt verba Bullæ canonizationis, quæ ſic habet:* Recurrente mox eadem die XXIV Novembris ibidem ſolemnem profeſſionem emiſit: *Puta, mox ſequenti die, ut moris eſt.* Poſt elapſum à votorum nuncupatione annum ſacerdos inauguratus eſt, habens annos ætatis triginta duos completos. *Ita Salonius, mox ſubdens, primum Sacrificium à Sancto celebratum fuiſſe feſto Nativitatis Domini; itaque anno* 1518 *die* XXV *Decembris. At minùs accuratus hîc eſt auctoris iterum computus; nam ne ab initio quidem anni* 1488, *Sancto natalis, uſque ad feſtum Nativitatis anno* 1518 *ſtrictè reperiri poſſunt anni triginta & unus completi, nedum triginta duo. Quevedo Sanctum ſacerdotio initiatum fuiſſe ait, natum annos triginta duos, ſed quo anno id factum ſit, non deſignat.*

36 *Hinc, credo, Auguſtinus Maria Arpe in*

AUCTORE J. P.

Pantheo Augustiniano, S. Thomæ *sacerdotium distulit usque ad Decembrem anni* 1520, *cui assentiri nequeo; nam anno* 1519 *electus est Prior conventûs Salmanticensis, ut patet ex Bulla canonizationis, ex Vitæ compendiis in Serie Actorum, & ex præcipuis auctoribus, idque constat, teste Salonio, ex libris ejusdem conventus. Herrera, qui sequenti seculo Prior Salmanticæ, ex ibidem inventis scriptis, ac monumentis atque Ordinis Chronicis Historiam suam concinnavit, id ipsum asserit pag.* 251, *moxque subdit, ipsum* S. Thomam *excepisse solemnem professionem fratris Hieronymi Ximenez die* XXIII *Augusti anni* 1519; *quæ satis indicant, ipsum tunc temporis fuisse presbyterum; quapropter retinendus annus* 1518 *à Salonio designatus; sed annus unus alterve detrahendus ab ætate, quam ipsi tunc attribuit.*

Jacerdotio initiatus 1518.

§ IV. Munia, quæ obiit Sanctus in provincia sua usque ad annum 1534, chronologicè disponuntur.

B

Vix expleto biennio à professione

QUemadmodum § *præcedente strictim percurrimus, ac paucis discussimus seriem annorum* S. Thomæ *à nativitate usque ad susceptum in conventu S. Augustini Salmanticæ sacerdotium, ita pergemus hîc, servata temporum serie, perstringere officia ac prælaturas, quibus functus est tum in eodem conventu tum per provinciam universam, pro reliquis, puta, quæ spectant ad virtutes, pietatem & egregiè facta, lectorem similiter remittentes ad biographos. Hic autem multum commodi & adjumenti nobis afferet Herrera in laudata conventûs Salmanticensis Historia, ut evolvamus ea, quæ Salonius ac alii confusè dumtaxat tradiderunt ac generatim. Emissa igitur solemni professione anno* 1517 *die* XXV *Novembris, atque suscepto sacerdotio* 1518 *mense Decembri, Sanctus constitutus est ejusdem conventûs Salmanticensis Prior biennio circiter post emissam professionem anno scilicet* 1519; quæ res fuit, *inquit Salonius* planè, extraordinaria nec visa umquam in nostro Ordine. *Innuitque dein, moris fuisse in ea provincia, ut nemo Prior constitueretur ante completum à professione septennium.*

C

Prior fit Salmanticæ anno 1519; *dein Burgis Prior*

38 *Eumdem annum* 1519 *notat Herrera, ut præcedente* § *dictum est; itemque auctor compendii Vitæ Ms. Quevedo autem* anno & medio post professionem; *Bulla canonizationis, & iisdem penè verbis compendia Vitæ impressa:* Vix elapso biennio. *Ac proinde audiendi non sunt, si qui seriùs id factum existiment, sicut Bailletus, suprà citatus, qui Sancti ingressum in religionem differt ad annum* 1518, *& post duos annos & medium à professione Priorem Salmanticensis conventûs constitutum fuisse scribit, sic perveniens ad annum usque* 1522. Expleto Salmanticensis præfecturæ cursu, *verba sunt Salonii*, electus est Prior Burgensi monasterio, factum id fuerit ad annum millesimum quingentesimum vigesimum secundum. Dein anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, jussu reverendissimi patris generalis, magistri F. Gabrielis Veneti, visitavit Andalusiam & Castellam, quæ unicam id temporis conficiebant provinciam, ut constat ex antiquis codicibus Salmanticensibus. *Sed occurrit hîc aliqualis difficultas: etenim secundùm Herreram celebrabantur comitia provincialia singulis biennii, atque in singulis comitiis eligebatur novus provinciæ præfectus, imò & novus Prior Salmanticensis, eaque consuetudo duravit usque ad annum* 1531, *quo ex voluntate Prioris generalis totius Ordinis haberi cœperunt comitia provincialia, & immutari officia singulis trienniis dumtaxat.*

D

39 *Prioratum ergo Salmanticensem complevit Sanctus anno* 1521; *& revera juxta eumdem Herreram in Historia conventûs pag.* 252 *dicto anno comitia habita sunt mense Aprili, ac Prior suffectus est domui Salmanticensi P. Ferdinandus de Toledo, de quo scribit in hunc modum idem auctor in Alphabeto Augustiniano:* In veteri professionum codice hæc de illo: "Ipse est magnus homo in sanctitate & in prælatia.„ Anno MDXXI, domum Salamanticensem sanctissimè gubernabat. *Sed, fatente iterum Herrera in Historia pag.* 253; *P. Antonius de Solis, qui conventui Salmanticensi Prior constitutus fuit anno* 1554, *notat in Commentario bonorum ejusdem conventus, quòd domina Isabella Nieto testamentum suum legitimè coram tabellione Christophoro Fernandez incipiens die* XIX *Septembris* 1522, *nec perficere valens, ejus perficiendi potestatem fecerit* P. F. Thomæ à Villanova Priori Salmanticensi *& F. Augustino de Zayas, qui id perfecerunt Salmanticæ die* IV *Octobris ejusdem anni* 1522. *Hæc, quæ ulteriùs non discutit Herrera, si vera sint, duos fuisse oportet eidem Salmanticensi domui Priores currente eodem biennio, nec satis intelligitur, quomodo* S. Thomas *eodem anno Prior fuerit Burgis, ut tradit Salonius.*

electus dicitur; sed Salmanticæ substitisse videtur

E

40 *Nodus haud difficulter dissolvitur dicendo, vel in numeros P. Antonii de Solis irrepsisse mendum, maximè cùm anno* 1523 *denuo Salmanticæ Prior fuerit* S. Thomas, *ut mox sequetur, vel instrumento anni* 1522 *perperam adjectas fuisse particulas* Priori Salmanticensi. *Sed aliam rei explicandæ viam aperit Herrera in laudata Historia pag.* 252 *& iterum pag.* 267, *ubi turbas enarrat eodem tempore occasione comitiorum in Castellana provincia obortas. Rem paucis accipe: Anno* 1519 *in comitiis designatus fuerat habendis comitiis proximis anno* 1521 *conventus Toletanus. Sed adveniente dicto anno P. Franciscus de la Parra provinciæ præfectus, contra ac statutum fuerat, locum alium comitiis delegit, & sic provincia in duas partes divisa est, aliis ipsum sequentibus, aliis contendentibus ad locum designatum, & utrobique electus est Prior provincialis; & ab illis quidem secundò electus fuisse videtur P. de la Parra, ab his verò, quibus verisimiliter præsedit Sanctus noster, suffectus est P. Didacus de la Torre.*

propter turbas & comitia

F

41 *Præsedisse autem Sanctum Toletanis comitiis colligo ex iis, quæ narrantur in Vita memorati P. Francisci de la Parra apud Herreram in Historia pag.* 267. *Verba ipsa, quia manifestè probant, quanti jam fieret Sancti prudentia & in rebus agendis dexteritas, huc transfero partim Latina, partim ex Hispanico Latinè reddita;* In Actis Ordinis die XXXI Octobris MDXX. Pater generalis proximorum comitiorum præsidem denominat primo loco fratrem Thomam, Priorem Salmanticæ; secundo magistrum fratrem Antonium de Villasandino, ac tertio fratrem Petrum de Carrion, & demandat diffinitorio, "ut audiant querelas, (*hæc Latinè exprimuntur,*) contra fratrem Franciscum de la Parra provincialem præsentem.„ Die autem XXVI Januarii MDXXI pater generalis vices suas committit, (*alias* commissarios suos constituit,) in comitiis tamen

provinciæ, quibus à Priore generali præses constitutus est,

pro-

provincialibus, magiſtro Thomæ, Priori Salmanticenſi, & magiſtro Antonio de Villaſandino "in „cauſa (*hæc iterum Latinè,*) querelarum contrà „fratrem Franciſcum de la Parra.„... Primo die Martii ejuſdem anni MDXXI vicarios generales inſtituit, ut viſitent provinciam Caſtellæ, M. Thomam Priorem Salmanticenſem, ... & M. Antonium de Villaſandino; quia provincialis non poteſt „frater Franciſcus de la Parra, & morbo laborans, & „populi tumultuantis jam in tota illa provincia in„ſidias pertimeſcens, aliiſque legitimis rationibus.„

AUCTORE J. P.

42 *Ex hiſce, inquam, colligo, præſediſſe Sanctum Toletanis comitiis: nam ſat veriſimile eſt, P. Franciſcum de la Parra ideo potiſſimùm alio loco habuiſſe cum ſuis comitia, quia moleſtè ferebat,* S. Thomam *duoſque ſocios conſtitutos fuiſſe comitiorum præſides & in cauſa ipſius judices. Adde, quòd, lite dein ad judicem delata, & arbitris commiſſâ, hi damnârint patris de la Parra agendi modum, & electionem novi provinciæ præfecti P. Didaci de la Torre comprobârint; procul dubio, quia facta fuerat juxta Ordinis inſtituta, debito loco, & coram præſidibus à Priore generali delegatis. Pluribus turbæ iſtæ deſcribuntur apud Herreram in Vita dicti P. de La Parra, qui ibidem deinde multùm laudatur à vitæ ac morum honeſtate & pietate. Porrò ut ad prioratum Salmanticenſem revertar, ſuſpicor* S. Thomam *Burgenſis conventûs, cui juxta Salonium Prior fuerat electus, regimen reliquiſſe alteri, ac ſubſtitiſſe Salmanticæ; donec lis ſuper comitiis & electione Provincialis deciſa eſſet. Quo fortaſſe temporis intervallo P. Ferdinandus de Toledo prioratui Salmanticenſi renuntiavit, vel vivere deſiit, (ejus certè poſt menſem Auguſtum 1521 nullibi mentionem reperio,) atque ea occaſione præſens* S. Thomas *regimen ejuſdem domus reſumere compulſus fuit. Hoc pacto intelligimus, verè eum ſcribi potuiſſe Priorem Salmanticenſem menſe Septembri anno 1522.*

& veriſimiliùs præſedit;

43 *Accedit, quòd in catalogo Priorum Burgenſis monaſterii apud Herreram pag. 168, ad annos 1522 & 1523 tamquam Prior occurrat P. Martinus de Eztarrona. Anno 1523, ut notat Herrera pag. 254, die XXV Aprilis comitia celebrata ſunt Toleti, & ſecundò denominatus eſt Prior Salmanticæ* S. Thomas, *ut ſuprà inſinuavi. Salonius ſecundum Sancti Salmanticæ prioratum differt in annum 1530, ſed perperàm, ut equidem exiſtimo, atque ut ita exiſtimem confidentiùs, præbet ipſe fundamentum. Nam cap. 14 lib. 1 citatis libris profeſſionum & proceſſibus ad beatificationem & canonizationem in Caſtella inſtitutis, recenſet viros præclariſſimos, quibus habitum Ordinis conceſſit Sanctus, vel quorum profeſſionem excepit, & hos inter nominat Alphonſum de Orozco. Sed is apud Herreram, qui libros profeſſionum Salmanticenſes ſimiliter citat ſæpiùs, pag. 254 dicitur profeſſionem emiſiſſe Salmanticæ die IX Junii anni 1523, idemque repetitur pag. 394, ubi ejuſdem Alphonſi Vita recitatur, collecta ex compendio impreſſo informationum de ejus Sanctitate, vita ac miraculis, & ex variis auctoribus & inſtrumentis aliis, atque expreſsè adduntur hæc verba:* Cùm Prior eſſet illius domus ſanctus F. Thomas à Villanova. *Annum eumdem notant auctores alii in Elogiis dicti Alphonſi.*

ſecundò Prior fit Salmanticæ 1523;

44 *Anno 1525 die XIII Maii juxta Herreram habita ſunt comitia provincialia Valliſoleti, quo tempore Sanctus fungebatur munere viſitatoris provinciæ, ut ſuperiùs innuebat Salonius, & conſtat ex clauſula, quâ Acta in comitiis confirmavit, quamque Latinè ſic exprimit laudatus Herrera pag. 256:* Nos igitur frater Thomas & frater Joannes Gallego, authoritate reverendiſſimi P. M. F. Gabriëlis Veneti, generalis Ordinis noſtri, hujus provinciæ viſitatores & reformatores, de conſilio & aſſenſu R. P. provincialis & diffinitorum, omnibus ſupraſcriptis noſtram, imò potiùs generalis noſtri reverendiſſimi, interponimus authoritatem, volentes ſic, ut ſcriptum eſt, ab omnibus inviolabiliter obſervari. Anno Domini MDXXV, die verò XXI menſis Maii. F. Thomas, Commiſſarius. F. Joannes Gallego, commiſſarius. *Totum hunc annum videtur Sanctus cum dicto patre Gallego impendiſſe viſitando provinciam, diſponendo, &, ſicut ait Salonius, per litteras ſignificando reverendiſſimo generali, quo pacto faciliùs fieri poſſet ejuſdem provinciæ in duas diviſio, quam non tantùm Hiſpani patres, ſed Cæſar ipſe per legatum ſuum flagitaverant; ut patet ex epiſtola dicti generalis, diviſionem approbantis ac decernentis. Exſtat illa Hiſpanicè apud Herreram pag. 257, & ſcripta notatur* Tarviſii in noſtris comitiis generalibus die XXII Maii MDXXVI.

1525 provinciæ viſitator & reformator fuit.

45 *Memorata diviſio provinciæ, in Caſtellanam ſcilicet & Bæticam ſeu Andaluſiæ, dein authoritate ſummi Pontificis confirmata eſt, & exſecutioni mandata anno 1527 in conventu Duennenſi ſeu* Dominarum *oppidi, vulgò Dueñas; ubi dis XX menſis Maii ritè inchoata ſunt comitia provinciæ, ut antè unitæ, &, priuſquam ad provincialium Priorum electionem procederetur, decreto totius cœtus ſex denominati ſunt è præcipuis patribus, qui unà cum patribus viſitatoribus ſeu delegatis Prioris generalis,* nimirum F. Joanne Gallego & F. Thoma à Villanova, ſtatuerent ac definirent, quod ad communem utriuſque provinciæ utilitatem videretur eſſe congruum. *Verba hæc dat Hiſpanicè Herrera ex Actis comitiorum pag. 259. Ab hiſce præter alia definitum eſt, ut pro hac vice dumtaxat primò patres Bæticæ provinciæ ſibi provincialem eligerent:* Electus eſt autem, (*hæc recitat Latinè Salonius ex codicibus provinciæ,*) primò canonicè in favorem Bethicæ provinciæ, pro hac vice dumtaxat, reverendus pater F. Thomas à Villanova *&c. Pro Caſtellana provincia electus eſt pater Joannes Gallego, ambo nempe viſitatores, quod munus etiam cum hiſce comitiis ceſsâſſe ſcribit Herrera. Eo ſeſe liberari, allatis variis rationibus, petierat antè Sanctus; tandemque reſcripſit Prior generalis dicto anno 1527 in hæc verba:* Ne multiplicentur capita, ambos viſitatores præfatos abſolvimus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

1527 *Bæticæ provinciæ a Caſtellana diviſæ præficitur.*

46 *Quid egerit Sanctus vel ubi degerit, finitâ provinciæ Bæticæ præfecturâ, uſque ad annum 1531 certis teſtimoniis memoriæ proditum non reperio; certè mihi nullatenus probatur, quod ſcribit Salonius cap. 12 lib. 1 his verbis:* Anno dein milleſimo quingentiſimo trigeſimo, quo complevit Andaluziæ provinciæ præfecturam, electus eſt Prior Salmanticenſis monaſterii, & hæ fuerunt ſecundæ vices, quibus antè dixi, eum præfuiſſe Salmanticæ. *Nam, ut nos ſuprà oſtendimus,* S. Thomas *ſecundò fuit Prior Salmanticæ anno 1523; reliqua verò Salonii verba repugnant partim conſuetudini iſtius temporis, partim inſtrumentis, quibus uſus eſt Herrera. Etenim primò, quod & ſuprà indicavi, nec obſervatum fuiſſe opinor à Salonio, uſque ad annum 1531 conſuetudo tulit in Hiſpania, ut officia Ordinis immutarentur ſingulis bienniis; igitur provinciæ Baticæ præfecturam complevit Sanctus anno 1529, quo ipſi ſubrogatus eſt P. Joannes de las Caſas, & quo tamquam provin-*

1530 *non videtur fuiſſe Prior Salmanticæ,*

AUCTORE J. P.

vincialis ac vicarius generalis idem Joannes de las Casas die IV *Octobris in Assidonensi Andaluziæ parthenone professionem excepit sororis Joannæ à S. Michaële, testante Herrera ac citante dictæ provincie archiva pag.* 97. *Secundò similiter in Castellana provincia celebrata sunt comitia die* XVII *Aprilis* 1529, *electusque est prior Salmanticensis conventûs P. Joannes Gallego, qui præfuerat toti provinciæ, quique die* XXII *Julii ejusdem anni, ut Prior Salmanticensis professionem excepit F. Joannis à S. Vincentio, ut tradit Herrera pag.* 263, *& iterum pag.* 339, *ubi pauca verba recitat ex libris professionum; denique anno* 1531 *die* XXIX *Aprilis habita sunt Castellanæ provinciæ comitia in conventu Sanctorum prope Vallisoletum; quando officia cœperunt continuari ad triennium, & constitutus est Prior Salmanticensis P. Augustinus de la Torre. Adeo ut intelligi haud facilè queat, quo pacto* S. Thomas *anno* 1530 *eidem Salmanticensi conventui Prior electus sit juxta Salonium. Attamen cùm nulla nobis per memoratos annos Sancti occurrat mentio, demus conjecturæ locum. Non est omnino alienum à verisimilitudine, quòd, finitâ pro-*

B *vinciæ Bæticæ præfecturâ anno* 1529, *Salmanticam reversus sit Sanctus, utpote istius domus filius; fieri autem potuit, ut per illud biennium, quo ipse nullo, nisi verisimiliùs concionantis, officio distinebatur, vel ægrotaverit vel abfuerit Prior Joannes Gallego, & illi cura regiminis fuerit demandata; atque hinc fortè contigit, ut Salonius reperiens, actum esse aliquid à Sancto nostro, quod à Priore domûs præstari assolet, neque rem ulteriùs discutiens, putaverit revera fuisse ejusdem biennii Priorem.*

1531 *usque ad* 1534 *præfuit Burgis,*

47 *Sed denuo obscurus est eodem loco Salonius; etenim post verba, quibus ait, Sanctum electum fuisse Priorem Salmanticensem anno* 1530, *mox subnectit sequentia:* In comitiis proximis Castellæ, anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto præpositus est provinciæ Castellanæ. *Sed comitia proxima habita sunt anno* 1531, *ut præcedente num. diximus, & in iis provinciæ Castellanæ præses constitutus est P. Franciscus de Nieva; Prior verò Salmanticensis domus P. Augustinus de la Torre, ut scribit Herrera pag.* 263, *addens in Alphabeto, de Augustino de la Torre sic haberi in antiquo libro professionum:* Magnus prædi-

C cator, Prior Salmantinus. *Restat igitur, ut indagemus, quid egerit vel ubi commoratus fuerit Sanctus ab anno* 1531 *usque ad* 1534. *Lucem affert Herrera pag.* 165, *ubi ex suis monumentis recensens filios illustres conventûs Burgensis, ita loquitur Hispanicè:* Frater Nicolaus de Eztarrona professionem emisit vigesima septima Julii millesimo quingentesimo trigesimo tertio, cùm Prior esset sanctus frater Thomas à Villanovâ. *Pag.* 168 *in catalogo Priorum ejusdem domus meminit* S. Thomæ *ad annum* 1532, *&, paucis interpositis, expressè dicit:* Erat Prior XXIII Martii MDXXXIV. *Idem insinuat pag.* 272 *in Vita P. Joannis Gallego, qui eidem domui Prior* S. Thomæ *suffectus est. Atque hinc sufficienter apparet, Sanctum præfuisse Burgensi conventui ab anno* 1531 *usque ad* 1534.

& fortè ex parte sacræ inquisitionis librorum censor.

48 *Ad hoc tempus fortasse referri debet, quod, silente Salonio, scribit Herrera in Alphabeto his verbis:* Fuit D. Thomas ex commissione Alphonsi Manriquii, supremi in Hispaniis fidei censoris, examinator omnium librorum, quorum censura ad sacrum Inquisitionis senatum spectat. Sic enim Alphonsus Veracruzius, vir doctissimus, in suis in Libros de anima Commentariis, in epistola dedi- D catoria ad Thomam ait: Meritò ab archipræsule Hispalensi, causarum fidei supremo censore Manrico, cùm esses Burgis Prior in nostro conventu, examinandorum omnium librorum cura tibi commissa fuit. *Dixi, fortasse ad hoc tempus referri debere; nam, ut mox videbimus, Burgis secundò Prior fuit anno* 1537, *& memoratus archiepiscopus, S. R. E. Cardinalis tituli sanctorum duodecim Apostolorum in vivis superstes fuit usque ad diem* XXVIII *Septembris* 1538, *ut tradit cum aliis Ægidius Davila in Theatro ecclesiastico utriusque Castellæ; ac proin in secundo hoc prioratu munus istud Sancto committi potuit.*

§ V. Reliqua officiorum chronotaxis producitur usque ad annum 1544.

1534 *toti provinciæ, &* 1537 *Burgensi* E

COmitia *Castellana habita sunt Burgis die* XXV *Aprilis anni* 1534, *in iisque, ut suprà significabat Salonius, &, nemine, quem vidi, scriptorum dissentiente, affirmat Herrera, creatus est provinciæ præses* S. Thomas, *cujus in hoc munere constituti gesta quædam ab auctoribus relata, discussione indigent; sed hanc differimus, donec reliquam annorum seriem usque ad archiepiscopatum Valentinum paucis absolverimus. Anno* 1537 *die* XXVIII *Aprilis celebrata sunt ejusdem provinciæ comitia in conventu Arenarum S. Mariæ de Pilari, & in his, teste Herrera pag.* 283, *Sanctus noster declaratus est provinciæ diffinitor, & secunda vice Prior Burgensis, eodem teste Herrera pag.* 169 *in Catalogo Priorum, ubi P. Alphonsus de Avila ipsi Prior substituitur ad annum* 1540, *quo in Duennensi seu Dominarum conventu provinciæ comitia die* XXIV *Aprilis instituta fuisse reperio pag.* 284, *sed nulla hic fit mentio* S. Thomæ.

conventui præest; & hic moratur usque ad 1541 F

50 *Salonius dicit, Sanctum Burgis commoratum esse* usque ad annum millesimum quingentesimum quadragèsimum primum. *Causam hujus moræ præcipuam discimus ex Herrera in Alphabeto tum ad lit. M., ubi agit de Maria Aragonia, Ferdinandi regis Catholici filia, tum ad lit. T., ubi agit de Sancto nostro. Fuit autem ista: Ordinem S. Augustini in conventu regio S. Mariæ Matricalensi (Madrigal) professa erat laudata Maria Aragonia, ac dein constituta priorissa,* & inde, (*verba sunt Herreræ,*) translata ad regale monasterium Burgense Ordinis Cisterciensis, nuncupatum de las Huelgas, ut abbatissæ munere fungens, omnia reformaret & regeret.... Habuit ibi in patrem spiritualem & consiliarium B. Thomam à Villanova, quem à conventu Burgensi non amoveri à generali Seripando postulavit. *Lustrabat memoratus Seripandus Hispaniæ ac Lusitaniæ provincias, eratque id temporis in Lusitania, sicut intelligimus ex ipsiusmet verbis, quæ recitat Herrera ex ejus registro seu commentario ad diem* XII *Augusti anni* 1541 *in hunc modum:* Rogavit nos illustrissima domina Maria Aragonia, Ordinis nostri monialis, ut F. Thomam à Villanova (*legitur, errore typothetæ, ut credo,* Fr. Thoma Villanova,) cujus consiliis & operâ in rebus animæ maximè utebatur, à conventu nostro Burgensi non amoveremus; idque etiam petiit sereniissima Lusitaniæ regina, ac illustrissimus Hispaniæ princeps (*Phi-*

A (*Philippus*) per ejus legatum apud Lusitanorum regem.

quo invitatus à Priore generali,

51 *Porrò ipse Seripandus verisimillimè memoratæ religiosæ principi ejusce petitionis faciendæ occasionem dederat. Etenim, priusquam in Lusitaniam proficisceretur, ardens* cupiditate quadam incredibili & admirabili, *uti ipsemet loquitur*, agnoscendi, complectendi & audiendi Virum, quem quærebat anima, *Hispali Burgos ad Sanctum litteras, amoris significatione plenissimas, direxit die* XXVI *Junii dicti anni* 1541; *atque eum, ut ad se quamprimùm veniret, invitans, præter alia scripserat in hunc modum:* Quare, charissime Frater, nisi velis, quod turpissimum est, amore & benevolentiâ provocatus non respondere, huic nostræ diuturnæ siti satisfacere cogita: id autem facies, si redeuntibus nobis ex Lusitania, quod futurum, Deo volente, speramus, per Septembris initia mensis, obviàm Toletum usque venias. Atque etiam, si absque magno tuo incommodo fieri possit, cupimus, etiam antequam Toletum nos perveniamus, videre te: (est enim omnis moræ Christianus amor impatiens,) ut nostris molestiis, laboribus & solicitudinibus levamentum aliquod afferas. *Ita ille apud Salonium, qui litteras integras Latinè recitat. Hisce, inquam, verisimillimè occasionem præbuit Seripandus, ut excitata religiosa princeps & anxia, ne Sanctus, utpote nullo officio Burgis retentus, aliò vocaretur, atque sic ipsa destitueretur ejus consilio & auxilio, per se & alios institerit, ut hoc ne fieret.*

B

Toletum proficiscitur;

52 *Prudentior erat Seripandus, quàm ut abnuisset serenissimarum principum postulationibus; putem tamen, ipsum etiam per litteras, allegatis justis rationibus, institisse præsertim apud Mariam Aragoniam atque impetrâsse, ut hæc à precibus suis desisteret, & non invita abire pateretur* S. Thomam, *quem ipse animo destinaverat præficere toti provinciæ Hispaniæ: quamvis, disponente divina Providentia, res aliter ceciderit, ut post videbimus. Ceterùm mense Septembri, prout desideraverat Prior generalis, Sanctus abiit Toletum, quò idem generalis Prior vocaverat quoque præter provincialem Priores aliquot præcipuorum Castellæ conventuum, & ubi die* XXX *mensis habita est consultatio, ac decreta denuo conjunctio provinciæ Bæticæ cum Castellana. Acta dictæ consultationis eruta ex monumentis provinciæ Bæticæ exhibet, pro parte saltem, Herrera in Historia Salmanticensis conventûs pag.* 98, *eadem nos hìc subjicimus.*

C

Provincia Bætica unitur Castellanæ eodem anno

53 Pateat omnibus, ad quos has litteras pervenire necesse fuerit, quòd F. Hieronymus Neapolitanus Ordin. Erem. S. Augustini Prior generalis, congregatis omnibus subscriptis patribus, provinciali & Prioribus primarum domorum provinciæ Castellæ ejusdem Ordinis in domo S. Augustini civitatis Toletanæ, singulariter & seorsum vota omnium & sententias rogavit pro remedio adhibendo opportuno reformationi provinciæ Bethicæ *&c. Dein, quantùm intelligo, sequitur propositum fuisse, ut ambæ provinciæ denuo unirentur, ac sic pergitur:* Cui sententiæ post magnam deliberationem & communia omnium vota precesque tam in Sacrificiis, quàm privatis precibus, omnes assensêre, atque ut ea unio fieret sub conditionibus, quæ aliis litteris explicabuntur, probaverunt. In cujus rei fidem & publicum testimonium præsentes litteras per F. Marcum Tarvisinum Ordinis scriptorem scribi jussit, & omnium subscriptione muniri, additis totius Ordinis & provinciæ sigillis. Fr. Antonius de Villasandino, provincialis. Fr. Franciscus à Nieua, Prior Salmanticensis. Fr. Augustinus Cruzat, Prior Toletanus. Fr. Rodericus de Cantos, Prior Donnensis. Fr. Alfonsus Orozco, Prior Metimnensis. Fr. Alfonsus Dabila Prior Burgensis. Fr. Thomas de Villanova. Fr. Augustinus de la Torre, vicarius monialium Madrigalis.

in comitiis, quibus præsidet idem Prior generalis,

54 *Finita consultatione, indixit Prior generalis comitia, in Duennensi conventu habenda ad diem* XI *Novembris anni ejusdem* 1541, *ad quæ vocati sunt tum provinciæ Castellanæ tum Bæticæ patres: die autem* XII *dicti mensis Novembris in comitiis præfecturam abdicârunt religiosissimi patres magister frater Antonius de Villasandino, qui provinciæ Castellanæ, & pater frater Andreas de Abila, qui Bæticæ provinciæ præerat, electusque toti Hispanicæ provinciæ præses P. Franciscus de Nieua. Ita ferè loco citato Herrera, qui eadem penè repetens pag.* 285 *de institutis mense Novembri comitiis, etiam provinciæ diffinitores nominat, sed utrobique ita silet de* S. Thoma, *ut ex nullo ejus verbo elicere possim, an comitiis interfuerit nec ne. Salonius ita rem exponit cap.* 9 *lib.* 1, *ut vocatus quidem fuerit, attamen non advenerit, nisi post electionem Prioris provinciæ ac diffinitorum seu assessorum. Verba ejus, in quantum huc pertinent, transcribo.* Cùm anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo in Castella instituenda essent provinciæ Ordinis nostri comitia, quibus adstitit & præsedit reverendissimus pater generalis, magister Fr. Hieronymus Seripandus; ipsemet dictus pater generalis peculiari epistola, (quam pòst videbimus) vocavit ipsum & invitavit; quoniam multùm desiderabat videre ipsum & alloqui, propter ea, quæ de singulari pietate ejus ac doctrina inaudierat, & quidem cum intentione ipsum constituendi Priorem provincialem Castellæ, suumque per Hispaniam universam vicarium generalem. E

& ad quæ S. Thomas,

55 Suspicatus P. F. Thomas, quid animo intenderet Prior generalis, de industria & evitandi oneris causâ, tergiversatus est in itinere, & studuit non adventare ante meridiem Sabbathi, quo habita est congregatio, nec ante horam, quâ omnino certum erat, & juxta leges constitutionesque sacri Ordinis nostri necessarium, ut jam provinciæ præses & assessores essent constituti.... Quamquam autem doleret reverendissimus Pater, non adfuisse citiùs P. F. Thomam, excepit tamen advenientem magno cum gaudio & voluptate, corripuitque illum quidem ista de causa aliquantulum, sed magna caritate & consideratione & quasi in pœnam cunctationis injunxit, ut postero die in comitiis sermonem haberet. *Ita Salonius, dein, quibusdam interpositis, sic pergens:* Cùm adesset dicendi hora, & in diem Dominicum, quo fiebat congregatio, incideret festivitas S. Michaëlis, pro themate assumpsit verba hæc Psalmi CVII: Quis deducet me *&c. Rem ipsam, quam narrat auctor ille, factam esse non ibo inficias, verumtamen in adjunctis aliquot hallucinatum esse existimo.* F

teste Salonio, qui tamen tempora confudit,

56 *Nam primò Prior generalis per litteras, à Salonio recitatas, non invitavit Sanctum ad comitia provincialia, quorum nullam in iis facit mentionem, sed potiùs ad consultationem cum præcipuis patribus Castellæ Toleti instituendam super conjunctione duarum provinciarum, cui, ut suprà vidimus, interfuit Sanctus, cujus actis subscripsit, & post quam indicta sunt comitia in proximum mensem Novembrem. Secundò cùm habita sint comitia, in iisque facta electio Prioris provincialis die Sabbati* XII *mensis Novembris*; *quomodo*

AUCTORE J. P.

modo dicitur Sanctus seriùs adveniens, quasi in pœnam cunctationis jussus fuisse die sequenti, qui erat Dominicus, & in quem incidebat festivitas S. Michaëlis, *coram congregatis patribus sermonem instituere? Neque enim festum S. Michaëlis colitur mense Novembri, sed Septembri, neque illo anno festum hoc incidebat in Dominicam, sed in Feriam quintam.*

seriùs advenit, ne utrique provinciæ præficeretur;

57 *Equidem rem ita contigisse opinor: Prior generalis Sanctum cum præcipuis Castellanæ provinciæ patribus suprà nominatis, in mensem Septembrem convocavit Toletum; quò cùm advenissent, rogatus est* S. Thomas, *ut pridie consultationis præcipuæ & verisimiliter ultimæ ac decretoriæ, quæ habita est die trigesima dicti mensis, ad concionem diceret. En tibi festum S. Michaëlis: & revera inter conciones* S. Thomæ *typis vulgatas exstat una de sancto illo archangelo super eodem textu & materia, allegatis per Salonium, qui ejus meminit propter extasim, quam in eadem passus est Sanctus coram Priore generali & patribus. Igitur res verè contigit, sed alio tempore, quàm quo insinuat Salonius; confundens nimirum comitia provincialia mense Novembri in Duennensi conventu celebrata cum consultatione instituta Toleti mense Septembri. Sic quoque utcumque verisimiliora fiunt, quæ narrat idem Salonius; studio quippe seriùs ad comitia illum veniſſe præ timore, ne toti provinciæ Hispaniæ præficeretur; utpote qui cum Priore generali jam antè coràm egerat, & ex cujus seu loquendi seu agendi modo simile quid suspicari potuerat. Sed silum nostrum prosequamur.*

B

Prior Vallisoleti statuitur.

58 Iisdem in comitiis anni millesimi quingentesimi quadragesimi primi designatus est Prior cœnobio Vallisoletano, unde dein ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum quartum translatus est ad archiepiscopatum hujus ecclesiæ Valentinæ. *Ita Salonius, cui consentit Herrera in Alphabeto littera M. pag. 94, ubi agens de suprà memorata Maria Aragonia, dicit, Scripandum Priorem generalem ad ipsam Burgos venisse die* XIX *Novembris anni* 1541, *atque ipsi concessisse die* XXI *ejusdem mensis*, ut eligere posset confessorem tam pro se, quàm pro illis monialibus, quas tunc apud se habebat, *& præterea patrem aliquem ex Ordine, quem ad Cæsarem mitteret pro petenda facultate redeundi ad cœnobium suum Madrigalense:* Cùm autem præfata domina vellet ad cæsarem mittere vel M. Antonium Villasandinum Priorem Burgensem, vel M. Thomam Villanovanum Priorem Vallisoletanum, Generalis prædictis patribus præcepit, ut, quem sua excellentia nominâsset, ejus mandato diligenter & magna fide obtemperaret. An aliquis eorum ad Carolum missus fuerit, ignotum. *Idem ibidem ad litteram T pag.* 440, Anno, *inquit*, MDXLII die XX Julii Seripandus scripsit Thomæ Villanovano Priori Vallisoletano gratum sibi fuisse fructum, subsecutum ex sua cum Bethicis consensione.

C

Anno 1543 in comitiis generalibus

59 Anno MDXLIII, *verba sunt Josephi Pamphili in Chronico pag.* 116, comitia (*generalia Ordinis*) habita sunt Romæ tertio Idus Maji, in quibus eidem Hieronymo Seripando in aliud quadriennium magistratus prorogatus est. In hoc conventu actum fuit de revisendis & examinandis antiquis constitutionibus, quæ non videbantur his nostris temporibus in omnibus convenire: & ad hoc munus obeundum quinque viri graves & prudentes deputati fuere, nempe Fabianus Januensis, Franciscus Gambasiensis, Sylvester Vincentinus in Italia; Petrus Guerente in Galliis theologi, & Thomas Villanovanus in Hispaniis; ut, cùm eas vidissent, & in compendium reduxissent, ferrent ad comitia proximè habenda, ut dijudicaretur, quid agendum. *Idem memorant Cruzenius in Monastico Augustiniano pag* 199, *Torellus in Annalibus ad citatum annum & Herrera mox laudatus; Salonius item in Vita lib.* 1 *cap.* 17, *ubi addit, quatuor deputatos alios interfuisse comitiis, non item* S. Thomam; *electum tamen fuisse absentem propter testimonium, quod de illius vita, doctrina ac prudentia coram congregatis patribus dederat Seripandus.*

D

Romæ instituti, licèt absens,

60 *Utrumque confirmatur apud Herreram per litteras, quibus ad operam illam Ordini præstandam hortatus est Sanctum idem Seripandus die* XVIII *Maji his verbis:* Cùm plurimæ sint constitutiones inter illas antiquas, quæ his nostris temporibus deserviunt, decrevere patres diffinitores, ut relegantur, & reformentur, commiseruntque negotium hujusmodi quinque patribus variarum nationum, quos prudentissimos & sapientissimos esse sibi ipsi persuaserunt. Inter quos Tu unus es, cui sicuti Viro probatissimo, (talem enim omnes te esse existimant,) tuæ nationis sors obtigit. Suscipe itaque onus, quod absenti tibi ob magnam, quam de te habent, opinionem à patribus tuis datum est, & utere prudentiâ tuâ & sano consilio, quo te Virum esse cognovimus: neque nos fallas, qui de te nobis hæc, & multò majora pollicemur; sed amori nostro, quem magnum erga te habemus, ut nôsti, respondeas & satisfacias. Scimus, apud te maximum pondus habiturum amorem nostrum; sed majores partes virtutibus tuis tribuimus, quæ te adducant, ut hunc laborem pro Religione nostra, quæ te denuo Christo genuit, suscipias.

E

eligitur ad revisendas Ordinis constitutiones.

61 Habes quadriennii tempus, cujus vel successiva tempora poteris huic operi adscribere, Munus tuum erit librum Constitutionum & Additionum diligenter examinare, & removere vel addere, quæ ad hoc tempus aptiora & accomodatiora tibi videantur. Erant quidem & leges illæ suis temporibus aptissimæ; quæ, sic exigente temporum mutabilitate, ad nos nihil ferè pertinere in plerisque videntur. Eas itaque lege & maturè considera. Cúmque opus perfeceris, ad sequens generale capitulum perferes, aut per alios perferendum curabis, ut cum reliquis aliorum patrum in diffinitorio conferantur, ex quibus unum volumen conficiatur. Poteris in hoc opere etiam aliorum provinciæ istius patrum, qui tibi ad id videbuntur idonei, consilio uti & sententiâ. Vale, & nos Deo in tuis orationibus commenda. *Commissum sibi negotium perficere non potuit Sanctus, vocatus anno proximè sequenti ad insulas Valentinas. Litteras, quibus id significat laudato Seripando, ac demissè rogat, ut sibi, aliis deinceps rebus occupando, subrogetur alter, integras habes apud Salonium cap.* 17 *lib.* 1. *Subrogatus autem illi fuit P. Antonius Villasandinus, teste Herrera tum in Alphabeto, tum in Historia.*

F

§ VI.

A

§ VI. Fuit Carolo V imperatori à concionibus, & consiliis; misit discipulos in Indias.

Ob insignem dicendi facultatem

QUamvis *à primordiis vitæ monasticæ usque ad archiepiscopatum suum ferè semper, uti jam ostendimus ex Herrera, aut monasteriis aut toti provinciæ præfuerit, atque etiam aliis Ordinis sui curis & magni momenti negotiis fuerit implicatus* S. Thomas; *non tamen idcirco destitisse videtur umquam ab habendis concionibus ad populum. Salonius id clarè insinuat cap.* 8 *lib.* 1, *ubi ita generatim pronuntiat:* Quoniam sicut unanimi voce referunt ac testantur omnes, in quibuslibet locis vixit & commoratus est, non solùm publicè dicendo è pulpitis tantum fructum retulit... verùm etiam *&c. Idem auctor cap.* 6 *lib.* 1 *dicit, Sanctum Salmanticæ concionari cœpisse anno tertio à solemni professione, ac proin dum*

B *isti conventui Prior erat, & juxta computum nostrum anno Christi circitèr* 1520. *Burgis sæpiùs concionatum fuisse, variis locis indicat idem Salonius, & ubique fusè declarat, quanto id præstiterit concursu, applausu & fructu audientium. Id ipsum declarat Mugnatonius num.* 5, *differens de Sancti concionibus Salmanticæ habitis. Paucis multa de hac materia complexus est Alexander VII Papa in Bulla canonizationis:* Dum, *inquit*, in istis versatur, Spiritus Domini super eum pauperibus euangelizare misit eum; nam è cathedra ad suggestum ex obedientia translatus, visus est populis tuba vitæ & vox cælorum; ac proinde vas electionis, ut portaret nomen Jesu coram regibus & principibus. Propterea Carolus V imperator eum sibi à concionibus singulariter elegit; cujus apostolicus spiritus, omnibus omnia factus, sapientibus & insipientibus verbi divini pabulum erogavit, ita ut una omnium voce Spiritus sancti organum proclamaretur.

cæsari eligitur à concionibus,

C 63 *Quod de Carolo V hîc asseritur, tradiderunt similiter Mugnatonius, Salonius, Quevedo & passim omnes; sed tempus non determinant. Audiamus priores duos, ut ex adjunctis id qualicumque modo eruamus. Sic scribit Mugnatonius:* Quapropter subitò Hispaniam universam Thomæ à Villanova percelebre nomen implevit,... curiamque ipsam regiam, regalemque principis aulam clarissimo præconio penetravit. Quo factum est, ut Carolus quintus imperator Christianissimus, idemque Hispaniarum rex Catholicus ac dominus noster, nec non augusta ipsius spectatissima conjux, non parùm multis quadragesimis, compluribusque aliis diebus festis concionantem audire gestientes, ad se evocarent, ex illiusque oratione insigni animi consolatione sese perfundi, haud obscura significatione Christianissimi principes declararent. *Sic autem Salonius:* Pervolavit paucos intra annos fama ejus Castellæ regnum adeo, ut cùm ad aures perveniisset Caroli Quinti imperatoris gloriosæ memoriæ, & clarissimæ ac religiosissimæ conjugis ejus imperatricis, eum aliquando audire voluerint. In prima autem... concione tanta suavitate perfusi fuerunt ipsorum animi,... ut mox ad ejus præpositum provincialem litteras destinari jusserint, quibus [significabant,] se illum velle ac denominare concionatorem, cupereque, ut.... plerumque degeret Vallisoleti. Dicentem exceperunt penè semper tum per aliquot quadraginta dierum jejunia,... tum diebus Dominicis & festis per annum præcipuis *&c.*

AUCTORE J. P.

& ob prudentiam à consiliis.

64 *Ex hisce adjunctis sequitur, collocandum id esse intra annos* 1526 *&* 1539; *priore enim primùm in Castellam advenit & Carolo Quinto nupta est imperatrix Isabella, soror Joannis tertii, regis Lusitaniæ; posteriore verò defuncta est Toleti. Porrò cùm juxta ipsum Salonium & juxta monumenta Herrera, Sanctus etiam intra dictos annos ferè semper vel toti provinciæ, vel Salmanticensi aut Burgensi conventui præfuerit, quemadmodum suprà ostendimus, reliqua sic interpretanda existimo, ut non hæserit constanter Vallisoleti, seu potiùs ea in civitate, in qua cæsar cum imperatrice & aula sua morabatur; verùm statis temporibus, maximè cùm per quadragesimam dicendum erat, illuc se contulerit. Non minùs facilè cum antedictis conciliantur, quæ tradit idem Salonius cap.* 12 *lib.* 1; *nempe Sanctum non tantùm cæsari fuisse à concionibus, verùm etiam à præcipuis consiliis, & ita quidem, ut in causis gravioribus secundùm illius judicium conscientiam suam formaret piissimus princeps; neque enim ad* E *hoc opus erat, ut semper cæsari adesset, cùm id fieri posset per litteras, quales plures repertas fuisse in ejus scrinio pridie quàm moreretur, subdit ibidem biographus:* Pridie quàm moreretur, *inquit*, clavem scrinii sui porrexit uni ex visitatoribus suis ac familiaribus, cui nomen erat magister Caro, ut plures litteras illic asservatas depromeret, & flammis committeret: major autem earum pars erat ex iis, quibus ipsum in gravioris momenti negotiis consulebat Carolus Quintus imperator, & unde patebat, quantam in ejus arbitrio & consilio fiduciam collocabat. *Sed non constat, an hæ litteræ conscriptæ fuerint antè acceptum archiepiscopatum, an verò post.*

Primordia missorum in Mexicum

65 *Missos fuisse à Sancto nostro in Indias, præsertim in regnum Mexicanum, Ordinis S. Augustini Religiosos, quos ipse, dum conventibus præerat, vel Ordinis habitu induerat, vel ad solemnem professionem admiserat, vel discipulos habuerat, suoque exemplo ac sancta institutione ad virtutem formaverat, communis ac certa est plurium auctorum sententia: at verò mirè variant iidem, dum seu tempus, quo missi sunt, designant, seu nomina & numerum eorum, qui missi sunt,* F *commemorant. Primùm ita generatim stabilitur in Bulla canonizationis:* Eoque doctore, tantus fuit discipulorum profectus, ut, cùm sanctum bellum principibus & potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos dignos invenerit, quos ad expugnandas Mexicanas infidelitatis arces, dum ipse postea provincialis officio fungeretur, ad apostolicam formam planè conformatos, ut angelos veloces ad gentem Christianæ religionis penitus ignaram transmitteret; eos accendens proposito gaudio, aut futuræ illarum à Deo aversarum mentium conversionis, aut proprii pro Christo effusi sanguinis laureæ consequendæ; quorum primum non sine magno Christianæ reipublicæ emolumento clementissimus Dominus felicissimo eventu per illos comprobare dignatus est.

ex Augustiniana familia patrum,

66 *Salonius cap.* 14 *lib.* 1, *ubi gesta quædam P. Hieronymi Ximenez, discipuli* S. Thomæ, *perstringit, & illius litteras, ex Mexicano regno ad Magistrum suum datas, recitat, hoc modo loquitur:* Unà etiam cernitur (*ex litteris scilicet*) cura & solicitudo, quâ afficiebatur, P. F. Thomas, ut promoveretur ibidem Euangelii prædicatio,

AUCTORE J. P.

& gentium istarum conversio, inchoata per suos filios ac discipulos, missos à se non tantùm prima vice, cùm præerat provinciæ Andalusiæ, sed omnino semper, tum quando præfuit, tum quando non præfuit Castellanæ. *Andalusiæ seu Baticæ provinciæ præpositus est Sanctus anno 1527; igitur juxta biographum discipulos in Mexicum transmisit intra hunc & annum 1529. Salonio consentit Augustinus Arpe in Pantheo Augustiniano pag. 288 his verbis:* Religiosos mittit in Indias MDXXIX. *Ad eamdem sententiam referenda sunt etiam Ludovici Torelli verba in Vitis hominum sanctitate illustrium pag. 501, quæ ex Italicis Latinè reddita hunc sensum habent.* Bis gubernavit provinciam, semel Bæticam & iterum Castellanam, quo tempore, cùm repertum esset amplum regnum Mexicanum, primus fuit, qui illuc ex Ordine direxit præcones Euangelicos. *Etenim, priusquam Castellæ provinciam regeret, missi jam fuerant aliqui in dictum regnum, ut pòst sequetur.*

quamquam de numero & tempore B

67 *Franciscus Quevedo, tacitè saltem excludit primum Sancti provincialatum:* Bis, *inquit*, provinciam moderatus est, & postrema vice transmisit in Indias ad prædicandam in Mexico strenuos illos Christi athletas, qui vitâ, doctrinâ & miraculis suis tantam in conversione illarum provinciarum partem retulere, fratrem Christophorum à S. Martino, fratrem Petrum de Pamplona, fratrem Joannem Cruzate; & superiorem (*ipsis designavit*) sanctum fratrem Hieronymum Ximenez. *Ita ille, non tamen omnino accuratè. Audiamus priùs reliquos. Josephus Pamphilus, auctor à rei gestæ temporibus vix aut ne vix quidem remotus, de missis ad Indos patribus sui Ordinis non facit mentionem in Chronico ante annum 1533. In hunc autem modum scribit pag. 112:* Anno Dom. MDXXXIII fratres nonnulli Hispani ex regno Castellæ, viri admodùm religiosi & eruditi ad novas Indias, in quibus Dei benignitate mysteria sanctissimæ religionis prædicari & lumen fidei fulgere cœperant, facta sibi à majoribus potestate, conscendentes profecti sunt, ubi & vitæ exemplis & doctrinâ uberrimos fructus & maximos Christo Deo attulerunt, nostrumque Ordinem augentes, monasteria multa construxerunt. Qui verò applicaverunt, fuêre: Franciscus à Cruce, cognomento Venerabilis; Augustinus

C

de Caronio, electus deinde episcopus de Popaian; Hieronymus Ximenez, aliàs de Sanctis; Joannes de sancto Romano; Joannes de Oseguera; Alphonsus de Borgia; Georgius de Avila. *Crusenius in Monastico Augustiniano missionem hanc factam esse ait,* Ex mandato Sedis Apostolicæ ad instantiam regis Hispaniæ; *in reliquis, quoad tempus scilicet & nomina missorum sequitur Pamphilum.*

variant auctores, 68 *Herrera in Alphabeto locis diversis hujus missionis meminit, & in Historia conventûs Salmanticensis ex instituto de eadem tractat pag. 263 & seq., ubi annum eumdem assignat, eodemque ordine missionarios septem enumerat. Imò pag. 275 & seqq. dat compendiosam apostolicæ expeditionis historiam, à patre Antonio Osorio de sancto Romano primùm conscriptam, ac dein insertam Centuriis Ordinis à P. Hieronymo Romano, atque Historiæ Mexicanæ à P. Joanne Grixalva. In hac autem relatione dicitur statutum fuisse anno 1531 in conventu Sanctorum, ut patres Augustiniani migrarent in novum mundum seu Indias Occidentales ad prædicandum Euangelium &c; dein dicuntur patres ad missionem designati, convenisse Toletum, ibidemque coram P. Francisco de Nieva Priore provinciæ ac patribus præcipuis sibi legitimè elegisse missionis Mexicanæ provincialem P. Franciscum de la Cruce, itineri se dedisse mense Martio, ac Mexicum appulisse die* VII *Junii 1533. Nihil autem seu apud Herreram, seu apud alios, quos consulere licuit, reperire potui, quo certò ostendam, missos fuisse in dictam regionem Ordinis S. Augustini Religiosos ante annum proximè assignatum, nedum tempore primi provincialatus* S. Thomæ, *id est, intra annos 1527 & 1529, ut ait Salonius.*

D

Sancto nostro adscribuntur, 69 *Neque tamen vel sic hujus assertum prorsus rejiciendum arbitror: nam licet Pamphilus & reliqui primùm meminerint de missione facta anno 1533, moderante provinciam Castellanam P. Francisco de Nieva, nullus tamen ad eum modum loquitur, ut absolutè credendum sit, neminem ex patribus Augustinianis antea migrâsse in Mexicum. Cœlè Alexander VII Papa ita loquitur in Bulla canonizationis, ut non obscurè indicet, se agnoscere* S. Thomam, *tamquam primum auctorem missionis Augustinianæ ad Mexicanos.* Cùm, *inquit*, sanctum bellum principibus & potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos (*discipulos suos*) dignos *invenit*, quos ad expugnandas Mexicanas infidelitatis arces, dum ipse provincialis officio fungeretur, ... transmitteret. *Proinde nihil prohibet, quo minùs suspicer, quòd Sanctus primùm meditatus sit Mexicanam missionem, ad eam discipulos suos paulatim formârit atque animârit, pòst, cùm prima vice provinciam regeret, aliquos dederit nautis seu navium præfectis, in Mexicum vela facturis, sacellanos vel conscientiæ moderatores, qui eadem occasione tum regionem tum incolarum indolem explorarent, & quis inde fructus esset exspectandus, renuntiarent, atque ex eorum relatione factum sit, ut, curante eodem Sancto, decretum fuerit à patribus provinciæ Hispanicæ, statam illic missionem instituere, & conventus erigere: quod exsecutioni mandatum fuit anno 1533, & tamquam totius rei exordium, neglectis ceteris, per scriptores annotatum. Similem de missis aliquot ante annum 1533 in Mexicum cum annua classe patribus Augustinianis conjecturam facit Torellus in Annalibus tom.* VIII *pag. 183.*

E

F

& quanto studio 70 *Hujus loci non est explicare, quàm felices successus obtinuerit dicta missio, quotque brevissimo tempore conventus, summo incolarum emolumento, ibidem erexerint primi fundatores; sed sufficerit pauca retulisse, unde pateat, quantam isto in negotio partem sibi vindicaverit* S. Thomas *curâ suâ ac studio ejus promovendi. Itaque, teste Herrera, seu potiùs Antonio de S. Romano, Hieronymo Romano & Joanne Grixalva, quos citat in Historia pag. 275 & seqq., anno 1535, dum secundò provinciam gubernabat Sanctus, sex novos colonos in Mexicum destinavit, ductore P. Nicolao de Agreda; anno 1536 duodecim alios, quos commisit P. Francisco à Cruce, qui in eum finem ex Mexicano regno in Hispaniam reversus fuerat. Neque hanc curam deposuit Sanctus, quando jam provinciæ præfecturâ defunctus erat: testis est P. Hieronymus Ximenez in epistola, quam anno 1539 die* IX *Octobris ex Mexicano regno Burgos direxit ad* S. Thomam, *cujusque initium huc transfero:* Reverendo admodùm patri fratri Thomæ à Villanova Priori in monasterio sancti patris nostri Augustini. Burgis. Reverende admodùm Pater. Pax

Dei

A Dei cuſtodiat cor tuum. Fratres noſtri omnes, laus Deo, ad civitatem Mexicanam appulerunt die ſexta menſis Septembris, atque ex iis intellexi, ingentem coronam tuæ Paternitati parari à Domino, qui tibi dat ſpiritum, ut faveas operi ipſi tam proprio, tantopere commendato, & ejuſdem amicis uſque adeo dilecto. Gratiæ, quas nos univerſi tuæ Paternitatis filii agimus de favore, uti hîc experimur, in iſto nobis exhibito, litteris aureis, vel, ſi fas foret, proprio noſtro ſanguine exarandæ eſſent, ut quadamtenus dignoſceretur, quàm eas ex corde agimus: attamen deſcribendæ eæ ſunt à Domino hujus vineæ ſtilo inenarrabili in libro vitæ.

hoc opus promoverit,

71 *Ex ea epiſtola, quam recitat Hiſpanicè Salonius, quamque, Latinè redditam, integram dabo in Vita, non modò patet, uti mox dicebam, Sanctum, etiam depoſitâ provinciæ præfecturâ, ſtrenuè laborâſſe ad promovendam miſſionem; ſed præterea, dum attentè totum contextum & ſcriptionis modum conſidero, valdè ſuſpicor, ipſi uni, vel certè præ ceteris omnibus curam ejus incubuiſſe tamquam vicario ſeu procuratori generali. Quippe Ximenez, qui menſe Auguſto anni 1538*

B *ſecunda vice conſtitutus fuerat vicarius provincialis, ſe ſuoſque ſocios* S. Thomæ *filios nuncupat, imò ſe ejus ſubditum ſubſcribit hâc formulâ:* Filius ac ſubditus Paternitatis tuæ aſſiduus F. Hieronymus Ximenez. *Potuit tamen alio ex capite ſe ac ſocios ſuos nuncupare* S. Thomæ *filios; nempe quia plerique ac præcipui miſſionarii vel ab illo habitum Ordinis ſuſceperant, vel, ipſo excipiente, ſolemnem profeſſionem emiſerant, vel ejus doctrinâ ad virtutem & zelum animarum inſtructi fuerant.*

oſtenditur.

72 *Tales erant certè, uti videri poteſt apud Herreram in utroque Opere, Ximenez ipſe, Auguſtinus de Coruña, aliàs de Gormaz, & Alphonſus de Borgia, qui anno 1533 in Mexicum abierunt; item, qui eos ſecuti ſunt anno 1536, Joannes Baptiſta de Moia, & Franciſcus de Nieva, id temporis* S. Thomæ *provinciali à ſecretis; & Joannes Eſtatius, anno 1539, qui deinde in Peruviam tranſiit, ubi jam P. Andreas de Salazar alter Sancti diſcipulus, cum undecim ſociis Auguſtinianæ item miſſionis fundamenta poſuerat. Plures à Sancto illuc deſtinatos nominatim exprimit laudatus Herrera, præſertim in Hiſtoria pag.*

C 278; *at inter illos minimè recenſet Chriſtophorum à S. Martino, & Petrum de Pamplona, quos allegavit Quevedo num. 67. Eorum nullibi memoriam reperi; niſi fortè primus ex iis unus ſit, quos Herrera Didacum & Joannem de S. Martino compellat, alter, quem idem Petrum Pareja ſcribit. Præterea, ſi verba rigidiore ſenſu aſſumenda ſint, erravit etiam in aliis Quevedo. Nam Joannem Cruſate in Mexicum abiiſſe non lego ante annum 1541; Hieronymum verò Ximenez iſtuc tranſmigrâſſe anno 1533, mox dixi, & ſuprà probavi ex Pamphilo. Neutrum ergo in ſecundo provincialatu, puta intra annos 1534 & 1537, tranſmiſit Sanctus.*

Patres iſti ad Indos miſſi.

73 *At quomodo inſtructos miſit diſcipulos?* Ad Apoſtolicam formam planè conformatos, *inquit Alexander VII Papa in Bulla canonizationis.* Habitu reformationis veſtitos ſtrictiori & viliori, atque expreſſè diſcalceatos, ſcilicet ſolis ſandaliis, ut noſtræ conſuetudinis eſt, pedes ſuffulcientes. *Ita pater Macarius à S. Quirino mox laudandus, qui ad ſtabiliendam ſententiam hanc plurium affert ſcriptorum teſtimonia Latina, Hiſpanica, Italica, quorum aliquot juxta ipſius fidem, nam non omnes auctorum iſtorum ad manum ſunt lucubrationes, hic Latine ſubjicimus. Primum citat P. Andream à S. Nicolao, ſeculo præcedente congregationis reformatorum Auguſtinianorum chronographum, qui in introductione proœmiali ad tom. 1 Hiſtoriæ congregationis Hiſpaniæ & Indiarum cap. 7 in hunc modum ſcribit de primis ex S. Auguſtini familia in Mexicum profectis Euangelii præconibus:* Illinc diſcedentes Hiſpali navem conſcenderunt ſeptem, veſtiti omnes panno tam aſpero ac tam rudi &c, manicis, cucullo, pallio atque ſandaliis ad eamdem formam, quâ nos excalceati utimur hodiedum in Hiſpania, *ſic ille Hiſpanicè.*

AUCTORE J. P.

ſcribantur

74 *Laudatus Macarius hinc pergit ad duos auctores Hiſpanos antiquiores, Hieronymum Romanum, & Joannem Grixalvam Auguſtinianos, quorum ille in centuria 12 & lib. 2 Hiſtoriæ cap. 10 ita loquatur:* Sub initia non geſtabant calceos, ſed (*erant*) excalceati ſive cum ſandaliis. *Hic verò ſic lib. 1 cap. 2 Hiſt. Ordin. in nova Hiſpania:* Depoſuerunt omnes (*novi miſſionarii*) calceos, & induerunt ſandalia, quibus uſa eſt iſta provincia uſque ad annum LXXIV: *id eſt, uſque ad annum 1574, circa quem, teſte Philippo Bonanni in Catalogo Ordinum religioſorum num. 62, ubi* E *citat Andream à S. Nicolao,* in Hiſpania, favente Philippo rege Catholico, multas domos implevit *Auguſtinianorum excalceatorum familia. Allata hactenus pro veſtitu proficiſcentium ad Indos ſolidè confirmantur apud Joachimum Brulium in Hiſtoria Peruana Ordinis Eremitarum S. Auguſtini lib. 5 cap. 13; ubi narrat auctor, Limæ indicta fuiſſe prima Peruanæ provinciæ comitia anno 1551, in iiſque Priorem provincialem renunciatum P. Joannem Eſtatium,* S. Thomæ *diſcipulum, ut ſuprà diximus, & varia à patribus facta eſſe decreta, ex quibus recitat ſecundum, ita habens:* Quapropter ſtatuimus & ordinamus, ut Religioſi hujus provinciæ eandem in veſtibus aſperitatem paupertatemque, quam ex Hiſpania attulerunt, ſervare pergant, ſemperque nigrum habitum ſint induti... Calceos portent ex cordis confectos. *Idem Brulius cap. ſequenti inter inſtructiones ituris ad infideles convertendos hanc unam fuiſſe affirmat:* Pedibus iter inſtituerent, quos non aliter contra temporis injurias quàm ſemi-calceis defenderent. *Antonius de la Calancha, alter Auguſtinianus & auctor Chronici Peruani Hiſpanicè exarati, Brulio antiquior, cap. 23 lib. 1 eodem* F *penè modo depingit habitum Peruanorum patrum, quo Mexicanorum auctores ſuprà allegati.*

eo habitu,

75 *Sed & de Mexicanis id ipſum inſinuatur loco non uno apud Herreram in Hiſtoria conventûs Salmanticenſis: ſic pag. 278 lego, P. Franciſcum à Cruce, anno 1535 è Mexico in Hiſpaniam reverſum ad colligendos novos in vinea Domini operarios, numquam mutâſſe veſtitum aſperum, ſanctamve conſuetudinem incedendi peditem, vel aliam aſperitatem, quâ utebatur in Mexico, & hinc omnes exemplo pietatis permotos fuiſſe, atque ad imitationem excitatos. Pag. 289 datur Vita P. Alphonſi de Borgia relata per Grixalvam, & ſimilia de ipſius veſtitu memorantur; pag. item 306 in Vita P. Joannis Eſtatii; ſed ne pluribus recenſendis immorer, pag. 346 P. Hieronymus Ximenez, in Vita collecta ex Operibus Grixalvæ & Romani, dicitur ſemper geſtâſſe eum habitum, quo fundata eſt provincia Mexicana, iſque eodem, quo ſuprà, ferè modo deſcribitur.*

quo modò utuntur Auguſtiniani diſcalceati,

76 *Hinc Bonannus loco citato agens de Eremitis S. Auguſtini diſcalceatis, non abſque fundamento primordia dictæ reformationis conjunxit cum initiis*

AUCTORE J. P.

Mexicanæ missionis, ita inquiens: Quatuor congregationes numerat hic Ordo Religiosorum, quarum singulæ à proprio vicario generali gubernantur: omnibus tamen præest præpositus generalis totius Ordinis Eremitarum S. Augustini. Prima fuit Hispanica, quæ anno MDXXXIII exordium sumpsit; cùm ad regnum Mexicanum octo (*imò septem, nam, qui designatus erat octavus, P. Joannes Baptista de Moia in Hispania moratus est usque ad annum* 1536,) ex Augustiniana familia viri, sanctitate & doctrinâ æquè conspicui, profecti sunt, ut ibi vitæ exemplis uberrimos fructus colligerent; idcirco excalceati cum sandaliis asperam vestem & adeo angustam induerunt, ut cilicinis potiùs indumentis tecti viderentur. Crevit in Mexicana provincia hæc Religiosorum familia, atque inde in Hispania, favente Philippo rege Catholico, multas domos implevit circa annum MDLXXIV.

& inde hi suæ reformationis

77 *Sed alii non desunt, qui ulteriùs procedant, atque hæc ratio fuit, cur isti materiæ inhæserim diutiùs, & in scriptorum asserta inquisiverim operosiùs. Quippe sicut meritò* S. Thomas *agnoscitur & celebratur tamquam auctor primarius sæpe memoratæ missionis Mexicanæ; quia, licèt ipse illuc minimè profectus sit, eam tamen primus meditatus fuit, suos discipulos ad illam formatos & animatos, vel eò dirigendos curavit, vel direxit ipse, plurimúmque pro ea laboravit, ut abundè demonstratum existimo; ita illi ad eumdem Sanctum referunt originalia reformationis excalceatorum Eremitarum S. Augustini fundamenta; quia licèt ipse excalceatus numquam fuerit, nec ipsius tempore eadem reformatio, saltem in Europa, facta sit, tamen discipuli ejus vel ab ipsomet vel ipso curante, missi transfretârunt, induti eumdem habitum, quem gestant hodiedum excalceati, & quia ab illis, seu exemplo præeuntibus, seu, quando ex Mexico ad comparandos novos socios vel aliis de causis in Hispaniam recurrebant, hortantibus, Hispani aliquot patres eumdem habitum assumpserunt; unde lapsu temporis dicta reformatio introducta sit, ac demum annuentibus summis Pontificibus stabilita, tam in Hispania quàm aliis Europæ partibus.*

S. Thomam agnoscunt primum fontem.

78 *Inter eos, qui Sanctum nostrum, sensu jam exposito, originalem memoratæ reformationis causam etiam scriptis agnoverunt, nominatim producit P. Andream à S. Nicolao suprà memoratum reverendus admodùm P. Macarius à S. Quirino, Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Augustini, congregationis Italiæ & Germaniæ vicarius generalis, qui super hac materia prolixas ad nos litteras Romæ conscripsit anno* 1752, *& pro eadem sententia vel recitavit vel saltem assignavit omnia auctorum testimonia, hactenus à me prolata, præter ea, quæ ex Herrera illis addenda censui. Testimoniis annexuit hinc inde rationes, quibus ostendat, quo jure patres excalceati, dum in primariam reformationis suæ originem inquirunt, ascendant ad* S. Thomam à Villanova, *eumdemque, ut loquitur,* optimi dulcissimique Parentis loco post S. P. Augustinum *suspiciant ac venerentur. Huic eorum sententiæ neminem usque nunc adversarium reperi; nec video, quid tantopere ipsi eo sensu expositæ opponi queat: præsertim dum patres isti minimè refragantur iis, à quibus diversi pro diversitate regionum designantur dictæ reformationis auctores; sed tantùm asserunt, quòd hi ipsi peculiares auctores id præstiterint juxta exemplar acceptum à discipulis* S. Thomæ *in Mexicum transmissis, atque idcirco illum tamquam omnis reformationis fontem peculiari veneratione prosequuntur.*

§ VII. Invitus archiepiscopus Valentinus eligitur; litteræ ipsius ad Ordinis sui Priorem generalem Hieronymum Seripandum & hujus ad ipsum.

Recusato Archiepiscopatu Granatensi,

PRiusquam *Sanctus ad Valentinam cathedram promotus fuit, oblatæ ei fuerant Granatensis archiepiscopatûs insulæ, quas* recusaverat, eò quòd elegisset abjectus esse in domo Dei sui, *uti inquit in Bulla canonizationis Alexander VII Papa. Pluribus id enarrant Salonius & Quevedo in Vita; uterque id contigisse asserit, dum secunda vice Sanctus provinciam gubernabat; igitur intra diem* XXV *Aprilis anni* 1534 *&* XXVIII *Aprilis* 1537, *quamdiu duravit provincialatus, ut ex antè dictis constat. Demum post annos non multos, cùm Vallisoletanum conventum Prior gubernaret, Valentini archiepiscopatus curam invitus acceptavit. Paucis hæc denuo Alexander VII Papa in Bulla:* Idem Carolus V, & Philippus II Hispaniarum rex Catholicus labefactatam Valentinæ ecclesiæ ex diuturna viduitate disciplinam, Thoma tantùm præsule ad eam proposito, restitui posse piè crediderunt. Verùm, ne, ut antea Granatensis ecclesiæ insulas recusaverat, eò quòd elegisset abjectus esse in domo Dei sui, etiam Valentinæ curam suscipere abnueret, ubi imperatoris ac regis voluntatem non satis urgere compertum fuit, iisdem petentibus à suo superiore adactus, cellam cum lachrymis deserens Valentiam sese contulit.

Valentinum

80 *Sanè non minore conatu laboravit Sanctus ad devitandas Valentinas quàm Granatenses insulas, & procul dubio frustra cecidissent tum preces amicorum, tum ipsiusmet Eminentissimi Taveræ S. R. E. Cardinalis, archiepiscopi Toletani ac præcipuorum aulæ principum rationes, hortatus & monita ad permovendum refragantis animum adducta; nisi tandem, quod fieri non potuerat tam commodè, dum agebatur de archiepiscopatu Granatensi, quoniam tum temporis ipse Sanctus provinciam regebat, interposita fuisset R. P. Francisci de Nieva Castellanæ provinciæ præsidis auctoritas, id ipsi per litteras & præceptum obedientiæ injungentis, cui Sanctus, utpote non minùs obedientiæ quàm humilitatis studiosus, obluctari ampliùs ausus non fuit; unde patet, cur potiùs Valentinum quàm Granatensem archiepiscopatum admiserit.*

obedientiâ impulsus

81 *Memoratas litteras recitat Salonius cap.* 17 *lib.* 1, *&, tum modum, quo cæsar ad denominandum ad has insulas permotus fuit, quique aliquid prodigii in sese continuisse visus est, tum alia, quæ jam leviter attigi, more suo fusissimè describit; ut opus non sit recurrere hic ad Franciscum Quevedo aliosve nominatos per decursum scriptores, quorum aliqui multis quidem eadem pertractant, nihil tamen in medium producunt, quod apud illum plenius explicatum non reperias. Porrò electionem illam factam esse ante mensem Augustum anni* 1544, *constat ex eodem Salonio, cui neminem adversantem comperi: congruunt etiam scri-*

A *ſcriptores rerum Valentinenſium ac Leodienſium, ubi agunt de Georgio Auſtriaco, Caroli V imperatoris patruo, qui anno* 1538 *Valentinum archiepiſcopatum adiit, ſub annum* 1542 *vocatus à cæſare in Belgium remigravit, ubi primùm Cornelio à Bergis in epiſcopatu Leodienſi coadjutor deſignatus fuit, & dein anno* 1544 *eidem defuncto ſuffectus eſt epiſcopus; poſtquam renuntiâſſet archiepiſcopatui Valentino; uti diſcimus partim ex Gaſpare Eſcolano part.* 2 *decadis* 1 *Hiſtoriæ Valentinæ col.* 1744 *& ſeqq., partim ex Joanne Chapeavillo tom.* 3 *de Geſtis pontificum Leodienſium à pag.* 341.

82 *Addit Chapeavillus pag.* 350, *Georgium pridie Kal. Auguſti per litteras, collegio canonicorum & ordinibus Leodienſibus ſcriptas, inaugurationi ſuæ conſtituiſſe diem memorati menſis* XVII; *Eſcolanus verò col.* 1754, S. Thomam *Valentinam civitatem ingreſſum eſſe die ultimo anni ejuſdem* 1544. *Sed & col.* 1744 *clarè exponit, quod ſuprà verbo innuebat in Bulla Alexander VII Papa de labefactata Valentinæ eccleſiæ diſciplina ex diuturna viduitate, aſſerens, quòd dicta eccleſia paſtoris ſui præſentiâ deſtituta fuiſſet ultra annos centum & viginti; cùm iſtuc advenit Georgius Auſtriacus, qui & ipſe poſt quadriennium circitèr eam deſeruit, maximè ſicut non obſcurè inſinuat idem auctor col. ſeq., quia advertebat bonus antiſtes, quòd, licèt adhibita eſſet ferventium concionatorum opera, frangi non poterat Maurorum, magno numero in eodem regno degentium, & fidei noſtræ adverſantium, pertinacia; imò, eodem teſte Eſcolano, iſta Maurorum perverſitas tanto timore perculit* S. Thomam, *ut vel propter hanc unam archiepiſcopatum refugeret. Sed & hæc recurrent apud Salonium.*

admiſit anno 1544.

B

83 *Mox acceptato præſulatu Sanctus litteras Romam direxit die* XII *Auguſti ad reverendiſſimum Seripandum, Ordinis ſui Priorem generalem, quibus electionem ſuam & modum, quo ad acceptandam compulſus fuerat, expoſuit, atque ejus conſenſum expetivit. Eas à ſe viſas in archivo Romano dat Herrera in Alphabeto; recitandis illis hìc ſuperſedeo, quia etiam Salonius integras inſeruit cap.* 17 *lib.* 1 *Vitæ. Reſponſorias miſit Seripandus die* XIX *Septembris. Harum non meminit Salonius; quamvis illuſtre de Sancti doctrina ac virtutibus elogium complectantur. Dignas equidem judico, quæ hìc locum occupent; ſic eas exhibet Herrera in Alphabeto:* F. Thomæ Villanovano, archiepiſcopo Valentino electo. Deo, qui cælum & terram ſumma ac ineffabili providentia moderatur, à nobis omnibus & à me ipſo præſertim, qui Auguſtinianis nunc præſum, gratiæ ſunt agendæ immenſæ, quòd per Carolum cæſarem, pietatis propugnatorem unicum, ut ex tuis litteris lætus audio, in ordinem epiſcoporum te, Virum ſummæ integritatis & doctrinæ, collocaverit. Gratulor igitur tibi primùm, Valentinæ deinde eccleſiæ, noſtri denique Ordinis hominibus univerſis. Tu enim virtutis tuæ teſtimonium conſecutus es ampliſſimum, in quo nulla ambitionis aut cupiditatis nota exiſtat. Dei unius, qui, quos vult, eligit, conſilium veneramur, & cæſaris fideliſſimum pectus laudamus. Valentina verò eccleſia Paſtorem eum adepta eſt, quem ſummopere optare debebat, qualem deſcribit Apoſtolus, Potentem exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, reprimere.

Ejus ad Seripandum & Seripandi

C

84 Noſtri verò Ordinis nemo erit, qui non lætetur, ac quaſi triumphet, quòd in te excitetur priſca Patrum virtus & gloria reviviſcat. Poſt enim magnum illum Alphonſum Toletanum, Hiſpalenſem præſulem, nemo ad tantum munus in Hiſpania à Deo vocatus recolitur. Hunc tu nobis honorem egregia virtute reſtituis. Ego verò judicio quoque meo gratulari poſſum, quòd hæc de te divinare videbar, cùm mores & integritatem tuam, magnamque maximarum doctrinarum peritiam in Hiſpania contemplabar. Non vereor, quin ſanctiſſimus D. N. Pontifex hanc cæſaream nuncupationem gratiſſimo animo ſit accepturus, apud quem graviſſimum virtutis tuæ teſtimonium extabit reverendiſſimi domini Burgenſis, qui, ut ſæpe ad te ſcripſi, amat te impensè. Ego quoque officio meo non deero, cùm Romam rediero, quod ad Cal. Novembris futurum exiſtimo, Deo juvante. Dominus igitur, qui te vocavit, virtute ex alto induat, ut omnes legitimi paſtoris numeros explere ad ſuam gloriam, & tuarum ovium ſalutem poſſis. Quibus verbis tibi benedicimus, & bona precamur, quod primum ad nos attinet; deinde, ut debemus, manus tibi tanquam epiſcopo ſummo honore exoſculamur digno; demum res tui Ordinis in ea civitate, quæ certè magno egent auxilio, commendatas tibi eſſe pro tua pietate optamus. Qua de re, cùm ſedere te in ſede tua compertum habebimus, latiùs agemus. Interea vale, digniſſime Præſul, & me, quem ut patrem venerabare, nunc ut deditiſſimum ſervum complectere.

ad ipſum litteræ

E

85 *Hanc epiſtolam ſubſecuta eſt Bulla Pauli tertii electionem confirmantis ſexto Idus Octobris, ut habet Eſcolanus in memorata Hiſtoria Valentina col.* 1754, *in qua ſummus Pontifex non minùs honorificè, quam Seripandus, de Sancti doctrina ac pietate differebat, ſicut diſcimus ex Salonio; ſed neque hic, neque alius, quem vidi, ejus nobis fecit copiam. Litteras* S. Thomæ, *quibus poſt acceptam Bullam Paulo Pontifici gratias agit ac ſe ſuaque humiliter ſubmittit, habes integras apud memoratum Salonium cap.* 17 *lib.* 1. *Ad primas Seripandi litteras non reſcripſerat, veriſimiliter differens, donec Valentiam perveniſſet, ac ſedis ſuæ adiiſſet poſſeſſionem. Interim alteras ab eodem accepit, hiſce verbis conceptas:* Reverendiſſimo Valentiæ Archiepiſcopo. Ea ſemper fuit mea in te fides & benevolentia, quæ ſummam nunc peperit obſervantiam & venerationem, ut nihil verear ad te confugere, tuumque auxilium omnibus in rebus poſtulare, in quibus te mihi prodeſſe poſſe cognoſcam. Venit enim mihi in mentem, quanta animi promptitudine, dum inter nos ageres, mihi obtemperares; ut aſſeverare audeam, & jurejurando affirmare, in tam magno meorum fratrum numero neminem inveniſſe, qui vel erga me fuerit officioſior, vel meis mandatis obſequentior. Cur nunc, etſi ad ampliſſimam iſtam dignitatem tua te virtus evexerit, dubitem, quin & optima ſis erga me voluntate, & nihil mihi denegaturus, quod abs te, tua ſervata dignitate, fieri poſſit? Nunquam deſperabo, me ab eo poſſe impetrare rogando, à quo nihil non obtinebam præcipiendo. Eſt in ſacroſancto Cardinalium ſenatu Rainaldus Polus, Angliæ Cardinalis, vir ſpectatæ virtutis, pietatis verè Chriſtianæ, doctrinæ ſingularis; de cujus humanitate & ſanctiſſimis moribus tanta eſt apud bonos omnes opinio, ut, qui hunc non colit & obſervat, in bonorum numero haberi non poſſit.

ſuper variis

F

86 *Hìc Herrera, ex quo tranſcripſi, epiſtolæ partem reſcidit, atque hujus loco ſubſtituit ſequentia:* Hæc de Polo Seripandus, ut Thomam oraret, ut fructus præbendæ, Capiſcoliæ nuncupatæ,

negotiis.

AUCTORE J. P.

patæ, quâ in eccleſia Valentina Cardinalis fruebatur, ſolvi curaret & faceret. *Deinde pergit dare ipſa Seripandi verba:* Eſt in meo collegio Auguſtinenſium Valentiæ Joannes Baptiſta Burgos, qui nunc reliquis præeſt, is, nî fallor, integer vitæ eſt, & doctrinæ non vulgaris. Hunc hominem, & quia tuæ profeſſionis eſt, & quia moribus eſt ſuaviſſimis, ac aliorum honeſtatem totis viribus optat, & procurat, commendatum ſuſcipe. Qua in re mihi quoque rem gratiſſimam feceris. Quoniam verò Chriſtianorum principum, quos Deus unanimes in domo habitare facit, voluntas de concilio eadem eſt cum Pauli III Pontificis Maximi voluntate, Tridenti te videre ſpero, de cujus præſtanti virtute multa patribus pollicitus ſum. Interea rogo, ne dedigneris his meis litteris reſpondere. Tuas enim mihi reddendas omni fide curabit Joannes Baptiſta Burgos, is, quem tibi commendavi. *Hæc Seripandus die* XXVIII *Novembris anni* 1544, *integro circitèr menſe, antequam Sanctus Valentiam advenit.*

Sub initium anni 1545 *in ſede ſua conſtitutus,*

87 *Nam, quantùm colligo ex Salonio, ad monaſterium Ordinis S. Auguſtini, titulo beatiſſimæ Virginis Mariæ de Succurſu conditum prope muros Valentinæ civitatis, pervenit triduo vel quatriduo ante diem Chriſti Redemptoris natalem, ibidemque ob continuas pluvias commoratus eſt uſque ad diem primum anni* 1545, *quo, uti expreſsè addit laudatus auctor, civitatem ingreſſus eſt ſub horam ſecundam poſtmeridianam, ætatis ſuæ anno* 56. *Eſcolanus aliquoties laudatus Sancti in civitatem ingreſſum notat die ultimo anni* 1544: *uter rectiùs, ignoro. Quanto gaudio, applauſu & apparatu ibidem receptus fuerit, videri debet apud Salonium cap.* 2 *lib.* 2, *pergo in iis, quæ vel ipſe non habet, vel aliunde elucidari poſſunt. Itaque Sanctus, jam in ſede ſua conſtitutus, menſe Januario ad Seripandum litteras deſtinavit, quas in archivo Romano conſpexiſſe ſe affirmat Herrera, quaſque ex hujus Alphabeto hic ſubjicio.*

alias ad eumdem litteras deſtinat,

88 Reverendiſſimo P. M. Hieronymo Neapolitano, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Generali digniſſimo. Romæ. Reverendiſſime Pater. Litteras, quas ad me V. rever. P. deſtinavit, ſumma cum alacritate accepi: ex quibus perfacilè cognoſci poterat, non tam mihi hujus dignitatis immerito, quàm V. P. gratulationem reddendam eſſe. Mira namque in ejus * totius jucunditatis, alacritatis, exultationis ſpecies apparebat. Unde etſi hucuſque Monachum privatum ſeu aliquorum curam habentem me ſummopere amabas, nunc, excreſcente authoritate, viſus eſt amor ipſe creviſſe. At gratulatio hæc, etſi mihi probatiſſima, quòd ab optimo procedit animo, tamen mihi multò hoc jocundior, quòd, quamvis me dignitate adauctum cuperes, non tantam pectoris lætitiam demonſtrâſſes, niſi, divina ope confiſus ſperares, me non omnino injuncti miniſterii officium dedecoraturum. Sed, ut verum fatear, monachalem vitam tranquillam, quietam, meoque ingenio commodam conſiderans, hujus, quam ago, pontificalis afficerer tædio; niſi & majorem fructum Chriſti Reipublicæ allaturam confiderem, & non minùs multis negotiis occupatum, proximorum ſaluti ſtudentem, quàm intra cellam incluſum, Deo placere poſſe legiſſem; in hac præſertim eccleſia, quæ, diu paſtoris orbata regimine, multorum vitiorum pullulatione ſylveſcit. Unde exorandus à nobis eſt piiſſimus Chriſtus, ut, quoniam hanc conferre dignatus eſt nobis eccleſiam, dignetur etiam ad illam regendam ſuam conferre gratiam, ne mihi largiſſimæ pietatis ſuæ donum in judicium noſtrâ deſidiâ convertatur. Porrò ſi negotiorum quicquam religioſiſſime Pater, ad V. P. ſpectans, apud nos peragendum fuerit, diligentiſſimè curabitur. Valeat P. V. rever. Ex Valentia die XXIV Januarii anno MDXLV. *Poſt hæc propria manu, uti innuit Herrera, Sanctus ſcripſit ſequentia:* Ad mandata P. V. R. F. Thomas Archiepiſcopus Valent.

aliaſque ab eodem recepit.

89 *Haud ita dudum pòſt, puta die* III *Martii anni* 1545, *tertiam ad* S. Thomam *epiſtolam direxit laudatus Seripandus; ſed ſuper quo præcisè negotio incompertum mihi eſt; quandoquidem ejus tantùm fragmentum ſeu potiùs initium videatur exhibere Herrera citatus, quod vix aliud continet præter iteratam congratulationem. Verba accipe:* Rever. Archiepiſcopo Valentino. Gratulatus ſum ex intimo corde dignitati, ad quam vocatum te à Deo audieram, iis litteris, ad quas ipſe XXIV Januarii reſpondiſti. Gratulor nunc ſedi tuæ, quæ incolumem te excepit, in qua facilè divino præſidio poteris mederi omnibus, quæ ægra erant, & medicam manum tuam deſiderabant. Id erit Deo gratum, ovibus tuis ſalutare, tibi honorificum, mihi jucundum *&c. Frequens fuiſſe inter Sanctum noſtrum & Seripandum litterarum commercium, apertè ſignificat Seripandus ipſe in epiſtola num.* 84 *recitata, his verbis:* Ut ſæpe ad te ſcripſi: *nec ratio eſt dubitandi, quin idem illud commercium continuatum fuerit, quamdiu* S. Thomas *in vivis ſuperſtes fuit. Sed nullæ eorum epiſtolæ præter jam memoratas ad nos pervenere. Ceterùm quis quantuſque vir fuerit laudatus Hieronymus Seripandus, poſtea epiſcopus Salernitanus, S. R. E. presbyter Cardinalis, ac ſummi Pontificis in Tridentina ſynodo legatus, declarant elogia, quibus auctores paſſim omnes, ubi de ipſo ſcribendi adeſt occaſio, memoriam ejus celebrant.*

§ VIII. Sanctus ad concilium Tridentinum vocatus non ivit; ſynodos diœceſanas inſtituit.

Ad concilium Tridentinum vocatus fuit;

CUrrente *anno primo archiepiſcopatûs* S. Thomæ *nempe die* XIII *Decembris* 1545, *celebrata fuit prima Seſſio ſacroſancti Tridentini concilii, cui tamquam generalis Ordinis ſui tum interfuit laudatus ſæpe Hieronymus Seripandus, & cui interfore etiam Archiepiſcopum noſtrum idem ille ſperaverat, ſicut die* XXVIII *Novembris anni* 1544 *in litteris ad Sanctum datis indicabat:* Quoniam verò Chriſtianorum principum.... voluntas de concilio eadem eſt cum Pauli III Pontificis Maximi voluntate, Tridenti te videre ſpero, de cujus præſtanti virtute multa patribus pollicitus ſum. *Spes quidem ſua fefellit Seripandum, quandoquidem minimè illuc ſe contulerit* S. Thomas. *Verumtamen hinc confirmatur utcumque, quod ſcribit Salonius lib.* 1 *cap.* 10; *nimirum dum Sanctus die quadam cum amicis ſermonem inſtituiſſet de corruptis eccleſiaſticorum moribus, ac ſpiritu prophetico promiſiſſet fore, ut brevi ſuccederet emendatio, mox die poſtero adfuiſſe curſorem cum litteris à ſummo Pontifice Paulo III ac cæſare Carolo V, quibus vocabatur ad idem concilium.*

91 *Similia ſcribunt Nævius in Vita cap.* 10; *Curtius in Elogio & alii multi. Herrera in Alpha-*

A *phabeto aliud teſtimonium citat, unde conſtet, Sanctum ſuper eo negotio accepiſſe litteras ab imperatore:* Illuc (*inquit*,) cæſar Carolus Thomam noſtrum, & duodecim alios epiſcopos ex Hiſpania anno MDXLVI deſtinabat; jamque Thomas erat in procinctu, ut iter arriperet, ſi nova cæſaris juſſio ſuperveniret; ea tamen deficiente, cogitatum iter omiſit. Legimus in archivo Romano epiſtolam F. Alphonſi de Madrid Caſtellæ provincialis, ad generalem Seripandum datam Hiſpali xx Auguſti ann. MDXLVI, in qua ſcribit, M. Franciſcum de Nieva propter ſenectutem & valetudinem ad concilium Tridentinum & ad generale capitulum ire non poſſe, Thomamque archiepiſcopum Valentinum cum aliis XII epiſcopis eſſe ab imperatore accitum ad ſynodum Tridentinam, &, ſecunda juſſione veniente, ſtatim iturum. *Torellus tom.* 8 *Annalium ad annum* 1546 *num.* 5 *citans eamdem Alphonſi de Madrid epiſtolam, addit, cæſaris juſſionem factam fuiſſe ſub ea clauſula, ut* S. Thomas *& antiſtites reliqui non ſe moverent loco, donec ſubſequeretur altera; & hæc cùm ſubſecuta non ſit, non exceſſiſſe etiam præſules diœceſi ſua.*

B *non tamen interfuit;* 92 *Hoc poſtremum de non ſubſecuta juſſione altera, putem, Torellum non didiciſſe ex citata epiſtola, ſed addidiſſe, quia aliunde ſciebat, Sanctum concilio non interfuiſſe. Salonius lib.* 2 *cap.* 6 *Sanctum, quominus Tridentum pergeret, ægritudine impeditum fuiſſe ſignificat. Curtius ire non potuiſſe ait,* quòd valetudine parùm firma eſſet, cui præterea gravis admodùm incumbebat ſenectus, nimiis laboribus maturata. *Eamdem cauſam allegant Nævius, Elſſius & alii paſſim. Equidem rem ita contigiſſe exiſtimo, ut Sanctus primis litteris vocatus, reſcripſerit, & malè affectam valetudinem cauſatus ſit, quominùs ad tam moleſtum iter ſe idoneum reputaret; ita tamen conſtitutus fuerit animo, ut, ſi ſecunda ſuperveniſſet juſſio, ſtatim eſſet iturus. Allaboravit interim abſens, quantùm potuit, eidem concilio; nam,* quòd *latiùs deſcribit Salonius mox citato loco, epiſcopos ſibi notos, ac Tridentum profecturos, per litteras invitavit, ut Valentiâ tranſirent, & adventantibus atque hoſpitio perbenignè exceptis, ſcripto communicavit plura, quæ ſibi in concilio pertractanda videbantur. Nec pauca ex iis à patribus Tridentinis comprobata atque decreta fuerunt, uti ad*

C *ipſum retulerunt cum gratiarum actione epiſcopi, poſtea in Hiſpaniam reverſi.*

dicitur epiſcopis, Tridentum navigantibus, 93 *Simplicianus de S. Martino in Vita Gallicè edita cap.* 35 *dicit,* quòd *Sanctus procuratorem ſuum pro eodem concilio conſtituerit epiſcopum* de Nueſqua; *Antonius de Quintanaduenas item in Vita Hiſpanicè conſcripta, meliùs ſcribit* de Hueſca, *id eſt,* Oſcenſem; *& verè apud Philippum Labbe tom.* 14 *Conciliorum inter epiſcopos, qui ſeſſioni quintæ & ſequentibus interfuere, recenſetur* Reverendus D. Petrus de Auguſtinis, epiſcopus Oſcenſis, Hiſpanus. *Sed unde didicerint allegati duo auctores, interfuiſſe etiam tamquam* S. Thomæ *procuratorem, incompertum mihi eſt. Iidem ſicut & Metermannus, Curtius, Nævius, Baxius rem ſubdunt planè mirabilem:* Hiſpaniarum epiſcopi, *inquit poſtremo loco nominatus,* qui proficiſcebantur ad hoc concilium generale, ac per Valentiam iter faciebant, honoris causâ B. Thomam antiſtitem adivêre, & vale dicto naves conſcendêre vela facientes. Verùm ecce, tempeſtas horribilis navigantes excepit. Ipſi turbatis animis præſentem mortem expectabant, jamjam fluctibus hauriendi: cùm in tantis rerum anguſtiis, ſidus ſalutare viderunt, ſanctum, inquam, Archiepiſcopum baculo paſtoritio, per undas maris oberrantem, & pacando ſedandoque tumores fluctuum, navem dirigere, quâ vehebantur, ut proſpero curſu portum tenerent. *Ita cum aliis Baxius cap.* 9, *ſilente Salonio, cujus tamen narrationis ordinem alibi paſſim ſequitur.*

AUCTORE J. P.

in naufragio apparuiſſe ac ſuccurriſſe; 94 *Conſtare id ait idem auctor ex ſermone,* quem habuit in hujus apoſtolici Viri [S. Thomæ] laudem magiſter Ludovicus Ponce de Leon. *Sed putem, erratum eſſe in nomine, &* Ludovico *ſubſtituendum* Baſilium: *id autem colligo tum ex ipſomet Baxio, qui cap.* XVII *Synopſios ſuæ rem aliam de Sancto relatam confirmat his verbis:* Ut teſtatur P. M. Baſilius Ponce de Leon concione, quam habuit de S. Thoma: *tum ex Simpliciano de S. Martino, qui cap.* 36, *poſtquam tempeſtatem illam, ac totius rei factæ ſeriem fuſiore calamo deſcripſiſſet, hoc tandem modo concludit:* Id epiſcopi atteſtati ſunt Tridenti, atque in reditu Valentiæ, & R. P. Baſilius de Leon, profeſſor Theologiæ in univerſitate Salmanticenſi, publicè dixit è ſuggeſtu in ſermone, quem habuit in ſolemnitate beatificationis glorioſi noſtri S. Thomæ in conventu monialium Ordinis S. Urſulæ. *Hæc obſervanda duxi, ne lector Ludovicum de Leon ſeu Legionenſem, qui eodem anno in cœnobio Salmanticenſi Ordinis S. Auguſtini profeſſionem ſolemnem emiſit, quo* S. Thomas *ad archiepiſcopatum evectus eſt, à Baxio deſignatum putet, uti mihi contigit, priuſquam Baxium alio loco, & Simplicianum de S. Martino conſulueram.*

E

de quo ſilent 95 *Baſilii Pontii de Leon, quem in Alphabeto magiſtrum ſuum compellat, Vitam dat Herrera in Hiſtoria conventûs Salmanticenſis pag.* 420, *ex qua diſcimus, illum, poſtquam in dicto conventu per annos circitèr* 20 *habitâſſet ac ſecundò præfuiſſet, vivere deſiiſſe anno* 1629, *ætatis ſuæ* 59. *Equidem non auſim abſolutè judicare, hiſtoriam, quam ab ipſo relatam aiunt alii, temerè fuiſſe confictam; verùmtamen tam parùm probata mihi eſt, ut omnem dubitationem de ejus veritate evellere nequeam ex animo. Res enim eſt ſecundùm ſeſe & ſecundùm adjuncta ſua tam prodigioſa ac memorabilis, ut vix aliquid in tota Sancti Vita reperias mirabilius, utque meo judicio, ſi verè ita contigerit, debuerit eſſe celeberrima per univerſum orbem Chriſtianum, ac celebrari non Hiſpanorum dumtaxat, ſed externorum quoque illius temporis ſcriptorum calamis. Quippe juxta Simplicianum de S. Martino per ipſos epiſcopos naufragio liberatos aſſerta fuit Tridenti, ubi ex diverſis Chriſtiani orbis partibus tot convenerunt patres, editis deinde libris illuſtres. Relata quoque fuit Valentiæ ab iiſdem epiſcopis.*

F

auctores præcipui. 96 *Interim ſilet Mugnatonius, Hiſpanus epiſcopus, qui dein Tridentino concilio interfuit, & Vitam* S. Thomæ *conſcripſit; ſilet Quevedo biographus Hiſpanus alter; imò ne ipſe quidem Salonius, qui in Valentina civitate Vitam compoſuit, ac de Hiſpanorum epiſcoporum Tridentum profectione ac reditu ſermonem inſtituit, tempeſtatem illam à Sancto ſedatam verbo, attingit; ubi tamen paſſim res minutiſſimas, ſummo ſtudio collectas, fuſiore ſtylo exhibet. Præterea neque in prolixa relatione de ſanctitate & miraculis, extracta ex proceſſibus, factaque ad Paulum V Papam per Joannem Baptiſtam Coccini, ſacræ rotæ decanum, pro beatificatione* S. Thomæ, *ulla dictæ tempeſtatis eſt mentio, nec ulla in tota Serie actorum pro canonizatione. Denique auctorem nullum reperi antiquiorem nominatis ſuprà num.* 93, *qui*

AUCTORE J. P.

eam scriptis mandaverit, ut proinde unius nitatur viri, non parùm tempore remoti, testimonio, oretenus dato: quod mihi sufficiens non est ad deponendum dubium.

Ipse interim anno 1545 diœcesanam

97 *Sub idem tempus, quo Tridenti fiebat præparatio ad concilium generale, Sanctus noster Valentiæ synodum diœcesanam coëgit ad reformandos subditorum præsertim ecclesiasticorum perversos mores; nempe circa mensem Novembrem 1545, si rectè notavit Salonius, qui difficultates adversùs sanctissimas constitutiones ortas, ac* Thomæ *in in iis superandis ac tuenda immunitate ecclesiastica constantiam & robur inflexibile fusè describit toto cap. 5 lib. 2. Describuntur etiam eadem in Vita Salonio præmittenda ex Serie actorum pro canonizatione; sed hìc, uti & apud Baxium*, synodus provincialis *appellatur. Diœcesanam fuisse colligo ex Collectione maxima conciliorum Hispaniæ: nam Eminentissimus auctor Cardinalis Josephus de Aguirre tom. 4 pag. 122 editurus synodum diœcesanam Valentiæ celebratam anno 1566 ita proloquitur:* Quamvis curæ nobis fuerit in hac Collectione dumtaxat edere concilia nationalia aut provincialia, veluti majoris
B momenti; visum adhuc iis nonnulla diœcesana adjungere *&c. Non dat autem antè loco suo constitutiones seu ordinationes factas in synodo anni 1545; quia verisimiliùs diœcesana tantùm fuit.*

Synodum habuit,

98 *Servari tamen Valentiæ ac magni fieri dictas constitutiones rursus colligo ex eadem Collectione maxima tom. 4 pag. 201, ubi in conclusione Epitomes constitutionum ecclesiæ Valentinæ ab anno 1200 usque ad 1580 vicarius generalis capitularis & canonici metropolitanæ Valentinæ ita loquuntur:* Ac insuper inhærentes constitutioni olim editæ per bonæ memoriæ Thomam de Villanova archiepiscopum Valentinum, & tunc existentes canonicos & capitulum, sub die nona Novembris MDXLV, quæ in calce libri constitutionum impressarum habetur *&c.* Actum in dicto capitulo die 11 mensis Augusti anno à Nativitate Domini MDLXXXII *&c. Laudantur quoque* S. Thomæ *constitutiones ibidem pag. 133 ad calcem constitutionum synodi diœcesanæ suprà laudatæ, habitæ scilicet anno 1566 sub archiepiscopo Valentino Martino Ayala, ubi lego sequentia:* Confirmatio constitutionum synodalium reverendiss. Fr. Thomæ de Villanova archiepiscopi Valen-
C tini. Cùm constitutiones synodales reverendissimi fratris Thomæ de Villanova prædecessoris nostri sint ab eo sanctissimè institutæ, & à nobis maximè probentur; statuimus, ut in iis omnibus, quæ in nostro provinciali concilio nuper habito, aut in præsenti diœcesana synodo non fuerint aliter statuta, aut limitatione aliqua restricta, in nostra diœcesi sedulò observentur.

& alteram 1548.

99 *Ista autem non indigitant expressè synodum à Sancto habitam anno 1545, sed æquè ac verisimiliùs alteram, quam habuit triennio pòst, cujusque constitutiones ibidem recitantur pag. 134 hoc titulo:* Ordinationes pro choro ecclesiarum diœcesis Valentinæ, editæ à reverendissimo Fr. Thoma de Villa-nova archiepiscopo Valentino in diœcesana synodo Valentina anno Domini MDXLVIII, die XIV Junii. *Ordinationes ipsas loco citato videat curiosus lector: quid per eas intenderit solicitus Antistes, sufficienter insinuat in præfatione, quam solam transcribo:* Cùm sacerdotes & alii clerici, divino cultui mancipati, non solùm animæ & conscientiæ puritate, verùm etiam corporali & exteriori gravitate ac morum decentiâ pollere debeant, ac in divinorum celebratione seipsos bene compositos circumspicientibus exhibere, ut per exteriorem honestatem D
intrinsecam cordis compositionem ostendant, iccirco nos don frater Thomas de Villa-nova, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ archiepiscopus Valentinus, volentes in his, quæ ad divinum officium & sacerdotalem ordinem pertinent providere, sequentes ordinationes pro choro ecclesiarum nostræ diœcesis, sancta synodo approbante, fecimus, quas inviolabiliter servari mandamus.

§ IX. De anno ac die Sancti emortuali.

Obiit anno 1555

DE reliquis Sancti gestis usque ad annum vitæ ultimum nihil est, quod adjiciam; hæc quippe abundè edocebitur lector tum ex Vitis edendis, tum, si quid dubii occurrat, ex Annotatis de more annectendis. Itaque ad annum emortualem propero, in quo dissentiunt utcumque scriptores. Mugnatonius in duplici, quod habemus, Vitæ exemplari, sicut & in eo, quod ex Latino Hispanicum fecit Herrera in Historia conventus Sal- E
manticensis pagina 315, scribit in hunc modum: Diem suum obiit anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto. *Escolanus lib. 10 Historiæ Valentinæ cap. 36;* Anno, *inquit*, millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, die octava Septembris obiit sanctus archiepiscopus don Thomas de Villanova. *At Pamphilus, qui sub eadem tempora Chronica Ordinis S. Augustini, usque ad annum dumtaxat 1579 productа, exaravit, ita habet pag. 120:* Deo vocante infirmari cœpit, sanctoque fine quievit anno à Nativitate Domini MDLV: *atque hæc ejus sententia omnium aliorum, quos vidi, calculis comprobatur.*

die 8 Septembris.

101 *Idem annus signatur in Sancti epitaphio, quod dat Salonius in Vita, sicut & San-Martinus, Curtius, & alii; idem in Serie actorum & in Bulla canonizationis; ut proinde hìc morari nos non debeat auctoritas aliàs gravissima Mugnatonii, in cujus verisimiliter numeros error irrepsit. Idipsum de Escolano credendum est; quandoquidem eodem citato lib. cap. 35, cùm dixisset, Bullas pro Sancto ad archiepiscopatum Valentinum datas fuisse à Paulo III Papa sexto Idus* F
Octobris anno 1544, paulò inferiùs scribit, eum tenuisse archiepiscopatum annis decem & mensibus undecim, qui, si diem unum & alterum addideris, complentur anno 1555 die VIII Septembris. Quoad diem neminem hactenus dissentientem offendi, sed, quod rarò accidit, dum horam seu diei partem determinant ii ipsi, qui processibus se usos profitentur, in adjunctis ita discrepant, vel certè tam obscurè ea declarant, ut, quócumque me vertam, emergere ex dubiis non valeam. Quapropter præcipuorum vel ipsa verba, vel saltem in compendium contracta, lectori proponenda judicavi.

Salonio tempus matutinum delinquunti

102 *Salonius lib. 2 Vitæ cap. 22, quod propter rationes, in Annotatis allegandas, apud nos est 25, rem more suo describit fusissimè hoc ordine: die VII Septembris sub horam nonam vespertinam Sanctus Sacramento extremæ unctionis muniri voluit; die VIII ad horam quartam matutinam denuo confessus est, & tum prælegi sibi jussit historiam Christi patientis secundùm Joannem. Ad horam septimam ipsius jussu in eodem cubiculo celebratum est sanctum Missæ sacrificium; simul ac post consecrationem sacerdos elevavit Calicem,*

A *licem, Sanctus pronuntiare cœpit Psalmum:* In te, Domine, ſperavi, *protulit verſum* In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, *dum ſacerdos ſanctiſſimum Sacramentum ſuſcepit, &*, eo ſuſceptionem finiente, ſimul egregius Dei Servus vitam finivit. *Capite dein apud nos 26 pergit hoc ordine: per ſonitum æris campani mox indicata eſt mors ſancti Antiſtitis, corpus ritè exornatum, delatum in aulam palatii majorem, hîc erectum altare, & à nonnullis ſacerdotibus celebratum Miſſæ ſacrificium, ac tandem ſub meridiem palatii valvæ, quæ eò uſque clauſæ fuerant, apertæ ſunt accurrenti innumero populo: ſub horam ſecundam delatum eſt ſacrum corpus ad eccleſiam metropolitanam, & hinc, poſtquam decantatæ eſſent Veſperæ defunctorum, ad eccleſiam monaſterii beatæ Mariæ de Succurſu, Ordinis S. Auguſtini, extra mœnia civitatis, ubi reliqua diei parte ac tota nocte expoſitum fuit, patentibus civitatis portis in gratiam populi, illuc continuò ingenti copia accurrentis: manè ſub horam octavam factæ ſunt ſolemnes exſequiæ & corpus eodem die in ſepulcro depoſitum.*

B *alii intactamque adverſantur,* 103 *Ex hac rerum geſtarum ſerie manifeſtè indicat Salonius, defunctum eſſe Sanctum die* VIII *Septembris* intra horam ſeptimam & octavam matutinam, *& ſepulturæ traditum die* IX. *Audiamus nunc ipſa verba Bullæ canonizationis:* Demum ſemel adhuc ſub ſpeciebus ſacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem ſeſe intuiturum ſperabat; in ſuo cubiculo ſanctum Sacrificium confici, & interim ſibi Dominicæ Paſſionis Euangelium ſecundùm Joannem legi voluit; eoque cum alta contemplatione audito, ac mira pietate & humilitate auguſtiſſimo Sacramento, erga quod ſemper devotiſſimus extitit, ad elevationem adorato, præ gaudio vim lachrymarum profundens, inchoavit Canticum: "Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm „verbum tuum in pace„; eoque abſoluto ſubdidit: "In manus tuas, Domine, commendo ſpi„ritum meum „: quæ cùm diceret, expiravit die VIII Septembris veſperi Nativitatis beatiſſimæ Virginis, cujus dum viveret amore languebat, anno ſalutis MDLV, ætatis ſuæ LXVIII. *Bullæ conſonant ſaltem quoad rem, de qua hîc dubium eſt, in Serie actorum omnium pro canonizatione tria Vitæ compendia, & in eorum uno, poſtquam narratum eſt,* C *quòd Sanctus ad elevationem ſanctiſſimi Sacramenti recitaverit pſalmum* Nunc dimittis *&c., expreſsè additur:* Expiravit die octava Septembris ſalutis anno MDLV VESPERI inter ſeptimam & octavam horam: *in altero:* Expiravit & beatiſſimam animam Creatori reſtituit die VIII Septembris MDLV inter ſeptimam & octavam horam VESPERI Nativitatis beatiſſimæ Mariæ Virginis: *in tertio:* Et hæc dicenti die octava Septembris VESPERI Nativitatis beatiſſimæ Virginis inter ſeptimam & octavam horam anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, ætatis ſuæ ſexageſimo octavo, dedit Dominus Servo ſuo ſomnum *&c.*

alii ſuffragantur; 104 *Dices, tolli difficultatem, ſi credamus, vocem* veſperi, *ſive ex librarii inadvertentia, ſive ex verbo aliquo Hiſpanico, malè intellecto in proceſſibus, irrepſiſſe in unum Vitæ compendium atque hinc in alia & in Bullam: non inficior; imò ſunt nonnulla, quæ id ſat veriſimile eſſe perſuadeant. Primum eſt, quia alioqui tota Salonii, quamquam in adjunctis temporis non omnino accurati & non rarò corrigendi, rei geſtæ ſeries evertitur. Secundum, quia non tantùm Quevedo, San-Martinus, Baxius, Torellus & alii conſenſu unanimi inſinuant, obiiſſe Sanctum, dum ſacerdos ſacrum Domini Corpus ſuſcipiebat, ſed & Vitæ compendium, quod deſcripſit collega noſter Romæ ex Ms. bibliothecæ Angelicæ Ordinis ſancti Auguſtini his verbis:* Celebrante ſacerdote in ejus cubiculo Miſſam, ab elevatione Hoſtiæ incepit recitare magnis cum lachrymis pſalmum: "In te, Domi„ne, ſperavi„ uſque ad ſumptionem ſacerdotis; & tunc bonus Prælatus dixit: "In manus tuas „Domine &c.„ & reddidit ſuo Creatori animam. *Tertium, quia in Vitæ compendio, quod in Serie actorum pro canonizatione quinto loco datur, mors ejus eodem quidem modo, quo in aliis, narratur contigiſſe inter ſeptimam & octavam horam, ſed omiſſa voce* veſperi. *Quartum denique, quia tum in Bulla, tum in Vitæ compendiis res ita exponitur, ut, dempta unica illa voce* veſperi, *nemo non ſuſpicetur, mortuum eſſe Sanctum in ipſo Miſſæ ſacrificio.*

AUCTORE J. P.

Coccinus prima fronte 105 *At verò poſteriori huic certè quoad ſpeciem adverſatur Coccinus in Relatione ad Paulum V Papam, pag. 478 & ſeq. ita ſcribens:* Quòd verò ſemper in Deo ſpem collocârit comprobatur ex teſtimonio Franciſci Iter J. U. D. (*teſtis*) XLVII in proceſſu Valentino fol. CCXXXIV examinati authoritate ordinaria, deponendis*, eum in fine vitæ conſtitutum dixiſſe circumſtantibus: Priùs volo videre Creatorem meum, quàm ab hac vita diſcedam, & confeſtim Miſſam celebrari viſiſſe *, quæ eſt memoriale vitæ & paſſionis Chriſti Redemptoris noſtri, eique maximè * cum devotione interfuiſſe & in elevatione ſanctiſſimi Sacramenti incipiendo pſalmum: "In „te, Domine, ſperavi„„ & illum paulatim proſequendo, donec ſacroſanctam Euchariſtiam ſacerdos ſumeret, dixiſſe: "In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum „. Juſſit poſtmodùm ubi * recitari Paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Euangelium Joannis, in quo cùm legi ſanctiſſimum Joannem audiviſſet, ſilentium ſignis indixit, ut tantiſper meditationi vacaret; mox lectori, ut ſequeretur Euangelium, innuit, & cùm hæc ſæpiùs inter legendum peregiſſet, in illis verbis: "Poſtea autem rogaverunt Pilatum &c„ Creatori ſuo reddidit animam. Ita in proceſſu Valentino ſuper XVIII deponit Joannes Pellejero major ſacriſta eccleſiæ Valentinæ, ætatis LXXII annorum, VII teſtis fol. CLVII, qui ſupradictis interfuit, additque, quòd venerabilis Archiepiſcopus vivens manu ſibi manum apprehendit, quam moriens deinde dimiſit; & cum hoc concordat Petrus Moncada eques, XIV teſtis, qui tantùm hæc de auditu deponit ſuper XVIII fol. CLXXVII, qui duo ultimi teſtes authoritate ordinaria fuerunt examinati.

E

* *l.* deponentis

* *veriſim.* juſſiſſe

* maxima

* *l.* ſibi

F

in adjunctis utrique ſententiæ 106 *Hæc, prout jacent, indiſtinctè legenti clarum apparere poterit, obiiſſe Sanctum diu poſt finitam Miſſam, imò probabiliùs juxta Bullam & Vitæ compendia memorata* veſperi: *quandoquidem, ſi Sanctus tantùm poſt ſumptam à ſacerdote ſacroſanctam Euchariſtiam prælegi ſibi voluerit Paſſionem Domini ſecundùm Joannem, exſpiraveritque in illis verbis:* Poſtea autem rogaverunt Pilatum, *nihil obſit, quominus ea lectio protrahi potuerit uſque ad ſeptimam veſpertinam, præſertim cùm* ſæpiùs *lector morari juſſus ſit, ut Sanctus meditationi indulgeret. Sed qui eam viam inierit, Salonio & aliis non modò contrarius erit, verùm etiam Coccinum cum Bulla & Vitæ compendiis difficulter conciliabit. Nam in his non obſcurè inſinuatur, lectionem Paſſionis præmiſſam*

AUCTORE J. P.

fuisse consecrationi ac sumptioni sacrosanctæ Eucharistiæ & sumptione peracta, recitâsse Sanctum psalmum Nunc dimittis *&c, atque huic addidisse* In manus *& iisdem verbis immortuum esse. Apud Coccinum verò dicitur ad elevationem inchoâsse Sanctus psalmum* In te, Domine, speravi, *eumque protraxisse usque ad sumptionem, tum dixisse* In manus &c, *ac postmodùm recitatam fuisse Passionem Domini, cui tandem immortuus sit ad hæc verba:* Postea autem rogaverunt Pilatum; *quæ cùm ita non reperiantur in vulgata, putem ex inadvertentia describentis vel typothetæ, nam impressio valdè imperfecta est, suppositâ fuisse pro iis, quæ versui* 30 *cap.* 19 Et inclinato capite tradidit spiritum *mox subduntur:* Judæi ergo.... rogaverunt Pilatum. *Ita ut inter versum* In manus *&c ac Sancti obitum tota intercessisset Christi patientis historiæ prælectio juxta Coccinum.*

contrarius, 107 *Itaque Coccini verba sumenda non sunt, prout prima fronte apparet, conjunctim, sed divisim & conformiter ad ipsius scribendi modum ac intentum; atque ita fiet, ut neutri sententiæ refragentur. Considerandum quippe, quòd auctor ille in Relatione* B *non respexerit ordinem temporis, sed virtutum, incipiens à fide ejusque præceptis, ita ut sub diversis titulis examinet diversas virtutes, quibus* S. Thomas *per totum vitæ cursum claruit, easque probet adductis exemplis ac testimoniis, neque in his ad eum ordinem se restringat, ut, quæ priora sunt tempore, præponat posterioribus. Exempli gratiâ, pag.* 592 *agit de Sacrificio Missæ, & primùm ostendit ex testimoniis, quomodo se Sanctus in eo gesserit, dum erat archiepiscopus, mox autem post quomodo religiosus. His consideratis, nodum paulatim nec admodùm difficulter evolvemus. Laudatus auctor à pag.* 471 *disserit* de Magnitudine fidei S. Thomæ, *eamque confirmat testimoniis & exemplis, unde pateat primò, quàm alta senserit de sanctissima Trinitate, dein quàm singulari devotione afficeretur erga sanctissimam Eucharistiam & Beatam Virginem, ac tandem subnectit verba num.* 105 *recitata; unde duo colligamus, affectum scilicet, quo in fine vitæ ferebatur in conspectum Domini latentis sub speciebus Eucharisticis, & sensum, quo perfundebatur ejus animus ex auditione historiæ Passionis Dominicæ, quæ duo quidem in narratione quoad speciem* C *conjunguntur; sed reipsa meo judicio ab invicem non pendent.*

exponitur, 108 *Nam & ex diversis locis desumpta sunt & diversis etiam nituntur testimoniis, ita quidem ut ea pars, in qua agitur de celebrato Missæ sacrificio in cubiculo Sancti, deprompta fuerit ex fol.* 234 *processus Valentini, & solum habeat testem Franciscum Iter; altera verò de lectione Passionis Dominicæ incipiendo ab his vocibus:* Jussit postmodùm sibi recitari *&c ex fol.* 157 *ejusdem processus, ac roboretur testimoniis Joannis Pellejero ac Petri Moncadæ. Utrumque eruitur etiam ex eodem Coccino pag.* 480 *in in hunc modum scribente:* Et quamvis prædictus Franciscus Iter in hac sua depositione non habeat contestem, ea tamen comprobatur tum ex dicto fratris Joannis Alphonsi, XI testis super XVIII in eodem processu fol. CLXVII, & ex dicto Gregorii Juañes primi testis pariter super XVIII in eodem processu fol. CXLI, examinatorum authoritate ordinaria, tum ex aliis testibus, qui de sanctissimo devotissimoque hujus Præsulis fine deponunt, ex quibus simul junctis facilè potest colligi plena probatio. *Franciscus Iter non habet* contestem, *ergo verba, quibus tamquam testis subjicitur Joannes Pellejero, non afficiunt præcedentia, quibus testatus est Franciscus Iter spectantia ad sacrificium Missæ in Sancti cubiculo celebratum, ac proinde, accedente auctoritate compendiorum Vitæ in Bulla & Serie actorum, verisimillimum est, rò* jussit postmodùm *respicere non ea, quæ apud Coccinum proximè præcedunt, sed alia, quæ ante narrata fuerant in processu pag.* 157, *fortè eadem, quæ à Salonio referuntur de instituta per Sanctum sacramentali Confessione ante lectionem Passionis Dominicæ.* D

& via conciliandi omnes proponitur. 109 *Hinc colligo ulteriùs, quòd Franciscus Iter deposuerit, Sanctum ad ea verba* In manus tuas Domine *exspirâsse, prout habent Vitæ compendia: imò, quamvis neutrum exprimatur apud Coccinum, in ipso Sacrificio, sicut Salonius, Quevedo, aliique num.* 104 *laudati, tradiderunt. Quòd autem testentur Joannes Pellejero & Petrus Moncada, defunctum esse Sanctum in illis verbis:* Postea autem rogaverunt Pilatum, *nihil obest, si statuamus cum Salonio, primò quòd lectio inchoata fuerit post institutam Confessionem sacramentalem horâ quartâ matutinâ, cui contraria non sunt Vitæ compendia; secundò quòd continuata fuerit etiam tempore Sacrificii, id enim innuunt verba compendii Vitæ in Bulla:* In cubiculo sanctum Sacrificium confici & interim sibi Dominicæ Passionis Euangelium secundùm Joannem legi voluit, *tertiò quòd, sacerdote elevante sacrosanctam Eucharistiam, cœperit Sanctus recitare psalmum seu canticum* Nunc dimittis, *ut habent Vitæ compendia, huic subdiderit psalmum* In te Domine speravi, *cujus unius meminerunt cum aliis Salonius & Franciscus Iter apud Coccinum, & cùm lector absolveret postrema verba versûs* 30 *cap.* 29 *Joannis Euangelistæ; sacerdos verò susciperet sanctissimum Sacramentum, dixerit:* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, *atque hæc dicens, expirârit. Sic conciliabuntur omnes, si modò admittere volueris, quòd de adjecta per inadvertentiam voce* vesperi *insinuavi suprà; sin'minùs ego aliis rem explicandam permitto. Porrò sunt, qui Sancti ætatem annis* 67, *sunt qui* 68 *determinant, sed cùm natus sit anno* 1488, *ita conciliandi, ut alii completos, alii incompletos numerârint.* E

§ X. De Scriptis Sancti ac variis eorum editionibus. F

Sanctus Mss. sua ante obitum dedit Mugnatonio, VArias lucubrationes præsertim conciones sacras è vivis abiens scripto posteritati reliquit eximius Verbi Dei Præco, quas, *ab ipsomet obtentas, non multis annis post magna saltem ex parte in lucem edi curavit laudatus sæpe Joannes Mugnatonius episcopus Segobricensis, cujus verba ex præfatione editioni Complutensi anni* 1581 *affixa huc transfero:* Cùm verò in excellentis hujus Præsulis sacrarum concionum possessionem magna ex parte ego venerim (nam intercidisse aliquas non sine magna rei pretiosæ jactura certò scio,) intelligamque, quantum eximiæ utilitatis fructum Ecclesiæ Christianæ illarum editio sit allatura, hisce potissimùm temporibus, de quarum siniſtra forte suprà incipiebam commemorare, non committam, ut tantus thesaurus in tenebris delitescat; sed ut in lucem potiùs & in oculos manusque hominum veniat, sedulò curabo. His accedit, quòd, cùm olim ego cum Authore ipso de maturanda editione agerem, illumque obnixè roga-

A rogarem, ne pateretur tam fructuosis vigiliis defraudari homines, quâ ille erat modestiâ insigniter præditus, respondit, non se tam suarum rerum admiratorem esse, ut in tanta scribentium felicitate, prodeuntibus quotidie præstantissimorum authorum egregiis lucubrationibus, auderet tenuitatem angustæ suæ doctrinæ in publicum emittere. Cæterùm, cùm juxta consuetum modum cursumque naturæ ego, qui minùs quàm ille provectæ essem ætatis, videbar illi futurus superstes, facerem, postquam ille vitâ esset functus, id, quod magis è re publica fore judicarem, totum id, quicquid esset negotii, se mihi dare, pro meo arbitratu aut premerem aut publicarem.

qui, juvante Petro Uzeda, edere decrevit

111 Quare haud quaquam integrum jam mihi esse censeo non edere; cùm tam utilem, imò necessariam rei publicæ editionem hanc esse censeam. Misi itaque ea exemplaria, quæ apud me erant, patri provinciali, patribusque Castellæ provinciæ nostri Ordinis, ut virum doctum deligerent, cui curam delegarent recognoscendi, purgandi, emendandi etiam, si quid in his scriptis librariorum, amanuensiumve incuriâ (qui rudes sæpe & imperiti nobis contingunt) castigatione dignum videretur, daretque operam, ut in voluminis formam

B conciones redactæ excudi possent, quando mihi per crebras meas occupationes, quibus necessariò distrahor, id perficere non licebat. Opere præstiterunt mox, quod à me rogabantur patres, curamque eam delegârunt magistro fratri Petro Uzedæ, collegii nostri Ordinis in Complutensi academia rectori, cujus viginti annorum theologicis prælectionibus explorata eruditio, & inde confirmatum in sacra doctrina judicium, vota desideriaque mea plenè & cumulatè explebit; summasque divinæ Bonitati gratias ago, quòd perfectum jam & absolutum Opus video: ex quo tametsi omne studiosorum hominum genus commoditates & emolumenta magna haurire posse persuasum habeo, illis tamen, quibus populum Christianum concionando doctrinâ & bonis moribus imbuere cura est, multò amplissima laturos dubitare nemo potest.

concionatoribus peratilia.

112 Hinc rationem inveniendi artificiosam colligent, hinc disponendorum argumentorum artem addiscent, hinc denique totius orationis ductum haurire poterunt, supellectilemque variam &

C multiplicem sibi comparabunt, unde suas conciones affatim condiant, feliciterque locupletent. Ecce illis proponimus exemplar, ad quod sese effingant, quod sanè si fuerint imitati, non dubito, quin serio seduloque ac magno spiritûs ardore incumbant adversùs hominum peccata, flagitiorumque sylvam, quæ tam altè in humanis pectoribus radices egit, penitus amoliantur & vastent. Faxit Deus optimus, ut is ardor sanctusque ille zelus, quo harum concionum Author deflagrabat, populumque Christianum suo tempore in virtutis

* *al.* accendebat studium accendebant*, excitetur modò, moveaturque in his hominibus, qui hunc librum in manus sument, hinc vitia evellant & destruant, illinc virtutes ædificent & plantent, quemadmodùm & ipse Operis Author sanctè præstitit. *Ita, correctis hinc inde typi erroribus, laudatus Mugnatonius, deinde pergens commendare concionatoribus, ut ad exemplar Sancti nostri in dicendo sectentur brevitatem & facilitatem sermonis.*

Pars eorum in debitam formam

113 *Sermones autem suos, quamquam Hispanico idiomate ad populum diceret, Latino tamen exaravit Sanctus, uti manifestè testatur memoratus Petrus Uzeda Guerrero in litteris eidem editioni præfixis, directisque ad Mugnatonium episcopum, ubi ita loquitur:* Equidem, quod ad me attinet, pro virili mea portione curavi, ut quàm emendatissimum in manus hominum prodiret Opus. A verborum autem & sententiarum mutatione ita abstinere constitui, ut tamen interim illiberales quasdam voces & quasi plebei ordinis aut sustulerim, aut cum aliis commutârim, & orationes præterea nonnullas integrasque peryodos, quas ille, ne quid impetum * moraretur, vernaculâ linguâ Latinæ concioni liberè admiscuerat, ita verterim, ut simili filo & contextura sermo procederet, neque Sicyonios calceos, ut dicitur, Socrati ineptè induerem. Cæterùm illud summopere cavi, nequa loquendi formula, nequa metaphora, nequa exaggerandi ratio cavillis aut sycophantiis ansam ullam calumniosis hisce temporibus præbere posset. Quid verò nostra hæc opera emolumenti attulerit, ille exactiùs judicabit, qui editionem hanc sanè tuam, pater amplissime, cum illis manuscriptis exemplis contulerit, quæ depravata & ab imperitis scribis exscripta vulgò circumferuntur; qua re non solùm Authori nominis jacturam, sed & doctrinæ, alioqui sanctissimæ, periculum certum creari, non est, qui non videat. *Verba sunt hactenus Uzedæ, aliquot manifestis typi mendis expurgata.*

* *al.* imperfectum

E

redacta, missâ alterâ in tempus aliud,

114 *Opus illud divisit Uzeda in tomos duos unico volumine contentos; tomo primo dantur conciones in Dominicas & festa Domini, uti & in ferias aliquot præsertim Quadragesimæ, nec non Commentarii in Cantica Canticorum; in altero conciones in festa B. Mariæ Virginis & Sanctorum aliquot selectiores, omissis multis in utroque tomo, quæ operosiore correctione indigerent, quemadmodùm insinuat editor ad calcem secundi his verbis:* Selectiores conciones hactenus tantùm dedimus; neque enim omnes Authoris Commentationes, uno quasi partu edere nobis licuit, in quidvis aliud quàm in hoc conscriptas; quas nimirum Author in adversariis tumultuariè & in litura reliquerat, & quarum plurimæ, indignis truncatæ modis, vix in unum orationis corpus coalescere posse videntur. Dabimus operam (Deo suo operi aspirante) ut curâ & diligentiâ nostrâ eam formam propediem accipiant, ut suum Authorem & decere & referre quisque judicet. Sit hic tomus cæterorum antecursor, viamque aliis muniat ac pandat iter durum ingeniorum voluntatumque humanarum, &

F assuefacere incipiat pietati ac divinis ardoribus desueta hominum corda; mox conciones reliquæ, quæ modò desiderantur, ire viam incipient.

lucem aspexit anno 1581,

115 *Non est, quòd dubitem, quin laudatus Uzeda post perfectum primum illud Opus studia sua ac labores ad alias conciones converterit; has tamen, uti statuerat, non videtur prodidisse in lucem. Certè primi Operis impressionem variis vicibus repetitam fuisse comperi; at nusquam deprehendi, novi quid ex Sancti lucubrationibus typis vulgatum esse ante annum 1685, de qua postrema editione mox loquar; cùm nempe nonnihil observavero circa tempus editionis primæ. Hanc, duce Herrera in Historia conventûs S. Augustini Salmanticæ, innectunt auctores, quos vidi hactenus, omnes anno 1581.* Anno MDLXXXI, *inquit laudatus Herrera pag. 383 agens de gestis Petri Uzedæ,* erat rector collegii Complutensis & in ordinem redegit sermones sancti fratris Thomæ à Villanova ... vulgavitque modo, *quo suprà dictum est in litteris ad Mugnatonium. Favet huic sententiæ ipse titulus editionis Complutensis dicti anni, qui sic habet:* Conciones sacræ illustrissimi & reverendissimi DD. Thomæ à Villanova *&c*, nunc primùm in lucem editæ.

AUCTORE J. P. *& fortè citiùs;*

116 *Verùm non desunt rationes, quæ suadent, vel editioni huic præcessisse alteram, vel certè Opus prelo paratum fuisse ultra decennium, antequam vulgaretur. Nam Mugnatonius, Vitâ functus anno 1571, in præfatione ita loquitur, acsi jam tum nihil quidquam editionem moraretur;* Summasque, *inquit*, divinæ Bonitati gratias ago, quòd perfectum jam & absolutum Opus video. *Idipsum haud obscurè significat Uzeda in litteris è collegio Complutensi directis ad eumdem Mugnatonium, utique in vivis superstitem, quas concludit hâc formulâ:* Servet amplitudinem tuam Deus Opt. Max. nobis quàm diutissimè incolumem. Vale. *Alia ejus verba habes num.* 113. *Denique non minùs evidenter id patet ex litteris Philippi secundi regis Hispaniarum, præfixis dictæ editioni Complutensi anni* 1581. *Ex iis quippe discimus, factam fuisse licentiam imprimendi sermones Sancti nostri ab anno* 1569. *En tibi, quantùm huc spectant, verba ipsa ex Hispanico Latinè reddita:* PROROGATIO. Philippus Dei gratia *&c.* Quoniam exhibitum nobis fuit... quòd dicto Ordini (*S. Augustini*) licentiam concesserimus, ut ad tempus decem annorum imprimi possent sermones fratris Thomæ à Villanova.... ac spatium illud annorum decem finitum sit sub exitum anni elapsi millesimi quingentesimi septuagesimi noni..... Eapropter spatium dictæ nostræ licentiæ prorogamus ac dilatamus... ad annos sex alios *&c.* Datum Matriti die decima octava Februarii anno millesimo quingentesimo octogesimo. *Itaque, si sæpe memoratæ editioni altera non præcesserit, dubium non est, quin potuerit præcessisse, & quin tentata fuerit decennio antè. Fortè ei moram attulit obitus Mugnatonii, cujus curâ & sumptibus procedebat; atque hinc factum, ut aliarum concionum edendarum animum deposuerit Uzeda.*

dein sæpe recusa fuit & approbata Romæ.

117 *Idem Opus dein tum ante tum post canonizationem Sancti sæpiùs prelum subiit. Pater Dominicus Antonius Gandolphus in Dissertatione historica de Scriptoribus Augustinianis tres editiones recenset ante canonizationem factas, primam Brixiæ anno* 1603, *alteram Coloniæ* 1614, *tertiam item Coloniæ* 1618; *habeo præterea exemplar ibidem impressum anno* 1619; *duas quoque post canonizationem assignat, primam Romæ anno* 1659, *curante Joanne Baptista Penna, Vigiliarum episcopo, secundam rursus Coloniæ* 1661. *Ceterùm de his verisimillimè concionibus impressis intelligenda sunt, quæ leguntur in Serie actorum omnium in canonizatione pag.* 4 *&* 5 *verbis sequentibus:* Die XVI Novembris (*anni* 1649) demandatum est examen Operum, ab eodem Beato editorum, Card. Cornelio, adhibitis patribus Hilarione & Alciato. In congregatione habita die VII Martii MDCL pronunciatum fuit, nihil in prædictis Operibus contra fidem & bonos mores, nec aliquam doctrinam novam & à communi Ecclesiæ sensu alienam contineri. *De his, inquam, concionibus intelligenda sunt: neque enim aliud vel ab ipso Sancto vel ab altero ex ejus Operibus editum uspiam occurrit usque ad annum* 1685: *quando primùm ejusdem Opera, multis concionibus & Elucidatione in Apocalypsim aucta, in lucem edi cœpta sunt Bruxellis, curante admodùm reverendo P. Antonino de Witte, Ordinis Eremitarum S. Augustini Belga Bruxellensi.*

Editio multò locupletior facta est anno 1685

118 *Is, quantum ex priore tomo eruere potui, in Hispaniam profectus, inde tum reliquias* S. Thomæ *Valentiæ obtentas, ut dicam in Gloria posthuma, tum ejusdem Sancti lucubrationes Mss. attulit in patriam, atque in quinque partes dispositas, totidem tomis prelo paravit, qui nempe & antè editas & eatenus non editas complecterentur. Primus lucem aspexit anno mox memorato, habetque varias conciones in Dominicas à prima Adventûs usque ad Dominicam Resurrectionis, nec non in ferias aliquot Quadragesimæ: alter anno* 1690, *& præter conciones à Dominica Resurrectionis usque ad primam Adventûs continet Elucidationem in Apocalypsim, omisso Commentario in Cantica Canticorum, quem dedit Uzeda, quemque hîc se daturum promiserat laudatus de Witte. Ita enim scribit ante tomum suum primum:* Scripsit S. Thomas à Villanova conciones diversas, per me, dante Deo, præter primum hunc, quatuor insuper aliis tomis evulgandas. Item in Cantica Canticorum incompletè, quemadmodùm & in Apocalypsin, quæ utraque lector benevolus ad calcem reperiet tomi secundi præpropere prælo dandi.

& seqq. à P. Antonino de Witte

119 *Tertius editus est anno* 1695, *& præter conciones in festa Domini nostri Jesu Christi, perhibet multas in festa præcipua beatissimæ Mariæ Virginis, in quam tenerrimo affectu ferebatur Concionator eximius, uti patebit per decursum: quartus* 1703, *comprehendens sermones de Sanctis aliquot, incipiendo à primo die mensis Novembris, omnibus Sanctis festivo, usque ad* XVI *Junii, sacrum SS. Quiriaco & Julittæ martyribus. Quintus procul dubio destinatus fuit Sanctis, quorum memoria recolitur reliqua anni parte, & de quibus nonnullæ conciones leguntur in Uzedæ aliorumque editionibus; fortasse in hunc quoque reservatus fuit Commentarius in Cantica Canticorum suprà memoratus; at dubito, utrùm is editus sit; maximè quia super eo consultus R. Adm. P. Dominicus Laurys Prior RR. PP. Eremitarum S. Augustini Antverpiæ, nullum ejus in conventu suo exemplar esse mihi responderit, quamvis tria sint exemplaria quatuor priorum tomorum, quorum unum cum aliis libris mihi benignissimè & humanissimè concessit. Porrò observet lector, in hac postrema editione non unicam tantùm in singulas Dominicas ac festivitates dari concionem, sed non rarò tres vel quatuor, imò etiam aliquando septem vel octo.*

ex Mss. in Hispania acceptis, & Salmanticæ

120 *Non indicat expresè laudatus de Witte, qua in civitate Hispaniæ vel à quo dicta* S. Thomæ *Mss. nactus fuerit; nactum tamen fuisse Salmanticæ verisimillimum mihi fit ex verbis approbationis censorum, primo tomo præfixæ, quæ transcribo:* Viso mandato *&c.* omnino approbandum censemus, juxta commissionem nobis ab eximio P. Magistro provinciali datam, ut ad majorem Dei gloriam in lucem prodeat tomus primus sacrarum concionum... divi Thomæ à Villanova &c. Nunc demum partim ex ejusdem Sancti quinies impressis concionibus, partim ex duobus tomis manuscriptis (ex quibus illæ, quæ hactenus impressæ fuerant, erant desumptæ, omissis concionibus aliquot, quæ nunc fideliter exscriptæ & à notario Salmanticæ authenticatæ jam primùm prodeunt) partim ex alio ejusdem Sancti autographo posthumo, propria ejusdem Sancti manu subscripto, collatione fideliter facta, in lucem mittitur studio & labore adm. R. P. Antonini de Witte, ejusdem voti Eremitæ Augustiniani, conventus nostri Bruxellensis nuper Prioris & capituli generalis exdiffinitoris. Quarum quidem concionum, numquam antea impressarum, qui stylum & doctrinam collationemque cum manuscriptis considerare voluerit, judicabit nobiscum, ejusdem omnium esse authorem D. Thomam, eodem Spiritu veritatis directum.

A

post correctionem verisimiliter relictis

121 *Hinc conjicio ulteriùs, designatos hîc tomos Mss. eos esse, quos Petrus Uzeda, postquam contentas in iis conciones correxerat & in debitam formam redegerat, reliquit Salmanticæ in conventu Ordinis sui, ubi, dum primæ editionis Opus prelo paratum erat, vel fortè jam tum commissum fuerat, puta sub annum 1576 habitavit, teste Herrera, & sacrorum Librorum interpres fuit. Neque enim verisimile mihi est, P. de Witte correctiora Mss. autographa adeptum fuisse, quàm quæ ipsemet Sanctus commisit Mugnatonio, & hic corrigenda atque in formam redigenda contradidit Uzedæ. Sed quas primùm edidit Uzeda lucubrationes, non exiguo studio & labore emendaverat, quas autem non edidit, eæ majore emendatione indigebant*, quas nimirum Author in adversariis tumultuariè & in litura reliquerat, & quarum plurimæ, indignis truncatæ modis, vix in unum orationis corpus coalescere posse *videbantur, sicut ipse loquitur suprà num.* 114. *Atque inde mihi consequens est, conciones, saltem plurimas, ex obtentis in Hispania Mss, collatione fideliter facta, anno* 1685 *& seqq. primùm in lucem missas à laudato P. Antonino de Witte, antea restauratorem habuisse, nec alium quàm Uzedam; maximè cùm ad hoc curam & diligentiam suam admiserit in litteris ad Mugnatonium, primæ editioni præmissis, nec alius uspiam occurrat, qui id negotium dicatur suscepisse.*

B

ab Uzeda cum protestatione Auctoris.

122 *Ceterùm dum aiunt censores, unum ex memoratis Mss. tomum ipsius manu* S. Thomæ *subscriptum esse, fortasse innuunt protestationem ejus, quam P. de Witte sæpe nominato tomo primo præmisit, hisce verbis conceptam:* PROTESTATIO. Ego Frater Thomas de Villa-nova protestor, quòd in omnibus, quæ hîc & alibi scripsi & scripsero, intendo sequi sensum sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus examini & correctioni omnia mea sive dicta sive scripta subjicio: in cujus fidem nomen meum subscribo. Fr. Thomas de Villa-nova. *His subditur:* S. Thomas de Villa-nova libro suo manuscripto folio septimo. *Quoniam autem Sanctus Opera sua non scripsit eo animo, ut typis vulgaret, quemadmodùm ex Mugnatonii atque Uzedæ verbis suprà recitatis sufficienter eruitur; crediderim, hanc protestationem ab ipso fuisse adjectam, vel quando Mugnatonii arbitrio illa commisit, vel antè, quando suspicari cœpit, fore ut ab aliquo post obitum suum vulgarentur.*

C

§ XI. Acta Sancti quo ordine ac modo edenda & quibus instrumentis illustranda.

Post Vitam à Mugnatonio scriptam, & alteram ex actis in canonizatione,

SUpereſt, *ut, quod* § 1 *hujus Commentarii num.* 13 *paucis indicavi, exponam ordinem & modum, quem in Vita præsertim tertio loco edenda servaturus sum. De Mugnatonio ejusque lucubratione, duabus aliis præmittenda, nihil est, quod addam dictis ibidem num.* 2; *nihil quoque de altera Mugnatonio proximè subjungenda, extracta scilicet ex Serie actorum, aliquoties memorata, præter hoc unum, quòd eam præ ceteris quinque Vitis seu Vitæ compendiis, eadem in Serie contentis, ac num.* 12 *designatis, elegerim; quia iis prolixior plenius Sancti gesta exhibet, ac facilius admittet in Annotatis ea, quæ ex reliquis addenda vel observanda venient. Omnes quippe, non adeo in rebus narratis diversas, recudere consultum non judicavi, maximè quia Salonii Acta longiora, ob rationes statim allegandas prætermittenda non videbantur.*

tertia à Salonio Hispanicè exarata

124 *Salonius, cujus notitiam dedi num.* 5, *bis* S. Thomæ *Acta vulgavit; primùm anno* 1588, *trigesimo tertio ab illius obitu, collecta ex iis, quæ legerat apud Mugnatonium, quæque didicerat ex familiaribus & notis atque ipsomet Sancti confessario. Dein anno* 1620, *concinnata procul dubio ex priùs editis, & ex processibus ad beatificationem confectis, prout ostendi ibidem num.* 7. *Priùs edita nec habeo, nec, ut haberem, operosè laborandum censui; quia, cùm in conscribendis aliis præter adjumenta priora duces habuerit ipsos processus, supponere debebam, hæc fore accuratiora & majorem à lectoribus consecutura auctoritatem. Porrò hunc auctorem laudant & commendant multi, passimque, ubi de Sancti gestis sermonem instituunt, ad illum pro pleniori notitia lectorem remittunt; at verò nullus, quem sciam, hactenus inventus est, qui in ejusdem lectoris gratiam, Salonii Opus Hispanicum Latinè interpretaretur. Credo, quia absterruit tum prolixitas, tum auctoris stylus subinde æquo diffusior; qui certè & mihi perdifficilis visus est ad aptam simul & fidelem interpretationem. Verumtamen quominus & ego ab hac abstinerem, vitaremque valdè diuturna tædia, impulit instituti nostri ratio.*

E

& Latinè reddita

125 *Nam cùm conemur, ubi per instrumenta licet, Acta Sanctorum, de quibus agimus, ita exhibere, ut ulterius nihil meritò desideretur, in eumque finem nonnumquam, post monita in Commentariis prævia, recudamus Acta nobis suspecta, interpolata, imò & fabulis conspersa, exspectationi lectorum minimè responsurum me perspiciebam, si Salonium præterirem. Quandoquidem, etiamsi Mugnatonio non tantùm junxissem sex illa ex Serie actorum in canonizatione Vitæ compendia, verùm etiam Baxii, Nævii aliorumque auctorum de Sancto elogia, ne vel sic ad mediam, quæ habet Hispanus iste, gestorum partem videbar perventurus; ac proinde necesse fuisset, recurrere ad ipsum, tamquam præcipuum & fide dignum biographum, & partem etiam Operis ipsius maximam interpretari, Commentario inserendam. Tamquam ad præcipuum, inquam, & fide dignum biographum; ipse enim ante omnes plenam Sancti Historiam exaravit; eidem Sancto ætate propinquus fuit, cùm annos sedecim vel septemdecim natus esset, quando ille vivere desiit; ipsam Valentinam civitatem patriam nactus est, & procul dubio Episcopum suum novit; in eadem civitate Vitam collegit & edidit; doctrinâ & morum integritate eximius fuit; habuit testes oculatos, ususque est instrumentis authenticis. Aberrat quidem subinde, ut observavi hactenus, à recto ordine chronologico, maximè ubi enarrat officia à Sancto administrata ante aditum archiepiscopatum; sed quid vetat arbitrari, plerosque eos errores profectos esse ab iis, qui ex provincia Castellana vel aliunde adjumenta suppeditârunt, vel oretenus retulerunt, à quibus seu memoriâ lapsis, seu hujuscemodi adjuncta, dummodo rem ipsam fideliter indicarent, non adeo curantibus, in eosdem ipse conjectus est?*

F

modo hîc exposito,

126 *Opus suum divisit Salonius in tres libros, quorum priores duo Vitam comprehendunt, posterior miracula & alia quædam mortem* S. Thomæ *subsecuta: posteriore utar in Gloria posthuma: priores verò interpretatus sum hoc modo. Ordinem auctoris in sectione capitum sum secutus plerumque, non semper; nonnulla quippe, quòd longio-*

ra

AUCTORE J. P.

ra essent, divisi, alia, quòd meram auctoris doctrinam vel historias cum Sancti gestis minùs connexas complecterentur, aut omnino suppressi, aut saltem iis partibus frequenter mutilavi, in quibus excurrit auctor ad historias & exempla sacrarum Litterarum & documenta Patrum, quæque, etiamsi lectu utiles, tamen necessariæ non sunt ad gestorum intelligentiam; hoc enim ad nostrum institutum pertinet, non illud, præsertim quando similia documenta non à Sancto, de quo agimus, sed ab ipso biographo, aliove citato auctore profecta, recurrunt sæpiùs. Idem servavi nonnumquam, dum auctor res antè sufficienter narratas repetebat. In Annotatis tamen passim lectorem monui tum de re omissa tum de ejusdem materia. In ceteris quamquam fidelitatem sectatus sim potiùs, quàm sermonis nitorem, cùm, ut insinuavi supra, Salonii stylus Hispanus perdifficilis mihi esset, majoris commodi gratiâ, phrases subinde immutavi, frequentiùs leviores particulas, quæ uni linguæ gratiam conciliant, non item alteri, vel adjeci vel subtraxi; cavi tamen ubique, ne ab auctoris sensu recederem: ubi verò claritatis causâ notabilius quid inserui, hoc hujuscemodi [ ] uncis inclusi.

B

ex processibus illustrabitur.

127 *In Annotatis autem plurimùm usus sum laudata § 1 num. 10 & seq. Relatione de sanctitate & virtutibus* S. Thomæ, *facta ad Paulum V Papam, in qua auctor illustrissimus Joannes Baptista Coccinus sacræ Rotæ decanus, virtutes ad excellentem sanctitatem requisitas ratiociniis & Patrum ac doctorum sententiis & auctoritatibus elucidat, atque eas in Sancto nostro eluxisse contendit, probatque producendo ex processibus exempla testium nominibus communita. Hæc quippe exempla ac testimonia, ex ejus Opere excerpta, ubi ad majorem fidem, elucidationem vel auctoritatem Actis conciliandam erant idonea, dictis Annotatis inserui, adjectis testium nominibus. At quoniam nomina eadem nonnumquam redeunt, atque uno loco additur ætas vel conditio personæ attestantis, non item altero, præmittere visum est ordine alphabetico duplicem elenchum personarum; primum earum, quæ ex processu Castellano, alterum earum, quæ ex Valentino citantur, & ad singula nomina apponere ætatem & conditionem, prout eam vel ex Coccino vel aliunde didici; sic enim in Annotatis, ubi redeunt eadem nomina,*

C

nihil addendum erit; cùm lector facilè huc recurrere queat, siquando id operæ pretium judicabit.

128 TESTES EX PROCESSU CASTELLANO.

Elenchus testium

Agnes Gonzales *ætatis* 80 *annorum.*
Alphonsus Garzias *æt.* 90.
Alvarus de Villegas (doctor) *canonicus magistralis ecclesiæ Toletanæ.*
Andreas Baptista de Guemes, *Burgis examinatus.*
Andreas de Busto *ætatis* 64.
Anna Bretona *æt.* 90.
Antonius Martinez *ætatis* 80.
Antonius de Molina *æt.* 80.
Barnabas Gonzales *æt.* 88.
Bartholomæus Jossa (doctor).
Bartholomæus de Sosa (doctor) *Theologus.*
Basilius (pater) *vice-rector Societatis Jesu Vallisoletanus.*
Basilius Vich.
Beatrix Lopez *ætatis* 70.
Catharina Garzia *æt.* 80.
Catharina Gonzales *æt.* 80.
Christo * de Gusman.
Christophorus Thomas *æt.* 70.

** fortè Christophorus*

Didacus de Guevara (P. F.) *Ordinis S. Augustini Salmanticæ examinatus.* D
Eleonora de Salazar (donna) *monialis Vallisoleti examinata.*
Ferdinandus Busto.
Franciscus Sobrino (doctor) *canonicus doctoralis Vallisoletan.*
Franciscus Zumel (mag. Fr.) *Salmanticæ examinatus.*
Garzias Lopez.
Gaspar de Borgia (don) *S. R. E. Cardinalis.*
Gregorius Ruiz (doctor) *canonicus magistralis Salman.*
Gundizalvus Camero *ætatis* 88.
Gundizalvus de Polo *æt.* 80.
Helena Lopez *æt.* 83.
129 Joannes de Astudillo (Fr.) *Ordinis S. Benedicti.* *ex processu Castellæ,*
Joannes de Castro (P. F.)
Joannes Fernandez *ætatis* 60.
Joannes Gallego *æt.* 95, *incola Villanovæ.*
Joannes de Osorno (P. F.) *Ordinis S. Augustini, administrator collegii S. Gabrielis Vallisoleti.*
Joannes de Ramo, *alibi* Joannes Ramos & de Ramos *æt.* 83 *incola Villanovæ.* E
Joannes Sanchez *æt.* 70.
Lucia Martines *æt.* 70.
Lucia Perez *æt.* 90.
Ludovica Lopez *æt.* 80.
Ludovicus Feo *æt.* 90, *incola Villanovæ.*
Ludovicus de Sena (doctor) *canonicus magistralis ecclesiæ Toletanæ.*
Maria Lopez *æt.* 50.
Maria Sanchez *æt.* 80; *occurrit alibi* Mariana Sanchez, *fortè eadem.*
Matthæus de Ollala.
Mentia de la Torre *monialis.*
Petrus Agado.
Petrus Garzia *æt.* 78, *parochus Castellanus, qui sancto Archiepiscopo servivit, &, uti ex Actis colligo, œconomus fuit. Alibi dicitur ætatis* 86, *fortè quia bis examinatus fuit; primùm auctoritate ordinaria, dein Apostolica.*
Petrus de Vandillo.
130 TESTES EX PROCESSU VALENTINO. *& alter*
Antonius Joannes Andreu.
Antonius Ruiz *æt.* 82.
Balthazar Apparitius. F
Baptista Navarro *æt.* 74.
Bartholomæus Escola *æt.* 80
Bartholomæus Perez *æt.* 101.
Blanca de Cardona.
Carolus Joannes de Torres (don) *æt.* 73.
Christophorus Perez (pater) *Societatis Jesu.*
Eleonora de Gusman (donna.)
Federicus Borgia (don) *canonicus & archidiaconus major ecclesiæ Valentinæ.*
Felicianus de Figueroa (don) *Apud Eminentissimum Aguirre tom.* 4 *Conciliorum Hispaniæ pag.* 291 *ita subscribit:* Licentiatus Felicianus de Figueroa.
Franciscus Blasco.
Franciscus Dymas Pellicer.
Franciscus Joannes Fores.
Franciscus Iter *J. U. D.*
Franciscus Ludovicus Balaquel, *canonicus Valentinus.*
Franciscus de Molina (Pat. Mag.)
Franciscus Ramon.
Franciscus Rocca Full J. U. D. *cappellanus oratorii*

A torii ſuæ majeſtatis, præcentor & canonicus eccleſiæ Valentinæ.
Gaſpar Genoves ſacerdos S. T. D.
Gregorius Yvañes.
Hector Ruiz de Corella (don.)
131 Jacobus Capena (don.)
ex proceſſu Jacobus Ferrando.
Jacobus Ferrer. (don.)
Jacobus Sanchez (Fr.)
Joachimus Baiarri J. U. D., fortè idem, qui alibi legitur Joſephus Joachimus Bayarri.
Joachimus Real, J. U. D. de conſilio ſuæ majeſtatis ac regens cancellariæ.
Joannes Alfonſus (Fr.)
Joannes Baptiſta Alatar, chirurgus, quo ſæpe uſus S. Thomas, ut tradit Salonius.
Joannes Baptiſta Calbet æt. 76.
Joannes Baptiſta Scriba æt. 70.
Joannes Boyl (don.)
Joannes Feris.
Joannes Panagos, alibi Panegos æt. 74.
Joannes Pellejero æt. 72, ſacriſta eccleſiæ Valentinæ, adfuit Sancto morienti.
Joſeph Montanes (Fr.) Ordinis S. Franciſci.
B Ludovicus Nadal.
Marcus Antonius Ciſternus.
Marcus Antonius Vernich.
Mariana Cabanillas æt. 70, Sancto famulata eſt, ut conjicio ex locis variis.
Mariana de Sottomajor æt. 80, habitavit in palatio archiepiſcopali uſque ad Sancti obitum.
Matthæus Joannes Lopez, uno loco dicitur ætatis 75, altero 72.
Matthias Pallas (don.) canonicus eccleſiæ Valentinæ.
Michaël Hieronymus Vich (don.) Apud Eminentiſſimum Aguirre tom. 4 Conciliorum Hiſpaniæ pag. 712 Michaël Vich anno 1594 dicitur ſacriſta & canonicus eccleſiæ Valentinæ.
Michaël Hieronymus Vinaron.
Michaël Joannes Joſeph Caſanova.
Michaël Soler.
Michaël Vincente, notarius.
Michaël Vincentius Molla, canonicus Valentinus.
132 Petrus Guttieres æt. 91.
Petrus Joannes Aſſenno, alibi Aſſentio. Apud Eminentiſſimum Aguirre loco mox citato ſcribitur: Doctor Petrus Aſſenſius, rector Sancti
Valentino
C Bartholomæi.
Petrus Mañes æt. 70.
Petrus de Moncada (don) eques.
Petrus Pallares.
Petrus Portillo.
Petrus de Sancta Eulalia æt. 70.
Petrus Valentinus.
Philipphus Adell æt. 71, presbyter.
Raymundus Sanez (don.)
Vincentius Ferrer.
Vincentius Grau.
Vincentius Roca. Apud laudatum Aguirre pag. 200, inter canonicos metropolitanæ Valentinæ recenſetur hoc titulo & nomine: Vincentius Roca de la Serna Archidiaconus Setabis.
Vincentius Sanchez.
Præter hoſce teſtes alii nonnulli ex iiſdem proceſſibus adducentur in Gloria poſthuma, qui depoſuerunt de miraculis poſt Sancti obitum divinitus patratis, quorumque nomina datis elenchis inferere neceſſarium non duxi, quòd uno tantùm loco paſſim allegentur.

A. J. Mugnat. ep.

VITA PRIMA

Auctore Joanne Mugnatonio, epiſcopo Segobricenſi, Sancti amico familiari.

THomas igitur à Villanova in Villanova ortus eſt *a*, unde & cognomentum accepit, quod oppidum in ea eſt parte citerioris Hiſpaniæ ſitum, quam Hiſpanorum vulgus la Mancha de Aragon vocitat, olim Agrum Laminitanum *b* coſmographis dictum, ad fontes nimirum Anæ *c* fluminis, doctorum hominum eſt exiſtimatio. Eſt verò editus parentibus honeſtis atque honoratis *d*, natalibus etiam non Chriſtianis ſolùm, ſed & ab omni impuritate labeque alienis *e*; matrem præſertim fortitus eſt inſigniter piam, egregiæque in Deum & proximos caritatis fœminam, adeoque flagrantis E ſpiritus, ut ſuavitates illas, ſpiritualeſque delicias à Deo hiſce hominibus tribui ſolitas, quorum familiaris converſatio in cælis eſt, quorumque animæ amore languent divino, ipſa etiam fuerit experta *f*; quæ ita Filius de matre narrabat, ut Auguſtinum de matre Monicha hiſtoriam texere diceres. *Sancti patria & parentes.* *a* *b* *c* *d* *e* *f*

2 Studio liberalium artium Juvenis operam dedit in Complutenſi *g* academia, celeberrimo in hiſce artibus Hiſpaniæ gymnaſio, ubi haud longo pòſt tempore eam diſciplinarum liberalium eruditionem eſt nactus, eamque opinionem ac famam philoſophicæ doctrinæ aſſequutus, ut publico in auditorio, & publico academiæ ſtipendio, prælegeret ac doceret liberales artes; tale in Juvene adhuc eminebat ingenii acumen, vividaque & prompta intelligendi ac penetrandi abſtruſiſſima quæque vis animi. Prodiere tunc ex illius inſtitutione ab eo eruditi innumeri diſcipuli, inter quos in Hiſtoria de rebus geſtis à Franciſco Ximenio Cardinali, Complutenſis academiæ curâ & Alvari Gomecii Toletani operâ edita *h*, ob inſignioris famæ celebritatem duo Thomæ à Villanova diſcipuli memorantur, Ferdinandus Enzinas, F qui acuminibus quibuſdam argutiſſimè excogitatis, dialecticam artem aliis admirationi, aliis verò ingeniis terrori eſſe fecit, & Dominicus Sotus, qui, cùm initio eamdem ire viam, quam Enzinas, cœpiſſet, tantùm poſtea non in liberalium artium diſciplinis ſolùm, ſed & in Theologicis ſacratiorumque Literarum ſtudiis promovit, ut & Dominicanum Ordinem, ejus inſtituti monachus, & Salmanticenſem academiam primarius theologicæ cathedræ præfectus, & ſui nominis memoriâ, & utilium librorum editione auxerit *i*. *Juventutis ſtudia* *g* *h* *i*

3 Tum ergo ob hæc ingenii & literarum merita, cùm ob ſenilem in juvenili ætate morum vitæque ſanctiſſimæ probitatem, in præclarum divi Ildephonſi ejuſdem academiæ collegium fuit collega cooptatus. Aderat in eodem tunc collegio magnus ille Joannes Vergara *k* doctor theologus, ſapientiâ, doctrinarumque omnium immortali fama percelebris, qui Thomæ à Villanova vitæ integritatem, & in mediis literariæ palæſtræ concertationibus, atque in ipſis ſtudia æmulantium juvenum quaſi fluctibus, ſanctitatem, pietatemque in omni negotio eximiam erga pauperes ino- *ac virtutes*, *k*

A. J. Mu-GNAT. ED.

pesque homines, frequenti prædicatione admirans solitus erat referre.

ingressus in religionem & vitæ sanctissimæ rudimenta.

4 Hinc demum à Salmanticensi academia accersitus, ut cathedram, quam vocant philosophiæ naturalis, moderari vellet, haud quaquam levi proposito salario, est rogatus. Cæterùm poscentibus in Salmanticensibus minimè acquiescendum putavit. Repudiavit libenter oblatum honorem, tactus jam tunc profectò de cælo, divinitusque ad perfectionis Christianæ viam affectandam impulsus. Et quem neque honorum, neque aliarum commoditatum irritamenta Salmanticam perduxerant, Christi Redemptoris imitatio, perfectæque virtutis studium facilè eò pertulerunt. Quamobrem Salmanticæ in monasterio religiosissimo divi patris nostri Augustini religionis habitum suscepit, anno suæ ætatis circitèr trigesimo *l*; ubi toto illo tyrocinii ac probationis, ut dicunt, tempore, ac proximo etiam ab edita professione, ita vigiliis & præcationibus mirificè erat deditus, eâ etiam vitæ modestiâ ac parsimoniâ corpus temperabat, ut omnes penè Ordinis nostri viros in magnam spem erexerit, raræ suæ excellentisque virtutis, futurumque virum clarissimum haud vano præsagio divinarent.

l

B

Mira concionantis

5 Scholasticam Theologiam ibidem profiteri jussus, librum sententiarum monachis prælegendum suscepit. Sacrarum mox concionum munus ea dexteritate obivit, ut vel in ipsis initiis specimen clarissimum daret ardentissimi in Deum spiritus, studiique admirabilis in cultum honoremque divinum, spiritalemque proximorum salutem. Quo factum est, ut totâ urbe Salmantica Thomæ Villanovani fama nomenque brevissimo tempore increbresceret. Accepi equidem gravissimorum hominum prædicatione ac testimonio indubitabili, clarissimum illum patrem Joannem Furtatum * instituti divi Dominici monachum (virum sanè totâ Hispaniâ notissimum ob egregias prædicandi verbi Dei, necnon literarum ac sanctitatis dotes) famæ illius celebritate adductum, ut concionantem pergeret audire, explorabundum accessisse, num res ita se haberet, ut publico præconio jactabatur, peroratâque concione exclamâsse, summas se divinæ Bonitati gratias agere, quòd Ecclesiæ suæ tam strenuum cultorem, egregiumque operarium impendisset.

* Hurtadum

C

dexteritas & fructus

6 Brevi post tempore, eo videlicet anno, quo Hispanici tumultus adversùs regiam majestatem fuerunt excitati, clerus, Salmanticensisque ecclesiæ capitulum eidem habendas per Quadragesimam in summa æde conciones demandavit *m*. Enarravit ille tunc psalmum percelebrem: In exitu Israël de Ægypto; aderam ego inter auditorum cœtum nondum monachus, sed laicus adhuc juvenis *n*. Ibatur ad illum plenis viis, accurrebant admirabundi, & propè attoniti homines, mirari novum dicendi genus, mirari orationis impetum, auditorum animos quoquò vellet rapientem, mirari ardentissimos affectus, viscera ipsa hominum exurentes. Usque adeo descendit prælatè ea doctrina in omnium popularium pectora, ut non populum ex laicis civibus constantem per id tempus Salmantinam urbem diceres, sed monasterium rectè institutum esse putares, religiosorumque fratrum conventum.

m

n

insignis.

7 Affecit præsertim scholasticos homines, literisque vacantes in amplissima academia, quæ in ea urbe jam diu floret; vitæque præsentis fastidire illecebras, futurique seculi æternis inhiare bonis divinisque rebus ita sese dedere, docuit, ut non tantùm ejus urbis monasteria novitiis monachis redundarent, sed & finitimorum oppidorum cœnobia, & omnium propè urbium conventus, vix religionis sacris initiari petentibus sufficerent. Miris incrementis sese in dies singularis ejus doctrinæ fama atque authoritas diffundebat. Illud verò summo studio curabat, ut doctrinam & eruditionem, additis virtutis ac severioris vitæ firmamentis, communiret: quò nimirum verbo & opere Ecclesiam Dei adjuvaret, exemploque ad bene beatèque vivendum hominibus præluceret.

D

*In aulam vocatus, coram cæsare verba facit, * l.* obstupefecit

8 Quapropter subitò Hispaniam universam Thomæ à Villanova percelebre nomen implevit, sanctitatisque & eximiæ religionis sonitu tantùm non obstupecit * totam hanc Hispanici orbis oram, curiamque ipsam regiam, regalemque principis aulam clarissimo præconio penetravit. Quo factum est, ut Carolus quintus imperator Christianissimus, idemque Hispaniarum rex Catholicus ac dominus noster, nec non augusta ipsius spectatissima conjux, non parùm multis Quadragesimis, compluribusque aliis diebus festis, concionantem audire gestientes ad se evocarent, ex illiusque oratione insigni animi consolatione sese perfundi, haud obscura significatione Christianissimi principes declararent. Illud etiam miraculi loco mihi esse videtur, quòd in universum ex omni hominum ordine, ex omni statu ac conditione spiritu quodam, quasi œstro, perciti homines ad illius conciones certatim contenderent.

E

auditorumque omnis ordinis corda ad se rapit.

9 Mitto nunc promiscuæ multitudinis innumerabile vulgus, quod velut sui ignarum pietate inflammabatur: proceres quoque & summates mitto, quosvis etiam magistratus, & ex equestri ordine spectatos viros, qui omnes incredibili ardore correpti incitabantur; sed (& quod magis demirari soleo) literatos homines, egregiosque concionatores, atque omnium propè Religionum monachos, nullos non denique viros literis & eruditione cumulatos, anxios, audiendi avidos, sui oblitos, undequaque excitatos ad se rapiebat. Res sanè summa admiratione dignissima, tam diversis hominum ingeniis una eademque oratione tam plenè satisfieri posse. Sunt hæ liquidæ veritatis, synceræque virtutis divinæ vires. Horum ego testis sum oculatus, qui diligenter curabam, ne qua ratione unquam ab ejus Viri concione abessem.

Prudens ac paterna subditos moderandi ratio.

10 Neque verò talentum unicum prædicandi verbi Dei Thomas hic clarissimus, de quo agimus, duntaxat est divinitus assequutus, sed & alia complura, prudentiam potissimùm administrandæ reip. singularem; commissaque proinde illi sæpenumerò cura est regendi præcipua nostri Ordinis monasteria, quæ ille sanctissimè moderabatur; illud in primis, quod pater Augustinus observandum prælatis in Regula proponit, patiens sit ad omnes, temperareque modestiam cum infractæ authoritatis severitate admonet, reipsa insigniter præstabat. Liberalitate insuper conspicuus omnium necessitatibus diligenter prospiciebat, mox exhibitis alacriter his, quæ oportebat conferri. Caritate præsertim totus videbatur ardere, maximè erga monachos ægrotos, quique in valetudinario hospitio languebant.

Bis toti provinciæ suæ præsit:

11 His rebus adducti patres Religionis, expertique illius in omne opus eximias dotes, bis Priorem Provincialem designârunt; quibus tandem, cùm diu restitisset, morem gessit; ægrè enim à secretioris cubiculi, cellæque secessu divellebatur. Hauriebat siquidem ex spiritali precatione ac meditatione nihil minus quàm ex libris ipsis & literarum studio, unde conciones suas instrueret & concinnaret: quamobrem ejusmodi functio-

A ctiones, & gubernandi curam vitabat, trahebatur tamen invitus & reluctans, Religione vehementer urgente ob publicam commoditatem. Tanta illi inerat sapientia, & in gerenda republica spectatissima prudentia & gravitas. Illustriores multò quàm antea sui splendores cœpit solida hujus Viri virtus jam emittere: augebatur, ut veræ ac minimè fucatæ virtutis est ingenium, procedente tempore sanctitas, & simul sanctitatis fama se fundebat latiùs. Porrò accidit, Deo ita rebus humanis consulente, ut eo tempore archiepiscopatus Valentinus, antistite vacuus, pastore destitueretur, & Valentina urbs suo præsule careret, vitâ feliciter defuncto *o*.

o

fit archiepiscopus Valentinus, & omnes

12 Cæterùm imperatoris Caroli quinti majestas in eo præcipuas suas cogitationes potissimùm ponebat, ut ecclesiis ii Prælati præficerentur, qui numeris omnibus absoluti rem ecclesiasticam pro dignitate administrarent. Procul autem ab Hispania per id tempus cæsar apud interiorem Germaniam agebat, Germanicis rebus valdè perturbatis imperatoria majestate prospiciens; inter illos igitur magnorum bellorum æstus heroïca Thomæ à Villanova virtus cæsaris animo sese objicit: illa sola est, quæ sanctissimi Viri negotia gerit; illa, quæ absentis nihilque minùs, quàm de honoribus aut de dignitatibus ineundis, cogitantis memoriam apud occupatissimum principem excitat. Nuncio itaque accepto, mox prudentissimus imperator Thomam à Villanova archiepiscopum *p*... eâ vitæ sanctimoniâ, religionisque singularis exemplo ad finem usque vitæ rexit, ut expectationi, quam amplissimam de eo homines conceperant, cumulatissimè responderet, populum frequentibus concionibus, ut verum pastorem decet, pascens, summaque solicitudine nihil omittens earum rerum, quas à reipublicæ parente præstari oporteret.

B

p

boni pastoris partes implet:

13 Magister Segria, episcopus Sacerensis in Sardinia *q*, vir planè literis & virtutis exemplo sat multùm cognitus, quique studiosissimus fuit assectator doctrinæ ac concionum illius, is mihi familiari sermone affirmabat, grandius quid & ardentius insonuisse, superâsseque seipsum post initam dignitatem, acceptamque pastoralem curam, & majori intentione acriorique zelo velut fulguràsse in concione è suggestu, ex quo factus est archiepiscopus, zelotypo nimirum affectu, sponsâ ductâ, succensus. Minimè verò mihi est animus euangelici illius pectoris sigillatim virtutes percensere, quámque luculenta boni pastoris exempla omni in negotio ediderit, immensæ hoc esset operæ; sed de eleëmosynarum largitione nonnihil perstringam duntaxat.

q

C

parcè vivit, ut pauperibus suffragetur;

14 Dubio procul, certoque rei experimento compertum est, redditumque proventuumque omnium, qui ad ipsum legitimè redibant, tam copiosam portionem pauperibus egenisque erogare esse solitum, ut tantummodo sibi suisque rebus id relinqueret, quo nihilo delicatiùs vitam degere posset Archiepiscopus, quàm olim Monachus pauper in monasterio degisset. Itaque eâdem sibi utendum esse parsimoniâ in dignitatis gradum promotus, animum induxit, quâ in Religione & monachatu fuerat usus, quò supereſſet, unde largiori beneficentia pauperibus consuleret, effusiorique benignitate providere posset. Quæ res quoniam urbe Valentia totoque Valentino regno cognita satis exploratáque est, in ea commemoranda diutiùs immorari nolo.

piè moritur;

15 His moribus vivendique ratione vitam sanctissimè perduxit, donec à Deo optimo maximo accersitus diem suum obiit anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto *r*; cùm nimirum, Sacramentis Ecclesiæ susceptis, magno animo pietateque insigni flagrans, serenoque & æquabili vultu in alacritatemque propenso, animam Creatori Deo reddidit maxima assidentium admiratione, tam sanctum ac beatum vitæ finem demirantium. Fuere etiam lachrymis & lamentis & vario ejulatu ipsius obitum plurimi homines prosequuti, pauperes præcipuè & egeni, palàm clamitantes, sibi suum Parentem ereptum, cujus solitudine * & largitate suæ inopiæ & egestati hactenus fuisset consultum.

A. J. Mugnat. ep. r

* *l.* solicitudine

16 Tenebantur verò summo desiderio clerus capitulumque Valentinæ ecclesiæ honorificentissimo sepulchro apud se sancti Viri corpus sepeliendi, missíque ad eum, paulò antequam vitâ excederet, lectissimis de capitulo ac sacerdotali senatu viris, magnis precibus contenderunt, ut desiderium hoc suum boni consuleret, ratumque haberet: decrevisse se pro veteri in eum observantia ac veneratione in insigniori templi loco tumulum erigere, quo conderetur. Negavit ille singulari modestia, monachum se esse respondens, in monasterio sui Ordinis ac instituti debere tumulari. In monasterio itaque Eremitarum Augustinienſium, in æde Virginis à Succursu nuncupatæ, humili sanè loco ad templi ingressum suum demortui corpus sepeliri mandavit. Ubi quo magis magisque ille magnifici sepulchri honorem fugisse videtur, tanto majori populi honorificentia colitur; invisiturque frequenter id sepulchrum à totius urbis Valentiæ popularibus; ibidemque preces suas pii homines ad Deum fundunt, votaque suscipiunt, sanctissimumque Archiepiscopum patronum sibi advocant, illi præsertim, qui propriùs & magis familiariter viventem cognoverant.

in templo Ordinis S. Augustini sepulcrum colitur.

E

f

ANNOTATA.

a *Natum esse Sanctum* Fontisplani, *vulgò* Fuenllana, *dimidio milliario Villanovâ, communis sententia est; cognomentum verò accepit ex eo, quòd Villanovæ educatus fuerit. Vide Commentarium prævium* § 2.

b *Sic appellavit Plinius: imò ipsum oppidum Villanova haud ita procul abest à loco, ubi olim* Laminium *fuit: Ager autem Laminitanus hodiedum vulgò nuncupatur* el campo de Montiel, *estque tractus Castellæ novæ in archiepiscopatu Toletano.*

F

c *Hispanis* la Guadiana *dicitur, oriturque in eodem agro Laminitano.*

d *Patre Alphonso Thoma Garcia, matre Lucia Martinez Castellanos, de quorum natalibus disseruimus in Comment.* § 2.

e *His insinuat auctor, neminem ex majoribus Sancti aliquid commune habuisse cum Judæis & Mauris. Eodem sensu Baxius ejus parentes fuisse ait*, sanguinis intaminati; *Salonius Hispanicè* Christianos viejos y limpios de todos quartos, *id est*, Christianos veteres & ex omni parte puros.

f *Piissimæ hujus matronæ virtutes fusiùs explicatas dabit Salonius.*

g *Complutum, oppidum præclarum Castellæ novæ, incolis* Alcala de Henarez *à flumine* Henarez, *quod ejus muros præterfluit. Academiam hic florentissimam instituit sub initium seculi* XVI *mox memorandus Franciscus Ximenius, archiepiscopus Toletanus & S. R. E. Cardinalis ex Ordine seraphici patris S. Francisci.*

h *Alvari Gomecii Historia de rebus gestis Eminentissimi Ximenii in lucem prodiit Compluti an-*

A. J. Mugnat. ep.

no 1569, *insertaque dein fuit tom.* 1 *Hispaniæ illustratæ, editæ Francofurti anno* 1603.

i *Celeberrimus hic* S. Thomæ *nostri discipulus vivere desiit anno quinto ab obitu Magistri, Christi scilicet* 1560. *Porrò quæ hîc Mugnatonius de Sancto ejusque discipulis memorat, juverit ipsiusmet Gomecii verbis expressisse. Ita habet lib.* 8 *pag.* 1140 *tom.* 1 *Hispaniæ illustratæ:* Liberales disciplinæ multos percelebres viros habuerunt, de quibus alii copiosiùs tractabunt: à nobis tres tantùm hîc recensebuntur, Thomas Villanova, Alphonsus Pratus & Didacus Naverius. Thomas in Ildephonsi collegium cooptatus, artes liberales professus est, & discipulos satis doctos academiæ dedit; inter quos Dominicus Soto & Ferdinandus Enzinas numerantur. Hic cùm raram indolem & ingenii acumen opusculis editis ostentâsset, magnamque sui spem concitavisset, immatura morte præreptus fuit: ille verò inter Ildephonsi collegas adlectus, tantos in liberalibus disciplinis, in reque theologica progressus fecit, ut Salmanticam concedens, & in Dominicanam sodalitatem ascitus, in ea academia theologicam scholam multos annos fuerit moderatus, scriptisque eru-
B ditissimis orbem repleverit, & ad res gravissimas tractandas à Tridentino per Carolum V imperatorem, cui à confessionibus fuit, accersitus, magnam sibi auctoritatem comparaverit. Thomas verò & ipse Ildephonsi sodalis, Augustinianum Ordinem postea professus, cùm vitæ sanctimoniâ magis ac magis quotidie claruisset, archiepiscopus Valentinus factus est, in quo munere obeundo sanctissimè se gessit.

k *Qui præclari viri hujus pleniorem notitiam desiderat, adeat Nicolaum Antonium in bibliotheca Hispana, & laudatos ab eo auctores.*

l *Adi, si lubet, Commentarium num.* 34.

m *Tumultus hi inchoati anno* 1519 *juxta Sandovallium in Vita Caroli V imperatoris, protracti sunt usque ad* 1522, *quo Sanctum conciones Salmanticæ habuisse dicit Salonius; vide tamen sequentem lit.*

n *Teste Herrera in Historia Conventûs Salmanticensis pag.* 195, *ubi ex antiquo libro professionum recensent Priores conventus Toletani Ordinis S. Augustini ab anno* 1494 *usque ad* 1566, Joannes de Muñatones, *qui fuit episcopus Segobricensis, in*
C *dicto conventu Toletano professionem emisit die* 12 *Februarii* 1523; *igitur anno præcedente ante diem* 12 *mensis ejusdem tyrocinium inchoavit, ac proin non fuit Salmanticæ*, nondum monachus sed laïcus adhuc juvenis, *in Quadragesima, quæ anno* 1522 *cœpta est mense Martio, cùm Pascha inciderit in diem* 20 *Aprilis. Unde corrigendus Salonius, qui cap.* 6 *lib.* 1 *Vitæ dicit, conciones illas habitas fuisse à Sancto per Quadragesimam dicti anni* 1522, *hæque innectendæ anno alicui præcedenti.*

o *Dum* S. Thomas *ad Valentinas insulas promotus est, decessor ejus Georgius Austriacus, vitâ functus non erat, sed valedixerat sedi Valentinæ & ad Leodiensem transierat, ut satis probatum est in Commentario prævio num.* 81.

p *Desunt hîc voces aliquæ, quibus perficiatur sensus, puta* nominavit, qui *vel similes. Cetcrùm pleniorem horum omnium expositionem dabit Salonius.*

q *Magister Joannes Segria, quantùm intelligo ex Salonio, apud quem recurrit sæpissimè*, S. Thomæ *familiaris fuit ante archiepiscopatum in Complutensi civitate, ab initio archiepiscopatûs in ejus palatio degens visitatoris munere functus est, ab eodem episcopus consecratus & suffraganeus assumptus est, eidem ad mortem usque adhæsit, eum* D *sacro Viatico munivit, sepulturæ tradidit & ejus non dudum defuncti in apparitione conspectu gavisus est. Dein idem suffraganei munus verisimiliter exercuit tum apud Franciscum Navarra tum apud Martinum de Ayala, Valentinos archiepiscopos*, S. Thomæ *successores; certè tom.* 4 *Conciliorum Hispaniæ pag.* 86 *concilio Valentino provinciali, sub illustrissimo de Ayala celebrato, ita subscribit mense Februario anni* 1566: Joannes Segrianus episcopus Christopolitanus, procurator Oriolensis. *Quapropter, si ad sedem Sacerensem seu potiùs Sassarensem, quæ in Sardinia archiepiscopalis est, promotus fuit, quod confirmare nequeo, cùm Sassarensium archipræsulum catalogi ad manum non sint, dubitare nequeo, quin id factum sit intra dictum annum* 1566 & 1571, *quo vivere desiit Mugnatonius.*

r *Imò* quinquagesimo quinto, *sicut probatum est in Commentario prævio.*

1 *Fortè legendum* propiùs; *ceterùm præter notata in margine correxi hinc inde alia manifestiora typothetæ vitia, quæ occurrebant in editione anni* 1581, *quam tamquam vetustiorem secutus sum.* E

VITA ALTERA

Ex Serie Actorum in canonizatione.

Sancti parentes eorumque virtus;

THomas de Villanova Ordinis Eremitarum sancti Augustini, archiepiscopus Valentinus, natus est in oppido Fontisplani, vulgò Fuenllana nuncupato, Toletanæ diœcesis, anno circitèr millesimo quadringentesimo octogesimo septimo *a*, in domo materna ex Alphonso Thoma Garzia de Villanova de los Infantes & Lucia Martinez piis conjugibus, quos tam eximios Catholicæ religionis cultores extitisse fertur, ut suas domos inquisitoribus regni Murciæ, diœcesim Toletanam invisentibus, hospitio excipiendis consecrâssent; adeoque in pauperes liberales, ut passim Eleemosynarii cognomento vocarentur. Alphonsus enim sciens, quòd tineam non excludant clausa, sed claudunt & rubiginem nutriunt servata, non vitant; ut sua servaret, non servabat, sed erogabat in pauperes. Nam pinguem frumenti censum, quem è molendino quotannis percipiebat, in egenos erogare consueverat & frumentum pauperibus agricolis ad serendum mutuatum, exigente mox eorumdem inopia, liberè dimittebat. Lucia verò, ne panem otiosa comederet, manum suam misit ad fortia ac digitis apprehenso fuso, nendis lino & lana assiduò vacans, iis pauperum nuditati consulebat, ipsa tantùm cilicio, indusii loco contenta. *a* F

virtutes ejusdem

2 Thomas à puerili ætate, Domino jam tunc in Servi sui infantia operante, non obscura futuræ sanctitatis dedit indicia, nec serò piæ educationis profectum ostendit; jentacula enim pueris, gymnasium petentibus, dari solita, pauperibus largiebatur, ac ne nudos dimitteret homines, quibus non erat operimentum in frigore, domum sæpe sæpiùs repetebat, sago, thorace, pileo, caligis & pallio denudatus, quibus Christum in pauperibus egenum induerat. Præterea, ne aliquando

A do facultas ſubveniendi pauperibus ſibi adimeretur, ſi poſt diſperſum quotidianum panem ſupererat aliquis, cujus inopiæ minimè conſultum foret, matrem enixè rogabat, ut paratam ſibi prandii portionem ei dari præciperet, ſpondens ea die ſe minimè comeſturum: annuebat mater, & Thomas, portione ſua eſurienti tradita, per diem illum à cibo ſibi temperabat *b*, prandiumque in manu pauperis reponebat, ut ſibi ſervaret, quod venter ſibi fuerat perditurus. Accidit una die, ut mater è domo proſiliiſſet, imparato, nec relicto pane pauperibus frangendo; pauperes è more ad oſtium domûs contendunt, at, ubi Thomas panem non comperit, pullos è gallina domi exiſtente ſubtractos inter pauperes diviſit: rediit mater & Thomam de pullis interrogavit, ipſeque hilari vultu reſpondit: Mater domo diſceſſura, quæſo, panem pauperibus diſpergendum dimittas, ut redux pullos invenias; venerunt namque pauperes, & cùm panis deeſſet, ne eos vacuos dimitterem, ſingulis pullum attribui.

b

in pueritia;

3 Ova recentis fœtus ad xenodochia languentibus reficiendis deferebat, & meſſi præfuturus, à genitore aliquando miſſus ad agrum, cibum ſibi B & meſſoribus allatum pauperibus ſpicas colligentibus partiebatur *c*: parentum tamen imperio æquè ſubditus & obediens ab eorum mandatis vix declinabat, quantùm charitas in Deum ſecùs urgeret, vel ea in proximum ſuaderet. Puellus adhuc jam ſanctorum ſenum vivendi rationem æmulabatur, & vix mundum ingreſſus nihil habebat antiquius, quàm mente pariter & corpore immaculatum ſe *d* cuſtodire ab hoc ſæculo *d*; ideoque moribus erat adeo compoſitus, ut per vias incedens ſemper dimiſſis oculis, neque circumſpiceret in vicis, nec obſervaret in plateis; eóque caſtus & pudicus, ut virgo communiter putaretur, ac neque verbum ex ejus ore prodierit, quod audientes ad pudicitiam non allexerit, ſummam in ſe venerationem non excitaverit.

c

d

ſtudia litterarum;

4 Hiſque & aliis virtutibus ac ætate proficiens, fortitus animam bonam, in vigeſimo ſecundo conſtitutus anno, Thomas in collegium S. Ildephonſi univerſitatis Complutenſis admiſſus, liberalium-que artium & præſertim ſacræ theologiæ ſtudia ſedulò profeſſus *e*, tempus, quod ſtudiis ſupererat, religioni donans, ante imaginem Crucifixi, cubiculi parieti hærentem genuflexus, fundendis Deo precibus & carnis caſtigationibus impendebat, quod adhuc cum dicta imagine Crucifixi ſumma *f* veneratione à Chriſti fidelibus viſitur *f*. Inter hæc Thomas, parente orbatus, perfectioris vitæ viam ingrediens, nihilque ſibi, quod hîc ſuum diceret, relinquens, ut nudus & expeditus miles Chriſtum Dominum ſequeretur, quæcumque habebat, ſe in pauperes impenſurum deliberat, & matrem deprecatur, annueret, ut ipſe domum paternam cum reliquo patrimonio nobilibus pudicis pauperibus alendis fœminis addicere poſſet: idque ex deſiderio impletum extitit, & erectum hujuſmodi xenodochium in oppido Villanovæ, adhuc HOSPITALE ARCHIEPISCOPI nuncupatur.

e

f

vita monaſtica;

5 Annum agens vigeſimum ſeptimum, & in arduo paleſtræ genere, in qua mens noſtra contra ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cæleſtibus, continuò militans, maxima cogitur ſubire certamina: anteſignano aliquo duce, & adjutore ſe indigere proſpiciens, quo in bello dirigeretur, ut vinceret: ſtrenuiſſimum vitiorum hæreſumque domitorem Auguſtinum elegit, ſub cujus Regula militaret, & die XXIV Novembris anno MDXVI Thomas Ordini Eremitarum ſancti Auguſtini in conventu Salmantino nomen dedit, ac poſitis per annum mira auſteritate vitæ rudimentis Religionis, recurrente mox die vigeſima quarta Novembris, ibidem ſolemnem profeſſionem emiſit; & æmulatus chariſmata meliora, eam brevi religioſæ perfectionis metam attigit, ut vix biennio elapſo, conventus ejuſdem Salmantini Prior ſuffectus ſit. Inde verò Prioris S. Auguſtini Burgenſis, viſitatoris provinciarum Caſtellæ & Bethicæ, Provincialis ac definitoris ejuſdem provinciæ Caſtellæ, & Prioris Valliſoletani munia, iis vitæ ac morum exemplis obivit, eoque zelo labefactatam regularis diſciplinæ integritatem reſtituit, ut numero reformatorum Conſtitutionis Ordinis adſcribi promeruerit.

Ex SERIE ACT. IN CANON.

in victu ſobrietas;

6 Inter hæc tranſeunte Thoma per civitatem Toletanam, Thomas Galliego & Joannes de Bonillo ejus conſanguinei, necnon familiaris quidam archiepiſcopi Toletani, ei ſimul occurrunt & ſinguli proprio & archiepiſcopi nomine prandium ac hoſpitium exhibent. Thomas autem nullius humanitatem ſe læſurum dictitans, à ſingulis ſubducit ſe ac iter proſequitur. Conſanguinei eum à longè ſequuntur, ut videant, quò ſe Thomas meridie refecturus cibo recipiat. At ubi ille è civitate egreſſus fuit, reperto fonte, ſubſtitit, extractumque panem è pera aquâ madefacit, eoque tantùm cibo veſcitur. Hæc intuentes conſanguinei ad Thomam accedunt & plurimùm conqueruntur, quòd oblatis abnuiſſet. At ille inquit; Fratres, eſcarum adipem comedendo, ſalus animæ non acquiritur *g*.

E

g

invicti electio

7 Primus omnium Thomas in chorum ingredi, ultimus ex illo egredi conſuetus, vigiliis, flagellationibus carnis, & concionibus mirificè intentus erat, negligentes in via ſalutis excitans, lapſos erigens, erectos confirmans; adeo ut omnes in magnam ſpem erecti, eum Virum clariſſimum futurum, haud vano præſagio divinarent. Hiſque permoti Carolus quintus & Philippus ſecundus, quoniam ex diuturna eccleſiæ Valentinæ viduitate terra illa frugifera converſa erat in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea, ut jam non eſſet ampliùs ager primitiarum, cui benedixiſſet Dominus, ſed ſquallens, horrenſque deſertum ſpinis obſitum; nam, collapſâ cleri diſciplinâ, populus in graviſſimos errores deducebatur; tantæ ſterilitati Thoma tantùm præſule conſuli poſſe, non ab re crediderunt. Verùm ne, F ut antea Granatenſis eccleſiæ inſulas recuſaverat, etiam Valentinæ curam ſuſcipere Thomas abnueret; ubi imperatoris ac regis imperium nec ſatis urgere compertum fuerat, à ſuo ſuperiore, vi præcepti obedientiæ, & ſub excomunicationis anathemate adactus, cellam cum lachrymis deſerens, Valentiam ſe recepit. In conventu S. Mariæ de Succurſu Ordinis ſancti Auguſtini equo deſcendit, indeque factu * ſolemnis ingreſſûs abdicato, pedeſter cum ſocio ſimplicis Religioſi habitu indutus ad cathedralem perrexit, & hæc humilitatis fundamenta jecit, ut eccleſiaſtici præſulis culmen, quò profundiùs, eò ſolidiùs ſublimiúſque eveheret.

* faſtu

ad archiepiſcopatum Valentinum

8 Cathedram igitur epiſcopalem poſtquam aſcendit, non tantùm novo Antiſtiti curæ fuit ædificare ac plantare, ſed (quod majoris negocii & operis erat) in ea cogitatione aſſiduè verſabatur, ut ſecundùm Dei conſilium infructuoſos palmites evelleret & malè ædificata deſtrueret & diſſiparet. Etenim eccleſiaſticam diſciplinam adeo corruptam invenit, ut capitulares ac reliqui præbendati, nec vererentur ſago brevi villoſo amicti &

Ex Serie act. in canon.

lactucis *h* ad collum inversis compti, equis quovis phalerorum & ephippiorum genere perornatis, Africano more insidentes, etiam personati in plateis publicis hastiludiis sese indignè exercere, nec non, uti curiosa sectantes, in theatra se tradere, indeque sine mora in chorum Divinis interfuturi, aut Sacra facturi, ingredi auderent *i*.

h

i

cura pastoralis;

9 Quare cura pastorali suscepta, eâ, quâ in Dei honorem & animarum salutem ardebat ignita charitate, ad mores omnium reformandos totum se tradidit *k*, & ut gregem sibi creditum in fide confirmaret, synodo provinciali coacta, cleri disciplinam pristino nitori restituere pro viribus conatus est: inde laïcorum emendationem satiùs prodituram prospiciens. Et quamvis suaviter animos ad honestatem capessendam allicere studuisset, fortiter tamen finem attingere non prætermittens, eò capitularium licentiam adduxit, ut hæc ausa fuerit, se potiùs à Pastoris virga subducere, quàm arctioris vitæ institutis imminui. Permisit Deus, dum capitulares & clerus metropolitanæ ecclesiæ, ne eis peccandi facultas adimererur, sese Apostolicæ Sedi privativè subjectos dictitantes, à Thomæ imperio declinare satagerent, ut canonicus, nomine Vulpus *l*, ob geminos pugionis ictus in algazirium Joannis de Villacosa *m* gubernatoris Valentiæ inflictos, ad carceres laïcales detrusus, se pœnam persoluturum propediem pertimesceret. Ejus discrimine ad capitulares allato, iidem ad Archiepiscopum convolârunt expetentes, ut ipse ecclesiasticæ immunitati ex debito pastorali consulere dignaretur. His auditis, Thomas subridens inquit: Ego opitulari vobis non potero, qui ex ovili meo non estis, & me pastorem vestrum non cognoscitis; mox repetitis eorumdem precibus addidit: Ne dubitetis, fratres, etenim ipse magis gloriosam mortem, quàm odibilem vitam amplectar, & lubens ad supplicia præibo, ecclesiasticam libertatem pro munere defensurus.

k

l

B

m

in propugnanda libertate ecclesiastica

10 Thomas idcirco, quem zelus domûs Dei comedebat, indutâ pro thorace justitiâ; & accepto pro galea judicio certo, sumptoque pro scuto inexpugnabili æquitate, statim instat, ut ei Vulpus reddatur, & ubi humanitas negligitur, præceptis urget, regiosque ministros pertinaces adhuc anathemate percutit, ecclesias interdicto subjicit. Gubernator in rabiem actus, alium clericum, qui in taurorum ludis virum occiderat, præcipitanter ultimo supplicio damnat, & laqueo suspendi imperat. Dux verò Calabriæ, prorex Valentiæ, minaci epistola Thomam monet, ut ab incepto desistat, nisi mallet facultatibus temporalibus exspoliari: & Thomas, cui Dominus dederat faciem, ut adamantem, nihil timens sacerdotali respondit constantia: Dux, tunc magis locuples ero, cùm temporalitatibus prorsus destituar, & ad cellam, ubi divum Augustinum parentem inveniam, & à qua invitus non nisi cum lachrymis discessi, lætissimus remigrabo.

C

fortitudo; solicitudo,

11 Dux tandem, Thomæ ingentis animi fortitudine variè, sed incassum tentata, sextum post mensem præbendatum ejusdem arbitrio dimitti imperat. Gubernator autem cum algazirio die Palmarum nudatis pedibus, detecto capite, libero tamen corpore, candelam manibus gestans, præ ecclesiæ foribus se sistere compellitur. Sed Thomæ animum non solùm ecclesiasticæ libertatis propugnandæ studium, sed salutis omnium subditorum suorum solicitudo inflammabat. Plurima propterea dum pateretur, ærumnas laboresque infinito propè numero dum toleraret, ut libertatem ecclesiæ tueretur, & in sua provincia synodalium legum observationem stabiliret; simul debito pastoralis curæ & charitatis vi illa propè immensa, quæ cordi ejus dominabatur, ad singulorum procurandam salutem impellebatur; itaque in labore & ærumna, in vigiliis & jejuniis multis obsecrans, arguens, increpans in omni patientia & doctrina, omnibus omnia factus est, ut omnium animos lucrifaceret.

D

caritas

12 Inter cujus generis exempla præ cæteris recensetur, quòd blando sermone quosdam præbendatos ad abjicienda opera tenebrarum & induenda arma lucis pluries Thomas allexerit; verùm illos, lucem abhorrentes adhuc, & carnis curam facientes in desideriis suis, in cubiculum duxit, ibique clausis januis, nudatis sibi humeris, & ante imaginem Crucifixi genuflexus, singulos his verbis allocutus est: Frater, meis peccatis actum fuit, ne tu à via mala pedes tuos prohibueris, & mea tot monita despexeris: quare si culpa mea est, æquum, ut ipse pœnam persolvam: & continuò se duris afficiebat flagellis. Tunc præbendati lachrymarum vim profundentes, Thomam exorârunt, ut desineret se verberibus cædere, promittentes anteactæ vitæ emendationem, quod ita eos impleviſſe asseritur, ut mox fideles Domino in mortale crimen haud ampliùs inciderint *n*.

E

n

& industria

13 Alium sacerdotem acriter, sed frustra sæpiùs admonitum, diuturno carcere ab impudica consuetudine revocare studuit; eum denique accersitum hisce blandis verbis affatur: Amice & frater, unde hoc mihi, ut ipse audeam judicare te fratrem meum, consacerdotem, emptum eomet pretio, quo empta est anima mea, non quidem ex corruptibilibus argento & auro, sed pretioso Sanguine sacri Agni immaculati Jesu Christi? Fortasse tu melior me es, & ego te judicabo, qui me ipsum ignoro? Tu te judica & cognosce dignitatem tuam: quibus nedum permotus, sed perterritus sacerdos religiosissimus evasit *o*. Canonicum cathedralis, etiam inhonestè viventem, ad se vocavit, eique jussit, ut rei familiari consuleret, &, Romam quasi profecturus, noctu ad ipsum rediret: canonicus imperata fecit, quem Thomas semestri detentum in proprio cubiculo, diu noctuque verbo & exemplo eum increpans, ad pœnitentiam flexit; mox emendatum dimisit, à domesticis & amicis, acsi reducem ab Urbe, verbis officiosis exceptum.

o

F

in revocandis

14 A Michaële Vincente actuario concubinam dimovit, eamque inter religiosas mulieres in hospitio collocavit. Noctu Michaël per fenestram ab hospitio illam eduxit: cumque à ministris laïci tribunalis perquireretur, is ad cathedralem confugit. Suasum est Thomæ, ut Michaëlem, immunitatis ecclesiasticæ beneficio indignum, ad carceres detrudi juberet; at inquit Thomas: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat: tantùm desidero, ut Michaël concubinam à se dimissam religioso hospitio restituat, & cupiat emendare, quod fecit. His ad Michaëlem delatis, ingemuit tam benignum læsisse Parentem, deseruit impudicam, pœnituit & vitæ reliquum religiosè duxit. Ex quibus liquidò constat, quò Thomæ pervenerit excellentia charitatis; dum causâ emendationis, etiam in proprio cubiculo hujusmodi homines secum degere passus est.

ad fragem improbis

15 At ubi malo suorum familiarium exemplo, alios inici potuisse veritus fuit, effugiens illud: Inimici hominis domestici ejus, neque per horam quem-

A quempiam impudicitiâ notatum ſuis obſequiis detinuit: imò nepotem ipſum ex fratre, tali culpa fœdatum, è domo expulit, & patriam repetere ſine mora coëgit. Numquam verò Thomas converſionis alicujus provinciam ſuſcipiebat, nec ad conciones agendas pergebat, niſi Deum effuſis precibus exorâſſet, ut ei audientium corda emolliendi gratiam elargiretur: mox ab hujuſmodi oratione conſurgens, eo fervore ardentique zelo peccatores corripiebat, ut quamplurimos ad pœnitentiam, ac ad relictam perfectioris vitæ ſemitam revocaverit, & æquè prudentis ac eximiæ charitatis uſu innumeros ad ovile Domini reduxerit, quos tactos dolore cordis intrinſecus, ad confeſſarii pedes illico convolare impellebat; ideoque S. Paulus, S. Joannes Chriſoſtomus, Chriſti Apoſtolus, Divinus intellectus, & Cereus divini amoris paſſim nuncupabatur.

16 Et quidem ſemel concionando coram recol. me. Philippo II Hiſpaniarum rege Catholico, præ nimia ſua erga proximum charitate mirabile etiam fidei magnitudinis argumentum edidit: ſiquidem agens de ineffabili Trinitatis myſterio, in eam corda hominum vehementi ſermone inflammare conatus, inde in lacrymas actus ex corde in hæc verba prorupit: Dicam, fratres, dicam & cum nimio cordis gaudio dicam, etſi vobis forſitan temerarius viſus fuero; Fides tua Domine Sanctis tuis, qui in hujuſmodi teſtimoniorum ſcrutinio verſantur, jam vix fides eſt, quoniam de fide jam tranſiit in lucem *p*. His cùm præſens etiam reperiretur Gaſpar Avalos archiepiſcopus Granatenſis, vir doctrinâ & ſumma pietate præditus, cùm Thomas à ſuggeſto deſcendiſſet, eum ſic affatus eſt: Non putavi, quòd humanus intellectus eò ſe potuiſſet extollere; quæ enim à te audivi, imbecillitatem noſtram longè ſatis excedunt; dum tam dilucidè ejus generationem enarrâſti, de quâ vix licet homini loqui. Hujuſce autem & aliarum quamplurium concionum, in Latinum idioma verſarum *q*, codex quàm eruditiſſimus & animarum ſaluti perutilis, eo ſuperſtite, nunquam Thomæ ſingularis modeſtia præbuit aſſenſum, ut typis committeretur.

17 Adeoque Thomas in Dei amorem propenſus erat, ut paſſim dicere ſoleret, ſibi propemodùm tolerabilius videri, ſe in infernum præmitti, quàm non diligere Deum, & præ ignibus & tormentis magis terreri, quòd, qui cruciantur in inferno, Deum oderunt. Magnitudo etiam animi inter cæteras virtutes in eo enituit; etenim injurias fortiter dimittens, inimicos impensè diligebat: cùm læderetur, aſſuetus dicere: Patientiâ opus eſt, rogabo Deum, ut pro ſua miſericordia illius cor emolliat, &, ſi eum pœnituerit, clementiam non denegabo. Mirum in modum Thomas extitit liberalis in pauperes, parciſſimus erga ſeipſum: hic ille fuit Euangelicus Paterfamilias, qui de theſauro ſuo proferens nova & vetera, domum ſuam nedum ſanctis moribus, ſed etiam corporalibus pavit alimentis. Hic ille prudens Servus, qui pecuniam Domini ſui nummulariis fœneratus quotidie, aſſiduò manum ſuam aperuit inopi & palmas ſuas extendit ad pauperem: at unicum biretum proprio uſui domi aſſervabat, ſola veſte & pallio lacerîs contentus, quæ ſuis manibus ex veteri ſcapulari, in fruſta diſciſſo, reſarciebat; ac ita non ſemel, ſed perpetuò, dum vixit, ſuis omnibus ſpretis, poſt hæc labore manuum, unde eleemoſynam ſatiùs dare poſſet, & pauperibus, quorum ſe Parentem & Tutorem agebat, largiùs ſubveniret, operabatur.

eximia ejus fides,

p

q

caritas in Deum & proximum;

B

C

18 Proprium cubiculum, ſtoreis tantùm obductum & perornatum habens, ibi ſuper vili lecticulo, aut ſarmentis ſtratis quieſcebat, & frequens pauperes ſodales adhibens, ex eadem olla cibum ſumere conſueverat: adeo tamen parcè, ut ſenio confectus, nunquam annuiſſet, integrum pullum, ſed quartam pulli partem vel medietatem perdicis tantùm pro ſua menſa parari; & œconomo ſecùs ſuadenti ac deprecanti ſæpiùs reſponderit, iniquum fore, ut ſervus pinguiori cibo, quo Dominus veſceretur: ſe quidem Servum, pauperes dominos aſſerendo: etiam unà adjiciens: Nonne aſſueto refici cæpis & aliis * ſatis ſuperque eſt quartam pulli partem aut dimidiatam perdicem comedere? Quadam die pauperrima mulier ad Thomæ domicilium detulit lampetram, quam œconomus emere ſatagebat: videns hæc Thomas, petiit, quanti illam emere ſtatuiſſet: reſpondit œconomus: Domine, viginti quinque regalibus *r*; & Thomas ſubinde inquit: Ipſe tanti non ſum, ut comedam, quod poterit viginti quinque pauperibus ſatis eſſe, juſſitque lampetram aliis emendam dimitti, & mulieri egenæ eleemoſynam impartiri.

19 Lintea etiam è proprio cubili deſumens, & induſiis ſe ipſum exuens, ea in pauperes erogabat, & cùm mulier quædam nomine Daces, quæ aſſiduò ſuens, hujus generis ſupellectilem Thomæ parabat, pluries ab eo expetita de induſiis & linteis, Thomam admonuiſſet, ne tam liberalis foret, ſeſe neceſſariis hujuſmodi prorſus deſtituendo, reſpondebat Thomas: Daces filia, fer opem, non conſilium, quæ enim pauperum ſunt, pauperibus præter injuriam denegari non poſſunt. Propriis etiam palliis, ſi alia indumenta deerant, pauperum nuditati conſuluit, & ad inſtar divi Gregorii Magni catalogum omnium pauperum Valentiæ degentium, ut ſingulis pro indigentia & conditione ſubveniret, penes ſe aſſervabat: ita ut alicui nobili egeno annuatim ſummam mille ſcutorum ſuppeditare conſueverit, & à nullo paupere faciem ſuam Thomas averterit, neminemque ab eo diſceſſiſſe conſenſerit, cui delatæ ſibi egeſtatis remedium non attuliſſet.

20 Inter quæ plurima non obſcurum ſanè obtinet locum, quod ſemel cum ſutore ſ Thomas ſuper pretio manicarum altercatus, noluit in illis ſumptum facere viginti quinque regalium, ſed manicas vilioris pretii ad ſe afferri juſſit. Sutor à Thoma diſceſſit, Præſulis avaritiam dicaciter deteſtatus. Cúmque, elapſis aliquibus diebus, idem cum amico de ejus indigentia querimoniam faceret, ex quò potiſſimùm dos nubili jam filiæ deeſſet; amicus ſutori ſuaſit, ut Archiepiſcopo id aperire feſtinaret: ſubridens ſutor, manicarum factum amico narrat, & ad Thomæ charitatem refugere recuſat: tandem à deputatis viſitatoribus ad Thomam indigentia filiæ ſutoris ultrò allata eſt, & ipſe de more ſubſidium dotis ſeptuaginta ſcutorum ad puellam mittit. Sutor ſtupore attonitus, exiſtimans ſe ſomnium videre, facto vix fidem præbebat; mox ad Thomam advolans, ei gratias agit, & de exagerata ejus avaritia veniam poſtulat. Thomas placidè reſpondit: Fili, ſi pro manicis, quanti volebas, impendiſſem, illo minus pro dote tuæ filiæ ſuperfuiſſet; tace & dato gratias Deo, qui ei de dote providit.

21 Nobilibus puellis ſubſidium dotis etiam ad ſummam quingentorum ſcutorum elargiebatur, & orphanorum patris cognomen ſortitus eſt Thomas; cùm, quotquot parentibus orbatos egenos expertus eſt, tot proprio ære levaverit. Quò ve-

rò

Ex Serie act. in canon. *in victu & veſtitu paupertas*

* alliis

r

munificentia

E

erga pauperes;

ſ

F

& parcitas

Ex Serie act. in canon.

rò in ſubditos ſuos liberalis exſtitit, eò parcior ſe in conſanguineos oſtendit: pauperes enim omnium Valentinæ eccleſiæ redituum dominos recognoſcens, quæcumque ex his percipiebat, per ſuas manus, uti per pontem, ad illos trajicienda fore aſſerebat; at cùm ipſius mater, ferè omni ſubſtantia pauperibus erogata, Thomam adiiſſet & ſecum duxiſſet quoſdam egenos ejus conſanguineos, quorum indigentiam Thomæ plurimùm commendavit, reſpondit is: Mater, bona, quæ habeo, non ſunt mea, ſed pauperum naturalium hujus provinciæ. Dimiſit deinde matrem, quæ diu religioſiſſimè vixit in oppido de Villar *t*: conſanguineis verò, ut matri in aliquo blandiretur, ſingulis ſcuta quinquaginta attribuit, quæ adhibendo mox in cibo dimidium conſuetæ portionis recuperavit, ne illis, ut aiebat, pauperes loci fraudaret.

t

erga conſanguineos,

22 Cùm Thomæ germanus frater Valentiam profectus, ditiori habitu pro conſueto indutus, ad eum acceſſiſſet, Thomas illum pro fratre minimè cognovit, inquiens; Frater meus non tam ornato habitu indui in more habuit; quare neceſſe fuit, ut is, accepto viliori indumento, ad Thomam reverteretur, & tunc illum amplexatus eſt, & hoſpitem excepit; ſubdens: Tu verè frater meus es *u*: poſtquam verò idem ſatis quieviſſet, modica nummorum quantitate ei erogata, facultatem repetendi patriam attribuit, dicens: Frater mi, me excuſatum habeas: nam, quæ poſſideo, commendata ſunt mihi, non tradita.

B

u

exemplis probata; w

23 Sed cùm Mauri prædati eſſent oppidum Callera *w* ejus diœceſis, & plurimos incolas captivos duxiſſent, Thomas ingentem aureorum vim, in illis è jugo ſervitutis redimendis, quàm liberaliter profudit. Præter verò hujus generis eximiæ charitatis argumenta, alia edidit Thomas diu permanſura. In univerſitate enim Complutenſi collegium religioſorum Ord. S. Auguſtini, qui ſacræ Theologiæ operam navarent, inſtituit & congruo proventu ditavit, ex pecuniæ ſumma, quæ illi ab imperatore Carolo V debebatur *x*; ratus, quòd reditus menſæ archiepiſcopalis in pauperes civitatis & diœceſis erogare fas eſſet. In civitate Oriolenſi *y*, aliud ſimile collegium erexit pro pauperibus, ad ſtudia ſacræ Theologiæ incumbere cupientibus. Valentiæ etiam fundavit & reditibus auxit collegium pauperum ſacræ Theologiæ adipiſcendæ addicendorum, ex quibus collegiis viri tum doctrinâ, cùm probitate conſpicui prodiere.

x

y

C

ejus ſanctitas à Deo

24 Inter hæc aſſidua heroïcarum virtutum exercitia ſibi Dominus in Thoma bene complacuit, & ſeſe in eo mirabilem oſtendere cœpit. Mirabantur etenim propemodùm vicini degentes in ædibus epiſcopio contiguis, intuentes, quòd longè major frumenti numerus ex horreo Archiepiſcopi extraheretur, quàm in illud congregatum aſpexiſſent, facti tamen veritatem haud inquirebant: ſed tandem, Deo tantùm operante, clariora hujus miraculi documenta edita ſunt. Bonilla enim ſubcuſtos horrei archiepiſcopalis, cùm horreum multos ante dies tritico exhauſtum mundâſſet, à conſervis expetitus, ut menſtruam frumenti portionem ipſis tribueret, cum Hernandez ſubœconomo conqueſtus fuerat de nimia Præſulis liberalitate, quæ cauſam tandem præberet, ut propriæ familiæ neceſſaria deeſſent: interim miſerabilis fœmina, ut famelicæ proli conſuleret, Thomam adiit, inſtititque plorans, ut ſibi frumenti eleëmoſynam elargiri præciperet: Thomas illico Garziam œconomum, & Hernandez ſubœconomum ad ſe vocavit, eiſque imperavit, ut egenæ pro munere ſubvenirent: commotus Hernandez, reſpondit, in horreo nec frumenti granum contineri.

D

miraculis

25 Urget mulier, perurget Thomæ charitas, qui Bonillam accerſit, eique præcipit, ut ad horreum egenam ducat, & quidquid frumenti reſidui repererit, illi tradat. Bonilla, ſe fruſtra imperata facturum, iterum ac tertiò repetit: tunc Thomas ad illum: Confide Bonilla, & perge ad horreum, ne egena hæc ſine ſubſidio diſcedat; Bonilla juſſis obtemperat, & Thomas mulieri ait: Sequere Bonillam. Tunc Garzias, Hernandez & Bonilla cum muliere horreum petentes, ad eam cum riſu converſi, inquiunt: Veni bona mulier, & videbis horreum undique vacuum & ſcopis mundatum. Cúmque horreum propè attigiſſent, è januæ rimis grana exuberantia inſpiciunt, & admirati, januam aperire ſtudent, quam magna vi frumenti compreſſam, vix totis adhibitis viribus impellentes, obſerare poſſunt, & horreum frumento confertum inveniunt. Tunc rei novitate perculſi, validis vocibus inclamantes miraculum, ad Archiepiſcopum revertuntur, eique factum narrant. Thomas ad horreum ſe recipit, & gravi ſilentio ſingulis impoſito, mulieri dicit: Accipe frumentum, comede, & Deo gratias age, qui illud tibi paravit *z*.

E

z

illuſtrata;

26 Biennio ante obitum, cùm Thomas, acto prandio, ad feneſtram reſpicientem atrium acceſſiſſet, vidit quemdam pauperem Cæſarauguſtanum, quadraginta quinque annorum paralyſis morbo contractum, fulcimentis inſiſtentem: manu eidem innuit, ut aſcenderet; cúmque is ad aulam palatii perveniſſet, Thomas illum interrogavit, mallet ſanitati potiùs reſtitui, quàm eleëmoſynæ ſubſidio juvari? Reſpondit paralyticus: Domine, ſanitatem magis deſidero: tunc Thomas, producto ſuper eum ſigno ſanctiſſimæ Crucis, inquit; Confide & da gratias Deo, qui dignatus eſt tibi ſalutem impartiri: abjice fulcimenta, & vade in pace: & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ, erexitque ſe paralyticus undique validus, rejectiſque fulcimentis ad pedes Thomæ procubuit, cui Thomas, eleëmoſynâ traditâ, ſubdidit: Tace, eſto Deo gratus, & pro me ora.

raptus in Deum frequentes;

27 Continuam inſuper patiebatur mentis elevationem, tum concionando, cùm Sacra faciendo, aut officia divina recitando, ita ut tandem à concionibus prorſus vacare, & à Rei divinæ palàm celebratione abſtinere coactus eſſet, ſeſe à gloria & ſanctitatis opinione ſubducturus, quas inde ob hujuſmodi amicitiæ Dei & familiaris divinæ conſuetudinis argumenta, ſe conſequi experiebatur. Verùm quò magis Thomas fluxam hanc gloriam deſpiciebat, eò clarioribus rationibus illa in ipſum augebatur. Semel enim die Aſcenſionis Domini in ambulatione ſecreta palatii archiepiſcopalis, recitans Horas canonicas ad antiphonam Nonæ (Et videntibus illis elevatus eſt) Thomas in ecſtaſim raptus, & elevatus à terra, prorſus immobilis manſit ab hora quinta matutina ad quintam veſpertinam: ſcilicet duodecim horarum intervallo, nedum à domeſticis ſed etiam ab innumeris civitatis incolis viſus. Deinde quaſi è gravi ſopore excitatus, ad cappellanum converſus, inquit, Quò pervenimus? Cappellanus reſpondit: Ad Pſalmum: Mirabilia tua, Domine *aa*: & flexis genibus cum multis lachrymis enixè Thomam rogavit, ut ei aperire dignaretur, ubi tanto tempore cum ſpiritu permanſiſſet. Thomas ne cappellanum nimiùm defatigaret, tandem indicto ſilentio ait: Frater, cùm inchoâſſem antiphonam:

F

aa

Vi-

A Videntibus illis, angeli illam ab ore meo carpſerunt, eamque tam dulci melodia cecinerunt, ut quidem mihi nec intervallum Orationis Dominicæ recitandæ percurriſſe viſum ſit.

28 Præcipua tandem in eo erga pueros expoſitos viguit charitas, in eiſque alendis & educandis, Thomæ ſtudium propemodum fuit admirabile. Etenim cognitâ mulierum nequitiâ, quæ natorum in portas projectorum interitum negligebant, à ſingulis eccleſiarum rectoribus evulgari curavit, ut noctu ad ſui palatii januam pueri exponerentur: illis autem, qui expoſitos ad eum deferebant, ſtrenam quatuor regalium largiebatur: adeo ut ad ejus palatii portam noctu vix in limine nati dimitterentur, quòd à pauperibus ad Thomam delati eſſent. Thomas illos nutricibus lactandos illico tradebat, quibus, initio cujuſlibet menſis in aula palatii ordine diſpoſitis, & pueros in ulnis geſtantibus, propria manu menſtruam mercedem exſolvebat: deſuper iis, quæ nitidiores & pinguiores pueros deferebant, ſtrenam adjiciens, ut magis illas ad enixam puerorum curam impelleret. Omnes denique ope, conſilio juvit, & in Sacramentorum adminiſtratione, niſi canonica impedimenta obſtarent, jus reſiſteret aut ſecùs prudentia ſuaderet, nullius deſiderium defatigavit, & præſertim pueros graviter ægrotantes, media nocte è ſtrato exiliens, meridie menſam deſerens, ſacro chriſmate perliniebat, ne iidem ſine tali adjumento ab hac luce migrarent.

mirabilis in expoſitiorum pietas;

B

29 Tandemque meritis plenus Thomas, virtutum omnium aſſiduo exercitio cumulatiſſimus, jejunio, flagellis & anxio animarum adipiſcendarum ſtudio, conſumptis carnibus & fluxa deſpiciens, ad patriam pergere feſtinabat. Quare, cùm in febrim incidiſſet, ea in dies ingraveſcente, par in illo hilaritas animi augebatur, ſemper tamen jactando cogitatum in Domino, & voluntati ejus conformari cupidus; cùm ipſi ſignificâſſet epiſcopus Segrianus modicam fiduciam, quæ phyſicis de ejus temporali vita ſupererat, exhilaratus, epiſcopo gratias egit, &, flexis genibus ac elevatis ad cælum oculis, inquit; Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Et lætitiam illico moderatus, ſubdidit: Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem; ſin' minùs, cupio diſſolvi & eſſe tecum.

ſupremus morbus;

C

30 Mox ſacrum Viaticum afferri, & clerum vocari præcepit. Allatum eſt venerabile Sacramentum, capitulis & clero præeuntibus, ab epiſcopo Segriano prædicto, ſumptoque Viatico Thomas ad clerum converſus, illum brevi, ſed vehementi ſermone hortatus eſt, ut mandata Domini cuſtodiret, tam excelſo miniſterio debitam ſanctitatem ſervaret, Apoſtolicæ Sedi ſeſe præcipuè obſequentem impenſiſſimè profiteretur, & enixè Omnipotentem rogaret, ut ſibi optimum & exemplarem præſulem concedere dignaretur: ſubdiditque, quòd ſi Deus eum ſuo regno dignum effeciſſet, ut valdè veraciter in illius infinita bonitate confidebat, aſſiduò pro eccleſia Valentina Majeſtatem ſuam rogaret, ne deficeret fides ejus; iiſque tandem dimiſſis in pace Jeſu Chriſti, & accerſitis œconomo & confeſſario, cùm ſibi tantùm pauperrima ſupellex ſupereſſet, eam inter pauperes familiares partitus eſt: œconomum deinde rogans, ut pro Chriſti viſceribus, ſi quid rei familiaris reſidui foret, ingenuè ei aperiret, ne ſolatio deſtitueretur, nihil quicquam conſcium in obitu ſibi reſervâſſe, quod pauperum uſibus non ſuggeſſiſſet, vel aliàs inſcium quid pauperibus ipſum elargiri deſiiſſe, mœrore afficeretur, inquiens: Si vivam, non deerit Deus.

Sacramentis muniti adhortatio ad clerum

31 Oeconomus, cùm nulla ſpes temporalis vitæ Præſulis remaneret, quod hactenus ſingulari ſtudio ei præſertim abdiderat, illicò Thomæ ſignificat: ſcilicet in ſacrario eccleſiæ ab aliquibus menſibus ſe ſummam quinque millium aureorum aſſervâſſe, ut quotieſcumque neceſſària omnia ad familiæ ſuſtentationem, reliquis in pauperes erogatis, deficere contigiſſet, exinde familiaribus mercedem præſtare poſſet: ſtatim Thomas œconomum, confeſſarium & duas metropolitanæ dignitates rogat, ut pro Dei amore pecuniam ipſam è ſacrario eductam in pauperes partirentur. Iidem, pecuniâ in ſportis acceptâ, per civitatem divertentes, egenorum omnium deſideria explent, reduceſque Thomæ ſignificant, ſingulis pauperibus abundè ſubventum eſſe, ſed adhuc reſiduum mille & quingentorum ſcutorum remanere. Turbatus eſt Thomas, illiſque dixit: Cur hîc me detinetis adhuc, ne eam ad fruendum bono, quod mihi paravit Dominus? Puto enim, protrahet præſentem vitam, uſque dum ſciam, nihil domo ſupereſſe. Properate igitur & opus abſolvite, ne ipſe diutiùs hîc in labore remorer, ſed in pace Chriſti quieſcam.

Ex Serie act. in canon. & cura, ne quid ex bonis,

E

32 Interim juſſit Thomas in ſuo cubiculo Sacrum fieri, dictitans, ſe propemodùm adhuc ante diſceſſum cupere ſub ſpeciebus videre Deum Creatorem & Redemptorem ſuum, quem protinus facie ad faciem intueri poſſe ſperabat. Paratur Sacrificium, & recordatus Thomas, cuidam commentarienſi patrifamilias, in ſumma egeſtate poſito, nihil in diviſione ſupellectilis addixiſſe, juſſit illum vocari, eique cubile, in quo jacebat, elargitus, veniam de ſua oblivione rogavit, ſtatimque innuit, ut ipſe è cubili ſublatus, humi ſuper ſtorea proſterneretur, ut cuſtos, quod ſuum erat, ſecum afferre poſſet. Abnuunt parêre adſtantes, id quidem non ſine periculo celerioris ejus exitus exequi poſſe, aſſerentes. Tunc Thomas virtuti charitatis virtutem humilitatis adjiciens, inaudito prorſus exemplo, cuſtodem deprecatus eſt, ut ſibi pro viſceribus Jeſu Chriſti uſum cubilis ad mortem uſque commodaret.

ne proprius quidem lectus,

33 Revertuntur tandem, qui pecuniæ reſiduum pauperibus erogaverant, eique nunciant, nihil diſpergendum reſtare, Thomas illis gratias agens addidit: Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nihil habens, unde tenear, contra malignos ſpiritus fortiter luctaturus; ſtatimque petiit, ut ſacramento extremæ Unctionis muniretur, quod non minori pietate ſuſcepit, eomet cum ſacerdote pſalmos Davidicos recitante. Mox inchoatur Miſſa, & jubet Thomas ſibi interim legi Euangelium Paſſionis Domini ſecundùm Joannem, quod audiens ad ſingulas peryodos lectori, ut ſubſiſteret, innuebat, &, cùm paululum meditatus eſſet, rurſus, ut lectionem proſequeretur, indicabat. Auguſtiſſimum Sacramentum, erga quod ſemper propenſiſſimus extitit, dum à ſacerdote elevabatur, mira humilitate adoravit, & præ gaudio in lachrymarum vim profuſus, inchoavit pſalmum „ Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm „ verbum tuum in pace: „ eoque abſoluto ſubdidit: „In manus tuas Domine commendo ſpiri„ tum meum„ & hæc dicens expiravit & beatiſſimam animam Creatori reſtituit die VIII Septembris MDLV inter ſeptimam & octavam horam veſperi *bb* Nativitatis beatiſſimæ Mariæ Virginis, cujus præcipuè, in humanis degens, amore languebat.

ſibi ſuperſit, in pauperes non diſtributum; pia mors;

F

bb

Ex Serie act. in canon. luctus populi.

34 Clerus & populus, audita Thomæ desperata salute, ad Deum confugientes, indicta & celebrata generali supplicatione, in ecclesia sancti Thomæ apostoli stationem peregerunt; illisque pietatis hujusce actus prosequentibus, adeo universalis ploratus invaluit, ut cleri cantus minimè audiretur, & ad antiphonam : Non sumus digni à te audiri, cantores dolore & commiseratione commoti, illam præ lachrymis absolvere nequirent. Cumque campanæ sonitus, quo Episcopi obitus evulgabatur, auditus esset, ita planctus omnium erupit, ut sanè universalis judicii imaginem dies illa præ se ferre videretur, & cujusvis conditionis homines, quasi insensati per vias divertentes, Parentem amisisse conquererentur : & hæc ingentis doloris justissima omnium querimonia terrorem maximum incutiebat.

corporis sepultura. cc

35 Delatum est Thomæ corpus ad cathedralem, ubi tota nocte cc dimissum quievit, & cuncti ad ejus pedes ac manus deosculandos sese admoverunt : mox inde ad ecclesiam S. Mariæ de Succursu sequenti die translatum est, penes quod ita gemitus & suspiria resonabant, ut sanè cunctorum animæ præ lachrymis è corporibus erumpere viderentur. Necesse autem fuit, ut horam, quâ corpus humo tradendum erat, fratres dissimularent, ne populus operis executionem impediret. Successivè tanta dignatus est Deus operari miracula, intercessione Thomæ, ut acceptis ab ordinario, Joanne scilicet de Ribera, patriarcha Antiocheno & archiepiscopo Valentino probationibus super fidei puritate, morum integritate, vitæ sanctimonia & miraculis, processus informativus exinde compilatus ad Urbem transmissus esset & sacrorum Rituum congregationi exhibitus anno MDCVIII.

ANNOTATA.

a *Hic annus exprimitur etiam in quinto vitæ compendio, sed in Bulla canonizationis ac reliquis compendiis, uti & apud Salonium & plerosque auctores alios notatur* 1488, *quibus nos adhæsimus in Commentario prævio num.* 16.

b *Consonat Bulla cononizationis, in qua hæc leguntur :* Matrem quandoque enixè precatus, ut pauperi supervenienti consuetæ ac quotidianæ eleemosynarum distributioni paratum sibi prandium adjiceret, spondens, ea die se minimè comesturum : quo obtento, pio & innocenti jejunio satur, mentem divina esurientem cœlestibus dapibus recreabat. *Sed conscia parente, quæ quidem aliquoties permiserat, verisimiliter animum Pueri periclitandi gratiâ, id ipsi deinceps continuare non licuit, uti rectè additur in quarto Vitæ compendio verbis sequentibus:* At ægrè ferente matre, Thomam simili abstinentia viribus nimiùm destitui, is, ne animum eamdem portionem egenis tribuendi propalaret, illâ, acsi cum amicis comedendâ, extra domum delatâ, & pauperibus traditâ, se saturum demonstrans, ea die prorsus à cibo sibi temperabat. *Ceterùm, quod miror, facti hujus non meminit Salonius.*

c *In compendio Vitæ quarto subduntur sequentia:* Et jussus aliquando, ut à pauperibus agricolis frumentum, à pio parente gratis accomodatum, recuperaret, si eos inopiâ pressos experiebatur, patrem enixè rogabat, ut illis debitum pro Dei amore remitteret; semelque veritus, ne pater precibus non assentiret, villico debitori imperavit, ut saccos, nisi posset frumento, paleâ refertos ad horreum deferret, quibus mox in horreo vacuatis, interrogatus patri respondit, saccos à villico plenos jam delatos in horreo vacuâsse, & ita mendacium effugiens, villici inopiæ consuluit. *Salonius in Vita num.* 16 *similium generatim meminit, at posterius hoc factum speciatim non attigit. Porrò placuisse parentibus, tales fieri à Filio eleemosynas præsumi posse ait Coccinus in Relatione ad Paulum V Papam pag.* 535, quia parentes erant admodùm pii in eleemosynis elargiendis, ut probant testes in processu Castellæ... Ludovicus Feo... Joannes de Ramo... Antonius de Molina... Catharina Garzia,... qui omnes sunt examinati authoritate ordinaria & alii quamplures ; & coadjuvatur ista præsumptio ex depositione Gundisalvi Camero examinati authoritate ordinaria... in processu Castellæ,... dum deponit, quòd mater sancti Viri dixisset patri de donatione tritici rustico facta (*vide Salonium num.* 16) pater ei silentium injunxit. *Dein refert historiam de pullis per Sanctum erogatis, hîc num.* 3 *explicatam, subditque :* Valdè gavisa est (*mater*) & exinde eleemosynas, quas Puer faciebat, videre se dissimulavit : *testes autem allegat Mariam & Helenam Lopez in processu Castellæ.*

d *In quarto Vitæ compendio & in Bulla canonizationis dicitur sanctus Puer & domi & in templis fuisse assiduus orationi, corpusque cilicio ac flagellis domuisse, quæ in cubili, ab eo per oblivionem relicta, mater non præter admirationem reperit. Eadem habet Salonius num.* 16.

e *De hisce differui in Commentario prævio* § 3.

f *Coccinus pag.* 582 : Testes deponunt, eum in suo cubiculo habuisse altare ante Crucifixum cum imaginibus sanctissimæ Virginis & sancti Joannis Baptistæ depictum & ante istas imagines continuè orare solitum; & causam scientiæ allegant, quia habitaverunt in dicto collegio & hoc audierunt, ac plures viderunt dictum oratorium : ita in processu Castellæ doctor Bartholomæus Jossa... doctor Ludovicus de Sena, canonicus magistralis ecclesiæ Toletanæ... doctor Alvarus de Villegas, canonicus magistralis ecclesiæ Toletanæ... & in processu Valentino don Matthias Pallas canonicus ecclesiæ Valentinæ. *Pag.* 579 *de Sancti ferventissimis orationibus ante dictam imaginem Crucifixi etiam meminit & ex eodem processu Castellæ alios testes de auditu deponentes nominat, Fr. Joannem de Astudillo, Ordinis S. Benedicti, & doctorem Bartholomæum de Sosa theologum.*

g *Hoc factum vel ignoravit vel neglexit Salonius.*

h *Ornatus, ita vocitatus à similitudine cum lactuca crispata; dictus etiam Hispanicè* lechuguilla. *Sic tom.* 4 *Conciliorum Hispaniæ pag.* 246 *in concilio Limano primo provinciali cap.* 16 *Actionis* 3 de Habitu clericorum : *leguntur ista :* Removeantur verò à clericali usu nova quædam inventa indumentorum aut ornatus, quæ milites, non clericos decent ; qualia sunt, quæ patrio more vocare solent, Lechuguillas &c. *Eodem sensu ibidem pag.* 509 *lib.* 3 *constitutionum provincialium in concilio Tarraconensi cap.* 3 *cavetur, ne clericus* subuculam collari & manicis rugatis seu lactucatis deferat.

i *Coccinus pag.* 567 : Pater & filius in eadem ecclesia præbendas obtinebant, & superbissimè maximoque cum luxu clerici induebantur, personati passim incedebant, hastiludiis non sine gravissimorum hominum scandalo se exercebant, Africano more, & ut vulgò aiunt, alla Ginetta, equis insedentes phaleratis pater & filius per plateas & compita discurrebant, nullaque inter-

posi-

A positâ morâ ex equo in chorum ad recitanda divina officia se conferebant. *Hæc ille.*

k *In quarto Vitæ compendio, dicitur Sanctus crebris jejuniis, flagellis, orationibus ac sacrificiis ad hoc opus se parâsse.*

l *Salonius Hispanicè eum nominat* Elso de Proxita.

m *Juxta Salonium nomen ipsi erat* Joannes Laurentius de Villarrasa; *à Gaspare Escolano Historiæ Valentinæ lib.* 10 *cap.* 35 *num.* 8, *ubi agit de rebus gestis Valentiæ anno* 1547, *appellatur* Joannes de Villarrasa.

n *Varia hujuscemodi exempla habes apud Salonium, fusè exposita.*

o *Idem narrat Coccinus pag.* 517, *testem citans Philippum Adell, ipsiusmet sacerdotis consanguineum, in processu Valentino examinatum auctoritate ordinaria ætatis annorum* 71.

p *Dictum idem confirmat Coccinus pag.* 475, *testimonio P. M. Didaci de Gavara* (*al.* Guevara) *visitatoris Ord. sancti Augustini in processu Castellæ; sed & idem in ipsa concione typis edita legitur, voculis quidem nonnullis immutatis, sed manente eodem sensu.*

B q *Conciones suas Latinè exaravit Sanctus, immixtis tamen nonnullis vernaculâ linguâ, quæ Latina fecit Uzeda, sicut patet ex hujus epistola ad Mugnatonium, concionibus præfixa.*

r *Super istis consule annotata ad Salonium lib.* 2 *cap.* 3 *lit.* h.

s *Sutor vestiarius scilicet à verbo* suere. *Porrò eamdem historiam narrat Salonius cap.* 3 *&* 21 *lib.* 2, *uti & Coccinus pag.* 642 *sed adjunctis aliquantùm diversis. Coccini verba dabo in Annotatis ad Salonium, partim lit.* d *cap.* 3, *partim lit.* c *cap.* 21.

t *Salonius cap.* XI *lib.* 2 *rem ita refert, ut mater Sancti Valentiam usque non pervenerit, sed in Villar, qui locus est pertinens ad archiepiscopatum Valentinum, cum Filio morata sit per mensem tantùm integrum, deindeque in patriam redierit. Fortasse de diverso matris ad Filium accessu loquuntur, ita ut memoratus à Salonio contigerit sub initium archiepiscopatûs, & hîc relatus postmodum, quando mater diutiùs illic perstitit & fortè domicilium fixit.*

u *Idem, licèt aliis verbis, refertur in compendio Vitæ quinto; Salonius lib.* 2 *cap.* 9 *fratres*
C *quidem ad Sanctum accessisse significat; sed hæc de vestitu adjuncta præteriit.*

w Cullera *propriè dicitur, estque locus maritimus ad ostium Sucronensis fluminis.*

x *Grandem pecuniæ summam dicto imperatori mutuam dedit Sanctus ad erigendum castrum Ebusense, uti narrat Salonius lib.* 2 *cap.* 9, *quod vide, & pro loci notitia eidem subjecta Annotata lit.* e

y *Olim* Orcelis *dicta fuit, vulgò* Origuela *vel* Orihuela, *episcopalis sub archiepiscopatu Valentino.*

z *Super hoc facto vide Annotata ad Salonium lib.* 2 *cap.* 22 *litt.* h *& seqq.*

aa *Imò* Mirabila testimonia tua.

bb *Consule Commentarium prævium* § 9.

cc *Dissonat Salonius lib.* 2 *cap. ultimo dicens, sacrum corpus sub horam secundam postmeridianam delatum fuisse ad cathedralem, & inde, postquam decantatæ illic essent Vesperæ defunctorum, translatum fuisse ad ecclesiam S. Mariæ de Succursu, ubi tota nocte accurrentium oculis & osculis fuit expositum.*

A. M. SALONIO.

VITA PROLIXIOR

Auctore Michaële Salonio, coævo

Ex processibus ad beatificationem & testimoniis fide dignis Hispanicè edita, ac Latinè reddita interprete J. P.

LIBER I.

CAPUT I.

Sancti natales, parentes, & horum præclara virtus. E

Proœmium auctoris de divina Providentia in eligendis Sanctorum parentibus.

QUamquam certissimum sit, natos esse nonnumquam ex parentibus bonis & sanctis filios perversos ac improbos, uti & contrà ex parentibus sceleratis, imò etiam à vera fide alienis, filios Dei cultui multùm addictos; frequenter tamen ac ferè accidit, ut Dominus Deus noster electis destinatisque, qui sanctitate atque exemplo in Ecclesia insignes sint, parentes concedat majoresque magnæ pietatis atque virtutis, ut filiorum sanctitas (prout ait S. Ambrosius) à majoribus accepta, atque hereditario quodam jure à decessoribus acquisita, majori splendore ac gloriâ effulgeat *a*, dicaturque de illis, quod *a* cecinit sanctus Rex & Propheta: Hæc est generatio & familia illorum, qui omnem felicitatem ac solicitudinem suam in eo collocârunt, ut Dominum ex toto corde quærerent, fruerenturque amicitiâ ac favore veri Dei Jacob *b*. Hac ratione direxit divina Providentia gratias & favores, *b* quibus ab infantia atque per totum vitæ decursum ingenti liberalitate & munificentiâ impertire F voluit hunc benedictum patrem, fratrem Thomam à Villanova archiepiscopum Valentinum.

Sancti nativitas, patria ac parentes; c

2 Natus est Dei Servus anno Domini MCCCCLXXXVIII *c*, moderante sanctam Ecclesiam Innocentio VIII Papa, imperatore Frederico III, rege Romanorum Maximiliano hujus filio, in Hispania verò regnantibus domino Ferdinando & domina Isabella, regibus Catholicis ac perpetuâ memoriâ dignis. Patrem habuit nomine Alphonsum Thomam Garciam, ortu & habitatione Villanovanum de Infantibus, qui locus est Agri Laminitani *d* notus admodùm in archiepiscopatu *d* Toletano; matrem verò dominam Luciam Martinez Castellanos *e*, natam Fontisplani, medio *e* milliari Villanovâ de Infantibus. Solemni sanctæ matris Ecclesiæ ritu matrimonium inierunt, & per aliquod temporis intervallum statim ab inito matrimonio occasione cujusdam pestilentiæ Fontisplani degentes in ædibus soceri sui, cui nomen Garciæ Castellanos *f*, hunc istic filium procreârunt, totius stirpis gloriam ac splendorem, benedictum patrem fratrem Thomam, qui dictæ familiæ primogenitus *g* fuit. Quamvis autem lucem *f* *g*

A. M. Salonio. acceperit Fontisplani, educatus fuit Villanovæ; atque hinc juxta morem, & consuetudinem religiosorum in Castella, appellatus est pater frater Thomas à Villanova.

horum nobilis origo, h

3 Patres ejus majoresque fuere omnes de gente præcipua, à popularibus suis honorati, divites, veteres Christiani, ac sanguinis prorsus intaminati *h*. Plures etenim ex ejus propinquis ex parte tum genitoris tum genitricis religiosi fuere Ordinum militarium S. Jacobi, Calatravæ & S. Joannis; atque hos inter aliqui magnæ Crucis Priores *i*. Et verò inquisitores ab immemoriali tempore quotiescumque Villanovam visitandi causâ accesserunt, hospitati sunt, hospitanturque in ædibus vel parentum, vel fratrum, vel cognatorum dicti patris D. F. Thomæ, tamquam antiquissimorum sancti Officii familiarium *k*, cujus procuratorum * munere functi sunt, fungunturque in quibusdam casibus. Avus ipsius maternus, nomine Garcias Castellanos, apprimè Christianus erat, & erga inopes Fontisplanenses liberalitate insignis: etenim cùm vir esset dives pecorum, ingentem casei ac lactis illi producentium copiam, præter alias eleemosynas, quas pro consuetudine domi suæ erogabat, diebus Mercurii & Veneris omne lac obtentum unà cum multo pane in pauperes distribui jubebat.

i

k

* *Hisp.* de comissarios

B

pia vivendi ratio,

4 Fuerunt & ipsi sancti hujus Præsulis parentes Dei cultu, charitate atque exemplo eximii, in omnibus colloquiis de Deo disserebant, de rebus ad ejus cultum pertinentibus, de pietate erga pauperes, in qua potissimùm excellebant. Inter ceteras facultates ac fortunæ bona, moletrina ipsis erat dimidio milliari Villanovâ ad fluvium de Xavalon *l*: omnis autem farina inde illis proveniens, singulis diebus Jovis ad ædes eorum ducebatur, atque diebus Veneris partim in panem redacta, partim [ut erat] in farina pauperibus distribuebatur. Ad hæc præcipuis festivitatibus panem, vinum, lignum, pecuniamque destinabant ad eos, qui egestatem suam palàm fieri erubescebant; sepositusque erat semper in ipsorum ædibus corbis, [instructus] panis fragmentis pro singulis egenis ad fores eorum accedentibus, sic ut nemo absque stipe recederet.

l

C

& erga egenos liberalitas.

5 Solebat quoque sancti Archipræsulis nostri genitor agricolis tenuioris fortunæ triticum ad seminandum largiri mutuum, ea conditione, ut, facta messe, absque ullo lucro restituerent: quòd si autem restitutio omitteretur, non idcirco urgebat eos aut affligebat, imò, si pauperiores essent, benignè condonabat. Neque propterea, dum seminandi tempus recurrebat, ipsis tantumdem tritici mutuum renuebat, ut de more sementem facerent. Eadem pietate utebatur erga homines honestos, qui necessitate [pressi] mutuam pecuniam expetebant; atque sanctam piamque consuetudinem istam servavit per integrum vitæ decursum. E vivis erepto Dei servo sancti Archiepiscopi nostri patre *m*, in eodem charitatis exercitio pergebat semper uxor ejus domina Lucia Castellanos, pauperibus agricolis triticum in sementem dans mutuum eodem modo & eadem pietate, quâ solebat conjux, sicque perseveravit in sua viduitate, quamdiu vita superfuit.

m

Matris præsertim

6 Erat quoque mulier religiosa admodùm, solitudini atque orationi multùm addicta: hunc in finem habebat domi suæ privatum sacellulum, quò diebus singulis, statutis horis sese recipiebat cum ancillis ac neptibus orationi vacatura, ibidemque diebus, quibus ob impedimentum legitimum ad ecclesiam sese conferre non poterat, celebrabatur sacrum Missæ Officium: quavis autem hebdomade, sacra confessionis & Eucharistiæ mysteria obibat. Usque adeo dedita erat frequenti Sacramentorum usui, atque exercitata in meditatione ac oratione, ut etiam tum in hac vita, quemadmodum quibusdam amicis suis familiarioribus enarravit ipse pater D. F. Thomas, frueretur sancta ista matrona multis solatiis cæleſtibusque deliciis, atque iis voluptatibus divinis & spiritûs suavitatibus, quas Deus communicare consuevit cum iis, qui pleno conatu se dedunt interiori ad cælestia conversioni, Deumque in ea quærunt toto corde. His autem & ceteris virtutum verè Christianarum ornamentis ita erat cumulata (sicut refert dominus frater Joannes Muñatones, episcopus Segobricensis atque ejusdem Ordinis Religiosus, in brevi narratione vitæ sancti hujus præsulis, præfixa initio sermonum ejus) ut, quando pater D. Thomas de matris suæ pietate, devotione & spiritualibus exercitationibus inter peculiares amicos sermonem instituebat, nihil prorsus audiri videretur diversum ab eo, quod scribit sanctus pater noster Augustinus de sanctissima parente sua Monica libro nono Confessionum.

D

E

insignes

7 Interiorem animæ ejus devotionem optimè declarabant actiones omnes externæ, etiam ipse sese vestiendi modus: nam quamdiu matrimonio juncta fuit, vestitum gessit admodùm honestum; orba conjuge habitum ac scapulare induit religiosum, gestavitque quamdiu vixit. Voluntariis insuper addictissima fuit corporis afflictationibus, cilicio semper cooperta, & ad finem usque vitæ servans jejunia, non modò diebus ab ecclesia præscriptis, verùm etiam singulis Feriis sextis, & in pervigiliis Sanctorum, quos peculiariter colebat. Ad ejus autem exemplum cilicio utebatur quoque, seque iisdem diebus jejunio macerabat pars major ancillarum. Tantus erat in ea domo secessus, ut adventantibus Villanovam copiis militaribus, honestæ virgines multæ, tutas sese non fore arbitrantes in ædibus paternis, in ædes hujus sanctæ matronæ sese reciperent; easque illa excipiebat & magna caritate sustentabat, donec recederent milites: atque illic degebant tanta securitate, quantam invenire potuissent in monasterio virginum optimè clauso & remoto.

F

virtutes

8 Numquam otiosa visa est, nec ut otiarentur ancillæ, ipsa permittebat: cùm autem laboraret, seu fusum versaret, seu quodvis opus aliud faceret, orabat semper, nec coronam Marianam umquam è manibus dimittebat. Opus & labor, cui ipsa & ancillæ ejus vacabant plerumque, erat linum nere & lanam, unde telam sibi ac pannum confici jubebat & sub festa Paschalia *n*, præsertim Hebdomadâ Sanctâ, pauperibus omnem dispertiebatur, eosque induebat, præcidente vestium concinnatore singulis, quo quisque magis indigebat. Dum verò domi non habebat, quod neret, mulieres aliquot pauperes, colo victum sibi quæritantes, advocabat, rogabat ex eo, quod earum colo commissum erat, nebat ipsa domi suæ cum ancillis, netumque dictis mulieribus reddebat, ut ipsæ pretium laboris exciperent, & lucro apponerent. Quandoque domum ejusdem servæ Dei adventabant pauperes mulieres, egentes vestibus eo tempore, quo peracta erat distributio telarum ac pannorum, de qua diximus; ne autem & istæ abirent sine eleëmosyna, exuebat tunicas, fascias ac vestes, quas ipsa gerebat, iisque largie-

n

A giebatur. Præterea ad perſonas honeſtas & egentes, quas verecundas *o* nuncupamus, clàm plures
o mittebat eleëmoſynas; ſubinde triticum aut farinam; aliquando pecuniam; interdum veſtimenta. Succurrebat quoque pauperibus carcere incluſis & peculiariter in publico valetudinario degentibus ea caritate, ut domi ſuæ propriis manibus cibos ægris condiret; ſtatuta hora, comite ancilla, eos eſcâ reficiendos adiret, recrearet, & ſolaretur. Uſque adeo liberalis erat & pia in omnes pauperes, ut & in vita & poſt mortem agnomen Eleëmoſynariæ obtinuerit.

etiam miraculis divinitus comprobatæ;

9 Atque etiam ut teſtatum fieret, quantùm Domino placerent pietas ejus & eleëmoſynæ, die quadam, cùm jam omnis farina, quæ ſingulis hebdomadis ex moletrina ipſi advehebatur, in pauperes erogata eſſet (modo, quo dictum eſt,) ſupervenit mendicus, rogans eleëmoſynam: jubenti autem dictæ dominæ Luciæ ab ancillis adferri aliquid farinæ huic mendico, reſponderunt illæ, erogatam jam eſſe univerſam, nec aliquid
p eſſe reliquum in cella farinaria *p*: Circumſpicite diligenter, repoſuit bona matrona, num quid ſuperſit, &
B pro amore Dei date huic pauperi. Conteſtabantur autem ancillæ, ne pulviſculum quidem farinæ relictum eſſe; quandoquidem ſuis ipſæ manibus diſtribuiſſent omnem tempore matutino. Nihilominus magna fide ac ſpe de divina providentia dictum iterabat Dei famula: Ite Deo propitio, & everrite cellam, non enim permittet Deus, hunc miſerum ab ædibus meis abire expertem eleëmoſynæ. Hiſce acquieverunt, & ad cellam pervenientes clamare cœperunt, Domina, domina, quid hocce rei eſt? Veriſſimè enim hoc mane nihil quidquam in cella reliquimus præter vacuum ubique: & modò repleta eſt: Quid hoc ſibi vult? Illa omnis fugitans inanis gloriæ, ſignum dedit, ut ſilerent, & dixit: Laus ſit & honor Deo, qui ita proſpicit ſuis pauperibus. Ex prodigioſa hac farina mendico illi largitæ ſunt: omnes autem, qui de re facti ſunt certiores, nam licèt ipſa occultare conaretur, divulgabatur ſtatim, Dominum laudabant, & evidentiſſimum eſſe judicabant miraculum, à Domino Deo patratum propter inſignem hujuſce famulæ ſuæ pietatem. Conceſſit ipſi quoque Dominus donum peculiare curandi pueros hernioſos, formando ſuper eos ſignum Crucis; & ita quidem ſanabantur ac malo liberabantur, acſi eo laboràſſent
C numquam. Ne tamen ſanatio meritis ejus adſcriberetur, cingebat illos faſciâ, quam geſtarent diebus quinque aut ſex. Hiſce tantæ devotionis ac pietatis exercitiis occupavit ſeſe felix mulier toto vitæ tempore, perſeveravitque ad mortem uſque.

morituræ apparet Thomas filius.

10 In ſupremo, ex quo vivere deſiit, morbo recitabat continuò pias preces, & magna ſolicitudine è lecto domeſticis ſuis ingeminabat: Date ſtipem iſtis egenis: veſtibus induantur pauperes iſti. Omnibus ſanctæ Matris Eccleſiæ Sacramentis præmunitam vir honeſtus, qui olim domi ejus famulatus fuerat, rogavit, quomodo ſeſe haberet. Quomodo? ipſa repoſuit: ingenti ſolatio affecta; quippe inviſit me Filius archiepiſcopus: is enim è vivis abierat aliquot antè annos. Tanta fuerunt denique parentes hujus ſancti præſulis D. F. Thomæ à Villanova caritate ac miſericordia erga pauperes & egentes tum populares, tum exteros & peregrinos, ut non modò, dum vitâ fruebantur, verùm etiam poſtquam defuncti ſunt, vigeat ac permaneat recens admodùm eximiæ ipſorum pietatis memoria, utque ædes eorum appellatæ ſint ſemper, & appellentur hodiedum hoſpitium pauperum ac egentium.

ANNOTATA.

a *Hunc ſenſum faciunt verba Hiſpanica: S. Ambroſius in cap. 1 ℣ 6 Lucæ ita loquitur:* Docet nos Scriptura divina non ſolùm mores in iis, qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, ut veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare, præcellat.

b *Ita ſonant verba Hiſpanica: Pſ. 23 ℣ 6 iſta leguntur:* Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

c *De anno & loco natali diſſerui in Commentario prævio § 2.*

d *Hiſpanicè* el Campo de Montiel.

e *Auctor voce* Caſtellanos *non regionis nomen, ut aliqui perperam videntur exiſtimâſſe, ſed familiæ expreſſum voluit, uti liquet ex ſequentibus, ubi Luciæ patrem Garciam* Caſtellanos *nuncupat.*

f *Socer erat nimirum Alphonſi, pater Luciæ, avus Sancti. Porrò memoratam hîc peſtilentiam ceſſâſſe ait Quevedo ipſo die natali Sancti, atque idcirco cubiculum, in quo natus eſt, haberi in veneratione.* E

g *Hiſp.* Huvieron alli eſte hijo ... que fue el primero y mayor de dicha caſa. *Porrò Sanctum Fontiſplani, non Villanovæ procreatum ſeu mundo editum eſſe, diximus etiam in Commentario prævio.*

h *Hiſpanicè* limpios de todos quartos: *tales autem cenſentur apud Hiſpanos, qui ex nulla parte originem ducunt à Mauris vel Judæis.*

i *De hiſce conſule, ſi lubet, Philippum Bonanni in Catalogo Ordinum equeſtrium & militarium.*

k Familiares *ſancti Officii vocantur ii, quibus comprehendendi reos vel ſuſpectos provincia committitur, quibuſque etiam non armatis nomine ſacræ Inquiſitionis comparentibus, numquam reſiſtitur: hoc munus non dedignantur etiam primariæ nobilitatis homines, quòd Familiares alterius quàm Inquiſitionis tribunalis judicio non ſubſint, uti refert Joannes Alvarez de Colmenar in Deliciis Hiſpaniæ tom. 6.*

l *Hiſpanicè* ribera de Xavalon: *ſed fluvium iſtum non reperi in tabulis.* F

m *De anno obitûs pauca obſervavimus in Commentario prævio § 3.*

n Las Paſquas *habet auctor, qua voce apud Hiſpanos etiam veniunt aliquando alia ſolemniora anni feſta, generatim deſignata.*

o *Hiſpanicè* vergonçantes, *id eſt*, perſonæ, quæ egeſtatem ſuam palàm fieri erubeſcunt, *ſicut claritatis causâ eamdem vocem ſuprà interpretatus ſum.*

p Troix *ponitur Hiſpanicè: in Lexicis legitur* trox, *quod horreum ſeu granarium ſonat, ſed malui uti vocibus* cella farinaria, *ut hîc magis propriis.*



A. M. SALONIO.

CAPUT II.

Sancti virtutes in pueritia & insignis in pauperes misericordia.

Infantis modestia;

QUoniam benedicti hujus Antistitis parentes tam bene Christiani erant tamque veri, uti diximus, divini Numinis cultores, eo modo ipsum similiter educârunt, ut cum lacte virtutem sugeret, & ab ipsa infantia amplecteretur. Imò etiam in tenera ætate perquam humilis *a* erat ac morigerus parentibus *b*, pius admodùm ac deditus rebus ad cultum divinum pertinentibus, tantamque in actionibus omnibus præferebat honestatem & sanctitatem, ut id observarent vicini ejus ac familiares, ac tanta admiratione percellerentur, ut dicerent unanimi voce: Verè Puerulus iste aliquando vir egregius & sanctissimus evadet: idque ad eum modum, ut etiam hodie vigeat memoria ac fama sanctitatis, quam Dei Servus in infantia sua demonstravit.

a

b

B

studium rerum divinarum;

12 Fugitabat pueros improbos, & plerumque solus incedebat, nullo puero comite. Diebus Dominicis ac festis, quando in ecclesia ejusdem loci, aut in monasterio S. Francisci habebantur conciones, etiam tum Infans illas frequentabat, magnaque attentione excipiebat: post prandium verò pueros è vicinia & ex eadem oppidi parte, quos poterat, convocabat, ac sermonem, quem exceperat, repetebat eo spiritu ac fervore, ut grandiores etiam & provectioris ætatis homines auditum accurrerent, Deum laudarent, nec pauci eorum pudore suffunderentur, attendentes ad id, quod Puer iste illis proponebat; absolvebatur autem aliquoties sermo non sine multis lacrymis tum dicentis, tum auscultantium.

insignis erga pauperes

13 Erat quoque in eadem ætatula pius admodùm ac beneficus in pauperes, adeo, ut perrecturus ad scholam domi jentaculum sumere abnueret, sed corbulæ impositum auferret: quod observans mater, scire avebat ex aliis è vicinia pueris, an per viam vel in schola absumeret; &, neque id fieri, comperit; at verò jentaculum singulis diebus à pio Infante ædibus egresso dari egeno primùm obvio, servarique jejunium, donec è schola domum reversus vocaretur ad prandium. Sæpe domum revertebatur modò absque calceis vel tibialibus, modò absque tunica, quòd, dum videbat puerum seminudum & frigore astrictum, assereret, facultatem sibi deesse non dandi vestes suas, eumque, quo meliore poterat modo, cooperiendi. Die quadam in media hyeme, cùm esset apud vicinum ex adverso domus paternæ, illuc advenere pueri aliquot nudi, trementes frigore, ac sibi afferri subsidium flagitantes; ipse verò, nihil eis in domo ista impertiri cernens, vocavit ad se, atque uni tunicam largitus est, thoracem alteri, tertio tibialia, solumque sibi servans indusium ita domum repetiit. Cùm mater eo statu redeuntem conspiceret & increparet, reposuit benedictus Infans: Statue de me, domina parens, ut lubitum fuerit, & pœnam, quam volueris, sumito; novit autem Dominus, quàm videnti mihi pauperculos istos nudos & algore tremulos impossibile fuerit secùs facere, quàmque vires defuerint ad prætermittendum, quo minùs operirem eos, modo, quo poteram, meliore. Dissimulans bona genitrix conjiciebat oculos in imaginem, ac Dominum laudabat, quòd ei concessisset filium tam pium & misericordem *c*.

C

D

c

14 Aliàs cùm die festo nova eum induissent veste, domo egrediens, reputansque indignum se vestitu tam eleganti, incidit in egenum ejusdem secum staturæ ac formæ puerum, obsoleto indutum: rogavit, ut permutarent, & revera permutatio facta est; ipse verò vetera egeni istius pueri vestimenta gestans domum rediit. Hæc intuita mater, quæsivit, quid vestibus novis, quibus paulò antè indutus exierat, factum esset. Domina, respondit ille, aptissimæ mihi hæ sunt, meliúsque quadrant quàm novæ, atque is, cui dedi, dignior illis est, quàm ego. Providit autem Dominus, ut in præmium pietatis ac humilitatis, ista actione exercitæ, huic responso acquiesceret mater, admodùm contenta, nec verbum ultrà proferret. Dum ad fores ædium suarum adveniebant mendici, incitabat omnes, ut eis eleemosynam concederent, quibus si non statim succurrebant, cibum ipse suum porrigebat.

misericordia,

variis exemplis

E

15 Mense Augusto, quoniam patri erat messis ampla & messorum copia, jubebatur hisce ferre jentaculum ac prandium, & magnam hujus partem, nemine advertente, tribuebat pauperibus illuc (uti in more positum est) accurrentibus ad colligendas spicas reliquas, aut isto tempore è messorum manibus evadentes. Et quamvis magnam partem ejus, quod domo ad messores asportabat, inter egenos distribueret *d*, omnibus tamen abundè sufficiebat semper, ita ut numquam vel minimus defectus observaretur. Quoties honesto titulo poterat à matre impetrare nummos aliquot, hos, sicut & panem & ova, quæ poterat, assumens, mox accurrebat ad pauperes nosocomii. Pauperculæ mulieri à matre ejus aliquando petenti aliquot lanæ glomera, quæ deerant ad ordiendum telam, respondit dicta mater: Oportet ea cras dem textori, ut & ipse aliam exordiatur; tum adsis; si qua mihi superfuerint, quamquam hac de re dubitem, tibi lubens impertiar. Benedictus Puer cernens, quòd solatii expers discederet inops mulier; quot ei opus essent, interrogavit, & nemine videnti vel audiente, locum ingressus est, quo servabat parens lanæ glomera, eaque sumens, quibus indigere se aiebat mulier, clanculum abstulit, tulitque illi ad exordiendum telam. Placuit autem Deo, ut & pauperi mulieri subventum sit, & sequenti die mater, telam inchoari mandans, non comperiret deesse quidquam. Die quadam, dum mater unà cum ancillis domo abiens, panis ac cellæ penariæ claves abstulerat, ad fores advenerunt mendici aliquot, eleemosynam rogitantes, videns ipse, nihil eis dari per famulam domi relictam, nec dari posse, quoniam clausa erant omnia, adiit locum, ubi gallina fovebat pullos sex, ac singulos singulis pauperibus impertivit. Mater domum redux istud intelligens, rogavit, cur pullos erogâsset: Quia, reposuit, nec decebat, nec sustinebat cor meum, pauperes, eleemosynam flagitantes, abire vacuos; cùm autem observata essent omnia, nec quod daretur esset quidquam præter pullos, hos dedi, daturus eodem modo gallinam, si plures, quàm isti, adveniissent egeni *e*.

d

F

e

comprobata; vitæ austeritas.

16 Misit ipsum aliquando Pater cum famulo domestico ad ædes cujusdam agricolæ, ut triticum, quod ad seminandum datum fuerat mutuum (quemadmodum fieri consueviisse diximus à parente hujus benedicti Præsulis) reciperet; vidit

A dit autem, perexiguum atque ad alendos liberos perneceſſarium eſſe, quod iſto anno collegerat miſellus homo, & nihil prorſus exigens receſſit, exponenſque patri inopiam pauperis agricolæ, oravit inſtantiſſimè, ut ejus miſereretur, ac remitteret debitum, quoniam oculis ipſe conſpexerat, quàm eo anno parùm collegiſſet, & quàm ei neceſſarium eſſet ad ſuſtentandos liberos & familiam. Ita factum eſt, ut pater ad ejus preces lubens condonaret; atque, dum recurrit ſerendi tempus, triticum ad ſementem denuo conceſſit. Uti hac vice, ita ſæpe aliàs factum eſſe referunt teſtes *f* in proceſſu Villanovæ de Infantibus inſtituto ad ejus beatificationem, ut pater hujuſce Servi Dei, eamdem aliis egenis agricolis caritatem exhiberet, triticum, in ſementem ipſis datum mutuum, remittens, orante ac perſuadente Filio. Erat præterea in tenera iſta ætate corporis afflictationibus multùm deditus, diebus pluribus, præter præſcriptos ab Eccleſia, ſervans jejunia, ac flagris in ſeſe occultè admodum ſæviens *g*. Reperit aliquando mater in cubili ejus flagella; ipſe verò vehementi animi ægritudine ac mœrore confectus fuit; fugitavit quippe diligentiſſimè à puero & per totam vitam, ne vexationes corporis aliave devotionis exercitia peculiaria cuiquam innoteſcerent.

A. M. SALONIO.

ANNOTATA.

a *Illuſtriſſimus Coccinus in Relatione ad Paulum V Papam laudata in Commentario num.* 10 *ſancti Pueri humilitatem ita confirmat pag.* 648: Quòd autem venerabilis Vir humilis etiam à puero fuerit, probant teſtes in proceſſu Caſtellæ. *Dein ſubdit eorum nomina:* Joannes Gallego, Catharina Gonzales, Ludovicus Feo, Joannes Ramos, Catharina Garzia; omnes præter Catharinam Garziam examinati authoritate ordinaria. *Per* teſtes in proceſſu Caſtellæ *intelligit, ut ipſe indicat pag.* 712, *tum eos, qui ad annos* 1610, 1611 *&* 1612 *in vivis ſuperſtites examinati ſunt auctoritate Apoſtolica Toleti, Burgis, Salmanticæ, Valliſoleti, Madriti, Compluti ac Villanovæ de los Infantes, tum eos, quorum tum defunctorum in iis locis collecta ſunt teſtimonia, antè recepta auctoritate ordinaria. Villanovæ autem anno* 1612 prævia monitione & juramento de veritate *fuerunt recepti teſtes quatuordecim, uti ait idem pag.* 723, *& quantùm aſſequor, nam vitioſa eſt hoc loco impreſſio in noſtro exemplari, collecta ſunt teſtimonia* 35 *defunctorum*, qui auctoritate ordinaria de anno 1602 fuerunt recepti.

b *De his & ſequentibus ita Coccinus pag.* 597 *tit.* de Pietate: Teſtes enim deponunt eum toto vitæ ſuæ tempore mandatis parentum ſuorum obedientem fuiſſe tractando eos in qualibet occaſione maxima cum pietate & reverentia, nec non præbendo in quibuſcumque ſuis actionibus egregium populis exemplum ædificationis ſanctæque virtutis & quidem de vera ſcientia in proceſſu Caſtellæ: *nomina teſtium:* Joannes Gallego, . . . qui tempore examinis erat xcv annorum, Ludovicus Feo, ætatis xc. annorum; Catharina Garzia ætatis octuaginta annorum & Maria Sanchez ætatis lxxx annorum, qui quatuor ſunt examinati auctoritate ordinaria. Alii verò quamplures deponunt de auditu ac de publica voce & fama. *Item pag.* 625 *tit.* de Veritate: Quam perfectiſſimam habuiſſe venerabilem Virum, credimus ſatis probari poſſe ex teſtibus ſæpe repetitis, qui deponunt de pueritia videlicet, quòd fuit ſubditus parentibus in exordio vitæ ſuæ cum omnibus exercitiis pietatis, & ut eorum vocabulo utamur, Chriſtianitatis, & omni virtutum genere & humilitate, quâ adeo excellebat, ut omnibus eum alloquentibus, & iis, qui cum eo negotia peragebant, eſſet admirandus, qui etiam gratias Deo propterea agebant.

c *Coccinus pag.* 533: Adhuc enim Puerulus jentaculum ſibi datum [cùm] gimnaſium peteret, inter pauperes dividebat, & modò ſagum, modò thoracem, nonnumquam pileum, caligas & pallium, quaſi alter Joannes eleemoſynarius, qui adhuc juvenculus eadem agebat, ut habetur in ejus Vita cap. vii, pauperibus erogabat, ita ut nudus paternam in domum reverteretur. *Teſtes, quos citat, dabimus ad lit. ſeq.*

d *Coccinus ad hæc & ad ea, quæ narrat Salonius infrà num.* 16: Meſſoribus paratum cibum inter pauperes ſpicam colligentes partiebatur, & triticum recepturus à ruſtico, cui accommodaverat, viſo filiorum illius numero, cognitâque indigentiâ, benignè donavit. *Ita ille pag.* 533, *& tum his tum literâ præcedenti recitatis ſubdit:* Hæc probantur per teſtes de publica voce & fama & de auditu à majoribus, quos ſatis probare, non eſt ambiguum, cùm agatur de re antiquiſſima ex ſuprà deductis, ita in proceſſu Caſtellæ (*teſtes quorum hæc dat nomina:*) Maria Sanchez ætat. lxxx annor.; Alphonſus Garzias ætat. xc annor.; Anton. Martinez ætatis lxxx annorum; Agnes Gonzales ætatis lxxx annorum; Gundiſalvus de Polo ætatis lxxx annorum; Joannes Sanchez ætatis lxx annorum; Joannes Fernandez ætatis lx annorum; Chriſtophorus Thomas ætatis lxx annorum; Gundiſalvus Camero ætatis lxxxviii annorum; Beatrix Lopez ætatis lxx annorum; Helena Lopez ætatis lxxxiii annorum; Andreas de Buſto ætatis lxiv annorum; Maria Lopez ætatis l annorum; Lucia Perez ætatis xc annorum; Ludovica Lopes ætatis lxxx annorum; Barnabas Gonzales ætatis lxxxviii annorum; Lucia Martines lxx annorum. *Ac demum ita pergit:* Qui omnes præter Mariam Lopez fuerunt examinati authoritate ordinaria.

e *Coccinus pag.* 536 *allegans ex proceſſu Caſtellæ teſtes duas Mariam & Helenam Lopez, dicit:* Sanctum Puerum, cùm domi ſolus quadam die remanſiſſet, & quid egenis diſtribueret non deberet*, unicuique dediſſe pullum glotiæ, & revertenti matri dixiſſe, ut impoſterum eleemoſynam pauperibus diſtribuendam domo egreſſura relinqueret; quæ cognoſcens eleemoſynam de pullis factam, valdè gaviſa eſt, & exinde eleemoſynas, quas Puer faciebat, videre ſe diſſimulavit. *Ex his & aliis ſuprà deductis infert, eleemoſynam à ſancto Filio familias factam non eſſe abſque conſenſu matris, imò nec patris, ac proin* commendandam non reprehendendam.

* *l.* habetet

f *Hos inter veriſimiliter fuerunt aliqui vel fortè omnes, quos ex Coccino recenſui ad lit.* d.

g *Huc ſpectant, quæ memorat Coccinus pag.* 587 *verbis ſequentibus:* Puer eleemoſynam faciebat, & etiam in ſervitutem redigebat mediantibus flagellis corpus ſuum. *Dein, paucis interjectis, teſtes nominat Ludovicum Feo, Catharinam Gonzales, & Alphonſum Garziam ex proceſſu Caſtellæ.*

A. M. Sabonio.

CAPUT III.

Liberales artes ac theologiam discit & illas docet magnâ ingenii ac pietatis famâ.

Studia feliciter cœpta Compluti,

CUm attigisset annum ætatis decimum quintum aut decimum sextum, parentes indolem felicem ac sanctas animi propensiones, quas præferebat probus Filius, considerantes, certam insuper, quam faciebat spem, fore ut, si mitterent ad academiam, ubi florent litteræ, vir evaderèt planè insignis, statuerunt ritè ac decenter dirigere ad Complutensem, unam ex maximè præclaris ac famosis totius Hispaniæ *a*. Illuc adveniens, [instructus] tum optimis linguæ Latinæ rudimentis, quæ ex solo patrio afferebat, tum acumine & ingenii gratiâ, quibus à Deo & natura ornatus fuerat; adjutus demum cælesti favore per orationes [obtento] factus est exiguo tempore linguæ & eloquentiæ Latinæ Magister, multúmque etiam profecit tam in artium liberalium, quàm in sacræ Theologiæ studiis. Dedit illic magnæ in litteris doctrinæ indicia, &, quod pluris æstimandum, talia virtutum, præsertim animi demissi, pudici atque in res divinas intenti *b* exempla, ut, quotquot Compluto Villanovam contendebant, referrent ad parentes ejus & cognatos, Filium ipsorum reputari atque æstimare inter præcipuos, qui id temporis studiis operam dabant, ac opinione virtutis & scientiæ in ea academia excellebant.

a

B

b

mortuo patre, intervampit; xenodochium instituit;

18 Cùm annos natus esset octodecim, obiit pater ejus Villanovæ, mox, ut probum decebat Filium, illuc abiit [rebus] consulturus & matri futurus solatio. Adveniens didicit, patris testamento præter alia sibi ut primogenito, relictam esse domum, quam idem [pater] suæ contiguam ipsi ædificaverat, ut, finito studiorum cursu, Villanovam reversus inhabitaret. Visa donatione sibi à patre suprà hereditatem facta, oravit matrem, ut domus ista cubilibus ac supellectile instrueretur, & in xenodochium pauperibus ac peregrinis cederet: Mihi enim, inquit, à Domino providebitur, unde vivam. Mater ad ejus obtestationes domum cubilibus & supellectile instruxit & in xenodochium convertit; ipse verò ex reliqua patris hereditate redditibus donavit, idque testamento sancivit *c*. Atque ita sustentatum est, ac sustentatur etiam hodie, vocaturque xenodochium Archiepiscopi Valentini. Pauperes ægroti, qui eò confugiunt, curantur magna solicitudine; qui verò moriuntur, honorificè & solitis cum precibus *d* sepeliuntur. Personæ autem istinc hocce tempore Valentiam adventantes memorant, quòd, postquam institui cœperit examen de vita ejus, sanctitate, ac miraculis, infirmi omnes, eò advenientes, & se illi devotè commendantes, sanitatem recuperent, adeo ut vix aliquis moriatur.

C

c

d

Complutum reversus

e

19 Dum Complutum rediit ad prosequenda studia, jam à Cardinale F. Francisco Ximenio *e* archiepiscopo Toletano erectum fuerat collegium ejus academiæ maximum, S. Ildephonsi nomine insignitum; quod, ut bonum sortiretur initium, curavit ille, ut primi collegæ ex iis essent studiorum alumnis, qui id temporis ibidem optimum nomen obtinebant majoremque in virtute & litteris opinionem. Eapropter magistros consulebat & personas in scholis istis graviores. Fuit hujuscemodi testimonium *f*, quod unanimi voce ab omnibus datum est de doctrina & virtute patris don Thomæ, confirmatumque per id, quod ipse abundè demonstravit in concertatione sua & concursu, ut mox Cardinalis absque ulla difficultate collegii sui alumnum *g* nominârit.

D

f

g primarii collegii alumnis adscribitur;

20 Tantum illic in omni virtutum genere præbuit exemplum ceteris collegii alumnis, ut don frater Joannes Mugnatonius, episcopus Segobricensis, in narratione, quam scripsit de vita ac sanctitate hujus Servi Dei (cujus mentio facta est primo capite) magister Joannes de Vergara, vir inter celeberrimos eruditione & dicendi præstantia, quos habuit ista universitas, quique eadem tempestate isto in collegio etiam vivebat, cernens pietatem, devotionem, animi ad cælestia conversionem, sanctosque mores probi istius collegii alumni Thomæ à Villanova, de iis (res notatu digna) publicè sermonem institueret, & in concionibus suis proponeret ad exemplum, summa cum audientium admiratione, tamquam si verba faceret de Sancto jam tum canonizato.

E

artium magisterio ornatus

21 Finito studiorum cursu, gradum fecit ad artium magisterium, & theologiæ licentiam; ac mox, quia tam nota ac evidens erat singularis ipsius eruditio, in insigni illa academia artium cathedrâ donatus est anno millesimo quingentesimo decimo quarto, ætatis suæ circitèr vigesimo sexto *h*. Logicæ ibidem ac philosophiæ cursum prælegit magna scholam [frequentantium] æstimatione & oblectatione fructuque audientium, non minùs virtutem eos edocens quàm litteras. Satagebat præprimis excitare in ipsis studium ad frequentem Sacramentorum usum, ad humilitatem, modestiam, honestatem & ad avocationem à rebus temporalibus, virtutes, quæ in hominibus litteratis scientias multùm ornant, & mirabiliter illustrant.

h

summa nominis commendatione

22 Ita autem duabus istis præsertim humilitate & mansuetudine excelluit, ut (quemadmodùm refert supradictus don Joannes Mugnatonius in citata narratione) nec cùm esset discipulus coram magistris aut aliis studiosis, nec cùm esset magister inter auditores suos, nec cùm præsideret aut argumentaretur in aliquibus actibus, audita sit ex ipso vox ulla adversus doctores alios vel magistros, quæ vel in minimo læderet quempiam. Neque umquam in ipso observata est seu in voce seu in agitatione manuum aliqua perturbatio, sed modestia semper & habitus corporis valdè religiosus, quibus usque adeo erat ædificationi omnibus, ut cùm ipse os aperiret (quamvis laïcus adhuc & juvenis atque collegii dumtaxat alumnus) verba ejus sufficerent, ad compescendos tumultus omnes, qui exoriri nonnumquam solent in exercitationibus ac concertationibus scholasticis, præsertim inter artium peritos & cathedræ candidatos in suis disputationibus. Adeo ob humanitatem suam & mansuetudinem erat in amoribus apud omnes tam magistros quàm studiorum alumnos, ut simultates ac dissidia multa, quæ per graviores istius academiæ doctores componi non poterant, ipse per amorem & venerationem, qua erat apud omnes, perque prudentem agendi modum componeret ac sedaret.

F

docet; ad Salmanticam universitatem invitatus,

23 Eo, quo docuit, studiorum cursu plures nactus est discipulos, atque inde multi, facto ingenti progressu, prodierunt. Alvarus Gomecius in Historia, quam scripsit de fundatore ejusdem Complutensis universitatis, Cardinale fratre Francisco Ximenio, inter viros insignes, qui in ea litteris floruerunt, eamque bono nomine suo illustrâ-

A ſtrârunt, collocat patrem don Thomam de Villanova, & inter præclara ingenia *i*, quæ ex ejus curſu prodierunt, refert magiſtrum Ferdinandum de Enzinas, & patrem fratrem Dominicum Sotum, cui tantum debent theologi omnes *k*. Uſque adeo celebris fuit ille boni patris noſtri don Thomæ curſus, ut, cùm eo, quo abſolutus fuit, tempore vacaret Salmanticæ *l* cathedra philoſophiæ naturalis, rector ac magiſtri præclaræ illius univerſitatis, moti inſigni ejus æſtimatione ac nomine, nemine repugnante, nec ipſi petenti eam deſignârint *m*, & cupidi Virum adeo præſtantem acquirendi ſcholis ſuis, invitari ipſum juſſerint, ut occuparet, offerentes conditionem optimam & fructuoſum ſalarium.

gratias agit, & de vitæ ſtatu deliberat.

24 Amplas ipſis gratias egit pater don Thomas de exhibitis ſibi favore ac benevolentia, cùm eum motu proprio, nec rogantem, nec repugnante aliquo, invitarent. Collationem tamen illam non admiſit; quia evoluto anno, quo ipſe, ut diximus, Compluti prædicto curſui finem impoſuit, milleſimo quingenteſimo decimo ſexto & ætatis ſuæ intra vigeſimum octavum & vigeſimum nonum, pleno conatu orationi ac ſpiritualibus B exercitiis, quibus quamquam uſus fuerat ſemper, majore tamen fervore ac ſpiritu id temporis feſe addixit, quoniam ſe jam expeditum cernebat & liberum ab omni ſtudiorum genere & contentione ſcholaſtica. Vacavit autem ea tempeſtate magnis jejuniis, frequenti orationi, & tot, quot poterat, eleemoſynis ad obtinendum à Domino, ut is dirigeret, ac demonſtraret, quo in ſtatu, an in clero, an in Ordine religioſo, ei perfectiùs & ad majorem animæ ſuæ fructum, atque bonum proximi deſerviret.

ANNOTATA.

a *Super anno, quo miſſus eſt Complutum, Hiſpanis* Alcala de Henares, *nonnulla annotavi in Comment. prævio* § 3.

b *Ita interpretatus ſum vocem Hiſpanicam* recogimiento, *quæ, uti &* recogido, *recurrit frequenter in his Actis à verbo* recoger *Latinè* colligere *vel* recolligere, *quamque, ut variam mihi viſa eſt habere ſignificationem, etiam vario modo Latinè reddidi.*

c *De obitu parentis ac xenodochii conſtitutione* C *videri poteſt Comment. prævius* § 3. *Sed Salonio dicenti xenodochium inſtitutum fuiſſe* pauperibus *ac* peregrinis, *utcumque diſſonant inſtrumenta alia; certè verba ejus quoad perſonas reſtringunt. Bulla canonizationis ſic habet:* Integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit xenodochium *&c. Inter ſex Vitæ compendia, Seriei actorum in canonizatione inſerta, primum* Hoſpitale pudicarum mulierum *vocat; alterum:* Virginibus pauperibus fœminis alendis, *tertium*, Nobilibus pudicis pauperibus fœminis; *quartum:* Egenis virginibus; *quintum:* Nobilibus fœminis; *ſextum:* Virginibus; *Compendium Ms. ex bibliotheca Angelica Ordinis S. Auguſtini Romæ:* Hoſpitale perpetuum pauperum pudicarum mulierum. *His conſonat Coccinus pag.* 601, *ac reliqua ſubnexis teſtium nominibus firmat:* Eandem, *inquit*, pietatem venerabilis Vir exercuit in patriam; cùm enim pater moriens quaſdam ei domos in oppido Villanovæ reliquiſſet, ad illud ſe contulit ex univerſitate Compluten., matremque rogavit, ut eaſdem ditaret, nec non cubilibus inſtrueret, ut in hoſpitali pauperum mulierum oppidi Villanovæ converterentur, atque ita mater ad preces Filii, nedum cubilia cum omnibus neceſſariis comparavit, ubi fuerunt recollectæ & uſque in hodiernam diem recolliguntur dictæ pauperes mulieres, ſed etiam redditus pro reparatione loci reliquit. Hoc probant teſtes in proceſſu Caſtellæ .... videlicet Ludovicus Feo, ... Catharina Garzia, ... Mariana Sanchez, ... Gundiſalvus Camero, ... Petrus Garzia, ... Ferdinandus Buſto, ... omnes præter ultimum examinati authoritate ordinaria. *Hinc ſequitur, non omnibus promiſcuè pauperibus inſtitutum fuiſſe xenodochium iſtud; ſed feminis dumtaxat Villanovanis, & fortè non nuptis, imò juxta aliquos, nobilibus: niſi lapſu temporum immutata fuerit inſtitutio.* A. M. Salonio.

d *Hiſpanicè* con ſus ſufragios.

e *Conſule Annotata ad Mugnatonium litt.* g *& ſeqq.*

f *Hiſp.* informacion.

g *Hiſp.* Colegial ſuyo.

h *Adi, ſi lubet, Commentarium prævium num. 26 & ſeqq.*

i *Hiſp.* entre las habilidades.

k *Adi Annotata ad Mugnatonium lit.* i. E

l *Hæc & quæ ſub initium ſequentis num. narrantur, diſcuſſa ſunt in Commentario prævio num. 32.*

m *Hiſpanicè* ſe la proveyeron por claustro.

CAPUT IV.

Inſtitutum Eremitarum S. Auguſtini amplectitur; habitum induit Salmanticæ, in tyrocinio virtutibus excellit.

Poſt ſeriam deliberationem

EXaudivit Dominus Servi ſui preces, eâque erga ipſum uſus benignitate ac miſericordiâ, quâ illuminare conſuevit ac dirigere eos, qui toto corde ſe ipſi commendant, & ſincerè eum invocant, ſuggeſſit, ut ſtatum religioſum, tamquam magis congruum propenſionibus animi ejus ac ſanctis deſideriis, eligeret; & ubi (niſi ex negligentia ſua & culpa amittat religioſus) magna tranquillitate & ſecuritate animæ datur frequentior ad Deum acceſſus. Poſt factam magna animi attentione ac deliberatione ſtatûs electionem, cùm naturâ ſuâ eſſet prudentiſſimus & amans mediocritatis, cupiduſque ſimul amplecti vitam apoſtolicam, in qua expeditus rebus temporalibus Deo ſe totus conſecrare poſſet, ac per dotes, ſibi ab eodem Domino conceſſas, utilem quoque ſe exhibere proximo, magnâ curâ & ſingulatim admodùm inquiſivit in Regulas, conſtitutiones, cærimonias & conſuetudines, quæ in qualibet Religione obſervantur. Uno circitèr anno, priuſquam Compluto diſcederet, eo ſe occupavit, multo conatu electionis iſtius ſucceſſum Domino ſemper commendans, animi quoque ſenſa ac deſideria communicans cum primariis aliquot viris religioſis, amicis ſuis intimis, magni ingenii ac prudentiæ hominibus, quorum monitis & conſiliis uteretur tamquam ducibus ad obtinendum ſucceſſum in deliberatione, cujus animæ ſuæ tantum intererat. F

26 Adhibita omni hujuſcemodi diligentiâ, intra vigeſimum nonum ac trigeſimum ætatis ſuæ an-

A. M. Salonio. *Ordini S. Augustini se mancipare statuit,*

annum, cùm ipsi Ordo sancti patris nostri Augustini valdè congruus videretur suis desideriis & propositis, tum quòd glorioſissimi hujus Doctoris Regula (quamvis tales sint omnes) tam sancta esset, tam rectè ordinata, tamque accommodata ad perfectionem euangelicam & vitam sanctorum Apostolorum, qui primi Ecclesiæ Religiosi extiterunt; tum quòd hujus Ordinis observantia in medio bene temperato consisteret; quippe nec adeo gravis aut rigida, ut viribus ejus impar esset, nec adeo libera aut dissoluta, ut esset imminutura ejus devotionem, illi se mancipare determinavit. Itaque certior factus insignis disciplinæ & & observantiæ religiosæ, quæ vigebat in domo sancti patris nostri Augustini Salmanticæ, relicta universitate Complutensi & re qualibet, ad quam in ea, vel in quacumque alia aspirare posset, Salmanticam perrexit, Ordinis nostri petiturus habitum.

& , conscio nemine cognatorum,

27 Proposiți hujus conscium vel participem fecit neminem consanguineorum, ne propriam quidem parentem, licèt amaret ac veneraretur plurimùm: quia, ut ipse in concionibus aiebat sæpiùs, rarò in rebus ad Dei obsequium pertinentibus bonum consilium dant amici secundùm carnem & sanguinem: sed contrà locis pluribus eos quoad res spirituales proponit sacra Scriptura ut consuetos & manifestos earumdem inimicos. Patuit abundè in hoc casu; quandoquidem mater hujus Dei Servi, quamquam tam bene Christiana, tam spiritualis ac devota mulier, ut primo capite dictum est, dum immutationem statûs, à Filio religiosum Ordinem amplectente factam, intellexit, ostenderit, molestè id ferre sese, & quærere proprium matris commodum *a*, ac renuntiari illi jusserit, volupe sibi fore admodùm, quoniam religionem amplecti volebat, faceret id in conventu Uclesiensi Ordinis S. Jacobi de Spatha *b*, quia illic sibi propiorem haberet, & ipse eam aliquoties inviseret. Hinc tutius fuit, quod fecit Dei Servus, opus vocationis suæ mandans exsecutioni, consulto consanguineorum nemine, & viam, ad quam ducebat Deus, ingressus, nemine conscio consilii.

habitum indait Salmanticæ.

28 Summam religioso admodùm isti conventui per adventum suum ac sanctum desiderium attulit voluptatem ob æstimationem & nomen insigne jàm Salmanticæ acquisitum, ut vidimus præcedente capite. Itaque cùm Priori & patribus illius domus præcipuis perspectum esset, repentinum ejus non esse propositum, sed bene deliberatum ac Domino commendatum, collectis conventûs suffragiis pro usu & consuetudine Ordinum religiosorum, habitum sacri Ordinis sancti patris nostri Augustini dedêre ipsi anno millesimo quingentesimo decimo sexto, mox post Primam *c* festo die præsentatæ in templo beatæ Mariæ Virginis. Quippe, qui à teneris huic sanctissimæ ac purissimæ Virgini fuerat devotissimus, eamque ut præcipuam patronam & advocatam elegerat, & per cujus manus tot gratias ac beneficia sibi à benedicto ejus Filio collata fuisse agnoscebat ac profitebatur, uti debebat, sperabatque conferenda deinceps, voluit Domino se offerre, ac ejus consecrare sacro in sancta religione obsequio, eo ipso die, quo festivè recolit Ecclesia lucem illam tam sanctam ac piam, quâ oblata fuit in templo Hierosolymitano Virgo clarissima.

Virtutes ejus

29 Tanta erat humilitas, devotio, obedientia, conversio ad Deum, & silentii observantia, quam Religiosus tenuit semper, seu novitius esset, seu votis obstrictus, ut mirabundi Prior ac patres monasterii, quamquam ipsimet pro majori parte pii admodùm essent, atque ipsa domus flos observantiæ, rubore suffunderentur, cernentes, quàm evidenter in sacra militia Tyro iste præcelleret. Virtutes autem, quas prioribus istis annis colebat præ ceteris, sibique comparare satagebat tamquam totius vitæ spiritualis solidissima fundamenta, eæ fuerunt: Prima (sicut referunt illius temporis patres seniores) oratio continua; altera, frequens & valdè attenta lectio librorum sanctorum ac piorum, Operum præsertim S. Bernardi, cui multùm devotus, & sicut ex concionibus & colloquiis deinde patuit, similis valdè fuit ingenio ac spiritu; tertia, solitudo & silentium adeo eximium, ut integro tyrocinii anno loquentem non viderint, nisi cùm interrogaretur, atque etiam tum paucis admodùm verbis responsum concludebat. Unde (sicut iidem seniores religiosi, & quicumque ipsum noverunt, memorant,) per totum vitæ decursum habitus ipsi remansit servandi strictè silentii, loquendi dumtaxat, ubi necesse erat, & adamandi solitudinem atque intra claustra cubiculi secessum.

præcipuæ in tyrocinio,

30 Quarta [virtus] erat (in quam multo studio incubuit) magna suæ voluntatis cum superiorum voluntate consensio. Ea virtus sedem sibi reperit aptissimam in benedicto Tyrone; quoniam indole sua erat humilis, candidus & corde purus. Conducit namque & sæpe juvat multùm indoles bona ad comparandas virtutes in statu, quem quis amplectitur, requisitas. Atque ita, quoniam Dei Servus naturâ suâ erat modestus, humilis, patiens, ac puro & sincero animo ornatus, mox propriæ voluntatis submissio & vera obedientia, virtutes scilicet, in quibus sita est pars præcipua & summa viri bene religiosi, illi adhæserunt & ingentes apud eumdem egerunt radices. Fulserunt illæ multùm in hoc benedicto Religioso. Quem enim Vir triginta annos natus, magna opinione ac fama artium magister & theologiæ licentiatus, vir, qui tanta cum laude atque applausu docuerat in tam insigni academia, qualis est Complutensis, quique philosophiæ cathedram Salmantinam, nemine obluctante, oblatam abnuerat, [quem, inquam, Vir talis] *d* non debuit peculiari ac ingenti percellere admiratione, dum visus est in omnibus humilitatis officiis, quibus probari & exerceri solent nostri Ordinis tyrones, tanta alacritate primas sibi partes vindicare, ut ceteros novitios pudore afficeret?

abstinentia & corporis castigatio.

31 Hanc aliasque sanctæ istius animæ virtutes comitabatur abstinentia continua & in victu temperantia; quippe non solùm jejunia Ordinis eodem rigore, quo quæ ab Ecclesia præscripta sunt, servabat; verùm etiam alia plura, quæ de gratia & facultate superioris pro sua devotione assumebat: usque adeo, ut è tribus anni partibus binas severo jejunio transigeret; ceteris, quibus non jejunabat, diebus idem, quod reliqui de conventu, comedebat, valdè tamen temperanter, majorem propositi cibi portionem pauperibus relinquens. Affligebat similiter corpus & rationi reddebat valde subditum, brevi somno, eoque ab omni commoditate valdè alieno, illud conterens, ac paucas horas quieti indulgens. Consuetus ei lectus erat culcita straminea cum duobus stragulis, tempore autem Adventûs & Quadragesimæ solæ tabulæ. Et quid hoc tantum est *e* comparatè ad id, quod pòst videbimus, ubi jam ætate gravior & archiepiscopus erat? Hæc fuere vitæ religiosæ rudimenta, & super hæc fundamenta tam amplum

A plum ſanctimoniæ ædificium exſtruxit, in iiſdem toto vitæ decurſu conſtans virtutibus, in iiſdemque ſe perficiens diebus ſingulis. In hiſce omnibus haudquaquam curabat Dei Servus oculos eorum, qui ſolicitè ejus opera obſervabant *f*: quia neque hoc, neque ullo vitæ ſuæ tempore, aliud intendebat umquam, quàm ut Domino Deo placeret; verumtamen probè admodùm perſpiciebant univerſi has aliaſque virtutes ejus & dona Spiritus ſancti, quæ tam peculiariter in omnibus ejus actionibus elucebant.

f

ANNOTATA.

a *Hiſp.* moſtrô diſguſto y interes de madre.

b Pennottus in Hiſtoria Ordinis Canonicorum Regularium lib. 2 cap. 31 hunc locum deſignat, ni fallar, verbis ſequentibus: In civitate & diœceſi Hiſpalenſi multa ſunt collegia Canonicorum Regularium S. Jacobi de Spata ſub D. Auguſtini Regula militantium. Primùm S. Jacobi in oppido, quod dicitur Ucles ſive Uncles. *Dein quinque alia recenſet*, quæ omnia præfato conventui de Ucles ſubduntur. Canonici verò dictorum locorum inſignia Ord. S. Jacobi in veſtimentis deferunt.

B

c *Id eſt, poſt decantatam primam ex minoribus Horis divini officii. Porrò de anno ac die, quo ſacrum habitum induit, dicta ſunt nonnulla in Comment. prævio num. 33 & ſeqq.*

d *Memineriт lector quotieſcumque occurrunt voces ad hunc modum uncis incluſæ, à me fuiſſe interjectas claritatis causâ; ſicut monui in Commentario prævio num. 126. Sanè nullibi moleſtior mihi fuit interpretatio, quàm hoc & ſequenti numero, ex quo mox dabo unum & alterum ſpecimen.*

e *Si fortè malè aſſecutus ſum hîc ſenſum auctoris, en tibi verba Hiſpanica:* Y que mucho, para lo, que acerca deſto veremos adelante ſiendo ya de edad y Arçobiſpo.

f *Neque hîc interpretationi meæ fido; verba Hiſpanica hæc ſunt:* Muy deſcuydado andava eſte Siervo de Dios en todo eſto de los ojos, que con cuydado le miravan a las manos.

C

CAPUT V.

Solemnem profeſſionem nuncupat; ſacerdotio initiatur; proficit in exercitio virtutis.

Solemni profeſſione emiſſa,

EXacto tyrocinii ac probationis anno, ſolemnem ſtatim juxta morem Ordinum religioſorum profeſſionem emiſit anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo feſta die glorioſæ virginis & martyris Catharinæ *a*. Hanc autem emiſit ingenti cum pietate ac lacrymarum profuſione præ gaudio ac ſolatio, quod iſto in actu percipiebat & experiebatur anima ejus, videntis ſe jam prorſus oblatam & Domino Deo conſecratam hoſtiam. Solemnibus votis adſtrictus nihil quidquam amiſit devotionis, attentionis ad res divinas, humilitatis & obedientiæ, quas coluerat probationis anno. Contrà exiſtimans (uti verè res eſt) quòd profeſſus ad majorem perfectionem, & in omnibus emendationem teneretur; cœpit majore conatu ad majus fratrum exemplum eas exercere omnes, acſi tum primùm viam iſtam ingrederetur.

a

A. M. SALONIO.

33 Clauſtri anguſtiæ, quæ novitiatûs anno in Ordine noſtro ſervantur, ſpatium non permiſerunt, ut, dum erat novitius, palàm faceret eam magnæ pietatis ac commiſerationis excellentiam, quam totâ vitâ tam propriam ſibi habuit & quaſi à natura inditam. At verò ubi facultas ei data eſt, prout datur profeſſis, ad perfectam ætatem provectis, viſitandi infirmos, inſerviendi ſenibus, & exercendi liberiùs miſericordiæ opera, hiſce omnibus, quantùm potuit, ſe addixit, præſertim infirmorum obſequio, cui, ſeu ſubditus eſſet ſeu ſuperior, plurimùm deditus fuit ſemper, ut memorant, quotquot eum noverunt. Quamvis autem nec ex officio valetudinarii cura ipſi incumberet, nec ex ſuperioris mandato ad eam obligaretur; ſolo tamen Spiritus ſancti interiore inſtinctu, & miſericordiæ affectu, quo dirigebatur ac movebatur ejus voluntas, inviſebat ægrotos communiter, cibum ipſis manu propria porrigebat, ſternebat lectum, ſordibus eos purgabat, amicè fovebat, &, quo poterat obſequio, proſequebatur.

mirabili caritate

E

34 Siquis ipſo indigeret ad obſequium qualecumque, ut ut abjectum & humile, mox ubi intellexerat, tanta caritate, celeritate & alacritate vultûs accurrebat, ut in fronte ejus facillimè adverti poſſet inhabitans ejus animam Dei Spiritus, moderanſque actiones iſtas omnes, & pietatis exercitia. Amicis ſuis perſuadere conabatur, ut in eadem miſericordiæ opera incumberent, tamquam in modum certiſſimum ad conciliandum ſibi Deum, & in ejus amore proficiendum. Atque per hanc pietatem ſuam uſque adeo carus ægrotantibus, ac deſideratus erat omnibus, ut, cùm ad valetudinarium accedentem cernerent vel audirent, intrare illuc angelum arbitrarentur, afferentem ſibi præſens *b* ſolatium ac ſalutem.

ægris inſervit.

b

35 Huic officio, recèns per vota ſolemnia Ordini noſtro adſtrictus, navabat operam, eidem haud illubenter navaturus ſemper. Sed, quoniam ad altiora Eccleſiæ ſuæ miniſteria & ad majoris momenti miſericordiæ opera elegerat ipſum Deus, conſtituit divina Providentia, ut ſuperiores attendentes ejus ætatem jam maturam, doctrinam ac eruditionem, qualem vidimus præcedente capite, pietatem & ſanctitatem tam manifeſtam, juſſerint eum ſtatim initiari ſacris Ordinibus, ut per [ſacroſancta] Sacrificia allaboraret communi Eccleſiæ bono, animarum ſolatio, proprioque ſuo profectui ac merito: atque ita poſt elapſum à votorum nuncupatione annum ſacerdos inauguratus eſt, habens annos ætatis triginta duos completos *c*.

Sacerdotio initiatus,

F

c

36 Primum Miſſæ ſacrificium fecit feſto ſanctiſſimæ Nativitatis Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſiſſimi partus Reginæ angelorum, quam à teneris annis tantopere amavit. Quanta pietate, quo ſpiritu & quot lacrymis primo iſto die Rem divinam peregerit, tum quia erant primitiæ operis ac miniſterii adeo ſublimis, quale eſt, in quo creatura tam vilis ac miſera, qualis eſt homo, manibus tenet ac divinorum vi verborum præſentem ſiſtit Regem gloriæ, coram quo contremiſcunt ſupremi cæleſtis hierarchiæ Seraphini; tum propter circumſtantias diei, pleni miſericordiarum erga homines, & incitamentorum ad devotionem

Primitias Deo offert feſto Nativitatis Domini,

A. M. Salonio.

ac teneritudinem, inde facillimè eruitur, quòd, quamdiu vixit, secundùm testimonia, data ab iis, qui ipsum dein cognoverunt, ejusque obsequio addicti fuerunt, in Mysteria hujusce festivitatis piissimè fuerit affectus: quippe affirmant ii omnes, fassum esse Dei Servum, quòd sacro isto die præcipui animæ suæ à divina manu concessi fuerint favores.

insignis erga hoc Mysterium

37 Magno propterea conatu ad ipsam sese præparabat semper ac disponebat: ita quidem, ut, non tantùm dum in religioso cœtu vivebat, verùm etiam dum jam archiepiscopatum tenebat, juxta ritum Ordinis nostri observaret sacrum adventantis Domini tempus [inchoando] à festo Sanctorum omnium, atque eodem rigore à cibis abstineret, quo bene Catholici, & in Dei timore constantes, ab iisdem abstinere solent tempore pii ac sancti quadraginta dierum jejunii. Cùm advenisset piissimæ hujus festivitatis dies, in duabus prioribus Missis (prout iidem referunt) recitans [hymnum] Gloria in excelsis Deo, ea sacra nocte per angelos decantatum, & utriusque Euangelium, complectens glorioſissimum cælorum Reginæ partum, adventumque ac adorationem
B fortunatissimorum pastorum; verba item ista Præfationis: Quia per incarnati Verbi mysterium, tanto concitabatur interiùs affectu, tantam profundebat lacrymarum vim, ut, cohibere eas nequiens, non exiguo temporis spatio desistere cogeretur, imò aliquoties sensibus alienatus, corpore immotus, animoque in Deum raptus persisteret.

devotio
d
e
f
g

38 Equidem paulò post ejus obitum audivi ex P. F. Jacobo Montiel *d*, qui ei fuit à sacris confessionibus, P. F. Joanne Sierra, qui pòst fuit episcopus Bosensis *e*, binis domûs beatæ Mariæ de Succursu *f* viris religiosis, ac dein ex magistro Joanne Porta boni admodùm exempli sacerdotis *g*, qui apud ipsum visitatoris munere functus est, quod, dum duas illas Missas celebrabat, ex claritate ac splendore, quem venerabilis ejus facies projiciebat, optimè detegeretur, quid anima ejus intus sentiret, quidve Deus cum ipsa communicaret. Duo ista sancta Sacrificia peragebat Archiepiscopus in sacello domestico, coram uno dumtaxat aut altero è familiarioribus, quos jam nominavi. Solemne [Sacrum] primis annis publicè dicebat in ecclesia sua, comprimens tum temporis & operiens, quantùm poterat, jam dictos animæ motus & affectiones. Evitabat quippe semper studiosè, ne perciperentur ac propalarentur peculiares, quos à divina manu obtinebat, favores. Sed annis dein sequentibus, quia ne in solemni quidem Sacro id, quod sentiebat anima recitantis Gloria in excelsis Deo, & verba illa Præfationis: Quia per incarnati Verbi mysterium &c., ita occultare valebat, quin adverteretur clarè à ministris, & ab iis, qui ipsi assistebant ad aras, à publica Rei divinæ celebratione abstinuit, ac trinum Sacrificium in sacello domestico perfecit, præsente uno aut altero tantùm è supra dictis familiaribus.

divinis favoribus compensatur.

39 Quantum verò gaudii perciperet anima Servi Dei in ista festivitate, quidve persentisceret ejus spiritus ex mirabilibus ac piissimis illius noctis sanctissimæ mysteriis, optimè manifestant sermones, quos super hoc solemni die nobis reliquit. Licèt enim in omnibus, qui à sancto Antistite [conscripti] hactenus in lucem prodierunt, clarissimè dignoscantur animæ ac spiritus ejus dotes, in [sermonibus] tamen nati Redemptoris nostri notabilis elucet pietas & teneri amoris sensus. Ita fatentur, quotquot hos perlegerunt, asseruntque vix sine lacrymis posse perlegi. Hisce apertè demonstrat, quàm verus exstiterit sancti Bernardi Discipulus, quámque insignem progressum fecerit in lectionibus, quas anno tyrocinii ex piissimo illo doctore desumpsit: quoniam ambo tam piè senserint, & eo spiritûs fervore scripserint de Christi Redemptoris nostri nativitate ac benedictæ Matris ejus glorioso partu. Eodem pietatis sensu & fervore spiritûs recolebat semper festum hunc diem ac Missas ejusdem sacræ festivitatis peragebat sanctus Antistes, quod certissimum est testimonium ejus [pietatis ac fervoris] quem sensit, dum eodem die primùm fungi cœpit sacerdotis officio, & qui diebus singulis in ipso, ut vero Dei Servo, auctus & perfectus est semper. D

Cura animæ à suscepto sacerdotio,

40 Magna fuerat semper, ut vidimus, animi ejus in Deum conversio; at postquam se sacerdotem conspexit, ac die quolibet ad mensam Domini sui invitatum, tanta fuit, ut esset admirationi. A tempore, quo scholas frequentabat, mos ipsi erat, quotidie examinare animum & in judicium vocare ante tribunal propriæ conscientiæ, exploraturus, quem eo die fecerat progressum. Idem exercitium continuavit professus vitam religiosam, at majore cura ac rigidiore inquisitione factus sacerdos. Aiebat quippe sæpius. " Sa-
„cerdos, qui, quotidie Rem divinam faciens,
„se meliorem & indies perfectiorem non experi-
„tur, haud bono in statu est, malum indicium
[est illi.] „ In hujusce confirmationem adducebat doctrinam sancti Bernardi: "In via Domi-
„ni *h* non progredi, regredi est. „ Itaque quotidianum istud conscientiæ examen magna eum solicitudine adhibebat ipse, & tamquam magni momenti ac multæ utilitatis exercitium animæ, profectum suum desideranti, valdè suadebat commendabatque. Hac via consuetudinem duxit, nullam amittendi totius diei partem, nec tempus ullum, quod non esset impensum seu proprio seu proximi cujusdam bono. E

h

fuga otii,

41 Numquam vel ipse alterius vel alter ipsius cellam introibat, nisi cogente fraterno amore: quæ autem paucis pertractari atque ad cellæ ostium expediri poterant, stans istic conficiebat; dimittebat eum, qui alloquium petierat, moxque ad consuetam revertebatur solitudinem, quâ tantopere delectabatur. Notissimum id erat per universam provinciam Castellanam, estque etiam hodie inter viros religiosos, per relationem seu traditionem, acceptam ab aliquot illius temporis senioribus; numquam [scilicet] visum fuisse P. F. Thomam, sive otio vacantem, sive cum aliis fratribus sermones conferentem, sed semper vel occupatum in sacro aliquo opere caritatis, vel cellâ inclusum. Aversabatur religiosum, quem otiosum conspiciebat, vagantemque per ædes, aut tempus terentem sine fructu. Huic ut remedium afferret, studebat diligenter, impediebatque, dum præerat; &, dum subditus erat, fraternè reprehendebat, vaticinans fore, ut pessum iret, qui vitium istud non corrigeret. F

amor erga omnes, reverentia in superiores.

42 Magna animi sinceritate diligebat omnes in Domino, honorabat omnes, præsertim sacerdotes: si cui dissidium esset cum fratre, dolebat ipse vehementer, moxque, ut Angelus pacis, conabatur animos componere & ad veram ac religiosam reducere amicitiam. Reverebatur summopere superiores suos, existimans, se in eorum quolibet præsentem habere verum animarum præsidem ac moderatorem, Dominum nostrum Je-

sum

A sum Christum. Licèt autem in omnes sese extenderet ejus caritas & amor; non omnibus tamen sua consilia patefaciebat, aut præbebat sese familiarem, sed seceſsûs [dumtaxat] & rerum cælestium studiosissimis; nec his etiam omnibus, sed paucis ac magis congruis indoli & conditioni suæ.

ANNOTATA.

a *In Comment. prævio ista discussa sunt num.* 35: *operæ pretium tamen fuerit addidisse pauca verba Coccini pag.* 604: Circa autem obedientiam venerabilis Viri primò dicendum est, eum solemniter vovisse obedientiam die XXV Novembris MDXVII secundùm Regulam S. Augustini, ut in instrumento suæ professionis in processu Castellæ.

b *Hisp.* en las mangas, in manicis.

c *Vide Comment. prævium num.* 35.

d *De eo videri potest Herrera in Alphabeto Augustiniano pag.* 482. *tom.* 1

e *De Joanne Serra idem agit Herrera ibid. pag.* 443. Bosa *autem urbs est episcopalis Sardiniæ sub archiepiscopatu Turritano, seu Sassarensi.*

f *Vulgò* casa de nuestra Señora del Soccorro: B *Situm est monasterium istud Ordinis S. Augustini extra muros civitatis Valentinæ.* Dives est hujus templum devota Deiparæ imagine & piis B. Thomæ Villanovani, archiepiscopi Valentini, pignoribus. *Hæc Herrera tom.* 2 *pag.* 551. *Sed de his plura per decursum.*

g *Hisp.* Clerigo, *quæ vox designat tum sacerdotem, tum eum, qui inferioribus Ordinibus initiatus est. Ego deinceps ad evitandum errorem eam Latinè per vocem* clericus *exposui passim, puta, ubi ex adjunctis non patebat evidenter indicari sacerdotem.*

h *S. Bernardus serm.* 2 *in Purificatione B. Mariæ habet:* In via Vitæ *&c.*

CAPUT VI.

Docet Theologiam, pro concione dicit mirabili doctrinâ, efficaciâ & fructu.

OPtâsset quidem Dei Servus iis in exercitiis, C quæ præcedente capite retulimus, latêre diu, imò toto vitæ tempore; frequentando chorum, Sacrum indies ea præparatione, devotione & animi tranquillitate celebrando, serviendo infirmis, sese in cella sua abdendo; quoniam perspiciebat, quantum hâc viâ anima sua referebat utilitatis. At verò cùm vocatus esset ad res altiores majoris exempli & proximorum boni, voluit Dominus, ut mox à suscepto sacerdotio ad rem litterariam in sacra familia applicaretur, atque uti animi dotibus inciperet. Demandatum est itaque ipsi theologiæ scholasticæ docendæ munus in eodem Salmanticensi sancti patris nostri conventu.

Mandato superiorum in conventu suo

44 Mandatum hoc, ut vir bene religiosus, cujus voluntas superioribus submissa erat, statim magna humilitate & animi alacritate suscepit, idemque exsecutioni mandans, religiosis domus suæ, ac multis aliis, ex universitate accurrentibus litterarum studiosis, prælegit Magistrum sententiarum, sequens semper & in explanationibus suis amplectens doctrinam S. Thomæ, quam professus est constanter, magnoque affectu ac devotione prosecutus est Vir sanctus tum propter eximii illius doctoris insignem sanctitatem, eruditionem & ingenii perspicuitatem, quódque etiam suo nomine ad id invitaretur, tum etiam quòd se filium novisset præclari ac radiantis doctorum luminis, sancti patris nostri Augustini, cujus doctrinæ, sententiis, argumentis, principiis & ratiociniis usque adeo adhæsit atque instituit S. Thomas, ut cuivis, eum attentè consideranti, non alius videatur, quàm discipulus S. Augustini, repetens prælectiones à magistro acceptas.

docet theologiam

A. M. SALONIO.

45 Et quamvis munus istud facesseret ipsi multum negotii; quia ipsius prælectio valdè erudita erat & docta, atque æstimabatur plurimùm, non idcirco prætermittebat, iisdem, quibus antè, aplicare sese pietatis ac misericordiæ exercitiis, visitando ægros, iisque inserviendo; iisdem, quibus dum non docebat, horis orationi vacando; securus, quòd tempus, talibus operibus impensum, nihil studiis suis detrimenti esset allaturum. Laborabat plurimùm, ut auditores suos in theologia perficeret, at multò magis ut pietate & exemplo in Dei cultu [proveheret] continuò ipsis inculcans, ut litteras cum timore Domini conjungerent, utpote quæ janua est ad veram sapientiam. Judicârunt autem superiores, non sola scientias docendi facultate circumscribi Servi E Dei dotes, sed earumdem vires atque amplitudinem extendi etiam ad instruendas è suggestu animas; quapropter cùm annum ætatis haberet trigesimum quartum *a*, ab emissa solemni professione *a* tertium dumtaxat, & secundum post prælectam theologiam, concionandi munus ipsi impositum. Obtemperans præpositorum imperio, cœpit conciones instituere in templo conventus sui non alio intuitu, aliave ratione ductus magis, quàm ut prælatorum arbitrio ac voluntati se subjiceret (quam dum sequebatur, Dei voluntatem exsequi se noverat) & proximorum saluti, cujus anima sua tanto flagrabat desiderio.

nec idcirco alia pietatis opera negligit;

46 Quoniam verò gradus, per quos in suggestum ascendit Euangelii Præco, fuerunt simplex obedientia præpositorum mandatis, ac cælestе & apostolicum desiderium provehendi, quantùm posset, fructum animarum, omnia in unum hunc finem dirigens, ut Deo serviret, & hoc servitio placeret atque ejusdem gloriam promoveret, simul ac verba facere instituit, mox palàm ostendit egregias illas dotes, cælestemque ingenii facultatem, sibi ad hoc munus à Domino concessas. Prodigio simile est, & verè naturæ vim exsuperans, quod memorant de divino isto Oratore, quicumque sermones ejus illo tempore audierunt & frequentârunt; id præsertim, quod testatur dominus Joannes Mugnatonius episcopus in allegata superiùs Vitæ sancti Præsulis enarratione *b*. Tanto quippe mentis fervore, tanta sanctitatis significatione, tantoque animarum salutis studio, verba facere cœpisse ait, ut intra paucos dies & ab ipsis sermonum primordiis P. F. Thomæ nomen, & excellentis ingenii ac doctrinæ fama per universam Salmanticensem civitatem perferretur ac disseminaretur ea admiratione, eo omnium stupore, acsi ad vitam suscitatus esset sanctorum Apostolorum aliquis, missusve à Domino & novissimè è cælo lapsus angelus ad prædicandum Dei verbum; tantopere quidem rem hanc ille æstimabat.

in templo Ordinis sui concionari jussus

b

47 Vox toti civitati communis pervenit ad aures viri religiosissimi, eximii theologi, atque excellentissimi concionatoris, cujus nomen illa tempestate tam celebre erat per universam Hispaniam, P. F. Joannis Hurtado, ex Ordine sancti patris Dominici, qui ob religiosam virtutem & scien-

doctrinâ ac fervore suo

A. M. Salonio.

tiam, atque insignes animi dotes, Carolo quinto cæsari expositas à magistro suo Adriano Cardinale, postea Pontifice Maximo ejus nominis sexto, designatus fuit à cæsarea majestate ad archiepiscopatum Toletanum, quem tamen acceptare noluit, rogavitque per amorem Dei, ne id cuiquam patefieret. Is itaque vir tam religiosæ sanctitatis ac veræ humilitatis permotus admiratione eorum, quæ de P. F. Thomæ sermonibus narrabantur ab omnibus tam à laïcis & indoctis, quàm à viris litteratis & eruditis, quorum hac in re prævalet suffragium, statuit ipsum audire aliquando, experturus, an ita esset, uti referebatur.

animos pervellit;

48 Audivit revera perattentè, ac finita concione, obstupefactus & quasi extra se raptus, quòd (sicut asseruit ipse) audivisset doctrinam, non libris inscriptam, sed è cælo missam, acceptamque ad pedes Jesu Christi; [vidisseque] euangelicam, quâ vitia infectabatur, libertatem, fervorem ac vim efficacem, quâ incitabat ad virtutem, divinæ gloriæ & salutis animarum studium, quo evidenter intima ejus incendebantur viscera, alta voce exclamavit, audientibus omnibus, qui aderant: "Gloria sit & laus Domino Deo nostro
B „sempiterna, qui tam egregium Euangelii sui Mi„nistrum, tamque idoneum in vineam suam Ope„rarium mittere, & nostris temporibus notum „facere dignatus est! Multum erat certè, quod de „Patre isto prædicabatur, & mihi quidem mul„tum apparebat, at semota omni comparatione „plurimùm exsuperat, quod oculis ipse meis vi„di hodie."

in æde primaria Salmanticensi per Quadragesimam
c

49 Brevi pòst tempore, anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, quando pars major Hispaniæ cum populis Castellæ tantopere perturbata fuit *c*, postulantibus ac rogantibus Salmanticensis capituli primoribus, per Quadragesimam conciones habuit in templo civitatis principe. Moris erat id temporis, ut per Quadragesimam cum Euangelio assumeretur pro concione psalmus aliquis, aut utilis quædam materia; assumpsit ipse ea vice psalmum: "In exitu Israël de Ægypto „&c„. tantâ auditorum frequentiâ & concursu, ut non modò ecclesia sed etiam ipsa compita non sufficerent capiendo numero hominum, qui doctrinæ ejus avidi ad audiendum accurrebant. Primo
C mane aderant ad occupandum locum in ecclesia, negotia negligebant & opera peragenda omittebant præ insatiabili gustu percipiendi ex ejus ore verbi Dei. Alterum Eliam vocitabant ipsum, de quo
d ait sacra Scriptura, quòd doctrina ejus esset ignis, & verba ipsius instar faculæ ardentia *d*.

dicens, omne hominum genus

50 Nemo hominum audiebat ipsum, quin immutaretur, inflammaretur, accenderetur que divino amore. Redibant ab ejus sermonibus quasi attoniti, intuentes invicem ac stupore perculsi, cùm perspexissent dexteritatem ejus in instruendo, in persuadendo efficaciam, in dicendo affluentiam illam sermonis, non aridi ac inanis, & qui ventis profunditur dumtaxat, sed locupletis, spiritu ac doctrinâ referti, fervidi, animatique virtute cælesti, quo modò terrorem incutiebat, modò afferebat solatium, modò ad sincerum scelerum dolorem & ad lacrymas, modò ad fiduciam & ad gaudium internum permovebat, exurens audientium corda, durissima emolliens pectora, atque omnes in iis effectus obtinens, quos sacræ Litteræ docent esse verbo Dei maximè proprios, quando is, qui annuntiat, fidelis ejus servus est, verusque Spiritus sancti minister, qualis erat divinus hic Orator. Totum hoc quoad substantiam *e* dicit illic
e Mugnatonius episcopus.

51 Tanto (inquit etiam) per ejus doctrinam devotionis æstu flagrabat universa Salmantica, ut verè hac in civitate reluxisse videretur tempus sanctorum Apostolorum. Quoniam non tantùm virtutis, bonarum affectionum morumque integritatis studiosi, verùm etiam divites ac potentes, apud quos divitiarum & curarum spinæ suffocare solent verbi Dei semen, imò etiam voluptatibus ac deliciis dediti, quibus valdè proprium est vitam sequi deviam ac dissolutam, ex ejus concionibus fructum referebant. Quin & vulgus ac plebs infima, quæ pauca percipit, & audita mox oblivioni tradit, per doctrinam, monita ac reprehensiones apostolici Oratoris, ad hujus civitatis omniumque, qui dein cælesti ejus doctrina fruiti sunt, utilitatem à Deo destinati, in viam reducta est, atque immutata adeo in suis actionibus ac moribus, ut, qui viderunt, nominatim suprà memoratus Mugnatonius, à quo desumptum est quidquid ferè hoc capite continetur, affirment (non exaggerando, sed quia res ita est) quòd quicumque ea tempestate Salmanticam considerâsset, minimè judicaturus fuisset, dicturusve civitatem esse secularibus incolis constantem, sed mo-
E nasterium & conventum hominum religiosorum vitæ admodùm emendatæ.

D
ad virtutem allicit,

& ut plures valedicam

52 Usque adeo benedicti Patris sacræ orationes affecerunt præsertim studiorum alumnos hujus præclaræ universitatis, ut ex his multi mirum in modum cogitationes & affectus suos immutantes, tam seriò desideria sua aliò convertere, & à vitæ præsentis voluptatibus, in juventute tantopere desideratis atque expetitis, abhorrere cœperint, & æternis verisque inhiare, ut corpore ac mente se seculo subtrahentes, statum religiosum amplexi sint. Ea ratione tam multos in viam istam deduxit Dominus, ut non tantùm Salmanticensis civitatis monasteria novitiis repleta sint, sed quia in illis locus non superarat tot aliis mundo quotidie valedicentibus ac postulantibus habitum, necesse fuerit mittere eos ad aliorum oppidorum ac locorum cœnobia. Atque ita per sacras conciones P. F. Thomæ viris doctis & præstantibus sufficienter instruebantur omnes regni Castellæ religiosi Ordines.

mundo, auctor est.

53 Totum hoc enarrat idem dominus Joannes Mugnatonius, ut testis oculatus, ipsum enim magno studio, ne una quidem prætermissa
F concione omnium, quas habuit tum Salmanticæ Dei Servus, dicentem audivit, & ipse eorum unus fuit, qui, verborum ejus efficaciâ permoti, mundum, & quidquid in eo possidere poterant, deseruerunt: nostri autem Ordinis habitum induit, in eoque tam religiosè vixit, insigni insuper doctrina præditus, ut regiæ Catholicæ majestati Philippo secundo visum fuerit, designare eum præceptorem filio suo Carolo principi, ac deinde antistitem Segobricensem. Eâdem viâ placuit Domino Deo vocare atque ad Ordinem nostrum perducere id temporis viros alios multos ac præstantes, qui illum deinde ingenti pietate sua ac litteris illustrârunt, quod referam inferiùs.

ANNOTATA.

a *Ab initio anni* 1488, *quo juxta ipsum Salonium natus est Sanctus, usque ad annum* 1517, *quo solemniter professus est mense Novembri, non nisi anni triginta numerantur; triennium itaque hic designatum paulò latiùs sumendum, si, dum concionandi munus suscepit, habuerit Sanctus ætatis annum* 34.

A b *Quantis laudibus proſequatur Mugnatonius* S. Thomæ *dicendi dexteritatem & fervorem, vidimus apud ipſum num.* 5 *& ſeqq.*

c *Horum tumultuum hiſtoriam videſis apud Sandovallium in Vita Caroli V imperatoris part.* 1 *Lib.* 5 § 1 *& ſeqq.; ubi inchoatos ait anno* 1519 *ac continuatos ad* 1522. *Sed vide etiam Annotata ad Mugnatonium lit.* n, *ubi obſervavi, veriſimiliùs à Sancto habitas fuiſſe conciones in Quadrageſima ante annum* 1522.

d *Textus ſacræ Scripturæ hic eſt Eccleſiaſtici* 48 ℣ 1 : Surrexit Elias propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.

e *Hiſp.* en ſententia, *quod ita exponendum cenſui, quia licèt allegatus epiſcopus plurimùm commendet* S. Thomæ *conciones harumque fructum, longè tamen paucioribus verbis id exſequitur, ut conſulenti patebit.*

CAPUT VII.

Virtutes in Verbi Dei præcone requiſitas docet alios & exercet ipſe; Carolo V imperatori à concionibus eligitur.

B

Ob frequentem concionandi laborem nihil

SOlent nonnumquam divini verbi præcones (ii præſertim, qui inſignem æſtimationem & nominis famam [adepti] auditorum deſiderio & concurſu ad frequentes conciones habendas adiguntur) ob laborem magnum huic muneri annexum, aliquantum remittere ex rigore & aſperitate vitæ anteactæ, utque utilitatem ac fructum afferant animabus, aliqualem quietis ſuæ & interioris ſeceſſus jacturam percipere; quamvis reipſa nulla jactura percipiatur, quoniam per id omne Domino ſervitur & exercetur caritas Chriſtiana. At verò bonus P. D. Thomas neque ob concionandi laborem, neque ob multitudinem (qualis erat) hominum, accurrentium ad ejus in negotiis conſilium atque in ſuis calamitatibus ſolatium, (namque ad omnia Dominus Deus eum ornaverat prudentiâ & dexteritate) remittebat quidquam ex jejuniis & abſtinentia, aut vel minimam jacturam faciebat ſeu interioris ſeceſſus, ſeu temporis, quod die quolibet orationi deſtinaverat: tam aſper erat in corpus quàm antè, tam converſus animo ad cæleſtia, tam aſſiduus quibuſcumque antè uſitatis exercitiis.

C

remittit ab exercitio pietatis.

55 Nec quidquam amplius ſanctæ ejus humilitati, modeſtiæ, integritati adimebat tam numeroſus auditorum, qui ipſum ſequebantur, cætus, concurſus & applauſus, aut, quam de ejus perſona ac doctrina habebant omnes, exiſtimatio. Contrà quò magis audiebatur, amabatur atque honorabatur ab univerſis, eò erat magis candidus apud omnes, magis humilis ac modeſtus, idque abſque ulla fucatæ virtutis fictione; ſed ita, ut facilè appareret, quàm purum ac ſincerum geſtaret animum. Per bonum hoc vitæ exemplum conciliabat ſibi deſiderium illud ac ſtudium, quo audiebatur; per auſteritatem, quâ tractabat carnem, brevi ſomno multâque abſtinentiâ ipſam affligens, comparabat ſibi vim & efficaciam, quâ dicebat ad populum; & ſanè refert benedictus P. F. Alphonſus de Horoſco *a*, verba vocemque patris Thomæ fuiſſe inſtar cultelli, tranſverberantis cor & animam auditorum; per frequentem verò & aſſiduam orationem divinum illum acquirebat ſpiritum & ferventiſſimos affectus, quibus tamquam ſagittis ardentibus penetrabat viſcera & pectus audientium.

A. M. Salonio. *a*

Virtutes in concionatore requiſitas docet alios,

56 Nonnulli è familiaribus cernentes eum tam inſignem, auditorum frequentiâ tam celebrem, tantoque cum fructu verbi Dei præconem, interpellârunt, quibus auctoribus ſeu libris uteretur, & quinam ad munus iſtud eſſent maximè idonei. Omnes, repoſuit ille, libri, quos tamquam Catholicos approbat Eccleſia, boni ſunt, atque in hiſce omnibus reperiet orator, unde fructum percipiat, ſi modò tria habeat; ſanctitatem vitæ, humilem orationem, & verum ardorem deſideriumque divinæ gloriæ ac ſalutis animarum. Vitæ enim exemplum & ſanctitas auctoritatem ei conciliabit apud auditores, in humili oratione inſtruetur anima ipſius, illuminabitur intellectus, incendetur affectus: hîc procuduntur ſagittæ, quibus ferienda ac transfigenda ſunt corda; ardor verò divinæ gloriæ & ſalutis animarum mentem inflammabit, dabitque verbis robur & efficaciam. Solum ſtudium abſque oratione & flagranti zelo intellectum quidem magnis ſubtilitatibus & ſententiarum copiâ turgidum facit; ſed voluntatem concionatoris aridam relinquit & pectus frigidum; è pectore autem frigido (hanc vocem edebat ac repetebat ſæpiùs) quo pacto verba ardentia produci queant?

E

& exercet ipſe,

57 Eæ erant dotes præcipuæ, quæ ſermones ejus comitabantur: vita adeo religioſa ac tanti exempli in omni genere virtutis & ſanctitatis, ut in operibus ejus probè perſpici poſſet, quod verbis prædicabat; fervens caritas & ardentiſſimum deſiderium divinæ gloriæ ac ſalutis animarum, conjuncta cum inſigni prudentia ac profundiſſima humilitate, virtutibus Euangelico præconi adeo neceſſariis; oratio tam aſſidua, ut, quemadmodum referebat inſignis ille Dei ſervus, ſancti Antiſtitis viſitator, magiſter Joannes Porta, talem ex frequenti ejus uſu habitum contraxerit, ut deinde, etiam cùm eſſet archiepiſcopus, in mediis negotiis agens cum iis, qui ad eum accedebant, auſcultaret & aptè reſponderet ad ea, quæ debebat, atque unà oraret & corde loqueretur cum Deo. Clariſſimum eſt autem ac certiſſimum, quòd veri hujus novæ Legis Miniſtri ſermo, talibus ſuffultus præſidiis, non potuerit non ferre fructum inſignem, ubicumque inſtituebatur. Idque etiam patuit in omnibus populis, apud quos ſparſit ſemen Euangelii, Burgis præſertim, Valliſoleti ac Salmanticæ, quibus in locis plurimùm commoratus eſt & conciones habuit. In ſingulis autem ſtudio inſolito adhærebant ei omnes, populus omnis ad ipſum rapiebatur, interrogabant invicem ſolicitè, ubinam eſſet verba facturus, eò maturè ad illum audiendum properabant; templum verò aut monaſterium, quò [ad prædicandum] ſe conferebat, feliciſſimum reputabatur.

F

fructumque ingentem,

58 Non tantùm omnis ſtatus & conditionis laïci, verùm etiam cujuſlibet Ordinis religioſi, ipſique magiſtri ac concionatores ſacri eo die, quo ad populum dicebat P. F. Thomas, concionem omittebant, pergebantque ad ipſum audiendum, experti fructum & utilitatem, quam ex ejus doctrina referebant. Ad quamcumque civitatem ſeu populum ſe conferret, res erat notatu digna effectus ille tam clarus & manifeſtus, quem dum prædicabat Dei Servus, ſortiebantur ejus ſermones. Mox enim cernebantur peccatores inſignes

&

A. M. Salonio.

& exemplo ſuo pernicioſi ad frugem converti; publica & cujuſlibet conditionis hominum tolli vitia, exſtingui inimicitiæ & inveteratæ ſimultates; mercatores periculoſæ negotiationi addicti errorem ſuum dedoceri, perque ejus doctrinam metu perculſi, immutare negotiandi modum, remittere & reſtituere multa, ut conſcientiæ ſecuritatem conciliarent; perſonæ nobiles & illuſtres publicè vitam emendare, deambulationes, ludos, ornatum & rerum caducarum [affectum] *b* permutare cum receſſu, modeſtia, eleëmoſynis, oratione & frequenti Sacramentorum uſu.

b

non orationis ornatu,

59 Dictionis ornatum non quærebat in concionibus, nec curabat, ut ſermo eſſet valdè elegans & comptus, ſed ut purus eſſet & aptus ac præ ceteris, ut verba ſua eſſent ſolida, pia, plena ſpiritu & efficaciâ ad permovendos auditorum animos; non ut vanis admirationibus ac laudibus celebrarent orationem ejus, ſed ut de Deo ejuſque operibus ſentirent, quemadmodùm animo Chriſtiano neceſſe eſt; ut dolerent peccata ſua, ac ſeriò ſtuderent morum emendationi. Tales erant ſermones omnes divini hujus Oratoris. Atque ita accidebat ſæpenumero, ut, abſoluta concione, multi, preſſi intùs ægritudine, illinc abirent mox ſacra confeſſione expiaturi ſcelera, utque proſtrati ad pedes ſacerdotis ea eloqui non poſſent præ gravi triſtitia ac mœrore, corda eorum penetrante, ac divina voluntate eis immiſſo per verba P. F. Thomæ, uſque adeo, ut ex lacrymarum abundantia vix profari poſſent.

B

ſed efficaciâ verborum conſequitur.

60 Ex concionibus beati Patris, atque ex iis, quæ evidenter per illas operabatur Dominus Deus, planè compertum eſt, quàm certum ſit Prophetæ effatum de verbo Dei, quòd [ſcilicet] cordibus duris, pertinacibus & obſtinatis tamquam malleus ſit ſeu marra ferrea, conterens duras petras *c*: Atque hoc, quod de eodem ait Apoſtolus ſcribens ad Hebræos *d*: "Vivus eſt enim „ ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni „ gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſio„ nem animæ ac ſpiritûs, compagum quoque ac „ medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis„. Hujuſmodi autem erat P. F. Thomæ ſermo. Propterea non vulgus dumtaxat ſed & viri docti & perſonæ graves Apoſtolum nuncupabant, alii ſacrum primitivæ Eccleſiæ Oratorem, alii Angelum è cælo miſſum pro ſalute animarum, qui virtute divina moveret, dirigeret, atque ad ſeſe raperet corda. Factum eſt ſæpiùs, ut in uno loco ſermonem abſolvens, concionem indiceret in alterum, &, qui minùs rectè ipſum perceperant, concitatis ac rogantibus, quem in locum indixiſſet concionem pro eximia ſua humilitate ac modeſtia reponebat: Opus non eſt vos iſtuc pergere; nam quæ jam audîſtis hîc, illic etiam dicturus ſum; ſequebatur eum nihilominus turba omnis, atque illuc accurrebant univerſi ſummo deſiderio, & extraordinario ejus audiendi ardore.

c

d

C

Carolus V imp. eum ſibi a concionibus eligit

61 Pervolavit paucos intra annos fama ejus Caſtellæ regnum adeo, ut, cùm ad aures perveniſſet Caroli quinti imperatoris glorioſæ memoriæ, & clariſſimæ ac religioſiſſimæ conjugis ejus imperatricis, eum aliquando audire voluerint. In prima autem, cui interfuerunt, concione, tanta ſuavitate perfuſi fuerunt eorum animi, tot ſpiritus ſancti in bono Patre collocata dona & gratias agnoverunt, eo ſtudio erga ejus doctrinam affecti ſunt, eamque conceperunt de ejus pietate, fervore ac zelo animarum exiſtimationem, ut mox ad ejus præpoſitum provincialem litteras deſtinari juſſerint, quibus [ſignificabant] ſe illum velle ac denominare concionatorem, cupereque, ut pro ſpirituali conſolatione & voluptate animarum ſuarum plerumque degeret Valliſoleti.

D

& aſſiduus audit;

62 Dicentem exceperunt penè ſemper, tum per aliquot quadraginta dierum jejunia, quibus conciones habuit, tum præcipuis per annum diebus Dominicis & feſtis, profitentes ambo, quòd ex ejus ſermonibus ingentem animarum ſuarum utilitatem referrent, ac per verba ejus, quotieſcumque audiebant, illuminarentur & incenderentur divino amore. Id ipſum palàm fatebantur præſules, ac viri illuſtres & quotquot in aula verſabantur, frequentantes ipſius conciones inſolito & numquam viſo ſtudio. Adeo ut numquam è ſuggeſto diceret, quin convenirent ac [inter auditores] cernerentur plures epiſcopi, viri honorum titulis illuſtres *, ſenatores penè omnes & ejuſdem aulæ homines primarii ac nobiliſſimi; non, ut quandoque accidit, vi multitudinis abrepti, ſed ſolo lucro alliciti & fructu ingenti, quem, illum audientes, in animis ſuis experiebantur.

** Hiſp.* titulares

E

dicit etiam coram rege Luſitaniæ.

63 Fertur idem imperator, quoties commoratus eſt Valliſoleti, ubi habebat aulam, vix umquam abfuiſſe ab ejus concione, ac præcepiſſe facellanis ſuis, ut, quandocumque erat verba facturus, indicarent illi, ubinam id eſſet futurum; cùm non eſſet concio in facello regio, & quandoque cùm non luberet prodire in publicum, occultè auditurus acceſſit; quoniam rarò prætermiſit ejus concionem. Factum eſt etiam, ut, degente Valliſoleti P. F. Thoma, & extra Hiſpaniam verſante cæſare, Joannes rex Luſitaniæ, cui ob Chriſtianæ pietatis excellentiam & exemplum nomen Sancti inditum eſt, auditâ doctrinæ ejus & fervoris famâ, rogaverit provinciæ Caſtellanæ præſidem, ut eum ad aliquod temporis ſpatium ſibi mitteret, deſideranti audire ipſum, atque unà doctrinæ ejus fructum experiri. Conceſſit iſtuc, jubente obedientia, P. F. Thomas aliquot conciones habiturus. Ejus autem diſceſſus & abſentia tanto animi ſenſu ac mœrore confecit Valliſoletanos omnes ſummos & infimos, imò aulam univerſam, ut convenerint magiſtratus, & conjunctim adierint imperatricem, ſupplicantes, ut dignaretur ſua majeſtas apud Luſitaniæ regem, fratrem ſuum, agere de remittendo ad ſeſe P. F. Thoma; quoniam, ipſo abſente, ſe perditos arbitrabantur.

F

Mugnatonii de ejus concionibus teſtimonium.

64 Mugnatonius epiſcopus in citata ſuperiùs brevi narratione ſua de patris Thomæ ſanctitate ac doctrinæ [ita ait:] "Illud *e* etiam miraculi loco „ mihi eſſe videtur, quòd in univerſum ex omni „ hominum ordine, ex omni ſtatu & conditione, „ ſpiritu quodam, quaſi œſtro, perciti homines „ ad illius conciones certatim contenderent. Mit„ to nunc promiſcuæ multitudinis innumerabile „ vulgus, quod velut ſui ignarum pietate inflama„ batur. Proceres quoque & ſummates mitto, quoſ„ vis etiam magiſtratus & ex equeſtri ordine ſpe„ ctatos viros, qui omnes incredibili ardore cor„ repti incitabantur. Sed quod magis demirari ſo„ leo, literatos homines, egregioſque concionatores, atque omnium propè Religionum mo„ nachos, nullos non denique viros literis & eru„ ditione cumulatos, anxios, audiendi avidos, „ ſui oblitos, undequaque excitatos ad ſe rapie„ bat. Res ſanè ſumma admiratione digniſſima, „ tama

e

A „tam diverſis hominum ingeniis, una eademque „oratione tam plenè ſatisfieri potuiſſe. Sunt hæ „liquidæ veritatis, ſinceræque virtutis divinæ vi„res. Horum ego teſtis ſum oculatus, qui dili„genter curabam, ne qua ratione umquam ab hu„jus Viri concione abeſſem„. Hæc relatio, atque hoc teſtimonium (ſepoſitis aliis, quæ ſuper eadem materia ibidem antè memorat,) licèt teſtes alii non forent, ſunt autem & multi & auctoritate præſtantes, ſufficeret ad comprehendendum, quantus fuerit P. F. Thomæ ſpiritus, quanta è pulpito dicendi facultas, quàm extraordinario affectu & devotione audiretur ab omnibus, quámque univerſalem ſermo ejus ac doctrina obtinerent fructum, ubicumque concionabatur.

ANNOTATA.

a *De venerabili hoc viro redibit ſermo inferiùs.*

b *Hiſp.* vanidades.

c *Verba Jeremiæ prophetæ cap.* 23 ℣ 29 *ſunt iſta:* Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram?

d *Cap.* 4 ℣ 12; *hîc textum ipſum Latinum*
B *deſcripſi, miſſis verbis Hiſpanicis, quæ paululùm diſcrepabant.*

e *His præmittit Salonius qualemcumque verborum Mugnatonii interpretationem Hiſpanicam, quam, utpote hîc minimè neceſſariam, reſcidi. Porrò hactenus relata illuſtrantur etiam apud Coccinum pag.* 469 *verbis ſequentibus:* In quo (*munere prædicationis*) obeundo, adeo doctè ſanctéque ea, quæ ad ſalutem pertinent, explicabat, ut in maximam omnes admirationem raperentur, & quandoque S. Joannes Chryſoſtomus, quandoque Apoſtolus, nonnumquam S. Paulus videretur, & mirabiles inde effectus circa mutationem vitæ audientium reſultarent, ut deponit frater Didacus de Guevara ... in proceſſu Caſtellæ ... & in proceſſu Valentino Franciſcus Iter J. U. D.... Joannes Baptiſta Calvet... & Joannes Feris... & Franciſcus Blaſco ... & Matthias Pallas,.... qui ultimi quinque ſunt examinati auctoritate ordinaria.

CAPUT VIII.

C

Conſcientiarum moderator homines ſexus utriuſque ad vitam perfectiorem perducit.

Ad exemplum Chriſti & Apoſtolorum

QUemadmodum ſol, clara ac rutila illa fax, à divina Providentia ad illuminandum orbem in cælo poſita, non tantùm generatim ac publicè fulgorem ſuum & claritatem communicat cum univerſa terra; verùm etiam quamcumque aperturam pervadit, ſuique participes facit cubilibus incluſos & in penetralibus degentes; ad eumdem quoque modum verus ille ſol juſtitiæ & lux mundi Dominus noſter Jeſus Chriſtus, non generatim ac publicè dumtaxat lumen ſuum ac doctrinam impertivit, prædicando in templo & ſynagogis, ſed etiam in privatis ædibus eorum, qui illi addicti erant, atque ipſum tecto & hoſpitio recipiebant. Patuit id in domo ſanctæ Marthæ, ubi ad ſacros ejus pedes ſedens feliciſſima Maria tanto cum ſolatio divina ejus verba excipiebat: idemque [patuit] in pluribus aliis, quas memorant ſacri Euangeliſtæ. Idem ipſum refert beatus Lucas cap. xx Actuum Apoſtolorum, de ſe teſtatum eſſe Paulum apoſtolum, quando valedicturus eccleſiis Aſiæ, convocavit epiſcopos univerſos illius provinciæ, atque eis expoſuit, quo fervore, qua ſolicitudine & cura, quibuſque laboribus curâſſet ſalutem totius regionis, docendo omnes publicè, ac privatim per domos, fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, neceſſitatem & uſum Sacramentorum. A. M. SALONIO.

multos privatim docens

66 Eâdem viâ ſaluti animarum conſuluerunt ſemper veri præcones Euangelii, quia ſicut ſal ubique ſal eſt, & lux ubique eſt lux, ita etiam ſacri concionatores ac veri miniſtri, à Spiritu ſancto deſtinati, quovis tempore ac loco illuminant, docent, ad cælum ducunt ac divino amore ſuccendunt eos, qui ipſos audiunt, cum ipſis agunt, & ad ipſos accedunt. Hinc abundè apparebit, quàm bonus animarum ſal, quámque ſplendens & clara conſcientiarum lux exſtiterit benedictus pater noſter Thomas. Quoniam, ſicut unanimi voce referunt ac teſtantur omnes, in quibuſcumque locis vixit & commoratus eſt, non ſolùm publicè dicendo è pulpitis tantum fructum retulit, quantum vidimus præcedente capite; verùm etiam privatim notabilis erat morum ac vitæ immutatio ſingulorum hominum, qui ſua ipſi peccata confitebantur aut utebantur ipſo familiariter, tam eccleſiaſtici & religioſi quàm laici ac matrimonio juncti. E

ad perfectiorem vitæ normam perduxit:

67 In monaſteriis, quæ frequentabat (omiſſis iis, quæ ſui Ordinis erant, quibuſque præfuit & de quibus loquemur capite xi) præſertim virginum, manifeſta prorſus fuit diſciplinæ reſtauratio, per ejus documenta, exemplum, conſilia, induſtriam introducta. In ædibus, ad quas accedebat, mox ſpectabatur, quàm ſeriò mores atque uſus profani permutarentur cum animorum ad Deum converſione ac devotione; non ſecùs ac ſi domus profanæ converſæ eſſent in monaſteria. Perſonæ, quæ ad ipſum accedebant, ſtatim communem in hoc mundo agendi modum deſerebant, fiebantque rerum cæleſtium ac divini cultus ſtudioſiores. Has inter memorantur innumeræ, quarum memoria hodiedum recentiſſima ſervatur, Burgis præſertim & Valliſoleti. Producam hîc aliquas, de quarum Chriſtiana pietate & exemplo, ex communicatione cum P. F. Thoma habita, in dictis civitatibus loquuntur etiam hodie, tamquam de perſonis valdè ſanctis. F

ipſo conſcientiæ moderatore, alii monaſticum,

68 Archidiaconus Burgenſis, perceptâ ejus doctrinâ, adhibere cum in ſacris confeſſionibus, & animæ moderatorem aſſumere decrevit. Eum autem effectum ſortitus eſt, ut, prorſus valedicens mundo, dignitati ac fortunæ bonis, Ordinem religioſum ingreſſus ſit, in eoque vixerit ac vivere deſierit ut vir religioſiſſimus. Clericus, beneficio fruens in eccleſia S. Ægidii, ita frequentando ejus ſermones affici cœpit adeo in Dei cultum, tantoque teneri deſiderio vivendi cum P. F. Thoma, ut, relicto ſimiliter beneficio eccleſiaſtico, induerit habitum in cœnobio ſancti patris noſtri Auguſtini, ubi vitam egit tam ſanctam & auſteram, ut à Domino multa conſolatione, & peculiaribus in oratione donaretur favoribus, ex quibus ſæpenumerò in mentis exceſſum rapiebatur. Quamvis autem res iſta lateret omnes, totius tamen conſcium faciebat P. F. Thomam, ut ab eo dirigeretur ita, ut ex iſtis Dei favoribus fructum perciperet cum agnitione & humilitate, congrua animæ ſuæ bono. Religioſus iſte ex jejuniis, brevi ſomno, & magnæ pœnitentiæ operibus (non niſi

A. M. Salonio.

duas quippe ad ſummum horas ſomno indulgebat ſingulis noctibus, reliquas tranſigebat in oratione, jejunia verò [ſervabat] continua ac rigida,) duos dumtaxat annos & medium vixit in Ordine, tantam morte ſua afferens omnibus triſtitiam, quantum vitæ ſanctitate dederat ad pietatem incitamentum. In ejus obitu ſermonem inſtituit P. F. Thomas, ac res de benedicto illo religioſo narravit adeo prodigioſas, ut cunctos in admirationem & in ſanctitatis ejus æſtimationem raperet.

alii eccleſiaſticum ſtatum amplexi ſunt.

69 Eodem modo pharmacopola Burgenſis mundo valedixit, bona ſua pauperibus diſtribuit, ſtatum eccleſiaſticum amplexus eſt, & vitam duxit à rebus perituris adeo remotam & tam inſigni exemplo, ut ſimiliter cum opinione ſanctitatis mortem obierit. Eumdem effectum obtinuit in Franciſco de Cuevas, Alphonſo del Caſtillo, aliiſque hujuſmodi hominibus in civitate Burgenſi præcipuis ac valdè locupletibus. Præ ceteris pharmacopola alter, cui nomen Torres, vir dives admodùm & potens, domum ſimiliter ac bona dereliquit, & P. F. Thomæ ejuſque inſtitutioni adhæſit: cùm autem is ad epiſcopatum Valentinum promotus eſſet, ſecutus eum eſt, nullam vel conſolationem vel quietem animæ ſuæ afferri poſſe ratus, quamdiu deſtitueretur inſtitutione & communicatione Servi Dei. Sic & alii quidam ſecuti ipſum ſunt.

B

Matronæ primariæ ac divites, bonis in pauperes

70 In matronis præſtantioribus peculiare bonum operatus eſt per monita, conſilia & regulas, quas ad animæ & conſcientiæ regimen præſcribebat illis tum intra tum extra ſacrum pœnitentiæ tribunal. Domina Maria de Caſtro & hujus conjux Andreas Gutierres, Burgenſes incolæ, homines primarii ac prædivites, audito ſermone P. F. Thomæ, ejus doctrinæ amore capti ſunt, & confiteri apud ipſum voluerunt: tantum apud ipſos effecit ejus communicatio, ut mox depoſuerint vanitatem omnem ac faſtum, deſeruerint quidquid domi bombycis & auri poſſidebant, &, quoniam ejus ingens erat copia, partim eccleſiarum ornatui applicârint, partim pauperum ſubſidio. Deinceps verò vitam in domo duxerunt piam prorſus & ab hominum conſortio remotam, ſervantes inter ſeſe, ex voto utriuſque aſſenſione ſuſcepto, continentiam perpetuam, vacantes aſſiduæ orationi, frequenti Sacramentorum uſui, ingentium eleëmoſynarum diſtributioni. Sancti illi conjuges tanto per inſtitutionem P. F. Thomæ in omni virtutum genere præluxerunt exemplo, præſertim in promovendi ac augendi divini honoris deſiderio, ut domina Maria de Caſtro vulgò Dei honos vocaretur. Et ſanè profitebatur ipſa, quòd ſe Chriſtianam eſſe non fuiſſet experta, donec uſa fuerat alloquio & conſuetudine P. F. Thomæ, quódque ſecundùm Deum ipſi acceptam referret animæ ſalutem. Ipſa ac maritus iiſdem piis operibus reliquum vitæ conſtanter impenderunt, donec tanta ſanctitatis opinione mortui ſunt, ut vigeat etiam hodie in Burgenſi civitate.

C

diſtributis, ac depoſito faſtu, ſanctè vixerunt.

71 Matrona alia, nomine Agnes Garcia, mulier in eadem Burgenſi civitate apprimè nobilis, multùm dives ac potens, aſſumpto conſcientiæ moderatore P. F. Thoma, bona ſua omnia in noſocomia & pauperes diſtribuit, his propriis manibus miniſtrans, magna caritate eos fovens, iiſdemque ſanctis exercitiis inſiſtens, donec veluti ſancta mortem obiit *a*. Idem præſtitit in domina Eleonora de Carrion, quæ conjugem habuerat Joannem Alphonſum de Salinas; domina Juliana del Caſtillo; domina Maria Anna de la Torre; domina Catharina de Eſpes, aliiſque Burgenſibus matronis præcipuis ac præclarioribus; ac ſimiliter in Valliſoletanæ civitatis nobilioribus ac ditioribus, quæ, adhibito conſcientiæ arbitro P. F. Thoma, moribus mundi hujus valedixerunt, honeſtumque ab hominum conſortio ſeceſſum amplexæ ſunt, magno pietatis Chriſtianæ exemplo viventes, & ſe ac bona ſua aſſiduò operibus caritatis ac miſericordiæ ad finem uſque vitæ impendentes.

a

D

Sanctimoniales in variis cœnobiis

72 Spectatiſſima quoque fuit, ſecuta ex ejus inſtitutionibus atque adhortationibus in cœnobiis monialium, quæ frequentabat, diſciplinæ reſtauratio. Burgis in monaſterio S. Ildephonſi domina Beatrix Orenſe, domina Sancia Pimentel, & domina Agnes Vela, auditis ſermonibus ejus adeo piis, ac divinis imò & animam ferientibus verbis, toto conatu ſe divino obſequio conſecrandi tactæ deſiderio, cum eo agendi & [arcana mentis] communicandi [facultatem] ſibi procurârunt, atque per ejus exercitationes & conſilia ad vitam divinis rebus adeo intentam ac religioſam provectæ ſunt, ut, ſicut refert Antonius de Leon, ſacellanus primarius in dicto monaſterio & conſcientiarum moderator, qui ſupremum memoratarum dominarum excepit ſpiritum, ſpeculum religioſæ pietatis exſtiterint in vita & hanc tamquam egregiæ Dei ſervæ conſummârint. Verba autem P. F. Thomæ uſque adeo animabus ſuis impreſſerant, ut numquam è memoria dimitterent. Et quamvis abeſſet bonus Pater, utpote aliorum conventuum Prior [conſtitutus] *b* ac dein archiepiſcopus Valentinus, conſtanter tamen ad normam doctrinæ P. F. Thomæ, & aliquot piarum inſtitutionum, quas ipſis ſcripto reliquerat, quaſque ut ſacras reliquias ſemper conſervârunt, vitam ſuam dirigebant. Idem beneficium præſtitit pluribus aliis ejuſdem cœnobii monialibus, quæ eum conſcientiæ moderatorem habebant & frequentabant, quo tempore Burgis commoratus eſt.

E

b

emendationem diſciplinam

73 In monaſterio item S. Dorotheæ in eadem civitate, aliquot dominæ doctrinâ ejus, fervore ſpiritûs ac præſertim ſermonibus ad ſolas moniales habitis in choro (quem tum temporis ingredi fas erat) allectæ ac verborum efficaciâ permotæ, eo uti conſcientiæ ſuæ rectore cœperunt, atque ita à Spiritu ſancto illuminatæ, inſignem mox in moribus & habitu fecerunt immutationem, vitamque poſt hæc vixerunt diſciplinæ reſtauratione & mentis ad res divinas converſione religioſiſſimam, exemplo ſuo excitantes alias plures, ut frequentarent ac animæ moderatorem aſſumerent P. F. Thomam, quæ ipſi aperientes conſcientiæ arcana ſimiliter immutatæ ſunt. Hac ratione per inſtitutionem Servi Dei huic monaſterio inducta eſt diſciplinæ emendatio, & ad magnam pietatem perductæ moniales omnes, quæ deinceps vixerunt religioſiſſimè & ut egregiæ Dei ſervæ defunctæ ſunt. Ad exemplar, ab hiſce relictum, quæ acceſſerunt poſtmodùm, quæque ſuperſunt hodiè in dicto monaſterio, eidem diſciplinæ reſtaurationi conſtanter adhæſerunt, ſolitudini multùm deditæ ſunt, ac frequenti tum orationis tum Sacramentorum uſui. Idcirco tum priores iſtæ tum reliquæ felices admodùm ſe reputabant, dum ſermonem aut ſcriptum aliquod P. F. Thomæ obtinere poterant, & tamquam ſacras reliquias conſervârunt propter ingentem conſolationem & utilitatem, quam earum legentium ejus verba animæ perſentiſcunt.

F

introduxerunt à

74 Idem ipſum beneficium contulit Vir ſanctus aliis multis dictæ Burgenſis civitatis monialibus

A bus S. Claræ & S. Crucis, quibus erat à confeſſionibus & quibuſcum agebat; uti & viris religioſis aliorum Ordinum, ſanctis ac divinis ſermonibus incendens ipſos ad amorem & obſequium divinum atque ad obſervantiam conſtitutionum ac regularum. Hoc erat autem notiſſimum & publicum ab experimentis inſignibus, quæ faciebant, quicumque illum frequentabant. Ad eum quidem modum, ut qui ſemel ad aures ejus peccata depoſuerat, mox animam illuſtratam perciperet, ſummis viribus divino ſervitio ſe applicaret, atque advertens, quòd ſermones ejus omnes, ac verba ſingula, veluti à ſeraphino cæleſti [profecta,] eſſent vehementia, fervida, ad inflammandas animas etiam frigidiſſimas efficacia & vera Spiritus ſancti inſtrumenta, etiam aliàs cum ipſo agere in pœnitentiæ tribunali, & privatim colloqui conabatur.

plures etiam virgines illuſtres

75 Sicut in monaſteriis & in perſonis religioſis, quibuſcum agebat, ſpectabilis & evidens erat immutatio, & in divino cultu facta emendatio, ita quoque per ſuos ſermones & de rebus piis collocutiones perfecit, ut plures, ubicumque prædicabat aut familiariter agebat, omnis conditionis laïci mundo nuntium remitterent ac vitæ religioſæ ſe manciparent, utque multæ etiam puellæ primariæ ornatui ac vanis animi affectionibus renuntiarent, Ordini religioſo ſe obſtringerent ac ſtatum adeo diverſum amplecterentur, in quo Domino ſervierunt inſigni exemplo & [ad pietatem] omnibus incitamento. Uti fecerunt D. Eleonora de Caſtro & D. Franciſca de Caſtro, quæ cùm eſſent feminæ admodùm illuſtres & per viros honorum titulis inſignitos ad nuptias expetitæ, moderatore conſcientiæ P. F. Thoma, mundum deſeruerunt, omneſque ejus vanitates ac voluptates, ſeſe receperunt in monaſterium Burgenſe S. Dorotheæ, & vitam religioſam amplexæ ſunt, per ejus doctrinam ita ad diſciplinæ normam formatæ, acſi annis pluribus ei aſſuevíſſent; adeo ut obſtupeſcerent reliquæ ejuſdem cœnobii moniales, cernentes utriuſque virginis, in eo vitæ ſtatu novitiæ, inſignem religioſam pietatem.

B

vitæ religioſæ ſe manciparunt.

c

76 Eodem modo per inſtitutionem atque exemplum Servi Dei mundo valedixit ac vitam religioſam profeſſa eſt in monaſterio S. Mariæ la Real de las Huelgas *c* Valliſoletano D. Helena de Peſquera perilluſtris femina; ubi religioſa pietate adeo excelluit, ut eidem monaſterio, licèt ampliſſimo (multùm renitens) præpoſita fuerit moderatrix, ſuaque virtute & exemplo multum utilitatis pepererit iſti domui. Sicut iſtæ, ita & aliæ & valdè illuſtres vocatæ ſunt à Domino ad religioſos cœtus, & magno omnium exemplo illic ejus ſe cultui conſecrârunt. Sed quoniam ingenti animarum utilitati erant ſermones ejus atque inſtitutiones præſertim apud perſonas, quæ ipſi familiares erant, & arcana conſcientiæ credebant; vehementi quoque animi ſenſu ac dolore corripiebantur, quando à ſuperioribus aliò mittebatur, & abundantes lacrymas profundebant omnes propter ejus abſentiam, judicantes, magno hanc eſſe animabus ſuis detrimento.

C

ANNOTATA.

a *Quamvis ingens ſit Villanovam inter ac Burgos terræ ſpatium, cùm tamen Sancto à paterna ſtirpe* Garcia *vel* Garzia *agnomen fuerit, vehementer ſuſpicor hìc eamdem indicari Agnetem, quæ ejus amita dicitur in compendio Vitæ quarto, quod, poſtquam narratum fuit, ſanctum, mortuo patre, bona ſua alendis virginibus addixiſſe,* A. M. Salonio. *ita habet:* Cujus exemplum imitata Agnes Garzia ejus amita, valdè locuples fœmina, venditis omnibus, quæ poſſidebat, ea in pauperes erogavit, & xenodochium quotidie inviſens, languentium obſequiis reſiduum vitæ conſumpſit.

b *Variis in locis conventuum Ordinis ſui Priorem fuiſſe diximus in Commentario prævio.*

c *Fortè loco nomen eſt* Campus deliciarum; *ſed malui Hiſpanicè exprimere, quàm ineptè exponere.*

CAPUT IX.

In oratione & concionibus frequenter in ecſtaſim rapitur.

Ita ad cæleſtia intendebat animam, ut prædicans,

E

SUfficiebant ſanè vitæ exempla & ſanctitas, cum oratione, quâ uſus eſt ſemper benedictus Pater, tam aſſidua & humili, ut tantum ex doctrina & ſermonibus ſuis perciperet in animabus fructum, quantum vidimus præcedentibus capitibus. Placuit tamen Spiritui ſancto, conſideranti, quàm ſeſe parabat ſtudiosè ad ampliores per dotes ſuas referendos fructus, impertire ipſum dotibus aliquot extraordinariis ad majorem animæ ejus conſolationem & bonum proximorum exemplum. Vehemens illi erat, de quo hoc capite primùm tractabimus, interior ſenſus eorum, tum quæ meditabatur & conſiderabat in oratione, tum quæ dicebat è ſuggeſtu; tam vividus is erat, tam fortiter ac ſuaviter impreſſus animæ, ut ſæpenumerò in oratione à ſenſibus avocatus atque in divina abreptus perſiſteret. In pulpito autem ita incendebatur, ut per flammas, ex ore ejus emiſſas, abundè detegeretur ignis, quo intus flagrabat anima. Hinc ita emolliebat audientium corda, quantumcumque arida ac dura, ut in pleriſque concionibus verba ejus comitarentur uberes lacrymæ, è corde provenientes, & per oculos tum dicentis tum audientium prorumpentes. Sæpe in pulpito immotus ſtabat, abſque loquendi facultate, tamquam ſenſuum exteriorum uſu deſtitutus præ vehementia affectus interioris, quo benedicta ejus anima tenebatur. Licèt autem conaretur ſæpiùs obtegere ac diſſimulare hujuſmodi affectiones & mentis exceſſus, nequibat tamen; quoniam penes hominem id non ſtat, ſed penes celſiſſimum illum & omnipotentem Dominum, qui, prout viſum eſt expedire, tunc gubernat cor Servi ſui ſenſuſque omnes tum interiores tum exteriores.

F

Miſſam celebrans, orans

78 Donum iſtud apertè elucebat in P. F. Thoma, eratque valdè publicum; unde patres Caſtellani gravitate inſignes, ac perſonæ præcipuæ ei familiares, eum ſuſpexerunt, ut hominem, quem theologi Ecſtaticum compellant, id eſt, virum, qui à Spiritu ſancto donum habet exceſsûs mentis. Burgis in more poſitum ei erat ſeriùs plerumque & poſt ceteros religioſos omnes Rem divinam facere in ſacello ſancti Crucifixi, quòd ad horam iſtam laïci univerſi ſe domum contuliſſent, quódque ſibi eſſet facultas celebrandi majori in tranquillitate ac ſolitudine. Factum autem eſt ſæpiùs, ut ibidem Sacris operans, in ecſtaſim raperetur & immobilis perſiſteret adeo, ut à religioſo, qui Sacro miniſtrabat, attrahenda ei, nec ſine vi aliqua, eſſet veſtis, ut ad ſenſus rediret, & perficeret Sacrificium. Contigit variis vicibus, ut ante prandium orationi ſe applicans, ei inſiſte-

A. M. Saconio.

ret jejunus usque ad tertiam vel quartam pomeridianam *a*, utque ad cellam ejus accurrerent religiosi, allaturi illi cibum. Idem accidit in choro, ubi, finitis divinis officiis, solus ipse in oratione permanebat; & visum esse, referunt, aliquoties à sensibus alienatum ac elevatum à solo. Mandaverat fratri, cui cura cubiculi ejus commissa erat, ut sese ad certam horam vocaret, ad celebrandam Missam. Die quodam adfuit frater iste ad dictam horam; cúmque eum semel & iterum appellans responsum non impetrare se adverteret, quid de re esset, suspicatus, januæ vim intulit, aperuit, ingressus est, ac Dei Servum in ecstasim raptum invenit adeo, ut compellanti non responderet. Paulò pòst ad se rediit, & cùm frater iste significaret ipsi, quòd jam tum in conventu absolutum esset prandium, ac præteriisset tempus, quo fas erat celebrare Missam, valdè dissimulans reposuit: Haud rebar, adeo provectam esse diem, pœnitet me non celebrâsse; at novit Deus, quòd per id in se non deliquerim.

a

79 P. F. Melchior de Yebre ex Ordine sancti patris Francisci, qui fuit Compluti guardianus, vir eximiæ & notæ per Hispaniam virtutis, cujusque vitam scribit magister Villegas tomo de Sanctis extravagantibus *b*, exponens, quàm egregius Dei servus & quàm rerum divinarum intelligens * fuerit P. F. Thomas, retulit P. Didaco Guevara, concionatori conventûs sancti patris nostri Augustini Salmanticæ, ac P. F. Joanni Camara, sacræ Theologiæ magistro & guardiano collegii SS. Petri & Pauli Ordinis S. Francisci Compluti, atque aliis, quæ id testantur, personis præstantibus, quòd benedictus ille Pater, dum erat archiepiscopus Valentinus, festo die ascendentis in cælum Jesu Christi Redemptoris nostri, sub horam sextam matutinam recitans horas canonicas, cùm perveniisset ad Nonam ac dixisset Antiphonam illam, VIDENTIBUS ILLIS ELEVATUS EST, à sensibus fuerit avocatus & in ecstasim raptus, atque erecto corpore in pedibus perstiterit usque ad horam quintam vespertinam: ad se autem reversus ab ecstasi & mentis excessu, sacellanum, qui cum eo Horas recitabat, nec pedem inde moverat, interpellavit: Quousque pervenimus? Respondente sacellano: Incepimus Nonam & præmisit tua Gratia Antiphonam: VIDENTIBUS ILLIS: Itaque, inquit, dicamus Nonam, tum ad sanctum Missæ sacrificium celebrandum accedam, ac dein ad chorum, ut officio assistam ac concioni. Id fieri haud poterit, illustrissime Domine, dixit sacerdos. Ut quid? Quia jam statim audita est hora quinta vespertina; advertat tua Gratia ad sonum æris campani in monasteriis, signum dantis ad Completorium. Obstupefactus, Recitemus igitur, inquit, Nonam & Horas reliquas: pœnitet sanè, non tam mei, quàm tui causâ, quòd Rem divinam non peregeris. Sed ita placuit Domino Deo, idque sine tua aut mea culpa. Esto securus, quòd ipsum minimè offenderimus; neque enim tu me deserere poteras, neque ego gratiam à Domino mihi collatam.

& recitans divinum officium

B

b

* *Hisp.* y quan espiritual

C

80 Tum sacellanus ille sese ad pedes ejus prostravit, obnixè rogans, ut per amorem Dei, suæque animæ profectum inde enasciturum, ediceret, quid sibi voluisset tam diuturna ista sensuum abalienatio; duraverat quippe per horas circitèr undecim, inchoata scilicet horâ sextâ & mediâ matutinâ, jamque audita erat quinta vespertina. Bonus P. F. Thomas, quoniam tam ardenti studio precabatur ille, ac fore promittebat, ut rem silentio tegeret, declarare eam illi statuit, ut probus idem sacerdos, cui nomen erat dominus Bonillo & beneficium ecclesiasticum in ecclesia metropolitana, Deo laudem tribueret, & ad animæ suæ profectum uteretur. Sic autem declaravit. Scito frater, quòd ipso temporis momento, quo inciperem Antiphonam VIDENTIBUS ILLIS, magna angelorum turba eamdem ab ore meo exceperit, & per aërem hunc tam suaviter ac modulatè decantare cœperit, ut me mihi surripuerit concentus, sensusque omnes defixerit cælestis musica. Miror autem asserere te, quòd tot horæ præterierint, quandoquidem, verum tibi loquor, dimidia mihi visa non fuerit [effluxisse.] Hoc habet quippe voluptas & consolatio cælestis, ut dies unus illi visus sit media hora. Subdit in sua testificatione suprà memoratus P. Camera, sibi certò persuasum esse, quòd P. F. Melchior de Yebra, qui rem enarravit, eam edoctus etiam fuerit divino aspirante Numine: nam plura referebat pro insigni sua simplicitate & candore animi, quæ Spiritu sancto indicante didicerat, quæque deinde eventu comprobata sunt. Præterea, cùm [Sanctus,] isto die, nec Sacro operatus fuerit, nec comparuerit in templo, nec ante vesperam comederit, pluribus è domesticis *c* res nota fuit, & ab his communicata cum aliis, qui eam testimonio suo confirmant similiter.

D

E

c

81 Hinc non est, cur miremur id, quod super hac re de se ipse fassus est P. F. Thomas in sermone de Transfiguratione Redemptoris nostri. Quippe cùm toties inter orandum, concionandum *d*, & celebrandum Missæ *e* Sacrificium conspectus fuisset in ecstasi, nec declinare illud potuisset, nec prævertere, cúmque jam publicum esset, quod tectum voluerat, visum ipsi est, sumpta occasione doctrinæ, in concione ista proponendæ, dicere nonnihil de iis, quæ sibi in mentis excessibus à Deo communicabantur: tum ut auditores Deum collaudarent, tum ut sese per animæ integritatem expeditos redderent ad eadem percipienda; quando divino Numini placeret etiam cum ipsis communicare, si conveniret. Præterea, quoniam ejus spiritus & anima [tanto ardore] flagrabat eorum, quæ pro concione dicturus erat de divina contemplatione & oratione, deque ingentibus atque extraordinariis gratiis, quas ibidem elargitur Deus hominibus, rerum cælestium verè studiosis, integrum ipsi non fuisse putem, ab illis dicendis abstinere, dirigente sic linguam Spiritu sancto, cui tam obnixè se commendabat peculiarissimè ac ferè semper dum pro concione verba facturus erat.

raperetur,

d e

F

82 Itaque in eo sermone perpendens verba illa, quibus Redemptorem nostrum allocutus est divus Petrus, dum eum in monte Thabor tantâ gloriâ circumdatum conspexit: DOMINE, BONUM EST NOS HIC ESSE &c., & ex illis beatam ac fortunatissimam conditionem animæ, quæ oblita rerum terrenarum ac temporalium toto corde ac desiderio æternis adhæret, omnem amorem & affectum in Deo collocat, atque in anima sua exstruit tabernaculum & domicilium sanctissimæ Trinitati, Quis, inquit, eloquatur, quæ lingua exprimat gaudium, delectationem, tranquillitatem, bona ac delicias, pacem & securitatem interiorem, quibus perfruitur is, qui ad illum modum cor suum Domino præbet habitaculum? Homo felix ac beatus, qui ad conficiendum illud tabernaculum curam omnem & cogitationem convertit! ô quanta perfundetur voluptate! Idem dein pertractans verbis spiritu & affectu plenis, corde incen-

quod & ipsemet fateri

ad longum tempus in ecstasim

A incenſo ex ardenti deſiderio afferendi utilitatem & ſtimulos injiciendi auditoribus, hæc cœpit addere ac dicere.

compulſus fuit.

83 "Ego quidem, fratres, ut de me ipſo interim aliquid loquar, ſi quandoque (& hoc rariſſimè) indigno conceſſum eſt, non meo quidem merito, ſed Chriſti optimi maximi gratuito beneficio, in montem altum cum ipſo conſcendere, & ibi gloriam vultûs ejus, vel ad modicum & de * longè proſpicere, ô quibus ardoribus, quibus * lacrymis clamo*: Domine mi, bonum eſt nos hic eſſe, non me permittas ultrà deſcendere de monte iſto; ſufficit mihi * hæc præſentia tua, ne diſcedas, obſecrò, ne abeas à me, in hoc tota vita mea, in hoc omnes dies mei expendantur. Quid ultrà quæritur? Hoc ſolum volo, hoc ſolum cupio, hoc ſolum deſidero, hoc ſolum peto. Sed heu heu evaneſcit ſubitò gloria illa, pax illa, dulcedo illa, & plenus mœrore relinquor, deſerit illico inhiantem * animam, & ſicut fulgur tranſiens, ita præterit ſplendor ille: ô ſi durâſſet! Sed ad hiſtoriam redeamus &c." Hactenus ipſa ejus ſunt verba; ſermones enim exarabat Latinè *f*.

* *al.* à
* *al.* ô quabus
* *al.* clamito
* *al. additur* hoc gaudium, ſufficit mihi
* *al.* hiantem *al.* luentem

f

B 84 Præclarum ſanè teſtimonium eorum, quibus perfruebatur in illis mentis exceſſibus anima Servi Dei, quæque cum ipſo communicabat Dominus per ſuam miſericordiam, quo tempore durabant. Etenim cùm præditus eſſet benedictus Vir animo (uti conſtat) recto admodùm, ſincero & humili; cùm tantopere amaret ſecretum, caveretque ſolicitè, ne cuipiam detegerentur peculiares favores, ſibi à Deo conceſſi; ea, quæ in iſto ſermone, verbis hîc recitatis, de ſe ipſe indicavit, certiſſimum ſunt argumentum inſignium gratiarum, quæ in ſimilibus occaſionibus animæ ejus fuerunt collatæ *g*. Die quodam Hebdomadæ ſanctæ verba faciens Burgis in monaſterio S. Ildephonſi, argumentum ſibi aſſumpſit verba illa Apoſtoli: "Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu &c." ac tertiò eadem repetiit; nam quoties recitabat, toties viſus eſt non poſſe proſequi ulteriùs præ lacrymis, in qualibet eorumdem repetitione accreſcentibus. Commovebatur animo auditorium univerſum, ipſe verò tertia vice illa ingeminans in ecſtaſim raptus eſt, in eaque, præſtolantibus omnibus, permanſit ad unius circitèr horæ ſpatium. Elapsâ horâ, ad ſenſus rediit, & ſupra iſta verba ſermonem exorſus eſt, & ad finem perduxit inſtar cæleſtis ſeraphim.

Item inter concionandum

g

C 85 In S. Dorotheæ cœnobio monialium, Ordinis Canonicorum regularium S. Auguſtini, ubi, ſicut dictum eſt, per ſuos ſermones tantùm profecit, ut, quæ antè utebantur veſtibus è caprino villo * contextis, vela geſtabant bombycina, calceamina verò juxta morem mulierum præcipuarum ac ditiorum elegantiſſimè confecta, immutârint omnia, habitum aſſumentes è nigro ac rudi panno, vela ex albo linteo, totumque veſtitum vitæ religioſæ prorſus conſonum; ſalutationes autem officioſas & familiares congreſſus permutârunt cum oratione, frequenti Sacramentorum uſu, ſolicita ac pia aſſiduitate in Officio divino; ad Matutinum, licèt regio ſit adeo frigida, ſurgentes media nocte, etiam in ſumma hyemis aſperitate, & illic earum multæ in oratione perſeverantes uſque ad tempus matutinum. In iſto cœnobio conciones habebat ob fructum, quem iſtic referebat frequenter; ſed & ibidem viſus eſt in feſtivitate Corporis Domini, aliiſque feſtis ſolemnibus in ecſtaſim rapi ſub initium concionis; ſubinde etiam antequam ſuggeſtum conſcenderet, innitens altari à ſenſibus avocabatur, ac durabant exceſſus illi per horas aliquot.

coram monialibus,

* *Hiſp.* chamelote

86 Die quadam in templo primario ejuſdem civitatis verba faciens & vehementi ſenſu animi peccata reprehendens, ac morientis in cruce Domini effigiem manu tenens, voce ex imis animi penetralibus profecta ingeminare cœpit: Huc reſpice, Chriſtiane, huc reſpice, & hæc verba pronuntians, nec progredi ultrà valens, inflammato vultu ſubſtitit in ecſtaſim raptus, ſilendo magis afficiens auditorum animos, quàm feciſſet loquendo. Valliſoleti Feriâ quintâ hebdomadæ majoris coram Carolo quinto imperatore ſermonem faciens de Mandato *h*, poſt multam ac bene pertractatam doctrinam, quam ſacri hujus Euangelii hiſtoria ſuppeditat, in medio ſermone perveniens ad ſententioſas illas S. Petri voces: Domine tu, tu mihi lavas pedes? eaque interpretans ac dicens: Tu Domine mihi? Tu mi Deus, angelorum gloria, cælorum decor, Dominus univerſæ creaturæ, mihi? Mihi? nec pergere nec verbum ultrà proferre valens, immotus perſtitit inſtar columnæ marmoreæ abſque alio ſeu motu ſeu ſenſu, quàm quòd oculos in cælum defixos haberet, defluentibus continenter lacrymis.

coram caſare,

h

E 87 Cùm anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo in Caſtella inſtituenda eſſent provinciæ Ordinis noſtri comitia, quibus adſtitit & præſedit reverendiſſimus pater generalis, magiſter Fr. Hieronymus Seripandus; ipſemet dictus pater generalis peculiari epiſtola (quam poſt videbimus) vocavit ipſum & invitavit; quoniam multùm deſiderabat videre ipſum & alloqui propter ea, quæ de ſingulari pietate ejus ac doctrina inaudierat, & quidem cum intentione ipſum conſtituendi Priorem provincialem Caſtellæ, ſuumque per Hiſpaniam univerſam vicarium generalem. Suſpicatus P. F. Thomas, quid animo intenderet Prior generalis, de induſtria & evitandi oneris cauſâ tergiverſatus eſt in itinere, & ſtuduit non adventare ante meridiem Sabbathi, quo habita eſt congregatio, nec ante horam, quâ omnino certum erat, & juxta leges conſtitutioneſque ſacri Ordinis noſtri neceſſarium, ut jam provinciæ præſes & aſſeſſores eſſent conſtituti. Quæ peculiaris fuit Domini noſtri providentia, ut illo frueretur felix eccleſia ac diœceſis Valentina, ut infrà videbimus.

coram Ordinis ſui Generali

88 Quamquam autem doleret reverendiſſimus pater, non adfuiſſe citiùs P. F. Thomam, excepit tamen advenientem magno cum gaudio & voluptate; corripuitque illum quidem illa de cauſa aliquantulùm, ſed magna caritate & conſideratione, & quaſi in pœnam cunctationis injunxit, ut poſtero die in comitiis ſermonem haberet. Erat ſanè illi, qui jam ex itinere feſſus advenerat, cui ſupererat tam breve temporis ſpatium, cuique, licèt prædito inſigni mentis acie, judicio ac intellectu, memoria utcumque erat infirma (quam ob cauſam non concionabatur, niſi dies quindecim aut viginti *i* ſermoni incubuiſſet) arduum negotium, obligatio habendæ concionis, cui adeſſe ſolet auditorium frequens & eruditorum affluentia; etiamſi non alii intereſſent, quàm qui ad congregationem conveniunt, ejuſdem Ordinis religioſi, qui delectum conſtituunt provinciæ tam amplæ & extenſæ, qualis eſt Caſtellana, plenæque tot virorum religione & doctrinâ præſtantium. Sed, ſuperante difficultates omnes obedientia ac deſiderio ſatisfaciendi præſidi ſuo, ſermonem accepravit.

& congregatis

F

i

89 Totam illam noctem in oratione tranſe-

A. M. Salonio. *provinciæ patribus,*

git, obsecrans Dominum, ut intellectum illuminaret, linguamque dirigeret ad assequendam doctrinam, auditoribus diei sequentis convenientem. Cùm adesset dicendi hora, & in diem Dominicum, quo fiebat congregatio, incideret festivitas S. Michaëlis, pro themate assumpsit verba hæc Psalmi CVII: "Quis deducet me in civitatem mu-
k „nitam, quis deducet me usque in Idumæam *k*? „ Proposito themate: Verba, inquit, ista, quæ in hujus orationis materiam delegi, protulit, qui modò cæli incola est, quique, dum protulit, hîc
l peregrinus erat in terra *l*. Et pronuntians voces illas CÆLI INCOLA &c., eo intus animi sensu affectus fuit, ea mentis teneritudine, ut mox substiterit, progredi ultrà non valens, decurrentibus per venerabiles ejus genas uberibus lacrymis. Ita perstitit notabili temporis spatio, nequiens occulere (quamquam dabat operam) id, quod sentiebat anima, cum ingenti admiratione totius auditorii, cui per cælestes illas lacrymas & per silentium plura dicebat ipse, quàm dixissent alii multis & studio selectis vocibus. Demum post longum temporis intervallum desiit affectus ille &
B intermissio, cœpitque dicere res adeo sublimes ac tanto simul pietatis documento plenas, ut multorum & insignium in paucis theologorum, qui concioni intererant, judicio pars major eorum, quæ in medium proferebat, non esset studio è libris hausta, sed per scientiam infusam peculiari illustratione ac Spiritus sancti dono obtenta.

& aliàs diu in mentis excessu perstitit.

90 Dum Prior erat Burgis, die quadam habitum concessit ejusdem civitatis novitio, cui nomen D. Joanni de Castro; ad actionem hanc spectandam confluxit magna hominum multitudo; tum quòd juvenis, qui habitum recipiebat, notissimus esset & præclaro genere prognatus, tum ut audirent sermonem, quem juxta morem in similibus actionibus usitatum facturus erat P. F. Thomas. Dato jam habitu, sermonem exorsus est in hæc verba è Canticis Canticorum: "Soror no-
„stra parvula est, & ubera non habet.„ Ætate juvenis non multùm provecta occasionem suggerente, ut super illis sermonem instituerent. Cœpit autem [verba] ista perpendere eo, quo aliàs solebat animo, & mox hæsit absque loquendi facultate per intervallum horæ circitèr dimidiæ. Si-
C bi restitutus & adstantes intuens dixit: Ignoscite domini, quòd mihi corculum adeo debile sit, ut quemlibet hominem pudore suffundat. Sed quod non diximus paulò antè, dicemus modò, concionatusque est instar cælestis angeli. Addunt, qui isthæc enarrant, testes, quòd, quotiescumque inter prædicandum in ecstasim rapiebatur, nullus ex auditoribus abscederet, sed, re intellecta, multò plures accederent. Si verò id contingebat in aliquo monasterio, accurrebant religiosi omnes, audituri, quid ad se reversus esset dicturus; quoniam post illas ecstases res tam divinas & tanto fervore atque efficaciâ pertractabat, ut auditorum animos attereret.

ANNOTATA.

a *Coccinus pag.* 583 *titulo* de actibus interioribus religionis, devotione & oratione *ex processu Castellæ testes appellans Ludovicum Feo, Catharinam Gonzales, Alphonsum Garziam, Antonium Martinez, Petrum Agado & Ferdinandum Busto*; Deponunt, *inquit*, de auditu & publica voce & fama, quòd Deum semper habebat ante oculos, & omni tempore valdè sollicitus erat circa exercitium orationum in horis determinatis eaque orationis assiduitate conspicuus, ut reliquos suæ religionis facilè superaret. Donna Eleonora de Salazar deponit pariter de auditu, sæpe in oratione jejunum permanere solitum, usque ad tertiam & quartam horam vespertinam, unde eveniebat, ut religiosi ad ejus cellam, cibum necessarium porrigentes, accederent. D

b *Nempe Operis, quod* Flos Sanctorum *inscripsit, parte tertia, complexa Vitas Hispanicè* de Sanctos extravagantes.

c *Audiendus hîc denuo Coccinus pag.* 580: Accedit, quòd egregiè probatur ista devotio ex frequenti ecstasi, in quam raptum fuisse deponunt testes, Mariana de Sottomajor in processu Valentino... de visu & communi assertione in domo, cùm in festo Ascensionis Domini ab hora quinta matutina usque ad vesperam, dum accenderentur luminaria, ecstasi perdurâsse; Anna verò Bretona nonagenaria in processu Castellæ... se vidisse eum aliquoties elevari in sermonibus cum quibusdam exclamationibus, uti Sanctum, ita ut raperetur in ecstasim, & illico in se rediret cum ferventi quadam vivacitate. *Huc quoque spectat, quod teste eodem Coccino pag.* 589 *& seq., deposuit eadem Mariana de Sottomajor, nempe* se pluries vidisse sanctum Archiepiscopum raptum, dum recitaret Horas canonicas. *Notandum, quòd, eodem teste pag.* 485, *laudata Sottomajor*, habitaret continuè in palatio archiepiscopali. E

d *Vide ad lit. præced. testimonium Annæ Bretonæ.*

e *Coccinus pag.* 592: Ut enim deponit Mariana de Sottomajor... notum erat in palatio, quòd omittebat publicè Missam celebrare, ob continuam, quam patiebatur, mentis elevationem, & pater frater Joannes de Castro... examinatus authoritate ordinaria... in processu Castellæ de auditu deponit, eum celebrando Missam, quæ dicitur del Gallo, raptum in ecstasi fuisse: ut donna Eleonora de Salazar monialis, scilicet testis in eodem processu Castellæ... dicit de auditu, eum, dum Religiosus esset, exspectare solitum tempus, quo ultimum Domino Sacrificium offertur, quia valdè cogitatione mentis in Deum elevabatur.

f *His subnectit Salonius interpretationem Hispanicam verborum, quæ Latinè recitaverat, quæque in editis Sancti sermonibus ad verbum leguntur, si leves excipias immutationes, quas assignavi in margine.* F

g *Prætermisi hîc nonnulla, quibus auctor repetit, non fuisse penes Sanctum occultare mentis excessus, vel silere, quæ in hisce perciperet anima, dirigente nempe linguam ejus Spiritu sancto.*

h *Id est, de Lotione pedum, quæ fit Feriâ quintâ Cœnæ Domini, quia quod fecit Christus, idem fieri à discipulis mandavit.*

i *Nisi hic exaggeret aliquantulùm biographus, dicendum, quòd sub annum* 1541 *multùm debilitata fuerit Sancti memoria; certè per Quadragesimas aliquoties, etiam coram cæsare, dixerat, per quas, etiamsi demus, quod minùs verisimile sit ex editis concionibus, dixisse tantùm semel in hebdomade, tantum succurendæ memoriæ spatium temporis reperire non potuit.*

k *Textûs hujus expositionem Hispanicam Salonii prætermisi.*

l *Ita sonant verba Hispanica Salonii; in ipso sermone Latino istud est exordium:* Veri & legitimi filii civisque clarissimi supernæ civitatis Hierusalem verba sunt, ex exilio & peregrinatione in cælestem patriam anhelantis, & in concivium suo-

A ſuorum gloriam ſuſpirantis. *Vide præterea, quæ circa tempus & occaſionem hujus concionis obſervavi in Comment. prævio num. 56 & ſeq.*

CAPUT X.

Futura prænuntiat.

Futura prædicendi gratia

QUamvis dona, de quibus hoc & ſequente capite agendum venit, nec ſufficientia nec certa argumenta ſint conſcientiæ puræ & ſanctæ, quandoquidem ea poſſederint nonnumquam & poſſidere queant animæ ab amicitia divina alienæ, & gravibus peccatis obnoxiæ, uti conſtat ex ſacris Litteris, & ex Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri verbis illis apud ſanctum Matthæum: Multi dicent mihi in illa die judicii: Domine in nomine tuo prædicavimus & prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis: verè numquam novi vos, nec è numero electorum meorum eſtis, nec majores apud me eſtis
B ideo, quia, quidquid allegatis, minimi valoris
a eſt, cùm opera veſtra plena iniquitatis fuerint *a*. Attamen quando iſta dona & gratiæ prædicendi futura, ejiciendi dæmonia & hujus generis alia conjuncta ſunt cum vera virtute & ſanctis moribus; reperiunturque in hominibus, qui apertè oſtendunt, ſe commodum aliud non quærere, nec intendere finem alium, quàm Dei gloriam & utilitatem fratrum, multum ea ſplendoris conferunt eidem virtuti & hujus pretium declarant ampliùs. Quapropter ſancta mater Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto, cujus ſunt dona omnia & gratiæ, regitur & gubernatur in beatificatione & canonizatione Sanctorum confeſſorum, licèt primum & potiſſimum, ad quod attendit & quod diſcutit, ſit ſanctitas & vita, multùm tamen perpendit etiam dona & gratias, quibus claruerunt, & miracula, quæ patrârunt ante & poſt obitum, & hæc illis adjungens ſecuram ſe præſtat.

Sancto

92 Non prætermiſit etiam Dominus Deus illo modo exornare P. F. Thomam: quandoquidem ipſi res multas patefecerit, quæ futuræ erant, & quarum notitia obtineri omnino non poterat via naturali aut humana. Non multa quidem de hiſce
C nota ſunt; tum quòd diligentem dederit operam, ne vulgarentur favores, ſibi peculiariter à Deo conceſſi, tum quòd iſta diſquiſitio tot annis ab ejus obitu fuerit inſtituta: at quæ ad nos pervenerunt, certa admodùm ſunt & notabilia. Quoniam verò, quæ hoc & ſequente capite continentur, non ex integro ſed pro parte dumtaxat, conſtant ex proceſſu, hîc annotabo, quid ex illo conſtet, & quid intellexerim ab aliis perſonis fide dignis, ſed è vita ſublatis ante diſquiſitionem, quæ dein inſtituta fuit auctoritate ordinariorum ac Sedis Apoſtolicæ.

conceſſa, b

93 Itaque quod ſpectat prophetiæ donum, pater magiſter F. Chriſtophorus de Santotis *b*, vir eximiæ pietatis & doctrinæ (qui idcirco interfuit ſacro concilio Tridentino, tamquam theologus delegatus à rege Hiſpaniæ) teſtatur in proceſſu, quòd, cùm alienigena quidam, P. F. Thomæ peramicus, & ipſi patri magiſtro de Santotis pernotus, nomine Nicolaus de Witte, famulum, quem ob virtutem amabat multùm, gravi infirmitate affectum haberet, ea de cauſa ductus ille fuerit die quodam Veneris Burgos ad ſacram Redemptoris cruci affixi effigiem; ubi poſt invocationem ſanctiſſimi ſui nominis ante piiſſimam illam imaginem Domino placuit impertiri ipſum tam ſubita & integra ſanitate, ut quilibet adſtantium judicaret, ſuperare illam naturæ vires & eſſe miraculoſam. A. M. SALONIO.

exemplis

94 Ea occaſione dictus Nicolaus de Witte, qui erat Flander, lætus omnino aſcendit ad cubiculum P. F. Thomæ, qui id temporis domui iſti Prior erat, certiorem illum redditurus beneficii, ſervo ſuo à Domino collati. Verum eſt, repoſuit P. F. Thomas, grande beneficium eſt, quod corpori ſervi tui contulit Dominus, ut aliud longè majus conferat animæ dominationis tuæ. Atque ita factum; nam ea occaſione inceſſit ipſum cupido deſerendi mundum & ſecedendi in Ordinem religioſum, & hoc quidem exſecutioni mandavit, aſſumens habitum in hac ſacra ſancti patris noſtri Auguſtini domo Burgis, & eo induit illum ipſemet P. F. Thomas *c* cum ingenti *c*
totius conventus voluptate. Rerum cæleſtium tam peritus evaſit ac tam boni exempli bonus ille vir, ut magiſter datus fuerit tyronibus ejuſdem monaſterii: ipſemet autem dictus pater magiſter Santotis *d* ſub illo novitiatum peregit. Dein lapſu tem- *d*
poris idem F. Nicolaus de Witte à P. F. Thoma, E
provinciæ præfecto, licentiam petivit eundi cum aliquot aliis religioſis in Indias *e* atque illic Domino ſerviendi in prædicatione ſacri Euangelii: *e*
ubi per inſignem fervorem, illis à Domino conceſſum, pro ſalute animarum illarum res mirabiles patrârunt. Et quidem ex multis religioſis iſtinc reverſis intellectum eſt, quòd dictus pater Nicolaus vitam ibidem egerit tam ſanctam, & è vivis abierit tanta opinione ſanctitatis, ut magna devotione invocetur, & plura poſt obitum miracula patraverit. Sanctum eum eſſe cenſent illic omnes, & ut talem venerantur.

probatur.

95 Quod ſequitur, retulit mihi magiſter Joannes Porta, egregius Dei ſervus & omni fide dignus, quem P. F. Thomas [diœceſeos ſuæ] viſitatorem habuit. Primùm cùm eſſet archiepiſcopus ac obſervaret magnam vitæ licentiam & intemperantiam, quæ tum erat in omni hominum ordine, vehementer deſiderabat morum correctionem videre, præſertim in ordine eccleſiaſtico; quia ab hujus exemplo plurimùm dependet, & eam toto conatu deprecabatur à Domino. Et quoniam hominibus à natura inſitum eſt, ut lingua verſetur in eo, quod cor concupiſcit, ſæpiùs ea de re F
loquebatur & agebat cum familiarioribus, maximè cùm epiſcopo Segrian *f* & cum dicto magiſtro Porta. Die quodam, poſtquam multis cum lacrymis ac devotione (quamquam hanc haberet ſemper, ſed illo die ſolito majorem) ad aras feciſſet, ſermonem, uti conſueverat, habens cum dicto magiſtro de Eccleſiæ ſtatu, his verbis eum allocutus eſt: Ne dubita, magiſter, quin quàm primùm Dominus remedium ſubminiſtraturus ſit, quo corrigantur ſeriò Eccleſiæ ſuæ ordines, idque certum eſſe ſcias, quandoquidem id ipſe pro ſua clementia cuidam ſervo ſuo indicârit. Credere fas eſt (ut aiebat mihi bonus ille magiſter Porta) quòd is ipſe fuerit, cui indicaverat id Deus, quódque hæc fuerit cauſa devotionis illius & fletus extraordinarii; quamquam humilitatis ergò numquam patefecerit. Reipſa Dominus ad verba Servi ſui effectum accomodavit: nam die mox ſequenti à Carolo quinto cæſare nuntius ſupervenit cum litteris ſanctiſſimi domini Pauli tertii, & ipſiuſmet cæſareæ majeſtatis, quibus convocatus eſt ad concilium Tridentinum, ex quo, uti conſtat inter Catho-

A. M. Salonio. tholicos omnes, secuta est generalis in omni Ecclesiæ statu, præsertim ecclesiastico & religioso, morum reformatio *g*.

g

Ægri sanationem, 96 Ægrotabat juvenis, hujus Valentinæ civitatis incola, eóque deductus erat, ut spes vitæ longioris nulla superesset; magnum inde magister Porta (qui & rem istam enarravit) dolorem concepit ob amorem, quo in illum ferebatur, atque istum dolorem suum communicavit cum P. D. Thoma, ut pro ægro oraret. Die postero, postquam Rem divinam peregisset [B. Thomas] vocavit illum, dixitque; Sume animos, nam juvenis, qui tamquam filius tibi est, ex hac infirmitate non morietur. Confer te illuc, & jube advocari Aguilar medicum (ita ut ægrè non ferant alii, qui hactenus accesserunt) nam ille morbi genus deprehendet, &, Deo aspirante, curabit. Res planè ita accidit, ut prædixit P. F. Thomas. Atque id ipsemet deinde in processu testatus est, qui ægrotaverat [Valentinus] incola, nimirum P. Christophorus Perez de Almaçan è Societate Jesu *h*.

h

rempli incendium, 97 Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo clerus parœciæ S. Catharinæ martyris in majori ecclesiæ sacello sepulcrum sibi struere cœpit. Re intellecta ab iis, qui erant de parœcia, Michaël Hieronymus Garcia eques, & Antonius Martinus Moret mercator, qui illo anno fabricam ecclesiæ curabant, comitantibus D. Didaco Boil, domino de Masamagrell, ac Joanne Isquierdo mercatore, Archiepiscopum adierunt, conquerentes de damno, quod, dum locum illum sepulturæ construebat clerus, passura erat parœcia, oranteque, ut illi occurreret. Mox ad se vocari jussit rectorem & præcipuos è clero, rogavit eos, quorum pecuniâ ædificatum fuisset princeps ecclesiæ sacellum & quidquid in eo erat. Responderunt [factum id esse] sumptibus & eleemosynis eorum, qui erant de parœcia. Ut quid igitur, dixit, vobis illud vindicatis absque ipsorum consensu, & mea licentia? Ite & fossam, quam duxistis, mox complete & obstruite; clerus verò in alia ecclesiæ parte, ubi nemini fiat injuria, sepeliatur, & sacellum princeps liberum ac vacuum relinquatur, usque dum fuerit ingens necessitas occasione incendii, quod obveniet illi ecclesiæ: tum si videbitur, nam pars ejus magna refici debebit, proderit locum hunc sepulturæ concedere cuipiam ex honoratioribus & opulentis, qui ingentem summam pro restauratione conferat: sin' minùs restauratio fiet parœciæ sumptibus, non vestris. Atque ita illos dimisit, & res exsecutioni mandata est. Prædictio tam vera reperta est, quàm [verum fuit] ingens incendium, quod anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, die Cœnæ Domini nos ipsi oculis conspeximus, quodque, secretiore Dei judicio, originem habuit è sacro sepulcro ejusdem ecclesiæ, deflagrantibus altari * sacelli principis, organo pneumatico, & parte illius majore ac meliore. Atque etiam, cùm eodem die invicem occurrerent suprà dicti Joannes Isquierdo & Antonius Moreth (à quo id audivi) dixit alter alteri: Vides, quid eveniat; completum est hodie, quod dixit nobis, ac vaticinatus est benedictus ille archiepiscopus D. F. Thomas à Villanova.

B

C

* *Hisp.* el retablo

infaustas puellæ nuptias, 98 Mercator dives admodùm, ei familiaris & addictus, prænuntiavit illi filiæ matrimonium, ut pro eo Dominum deprecaretur. Facturum se spopondit P. D. Thomas & ne rem conficeret, priusquam unà denuo convenissent [monuit.] At verò mercator ille, non ultra allocutus ipsum, rem confecit; ac dein post paucos dies reversus est, ut jam tum confectam esse denuntiaret. P. F. Thomas ipsum, tamquam de nuptiis sua opinione valdè idoneis, lætum cernens, dixit: Doleo, dominationem vestram tam citò decrevisse ac concluisse [negotium,] idque priusquam ad me iteratò accederes; quoniam Domino illius commendandi curam commiseras. Etenim si sententiam meam admittere lubuisset, nequaquam fuisset peractum. Sed & prædico tibi, nuptias istas fore exitium ac ruinam familiæ, & post tuum obitum, qui non longè aberit, filiam multum calamitatis ac miseriarum esse perpessuram. Contigit omnino, sicut prædixit Dei Servus, atque egomet de infaustis istius connubii successibus testis sum luculentus; quandoquidem deinde cum iisdem personis egerim, quas si nominarem (quod fas non est) id ipsum testarentur multi, qui eas cognoverunt, & supersunt etiam nunc in illa civitate.

D

pueri infelicem exitum prænuntiat. 99 Unus è ministris benedicti Antistitis, vocabulo Nicolaus, die quodam lætus valdè ad cubiculum, in quo degebat ille, accessit, ut indicaret, quòd conjux sua à Domino impetrâsset filium. Respexit illum vultu mœsto pater D. Thomas & dixit: Dominum impensè orate tu ac uxor tua pro isto puero; quippe futurum vobis prædico, ut incrementum non capiat; sed occumbat post annos non multos, infelici morte obeat, vobisque afferat dolores vehementes. Verissima etiam fuit, (inquiebat mihi magister Porta) ista præmonitio. Puer enim ille paucorum annorum ob facinus supra ætatem pueri improbum, occisus est; pater verò dum ulcisci vult homicidium, se perdidit, multumque calamitatis & damni sustinuit.

E

Prædictio spectans 100 Cùm absolutum esset collegium, quod juxta scholas istius civitatis exstruxit pauperibus in ea diœcesi studiorum alumnis, & bene ordinatum sacellum, quod erigi in eo voluit sub invocatione beatæ Mariæ Virginis in templo præsentatæ in memoriam assumpti à se illo die habitûs sancti P. N. Augustini Salmanticæ, leges verò, quæ congruere videbantur ad debitum alumnorum regimen tum omni, tum prosperæ & adversæ valetudinis tempore, essent præscriptæ, ac statutæ regulæ, quæ observandæ erant tam in divino cultu, quàm in studiis & actionibus quibuslibet: nonnulli, nominatim magister Caro, advertentes, quòd, tamquam Vir, cui nullius deerat rei experientia, quique ad minimum usque punctum noverat, quidquid conveniens esset collegio alicui & monasterio, curam suam extendisset ad omnia etiam peculiaria ac minutiora, nec tamen parari curâsset in dicto sacello locum sepulturæ alumnis collegii, ibidem morituris, dixerunt illi; circumspiceret; quandoquidem istius rei videretur esse oblitus.

F

ad collegium ab ipso fundatum. 101 Traditio est inter dicti collegii alumnos, ab antiquis accepta, & quasi de manu in manum ad hodiernos perlata, respondisse ipsum: Nihil vos ista cura sollicitet, neque enim erit necesse. Et sicut ad hoc usque tempus patuit, responsum illud viri prudentes suspiciunt tamquam vaticinium ejus, quod cernimus usque nunc. Nam licèt plusquam septuaginta anni defluxerint, ex quo cœperint esse alumni in collegio, fuerintque semper, & non rarò aliqui correpti infirmitatibus gravissimis, quibus ad extrema perducebantur, nullus tamen in dicto collegio hactenus obiit; sed periculum evaserunt omnes, studiorum cursum absolverunt, atque integra sanitate inde egressi sunt

valdè

A valdè docti ac pii, usque adeo ut superiores mox eorum operâ usi sint ad ecclesiarum obsequium & salutem animarum. Unus quidem mortuus est, non tamen in collegio : sed ægrum sese sentiens in patriam abiit, meliùs istic sibi fore arbitratus, ubi, aucta infirmitate, vivere desiit. Id omne P. F. Thomæ precibus adscribitur, & curæ, quam (uti credendum) de collegio & alumnis suis habet in cælis.

ANNOTATA.

a *Matth.* 7 ℣ 22 *& 23 ita legimus :* Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos : discedite à me, qui operamini iniquitatem.

b *Viri hujus elogium habes apud Herreram in Alphabeto, & apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca : ad decrepitam autem ætatem pervenit, utroque teste, mortuus anno 1611 vel 1612. Vide infrà lit.* d.

B c *Teste Herrera in Historia conventûs S. Augustini Salmanticæ pag.* 166, *Nicolaus de Witte, filius legitimus Francisci de Witte & Mathildis de Jacops, professionem emisit Burgis, cùm secundò Prior esset* S. Thomas, *anno* 1538 *die* 21 *Aprilis. Atque hinc colligo, habitum concessum fuisse Nicolao à Sancto, non Priore ejusdem domus, sed Castellanæ provinciæ etiam tum præside : nam sicut ostendi in Commentario prævio ex Herrera, Burgis Prior fuit ab anno* 1531 *usque ad* 25 *Aprilis* 1534, *à quo die usque ad* 28 *Aprilis* 1537 *universam Castellæ provinciam gubernavit, ac tum demum Burgensis conventus regimen secundò suscepit : atque inde etiam consequens fit, sanationem & prædictionem, hîc à Salonio narratam, contigisse intra annum* 1531 *&* 25 *Aprilis* 1534; *si nempe contigerit, cùm Burgis Prior esset* S. Thomas.

d *Eodem teste Herrera ibid. pag.* 169, *emisit professionem die prima Aprilis* 1543.

e *Si rectè notet laudatus Herrera, P. Nicolaus de Witte transiit in Mexicanam provinciam anno* 1543. *Itaque licentiam quidem petiisse potuit intra annos* 1534 *&* 1537, *dum provinciam* C *moderabatur* S. Thomas; *at certè dum abiit ille, præerat hic conventui Vallisoletano, puta ab anno* 1541 *usque ad* 1544, *quo ad archiepiscopatum Valentinum assumptus est, uti ex Herrera & ex ipso Salonio probavi in Commentario.*

f *De Joanne Segrian, qui primùm sancto Archiepiscopo pro diœcesi inspector seu visitator, deinde episcopus suffraganeus fuit, sæpe per decursum sermo redibit.*

g *Prima quidem sacræ synodi sessio habita fuit die* 13 *Decembris* 1545, *quando jam uno circiter anno archiepiscopatum tenuerat* S. Thomas; *sed diu antè indictum fuerat concilium, per Bullam scilicet Pauli III PP. datam Romæ anno* 1542; *ut proin prædictio Sancti fructum ejusdem concilii propriè respexerit.*

h *Occurrit P. Christophorus Perez in processu Valentino apud Coccinum semel, iterum ac tertiò; ubi agitur de luctu populi in morte Sancti, de fama sanctitatis, & de frequentia hominum in suis necessitatibus ad sepulcrum ejus accurrentium, ut suis locis videbimus.*

A. M. SALONIO.

CAPUT XI

Dæmones expellit.

PRæter spiritum propheticum, de quo capite præcedente sermonem instituimus, accepit etiam Dei Servus donum illud, quo plures Sancti & amici Dei claruerunt, virtutem scilicet & imperium in dæmonia. Hoc autem (sicut ait Palladius in Historia, quam Lausiacam appellavit, in Vita beati Pauli *a*, quem ob eximiam humilitatem, puritatem, ac sinceritatem cognomento Simplicem aut sincerum dixerunt antiqui) impertiri consuevit Dominus personis humilitate præcellentibus; quoniam justum humilitatis præmium est, illis, qui ea virtute excellunt, subjici atque obtemperare eos spiritus, in quibus tam insignem locum invenit, tenuit ac tenet arrogantia & superbia; de quibus inquit propheta : Superbia, Domine, inimicorum tuorum exsurgit semper & ascendit adversùs honorem tuum & gloriam, desiderantium atque enitentium hanc sibi vendicare *b*. *Potestas ejus* *a* E *b*

103 Cùm bonus P. F. Thomas Prior esset Burgis, homo erat miserabilis, ita à dæmonibus obsessus, ut, quamvis multa ac magna ad ipsos ejiciendos allata fuerit diligentia, numquam egressi sint : adeo pervicaces erant exsecrabiles illi spiritus. Adductus est ad P. F. Thomam; jussit autem hic religiosos omnes orationi secum insistere, ut illi expellerentur; & quamvis id factum sit, non tamen sunt expulsi. Rogatus, cur tot hominum religiosorum precibus non expellerentur, dixit (quod sine dubio novisse debuit à Domino in oratione :) Quia dæmones hi ex illis sunt, de quibus ait Redemptor noster in Euangelio : Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio. Quia ad eos ejiciendos opus est multa oratione & jejunio. Proin, mandante P. F. Thoma, per dies aliquot jejunia observârunt religiosi, & pro homine illo enixè oraverunt Dominum, quibus jejuniis ac precibus homo idem liber evasit, integer ac sanus. Hoc autem, teste patre magistro Santotis, miraculum à Deo patratum fuisse putaverunt omnes per intercessionem ac patrocinium P. F. Thomæ. *in dæmonia* F

104 Eadem in civitate Burgensi exorta est die quodam tam vehemens ventorum ac turbinum tempestas, ut domos aliquot solo dejecerit, pluribus tectum surripuerit magno loci dispendio. P. F. Thomas se contulit ad sacellum Domini sacro ligno affixi, quod istic magna in veneratione est in monasterio sancti patris nostri Augustini; ubi ingenti pietate ac fervore Dominum rogavit, ut hujusce calamitatis misereseeret, atque istud flagellum manu deponeret : & tamquam de rei statu admonitus in oratione, turrim conscendit cum altero religioso, oculisque circùm aspexit (ut declaravit postmodùm) variis ac turpissimis formis dæmones, per aëra vagantes & istorum damnorum causas excitantes, quibus præcepit in nomine Domini nostri Jesu Christi, sese statim inde proriperent, nec damnum aut malum illi loco ultrà crearent. Atque eodem temporis momento diffugerunt, & cessavit omne infortunium : adeo, ut ex tranquillitate & serenitate, quibus extemplò gavisus est aër, evidenter apparuerit vis, quam vox Servi Dei illis intulit, virtusque ac potentia, quam in eosdem obtinuit. *variis exemplis*

A. M. Salonio. *comprobatur.*

105 Retulit ſimiliter P. F. Hieronymus Guzman, Ordinis noſtri cœnobita, vir religioſiſſimus, quòd, dum P. F. Thomas in ea Burgenſi civitate erat Prior, adductus fuerit in ſacellum ſacræ imaginis Chriſti è cruce pendentis energumenus, quem dæmon identidem cruciabat vehementer, atque identidem tranquillum & ſine iſto cruciatu eſſe permittebat. Rem edoctus P. F. Thomas præcepit ædituo, ut, ſimul atque ipſum exagitatum cerneret, mox advocaret ſeſe, quâcumque tandem id horâ accideret. Mane cùm rediret à matutinis precibus, accurrit ædituus dicens, quòd id temporis dæmon miſerum hominem vehementer exagitaret, ex ejus ore multum ſpumæ eliceret, ac vultum miros in modos diſtorqueret. Rogavit P. F. Thomas religioſos omnes, tum è choro exeuntes, ut ſe ad ſacellum ſacræ imaginis Chriſti è cruce pendentis comitarentur, conjunctim oraturi pro energumeno. Contulerunt ſeſe ad dictum ſacellum, ubi cum P. F. Thoma orationi ſe dederunt omnes; voluit autem Dominus per inſignem ſuam miſericordiam, ut exſecrandus ille ſpiritus aufugeret, miſerum hominem, quamvis oppidò defatigatum ac debilem, liberum abſque ullo indicio relinquens. Gratias illic omnes Domino infinitas egerunt de ingenti beneficio, quod à benedicta ejus dextera ibidem coram omnibus impetravit homo miſerabilis. Tum P. F. Thomas dixit Religioſis ſuis: En vobis, patres, cur voluerim, ut comitaremini omnes ad Dominum deprecandum pro illo energumeno. Deſideravi id duplici de cauſa. Primò, quia communes preces majoris virtutis ſunt coram Domino Deo noſtro: ſecundò, ut, quando à divina bonitate beneficium & miraculum iſtud erat patrandum, tutior eſſet à periculo & ictu inanis gloriæ is, cujus intuitu idipſum in homine illo Dominus perpetraret.

B

Dæmonem pudore ſuffuſum pellit è puella, c

106 Anno primo archiepiſcopatus ſui, in viſitatione generali, quam inſtituebat per univerſam diœceſim Valentinam, cùm perveniſſet ad oppidum Alcoy *c*, uti in proceſſu ejus refertur, invenit puellam, quam malignus ſpiritus ad eum modum occupaverat, ut neque precibus, neque exorciſmis, neque aliis, in Eccleſia uſurpari ſolitis, remediis expelli potuiſſet. Rei peractæ ſeries enarrata eſt P. D. Thomæ, ipſe verò adpromiſit fore, ut pro illa ad Dominum preces funderet. Die quodam Sabbati, abſoluto Miſſæ ſacrificio, dixit vicario ejuſdem oppidi: Die craſtino, ubi ad Officium convenerit populus univerſus, è ſuggeſtu pronuntia, tum quæcumque de hoc dæmonio audiveris & cognoveris, tum nonnulla alia, quæ ego ſpeciatim te docebo; & certus eſto, exceſſurum illum quàm mox: nam dæmon iſte ſpiritus eſt ſuperbus admodùm, nec cuiquam ſuas fallacias compertas eſſe exiſtimat; ubi autem perſpiciet, quòd comperta ſint nobis, quódque eas etiam pervulgemus, pudore ſuffuſus abſcedet. Et ita factum eſt; die enim poſtero, qui erat Dominicus, vicario è ſuggeſtu promulgante tum ea, quæ de illo dæmone cognoſcere potuerat exorciſmorum tempore, tum quæ privatim de illius fallaciis didicerat ex P. D. Thoma, ſtatim aufugit è corpore mulieris, dolore aliquo afficiens quidem ipſam in exitu, relinquens tamen ſine læſione aut damno qualicumque.

C

multos item è muliere

107 Eodem in oppido Alcoy mulier nupta, nomine Andolça Gisbert, uxor Andreæ Boatella, longo tempore tam horrendum in modum ab inſidentibus dæmonibus vexata fuit, ut populus univerſus metu ac terrore percelleretur. Identidem enim uſque adeo cruciabant & affligebant dæmones, ut res eſſet digna commiſeratione; aliquando tanto furore agitabatur, ut ſtuporem incuteret; cùm autem domo, quâ incluſa ſervabatur, proripere ſe valebat, vagabatur per plateas, lapides jactans, multumque creans detrimentum. Et quamquam loci vicarius operam daret in applicandis ipſi orationibus, exorciſmis, aliiſque remediis, à ſancta matre Eccleſia præſcriptis, ad ſubveniendum energumenis, nullum ex hiſce proderat. Quapropter oppidi magiſtratus *, & miſeræ mulieris conſanguinei, rem detulerunt ad P. D. Thomam tamquam ad ſuum antiſtitem, ſpe freti fore, ut apud ipſum inveniretur remedium aliquod, quale ex ejuſdem conſilio obtinuerat puella antè memorata.

D

* *Hiſp.* los jurados

poſt fuſas d

108 Bonus ille Paſtor ſacerdoti, cui nomen dominus Ojos negros *d*, quique in civitate Valentina ſolebat recitare orationes ſuper energumenis, ac malis dæmonibus exorciſmos intentare, atque aliquando illos tartareo tyranno liberabat, provinciam commiſit eundi in Alcoy, & exorciſmos adhibendi miſeræ illi mulieri. Abiit illuc ſacerdos, &, licèt recitârit ſacra Euangelia, litanias & ceteras, quas ſolebat, orationes, nihil ampliùs profecit. Tum præcepit [Thomas,] ut illa Valentiam adduceretur: adductam peculiaribus precibus Domino commendavit, &, poſtquam multùm deprecatus fuerat, aſſeruit, dæmones, qui illam torquebant, improbiſſimos eſſe, nec ejectum iri modo ac via communi; quandoquidem ex iis eſſent, de quibus pronuntiavit Redemptor noſter, ejiciendos eſſe vi orationum ac jejuniorum; quod didicit veriſimiliter Dei Servus in oratione, quando ſeorſum pro illa Dominum deprecabatur.

E

ad Deum preces.

109 Deinde intelligens, quòd mulier iſta, dum ſalva erat, magna pietate afficeretur erga myſterium induentis naturam humanam Dei Filii, miſit, qui commendaret monialibus monaſterii de Incarnatione in eadem civitate, ut pro illa preces funderent: quod magna devotione præſtiterunt religioſæ iſtæ. Juſſit deinde ſacerdotem, quem deſignabat, die quodam pro ipſa offerre Miſſæ ſacrificium in ſacello S. Mariæ ad Nives, quod eſt eadem in civitate in monaſterio ſancti patris Franciſci, atque etiam ipſe eodem die magna cum pietate obtulit in ſacello ſuo. Ipſo autem deſignato die, finitâ Miſſâ, quam ad aram S. Mariæ ad Nives celebravit ſacerdos, eâque, quam ipſe [Sanctus] dixit in ſacello ſuo, mox dæmonia deſeruerunt mulierem & hæc tranquilla planè remanſit ac ſana. Et licèt ratio præcipua, ob quam feminæ miſertus eſt Dominus, fuerint evidenter orationes ac jejunia benedicti Antiſtitis, voluit tamen hic adhiberi quoque monialium preces & ſacerdotis Sacrificium, ne ſibi ſed aliis iſtud adſcriberetur, pro inſigni ſua ac vera humilitate deſiderans evitare honorem omnem & exiſtimationem humanam. Permiſit autem Dominus, ut, licèt Dei Servus ita illud occultare conaretur, omnes tamen, qui audierunt, ac teſtes, qui retulerunt, potiſſimùm attribuerint orationibus, jejuniis & meritis P. D. Thomæ.

F

Euergumenas alias

110 Erat Valentiæ in platea, cui del Fumeral nomen eſt, puella, in cujus corpus ingreſſus eſt malus dæmon. Diu apud ipſam commoratus eſt exſecrandus [hoſpes] occultè admodùm, ut è theologis nemo certò affirmare poſſet, an res, quas, movente illo, ipſa proferebat, eſſent denuntiationes divinæ, an verò ſatanæ doli ac mendacia. Deducta eſt ad magiſtrum Joannem de Salaya, doctorem Pariſienſem, & univerſitatis Valentinæ rectorem perpetuum, virum propter vir-

A tutem & eruditionem tum valdè celebrem, qui ejus confessionem exciperet, & eam examinaret; neque tamen hâc viâ determinari potuit, quid de re esset. Ita multo tempore in muliere occultus latuit malus dæmon. Sed tandem compertum est, degere in ipsa spiritum nequitiæ; quippe ad difficultates theologicas sibi objectas Latino idiomate respondebat, quod è certissimis signis unum est, possideri à dæmone personam simplicem ac rudem, quæ numquam dedit operam studiis. Conati sunt igitur expellere ipsum precibus & exorcismis, at nihil effectum est: contrà irridebat nequam, quotquot accederent ad intentandas adjurationes, ac miseram puellam mille ludibriis cruciabat. Res significata est P. D. Thomæ, qui eam jussit in ædes suas introduci, ut ei per orationes ac Sacrificia sua subveniret in ista calamitate. Cùm adducta esset, sacrosanctum Missæ officium ingenti devotione pro ipsa celebravit, & simulac illud absolverat ac Dominum pro ipsa oraverat, abiit æternis pœnis addictus spiritus, per Dei clementiam & Servi ejus orationem reliquens eam liberam absque signo aut vestigio aliquo eorum, B quæ fuerat perpessa, demirantibus vehementer omnibus, qui aderant; quòd perspicerent tot factos conatus, & adhibita incassum remedia ad liberandam dæmonio infelicem mulierem, quódque post celebratum à P. D. Thoma pro illa Sacrificium, extemplò ab eadem recessérit.

quibus frustra adhibita fuerant

111 Puella altera, apparitoris ejusdem civitatis filia, occasione dierum quarumdam genialium, permittente Domino, in pœnam animi levitatum ac superstitionum nonnullarum, quas frequenter usurpant hujuscemodi, à dæmone correpta est, & tali tantoque furore percita, ut regi * nequaquam posset. Provisum est diligenter, ut ipsi applicarentur exorcismi atque remedia, ab Ecclesia sancta in similibus casibus præfinita. Verùm cùm nihil inde utilitatis perciperetur (usque adeo in miseram mulierculam dominabatur dæmon) matrona, quæ P. D. Thomæ addicta erat, jussit eam adduci ad se; factum est ita, & ipsa unà cum iis, qui adduxerunt, adiit, oravitque benedictum Antistitem, ut commisereseeret ejus, quod puella, una ex grege suo, patiebatur. Excusabat se pro humilitate sua Dei Servus, quia id flagitabant, tamquam maximè confisi, esse illi potestatem mandandi dæmoni, ut ab illa recederet.

* *Hisp.* averiguar

C 112 Verùm attendens, quantùm urgerent, ac per amorem Dei precarentur, & tactus commiseratione ejus, quod miseram puellam pati cerneret, propiùs admoveri eam jussit ac genua inflectere, quâ illic ad pedes ejus prostratâ, recitavit Euangelia ac orationes reliquas. Referunt testes, rem fuisse luctuosam, audire voces adeo terribiles, quales ipsa edebat, dum legebat ille. Dæmon sese coarctatum cernens, nec sufficiens sustinere coram illo Dei Servo, tamquam orationibus subactus, excessurum se pronuntiavit: & confestim ex eo, quod in muliere observabant adstantes omnes, illum abiisse agnoverunt. Quippe mox tranquillam conspexerunt, vultu, quem non gerebat antè, sereno, & ab iis, quos patiebatur atque in ipsa producebat insidens dæmon, effectibus liberam. Illic peccatum suum & noxam professa est; ipse verò P. D. Thomas eam consolatus & hortatus est, ut sacra confessione noxas expiaret, Sacramenta susciperet, &, his susceptis, ad sese iteratò reduceretur. Ad se reversæ suasit ac persuasit, ut vitæ religiosæ se addiceret, quod ipsa præstitit lubenti animo ac devotione magna, quoniam id ei proponebat sanctus Antistes, & magna dotis parte succurrebat, ut in monasterium secederet, & ibidem longè à rebus mundi avocata Deo deserviret.

alia remedia,

A. M. SALONIO.

liberat

113 Loco prope Valentiam, dicto Chiruella, dæmon quoque, arcano Dei judicio, puellulam corripuit. Parochus, in cujus ædibus degebat illa, (quoniam jam perspectam habebat potestatem, quâ præditus erat sanctus Præsul adversùs dæmonia) supplicatum accessit, ut illam ad sese adduci permitteret, & auxilio sublevaret. P. D. Thomas secundùm animi sui demissionem, sisterent eam, dixit, certis sacerdotibus; hos quippe ornatos esse à Domino gratiâ subveniendi hujuscemodi calamitatibus. Dictus parochus, jam tum ad istos sacerdotes adductam illam fuisse asseruit, jamque eorum orationibus adjuratum fuisse dæmonem, sed absque fructu: atque idcirco orabat illum, ut infelicis puellulæ commisereseeret, quia patiebatur multùm. Igitur miseratione permotus: Adducatur, inquit, non tamen de die & cum rumore, sed nocte ac paucis conscíis. Ita adducta est, & ejus jussu posita in ædium parte inferiori, ubi morabatur unus è famulis domesticis cum uxore sua & filiabus. Illic positam descendens invisit, jussitque, eam reponi in cellula solam, atque ibidem cum Agno Dei *e* & ligatam stolâ, nocte illa degere. Ipse autem in oratorium suum conscendit, eam Domino commendaturus. E *e*

dæmonibus,

114 Adverterunt ea nocte, qui illam ædium partem inhabitabant, quòd spiritus nequam vehementer torqueret afflictam puellulam, atque inde magno commiserationis affectu permoti sunt: quapropter postero mane statim de eo certiorem fecerunt benedictum Antistitem. Tum iteratò ad illam invisendam descendit, bene precatus ei est, atque hinc magna, non tamen plena, tranquillitas ipsi accessit. Reversus ille est ad sacellum suum, & magna devotione obtulit pro ipsa Missæ sacrificium, quo finito, revisit ipsam, ac prorsus tranquillam, multúmque à priore statu immutatam offendit: vincula ipsi solvi ac cibos porrigi jussit, jam sanam esse, inquiens, & liberam. Eratque ita; ac ipsamet fassa est, quòd sese jam liberam deprehenderet. [Aiebat] enim, [dæmonem] sibi antè apparuisse objectis formis horribilibus, atque his vexatam se fuisse, quamdiu ab illo obsidebatur; terribiliùs tamen cùm deduceretur ad ædes istius Monachi (innuendo P. F. Thomam) & maximè tota hac nocte; at verò manè dum hic illam invisebat & bene precabatur, [visiones istas] concidisse magna ex parte, & quidem ex toto, postquam rediisset, puta, cùm Sacris operatus fuisset: jam verò nullum sibi superesse visionis vestigium, nullum doloris sensum; sed experiri sese sanam admodùm, solatio affectam, & expertem omnis metûs ab inimico spiritu. F

à quibus timetur.

115 Adhæc, quamquam peculiaris relatio ejus rei relicta non sit, pluribus aliis energumenis misericordiam suam impertivit Dominus Deus, intercedentibus orationibus ac Sacrificiis Servi sui. Quippe in processu, Burgis instituto, testis est, & is præclari quidem generis, qui asserit, didicisse se ex personis fide dignis, quòd, dum erat ea in civitate energumenus, duceretur is ad P. F. Thomam, quódque hic, post factam priùs orationem, juberet [dæmonia] excedere, ac dæmoniacus evaderet liber. Idem etiam affirmat, audivisse se, tamquam rem in dicta civitate publicam, quòd dæmones illum timerent, atque obedirent ipsi. Verùm quî non timuissent illum, qui tam impensè amabat & colebat Dominum Deum?

A. M. Salonio.

ANNOTATA.

a *Vita S. Pauli Simplicis ex Palladio data est apud nos tom.* 1 *Martii ad diem* 7.

b *Textum hunc dilatatum existimo, nec alium esse, quàm qui legitur Psalm.* 73 ℣ 23 : Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

c *Oppidum est amœnum, teste Alvaro de Colmenar, ita appellatum à fluvio cognomine; non amplum quidem, sed ferri fodinis ac nominatim fonte admirabili famosum.*

d *Ita lego Hispanicè, quod si ad verbum exponas, dices:* Dominus nigris oculis.

e *Hisp.* con unos Agnus. *Latinè communiter* Agnos Dei *vocamus, numismata cerea cœlestis Agni effigiem præferentia atque à summo Pontifice sacrata.*

CAPUT XII.

Ob insignem prudentiam consulitur tam ab imperatore quàm ab aliis; præficitur variis conventibus; bis toti provinciæ; gubernandi ratio exponitur.

B

Prudenti ejus consilio Carolus V imperator utitur.

NOn tantùm relatis hactenus virtutibus & gratiis ornatus est à Domino Deo P. F. Thomas; sed eximia insuper in omnibus, quæ agebat & loquebatur, præditus fuit circumspectione ac prudentiâ. Mirabile ejus judicium & sermonis [præstantiam] experti sunt quotquot cum ipso, ingenti animarum suarum fructu, ac felici negotiorum successu, egerunt; aulici præsertim omnes, tam senatores * & consiliarii suæ majestatis quàm præsules & magnates, qui in ea [aula] versabantur; in rebus conscientiæ ad bonum Patrem accurrentes tamquam ad insignem (qualis erat) theologum & Dei servum, in negotiis verò &, quæ occurebant, causis gravibus, tamquam

C

ad consiliorum fontem, & juxta cujus arbitrium res quælibet rectè erat dirigenda. Mirabantur universim omnes ejus in dicendo doctrinam; at personæ genere illustres præ ceteris in eo suspiciebant & æstimabant eximiam prudentiam &, quæ juxta hanc omnibus dabat, consilia tam exacta. Hanc ob rationem laudabant eum impensè coram cæsare familiariores, & quoniam accidit, ut ipsa Catholica ac cæsarea majestas in quibusdam occasionibus id experiretur, factum quoque est, ut P. F. Thomas non solùm esset à concionibus, sed præcipuus etiam, quem consulebat atque audiebat Christianissimus princeps in rebus magnis & gravibus, & juxta cujus opinionem tutiore conscientia procedebat. Et sanè pridiè quàm moreretur benedictus Antistes, clavem scrinii sui porrexit uni ex visitatoribus suis ac familiaribus, cui nomen erat magister Caro, ut plures litteras illic asservatas depromeret, & flammis committeret; major autem earum pars erat ex iis, quibus ipsum in gravioris momenti negotiis consulebat Carolus quintus imperator, & unde patebat, quantam in ejus arbitrio & consilio fiduciam collocaret.

* *Hisp.* oydores

117 Insigne ejus judicium ac prudentiam experimento etiam agnoverunt, qui noxas suas exosi ad pedes ejus accedebant; etenim pro flagranti, quo in animarum salutem rapiebatur, desiderio (qui proprius erat effectus caritatis præcordia ejus perurentis) pro naturali pietate, & commiseratione sibi à Deo indita, nec non insigni, quod diximus, judicio, licèt alioqui ex sese esset valdè amans secessûs, & aversaretur hominum colloquia, lubens excipiebat confessiones omnium, qui pro conscientiæ suæ remedio & solatio ad eum recurrebant. Juvabat eos ad deflenda scelera, animabat ad præstanda vera pœnitentiæ opera, ex eorum molestiis ipse doloris sensu afficiebatur, hujusce modi subministrabat consilia, ut sæpenumerò res, quæ aliis videbatur omni destituta remedio, hoc ipsum & quidem efficacissimum ex ejus consilio consequeretur.

D

aliique plures ingenti animæ fructu.

Variis conventibus

118 Noverant id omnes provinciæ illius patres, atque inter virtutes reliquas, quibus clarebat, optimè perspectam habebant ejus prudentiam; ac proin quàm rectè esset administraturus officium ac præfecturam, quæ ipsi essent committenda: atque idcirco in hisce operâ ejus uti decreverunt: & ita quidem [usi sunt,] ut nullum esset in provincia munus, res nulla gravis momenti vel arcani consilii, quin ipse perfungeretur. Bis Prior fuit Salmanticæ: primò ad annum millesimum quingentesimum decimum nonum, uti constat ex libris ejusdem conventus, cùm non ultra biennium effluxerat à solemni ejus professione. Quippe professionem emisit anno millesimo quingentesimo decimo septimo, die sacro S. Catharinæ martyri; ejusdem autem conventus Prior constitutus fuit sub finem anni millesimi quingentesimi decimi noni, quæ res fuit planè extraordinaria, nec visa umquam in nostro Ordine: adeo, ut ipse beatus pater Joannes Sahaguntinus *a* (quem ab annis aliquot Clemens octavus Pontifex Beatorum albo inscripsit *b*, cum facultate colendi ipsum deinceps [officio ecclesiastico] per universum Ordinem nostrum, quamvis esset vir adeo eximius, cùm habitum susciperet; utpote qui fuerat Salmanticæ de collegio S. Bartholomæi, qui è cathedra sacram Scripturam prælegerat, qui magnam æstimationem [adeptus] erat, ac ornatus erat dotibus viri magnæ religionis, ei conventui præfectus non fuerit nisi post elapsum à professione septennium, juxta morem in ea provincia tunc usitatissimum: at P. F. Thomas ei

E

F

præpositus est, quando non superaverat biennium ab emissa professione. Unde sufficienter liquet, quanto fuerit exemplo, quantis præluxerit virtutibus ac dotibus biennii vitæ monasticæ intervallo, tam citò electus, qui præesset domui tam strictæ disciplinæ, atque ea tempestate, quâ per Castellam tantopere florebat, uti floruit semper & floret, vita religiosa, & quâ erat tantus virorum sanctitate & doctrinâ excellentium numerus.

a

b

præficitur;

119 Duabus quoque vicibus præfuit conventui nostro sancti patris Augustini Burgis ac aliis Vallisoleti *c*; bis item universam provinciam moderatus est, primùm Andalusiam, dein Castellam; hoc ordine *d*: expleto Salmanticensis præfecturæ cursu, cùm perspicerent, quàm bene, quanto cum fructu spirituali ac temporali domus istius, quantaque cum caritate ac consolatione religiosorum præfuisset, electus est Prior Burgensi monasterio, factum id fuerit ad annum millesimum quingentesimum vigesimum secundum. Dein anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, jussu reverendissimi patris generalis, magistri F. Gabriëlis Veneti *e* visitavit Andalusiam & Castellam, quæ unicam

c

d

e

A nicam id temporis conficiebant provinciam, ut conſtat ex antiquis codicibus Salmanticenſibus. Ex iſta viſitatione ob rationum momenta & conſilia à P. F. Thoma juxta illam data dicto patri generali (qui in omni re illius adhærebat arbitrio & conſilio) ſecutum eſt, ut provincia Andaluſiæ diviſa ſit à Caſtellana.

bis item toti

120 Ea autem provinciarum diviſio effectum fortita eſt in comitiis provincialibus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo. Modum ac ordinem in eadem diviſione ſervandum commiſit reverendiſſimus pater P. F. Thomæ & P. F. Joanni Gallego, qui duo, ut omnia maturiore conſilio dirigerentur, tamquam ſocios ſibi adſciverunt ſex è patribus, qui aderant, gravitate ac pietate præſtantiores, & unà omnes decreverunt, ut, quoniam illa provinciarum ſeparatio fiebat potiſſimùm in gratiam ac favorem Andaluſiæ, patres Andaluſii ex univerſo cœtu ſibi primùm deligerent provinciæ præfectum & definitores, qui provinciæ ſuæ magis congruere judicarentur; ac dein patres Caſtellani eligerent ſimiliter ſuæ [provinciæ]præfectum cum definitoribus. Juxta hanc conditionem patres Andaluſii primi ſibi delegerunt pro-

B vinciæ præpoſitum præſtantiorem, patrem ſcilicet fratrem Thomam, talem patrem illis in favorem cedente provincia Caſtellana, uti conſtat ex provinciæ codicibus, ubi verba iſthæc leguntur: "Electus eſt autem primò canonicè in favorem Bethicæ provinciæ pro hac vice dumtaxat reverendus pater F. Thomas à Villanova &c".

provinciæ.

121 Anno dein milleſimo quingenteſimo trigeſimo, quo complevit Andaluſiæ provinciæ præfecturam, electus eſt Prior Salmanticenſis monaſterii, & hæ fuerunt ſecundæ vices, quibus antè dixi eum præfuiſſe Salmanticæ. In comitiis proximis Caſtellæ, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, præpoſitus eſt provinciæ Caſtellanæ, ac finito provinciæ regimine, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, [provinciæ] definitor conſtitutus eſt & Prior Burgenſis monaſterii. Hìc commoratus eſt uſque ad annum milleſimum quingenteſimum quadrageſimum primum, quo comitia provinciæ Caſtellanæ celebrata ſunt, & quibus interfuit reverendiſſimus pater magiſter F. Hieronymus Seripandus Ordinis noſtri generalis, dein ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, atque unus è legatis Pii Quarti in con-

C cilio Tridentino. Et quamvis dictus reverendiſſimus pater (ut pòſt dicemus) animo ſtatueret illum præficere toti provinciæ, ipſe [tamen] id ipſum metuens, operam dedit, quominus eligeretur, adventare, quando jam neceſſario peracta eſſe debebat electio; (nam die Sabbato ante prandium illa peragitur, ipſe verò adventare noluit, niſi poſt diei Sabbati meridiem.) Iiſdem in comitiis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi primi deſignatus eſt Prior cœnobio Valliſoletano, unde dein ad annum milleſimum quingenteſimum quadrageſimum quartum tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum hujus eccleſiæ Valentinæ tanto civitatis ac diœceſeos fructu & ſplendore *f*.

f

Ejus gubernandi ratio

122 De regimine beati hujus Antiſtitis in chronicis Ordinis noſtri folio cxix leguntur verba ſequentia: "Fuit Vir ille præſtantiſſimus homo magna æſtimatione dignus: etenim in omnibus negotiis æquitatem magnam ſervabat & juſtitiam: „erat omnis novitatis inimicus; nihil umquam novi in monaſteriis ſuis mandari cupiebat, ſed ſervari deceſſorum noſtrorum inſtituta & conſuetudines bonas. Deſiderabat, ut monachi [ſtatum animi] interiorem maximi facerent: quòd ſine illo (inquiebat) exterior [compoſitio] non face- A. M. Sa-
ret veros monachos, ſed probitatis ſimulatores. lonio.
Vir erat devotiſſimus, multæ orationis & ſpiritûs. Quotquot ejus converſatione fruebantur, amabant ipſum. Inſignis erat concionator, & peculiari ac cæleſti doctrina [ornatus.] Diligebant illum ac reverebantur multùm Carolus quintus imperator & hujus aulæ magnates univerſi. Tantopere erat alienus à mundi honoribus, ut, licèt cum illo colloqui optaret imperator atque hujus familiariores ſignificarent illi, gratum fore ſuæ majeſtati, ſi illam inviſeret, ad ejus colloquium tamen non acceſſerit, niſi ter quaterve, idque verbis pauciſſimis, ac de rebus, ad quas compellebat caritas. Hinc diligebat eum ampliùs [cæſarea] majeſtas, magnamque de ipſo concipiebat opinionem, quam ſibi optimè conciliabat vitâ ac doctrinâ; per hanc autem & è ſuggeſtu dicendi facultatem vir erat inter præſtantiſſimos, quos poſſedit Caſtella, atque ut talis habitus fuit & eſt hodiedum per univerſam &c". Hactenus Chronici verba ſunt *g*.

g

pia & ſancta, quamquam invitus præficeretur;

123 Quamvis autem ex illis abundè perſpiciatur, quàm ſanctè ac religiosè adminiſtraverit officia & præfecturas, quibus perfunctus eſt in Ordine, proderit ad exemplum aliorum præpoſitorum hìc addidiſſe, quod D. Joannes Mugnatonius epiſcopus in narratione de vita, religione ac virtutibus Servi Dei compoſita & ſuprà allegata, refert tamquam teſtis oculatus, quodque affirmant in ſuis reſponſis teſtes alii, per varias Caſtellæ partes interrogati. Ex quibus omnibus ſequitur, quòd, quotieſcumque Prior fuit conſtitutus, planè fuerit compulſus moleſtis flagitationibus ac precibus religioſorum eligentium (tunc quippe electio penes eos erat, qui de conventu erant.) Superiores autem in ejus conſcientiam rejiciebant quidquid offenſæ Deo fieret ex eo, quòd renueret ſervire Ordini iis in officiis, in quibus certum erat fore, ut multum ſolatii ac utilitatis afferret fratribus, & Dei ac ſuperiorum voluntati obtemperaret. Et ſanè quæcumque obivit munia, ex mera obedientia acceptavit, ad ea vocatus à ſola Dei voluntate. Conſideret [modò quilibet] utrùm illi, qui eo modo, & aperiente vero ac cæleſti janitore Chriſto Jeſu, oſtium intrabat, gratia non eſſet concedenda ab eodem Domino, quâ tam bonus Præpoſitus evaderet, qualis exſtitit in omnibus F
conventibus ſuæ curæ commiſſis.

ſtudium religioſæ diſciplinæ;

124 Quapropter, ut referunt univerſi, cùm Prior eſſet, magno divini honoris & obſervantiæ religioſæ flagrabat ſtudio. Operam navabat ſemper, quam poterat maximam, ut ſubditi religioſi à rebus mundi eſſent ſegregati, veri monachi & ex corde toto Deo famulantes. Hoc magno animi ſenſu ac multis è corde profectis lacrymis illos rogabat in ſermonibus omnibus atque capitulis. Bono exemplo, doctrinâ & curâ ſuâ in cœnobiis, quibus præerat, res aliquas emendationem exigentes reformabat, & Religionis obſervantiam ad normam ſuam revocabat. Adeo ut graves patres Caſtellæ, idque ego ipſe, datis occaſionibus ex multis eorum audivi, profiteantur, quòd ejuſdem provinciæ obſervantiam atque hujus conſervationem magna ex parte acceptam referre debeant ſancto zelo & ſolicitudini, quibus eam procuravit P. F. Thomas, quòdque ante ejus regimen eſſent aliqua [à priſca diſciplina] delapſa ac exigentia emendationem, quæ ille Præpoſitus correxit & ad debitum ordinem reduxit, quæque deinde conſtanter obſervata ſunt per diligens ſtu-

A. M. SALONIO.

dium ac ſolicitudinem ſucceſſorum ipſius, quorum plures (uti videbimus) ratione [accepti] habitus & [ingreſsùs] in religionem magni hujus Religioſi ac Prælati fuere filii.

diligentia in frequentando choro;

125 Quamquam, etiam dum præerat domibus, tantopere occuparetur habendis concionibus & excipiendis confeſſionibus propter ingentem fructum, quem ex ſua doctrina referebat; & quamquam tot perſonæ pro animarum ſuarum conſolatione, ac remedio in ſuis moleſtiis ad ipſum recurrerent, non idcirco prætermittebat media nocte chorum frequentare, & per diem iis Horis intereſſe, quibus commodè poterat, ita quidem ut ingrederetur primus, & poſtremus egrederetur *h*. Hinc aliquot novitiorum magiſtri, qui ipſum habuerunt, cumque ipſo vixerunt iis in conventibus, quibus præerat, crebrò repetebant atque ob oculos ponebant tyronibus ſuis exemplum P. F. Thomæ, chorum frequentantis, ad excitandum in illis amorem erga chorum.

h

comitas & benignitas erga ſubditos

126 Licèt autem conſtitutum ſe cerneret in præfectura, & ſine hac etiam ob dotes proprias æſtimaretur atque apud omnis conditionis homines venerationem ſibi conciliaret majorem, quàm

B

quiſquam religioſorum uno eodemque tempore aſſecutus ſit umquam, tam candidè tam modeſtè agebat ſemper cum ſubditis, acſi æquales ſibi eſſent omnes, inferior nemo: haud immemor tamen idcirco vel incurius religioſæ illius auctoritatis, quam ſervare tenetur ſuperior, ne occaſione ingenuitatis illius, debitam ſubditi exuant obſervantiam ac venerationem: ſed duo iſta ad eum modum temperabat, ut omni caſu & tempore præ ſe ferret humilitatem compoſitam & gravem, gravitatemque ſanctam & prudentem, religioſam & humilem. Diligebat omnes tamquam proprios & naturales ſeu filios ſeu germanos, impenſa ſolicitudine incumbens eorum animæ bono, exhortans eos jugiter ad amorem & timorem Dei, ad interiorem conſcientiæ puritatem, & ad caritatem erga proximos. Minimè erat ex iis, de quibus ait Redemptor noſter in Euangelio, quòd onera magna & graviſſima imponentes in humeros miſerorum ſubditorum, ita proprium otium & voluptatem ſpectent, ut ipſi uno digito non tangant illa *i*. Etenim, cùm eſſet erga ſe ipſe (ut fuit ſemper) auſterus valdè, abſtemius, ſolitarius, pauperrimus, & Ordinis noſtri conſtitutionum ac rituum tenaciſſimus, omnis illa auſteritas, quâ utebatur adversùs ſeſe, [non oberat,] quominus contrà eſſet mitis ac facilis erga ſubditos, iiſque in rebus aliquot, in quibus poterat, immunitatem benignè concederet, numquam ſibi.

i

C

odium novitatum; & circumſpectio in caſtigandis

127 Erat novitatis omnis oſor præ ingenti amore, quo ferebatur erga pacem & tranquillitatem: quoniam novitates (uti aſſerebat) plerumque anſam præbent litibus ac perturbationibus. Hinc numquam novi aliquid in domos ſuas introduci voluit, ſed accuratè ſervari majorum noſtrorum inſtituta, bonaſque conſuetudines in domo antiquitus receptas. Æqui & juſti in omnibus erat amantiſſimus, ac ſimul præter modum miſericors ac prudens in puniendis delinquentibus, exſpectans ſemper occaſionem & tempus, quo reprehenſio & pœna cederent in utilitatem & bonum ſubditi. Factum eſt, ut ipſemet oculis aliqua, quæ diſplicebant, conſpiceret, iiſque, acſi non vidiſſet, diſſimulando ſuperſederet; & dum tempus [opportunum] videbatur, reum advocabat, & cum caritate ac manſuetudine reprehendebat; & ſi res rigorem exigebat, caſtigabat ſeveriſſimè. Quoniam verò ſanctus ac prudentiſſimus Præſul officio ſuo ſatisfaciebat, quando deferbuerat animi motus, unde profluxerat culpa, & quando tempus erat congruum, reprehenſio aut caſtigatio ſuſcipiebatur magna cum humilitate & patientia, agnoſcebatque ſubditus culpam ſuam ac boni Præſulis amorem & affectum, ex quo procedebat punitio, atque per hanc emendabat ſeſe & proficiebat ampliùs.

D

defectibus ſuorum, pro quibus ipſe aliquando de ſe pœnam ſumit;

128 Contigit, ſicut viderunt non numquam religioſi, quibus cura erat ejus cubiculi, ut, intelligens culpam aut negligentiam, ex qua damnum pati poterat conſcientia religioſi ſubditi ſui, eam tamquam propriam animo perſentiſceret ac defleret, eâque magis affligeretur, quàm quolibet alio damno ſeu malo temporali: & quia fortaſſe ovis illa ſua non advertebat animum [ad facti gravitatem] rebaturque rem eſſe levis momenti; [contigit etiam] ut bonus Præſul, inſciis aliis, jejunio ſe affligeret, pœnam ipſe aſſumeret, verberibus corpus multaret uſque ad excuſſionem cruoris: atque hunc tamquam bene impenſum offerret, acſi ejuſdem profuſione impetraturus eſſet, ne quiſquam ſubditorum ſuorum offenderet umquam ſupremum illum & omnipotentem Dominum, cujus cultum & honorem tam impensè deſiderabat ejus anima.

E

ſolicitudo in neceſſitatibus ſubditorum, præſertim ægrotantium;

129 Eadem caritate eodemque amore ſatagebat occurrere ſingulis ſuorum religioſorum neceſſitatibus temporalibus, diſpiciendo, quid cuique neceſſarium eſſet, &, quod opus erat, inſigni liberalitate ſubminiſtrando. Excellebat ſolicitudine erga infirmos, viſitabat eos frequenter, magno animi affectu omnium conſolationi & oblectationi ſerviebat, proſpiciens, qua re quilibet eorum indigeret, & quomodo unicuique proviſum eſſet tam de munditia in lecto, quàm de bona ſuppeditatione ciborum, ea caritate ac ſolicitudine, quâ ſolet proſpicere mater ægrotanti filio, quem diligit tenerrimè. Nam, ſepoſita etiam ingenti illa caritate, quâ præditus erat bonus Superior, & obligatione muneris, ex natura ſua erat pius admodùm, propenſus ad commiſerationem, cordeque ac animo, ut teſtantur omnes, tenerrimus; hinc vehementi ſenſu afficiebatur ex miſeriis ac moleſtiis fratrum ſuorum.

caritas in delinquentes & patientia;

130 Eadem caritate corrigebat & caſtigabat errores ſubditorum ſuorum, ac pro inſigni ſua prudentia cuilibet ad eum modum reprehenſionem ac punitionem adhibebat, ut & medicinæ loco ipſis eſſet & emendationem [ſortiretur:] culpas quippe oderat, amabat perſonas. Quoniam verò ob eximiam ſuam benignitatem & manſuetudinem carus erat omnibus, perſpectuſque amor paternus, quo in cunctos ferebatur, plus efficiebat Dei Servus unica correctionis voce, ſuo ſpiritu prolata, quàm ſuperior alter multis reprehenſionibus ac pœnis obtineret. Mirantur præ ceteris & (ſecundùm teſtimonia in omnibus proceſſibus exhibita) ſummis laudibus extollunt, quotquot noverunt ipſum, patientiam, tolerantiam & manſuetudinem, quâ imperfectiones & mores uniuſcujuſque perferebat; quæ virtus eſt à S. Paulo & à ſancto patre noſtro Auguſtino ſummopere commendata ſuperioribus, tum quòd ea crux ſit graviſſima regiminis, tum quòd modus ſit efficaciſſimus, quo prælatus multum promereatur coram Deo, ac ſibi devinciat voluntatem, affectum atque unà animos ſubditorum. Quotquot illo familiariter uſi ſunt, finem non faciunt prædicandi, quàm inſigni loco apud ipſum fuerit ea virtus, & quàm ſingulari gratia ac dono è cælo præditus fuerit ad tolerandum ac ſuſtinendum quemlibet, & ſeſe commetiendum omni-

F

A mnibus, ut velut alter Eliſæus vitam illis impertiret.

cura boni communis,

131 Huic ac ceteris virtutibus jungebat bonus Præpoſitus ardorem magnum & curam pro bono communi domus ſuæ, nec non notabilem deſpectum & incuriam commodi proprii, & cujuſlibet particularis neceſſitatis, rem tantopere deſideratam à S. Paulo apoſtolo, ubi agit de effectibus ac legibus caritatis, tantúmque à ſancto patre noſtro Auguſtino in ſuis Regulis commendatam, tamquam certiſſimum indicium præclariſſimæ illius virtutis. Patuit id abundè; etenim cùm tantus eſſet concionator, & tam carus imperatori Carolo quinto, ac tanto (ut videbimus) in honore habitus apud omnes Hiſpaniæ magnates, lectus ejus ac cella, exceptis libris neceſſariis, veſtitus & cibus, & quidquid habebat ad uſus proprios, tam pauper erat, quàm pauperrimi, abjectiſſimi & infimi religioſi, qui in Ordine reperiebatur. Nam quidquid (nec exiguum illud fuerit) ipſi donabant præclari illi homines, in utilitatem & uſum communitatis convertebat, deque iis diſponebat non ſecùs ac de aliis conventûs redditibus & proventibus. Hinc mos ei fuit, è rebus B multis ac valdè pretioſis ad ſe miſſis eas acceptare dumtaxat, quæ dabantur & applicari poterant communitati, nullam umquam volens admittere, quæ ſibi ſoli concedebatur.

& incuria proprii commodi exemplo

132 Unum hîc, unde plura ſimilia erui poſſunt, memorabo notatu dignum. Valliſoleto Burgos ex obedientia migrare juſſum, ut illic domui noſtræ præeſſet, ante diſceſſum inviſerunt non ſine animi ſenſu ac mœrore de illius abſentia viri in aula præcipui. Nonnulli ipſi addicti donaverunt res aliquas, dicentes, acceptaret eam eleëmoſynam, &, in quem placeret finem, uteretur. Horum unus deſtinavit ad ipſum arculam trecentorum ſcutorum aureorum *, unà cum clave, dicens, ut inde ſibi ac itineri ſuo dignaretur depromere, quantumcumque videretur. Admiſit, quod largiebantur alii; aſt intelligens mandatum mittentis arculam, extemplò eam per eumdem famulum referri juſſit, inquiens, ſe domino ipſius gratias habere plurimas de iſto beneficio; ſed nec ſibi, nec itineri ſuo opus eſſe re aliqua.

** Hiſp. eſcudos en oro*

133 Conqueſtus eſt arculæ dominus, quòd ſibi eam remiſiſſet, cùm tamen, quod ab aliis miſſum fuerat, acceptâſſet. Ipſe verò reſpondit: Eleëmoſyna, mi domine, ab aliis acceptata, mihi C data non eſt pro me, ſed ut applicetur, ubi opus eſſe perſpexero, utque ſubveniatur neceſſitatibus, quas advertero in conventu, ad quem propero. Si autem in eumdem finem ad me deſtinâſſet veſtra dominatio certam ac determinatam ſummam, fuiſſem accepturus, ſicut ab aliis. Quoniam ſi minùs acceptâſſem, injurius fuiſſem tum domui, ad quam tendo, tum pietati eorum, qui dederunt, quam equidem nec debeo nec poſſum impedire. At veſtra dominatio mihi uni deſtinavit, & ego nihil umquam mihi aſſumpſi, neque hoc Deus permiſerit. Ad eum modum ſemper corde & opere pauper exſtitit Servus ille Domini, & ea integritate ac puritate ſervavit promiſſam paupertatem, ac ſimul adeo amans boni & utilitatis communis. Etenim uſitatiſſimum eſt, duo hæc conjungi in viro verè religioſo, [eſſe] ſui immemorem, & valdè ſolicitum rei communis.

ANNOTATA.

a *Aliàs* S. Joannes à S. Facundo, *cujus Acta Majores noſtri illuſtrârunt menſe Junio ad diem* 12. A. M. SALONIO.

b *Anno ſcilicet* 1601; *in Sanctorum numerum retulit Alexander VIII PP. anno* 1690.

c *Hæc ita exprimuntur Hiſpanicè:* Fue tambien dos vezes Prior en el convento .... de Burgos, y otras en Valladolid: *atque hinc veriſimiliter Baxius in Vitæ ſynopſi ſcripſit, Sanctum monaſteriarcham fuiſſe ſæpiùs Valliſoleti. Equidem plus ſemel domui iſti præfuiſſe illum nuſquam comperi. Contrà verò Herrera in Hiſtoria conventûs Salmanticenſis pag.* 180 *exhibens catalogum Priorum Valliſoletanorum, nominat Priores annorum* 1520 *uſque ad* 1525, *quo poſteriori conſtitutum fuiſſe ait Alphonſum Davila, ac regimen tenuiſſe abſque intermiſſione uſque ad* 13 *Aprilis* 1540.

d *A recto ordine ſubinde aberravit hîc Salonius, uti probare conatus ſum in Commentario prævio, quem, ne dictorum fiat repetitio, conſulere poteſt curioſus lector.*

e *Reverendiſſ. Gabriel de la Volta Venetus ſupremum Ordinis magiſtratum tenuit ab anno* 1519 *uſque ad* 1537 *vitæ ultimum.*

f *Hîc apud Salonium ſit capitis ſectio & ſequentibus Hiſpanicè is titulus præfigitur:* De regimine ſancti hujus Antiſtitis. E

g *Quodnam hîc chronicum deſignet, incompertum mihi eſt: habet quidem Joſephus Pamphilus in chronicis pag.* 119 *Elogium* S. Thomæ, *ſed valdè diverſum à jam recitato, ut videri poteſt in Comment. prævio num.* 3.

h Pater F. Joannes de Oſorno, *verba ſunt Coccini in Relatione pag.* 590, Ordinis Sancti Auguſtini, examinatus authoritate ordinaria ... deponit de auditu, eum in Religione diligentiſſimè Dei ſervitio invigilâſſe, & exactiſſimè divinum officium adimpleviſſe, primò in choro adeſſe, & de eo ultimum exire ſolitum.

i *Matth.* 23 ℣ 4, *& Luc.* XI ℣ 46.

CAPUT XIII.

Gubernandi ratio dum toti provinciæ præeſt.

REgere & gubernare P. F. Thomæ negotium F erat valdè moleſtum, utpote qui naturâ ſuâ tantùm diligebat ſolitudinem & quietem cubiculi, ac tantùm erat addictus lectioni & ſtudio ſacrarum Litterarum & piorum librorum, conſiderationique ac meditationi divinorum myſteriorum, quæ illis comprehenduntur ac proponuntur, ut & ſibi ipſe & omnibus, qui ſermones ejus ſequebantur ac doctrinam, utilitati eſſet. Quapropter ſi adeo illi fuerit arduum ac moleſtum præeſſe domibus particularibus, quoties ad hoc eligeretur, acceptâritque ex mera obedientia, quantò graviùs illi accidere debebat præfici provinciæ, ac ſubire munus, tam arduum ei, qui conſiderat obligationes, quas continet, & quas ſecum trahit moleſtias, nec occœcatur fumo ambitionis, à quo P. F. Thomas cor & cogitationem tam liberam ſervabat.

Toti provinciæ

135 Utraque vice, cùm electus fuit (uti epiſcopus Mugnatonius & plures alii referunt) obſtitit vehementer, nolens electioni acquieſcere, ac multis lacrymis orans ſupplicitèr congregatos, ut, quandoquidem, præſtante divina miſericordia,

bis invitus

A. M. Salonio.

dia, multi inter eos essent patres præstantissimi, insigni pietate atque dotibus ad hoc munus & ad alia majora [idonei,] horum aliquem eligerent; quia sese ac vires suas tanto oneri, quale est provinciæ regimen, impares experiebatur; utque ipsum in cella sua inter libros relinquerent; quoniam frequentando suggestum majori Domini obsequio, atque animarum fructui erat futurus. Observant autem è testibus nonnulli, numquam à se auditum esse illum proferre nomen suggestûs, præterquam ista occasione & in ea necessitate, ut, si posset, sese provinciæ præfecturæ subduceret.

præpositus,

136 Nihilominus licèt ipse, quantùm poterat, reniteretur, quoniam Deus erat, qui dirigebat horum bonorum patrum voluntates, & tam sanctus ac religiosus, qui ipsos permovebat, ardor, ut scilicet præpositum obtinerent verum Dei Servum atque ad istud munus adeo capacem, tam fortiter institerunt semper, ac rationes protulerunt adeo efficaces, ut iis compulsus, veritusque, ne obsisteret divinæ voluntati, munus præpositi provincialis susceperit ambabus vicibus, & pluribus ad id promotus fuisset, nisi impediviſſet ipse. Provinciæ præpositio accrescebant

B

ipsi cum officio virtutes omnes; quippe (uti ipsemet asserebat) promoveri, idem est ac obstringi, ut sis sanctior, religiosior, & exempli melioris, magis pius ac orationi magis assiduus, sicut majore indigens Dei gratia, ac novo è cælis lumine, ut bene defungaris tanti momenti munere, & à quo pendet omne seu bonum seu damnum spirituale & temporale provinciæ, ac singulorum in ea degentium.

& visitans conventus, præ ceteris

137 Præfectus provinciæ mox per se ipse omnes visitabat provinciæ domos, minimè parcens laboribus, qui in tot itineribus ac per regiones adeo dissitas necessariò erant perferendi. In domibus, quas visitabat, non permittebat sibi porrigi extraordinaria aut lautiora aliqua, quia quotidianum victum, eumque valdè moderatum, numquam excedebat. Visitans diligentem dabat operam ad roborandos, & animandos eos, quos in semita religionis gradientes comperiebat modo, quo oportebat, ut ulteriùs semper procederent: corrigebat negligentes; castigabat, & severè quidem, contumaces ac turbulentos; simplicibus lumen submini strabat; pusillanimes solabatur, atque omnibus ordinem ac leges suggerebat servandas, ut quilibet in sua vocatione placeret serviretque

C

Domino.

quatuor commendat, curam divini obsequii,

138 Præter alia multa ac valdè bona seniores aliquot patres memorant quatuor, quæ multùm commendabat atque injungebat in singulis conventibus, quos perlustrabat. Primum erat cultus divinus, declarans, quomodo consistat ille in interiore cordis attentione ac devotione, quâ peragendum est Missæ sacrificium ac recitandum officium divinum, atque in exteriori vocum intermissione ac brevi suppressione in choro, nec non in munditie & ornatu altarium: dicens atque affirmans, tantùm dependere ab eorum cura, ut non dubitaret, quin sit porta, per quam intrat in monasteria bonum quodlibet, & particulares personæ magnis gratiis cælestibus donantur.

lectionem sacrorum librorum,

139 Alterum erat lectio sacrorum librorum cum magna consideratione ejus, quod illic loquitur Spiritus sanctus ad aures attentè legentis. Lectionem hanc comparabat calori naturali stomachi, aiebatque, quòd, sicut sine illo calore vita naturalis servari aut cibus aliquis prodesse nequit, & per ipsum rectè concoquitur ac digeritur [cibus] omnis, corpus humanum nutritur, membris omnibus robur ac vires suppeditantur

D

ad præstanda officia propria ac naturalia, ita etiam lectione bonorum librorum, & in iis dictorum consideratione, spiritus hominis religiosi bene animetur, ut habeat devotionem ad aram, attentionem in choro, gustum in officio divino, alacritatem ad obedientiam, in molestiis patientiam, robur contra tentationes & insidias inimici, & ut, quodcumque agit, cedat ad bonum ac profectum animæ. Sicut contrà is, qui illam non adhibuerit, in omnibus tædium offendet, ac destitutus vivet omnibus status sui bonis ac fructibus ob defectum cælestis istius lectionis exercitii. Et verò, quoniam ipse hujus præsertim usum habebat frequentem & ex eo multam experientiam, de re ista differebat multo fervore, magnoque fructu ac bono omnium audientium sermones, quos ad religiosos suos habebat.

pacem & caritatem,

140 Tertium quod commendabat, & tamquam rem gravissimi momenti (nec immeritò, cùm tantopere id mandârit Redemptor noster) erat pax, concordia & vera caritas inter illos. Explicabat, quæ bona insignia, quos effectus habeat, regulasque præbebat maximè congruentes ad eam in communitate facilè conservandam. Eos verò, quos aut ex prava indole & pronitate ad malum, aut ex vitio & perversa consuetudine huic virtuti impedimento esse experiebatur, severè puniebat, tamquam hostes boni præcipui & in conventu maximè necessarii.

E

ac fugam otii;

141 Quartum ac postremum erat, suadere multùm & commendare, ut quilibet religiosus eam occupationem, illudque exercitium sibi assumeret, quod ingenio suo ac statui magis congrueret, ad evitandum tantum virtutis hostem, animæ tiniam, tot malorum ostium, quale est otium, ac temporis dispendium. Illud autem tantopere commendabat, ut, quamvis alienus esset ab imponendis præceptis obedientiæ, ne implicaret conscientias, in hoc imponeret superioribus, strictè præcipiens, ut religiosum, quem per ædes vagantem ac garrulitatibus aliisque rebus inutilibus tempus dissipantem conspicerent, prima vice amicè ac seorsum reprehenderent, secundâ publicè atque acriter, & non emendantem sese castigarent severè; si verò post illud omne perseveraret in vitio isto, adaugeretur ipsi pœna, donec ad meliorem frugem redigeretur, ac pravam consuetudinem exueret, animæ tam pernicioſam & noxiam.

F

benignus in omnes,

142 Quoniam sanctus ille Antistes de sese erat adeo pius, orationi deditus, humilis, & mansuetus, solitusque semper bene impendere horas omnes & momenta diei, experientiâ noverat, quàm necessariæ sint res illæ omnes, quas commendabat tantopere, ut, quemadmodum tenetur, quisque religiosè viveret. Eamdem caritatem, benignitatem & humanitatem, quâ, ut diximus, utebatur erga seculares atque externos, quorum ad lucrandas animas confessiones excipiebat, exhibebat similiter subditis suis, ut addictos redderet religiosæ perfectioni. Quamvis summopere abhorreret Dei offensas, præbuisſetque lubens vitam, &, si habuisset, mille vitas, ut ne unicum quidem flagitium committeretur, amicè [tamen] tractabat, alacrique animo excipiebat lapsum pœnitentem, & mille modis se versabat, ut eum ad frugem reduceret & lucrifaceret; non secùs ac bonus pastor, qui omnium obliviscitur, nec considerat quidpiam, ut ovem deerrantem ac deperditam ad gregem reducem conspiciat. Dici nequit, quot animas lucrifecerit, & per suam insignem prudentiam,

A tiam, manſuetudinem & caritatem divino amore incenderit.

prudenti indulgentia malos nonnunquam

143 Contigit etiam nonnumquam per lumen, quo Dominus illum donaverat ad cujuſlibet ſtatum & ingenia dignoſcenda, & remedium, quod utilius ei erat futurum (per donum iſtud Spiritus ſancti, quod S. Paulus diſcretionem ſpirituum appellat & quale habebat Dei Servus,) ut ſubditi ejus aliqui corrigerentur atque in melius mutarentur ſolo ejus, nec verbum proferentis, intuitu. Rem tantùm unam ad præſens propoſitum memorabo, quam nonnullis eccleſiæ hujus clericis (qui idipſum deinde enarrârunt) retulit P. F. Joannes Rincon, à P. F. Thoma multùm amatus & in ſocium aſſumptus, quando is venit ad archiepiſcopatum Valentinum; atque hæc eſt. Dum erat Prior Burgis, unum è ſubditis ſuis deprehendit in delicto notabili, propter quod increpari graviter & caſtigari merebatur. Diſſimulavit tamen, nec verbum ipſi dicens, nec vultu prodens inſignem dolorem, quem inde conceperat; quamvis ipſe reus probè noverat, quàm certam ejus haberet notitiam P. F. Thomas.

B *ad religioſiorem vitam traducit.*

144 Duo præſtitit dumtaxat; primum [erat] majore cura deinceps ovi iſti invigilare; alterum multis precibus ac lacrymis, nec exiguo ſanguine, quem ejus causâ flagris in ſe ſæviens, profundebat, enixè admodùm orare Dominum, ut culpam illam ei condonaret, eumque ſacro timore repleret, quominus poſthac ipſum umquam offenderet. Ad eum modum, quod rogabat, conceſſit ei Dominus, ut religioſus ille non tantùm veram peccati ſui pœnitentiam egerit, ac ſeſe, uti debuit, emendaverit, ſed præterea in poſterum tam pius, tam addictus rebus cæleſtibus, tantique exempli extiterit, ut P. F. Thomas ſequenti triennio Caſtellæ provinciæ præfectus illum ſibi ſocium aſciverit. Perculſus ea re multùm fuit monachus iſte, atque ita ipſum allocutus: Quî fieri poteſt, ut tua Paternitas ſibi ſocium aſſumat hominem, qualis ego ſum, quemque tam rectè novit? At reſpondit ei bonus Paſtor: Verum eſt, pater, quòd te noverim, quódque ſciam culpam & malum à te patratum; ſed novi ſimiliter tuam pœnitentiam, emendationem, ac bonum, quod per divinam miſericordiam ex iſto lapſu anima tua conſecuta eſt. Lauda conſtanter divinam bonitatem ejuſque inſignem miſericordiam: neque enim

C propter illud poſt eam, quam egiſti, pœnitentiam, divinis oculis aut meis deterior es, nec minùs idoneus, ut mihi in hoc munere comes aſſiſtas. Caſus alii obvenerunt ipſi, in quibus ſimili agendi modo ac prudentiâ multas animas [in peccata] delapſas lucratus eſt, perditaſque religioſas admodùm ac Domino obſtrictas reddidit *a*.

ANNOTATIO.

a *Quæ hoc & præcedenti capite fusè pertractat Saloyius, ita paucis perſtringit Coccinus pag. 563 tit.* De prudentia regnativa: Cùm primò agendum ſit de prudentia regnativa, dum venerabilis Vir muneribus religionis perfungeretur, de illa ſecundùm Regulam ſancti Auguſtini tractabimus, quam exactè ſemper ſanctus hic Thomas ſervavit, cùm eſſet charitate plenus & zelo divini amoris ſuccenſus, dum Prior dumque Provincialis eſſet, totis viribus niteretur, ut tales quoque cæteri ſe Religioſi præſtarent, prout deponunt teſtes, de quibus in proceſſu Caſtellæ Andreas Baptiſta de Guemes ... Burgis examinatus; ... pater F. Joannes de Oſorno, adminiſtrator collegii ſancti Gabrielis Valliſoleti, in eadem civitate authoritate ordinaria examinatus; ... donna Eleonora de Salazar monialis... pariter Valliſoleti examinata; ... & magiſter Fr. Franciſcus Zumel, Salmanticæ authoritate ordinaria examinatus, ... & pater Fr. Didacus de Guevara in eodem loco examinatus ..., qui enumerat quam plures Religioſos illuſtres, qui ejus diſciplinâ inſtructi, virtutibus doctrinâque celebres evaſerunt. A. M. SALONIO.

CAPUT XIV.

Diſcipuli ſeu filii ſpirituales aliquot Sancti recenſentur & elogio illuſtrantur.

Inter diſcipulos ſeu filios ſpirituales S. Thomæ

QUemadmodum inter arbores ea pluris æſtimatur, cujus fructus eſt melior, ſanitati congruentior & guſtui ſuavior, ita inter homines multum incrementi accipit honor & gloria ex filiorum virtute ac bonis animi dotibus. Improbus & inſipiens dedecus parentis eſt, ſapiens verò ac prudens (ut ait Spiritus ſanctus) corona ejus & gloria. Hoc etiam modo placuit Domino Deo noſtro honorare multùm P. D. Thomam, ita ipſum dirigens, ut præcipui religioſi ac præclariores viri, quos noſtra tempeſtate ordo noſter habuit in Caſtellana provincia, quique inſigni ſuo exemplo & doctrina maximè illuſtrârunt ſacram religionem noſtram tam hîc in Hiſpania, quàm in novo illo Indiarum orbe, fuerint omnes vel penè omnes ſeu ob [acceptum] habitum, ſeu ob [emiſſam] profeſſionem filii & ſurculi P. F. Thomæ. Eapropter viſum mihi eſt recenſere hic filios, quos beatus ille Pater peperit Ordini ſancti patris noſtri Auguſtini, quantùm conſtat ex libris profeſſionum in conventibus, quibus præfuit, & ex proceſſibus ad beatificationem & canonizationem ejus inſtitutis in variis Caſtellæ partibus. E

P. Hieronymus Ximenez

146 Primus fuit venerabilis P. F. Hieronymus Ximenez, inſignis religioſus, de quo, priuſquam ad alios progrediar, non poſſum non commemorare res aliquas notatu dignas. Venerabilis ille pater, P. F. Thomæ in Ordine religioſo filius, Dei gloriæ & exaltationis ſanctiſſimi ejus nominis nec non ſalutis animarum cupidiſſimus, intelligens, quàm numeroſi populi ac nationes degerent in Indiis abſque notitia veræ fidei noſtræ, dolenſque de tot animarum, Chriſti ſanguine redemptarum, exitio, illuc transfretavit cum aliis tum noſtri tum ſancti patris Dominici & ſeraphici patris S. Franciſci Ordinis religioſis, qui eodem ſpiritu & fervore caritatis Apoſtolicæ acti, incœptum adeo glorioſum ac cæleſte, quale eſt Euangelii propagatio, atque Indorum converſio, aggreſſi ſunt. F

inſignis in Mexico Euangelii præco,

147 Vir iſte Apoſtolicus (ut refert P. F. Stephanus de Salazar in eruditiſſimo libro ſuper Symbolo Apoſtolorum, diſcurſu decimo ſexto, capite quinto) cum tribus ſociis ad ſpargendum Euangelii ſemen orbem permeavit, cumque inter gentiles à via aberrâſſent, & capti eſſent, pluris ab eis facti ſunt, ac magna veneratione habiti ob ſanctitatem inſignem & bonum exemplum. Ab Hiſpanis ceteris, quibuſcum tranſmeaverant, ipſos nec videntibus, nec [ubi eſſent,] gnaris, quæſiti ſunt, & miraculoſè reperti per Mauros Molucarum inſularum, qui eos ad Chriſtianos reduxerunt ac libertate donârunt. Benedictus ille pater ac reliqui

A. M. Salonio. ejus comites primi fuere in novo isto orbe fundatores Euangelii & animarum domitores. Quamquam autem sub initium [sacri] præconii magnam in illis gentibus offenderint difficultatem & reluctationem; deinde tamen ob illustre exemplum, quo ille ac ejus socii prælucebant, ob miracula & prodigia, quæ Deus in ægris per illos operabatur, amorem sibi conciliârunt, attentionem & fiduciam adeo, ut illi relictis erroribus & idolorum cultu, sacri Euangelii veritatem amplexi sint. Vixit illic ac mortuus est venerabilis P. F. Hieronymus Ximenez magna sanctitatis existimatione, atque etiam hodie ab omnibus ut talis habetur & honoratur.

148 Vocabatur regionis illius Apostolus, & *qui ad Sanctum,* meritò quidem; quoniam eorum ductor exstitit Euangelicorum militum, quorum manu eo loco, ubi sedem suam habebat dæmon, collocatum erectumque est Crucis vexillum, & propagatum nomen & gloria Crucifixi. Dictus pater Ximenez ejusque socii agnoverunt semper P. F. Thomam tamquam sancti hujusce operis, ac rei tam bonæ primordiorum patronum & auctorem præcipuum. Testimonium ejus perhibet idem P. F. Hieronymus Ximenez in epistola, quam præter alias ad ipsum scripsit Acapichtlâ, civitate valdè ampla ac locuplete regni Mexicani, ubi pater iste fructus magnos collegit. Sic sonat epistola.

149 "Reverendo admodùm patri fratri Tho- *tamquam præcipuum*
„ mæ à Villanova, Priori in monasterio sancti pa-
„ tris nostri Augustini. Burgis. Reverende admo-
„ dùm Pater. Pax Dei custodiat cor tuum: Fratres
„ nostri omnes, laus Deo, ad hanc civitatem Me-
„ xicanam appulerunt die sexta mensis Septembris,
„ atque ex iis intellexi, ingentem coronam tuæ
„ Paternitati parari à Domino, qui tibi dat Spi-
„ tum, ut faveas operi ipsi tam proprio, tanto-
„ pere commendato, & ejusdem amicis usque adeo
„ dilecto. Gratiæ, quas nos universi tuæ Pater-
„ nitatis filii agimus de favore, uti hîc experimur,
„ in isto opere nobis exhibito, litteris aureis, vel,
„ si fas foret, proprio nostro sanguine exarandæ
„ essent, ut quadamtenus dignosceretur, quàm
„ eas ex corde agimus; attamen describendæ eæ
„ sunt à Domino hujus vineæ stilo inenarrabili in
„ libro vitæ.

150 „ Manifestat sufficienter divina bonitas, *missionis fautorem,*
„ quàm acceptum sibi opus sit miseræ hujus gen-
„ tis institutio, utpote qui tam evidenter indies
„ majus verbo suo dat fructûs incrementum, du-
„ cesque suos destinat, qui detegant regiones no-
„ vas, promulgando ibidem Euangelio. A men-
„ se Septembri proximo annus elapsus est, cùm
„ religiosus Ordinis S. Francisci, gente Gallus, ex
„ hac civitate Mexicana discessit, terram, guber-
„ natoribus harum regionum indicatam, quæsitu-
„ rus, nec reperire potuit. Peragravit ad quin-
„ genta milliaria terras ab hominibus habitatas,
„ ac tandem cùm pertransivisset desertum millia-
„ rium plus quàm sexaginta, incidit in regionem
„ frequentem populo, bonis institutis temperato,
„ cui civitates sunt circumvallatæ & domus am-
„ plæ, qui calceis & ocreis è corio [utitur,]
„ & cujus pars magna induitur vestibus talaribus,
„ è panno serico confectis. Regionis opulentiam
„ non describo, quoniam tantum de ipsa memo-
„ rat, ut appareat incredibile; hoc retulit mihi
„ religiosus ille, conspectum à se fuisse idolo-
„ rum fanum, cujus parietes tum interiùs tum
„ exteriùs cooperti essent lapidibus pretiosis, pu-
„ tem dixisse smaragdis. Dicuntur etiam in par-
„ te regionis interiore reperiri cameli & elephantes.
„ Referunt homines, quos auri aviditas impulit D
„ pervagari mare istud australe, detectas à se fuisse
„ proximè ad istam regionem insulas valdè opu-
„ lentas, ejusdemque disciplinæ politicæ ac gentis.

151 „ Hæc ad Paternitatem tuam transcri- *ex Indiis literas*
„ bo, ut videat & intelligat, quàm gratum sit Do-
„ mino obsequium, quod illi exhibet, curando,
„ ut veniant operarii ad colendam amplam hanc
„ vineam suam. Hoc quippe in dies singulos no-
„ bis manifestat ampliùs, ostendendo, quàm steri-
„ lis sit defectu eorum, qui colant. Fratres huc
„ profecti & adolescens à tua Paternitate illis com-
„ missus, ut hîc habitum recipiat, omnes Mexi-
„ cum advenerunt & cum illis Hispalenses alii, u-
„ niversim duodecim. Debiles advenerunt aliqui;
„ sed, quoniam civitas hæc nulla re caret ad con-
„ valescendum, contrà verò iis abundat, mox
„ corroborati sunt, abieruntque singuli ad susci-
„ piendum onus illius partis, quæ sibi in vinea
„ Domini commissa est, præter novitium & fra-
„ trem Didacum de Vertavillo, qui remansit, ut
„ sit professis Mexici magister. Tum illi, tum nos
„ omnes, qui hîc degimus, laus Domino, vegeti
„ esse pergimus ac sani, Dominumque rogamus,
„ ut Paternitati tuæ adaugeat spiritum illum, quem E
„ ei impertivit in favorem hujus sui operis, eam-
„ que in sua gratia conservet. Acapichtlæ nonâ O-
„ ctobris millesimi quingentesimi trigesimi noni.
„ Filius ac subditus Paternitatis tuæ assiduus F.
„ Hieronymus Ximenez.„

152 Epistolam hanc cum aliis, quæ postmo- *destinavit;*
dùm suis locis reponentur, magister Joannes Baptista Caro reperit in demortui hujus sancti Præsulis scrinio, ac servavit toto vitæ tempore; dein, quando obiit dictus magister Caro, dominus Franciscus Beneyto, vir nobilis & sacerdos, hujusce civitatis incola, eadem reperit inter cartas dicti magistri Caro, ac mihi tradidit, dum componebam primum libellum, quem in lucem edidi de insignibus ac peculiarissimis exemplis ab illustrissimo ac reverendissimo domino D. F. Thoma à Villanova archiepiscopo Valentino [posteritati] relictis. Ex ea epistola, ipsi à P. F. Hieronymo Ximenez destinata, satis intelligitur, quantopere dictus P. F. Hieronymus curaverit fundamenta fidei in Indiis, quanta caritate ac solicitudine, quantoque studio & desiderio salutis animarum; nec non quantum tempore, quo hanc epistolam exaravit, jam in isto profeciset, proficeretque magis in dies singulos; [denique intelligitur] et- F
iam, quòd jam tum illic jacta essent Ordinis nostri fundamenta; quódque in Mexico admitterentur atque educarentur novitii, & professi cum suis magistris eodem ordine ac modo, quo hîc in Hispania. Unà etiam cernitur cura ac solicitudo, quâ afficiebatur P. F. Thomas, ut promoveretur ibidem Euangelii prædicatio, & gentium istarum conversio, inchoata per suos filios ac discipulos, missos à se non tantùm prima vice, cùm præerat provinciæ Andalusiæ, sed omnino semper tum quando præfuit, tum quando non præfuit Castellanæ *a*. *a*

153 Transeamus modò ad alios, quos Ordini *Item PP. Franciscus de Nieva, Joannes Estacius,*
sancti patris nostri Augustini dedit filios Servus Dei. Alter fuit frater Franciscus de Nieva, de quo aiebat Cardinalis D. Joannes Tavera, archiepiscopus Toletanus: Si religiosi Ordines interciderent, sufficeret restaurandis frater Franciscus de Nieva. Tam insignis hic erat Dei famulus, ut imperator Carolus quintus illi designaverit archiepiscopatum Granatensem, nec [tamen] ipse ullo modo acceptare voluerit. In comitiis autem provinciæ,

anno

A anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo celebratis in Caſtella, quibus interfuit reverendiſſimus pater Generalis [Hieronymus] Seripandus (quoniam tempore electionis non advenit P. F. Thomas, ut diximus ſuprà) præfectus eſt provinciæ propter inſignia teſtimonia, quæ patres ac perſonæ graviores provinciæ omnes de memorato Nieva illi [Generali] præbuerunt. Tertius fuit P. F. Joannes Eſtacio, vir pius admodùm ac divini cultus nec non Indorum converſionis valdè ſtudioſus. Pater iſte exemplo ſuo ac doctrinâ apud eos tantum protulit fructum, ut ea de cauſa creatus ſit epiſcopus civitatis Angelorum in nova Hiſpania: ubi tam religiosè vixit; acſi ad alium [vitæ] ſtatum non tranſiiſſet; multas eorum infidelium animas lucratus eſt, & ſanctè admodùm obiit.

Alphonſus de Oroſco,

154 Quartus fuit vir ſanctus (& ſic appellari dignus eſt) P. F. Alphonſus de Oroſco, qui propter vitæ ſanctitatem & doctrinam meruit eligi, ut eſſet à ſacris concionibus primùm Carolo quinto imperatori, dein Philippo ſecundo illius filio. Ejus ſanctitatem ac pietatem optimè perhibent libri ac ſermones tam ſpirituales, ab ipſo compoſiti. De præclaro illo Dei ſervo Caſtellani graves B patres referunt, bis ipſi apparuiſſe cæli Reginam, & ſcribere juſſiſſe; quod etiam præſtitit tanto fructu & ædificatione eorum, qui Opera ipſius pervolvunt. Æſtimabant ipſum ac venerabantur multùm rex, qui jam defunctus eſt, & aula hujus univerſa: eademque [veneratio] exhibetur hodiedum corpori ejus Matriti, quam confirmavit Dominus, cùm ex veteri eccleſia, ubi ſepultum erat, ad novam, ubi nunc quieſcit, tranſlatum fuit. Quippe repertum eſt integrum ac valdè tractabile, cùm [tamen] conſumptæ eſſent veſtes, & ultra decennium terræ mandatum fuiſſet: idcirco etiam medici integritatem illam miraculoſam eſſe reputabant.

Joannes de Moya,

155 Quintus fuit benedictus P. F. Joannes de Moya, qui ſimiliter in Indias migravit, cujuſque vita religioſiſſima, profundiſſima humilitas, duriſſima abſtinentia atque aſſidua oratio memoratur quoque loco allegato Sermonum ſuper Symbolo Apoſtolorum à P. F. Stephano de Salazar, tamquam teſte oculato; refertur item in libro, cui nomen Meſa franca, & in Flore Sanctorum, conſcripto à patre Marieta ex Ordine S. Dominici. Quandoquidem vir tanti fuit exempli, ut ipſimet Indi C ſuo idiomate dicerent: Hic verè ſanctus eſt. Erat autem tam [ſanctus,] ut jam ſenior & ætate confectus, peragrans intemperatiſſimam & ſupra modum calidam regionem, Urio nuncupatam, ut concionando atque confeſſiones excipiendo ſuppleret defectui miniſtrorum Euangelii, dies novem & decem tranſigeret abſque potu, ac plures abſque alio cibo, quàm radicibus aliquot, Batatas illic appellatis. Benedictione ſua, & modico oleo ſigno Crucis [munito] ſanabat vulnera & fiſtulas immedicabiles. Non modò cùm viveret, verùm etiam nunc poſt ejus obitum plura Dominus per interceſſionem ſervi ſui miracula operatur in perſonis, ſeſe ipſi devotè commendantibus, prout enarrant redeuntes ex Indiis, ubi corpus ejus in veneratione eſt.

Alphonſus de Borgia

156 Sextus fuit P. F. Alphonſus de Borgia ex perilluſtri genere Borgiarum hujuſce regni noſtri, qui litterarum ſtudio operam dans Salmanticæ, audito [in concione] P. F. Thoma, mundo valedixit, & ab illo, id temporis Priore ejuſdem conventus, habitum Ordinis noſtri poſtulavit, evaſitque vir tam bene religioſus ac doctus, ut ſimiliter unus fuerit ex primis præconibus & Euangelicis novi orbis domitoribus. Homo erat ſanctiſſimus & ut talis illic habitus apud omnes, prout conſtat ex Centuriis Ordinis noſtri, & ex Hiſtoria conſcripta tum à Pamphilo epiſcopo, tum à Marieta *. Narrant patrem iſtum, jam è vivis abiturum, ac ſacro oleo inunctum, orâſſe patres, qui aderant, ut Reſponſorium recitarent, & extemplò ære campano ſignum darent; abſolutis autem Reſponſorii precibus, animam Creatori ſuo reddidit, dicens: In manus tuas, Domine &c., atque ut ſanctus obiit.

** Hiſp. additur* el Preſentado

Auguſtinus de Coruña, & Ferdinandus de Caſtro Verde

157 Septimus fuit P. F. Auguſtinus de Coruña, unus ſimiliter è primis Euangelii in novo orbe fundatoribus, magnæ perfectionis religioſus, epiſcopus Papayan, perſimilis ſanctis primitivæ Eccleſiæ epiſcopis: rem nullam ex lino, ſed è lana dumtaxat [contextam] induebat; media nocte cum ceteris religioſis ad Matutinum ſurgebat; vitam ducebat valdè pauperem, multùmque proficiebat in animabus ſuæ curæ commiſſis. Filius item P. F. Thomæ fuit P. F. Ferdinandus de Caſtro-Verde, imperatoris concionator, quem ſua Majeſtas ad [animi] conſolationem ſemper ſibi comitem habebat, & ob inſignes dotes epiſcopum E Giennenſem conſtituit. Epiſcopatum ſuum gubernavit magno omnium exemplo, ut conſtat ex allegatis Centuriis. Fratris ejus filius erat P. F. Franciſcus de Caſtro Verde, Philippi ſecundi ac Philippi tertii regum concionator, quem Deus nobis conſervet, & novimus omnes.

Joannes de Guevara & alii viri inſignes.

158 Magiſter P. F. Joannes de Guevara, qui tot annos Salmanticæ profeſſor fuit theologiæ, tamque perfectæ virtutis religioſus, multas ſemper Domino agebat gratias tamquam de peculiari, à benigna ejus manu accepto beneficio, quòd filius eſſet P. F. Thomæ, utpote qui, dum præerat provinciæ, & Toletanam domum inviſebat, illi habitum conceſſerat *b*. Plures hîc alios apponere poſſem & nonnullos quidem, quos ipſe novi, qui à P. F. Thoma habitum ſuſceperunt; & quamvis minùs celebres, quàm jam nominati, fuerunt tamen pietate inſignes ac veri Dei Servi. Sed ſufficiunt, quos hîc recenſui, ut magna benedicti hujus Antiſtitis pietas ac ſanctimonia intelligatur, dum intuemur, quàm inſignes pietate atque Eccleſiæ utilitate exſtiterint filii per ipſum in Ordine enutriti *c*.

b

c

F

ANNOTATA.

a *De hiſce egi in Comment. prævio num. 65 & ſeqq.*

b *De jam enumeratis* S. Thomæ *filiis ſpiritualibus plura annotare hujus loci non eſt, pro ulteriori notitia adiri poſſunt auctores celeberrimi Ordinis, nominatim Herrera in Bibliotheca & præſertim in Hiſtoria conventûs Salmanticenſis, ubi Vitam ipſorum deſcribit: Hieronymi Ximenez pag. 345; Franciſci de Nieva pag. 310, Joannis Eſtacii pag. 303; Alphonſi de Oroſco pag. 394; Joannis [Baptiſtæ] de Moya pag. 326: Alphonſi de Borgia pag. 289; Auguſtini de Coruña pag. 370; Ferdinandi de Caſtro Verde pag. 318; geſta verò Joannis de Guevara compendioſiùs pag. 405. Ceterùm* Papayan, *ubi Auguſtinum de Coruña epiſcopum fuiſſe ait, Latinè* Popajanum *dicimus, eſtque urbs Americæ Meridionalis, regionis cognominis caput, teſte Baudrando. Giennum ſeu* Gienna *civitas Andaluziæ, incolis* Jaën, *ſed inter ejus epiſcopos non reperitur Ferdinandus de Caſtro*

A. M. Salonio. *Verde, uti fatetur Herrera in Biblioth. part. 1 pag. 240, putans, ipsum obiisse ante aditum episcopatum.*

c *Minùs huc spectant, quæ toto capite 15, (cui hunc titulum præfixit:* Quantùm amaverit P. F. Thomas eos, quos veros Dei servos noverat) *pertractat biographus; totus quippe est in describendis virtutibus ac gestis quorumdam Sancti familiarium. Hos inter primum recenset P. Didacum de Bertavilla seu Vertavillo, cujus meminit Ximenez in epistola recitata num. 151, & cujus elogium reperies apud Herreram in Bibliotheca part. 1 pag. 190; dein P. Andream de Salazar, quem laudat idem Herrera ibid. pag. 20; P. Nicolaum Perea, cujus Acta describit laudatus Herrera in Historia conventûs Salmant. pag. 399: huic socium jungit P. Alphonsum de Trasiera, quem primò frustra quæsivi, sed tandem ex collatione gestorum, quæ videri denuo possunt apud Herreram in Biblioth. part. 2 pag. 385, non alium esse comperi à P. Sebastiano de Reyna aliàs* Trasierra. *Hisce subdit ejusdem Ordinis fratrem Laïcum anonymum, de quo multa ac mira narrat, sed quæ in compendium contracta etiam legi possunt in Bibliotheca Herreræ part. 1 pag. 190, ubi* Didaco *illi fratri nomen fuisse existimat, & iterum part. 2 pag. 175. Denique refert Salonius prodigiosam Judæi adolescentis conversionem ad fidem, & eximiam cujusdam monialis in Christum, sub speciebus Eucharisticis latentem, devotionem miraculo comprobatam: hujus quoque meminit Herrera in Biblioth. part. 2 pag. 61 & 174. Utramque historiam reperiet præterea curiosus lector inter editos* S. Thomæ *sermones concione secunda de Sacramento altaris, ubi addit, se eam ex adolescentis tum ægroti, & ex monialis obedientiâ compulsæ ore didicisse: nec aliam videtur in ea partem habuisse. Proinde totum caput rescidi, & caput sequens decimo quinto loco hic substitui.*

B

CAPUT XV.

Amor & reverentia, quâ fuit in Hispania apud omnes.

C

Bonus amatur, malus odio habetur ab omnibus.

SAcra Scriptura in certissimum argumentum insignis virtutis ac sanctitatis Moysis allegat, eum fuisse dilectum non Deo solùm, quem tanta solicitudine colebat, sed etiam hominibus, quibus congrediebatur ac conversabatur: sicut contrà in testimonium pravæ indolis atque conditionis perversæ Ismaëlis dicebat matri ejus angelus, fore ut cum nemine pacem haberet, odio esset omnibus, manus ejus (essent) contra omnes, & manus omnium contra eum *a*. Id quoque exigit uniuscujusque indoles & conditio, inquit sanctus pater meus Augustinus, allegatque rationem. Quoniam malus, si rectè consideremus, veram cum nemine habet amicitiam, neminem amat præter se ac propriam utilitatem & vitiosas animi inclinationes; & si casu proximo exhibeat aliquod amoris indicium, totum hoc illarum causâ fit; quemadmodum viator suum jumentum, quo vehitur, lautè excipit, quia ei servit & necessarium est ad iter. Contrà verò bonus diligit ex vera amicitia ac benevolentia, servit ac prodest proximo suo, quantùm potest, non ex alio fine, ratione aut respectu, quàm quem connexum habet caritas, nempe Dei gloriam & bonum fraternum; atque ita (concludit Sanctus) æquissimum est, ut malus, qui amat neminem, odio sit omnibus; bonus autem, utique plenus tam vero atque excellenti amore, qualis est caritas Christiana, ametur ac diligatur ab omnibus. D

a

160 Ita quoque [amatus] fuit sanctus Præsul ab omnibus, quibus erat notus, summis, infimis, clericis, religiosis, secularibus, atque omnis generis hominibus. Ut Sanctum amabant eum, colebant ac reverebantur universi, cernentes, quo spiritu concionaretur, quem fructum faceret in animabus, quomodo verbis suis corda penetraret, & quanto esset exemplo omnibus in omni genere sanctitatis ac virtutis nec fictæ, nec simulatæ. Ubicumque commoratus est, accurrebant ad ipsum omnis conditionis homines de rebus animæ & conscientiæ negotiis acturi, ejus manibus tanta securitate ea submittentes & acquiescentes, acsi resurrexisset Apostolus, vel angelus descendisset è cælo. Testantur personæ graves admodùm in processibus instructis in Castella, præsertim Vallisoleti & Burgis, tantam fuisse sanctitatis ejus opinionem, jure debitam sanctæ ejus vitæ ac religiosissimis moribus, ut, ubicumque degit, tam Religiosi quàm seculares venerarentur ut Sanctum. In compitis, quà transibat, ex ædibus egrediebantur deosculaturi illi manus & vestem; matronæ verò primariæ prospiciebant è fenestris, atque inde genuflexæ bene precari sibi postulabant. *Thomam reverentur universi;* E

161 Vacante Burgis in ecclesia majori canonicatu magistrali *b*, de obtinendo concertârunt magister Gregorius Gallo, in eadem civitate Burgensi ortus, qui fuit professor sacræ Scripturæ Salmanticæ & pòst episcopus Orcelensis *c* & Segovienſis *d*, ac doctor Velasco, natus in Aro: canonici, penes quos erat conferre beneficium, rogârunt P. F. Thomam, ut dignaretur interesse sermonibus ac disputationibus ejusce concertationis. Interfuit ille omnibus, & cum dictis canonicis deliberans dixit, canonicatum sua opinione conferendum esse doctori Velasco: & missa ulteriore consultatione, judicio P. F. Thomæ, tanquam eo admodùm tuti in conscientia, assentientes contulerunt dicto doctori Velasco; qui dein propter doctrinam, bonum exemplum ac dotes egregias ab imperatore constitutus est episcopus Rodericopolitanus *e* insigni istius ecclesiæ bono. Cùm in eadem Burgensi civitate Feriâ quartâ Quadragesimæ, audiente magna incolarum parte, sermonem habuisset in templo principe, nocte mox insequente subsedit fornix in eodem templo medius, ea parte ac loco, quo P. F. Thomas concionatus est. Quamquam autem ruina ista ex causa alia naturali differri potuerit usque ad noctem, ut non accideret, quo tempore ipse concionabatur; tanta erat sanctitatis ejus existimatio, ut meritis ejus id omnes adscripserint, & propter ista à Domino Deo dilatam fuisse [censuerint.] *ejus judicio res gravis permittitur:* b c d e F

162 Ob insignem pietatem ac doctrinam ea erat auctoritate apud omnes, ut negotiis admodùm molestis, quæ componi non poterant à personis magnæ existimationis ac dignitatis, ipse finem & remedium afferret. Burgis comitissa quadam volente nuptui tradere filiam suam viro æqualis nobilitatis titulis ornato, compertum est, dum matrimonii contractus conscribendus erat, quòd puella futuri matrimonii promissionem fecisset viro nobili, conditione & fortunæ bonis multùm inferiori, quàm is esset vir nobilis, quocum nuptias destinabat mater. Id huic tantum movit stomachum & indignationem, ut eam domo sua deturbaret, atque *ipsius auctoritate*

mo-

A monaſterio includeret, dicens, non ſubituram illam umquam poſthac in conſpectum ſuum, nec effecturum quemquam, ut in conſpectum admitteret; uti etiam contigit, etiamſi plures ac primarii & hos inter ipſe Burgenſis archiepiſcopus in hoc operam impenderint.

diſſidia 163 Tunc ille eques, cui fidem addixerat puella, recurrit ad P. F. Thomam vehementer efflagitans, ut interveniret ac placandi comitiſſæ animi negotium ſuſciperet, quem in finem ad pedes ſe proſtravit, eoſque complexus non dimiſit, donec, quod rogabat, ille adpromitteret; deſcendebat id temporis è ſuggeſtu P. F. Thomas. Benedictus Pater commiſeratus dolorem ejus & incommoda, quæ, animum non mutante comitiſſa, oriri poterant, operam addixit. Itaque, poſtquam, uti ſolebat in omnibus, rem commendâſſet Domino, abiit, cum illa promiſſum negotium tractaturus. Excepit illa ipſum magna cum reverentia, Unde inquiens, mihi tantum bonum, ut me domi meæ inviſat tua Paternitas? Propoſuit ipſi, quod intendebat, P. F. Thomas, rationeſque ſibi à Spiritu ſancto ſuggeſtas ad permovendam matronæ illius voluntatem atque ipſi perſuadendum, quod deſiderabat. Ipſa verò, acſi cor ſuum ſibi ab illo avelleretur, negotium manibus ejus permiſit, ut de eo juxta arbitrium ſuum ipſe liberè ſtatueret, fore [pollicita,] ut non recederet ab ejus præſcripto. Atque ita compoſita & concluſa res eſt ſecundùm Servi Dei judicium, ut omnes contenti eſſent, manerentque in pace & gaudio.

B

& implacabiles aliis inimicitiæ exſtinguuntur. 164 Ad eumdem modum matronâ alterâ Burgis primariâ conſtanter renuente ignoſcere [homicidis] mortem filii, neque id obtinere valentibus magnæ auctoritatis perſonis, quæ in id operam contulerunt, rogatus eſt ab his ipſis P. F. Thomas, ea tempeſtate ibidem Prior, ut ad ejus alloquium accederet, confiſis fore, ut ſanctis verbis ſuis induceret ad id, quod precibus ſuis non impetraverant. Diſtulit aliquantum benedictus Pater, judicans pro casûs circumſtantiis moleſtum fore ſucceſſum, atque opus eſſe, enixè eum commendare Domino. Poſtquam cum Deo ſat diligenter egiſſe ſibi viſus eſt, ad illius alloquium acceſſit. Notatu dignam & omnibus ſtupendam rem Deus operatus eſt per orationes Servi ſui. Nam ipſo domum ſubeunte, & ſocio dicente ancillis, ut monerent dominam, adeſſe P. F. Thomam; ſimulac ipſa intellexit, abſque mora ſuggeſto *exſiliit, & priuſquam ille omnino gradus aſcenderat, aut verbum proferebat, [indicabatve] cur adeſſet, in limine cubiculi ad pedes ejus prolapſa eſt in genua, ac facturam ſe dixit, quidquid præciperet, nec ab ejus mandato ad latum unguem receſſuram.

C

**Hiſp.* eſtrado

Carolus V imperator reis 165 Increbuit ſufficienter per univerſam Hiſpaniam, quantùm æſtimatus & amatus fuerit à Carolo V imperatore, nec minùs ab hujus filio Philippo ſecundo, qui nunc cælo fruitur; patuit illud ex eo, quod ſequitur. Cùm aliquot equites, imperatoris domeſtici, culpam aliquam in aula ejus commiſiſſent, tantopere eâ offenſus fuit cæſar, ut in eos ſummâ diligentiâ inquiri juſſerit, & repertos abſque ulla remiſſione ſupplicio affici. Deprecati ſunt pro iis apud imperatorem Carolum V, ut vitam concederet, magnates multi ejuſque familiares, nominatim rei maritimæ & bellicæ ſummi præfecti, archiepiſcopus Toletanus dominus Joannes de Tavera, atque ipſemet princeps Philippus: at nullus apud imperatorem (alioqui ex natura clementiſſimum) efficere valuit, quominùs ſupplicio afficerentur. Hoc perſpicientes magnates illi recurrêre ad P. F. Thomam (id temporis Valliſoleti Priorem) [rogantes,] ut juvenum iſtorum tantæ miſeriæ expoſitorum commiſereſceret, ac per rationes, quas pro ſuo ſpiritu ac prudentia exponere noviſſet, ſupplicaret imperatori, ut vitam ipſis concederet: confidebant quippe, ipſi oranti conceſſurum eſſe cæſarem. A. M. SALONIO.

ad nullius præterquam Sancti preces 166 Valdè dubius hæſit bonus Pater, & meritò quidem, cùm attenderet, id per tales viros non fuiſſe impetratum; nihilominus urgentibus illis magnatibus, & ipſe veritus prætermittere id, quod in ſimilibus caſibus exigit caritas, re primùm impensè commendata Domino, adire ſtatuit ſupplicatum cæſari. Acceſſit ad aulam, & quoniam omnes jam eſſent præmoniti tam regii ſatellites quàm janitores, facilè ad cubiculum cæſaris penetravit: qui adeſſe ipſum intelligens, mox intromitti juſſit. Projecit ſe ad pedes imperatoris, manus ejus [deoſculandas] expoſcens, ſed ab eo mox aſſurgere juſſus eſt: erectus tum adventus ſui cauſam tum rationes propoſuit, quæ aptiores videbantur ad permovendum regium majeſtatis ſuæ animum: præſertim quàm id futurum eſſet acceptum Domino, quia conducebat ad tranquillitatem & pacem plurium; quantum inde beneficium eſſet impetratura aula univerſa, quantumque ipſemet reputaturus ſibi privatim eſſe factum. Hæc autem [proferebat] ſermone tam accommodo, verbiſque adeo efficacibus, ut inflexus fuerit principis Chriſtianiſſimi animus ad annuendum poſtulationi, vitamque nobilibus iſtis viris concedendam propter preces benedicti Patris; quod aula univerſa, magnates & cæſari præ ceteris gratioſi, conſequi non valuerant, etiamſi tam ſuppliciter poſtulâſſent. Voti compos receſſit à cæſare.

E

ignoſcit. 167 Egredientem, qui rei ſucceſſum præſtolabantur in atrio, rogaverunt, quouſque promoviſſet negotium; licèt autem ipſe ſolùm reponeret, omnia, aſpirante Deo, rectè eventura, percepere omnes, jam equites iſtos veniâ eſſe donatos, intraveruntque pro gratia deoſculaturi manus imperatori. Ne autem mirarentur conceſſum eſſe P. F. Thomæ, quod ipſis negaverat omnibus, dixit: Nolite mirari, quòd vitâ donaverim hoſce equites, rogante Priore [Ordinis] S. Auguſtini; neque enim Religioſus ille rogat, ſed imperat, & corda inflectit. Unde cernitur, quam vim, efficaciam ac virtutem verbis Servi ſui annexuerit Dominus *f.* Pater magiſter F. Gaſpar de Sahona, qui iteratò fuit Prior provincialis Ordinis ſancti patris noſtri in hac provincia Aragoniæ, exponens mihi, quæ jam dixi, retulit (conſtatque etiam ex Proceſſu) audiviſſe ſeſe ex aliquot patribus in Caſtella præſtantioribus tamquam rem valdè pervulgatam & certam, quòd, dum P. F. Thomas ad alloquium acceſſit imperatoris, ut iſtis equitibus parceret, primæ fuerint vices, quibus cum ipſo locutus fuit in palatio, quódque cæſar videns ipſum in ædibus ſuis (numquam enim ibidem conſpexerat, ſed tantùm in ſuggeſtu concionantem) tantopere gaviſus ſit, ut præ voluptate inde percepta ac devotione, quâ ferebatur in ejus doctrinam & vitæ ſanctitatem, accedenti ad ſe caput aperuerit, qua comitatis ſignificatione non utebatur cæſar niſi cum ſolis Cardinalibus. Ne autem ii, qui aderant, dum ſubiit P. F. Thomas, quique viderunt novam hanc & inuſitatam cum aliquo ſuo ſubdito cæſaris comitatem, mirarentur, poſt ipſius diſceſſum dixit: Religioſus hic verus Dei Servus eſt & inſtar Sancti in hac vita dignus eſt veneratione. Tantam de ipſo æſtimationem concepit imperator.

f

F

168 Publica quoque & manifeſta fuit reveren-

A. M. Salonio. *Non tantùm apud præſules & magnates* g h

tia & devotio, quâ erat apud omnes præſules, optimates, viros primarios tam eccleſiaſticos quàm religioſos, tantoque majori quantò illi erant divino obſequio & pietati magis addicti. Pater magiſter F. Dominicus Soto *g*, F. Melchior Caro *h* epiſcopus, pater magiſter F. Alphonſus de Caſtro, omneſque viri iſtius temporis præclariores, publicè in ſuis cathedris ac pulpitis perhibuerunt, qua veneratione eſſet apud ipſos, & quâ æſtimatione afficerentur ejus perſonæ ac doctrinæ; ejus quippe opiniones & ſententias, ac dicta in concionibus, eadem veneratione allegabant, quâ allegâſſent cujuſcumque alterius præſtantis admodùm antiqui & per Eccleſiam comprobati doctoris. Plures item, qui noſtris temporibus conſcripſerunt Hiſtorias religioſas vel eccleſiaſticas vel libros de inſtitutione animarum, producunt citantque P. F. Thomæ auctoritates & ſententias eâdem reverentiâ, quâ citarent alterius doctoris ſancti: quod probè notum eſt iis, qui lectione ſimilium Hiſtoriarum & librorum delectantur.

ſed & apud agreſtes ac inurbanum hominum genus,

169 Reverebantur multùm P. F. Thomam non ſolùm perſonæ judicio, religione ac ſcientiâ præſtantes, ſed, quod multi hujus temporis viri prudentes conſiderârunt (& quia ipſi id magni fecerunt, hîc referre viſum eſt mihi,) etiam ruſtici & agreſtes homines, qui aſperitate ſua & inurbanis facetiis ac dicteriis per vias parcunt nemini prætereunti, quantumcumque religioſo; tantopere ubique locorum ſuſpiciebant eum, ut quantumcumque incenſa eſſent ora in prætereuntes alios, adventante bono Patre, ſilerent ac obmuteſcerent omnes. P. F. Rodericus de Solis (Religioſus magnæ admodùm auctoritatis, magniſque dotibus [ornatus,] uti nôrunt patres ſeniores omnes tam Andaluſiæ & Caſtellæ, quàm hujus noſtræ provinciæ) mecum ſermonem conferens de inſigni veneratione, quâ P. F. Thomas erat apud omnes, etiam ruricolas & agreſtes, narravit mihi, quòd, cùm eſſet novitius Hiſpali in conventu S. Auguſtini, cognati ſui operam darent, ut tranſiret ad Ordinem S. Dominici, ubi degebat ex illis alter.

ut teſtatur P. Rodericus de Solis,

C

170 Eodem tempore P. F. Thomas provinciæ præſes adveniens perluſtraturus eum conventum, atque intelligens, quid intenderent illius cognati, vocavit eum ad ſe coram Priore & magiſtro, docuit, quid eſſet faciendum, ut à Domino illuminaretur ac dirigeretur, ac dimiſit dicens: Tu, fili, ad eum, quo dixi, modum te Deo commendato; ego ſimiliter te commendatum habebo, & ipſe nobis Dux erit. Ita præſtitere ambo, & poſt triduum vocari ipſum juſſit dixitque: Nolo, fili, mihi vel verbum loquaris, ſed auſcultes dumtaxat. Electionem tuam Deo commendavi, & dico tibi, cognatos tuos non moveri à Deo, ſed affectu carnis & ſanguinis propter eum, quem illic habes, [cognatum.] Fateor quidem, nam verum id eſt, Ordinem ſancti patris Dominici tam ſanctum eſſe & præclarum, quàm novimus omnes: at hæc tua prima eſt vocatio, hîc te eſſe vult Dominus. Si hanc deſeras, neque hîc neque illic ipſi ſervies; in hac ſi perſeveres, ipſe gratiam ſuppeditabit, teque virum reddet hujuſce provinciæ primarium.

quem in vocatione ſua confirmavit,

171 Tam altè impreſſa ſunt animo novitii verba iſta, ut mox ſtatuerit ac determinaverit perſiſtere in prima vocatione, neque conſanguineorum verbis aut perſuaſionibus aures accommodaverit. Itaque perſeveravit & profeſſionem nuncupavit, evaſitque unus è præſtantioribus pietate & doctrinâ Ordinis noſtri hominibus: adeo verum effectum ſortita eſt vox P. F. Thomæ, uti pòſt temporis decurſu patuit in provincia Bætica; nos autem provinciæ Aragoniæ Religioſi teſtimonium perhibere poſſumus de ſingulari prudentia, caritate & religione, quâ ad gloriam Dei bonus P. F. Rodericus de Solis reformavit hanc [noſtram provinciam;] ubi vixit, donec à Domino ex hac vita ad quietem (prout ex geſtis & obitu credendum eſt) ſublatus eſt æternam. D

fuit in veneratione.

172 Dein P. F. Thomas poſt elapſum circitèr annum Hiſpalim rediens, ut ſecundò [domum illam] inviſeret, dictum F. Rodericum de Solis jam tum ſolemnibus votis obſtrictum offendens, atque boni ingenii adoleſcentem eſſe comperiens, ſecum abduxit, ſtudiis operam daturum Salmanticæ, in itinere per exemplum ſuum ac conſilia ipſum imbuens omni ſanctitate & religione. Cùm in conſpectum Salmanticæ perveniſſent, ſub ingreſſum dixit: Obſervaſtin', fili, quòd in tam longo itinere atque in tranſitu tot vicorum & agrorum, ubi offendimus tot agricolas, gentem, quæ communiter oblectatur inceſſendo peregrinos, & maximè monachos, mille ineptiis ac dicteriis, in nos nullum umquam verbum conjecerint; ſed contrà ſalutârint reverenter univerſi? Id equidem tum non adverti (aiebat mihi P. de Solis) at poſtmodùm, majore experientia edoctus, gnarusque, quanto eſſet in honore ac veneratione per Hiſpaniam univerſam, conſideravi id vehementer *i*. E *i*

ANNOTATA.

a *Verba Hiſpanica ita propriè ſonant:* Fore ut... lites ac jurgia haberet cum omnibus & omnes cum ipſo: *ſed malui illis ſupponere ipſa verba Scripturæ ſacræ Geneſios* 16 ℣ 12.

b *Hiſp.* el canonicato magiſtral, *veriſimiliter quia canonicatui annexa eſt lectio ſeu canonum ſeu theologiæ, vel etiam ſacræ Scripturæ.*

c *Vulgò* Origuela *vel* Orihuela, *quæ & Latino recenti Oriola dicitur, civitas Valentiæ regni epiſcopalis ſub Valentino archiepiſcopo.*

d *Veteris Caſtellæ civitas ſub archiepiſcopo Toletano.*

e *Vulgò* Ciudad Rodrigo, *Latinè etiam* Civitas Roderici, *in regno Legionenſi epiſcopalis ſub archiepiſcopo Compoſtellano; epiſcopos ejus recenſet Ægidius Davila in Theatro eccleſiaſtico Hiſpaniæ: unde ſuſpicor viro huic, quem doctorem* Velaſco *nuncupat Salonius, nomen fuiſſe* Antonio Ramirez de Aro, *patriam verò* Villam-Eſcuſam de Aro, *locum Caſtellæ novæ. Sedit ſub annum* 1539. *Aliis idem epiſcopatibus præfuit, teſte laudato Ægidio; paucis illos indicat Didacus de Colmenares in Hiſtoria Segovienſi pag.* 650 *his verbis:* D. Antonius Ramirez de Haro Villaſcuſanus patriâ, varia litterarum eruditione refertus, epiſcopus Aurienſis, Civitatenſis, Calagurritanus ac denique Segovienſis anno MDXLIII. *Certè alium inter Roderico-politanos ſeu Civitatenſes Roderici epiſcopos ſub iſta tempora non reperi, qui à Salonio indigitari potuerit; veriſimiliter ex* Villaſcuſano Velaſco *fecerit,* F

f *His ſubdit auctor, verba Sancti utcumque ſimilia fuiſſe verbis Chriſti in Evangelio; id autem prætermiſi, quia ad hiſtoriam non pertinet.*

g *Is Sanctum in Philoſophia profeſſorem habuit. Videri poteſt Mugnatonius num.* 2.

h *Ita lego in duplici exemplari Hiſpanico; at quoniam hic citatur ut vir iſtorum temporum celeberrimus, vix dubito, quin legendum ſit* Cano, *deſigneturque Melchior Canus, Canarienſis epiſcopus.*

A i *Hinc pergit Salonius ad caput* 17, *cui hunc titulum annexuit:* De insigni opinione, quâ fuit P. F. Thomas apud personas in Italia præstantiores. *Hoc ego brevitatis causâ præterii, utpote præter id, quod ex titulo generatim intelligitur, nihil continens, quàm Elogium & gesta Eminentissimi Hieronymi Seripandi, hujusque epistolam ad* S. Thomam, *hic in Vita memoratam num.* 87; *quam unam huc transfero.* Venerabili & nobis in Christo Jesu dilecto magistro fratri Thomæ à Vilanova Ordinis Eremitarum sancti patris nostri Augustini; Burgis. Fr. Hieronymus Neapolitanus, Ordinis Eremitarum sancti Augustini Prior generalis indignus. Venerabilis & nobis in Christo Jesu dilecte salutem. Eram satis mea sponte incitatus miro quodam desiderio videndi te ex his, quæ de te (hoc est) de doctrina & vitæ tuæ innocentia in Italia audieram: at verò ut clarissima & una omnium voce in Hispaniæ regionibus, quas hactenus peragravi, audita à me sunt, quæ de iisdem rebus magnæ fidei & auctoritatis viri prædicant, ardere cœpi cupiditate quadam incredibili & admirabili cognoscendi, complectendi & audiendi Virum, quem quærebat anima mea. Sanctissimi Spi-
B ritus munera divisa sunt eâ, ut arbitror, ratione, quia omnium mens una mortalis capax non est; propterea alteri datur sermo sapientiæ, alteri sermo scientiæ, nôsti tu cætera, ut recensere non oporteat. Sed, ô bone Deus, quid audio! Divina omnia munera cumulatissimè tibi esse concessa, ita ut idem sis eloquentissimus divini Verbi interpres & vitæ ac sanctimoniæ tanta integritate, ut summos illos primos nostri Ordinis Patres non sequi sed præire videaris. Hæc scripsi ad te, ut scias, me vehementi affectum lætitia pro his, quæ dicta sunt mihi, atque Domino, qui hæc tibi affluenter dedit, gratias egisse, quando hac tempestate magnam vidi virorum talium inopiam; contigitque mihi in hac mea diuturna peregrinatione, reipublicæ nostræ gratiâ suscepta, magna terrarum spatia videre sine rore & aqua. Utinam verò reperiam aliquem Heliam zelo commotum pro Domino Deo exercituum, ad cujus oris verbum ingens post tenebras, nubem & ventum fiat pluvia super terram. Quare, charissime Frater, nisi velis, quod turpissimum est, amore & benevolentiâ provocatus non respondere, huic nostræ diuturnæ siti satisfacere cogita: id autem facies, si redeuntibus
C nobis ex Lusitania, quod futurum, volente Deo, speramus per Septembris initia mensis, obviam Toletum usque venias. Atque etiam si absque magno tuo incommodo fieri possit, cupimus, etiam antequam Toletum nos perveniamus, videre te: (est enim omnis moræ Christianus amor impatiens) ut nostris molestiis, laboribus & solicitudinibus levamentum aliquod afferas. Hoc etsi certò sciamus, te pro tuæ naturæ bonitate alacriter facturum, ut tamen, quàm vehemens nostrum sit ejus rei desiderium, intelligas, tibi in meritum sanctæ obedientiæ præceptum esse volumus. Quod si perfeceris, nihil nobis contingere poterit, neque charius neque jucundius. Amor in te noster longiorem certè epistolam requirebat, sed maxima spes, quam in tua prudentia & humanitate collocavimus, te nullo umquam tempore nobis neque operâ, neque consilio, neque labore defuturum pollicetur. Vale in Domino. Ex Hispali die XXVI Junii MDXLI. Fr. Hieronymus Gñlis indignus. *Hactenus Seripandus, cujus præclara gesta tot scriptores litteris celebrârunt, ut minimè opus sit assignare aliquem speciatim.*

A. M. SALONIO.

CAPUT XVI.

Fugit dignitates, archiepiscopatum Granatensem renuit; ad Valentinum designatus diu multúmque reluctatur a.

a

LEgimus *b* de antiquis Sanctis, ac glorioſis Patribus, quos Spiritus sanctus aliorum in Ecclesia sua magistros constituit, quòd, quamvis plures ex iis admirabili alacritate ac lætitia sese offerrent ad martyrium; episcopatus autem ac dignitates magis fugitarent omnes, quàm mortem ipsam, perpendentes, quàm strictam ac rigidam rationem supremus ille Pastor & animarum nostrarum Episcopus ab omnibus Ecclesiæ suæ [pastoribus] exacturus sit de ovium suarum negligentiis ac peccatis. Eorum ex numero quoque fuit bonus pater noster F. Thomas, fugitans, quantùm poterat, officia, atque episcopatus & dignitates aversans. Atque idcirco tum publicè tum privatim, tum in colloquiis tum in suggestu aiebat, se magna commiseratione, & nullâ invidiâ affici erga eos, qui ad officia provehuntur, quæ tot tantaque sanctitatis exempla requirunt, ac tot tamque abscondita habent pericula. Judicabat certè ac loquebatur Servus Dei, ut verus sancti patris sui Augustini filius, ita de sese scribentis: Perspiciens, quòd fideles doctrinam ac mores meos æstimare utcumque inciperent, numquam me contuli ad locum seu ecclesiam, quam episcopo destitutam noveram, ne tantum amitterem bonum, quantum est securitas, quam promittit demissa subditi conditio, utque memet subducerem grandibus periculis, quibus sese exponit, qui antistitis sedem & cathedram conscendit *c*.

ad exemplar Sanctorum dignitates fugiens, *b*

E

c archiepiscopatum Granatensem renuit;

174 Cùm secundò obiret provinciæ præfecturam, vacavit archiepiscopatus Granatensis; imperator Toleti exsistens, pro benevolentia ac religione, quâ ferebatur in doctrinam P. F. Thomæ, magnaque opinione de insigni ejus pietate & prudentia, multis experimentis comprobata, etiamsi nec præsens ibi adesset P. F. Thomas (perlustrabat enim provinciam) nec persona alia pro ipso intercederet, proprio motu, securus de insigni fructu per ipsum faciendo in quacumque ecclesia ipsi committenda, archiepiscopum Granatensem designavit. Vocatus est, ut electionem acceptaret; at verò, qua debuit humilitate & comitate majestatem suam oravit, ut revocaret, aliumque eligeret. Amici aliquot multùm impellebant, ut admitteret; sed noluit umquam. Cùm autem in provincia, utpote cui ipse præerat, nullum haberet superiorem, qui juberet, vel ad id obligare posset, nec tantam id temporis illius ecclesiæ necessitas moram pateretur, quanta requirebatur ad scribendum patri generali, atque hujus exspectandum responsum & mandatum, collatio ista suppressa est silentio: quamvis nota fuerit multis, uti constat ex processibus & nominatim ex libro, in quo exstant juramenta alumnorum majoris collegii Complutensis, atque ex eo, quod testatur pater Offorno perpetuus collegii Vallisoletani Ordinis nostri administrator, referens, quòd pater Orosco, (cujus sanctitas & doctrina nota erat in aula, atque æstimata à Philippo secundo rege,)

F

A. M. SALONIO.

rege,) in sermone habito in conventu nostro Vallisoletano, (ubi præerat,) die, quâ intellecta fuit mors, & funus celebratum patris D. Thomæ, cui sermoni ipse, qui testatur, interfuit pater Osforno, inter alia in laudem humilitatis ac pietatis P. F. Thomæ dixerit, eum, secundò provinciæ Castellanæ præpositum, à Carolo quinto cæsare electum fuisse ad archiepiscopatum Granatensem, nec ullo modo voluisse acceptare.

vacante dein Valentino,

175 Eo deinde, quo diximus, modo suppressa est Granatensis electio, ac lætus ille & hilaris in priore statu perseverabat, Domino serviens in Ordine iisdem occupationibus atque officiis, quibus antè: donec anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto bonis ac justis de causis abdicavit sese archiepiscopatu Valentino illustrissimus & reverendissimus dominus D. Georgius ab Austria, Caroli quinti imperatoris patruus, & à Paulo tertio PP. ab ista ecclesia promotus fuit ad Leodiensem, episcopatum ac dignitatem è præcipuis & maximè æstimatis in Germania, ob ea, quæ illi sunt annexa. Facta ista renuntiatione Christianissimus cæsar pro sancto suo zelo mox curam habuit pastorem præponendi vacanti sedi Valentinæ.

B *miro eventu*

176 Narrant nonnulli in processu, audivisse se rem notabilem & quasi miraculosam, relatamque tamquam certissimam, quæ contigerit in electione hujus Servi Dei ad archiepiscopatum Valentinum. Speciatim autem testium unus affirmat, eam ab ipsomet patre D. Thoma, postquam jam aliquot annos archiepiscopatui præfuerat, communicatam fuisse cum hujusce reipublicæ incola, viro valdè honorato, quo dictus Dominus [Thomas] utebatur familiariter, nomine Bernardo Simon, & ex quo eam didicerit ipse testis. Imò excellentissimus ac reverendissimus dominus D. Joannes de Ribera, patriarcha Antiochenus & Valentinus archiepiscopus, (cujus sanctitas, nobilitas, prudentia, ac reliquæ dotes, magno principe & præsule [dignæ] notæ sunt universis, eruntque in æterna memoria,) quadam occasione, me præsente, asseruit, eamdem sibi narratam fuisse, ut à teste oculato, ab aliquo è religiosissimis ac doctissimis patribus, quos nostris temporibus habuit Ordo sancti patris Dominici, cui nomen erat magister F. Petrus de Salamanca, quique per Flandriam ac Germaniam comes fuit P. F. Petro de Sotomajor, Caroli quinti imperatoris confessario.

C *à Carolo quinto*

177 Est autem hæc: Imperator volens isti ecclesiæ sufficere antistitem, designavit alterius Ordinis religiosum, jussitque secretarium suum pro eodem libellum conficere. Abiit ad conficiendum secretarius, & loco ejus, quem designaverat imperator, inscripsit ei [nomen] P. F. Thomæ de Villanova ex Ordine sancti patris Augustini, certò existimans, hunc à cæsare sibi fuisse nominatum. Rediit cum libello per cæsarem confirmando, &, ut conspexit eum Christianissimus princeps, dixit; Quid abs te factum est, quid scripsisti? Neque enim ego tibi designavi fratrem Thomam de Villanova, sed talem ex Ordine S. Hieronymi. Obstupescens secretarius reposuit: Summa cum veritate [affirmo] sacræ tuæ majestati, non alterius nomen à me intellectum fuisse, quàm fratris Thomæ à Villanova; verumtamen in promptu remedium est: reddat mihi libellum tua majestas, & mox alium expresso patris alterius nomine, conscripsero. Tum imperator motu proprio, nec ab alio interpellatus pro P. F. Thoma, libellum flagitanti & alterum confecturo secretario dixit: Nequaquam: hunc volo, non quemvis alterum, nec est, cur conficiatur libellus alius. Quippe cùm ipsum scripseris, me nec mandante, nec alio suadente, vel suggerente patris istius mentionem, nec ulla impellente ad id humana ratione, sed solùm quia certò tibi eum nominâsse visus sum, opus Dei hoc est, ejusque est electio, non mea; à me prior processit; ejus verò, quam tu scripsisti, ac tradidisti mihi, Deus auctor est: spondeo, hanc maximè securam esse: atque ita lubens lætusque confirmavit. D

archiepiscopus designatur:

178 Libellus ille unà cum aliis litteris mox ex Germania missus est Vallisoletum, ubi tum commorabatur sereniſſimus princeps D. Philippus, qui pòst rex noster fuit & dominus ejus nominis secundus, quique ea tempestate universam Hispaniam pro patre gubernabat, & ubi similiter habitabat P. F. Thomas, Prior conventûs S. Augustini in eadem civitate. Pro ingenti amore ac benevolentia, quâ in ipsum ferebantur omnes, summam hujus electionis nuntius universæ aulæ attulit voluptatem, & eximio omnium applausu susceptus est, speciatim sereniſſimi principis, qui amabat eum ac venerabatur, ut egregium Dei Servum. Sed, uti referunt testes, [nuntius ille] quamvis ad omnes lætus admodùm veniret; ipsi tristis fuit, molestus valdè, & luctificus.

E *accepto nuntio, dolet*

179 Nam inter alia, quæ pro concione de P. F. Thoma sermonem habens, quando ejus exsequiæ celebrabantur, dixit benedictus P. F. Orosco coram P. F. Joanne Osforno, qui id testatur, unum hoc notatu dignum erat. Quo tempore vir nobilis è præcipuis principis domesticis afferret libellum archiepiscopatus Valentini, distinebatur P. F. Thomas in choro cum communitate [recitando] Officii Completorio. Janitor aliquam rei notitiam nactus, confestim ad chorum abiit, annuntiaturus, adesse illic virum nobilem cum mandato principis, & intellexisse se, esse litteras ab imperatore. Respondit autem ille; juberet ipsum exspectare, donec absolveretur officium & egrederetur. Janitor præ lætitia, quâ eum affecerat bonus de litteris majestatis suæ nuntius; dum P. F. Thomam moniturus adierat, non fuerat ingressus cum omni modestia ac decentia debita, sed gestu alacriore & altiore voce, quàm locus exigeret, ut religiosi, qui choro intererant, aliquid subintelligerent, & læto nuntio gauderent. Ægrè admodùm id habuit P. F. Thomam; quamvis tum temporis dissimulârit. Nihilominus perseveravit in Officio usque ad finem Completorii, exspectavitque donec egrederentur reliqui religiosi. Finito [Completorio,] inter postremos egressus est, & excepit mandatum principis à nobili illo viro allatum, ac missum libellum pro archiepiscopatu Valentino. Dimisit illum quàm mox nullum ei elargiens donum, nec gratias referens, ut solent alii, dicens dumtaxat, deosculari se manus principis, iturumque se ad ipsum quamprimum ad rem pertractandam. F

supplex adit Philippum secundum,

180 Ut abierat vir nobilis, signum dari ære campano jussit ad cœnam, &, congregata communitate, advocari janitorem, quem, dum advenerat, non tantùm seriò corripuit de immodesto ac indecenti in chorum ingressu, verùm etiam flagellis cædi jussit. Unde apparet, quantam reverentiam ipse Dei Servus servaret in choro, quantamque [ab aliis] servari cuperet; præsertim dum recitabatur Officium divinum; & quàm parum voluptatis, imò quantum ægritudinis ipsi afferret nuntius libelli & electionis: hoc autem postmodùm sufficienter manifestavit; etenim die postero, cùm tota nocte Domino se primùm commendâsset ac Rem divinam magna pietate peregisset, assumpto li-

A libello, ad aulam se contulit, & obtenta facultate accedendi ad sereniſſimum principem, dixit, se plurimas habere gratias de favore, per cæsarem ac principem sibi exhibito, atque ea de causa eorum se manus deosculari in infinitum; at verò quoniam ipse sibi probè notus esset, sciretque, quàm ad onus istud foret incapax, rogare se humiliter, ne molestè ferret princeps, si à sese non acceptaretur, & ad pedes ejus provolutus, aiebat, referri à se libellum, orabatque enixiſſimè principem, ut recipere illum ne gravaretur; quandoquidem non esset admissurus episcopatum ullum.

181 Attulit rationes aliquot princeps, quibus ad susciendum induceret; nam, cùm antè recusâsset Granatenses [insulas,] verebatur, ne animum cæsaris patris sui offenderet, si minùs acceptaret Valentinas. At ne sic quidem persuasum illi est, ut tantum onus admitteret, sed ut denuo sereniſſimo principi humillimè supplicaret, ut ignosceret sibi, nec iniquo animo ferret; quandoquidem id seriò Domino commendâsset, atque jam dudum ita apud animum suum statuisset, certò sciens, animæ saluti ac conscientiæ suæ tranquillitati congruum esse, perseverare toto vitæ tempore, atque immori observantiæ Ordinis sui, nec statum mutare vel susciperе episcopatum. Atque ita nulla ratione ad susciendum inductus, debita cum urbanitate impetravit à principe discedendi veniam.

& huic ad susciendum hortanti

B

182 Rei exitum intelligentes D. Petrus Velasco, militiæ Castellanæ præfectus, ac D. Franciscus de los Cobos, commendator major Legionis, uti & nonnulli viri illustres alii, qui illo utebantur familiariter, mox subsecuti illum sunt, impulsuri, ut acceptaret, considerans, fore ut in hoc obsequium præstaret Deo, ac voluptate afficeret eos, quibus tantum debebat amorem, quanto ipsum prosequebantur princeps sereniſſimus ejusque parens imperator, qui procul omni dubio nec immeritò ægrè ferret, percipiens reluctari ipsum cuilibet electioni de se factæ. At nemo fuit ad persuadendum idoneus. Cardinalis dominus Joannes Tavera archiepiscopus Toletanus certior factus, quòd nemo illorum magnatum suis rationibus efficere potuisset, ut à sententia recederet, adiit ipsum, & clauso ostio cum ipso secessit seorsum objurgaturus, quæsivitque, quid causæ esset, cur homo tam pius & humilis usque adeo pervicax suæque opinionis tenax perstaret, nec submittere se vellet judicio amicorum, quorum, utpote virorum gravium, prudentium ac piiſſimorum, consilio assentiri oportebat, ac proin admittere [archiepiscopatum;] quoniam juxta omnium sententiam & Dei & cæsaris obsequio id congruebat; &, [inquiebat] dum secùs fit, manifestè resistitur rectæ rationi ac divinæ voluntati, cujus ductu, certum erat, factam esse collationem; dum nec ipse per se vel per amicos eam sibi comparaverat, nec facta erat ex favore humano, sed manifesto è cælis mandato, quod suggessit Deus imperatori domino nostro, cujus pietatem ac zelum ipsemet apprimè noverat. Hæc persuasio expugnatura fuisset animum cujuslibet alterius, effecturaque, ut mutaret sententiam. At ne minimum quidem profecit; uti Vallisoleti ac per universam Castellanam provinciam publicè notum fuit, patebitque evidenter ex litteris, quas ex autographis descriptas mox hîc subjiciam.

atque urgentibus magnatibus

C

183 At verò [Thomas] prosternens sese ad pedes illustriſſimi Cardinalis, quem diligebat ac reverebatur multùm, & à quo amabatur valdè, profusis lacrymis supplicavit, ne, si benè sibi vellet, rem istam exigeret; sed secum ad cæsarem litteras destinare dignaretur, juvaretque, quominùs offenderetur sua majestas vel molestè ferret, non acceptari [archiepiscopatum,] declarans, unicam, quæ ad hoc movebat, rationem esse salutis suæ securitatem, metumque, ne eam in episcopatu magno exponeret periculo. [Oravit autem,] ut & hoc ipsum persuaderet sereniſſimo principi. At quid facturi ac dicturi fuissent magnates illi, si novissent id, quod actum fuerat cæsarem inter & ejus amanuensem super misso, uti hîc retulimus, libello, quemadmodum intellexerunt ac noverunt postea?

diu multúmque

184 Magnates isti unà cum Cardinale, (quem exspectaverant, cogniturі, an ad acceptandum permovisset,) abierunt magno affecti doloris sensu, attendentes, obtineri à nemine potuisse, quod cupiebant ac desiderabant. Itaque, Domino Deo ad majus sancti Præsulis meritum rem dirigente, statuerunt suppliciter orare principem, quem & in hoc valdè propensum noverant, ut litteras, quales & ipsi missuri erant, dirigeret ad Ordinis provincialem, qui ipsi præceptum injungeret. Nam licèt clarè perspicerent, statutum, determinatum ac fixum F. Thomæ esse non admittere [archiepiscopatum;] tamen certum esse credebant, pro sua humilitate ac pietate, cùm à præposito mandatum acciperet, facturum ex obedientia, quod nullo modo facturus erat, proprio arbitrio relictus *d*.

reluctatur.

E

F

d

A. M. SALONIO.

ANNOTATA.

a *Meminerit lector, caput hoc apud Salonium esse decimum octavum, quoniam dictis de causis bina rescindenda existimavi.*

b *Etiam hujus capitis initium omisi; quòd meram contineat doctrinam biographi, dicentis, viros sanctos plerumque dignitates refugere ex propriæ infirmitatis agnitione, idque probantis primò per exemplum Moysis Exod. 3 & 4, dein primorum Ecclesiæ Patrum, undè exordior.*

c *Similia habet sanctus Doctor in editione Parisiensi anni 1683 tom. 5 serm. 355 aliàs 49 de diversis col. 1380. Verba ipsa accipe:* Usque adeo autem timebam episcopatum, ut quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, non illò accederem. Cavebam hoc & agebam, quantùm poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.

d *Prætermisi hîc aliquot lineas, quibus biographus, uti jam insinuaverat suprà num. 87, divinâ providentiâ factum ait, ut Sanctus anno 1541 toti provinciæ præpositus non fuerit, haberetque anno 1544 superiorem, qui ad Valentinas insulas ex obedientia impellere valeret. Præterea caput hoc, quod apud Salonium est ultimum libri primi, ac solito prolixius, in duas partes divisi; adeo ut quæ mox sequuntur nostro cap. 17, ad idem ejus ultimum pertineant. Denique de S. Thomæ electione ad archiepiscopatum etiam disserui in Comment. prævio § 7.*

A. M. SALONIO.

CAPUT XVII.

Ex obedientia admittit archiepiscopatum Valentinum, & consecratur.

Tandem à provinciæ præside

SCripsit itaque princeps sereniſſimus; ſcripſerunt & Cardinalis & magnates Toletum, ubi tum temporis degebat P. F. Franciſcus de Nieva provinciæ præpoſitus *a*, creatus in ſupradictis comitiis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi primi, qui & unus erat ex iis, qui à P. F. Thoma habitum acceperunt, ut dixi capite XIV. Memoratus provinciæ præſes perlegens principis ac magnatum epiſtolas, & perpendens, quantum utilitatis & obſequii ſuâ prudentiâ, pietate ac doctrinâ P. F. Thomas eſſet Domino præſtiturus in quacumque eccleſia [conſtitueretur epiſcopus,] reſpondit ſingulis, æquiſſimum ſibi videri, quod deſiderabant & exigebant; idemque perſcripſit ad ipſum [P. Thomam;] præcepitque ex obedientia & ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ acceptare quàm mox, mittens ipſi in faſciculo litterarum, quibus principi ac magnatibus reſpondebat, hanc cum mandato epiſtolam.

a

B

ex obedientia juſſus

186 "Reverendo admodùm patri F. Thomæ à „Villanova, monaſterii ſancti patris noſtri Auguſtini Priori, Valliſoleti: Prior provincialis. Reve„rende admodùm Pater. Accepi epiſtolam à princi„pe domino noſtro, quâ ſignificat, Paternitati ve„ſtræ à cæſare collatum eſſe archiepiſcopatum Va„lentinum; & quia ex eadem etiam didici, colla„tionem iſtam à veſtra Paternitate recuſari, præci„pio Paternitati veſtræ, ut, viſa hac præſente no„ſtra epiſtola, intra ſpatium viginti horarum, ac„ceptet collationem archiepiſcopatus Valentini, eâ „formâ ac modo, quo illam fecit imperator: ut„que plus meriti inde referas, præcipio in virtu„te ſanctæ obedientiæ & ſub pœna excommunica„tionis, trina canonica monitione præmiſſa. Hoc „autem præcipio, quia certus, id valdè acceptum „fore Deo, uti & imperatori. Dominus noſter re„verendam admodùm Paternitatem veſtram con„ſervet, ac dexterâ ſuâ ſemper tueatur, ut fructum C „producat Eccleſiæ ſuæ. Toleti ſecundâ Auguſti *b* „milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto. „Paternitatis veſtræ frater F. Franciſcus de Nieva „provincialis„.

b

acceptat.

187 Hujus virtute præcepti, & urgentibus vehementer per dies iſtos tum magnatibus tum patribus gravioribus Ordinis, qui his conatibus jungebant multa Miſſæ ſacrificia ac preces, ut Dominus animum ipſius inclinaret in id, quod de majori ejus eſſet obſequio, admiſit archiepiſcopatum Valentinum die feſto beatæ Mariæ Virginis ad Nives *c*. Nam idem litterarum lator diſceſſerat, reverſuſque fuerat omni cum celeritate. Quoniam verò ex mandato obſtringebatur ad acceptandum intra ſpatium horarum viginti, non erat locus procraſtinationi: etenim princeps reverſum curſorem extemplò Prioris provincialis litteras ad ipſum perferre juſſit; atque ita, ſepoſito proprio judicio, &, quod firmitèr conceperat, animi decreto, neceſſe illi fuit aſſentiri ſtatim, ac cæſaris collationem & libellum acceptare, ne obedientiæ, quam voverat, obluctaretur, quamque ſequendo noverat, ſe obſequi divinæ voluntati.

c

188 Anno priore, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio, Romæ celebrata fuerant comitia Ordinis noſtri generalia, ac decretum, ut Ordinis noſtri conſtitutiones, quæ tum ob antiquitatem ac vetuſtatem, tum ob temporum immutationes, in meliorem formam redigendæ erant, committerentur quibuſdam è patribus prudentiâ, pietate & zelo præſtantioribus. Eum in finem ex toto Ordine deſignati ſunt patres quinque, Itali tres, Gallus unus, Hiſpanus item unus. Itali & Gallus delecti ſunt ex iis, qui comitiis intererant, ab omnibus ad eam provinciam judicati maximè idonei; pro Hiſpaniis autem, P. F. Thomas, quamvis abſens, electus tamen fuit ob relationem, quam de vita ejus, doctrina ac prudentia in frequenti cœtu fecit reverendiſſimus Seripandus, Prior generalis. Sed poſt novam archiepiſcopatus Valentini collationem, perſpexit, ſe non poſſe vacare negotio, ſibi in comitiis generalibus commiſſo. Mox itaque, ut filius obedientiſſimus ac humillimus, ſcripſit ad dictum patrem generalem, tum ut indicaret electionem de ſe factam à cæſare, tum ut correctio Conſtitutionum Ordinis, ſibi injuncta, alteri committeretur. Viſum eſt mihi etiam has litteras hîc recitare, quia inde planè videbitur, quo E modo & quâ viâ Dei Servus ad dignitatem & cathedram archiepiſcopalem pervenerit.

D *Fuerat antè juſſus examinare Ordinis Conſtitutiones*

189 Sic habent litteræ: "Reverendiſſimo patri, *idcirco electionem ſuam Generali ſuo ſignificans,* „magiſtro F. Hieronymo Seripando, Priori gene„rali Ordinis ſancti patris noſtri Auguſtini. Romæ. „Reverendiſſime pater: Gratia & pax ſit tibi à Do„mino. Non ſcripſi citiùs ad reverendiſſimam pater„nitatem veſtram, quia certi non erant tabellarii, „ac iter Romanum minùs tutum. Nunc res accidit, „ob quam opus fuit adhibere curſorem extraordi„narium. Eſt autem hæc. Imperator cum exercitu „ſuo exiſtens in Germania, non interveniente pro„me perſona aliqua, ſed motu ac judicio proprio, „me, ab hujuſmodi ſeu cogitatione ſeu deſiderio „valdè alienum, denominavit archiepiſcopum Va„lentinum. Hanc electionem à divina manu factam „eſſe, multorum eſt opinio: & quamvis mihi ſa„tius erat perſiſtere in pace ac tranquillitate vitæ „monaſticæ, quam fueram profeſſus, pater Prior „provincialis ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ præ„ceptum ad me miſit, ut ſtatim intra ſpatium hora„rum viginti admitterem collationem, ſicut exige„bat imperator; atque ita compulſus præcepto ſu„perioris mei non potui non admittere. F

alium iſti examini ſubrogari poſtulat.

190 „Hoc ad reverendiſſimam paternitatem tuam „perſcribo, ut mihi tamquam filio, quem tanta be„nignitate proſequitur, bene precetur, &, quod fa„ctum eſt, probet atque confirmet; quoniam in to„to negotio animus mihi fuit non refragari obedien„tiæ ac divinæ de mea perſona diſpoſitioni, fore „confiſus, ut mihi vires & facultatem ſuppeditet „ad onus ac miniſterium tam ſublime requiſitas: „cùm ad nihil aliud aſpirem, quàm ad ſanctum e„jus obſequium. Quòd ſi autem electionem hanc „confirmaverit ſua Sanctitas, haud potero perficere, „quod à reverendiſſima veſtra paternitate & à pa„tribus comitiorum generalium commiſſum fuit ſu„per conſtitutionibus, aliis quippe negotiis occu„pandus. Quacumque tamen in re, ſpectante ad „obſequium reverendiſſimæ paternitatis veſtræ at„que ad honorem & progreſſum Ordinis, me, ut „filius obedientiſſimus, exhibebo ſemper paratiſſi„mum. Dominus noſter reverendiſſimam paterni„tatem veſtram ſervet, conſervetque annis pluri„bus ad ſui obſequium & Ordinis emolumentum. „Valliſoleti duodecima Auguſti milleſimi quingen„teſimi quadrageſimi quarti. Reverendiſſimæ pater„nita-

A „nitatis tuæ filius obſequentiſſimus Frater Thomas
d „à Villanova *d*„. Iſto modo factus eſt Dei Servus archiepiſcopus Valentinus, atque unà tam ſanctus ac verus Paſtor, ut libro ſecundo edocebimur.

Magnum ex ejus electione gaudium præſertim Valentiæ.

191 Magna omnes, qui eum noverant, inceſſit lætitia, quòd viderent, tam probis manibus commiſſum eſſe regimen eccleſiæ tam eximiæ, qualis eſt Valentina, eamque ſat manifeſtârunt litteræ, quas antiſtites multi ac viri illuſtres tum ex Hiſpania tum Româ ad ipſum deſtinârunt, quaſque brevitatis ſectandæ causâ hîc prætermitto: quamquam valdè notabilis ſit modus ſcribendi omnium: quippe probè gnari, quàm eſſet vir humilis & ſolitudinis amans, omnes mittebant litteras quaſi conſolatorias ſuper triſtitia ac dolore, quo procul dubio ipſum ex nova dignitate afficiendum judicabant: nemo in litteris gratulabatur ipſi, ſed eccleſiæ ac regioni, quæ tali Patre ac Præſule erat gaviſura. Hîc autem Valentiæ, ut referunt teſtes multi, maxima fuit lætitia, cùm primùm vulgata fuit ipſius electio, factaque à pluribus, qui variis in occaſionibus in Caſtella ac præſertim Burgis & Valliſoleti fuerant verſati, relatio ſanctitatis ejus & doctrinæ. Allato autem nuntio, quòd ad-
B mittere renuerat, cor [omnium] quaſi [triſtitiæ] nebulâ coopertum fuit; at verò, ubi intellexerunt, acceptatum ab ipſo eſſe [archiepiſcopatum,] non ſecùs fuit, acſi cælum ipſis nova & extraordinaria ſerenitate aperiretur.

Paulus III PP. in Bulla, & Philippus princeps in litteris

192 Obſervatu dignus quoque eſt tum Pauli tertii Pontificis in Bulla de archiepiſcopatu ad illum directa, tum principis in litteris ad rei exſecutionem conſcriptis, loquendi modus de ejus religione ac doctrina. Pontifex enim ad cælum uſque extollit eruditionem ejus ac vitam integram & religioſam, palàm faciens, quantam ex bono odore famæ ejus de ipſo concepiſſet exiſtimationem, quantamque fiduciam de ingenti fructu, quem iſti eccleſiæ tum in re ſpirituali tum in temporali erat allaturus. Sereniſſimus princeps in litteris, ad excellentiſſimum Calabriæ ducem, tum Valentiæ porregem, uti & ad magiſtratum & ad capitulum directis in laudem hujus ſancti Præſulis, dans teſtimonium de præſtantia viri ac Præſulis, quem cæſar parens ſuus ipſis deſtinabat, ac de cauſis, quæ illum impuliſſent, præter alia ſic ſcribit.

impensè illum laudant; ſolus ipſe dolet:

193 „Conſideratis vitæ integritate, morum „puritate, ſingulari eruditione ac ſcientiâ, inſigni „ſanctitate, religione ac doctrina aliiſque egregiis „meritis & virtutibus admodùm reverendi in Chri„ſto patris fratris Thomæ à Villanova ex Ordine „ſancti Auguſtini, viſum eſt cæſareæ Catholicæ ac „regiæ majeſtati, imperatori, domino & parenti „meo, eum ipſum, utpote quem novit optimè, „cujuſque bonas & præclaras dotes plenè perſpe„ctas habet, eligere ac nominare hujuſce civita„tis archiepiſcopum. Unde vos admodùm felices „reputetis neceſſe eſt, Deo infinitas agatis gratias, „atque multùm oretis pro cæſare, ejuſque in re „qualibet felicibus ſucceſſibus ob tam inſigne be„neficium, quo vobis de Paſtore tam bono pro„ſpexit &c.„ Verumtamen quantò ea dignitas aliis erat [majoris] lætitiæ occaſio, quantóque ſanctior & aptior apparebat electio, qualis reipſa erat, tantò majore triſtitia atque ægritudine afficiebat animum ipſius, proſpicientis tam grave onus ſibi impoſitum eſſe, quale eſt cura tot animarum, & obligatio reddendæ rationis [pretioſi] ſanguinis, à Jeſu Chriſto Redemptore noſtro pro illis profuſi. Quapropter triſtis incedebat per omnes hoſce dies, nec accurrentium gratulandi causâ amicorum ſalutationes admittebat, niſi eas, à quibus ſeſe omnino excuſare non valebat; nec, quod moris eſt, dona impertiebatur afferrenti Bullas. Affligebant enim ipſum ſummopere tum quies & ſecuritas, quam amittebat animus, tum pericula, quibus ſeſe exponebat, ſubiens officium tam laborioſum, tantiſque obnoxium obligationibus, quantas in ſe complectitur nomen ipſum epiſcopi. Agnovit iſtud ſufficienter ac magna cum humilitate in litteris poſt receptas Bullas archiepiſcopatûs ad Sanctitatem ſuam deſtinatis, ſic ſcribens: A. M. SALONIO.

ſcribit Pontifici;

194 "BEATISSIME PATER: Litteras Sanctita„tis veſtræ ſub plumbo, quibus me eccleſiæ Va„lentinæ in archiepiſcopum & paſtorem præfecit, „nuper accepi non ſine timore multo & tremo„re. Quis enim tanti miniſterii pondus, & tam „ſublimis dignitatis faſtigium (ſi fidei lumen ha„bet, & futuri judicii, ac reddendæ rationis im„memor non eſt) ſubire non vereatur? Faciat „hoc piiſſimus ac clementiſſimus Chriſtus, ut Ec„cleſiæ ſuæ Catholicæ, ad quam ſuo & ſuorum „ſanguine fundandam de cælo deſcendere digna„tus eſt, idoneus miniſter inveniar, ut Sanctita„ti veſtræ, cui pro tanta in me benevolentia gra„tias nullo ſermone referre ſufficio, vel ſic ex
E „parte opere reſpondeam, ut injunctum officium „diligenter ac fideliter exequar. Nihil enim gra„tius acceptabiliuſve Beatitudini veſtræ credide„rim, quàm ad Eccleſiam Dei ſibi commiſſam „regendam, conſervandam & ampliandam, quos „in partem ſolicitudinis vocat, fideles ac prom„ptos coadjutores invenire. Et ad hoc velle qui„dem pro certo adjacet mihi, utinam & perfi„cere condonetur! Cæterùm ſi quid eſt in me vi„rium aut ſufficientiæ, id totum hâc ſuâ clemen„tiâ ſibi veſtra Sanctitas vindicavit. Ita ut nemi„nem ſubditorum gratiorem, humiliorem, & ad „omnia mandata paratiorem, (ut par eſt,) toto „orbe Sanctitas veſtra reperiat. Teſtimonium quo„que præſtiti juramenti ante conſecrationem, (ut „moris eſt,) ſicut per eaſdem literas Beatitudo „veſtra expoſcit, cum his literis mitto. Valeat pia „& benigna Sanctitas veſtra ad multos annos ad „Eccleſiæ Dei utilitatem & pacem. Sanctitatis ve„ſtræ humilis & devota creatura frater Thomas „à Villanova *e*„.

e conſecratur epiſcopus.

195 Confirmata à Paulo tertio Pontifice e-
F lectione P. F. Thomæ ad archiepiſcopatum Valentinum, factâ per Carolum quintum imperatorem, & acceptis à Sanctitate ſua Bullis, quarum dominus Cardinalis archiepiſcopus Toletanus Joannes Tavera, (quoniam noverat paupertatem ejus, qui omne, quod accipiebat, in pia opera expendebat, vel communi uſui conventus ſui applicabat, nihil quidquam ſibi reſervans,) expenſas fecit, mox in ipſa Valliſoletana civitate ob eodem Cardinale magna ſolemnitate & ſacris cærimoniis, quas in ſimilibus actionibus adhibet ac ſemper ab initio adhibuit, à beatis Apoſtolis inſtructa, Eccleſia Catholica, inauguratus eſt. Inaugurationi præter tres epiſcopos, ad iſtum actum requiſitos, adſtitere ſumma animi voluptate pro affectu & amore, quo in ipſum ferebantur, plures alii, magnates multi, & viri titulis inſignes, meliorque ac major pars aulæ. Finito actu, plures in genua ſe proſternebant, imò alii alios protrudebant, ut manus ipſi deoſcularentur; alii verò nec pauci ad deoſculandos pedes procumbebant, felicemque ſe exiſtimabat, quiſquis ad ipſum poterat attingere. Quoniam autem amabant ac reverebantur illum univerſim omnes, lacrymas multas iſti affectui ac lætitiæ permiſcebant penè omnes, cogitantes, quòd ad eccleſiam ſuam bre-

A.M. Sazonio. brevi esset profecturus, & ipsi tantâ ejus doctrinâ ac consolatione destituendi.

ANNOTATA.

a *Provinciæ regimen tenuit R. P. de Nieva à mense Novembri anni* 1541 *usque ad diem* 2 *Maii* 1545.

b *Hispanicè, quo idiomate dat epistolam Salonius*, à dos de Agosto: *Coccinus tamen in Relatione pag.* 606 *scriptam esse ait* sub die VII Augusti. *Verba huc transcribo, utpote paucis complectentia, quæ hîc & præcedenti capite referuntur.* Considerandum est ulteriùs, Virum religiosæ addictissimum paupertati, cùm fuisset nominatus ab invictissimo imperatore Carolo V ad episcopatum Valentinum, nominationi non consensisse; qua de re certior factus provincialis ad eum sub die VII Augusti MDXLIV litteras dedit, in quibus ei præcepit in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, ut intra XX horarum spatium dictæ nominationi archiepiscopatûs consentiret, de quibus in Processu Castellæ, ... quod etiam comprobatur ex aliis litteris datis per venerabilem Virum XII ejusdem mensis & anni ad patrem generalem, qui postea fuit Cardinalis Seripandus, ut in eodem processu .... & probant testes de publica voce & fama in processu Valentino... videlicet Vincentius Roca... Matthæus Joannes Lopez ... ambo examinati authoritate ordinaria, Mariana Cabanillas... Michaël Soler.

c *Die* 5 *Augusti; itaque vel duplici loco erravit Salonius, vel, quod mihi verisimilius est, mendum irrepsit in numeros Coccini, ad litt. præcedentem citati.*

d *Easdem litteras, paucis mutatis, Hispanicè, uti Salonius, recitat Herrera in Biblioth. part.* 2 *pag.* 441, *easque propria Sancti manu subscriptas se vidisse asserit in archivo Romano. Pag.* 442 *& seq. Seripandi responsorias exhibet aliasque, quas inferni Comment. prævio.*

e *Ita Latinè apud Salonium, qui mox interpretationem Hispanicè subdit.*

LIBER II.

CAPUT I.

Valentiam proficiscitur & extra muros commoratur in conventu sui Ordinis.

Discedit Valentiam uno cum socio & binis famulis;

ACceptis ad archiepiscopatum Bullis, & inauguratus Vallisoleti in ecclesia sancti patris nostri Augustini per dominum Joannem Tavera Cardinalem & archiepiscopum Toletanum, ut libro præcedente dictum est, mox Valentiam iter arripuit absque alio apparatu vel comitatu quàm unius religiosi, qui illi ob virtutem carus erat admodùm, nomine pater frater Joannes Rincon, ac duorum famulorum, ut solent patres præcipui, dum iter instituunt. Abeuntem Religiosi aliquot aliæque personæ præstantes comitari cupiebant per aliquod viæ spatium: at ipse viris religiosis gratias egit plurimas de benevolentia erga se, dixitque, id se nullo pacto esse permissurum; sed oravit enixè, ut precibus suis ac Sacrificiis commitarentur semper. Secularibus verò numquam significare voluit discessûs seu diem seu horam; ac die quadam post celebratum manè primo diluculo Missæ Sacrificium abiit, nemine, donec sese jam viæ dedisset, rei conscio: atque ita cum solo religioso atque duobus dictis famulis profectus est.

matrem, licèt rogatus, per viam non invisit.

197 In itinere pervenit ad locum, unde absque ullo diverticulo rectâ pergere poterat Valentiam, vel tendere versùs Villanovam Infantium. Rogari ipsum jusserat mater, ut, cùm Valentiam se conferret, illac iter dirigeret, atque suo eam conspectu recrearet. Substitit aliquantisper in dicto loco, atque interpellavit socium: Quid faciemus P. F. Joannes? An iter prosequemur rectà Valentiam, an versùs Villanovam Infantium divertemus, prout per litteras suas efflagitavit parens mea? Respondit illi socius; Iter Villanovâ faciamus Domine; neque enim ob dies sex septemve, quibus isto diverticulo retardari diutiùs poterit vestra dominatio, deneganda est matri ista consolatio. Id quidem & mihi, inquit, bonum apparet; verùm, (qui ei mos erat in qualibet re facienda,) id aliquantisper Deo commendemus. Ita substitit per tempus aliquod, nullum proferens verbum, & tamquam deliberans, quid esset facturus; elapsoque medio horæ quadrante: Pergamus, inquit, Valentiam; nam nostrâ nunc pluris interest succurrere sponsæ, fortasse præsentiâ nostrâ indigenti; matrem consolandi non deerit opportunitas, & si minùs coràm fieri potuerit, fiet per litteras. Etenim quod de uxore, sibi à Domino data, pronuntiavit primus parens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ; significans, quanto amore & solicitudine accurrere debeat maritus, ut prospiciat conjugi suæ, id ipsum haud minùs obstrictos reddit episcopos erga ecclesias suas, ut eas ament ac juvent in necessitatibus.

Divina providentia in ejus accessu

198 Solet divina Providentia, dum hominem ipsamet deligit ad munus aliquod, mox ab initio manifestare, quid ab illo in futurum sit exspectandum; prout videmus in S. Moyse propheta, in quo per fortitudinem, quâ Hebræum vindicavit ab injuria per Ægyptium illata, Spiritus sanctus (uti censet S. Hieronymus, & declaravit glorioſissimus martyr S. Stephanus in sermone illo tam erudito ac docto, quem ipso die martyrii sui instituit ad Synagogam Hierosolymis) indicavit, quid dein per ipsum pro bono ac libertate fratrum ipsius operari intenderet in Ægypto. Narrat autem S. Lucas euangelista, quòd, cùm Jesus Christus Redemptor noster vocaret S. Petrum apostolum, ut, relictis navi, retibus, & omnibus, quæ in terra possidebat, sequeretur se, tantam unica vice ceperit ille piscium multitudinem, ut necesse fuerit advocare socios, in alia vicina navi degentes, qui juvarent ad extrahenda retia; sic præsignante Domino, (uti mox ipsemet declarabat,) infinitam hominum multitudinem, quos sermonis ac doctrinæ retibus erat cælo capturus post hæc.

pluviam concedit Valentino regno;

199 Ita quoque Dominus Deus noster mittens Valentiam P. F. Thomam, mox satis demonstravit, quantum cum sancto illo Præsule bonum in regionem illam dirigeret. Etenim cùm per aliquod tempus jam laborâsset regnum istud aquarum penuriâ, atque hinc magna sterilitate & egestate, intrante ipso territorium ac fines diœcesios suæ, pluere cœpit, perveniente autem ad monasterium beatæ Mariæ de Succursu, quod foris situm est prope muros Valentiæ, & ad quod, utpote Ordinis sui cœnobium, divertit, tanta ad illius regionis so-

A lamen decidit è cælo aquarum abundantia, ut mox omnes ex viſibili illo aquarum beneficio è cælis immiſſo, (quod elata voce adſcribebant adventui ac meritis Servi Dei,) intellectu præciperent ſpiritualia atque inviſibilia [beneficia,] ex ejus exemplis ac doctrina animabus ſuis conferenda.

200 De ipſius adventu ac ſuſceptione in dicto monaſterio beatæ Mariæ de Succurſu pater frater Jacobus Montiel, qui id temporis illic Prior erat, ac poſtmodùm ipſi fuit à confeſſionibus, nec non alii ſeniores patres, eodem tempore domum iſtam inhabitantes, narrabant, eratque valdè notum, quòd ſancto Præſule ac ſocio cum mulis & famulis duobus ad oſtium adventantibus & vocantibus religioſum, qui iſtic invigilabat, is mox aperuerit, quódque ab ipſis dicentibus, adveniſſe ſe, ut per duos tantùmmodo dies in ea domo morarentur, exegerit, (ut ferunt conſuetudo atque inſtitutum Ordinis noſtri,) litteras *, quas afferebant à ſuperiore ſuo, Priori exhibendas; quoniam abſque iis admittere ipſos ſibi non licebat. Repoſuit ſocius: Frater rectè fungeris officio; at pater iſte Prior fuit & Caſtellæ provincialis, nec indiget, quas flagitas, litteris. Adi patrem Priorem, ac dicito, nos, duos ſeniores Caſtellæ religioſos huc adveniſſe, nec velle hîc morari ultra duos dies, donec pluviæ ceſſaverint, & famulos jam noviſſe, ubi cum mulis tam diu degant intra civitatem.

civitati appropinquans

* *Hiſp.* la licencia

B

201 Hoc nuntio adiit patrem Priorem janitor, qui, cùm jam notum eſſet advenire Archiepiſcopum, ſubdubitavit, an is ipſe eſſet, qui ad oſtium acceſſerat; accurrit eò quàm mox; at, cùm neminem conſpiceret præter duos monachos & abſque ullo comitatu, nam jam abierant famuli, magis hærebat dubius, an ipſe eſſet. Nihilominus ex facie & habitu cernens, eſſe viros graves, excepit magna cum humanitate, obtulitque, ut illic permanerent, quamdiu placeret. Id unum indolebat, quòd domus eſſet anguſta & pauper, quódque obſequia ipſis exhiberi non poſſent, quibus dignos ipſos eſſe deprehendebat. Ne hoc te cruciet, pater Prior, (inquiebat ſocius; nam ſilebat conſtanter P. F. Thomas,) quia pater iſte cellulâ, & ego alterâ, ut ut puſillâ, erimus admodùm contenti, quamdiu perſeveraverint pluviæ; de alimentis nobis ipſi providebimus; mox etenim hîc aderit famulus, cui expenſæ itineris commiſſæ ſunt.

ignotus divertit in conventum ſui Ordinis;

C

202 Bonus Prior continuò contemplans vultum venerabilem ac pium P. F. Thomæ, (quamvis continuum ſervaret ſilentium,) & quò magis contemplabatur, quoniam jam tum perſpectam habebat magnam humilitatem ejus ac modeſtiam, eò magis ſibi perſuadens, eſſe procul dubio Archiepiſcopum; cunctabatur tamen id rogare, quia ita ſine comitatu adventantem cernebat, (ſicut ipſe bonus pater Montiel retulit, ex oculis lacrymas profundens non tantùm, cùm primùm enarravit, verùm etiam quotieſcumque de ipſo ſermonem inſtitueret.) Denique ſtatuit id petere ex ipſomet, atque ita allocutus eſt: Obſecro per amorem Dei, Pater mi, dubium mihi eripe; eſne dominus Archiepiſcopus? Cùm autem, ſalva veritate, id celare non valeret, ac probum Prioris animum agnoſceret, annuit ipſi, dixitque; Is ipſe ſum, quamquam nec dignus ſim, nec ad id idoneus. Proſtravit ſe mox ad pedes ejus dictus Prior, multa contentione expoſcens manus ejus [deoſculandas.] Convocari mox juſſit religioſos omnes, qui ingenti cum alacritate accurrentes manus ejus deoſculati ſunt omnes.

agnitus ſolemniter à religioſis deducitur

203 Abſque mora juſſit Prior afferri Crucem, candelabra, ac tres religioſos indui, unum veſte pluviali, qui Crucem manibus præferret, reliquos duos dalmaticâ, qui geſtarent cereos. Atque ita ex porticu, in quo erat ſanctus Præſul, ex ea parte, quam De profundis appellamus, ubi exſtat pia admodùm imago Redemptoris noſtri Crucem geſtantis & ſancti patris noſtri Auguſtini & nonnullorum Ordinis noſtri Sanctorum, geſtantem ſublevantium, ordine proceſſerunt ad eccleſiam per januam, quâ itur ad chorum, & ubi nunc ipſius eſt ſepulcrum, unà decantantes TE DEUM LAUDAMUS. Deductus eſt ad aram principem, ubi in genua proſtratus perſtitit, donec cantus abſolutus eſſet, & ſacerdos veſte pluviali indutus recitâſſet aliquot in gratiarum actionem orationes. Inde decantantes hymnum AVE MARIS STELLA &c, perduxerunt ipſum ad ſacellum beatæ Mariæ de Succurſu, & ibidem abſoluto dicto hymno cum aliquot verſibus, idem ſacerdos recitavit orationem de beata Maria Virgine, & ſanctus Præſul benedictionem impertivit religioſis omnibus, quamvis præ lacrymis verba vix proferre poſſet. Data benedictione, rogavit patrem Priorem, ut abſcederent religioſi; quoniam iſtic ante ſanctam illam imaginem, quæ ipſi valde pia videbatur, aliquantiſper morari ſolus cupiebat. Sed & totâ vitâ ſuâ magno erga eam affectu ferebatur, & ea fuit una ex rationibus, cur moriens (ut dicetur) firmiter admodùm inſtiterit, ne ſepeliretur alibi, quàm in ſacello beatæ Mariæ de Succurſu in tumulo aliorum religioſorum.

A. M. SALONIO. *in templo & ad imaginem B. Mariæ,*

E

204 Perſtitit illic longo temporis ſpatio, commendans ſeſe beatæ Mariæ Virgini, perſtitiſſetque longiore; niſi ipſum interpellâſſent: nam, cùm famuli, qui cum mulis ad palatium epiſcopale perrexerant, (ubi jam tum aliquot ex ejus familiaribus, qui præceſſerant, morabantur,) dicerent jam adveniſſe archiepiſcopum, atque hoſpitari in monaſterio beatæ Mariæ de Succurſu, mox pervulgatus eſt adventûs ejus rumor, & accurrerunt plures canonici, aliæque perſonæ præcipuæ ad deoſculandas ipſi manus, & congratulandum de adventu. Atque ita coactus fuit deſerere ſacellum beatæ Mariæ, ac ſe conferre ad cubiculum Prioris, quod, dum in ſacello ſubſiſtebat, meliore, quo poterat, modo præparatum ipſi fuerat, & alterum ſocio, cum atriolo utrique annexo. Quotquot accedebant, excepit magna cùm caritate tum humanitate, & aliquanto tempore cum ipſis collocutus, rogavit verbis admodùm officioſis ac religioſis, (ita enim ſemper faciebat,) ne diutiùs iſtic perſiſterent, tum propter ingruentem noctem & accreſcentem pluviam, tum propter tranquillitatem monaſterii, & dignarentur monere amicos, ut parcerent labori ad viſitandum ipſum in monaſterio extra civitatem & inter pluvias; fore enim ut, ubi in Valentinam civitatem adveniret, domi ſuæ adiri poſſet die & horâ quâlibet, excipieretque eos magna cum lætitia & voluptate; ipſe autem per dies, quibus detinerent in monaſterio pluviæ, quieſceret, tum ut ſeſe adventui pararet, quia defatigatus advenerat ab itinere, tum ut in hujuſmodi feſtivitatibus liber eſſet à negotiis ac ſalutationibus.

accurrunt è civitate multi;

F

205 Statuerat Valentiam appropinquare die quarto ante Nativitatem, & biduo commorari in domo iſta; tertio verò die, pridie ſcilicet pervigilii Nativitatis, intrare Valentinam civitatem, in choro interfuturus Veſperis Nativitatis, quam feſtivitatem magna admodùm devotione colebat. Sed ita rem diſpoſuit Dominus, ut propter pluviæ abundantiam permanendum ei fuerit in eo monaſte-

propter continuas pluvias per aliquot dies,

A. M. Salonio.

sterio usque ad primum anni diem. Singulis diebus, quibus in illa domo perstitit, magna devotione Sacrum celebravit ad aram beatæ Mariæ Virginis, & ut majore tranquillitate celebraret, veritus, ne multi ad audiendum adessent, multo mane, & clausis utcumque januis, quoniam dies erant breviores ac nubili, ad aras accedebat. Adstitit autem cum reliquis religiosis in choro horis tum vespertinis tum matutinis festivitatis nati Domini, ac post multas Prioris efflagitationes occupavit sedem mediam; jussit autem amoveri velum bombycinum, positum ad [eam sellæ partem, quâ nititur] dorsum, & pulvinar ex rasa bombyce ad pedes [collocatum.] Requisitus est ad antiphonam Magnificat, quam præcinuit magno omnibus pietatis exemplo.

cum religiosi divino officio assistens

206 Rogabat ipsum enixè Prior, ut dignaretur celebrare primum vel solemne Sacrum, & eo favore honestare illud monasterium; respondit, libenter se ejus desiderio facturum esse satis, sed æquum non esse, ut in alia ecclesia, quàm in cathedrali, primùm episcopali ritu celebraret, meritóque conquesturos esse canonicos, quibus ex sua parte non deberet præbere ansam deponendi querelas. Atque ita, inchoatis Laudibus, abiit Missam primam privatim * celebraturus ad aram beatæ Mariæ Virginis, & eâ finitâ aliquantisper quieturus. Prima autem luce ad eamdem aram celebravit duas reliquas multa devotione & lacrymis; inde ad chorum abiit, &, cum nemine agere cupiens, genibus nixus perstitit usque ad horam Officii. Hæc cùm advenissent, astitit Tertiæ ac Sextæ & Missæ solemni, nec è choro se movit, donec signum daretur ad prandium. Eo dato, cum socio perrexit ad [locum, qui vocatur] De profundis; atque ambo die isto pranderunt in refectorio cum ceteris religiosis, ubi locum Prioris, quia is etiam atque etiam hoc rogabat, occupavit, atque omnibus bene precatus est. Finito prandio, ad cellam se contulit cum socio ac Priore, in eamque conclusus quievit usque ad Vesperas, quibus similiter interfuit, quamvis præterita nocte parum admodùm somno dedisset & quieti.

B

* *Hisp.* Missa del Gallo rezada

istic moratur, invisitur à prorege.

207 Hoc pacto, quemadmodum narrabant seniores illi patres, ea in domo sanctus Præsul transegit diem Nativitatis, nullius salutationem seu visitationem admittens. Ceteris diebus accedebat ad Missam solemnem ac Vesperas tantùm, ut quilibet alius religiosus, quorumdam salutationes excipiebat, & cum socio vescebatur in cubiculo; nec prætermisit adesse Vesperis, nisi die festo S. Joannis, quo illum dux Calabriæ tum Valentiæ prorex, cui jam notus erat, quique eum venerabatur multùm, invisit. Et qui simulac cognovit, ipsum esse archiepiscopum, omnibus civitatis hujus incolis palàm fecit, quàm insignis concionator ac Dei servus esset Præsul, qui ad ecclesiam illam gubernandam adveniebat. At præter alia viris nobilibus amicis suis asserebat, mirari se, quòd Valentinum archiepiscopatum acceptâsset; quoniam sciebat, eum nullo modo voluisse acceptare Granatenses insulas, ac declarâsse, nullas se alias acceptaturum, nec dimissurum statum religiosum, ad quem à Deo fuerat vocatus. Verùm hoc dixit, quia tum non sciebat, ut scivit postea, quod retulimus, acceptâsse nempe ex mera obedientia, & contra voluntatem, compulsum præcepto ac censuris à Priore provinciæ sibi missis.

C

D

CAPUT II.

Magno incolarum gaudio ecclesiam suam ingreditur & primas curas convertit ad carcerem & xenodochium.

Cessante pluvia & purgatis compitis,

COntinebat se bonus ille Præsul in monasterio beatæ Mariæ de Succursu, non intrans Valentiam propter abundantes pluvias, donec, præteritis diebus festis, illæ desistere inciperent, ac cælum nitescere. Licèt autem ingens luti copia, quæ inde producta erat, non permitteret, ut intra dies aliquot, ingrederetur instructo supplicantium ritu agmine & consueta solemnitate à porta civitatis usque ad ecclesiam: tamen propter desiderium, tum quo ipse afficiebatur, videndi, amplectendi, atque, ut bonum quemlibet Antistitem decet, recreandi sponsam, tum quo ardebat pectus ejusdem ecclesiæ fruendi conspectu Sponsi sui, vocemque percipiendi Pastoris, de quo omnes tanta bona prænuntiaverant, statuerunt ac mandaverunt domini de capitulo ac magistratus civitatis, ut viæ omnes, per quas incedendum erat à monasterio beatæ Mariæ de Succursu usque ad ecclesiam majorem, ingenti luti copia mundarentur, sabulo substernerentur, ipseque mulo vectus à dicto monasterio usque ad urbis basilicam procederet, & hinc supplicationis ritu ad ecclesiam. Atque ita die ultimo anni millesimi quingentesimi quadragesimi quarti purgatæ sunt viæ omnes à monasterio beatæ Mariæ de Succursu usque ad portam, cui nomen est de Quarto, & ab hac usque ad ecclesiæ majoris portam, quæ ab Apostolis denominatur, quæque magnificè exornata erat, uti consuevit in casu ac die hujuscemodi.

E

in ecclesiam suam introducitur a

209 Festo Circumcisionis ac die primo *a* anni millesimi quingentesimi quadragesimi quinti, & anno ætatis ejus quinquagesimo sexto sub horam secundam postmeridianam mulo insidens, deducente magistratu ac universo nobilium cœtu præclaræ hujus civitatis, pervenit ad præfatam basilicam, ubi de mulo descendit & Lignum Crucis, quod ibidem sellæ panno pretioso * contectæ impositum atque in eum finem præparatum fuerat, adoravit. Totus etiam dictæ basilicæ aditus coopertus erat panno tum pretioso ecclesiæ majoris, tum serico & villoso * ejusdem civitatis; solum verò multis stratum tapetibus. Illinc, comitante per modum supplicationis, ac decantante, ut moris est, hymnum Te Deum laudamus, clero universo, ad ecclesiam majorem deductus est. Finito cantu, dixerunt versiculos & orationes in libro pontificali assignatas pro receptione antistitis, &, his dictis, omni populo bene precatus est, atque impertivit quadraginta dierum indulgentias, quas subditis suis concedere possunt episcopi.

F

* *Hisp.* brocado

* *Hisp.* terciopelo

magno humilitatis

210 De hac receptione & ingressu benedicti Præsulis referunt testes res aliquas valdè notabiles: nam multi tum ob insignem æstimationem, tum ob famam sanctitatis, quam de ejus persona acceperant, magna cum attentione observabant, quidquid fiebat, eumque subsecuti sunt, donec in ædes suas se recepisset. Referunt itaque ex iis aliquot, eo tempore in vivis etiam tum superstites,

cùm

A cùm super ipso inquisitio instituta est; primò, quòd grandem omnibus admirationem attulerit humilitas & paupertas habitûs ipsius; ingressus quippe est veste ac pallio ex panno nigro valdè obsoletis, petaso autem tam vetusto, ut jam colorem b amisisset, atque ex vetustate detritus esset *b*. At id non mirabitur, quicumque pervolverit, quæ pòst dicturi sumus de paupertate, quam servavit semper in vestimentis, dum fuit Archiepiscopus.

ac pietatis exemplo

211 Alterum erat, insigne exemplum humilitatis simul & pietatis, quod præbuit, quando in inferiori aditu basilicæ civitatis, ubi à capitulo exceptus est, è jumento descendens, pervenit ad sellam ad adorandum Lignum Crucis. Eo loco, ubi genuflectendum ei erat, posuerant pulvinar ex amphimallo rubeo, quod cernens inclinavit se, ac propriis manibus amovit, atque humi in genua prostratus adoravit lignum Crucis, osculatus est Crucifixi Domini pedem multis cum lacrymis, & mox pronus solum ipsum deosculatus est. Ea fuit actio tantæ pietatis exemplo, ut adstantes permoveret, ac tanta teneritudine afficeret, ut ex illis multi collacrymarentur. Imò qui id testantur, ut habetur in processu, cùm enarrant, tanto sensu id B proferunt, ut nec à lacrymis abstinere nec absque illis eloqui valeant. Tertiò dicunt, ipsum exceptum fuisse tanta gaudii ac lætitiæ significatione totius civitatis, omniumque, qui in hac tunc degebant, ecclesiasticorum ac laicorum, hominum genere præstantium & nobilium, atque universim totius populi, quanta nullo umquam casu visa fuerat Valentiæ. Demonstrantibus omnibus consolationem & interiorem animi voluptatem; videbatur verè die isto ad ipsos ingredi civitatis redemptio, ac remedium malorum omnium tam spiritualium, quàm corporalium, quæ in ipsa reperiebantur.

atque incolarum solatio & gaudio,

212 Et juxta opinionem, quam de ejus insigni sanctitate, doctrina & benignitate conceperant ex publicè narratis de Servo Dei per multas ac graves admodùm personas, quæ fuerant in Castella, nominatim Burgis aut Vallisoleti, una voce asserebant omnes, tamquam de re certa, cum isto sancto Præsule istuc adveniisse emendationem omnis corruptionis ac dissolutionis, quæ erat in civitate ac per diœcesim, remediumque & solatium pauperum & egenorum. Nec voce tantùm palàm indicabant cordis lætitiam & opinionem atque existimationem, quam de sancti Præsulis insigni C sanctitate, doctrina, pietate ceterisque virtutibus habebant, verùm etiam scriptis, multis versibus, epigrammatis per plateas, compita & angulos, quà illi transeundum erat, dispositis, præsertim ad ecclesiam majorem, ad hujus valvas, & areas. Aliis celebrantibus insignes benedicti Præsulis dotes; aliis infinitas gratias agentibus Domino, quòd illum nobis concessisset; aliis ecclesiæ ac civitati gratulantibus de tam felici sorte, qualis est adventus tam boni Patris ac Pastoris; aliis bene precantibus Ordini sancti patris nostri Augustini, tales filios producenti; aliis per emblemata & symbola hieroglyphica designantibus gaudium & solatium, quod ex ejus adventu sentiebant. Imò etiam testantur aliqui, quòd plures claro ac valdè legibili charactere scriptis suis, versibus ac picturis has voces præfixerint: ILLUSTRISSIMO ET SANCTISSIMO PRÆSULI DON FR. THOMÆ À VILANUEVA, ARCHIEPISCOPO VALENTINO, QUEM IN SALUTEM ANIMARUM, ET PATREM PAUPERUM, GRATULANS ET JUBILANS RECIPIT HAC DIE URBS VALENTINA FOELIX. Verba, quæ juxta judicium multorum, jam tum magnam de dotibus præclari Viri notitiam habentium, iis chartis inscripta sunt, dirigente Spiritu sancto, qui optimè noverat, quàm vera essent futura.

A. M. SALONIO.

qui ingenti affluentia eum comitantur.

213 Postquam igitur sanctus Præsul tali lætitia ac solemnitate receptus fuisset, atque finitæ essent in ecclesia cærimoniæ suprà memoratæ, perrexit ad ædes suas, comitantibus omnibus canonicis, cum tanta frequentia hominum invicem propulsantium ad manus, vestem aut pedes ipsi deosculandos, ut ipsemet magno incommodo ac vitæ periculo expositus fuisset, nisi accessissent ad illos repellendos, atque spatium curandum satellites ducis Calabriæ, qui præstolabatur in sacello majori ecclesiæ cathedralis, ut ipsi, cùm adveniisset, manus deoscularetur; quemadmodum ad primos altaris gradus ipsi adventanti deosculatus eas est magnus & Christianissimus princeps.

Postero die actis Deo gratiis,

214 Postero die ad ecclesiam rediit sacrum Missæ sacrificium celebraturus, & ibidem, quod fecit magna devotione & lacrymarum effusione, gratias Domino infinitas acturus de beneficio, quod sibi præstiterat permittendo, ut ad ecclesiam suam perveniret; orandumque suppliciter, ut dignaretur dirigere sese, ac divino favore & gratiâ illuminare, ut ritè fungeretur officio, debitè gubernaret diœcesim, essetque dignus ejus gloriæ & E salutis ovium suarum minister.

perlustrat carcerem

215 Dum hoc præ ceteris præstiterat, & in sublimi isto ac divino Sacrificio se Domino commendârat, ut in omnibus sibi lumen concederet & ductum; mox perhibuit insignem caritatem & benignitatem, quâ gubernaturus erat subditos suos, cumque iis acturus. Ab ecclesia enim ad ædes reversus, primùm sibi ostendi expetivit carcerem ecclesiasticorum, ut propriis oculis videret, quo pacto istic haberentur clerici, utque præ reliquis huic rei prospiceret. Ingressus illum est, & perlustrans cùm offendisset cavernas, quas ibidem tavegas compellant, comperisseque eas valdè tenebrosas, humidas ac lugubres, rogavit: Hìcne umquam ecclesiasticus collocatus est? Responderunt, quòd sic, quódque isti rei inservirent. Magnam vultu ægritudinem demonstravit, & abhorruit talem carcerem, magis aptum (ut ipse aiebat) latronibus ac grassatoribus, quàm sacerdotibus & hominibus Deo consecratis; moxque eum obstrui atque humo repleri jussit, dicens: Avertat Deus, ut umquam, me jubente vel volente, clericus tam horribili loco includatur! Aliâ viâ corrigendæ & lucrandæ sunt animæ fratrum nostrorum. Movet F fortiter miseria & necessitas proximi, quando propriis oculis conspicitur, ob vim ac robur, quod naturæ Auctor his indidit ad movendam voluntatem & cor emolliendum. Idque optimo experimento discerent superiores ac judices, si modò, ut tenentur, carceres visitarent, ac propriis oculis intuerentur, quid patiantur miseri captivi; quemadmodùm sæpiùs pro concione docuit sanctus ille Præsul, atque ipse fecit, uti hìc videmus, observavitque, quamdiu hanc ecclesiam tenuit.

Summam pecuniæ oblatam à canonicis

216 Iisdem hisce diebus domini de capitulo, tum ad significandum gaudium, quod ex ejus adventu perceperant, tum quia de ipsius paupertate certiores facti erant, utpote, qui, nisi mutuum peteret, nihil habebat, quo ædes instrueret, ac de supellectile necessaria prospiceret, decreverunt inter se ritè congregati, dono ipsi offerre aliquam pecuniæ summam; ter mille scuta *c* aiunt nonnulli, quater mille testantur alii, & hoc mihi certius est. Nam sacerdos Deo devotus, vitâ integer & fide dignus, nomine dominus Michaël Tiensa, qui per annos plures fuit vicarius perpetuus in ecclesia xenodochii generalis, (qui in vivis superstes erat,

A. M. Salonio. erat, quando de hoc ſancto Præſule primum libellum meum concinnavi, ſed vivere deſierat, quando auctoritate epiſcopi inſtituta ſunt inquiſitio & proceſſus,) mihi tamquam teſtis oculatus magna cum certitudine affirmavit, quater mille fuiſſe [deſtinata.]

xenodochio concedit,

217 Hæc nomine capituli ad ipſum detulerunt dominus Hieronymus Carroz, dominus Michaël Vique, & dominus Honoratus Pellicer canonici ejuſdem ſanctæ eccleſiæ, ſupplicantes, ut iis uteretur ad inſtructionem domus ſuæ, nec reſpiceret donum, ſed voluntatem ac deſiderium, quo ferebantur in ipſius obſequium. Recepit nummos, gratias illis plures agens tam de affectu quàm de munere, atque ait: Illa pecuniæ ſumma, quâ mihi benefacere intenditis, an ita conceditur, ut liberè de ipſa diſponam, eâque utar, ſicut expedire mihi viſum fuerit? Aſſerentibus illis, omnino ejus voluntati [relictam eſſe,] dixit: Igitur, cùm acciderit, (ut acciderat illis diebus,) ut ignis tantum damnum intulerit xenodochio generali hujus civitatis, oro vos ac dominos capituli, ne ægrè ferratis, aut exiſtimetis, me minoris facere donum, etenim pluris facio, ac memoria tenebo ſemper, B ſi, quod Deo placebit plurimùm, iſtud [donum] concedam xenodochio, ut inchoetur opus, quod neceſſariò exſtruendum eſt. Permiſit Deus, ut non modò non ægrè id ipſi tulerint, ſed contrà ſuſpexerint ingentem caritatem ejus & miſericordiam, quâ, cùm ipſemet indigeret, potiùs proſpicere voluit neceſſitati xenodochii, quàm propriæ domus. Atque ita eodem temporis momento advocari juſſit adminiſtratores xenodochii, quibus ſtatim advenientibus omnem pecuniam, cui ne manum quidem admoverat, contradidit mandans, ut acciperent ad conſtruenda ægrotantium cubilia, atque opus extemplò inciperent, & fore [addidit] ut, opitulante Domino, conaretur afferre ſubſidium tum neceſſitati, quam ea tempeſtate patiebantur, tum ceteris pietatis ac miſericordiæ operibus, quæ more ſolito in iſta domo exercentur. Comitatus eſt adminiſtratores, qui pecuniam acceperunt, dictus vicarius dominus Michaël Tienſa, atque ita ſuprà relata narravit tamquam teſtis oculatus. Addidit autem, quòd per memoratam patris D. Thomæ eleemoſynam cœpta ſit xenodochii conſtructio.

C 218 Nec tantùm hoſce nummos impertitus eſt, verùm ad ſe vocatis concionatoribus & confeſſariis omnibus, injunxit ſedulò, ut, dum concionarentur ac confeſſiones exciperent, rem magno conatu commendarent, perſonaſque, quibuſcum eſſent acturi, ſi utcumque divites eſſe noviſſent, rogarent, ut eidem ſuccurrerent ac faverent. Idem præſtabat ipſe in ſermonibus, quos inſtituebat, tantâ efficaciâ, quantâ ſi fuiſſet domus propria, & quilibet ægrotantium & egenorum germanus frater aut filius, imò tali ſenſu [apprehendebat] neceſſitatem iſtius domus, & meritum inſigne, quod coram Deo referebant, quicumque ei opitulabantur, ut præ commiſeratione commoveretur, atque cum lacrymis id flagitaret. Ducem Calabriæ, qui princeps erat pius admodùm & in eleemoſynas pronus, quique eidem operi multum auxilii conferebat, oravit atque exoravit, ut ſæpenumerò ſimul opus inſpicerent, inviſerentque xenodochium, ita ſuo exemplo ſtimulum daturi ceteris omnibus ad ipſi ſuccurrendum. Atque ita ſimul adierunt frequenter magna totius civitatis ædificatione, ac plures perſonæ principales, tam eccleſiaſticæ quàm laïcæ tam ſancto exemplo permotæ, eódem ſimiliter accurrebant.

alioſque, ut idem faciant, induxit.

ANNOTATA.

D

a *Eſcolanus part. 2 lib. 10 cap. 35 Hiſtoriæ Valentinæ introitum affixit diei ultimo anni 1544.*

b *Coccinus ea ſic confirmat pag. 649:* Ad archiepiſcopatûs dignitatem electus habitu veteri & pileo ob vetuſtatem decolorato civitatem Valentinam unà cum ſocio ac duobus aliis, quaſi Prior quidam aut Provincialis ingreſſus eſt, ita ut omnes ob ſui Prælati modeſtiam & humilitatem in maximam admirationem raperentur: ita ut de vera ſcientia & de viſu deponunt Bartholomæus Eſcola... ætat. LXXX annorum in proceſſu Valentino... Matthæus Joannes Lopez ætatis ſeptuaginta quinque annorum... Philippus Adell ætatis LXXI annorum... qui duo ſunt examinati authoritate ordinaria.

c *Hiſpanicè* eſcudos: *ea monetæ appellatio aliàs recurret, eodemque nomine exponam: ſic* Real nummum regium *vel* regalem *nuncupabo*, ducado ducatum, *quod meminiſſe dignetur lector.*

E

CAPUT III.

Archiepiſcopus paupertatem ſervat in veſtitu, victu, ſupellectile domeſtica.

Archiepiſcopi amor paupertatis in veſtibus, a

VEræ *a* virtutis ingens experimentum eſt dignitas & honor, atque efficaciſſimo argumento oſtendit radices, quas illa egit in corde hominis, quando ex ſtatu & officiis non permutatur. Sic quoque optimè demonſtravit pater D. Thomas, quàm verus eſſet religioſus, quámque pauper corde & ſpiritu; quandoquidem ad archiepiſcopatum Valentinum promotus atque tam ſublimi in dignitate conſtitutus, minimè ab agendi modo immutatus fuerit, nihil amiſerit humilitatis, candoris, paupertatis, quam in religione ſemper fuerat profeſſus, tam corde & opere pauper erat, ac tam ſeriò per totum vitæ curſum amavit paupertatem Euangelicam & religioſam, quam voverat, ut quicumque eum noverunt vel ipſo familiariter uſi ſunt, finem non faciant cum præconio commemorandi, quantopere virtuti illi ſtuduerit. F Eadem veſtimenta jam Archiepiſcopus geſtavit per annos aliquot, quæ detulerat è conventu, & uſu lacera ſarciri curabat, donec vetuſta & nimiùm detrita uſui eſſe non poſſent. Idem ſervabat in veſtitu interiori, ſubuculas & tunicas refici curans, &, ubi vetuſtate obſoletæ erant, ex binis unam confici præcipiens; quibus tamen (ut ſub finem hujus capitis videbimus) non induebatur, niſi ad occultandum, quod geſtabat, cilicium. Quòd ſi thorax detritus, aliis aſſutis manicis, aptari poſſet, eum ut ut vetuſtum induebat nec novum confici curabat. Nam, & id affirmabat ipſe, putabat, divinis oculis acceptiores eſſe in paupere religioſo veſtes obſoletas ac detritas, quàm novas & pretioſas.

quas ipſe manibus ſuis,

220 Hac de cauſa, quamdiu vixit in religione, tibialia, femoralia & quidquid propriis manibus valebat, reficiebat ipſemet, nequaquam ad alium recurrens. Idem ipſum continuabat Archiepiſcopus tum ex cauſa jam dicta, tum ex deſiderio & cæleſti fervore, quem ſentiebat jam factus Antiſtites, ad parcendum ſumptibus [in favorem] pau-

A pauperum *b*. Eum in finem in cellula, quam ſolus ingrediebatur, non alius, in ſcrinio ductili habebat digitale, acum, forfices, filum & hujuſmodi apparatum, quem cœnobitæ ſervare ſolent in cellis ad reſarciendas pauperes veſtes. Imò ipſos calceos vetuſtos & fractos refici jubebat, & aliis ſoleis inſtrui, quamdiu ita refecti uſui eſſe poterant. Res leves eæ videbuntur nec dignæ Archiepiſcopo, aut quæ inſerantur vitæ ejus; at quis dubitet, magnum in ſe complexas fuiſſe meritum & oculis divinis ſummopere placuiſſe? Utpotè quæ totidem erant proprii effectus & argumenta certiſſima amoris & affectûs, quo rapiebatur in paupertatem religioſam, ac deſiderii, quo, prout videbimus, intendebat ſuperflua colligere pauperibus.

b

221 Contigit, dum cellulam, in quam refecturus aliquid ſe recipiebat, minùs rectè occluſerat, advenire domum ejus canonicum unum è familiaribus, qui alloqui ipſum vellet, & cui percunctanti, ubi eſſet dominus Archiepiſcopus, reſponſum eſt, in cellula iſta [ipſum occupari.] Ille pro familiaritate & candore, quo agebat cum benedicto Antiſtite, non exſpectans, donec moneretur, confeſtim ad cellulam contendit, & cùm B non bene occluſa eſſet, nec ſignum dans nec vocem proferens introïvit, offenditque impeditum ſarciendis femoralibus; quod malè admodùm habuit Dei Servum. Hujuſmodi rei conſpectu obſtupefactus canonicus & indignam Archiepiſcopo reputans, infit: Obſecro, Domine, hoccine à Dominatione tua præſtari oportet? Pro unico regali refecturus eſt ſartor quilibet. Sanè, Domine, id non patiar: & hoc dicens, conatus eſt ipſi femoralia è manibus ſurripere. Cohibuit bonus Antiſtes & dixit: Non rectè judicas; quamvis enim ad archiepiſcopatum promotus ſim, haud idcirco deſii eſſe religioſus, qui vovi paupertatem; & delector ſubinde occupari iis, quibus occupantur pauperes religioſi: quod ais pro unico regali refici poſſe femoralia; aio ego, quòd unico illo regali comedere cras poſſit mendicus. Bene autem de me meritus fueris, ſi rem hanc pro tuo in me amore nemini indicaveris.

reſarcit,

222 Bis tantùm ſpatio annorum undecim, quibus fuit Archiepiſcopus, confici ſibi juſſit habitum album & nigrum, quo modo geſtamus nos religioſi Ordinis ſancti patris noſtri Auguſtini. Utraque vice fieri voluit album ex panno tenuiore, nigrum ex communi panno, & vili pretio. Quadam C vice ſuaſerat ipſi amicus, ut veſtiret ſe panno è laneis aut bombycinis filis decuſſatim tranſverſis, cùm talis veſtis eſſet minùs gravis, nec alicui videri poſſet dedecere Archiepiſcopum. Imò fore, [addebat,] ut commodiore pretio id fieret, quàm ſi ſeſe veſtiret panno iſtius regionis; [ſubdens,] ſe juſſurum afferri. Allatum [pannum] comperiens [Sanctus] cariore pretio conſtare, quàm putabat, atque eſſe ſuo judicio exquiſitum, ac fore habitum ſplendentem, dixit amico: Tibi, qui dives es & bonorum tuorum dominus ac ſecularis, fas erit hocce panno induere te, nam pauperi monacho, qualis ego ſum, qui quidquid habeo, pertinet ad pauperes, non licet veſtiri re tam pretioſa & exquiſita. Atque ita amicus boni Patris noſtri abſtulit pannum, ex eoque uni è filiabus ſuis tunicam confici curavit; ille verò habitum ſibi ex vili panno nigro. Hanc geſtavit annis pluribus, donec tam vetuſtus eſſet atque obſoletus, ut puderet domeſticos eo indutum conſpicari. Ut autem illum deponeret, ac novum aſſumeret, coacti fuerunt die quadam unà omnes ipſum aggredi, & ſic ob meram ipſorum importunitatem alium ſi-

nec novas ſibi confici vult,

bi comparavit ex rudi panno, & minimi pretii, qui reperiebatur. Atque hic fuit ſecundus è duobus.

A. M. SALONIO.

223 Ut autem clariùs pateat, quanti faceret paupertatem, rem hìc annotandam exiſtimo, quam refert ex domeſticis unus, qui id temporis illi famulabatur; & quamvis videri poterit nonnullis abjecta, equidem tamen certus ſum, quòd, qui eam conſideraverint oculis rectis ac piis, Dominum Deum laudaturi ſint in humilitate ac paupertate ſpiritûs benedicti hujus Antiſtitis. Ait itaque teſtis ille, quòd, cùm veſtis iſta, ad quam deponendam ob vetuſtatem compulerunt eum [poſtea] domeſtici, non modò vetus & obſoleta, verùm etiam fracta eſſet & ſedendo lacera infra humeros, quia illam geſtârat continuò & geſtare diutius [deſiderabat,] deplorans expenſas pro ſe faciendas, unicè ut ſervaret pauperibus *c*, [ait, inquam, teſtis ille, quòd] die quadam compellatus fuerit à famulo altero, cui nomen Alvaro de Noriega, dicente: Comitare me, mandavit enim Archiepiſcopus, ut è panni ſegmentis, quæ cuſtodit in capſula ad reficiendas veſtes ſuas, unum aſſuamus [veſti,] quam modò induit. Aſſuimus ei (inquit) ſegmentum ingens, ſublato, quod magis erat fractum ac lacerum, & ſic refectam abſque ullo pudore E geſtavit etiam per plures menſes: cujuſce rei puderet pauperrimum atque humillimum religioſum.

quamdiu vetuſtæ ſarciri queunt;

c

224 Indigens thorace, quia, quem geſtabat, vetus erat adeo & fractus, ut uti non valeret in poſterum, vocari juſſit ſartorem, qui novum concinnaret, commendavitque illi, ut conficeretur ex tela bona ac ſolida, modeſta tamen & honeſta. Ita fecit ſartor; ſeligens goſſipium *, quod reperiebatur, optimum, & confectum attulit dicens, conſtare nummis regiis triginta. Obſtupuit valdè Dei Servus; affirmantem autem ſartorem, non poſſe ſe minore pretio vendere abſque proprio damno, rogavit, an inventurus eſſet aliquem, qui eo pretio acceptaret; aſſerenti ipſi dixit: Tolle igitur eum, frater, & auſpicatò divende alteri: ſufficit enim mihi thorax nummorum regiorum ad ſummum decem vel duodecim. Thorax quippe trium ſcutorum nec religioſo congruit, nec ei, qui ſe pauperibus patrem exhibere obligatur *d*: tribus iſtis ſcutis pauperem à capite uſque ad calcem veſtire potero. Poſtea verò, ſicut inferiùs videbitur, uni è filiabus iſtiuſmet ſartoris dotem inſignem ſuppeditavit. Similia ei obtigerunt ſæpe aliàs *e* ob conſuetudinem, quam contraxerat induendi ſeſe mo- F do religioſo & honeſtiſſimo.

nec niſi levi pretio;

* ruan

d

e

225 Sicut bonis bono exemplo exſtitit modeſtia illa ac paupertas ſancti Antiſtitis, ita etiam, quod virtuti proprium eſt, non potuit non offendere aliquos, & diſplicere oculis res dimetientium juxta uſum, vanoſque mores ac leges hujus mundi. Nam aliquot è capitulo judicantes, Archiepiſcopum ſuum non eſſe veſtitum juxta decorum debitum nec conformiter ad dignitatem ſuam atque honorem eccleſiæ, miſerunt, qui ſupplicarent, ut veſtibus melioribus ſeſe indueret, & ex panno ſubtiliore, atque eo modo, ut quadamtenus præ ſe ferret dignitatem ſuam. Quibus ſubridens atque alacri & gravi vultu reſpondit: Dicite dominis iſtis, me gratias eis habere plurimas pro cura, quam de me gerunt; ſed ignorare me planè, quid obſit vel detrahat dignitati archiepiſcopi, indutum eſſe me inſtar monachi, qui paupertatem profeſſus ſum: quandoquidem hujus muneris auctoritas, & inde enaſcens obligatio, minimè conſiſtat in veſtitu atque ſubtilitate panni; ſed in cura ac ſtudio ſalutis animarum, quæ mihi à Deo commiſſæ ſunt. Nihilominus ipſi ſtatuant, quo me veſtimento indu-

fruſtra indignantur canonici.

A. M. SANCHONIO.

tum velint, & nisi professioni meæ adversetur, judicio eorum ac voluntati acquiescam. Ad responsum adeo religiosum ac prudens reponere nihil ausi sunt; tantùm rogavere, ut pileolus, quo tegebat caput tempore æstatis, quando ob vehementem calorem viri religiosi cucullo solent denudare caput, conficeretur ex panno tramoserico. Atque ita fecit, ut persuasioni ipsorum atque desiderio obsecundaret. Porrò manu sua demonstrans pileolum istum tramosericum scitè ac lepidè (uti in omnibus consuerat) aiebat: Ecce hîc archiepiscopatus meus: neque enim dominis capituli tamquam Archiepiscopus vestitus videor, si minùs utar pileolo tramoserico.

Victûs parcitas

226 In victu adeo temperans erat, ut nihil umquam haberet amplius, quàm quod communiter in Castellana provincia, unde venerat, dari solet religiosis in amplis Ordinis nostri conventibus, addita tantùm aliqua pro comedentibus promulside. Festis majoribus in gratiam solemnitatis, ac simul mensæ suæ accumbentium, superaddi jubebat avem aliquam, pullosve, aut portionem ex vitulina vel caprina carne, secundùm festivitatis ordinem. Id autem eâdem semper temperantiâ, quam observârat in Ordine *f*. Convivæ erant illi communiter confessarius, provisor, & visitatores ejus, magistri Porta & Caro, dum Valentiæ degebant; aliquoties autem asserebant, se propter mensæ sobrietatem surrexisse ab ea etiam famelicos, quo tamen minimè affligebantur, animati quippe exemplo Archiepiscopi.

B

f

magna solicitudine

227 Quidquid sumptûs, ut ut modici, fiebat præter ordinarium, sicut dictum est, animo sentiebat & reprehendebat, idque ut impediret, sub finem cujusque mensis (prout narrant nonnulli, qui illi famulati sunt,) oculis examinabat rationes sumptus ordinarii; si autem mensis unus excederet alium, præterquam in eo, quod causâ festivitatis alicujus aut solemnitatis vel ex legitima & urgente occasione expensum fuerat, magno sensu corripiebat, dicens: Considerate, non esse hæc mea, sed pauperum bona, ac restitui his debere, quidquid in ædibus meis insumitur absque necessitate. Quapropter equidem conscientiæ vestræ committo, ut magna solicitudine attendatis, ne quid extra necessarium impendatur vel pro me vel pro domo: nam, ubi secùs fit, præterquam quòd graviter Deus offendatur, pauperibus, ad quos pertinet, subtrahitur, atque restitui debet.

C

invigilat.

228 Die quodam Veneris descendens, ut Sacrum faceret in ecclesia cathedrali, ad primos gradus occurrit œconomo inter pisces alios afferenti mustelam *g*; rogavit, quo pretio constitisset. Respondit ille quatuor regalibus. Obstupuit dicens: Quid mihi res tam pretiosa? Malè egisti. Tum, verè, inquit œconomus, aderant alii, qui eodem pretio libenter sibi compararent, &, si cedere vellem, agerent mihi gratias. Itaque, dixit Servus Dei, defer ad ipsos, & quatuor nummos recipe *h*, nec deinceps tam largus sis & liberalis ex pecunia aliena, neque mihi tam carò emas. Bina ova & frustum piscis vulgaris mihi monacho plusquam sufficiunt. Bona enimverò, quæ habeo, mea non sunt sed pauperum; ex quatuor hisce nummis plures quàm quatuor illorum comedent.

g

h

Nullum in domo vel cubiculo

229 Non patiebatur umquam in ædibus suis esse pannos ullave tapetia aut mensarum tegumenta serica. Imò super mensa, quâ utebatur in cubiculo, erat [operimentum] ex nigra pelle dumtaxat ducta colore aureo; ad januam verò velum [pendebat] ex nigro panno intortis villis Non erat in tota domo ornatus pensilis, præterquam in aula majore, quâ aditus est ad sacellum, & ubi communiter ipse negotia peragebat; illic autem inter binas fenestras, quæ aream domûs respiciunt, [pendebat] velum èx nigra pelle ducta colore aureo cum imagine beatissimæ Mariæ Virginis; & mensa [ibidem posita] eadem pelle erat cooperta: cubile [ejus stratum] erat levi matta, qualem in cellis suis habere solent quidam religiosi *i*.

D

i

pretiosum ornatum tolerat,

230 Coëmit ipsi aliquando œconomus velum non amplum bombyce & subtili lana intertextum, in quo expressa erat Christi Domini de Cruce depositio; parvum item opere Turcico tapetem, quoniam levi pretio venalia repererat in foro ecclesiæ cathedralis. Id intelligenti patri Thomæ multùm displicuit; quia expensæ factæ erant in rebus minimè necessariis. Verùm, inquit, retineantur; velum quippe, cùm repræsentet Christum Redemptorem, adhiberi poterit in ecclesia, (sicut etiam adhibitum fuit; nam dono dedit, ut imponeretur pulpito, ex quo ad populum dicitur,) tapes autem in sacello, ubi sanctum Missæ sacrificium peragimus. Sed in posterum noli mihi supellectilem aut rem curiosam coëmere; Nam sufficienter tibi dictum fuit, esse me monachum & professum paupertatem, atque exceptis necessariis ad mei ac domûs sustentationem, reliquum omne pertinere ad egenos.

E

nec supellectilem argenteam in mensa:

231 Eadem de causa nec habuit nec habere voluit umquam convivalia ex argento vasa, præterquam duodena cochlearia exilia pro invitatis ad mensam, & bina vascula imponendo sali. Oeconomus considerans sumptum catinorum ac scutellarum, quæ continuò rumpebantur in manibus epheborum, suggerebat ei sæpiùs conflari potuisse supellectilem mensæ argenteam ex eo, quod indies insumebatur in catinos ac scutellas *k*. Respondit ille: Putas, me non vidisse id, de quo me mones? Erras, si credis hoc: probè adverto. Sed monachus sum, & quod honori est aliis, mihi probro esse censeo. Abundè patuit sancti Antistitis paupertas, cùm è vivis excederet. Nam, (exceptis iis, quæ inter famulos distribuit,) omnis ejus supellex, quam ante obitum legavit collegio à se fundato juxta scholas hujus civitatis, in publica auctione in foro ecclesiæ cathedralis divendita tantùm fuit scutis circitèr quinquaginta.

k

F

lectus ipsi simplex;

232 Non tantùm, cùm jam esset Archiepiscopus, eamdem constanter tenuit paupertatem & simplicitatem, quam professus fuerat, servaveratque in religione; verùm etiam eadem asperitate iisdemque corporis afflictationibus se ipsum tractabat, quibus utebatur in Ordine, occultans tamen eas, quantùm poterat; licèt quantamcumque ad occultandas adhiberet curam, detectæ fuerint à nonnullis famulis & familiaribus, qui testimonium perhibuerunt. In cubiculo lectum habebat loris subtentum, non deauratum, pictumve alio quàm proprio & naturali ipsius materiei colore. Instructus autem erat syparii ex xylino panno coloris cinerei, culcitis tantùm duabus ac duobus stragulis ejusdem generis, quibus utimur in Ordine nostro, nec re alia seu rara seu eleganti. Lecticæ linteis numquam utebatur, nisi exigente infirmitate; ac proinde toralibus stamineis sternebatur lectus.

& ferè sarmentis incubat,

233 Famulus, qui parandi lecti curam habebat, in eo illum somnos captare existimabat, quoniam mane ita invertebat & situ mutabat, acsi incubuisset. Verùm detexit [famulus,] ipso insciо, (viderunt & alii nonnulli ac magno silentio suppresserunt,) *l* quòd hunc lectum inter ac parietem

l

A tem alter humi jaceret [lectus] ex ſarmentis confectus ac ſtragulo uno tectus, quem nemo deprehendiſſet vel advertiſſet; niſi die quadam circumiens reperiſſet dictus famulus, qui, quid rei eſſet, intellexit at diſſimulavit. Quapropter ipſe plerumque Dei Servus veſperi ſternebat lectum, in quo quieſcere ſe ſimulabat; & quando ejuſdem ſternendi curam relinquebat ſervo, aiebat: Poteris lectum facilè componere ex parte anteriori abſque eo quòd circumeas: noli circuire aut facere aliud, quàm quod à me tibi injungitur. Cùm affligeretur morbo, ex quo mortuus eſt, intelligens, eum ſibi extremum fore, præcepit famulo, qui ei nonnumquam lectum parabat, & cui ſecretum iſtud credebat, nomine Benedicto, ut ſub noctem, dum alii cœnarent neque obſervaret quiſpiam, auferret ſarmenta aliquot inter lectum ac parietem jacentia. Idem famulus, defuncto ſancto Antiſtite, Ordinem ſancti patris Hieronymi amplexus eſt in monaſterio de la Murta, ubi inſignis Dei ſervus exſtitit & magni exempli religioſus.

cilicio ſemper indutus,

234 Ad eamdem normam, quamvis indueret tunicas ſtamineas & aliquoties induſia, hiſce veſtiebat ſeſe, ut tegeret cilicium, quod geſtavit
B uſque ad mortem; atque hinc citiùs apud ipſum corrumpebantur, quàm ſoleant apud homines alios. Mirabantur ii, qui ea vel lavabant vel reficiebant, quomodo tam brevi tempore detrita eſſent apud hominem, degentem ſemper domi, quietum ac ſolitarium. Sed poſt obitum, quando & cilicium & quàm id aſperum eſſet, compertum fuit, perceperunt, ejus aſperitatem fuiſſe cauſam, cur illa citiùs apud Dei Servum, quàm apud alios ejuſdem conditionis homines corrumperentur.

jejuniis addictus,

235 Quoad victum præter ordinariam & inſignem hocce capite expoſitam ſobrietatem, fuit etiam rigidus admodum jejunii cultor, non modò in religione, ſed & in archiepiſcopatu. Præter Eccleſiæ jejunia, ſervabat etiam omnia [peculiaria] Ordinis, ac multa alia ex devotione. Tempore Adventûs & Quadrageſimæ Feriis quarta & ſexta, in pervigiliis item per annum ſeorſum comedebat; quoniam pane & aquâ ſe reficiebat. Aſſerebat autem, diebus iſtis manducare ſeriùs ſibi lubitum eſſe, neque [velle,] ut ſuî causâ ordinarii menſæ ſuæ convivæ refectionem differrent ultra ſtatam horam. Atque ita ſeſe ſubtrahebat, nec præſentem habebat diebus iſtis præter famu-
C lum cubicularium, cui arcana multa committebat, ne quis cognoſceret, eum jejunare in pane & aqua: hoc ſervavit totâ vitâ, niſi infirmitas aliqua impedimentum afferret.

etiam infirmus in victu parcit ſumptibus.

236 Ex illis jejuniis, & defectu ſomni, ac laboribus officii debilitari cœpit. Dixerunt itaque medici, eum idcirco & propter ætatem debere ſumere nutrimentum ſolidi ſucci, ac diebus ſingulis gallinam ipſi ſeorſum eſſe coquendam. Videbatur ipſi minimè neceſſarius tantus ſumptus, quòd nec infirmus eſſet, nec lectum teneret, imò domum obiret; inſtantibus tamen medicis & domeſticis [aſſerentibus,] eo ipſum egere, & niſi nutrimentum ſolidum ſumeret, ex debilitate morbo corripiendum, ut ad munus obeundum incapax futurus eſſet, ac multò plures impenſæ eſſent faciendæ, tandem conſenſit, ut ſibi ſeparatim coqueretur caro vervecina &, quod ſufficeret, dimidium gallinæ, [ſubdens,] ſe, prout videretur [expedire] etiam nutrimenti ſumptionem continuaturum. Duravit hoc uno circitèr menſe; judicans quippe, ſibi meliùs eſſe ac plus virium, de gallina jam ſatis eſſe dixit, & ad communem cibum rediit, nec ad rem aliam induci potuit *m*.

m

ANNOTATA.

A. M. SALONIO.

a *Prætermiſi nonnulla, quibus docet auctor homines communiter cum dignitate mores immutare.*

b *Juvat hîc audire teſtes apud Coccinum; pag.* 641 *ita legitur:* Veſtimenta ſua, quibus humillimè induebatur, propriis manibus reſarciebat, ut uberiùs poſſet pauperibus ſubvenire, ut deponunt teſtes in proceſſu Valentino... videlicet Fr. Joannes Alphonſus... Joannes Feris... Philippus Adell... Michaël Vincente... Bartholomæus Eſcola... Fr. Joſeph Montanes... Joan. Baptiſta Alatar... Jacobus Ferrando... qui omnes præter Eſcolam ſunt examinati authoritate ordinaria: Mariana Sottomajor... & Blanca de Cardona... in eodem proceſſu Valentino... quæ dicit, neque duplex indumentum, neque geminum birettum, ut appellant, eum habuiſſe.

c *Iis affinia leguntur denuo apud Coccinum mox laudatum:* Frater Joannes Alphonſus ait, eum adeo parcum fuiſſe, ut, cùm quadam die teſtem, manicas ſub cubito laceras intuentem, interrogâſſet, quo pretio par manicarum haberetur, & ille XXIV regalibus reſpondiſſet, ſubdiderit Archiepi- E
ſcopus, melius eſt, ut hæc pecunia erogetur in pauperes, & ego fruſtis manicas mihi reſarciam: prout eum feciſſe, ſeque vidiſſe idem teſtis affirmat.

d *Facti hujus quoque meminit Coccinus, ſed modo paululùm diverſo:* Iterum, *inquit*, ad ſe juſſit accerſiri ſutorem, ut ſibi thoracem conficeret, qui cùm XXIV regales pro eo conficiendo petiiſſet, ſe non poſſe reſpondit Archiepiſcopus tantum impendere, cùm bona eſſent pauperum, eique obtulit regales duodecim, quibus ſutore non acquieſcente, thoracem non emit. *Deinde addit, à Sancto poſtea eidem ſutori (veſtiario ſcilicet à verbo* ſuere, *quamquam ea voce utamur communiter pro calceolario,) datam fuiſſe pecuniam pro dote filiæ, ac tandem ex proceſſu Valentino teſtes citat F. Joannem Alphonſum, D. Petrum de Moncada, Joannem Baptiſtam Alatar, & Jacobum Ferrando.*

e *Aliquot exempla recitat cap.* 20, *quod apud nos eſt* 21 *ob cauſas infrà indicandas: unum addo ex Coccino:* Jacobus Ferrando... etiam deponit, quòd, cùm venerabilis Vir pedes quadam die extra calceos haberet, vidit pedum digitos denudatos, ipſaque pedalia lacera, ac penitus conſumpta, F
quódque, cùm venerabilis Vir ſe conſpici adverteret, pedes intra calceos retraxit: & omnes ſupradicti (*nempe ad litt.* d) ſunt examinati authoritate ordinaria.

f *Coccinus pag.* 637 *tit.* De abſtinentia, ſobrietate & parcitate *ſcribit in hunc modum:* Hujuſmodi virtutibus egregiè ſanctus Præſul fuit ornatus, nam quantùm ad abſtinentiam & ſobrietatem attinet, deponunt teſtes, cibum ac potum tam parcè & modicè ſumere ſolitum, acſi privatus Religioſus exiſteret, prout in proceſſu Valentino... Fr. Joannes Alphonſus... Franciſcus Blaſco... qui ſunt examinati authoritate ordinaria, & Mariana de Sottomajor,... quæ ſubdit, quòd ex una tantùm olla comedebat.

g *Hiſpanicè* lamprea, *piſcis murænæ ſimilis & à lambendis petris nunc etiam* lampetra *nuncupatus.*

h *Factum idem habes in Vita ſecundo loco data, ſed modo diverſo enarratum; magnum ſanè diſcrimen eſt in pretio; nam piſcis illic* 25 *regalibus conſtitiſſe aſſeritur: apud Coccinum verò* 20: *uter rectiùs, ignoro.* Inſuper, *verba ſunt Coccini pag.* 640, cùm ad eum familiaris lampretam valoris

A. M. Salonio.

xx regalium detuliſſet, juſſit illam venditori reſtitui, ut aliis venderetur; Hoc, inquiens, pretio viginti pauperes poterant ſuſtentari; mandavitque, ut fœminæ, cujus erat lampreta, quatuor regales, quibus indigebat, eleëmoſynæ nomine tribuerentur. Hæc probant optimè teſtes in proceſſu Valentino. . . videlicet Fr. Joannes Alphonſus. . . D. Petrus de Moncada, ambo examinati authoritate ordinaria.

i *Huc denuo reſpiciunt, quæ memorat Coccinus pag.* 643 : Parcitati quoad veſtimenta, parcitas quoad cubiculum & lectum adjungitur: nam hic ſimilis erat lecto alicujus pauperis religioſi; cubiculum verò non aulæis ornatum, ſed ſtoris quibuſdam circumdatum viſebatur; ita prædicti teſtes deponunt, eodem loco . . . videlicet Joannes Alphonſus, Joannes Feris, Philippus Adell, Bartholomæus Eſcola, Michaël Vincente, Mariana de Sottomajor & Franciſcus Blaſco, . . . D. Petrus de Moncada . . . atque Fr. Joſeph Montanes Ordinis ſancti Franciſci . . . & tres ultimi ſunt examinati authoritate ordinaria.

k *Coccinus pag.* 640; Sanctiſſimus Vir in patinis terreis comedebat; ita deponunt in proceſſu Valentino . . . Fr. Alphonſus, & Joannes Feris, &
B Philippus Adell, examinati authoritate ordinaria.

l *Ex hiſce unum allegat Coccinus pag.* 643 *Fr. Joſephum Montanes ex Ordine ſancti Franciſci*, qui, *inquit*, ſupradictis, *ad lit.* i, addit, ſe lectum prædictum inſpiciendo vidiſſe ſtragulum quoddam extenſum, quo ex una parte elevato, lectulum ſarmentis ſeu vitibus confectum aſpexit, ex quo teſtis collegit, ſanctum Præſulem in hoc lectulo dormire ſolitum & alterum, qui tamen paupertatem ſpirabat, honeſti decoris gratiâ adhibere: cum quo concordat Petrus Guttierez, . . . dum deponit de auditu, quòd aliquando dormiebat ſuper tabulis.

m *Iſtis addi meretur, quod tradit Coccinus pag.* 639: Cùm quadam die œconomus ab eo veniam peteret, ut ipſi ægrotanti pullum ſeu perdicem coquere poſſet; reſpondit: Æquum non eſt, quòd ſervus domino ſuo lautiùs comedat; pauperes domini mei ſunt; hi verò carnem tantùm vervecinam ſine delitiis edunt, ac proinde conveniens eſt, ut ego, qui ſum eorum bonorum Oeconomus & diſpenſator, cibis non lautioribus veſcar. Ita de certa ſcientia deponit Bartholomæus Eſcola. . . & Michaël Vincente examinatus authoritate ordinaria...
C ibidem dicit, quòd hoc erat publicum & notorium.

CAPUT IV.

Diœceſim perluſtrat ac miniſtros in regimine adjutores ſibi deligit.

Prudentiâ in antiſtite requiſitâ

PRudentia politica ſub initium regiminis tria habet ſibi valdè propria. Primum eſt, diſſimulare poſſe ſubditorum culpas, exſpectando occaſionem ac tempus, quo corrigantur ac puniantur minore tumultu ac majore omnium emendatione. Secundum, obſervare magna ſolicitudine conditiones eorum, qui gubernandi ſunt, ut cognoſcatur, quo modo cum illis agendum ſit; nam dum ſuperior ſe non ad vitia ſed ad indolem ſubditorum conformat, ſuavius eſt regimen, tranquillius ac ſecurius: uti conſpicimus in ſupremo illo ac cæleſti Principe, Moderatore ac Domino rerum D
omnium creatarum, qui dicitur diſponere omnia ſuaviter. Quoniam ad eum modum gubernat creaturas omnes, cumque illis concurrit, ut nullam à proprio ordine removeat, & ab eo, quod exigit propria naturæ conditio. Tertium eſt, ſibi adjungere meliores ac prudentiores communitatis, ut in ferendo onere officii adjuvent, ac reliqui eum ament & revereantur, perſpicientes, quæ apud ipſum bonorum ſit opinio & æſtimatio, & quomodo honoret eos, quos comperit eſſe dignos *a*.

238 Totum hoc, utpote prudens admodùm *a probè inſtructus,*
ac circumſpectus Antiſtes, optimè ſervavit P. D. Thomas, incipiens regere illam eccleſiam. Mox enim ſtuduit cognoſcere mores ac ingenia populi Valentini, multamque in hoc curam contulit, ut ejus gubernandi notitiam poſſideret. Hinc, (quamvis id quoque exigebat naturæ ipſius conditio,) agebat cum omnibus ſincerè, obſervans ac ſeligens ex unoquoque, quod ad illum finem conducebat. Et, licèt mox comperiret ac intelligeret, quòd vitam in illis partibus ducerent immoderatam valdè ac diſſolutam, utpote quas gubernaverant longo tempore vicarii, brevî admo- E
dùm paſtores proprii *b*, diſſimulabat, exſpectans tempeſtatem & occaſionem opportunam, quâ res omnes in ordinem reduceret. Ex ipſiſmet indigenis viſitatores, domus ſuæ miniſtros, & in munere adjutores deligebat ſibi eos, quos perſpiciebat Dei cultui addictos, ejus ſpiritu prædi- *b*
tos prudentiâque ac zelo, quem exigit miniſterium adeo ſublime, quale eſt eccleſiæ & ſalutis animarum regimen juvare.

239 Hinc mox viſitabat tum ipſius civitatis *mox perluſtrat diœceſim*
tum univerſæ diœceſios parœcias tantâ diligentiâ, ut incipiens exeunte menſe Februario ejuſdem anni, quo advenit, abſolverit viſitationem exeunte Septembri. In omnibus locis, ut ut ignobilibus, concionabatur tali ſpiritu, fervore & zelo, ut, quamvis cæleſti ſemper ac divino præditus fuerit, quemadmodùm vidimus libro præcedente, multùm differret is, quo incenſus erat ante archiepiſcopatum, ab illo, qui deinde in illo obſervatus fuit: ut [Sponſus,] qui jam ſponſam habebat, cujus honori ac ſaluti incumbendum erat vehementi ſtudio; ut Paſtor, cui erant oves propriæ, pro quibus, exigente neceſſitate, devovere debebat & ſanguinem & vitam; ut Pater, qui jam non ad extra- F
neos auditores, ſicut antè, verba faciebat, ſed ad proprios filios. Sermones ejus, cùm ſe Archiepiſcopum conſpexit, non humanæ voces ſed flammæ igneæ ac miſſi è cælo radii videbantur, uti hæc referenti epiſcopo Mugnatonio narravit epiſcopus Segrianus *c*.

240 Hac viſitatione in omnibus diœceſeos lo- *c*
cis viam præcludebat pluribus criminibus publicis & occultis; conſolabatur animas multas, interioribus moleſtiis ac triſtitiâ ſpiritûs afflictas, delapſas, & deſperatione ſalutis ſuæ plenas. Exſtinguebat millenos diſcordiarum ac diſſenſionum vehementes ignes, quos illo in regno dæmon ejuſque miniſtri excitaverant. Plures ſubtrahebat è via perditionis, qui toto greſſu properabant ad inferos, atque in viam ſalutis & ad virtutis amorem reducebat. Quoſcumque populos accedebat ac viſitabat, tanta in moribus advertebatur immutatio, ut non ſecùs appareret, quàm ſi adiiſſet illos Apoſtolorum unus, vel angelus è cælo profectus ad ipſorum converſionem & emendationem. Et quid mirum, quòd accreverit cum officio Paſtoris ſpiritus ejus & ardor pro ſalute animarum, auctori-

inſigni ſubditorum

A ritas item atque efficacia verborum ac doctrinæ, quandoquidem antè, concionatoris tantùm fungens munere in Caſtella, ut vidimus capite ſeptimo libri primi, verba ejus in quacumque civitate ac populo, quem concionaturus adibat, eos ipſos, quos ibidem diximus, obtinerent effectus ſpirituales, atque eam in actionibus ſuis & moribus immutationem facerent auditores.

fructu; viſitatores,

241 Hac in viſitatione generalem in locis ſingulis gratiam fecit tum eccleſiaſticis tum ſecularibus eorum omnium, in quibus hactenus deliquerant & pro quibus ejus dexterâ caſtigari promeruerant, magno affectu ac ardentibus lacrymis obſecrans, ut emendarent ſeſe & magno ac ſerio conatu Domino deſervire vitamque novam inſtituere inciperent; quippe cogerent ipſum alioqui, rigorem deinceps adhibere & juſtitiam adversùs eos, qui eâ clementiâ eſſent abuſuri. Tempore hujus viſitationis, [nempe] dum eam inchoabat Valentiæ, in viſitatores archiepiſcopatûs delegit magiſtrum Joannem Segrian, quem cognoverat Compluti, & de cujus virtute ac doctrina ipſi omnino perſpectum erat; quoniam cum eodem ibidem egerat, & magiſtrum Joannem Porta, cujus ani-

B mæ puritatem, Chriſtianæ pietatis excellentiam, atque dotes bonas, ut primùm cum eo verſatus eſt, dignovit.

confeſſarium, procuratores

242 In confeſſarium ſuum [aſſumpſit] patrem fratrem Jacobum Montiel; quando is complevit prioratum conventûs beatæ Mariæ de Succurſu, magnam religionem & prudentiam, quam in ipſo adverterat diebus illis, quibus propter pluvias conobtinuit ſeſe in iſto monaſterio, dum Valentiam cogitabat; in amicum familiarem & tamquam conſiliarium magiſtrum Thomam Real, virum magnarum perfectionum in virtute, judicio ac doctrina; & procedente tempore viſitatorem etiam conſtituit magiſtrum Joannem Baptiſtam Caro, procuratores verò doctores D. Amic & D. Sora, homines omnes indigenas, inſignis exempli, doctrinæ & præ ceteris cordis integri ac ſinceri, atque ſummopere alienos à fraude & aſtutiis, in quibus adeo exercitati ac periti ſunt filii hujus ſeculi. Etenim, cùm ſanctum Antiſtitem ornâſſet Deus animâ purâ admodùm ac ſincerâ, nullos etiam niſi ejuſdem puritatis ac ſinceritatis homines amicitiâ complectebatur. Eo autem, quod à Spiritu ſancto illi conceſſum erat, (ut dixi præcedente libro,)

C dono dignoſcendi, quali, dum cum aliquo agebat, præditus is eſſet facultate & ingenio atque ad quam rem idoneus, quodque à S. Paulo DISCRETIO SPIRITUUM vocatur; mox agens cum hîc nominatis, indolem ac ſpiritum ipſorum, & quàm apti eſſent, qui juvarent in miniſteriis ſibi commiſſis, diſpexit: commiſit itaque ipſis, ipſi verò optimè ſervierunt Deo ac ſancto Antiſtiti.

eligit, præmiſſa ſemper

243 Quamvis, ſicut ipſe ſignificavit aliquoties, modus præcipuus, quo ſibi faventem habebat Dominum in electionibus faciendis eorum, quos jam nominavi, & nonnullorum aliorum lapſu temporis ad alia miniſteria, eſſet humilis ac devota oratio, quam præmittebat & conjungebat ſemper actionibus ſuis omnibus, magna cum fiducia divinæ bonitatis ac providentiæ orans Dominum, ut in ſingulis ſeſe dirigeret. Solùm hîc referam, quo pacto ſe geſſerit cum magiſtro Porta, quando eum viſitatorem deſignavit ac in palatio ſuo degere [voluit,] & cum magiſtro Segrian, quem ſimiliter ſtatim adveniens viſitatorem creavit, ac dein epiſcopum ſuffraganeum, quem de Gratia dicimus; quoniam ad eumdem modum fiebant electiones ejus omnes ad quodlibet officium, quamvis domus ſuæ minimum.

244 Narravit mihi magiſter Joannes Porta, quòd prima vice, quâ cum benedicto Præſule loquebatur, is magna attentione ipſum intuitus ſit, ac redire juſſerit in diem poſterum, quódque deinde intellexerit, [Sanctum] totam ferè noctem illam tranſegiſſe in oratorio. Reverſo die proxima & præſignatâ horâ, dixit: Elegi te viſitatorem meum; die Dominico proximo inchoanda mihi eſt viſitatio parœciæ S. Joannis, hic adſis, me comitabere. Cùm autem magiſter Porta pro humilitate atque candore, quibus eum (ut conſtat omnibus, qui hac in civitate noverunt ipſum & ſibi familiarem habuerunt) valdè ornaverat Spiritus ſanctus, ſeſe incapacem ad id officium judicaret, multas excuſationes afferret, & in genua provolutus ſupplicaret, ne id ſibi imponeret; repoſuit illi Vir bonus: Tu quod decet te, facis & loqueris: ego verò novi, te idoneum eſſe & in hoc obſequium Deo præſtiturum; atque in eodem Domino confido, me minimè decipi. A. M. SALONIO. *ad Deum oratione;*

epiſcopum item ſuffraganeum

245 Defuncto epiſcopo Eſtaña, qui ſuffraganei munus in ea ſancta eccleſia obibat, dum ad eam pervenit P. D. Thomas, & advertens hic neceſſe eſſe alium ejus loco deſignari, qui [celebraret] feſtis ſolemnibus, [conferret] ſacramentum Confirmationis, aliaque [obiret] officia pontificalia, quæ propter alias regiminis occupationes peragere non valet Archiepiſcopus, magiſtro Joanni Segrian, ſecum habitanti ac viſitatoris munere fungenti, ut jam relatum eſt, dixit: Attende; ſuffraganeo opus eſt, qui me adjuvet; in te autem cogitationem conjeci. Tu pro hac re tres Miſſas facito de Spiritu ſancto, ego faciam ſimiliter; eam Domino commendemus, ut lumen nobis indulgeat. Magiſter Segrian, (qui & humilis erat admodùm & magnus Dei ſervus,) reſpondit, ſeſe incapacem eſſe, nec inſtructum neceſſariis dotibus; oravitque enixè, ut alterum deligeret. Sed, Ne hoc dixeris, repoſuit Archiepiſcopus; nam ego ad epiſcopatum minùs [aptus] eram, minúſque ſum hodiedum: & Deus, qui me, ſicut probè noviſti, vocavit minimè appetentem, per ſuam clementiam me ducit ac juvat. Fac, quod dixi tibi, & ſi illi placuerit, teque elegerit, ipſe ſuppeditabit, quod tibi deeſt. E

felici in omnibus ſucceſſu.

246 Poſt [peractum] ſecundum Miſſæ ſacrificium, Credo, inquiebat, te fore epiſcopum: poſt tertium verò: Certum eſt, Dei volúntatem eſſe, ut hac in eccleſia epiſcopus ſuffraganeus ſibi deſervias: ora poſthac majore ipſum conatu, ipſius enim voluntas eſt, ipſe te vocat: ego verò etiam hodie ſuper eo negotio Romam perſcribam ad ſanctiſſimum Dominum. In hunc modum gerebat ſeſe magnus Dei Servus in electionibus, atque hinc in omnibus etiam tam proſperum habebat ſucceſſum. Idipſum quoque aiebat ac prædicabat nonnumquam, conabaturque perſuadere omnibus, ut pro certo haberent, non poſſe ſe in ullo negotiorum genere, ſive ſpirituali ſeu temporali, ſive eccleſiaſtico ſeu ſeculari, tutò procedere, niſi per eam orationis ſemitam, commendando rem enixè Domino & committendo divinis ejus manibus. Inter plura documenta & exempla, quæ ad idem propoſitum referebat, multùm penſitabat, quod ſcribit S. Lucas, quomodo Redemptor noſter, quo die voluit ex diſcipulis ſuis ſeligere ac denominare Apoſtolos duodecim, tota nocte præcedente ſolitarius in monte, rem multa oratione æterno Patri commendans perpenderit, & cùm per totam illam noctem præceſſiſſet tanta tamque fervens oratio, ſic, & non aliter, adveniente die, duodecim illos elegerit, ſuoſque Apoſtolos nominârit. F

A. M. Salonio.

ANNOTATA.

a *Istam doctrinam suam confirmare pergit biographus allatâ historiâ Saulis, qui* 1 *Reg.* 10 ℣ 26 *& 27 rex inauguratus cum bonis in domum suam abiit, & despicientium illum filiorum Belial dicteria dissimulavit.*

b *Gaspar Escolanus lib.* 10 *cap.* 34 *Historiæ Valentinæ asserit, archiepiscopos in illa sua ecclesia non resedisse à temporibus Alphonsi Borgiæ, qui anno* 1455 *ad totius Ecclesiæ regimen electus Callixti III nomen accepit, usque ad annum* 1538, *quo Georgius Austriacus archiepiscopatum Valentinum adiit & quadriennio circiter præsens gubernavit.*

c *Vide Mugnatonium num.* 13.

CAPUT V.

Synodum diœcesanam celebrat & immunitatem ac libertatem ecclesiasticam memorabili fortitudinis exemplo propugnat.

Flagitia in diœcesi

a

PAter D. Thomas *a*, post peractam diœcesios universæ visitationem Valentiam reversus, valdè necessarium esse duxit, convocatis [ecclesiarum] rectoribus ac reliquis ecclesiasticis, qui convenire atque interesse consueverunt, celebrari synodum diœcesanam. Dixi, Ecclesiasticis; neque enim admitti vel adesse volebat secularem ullum, sive tamquam scribam aut secretarium synodi, sive tamquam procuratorem absentis cujusdam aut ægroti; sed solos ecclesiasticos. Cùm enim tam magno temporis spatio regionem illam non pastores proprii, sed vicarii gubernaverant, (nam, licèt subinde archiepiscopus aliquis, qualis fuit P. D. Thomæ decessor illustrissimus ac reverendissimus D. Georgius Austriacus, in ea commoratus sit, id nec diu duravit, nec alibi pro majori parte, quàm in Villar, donec inde amotus fuit,) *b* reperit eam bonus Pater noster moribus ac vitiis corruptam & perditam, & in tanta [vivendi] licentia ac dissolutione, ut res esset commiseratione digna, sitque etiam nunc intelligenti, quæ referunt testes de istius temporis dissolutione ac perversitate, non tantùm in secularibus, sed & in ecclesiasticis, nec Valentiæ solùm, sed in aliis etiam populis ac locis diœcesios.

b

graſſantia variis modis

248 Inter seculares frequentia [erant] flagitia, divortia præsertim & adulteria publica: inter ecclesiasticos habebant multi publicè concubinas ingenti Dei offensa ac secularium scandalo. Hæc contristabant eum summopere, quando advenit; perversitas secularium, quia Dominus Deus severè consuevit punire adulteros; [dissolutio] verò multorum clericorum, tum propter gravitatem noxæ hominum Deo ejusque divino cultui consecratorum, tum propter insigne damnum, quod pravo exemplo suo creant, & quia seculares improba sua facinora defendere solent allegando peccata ecclesiasticorum. In tanti tamque animabus ac reipublicæ pernicioſi mali remedium, in visitatione diœcesios, ad se seorsum vocari jubebat eos, quos perversè vivere percipiebat, reprehendens eorum crimina, modumque præscribens, quo sese expedirent omnino tam peccato, quàm omnibus occasionibus ac periculis in illud recidendi.

249 Pauperes clericos aut seculares, quò firmiùs obstringeret veræ emendationi, juvabat ipse, providebatque, ut alii ex [proventu] ecclesiæ ejusdem loci, alii modis aliis honestè vivere possent. Quòd si post acceptum tantum beneficium se non essent emendaturi, curaturum se [aiebat,] ut intelligeret, jussurumque venire Valentiam, ac puniturum severè tamquam ingratos & immemores misericordiæ divinæ & suæ. Clericos locupletes, aut qui beneficio ecclesiastico gaudebant, & improbam vitam ducebant, eadem caritate corripiebat, & adjectis minis, si sese non omnino emendarent, quod similiter ex suis visitatoribus auditurus erat, fore, ut beneficiis privaret, aut alio modo castigaret. Idem servabat cum secularibus ditioribus, [admonens, ut] quoniam jam, quidquid præteritum erat, ipsis condonabat, vitam novam assumerent, neve clementiâ suâ abuterentur. Eumdem ordinem tenebat & Valentiæ.

evellere niti. tur;

250 Quamvis autem hâc viâ ad meliorem frugem multi reducerentur, plures tamen ex prava consuetudine in peccatis perseverabant. Hinc ad res diœcesios ritè disponendas valdè necessarium esse duxit celebrari synodum, hanc fore idoneam confisus ad tollenda peccata saltem publica. Interim tanto doloris sensu afficiebant illum scelera, ut noctem integram inter acerbissima suspiria transigeret. Id intelligens ex vicino cubiculo P. F. Joannes Rincon, qui cum ipso advenerat, (quique, licèt aliquantulùm istic moraretur, statim tamen ad monasterium suum reverti cupiebat,) interpellabat illum: Quid tibi est, Domine mi? Respondit ipse: Quid mihi sit? Vereor, ut hoc in episcopatu animæ meæ salutem consequar; quippe obligor subvenire perditis istis ovibus; & prout constitutæ sunt, nescio, quâ viâ. Faciat vestra Dominatio, quod potest, inquiebat bonus iste pater, nihil enim præterea requiret Deus, nec se cruciet aut maceret, novit enim illud Ezechiëlis, ubi ait Dominus: "Si annunciante te ad impium, ut „à viis suis convertatur, non fuerit conversus à „via sua, ipse in iniquitate sua morietur, tu ve„rò animam tuam liberâsti *c*„. Vestra dominatio illo spiritu, quem accepit à Deo, ad ipsos concionetur, eos reprehendat, & pro sua auctoritate ac prudentia corripiat, faciatque, quod muneris sui est; si verò minùs emendentur, damno suo [adscribant,] nihil quippe ultrà exigit à Dominatione vestra Deus, neque eorum damnationem illi imputabit. Rectè loquitur vestra reverentia, reposuit sanctus Antistes; atque idcirco sine mora volo instituere synodum diœcesanam, & eas leges præscribere, quas videro convenire ad tot malorum correctionem; adjuvet me vestra reverentia suis ad Deum precibus, ut me dirigat, atque illuminet eos, qui convocandi sunt, donetque spiritu, zelo ac desiderio honoris ejus, quibus indigent.

ac tandem synodum

c

251 Itaque, facta visitatione, secundo mense *d* à reditu Valentiam convocavit ad celebrandam synodum dœcesanam rectores [ecclesiarum] omnes, ceterosque, qui vel de jure vel de prisca consuetudine ei debent assistere. Advenere omnes perlubenter, parati obsecundare ipsi ex amore ac reverentia, quâ ob famam sanctitatis ac doctrinæ, nec non ob insignem caritatem ac benignitatem, quam in visitatione in eo conspexerant, in ipsum ferebantur. Tenuit per unam hebdomadem [convocatos] audiens omnes magna

Diœcesanam cogit.

d

cum

A cum patientia ac ſapientia, & recolligens tum ea, quæ viderat ac compererat per decurſum viſitationis, tum quæ quiſque iſtic ſuggerebat ac dicebat, ordinavit leges, conſtitutiones ac mandata, quæ maximè neceſſaria videbantur ad reſtaurationem morum tam eccleſiaſticorum quàm ſecularium omnium, & tamquam remedia abuſuum ac vitiorum, quæ in regione iſta erant.

252 Quod ſanctus Antiſtes ſancto zelo & inſigni prudentia conſtituit ac mandavit, pluris æſtimârunt atque ſecuti ſunt ſucceſſores ejus, nominatim D. Franciſcus de Navarra *e*, D. Martinus de Ayala *f* & D. Joannes de Ribera *g*, viri omnes ac præſules divino cultui valdè dediti, multæ doctrinæ ac prudentiæ, & eximii ſtudii de ſalute ſuarum ovium. Quamvis autem omnia, quæ beatus pater D. Thomas poſt frequentem conſiderationem & orationem in ea ſynodo conſtituit pro correctione omnium iſtius regionis ordinum, viderentur tunc hominibus Deum timentibus ac ſtudioſis de ſalute animarum, & viſa ſint ſemper valdè congrua ac neceſſaria, & tamquam à bono paſtore profecta, maximè ea, quæ præſcribebat eccleſiaſticis; tamen cùm ea regio, juxta memorata hoc capite, adeo corrupta eſſet ac perdita, in eaque viveretur tanta cum licentia ac diſſolutione, quoniam tamdiu deſtituta fuerat præſentiâ & voce propriorum paſtorum, & necdum celebratum fuerat concilium Tridentinum *h*, à quo Eccleſiæ reſtauratio & renovatio auctoritatis, reverentiæ & debitæ obedientiæ epiſcopis facta eſt, magnam ſuis mandatis repugnantiam offendit & contradictionem, præſertim in eccleſiaſticis.

Sanctis ejus conſtitutionibus

e

f g

B

h

253 Etenim canonici, urgentibus eorum nonnullis, qui improbè vivebant, & quorum per decreta ſynodi perverſis moribus ac vitiis obſtaculum ponebatur atque præcludebâtur via, convenerunt, &, ut illis placerent, omnes vel pars ipſorum major, rebellârunt ac de communi judicio deputârunt ſcribam ſuum, nomine Joannem Alemany, qui illi [S. Thomæ] denuntiaret gratias aliquot & privilegia, à Pontificibus quibuſdam obtenta, per quæ eorum perſonæ ab illius juriſdictione eximebantur, ac præ ceteris Conſervatoriam, vi cujus [epiſcopo] ordinario licitum non erat cognoſcere vel judicare de eorum perſonis vel delictis; [addereteque,] quòd virtute iſtarum bullarum ac gratiarum reclamarent adversùs ejus in

C ſynodo ſtatuta ad ſuas perſonas pertinentia, ac de re tota ad Sanctiſſimum provocarent. Eo mandato accepto, ſcriba, comitantibus eorum aliquot, ad Archiepiſcopum acceſſit tanto clamore ac furore, adeo turbulentus ac perturbatus, ut nihil diſtinctè proferret, ac neceſſe eſſet, ut benedictus Antiſtes inſigni ſua modeſtia ac manſuetudine ſedaret ejus animum. Itaque affatus eſt, (ut teſtes referunt,) hiſce iiſdem verbis: Quid hocce rei eſt Alemany, impetum comprime, noli perturbare ædes meas, tranquillo animo eſto, & intelligamus, quid velis; nam meliùs id feceris abſque clamoribus. Domine, (inquit,) canonici [indicari jubent,] ſeſe vi gratiarum & Conſervatoriæ, quas tenent à ſede Apoſtolica, exemptos eſſe, ac reclamare adverſùs quodlibet, à veſtra Dominatione in ſynodo publicatum, ſpectans ad ſuas perſonas, nec ſuum te eſſe judicem, atque appellare ſe ad ſanctiſſimum Dominum.

refragantur aliquot canonici,

denuntiantes Romam ſe appellare, moderatè audit ac dimittit.

254 Tunc ſanctus Antiſtes abſque ulla perturbatione aut permutatione venerandi oris, vel aliqua commotione aut incompoſito geſtu corporis aut manuum, his tamen junctis & in cælum elevatis, dixit: Non eſſe me [aiunt] ſuum judicem: ſed Deus erit: nec conſentire ſe ſynodo ac provocare ad Pontificem: ſed ego ad Deum cæli appello, (& converſus ad canonicos, addebat:) Qui novit ac videt, quæ ſit neceſſitas, ut inter vos fiat correctio, utque occurratur damnationi animarum veſtrarum atque ingenti ſcandalo ac detrimento, quod pravo veſtro exemplo procreatis hac in civitate: qui novit ac videt, quòd quidquid in ſynodo decretum fuit, ſit juſtum ac legitimum, quódque ego in toto iſto negotio nihil intendam præter ipſius obſequium, & bonum animarum, quas mihi commiſit, ut conſcientiæ meæ ſatisfaciam, & muneris obligationi: ſpero autem fore, ut ipſe ſua bonitate & æquitate de re proſpiciat. Ite felicibus auſpiciis, provocate, quantùm lubuerit, à mea juriſdictione ac judicio, ſed divinum non effugietis *i*.

A. M. SALONIO.

i

255 Providit etiam Dominus, idque citò admodùm manifeſtè patuit. Nam paucos poſt dies unus è canonicis, qui nominabatur D. Elfus de Proxita, pugione plagam lethiferam inflixit primario gubernatoris apparitori, cui nomen erat Nogueroles: quod tam ægrè tulit gubernator, cui nomen erat D. Joannes Villarraſa, ut operam dederit ad eum comprehendendum, comprehenſumque palàm atque ingenti cum ignominia deduxerit in carceres regios, quos Turrim nuncupant, ibidemque invigilantibus apparitoribus ac ſecurè cuſtoditum collocaverit, nihil reveritus, canonicum eſſe & ſubdiaconum. Causâ captivitatis iſtius canonici, convenere canonici [reliqui] omnes & adierunt patrem D. Thomam, magno cum affectu ipſum orantes, ut exſurgeret in defenſionem juriſdictionis & immunitatis eccleſiaſticæ, reclamaret perſonam D. Elfi de Proxita, eumque ſubtraheret manibus ac poteſtati fori ſecularis, atque ipſis ea in neceſſitate ſubveniret.

Canonico in carcerem ſecularem detruſo,

E

256 Audivit ipſos conſueta ſua manſuetudine & benignitate, & ſubridens dixit. Quomodo ego vobis opitulari queam, aut huic cauſæ intervenire, vel reclamare iſtum canonicum, ſi ſubditi mei non ſitis, neque oves meæ, nec me paſtorem veſtrum ac judicem agnoſcatis? Non vultis admittere meas conſtitutiones & correctionem, quam pro animarum veſtarum ſalute inſtituo; provocâſtis à mea juriſdictione, & interpoſita contentione denuntiâſtis, vos eſſe exemptos; quî poſſum ego repetere perſonam, quæ mihi ſubdita non eſt, vel cui ego non ſum ſuperior? Equidem ſi forem judex veſter, polleremque judiciaria in vos poteſtate, ſpectaretis, quo pacto & quanto cum conatu defenderem. Verùm, cùm eâ non polleam, ut contenditis, & tam furioſa, quâ, comitantibus vobis, venit ſcriba veſter, denuntiatione proteſtati eſtis, quî poſſum ſuſcipere cauſas veſtras, aut perſonarum veſtrarum defenſionem? Non advertiſtis, cognitum id eſſe toti civitati, gubernatori ac ejus aſſeſſoribus? Apertè reponent hi quàm mox, me judicem non eſſe canonici, apud ipſos captivi, nec jus habere me ad ipſum repetendum, nec obligari ſe ad mihi obediendum, cùm nec ſubditus mihi ſit, nec juriſdictioni meæ. Vos ipſi Conſervatoriam mihi denuntiâſtis, quâ contenditis, ſuperiorem ac judicem perſonarum veſtrarum eſſe conſervatorem veſtrum; ad hunc recurrite, neque enim, prout mecum egiſtis, ad me vel ad munus meum pertinet defendere vos adversùs tribunal ſeculare: defendat vos conſervator veſter.

ceteros orantes, ut illum defendat, Sanctus amicè repellit;

F

257 Quoniam autem læſus apparitor magno in periculo verſabatur, & gubernator judex rigidus erat ac firmus, caſus verò gravis, & qui ipſum magnâ moleſtiâ affecerat, veriti canonici, ne,

urgente periculo ac veniam deprecantibus

A. M. SALONIO.

ne, si obiret apparitor, ille extemplò absque consideratione rei alicujus canonicum in eadem turri daret ad supplicium, redierunt ad patrem D. Thomam supplicantes etiam atque etiam, & (sicut testes, qui adfuerunt, referunt) ad ejus pedes prostrati non sine lacrymis dixerunt: Reverendissime Domine, Domine illustrissime, misereat te nostrî, atque honoris nostri; nec suffer tantam contumeliam & injuriam, quanta fit tuo capitulo; dum gubernator fratrem nostrum canonicum ac subdiaconum in carcere captivum tenet tamquam [hominem] secularem, & quidem tanto cum periculo. Etenim, si moriatur apparitor, sicut timetur, non dubitabit gubernator, ut est rigidus & imperterritus, eâ ipsâ horâ de illo supplicium sumere in carcere. Da veniam, Domine illustrissime, rebellioni ac irreverentiæ per istas denuntiationes à nobis exhibitæ, & capituli tui atque ejus honoris te misereſcat.

258 Responsum idem dedit, quod antea. Jam dixi vobis, domini mei, non posse me succurrere in ejus defensionem, vel reposcere canonicum, aut actionem intendere gubernatori; nec, quod fecero, ullam auctoritatem habebit. Ridebunt mandata mea, ac censuras ejus cauſidici, scientes, prout sciunt ac palàm est omnibus, quòd virtute Conservatoriæ, quam mihi denuntiâstis, contendatis esse immunes jurisdictionis meæ. Renuntiate huic Conservatoriæ atque immunitatibus, quas vobis asseritis, ac revocate denuntiationes istas & appellationes, tum verò vos tamquam mihi ac jurisdictioni meæ subditos defendere potero, &, favente Deo, perspicietis, quo pacto in personarum vestrarum atque immunitatis ecclesiasticæ defensionem sim processurus. Attendentes discrimen, in quo versabatur captivus canonicus, & quod reponebat Archiepiscopus adeo rationi esse consonum, decreverunt pro tempore, quo ipse ecclesiæ isti præesset Antistes, renuntiare immunitati illius Conservatoriæ, & omni ei, super quo appellaverant, ac protestati fuerant, ejusque jurisdictioni se prorsus subjicere; quod extemplò præstiterunt, & per instrumentum ritè conscriptum, ab ipsorum scriba contraditum, agnoverunt illum legitimum ac verum suum judicem.

suoque jure cedentibus canonicis,

B

259 Hoc facto, aggressus est forti & constanti animo, ut effectu patuit, reposcere personam domini Elsi, tamquam suî ac suæ jurisdictionis subditi *k*. Litteras comminatorias mox expedivit, mandans gubernatori sub pœna excommunicationis, ut intra tres horas absque ulteriore dilatione sibi traderet personam istius canonici ac subdiaconi, quem injustè & contra privilegia atque immunitates ecclesiasticas, nec non contra sanctæ Ecclesiæ leges in carcere suo detinebat. Cùm non obediret, alias mox expedivit, quibus censuras suas contorquebat, mandans ipsi sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ut intra horas duas è custodia emitteret, ac sibi traderet personam domini Elsi de Proxita canonici ac subditi sui.

captum à gubernatore repoſcit;

k

C

260 Cùm nihilo magis obediret; elapsis duabus horis, statim adversùs ipsum ejusque ministros excommunicationem cum solita anathematis imprecatione promulgari jussit, & mox à festo S. Lucæ generale interdictum statuit, easque censuras, additis ac superadditis novis oneribus, è pulpitis declarari [voluit] singulis diebus Dominicis. Id duravit in eumdem modum usque ad Epiphaniam. Postridie Epiphaniæ decrevit cessationem à divinis in omnibus ecclesiis, quæ duravit usque ad Hebdomadem Majorem, eratque dura-

venientem Ecclesiæ communione privat & generale interdictum statuit,

tura, donec obtemperaret gubernator *l*. Interea temporis, adveniente Quadragesima, dux Calabriæ, Valentiæ prorex, misit, qui rogaret ac supplicaret, ut tolleret interdictum & cessationem à Divinis, vel saltem cessationem. Respondit per eumdem, quem dux miserat, ignosceret id sibi [dux:] id enim illicitum sibi esse, quòd læsa atque oppressa esset jurisdictio ecclesiastica, ipse verò obligaretur in conscientia eam defendere, nec haberet arma alia, quàm quæ præsulibus reliquit Jesus Christus, videlicet censuras: hinc orare se ejus excellentiam, ut juberet gubernatorem tollere injuriam & offensam, quam Ecclesiæ ac suæ jurisdictioni inferebat detinendo in custodia canonicum & subdiaconum; tum à se tollendas esse censuras; sed quamdiu gubernator in manus suas non traderet canonicum, non posse se ex iisdem dimittere arma Ecclesiæ.

D

l

261 Dux continuari cernens per Quadragesimam interdictum ac cessationem à Divinis, jamque adveniſse Dominicam Passionis, quâ exponi solet veræ Crucis lignum, iteratò per gubernatoris vicarium ipsi nuntiari jussit: consideraret afflictionem populi; urgeri se à gubernatore ac hujus consiliariis ad occupanda bona ipsius temporalia, nec pro amore ac reverentia, quâ in ipsum ferebatur, voluisse id exsecutioni mandare, illo non præmonito; quapropter rogare se illum impensè, ut censuras tollat; quoniam alioqui ob urgentem judicum efflagitationem id præcipere cogeretur, & pigeret præcipere. Respondit [Sanctus] vicario gubernatoris animo forti, talique, quali sancti præsules Ambrosius, Thomas Cantuariensis & his similes alii: Tria domino proregi renunties: primum; quòd si ego impedirem vel opprimerem auctoritatem ejus regiam, hanc ipse tamquam bonus præses ac fidus regis minister modis omnibus licitis ac justis defensurus esset, nec ab ea defensione destiturus ob ullam rationem humanam. Igitur ad eumdem modum, quando gubernator ita lædit ac opprimit jurisdictionem & immunitatem ecclesiasticam detinendo captivum in suo carcere canonicum & subdiaconum, etiam ego tamquam episcopus obligor eam defendere, vel munus abdicare. Arma autem mihi in Euangelio ad eam defendendam à Christo Jesu relicta, [sunt] censuræ istæ. Quî possum, nisi minister Ecclesiæ malefidus sim, ab armis istis desistere, vel tollere latas censuras, quamdiu non obtemperaverit, nec ecclesiasticam jurisdictionem oppressione liberaverit gubernator?

quod neque ad preces neque ad minas proregis,

E

F

162 Secundò, quod spectat ad bona temporalia; dic suæ excellentiæ, si ea occupentur aut mihi auferantur, fore ut omne damnum recidat in pauperes, ac Deus ipsos atque Ecclesiam suam tueatur, nec mihi inde quidquam detrimenti obveniat. Quoniam redeundo ad cellam meam, unde me invitum extraxerunt, ditior ero ac beatior, quàm hoc in palatio, & cum rebus omnibus, quibus me privare queant. Tertiò, [dicito,] quòd ad defendendum sponsam, mihi à Deo commissam, id est, ecclesiam meam, honori & gloriæ mihi ducturus sim amittere, non bona inquam temporalia, sed ubi conveniens fuerit, vitam ipsam *m*. Retulit responsum hoc gubernatoris vicarius *n* ad ducem; qui piissimus princeps perspiciens ejus consilium, nec decessurum ipsum [judicans] ab eo, quod dixerat, imò respondere ipsum, ut bonum præsulem, studiosum honoris ecclesiæ, & cupientem satisfacere obligationi muneris sui, arcessivit gubernatorem, persuasitque illi, quantùm conduceret ad Dei obsequium, & quomodo exigeret ra-

quibus fortiter respondet, vult tollere,

m

tio

A tio ac obedientia, quâ judices Christiani Catholici Ecclesiæ obstringuntur, ne conscientias multùm aggravent, ut se subjiceret Archiepiscopo, &, quem captivum detinebat canonicum, liberum restitueret.

donec obedit gubernator,

263 Dictus gubernator, tum quia apparitor jam sanitati restitutus & à vulneribus incolumis erat, tum maximè propter affectum ac reverentiam, quâ & ipse ferebatur in patrem D. Thomam, & quia instabat Hebdomada Major, ac populus in afflictione & maximo mœrore versabatur, atque omnes ipsum pervicaciæ & obstinationis arguebant, favebantque partibus Archiepiscopi, Sabbato ante Dominicam Palmarum canonicum carcere exemit & tradidit patri D. Thomæ: quem hic cubiculo domus suæ inclusit, aliquo tempore ibidem in custodia detinuit, super delictis examinavit, &, prout conveniens judicabat, punivit. Dum illi tradebatur canonicus, dixit gubernatoris vicario, illum præsentanti, quòd, licèt mox interdictum & cessationem à Divinis esset sublaturus (uti factum est, media die dato signo sacris tintinnabulis omnium ecclesiarum tamquam in festivitate solemniore, plorantibus præ lætitia & gaudio omnibus civitatis incolis,) non tamen esset absoluturus gubernatorem ante diem sequentem, quæ erat Dominica Palmarum, quoniam ipse illum absolvere cupiebat.

B

cui coram se citato

264 Jussit itaque ipsum adesse die Dominico ad horam septimam matutinam in priore ecclesiæ majoris sacrario, ut ibidem illi prælegeretur præstanda pœnitentia, ac propria ejus manu illi impertiretur absolutio. Isto die Dominico valdè manè magna devotione Sacrum peregit sanctus Antistes, orans enixè Dominum, ut gubernatori noxarum suarum notitiam concederet ad præstandam pœnitentiam, quæ ipsi erat injungenda, & cor Christianum ad illam suscipiendam, complendamque debita cum humilitate, & animæ suæ fructu. Finito Sacrificio, descendit ad sacrarium, ubi jam collocata erat sedes in speciem tribunalis, & [convenerant] secretarius cum sententia, canonici aliquot tamquam assistentes, ac plures è clero. Advenit autem eodem quoque tempore gubernator. Sellam suam occupavit pater D. Thomas, ad cujus pedes se projecit dictus gubernator; sed surgere eum jussit, ac stantem detecto capite audire pœnitentiam à se præstandam. Extraxit sententiam

C

sententiam prælegi jubet,

secretarius, & alta voce prælegit.

265 Ejus hæc summa erat: Quòd [scilicet] D. Joannes Laurentius de Villarrasa, gubernator generalis Valentiæ, violenter apprehendendo canonicum & subdiaconum; eum tamquam hominem secularem regiis carceribus inclusum cum ignominia status ecclesiastici tot menses detinendo, & absque timore Dei atque cum contemptu censurarum non obtemperando mandatis sui Præsulis, hunc per peccata sua & delicta, quæ commiserat contra Dominum Deum & immunitatem sanctæ Ecclesiæ, nec non per suam pervicaciam & duritiem compulisset ad ferendum interdictum ac cessationem à Divinis per tot menses, etiam tempore Quadragesimæ, cum tanto mœrore ac scandalo totius civitatis, tantoque detrimento spirituali, quantum passæ fuerant animæ incolarum suorum ex defectu Missæ ac Sacramentorum; & defunctorum [animæ ex defectu] eorum orationum.

publicam pœnitentiam injungit,

266 Quòd autem in his omnibus nec culpam haberet, nec causa eorum foret Antistes, utpote qui coactus fuerat adhibere arma ecclesiastica, id est, censuras; sed illius inobedientia ac pertinacia. Quòd idcirco, cùm omnia ista delicta, scandala & damna fuissent publica, æquum esset ac necessarium, ut pœnitentia de peccatis & satisfactio pro injuriis jurisdictioni ecclesiasticæ illatis, similiter essent publicæ, ut per has toti civitati esset bono exemplo, cui per suam inobedientiam & pertinaciam tot mensibus fuerat offendiculo. Injungi [itaque] ipsi ac mandari, ut eodem ipso die, absque superiore vestimento, pileo, pallio, calceis & cingulo, & manu [gestans] candelam exiret ad sacellum majus, & habitu pœnitentis assisteret Tertiæ aliisque horis canonicis; procedentem verò supplicationem ad forum, ut benedicantur rami, subsequeretur eodem habitu, interesset toti benedictioni & concioni, atque eodem modo cum redeunte ad ecclesiam supplicatione rediret etiam ipse, & interesset toti officio Missæ, usque dum finiretur, absque eo, quòd deficeret in re qualibet.

A. M. SALONIO.

ac supplici absolutionem impertit.

267 Prælectâ sententiâ ac pœnitentiâ, rogatus fuit ab eodem secretario & notario Apostolico, an eam acceptaret, & an omnino esset completurus: multa cum humilitate & bono admodùm exemplo omnium astantium respondit, quòd sic: nec sine ingenti admiratione; quia dictus gubernator, homo erat insigni auctoritate & austera indole, quemque imperator ac princeps tanti faciebant, ut aliquoties in hac civitate & regno, proregis officio vacante, illius vices suppleverit per triennium aut quadriennium. Nihilominus tamen pœnitentiam acceptavit atque omnino adimplevit tamquam eques optimè Catholicus, ac reverens Ecclesiam, ejus prælatos & speciatim patrem D. Thomam. Admissâ memoratâ sententiâ ac pœnitentiâ, absolutionem ipsi impertivit [Sanctus] ritu solemni ac cærimoniis in Ecclesia sancta usurpatis in solemni absolutione alicujus publicè excommunicati, & eodem loco brevem ad ipsum sermonem habuit, spiritu suo bono & solita benignitate adhortans, ut agnosceret offensam, quam admiserat in Deum ejusque sponsam Ecclesiam, ac scandalum datum civitati per suam pertinaciam contra justa mandata ac censuras Præsulis sui, atque damna spiritualia, quæ tam longo tempore interdicti & cessationis à Divinis tot animæ fuerant perpessæ; utque, præter hanc publicam pœnitentiam, veram de tot malis sacramentalem pœnitentiam institueret.

E

Pœnitentiam demissè implet gubernator,

268 Totum hoc se grato animo accipere demonstravit bonus eques, ad illius pedes se prosternens, multisque lacrymis manus ejus deosculans. Notabile sanè erat spectaculum, multò autem notabilius, intueri ipsum exeuntem ad sacellum majus, & omnibus suprà memoratis eodem pœnitentis habitu assistentem in conspectu totius civitatis die, quo tanta erat [hominum] confluentia *o*. Hæc pœnitentia [gubernatori injuncta] non fuit tantùm ob id, quod hactenus enarravi; verùm etiam, quia eodem interdicti ac cessationis à Divinis tempore in taurorum cursu, qui occasione Bacchanalium instituebatur in area Prædicatorum, subdiaconus hominem interfecerat, receperatque se in ædes D. Joannis Valterra; unde gubernator eum extrahi jussit, in carcerem detrudi, absque ulla dilatione sub noctem sacra Confessione noxas expiare, strangulari *p*, sequenti die mortuum efferri, atque laqueo ad collum [ligato] humi extensum collocari ante portam suæ gubernatoris domus: quod acri doloris sensu affecit sanctum Antistitem, & idcirco censuras, quibus ille implicabatur, auxit iterum & graviores reddidit.

o

p

269 Narrant, patrem subdiaconi, jam tum mortis supplicio affecti, multis lacrymis & clamori-

A. M. SALONIO. *Sanctus patrem alterius subdiaconi, à gubernatore supplicio affecti, corripit;*

bus accessisse ad patrem D. Thomam, postulans judicium super severitate, quâ usus fuerat gubernator, statim morte plectendo filium, nec tempus defensioni concedendo; ac respondisse bonum Præsulem: Quod ego, frater, judicium tibi reddere possum de re jam peracta? Neque enim ad vitam revocare queo tuum filium, sed præcipere, ut terræ mandetur, quod jam nunc præcepi, factumque est. Pœna severitatis in ipsum adhibitæ similiter sumpta est, auctis censuris in gubernatorem latis: eum ita processisse contra subdiaconum, crimen fuit, sed simul punitio divina in tuum filium; quia, cùm subdiaconus esset, ut talis non vivebat; nec decebat ipsum gestare arma, quibus instructus erat & interemit miserum illum hominem, cui spatium non fuit expiandis per confessionem noxis, & quem nescimus, quo in statu mors oppresserit, aut quò abierit ejus anima Sacramentis destituta. [Punitio hæc quoque illata est] vobis, qui ipsum malè educâstis, nec, conscii, quantùm aberraret à recta via, ad me recurristis, ut tamquam Pastor perditæ illi ovi consulerem. Vade Deo propitio, & pro ejus anima bonum operare; hoc enim jam unum ad rem attinet.

B *publicè sermonem instituit*

270 Eadem fortitudine eodemque zelo jurisdictionis ac immunitatis ecclesiasticæ utebatur, quotiescumque judex aliquis secularis personam, privilegio ecclesiastico gaudentem, apprehendebat, vel ipsi surripiebat; intendebat actionem adversùs illum, repetebat subditum, atque hunc protestati & manibus illius judicis subtrahebat. Ad satisfactionem & bonum populi exemplum, cùm gubernatori die Dominico Palmarum injunxisset hîc narratam pœnitentiam publicam, mox die decimo pòst, Feriâ tertiâ Paschatis, in templo principe sermonem instituit, uti referunt, cælestem, quales erant omnes, quos instituebat. Tria in eo pertractavit. Primum, quanta sit jurisdictionis & immunitatis ecclesiasticæ auctoritas ab ipsis Ecclesiæ primordiis, quantaque in veneratione habuerint semper principes non tantùm Christiani verùm etiam idololatræ personas, loca & res, diis suis atque horum divino cultui consecratas. Hoc demonstravit locis pluribus Scripturæ sacræ, ac testimoniis multis historiarum tam ecclesiasticarum quàm profanarum.

de immunitate ecclesiastica,

271 Secundum; quam singuli debeant reverentiam mandatis suorum prælatorum, & quâ obedientiâ illa teneantur accipere & adimplere, dum iis non involvitur iniquitas manifesta; quàm verendæ sint censuræ ecclesiasticæ & quàm fuerint semper veris Catholicis magnisque regibus ac imperatoribus; quámque manifestas pœnas exegerit Dominus Deus ab iis, qui illas veriti ac venerati non sunt: quod totum similiter confirmavit multis locis ac documentis Sanctorum, & historiarum ecclesiasticarum testimoniis. Tertium, ex iis consectarium, qua obligatione teneantur prælati adhibere censuras istas adversùs rebelles legitimis suis mandatis juxta id, quod dicit Euangelium, quòd docuit Redemptor noster, quod factitârunt Apostoli atque antiqui omnes sancti Antistites, quodque ab horum successoribus usitatum fuit semper. Quia hæc arma sunt Ecclesiæ & hujus esset minister valdè improbus, qui, quamdiu aliquis cum pertinacia læderet auctoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam, illa è manibus dimitteret. Quod item confirmavit iisdem sacrarum Paginarum sanctorumque Patrum documentis.

272 Ex iis omnibus confecit, quàm invitus interdictum & cessationem à Divinis indixisset ac tanto tempore prorogâsset, & quàm tum [per preces suas] ad Deum tum per remedia bona cònatus fuisset efficere, ne tamdiu protraheretur: sed, quamdiu offendebatur Ecclesiæ auctoritas, aliud præstare se non potuisse, quàm quod per ejusdem Ecclesiæ leges præscribitur prælatis: eam scilicet tueri per arma hisce à Christo concessa. Tum finem facturus dixit: Hinc tamen nolite arbitrari, dominum gubernatorem non esse bene admodùm Christianum ac probè Catholicum, dum tamdiu distulit obsequi mandatis ac censuris meis. Casus quippe cùm esset gravis, ac de notabili detrimento auctoritatis regiæ, cujus ille unus est è præcipuis ministris, existimavit (quamvis erraverit,) posse à se absque damno conscientiæ detineri canonicum, qui tanto cum vitæ periculo apparitorem vulneravit, donec perspiceret, quem vulnera sortirentur exitum.

D *Præsulis defendendæ ejus obligationem exponit*

273 At verò, quando commissum errorem dedoctus fuit, & censuris se astrictum [cognovit,] ut bonus Ecclesiæ filius obtemperavit tanta humilitate & corde ac animo tam Christiano, ut non modò, sicut debebat, mihi meum subditum reddiderit, verùm etiam ipse, vir tantæ auctoritatis ac nobilitatis, publicam à me sibi impositam pœnitentiam præstiterit tam bono totius civitatis exemplo. Atque hinc non dubito, quin ipsum ob grande meritum, quod inde consecutus est, atque obsequium Ecclesiæ exhibitum, ingens maneat in cælo præmium & corona. Dignum autem hoc est, quod in perennem memoriam litteris imprimatur, quemadmodum impressa iis fuit humilitas & obedientia Theodosii imperatoris beato Ambrosio, aliorumque imperatorum Christianorum aliis episcopis & Ecclesiæ præsulibus. Sic autem absolvit concionem suam, quam licèt ob materiæ exigentiam diu protraxit, omnibus tamen propter spiritum & caritatem, quâ loquebatur, prædicâsse visus non est per mediam horam, & millies ac millies ipsi bene precantes abierunt.

& gubernatoris obedientis pœnitentiam laudat.

E

F

ANNOTATA.

a *Exordium hujus capitis, quo synodos generales, provinciales & diœcesanas, tamquam remedium ad errores exstirpandos à Spiritu sancto præscriptum, usurpatas semper fuisse ait auctor in Ecclesia, totum brevitatis causâ prætermisi.*

b *Escolanus lib.* 10 *cap.* 34 *Historiæ Valentinæ insinuat, Georgium Austriacum archiepiscopatui Valentino nuntium remisisse maximè propter pertinaciam ac perversitatem Maurorum, in isto regno magno numero degentium, quam post diligentissimos conatus infringere non potuerat. Redi ad annotata cap. præcedentis lit.* b. *Porrò* Villar, *teste Blavio in descriptione regni Valentini*, Cameræ archiepiscopalis Valentiæ patrimonium est.

c *Hæc Latine exprimit auctor: Ezechiëlis* 3 ℣ 19 *ita habet Vulgata:* Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua & à via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberâsti.

d *Itaque circa mensem Novembrem anni* 1545; *uti sequitur ex dictis suprà num.* 239.

e *Teste Escolano lib.* 10 *cap.* 36 *substitutus is est* S. Thomæ *anno* 1556.

f *Eodem teste Escolano cap.* 37 *ad Valentinam diœcesim accessit anno* 1565 *mense Aprili: celebravit autem synodum provincialem anno eodem mense Novembri, & cùm ei finem imposuisset die* XXIV *Februarii anni* 1566, *proximo mense Maio die* 5 *diœcesanam coëgit: super utraque consuli potest Collectio conciliorum Hispaniæ Eminentissimi Josephi*

de

A *de Aguirre tom.* 4 *à pag.* 59 *uſque ad* 96 *&* *à pag.* 122 *uſque ad* 133, *ubi cap. ultimo ſubditur* Confirmatio conſtitutionum ſynodalium reverendiſſimi F. Thomæ de Villanova Archiepiſcopi. *Vide Commentarium prævium* § 8.

g *Electus is eſt Valentinus archiepiſcopus, juxta laudatum Eſcolanum cap.* 38, *menſe Decembri anno* 1568, *ejuſque temporibus compoſita Epitome conſtitutionum ſynodalium eccleſiæ Valentinæ ab anno* 1200 *uſque ad* 1580, *quam habes apud laudatum Eminent. Aguirre à pag.* 140 *ad* 201 *& in qua varias reperies conſtitutiones factas tempore archiepiſcopatûs* S. Thomæ.

h *Inchoatum dumtaxat menſe Decembri anni ejuſdem* 1545.

i *Coccinus pag.* 568 *factum illud refert in hunc modum:* Neque hic præclarum paternæ pietatis & prudentiæ exemplum omittendum eſt; cùm enim quandam ſynodum congregâſſet, & multa de reformatione decreta condidiſſet, quamplures ex capitularibus exemptos ſe gravatoſque putantes ad Rom. Pontif. appellârunt & ſanctiſſimum Archiepiſcopum de appellatione per mandatarium cum aliquibus ex capitulo certiorem fecerunt, ad quos
B iratis & protervis animis obloquentes, poſtquam ſanctus Præſul ſuâ prudentiâ placavit, Vos, ait, ad Sedem Apoſtolicam appellatis, & ego ad Deum cæli, qui renes & corda ſcrutatur, appello. *Teſtes habebis ad litt. ſequentem.*

k *Narrata hactenus ita contraxit Coccinus mox laudatus:* Accidit autem paucis pòſt diebus, ut à ſæculari poteſtate canonicus quidam in carcerem conjiceretur, & ad ſanctum Præſulem canonici accederent, rogantes, ut tanquam Paſtor ovibus ſuis opitularetur; quibus ille: Quonam, inquit, pacto vultis me vobis opitulari, ſi oves meæ non eſtis, neque me cognoſcitis in Paſtorem? Ad quæ verba illi cum lacrymis ad pedes ejus proſtrati, veniam eorum, quæ contra eum tam irreverenter geſſerant, precati ſunt, & confeſtim Vir ſanctus benignè eos ſuſcipiens atque conſolans, auxiliatorem ſe protectoremque fore promiſit, prout viriliter fecit, ut infrà dicetur. Hoc quoque prudentiæ exemplum probant ſuper VI art. XVI teſtis XIV [&] XLII in Proceſſu Valentino. *Teſtis* XIV *fuit Bartholomæus Eſcola*, XLII *don Federicus Borgia archidiaconus major, ut patebit ad lit. ſeq. Dicit autem Coccinus, canonicos ad verba Sancti veniam*
C *deprecatos eſſe & ab eo* confeſtim benignè *ſuſceptos; puta in ſecundo acceſſu, poſtquam deputati reſponſum ad ceteros canonicos detulerant, & ab his ſupplices remiſſi atque ejus voluntati ſubmittere ſeſe juſſi ſunt, quæ, à Salonio narrata, ille brevitatis ergò omiſit.*

l *Variis locis hæc pertractat Coccinus nempe pag.* 508 *& ſeq.* 614 *& ſeq. ac* 632. *Pauca huc transfero ex pag.* 614: Cùm quidam canonicus duobus pugionis ictibus percuſſiſſet quendam, ut vocant, Algazirium gubernatoris & ob hoc delictum carceribus publicis laicorum eum incluſiſſet, & ſancto Præſuli repetenti reſtituere negâſſet, coactus fuit excommunicare gubernatorem & Algazirium & ſupponere interdicto civitatem, & cùm poſtmodùm alius clericus (*vide Salonium infrà num.* 268) ob commiſſum homicidium fuiſſet ſuſpenſus, ea res ceſſationis à Divinis prorogandæ cauſam dedit, ut ſuprà retulimus & probant teſtes in proceſſu Valentino ſuper VI, videlicet Petrus Valentinus XVI teſtis examinatus authoritate ordinaria, fol. CLXXVII, Bartholomæus Eſcola XIV teſtis fol. CCCXIX. Don Petrus de Moncada equesXV teſtis examinatus authoritate ordinaria fol. CLXXIII. Don Federicus Borgia archidiaconus major XLII teſtis examinatus authoritate ordinaria fol. CCLXXXVIII. *Numeros teſtium & foliorum, quos alibi paſſim omitto, expreſſi hic ob dicta ad lit.* k. A. M. SALONIO.

m *Reſponſum paucis complectitur Coccinus pag.* 508: Dux Calabriæ prorex litteris minarum plenis Archiepiſcopum monuit, ab incepto deſiſteret, niſi propriis ſpoliari facultatibus mallet: cui conſtanter Archiepiſcopus: Si propriis me bonis ſpoliaveris, ditior fiam, in cubiculum revertar, unde me extraxerunt invitum & mecum bene beatéque actum putabo, ſi ſanguinem pro eccleſiæ meæ libertate profudero. *Teſtes citat Don Federicum Borgia & Marianam de Sottomajor.*

n *Per litteras hæc facta eſſe inſinuat ad lit. præced. Coccinus; ſed quoniam res illa diu protracta fuit, non eſt alienum à veriſimilitudine, & litteras & nuntios hîc fuiſſe adhibitos; ceterùm proregis ſeu nuntius ſeu legatus ad Sanctum à Salonio dicitur Hiſpanicè* el regente, *per quem eum intellexi, qui ſecundum à gubernatore locum tenet, & ejus abſentis vel impediti vices gerit.*

o *Coccinus pag.* 509 *non tantùm gubernatorem ſed & appaçitorem ſeu algazirium eam pœnitentiam ſubiiſſe ait, ſed an is idem fuerit, qui vul-* E *nus acceperat, non ſignificat; veriſimiliùs alius fuit, quo gubernator potiſſimùm uſus fuerit ad comprehendendum canonicum, & plectendum alterum clericum, de quo mox Salonius. Verba Coccini ſunt iſta:* Tandem ſexto pòſt menſe gubernator & algazirius publicam ſuſcipere pœnitentiam coacti ſunt; illos enim in die Palmarum in Eccleſiæ gremium Archiepiſcopatus * recepit, eiſque injunxit, * *I.* Archiepiſcopus ut nudis pedibus, detecto capite, libero tamen corpore, & cum cereis accenſis, quos manibus ſuſtinebant, Officio divino, donec compleretur, aſſiſterent eo modo, quo publicos pœnitentes ab Eccleſia recipi ſolitos tradit Pontificale Romanum... Hæc omnia optimè probant de vera ſcientia in proceſſu Valentino... Don Federicus Borgia archidiaconus major & canonicus eccleſiæ Valentinæ... Mariana de Sottomajor.

p *Confirmatum id eſt verbis Coccini ſuprà ad lit.* l.

CAPUT VI.

F

Cuicumque negotio orationem præmittens, felicem ſemper eventum ſortitur.

Orationi deditus.

QUamvis in omni vitæ ſtatu, tum litterarum & collegii alumnus, tum religioſus & concionator, multùm addictus fuerit exercitio orationis, tamen in archiepiſcopatu, cùm non tantùm per proprii judicii excellentiam, & interius lumen, ſibi omni tempore à Domino communicatum, verùm etiam per id, quod factus Archiepiſcopus, & incipiens procurare bonum & reſtaurationem illius eccleſiæ, uſu & experimento didicerat, perſpiceret ingentes & immenſos labores, quos affert animarum regimen, & quàm neceſſarius ſit peculiaris è cælo favor ad illos ſuſtinendos ac perfringendos unà cum omnibus difficultatibus, quas ſuggerunt dæmon ejuſque miniſtri ad impediendum fervorem & ſanctum deſiderium boni præſulis, qui ſeriò conatur rectè perfungi officio, multò magis [orationi ſtudebat.] Quoniam ſciebat, ad obti-

A. M. Salonio.

nendas vires, quas exigit onus tantum, quantum est cura animarum, atque virtutes & dotes nomine [archiepiscopi] comprehensas, remedium esse efficacissimum recurrere ad Dominum Deum nostrum in humili ac fervida oratione.

nihil statuit, eâ non præviâ

275 Ad eam refugiebat tamquam ad portum tutissimum ad propulsandas tempestates & molestias, quæ misero præsuli necessariò perferendæ sunt, utpote qui agere teneatur cum tot diversi generis & ingenii subditis. Hæc schola erat, in qua cælestis ille ac divinus magister Jesus Christus Redemptor noster edocebat illum, quid agendum, respondendum dicendumque esset in negotiis ipsi occurrentibus. Res nulla ipsi obveniebat, quin mox tamquam alter Moyses confugeret ad tabernaculum oratorii sui, ad illam cum Domino communicandam & consilium efflagitandum. Et sanè referunt, qui ipso familiariter usi sunt, quòd, licèt sanctus Præsul præditus esset insigni eloquentia, judicio admodùm perspicaci, multâ experientiâ ac scientiâ, tam parùm sibi ipse fideret, & in oratione ac divina providentia fiduciam suam ita reponeret, ut negotium nullum *a*, quantumcumque leve, umquam extemplò decerneret, at verò diceret, (& hæc vox illi erat usitata,) Ora diligenter, faciemus & nos super ea re Missæ sacrificium, ac Domino commendabimus, atque is pro magna sua bonitate ac misericordia nos diriget.

a

B

in oratorio suo; hinc omnia illi prosperè succedunt, b

276 Adeo assiduus erat orationi, ut maximam atque optimam temporis tam diurni quàm nocturni partem illi impenderet *b*, & certissimus ad illum reperiendum locus esset ipsius oratorium. Istuc plerumque famuli abibant quæsituri ipsum, dum res aliqua occurrebat. Inveniebant illum nonnumquam (non optantem id quidem, sed contrà valdè invitum) raptum in ecstasim, & alienatum à sensibus totumque defixum in Deum; aliàs autem perfusum lacrymis; aliàs humi extensum, corpore in crucis formam compositio. Nec tamen idcirco partes officii sui prætermittebat. Mox enim, cùm vocaretur ad rem quamlibet necessariam, & ad personam quamcumque ejus indigentem, oratorio exibat visurus, quid rei ageretur. Rescindebat prolixos sermones ac verba superflua, ne fieret temporis dispendium, quod magni æstimavit semper; re autem, quam pertractari congruum fuerat, peracta, valedicebat & mox repetebat oratorium. Ad hoc propositum famulis

C

suis dicebat sæpiùs: Habete curam, ut extemplò me appelletis, quæcumque advenerit persona & meum alloquium poposcerit, neminem moremini; exceptâ enim molestiâ, quâ afficiuntur exspectando, exacturus est à nobis Deus rationem temporis, cujus nostrâ culpâ jacturam fecerint proximi nostri. Neque attendite, utrùm studiis occuper, an solitudini vacem; nam quamvis malim interpellari à nemine; tamen, cùm episcopus sim, mei juris non sum sed ovium mearum.

seu domesticos sibi elegit,

277 Quemadmodùm omnes suas curas omniaque negotia commendabat Deo, ejusque per humilem orationem committebat manibus, ita quoque rem nullam seu privatam domus suæ, seu publicam officii aggressus est, quin rectè succederet. Ne unum quidem ex omnibus, quos in domum suam recepit, toto tempore, quo fuit archiepiscopus, dimisit famulum, nulliusve ministrorum in eamdem admissorum officium permutavit, nisi ut concederet melius. Ita prospiciebat Deus, ut idonei essent, quoscumque in obsequium suum assumebat. Per eamdem humilitatis & continuæ orationis viam Spiritus sanctus præter multa alia sua dona elargitus ei est [donum,] quod vocant Consilii, id est, facultatem dandi cuilibet consulenti consilium, temporis ac rerum statui magis congruum. Nam qui constanter per humilem ac devotam orationem recurrit ad Dominum, is & sibi & proximis suis lumen, scientiam & consilium adipiscitur.

D

seu dat aliis consilia,

278 Sæpenumerò accidit, ut ad ipsum accederent rectores aliqui vel vicarii ecclesiarum irâ succensi, aliquando de clericis nonnullis, aliquando de ibidem absurdè factis querelas deposituri. Aures illis præbebat magna cum mansuetudine ac patientia, & eodem tempore, quo aures præbebat, corde rogabat Dominum, ut conquerentem illum sacerdotem illuminaret, ne per iracundiam, quâ percitus advenerat, ipsum offenderet, utque lumen concederet, quo ille animo placaretur, &, quod æquum erat, ediceret. Prætextu autem ac titulo, acsi aliquid adverteret in suo cubiculo, oratorium suum ingrediebatur, ut majori intensione ac ferventiore precatione Dominum illic oraret. Contigit quoque iisdem in casibus, ut orationi diu insisteret, & à magistro Porta, istic tum temporis degente, atque intrante ad vocandum ipsum, ut eos absolveret, qui præstolabantur, repertus sit humi prostratus, lacrymis perfusus præ fervore, quo à Domino super re in istis ecclesiis peracta consilium & remedium expetebat. Egressus tale dabat [consilium,] ut stuperent audientes omnes, &, qui idem admittebant ac sequebantur, prosperum obtinerent successum. Juris periti * qui cum ipso negotium aliquod pertractabant atque ii, quos ipse in concilia sua adhibebat, dicebant & jurejurando affirmabant, quòd communiter, quando ad illum recurrebant, vel ab ipso ad consultationem aliquam vocabantur, auditâ Archiepiscopi sententiâ, nihil sibi, quod dicerent, superesset. Quia legis periti omnes atque etiam in jure canonico versati, causarumque actores doctissimi, eruditissimi & exercitatissimi nihil noverant aut in medium proferre valebant in eo casu firmius ac solidius.

E

* los letrados

episcopis etiam ad concilium

279 Tempore Pauli Pontificis tertii, dum convocatum fuit sanctum concilium Tridentinum, Castellani aliquot episcopi per hanc civitatem iter instituerunt, & hos omnes ipse magna caritate ac voluptate hospitio excepit: rogabat autem ipsos enixè, ut ingenti solicitudine adverterent, quid conduceret in commune bonum Ecclesiæ; inculcans ipsis, quòd, quamvis convocatio sancti illius concilii facta esset potissimùm ad exstirpandos excidendosque errores & hæreses, in Germania exortas, nihilominus tamen necessarium esset prospicere emendationi & morum restaurationi, quâ tantopere indigebant omnes [hominum] status. Dolebat multùm, non posse se propter infirmitates, quibus affligebatur, istuc proficiscì & interesse concilio. At litteras dedit ad omnes sibi notos episcopos, ut Valentiam venirent, communicaturus cum ipsis sua consilia ac desideria, & quid ipse esset præstiturus ac tentaturus, si adire & coràm assistere valeret. Tradidit omnibus scriptam seriem capitum & quæstionum præcipuarum, quæ pertractanda sibi videbantur, atque hortatus eos est vehementer, ut firmam in Domino ejusque divina bonitate ac providentia fiduciam reponerent. Quia certò noverat, fore ut à sancto isto concilio multum boni & utilitatis profluueret in omnes Ecclesiæ status, ecclesiasticum præsertim ac religiosum.

F

Tridentinum abeuntibus (ubi omnia

280 Plures eorum (quia post inchoatum [concilium] & celebratas aliquot sessiones procedere ulteriùs tunc non licebat, ob grassantem in istis

par-

A partibus, Deo permittente, peſtilentiam) hâc redierunt, ingenteſque ei gratias retulerunt de traditis ſibi monitis, aſſerentes præſcriptam illam capitum ſeriem à patribus Tridentinis valdè fuiſſe comprobatam, ac concilio in omnibus, quæ hactenus pro reformatione fuerant conſtituta, ducem exſtitiſſe ac ſtellam polarem *, imò omnia vel ſaltem pleraque, illis comprehenſa, decreto ſancita fuiſſe, duobus exceptis capitibus. Eapropter infinitas Deo gratias egit ſanctus Antiſtes. Quòd autem non decreviſſent omnia, pro humilitate ſua ac modeſtia dixit: Quamquam ſuper iſtis binis capitibus alia fuerit dominorum iſtorum ſententia; nos tamen in omnibus rectè conſulere deſideravimus: alia occaſione fieri poterit, ut attentiùs conſiderantes, etiam iſta approbent.

* el norte

præter duo, hic expoſita, fuerunt comprobata,)

281 Duo autem, quæ rogaverat, nec recepta fuerant ab omnibus (uti ipſe pòſt declaravit familiaribus ſuis) hæc erant. Primum, ne epiſcopi ab una eccleſia tranſirent ad aliam, niſi in tam grandi atque maximè urgente neceſſitate, quâ alio modo conſuli ipſi rectè non poſſet. Quia ſic, in ea, quam habent, permanendum ſibi eſſe, attendentes, omnem ſuum amorem ac ſolicitudinem ipſi applicarent. Secundum, ut regimen paræciarum ac beneficia, quibus annexa eſt cura animarum, conferrentur eorumdem locorum indigenis, cùm & idonei & numero ſufficientes reperirentur. Quia ea ratione ac ſpe iſta in locis ac vicis ſingulis filii à parentibus litterarum ſtudio applicarentur, quamvis autem non omnes evaſuri eſſent capaces ad curam animarum, multi ſaltem hâc viâ in locis omnibus eſſent clerici, idonei ad eccleſiarum obſequia aliaque chori atque altaris miniſteria.

B

& Carolo V cæſari,

282 Donum iſtud conſilii, quo Dominus propter orationis frequentiam Servum ſuum impertivit, cuilibet cum ipſo agenti probè erat perſpectum. Sanè dum ex ejus ſcrinio, ſicut ipſemet juſſit, antequam moreretur, extractæ ſunt litteræ omnes eidem incluſæ (ſicut retuli libro primo) multæ eas inter repertæ ſunt à Carolo V cæſare [ad illum deſtinatæ,] in quibus gravia admodùm negotia cum ipſo communicabat ac breve omnino cum eodem curſore reſponſum expetebat, ſignificabatque ſua majeſtas, nihil ea in re ſe decreturam, donec illius intellexiſſet judicium & conſilium. Quando autem obiit, non adeo mortem ejus perſenſerunt ac deplorârunt epiſcopus Segrian, viſitatores, magiſter P. F. Petrus de Salamanca, P. F. Jacobus Montiel confeſſarius, magiſter Thomas Real ac familiares reliqui (ſicut mihi referebant dicti P. Montiel & magiſter Porta,) quia ipſi illius ſolatio deſtituebantur, pauperes verò ingens damnum patiebantur, quàm quia perſpiciebant, eccleſiam hanc & regionem univerſam privari fonte (ita enim appellabant) conſiliorum & remediorum in caſibus omnibus ac neceſſitatibus tam temporalibus quàm ſpiritualibus, quæ cum ipſo communicabantur.

C

ſeu concionatur vel delicta corripit.

283 Et licèt oratio ipſius eſſet aſſidua atque ad horas ſingulas, nam ſemper tum quando cum accedentibus agebat & negotia pertractabat, tum quando per aliquod tempus ſtudiis vacare poterat, animam Deo præſentem habebat, in eumque cor & cogitationem ſuam [dirigebat] commendans illi actiones ſuas omnes, & animas ac neceſſitatem ſuarum ovium; de nocte præſertim, antequam cubitum concederet, habebat horas, & mane alias, abſque ulla umquam prætermiſſione, huic ſancto exercitio deſtinatas. Si res autem die poſtero pertractanda vel exſequenda magni erat momenti, noctem illam totam, nihil ſomno concedens, meditationi tribuebat, magna devotione & lacrymis, comitante non rarò ſanguine ex humeris [elicito] Domino illam commendans, maximè cùm vel dicendum eſſet pro concione, vel aliquis ob improbam vitam corripiendus. Hinc cùm præcipuum ejus ſtudium & præparatio, quâ ſeſe accingebat ad conciones vel reprehenſiones aliquibus faciendas, fieret in oratorio ante ſacram Crucifixi imaginem, quæ modò exſtat in altari juxta ejus ſepulcrum, & coram qua, ſicut videbimus, à divina manu extraordinarias aliquot gratias ac favores impetravit, concionaturus inde egrediebatur tanto fervore ſpiritûs, tanta vehementiâ & efficaciâ verborum, ut, tamquam flammæ igneæ, ac ſagittæ è Spiritus ſancti officina profectæ, incenderent & transfoderent audientium corda, utque hi ab ejus ſermonibus abirent attoniti, perſpicientes ardentem in ipſius anima zelum divini honoris & ſalutis animarum, dicenteſque alta voce non hominis doctrinam & verba hæc eſſe, ſed cæleſtis ſub humana forma ſeraphini. Eâdem efficaciâ pulſabat cor ejus, quem ſeorſum corripiebat, &, quantumcumque durum id eſſet ac obſtinatum, emolliebat ac permovebat, ut videbimus cap. XIII & XIV hujus ſecundi libri, ubi agemus de caritate, quâ corripiebat, & lucrifaciebat plures animas deperditas.

A. M. SALONIO.

E

ANNOTATA.

a *Coccinus pag.* 588: Don Federicus de Borgia, archidiaconus major & canonicus eccleſiæ Valentinæ... in proceſſu Valentino... deponit de publica voce & fama, illum, quotieſcumque aliquem Deo commendandum ſuſciperet, tota nocte in oratione perſiſtere ſolitum; & Fr. Joannes de Aſtudillo, Ordinis ſancti Benedicti... in proceſſu Caſtellæ... deponit, audiviſſe adeo ferventem fuiſſe in oratione, ut nullum grave negotium proprium aut alienum ageret, quod non diriget * mediatè oratione & communicatione cum Deo petita.

* dirigeret

b Mariana de Sottomajor, *ita Coccinus pag.* 584,... ætatis LXXX annorum... deponit per hæc verba: Quòd prædicto ſancto domino Archiepiſcopo mos erat in noctibus vacare recollectioni, & orationi multis horis, in proceſſu Valentino... & iſta teſtis deponit de vera ſcientia, cùm commorata fuerit in palatio archiepiſcopali uſque ad obitum: idem deponit Mariana Cabanillas... ætatis LXX annorum... in eodem proceſſu Valentino... dicit enim, quòd qualibet nocte includebat ſe oratorio horâ ſextâ, in eoque permanebat uſque ad decimam, & quòd ipſa teſtis multoties illum vidit, cùm per januæ rimas proſpiceret, genuflexum ante imaginem Crucifixi.

F

CAPUT VII.

Orans, occulta à Deo edocetur.

Oranti Deus a

ERat etiàm *a* Servi Dei oratio tam grata & accepta oculis divinæ Majeſtatis, ut non tantùm ipſi concederet, quod expetebat, ſed & aperiret atque edoceret nonnumquam neceſſitates temporales aut ſpirituales, quibus idem Dominus cupiebat ipſum ſubvenire; ſicut patuit in caſibus, hîc à me referendis, & ſicut in his, ita & in multis aliis ſimilibus, de quibus conſtat in proceſſibus. In conventu beatæ Mariæ de Jeſu Ordinis ſancti patris Franciſci prope hanc civitatem,

A. M. Salonio.

die quodam ad horam, cibo sumendo de more constitutam, religiosus, cui ea cura imposita erat, ære campano signum dedit. Guardianus & monachi advenerunt, ut, quemadmodum fert consuetudo, simul sese sisterent in loco, quem vocant De profundis; egressus refectorii curator quæsivit, quem in finem datum esset signum, & ipsi convenissent; quippe panem deficere, & eum, quem attulerant eleëmosynarum collectores, non sufficere monachis decem. Obirent itaque ad mendicandum villas istas & loca aliquot. Interim ad januam tintinnabulo festinanter dari signum perceperunt: accurrit janitor visurus, quis vocaret, comperitque esse mulionem domesticum patris D. Thomæ cum duplici panis sarcina, quam hic in eleëmosynam destinabat, ut comederent monachi.

285 Sub vesperam cùm adiisset ipsum Guardianus acturus gratias de insigni caritate ac eleëmosyna illis facta in tanta egestate, rogavit, quâ viâ hanc inaudivisset sua Dominatio, quoniam nemini è suo monasterio nota ea fuerat, præterquam uni triclinii curatori paulò ante horam prandii, cùm rediissent eleëmosynarum collectores. Respondit: A primo mane prænuntiavit mihi cor meum fore, ut hodie ea domi vestræ esset penuria, ac me valdè solicitum habuit, meque obligatum existimavi ad subveniendum: nec plura scire desideres. Procul dubio rem illam ipsi aperuit Dominus in oratione matutina, & hinc panis mittendi curam habuit. Cùm enim nemini usque ad horam prandii vel paulò antè comperta fuerit ista penuria, nequivit de ea commoneri à quopiam, vel mane eam noviſſe viâ humanâ, sed ex solo instinctu divino in oratione matutina.

occulta aperit:

B

286 Contigit in loco haud procul ab hac civitate, ut homo alterum occideret adeo latenter & cautè, ut nemini notum fuerit aut compertum, quis, quâve horâ aut modo interemisset. Erant defuncto fratres bini, quorum alter eumdem locum inhabitabat agricola ac notus homicidæ; alter sacerdos, gaudens beneficio ecclesiastico, & sacræ Pœnitentiæ administer in quadam ecclesia Valentiæ, quem ille non noverat, & ignorabat esse demortui fratrem. Cùm advenisset Quadragesimale jejunium, Valentiam accessit homicida ille, sacra Confessione delicta expiaturus, & planè accidit, ut ad eam ecclesiam se conferret, ubi sacerdos ille demortui frater, publicè in sacello confitentibus aures præbebat; ignoto delicta aperuit, atque inter alia occisum à se esse hominem in vico suo. Percunctatus eum est sacerdos, cujus loci esset incola; quem cùm ille assignâsset, agnovit hic, fratrem suum ab eo occisum esse. Percunctatus eum est denuo de nomine, quo & ipse & defunctus appellabantur, de modo & hora, quibus interemerat, deque omnibus rei factæ adjunctis. Miser, quamvis non sine ingenti perturbatione obstupescens, cur tot sibi fierent interrogationes, rem omnem declaravit; complevit, quo modo potuit, confessionem & abiit.

Homicida, ex confessione

C

287 Post dies non multos fratrem suum laïcum arcessivit sacerdos, dixitque: Talis occidit fratrem nostrum; neque est, quod dubites: viâ quippe certissimâ id assecutus sum; occidit autem tali hora; [dein explicabat] adjuncta omnia, sibi ab altero declarata in confessione. Sine, (inquit,) prætereat mensis unus & alter, ac tum comprehendi jube & interrogari de adjunctis rei omnibus, iis enim vel assentietur, vel ita perturbabitur, ut visurus sit judex, [crimen] ab illo admissum esse, habituruſque sufficientia indicia & argumenta ad ipsum equuleo applicandum. Etenim à me, cui ignoto peccata confessus est, de iisdem interrogatus, usque adeo perturbabatur, ut responsum reddere non valeret, & ad verba singula secum ipse pugnaret. Hinc cogita, quid facturus sit coram judice.

sacramentali

D

288 Ita rem exsecutus est frater; illo autem capto, accusationis libello ad habendam ex juris forma quæstionem, singula illa rei factæ adjuncta inseruit. Infelix homo, dum eum interrogavit, ac de singulis separatim percunctatus est judex (advertens patefacta esse per sacerdotem, quæ in sacra confessione declaraverat, atque hinc tot sibi fieri interrogationes, quia hæc nemo præter ipsum noverat vel humano modo noviſſe poterat,) tanto mœrore correptus fuit, ut animo vehementissimè perturbaretur, responsum reddere nequiret, & à se ipse dissentiret ad vocem quamlibet. Adeo ut judicibus absque dubio reus esse visus sit, atque ea perturbatio ac dictorum discrepantia sufficientia esse indicia & argumenta, ad eum quæstioni per tormenta legitimè subjiciendum, sicut factum est. Primo tentamine fassus est apertè homicidium, quomodo fuerat decretum, & quâ cautelâ [exsecutioni mandatum;] atque juxta propriam ejus confessionem tulerunt mortis sententiam. Denuntiatâ illi sententiâ, & adducto confessario, qui eum consolaretur, confitentem sua peccata audiret, & ad mortem disponeret, dixit: Quid ego confessionem instituam? A nomine ejus ipso abstinete: quippe ob confessionem mihi vita aufertur non ob delictum. Nec erat, qui aliter persuadere, vel ab hoc dicto dimovere posset. Considera, inquiebant, Sacramentum pœnitentiæ fuisse à Christo institutum in remedium & remissionem peccatorum nostrorum & animæ vitam. Et ego non credam, (reponebat,) à Christo pro animæ vita & tamquam Ecclesiæ Sacramentum institutam fuisse rem, quæ me ad patibulum deducit.

accusatus & damnatus, sacra confessione

E

289 Ita constituto misero isto homine, vicarium suum generalem advocavit pater D. Thomas, & dixit: Intellexi, hominem miserum esse in carcere ad mortem condemnatum, & toto tempore matutino insusurratur mihi in aurem, non velle illum per sacramentalem confessionem animam noxis expiare, quòd se ob confessionem ad patibulum deduci asserat. Non dubito, quin infelix ea in anxietate versetur ex eo, quòd aliquis confessarius crimen ejus, in Sacramento intellectum, prodiderit: (rem hanc, quamvis reipsa ita se haberi dein compertum sit, à nemine didicerat præterquam à solo Deo in oratione.) Istuc te conferas dicasque judicibus, me rem hanc esse edoctum, & [munere] obstrictum curare, ne anima ista, cujus equidem rationem reddere teneor, eat perditum: dignentur eum mittere huc ad me; nam fidem meam obstringo, fore ut, si morte dignus sit, restituam, nec judicii exsecutionem impediam. Eò se contulit vicarius generalis; judices verò tum pro reverentia ac veneratione, quâ in sanctum Antistitem ferebantur, tum quòd scirent, quàm verax & fidelis esset in adimplendis promissis, mandârunt ministris suis, ut hominem ad dominum Archiepiscopum deducerent.

animam expiare renuit; hoc divinius edoctus Sanctus,

F

290 Adductum vocavit seorsum in oratorium, & ante sacram Christi crucifixi imaginem obtestatus est, ut indicaret, quam ob causam nollet per sacram Confessionem delictis expurgare animum, assereretque, se ob confessionem pertrahi ad patibulum. Ediceret sincerè promittenti fore, ut experiretur, confessionem peccatorum, sacerdoti Dei ministro factam, non afferre mortem sed vitam. Animum erexit infelix homo, narravitque Antisti-

miserum ad se adductum interrogat,

ti

A ti ſuo totam, hîc à me relatam, rei ſeriem. Quòd nempe de homicidio per ipſum patrato, de tempore ac modo vel de minimo ex ejus adjunctis nemo fuiſſet conſcius, præter ſolum Deum, qui cuncta intuetur, & ſacerdotem illum, cui tempore Quadrageſimæ peccata aperuerat, quemque dum aperuit, non noverat, ſciebatve eſſe defuncti fratrem, donec id didicit ex ſchedula, quam idem ſibi dedit [exhibendam] loci ſui parocho. Fieri non potuiſſe, ut humanâ viâ proderetur, niſi ſacerdos iſte indicâſſet fratri ſuo & hic judicibus; hinc natum ſibi eſſe omne infortunium, comprehenſionem, equulei tormentum, ſupplicium: hinc abhorrere ſeſe à Confeſſione, hinc mente defici, audito ejus nomine. Eſto tranquillus, inquit ſanctus Præſul, ſi enim aliâ viâ in delicti tui notitiam non devenerint judices, confeſſio tibi vitam non tollet.

confeſſarium accerſit; rogat judices, ut ſibi

291 Mox vocari juſſit ſacerdotem, confeſſionis proditorem, ac includi cubiculo, ubi cum illo loqui nemo poterat; dein etiam judicem cum ſuo aſſeſſore, & acceptâ prævie licentiâ à miſero homine, ut de ejus delicto tractaretur abſque eo, quòd peracta ei eſſent detrimento, dixit: Domini, caſus hic eſt è graviſſimis, qui obtingere queant

B judici, & in quo magna circumſpectione procedendum nobis eſt. Hominem hîc teneo bene cuſtoditum; apponite ſatellites veſtros, qui eum oculis obſervent, [addantur] & vincula & compedes, ut lubitum vobis eſt, ſed oportet eum hîc manere, donec probè comprobatum ſit, quod mihi indicavit; quoniam plurimùm intereſt Sacramenti pœnitentiæ, & quidem hoc tempore, quo illud tantopere exagitant hæreſes. Eſtote prorſus ſecuri, quòd, ſi meruerit affici ſupplicio, nullum interpoſiturus ſim impedimentum, ſed reſtituturus ipſum fideliter. Sed primùm experiri debeo, (Deus autem lumen præbebit) quo pacto & per quem accuſatorem ad juridicam dominationum veſtrarum ac fiſci procuratoris notitiam pervenerit, ab homine hoc patratum fuiſſe homicidium. Nam ſi ea notitia humanis modis & commonitionibus obtenta ſit: legitima fuit veſtra agendi ratio, & [jure] pœnâ in ipſum animadvertetis. At verò ſi ex Sacramento pœnitentiæ & ex eo ſolo nata ſit delicti hujus notitia, qui prodidit, grande ſacrilegium admiſit contra ſecretum ac ſigillum Confeſſionis, & acerbâ pœnâ dignus eſt, at quidquid ex tali principio profectum eſt, nullius ponderis eſt nec

C ad judicium humanum deferri ac produci poteſt, non ſecùs ac ſi nullo modo homini ulli eſſet cognitum. Res clara hæc eſt, & omnium theologorum doctrina, conſulite quoſcumque volueritis.

cauſæ examinandæ tempus concedant & accuſatorem comprehendi

292 Homo itaque iſte ſub mea poteſtate manere debet, donec res iſta comperta mihi fuerit; vos autem domini mei, tamquam judices Chriſtiani, quibus incumbit favere reverentiæ ac ſigillo, quod exigit Sacramentum confeſſionis, uti præcipit Eccleſia ſancta & inſtituit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, mihi hoc in negotio veſtrum auxilium debetis, & equidem [daturos] confido. Quem in finem opus eſt, & id quoque vos rogo, ut mox, antequam quis moneat vel noverit, quid hîc pertractemus, comprehendendum ac mihi ſiſtendum [curetis] demortui fratrem, qui accuſationem inſtituit: id quippe valdè neceſſarium eſt ad caſus hujus inveſtigationem. Attendentes judices, quàm eſſet juſtum, quod dixerat Archiepiſcopus, receſſerunt, ac ſtatim fratrem iſtum, qui accuſationem inſtituerat, comprehendi juſſerunt, atque ipſi tradiderunt. Interim dum frater iſte judicum juſſu comprehendebatur, & trahebatur è vico ſuo atque ad ſanctum Antiſtitem adducebatur; degebat hic pro majori temporis parte ſolus in oratorio ante Chriſti crucifixi imaginem ſolo proſtratus, magna devotione ac multis lacrymis orans, ejus cæleſti favore ac gratia ſibi ſubveniri, ad aſſequendam veritatem facti iſtius, adeo pertinentis ad reverentiam & ſecretum Sacramenti tam neceſſarii ad ſalutem animarum, à benigna ejus manu inſtituti in remiſſionem omnium delictorum, & per quod tam abundanter peccatoribus impertit inſignem ſuam miſericordiam, virtutem ac merita ſua paſſi in Cruce, & Sanguinis tanta caritate & amore in ea profuſi. [Orabat ſimiliter,] ut ſacerdoti ejuſque fratri concederet lumen, quo culpam agnoſcerent, verum, pro eo ac debebant, faterentur, atque [ita] remedium afferretur caſui tam inuſitato ac pernicioſo piæ æſtimationi, in qua eſt apud omnes Catholicos Sacramentum pœnitentiæ. A. M. SALONIO.

curent, accuſator verum fatetur,

293 Exauditus fuit à Deo; nam fratrem laïcum, qui accuſationem intentaverat, ad ſe deductum ac poteſtati ſuæ permiſſum, oratorio ſuo incluſum detinuit, priuſquam cum aliquo ſermonem conferret, ſciretve in cuſtodiam datum eſſe fratrem ſacerdotem, & ante ſacram illam imaginem oravit illum atque obteſtatus eſt, ut verè ediceret, quis ſibi indicâſſet, vel quâ viâ didiciſſet, ab illo [homine] occiſum fuiſſe fratrem ſuum. Rei totius jam ſe conſcium eſſe [addidit,] fidemque dedit, fore ut ipſum ab omni damno immunem præſtaret, ſi modò verum ediceret: ſin minus certum eſſe [juſſit] fore, ut [aliunde] innoteſceret, atque ipſe puniretur ſeverè. Expoſuit ipſi, quantum dicendo obſequium eſſet Deo præſtiturus, quantam occultando illaturus offenſam, propter quam & in hac & in futura vita à Deo eſſet plectendus. Hæc autem [proferebat] tanto ſpiritu, ac verbis tam fervidis, ut homo ille tremens ſe ad ejus pedes projiceret, ac totam rei ſeriem candidè confiteretur *b*. Hanc hominis confeſſionem ſcripto accipere, eumque palatii ſui cubiculo incluſum eſſe voluit, ut, cùm opus eſſet, vocaret iterum: ſic factum eſt; atque idipſum die poſtero [idem primus accuſator] ratum habuit, in cuſtodia permanens uſque ad finem totius eventus. E *b*

uti & confeſſarius

294 Accepta confeſſione fratris laïci, aliquot dierum moram interjecit, priuſquam allocutus eſt ſacerdotem: toto illo intervallo, quod eidem dicturus erat, vehementi niſu Deo commendâns, & orans multis cum lacrymis, nec non aliquot corporis per flagella afflictationibus, ut & illi lumen concederet, quo vocatus verum fateretur. Exauditus hîc quoque à Domino eſt. Itaque arceſſivit illum & oratorio ſecum incluſit & ante eamdem imaginem obteſtatus eſt per Dominum in ea ſancta effigie expreſſum, perque ejus Sanguinem, ut verè ediceret, quomodo noviſſet, interfectum eſſe fratrem ſuum ab iſto [homine] & iis cum [rei geſtæ] adjunctis, quæ ad hunc apud judices accuſandum ſuggeſſerat fratri. Si vellet ſibi condonari à Domino & ejus impetrare miſericordiam, verum diceret, culpam agnoſceret, & confiteretur. Sin' minùs; ſciret, rem [aliunde] comprobatum iri, quandoquidem frater ipſius, quem ad ſe vocaverat, cui idem ſignificaverat, ſuaſeratque, ut ſeſe accuſaret, jam fuerat confeſſus. Hinc niſi verum diceret, à Deo in hac & altera vita puniendum ipſum [aiebat,] & [hîc] ad exemplum aliorum publico ac ſevero ſupplicio afficiendum. F

ingenti ſceleris ſui horrore correptus;

295 Proferebat id tanto ardore ac ſenſu animi ob offenſam Deo, Eccleſiæ & reverentiæ Sacramenti pœnitentiæ illatam, ut ſacerdos (ſicut ipſe poſtmodùm retulit) contremiſcere inciperet

&

A. M. SALONIO.

& instar mortui sine spiritu & colore ad pedes ejus prolaberetur. Erexit illum suis manibus [Archiepiscopus,] ille verò in genua procumbens & pectus percutiens, multúmque illacrymans clamare cœpit: Domine misericordia, misericordia: vera locutus est frater meus, reverendissime Domine; ego vocavi ipsum, edocui, & persuadendo induxi ad omnia, quæ retulit tuæ Dominationi. Ego sacerdos improbus & homo perversus, absque metu Dei & reverentia Sacramenti prodidi, quod fratris interemptor mihi erat confessus. Ex ira & dolore de fratris interitu tantum nefas & sacrilegium admisi. Hîc adsum paratus ad pœnam omnem, quam mihi vestra Dominatio infligere voluerit: sed misericordia, Domine, misericordia! Tum denuò in animi deliquium recidit & tamquam sensibus destitutus ad pedes benedicti Præsulis. Tremenda res erat*, reum intueri humi pallidum, sensu quasi defectum, toto vultu lacrymis perfusum, & judicem ad pedes Crucifixi genuflexum, abundantes [lacrymas] effundentem, atque gratias eidem [Domino] agentem de misericordia, quam sacerdoti illi exhibuerat, concedens illi, ut & culpam agnosceret & tam apertè fateretur.

* fue un juyzio final

B

Sanctus post ferventes ad Deum preces

296 Qui foris existebant, animo utcumque commoti sunt propter suspiria & singultus, qui in oratorio percipiebantur, intrârunt exploraturi, quid rei esset, & in spectaculum inciderunt, quod affecit omnes commiseratione & dolore. Tunc inde se recepit pater D. Thomas oculos suos detergens & sacerdotem à solo attolli jussit, referri in cubiculum, in quo clausus tenebatur, cibo refici ac rectè curari; quia valdè debilitatus erat. Sumpsit & ipse cibum benedictus Pater, sed valdè exiguum: etenim tristis erat admodum propter offensam per sacrilegium sacerdotis istius Deo factam contra reverentiam sacramenti pœnitentiæ, & quòd in conscientia ad exemplum aliorum sese obligatum cerneret ad ipsum severè puniendum. Surgens à mensa in oratorium, locum refugii sui & consolationis omnis, se recepit, ubi toto tempore vespertino substitit ante sanctam illam Christi crucifixi effigiem, supplicans, ut sui dolentis misereseeret, & lumen concederet tum sacerdoti ad perseverandum in agnitione culpæ ac præstandam veram pœnitentiam, tum judicibus, dum vocarentur, ad comprehendendum, quàm, quod dicturus illis erat, justum esset ac necessarium ad reverentiam debitam Sacramento confessionis: atque in eo transegit totum tempus vespertinum & nocturni partem magnam.

C

coram judicibus homicida

297 Sequenti die Missam celebravit idem postulans à Domino: eâ finitâ, vocari jussit judicem cum assessore, atque eodem in oratorio [sic] eos affatus est: Ante istam imaginem, quæ verum ac supremum universorum hominum Judicem repræsentat, edoctus sum, domini mei, quidquid peractum est in causa [hominis] per vos ad mortem condemnati: atque ita se res habet, sicut ego verebar. Demortui frater, qui illum accusavit, non noverat modo aliquo humano, quòd ille interfecisset, sed eo tantùm, quem suggessit frater sacerdos prodendo sacram condemnati confessionem. Constat hoc tam ex eo, quod in hac schedula mihi confessus est frater iste, quàm ex eo, quod similiter fassus mihi est idem sacerdos. Adeo ut accusatio, comprehensio & reliquæ omnes actiones judiciales & criminales institutæ adversùs hominem istum, nullo nitantur principio aut fundamento alio, nisi eo, quod ipsemet in Sacramento pœnitentiæ declaravit sacerdoti, demortui germano fratri, & ex hac confessione omnis, quæ habetur, illius delicti notitia originem duxit.

D

causam agit, & libertam dimittendum.

298 Ea notitia (quemadmodùm jam dixi) nec adhiberi nec ullius efficaciæ esse potest in ullo judicio vel tribunali humano, non secùs ac si numquam fuisset obtenta. Interrogate, quotquot volueritis, theologos, nullus contrarium dixerit vel dicere potest. Atque ita omnes actus judiciales seu pro ipso seu contra ipsum instituti, ac lata mortis sententia, irrita & nullius roboris sunt; delenda & eradenda sunt, ne ulla eorum maneat memoria, quoniam profecta sunt ex notitia & proditione Sacramenti pœnitentiæ: ac proin miser iste homo, tam iniquo modo accusatus, integræ libertati restituendus est. Ego monebo ipsum, nam id congruit ejus tranquillitati, suadens, ne remaneat hoc in loco, nec illuc redeat, utque, si quam domum reve alias possidet, divendat universas & procul hinc vitam transacturus abeat; ut demortui fratri & consanguineis, qui eum quotidie præ oculis haberent, eripiat occasionem aliquando cogitandi de vindicta. Certum est, ita facturum ipsum. De sacerdote ego, quod congruum fuerit, statuam; id quippe mei muneris erit.

E

evincit; eo dimisso,

299 Judex, & ejus assessor tum propter venerationem, quâ ferebantur in patrem D. Thomam, ingentemque de ejus scientia ac doctrina opinionem, tum quòd & ipsi intra dies istos consuluissent super eodem casu aliquot è præcipuis theologis, de ipsius asserto minimè dubitârunt, sed id comprobârunt valdè. Itaque solverunt hominem vinculis & custodiâ, quâ tenebatur in palatio Archiepiscopi, integræ libertati restituerunt, consolati sunt, atque omnia actionis eidem intentæ instrumenta combusserunt, nullâ ejusdem eventus relictâ memoriâ. Vir autem, prout persuasit ipsi & commendavit Archiepiscopus, abiit vitam transacturus alio in loco, procul ab eo, quem incolebat antè, vendidit omnia, quæ ibi possidebat, & fratri ac consanguineis defuncti omnem sui istic videndi occasionem præripuit.

Sanctus confessarium plectit.

300 Sacerdotem, quoniam delictum ipsius erat tam grave ac pernicioli exempli, juxta pœnas in jure præscriptas, privavit beneficio, auditione sacræ Confessionis & celebratione Missæ illi interdixit per vitam integram, & ad perpetuum carcerem in arce de Chullilla condemnavit. Priusquam illuc deduceretur, sermonem ad ipsum habuit, adhortans, ut culpam suam consideraret, magna cum patientia pœnam susciperet, nec severam esse arbitraretur, meritus ob tantum sacrilegium orbari sacerdotii dignitate & insignibus, ac damnari ad triremes perpetuas. Probavit magna cum humilitate sententiam sacerdos, & tantâ patientiâ pœnam illam toleravit, ut post triennium ipsi concedi jusserit [Sanctus,] licentiam frequentandi ecclesiam istius loci, assistendique divinis Officiis, non tamen excipiendi confessiones, aut Missam celebrandi; atque ita ibidem vitæ cursum absolvit, præbens omnibus bonum animi ad cœlestia conversi, probitatis & pietatis exemplum. Atque ex relatione casûs tanti momenti cernitur, quid Dei Servus impetraret à divina Majestate orans, ut lumen sibi concederet, sese dirigeret, atque edoceret, quid faciendum in rebus arduis ac difficilibus.

F

Orans intelligit, clericum sibi laqueum injecisse.

301 Patuit similiter, quàm oratio ejus grata esset Domino Deo, in alio valdè notabili casu clerici alterius, quem in custodia detinebat, quia multis vicibus reprehensus de improbis moribus ac pravis exemplis, quæ dabat notis omnibus, nolebat redire ad frugem. Eo itaque in custodia deten-

detento, cùm manè quodam Dei Servus ſtaret pro more ſuo ante illam crucifixi Domini ſacram imaginem, cœpit hæc ſudare ſanguine; unde perculſus ac magno dolore correptus fuit, metuens & ſuſpicans, ne eadem nocte grande crimen adversùs Deum eſſet commiſſum, ſed & hunc orans magna animi affectione, ut pro immenſa ſua bonitate & clementia ei modum poneret ac remedium afferret. Eodem tempore, quo hoc à Domino petebat, aſcendit carceris cuſtos, omnino perturbatus, dicens, ſacerdotem illum, quia timebat, ne [arci] de Chullilla includeretur, vel ſeverè puniretur, à triduo comedere noluiſſe & eo mane in laqueum ſe dediſſe. Eodem temporis momento bonus Præſul ſumma celeritate deſcendit ad carcerem, invenitque, diſrupta enim fuerat reſtis, ſolo extenſum, ſtupefactum, ſenſibus orbatum, & mortuo ſimilem. Tolli eum, ac in cubiculi lecto collocari, &, quoniam per triduum cibo abſtinuiſſe dicebatur, remedium cordi ſubſidiarium* ac cibum illi præberi juſſit.

*un cordial *eumque accurrens liberat.*

302 Ipſe [interim] in angulo orationi ſe dedit, ut Dominus ejus miſereſceret; nam omni ſenſu deſtitutus ille videbatur. Abſoluta oratione, rediit ad illum ſenſibus reſtitui inchoantem & dixit: Fili, neſcis, quo pretio conſtiteris Jeſu Chriſto, qui ſuo te Sanguine redemit? Comede, & age ipſi gratias, quòd non omnino exſtinctus ſis. Tum ipſi bene precatus eſt: unde ille planè ad mentem rediit, ad pedes ſe projecit, veniam petens ac dicens: Pater bone, parce mihi & adjuva me coram Deo, ut feciſti. Nam preces tuæ magnis, in quibus verſabar, tenebris me eripuerunt, & modò memet comperio in loco luminoſo. Id ſilentio ſupprimi juſſit ſanctus Antiſtes, & curari vehementes vertigines, quæ illi adhæſerant ex agone & ſanguinis perturbatione, quam paſſus eſt, dum ſe ſuſpendit.

ANNOTATA.

a *Totum hoc caput 7 pertinet ad Salonii ſextum, quod ob prolixitatem in bina diviſi.*

b *His ſubdit auctor hominis confeſſionem, quâ repetit rei geſtæ modum, antè enarratum, quamque ut ſupervacaneam reſcidi.*

CAPUT VIII.

Humilitas ſancti Præſulis & comitas erga omnes præſertim pauperes.

Humilis a

CUm egerimus *a* præcedente capite de beneDicti patris D. Thomæ frequenti oratione, & de favoribus ac donis, quæ per illam ei à Domino Deo conceſſa ſunt, congruum erit hîc agi de profundiſſima ejus humilitate: in qua licèt benedictus Pater, uti libro primo vidimus, adeo perfectus fuerit tam ante ingreſſum in religioſum Ordinem, quàm dein in eo vivens; tamen multò magis [excelluit] poſtea, dum fuit Archiepiſcopus. Magni faciebat dignitatem, in qua à Deo conſtitutus erat, ut conſideraret ſemper, ad quid obligaretur: ſed ſui ipſius etiam non concipiebat opinionem majorem quàm pauperis religioſi, qui eâ dignus non eſſet. Ex candore ac ſuavitate, quâ agebat cum omnibus, perſpectum fuit, quàm animo impreſſum ſervaret dictum illud & conſilium Sapientis: "Quantò magnus es, humilia te in omni„bus *b*.„

A. M. SALONIO.

304 Eadem ſuavitate & comitate, quâ ſuſcipiebat nobilem, locupletem & potentem, admittebat & pauperem & malè veſtitum. Cum quolibet verſabatur juxta illius conditionem, eoque utebatur loquendi modo, quem prudentia præſcribit, atque exigit ratio; ſervans tamen apud omnes eam æqualitatem, quam in excipiendo, audiendo & agendo cum illis poſcit Chriſtiana charitas. Non habebat (ſicut referunt, quotquot familiares ipſi fuerunt vel famulati ſunt) janitores, qui [homines] negotiorum causâ ad ipſum venientes morabantur. Uno duntaxat utebatur [janitore] non quia id conditioni congruebat, ſed ut moneretur quàm mox, dum quiſquam adveniebat, & ipſe erat in ſolitudine vel vacabat ſtudiis. Ad ejus cubicula nec veſtibula erant, nec aulæ plures tranſeundæ, ut ad ipſum fieret acceſſus. Sed communiter aulam amplam, in qua erat ſacellum palatii archiepiſcopalis, quæque erat magis obvia & frequentata, obambulabat, apertis omnium graduum in eam incidentium januis. Hæc ordinaria ejus erat commoratio ad horas rebus agendis [præſtitutas,] ut cuilibet facilis pateret aditus, utque paratus inveniretur ab iis, qui ipſo indigebant.

b & comis erga omnes

305 Accedebant nonnumquam pauperes, vetuli, cæci & hujus generis homines aliquot ad exponendas moleſtias ſuas & calamitates; ipſe verò inde non modò non afficiebatur moleſtiâ vel tædio, ſed multa voluptate ac benignitate recipiebat illos. Atque ut intentiore animo eos audiret, excitaretque ad detegendas ſuas moleſtias majore libertate ac ſpe remedii, in humili ſede, quam eum in finem habebat in ea aula, ſeſe collocabat, ipſoſque (quamvis id minimè cuperent) jubebat ad latus ſuum occupare aliam; & ſi non aptè collocati eſſent, tollebat & attrahebat ipſe ſuis manibus; neque offendebatur, quantumcumque ſordidus accederet mendicus, & tanto amore ac candore cum ipſo agebat, ut aliquoties horam integram imò duas audiendo & conſolando inſumeret.

cum pauperibus longas ſermones conſert,

306 Cùm ab aula iſta, in qua degebat paſſim, dum orationi vel ſtudiis non vacabat, per porticum eſſet aditus ad cubiculum, quod incolebat viſitator ipſius magiſter Porta, quo miniſtro multas etiam eleëmoſynas erogabat, accidit frequenter, (uti ipſe narravit magiſter Porta,) ut pauperes nonnulli illum quærentes in eadem aula inciderent in Archiepiſcopum, & huic, quem non noverant ac ſolum in pauperi veſtitu conſpiciebant, dicerent: Pater, ubi eſt dominus viſitator? Ipſe verò reſpondebat: Manete fratres; ego enim vocabo ipſum; & abſque mora adibat cubiculum viſitatoris, appellabat illum & aiebat: En, adſunt, qui te volunt; ſtatim & cum charitate, obſecro, rem ipſorum confice: pauperes quippe homines videntur, & nefas eſt temporis, ad res ſuas comparandas neceſſarii, ipſis afferre detrimentum. Accidit ſimiliter quandoque veſperi, dum aliquem, quocum negotia pertractaverat, dimittebat, nec præſtò aderat famulus, qui abeunti lucem præferret, ut ipſe candelam aſſumpſerit atque præiverit; donec accurreret famulus, qui manibus eriperet.

ac famuli inſtar ſubjervit,

307 Die quodam canonici aliquot ipſi familiares aiebant, non eſſe ſatis commodam aulam iſtam, in qua commoraretur paſſim ſua dominatio, quoniam tot portæ & tot gradus in ipſam incidebant, ac potiùs videbatur eſſe via aut forum, quàm cubiculum. Subridens reſpondit: id, quod inconveniens vos arbitramini, Domini mei, optimum

prompius ſemper ad eorum colloquium,

A. M. SALONIO.

est, quod habet aula ista, quodque me invitat, ut in ea plerumque commorer. Is quippe Pastori est locus proprius, in quo oves ejus ipsum in promptu habeant, atque, ubi indigent, semper brevi ac facili labore reperiant. Non erat, quod ad hæc reponerent; sed contrà tacti sunt valdè exemplo insignis humilitatis & caritatis, quod ex verbis istis elucebat.

dimisso prandio,

308 Contigit etiam aliquando, ut cum aliquo canonico aut quolibet alio viro honorato aulam istam obambulans, egenum conspiceret præstolantem, & quantumctumque pauper ac malè vestitus videretur, insigni sua humilitate & candore adiret ac diceret: Paululùm, amabo, exspecta frater, dominus iste & ego paucis absolverimus, & quid afferas, videbimus. Contigit item aliquoties, ut præ amore, quo afficiebatur erga pauperes, dum tempore prandii ex iis aliqui advenirent tristes & anxii, à mensa surgeret (monens convivas, ut pergerent edere, nec exspectarent sese) & ore escâ repleto accurreret, ut ipsis solatium afferret, ac bene faceret. Nec ad mensam revertebatur, donec ipsis solatium & auxilium attulisset. Etenim adventum talis pauperculi reputabat optimum, quod

B

apponi poterat, ferculum. Res sanè notatu digna est, quòd numquam dixerit vel passus fuerit, ut famuli morarentur quempiam, donec à mensa exsurgeret: verùm, dum videbatur persona [ad ipsum accedens] calamitate quadam afflicta, mensam & cibum deserebat; adeo quidem ut ex ipsius judicio [cibus] nec gustui esset placiturus, nec profuturus [sanitati,] nisi priùs accurrisset in remedium necessitatis, & solatium afflicti [hominis] quamvis tali hora advenientis.

ad eorum obsequium accurrit;

309 Sub idem tempus advenit die quodam homo pauper cum filiolo, ut hunc sacro Confirmationis oleo inungeret, infirmitate oppressum dictitans. Mox, eo audito, cibum reliquit, perrexit ad sacellum, Sacramentum confirmationis illi impertivit *c* & dein reversus est ad mensam. Ea erat erga pauperes & calamitosos insignis hujus Dei Servi humilitas & caritas. Cùm invisissent ipsum viri aliqui seu ecclesiastici seu seculares, quibuscum agebat familiariter, dimittens è cubiculo, dicebat abeuntibus; Videte pro amore Dei, num hîc non exspectent foris mendici aut homines aliqui, qui non ausint intrare; monete, ut intrent, quia id licitum ipsis est. Vereor enim, ne famuli ipsos ingressu prohibeant, licèt oppositum à me mandatum habeant; ne [scilicet] pauperem aut

c

C

personam, meâ operâ indigentem, dimittant, sed ut intromittant, quando non occupor oratione vel studiis, & si his occupor, me extemplò moneant.

familiariter agens cum famulis & pueris

310 Dum construebatur collegium, quod fundavit juxta [scholas] universitatis in hac civitate, sæpiùs illuc se conferebat inspecturus opus. Laudabile autem est coram Domino (etiamsi quidquid [egit] ejusmodi sit) quod referunt testes non nulli de simplicitate, affabilitate ac benignitate, quâ agebat non solùm cum magistris & viris ætate provectis, sed & cum famulis ac pueris, operi inservientibus, tyronibus lapidariorum & lignariorum fabrorum aliorumque opificum, non secùs acsi cum propriis filiis versaretur. Idem opus conspecturi introibant multi studiorum alumni, eo die præsertim, quo noverant, adesse istic Archiepiscopum; nec abire eos vel abigi jubebat; sed contrà vocabat ad se, & paterna caritate ac benignitate interrogabat, unde locorum essent, quibus studiis & quibus magistris operam darent; exhortabatur ad virtutem ac timorem Dei; & nominatim ad obedientiam parentibus; si autem in externis domibus degebant, ad honestatem ac fidelitatem in iis servandam: ut magistris multam observantiam ac reverentiam exhiberent; ne tempus malè contererent, aut negligerent prælectiones; ut magnâ curâ caverent sibi à consortio juvenum improborum, & à nocturnis excursionibus; sed tum prælectiones repeterent.

D

ad virtutem documenta præscribit;

311 Multa iis dabat documenta, quibus proficerent in virtute & litteris, & hæc quidem eo modo, ut affectione raperentur in leges ab illo præscriptas ad excellendum in studiis. Cùm dimitteret, ejus illi manus ac vestem deosculabantur, ipse verò bene precabatur, & oris ac sermonis urbana comitate eos prosequebatur, [monens] ne dictorum suorum essent immemores. Promittebat fore ut iis, qui in studiis, virtute ac pietate futuri essent præstantes, in qualibet occasione, ubi opus esset, favorem suum perhiberet. Egenos invitabat, ut ad ædes suas accederent, fore, [addens] ut ipsis vestes, libros & res quaslibet necessarias subministraret; idque præstabat cumulatè iis, quos, referentibus magistris aliisve personis fide dignis, audiebat probos esse studiorum alumnos.

pauperes consanguineos

312 Virtuti humilitatis, si attentè consideremus effectus, quos passim producit & operatur in personis verè humilibus, tria sunt admodùm propria. Primum est, suos non dedignari vel erubescere sed agnoscere consanguineos, ut ut abjecta sit ac depressa eorum conditio, atque altior & honoratior ea, quâ gaudet humilis. Alterum est, omne id evitare, quod auctoritatem, fastum aut excellentiam spirat. Tertium est, ut, qui humilis est, sit affabilis, mansuetus & valdè patiens *d*. His omnibus veræ humilitatis conditionibus & effectibus multùm eminuisse fertur sanctus Antistes. Primò enim, licèt parentes ejus ac majores omnes essent nobiles, homines præcipui & inter populares suos divites, sicut cap. 1 libri præcedentis vidimus, nihilominus inter cognatos ejus & propinquos, (ut in multis familiis accidit,) erant aliqui agricolæ & pauperes; dignitas tamen archiepiscopalis vel reverentia, quâ colebatur per universam Hispaniam, minimè effecit, ut eos vel non agnosceret vel molesto animo exciperet; sicut cum cognatis suis agunt homines aliquot superbi & immemores cælestium gratiarum, cùm sese in honore constitutos conspiciunt; contrà verò ipse eorum conspectu lætabatur. Valentiam adventantes magno amore recipiebat, accipiebat hospitio, atque eadem simplicitate cum ipsis versabatur, quâ versatus fuisset, si in prima conditione ipsis cohabitâsset Villanovæ; consanguineos suos esse declarabat omnibus, idque honori & gloriæ sibi ducebat.

d

F

etiam coram aliis honorat,

313 Aliquando magni momenti rem ad hoc regnum pertinentem in cubiculo suo pertractanti cum episcopis Dertusensi *e* ac Segobrigensi *f* adfuit avunculus ejus, linteo ad collum [alligato,] quo modo incedunt in vicis Castellani agricolæ; gavisus fuit ejus aspectu, statim salutavit dicens: Bene adveneris domine avuncule, sedem occupa: &, petitâ licentiâ ab episcopis, cœpit interrogare de adventu, patria, matre sua ac cognatis, tanta voluptate & oblectatione, ut omnibus admirationi esset. Post aliquod temporis intervallum vocavit œconomum, qui hospitem susciperet, ac bene tractaret, dicens avunculo: Eas modò, quietem sumas: etenim defessus es; ubi cum dominis istis rem, quam tractamus, confecero, revisam te mox: & reversus ad episcopos, lætus admodùm de adventu boni hominis dixit: Est avunculus noster, proximus à parte matris consanguineus.

e f

314 A-

A *Lætus ſuſcipit.*

314 Alia vice inviſit ipſum patruelis ſuus, tum ut ejus aſpectu frueretur, tum quòd exiſtimaret, impertiendum ſibi grande donum. Excepit & hunc ingenti cum voluptate & animi candore, pleno ore dominum patruelem illum appellans & integro menſe, quo domi ſuæ retinuit, lautè habens. Sub finem menſis interrogavit, quo loco res ejus eſſent in patria. Moleſto, reſpondit ille: quia interierat unus è binis bobus, quibuſcum colebat agrum. Domine patruelis, inquit, bonus Antiſtes, quod neceſſe eſt ad comparandum bovem alterum ac demortui loco ſubſtituendum, ego præſtabo: non quia mihi patruelis es; ſed ut neceſſitati tuæ ſubveniam: at nihil ultrà à me exſpectes. Nam quod poſſideo, nec meum eſt, nec conſanguineorum [uſui erogandum] ſed pauperum hujus loci, ubi eccleſiæ hujus fructus colliguntur. Similia ſæpe ipſi contigerunt cum conſanguineis: admittebat ipſos, multo cum amore excipiebat, agnoſcebat profitebaturque tales eſſe, quamvis pauperes: ſed cum hiſce & cum omnibus (ſicut capite ſequenti videbimus) ſervabat ordinem, quem exigit caritas & juſtitia in diſtributione bonorum ac redituum eccleſiaſticorum.

B *Alienus ab omni faſtu,*

315 Quod ſpectat ad fugam rei omnis, ſpirantis faſtum & magnificentiam, celebrare illam non ceſſant, quotquot noverunt illum aut cum ipſo egerunt. Patuit abundè in ſimplicitate ac paupertate veſtimentorum ejus & ſupellectilis domeſticæ. Nam ſicut veſtes magnificæ & ornamenta vanitatis ac ſuperbiæ ſigna ſunt, qualia vocavit ſancta Eſther regina SIGNA SUPERBIÆ, ac vexilla tumoris & arrogantiæ, atque per hominum tumidorum arrogantiam & vanitatem introducta; ita etiam inſigne humilitatis ac ſimplicitatis teſtimonium eſt, pauperibus veſtibus uti & domi ſuæ ſolo neceſſario contentum eſſe abſque ornamentis ſumptuoſis & exquiſitis; quando id non fit ex avaritia, ex qua minimè faciebat Antiſtes adeo munificus ac liberalis, qui (ſicut videbimus) quidquid haberet, erogabat pauperibus.

concionaturus nullum in pulpito

316 Oſtendit id pleniùs, quando concionabatur; nam ejus temporibus necdum Romanus Pontifex jubebat, uti nunc jubet, epiſcopos concionari indutos pontificali habitu, poſito antè throno, ac ſtipatos miniſtris & aſſiſtentibus ſuis, ut populus, qui non movetur niſi per exteriùs viſa, pluris faciat ac majori reverentia, ut æquum eſt, C excipiat doctrinam antiſtitis ſui & vocem proprii paſtoris. Pater D. Thomas pro vehementia humilitatis, in cor ſuum dominantis, numquam cupiebat vel umbellam in pulpito, vel thronum in eccleſiis, in quibus verba faciebat. Ad primum ſermonem, quem habuit in templo principe hujus civitatis, affixerunt pulpito umbellam ex panno floribus interſtincto *, & pannum alterum pretioſum [eidem impoſuerunt,] ipſo ignaro, nec conſcio uſque ad ipſum temporis momentum, quo erat aſcendendum; quando nec deponendis ſpatium nec locus erat: ubi conſpexit, multum doloris perſenſit; ſed vel tolerandum id fuit, vel, quod ipſi videbatur magis fore inconveniens, omittenda concio.

* de brocado

ornatum patiebatur,

317 Itaque cùm alio die Dominico eſſet dicturus ad populum, præcedente Sabbato arceſſivit magiſtrum Clara, id temporis ædituum ſecundarium, quem paſſim magiſtrum eccleſiæ cathedralis appellant, & obnixè illi injunxit, ne panni illi floribus interſtincti ſuggeſtui apponerentur, neve major ornatus, quàm qui pro aliis concionatoribus apponi conſuevit: quòd ipſe, quamvis Epiſcopus, pauper eſſet monachus, nec ſuggeſtum conſcenderet, quærens ſplendorem, ſed fervorem deſiderans & doctrinam ad lucrifaciendas animas. D. Hieronymus Carroz de Eſlava, canonicus hujus ſacræ eccleſiæ, quem ipſemet pater D. Thomas huc veniens vicarium generalem capituli conſtituit, acceſſit ad illum, ut diceret, conveniens eſſe, apponi illos pannos, hoc exigere ejus dignitatem, imò, ſi eorum appoſitio prætermittatur, ingens fore dedecus & ſibi tamquam capituli vicario culpæ vertendum. Numquam id ipſe ſibi perſuadere potuit, eamdem ſemper rationem repetens, quam propoſuerat magiſtro Clara. Id ad ſummum conſecuti ſunt, ut omitteretur umbella cum panno floribus interſtincto, ſed apponeretur velum ſeu aulæum pro aliis concionatoribus apponi ſolitum, & (quod ſufficiebat, ut populus intelligeret, verba facturum eſſe Præſulem,) ad oram pulpiti applicaretur faſciola quædam ſerica, nec quidpiam aliud adderetur, quoniam id ægrè laturus erat, & propriis manibus depoſiturus.

A. M. SALONIO.

communi in eccleſiis

318 Ad celebrandum Miſſam ritu pontificali in feſtis aliquot ſolemnioribus nullam habebat ſacram ſupellectilem ſibi propriam, ſed omnino pertinentem ad eccleſiam. Ad celebrandas autem ritu ordinario, dum celebrabat in ſacello ejuſdem eccleſiæ, conſecrato S. Ludovico, quod, ut pòſt dicemus, fiebat bis ſingulis hebdomadis, ſacra ſupellex ſimiliter & calix pertinebant ad eccleſiam; cùm verò in ſacello ſuo domeſtico, omnem apparatum & ſuppellectilem habebat propriam, ſed pauperem, abſque ullo ſplendore vel ornatu, mundam tamen: ſicut patuit in iis, quæ moriens ad collegium deferri præcepit. Dum viſitando obibat [diœceſim,] quoniam moris eſt, ut [epiſcopus] indutus ſuperpelliceo ac veſte pluviali inſpiciat primò ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, deinde ſacri Baptiſmatis fontem, nullum ad id miniſterium habebat ornatum vel apparatum proprium; ſed eum accipiebat in eccleſia, quam viſitabat, minimè reſpiciens, utrùm is vetus eſſet an novus, pretioſus an pauper; quem offerebant, ipſe induebat. E

ſupellectile ſacra utebatur;

319 In exiguo quodam vico induit ſuperpelliceum vicarii [parœciæ] vetus ac lacerum, & ad præcinendum reſponſorium, in viſitationibus cantari ſolitum pro animabus defunctorum, ſuperimpoſuit veſtem pluvialem ex linteo nigro per fullonem ſubacto * ſatis antiquam, tam contentus, acſi fuiſſet valdè pretioſa: neque enim pro inſigni ſua humilitate ad ſimilia animum attendebat. Certum autem eſt, quòd, licèt ad hos ac ſimiles actus ſupellectile careret & apparatu, quem habere conſueverunt epiſcopi alii, id non procederet (ut dixi) ex avaritia: cùm tam ſeriò amaret paupertatem Euangelicam, quam fuerat profeſſus; neque ex negligentia aut incuria eorum, quæ exigebat officium: cùm à Domino ornatus eſſet tam inſigni judicio ac prudentia: ſed [ex ſolicitudine] colligendi pauperibus, quantùm poſſet, & ex ingenti ſuo amore erga virtutem humilitatis. Atque hinc providebat Deus, ut ea omnia, quæ aliis irriſionem ac contemptum conciliarent, in ipſo fuerint exempla virtutis & incitamenta ad pluris eum æſtimandum ac reverendum; dum tam ſublimis dignitas cum tanta humilitate, & ea, quam ſervabat ſemper, religioſa gravitas cum tanta ſimplicitate conjuncta cernebatur.

* *Hiſp.* de bocaſi

varia

320 Tertium, quod humilitati proprium eſſe diximus, non minùs perfectè comperiebatur in Servo Dei, quemadmodum eccleſiaſtici viri, qui ipſius morti multos annos ſuperſtites fuere, palàm declarârunt & teſtati ſunt. Nam, ſicut referunt,

A. M. Salonio.

non tantùm ipsos ingenti cum amore atque humanitate excipiebat, jubendo eos sedere, si sacerdotes erant, vel, si stabant ipsi, non considerans, suos esse subditos, stans etiam ipsos alloquendo, verùm etiam rationes eorum admittebat, & dum in negotio, quod agebatur, jus obtinebant, magna cum facilitate & humanitate eas approbabat semper ac suis præferebat. Nec mirum est, eum tanta sinceritate & comitate usum fuisse erga sacerdotes, qui idipsum servabat cum secularibus, quamvis pauperibus operariis & agricolis.

animi demissi

321 Carpesæ, qui locus est non magnus in hoc Valentino territorio, contentio fuit inter juratos, & parochum, quia hic occasione festivitatis cujusdam advenire cupiebat concionatorem amicum suum, illi verò, quorum expensis celebrabatur festivitas, alium advocaverant: judicantes igitur, suam, non parochi, justam esse voluntatem, accesserunt ad sanctum Præsulem, degentem in suo cubiculo; eos jussit ingredi: cùm autem sedes in eo deficerent, vocavit famulos, qui depromerent ex altero interiori. Tergiversari illos aliquantulùm perspiciens, ingressus ipse est, & trinas propriis manibus alteram post alteram eduxit, ut sederent omnes; ipsi autem, quamvis operam darent, impedire id non valebant aut [sedes] eripere ex ejus manibus. Sedentium [itaque] secum duorum juratorum sermonem excepit magna benignitate, & dimisit illos dicens: Celebrate istam festivitatem multa cum devotione, &, cùm vestro sumptu fiat, arcessite vestrum concionatorem. Ego, quod convenit, parocho significavero. Et verò advocari eum jussit, interrogans, quis festivitatem institueret ac sumptus subministraret: respondenti illi, [fieri] ista à juratis ex populi pecunia, dixit: Quoniam ipsi solvunt, non habes jus vocandi concionatorem præter eum, quem ipsi vocârunt, qui solvunt; tum quia id æquum est, tum quia tibi incumbit tollere omnem occasionem molestiarum cum iis, qui de parœcia tua sunt, quamvis id fieret cum aliquali juris tui detrimento, quantò magis hîc dum nullo fit.

B

exempla

322 Veram ejus ac profundam humilitatem & mansuetudinem magnopere declarabat, quod referunt testes nonnulli. Cùm aliquoties ob ea, quæ à personis fide dignis ad se delata fuerant, sacerdotes aliquos reprehendens severiùs castigâsset, & hi expurgarent sese sufficienter, non dubitabat veniam deprecari, atque ipsis abundè satisfacere. Et licèt aliqui, dum reprehendebat, non expurgarent se, si deinde intelligebat errâsse eos, qui ita denuntiaverant, ac sese ab his in errorem inductum, advocari jubebat eum, quem corripuerat atque idem præstabat, quamvis ipse justissimam viam iniisset. Theologum ecclesiæ majoris siniſtrè ad ipsum detulerunt homines malevoli, à quibus judicabat sibi non imponendum. Noluit tamen ipsum mox advocare, quòd vir boni exempli ac pius audiret; sed opportunam occasionem exspectavit; hanc nactus, deduxit seorsum in oratorium suum, exposuit, quæ sibi dicta fuerant, eum graviter corripiens. Theologus obtenta respondendi facultate, quam ipsi perlubenter concessit sanctus Antistes, optans, ut veram afferre posset expurgationem, tam justam attulit, ut [Sanctus] clarè intelligeret, probè eum vivere, ac rem totam ex malitia ortam esse. Arripuit manus ejus magno cum amore & gaudio, ac quasi eas deosculari volens dixit: Dominus te consoletur, sicut per ea, quæ protulisti, me consolatus es. Rem ita, ut dicis, se habere intelligo, errâsse alios, & me ab iis injustè fuisse monitum. Per amorem Dei mihi veniam concedito; nam [sanctè] assevero, monitum me fuisse ab hujusmodi hominibus, ut ipse judicares, si modò nominare fas esset, legitimam mihi fuisse rationem, ut fidem haberem, teque commonefacerem ac corriperem.

C

D

recitantur.

323 Fuit concionator, qui [productis] licentiæ litteris, in quibus chirographum patris D. Thomæ tam accuratè effictum erat, ut quilibet iis fuisset decipiendus, promulgabat in locis quibusdam indulgentias, quarum nulla erat auctoritas, fundamentum nullum. Eo intellecto, sanctus Præsul maximo dolore correptus fuit; nam licèt quolibet peccato offenderetur vehementer, nullo tamen adeo quàm mendacio ac fraude, præsertim in rebus tam gravibus. Advocari jussit parochos locorum, in quibus homo improbus promulgaverat fictas illas indulgentias, eosque, dum in conspectum advenerant, acerbitate quadam ac doloris sensu reprehendit, quòd illud permisissent. Parochus, qui inter ceteros præcipuus erat, & quasi generalis eorum vicarius ruralis, rem ita dirigente Domino ad excusationem eorum, qui culpâ expertes erant, sibi retinuerat litteras facultatis, à falso isto concionatore exhibitas, & dixit: Illustrissime Domine, si mihi feceris loquendi potestatem, videbis, quàm parochi hi omnes & ego remoti simus ab offensa seu Domino Deo, seu vestræ dominationi illata in eo, quod factum est. Etenim concionator ille adveniens mihi, tamquam vicario rurali dominationis tuæ in isto tractu, facultatis litteras exhibuit, chirographo dominationis vestræ [munitas,] ob easque illi licentiam concessi concionandi in locis omnibus, quibus dominationis vestræ præsum vicarius. Inspexit eas sanctus Præsul & attonitus dixit: Equidem certò non dedi hujusmodi facultatem, fateor tamen, fore neminem, qui characterem meum nôrit, & chirographum hoc viderit, quin meum esse judicet; nam ipse ego, nisi evidenter ac certò constaret, sicut constat, de fraude, meum esse censerem. Per amorem Dei, fratres, ignoscite molestiam ac solicitudinem, quam, dum huc venire jussi, creavi vobis. Neque enim vos peccâstis concedendo veniam concionandi, post exhibitas vobis facultatis litteras, munitas chirographo, ad scriptionem meam ita conformato, neque ego convocando vos, donec edoctus essem casûs tanti momenti veritatem. Mox ærarii sui custodi præcepit, ut traderet ipsis, quidquid sumptuum fecerant in adventu ex parœciis suis, ac diebus, quibus Valentiæ commorati fuerunt, & quidquid faciendum erat in reditu ad sua domicilia.

E

F

Offensus

324 Ea humilitate atque æquitate versabatur cum subditis suis beatus Antistes; nonnumquam etiam, ut animam lucrifaceret, juris sui detrimentum patiens, sibique attribuens & imputans culpam, non à se, sed à subdito commissam. Omnino publicum fuit per universam Valentinam civitatem, quòd, cùm canonicum istius ecclesiæ propter delicta aliquoties magna cum caritate corripuisset, nec ea ipse corrigeret, die quodam, conscientiâ, muneris obligatione ac dolore, quo ob Dei offensas afficiebatur, compulsus eum severiùs castigaverit. Superbus erat ille canonicus, & quoniam ei videbatur modum excessisse sanctus Præsul, exuit [debitam] illi reverentiam dicens, se esse de sacro Officio, nec ipsum sibi habere judicem, nec esse, cur illum timeret, & [hæc proferebat] verbis tam inurbanis, ut iis offensus ærarii custos, qui ea occasione istuc accessit, vellet ipsi manus injicere. Sed mox pater D. Thomas pro canonico, non attendens ad inurbani-

ta-

A tatem ejus, favorem ſuum interpoſuit, & mandavit ærarii cuſtodi ut liberum illi abitum concederet, inquiens: Mitte ipſum; nam ipſe certò culpam non habet, ſed ego, qui occaſionem præbui, dum ultra modum progreſſus ſum: quamvis noverit Dominus, me aliud nihil intendiſſe, quàm vitæ ejus emendationem.

à canonico, 325 Simul ac caſum edocti ſunt inquiſitores, propter amorem ac reverentiam, quâ erat apud omnes, acciverunt canonicum, incluſeruntque cubiculo ejuſdem Inquiſitionis, & clericum miſerunt ad Archiepiſcopum, qui ipſorum verbis illi ſignificaret, correptos eos fuiſſe ingenti ægritudine, intelligentes, quàm canonicus iſte ſeſe irreverenter geſſiſſet erga dominationem ſuam, & clauſum detineri illum apud ipſos; quòd ſi caſtigare illum cuperet ſua Dominatio, miſſuros ſe eum, ipſiuſque poteſtati ſubdituros, ſin' minùs, ab ipſis caſtigatum iri illum, uti decebat, ac delictum promerebatur. Quandoquidem nec vellet nec paſſurum eſſet umquam ſacrum Officium, à quoquam uſurpari nomen aut favorem ſuum ad opprimendum aliquem, nedum proprium ſuperiorem & epiſcopum.

B 326 Tempus erat accedendi ad menſam, dum *culpam in ſe transfert,* advenit ille nuntius ad patrem D. Thomam, quem tanto doloris ſenſu affecit, ut extemplò mulos inſterni juſſerit, & comitantibus confeſſario ſuo ac binis famulis, (neque enim, domo quandoque egrediens, ampliorem comitatum aſſumebat,) ad Inquiſitionem perrexerit ac rogârit inquiſitores, ut mox dimitterent canonicum, inquiens: Non ille, domini, culpam habet, ſed ego, qui modum correptionis exceſſi, & ei occaſionem præbui ad ea, quæ dixit mihi: hinc, amabo vos, res iſta involvatur ſilentio. Difficiles ſe exhibuerunt inquiſitores ad illum tam citò & impunitum prorſus dimittendum, judicantes caſum eſſe gravem, & quidem adversùs Antiſtitem tantæ ſanctitatis, tantæque æſtimationis apud cæſarem ac per univerſam Hiſpaniam. Verùm ob urgentem efflagitationem, quâ id contendebat Dei Servus, affirmans ac proteſtans, non abiturum ſe illinc abſque ſuo canonico, hunc exemerunt &, illi ut ſatisfacerent, liberum tradiderunt.

illiaſque honori conſulit. 327 Ovem ſuam intuitus, (non ſecùs ac Euan-
C gelii Paſtor bonus, qui, dum illam reperit, lætitiâ abripitur, deſideratque omnes gaudii ſui eſſe participes,) accurrit complexuſque illam eſt, fluentibus utrimque lacrymis, ac juſſit velociter adiri domum canonici, ejuſque confeſtim adduci mulum, deducturus eum ad ædes ſuas, ut pranderet ſecum. Et (quod jure optimo admirationi atque bono exemplo fuit toti civitati,) quia Valentiæ diſſeminatus erat ſermo, canonicum illum captum detineri in carceribus Inquiſitionis, quia irreverenter ſe geſſerat & ſermone quidem valdè improbo in Archiepiſcopum; priuſquam [Sanctus] domum rediret ad prandium, eum lateri ſuo junctum circumduxit per univerſam civitatem colloquens cum ipſo atque ſermones conferens tanta familiaritate, quantâ potuiſſet cum amicorum optimo. Neque enim ſtudebat ſolùm ſanctus Antiſtes ſubditos ſuos ſubtrahere calamitatibus, verùm etiam ſervare eorumdem æſtimationem ac honorem, imò & reſtaurare, ſi quando ejus aliqualem jacturam feciſſent.

ANNOTATA.

a *Meminerit lector Salonii hoc eſſe caput 7: ſed & hujus exordium, quo docet orationi conjungi debere humilitatem & fidem, omiſſum hîc eſt.* A. M. Salonio.

b *Verba ipſa Scripturæ ſacræ Eccl. 3 ℣ 20 verbis Hiſpanicis ſubſtitui; hæc enim ita ſonant:* Quanto te majorem & dignitate ac ſtatu magis elevatum videris, tanto major ſit tua humilitas ac ſimplicitas.

c *Ad iſta Coccinus pag. 650.* Si neceſſitas, *inquit*, exigeret, extemplò Sacramentum Confirmationis adminiſtrabat, benignè cum pauperibus agebat, comem ſe omnibus exhibebat, ad omnem populi ſui indigentiam præſtò erat, & quamcumque exercendæ humilitatis occaſionem amplectebatur, ut probant teſtes in dicto proceſſu Valentino, videlicet dictus tertius & Vincentius Grau... Joannes de Panagos... Baldaſar Apparitius... Michaël Vincente... Franciſcus Joannes Fores... Matthæus Joannes Lopez... Joannes Feris... Baſilius Vich in proceſſu Caſtellæ... Petrus Valentinus... qui ſex poſtremi teſtes præter Baſilium Vich ſunt examinati authoritate ordinaria.

d *Tria illa firmat auctor allatis exemplis è ſacra Scriptura & auctoritate S. Auguſtini, quæ, ſi lubet, apud ipſum videantur.*

e *Hiſpanicè* Tortoſa, *civitas Cataloniæ epiſcopalis ſub archiepiſcopo Tarraconenſi, quatuor milliaria diſtans à confinio regni Valentiæ.* E

f *Vulgò* Segorve *vel* Segorbe *civitas epiſcopalis ſub Valentino archiepiſcopo.*

CAPUT IX.

Conſanguineis egenis parcè admodùm ſuccurrit, ac cæſari pecuniam mutuam petenti diu reſiſtit, ne pauperibus ſubtrahat.

Archiepiſcopus parcè ſubvenit a

QUamvis *a* [S. Thomas] eſſet tam benignus, ſincerus & humilis, erat tamen abſtractus admodùm à conſanguineis & amicis, ac valdè alienus ab omni reſpectu humano, ſemperque utebatur Euangelica libertate. Quantum à conſanguineis eſſet [abſtractus] patuit ex eo, quòd parum aut nihil ipſis elargiretur. Propriæ parenti, quamvis amaret eam ac honoraret, ut probum filium decet, quia tamen propriis bonis fruebatur, quotannis ſolùm mittebat centum ſcuta, tamquam filii [erga matrem] agnitionis teſſeram: & eadem ex cauſa binis, quos habebat, fratribus alteri centum, alteri, cui plures liberi erant & pauciores divitiæ, ducenta. Quadam vice famulum miſit Villanovam, qui matrem inviſeret; huic illa in reditu mandavit renuntiare Filio, quòd cùm iſtic notum eſſet, ſe matrem eſſe Archiepiſcopi, atque circumferretur, ab eo quotannis deſtinari ad ſe aliquam pecuniæ ſummam, tot accurrerent ad ædes ſuas non tantùm ex Villanovano oppido, verùm etiam ex vicinis locis, mendici, ut, quod ipſe mittebat, minimè ſufficeret, imò nec duplum & amplius, quod illa adjiciebat ex bonis domus ſuæ. Dignaretur itaque multò ampliorem ſummam deſtinare, cùm non ſibi ipſa deſideraret ſed pauperibus. Atque ita res erat: nam, cùm iſta Dei famula ſimiliter, ut vidimus cap. 1 lib 1, pia eſſet ac liberalis in pauperes, non ſolùm erogabat, quod mittebat Filius, ſed & duplum ex bonis domus ſuæ.

matri, fratribus 329 Famulus Valentiam redux retulit, quæ ſibi ab ejus parente commiſſa fuerant, & quæ

A. M. Salonio.

ipſemet diebus illis, quibus domi ipſius Villanovæ ſubſtiterat, ſuis oculis compererat. Reſpondit [Sanctus:] Jam equidem ad parentem deſtino quotannis centum illa ſcuta, tamquam filii, qui nequit ampliùs, [erga matrem] agnitionis teſſeram. Si hæc bona mea forent, licèt mille vel bis mille impertirem, valdè id exiguum eſſet pro meo erga ipſam debito: at mea non ſunt, ſed loci hujus pauperum, & illud exiguum, quod deſtino ad ipſam, his ſubtrahitur. Quamvis autem optimè noverim, quòd & ipſa impendat in pauperes, attamen non licet mihi ea ſubtrahere illis, ad quos pertinent, ut ipſa diſtribuat in alios. Ex bonis ſuis eroget, quantum libuerit; ſed quod ex hiſce mitto, id ſufficit. Id ipſum querebantur fratres, parum ſibi concedi exiſtimantes, ſcripſeruntque ac ſupplicârunt, ut concederet amplius, ſed aſſenſus illis non eſt. Id ſolum impetrari potuit, ut fratri, cui ob majorem liberorum numerum dabat quotannis libras ducentas, unica vice concederet pro annis decem, ducatos ſcilicet bis mille, ex quibus in patria ſua fundo alicui applicatis, ſi moreretur Archiepiſcopus, illi ac filiis ſupereſſet cenſus annuus. Hoc itaque pacto conceſſit, & beneficium contulit pro toto vitæ ſpatio. Id unum fratres impetrârunt, id ipſe ſibi licitum exiſtimabat, quandoquidem eædem nummorum ſummæ jam in ſingulos annos eſſent deſignatæ. Dedit autem, commonens ipſos, ut nihil amplius, ne unum quidem regalem, ſibi dandum ſperarent *b*. Eumdem modum ſervabat cum cognatis aliis, aliqua neceſſitate preſſis, re exigua, & ad indigentiæ normam bene exacta, ipſis tamquam pauperibus ſuccurrens.

B

b

330 Adfuit [aliquando] conſobrinus ejus, tum ut illum inviſeret, tum ut indicaret, à ſe filiam, (cui infanti multum amoris exhibuerat pater D. Thomas) nuptui traditam eſſe alicui viro litterato. Hinc ille valdè ſuccenſuit, quòd diſplicerent conjugia inita abſque æqualitate conditionis, & objurgavit eum, ſæpiùs hunc ſermonem repetens: Filia agricolæ cum litterato! imprudenter egiſtis. Aderat eodem tempore cuſtos ærarii, & tam ut placaret ipſum, quàm quòd conſobrinum magno pudore correptum cerneret, dixit: Cùm filia ſit conſobrini veſtræ dominationis, haud magna fuit inæqualitas, æqualitati conſulere poterit veſtra dominatio [conferendo] dotem. Id nec ego fecero, nec Deus permittit, (repoſuit ſanctus Præſul;) neque enim redditus epiſcoporum [deſtinati] ſunt ad ditandos vel ſtatu provehendos conſangineos, ſed ad ſubveniendum & ſuccurrendum pauperibus diœceſis ſuæ. Juſſit illi dari quinquaginta dumtaxat ſcuta, dicens: hoc accipe pro ſumptibus itineris, nec à me amplius exſpecta; quod enim poſſideo, non eſt meum, ſed pauperum hujus loci.

& conſanguineis,

C

331 Similiter in Natalitiis Domini advenerunt ſororis Servi Dei maritus & cognatus alter apprecaturi felicia feſta ac ſpe freti, fore ut ipſos notabili pecuniæ ſumma donaret in ſtrenam. Excepit eos magno cum amore, gaviſus fuit eorum aſpectu, domi ſuæ retinuit per dies feſtos atque lautè tractavit; ſed, illis elapſis, monuit expedire, ut domum reverterentur. Dedit, quod expenderant in adventum & quod neceſſe erat, in reditum; & nihil ultrà exſpectarent, [adjecit,] quoniam nihil præterea elargiri eis poterat, eamdem afferens rationem, quam ſolebat, [nempe] bona iſta non eſſe ſua, ſed pauperum illius loci. Mulos, quibus in agro ſuo utebantur ad labores, deperiiſſe ſibi, aiebant, atque opus eſſe aliis. In eo, inquit, quia neceſſitas eſt, nec vobis commodum, eam tollere tam citò, ego vobis ſubveniam, ubi abieritis. Quod præſtitit, eo tamen modo, ut noluerit ipſis tradere pecuniam, ne in res alias inſumerent, ſed, dum dies aliquot illinc diſceſſerant, emi juſſerit utrique par mulorum, ad eoſque deſtinârit, eleëmoſynam ipſis elargiens ob egeſtatem, in qua verſabantur, & quâ verè eos premi agnoſcebat.

quibus benignè

D

332 Alio item caſu advenit cognatus ejus alter eo animo, ut in domo atque obſequio ipſius permaneret, & eâ viâ obſtringeret ad victum & bona ſibi concedenda. Suſcepit cum caritate ac benignitate ſolita & per dies aliquot domi ſuæ retinuit; at verò cùm jam ab itineris fatigatione recreatum judicaret, juſſit redire in patriam, tribuens ipſi, quod opus erat ad reditum. Audiens, id ei parum videri, & conqueri, ad ſe vocato dixit: Quod tibi traditum eſt, exiguum tu exiſtimas, ego verò metuo *c*, ne etiam ejus à me Deo reddenda ſit ratio, quia ſubtraho pauperibus hujus loci, ad quos pertinet. Neque etiam tibi darem, niſi perſpicerem deeſſe tibi, quo revertaris in patriam. Eas, Deo propitio, neque huc deinceps ad me venias, atque iſtic moneas cognatos, ne & ipſi huc in poſterum ad me veniant: quia quod habeo, nec meum eſt, nec illis [ſervatur,] ſed hujus loci pauperibus.

exceptis, ait,

c

E

333 Ad eumdem modum ſe geſſit erga ſobrinum ſuum, nomine Bonillo, notum multis Valentinis incolis. Hic ipſum inviſit, eadem, quâ alii, ſpe [fretus] fore ut dives patriam repeteret. Excepit eum [Sanctus] cum gaudio ac per menſem domi habuit, eo autem exeunte, cernens ipſum indigere aliquo ſubſidio ad commodè vivendum, emit illi carrum cum binis mulis & ducenta ſcuta tradidit, ac dimiſit eum, dicens: Hoc tibi trado, indigentiam tuam conſiderans, ut eo [fruens] ac ſimul laborans, honeſtè vitam tranſigas: nec amplius à me exſpectes; quoniam vel ſic plus elargior, quàm poſſim. Sobrinus iſte, cùm è patria diſceſſiſſet, fore exiſtimans, ut dives reverteretur, & ſecùs eveniſſet, præ pudore iſtuc noluit reverti, ſed vitam acturus abiit ad locum, tertio milliari Valentiâ [diſſitum] vocabulo Benifayo; ubi ipſum noverunt & allocuti ſunt multi. Quamvis autem didicerit ſanctus Præſul, iſtic illum degere, & carro ac mulis labores ſuos peragere, id ægrè non tulit, ſed gaviſus eſt, ut quilibet intelligeret, quàm parùm conferret conſanguineis.

bona archiepiſcopatûs

F

334 Idem hîc referre poſſem de aliis ejus conſanguineis, qui eadem ſpe inviſerunt ipſum, quibuſque nihil contulit præter viaticum, & ad ſummum par mulorum aut boum ad colendos agros. Tantum in concluſionem hujuſce materiæ adjiciam, quid conceſſerit causâ nuptiarum duabus ſobrinis ſuis, filiabus fratris ſui natu minoris. Oculos in ipſas conjecerant duo equites Villanovani, quòd ſobrinæ eſſent Archiepiſcopi, & de iis ſibi matrimonio jungendis egerunt, ſi modò Patruus dotem ſubminiſtraret conformem ſtatui maritorum, quos erant accepturæ. Perſcriptum ad ipſum, quid rei ageretur, & quàm honorabile futurum id eſſet conjugium cognatis omnibus; ſuppeditante ſua Dominatione dotem ſobrinis ſuis, quæ duobus nobilibus matrimonio copulandæ erant, convenientem. Reſpondit, ſe communiter pauperibus puellis aut pupillis Valentinis ſuccurrere [dando] cuilibet triginta, aliquoties ſexaginta libras; nobilibus verò juxta conditionem ſuam; ac proin ſobrinas ſuas, quæ nobiles non erant, ſed filiæ agricolæ, à ſe juvandas eſſe eodem ordine, ſingulas nempe libris ſexaginta.

pertinere ad pauperes diœceſios.

A ta. Nec ultrà expoſcerent, quoniam id ipſe multum eſſe cenſebat ac ſubtrahebat pauperibus Valentinis; [addens] nequaquam opus eſſe, ut ſobrinæ ſuæ nuptui tradantur viris nobilibus; ſed ſui æqualibus *d*.

d

Ad cæſarem, licèt rogatus, non accedit,

335 Adeo abſtractus fuit Dei Servus à conſanguineis & à quolibet ad carnem ac ſanguinem pertinente; imò ad eumdem modum ab omni humano reſpectu, ac officioſa erga homines indulgentia, utens apud ſingulos (quamvis debita ſemper cum comitate & humanitate) libertate Euangelica ac religioſa, atque animo Chriſtiana fortitudine [armato,] qualem deſiderabat in diſcipulo ſuo Timotheo S. Paulus apoſtolus; idque tum ante tum poſt aditum archiepiſcopatum. Cùm à concionibus eſſet, uti dictum eſt, imperatori Carolo quinto, à quo multùm amabatur & colebatur, ut vidimus capite decimo ſexto libri primi, dixerunt ipſi præfectus toti militiæ Caſtellanæ, commendator major Legionis atque familiares alii, aliquoties ſibi à ſua majeſtate ſignificatum fuiſſe amorem, quo erga ipſum afficiebatur, & gratum fore, ſi inviſeret illam, idque debere illum facere [aiebant,] nec tam rarò; quia toto tempore, quo fuit Valliſoleti, ter tantùm, quaterve inviſit.

B

niſi urgente caritate in proximum,

336 Reſpondit ille: Quando ſuæ majeſtati placuerit uti operâ meâ in re aliqua, novit optimè, quàm ego paratus ſim, & quàm lubenter ſibi obſequium impenſurus, quidquid præceperit; at verò piaculo mihi ducerem, perſonam, qualis eſt ſua majeſtas, occupatam tot tantique momenti negotiis, interpellare acceſſibus, quando nec aliqua neceſſitas exiget, nec obligabit caritas. Hoc adeo religiosè ſervabat, ut, cùm Prior eſſet Burgis, venerit Valliſoletum tempore quadrageſimalis jejunii conciones habiturus coram cæſare. Cùm iis habendis finem imponeret, mox ad conventum ſuum reverſus eſt, abſque eo, quod viſiſſet majeſtatem ſuam, aut ei valedixiſſet, aut aliquod ſalutationis officium exhibuiſſet, dicens, ira ſe abſcedere, quoniam nihil occurrebat, propter quod obligaret caritas ipſum inviſere.

concionaturus ejuſdem alloquium venit:

337 Dum Prior erat Valliſoleti, ubi imperator, degens in Hiſpania, commorabatur, in mandatis habebat hujus ſacellanus major commonere eum, quando [S. Thomas] erat dicturus ad populum in ſuo monaſterio; nam paucas admodùm ejus conciones prætermittebat imperator. Monitus quodam die Dominico, maturè ad eccleſiam ſe contulit, priuſquam inchoaretur officium; &, facta oratione coram ſanctiſſimo Sacramento, monaſterium ingreſſus eſt, ac dixit æduituó: Commonefacito patrem Priorem, me, hìc adeſſe. Aſcendit mox ad ejus cubiculum æduituus, ubi ſtudebat concioni ſuæ, ut indicaret, adeſſe cæſarem in monaſterio, ac juſſiſſe moneri ipſum. Reſpondit ille: Abi pater & dic ſuæ majeſtati, me ſtudiis intentum eſſe, ac, ſi velit me deſcendere, incapacem fore ad concionandum; ſi autem concionandum ſit, non poſſe deſcendere. Hac cum reſponſione rediit æduituus ad imperatorem, metuens, ne eâ hic offenderetur, quoniam abjecta ſibi videbatur. Et eam non modò non ægrè tulit magnus imperator, ſed comprobavit, & religioſam adeo cenſuit, ut converſus ad magnates & familiares ſuos, qui ibidem aderant, dixerit læta fronte: Omnes monachos adinſtar hujus oporteret adeo eſſe liberos.

C

à ſuggeſtu ad ipſum ſermonem dirigit;

338 Sermonem ſimiliter die quodam Dominico inſtituens coram eodem cæſare, quo tempore in Caſtella tantopere diſceptabatur, an fas eſſet divendi magiſtratus * aliaque reipublicæ officia, idonea ſe offerente occaſione per decurſum ejus, quod proponebat, pertractandi iſtam materiam, dixit: Supplico majeſtati tuæ, dignetur mandare, ut vela iſta removeantur: quia non nihil jam dicere deſidero ſuper difficultate, quæ agitatur; an licitum ſit divendere officia publica. Ingentem gratiam atque inſigne beneficium impetravero, id ſi dixero, intuens vultum majeſtatis tuæ. Removeri ea mox juſſit princeps Chriſtianiſſimus, & [Sanctus] oculis in ejus vultum intentis dixit: Rogant nonnulli, ut, quod de iſta officiorum venditione ſentio, expromam. Unicum ſuper hac re verbum proponam veſtræ majeſtati; ſcilicet: rogo eam ſuppliciter, ut pro inſigni ſua prudentia ac ſtudio boni communis regnorum ſuorum conſideret, an is, qui pecuniâ ſuâ ſibi comparat regimen & munus publicum, à quo [homines] conſiderati & Deum timentes, quamvis etiam mercedem obtineant, tantopere refugiunt, [an is inquam] id ſibi comparet in favorem reipublicæ, an in proprium domus ſuæ commodum. Nihil eſt, quod addam præterea de hac re: jubeat veſtra majeſtas vela denuo obtendi. Ea patris D. Thomæ libertas viſa eſt cæſari adeo apoſtolica & Euangelica, atque eam ita comprobavit, ut, qui hactenus magnam de eò exiſtimationem conceperat, multò majorem conceperit deinceps. Ex hac libertate cum tam magno ac potenti principe, facilè poteſt colligi, quanta uteretur cum reliquis omnibus: ſicut pluribus in occaſionibus patuit, in quibus, dum erat Archiepiſcopus, principes ac domini res aliquas eum rogabant per litteras. Nam, licèt has magna cum humanitate reciperet, eâdem tamen reſpondebat: Volùpe quidem eſſet mihi poſſe ſervire ac ſatisfacere dominationi tuæ in re, quam à me exigit; at non poſſum; quia per legem Dei non licet.

E

magnam pecuniæ ſummam roganti

339 Totam hanc [materiam] claudere poſſumus per id, quod contigit, dum Ebuſenſe caſtrum erigere meditabatur imperator. Serpente rumore, numeroſam Turcarum claſſem adventare ad invadendas iſtas plagas, gubernatores inſulæ, metuentes præſertim Ebuſo *e*, oraverunt cæſarem, ut in hac dignaretur arcem erigere, quoniam ingens ac urgens admodum ejus illic eſſet neceſſitas. Juſtam eſſe ac neceſſariam eorum petitionem perſpexit ſua majeſtas, decrevitque ejus conſtruendæ edere præceptum. Verùm cùm hunc in finem parata non eſſet pecunia, viſum eſt mutuam petere ab Archiepiſcopo Valentino. Itaque per eoſdem, qui arcis illius negotium ſuſceperant, legatos Ebuſenſes rogari eum juſſit vigeſies mille ducatos mutuos ad ſubveniendum illi operi. At repoſuit pater D. Thomas, [orans,] ut ignoſceret illi majeſtas ſua; quoniam nihil habebat proprium, nec facultatem præſtandi mutuum, quia bona archiepiſcopatûs omnia ad pauperes pertinebant, nec iis illos privare ipſi licebat.

e

F

mutuam, primùm negat, ne pauperes patiantur,

340 Eo ſuper negotio poſtulata aliquot & reſponſa facta ſunt ipſum inter ac cæſarem; quia advertebat majeſtas ſua periculum, cui exponeretur inſula, niſi tempori ſubſidium afferretur. Cùm autem inſtaret vehementer per litteras, ſignificans, id non niſi mutuum à ſe flagitari, atque inſuper opus etiam eſſe pium & in commune bonum, & in neceſſitate ita urgente; reſpondit bonus Pater, probè ſe id perſpicere atque etiam intelligere, at ſibi à Deo commiſſam non eſſe Ebuſum ſed Valentiam, & ad ſimilia opera nec neceſſe nec fas eſſe impendere pecuniam pauperum, ſed regnorum, cùm in his ad hujuſcemodi res inſtituta eſſent æraria generalia. Quòd ſi igitur ſuæ majeſtati lubitum eſſet, tollere redditus [archiepiſco-

A. M. SALONIO.

* veynti-quatrias

A. M. Salonio.

ſcopatûs,] id [faceret,] felici conatu, neque enim ſe vel reſtituturum vel eos defenſurum : at licitum ſibi non eſſe pecuniam, quam exigebat, concedere, quamvis tantùm mutuam, atque [vel ſic pati,] ut pauperes interim fame perirent; quandoquidem ſciret, adverſari id divinæ voluntati, & obligationi muneris ſui.

tandem tuta ſub conditione partem concedit.

341 Qui negotium id pertractabant (ut dein ipſimet prolixiùs enarrârunt perſonis variis) ſuggeſſerunt ipſi, ut inſulæ iſtius commiſereſceret, ac præcaveret, ne offenderetur imperator, cernens ipſum tam conſtantem in voluntate non ſubveniendi neceſſitati adeo urgenti : repoſuit : Pigebit me, offendiſſe ipſum, at pejus eſſet offendiſſe Dominum Deum. Si autem offendatur [cæſar,] hîc habeo clavem cellæ noſtræ, quam etiam adhuc cingulo ſuſpenſam geſto : ac vobis verè aſſero, fore ut libentiùs in ea moriturus revertar, quàm vivam in palatio hoc. Ad hoc, quod petitis, ut me patriæ veſtræ miſereſcat : novit Dominus, optare me vobis proprio ſanguine ſubvenire. Sed hoc pacto fiet. Rogat me ſua majeſtas vigeſies mille ducatos, tot illi mutuos dare non poſſum tutâ conſcientiâ, quia magno id eſſet pauperibus detrimento. Rem partiamur ; hiſce decies mille ſerventur, ac decies
B mille alii [dentur] mutui imperatori ſub obligatione refundendi mihi, & deſignatione, unde eos ſtato tempore abſque ullo impedimento vel difficultate recipiam ; alioqui enim præſtare id nequeo abſque gravi animæ detrimento. Hoc modo & his conditionibus conceſſit decies mille. Ex hiſce autem conformiter ad factam deſignationem ſepties mille recuperavit vivens, poſt obitum verò ter mille [reliqui] recepti ſunt, & applicati operibus piis, ab ipſo demandatis. Etenim à Sede Apoſtolica facultatem ac libellum habebat, ut moriturus in ea [opera pia] impendere poſſet ac ſtatuere de omnibus, quæ ſibi deberentur, vel ſuo tempore ceſſiſſent ex redditibus. Ea fortitudine eoque animo, dum adhibendi ac demonſtrandi congrua erat ratio, ornaverat Dominus ſanctum Antiſtitem, etiamſi tam benignum, manſuetum ac humilem.

ANNOTATA.

a *Prolixam hujus capitis, quod Salonii eſt octavum dumtaxat, præfationem, quâ differitur de*
C *virtutibus, per Apoſtolum in antiſtite requiſitis, prætergreſſus ſum.*

b *Varia ad eamdem materiam pertinentia profert teſtimonia Coccinus pag. 598, quæ, quia facilè dividi non poſſunt, reliquis Salonii exemplis præmitto :* Cùm acceſſiſſet ad ipſum ejus frater, poſtquam illum per paucos dies domi recepit & aluit, ad patriam remiſit dando illi, tamquam uni ex pauperibus, currum cum duobus mulis & centum vel ducenta ſcuta, quæ ſumma conditioni fratris conveniebat : ſic deponunt teſtes in proceſſu Valentino ... videlicet Fr. Joannes Alphonſo...Philippus Adell... Michaël Vincente ... Don Petrus Moncada ... qui quatuor ſunt examinati authoritate ordinaria. Bartholomæus Eſcola ... Mariana de Sottomajor... Quódque duabus neptibus eam dotem tribuerit, quæ agricolis, ut erant, conveniret, quódque ſubvenerit matri, prout ejus conditio exigebat, deponit Don Petrus de Moncada ... cum quo concordat in proceſſu
* *fortè* Ca- Valentino * Gundiſalvus Camero, ... dicens, eum
ſtellano conſanguineis viſitantibus in quatuor vicibus ſolummodò dediſſe xxv marapetinos, & de auditu à rectore de Villar Jacobus Ferrando in proceſſu Valentino examinatus authoritate ordinaria ... D deponit, quòd parcè & cum Chriſtiana moderatione matrem ſuſtentaverit, quódque matri & fratri ſe inviſentibus centum ſcuta dederit, duobus verò nepotibus quinquaginta. *Hactenus Coccinus in aliquibus conſonus Salonio, in aliis diſcrepans, quoad perſonas & rei factæ modum ; ſed cùm Salonius infrà inſinuet, plura exempla à ſe fuiſſe prætermiſſa, ex his veriſimiliter aliqua retulêre teſtes apud Coccinum.*

c *Apud eumdem Coccinum pag. 599 modus explicatur, quo ſe illo metu liberaverit ſanctus Antiſtes :* Subdit iſte teſtis (*Jacobus Ferrando*) eundem rectorem (*de Villar ; vide litt. præcedentem*) ſibi dixiſſe, qui certò ſciebat, eleëmoſynam illam, quam dederat extraneis, ſanctum Præſulem extraxiſſe ex victu ſuo & aliis, quibus habebat opus, ita ut, cùm poſſet veſci perdice, quæ duobus ſolidis veniret, non veſceretur, ſed carnes unius ſolidi ſibi emi juberet, ac alium ſolidum poneret ad computum & in rationem recompenſationis : depoſitio iſtius teſtis de auditu multùm coadjuvatur ex depoſitione Gundiſalvi Camero ... in proceſſu Caſtellæ ; deponit enim, ſe præſentem audiviſſe quendam venerabili Viro hæc verba di- E
centem : Miror non parùm, quòd Dominatio veſtra non ſubveniat ſuis fratribus & conſanguineis in ſuis indigentiis & egeſtatibus. Ad quæ ſanctiſſimum Archiepiſcopum reſpondiſſe : Redditus mei archiepiſcopatus dividuntur in tres partes ; prima eſt fabricæ eccleſiæ & de hac ne quidem marapetinus detrahi vel minui poteſt. Secunda eſt pauperum naturalium terræ. Tertia eſt pro meo ſumptu & ſuſtentatione & ex iſta parte opus eſt detrahere ſumptus, quos poſſum pro pauperibus naturalibus ; & ideo non eſt, cur ampliùs mihi dicas, ut ſuccurram & faveam meis conſanguineis, quia eleëmoſyna eſt pauperum naturalium hujus civitatis, non autem extraneorum. *Ceterùm cùm conſanguineos verè pauperes eſſe agnoverit Sanctus, timidè admodùm hîc proceſſit : tenentur quidem epiſcopi ſicut & clerici alii bona ex reditibus beneficiorum honeſtæ ſuſtentationi ſuperflua expendere ad cauſas pias ; ſed neque theologi neque canoniſtæ has ita reſtringunt, ut pauperes extraneos abſolutè excludant, nedum conſanguineos : contrà paſſim, ubi explicant, quid nomine cauſarum piarum veniat, ſpeciatim exprimunt conſanguineos verè in-*
digentes. F

d *Quæ hîc referuntur in ſpeciem pugnantia de nobili proſapia* S. Thomæ *diſcuſſa ſunt in Comment. præv. § 2.*

e *Vulgò* Yviça ſeu Iviça : Inſula eſt, *inquit Baudrandus*, parva Hiſpaniæ & regni Majoricæ pars... caſtrum habet Ebuſum, Iviça etiam dictum.

CAPUT X.

Solicitè domui ſuæ invigilat, famulos ad virtutem ſtimulat doctrinâ, præmio, amore, exemplo.

Famulis in obſequium ſuum admittendis

QUoniam nunc deſcribendum venit, quàm rectè ſanctus Antiſtes gubernaverit eccleſiam & oves, ſibi à Domino commiſſas, valdè congruens ad propoſitum erit, referri priùs, quàm religiosè ac ſanctè gubernaverit domum & familiam,

A liam, quia, ſicut ait S. Paulus apoſtolus Epiſtolâ primâ, quam dedit ad Timotheum, inter dotes bono epiſcopo neceſſarias una eſt noviſſe regere familiam, atque ejus cauſam reddit: quia ſi quis domui ſuæ præeſſe neſcit; quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Adeo Chriſtianæ [pietati conformis] atque adeo rectè conſtitutus erat ordo ac modus, quem domi ſuæ ſervavit pater D. Thomas, ut etiam nunc ab iis, qui noverunt, appelletur ſpeculum epiſcoporum ac dominorum, & exemplar patrum-familias. Ac primò quidem hac ſuper re memorant, nullum umquam domum ejus ingreſſum eſſe famulum, quin ſubiret cenſuram ipſius, inquirentis primò diligenter in ejus conditionem, mores ac vivendi normam, propriis oculis illum examinantis, ſeorſum per dies aliquot cum ipſo colloquentis ad detegendum, quo eſſet ingenio, & quâ dignus fiduciâ. Atque ita numquam in eo deceptus fuit, nec ullum, in obſequium ſuum ſemel admiſſum, dimiſit toto ſuo tempore.

leges domi ſuæ

343 Intrantibus leges exponebat domi ſuæ obſervandas, atque eas inter multùm commendabat haſce quatuor: primò, ut magno ſtudio conaretur amari ab omnibus; nam, inquiebat, errata & B neglectus, quæ commiſeritis in obſequio mei ipſius, facilè perpetiar, dummodo non interveniat aliqua Dei offenſa, aut res, quæ noceat tranquillitati ac paci domus meæ. Eum in finem mandato ſanxerat, ne quis immiſceret ſe alieno officio, niſi ad hoc requiſitus ab eo, cujus id curæ commiſſum erat. Secundò, oportere, eos eſſe peramantes ſolitudinis; quòd nollet vagari famulos ſuos per civitatem, vel domo pedem efferre abſque ſua facultate: atque ita dicebat ipſis: Non cernitis, me eſſe monachum, cœnobii ſolitudini aſſuetum? Cùm igitur ego monachus ſim, clarum eſt oportere eum, qui domum meam inhabitabit, vivere tamquam in monaſterio, vel ad eam non ingredi. Hac de cauſa, exceptis tribus clericis, duobus [ſcilicet,] qui ipſi aſſiſterent in dicendis Officio & Miſſa, ac tertio, qui magiſter eſſet ephebis, honeſtorum ac pauperum hominum filiis, quos apud ſeſe habebat, quoſque ſervabat potiùs ex caritate & eleëmoſynæ [faciendæ animo] & ut ſtudio litterarum, quàm ut ſuo obſequio applicaret; ceteri omnes famuli erant juncti matrimonio, & intra palatium habitabant cum uxoribus ac filiis: quia cùm ſervo nullo uteretur C ad [conciliandum] ſibi auctoritatem & reverentiam, ſed iis dumtaxat, quibus abſolutè indigebat ad obſequium ſuum, iis omnibus intra domûs ambitum locus erat ſufficiens & habitatio commoda. Hoc autem faciebat, ut omnes eſſent ſegreges magis & honeſti, utque, attendentes ad liberos & uxores, aliis ſeſe curis non impenderent. Eadem de cauſa præceperat, ut, dato ſigno ad orationem, omnes domi ſe concluderent, nemo foris emaneret, aut noctu pedem unum emitteret, ne incideret occaſio offendendi Deum, aut cuiquam concitandi moleſtiam.

ſervandas præſcribit,

344 Tertiò, ſilentii valdè obſervantes eſſe debere, res novas neque inter ſeſe [pertractantes] neque ad ipſum [Sanctum] deferentes: Quia ſi ſecùs fiat, inquiebat, impoſſibile eſt, ſervari in ædibus meis pacem & fraternitatem, quam ego deſidero. Atque hoc præſertim curabat ſolicitè, & præ ceteris commendabat. Poſtremò, ut orationi eſſent dediti, & addicti Sacramentis. Iis, qui legere nôrant, injungebat, ut horas ſibi præfigerent, & quotidie Officium parvum beatæ Mariæ, aut alias devotas preces recitarent; qui autem non nôrant, globulos precatorios orando pervolverent. Si quis autem in hoc defeciſſet, vocabat, & tamquam pater corripiebat. Mandaverat quoque, ut omnibus feſtis præcipuis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejus ſanctiſſimæ Matris, & Apoſtolorum ſinguli peccata confiterentur & ad ſacram Menſam accederent: adeo ut quolibet menſe ſemel aut iterum conſcientiam noxis expiarent, ac Sacramenta ſuſciperent. Et nemini id prætermittere conceſſum erat. A. M. SALONIO.

bono eorum ſpirituali

345 Summâ curâ in religioſa iſta familia, (ſic enim appellari digna eſt,) ſervabantur leges illæ omnes. Ad hoc obligabat, (ut referebant, qui in ejus obſequio vixerunt famuli,) primò ſolicitudo ac vigilantia, quam eò conferebat bonus Dominus ac probus Pater-familias, magno ſtudio attendens ad [puritatem] conſcientiarum, & ſalutem ſpiritualem famulorum, non ſecùs ac filiorum ſuorum. Convocabat frequenter omnes, ſermones ad eos habebat, ac monitis * [in illos animadvertebat,] tamquam in religioſos: excitabat ac ſtimulabat, quos viâ rectâ incedentes noverat; debilibus dabat animos, monebat negligentes, corripiebat reprehenſionem promeritos. Et hæc quidem omnia [exſequebatur] tanta caritate ac manſuetudine, ut, ſicut affirmabant univerſi, numquam viſus ſit iracundiâ [commoveri,] vel verbo acerbo aut vultu irato alloqui famulum, etiamſi objurgaret. * *Hiſp.* capitulos E

& corporali paternè invigilat,

346 Impellebat ipſos pariter caritas ac benevola agendi ratio, quam in eo experiebantur ſemper. Nam, etſi tot occupationes & curas ſibi adjunctas habeat officium archiepiſcopi, non eapropter prætermittebat invigilare omnibus famulorum ſuorum neceſſitatibus: an nihil deeſſet cujuſlibet portioni, an cuilibet convenienter eſſet proviſum, monebatque œconomum tanta ſolicitudine, acſi ab omni alia fuiſſet liber. Nec mirum id eſt, cùm vera caritas oculos ſuppeditet ad ſingula & operetur attentionem ad omnes minoris momenti res ad bonum proximi pertinentes. Si cui eorum infortunium obtigiſſet, perſentiſcebat animo, &, dum notabile erat, viſus eſt non rarò ea de cauſa affligi vehementer ac lacrymas profundere; præſertim dum famulorum quis ægrotabat & in vitæ periculum incidebat, eadem teneritudine, quâ, ſi ipſum progenuiſſet. Non ſolùm tali ſenſu afficiebatur, quando infirmitas eò uſque eum deduxerat, verùm etiam quando hujuſmodi erat, ut eò poſſet deducere; licèt foret mulio aut infimus totius domus, inviſebat & conſolabatur; imò medicum, F quotieſcumque viſurus infirmum accedebat, vocabat ad ſe, indagabat, quomodo ſe haberet, commendabatque enixè, ut ejus tamquam ſui ipſius curam gereret. Infirmum verò interrogabat quotidie, quomodo illi inſervirent, an comederet horâ à medico deſignatâ, an ſubminiſtraretur id prorſus omne, quod ille præſcribebat, majori ſolicitudine, quàm proprius faceret ægrotantis pater.

noctu domum obiens ſolatur famulum

347 Solebat ſingulis noctibus, cùm jam ſerum eſſet, cum ephebo, facem præferente, obire totam domum ſuam ac cubiculorum tum ſuperiorum tum inferiorum portas omnes, inſpecturus, an, ut oportebat, ſe recepiſſent omnes. Hanc autem luſtrationem peragebat, ſicut ſolent ſingulis noctibus Priores per monaſteria, dato ſigno ad ſilentium. Eo munere fungens, nocte quadam ſub horam decimam ingreſſus eſt cubiculum inferius, ubi mulio infirmus cum morte luctabatur, exſpectantibus, qui aderant, ipſius exitum. Acceſſit ad lectum, nomine ſuo ipſum compellavit, ipſe verò compellatus oculos aperuit, conatuſque eſt in ipſum conjicere ſe ad deoſculandas ei manus: at ne movere quidem ſe valuit. Hortatus illum eſt

A. M. Salonio.

[Sanctus,] ut infirmitatem hanc patienter ferret, in Domini voluntate prorsus acquiesceret, ac magnâ fiduciâ de divinâ ejus clementia, & virtute Sacramentorum, quæ susceperat, ejus se manibus committeret. Substitit notabili temporis spatio ad ægrotantis cervical, consolans & adhortans ad mortem.

moribundum, isque eadem nocte sanatur;

348 Cùm [sufficere] visum est, prælegit Euangelia, & ipsi bene precatus ad cubiculum suum ascendit. Eadem nocte ægrotum, qui, sicut dixi, ad extrema deductus erat, deseruit febris lethifera cum omnibus, quæ illam comitabantur, symptomatis. Medici, cùm mane revisèrent, mortuum illum reperturos se arbitrantes, sanum & integrum offenderunt absque ullo morbi vestigio, & ita quidem, ut, nisi adeo debilis fuisset, lecto surgere ac vestes induere potuisset. Summopere id mirati sunt, quia, ut ipsimet asseruerunt, naturaliter impossibile erat, febri atque ægritudine adeo lethifera, quali correptus erat homo ille, liberari & quidem tam brevi temporis, horarum scilicet sex aut septem, intervallo. Atque idcirco sanitas ejus attributa est benedicti Præsulis accessui ad visendum, & recitatis ab eodem Euangeliis ac orationibus.

B

eosdem famulos præmio

349 Præterea tam gratus erat in amantes virtutem ac bene famulantes, ut præter statutam mercedem, identidem ad ipsos impellendos ad majorem virtutis affectum, curamque servandarum regularum, quas præscripserat, alterum donaret veste, alterum pecuniâ *a*. Die quadam ærarii custos servum sancti Antistitis, probè famulantem, vocavit, dixitque: Jussit me Archiepiscopus supra mercedem tuam numerare tibi scuta quinquaginta, quandocumque volueris, scribe apocham, ea tibi tradam. Sub noctem [ad Sanctum] accessit famulus grates acturus de beneficio. Respondit bonus Pater: Fili, modò istud accipe; plura enim jam non possum; nam cum ærarii custode rationem inivi, meque sibi debitorem habet. Sed perge te præstare, qualem oportet, & obire famulatum, Domino Deo præsertim, ea caritate & cura, quam in te experior: alia quippe opportunitate poterimus largiore manu tibi benefacere.

a

amore,

350 Tempus matutinum eo ordine distribuebat, ut æstate ad horam nonam, hyeme verò ad decimam [cubiculo] egrederetur seu ad celebrandum seu ad audiendum Missæ sacrificium. Eo autem, quod erat inter cubiculum, ab ipso occupatum & sacellum, [loci intervallo] præstolabantur ipsum tam in aditu quàm in reditu homines multi, alii eleëmosynam flagitantes, alii libellos supplices offerentes, quisque pro necessitate & negotio, cui implicabatur. Quoniam verò, finitâ Missâ, & aures præbebat, & responsum reddebat omnibus, sæpenumerò accidit, illum tamdiu hisce immorari, ad dimittendos omnes contentos, [præcavendumque,] ne sæpiùs redeundum ipsis esset, ut hora prandii præterlaberetur. In hujusmodi casibus Dei Servus tam bonum se patrem exhibebat famulis, ut sui ac prandii sui incurius, eorum esset solicitus, juberetque œconomum, cibos ipsis apponere, nec præstolari se. Absolutis negotiis & omnibus convenienter dimissis, comedebat non curans, serum esse, & statam horam præteriisse. Aiebat quippe, suâ, utpote Antistitis, pluris interesse, audire & expedire causas venientium ad se propter negotia, quàm comedere; imò fore, ut cibus nec saperet nec prodesset sibi, si quis, postquam exspectâsset, absque solatio & convenienti responso recederet. Adeo ut tamquam bonus Præsul invigilaret necessitati ovium suarum, earumque negotiis se non subduceret, & tamquam bonus Pater-familias majorem curam haberet de victu & refectione familiæ suæ, quàm propriæ personæ.

C

D

exemplo ad virtutem allicit:

351 Hoc amore hisque beneficiis famulos omnes ad probitatem impellebat, maximè tamen insigni exemplo, quo ipsis prælucebat. Sanè heri benigna agendi ratio ac remuneratio multùm valet, ut famuli probè illi serviant; verùm ut simul cælorum Domino serviant, curentque placere & Dei oculis & heri sui, nihil adeo persuadet, quàm pia ac sancta vita in hero comperta. Hinc (humano more loquendo) res quasi erat impossibilis, exsistere in Domo sancti Præsulis servum nequam vel moribus corruptum; ubi herus tanti exempli vir erat & tam egregius Dei Servus. Præ oculis habebant ad horas singulas speculum istud universæ virtutis; religiosam illam animi in Deum conversionem, personæ gravitatem ac modestiam tantæ humilitati ac simplicitati conjunctam; benignitatem & humanitatem, quâ agebat cum omnibus, præsertim pauperibus; devotionem, quâ divinum officium recitabat & celebrabat sacrificium Missæ; pectus illud tanta pietate Christiana diligentis omnes, omnes tolerantis, sufferentis tantâ patientiâ ac mansuetudine singulorum imperfectiones ac molestias; monita & consilia, quibus, ex prudentia plusquam humana profectis, ipsos imbuebat. In ejus colloquio verbum nullum vel noxium vel inutile; sed sancta erant omnia ac religiosa & ad virtutem incitantia. Quales oportet fuisse eos, quibus continuò ante oculos obversabantur tot tamque cælestia exempla? Earumdem sanè virtutum ac sanctorum Domini sui morum amatores, & quamvis conditione seculares, vivendi tamen ratione valdè religiosos.

E

longiores sermones devitat,

352 Duo sunt, per quæ domini plurimùm nocent famulis; primùm per vitæ rationem non satis compositam ac morum levitatem, secundò per intemperantem ac liberam linguæ licentiam: ex prima quippe discunt audenter & inhonestè vivere, ex altera nemini parcere. In his præsertim bono admodùm exemplo erat pater D. Thomas; adeo ab hominum consortio avocatus (uti referunt universi,) ut, si tempus excipias, quo ex caritate & officio obligabatur commorari in ea, quam diximus, aula ad pertractanda negotia, reliquum omne in solitudine impenderet seu orationi seu libris. In negotiis verò occurrentibus, quod poterat stans, minimè sedens conficiebat ad præscindendos prolixiores sermones. Ubi autem, quod res exigebat, dixerat ac peregerat, sermonem abrumpebat mox & dimittebat, inquiens: Agedum, nihil hîc reliquum est, vade, comite Dei gratia. Affirmant, qui ei familiares exstiterunt & convixerunt, numquam toto tempore, quo hanc regionem inhabitavit, ipsum exivisse animi aliquantisper recreandi gratiâ, vel domo egressum esse, præterquam ad ecclesiam diebus Mercurii & Veneris ad Sacrum peragendum, ut dicemus, & Dominicis ac festis [ad assistendum] officio divino ac concioni; aliquoties ad xenodochium & similiter ad collegium suum ad inspiciendum promovendumque opus, &, licèt rarò, ad aulam invisurus Calabriæ ducem atque acturus de negotio pertinente ad bonum hujusce regionis: numquam egrediebatur ad locum alium.

F

domo non exit nisi ad pia opera

353 Invitabant, imò rogabant nonnumquam aliquot canonici, ut sanitatis & recreationis causâ rus peteret; respondebat ipse: Gratias habeo vobis de bona voluntate, & quo sanitatis meæ desiderio afficiamini, agnosco; id quidem iis, qui præsunt, planè licitum est ad levamen laborum ac molestiarum, quas sibi junctas habet regimen, obnoxium

A xium tot tamque variis [hominum] ingeniis ac conditionibus: aſt abundè noviſtis proverbium: Conſuetudo eſt altera natura. Equidem toto vitæ meæ curſu ab ipſa pueritia ita aſſuevi ſervare ſolitudinem domus meæ, ut id mihi jam quodammodo naturale ſit ac dulce admodùm. Compluti in ſtudia incumbens, eram vel in cubiculo vel in ſchola, ubi magiſtrum audiebam, vel ipſe, poſtea ad cathedram promotus, docebam. Numquam me ambulandi inceſſit deſiderium, vel res alia quàm libri oblectamento mihi erat: (naturali illa propenſione donavit me Deus.) Strictiùs [id ſervavi] religioſus; adeo quidem ut etiam Prior numquam cellâ egrederer, niſi dum officia communitatis exigebant, vel concio habenda aut cujuſquam confeſſio [excipienda] aut res alia [præſtanda erat,] ad quam obligabat caritas; idque rarò admodùm. Hinc habitus & conſuetudo mihi remanſit commorandi domi; eoque ita delector, ut eâ egrediendi cupido nulla mihi incidat, niſi dum cogor, vel excuſare me nequeo. Quàm ſanctè quantoque exemplo honeſtatem & caſtitatem *b* coluerit, docebimur ſequenti capite.

b

B 354 Res notatu digna eſt, quam referunt, quotquot ei familiares exſtiterunt, quantopere [ſciliicet] inter loquendum alienus eſſet à ſermonibus & colloquiis vanis ac inutilibus, uti & à murmurationibus, quantumcumque levibus. Hîc præſertim ſeſe optimum exhibuit filium ſancti patris noſtri Auguſtini, qui, ſcribente Poſſidonio *c*, ab illis uſque adeo abhorrebat, ut domus ſuæ parietibus inſcribi juſſerit verſiculos, hunc ſenſum complexos:

linguæ licentiam,

c

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

Si autem caſu in aliquo communi colloquio aut ſupra menſam, (ubi nonnumquam cum minore Dei metu lingua ſolet eſſe liberior,) hujuſmodi ſermo incideret; mox aiebat Doctor egregius: vel ſermo iſte abrumpatur, vel ego delebo verſus iſtos *d*. Ad eumdem modum Dei Servus, ut tanti parentis filius, nolebat novi quid de quopiam ad ſe referri, nec permittebat, aut ſufferre poterat, coram ſeſe dici quidquam, quod vel leviſſimè læderet honorem vel famam cujuſcumque. Si verò caſu audiret, corripiebat graviter, tuebatur honorem abſentis, conabatur perſuadere contrarium ac dicebat: Vos eo ſenſu interpretamini, ſed temerè, nec æquum dicitis; quia ob finem alium res ea potuit eſſe licita ac bona, talemque exiſtimare debetis, qualem & ego quidem exiſtimo.

d

C 355 Hoc autem verè & ex animi ſententia proferebat pater D. Thomas: neque enim umquam cujuſquam delicto fidem habebat, niſi evidenter ſibi conſtaret, vel [acceſſiſſet] ex relatione hominum fide dignorum, idque à ſe viſum eſſe aſſerentium. Et eo quidem caſu, dum opus ipſum non poterat, excuſabat intentionem; ubi verò neque huic locus ullus ſupererat, aiebat: Res iſta ſilentio ſupprimatur: mittat quiſque manum in ſinum ſuum, ſpondeo equidem fore, ut omnes proferamus leproſam *e*: quicumque autem aut ſimile aut pejus numquam admiſit, is Deum laudet, cui acceptum referre debet, & miſereatur proximi ſui, conſideretque, quid eidem occaſioni expoſita ſua fragilitas eſſet præſtitura. Sanè ut aſſequamur, quàm alienus fuerit benedictus Antiſtes ab omni detractionum ſpecie, quemque ex illis dolorem conciperet, ſuffecerit id, quod egit aliquando Valliſoleti in aula Caroli quinti imperatoris.

maximè, quâ læditur proximus,

e

356 Die quadam ad illum accedens rem neceſſariam poſtulaturus, dum janitores cæſarem monebant, ut illi acceſſum concederet, anterius conclave ingreſſus eſt, ubi erant magnates aliquot. Hi pro affectu & amore, quo in ipſum ferebantur omnes, aſſurrexerunt confeſtim & ad conſidendum compulerunt. Inter colloquendum incidit ſermo de quodam abſente; mox autem ad ſecundum verbum bonus Pater ſurrexit, inquiens: Obſecro veſtras dominationes, vel hanc rem miſſam faciamus, & transferamus aliò ſermonem, vel mihi veniam concedatis abeundi hinc; neque enim abſque Dei offenſa fieri poterit, ſi protrahatur iſte ſermo. Vocatus fuit interea, ut ad cæſarem ingrederetur, &, ipſo recedente, præpoſitus toti militiæ Caſtellæ, qui ex præſentibus unus erat, dixit reliquis; Ubicumque demum ſit pater F. Thomas à Villanova, religioſus eſt, nec eſſe deſinit ex cujuſcumque reſpectu; ac plura addidit in magnam ipſius commendationem, Sanctum illum compellans ac verum Dei ſervum. Et merito quidem. Quandoquidem, qui tantam curam geſſit linguæ, in cujus, utpote moderatu tam difficilis, cuſtodia ac regimine S. Jacobus apoſtolus in Epiſtola ſua Catholica tantam Chriſtianæ perfectionis partem conſtituit, is certò eamdem gerebat reliquorum ſenſuum, animæ potentiarum, atque actionum ſuarum omnium, ne vel ad punctum unum deflecterent ab eo, quod & lex divina & ratio exigit ac præſcribit.

odit vehementer.

A. M. SALONIO.

E

F

ANNOTATA.

a *Immiſcet hîc nonnulla biographus, quibus docet, virtutem quidem per ſe amabilem eſſe ac deſiderabilem; verum ſpe præmii homines in eam ferri animoſiùs.*

b *Quoniam de cura domeſticorum ſermo hîc eſt, operæ pretium videtur commemorare, quàm in illis non tolerabat Sanctus, quidquid angelicæ iſti virtuti adverſabatur: id autem colligitur* ex depoſitione Petri Garziæ Caſtellani parochi, *ita Coccinus pag.* 561, examinati authoritate ordinaria, qui venerabili Viro inſervivit... in proceſſu Caſtellæ... dicentis, quòd caſtiſſimus Archiepiſcopus nepotem ex fratre ejecit è domo, præcipiens, ne impoſterum ſuo ſe conſpectui ſub pœna ſuæ indignationis offerre præſumeret, ac ſimiliter alios domeſticos, inter quos à ſecretis, quòd caſtè non viverent, expulit: & quemadmodum ſeverè improbos caſtigavit, ſic erga probos & publicos *, placidum, diſertum, comem, affabilem, remuneratoremque ſe geſſit. *Poſteriora hæc conſona ſunt dictis Salonii num.* 349, *at priora planè oppoſita apparent ejuſdem Salonii verbis tum num.* 342, *tum ſuprà num.* 277 *recitatis: utrobique enim dicitur, nullum umquam famulum in domum ſuam vel in obſequium ſuum admiſſum dimiſiſſe: hîc autem dicitur domo expuliſſe non tantùm nepotem, ſed & domeſticum ſibi à ſecretis & alios item domeſticos. Equidem, cùm uterque auctor uſus fuerit proceſſibus, ita rem componi poſſe exiſtimo, ut Salonius eos ſolos famulos, quos inter nepos recenſendus non eſt, intellectos voluerit, qui à Sancto jam tum Archiepiſcopo in obſequium admiſſi ſunt, non autem eos, quos Valentiam adveniens in palatio reperit, quoſque propter mores minùs probos emiſit; atque hi deſignantur fortaſſe à teſte per Coccinum allegato.*

* pudicos

c *Imò* Poſſidio. *Porrò ipſos verſiculos, quorum ſenſum dumtaxat dat Hiſpanicè Salonius, tranſcripſi ex Vita S. Auguſtini à S. Poſſidio compoſita, & apud nos data tom* 6 *Auguſti pag.* 435.

d *Poſſidius rem ita enarrat, ut commotus diceret S. Auguſtinus*, aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum.

A. M. Salonio.

e *Alludit Sanctus ad hiſtoriam Moyſis Exod.* 4 ỳ 6.

CAPUT XI

Caſtitatis totâ vitâ amantiſſimus, eamdem virtutem etiam impetrat aliis.

Caſtitas in pueritia,

VIſum mihi eſt ad majorem confirmationem boni exempli, quo beatus pater D. Thomas famulis ſuis præibat, eoſdemque, ut eſſent honeſtatis ac virtutis cultores, impellebat, ſeorſum hoc capite tamquam appendice præcedentis, pertractare honeſtatem ac puritatem, quam totâ vitâ ſervavit. Hac in virtute tum in tenera ætate tum per totum vitæ curſum admodùm fuit perfectus. Nam Puer, ut vidimus libro primo, fugiebat ſocietatem puerorum, quos in malum propenſos & vitio alicui addictos conſpiciebat: præterea pius
B erat valdè, in pauperes liberalis, devotus, ad cæleſtia converſus, ac Deum timens adeo, ut in tenera iſta ætate exemplo eſſet provectioribus atque hi dicerent: Puer iſte evadet vir inſignis, & egregius Dei ſervus. Eadem in ætate pœnitentiæ operibus deditus, jejunia frequentabat, flagellis aliiſque corporalibus aſperitatibus carnem vexabat. Quæ virtutes in puero caſtitatis fundamenta ſunt, & cùm ætate provectior eſt, antemurale & cuſtodia ejuſdem excellentiſſimæ virtutis *a*.

a

in adoleſcentia,

b

358 Deinde dum litteris operam dabat Compluti, atque ejuſdem univerſitatis inhabitabat collegium primarium, duo erant, ex quibus elucebat, quàm inſigni eſſet caſtitate *b*. Primò ex cura ac metu aliorum collegii alumnorum, ne coram ipſo proferrent verbum ullum non planè honeſtum & ab omni levitate alienum: noverant quippe, quàm pro ſuo in caſtitatem amore moleſtè ferret qualemcumque verbi licentiam. Secundò ex dictis capite tertio libri ejuſdem, ac relatis à domino Joanne Mugnatonio epiſcopo in brevi narratione, quam ſcripſit de vita ac ſanctitate patris D. Thomæ; quòd [ſcilicet] magiſter Joannes de Vargara, vir inter eos, quos habuit illa univerſitas eruditione ac dicendi præſtantiâ celeberrimos, quique eadem tempeſtate iſto in collegio degebat, ſuis ipſe oculis cernens Servi Dei inſignem animi ad cæleſtia converſionem, pietatem, honeſtatem & vitæ ſanctitatem, has publicè in concionibus prædicaverit & propoſuerit ad
C exemplum, non ſecùs ac ſi verba faceret de aliquo jam tum in Sanctorum album relato.

in Religione & archiepiſcopatu.

359 Qui autem ſecularis adhuc & in ſtudia incumbens corpore & animâ tam caſtus & honeſtus exſtitit, is certò, jam in religioſo Ordine Deo conſecratus, & mox ſacerdotio initiatus ac die quolibet tanta devotione totque lacrymis Miſſæ ſacrificium peragens, tam pretioſum caſtitatis theſaurum ſtudioſiùs ac perfectiùs ſervaverit. Idipſum colligi poteſt ex tot donis illi, ſicut vidimus, conceſſis à Spiritu ſancto: ſi enim, ut hic ipſe ait libro Sapientiæ, in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, tot dona beato Patri conceſſa, ſcientiæ & doctrinæ, prudentiæ & conſilii, humilitatis & manſuetudinis, pietatis & miſericordiæ, fortitudinis & magnanimitatis, ardoris ac deſiderii adeo fervidi divinæ gloriæ ac ſalutis animarum, ſpiritûs & efficaciæ verborum, quibus tot fructus D
retulit, ubicumque concionatus eſt & apud omnes quibus vel in ſacra Confeſſione aures præbuit, vel converſatus eſt, nec non, ut vidimus, tot virginum religioſarum monaſteria reſtauravit, certa admodum ac evidentia argumenta ſunt, quantùm ſervaverit Dei Servus animam & carnem illæſam ab omni turpitudine & ſenſuum corruptela. Non minùs [diligenter haſce evitavit] Archiepiſcopus, quando ſtrictiùs obligabat ſua dignitas, & exemplum ſubditis exhibendum, nec non cura, quâ laborabat corrigere ac refrenare eccleſiaſticorum vitia omnia, & potiſſimùm iſta.

Remedia illi conſervandæ ab ipſo uſurpata;

360 Tria ſunt, quæ magnopere conducunt ad caſtimoniam & continentiam. Primum eſt humilis & devota oratio; alterum, pœnitentia, jejunium & afflictatio carnis; tertium ac præcipuum amolitio occaſionum omnium, quibus homo exponitur periculo incidendi in laqueos vitii [illis oppoſiti] *c*. Hinc inferri poteſt, quàm cumulatè *c*
Dominus eximia illa caſtitatis virtute donaverit patrem D. Thomam, utpote virum orationi tam aſſiduum, in corporis alimento tam ſobrium, jejuniis tam addictum, tam alienum ab omni fomento carnis; indutum cilicio, exigua noctis parte, quam quieti concedebat, ſarmentis incubantem. Quantùm fugerit occaſiones, quantaque ſemper vixerit circumſpectione, patuit etiam ante archiepiſcopatum locis omnibus, in quibus degit, uti Salmanticæ, Valliſoleti & Burgis. Numquam enim, licèt plurimùm amaretur ab omnibus, inviſebat mulierem, quantumcumque primariam; nec matronarum, ſibi in ſacris etiam diſcipularum, ædes ſubibat, niſi rarò admodùm & impellente caritate ad ſubveniendum alicui neceſſitati; imò nonniſi coram ſocio ac pediſſequis vel ancillis earumdem matronarum. Numquam ſimiliter in templo aut in tribunali pœnitentiæ conſpiciebant ipſum, niſi cùm in ſacra Confeſſione audiendæ eſſent aut juvandæ conſilio; & hoc quidem, quanta fieri poterat brevitate.

præſertim fuga congreſſûs cum mulieribus;

361 Archiepiſcopus numquam matronam ullam inviſendi causâ accedentem admiſit; ſolæ accedebant ad ipſum, (ut narrabimus,) feſtis ſolemnioribus nutrices, quæ infantes [expoſititios] ipſi educabant, ut, quo pacto enutrirent, & educarent, perſpiceret. Dum verò domi ſuæ abſolveret Miſſæ ſacrificium, feminæ pauperes multæ ſiſtebant ſe in ampla illa aula coopertæ, ipſe autem vultum earum F
minimè intuitus eleëmoſynâ eas donabat & adhortabatur ad timorem Dei, fiduciamque in ejus divina providentia, ſi modò ipſi rectè ſervirent. In gratiam aliarum feriis quarta & ſexta, aut ſi feſtum concurreret, pridie aut poſtridie ad primariam eccleſiam ſe conferebat, Rem divinam peragebat in ſacello S. Ludovici, atque eâ peractâ, unà cum gratiarum actione in ſacelli ejuſdem ſacrario, egrediebatur, parvum ſedile juxta aram principem collocatum occupabat, ibidemque aures præbebat mulieribus omnibus, quæ, tecto capite ac vultu, ad ejus pedes accedebant expoſituræ moleſtias & neceſſitates; hæ ſi ſpirituales erant, ſolabatur eas, & juvabat conſilio, quomodo [nimirum] ſe gerere deberent ad Domini favorem ſibi conciliandum & iiſdem [calamitatibus] remedium impetrandum: ſi temporales erant, earum, (promittens ſecretum tamquam ſi [dicta] fuiſſent in pœnitentiæ tribunali,) nomen poſtulabat & ejus, apud quem animæ noxas in confeſſione expiabant, atque hunc ad ſe mitti [jubebat,] fore [addens,] ut per eumdem, ſalvo ſimiliter ſecreto, eis ſuccurreret.

A

matrem à Valentiæ ingreſſu cohibet,

362 Ex modò dicendis apparebit religioſus & caſtiſſimus benedicti Antiſtitis animus. Cùm ab annis ejus conſpectu gaviſa non fuiſſet mater, eo fruendi deſiderio, voluit inviſere Valentiæ; nec, quoniam indolem noverat, monuit ipſum [de adventu,] nec ipſe hujus notitiam accepit, priuſquam Lyriam *d* perveniſſet, qui locus eſt quarto milliario diſtans Valentiâ. Hoc inaudiens, mox miſit famulum domeſticum, qui eam Lyriæ detineret, atque illinc deduceret in Villar, vicum pertinentem ad epiſcopatum, ac [nuntiaret] fore ut iſtic invicem viderent. Iſtic eam inviſit, &, ut probus Filius, excepit liberaliter, multoque ſolatio affecit per menſem; quo elapſo, in patriam debito cum comitatu ac honore reduci juſſit.

d

ne ea occaſione mulieres aliæ ad palatium accedant.

363 Commorans illa in Villar ſignificavit ipſi, gratum fore ſibi luſtrare Valentiam, quoniam intellexerat, civitatem eſſe pulcram & amœnam. Sed diſſuaſit hoc ipſe, inquiens: Si Valentiam concedas, certè in ædibus meis diverſandum tibi erit, atque ea occaſione matronæ Valentinæ, ut me ſibi hâc gratiâ devinciant, volent inviſere te, deducere ambulatum, comitari ad hortorum ſuorum ac maris conſpectum; & ego, quamvis ex cauſa tam legitima, non deſidero mulierum in ædes meas acceſſus. Oſtendebat ſanè ſe verum Filium ſancti patris noſtri Auguſtini, de quo ſcribit Poſſidonius*, numquam voluiſſe permittere, ut intra domum ſuam manerent propriæ ſorores ac ſobrinæ, allegata ratione, quòd, etſi illæ ſanctæ ac Dei cultui addictæ eſſent, nec earum ulla ſuſpecta haberi poſſet; tales tamen haberi poſſent feminæ, quæ colloquendi & viſitandi gratiâ ad illas accederent.

B

* Poſſidius

Splendor in ejus vultu emicat;

364 Adhæc beatus pater D. Thomas quantùm ad propriam perſonam adeo honeſtus erat ac verecundus, ut ne vel pedes ejus nudos umquam conſpexerit famulorum aliquis: ipſe ſibi ſolus veſtes induebat ac exuebat nec non tibialia detrahebat propriis manibus. Hunc in finem tibialium concinnatori aiebat: Curato, magiſter, ut à medio crure deorſum valdè lata ſint, utque ego ipſe, dum videbitur, vel ad manus non erit ſervus, mihi detrahere facilè illa queam. Non ſolùm familiaribus ejus omnibus planè comperta fuit inſignis ipſius caſtitas, verùm etiam certò creditum eſt, Virginem illum [permanſiſſe,] quemadmodum [fuerat] in ipſo natali. Hæc eorum opinio confirmata fuit per claritatem ac ſplendorem, quem emitti ex venerando ejus vultu conſpiciebant, dum alloquebantur. Teſtis eſt, qui affirmet, quòd die quadam, dum Dei Servum à peracto Miſſæ ſacrificio redeuntem, alloquebatur, ſplendor ille & claritas tales fuerint, ut caliginem ſibi offunderent, & demittere oculos oportuerit: quemadmodum vultus Moyſis, à Dei alloquio deſcendentis è monte, perſtringebat oculos filiorum Iſraël adeo, ut intueri ipſum non ſuſtinerent revelata facie.

C

Virgo obiiſſe creditur.

365 Quamvis autem lumen, quod è vultu patris F. Thomæ erupiſſe teſtantur, nec tantum nec tam ſplendens fuerit, quàm lumen faciei Moyſis; ejuſmodi tamen erat, ut ſatis dignoſcerent emitti illud è vultu ipſius, adſcriberentque puritati totâ vitâ [ab ipſo conſervatæ.] Compertum id fuit peculiariùs ac certiùs, dum è vivis abiit. Eadem quippe die, quâ à Domino ereptus fuit ex hac ad æternæ vitæ tranquillitatem, id palàm fecit ejus confeſſarius, qui in poſtrema infirmitate generalem totius vitæ ipſius confeſſionem exceperat, in ipſo palatio coram frequenti populo dicens: Nunc ſanctum Virginem habemus in cælis *e*. Edicere id modò licèt, cùm mortuus ſit. Propter hoc confeſſarii teſtimonium, atque indubiam opinionem, quam, quamdiu vixit, habuerunt de ejus virginitate & caſtitate, corpus, dum ad ſepulcrum detulerunt, multis floribus conſperſerunt, & ex iiſdem contextam coronam mitræ adjunxerunt. A. M. SALONIO.

e

366 Eamdem opinionem videtur confirmâſſe Dominus per favores, quos divina Majeſtas confert in eos, qui adversùs tentationes & lapſus carnis huic ejus Servo ſe commendant. Reſervans in cap. XIII & XIV * eos, quos vivens ſuis orationibus hoc peccato exemit, hic referam dumtaxat nonnullos, qui poſt obitum ipſi ſe commendârunt, quique per ejus interventum eo vitio, ac magnis & urgentibus tentationibus ac periculis pereundi à Domino liberati ſunt. Vir primarius, quem multo tempore malus dæmon vinctum tenebat amore mulieris cujuſdam, die Dominico audiens noſtri Ordinis concionatorem in eccleſia majore verba facientem de patre D. Thoma, [& exponentem], quàm egregius fuerit Dei cultor, quámque ſuccurreret iis, qui expoſcunt ejus ſubſidium ad expediendos ſeſe pravo vitæ inſtituto ac præſertim luxuriæ peccato: hunc [inquam] audiens, eodem temporis momento corde permotus fuit, atque ibidem extemplò magna devotione illum invocavit & tacitus dixit: Vir ſancte, miſerere animæ meæ, & ora pro me apud Dominum, ut gratiam & vires concedat ad deſerendum improbum hunc amorem. Sub veſperam inviſit ejus ſepulcrum, & quâ potuit devotione, repetiit orationem. Eodem autem ipſo loco, acſi cor ejus vinculo exſolveretur, decrevit firmiter ac ſeriò non videre poſthac mulierem, confeſſione generali noxas expiare, & ut homo verè Chriſtianus Domino ſervire: uti reipſa præſtitit: etenim à mulieris conſpectu abſtinuit, confeſſionem generalem inſtituit apud patrem hujus domus beatæ Mariæ de Succurſu, Deum coluit, frequentans Sacramenta ac vitam ducens optimè Chriſtianam.

Varii, ejus implorato auxilio,

* *hîc* XIV *&* XV

D

E

367 Vir alter dives, captus & obcæcatus amore impuro, condixerat mulieri, quæ illum peccato obſtrictum tenebat, fore ut eam ſtata die ac hora in rheda præſtolaretur ante valvas templi hujus beatæ Mariæ de Succurſu. Deſignatâ horâ præſtolabatur ipſam vir iſte, atque, dum exſpectabat, ſubſtitit ad valvas eccleſiæ. Stabant & ibidem eâdem horâ clerici duo, qui ad ſepulcrum Sancti preces ſuas fuderant, colloquentes de inſigni hujus humilitate & caritate, & quomodo faveret apud Deum ſuis clientibus. Atque alter eorum dixit: Sanctus iſte hactenus ignotus eſt; ſed dies aderit, quo agnoſcatur, & ipſum honorificet Deus. Hoc inaudiens vir ille, ſtatuit ingredi templum, ſeque ipſe commendare illi ad ſepulcrum. Ita fecit, & proſternens ſeſe in genua, animo immutatus eſt ac magna devotione [multiſque] lacrymis ſe ei commendavit & ſupplicavit, ut impetraret ſibi à Domino [robur,] quo plenè ac radicitus evelleretur ſibi ea animi propenſio, quâ tantopere fuerat obcæcatus, ac gratia præſtaretur, ne eum deinceps offenderet. Iſtic proſtratus, priuſquam ſe erigeret, perſenſit horrorem magnum ejus, quod amaverat antè, ac dolorem valdè acerbum offenſæ erga Deum, unà cum firmo propoſito vitas mille, ſi tot haberet, amittendi potiùs quàm offendendi ipſum; expiandi animam noxis per Confeſſionem ac novam vitæ normam aſſumendi; uti fecit.

F

ab impuritatis vitio

368 Subſiſtente viro illo ad ſepulcrum, adfuit mulier, & acceſſit ad alloquium. Surrexit ipſe & intrans ſacellum beatæ Mariæ atque hinc oculos conjiciens in ſepulcrum patris D. Thomæ, dixit:

ad caſtimoniam

A. M. Saxonio. Soror, Deus per interceſſionem hujus ſancti Archiepiſcopi oculos, quorum lumine tamdiu orbatus perſtiti, mihi aperuit; perſpexi animæ ac domus meæ perniciem, ac Deo pollicitus ſum, fore ut non offendam de cetero: proinde rogo te, ut mei [deinceps] non recorderis magis, quàm ſi cognoviſſes numquam. Memineris, nos eſſe Chriſtianos, moriendum nobis eſſe, ac reddendam Domino Deo vitæ noſtræ ſtrictam admodùm rationem (hoc totum illi dixit, ac dixiſſe ſe narravit ipſe patri hujus domus, apud quem paucos poſt dies ſacra confeſſione animum perpurgavit.) Hoc audiens illa, plorare occepit; ipſe verò dixit: Has lacrymas funde coram Dei Genitrice Maria, ac dein ad illud ſepulcrum, orans ſanctiſſimam Virginem & ſanctum Archiepiſcopum, ut poſtulent tibi à Domino lumen, quale mihi ab ipſo conceſſum eſt. Secuta eſt conſilium ejus, non hominis jam tunc, ſed animæ ſuæ angeli. Primùm qua potuit devotione preces fudit ad beatiſſimam Virginem, dein ad Sancti ſepulcrum, atque hîc ſimiliter inſtillavit ei Dominus eumdem horrorem amoris improbi, dolorem delictorum, ac firmiſſimum propoſitum eluendi crimina per
B ſacram Confeſſionem, nec impoſterum offendendi divinam Majeſtatem: quod & opere præſtitit: neque poſthac viderunt invicem, ſed uterque domi ſuæ vitam peregit valdè piam.

reducuntur; 369 Die quadam clericus voluptatis vitio ſimiliter multùm irretitus, ad eccleſiam acceſſit, & flexis genibus coram ſepulcro patris D. Thomæ binas horas circitèr, aut etiam diutiùs, permanſit magna devotione lacrymas profundens. Advertit autem, quòd in ſe oculos conjiceret aliquoties ædituus: cùm [itaque] illinc ſurgeret, adiit ipſum, dixitque: Noli mirari, pater, quòd me coram ſepulcro iſto illacrymantem conſpexeris: huic enim ſancto Antiſtiti animæ ſalutem acceptam refero; is me inferno exemit. Equidem plures annos flagitiosè vixi, captus amore improbo ac turpi. Memoriâ recolens ſacerdotes, quos Sanctus ille vivens ad frugem reduxit ac peccato ſubtraxit, & piè credens, illum ob ſanctitatem vitæ & caritatem inſignem in cælo degere, nec deficere ipſum iſtic in gloria eam, quam hîc habuit, pietatem & commiſerationem erga peccatores, imò perfectiore eſſe præditum, ipſius me patrocinio commendavi, ſupplicans, ut oraret pro me Dominum,
C ut me ex flagitioſo hoc ſtatu eriperet, & gratiâ donaret, quâ odium conciperem mulieris, quæ obcœcatum ac perditum me retinebat: promiſi autem fore ut, ſi mihi hanc à Domino gratiam obtineret, ejus ſepulcrum inviſerem, atque in laudem & honorem ejus feſtivè exhiberi curarem dramaticum poëma. Intra novem dies, quibus memet ipſi commendavi, mulierem iſtam odiſſe cœpi vehementer ac verum concipere dolorem ſcelerum meorum cum firmo propoſito numquam in Deum delinquendi. Idcirco in abſolutionem ejus, quod promiſi, huc veni ſepulcrum ejus inviſurus, gratias acturus de beneficio, per ejus interceſſionem mihi divinitus collato, generalem ſcelerum totius vitæ inſtituturus confeſſionem, & cum Priore hujuſce domus conſultaturus, quo pacto exhibeatur in laudem ipſius dramaticum iſtud poëma. Exhibitum id fuit, cùm prima vice ego hujus conventus Prior eſſem, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio.

ac tentationibus liberantur. 370 Clericus alter primarius & eruditus vehementes carnis tentationes patiebatur, eaque cupiditate magnopere affligebatur. Intelligens nonnullos, qui eadem calamitate vexati fuerant, invocato patris D. Thomæ patrocinio, ipſo intercedente, adjutos fuiſſe à Domino & vires impetrâſſe adversùs hoſtem adeo potentem, ac ſedatas fuiſſe in ipſis tempeſtates iſtas, decrevit eodem uti remedio, recurrere ad Dei Servum, eumque Patronum aſſumere infirmitatis ſuæ. Itaque novendiales preces ad ipſius ſepulcrum inſtituit orans, ut à Domino ſibi in hac calamitate miſericordiam expoſceret, vireſque adversùs tentationes iſtas: expletis novendialibus precibus, Dei mox favorem expertus eſt, in virum alterum immutatum ſe comperit magna pace & tranquillitate animæ & carnis, cognovitque, eum ſibi à Deo favorem conceſſum eſſe meritis & interventu patris D. Thomæ: ut verò magis exploratum haberet, à Domino collatam eſſe ſibi illam gratiam intercedente Sancto, cùm die quadam particulam reliquiarum ejuſdem Servi Dei, quam penes ſe gerebat, reliquiſſet in ædibus artificis, qui eam geſtandam decentiùs thecæ includeret, contigit, ut eadem ipſa die, quâ reliquerat, vehementem in ſeſe conflictum experiretur, vexareturque carnis tentatione, quâ in ingens diſcrimen adducebatur. Perculſus tamquam re nova & extraordinaria, E
quòd poſt tantam tranquillitatem & pacem, quantâ per invocatam patris D. Thomæ interceſſionem in anima & carne gaviſus fuerat diebus illis omnibus, rediiſſet tentatio adeo moleſta & acris, animadvertit, non eſſe penes ſe reliquias, aurificis in ædibus relictas; judicans autem, hanc eſſe moleſtiæ affligentis cauſam, mox aurificis domum adiit, reliquias recepit, pectori appoſuit, & eodem temporis momento à libidine ſe liberum comperit, quietum ac tranquillum; taliſque permanſit deinceps beneficio ac patrocinio ſancti Antiſtitis, eas reliquias penes ſe geſtans, illi ſe commendans diebus ſingulis ac ſæpe inviſens ipſius ſepulcrum. Hoc ipſum ſcripto referri poſſet de aliis nonnullis tam laïcis, quàm eccleſiaſticis ac religioſis, affirmantibus, quòd, cùm in ſimilibus verſarentur moleſtiis ſpiritualibus, magna devotione beato patri D. Thomæ commendârint ſeſe, à Domino liberati fuerint, atque manifeſtè eum favorem impetraverint à divina manu per illius interceſſionem ac merita. Sed hîc memorati ſufficiunt.

ANNOTATA. F

a *Similia habes lib.* 1 *cap.* 23; *quæ, & alia hîc de caſtitate addita ſic teſtibus comprobantur apud Coccinum pag.* 617: Duo teſtes incolæ Villanovæ de vera ſcientia deponunt mirabilia in venerabili hoc Viro ab ipſa infantia honeſtatis, compoſitionis, nitoris & ſanctitatis eluxiſſe documenta, eumque in omnibus actionibus ſuis puritatem, pudicitiam, caſtitatem & honeſtatem, quibus egregiè prædítus erat, oſtendiſſe, & hanc de eo viguiſſe publicam opinionem & famam, talemque non ab ipſis modò teſtibus, verùm etiam è reliquis omnibus, quo vixit tempore, habitum fuiſſe; Joannes videlicet Gallego, primus teſtis ætatis XCV annorum ... in proceſſu Caſtellæ ... & eodem loco Ludovicus Feo ætatis XC annorum ... & inſuper de auditu à majoribus & de communi reputatione circa omnia & ſingula prædicta eiſdem locis deponunt Catharina Gonzales vidua ætatis LXXX annorum, ... Gundiſalvus Camero ætatis LXXXVIII annorum ... Petrus Garzia ætatis LXXVIII annorum ... & Matthias Pallas in proceſſu

Valen-

A Valentino, ... qui deponunt etiam in ſpecie, dum fuit in collegio ſancti Ildefonſi, ... qui omnes fuerunt examinati authoritate ordinaria.

b *Vide litt. præced. ſub finem.*

c *Rationes & auctoritates, quibus hæc tria confirmat Salonius, prætermiſi.*

d *Locus eſt quarto circiter milliari diſtans Valentiâ ad Duriam amnem.*

e *Coccinus pag. 619:* Ulteriùs etiam ex teſtibus probatur, eum ex publica voce & fama, atque concordi omnium reputatione obiiſſe Virginem, ideoque & floreum ei ſertum fuiſſe contextum, & totum corpus floribus coopertum ... ita deponunt. ... in proceſſu Valentino Joannes Baptiſta Alatar chirurgus examinatus authoritate ordinaria ... Bartholomæus Eſcola ... Mariana de Cabanillas ... Vicentius Roca ... examinatus authoritate ordinaria ... Franciſcus Dymas ... Joan. Baptiſta Calbet ... Petrus Valentinus ... Don Joannes Boyl ... Don Matthias Pallas in proceſſu Valentino ... qui tres ſupradicti ſunt examinati authoritate ordinaria; Mariana de Sottomajor, ... quæ & deponit de auditu ab ejus confeſſario.

B

CAPUT XII.

Boni Paſtoris munus exſequitur.

Ovium ſalutis ſolicitè intentus,

CUm jam narraverimus, quo modo, quanta pietate & quanto exemplo præeſſet domui ac familiæ ſuæ Dei Servus, expedit modò, nos agere de cura ac vigilantia, circumſpectione ac prudentia, inſigni caritate & miſericordia ceteriſque virtutibus, quibus, ut bonus Antiſtes & ſanctus ac perfectus animarum Paſtor, fuit præditus *a*. Propter ingens, quo flagrabat ſemper pater F. Thomas, deſiderium ſalutis proximorum, præſertim dum ex officio ad hoc obligabatur, magnam quoque adhibuit ſolicitudinem & diligentiam ad invigilandum ſubditis, ſibi à Domino commiſſis. Hinc laborabat multùm ad dignoſcendum eorum vivendi modum atque ſpirituales infirmitates, & iis applicandum medicamen ac remedium, quod pro ſancto ardore ſuo & inſigni judicio perſpiciebat C tempori eſſe congruum. Hunc in finem librum habebat, cui, nullo vidente aut conſcio, clericorum, qui de aliquo vitio accuſati fuerant, & eccleſiarum, quibus inſerviebant, nomina inſcribebat ad ipſos corripiendos: alium verò, cui cum nomine & loco habitationis inſcribebat ſeculares concubinarios, ab uxoribus digreſſos, fœneratores, aut notatos alio quovis vitio, ut juxta regulam caritatis operam ipſis adhiberet emendationi congruentem. Per hanc notitiam magna ipſi erat cura uniuſcujuſque. Hoc capite de ſolis laïcis agemus, de clericis dicemus poſtea.

in improbos inquirit & animadvertit;

372 Laïcum, quem flagitiosè vivere intelligebat, ſeorſum vocari jubebat ad ſe, ac conſueta ſua caritate & ſpiritu corripiebat ſemel ac ſæpiùs. Dum autem eo remedio non frangebat duritiem, quamvis (ut referunt omnes) valdè averſaretur excommunicare vel cenſuris implicare animas, & ſimiliter [homines] plectere mulctâ vel carcere, nihilominus concubinariis nonnullis vel ab uxoribus disjunctis, quibus noverat id profuturum, ac remedium fore idoneum, ut à peccato abſtinerent, (quod unum animo proponebat,) mulctam irrogavit, mulctæ [pecuniam] ſemper applicans fabricæ noſocomii. Alios carcere plectebat, (etenim etiam tum fas erat archiepiſcopis ea punitione uti in concubinarios & ſejunctos ab uxoribus ſuis.) Cùm neque per reprehenſionem ejus neque per caſtigationem laïcus improbus ad frugem rediret, indicem inemendabilium tradebat proregi, qui eos in exſilium pelleret; hoc autem faciebat, ut vel ex eo metu ſe corrigerent, vel ne oves adeo ſcabioſæ & corruptæ inficerent ſanas & bonas. A. M. SALONIO.

373 Optâſſet noviſſe ſpeciatim, quotquot degebant in ſuo archiepiſcopatu; & hunc dolebat eſſe tam amplum. Operam navabat apud imperatorem Carolum quintum, ut ex civitate Xativenſi *b* ac reliqua montium parte epiſcopatus conficeretur, utque Valentia cum medio Almenaram *c* & Enovas *d* uſque terræ ſpatio atque ora maritima ſufficeret metropolitæ; fore [addebat,] ut ipſe aſſenſum ſuum præſtaret, ac ſcripto ſignificaret ſummo Pontifici, quantopere id congrueret; ut, dum eſſent majori numero epiſcopi & arctiores diœceſium fines, paſtor quilibet noviſſe oves ſuas, iiſque invigilare poſſet meliùs *e*.

quod ut fiat facilius, diviſionem diœceſios exoptat; b c d e

374 Solicitus erat admodùm, ut matrimonio juncti pacificè viverent, & invicem amarent, prout lege divina & conditione ſua obligantur. In hoc multum laboris contuliſſe ipſum, memorant univerſi. Dum diſſidium eſſe aliquod intelligebat maritum inter & uxorem, utrumque ſeorſum arceſſebat primùm, corrigebat, querelas excipiebat, ac partem alteram defendebat; dein ambos ſimul convocabat, pacem & concordiam reſtaurabat, re priùs Domino enixè commendata. Si divites erant, minabatur pœnam viſibilem & jacturam in bonis ſuis, niſi in caritate ſufferrent invicem, atque, ut tenebantur, diligerent: ſi verò pauperes, reprehendebat ac pollicebatur, ſe juxta neceſſitatem ſubventurum ipſis, idque etiam perficiebat, addita declaratione, fore ut eleëmoſynâ privaret, niſi viverent pacificè. Ego quippe [aiebat,) quantumvis infelix peccator, hîc Dei locum occupo; Deus verò favorem ſuum non impertit diſcordibus ac diviſis.

conjuges diſſidentes E

375 Divortia oderat ſummopere, & ingenti ſolicitudine laborabat, ut remedium illis afferret, utque mariti reverterentur ad uxores. Quamquam autem id ipſi multis admodùm & magnis laboribus conſtiterit, quoniam eos inter multæ erant perſonæ primariæ; ſancto tamen ejus ardori ac piis ſtudiis aſpirante Domino, plures ad ſuas conjuges redierunt, vixerunt deinceps ac Domino ſervierunt pacificè. Hæc omnia comperta fuerunt ex eo, quòd ipſi conjuges narrarent, quo amore ac ſtudio ipſos corrigeret, quos ſermones cum ipſis haberet, quam adhiberet operam ad ipſos pravo ſtatu eximendos, &, ſi diſcordes eſſent, ad concordiam reducendos. Nam quod ad ipſum ſpectabat; altum ſemper ſervavit ſilentium, proſpexitque, ne quis detegeret vitia & calamitates, quæ inter matrimonio conjunctos comperiebat & corrigebat, quamvis plures numero fuerint (depravata quippe erat hæc regio) quos ad ſe vocavit, corripuit, & in gratiam reſtituit. Ut verò res omnis majori ſecreto committeretur, ac meliùs conſervaretur fama uniuſcujuſque, maximè feminarum, mandaverat generali ſuo vicario ac proviſoribus, ut lites omnes & cauſas conjugiales ad ipſum remitterent, illas inſpecturum ſe [aſſerens,] nec velle, ut aliorum manibus ſubjicerentur: & licèt nec in civili nec in canonico jure, ſed in theologia dumtaxat exercitatus eſſet, à Deo, quoniam Antiſtitem conſtituiſſet, ſibi lumen conceſſum i-

conciliat; F

A. M. Salonio.

ri [aiebat:] fore [tamen] ut ipsos consuleret, ubi opus esset, vel quæstio merè pertinens ad juris prudentiam.

Maurorum curam habet peculiarem

376 Magno desiderio ferebatur in conversionem Maurorum hujusce regni, tantumque dolorem hauriebat ex cœcitate ac pernicie istius nationis, ut hac speciatim de causa fortiter conatus sit abdicare se archiepiscopatu, scripserit, ac sæpius, ut pòst videbimus, imperatorem enixè admodùm rogaverit, ut renuntiandi potestatem sibi faceret. *f* Et quoniam hoc ipsi non succedebat *f*, pluribus vicibus scripsit, mandaret sua majestas, ut in eorum partibus constituerentur parochi boni exempli & studiosi gloriæ divinæ ac salutis animarum istarum, quæ sacro fonte regeneratæ erant & admissæ in greminm sanctæ matris Ecclesiæ, utque illis [parochis] assignarentur fructus aut redditus, ex quibus eleëmosynas ipsis possent elargiri. Certò quippe sibi persuadebat fore ut, cernentes bonum parochorum exemplum, & conciliata beneficiis ac piis operibus voluntate, corde inflecterentur in melius, multi eorum converterentur, forentque principium conversionis aliorum.

B *& ob eorum perversitatem valdè angitur.*

377 Hac de re, utpote quæ ipsum tanto desiderio ac mœrore afficiebat, frequenter agebat cum familiaribus, præsertim cum episcopo Segriano, cum confessario & visitatoribus, iisque declarabat, unam è rationibus ac causis præcipuis, cur nullo modo voluerit admittere archiepiscopatum Granatensem, curve renuisset Valentinum, nec acceptur-rus fuisset, nisi provinciæ suæ præpositus ex obedientia & [sub pœna] censurarum præcepisset, eam fuisse, quòd tam in hoc quàm in isto tot Mauri degerent, qui per Baptismum erant filii Ecclesiæ, gestabantque signum Jesu Christi, quem corde & operibus tanto odio prosequebantur, quemque sacrilegis dictis, non secùs ac inimicos suos infensissimos lacessebant. Hac occasione narrabat ipsis, se inter alias epistolas à religiosis nonnullis, familiaribus suis, dum noverant, acceptâsse ipsum archiepiscopatum Valentinum, conscriptas, accepisse unam à patre magistro F. Dominico Soto, in qua diceret, magnopere miratum fuisse se, quòd admisisset, ubi noluerat admittere Granatensem; quia in ea diœcesi tam frequentes erant Mauri; cùm tamen nec minùs frequentes essent nec meliores in hac [Valentina.] Dolere se [subjiciebat Sotus] ob molestiam, quâ ab illis afficiendus erat is, quem

C ut patrem ac magistrum suum diligebat. Idque (inquiebat pater F. Thomas,) perscripsit ignorans, quàm invitus acceptaverim, ex mera videlicet obedientia. Etenim deinde ex meo responso rem edoctus rescripsit, solatium sibi attulisse, quòd acceptâssem hoc modo; quandoquidem, ubi tantum erat obedientiæ, & nihil voluntatis propriæ, Dominus esset amoturus difficultates omnes, gratiamque ac robur largiturus adversùs molestias universas.

Concionatores, quid à suggestu dicendum

378 Tempore Quadragesimæ, propter insignem de salute ovium suarum solicitudinem, singulis annis convocabat concionatores & confessarios in ecclesia S. Stephani & S. Thomæ; ac prolixum ingenti eruditione & fervore sermonem instituebat, indicans ipsis & præscribens methodum, quâ sacro isto tempore munus suum obire tenerentur; quantum coram Deo promerituri essent, si obirent rectè; quantopere ab eodem puniendi, si minùs debito satisfacerent. Et, sicut referunt plures, qui præsentes adfuerunt, concionatoribus exponebat peccata tempestate ista magis dominantia ac præ ceteris pernicioša, magnoque animi affectu orabat, ut omnes uno consensu in suis sermonibus in ista inveherentur, quæsita occasione opportuna, quæ non deficeret, dummodo studia sua conjungerent cum frequenti oratione, peterentque à Domino, ut dirigeret, &, quid pro concione dicendum, edoceret, ac Spiritum suum impertiretur. Scirent autem, se ad suggestum non conscendere, ut ostentarent eruditionem suam, & conciliarent sibi existimationem & applausum populi, sed ut tamquam milites Jesu Christi verborum suorum acumine bellum gererent adversùs peccata hominum, atque hos dæmonis unguibus eriperent.

D

& confessarios, quomodo cum pœnitentibus

379 Confessarios sic alloquebatur: En vobis modò, patres, tempus ad lucrandas animas: accedent ad pedes vestros peccatores insignes: nolite prodigere sanguinem Jesu Christi, absolventes quemcumque inconsideratè, ac clavibus, manibus vestris à Domino concreditis, abutentes. Advertite, Redemptorem nostrum, dum pœnitentiæ Sacramentum, cujus vos estis administratores, instituens dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: (peccata [nempe,] à quibus confessarius ritè fugens munere suo, absolvit, verè esse remissa,) simul dixisse: Quorum retinueritis, retenta sunt. Eum [scilicet,] quem vos, debitè similiter munus obeuntes, non absolveritis, nec fore absolutum nec veniâ donatum. Verumtamen, etsi non oporteat absolvere omnes, sed eos, qui rectè dispositi advenerint, ut ut magna imò gravissima sint crimina, quæ vobis in confessione patefient, nolite obstupescere, offendi aut dicentem perturbare, sed auscultate eum patientia & caritate.

E

agendum, docet.

380 Hoc autem consilium sequimini: Ubi se vobis stiterit peccator insignis, & frigidus adeo, ut frigore suo horrorem vobis esset incussurus, quamvis absolvere ipsum non oporteat, neque id licitum vobis sit, cernentibus adeo expertem dispositionis ad absolutionem requisitæ; ne tamen dimittite aut abigite, neve ad finem usque auscultate; sed allegatâ, in quo tamen absit mendacium, excusatione impedimenti cujuspiam, aut negotii peragendi, dicite: Mi homo digneris per dies tres quatuorve animum avocare à negotiis, & vel domi tuæ vel in templo, quâ poteris devotione, & dolore peccatorum, [sic] Deum alloquere: Domine offendi te, neque id sentio, ut debeo: miserere animæ meæ, & per insignem tuam clementiam ac merita sacrosancti Sanguinis tui mihi tribue notitiam ac dolorem peccatorum meorum.

F

Vos autem per eosdem dies id ipsum Sacrificiis ac precibus vestris à Domino exposcite, experturi manifestè, quid hâc viâ operaturus sit in illis Dominus. Nam ego ipse (aiebat) dum religiosus in Castella aures, præbebam confitentibus, eâdem [viâ] duxi frequenter graves aliquot peccatores, qui doloris expertes se mihi sistebant, & successit feliciter.

In ecclesia instituit nova beneficia,

381 Non tantùm invigilabat digna bono Præsule solicitudine in salutem animarum, quod præcipuum est; verùm & in id, quod illi non cedit, nempe in cultum divinum, ornatum domûs Dei, imò & in rem temporalem sui capituli. In templo principe instituit aliquot beneficia cum obligatione Missam celebrandi primo diluculo *g*, ut operariis, sub initium diei in forum convenientibus, ad lucrandam apud eum, qui conducturus est, diurnam mercedem, copia esset Missæ sacrificio assistendi & sese Domino commendandi, priusquam ad labores suos se conferrent. Atque ita plures ex istis pauperibus operariis solito maturiùs ad forum accurrunt, ut, priusquam elocent suam operam, Sacro intersint, atque tanta fruantur con-

g

sola-

A solatione, quanta est homini Christiano vidisse Dominum in sancto Missæ sacrificio, antequam rei cuipiam manum apponat.

382 Ad ornatum ejusdem templi principis confici jussit in Flandria novem *b* ex bombyce & lana subtiliore tapetes, gaudia beatæ Mariæ & ea inter ejusdem Virginis in templo oblationem exhibentes, qui ipsi multis ducatis constiterunt. Confecti fuerunt singulari artificio, figuræ [erant] admodùm formosæ & colores splendidi, ita quidem, ut hodiedum æquè lucidi sint ac pulcri, quàm primo die, quamvis septuaginta circitèr anni præterlapsi sint, atque in templo adhibeantur omnibus diebus solemnibus & festis præcipuis. Archetypos autem imaginum in iis exprimendarum hinc misit in tela depictos per pictorem hujus civitatis valdè celebrem, nomine Joannem, tam peritum ea arte & industrium, ut, eruditos oculos habentium judicio, quæ ipse pinxit, quæque servantur in multis hujus civitatis ac regni ecclesiis, de præmio certare queant cum picturis à Michaële Angelo Romæ concinnatis. Sed, licèt eæ in tapetibus perbene imitando expressæ fuerint, cùm tamen indicari non jusserit, quâ altitudine conficiendi illi essent, eâ B tantùm confecti sunt, quâ solent tapetes communes, huc è Flandria adventantes; quam ferunt [nimirum] usitatæ illic textoriæ machinæ. Hinc quando allati & appensi fuerunt pannis eccl siæ principis bombycino & aureo filo contextis *, comperitque [Sanctus,] illos non habere horum pannorum altitudinem, magno, (sicut narrabant ecclesiæ æditui,) mœrore correptus fuit, & innatâ suâ modestiâ ac mansuetudine dixit: Non aptè confecti sunt; etenim cupiebam eadem eos esse altitudine, quâ pannos hosce intertextos. Nunc tamen hoc modo erunt usui; quòd si Deus vitam concedat, alios conficiendos curabimus, hisce pannis æquales; illi verò deservient ecclesiæ, in qua sepeliendus sum. Confici non curavit, quia dein in vivis superstes non fuit, nisi ad annos circitèr tres, &, ne pauperibus deficeret, confici nolebat, priusquam collegisset singulis annis exiguam pecuniæ summam, donec obtineret pretium pro iis solvendum.

383 De bono temporali capituli sui curam similiter habebat paternam. Etenim primarii ecclesiæ capitulares, ut essent magis expediti ad assistendum divinis officiis & ecclesiasticis ac spiritualibus C ministeriis, canonicorum fructuum & proventuum collectionem administrationemque commiserunt duodecim personis laïcis tamquam collectoribus & administratoribus suis, ita ut singuli singulis mensibus acciperent partem ex istis redditibus sibi obtingentem. Designati autem sunt cuilibet [administratori] fructus loci determinati in laboris mercedem. Considerantes dein, bona ista esse ecclesiastica, consultius judicârunt, collectionem & administrationem fieri non à laïcis, sed ab ecclesiasticis. Eapropter duodecim clericos fructuum collectores & administratores denominârunt eadem conditione, ut hi quolibet mense partem reddituum singulis darent, quam dabant priores.

384 Ex hisce officiis creârunt beneficia, [statueruntque,] ut qui [ea obirent] iisdem distributionibus gauderent in templo primario, quibus alii beneficio ecclesiastico præditi. Clericos ea obtinentes vocabant præpositos fructuum mensæ canonicæ, eorumdemque beneficia præposituras, vulgò pavordias. Lapsu temporum locus ille seu pars singulis præpositis & reddituum canonicorum administratoribus designata ut laboris merces, adeo fructifera evasit, tantasque decumas protulit, ut, notabili discrimine & emolumento valdè manifesto, ampliores essent fructus & proventus, quos ex suis officiis percipiebant præpositi, quàm ipsi fructus & redditus canonicorum. Hæc fuit occasio canonicis, ut ipsimet, mortuis clericis, præposituras istas obtinentibus, operam navarent ad eas vel viâ Romanâ vel aliâ quâvis congruâ sibi acquirendas. Hinc factum, ut plures simul essent canonici ac præpositi, atque unà duobus beneficiis gauderent, utpote invicem non repugnantibus. Qui utroque gaudebant, divites erant ac potentes: quia inter præposituras illas aliquæ valuerunt ducatis bis mille, aliæ ter mille, imò & sexies mille, annuis. Canonici verò, solo canonicatu gaudentes, ad summum recipiebant ex redditu scuta quadringenta aut quingenta.

385 Patri D. Thomæ templum princeps visitanti, & capituli fructus ac proventus eo in statu comperienti visa est res iniqua, atque aliena à ratione ac justitia, canonicis, propriis ac legitimis dominis fructuum ac decumarum, ad mensam canonicam pertinentium, nihil ampliùs obtingere, quàm quod jam dixi; præpositos verò, eorum collectores, administratores & quasi famulos, tantam imò majorem ac meliorem bonorum illorum partem sibi retinere. Hinc dixit: Res ista exigit remedium: quod & reipsa procuravit. Nam mox perscripsit ad Pontificem Paulum III inæqualitatem à se compertam inter canonicatus & præposituras, modum & finem, in quem hæ fuerint institutæ, totamque rei seriem, hîc à me relatam; ac rogavit suppliciter tamquam rem æquissimam, ut Sanctitas sua per Breve Apostolicum mandaret, dictas præposituras, defunctis, qui tum possidebant (nam viventibus, quoniam collata erant beneficia, incongruum id fuisset & dissidiorum occasio,) supprimi ac fructus mensæ canonicæ reverti ad legitimos & veros dominos.

386 Memoratus Pontifex propter eam, quam de illo tamquam docto admodùm & insigni Dei Servo habebat opinionem, statim annuit petitioni boni Præsulis, &, quo petiit modo, Bullas expedivit. His allatis, advocavit canonicos, dixitque: Visum mihi est incongruum & injustum, tantam à præpositis ex fructibus ac decumis mensæ canonicæ referri partem, & tam exiguam [vobis] relinqui ex canonicatibus tam amplis. Nunc à Sanctitate sua (sicut ego rogavi suppliciter) allatum est remedium per Bullas istas, quibus præpositu- F ras, simulac obierint, qui occupant, exstinguit ac proventum loco suo & dominis suis restituit. Accipite & servate illas, jam nunc enim pro iis pretium persolutum est, & tum pro Sanctitate sua, quæ hoc beneficium & hanc gratiam vobis præstitit, tum pro me, qui procuravi, orate Dominum. Atque ita eas ipsis porrexit, &, uti æquum erat, exstinctæ sunt præposituræ, suisque bonis fruuntur canonici, ea parte excepta, quam a Februario nuncupant, quamque ad preces civitatis Sixtus V applicavit huic Valentinæ universitati: reliqua omnia jam nunc redierunt ad mensam canonicam *i*. Hanc [gratiam] debent canonici sancto *i* Antistiti, imò & agnoscunt & profitentur, gratoque animo se agnoscere demonstrârunt in solemni beatificatione ejus, ac die, qua ejus festivitas celebrata fuit; [demonstrant etiam nunc] per reverentiam, quâ verticem ipsius conservant, ut & per devotionem, quâ ipsum prosequuntur, tamquam gratias referentes de hoc & aliis multis beneficiis, quæ vivus in ipsos contulit.

& pretiosum ornatum procurat.

b

* brocados

Proventus

canonicorum

ad justam æqualitatem

E

reducendos curat.

A. M. Salonio.

A. M. Salonio.

ANNOTATA.

a *Interjicit hîc nonnulla auctor, quibus boni paſtoris eſſe probet ſaluti ſubditorum ſolicitè intentum eſſe.*

b Xativa *etiam incolis appellatur, eſtque, teſte Baudrando, urbs parva Hiſpaniæ, diſtans Valentiâ ſeptem milliaria Hiſpanica.*

c Almenara, *ut ſcribit Colmenar in deliciis Hiſpaniæ, urbs exigua eſt medio milliari à mari remota & titulo comitatûs inſignita.*

d *Apud Blavium in tabula regni Valentini* Enoves *notatum invenio haud procul Xativa Valentiam versùs.*

e *His ſubdit auctor, ſanctos olim antiſtites deſiderâſſe exiguos epiſcopatus, quò oves ſuas meliùs cognoſcerent ac gubernarent.*

f *Eſcolanus lib.* 10 *cap.* 35 *Hiſtoriæ Valentinæ eadem paucis commemorat, additque, Sanctum, cùm non audiretur, ad exonerandam conſcientiam ſuam ex redditibus archiepiſcopatus deſignâſſe penſionem bis mille ducatorum pro educandis in collegio cæſareo Valentino Maurorum converſorum filiis, & augendis proventibus parochorum, quorum curæ commiſſa erant loca ab hujuſmodi recenter converſis inhabitata.*

g *Hiſpanicè additur*, & ad horam, quam vocant el Alva. *Ceterùm ad hunc locum etiam ſpectant, quæ tradit Coccinus pag.* 595, *nimirum*, quòd venerabilis Præſul duas capellanias in eccleſia Valentina à fundamentis extruxerit, eaſque dotaverit pro duobus cantoribus, ſuprano ſcilicet & baſſo, ut vulgò vocant, quemadmodum probant in proceſſu Valentino ... Don Michaël Hieronymus... Petrus Joannes Aſſentio... Franciſcus Dymas Pellicer.

h *Octo tantùm memorantur in conſtitutione, quam recitat eminentiſſimus Aguirre tom.* 4 *Conciliorum Hiſpaniæ pag.* 192 *his verbis:* Fratre Thoma archiepiſcopo, vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd tapetes ſeu panni de raz octo, quos idem illuſtriſſ. D. Thomas de Villa-nova archiepiſcopus in honorem ſeptem gaudiorum cum octavo myſterio, apud Flandros ſuis propriis ſumptibus fieri curavit atque eccleſiæ ſuæ Valentinæ, tamquam ſponſæ, perpetuo dono dedit, pro eorum conſuetudine nequaquam de cætero detrahi neque commodari cuiquam poſſint extra eccleſiam, ſub graviſſima excommunicationis pœna in contra facientes, aut ullo modo procurantes. Quæ conſtitutio jurata eſt atque uno contradicente irrevocabilis. Act. die viceſima Junii MDLIV.

i *Exſtat & ſuper hac re conſtitutio apud laudatum mox Eminentiſſimum pag.* 164 *hoc titulo:* Conſtitutio, quâ ſupprimuntur omnes præpoſituræ eccleſiæ Valentinæ, cùm primùm vacaverint. *Hoc autem ejus initium eſt:* Frater Thomas de Villa-nova archiepiſcopus, unà cum admodùm reverendo capitulo *&c. Iſta concluſio:* Act. Valentiæ ultimâ Octobris MDLIII, Balthaſſare Abella notario & ſcriba. Quæ conſtitutio confirmata eſt per Bullam Julii Papæ III de verbo ad verbum. Sub dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLIV. *Hinc colligo, niſi fortè in nomine Pontificis erraverit Salonius, primò ſuper eo negotio egiſſe Sanctum apud Paulum III PP., & obtinuiſſe Bullam; dein cum capitulo confeciſſe illam conſtitutionem, miſiſſeque Romam ad Julium III Pauli ſucceſſorem, qui illam alterâ Bullâ confirmavit.*

D

CAPUT XIII.

In corripiendis delictis manſuetudinem ſeveritati prudenter præponit.

VIgilantia ac ſolicitudo, à ſancto Præſule adhibita, ad ſubminiſtrandum remedium tot criminibus, quot infecta erat hæc regio, tanto, ut cap. præced. retulimus, bono exſtitit tantæque utilitati, quia comitem habebat circumſpectionem & prudentiam *a*. Hanc virtutem pro ſua clementia Dominus ad eum gradum communicavit cum patre D. Thoma, ut, licèt excelleret omnibus, nullam tamen tantopere laudarent ac celebrarent, quotquot noverunt ipſum, & cum ipſo egerunt. Manifeſtavit eam, (ut libro primo vidimus,) ante archiepiſcopatum in omnibus, quæ dabat, conſiliis, & in omni dicto & facto. Neque enim umquam rem peragebat non valdè conſideratam, nec E proferebat verbum non valdè ponderatum. At factus Archiepiſcopus ſupra modum in eo excelluit, prout patuit in omni re, quam fuit aggreſſus. Atque ita eſſe oportuit: nam ſi (juxtà ac docet S. Paulus) Deus cuicumque vocato ad munus aliquod, atque hujus curâ onerato, ſuppeditet ſapientiam, facultatem ac dotes neceſſarias ad debitè obeundum; cùm vocaverit Dominus patrem D. Thomam ad archiepiſcopatum abſque ulla ejus opera, & abſque humano auxilio, ſed, ut conſtat ex capite ultimo libri primi, ex ſola ſua voluntate divina, & ita quidem, ut illius, non ſecùs ac Aaronis, vocatio fuerit cæleſtis, omnino certum eſt, non potuiſſe non ipſi concedere omnes, quas archiepiſcopi dignitas & officium exigit, virtutes, atque has inter circumſpectionem ſingularem, & infuſam prudentiam, quæ perficeret eam, quâ jam tum præditus erat, quamque à natura quaſi obtinuerat bonus Antiſtes. Dixi, vocationem ejus fuiſſe cæleſtem, quia verè prodigioſa fuit ejus per cæſarem facta electio, &, obnitente prorſus voluntate, ad acceptandam ex mera obedientia ejus ortus eſt conſenſus. F

Inſigni prudentiâ ornatus

a

B

C

388 Tres præter alios effectus operatur in ſuperioribus virtus iſta. Primus eſt, ne quid leviter credant vel moliantur, ſed lento gradu. Alter, ut averſentur omnia diſſidia. Tertius, ut ſciat prudens indulgere puſillo, ignaro ac debili; & reperire vias ac modos tum ad emolliendam duritiem, tum ad conciliandam ſibi voluntatem reluctantis ac pertinacis *b*. Horum omnium præclara teſtimonia & exempla reliquit bonus Pater noſter. Nam quoad primum, (ut referunt omnes ejus familiares,) quantumcumque leve eſſet negotium, numquam illico decernebat, ſed cohibebat ſeſe; ac dilationem expoſcebat tempuſque perpendendi ac Domino commendandi, illud tam ſolemne ſibi dictum uſurpans: Miſſam pro eo celebrabimus ac Domino commendabimus, ipſe nobis lumen præſtabit. Proximi delictum non credebat, quantacumque delator polleret auctoritate, ſed judicium inhibebat, donec vel ex propria rei confeſſione, vel ex relatione teſtium oculatorum & fide dignorum de eo ſibi conſtaret tamquam de re evidenti. Animi perturbationi & errori id attribuebat communiter; donec ipſemet experiretur, adhibitâ debitâ diligentiâ, ut res, ubi obligabat officium, exa-

nihil temerè aggreditur,

b

A examinaretur & comprobaretur. Adeo ut tamquam vir ſanctus & prudens non leviter crederet, & tamquam ſolicitus ac ſtudioſus paſtor operam navaret ad pernoſcendum & comprobandum id, quod vel impedire vel corrigere tenebatur.

à novis mandatis & cenſuris abſtinet,

389 Ad ſecundum quod pertinet, ſæpè ad evitandos tumultus jure ſuo cedebat, ac diſſimulabat res, quas alii, minore auctoritate prædíti, ægrè admodùm tuliſſent. Hac eadem de cauſa alienus erat à novitatibus [introducendis] & ab edendis mandatis, niſi quæ, obligante conſcientia, prætermittere non poterat; nec editis cenſuras eccleſiaſticas annectebat: aiebat quippe, dum novitates introducuntur, & cumulantur mandata, turbas excitari, paucis utiles & pluribus perniciosas; per cenſuras verò implicari animas, darique occaſiones, ut delicta fiant graviora; quoniam is, qui non terretur lethiferâ Dei offenſâ, & damno, per mortiferum peccatum animæ illato, nihilo magis terrebitur cenſuris.

quia ſæpe tumultus inde oriuntur;

B 390 Primis annis, quibus fuit Valentiæ, intelligens, plures iſtic eſſe concubinarios & valdè publicos quidem, operam dedit ad corrigendum id crimen, redarguens id vehementer in ſuis concionibus; licèt autem apud nonnullos fructum retulerit, hi tamen pauci fuerunt numero. Ceteris minatus eſt pro concione dicens, ſibi notos eſſe, & niſi ad frugem redirent, fore ut cogeretur adversùs ipſos, nominatim exprimendos, edere decretum cum cenſuris & excommunicatione, imò fore, ut, cùm cœpiſſet, non deſineret agere adversùs illos ſpeciatim omni rigore ac ſeveritate. Cernens, plures nihilominus perſeverare in peccato, prelo ſubdi juſſit edictum, graves [complectens] cenſuras ac pœnas in omnes concubinarios. Mox ut palàm id fuit, exortus eſt tumultus ingens per univerſam civitatem, quoniam illi peccato obnoxii erant plures, atque hos inter non paucæ perſonæ primariæ. Adiêre ipſum rogantes, ne promulgaret, quia, prout ea tempeſtate res conſtitutæ erant, paucis utile id erat futurum, multis verò pernicioſum. Ipſe autem apud eos, qui ad alloquium acceſſerant, purgavit ſeſe, inquiens: Ipſorum ex culpa, non ex mea, damnum illud orietur; equidem, cùm per conciones & exhortationes emendare ſe nolint, quod mei muneris eſt, fecero. Detur opera, ut peccatum iſtud ceſſet eſſe publicum, utque aliquam emendationem deprehendam, cohibebo rigorem cenſurarum. Plures abſtinuerunt ab iſto crimine, alii verò, etſi non omnino deſererent, ſuſtulerunt tamen malum, quod præbuerant, exemplum; itaque, ne magis implicaret conſcientias, prætermiſit [edicti] promulgationem.

& exigui fructus

391 Haud rectè factum cenſuit quidam theologus, non promulgari & exſecutioni mandari edictum, ac die quadam occurrens magiſtro Porta: Vos, inquit, & Archiepiſcopus, atque hujus miniſtri omnes peccato mortifero obſtricti eſtis, quia, cùm in hac civitate tot degant concubinarii, nec per conciones, exhortationes ac minas Antiſtitis ſui corrigantur, veſtri muneris eſt obligatio, arcere eos ab eccleſia & communione proborum, ac denuntiare nominatim è pulpitis; neque id adimpletis. Magiſter Porta, ut erat vitæ integer, hoc audiens perculſus fuit, ac mox adiit Archiepiſcopum, rem edocturus. Subridens ſanctus & prudentiſſimus Antiſtes, reſpondit: Oportet, virum hunc eſſe bonum; at ex iis, quos æmulationem habentes compellat ſanctus Paulus, ſed non ſecundùm

* Gratiani ſcientiam: & juſſit afferri illuc textum Decreti * ac prælegi canonem NON POTEST, causâ XXIII, quæſtione IV, depromptum ex capite tertio libri ſecundi *c* ſancti patris noſtri Auguſtini contra Parmenianum, ubi tam prudenter ac ſapienter egregius Doctor erudit antiſtites & præpoſitos Eccleſiæ, ſecurius eſſe, dum peccatum aliquod latè irrepſit ac ſeſe extendit ad majorem ac potiorem reipublicæ partem, recurrere ad Dominum per preces & lacrymas, atque in illud invehi ardenter à concionatoribus, quàm contorquere in id cenſurarum aciem, & excitare tumultus per anathemata. A. M. SALONIO. *c*

producantur.

392 Recitato capitulo ac textu, dixit: Probè noviſti, quantas adhibeamus diligentias, quomodo vocemus eos ad nos, quomodo admoneamus, quomodo deferamus ad proregem & gubernatorem ſeriem eorum, quos inemendabiles comperimus, ut ab ipſis comprehendantur; legiſti, quid doceat in textu ſanctus pater meus Auguſtinus. Noli perturbari dicto iſtius theologi. Novit perbene regendi methodum S. Auguſtinus, neque [tamen] umquam ex diœceſi ſua evellere valuit ebrietatem. Tam inſignis exſtitit antiſtes S. Chryſoſtomus, ut novimus omnes, & numquam Antiochiæ jurisjurandi abuſui ac vitio remedium afferre potuit: nec tamen idcirco excommunicationem in delinquentes contorquere lubuit: quia, ut viri ſapientes ac prudentes, noluere ad medendum uni plagæ, præbere occaſionem majori, ac ſeſe odioſos reddere per rem non profuturam. Equidem, ſi per Deum liceret vel in minimo accedere ad iſtos Sanctos, felicem me reputarem. Conſultius eſt, uti facimus, advocare ipſos ac ſeorſum corripere; quia hâc viâ, quamvis verum ſit, magno numero eſſe concubinarios, multis proſumus, aliâ autem multis detrimentum, paucis admodùm utilitatem afferremus. E

Canonicum liberiùs viventem

393 Inſignem ſuam prudentiam etiam prodidit ex modis, quibus ſæpenumerò, abſque dolo aut mendacio, uſus eſt ad abſtrahendas à peccato perſonas præſtantes, quibus nec publicæ in concionibus reprehenſiones, nec privatæ objurgationes proderant. Unum memorabo, cujus animam (ſecundùm relationem eorum, qui certò compererunt) lucratus eſt ſingulari induſtria & ſermonis [ſubtilitate;] ex hoc autem cognoſcetur quàm divinis modis & artibus uteretur apud ceteros. Pluries canonici cujuſdam vitam flagitioſam & pravum exemplum coarguerat, & hâc viâ nihil apud ipſum proficiens, meditando cognoſcere ſtuduit, quo pacto ejus ſibi amicitiam & benevolentiam conciliaret. Duorum annorum ſpatio tot eum beneficiis ac favoribus proſecutus eſt, ut canonicus ille cœperit numerari inter benevolentiores ac familiariores, quos habebat pater D. Thomas. Quando ejus voluntatem jam ſibi probè conciliatam atque obſtrictam perſenſit, die quadam ita allocutus eſt: Novi, domine mi, te mihi in omni re gratificari velle: dic autem, ſuſcipereſne mei causâ laborem in negotio, cujus meâ [pluris] intereſt? Offerenti ſe canonico ad rem quamlibet ſibi injungendam ut ut difficilem ac laborioſam, dixit bonus Antiſtes: Eſt mihi Romæ negotium, cujus ſucceſſum deſidero, & licèt iſtic non deſit, cui committam, velim, ut ad hoc pertractandum tu ipſe illuc proficiſcaris, quia ſi talibus manibus commiſero, de pleno ſucceſſu ſecurus fuero. Suſcipereſne mei causâ laborem iſtum? F

mirabili

394 Nec mentiebatur; nam eo tempore magna ſolicitudine dabat operam ad obtinendam Romæ bullam, quâ monialium ſibi tum ſubditarum aſceterium aliquod ad priſtinam diſciplinam revocaret, atque clauſtri obſervantiam iſtic induceret; quod quidem neceſſe erat, ſed nonnulli repugnan-

A. M. Sadonio.

tiæ obnoxium. Hæc ipsi visa est oportuna occasio ad lucrifaciendam canonici animam. Is, audito patris D. Thomæ desiderio, perculsus fuit, sed pro benevolentia & obligatione, quâ ei devinciebatur, generosè respondit, se, obsequii præstandi gratiâ, lubenti animo Romam & quócumque missurus esset, profecturum. Itaque, inquit bonus Pater, res tuas omnes ac domum ordinatè dispone, quoniam via longa est & periculosa, convenitque, ut omnia ad eum modum constituta relinquas, acsi moriendum tibi sit, & intra breve quidem tempus; nam hujusce negotii tanto desiderio teneor, ut mora quælibet mihi molesta sit.

industria

395 Ita præstitit canonicus; monenti autem Archiepiscopum se jam paratum esse ad iter assumendum, cùm Dominationi suæ id placeret, reposuit bonus Pater: Itaque, salutatis omnibus, hac nocte domi meæ degas, quid facto opus sit, unà deliberabimus; cœnabis hìc & quiesces, & manè ante auroram te dimittam: nullum famulum adducito, missos facito universos, quia ex meis ego tibi tradam, qui melius tibi serviat, quàm quis tuorum omnium. Canonicus, dum valedixerat amicis & consanguineis, perrexit ad ædes Archie-
B piscopi sub noctem, ibidem cœnam ac somnum sumpsit, manè discessurus. At verò bonus Antistes, qui isto itinere magis animo intendebat ac desiderabat lucrari Deo animam ovis suæ, quàm totum negotium; majorem noctis partem in oratione transegit, Dominum rogans suppliciter, ut manu sua dirigeret, quod persuadere illi canonico, jam apud sese constituerat. Imminente diluculo, contulit se ad cubiculum, ubi quiescebat, dixitque: Domine canonice, quod optimum est, faciendum restat: ordinatè disposuisti domum, bona & negotia tua omnia, imò, sicut indicâsti, tamquam moriturus feciśti testamentum; in eo quidem & quod debes & quod tam longum ac periculosum iter exigit, præstitisti; at, quantùm perspicio, non est factum à te, quod magis obligat, quodque consistit in ordinata animæ dispositione, quâ [nempe] noxas ritè confitearis ac reficiaris epulo Eucharistico, ut istud iter arripias, Deumque, qui te conservet ac ducat, habeas propitium.

ad peccatorum confessionem,

396 Unum equidem animo pervolvi, neque id te cruciet, certò enim ita factum oportet. Negotium meum (etiamsi vehementer desidero) non
C adeo urget, quin discessus differri queat per mensem. Minimè autem deceret, te domum reverti vel obambulare civitatem; quoniam jam valedixisti omnibus: in hoc itaque cubiculo te contine per mensem illum; nemo id noverit præter servum unum, qui cum amore ac secreto tibi serviet: spargetur rumor *d*, jam te profectum esse. Hoc autem mense recole memoriam, discute conscientiam, & cogita, cui peccata in sacra confessione velis patefacere, ego enim, nemine conscio, ipsum arcessam. Animam sordibus elue, tamquam eques Christianus & probus ecclesiasticus, pridie verò discessùs valdè manè tibi ego in sacello meo sacram Eucharistiam porrigam, atque ita favente Domino proficiscéris.

d

pœnitentiam

397 Nihil ille quidquam reposuit; contrà verò, acsi Spiritus sanctus ad cor ejus loqueretur, uti verè loquebatur per os Servi sui, æquo animo suscepit, dixitque, lubenter se illic permansurum illo mense, discussurum conscientiam, per confessionem noxis animam expiaturum, atque facturum, quidquid suaderet Archiepiscopus; uti reipsa præstitit, & quidem amplius; quoniam sub finem mensis confitenti persuasit confessarius, ut moraretur istic altero mense, persoluturus pœni-
D tentiam sibi impositam & [ulteriorem facturus] animæ expurgationem, peteretque ab Archiepiscopo facultatem differendi suum discessum. Atque ita petiit, nam jam Dominus cor ejus immutaverat, & hominem impium converterat divina gratia in verè pœnitentem & ita secessui addictum, ut claustrum istud sibi paradisum reputaret. Lubenti animo annuit ipsi eam [facultatem] bonus Antistes; nam hoc ipsum peroptabat, & rogabat Dominum quotidie.

ac vitæ emendationem

398 Sub finem duorum mensium dixit ipsi, nec falsò, Româ exspectari oportere litteras aliquot & responsa ad negotium pertinentia, ac gratum sibi fore, si illic moraretur, donec afferrentur; audivisse se, non post multum temporis adfutura. Quoniam autem Deus rem totam dirigebat in utilitatem animæ ipsius, perlubenter consensit canonicus remanere, quamdiu ipse cuperet. Atque ita hunc [Sanctus] clausum tenuit medio anno, peccata sua deplorantem, præstantem opera pœnitentiæ, expurgantem animam, nullam ex ea custodia molestiam sed contrà gaudium percipientem. Ita autem rei prospexit Dominus, ut ne-
E que canonico ulla itinera suscipienda essent, quoniam jam id ingressus erat, quod ejus pluris intererat, vitæ scilicet immutationem ac emendationem, neque Archiepiscopo exspectandæ litteræ, aut mittendus aliquis, qui Romæ conficeret negotium. Nam sub finem medii anni, allata est Bulla, quæ exspectabatur, iis omnino clausulis iisque modis accuratè [compositis,] quibus ipse petierat.

allicit.

399 Tum ita canonicum allocutus est: En, Domine mi, quàm benignum nobis Deum habeamus; pro monitis ac responsis ad te dimittendum, à me Româ exspectatis, ipsa bulla, quo exoptabam modo, advenit, ut opus non sit suscipi à te iter adeo molestum: verumtamen ego non minùs tibi obstringor, quàm si fuisset susceptum: quin & compensabo ac gratum me exhibebo in quacumque re potuero. Spargetur rumor *e*, hac nocte reversum esse te: confectumque jam esse negotium, quod ego desiderabam; manè verò ad ædes tuas & ad ecclesiam redibis: nam felix Roma animæ tuæ exstitit [domus ista.] Egressus est ex isto conclavi ac salutis suæ officina emendatus adeo ac immutatus, ut numquam ad pristina vitia redierit, sed seriò planè Deo servierit ingenti cum ad-
E miratione familiarium, ac bono omnium exemplo. Hoc factum, hic [pius] dolus præstantissimum sanè testimonium [fuit] tum desiderii, quo sanctus Præsul ferebatur in salutem subditorum, tum magnæ circumspectionis ac prudentiæ, quam eum unoquoque servare noverat.

e

Viri imperiti facinus temerarium benignè corripit.

400 Eâdem [prudentiâ] noverat servire [ingeniis] imperitorum ac simplicium, eorumque sufferre ineptias, quando ex bono zelo procedebant, etsi peccaretur in modo. Die quadam cùm nubes ingens cum ingenti tonitru ac fulgure appropinquaret atque vehementes ictus minitaretur Missatæ, loco prope Valentiam, plures Catholici incolæ ad templum accurrerunt, [rogaturi] parochum, ut sacrum Crucis lignum, aut sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum exponeret, quò ea in necessitate salvi forent. Cùm verò loco abesset parochus, senex quidam induit superpelliceum, ac [sumpto] velo ecclesiæ atque aliis faces præferentibus, vas sanctissimum, Eucharistiæ Sacramentum continens, manibus suis deprompsit è sacrario, ac perrexit ad templi valvas, monens omnes, ut magna pietate à Domino flagitarent

mise-

A misericordiam. Et licèt senis hujus facinus temerarium esset & castigatione dignum, faciente illo signum Crucis cum illa sacra Eucharistiæ theca, quam tenebat manibus, per virtutem supremi Domini, in illa exsistentis, & propter reverentiam sanctæ Crucis, ac pium zelum & devotionem simplicis populi, placuit Domino, ut nubes manifestè recederet, nullo illato damno per universum Mistatense territorium. Temeritatis suæ insimulatus est senex apud Archiepiscopum; hic eum advocari jussit, &, cùm adesset, coram magistro Porta, (qui id retulit,) magna benignitate & caritate corripuit, laudans fidem ac pium fervorem, quem tum exhibuerat, sed & commonens ipsum ignorantiæ suæ & irreverentiæ, quâ affecerat sanctissimum Sacramentum, manibus contrectando vas, ad quod solæ attingere possunt [manus] sacerdotum. Cùm autem vir esset utcumque dives, in pœnam injunxit illi, ut confici curaret cereos albos duos grandes, qui per annum integrum singulis diebus Dominicis arderent ab eo tempore sacrificii Missæ, quo sacerdos se parat ad conficiendum Corpus ac Sanguinem Do-
B mini, usque dum eumdem divinum cibum sumit.

ANNOTATA.

a *Denuo interserit aliqua biographus, quibus ostendat, prudentiam præsulibus esse necessariam.*

b *Singulos hosce prudentiæ effectus etiam ratiocinio & auctoritate firmat auctor.*

c *Imò potiùs ex cap. 2 lib. 3.*

d *Hispanicè* echaremos boz, *quod propriè sonat* spargemus rumorem, *vel* spargetur à nobis rumor, *quodque difficile est pro rei gestæ circumstantiis ita exponere, ut omnino vacet mendacio. Quapropter ita locutum esse Sanctum existimo (neque enim mihi verisimile est, ab auctore, ubicumque eum loquentem inducit, ipsa prorsus ipsius verba exprimi,) ut tantùm indicare voluerit, quòd homines ex iis, quæ præcesserant, judicaturi essent, canonicum verè Romam esse profectum, quem errorem ob justas causas non erant dedocendi: atque hujusmodi expositionem patiuntur voces* spargetur rumor.

e *Hisp. rursus* echaremos boz. *Vide lit. præced. Porrò rem hìc narratam sic perstringit Coccinus pag.* 520. Quemdam canonicum dissolutè viventem ad
C se vocavit, eique injunxit, ut res suas componeret & noctu ad se accederet, quasi manè Romam profecturus: quod cùm ille perfecisset, per mensem integrum cubiculo detinuit, totoque illo tempore ad meliorem frugem & generalem peccatorum expiationem hortatus est; cúmque post sex mensium retentionem verus Christi miles evasisset: Necesse non est ampliùs, inquit, Romam proficisci; cùm te in cælestem civitatem hac ratione proficisci decreverim; quibus dictis, eum dimisit, & universa civitas à Romana curia reversum fuisse credidit: & sanè magnam hujusmodi correctio peperit in canonico vitæ mutationem, ut deponunt de auditu in Processu Valentino... Petrus Moncada... Michaël Hieronymus Vinaron... & generaliter de hoc facto deponit Petrus Valentinus... examinatus authoritate ordinaria.

A. M. SALONIO.

CAPUT XIV.

Eximia caritate subditorum necessitatibus occurrit, & improbos clericos ad frugem revocat.

ETsi munus Antistitis virum requirat valdè perfectum & omni virtutem genere cumulatum, uti indicavit Redemptor noster, comparans illum in Euangelio tot tamque diversis rebus, ut sali, luci, civitati supra montem positæ & lucernæ positæ super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Oportet tamen inter omnes eam reperiri in ipso atque elucere, quæ magis præcipua, quæque reliquas omnes perficit ac verum Dei servum & amicum constituit, nempe caritatem *a*. Ex iis quæ hactenus vidimus, facilè intelligitur, quàm intima caritate oves suas diligeret E benedictus ille Pastor. Etenim si in ipso cum dignitate ac sacro principatu omnes (uti constat) virtutes incrementum ceperint, quantùm [putabimus] eam, quæ inter omnes palmam obtinet, quamque usque adeo in antistite desiderat Dominus noster, accrevisse in ejus anima, videntis se Episcopum cum nova obligatione diligendi ampliùs suos subditos, quos jam, (ut aiebat ipse,) diligere necesse erat non ut proximos suos tantùm, sed ut proprios filios? A fructibus, ut ait Dominus in Euangelio, cognoscenda est cujusque caritas; & ab illis videbitur, quàm ingenti ac præcellenti [præditus] fuerit beatus pater D. Thomas.

Vehementi caritate incensus

a

402 Hujus virtutis (prout docet S. Paulus) fructus principales sunt, sentire fratrum calamitates tamquam proprias, indolere ipsorum lapsibus, procurare emendationem, honori ipsorum consulere, deplorare delicta, & lacrymas imò sanguinem pro iis effundere, tolerare eorum molestias atque omnium sustinere ingenia, ut omnes lucrifaciamus, misereścere ipsorum in necessitatibus ac defectibus, iisque, quo possumus modo, subvenire. Mirandum sanè est, quantùm in hisce omnibus enituerit benedictus Pater, secundùm id, quod o-F mnes testes referunt de insigni ejus pietate, commiseratione, clementia reliquisque, hìc mox recensitis à me, veræ caritatis effectibus. Subditorum suorum tam spirituales quàm temporales miserias adeo sentiebat, ut, quemadmodum affirmant, qui eadem in domo ipsi convixerunt, sæpiùs, cùm accederet pauper manifestaturus egestatem suam, vel persona alia afflicta ex ejus [alloquio] haustura consolationem, abundantiores essent lacrymæ, ex piissimi Patris ob sensum & commiserationem, quâ afficiebat ipsum istius personæ miseria & necessitas, oculis profluentes, quàm quas ipsa effundebat persona afflicta. Ex eadem caritate & commiseratione noctes, quibus homines ad sublevandas molestias in stratum se projiciunt, transigebat ad pedes [imaginis] Crucifixi, quam servabat in oratorio, orando ac plorando pro [molestiis] proximorum. Accidit pluribus vicibus, ut sub horam decimam aut undecimam orare Dominum inciperet pro necessitatibus ac molestiis, secum pridie communicatis, atque dies eluceśceret, cùm nondum recessisset à pedibus Jesu Christi, tamquam alter Jacob; quippe, licèt

ex proximi miseriis multùm affligitur,

A. M. SALONIO.

lux appropinquaret, dimittere nolebat cælestem illam exercitationem & luctam cum Angelo [novi] Testamenti, ad cujus pedes prostratus erat, donec loco benedictionis concederet remedium ac solatium personis, pro quibus orabat.

remedium iis quærit,

403 Lingua communiter clara est interpres & testis manifesta ejus, quod continetur ac sentitur in corde hominum præsertim sincerorum, simplicium ac fraude expertium, qualis erat Dei Servus. Hinc, sicut referebant episcopus Segrianus & magister Porta, in prandio ac vesperi & quandocumque erant apud sanctum Antistitem, hi erant sermones ejus, nec de re alia agebat, quàm de hujuscemodi: Quo pacto huic subveniemus? Ite, consolamini istum; cui pauperis illius viduæ miseriam commendabimus, ut litem ejus defendat? Nec hujusmodi [sermonum] umquam tædebat ipsum. Quotcumque & quâcumque hora ad ipsum recurrebant, nullus molestus ei videbatur, nullum tempus importunum, nulla necessitas immedicabilis. Idcirco mandaverat famulis suis, nominatim janitori, ut neminem dimitterent, nemini molesti essent, omnes exciperent cum amore & humanitate, ac se vocarent & monerent extemplò: quòd

B

hæc sua esset consolatio, sua voluptas, & pars vitæ optima, dum oves suæ adveniebant petituræ consilium in negotiis vel solatium & subsidium in miseriis.

ac subministrat.

404 Mandavit Dominus, ut Aaron summus sacerdos nomina filiorum Israël scripta gestaret in pectore & super humeros, docens præsulem debere subditos pectori inscriptos habere per amorem, eosque humeris suis gestare succurrendo in necessitatibus, juvando in calamitatibus, sustinendo eorum imperfectiones, indolendo ipsorum lapsibus, ac manum porrigendo, ut surgant. Hæc omnia cumulatè explevit bonus Pater, subditos suos omnes ex corde diligens, magna pietate & liberalitate, ut videbimus, adjuvans in necessitatibus, condolens lapsis, magna benignitate & clementia opem ad surgendum conferens, odio prosequens delicta, & amans personas, emendationemque procurans absque honoris detrimento. Ut grandem insignis hujus Servi Dei & magni Præsulis caritatem perspiciamus, initium ducemus à singulari commiseratione, quâ affectus fuit erga lapsos in aliquot delicta, & à pietate, quâ usus est ad eos erigendos, tamquam à primario ac præcipuo excellentissimæ hujus virtutis effectu. Dein sermonem instituemus de ea [pietate,] quâ ferebatur in pauperes ac temporali necessitate pressos, magna liberalitate & largitate ipsis succurendo & subsidium afferendo.

C

Clericorum emendationi intensè studet

b

405 Animas damnationi eripuit, cælo lucratus est homines flagitiosos, præsertim clericos, (nam de secularibus locuti sumus cap. XIII & XIV *b*,) quos à vita licentiore ac pernicioso exemplo deduxit ad veram pœnitentiam tam insigni emendatione, ut non tantùm è perdito suo statu emergerent, verùm etiam multi vitam religiosam, & nonnulli Carthusianam amplecterentur, ad eum modum, ut, si de singulis scribendum esset, referendumque, quod in depositionibus suis declarant testes, hæc una materia sufficeret conficiendis multis libris. Tam singulari cura aggressus illud est, tamque multos exemit è luto vitiorum, ut lectu mirabile sit, quod hac super re testantur illi, quodque per cæleste illud instrumentum operatus est Spiritus sanctus. Ut ecclesiasticos, quia aliorum omnium multùm interest exemplum ipsorum, peccato subtraheret, nulli labori parcebat, nulla re cruciabatur, respiciebat nullam; quamtumvis intercederet sui juris dispendium, dummodo animam unam lucrifaceret, deduceretque ad damnationis suæ agnitionem ac peccatorum odium. Si eum in finem opus erat impendere pecuniam, perlubenter impendebat; si meditari artes & dolos, meditabatur ac reperiebat; si effundere proprium sanguinem, effundebat. Denique in hoc cælesti Seraphino (nam sic vocari meretur anima adeo accensa amore divinæ gloriæ & salutis proximorum,) effectus omnes ac proprietates benignitatis, commiserationis, mansuetudinis, zeli salutis animarum, & quidquid præterea in pectore pleno veræ caritatis reperiri docet S. Paulus apostolus, conspecta sunt. Loquemur de nonnullis, à minoribus exordium sumentes.

D

flagitiosos benignè

406 Dum in parœcia quadam hujusce civitatis feriâ sextâ, quâ Christi patientis mysteria recoluntur, officium celebrabatur, unus è primariis ejusdem sacerdotibus stans in altari coram sanctissimo Sacramento, quod ipsemet è Sepulcro detulerat, tantâ irâ incensus fuit, quia aliquid in choro canentes prætermiserant, ut sui impos alta voce in blasphemiam eruperit, cum ingenti omnium in ecclesia præsentium offensione. Delatus est ad Archiepiscopum; hic ipsum accivit, & pro meritis corripuit,

E

cogitans castigare severiùs; at conspiciens ejus lacrymas, easque ex vero cordis dolore prorumpentes, dixit: Sanè blasphemia à te prolata ac datum inde scandalum digna erant, ut, sicut animo conceperam, severè te castigarem; tamen vices hîc gero illius misericordis Domini, qui peccati reum, cernens dolentem ac profundentem lacrymas, amplectitur & veniâ impertitur. Atque idcirco quoniam culpas agnoscis ac sentis & deploras ut [bene] Christianus, ego tibi condono & clementer te habebo. Triduanum servato jejunium, & per idem eleëmosynas in pauperes tuæ parœciæ erogato: quia verò facinus fuit publicum & exemplo pernicioso, adito ecclesiam ac videant te in choro, at Missam ne celebres intra dies quindecim, ut intelligant omnes, quòd is non ausit ad Dominum ejusve altare accedere, qui illum in altari tantopere offendit.

ac prudenter corripuit,

407 Accusavit Laïcus clericum, quòd mulierem haberet & triplicem ex ea prolem. Bonus Antistes, quo modo meliùs potuit, defendit clericum, cupiens honorem ejus illæsum servare: at laïcus adeo ægrè id tulit, ut in hæc verba prorumperet: Tua Dominatio usque adeo bona est, ut velit etiam tueri improbos. Non idcirco ille succensuit; sed allegans rationem suam, dimisit illum, ac mox arcessivit clericum. Hunc oratorio suo inclusum ita corripuit, ut, quamvis improbus amor esset acer ac vetus & liberorum pignore [firmatus,] decreverit ille numquam posthac oculis intueri mulierem istam, atque omnem præscindere Dei ultrà offendendi occasionem. Hoc autem tam piè servavit, ut sanctus Archiepiscopus, tum quia cernebat insignem ejus emendationem, tum ne, muliere ac liberis in egestate relictis, illi superesset occasio redeundi ad pristinos [mores,] illam nuptui tradiderit, liberos autem, qui erant parvuli, educandos dederit. Ex hisce duos pueros collocavit apud artifices, horum artem edocendos, puellam, quæ ætate major erat, apud matronam; ubi verò illa nubilis evasit, dotem concessit, & matrimonio junxit.

F

ac, præmissa ad Deum prece,

408 Certior factus est, duos alios clericos vitam ducere flagitiosam, ita quidem ut alter domi suæ clàm mulierem haberet, alter in propinquo domus suæ cum secreto transitu, facilem crimini viam aperiente, advocari jussit utrumque seorsum,

A ſum, obteſtatus antè enixè Dominum, ut linguam ſuam dirigeret, atque ovibus iſtis perditis lumen impertiretur, quo reprehenſionem & doctrinam ſuam, ut debebant, acciperent, improbum ſuum vivendi modum agnoſcerent & ad frugem redirent. Cùm adveniſſent, ambos alternatim in oratorium ſuum, ut ſolebat, conduxit, & proſtratus ante ſacram Crucifixi imaginem, eo ſpiritu ac ſenſu de damnatione animarum ipſorum reprehendit, ut, quemadmodum ipſi poſtea narraverunt, vox quælibet ipſis eſſet ſagitta ardens, cor tranſfodiens & incendens. Receſſerunt illinc ambo ita permutati, ut numquam ad peccatum redierint; contrà verò per dies aliquot abſcedentes à civitate ad deflendam meliùs Dei offenſam, ac diſcutiendam conſcientiam, generalem totius vitæ confeſſionem inſtituerint, atque omne, quo dein in vita ſuperſtites fuerunt, tempus impenderint multis veræ pœnitentiæ operibus. Et quia bonus ille Paſtor, qui ſubveniebat omnibus, intellexit, clericos illos pauperes eſſe, & ex paupertate defectum rei neceſſariæ, occaſionem fuiſſe lapſui ipſorum cum iſtis mulierculis, quæ bonis aliquot gaudebant, vocavit ambos ad ſe, juſſitque ærarii ſui cuſtodem utrique menſe quolibet tribuere ſtatam pecuniæ ſummam, quâ domum ſuam ſuſtentaret congruè & abſque animarum ſuarum periculo. Curavit autem, ut mulieres matrimonium inirent, iiſque quò honorificentiùs id fieret, ac Domino ſervirent matrimonio junctæ, opitulatus eſt.

B

409 Fuit clericus alter magis immemor divini timoris & obligationis ſtatus ſui: is nocte quadam armis ac romphæâ probè inſtructus habituque, quales erant & mores & vita, à conditione ſua valdè alieno, per civitatem hanc incedens, incidit in miniſtrum juſtitiæ, & quamvis ſeſe, non ſine gravi omnium illum comitantium ſcandalo, defendere conatus ſit, captus tandem eſt & deductus ad Archiepiſcopum. Magno animi dolore correptus fuit bonus Paſtor, tali habitu & inceſſu talique hora virum eccleſiaſticum conſpicatus; mandavit mox miniſtris, qui captum adducebant, ut & ipſum & arma ipſius ibidem relinquerent. Dimiſit ipſos, jubens mercedem ipſis perſolvi, hanc debitam eſſe, inquiens, ob [ſuſceptum] laborem; ceterùm abirent in nomine Domini, ſui muneris eſſe proſpicere ovi ſuæ. Cùm receſſiſſent omnes, in proprio cubiculo, ubi lectus ejus erat, binas culcitas mattæ impoſitas cum ſtragulo collocari & clerico lectum ſterni juſſit. Ita factum eſt; dum autem is, qui ferro onuſtus conjici in tenebroſum antrum promerebatur, cubitum iverat, pater F. Thomas in oratorium ſe contulit, oraturus Dominum magno doloris ſenſu multiſque cum lacrymis, ut animæ iſtius miſereſceret, nec permitteret perditum ire Sanguinem, quem pro ipſa effuderat in Cruce. Detinuit illic ſeſe longo temporis ſpatio, ut divinam pietatem petitioni ſuæ propitiam redderet.

criminum turpitudinem

C

410 Elapſa media nocte, cubiculum ſuum, ubi jacebat clericus in lecto, quem ipſi ſterni juſſerat, repetiit, &, non depoſitis veſtimentis, ſuo [lecto] ſe impoſuit, atque hinc per reliquam noctis partem ingenti de infelicitate ipſius ſenſu cœpit corripere & exhortari, ob oculos ei ponens, quid pro ejus ſalute egerit Jeſus Chriſtus, quàm exactam rationem ſit petiturus; quid animæ ejus obventurum fuiſſet, ſi eo in ſtatu mors corripuiſſet: & minas intentans: Imò verò corripiet, niſi ad frugem redeas, [inquiebat] & hujuſcemodi alia, (ſicut ipſe narravit clericus) tanto ſpiritu ac fervore, ut clericus, etiamſi profligatus ac perditus erat, vixeratque hactenus omnis expers Dei timoris, perpendens Antiſtitis ſui caritatem & benignitatem, ejuſque ibidem dicta, aperire cœperit mentis oculos, & ob antè actam vitam pudore ſuffuſus, eo ipſo loco & ſeriò prorſus decreverit vitam novam inſtituere. Ubi dies advenerat, dimiſit ipſum, dicens: Vade felici greſſu ac favente Deo in domum tuam, & quas gratias Deo acceptas referre debeas, agnoſce, eumque ora ſuppliciter, ut det tibi [facultatem] comprehendendi ac perſpiciendi dicta mea, nihil à te requiro ulteriùs. Repetiit domum ſuam clericus, ibique in ſolitudine continuit ſeſe diebus aliquot ad inſtituendam confeſſionem generalem; quod & exſecutioni mandavit, vixitque dein adeo immutatus ac diſpar ſui, ut notos omnes in admirationem conjiceret. Eventus ſanè notabilis eſt, dum attendimus, quâ viâ ſtatu tam improbo ipſum exemerit, ac probum eccleſiaſticum & Dei ſervum reddiderit, qualis pòſt exſtitit toto vitæ curſu.

iis proponit,

A. M. SALONIO.

411 Alium clericum flagitioſæ vitæ accuſatum advocari juſſit per ſervum domeſticum (quòd refugeret vocare per apparitorem, diceretque, notam inuri ſacerdoti, dum vocatur per apparitorem.) Cùm adveniſſet, dixit: Præſtolare pauliſper. Ingreſſus eſt, ut ipſi mos erat, oratorium commendaturus illum Domino; paravit accuſationem adversùs illum inſtitutam, vocari juſſit, & in genua provolutus ante ſacram Crucifixi imaginem, affatus illum eſt: Ecce hîc teneo accuſationem adversùm te. Nolo equidem eam evocare ad juſtitiæ tribunal, quia oportet in ſacerdote plus roboris habere timorem Dei, quàm quemlibet alium humanum reſpectum vel metum. Hîc conſiſtimus coram Jeſu Chriſto crucifixo, qui & te & me judicaturus eſt: nec ſcimus, an fortaſſe ante diem craſtinum: verè mihi dicito, quam vitam agas: equidem nec jubeo hoc te, nec cenſuras eccleſiaſticas intento, ſed rogo ob rationem, quam reddere debemus Chriſto crucifixo, ut ego medicinam ac remedium tibi applicare queam, conducens ad ſalutem tuam. Tantum valuerunt verba iſta in corde clerici, ut, non ſecùs acſi in Sacramento pœnitentiæ peccata apud ipſum expiaret, vitam ſuam illi aperuerit.

ut pœnitentes

E

412 Audito ovis iſtius perdito ſtatu, Paſtor bonus infelicitatis ejus tanta tactus eſt commiſeratione, ut mox ex oculis erumperent lacrymæ, per quas & per reprehenſionem ſibi factam, omnes ille cogitationes mox aliò convertit, & illinc receſſit adeo immutatus tantoque tactus mœrore ac dolore offenſæ in Dominum commiſſæ, ut domum repetens in plateis lacrymas cohibere non valeret, & vitæ improbè peractæ pœnitentiam egerit adeo ſinceram, eamque ita emendârit, ut omnibus bono eſſet exemplo, quos antè pravo exemplo læſerat. Idem, quod de iſto memoravi, narrant teſtes de pluribus aliis, quos eâdem viâ commiſerationis ac paternæ reprehenſionis, comitante frequenti ad Deum pro illis oratione, peccato ſurripuit, & veros perfecit pœnitentes ac Dei cultores. Mitto hîc enumerare illos, eſſet quippe repetere eumdem modum, quo animas, hîc à me memoratas, lucratus eſt, ac lectori tædium crearetur. Hoc certum, innumeros eſſe clericos & ſeculares, quos per eam caritatis & miſericordiæ ſemitam cælo lucratus eſt, ac dæmonis unguibus ſubtraxit; id peculiariùs perſpiciemus ſequenti capite.

ad frugem redeant.

F

ANNOTATA.

a *Hujus doctrinæ teſtimonium repetit biographus ab*

A. M. Salonio.

ab exemplo Christi Joan. 21 ℣ 15 & seqq. Petrum ovium suarum pastorem declaraturi ac de sola dilectione interrogantis, atque ei diu inhæret, ut apud ipsum videre est: neque enim istud ad historiam nostram propriè pertinet.

b *Irrepsit error in numeros Salonii, nam præsens caput apud ipsum est tantùm decimum tertium: lege itaque* cap. XI & XII, *quæ apud nos, quia unum in bina divisimus, sunt* XII & XIII.

CAPUT XV.

Ejusdem materiæ prosecutio.

Ad ejus verba tremunt improbi.

a

CUm perspiceret apud aliquos ob duritiem ac pertinaciam non sufficere modum [suprà memoratum,] *a* adjiciebat proprii corporis, nihil tale promeriti, castigationem, atque profusionem sanguinis ad emoliendam eorum duritiem, & eos convertendos. Hisce duobus modis plures jam perditas animas inferno exemit, & uterque ingenti

B

ejus caritate ac prudentia adhibitus, magnos effectus protulit, vimque habuit insignem. Ad primum quod spectat, puta reprehensionem, referebant multi, per eam ad frugem reducti, quòd summa pœna, quâ sani judicii clericus affici poterat à sancto Antistite, esset comparere coram ipso & ex ore ipsius excipere castigationem: quoniam verba ipsius erant adeo fervida ac lacrymæ, quas interea profundebat, adeo vehementes, ut castigati anima trepidaret, videreturque sibi versari in judicio divino; imò istinc abiens ita, quod audierat, cordi impressum servaret, ut nec oblivisci posset, nec eo non uti ad profectum suum. Multi affirmabant, se, etiamsi ad frugem rediturі non fuissent propter timorem Dei & proprium animarum suarum commodum, peccata tamen relicturos fuisse, ne (ut aiebant,) alteram ab Archiepiscopo reprehensionem exciperent & ne secundò coram ipso interessent divino illi judicio.

Sacerdos primùm rebellis, ita reprehensione movetur,

C

414 Vicarius in una ex præcipuis civitatis hujus ecclesiis accusatus fuit, quòd flagitiosè admodùm viveret. Vocavit ipsum, ut corriperet: erat ille homo superbus, & ad primas corripientis voces acerbo animi sensu permotus, cœpit exuere reverentiam. Jussit [Sanctus] intrudi in carcerem; verùm cùm jam essent abducturi, doluit ovis suæ vicem, revocavit, & cum ipso sese oratorio includens, tamquam Pater objurgavit, exponens ipsi, sacerdoti & animarum rectori, status sui obligationem, pravum exemplum & occasionem, quam parœciæ subditis præbebat, vitam, qualem ipse ducebat, ducendi [improbam,] exactam rationem in supremo Dei judicio reddendam, aliaque, per quæ ei aperti sunt oculi ad dignoscendam animæ suæ perniciem. Ita [permotus] ille fuit, ut ad pedes se projecerit, multis lacrymis orans, ut veniam sibi concederet ac manus [deosculandas] porrigeret. Erexit eum [Sanctus] inquiens: Equidem confido divinæ misericordiæ & huic, quem in te adverto, doloris sensui, fore ut te emendes, imò lubenti animo in pace te extemplò domum remitterem; attamen tam propter eos, quibus improbo tuo exemplo offensioni fuisti, quàm propter irreverentiam mihi, Dei vices gerenti, coram aliis exhibitam, & partim in pœnitentiam delictorum tuorum, per dies aliquot in carcere detineberis: hoc patienter sustine, attendens quantillum id sit ei, qui promeritus est morte corripi in peccatis ac detrudi in perpetuum inferorum carcerem.

D

ut sponte in carcerem abeat,

415 Ea reprehensio tanto amore facta adeo felicem sortita est effectum in sacerdote, ut illinc è conspectu Archiepiscopi abscedens, ad carcerem perrexerit, atque in obscurum [antrum] se receperit; & quantumvis id intelligens pater D. Thomas, mandârit, ut inde exiret, ac pro custodia sua assumeret superiora conclavia, utque diebus, quibus illic degeret, honestè exciperetur, ipse pudore suffusus ex offensa in Deum commissa, & injuria illata Antistiti suo, tam sancto (ut loquebatur) tamque digno omni veneratione, rogari jusserit suppliciter, ut istic manendi veniam daret: quandoquidem probè novisset sua Dominatio, quàm exigua esset pœna qualiscumque [comparata] ad eam, quam promeruerant sua delicta. Perstitit in obscuro illo carcere duorum mensium spatio, neminem videre desiderans, nec alia re vesci volens, quàm pane & crudis herbis in modum asceterii, diu noctuque lacrymas profundens cum viva gravitatis criminum suorum agnitione ac vehementi dolore, quòd tantopere læsisset Deum creatorem suum.

nec inde recedat, nisi ex obedientia jussus ab Antistite;

416 Durantibus illis duobus mensibus pœnitentem inter & Antistitem sancta fuit concertatio; mandante Antistite, ut domum repeteret, quoniam istic posset agere pœnitentiam, sibi à Deo suggestam; pœnitente verò ipsum orante suppliciter, ut se illic sineret consummare vitam in pane doloris & amaritudine animæ suæ. Infinitas pater D. Thomas Domino Deo gratias egit pro eo, quod divina manu sua operatus erat in ovicula ista. Sed expletis mensibus duobus, non sustinuit, eum istic diutius persistere, jussitque absolutè & ex obedientia redire in domum suam & ecclesiam, ac proficere ex tantis gratiis, quantis ipsum donaverat Deus. Tum obediens mandato Antistitis, carcerem deseruit, & reliquum vitæ tempus sanctissimè transegit cum tanta à mundanis rebus mentis avocatione tamque bono exemplo, ut, qui noverant, obstupescerent, tam insignem in moribus ac vita cernentes immutationem.

alterum post primam correptionem relapsum

417 Sacerdos alter venit aliquando in ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu, & postquam flexis genibus ante sepulcrum sancti Præsulis sæpiùs deosculatus fuerat pedes ac manus statuæ marmoreæ, eidem sepulcro impositæ, cœpit lacrymas profundere tantâ abundantiâ, ut ædituo id advertenti post aliquod temporis intervallum visum sit adire ipsum, ac rogare quid animo persentisceret. Sacerdos, ab iis temperare nequiens, respondit; Noli mirari, pater, quod conspicis in me: nam sanctus ille Archiepiscopus me ex inferis eripuit, & Christianum fecit, quia juxta vitæ institutum, neque talis eram, imò neque homo ratione præditus, sed bellua. Vitam agebam adeo dissolutam, ut apparitores ejus, pessimis exemplis meis offensi, absque ejus mandato vel jussu me comprehenderint, & die quadam in ejus conspectum produxerint, ubi me increpuit vehementer, attamen restitui me jussit libertati, quoniam pollicitus sum fore, ut ad frugem redirem.

F

verbis, prece & lacrymis

418 Ast ego utique nequam & immemor misericordiæ, ab ipso mihi exhibitæ, mox ad pervicaciam redii. Ejus certior factus, jussit me secundò apprehendi ac perduci ad se. Explicare nequeo, qualis hac secunda vice ad ipsum accesserim, quàm animo contremiscerem; quoniam certus mihi eram, præ delictis meis ac pravis exemplis parum fore, triremibus in perpetuum addici, atque etiam sacerdotii dignitate & insignibus orbari.

A bari. Ubi me in conſpectu habuit, apparitores relinquere me iſtic ac recedere juſſit, & ſeſe mecum oratorio includens, ſic affari cœpit: Credis tu, Deum eſſe, qui videat ac nôrit tua ſcelera? Credis, Judicem eſſe in cælis, qui de illis à te & à me rationem exacturus ſit? Oportet, te nec Chriſtianum eſſe, nec credere alteram eſſe vitam, eſſe judicium, pœnam, imò eſſe infernum tibi [paratum] in ſempiternum. Infelicem me paſtorem, cui incumbit reddere rationem ovis adeo perditæ atque hominis adeo flagitioſi, qualis es tu! Et converſus ad piiſſimam imaginem Crucifixi, quam iſtic habebat, dixit: Supreme Paſtor, miſerere ovis tam perditæ, qualis iſta eſt, & paſtoris adeo infortunati, qualis ſum ego. Et hoc proferens, ſingultire cœpit ac plorare tam acriter, ut vel ſolus ejus aſpectus tremorem cordi meo injiceret, & tanto dolore corriperet animum, ut me vitâ defungi iſtic exiſtimarem; & id quidem mihi gratum fuiſſet, ut iſto conſpectu liberarer. Et ſanè ſola perceptio eorum, quæ dicebat, ſoluſque aſpectus doloris, quo perniciem meam deplorabat, erat ſufficiens ad exanimandum mortalium fortiſſimum ac robuſtiſſimum, qui coràm adfuiſſet.

B *adeo percellit, ut ad quamcumque pœnam ſe offerat*

419 Vires utcumque collegi, ac me pariter plorans projeci ad pedes ipſius, ſupplex orans, ut quamlibet mihi pœnam infligeret, & ut ipſum propter mea delicta tanto mœrore afflictum ne contuerer, quoniam [pœna] quælibet futura eſſet levis ad eam, quam promerebar. Ingenti autem cum dolore & animo firmiſſimo ibidem ſtatui vitam immutare, idque illi promiſi, quanta potui ſinceritate, non quò mihi veniam impertiret, nam pro notitia, quam mihi per merita boni Paſtoris eodem in loco inſtillaverat Dominus, delictorum meorum & gravitatis criminum, levis videbatur pœna qualiſcumque; ſed tantùm quò ceſſarent lacrymæ per venerandam illam faciem defluentes. Adeo benignus mihi fuit, ut fidem habuerit, verbis confiſus ſit ac dixerit: Nolo te ad triremes damnare, ſicut dignum te eſſe noviſti ac fateris ipſe, vel in carcerem conjicere vel, ut æquum foret, caſtigare: at rem unam flagito, quam ſi præſtiteris, ignoſco. Nimirum: domi tuæ te contineto per menſem, &, quantâ poteris curâ & diligentiâ, vitam ſcrutator, acſi ſtatim mori debeas & ſiſtere te divino judicio; dein totius [vitæ] generalem confeſſionem inſtituito apud confeſſarium

C à me tibi deſignandum, & à Miſſa celebranda abſtineto, donec id expleveris: aliam à te pœnam non requiro. Hoc audiens (inquit ſacerdos) humi me projeci ad pedes ejus & ad ipſa etiam veſtigia, ſi licuiſſet, deoſculanda millenis vicibus; at paſſus id non eſt; ſed mihi brachia imponens: Satis eſt, inquit, vade feliciter, ac Dominus per ſuam miſericordiam cordi tuo dicta mea imprimat.

& ſeriò pœniteat;

420 Illinc egreſſus (inquit ſacerdos) mandatum ejus implevi, atque ita mihi impreſſa fuerunt beati Antiſtitis verba ac lacrymæ, ut numquam memoriâ excidant, talemque me comperi, qualis eſt homo, qui, obſcuro carcere detentus, eductus eſt ad perfruendum cæli conſpectu ac ſolis lumine. Viſus mihi ſum tunc cœpiſſe aperire oculos, ut revera tunc aperui, factuſque mihi eſt mundus alter; cœpi Chriſtianus eſſe & ſacerdos, qualis non fueram ad illud uſque tempus. Nec dubito, quin, ſicut Sancti verba & lacrymæ principium fuere converſionis ac pœnitentiæ meæ, ita etiam nunc ob ejus in cælo preces mihi à Dei miſericordia conceſſa ſit perſeverantia, quoniam ipſi commendo me die quolibet. Ea eſt ratio (dixit) pater, cur hunc lapidem intueri & ad ſepulcrum illud accedere nequeam, quin cor mihi molleſcat, & modo, quo conſpicis, erumpant ex oculis lacrymæ. Si poſſibile mihi ac licitum ſit, nolim umquam recedere ab hoc ſepulcro, in quo quieſcit is, qui me inferno furripuit, & animæ vitam dedit. Hæc omnia magno animi ſenſu ac multis cum lacrymis ſacerdos ille retulit ſuprà memorato ædituo. A. M. SALONIO.

421 Nec hic ſtetit caritas ſancti Antiſtitis; pluris quàm lacrymis conſtitere ipſi oves nonnullæ; imò proprium ſanguinem ipſis nonnumquam impendit, flagris acriter in ſe ſæviens, ut exaudiret illum Deus, ac per miſericordiam ſuam lumine perfunderet eum, quem convertere cupiebat. Sæpe clericum improbæ vitæ ac pravi exempli, quod præbebat in vicinia, coarguerat; intelligens autem, non redire illum ad frugem, ſed abuti ſuâ miſericordiâ, advocari juſſit per apparitorem; non tamen apparitore illum comitante, ut ſequenti capite memorabimus. Dum advenerat, ingreſſus eſt oratorium, obſerans probè januas ac jubens famulum ſervare eas, ne quis accederet. Cùm ſoli eſſent, (ut ipſemet deinde narravit clericus,) graviter illum increpuit, ſibi ipſe culpam adſcribens ac dicens: Tua pertinacia mihi culpæ eſt, non tibi: mihi, quòd tantâ miſericordiâ adversùm te E uſus ſim, reprehendendo te toties, nec ſecunda aut tertia vice te puniendo, exiſtimans fore, ut flecterem per hanc pietatis ſemitam: ego culpam admiſi, & quoniam admiſi, æquum eſt, ut & ego pœnitentiam agam. Hæc dicens plures inter lacrymas, proſtratus ante Crucifixum, exuit ſcapulare & cucullum, veſte exeruit brachia, & denudata parte humerorum, flagris ibidem paratis, cædere ſe cœpit atrociter, plorans aſſiduò oranſque Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ſibi condonaret perniciem iſtius animæ, quæ ex ejus culpa tamdiu flagitiis inhærebat. Tales autem ſibi ictus infligebat, ut veſtes poſtea ſanguine conſperſæ apparuerint.

coram alio fruſtra ſæpe monito

422 Perculſus ſtetit atque exanimatus clericus, cernens, quam de ſe pœnam ſumeret ſanctus Antiſtes. Et projiciens ſe ad pedes ejus, plorans amariſſimè, rubore perfuſus ac delictorum ſuorum plenus pudore, ſupplex oravit, ut pro amore Dei ſibi porrigeret flagella, ſuum eſſe enim præſtare pœnitentiam, quoniam abuſus fuerat ejus miſericordiâ. Spopondit autem coram eadem ſacra Crucifixi imagine, tam ſeriam inſtituturum ſe emendationem, ut & ſuæ dominationi & mundo uni- F verſo ad oculum pateret. Itaque complevit corporis ſui caſtigationem bonus Pater, &, reſumptis veſtibus, verbis admodùm ferventibus, & magno animi affectu cohortatus illum eſt ad emendationem: ita ut clericus illinc abſcederet corde immutatus, nec valens fletum comprimere. Domum perrexit, in eademque ſe concluſit, ad dies aliquot neque exiens, neque agens cum quopiam, crimina ſua & tempus, quo iis immerſus fuerat, deplorans. Deinde tantum languorem ac pallorem contraxit ex terrore ſibi inflicto per ea, quæ ſpectârat in oratorio Archiepiſcopi, ut ultra medium annum recuperare non valuerit colorem naturalem; tantum autem inceſſit ipſum emendandi ſe, ac Deo ſerviendi deſiderium, tamque id perfectè explevit, ut toto tempore, quo pòſt in vita ſuperſtes fuit, egregium ſeſe exhibuerit Dei cultorem, & occaſio fuerit in ſua eccleſia, cur etiam alii ad pium ejus exemplum levitatibus valedicerent, ac ſolicitè eniterentur vitam probis ſacerdotibus convenientem inſtituere.

flagris in ſe acriter ſævit, & emendationem impetrat.

423 Sacerdos alter, (& horum ipſemet mihi auctor fuit,) in juventute ſua perditè vivebat cum mu-

A. M. SALONIO. *Pro alio, quem priùs in custodia tenuerat,*

liere, ejus amore incensa, lucro sibi apponente diabolo illius [sacerdotis] egestatem, & hujusce [mulierculæ] divitias, quodque hæc illi dabat, ut firmiore ac obcœcatiore nodo ambos constrictos posslideret. Accivit illum beatus Antistes ac frequenter corripuit solita sua caritate; verùm cùm non resipiscceret, comprehendi jussit & in carcerem conjici vinculis onustum, experturus, an per castigationem ad frugem esset rediturus, qui ad eum modum benignitate & misericordiâ abutebatur. Elapso octiduo, sat diu captivum fuisse ratus, eximi & ad se perduci jussit. Nec miror, longum ei visum fuisse octiduum; quandoquidem, dum ex mera caritate oritur castigatio, pœnam magis persentiscat, qui infligit, quàm qui subit & qualicumque protrahitur temporis intervallo, id diuturnum appareat.

& crimen fatentem

424 Adductum ad se sacerdotem oratorio inclusit ac magno candore animi affatus est: Equidem reprehendi te, minatusque sum sæpiùs fore ut, nisi deserens omnino istam mulierem, vitam emendares, te castigarem severè: tu verò id tibi nec integrum nec possibile esse ais: quid te ipsi obstringit cum tanta Dei offensa ac pravo tot hominum exemplo? Id mihi, quæso, dicito, & animum tuum aperito. Imaginare, te esse hìc non cum archiepiscopo, sed cum omnium, quos habes, amicorum optimo: nam firmiter tibi assevero, non esse secundùm Deum animæ tuæ meliorem nec commodi tui studiosiorem quàm me. Tantam Antistitis sui benignitatem & caritatem cernens sacerdos, sincerè fassus ipsi est crimen suum, tempusque, quo duraverat improbus ille amor, & occasionem ejus præcipuam fuisse, quòd ipse egeret, mulier verò dives sustentaret. Hoc inaudiens Archiepiscopus, acsi quis sicam in corde ipsius defigeret, ad imaginem Crucifixi, illic collocatam, conversus est magna afflictione & multis lacrymis inquiens: Te meorum aliquis ex egestate lædat Rex gloriæ! Sacerdos mihi subditus peccato serviat ob defectum alimenti? Illius hæc, mi Deus, culpa non est, sed mea. Supplex te oro, Domine, per Sanguinem, ista in Cruce à te profusum, miserere hujusce animæ ac lumen præsta, quo infelicem conditionem suam agnoscat, & ad te Creatorem ac Redemptorem suum revertatur. Nam pro ejus peccato, cùm ego non succurrendo ipsi reus sim, ego, Domine, pœnitentiam persolvam. Sanè ex eo, quòd non succurrisset, culpæ reus non erat pater D. Thomas, quoniam ad illud usque tempus [indigentiam] ejus ignoraverat: sed vera caritas & humilitas qualemcumque proximi culpam sibi imputat.

domum remiserat,

425 Conversus dein ad sacerdotem, gravissimè increpuit de peccati fœditate ac de exigua fiducia, quam habuerat in Dei providentia, hortatusque est longo temporis intervallo ad timorem Dei & fiduciam in misericordia Patris cælestis, tantâ curâ nutrientis aves cæli, ac tanta pulchritudine & amœnitate vestientis agros: dimisit dicens: Vade in domum tuam, neque exeas usque in diem crastinum, nec videas mulierem istam, nec quidquam ab ejus manu admittas: ego de qualibet re necessaria tibi prospiciam: recita quanta potes devotione Officium, Domino te commenda, & manè huc redi sub horam septimam. Cùm verò à te, promerito insignem castigationem, tam parum exigam, fac, ne ad unum quidem punctum ab eo, quod dico tibi, recedas. Domum abiit sacerdos, in eamdemque se concluſit, observans, quidquid ab Archiepiscopo præscriptum sibi fuit.

426 Cùm nox advenisset & hora quietis, omnesque jam iviſſent cubitum, oratorium suum ingressus est bonus Antistes, sacerdotis illius emendationem commendaturus Domino. Deprecatio autem in eo consistebat, ut denudaret dorsum ac flagellis feriret atrociter, obsecrans divinam Majestatem, ut misereſceret animæ illius sacerdotis ac suæ, cui ille commissus erat. Ex numero verberum & ardore, quo ea sibi inflixerat, non modò dorsum sed & humeros ac partem pectoris contusionibus ac sanguineis plagis referta habuit, quæ ipsi diebus aliquot acres doloris morsus intulere. Nam licèt frequentes, quibus pro salute ovium suarum se afflictabat, verberationes [chirurgi] operâ indigerent, tamen ad servandum secretum & corporis sui pudorem, eâ non utebatur, atque ita dolor, quem sustinebat, donec sponte sanarentur plagæ, erat acerbior, quàm quem sentiebat ipso tempore verberationis.

D *nocte se ferit atrociter,*

illi manè plagas ostendit,

427 Die postero sub horam septimam matutinam, uti præceperat, reversum ad se sacerdotem, denuò secum oratorio inclusum tenuit, magnoque spiritu ac fletu, (quippe viscera habebat tenerrima, & mox [lacrymæ] in oculis ejus apparebant,) resumpsit adhortationes, & quamquam toto vitæ cursu caverit sibi, ne detegeret peculiaria pietatis exercitia; tamen ut ipsi prodesset magis, ac [strictiùs] obligaret ipsum emendationi & divino obsequio, sustulit scapulare & cucullum, ac vestem paululùm aperiens, ostendit in unius humeri parte, & in pectore plagas flagellorum, quas sibi ipsius causâ ea nocte inflixerat, dixitque: Hanc ego tuorum peccatorum à me pœnam exegi; si ad illa redieris, & usque adeo ingratus & pertinax fueris, ut nec Dei misericordia, nec mei, vicarii ipsius, conatus tibi profuerint, certus esto, non dilaturam diutius divinam justitiam, sed te excisuram inferorum igni pabulum, tamquam arborem siccam, cui nullum prodest remedium.

E

sceleris horrorem ac vitæ emendationem ingerit.

428 Sacerdos plagas istas in Antistite suo conspiciens, tanto pudore correptus fuit, tantoque terrore perculsus per comminationes, eo spiritu & efficacia prolatas, ut, quasi impos animi, se in illum projecerit ad deosculandas cicatrices, ad pedes ejus prolapsus sit & magno animi affectu ac proposito promiserit fore, ut & à muliere & ab omni peccato secederet, ac priùs fame interiret, quàm ut in eam umquam oculos conjiceret. Retulit sacerdos idem, quòd quamvis summo, qui excogitari queat, amore ipsi obstringeretur tam propter peccatum, quàm propter ipsius dona, ita isto tempore ex memoria ac voluntate eam deleverit Dominus, ut pòst nec viderit umquam, nec ejus recordatus fuerit, acsi noviſſet numquam. Ne autem occasione indigentiæ ad Dei offensam rediret, ac mulierem deinceps viseret, dixit ei bonus Pastor: Sevoca animum à negotiis, ac discutiens diligenter vitam & conscientiam, generalem confessionem institue, qualem decet ad perpurgandam [animam:] ego verò jubebo tibi diebus singulis in quadam ecclesia Missam assignari, & ab eleëmosynarum mearum dispensatore mense quolibet elargiri regales triginta, ut honestè vivas: vide, num id sufficiat. Affirmanti sacerdoti, (nam id temporis comparatè ad rerum pretium regalis unus ac medius plus valebant quàm hodiedum quatuor,) contulit istam eleëmosynam multo tempore, donec idem sacerdos aliam occasionem assecutus, unde sibi prospiceret, recipere deinceps renuit; iniquum id esse [ratus] ac subtrahi pauperibus aliis.

F

Simili modo

429 Alius sacerdos, loci cujusdam parochus, accusatus fuit, quòd in propriis ædibus aleret concubinam cum magna loci totius offensa; accivit,

ut

A ut corriperet, & inter corripiendum, jussit ipsum mox domo deturbare mulierem: promisit ille, at non perfecit. Secundò accivit, & oratorio suo inclusum ita est allocutus: Sanusne tu es? Cogitasne esse Deum in cælo, & antistitem in terris, cujus est plectere scelera tua tam publica & ob exemplum tam noxia propriis tuæ parœciæ subditis? Ad istum modum vivens, quo ausu Rem divinam peragis? Quo pacto corripies tuos subditos, ad quod obligaris, utpote animarum rector? Penes te culpa non est; sed penes me, qui te istic constitui, & rectorem esse volui hominem tam impium, ac tu es. Cùm itaque erraverim te rectorem constituens, & ampliùs, dum te accitum & reprehensum abire passus sum, nec in carcerem conjeci: Ego Domine, dixit ad Crucifixum conversus, culpæ reus sum, æquum est, ut & ego supplicium feram. Hæc verba plures inter lacrymas repetens, detexit humerorum partem, cœpitque tam atrocitur se cædere, ut extemplò prosiliret cruor.

430 Obstupuit parochus videns, quo rigore pœnas sumeret de peccatis suis sanctus Antistes, *alios* rubore ac pudore perfusus projecit se ad pedes ejus, lacrymisque ex oculis profluentibus, promisit, testem appellans Jesum Christum cruci affixum, atque expressum in ea sancta imagine, fore ut mulierem mox domo exigeret, non videret ultrà, ac tales in ecclesia sua præstaret actus pœnitentiæ, ut ad frugem excitaret omnes, quos in plebe sua malo exemplo offenderat. Complevit flagrorum pœnam bonus Antistes, & pro insigni benignitate sua fidens promissis sacerdotis dixit: Credo, te ex corde loqui, ac spem meam repono in eximia Domini nostri misericordia: futurum [scilicet,] ut, non attendens ad tua & mea delicta, tibi gratiam largiatur ad perficiendum, quod hîc coram ista Crucifixi imagine pollicitus mihi es: quidquid peractum est, ignosco. Tu, ipso propitio, domum redi, confessionem generalem & novam vitam institue, ac Domino qualibet die gratias age, quòd in statu tam improbo vitam tibi non eripuerit. Abiit sacerdos & mox mulierem domo sua abigendam curavit, ejusque ita amisit memoriam, acsi novisset numquam. Vixit deinde insigni populi exemplo ac documento ad probitatem, continuis vacans pœnitentiæ actionibus, ac multos ex eadem parœcia, qui nequiter vivebant, concitans ad vitam commutandam & serviendum Domino.

C 431 Alter sacerdos, vir præstans ac primario quodam officio fungens in templo principe, impiè vivebat similiter, & magnâ omnium, qui nôrant, offensâ: atque eò devenit vivendi licentia, ut è monialium cœnobio novitiam subduxerit, ac servârit domi suæ. Summo mœrore correptus est id intelligens sanctus Antistes. Simulac autem intellexit, vocari jussit, & introduxit similiter in oratorium coram sacra illa Crucifixi imagine. Tam vehemens erat ipsi doloris sensus, tanta animi afflictio, ut volens inchoare reprehensionem, in lacrymas priùs eruperit & (sicut sacerdos ipse pòst narravit amicis suis) in singultus ex imis visceribus procedentes. Cohibuit, quantùm valuit, sensum istum, cœpitque corripere ipsum, exponens flagitii turpitudinem, ac rem ipsi declarans verbis adeò fervidis, ut fateretur sacerdos, maluisse se tum vitâ functum esse aut in carceribus Chullillensibus *b* detentum, quàm in isto oratorio auditorem eorum, quæ in objurgatione ille proferebat. Denique [Sanctus] sic alloqui ipsum aggressus est: Propter mea delicta permisit Deus, ut tu ad tantum flagitium deductus sis, quantum est, subtrahere ipsi virginem, jam paratam, quæ professionem emitteret & ipsi sponsa evaderet. Si equidem bonus antistes exstitissem, haud permissura fuisset divina ejus benignitas tantam perfidiam, quantam tu illi exhibuisti: quia ego sum pastor improbus, tu ovis es adeo flagitiosa, & multis lacrymis ad Crucifixum conversus dixit: Domine, tam grande crimen ab homine isto commissum, & injuriam tibi ab eodem illatam, permisisti ob mea delicta. Ipsum, Domine, lumine tuo collustra; da ipsi suorum peccatorum notitiam, da spiritum veræ pœnitentiæ & emendationis; & quoniam ob delicta mea te læsit tam graviter, justum est, Domine, ut ego luam. A. M. Salonio.

432 Hæc pronuntians, cœpit denudare humeros ac flagellis ibidem ad hoc præparatis, cædere se tam vehementer, ut foris ictus perciperentur, & cruor erumperet. Usque adeo exhorruit sacerdos, cernens quàm atrociter flagris in se sæviret Præsul tam sanctus, ut ad pedes ejus se projecerit, & flagella manibus eripere, detegere [humeros] ac ferire se ipse voluerit; abnuit tamen pater D. Thomas, & hoc unum dixit: Cùm crimen tam grave, tamque pernicioso exemplo exstiterit, manebis hîc inclusus cubiculo; donec curavero, ut puellam istam recipiant cognati, atque ipsi prospectum sit; tum verò pœnitentiam per me tibi imponendam exsolves. Remansit illic sacerdos cum desiderio emendandi vitam ac persolvendi pœnitentiam. Ad se vocari jussit sanctus Præsul unam è propinquis illius puellæ, quæ tum propter ejus persuasiones, tum propter subsidii pollicitationes illam in ædes suas deduxit, & [à conspectu hominum] remotam servavit; deinde verò post annos aliquot ipse nuptui tradendam curavit. Sacerdotem jussit segregem degere in collegio Societatis Jesu Gandiæ *c*, instituere confessionem generalem, nec Missæ sacrificium celebrare, donec id visum foret patri, apud quem depositurus erat peccata sua. Ita complevit dictus sacerdos, & Valentiam ad munus, quo fungebatur in ecclesia principe, rediit, præbens deinceps incolis omnibus optimum exemplum, & prædicans tum studium, quo ferebatur sanctus Antistes in Dei gloriam & salutem animarum, tum quæ viderat ac audiverat in oratorio isto *d*. Diebus autem plurimis visebat ipsum, & ad pedes ejus deosculandos se prosternebat, compellans animæ suæ Redemptorem. Hac eadem methodo lucratus est bonus Pastor plures alias oves perditas & ex inferni semita reduxit ad Domini obsequium per reprehensiones plenas caritate, fervidas non tantùm profundens lacrymas, sed & cruorem per verberationes flagellorum valdè acres *e*. *ad pœnitentiam & ad frugem perducit.* E *c* *d* F *e*

ANNOTATA.

a *Puta benignitatis & reprehensionis verbotenus factæ: nam hîc denuo prætermisit totum capitis prolixum exordium, quo auctor docet, boni pastoris esse ad exemplum Christi & sanctorum episcoporum martyrum pro ovibus suis sanguinem profundere, atque id præstitisse* S. Thomam, *dum prece, verbis & lacrymis non proficiebat.*

b *Escolanus lib.* 8 *cap.* 21, *num.* 2 *Historiæ Valentinæ* Jullilla *scribit, & eodem teste, locus est pertinens ad archiepiscopatum, situs ad Duriam flumen, habensque arcem munitam, cui includi solent ecclesiastici, dum exigit delictorum gravitas.*

c *Civitas regni Valentini, ducatûs titulo insignis, sat nota est.*

A. M. SALONIO.

d *Coccinus pag.* 518 *ex jam narratis exemplis verisimiliter unum memorat & testimoniis firmat pag.* 518 *& seq.* Reprehenderat, *inquit*, pluries sanctus hic Præsul amantissimis verbis sacerdotem, munus quoddam in ecclesia Valentina obeuntem, visàque tandem ejus proterviâ, ad se vocatum proprio cubiculo, ubi sanctissimi Crucifixi imago aderat, inclusit; ad quem: Meis, inquit, peccatis factum est, ut tam pertinaciter in malè agendo perseveres; cùm mea tot monita nihil hactenus profecerint; & fluentibus ubertim lachrymis, ac denudato corpore, flagellis coram sacerdote verberare se cœpit: quo ille spectaculo commotus, ad pedes sancti Archiepiscopi, rogans, ut desisteret, se projecit, & meliorem vitæ rationem se imposterum secuturum spopondit. Ita deponunt de publica voce & fama in processu Valentino... Carolus Joannes de Torres... Petrus Guttierez... ætatis xci annorum,... qui ultra publicam vocem & famam deponit de auditu à Bernardo Simon, cui hoc de vera scientia innotescebat; Ludovicus Nadal & Franciscus Dymas Pellicer... qui fuit filius dicti sacerdotis, qui etiam ultra publicam vocem & famam deponit [de] auditu ab ipsomet sacerdote suo patre, qui multis cum lachrymis factum hoc, ob quod aliam vitam instituerat, enarrabat.

B

e *Totum hoc denuo confirmat Coccinus pag.* 515 *& seq. verbis sequentibus:* Priusquam ad correptionem fratris accederet ante imaginem sanctissimi Crucifixi in oratione pernoctabat, unde divino spiritu plenus blando colloquio alios ad pœnitentiam reduxit, alios, indurato pertinaces animo, se in eorum conspectu flagellis acriter percutiendo ad relictam vitæ melioris semitam revocavit; ita de auditu & publica voce & fama deponunt in processu Valentino... Don Federicus de Borgia... Michaël Hieronymus de Vinaron,... Frater Franciscus de Molina... & Mentia della Torre... in processu Castellæ: qui omnes examinati fuerunt authoritate ordinaria. *Addamus & testimonium domesticum, quod allegat idem Coccinus pag.* 521 *& seq.* Mariana de Sottomajor ætatis octuaginta annorum... in processu Valentino... deponit, quod sanctus Vir in reformatione usus fuit modis exquisitis & prudentibus, magno fervore & charitate plenis: & subjungit particulariter, se meminisse cujusdam nobilis & eximii civis Valentini, & cujusdam ecclesiastici sibi cogniti, coram quibus asperè se pro illorum culpis atterendo flagellis, perditos eorum mores, inusitata hac ratione coërcuit.

C

CAPUT XVI.

Suorum præsertim ecclesiasticorum honori consulit; facilis est ad ignoscendum & in reos pœnitentes benignus.

Subditorum famæ studiosè consulit,

SIcut vera caritas, etiamsi odio habet peccata, amat tamen personam, ita præpositus, præditus ista virtute tam propria muneri suo, corripit ac punit subditorum suorum culpas eo modo, ut misereſcat personarum &, quantùm potest, consulat earum honori & famæ *a*. Doctrinam hanc frequenter exposuit ad concionem, ac sedulò ipse servavit pater F. Thomas. Eapropter, ut post obitum ejus narraverunt visitatores, habebat album, cui inscripta erant nomina & accusationes clericorum, & ecclesiarum, quibus inserviebant, quasve frequentabant. Eum quippe ordinem servabat, ut visitatores ipsi visitationes instituerent, commentarios suos conficerent, &, illis finitis, ad ipsum recurrerent, reos deferrent, ac rem ipsum edocerent. Ipse verò, quæ ex commentariis istis consequebatur contra quemlibet, transferebat propriis manibus in album suum, idipsum observans, si quis extra visitationem accusabatur. Commentarios, dum inde decerpserat, quod [necesse] videbatur, atque albo suo inseruerat, cremari, & exactum à visitatoribus servari silentium jubebat. Atque ita accusatorum vel reorum honori consulebat, per se ipse conficiens, quidquid pertinebat ad mores & vitam ecclesiasticorum, nullo seculari homine vel scribâ ejus conscio. Hoc peracto, eos, quos reprehendere vel castigare opus erat, congruo tempore vocari jubebat seorsum, & secundùm annotata in libro reprehendebat aut castigabat, sicut dictum est capite præcedente. Consecutus finem, quem unicè intendebat, puta ovium suarum emendationem, inserta libro suo expungebat aut lacerabat ita, ut numquam patefierent.

a

D

E

delatoribus non facilè credit;

434 Ex eadem cura ac cupiditate conservandi honorem clericorum suorum oriebatur, ut rarò fidem haberet delationibus contra illos instructis per homines præsertim laïcos. Vicarius perpetuus Lyriæ *b* aliquando accusatus fuit à parœciæ suæ incolis: nequiens [Sanctus] in animum inducere [ut crederet] quod adversùs illum referebant, dimisit eos comiter, fore aiens, ut rei prospiceret. Vocato magistro Porta narravit relata sibi ab istis hominibus, & credere se [subjecit] rem omnem [ortam] esse ex prava animorum affectione. Verumtamen (inquit) ut securi simus, cùm Lyriæ palàm sit, venisse illos huc accusatum, vade istuc, & visita ecclesiam; in inquisitione autem super vicario ordinem à me tibi exponendum serva, ac Deo rem commendemus; ipse enim lumen nobis præferet, & aperiet veritatem. Exposuit ipsi ordinem huic vicarii causæ particulari convenientem ac dimisit. Cùm illuc advenisset magister Porta, & visitationem perageret, manifestè comperit, rem omnem [natam] esse ex prava animorum affectione & malitia, & eo modo, quo fuerat arbitratus Archiepiscopus.

b

F

acerbum accusatorem

435 Die quadam clericus, qui se à rebus mundi valdè remotum, & honestum profitebatur, (eratque reipsa talis, ut referunt testes,) alterum ejusdem parœciæ [clericum] accusatum venit, quòd improbam nec sine pravo exemplo vitam ageret; & ex zelo, quo ferebatur, licitum sibi existimans, ea de re uberiùs differere, multùm aggravavit absentem: unde non exiguum dolorem sensit ac vultu prodidit pater D. Thomas, & inconsultum conquerentis zelum comprimens, dixit: Per amorem Dei, pater, ad animi tranquillitatem redi; iræ, quâ huc venisti, & quæ magna est, moderare atque attende, eum, de quo loqueris, fratrem tuum esse, & quem, licèt peccatis obnoxium ac fragilem, sanctum efficere potis est Dei manus. Tu verò si in similem humanæ fragilitatis [noxam] delapsus non sis, Dei misericordia est, non tua virtus; quoniam ex te ipse æquè debilis es & miserabilis quàm ille, talesque sumus omnes.

acriter corripit

436 Præterea etiamsi illâ culpâ careas, putas te aliarum esse expertem? Iracundiam illam, quâ huc venisti accusaturus proximum, non priùs cor-

A correptum inter te & ipſum ſolum, nec ſecundùm legem in Euangelio præſcriptam, non arbitraris peccatum eſſe & quidem lethiferum ? Per amorem Dei cohibe te pauliſper, & attende, utrùm fortaſſe [beneficio] quod obtines in eccleſia, immixta non fuerit ſimonia aliqua occulta, quam modò non perſpicis, ſed cui larva deponetur in hora mortis : [attende,] an nummos aliquot [iniquè] collectos non teneas in arcæ angulo, aut improbam voluntatem in arcano pectoris; quodlibet enim ex iis nec minùs peccatum eſt, nec minùs concubina, quàm quæ, dicente te, alitur à fratre tuo. Si priùs ſeorſum ac debito ordine corripuiſſes illum, & eâ viâ nihil proficiens, ac deſiderans ejus emendationem cum caritate ad me recurriſſes, ego ſanè tibi gratias egiſſem, tuque ſic fuiſſes bene meritus; at quòd huc veneris, ut querelas deponas & iniquo dente mordeas fratrem, hoc malè me habuit.

accuſatum clàm examinat & ad frugem revocat;

437 Ita eum, qui proximum prætextu pii zeli accuſatum veniebat, corripuit & abſentem defendit. Dimiſſo illo clerico, arceſſivit alium, ac oratorio ſuo incluſum reprehendit cum amore ac doloris ſenſu, qualem exigebat & Dei offenſa & B damnum ſpirituale iſtius oviculæ, ac modo agendi uſitato ſecundùm ea, quæ præcedente capite retulimus; ita quidem ut uterque inde egreſſus ſit oculos perfuſus lacrymis. Teſtimonium certiſſimum, quòd & bonus Antiſtes inter corripiendum hunc clericum plorâſſet, & hic correptus ad agnitionem perniciei ſuæ & ad exemplar Præſulis fleviſſet ſimiliter. Tam felix per Dei miſericordiam ejus fuit eventus, ut, quemadmodum dein patuit, clericus ille vitam valdè correxerit ac immutaverit, nec ullum in honore detrimentum paſſus fuerit.

cavet, ne ſacerdotes

438 Servandi hujus adeo ſtudioſus erat [Sanctus,] ut apparitoribus ſuis in mandatis dederit, ne ſi fortè aliquis ita diceret : Hac nocte vobis prodam clericum in domo mulieris, vel mulierem in illius domo, ne [inquam] etiamſi talia dicens vir præſtans eſſet ac pecuniam offerret, eò ſe conferrent vel loco ſe moverent, niſi vel ipſemet vel vicarius ſuus generalis diſertè præcepiſſet. Quia, inquiebat, talis vel peccat ex fragilitate & clàm, vel ex malitia abſque pudore & palàm: ſi palàm, hoc & nos noverimus, ac vobis mandatum dabimus; ſi ex fragilitate & clàm, non eſt quòd ipſum intercipiatis vel comprehendatis cum tumultu & ignominia, ſed vocabitur à nobis, & permittet Dominus, ut per noſtram reprehenſionem ad frugem C redeat. Si autem quis ita erat accuſatus, ut expediret vocari per apparitorem, huic aiebat : Talem hominem vocato ad me; ne tamen ipſi te comitem jungito, ſed ducentis paſſibus vel ante vel poſt ipſum [incedito] ne quis intelligat, eum adduci per te; magni quippe momenti ac pretii res eſt fama & honor hominis eccleſiaſtici *c*.

c

palàm comprehendantur, ſed vocatos

439 Magiſter Joannes Baptiſta Caro diœceſim viſitans, comperit in loco quodam, parochum domi ſuæ alere mulierem ac plures utrique communes liberos, pauperes omnes ac nudos; commiſeratus illius, noluit captivum abducere; præcepit tantùm, ut domo exigeret omnes matrem ac liberos. Valentiam redux expoſuit ſancto Præſuli perverſam vivendi rationem, & grandem egeſtatem parochi. Magno ille tactus ſenſu doloris, dixit : Tu ſcribe tuo nomine, ut veniat Valentiam, & cùm hîc fuerit, mihi eum tu præſens iſte corripiendum. Quamvis autem non poſſim non increpare ipſum atrociter, meque iratum conſpicias, ſi tamen in ipſo comprehendamus culpæ agnitionem ac emendandi deſiderium, tu pro ipſo intercede ac perge intercedere, quamtumvis irâ incenſus videar. Scribe etiam, ut adducat mulierem ac liberos, ne iſtic maneant; at neſciat, te ſcribere meo juſſu. Ita fecit, ſcripſitque magiſter Caro, prout mandaverat Archiepiſcopus. Adfuit cum familia parochus : adventanti dixit magiſter Caro : Innotuit Archiepiſcopo tua vivendi perverſitas : attamen conferamus nos ad ædes ipſius, & dum in conſpectum ejus veneris, projice te ad pedes ejus, pete veniam, & ex imo corde promitte fore, ut poſthac Dominum non offendas. A. M. Satoniq.

corripit & pœnitentibus

440 Perrexerunt ad palatium : cubiculum, ubi erat pater D. Thomas, prior ingrediens magiſter Caro dixit, audiente ipſo ſacerdote : Domine, adeſt parochus loci illius, qui veniam ac miſericordiam Dominationis tuæ imploret. Quis parochus ? ſubjecit Sanctus. Intret : & illum intuitus : Is eſt, qui mulierem & ex ea tot liberos domi ſuæ detinet : proripe eum hinc, ne maneat hîc coram me, deduc in carcerem. Tum cœpit intervenire pro ipſo magiſter Caro, & ſacerdos ad pedes ejus provolutus multis cum lacrymis veniam deprecari, ac ſeriò admodùm polliceri fore, ut corrigeret ſeſe : ita quidem ut miſericordiâ commoto benedicto Patri pariter ex oculis [lacrymæ] profluerent, & has inter diceret : Si culpam agnoſcis, & ex animo ſpondes, non offenſum iri à te Dominum poſthac; mox ignoſcam; at verò ſi quid adversùs tuam vivendi rationem in poſterum delatum fuerit, lues una vice omnia. Emenda te, ut debes; cura ut Chriſtianus ſis & ſacerdos, atque ut talis vivas; à Deo inibis gratiam & à me. Solo ſe proſtravit ſacerdos ad deoſculandos pedes; id tamen paſſus non eſt, at brachia ipſi injecit, enixè commendans, ut ſtaret promiſſis. E

facilem ac liberalem ſe præbet :

441 Non ſuffecit caritati Servi Dei donâſſe ipſum veniâ, ac tantopere excitâſſe ad emendationem : verùm etiam conſpiciens lacerum, pauperem & miſerè conſtitutum, præcepit magiſtro Caro, ut ipſi & ſimiliter mulieri ac liberis veſtes compararet; ærarii verò cuſtodi, ut ſumptus perſolveret. Iis veſtitis, parocho licentiam conceſſit redeundi domum & ad eccleſiam ſuam; mulierem ac liberos morari [juſſit] Valentiæ, & alimenta ſubminiſtravit, donec illius juſſu ipſa ſe matronæ cujuſdam ſervitio addixerit. Ex liberis juvenes, aptam famulatui ætatem habentes, apud heros, F puellas apud heras; & pueros apud artifices, qui artem edocerentur, collocavit : infantes verò nutriendos dedit, donec ſimilem ætatem attigiſſent.

miſertus captivi ſacerdotis,

442 Alterius loci ſacerdos, flagitioſam vitam agens, reprehenſus fuit ſæpiùs à ſancto Antiſtite, & quoniam ſe non emendabat, venire juſſus eſt Valentiam, advenienſque conjectus in carcerem. Advertens [Sanctus] elapſos eſſe dies aliquot, nec interpellare aut intercedere pro ipſo quempiam, dixit magiſtro Porta : Quantùm video, miſero illi ſacerdoti, in carcere detento, nec amicus eſt nec familiaris : tu, amabo, cura, ut, ipſo inſcio, aliquis apud me interveniat; fortaſſe per ea, quæ toleravit in cuſtodia & per noſtram reprehenſionem redibit ad frugem. Induxit ad id magiſter Porta magiſtrum Petrum Maça, theologum valdè doctum & Archiepiſcopo familiarem : licèt autem hoc ipſum exoptaret ſanctus Præſul, ut tamen negotium meliorem effectum ſortiretur, ſimulac deprecari cœpit magiſter Maça, difficilem ſe præbuit & ad ſpeciem iratum, Mene, inquiens, pro ipſo rogitas, pro eo inemendabili ac perniciоſo, & ad remum dari promerito; noli rogare me pro homine

A. M. SALONIO.

niùne tam obſtinato. Proſequente tamen ſuas preces magiſtro Maça, (quod & ipſe cupiebat,) è carcere deductus eſt.

ipſe, ut parcendi occaſionem habeat, interceſſorem excitat;

443 Dum in conſpectum venit, ſanctè diſſimulans [Antiſtes] nec aliàs quàm ut prodeſſet illi animæ; Reducite, inquit, reducite; neque enim emendabit ſe, nolite pro ipſo interpellare: cùm autem abducerent, dixit magiſtro Maça: Jube huc reduci; ut precibus tuis & caritati, quâ ad hoc incitatus fuiſti, morem geram, non puniam ſecundùm merita. Protractum ad pedes ſuos Archiepiſcopus tali ſermone perſtrinxit, ut ſibimet ipſi enuntianti, reo ad pedes ejus provoluto, ac circumſtantibus omnibus lacrymas expreſſerit, & remedium medicinamque attulerit miſeræ ſacerdotis illius animæ. Namque ibidem decrevit ac promiſit corrigere vitam, idque opere complevit, reliquùm vitæ probè admodùm tranſigens. Non in hoc uno miſericordiam beati patris D. Thomæ expertus eſt idem ſacerdos, ſed & in re alia æſtimatione digna. Nimirum videns illum [Sanctus] lacerum ac miſerè veſtitum, cùm abiiſſent omnes, dixit magiſtro Maça: Adverti, ſacerdotem illum miſerè veſtitum & compoſitum eſſe. Id mihi dolorem incuſſit: tu ei pallium & talarem tunicam mox confici curato, nec indices, à me pretium perſolvi, ſed oret pro eo, qui hanc ipſi eleëmoſynam largitur.

B

captivos benignè haberi jubet.

444 Captivis omnibus tam clericis quàm laïcis, quos ob culpas detineri in carcere ſuo erat conveniens, alimentum ſubminiſtrari jubebat. Eamdem caritatem exhibebat ſecularibus tonſurâ inſignitis, quos ob delicta mittebat ad arcem & carceres Chullillenſes *d*, omnino ipſos alens, quamdiu pro ratione criminis detineri iſtic jubebat. Dixi: Secularibus tonſurâ inſignitis; quia, uti referunt omnes, toto [archiepiſcopatûs] tempore duos dumtaxat ſacerdotes deſtinavit Chullillam, alterum, qui patraverat homicidium, & hunc tantùm partim ut pacem ſervaret in Biar, ubi patratum fuerat, partim quia [abunde] merebatur, alterum, qui prodiderat [arcanum] ſacræ confeſſionis [ſibi factæ] ab homine homicidii reo, de quo egimus capite præcedente *. Carcerum cuſtodi dicenti, quòd ex cuſtodia pauperum captivorum damnum pateretur, quidquid damni patiebatur, rependebat, tum ad hujus levamen, tum ne iis, quia pauperes erant nec illi quæſtuoſi, ſervire & cum caritate ſuccurrere negligeret.

d

* *ſexto hujus libri.*

C

Miniſtris ſuis prohibet, ne dona accipiant,

445 Fiſci quoque procuratoribus & apparitoribus ipſe ſimiliter pretium ad vitam ſuſtentandam ſufficiens ſolvebat, ac præcipiebat, ut ne unum quidem nummum regium à quopiam admitterent. Curabat diligenter, ne quis è miniſtris ſuis à quoquam vel nummum unum acciperet, aut vel proprii commodi vel neceſſitatis causâ rem indecentem perageret. Ipſe ſuccurrebat perfectè omnibus eorum neceſſitatibus, dicebatque: Nolo recipiatis pecuniam à quoquam, nedum à clericis: ſi occurrat neceſſitas, me monete, ad me accurrite, nihil quippe ex neceſſariis vobis deerit. Singulis feſtis ſolemnioribus cuilibet apparitorum, fiſci procuratorum & cuſtodum carceris porrigebat quatuor ſcuta tum in eleëmoſynam tum in ſtrenam & gratiam fidi obſequii. Itinerum labores & quidquid eis extraordinarium injungebat, pleniſſimè rependebat: ſi autem iis damnum aliquod vel infortunium obveniret, id animo ipſe perſentiſcens, ſuccurrebat, & neceſſaria ſuppeditabat.

446 Apparitorum unus rediens Enguerâ, quo ejus juſſu & procuratione fuerat profectus, lapſus eſt in via & læſus graviter. Adventans Valentiam, adiit illum, peracti negotii redditurus rationem. Intellexit bonus Antiſtes infortunium, quod incurrerat, & quàm defeſſus adveniret, juſſitque eum domum ſe conferre. Mox eam ingreſſus, ad ſe adventantes conſpexit medicum & chirurgum, qui ejus curam ſuſciperent & applicarent [remedia,] qualia exigebat damnum ex lapſu [acceptum.] Die poſtero manè eumdem inviſit patris D. Thomæ eleëmoſynarum diſtributor [afferens] gallinas duas ac centum regales monenſque nomine Archiepiſcopi, ut animo forti eſſet, nec de re qualibet eſſet ſolicitus, nihil ipſi defuturum ex iis, quæ in infirmitate ejus forent neceſſaria. Poſt dies quindecim rediit idem cum duabus gallinis aliis, aliiſque regalibus centum, atque ad eumdem modum ei ſemper ſubventum eſt, donec plenam ſanitatem recuperavit, valuitque denuò ſuo apparitoris officio ſuſtentare familiam.

D

&, ut fidi ſint, ipſe abundè ſubvenit.

duorum ſucceſſorum de ejus regimine opinio.

447 Eamdem caritatem exercuit ſæpiùs in hujuſcemodi caſibus ſeu infirmitatis ſeu neceſſitatis cujuſcumque erga reliquos in ipſius obſequium munere aliquo fungentes: idque unicè tum ut iis tamquam egenis ſubveniret, tum ut occaſionem præriperet faciendi aliquid in officio ſuo ab æquitate alienum, tum ut [animaret] ad tractandos reos & captivos, ea caritate & humanitate, quâ ipſe cupiebat *e*. Hinc dominus Franciſcus de Navarra, qui illi ſubrogatus fuit, audiens inſignem benignitatem & caritatem patris D. Thomæ, ac præclara heroïcarum virtutum ejus exempla, dicebat frequenter: Quis valeat inſiſtere veſtigiis tam magni Gigantis! Dominus verò Martinus de Ayala archiepiſcopus *f*, qui inter eximios theologos & inſigniores, quos noſtris temporibus poſſedit Hiſpania, locum tenuit, intelligens divinum patris D. Thomæ regimen & quàm frequenter ei converſatus fuerat Michaël Real, ſuo tempore [aulæ archiepiſcopalis] judex eccleſiaſticus, hunc arceſſivit, ab eoque edoceri conatus eſt, quo pacto [Sanctus] clericos corrigeret, quo delicta eorum caſtigaret & præſertim, quo ſe gereret, dum accuſabantur à laïcis: cupidus ejus exemplis ac veſtigiis inhærere in re qualibet *g*.

E

e

f

g

ANNOTATA.

a *Hoc ſuum aſſertum illuſtrat auctor exemplo Dei Gen. 3 primos homines emittentis de paradiſo & ad tegendam eorum nuditatem facientis illis tunicas pelliceas, ac induentis: item verbis Chriſti Matth. 18 ℣ 15:* Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum *&c.*

F

b *Diſtat Valentiâ quarto circiter milliario.*

c *Hic auctor, allatâ doctrinâ S. Gregorii, hypocritis proprium eſſe ſubdit indignari peccatoribus, & ægrè ferre, ſi quis mitiùs cum ipſis agat, adinſtar ſcribarum & Phariſæorum; at vera caritate præditos dolere quidem ob offenſam Dei, ſed miſereri peccatorum.*

d *Vide Annotata ad cap. præcedens lit.* b.

e *His ſubjicit nonnulla biographus, quibus Sanctum laudat ut verum imitatorem Dei, bonos excitantis, ut pro malis interpellent; adducit exemplum in Abrahamo Gen. 18 ℣ 17, & alia ſuperiùs allata repetit.*

f *De his archiepiſcopis vide Annotata ad cap. 5 hujus libri 2 litt.* e *&* f.

g *Salonius huic capiti, quod ipſi decimum quintum eſt, duo ſubjicit, à me prorſus omiſſa. Primum exordiens à caritate erga pauperes, aſſerit, præſules omnes ex juſtitia teneri ad ſtipem illis impertiendam,*

A *dam, eamque ſententiam eſſe* S. Thomæ à Villanova, *probat afferendo verba, quæ ad concionem protulit Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha ſuper Euangelio Joannis* 10 ℣ 11: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. *Sermonem iſtum non reperi inter conciones Sancti noſtri; verba autem Hiſpanica Latinè ita ſonant:* Nemo ſe ipſe decipiat: epiſcopus & quilibet eccleſiaſticus, habens fructus & redditus Eccleſiæ, obligatur ad multas eleëmoſynas erogandas in pauperes, non tantùm quia ipſum ſicut divites alios obligat caritas; verùm etiam quia pauperibus debemus, quidquid honeſtæ ac decenti ſuſtentationi ſuperfluum eſt: contrarium facientes, non modò infringemus caritatis præceptum, ſed & legem juſtitiæ, quemadmodum qui, invito domino, retinet rem alienam. Dicant alii, quod ipſis videbitur; equidem non dubito, quin certa veritas ſit, petiturum à nobis Deum rationem, & quidem exactam admodum, de bonis Eccleſiæ, tamquam commiſſis, ut diſtribuamus in pauperes, & tamquam domino ſuo ſubtractis, ſi in rem aliam, quàm in eorum ſubſidium impendamus. *Tum, teſte Salonio, ſubjecit Sanctus:* Domini mei, ſi, cùm obiero, nummum regalem unum apud me repereritis, animam meam deperditam eſſe judicate, nec in ſacra humo me ſepelite. *Hæc ſe accepiſſe, ait, à magiſtro Porta, epiſcopatûs viſitatore, qui concioni adfuit. Dein toto hoc ac ſequenti capite de ea ſententia diſſerit, eamque authoritate & ratiociniis fusè propugnat, ut apud ipſum videri poteſt; nam cùm merè theologica hæc ſint, vix aut ne vix quidem ad Hiſtoriam noſtram ſpectant.*

B

CAPUT XVII.

Sancti caritas ac liberalitas erga mendicos & egenos pudibundos.

Præ caritate erga pauperes

TUm ex eo, quod judicabat pater D. Thomas ſuper obligatione, quâ tenentur Antiſtites eſſe valdè liberales in pauperes, tum ex inſigni nomine & fama, quæ propter eleëmoſynas ſuas obtinuit ſemper, & obtinet etiam hodiedum, intelligi facilè poterit, quâ munificentiâ ac largitate ſuccurreret pauperum neceſſitatibus. Quippe cùm tam certam judicaret opinionem & doctrinam duobus præcedentibus capitibus *a* à nobis expoſitam, ac tantopere ſtuderet placere Domino, uti conſtat ex iis, quæ hactenus nobis declaravit hæc Hiſtoria, minimè dubium eſt, quin, retentis dumtaxat ſibi, domui ſuæ ac condecentiæ ſtatûs ſui planè neceſſariis, reliquum omne in eleëmoſynas erogaverit. Neque ad id vel [pauperum] moleſtiâ vel repugnante animo ducebatur, ſed voluntate & caritate magna; quoniam iis ſolis eleëmoſynis immortalem ac perennem memoriam Deus attribuit, quæ proficiſcuntur ex corde pleno veræ caritatis & miſericordiæ, non iis, quæ (uti contingit nonnumquam) erogantur propter alicujus preces ac moleſtias, alioſque reſpectus humanos. Fuit beatus Antiſtes corde adeo propenſo in eleëmoſynas, tantaque pietate & miſericordia in egenos, ut non ſufficeret ipſi erogare, honeſto ſuo victui ſuperfluum, (in quo ſita eſt omnis obligatio boni ac Deum timentis antiſtitis,) verùm etiam (ut mox videbimus) ſe ipſe privaret neceſſariis ad illis ſuccurrendum, atque animo doleret, non ſuppetere multò plura, illis concedenda.

C

a

A. M. SALONIO.

dolet ampliores non eſſe archiepiſcopatûs

449 Simulac declaratus fuit archiepiſcopus Valentinus, & in hac civitate notum, quòd acceptâſſet, miſſi ſunt ex hac eccleſia D. Michaël Vique canonicus & canonicus Pellicer cum aliquot ſacerdotibus, qui ipſi congratularentur, ac ejus [eccleſiæ] nomine ſalutarent. Hos inter fuit magiſter Jacobus Meſſeguer, doctor theologus, id temporis in eadem eccleſia beneficio fruens, ac dein ſcholarum præfectus Orceli *b*. Adventantes multo cum amore ſuſcepit & in ipſo conventu hoſpitium præbuit. Commorantem iſtic die quadam interrogavit ſeorſum theologum illum, quantum redditum proferret archiepiſcopatus, & cùm reponeret ille, tunc proferre circitèr decies octies mille ducatos, dolere idcirco viſus eſt, & aliquali ſenſu animi dixit: Fefellerunt me, putabam pluris eum valere: & converſus ad dictum magiſtrum Meſſeguer, (qui id ipſe mihi narravit:) Magiſter, inquit, noli mirari, quòd audiens, non pluris valere, dolore correptus fuerim: neque enim id mei causâ facio, nam mihi ac domui meæ mille abundè ſufficiunt; ſed intelligo, plures illa in regione inveniri pauperes, doleoque tam parum produci pro tot [pauperibus] quot [illic reperiri] mihi perhibuerunt. De re alia (inquiebat magiſter ille) eum ſolicitum non vidi, quàm de hac ſola; an multum eſſet, quod illis erogare poſſet.

b

E

redditus, quos pene omnes erogat.

450 Cùm Valentiam perveniſſet, & abſolviſſet viſitationem, ac eam, de qua locuti ſumus, diœceſanam ſynodum, ut recto ordine diſponeret, quidquid pertinebat ad mores & vitam ovium ſuarum, utque ſubſidium afferret ſpiritualibus animarum neceſſitatibus, quæ, ut æquum eſt, prima [cura] fuit; mox omnes cogitationes convertit, ut remedium afferret rebus temporalibus pauperum: ad eum modum in gratiam illorum aliorumque operum piorum bona ſua diſpertiens, ut, quemadmodum referunt, qui plenam hujus rei notitiam habuere, exceptis bis mille ducatis, qui deceſſori domino Georgio Auſtriaco ſolvebantur *c*, ac ter mille, quos impendebat domus ſuæ & familiæ uſibus, ac mercedi juriſconſultorum, miniſtrorum & procuratorum (quod tam ordinatè ac moderatè fiebat, ut etiam ad anni exitum ſupereſſet) reliquum omne eleëmoſynis impenderet. Nam bis milleni [ducati] quos præſtabat collegio & parœciis recèns converſorum [ad fidem *d*] recenſendi ſunt pariter inter eleëmoſynas; quandoquidem opus tam pium eſſet & pertinens ad obſequium Domini. Adeo ut mox adventans, producente archiepiſcopatu octodecim millia ducatorum, in eleëmoſynas expenderet millia tredecim: dein ut primùm pervenit redditus ad millia duo ſupra viginti, millia ſeptemdecim erogaret, dum verò lapſu temporis aſcendit ad triginta millia, elargiretur millia viginti quinque annis ſingulis, ne obolo quidem ſibi relicto in annum ſequentem *e*, quòd, ut aiebat ipſe, id ſacrilegio verteret.

c

d

F

e

Indies ſtatas eleëmoſynas diſtribui jubet

451 Ut autem perſpiciatur, quàm ingenti cura attenderet & proſpiceret omnibus pauperum neceſſitatibus, hunc in [erogandis] eleëmoſynis ordinem ſervabat. Pauperibus oſtiatim mendicantibus die quolibet peculiari in olla concoqui jubebat carnem vel, ſecundùm diei exigentiam, piſcem, ac ſingulis ab hora decima ad ædes ejus adventantibus impertiri panem unum, ſcutellam pulmenti, hauſtum vini & nummum unum; iis autem, qui infirmitate aut debilitate quadam preſſi videbantur, dari [volebat] præter panem & pulmentum portionem vervecinæ carnis & nummos duos. Tantus

A. M. SALONIO.

tus autem ad ſtipem illam accurrentium erat numerus, ut atrio, ubi ad eam recipiendam ex ordine collocabantur, eos non capiente, nam aliquando quadringenti aderant, aliquando quingenti & ampliùs, opus eſſet, ut alii alios præſtolarentur, & dimiſſis prioribus, ut fit dum ſecundam menſam quis inſtruit, ſubirent alii, & hiſce egreſſis alii ſuccederent. Hoc verò tanta [fiebat] caritate, ut, quantumcumque ſeriùs ventitarent, nullus abſque eleëmoſyna ab ædibus recederet; mandaverat quippe, ne quiſquam vacuus dimitteretur, qualicumque hora accederet; moneretur tamen impoſterum adeſſe maturiùs.

oſtiatim mendicantibus; ſecundò redeuntium

452 Non defuit, qui ipſi objiceret: Advertat veſtra dominatio, plures hoſce inter eſſe fugitantes laborem, alios, qui ex eo, quòd hîc comedant, nummos oſtiatim collectos ſeponunt, & ex eleëmoſynis lucrantur; alios, quoniam tanto numero accurrunt, qui binas & tres quandoque portiones auferunt, non obſervantibus, quos decipiunt, famulis. Sed ad has ac ſimiles rationes, per quas frequenter ſub ſpecie zeli deferveſcere ſolet caritas, reponebat ſanctus Eleëmoſynarius; Si ignavi ſunt in hac civitate & homines nequam, invigilent gubernator & curatores urbis, id ad me nequaquam pertinet, ſed [meum eſt] ſubvenire neceſſitatibus eorum, qui ſe ſiſtunt ad fores domus meæ. Si verò ex modico, hîc à nobis obtento, eleëmoſynas reliquas ſeponunt, vel plures portiones accipiunt, noſque decipiunt, quid inde nobis detrimenti afferunt? Deus per ſuam miſericordiam avertat, ut nos fallamus pauperes; nam dum ab ipſis fallimur elargientes bona fide, corde ſincero & in nomine ejus, qui, ut nos divites efficeret, egere voluit, ac tanta in paupertate mori in Cruce, ea eleëmoſynarii corona eſt.

dolos benignè interpretatur.

453 Die quadam per feneſtram amplæ iſtius aulæ, quam obambulabat communiter, obſervans, quo pacto alimenta diſpertirentur pauperibus, conſpicatus eſt unum, qui, accepta portione, paulò pòſt tranſiret in latus alterum, recepturus aliam; afferentium iſtuc caniſtrum & ollam famulorum unus agnovit illum, & increpare cœpit; contendentibus illis inter ſe, ac dicente famulo jam datam illi fuiſſe [portionem,] & negante id mendico, Archiepiſcopus rem totam conſpiciens, miſit, qui juberet illi dari eleëmoſynam, atque dimitti omnem altercationem. Egreſſis ômnibus pauperibus, vocavit famulum & interrogavit, cur illi [eleëmoſynam] impertiri renuiſſet: huic reſpondenti, quòd jam tum recepiſſet ille portionem, quódque fraudulenter tranſiiſſet in latus alterum, ſecundam accepturus: Hanccine, (inquit Dei Servus,) fraudem nuncupas? Haud multùm pauperes noviſti; noli deinceps te hujuſmodi altercationibus immiſcere, ſine te ab ipſis decipi. Etenim pauper iſte, à quo te deceptum autumas, fuiſſe potuit è cœlo miſſus ad explorandam caritatem tuam & patientiam: ita quippe legimus de pauperculo, qui immutans veſtem & formam ſæpiùs eodem die ſtipem flagitavit à beato Gregorio: erat autem angelus, deſtinatus à Deo ad tentandam ſancti Pontificis pietatem & miſericordiam.

Pauperibus pudibundis,

454 In pauperes, quos pudibundos compellamus, quales ſunt opifices multi & ex media plebe tum viri tum mulieres, labore manuum ſuarum victum ſibi comparare non valentes, atque ingentem in domiciliis ſuis tolerantes egeſtatem, magna commiſeratione tangebatur, iiſque ſubveniebat non modò per eleëmoſynarum diſpenſatorem, verùm etiam ſuis ipſe manibus. Eleëmoſynarum diſpenſatori injunctum erat indagare apud rectores parœciarum & pauperum curatores, qui in annos ſingulos in iis deſignantur, quot in qualibet pauperes pudibundi verſarentur, & quo loco habitarent, iiſdemque, ut cuilibet accommodatè ad egeſtatem ſubvenirent, quovis menſe numerabat ærarii cuſtos ducentos ducatos. Si verò plures exigeret neceſſitas, ac ducentos non ſufficere ſignificaret eleëmoſynarum diſpenſator, etiam illi numerabantur. Præter ordinariam iſtam ſtipis erogationem, quæ fiebat per diſpenſatorem, aliam præſtabat ſuis ipſe manibus pater D. Thomas pluribus, quibus numeroſior erat familia, ſeu quorum conditio erat honoratior, & ſtipis amplioris neceſſitas.

quorum indicem habet,

455 Hunc in finem habebat libellum memorialem & indicem ſimilium in qualibet parœcia commorantium, decrevitque, ut prima hebdomade adeſſent unius [parœciæ pauperes] hujuſcemodi, ac ſecundâ alterius; atque ita trium menſium circulo iidem ex eadem parœcia revertebantur quaſi per partes ſtipem illam ex ejus manu accepturi. Stipem hanc exiens ad Rem divinam peragendam, porrigebat unicuique [involutam] chartæ; ac ſingulis diebus ad eam recipiendam ventitabant communiter homines quindecim vel octodecim, aliquando etiam plures. Unicuique ad minimum tribuebat quindecim regales, & multis plures, pro neceſſitate cujuſque ſubſidium afferens. Nam cùm indicem haberet & nomina cunctorum, ac peculiarem notitiam indigentiæ ſingulorum, ſecundùm exigentiam ſuccurrebat. Eo modo adjumento erat omnibus; nonnullis verò quibus laborandi deerat facultas, ſtatam die quolibet ſtipem, unde viverent, concedebat.

& operari non valentibus liberaliter ſuccurrit:

456 Juvenis quidam pauperculus agricola, qui labore manuum victum ſibi comparabat, caſu amiſit omne manus dexteræ robur, ac laborandi potentiam. Audiens quàm pius ac liberalis erga inopes eſſet pater D. Thomas, acceſſit, ſtipem flagitaturus. Ille flagitantis infirmitatem ac egeſtatem percipiens, præcepit eleëmoſynarum præfecto donare ipſum in ſingulas hebdomades ſeptem regalibus. Dedit hos per hebdomades aliquot præfectus; ſed exiſtimans deinde, juvenem eſſe ac robuſtum, monuit, ut labori alicui ſe applicaret, nec ulteriùs rediret ſtipem [recepturus.] Pauperculus ille acceſſit ad patrem F. Thomam, indicaturus, quo pacto ſibi ſubtraxerant ſtipem, à dominatione ſua conſtitutam. Extemplò vocari juſſit eleëmoſynis præfectum & cur illi ſtipem ademiſſet, exquiſivit. Reſpondenti illi, quòd viſus ſibi eſſet juvenis & robuſtus atque ad laborandum idoneus: Et quid prodeſt, inquit bonus Pater, juventus & ſanitas pauperi agricolæ, qui arare ac fodere novit dumtaxat, ſi manus ei dextera, quâ laborandum eſt, officium neget, & viribus [deſtituta ſit?] Redde, redde ei mox ſtipem, & unà ſupple hebdomades, quibus non dediſti. Ita juvabat plures alios, ſuas artes exercere non valentes.

Variis opificibus

457 Iis, qui ad exercendas erant idonei, domi tamen neceſſitate premebantur, atque huic mederi poterant exercendo artem ſuam, ſi modò ſummam aliquam pecuniæ *f* obtinerent, ipſe ſubminiſtrabat, unde neceſſaria [ad artem exercendam] compararent. Neque id tantùm dum ipſimet indigentiam ſuam declarabant, verùm etiam non declarantes, qualicumque demum via eam intelligeret, ad ſe vocari jubebat, dabatque, unde acquirerent, quo artem ſuam exercendo familiam alere poſſent ac vivere commodè & honeſtè. Ita vocari juſſit variis occaſionibus textores aliquot panni ſerici & villoſi, ac magna liberalitate in eumdem

f

A dem finem adjuvit. Horum uni ad ſe vocato dixit: Audivi, premi te neceſſitate, quòd deſit copia [exercendæ] artis: ſi foret tibi propria bombyx texendo [panno,] poſſeſne te ac familiam alere? Reſpondit artifex: Si modò, Domine, ſint mihi centum ducati, quibus bombycem præparatam emam, & in proprium lucrum texere incipiam, in Domino fiduciam repono, fore ut per hos ac per ſtipem, quâ tertio quoque menſe me impertitur veſtra Dominatio, & familia mea & ego commodè vivamus. Itaque, inquit, ærarii cuſtodem advocato. Adventanti præcepit: Dabis honeſto illi viro ſtatim centum quinquaginta libras, nec dies craſtinus elabatur, quin dederis.

defectu materiæ

458 Proſtravit ſe homo ille ad deoſculandos ejus pedes, ſed cohibuit ſanctus Antiſtes, dicens: Frater, Domino gratias agito, cujus illa bona ſunt, non mea, ſed mihi commiſſa, ut tibi ſubveniam; bombycem tibi mox coëmito ac texere incipito pannos tuos: curato autem, ut & tu & domeſtici tui omnes piè Dominum colatis; quem ſi coluerit, per hæc primordia & laborem tuum ipſe vobis auxiliabitur, & vos honeſtè vitam tranſigetis. Me autem inviſas nonnumquam; etenim B volupe erit intelligere, quî tibi ſuccedat; ego te Deo commendabo, &, ubi neceſſe fuerit, juvabo. His centum & quinquaginta libris bombycem comparavit vir bonus, textoriam machinam inſtruxit, ipſeque ac domeſtici ejus operari cœperunt. Per hæc primordia, per Sancti orationem, ac per laborem familia ejus in dies ſingulos profecit ac lucrata eſt ad eum modum, ut intra paucos annos bona multa poſſideret, ac ipſe brevî deſiſteret ab eleëmoſyna, quam impertiebat Sanctus tertio quoque menſe.

artem exercere nequientibus

459 Alios eamdem artem [exercentes] quorum neceſſitas illi innotuit, vocari ſimiliter ad ſe juſſit, eodemque modo adjuvit, quibuſdam eamdem centum quinquaginta, quibuſdam, quòd numeroſior eſſet familia, ducentarum librarum ſummam elargiens applicandam eidem bombycis comparandæ negotio; atque hiſce aiebat: Attendite: ſi panni ex propria veſtra bombyce conficiendi, ſeu quia non floret commercium, ſeu quia deficiunt emptores, diſtrahendi ſunt cum aliquali jactura aut damno veſtro, nolite id facere, ſervate, donec venumdari poſſint commodè, atque ut C ſaltem obtineatis bombycis & laboris veſtri pretium: interim accedite ad me, ego enim veſtræ indigentiæ non defuero. Eorum unum peculiariter, qui ipſum adibat aliquoties, interrogavit die quadam: Quî ſe res tuæ habent? Eſtne aliqua tibi neceſſitas? Eſt, Domine, reſpondit: textilia quippe non diſtrahuntur, & durum hoc mihi eſt. Igitur candidè mihi edicito, inquit ſanctus Præſul, qua re jam indigeas, ut ſine ullo detrimento divendas: ejus quippe me pœniteret. Viginti ſcuta, Domine, repoſuit ille, remedio mihi eſſe poſſent, donec adveniant negotiatores aliqui Toletani, qui æquo pretio empturi ſunt.

notabilem pecuniæ ſummam ſubminiſtrat

460 Hoc audiens, accivit ærarii præfectum, ac triginta illi dari [præcepit] addiditque: Si interea temporis, quo jam accepta inſumis, non venerint negotiatores illi Tolletani aliive, qui juſtum pretium impertiant, ad me rediens indicato, qua re opus tibi fuerit; neque enim ego tibi deero; ne igitur cum jactura diſtrahito, quia non tædebit tibi ſubvenire; quandoquidem nôrim, te ac uxorem tuam piè Domino ſervire ac pro viribus laborare: & revera quotieſcumque revertebatur, magna liberalitate ipſi ſuccurrebat. Id ipſum experti ſunt reliqui, quos, dum mercem ſuam commodè diſtrahere non poterant, juvabat, donec congruo pretio divendendi eſſet copia. Hoc pacto per id, quod conferebat Dei Servus, ut requiſita ad artem exercendam ſibi compararent, atque adjiciebat, ne mercem infra juſtum pretium divenderent, perque orationes, quibus labori ipſorum aſpirabat, bona acquiſiverunt, evaſeruntque in artis ſuæ exercitio primarii. A. M. SALONIO.

verus pauperum Pater

461 Erat tam verus Pater pauperum, ut, quemadmodum naturalis parens non tantùm proſpicit, quo pacto alendi ſint filii hodie & cras, verùm unde etiam habituri, quo vivant in futurum, ne victus deficiat ſtatui ſuo congruus, ideoque curat, ut arte vel opificio aliquo imbuantur, vel ſi nobiles ſint, ut divitiæ eis maneant ac redditus aut poſſeſſiones &, ut loquitur S. Paulus, ipſis theſaurizat; ita beatus pater D. Thomas non tantùm dictas eleëmoſynas erogabat vel qualibet hebdomade per eleëmoſynarum diſpenſatorem, vel per ſe ipſe tertio quoque menſe indigis opificibus, vel extraordinarias hîc relatas ad comparandas res arti exercendæ congruas, verùm etiam proſpiciebat & inquirebat, qua ratione ac via pauperes pudibundi, unà cum eleëmoſynis, quas dabat, occupare ſe poſſent aliquo exercitio ad eorum levamentum idoneo. E

mulieri viduæ, quò liberos alat,

462 Mulier quædam pauper marito orbata & cum multis liberis admodùm parvulis relicta fuit. Sanctus, cognitâ ejus indigentiâ ac virtute, ſtata ſtipe quolibet menſe ſuccurrebat; ſed obſervans, per hanc ſolam non eximi illam difficultate, ſcire deſideravit, quod illa nôſſet exercere artificium, ut per eleëmoſynam atque unà per lucrum labore manuum comparatum, commodè enutriret filios. Hoc Deo negotium commendabat & ſolicito animo pervolvebat. Aiebat quippe frequenter, eleëmoſynam in eo ſitam non eſſe tantùm, ut detur aliquid, ſed ut egens eximatur neceſſitate, &, quantùm fieri poteſt, liberetur; imò hominem Chriſtianum eſſe indignum nomine eleëmoſynarii, qui proximum egeſtati ſurripere valens, id prætermittit, vel ſaltem ad ipſi remedium obtinendum viam non ſternit ac ſtudioſè incumbit. Hoc ipſum eſſe, quod ait Spiritus ſanctus verſu primo pſalmi quadrageſimi his verbis: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem &c. Neque enim, ſermonem inferens de vero eleëmoſynario, dicit: Beatus, qui dat egeno & pauperi, ſed: Qui intelligit: id eſt; Qui proſpicit, cogitatione pervolvit, intellectu inquirit, quo pacto remedium obtineat pauper, & egeſtate eximatur. F

domum & officinam inſtruit.

463 Itaque verus ille Eleëmoſynarius proſpexit ac mente recogitavit, rem Domino commendans, qua ratione vidua illa inops unà cum eleëmoſyna ſibi data filios ſuos alere & honeſtè educare poſſet. Ductore Deo, vocavit eam & dixit: Soror, ægrè admodùm me habet neceſſitas & moleſtia, quam pateris parvulorum liberorum causâ: velim intelligere, an artem aut opificium aliquod noveris, unde lucrari queas & unà cum eleëmoſyna mea remedium aſſequaris. Ego neceſſaria ad id, quod conficere noviſti, ſuppeditabo ac juvabo te. Reſpondit mulier, notum ſibi eſſe ſimilaginem, farinam hordeaceam, reſque hujuſcemodi præparare. Gaviſus vehementer, juſſit mox ei comparari omnia ad hoc opificium neceſſaria. Itaque protinus confectæ illi ſunt molitrina exigua, arcæ, & menſæ requiſitæ, aſellus item coëmptus illi eſt, ac, ut [Sanctus] præcepit, ſuppeditatum triticum, hordeum & quodlibet neceſſarium ad inſtruendam domum ac officinam. Hoc opificio, & ſubſidio, quod inde retulit, ac menſtruâ eleëmoſynâ pla-

A. M. Salonio.

planè reſtaurata fuit paupercula mulier & commodè educavit liberos. Eamdem caritatem ac ſolicitudinem exhibuit aliis multis qualibet arte peritis, (quos hìc non recenſeo, quoniam ad id unum opus foret alio & quidem prolixiore libro) elargiens præter conſtitutam eleëmoſynam, nummos ad comparanda artis ſuæ inſtrumenta ac materiam, ac præterea ſummam aliquam, unde ipſi ac domeſtici laborantes honeſtè ſuſtentarentur.

Aliis, ut ſimiliter faciant.

464 Non ſufficiebat ſancto Antiſtiti ex bonis ſuis erogare ſtipem, ſed, ut pater pauperum, qui corde & animo ipſis proſpiciebat, accedentes & ſecum agentes, quos noverat auxilium afferre poſſe, conabatur inducere ad eamdem ſolicitudinem ac pietatem. Hinc referunt teſtes nonnulli, qui ejus temporibus pauperum in parœciis procuratores fuerant, quòd, quotieſcumque illum viſerent, omnes ejus ſermones verſarentur circa pauperes eorum; quem [ſcilicet] proventum, quam ſtipem obtinerent. Prima vox, dum accedebant, hæc erat: Quid agunt pauperes veſtri? Atque in omni reliquo colloquio commendabat hos illis impensè, monebatque, acſi de proprio ſuo commodo ageretur, ut operam navarent ad conſervandos & quantùm fieri

B poſſet, augendos redditus ex legatis aliquot ac eleëmoſynis fidelium pro ipſis conſtitutos. Sic enim, aiebat, in parœciis veſtris reperientur viri honorati, qui pauperum adminiſtrationem ſuſcipiant, & quos non pœniteat aliquid ex ſuo adjicere, ut ipſis vel bonum vel ſaltem mediocre alimentum ſuppeditent: pro affectu, quo in hanc rem ferebatur, illos dimittens aiebat: Attendite: de ea re frequens nos inter ſermo habendus eſt, imò ſuper ea omne colloquium noſtrum verſetur neceſſe eſt.

impensè commendat.

465 Die quadam uni ex iſtis procuratoribus, nomine Ludovico Camarena, monitum dedit, dignum prudentiâ ac caritate tam ſancti Præſulis, dicens: Audi; pro voluntate, quâ erga te afficior, quia adeo propenſum te experior ad fovendos pauperes, hoc tibi conſilium dare cupio: Quod de bonis tuis, quoniam à Deo tibi conceſſa ſunt, nec liberi ſuperſunt, factum oportet, hoc in vita facito, fiatque omnino in gratiam pauperum pudibundorum & honeſtarum perſonarum, quæ occultè domi ſuæ premuntur neceſſitate. Noli differre, ut teſtamento inſcribas danda pauperibus poſtea futuris: neque enim abbreviata eſt manus Dei, qui ſuccurrat, quique moveat cor fidelium

C tunc futurorum ad ferendum auxilium & elargiendam pauperibus ſui temporis eleëmoſynam. Deus quippe à te rationem non exiget egenorum, qui poſt vitam tuam exſtituri ſunt, ſed eorum, qui nunc, dum vivis, egeſtatem tolerant, & quibus, dum potes bene facere, non adfers opem. Perpende, quid jam tempore quadrageſimalis jejunii ad concionem dici audieris ſuper Euangelio de divite epulone & paupere Lazaro: Dominus enim diviti aliud nihil imputat, niſi quòd pauperis Lazari, tum præſentis & præ foribus jacentis, miſeriæ non ſuccurriſſet. Pauperibus jam exiſtentibus ſunt divites jam exiſtentes, & pauperibus futuris, futuri divites. Hoc autem innuitur verbis Spiritus ſancti Proverbiorum capite vigeſimo ſecundo: Dives & pauper obviaverunt ſibi: atque ita ordina-

g vit Dominus *g*: Manifeſtum ſanè eſt, non obviare ſibi hominem jam natum, & alium poſt naſciturum, ſed duos, qui jam nati ſunt & eodem tempore vitâ perfruuntur.

ANNOTATA.

a *Duo iſta capita non dedi ob rationes allegatas in Annotatis ad cap. præcedens: meminerit etiam lector, præſens caput apud Salonium eſſe* 18. D

b *Brevem hujus loci notitiam dedi in Annotatis ad cap.* 15 *lib.* 1, *lit.* c

c *De hoc antiſtite mentionem feci in Annotatis præcedentibus nominatim ad cap.* 5 *lit.* b

d *Repete Annotata ad cap.* 12 *hujus lib.* 2, *lit.* f.

e *Coccinus pag.* 538 *agens de caritate* S. Thomæ *erga proximum*, Fuit, *inquit*, adeo excellens, ut omnes redditus ſui archiepiſcopatus (licèt in regnis Hiſpaniarum ſit facta diviſio reddituum, ut dicit Molina de Juſtitia & Jur. tract. 2, diſputatione CXLIV num. XIV) pauperibus, nihil ſibi obſervando, erogaret: ita de vera ſcientia deponunt... in Proceſſu Valentino don Carolus Joannes de Torres... Mariana de Sottomajor... & de publica voce & fama Petrus Guttierez ætatis XCI annorum..... Ita ut neminem unquam ullius rei indigum, ad ſe venientem, dimiſerit vacuum. *Hìc repetitis teſtium eorumdem nominibus, addit ex eodem proceſſu teſtem don Petrum Moncada, & ex proceſſu Caſtellæ Petrum Garzia*, qui ſubjungit, quòd ſanctus Vir habebat catalogum omnium pauperum civitatis Valentiæ. E

f *Hiſpanicè*: Si tuvieran algun caudal. *Vox* caudal, *quæ propriè ſortem ſeu, ut vulgò dicimus, ſummam capitalem innuit, non ſemel recurrit infrà, & à me expoſita eſt Latinè, prout ſenſus exigere viſus eſt,*

g *Sic ſonant verba Hiſpanica: textus Scripturæ Proverb.* 22 ℣ 2 *is eſt:* Dives & pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus.

CAPUT XVIII.

Caritas in omnes cujuſcumque conditionis homines ac primò in eccleſiaſticos pauperes.

In omnes ſe extendit munifica ejus caritas,

BOno eleëmoſynarum *a* largitori, ſicut ipſe favet ac ſuccurrit omnibus, ita etiam benedicunt omnes vivo, mortuo, &, quamdiu mundus exſtiterit, [benedicent:] ubi verò hic deſierit, cæleſti illa ac divina ſuper benedictiones omnes benedictione gaudebit, audiens ex ore ſupremi Judicis coram angelis ejus omnibus: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Hos inter unus eſt benedictus pater D. Thomas, quem in vivis ſuperſtitem nemo familiarem habuit, nemo novit, quin millenis vicibus ipſi benediceret; cujuſque poſt obitum nullus nomen ore uſurpavit vel aure excepit, quin benediceret. Ut verò ſecuri ſimus, fruiturum illum benedictione illa in die judicii impertienda, jam nunc indulſit ſancta & Apoſtolica Sedes, ut Beati nomine appellemus ac veneremur, eidemque glorioſum Eleemosynarii titulum & cognomentum attribuit, dicens: Beatus Thomas a Villanova, cognomento Eleemosynarius *b*: titulum planè juſtum, & caritati ac miſericordiæ ipſius debitum, quandoquidem nullum fuerit egenorum genus, cui auxilium non tulerit ac ſuccurrerit, prout conſtat ex hactenus relatis: quò autem peculiariùs id pateat, hoc capite viſum eſt diſtinctis titulis diſcurrere per omnes hominum ordines *c*, quibus magna largitate adjumento fuit. F

a

b

c

467 Abundè conſtat ex capitibus decimo tertio

&

A & quarto *d*, quomodo præ ceteris in re ſpirituali juverit multos viros eccleſiaſticos, ſanctis reprehenſionibus ſuis, orationibus & corporis afflictationibus animas eorum lucrifaciens, improbo ſtatui ſubtrahens, ac Dei ſervos efficiens: dein quomodo pluribus eorum, rei temporalis egentium, ſubſidium attulerit, veſtes procurans & elargiens, unde honeſtè viverent. Præter illic à nobis recenſitos, memorant teſtes in proceſſu plures alios, quos ex reprehenſionibus ſuis nihil proficere perſpiciens, per dies aliquot in cuſtodia detinuit, ut per caſtigationem emendarentur. Dum autem [è cuſtodia] eximebat, Patris inſtar increpabat, ſi pauperes erant, etiam veſtiebat, & eleëmoſynis juvabat, ut in poſterum fortiùs divino obſequio obſtringeret.

ac primùm in ſacerdotes, quibus ſpirituale

d

468 Unum eorum, quibus, ſicut & aliis, opitulatus eſt, hîc tantùm adjiciam. Die quadam quæſivit, utrùm quiſpiam ſacerdotum eſſet in cuſtodia; nam propter curam, quam gerebat, ut eximerentur, dum videbatur ipſi tempus, quo in carcere degerant, ſufficere ad emendationem, neminem jam ſupereſſe arbitrabatur. Dictum eſt, unum ſupereſſe tantùm. Tum: Miſer ſacerdos, (inquit,) cui non contigit liberari ſicut aliis! Eximatur & ad me adducatur huc. Adductum magna caritate increpuit, ac monuit, niſi emendaret ſe, uti pollicebatur, fore, ut in carcerem remitteret & ſeverè caſtigaret. Quamvis autem ore minitaretur in bonum ipſius, oculis tamen contemplabatur attentè paupertatem ac nuditatem, & corde ita ejus commiſeratus eſt, ut ſine mora vocaverit magiſtrum Porta, juſſeritque eodem die petere ab ærarii præfecto pecuniam, & [curare, ut] illi conficerentur pallium, veſtis talaris, induſium, thorax, atque integrum indumentum. Abeuntem, ut veſtimenta confici præciperet, viſitatorem revocavit, dixitque: En, uti intelligo, non niſi unum, quod geſtat, habet induſium vetus, lacerum ac ſordidum: unum dixi induſium conficiendum, præter hoc duo altera conficiantur, ut variare valeat. Similiter, quia pauperem eſſe novit, nec habere quidquam præter Miſſæ ſtipendium, pecuniam porrigi juſſit, quâ procuraret ſibi neceſſariam domûs ſupellectilem. Sed & ipſi dixit: Piè Dominum colas, ac me reviſas; quia menſe quolibet triginta regales tibi conferre deſidero, ut eo ſubſidio unà cum Miſſæ ſtipendio te ſuſtentes: at verò ſi revertaris ad offenſam Dei, quod equidem reſcivero quàm mox, te eleëmoſynâ privabo, & peculiare punitionis exemplum in te ſtatuam. Ita in re ſpirituali ac temporali opitulatus eſt ſacerdoti, qui deinceps piè Deum coluit.

ac temporale,

B

C

469 Certior factus, aliquos in eccleſiis quibuſdam Valentiæ ſacerdotes magna premi egeſtate, quoniam non alio gaudebant beneficio, quàm Miſſæ ſtipendio, dimidio ſcilicet circitèr regali, & altero dimidio, quem ex diſtributionibus, aliorum vices ſupplentes, obtinebant in dies ſingulos; imò etiamſi eorum nonnulli gauderent beneficio, hujus fructus erant valdè tenues, ac præterea vel mater vel ſorores pauperes erant alendæ, eadem caritate ad ſe vocatis ſuccurrebat propria manu per partes in ſingulos menſes diviſas, juxta cujuſque neceſſitatem tribuens aliis triginta, aliis quadraginta, aliis quinquaginta & plures libras annuas. Eoſdem vel eorum matres aut ſorores ægrotantes adiri jubebat à ſacellano ſuo, &, nihil quidquam detrahens ex eleëmoſyna dari ſolita, medicum, remedia & quælibet neceſſaria ſubminiſtrabat. Similiter occurrentibus caſibus aut neceſſitatibus extraordinariis, quibus non ſufficiebat conſueta eleëmoſyna, ſubveniebat ipſe juxta caſûs aut neceſſitatis exigentiam.

unde & ipſi honeſtè

470 Alebat domi ſuæ pauper ſacerdos matrem ac ſororem indigentes, magnaque premebatur neceſſitate, quia, quod in dies ſingulos tum ex Miſſæ ſtipendio tum ex diſtributionibus recipiebat in eccleſia, non ſuperabat regalem unum. Noverat is pannos bombycinos texere; itaque, expletis horis officii in eccleſia, habens domi textoriam machinam, tempus reliquum diebus omnibus etiam Dominicis ac feſtis texendo inſumebat; & ſic ex acquiſitis in eccleſia & per artem textoriam ſuſtentabat familiam, cui abſque noti opificii exercitio impar erat. Accuſatus eſt à vicinis, quòd, præbens illis pravum exemplum, inſtar laïci, depoſita veſte talari, pannos texeret, ac diebus Dominicis & feſtis laboraret. Cauſam ipſius defendens [Sanctus] inquit: Quid ſi fortaſſe pauper ſit, nec ſufficiant ipſi fructus in eccleſiâ percepti? Nihil eſt, quod vobis offenſioni ſit, ſed eſt, unde tangamini exemplo virtutis, quoniam S. Paulus horis, quibus licebat, laborabat operans manibus ſuis & ex lucro inde acquiſito ſibi & iis, qui cum ipſo erant, victum miniſtrabat. Iis dimiſſis, accivit ſacerdotem, querelam, adversùs eum depoſitam, declaravit, rogavitque, ut, an verum id eſſet, clarè ediceret.

A. M. SALONIO. *vivant & pauperes parentes*

E

471 Repoſuit ſacerdos, rem ita ſe habere: quòd [ſcilicet,] finitis horis obſequii ſui in eccleſia, reliquas per dies ſingulos etiam Dominicos impenderet texendo panno ſerico; quem in finem deponenda erat veſtis talaris, ac habitus laïci aſſumendus: ſed hoc fieri domi ſuæ clauſo oſtio. Quòd in eccleſia in dies ſingulos non perciperet ultra regalem unum, quódque eo regali & lucro ex texendi arte (quia aliam non noverat) acquiſito aleret matrem & ſororem ſuam, ſuæque neceſſitati conſuleret; quòd [denique] ea eſſet pura veritas. Brachiis complexus illum eſt [Sanctus] inquiens: Si fas mihi foret, manus illas operi tantæ pietatis ad alendam matrem & ſororem inſervientes deoſcularer. Noli ab eo deſiſtere; grande enim Domino obſequium præſtas. Utinam plures ſacerdotes, qui è templis egreſſi deambulatum abeunt, & tempus terunt, ſe domi ſuæ concluderent, & operi manuum applicarent; utinam qui neſciunt, ediſcerent, indeque obtentum lucrum, dum ipſi non indigent, in pauperes diſpertirent! ô quàm dives foret talis eleëmoſyna! Attamen etſi verè tibi licitum ſit, dum in eccleſia abſolveris, clauſis foribus, laborare etiam diebus Dominicis & feſtis ad occurrendum neceſſitati parentis & ſororis: noli tamen id facere diebus iſtis; ego tibi ſuccurram, mea eleëmoſyna ſupplebit, quod iiſdem diebus eras lucraturus. Accede ad me cujuſque menſis initio, qualibet vice tradam tibi viginti nummos regales. Gaudebat vehementer ſanctus Antiſtes, quotieſcumque ille accederet, & [nummos] quamdiu vixit conferebat magna caritate, feſtis verò ſolemnioribus duplicabat ſtipem.

alant

F

472 Cantor muſicus in eccleſia majori, patriâ Guadalaxarenſis, intellecta matris, illic habitantis, adverſa valetudine, ſtatuit inviſere, & ad [Sanctum] accedens rogavit, ut ſibi ante diſceſſum bene precaretur, ac pro ipſa oraret Dominum. Pollicitus fore, ut ipſam apud Deum commendatam haberet, interpellavit ipſum: Quantum pecuniæ itineri tuo comparâſti? Quadraginta, inquit ille, libras habeo, mi Domine. Parum id eſt (dixit beatus Pater:) nam præter expenſas itineris in itu ac reditu, nihil ægrotanti matri afferes cupediarum, & deliciarum rerumque civitatis

ſubſidium

A. M. Salonio.

Valentinæ, quo recreetur? Itaque pro ingenti ſua caritate nihil non conſiderans, juſſit ipſi dari alias quadraginta libras, ac mulum unum ex ſuis, (licèt paucos haberet,) ut parceret ſumptui alterius conducendi, utque illic diutiùs matri ſervire ac ſolatio eſſe poſſet, haud ſolicitus, quanti conſtaret conductio, ſi diu erat ſubſtiturus.

confert; eamdem liberalitatem

473 Ad iſtum modum multis clericis non ſolùm Valentiæ, ſed & in aliis diœceſeos ſuæ locis opem ferebat, commendans viſitatoribus viſitandi causâ exeuntibus, ut in locis omnibus magnis ac parvis inquirerent in clericos paupertate laborantes, utque iis ſuccurrerent, imò indicem eorum ſibi afferrent ordinaturo, quo pacto per anni decurſum neceſſitati eorum occurreretur. Subveniebat ſimiliter nonnullis pauperibus religioſis, quibus monaſteria convenienter ſubvenire non valebant; dum [enim] non ignari ab ipſo medelam afferri omnibus, egeſtatis ſuæ certiorem faciebant, ingenti amore præbebat auxilium. Similiter & majore quidem largitate ad moniales, quas Deo devotas & à rebus mundi avocatas, ac parentibus, cognatis & amicis orbatas noverat, eleëmoſynas per ſacellanum dirigebat, hortans, ut
B intra clauſtra continere ſe pergerent remotæ à perſonæ cujuſlibet conſortio; quoniam ipſe illis, maximè in infirmitatibus ſuis, non erat defuturus: atque hoc opere etiam complebat.

exercet erga religioſos.

474 Præterea auxiliabatur indigis quibuſdam bene ordinatæ diſciplinæ monaſteriis & quidem notabilibus eleëmoſynis; ordinariæ erant quinquaginta libræ ſub feſtum S. Joannis Baptiſtæ & aliæ quinquaginta circa Nativitatem Domini. Dum Patres Societatis Jeſu Valentiam advenerunt, perſpiciens, quantæ utilitati eſſent futuri animabus, juxta inſtitutum ſuum concionando, adminiſtrando Sacramenta, & explicando Doctrinam Chriſtianam, adjuvit ad fundationem collegii S. Pauli inſigni bis mille & quingentarum librarum ſtipe, ac multis deinde aliis, fovitque eos in omnibus occaſionibus *e*. Huic domui noſtræ beatæ Mariæ de Succurſu in ſtipem impertiebatur libras quotannis centum, velut uni ex bene ordinatæ diſciplinæ pauperibus. Cùm autem unico dumtaxat inſtructa eſſet dormitorio, eoque ſupra eccleſiam, quingentas libras donavit, quibus novum conſtrueretur ſupra refectorium. In ornatum verò ſacriſtiæ neceſſarium aliquot vicibus, & quidem ſin-
C gulis quinquaginta librarum, auxilium contulit. [Demum] quotieſcumque confeſſarius, hujuſce domus religioſus, indicabat neceſſitatem aliquam, arceſſebat Priorem, conquerebaturque, cur non ſtatim adveniſſet ſignificaturus, qua re opus eſſet, ac magna caritate porrigebat.

ANNOTATA.

a *Salonius hoc caput, quod ipſi eſt* 19, *exordiatur oſtendendo tum ex Veteris tum ex Novæ Legis doctrina, talem eſſe veri eleëmoſynarii pietatem, ut ſeſe extendat abſque ulla perſonarum exceptione in omnes cujuſcumque conditionis homines cum neceſſitate luctantes.*

b *Eum titulum jam dudum ſibi comparaverat Sanctus per univerſam Hiſpaniam, uti conſtat ex teſtimoniis à Coccino prolatis pag.* 548, *ubi ad calcem eorum, quæ ad hanc materiam pertinentia hactenus recitavimus in Annotatis & ſuo loco recitabimus in ſequentibus, ita loquitur:* Propter quæ meritò, tanquam alter Joannes, nomen Magni Eleëmoſynarii tam in civitate Valentiæ, quàm in regnis Hiſpaniarum, ſibi Thomas comparavit, ut deponunt in Proceſſu Valentino... Petrus Guttierez... Mariana de Sottomajor... & Don Matthias Pallas... teſtis in examine generali... hoc ita verum eſſe ſubjungit, ut imago venerabilis Viri fuerit in archivio eccleſiæ Valentinæ inter alias præſulum imagines depicta in actu diſtribuendi in eleëmoſynam nummos aureos pauperibus; & ſubdit, quòd cùm in illud glorioſæ memoriæ Philippus ſecundus rex Hiſpaniarum unà cum filia Iſabella Clara Eugenia ingrederetur & imaginem Viri ſancti reſpiceret, ſingulares in cordibus fidelium devotionis affectus excitantem, filiæ dixerit: Iſte eſt ſanctus Archiepiſcopus, qui eleëmoſynam abundè propriis manibus elargitur, cujus præclaras virtutes, totoque orbe notiſſimas tibi ſæpiùs commendavi. D

c *Reliqua hujus capitis in quinque partes diviſit. Primæ hunc titulum adſcripſit:* De perſonis eccleſiaſticis, quos juvit; *alteri:* De viris nobilibus ac perſonis primariis, quibus ſuccurrebat: *tertiæ:* De feminis ac matronis principalibus, quibus ſuccurrebat & quali induſtria ac ſecreto: *quartæ:* De virginibus pauperibus, pupillis & non pupillis, quas [per dotem] ad nuptias [contrahendas] adjuvabat: *quintæ:* De pietate & alacritate, quâ recipiebat & enutriri mandabat pueros, qui ad januas domus ſuæ exponebantur. *Ego omiſſis, ſeu potiùs in marginem rejectis titulis, partem primam jam præmiſſis annexui, ex duabus ſequentibus caput* 19, *& ex duabus poſterioribus caput* 20 *confeci.* E

d *Etiam decimo quinto apud nos.*

e *Sancti Antiſtitis eximiæ in Societatem noſtram pietatis ac munificentiæ viget etiam nunc, ut æquum eſt, grata apud nos memoria: audi Orlandinum part.* 1 *Hiſtoriæ Societatis Jeſu lib.* 15 *num.* 78; Id verò (*collegium Murcianum*) dum proſperè oritur, Valentinum ſancti Antiſtitis ex Auguſtiniana familia Thomæ Villanovæ ſtudio roboratur; qui cùm vivus, ut antè ſignificatum eſt, paternâ ſocios indulgentiâ complexus eſſet; adeo ut, ſi quem amoveri Valentiâ cerneret, amanter expoſtularet, ſibi auxilia detrahi, moriturus cùm quandam haberet in nominibus pecuniam (nam ferè arcam aliam non habebat quàm pauperum manus) ejus partem ampliorem collegio legavit. *Aliud favoris erga noſtros exemplum producit lib.* 8 *num.* 60, *ubi contra adverſarios, improbantes frequentem Sacramentorum uſum, ad duas horas è ſuperiore loco verba feciſſe Sanctum memorat.* F

CAPUT XIX.

Munificentia erga viros ac matronas nobiles pro ſtatu ſuo indigentes.

Viris nobilibus

ASſerunt teſtes, verbis non poſſe exprimi, neque extolli [ſatis] opem & grande ſubſidium, quod experti ſunt in ſancto iſto Præſule viri nobiles ac primarii, quibus ſecundùm dignitatem perſonarum, ut ſtatus ſui decorum ac honorem ſervarent, nec ex neceſſitate deprimerentur ad res [vel actiones] humiles, viles, ſe indignas & conſcientiis pernicioſas, multis ac largis admodum eleëmoſynis ſuccurrebat; ſed, quod notatu dignum eſt, curabat etiam, ut nemini innoteſce-

A

teſceret munificentia & largitas, quâ erga ipſos utebatur, neve inde famæ ipſorum quidquam deperiret. Adiit ipſum vir nobilis, declarans neceſſitatem ſuam, oranſque, ut dignaretur auxilio ſublevare: ad ſolum ipſius verbum id præſtitit, &, quia vir erat præcipuus, notabili ſumma, promittens ſimilem ipſi concedendam, quoties accederet. Nihilominus admirans, nobilem illum tanta premi neceſſitate, quantam indicaverat, homini familiari ſuo negotium dedit, ut clanculùm de re inquireret. Ille, quæſito titulo, domum nobilis luſtratum acceſſit, ac bene admodùm exornatam comperit: adeo ut non videretur ipſi neceſſitate premi is, cui domus erat tam bene ordinata.

476 Ad patrem D. Thomam reverſus, hoc detulit reſponſum: Verè, inquit, Domine, ut domus viri iſtius nobilis diſpoſita eſt, non credo equidem, indigere ipſum; ornamenta quippe in ea habet meliora, quàm in hac ſua veſtra Dominatio. Rectè, inquit Dei Servus; at de redditibus ac poſſeſſionibus, unde honorificè vivat, quid percepiſti? Hac de re nihil mihi compertum eſt, dixit ille. Tum ſanctus Antiſtes, quoniam, inquit, frater, hoc ſcire deſiderabam, & incompertum manet, B certus eſto, virum honoratum, qualis nobilis iſte eſt, non venturum fuiſſe ad me, qui, ut fecit, auxilium peteret, niſi expoſita mihi neceſſitate affligeretur. Neque refert, domum ejus pulchris inſtructam eſſe ornamentis; contrà gaudeo, hæc ab illo non fuiſſe depoſita ac divendita, quia ſic famæ ſuæ conſulit. Exigit autem caritas, ut præcaveamus, ne vir nobilis ac honoratus nominis ſui jacturam patiatur ex eo, quòd domus ipſius deſtituta ſit iis ornamentis ac ſupellectile, quibus inſtructas habent ſuas alii ejuſdem conditionis homines. Itaque perrexit pius pauperum Pater ſuâ eleëmoſynâ ſublevare illum, per vices impertiens in annos ſingulos centum & quinquaginta libras; ubi verò occurrebat neceſſitas extraordinaria, etiam in hac ſublevabat.

pro conditione ſua

477 Plures alios, quos hîc referre ac recenſere, ſi velim, longum ſit, viros nobiles & honoratos adjuvit, aliquos quolibet menſe ſcutis viginti, alios triginta & pluribus alios, pro cujuſque ſtirpis conditione ac familia domi ſuſtentanda. Duos dumtaxat memorabo, unde eluceat magna Servi Dei caritas & miſericordia. Degebat hac in civitate cum filiabus præſtantibus ac nubilibus vir C ex primaria ac illuſtriore nobilitate regni hujus Aragonici, at pro ſtatu ſuo magna in egeſtate. Auxilio ipſi eſſe deſideravit [Sanctus:] ſed pudore ſuffundendum cognoſcens, ſi de pecuniaria eleëmoſyna illi præſtanda inſtitueretur ſermo, iſtum excogitavit modum: cùm elocandi eſſent fructus, advocavit illum, dixitque: Eſtne tibi, mi domine, miniſter intelligens ac fidus? Aſſerenti illi ſubjunxit: Jube itaque ipſum licitari in tali parte elocationis hodie faciendæ, & quamvis, ſicut intellexi, quotannis inde lucro percipiantur ducati bis milleni, certi nullique controverſiæ obnoxii, non offerat pro iſta parte ſeu terræ ſpatio ultra millenos; reliquos millenos lucro tibi adſcribas deſidero, & à te mihi beneficium exhibitum reputabo: nemo autem noverit, conductam fuiſſe [illam terræ partem] tuo nomine.

indigis,

478 Res ita exſecutioni mandata eſt. Nonnulli partis iſtius ſeu terræ notitiâ prædíti, dixerunt, daturos ſe fuiſſe pro ea ultra bis millenos, imò bis millenos & quingentos, idque ipſi deperire. Repoſuit ille, quoniam bona iſta ſua erant, hac de re ne eſſent ſoliciti; ſcire ſe, quid ageret, atque iſto detrimento gaudere. Sic conduxit vir nobilis [illam terræ partem,] eaque, ſoluto conductionis pretio, deductiſque ſumptibus faciendis, protulit illi ex reſiduo lucro ducatos ultra millenos annuos, & aliquando millenos ac quingentos. Ita familiam ſuam honorificè ſuſtentavit, quamdiu in vivis ſuperſtes fuit pater D. Thomas; quemadmodum ejuſdem viri nobilis filii, rei totius notitiâ imbuti, ipſimet teſtati ſunt. Quoad alios conditione ſimiliter præcellentes, qui titulo eleëmoſynæ nihil erant admiſſuri, aliis artibus & modis utebatur, ac magno ſecreto intellectæ eorum indigentiæ medelam afferebat.

Ipſorum honori conſulens,

A. M. SALONIO.

479 Vir nobilis, cui initio cujuſque menſis tribuebat ſcuta viginti, occurrente neceſſitate extraordinaria, acceſſit eleëmoſynarium ſancti Præſulis, nomine dominum Joannem, cui eam ſignificaret: dixit, venire ſe quidem rubore ſuffuſum, quòd à paucis diebus recepiſſet portionem menſtruam, attamen urgeri neceſſitate ad flagitandum auxilium. Subiit eleëmoſynarius cubiculum, in quo degebat pater D. Thomas, certiorem fecit neceſſitatis viri nobilis, & juxta ipſius dicta, contentum fore [addidit] centum regalibus. Hos, mox ubi res ſibi propoſita fuit, dari præcepit. Recedenti è cubiculo eleëmoſynario dixit: Audi: et- E iamſi centenos tantùm flagitat, (fortè flagitare plures non audet, quia conſiderat, dari ſibi à nobis menſe quolibet viginti libras:) trade regales ducentos. Eleëmoſynarius tantam benignitatem ac pietatem perſpiciens, lætatus eſt vehementer. At è gradibus deſcendere inſtituentem revocari juſſit [Sanctus.] Audi, inquit, vir honoratus & qui quovis menſe ſtipem à nobis ſibi conceſſam recipit, adeſt propter neceſſitatem extraordinariam, da trecentos regales; iis quippe omnino indigebit. Abiit eleëmoſynarius eo mandato admodùm contentus. Priuſquam totam graduum ſeriem fuerat emenſus, revocari denuo juſſit [Sanctus:] Audi, inquiens, cùm vir honoratus de nocte & hâc horâ ex peculiari neceſſitate accurrat, oportet hanc majorem eſſe, quam retulerit, numera quadringentos regales, & mone, ne idcirco ſingulis menſibus prætermittat venire huc [receptu- F rus ſubſidium] ordinarium, ſuſtentandæ domui neceſſarium, ac ſignificaturus tibi qualemcumque aliam [neceſſitatem] præter ſolitum incidentem; fore [addet,] ut nec te tædeat ad me referre, nec me ſubvenire ſingulis. Quippe non ſufficiebat ſancto Eleëmoſynario dare liberaliter, ſed ipſemet egeſtate preſſos animabat, ut indicarent ac peterent.

inſigni liberalitate

480 Peregrè rediens juris peritus quidam ipſi perfamiliaris, mox acceſſit viſendi gratiâ, & offendit in ampla aula, ubi pauperes, alioſque neceſſitatem aliquam ſignificare deſiderantes, præſtolari ſolebat. Adfuit eodem tempore vir nobilis, cui prima die cujuſque menſis tribuebat [Sanctus] regales ſexaginta; & hos quidem, præſciens adventurum illum die iſto, cartæ involutos, gerebat in manica. Cùm ſimul ambo ingrederentur, hæſit bonus Pater ſolicitus, quo pacto miſero viro nobili ſtipem porrigeret ſtatim, ut neque hic exſpectare cogeretur, nec adverteret juriſperitus; rem Domino commendavit, & ſtipem cartæ involutam manu dextera, ſcapulari ſuppoſita, aſſumens, acceſſit ad complexum juriſperiti, & brachium ſiniſtrum humero ipſius injiciens, dicenſque: Optatò adveniſti, [brachium] alterum extendit ſupra [humerum] alterum, &, illo non advertente, cartam porrexit viro nobili: mox verò manus ſuas ſcapulari ſuppoſuit: atque ita prudenter ſatisfecit urbanitati recèns adventanti juriſperito ex-

ac prudenti induſtria

A. M. SALONIO.

hibendæ, & caritati, quâ prorsus occultè & nullâ interpositâ vel unius momenti morâ subvenire cupiebat nobili.

opitulatur;

481 Non his solùm tanta & numquam defatigata pietate opitulabatur, verùm ad instar cælestis illius Patris, cujus tam insignis & perfecta est bonitas, ut solem suum oriri faciat super bonos & malos & pluat super justos & injustos *a*, etiam egregius hic Eleëmosynarius auxilium & subsidium subministrabat omnibus, non bonis dumtaxat ac virtute præditis, sed & nonnullis propter delicta non promerentibus, ne pejores evaderent, vel se prorsus perditum irent. Monitus fuit, nobilem, quem quovis mense decem scutis sublevabat, nonnumquam lusui indulgere, atque abuti eleëmosynâ, expedire autem, ut hâc privaretur. Id equidem non fecero, subjecit bonus Pater; quia, nisi demus, fiet deterior, & si modò unicum committit malum, tum plura committeret. Ita absentem tutatus est. Dein vocari ad se jussit, & gravissimè increpuit, exponens criminis turpitudinem, & minitans, fore ut eleëmosynâ privaretur, nisi rediret ad frugem. Attendere (jubebat) bona, quæ dabat ipsi, pertinere ad pauperes, ac severè à Deo puniendum esse, nisi impenderet necessitatibus domus suæ. Tantum valuit ista reprehensio, ut numquam ad lusum redierit nobilis, neque ulli umquam rei sese implicaverit, quâ vel notam sibi [inureret,] vel pravo exemplo esset.

a

B

item variis modis feminis,

482 Plebeiæ sortis mulieribus tam viduis quàm nuptis succurrebat, intellecta earum necessitate, pro ratione indigentiæ; aliquibus per manus eleëmosynarii elargiens qualibet hebdomade vel quovis mense statam pecuniæ summam, aliis manu propria hoc modo: istis eleëmosynis binos per hebdomadam dies constituerat, quibus una hebdomade adessent [mulieres] unius parœciæ, alterâ alterius, & dum cubiculo egrederetur ad Missam celebrandam in sacello domestico, illæ omnes, velata facie, ordine essent dispositæ in ampla aula juxta dictum sacellum. Ita dispositas circuibat, donabat singulas eleëmosynâ cartæ involutâ, submissa voce adhortans, ut Domino piè servirent, ac firmiter confiderent, fore ut Pater cælestis piè colentibus numquam deesset.

ac matronis,

C

483 In gratiam mulierum altioris conditionis & æstimationis, quas non decebat cum plebeiis adire domum ejus, quæque non erant admissuræ isto modo eleëmosynam, singulis feriis quartâ & sextâ, in diem festum non incidentibus, ad templum princeps se conferebat ad celebrandam in sacello S. Ludovici Rem divinam, quâ finitâ & expleta in dicti sacelli sacrario gratiarum actione, egrediebatur, & parvum sedile, juxta aram majorem collocatum, occupabat, ut matronæ primariæ & honoratæ, velata facie, ad ejus, tamquam ad confessarii, pedes accedere possent ac necessitatem suam & molestiam declarare: si hæc spiritualis erat, solabatur & consilium animæ bono congruum suggerebat; si verò temporalis; Mitte ad me, inquiebat, confessarium tuum: per ejus quippe ministerium opem tibi afferam. Ubi autem ex confessario peculiariùs didicerat matronæ conditionem, virtutem & indigentiam, huic per illum dirigebat, quod necessarium esse intelligebat *b*.

b

quarum illustrioribus clam summas

484 Hâc viâ ingenti liberalitate succurrebat pluribus, aiebatque ejusmodi eleëmosynam magni meriti esse coram oculis Domini; quia mulieres aliæ plebeiæ famulari possunt, & necessitatem suam prodere curatoribus pauperum in parœciis; sed matrona nobilis ac liberaliter educata, quæ id nequit, & necessitate premitur, magno versatur in periculo animæ & honoris. Atque hinc eleëmosynam & opem talibus exhibitam, ne in offensam Dei incidant, spiritualem esse potiùs dicebat quàm temporalem. Quod verò exemplum est & virtutis documentum insigne; acceptâ notitiâ indigentiæ quarumdam matronarum valdè illustrium, & quarum dignitas ac genus inhibebat, quominus detegerent cuipiam, stipemve peterent aut acceptarent, hoc utebatur artificio.

D

mittebat tamquam occulti debiti persolutionem.

485 Nitebatur noviſſe, apud quos illæ noxas animæ expiarent; hos arcessebat, & sanctè promittens, servatum iri à se secretum, [monensque,] ut & ipsi servarent, inquirebat in matronarum istarum indigentiam, ac percepta rei veritate, (neque enim ipsi, utpote confessarii ignorare valebant,) perpendebat, & cum ipsis consilium inibat, quantum juxta statum & indigentiam domûs, iis concedere expediret; ac [tandem] dicebat: Itaque hoc, pater, nunc sumito, & deinceps singulis tribus mensibus huc redito, ut tantumdem [recipias,] dicito autem isti matronæ, (sed quominùs erubescat, fac nullâ viâ noverit, à quo sibi donetur,) mitti à persona, quæ ipsi debito aliquo obstricta est, nec totum simul exsolvere valet, sed tantùm per partes, atque ita solutum iri debitum in singulos tres menses. Et verum pronuntiabat, cùm juxta doctrinam suprà relatam, & quam ut certam habebat sanctus Præsul, debitæ sint pauperibus eleëmosynæ ab episcopis factæ. Stupenda sanè sunt intellectu artificia ac modi hujus egregii Servi Dei ad succurrendum & favendum universis. At non mirabitur, qui consideraverit, quàm caritati Christianæ, in culmine suo ac perfectione constitutæ, proprium sit, ingeniosam esse ac reperire vias inusitatas ad benefaciendum opitulandumque omnibus.

E

ANNOTATA.

a *Hunc sensum paulò prolixiorem contraxi ad ipsa verba Euangelii Matth.* 5 ℣ 45.

b *Contenta hoc numero eadem pènè ad verbum habes etiam cap.* XI *hujus secundi libri.*

CAPUT XX.

F

Liberalitas erga pauperes puellas matrimonio jungendas; cura infantium expositorum.

Pauperibus puellis

IN pauperes puellas magna commiseratione afficiebatur, atque insigni caritate & largitate opem ipsis præstabat: adeo ut toto archiepiscopatûs tempore nullæ fuerint pauperum virginum nuptiæ, quin aliquid in subsidium contulerit. Ad agendum de earum conjugio aut addicendam dotem nec tempus nec diem designaverat; sed quocumque tempore rogabatur pro egena aut parentibus orba virgine, præstabat eleëmosynam. Filias è vulgo ad ædes suas vocabat cum patribus aut matribus ac multa benignitate alloquebatur, ut suam indigentiam proponerent & pro insigni prudentia, quâ ornatus erat à Domino, mox dignoscebat, an sincerè agerent. Quò autem securiorem se redderet, nomina earum & domicilia tabellæ inserebat, ac diem,

quo

A quo redirent, deſignans, benevolè dimittebat. Interim curabat per eleëmoſynarium indagari clanculum in earum mores & vitam. Si relatio erat recta & congrua, ad nuptias conferebat, quod mox dicemus, ſin' minùs aliquam dumtaxat porrigebat ſtipem & [allata] juſta ratione dimittebat; neque enim umquam ab ejus ædibus receſſit aliquis expers ſubſidii.

487 Amplam ad hunc effectum eleëmoſynam impendebat. Nam egenis puellis, ſeu orbæ eſſent parentibus, ſeu non eſſent, quæ famulando mercedem aliquam acquiſierant, communiter ſingulis ſubſidium conferebat librarum viginti aut viginti quinque; & hujus generis quotannis ut minimum octodecim aut viginti nuptui collocabantur; iis, quas parentes famulatui addicere non poterant, ſed juſta de cauſa, (ut contingit nonnullis pauperibus artificibus, & multis viduis honoratis,) domi ſuæ retinere cogebantur, ſuppeditabat quadraginta vel quinquaginta, quibuſdam ſeptuaginta vel octoginta libras pro ſtatu perſonarum: & hujuſcemodi ſimiliter anno quolibet in civitate ac per diœceſim in matrimonium collocabat viginti quinque vel triginta. Priores, hoc modo per ipſum ad [ineundum] matrimonium adjutæ, fuere pauperes aliquot puellæ ex Villar & Chullilla, oppidis archiepiſcopatûs, quia hæ, utpote clientes ſuæ, præponendæ videbantur. Eamdem ob rationem cùm primùm loca iſta inviſeret, intelligens, plures eſſe pauperes Chullillæ, dedit ducenta ſcuta ad coëmendum triticum, præcepitque parocho & magiſtratui diſpertire in pauperes ſecundùm cujuſque indigentiam.

ad ineundas nuptias

B

488 Filias parentum honoratorum & nobilium juxta earum conditionem juvabat, alias centum libris, alias ducentis, nonnullas trecentis & pluribus; atque hoc tanta caritate tantoque affectu pietatis, ut, dum certâ aliquâ viâ neceſſitatem fuerat edoctus, opus non eſſet multis illum rogare aut [rem] exaggerare, quò manus [auxiliatrices] protenderet: ipſe habebat curam computandi, quid virgini ejuſce conditionis honorificè maritandæ neceſſe eſſet, quidve auxilii afferre poſſent parentes, ac juxta exigentiam ſuccurrendi. Eo modo opitulabatur.

dotem

489 Cogitatione etiam præcipiebat, qua re matrimonium contrahentes cum opificibus opus habituræ eſſent, tum ut mariti mox domum ordinare poſſent, tum ut artem ſuam exercerent, & victum commodè compararent. Atque ita referunt teſtes nonnulli, quòd, cùm puella pauper matrimonio jungeretur juveni fabro lignario, rogatus, ut viginti librarum ſubſidio juvaret ad lectum aliamque ſupellectilem [coëmenda] conceſſerit liberaliter, & quo tempore eas elargiebatur, quæſiverit, quam noviſſet artem juvenis, cui nubebat puella pauper; reſponſum eſt, Lignariam. Unde igitur (inquit egregius Dei Servus) vivet ille, niſi habeat aliquam ſummam pecuniæ? Æquum non eſt, ut ei procuremus ſupellectilem domeſticam, & nihil pecuniæ ad exercendam artem ſuam: converſus autem ad ærarii præfectum, Da ipſi, ait, libras quinquaginta, ut viginti poſtulatis domum ordine diſponat, & ex triginta ſuperadditis materiam ſibi comparet ac domi ſuæ laboret: ſicque datæ fuerunt. Projicienti ſe ad pedes ejus juveni & gratias agenti de tanta caritate dixit: Gratias, fili mi, redde Domino noſtro Jeſu Chriſto: ipſe enim ex bonis ſuis auxiliatus eſt vobis, non ego: quippe hæc mea non ſunt, ſed ipſius, & vobis deſtinata. Hiſce autem auſpiciis, aſpirante Domino ejus laboribus, lignarius iſte deinde bona acquiſivit & honeſtè domum [ſuſtentavit *a*.] In eumdem modum juvit plures alias, non tantùm impertiens, quod petebant ac ipſe ſolebat, ſed ſæpe duplum & amplius. Si autem quibuſdam, non ex vitio aut culpa, ſed ex infirmitate aliave ex cauſa res domeſtica dilabebatur, indigentiæ ſuccurrebat.

concedit

C

A. M. SALONIO. *a*

490 Filias hominum nobilium & primariorum, ſicut ipſis parentibus opem ſuppeditabat, ut juxta nobilitatem & conditionem honorificè viverent, ita etiam juvabat quoad dotem, ut nuptias inirent parentum honori conſentaneas; addebatque ſæpenumero ex proprio animi motu ampliùs quàm exquirebatur, ac videbatur [neceſſarium] ſeu iis, qui de conjugiis agebant, ſeu ipſis eorum parentibus: quia veræ caritati proprium eſt, exiguum exiſtimare ſemper, quod præſtat in Domini obſequium ac proximorum utilitatem, & quantumcumque præſtat, deſiderat ſemper præſtare amplius. Locus hîc ſe offerebat memorandi, quid ipſum inter ac ſartores aliquot contigerit occaſione conjugii eorumdem filiarum: ſed de hac materia agemus capite vigeſimo *b*, quod ſequitur, ubi ſermonem inſtituemus de ipſius cura colligendi bona pauperibus.

cujuſque ſtatui congruam.

b

E

491 Quod ad infantes [expoſititios] attinet, teſtimonium perhibent, quotquot ejus tempore verſabantur in generali pauperum domo, fuitque vulgatiſſimum, quòd, quamdiu in vita ſuperſtes fuit, curam aſſumpſerit educandi omnes ibidem expoſitos ac ſolvendi mercedem nutricibus. Idcirco illi tum non ad [oſtium] domûs pauperum, ſed præforibus palatii ipſius, eademque aliquoties nocte bini vel terni collocari cœperunt. Hinc nonnumquam quinquaginta vel ſexaginta, imò nonnumquam ſeptuaginta vel octoginta hujuſcemodi alebat. Nec defatigabatur, utcumque magnus erat numerus, neque ægrè ferebat, exponi ad fores domus ſuæ, contrà alacriore vultu & inſigni pietate ſuſcipiebat *c*.

Expoſititios omnes

c

492 Nocte quadam expoſitus eſt infans ad portam palatii: obſervârunt famuli duo & mox accurrerunt; alter infantem ſuſtulit, alter currendo inſecutus eſt ad dignoſcendum eum, qui expoſuerat; & quamvis aſſecutus ſit, dimittere illum ipſi viſum eſt. Subierunt ambo cum infante cubiculum, in quo cœnabat pater D. Thomas, dicentes: Dominationi tuæ puerum afferimus, parentes ſimul adducere potuiſſemus, eos quippe aſſecuti ſumus; verùm id non placuit. Alacri mox fronte excepit eum brachiis, an ſacro fonte tinctus eſſet perluſtrans; eſſe comperiens, bene precatus illi eſt, & ad famulos converſus: Haud rectè, inquit, egiſtis, dum parentes eſtis inſecuti; quid enim illis, per vos adductis, eramus facturi? Ne fiat hoc deinceps; abundè enim eos affligit indigentia. Tradidit eum Segriano epiſcopo, quocum cœnabat, &, Mox, inquit, nutricem ipſi alendo quæramus, ubi quadraginta octo, quot habemus, nutriuntur, etiam quadraginta novem nutrientur & plures, ſi Dominus ad nos deſtinaverit. Numquam enim timebat, ne deeſſet, quo ſuſtentaret pauperes.

alacri animo ſuſcipit,

F

493 Quoniam caritas, quam exhibebat iſtis infantibus, comperta erat omnibus, & plures illi noctu afferebantur, ſanctus Præſul (qui intento animo perpendebat omnia) tum propter damnum, quo affici poterant infantes, per totam noctem carentes nutrimento lactis, tum propter moleſtiam, quam per ſuos vagitus creabant domeſticis, curavit, ut duæ ex nutricibus habitarent prope palatium, ac domos ipſis conduxit, quæ infantes, quacumque tandem horâ exponerentur, tollerent, la-

nutricibus ſuo ſumptu committit.

A. M. SALONIO.

lacte foverent ac ſervarent, donec illis nutrices, in quas mox die proximo inquirebatur magnâ diligentiâ, reperirentur. Et inſtar boni patris, qui identidem filium, foris enutritum, conſpicari deſiderat, atque experiri, quî valeat, primo cujuſque menſis die juſſerat domum ſuam convenire nutrices omnes cum infantulis.

ſtato tempore ad ſe deferri jubet,

494 Ingreſſæ præſtolabantur illum in ampla ſacelli aula, ipſe verò, finito Miſſæ ſacrificio, obibat omnes duplici ſerie collocatas, ſingulos infantes examinans, [ut perſpiceret,] quo modo enutriti & quo ſtatu adducerentur. Adducenti nitidum, mundum ac rectè comparatum præter mercedem impertiebatur auctarium aliquot regalium; at non ita [comparatum] afferenti nihil concedebat; contrà corripiebat, ac negligentem compellabat, ut deinceps, tum ad gaudendum auctario tum ad evitandam negligentiæ correptionem, meliorem de infante curam gereret. Idipſum factitabat feſtis præcipuis & ſolemnioribus poſt prandium: meliorum quippe ac guſtui ſapidiorum bellariorum loco habebat *d* videre, quo modo infantes alerentur. Si quem languidum aut pallidum offenderet, dolebat multùm, & cum nutrice conquerebatur, cur ita aleret. Siqua autem (ut fit) pauperem ſe eſſe reponeret, & ex data mercede ſufficiens non obtinere alimentum, per modum eleëmoſynæ dari ipſi auctarium jubebat clanculum, ne conquererentur aut ægrè ferrent aliæ. Si remediis indigerent corrigendo lacti, ſuppeditari jubebat; omnibus quippe Dei Servus magna caritate ſuccurrebat.

d

B

& an ſolicitè educentur examinat;

495 Obſervabat quoque, quibus pueri faſciis & pannis, & quibus veſtibus induerentur nutrices, & tam pueris quàm nutricibus, quod neceſſe erat, præſtari jubebat, ut & hæ congruis incederent veſtimentis, & infantes bene compoſiti ac mundi eſſent, quoniam diligebat tamquam filios proprios. Dum adducebantur & ipſe ſingulos examinabat, manu frontem ipſis demulcebat & blandiebatur; nutricibus autem, Si vobis, inquiebat, regis filius enutriendus committeretur, quàm vos honoratas ac fortunatas exiſtimaretis, qua ſolicitudine aleretis, quàm mundum ac rectè compoſitum ſervaretis! At Rex cæleſtis parvulos hoſce ſuos eſſe reputat, hos mihi commiſſos voluit, hos ego vobis, ſorores, ejus nomine committo; mundos ſervate & rectè compoſitos, quidquid enim iis opus fuerit, nos omnino procurabimus.

C

curat, ut facilè ad oſtium ſuum exponi queant;

496 Quò faciliùs, qui infantes enutrire non valebant, exponerent ad ædes ſuas, oſtium æſtate uſque ad horam nonam, hyeme uſque ad ſeptimam veſpertinam ſemiapertum ſervari jubebat, & domûs aditum illuminari quidem, ſed ita, ut ejus claritas non obeſſet afferre eos cupientibus, & quo non minus, clauſis januis, valerent exponere infantes, appenſum iis erat tintinnabulum *e*. Promiſerat quoque famulis, ut [nempe] advertentes collocari infantem aliquem, mox magnâ diligentiâ ad tollendum & ad ſe deferendum accurrerent, ſe cuilibet infantem afferenti, conceſſurum regalem quadruplicem, atque ita ſimulac vel infantem vel tintinnabuli ſonum perſentiſcebant, ſtatim ſublaturi & introlaturi celerrimè advolabant.

e

mater proprium filium expoſitum nutriendum accipit,

497 Inops muliercula matrimonio juncta infantem quadam nocte præ foribus ædium ipſius collocavit. Die poſtero primo mane, convenit nutrices, juxta palatium habitantes ad ſubminiſtrandum lac infantibus nocte expoſitis, rogans, an fortuitò non haberent infantem, cui quærenda eſſet nutrix, fore ut ipſa enutriret; quia à ſe genitus obierat. Opportunè advenis, dixerunt illæ; hac nocte enim allatus eſt unus; inſpiciamus lactuum, &, ſi fugere facilè voluerit, puerum ea, quâ alunt ceteræ, mercede poteris enutrire. Inſpecto lacte, quod recens erat, quodque ex ejus uberibus facilè admodùm aſſumebat puer, rei certiorem fecerunt patrem D. Thomam, & juxta relationem iſtarum nutricum commiſſus ipſi eſt, ut aleret, &, ut moris erat, pars mercedis in anteceſſum collata. Ita mulier abſtulit filium ſuum, pecuniam ſuæ neceſſitati, & novas faſcias infanti; nam tam pauperes erant ac laceræ eæ, quibus, dum expoſuit, involvebatur, ut uſurpari non poſſent. Præceperat autem, ut nutrices, juxta palatium habitantes, faſcias & pannos haberent reſiduos & idoneos infantibus, qui nudi aut veſtibus pauperibus ac laceris & ad uſum ulteriorem ineptis involuti afferrentur.

D

quod Sanctus intelligens, non minùs mercedem ſolvit;

498 Quamquam mulier operam dederit, quam potuit maximam, ut res iſta magno ſecreto involveretur, ita tamen latere nequiit, quin agnoſceretur ipſa propria infantis parens, & quo dolo fuiſſet uſa. Indicatum id [quoque] fuit Dei Servo, ut ei mercedem ſubtraheret, quamvis etiam ipſi remittere vellet, quæ per fraudem adepta erat. Id equidem non faciam, (repoſuit Dei Servus,) eſtote memores, quid vobis dixerim aliis in occaſionibus; caveamus à defraudandis pauperibus; nam dum ab ipſis defraudamur, nihil nobis detrimenti, imò ſæpe multum utilitatis accedit, quale accedit ab iſta muliere. Hæc enim niſi mater ejus eſſet, uni dumtaxat præſtaremus eleëmoſynam puero, nutrimentum ſubminiſtrantes; cùm autem ipſius ſit parens, utrique beneficium præſtamus, puero, procurando nutrimentum, mulieri, ſuccurrendo egeſtati per mercedem, quam lucratur. Hoc ipſum, ſubjecit, factitavit genitrix Moyſis, enutriens proprium filium, ac pro eo mercedem accipiens à filia Pharaonis ſibi collatam: neque idcirco coarguit ipſam Scriptura ſacra, neque nos coarguere debemus pauperem iſtam feminam, quæ dolum hunc excogitavit ad egeſtati ſuæ medelam afferendam, quæque mihi duplicis meriti uſuram affert ex eo, quòd rem edoctus promerear, duplicem faciens eleëmoſynam; ac lubens facio.

E

malo laborantes chirurgo committit,

499 Ad chirurgum nomine Joannem Baptiſtam Alatar *f* (virum honoratum & bene Chriſtianum, licèt ex novis Chriſtianis oriundum) quòd peritus eſſet & manu expeditus ad perſanandos eos, qui membro aliquo capti erant, vel brachium aut crus confractum luxatumve habebant, curandos mittebat [Sanctus] pueros vel pauperes, tali malo afflictos, unà cum ſchedulis à ſecretario ſuo [exaratis.] Dictus autem Alatar, dum lubebat, colligens ſchedulas adibat patrem D. Thomam, qui curationum ſuo juſſu factarum pretium perſolveret juxta eaſdem ſchedulas. Inito computu, aiebat [Sanctus:] Frater Alatar, res iſta pauperes reſpicit: eleëmoſynam iis elargiamur; ac ſubtrahebat nonnihil, reliquum magna liberalitate & alacritate perſolvens: ita quidem ut chirurgus perpendens caritatem ſancti Præſulis, dato pretio valde contentus abſcederet.

f

à quo non ſine prodigio incurabiles ſanantur;

500 Die quadam [præ foribus] Servi Dei collocata eſt puella diſtortis in averſum pedibus: vocari juſſit chirurgum iſtum, qui ad rectum ſitum deduceret ac curaret. Ut conſpexit ille, dixit, id [ſuſcipere] non audere ſe, quòd ſimile malum numquam curâſſet, & immedicabile eſſe cenſeret; quandoquidem eo modo in lucem edita eſſet. Non depoſuit idcirco fiduciam bonus Pa-

ter,

A ter, sed brachiis eum stringens, dixit: Applica, quæ soles ad emolliendos nervos & articulos, ac fasciis obligans, spem in Domino defige; quoniam per fidem divina ipsius pietas medelam affert ei, quod homines omnino immedicabile esse censent. Chirurgus verbo ipsius credens (nam valdè familiaris ipsi erat, & ut insignem Dei Servum suspiciens, magna devotione reverebatur) jussa patris D. Thomæ mandavit exsecutioni, atque intra paucos dies ita curavit, ut pedes in anteriorem partem reduxerit, & cruciatum vel dolorem nullum inferens, ita constituerit, acsi numquam simili [malo] fuisset affecta. Unde & ipse Alatar & qui viderant antè, ac conspexere postmodùm, magna admiratione permoti sunt, judicâruntque miraculum esse evidens, propter preces & fidem beati Antistitis patratum à Domino. Asserit idem chirurgus, quòd & alios infantes deinde, cùm intelligeretur puellæ istius à se facta curatio, casu aliquo adductos, confisus meritis ac favore ejusdem patris D. Thomæ ob ingentem devotionem, quâ ipsum prosequebatur, curandos susceperit, curaverit, & in singulis agnoverit patrari à Deo miraculum per interventum beati Patris.

B *pupillos in palatium accendos recipit.*

501 Non hos tantùm infantes colligebat patris D. Thomæ caritas, verùm plures alios, qui, parentibus morte sublatis, pupilli & omni præsidio destituti relinquebantur. Obierunt hac in civitate pauper sutor atque ejus uxor, relictis tribus infantibus, quorum natu major ad summum erat annorum quatuor vel quinque: ut intellexit, in domum suam introduci illos jussit. Hìc à proba provectæ ætatis & pii exempli femina, quam valetudinario præpositam habebat, enutriti sunt. Ibidem eos alens, tanto amore fovebat, ut pueri eum conspicientes accurrerent tamquam ad parentem proprium, qualem verè operibus se præstabat. Continuatum id est, donec grandiusculi evaderent; tum enim magistris opificium edocendos commisit. Eodem hoc modo alebat ac fovebat plures, parentibus & omni humano auxilio orbatos; & eâ quidem curâ succurrit omnibus, ut, quemadmodum ipsemet asseruit paucis ante obitum diebus, solverit mercedem nutricibus & puerorum alimentum ad duos annos post mortem.

ANNOTATA.

C a *Nonnulla hanc periodum præcedentia ac subsequentia recidi, quia tædebat recantare ferè eadem.*

b *Apud nos vigesimo primo propter divisionem in Annotatis ad cap.* 18 *lit.* c *insinuatam. Ceterùm dicta hoc capite generatim ita comprobat Coccinus pag.* 541: Tanta enim & tam eximia charitate necessitati in dotantibus * puellis succurrebat, ut nullus ad eum accederet parens bonorum egenus, nubiles tamen filias in matrimonium daturus, quin ipse præstò necessitatibus adesset, dotem constitueret, & omnes, quæ tamen innumerabiles fuerunt, honesto matrimonio collocaret: ita de vera scientia in processu Valentino deponunt Mariana de Sottomajor... Petrus Guttierez ... & in processu Castellæ Petrus Garzias.

* *fortè* indotatis

c *Subdit hìc auctor, hominibus crudelibus proprium esse sævire in parvulos, mitibus horum misereri; ac doctrinam confirmat allatis exemplis è sacra Scriptura.*

d *Pauca hìc denuo, ne eorumdem ferè dictorum fieret repetitio, rescindenda judicavi.*

e *Hæc illustrat Coccinus pag.* 543 *verbis sequentibus:* Non minorem curam adhibuit in pueris expositis educandis, qui, cùm priùs in portas projicerentur, & ab nutrientium defectu vix nati interirent, in omnibus suæ diœcesis parochiis edici jussit, ut omnes ad sui palatii portam exponerent: *dein paucis enarrat pleraque, quæ referuntur à Salonio num.* 493 *& duobus sequentibus, ac tandem subdit:* Ita de vera scientia deponunt Petrus Garzia Castellanus ætatis LXXVIII annorum... in processu Castellæ... & in processu Valentino don Carolus Joannes de Torres ætatis LXXIII annorum... Petrus Guttierez... & Mariana de Sottomajor. A. M. SALONIO.

f *Is ipse est, qui apud Coccinum pag.* 619 *inter testes de virginitate* S. Thomæ *comparet primo loco: verba dedi in Annotatis ad cap.* XI *lib.* 2 *lit.* e.

CAPUT XXI.

Gaudium ejus, dum stipis erogandæ datur occasio; parcitas erga se, quò plus eroget; exstructio duorum collegiorum.

E

TAnta fuit patris D. Thomæ in pauperes misericordia, ut quantacumque multitudine offerrent sese ac sisterent, defatigaretur numquam. Summa ipsius voluptas erat & consolatio, cognoscere pauperum necessitates & cognitis afferre remedium. Erat in hac civitate mulier sancta, quam ipse ob virtutem & pietatem Christianam, maximè verò ob caritatem & liberalitatem in pauperes, diligebat multùm. Ad hanc, cùm notum esset, quanto amore in eam afficiebatur pater D. Thomas, plures accurrebant personæ inopes, aliæ, ut pro se apud ipsum intercederet, aliæ, ut ad ipsius ædes deduceret, & quoniam frequentes erant, metuens ipsa, ne illi afferret molestiam, die quadam dixit: Verè, Domine mi, vi quasi adacta accedo, nec ullum ampliùs inde meritum obtinere me existimo, quòd non dubitem, quin multum molestiæ afferam tuæ Dominationi. Subridens bonus Pater, Noli, inquit, id credere, sed multum inde promereri te [existima.] Nam quocumque modo venias, Deum ac pietatem, quâ tangeris erga pauperes, ducem habes. Ne cesses illos adducere; nec ejus te tædium capiat, nullum quippe me capit, nec porrò capiet, ut ut frequentes sint; nihilque aliud molestum mihi est, quàm quòd multò plura eroganda non suppetant. *Delectatur*

F

503 Pauperis opificis, qui debebat septem scuta, clericus pignerari cœpit bona, quia, licèt multas dilationes concessisset, longoque tempore exspectâsset, numquam obtinuerat solutionem, ac egebat ipsemet. Hoc sciens vicinus [opificis] suasit, ut ejus certiorem faceret Archiepiscopum, fore enim ut hic clerico præciperet desistere à pignoratione: quamvis autem præfatus debitor eò tendere abnueret, dicens, rationem stare cum clerico, quandoquidem tamdiu exspectâsset, stimulavit vicinus & comitem se obtulit; simul itaque ipsum adierunt. Excipiens eos auscultavit valdè familiariter, at clerici partes suscepit, inquiens: Nullam tibi injuriam intulit, quoniam *dum paupe-res*

A. M. Salonio. exſpectavit tamdiu, & ampliùs eo eget fortaſſe quàm tu. Nihil in eo deliquit ipſe, ſed tu, quòd, non habens, unde ſolveres, ad me non acceſſeris, qui extemplò tibi ſuccurriſſem; tu verò eam ex pigneratione moleſtiam non recepiſſes, ac mihi, egeſtatem tuam declarans, magnam attuliſſes voluptatem. Præcepit mox eleëmoſynario, ut illi decem ſcuta traderet ad perſolvenda ſeptem, quæ debebat, & expenſas, ſi quæ factæ erant in pigneratione. Ipſum dimittens, dixit: Si obtingat aliàs neceſſitas, accurre ad me, ego remedium ſubminiſtrabo, idque mihi volupe erit: quod etiam præſtitit alia occaſione, quando propter debita venalis expoſita eſt unica, quam vir idem tenebat, domuncula, eique opitulatus eſt.

504 Eorum acceſſibus delectabatur, eoſque *accedunt*, magna cum voluptate excipiebat, quos noverat eleëmoſynis addictos & in pauperes benignos, quorumque ſermones ac colloquia eò vergebant, ut illis præſidium ſubminiſtrarent & indicarent ipſi, quos ſciebant preſſos neceſſitate. Tales perſonas, cùm inviſerent, expanſis brachiis ſuſcipiebat, & cùm valedicerent, hortabatur, ut viſerent ſæpiùs, acturi de pauperum adjumento. B Sicut patriarchæ Abraham explicans caritatem, refert ſacra Scriptura, quòd ſubſiſteret ad oſtium domus ſuæ, in locis editis & collibus, ut deprehenſos illinc pauperes ac peregrinos deduceret in domum ſuam, miniſtraret ipſis, & menſam lautè exſtrueret: ita etiam beatus D. Thomas poſtquam Sacrum celebrârat, & confecerat negotia eum in finem expectantium, in ampla ſacelli aula, patentibus tum aulæ ejuſdem tum graduum valvis omnibus, notabili temporis ſpatio morabatur, opperiens, num quis adveniret, qui peteret eleëmoſynam, aut neceſſitatem aliquam exponeret: atque hac de cauſa adventantem peramanter ac familiariter recipiebat & in ejus ſubſidium mox accurrebat. Similiter, advertente nemine, per feneſtras aulæ ejuſdem porticum domus ſuæ, & per cubiculorum feneſtras forum oculis perluſtrabat, an adventantem pauperem eſſet detecturus: vocari jubebat, ejuſque edoctus calamitatem, extemplò adjuvabat. Proſpexit autem Deus, ut, quamvis tantas tamque aſſiduas eleëmoſynas præſtabat, numquam, quod daretur, deficeret.

505 Cùm die quadam, ſumpto prandio, omnem, (ſicut ei contigit nonnumquam,) quam *quos iuvare* C domi habebat, pecuniam in pauperes diſtribuiſſet, ſub veſperam diei ejuſdem accurrerunt nonnulli magna preſſi neceſſitate. Nihil, quod daret ipſis, reliquum ſibi eſſe comperiens, dolorem ſenſit vehementiſſimum, non quidem ex eorum adventu, nam hæc ipſius erat voluptas, ſed ex eo, quòd domi non haberet pecuniam ipſis impertiendam. Verbum nullum proferens, ſacellum ingreſſus eſt, atque illic multis lacrymis ſupplex oravit Dominum, ut pauperibus iſtis eſſet propitius, ac benedicta manu ſua ſic proſpiceret, ut ne ab ædibus ſuis abſcederent ſolatii expertes. Dum hiſce diſtinebatur, priuſquam abiret eorum quiſpiam, (nam quoniam nihil ſignificaverat, neque noverant, cur introgreſſus eſſet, præſtolabantur,) adeſt mercator unus ex iis, qui bona archiepiſcopatûs conduxerant, cum binis famulis, portantibus in corbe mille ducatos, pro majori parte in argentea, pro reliqua in leviore moneta cartis involutos.

506 Vocatus eſt, ut pecuniam illam acciperet: tantum autem ejus fuit gaudium, ut, ſicut antè præ mœrore lacrymas profundebat, viſâ hac inſigni Dei, & à ſe quidem exorati, miſericordiâ, D fleret præ lætitia. Confeſtim ex ea pecunia partem dedit pauperibus, qui exſpectaverant, & infinitas Domino gratias egit, quòd eo in caſu ſubminiſtrâſſet, unde illi juvarentur, nec abirent ſine eleëmoſyna, ſine qua ab ejus ædibus nullus pauperum receſſit umquam: ita quidem, ut, cùm aliquando pecuniâ deſtitutus, dandâ egeno, quem media hyeme penè nudum conſpicabatur, vocârit ipſum, &, quo ſe tegeret, porrexerit pallium *a* ex panno nigro, quod ſupra album veſtimentum geſtabat, ut ſolent religioſi noſtri Ordinis, dum frigus eſt vehemens. Præterea monuit reverti die poſtero, quo eleëmoſynarius ſubminiſtraturus eſſet auxilium in vitæ alimentum.

queat; pallium egeno porrigit;

a

507 Mirabantur nonnulli, quo pacto poſſet *plus creditur erogáſſe* dare tam multis tantumque, quantum capitibus præcedentibus retulimus, & in hoc ſumus relaturi, proferente id temporis archiepiſcopatu ad ſummum viginti aut viginti quinque ducatorum millia. Nam juxta hactenus memorata, quamvis protuliſſet ſeptuaginta aut octoginta ducatorum millia, fuiſſent ſanè neceſſaria ad juvandos, uti faciebat, univerſos, multoſque tot tantiſque eleëmoſynis. At verò iſthæc admiratio locum non reperiet apud eum, qui ex una parte intelligit, quantùm valeat ac poſſit boni patris-familias induſtria; ut, bona præter ordinem & in res ſuperfluas non expendendo, &, quod fieri poteſt abſque defectu neceſſarii, colligendo, pauca æquivaleant multis: quique ex parte altera novit virtutem eleëmoſynæ, & quàm frequenter accidat, multiplicari à Domino panes in manibus eleëmoſynariorum, ut ſolis quinque abundè ſatiari queant multa hominum millia. E

508 Res utraque juvit patrem D. Thomam, *quàm recepiſſe è redditibus;* ut ex tam modico proventu erogaret tot tamque largas eleëmoſynas, (quas certum eſt, ſi ratio & computatio iniri poſſet, multùm exceſſuras omnia, quæ accipiebat.) Nam, ut mox videbimus, ex parte ſua ipſe curam magnam habebat parcendi ſumptibus, quantùm poterat, in gratiam pauperum, Deus verò ex ſua augendi & amplificandi ipſius eleëmoſynas. Tam erat ſolicitus ac rigidus in parcendo ſumptibus pro pauperibus, ut equidem non putem, ullum patrem eſſe naturalem adeo parcum pro filiis quantumcumque dilectis. Nam eò parſimoniæ pervenit in gratiam pauperum, ut victum ſibi ipſe ſubtraheret ac propriis F manibus reſarciret veſtimenta, ut vidimus hoc ſecundo libro capite decimo octavo *b*. Quò autem *b* id pateat peculiariùs, quid eum inter & aliquos ſartores contigerit, memorabo hoc capite, pro ſequenti reſervans, quo pacto Deus pluribus caſibus amplificaverit ipſius eleëmoſynas.

509 Cùm eſſent ipſi bini thoraces valdè lace- *ſibi parcus eſt,* ri præſertim in manicis, reſarciendos miſit ad ædes ſanctæ illius mulieris, cujus memini ſub initium hujus capitis. Hæc illos conſpicata, ipſi ſignificatum abiit, uſque adeo laceros eſſe, ut neque ipſa reficere valeret, neque deceret iis indui tantum Archiepiſcopum; quandoquidem triginta nummis regalibus confici poſſet novus. Neque ego hoc faciam (dixit pater D. Thomas.) Nam, ubi aſſutæ iis fuerint manicæ, uſui mihi eſſe poterunt, ac triginta illis regalibus juvabimus aliquem, qui careat veſte tam novâ quàm ſartâ. Juſſit itaque vocari ſartorem, qui reficeret, & manicas annecteret: antequam traderet, paciſci voluit de mercede; & quamvis ſartor ſemel ac ſæpiùs diceret; Jubebit mihi dari tua Gratia, quod lubuerit, acquieſcere nequaquam voluit, ſed indi-

A dicari sibi, quantum ille esset accepturus. Tum mercedem aliquam indicavit, sed æquo majorem ratus pater D. Thomas tamdiu disceptavit, ut, licèt artifex tandem ei assenserit, quam æquam esse aiebat Archiepiscopus, recesserit offensus admodùm & pravo quasi exemplo læsus, avarum ac sordidum illum esse reputaret.

ut pauperibus det,

510 Probè id advertit sanctus Antistes, sed parùm curavit: plus enim potestatis in corde ejus obtinebat desiderium parcendi in gratiam pauperum, quàm personæ suæ qualiscumque despectus, dummodò fieret citra suam culpam ac Dei offensam; confisus nempe futurum, ut divina bonitas, quæ noverat ejus animum, in gloriam id suam converteret, erroremque homines dedoceret: sicut contigit isti sartori. Nam eidem habenti tres filias nubiles, nec aliquid unde dotaret, suasit quidam clericus [ecclesiæ] S. Catharinæ martyris, adire Archiepiscopum, ac necessitatem suam declarare. Renuenti autem illi, quia memor, quid accidisset, dum thoraces resarsit, avarum arbitrabatur, ita persuasit clericus, ut decreverit adire Archiepiscopum, propositurus suam necessitatem ac flagitaturus auxilium. Mox

B agnoscens eum bonus Pater, peramanter auscultavit, ac filiarum nomen & apud quem confiterentur peccata, exquisivit. Hæc edoctus, Vade, inquit, frater, Deo propitio, huc veniat confessarius vester; tu verò & filiæ tuæ rem Deo commendate: ipse diriget, ac vobis adjumento veniet.

uti ostenditur exemplis, duo,

511 Interrogavit confessarium, & intellecta tum puellarum virtute ac egestate, tum opportuna occasione, quæ se offerebat ad eas nuptui tradendas, quæsivit, quæ dos futura esset congrua: respondente confessario: Si vestra Gratia dignaretur cuilibet suppeditare triginta libras, insignis esset pietas, & [grande] illis adjumentum; In nomine Domini, dixit pater D. Thomas, tu ac illarum genitor cras huc venite, syngrapham ipsi super illis exarabo, & post concluſum matrimonium numerabo. Adiit illum cum confessario parens, acturus gratias de beneficio sibi præstito; & quoniam tanta erat caritas sancti Præsulis, ut solicitè admodùm perpenderet & examinaret, an, quod concedebat pauperibus, eorum necessitati sufficeret, ea nocte cogitaverat, parum esse libras triginta, ac majorem partem fore necessariam in su-

C pellectilem domûs; dixit itaque: Audi, pollicitus heri sum tuo confessario libras triginta pro singulis filiabus tuis, dum nuptui tradentur: ea de re cogitavi hac nocte, & modicum id esse comperi, quia pars major futura est necessaria ad instruendam domum supellectile: igitur dabuntur cuilibet quinquaginta; viginti [libris] poterunt instruere domum, reliquas verò impendere comparandæ materiæ artis suæ, ut operari incipiant. Sartor tantam pietatem & munificentiam cernens, humi se prostravit deosculaturus pedes ipsius, sed cohibuit Dei Servus, dixitque: Nonne tu is ipse es, mi frater, qui thoraces mihi restaurâsti? Annuenti illi, subjecit: Scio, offensum te fuisse, cùm videres me super mercede disceptantem: sed haud rectè judicâsti: nam tum conatus sum & conor semper, nihil cuipiam, quod justum esse censeo, detrahens, sumptibus parcere, ut hanc eleëmosynam præstare valeam, non ut mihi pecuniam coacervem; quia neque ea mihi opus est, neque, favente Deo, tempore obitus mei reperietur apud me. Res ista valdè publica fuit in hac civitate; nam, licèt pater D. Thomas secretum commendaret, nequivit tacere homo iste tantam pietatem ac largitatem. A. M. SALONIO.

512 Thoracibus ita corruptis, ut neque usui esse possent, nec denuo resarciri, coactus fuit novum sibi procurare: conficiendum mandavit alteri sartori; afferentem rogavit, quo constaret pretio. Dum autem respondit artifex, telam simul & operam constare nummis regalibus quatuor supra viginti *c*; Sume eum, inquit, frater, ac refer domum: neque enim mihi congruit thorax adeo pretiosus: quamvis autem ad hæc artifex multa reponeret, numquam eum sibi voluit, sed auferendus fuit & conficiendus alter ex tela viliore ac simpliciore, decem dumtaxat constans regalibus: unde & ille offensus fuit, ac sordidum judicavit. Post dies aliquot nuptui tradenda illi fuit filia, & instar alterius carens dote, suadente clerico ecclesiæ metropolitanæ, adiit Archiepiscopum petiturus eleëmosynam; hanc ille lubenti animo concessit, & sicut congruum esse censuit, septuaginta libras *d* impertitus est. Coràm adstiterat œconomus, quando idem homo pro thorace rogaverat regales viginti quatuor, ac similiter præsens adfuit, quando hanc illi eleëmosynam elargitus est, eamque amplam esse opinans, dixit; Nuper vestra Gratia huic eidem homini tam parca fuit, & hodie tam liberalis. Ita est, respondit pius egenorum Pater, quia illo die mihi sumptum faciebam; hodie facio eleëmosynam: tum expendebam ex eo, quod mihi ad victum licitum est depromere tamquam meum, nunc do, quod ad pauperes pertinet. Mihi nolo, nisi quod valdè necessarium est: hinc superfluum me ægrè habet ac detraho; sed quod do pauperibus, cùm eorum bona sint, nec ægrè me habet, nec est quòd habeat, sed quòd succurram liberaliter eorum necessitatibus.

altero,

c

d

E

tertio,

513 Persuasum illi est à nonnullis, ut quadratum istud cubiculum altum, supra domus suæ portam principalem situm, exstrueret, dicentibus, locum esse valdè necessarium, quò secederet vel ad studendum vel ad recitandum quietè Officium divinum, imò, cùm opus esset, usui fore ponendo frumento, atque exiguo sumptu exstructum iri. Ejus constructioni assensus quidem est, at multo pluris, quàm arbitrabatur, constare comperiens, vehementissimè doluit, usque adeo ut canonicus ipsum invisens, cubiculum istud obambulantem, coronam Marianam manu [tenentem,] valdéque afflictum ac lacrymantem offenderit: causam i- F gnorans & existimans, obtigisse grave incommodum, interpellavit: Quidnam est, quid accidit vestræ Gratiæ, quod ad ita lacrymandum compellat? Heu, domine canonice, respondit, quid ni lacrymer, ubi me induxerunt ad tantum huic cubiculo sumptum impendendum, subtrahendumque pauperibus? Hunc enim à me Deus exactè repetet. Artifex, operi faciendo præpositus, audiens tum hæc tum querelas multas adversùm se deponentem, dicentemque, quòd ab illo deceptus fuisset, dum de sumptu faciendo interrogaverat, quódque surriperet pauperibus, quidquid excedebat pretium ab illo indicatum; omnes operarios istic laborantes congregavit & coram ipso stitit inquiens: Per amorem Dei ne se cruciet tua Gratia, nec conqueratur de sumptu, qui isti operi impenditur: nam tantam in hoc præstat eleëmosynam, quantam in eo, quod dat pauperibus aliis. En homines isti omnes, pauperes omnes sunt, nec quidpiam sibi ac familiæ suæ habentes præter diurnam mercedem, quam hîc lucrantur. Nisi hoc opus exstrueret tua Gratia, quoniam hyems est, plerique eorum, imò

A. M. Salonio. ferè omnes non haberent pro majori dierum parte, ubi operam elocarent & regalem lucrifacerent: ex hoc autem opere obtinuerunt ac obtinent, ubi laborem impendant hac hyeme, ac diurnas mercedes lucrentur, quibus victum comparent, & sine quibus fame interirent. Hoc ingenti illi fuit solatio; demonstrante artifice magnam, quam præstabat, eleëmosynam, suppeditando illis occasionem laborandi & lucrandi diurnam mercedem. Ea opportunitate indagavit, quinam ex iis essent juncti matrimonio, & quot haberent liberos; quibus autem ad sustentandam familiam modicum esse perspexit, quod ex diurna mercede referebant, iis per eleëmosynarum præfectum singulis septimanis aliqua stipe subveniri jussit, &, cùm hyems esset, quos comperit non habere vestem præter miseram ac laceram, quam gestabant indies, vestiri præcepit, eorum domos visitari, & non habentibus stragula & culcitas subministrari.

514 Concinnabat faber argentarius in tabellis *quarto*, argenteis ex encausto imagines pulcras admodùm ac pias, & existimans, patrem D. Thomam aliquas optimè concinnatas coëmpturum, in sacello suo collocandas, quatuor ex hisce spectandas attulit, commodo pretio constituens. Aspectu earum delectatus Dei Servus tulit in sacellum suum, iisque altari impositis in genua se submisit, & orationem instituit; hâc finitâ, retulit ad artificem, dicens: Plures tibi habeo gratias de benevolentia à te mihi exhibita afferendo eas huc, ac de consolatione à me percepta ex earum conspectu; at non est mihi, unde emam: quæ possideo, frater, ad pauperes pertinent; neque hæc mihi fas est illis surripere ad sumptus faciendos in res non necessarias, quamvis sanctas & pias, quales sunt istæ imagines. Ita eum dimisit. Abiit ille, admirans, ne rem quidem tam piam & ex qua multum solatii haurire posset anima, coëmere velle ipsum, quò parceret sumptibus in gratiam pauperum.

515 Die quadam cùm in cubiculo, ubi aliquo- *& quinto*; ties propriis manibus vestimenta sibi resarcire solebat, non probè clauso ostio, eidem exercitio vacaret, eo ipso tempore accidit, ut ad illud accederet homo, petiturus eleëmosynam: quoniam verò ipsum sibi vestes resarcientem deprehendebat, nihil quidquam rogans recessit. Observavit id Dei Servus, &, quid rei esset, conjiciens, vocavit illum quàm mox, & cur recederet, non indicatâ adventandi causâ, quæsivit. [Innuit] autem, ne, si fortè ex iis, quæ viderat, offensus fuerat vel amiserat fiduciam, idcirco timeret vel prætermitteret significare, quid rei esset. Indicavit itaque ille, filiam sibi esse nuptui collocandam, nec suppetere, quod illi daret, nisi subveniret sua dominatio. Recedebas igitur, inquit pater D. Thomas, non indicata necessitate, quia me vestimenta mea reficientem conspiciebas. Haud rectè judicâsti: nam eapropter ego ipse reficio & quidquid possum servare studeo, ut habeam, quod dem, dum tu aliique ex hac & similibus necessitatibus ad me recurritis. Interrogavit eum de nomine ac loco domicilii, ut eleëmosynarum præfectus [de ipsius conditione] quæstionem institueret; hâc valdè secretò institutâ, didicit, tam patrem quàm filiam pios esse ac egenos, concessitque illi in subsidium dotis quadraginta libras. His hîc narratis similes memorantur alii plures: omnes quippe, qui rogatum accedebant, juvabat, nec umquam ore proferebat ista: Non possum, vel, Redi alio die; nisi cùm æquum esset priùs rem indagare; uti [cùm ageretur] de juvandis puellis ad ineundum matrimonium, de quibus præcedenti capite locutus sum.

516 Pro clausula hujusce capitis, quò pateat, *pœnitet ipsum pii operis extra diœcesim facti*, quàm pœniteret ipsum quidquam impendere rei alteri quàm pauperibus suæ diœceseos, suffecerit intellexisse, quid moverit ad fundandum collegium, quod pauperibus studiorum alumnis in hac civitate juxta scholas ædificavit. Ex amore, quo prosequebatur universitatem Complutensem, ubi litteras didicerat ac docuerat, atque unà ex desiderio favendi aliqua in re suo Ordini, illic fundamenta jecit collegio pro religiosis sancti patris nostri Augustini. Etiamsi opus esset tam sanctum ac pium, atque fas sit episcopis religiosis meminisse Ordinis sui, eidemque præstare aliquod beneficium, imò etiamsi exiguum illi collegio sumptum impendisset, (nam illi primordia tantùm dedit *e*, idemque perfecit postea provincia [Ordinis] Castellana *f*,) ingenti deinde doloris sensu correptus fuit, quòd expendisset quidquam extra diœcesim; quia videbatur sibi id subtraxisse pauperibus hujatibus, ad quos pertinet. Adeo ut pater F. Joannes Rincon, (quem socium sibi assumpsit, dum ad Valentinum archiepiscopatum venit,) istac rediens & intuens collegii parietes, diceret: O collegium, quot lacrymis constas sanctæ illi animæ degenti Valentiæ *g*!

517 Idcirco in satisfactionem & pœnitentiam *& in compensationem* ejus, quod fecerat Compluti, uti ipse asseruit pater D. Thomas, fundavit Valentinum pauperibus suæ diœcesios studiorum alumnis, ad clericalem statum promovendis, voluitque, ut appellaretur, Collegium sacratissimæ Mariæ Virginis de Templo; quia (ut libro primo vidimus) die ejusdem sanctissimæ Virginis in templo præsentatæ induerat habitum nostri Ordinis. Numquam enim fuit immemor gratiæ sibi à Domino die isto concessæ, nec, etiamsi ad alium statum ac dignitatem [promotum] se cerneret, ejus umquam memoriam amisit. Hinc, ut perspiciant viri religiosi, à Deo ad altiora provecti & honoribus aucti, quanti æstimare debeant, quòd fuerint [religiosi,] videntur mihi referenda ipsa verba, quibus religiosissimus Archiepiscopus auspicabatur collegii sui constitutiones.

518 Ita loquitur: "Ad honorem & gloriam *collegium extruit Valentiæ.* „ sanctissimæ Trinitatis, ac beatæ Mariæ Virgi- „ nis Dominæ nostræ & ad fructum animarum, „ præsertim diœcesios Valentinæ: Ego frater Tho- „ mas à Villanova, Dei & sanctæ Apostolicæ Se- „ dis gratiâ Archiepiscopus Valentinus, in præ- „ clara hac civitate Valentina exstruxi & funda- „ vi collegium pauperibus studiorum alumnis sub „ invocatione Mariæ Virginis de templo; quia die „ ejusdem sacratissimæ Virginis, in templo præ- „ sentatæ, à Deo ejusque cælesti gratia adjutus, „ oblatus fui ad recipiendum habitum sancti pa- „ tris nostri Augustini in conventu Salmanticensi; „ in memoriam autem tanti favoris & beneficii, „ quantum die isto consecutus sum, collegium „ hoc sacratissimæ Virgini dedicavi, cupioque, ut „ annis singulis festus ejusdem præsentatæ dies ce- „ lebretur solemniter in dicti collegii sacello „. Hucusque verba ipsius sunt *h*. Hoc sanctum opus, hanc eleëmosynam præstitit pauperibus hujus diœcesios studiorum alumnis ob rationem à me memoratam; exiguum quoque ei proventum reliquit; quia, ne deesset pauperibus aliis, animo conceperat paulatim eum augere, quamquam exsequi non valuerit, ex hac vita evocatus à Domino. Ex eo, licèt paupere, collegio prodierunt prodeuntque indies viri plures virtute & litteris

insi-

A insignes, atque homines, qui tam in hac universitate ac diœcesi, quàm in aliis, magno fidelium bono in cathedris, in suggestu, & in administrandis parœciis Domino deserviunt.

ANNOTATA.

a *Coccinus pag.* 539 : Tantaque fuit ejus charitas, ut dictus Petrus Guttierez (*in processu Valentino*) deponat de visu, quòd (quasi alter sanctus Martinus) cuidam pauperi proprium pallium dederit.

b *Cap.* 18, *quod apud nos est* 17, *agit quidem auctor de Sancti liberalitate in pauperes; sed de ejus parcitate in victu & vestitu propriè & fusiùs loquitur cap.* 3 *dicti lib.* 2.

c *Factum idem retulit auctor cap.* 3 *mox citato, sed triginta regales ab artifice petitos fuisse ait. Coccinus, cujus verba ibidem recitavi in Annotatis ad lit.* d. *etiam viginti quatuor tantùm indicat, ac reliquam historiam sic enarrare pergit :* Factum est igitur, Deo sic rerum ordinem suaviter disponente, ut Viri parcitas pauperum causâ magis eluceret, quòd sutor (*vestiarius à verbo* suere, *ut ibidem observavi*,) nuptui tradidit filiam & cùm vires B non suppeterent pro dote solvenda, timebat eleëmosynam ab Archiepiscopo petere, quem illiberalem in emendo thorace cognoverat: post multas turbati animi cogitationes tandem ad eum accessit & provolutus ad pedes veniam petiit, & 7 regales sibi in eleëmosynam dari postulavit. Cujus precibus cùm annuisset Archiepiscopus: Ob hoc, ait, parcitati studeo, ut pauperum necessitatibus, & nunc tuæ subveniatur. Ita deponunt testes in processu Valentino... Fr. Joannes Alphonsus... Don Petrus de Moncada... Joannes Baptista Alatar.... Jacobus Ferrando. *Ita Coccinus pag.* 642. *Vide lit. seq.*

d *Summa ista multùm differt ab ea, quam exprimit Coccinus mox citatus, apud quem* 7 regales *typothetæ errore positum fuisse suspicor, pro* 70 regalibus *seu* libris. *Quid enim ad dotandam puellam septem regales, etiam ex iis, quos Hispani* real de à ocho *appellant & scutum conficiunt?*

e *Audienda hîc & explicanda ad mentem auctorum Ordinis S. Augustini testimonia apud Coccinum pag.* 528 : Accedit, *inquit*, ad ea, quæ de charitate venerabilis Viri diximus, quod in oppi- C do Compluten. religiosis sui Ordinis, ut inibi sacræ Theologiæ operam darent, collegium à fundamentis extruxit & annuos redditus ducatorum ccc assignavit, prout probant quamplures testes in processu Castellæ... videlicet frater Didacus de Guevara... doctor Gregorius Ruiz canonicus magistralis Salamantin... & in processu Valentino... Matthæus Joannes Lopez... frater Franciscus de Molina... Antonius Joannes Andreu... don Federicus Borgia... & Franciscus Dimas Pellicer. *Hactenus ille, idemque ferè repetit pag.* 610 : *sed ita intelligendus, juxta Herreram in Alphabeto & Torellum in Annalibus Ordinis S. Augustini, ut fundamenta ejus collegii jecerit Sanctus diu ante archiepiscopatum, anno scilicet* 1527. Compluti, vulgò Alcala de Henares, *verba sunt Herreræ tom.* 1 *Alphabeti pag.* 178, regale collegium S. Augustini provinciæ Castellæ inchoatum anno MDXXVII à Provinciali Bethico, ut tradit Centuriâ XII fol. CXVII Hieronymus Roman. *Provinciæ autem Beticæ præpositus fuit* S. Thomas *mense Majo dicti anni, uti ostendi in Commentario prævio num.* 45 : *itaque collegium istud inchoavit quidem ipse, sed ex bonis sui Ordinis. Summam redditus annui non exprimit Herrera, sic pergens:* Et postea à B. Thoma de Villanova, dum esset archiepiscopus Valentinus modico censu dotatum; deinde à Joanna Austriaca, Castellæ infante & Lusitaniæ principe redditibus auctum & in regium patronatum assumptum. *Consonat Torellus citato Opere tom.* 8 *pag.* 152. A. M. Salonio.

f *Fortasse per ea, quæ subministravit juxta Herreram mox laudatum Joanna Austriaca, Caroli V filia & uxor Joannis Lusitaniæ principis, ante patrem Joannem III Lusitaniæ regem defuncti.*

g *Etiam hîc, sicut observavi in simili materia inter Annotata ad cap.* 9 *lib.* 2 *lit.* c, *timidiùs processit Sanctus, atque idcirco virisimiliùs Coccinus pag.* 611, *postquam de collegii hujus exstructione meminerat, subjunxit sequentia :* Et hoc potuit facere de redditibus ecclesiæ; nam licèt episcopus teneatur erogare in pauperes, quod supereſt de portione sua, potest tamen erogare in pauperes extraneos. Navarrus de Redditibus eccles. quæstione 1 monit. 77; Molina de Just. & jure Tract. 2 disputat. 146, ubi aliàs refert, quorum appellatione veniunt ecclesiæ, monasteria, loca pia, ornamentis, luminaribus, ædificiis & aliis necessariis E indigentia. Joan. Andr. in c 1 de Testam. in 6.

h *Non indicat, quo idiomate conscripta sint; quapropter, si fortè Latinè primùm exarata alicubi serventur, nec ad verbum conveniant cum jam recitatis, meminerint, qui conferre ad invicem voluerint, discrimen ortum esse ex eo, quòd hæc ex Hispanico Salonii in Latinum transtulerim. Porrò etiam hujus collegii exstructionem ita testimoniis comprobat Coccinus pag.* 528 : Aliud quoque collegium pro pauperibus theologiæ & artibus operam navantibus in civitate Valentina fundavit, dotavitque, ex quo viri tum doctrinâ tum sanctitate conspicui prodierunt; ut deponunt testes in processu Valentino, videlicet Franciscus Dymas Pellicer... Antonius Joannes Andreu... Don Felicianus de Figueroa... Vincentius Ferrer... Michaël Hieronymus Vich... Marcus Antonius Vernich... Petrus Joannes Assenno.

CAPUT XXII.

Sancti eleëmosynæ miraculis illustrantur. F

DElectabatur *a* sæpe oculis contueri eleëmosynam, quæ dispertiebatur quotidie in pauperes omnes convenientes in area ac porticu palatii, cujus meminimus capite decimo octavo *b* hujus secundi libri; è fenestra itaque amplæ sacelli aulæ contemplabatur, quo pacto ea distribueretur. Die quadam inter pauperes, ad eam recipiendam accurrentes, unum vidit pedibus quasi inertem ac mancum & subalaribus scipionibus se sustentantem, & cum iis etiam difficulter molestéque incedentem *c*. Advertit autem sanctus Præsul, quòd idem pauper attentè oculos in ipsum figeret. Præcepit duobus famulis, ut cùm adducerent ad se; illi brachiis suis [sublevantes,] nam pedes [ascendere] non valebat, adduxerunt: coràm adductum sedere jussit in scamno ibidem collocato, ut sederent pauperes adventantes, utque detegerent suas molestias: beatus Pater pro insigni sua humilitate lateri ejus assedit, & dixit: Adverti, frater, ex fenestra, quòd me attentè admodùm intuereris: quænam intuendi erat ratio? Fortasse non sufficit eleëmosyna, quæ tibi, ut pauperi infirmo, conce- *Mendicum membrorum usu destitutum* *a* *b* *c*

A. M. Salonio.

ditur ? Apertè edicito. Mihi quidem Domine, (dixit ille,) quod datur, sufficit: at uxor & liberi duo sunt; & dum hos inter illud dividitur, vehementem patimur egestatem.

sanitati restituit;

520 Nullam, respondit, novisti artem, ex qua & simul ex eo, quod tibi dari jubebo, te tamque familiam sustentare queas ? Repositit pauper; Novi artem, Domine, sartor enim sum: sed advertat tua Gratia, quo statu sint manus meæ ac digiti; si valetudo mihi esset bona ad operandum, labore meo victum compararem, ut solebam, priusquam maligna fluxio me corriperet, quâ manibus ac pedibus captus sum. Quid igitur malles, subjecit pater D. Thomas, sanitatem, an ampliorem stipem ? O Domine, inquit pauper, si fruerer sanitate ! Plura proloqui non sinens, surrexit & super ipsum ducens signum Crucis, dixit: In nomine Jesu Christi Nazareni crucifixi mitte fulcra, ac sanus vade domum ad opus tuum. Actutùm sensit pauper robur ingens in manibus ac pedibus, surrexit sanus & erectus, atque ad pedes se prosternens, acsi tali [malo] non fuisset umquam correptus, manus ejus deosculatus est; ipse verò bene precatus illi est, ac dimittens dixit: Gratias age Jesu Christo; nam ipse & virtus sancti & glorioſi nominis ipsius te sanum reddidit *d*. Artem tuam exerceto & quavis hebdomade huc venito; nam & ego tibi subveniam. Abiit pauper lætus & palàm declarans, sibi à Deo per verba à sancto Archiepiscopo prolata, sanitatem esse redditam. Permisit autem Dominus, ut multi, qui sublatum viderant brachiis famulorum Archiepiscopi, brevi pòst sanum, alacrem, propriis pedibus ac fulcris humero impositis eosdem gradus descendentem conspexerint, utque in vita superstites fuerint, qui testarentur *e*.

B

d

e

farina multiplicatur,

521 Magna vis panis quotidie pinsebatur in ædibus sancti Antistitis, tum ad eleëmosynarum distributionem tum ad usum domesticorum. Accidit, ut grandi & extraordinario incremento fluminis Valentini disrumperentur & cessarent molæ omnes adeo, ut opus esset frumenta molitum ferre Aziram *f*, Segobrigam *g* & ad loca alia. Cùm verò multa die quolibet erogarentur in pauperes, & ob calamitatem accurrerent solito frequentiores, nec sat tempestivè referretur triticum, quod domo ejus missum fuerat conterendum extra Valentiam; is qui mactræ curam habebat, perspiciens, non superesse ad duos dies, si more solito pinsendum esset, nec solis domesticis sufficere triticum, quod foràs missum paulatim adducebatur, significavit sancto Præsuli, necessariò dimittendos esse pauperes, ac præcipiendum, ut aliò abirent, donec restauratæ forent molæ; ille homini valdè succensens, ingenti animi sensu reposuit: Pauperes ego missos faciam ? Avertat Deus! Priùs vos omnes, quotquot habeo domesticos, dimittam. Hodie & cras, uti soles quotidie, pinsito, & universis egenis, utcumque sint solito numerosiores, elargitor. Quod si defuerit, nobis desit: quamvis nihil defuturum, confidam in Domino. Atque ita factum est: nam die isto ex ea farina tot panes concocti sunt, quot solebant; sequenti die, acsi nihil ex ea sublatum fuisset, concocti sunt similiter; tertiâ verò, quâ secundùm hominis istius judicium nihil erat superfuturum, tantum farinæ, quantum præcedenti, repertum est, acsi nihil etiam tum fuisset sublatum: atque hoc continuatum est per mensem circitèr integrum, donec fluminis molæ essent refectæ. Licèt autem tertio quoque die aliquid farinæ ab externis moletrinis adveheretur, non attingebat id ad tertiam partem ejus, quod indies coquebatur solis pauperibus. Hinc evidenter patuit miraculum à Deo patratum in farina, quam ad duos dies non sufficere aiebat homo iste, quæque duravit, donec Valentiæ adhiberentur moletrinæ omnes.

f g

C

D

horreum tritico

522 Anno quodam messis tempore sanctus Præsul imminentem tritici defectum, & necessitatem à pauperibus tolerandam advertens, eique ut bonus Pater occurrere & tempestivè remedium sufficere desiderans, pactum iniit cum villicis, ut triticum omne, quod illo anno ipsis contingeret, in deductionem summæ elocationum sibi traderetur eo pretio, quo erant venditurі ante Nativitatem Domini (nam, ut sub finem hujus capitis referam, inter conditiones, quibus elocabat, ea erat, ut omne frumentum esset divenditum ante Nativitatis festum.) Inito hoc pacto, quod placebat omnibus, magnam tritici partem devehi jussit in domum suam pro hujus civitatis pauperibus, & reliquam distribui in partes alias pro pauperibus locorum præcipuorum diœcesis. Advecto ad palatium repletum fuit cubiculum illud altum, capite præcedente memoratum. Accivit pauperum in paroeciis curatores, & prout necessarium ipsi visum est, assignavit determinatam pro singulis hebdomadis tritici portionem & pro festis præcipuis paulò ampliorem. Præcepit etiam œconomo, ut personis honoratis & primariis, quas communiter adjuvabat, pro parte eleëmosynæ triticum tribueret, sicut alter Joseph fratribus suis prospiciens omnibus, succurrens omnibus.

E

exhaustum

523 Quoniam eleëmosyna tam larga & generalis silentio tegi non poterat, die quadam sub vesperam convenerunt ad ædes ejus viduæ tres *h*, mulieres probæ, quæ olim & bona & domus satis commodas possederant, tum verò magna egestate premebantur, una præsertim, cui plures liberi erant ac pro majori parte parvuli. Provolutæ ad pedes ejus, miseriam suam declarârunt singulæ, supplices rogantes, ut earum ac liberorum commisereſceret, dignareturque jubere, impertiri sibi parum tritici, quo modo intelligebant dari aliis pauperibus. Jussit mox famulum petere ab œconomo *i* clavem, & ascendere [atque afferre] triticum. Sed adveniens ipse œconomus dixit, jam exhaustum esse omne [triticum,] quia, cùm tot premerentur pauperes ac universis porrigi præciperet sua Gratia, tamdiu suppetere non poterat, quamdiu ipsi visum fuerat. Obstupuit pater D. Thomas & dixit: Hoc ita esse nequit; revise, amabo, nam saltem aliquid egenis illis mulieribus erit reliquum. Appellavit œconomus famulos duos, qui eadem die scopis everrerant granarium, &, En, inquit, Domine, adsunt, qui hodie everrerunt granarium, ipsos roget tua Gratia, an vel granum unum supersit *k*. Affirmantibus illis nihil esse reliquum, surrexit atque iteratò dixit: Ita esse id nequit *l*; ascendamus illuc, id equidem propriis oculis intueri volo.

h

i

F

k

l

divinitus repletur.

524 Ascenderunt ipse & œconomus cum duobus servis, ac dixit: Aperite: Deus quippe miserebitur pauperum mulierum, nobisque gratiam indulgebit, ut reperiamus, quod illis impertiamur. Aperuerunt, sicut jubebat, & cubiculum plenum tritico offenderunt, tanta omnium admiratione, ut œconomus ac famuli attoniti perstarent, cùm oculis antè perspexissent, ne unum quidem granum esse reliquum, & [dubitare non possent, quin] manifestum esset prodigium eo momento temporis à Deo factum ob merita egregii Servi sui, pauperum Patris, in præmium insignis fidei & fiduciæ, quam habebat in divina providentia, ac

pie-

A pietatis erga miseras illas viduas *m*. Ex prodigioso tritico tradi jussit cuilibet mulieri modios quatuor, & ab ea, quæ plures liberos habebat, tres sibi parvulos assumpsit, consolans singulas atque adhortans ad perseverantiam in virtute, patientiam in miseria, & grandem in divina bonitate fiduciam. Omnibus miraculi conscíis impensè admodùm commendavit secretum, in nomine Domini injungens, ne cuiquam detegerent *n*. Licèt autem aliqualis ejus percepta fuerit notitia, paucis tamen, demptis propriis ejus domesticis, distinctè innotuit *o*.

m

n

o

Cura ægrorum, quos sub vesperam exiens

525 Magna commiseratione ac solicitudine tangebatur in pauperes infirmos: mandaverat eleëmosynarum præfecto, ut omnibus, febribus aut aliis morbis, quos medicabiles appellamus, laborantibus cumulatè submini-straret vervecem, aucupium, salgama, panem suum domesticum, & quidquid præscriberetur à medico ac illis opus esset: iis verò, qui infirmitatibus, quæ immedicabiles dicuntur, ac totâ vitâ adhærent, corripiebantur, sub finem cujusque hebdomadæ impertiret certam eleëmosynam, quâ infirmitatem tolerarent. Pharmacopolam, ad quem recurrerent omnes pro re qualibet necessaria, binos medicos verò & chirurgum, qui omni diligentia & studio curarent omnes ab eleëmosynarum præfecto designandos, largo satis pretio conduxerat. Hoc non contentus, indicem habebat omnium pauperum infirmorum, in qualibet parœcia degentium, ac singulis hebdomadis sub vesperam exibat visurus majori solatio & auxilio indigentes. Comitabantur confessarius pater frater Jacobus Montiel, eleëmosynarum præfectus, œconomus, & ponè famuli duo cum grandi corbe indusiis ac lecti linteis [instructo] pro ægrotantibus.

B

invisit ac piè & liberaliter

526 Consolabatur, quos invisebat, excitabat ad patientiam & ad voluntatis suæ cum divina consensionem. Quærebat, utrùm res quæpiam conscientiam stimularet, vel molestia aliqua affligeret animum: clarè edicerent; quoniam possent ipsi fidere tamquam proprio parenti. Si autem pauper insinuabat, velle se aliquid secretò cum ipso communicare; recedere jubens comites, ipsum animabat, ut impavidè aperiret: pro ratione autem rei secum communicatæ solamen & medelam afferebat. Lustrabat oculis, qualia illi essent indusia, quæ linteamina ac toralia: dum videbantur sordida ac lacera, rogabat, qua de causa non permutarentur, curve æger nitidior non servaretur: ubi noverat id fieri ex defectu linteaminis; ex allatis per famulos porrigebat indusia & lecti lintea, dumque hæc distributa erant omnia, mox domo plura accersi jubebat. Item, advertens indigere pauperem infirmum culcitâ aut stragulo, è domo sua similiter afferri præcipiebat. Semper enim in cella juncta sacello suo indusia, toralia & stragula pauperibus parata habebat.

C

juvat,

** apud nos vigesimo*

127 Eum in finem in ædibus palatio proximis, quas inhabitabant infantium nutrices, capite decimo nono * memoratæ, aliquot probas mulieres habebat, quæ continuò illi indusia & lecti lintea consuebant; cúmque hæc tantâ copiâ tum infirmis, quos per noctes visitabat, tum aliis egenis erogaret, monebant probæ illæ mulieres, tot à se consui non posse, quantumcumque pro viribus laborarent: ipse verò reponebat: Silete filiæ; nam pauperibus laboratis; Dominus vires sufficiet *p*. Siquidem ad pedem Crucis constitissetis, dum ex ea depositus est Redemptor noster, sepulcro inferendus, & vestrum auxilium flagitâsset sanctissima ejus Mater ad consuenda linteamina, quibus corpus sanctissimum benedicti ejus Filii involutum fuit, quàm felices vos arbitratæ fuissetis! Idem ipsum præstatis modò in indusiis & linteaminibus, quæ pauperibus consuitis: hac cogitatione eaque attentione conficere vos illa oportet; tamque certum est, id sub ea ratione suscipi à Domino, ut ex ipsiusmet ore audituræ sitis in supremo judicii die.

p

A. M. SALONIO.

miraculis illustratur;

528 Ita obeunti noctu semel per hebdomadem pauperes infirmos, obtigit non semel, ut, cùm domum repeteret, media nox esset, atque in ecclesia principe signum daretur ad horas Matutinas, & œconomum cum servis cubitum dimittens, diceret confessario ac eleëmosynarum præfecto: Quandoquidem hîc simus, templum ingrediamur; nam pauci fortasse clerici hac nocte advenient, & hos in horis Matutinis juvabimus. Operi tantæ pietatis & misericordiæ, quale est dicto modo visere infirmos, aspiravit Dominus per miracula, quamquam propalata non fuerint. Subinde enim domo afferebant quindecim aut viginti indusia, & lecti lintea decem aut duodecim; priusquam verò hæc deficerent, aliaque[allaturi]domum redire cogerentur, inito diligenti computu, jam plura erogaverant, quàm attulerant. Ægros aliquos, de quorum vita à medicis conclamatum erat, eadem nocte, quâ ipse inviserat, & Euangeliorum lectione ac signo Crucis muniverat, febris deseruit, & medici die postero revisentes, credentesque mortuos reperiendos, liberos offenderunt, periculo defunctos & aptos, qui statim lecto surgerent ac vestimenta induerent: affirmabant autem illi, quòd juxta statum, quo eos pridie reliquerant, illa valetudinis restauratio & sanitas non esset naturalis, sed verè prodigiosa.

E

pannum dono oblatum pro veste

q

529 Quoniam ipsemet aliquoties lustrabat diœcesim, quadam vice magistratus oppidi Alcoy *q*, perspicientes vestem nigram, quâ adveniens erat indutus, obsoletam esse & valdè laceram, pro amore ac reverentia, quâ in ipsum ferebantur, inquisiverunt in pannum * nigrum, qui reperiri poterat, optimum, eique obtulerunt supplicantes, ut æqui bonique consuleret voluntatem suam ac illi serviendi desiderium; quia vestis, quâ induebatur, ipsum, etiamsi archiepiscopus non foret, minimè decebat; volupe sibi fore [addebant,] ipsi ex pannis eximiis Segovienſibus optimum, submini-strare; sed quod repererant optimum, offerre se tamquam proprio parenti. Perlubens & tum de benevolentia tum de ipso actu plurimas gratias agens admisit. Bonus & exquisitus ei visus est pannus, rogavitque, utrùm ejusdem generis tres vel quatuor reperire esset & quo pretio. Annuentes rogavit, ut ad se afferrentur, nec sui causâ vel unus nummus regalis à justo pretio deduceretur: quandoquidem id ægrè admodum esset laturus.

** Hisp. veyntidozeno*

F

& alios ex suo ære coëmptos pauperibus concedit;

530 Allati sunt tres oblato similes; jussit famulum pecuniæ custodem mox persolvere pretium; eo persoluto, convocavit parochum, magistratus, & pauperum curatores ejusdem civitatis & dixit: Equidem magnopere vobis obligor ob pannum mihi oblatum, ac fortiùs ob voluntatem & amorem, quo oblatus est, nec ejus umquam obliviscar. Vestis, quam nunc gesto, licèt obsoleta, hinc Valentiam usque usui mihi esse poterit: istic novæ conficiendæ dabitur opportunitas; unam, quæ magno admodùm mihi erit solatio, præstate gratiam. Accipite nempe hunc [pannum] per vos mihi dono datum, unà cum tribus à me coëmptis, vosque optimè conscii, qui sint hac in civitate pauperes pudibundi & honesti, hos inter dividite se-

cun-

A. M. Salonio.

cundùm indumentum, quo quilibet magis indigebit: neque oblivioni detis honestas aliquas & pauperes viduas, quibus similiter opus fuerit tunica. Manus ei deosculati sunt universi, magnopere excitati virtutis exemplo, cùm viderent tantam caritatem subtrahentis sibi ipsi ad vestiendos pauperes. Acceperunt quatuor pannos, atque ex iis vestierunt plures honestos pauperes; imò [iidem panni] extenderunt sese longiùs multò, quàm illi existimabant *r*.

augetur ejus pecunia pauperibus destinata.

531 In altero circuitu, quo per se ipse visitavit Marchionatum Dianiensem *s*, postquam in iis & adjacentibus locis multas pauperibus eleëmosynas erogaverat, dotaverat puellas aliquot & succurrerat personis honestis, præsertim viduis, famulum in isto circuitu marsupium gestantem in impensas itineris, & aliud in eleëmosynas, dispicere jussit, quantum pecuniæ, dum Valentiâ egressi sunt, eleëmosynarum loculis impositum fuisset, & quantum inde extractum ad erogandum egenis istarum partium. Inspexit famulus, comperitque multò amplius in eleëmosynas fuisse distributum, quàm, dum Valentiâ abierant, illatum in marsupium, & quidem etiam tum in hoc residuam esse partem notabilem. Obstupuit multùm, quia manus ipsius subierat, quidquid tum in discessu marsupio impositum, tum ex eodem fuerat depromptum. Indicavit hoc sancto Antistiti & evidens sibi esse miraculum [subjecit.] Silentio id tegere ipsum jussit [Sanctus,] magno quippe mœrore correptum iri se [inquiens,] si erumperet.

ANNOTATA.

a *Caput hoc, quod apud ipsum 21 est, exordi-tur Salonius à doctrina Spiritus sancti Eccles. 31:* Beatus vir &c. fecit enim mirabilia in vita sua. *Dein contendit, paupertatem spiritûs in mediis divitiis grande esse miraculum, & certius sanctitatis indicium, quàm patrationem aliorum miraculorum: eamdem paupertatem sufficientem fore addit ad probandam* Thomæ *sanctitatem, etiamsi nulla ante & post mortem patrâsset; sed neque hæc defuisse ac primarium quidem inter ejus miracula reputandum censet, quòd annis singulis, sicut antè relatum fuit, multò plura in egenos erogaret, quàm ex redditibus archiepiscopatûs perciperet; denique eo pertingit, ubi ego incipiendum judicavi.*

b *Apud nos decimum septimum.*

c *Idem Coccinus pag. 491 & duabus sequentibus breviore stylo enarrat, & præcipua ejus adjuncta testimoniis firmat; ac primò:* Quòd, *inquit*, iste mendicus esset pedum usu destitutus, probant Petrus de sancta Eulalia... ætat. LXX annorum... in processu Valentino... & Mariana de Sottomajor ætat. LXXX annorum... in eodem processu... qui bene hoc probant, cùm ex eorum dictis appareat, quòd ex aspectu cognoscebatur, eum hujusmodi pedum infirmitate laborare.

d *Coccinus*: Qui quidem duo testes prædicti etiam de visu deponunt, quòd venerabilis Archiepiscopus dictum pauperem in palatium advocavit, quem postmodum, ut dictum est, sanitatemne vellet, an eleëmosynam, interrogavit; cumque sanitatem peteret, modo suprà narrato eam à Domino postulatam illi restituit, ut deponunt de visu dicta Mariana de Sottomajor loco prædicto & Jo. Bapt. Scriba ætat. LXX annor. in eodem processu Valent.

e *Coccinus*: Dictus Petrus de sancta Eulalia loco prædicto deponit, se interfuisse vocationi; cumque divertisset aliquantulùm pro quadam sua necessitate, & ilico reversus esset, invenisse hominem claudicatione liberatum, narrantem omnia, quæ sibi contigerant, coram circumstantibus, qui ferè XX erat *: & Bartholomæus Perez examinatus authoritate ordinaria ætatis CI annorum... in eodem processu Valentino... deponit, se vidisse prædictum hominem cum fulcimentis ascendentem & postmodum absque eis redeuntem, omnibusque, qui præsentes erant, narrantem miraculum. *In Vita secundo loco data hoc factum esse dicitur biennio ante Sancti obitum.*

* *l.* erant

f *Olim teste Baudrando*, Setabicula *dicta fuit, est autem oppidum seu castrum situm ad Sucronem fluvium, Hispanis* el Xucar, *distansque, si rectè notat Escolanus lib. 8 Historiæ Valentinæ cap. 24, Valentiâ sexto milliario.*

g Segobriga *civitas ad Turulim fluvium (vulgò* el rio de Morvedre) *distat Valentiâ juxta Baudrandum octavo milliario.*

h *Auctor Vitæ secundo loco datæ & Coccinus pag. 483 eamdem historiam, sed paucioribus adjunctis, referentes, unius dumtaxat viduæ mulieris meminerunt.*

i *In Vita secundo loco data, is* Garzia *appellatur, ac proin eumdem esse putem, qui mox inter testes comparebit nomine* Petrus Garzia.

k *In Vita jam laudata facto huic interfuisse narrantur horrei subcustos Bonilla, & subœconomus Hernandez, atque ab utroque affirmatum fuisse, nullum esse in horreo frumentum. Coccinus frumenti defectum ita probat pag. 485:* Et quidem ad probandum tritici defectum concurrit prima confessio custodis ad interrogationem venerabilis Viri, ut probat Mariana de Cabanillas ætat. LXX annor.... in processu Valentino... Mariana de Sottomajor ætat. LXXX annor... in eodem processu... Petrus Garzia, examinatus authoritate ordinaria, ætat. LXXXVI annor.

l *Si in hunc modum locutus sit Sanctus, verisimiliter divinitus noverat, jam horreo illatum fuisse triticum.* Quòd *autem, inquit Coccinus*, triticum in horreo non fuerit humano opere reconditum, Mariana de Sottomajor loco prædicto deponit, esse non potuisse, quòd triticum in horreo fuisset, ipsa nesciente, translatum: & meritò cùm habitaret continuè in palatio archiepiscopali, nec erat verisimile, tantam grani quantitatem fuisse absque aliquo rumore delatum in horreum; & Mariana de Cabanillas deponit loco citato, neminem unquam suspicatum fuisse, quòd eò granum opere humano fuerit transportatum.

m *Hic diversimodè rei adjuncta exponunt auctores nostri: Coccinus pag. 484 unum horrei ministrum memorat, qui ascenderit, & cùm januam aperiret, tantam ibi vim frumenti conspexerit*, ut præ magna copia per ostium ipsum exuberaret, quare mirum in modum rei novitate perculsus, dum alta voce per domum exclamat, ilico miraculum toti civitati patefecit. *Auctor Vitæ secundo loco datæ, Garziam, Hernandez & Bonillam cum muliere horreum petivisse ait, & rei novitate perculsos, miraculum alta voce inclamâsse, ac tum demum ascendisse Sanctum. Quæ tamen utcumque conciliabuntur, si credamus, præcurrisse Bonillam horrei ministrum, advertisse miraculum ante alios, ab his adjutum fuisse ad aperiendam januam, & Sanctum lentiore gradu subsecutum ad eorum clamores ascendisse.*

n Secuto eventu, *inquit Coccinus pag. 486*, idem venerabilis Vir injunxit silentium familiaribus, ut deponit utraque Mariana & ipsi Marianæ de Sottomajor dixit, ut comederet & taceret; postquam

Do-

A Dominus illi triticum tribuiſſet. *Utraque erat palatii domeſtica, ut patet ex verbis recitatis inter Annotata ad cap. 6 lit.* b; *& proin ex poſterioribus Sancti verbis eruimus, fuiſſe tritici penuriam inter ipſos ejus domeſticos.*

o *Quamvis domeſtici fortaſſe ſancti Præſulis præcepto inhibiti, omnia miraculi adjuncta primò non divulgârunt; at certè miraculum ipſum per totam civitatem ſtatim fuit publicum; audiamus teſtimonia apud Coccinum pag.* 488. Hoc communiter, *inquit*, fuit habitum pro miraculo, ut deponit utraque Mariana & D. Petrus Garzia locis præcitatis; & Baptiſta Navarro ætatis LXXIV annorum... in proceſſu Valentino... deponit, ſe ſtatim ad palatium contuliſſe, ut triticum aſpiceret, quod videre non potuit ob multitudinem populi, quæ eódem ex tota civitate confluxerat. *Tum paucis interpoſitis, ſic proſequitur:* Plures teſtes de auditu & publica voce & fama deponunt de hoc miraculo, & præcipuè ampliſſimus princeps non minùs pietate quàm antiqua nobilitate laudandus don Gaſpar de Borgia S. R. E. meritiſſimus Cardinalis... in proceſſu Caſtellæ... Petrus Guttierez ætatis XCI annorum... in proceſſu Valentino... Joannes Panagos ætat. LXXIV annorum... in eodem proceſſu Valentino... Petrus de ſancta Eulalia... in dicto proceſſu... Joan. Baptiſta Calbet ætat. LXXVI annorum... Petrus Mañes ætatis LXX annorum... Antonius Ruiz ætat. LXXXII annorum... Matthæus Joannes Lopez... ætat. LXXII annor.

B

p *Iis affine eſt, quod memorat Coccinus pag.* 540 *his verbis:* Dicta Mariana de Sottomajor... dicit, quòd induſia, linteamina, cæteroſque pannos lineos &c. proprii lecti indigentibus elargiebatur, & ipſa teſtis, licèt haberet auxiliatrices in pannis conſuendis, non poterat tam celeriter illos perficere, quin ſancti Viri liberalitas ſuam præcurreret celeritatem adeo, ut, ſi ſubitis ſancti Viri neceſſitatibus proviſum vellet, duo ſemper induſia adſervare cogeretur; cúmque ei aliquoties dixiſſet: Advertat Dominatio veſtra, quòd, ſi ita aget, induſia & linteamina ſibi neceſſaria deficient; reſpondit Archiepiſcopus: Chara filia, hoc pro pauperibus eſt, dato & ferto mihi opem: additque inſuper eadem teſtis, ex illis, quæ * aderant, pannis lineis pejores ſemper ſibi ſuiſque eligere ſolitum. *Simile reſponſum dedit alteri mulieri, nomine* Daces, *uti vidimus in ſecunda Vita num.* 19.

* qui

C q *Teſte Eſcolano lib.* 9 *Hiſtoriæ Valentinæ cap.* 42 *diſtat Valentiâ milliaria* 15. *Vide ulteriorem ejus notitiam in Annotatis ad cap.* XI *lib.* I.

r *Procul dubio inſinuare hîc voluit auctor, pannum fuiſſe prodigioſè auctum.*

ſ Dianium *aliàs* Denia *oppidum eſt marchionatûs titulo inſignitum in ora maris Mediterranei & ſinûs Sucronenſis quatuor milliaria diſtans Gandiâ.*

CAPUT XXIII.

Ejuſdem materiæ proſecutio.

Viſitatoribus diœceſim luſtraturis

a

EAdem caritate utebatur *a*, dum ambire diœceſim [jubebat] viſitatores, & ,quàm gratum id ſibi eſſet, demonſtravit Dominus operando aliquot notabilia miracula, ut referunt, qui ex ipſorummet ore acceperunt. Unum hîc, quod magiſter Joannes Porta enarravit, ipſiuſmet verbis proferam. Diœceſim (inquiebat) communiter luſtrabamus epiſcopus Segrianus & ego: & quoniam [Sanctus] noverat, quàm neceſſarium ſit ad fructum animarum, & bonum omnium exemplum, intelligi ab his ac videri, quòd vel antiſtites vel eorum miniſtri non proprio commodo ducantur, ſed magna caritate & miſericordiâ: jubebat nos aſſumere linteorum & pannorum ſarcinas, quæ diſpertiremur inter pauperes locorum, ad quæ viſitandi causâ eramus perrecturi. Adhæc duo dabat nobis grandia marſupia, ex quorum uno pecuniam ſumptibus noſtris depromeremus, ex altero eleëmoſynis erogandis in egenos. In diſceſſu noſtro aiebat: Ecce hîc pro ſumptibus veſtris: nihil quidpiam accipite ab aliquo ſeu clerico ſeu laïco in locis à vobis viſitandis: ſi fructum aliquem, vini lagunculam, rem exigui pretii obtulerint, admittere poteritis; abnuere enim iſta, inurbanum eſſet; ſed præterea, obſecro, nihil; nec pecuniam pro viſitatione, nec donum qualecumque. A. M. SALONIO.

533 Diſcant ex vobis parochi & ceteri clerici, quàm privati commodi expertes eos eſſe oporteat. Si in eccleſiis deprehenderitis defectum ſacrorum calicum, ornamentorum, aliarumve rerum neceſſariarum, ac deſit unde comparentur, nec obligentur vel conſueverint ſubſidio accurrere incolæ, me commonefacite, vel tabellis inſcribite, ut, cùm reduces huc fueritis, rei proſpiciamus. Solicitus quippe erat valdè, ut & pauperes juvarentur, & miniſterium divinum reverenter perageretur. De ſecundo marſupio ita loquebatur nobis: Hoc vobis committo, ut ad locum quemcumque adventantes, inquiratis, quinam ibidem ſint pauperes, ægroti præſertim, puellæ ac viduæ, iiſque pro ratione egeſtatis elargiamini eleëmoſynas, (refert autem viſitator, quòd hæc ingenti proferret animi affectu;) neque hîc vobis cor tenax vel parcæ ſint manus; date alacriter & liberaliter, Deo confiſi, quoniam illud ipſe nobis ſuppeditat & abundè ſuppeditabit ſemper, ubi caritatem & fiduciam in nobis conſpexerit. Neque iſtæ eleëmoſynæ, ſubjiciebat, faciendæ tantùm ſunt in locis veterum Chriſtianorum, verùm etiam, imò potiùs in cœtibus recèns converſorum ad fidem; videant hi, quæri à nobis animas, non eorum divitias. Hæ regulæ ac leges ſervandæ nobis erant inter viſitandum. Omnia ipſius ſumptibus perficiebantur. *pecuniam in pia opera expendendam committit,* E

534 Oſtendit autem Dominus nonnullis in caſibus, quantùm id ſibi placeret: duo ſpeciatim narrabat viſitator ille valdè notabilia. Primum, quod retulit, hoc fuit: Epiſcopus Segrianus & ego Xaveâ *b* in locum alterum ejuſdem oræ maritimæ proficiſcentes, tum ob itineris ignorantiam, tum ex metu aliquo à Mauris, viros ſex conduximus, qui nos comitarentur & ad certum locorum intervallum viam aperirent. Dum iſtuc pertigeramus, redire eos juſſimus, quoniam jam eramus ſecuri. Viſum mihi eſt dare ipſis nonnihil, tam pro impenſo labore, quàm in eleëmoſynam; nam homines pauperes erant. Manum inferens vidulo, in quo ſub clavi ferebantur bina marſupia, data nobis ab Archiepiſcopo, ſolum reperi [deſtinatum] ſumptibus noſtris, non item aliud eleëmoſynis [paratum.] Dolui vehementer, metuens, ne relictum eſſet in diverſorio, nec deinceps appareret. Porrexi ipſis ex altero marſupio quatuor cuilibet regales. Dum ad locum, quem petebamus, perventum erat, epiſcopo ſignificavi, quid contigiſſet mihi, ac de ejus judicio conductum hominem direximus ad parochum Xaveenſem, ut diligenter perſcrutaretur cubiculum, in quo noctem tranſegeram, ſi fortè in eo relictum fuiſſet marſupium: totam noctem peregi vehemen- *hæc fortè deperdita,* F *b*

A. M. Saconio.

ti triſtitiâ [correptus,] ſed vehementiore, dum manè homo à nobis conductus reponſum retulit, nihil hujuſcemodi iſtic eſſe repertum.

notabiliter aucta reperiuntur;

535 Ad templum conceſſimus, Sacris operaturi, atque hæc inter ego, quanta potui devotione, caſum illum commendavi Domino. Cognito adventu noſtro, confluxerunt illuc, ſicut conſueverant, pauperes multi & perſonæ neceſſitate preſſæ; equidem rediens ad hoſpitium ea intentione, ut eis ex viatico concederem, ac dein in omnem uſum pecuniam cogerem, (nam communiter afferebamus litteras ad accipiendos in locis præcipuis nummos nobis neceſſarios,) & vidulum, quem epiſcopus & ego ſtudiosè admodùm ac ſæpiùs fueramus perſcrutati, aperiens, reperi præter viatici etiam eleëmoſynarum marſupium plenum pecuniâ, ita quidem, ut, etiamſi jam tum Xaveæ & aliis in locis magnam ejus partem pauperibus elargiti fueramus, nec ad ſummum niſi pars media ſupereſſe poterat, ipſum non ſolùm [marſupium] & quæ in eo reſidua eſſe debebat, pecuniam, ſed, quantum hujus capere poterat, turgidum repererim, quò manifeſtiùs proderetur patratum iſtic à Deo prodigium. Valentiam reduces
B narravimus id bono Patri noſtro, & ipſe ſubridens repoſuit: Sic agit Dominus noſter, mihique id non rarò contingit in eleëmoſynis, quas propriis manibus elargior. Habete fiduciam ac dilatate cor veſtrum, dum datis eleëmoſynam, abſque timore, ne vobis deſit: habemus quippe in cælis ditiſſimum ac munificentiſſimum pauperum Patrem, ſi nos, quibus miniſtris utitur in terris, liberales fuerimus & fiduciâ muniti.

aliàs furto ſublatam c

536 Alterum hoc fuit: Idem viſitator in alia viſitatione Albaydam *c* adventans, divertit ad idem domicilium, ad quod ſolebat aliàs: ſarcinæ cum vidulo, in quo ferebat bina viatici & eleëmoſynarum marſupia, illatæ ſunt in cubiculum, in quo erat pernoctaturus. Dum cœnam appararent, exivit in hortum ejuſdem domicilii ad recitandas Horas canonicas: mox, uti ſolebant, dum viſitatorem adveniſſe noverant, pauperes multi accurrêre; expletis Horis, aſcendit ad cubiculum, in quo erant marſupia, daturus illis eleëmoſynas; at vidulum apertum, & eleëmoſynarum [marſupium] ablatum eſſe comperit: grandi dolore affectus fuit: quia, cùm vidulum clavi ſemper obſeratum circumferret, inveniens reſeratum eſſe,
C ac deſiderari [crumenam] eleëmoſynarum certus erat, furto ſublatam eſſe. Elargitus illis eſt ex viatico eâ mente, ut eodem loco ope litterarum, quas ferebat, pecuniam efficeret in omnem uſum. Poſtridie in templum perrexit Rem divinam facturus, ubi caſum hunc Domino commendavit: tota autem præcedenti nocte (quam præ mœrore inſomnis exegerat) ſicut narrabat ipſe, per intervalla dicebat: Pater D. Thoma crimen iſtud adversùs Deum, te, ac tuos pauperes admiſſum eſt; res tua agitur, Dominum ſupplex ora, ut remedium afferat; ſicut reipſa allatum eſt.

fur ipſe

537 Peracto Sacrificio, intrantem ſacrarium ad exuenda ſacra veſtimenta, ſecuti ſunt viri duo, requirentes, ut clericos ac famulos, qui aderant, juberet egredi; quoniam res ad ſuam conſcientiam pertinens cum ipſo communicanda erat. Abiere omnes; ipſi verò oſtium obſerârunt, & ad pedes viſitatoris ſe provolverunt, plorantes, ac miſericordiam & veniam deprecantes. Dicenti magiſtro Porta: Quid commiſſum à vobis eſt? Ego, inquit eorum alter, famulus ſum hoſpitii, in quo diverſatus es, reverende domine, & dum appuliſti, operam contuli ad deferendas ſarcinas in cubiculum, in quo eras pernoctaturus: detuli autem D
vidulum; & tum ex pondere, tum ex eo, quòd clavi obſeratum cernerem, intellexi, in eo deportari pecuniam. Mox maligna ſurripiendi, quod poſſem meliùs, inceſſit me cogitatio: itaque videns te orantem in horto, & reliquos è familia occupatos, ſubivi cubiculum, pugionis cuſpide ſeram diſrupi, vidulum aperui, ex duabus [crumenis] illi impoſitis, quæ prior in manum incidit, abſtuli, deſcendi & à nemine detectus, feſtinanter admodùm domo egreſſus ſum. Hunc familiarem meum offendens, rogavi, ut mihi aliquantiſper ſe comitem jungeret, rixæ aliquid mihi domi obveniſſe, & conſultum eſſe abire Albaydâ.

referre

538 Exceſſimus ſub horam orationis, & quinquaginta paſſibus [progreſſis] oppoſuit ſe nobis monachus habitu nigro, ſed & ſacrâ trabeâ [indutus,] mitram ac pedum [geſtans] inſtar epiſcopi, minitanſque, verberaturum ſe nos & caſtigaturum, niſi, quod furto abſtuleramus, redderemus. Equidem rebar, inanem fortè eſſe ſpeciem vel fanaticum errorem ex metu, quo corripiebar. Viam alteram elegimus, & ſtatim illic epiſcopus idem, & eaſdem intentans minas [comparuit.] Promiſi, me reſtituturum, ne ſublato quidem regali unico: ac E
mox diſparuit. Itaque viam relegimus, & tota nocte ad diem ſuſpiravi, ut crumenam tibi reſtituerem, aſſumpturus in eum finem loci vicarium, qui tibi ſecretò traderet; quòd non auderem ſubire conſpectum tuum. Dum ea de cauſa ad templum veneram & præſtolabar vicarium, adfuit tua dominatio, dumque te Sacris, quibus interfuimus, operantem vidi, viſum eſt mihi, hiſce finitis, hìc in ſacrario ſub ea ſecreti ſpe, quam de te habeo, crimen meum profiteri & veniam deprecari.

cogitur.

539 En tibi, domine, crumenam, ne uno quidem regali imminutam; per Jeſu Chriſti vulnera ignoſcat mihi tua dominatio; neque res hæc hominibus innoteſcat: quod dixi de epiſcopo, qui occurrit nobis in itinere, tam verum eſt, quàm quòd te modò oculis conſpiciam, idque jurejurando teſtari poſſum. Projecit ſe denuo ad pedes viſitatoris, multis lacrymis miſericordiam ac veniam poſtulans. Erexit illum bonus magiſter Porta, ſolatus eſt, de ſecreto ſecurum reddidit, monuitque, ut ſacra confeſſione purgaret animam, nec deinceps Dominum offenderet: quandoquidem grave peccatum fuiſſet furtum iſtud, utpote pecuniæ ab Archiepiſcopo deſtinatæ pauperibus: quòd F
ſi ſacra confeſſione expiaret, & Dei offenſâ abſtineret, condonatum iri à divina Majeſtate; at ſi ad offenſam rediret, permiſſum iri à Deo, ut [crimen] vulgaretur, & puniretur. Ita homo iſte cum ſocio receſſit: proſecutus eſt viſitationem magiſter Porta ac rediit Valentiam. Cùm ad cubiculum, in quo degebat pater D. Thomas, veniret manus ipſi deoſculaturus, priuſquam ad illum pertingeret, vel verbum proferret, dixit ipſi Dei Servus: Quàm triſte tempus, quàm miſera nox tibi fuit Albaydæ; ut tamen medelam attulit Dominus! Obſtupuit vehementiſſimè viſitator, &, Unde, inquit, hoc novit tua Gratia? Quis perſcripſit, aut ſignificavit? Neque enim illic quiſquam ejus notitiam habuit præter me unum, neque in via communicavi cum quopiam. Noli curare, unde noverim, (repoſuit pater D. Thomas,) ſed gratias Domino referamus de beneficio eo caſu nobis collato *d*.

d Pecunia item ad captivos e

540 Ad concluſionem miraculorum, quæ in eleëmoſynis ſancti Antiſtitis operabatur Deus, & modorum, quibus eaſdem multiplicavit, unum dumtaxat referam factum Culleræ *e*. Anno Domi-

ni

A ni milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo *f*, nocte prævia feſto S. Barnabæ pirata valdè famoſus, nomine Dragut Araix, dictum oppidum diripuit, & ingenti damno affecit. Intelligens [Sanctus,] quot homines ab ipſo fuiſſent interempti, quot captivitati ſubjecti, quot boves & armenta mutilata, quantum frumenti, vini, olei, ad plures pauperes agricolas [ſpectantis,] peſſumdatum, aliaque gravia mala iſtic illata, nemine rogante, ſed proprio animi motu ac pietate ſua [ductus,] mox patrem Verdolay (id temporis magno ſpiritûs fervore, & opinione magnæ in Deum pietatis, qualis ei reipſa erat, Valentiæ dicentem è ſuggeſtu, poſtea monachum in Cartuſia Scalæ Dei in Catalania) ad ſe vocavit atque unà eleëmoſynarum præfectum & binos famulos, illiſque tradidit in numerata pecunia octingentos ducatos, ac totidem in pannis *g*, ut abſque mora illuc ſe conferrent, captivos redimerent, mulieres maritis orbatas conſolarentur & pro comperta earum neceſſitate eleëmoſynis juvarent, pauperibus agricolis nummos largirentur ad procurandum ſibi triticum, vinum & oleum juxta jacturam, quam quiſque paſſus fuerat; iiſdemque B boves & mulos ad laborem ſuum [reſumendum] coëmerent.

missa, divinitus accreviſſe fertur.

541 Uſque adeo multiplicata eſt iſta eleëmoſyna, ut referrent famuli, teſtes quippe oculati, & qui manibus ſuis nummorum ac pannorum diſtributioni allaboraverant, redemptos à ſe fuiſſe captivos omnes, comparata pauperibus omnibus quælibet neceſſaria, datas marito orbatis & egenis eleëmoſynas amplas, nonnullis libras quinquaginta, aliis plures, pauciores aliis, prout cujuſque neceſſitas exigebat: ita quidem ut poſtea ſubductis rationibus eorum, quæ erogaverant in redimendos captivos, in pauperes agricolas ad comparanda quælibet neceſſaria, & labori ſuo coëmenda jumenta, atque in egenas viduas, duplum ejus *h*, quod Valentiâ in pecunia & pannis allatum fuit [expenſum fuiſſe, compertum ſit,] atque evidenter tantæ pietatis & benignitatis eleëmoſynam à Domino fuiſſe multiplicatam.

Solicitus eſt, ne bona archiepiſcopatûs

542 Tot inter tantaſque [dotes] quas habuit, quaſque hoc libro expoſuimus, res una dumtaxat nonnullis offendiculo eſſe poſſet, tamquam valdè aliena ab antiquis ſanctis præſulibus, quorum veſtigia in omnibus ſectabatur pater D. Thomas: nempe dum videbunt, quòd elocaret archiepiſcopatus ſui fructus. At verò, cognito fine, quo ad hoc movebatur, modoque, quem in eodem ſervabat, perſpicietur, quàm id rectè & congruenter ad divinum obſequium fecerit, facturique ſint, quotquot eamdem methodum uſurpabunt. Neque enim id factitabat eo animo vel deſiderio, ut excreſceret elocationis pretium; ſed quia cupiebat certò cognoſcere, quantum pauperibus erogandum ſibi ſuppeteret & quia noverat, quàm grandia pericula tum ſpiritualia tum temporalia ſe offerant, dum fructus committuntur coactorum manibus; cùm, ut toties videmus, fides ac timor Dei in hominibus deſideretur, præſertim ubi agitur de pecunia.

nimio pretio elocentur,

543 Damno, quod in elocationibus oriri poteſt, dum augentur fructuum pretia, (quamquam id elocantibus attribuendum non ſit, ſed conducentium avaritiæ,) occurrebat pater D. Thomas duplici modo; primo abrumpens contentiones ac decertationes in ſimilibus caſibus obvenire ſolitas, jubenſque addici rem elocatam, dum [pretium] videbatur æquum & opportunum, ſublato ulteriùs licitandi loco. Sic narrat teſtis *i*, quòd, cùm aliquando in conclavi * palatii de more elocaretur pars [fructuum] archiepiſcopatûs, audiretque [Sanctus] mercatores duos concertantes inter ſe, ac pretium oppidò augentes, vocârit hunc eumdem teſtem, ac dixerit: Quære ex iſtis hominibus, num mentis compotes ſint. Abi, cohibe, ac dic, non velle me, ut ulteriùs augeatur, ſatis enim eſt ſuperque; ſibi ipſi enim damnum inferrent. Eo cum nuntio adiit teſtis procuratorem adſtantem illic cum procuratore collegii canonicorum; ſed reſpônderunt hi, fieri id non poſſe; quòd, cùm eſſet auctio publica, mercatores, illic ad licitandum adſtantes, eſſent conqueſturi, contra æquitatem adimi ſibi libertatem, ardente etiam tum candela *k*. Hoc cum reſponſo ad patrem D. Thomam reverſus eſt, qui eo audito dixit: Quoniam ita fieri oportet, permittamus hac vice, ne ſimus ipſis injurii: velim equidem, non ita accreſceret [pretium,] & verè haud ita accreſceret, ſi mihi cederet; verùm cùm omnia cedant pauperibus, fiat; licitum quippe eſt; quemadmodum licitum foret noſocomii adminiſtratori in publica auctione permittere in favorem pauperum, augeri pretium elocationis bonorum ac domuum ejuſdem noſocomii.

A. M. SALONIO.
* *Hiſp.* entreſuelos

k

E

ipſumque pretium aliquoties

544 Alterum, quod præſtabat, ne conductores paterentur ex eo, quòd pretia eſſent auctiora, utque ſimul per eleëmoſynam eorum neceſſitati occurreret, erat remittere ipſis, quando vel ex annorum ſterilitate vel alio infortunio aut caſu adverſo in conductionibus ſuis jacturam faciebant. Ita narratur *l* de viro nobili Alzirenſi, qui, cùm ejuſdem loci decimas conduxiſſet, nec debito tempore, imò nec aliquot menſibus pòſt pretium penderet, per œconomum, qui ſæpiùs interpellaverat, bonorum pigneratione adigi cœpit, & gravari ſumptibus. Pignerationem paſſus eſt promoveri nobilis, ne ſua vulgaretur egeſtas, donec hâc eâdem compulſus decrevit indicare eam ipſimet Archiepiſcopo, ac ſolutionis dilationem deprecari. Accedenti, &, ut ſpatium concederet, miſeriam ſuam paupertatemque exponenti, Vide, inquit bonus Antiſtes, quid dicas, utque ita ſe res habeat; etenim inveſtigabo, ac verum aſſequar: affirmanti illi, verum ſe loqui, repoſuit: Deus tibi condonet: & quin de tua miſeria me monitum veniſti, dum de debito interpellari vel ſaltem dum bonorum pigneratione urgeri cœpiſti? Nam ita urgeri te equidem non permiſiſſem. Ne te crucia: non enim tibi dilationem tantùm concedo, id quippe non ſufficit; ſed ſtante neceſſitate, quam allegas, nolo vel unum obolum ſolvas. Neque idcirco mihi grates referas, nam tua tibi bona do; quia, quod poſſideo, non ad me pertinet, ſed ad egenos.

l

F

omnino remittit.

545 Miſericordia ſingularis! qualis clementiſſimi illius regis in parabola, quam prædicavit Dominus Matthæi decimo octavo, qui rogatus à debitore ſolutionis dilationem, pro ingenti ſua benignitate & clementia multo plus conceſſit quàm rogaretur, ipſi liberaliſſimè dimittens omne debitum. Eadem pietate, quâ erga hunc uſus eſt [S. Thomas,] gaviſi ſunt ſimilibus in caſibus plures alii; nec ipſe peculiari caruit præmio: quandoquidem eorum aliqui deinde proſperitatem conſecuti, quæ tempore egeſtatis ipſe dimiſerat, reddiderint, per ejus manus in pauperes erogandæ; neque enim alio titulo recepturus erat, quia debitum ipſis remiſerat, & omnino condonârat. Præmium iſthoc appello, quia bonus Pater præmium ſibi reputabat obtinere pauperibus tribuenda.

A. M. Salonio.

ANNOTATA.

a *Quæ toto hoc capite continentur, pertinent ad Salonii caput penultimum, quod, quia nimis protractum erat, in duas partes divisi.*

b *Haud procul Dianio, de quo vide lit. f ad cap. præcedens.*

c *De hoc loco agit Escolanus lib. 9 cap. 34 Historiæ Valentinæ, notatur autem in Blaviana tabula haud procul* Alcoy, *cujus suprà meminimus.*

d *His subjicit auctor brevem dissertatiunculam de modo, quo fiunt hujuscemodi apparitiones, quam tamquam hìc supervacaneam prætermisi; satis constat ex sacris Litteris apparitiones in veteri ac nova Lege contigisse; an autem hæc verè contigerit, huc proprie spectat: equidem in tota narratione nihil video, ex quo auctoris fides meritò suspecta esse debeat, licèt ex aliis scriptoribus, qui Salonii Opus non viderint, confirmare nequeam.*

e *Locus maritimus ad ostium Sucronensis fluminis.*

f *Escolanus lib. 10 cap. 36 factum ait anno 1550: ad quem similiter Sandovallius tom. 2 lib.* B 30 *Vitæ Caroli V eamdem Draguti in loca Valentini regni maritima irruptionem refert, & utrique consonat Quevedo in Vita* S. Thomæ, *uti & Baxius, qui tamen Salonio usus est.*

g *Escolanus jam citatus, postquam dixit, quòd Gaspar Escolanus civis Valentinus, avus suus paternus, mutuas dederit & piè concesserit* (prestò y diò caritativamente) *sexies mille libras incolis Culleræ in redemptionem captivorum & rerum ablatarum, paucis interpositis, sic prosequitur:* Sanctus archiepiscopus don Thomas de Villanova, qui intellexit egestatem in oppido degentium, ex sua pecunia mitti jussit subsidium ter mille ducatorum, qui eos inter distribuerentur. *Quæ summa superat allegatam à Salonio; at simul innuunt præmissa Escolani, subsidium Culleræ incolis allatum, non à solo* S. Thoma *profectum esse, quod aliàs ex Salonii verbis consequitur; nisi res ita exponatur, ut Sanctus, præsentem non habens pecuniam sufficientem, induxerit laudatum Gasparem Escolanum ad mutuam dandam illam summam, ac sc vadem constituerit. Certè admodùm verisimile est, omne subsidium commissum fuisse ministris* S. Thomæ, *ejusque nomine peractum fuisse totum negotium.*

C h *Jam monui, ampliorem, teste Escolano, missam eò fuisse pecuniam, quæ tamen, si rerum adjuncta consideres, tanta non fuit, ut famulis istis omnis fides abneganda fuerit. Quidquid sit, elucet etiam hìc Sancti in miseros caritas, ut non immeritò Coccinus pag. 544 relationi suæ inseruerit sequentia:* Accedit ad hæc spectabile in captivis redimendis charitatis exemplum: cùm enim Mauri quoddam castellum, nomine Cullera, hostiliter invasissent, multasque secum animas, ut aiunt, evexissent, pro eorum redemptione magnam pecuniæ vim sanctus Antistes elargitus est, prout narrat Salon. in ejus Vita lib. 2 cap. xv, & deponit Petrus Garzia Castellanus curatus... ætatis LXXVIII annorum... examinatus authoritate ordinaria in processu Castellæ. *Nominatus Petrus Garzias juxta Annotata ad cap.* x *lib.* 2 *apud Sanctum servivit, &, ut conjecimus ad cap. præcedens lit.* i *œconomi munere functus est: Vita autem, hìc similiter citata, ea est, quam Salonius primùm conscripsit, quamque nos non habere jam dixi.*

i *San-Martinus Michaëlem Real appellat.*

k *Moris est in aliquibus regionibus, ut in elocatione accendatur candela, utque cuilibet licitari liceat, quamdiu ea durat.* D

l *Id narratum fuisse ait San-Martinus à Gaspare Adel, vice-syndico (sous-syndic) Valentino & aliis.*

CAPUT XXIV.

Archiepiscopatu se abdicare desiderans, mortem divinitus prænoscit; morbo corripitur; luctus & preces populi.

SIcut *a* Dei Servus ob insignem animi modestiam prudentiamque semper fugerat dignitates & tantopere renitens Valentinum [episcopatum] susceperat, coactus mandato, sibi in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna censurarum impositio per provinciæ præsidem, ita numquam in ea contentus vixit. Hinc asseruit sæpiùs magistro Porta, cui pectus aperiebat, se, ex quo Archiepiscopus fuisset, numquam lætitiam fuisse expertum, nec umquam tantopere timuisse saluti animæ suæ, quàm ex quo fuisset inauguratus: ita quidem ut quotiescumque Archiepiscopi nomine compellari se audiret, anima sibi comprimeretur, & cor discruciaretur. Neque hunc mœrorem, in quo versabatur sanctus Antistes, solus noverat dictus magister Porta, quo utebatur tam familiariter, sed & domestici omnes ac plures alii: quia frequenter inter suspiria dicentem audiebant: Ignoscat Deus imperatori, qui me eò perduxit, & invitum subtraxit quieti, quâ in religioso Ordine perfruebar. Eò pervenit, ut non tantùm desideraverit, sed, quanto potuit conatu, laboraverit ad expediendum se archiepiscopatu, ac redeundum ad cellam suam. Plures litteras ad Imperatorem destinavit, ut ea sibi daretur facultas. Cæsar verò speciosis responsis detinuit ipsum usque ad annum quingentesimum quinquagesimum quartum supra millesimum, quo, cùm pater D. Thomas epistolam illi direxisset magnopere super eadem re urgentem, respondit, se sub vernum tempus anni sequentis millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti in Hispaniam reversurum, appulsurum Barcinonem, ubi in terram exscensionem faceret Valentiam versùs, visuros invicem, & decreturos, quod Dei obsequio foret convenientius, se [denique] curaturum, ut mœrori ipsius solatium accederet. *Anxius, ut in archiepiscopatu salutem operetur,* a E F

547 Mense Februario dicti anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti, intelligens jam tum Barcinonenses accepisse nuntium de adventu cæsaris, exspectarique ipsum; misit illuc magistrum Porta cum litteris, demissè rogans, ut dignaretur Valentiam venire, prout pollicitus fuerat; sin' verò aliqua de causa minùs erat eò venturus, ne gravaretur concedere facultatem ad id, quod tantopere rogaverat. Statutum quippe sibi esse propter dolorem, quem afferebat onus archiepiscopatûs, huic renuntiare, nolle tamen se id mandare exsecutioni ante adventum cæsaris & absque ejus licentia. Ineunte Martio ejusdem anni, aspirante Domino, sua majestas Barcinonem appulit, litteras accepit, &, quoniam expediebat Cæsaraugustâ iter instituere, respondit, volupe sibi fore admodùm, venire Valentiam, ac videre ipsum, sed in bo- *eo se abdicare conatur; non auditus à cæsare,*

A bonum Aragoniæ, iter per regnum illud inſtitui oportere; miſſurum tamen Valliſoleto reſponſorias & conſolatorias *b*.

b

548 Hoc cæſaris reſponſum referente magiſtro Porta, magno doloris ſenſu correptus fuit, utque eum debita cum patientia ac cæleſti conſolatione ſufferret, in oratorium, quod ſolemne ei erat in rebus omnibus, confugit, petiturus eam à Domino coram Crucifixi ſacra imagine, quæ conſuetum ei erat refugium (quæque, ut ſuperiùs dixi, ad caput ſepulcri ejuſdem Sancti hodiedum collocata eſt in templo S. Mariæ de Succurſu.) Iſtuc accurrebat mane ac veſperi, longa oratione multiſque lacrymis ſupplex orans, ut afflictionis ſuæ commiſereſceret, & (quoniam noverat Majeſtas divina, deſiderare ſe nuntium remittere archiepiſcopatui non ad effugiendum laborem, ſed ad propiùs accedendum ad divinam bonitatem in quiete & pace religionis, ac ſecuriùs ſtabiliendam animæ ſuæ ſalutem) moveret cor cæſaris ad concedendum, quod toties flagitaverat. Huic orationi inſtitit, & per aliquot noctes integras inhæſit magno cum fervore ac fletu & corporis afflictationibus; veritus, ne exaudiri indignus eſſet propter

ad Deum refugit

B delicta.

549 Nocte quadam *c* huic exercitio intentum allocuta eſt ſacra Crucifixi imago, & quoniam inter alios pſalmos magna devotione abſolvebat Latino idiomate MISERERE, etiam Latinè dixit imago ſacra: ÆQUO ANIMO ESTO, IN DIE NATIVITATIS MATRIS MEÆ VENIES AD ME ET REQUIESCES *d*. Atque ita factum eſt, ut hocce capite videbimus. Hìc manifeſtum fit, quod toties prædicant ſacræ Paginæ: dum deeſt humanum ſolatium, ſuccedere divinum, ſi recurratur ad Dominum. Defuit Dei Servo conſolatio, quam ſperabat ab imperatore, venturo, ut promiſerat, Valentiam, & ut credebat, conceſſuro licentiam abdicandi ſe [archiepiſcopatu] & quieſcendi; quia neceſſe fuit majeſtati ſuæ tendere in Aragoniam. Ea conſolatione deficiente, recurrit ad Dominum, ac tantam recepit, quantam afferre [debuit] nuntius, acceptus ex ipſo ore ſacræ Crucifixi imaginis, promittentis, fore ut intra medium annum, qui Martium inter & Septembrem diffluit, & quidem ut tam illuſtri die decederet, ipſius conſortio & æterna pace fruiturus.

dy ex Crucifixi imagine mortem ſuam

c

d

C 550 Per inſigne hoc beneficium ſolatio & lætitiâ delibutus perſtitit, & quamvis, ut Servus bonus, viveret ſemper paratus ad quamcumque horam vocaretur à Domino; poſt diem tamen, quo cæleſtem hunc & prodigioſum nuntium accepit, præparavit ſeſe peculiariùs. Circa Paſcha vocavit ærarii præfectum ac rationem iniit, quantum ex hactenus recepta pecunia ſibi eſſet ſeu ſuperaret: & collatis rationibus inter memoratum ærarii præfectum ac œconomum, reperta ſunt ſupereſſe quatuor ſcutorum millia. Miratus eſt ſupereſſe tantum; quia eâ Quadrageſimâ propter grandem penuriam, hoc anno oriri cœptam, factæ fuerant multæ præter conſuetas extraordinariæ eleëmoſynæ. Præcepit, ut harum præfectus, quod dari ſolebat quovis menſe, duplicaret, donec totum eleëmoſynis eſſet conſumptum, auxitque pariter, quas ſuis ipſe manibus porrigebat. In hæc ſancta ac pia exercitia impendit pater D. Thomas annos undecim, quibus eo gaviſa eſt hæc regio; majori verò fervore, pietate & caritate perfectiore poſt acceptum illum nuntium, ab ultimis [nempe] Martii diebus uſque ad poſtremos Auguſti anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi quinti.

intelligit, ad quam ſe comparat.

551 Dum civitatem aut regnum aliquod ob flagitia caſtigaturus eſt Dominus, conſuevit ſervos ſuos tollere & ex hac vita deducere ad ſempiternam quietem *e*. Civitas hæc, ut nos vidimus, caſtigari merebatur fame, quam perpeſſa eſt anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, & gravi peſtilentia, quæ mox ſubſecuta eſt annis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo & octavo. Ante hæc, tamquam in ſignum tot malis prævium, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto ſuſtulit Dominus binos homines ſanctos & amicos ſuos in eadem viventes. Exeunte Auguſto patrem fratrem Joannem Micon ex Ordine glorioſi patris S. Dominici, virum inſignis humilitatis ac ſpiritus, ingentiſque ſanctitatis & exempli, ut notum eſt regno huic univerſo, utque declaravit Dominus in ejus obitu; quando, vocante vel movente nemine præter ipſum, qui coronabat ejus animam in cælo, commota ſunt corda omnium civium, ut tantâ affluentiâ tamque inſolita devotione accurrerent venerarturi ejus corpus omnis conditionis & nationis homines, feliciores ſe reputantes, quòd accedere poſſent ad deoſculandos ei pedes aut veſtes, quàm ſi potiti fuiſſent orbis univerſi dominio *f*. Et mox Septembri proximo patrem fratrem Thomam, tam inſignem ac verum Dei ſervum tamque bonum antiſtitem, prout nos docuit hæc Hiſtoria & prout in morte ac poſt mortem patuit.

A. M. SALONIO. *Mors Sanctorum ſæpe impendentium malorum nuntia.*

e

f

E

552 Die vigeſima nona Auguſti laboravit anginâ, quam contraxit ex ſtudiis & vigiliis, quibus totâ vitâ ac præſertim archiepiſcopatûs tempore [fuit addictus;] etenim propter diurnas occupationes, ad quas tenebatur ex officio, pars magna noctis concedenda erat orationi ac mentis ad divina revocationi, ſubtrahendaque ſomno & neceſſariæ quieti. Hinc debili ſemper erat pectore, & accedente dicta infirmitate fractus fuit vehementer. Pridie, feſto ſcilicet ſancti patris noſtri Auguſtini, quem ut verus filius amabat & colebat multùm, magna pietate Sacris operatus fuerat: die autem poſtero, dum Officii lectionem abſolverat, adſtiteratque Miſſæ ſacrificio, nam ad celebrandum jam tum incapacem ſe ſenſit, viſitavit eum Dominus. Infirmitatem ſuſcepit ac ſuſtulit patientia inſigni, vultuque non minùs alacri, quàm qualecumque aliud beneficium à divina manu ſibi collatum. Cernens perſeverare malum, imò & incrementum capere ex ſuperveniente febri, inſtituit confeſſionem generalem, magna conformatione voluntatis ſuæ cum divina ſe præparans ad omnia, quæ de vita ipſius ſtatuere illa dignaretur.

Sanctus morbo corripitur;

F

553 Feriâ ſecundâ, menſis Septembris die ſecunda, præcepit, ut ad omnium exemplum, inſtituto ſupplicantium ritu agmine, ex eccleſia majori ad ſe deferretur ſanctiſſimum Sacramentum, unicum ac verum animæ ſuæ ſolatium. Suſcepit è manibus epiſcopi Segriani tanta pietate totque lacrymis, ut ex ejus oculis tranſilirent ad omnes, qui ex collegio canonicorum & clero aderant; quoniam & ipſi abundantes magno animi ſenſu profundebant, tam propter pietatem & ſpiritum, quem in Servo Dei advertebant, quàm ex timore amittendi Paſtorem & Patrem, à quo adeo amabantur, quemque ipſi tantopere diligebant.

ſacro Viatico munitus

554 Cæleſti cibo refectus, exhortationem habuit ad canonicos & clericos adſtantes, in nomine Domini obſecrans, ut ſtatus ſui obligationem reſpicerent, & quid nomen clerici, quod eſt Sors Domini, exigeret, quantúmque ab exemplo eccleſiaſticorum penderent populi mores probi aut improbi. Commendavit enixè amorem ac timorem

hortatur clerum ad pietatem.

A. M. Salonio. Domini, obedientiam erga ſanctam Romanam Eccleſiam, ejuſque doctrinam, ac pietatem & miſericordiam in pauperes: concluſit orans, ut pro anima ſua, & pro obtinendis à Domino bonis epiſcopis preces multas funderent; abſolvens autem ipſis bene precatus eſt; quamquam præ lacrymarum abundantia id ægrè exſequi valuerit; ſed nec ipſi canonici & clerici præ copia profluentium ex ſuis oculis [facilè] inchoare [potuerunt] Te Deum laudamus, ut ſolent, dum ſacro Viatico munitus eſt æger.

Inſtituuntur 555 Mox ſequenti tertia feria cœpit civitas univerſa tantum dolorem præ ſe ferre ob ipſius ægritudinem, ut viderentur recoli Chriſti morientis myſteria *g*. Cœperunt itaque ex eccleſia principe aliiſque parœciis inſtitui ſupplicationes ad varias eccleſias pietatis causâ [celebriores,] plerumque ante prandium, ut in honorem patroni eccleſiæ, ad quam ibatur, Sacrum fieret cum cantu, ſeu potiùs tono * [lugubri.] Ad ſupplicationes confluxere clerici ejuſdem eccleſiæ omnes & parœciæ incolæ penè univerſi. Clerici mœſto vultu, plures etiam nudis pedibus incedebant, voce ſubmiſſa & audientes ad commiſerationem promovente recitantes litanias *h*. Succedebant laïci (plures ſimiliter, maximè mulieres nudis pedibus) lacrymas profundentes univerſi & alta ducentes ſuſpiria, ii præſertim quorum familiæ ſuccurrebat: & hæc tanto in ſilentio, ut nihil conſpiceretur præter lacrymas, nihil audiretur præter gemitus. Has ſupplicationes non ſoli artifices ac de plebe homines comitabantur, ſed in ſingulis parœciis equites, viri nobiles & matronæ plures primariæ; quod præterquam hoc caſu viſum fuit numquam: tantus erat amor & affectus, quo fuit apud omnes, tam generalis ex ejus infirmitate animorum ſenſus.

Hiſp. en tono

g

h

B

ſupplicationes publicæ pro ejus ſanatione 556 In ſingulis eccleſiis, per quas erat tranſitus, ſubſiſtebant aliquantiſper, invocantes eccleſiæ patronum pro incolumitate Antiſtitis, & largo fletu Domino ſupplicantes, ne talem Paſtorem ac Patrem ſibi eriperet. Refert teſtis, jam dicto modo inſtitutam eſſe à clero S. Catharinæ ſupplicationem ad templum ſancti Salvatoris, ubi ſervatur piiſſima Crucifixi imago, ad quam in neceſſitatibus recurrunt, inſignia à Domino beneficia impetrantes, civitatis incolæ. Celebratâ autem ibidem tono [lugubri] Miſſâ de vulneribus [Chriſti,] & completo officio, in reditu tranſitus factus eſt per eccleſiam S. Thomæ apoſtoli: eam ingreſſi Antiphonam, dici ſolitam in ſupplicationibus ad [impetrandum] imbrem, tumque pro præſenti neceſſitate immutatam & ei, cujus eccleſiam ſubibant, accomodatam, recitare voluerunt his verbis: Non ſumus digni à te exaudiri, noſtris demeritis meremur puniri; ſed in te confiſi, quod petimus, concede, ſancte Thoma apoſtole, intercede pro nobis. Sed neque canere eam potuerunt, nec miniſtri proferre verſiculum ipſi congruentem, nec ſacerdos veſte pluviali indutus orationes de Sancto & pro infirmo recitare præ abundantia lacrymarum, quas profundebant, ſimili abundantia eas profundentibus laïcis omnibus, qui comitabantur, replebantque eccleſiam & magnam platearum partem. Idem contigit in multis eccleſiis, quas, ex aliis parœciis ſupplicationes inſtituentes in tranſitu ſubſtituri, aliquantiſper ingrediebantur. Continuatum id fuit per omnes ejuſdem hebdomadæ dies, qui non alii videbantur, quàm ipſa feria ſexta hebdomadæ Majoris.

C

ANNOTATA.

D

a *Hoc eſt Salonii caput 22 & ultimum, quod denuò ſolito prolixius in tres partes diviſi, & cuilibet tamquam novo capiti titulum præfixi.*

b *Deſiderâſſe Sanctum abdicare ſe archiepiſcopatu, nec exauditum fuiſſe, teſtatur etiam Eſcolanus lib. 10 Hiſt. Valent. cap. 35, at feliciùs ſilet tempus & circumſtantias hic à Salonio deductas. Equidem & Sandovallium in Vita Caroli V & alios non paucos, qui dicti imperatoris annis 1554 & 1555 geſta litteris commendârunt, operosè pervolvi, nec ex ullo elicere potui, ipſum aſſignato tempore veniſſe in Hiſpaniam; contrà verò paſſim indicant, poſt liberatum Gallorum obſidione Rentiacum Arteſiæ oppidum, ſub menſem Septembrem anni 1554, cùm arthritide laboraret, Bruxellas rediiſſe, ubi, teſte Sandovallio, ex litteris S. Franciſci Borgiæ aliorumque mortem intellexit dominæ Joannæ Hiſpaniarum reginæ, matris ſuæ die XI Aprilis 1555 in Hiſpania vitâ functæ, & mox debito cum honore juſta funebria celebrari juſſit: ſed & eodem anno, uti omnium teſtimoniis conſtat, menſe Octobri in eadem Bruxellenſi civitate Belgicarum provinciarum imperium in Philippum filium tranſcripſit.*

E

c *Juxta Baxium, Nævium ac San-Martinum, quibus in concinnanda Sancti Vita præluxit Salonius, contigit hoc in ipſa die feſtivitatis purificatæ Mariæ Virginis, itaque 2 menſis Februarii, ſed id adverſatur ipſimet Salonio, juxta cujus narrationem contigit poſt reditum magiſtri Porta ex itinere Barcinonenſi, igitur poſt inchoatum Martium: quibus igitur ſtandum? Suſpicor ego, quòd etiam ipſe Salonius in Vita, quam priùs conſcripſit, quamque non habemus, ſcripſerit, factum eſſe feſto Purificatæ Virginis, ac poſtmodùm propter minùs accuratam de cæſaris in Hiſpaniam adventu menſe Martio relationem, immutâſſe ſententiam, dum ſecundam Vitam exaravit.*

d *Baxius, cui conſonant duo auctores cum ipſo mox laudati, ſubdit ſequentia:* Cæterùm os Crucifixi loquentis, quod antè clauſum fuerat, deinceps apertum manſit, & ita viſitur hodierna die, dentibus tanta perfectione extantibus, ut ipſimet ſculptorum optimi fateantur, nullo artis adjumento ſimiles fieri poſſe. *Quid ſi & hæc ex Salonii priore Opere didicerint, & ipſe in ſecundo inadvertenter omiſerit, quòd aliis referendis ac immutandis nimiùm eſſet intentus?*

F

e *Aſſertum hoc probat auctor à ſimilitudine agricolæ, fruges in horreum colligentis, dum imminet aëris intemperies, id autem probè notum eſſe addit ſapientibus, qui ad exemplum Eliſei, Eliam prophetam amittentis, 4 Reg. 2 ℣ XI, deceſſum Sanctorum multis lacrymis proſequuntur.*

f *Præclariſſimi viri hujus, anno 1555 die 31 Auguſti Valentiæ defuncti, geſta videri poſſunt apud Franciſcum Diago lib. 1 Hiſtoriæ PP. Prædicatorum provinciæ Aragoniæ à pag. 863 apud Dominicum Marcheſium tom. 4 Diarii Dominicani pag. 583 & apud alios; ejuſdem quoque, utpote de Societate Jeſu optimè meriti, elogium legere eſt apud Orlandinum Hiſtoriæ Societatis Jeſu parte 1 lib. 14 pag. 344 num. 70.*

g *Verba Hiſpanica ſunt:* Que parecia (toda la ciudad) eſtar in tinieblas, *quæ ad verbum expoſita eum ſenſum habent:* ut (tota civitas) in tenebris verſari videretur: *ſed cùm per vocem* tinieblas *Hiſpani deſignent etiam officium divinum, quod canitur feriis quartâ, quintâ & ſextâ Hebdomadæ*

A *domadis ſacra, hac ſignificatione uſus eſt veriſimiliùs auctor.*

h *Prætermiſi hîc lineas aliquot, quibus auctor cleri univerſi, ſacerdotis celebraturi, miniſtrorum, aliorumque candelabra ſeu laternas ac crucem geſtantium lugubrem ornatum deſcribit.*

CAPUT XXV.

Bonis omnibus in pauperes erogatis ſanctè moritur.

Morituro pecuniam omnem

QUartâ feriâ ejuſdem hebdomadis, ac die quarto ante feſtum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, eo anno incidens in Dominicum, compererunt medici, ipſi eſſe aliquantulum meliùs; unde maximum toti civitati allatum eſt gaudium: nec tamen idcirco ceſſatum à ſupplicationibus, nec ipſe (propter nuntium à Domino acceptum, dum allocuta ipſum eſt ſacra Crucifixi imago, ut hoc capite memoravimus,) minùs diligenter ad mortem ſe diſpoſuit. Itaque ipſo die, quo meliùs eſſe ipſi aſſerebant medici, tamquam proximam expectans mortem, cujus tempore domi ſuæ non repertum iri regalem unum toties dixerat, juſſit ærarii præfectum colligere omnem, quam habebat, pecuniam, recipere illo die, quantam poſſet à conductoribus, & afferre omnem, quam ſervabat in eccleſiæ ſacrario *a*: quod ille omni diligentia & accuratione exſecutus, collegit quinque librarum millia *b*.

B

a

b

in pauperes erogari jubet;

558 Quintâ feriâ convocatis epiſcopo Segriano, D. Michaëli Vique canonico, patri F. Petro de Salamanca ex Ordine ſancti patris Dominici, eleëmoſynarum & ærarii præfectis, ac viſitatoribus dixit: Noviſtis, quanto amore mihi obſtricti ſitis; novi equidem ſimiliter, in votis vobis eſſe mihi in omnibus ſatisfacere: itaque ſiquid à vobis impetrare valeam, hoc præſtate hodie: advocate eleëmoſynarios ſeu pauperum curatores civitatis, cumque iis alii hac, alii iſthac, obeuntes omnium egenorum domus, conſulenteſque famæ perſonarum honoratarum ac nobilium, hanc mox pecuniam diſtribuite ſecundùm cujuſque indigentiam: nec pro amore Dei denarium unum domum referatis; inſignem quippe id mihi dolorem eſſet allaturum: quòd ſi res perfici nequeat hoc die, craſtino ſaltem perficiatur.

C

in quo etiam pecunia

559 Circuierunt viri iſti pars unam, pars alteram parœciam toto illo ac ſequenti die, pauperibus pecuniam diſpertientes, danteſque unicuique juxta conditionem & indigentiam non tantùm ad neceſſitates præſentes, verùm etiam habentibus pauperes filias dabant, unde ſuo tempore matrimonio collocarent, carentibus veſtimento aut facultate perſolvendi debita, unde illud ſibi compararent aut hæc exſtinguerent: ſicque aliis quinquaginta ducatos, aliis ſexaginta, aliis plures vel pauciores pro egeſtate [tribuebant.] Per tot tamque largas eleëmoſynas remedium allatum eſt omnibus loci pauperibus: nemo quippe minùs accipiebat, quàm libras quatuor chartæ [involutas.] Sed & clarè compertum fuit, quòd, ipſis erogantibus, Dominus multiplicaret [pecuniam:] argenteam ſaccis lineis incluſam geſtabant famuli in caniſtris: denarios, (monetam minorem nuncupamus,) chartis quatuor libras ſingulis continentibus involutos famuli alii geſtabant in caniſtris majoribus: cùm autem ſacrario efferrentur, diligenter obſervatum fuerat, quinam eſſent [nummi] argentei, qui monetæ minoris, ne inter diſtribuendum committeretur error. A. M. SALONIO.

560 Miſeri ferrariæ armaturæ fabri ob ſemeſtre pretium conductæ domus, quam inhabitabat, puta quatuor regales, bona pignerabat dominus. Dictarum eleëmoſynarum diſtributores ad ædes ipſius adventantes, edoctique neceſſitatem, quæ id temporis eum præ ceteris premebat, puta ſolutionem pretii ſemeſtris domus ſuæ, porrexerunt illi chartam librarum quatuor. Cùm abiiſſent, aperuit & pro denariis comperit eſſe omnes medios regales. Summas egit Deo gratias, initoque computu triginta circitèr habuit libras, & quod majorem ipſi attulit ſtuporem, medios illos regales omnes capiebat charta quatuor libris [accommodata.] Ex ea eleëmoſyna debitum ac totius anni pretium perſolvit, occurrit aliis familiæ neceſſitatibus, ferrum & chalybem gladiis conficiendis coëmit, atque his auſpiciis domi ſuæ laborans, uſque adeo profecit, ut familia ipſius è ditioribus evaſerit inter [exercentes] eamdem artem. Quamquam autem in proceſſu unum hoc dumtaxat memoretur factum in eleëmoſyna à paupere ferrariæ armaturæ fabro accepta, credendum tamen, alia hujuſmodi prodigia & augmenta obveniſſe in aliis hac occaſione & diſtributione in pauperes alios erogatis.

divinitus aucta fuiſſe creditur;

E

561 Nequivit quinies mille ducatorum diſtributio abſolvi intra ferias quintam & ſextam. Itaque viros iſtos, feriâ ſextâ ſub horam nonam veſpertinam ad palatium reduces, interrogavit, num jam omnis erogata eſſet pecunia. Reſponſum eſt, jam pauperibus omnibus, quos noverant præfecti eleëmoſynis tam ipſius quàm parœciarum, nec non parochi ac perſonæ aliæ ea ſuper re interrogatæ, diſpertitum datumque ſecundùm cujuſque indigentiam; nihilominus tamen reſiduas eſſe mille circitèr libras *c*. Me miſerum peccatorem, dixit magno animi ſenſu, cur, domini mei, hîc me moramini? Cur, non abſolventes omnis repertæ pecuniæ diſtributionem, efficitis, quominus abeam fruiturus ſperato bono? Accelerate; ne unus quidem regalis mihi ſuperſit; non ſervetur hac nocte domi meæ iſta pecunia: inquirite in pauperes, ad quos pertinet; tradatur ipſis quàm mox, vel deferatur ad noſocomium. Eam mihi, domini, ſi diligitis, gratiam præſtate, etiamſi nox ſit, ſtatim revertamini erogaturi, ne domi meæ remaneat.

reduces cum parte aliqua pecuniæ miniſtros remittit,

c

F

562 Dictum illi eſt, poſſe eam ſervari nutricibus, (quæ muktæ tum erant,) infantium, qui remanſuri erant orphani, Deo ipſum è vivis evocante. Reſpondit: Id neceſſe non eſt; jam quippe illis eſt proviſum, perſolutumque infantibus nutrimentum ad duos annos. Hinc, quàm poſſum maximè, vos oro, ut abeuntes diſtribuatis pecuniam & iſto me ſolatio reficiatis: dixerunt, ituros ſe quàm mox, ut ipſi ſatisfacerent; & ſanè tantùm cœnârunt, quieveruntque per paucas horas; mox verò, ubi dies illuxerat, egreſſi ſunt, daturi tum plura iis, quibus minus conceſſum videbatur, tum aliis multis, qui denuo innotuerant: ſic diſtributa ſunt univerſa. Sub meridiem pervigilii beatæ Mariæ Virginis reviſentes, jam nummos omnes erogatos eſſe nuntiârunt, & ne unum quidem eſſe reliquum. O domini mei, repoſuit, ita vos gaudio & ſolatio perfundat Dominus Deus, uti me delectâſtis & conſolati eſtis verbo iſto! Converſus autem ad ſacram Crucifixi imaginem, quam in oratorio ſervare conſueverat, (& coram qua correxerat & ad frugem reduxerat tot peccatores, tantumque, corpus ſuum flagellis caſtigans, pro illis

ne vel denarius morienti ſuperſit.

A. M. SALONIO.

illis effuderat ſanguinis) quamque, ut morbo correptus fuit, ex adverſo ſtrati ſui collocari juſſit, viſus eſt oculis fletu perfuſis innumeras agere Domino Deo gratias, quòd jam denarium unum non poſſidens pauper ex hac vita diſcederet *d*; id conſecutus, quod totâ vitâ concupierat.

d

Supellectilem & ipſum lectum evocat.

563 Voluptas hæc aliquantùm imminuta eſt ab ærarii præfecto, dicente, eo ipſo die aliquid pecuniæ à ſe eſſe receptum, ſed & ſupereſſe domûs ſupellectilem. At ne ſic quidem amiſit meritum & exercitium religioſæ paupertatis, virtutis tantopere ſibi adamatæ. Eodem temporis momento pecuniam partiri juſſit in pauperes famulos ſuos, accirique collegii præſidem, ut, quidquid domi ſuæ erat, auferretur: ſicque non caruit eo, quod tantopere deſiderabat, mori nempe pauper & omni re orbatus. Dum pecunia, eo die ad ærarii præfectum allata, & ſupellex aliqua diſtributa fuit in famulos, non adfuerat cuſtos carceris; id poſtmodum intelligens [Sanctus] vocari juſſo dixit: Frater, quoniam hîc præſens non adfuiſti, dum ſupellex aliqua, & parum pecuniæ, hodie receptæ, ceteris famulis impertita ſunt, nemo tui memor fuit; gratiam mihi hanc fecit Dominus,

B

ut recorder ego: nihil eſt, quod dem, reſve nulla ſupereſt præter hunc lectum: eum tibi lubentiſſimè concedo; teſtes hi ſint, jam à me tibi traditum eſſe & ex hoc ipſo momento eſſe tuum. Hanc enam gratiam, hanc eleëmoſynam mihi præſtes, flagito, ut ſinas me in eo mori: brevî recipere & tam quam tuum licebit tollere. Converſus dein ad eamdem ſancti Crucifixi imaginem: Laus tibi ſit, inquit, ſempiterna, Redemptor mi, quòd, ſicut non habuiſti lectum, in quo ſpiritum redderes præter iſtam Crucem, nec ſepulcrum, in quo recondereris, niſi alienum, eam mihi gratiam concedas, ut & ego vitæ curſum abſolvam in alieno & commodato lecto *e*.

e

Mortis inſtantis

564 Etiamſi feria quarta præcedente medici meliori ſtatu eum comperiſſent, nec de vita ejus deſperâſſent, videntes tamen feriis quinta & ſexta nihil [pituitæ] emittere eum ex pectore; & Sabbato in pervigilio ſanctæ Mariæ Virginis, dum finem impoſuerat diſtributioni eleëmoſynarum hîc memoratæ, advertentes, idem [pectus] comprimi vehementer, malumque ac febrim ingraveſcere, mortem indubiam judicârunt. Idcirco monuerunt epiſcopum Segrianum, ipſius confeſſarium, magiſtrum Porta & patrem magiſtrum F. Petrum de Salamanca, qui continuò iſtic præſentes aderant, ut hoc ipſi ſignificarent. Rogaverat ipſe, ut, judicantibus medicis, mortem eſſe propinquam, commonefacerent; nihil inde mœroris ſibi illatum iri. Itaque quatuor iſti amici & familiariores, tum quia rogaverat ipſe, tum quia monebant medici, ad lectum appropinquantes aliquanto temporis ſpatio conſtitere non valentes profari verbum, eoque ſilentio ac vultûs triſtitiâ cruciatum cordis probè denotantes.

C

nuntium lætus excipit;

565 Ex vultu & habitu, quo eos conſpiciebat, & ex nuntio, quem ex ore ſacræ Crucifixi imaginis acceperat, (deceſſurum ſe [nempe] ut ejus conſortio & æterna quiete frueretur, feſto Nativitatis beatæ Mariæ,) collegit Dei Servus, quid vellent; hæſitantes verò, ut ad edicendum alliceret, rogavit: Quid aiunt medici? Domine, ſubjecit epiſcopus Segrianus, aiunt illi, ſe de vita tua ſpem non eſſe depoſituros, ſi modò dominatio tua emitteret [pituitam;] at verò cùm pectus adeo coanguſtatum perſpiciant, mortem ſibi videri indubiam. Hæc ipſo verba proferente, nemo omnium lacrymas cohibere valuit; at ipſe conſolatus eos eſt, inquiens: Quoniam Chriſtiani eſtis, pii ac docti, nolite contriſtari nuntio animæ meæ adeo jucundo; converſuſque ad eamdem Crucifixi imaginem magna pietate & multis cum lacrymis recitare cœpit hunc pſalmi verſiculum: "Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in do-

D

„mum Domini ibimus *f*, „ idem lenta voce, fixiſque in imaginem oculis ſæpiùs repetens, frequenteſque eliciens actus voluntatis ſuæ cum divina conſenſionis.

f

ſuos ad virtutem ſtimulat;

566 Nullatenus perturbavit eum mali cruciatus; contrà toto infirmitatis tempore mentem tam lucidam & integram ſervavit, acſi nullum ſentiret, excipiens inviſentes omnes eadem familiaritate ac vultûs alacritate, quâ ſanus conſueverat, commendans ſingulis timorem Dei, ejuſque obſequii & gloriæ ſtudium. Multa omnibus ex lecto ſuo dabat monita ac documenta eo ſpiritu, ut audientes in admirationem conjiceret. Plures, qui poſtremis infirmitatis diebus dicentem exceperunt, affirmabant, ſe verbis ejus, (quantumvis debilis eſſet ac dolore, quem ex malo tolerabat, impeditus,) magis fuiſſe permotos & animo compunctos, quàm ſanitate fruentis ſermonibus, licèt beatus Pater eo, quo vidimus, ſpiritu & efficaciâ diceret è ſuggeſtu. Eodem veſpere, dum, ſicut retuli, ſignificatum illi fuit, quid ſentirent medici, quámque certò crederent, non diu fore ſuperſtitem, ſolus relinqui voluit, nemine remanente in cubiculo præter famulum, qui, donec vocaretur, conſiſteret ad oſtium. Abiere omnes ad conclave junctum cubiculo, in quo jacebat. Ipſe verò relictus ſolus, oculis in ſacram imaginem Crucifixi intentis, perſtitit ab [hora] orationis uſque ad auditam nonam, magna devotione ac multis lacrymis, (ſicut repertus eſt, dum tintinabuli ſigno vocavit,) ſe Domino commendans.

E

ſacro Oleo inungitur;

567 Subierunt epiſcopus Segrianus, confeſſarius, eleëmoſynarum præfectus, viſitatores & aliquot domeſtici alii, qui conſtanter exſpectaverant, donec appellaret. Intrantibus præcepit, ut ſacro ſe Oleo inungerent. Properantes mox ad templum princeps ipſe epiſcopus Segrianus, plures canonici & clerici nec non viri aliquot nobiles primarii, qui id audientes, pro inſigni, quo in ipſum ferebantur amore & affectu, accurrerunt, ut comitarentur [inſtructi] facibus, ſacrum Oleum depromptum è ſacello S. Petri detulerunt ſub horam noctis decimam. Repletum fuit atrium, tantaque claritate perfuſum, quantâ fuiſſet medio die. Sacramentum hoc eximia pietate ſuſcepit, ipſemet ſubminiſtrans ac reſpondens omnibus litaniis ac orationibus, quas in eo miniſterio Eccleſia ſancta, per beatos Apoſtolos edocta, uſurpat.

F

ſepeliri vult in templo Ordinis S. Auguſtini;

568 Suſcepto Sacramento, proſtraverunt ſe ad pedes lectuli D. Michaël Vique canonicus & Franciſcus Roca decanus multis precibus orantes, ut ſibi ac toti collegio eam gratiam præſtaret: [permitteret] ſe ſepeliri in eccleſia majori, quo lubitum eſſet loco; deſignaret quemcumque ſive in choro ſive in ſacello principe, imò etiam ad latus altaris, depoſituros ſe eum iſtic honorifico in ſepulcro, felices ſe reputaturos, atque eo favore imminutum iri utcumque vehementem luctum, quem ipſi ac tota ejus eccleſia ex obitu perſentiſcerent. Reſpondit ſanctus Antiſtes: Equidem vobis ac dominis iſtis plurimas habeo gratias de favore, benevolentia & amore, hac in re mihi exhibitis: at monachus ſum & religioſus ſancti patris mei Auguſtini: extra muros civitatis ſitum eſt monaſterium beatæ Mariæ de Succurſu à religioſis Ordinis mei inhabitatum; illic ſepulturam delegi, fuitque

A que ſemper & eſt voluntas mea tumulari cum patribus illis, meis fratribus; neque id per amorem Dei amoris defectui attribuatis, aut feratis moleſtè. Noviſtis quippe, me ex dignitate factum non eſſe immemorem obligationis meæ erga Ordinem, nec minore amore me ipſi obſtringi, quàm dum in eo vivebam; idcirco in eodem & cum iſtis patribus tumulari deſidero. Ceterùm Dominum deprecemini, ut in cælum me recipiat. Si enim divina ipſius bonitas, non attendens ad delicta mea, ſed ad infinitam ſuam pietatem ac miſericordiam, meritaque pretioſi Sanguinis ſui, me in gloriam ſuam introducat, nec umquam illic eccleſiam ac civitatem hanc dabo oblivioni, nec minùs amabo poſt obitum, quàm amârim & omni bono proſecutus ſim, dum hîc vixi *g*. Accipientibus adeo religioſum reſponſum, (quo ſanè perhibebat, quàm in vita ſemper religioſus fuerit, quámque eſſet in morte,) nihil cùm eſſet, quod replicarent, deoſculati ſunt ipſi manus.

g

569 Ambo canonici ſuprà nominati, aliique nonnulli iſtic pernoctare cupiebant; quod ipſe intelligens, rogavit enixè, iſti labori ut parcerent, confidere ſe in Domino fore, ut ad diem pertingeret ſanctæ ipſius Genitrici ſacrum, & ab ipſis etiam tum videri poſſet. Abiere omnes, & ipſo præcipiente, etiam cubitum conceſſere domeſtici. Soli ſubſtitere epiſcopus Segrianus, confeſſarius & viſitatores, quos tamen, donec vocarentur, ſimiliter ad cubicula ſua cubitum ire juſſit: quandoquidem media nox eſſet, & ipſe ſolus relinqui, ac, quamdiu poſſet, quieſcere deſideraret. Quievit per horas aliquot; neminem ſaltem tintinnabuli ſigno appellavit uſque ad horam quartam matutinam. Tum verò, quamvis numquam relictus fuerat ſolus, neque [enim abierant] à veſtibulo conclavis famuli duo, acceſſuri, ſimùlac quidpiam obveniret, ſub horam quartam appellavit, juſſitque adeſſe confeſſarium, confiteri cupiens occaſione feſti beatæ Mariæ Virginis tum inchoati. Quamquam autem malo ita conſtrictæ eſſent fauces, ut non valeret ſuſcipere ſanctiſſimum Sacramentum; voluit tamen, cùm hora adveniſſet, ſpiritualiter refici in hujus vitæ exitum. Dum adfuit confeſſarius, ingenti pietate ac fletu confeſſus eſt.

Poſt aliquam quietem denuo confeſſus

B

570 Interim ſupervenere epiſcopus Segrianus, viſitatores & eleëmoſynarum præfectus, voluitque, ut eorum aliquis coram ſe prælegere inciperet patientis Domini Hiſtoriam à S. Joanne conſcriptam. Legere cœpit magiſter Porta; pervenienti ad locum iſtum: "Reſpondit Jeſus: Dixi vo„ bis; quia ego ſum; ſi ergo me quæritis, ſinite hos „ abire. Ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia „ quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam:„ manu ſignum dedit, ut ſiſteret; ipſe verò grandi temporis ſpatio ſubſtitit, immotis ac fletu manantibus oculis Crucifixum contemplans. Deinde innuit, ut pergeret; ſicque pro guſtu moram indicens ſigno, & aliquantiſper meditans locis [occurrentibus] inhærebat. Ad eum modum prælecta eſt ſacra ac piiſſima Domini patientis Hiſtoria uſque ad horam circitèr ſeptimam, quando dixit: Tum quia talis dies eſt, tum ne ex hoc mundo diſcedam, non conſpecto priùs Creatore ac Redemptore meo, apparetur altare iſtud, & mox celebretur.

prælegi ſibi jubet paſſionem Domini,

571 Factum eſt ita, celebratum eſt ad horam ſeptimam, ipſeque extraordinaria attentione interfuit. Quo tempore elevavit ſacerdos Dominum Deum in ſanctiſſimo Sacramento, tanta devotione totque lacrymis adoravit, ut quotquot in cubiculo aderant, ad profundendas [ſimiliter] moveret, incenderetque ad eamdem devotionem. Simulac elevatus eſſet Calix, pronuntiare cœpit pſalmum: In te Domine ſperavi, [voce] admodùm lenta & inter continuò manantes ex oculis lacrymas, ſed ad ingentem adſtantium omnium admirationem venerabili ejus vultu, quò magis ad finem appropinquabat, eò ſereniorem & alacriorem ſpeciem induente: quemadmodum, qui coràm adſtiterunt, narravere Mugnatonio epiſcopo, ipſeque memorat in Relatione de geſtis ſancti Antiſtitis, de qua mentionem feci initio hujus Hiſtoriæ. A. M. SALONIO.

ac Miſſam celebrari in cubiculo;

572 Ita recitans pſalmum iſtum, protulit verſum ultimum: "In manus tuas, Domine, commen„ do ſpiritum meum &c. „ dum ſacerdos ſanctiſſimum Sacramentum ſuſcepit: eo ſuſceptionem finiente, ſimul egregius Dei Servus vitam finiens, animam reddidit clementiſſimis manibus Redemptoris ſui, cui eo momento illam tanto fervore, devotione ac fletu commendaverat. Circa horam octavam feſti beatæ Mariæ Virginis *h*, uti ſacra Crucifixi imago prænuntiaverat, defunctus eſt, nullam expertus perturbationem, commotionem aut vultûs contractionem, ſed tranquillus admodùm, remanente facie ipſius candida & ad inſtar angeli formoſa: ita ut cor ſpectantium vitâ functum, dolore conficeretur, & ſimul pulcritudinem, quam induebat, intuentium, ſolatio perfunderetur.

ſanctè moritur.

h

E

ANNOTATA.

a *Ampliorem pecuniæ iſtic depoſitæ explicationem habes in Vita ſecundo loco data num.* 31.

b *Summam pecuniæ diverſimodè exprimunt tum Salonius infrà num.* 561, *ubi quinies mille* ducatos *nominat, tum ſcriptores alii. Baxius* quater mille aureos, *Nævius* quatuor coronatorum millia; *auctor Vitæ ſecundæ* ſummam quinque millium aureorum, *Quevedo & San-Martinus* quinies mille ducatos, *qui in ſacrario ſervabantur.*

c *Etiam hoc reſiduum variè exprimunt auctor Vitæ ſecundæ, Quevedo ac San-Martinus: ſed audiamus tandem Coccinum rem teſtimoniis confirmantem: pag.* 481 *ſcribit in hunc modum:* In extremis vitæ confinibus... pecuniam omnem in pauperes diſtribui juſſit, cujus cùm certa quantitas domum reportaretur, ad theſaurarium vivo charitatis affectu converſus: Revertere, inquit, & omnia divide, ne pecunia, dum moriar, domi meæ reperiatur: ſi vivam, non deerit mihi Deus. Hoc præclarum eſt *, nunquam ſatis dignè laudatum præſtantiſſimi hujus Viri factum probant de vera ſcientia in proceſſu Valentino duo teſtes... Joannes Pellejero examinatus auctoritate ordinaria... & Petrus Pallares... deponit de auditu à patre ſuo, quòd cùm prædicto ſancto Archiepiſcopo ſignificatum fuiſſet, omnia eſſe diviſa & diſtributa, & nihil ſupereſſe, adeo ut ſi per unum diem ſuperviveret, non haberet, quod comederet, tunc elevatis in cælum oculis, fluentibuſque præ nimio gaudio lachrymis, alta voce dixiſſe: Nunc lætus morior.

F

*forte &

d *Vide lit. præcedentem.*

e *Coccinus pag.* 546 *paucis repetens dicta ad lit.* c, *ſic proſequitur:* Neque his acquieſcens Præſul amantiſſimus, ſupellectilem omnem inter pauperes familiares partitus eſt: cúmque commentarienſis non meminiſſet, ab illo ad ſe benignè vocato veniam petiit, & lectum, in quo moriturus jacebat, dono dedit, eleëmoſynæque nomine ab eo impetravit, ut in illo ſe mori permitteret. Ita deponunt in proceſſu Valentino Michaël Vincente notarius... & Matthæus Joannes Lopez... exami-

A. M. Salonio.

natus authoritate ordinaria: quæ quàm præclara sint, nemo est, qui non videat.

f *Coccinus pag.* 498: Sed in morte pariter spem vivam retinuit: cùm enim ei per venerabilem virum episcopum Segrian. obitus nunciaretur, divino afflatus spiritu, protulit illud Psalm. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Pag.* 500 *testem citans Michaëlem Joannem Josephum Casanova, etiam tum dixisse Sanctum, ait, cum S. Martino:* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, sin minùs, cupio dissolvi & esse tecum; *quæ etiam referuntur in Bulla canonizationis & in Vita secundo loco data.*

g *Quevedo factum esse ait, quod hoc numero narratur, biduo ante mortem; fortasse melius; si nempe tam prolixam Sanctus ad canonicos istos orationem habuerit.*

h *Quæ hoc & præcedenti numero referuntur, examinata sunt in Commentario prævio.*

CAPUT XXVI.

Luctus ac ploratus ex obitus ejus nuntio; exsequiæ ac sepultura.

Audito obitu, lugent universi;

MOx canonici ære campano signum dari jussérunt in templo principe & in omnibus parœciis, idemque factitatum est in monasteriis universis. Intellectus ac per sonitum indicatus tristis ille nuntius tantam attulit universæ civitati ægritudinem & tristitiam, tamque lugubri luctu cooperuit cor omnium, ut cuilibet videretur è vivis ereptus parens propriùs. Occurrebant sibi per compita, nec mutuam salutem impertiri meminerant. Plorantium generatim omnium in ore vox alia non erat, quàm: O Domine, quam jacturam fecimus! Viri etiam multi tam ecclesiastici, quàm laici præcipui ab imo suspirantes, audientibus aliis, aiebant: O Valentia, quàm gravi flagello à Deo [corriperis,] dum hic sanctus Antistes tibi adimitur! [Recoli] videbatur sexta feria sacræ Hebdomadis [dixissésque] exire omnes à sermone de Christo patiente, ità afficiebantur vultus omnium audita [voce:] Obiit Archiepiscopus: pauperes præsertim discurrebant per plateas plorantes & alta voce ac suspiriis, audientium omnium cor perfodientibus, dicentes: Sublato è vivis Patre nostro, sublata tutela & consolatione nostra, quid agemus? Luctus adeo erat generalis, ut horrorem incuteret populi eo die amissum solatium suum miserè deplorantis aspectus. Clerici in majori aliisque ecclesiis mœrore confecti invicem alloquentes: Non eramus, [ingeminabant,] non eramus ipso digni; peccata nostra sustulerunt ipsum. In multis ædibus virorum nobilium aliarumque personarum honoratarum, ac multorum artificum, quibus ipse succurrebat, non erat illo die nisi planctus & gemitus, ita quidem ut, quotquot fores præteribant, intelligerent, & januas ac fenestras obseratas intuiti, ad majorem ipsimet dolorem & commiserationem excitarentur *a*.

corpus Sancti,

574 Simul ac obierat, mox sacrum corpus adornari jussum est: vesti candidæ, (quam numquam, etiamsi infirmus, deposuerat,) nigram Ordinis sui, ut præcepit, multúmque commendavit ante obitum, imposuerunt, & ambabus istis albam, dalmaticas, casulam ecclesiæ pretiosissimam ex panno albo bombycinis & aureis filis contexto *, mitramque pretiosissimam cum pallio ac pedo, quo modo solent indui archiepiscopi. Jussérunt operiri fores omnes palatii, ut ad amplam, ubi sacellum est, aulam deportaretur: clausæ perstiterunt ad meridiem usque, ne præ multitudine hominum ex affectu, quo ipsum prosequebantur, accurrentium, alii alios pedibus protererent, &, quod in tanta affluentia, tantaque invicem prementium turba, quanta erat futura, natum esset contingere, aliqui suffocarentur. Ornatu pontificio indutus, & clausis ostiis, delatus est ad dictam aulam amplam, in qua vivens opperiri consueverat & consolari pauperes & afflictos. In parte ejus intima ad sacelli ostium suspensa est umbella ex panno serico ac veloso nigro & [collocatum] altare cum sacra Crucifixi imagine, quam habebat in oratorio, tribus statuis argenteis & luminaribus; in medio tabulatum * altum, [panno] nigro contectum, illi impositus lectus panno bombycinis & aureis filis contexto coopertus cum pulvinaribus ex eodem panno, atque hîc [positum] sacrum corpus cum Cruce ad pedes erecta.

D

* *Hisp.* brocado

* *Hisp.* estrado

qui virgo obiisse asseritur,

575 Tum, Potestis, inquit confessarius ipsius, floribus eum cooperire, ac sertum ex iis [contextum] capiti superponere; quippe, cùm mortuus jam sit, profari fas est, habere nos in cælis Sanctum virginem & incorruptum. Allati itaque sunt corbes floribus [repleti,] iisque coopertus ac redimitus est *b*. Hæc omnia vestiendi ipsum, in aulam deportandi ac floribus contegendi officia obierunt episcopus Segrianus, Franciscus Roca decanus, D. Michaël Vique, D. Hieronymus Carroz & aliquot alii canonici, rem totam propriis manibus apparantes, & sancti Præsulis [manus] pluries deosculantes ac fervidis lacrymis irrigantes. Commorati sunt illic iidem canonici ac clerici alii bono Pastori suo assistentes, & eorum nonnulli Rem divinam pro ipso in altari isto peragentes usque ad tempus meridianum. Tunc repetito æris campani sonitu in templo principe & in parœciis omnibus ac monasteriis, fores aperiri jussérunt.

b

populi conspectui & osculis exponitur,

576 Mox ut apertæ sunt, ingens fuit affluentia hominum virorum ac mulierum cujuscumque conditionis, quorum alii præstolati sunt, dum aperirentur, alii sonitum æris campani percipientes, supervenerunt: & quamquam inter ascendendum ac descendendum è gradibus conculcarent invicem, felices se reputantes, qui pertingere ad ipsum poterant deosculaturi pedes ejus aut vestimenta, res notatu digna est, quòd (uti ferunt, qui viderunt & perpenderunt,) ubi tantus erat confluxus, ut necessariò invicem non conculcare non possent, ita occupaverit cor, & linguam obstruxerit dolor intuentium, quem amittebant, ut nullus conquereretur de alio, vel os aperiret, præterquam ad edenda suspiria ac gemitus. Eâdem horâ accurrerunt pauperes innumeri, ut mirum esset, unde erumperent; est enim, qui dicat, instar ingentis exercitus adfuisse circitèr bis mille *c*, ita disponente Domino in testimonium insignis pietatis, quâ ipsos vivens prosequebatur. Domum subeundi facultas ipsis concessa non fuit propter clamores & lamenta, quæ amarissimè plorantes edebant; sed ex compitis ac plateis, in quibus subsistebant, palatio junctis, planctus eorum in cælum usque ascendit, & longissimè auditus est.

F

c

defertur ad metropolitanam.

577 Paulò ante horam secundam per canonicos & clerum ad ecclesiam delatus est: tum tantum pauperes isti sustulerunt ejulatum, voce la-

men-

A mentabili clamitantes: Pater miſerere noſtri! & inter ſuſpiria animam penetrantia dicentes: Quid agemus, Patre noſtro orbati? ut ſubſidere civitas videretur eâ ipsâ horâ. Tantam excitârunt commiſerationem, ut nec clericus eſſet nec canonicus, qui abſque profuſis lacrymis in cantu vocem proferre poterat, conſiderans, quem omnes amitterent Patrem. Collocatus eſt in choro eccleſiæ, ac finitis Veſperis & Completorio diei, ſolemni admodùm ac lento cantu inchoatæ ſunt Veſperæ Defunctorum. Convenere interim parœciarum omnium clerus & monaſteriorum religioſi: abſolutis Veſperis, diſpoſita eſt ſupplicatio, & omnes ordine conſtituti, ac portâ ab Apoſtolis [nuncupatâ] excedentes, iter inſtituêre per plateam, cui ab equitibus * nomen eſt.

* *Hiſp.* de los Cavalleros *& hinc magno comitatu*

578 Quo tempore feretrum cum ſacro corpore, ad ſepulturam deportando, è choro dimovebatur, donec extra eccleſiam deductum fuit, mirum, quanta fuerint hominum omnium tam ſummorum quàm infimorum lamenta; tanta ſanè, ut cuilibet proprius è vivis ereptus parens videretur, ſibique extorqueri anima, dum illum eccleſiâ efferri conſpiciebat. Irruebant eò, alius daturus oſculum feretro, alius tentaturus, num poſſet pertingere ad deoſculandos pedes, alius daturus operam ad præſcindendam partem aliquam dalmaticæ vel albæ infra caſulam eminentis. Neceſſe fuit, ut canonici ſacrum corpus occuparent, preſsè juncti feretrum cingerent, & vi populum removerent, donec eccleſiâ elatum fuit, cui magnum temporis ſpatium inſumpſerunt, cantum ſuum inchoare nullatenus valentes. His egreſſis, perrexit ſupplicatio: ſacrum corpus in dicto feretro humeris geſtabant viri à canonicis circumſepti, ſuccedente cum miniſtris & aſſiſtentibus epiſcopo Segriano, pontificalibus indumentis inſtructo. Comitati ſunt magiſtratus * & gubernator cum aliis civitatis adminiſtratoribus, univerſa nobilitas ac gens primaria Valentiæ, & innumera populi multitudo, ſubſequente miſerabili illo pauperum exercitu. Numeroſus adeo fuit ille comitatus, ut jam funus eſſet in eccleſia beatæ Mariæ de Succurſu & nec tum populus deducens illud finem feciſſet egrediendi civitate. Incedebant omnes, non, uti in ſimilibus comitatibus conſueverunt, confabulantes, ſed in triſti ac mirabili ſilentio.

B

* los jurados

C

579 Quotquot exſequias iſtas conſpicati ſunt, numquam iſto in loco vidiſſe ſe narrant ſupplicationem vel diem adeo luctuoſam. Non erat enim vel cantor vel clericus vel religioſus, qui præter profuſas lacrymas verbum aut cantum ex ore edere valeret. Idem [videre] erat in reliquis omnibus tam viris quàm feminis, quibus viæ ac feneſtræ, per quas ſacrum corpus deportatum fuit, erant confertæ, &, quod obſervârunt multi, matronæ ac feminæ nobiles, quæ illic ſupplicationem intuebantur, abſque ullo [erant] ornatu vel mundo muliebri, ſed coopertis frontibus cordis ſui mœrorem demonſtrabant. Hac lugubri & flebili muſica ac pompâ ſilentibus linguis, ac communem omnium ejus ovium triſtitiam denuntiantibus oculis, perventum eſt ad monaſterium beatæ Mariæ de Succurſu, eumque in eodem feretro, quo allatus fuit, collocârunt in meditullio eccleſiæ pluribus circumdatum facibus. Reverſa eſt, quà venerat, ſupplicatio ad eccleſiam principem, remanentibus ad ſacrum corpus aliquot canonicis ac pluribus clericis illi addictis, noctem iſtam vigilantibus & alternatim pſalmos recitantibus.

ad eccleſiam Ordinis S. Auguſtini;

580 Per viam, dum ad ſepulturam deferebatur, in platea de Quarte [vulgò dicta] ante exitum civitatis in una earum domuum, quæ præaltæ ſunt omnes, puer novennis circitèr aut decennis ex editiore loco, ubi in medio ædificio aperta eſt area, delapſus eſt, quo tempore transferebatur corpus. Mater labentem conſpiciens eodem momento in genua procidit exclamans: Sancte Archiepiſcope, ſerva mihi filium! à medio autem ſpatio, quod eſt ſolum inter ac editiorem domûs partem tam placido lapſu deſcendit & abſque ullo dolore vel læſione rectos pedes affixit ſolo, acſi brachiis eum aliqui comprehenſum paulatim demiſiſſent. Obſervatum id non fuit niſi à matre ac duobus vel tribus intra domum conſiſtentibus; ceteri omnes ad oſtium & in platea totam mentem attendentes venerando ſacro corpori ac deflendo ejus funeri, notitiam ejus adepti non ſunt, donec pòſt pluribus ex ea vicinia ac regione relatum fuit.

A. M. SALONIO. *in tranſitu puero beneficium confertur.*

581 Tota iſta nocte, acſi fuiſſet nox [præcedens] feriam ſextam Hebdomadis ſacræ, patuit eccleſia beatæ Mariæ de Succurſu, uti & portæ majores [civitatis, quibus] à Quarte & Coxo [nomen eſt,] propter innumeram populi, præcipuarumque ac omnis conditionis perſonarum multitudinem accurrentium, ut deoſcularentur pedes ejus, veſtes & ornamenta, cujus faciendi facultas non fuerat vel in palatio vel in eccleſia majore. Multi nudipedes incedebant, at verò univerſi fervidas lacrymas profundentes. Manè, ubi jam illuxerat, ſub horam quintam advenerunt Religioſi è quatuor præcipuis monaſteriis Ordinum mendicantium, ſinguli Laudes pro defunctis, Miſſam ac Reſponſorium decantaturi, idque duravit paulò ultra horam octavam. Tum adfuit capitulum cum omni clero civitatis, magiſtratu, & multis perſonis nobilibus ac primariis, inſtituto ſupplicantium ritu agmine. Laudes ſimiliter de defunctis decantârunt, Miſſamque, quam fecit epiſcopus Segrianus, magna devotione & ſolemnitate celebrârunt.

Solemnes exſequiæ

D

E

582 Finitâ [Miſsâ] cum Reſponſoriis, idem epiſcopus iique, qui ad aram ipſi miniſtraverant, nec non perſonæ dignitate inſignes, præcipui canonici & Prior conventûs, ſuſtulerunt ſacrum corpus propriis manibus ſepulcro illaturi: ipſo autem temporis momento, quo illud è feretro levaverunt domini iſti, tantus exſtitit ejulatus, tantus populi pedes deoſculari cupientis impetus, ut neceſſe fuerit deſiſtere, in feretro id relinquere, velo cooperire, inſinuare populo ſepeliendum non eſſe ante veſperam, ac rogare hunc, ut diſcederet. Hoc pacto dimiſſus eſt populus univerſus ac parœciarum clerus, & remanentibus tantùm canonicis & eccleſiæ majoris clericis, magiſtratu cum gubernatore & aliquot viris nobilibus ac monaſterii Religioſis, obſeratæ ſunt templi valvæ. Tunc iidem, qui antè, reſumpſerunt ſacrum corpus, ſublatum deportârunt ad ſepulcrum, ac indutum veſte pontificali ex panno ſerico ſpiſſiore coloris albi * incluſumque ſarcophago depoſuerunt in medio eccleſiæ è regione & facie verſa ad ſacellum beatæ Mariæ Virginis, ubi tot annis jacuit.

celebrantur;

F

* *Hiſp.* de raſo blanco

583 Ejus quidem fuerat voluntas, eamque, antequam obiret, ſignificavit, ut in anteriori beatæ Virginis ſacello reconderetur eodem ſepulcro, quo reconduntur ejuſdem domûs Religioſi: verùm dominis canonicis ac patribus conventûs præſtantioribus potius ac decentius fore viſum eſt, ſolum & in media eccleſia, uti dictum eſt, deponi. Supra ſepulturæ locum poſitus eſt tumulus, panno ſerico & villoſo coloris nigri, larga Cruce panni ſerici ſpiſſioris coloris rubei [diſtincto] coopertus: ad pedes erecta crux archiepiſcopalis, cum candelabris ligneis coloris nigri, & in his depicta

ſepulcro imponitur.

A. M. Sa-lonio. ejus insignia. Ita constitit iste tumulus novem diebus continuis, ac singulis hisce diebus pulsatum est æs campanum ecclesiæ principis, parœciarum ac monasteriorum mane, meridie & sub [horam] orationis [vespertinam] diuturno admodùm sonitu, interim constanter demonstrantibus [omnibus,] quo sensu afficerentur ex amisso tali Præsule.

Parentatur ipsi istic, &

584 Singulis hisce diebus per vices & distinctis horis ante prandium advenientes duarum parœciarum [ecclesiastici] & unius monasterii [religiosi,] Missam de Defunctis, &, hâc finitâ, tumulum cingentes Responsorium decantârunt. Die nono ac ultimo in ecclesia principe exsequiæ solemniores * peractæ sunt, ad quas convenerunt prorex, (qui id temporis erat dux de Maqueda,) gubernator, magistratus, universa civitatis nobilitas, & innumera populi multitudo: frequentior numquam visus est in ea ecclesia concursus. Chorum inter ac sacellum majus, constructum fuit tabulatum grande, nigro [panno] contectum, in hujus medio [collocatus] tumulus altus admodùm, panno sericis & aureis filis interstincto contectus, ad pedes crux archiepiscopalis, ad verticem mitra pretiosissima ecclesiæ imposita pulvino ex panno bombycino aureo; ad quatuor tumuli angulos in ampla tela depicta ejus insignia; ea autem erant scutum in flava area [exhibens] cor sagittâ transfixum & Crucem, supra scutum crux archiepiscopalis, pileus & cristæ virides atque infra scutum inscriptio ita sonans: VIVIT POST FUNERA VIRTUS. In circuitu tabulati eadem insignia cum eadem inscriptione in charta majoris formæ depicta erant sæpiùs: in ipso tabulato erant sexaginta candelabra lignea coloris nigri atque hisce similiter appicta insignia, & faces flavæ [impositæ,] prope tumulum verò faces albæ duodecim.

* *Hisp. additur* que llaman honras

B

in metropolitana variis vicibus.

585 Ad aram fecit episcopus Segrianus; orationem funebrem pronuntiavit Magister Çapater tam scientiâ quàm dicendi facultate id temporis in hac civitate celeberrimus; argumentum sibi elegit hæc Psalmi verba: "In memoria æterna erit „Justus, ab auditione mala non timebit.„ Ad quæ retulit egregias sancti Antistitis virtutes ac dotes & [ex quibus subintulit,] fore in omne ævum & ejus & earum memoriam perpetuam. Hinc tum apud eos, qui noverunt, tum qui dein secuti sunt, hoc ipsi nomen adhæsit: PATER D. THOMAS BONÆ MEMORIÆ. Ea solemnitate, ac totius civitatis pietate peractis exsequiis, post alios dies novem ritu admodùm solemni atque ingenti concursu parentatum ipsi est in ecclesia beatæ Mariæ de Succursu. Huc convenere similiter pro devotione ac sincero amore, quo in ipsum ferebantur, domini canonici cum clero ecclesiæ principis. Missam celebravit episcopus idem; orationem dixit magister Joannes Luviela, concionator quoque tum temporis valde celebris ac professor theologiæ in hac universitate: thema sibi assumpsit: "Ab „infantia mea crevit mecum miseratio, & ab ute„ro matris meæ egressa est mecum.„ Expositi autem ejus ab infantia sanctitatem & erga pauperes liberalitatem. Post dies non multos idem factitatum est in universitate; dixit orationem magister Petrus Maça, etiam ipse in eadem theologiæ professor *d*.

C

d

Erigitur ad tumulum statua marmorea.

586 Minimè solicitus fuerat Dei Servus de construendo singularis artificii sepulcro, aut marmoreis sibi erigendis [monumentis] aliisve sumptibus faciendis, ut nomen suum hîc in terris scriptum immortalitati commendaret: verùm supremus ille ac præpotens Dominus, qui jam cælo adscripserat, providit, ne & iste honos illum deficeret. Cor quippe commovit Francisci Roca decani & canonici hujus sanctæ ecclesiæ, ut pro insigni affectu, quo ipsum in vita & morte semper fuit prosecutus, mox ab obitu, priusquam terræ mandaretur, per pictorem hujus civitatis celeberrimum, vocabulo Joannem, ejus effigiem coloribus exprimi juberet; quæ perfectè admodùm expressa exstat inter aliorum antistitum hujus ecclesiæ depictas imagines in cubiculo, ad quod conveniunt ejusdem canonici. Misit quoque Genuam, qui istinc afferret effigiem ejus ex pretioso marmore in habitu archiepiscopali bene elaboratam, quæ omnibus numeris perfecta, ac prout desiderabatur, allata fuit, & collocata supra sepulcrum, cingente eam inscriptione, quæ paucis verbis Latinis declarat, quanta benedictus Pater præditus fuerit facultate dicendi è suggestu, quámque amplas ad ultimum usque vitæ spiritum elargitus sit eleëmosynas. Sic habet: "Conditur hoc tumulo Don F. „Thomas à Villanueva archiepiscopus Valentinus, „divini verbi prædicator eximius, qui Christi pau„peres benigna quidem manu non solùm vivens „fovit, sed ad extremum usque spiritum amplis- E „simis æleëmosynis est prosequutus. Obiit autem „die Nativitatis beatæ Virginis Mariæ anno MD„LV.„

D

Brevis descriptio formæ ejus & morum.

587 Fuit benedictus ille Pater staturâ mediocris, ore subfusco & aquilinus, genis paululùm fervens, glaucus oculis, facie modestus & pius, gravitatem simul præ se ferens & multum auctoritatis, corpore bene constitutus, bilioſus, sanguineus *e*. Ornavit eum Dominus magnis naturæ dotibus, ingenio, judicio, prudentiâ. Eximia fuit præditus doctrinâ, &, uti constat ex hac Historia, verbi Dei præco celeberrimus, atque optimi exempli religiosus, quem illis temporibus possedit Hispania. Cohonestavit ipsum divina Majestas in hac vita eo honore ac reverentia, quâ erat apud omnes, principes, antistites, magnates & ex omni statu homines; post mortem verò relictâ tam boni nominis famâ, ut eum appellârint atque appellent semper Sanctum & bonæ memoriæ Archiepiscopum, tam ingenti autem ac pia opinione, quòd cælesti gaudio fruatur, ut, ex quo defunctus est, ad sepulcrum ejus nec accesserit nec accedat quisquam, quin revereatur ut Sanctum, ejusque orationibus ac meritis se commendet. Atque ita facientium plures à Domino per intercessionem ac favorem hujus Servi sui insignia beneficia experti sunt, operante in illis præclara in omni genere infirmitatum prodigia, quorum præcipua sequente libro exponam: & quia tum de his tum præsertim de egregiis ejus virtutibus ac sanctitate constitit, sanctissimus Papa noster Paulus V Beatorum numero ipsum adscripsit, ut videbimus ad calcem ejusdem libri.

e

F

ANNOTATA.

a *Quamquam luctus hoc numero & aliis sequentibus relatus uno ore confirmetur ab omnibus, juvat hîc subjicere narrationem testibus firmatam apud Coccinum pag. 665:* Ut, *inquit*, sancti Viri obitus innotuit, universa civitas confestim in lachrymas effusa est, ita ut omnes unanimi consensu dicere viderentur: Exite, exite lachrymæ, jam pridem cupientes exire, quia obitus Patris nostri vobis viam patefecit: & non aliter in acerbum ac incredibilem luctum proruperunt, quàm si omnium animos vehementissimus ignis exureret, adeo ut sa-

tis

A tis illis non consisteret ampliùs, sed tanquam alicujus objecta torrentis impetu cederet perturbationi, seque totam lamentationibus daret. Hæc inter lachrymas & luctus audiebantur: Extinctum est lumen oculorum nostrorum; erepta est lux, quæ animis nostris in itinere præcedebat; disjectum est vitæ nostræ præsidium, sublatum specimen integritatis, abscissum concordiæ vinculum. Te Duce nox erat nobis diei loco, vitæ tuæ splendore illustrata; jam verò vel dies in tenebras convertetur: graviùs autem præter ceteros luctus intendebant, qui Patrem & Pastorem appellabant, erant autem illi, quos penuriæ famisque tempore sustulerat, alueratque & ad incomptam* vivendi rationem informaverat. Quid plura? Tantus erat omnium gemitus, ut universale judicium videretur. Ita deponunt in processu Valentino... Joannes de Panagos... Christophorus Perez Societatis Jesu... Joachimus Baiarri J. U. D. Bartholomæus Escola... Don Carolus Joannes de Torres... Petrus Guttierez... Mariana de Sottomajor... Petrus Portillo... Matthæus Joannes Lopez... examinatus authoritate ordinaria... Joachimus Real... Franciscus Dymas Pellicer... Vincentius Sanchez.

* *forte* incorruptam

B b *Dedimus etiam ista ex Coccino testimoniis roborata in Annotatis ad cap.* XI *hujus lib. lit.* e.

c *Quoniam nullibi infrà majorem populi numerum determinat auctor, putem, hic errorem latere & pro* bis mille *reponendum esse* octies mille; *certè Metermannus, Baxius, Navius & alii, qui Salonium in priore Vita verisimiliter secuti sunt, uti & Quevedo* octies mille *exprimunt; San-Martinus* supra octies mille & quingentos: *hic fortè secutus est Pamphilum, auctorem Salonio aliisque anteriorem, qui in chronico Ordinis Eremitarum S. Augustini pag.* 119 *idem tradit his verbis:* In cujus funere plusquam octo millia & quingenti collacrymantes pauperes intervenere. *Imò etiam fortè Salonium ipsum, nam P. Thomas Gratianus, Augustinianus item, in Anastasi Ordinis sui, edita Antverpiæ anno* 1613, *pag.* 175 *dans* S. Thomæ *elogium, nec alium subjiciens auctorem præter Salonium, octo millia & quingentos etiam exprimit, & post epitaphium, quod habes num.* 586, *hos versus recitat:*

Ibat ut ad superos Thomas (mirabile dictu)
Res eadem juvit distinuitque Virum;
Namque trahebatur sursum plus millibus octo,
C Et tamen hunc eadem vis retinebat humi.
Mirabar tacitus, cùm vox ita fertur ad aures:
Quam spectas inopum est tam numerosa cohors:
Hi plenum meritis tollunt, retrahuntque vicissim,
Et mens in partes scinditur ipsa duas.
Propensis animis gaudent super astra levari:
Attamen hunc terris non superesse dolent.

d *Fusè narrata per Salonium, sic paucis comprehendit Coccinus pag.* 667: Postmodùm autem impositum pheretro corpus cum psalmis & hymnis, perseverante adhuc in lachrymis populo, ad ecclesiam cathedralem domestici detulerunt, quod deinde ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Succursu extra, sed prope mœnia civitatis Valentiæ, in qua humile sepulchrum sibi elegerat, cum psalmis, hymnis & lampadibus transtulerunt, & corpore humili*depositio, inclinabat se populus universus, manus & pedes sancti Præsulis osculans, & inquiens: Cui nos, Domine, derelinquis? Hodie videmus te, crastina verò die considerantes ad dexteram, vel sinistram, non inveniemus te: & hæc tanto cum clamore peragebantur, ut pia psalmorum decantatio à consequentium strepitu superaretur; tandem post conditum sepulcro corpus, durantibus novem diebus proximè sequentibus, ad illud tanquam ad Sancti alicujus sepulchrum genuflectens, opem implorans & donaria offerens, universa Valentina civitas confluebat & sequentibus temporibus in hanc usque diem facere consuevit. Ita deponunt in præcitato processu Valentino... Bartholomæus Escola... Don Carolus Joannes Torres... Petrus Guttierez... Baptista Navarro... Petrus Portillo... Joannes Panegos... Franciscus Ramon... Michaël Soler... & in eodem processu Valentino... Franciscus Dymas Pellicer... Vincentius Sanchez.

* *fortè* humi

A. M. SALONIO.

e *Hispanicè* colerico sanguino; *quibus verbis indicare haud dubiè voluit auctor, Sanctum fuisse sana constitutione corporis; quoniam huic alendo utilis est bilis naturalis sanguini commixta.*

GLORIA SANCTI

POSTHUMA.

E

§ I. Sancti cultus ab ipso obitu, processus ad beatificationem.

Mox à morte.

QUi legerit recitata hactenus S. Thomæ *Acta, haud mirabitur, eum in vita conciliâsse sibi venerationem hominum, & post mortem honorem Sanctis exhiberi solitum; imò jure merito mirandum fore judicabit, si, dum tam certa erat ejus sanctitatis fama, eum minùs obtinuisset, illa certè tempestate, quâ tam severis decretis necdum inhibitus fuerat hujuscemodi cultus, non intercedente curiæ Romanæ auctoritate.* De hac fama sanctitatis, *inquit Coccinus in Relatione ad Paulum V Papam pag.* 698, deponunt quàm plures testes, audivisse se agi de Servo Dei, tanquam de viro perfecto & tanquam uno ex Sanctis, qui fulget in Ecclesia Dei, & hanc nedum esse communem & universalem totius populi vocem, sed etiam gravissimorum hominum dignitate præstantium, F nec unquam se contrarium audivisse. Ita in processu Castellæ amplissimus Cardinalis D. Gaspar de Borja... doctor Franciscus Sobrino canonicus doctoralis Vallisoletani... pater Basilius vicerector Societatis Jesu Vallisoletan... & alii quàm plures testes: & in processu Valentino don Franciscus Rocca Full J. U. D. cappellanus oratorii suæ majestatis, præcentor & canonicus ecclesiæ Valentinæ... don Federicus de Borja archidiaconus major & canonicus Valentinus,... qui duo sunt examinati authoritate ordinaria; Michaël Vicentius Molla, canonicus Valentinus... Franciscus Ludovicus Balaquel, canonicus Valentinus;... Joachimus Real, J. U. D. de consilio suæ majestatis ac regens cancellariæ;... don Hector Ruiz;... pater Christophorus Perez Societatis Jesu;... Franciscus Dimas;... Bartholomæus Escola;... don Carolus Joannes de Torres;... Petrus Guttierez;... Mariana de Sottomajor... Baptista Navarro... & alii quamplures.

ad ejus tamquam Sancti sepulcrum accurritur.

2 *Sicut sanctitatis famam, ita cultum ab ipso obitu eidem Sancto exhibitum testimoniis probat laudatus Coccinus pag.* 668 *his verbis:* Tan-

AUCTORE J. P.

dem poſt conditum ſepulcro corpus, durantibus novem diebus proximè ſequentibus, ad illud tamquam ad Sancti alicujus ſepulchrum genuflectens, opem implorans & donaria offerens, univerſa Valentina civitas confluebat, & ſequentibus temporibus in hanc uſque diem facere conſuevit. *Mox ſubnectit teſtium nomina, quæ habes inter Annotata ad cap. ultimum Salonii lit.* d. *Mitto auctores alios, à quibus hæc vel ſimilia litteris conſignata ſunt, unumque addo Mugnatonium, utpote cujus haud multos annos poſt Sanctum defuncti teſtimonium, maximæ auctoritatis eſt.* Quo magis magiſque, *inquit num.* 16 *Vitæ*, ille magnifici ſepulchri honorem fugiſſe videtur, tanto majori populi honorificentia colitur; inviſiturque frequenter id ſepulchrum à totius urbis Valentiæ popularibus; ibidemque preces ſuas pii homines ad Deum fundunt, votaque ſuſcipiunt, ſanctiſſimumque Archiepiſcopum patronum ſibi advocant, illi præſertim, qui propriùs * & magis familiariter viventem cognoverant.

* *fortè* propius

3 *Quod aſſeruerant teſtes apud Coccinum, num. præcedente laudatum, de frequentia populi ad Sancti ſepulcrum, denuo ſpeciatim aſſeritur apud eumdem pag.* 701 *hoc modo:* Hanc autem frequentiam optimè probant teſtes deponentes, ſe vidiſſe magna populorum agmina, in ſuis neceſſitatibus undique ad ſepulchrum confluentia... & circa illud adeſſe multa donaria & tabellas in ſignum gratiarum, quas ad venerabilis Viri preces petentibus Deus impertivit. *Tum teſtes citantur ex proceſſu Valentino* Michaël Vincentius Molla; Franciſcus Ludovicus Balaquer; Michaël Hieronimus Vich; P. Chriſtophorus Perez, Societatis Jeſu; frater Jacobus Sanchez; don Jacobus Ferrer; don Carolus Joannes Torres; Joachimus Real; don Hector Ruiz de Corella; Joſephus Joachimus Bayarri; don Raymundus Sanez; don Jacobus Capena, & alii. *Pag.* 702 *peculiariter etiam demonſtrat reliquiarum ejus venerationem:* Quòd etiam reliquiæ ſanctiſſimi hujus Antiſtitis in magna veneratione habeantur, ita ut cum aliis inſignibus conſerventur, & ægrotis deferantur pro curatione infirmitatum probant in proceſſu Valentino, *teſtes nimirum hoc ordine:* Michaël Joannes de Lop; Jacobus Ferrer; donna Eleonora de Guſman; don Carolus Joannes Torres; Marcus Antonius Ciſternus; don Jacobus Capena; Petrus Pallares; Mariana de Sottomajor; Franciſcus Iter, qui duo ultimi ſunt examinati authoritate ordinaria. *Tum ſubdit ex proceſſu Caſtellæ hanc ſeriem:* Frater Didacus de Guevara; Chriſto * de Guſman; Matthæus de Ollala; Petrus de Vandillo; Gundiſalvus Camero; Andreas de Buſto; Garzias Lopez. Hi quatuor ultimi ſunt examinati authoritate ordinaria.

magnâ frequentiâ,

B

C

* *fortè* Chriſtophorus

4 *Venerationem & cultum foverunt ac promoverunt plurimùm miracula & beneficia, quæ ad ejus invocationem patravit Dominus, & de quibus ita generatim in Bulla canonizationis fit mentio:* Succeſſivè tamen multa ſunt ejus ſuffragantibus meritis edita miracula Domino cooperante. *Aliquot eorum Relationi ſuæ intexuit Coccinus; plura Salonius libro tertio Operis ſui, & inde etiam nonnulla lucubrationibus ſuis ſubnexuerunt Baxius, Nævius, aliique, quæ licèt pleraque beatificationem & omnia canonizationem præceſſerint, non dabo, niſi poſtquam abſolvero, quidquid de cultu ſpeciatim & de actis ad dictas beatificationem & canonizationem dicendum ſupereſt. Nihil ſpeciatim ſuppeditat Salonius in ſecundo ſuo Opere uſque ad annum* 1601, *quo agi cœptum eſt de inſtituendis proceſſibus, ut paulatim ſterneretur via ad publicum in Eccleſia* S. Thomæ *cultum. Dixi in ſecundo ſuo Opere, nam in primo, quod ſub annum* 1584 *inchoatum, & finitum ab ipſo fuit anno* 1588, *unum certè, & ſic plura fortè, deſcripſit, quod relatu digniſſimum erat, quodque San-Martinus ad calcem Vitæ Sancti noſtri contraxit Gallicè.*

& miracula patrantur.

D

5 *Verba ejus ita ferè ſonant Latinè:* Anno MDLXXXII, ab illius morte vigeſimo ſeptimo, Baptiſta Vives, canonicus eccleſiæ metropolitanæ, ſpectabili quodam monumento teſtari cupiens devotionem, quâ in Sanctum noſtrum ferebatur, confici juſſit clathros ſeu columellas æneas, quibus cingitur ipſius ſepulcrum, uti & lampadem argenteam, quæ diu noctuque ante ipſum ardet. Inde factum, ut R. P. Salonius, præcipuus hujus Vitæ ſcriptor, tunc Prior monaſterii beatæ Mariæ de Succurſu, decreverit viſitare ſacrum corpus, & deponere honorificentiùs, quàm erat antè. Religioſi quippe metuentes, ne, ſicut fama tulerat, id auferre cuperent canonici, abſque conditorio vel ciſta antro valdè profundo impoſuerant ac terrâ operuerant. Itaque dum è terra erutum fuit, in tumulo ex marmore pretioſo ac elimato deponendum, non abſque miraculo contigit, venerabile illud corpus, poſtquam tamdiu terrâ obrutum fuerat, reperiri integrum omnino, & carne inſtructum non ſecùs ac primo die obitûs; faciem præſertim, quæ univerſis adeo benigna fuerat, tamque benevola afflictis, & manum dexteram, quâ redditus eccleſiæ tam munificè diſpertiverat in pauperes. Totum autem exhalabat tam amœnum odorem, ut prædictus auctor teſtem Deum compellans, dicat, verè eo imbutam fuiſſe integram eccleſiam, eumdemque odorem per dies multos adhæſiſſe manibus omnium, qui attigerunt, addens, quòd & minores Sancti reliquiæ, quas nonnulli ſibi vendicaverant, eumdem odorem producerent in contrectantium manibus.

Anno 1582 *corpus ejus integrum & ſuave olens reperitur;*

E

6 *Tandem creſcente in dies pietate ac fiducia fidelium erga venerabilem Antiſtitem, foventibuſque eamdem beneficiis divinitus conceſſis, ut ſuprà innuebam, multæ perſonæ eccleſiaſticæ ac laïcæ primariæ, reprehendentes patrum Auguſtinianorum negligentiam & incuriam, prout narrat Salonius, evicerunt, ut idem ipſe Salonius, tum provinciæ Aragoniæ præſes, cum aliquot è præſtantioribus ejuſdem Ordinis patribus anno milleſimo ſexcenteſimo primo acceſſerit ad illuſtriſſimum dominum Joannem de Ribera, patriarcham Antiochenum, & archiepiſcopum Valentinum, ſupplicans, ut ſua & epiſcoporum locorum, in quibus vivens degerat Sanctus, auctoritate inſtitui curaret inquiſitiones, deinde Romam deſtinandas in ordine ad beatificationem & canonizationem. Petitioni lubens annuit illuſtriſſimus, & mox hujuſce proceſſus ſcribam denominavit Joannem Micon, curiæ ſuæ notarium; commiſſarium verò, qui dicta & depoſitiones teſtium exciperet, doctorem Chriſtophorum Colom, viſitatorem diœceſeos.*

creſcente fidelium veneratione, proceſſus

F

7 *Litteras quoque requiſitoriales ſuo nomine expediri juſſit ad archiepiſcopos Toletanum, Burgenſem & Granatenſem, ad epiſcopos item Valliſoletanum ac Salmanticenſem, nec non ad vicarios generales & ſuperiores locorum, in quibus commoratus fuerat Sanctus à nativitate ſua uſque ad archiepiſcopatum Valentinum, ut etiam iſtic ad juris normam fieret inquiſitio ſuper vita ac moribus. Haſce litteras memorati antiſtites ſibi traditas à patre Dominico Camiſſano, conventûs beatæ Mariæ de Succurſu religioſo, atque in ea cauſa tum dicti conven-*

auctoritate ordinaria inſtruuntur;

A *ventus tum provinciæ conſtituto procuratore, læti etiam ſuſceperunt anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, editiſque mandatis, inquiſitionem indixerunt. Perfectè admodùm ea inſtituta fuit (teſte Salonio, cujus narrationi Miraculis ſubnexæ inſiſto) Villanovæ de Infantibus, Compluti, Salmanticæ, Valliſoleti ac Burgis; ubi, permittente Deo, etiam tum, annis nimirum ab ejus obitu circiter quadraginta ſeptem, in vita ſuperſtites erant plures perſonæ è clero, religioſis Ordinibus ac laïca nobilitate præcipuæ, virtute & auctoritate præſtantes, omnique fide dignæ, quæ Sanctum noverant, & cum ipſo egerant, atque ex quarum aliarumque, de auditu teſtantium, depoſitionibus idem Salonius conſtare aſſerit librum primum Vitæ à ſe compoſitæ, ſicut & librum ſecundum ex depoſitionibus hujuſcemodi teſtium in proceſſu Valentino.*

8 *Per hoſce proceſſus ſufficienter edoctus illuſtriſſimus Valentinus* Thomæ *ſanctitatem, & miracula, quæ, ipſo intercedente, indies operabatur divina bonitas, facultatem fecit, ut & corpus elevaretur, & Miſſa Sanctorum omnium in ipſius honorem celebraretur, utque die Dominica poſt feſtum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis eadem Sanctorum omnium Miſſa unà cùm laudibus de eodem* Thoma *ſolemni ritu decantaretur ac ſermo inſtitueretur ad populum. Itaque anno* 1604, *nocte prævia feſtivitati præſentatæ in templo Virginis, coram D. Chriſtophoro Colom viſitatore, Joanne Micon ſcriba, aliquot canonicis, equitibus ac viris primariis tranſlatum eſt ſacrum corpus è loco primæ ſepulturæ ad eum, ubi modò exſtat infra chorum, elevatumque inter binas aras, in quarum una collocata eſt imago Crucifixi olim Sanctum allocuta, in altera ejuſdem Sancti eleemoſynam elargientis vera effigies in tabula depicta. Anno autem* 1605 *deſignata mox die Dominica ipſe illuſtriſſimus patriarcha de virtutibus ac laudibus* Thomæ *dixit ad populum.*

cultus decernitur & elevatur corpus.

B

9 *Interea temporis, quoniam res ſemper ſuper ſanctitate & miraculis notatu dignæ deferebantur, inquiſitionem continuavit memoratus commiſſarius Chriſtophorus Colom uſque ad annum* 1608, *quo tandem prædicti proceſſus unà cum Philippi III regis Hiſpaniarum, & aliorum mox nominandorum litteris, commiſſi ſunt patri Joanni Beldæ in eadem cauſa procuratori, qui Romam deferret, ſummo Pontifici offerret, atque omnium nomine ſupplicaret, ut eos aperiri ac ſolito examini ſubjici mandaret. Huc uſque longiorem Salonii relationem ſecutus ſum, nunc proſequor cum auctore Seriei actorum ſæpe memoratæ:* Quare ad preces ſemel, iterum ac tertiò repetitas Philippi tertii Hiſpaniarum regis Catholici, archiepiſcoporum, epiſcoporum, procerum, deputatorum regni Valentiæ & populi civitatis ejuſdem, nec non totius Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, Paulus V proceſſum examinari juſſit: & congregatio die XXVII Julii anno MDCIX Cardinali Millino provinciam referendi contenta in eodem proceſſu demandavit, qui die XXIV Auguſti ejuſdem anni mandatum explevit; & congregatio cenſuit ſufficientem exinde ſanctitatis, virtutum, præcellentis charitatis & miraculorum fumum percipi, ut in eadem cauſa Sedis Apoſtolicæ auctoritas interponi poſſet.

Proceſſus Romæ examinantur, cauſa admittitur,

C

10 Hiſque Paulo V relatis à Cardinali Pinello in conſiſtorio ſecreto die decima nona Octobris anno MDCIX, idem annuit & litteris in forma Brevis datis die XXVI Novembris ejuſdem anni congregationi facultatem attribuit inquirendi tantùm in genere, ac deſuper remiſſoriam & compulſoriam à procuratoribus cauſæ petitas decernendi; quæ die XXVIII ejuſdem ab eadem congregatione relaxatæ, directæ fuerunt patriarchæ Antiocheno, archiepiſcopo Valentino præfato, ejuſque ſuffraganeo vicario generali nec non epiſcopo Oriolenſi. Hi judices deputati ſtatim proceſſum in genere in civitate Valentiæ abſolutum, clauſum ad Urbem tranſmiſerunt die XXX Maii MDCX: die verò XII Junii ejuſdem anni proceſſus hujuſcemodi, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica confectus à judicibus remiſſorialibus epiſcopo Oriolenſi & electo Segobricen., vicario generali & officiali archiepiſcopi Valentini, à procuratore cauſæ exhibitus, in congregatione ordinaria apertus eſt, ejuſdemque diſcuſſio ac relatio Cardinali Millino, olim relatori deputato, commiſſæ fuerunt, qui munus explevit die VII Auguſti ejuſdem anni, & congregatio declaravit, ſatis ſuperque conſtare de fama puritatis fidei & ſanctitatis vitæ, deque miraculis, & populi erga fratrem Thomam devotione in genere; ideoque poſſe remiſſoriales & compulſoriales litteras in ſpecie relaxari.

& auctoritate Apoſtolica novi

AUCTORE J. P.

11 Mox cùm ſummus Pontifex novas litteras ſimiliter in forma Brevis cum facultatibus opportunis ad ipſam congregationem dirigi annuiſſet, quas idem Paulus V dedit die XX Septembris anno MDCX, cum facultate inquirendi in ſpecie & ad effectum hujuſmodi decernendi remiſſoriam & compulſoriam deſuper neceſſarias: eas congregatio relaxavit die nona Octobris ejuſdem anni, directas pro diœceſi Toletana Bernardo Cardinali Royas archiepiſcopo Toletano, etiam cum facultate ſubſtituendi: pro civitate verò & diœceſi Valentina Archiepiſcopo, ejuſque vicario generali. Verùm habito pòſt nuncio de obitu archiepiſcopi ejuſdem, antequam illi exhibitæ ac de more præſentatæ fuiſſent eædem litteræ, congregatio die XXVI Februarii anno MDCXI facultatem tranſmiſit epiſcopis Marochitano, Coronenſi & Segobricenſi ſimul ac in ſolidum aperiendi, nec non executioni demandandi litteras hujuſmodi, archiepiſcopo Valentino defuncto, ejuſque vicario directas.

proceſſus inſtituuntur.

E

§ II. Cauſæ promotio; beatificatio.

Proceſſus in regnis Valentiæ

Geſta dein in Hiſpania, puta in regnis Valentiæ & Caſtellæ, commemorat Coccinus in Relatione ad Paulum V à pag. 707, *ubi differit de validitate proceſſuum; unde, omiſſis tamen multis ad hiſtoriæ ſeriem non pertinentibus, huc tranſfero.* Hanc remiſſoriam frater Michaël Salon, procurator conſtitutus à patre Generali & frater Sebaſtianus Garzia, procurator conſtitutus à patre Provinciali Coronæ Aragoniæ & deputati & electi civitatis & regni Valentiæ præſentârunt ſub die XXV Maii MDCXI dictis epiſcopis Marochitano & Coronen., qui ei conſenſerunt, & conſtituerunt locum & horam audientiæ, notarium & curſores, recepto priùs ab eis juramento de fideliter exercendo; inſtanteque Fr. Gaſpare Marebon, procuratore ſubſtituto à dictis Salonio & Garzia, hoc enim habebant in mandatis, prævia citatione, & relatione, & inductione teſtium, delatione juramenti, & deſignatione diei & horæ examinis faciendi, receperant CCCLXIII teſtes, qui, medio juramento in forma debita præſtito, depoſuerunt nedum ſuper articulis, ſed etiam ſuper interrogatoriis. Ulteriùs, cùm prædictæ litteræ remiſſoriales continerent etiam litteras compulſoriales, præ-

di-

AUCTORE J. P.

dictus Fr. Gaſpar Marebon procurator ſubſtitutus inſtitit & obtinuit, ex originali compulſari dicta teſtium demortuorum, qui de anno MDCI uſque ad annum MDCVIII authoritate ordinaria fuerunt examinati (vivi enim cum noviter receptis fuerunt repetiti,) quorum teſtium demortuorum, qui ſunt LXXIX, depoſitiones habentur. *Hæc de proceſſu Valentino.*

& Caſtellæ inſtituti,

13 *De Caſtellano, quia in variis locis is fuit inſtituendus, fuſiùs & ſub variis titulis differit; quapropter, ne eadem ſæpiùs recurrant, ſi ipſius verbis utar, rei dumtaxat ſubſtantiam decerpo. Anno* 1611 *frater Dominicus Camiſanus, procurator conſtitutus in provincia Coronæ Aragonum, dictam remiſſionem præſentavit Cardinali Toletano & ejus vicario (ad utrumque enim directam ſuiſſe ait* in ſolidum cum facultate ſubdelegandi,) *qui ei conſenſerunt, notariumque & curſorem nominârunt, recepto ab eis juramento de fideliter exercendo, & prævia monitione ac juramento ſuper articulis & interrogatoriis fuerunt examinati per vicarium* IX *teſtes. Servatâ eâdem juris normâ, teſtes receperunt in aliis civitatibus judices, ſubdelegati per dictum vicarium Toletanum: Burgis vicarius diœceſeos teſtes quindecim, & compulſata ex originali dicta ſeu depoſitiones octo demortuorum, qui anno* 1606 *auctoritate ordinaria fuerant examinati: Valliſoleti ipſe epiſcopus teſtes novem, & dicta quatuor demortuorum, eodem anno* 1606 *ſimiliter examinatorum: Salmanticæ anno* 1612 *ipſe etiam epiſcopus teſtes tres & dicta quatuor demortuorum: Matriti D. Joannes de Hoſes, protonotarius Apoſtolicus, theſaurarius & canonicus Carthaginenſis teſtem unum, nempe Eminentiſſimum Cardinalem de Borgia & depoſitionem unius demortui: Compluti Ludovicus de Monteſino, canonicus eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris teſtes quatuor & depoſitiones item quatuor demortuorum: Villanovæ de los Infantes vicarius ejuſdem oppidi teſtes quatuordecim & depoſitiones triginta quinque demortuorum, qui anno* 1602 *auctoritate ordinaria examinati fuerant. Hæ depoſitiones, in jam enumeratis locis exceptæ, clauſæ ac ſigillo munitæ fuerunt ac per ſubdelegatos remiſſæ vicario Toletano, atque hìc in unum proceſſum redactæ, ſervatis ſervandis, Romam directæ ſunt. Nunc reſumo relationem in Serie actorum.*

B

Romæ ad congregationem Rituum relati,

14 Die prima Septembris anno MDCXII procurator cauſæ congregationi præſentavit proceſſum Valentinum, confectum ab epiſcopis Marochitano & Coronenſi, ab iiſdemque ſubſcriptum die XIV Aprilis ejuſdem anni, quem congregatio juſſit aperiri & ex Hiſpano idiomate in Latinum verti. Die ſecunda Martii anno MDCXIII idem procurator præſentavit proceſſum, Toleti confectum, & ad Urbem tranſmiſſum cum litteris vicarii generalis archiepiſcopi Toletani, & ab eodem, vigore facultatis, judicis ſubdelegati. Et congregatio mandavit proceſſum hujuſmodi aperiri & interpretari. Pluries deinde repetitis in congregatione precibus Hiſpaniarum regis Catholici, regni Valentiæ, & Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, nempe diebus XVI Novembris anno MDCXIII; XV Februarii, I Martii, & XXVIII Junii MDCXIV; tandem die XXX Septembris ejuſdem anni congregatio, auditis contentis in proceſſibus prædictis, relatis à Cardinale Lancellotto, in locum Cardinalis Millini abſentis relatore ſubrogato, cenſuit cauſam in tali ſtatu reperiri, ut poſſet auditoribus Rotæ tunc de more committi, & facta de prædictis ſummo Pontifici relatione per Cardinales Gallum & Lancellottum in conſiſtorio ſecreto die ſexta Octobris MDCXIV, idem annuit, & de mandato congregationis proceſſus prædicti per Mucantium, eo tempore ſecretarium, traditi fuerunt Vincentio Romerio, notario Rotæ. D

& auditoribus Rotæ commiſſi ſunt,

15 Succeſſivè Paulus V die undecima ejuſdem menſis Octobris ſignavit commiſſionem, quâ auditoribus Rotæ Sacrato, Coccino & Manzanedo injunxit, ut proceſſus hujuſmodi maturè perpenderent, acriter diſcuterent, ac de contentis in iiſdem Sanctitati ſuæ pleniſſimam relationem facerent, quæ commiſſio ſignata & ſubſcripta à regente Cancellariæ in Banco curſorum porrecta fuit die XVI Octobris Mucantio ſecretario, & ab eo præfato notario Rotæ. Diſcuſſis in Rota relevantia ac validitate dd. proceſſuum à judicibus commiſſariis, iidem Sanctiſſimo, dimiſſa ſimul copia relationis, oretenus retulerunt die XXIII Januarii anno MDCXVIII, proceſſus validè fuiſſe confectos, teſtes ritè examinatos, nec non pleniſſimè conſtare de fidei puritate, ſanctitate vitæ, virtutibus & miraculis in ſpecie: ideoque poſſe quandocumque ad fratris Thomæ canonizationem procedi.

qui, facta de iis relatione ad Paulum V PP.,

16 *Memoratam mox relationis copiam, eam eſſe exiſtimo, cujus poſtea prelo commiſſæ notitiam dedi in Commentario prævio § 1, quâque uſus ſum deinde ſæpiùs ac porrò utar, juverit huc tranſtuliſſe ejus clauſulam:* Ex his omnibus vidit Sanctitas veſtra eximia hæc & nunquam ſatis celebrata laudum præconiis venerabilis Viri miracula; audiit egregias ejus virtutes toto orbe notiſſimas, hoc libello ſub brevi quaſi compendio deſcriptas; cognovit ſanctum Archiepiſcopum, viva fide ac ſpe magna præditum, nihil intentatum pro conſequendo cæleſtis * delitiis reliquiſſe, ardentiſſima in Deum & proximum charitate flagrâſſe, collegia & hoſpitalia commoditati ſtudentium & pauperum annuo conſtituto redditu à fundamentis erexiſſe, ſummâ prudentiâ pravos populi ſibi ſubditi mores, & vitæ clericos laxioris emendâſſe; quæ ad eccleſias pauperes & loca pia ſpectabant fideliter etiam in modico diſtribuiſſe, redditus eccleſiaſticos non in conſanguineos, ſed in egenos erogâſſe, virgines dote carentes honeſto collocâſſe matrimonio; pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ acriter decertâſſe; tenui victu humilique contentum ſupellectili, cæteraque, quæ ſibi ſupererant, miſerabilibus perſonis & eccleſiis liberali manu donâſſe; quapropter Deum optimum maximum in Sanctis ſuis laudare neceſſe eſt, maximè cùm ad Archiepiſcopi Valentini preces paralytici curentur; plurimi morborum percuſſi vulneribus priſtinam corporis firmitatem conſequantur; podagrâ per ſexennium laborantes non longo temporis ſpatio liberentur.

** l. conſequendis cœleſtibus*

F

cenſuerunt deveniri poſſe ad canonizationem.

17 Divi Pauli ſudaria vel ſemicinctia eorum, qui tetigerant, languores expulerunt: Chriſtus Jeſus, increpatâ Judæorum perfidiâ, ut habetur Matthæi nono, paralytico, qui jacebat in lecto, ad oſtendendam ſuam in terra poteſtatem injunxit, ut ſurgeret, domumque contenderet: Petrus, ut narratur Actorum nono, Æneæ, paralyſi laborantis, quaſi æneam corporis partem in nomine Jeſu antiquæ libertati reſtituit. Venerabilis autem Thomas, per quem Deus ſuam omnipotentiam in partibus Hiſpaniæ noſtris temporibus palàm fecit, paralyticum, Petri ſecutus veſtigia, curavit: ulteriùs mirabili modo deprehenſos in libertatem vindicavit, claudis inceſſum reddidit, cæcis viſum; mortuos in vitam revocavit; præcedebant ſupplicantium preces tamquam valetudinis nunciæ; has tamen ilico vel brevi temporis interval-

A lo absoluta numeris omnibus gratia comitabatur; exultabant gaudio, qui morbum omnem tristesque morbi curas expulerant; per ora tamen gentium Viri sanctitas celebrabatur; confluebat tum ex proximis tum ex remotis partibus ad monumentum populus, ipsaque quotidie Valentina civitas, ubi venerabilis Thomæ adservantur reliquiæ, quasi sedibus exuta suis, Virum miraculis celebrem laudatura properabat; non tamen excidebat ex animo, quod Dominus Jesus ad cælos, unde descenderat, ascensurus, Apostolis plebique credentium Marci ultimo promulgârat. Quapropter hoc esse donum signumque credentium necesse est, ut, in quibus fides effulget, in eis vitæ sanctitas miraculis comprobata, & Dei in populorum pastores custodesque mandatorum dilectio & virtus eluceat. Ob quæ concludimus, causam in eo statu reperiri, ut possit Sanctitas vestra, quandocumque placuerit, ad solemnem canonizationem prædicti fratris Thomæ à Villanova, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, archiepiscopi Valentini, cognomenti Eleëmosynarii, devenire. *Ita Coccinus; redeo ad Seriem actorum.*

Congregatio Rituum judicat, constare de virtutibus theologicis,

18 Die XXVIII ejusdem (*mensis Januarii anno* 1618) orator regis Catholici novas ejusdem litteras ac supplicem libellum summo Pontifici præsentavit, quibus permota Sanctitas sua, die tertia Februarii rursus commisit causæ hujus cognitionem congregationi sacrorum Rituum ad effectum beatificationis. Congregatio autem die duodecima Martii anno MDCXVIII iterum deputavit relatorem causæ Cardinalem Lancellottum. Die XXXI ejusdem censuit, constare de virtutibus theologalibus, scilicet fide, spe & charitate tum in Deum, cùm erga proximum; nec non duo miracula ad comprobandam fidei magnitudinem in vita patrata, nempe multiplicationis tritici & sanationis claudi, concludenter probata, & esse vera miracula, declaravit. *Utrumque miraculum hîc memoratum prolixè descriptum habuimus suprà apud Salonium libro* 2 *cap.* 22, *& in Annotatis ibidem illustratum ex Coccino, Vitaque secundo loco data.*

item de cardinalibus,

19 Die XXIII Aprilis addidit, plenissimè etiam probari virtutes prudentiæ & justitiæ in gradu heroïco. Die tertia Junii fuerunt approbatæ aliæ duæ virtutes cardinales, temperantia & fortitudo. Die verò XXI Julii MDCXVIII congregatio declaravit, plenissimè constare, nedum de prædictis, sed de reliquis virtutibus similiter in gradu heroïco, deque

C fidei puritate, vitæ sanctimonia & populi frequentia ad sepulchrum Servi Dei, nec non validos esse processus, ac relevantes etiam quoad quatuor infrascripta miracula, utpote concludentissimè probata, scilicet: *hîc subnectitur dictorum miraculorum relatio, sed cùm hæc inter alia plurima inferiùs daturus sim ex Coccino, additis testium nominibus, sufficiat hîc breve eorum compendium; Paulus Franciscus Cardona & Sperantia Valeria ex febre defuncti, ad vitam revocati sunt; Francisca Nadal insanabili carcinomate ad vitæ finem perducta, absque naturali remedio sanata est. Catharina Vincentia Rossellon, incurabili plagarum morbo similiter ad extremum redacta, pristinam salutem recuperavit.*

de miraculis

20 Subinde eadem congregatio die XVIII Augusti anno MDCXVIII alia quatuor miracula sufficienter probata exstitisse declaravit; *etiam hæc brevitatis causâ, utpote infrà ex eodem Coccino, sicut præcedentia, fusiùs enarranda, contraho: Marcella de Lisania sanguinis vomitu & ophthalmiæ morbo subitò liberata fuit. Petrus Antonius Sutor ex nervorum contractione amissam incedendi facultatem recuperavit. Jacobus Cervera insanabilibus ulceribus annos quatuordecim ac dein valida febri vexatus, ejusdem Sancti auxilium postulans, sanus evasit. Vincentius Ciprer de Paternoy forti paralysi correptus invocavit Sanctum, in somnum incidit, & planè incolumis evigilavit.*

AUCTORE J. P.

ac validitate processuum;

21 Prædictis, inquam, miraculis approbatis, congregatio die VII Septembris anno MDCXVIII, referente Cardinale Lancellotto, rursus declaravit, plenissimè constare de validitate processuum &c. *Ipsam declarationem dat Salonius his verbis:* In causa servi Dei Thomæ à Villanova, Ordinis S. Augustini, archiepiscopi Valentini, congregatio sacrorum Rituum, illustrissimo Lancelloto referente, inhærendo ordini relationis trium Rotæ auditorum, re maturè perpensa ac diligenter considerata, atque pluries discussa, plenissimè constare censuit de validitate processuum, virtutum excellentia, puritate fidei, sanctitate vitæ, patratione miraculorum, ac denique de fama sanctitatis, deque frequentia populi ad sepulchrum prædicti servi Dei Thomæ à Villanova. Atque propterea si sanctissimo Domino nostro placuerit, ut in posterum Beatus nuncupari possit, atque in singulis annis die XVIII Septembris in toto regno Valentiæ à Religiosis ejusdem Ordinis S. Augustini tam fratribus E quàm monialibus, & in civitate & diœcesi Valentina, cujus per undecim annos fuit Archiepiscopus, ab omnibus utriusque sexus regularibus, & etiam presbyteris & clericis secularibus de eo, tamquam de Beato, juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani de communi Confessoris Pontificis Officium recitari & Missa celebrari valeat, decrevit.

sententiæ annuens Pontifex, Thomam Beatum

22 *In Serie actorum, ubi quatuor locis, sicut postmodum exponam, repetitur relatio gestorum pro beatificatione, totidem etiam locis dicitur, Paulus V annuisse recitatæ jam declarationi ac desuper concessisse litteras Apostolicas in forma Brevis die* XIV *Septembris* 1618. *Has equidem litteras dicto die & mense datas nusquam reperio; contra verò, si rectè notavit Salonius, non annuit declarationi summus Pontifex ante primam Octobris, nec litteras concessit ante septimam dicti mensis anni* 1618. *Nam juxta laudatum Salonium Pontifex, relata ad se declaratione Cardinalium congregationis sacrorum Rituum die* VII *Septembris, extra Urbem profectus est, ut tranquillior & à negotiis expeditior, se remque illam in precibus & Sacrificiis Domino commendaret, rediitque tandem in pervigilio festivitatis S. Michaëlis archangeli; die autem proximo, primo mensis Octobris, postquam coram Cardinalibus denuo prælecta esset declaratio congregationis, assensum Pontificis declaravit ejusdem congregationis secretarius his verbis:* Et facto verbo cum sanctissimo Domino nostro de prædictis, Sanctitas sua annuit, & sacræ congregationis sententiam approbavit die prima Octobris MDCXVIII. *Die septima ejusdem mensis Octobris Beatum declaravit ac litteras seu Breve expediri mandavit. Hîc sibi consentientes habet Salonius non tantùm auctores alios, qui diem beatificationis signant, verùm etiam ipsas Litteras Apostolicas, quæ ab ipso recitantur, & Coccini Relationi subnectuntur, unde transcribo.*

F

declarat editis litteris Apostolicis

23 PAULUS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, à Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sanè pro parte dilectorum filiorum, Prioris generalis & aliorum superiorum, nec non fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, Nobis nuper expositum fuit, quòd bo. mem. THOMAS A VILLANOVA,

AUCTORE J. P.

ejuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſor, ac archiepiſcopus Valentinus, multis & eximiis virtutum, gratiarum & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit. Quapropter non ſolùm univerſus Ordo præfatus; ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum rex Catholicus, ac venerabilis frater Iſidorus archiepiſcopus Valentinus, nec non dilecti filii capitulum & canonici eccleſiæ Valentin., ac deputati, electi & ſindici regni & civitatis Valentiæ, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honorem, quem D. THOMÆ A VILLANOVA ob ejus excellentia merita aliquando, divina aſpirante gratia, habitum iri ſperant, ab Apoſt. Sede impetrent, idem THOMAS A VILLANOVA BEATUS vocari, & de eodem Officium & Miſſa, ut infrà, recitari poſſit.

die 7 Octobris 1618,

24 Quare Nos, re priùs per venerabiles fratres noſtros S. R. E. Card., ſacris ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandavimus, maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bo. me. THOMAS A VILLANOVA in poſterum BEATUS nuncupari, atque ſingulis annis die XVIII Septem. in toto regno Valentiæ à Religioſis ejuſdem Ordinis S. Auguſtini tam fratribus quàm monialibus, & in civitate Valentina, ubi ejus corpus requieſcere aſſeritur, & dioec. Valentin., cujus per undecim annos Archiepiſcopus fuit, ut præfertur, ab omnibus utriuſque ſexus regularibus perſonis, ac etiam presbyteris & clericis ſæcularibus de eo, tamquam de Beato, juxta Rubricas Breviarii & Miſſalis Romani de communi Confeſſoris Pontificis Officium recitari & Miſſa celebrari reſpectivè, liberè & licitè valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus. Non obſtantib. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die VII Octobris MDCXVIII Pont. noſtri anno decimo quarto. Scipio Card. S. Suſannæ.

ingenti Ordinis S. Auguſtini, & totius Hiſpaniæ gaudio.

25 *Sub hæc variæ excuſæ ſunt in Urbe Sancti imagines præter ejus effigiem aliquot miracula repræſentantes & hoc illis ſubſcriptum elogium:* B. Thomas à Villanueva, cognomento Eleëmoſynarius, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, archiepiſcopus Valentinus, divini verbi prædicator eximius, miraculis clarus, ſanctitate conſpicuus, eleëmoſynis erga pauperes liberaliſſimus, eccleſiaſticæ libertatis acerrimus propugnator. Obiit Valentiæ anno Domini MDLV, ætatis ſuæ LXVII die Nat. beatæ Mariæ Virginis. *Tandem ſub finem anni 1618 litteræ beatificationis ingenti applauſu & lætitia incolarum civitatis ac regni Valentiæ totiuſque Hiſpaniæ exceptæ ſunt, &, mandante illuſtriſſimo domino Iſidoro Aliaga archiepiſcopo Valentino, in metropolitana, aliiſque eccleſiis promulgatæ die vigeſima quinta Aprilis anno 1619, quouſque certis de cauſis, quas non exprimit Salonius, ſolemnis & publicæ lætitiæ pompa dilata fuit, quæque per triduum, colluccente diu noctuque feſtis ignibus civitate, continuata eſt. Poſt alia pietatis ac devotionis officia in templo principe celebrata, inſtructa fuit à clero ſupplicatio ad eccleſiam beatæ Mariæ de Succurſu, comitantibus præter Religioſos & ingentem populi multitudinem, prorege, juratis civitatis ac magiſtratu, & nobilitate penè univerſa, eaque ſolemnitate, quâ major, teſte Salonio, numquam viſa fuerat Valentiæ. Ex eadem eccleſia beatæ Mariæ de Succurſu deſumptum eſt caput* S. Thomæ, *delatumque inter muſicos concentus ad metropolitanam, ubi deinde ſervatum fuit, prout intelligo ex Sacrario Valentino, Hiſpanicè edito anno 1635 per Alphonſum del Caſtillo.*

§ III. Extenſio facultatis dicendi Officium & Miſſam de Beato ſemel & iterum facta; Acta Romæ uſque ad declarationem faciendæ ſolemnis canonizationis.

Facultas dicendi Officium & Miſſam

POſt *ſolemnem* Beati *appellationem, & indultum de eodem Officium ac Miſſam Religioſis Ordinis S. Auguſtini in toto regno Valentiæ & clero civitatis ac diœceſios Valentinæ, ut liquet ex præcedente §, mox anno 1619 ad iteratas preces, idem indultum fuit extenſum ad omnes utriuſque ſexus Religioſos prædictos regnorum Caſtellæ, Aragoniæ & Cataloniæ, nec non ad omnes utriuſque ſexus regulares & ſacerdotes ac clericos ſeculares oppidi Villanovæ, ac tandem anno 1621 ad omnes utriuſque ſexus Religioſos ejuſdem Ordinis, ubique terrarum exiſtentes: utriuſque indulti ſeu conceſſionis Litteræ Apoſtolicæ exſtant apud Cherubinum tom. 4 Bullarii, prioris ab eodem Paulo V datæ pag. 40 in hæc verba:* PAULUS PAPA QUINTUS ad perpetuam rei memoriam. In ſupremo Apoſtolatûs ſolio, meritis licèt inſufficientibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea, per quæ ſervorum Chriſti honor & veneratio in terris promoveatur, juxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, libenter intendimus, & piis Chriſti fidelium, præſertim Catholicorum regum id exoptañ. votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Alias ſiquidem nomine dilectorum filiorum *&c. Repetit hîc penè ad verbum litteras in forma Brevis, quibus decreta fuit anno 1618 beatificatio, quaſque habes § præcedente, & demum proſequitur.*

primùm à Paulo V,

27 Cùm autem, ſicut pro parte Prioris gen. ac ſuperiorum & fratrum prædictorum denuò Nobis nuper expoſitum fuit, tam dictus Philippus rex, quàm Ordo prædictus, nec non dicti deputati, electi & ſindici conceſſionem & indultum prædicta ad univerſum Ordinem Sancti Auguſtini hujuſmodi ac etiam ad oppidum Villanovæ de los Infantes nuncupat., Toletañ. dioeceſis, unde dictus Thomas oriundus eſſe aſſeritur, per Nos auctoritate Apoſtolica extendi ſummopere deſiderent; Nos ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc iterum porrectis, inclinati, de eorumdem Fratrum (*S. R. E. Cardinalium*) conſilio, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus ab omnibus utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis S. Auguſt. Religioſis in Hiſpania, nempe in regnis Caſtellæ, Aragoniæ & Cathaloniæ commorantibus, nec non in oppido de Villanova de los Infantes prædicto, ubi dictus Thomas natus & educatus eſſe aſſeritur, ab omnibus etiam utriuſque ſexus regularibus, ac etiam presbyteris & clericis ſæcularibus Officium & Miſſa de eodem Thoma à Villanova, ſervatâ aliàs in omnibus & per omnia litterarum prædictarum formâ & tenore, recitari & celebrari reſpectivè, liberè & licitè poſſit & valeat,

A leat, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in iisdem litteris nostris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV Septembris MDCXIX, Pontificatus nostri anno decimo quinto.

28 *Alterius indulti num. 26 memorati litteras à Gregorio XV datas exhibet idem Bullarii collector ibidem pag. 68, ut sequitur:* Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Aliàs à fel. rec. Paulo Papa Quinto, prædecessore nostro, emanârunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet: In supremo &c. *Omitti hîc monet editor residuum, quia ipsa Pauli Constitutio recitata fuit pag. 40, sicut mox à me recitata est.* Cùm autem, sicut pro parte cla. me. dicti Philippi regis, tunc in humanis agentis, ac Prioris generalis, nec non superiorum B & fratrum, ac deputatorum, electorum & sindicorum prædictorum, Nobis nuper fuit expositum, ipsi pro eo, quem erga dictum beatum Thomam gerunt respectivè, devotionis affectu plurimùm cupiant concessiones & indulta prædicta ad omnes utriusque sexus Religiosos ejusdem Ordinis, ubique terrarum existentes, per Nos, ut infrà, extendi; Nos, piis eorum votis in præmissis annuere, illosque amplioribus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, quòd ab omnibus utriusque sexus Religiosis ejusdem Ordinis, ubique terrarum existentibus, Officium & Missa de eodem beato Thoma à Villanova, servatâ aliàs in omnibus & per omnia litterarum prædictarum formâ & tenore, recitari & celebrari respectivè, liberè similiter & C licitè possit & valeat, eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium etiam concedimus & indulgemus.

deinde à Gregorio XV

29 Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus similiter, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIV Maii MDCXXI, Pontificatus Nostri anno primo.

extenditur.

30 *Interim Romæ haud segniter laborabatur ad promovendam canonizationem, die quippe sexta Decembris mox dicti anni 1621, prout lego in Serie actorum, repetita fuit in congregatione approbatio octo miraculorum, ante beatificationem facta, subscriptumque duobus insuper aliis, tamquam sufficienter probatis, nempe instantaneæ concessionis lactis Catharinæ Montaltæ, quæ jam sexto partu destituta fuerat; & sanationis à podagra, quâ sexennio Ludovicus Lemosy chirurgus Valentinus laboraverat: utriusque ampliorem expositionem, testibus munitam, dabo ex Coccino inter cetera miracula. Eadem denique die sexta Decembris censuit sacra congregatio, tutò posse devenire summum Pontificem, quandocumque liberet, ad ejusdem Beati canonizationem, ac sequens edidit Decretum:* Discussâ diligenter & maturè perpensâ de mandato sanctiss. D. N. in ordine ad canonizationem causâ B. Thomæ de Villanova Ordinis S. Augustini, archiepiscopi Valentini, congreg. sac. Rit. pluribus desuper habitis sessionibus, illustrissimo Card. Millino referente, censuit, tutò posse sanctissimum Dominum Nostrum, quandocumque sibi libuerit, ad solemnem ejusdem B. Thomæ canonizationem juxta S. R. E. ritum & sac. Canonum dispositionem devenire, eumque definire Sanctum cum Deo regnantem atque universali Ecclesiæ proponere colendum & venerandum.

Causa ad solemnem canonizationem promovetur,

Franciscus Maria Card. à Monte.

Loco ✠ sigilli.

Petrus Ciammareconus secretarius.

AUCTORE J. P.

31 *Eo tamen statu remansit causa annis pluribus, supervenientibus enim, ut dicitur in Serie actorum & in ipsa Bulla canonizationis, in qua ejuscemodi brevis actorum series continetur, novis decretis Urbani VIII, qui Gregorio XV, die* VIII *Julii 1623 è vivis sublato, substitutus fuit summus Pontifex anno eodem die* VI *Augusti*, siluit causa usque ad annum MDCXLIX. *Hisce decretis canonizationis forma aucta est, sancitumque inter alia*, non debere in futurum procedi ad canonizationem alicujus, qui aliqua veneratione vel titulo Beati sit decoratus, nisi priùs in eadem sacra congregatione coram Sanctitate sua fuerit iterum per Cardinalem in Ordine Ponentem facta plena & distincta relatio non modò eorum, quæ in processibus & aliis scripturis continentur, & quæ illi per summos Pontifices intuitu ipsius venerationis elargita fuerunt, verùm etiam eorum, quæ supervenerunt post concessam eidem venerationem, de quibus constare possit ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat summus Pontifex deliberare, an sit procedendum ad canonizationem.

interrumpitur,

E

32 *Acta dein ab anno 1649 usque ad ipsam canonizationem in Bulla complexus est Alexander PP. VII, ut jam insinuavi, eademque tradidit illustrissimus Franciscus Phœbeus sacrorum Rituum congregationi à secretis in laudata jam sæpius Serie actorum, adjectis tamen passim die, mense & anno aliisque adjunctis, quæ brevitatis causâ prætermissa ibidem fuerunt. Hanc transcribere hîc integram injucundum sit, tum quia sæpe eadem recurrunt, tum quia jam nunc plura inde delibata sunt, quæ spectant ad Vitam* S. Thomæ *& ad rerum ordinem pro beatificatione; ne tamen aliquid desideret curiosus lector, ex dicto Phœbeo compilabo, quæ ad solum canonizationis ordinem ulteriùs pertinent.*

anno tandem 1649

F

33 *Itaque cùm die* XIII *Julii 1649 coram Innocentio PP. X facta fuisset relatio omnium, quæ præmissa fuerant*, die XV ejusdem fuit signata commissio reassumptionis causæ in statu & terminis, in quibus tunc eadem reperiebatur; die XXIV ejusdem in relatorem causæ fuit deputatus Cardinalis Cornelius, eique die XXI Augusti cura demandata est sumendi probationes super casu excepto; quibus visis atque discussis, die XXV Septembris declaratum fuit, constare, B. Thomæ cultum exhibitum fuisse ac exhiberi ex indultis Pauli Quinti & Gregorii XV, ideoque casum comprehendi in exceptis à decretis sanctissimæ Inquisitionis, super non cultu editis. Die XVI Novem-

resumitur. Opera à Sancto conscripta examinantur,

AUCTORE J. S.

bris demandatum eſt examen Operum, ab eodem Beato editorum, Card. Cornelio, adhibitis patribus Hilarione [Rancato] & [Terentio] Alciato.

& probantur. Acta reliqua uſque ad 1657,

34 In congregatione habita die VII Martii MDCL pronuntiatum fuit, nihil in prædictis Operibus contra fidem & bonos mores, nec aliquam doctrinam novam & à communi Eccleſiæ ſenſu alienam contineri. Ob idque die VI Februarii MDCLII fuerunt decretæ litteræ remiſſoriales ad probandum, quæ tandem ſupervenerant, eæque relaxatæ ac directæ archiepiſcopo Valentino, nec non epiſcopis Segobricen. & Derthuſen. die 2 Maii MDCLII. Deinde die VIII Maii MDCLV indultum fuit, ut iidem proceſſus ad curiam tranſmiſſi aperirentur, qui, ſubrogato eadem die Cardinale Palloto in locum Card. Cornelii à vivis erepti, diſcuſſi fuere in congregatione, peracta coram Sanctitate veſtra die XXVIII Martii præteriti anni MDCLVI, ac declaratum, conſtare de validitate ac relevantia eorumdem proceſſuum præſertim quoad duo miracula, ſcilicet ſanationis deformis herniæ, & præſervationis puellæ à ſuffocatione ſub aquis. Ideo tantummodo ſupereſt implendum decretum ſac. congregationis firmatum die VI Decembris MDCXXI, præviis tamen infraſcriptis ſolemnitatibus. *Hactenus Phœbeus ad calcem compendii Vitæ* S. Thomæ *& actorum in beatificatione, quod anno 1657 obtulit Alexandro PP. VII. Pergit dein explicare ſolemnitates proximè memoratas atque orare ſanctiſſimum Dominum, ut cauſam ad optatum finem perducat, quibus referendis ſupersedeo, ſicut & ampliori expoſitioni duorum miraculorum, hanc daturus cum reliquis ſub finem.*

B

ejus, occaſione libelli ſupplicis ſibi oblati,

35 Plurimi mox, *inquit*, in gravi ſilentio elabuntur dies & interim menſe Decembri MDCLVII ad Urbem afferuntur litteræ Natæ Philippi IV Hiſpaniarum regis Catholici, monialis in regio monaſterio Matriti, quibus illa ſuo in Romana curia agenti nunciabat, ſe à vehementi dolore, ob ſpatulæ humeralis ægritudinem, in extremis poſitam, Thomæ reliquiarum contactu prorſus liberam evaſiſſe, cujus rei fides penes ipſam auctricem dimittitur, cùm aliunde facti ejuſdem veritas minimè conſtet; tanti autem non immemor beneficii, ſupplici libello Sanctitatem ſuam enixè rogari jubebat, ut quotannis in ſuo monaſterio feſtivitatem beati Præſulis Officio duplici per octiduum celebrari ſibi ac monialibus ex benignitate Apoſtolica indulgeretur. Summus Pontifex libellum hujuſmodi, Sanctitati ſuæ porrectum, ad me tranſmitti imperavit, ut petitionis rationem ſuæ Beatitudini oretenus aperirem.

C

canonizationem animo concipit ac decernit Alexander VII.

36 Pareo, & Deus inopinatò prorſus cor Sanctitatis ſuæ inclinavit ad faciendam juſtitiam cum Servo ſuo; ita ut, quod ipſe repetitis officiis incaſsùm ſuadere conatus fueram, tandem, nec interpoſito verbo, Deo tantùm inſpirante, obtinuerim. At non mirum, quòd vox exilis ex imo terræ proſiliens aures obtuderit, & in cor non aſcenderit; donec omnipotens Dei ſermo, à regalibus ſedibus veniens, nec ad aures admotus cor intrinſecus penetrâſſet. Stetit enim ſilens ſanctiſſ. Alexander, multa & quidem graviſſima revolvens animo, ſubinde collachrymans, teneris his verbis affatur: Ut quid Officium B. Thomæ oratricibus tantùm indulgere? Dum inſignia ejuſdem Beati merita, pii affectus noſtri in eum & divi Auguſtini digniſſimam ſobolem multò majora argumenta pleniſſimo ſibi jure à Nobis exigunt? Petitis ac votis ultrò ampliora adjiciemus: ab univerſo enim Chriſtiano orbe colendum, tam glorioſum Præſulem Sanctorum catalogo, Deo dante, adſcribemus quantociùs: juſſit igitur, ut, quæ in hunc finem ordine agenda manerent, explerentur, & in congregatione generali, proximo vere coram Sanctitate ſua de more habenda, acta omnia in eadem cauſa, per me ſincera narratione exaranda, Eminentiſſimus dominus cauſæ relator exponeret. D

Aſſeruntur ex Hiſpania libelli ſupplices;

37 *Subdit dein, læti ejuſce nuntii mox à ſe participes factos fuiſſe procuratorem generalem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini F. Petrum Lanfranconium & aſſiſtentem Hiſpaniarum F. Andream Aznar procuratorem cauſæ, monitoſque, ut in Hiſpaniam conſcriberent, repetitas inde accepturi regis Catholici aliorumque obſecrationes; dum autem ipſe congerendis actis incumberet, à prædictis patribus delatas fuiſſe ad Pontificem* duas litteras Catholicæ majeſtatis, necnon alias plurimorum præſulum & univerſitatum regnorum Hiſpaniæ..., quibus enixè Sanctiſſimus rogabatur, dignaretur tandem ſuo infallibili oraculo Thomam, inter Sanctos regnantem in cælis, Chriſti fidelibus colendum & imitandum proponere in terris. *Die* VIII *Junii* 1658 *nuntiavit idem Phœbeus in congregatione ordinaria Eminentiſſimis ſacrorum Rituum congregationi præpoſitis, hebdomadâ proximâ coram Sanctiſſimo in generali congregatione* Thomæ *præclara geſta novo examini eſſe ſubjicienda, & ſuper iis à ſingulis Cardinalibus ac conſultoribus ſuas eſſe aperiendas ſententias, quem in finem ad eoſdem ſtatim tranſmiſit Compendium actorum omnium in eadem cauſa, quod in Serie ſua recitat à pag.* 8 *uſque ad* 15. E

examinatis eatenus actis in congregatione generali,

38 *Die* XII *Junii in Quirinali palatio habita eſt jam dicta congregatio, in qua poſt invocationem Spiritus ſancti à Pontifice de more peractam, coram eodem, Cardinalibus, conſultoribus & officialibus ſacrorum Rituum, Cardinalis Pallottus prælegit Vitam, mortem, virtutes & miracula* B. Thomæ, *nec non quæcumque acta in eadem cauſa, ac tandem abſolvit hiſce verbis:* Nihil idcirco remanet deſiderandum, cùm, adimpletis his, quæ noviſſima decreta expetunt, ſacræ congregationis ſententia, quòd poſſet quandocumque ad beati Thomæ canonizationem tutò deveniri, penitus reviviſcat, & quidem tantùm ſuperſit, ut Sanctitas veſtra humillimis ac ſtudioſiſſimis pluries & noviſſimè repetitis obſecrationibus Philippi Quarti Hiſpaniarum regis Catholici, archiepiſcoporum, epiſcoporum, procerum ac regnorum Hiſpaniæ, nec non totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini benigniſſimè annuat. Quod certè in maximum Eccleſiæ militantis exemplum cedet; cùm beatus Thomas, ſingulare ſpecimen charitatis & pontificalis Ordinis decus præcipuum, poſt centum & duos annos ab ejus obitu, in quadrageſimo ab indulta eidem veneratione exiſtens, poſt lapſum, inquam, triginta ferè annorum, in quo Sedes Apoſtolica Sanctorum albo neminem adſcripſit, hoc accidentalis gloriæ incrementum à Sanctitate veſtra jure merito exigat. F

Pontifex mentem ſuam declarat,

39 *Phœbeus hanc Cardinalis Pallotti relationem, cui unâ omnes Patres ſententiâ aſſenſos eſſe ait, dat integram à pag.* 16 *uſque ad* 41, *ex eademque ego decerpſi Vitam ſuprà ſecundo loco recuſam, & alia hinc inde, ubi opportunum fuit, pertinentia ad beatificationis & canonizationis ſeriem. Abſoluta hac congregatione, ſanctiſſimus Dominus patribus procuratori generali Ordinis S. Auguſtini & aſſiſtenti Hiſpaniæ, cauſæ procuratori, per Phœbeum ad ſuos pedes adductis, mandavit, ut opportuna omnia ad canonizationis ſolemnia peragenda pararent, annuente Deo, Kalendis Novembris celebran-*

A *branda, qui hilares ad conventum reverſi, lætum hunc nuntium in Hiſpaniam tranſmiſerunt, & mox ipſe Phœbeus ſequens ſacræ congregationis decretum evulgavit.*

congregatio decretum edit,

40 VALENTINA. CANONIZATIONIS B. FRATRIS THOMÆ DE VILLANOVA. In cauſa canonizationis beati fratris Thomæ de Villanova, archiepiſcopi Valentini, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, expletis omnibus, quæ noviſſima etiam decreta expetunt; de mandato ſanctiſſimi Domini noſtri Alexandri, divina diſpoſitione Papæ VII, in generali ſacrorum Rituum congregatione, habita coram Sanctitate ſua, per Eminentiſſimum D. Card. Pallottum facta fuit pleniſſima & diſtincta relatio Vitæ, ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, nec non actorum omnium in eadem cauſa ab ejus introductione & reaſſumptione, tam de his, quæ præceſſerunt, quàm de his, quæ beatificationi ſucceſſerunt: eâque auditâ, Sanctiſſimus (quamvis ſac. eadem congregatio aliàs die ſexta Decembris MDCXXI cenſuiſſet, poſſe quandocumque ad ſolemnem ejuſdem Beati canonizationem tutò deveniri) tum conſultoribus cùm Cardinalibus ibidem præſentibus imperavit, ut ſinguli ſuas

B ſententias rurſus aperirent, & omnes fuerunt unanimes in affirmativa; ſcilicet ut B. Thomas ob inſignem in pauperes liberalitatem, cognomento Eleëmoſynarius, quem Deus præſulibus præſertim in exemplum poſuit, eorumdem ac reliqui Chriſti fidelium cœtus venerationi, uti cum Deo regnans, proponendus omnino videatur; id quidem in maximam Eccleſiæ militantis utilitatem & ſolamen ceſſurum fore, non hæſitantes. Die XII Junii MDCLVIII.

& Cardinales in conſiſtorio ſecreto approbant.

41 *Die 2 Septembris in conſiſtorio ſecreto facta eſt altera relatio per Eminentiſſimum Cardinalem Sacchettum, ſacræ congregationis præfectum, quam recitat Phœbeus à pag. 43 uſque ad 54, & quâ abſolutâ,* Sanctiſſimus, *verba ſunt laudati Phœbei,* ſub his verbis Cardinalium ſententias exquiſivit: „Audiſtis, venerabiles fratres, quæ beati Thomæ „de Villanova, archiepiſcopi Valentini præcel„lunt & merita, virtutum & miraculorum inſignia. „Placetne vobis, ut ad ejuſdem Beati canoniza„tionem procedatur?„ Tunc ſinguli Cardinales verbo tantùm PLACET, unanimi voce approbârunt ſenſum procedendi ad ſolemnem B. Thomæ canonizationem. Mox in eodem conſiſtorio fue-

C runt è more præconizatæ & propoſitæ eccleſiarum proviſiones. Statim ac abſolutum fuit conſiſtorium prædictum, typographo camerali curam imprimendi relationem præfatam demandavi, quam impreſſam à procuratore generali Ordinis ſancti Auguſtini ſingulis Cardinalibus & epiſcopis, in Urbe degentibus, diſtribui curavi, ut ex illa iidem merita canonizandi percipere & ſententias in conſiſtorio ſemipublico proferendas prudenti judicio deſuper firmare, eaſque in ſcriptis redigere poſſent. Feriâ ſecundâ die IX Septembris cæremoniarum magiſtri juſſu ſummi Pontificis conſignârunt curſoribus ſchedulam intimationis conſiſtorii publici.

AUCTORE J. P.

§ IV. Acta reliqua uſque ad ſolemnem canonizationem, die prima Novembris anni 1658 celebratam.

In conſiſtorio publico perorat advocatus conſiſtorialis, &

DIe XII *Septembris celebratum fuit conſiſtorium publicum in aula Quirinali, in eoque à domino Marco Antonio Buratto, advocato conſiſtoriali, habita oratio, denuo complectens Vitam ac miracula* B. Thomæ, *nec non regis Catholici aliorumque ſæpe nominatorum ſupplicationes, quam recitat Phœbeus à pag. 55 uſque ad 65, unà cum reſponſo nomine Pontificis facto per reverendiſſimum dominum Franciſcum Nerlium, archiepiſcopum Florentinum, Brevium principum à ſecretis, quod ſubnecto:* Quod Sanctorum honores & ſolemnia ſacra beato Thomæ à Villanova, ex Auguſtiniana profeſſione archiepiſcopo Valentino, E petantur, ſanctiſſ. D. N. libenter audit & religioſarum precum pietatem animi paterni curâ & benevolentiâ complectitur. In quo ſanè Pontificiam mentem ſubit Chriſtianæ Reipublicæ, ſi umquam aliàs, vel hoc maximè tempore, procerum cæleſtis Hieruſalem, & domeſticorum Dei ſalutari patrocinio ac tutelâ opus eſſe, quæ miſericordiarum Patre demum exorato, tamdiu expetitæ pacis tranquillitatem reducat, ac turbinum tot procellas, quà prementes, quà imminentes avertat.

nomine Pontificis

43 Tantus autem tamque probatus Altiſſimo Sacerdos eâ prorſus eximiarum virtutum & rerum miraculosè geſtarum gloriâ excellit, ut planè videri poſſit, "ſcriptus in judiciis temporum lenire „iracundiam Domini, conciliare cor patrum ad „filios, cor filiorum ad patres, & reſtituere tri„bus Jacob.„ Porrò autem admirabilem Virum univerſæ quidem præcellentis ſanctimoniæ laudes inſigniter exornant; ſed una veluti jure ſuo totum ſibi vindicat incomparabilis & inexhauſta erga Chriſti pauperes liberalitas; unde præclarum illi cognomen Eleëmoſynarii; adeo ut paſtoralis caritatis ſtudiis vehementer inflammandis egregium, nec à longinquis ſeculis petitum exemplar, F ſacris omnibus præſulibus ad imitandum proponi poſſit. Cùm igitur hujuſcemodi tam pia, jamque publica quoque fidelium vota ad majorem D. O. M. gloriam, & Eccleſiæ totius decus, & utilitatem tantopere pertinere videantur, eſt ſanè, cur meritò glorietur ampla ſanctorum Virorum prole felix Hiſpania; cur epiſcopalis Ordo verè gaudeat, & ſublimis inſtituti ſui chariſmata meliora etiam in hujus penè temporis hominibus agnoſcat & æmuletur.

reſpondet archiepiſcopus Florentinus;

44 Eſt, quòd Auguſtini Magni familia tanto ſibi placeat Alumno, & illuſtrioribus obſervantiæ Religioſæ exemplis identidem admonita & ornata perfruatur: univerſus autem Chriſtianus orbis exitioſis cladibus, quæ jam per tot annos eum miſerè dilacerant, atque conficiunt, finem aliquem ſperet, novis ac validis Cælitum præſidiis auctus, & vel tantarum celebritate & admiratione virtutum ad exuendum cum actibus ſuis veterem hominem, & ultricis juſtitiæ dexteram exarmandam provocatus & inſtructus. Sed quoniam ratio & ſanctæ hujus Eccleſiæ mos exigit, ut etiam poſt juratos teſtes auditos & acta omnia ritè ordine-

AUCTORE J. P.

que confecta, non ſine juſtorum orationibus & cæleſtis oraculi illuſtratione prævia, tanta res tranſigi debeat, Sanctitas ſua omnes hortatur, ut jejuniis, eleëmoſynis & accuratis precibus piè ac ſedulò incumbant: quo divina voluntas, prælucente Spiritus ſancti lumine, dilucidiùs adhuc reveletur. Ipſa verò venerabilium fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium ſententias exquiret; tum patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos in Urbe exiſtentes audire quoque volet. In hanc ſententiam reſpondere me juſſit S. D. N. elegantiſſimæ orationi modò habitæ.

Indicuntur indulgentiæ ſolemnitati prævia;

45 Poſt veſperas ejuſdem diei, *ita interpoſitis non multis proſequitur Phœbeus pag.* 67, mandatarii Eminentiſſ. D. Cardinalis vicarii affixerunt in valvis eccleſiarum Urbis, nec non in publicis civitatis ejuſdem locis edictum Italo idiomate tenoris, ut ſequitur, typis impreſſum. *Subdit laudatus collector ipſum edictum Italicum, quod Latinè complectitur ſequentia:* INDULGENTIÆ PLENARIÆ. Martius miſeratione divina epiſcopus Albanen. S. R. E. Cardinalis Ginettus, ſanctiſſ. D. N. Papæ vicarius generalis, Romanæque curiæ ejuſque diſtrictus judex ordinarius &c. Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Alexander VII concedit Indulgentias plenarias ac remiſſionem peccatorum omnibus Chriſti ſexus utriuſque fidelibus, qui jejunaverint diebus Mercurii, Veneris ac Sabbati proximis, & confeſſi ac ſacro Epulo refecti viſitaverint unam ex infraſcriptis baſilicis, dum ibidem expoſitum erit ſanctiſſimum Sacramentum, & uno die hebdomadæ proximæ eccleſiam ſancti Auguſtini, devotèque oraverint divinam Majeſtatem, ut ſuæ Beatitudini inſpiret & adſit in gravi deliberatione ſuper canonizatione beati Thomæ à Villanova, archiepiſcopi Valentini ex Ordine ſancti Auguſtini. Exponetur venerabile Sacramentum in Baſilica S. Joannis in Laterano die Dominico, currentis menſis xv uſque ad horam Miſſæ conventualis diei Martis. In baſilica S. Petri poſt Miſſam conventualem diei Martis uſque ad horam Miſſæ ejuſdem die Jovis. In baſilica ſanctæ Mariæ Majoris poſt Miſſam conventualem diei Jovis uſque ad horam ejuſdem Miſſæ die Sabbati. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris die XI Septembris MDCLVIII. M. A. epiſcopus Hieropolitanus Viceſgerens. Joſeph Palamolla ſecretarius.

B

C

ad quas lucrandas ipſe procedit

46 Die XII Septembris, *proſequitur Phœbeus*, ſummo mane Sanctiſſimus à palatio Quirinali diſceſſit, peracto Sacro & ſedulâ geſtatoriâ vectus, inde ad Vaticanum contendit, & in baſilicam ingreſſus ante altaria ſanctiſſimi Sacramenti & Apoſtolorum preces effudit, mox ad palatium aſcendit. Sub Veſperas verò, ut populum nedum verbo, ſed exemplo ad pietatem excitaret, evulgatam indulgentiam plenariam lucrifacturus, rurſus baſilicam petiit, in qua reperit expoſitum venerabile Sacramentum. Ibi paululùm oravit, idemque ante aram majorem egit: ſubinde ad eccleſiam ſancti Auguſtini perrexit, ubi jam ſolemnia beati Thomæ de Villanova ad primas Veſperas inchoata fuerant. Quamvis enim Beatus idem obiiſſet die VIII Septembris, tamen à ſan. mem. Paulo V ejuſdem Beati annuali memoriæ recolendæ decreta fuit dies decima octava ejuſdem menſis, ut Fratres ſancti Auguſtini poſt octavam S. Nicolai de Tolentino liberiùs poſſent ſolemniis ejuſdem beati Thomæ vacare. Poſtquam verò Sanctitas ſua pariter ante altare majus, in quo repoſitum erat venerabile Sacramentum & ante altare beati Thomæ preces effudiſſet, ad Quirinale palatium rediit. Eandemque indulgentiam plenariam Sanctitas ſua extendit ad moniales, ad cœnobitas recluſos, ad detentos in carceribus & ægrotantes vel aliàs impotentes, commutatis injunctis in Edicto in alia pietatis opera ad arbitrium & virium uniuſcujuſque limites.

D

Pontifex, qui tandem in conſiſtorio ſemipublico

47 *Cùm jam narrata omnia videantur uno eodemque die fuiſſe peracta, procul dubio irrepſit mendum in numerum & pro die* XII *reponendus eſt dies* XVII *Septembris: liquet hoc ex eo, quòd ſuprà dicatur initium indulgentiarum pro Lateranenſi baſilica affixum fuiſſe diei Dominico, menſis Septembris* XV, *pro Vaticana ſequenti diei Martis; & ex eo ſimiliter, quòd, dum Pontifex veniret ad eccleſiam S. Auguſtini, jam inchoatæ eſſent primæ Veſperæ* S. Thomæ, *quæ clarè inſinuant diem* XVII. *Interim, referente laudato Phœbeo, ritè dictum eſt conſiſtorium ſemipublicum, celebratumque die* XXIII *dicti menſis in aula ducali palatii Quirinalis, ubi ſummus Pontifex ad Eminentiſſimos Cardinales & alios de more aſſiſtentes ſermonem inſtituens, poſt alia multa de Sancto noſtro locutus eſt in hunc modum:*

poſt inſigne Sancti elogium ſuffragia exquirit

48 Quòd verò Thomam de Villanova, archiepiſcopum Valentinum præ cæteris hodie proponamus, faciunt tum Beati prærogativa, illi à Paulo V prædeceſſore noſtro jam dudum conceſſa, tum Ordinis epiſcopalis decus, tum regis Hiſpaniarum, aliorumque principum ac populorum communes cum Auguſtiniana familia obſecrationes; tum verò (confidenter dicimus) noſtra erga D. Auguſtinum, ſanctiſſimum theologiæ magiſtrum, à majoribus ſecundùm carnem per manus quaſi tradita, & peculiaris ab adoleſcentia erga hunc ejus Alumnum ſuſcepta veneratio. Hunc porrò tamquam epiſcoporum exemplum noſtro hoc ævo proponere meditamur ob multas præclaraſque ejus in paſtorali munere virtutes, & ob unam præcipuè liberalitatem à prima ætate ad extremum uſque vitæ diem munificè exhibitam, quâ, ut fœneraretur Deo, miſerebatur pauperum, & quam par eſt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſules omnes imitari, ut nempe, quotquot poteſtatem habent, verè benefici ſint atque vocentur. Utrùm igitur Thomæ archiepiſcopo Valentino, quem divina fruentem beatitudine dudum colimus, Sancti appellationem, & appellationi parem cultum decernere conveniat, ſicut deliberamus adhuc cæli implorantes oracula, ita veſtras quoque ſententias, venerabiles Fratres, perlibenter exquirimus. Ad ſuffragia.

F

&, hiſce auditis, canonizationem indicit,

49 *Recitat poſt hæc Phœbeus à pag.* 71 *uſque ad* 109 *ſuffragia triginta quatuor S. R. E. Cardinalium, unius patriarchæ, ſeptem archiepiſcoporum, & epiſcoporum duorum ſupra triginta, qui omnes* Thomam *Sanctorum albo inſcribendum cenſent, & aliquo elogio, ſubinde ſatis prolixo, exornant. Dicta ipſorum elogia non deſcribo, ne frequentior ſit ejuſdem rei repetitio; nam licèt nonnulli ipſum laudent ab omni virtute generatim, alii ſpeciatim ab una aut pluribus, puta à caritate erga Deum, à caſtitate, ab humilitate præſertim in fuga dignitatum, à fortitudine & conſtantia in defendenda libertate eccleſiaſtica, ab induſtria ac prudentia in corrigendis peccatoribus & à ſimilibus, quas jam aliunde ſufficienter cognovimus, in eo tamen pro majori parte conſpirant, ut magnopere extollant pietatem erga pauperes, quæ cum ipſo accrevit ab infantia, ac glorioſum* Eleëmoſynarii *titulum ipſi peperit.* Omnium ſententiis auditis, *inquit Phœbeus*, proximè exaranda Sanctiſſimus addidit: "Per-
„ ceptis, ven. Fratres, veſtrûm omnium ſenten-
„ tiis,

A „ tiis, cùm omnes eo tendere videamus, quò mens „ noſtra poſt diuturnam rei meditationem colli- „ neabat, diem canonizationis indicimus primam „ Novembris. Vos interim jejuniis, orationibus, „ eleëmoſynis humiliter flagitate à Deo, ſignifica- „ re nobis dignetur omnis boni rectique regulam, „ voluntatem ſuam, ut ſecundùm eam, ſicut in „ omnibus aliis rebus, ita in hac potiſſimùm pro- „ grediamur.„

quæ 1 Novemb. 1658 ſolemniter facta eſt.

50 *Subjungit laudatus Phœbeus geſta reliqua uſque ad deſignatum diem primum Novembris, ne omiſſa quidem deſcriptione ornatûs baſilicæ Vaticanæ, quam præterito tempore numquam elegantiùs inſtructam fuiſſe ſignificat; ſed his, quòd levioris momenti videantur, ſuperſedendum judicavi. Demum ſatis prolixam omnium cæremoniarum, quæ in ipſa ſolemnitate ſervatæ fuerunt, enarrationem exhibet, quam ſimiliter hîc recudere operæ pretium non duxi, quia illæ ſufficienter cognoſci queunt ex variis editis lucubrationibus, in quibus cæremoniæ in canonizatione Sanctorum obſervari conſuetæ deſcribuntur ac declarantur, nominatim verò ex cap. 36 lib. 1 præclari Operis de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione, quod olim Cardinalis edidit ac deinde recognovit & auxit ſanctiſſimus Dominus noſter Benedictus PP. XIV. Accedit quòd præcipuæ ſaltem memorentur in ipſa Bulla canonizationis.*

B

§ V. Bullæ canonizationis in duas partes diviſæ pars prima, continens Sancti Vitam.

Bulla quemodo hic danda.

RElatis hactenus viſum eſt ſubnectere ipſam Bullam canonizationis, & cùm longior ſit, quàm ut uno § commodè comprehendatur, dividere in duas partes, quarum prima, præter proloquium Alexandri Papæ VII, Vitam S. Thomæ *in compendium redactam exhibet; altera præter miracula ab ejuſdem Sancti obitu patrata ac ritè approbata, proponit ſeriem geſtorum tum ad beatificationem tum ad canonizationem unà cùm cæremoniis in eadem canonizatione ſervatis, conceſſis Indulgentiis ac brevi adhortatione ejuſdem Pontificis, ut fideles Deo laudes & gratias perſolvant, & ad* S. Thomæ *patrocinium cum fiducia recurrant. Præter hæc autem nihil præmonendum vel obſervandum judicavi. Nam quæ ad Sancti Vitam pertinent, ſatis diſcuſſa exiſtimo in Commentario prævio & Annotatis ad Acta; quæ verò ad partem alteram, intelligi ea poſſunt ex præcedentibus.*

C

Præcipuus canonizationis finis exponitur,

52 ALEXANDER EPISCOPUS ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sanctiſſimum Regem & Prophetam cum Dei ſpiritu plenus omnia creatarum rerum genera ad Creatorem ſuum laudandum dulciſſimis pſalmis invitat, hominum præcipuè causâ id facere haud obſcurè cognoſcitur. Etenim angelicæ mentes, quas primò vocat, animantia item cuncta atque inanima, quæ deinceps appellat, nihil admodùm ejuſmodi ſive juſſu, ſive incitamento indigebant. Quippe illæ beatitudinis ſuæ neceſſitate tèr ſanctum hymnum inceſſabili voce proclamant; iſta verò ſuo modo Auctorem ſuum, dum ſilent, laudant, aliiſque, divinitatem Opificis contemplantibus, laudandum præbent. Igitur fideles propheticis vocibus potiſſimùm excitantur, quibus maximè dicitur: Laudate Dominum in Sanctis ejus; honorantes videlicet viros ſanctos factos amicos Dei, glorificantes in terris, quos ille gloriâ & honore coronavit in cœlis: domeſticos Dei veſtris in difficultatibus ſuppliciter advocantes: denique Dominum agnoſcentes & colentes in ſervis ejus. Atque hoc ipſum Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto docente, præclarè intelligit, dum filiis ſuis quotidie ferè Sancti alicujus memoriam divino Officio ac precibus recolendam offert, celebrandamque; & dum temporis intervallis nonnullos egregiæ ſanctitatis & miraculorum luce inter alios, veluti ſidera, coruſcantes, divino inſtinctu, Apoſtolica pontificali auctoritate Sanctorum adſcribit numero, populiſque fidelibus venerandos proponit: nimirum ut ea ratione omnipotentis Dei laus & gloria magis magiſque increbreſcat, ejuſdemque bonitati ac benignitati ſimul agantur gratiæ, qui dedit virtutem & poteſtatem talem hominibus.

AUCTORE J. P.

& Thomæ ſanctitas declaratur ex Actis.

53 Quòd verò idem Deus in hæc tempora, quibus ineffabili providentia, nullis noſtris meritis, Eccleſiæ ſuæ præeſſe nos voluit, reſervârit, ut ſanctiſſimus, ſibique maximè dilectus ſacerdos Thomas de Villanova eo titulo, atque honore decoraretur, nobiſque hanc mentem inſpiraverit, ſæculo felicitatem in Domino gratulamur, quod novum, ac ſalutare ſanctitatis exemplum intueri propiùs, novumque apud Dei miſericordiam interpretem & interceſſorem præſentibus in periculis ac neceſſitatibus invocare præcipuè poſſit, ejuſque precibus pacem & tranquillitatem in diebus ſuis, placato Domino, ſperare. Seorſum autem noſtro nomine pro eo, ac debemus, immortales gratias humillimè habemus atque agimus eidem divinæ benignitati. Jam verò ut Thomæ ſanctitas teſtimonio etiam noſtro innoteſcat;

E

Natales ejus; pietas erga pauperes

54 Vir iſte ſanctiſſimus ortum habuit in caſtro Fontiſplani Toletanæ diœceſis anno à ſalute orbis reparata milleſimo quadringenteſimo octogeſimo octavo, ex honeſtis & Catholicis parentibus, Alphonſo Thoma Garcia de Villanova, ejuſdem diœceſis oppido, & Lucia Martinez Caſtellana, adeo caritati deditis, ut nunquam ab ſe vacuo ſinu egenum abire permiſerint. Ac veluti ingenito quodam pietatis & miſericordiæ ſenſu, ex matris alvo ſecum delato, & ſub ejuſmodi parentibus educatus, antea viſus eſt ſe Deo dicare, quàm Deum poſſet per ætatem cognoſcere. Nunquam negavit pauperibus Chriſti, quod peterent, & oculos viduæ expectare non fecit; nec buccellam ſuam ſolus comedit; ſed comedit pupillus ex ea. Nam jentacula ad gymnaſium proficiſcenti dari ſolita eſurientibus partiebatur; ac pauperum nuditatem commiſeratus, ſæpe domum repetebat, ſago, thorace, pileo, caligis & pallio denudatus; matrem quandoque enixè precatus, ut pauperi ſupervenienti conſuetæ ac quotidianæ eleëmoſynarum diſtributioni paratum ſibi prandium adjiceret, ſpondens ea die, ſe minimè comeſturum: quo obtento, pio & innocenti jejunio ſatur, mentem divina eſurientem cœleſtibus dapibus recreabat. Et exinde ad xenodochia reficiendis languentibus ova recèns edita deferebat; uſque adeo à teneris unguiculis in egenos effuſus, ut pullos ipſos gallinæ ſublatos Chriſti Domini pauperculis diſtribueret, ac meſſoribus aliquando præfectus, egenis ſpicas colligentibus, non illorum ſolùm, ſed proprium, ac ſibi deſtinatum cibum partiretur.

F

ac virtutes reliquæ in pueritia;

55 Semper tamen parentum imperio æquè ſubditus, quantùm caritas in Deum laudabiliter ſuaderet, ab eorum mandatis non declinabat. Opta-

AUCTORE J. P.

ptavit enim, & datus est ei sensus, invocavit, & venit in eum spiritus sapientiæ, quo agente, Patrem luminum & domi & in templis assiduè precabatur, & concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctitatis rigore calcavit, castigans corpusculum suum & in servitutem redigens, cilicio & flagellis domans: quibus ab eo per oblivionem in cubili quandoque relictis, & à matre non sine admiratione repertis, evidenter patuit in eo, à tritura sementem, à vindemia palmitem, à pomis radicem præveniri. Quam sanè in se ipsum privatam & tacitam severitatem pari etiam modestia condiebat. Adeo enim modestus fuit, ut nunquam è terra oculos levare consueverit, adeoque castus & pudicus, ut ad extremum usque spiritum virgo permanserit, neque unquam ex ejus ore verbum prodierit, quod puritatem pectoris non redoleret.

studia litterarum & ingressus

56 Intelligens autem fore, ut ii, qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgeant; Compluti in collegio sancti Ildephonsi in disciplinis & facultatibus, omnique virtutum genere doctores ipsos facilè superavit.

B

Logicas subinde & theologicas quæstiones explanavit. Jam verò satis in Christiana palæstra edoctus, ac Euangelici memor effati: Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; audito parentis obitu, se cathedræ ornamento, & commodis abdicavit; ac integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit xenodochium in oppido Villanovæ, adhuc hospitale Archiepiscopi nuncupatum. Interim inclinavit aurem suam, ut audiret loquentem in se Dominum, & dicentem: Obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Unde cùm annum septimum & vigesimum ageret, ne sæcularium strepitu curarum à perfecta cum Deo unione distraheretur, duxit eum Dominus in solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, ibique Ordini Eremitarum sancti Augustini in Salmantino conventu nomen dedit die vicesima quarta Novembris millesimi quingentesimi decimi sexti, ac peractis per annum mira austeritate vitæ religionis rudimentis, recurrente mox eadem die vicesima quarta Novembris ibidem solemnem professionem emisit, & æmulatus charismata meliora, eam brevi religiosæ perfectionis metam attigit, ut,

C

vix biennio elapso, ejusdem conventus sit Prior renunciatus.

in Ordinem S. Augustini; munia in eo obita;

57 Inde verò Prioris conventûs sancti Augustini Burgensis, visitatoris provinciarum Castellæ & Bæticæ, Provincialis, definitoris ejusdem provinciæ Castellæ & prioris conventûs Vallisoletani munia iis vitæ ac morum exemplis obivit, eoque zelo labefactatam regularis disciplinæ integritatem restituit, ut numero reformatorum Ordinis adscribi promeruerit. Inter hæc, volente Altissimo rigare montes de superioribus suis, jussus est talentum sibi à Domino creditum non abscondere in terra, sed, ut sapientissimus dispensator, in communem utilitatem convertere. In prædicto igitur percelebri Salmantino conventu ex obedientia Magistrum sententiarum, & religiosis sui Ordinis & exteris advenientibus exposuit, sancti Thomæ doctrinam secutus; ad quod & nominis similitudo & religionis consuetudo eum hortabantur: eoque doctore, tantus fuit discipulorum profectus, ut cùm sanctum bellum principibus & potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos dignos invenerit, quos ad expugnandas Mexicanas infidelitatis arces, dum ipse postea provincialis officio fungeretur, ad Apostolicam formam planè conformatos, ut angelos veloces ad gentem Christianæ religionis penitus ignaram transmitteret; eos accendens proposito gaudio, aut futuræ illarum à Deo aversarum mentium conversionis, aut proprii pro Christo effusi sanguinis laureæ consequendæ: quorum primum non sine magno Christianæ reipublicæ emolumento clementissimus Dominus felicissimo eventu per illos comprobare dignatus est.

D

mira dicendi vis; electio ad insulas Valentinas;

58 Dum in istis versatur, Spiritus Domini super eum pauperibus euangelizare misit eum. Nam è cathedra ad suggestum ex obedientia translatus, visus est populis tuba vitæ & vox cœlorum; ac proinde vas electionis, ut portaret nomen Jesu coram regibus & principibus. Propterea Carolus V imperator eum sibi à concionibus singulariter elegit: cujus apostolicus spiritus omnibus omnia factus, sapientibus & insipientibus verbi divini pabulum erogavit, ita ut una omnium voce Spiritus sancti organum proclamaretur. His permoti idem Carolus V & Philippus II Hispaniarum rex Catholicus labefactatam Valentinæ ecclesiæ ex diuturna viduitate disciplinam, Thoma tantùm præsule ad eam proposito, restitui posse piè crediderunt. Verùm, ne, ut antea Granatensis ecclesiæ insulas recusaverat, eò quòd elegisset abjectus esse in domo Dei sui, etiam Valentinæ curam suscipere abnueret, ubi imperatoris ac regis voluntatem non satis urgere compertum fuit, iisdem petentibus, à suo superiore adactus, cellam cum lacrymis deserens, Valentiam se contulit; & in conventu sanctæ Mariæ de Succursu Ordinis sancti Augustini, equo descendens, fastu solemnis ingressûs vitato, pedes cum socio, simplicis religiosi habitu indutus, ad cathedralem perrexit; atque hæc humilitatis fundamenta jecit, ut ecclesiastici præsulis culmen, quò profundiùs stabiliret, eò solidiùs & sublimiùs eveheret.

E

cura pastoralis

59 In hoc cathedræ fastigio bonus iste Pastor animam suam posuit pro ovibus suis; & licèt gladius persecutoris eum non abstulerit, martyrii tamen palmam non amisit. Ecclesiasticam enim disciplinam, & laicorum mores, coacta synodo provinciali, multis affectus injuriis instauravit. Mox ad ovium suarum salutem promovendam conversus, plurimos ad vitæ semitam æquè prudentis ac ignitæ caritatis vi exhortando, jejunando, orando, proprium etiam sanguinem iteratis flagellationibus fundendo revocavit; ut verè dicere posset: Die noctuque æstu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Et quamvis suaviter animos ad honestatem sectandam allicere studuisset, fortiter tamen finem attingere non prætermisit.

F

& fortitudo in tuenda Ecclesiæ libertate;

60 Nam & invictum animum in tuendis Ecclesiæ juribus, & ecclesiastica restituenda & conservanda auctoritate, ostendit; illis verbis usus, se glorioſam magis mortem, quàm odibilem vitam amplecti, nec supplicia pro ecclesiastica immunitate ex debito pastoralis officii in libertatem vindicanda timere, aut fugere: quod ex animo dictum ostendit, cùm regio ministro minitanti rerum temporalium expoliationem imperterrita mente respondit: Tunc magis locuples ero, cùm temporali subsidio liber ad cellam lætus remigrabo, ubi divum Augustinum parentem meum inveniam, à quo non nisi invitus, & lacrymans discessi. Delinquentes debitam pœnam subire censuris coëgit ecclesiasticis, eximia caritate exæstuans, & se pro suis holocaustum offerens, quos obsecrando & arguendo corrigere non posset.

61 Iisdem enim adstantibus, se usque ad sanguinem flagellando, semetque cum lacrymis increcre-

A crepando, cujus peccatis fieri dicebat, si non resipiscerent, sic compungebat, ut eos ad pœnitentiam & meliorem frugem reduceret. Ita tamen mira benignitate, caritatis excellentiâ, prudentiæ suavitate plures tum ex clero, tum ex populo in viam timoris Domini reduxit, ut, ubi malo suorum familiarium exemplo, ne alii infici possent, vereretur, egregius puritatis amator, neque ad horam ullum impudicitiâ fœdatum domi suæ detinuerit. Quin & ipsum fratris filium lasciviæ culpâ notatum domo expulit, & patriam repetere sine mora coëgit. Quapropter sic in labore & ærumnis, in vigiliis & jejuniis, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia & doctrina omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, & alter veluti Paulus, divinus intellectus & divini amoris cereus nuncuparetur: adeoque Dei amore flagrabat, ut passim dicere soleret, sibi propemodum tolerabilius videri, se in infernum demitti, quàm non diligere Deum; & præ ignibus & tormentis illud unum expaveſcere, quòd, qui cruciantur in inferno, Deum oderunt. Et ecce data est ei pax fœderis Domini, & fuit illi pactum sacerdotii sempiterni, quia zelatus est pro Deo suo, B & expiavit scelus filiarum Israël; & quia misericordiam habuit, erudivit quasi Pastor gregem suum, Christo Domino dilectus & obtemperans, pavit agnos, pavitque oves ipsius.

ardor ad exstirpanda flagitia;

62 Adeo enim fuit in pauperes liberalis, & parcus erga se ipsum, ut quò egenis, quorum se parentem gerebat, largiùs subveniret, laceras indueret vestes, quas propriis manibus sarciebat, unicum pileum proprio usui domi asservaret, cubiculum storeis vestitum incoleret, super sarmentis in terra quiesceret, sæpe pauperes convivas ex eadem patina cibum sumere permitteret; ipse verò adeo parcè comederet, ut senio & infirmitate confectus, unico, eoque modico ferculo mensam instrui permiserit; & œconomo secùs cum precibus suadenti sæpius responderit, iniquum esse, ut servus pinguiori cibo, quàm domini sui pauperes, vesceretur. Lintea è proprio cubili desumens, & indusiis se ipsum exuens, ea pauperibus largiebatur, ratus ea, quæ pauperum erant, citra injuriam illis denegari non posse: in quo sui sanctissimi patriarchæ Augustini perfectus extitit imitator & filius, quòd nil suum æstimavit, imò totum reputavit commune cum fratribus: unde, C & S. Gregorii Magni vestigia secutus, catalogum pauperum omnium penes se retinebat, ut singulis pro egestate consulere posset. Præterea puellis egenis dotem pro conditione suppeditabat.

parcitas erga seipsum & liberalitas

63 Cumque Mauri prædati essent oppidum Collera suæ diœcesis, & plurimos incolas captivos duxissent, ingentem aureorum vim in illis è jugo servitutis redimendis liberaliter profudit. Cumque experientiâ didicisset, pauperes fœminas natorum in publica via projectorum vitam negligere; ad se pueros afferri curavit, & grandem pecuniæ summam in iis alendis & educandis impendit. Tria erexit collegia, quæ pinguibus dotavit proventibus: primum Valentiæ, alterum Compluti, tertium Oriolæ, à quibus viri tum probitate, tum doctrinâ præstantes plurimi prodiere. Insignem hanc Viri secundùm cor suum pietatem ille idem piissimus Dominus, qui & facit mirabilia magna solus, & est mirabilis in Sanctis suis, singularibus testimoniis divinæ suæ dexteræ præter consuetum causarum secundarum ordinem operantis, acceptissimam sibi esse confirmavit.

erga proximum miraculis

64 Ad sublevandam enim miserabilis fœminæ familiam factum est, ut subcustos frumenti archiepiscopalis ab eo mitteretur ad horreum, quod paulò antè vacuum penitus reliquerat: quò cùm perveniſſet, è januæ rimis grana exuberantia cum subœconomo & aliis conspicatus est; & dum januam aperire student, magna vi frumenti compressam vix totis viribus impellentes referare potuerunt; quamobrem stupore perculsi, magnis vocibus inclamant miraculum. Tumque Thomas eò accurrens, cunctis silentium præcipiens, mulieri triticum elargitus, Vescere, ait, & Omnipotenti gratias age, qui tibi illud paravit. Ad hæc conscius, se missum, ut mederetur contritis corde, producto super pauperem quemdam Cæsaraugustanum, quadraginta jam annis paralysi laborantem, & fulcimentis insistentem, signo sanctissimæ Crucis, dicens: Confide, & dic gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impartiri, consolidavit bases & plantas ejus, ita ut paralyticus se erigeret, undique validus, rejectisque fulcimentis ad pedes ejus procumberet: cui sanctus Archiepiscopus silentium indixit, ac Deo gratus ut esset, & pro se preces funderet, hortatus est.

à Deo probata;

65 Memor etiam promissionis Christi Domini: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; nunquam ad conciones habendas perrexit, aut conversionis alicujus provinciam suscepit, nisi Deum priùs effusis precibus exorâsset, ut divina gratia dura peccatorum corda emollire dignaretur; mox ab hujusmodi oratione consurgens, eo fervore, ardentique zelo peccatores corripuit, ut quamplurimos ad pœnitentiam & perfectioris vitæ semitam revocaverit; quos tactos dolore cordis intrinsecus ad confessarii pedes illico accurrere impellebat. Contigit etiam, ut coram dicto rege Philippo II agens de ineffabili sanctissimæ Trinitatis mysterio, eò usque erexerit mentem, ut archiepiscopus Granatensis, vir doctrinâ ac pietate præditus, dixerit, se non putâsse, eò illum sese potuisse attollere, quòd, quæ audisset, humanum intellectum longè excederent; hujusce verò & aliarum quamplurium concionum codex, se superstite, nunquam Thomæ singularis modestia, ut typis committeretur, præbuit assensum.

studium orationis & gratiæ inde acceptæ;

66 Continuam insuper Dei Servus mentis elevationem patiebatur, ita ut à concionibus aliisque sacris functionibus abstinere cogeretur; exinde mundi gloriam ea ratione devitans. Quem tamen in novissimo loco interiùs recumbentem, altiùs, qui eum ad nuptias invitaverat, non sine magna gloria coram discumbentibus ascendere compulit; in ipsa enim Ascensionis Dominicæ celebritate cum divinis officiis interesset, ad antiphonam Nonæ; Et videntibus illis elevatus est; ipse quoque è terra sublatus prorsus immobilis integro duodecim horarum spatio omnibus videntibus permansit; quasi jam felix illa anima suo itineri ad Deum se accingeret.

mentis elevationes continuæ.

F

67 Tandem his, multisque aliis meritis plenus in febrim incidit, ac cùm peculium domesticum jam diu in piis usibus consumpsisset, quæ pauperrimæ supellectili supererant, inter pauperes familiares partitus est; oblitus verò cujusdam commentariensis patris-familias egeni, cubile, in quo ægrotans jacebat, cùm nil aliud ipsi superesset, ei donavit, & tunc quod suum erat, auferret, hortabatur; at renuentibus familiaribus ipsum super stoream ponere, ut fieri postulabat, mira humilitate per viscera Jesu Christi à commentariensi ejusdem cubilis usum ad mortem usque precatus est, ut, qui aliis pauperibus totus vixerat, in alieno decedens pauperrimus moreretur. Cumque orans & vigilans expectaret adventum Domini sui, episcopus

Supremo morbo laborans, omnia, etiam lectum,

AUCTORE J. P. Segobricensis * ultimum adventare vitæ terminum nunciavit, cui exhilaratus gratias egit & addidit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus; usurpans etiam illud sancti Martini; Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Sin' minùs, cupio dissolvi & esse tecum.

* *fortè* Segrianus

in pauperes distribuit, & lætus

68 Tum verò cùm per œconomum quinque millium aureorum summam supereresse significaretur, eam pauperibus distribui mandavit, cúmque intellexisset, omnibus civitatis pauperibus abundè esse subventum, & adhuc mille & quingentos aureos reliquos esse, ad immortalitatis bravium terrenis omnibus affectibus expoliatus anhelans, sic conquestus est: Cur me hìc detinetis adhuc, ne ad fruendum bonum, quod mihi paravit Dominus, evolem? Properate, opus absolvite, ne ipse diutiùs hîc in labore anxius detinear, sed tandem in pace Christi requiescam. Et certior factus, jam omnia consummata, ipse suum jam consummaturus cursum, Deo gratias agens, addidit: Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens, unde tenear, strenuè luctaturus: jussitque se sacro Oleo muniri, & clerum vocari, cui, sumpto sanctissimæ Eucharistiæ sacramento, sanctitatem vitæ, & perpetuam erga sanctam Sedem Apostolicam obedientiam ex testamento legavit.

B

moritur.

69 Demum semel adhuc sub speciebus sacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem sese intuiturum sperabat; in suo cubiculo sanctum Sacrificium confici, & interim sibi Dominicæ passionis Euangelium secundùm Joannem legi voluit, eoque cum alta contemplatione audito, ac mira pietate & humilitate augustissimo Sacramento, erga quod semper devotissimus extitit, ad elevationem adorato, præ gaudio vim lachrymarum profundens, inchoavit canticum: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; eoque absoluto, subdidit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, quæ cùm diceret, expiravit die VIII Septembris vesperi Nativitatis beatissimæ Virginis, cujus, dum viveret, amore languebat, anno salutis MDLV, ætatis suæ LXVIII.

populi luctus & corporis sepultura.

70 Clerus & populus, qui ad Deum confugerant indicta supplicatione generali pro suo languente Pastore, in ecclesia sancti Thomæ Apostoli stationem peregerunt; adeoque universalis ploratus invaluit, ut cleri cantus non audiretur; & ad antiphonam: Non sumus digni à te exaudiri; cantores dolore & commiseratione commoti, illam præ lacrymis absolvere nequiverint. Mox audito pulsu campanæ, illius obitum nunciantis, ita planctus omnium erupit, ut cujusvis conditionis homines, quasi amentes per vias discurrentes, patrem se amisisse conquererentur. Corporis verò aspectu in tam ingenti jactura idem populus adeo se levari posse putabat, ut illud pontificalibus indumentis, & florum coronâ, virginitatis ejus insigni, ad præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ de Succursu Ordinis sancti Augustini delatum, humo tradi non permisisset, nisi fratres ejusdem monasterii sepulturæ clanculum mandâssent. Talis autem erat gratia ejus corporis emortui, ut viventi haud absimile appareret.

C

D

§ VI. Miracula ritè approbata; ordo beatificationis & canonizationis.

Pontifex post enarrata aliquot

SUccessivè tamen multa sunt ejus suffragantibus meritis edita miracula, Domino cooperante, & Servi sui usque ad mortem fidelis vitæ sanctitatem confirmante sequentibus signis. Duo etenim mortui ad vitam revocati fuere. Paulus Franciscus Cardona post septem mensium febrim extinctus, & Sperantia Valeria, decem quoque mensium febri consumpta, non solùm vitæ, sed etiam integræ sanitati restituti sunt. Marcella de Lizania tertium annum agens, trimestri morbo distillationis in pectore affecta, vehementi & assidua tussi ita afflicta, ut erumpente è pectore sanguine cibum sumere, aut sumptum retinere non posset, distillatione etiam ad ejus oculos descendente, remediis omnibus ad ejus curam adhibitis, spe ad salutem pristinam redeundi prorsus destituta, ad sepulcrum Thomæ delata postera die, horâ, quâ Sacrum pro ejus sanitate celebrabatur, sanata est, & de cubili surgens ad matrem incolumis, quasi nunquam passa fuisset ophthalmiæ morbum, clarissimis oculis festina contendit. A carcinomate Franciscam Nadal liberavit; & Catharinæ Vincentiæ Rosselon, innumerabilibus plagis per quinquennium cruciatæ, insperatam salutem reddidit. Petrum Antonium Sutorem, ex nervorum contractione per biennium claudicantem jamque inutilem, sanavit.

E

miracula, Deo gratias agit,

72 Jacobus Cervera cœmentarius, ulceribus insanabilibus plenus, ab eo sanatur. Vincentius Cyprer, nervis ex paralysi solutis, sanitatem pariter impetravit. Arida ubera Catharinæ Montaltæ, admotis floribus, quibus Servi Dei sepulcrum respersum erat, ad infantulum sustentandum lacte illico affluere visa sunt. Ludovico Lemosy, per sex annos adeo pedibus laboranti, ut sæpissime cubili immobiliter inhæreret, bases & plantas consolidavit. Quatuordecim annorum herniâ Joannem tibicinem afflictum pristinæ sanctitati restituit. Septennem puellam Vincentiam Mattheù in puteum delapsam, in aquis per tres horas submersam, eripuit incolumem. Quibus coruscantibus signis lux effulsit, ostenditque, venerandum esse in terris, quem in cœlis adeo acceptum Advocatum humana haberet infirmitas. Agimus igitur omnipotenti Deo, quàm maximas possumus, gratias, & repletum est gaudio cor nostrum & lingua nostra exultatione, quòd nullis nostris suffragantibus meritis, sed inscrutabili sapientiæ suæ arcano, hanc Servi sui canonizationis celebritatem per nostræ humilitatis ministerium toti orbi splendescere præordinaverit. Cùm enim jam ab ejus felici occasu per universas gentes & nationes ipsius sanctitas celebraretur, & ipsius nomen apud Christi fideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem ejus tot miracula, quæ etiam in dies unà cum ejus veneratione augebantur, via parabatur à Patre luminum Thomæ clarificationi.

F

gestorum ad beatificationem

73 Propterea ab ordinario processus informativus sacrorum Congregationi Rituum exhibitus fuit anno millesimo sexcentesimo octavo, & accedentibus precibus etiam claræ memoriæ Philippi III Hispaniarum regis Catholici, necnon præsulum, procerum, deputatorum regni Valentiæ, ac totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini ter-

A tertiò repetitis, ceteriſque de more peractis, reſponſum fuit à prædicta Congregatione, planè conſtare de validitate proceſſuum, de virtutum excellentia, de fidei puritate, vitæ ſanctimonia, miraculorum operatione, fama ſanctitatis & frequentia populi ad Servi Dei ſepulchrum; ac propterea poſſe (ſi ſummo Pontifici placuiſſet) impoſterum nuncupari Beatum, & de eo, tamquam de Confeſſore Pontifice, quotannis in regno Valentiæ à Religioſis utriuſque ſexus Ordinis ſancti Auguſtini, & in civitate Valentia à clero tam ſæculari, quam regulari recitari officium & Miſſam celebrari. Quibus annuit felicis recordationis Paulus Papa V prædeceſſor noſter, ac deſuper literas in forma Brevis conceſſit, & prædictum indultum mox extenſum fuit ad omnes utriuſque ſexus Religioſos prædictos regnorum Caſtellæ, Aragoniæ & Cathaloniæ, necnon ad oppidum Villænovæ, & tandem ad omnes pariter utriuſque ſexus Religioſos Ordinis Sancti Auguſtini, ubique terrarum exiſtentes.

& canonizationem

74 Eodemque anno duobus aliis inſuper approbatis miraculis, cenſuit eadem Congregatio, tutò poſſe Sedem Apoſtolicam ad ſolemnem ejuſdem Beati canonizationem quandocumque juxta S. R. E. ritum, & ſacrorum canonum diſpoſitionem procedere. Verùm ſupervenientibus novis decretis recolendæ memoriæ Urbani Papæ VIII, etiam prædeceſſoris noſtri, ſiluit cauſa uſquequo fuit facta præmiſſorum omnium relatio ſimilis memoriæ Innocentio X itidem prædeceſſori noſtro, & ab eo deputatus in relatorem tunc in humanis agens bonæ memoriæ Fredericus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Cornelius nuncupatus, & ſignata commiſſio reaſſumptionis cauſæ, demandatum etiam fuit dicto Cardinali Cornelio relatori cum dilecto filio Hilarione Rancato, & quondam Terentio Alciato conſultoribus examen Operum ejuſdem ſervi Dei Thomæ, & facta relatione, decretum, in illis nihil contra fidem & bonos mores, nec aliquam doctrinam à Catholico ſenſu alienam contineri. Poſtea decretæ litteræ remiſſoriales ad probandum ea, quæ ſupervenerant poſt indultam venerationem, & directæ litteræ venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopo Valentino & Segobricenſi & Dertuſenſi epiſcopis, & tranſmiſſis ad Urbem proceſſibus, in locum prædicti Cardinalis defuncti ſubrogatus eſt dilectus filius

C noſter Joannes Baptiſta Cardinalis Pallotta nuncupatus, dicti Ordinis S. Auguſtini protector; à quo iiſdem proceſſibus in Congregatione prædicta relatis, ab eaque maturè diſcuſſis, declaratum eſt, abundè conſtare de validitate, de relevantia, de incremento cultûs, ac etiam de duobus aliis miraculis de novo patratis; & ſic adimpleta eſſe omnia ea, quæ novis decretis expetebantur.

ſeriem

75 Accedentibus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi IV Hiſpaniarum regis Catholici, venerabilium etiam fratrum noſtrorum archiepiſcoporum & epiſcoporum regnorum Hiſpaniæ, necnon eorumdem procerum, ac etiam totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini precibus, quibus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prædictis, & à nobis id ſæpius poſtulaverant & poſtulabant: reliquum erat, ut de more univerſam cauſam Cardinales, quibus id commiſſum fuerat, recenſerent, & pro rei gravitate recognoſcerent. Id quod cùm rectè fideliterque præſtitiſſent, idemque omnes ſenſiſſent, prædictus deinde Joannes Baptiſta Cardinalis de vitæ ſanctitate, virtutibus & miraculis ſervi Dei Thomæ, nec non de actis omnibus, in eadem Rituum Congregatione coram nobis habita pleniſſimè retulit. Mox per venerabilem etiam fratrem noſtrum Julium epiſcopum Sabinenſem S. R. E. Cardinalem Sacchettum ſimiliter nuncupatum, dictæ Congregationis præfectum, totius ſumma proceſſus in conſiſtorio noſtro ſecreto plenè relata, ſua collegarumque ſententia expoſita, reliqui Cardinales, qui aderant, unanimi ſuffragio eamdem ſententiam approbârunt. Quapropter ſequenti publico conſiſtorio, in quo pro canonizatione dicti beati Thomæ verba fecit dilectus etiam filius Marcus Antonius Burattus, noſtræ conſiſtorialis aulæ advocatus, & nomine prædicti Philippi regis, necnon prædictarum univerſitatum & regnorum, ac totius Ordinis Eremitarum nobis humiliter ſupplicavit.

AUCTORE J. P.

exponit, ea cum cæremoniis

76 Nos in tam gravi cauſa, Cardinales, patriarchas, archiepiſcopos & epiſcopos, qui tunc aderant, hortati ſumus, ut eleëmoſynis, jejuniis & orationibus ſedulò incumberent, quò divina voluntas clariùs nobis eluceſceret. In ſemipleno poſtmodùm conſiſtorio ex more accerſitis non ſolùm Cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis prædictis, ſed præſentibus noſtris & E Sedis Apoſtolicæ notariis, ac ſacri palatii noſtri Apoſtolici cauſarum auditoribus, de vita & miraculis beati Thomæ, quæ opportuna viſa ſunt, propoſuimus, omneſque ad ejus canonizationem deveniendum eſſe apertè ſuffragiis confirmârunt. Nos itaque unanimi conſenſu audito, aperuimus os noſtrum in benedictionibus; & Dei nutum ac voluntatem ſequuti, juſtum & debitum eſſe cenſentes, ut, quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, diem canonizationis indiximus, cunctos adhortati, ut junctis nobiſcum precibus, eleëmoſynis, jejuniis & Sacrificiis Spiritus ſancti gratiam noſtræ humilitati in tam alto negotio impetrare ſtuderent.

in hac ſervatis

77 Tandem cùm nihil aliud deſideraretur eorum, quæ ex ſanctorum patrum auctoritate, ſacrorum canonum decretis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudine, ac novorum decretorum præſcripto agenda & obſervanda erant, hodie in ſacroſancta beati Petri Apoſtolorum principis baſilica, in qua ſolemni ritu cum ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis, & dilectis filiis Romanæ curiæ prælatis, officialibus & familiaribus noſtris, clero ſeculari & regulari, ac maxima po- F puli frequentia manè convenimus; poſt repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine ejuſdem Philippi regis, à dilecto etiam filio noſtro Hieronymo Tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim presbytero Cardinali Columna ſimiliter nuncupato, per Marcum Antonium advocatum prædictum, poſt ſacros hymnos, litanias, aliaſque preces, poſt Spiritus ſancti gratiam ritè imploratam, ad honorem ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ & Chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum & epiſcoporum in Urbe exiſtentium, conſilio, beatum Thomam de Villanova archiepiſcopum Valentinum Sanctum eſſe decrevimus & definivimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, prout præſentium tenore decernimus, definimus & adſcribimus; ſtatuentes, ab Eccleſia univerſali quolibet anno die decima octava Septembris memoriam ejus inter ſanctos Confeſſores Pontifices

AUCTORE J. P. pia devotione recoli debere. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

& conceſſis indulgentiis, 78 Eademque auctoritate omnibus utriuſque Sexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis in die feſto ipſius ſancti Thomæ ad ſepulcrum, in quo ejus corpus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus in forma Eccleſiæ conſueta. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris ſempiterni Filium, & ſanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confeſſionibus venerati, ſacroque hymno TE DEUM ſolemniter decantato, peculiari in honorem beati Thomæ oratione precati ſumus per ejuſdem merita, atque ad altare ſancti Petri Apoſtoli Miſſam celebravimus cum ejuſdem Sancti commemoratione, omnibuſque Chriſti fidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem conceſſimus.

ne fideles ad Dei laudem & Sancti patrocinium hortatur. 79 Dignum igitur & juſtum eſt, nos gratias agere, & gloriam dare Deo viventi in ſæcula ſæculorum, qui benedixit Conſervum noſtrum in omni benedictione ſpirituali, ut eſſet ſanctus & immaculatus coram ipſo. Et cùm illum dederit nobis quaſi fulgentem ſolem in templo ſuo in hac nocte peccatorum & tribulationum noſtrarum, adeamus cum fiducia thronum divinæ miſericordiæ, ore & opere ſupplicantes, ut ſanctus Thomas univerſo Chriſtiano populo proſit meritis & exemplis, precibus adſit & patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio. Ceterùm quia difficile foret, præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCLVIII Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

C

✠ Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Subditur ſigillum Pontificis, tum ſequuntur nomina S. R. Eccleſiæ Cardinalium, aliorumque de more ſubſcribentium, quæ brevitatis causâ omitto.

§ VII. Indulgentiæ fidelibus conceſſæ occaſione canonizationis; ſolemnia Romæ & alibi hanc ſubſecuta.

Variæ indulgentiæ PRæter *indulgentias in Bulla canonizationis memoratas, etiam alias ſpeciatim à ſummo Pontifice conceſſas recenſet Phœbeus pag.* 122. Præterea, *inquit*, Sanctiſſimus formulam indulgentiarum, applicandarum ſacris beati Thomæ imaginibus, imprimi mandavit, quâ præſertim concionatores hortatus eſt, ut ſaltem ſemel in anno eximiam ſancti Præſulis charitatem encomiis pro viribus extollant, eamque fidelium cordibus inſtillent, lucrifacturi, quoties id egerint verè pœnitentes confeſſi & ſacra Communione refecti, indulgentiam plenariam: audientes verò, ſeptem annos totidemque indulgentiarum quadragenas. Indulgentiam pariter plenariam indulſit interfuturis proceſſioni, Vexillorum nuncupatæ, à baſilica S. Petri ad eccleſiam S. Auguſtini è more celebrandæ, quam indulgentiam Eminentiſſimus D. Card. Vicarius publico edicto evulgari curavit. Plenariam itidem indulgentiam conceſſit viſitantibus eccleſias cœnobiorum fratrum ejuſdem Ordinis, ubique terrarum exiſtentes, infra octavam præſenti anno recolendis canonizationis ſolemniis decretam, & litteris Apoſtolicis in forma Brevis indultam.

D

intuitu S. Thomæ 81 *Habeo penes me edictum, in typographia reverendæ cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno* 1661, *quod, quia præter memoratas primo loco indulgentias etiam plures alias complectitur, ex Italico Latinè redditum huc transfero. Ita ferè habet:* Indulgentiæ, quas ultra ordinarias typo impreſſas concedit Sanctiſſimus Dominus Alexander Papa VII utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui penes ſe vel privatim domi ſuæ habuerint numiſma aut imaginem S. Thomæ à Villanova archiepiſcopi Valentini, per ſuam Sanctitatem benedicta: ea tamen conditione, ut is, qui dicta numiſmata vel imagines diſtribuerit, aut is, cui prima vice diſtribuentur, obſervent decretum ſuæ Sanctitatis editum ſub die VI Februarii MDCLVII.

E

à Pontifice 82 Quicumque ſaltem ſemel in hebdomada ſolitum Officium divinum vel beatiſſimæ Virginis vel defunctorum, aut ſeptem Pſalmos pœnitentiales vel graduales, aut coronam Domini vel Mariæ, aut tertiam partem Roſarii recitare, aut detentos in carcere viſitare, vel pauperibus Chriſti ſubvenire conſueverit, ac verè pœnitens & ſacerdoti ab ordinario approbato confeſſus, Euchariſtiæ ſanctiſſimum Sacramentum ſuſceperit uno ex infraſcriptis diebus, nimirum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Annuntiationis B. Mariæ Virginis, Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, S. Thomæ à Villanova XVIII Septembris, Omnium Sanctorum, Dedicationis propriæ eccleſiæ, Patroni aut Tituli dictæ eccleſiæ, piaſque preces fuderit pro hæreſum atque ſchiſmatum exſtirpatione, fidei Catholicæ propagatione, pace & Chriſtianorum principum concordia, ceteriſque Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, plenariam quolibet eorumdem dierum omnium ſuorum peccatorum indulgentiam conſequatur.

F

conceſſæ fidelibus; 83 Quicumque publicè è ſuggeſtu laudaverit ardentem S. Thomæ caritatem, ut eam fidelium cordibus inſtillet, (ad quod ſaltem quolibet anno ſemel faciendum Sanctitas ſua hortatur concionatores omnes,) confeſſus & ſacro Epulo refectus, conſequatur ſimiliter indulgentiam plenariam; qui verò audierit, ſeptem annos totidemque indulgentiarum quadragenas. Quiſquis pœnitens, &, ut ſuprà, confeſſus ac ſacro Epulo refectus, ſi potuerit, aut ſaltem contritus in articulo mortis nomen JESU & interceſſionem S. Thomæ ore, ſi potuerit, ſin' minus corde piè invocaverit, conſequatur pariter plenariam indulgentiam. Quiſquis oraverit divinam Majeſtatem, ut cor ſuum incendat caritate, quâ donare dignata fuit S. Thomam,

A & pauperibus Chiſti aliquam ſtipem erogaverit, ſingulis vicibus quadraginta dierum indulgentias percipiat. Quiſquis eccleſias vel aras Deo in honorem S. Thomæ à Villanova conſecratas viſitaverit, eo die lucretur quinquaginta dierum indulgentias. Quælibet utriuſque ſexus perſona, militans ſub Regula S. Auguſtini, ſub qua vixit S. Thomas, quotieſcumque aliquod opus ſpirituale, ſpectans ad eamdem Regulam, exercuerit, & Sanctum invocans, tertiò recitaverit, Salve Regina, oraveritque pro proſperitate Eccleſiæ ac Sanctitatis ſuæ, aliiſque ut ſuprà, quadraginta dierum indulgentias adipiſcatur. Volens, ut omnes ſuprà dictæ indulgentiæ animabus fidelium defunctorum per modum ſuffragii applicari poſſint, prohibet Sanctitas ſua harum indulgentiarum impreſſionem in omni loco extra Urbem. G. Gualterius.

proceſſio

84 Die XXIV Novembris, *verba ſunt denuo Phœbei pag.* 123, in eccleſia S. Auguſtini inchoata fuit octidua prælibata ſolemnitas & coram auguſtiſſimo Cardinalium ſenatu epiſcopalis Miſſa de beato Thoma à reverendiſſ. D. Fr. Ambroſio Landuccio epiſcopo Porphyrienſi, ſacrarii Apoſtolici præfecto, celebrata fuit, eâque abſolutâ,

B ſermo in ejuſdem laudem quàm eleganter & eruditè à patre Rho è Societate Jeſu, viro numquam ſatis laudando, peractus eſt. Poſt meridiem verò à baſilica S. Petri ad eccleſiam S. Auguſtini ſolemnis Vexillorum proceſſio his cæremoniis peracta eſt. *Priuſquam ulteriùs progrediar, obſervet curioſus lector, quòd in ſolemni ſupplicatione, quæ ipſo die canonizationis inſtituitur ad eccleſiam Vaticanam, deferatur vexillum cum imagine Beati canonizandi, illudque dein ad æternam rei memoriam ex ejuſdem baſilicæ Vaticanæ fornice penſile maneat, ſed & aliud vel alia plura parata ſerventur, quæ, expleta canonizatione, etiam in ſupplicatione deferantur ad eccleſiam nationis vel Religionis Sancti canonizati, quando primum ejus feſtum celebratur; de prioris ſupplicationis ſolemniis, atque origine conſuetudinis deferendi in ea vexillum ſeu vexilla, facilè inſtrui poterit, quiſquis conſulere voluerit prælaudatum Opus ſanctiſſimi Domini noſtri Benedicti XIV lib.* 1 *cap.* 36 § 6, *& plures ibidem citatos auctores; at quoniam pauciores occurrunt, apud quos alterius cæremoniæ declarantur, haud injucundum fore duxi, ſi præcipuas ſaltem ex Phœbeo perhiberem.*

C 85 Religioſi invitati à Fratribus S. Auguſtini

vexillorum in baſilica S. Petri horâ vigeſimâ convenere, abſolutis autem Veſperis, cantores baſilicæ cecinerunt Antiphonam: "Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex, paſtor bone in populo, ora pro nobis Dominum, ſancte Thoma.„ Quâ abſolutâ, duo beneficiati, pluvialibus induti, cantârunt verſum; "Diſperſit, dedit pauperibus.„ Et cantores reſponderunt: "Juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.„ Mox hebdomadarius canonicus, pluviali pariter indutus, duobus acolytis ante ipſum candelabra ſuſtinentibus, cecinit Orationem: "Deus, „qui beatum Thomam inſignis &c,„ Et cantores reſponderunt: Amen. Tunc amotis legile & candelabris, confraternitates & Religioſi mendicantes procedere inceperunt, tranſeuntes bini ante altare Apoſtolorum, eique ſinguli genuflectentes, exceptis tantùm, qui cruces, vexilla & candelabra geſtabant.

86 Ferentes autem vexilla S. Thomæ, ſcilicet confratres ſocietatis S. Triphonis, erectæ in

Romæ eccleſia S. Auguſtini, ſuſtinentes haſtas, & confratres ſocietatis ſanctiſſimi Sacramenti, erectæ in baſilica Vaticana, ſuſtinentes chordulas, è vexillo pendulas, cùm ad hebdomadarium, in conſueto ſcamno ſedentem in cornu Epiſtolæ, perveniſſent, ſtiterunt ſeſe, & hebdomadarius aſſurgens chordulas acceptas è manibus confratrum tradidit quatuor fratribus, planetâ indutis, qui ad hebdomadarium ipſum immediatè antè ac prope vexilla acceſſerant. Ultimi verò vexilli attributis chordulis patribus vicario generali, aſſiſtentibus Italiæ & Hiſpaniæ & Priori S. Auguſtini, pluviali indutis, hebdomadarius thus in thuribulum poſuit: quo interim clerici ſeminarii, clerici, beneficiati & canonici baſilicæ, funalia geſtantes, præeunte cruce capitulari poſt fratres Dominicanos procedere inceperunt. Hebdomadarius autem ſtans, tribus ductibus reverenter thurificavit imaginem ſancti Thomæ in vexillo delineatam, mox illam flexis genibus adoravit, & inde poſt omnes ad ſacrarium cum ſuis aſſiſtentibus ſe recepit. Clerus & capitulum baſilicæ ab ultimo gradu ſcholarum ad portam extrinſecus ordine retrogrado hinc inde ſeſe diſpoſuere, & genuflexi pertranſeuntem imaginem Sancti venerati ſunt, & ad ſacrarium redierunt. Proceſſio autem ordine, quo ſequitur, progreſſa eſt per Pontem S. Angeli, Montem Jordanum, Parionem, plateam nuncupatam Paſquini, per E viam, quæ ducit ad eccleſiam de Anima, per plateam turris ſanguineæ ad eccleſiam S. Auguſtini.

87 *Mitto hic recenſere ordinem, quo quique,* *inſtituta,* *ſupplicationem comitati, inceſſerunt; vexilla ſeptem enumerat Phœbeus: Fratrum ſcilicet Reformatorum Ordinis S. Auguſtini unum; alterum Fratrum item S. Auguſtini congregationis Inſubrum, tertium collegii S. Ildephonſi academiæ Complutenſis, & quatuor reliqua Fratrum Ordinis S. Auguſtini.* Cùm verò, *inquit*, proceſſio ad eccleſiam S. Auguſtini perveniſſet, Religioſi omnes in navi majori eccleſiæ hinc inde ſeſe diſpoſuerunt: ultimo autem ac digniori vexillo Eminentiſſimus D. Cardinalis Sabellus titularis, indutus albâ, cingulo, ſtolâ, pluviali, & mitrâ medius inter diaconum & ſubdiaconum capellæ Pontificiæ, dalmaticâ & tunicellâ indutos, nec non à permultis præſulibus curiæ comitatus, ex eccleſia prodiens uſque ad gradus, venerabundus occurrit, & genuflexus ſuper tapete ſtratum & pulvinare, ſancti Thomæ imaginem adoravit, mox illam thurificavit, &, reaſſumptâ mitrâ, in eccleſiam regreſſus, ad altare majus ſe contulit, ante vexillum incedens, quod delatum fuit uſque ad medium eccleſiæ, ibique funi alligatum ad fornicem elevatum eſt, ſtante interim Cardinale prope cornu Epiſtolæ. F

88 Et cùm primùm Fratres vexillum elevare *aliaque ſolemnia tum ibidem* cœpiſſent, Cardinalis ſtans ibidem, verſus ad Crucem altaris intonavit hymnum: "Te Deum Lau„damus„ quem cantores proſecuti ſunt. Circa finem hymni Cardinalis poſuit thus in thuribulum, & rurſus tribus ductibus vexillum thurificavit, hymnoque abſoluto, diaconus cecinit verſum: "Ora pro nobis ſancte Thoma„ & cantores reſponderunt: "Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.„ Cardinalis verò cecinit Orationem: "Deus, qui beatum Thomam &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum:„ & cantores reſponderunt: Amen. Tandem Cardinalis oſculatus eſt altare, & ſumptâ mitrâ ſtans medius apud illud ſolemniter populo benedixit. Et tunc bellica tormenta exploſa fuere, & tubarum clangor ac tympanorum reboatus proceſſionis hiſce ſolemniis glorioſum finem impoſuere. Reliquis verò ſeptem diebus, muſicis concentibus, Sacrificiis, divinis precibus, officiis & concionibus ſolemnia ſanctæ canonizationis magnifico etiam cum apparatu, mu-

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

nifica Cardinalis Sabelli titularis manu adjutrice, fratres recoluere.

tum alibi, nominatim in Belgio

89 *Atque hæc de ſolemniis in canonizatione Romæ habitis dicta ſufficiant. Dubium non eſt, quin & Valentiæ ac per totam Hiſpaniam, & in omnibus toto orbe Chriſtiano conventibus Ordinis S. Auguſtini ſummo ſplendore hæc nova ſancti Archiepiſcopi gloria celebrata fuerit; uti factum eſt anno 1659 in Belgio noſtro, ubi, teſte R. P. Joanne Eſtrix, ejuſdem Ordinis S. Auguſtini Religioſo, ad calcem Vitæ* S. Thomæ *Belgico idiomate exaratæ, tum ceteris in oppidis, ut ut ignobilibus, tum in præcipuis civitatibus, Bruxellis, Antverpiæ, Mechliniæ, Lovanii, Gandavi, Brugis, Leodii, Inſulis, Tornaci &c inſigne videre fuit omnium ſtudium tam ad Sanctum honorandum, quàm ad per ejus interceſſionem obtinendum finem atrocis belli, id temporis inter principes Chriſtianos graſſantis. Et ſanè completum eſt, quod pii fideles flagitabant, quod cum ſummo Pontifice ardenter deſiderabant purpurati Patres, quodque nonnulli magna cum fiducia augurabantur, nominatim reverendiſſimus Philippus Vicecomes epiſcopus Catſacenſis, qui, dum in conſiſtorio ſemipublico ſuffragium ſuum daret*

B *pro canonizatione* S. Thomæ *poſt alia multa in ejus laudem prolata, ita pronuntiavit:* Quare cenſeo, tutò poſſe à Sanctitate veſtra inter Cœlites ſolemni ritu numerari. Idque cedet in maximam Dei gloriam, in Ordinis epiſcopalis ornamentum, in Religionis Auguſtinianæ ſingulare beneficium, in totius Eccleſiæ ædificationem, principum Chriſtianorum pacem: & quam peperit canonizatio ſancti Nicolai ſub Eugenio, dabit canonizatio ſancti Thomæ ſub Alexandro: *quod, inquam, illi flagitabant, ac fidenter augurabantur, mox impletum eſt; nam eo ipſo anno 1659 pax ſancita eſt inter reges Galliarum & Hiſpaniarum, ac proximè ſequenti divulgata.*

poſt canonizationem habita.

90 *Ceterùm dum Antverpiæ ingenti cum apparatu ac ſplendore celebrata fuit à RR. PP. Auguſtinianis* S. Thomæ *canonizatio, in eorumdem templo die præcipuo* omnium laude & ſatisfactione, *ut notatum apud nos reperi, orationem panegyricam habuit P. Cornelius Hazart Societatis Jeſu ſacerdos, quod ſpeciatim addo, ut lector pervolvens tomum 3 Operis Flandrici ſub titulo* Triumphus Pontificum, *ab eodem Hazart editum typis Antverpienſibus anno 1681, corrigat, quæ leguntur pag. 285 in hæc verba:* Ulteriùs beatificavit (*Paulus PP. V*) Bertrandum Dominicanum ac Thomam de Villanova EX EODEM ORDINE & epiſcopum Valentinum, *corrigat, inquam, ac benigne exiſtimet, hæc per inadvertentiam ex laudati viri calamo effluxiſſe, qui certè numquam vel dubitavit vel prudenter dubitare potuit, quin* S. Thomas *fuerit ex Ordine S. Auguſtini, nedum huic illum eripere intendit, ſicut ex citato loco à non nemine ipſi poſtea fuit objectum.*

C

§ VIII. Extenſio Officii & Miſſæ poſt canonizationem; loca ſacra & altaria Sancto erecta; reliquiæ ejus locis variis honoratæ.

Officium & Miſſa ad aliquos dum taxat

ANno 1618, *ut ſuprà oſtenſum eſt, Paulus V PP. facultatem conceſſit omnibus utriuſque ſexus Religioſis Ordinis S. Auguſtini in toto regno Valentiæ & clero civitatis ac diœceſios Valentinæ recitandi Officium ac celebrandi Miſſam de* B. Thoma *ex communi confeſſoris pontificis juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani, eamque facultatem anno proximè ſequenti idem Pontifex extendit ad omnes utriuſque ſexus Religioſos ejuſdem Ordinis in Hiſpaniæ regnis commorantes, atque ad utriuſque ſexus Regulares & presbyteros clericoſque ſeculares oppidi Villanovæ: demumque anno* 1621 *Gregorius XV PP. eamdem facultatem indulſit omnibus utriuſque ſexus Religioſis dicti Ordinis, ubique terrarum exiſtentibus. Binos habeo libellos, Officia propria Sanctorum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini complectentes, & ante ſolemnem* Thomæ *canonizationem impreſſos, alterum Venetiis anno* 1627, *alterum Pariſiis* 1641; *in utroque ad diem* XVIII *Septembris præſcribitur Officium ritu duplici celebrandum, & in priori quidem nihil proprium aſſignatur præter ſequentem orationem:* Deus, qui patrem pauperum beatum Thomam præſulibus in exemplum poſuiſti; præſta, quæſumus, ut, qui indigentibus opem tulit in terris, ſuis nos precibus juvet in cœlis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. *In altero autem eidem orationi ſubduntur hæ rubricæ:* In primo Nocturno lectiones de Scriptura. In ſecundo Noctur. de Serm. S. Maximi epiſcopi: „Beati patris Thomæ merita.„ In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Vigilate, ut in communi.

E

reſtricta ante canonizationem,

92 *Habeo contrà apographum Officii deſcriptum Romæ ex libello Ms. bibliothecæ Angelicæ Ordinis S. Auguſtini, ſub hoc titulo:* Officium beati Thomæ de Villanova, archiepiſcopi Valentini, cognomento Eleëmoſynarii, Ordinis Erèmitarum S. P. Auguſtini, à Paulo V Pont. Maximo beatificati. Piſis per fratrem Ambroſium Landuccium Senenſem, ſacræ Theol. curſorem, MDCXXIII; *in hoc, ſi pſalmos excipias, nihil penè non eſt proprium, nihil non accomodatum ad heroïcas Sancti virtutes, & eximia apud Deum merita. Sed veriſimiliter id typis non fuit commiſſum; ſervatum tamen Romæ, donec ſolemnis canonizatio obtineretur, ac proprium de Sancto Officium recitaretur; quamquam neque tunc id ipſum adhibitum fuit, ut colligere erit ex dicendis.*

F

poſt hanc ad Eccleſiam univerſam,

93 *In Bulla canonizationis nulla fit Officii aut Miſſæ mentio; attamen haud ita dudum poſt ſacræ Rituum congregationi oblatum eſt approbatumque die* XIV *Junii* 1659 *Officium, quod hodiedum legitur in Breviario Romano, cum ſequenti decreto, quod ſubnectitur ejuſdem exemplari, impreſſo Romæ in typographia reverendæ cameræ Apoſtolicæ anno mox citato:* Viſas, ac maturè perpenſas Orationem, Lectiones & Antiphonas ſupradictas ſacrorum Rituum congregatio die XIV Junii MDCLIX appro-

A approbavit; easque Sanctissimus in Breviario & Missali Romano inter Officia & Missas ad libitum recitandas & celebrandas imprimi mandavit: pariterque ad libitum ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, tum secularibus, tum Regularibus die decima octava Septembris festo S. Thomæ de Villanova cum reliquis de communi confessoris pontificis sub ritu semiduplici recitari ac celebrari posse concessit. Die XVII ejusdem mensis Junii, eodemque anno MDCLIX. J. Episc. Sabinen. Card. Sachettus. Loco ✠ sigilli. Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secr.

ad patres Augustinianos verò aliosque solemniore ritu,

94 *Eodem etiam mense & anno à dicta Congregatione emanavit decretum alterum, quo annua* S. Thomæ *commemoratio solemniore ritu stabilita fuit apud patres Augustinianos; præfixum illud est Proprio Sanctorum laudati Ordinis, anno* 1674 *Antverpiæ typis vulgato, atque ita habet:* Æquum est, ut Augustiniana familia, secunda Sanctorum parens, ex qua tandem præclarum germen, ardentissimum nempe charitatis exemplar, prodiit Fr. Thomas à Villanova, mox archiepicopus Valentinus, nuper inter Sanctos relatus, ac proinde de religione Catholica ob eamdem lucis accessionem novo hoc munere bene merita, pia sua præsertim vota numquam Apostolicæ Sedi incassum exhibeat. Eapropter sacra Rituum congregatio supplici universo eidem Ordini etiam utriusque sexus censuit indulgendum, ut tanti Confratris memoriam sub ritu duplici secundæ classis cum Octava quotannis recolat. Die XIX Julii MDCLIX. F. Episcopus Sabinensis Card. Sacchettus. Loco ✠ sigilli. Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secret. *Officium ferè totum proprium, diversum tamen ab eo, cujus memini num.* 92, *datur ibidem ad diem* XVIII *Septembris, uti & reliqua per Octavam diebus non impeditis lectionum distributio. Dies octava autem orationem habet propriam, eam scilicet, quæ ante canonizationem in ipso festo recitari consueverat. Vide num.* 91. *Porrò in civitate ac tota diœcesi Valentina, prout intelligo ex Directorio ibidem impresso ad annum* 1720, *similiter colitur Officio duplici secundæ classis cum Octava; in Toletana verò Officio duplici, uti novi ex simili Directorio pro anno* 1718 *Matriti edito. Quo autem ritu memoria ejus celebretur in oppido Villanova, aliisve locis peculiaribus, incompertum mihi est.*

B

C *prætenduntur.*

95 *Anno demum* 1694 *sancitum est, ut Officium antè Romano Breviario insertum & ad libitum recitari concessum, deinceps de præcepto recitaretur. En tibi etiam hoc decretum ex apographo, typis reverendæ cameræ Apostolicæ impresso, anno mox memorato.* URBIS ET ORBIS. Ad pias preces sereniss. regis Catholici ejusque reginæ matris Sanctitati suæ ab excellentissimo domino duce de Medina Cœli, apud sanctam Sedem præfatæ majestatis oratore, porrectas, sacræque Rituum congregationi remissas, sacra eadem congregatio ad relationem Eminentissimi & reverendissimi domini Cardinalis Judice concedendum censuit, ut Officium sancti Thomæ de Villanova, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, aliàs pro Ecclesia universali sub ritu semiduplicis ad libitum recitari concessum, singulis annis die XVIII Septembris, ejusdem Sancti festo, in posterum ab omnibus tam sæcularibus quàm Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, sub ritu semiduplici de præcepto recitetur, si sanctissimo Domino nostro videbitur. Die IV Septembris MDCXCIV. Facta igitur deinde sanctissimo Domino nostro per me secretarium relatione, Sanctitas sua benignè annuit die XI ejusdem mensis Septembris & anni MDCXCIV. A. Card. Cybo. Loco ✠ sigilli. B. Inghirami. sac. Rit. congr. secret.

AUCTORE J. P.

Altaria Sancto erecta;

96 *Dubium mihi non est, quin & altaria & sacella seu etiam templa,* S. Thomæ *nomini consecrata, tum per Hispaniam tum per orbem Christianum universum exstent plurima; at defectu monumentorum pauca duntaxat, in quorum notitiam casu incidi, hic exhibere concessum est. Certè jam tum altare illi erectum erat in ecclesia S. Augustini Romæ, antequam canonizationis solemnia peracta fuere, uti clarè innuit Phœbeus in sæpe memoratis actis pag.* 68, *ubi narrans, quòd mense Septembri anno* 1658 *se Pontifex contulerit ad dictam ecclesiam ita habet:* Postquam verò Sanctitas sua pariter ante altare majus, ... & ante altare beati Thomæ preces effudisset, ad Quirinale palatium rediit. *Imò eadem in ecclesia magnificum ipsi erectum esse sacellum, docuit me P. Augustinus Oldoinus Societatis Jesu tom.* 4 *Historiæ Pontificum Romanorum & S. R. E. Cardinalium col.* 668, *ubi gesta exhibens Eminentissimi Camilli Pamphilii, scribit sequentia:* Sacellum Pario marmore, statuis, auro ac mirabili structura elaboratum, D. Thomæ à Villanova in sacra S. Augustini æde perfecit. *Commendatur etiam sacelli hujus magnificentia, & maximè* S. Thomæ *pauperibus eleemosynas elargientis statua marmorea, inchoata à Melchiore Gosar Melitensi, ac perfecta ab Hercule Ferrata, in descriptione Romæ antiquæ & modernæ ad titulum ecclesiæ S. Augustini.*

E

templa in Castro Gandulphi

97 *Sed & ipse Alexander VII Papa pro eximia sua in Sanctum veneratione templum, hic præ ceteris memorandum, illi exstruxit & dedicavit in Castro Gandulphi, quemadmodum idem nos docet Oldoinus tom. eodem col.* 712, Palatium item, *inquit*, Castri Gandulphi ad lacum Albanium, quò secedere ad animi remissionem Majo & Octobri mense Pontifices solent, non solùm auxit, sed etiam longè commodius fecit & ad regiam magnificentiam perduxit. Erexit in eodem Castro, dedicavitque ædem S. Thomæ de Villanova, à se recèns inter Sanctos relati, magnificè splendidéque pro loci illius conditione exstructam. *Philippus Bonanni è Societate Jesu tom.* 2 *Numismatum Pontificum Romanorum pag.* 641 *numisma exhibet, occasione exstructi templi excusum anno* 1659, *proximo scilicet post canonizationem, quod hic recusum subjicio.*

F



ipsi consecratum

98 *Idem auctor ibid. pag.* 652 *numisma sic paucis describit:* Frontem exhibet, quam in Castro Gandulpho commorantes conspiciunt: quadratam fermè ichnographiam habet. In majori ara contra januam imago est Redemptoris de Cruce pendentis; in dextero altari Virginis in cœlum assumptæ, in sinistro sancti Thomæ de Villanova. Supra januam hæc inscriptio extat.

ALEXANDER VII PONT. MAX.
DIVO THOMÆ ARCHIEPISCOPO VALENTINO

IN-

AUCTORE J. P.

INTER SANCTOS RELATO
ÆDEM A SOLO CONSTRUCTAM,
CUJUS PRIMUM FUNDAMENTI LAPIDEM
FLAVIUS CARDINALIS CHISIUS FR. F. POSUERAT,
PIE RITEQUE DEDICAVIT
ANNO SAL. MDCLXI.

99 *Dum in istud numisma inquirerem, casu incidi in aliud, quod similiter exprimendum duxi.*

ab Alexandro PP. VII.



Hoc autem loco citato in hunc modum exponit idem Bonanni: Divi Thomæ de Villanova imago, prout depingi solet, pauperibus eleëmosinam elargientis ... Nullam inscriptionem continet numisma, neque anni notam; illud tamen vulgatum scio anno MDCLVIII in memoriam ejus sacræ actionis, in qua divum Thomam in Sanctorum numerum retulit Alexander, id est, die prima Novembris, omnium Sanctorum commemoratione solemni.

100 *Corpus sancti Archipræsulis religiosissimè asservari & coli in templo Ordinis S. Augustini sub titulo beatæ Mariæ de Succursu prope Valentinam civitatem, ex antè dictis sufficienter innotuit; non ita tamen integrum, quin partes ejus etiam notabiles aliis ecclesiis, eodem cultu honorandæ, lapsu temporis fuerint concessæ. Sic caput ejus in solemniis beatificationis anno* 1619 *in ipsam civitatem ad ecclesiam metropolitanam translatum, in eaque servatum fuisse, docent nos Salonius & del Castillo in Sacrario Valentino. Sic deinde etiam Romam delatas fuisse sacri hujusce thesauri reliquias novimus ex Hemerologio sacro Caroli Piazza ad diem* XVIII *Septembris, post breve elogium hæc subnectentis:* Ejus festivitas solemniter cum indulgentiis plenariis fit apud S. Augustinum in eximio ipsius sacello, ubi in statua argentea insignes ejus reliquiæ exponuntur: apud S. Mariam Majorem, ubi in hujus sacello Paulino exponitur pars cruris ipsius.

Reliquiæ ejus Valentiæ, Romæ

101 *Pater Josephus de Albertis Societatis Jesu anno* 1701 *ad Museum nostrum destinavit instrumentum, publica auctoritate firmatum, in quo enumerantur præcipuæ reliquiæ in variis ecclesiis Castri S. Angeli, oppidi in Piceno & in diœcesi Firmana honoratæ, atque eas inter etiam* S. Thomæ *memorantur his verbis:* Veneratur pariter (*in ecclesia Ordinis S. Augustini*) & publicè solemniterque asportatur in ejus festo notabile frustum ossis S. Thomæ de Villanova Augustiniani, donatum & reconditum in capella, suis sumptibus fabricata, à reverendissimo P. Nicolao de Joannettis, totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori generali. *Servamus quoque apographum alterius instrumenti, unde discimus, quâ viâ tum Bruxellenses tum Antverpienses in Belgio nostro patres Augustiniani adepti sint sacras* Thomæ *exuvias, in eorumdem templis honoratas. Hoc, quòd prolixum non sit, visum est integrum describere.*

& alibi,

102 In nomine Domini. Amen. Subscripti testamur, reverendum adm. patrem Antoninum de Witte Ord. Eremit. S. P. Augustini conventûs Bruxellensis nuper Priorem & capituli generalis nec non provinciæ Flandro-Belgicæ exdiffinitorem &c., in cella sua nobis exhibuisse sacras reliquias, ab illustrissimo Mechlinienſi approbatas ac sigillatas, D. Thomæ à Villa-nova, ex dicto Ordine archiepiscopi Valentini &c., quas, in Hispania suæ provinciæ commissarius existens, Valentiæ impetraverat. Ac particulam earumdem ita serrâ fissam, ut majori adhuc parti adhæreret, nobis videntibus, abstraxisse, ac linteo deinde gossipio involutam, capsula lignea deargentata fideliter inclusisse, vittâ sericâ rubei coloris circumligata & à nobis sigillata. Ad effectum donandi reverendo adm. ac eximio patri magistro Joanni Smidts, hujus provinciæ Flandro-Belgicæ tertiò nuper dignissimo provinciali; ut ab illustrissimo Antverpiensi approbatæ, unà cum sacris D. Joannis à sancto Facundo reliquiis, ab eodem R. P. Antonino de Witte in ejusdem Sancti canonizationis festiva solemnitate memorato exim. P. M. exprovinciali oblatis, ad modum, quo in templo sui Ordinis Bruxellensi in utraque parte chori inferioris magnificè coruscant, in ecclesia monasterii Antverpiensis publicæ fidelium veneratione exponi queant.

nominatim in Belgio

103 In quorum fidem præsentes à nobis subscriptas sigillis nostris munivimus. Bruxellis ad divam Apolloniam & ipsius sacræ virginis ac martyris festivo die x * Februarii MDCXCIV, in memoriam, quod ejusdem thaumaturgæ reliquias à patribus Bruxellensibus conventus item Antverpiensis impetraverit. G. F. le Febure, cantor & canonicus Anderlectensis, protonotarius Aplicus. J. B. le Febure, conseillier & contador des gens de guerre .... par finances de sa Mate.

honorantur.

** in Rom. ix*

Loco sigillorum ✠ ✠.

Quod attestor
P. Luppens not.

Est & exemplar penes me litterarum, quibus illustrissimus Antverpiensis die XII *Septembris* 1695 *memoratam particulam de more recognitam approbavit cum facultate exponendi per diœcesim suam publicæ veneration; sed illud describere hîc necesse non est: pergo igitur ad miracula.*

MIRACULA

Ex Salonio & aliis.

§ I. Miracula unde accepta & quomodo danda; apparitiones Sancti pluribus factæ & collata beneficia post obitum.

Miracula post obitum.

SIcut fusè S. Thomæ *in hac vita degentis Acta, miracula & prodigia, pro majori parte ex processibus ad beatificationem institutis, deprompta, pro reliqua à testibus fide dignis accepta, descripsit Salonius libro primo & secundo Operis sui, ita, iisdem usus instrumentis & adjumen-*

A *mentis, libro tertio comprehendit miracula, beneficia & prodigia poſt ejuſdem Sancti obitum patrata. Ea nunc eodem ordine, quo ipſe dedit Hiſpanicè, Latinè commemorabo: attamen quò facilius ac brevius id exſequar, non ipſa ipſius verba Latina faciam, ſed reciſis multis, haud adeo neceſſariis adjunctis, facta dumtaxat exponam, imò etiam nonnumquam, ubi apud alios, Coccinum nominatim & Baxium, ſufficienter expoſita reperero, huc transferam. Orditur autem Salonius caput* 1 *ab apparitione Sancti, facta ſæpe memoratis Segriano epiſcopo & magiſtro Joanni Porta, à quo publicè narrata fuit.*

Apparens Sanctus duos familiares ſolatur;

2 *Hi, cùm intellexiſſent Valentiam appropinquare Franciſci de Navarra, archiepiſcopi Valentini procuratores, relicto palatio, in quo à morte Sancti perſtiterant, in ædes archidiaconi majoris ſe receperunt; ſed ob amiſſi optimi Patris recordationem, ita dolore obruti ſunt, ut tota nocte oculos claudere non valuerint. Intra horam tertiam & quartam manè uterque in ſeparato ab invicem cubiculo lumen grande & in hujus medio ſanctum Præſulem eodem veſtitu, quo utebatur in*

B *aula ſua, indutum conſpexit; iſque pulchra ac venerabili fronte ad utriuſque lecticuli caput accedens, ſic effatus eſt:* Quid mei causâ luges, quid luges? Noli, ſiquidem me amas, lugere me; quoniam quietem & bonum, quo fruor, impertiri mihi nequeat mundus univerſus.

alium, qui pecuniam, pauperibus relictam,

3 *Paulò ante obitum cuidam familiari ſuo ſchedulas commiſerat, ut pecuniam ſibi debitam à conductoribus opportuno tempore reciperet, & inter pauperes, quos deſignabat, diſtribueret, impensè orans, ut fideliter & celeriter id exſecutioni mandaret: facturum ſe pollicitus ille eſt, recepit pecuniam, & partem ejus aliquam pauperibus quidem conceſſit, ſed majorem in proprium commodum convertit, apud animum ſtatuens ſupplere eam dein ex bonis ſuis. Apparuit ei Sanctus nocte, quæ præit Epiphaniam Domini & dolore incenſus dixit: Decepiſti me; id equidem de te certè non credideram, nec putâram omiſſurum te, quod tam ſeriò adpromiſeras. Tunc ex pauperum bonis ſubvenire cupias tuæ neceſſitati? Dominum offendiſti graviter, is de te pœnam ſumet, niſi pœnitentiam agas ac emendes. Fac hoc, ut æquum eſt, atque cura diligenter, ut, quod retinuiſti, colligas & reddas ipſis quàm mox, eorum quippe indigentia vindictam exigit coram Deo. Tremens ille veniam deprecatus eſt, & facturum ſe, quàm citiſſimè poſſet, ſpopondit.*

C

erogare negligit, acriter increpat & ſecundò caſtigat,

4 *Mox quidem id aggreſſus eſt, ſed, ne familiæ noceret, non omnino perfecit: rediit ad eum Sanctus nocte prævia feſto beatæ Mariæ Virginis purificatæ & hominem malæ fidei compellans, ac mortem repentinam intentans, ad puerum juxta ſe ſtantem ac flagellis armatum converſus eſt, dixitque: Cæde hunc, ut credat & timeat; quod is exſecutus eſt, donec diceret Sanctus: Jam ſufficit, tu hoc monito utere, ne æternùm doleas: eo dicto diſparuit. Mox facto mane, nam præ acerbitate plagarum per aliquot dies lecto ſurgere non potuit, vocari juſſit eum, qui fuerat Sancto ab eleëmoſynis, & colligendæ, quâ viâ poſſet, pecuniæ, ſatisfaciendique ſtatim obligationi provinciam ipſi commiſit. Teſtem facti hujus appellat Salonius eumdem magiſtrum Porta, qui ex ipſo eleëmoſynario intellexit.*

5 Biennium ab hac apparitione, (*hæc Latinè contraxit ex Salonio Baxius*,) interceſſerat, cùm videndum ſe præbuit feminæ nobiliſſimæ, quam gravis & periculoſus morbus afflixerat, eamque bonæ valetudini reſtituit; hoc ipſa mulier ſpectaculum ſibi factum retulit ſodalibus Auguſtinianis Valentiæ ad majorem Dei gloriam ejuſque cultoris B. Thomæ. Fuit alia, quam torquebat vehementiſſima febris, eò uſque malo excreſcente, ut jam exſpes turba medicorum ſtaret. Per has anguſtias, ut fieri ſolet, tranſcurſum eſt ad medicamenta cæleſtia, in quibus fuere Beati hujus reliquiæ, quas ad ægram attulere. Mulier præcipuo honore hæc ſacra lipſana recepit & toto ſe ſtudio B. Thomæ commendavit. Erat in ejuſdem cubiculo decumbentis imago Deiparæ; pro qua nocte ſequenti vidit ægra beatum Pontificem genua flectere, habitu amictum pontificali, manibus junctis & in altum elevatis. Qua ſpecie recreata, ſupplicanti & ipſa ſupplicans ait: Beate Antiſtes, miſerere mei perditæ, & impetra mihi vires, quibus ſim idonea Chriſto ſervire: deſiit viſio & reddita eſt mulier ſanitati.

Ex Salonio et aliis.

mulierem periculoſo morbo, & aliam acerba febri liberat.

Hemiplexiâ percuſſum ſanat.

6 *Viri Sancto devoti latus dexterum ita percuſſit hemiplexia, ut nec brachium, nec pedem, nec corpus movere poſſet, nec diſtinctam vocem edere; accerſitus medicus nequicquam applicavit medicamina, perſpicienſque augeri potiùs malum quàm minui, dixit, nullum vitæ ejus ſervandæ ſupereſſe remedium præter divini auxilii invocationem, abiit, nec ultrà reverſus eſt. Ita conſtitutus æger, Sanctum, à quo aliàs etiam ſanitatem conſecutus fuerat, magna cum fiducia & conſtantia invocare cœpit: nocte quadam à conjuge & hujus ſorore, proximè ad ejus cubiculum degentibus, auditus eſt loqui, orare &* Thomam *tamquam præſentem compellare, ut ſanitatem impertiret. Mirabantur quidem illæ, quòd, qui antè non valebat, tum clarè loqueretur; ſed, ne ſermonem interrumperent, ingreſſæ non ſunt, donec clara voce appellavit dicens: Adeſte & videte gratiam mihi à Domino collatam per interceſſionem beati patris* Thomæ, *qui hâc horâ me ſanavit & conſolatus eſt. Deinde erexit ſe, brachium ſuſtulit, ſignum Crucis formavit, & lecto ſurgens ac ſolo ſtoreâ ſtrato genuflexus unà cum conjuge, hujus ſorore & binis filiabus, quas ad miraculi ſpectaculum vocari juſſit, Deo & Sancto gratias egit; die ſequenti illæ ad templum beatæ Mariæ de Succurſu venerunt ac Miſſam celebrari fecerunt, quod & ipſe poſt biduum præſtitit, palàm commemorans miraculum.*

Moribundo apparens ſanitatem promittit.

7 *Alter violenta febre ad extrema deductus & à medicis derelictus, monente matre, in* S. Thomam *piè affecta, hunc invocavit multis precibus & lacrymis; poſt noctes aliquot, cùm jam minor ſpes affulgeret, vidit Sanctum ad caput lecticuli, & præ ſtupore exclamans, ſenſit ab illo manum imponi fronti ſuæ, dicique: Ne metue, fili, propediem valebis. Matri ad clamorem accurrenti rem narravit; dubitanti verò, utrùm non ſomniâſſet vel ex febri deliraret, repoſuit: Noli id cogitare: vigilabam tunc æquè ac modò: apertis oculis, ſicut te nunc intueor, vidi ipſum ſubitò juxta iſtas imagines ad caput lecti, fronti meæ manum imponentem; hoc certum eſt & liquet ex eo, quòd notabiliter meliùs me habeam. Medici poſtridie reverſi, quem mortuum reperturos ſe rebantur, febre ſolutum & periculo defunctum invenerunt; intra paucos dies ſanus evaſit & vegetus ac viſionis veritatem magno pietatis affectu & fletu palàm teſtatus eſt.*

Mulier, invocato Sancto, pecuniam,

8 *Honeſta mulier, quam antè divitem, ſed ad egeſtatis anguſtias redactam, vivens Sanctus eleëmoſynis juverat, poſt ejus obitum frequens erat ad ſepulcrum orans, ut ipſius patrocinio Domi-*

Ex Salonio et aliis.

nus indigentiæ suæ misereretur. Exaudiri visa est; nam exiguo admodùm lucro, ex sua & filiæ operâ percepto, commodè vixit. Verùm ut occultum hoc beneficium aperto testimonio firmaretur, accidit, ut, cùm solvendum esset conductæ domus pretium, non esset unde; vertit igitur, ne sibi molestia crearetur à domino, nec ausa interpellare cognatos & amicos, quos fortassè tæderet sæpiùs, ut fecerant, illi subvenire, recurrit ad Patrem, cujus pietatem experta erat semper. Accessit ad templum beatæ Mariæ de Succursu & fusa oratione coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento, ac invocata beata Virgine, ad sepulcrum Sancti in genua se prostravit, orans, ut sicut vivens, etiam mortuus subveniret. Post duas orationis horas domum repetiit, & statuens scribere ad cognatum, cui indicaret necessitatem suam, chartamque sumptura, manum scrinio immittens offendit chartas binas repletas nummis regalibus novis & tamquam recenter ex officina eductis; obstupuit; quoniam illic numquam imposuerat pecuniam, nec à multo tempore tantam summam possederat; conficiebant quippe regales isti simul triginta scuta, atque ideirco satis constitit de miraculo; decem

B *scutis medii anni pretium persolvit conductæ ædis, reliqua in alios necessarios usus convertit.*

alterâ pallium obtinet,

9 *Alteri mulieri ad eam egestatem deductæ, ut, licèt diu noctuque laboraret, ne tantum quidem supereſſet, quo velum seu pallium, (quali caput & corpus cooperiunt domo exeuntes fœminæ,) sibi compararet, cogereturque diebus Dominicis iturâ ad Sacrum commodato petere à vicinis; tristis itaque, maximè quia hæ id illi obsequium ultrà præstare renuebant, per integram septimanam quotidie absque hujuscemodi pallio ad sepulcrum Sancti se stitit, flagitans ab ipso eleemosynam. Die Dominico proximè sequenti manè adfuit puella annorum circitèr decem vel undecim vultu angelico (ut refert ipsa mulier) & gradus ascendens, quoniam in superiore cubiculo habitabat, dixit: Bona mulier, innotuit heræ meæ tua necessitas, & mittit tibi hocce pallium; accipe & gratias habe Domino. Rogami, quæ esset ipsius hera & ubi habitaret, ut & illi gratias ageret de beneficio, reposuit: Ne cura scire, unde tibi mittatur, sed gratias age Domino; & hoc proferens, disparuit unico temporis momento, ut nec gradus descendere visa sit, nec quo modo vel quâ viâ abire. Con-*

C *stitit attonita mulier, manu tenens pallium, creditque fuisse angelum Domini, per intercessionem Sancti ad se missum.*

eadem ejusque maritus

10 *Eidem mulieri defluens è capite in collum humor malignus ulcera aliquot tabo manantia ingenti cum dolore procreabat, & cùm artem suam frustra experti essent chirurgi, decrevit illa ad Dei Servum recurrere, ad ejus sepulcrum novendiales preces instituere, & aliquot guttas olei ex ipsius lampade desumptas ulceribus infundere. Intra novem dies, cessante humoris fluxu, deficcata illa sunt & ita coaluere, ut modicæ dumtaxat in memoriam accepti à Deo, intercedente Sancto, beneficii cicatrices remanserint. Eadem fœtu gravida & paupertate pressa unà cum marito indies Sancti opem implarabat, & sepulcrum nonnumquam invisebat. Die quadam cùm instaret partus, nec esset unde necessaria coëmerent, vir post multas preces & lacrymas è templo beatæ Mariæ de Succursu rediens, vocem audiit dicentis sibi: Tolle, tolle hoc; caput invertens, neminem conspexit, ast humi bursam advertit, sustulit & domum pergens quinque circitèr scuta in ea reperit. Quamquam autem urgeret egestas, pecuniam non attigit, priusquam studiosissimè indagâsset, utrùm aliena non esset; nemine reclamante tandem, de judicio etiam confessarii, retinuit tamquam eleëmosynam à Sancto sibi missam. Addit auctor, etiam in ipso usu fuisse multiplicatam pecuniam adeo, ut quinque scutis circitèr tantum effecisse visus sibi sit, quantum viginti & pluribus.* D

variis vicibus Sancti opem experitur;

11 *Bis præterea Sancti benevolentiam est expertus vir idem. Malignus humor coxam ejus ita infecerat, ut & tibia & tota illa pars immobilis esset & quasi præmortua; nihil juvit medici & chirurgi industria. Ipse igitur ad* Thomam *conversus est, & uxor novendiales preces ad ejus sepulcrum inchoavit; die quinto manè, dum noctem miserè transegerat, in somnum incidit, & ingressa uxor suavem odorem persensit, ipse verò expergefactus dixit, quòd visa sibi esset manus suaviter permulcere coxendicem, quòdque se magno solatio hinc affectum & ab omni infirmitate liberum sentiret; surrexit autem, acsi nullo malo fuisset correptus: medicus verò & chirurgus ex caritate Christiana eum revisentes, evidens esse miraculum asserverunt. Eidem aliàs ex lapsu diffracta est costa, quam vocatus similium malorum curandorum arte optimè peritus, appositio medicamine fasciis obligavit, jussitque eum immotum in lecto perdurare quadraginta dierum spatio. Tristes propter inopiam suam uxor ac maritus ad beatum Patrem eodem, quo antè, modo recurrerunt, & intra dies quinque, cùm visa esset denuo manus suaviter permulcere costam, ita coaluit, atque ita ipse roboratus est, ut mox surrexerit ad operandum idoneus. Unde ingenti omnes stupore perculsi sunt, is præsertim, qui costam alligaverat, multâ experientiâ edoctus, quòd ad hujusmodi sanationem exigerentur dies quadraginta, quòdque naturali via quinque diebus id perfici non posset.* E

vir egestati, matrona periculo surripitur.

12 *Vir alter, qui morbo laborans, bona omnia medicaminibus frustra expenderat, ac tandem implorato Sancti auxilio, sanitatem recuperaverat, non habebat, unde domus conductæ pretium persolveret; adiit sepulcrum, precatus est & solatium persensit, ac si quis sibi diceret: Domum propera, statim remedium obtinebis: illuc reverso adfuit mercator, qui ad delendas in pannis coccineis maculas operam ejus conducens, octoginta regales numeravit. Nobilis matrona Sancto piè devota, & singulis plerisque diebus Dominicis orandi causâ cum* F *sobrina & ancillis ad ejus sepulcrum venire solita, die quodam Dominico nescia, quid moveret, solito diutiùs atque ardentiùs se ipsi commendavit. Interim dici sibi visa est: Noli hîc morari diutiùs, domum repete, supellectilem & quidquid in ea pretiosum est, deprome, teque in viciniam proripe. Abiit extemplò, domumque ingressa, fragorem audiit, advocavit vicinos, qui simulac omnia domo extulerant, ipsaque cum sobrina & ancillis vicinæ matronæ ædes introierat, corruit totum ædificium, absque ullo adium proximarum detrimento.*

§ II. Beneficia impetrata per usum terræ & florum ipsius sepulcri, atque olei ex lampade eidem sepulcro appensa.

Puer & vir terra sepulcrali,

PUer parvulus (*sic Baxius ex Salonio*) magnâ febre tenebatur, & symptomatis aliquot mortiferis, ut jam in ipso ortu vitæ extinguendus esset. Pater solicitus preces ardentes vertit ad Dei famulum B. Thomam, ac modicam humum, egestam hujus tumulo, in osculo filioli sui cum aqua infudit, quo facto melius habere is cœpit, & apertis ocellis ubera matris sugere, ut non obscurè videretur ope sancti sepulcri pusio ex sepulcro in vitam rediisse. *Vehementi dolore colico vir quidam trium dierum spatio, elusa arte medica, omnes ad commiserationem incitabat; filia patris vitæ metuens, si diutiùs malum perduraret, ad sepulcrum Sancti abiit, & post multas preces ac lacrymas, terram sepulcri ejusdem spe plena domum deferens, patri nihilo melius reperto obtulit; qui aquæ immixtam hausit, eodem momento cruciatu solutus in somnum incidit, & post aliquot horas quietis, quâ gavisus non fuerat per tot noctes, evigilavit sanus & vegetus absque ullo doloris vestigio, ita ut mox surgens ad ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu perrexerit, Deo & Sancto acturus gratias.*

& infantes duo oleo lampadis sanantur,

14 *Infans amiculus vehementi febre & pustulâ infra linguam adeo malignâ, ut pestiferi carbunculi speciem esse censerent medici, eò deductus erat, ut materna ubera abnueret, & ab omnibus mortis victima crederetur, quoniam nullum proderat remedium. Mœsta parens, pia* S. Thomæ *cultrix, infantem detulit ad ejus sepulcrum, & amiculum ferale vovit, si proles sanitati restitueretur; dein ab ædituo petivit oleum ex lampade, quæ ante Sancti sepulcrum ardebat, eoque levit pustulam; mox puer ubera assumpsit, febre liberatus est, ac die postero omnino sanatus; retulit eum grata mater ad sepulcrum & votum persolvit. Infanti alteri semestri caput & corpusculum totum pertumuerat inflammatione, nec ulla proderant remedia. Avia & alia mulier è vicinia, Sancto devotæ, novendiales preces ad ejus sepulcrum instituêre, & primo die post peractas preces desumpto oleo ex lampade unxerunt infantem, atque eodem die decidentibus squamis valetudo cœpit, & quinto perfecta est, nullo superstite mali indicio.*

Infans item Sancti tumulo impositus,

15 *Tertius violenta febri, fluxione ventris ac vomitu, morti proximus ac desperatus, suadente vicina, à parentibus ad sepulcrum* S. Thomæ *delatus est, non sine metu, ne in via interiret: & reipsa pro mortuo habitus est ab omnibus, priusquam ad ecclesiam perventum erat, cessante nimirum arteriæ pulsu, clausis oculis, sublato spiritu, & succedentibus aliis signis, quæ mortem indicant. Nihilominus tumulo Sancti impositus est; & parentes cum memorata vicina in genua provoluti, multis lacrymis opem ejus implorârunt, votumque adjecerunt, fore ut, si exaudirentur, amiculum sepulcrale ac cereum, mensuram pueri adæquantem, offerrent. Ipso temporis momento ocellos aperiens infans, vagitum edidit, & à matre sublatus, vivus ac floridus absque ullo febris indicio compertus est & intra biduum perfectè sanatus. Die postero retulerunt eum ad sepulcrum & cum gratiarum actione votum persolverunt.*

Ex Salonio et aliis.

& vir ejusdem tumuli attactu;

16 *Vir ex lapsu brachium dexterum ita læserat, ut nec extendere nec movere posset, post multa diu sed incassum adhibita remedia, novendiales preces concepit ad sepulcrum* S. Thomæ. *Primo die conatus est brachio lapidem sepulcralem attingere, & quod spatio quinque mensium non potuerat, sensit, se posse illud paululum, quamquam non sine molestia & ingenti dolore, extendere; continuavit id diebus sequentibus ulteriùs semper ac meliùs usque ad diem nonum, quo perfectè sanum recepit & ad labores, ut antea, idoneum.*

appositis floribus ab eodem sublatis,

17 *Quod sequitur apud Salonium Hispanicè, sic Latinè, adjectis testium nominibus, refertur à Coccino pag. 693:* Erat prope civitatem Valentinam in oppido, vulgò Patrario nuncupato, mulier quædam Catharina Montalta, uxor Antonii Sallent, tenuissimæ conditionis agricola, quæ, cùm sexto jam mater esset, atque ex omnimodo lactis defectu parvulos suos, ut maternæ charitatis amor exigit, alere minimè posset, & premente rei familiaris inopia, magno suo incommodo nutricibus lactandos tradere cogeretur: dum è sexto partu decumberet, ipsa quoque inter cæteros, quòd ad intercessionem Thomæ à Villanova consolari plurimos intelligebat, ad eundem pio cordis affectu pro impetrando lacte confugit, addito voto, quo promittebat, novenum, ut vocant, apud ejus sepulcrum se facturam, curaturamque, ut cùm primùm exiret è domo, Missæ sacrificium celebraretur. Cumque nonnullis pòst diebus lecto egressa Valentiam ad ecclesiam, sanctæ Mariæ Succursûs appellatam, properâsset, flexis ante Thomæ sepulchrum genibus ad gratiam hanc obtinendam, enixè eum, vivaque fide rogavit, & acceptis quibusdam floribus, quibus sancti Viri sepulchrum erat inspersum, inter ubera positis; Missamque reverenter auditam *, simul atque domum repetens, ecclesiam statim egressa fuit, sensit ubera adeo lacte referta, ut per papillas præ nimia copia extillaret, & protinus incredibili perfusa lætitia infantem, quem inter brachia gestabat, pectori admovens, lacte saturavit, quod affatim postmodùm semper habuit. De veritate hujus facti in processu Valentino... plenè deponit ipsamet Catharina Montalt... Antonius Sallent ejus vir... Vincentia Sallent communis filia... Seraphina Ledo... Joanna Anna Martin... Frater Petrus Orduna, sacerdos Ordinis sancti Augustini. *Hoc miraculum, ut suprà visum est, à sacrorum Rituum congregatione discussum fuit & approbatum, ac dein Bullæ canonizationis insertum.*

* *l.* Missâ auditâ

exsiccata ubera lacte profluunt; struma tollitur.

18 *Alia prolem suam lactans, ob ægritudinem sibi illatam, omni lacte privata fuit, exsiccatis ita uberibus, ut ne guttam quidem concederent. Nullam in remediis vim experta, sepulcrum petiit* S. Thomæ, *brachiis gestans infantem; cùm istic in genua procumberet, adfuit ædituus, flores recentes tumulo impositurus, & ablaturus marcidos; ex his sibi dari postulavit illa, obtentoque uberibus apponens, persoluta prece, recessit. Paululùm à templo progressa, mamillas lacte plenas comperit adeo, ut jam inciperet emanare. Porrexit mox læta infanti, & is magna suavitate attraxit. Tum conversa ad templum in genua se projecit, multis cum lacrymis Deo & Sancto gratias agens. Alia similiter amissi per quinque menses, lactis recuperandi humano remedio spem deposuerat: novendiales preces* S. Thomæ *adpromisit, & prima die ad ejus sepulcrum orans, ubera eodem tempore*

Ex Salonio et aliis.

plena lacte perſenſit. Puellam ex defluente humore vitiato dura inſtar lapidis ſtrumæ corripuit in collo, tantoque dolore affecit, ut nec quietem admitteret, nec in alterum latus caput invertere valeret; tantùm demum excrevit, ut miſellam ad extrema deduceret. Suaſit ei matrona conſanguinea, ut piè ſe Sancto commendaret, & ipſa ad illius ſepulcrum abiens, oravit ferventer pro infirma, floſculos tumulo impoſitos abſtulit ac per ancillam deſtinavit ad puellam, quæ eos ſtrumæ applicuit, & hac eodem temporis momento, ceſſante omni cruciatu, adeo diſſoluta eſt, collumque adeo flexile & ſanum evaſit, acſi nullo umquam incommodo fuiſſet infectum, ne exſtante quidem ullo ejus veſtigio. Mulier ſimili malo correpta in dextera colli parte, cùm nil proficerent medicamina, ad ſepulcrum Sancti ſe contulit, & inter ardentes preces malè affectam partem oleo lampadis unxit, ac ſubitò remittente dolore & ſubſidente tumore, ſanam ſe comperit.

§ III. Infantes mortui vel ut tales habiti, ad vitam revocati.

B

Puer,

PAulus Franciſcus (*ita Coccinus pag. 672*) natus Gabriële Cardona & Auguſtina Aſſentia conjugibus, incolis civitatis Valentiæ, commorantibus in via nuncupata del Palamar, parochiæ ſancti Joannis de Mercato, ſextumdecimum ætatis menſem agens, cùm ſextum jam ſeptimumve menſem febri laboraret, eóque proceſſiſſet valetudinis gravitas, ut à medico, ſalutem infirmi deſperante, jam eſſet derelictus, quadam die duabus horis ante meridiem grave animi deliquium paſſus fuit, cúmque poſt tres horæ quadrantes ad ſe rediiſſet, ingraveſcente magis magiſque morbo, horâ ſecundâ pomeridianâ plurimo genitricis mœrore vitâ functus eſt; quæ cùm eum deceſſiſſe ex appoſitione candelæ accenſæ ad os & nares, nec non manûs ad cor & pulſum infantis, ex ipſo corpore, quod gelidum evaſerat, atque ex ipſa capitis demiſſione cognoviſſet, planctibuſque & lachrymis præ doloris magnitudine minimè temperaret, ſubinde repetens; ſi, dum adhuc puer viveret, ad ſancti archiepiſcopi Thomæ à Villanova ſepulchrum eum detuliſſet, procul dubio non fuiſſe moriturum: admonita, ut illum ſic mortuum eódem deferret, accepto inter brachia puero, properavit ad eccleſiam B. Mariæ Succurſûs, ut vocant, ubi ſancti Præſulis corpus aſſervatur, poſitiſque ante ſepulchrum genibus, ferventibus cum lachrymis eum, ut puero vitam à Deo impetraret, rogavit; & ecce vix tantillo temporis elapſo, quo oratio Dominica & ſalutatio Angelica ter dici poſſet, puer incredibili adſtantium ſtupore revixit, & conſuetam parvulis vocem Tata pronuntiavit, oculis in matrem defixis, quæ ipſum, jam quoque omni morbo liberatum, actis Deo ſanctoque ejus Servo gratiis, magno cum gaudio domum reportavit.

C

& puella

20 Sperantia Valera, filia Sperantiæ Creſpo, habitantis in civitate Valentina in via, quæ vocatur della Parra, parochiæ ſancti Joannis de Mercato, ſexdecim menſes nata, ex diuturna febri novem vel decem menſium mortem obiit; cui cùm oculi fuiſſent aperti, corpuſque concuſſum, nulla tamen dedit ſigna vitæ, & ita duarum vel trium horarum ſpatio exanimis jacuit, donec mater ejus, quæ acerbiſſimè mortuam infantem deplorabat, recordata ſe habere de terra ſepulchri venerabilis viri Thomæ à Villanova, magna cum fide illam accepit, & gutturi puellæ ſuperimpoſuit, flexiſque genibus, alta voce hæc vel ſimilia verba dixit: Sancte & benedicte pater Thoma à Villanova, rogo te, ut à Deo Domino noſtro reſurrectionem filiæ meæ obtineas & ejus tibi libitinam offeram; magnopere enim in te confido, & Sanctum te eſſe credo. Quibus precibus abſolutis, nulla intercedente mora, infans plorare cœpit, & ubera matris ſuxit, atque illico meliùs ſe habuit, pauciſſimiſque pòſt diebus, perfectæ ſanitati reſtituta fuit. D

21 Hæc duo in hunc modum geſta probant teſtes locis infrà citandis; & quoad primum in proceſſu Valentino . . . Auguſtina Aſſentia mater infantis, . . . Angela Torres matertera . . . Auguſtina Eſturgia . . . avia materna . . . frater Marcus Rouira, monachus S. Auguſtini conventualis . . . Circa verò ſecundum deponunt in eodem proceſſu Valentino . . . Sperantia Greſpo * mater puellæ . . . Eliſabeth Agatha Fabra, amita puellæ . . . Antonius Fabra pater . . . Iſabella Paſtor avia paterna . . . & Joanna Angela Pina. *Hactenus Coccinus rationes dein ſubjiciens ad oſtendendam miraculorum veritatem, ac demum ita pergens:* Neque prædictis in re tam gravi fuimus contenti; ſed viſum eſt nobis ſuper morte dictorum infantium etiam peritiſſimorum hujus almæ Urbis medicorum audire ſententiam, videlicet Ambroſii, Galiani, Odoardi, Lopii, Angeli, Vittorii, Bernardini, Caſtellani & Benedicti Averini, qui, negotio maturè diſcuſſo, prædictos infantes fuiſſe mortuos unanimi ſuffragio concluſerunt, quibus procul dubio credendum eſt; cùm medicis ſtandum ſit in his, quæ reſpiciunt artem ſuam. *Utrumque miraculum à ſacra Congregatione approbatum fuit & Bullæ canonizationis inſertum, ſicut ſuprà dictum eſt; utrumque habet etiam Salonius, ſicut & alia, quæ, ut cœpi, pergo Latinè in compendium redigere.* *ſedecim menſes nati;* * *al.* Creſpo E

22 *Puellam tam grave ac mortiferum ſymptoma, non abſimile animi deliquio, ſubitò opreſſit, ut brevi demortua ſit. Jacebat quippe abſque pulſu ac ſpiritu, frigida, & cum omnibus, poſt facta experimenta, certæ mortis indiciis. Dolebant vehementer parentes uti & vicini, qui ſpectatum adveneram. Cùm autem hoc modo jacuiſſet per horas aliquot, parentes Sancti opem devotè implorârunt, adjecto voto afferendi illi libitinam & ceram ad æqualitatem puellæ; quæ ſtatim, emiſſo voto, oculos aperiens, colorem & pulſum cum plena ſanitate recuperavit, ipſique læti eam ad ſepulcrum Sancti promiſſa impleturi deportârunt. Idem accidit puellæ alteri menſes viginti duos natæ & omnium adſtantium judicio ex ardente febri poſt dies quinque è vivis ſublatæ: dum enim parentes ex doloris vehementia vitam unicæ filiæ, tamquam beneficium conſtanti ſuæ erga ipſum pietati debitum, à Sancto peterent, ac ſimile omnino votum nuncuparent, etiam hæc oculos aperuit, & omnino ſanata eſt, adſtantibus multis, & verè à morte revocatam eſſe cenſentibus.* *atque infantes* F

23 *Infanti menſium circitèr quindecim vehemens febris & huic ſuperveniens deliquium intra breve tempus mortem intulit veſperi ſub horam orationis; mortem certam faciebant qualibet experimenta; ita exanimis & frigidus jacuit per totam noctem: poſtridie monenti marito, involvendum eſſe ferali linteo, velle ſe poſt horam advocare clericos eccleſia S. Michaëlis, qui auferrent ac* *alii.*

A *ſepelirent, repoſuit uxor: Hanc mihi gratiam, domine, concede, ut puerum, licèt jam tot horas mortuum ac frigidum, ad patris* Thomæ *ſepulcrum deportem; quippe cùm tot indies patret miracula, confido fore, ut ad vitam revocet. Inſulſum hoc marito viſum eſt, attamen matris dolor ac fides perſuaſit: tectè itaque detulerunt, & cùm eò perveniſſent, rogârunt, ut Miſſa diceretur in honorem Sanctorum omnium; interim puerum mortuum mater ſepulcro impoſuit, & magnis ſuſpiriis ac lacrymis ardentique fiducia Sanctum invocavit, donec ſacerdos perveniret ad ſumptionem ſacroſancti Corporis Domini; tum enim puer oculos aperiens, plorare cœpit, ipſaque ſurgens, brachiis ſuſcepit, & ingenti animi conſolatione vivum ac ſanum accepit. Actis ritè Deo & Sancto gratiis, domum redierunt, per vias atque in vicinia inſigne miraculum propalantes.*

omnium opinione

24 *In paræcia S. Joannis mulier partui vicina, preſſuris continuò creſcentibus, triduo vexata, eóque redacta eſt, ut obſtetrici certum eſſet, non poſſe eam evitare mortem abſque miraculo; illa nempe tranſverſum fœtum ac jam tum mortuum eſſe obſervabat, conſultumque aiebat, matrem, paulatim ſpiritu deficientem, ſacro Oleo inungere.*

B *Adſtans vicina ſuaſit, ut ſancti Archiepiſcopi opem depoſceret, ſuadentem juvit obſtetrix, addens, ſe vidiſſe in variis lethalibus partubus mirabilia, ipſius patrocinio à Deo patrata: illa igitur, quamvis morti proxima, animum collegit, & in hæc verba ſemel & iterum erupit: Sancte Archiepiſcope, miſerere mei & adjuva me. Ad hanc vocem fœtus ad naturalem ſtatum converſus & uno temporis momento editus eſt, ſed mortuus, ater ac putidus. Eo relicto, ad matrem converſæ ſunt mulieres, quæ ſumpto remedio ad fovendum cor, mox viribus reſtituta & dolore liberata eſt, non parùm ſtupentibus aliis.*

mortui,

25 *Decretum jam erat in equili effoſſa ſcrobe humare fœtum mortuum, atrum nec ſacro baptiſmatis fonte tinctum: ſed eò deferre parantes cohibuit vicina eadem, quæ prius conſilium ſuggeſſerat, monuitque, ut & pro illo, quò ſaltem baptizari poſſet, ad Sanctum preces dirigerent. In genua procumbentes omnes tum viri tum mulieres per horam circitèr integram precibus inſtiterunt; tandem infans (puella erat) oculos aperuit, ploravit, atrum colorem ac fœtorem exuit, candi-*

C *dumque ac gratum induit, & matri præ gaudio illacrymanti tradita eſt. Deinde, accurrente ad prodigium magna hominum multitudine, ad templum S. Joannis ſalutaribus undis abluendam deportârunt, volueruntque parentes in memoriam & gratiarum actionem duplicis & tam inſignis beneficii, ut ei* Thomaſæ *nomen imponeretur. Mater è puerperio reſtituta cum filiola ad eccleſiam B. Mariæ de Succurſu ſe conferens, Miſſam celebrari juſſit in ara ſepulcro proxima, & argenteum infantem obtulit. Hoc miraculum factum eſſe ſcribit San-Martinus anno 1608, matrique nomen fuiſſe* Annæ Torrez de Rames, *vicinæ verò* Catharinæ Sales.

ad vitam

26 *Puer item biennis valida febri in domo patrui, à quo amabatur plurimùm, è vivis ſublatus eſt, ſicut ex omnibus ſignis certum eſſe judicârunt: accidit hoc ſub meridiem; circa veſperam adfuit monachus Ordinis S. Auguſtini & afflictis tum reliquis de familia, tum maximè patruo ac parentibus pueri auctor fuit, ut ad patris* Thomæ *opem confugerent. Paruerunt omnes; patruus verò ad ſepulcrum Sancti pergens, multis ſuſpiriis ac lacrymis puero vitam flagitavit, nec ante noctem domum rediit, ſed ſpe roboratus. Cùm nox media præverterat, puer, jam ultra duodecim horas pro mortuo habitus, frigidus ac extenſus, oculos aperuit, calorem & colorem recepit, alacris & ſanus in lecto ſe erexit, mirantibus plurimùm & Deum laudantibus, qui aderant.* Ex Salonio et aliis.

revocaret.

27 *Sequitur apud Salonium relatio revocatò ad vitam pueri menſium ſexdecim, quæ tam parùm differt ab ea, quam dedi ex Coccino num. 19, ut ei ſuperſedere viſum ſit, & eâ, quæ apud eumdem Salonium poſtremo loco ponitur, hunc § claudere. Puerum triennem acuta febris per integrum circitèr menſem, eluſis remediis, accreſcens continuè, tandem è vita eripuit. Jacebat cluſis oculis, ore aperto, abſque colore, ſpiritu & motu aliquo. Incaſſum itaque ſumptis ad eliciendum vitæ ſignum experimentis pluribus, pater ad ſepulcrum*

D *Sancti abiit, preces, ad hunc ſuudi ſolitas, recitari poſtulavit, ipſeque multa devotione & fiduciâ puero vitam flagitans, libitinam oblaturum ſe promiſit: dum hiſce per horam circitèr inſiſteret, puer, domi jam multis horis mortuus ac gelidus, oculos aperiens, matrem contuitus eſt, oblatum ovi luteum comedit, ac die ſequenti viribus reſtitutus eſt integraque ſanitate gaviſus, non parùm mi-*

E *rantibus, qui verè mortuum conſpexerant.*

§ IV. Infantes moribundi ad ſanitatem reducti.

infantes

COmitis de Sinarcas filiolum ſemeſtrem febris tam intenſa corripuit cum ſpirandi difficultate, ut paulatim ſuffocaretur. Inciſa eſt ei vena, & inde incidit in animi deliquium, ac animam agere viſus eſt omnibus. Parentes & avus è morientis conſpectu ſe ſubduxere, & confeſtim itum eſt ad dominum Mathiam Pallas canonicum, infantis avunculum, qui reliquias Sancti ſervabat; allatæ hæ ſunt & puero impoſitæ, atque eodem inſtanti temporis meliuſculè ſe habuit; ſubierunt parentes aliique & gratias egerunt Deo & Sancto, cujus reliquiarum contactu puer è mortis faucibus ereptus fuerat. Puer alius ex ardente febri & ſuperveniente deliquio omnium opinione jam animam agebat; mœſta parens multis lacrymis S. Thomam *invocavit, & eum, cujus ad ſingula momenta ſupremum ſpiritum exſpectabat, deſerere*

F *non auſa, amicam Sancto devotam ad ſepulcrum miſit, quæ Miſſam celebrari curaret & amiculum ferale promitteret; eodem tempore, quo Miſſa abſoluta eſt, etiam uno quaſi inſtanti finem habuit infirmitas; puer febre ac deliquio liberatus, ſanus ac validus exſtitit, nullo relicto morbi indicio.*

febribus.

29 *Tertius menſes natus viginti ex acuta febri & fluxione lethiferos continuè paroxiſmos patiebatur; applicârunt remedia medici; ſed miſer in deterius ibat, jamque per dies quinque nihil nutrimenti ſumpſerat. Parentes, dum vident de vita filii unici conclamatum eſſe, tollunt & quaſi mortuum ad Sancti ſepulcrum deportant, funereum amiculum & pictam in tabella ejus effigiem promittunt; dumque orant, puer convaleſcit, cibum petit, comedit & intra quartam horæ partem integræ ſanitati redditur: illi, gratiis Deo & Sancto actis, domum repetunt, miraculum promulgantes. Puellam menſium viginti oppreſſerat ſimiliter febris & convulſio tam vehemens, ut judicio medicorum ſanari non poſſet. Parentes ad ſepulcrum* S. Thomæ *detulerunt, ac preces pro ipſa profuderunt; confeſtim, ceſſante febri & convulſione,*

Ex Salonio et aliis. *parvula, instar mortuæ illuc deportata, pedibus incedere occepit sana & incolumis.*

aliisque 30 Quædem lactans prolem suam (*ita Baxius ex Salonio*) commoto graviter stomacho, passa fuit humorum in corpore perturbationem insignem: unde lactens vitiatis ejusdem uberibus, speciem aliquam apoplexiæ contraxit, ac latus alterum obriguit: sic affectus, ut ab omnibus pro exanimi haberetur. Avia verò ejusdem promisit, se appensuram B. Thomæ funebre involucrum nepotis, quod erat paratum sepulturæ & confestim puerum morbus omnis reliquit. *Puerum item undecimo ætatis mense afflixerunt simul febres, papulæ & nervorum contractio; ac medicus, elusa arte sua, nullum nisi à Deo remedium superesse tandem pronuntiavit. Afflictus pater hoc audiens sub horam noctis nonam accurrit ad monasterium beatæ Mariæ de Succursu, & à patre Priore ceterisque religiosis, quibus notus erat, ad sepulcrum* S. Thomæ *deductus est; ubi in genua provolutus, aliis communes preces recitantibus, puero sanitatem flagitavit & impetravit. Quippe intra decimam & undecimam domum redux, filiolum in ancillæ brachiis sanum, alacrem ac patri blandientem offendit, uxorem, quæ prolis morientis conspectum non sustinens, in aliud cubiculum secesserat, vocavit, & suæ lætitiæ participem fecit. Aliud beneficium puero anniculo obtentum subdit Salonius; sed re ac verbis adeo simile est narrato suprà secundo loco num.* 28, *ut indicâsse sufficere existimem.*

B

gravibus 31 *Alius sexennis vehementi febre intra paucos dies ad extremum deductus est, & omnium opinione octo horarum spatio pro mortuo habitus. Pater ad Sancti sepulcrum abiit, oravit, Missam celebrari jussit, promisit amiculum ferale, & domum redux sanum recepit. Parens alter filio bimulo similiter ex febre moribundo sanitatem exoraverat; sed post menses aliquot idem puso gravi morbo oppressus, intra dies octo eò redactus fuit, ut ab omnibus vitâ destitutus crederetur. Pater media nocte ad ecclesiam B. Mariæ de Succursu properans, tantum effecit, ut ad Sancti tumulum intromitteretur, ibidemque tanta contentione totque lamentis opem imploraverit, vovens simul offerre funebre involucrum & tabellam, in qua depictum esset beneficium, ut religiosi, finito Matutino officio, è choro ad ipsum accederent, solari conarentur & suas ejus precibus conjungerent. Surgens abstulit flosculos tumulo impositos & terram sepulcri, domumque reversus, puerum periculo defunctum reperit; qui flosculos à patre sibi porrectos ori imponens, in somnum, quem per multas noctes expertus non fuerat, incidit, tandemque evigilans, exstitit sanus & integer.*

C

malis 32 *Bimulum item morbus vehemens incessit, ut subitò sensibus omnibus privaretur, spumamque ex ore emitteret, nec dici posset, an convulsio esset an phrenesis. Pater mortuo quàm vivo similiorem ad Sancti sepulcrum deportavit, & post preces ac lacrymas sensibus & sanitati restitutum recepit. Mulier alia ab ea, quam hoc capite memoravimus (num.* 30,) *gravi stomacho perculsa, mamillas filiolo porrexit, qui illico convulsione & in ore pustulâ adeo afflictus est, ut nullatenus sugere sustineret. Malo illo & nutrimenti defectu intra paucos dies consumptus & ad extrema deductus est. Mater ad Sanctum conversa, oravit, ferale amiculum sepulcro ejus appendendum spopondit, & extemplò cessavit in puero convulsio, disparuit pustula, nullum reliquum fuit incommodum, mox infans arripuit ubera sanus & alacer.*

33 *Puellulam, gravi febre laborantem, in superveniente deliquio medicus brevi occubituram judicabat; quapropter genitor amicum clericum invitavit, ut, si filiolam, quam & ipse amabat plurimùm, postremò videre cuperet, acceleraret. Acceleravit is, & per viam Sancto, in quem pia devotione ferebatur, puellam commendavit, nec promisit, funereum involucrum tantumque tritici illi offerendum, quantum penderet infans; imò, si minùs pater voto acquiesceret, fore ut ipsemet persolveret. Domum subiit, atque parentes & domesticos omnes stupentes ac gaudentes offendit, dicentesque, non elapsam esse quartam horæ partem, cùm infans, jam planè exspirans, unico momento temporis omni malo liberata esset & à morte revocata. Significavit ille votum eodem tempore à se editum, illudque illi, gratiam Deo & Sancti patrocinio attribuentes, impleverunt.* D ad vita

34 *Alia quadrima valdè febriens, omnium judicio mortis victima putabatur; mater ad exitum properantem conspiciens,* S. Thomæ, *quem indies invocabat, promisit fore, ut amiculum funebre offerret, & puellam habitu ejus Ordinis indueret, si sanitati restitueretur: hæc, audito matris voto, quamquam morti proxima, quo meliùs potuit, dixit: Pater Don* Thomà, *sana me, & ego habitum tuum geram; subeunte interim cubiculum sacerdote, matris germano fratre, erexit se parvula in lecto & avunculum complexa: Sana sum, inquit,* P. Thomas *sanavit me; induite me ejus habitu; attoniti omnes præ gaudio lacrymas non tenebant; utrique voto satisfactum est, deductaque cum gratiarum actione puella ad Sancti sepulcrum.* exitum E

35 *Puerum sexennem intensa vis morbi sic oppresserat, ut die tertio non ausi sint ipsi venam aperire, quarto autem sub meridiem medicus eum intuitus oculis intermorientibus aliisque imminentis lethi signis, affirmaret matri, fieri non posse, quin properè moreretur, & à solo Deo opem esse implorandam: posthæc abeunte illo, parens continuò supremum spiritum exspectans, orabat* S. Thomam, *& filium, necdum sensibus omnibus destitutum conspicata, monuit, idem ut faceret, si minùs ore, saltem corde; puer animum colligens, quantùm valuit, dixit: Sancte Archiepiscope, adjuva me; sancte Archiepiscope, salutem mihi obtine: hæc repetens sæpiùs, incidit in somnum, quod ante dies multos ei non contigerat; mater in aliud cubiculum secessit, atque huic ille post horam redeunti oculis nitidis, viribus integris, clara & alacri voce dixit: Domina, jam convalui; pater don* Thomas *sanitatem impertivit, vidi enim ipsum hîc coram indutum nigro habitu, mitram capite, manu pedum gerentem, accessit ad me, dixitque: Surge Vincenti, nam per Dei misericordiam sanus factus es, & hoc dicto disparuit; neque somnium hoc fuit; evigilaveram quippe, & hanc candelam, has imagines & Sanctum tam clarè, quàm te nunc ipsam, conspexi. Flens mater præ lætitia filiolum complexa est, ac plurimas Deo & Sancto egit gratias. Ad horam tertiam rediit medicus, parentes sibi peramicos solaturus, certóque existimans, jam defunctum esse; at cùm incolumem valentemque offenderet, stupore perculsus: Hoc, inquit, grande & planè evidens est miraculum. Flagitavit demum, quid puero factum fuisset, & , matre exponente totius rei seriem, denuo alta voce prædicavit, tam grande tamque evidens esse miraculum, quàm si fuisset revocatus ad vitam.* deducti F

36 *Puer quadrimus, dum cum aliis ludit in platea, rheda obtritus est, una rotarum opprimente collum & maxillam, alterâ coxendicem.* incolumes

Rela-

A *Relatus eſt domum abſque ſenſu & inſtar demortui, defluente ſanguine ex ore, auribus ac naribus. Fuerat hâc rhedâ vectus dominus Mathias Pallas canonicus eccleſiæ Valentinæ, qui eo caſu contriſtatus, domum pueri ſubiit, & abſque ſenſibus jacentis collo appendit Sancti reliquias, quas ſervabat penes ſe, admonens omnes, ut ab illo auxilium depoſcerent. Paruerunt illico monitis, atque interea advenit chirurgus, qui puero venam aperuit, & vulneribus medicamina appoſuit, ſed, hinc accedente vehementi febre, illi deteriùs fuit. Nihilominus adhortante canonico, precibus conſtanter inhæſerunt parentes; puer verò poſt paucas horas ſomno oppreſſus eſt, ac dein expergefactus ſine dolore è lectulo ſe proripuit, cœpitque diſcurrere per cubiculum; die poſtero memoratus canonicus reviſens, ſanum comperit, alacrem, omni læſione hujuſve veſtigio immunem.*

evadunt. 37 *Alius uno anno natus ex vehementi febre ad vitæ exitum deductus, velut exanimis decumbebat luminibus clauſis, & vitali calore deſtitutus. Sublatum detulerunt parentes ad ſepulcrum* S. Thomæ, *ubi, dum illi orant & vovent veſtem ejus funebrem, oculos aperuit, ubera aſſumpſit &*
B *perfectæ ſanitati redditus eſt. Similiter puella, menſes nata decem & octo, ex violenta febri proſtrata decumbebat velut exanimis ſine pulſu, ſpiritu aut motu, erumpente ex ore & naribus ſpuma; atque ab ipſis medicis mortua eſſe dicebatur. Parentes in genua provoluti, multis lacrymis & ſuſpiriis ſupplicârunt* S. Thomæ, *& tum funebre amiculum, tum ceram pondere æqualem puellæ, ſi viveret, promiſerunt. Subitò etiam hæc oculos aperuit, & colorem recepit. Die ſequenti ſanam valentemque ad Sancti ſepulcrum detulerunt grati parentes, unà cum promiſſa cera & funebri amiculo. Porrò quòd omnes penè hactenus memorati Sancto voverint veſtem infantis funebrem, mirum videri non debet; mos enim ille etiam alibi in Hiſpania uſurpatur.*

§ V. Plures moribundi & à medicis deſperati, patrocinante Sancto, ad ſanitatem deducti.

C

Deſperatus à medicis, *STudioſum Sancti cultorem gravis infirmitas ita proſtravit, ut medicorum judicio naturale remedium nullum ſupereſſet. Munitus jam omnibus morientium Sacramentis, & nocte quadam ſolitò magis infirmitate preſſus, ardentiùs etiam ſolito, & firmiore fiducia, quamquam de eo actum eſſe putarent omnes, Sancti opem poposcit. Media nocte prope lectum advertit lumen atque unà beatum Patrem, qui ipſum alloquens, dixit: Confide, fili, mox enim convaleſces. Dictum firmavit effectus; nam, diſparente Sancto, eodem momento temporis conſolatione plenus ſanum, vegetum ac roboratum ſe ſenſit, advocavit domeſticos, qui cubitum conceſſerant, narravit viſionem, & ſubita ſanatione confirmavit.*

alter febre exhauſtus, 39 *Alterum Sancto devotum febris quotidiana planè exhauſerat; reſtabat quippe miſero nihil præter oſſa, cutem & figuram hominis; preces interim ad Sanctum dirigebat indies. Die quadam, cùm vires non ſuppeterent, ut vel ad unum paſſum procederet, experiri ſtatuit, utrùm ad Sancti ſepulcrum pertingere poſſet, & fruſtra conquerente ac temeritatem damnante cum ceteris domeſticis uxore, veſtes induit, pedetentim baculo innixus non ſine grandi moleſtia eò pervenit, & ad ſepulcrum humi provolutus diem penè integrum in precibus tranſegit. Ad veſperam non tantùm febris acceſſum, ut conſueverat, non eſt expertus, ſed adeo vegetum ac fortem ſe ſenſit, ut, miſſo ſcipione, ſanus domum redierit, comederit, nec deinceps eodem malo tentatus fuerit, retinueritve aliquod ejus veſtigium præter debilitatem; ſed quæ intra paucos dies etiam ceſſavit.*

Ex Sabonio et aliis.

tertius & quartus derelicti, 40 *Alius item, erga Sanctum piè affectus, gravi febre ac lethargo oppreſſus fuit, derelictus à medicis, & de horum conſilio unctus ſacro Oleo. Sic inſtar demortui proſtrato impoſuere pileolum, quo olim uſus fuerat* S. Thomas, *& pulſum arteriæ leverunt oleo lampadis, ardentis ad illius ſepulcrum. Derepente oculos aperuit, profundo illo ſopore ſolutus eſt, atque ita convaluit, ut ſtuperent medici. Poſt paucos dies perfectè valens abiit, Deo & Sancto gratias acturus de beneficio. Febris quartana hominem alterum quadriennio exederat, ac tandem in ardentem converſa medicis omnem ſpem præciderat; ab his itaque derelictus, ad* S. Thomam *converſus eſt. Dum, qui exitum ejus exſpectabant,* E *ex continuis vigiliis laſſi ſe pauliſper quieti committerent, apparuit ægroto Sanctus, & exterrito manum imponens dixit: Noli metuere, fili, Dominus enim tibi mox ſanitatem concedet; hæc effatus diſparuit. Æger omni febre & periculo perfunctus clamavit, accurrenti cum ceteris genitrici rem enarravit, & die ſequenti veſtes induit; quamvis autem tum propter reſiduam debilitatem domo exire nequiverit, intra paucos tamen dies exiit acturus Sancto gratias.*

quintus deſperatus à medicis; 41 *Nobilem equitem in juvenili ætate acris laterum dolor cum ardente febri ita oppreſſit ac proſtravit, ut non auſi ſint ipſi venam aperire, & duo medici ſub veſperam monuerint amitam ipſius, ſpem vitæ nullam eſſe reliquam, muniendum igitur Eccleſiæ Sacramentis. Advenerunt Religioſi ferentes Sancti reliquias, quas, ipſis hortantibus, quantum valuit, veneratus eſt ægrotus; ſimulac autem eædem appoſitæ fuiſſent ejus capiti ac lateri, nullâ interpoſitâ morâ, oculos aperiens, recreatum ſe comperit & dolore ac febri prorſus vacuum. Die poſtero redeuntes medici nec ſine ſtupore, quem mortuum verebantur, tam repentè immutatum cernentes, rogavere, quid ſumpſiſſet æger, reſpondente illo, ſanum ſe redditum à Sancto, capacemque, qui lecto ſurgeret, niſi contineret debilitas, affirmârunt, evidens eſſe miraculum.*
F

duo item clerici 42 *Valida febri & ſuperveniente angina clericus Valentinus poſitus eſt in mortis anguſtiis. Mater jacentem conſpiciens clauſis oculis & lethalibus cum indiciis, Sanctum invocavit & ut hoc ipſum animo faceret, perſuaſit filio. Allatæ ſunt illius reliquiæ, & ægro deoſculandæ traditæ ac tandem capiti impoſitæ. Eodem momento oculos aperuit, mirum in modum recreatus eſt, atque intra breve tempus ceſſante omnino febri ac ſolutâ anginâ, plenam conſecutus eſt ſanitatem, medicorum aliorumque judicio miraculoſam. Febris item acuta cum ſuffuſis toto corpore maculis luridis (* Hiſpanicè tavardillo *) & ipſum caput penetrantibus, in phreneſim conjecit clericum alterum. Mater & ſorores nihil auxilii à medicis conſecutæ, reliquias* S. Thomæ, *quem piè colebant, afferri curârunt. Cùm hæ infirmo oſculandæ porrigerentur, ipſæ in genua provolutæ magno fletu ac fiduciâ auxilium deprecatæ ſunt, & fore ſpoponderunt, ut, ſi audirentur, novemdiales preces inſtituerent, atque tabellam ad e-*

jus

Ex Salonio et aliis.

jus sepulcrum appenderent. Statim æger apertis oculis clarè & omnino consideratè fari cœpit, omni malo liberatus est, ac brevi post perfecta fruens sanitate, adiit ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu ad persolvendas Deo & Sancto gratias.

& Religiosus, aliique

43 *Religiosus hujus conventûs S. Augustini Valentiæ, judicio medici, sacro Oleo erat inungendus; eò redegerat ipsum intra paucos dies violenta febris, sed hæc similiter allatis & laborantis capiti impositis* Thomæ *reliquiis, illico cessavit, tamque validum reliquit, ut inungendus non fuerit, & medicus revisens die postera, miraculum esse censuerit; mortuum quippe à se reperiendum putaverat. Mercator hujus civitatis Valentinæ ab homine scelerato binos pugione ictus accepit, quos medici & chirurgi humano remedio insanabiles judicârunt: vespere quodam tantum animi deliquium passus est, ut jam exstinctum esse reputarent omnes. Uxor multas preces & lacrymas fudit ad S.* Thomam, *& ipse æger paululum sibi redditus, atque illi similiter devotus se commendavit. Apportatæ tandem sunt ejusdem reliquiæ & ægro impositæ, qui inde tantas vires adeptus est, tantúmque recreatus, ut medici non sine stupore miraculum esse affirmârint, idque confirmârint, dum post aliquot dies, coalescentibus plagis, integram sanitatem expertus est.*

B

ad mortem ægroti, convalescunt.

44 *Fuit, qui ex validis febribus & ingenti sanguinis ex ore profluvio ad exitum properaret; nihil igitur promoventibus medicaminibus, & ipsis medicis mortis victimam existimantibus, se* S. Thomæ *patrocinio commisit, & cum adstantibus ejusdem reliquias ad se delatas veneratus est; subitò cohibuit se profluvium sanguinis, cessavit febris, & roboratum atque omnino sanum se sensit. Alter Sancti cultor adversùs acutam febrem nihil in remediis levaminis, sed potiùs mali augmentum persentiens, rogavit matronam, affinem suam, similiter Sancto devotam, ut novendiales preces ad ejus sepulcrum institueret: annuit illa, & mox prima die ipse meliùs se habuit, atque ita convalescens in dies singulos, die novo adeo sanus & robustus exstitit, ut exire potuerit ad persolvendas Deo & Sancto gratias. Tertium copiosa per os & nares quatuordecim horarum spatio sanguinis eruptio ita profligavit, ut quasi exsanguis & exanimis procumberet. Medici effluvium cohibere non valentes, & de vita ejus actum esse judicantes, Ecclesiæ Sacramentis muniendum pronuntiârunt, nullum quippe remedium superesse præterquam à solo Deo. Dum alii cum ægro* S. Thomam *inclamant, vicinus ad monasterium festinat, qui ejus reliquias afferri curet; at his tunc aliò delatis, projecit se ad sepulcrum Sancti, oravit ferventer, & flosculos inde ablatos retulit ad infirmum; devotè is suscepit & naribus atque ori applicans, postulavit auxilium. Extemplò substitit sanguinis effluvium, febris, quæ accesserat, cessavit, rediere illi vires, comedit, omnino sanus evasit, & in miraculi memoriam Deo & Sancto detulit funereum involucrum.*

C

Vir lateris dolore & alter febri lethifera liberantur.

45 *Quartum prope ædes archiepiscopi vehemens dolor corripuit in uno latere, inguine & crure; cùm domum perveniisset non sine ingenti difficultate pedem protrahens, lecto se dedit & inter acres dolores ab hora tertia pomeridiana, nullo advocato chirurgo vel adhibito remedio, inclamavit opem Sancti, certò confisus fore, ut ejus favorem experiretur; sub mediam noctem in somnum incidit, & evigilans ab omni dolore & incommodo liber exstitit. Quintus maligna febri intra paucos dies ad extrema deductus est, &, cùm nihil præter obitum exspectaretur, sacro Oleo perunctus. Mater Sancto devota ad sepulcrum ejus properavit, filiumque, ejusdem quoque cultorem, enixe commendavit, adjecto voto offerendæ vestis funebris & tabellæ depictæ. Eâdem horâ, mirantibus omnibus, æger febre & periculo absolutus, &, si debilitatem ex cruciatu residuam excipis, repentè sanus fuit.*

D

Plures mulieres

46 *Mulierem Sancto devotam febris admodùm gravis ac laterum dolor ita afflixerat & suffocaverat, ut animam ageret & post apposita multa remedia tum filius, qui erat medicinæ doctor, tum alii hujus collegæ ac amici judicarent, de ipsa conclamatum esset. Nocte, quâ obitura credebatur, multis lacrymis perfusa filia matrem Sancto commendavit, oblaturam se ei spondens funebre involucrum; eo momento mater sensibus plenè restituta est, ac febre & omni malo liberata, mirantibus subitam sanationem, medicis præsertim, & valdè evidens miraculum esse affirmantibus. Aliam acuta febri aliisque accedentibus malis in mortis confinio positam medici absque ulla spe vitæ deseruerant. Itaque magna devotione ad Sanctum conversa est, allatas ejus reliquias venerata, & ipso momento, quo hæ capiti ejus imponerentur, ingens illi sudor erupit, statimque febris & omnia illa reliqua mala recesserunt, sana & incolumis exstitit, mirantibus cunctis adeo subitò sanatam, quam mortis victimam reputabant. Alia vehementis febris continuis accessibus aliisque malis eò perducta, ut medici pariter tamquam desperatam ac brevi morituram destituerent, corde se multùm commendavit Sancto & oblatas sibi ejus reliquias venerata est: eodem autem momento, quo post venerationem capiti ejus impositæ sunt, à febri se liberam sensit & roboratam. Alteri similiter ex febre & angina moribundæ, loquelâ destitutæ & medicorum monitu inunctæ sacro Oleo, interior Sancti invocatio & impressum reliquiis ejus osculum salutem repentinam attulit; nam statim redeunte loquela, ac multo sanguine & pure ex auribus defluente, liberatam se febre & sanam comperit non sine ingenti admiratione eorum, qui in singula momenta supremum spiritum exspectabant.*

E

ex malis immedicabilibus

47 *Corripuerat feminam aliam malum adeo vehemens, ut subitò loquelâ ac sensibus privaretur, & vocati medici, nullâ interpositâ morâ, sacro Oleo inungi juberent. Abiit maritus ad ecclesiam S. Petri vocaturus in eum finem parochi vicarium; sed ejus absentiâ contristatus, accepit à canonico* S. Thomæ *reliquias, quas, donec rediisset vicarius, imponeret moribundæ capiti. Monitis paruit, easque primùm uxoris ori apposuit, deinde imposuit capiti: ipso momento illa apertis oculis distinctè locuta est: adveniente parocho, necesse non fuit ipsam inungere, adeo sana erat & roborata, medicis admiratione perculsis. Die postero ad ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu perrexit, & noxas confessa ac sacrosancto Eucharistiæ epulo refecta gratias egit Deo & Sancto.*

F

moribundæ

48 *Hisce subnectit Salonius septem alia beneficia seu miracula per Sanctum moribundis mulieribus subitò impetrata, quæ, ne ejusdem penè rei & eorumdem verborum fiat continua repetitio, paucioribus perstringo. Prima ex pestilente febri & convulsione per dies quinque sensibus orbata & animam agens, dum reliquiæ* S. Thomæ *capiti ejus impositæ sunt, mox sensus, loquelam & sanitatem recuperavit. Altera ex improviso per os & aures tam copiosum sanguinem nocte integra emisit, ut medici, accedente deliquio, insanabilem & sacro Oleo inungendam judicârint. Morientem* S. Thomæ *commendârunt, & sub horam sextam matutinam*

A *oculos aperuit, ac ceſſante mox ſanguinis fluxu, vires recepit & ſanata eſt. Tertia à medicis deſperata, vovit novendiales preces ad Sancti ſepulcrum, & illico, deſinente febri, ſanata eſt. Quarta morientium Sacramentis munita, votum Sancto nuncupavit, & ſimul ac ejuſdem reliquiæ capiti ejus impoſitæ atque ulceribus ex ſanguinis corruptione natis appoſitæ fuerunt, convaluit, intraque paucos dies omni infirmitatis indicio vacua exſtitit. Quinta ex violenta febri jacebat ſenſibus privata, ſacro Oleo inuncta & tamquam mortua. Eodem tempore, quo maritus pro ea orabat ad ſepulcrum* S. Thomæ, *rediit ad ſenſus & periculo defuncta eſt. Sexta ex febri & angina in aditu mortis poſita ac ſimiliter ſacro Oleo munita, dum monitu ſororis votum nuncupavit, periculo erepta eſt & intra biduum plenè ſanata. Septima item ſacro Oleo uncta, Sancti reliquias poſtulavit, venerata & oſculata eſt, lateri ſuo, ex cujus dolore & violenta febri ad extremum deducta fuerat, apponi voluit, & confeſtim recreata in ſomnum incidit, ac demum evigilans, nihil mali reliquum habuit.*

B *Janantur.* 49 *Quod octavæ à Salonio memoratæ accidit, approbatum fuit à ſacra congregatione, deſcriptumque in Bulla canonizationis & in Serie actorum ad eamdem canonizationem: ita illud narrat Coccinus:* Vincentia Catharina, filia Antonii Roſellon, quinque & viginti annos nata, habitans in civitate Valentiæ apud tinctores prope parochialem eccleſiam ſancti Michaëlis, cùm à quinquennio dolore maximo in genu ac femore pluribus ibidem profundiſſimiſque foraminibus, ex eo morbo factis, ad vitæ ſuæ extremum deveniſſet, & propter exanimationem quandam, quâ correpta fuerat, extrema Unctio jam pararetur; (*in Serie actorum dicitur*, eo Sacramento munita fuiſſe die beatæ Mariæ Angelorum inibi feſtivo, anno MDCIII;) mater ejus cernens filiam in tantis angoribus conſtitutam, veraci vivaque fide venerabilem Thomam à Villanova rogavit, ut ſanitatem ei à Domino impetrare dignaretur, promittens, obtentâ gratiâ, coram * ſe ad ſepulchrum ejus delaturam, & ilicò, voto emiſſo, infirma meliùs habere cœpit ac triduo pòſt perfectam ſanitatem adepta eſt. Suprà narrata probant... in Proceſſu Valentino ipſamet Catharina Vincentia Roſello... & Antonius Roſello ejus pater... & Catharina Ximena... Martinus Sanchez... & Joannes Caſtello... Quod fuiſſe miraculum evidentiſſimè colligitur, ſi conſideretur infirmitas diuturna, & quòd nunquam, multis adhibitis remediis, potuit ſanari, & quòd foramina erant talis qualitatis, ut chirurgi de uno ad aliud vincos * marinos apponerent, ut probant dicta Catharina Vincentia & Martinus Sanchez, & quòd in extremo vitæ conſtituta, poſtquam venerabilis Viri opem imploraviit, appoſitis tantùm foliis ſuper foramina, ut deponunt prædicti teſtes, intra tres dies etiam à dictis foraminibus incolumis evaſit. *In eo differt Salonius, quòd nec infirmæ nomen, nec ætatem exprimat, pro quinquennio quadriennium ponat; duplicis tantùm foraminis meminerit, nec loquatur de appoſitis foliis, fortè quia hæc vim medicam continere credita non ſunt, uti ſat clarè innuitur in Serie actorum, dum dicitur poſt invocatum* S. Thomam, nullo mox naturali remedio uſa.

* *fortè ceram*

C

* *l.* juncos

Ex Salonio et aliis.

§ VI. Ægrè parturientes liberatæ, & viva prole donatæ.

Lethali parta laborantes PUerpera *gravibus doloribus preſſa, judicio obſtetricis, quòd fœtus obliquè jaceret, eniti non poterat, quin & ipſa & proles exſtingueretur. Nihil promoventibus unguentis ac remediis in hujuſcemodi caſu uſurpari ſolitis, miſera ad* S. Thomam *converſa, ſupplex auxilium invocavit, votumque Miſſam in honorem Sanctorum omnium celebrandam; hoc votum nuncupanti adfuit Sanctus in forma venerabilis ſenis, indutus habitu Ordinis S. Auguſtini ac manu tenens pedum, dixitque: Sume animum, filia, & fiduciam in miſericordia Domini, is enim te brevi liberabit. Eo dicto diſparuit, ſoli viſus parturienti, quæ aliis id ſignificavit ac teſtata eſt. Paulò pòſt puerum edidit vivum ac ſanum, ipſa quoque incolumis; attonita interim obſtetrice & palàm proclamante, partum hunc naturalem non eſſe ſed miraculoſum.*

E

prodigiosè liberantur: 51 *Prægnantem aliam corripuerat febris valida, & repetita aliquoties medicorum mandato vena ſectio debilem admodùm reddiderat; ſupervenere interim partûs angustiæ. Sed vocata obſtetrix priùs morituram quàm parituram eſſe credidit, tum quòd adeo debilis eſſet, tum maximè quòd in fœtu nullus motus obſervaretur. Doloribus preſſa, & urgente periculo anxia,* S. Thomam, *quem piè colebat, multis lacrymis in auxilium vocavit, votum adjiciens fore, ut novendiales preces ad ejus ſepulcrum inſtitueret, argenteum donum offerret, & in gratiarum actionem Miſſas fieri curaret. Hoc votum emittens, mitigatis doloribus, in latus ſe invertit ac obdormivit: evigilans dixit: Partum enixa ſum, venite, tollite. Obſtetrix, quamquam non crederet, & vi morbi à ſenſibus alienam exiſtimaret, accurrit tamen, ac fœtum mortuum adjacentem conſpexit, aſſeruitque ſine miraculo fieri non potuiſſe, ut lateri incumbens, dormiens, tam debilis, à nemine adjuta, ac prole mortua, pareret. Poſt hæc, cùm fœtum comitatæ non fuiſſent ſecundæ, denuo Sanctum invocavit puerpera, atque illas extemplò ſine ulla moleſtia emiſit; quod alteri miraculo adſcripſit eadem obſtetrix.*

F

aliæ prolem mortuam enixæ, vivam recipiunt: 52 *Altera graviter parturiens, fœtu tandem liberata eſt, ſed omnium opinione mortuo. Obſtetrix, ſumptis omnibus ad eliciendum vitæ indicium experimentis, certò mortuum eſſe pronuntiavit. Afflicti parentes, pii* S. Thomæ *cultores, prece & lacrymis ad ipſum converſi ſunt, & funebre involucrum promiſerunt. Dum votum hoc nuncupabant, flere cœpit infantula, mirantibus cum obſtetrice univerſis ac per evidens miraculum à morte ſuſcitatam conclamantibus. Poſtea ad Sancti ſepulcrum contenderunt parentes & cum gratiarum actione ſolverunt votum. Sequitur apud Salonium prolixa narratio miraculi patrati in parturiente & ejuſdem prole mortua, quod diverſum quidem fuiſſe ait ab expoſito ſuprà num.* 24 *& ſeq., ſed adeo ſimile, ut omiſſis ceteris unum tantùm alterumve adjunctum, quod illic non legitur, hìc addere viſum ſit. Dicitur itaque, ad pedem ex materno utero eminentem baptizata fuiſſe per obſtetricem: dein poſt preces ad* S. Thomam *vi quadam expulſa & impulſu in ejuſdem*

Ex Salonio et aliis.

obſtetricis brachia, adeo vitæ expers, ut neque ad alia experimenta, neque ad punctionem grandioris aciculæ motum ullum ederet, & judicio obſtetricis jam antè mortua fuiſſet in utero; poſt iteratas preces vitam & ſanitatem accepit, ac ſacro fonte abluta eſt.

aliæ item in periculoſo

53 *Angebat mulierem alteram partus adeo difficilis ac lethalis, ut vocatæ tres quatuorve obſtetrices faterentur, ſe illi ſubvenire non poſſe, accerſendos eſſe* paſtores (*vocem Hiſpanicam retinui, quâ veriſimiliter deſignat auctor chirurgos ſeu partûs adjutores*) *qui fœtum extraherent. Recurrit illa ad* S. Thomam, *& ingenti devotione ac fletu ſe ipſi commendans, vovit novendiales preces ad ejus ſepulcrum: eodem momento abſque cujuſlibet auxilio bellulum puerum enixa eſt, ipſaque fortis & ſana perſtitit; laudantibus Deum & Sanctum univerſis pro inſigni gratia & prodigio. Mulier è præcipua nobilitate hujus Valentinæ civitatis, cùm pariendi tempus adveniſſet, graves preſſuras patiebatur: acciræ obſtetrices, quoniam oblique ſitus erat fœtus, fieri non poſſe declarârunt, ut pareret, &, ſe ſic pareret, ſecuturam utriuſque mortem. Adhibita ſunt remedia, ſed majori violentia perſeverabant dolores, accreſcebat periculum; allata ſunt Sanctorum lipſana; nihil obtentum eſt. Tandem doctor regi à conſiliis* Thomæ *reliquias, quas domi ſervabat in oratorio, accerſens, parturienti obtulit, monuitque, ut piè & fidenter illum invocaret; monitis paruit, & mox, ut ejus capiti impoſitæ ſunt, omnium admiratione peperit pulchram & ſanam filiolam, quam deinde ad Sancti ſepulcrum deductam,* Thomæ filiam *nuncupavit.*

B

partu juvantur.

54 *Alia octo menſibus gravida, ex copioſo ſanguinis profluvio, per menſem circiter integrum continuato, elusâ medicorum & obſtetricum induſtriâ, viribus ita exhauſta fuit & profligata, ut ſupremum ſpiritum datura crederetur; vocatus eſt ſacerdos, apud quem noxarum confeſſionem, ſubinde tamen ob accedentia deliquia animi interruptam, inſtituit. Pervenerat ad nonum graviditatis menſem, ad emittendum fœtum judicio obſtetricis minimè valida. Munita eſt itaque omnium morientium Sacramentis die ſacra S. Blaſio. Interim miſit maritus famulum ad infirmæ fratris uxorem, ut ſi vivam illam videre cuperet, citò adveniret. Mox ipſa itineri ſe commiſit, ſed pertranſiens eccleſiam beatæ Mariæ de Succurſu, in honorem* S. Thomæ, *quem piè colebat, Miſſam celebrandam curavit, & ad ægram reliquias ejus deferri petiit. Allatas per Religioſum hæc, qua potuit devotione & fiduciâ venerata ac deoſculata eſt. Cùm autem ipſius capiti imponerentur, illico (ſicut ipſa deinde narravit) multum ſolatii ac voluptatis experta eſt, viribus reſtituta eſt, & ceſſante cum deliquiis ſanguinis profluvio, intra binas horas, ſemper Sancti reliquias penes ſe retinens, enixa eſt prolem pulchram & ſanam adeo vegeta ac robuſta, ut, qui antè ipſam viderant, attoniti, evidens eſſe miraculum judicârint. Dein, dum opportunum fuit, parentes cum prole ad eccleſiam beatæ Mariæ de Succurſu venere & Deo ac Sancto egere gratias.*

C

Mulier moribunda ſanatur.

55 *Mulier altera, Sancto devota, copioſam adeo ſanguinis vim ex ore & auribus emiſit, ut intra paucos dies vehementi deliquio profligata, ultimum vitæ inſtans ſibi adeſſe exiſtimaret. Interim mente, quanta potuit pietate, ſe* Thomæ *commendavit; ſed, creſcente deliquio, eò deducta fuit, ut omnes pro mortua habitam deflerent. Poſt horas ſex rediit ad ſenſus, aperuit oculos, & clara ac valenti voce dixit: Benedictus pater meus* D. Thomas *liberavit me morte; nam ad extremum deveneram & ipſe mihi vitam ac ſanitatem impetravit à Domino. Intuemini; ſana ſum & vegeta. Mox cibum petiit, & refecta veſtes induit lectoque ſurrexit, mirantibus, qui paulo antè moribundam conſpexerant, atque evidens eſſe miraculum proclamantibus.*

D

§ VII. Claudi & debiles membrorum uſui reſtituti.

Vir pede,

Miraculum, quod ſub hujuſmodi titulo Salonius primo loco exponit, à ſacra congregatione approbatum fuit ac dein Bullæ canonizationis inſertum. Coccinus ſic Latinè enarrat: Cùm Valentiæ, ut Hiſpanorum conſuetudo fert, taurorum venatio publicè exhiberetur, quorum unus concitato curſu è campo ſeſe proripiens, in Petrum Aſſentium ſutorem, (*in Bulla & Serie actorum vocatur* Petrus Antonius Sutor,) dictæ civitatis incolam, qui fortè obvius fuerit, valido impetu incurrit, eumque in terram proſternens, adeo latus offendit, ut non modò ſine fulcimentis incedere poſtmodùm non valeret, verùm etiam contractis nervis palmum unum à terra pes alter diſtaret, cúmque per biennium jam & ampliùs, nullo proficiente medicamento, hunc in modum affectus fuiſſet, ad venerabilem virum Thomam devotis & ipſe precibus recurrit, pollicitus ſe, conſequuta ſanitate, fulcimenta ſua ad ſepulchrum ejuſdem oblaturum, aggreſſuſque novenam, ut appellant, ibidem celebrare, die tertia fulcimentorum alterum, & priuſquam novena impleretur, utrumque dimiſit, ſanuſque & integer, ut ante læſionem, ambulavit. Hæc probant in proceſſu Valentino ... idemmet Petrus Alphonſus*, ... Dominicus Aſſentio ... Frater Joannes Pons ... Marcus Fernandez ... Sperantia Sevida ... uxor Marci Ferrandi ... Frater Antonius Uget.

E

* *haud dubiè* Aſſentius.

alter cruribus

57 *Vir alter (proſequor cum Salonio) ex gravi infirmitate cruribus captus, abſque fulcris movere ſe non valebat. Miſero, poſt multa remedia incaſsùm adhibita, dolore, & quòd artem, unde antea vivebat, exercere non poſſet, neceſſitate preſſo, ſuaſit amicus, ut ad Sanctum confugeret. Secutus conſilium eſt, & fulcris innixus ac vicinorum quorumdam auxilio ſuſtentatus, novenam ad eccleſiam beatæ Mariæ aggreſſus eſt non ſine moleſtia ac dolore. Die ſexto aſſiſtens Miſſæ ſacrificio, magnum animi ſolatium & inſolitum in cruribus, antè admodum gravibus, levamen ac levitatem perſenſit. Viſum eſt experiri: itaque erexit ſe abſque ullius auxilio, & non tantùm ſine fulcris pedibus ſubſtitit, ſed intrans diſcurrenſque per monaſterium, vocavit Religioſos, ut miraculum, ſibi per interceſſionem Sancti à Deo factum, coram conſpicerent. Peracta gratiarum actione, domum repetiit ſanus & alacer, & ſatis virium habens, ut artem ſuam (erat lapidarius) exerceret.*

F

& juvenis omnibus membris captus curatur.

58 *Tenuis fortunæ adoleſcens membris captus, per medium annum decumbebat. Herus amabat quidem ipſum ob probum famulitium, ſed, quia nulla remedia proderant, malum inſanabile exiſtimans, ſtatuit ad xenodochium mittere: hoc nuntio afflictus adoleſcens, cœpit multis lacrymis ſupplex implorare* S. Thomæ *auxilium, & interim obdormivit. Evigilans venerabilem virum ornatu Pontificio præſentem aſpexit, atque exterritus nec memor paralyſis, fugam meditabatur. Ad quem San-*

A *Sanctus: Noli timere, fili, cubitu surge, ut gratias agas Domino, qui te sanavit. Hoc dicto evanuit ex oculis adolescentis; qui tandem agnoscens, fuisse* S. Thomam, *clamare cœpit & accurrentibus, qui in domo erant, se sanum valentemque atque omni mali indicio vacuum stitit, ac totam rei gestæ seriem enarravit: mirabantur omnes & certissimum miraculum profitebantur. Hoc postmodum in tabella depictum gratus adolescens ad ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu attulit.*

Crus corruptum,

59 *Alter, natus annos 26, ex maligno humore duas plagas tabe scatentes contraxerat in crure, quod paulatim intus corrumpebatur. Frustra variorum chirurgorum artem anno integro expertum Toleti, ubi degebat, frater illuc profectus, culcitæ impositum advexit Valentiam non sine ingenti molestia & cruciatu. Sed etiam hîc effectu caruit peritorum conatus omnis. Tandem post annum alterum doloribus obruto & in vitæ periculo versanti, narravit adolescens, num. præcedente memoratus, quid sibi contigisset. Hoc ille audiens, imitari statuit. Aggressus est novenam ad Sancti sepulcrum magno cum dolore & cruciatu. Primo die orans illic & multas lacrymas profundens, multum levaminis persensit, atque ita perseverans, ante completam novenam sanus prorsus & incolumis evasit, coalueruntque plagæ nullo relicto mali indicio. Stupore perculsi, qui statum ipsius antè noverant, evidens admodùm esse miraculum confitebantur.*

B

brachia ac pedes,

60 *Toto semestri brachiorum ac pedum alius usum amiserat ex gravi cruciatu, quem tollere nulla remedia valebant. Die quadam dum nocte illo vexatus fuerat atrociùs, atque inter gemitus ac lamenta imploraverat opem sancti Antistitis, vestiri & ad ejus sepulcrum deduci voluit. Illic prostratus perstitit per diem totum orans & lacrymans. Ad vesperam imminui sensit dolorem & gravitatem in brachiis ac pedibus, surrexit agilis admodùm & fortis & post actas gratias domum rediit sospes & alacris, enarrans omnibus gratiam à Deo per Sancti patrocinium sibi concessam. Quod subjicit hic miraculum Salonius, vel idem est, quod dedi suprà num.* XI, *vel certè adeo simile, ut visum non sit describere.*

item crus

61 *Alterum huic subnexum, & in Bulla canonizationis paucis relatum, describo ex Coccino:* Jacobus Cervera cœmentarius incola Valentiæ in via

C Molæ, ut vocant, parochiæ sancti Joannis de Mercato, cùm siniſtrum sibi crus mucrone ensis vulnerâsset, & multa postmodùm per humorum effluxionem ibidem fuissent enata foramina, varia per XIV annos remedia adhibuit, quibus non juvantibus, cùm incurabilis morbus iste à chirurgis judicaretur, ac insuper valida febri correptus esset,

** eâque* eoque * jam per mensem integrum vexatus fuisset, devotis precibus ad sancti Præsulis auxilium confugiens, voto facto, se, recepta sanitate, tabellam illi, picto in ea miraculo, oblaturum ac sepulchro appensurum, tam à febri quàm à cruris affectione intra tertiam diem omnino liberatus fuit. De hoc facto deponunt in processu Valentino ... ipsemet Jacobus Cervera ... Magdalena Rodera ejus uxor. ... Machynus Reyo ... Petrus Paulus Corder ... Antonius Ochoa chirurgus, ... & Amator Lopez medicus.

brachia ac pedes

62 *Mercator, Sancto devotus, ex dolore vehementi brachii & humeri dexteri usum amisit, ut ab aliis induendus & exuendus esset vestibus. Malum hoc, nullis remediis delinitum, perseveravit integra hyeme veritusque est, ne perseveraret totâ vitâ. Abiit ad* Thomæ *sepulcrum & magna pietate salutem deprecatus, vovit, si hanc obtineret, oblaturum se brachium argenteum. Mox die postera dolore omni & mali indicio liberatus, sanusque exstitit. Puer biennis utroque pede captus erat ita, ut, ubicumque collocaretur, immotus jaceret. Ejus parens, post remedia nequicquam applicata, vocatus est aliquando ad ecclesiam beatæ Mariæ de Succursu, ut ornatum novum aræ sepulcro Sancti proximæ conficeret; ea occasione tot illic dona cerea & argentea, totque funebria involucra ac tabellas, beneficiorum ac miraculorum monumenta conspicatus, etiam filium enixè commendavit Sancto, & finita prece, domum redux filiolum eodem, quo reliquerat, loco comperit, sed, quod per multos menses nequiverat, movere incipientem pedes suos, & sanatum se esse inquientem. Sublatus est à parente puer & non tantùm sine ullius adminiculo pedibus institit sed & mox sponte sua cœpit incedere: quòd visibili miraculo cum reliquis adscripserunt parentes. Idem hoc miraculum narrans San-Martinus, contigisse ait anno* 1598, *ac pueri patrem aurifabrum fuisse, nomine Vincentium Fabregues.*

Ex Salonio et aliis.

malè affecta

63 *Mulier paupercula tibiam proximè ad pe-* E *dem confregerat, nec, licèt per duos menses remedia ipsi plurima applicata fuissent, solatium ullum obtinuerat. Itaque uno pede ac duobus fulcris innixa, occultis eleëmosynis vitam sustentabat. Visa est die quodam à vicinis domo egredi modo jam dicto, pendulo ac inflato pede altero & redire vespere læta fronte, utroque pede incedens, & brachio gestans fulcimenta. Rogata ab his, unde tam subita sanatio: respondit præ lætitia illacrymans, quòd, cùm per viam piè & multo fletu gressum & sanitatem flagitâsset à* S. Thoma, *eodem temporis momento multum solatii sensisset in animo ac levaminis in pede, quódque, mox cessante dolore, hunc inspiciens, omni tumore ac vulnere vacuum tamque sanum comperisset, acsi nullo umquam malo fuisset impeditus, quòd denique, sublatis fulcris pedes perrexisset valdè robusta: postea ut miraculi certiores faceret, pedem ipsum sanum exhibuit.*

sanantur.

64 *Mulier alia ingentem in brachio siniſtro per duos annos cruciatum passa, & quocumque ejus usu capta, valedicens remediis humanis & ad* S. Thomæ *patrocinium confugiens, novem dierum preces & totidem Missæ sacrificia celebranda promisit: magna cum devotione ac fiducia exsecutioni id mandavit; die ultimo, dum sacerdos sacratissimam Eucharistiam elevabat, novum levamen & calorem persensit in brachio, & cum plena sanitate easdem in eo vires mox recepit, quas habuerat, antequam malo correpta fuerat. Puella ex diuturno morbo manibus ac brachiis omnino capta decumbebat trium mensium spatio, nec ullum in remediis solamen consequebatur; tandem fiduciam suam in sancti Antistitis patrocinio reposuit, rogavitque sororem, ut ad ejus sepulcrum contenderet, ac per ejusdem intercessionem Dei misericordiam imploraret; obsecuta est hæc ac Sanctum oravit suppliciter, ut sorori subveniret, quod & ægra interim magna cum devotione præstitit; ingens mox levamen experta est, &, dum hoc utraque continuabat, tertio die manus & brachia pleno vigori & sanitati restituta sunt.* F

Ex Salonio et aliis.

§ VIII. Cæci, muta, paralytici, podagrâ item & asthmate laborantes curati.

Usus

PUerum quadriennem ita infecit sanguinis defluxus in collo, in facie & capite, ut monstri speciem præ se ferret, &, emanante per oculos magna puris ac putridi sanguinis intolerabili cum fœtore copia, visum amitteret. *Adhæsit illi pertinax malum menses quinque vel sex, ingravescebatque ex remediis. Hoc perspiciens pater, statuit novendiales preces ad Sancti sepulcrum celebrare, &, assumpto puero, quamvis pessimè constituto, illuc perrexit. Quarto die, cùm ibidem pater enixè precaretur, cohiberi cœpit puris ac saniei per oculos eruptio & redire puero visus, atque intra reliquos novenæ dies perfecta accessit atrocis mali liberatio & sanitas, quam ipse puer, digito commonstrans sepulcrum, Sancto acceptam retulit; reliqui verò omnes, qui malum noverant, evidenti miraculo adscripsere.*

B

oculorum & linguæ restituitur;

66 *Filiolam causidici* (de un letrado) *quinquennem capitis fluxio omni oculorum lumine orbaverat: ita quidem ut chirurgorum & medicorum judicio, post trium mensium inutiles conatus, malum esset immedicabile. Parentes itaque vota sua ad* S. Thomam *converterunt. Mater, comite filiola, novendiale iter ad ejus sepulcrum inchoavit; quo nondum expleto, cùm die quadam assisteret Missæ sacrificio, subitò parvulæ oculi aperti sunt, ac plena videndi facultas est reddita, stupentibus præter cæteros chirurgis ac medicis & evidens esse miraculum judicantibus. Mulier malo quodam correpta loquendi usum subitò amiserat, ac longo tempore planè muta perstiterat; invocanti piis lacrymis Sancti auxilium, allatæ sunt ejusdem sacræ reliquiæ & devotè venerantis ori ac linguæ applicatæ: eodem instanti temporis, soluto linguæ impedimento, clarè, sicut antè, locuta est, & Deo ac Sancto egit gratias. Similiter puer novennis, qui per aliquot menses loquendi facultatem, nullis remediis recuperandam, amiserat, à patre ductus ad sepulcrum* S. Thomæ, *sexto die novenæ piè institutæ loqui cœpit, & intra tres dies reliquos locutus est clarè ac distinctè.*

C

hemiplexiâ

67 *Prænobilem matronam percussit hemiplexia, ut brachium dexterum ac totum illud latus sensus omnis, & linguam loquela deficeret. Ita aliquanto tempore decumbens, mente se plurimùm commendavit* S. Thomæ. *Attulit ipsi filius, hujus ecclesiæ canonicus, reliquias ejusdem Sancti, & venerandas ac osculandas præbuit, quod ubi illa fecit, statim clarè locuta est, brachium ac manum movit, sana & sospes exstitit, quod, qui aderant præsentes, evidenti miraculo attribuerunt. Ejusdem matronæ filia, ex vehementi dolore cordis, & gravibus animi deliquiis in vitæ discrimen deducta, allatis à fratre canonico similiter Sancti reliquiis, ejusque auxilio piè implorato, subitò persanata est.*

aliove simili malo

68 *Vir malo quodam repentè ictus, latere sinistro captus, ore tortus & manu iners eò devenit, ut domestici tamquam mortuum deflerent, ac medici nullam in remediis virtutem experti, ut talem etiam desererent. Postquam tres horas ad eum modum jacuisset, rediit ad se sanus & integer; mirantibus, qui aderant, & subitæ sanationis causam scisciantibus, respondit, se, quamquam ita exteriùs jacentem, non omni tamen interiore sensu destitutum fuisse; implorâsse itaque animo divinam misericordiam per intercessionem* S. Thomæ, *atque morti ereptum ac sanitati redditum fuisse non sine miraculo, sicut & ipse & omnes, qui antè jacentem conspexerant, judicârunt.*

D

perculsi

69 *Virum alterum in itinere Saguntum versùs* (*oppidum quarto milliario Valentiâ dissitum, Hispanis* Murviedro,) *dolor vehemens in pede, crure, femore & tota illa superiore corporis parte corripuit ac sese movendi impotem reddidit; delatus est in domum filiæ, eodem in itinere habitantis, ibidemque inter graves cruciatus tam firmam in* S. Thomæ, *quocum vivo egerat, & cujus mortui virtutes audierat, patrocinio fiduciam concepit, ut acciti tum medici tum chirurgi operam abnueret, certò confidens fore, ut ejusdem favore sanaretur. Ita acerbos dolores sustinuit toto illo vespere usque ad mediam noctem, continua prece & magna cum fiducia inclamans* S. Thomam, *quando demum in levem somnum incidit, & aliquanto pòst evigilans dixit: Nunc salvus sum & omni dolore vacuus, sanavit me sanctus pater don* Thomas, *quemadmodum de ejus pietate ac benignitate confisus fui. Primo mane cubitu surrexit, vestes induit, ac planè sospes perrexit ad Sancti sepulcrum, pro collato beneficio soluturus gratias.*

E

restaurantur.

70 *Pauperis item opifici crus unum ac totam illam corporis partem invasit dolor atrox, quem alii morbum articularem* (*Hispanicè* artetica) *alii, quòd brachio & manui omnem motum subtraheret, hemiplexiam appellabant; is cùm nullum malo, atque hinc etiam nullum egestati suæ remedium inveniret, suadente amico, qui simili in infirmitate Sancti persenserat præsens auxilium, novendiales preces ad ejus sepulcrum concepit, &, quamquam ingenti cum dolore ac molestia, vicinorum brachiis eò deductus fuit. Tertio die ibidem enixè orans, multum levaminis consecutus est; sexto assistens Missæ sacrificio ad aram sepulcro proximam, sensit calorem toto illo latere diffusum, ac simul ipso momento omnis doloris cessationem, restaurationemque virium & sanitatem integram; debitas Deo & Sancto gratias persolvit, ac pedes domum abiit alacris & robustus, publicè enarrans miraculum.*

F

Podagra

71 *Quod subditur miraculum apud Salonium, inter approbata recensetur in Bulla canonizationis, & sic exponitur à Coccino:* Ludovicus Lemosi, chirurgus & incola Valentinus, commorans in via confraternitatis fabrorum ferrariorum parochiæ sancti Martini, per sexennium podagrâ in dextri pedis pollice vexatus fuit, modò semel, modò bis in mense, ac aliquoties etiam quolibet octiduo redeunte morbo, ex quo per sex vel octo dierum spatium decumbebat: cumque nulla jam ampliùs in remediis spes adesset, devoto cordis affectu sanctum virum Thomam à Villanova pro sanitate à Deo impetranda precatus est, vovitque, si eam consequeretur, centum regalium eleëmosynam ecclesiæ beatæ Mariæ Succursûs nuncupatæ, ubi venerabile ejusdem corpus requiescit, elargiri, & precibus absolutis, optatæ sanitati integrè restitutus fuit, nec unquam postea prædicto morbo laboravit. Probant hæc in processu Valentino... quatuor testes omnes chirurgi, videlicet ipsemet Ludovicus Lemosi, qui gratiam ex voto recepit... Joannes Malo... Alphonsus de Requena...

Pe-

A Petrus de Calzada. *Morbus iſte, auctore eodem Coccino, juxta depoſitionem teſtium prædictorum incurabilis fuerat judicatus.*

ac lethale aſthma tollitur.

72 *Mulierem valdè infirmam (ſequor Salonium) nocte quadam ita oppreſſit & coarctavit aſthma, ut omnium judicio ad vitæ metam deveniret, & jam eſſet redditura animam. Ipſa erga Sanctum piè admodùm affecta, quod ore non poterat, mente illi ſe commendavit & exaudita eſt: ſubitò enim deſtituit ipſam non tantùm ſuffocans illud malum, verùm & infirmitas & febris, quâ laborabat antè, ſucceſſitque perfecta ſanitas, ſtupentibus, qui priorem ejus ſtatum cognoverant, & Deum ac Sanctum collaudantibus.*

§ IX. Strumæ, ulcera, angina, plagæ, tumores, cordis palpitatio, cancer & dolor colicus ſublata.

B *Strumæ*

Maligna fluxio collum pueri duodennis ſtrumis, manuſque & crura repleverat pluribus foraminibus, pure tam graveolenti manantibus, ut in eodem, quo ipſe erat, cubiculo maneri non poſſet. Ejus amita, ad cujus ædes delatus fuerat, audito periculo, (judicabant quippe medici ejus naturæ eſſe ſtrumas, quibus nulla ars mederi queat) & probè edocta prodigia ac miracula S. Thomæ, *piè ipſum invocavit, puerum, ut idem faceret, cohortata eſt, ac ſimul vovit novendiales preces ad illius ſepulcrum. Mox, comite ancilla, votum implere aggreſſa, rogavit, ut Sancti reliquiæ deferrentur ad ſuum domicilium. Allatas puer, quamquam ad finem deductus, veneratus ac deoſculatus eſt. Eædem quoque applicatæ ſunt partibus virulento iſto malo infectis, & eo ipſo mane cœpit convaleſcere; brevi poſt ceſſavit defluxus puris, hoc omnino exaruit, coaluerunt foramina, nullis, contrà ac ſolet aliàs, relictis cicatricibus, rediit ſanitas & integritas, nullo quoque ſuperſtite mali indicio; unde, affirmantibus etiam medicis, major exſtitit miraculi evidentia.*

C *lethiferæ*

74 *Puerum alterum ſimilibus ſtrumis in collo afflictum, mater, quòd inaudiiſſet, de vita periclitari, niſi properum reperiretur remedium, mittere decrevit in Galliam, regis contactu ſanandum: (de hac regibus Chriſtianiſſimis divinitus conceſſa gratia videri poſſunt Acta S. Ludovici regis apud nos tom. v Auguſti pag. 339 & 555, uti & auctores illic citati.) Verumtamen, vicino ſuadente, ſpem ſuam convertit ad* S. Thomam, *pollicita eſt novendiales preces ad ſepulcrum, & ad infirmum ejus ſacras reliquias deferendas curavit. Intra novenam puer ſanari cœpit, eâ finitâ, extra omne periculum poſitus eſt, ac brevi poſt planè ſoſpes & incolumis evaſit.*

& ulcera immedicabilia abigun-tur.

75 *Tenuioris fortunæ mulier ſimiliter malis admodùm ulceribus, ſtrumas eſſe dicebant, laborabat in collo, cuilibet remedio reſiſtentibus. Itaque & infirmitate & ingenti egeſtate preſſa,* S. Thomæ, *miſſis reliquis remediis, ſe benignitati commiſit, ipſum invocans modò domi ſuæ, modò ad ſepulcrum. Die quadam domi devotis lacrymis ſupplicans, ut doloris ſui & inopiæ Sanctus commiſereſceret, dolore ſe liberatam ſenſit, manumque collo admovens, comperit, nullo ampliùs pure diffluere ulcera, imò hæc obducta eſſe, & ſe ſanam ac incolumem. Huic ſimile narrat San-Martinus, in eo tamen diſcrepans à Salonio, quòd unà cum matre tres liberos eodem malo infectos, &* S. Thomæ *ope liberatos addat. Puer anno uno & medio natus gravi morbo & ingenti ſanguinis profluvio cruciabatur ſeptem menſium ſpatio: acceſſit tumor in duabus colli partibus & prope cervicem, quem medici cenſuerunt eſſe genus ſtrumæ humoris valdè maligni. Mater, dum illorum ars nihil proficiebat, comitante ſocru, quæ hoc ſuaſerat, filiolum ad ſepulcrum* S. Thomæ *deportavit. Illic piè orantibus matre ac avia, puer majus ſanguinis profluvium paſſus eſt, & linteaminibus involutus eſt, domum deportandus, fronte utcumque meliore quàm antè. In egreſſu eccleſiæ, qui aquam aut lac (ſic expono vocem Hiſpanicam* la preſſa, *quam nullibi expoſitam reperi) nec petierat nec tranſmittere potuerat ſpatio quatuor circitèr menſium (ita habet auctor, veriſimiliùs* quatuor dierum *dixiſſe voluit,) aquam petivit & facilè admodùm exhauſit; domum relatus multo ſapore lac ſumpſit, &, evaneſcente omni tumore colli ac cervicis, tam ſanus inventus eſt, acſi hujuſcemodi incommodo numquam laborâſſet.*

Ex Salonio et aliis.

Angina, E

76 *Clerici Sancto devoti ita fauces conſtrinxerat angina, ut & loquelâ deſtitutus & in aditu mortis poſitus eſſet. Allatæ ſunt Sancti reliquiæ, &, poſtquam eas ipſe veneratus ac deoſculatus eſſet, admotæ ipſius gutturi; eodem temporis momento liberam & diſtinctam loquelam recepit, nec ampliùs in gutture ſenſit incommodum vel impedimentum. Mulierem item febris valida & angina, fauces vehementer comprimens, poſt multas venæ inciſiones, aliaque nequicquam applicata medicamina, loquendi facultate deſtituerat, & ad ſingula momenta penè ſuffocabat. Tanto periculo expoſita, mente patronum ſuum* S. Thomam *invocavit, ſpondens, ſi, ipſo intercedente, ſanitatem obtineret à Domino, viſitandum à ſe ejus ſepulcrum, curandumque, ut Miſſa celebraretur cum precibus recitari ſolitis in gratiarum actionem. Exaudita fuit ſtatim; ſubitò enim ceſſante ſuffocatione & angina, expeditè locuta eſt ſoſpes & ſana, quod, quia naturali via fieri non poterat, grande admodùm miraculum eſſe judicavere omnes.*

inſanabiles plagæ, F

77 *Vehemens è capite fluxio tales in gutture & ore puellæ plagas produxerat, ut chirurgi, poſt inutilem trium menſium operam, tamquam inſanabilem ac deſperatam relinquere ſtatuerint: ſed & hæc & ſoror ejus patronum ſibi* Thomam *elegerunt; & ita quidem ſoror, ut ad ſepulcrum ejus contendens, ægramque illi commendans, tanta cum fiducia coëmptum cereum munuſculum obtulerit, acſi jam tum ſanitati reſtitutam oculis contueretur. Et ſanè eodem momento, quo ipſa obtulit, infirma domi, ceſſante omni cruciatu, &, quæ hujuſce cauſa erat, fluxione, plagas ſuas ſanatas eſſe comperit, ut comedere & bibere valeret. Vocatus chirurgus, à quo deſperata fuerat, profeſſus eſt, repentinam illam ſanationem humano modo, & abſque miraculo fieri non potuiſſe.*

tumores periculoſi,

78 *Inutilem quoque operam adhibuerant medici & chirurgi fœminæ, quam in parte dextera colli tumor ovum magnitudine adæquans infecit, tam durus ac acerbus, ut in magnum periculum adduceret. Duravit malum cum periculo per tres circitèr menſes: miſſis itaque medicis & chirurgis, è cælo remedium præſtolata eſt. Præteriit interim religioſus è conventu beatæ Mariæ de Succurſu, monuitque, ut ſeſe committeret* S. Thomæ, *addens, allaturum ſe oleum ex lampade ante illius ſepulcrum ardente, quo collum inungeret;*

Ex Salonio et aliis.

consilium secuta est, & allato oleo unxit magna cum fiducia; intra duas horas disruptus est tumor, & exsiliente magna vi putredinis, abiit durities, desiit omnis cruciatus. Vocatus chirurgus miraculosam esse sanationem pronuntiavit, nec quidquam esse reliquum, quàm ut linamenta quædam imponerentur aperturæ: intra biduum verò perfectè sanata fuit. Mulierem alteram violenta febris & tumor in collo tantum in discrimen deduxerat, ut de vita ejus actum esse crederetur. Suadente sorore, magna cum fiducia ac pietate commendavit se S. Thomæ, vovitque funebre involucrum, & ipso instanti levamen sensit, mox residere cœpit tumor, ac intra biduum per evidens omnium, qui viderunt, judicio miraculum, penitus sanata fuit.

cordis palpitatio, tumor ventris,

79 *Puella toto quadriennio torquebatur frequenti cordis palpitatione, nonnumquam adeo vehementi, ut repentè omni sensu privaretur. Nihil subsidii à medicis consecuta, ad cælum conversa est, S. Thomæ, quem & ipsa & domestici omnes piè colebant, magno affectu & fletu se commendavit, atque unà cor argenteum oblaturam se promisit. Extemplò liberam deseruit malum, nec ipsum ipsiusve aliquod indicium comparuit posthæc. Itaque miraculosè sanatam se profitens, gratias egit & votum complevit. In ædibus doctoris concilii regii puellulam multis mensibus ingenti dolore afflixerat tumor ventris, nihil promoventibus medicorum remediis. Ædium domina die quadam cùm in templo beatæ Mariæ de Succursu interfuisset sacrificio Missæ, accessit ad* Thomæ *sepulcrum, flosculos illic jacentes sustulit, ac domum reversa porrexit infirmæ, monens, ut, invocato Sancti auxilio, parti infectæ apponeret. Dictis devotè obsecuta illa est, eodemque instanti recessit dolor, resedit tumor, malum omne ipsam deseruit, non sine evidenti, ut judicârunt domestici omnes, miraculo.*

B

immedicabilis cancer

80 *Puellæ alterius faciem infecit cancer tam malignus, ut octavo die immedicabilis judicatus sit, & ex eo genere, quod* Noli me tangere *compellant medici. Triennio sic afflicta fuit, nec ullatenus adjuta remediis juxta artem medicam ipsi applicatis. Serpenti malo accessit febris vehemens, eóque deduxit, ut medicus desperatam desereret. Itaque multis lacrymis opem Sancti nostri inclamavit, ejusque allatas reliquias piè venerata ac deosculata est. Eadem dein admotæ sunt plagis faciei ipsius, media parte jam exesæ (Hispanicè* del rostro, quetenia medio perdido.) *Ipso momento solamen experta est ac doloris omnis amotionem, & intra paucos admodùm dies integram salutem consecuta, nullo, contrà ac fieri solet, retento in facie vitio, nulla cicatrice, nullo mali vestigio; quod omnes miraculum ingens & valdè evidens judicaverunt, medicus præsertim, qui desperatam reliquerat; is enim post dies quindecim eamdem domum ægrum alium visurus ingrediens, & puellam, quam dudum defunctam arbitrabatur, illæsam cernens, substitit attonitus; intelligens autem, nihil remedii præter Sancti reliquias ei fuisse applicatum, dixit, sicut idem ipse testatur, grande & evidens esse miraculum.*

C

& dolor colicus tolluntur.

81 *Dolor colicus virum quemdam adeo cruciaverat diebus tribus, ut nullâ medelâ delinitus, sed continuò accrescens die quarto ad extremum vitæ perduceret. Filia tanto periculo parentem expositum conspicata, ad* S. Thomam *confugit eumque, ut id ipsum faceret, commonuit. Dein præbuit ei terram ejusdem sepulcri, quam magna cum veneratione ac fiducia ovo immixtam introsumpsit, eodemque momento omni dolore liberatus fuit, ac subitam illam liberationem ipse, & ceteri testes periculi miraculo adscripserunt. Tam simile huic est miraculum, quod ex eodem Salonio exposui suprà num. 13, ut ni prohiberent adjuncta non magni admodum momenti, vix dubitarem, quin idem ipsum sit. Porrò laudatus Salonius hîc finem imponit Historiæ miraculorum, monens tamen, plures in processibus, auctoritate Apostolica institutis, commemorari, qui infirmitatibus, medicorum judicio immedicabilibus, laborantes, intervenientе* S. Thoma, *miraculosè persanati fuere. Hos inter ipsemet auctor recensere se potuit, utpote, qui anno 1584, ardentissima febri in mortis limine positus, facto voto concinnandi Acta* S. Thomæ, *subitò restitutus fuit sanitati, sicut ipse paucis insinuat in prologo ad Acta, & pluribus enarrat San-Martinus ad calcem Vitæ Gallicæ ejusdem Sancti, verisimiliter ex primo Opere Salonii, vel ex interpretatione ejus Italica.*

D

§. X. Reliqua Sancti miracula ex variis auctoribus collecta.

E

Hoc § complector miracula & beneficia, quorum aliqua nec habuit nec habere potuit Salonius, aliqua modo paulùm diverso narravit, aliqua in secundo saltem Opere silentio suppressit, & vel ex primo ejus Opere vel ex processibus collegerunt Franciscus Soto, Salonii interpres Italus, & Coccinus in Relatione ad Paulum V. Posterioris generis esse putem unum & alterum, quod cum aliis, ex laudato Salonio suprà relatis, subnexuit Vitæ Gallicæ San-Martinus, deprompsitque verisimiliter ex memorato Soto, quem citat præ ceteris. Utrumque ex Gallico Latinè contraho. Premente Valentinam civitatem ingenti ariditate, instructa fuit supplicatio ad sepulcrum S. Thomæ; *præibat cum vexillo sanctæ Crucis agmen parvulorum, qui simulac inclamârunt:* Sancte Archiepiscope, aquam nobis concede, *statim, licèt cælum clarum esset ac serenum, tantâ abundantiâ decidit pluvia, ut, qui supplicationem comitati fuerant, compulsi sint commorari horas plures in templo, donec cessarent ac defluerent aquæ.*

Pluvia impetratur;

varii variis malis liberantur;

83 *Baptista Saure ex malè affecto capite mira adeo symptomata patiebatur, ut, cùm minimè exspectaretur, subitò corrueret, ac solo prostratus decumberet aliquoties per tres quatuorve horas, horribili corporis totius agitatione terram concutiens, instar dæmoniaci æstuans, atrox vultu & ore spumans instar rabidi. Artem & industriam exhauserunt medici & chirurgi; nihil actum est: donec tandem miser ad* S. Thomam *confugit, per dies novem continuos Missam ad ejus sepulcrum celebrari jussit, nec ullum deinceps acerbi mali assultum passus est. Ita ferè San-Martinus, qui post alia, fusiùs exposita miracula, aliquot paucis perstringit addito nomine & anno; an eadem omnia, quæ legimus in Salonio, an diversa, non scio:* Anno, *inquit,* MDCI Leonarda Gusman, vidua Valentina, & anno MDCII Baptista Cuve, pannorum sericorum textor, lethiferâ apoplexiâ percussi sunt, quibus cùm medici remedium afferre nequivissent, in periculoso hoc casu B. Thomæ semet commendârunt: qui ipsis eodem tempore & sanitatem impetravit, & sensum ac loquelam reddidit. *Paulò post sic pergit:* Magdalena Leonarda, vidua Valentina, anno MDCII; Rochus Mouret MDCIII; Anna Margareta MDCIV; Jacobus Cervera (*vide num.* 61) cœmentarius MDCV & mille alii febribus

val-

A valdè violentis vexati, & hic quidem ſpatio annorum XIV, nec ullo humano remedio adjuti, cùm ad Sanctum converſi eſſent, ipſique promiſiſſent fore, ut vel ſepulcrum ejus inviſerent, vel tabellam, quæ exhibitura erat acceptum beneficium, offerrent, optatam ejus meritis ſanitatem recuperârunt, nec deinceps febribus cruciati ſunt.

Mulier carcinomate

84 *Quæ hiſce ſubdo, breviter relata ſunt in Bulla canonizationis, paulò fuſiùs in Serie actorum ad eamdem canonizationem, & hiſce verbis apud Coccinum:* Franciſca Nadal, vidua habitans Valentiæ in via Raymundi Joannis, parochiæ ſancti Martini, circa vigeſimum ſextum ætatis ſuæ annum, quodam carcinomate laborare cœpit, quod mento priùs, dein labris miſerè eam vexabat, acerbiſque doloribus afficiebat; cúmque nil remediorum applicatio proficeret, & chirurgi morbum incurabilem affirmarent, biſque eam * extrema Unctione uncta fuiſſet, tandem ferè poſt biennium, ex quo afflictari eo modo cœperat, invocato Thomæ archiepiſcopi auxilio, & ſepulchri viſitatione cæreique oblatione in eventum ſanationis promiſſa, quibuſdam ejuſdem venerabilis Viri reliquiis partes affectas contigit, & confeſtim nedum ab omni dolore libera permanſit, verùm etiam ſanitatem recuperare cœpit, quam actitudo * pòſt, morbo penitus extincto, remanentibus tantummodò cicatricibus, priſtinam integramque fuit conſecuta. Prædicta optimè probantur ex teſtibus in proceſſu Valentino... hoc enim deponunt ipſamet Franciſca Nadal... & Michaël Gil chirurgus... & etiam Valentinus Dominiquez medicinæ doctor... examinatus authoritate ordinaria... qui omnes curatiſſimi * dictæ Franciſcæ interfuerunt, & denique Joſephus Garzia... cum quibus concordat Anna Audet, mater dictæ Franciſcæ... Hoc autem præclarum fuiſſe miraculum negari non poteſt; medicus enim & chirurgus deponentes, eandem dictam Franciſcam cancro laborâſſe & infirmitatem fuiſſe incurabilem affirmant.

* jam

B

* octiduo

* *forte* curationi

infans ophthalmiâ,

85 Marcella, filia Antonii Matthæi de Lizania & Marcellæ Eſcolanæ, conjugum incolarum civitatis Valentiæ, tertium ætatis annum agens, morbo quodam, ſive diſtillatione in pectore per duorum fermè vel trium menſium ſpatium graviter vexacta fuit, adeo ut ſanguinem per os projiceret, neque cibum retinere valens, eum tuſſiendo cum ſanguine evomeret, quæ diſtillatio ad caput & oculos poſtmodùm tranſlata fuit, tam vehementer eam afficiens, ut neque lumen aſpicere, neque oculos aperire ullatenus ſuſtineret, quo pacto cùm per annum integrum laborâſſet, nec humana remedia prodeſſent & à pluribus menſibus nullum omnino fuiſſet adhibitum, mater ejus audiens glorioſa miracula, quæ ad interceſſionem ſervi ſui Thomæ quotidie divina potentia facere dignabatur, ad eccleſiam beatæ Mariæ Succurſûs cum puella perrexit, viſoque, ut ea venerabilis Viri ſepulchrum manibus contingeret, magna vivaque fide inſtructa, ut ſanitatem puellæ impetraret, à Thoma poſtulavit, datâque eleëmoſynâ pro Miſſa poſtridie celebranda, domum ſe recepit: inſequenti verò die duabus ante meridiem horis (*in Serie actorum:* illâ horâ, quâ Sacrum ibi conficiebatur,) repentè è cubiculo ad matrem cum gaudio puella cucurrit, apertis, claris atque integris ſanatis oculis, acſi nullo unquam ex illis morbo laborâſſet, neque poſtmodùm in eis impedimentum vel moleſtiam ſenſit. Hæc probantur ex depoſitione... in proceſſu Valentino Marcellæ Eſcolanæ, matris infantis... Antonii Matthæi Lizani, patris ejuſdem infantis... Joannis Baptiſtæ Daqui... Annæ Mariæ Sancho... Magdalenæ Beltran... Fratris Gaſparis Mir, Ordinis ſancti Auguſtini.

C

Ex Salonio et aliis.

vir paralyſi

86 Vincentius Ciprer de Paternoi, civis & incola Valentinus, habitans in via piſcatorum, parochiæ ſancti Andreæ, tres & quinquaginta annos natus, quodam laterum morbo correptus, eoque in paralyſin verſo, uſu dextri brachii, lateris & cruris deſtitutus fuit, adeo ut neque rectiùs ſtare, neque brachium ulla ratione movere valeret, planè acſi lignum illud lapidumve *, ac funiculo quodam fuiſſet humero appenſum; cúmque in hunc modum per decem & octo dies laborâſſet, venerabilem Dei ſervum Thom., quem plurimis audiebat indies magis ac magis clareſcere miraculis, pro impetranda ſanitate, viva cum fide implorare cœpit, ac biduo pòſt, cùm ſe cubitum recepiſſet, denuo ſanctum hunc Præſulem in lecto jacens, ut ſanitatem ſibi à Domino impetraret, magno animi fervore invocavit, promittens, ſi hanc gratiam conſequeretur, promptè ſe & alacriter in proceſſu canonizationis teſtimonium de hac re perhibiturum ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ac ut univerſis hujus Viri ſanctitas innoteſceret: qua invocatione peracta, quievit per tantum temporis ſpatium, quo bis Apoſtolorum Symbolum recitari poſſet; quo elapſo, cùm ſignare ſe Crucis ſigno vellet, minimè recordans, an brachio dextro vel potiùs ſiniſtro, quo, durante paralyſi, ſignare ſe coactus fuerat, utendum ſibi eſſet, elevato brachio dextro, ſignum Crucis efformavit; cúmque in mentem ſibi rediiſſet, paulò antè dicto ſe brachio uti minimè potuiſſe, admiratione & gaudio plenus: Bone Deus, inquit, nonne habebam ego brachium immobile? Et è veſtigio præ lætitia lachrymans, magna voce uxorem filiaſque appellavit, & miraculum omnibus manifeſtans, brachium ſine ullo impedimento movit, exercuitque ſicut ante morbum ſolebat, &, nemine adjuvante, de lecto deſcendens, genibus flexis, Deo & venerabili Archiepiſcopo gratias egit. De hoc facto deponunt in proceſſu Valentino... ipſemet Vincentius Ciprer... Hippolyta Benet, uxor dicti Vincentii... Vincentius Joſephus Trilles, medicinæ doctor... Apolonia Benet... Seraphina Ciprer. *Hoc miraculum partim in re, partim in adjunctis multum ſimilitudinis habet cum eo, quod narravi ex Salonio num. 6.*

* *l.* ligneum lapideumve

E

F

& puella lethali anginâ correpti ſanantur.

87 *Auctor memorati aliquoties Vitæ compendii, deſcripti ex Ms. bibliothecæ Angelicæ Romæ Ordinis S. Auguſtini, decem quoque miracula perhibet, quæ* ad ſufficientiam, *ut loquitur*, comprobata fuerunt coram RR. DD. auditoribus Rotæ in diverſis congregationibus. *Ea ipſa ſunt, quæ in Bulla canonizationis, in Serie actorum, & in Relatione Coccini deſcribuntur, ac jam ſuis locis hîc data ſunt, unum excipe, in Bulla tertio loco poſitum & ex Coccino à me relatum num. 85 de ſanatione Marcellæ de Lizania; hoc quippe prætermiſit laudatus auctor, aliudque immiſcuit verbis ſequentibus:* Eugenia Figueras de Altamira vehementi febri continuò laborans, cum ſuperveniente quodam accidenti, in quo collum & facies remanſerunt tumefacta ex morbo anginæ ſatis læthali, ita quòd medici & circumſtantes nullam ei ſalutis ſpem promittebant, ob quod extremam Unctionem ei dederant; quæ ſe commendavit cum magna devotione prædicto Thomæ, & ilico incepit convaleſcere, & intra biduum omnino ſana evaſit. *Ita ille; num verè in congregatione aliqua comprobatum id fuerit, non comperio alibi uſpiam, ſed vix dubito, quin idem ſit, quod ex Salonio breviter contraxi num.*

Ex Salonio et aliis.

num. 48 *his verbis.* Sexta ex febri & angina *&c. Porrò idem compendii auctor, miraculorum relationem ita concludit:* Permulta ad numerum CL miracula poſt deceſſum Thomæ è vita reperiuntur in proceſſibus, vigore remiſſor. à ſacra congregatione Rituum emanatarum fabricatis, optimè comprobata per teſtes oculares, quæ hîc, ne nimis prolixum compendiolum videatur, omittuntur.

Viro deformis hernia adimitur,

88 *Tria ſuperſunt, quæ beatificatione poſteriora ſunt; horum duo à congregatione ritè approbata continentur in Bulla canonizationis, & paulò fuſiùs in Serie actorum, ut ſequitur:* Joannes Alapont, buccini pulſator, viginti quatuor annis in morbo deformis herniæ confirmatus (delapſis enim ad infima inteſtinis, ea ſcrotum longitudinis duorum palmorum, & circumferentiæ trium cum dimidio efformabant, ita ut tandem incedendi uſu penitus deſtitutus eſſet & ad vitæ extremum perductus,) anno MDCXLIX die VIII ſolemnitatis beati Thomæ, ſibi ab uxore imaginem Beati, à ſe depictam, deferri, & columnæ cubilis appendi juſſit. Imperata fecit uxor, & è cubiculo egreſſa eſt. Tunc Joannes oculorum acie ad imaginem Beati directa, Thomam deprecatus, ut ſanitatem à Deo ſibi impetraret, ſtatim convaluit, & inteſtina ad naturalem ſedem reverſa ſunt; adeoque tumor evanuit, ut nec ruga quidem extrinſecus in ea parte appareret: & illico è cubili validus aſſurgens, ad ſepulchrum Beati perrexit, & buccini pulſationi vacans, nec minimam læſionem aut recidivam exinde ampliùs expertus eſt.

B

89 Vincentia Matthæù, puella ſeptennis, Valentiæ incola, die octava Septembris anno MDCXL, dum aquam hauriret, hydriarum pondere preſſa, in putei profundum delapſa eſt. Pater cum vicinis, audito ictu, properavit ad puteum, &, invocato beati Thomæ auxilio, in eum deſcendit, puellæque ſub aquis perquirendæ nimis anxius, parum defuit, quin etiam ipſe periclitaretur. At adfuit Hieronymus Cuccarella, qui primò parentem è puteo eduxit, deinde liberandæ filiæ curam adjiciens, ſeſe in puteum dejiciendo, diu, ſed fruſtra, etiam ſub aquis puellam conquiſivit, tantùm illa penitus ſub aquis latebat; tandem, uncis adhibitis, poſt duas horas cum quadrante circitèr exanimem puellam è puteo extraxit, quam pater gemebundus, auxilium beati Thomæ nunquam deſinens implorare, ad domum detulit, ibique puella vires, ac ſpiritum reaſſumpſit, & ſana prorſus ac valida è domo exiliens, cum pueris ſtatim ludere cœpit.

D

puellæ ſubmerſæ ſpiritus redditur;

matrona mortuo fœtu gravida & agonizans, enititur ac ſanatur.

90 *Tertium ſic narrat Nævius in Eremo Auguſtiniana pag.* 279 *& ſeq.:* Novi etiam honeſtam matronam Mechliniæ, ad quam, cùm in extrema ſpiritûs anguſtia verſaretur, quòd mortuum fœtum, quem dudum tulerat, non poſſet emittere, amici, qui ei aſſiſtebant, attulerant è conventu noſtro Bruxellenſi, ubi tum agebat, pallium, quo ſtatuam ipſius B. Thomæ archiduciſſa noſtra & Hiſpaniarum infans Eliſabeth in ſolemnitate beatificationis ejus ornaverat, illudque matronæ agonizanti impoſuerant: quo recepto, illico fœtum emiſit, rediit ad ſenſus, (nam & illi dolore oppreſſi fuerant,) & citò convaluit. Atque ipſamet, ſibi hæc ita contigiſſe, mihi narravit.

E

DE B. JOSEPHO A CUPERTINO

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM S. FRANCISCI PRESBYTERO,

AUXIMI IN MARCHIA ANCONITANA,

C. S.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

E

§ I. Vitæ illius Italicè ſcriptæ, quarum una edenda, aliæ uſui futuræ: humiles natales ejus, & vitæ chronotaxis uſque ad ſuſceptum ſacerdotium.

Anno MDCLXIII. *Vitam ejus ſcripſerunt Italicè Natius,*

Seculum proximè elapſum anno 1603, *die* XVII *menſis Junii mundo dedit, annoque* 1663, *die* XVIII *Septembris ad cælum emiſit* B. Joſephum Deſa, *à natali loco, regni Neapolitani oppido,* dictum à Cupertino, *Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Franciſci profeſſum presbyterum & illuſtre ornamentum. Eumdem Benedictus XIV. Romanus Pontifex feliciter regnans, ſanctitatis famâ & miraculis tam in vita, quàm poſt obitum celebrem anno* 1753, *die* XX *Februarii ſignato Brevi Beatorum Faſtis adſcripſit. Vitam ejus anno* 1678, *id eſt, quintodecimo poſt ejuſdem mortem, Panormi Italicè editam fuiſſe à P. Roberto Nutio, didici ex epiſtola P. Benigni Fremaut, Ordinis Recollectorum S. Franciſci, qui eâdem uſus eſt in generali Legenda Sanctorum ſui Ordinis Flandricè edita. Non exſtat quidem in Muſeo noſtro laudatum Nutii Opuſculum; verùm eam inopiam ſatis penſant Vitæ mox laudandæ, ex authenticis monumentis concinnatæ.*

Berninus, Agellus & Paſtrovicchius.

2 *Harum primam Italico idiomate conſcripſit, & Innocentio XIII ſummo Pontifici dicatam, anno* 1722 *Romanis typis edidit clariſſimus vir ac comes Dominicus Berninus, quam in Monito ad lectorem præfatur, ſe collegiſſe partim ex proceſſibus Apoſtolicis, Neritonenſi, Aſſiſienſi & Auximano, pro ejuſdem* Joſephi *beatificatione inſtructis, quos in margine perpetuò laudat, partim ex authenticis Mss., quibus in prædictis proceſſibus fidem habitam fuiſſe affirmat. Celebris Bernini Opus injuſta*

A *ſta molis compendium contraxit, & ſereniſſimo archiduci Auſtriæ Joſepho nuncupatum, Italicè pariter anno* 1753 *vulgavit Liburni Paulus Antonius Agellus, Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, & ſanctæ fidei inquiſitor, addiditque capite ultimo viginti duo miracula vel beneficia, quæ omnia, uno excepto, poſt editum à Bernino librum contigerant, & authenticis inſtrumentis fuerant conſignata. Aliam denuò Vitam Italico ſermone compendioſè Romæ edidit eodem anno* 1753 *pater magiſter Angelus Paſtrovicchi, ejuſdem Ordinis definitor perpetuus ac ſacri Officii qualificator, cujus exemplaria in ſolemnitate beatificationis ejuſdem in Vaticana S. Petri baſilica diſtributa fuere, nobiſque ibidem tum præſentibus etiam donata.*

& horum ultimus ex ſolis proceſſibus,

3 *Libello præfixa eſt præfatio reverendiſſimi patris Caroli Antonii Calvi, Miniſtri generalis laudati Ordinis, ad ſummum Pontificem Benedictum XIV, cui ea Vita dicata eſt, in qua de ratione & fide in ſcribendo adhibita ſic loquitur:* Egregia hujus celebris ſanctæ Eccleſiæ Herois geſta in pauca folia contracta ſunt plano ac ſimplici ſtilo &
B ſine ullo ornato, qui nimiâ ſuâ pompâ veritatem poſſit adulterare. Ne verò extraordinaria rerum magnitudo, licèt ſuccinctè narratarum, humanam fidem excedat, ſingulæ factorum relationes authenticè firmatæ ſunt teſtimoniis eorum, qui ea in proceſſibus ordinariis & Apoſtolicis cum juramento aſſeruerunt, locis teſtimoniorum eorumdem in margine accuratè adſcriptis. Ita Beatitudo veſtra pro eximia ſua perſpicacia faciendum eſſe, ſapienter mihi inſinuare dignata eſt, atque ita religiosè exſecutioni mandatum eſt. *Hactenus reverendiſſimus pater Calvi. Et ſanè ea cautio prudenter adhibita eſt; cùm enim propheticum iſtud pſalmi* 67, Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, *ſingulari quodam modo in* B. Joſephum *noſtrum conveniat, par erat, ut tam extraordinaria ejuſdem geſta iis teſtimoniis legitimè exceptis firmarentur, quibus nemo fidem facilè meritò abneget; aliaque omitterentur potiùs, quàm ſine ſat ſolidis veritatis argumentis rigidiorum cavillis objicerentur.*

quam dabimus, ex aliis etiam aliqua recenſuri.

4 *Hinc ego quoque ſapientiſſimi Pontificis monita lubens ſequar, ideòque comitis Bernini utut præclaro Opere, ejuſdemque Compendio præteritis,*
C *Romanum iſtud Paſtrovicchii Compendium Latinè vulgabo, & proceſſuum locos, in margine laudatos, inter Annotata recenſebo, ut ſingulis relationibus ſua ſtet fides & auctoritas. Id quoque in verſione Latina religiosè curabo, ut Italico exemplari preſsè inhæream; dabitque, ut ſpero, æquus lector veniam, quòd ſtilo propterea humiliori ac ſubinde etiam vocibus minùs Latinis utar, de veritate magis, quàm de ſermone ſollicitus. Nec inutilis tamen mihi erit Bernini labor, ex quo nonnulla, quæ in Vita edenda ex brevitatis ſtudio minùs clara ſunt, in Commentario illuſtrabo. Miracula quoque aliquot poſt Beati mortem impetrata & à fide dignis teſtibus firmata, quæ prolixitatis vitandæ ergò in laudata Vita prætermiſſa fuerunt, poſt eamdem ſubjiciam. Ex Agelli etiam Opuſculo cetera recentiora miracula vel beneficia, de quibus num.* 2 *memini, reliquis ſubtexam. Porrò præter jam laudatos ſcriptores aliquot alii, & inter hoſce nonnulli etiam Beato ſynchroni, ac præſertim Laurentius Cardinalis de Laureâ, de eodem honorificè meminerunt, quos Berninus cap.* 32 *recenſet, & nos aliquoties laudabimus.*

5 *Licèt Vita edenda accuratiùs ſcripta ſit, quàm ut prolixo Commentario egeat, juverit tamen totam Beati vitæ ſeriem, puta, natale ſolum & tempus, parentes, variam ætatem, domicilia, cetera-*

AUCTORE C. S.

que hujuſmodi ordine chronologico breviter percurriſſe, prætermiſſis factis particularibus, niſi ubi ea aut obſcuriùs à Paſtrovicchio tractata fuerint, aut etiam brevitatis ſtudio prætermiſſa. Joſepho *patria obtigit Cupertinum, indigenis* Copertino *dictum, oppidum regni Neapolitani in provincia Hydruntina ac diœceſi Neritonenſi, vulgò* di Nardo, *inter quam civitatem & Aletium, incolis* Leccie, *ſitum notatur in Tabulis Frederici de Wit. Berninus addit, Cupertinum illuſtris familiæ Pinelliæ marchionatum eſſe. In hoc loco beatus Puer primam lucem aſpexit anno* 1603, *die* XVII *Junii, ut habent omnes tres Vitæ Italicæ. Eædem conſentiunt de ejuſdem parentibus, quos pauperes, ſed honeſtos fuiſſe affirmant, & patrem quidem Felicem Deſa, matrem Franciſcam Panara appellatos.*

Cupertini ex parentibus pauperibus anno 1603

natus in ſtabulo

6 *De patre præterea tradit Berninus, eum fabrum lignarium fuiſſe, ſed moribus adeò compoſitis & urbanis, ut in omnium gratia eſſet, præſertim verò marchionis domini ſui, à quo is cùm caſtelli, quod ibidem habebat, curam accepiſſet,* Caſtellanus *vulgò dictus eſt. Porrò* Joſephum *noſtrum in ſtabulo natum eſſe, omnes pariter biographi conſentiunt, cujus rei cauſam Fremantius* E *ac Berninus produnt fuiſſe matris metum à miniſtris publicis, quibus propter debita, à marito fidem ſuam pro aliis obſtringendo contracta, domum ſuam invadentibus, ipſa in ſtabulum confugit, ubi à partûs angustiis deprehenſa, eum feliciter enixa eſt. Eodem teſte Bernino, beatus Infans Cupertini in eccleſia, cui* S. Mariæ à Nive *nomen eſt, baptizatus fuit, ac poſtea Sacramento Confirmationis initiatus. Fremantius præter nomen* Joſephi *etiam* Mariæ, *more Italis ſatis uſitato, in baptiſmo eidem inditum affirmat.*

& à matre ſeverè educatus,

7 *Quod ad educationem pertinet, ea pia, ſed ſevera fuit ſub rigida matris diſciplina. Hæc enim, ut habet Berninus, laudans Summarium proceſſuum fol.* 23, *num.* 9, *C.*, § 6, 8 *& ſequenti, aliis omninò, quàm maritus, moribus erat, parci ſcilicet ſermonis graviſque cenſuræ, & admodùm religioſa mulier, ita ut aſpera potiùs quàm accurata, etiam in rectè factis haberetur. Hinc nulla in Filio errata, licèt hæc ætatis potiùs quàm animi eſſent, impunita ferebat, tantumque in eo concivit ſui timorem, ut is poſtmodum dicere ſolitus ſit, ſibi in Religioſo Ordine tirocinio opus non fuiſſe,* F *quod ſub matris ſerula jam ſatis ſuperque exegiſſet. Fremantius ſcribit,* Joſephum, *dum puer eſſet, audacis iracundæque indolis fuiſſe, ex eaque aliquando alapam cuidam impegiſſe, & alterum cultro invaſurum fuiſſe, niſi adſtantes inhibuiſſent. Addit eum propterea à matre fuſte exceptum & ex ædibus expulſum, in quodam eccleſiæ atrio pernoctâſſe, nec, niſi amicorum precibus, in gratiam denuò admiſſum eſſe. Sed neſcio, unde hæc ipſe didicerit, cùm ceteri biographi* Joſephum *à prima pueritia ſanctè inſtituta laudent, & inter hos Berninus, laudato in margine Summarii folio* 25, *num.* 10, § 7, *dicat:* Teſtantur proceſſus, ipſum in puerili etiam quinque annorum ætate tam eximia ſanctitatis indicia dediſſe, ut præter ætatem nihil ei deeſſet, quò minùs velut perfectus vir in omnibus operibus ſuis honoraretur.

à Minoribus Conventualibus repulſus, à Capucinis inter laïcos

8 *Dum per ætatem ac valetudinem licuit, ſutrinum exercuit victûs comparandi cauſâ, inquit Berninus, laudans Summarium fol.* 26, *num.* 10, § XI. *Anno vitæ ſuæ decimo ſeptimo beatus Juvenis perfectionis cupidus, in Ordinem Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci admitti flagitavit; idque eò facilius obtenturum ſe ſperabat,*

AUCTORE C. S.

quòd in eo Ordine Franciſchinum Deſam patruum ſuum, & Joannem Donatum avunculum haberet, ambos presbyteros, & ultimum etiam magiſterio & doctrinâ ſpectabilem. Horum priori conſilium ſuum deſideriumque expoſuit: verùm is, ac fortè uterque, ut habet Berninus, quòd Joſephum *litteris minimè imbutum, ideóque ad ſuſcipiendum aliquando ſacerdotium ineptum ſciret, ejus preces repulit, ſpemque omnem potiundi voti præcidit. Afflictus repulsâ Juvenis, ad Capucinos animum adjecit, obtinuitque ab eorum Provinciali, quem Berninus Antonium Francævilla appellat, ut inter ſui Ordinis laïcos adoptaretur.*

ad tirocinium admittitur, ac deinde domum remittitur.

9 *Sacro itaque habitu anno 1620 (menſem Auguſtum addit Berninus) in oppido Martinæ, Tarentinæ diœceſis in provincia Hydruntina, quà Bariano agro adjacet, apud patres Capucinos indutus & novitiis laïcis adſcriptus fuit,* frater Stephanus *appellatus. In hoc tirocinio octo menſibus exercitatus, uti ex proceſſibus docet Paſtrovicchius, inde dimiſſus eſt. Dimittendi cauſa fuerunt quidam in domeſticis miniſteriis defectus, ob quos ad ſolita ſuæ conditionis officia ineptus judicabatur, quoſque alii naturali oculorum vitio, alii*

B

moti in Deum perpetuò defixæ adſcripſerunt. Berninus præter ea, quæ in Vita edenda allegantur, ſcribit, in altero illius genuum ex frequenti illorum ad terram affrictu tumorem enatum, quem ipſe ſeu parùm de malo ſollicitus, ſeu de futuro ſecurus, cultro abſciderit, ceteram curam Deo committens; & Deum quidem ſubitam ipſi medelam tuliſſe, at Joſephum *tamen tum propter inciſum tumorem & emaceratam faciem, tum propter vitam perpetuò contemplativam ſemper minùs minúſque aptum viſum eſſe ad ſui Ordinis exercitia, ideóque, Deo ita diſponente, domum ſuam remiſſum.*

Inter Tertiarios oblatos Minorum Conventualium

10 *Miſſionem hanc circa finem Martii aut inchoatum Aprilem anni 1621 contigiſſe colligitur ex eo, quòd Beatus ad matrem ſuam redire non auſus, Vetraram ſe contulerit ad patruum ſuum Minorem Conventualem, qui ibi conciones per eam Quadrageſimam habebat, quique illum ſeverè excepit, deinde tamen commiſeratione motus, aliquo tempore apud ſe retentum, poſt Paſcha, quod illo anno die* XI *Aprilis celebratum fuit, Cupertinum ſecretò reduxit, ubi non mitiora à rigida matre (nam pater diem ſuum jam obierat) ipſi audienda fuere. Non comperi, quanto tempore in maternis ædibus tum permanſerit; verùm illa precibus lacrymiſque apud fratrem ſuum Donatum, alioſque patres Conventuales tantum effecit, ut ille in eorumdem conventu S. Mariæ Cryptellæ, ſeu* della Grottella, *laïcis, quos Oblatos Tertiarios vocant, adſcriptus tandem fuerit.*

C

in conventu Cryptellæ recipitur;

11 *Hic conventus, ſeſqui milliari ab oppido Cupertino diſſitus, ſic dictus eſt ab antiqua magnæ Dei Matris Mariæ imagine, in quodam ſpecu ſubterraneo anno 1540 reperta, quem ſpecum, ſive cryptam clerus Cupertinus in quoddam pium ſacellum convertit, Cæſar verò Bovius Neritonenſis epiſcopus anno 1557 in eccleſiam, quam Hieronymus de Franchis, ejuſdem ſedis epiſcopus, anno 1618 patribus Minoribus Conventualibus conceſſit, qui ſui Ordinis cœnobium eidem adjecerunt. Ita, ſed paulò pluribus Berninus, ex cujus fide hæc recenſuimus. Apud Ughellum tom. 1 Italiæ ſacræ auctæ, col. 1055 de Cæſare Bovio inter cetera legitur:* Eccleſiam S. Mariæ, cui à Cryptella nomen eſt, extra Cupertini mœnia poſitam, unà cum conjunctis ædibus magnificentiſſimè erexit. *Hæc de eo loco referenda cenſui, quòd is, uti ex Vita patebit, propter celebrem illam ſanctiſſimæ Dei* D *Genitricis iconem* B. Joſepho *noſtro in primis carus fuerit. In hoc itaque conventu Beatus in habitu Oblati Tertiarii ſtabuli uſibus addictus, mulæ domeſticæ curam geſſit, & avunculo ſuo patri Joanni Donato aliquo tempore ſocius datus eſt.*

deinde inter clericos novitios, profeſſionem emittit, initiatur

12 *Verùm in tam humili conditione ac miniſterio tantis eluxit virtutibus, ut ipſi Religioſi in ſuis comitiis provincialibus Alti-Muri, quæ Bariani agri exigua civitas eſt, indigenis* Alta-Mura *dicta, inſtiterint, impetraverintque, ut die* XIX *Junii anni 1625, qui ætatis ipſius vigeſimus tertius erat à paucis diebus inchoatus, clericorum Ordinis ſui habitu indutus, inter tirones conventûs Cryptellæ, retento* Joſephi *nomine, cooptaretur. Tirocinii tempore, quod ipſis annuum eſt, præter ſolita Religioſa exercitia, litterarum ſtudium, quibus ad ſacerdotium ſeſe aptum redderet, ex ſuperiorum mandato cordi habuit; ſed in hoc admodùm parùm profecit. Fecit tamen ejuſdem virtutum ſplendor, ut ſequenti anno, qui fuit Chriſti 1626, ad Religioſam profeſſionem admitteretur. Anno Chriſti 1627, die* XXX *Januarii, ſine ullo prævio examine, ab Hieronymo de Franchis, Neritonenſi epiſcopo, minoribus Ordinibus, die verò* XXVII *Fe-* E *bruarii ejuſdem anni ſubdiaconatu initiatus fuit.*

ſacris Ordinibus & ſacerdotio.

13 *Diaconatum eodem pariter anno, die* XX *Martii ſuſcepit, præmiſſo quidem examine, ſed felici prorſus eventu. Nam cùm illud ſolum Euangelium,* Beatus venter, qui te portavit *&c. longo ſtudio didiciſſet, Neritonenſis epiſcopus, divina ita diſponente providentia, id ipſum ei explicandum dedit. Sacerdotio denique à Joanne Baptiſta Deti, epiſcopo Caſtrenſi, cujus ſedes* Caſtrum *eſt, civitas archiepiſcopo Hydruntino ſuffraganea, initiatus eſt anno 1628, die* XXVIII *Martii, ſine ullo rurſus examine, ut ſuo loco in Vita videbimus. Cur autem Caſtri potiùs, quàm Neriti, in cujus diœceſi conventus Cryptellæ ſitus eſt, poſtremum hunc ſacrum Ordinem ſuſceperit, exploratum non habeo. Annum diemque ex Paſtrovicchio retuli; nam Berninus, & poſt hunc Agellus, de anno quidem conveniunt, ſed diem* IV *Martii ſignant. Celebrabatur autem illo anno Paſcha die* XXIII *Aprilis, adeóque neuter ex aſſignatis diebus in Quatuor tempora incidit: malo tamen Vitæ edendæ, dum veritatem aliunde aſſequi nequeo, inhærere.*

Monumentum Ordinum ab eo ſuſceptorum Neriti.

14 *Porrò Berninus exſtare aſſerit in ſacello epiſcopi Neritonenſis monumentum Ordinum à* B. Joſepho, *& inſigni viro Joanne Felice Marzano, ibidem ſuſceptorum, recitatque hoc modo:* Vetuſtum epiſcopii ſacellum, Deo in honorem B. Mariæ Virginis dicatum, ubi gemina Neritinæ diœceſis lumina, civeſque Cupertinenſes, inſignis vitæ ſanctimoniâ & divinis muneribus clari, Joannes Felix Marzanus, qui Prædicat. Ordinem ingreſſus, Thomæ Mariæ nomen aſſumpſit, à Cæſare Bovio epiſcopo primâ tonſurâ, & F. Joſeph Deſa, Ordinis Minorum Conventualium, à Hieronymo de Franchis epiſcopo primâ tonſurâ, minoribus Ordinibus, ſubdiaconatu & diaconatu ſunt inſigniti, Antonius Sanfelicius epiſcopus decentiùs ornavit, & quò venerabilius ſit poſteritati, monimentum poſuit.

A

§ II. Magnis animi anguſtiis biennio exercetur, & mirabiliter liberatur : accerſitur Neapolim à ſacra inquiſitione : Romam liber dimittitur : geſta ibidem.

Arctioris vitæ genus aggreſſus,

AD *ſuum Cryptellæ conventum jam ſacerdos regreſſus, ſacras primitias Deo obtulit, ex eoque divino miniſterio ſacrum quemdam horrorem vehemenſque deſiderium concepit vitæ perfectioris, quam & mox aggreſſus eſt, uti apud Paſtrovicchium legitur. Verum hos pios conatus gravis animi tempeſtas, & hanc lata ſerenitas excepit. Non abs re fore arbitror, ſi, miſſis ceteris, quæ in Vita edenda ſatis exponuntur, ipſius* B. Joſephi *hac ſuper re teſtimonium, prout illud ab Hyacintho Libello, archiepiſcopo Avenionenſi relatum, & in Summario proceſſuum fol.* 263, *num.* 15, *F.* § 25, *teſte Bernino, inſertum eſt, hîc recenſeam. Laudatus itaque Libellus Beatum de hoc argumento Italicè ſecum ita loquentem inducit:* Eò redactus eram (*per ſpontaneam abdicationem rerum omnium, etiam earum, quibus cum ſuperiorum licentia, ut ceteri Religioſi, uti poteram*) ut jam in hoc mundo nihil haberem præter tunicam, quâ eram indutus; atque ita ad Crucifixi pedes proſtratus, Ecce me, dixi, qualem me vis, Domine, nudum & omnibus privatum & penitus pauperem: modò tu ſis meum unicum bonum, omne aliud bonum pro periculo, damno & animæ naufragio reputo.

gravi melancholiâ probatur,

16 Cumque jam viderer mihi diabolum debellâſſe, miſer ego nondum noveram, quantum pugnæ mihi ſupereſſet; nec advertebam, meritum paupertatis non in rerum omnium exteriorum inopia, ſed in omnium erga eaſdem internorum affectuum exſtinctione ſitum eſſe. Et tamen maximè profanum cor meum terrenis mundaniſque affectibus ſcatebat, & longiori pugna ei opus erat, ut purgaretur. Et ſanè non multò pòſt patuit, quale eſſet: cùm enim cœpti pœniteret, nec, ut aliàs feceram, jacturam poſſem reſarcire, in tam gravem cordis afflictionem incidi, ut, niſi Deus incomparabili ſua caritate me ſuſtentâſſet, dubitem, an eam ferre potuiſſem. Creſcebat melancholia, quantùm creſcebat egeſtas, & hæc indies arctabatur, quia tunica, quâ induebar, terebatur, neque noveram, quò me verterem, ut alteram, quæ neceſſitatem ſublevaret, mihi compararem; non quòd Religioſi de convenienti victu & veſtitu mihi non proſpicerent; ſed ſive quòd Deus mei purgandi causâ id ita permitteret, ſive quòd illi me emotæ mentis eſſe rati, cenſerent, hac afflictione me mihi reddendum.

quâ per biennium vehementer auctâ

17 In hoc ſtatu diu inhærens, quamvis ſcirem, Deum in centro cordis mei immorari, unde interdum me ad patientiam hortabatur, frequenter tamen cum eo conquerebar, acſi me deſeruiſſet, quódque, cùm ego propter illum omnia reliquiſſem, ipſe animam meam, cùm ſpiritualibus, ſolatiis aſpergenda eſſet, lethali luctâ opprimi permitteret. Hæc lucta divinam inter bonitatem meamque malitiam toto biennio tenuit. O Deus, quàm hæc recordatio me exanimat! Erant tempeſtates; pravi mei affectus venti erant, anima autem mea jactata navicula, quæ ſi naufragium paſſa non ſit, hoc non rationis induſtriæ, ſed Dei fuit, qui illam inter tempeſtates ad portum conducere volebat. In fine biennii, cùm plagæ meæ deſperatæ, earumque remedium longiùs abeſſe mihi viderentur, melancholiâ ceteris omnibus graviori correptus ſum. Videbar mihi emori; & velut inconſolabilis me in cellam meam recepi, portâque ac deinde etiam feneſtrâ clausâ, in vilem lectulum, quem habebam, decubui, & poſt longos cum Deo & de Deo queſtus, ſæpiùs repetendo: Domine, ut quid dereliquiſti me? & poſt ipſum cum fervore ſuſpiriiſque ſolito ardentiùs invocatum, ex mearum miſeriarum conſideratione in acerbiſſimum planctum prorupi, quem inter vehementes ſingultus diu continuavi.

AUCTORE C. S.

mirabili modo tandem liberatur,

18 Ad ſingultus meos, neſcio quis, Religioſus janua meam pulſavit, &, me non reſpondente, cùm de more Religioſorum clave obſerata non eſſet, aperuit, & ingreſſus acceſſit ad lectum meum, aitque: Frater Joſephe, quid tibi eſt? Loquere; quia ego adſum, ut te adjuvem. Ego, licèt non agnoſcerem, illum Religioſum ratus, rogavi, ut diſcederet, meque meis immerſum miſeriis relinqueret. Non, non, repoſuit Religioſus ille; volo, ut tu tuos planctus mittas, animoſque reſumas; & quia credo, tibi tunicâ opus eſſe, hanc tibi affero; poſuitque eam in lecto, & abiit. Tum ego mirabundus ſurrexi, feneſtram aperui, & tunicam aſpexi, veteremque contritam mox exui & novam indui. Pater, refero tibi divinæ miſericordiæ prodigium. Cùm hanc tunicam, à cælo, credo, mihi miſſam, induiſſem, evanuit omnis melancholia, & cor meum ſuaviſſimâ lætitiâ impletum eſt, omnemque diffidentiam & deſperationem, quam eò uſque ſenſeram, deteſtatus & exſecratus fui.

prout ipſe narravit.

19 Dehinc autem tanta cum tranquillitate, tantaque divini obſequii æſtimatione Deo ſervivi, ut minimum, quod ei præſtare poſſim obſequium, incomparabiliter pluris faciam, quàm centies mille mundorum imperium. Quis ille frater fuerit, numquam potui reſcire, nec umquam aſſequi, quis mihi eam tunicam pro ſtipe dederit; id certum eſt, ſi is non fuerit angelus mihi miſſus à cælo, eumdem, quiſquis fuerit, officio angeli conſolatoris apprimè functum fuiſſe. Atque ita ſanctus Vir orationem ſuam terminavit. *Poſt hæc ſubdit Berninus:* Hactenus ſcriptum Libelli archiepiſcopi Avenionenſis. *Fuit autem is Hyacinthus Libellus ex Ordine Prædicatorum ſacri palatii magiſter, & à Clemente X ad Avenionenſem ſedem evectus, quam anno* 1673 *adiiſſe dicitur tom.* 1 *Galliæ Chriſtianæ recuſæ col.* 838. *Dictum itaque cum* B. Joſepho *colloquium habuit ante epiſcopatum. Prætereo alia, quæ in Vita edenda abundè narrantur, & ad alteram afflictionem & chronotaxim progredior.*

Accerſitus à ſacra inquiſitione Neapolim tendit,

20 *Jam multis miraculis inclaruerat* Joſephus *tum Cupertini, prope quod oppidum fixum domicilium in conventu Cryptellæ habebat, tum in Barenſi provincia, quam cum patre Provinciali ſuo obierat, cùm à vicario cujuſdam epiſcopi, cujus nomen reticetur, apud ſacræ inquiſitionis tribunal Neapoli velut impoſtor accuſatus, eóque accerſitus eſt. Accuſationis hæc ſumma fuit;* diſcurrere per eas provincias hominem triginta trium annorum, & hunc alterum Meſſiam totos vicos poſt ſe trahere cum prodigiis ad ſingulos paſſus, celebratis à plebe, quæ omnia credit. *Secundùm hæc ad rigorem accepta annus Chriſti* 1636 *tunc currebat,*

AUCTORE C. S.

rebat, cùm Beatus anno 1603 natus fuerit, verùm ex reliqua rerum chronotaxi ea res biennio circiter serius accidit, & Fremautius etiam ac Berninus discessum ejus è Cryptella Neapolim diei XXI Octobris anni 1638, quo ille annum vitæ trigesimum quintum agebat, innexuerunt. Hinc dicendum est, vicarium illum ætatem illius, ut fieri assolet, tantùm circiter annotâsse.

ubi dum examinaretur, aliquid memorabile

21 *Ex hisce calculis sequitur*, B. Josephum *à primo admissionis suæ inter novitios clericos die usque ad decessum versùs Neapolim annos tredecim ac menses quatuor completos in dilecto sibi Cryptellæ conventu habitâsse, annumerato eo tempore, quod Barensi provinciæ cum superiori suo peragrandæ, ac aliis etiam fortè excursionibus interim impendit. Neapoli unâ alterâve hebdomade à sacro inquisitionis Officio detentus, & eo temporis spatio ter examinatus fuisse in Vitis dicitur. Quid tamen in iis examinibus actum fuerit, publicatum non est, præter unum satis memorabile, quod Fremautius, Berninus atque Agellus ejus Vitæ inseruere, quodque ego cùm in edenda non legatur, Bernini verbis Latinè versis hìc subjicio.* Examina, *inquit*, silentio pressa sunt; sed ad indagationem doctrinæ suæ frater Josephus per miraculum respondit, per prophetiam scilicet, cujus veritas non nisi temporis lapsu potuit probari, estque ea, quæ sequitur.

B

circa S. Catharinæ Senensis familiam

22 Oblatum ipsi à sacro ministro fuit Breviarium, quod apertum legere & explicare jussus est. Casu quodam, si humana attendas, sed si divina, non sine mysterio contigit, ut Lectiones S. Catharinæ Senensis, fratris Josephi patronæ, oculis sese obtulerint, in quibus tum legebatur: CATHARINA, VIRGO SENENSIS EX BENINCASIS PIIS ORTA PARENTIBUS. Frater Josephus legit: CATHARINA, VIRGO SENENSIS, PIIS ORTA PARENTIBUS; prætermissis vocibus EX BENINCASIS. Admonitus à ministro, ut lectionem repeteret frater Josephus, eadem, quæ diximus, promptè relegit, nullo dempto additove vocabulo. Tertiò jussus, eodem modo, quo prima & secunda vice legit. Tum verò à ministro monitus, ut ad lectionem attenderet, in qua non legisset nec protulisset has voces, EX BENINCASIS; certò affirmavit frater Josephus, non videre se alias voces, quàm quas paulò antè protulerat. Laus Deo, quòd ipsi placuerit, ut per patrem Josephum prædiceretur, eas voces, EX BENINCASIS ex Romano Breviario eximendas, prout non multò pòst à sacra rituum Congregatione justis de causis exemptæ fuerunt. *Hactenus Berninus.*

C

ipsi contigisse narratur.

23 *Observandum tamen est, non integram Breviarii periodum, sed sensum dumtaxat ab eo relatum esse; nam in Breviario Romano, Plantinianis typis anno 1647 Antverpiæ edito, sic legitur:* Catharina, virgo Senensis, ex Benincasia, unà cum Burgesia familia, ex eodem stipite proveniente, piis orta parentibus *&c. Hoc eodem modo ea legit Fremautius, cetera Bernino consentiens. Quod ad vaticinii veritatem attinet, Bailletus in ejusdem S. Catharinæ Vita observat, illustrissimam Burghesiorum familiam à summo Pontifice, qui tunc erat Urbanus VIII, anno 1641, die XXVIII Septembris impetrâsse, ut ista delerentur, at non in omnibus Breviariis, quæ deinde in lucem prodierunt, Pontificis mandato mox obtemperatum fuisse; cujus rei argumento est exemplar Plantinianum mox laudatum. In posterioribus tamen Plantinianis editionibus, quas vidimus, & quibus nunc utimur, erasis, quæ de Benincasia Burgheſiaque familia olim legebantur, tantùm dicitur:* Catharina, virgo Senensis, piis orta parentibus *&c. Ceterùm nescio, quo teste hoc* B. Josephi *factum asseratur; nam neque in Vita edenda de eo fit mentio, nec Berninus hìc in margine processus laudat.*

D

Romam missus, in remotâ cella collocatur;

24 *Porrò* B. Josephus, *innocentiâ suâ & sanctitate apud Neapolitanum sacri Officii tribunal jam comprobatâ, aliquo tempore Neapoli in conventu sui Ordinis liberè substitit. Sed cùm hìc à nobilibus æquè ac plebejis frequenter inviseretur, magnique fieret, honoris vitandi ergò longiorem moram præcidit, & à laudatis sacri Officii ministris Romam ad patrem Generalem suum remissus fuit. Visum tamen iisdem est expedire, ut in remoto quodam solitarioque conventu collocaretur, idque litteris, per illum ipsum allatis, Generali indicârunt. Præerat tunc, teste Bernino, Minorum Conventualium Ordini pater magister Joannes Baptista Berardicellus, & in Romano duodecim Apostolorum conventu de more residebat; qui cùm* Josephum *numquam antè vidisset, jamque à sacra inquisitione cum hujusmodi litteris ad se missum videret, cum gravi illum supercilio excepit, & donec aliter statueret, in remota quadam ejusdem conventus cella jussit subsistere.*

E

coram Pontifice ecstasim patitur.

25 *Verùm quò obscuriori loco* Josephus *delitescebat, eò illustriùs sanctitatis ejusdem fama Romæ increbuit, ut jam non à Religiosis suis fratribus solùm, sed etiam à S. R. E. Cardinalibus, ipsoque summo Pontifice Urbano VIII suspiceretur, prout narrant biographi ex processibus. Hinc ad hoc tempus refert Berninus, quod de Beati ad laudatum Pontificem accessu in Vitis legitur. Ajunt scilicet,* Josephum, *cùm à patre suo Generali ad oscula pedum illius adductus esset, & ad id præstandum sese inclinaret, sacra Pontificis majestate, in quo Christum Dominum, cujus ipse vicarius est, contemplabatur, adeo perculsum, ut ecstaticus & à terra sublatus hæserit, donec generalis imperio aliter juberetur, stupente Pontifice atque dicente;* Si Josephus tempore Pontificatus sui moreretur, sese ea de re testimonium dicturum. *Addit Berninus, eumdem tunc mandâsse, ut is* in aliquo observantiæ conventu, *sive in quo observantia Regulæ vigeret,* collocaretur.

Alia quædam, quæ Romæ tunc egisse dicitur.

26 *Ad idem pariter tempus refert, quod in processuum Summario fol. 70 num. 12, B. § 102 legi asserit; extra Romam videlicet famam fuisse,* fratrem Josephum Romæ multa miracula patrare, propter quæ ab omnibus pro Sancto haberetur. *Quamquam autem fateatur, sibi non satis exploratum esse, de quibus miraculis ibi fiat mentio, ex Summarii tamen fol. 593, num. 41, A. § 44 affirmat, Baltazarem Mozicchi, medicis de vita ejus desperantibus, per* Josephi *preces, quas consanguinei periclitantis flagitaverant, à lethifero morbo tum subitò convaluisse. Tunc quoque factum putat, quod in Vita edenda num. 87 ex processibus traditur, nempe eum eodem tempore, quo in Urbe degebat, Octavio Piccinno, Cupertini animam agenti, uti ipsi antè promiserat, in suprema lucta præsentem adstitisse. Denique existimat, eumdem Nicolao Albergati, qui, Ludovisius postea nuncupatus est, cardinalatum eo tempore prædixisse; sed postremum hoc in altera mora Romana contigisse, sequenti § ostensuri sumus; de prioribus verò, quantùm ad tempus attinet, nihil possumus adstruere.*

F

§ III.

AUCTORE C. S.

§ III. Assisium missus, magnas animi angustias ibi patitur : Romam revocatur : redit Assisium : quædam acta ibidem.

Ad Assisiensem conventum destinatur,

A

POst incerti mihi temporis in Urbe Romana moram, à patre Generali suo mittitur Assisium, quod Pontificiæ ditionis in Umbria episcopalis civitas est, in sacro S. Francisci conventu habitaturus. Tempus illius in hunc locum adventûs Berninus signat diem xxx *Aprilis anni* 1639, *idque chronotaxi hactenus datæ satis conforme est. Verùm idem illud difficultatem patitur ex Vita edenda, in quâ Beatus annos tredecim in Assisiensi conventu habitâsse dicitur. Constat autem ex dicendis, eum anno* 1653, *die* xxiii *Julii ex hoc conventu, numquam eòdem reversurum, amotum*

B

fuisse; atque adeò, si anno dieque à Bernino assignatis Assisium advenerit, oportet eum annos quatuordecim, eosque completos ibidem exegisse. Hæc conciliari non possunt, nisi quis velit, Beatum, dum in Assisiensi conventu fixum domicilium haberet, plures menses alibi subinde degisse (nam & Romam interim evocatus fuit,) & Pastrovicchium, hisce præcisis, annos tantummodò completos, quibus Assisii præsens vixit, numerâsse. Nisi id ita sit, pro annis 13 *reponendi sunt* 14, *aut dicendus est Beatus seriùs, quàm die* xxx *Aprilis anni* 1639 *huc adveniisse, ideóque etiam seriùs, quàm sub finem Octobris anni* 1638, *ut num.* 20 *ex Bernino diximus, Neapolim evocatus esse; neque enim Neapolitana ac Romana mora tam diuturna fuisse videtur, ut annuum spatium ei adjici possit.*

ubi à superiore duriter habetur; & mentis aviditate

28 *Gaudebat enimverò* B. Josephus, *quòd id domicilium sibi obtigisset, ubi sanctissimi patriarchæ sui Francisci corpus servabatur: verùm non multò post nova denuò afflictio accessit, eò acerbior, quò amiciores manus essent, à quibus immittebatur. Pauco enim pòst tempore pater magister Antonius à S. Mauro eidem conventui Custos præfectus est. Is ipse erat, qui, dum toti Pro-*

C

vinciæ præesset, Josephum *venerationis & amoris gratiâ per Barianum agrum circumduxerat; sed ob scriptam ipsi à Neapolitana inquisitione dicam tam mutato in eumdem animo, ut, quem antè dilexerat, acerbis dicteriis minisque incessere non cessaret. Et ipse quidem hæc patienter & humiliter ferebat, & majoribus obsequiis religiosè compensabat; sed nihilo inde reddito mitiori Custode. Huic molestiæ accessit aliud gravius: nam divina providentia, quæ Servum suum, sicut aurum in fornace probari volebat, sua quoque solatia cælesteque animi delicias omnes paulatim penitus subtraxit, eumque velut ad divina surdum & omni pietatis sensu destitutum reliquit.*

ac fœdis tentationibus vehementer cruciatus,

29 *Ad hæc permisit dæmoni, ut eumdem eodem tempore fœdis cogitationibus & phantasmatis per biennium infestaret, quibus castissima illa anima, licèt bene sibi conscia, mirè torquebatur. Hasce animi angustias augebat præteriti temporis recordatio, quo in dilecto Cryptellæ conventu cum summa animi tranquillitate divinis donis affluebat. Hinc in gravem lapsus est melancholiam, quam toto etiam corpore præferens, oculorum palpebras vix poterat attollere. Tanta porrò Custodis in afflictum* Josephum *importuna severitas, si Bernino credimus, duos ejusdem conventus Religiosos, patrem scilicet magistrum Gabriëlem de Caravaggio & Euthymium De Campo-Vetere, tironum magistrum, impulit, ut pro* Josepho *apud patrem Generalem conquererentur, & hic sanctitate illius dudum cognita, ideóque eorumdem postulatis annuens, illum Custodis imperiis subtractum voluit uni patri Bonaventuræ Cupertinensi, qui tum temporis in Assisiensi conventu præses erat, imposterum subesse. Unde tamen ea didicerit Berninus, non edicit: certius est, quod de Beato Romam propterea evocato tam ipse, quàm Pastrovicchius ex processibus tradiderunt.*

à Generali Romam evocatur,

30 *Etenim pater Generalis de miserando Beati statu admonitus, eum Romam accersit, ut recreandi animi gratiâ ejus anni Quadragesimam Romæ apud se traduceret. Factum hoc Berninus anno* 1644 *rectè illigavit. Porrò Deus atram illam animi tempestatem Romæ penitus depulit, Servumque suum pristinis suis deliciis denuò implevit. Quid Romæ præcipuè egerit, non exponit Pastrovicchius; at Berninus reliqua recensèt, quæ hìc subjungimus. In primis ait, ipsum sacra almæ Urbis loca & basilicas cum summo pietatis sensu mentisque dulcedine*

E

obivisse. In hanc sententiam ex Summario processuum fol. 267, *num.* 15, *C.* § 8 *recitat testimonium Bonaventuræ Claverii, qui ex Ordine Conventualium S. Francisci ad episcopatum Potentinum anno* 1646 *evectus fuit, teste Ughello tom.* 7 *Italiæ sacræ auctæ, col.* 144. *Testimonium hoc, quia oculati testis est, dignum judico, quod, prout apud Berninum recensetur Italicè, in Latinum sermonem versum lectori exhibeatur.*

ibique sacras basilicas piè invisit.

31 Cùm Romæ essem (*inquit laudatus episcopus Potentinus*) Assisio advenit pater frater Josephus, à patre Generali Larinate (*is ipse est Joannes Baptista Berardicellus, à patria sua Larino, regni Neapolitani civitate in provincia Capitanata sic dictus*) solandi gratiâ arcessitus, & hospitatus est in quadam cella supra cubiculum patris Generalis, & ego ejusdem curam gessi. Duxi illum mecum ad novem basilicas invisendas curru patris Generalis, quia omnes dictas ecclesias aliter lustrare non potuissemus. Res mira! quoties in currum ascendebat, rapiebatur in ecstasim, utque è curru egrederetur & intraret in ecclesiam, oportebat, ut sanctæ obedientiæ nomine eum sui compotem fieri juberem. S. Petri basilicam o-

F

mnium primam ingressus, oculos adeo submisit, ut pavimentum, in quo gradiebatur, vix cerneret. Hinc dixi ei: Frater Josephe, attolle oculos & vide altaria, sacella & pictas tabulas, aliaque æquè pia ac elegantia. Ipse verò numquam oculos sustulit, respondítque mihi: Credo, credo; nec aliud volo præter sanctam fidem.

Nicolao Albergati

32 *Ad eamdem in Urbe moram, aut certè ad eumdem annum pertinet vaticinium, quo Beatus Cardinalatum illustrissimo Nicolao Albergato, postea* Ludovisio *appellato, prædixit, quod vaticinium Berninus, ut suprà monui, præpropere retulit. Rem, ut contigit, ipse Nicolaus, jam Cardinalis, exposuit verbis, quæ Berninus ex Summario fol.* 4, *num.* 3, *A.* § 1 *Italicè recensuit, quæque nos ex eo Latinè reddidimus.* Patrem Josephum à Cupertino, Minorem Conventualem, Romæ primùm cognovi. Eò ipse à superioribus suis arcessitus fuerat, & hospitabatur in sui Ordinis conventu Sanctorum Apostolorum; ego verò tunc habitabam in palatio, quod princeps Gallicanus Cardinali Chisio postremò reliquit, sed tum temporis possidebat princeps de Venosa. Audito

AUCTORE C. S.

Patris adventu, motus famâ, quæ de illius sanctimonia spargebatur, incensus fui singulari ejus videndi desiderio. Ea itaque mente quodam manè egressus è domo, intravi conventum, ubi nemine reperto, qui me ad cellam ejus conduceret, quam circa turrim esse tantùm intellexeram, aliquot scalas ascendi, & opportunè non longè ab illa bonum Patrem obvium habui; qui cùm me numquam antea vidisset, nec quis essem, ullo modo sciret, extemplo me hisce præcisè verbis prior compellavit: Ut quid Cardinalis invisit pauperculum?

Cardinalatum vaticinatur:

33 Ex humilitate sermonis intellexi, illum ipsum esse, quem quærebam, ut reipsa erat. Dixi igitur ei, non esse me Cardinalem. Respondit ille subridens: Bene, bene, bene. Postquam spatio mediæ non ampliùs horæ cum eo collocutus fuissem, cum magno pietatis sensu recessi. Eodem die cùm post prandium domi degerem, accessit ad me quidam Conventualis, qui præfatus, esse se patris Josephi socium, ait, illum dixisse, prælatum quemdam, qui eodem manè apud illum solus fuerat, risisse, quòd ipse sibi, nescio quid, de Cardinalatu suo dixisset; sed eumdem paucos intra menses visurum, an ipse falsus fuisset, nec ne. B Dimissus à me pater ille fuit eo modo, quo quilibet prudens potest arbitrari. Verumtamen rei veritas patuit: colloquium enim istud contigit mense Majo anni MDCXLIV, mense autem Martio anni MDCXLV per divinam clementiam promotus fui &c. *Hactenus Nicolaus Albergatus, seu Ludovisius, qui ab Innocentio X die* VI *Martii præcitato anno S. R. E. Cardinalis titulo S. Augustini creatus est, ut habet Ciaconius tom.* 4 *Vit. Pontif., col.* 670, *ubi plura de eodem legere est.*

coram aliis Cardinalibus mirabiles ecstases

34 *Fortè eodem anno* 1644 *pariter contigerunt, quæ Bonaventura Claverius, episcopus Potentinus suprà num.* 30 *&* 31 *laudatus, in processuum Summario* § 14, *fol.* 268 *apud Berninum oculatus similiter testis præterea asseruit.* Quodam manè, *ait Claverius Italicè,* patrem Josephum, Romæ commorantem duxi mecum invisurus Cardinalem Lanti, Ordinis protectorem, Cardinalem Montaltum, &, si rectè memini, etiam Cardinalem Burghesium. Apud horum singulos, quos omnes eodem matutino tempore visimus, statim ac cum dictis dominis Cardinalibus confederamus, vix ego pium aliquem de quodam passionis Christi C mysterio sermonem injeceram, quin pater frater Josephus raperetur in ecstasim, momentoque temporis è sede, quam occupabat, in genua procumbens, expansis in modum crucis brachiis, oculisque versùs cælum apertis, præmisso magno ejulatu & cordis fremitu, immobilis omnique sensu destitutus spectaretur: nec remittebant ecstases, nisi cùm ego per sanctam obedientiam ita imperâssem. Hinc laudati Cardinales multum solatii pietatisque ex patris fratris Josephi consortio referebant, ipsique se semper commendabant, nec mecum loquebantur.

patitur: remissus Assisium, civitate donatur,

35 *Hæc autem ad prædictum annum referre visum est; quia Cardinalis Montaltus, aliàs dictus Franciscus Perettus, mense primùm Decembri anni* 1641 *Cardinalis creatus est, teste Ciaconio tom.* 4, *col.* 610; *adeòque seriùs, quàm Beatus prima vice Romam advenit, ut suprà dictum est. Et Cardinalis quidem Petrus Maria Burghesius jam ab anno* 1642 *obierat, ut habet laudatus Ciacconius, col.* 539; *sed cùm Claverius de hoc postremo dubiè meminerit, verisimilius est, ipsum in hoc potiùs, quàm in Montalto, memoriâ lapsum esse; nisi fortè prolepsi usus, Montaltum Cardinalem dixerit, antequam esset. De Marcello Lanti vel Lantes omnia se rectè habent. Rebus tam prosperè Romæ succedentibus, remittitur Assisium, ubi eodem anno* 1644 *certè jam morabatur. Exceptus autem ibi est ingenti omnium applausu, & aliquo tempore pòst ob insignia ejus beneficia honoris ergò civitate donatus à civibus, & à Religiosis Conventualibus sui conventus alumnis* (filios *ipsi appellant*) *adscriptus; quod utrumque ipse acceptavit, & præ gaudio in ecstasim raptus & in aërem sublatus est, quòd, ut ajebat, S. Francisci popularis factus esset.* D

per instrumentum publicum,

36 *Agellus in Vita* B. Josephi *nostri cap.* 9 *instrumentum civitatis Latinè recenset, quod est hujusmodi:* Confalonerius & Priores illustrissimæ & Seraphicæ civitatis Assisii admodùm R. Patri Josepho de Cupertino, Ordinis Minorum Conv. S. Francisci, de familia sacri conventus Assisiatis, salutem ac prosperos ad pia opera accessus. Amor insignis, quem erga civitatem hanc, quam singulari divinæ miserationis beneficio communem cum glorioso patriarcha pauperum D. Francisco patriam, licèt immeriti, nacti sumus, prætulisti, & preces, quas pro animarum salute, & pro spiritualibus temporalibusque bonis publicarum privatarumque rerum, semper dignatus es & dignaris salubriter in Domino ad Dominum efficaciter effundere, præsertim dum veram charitatem restaurando, divisos civium animos reconciliare conaris, ægros etiam afflictos solaris, & omnes denique bonis consiliis adjuvare solitus es, & signanter auxilium, quod nobis per finitimarum regionum bella inter sacrilegas hostium invasiones verbo & opere superioribus mensibus præsentissimum exhibuisti, eò nos adduxerunt, ut Assisienses civium corda rapueris, tibique Assisienses omnes immortalis obligationis vinculo devinctissimos reddideris. E

quod ex Agello recitamus.

37 Et cùm paria paribus referre nulla ex parte valeamus, ad effugiendum ingratitudinis vitium in signum grati animi Te prædictum admodùm R. P. Josephum à Cupertino in publicis generalibus consiliis inter nos civem aggregavimus viva omnium voce, & aggregamus per præsentes cum omnibus prærogativis & privilegiis, Assisiensibus civibus, in ipsa Assisinate civitate oriundis, competentibus & competituris. In quorum fidem & testimonium has litteras fieri & F nostri sigilli impressione muniri, ac per nostrum cancellarium subscribi jussimus. Datum Assisii ex palatio nostro Priorali hac die IV mensis Augusti anni MDCXLIV.

Loco ✠ sigilli

Grandilius Lucidus
canc. mandato &c.

De donatione civitatis conveniunt etiam Berninus & Pastrovicchius, ac prior de instrumento etiam meminit; neuter tamen illud recitat; nec Agellus indicat, unde id acceperit. Ex adscripto autem die conjicimus, illud non statim ab ejus Assisium reditu confectum fuisse, *cùm ex dicendis, tunc jam aliquo tempore in Assisiensi conventu degisse videatur. De quo verò bello in eodem mentio fiat, sequenti* § *videbimus.*

A viris illustribus ac principibus

38 *Nec intra Assisium tantummodò & vicina loca* B. Josephi *fama celebris continebatur, sed ad externas quoque regiones & regna se extenderat, ex quibus variæ magni nominis personæ ad ipsum advenisse dicuntur, quas strictim Vita edenda, Berninus fusiùs commemorat. Mihi verò suffecerit tria de hoc argumento testimonia, ab eodem Berninо ex processibus collecta, Latinè subjunxisse, ce-*

te-

A teris, ne juſto longior ſim, prætermiſſis. Proceſſus, inquit Berninus, laudans fol. 85, num. 13, A. § 98, hæc aiunt: Famâ ſanctitatis prædicti ſervi Dei, fratris Joſephi, non ſolùm per Italiam, verùm etiam per Germaniam, Franciam, Poloniam, aliaſque regiones vulgatâ, multi illuſtres viri, magnique principes accurrerunt, ut ipſum in hoc ſacro S. Franciſci conventu inviſerent. Et rurſum fol. 103, num. 13, A. § 229, eodem teſte, dicitur: Fama ſanctitatis hujus Servi Dei & nomen ejus per magnam Europæ partem pervulgatum erat; ideóque multi amore ac pietate impulſi accurrebant veniebantque eum inviſuri. Et erat res mira; quicumque cum eo locutus fuerat, is erga ipſum optimè animabatur & amabat eum tenerrimè; neque poſt longam cum eodem conſuetudinem & familiaritatem ullus repertus fuit, qui cum dicto Patre egerit, nec eumdem ſingulari affectu dilexerit. Perſonæ autem, à quibus amabatur, tam magno numero erant, ut longum eſſet eas recenſere.

honoratur & inviſitur.

39 *Tertium teſtimonium à Bernino adductum ex Summarii fol. 117, num. 13, A. § 319, eſt patris Octavii Lelli, tertii Ordinis S. Franciſci,* B *qui ſequentia aſſeruit.* Frater Joſephus in honore magnoque in pretio habitus fuit non ſolùm à patribus Religionis noſtræ & Aſſiſii incolis, ſed etiam à principibus & illuſtribus viris, ac nominatim ab Eminentiſſimis dominis Cardinalibus, Fachinetto, Ludoviſio, Caraffa, Rapacciolo, Donghio, Caſimiro Poloniæ rege, infante Maria Sabaudiæ, aliiſque; uti etiam à principe Zomoſki Polono, ac peculiariter à principe Alexandro Lubomiſki & ejus conjuge, qui anno ſancto in Italiam profecti, patrem Joſephum inviſerunt, ſeque ejus precibus commendârunt, ut pro obtinenda prole Deum precaretur, cùm jam per duodecim omnino annos nullam genuiſſent. Dictus autem pater Joſephus juſſit eos in Deo ſanctoque Franciſco ſpem ſuam collocare, & prolem naſcituram; uti ipſis nata eſt, cùm in patriam rediiſſent. Hæc autem omnia dicti principis Varſaviæ, (*quæ Poloniæ regum ſedes eſt*) mihi narraverunt; & ego vidi parvulum principem, dictis dominis dicentibus; Hunc filium per patris Joſephi preces obtinuimus. *Ita ipſe.*

Principem Brunſvicenſem ad fidem adducit.

40 *Ceteris tamen omnibus longè felicior fuit ſereniſſimi Joannis Frederici, principis Brunſvicenſis & Hannoveræ ducis, ad* B. Joſephum *acceſſus; quippe qui ipſius miraculis, precibus ac monitis eò adductus fuit, ut, ejurata Lutherana hæreſi, religionem Catholicam amplexus ſit, quam & ad finem uſque vitæ profeſſus eſt. Fuit is Georgii Brunſvicenſis & Hannoveræ ducis filius, & Wilhelminæ Amaliæ, Joſephi Romanorum imperatoris auguſtiſſimæ conjugis pater. Pater Antonius Cito, Societatis Jeſu presbyter, in Vita Italica ejuſdem auguſtiſſimæ, cui à ſacris confeſſionibus fuit, laudati principis ejurationem anno 1651 affigit, cùm Paſtrovicchius ac Berninus iter illius Italicum anno 1649, ejurationem verò anno ſequenti illigaverint. Forſitan prædictus princeps iter ſuum Italicum anno quidem 1649 inceperit, ſed anno primùm 1650 ad* Joſephum *pervenerit, atque adeò anno 1651 hæreſim ejuraverit. Niſi id ita ſit, malo auguſtiſſimæ confeſſario hac in parte credere, præſertim cùm etiam Agellus in Vita Italica* B. Joſephi, *ſereniſſimo archiduci Joſepho dedicata, acceſſum illius ad* B. Joſephum *ad annum 1650, ejurationem autem anno ſubſecuto retulerit. Rem, ut geſta eſt, ſatis exponit Paſtrovicchius. Addo tamen ſereniſſimæ ejuſdem principis viduæ, Benedictæ Henriettæ, Palatini Rheni comitis filiæ, de illius grato in* B. Joſephum *animo teſtimonium, quòd Berninus, ea tum adhuc in vivis ſuperſtite, authenticum ad ſe perveniſſe teſtatur, & eſt hujuſmodi:* Perpetuus erat (*in aula ejuſdem ducis*) ſermo de ſervo Dei, patre fratre Joſepho à Cupertino, erga quem ipſe (*dux*) tenerrimam devotionem fovebat, & cujus effigiem habebat, cúmque aliquos Religioſos in ditionibus ſuis habere vellet, ex ejuſdem reſpectu Capucinos, tamquam Franciſcanos, præelegit, apud quorum aliquem noxas animæ ſuæ ſolebat expiare, quoſque, quoad vixit, tutatus eſt.

AUCTORE C. S.

§ IV. Miracula aliquot Aſſiſii ab eo patrata, & in Vita edenda prætermiſſa, aut minùs expoſita.

Multi à variis morbis curati per attactum ipſius.

DE miraculis, quæ Beatus Aſſiſii patravit, aliqua recenſet Berninus, à Paſtrovicchio partim præterita, partim nimis breviter memorata, quibus propterea hoc § locum dabo. Utar autem ipſius Bernini verbis Latinè verſis, & proceſſuum locos, unde deprompta fuere, de more annotabo. Viſitabat (*inquit ipſe, laudans Summarium fol. 43, num. 12, A. § 121*) infirmos, ſoloque complexu ſubitò ſanabat. Inter felices hos ægros unus fuit frater Ludovicus Branconus, ſocius ejus, ad quem frater Joſephus accurrens, Ne me deſeras, inquit, care ſocie; cúmque illum complecteretur, maligna febris, ex qua ad ſupremum agonem adductus fuerat, in momento temporis eumdem deſeruit. *Sequitur ibidem altera ſanatio ex Summario fol. 492, num. 38, C. § 38.* Frater Joannes Baptiſta Crucianus, tertii Ordinis S. Franciſci, triennium conflictatus fuerat tam acri capitis dolore ſimul & tam gravi hypochondria, ut cadaveris potiùs, quàm hominis, ſpeciem exhiberet. Huic Servus Dei, ad quem recurrerat, manum capiti impoſuit, & recitata ſancti patris Franciſci benedictione, ſubitò ſanavit: & ipſe ſano capite, animoque hilari receſſit cum non minori ſtupore, quàm erat miraculum, quo, ut ita dicam, triennio mortuum ad novam vitam reſuſcitaverat.

F *vel rerum, quibus ipſe*

42 Eamdem gratiam (*proſequitur Berninus, citans Summarium fol. 592, num. 41, A. § 32*) adversùs ſimile capitis malum obtinuit Alcides de Fabianis; & ad ſolum ipſius prodigioſum attactum (*laudatur hîc fol. 491, num. 41, A. § 26*) Octavius Aromatarius à ſingulari cruris cruciatu, & doctor Paulus Santinellus (*ibidem § 19*) ab acerbiſſimis corporis convulſionibus, convaluerunt. Nec ad ſolum dumtaxat illius attactum, ſed etiam ad rerum, quibus ipſe uſus fuerat, admotionem fiebant miracula, cujuſmodi in Hiſtoriis rarò occurrunt. Olympia Benigni (*ibid. 22*) applicato ipſi ſolummodò Servi Dei cingulo, & Porcia Pontani (*fol. 592, ibid. 34*) poſt impoſitum corpori ſuo ejuſdem pileolum, ex periculoſiſſimo partu miraculosè evaſerunt; filius verò cujuſdam ruricolæ (*fol. 491, ibid. 23*) exhibita tantummodò ipſius oculis Benedictione S. Franciſci, à fratre Joſepho ſcripta, facultatem diglutiendi recuperavit, atque adeò vitam accepit. Clara Leonelli (*in Summario ibid. 30*) per tactum ſudarii, illius ſanguine imbuti, convaluit à gangræna, quæ

pe-

AUCTORE C. S.

penè totam ejuſdem faciem exederat. Appollonium Bianchum (*ibid.* 31) eodem (*ſudario*) ſibi admoto, maligna febris dimiſit, quâ æſtuans ſeſe in ſubjectum fontem è feneſtra deſperanter dejecerat.

uſus fuerat. Alios ſuis precibus ſanat, diſſidia componit.

43 Plurimi quoque in deſperatiſſimis malis ſalubriter adhibuerunt aquam, in qua fratris Joſephi tunica lota fuerat, quæ ſuaviſſimo fragrans odore propterea velut unicum adverſus omnes morbos remedium ſervabatur. *Pro hiſce laudat Berninus fol.* 592, *num.* 41, *A.* § 35, *C.*, *& fol.* 107, *num.* 13, *A.* § 256. Nec ſola ipſius præſentia, (*proſequitur ibidem, notato fol.* 591, *ibid.* § 27) nec ſolus rerum illius contactus; ſed ſola etiam ejuſdem oratio, licèt procul abſentis, quodlibet magnum apud Deum valebat. Suprà dictus Octavius Aromatarius & Hieronymus Ferrus, deſperata à medicis ob malignitatem febris ſalute, in momento ſanati fuere eodem planè temporis puncto, quo frater Joſephus in Miſſa pro iis orabat. Et exorta (*ut ibid.* § 27 *legi aſſerit*) inter armatos Aſſiſiates & Baſtienſes (*eſt autem* Baſtia *vicus non procul ab Aſſiſio diſſitus*) dirâ rixâ, ſanguinolenta illa contentio, nemine intercedente,

B

inopinatò ceſſavit ex eo ſolùm, quòd frater Joſephus, ſimul ac de illa inaudierat, Deum precatus eſſet pro pace inter inimicas iſtas factiones componenda.

concubinam corrigit, Aſſiſium

44 Ad ſolum ipſius aſpectum (*progreditur Berninus ex Summario fol.* 272, *num.* 17, *C.* § 3) & neſcio quam mutuam ſalutationem, quidam hortulanus concubinam ſuam dimiſit, vitamque occepit, quâ exemplo fuit toti civitati, quæ tam mirabilem mutationem ſoli fratri Joſepho acceptam tulit. At ſecretis precibus ſuis populares ſuos à diro bello ad placidiſſimam pacem reduxit in caſu ſequenti. Flagrabat bellum (*notatur hic fol.* 292, *num.* 17, § 3) inter Pontificem Urbanum VIII & Florentinos, qui cum aliis Italiæ principibus conſœderati, prætenſa jura terrore potiùs quàm ditionum quæſtu propugnabant. Ea nocte, quâ ſacrorum ſtigmatum S. Franciſci memoria recolitur (*id eſt, die* XVII *Septembris*) hoſtes in planitiem Aſſiſienſem deſcenderunt, & inter tenebras ſpiſſi hinc & inde circùm videbantur foci, quos Florentini ſive in ſuorum commodum, ſive ad noſtrorum terrorem excitaverant. Bellum, nox, foci, & ſuper hæc mala peſſima, graviorum etiam malorum ficta facies animis obverſans, omnes Aſſiſiates

C

in ſubitam conſternationem conjecerunt, non ſine ea rerum confuſione, quæ conſilia, in rebus arduis dubiiſque capta, ſolet comitari.

ab imminentibus hoſtibus liberat.

45 Qui ad arma ferenda non erant idonei, omnes ad Franciſcanorum eccleſias, velut ad tutum aſylum confugerunt. Epiſcopus autem N. Baglionus & gubernator N. Valeottus, velut primariæ perſonæ ac prælati, arcendam potiùs quàm inferendam vim rati, rectà ad fratris Joſephi cellam acceſſerunt, qui inter tam periculoſos tumultus ſumma pace inter ſolitas preces fruebatur. Cùm Dei Servus hoſce conſpexiſſet, eorumque vehementem perturbationem magis advertiſſet, nihil immutatus, nec alieno commotus pavore, arguens ſimul & animans, ait: O animi modicæ fidei! Abite & confidite in Deo; ego enim vobis polliceor, ſanctum patrem Franciſcum, populare veſtrum, numquam permiſſurum, ut huic civitati damnum inferatur. Vix iſta effatus fuerat, quin prædicti foci ex agro evanuerint, & hoſtes, neſcitur, qua de cauſa, receſſerint, & omnis timor ceſſârit. Poſtridie quoque manè non modò compertum eſt, nullum huic territorio illatum damnum fuiſſe; verùm etiam in poſterum omnis militaris injuriæ immune perſtitit, quamvis circumjacentia, Peruſium, Tudertum & Tifernum Tiberinum, graviſſima detrimenta inde retulerint. *De hiſce haud dubiè loquuntur Aſſiſiates in inſtrumento, per quod Beatum civitate donârunt, quodque num.* 36 *& ſequenti recenſuimus. De eodem autem bello conſuli poteſt Ludovicus Muratorius tom.* XI *Annalium Italiæ ad annum Chriſti* 1643 *& ſequentem, quo pax ſancita fuit.*

D

Conventui, inopiâ frumenti laboranti,

46 *Regredior ad Berninum.* Quatuordecim, *inquit*, miracula, à fratre Joſepho Aſſiſii patrata leguntur in unico folio proceſſuum (*nempe, ut notat in margine*, 591, *num.* 41, § 22) quæ ſi omnia referre vellemus, ex una ſola Vita fieret longa Hiſtoria. *Deinde aliqua narraturus, ſic orditur:* Preces ejus tam efficaces in aliorum favorem, etiam pro domeſticis ſuis prodigioſæ fuerunt. Pater Saurinus de Monte-regali, tunc cuſtos ſacri conventus (*annum notat* 1648, *& Summarii fol.* 293, *num.* 17, *C.* § 5) ex frumenti inopia, quod hoc anno ubique carum erat, in comparando Religioſis ſuis ſolito victu ad eam anguſtiam redactus erat, ut dolore percitus, ad Servum Dei recurreret, certus officio cedere, inde-

E

que abire, ne ſubditos ſuos fame pereuntes conſpiceret; cùm jam tentatis nequicquam omnibus modis pro frumento obtinendo, panis in triclinio poſtridie omninò defuturus eſſet. Ad hæc frater Joſephus, nihil animo perturbatus, Confide in Deo, inquit, fore ut ipſe proſpiciat: Jacta cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet; & unà cum Cuſtode provolutus in genua litanias Dei Matris recitavit.

ſuis precibus proſpicit;

47 Quid eidem Dei Matri tum dixerit frater Joſephus, eventus brevî docuit. Etenim litanias non antè expleverant, quàm fratres ad ejuſdem cellam, ubi Cuſtos etiam aderat, turmatim concurrentes, nuntiârunt, frumenti copiam (*Italicè eſt* quattro rubbia, *quæ Italis menſuræ genus ſunt*) in conventûs clauſtro eodem tempore exonerari, eleëmoſynæ nomine miſſam à Cardinali Rapacciolo ex quadam ſua abbatia, prope Tifernum Tiberinum ſita. Quo audito, ambo ſimul, Cuſtos & frater Joſephus præ lætitia teneroque animi affectu in uberes lacrymas proruperunt; & frater Joſephus ad Cuſtodem converſus, Nonne tibi dixi, ait, Deum proviſurum? Modicæ fidei, quare dubitaſti? An neſcis, ſanctum patrem Franciſcum dixiſſe, ſi in mundo unicus panis foret,

F

ejus dimidium ſuo Ordini obventurum? Jam verò, ſi ipſe omnibus fratribus ſuis in omni loco proſpiciat, qua ratione id non præſtet in hoc, qui ad quietem corporis illius uſque ad mundi finem deſtinatus à Deo eſt? O quàm bonus hic Deus eſt! Ita nos ſerviamus illi, ut ille nobis in noſtris neceſſitatibus ſuccurrit. Deinde fratres omnes in eadem cella genibus flexis, TE DEUM concinuerunt; at pater Joſephus (ipſiſſima proceſsûs verba ſunt) ad tertium quartumve verſiculum in ecſtaſim raptus eſt.

& eleëmoſynas procurat. Caſciam proficiſcens, mirra facit.

48 *Huic alterum ſimile ex Summarii fol.* 294, *num.* 17, *C.* § 6 *ſubjungit, quod ibidem anno* 1652 *contigiſſe ſcribit in hunc modum:* Alter Cuſtos, pater magiſter Robertus Nutius, ex defectu inſolitaque eleëmoſynarum paucitate, tempore Indulgentiarum Aſſiſienſium collatarum, velut deſperabundus ad Dei Servum recurrit, aitque: Elapſum jam eſt Indulgentiarum biduum, & in arculis aut paucæ aut nullæ ſunt eleëmoſynæ, ex quibus contracta à conventu debita poſſint expungi. Frater Joſephus ejus caput cum quodam impetu

mani-

manibus corripuit, Vah, inquiens, ne dubita: cur times? S. Franciſco magis cordi eſt, quàm tibi, ut huic conventui proſpiciat. Sic ait, & ſic accidit. Litanias beatiſſimæ Virginis recitârunt, & ſubſequentibus diebus (verba proceſsûs ſunt) majores eleëmoſynæ, quàm à tribus quatuorve annis præcedentibus, collatæ fuerunt. *Poſt hæc ſubdit Berninus Beati iter Aſſiſio Caſciam, quæ Umbriæ oppidum eſt, ad quod ad quamdam energumenam à ſuperiori ſuo mittebatur. In hoc itinere contigiſſe ait mirabilem illam ecſtaſim, in qua ſublevatus à terra versùs ſanctiſſimum Sacramentum in altari abſconditum raptus fuiſſe legitur in Vita edenda num. 36, quò lectorem propterea remitto.*

& in flumen prolapſus, aquis non ingitur.

49 *Addit ex Summarii fol. 50, num. 12, A.* § 158, *dum viam ſuam proſequeretur, quemdam hominem, qui ſclopeto armatus, inimici ſui necem jamjam meditabatur, viſo Beato, propoſiti ſui mox pœnituiſſe, iraſque inimico donaſſe. De eadem via deinde tradit ſequentia.* Dum in itinere flumen pertranſeunt, equus cum fratre Joſepho ab aquis ſubitò abreptus fuit. Tum ſocius ejus, frater Ludovicus, in flumen deſiliit, natatu ipſum aſſecuturus, & pectore tenus aquis immerſus, apprehenſum brachiis in ripam extraxit. Sed ita extraxiſſe, miraculum vidiſſe fuit: tam ſiccus enim corpore ac veſtibus apparuit, quaſi ex prato, non ex flumine prodiiſſet, ſparſa tantummodò in calceis modicâ aquâ, & infimâ tunicæ orâ nonnihil tinctâ, unde liqueret, eumdem non è prato, ſed ex flumine emerſiſſe. Hunc eventum ipſemet poſtmodùm cuidam familiari referens (*notatur hîc Summarii fol. 296, num. 17, D.* § 9) aſſeruit, dæmonem ſibi in flumen lapſo deſperationem in tam præſenti periculo ſuggeſſiſſe, ſeque velut aliquem dicentem ſibi audiſſe: Morere hîc hypocrita, deſertus & derelictus à Deo; ſe verò reſpondiſſe: Volo ſemper ſperare in Deo; Deus ſemper adjuvat; nec eſt, quòd de illius miſericordia diffidam. Cùm ad energumenam perveniſſet, dæmon cum conſpicatus, per energumenæ os eidem ait: Nonne tibi malè feci in via? At frater Joſephus ſimplex & humilis reſpondit: Nihil mihi mali contigit, quia ſuperiori meo obſecutus ſum.

§ V. Beati ſcientia divinitus accepta, frequentes ecſtaſes ſublimeſque raptus, & ſuaviſſimus odor teſtimoniis comprobantur.

Recitantur aliquot teſtimonia de inerudito

QUamquam tota B. Joſephi *vita continuis mirabilibus referta ſit, tria tamen ſunt, quæ ſingulari quodam modo in eo eluxerunt, quæque propterea teſtimoniis aliquot ex proceſſibus à Bernino depromptis hoc § confirmare viſum eſt. Primum eſt ſapientia ejus divinitus accepta, quâ, licèt ipſe, ut ſuprà diximus, litteris minimè imbutus & tardioris ingenii eſſet, viris doctrinâ præſtantibus admirationi fuit. De tarditate ingenii & ſcientiarum inſcitia laudatus Berninus ex Summario fol. 105, num. 13, A.* § 441 *producit ſequentia.* Pater Antonius Martinellus Carpenſis (*Carpum exigua civitas eſt in ditione ducis Mutinenſis*) presbyter Conventualis, cum juramento hæc teſtatus eſt: "Ego ſcio ex certa ſcientia novi fratrem Joſephum ſimpliciſſimum fuiſſe, ac vix potuiſſe legere; & quod ad lectionem attinet, id ego ſæpiùs expertus fui. Non erat theologus, neque ullam ſcientiam dicerat. ... Pater Michaël de Monte-Albotto, presbyter Capucinus (*in Summario fol. 270, num. 15, C.* § 259) ſubdit: "Pater Joſephus naturali ingenio exiguæ capacitatis erat, nec argumentis theologicis aut ſcholaſticis ſtuduerat."

AUCTORE C. S.

tardoque Beati ingenio, & ſingulari

51 *Subjungit Bonaventuram Claverium, ex Ordine Minorum Conventualium epiſcopum Potentinum in regno Neapolitano, qui in Summario fol. 270, num. 15, C.* § 27 *ait:* "Frater Joſephus erat idiota, neque ſtuduerat." *Subdit & patrem Joannem Baptiſtam Crucianum, presbyterum tertii Ordinis S. Franciſci, qui in Summario fol. 492 num. 38, C.* § 41 jurejurando affirmavit: "Frater Joſephus perſona erat, quæ vix noverat legere & ſcribere." *Addit denique Cardinalem de Laurea, folio 12, num. 3, 4, 5,* § 17 *Italicè teſtantem:* "Frater Joſephus erat imperitus, numquam ſtuduerat, nec niſi vulgarem Latinam linguam noverat." Eadem hæc, (*proſequitur Berninus*) in omnibus penè proceſſuum foliis aſſeruntur, uſque ad adventum ipſius Aſſiſium, aut ſaltem ad aliquot annos poſt ſuſceptum ſacerdotium. Jam verò mutatur rerum facies, patebitque, quàm ſublimem ſcientiam comparârit, quámque inſignis theologus, quàm eruditus evaſerit; & ſimul lectores agnoſcent, quàm verè Deus per os Iſaïæ electis animabus & eximiis ſervis ſuis dixerit: EGO DOMINUS DEUS TUUS, DOCENS TE; ... quia ipſe ſolus eſt, qui docet hominem ſcientiam.

ſcientia, divinitus accepta,

52 Cardinalis de Laurea (*in Summario fol. 12, num. 3, 4, 5,* § 17) *teſtatur Italicè:* "Frater Joſephus ab aliquot è nobis, qui litteris ſtuduimus, interrogatus de quodam myſterio, captu difficili, intrepidè reſpondebat ſublimi doctrina, & difficultates clarè reſolvebat." Hæc ipſe, qui in alio loco (*nempe in Opere ſuo, ut notat in margine, in tertio Font., tom. 4 de Gratia gratis data, diſp. 19, art. 3, num. 58*) *ita ait:* "Pater Joſephus à Cupertino, omninò ignorans, legere tantùm ſciens, in ſpiritûs fervore mira de altiſſimis & de agibilibus, me præſente, fæpiſſimè eructabat." *Antonii Martinelli de Beati inſcitia teſtimonium ſuprà num. 50 dedimus, nunc eumdem de ipſius doctrina audiamus.* Suprà dictus Martinellus, *inquit Berninus*, ſubjungit: "Frater Joſephus cum ſumma facilitate de rebus divinis & ſacra Scriptura loquebatur; ita ut admirationi eſſet, idque ego ſcio, quia frequenter expertus ſum in colloquiis, quæ cum illo habui. Illuſtriſſimo Claverio epiſcopo Potentino, quondam Ordinis noſtri Religioſo, myſterium gratiæ, in ſacra Theologia tam difficile, aliquando explicavit; & dictus illuſtriſſimus, vir doctiſſimus, ab illius laude ceſſare non poterat."

quâ difficiles quæſtiones theologicas

53 "Pater magiſter Petrus à Correto, tum Regens collegii S. Bonaventuræ Romæ, vir maximæ eruditionis, ſæpe mihi teſtatus eſt, cùm in hoc ſacro S. Franciſci conventu Regens eſſet, auditum à ſe eſſe patrem Joſephum de theologia tam ſublimiter differentem, qualiter nec primarii hujus mundi theologi valerent." Pari modo ſuprà laudatus pater Michaël de Monte-Albotto Capucinus, qui de illius inhabili ad ſcientias ingenio teſtimonium dixit, teſtatus etiam eſt (*in Summario fol. 162, num. 14, C.* § 259:) "Frater Joſephus dotatus erat lumine, quod naturalem ſcientiam in ſcholis comparatam excedebat:

AUCTORE C. S.

„ bat: nam ad quædam theologica dubia, de quibus „ eum consului, ad amussim respondebat, sed ser„ mone vernaculo, adductoque etiam quodam vul„ gari exemplo; ita ut ego vehementer stuperem, „ ejusque rei admiratio mihi semper adhæserit. Ar„ gumenta erant de prædestinatione, de sanctissi„ ma Trinitate, de efficacia gratiæ, de libero ar„ bitrio & similibus. „ Hæc ipse.

& mysteria exponebat,

54 Idem quoque episcopus Potentinus, suprà memoratus, eodem loco ait: "Singulis noctibus „ adibat ecclesiam, ut Officium inexplicabili at„ tentione recitaret; dixitque mihi, si fortè acci„ disset, ut vel unicum psalmorum versum sine „ desiderata attentione legisset, eum se statim re„ petiisse. Dixit mihi, sese omnes psalmorum sen„ sus intelligere; quod sine supernaturali lumine fie„ ri nequibat; cùm ipse cetera idiota esset. Asseruit„ que mihi, non meliorem librum spiritualem à se „ repertum esse, quàm divinum Oficium, ex eo„ que se omnia utilia haurire. „ Ita ipse. Crucianus, qui suprà illum ineruditum dixerat, denuò testatus est (*in Summario fol.* 492, *num.* 38, *C.* § 41:) "Illustrissimus Claverius, nunc episcopus Po„ tentinus, insignis doctrinæ vir, cùm Assisium B „ adveniens, hîc uno mense moratus est, antequam „ episcopatum suum adiret, quodam die mihi nar„ ravit, sese eo temporis spatio plus didicisse, cum „ patre Josepho de theologia morali differendo, „ quàm toto studiorum suorum curriculo ex libris „ speculativis. „

& summis viris admirationi erat.

55 *Mitto alia multa, quæ Berninus ex processibus accumulat, & unum addo Cardinalis Cæsaris Fachinetti de eadem re testimonium in epistola, quam post intellectam* B. Josephi *mortem scripsit, & Berninus exhibet ex Summario fol.* 5, *num.* 3, *B.* § 1, *ubi inter ceteras ejusdem laudes, hæc ait:* "In colloquiis de Deo ad familiarem sermo„ nem addebat eruditionem, ita ut simplicitate „ sua amorem sui ingereret, & doctrinâ satisfa„ ceret; nec tamen alteri libro, quàm Crucifixo „ studuerat. De gratia & natura audivi illum mi„ rabiliter differentem, cùm ineffabilibus verbis di„ vinam primæ potentiam extolleret, & secun„ dæ libertatem demonstraret. „ *Plura hujusmodi testimonia in Vita edenda perstringuntur: imerim hæc fusiùs hoc loco recensenda censui, ut iis, quæ in laudata Vita ex brevitatis studio compendiosius memorantur, lumen aliquod accederet.*

Mentis ecstases,

C 56 *Alterum, quod in* B. Josepho *singulare occurrit, fuerunt ejusdem raptus & ecstases, tam frequentes, ut ex innumeris Sanctis paucos hac in parte ipsi pares reperias. Dum in hasce incideret, solebat ingentem ejulatum edere, post quem ad cœlestium rerum contemplationem abreptus, mentis oculo divinæ speculabatur, corporis sensibus usque adeò destitutus, ut nulla vi, nulla arte, ne adhibito quidem cauterio, præterquam superiorum imperio, ad eorumdem usum posset revocari. Ad animi ecstases sæpe accedebant totius corporis raptus, quibus nonnumquam paululùm, nonnumquam etiam altiùs, sublimis è terra elevabatur, & in aëre pendulus hærebat; aliquando volantis instar ferebatur, subinde aliquos quoque secum rapiebat. Jam inde ab anno ætatis suæ octavo hujusmodi mentis ecstases passus fuerat, ac propterea à sodalibus suis joci causâ* Os apertum *fuerat appellatus. Eædem postmodùm cùm frequentiâ, tum diuturnitate creverunt, & per crebros corporis in sublime raptus etiam mirabiliores factæ sunt.*

57 *Plenæ sunt ejusmodi ecstasibus raptibusque Vitæ ejus ac processus, in quorum Summario fol.* 541 *per totum & alibi* Berninus *asserit plures septuaginta numerari raptus ejus per aëra, qui in solis ecclesiis locisque agri Cupertinensis contigerunt. Quàm facilè autem Beatus iis afficeretur, argumento sunt, quæ apud Berninum ex Summario fol.* 579, *num.* 40, § 2 *Italicè leguntur his verbis:* Verum est, servum Dei, fratrem Josephum à Cupertino donatum à Deo fuisse ecstasibus & raptibus, in choro dum oraret, & extra illum, dum de quolibet patientis Domini nostri Jesu Christi mysterio, de puritate ac sanctitate Mariæ Virginis, aut de Sanctorum virtutibus sermo fieret, aut ipse Missam celebraret; & id quidem tam frequenter, ut, qui cum eo agere vellet, ut ejusdem colloquio posset frui, oporteret illum à simili sermone conserendo abstinere. Istæ ecstases raptusque præcipuè accidebant in hebdomada Sancta, feriâ quintâ in Cœna Domini, & sextâ in Parasceve, quos dies dictus pater Josephus sine ullo cibo, contemplandis Jesu Christi patientis mysteriis totus absorptus, transigebat, sexque vel septem horas exstasibus inhærens, ut dignosci nequiret, vivusne esset, an mortuus; quemadmodùm pluribus annis hîc Auximi contigit, ac speciatim anno MDCLVIII, qui fuit primus illius in hanc civitatem adventûs. D *& corporis sublimes raptus*

frequentissimè patitur;

58 Speciatim quoque in Missa multò longiores & solito frequentiores raptus patiebatur in majoribus solemnitatibus, id est, in natali Domini, in Paschate, Pentecoste, & beatissimæ Virginis festivitatibus; qui raptus cùm pro divino beneplacito cessarent, sensusque corporeis usibus redderentur, ipse quoque in pristinum statum restituebatur. *Huic alterum locum addit Berninus, quem nos num.* 88 *aptiùs referemus. Id unum hîc addo ex Summario p.* 10, § 12, *in Vita edenda laudato, tam frequentes fuisse has ecstases & raptus, ut* plus quàm triginta quinque annis à superioribus admissus non fuerit cum ceteris fratribus in choro, in processionibus & triclinio, quòd ecstases ipsi obvenirent, turbarentque officia. *Quin & verisimile est, sacræ Romanæ inquisitionis præsides eadem de causa inductos fuisse, ut ipsum ab hominum consortio aspectuque amotum vellent, quia scilicet singulares illi ejulatus & sublimes corporis raptus tam frequenter ei contingerent.* E

circa quos ex Cardinale de Laureа

59 *Antequam tamen ad alia progredior, juverit Eminentissimum Cardinalem de Laureа, Beato olim familiarem, & ejusdem Ordinis Religiosum paucis audisse. Hic in primis tomo* 4 *de Gratia gratis data, disp.* 20, *art.* 23 *de ecstasi raptuque, num.* 934, *teste Bernino, postquam docuit, ecstases & raptus eamdem rem esse, variamque pati amplitudinem, & modò cum sensu, modò sine ullo haberi, subjungit:* Primi generis accidentia omnia ego meis oculis & pluries vidi in patre Josepho de Cupertino, mei Ordinis sacerdote, qui de anno MDCLXIII, die XVIII Septembris obiit, eaque in processibus jam factis probantur. *Idem Cardinalis in laudato Opere, art.* 25, *num.* 998, *ejulatus, quos ecstatici, & inter eos, ut diximus,* B. Josephus *solebat edere, oriri docet ex vehementi divino amore, qui velut ignis conclusus erumpit è pectore, idque ipsius* Josephi *dictis confirmat.* Sic à servo Dei, fratre Josepho, *inquit,* hunc ejulatum explicari ipsemet audivi, & sic dicebat: Cùm in sclopeto pulvis tormentarius accenditur, illum boatum & fragorem foras emittit, ita cor extatici, Dei amore accensum. F

nonnulla observantur.

60 *De modo denique, quo inter ecstases divina contemplabatur ibid. art.* 23 *de Miraculis, num.* 980 *hæc scribit:* Frater meus Josephus à Cupertino factum extaticorum hac similitudine plurium

ima-

A imaginum muſæi declarans, unum addebat: Si in muſæo magnum aliquod adeſſet ſpeculum, & imagines omnes ſuas ſpecies in illud immitterent, tunc reſpiciens ſpeculum, omnia depicta, in muſæo exiſtentia, unico intuitu cerneret: ſic, aiebat, ſe habent extatici, cùm Deus eis ſecreta divina demonſtrat. *Hactenus Eminentiſſimus de Laurea, qui ibidem art. 25, num. 997 exponit, qua ratione iſthæc omnia è Beato didicerit*; Ego, *inquiens*, à patre Joſepho, cùm eum curioſiùs interrogarem de ejuſmodi, numquam de perſona ſua, ſed ſemper de aliis extaſes patientibus alloqui cum admiratione audivi. *Ceterùm varias ecſtaſes raptuſque in Vita edenda lector reperiet.*

Mirabilis Beati odor probatur ex teſtimoniis

61 *Tertium denique ac continuum in* B. Joſepho *miraculum fuit cæleſtis quidam odor, quem ex virgineo ſuo corpore exhalabat, rebuſque, quibus utebatur, mirabiliter aſpergebat. Miraculum hoc quantò minùs uſitatum, tantò pluribus teſtimoniis, à Bernino ex proceſſuum Summario productis, ſtabiliendum exiſtimavi. In Summario itaque fol. 425, num. 32, A. § 17, pater Franciſcus Maria de Angelis, Minor Conventualis, ipſo teſte, ſic loquitur verbis Italicis:* Pater Joſephus à Cupertino exhalabat, ſpirabatque è ſuo corpore & veſtibus odorem ſuaviſſimum, quem ego quidem nulli odori creato naturali aut artificioſo potui comparare, niſi illi, quem audivi emitti ex arca, in qua S. Antonii Patavini corpus aſſervatur, ad quam unà cum patre Andrea Binio Hiſpellate acceſſi; qui, dum ambo coram eadem arca flexis genibus hæreremus, rogavit me, an illum odorem olfacerem, & qualis mihi is videretur. Reſpondi: Videtur mihi idem genus odoris, quo pater Joſephus à Cupertino fragrabat; dictuſque pater Binius ſubjunxit: Sic eſt, mihi idem omnino apparet.

B

Franciſci de Angelis Minoris Conventualis,

62 Prædictus autem odor ab eodem toti cubiculo ſuo, ſupellectili & veſtibus indebatur, effundebaturque etiam extra cubiculum, quod ex illo odore agnoſci poterat & inveniebatur. Et quacumque ipſe tranſiret, ſentiebatur, & odorem ſuum relinquebat, quem ego expertus ſum omni illo tempore, quo cum eo in hoc ſacro conventu vixi; & publicè aſſeri audivi, eumdem ipſi uſque ad mortem in puritatis caſtitatiſque ſuæ teſtimonium adhæſiſſe. *Sequitur ibidem ex Summario fol. 487, num. 38, C. § 19 teſtimonium patris Petri Franciſci à Levanto, Ordinis Minorum Obſervantium, præſidis conventûs Novæ eccleſiæ Aſſiſii, quod ita habet:* Ego ſcio, cellam, quam in hoc ſacro conventu pater Joſephus incoluit, uti etiam dicti Patris veſtes, odorem & fragrantiam cæleſtem ſpirâſſe; quæ naturalis eſſe nequibat, neque diſcerni poterat odoris qualitas, ſed is odor & fragrantia ſimilis erat ei, quam emittit Breviarium, quo S. Clara Aſſiſienſis uſa eſt, quodque in lipſanotheca ſervatur in eccleſia S. Damiani: idque ego ſcio, quia ita audivi, & expertus ſum dictum Breviarium odorando.

C

Petri à Levanto Minoris Obſervantis, Hieronymi Angelucci

63 Cúmque cellam patris Joſephi adiiſſem, atque inde in conventum meum reverſus eſſem, rogabant me patres, quid penes me haberem, quo odore fragrarem. Ego verò reſpondebam, quod res erat, nullos me odores mecum ferre, ſed paulò antè in patris Joſephi cella fuiſſe, qui me dicti odoris fecerat participem; qui odor interdum quindecim pòſt diebus mihi adhæſit, licèt manus meas quotidie laviſſem; idque mihi contingebat, etiamſi nihil ex illius rebus attigiſſem, niſi quòd in ejuſdem cella ſediſſem, & cum eo collocutus eſſem. *Ita ille. Conſonat Hieronymus Angelucci, parochus in S. Stephani Aſſiſii, qui, recenſente Bernino, fol. 426 Summarii, num. 32, B. § 27 ita teſtatus eſt:* Ad caſtitatem ejus confirmandam Deus ipſum ingenti ac ſuaviſſimo odore dotavit, qui ex corpore & veſtimentis ejuſdem, omnibuſque, quas contigerat, rebus fragrabat: & ego memini, cùm dictus D. Bernardinus ſordidatum dicti patris Joſephi cucullum matri meæ lavandum dediſſet, hunc aquâ calidâ & ſapone ſemel iterumque lotum, eodem tamen odore fragrâſſe.

parochi Aſſiſienſis

64 Quilibet facilè poterat illius cellam reperire, quia odor etiam extra eam foras erumpebat; & id ego ſcio, quia illum odoratus ſum toto illo tempore, quo cum eodem patre in dicto ſacro conventu amicitiam colui. Audivi quoque, alios paſſim auditos dicere, non poſſe dici, cui naturali odori odor ille comparandus eſſet; verùm ego aliique illum Dei donum eſſe judicavimus. *Sequitur apud Berninum doctoris Baltazari Mazzichi teſtimonium ex Summarii fol. 427, num. 32, B. § 31, ubi legitur:* Non tantùm dicti patris Joſephi corpus, ſed etiam veſtes ejuſdem ipſaque cella odorem ſuaviſſimum & ſupernaturalem ſpirabant, ita ut eumdem odorem attingentibus ſeſe adderet, & ego expertus ſui, eumdem, dum ipſius manum contigiſſem, meæ manui adhæſiſſe, & aliquo temporis ſpatio continuatum eſſe, idemque meis patruis (*aut* avunculis, *nam Italicè vox* Zii *eſt, quæ utrumque ſignificat*) aliiſque evenit.

E

in S. Stephani,

65 Præterea aſſerere poſſum, cùm anno MDCL Romæ degerem in domo domini Ludovici Marinelli, qui excellentiſſimo Paulo Jordano, Bracciani duci, à libellis ſupplicibus generalis miniſter erat, cúmque dicti Patris ſanctitatem illi commendâſſem, hunc percupidum ſeſe exhibuiſſe, rem quampiam dicti Patris obtinendi; eóque Joannes Baptiſta Mazzichius, patruus meus, miſit ad ipſum dicti patris Joſephi veſtem, quam ad me deſtinavit, & ego dicto domino Ludovico tradidi. Hæc autem veſtis eumdem odorem & fragrantiam ſpirabat, de qua ego audieram, quamque ex dicti Patris corpore & veſtibus emitti ſenſeram, dum Aſſiſii eſſem. Inſuper affirmare poſſum, dictum dominum Marinellum, cùm podagrâ chiragrâque laboraret, ſæpe juſſiſſe dictum habitum in lecto ſuo & afflicto membro imponi, ac mox magnum inde ſolatium cepiſſe, prout ipſe mihi aſſeruit; nam, ut dixi, in ejuſdem ædibus degebam. Quam ob rem dictus dominus Marinellus magna devotione in dictum Patrem ferebatur, dictamque veſtem religiosè aſſervabat.

F

& aliorum.

66 *Pater Regens Bernabei ex Summario fol. 429, § 8 ibidem narrat* de quodam, qui cùm ex curioſitate ac devotione cuperet reperire cellam, in qua pater Joſephus habitabat, poſtquam multas cellas, id eſt, multarum fores odoratu exploraverat, tandem ad dicti patris fratris Joſephi cellam perveniens, ex odore eam agnovit, aitque, patrem fratrem Joſephum ibi habitare; hoc autem, me præſente, contigit. *Ibidem ex eodem Summario fol. 468, num. 38, A. § 8 alii hæc teſtantur:* Cùm fratrem Joſephum in cella ſua allocuti eſſemus, ac deinde exiviſſemus in civitatem, poſtea reverſi, cellam fratris Joſephi ignorabamus; cúmque fratribus moleſti eſſe nollemus, proceſſimus cellas exteriùs explorantes, & ex earum una ingentem odorem emitti ſenſimus, & ad eam progreſſi, portam pulſavimus; eaque ipſa erat fratris Joſephi cella admodùm odorifera, ita ut eam ex odore agnoſceremus. *Hiſce accedit Franciſcus Pierpaoli chirurgus, cujus teſtimonium*

AUCTORE C. S.

nium ex Summarii fol. 433, *D.* § 27 *profert Berninus, & ego ex ipsius fide subjicio.*

Eumdem testati sunt chirurgus Auximanus, Confalonerius,

67 Verissimum est, *inquit*, ipsum in signum suæ nitidissimæ puritatis & castimoniæ à Domino Deo decoratum fuisse odore suavissimo, quem è corpore suo semper spirabat; quod ego scio, quia toto illo tempore, quo illum frequentavi, ut suprà dixi, sæpiùs ipsum etiam manibus tractando movendoque in postrema ejusdem infirmitate, dictum odorem ex eo semper emitti sensi, quem supernaturalem esse constabat, quòd cum nullo odore naturali quidquam simile haberet. Præterea expertus sum, dum post mortem ipsius cadaver tractarem, eumdem odorem exhalari etiam corpore aperto, ut exenteraretur. *Sequitur apud Berninum Gratiani Benigni, signiferi (Confalonerium ipsi vocant) Assisiensis testimonium, quod fol.* 78, *num.* 13 *A.* § 4 *sic habet:* Cella, in qua frater Josephus habitabat, fragrantiam & odorem paradisi spirabat, idemque in ceteris ejus vestibus contingebat, quæ tamen nulla odorifera re imbutæ fuerunt; odor enim, qui sentiebatur, supernaturalis erat. Ceterùm ego non credo, (imò oppositum pro certo habeo) ipsum quidquam odoriferi penes
B se gestâsse; cùm, quod ex illius rebus sentiebatur, supernaturale esset, nec aromaticis rebus ullatenus simile.

seu signifer Assisiensis,

68 Cella quoque ipsa eumdem ferè odorem retinuit, licèt dictus pater Josephus jam abhinc duodecim aut tredecim annis ab ea abfuisset. Neque integer annus elapsus est, ex quo ad manus meas pervenit par subligaculorum ex tela, quæ dictus pater Josephus gestavit, dum viveret, quæque ego pro mea singulari devotione & ob quamdam infirmitatem petieram à quadam muliere, Joanna di Orazio appellata, quæ asserebat, eadem sibi data fuisse à femina, quæ dicti patris Josephi vestes lavabat, quæque ea commutârat cum uno pari novo, quod ex devotione fieri curaverat, & ad dictum patrem Josephum tulerat. Ea autem occasione sensi, ista subligacula etiam tum odore fragrâsse. *Insigne quoque est patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani Capucini testimonium, qui apud Berninum ex Summarii folio* 172, *num.* 14, *C.* § 328 *de* B. Josepho, *quamdiu apud Capucinos ex præscripto sacræ inquisitionis, ut infrà dicemus, commoratus fuit, sequentia affirmavit.*

Joannes Maria Capucinus Foro-Semproniensis,

69 Verum est, toto illo tempore, quo cum dicto patre Josepho à Cupertino versatus sum, hunc purissimi cordis à me deprehensum fuisse, nihilque in eo animadversum, quod ineffabilem illius animæ puritatem non indicaret: singulariter tamen odorem (*expertus sum*) ex ipsius corpore emanantem, eumque copiosum & gratum, ut recrearet omnes, qui in ejus cellam intrâssent, quæ licèt angustissima esset & ipse velum fenestrale atque ipsam fenestram ferè semper clausa teneret, semper tamen suavissimo odore penitus redolebat, qui etiam foras erumpebat, ita ut, qui nesciret, quam cellam pater Josephus incoleret, is eam ex odoris suavitate agnosceret. Hic odor per omnes cellas, in quibus exiguo tempore moratus fuerat, & per vestes, quas induerat, diffundebatur, quæ licèt meo jussu lixivio & sapone sæpiùs lotæ essent, non tamen suavitatem odoremque amiserunt. Idem in vestibus sacerdotalibus, ab eo abhibitis contingebat, quæ quidem odorem non modò in se servabant, sed etiam armario, quæque in eo reposita erat, reliquæ sacræ supellectili indebant.

70 Idem præterea in ceteris rebus, ab eo contactis accidebat, quæ ex tactu eumdem odorem imbibebant. In cujus rei argumentum domina Julia Tenagli Bentivogli, cujus puero dictus pater Josephus jussu meo Rosarium suum dederat, affirmavit mihi, dictum Rosarium plurimis annis eumdem odorem conservâsse, & hodiedum etiam conversaturum fuisse, nisi continua manuum contrectatione aliqua sui parte imminutum fuisset. Neque potest odor ille tabaco, quo dictus pater Josephus utebatur, adscribi; cùm quòd odor ille nequaquam tabaci esset, tum quòd tabacum non eumdem semper odorem, sed varium pro varia mixtura emittat; neque potest tabacum tam universè in omnibus locis & per res omnes odorem diffundere, uti fecit dictus pater Josephus. Addo, me, dum dictus pater Josephus Foro-Sempronii habitaret, pro majori temporis parte tabacum illius in cella mea asservâsse, atque ex eo ipsi parcè dedisse; sæpe autem tabacum non erat odoriferum, imò potiùs fœtebat; at dictus pater Josephus & ejus cella eodem nihilominus odore fragrabant; & post ipsius è conventu nostro Foro-Sempronii discessum, omnia, quæ attigerat, cellæque, quas incoluerat, eumdem odorem multo tempore conservaverunt. Atque hoc ita est, estque de eo publica vox & fama.
D *qui cum ipso habitaverat,*
E

Cardinales Spinola & de Laurea,

71 *Hisce omnibus Berninus duos addit S. R. E. Cardinales, Julium Spinolam, & Laurentium de Laurea, quorum primus in Summario fol.* 7, *num.* 3, *E.* § 4 *ita ait:* Cùm in exiguam illam cellam ingrederer, sentiebam me etiam recreari suavissimâ fragrantiâ dulcissimi odoris, quam nesciebam cui compararem ex omnibus, quas natura vel ars novit excitare; sed id certum est, cùm omnes aliæ res odoratæ ordinariè fastidio mihi sint, odorem, quem illius cella exhalabat, vehementer placuisse, ita ut hic videretur mihi etiam corpori salutem conferre. *Ita ipse. Insigne pariter ac ceteris consonum est Cardinalis de Laurea, qui Beato pariter convixit & familiaris fuit, de eodem prodigioso odore testimonium in Summario, atque inde in Vita edenda relatum, apud nos num.* 62, *ad quem lectorem propterea remitto, ne eadem cogar repetere.*

& Joannes Baptista Penna episcopus Vigilensis.

72 *Hisce denique uldo Joannem Baptistam Penna, Vigiliensem in provincia Bariana episcopum, qui apud Berninum ex Summarii folio* 273, *num.* 15, *H.* § 1 *in epistola, quam paulo post* B. Josephi *mortem ad Bonaventuram Claverium, episcopum Potentinum, jam aliàs laudatum conscripsit, de hoc argumento hæc habet:* Sensi fragrantiam odoris suavissimi, intensam, neque naturalem, qui meis manibus adhæsit, quemque ego sensi in mea viscera penetrare; isque pauco aliquo tempore duravit. *Tam multa hîc conglomeranda visum mihi est, ut dispiceret lector, quam indubitatæ fidei testimoniis, quæ nemo prudens suspecta habeat, tam singulare tamque eximium* B. Josephi *nostri donum asseratur. Nunc ad chronotaxim, quam tantisper deseruimus, revertamur.*
F

§ VI.

A

§ VI. Jussu sacræ inquisitionis Romanæ ex conventu Assisiensi sui Ordinis ad Capucinorum ad Petram-Rubeam abducitur.

A sacra inquisitione Romana, incertum, quâ de causa,

DUm B. Josephus *mirabili vitæ sanctitate, miraculis, vaticiniis, cælestique sapientia, uti § 3 & 4 vidimus, Assisii feliciter coruscaret, ideóque omnibus in ore ac veneratione esset, nova ipsum, eaque peracerba afflictio excepit. Etenim Romanum sacræ inquisitionis tribunal, mandante summo Pontifice Innocentio X, eum non modò à dilecto sibi conventu, in quo tot piis castissimi animi deliciis fruebatur, verùm etiam à fratrum sui Ordinis consuetudine avulsit, & ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum transtulit. Locus hic est ducatûs Urbini in diœcesi Feretrana ad montes Carpenianos situs. Porrò de tam inopinati mandati causa non satis liquet: neque enim omnibus, ut reor, placebit illa, quam Berninus, laudans Summarium fol.* 134, *num.* 14, *B.* § 3; *fol.* 187, *num.* 14, *D.* § 35 *& alibi, ex processibus allegat; nempe quòd expedire ac necessarium videretur, ut tantus thesaurus à publico remotus, soli Deo, donec is aliter faciendum manifestaret, intactus servaretur.*

B

Assisio Petram-Rubeam ad Capucinos abducitur:

74 *Pastrovicchius in Vita edenda præter tam eximiæ sanctitatis custodiam, etiam* cautelam, *sed utramque ut dubiam, ejus consilii causam commemorat. Atque hæc postrema ratio mihi sanè verisimilior apparet. Cùm enim ob frequentes suas ecstases & sublimes corporis volantis instar per aëra raptus ab ipsis sui Ordinis superioribus multos annos, ut num.* 58 *vidimus, ceteris fratribus in choro, in processionibus & triclinio adesse, ne quid turbaret, prohibitus fuerit, haud inverisimile est, inquisitoribus Romanis, probante Innocentio Pontifice, expedire visum esse, tam mirabilem Virum aliorum Religiosorum curæ aliquo tempore committi, ut ejusdem virtus & miracula, si fortè à suis fratribus nimis leviter probata essent, ab istis diligentiùs per quotidianam consuetudinem examinarentur. Ut ut sit (neque enim aliquid certi edicere possumus) constat, Beatum die* XXIII *Julii anni* 1653, *jubente laudato Pontifice, litterisque à sacra inquisitione Romana datis, Assisio ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum transtatum fuisse. Rem, prout gesta est, pater magister Robertus Nutius, Assisiensis conventûs tunc temporis Custos, exposuit in Summario fol.* 102, *num.* 13, *A.* § 226, *teste Bernino, unde sequentia accipe.*

C

quod quomodo executioni mandatum fuerit,

75 Pater Josephus (*verba sunt laudati patris Custodis*) ex sacro S. Franciſci conventu hujus civitatis (*Assisii*) anno MDCLIII, quo anno ego dicto sacro conventui Custos præeram, abductus fuit jussu sanctæ memoriæ Innocentii X per litteras sacræ Congregationis sancti Officii, ad patrem magistrum Vincentium Mariam Pellegrinum, tunc inquisitorem generalem Perusinum missas, in quibus litteris mihi omnibusque Ordinis superioribus mandabatur, ut prædictus pater Josephus secundùm expressum Pontificis mandatum prædicto patri inquisitori traderetur. Quæ litteræ, quodque in iis habebatur, præceptum, mihi patrique Josepho in angulo portæ dicti sacri conventus præ-

AUCTORE C. S.

lecta fuerunt. Laudatus pater inquisitor summo manè diei XXIII Julii dicti anni ad sacrum conventum advenit, quo tempore pater Josephus Missam celebrabat; quæ quia duabus circitèr horis durabat, oportuit dictum patrem inquisitorem præstolari, nolente me interturbare voluptatem, quâ in eo sancto Sacrificio fruebatur. Finitâ Missâ, ipsum adivi in suo oratorio, dixique, patrem inquisitorem Perusinum cum eo loqui velle. Ipse mox lætus ait mihi: Veniat, bene venerit: & respondente me, ipsum in ecclesia præstolari, surrexit è loco, in quo sedebat, Eamus, inquiens, & promptissimè me secutus est.

Assisiensis conventus Custos,

76 Egressi ex capitulo veteri, dominum Alphonsum Confidatum, sacri Officii tum temporis in hac civitate vicarium, in claustro obvium habuimus, qui dixit mihi, patrem inquisitorem jam non ampliùs exspectare in ecclesia, sed ad januam conventûs. Quo audito, pater Josephus turbatus est atque expalluit, & ad me conversus, ait: Pater Custos, num fortè me vult captivum abducere? Reposui, nescire me, an ipsum vellet captivum abducere, sed, cùm ipse obedientiam aliis commendâsset, oportere eumdem eam primum exercere. Ad hæc dictus pater Josephus nihil respondit; sed cœpit gradum versùs prædictam portam accelerare, ubi dictus pater inquisitor aderat; quò cùm perveniſſemus, invenimus dictum patrem inquisitorem cum suo vicario & quatuor satellitibus; lectisque ibidem litteris, ut suprà dixi, pater Josephus inclinavit se in terram, ut dicti patris inquisitoris pedes oscularetur, quos hic magna cum modestia subtraxit. Cúmque advertissem, dictum patrem Josephum eodem, quo suprà, modo conturbari, dixi ei: Eja, pater Josephe, nunc tempus est crucem amplectendi & exercendi obedientiam. Ad quod ille hoc unum reposuit: O sancta obedientia; atque illico ex prædictæ portæ limine prosiliit in rhedam, quæ in istum finem adstabat, & in quam pater inquisitor prior fuerat ingressus.

E

oculatus testis, exponit.

77 Cùm autem ipsum in rheda vidi, totus serenus & alacer erat & vultu ridenti. In eamdem rhedam ingressi sunt prædictus pater vicarius & Cæsarettus satelles: quod pater Josephus conspicatus, denuò expalluit. Hoc modo ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum deductus fuit. *Hactenus laudatus pater Robertus Nutius, ejusdem conventus Custos, & rei gestæ oculatus testis; ideóque, ut credere fas est, & ipsa præ se fert narratio, sincerus relator. Exstat & alia de eodem argumento relatio Hyacinthi Libelli archiepiscopi Avenionensis, suprà laudati, inter Considerationes ipsius, quarum trigesima quinta, ad Cardinalem de Laureа transmissa, in Summario fol.* 161, *num.* 15, *F.* § 7 *recensetur, teste Bernino in Vita. In hac laudatus archiepiscopus de modo, quo Beatus Assisio abductus fuit, nonnihil quidem variat à suprà laudato miniméque suspecto teste, loci Custode; cùm tamen quædam itineris adjuncta Tifernum Tiberinum usque, quod Umbriæ civitas est,* Citta di Castello *indigenis appellata, ac ea præsertim, quæ ipse Tiferni tunc præsens vidit, in eadem commemoret, eam quoque Latinè hic exhibeo, prout apud Berninum ex processu Italicè recensetur.*

F

Alia ejusdem rei narratio

78 Ætate nostra, *ait laudatus archiepiscopus,* vixit pater frater Josephus à Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium, cui sacri illi honores, quæ solent Sanctis concedi, à sancta Sede jam parantur. Hic ex Assisiensi S. Franciſci conventu, in

AUCTORE C. S.

quo habitabat, aliquando amotus, & Romanorum ſuperiorum juſſu à patre inquiſitore Perufino ad quemdam conventum in ducatu Urbino abductus fuit. Qui ſcripſerunt, illum captivatum & cum aliquo dedecore, quo ſontes ſolent, deductum fuiſſe, neſcierunt, quid dicerent, & hiſtorias ſuas implere voluerunt commentis, quæ perſonis, quas memorabant, minimè congruunt. Inquiſitor rhedâ vectus, Aſſiſium advenit, eumque comiter invitavit, ut illam ſecum aſcenderet. Invitanti Sanctus annuit, nec minimùm reſtitit, imò potiùs indifferenti animo vultuque ridenti eamdem intravit. Mox primo ſermone, quem pater inquiſitor cum illo habuit, exhortatus eum amicè eſt, modoque omnino ſuavi, ut bono animo eſſet, & proteſtatus eſt, eum minimè captivum duci, uti ex ſua ſuique vicarii præſentia fortè inciderat ſuſpicari. Et ut dictis fidem faceret, ſecundum in rheda locum ipſi aſſignavit, tertium vicario ſuo relinquens.

per Libellum archiepiſcopum Avenionenſem,

B

79 Priuſquam diſcederet, etiam eum monuit, ut, ſi quid vellet, liberè peteret; ſeſe enim ac vicarium ſuum ei promptiſſimè obſecuturos. Hæc eadem ſæpiùs in via repetiit. *Nihil hîc de quatuor ſatellitibus, & de horum uno in rheda aſſidente meminit, omniaque paulò mitiùs exponit, quàm facta eſſe conſtet ex mox recitato patris Nutii teſtimonio, cui tamquam rei geſtæ ſpectatori potior fides adhibenda eſt. Hiſce obiter obſervatis, cetera, quæ illuſtriſſimus meliùs noviſſe potuit, proſequamur.* Cùm hiſce, *ait*, urbanitatis officiis ac benevolentia Tifernum Tiberinum, cariſſimam patriam meam, ubi ego negotiorum domeſticorum causâ tunc verſabar, illum deduxit, poſtridie manè ad deſtinatum ſibi locum proceſſurum. Curavi, ut in conventu S. Dominici hoſpitaretur, in eoque omnium optimum cubiculum obtineret. Manè illuc advenit, totoque eo die ibidem moratus eſt, quo tempore inquiſitor ſollicitus, ne quid ipſi deeſſet, eum ſæpiùs inviſit, ac ſemel coram me eidem ait: Pater, memento, quod toties tibi dixi, non eſſe te captivum, ſed honorari à me, meque deſiderare, ut cùm te ad deſtinatum à ſuperioribus locum deduxero, meâ operâ contentum deſeram.

qui Tiferni Tiberini, ubi Beatus hoſpitatus eſt,

80 Religioſi ipſi non modò de victu, ſed de ceteris etiam omnibus neceſſariis benignè proſpexerunt. Poſt prandium ipſum inviſi, meque cum illo in ejus cubiculo incluſi; qui interroganti mihi, an contentus eſſet, reſpondit, ſeſe omni loco contentum vivere, quòd ſciret Deum ubique adeſſe, ac multò magis in eo loco, in quo experiebatur caritatem, quâ à bonis illis patribus tractabatur. Poſt hæc ſermonem de rebus ſpiritualibus exorſus eſt, ſumptoque argumento de ingrato hominum animo, mirari ſe aiebat, nullum non hominem ad Crucifixi aſpectum non confundi pudore, recordando, quanta Jeſus Chriſtus paſſus fuerit, & quàm ingratum ſe quiſque eidem exhibeat. Hæc conſiderans, cœpit ſingulos Domini cruciatus enumerare, & agoniam, & flagella, & ſpinas & clavos. Dumque iſta loqueretur, videbatur mihi os ejus aceſcere, & eo modo torqueri, quo ſolent ii, quibus ora acri aceto madeſcunt. Eodem tempore vidi ipſum ex quadam arca, in qua ſederat, humi in genua ſubitò prolapſum; tantumque ſtrepitum genibus ediderat, ut graviter ſauciatum crederem.

ipſum inſignem eccſtaſim patientem vidit,

81 Spectabatur oculis, neſcio, qua ratione diſtortis, id eſt, pupillâ ſub ſuperioribus palpebris latitante, brachiiſque in crucem expanſis, eo modo, quo ſolet S. Franciſcus depingi, cùm ſacra ſtigmata ſuſcepit. Ad tam evidens ſanctitatis indicium animo conſternatus ſum, meque indignum reputans, qui tam ſacra prodigia viderem, eodem tempore in genua pariter procubui, & Deo gratias egi. Deinde denuò conſedi, & attentis oculis conſideravi ipſius corporis habitum, qui planè talis erat, qualem mox dixi. Sed experiri volui, an ejuſdem brachium poſſem movere, quod difficulter potui. Motum tamen velut pendulum ab humero decidit, idque ego ad eas oſcillationes impuli, quas à libellis in aëre ſuſpenſis quotidie fieri videmus: uſque adeò brachium iſtud à naturali ſuo ſtatu amotum apparebat. Elapſo magno horæ quadrante, ſibi redditus, ſermone Neapolitano ait: Ignoſce mihi, quòd ſomno opprimar; & ſuper arca ſua rurſum reſedit. Cúmque ego me induſtrium, rerumque ſpiritualium peritum ſimulans, eum reprehenderem, & motus iſtos perturbationis arguens, hortarer, ut impoſterum ab iiſdem abſtineret; reſpondit mihi, poſſe ſe meis precibus adjuvari, ut hanc gratiam, quam ſæpiùs fruſtra petierat, à Deo impetraret, aut ſaltem, ut iis motibus, quos in ſua poteſtate non habebat, coram aliis liber eſſet.

& cum eodem collocutus fuit.

82 Tum petii, quid in ejuſmodi mentis exceſſibus, qui tam ſingulares apparebant, à Deo ſibi peculiariter oſtenderetur. Reſpondit, ille aliquando ſe multa ſimul de Deo videre ſine diſcretione formarum, ad eum modum, quo quis ingreſſus in cubiculum, tapetibus, picturis, ſpeculis, lectulis Phrygii operis, aliiſque hujuſmodi rebus probè inſtructum, videt quidem, ibi pulcra eſſe, ſed omnia ſub uno conſpectu & ſine partium deſtinctione; aliquando ſingulare aliquod myſterium pro divino arbitratu ſibi exhiberi. Sed innuens, faſtidio ſibi eſſe plura ſuper hoc argumento mihi reſpondere, nauſeantis inſtar petiit, ne quid præterea exquirerem, eò quòd ignorans eſſet, nec noviſſet differere. *Hactenus laudatus archiepiſcopus Libellus. Porrò Beatus reliquum itineris, quod poſtero die cum patre inquiſitore proſecutus eſt, non ſine aliis prodigiis confecit, quæ quia in Vita edenda ſatis exponuntur, ſciens hîc prætereo.*

In conventu Petræ-Rubeæ ex ſacræ inquiſitionis mandato

F

83 *Cùm autem ad conventum Petræ-Rubeæ perveniſſet, à patre Joanne Baptiſta de Monte Grimano, ejus loci, uti Berninus ex proceſſibus aſſerit, tum temporis Guardiano, quem Beatus, licèt numquam antea viſum, noverat, ceteriſque ejuſdem conventus Religioſis Capucinis benignè ſuſceptus eſt. Quæ porrò fuerint ſacræ inquiſitionis de eodem mandata & quàm æquo animo ea ipſe tulerit, liquet ex teſtimonio reverendi patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani, qui Capucinis per eam provinciam tum præerat, quod apud Berninum ex Summarii fol. 170, num. 14, C. § 316 Italicè relatum, Latinè feci. Is igitur hac ſuper re ſic loquitur:* Hanc tamen fortitudinem Deus in fratre Joſepho peculiariter reſidere fecit in poſtrema illius afflictione, quando ex ſacro Aſſiſienſi conventu amotus, & à ſatellitibus ſummo cum rigore ad noſtrum Petræ-Rubeæ monaſterium deductus fuit. Cùm ego provincialis tunc eſſem, poſtridie adventûs dicti Patris illuc adveni, & ad triclinii januam ſcriptum affixum reperi, quod ſeveriſſima reverendiſſimi patris inquiſitoris de dicto patre Joſepho mandata continebat, ut à patribus noſtris rigidè obſervaretur, ne cum quoquam ſeu ſeculari, ſeu Regulari, ſeu eccleſiaſtico, cujuſcumque gradus & conditionis loqueretur.

ab omni cum exteris commercio ſemotus vixit.

84 Alterum ejuſdem mandati exemplar affixum inveni ad portam cellæ dicti patris Joſephi, quæ cella à dicto patre inquiſitore ipſi aſſignata fuerat,

erat-

A eratque iſtius conventus obſcuriſſima peſſimaque. In hanc cellam, dicti patris Joſephi viſendi gratiâ, ingreſſus, reperi illum hilarem, contentumque ac veluti paradiſi voluptate fruentem. Quinque diebus colloquia cum ipſo miſcui, ac ſemper æquè hilarem comperi; nec umquam petiit, an cauſam ſcirem, ob quam ex ſacro conventu Aſſiſienſi abductus, tantoque cum rigore in hoc noſtro Petræ-Rubeæ collocatus fuiſſet, quidve à ſe exigeretur. *Hæc ipſe, quibus Berninus ac Paſtrovicchius ex aliis proceſſuum locis in Vitis addunt, non modò omne cum aliis, præterquam cum Capucinis, alloquium, ſed etiam omne litterarum commercium, à ſacro inquiſitionis tribunali eidem penitus interdictum fuiſſe; quod utrumque religioſiſſimè obſervavit, ut in Vita edendâ videre eſt.*

§ VII. In conventu Petræ-Rubeæ miraculis elucens, ob nimium populi concurſum ad conventum Foro-Sempronienſem transfertur; inde ad Montem-veterem, ex quo Forum-Sempronii redit.

B

Mulieris ſcirrhum ſanat, puero viſum reddit,

Detruſum in hunc Capucinorum Petræ-Rubeæ inter aſperos montes conventum, & ab omni externorum commercio remotum, ſua virtus ac miracula etiam celebriorem reddiderunt. Berninus ex hiſce pauca aliqua recenſet, de quibus Paſtrovicchius ex ſtudio brevitatis leviſſimè tantùm meminit. Juſtina de Antimis *inquit Berninus, laudans Summarium fol.* 594, *num.* 41, *A.*, § 49, *& fol.* 201, *num.* 15, *A.*, § 102, ſeptem annos moleſto ſcirrho cruciata, cùm ſuis pedibus nequiret, aliorum manibus ex patria ſua Macerata, *quæ ducatus Urbini civitas eſt, non procul à Petra-Rubea diſſita*, ad Petram-Rubeam conducta fuit eo unicè fine, ut fratris Joſephi Miſſæ intereſſet. Eâdem fide, quâ Euangelica hæmorrhoïſſa per virtutem, quæ ex Jeſu Chriſti corpore exibat, ſanata fuit, hæc quoque pia mulier Maceratenſis ſubitò convaluit per virtutem, quam Jeſus Chriſtus ex fratris Joſephi corpore emiſit; & harum prima ad

C contactum veſtium, altera per præſentiam in Sacrificio ſana facta eſt. Urbini pileolus ejus, oculis Petri Santi, qui ex pervicaci fluxione viſum penitus amiſerat, impoſitus fuit, & ad pileoli contactum fluxio evanuit, viſuſque redditus eſt; & exclamante Santio; Mater ego video, mater ego video! tota domus in ſtuporem admirationemque ſublimium hujus Servi Dei meritorum rapta eſt.

ceram pro Miſſa ſuppeditat.

86 Frater Joannes Baptiſta de Monte Grimano (*in Summario fol.* 302, *num.* 17, *D.*, § 30, *& fol.* 517, *num.* 38, *D.*, § 22, *teſte Bernino*) guardianus conventûs Petræ-Rubeæ, quodam veſpere apud fratrem Joſephum conqueſtus eſt, quòd non tantum ceræ ſibi ampliùs ſupereſſet, quantum ipſi ad Miſſam ſuam poſtridiè pro more ſuo diutiſſimè protrahendam neceſſe eſſet: ſolebat enim duas ipſi horas impendere. Huic Servus Dei placidè reſpondit: Confide, fili, ne turberis; Vetulus providebit; per Vetulum deſignans B. Felicem Capucinum, qui nunc à Clemente XI Pontifice Sanctorum catalogo adſcriptus, cum Sancti titulo in aris honoratur. Poſtero manè, cùm eccleſiæ janua primùm aperta eſſet, perſona quædam ignota faſciculum craſſorum cereorum attulit & in altari depoſuit, qui & vaticinium probârunt, & fratri Joſepho ad celebrandas diuturnas Miſſas ſuffecerunt, quamdiu in eodem conventu dehinc commoratus eſt. Quinimo dum ipſe ad Petram-Rubeam habitavit, neceſſe non erat eleëmoſynas conventui foris conquirere, Deo propter preces Servi ſui neceſſaria ſuppeditante; *prout in Summarii loco citato*, § 32 *legi aſſerit Berninus. Mitto alia pauca minoris momenti, quæ Berninus ibidem habet, multa alia, ut inquit, præteriens, quæ longum eſſet enarrare.*

AUCTORE C. S.

Ingens populi frequentia ad conventum confluit.

87 *Quamquam* B. Joſephus *ab omni cum exteris commercio ſejunctus, ut ſuprà diximus, viveret, permiſſum tamen ei fuit Miſſas in eccleſia publicè celebrare. Hinc maxima populi frequentia, ad quem ejuſdem fama, latiſſimè ſparſa pervenerat, ad eamdem eccleſiam, ut ſacrificantem videret, è vicinis circùm locis convolabat. Quantus hic fuerit concurſus, docent teſtes fide digni in proceſſibus, quorum dicta, à Bernino relata, Latinè recenſebo. Pater Joannes Baptiſta de Monte Grimano in Summario fol.* 179, *num.* 14, *C.*, § 376 *hæc ait:* Cùm pater frater Joſephus in conventu noſtro primùm cœpit habitare, tanta populi multitudo ex vicinis E ac longinquis locis, ejuſdem Miſſam audiendi causâ, accurrit, ut aliqui etiam in tecta conſcenderent; eaque occaſione dictus pater Joſephus à ſecularibus viſus eſt in ecſtaſes rapi. *Hiſce conſonat patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani, Capucinorum, ut ſuprà dictum eſt, Provincialis teſtimonium, quod in Summario fol.* 168, *num.* 14, *C.*, § 302, *teſte Bernino, habet ſequentia.*

ut ipſum Miſſam celebrantem

88 Multæ perſonæ eccleſiaſticæ, ſeculares & Regulares ex longinquis etiam regionibus ad noſtrum Petræ-Rubeæ conventum concurrebant, ut Miſſæ ipſius, quam in hac noſtra eccleſia publicè celebrabat, intereſſent, viderentque atque admirarentur ejuſdem ecſtaſes & raptus, precibuſque in anguſtiis ac infirmitatibus ſuis juvarentur. Tanta autem erat accurrentium frequentia, ut circa conventum noſtrum tabernæ caſæque adventantium commodo excitarentur. Cúmque eccleſia, dicto Patre Miſſam celebrante, multitudinem non caperet, in ejuſdem tectum conſcenderunt, tegulaſque amoverunt, atque ipſos eccleſiæ parietes perforârunt. *Conſonat & pater magiſter Jacobus Roncaglia, Minor Conventualis, qui apud Berninum ex Summario fol.* 579, *num.* 40, *E.*, § 5 *ſic loquitur:* Plurimæ perſonæ cùm Regulares, tum eccleſiaſticæ & ſeculares, prædictum ſervum Dei fratrem Joſephum ſæpiſſimè viderunt ecſtaſibus inhærentem in omni loco, ubi habitavit; maximè tamen Petræ-Rubeæ, quando ſanctitatis ipſius explorandæ gratiâ à Romanis ſuperioribus ex ſacro Aſſiſienſi conventu ad dictum Capucinorum Petræ-Rubeæ monaſterium deductus fuerat. F

& in ecſtaſes raptum videat;

89 Hiſce ad Miſſam illius admittentibus utriuſque ſexus & omnis conditionis fideles, vicini populi magno numero illuc confluxerunt, non tam ducti curioſitate, ſupernaturales ejus motus ſpectandi, quàm pio deſiderio ſpiritualem aliquem quæſtum inde referendi. Alii quoque (dum non ſacrificaret) cupientes rei veritatem explorare, hi uno, iſti altero modo tentârunt, manus illius aliudque corporis membrum comprimentes, ac nonnumquam ipſum etiam fortiter brachiis conſtringentes. Verùm hiſce ſimilibuſque experimentis ſibi minimè reddebatur, ſed immobilis permanebat, donec Deo placuiſſet ejuſdem ſenſus ad priſtina ſua officia revocare. *Simillima de frequenti populi*

con-

AUCTORE C. S.

concursu, amotis tecti tegulis, visisque palàm ecstasibus testatus est pater Joannes Felix Bernabeus, Regens ac magister ejusdem Ordinis Conventualium, in Summario fol. 584, num. 40, F., § 29, cujus verba, quia præter dicta nil docent, prætermitto.

quam ob rem prohibetur Missam in ecclesia

90 *Post hæc subdit Berninus ex Summarii fol. 329, num. 18, F., § 55, 76, in festo S. Augustini, seu die* XXVIII *Augusti, tantum fuisse populi ad eamdem ecclesiam concursum, ut, ne quid secùs accideret, superior judicaverit, beatum Patrem prohibendum eo die celebrare. Addit, dæmonem hoc mandato uti voluisse, ut Beatum perturbaret; sed irrito conatu.* Antequam verò, *ait*, mandatum istud ei significaretur, voluit dæmon molestum ejus rei nuntium prævertere; ideóque speciem elegantis adolescentuli indutus, illius cellæ januâ turbidè apertâ, digito minitabundus eidem ait: Non dices, non dices hoc manè Missam. At frater Josephus nihil conturbatus, Faciam, inquit, quod vult Deus; & immotus perrexit se (*ad Missam celebrandam*) comparare; ne leviſſimo quidem aspectu infernum nuntium dignatus. Superveniente autem guardiani mandato, Servus Dei promptè obsecutus est, & de Sacrificio suo sacrificium Deo obtulit.

B

publicè celebrare, & ex sacræ inquisitionis mandato

91 *Eadem ratio superiores deinde compulit, ut Beatum à publico in ecclesia conspectu in posterum penitus arcerent, Missâque in eadem dicendâ interdicerent. Ita testatur pater Joannes Baptista à S. Agatha Capucinorum in eodem conventu vicarius, cujus verba Berninus ex Summarii fol. 147, num. 13, C., § 124 recitat Italicè, & ego Latinè subjungo.* Cùm ego vicarii munere functurus ad conventum Petræ-Rubeæ primùm adveni, concurrebant millia hominum, & præ nimia populi frequentia etiam tectum ecclesiæ ex parte apertum fuit, quod nondum integrè reparatum vidi. Et ego eò adveniens, ex superiorum præscripto vetui, ne pater frater Josephus ab aliis, quàm à Religiosis nostris imposterum videretur. *Non parùm quoque sacræ Romanæ inquisitionis præsidibus ille populi concursus, turbæque displicuerunt; ad quas evitandas simul & Capucinos Petræ-Rubeæ, ut credibile est, adventantium ac Beatum videre cupientium molestiâ liberandos, iidem decreverunt illum hinc quoque amovere, & quàm possent secretiùs in quodam alio conventu abdere, ubi solitariam vitam ageret, omnibus, præterquam ejusdem loci Religiosis, ignotus.*

C

ad conventum Foro-Sempronianum,

92 *Ad hanc rem aptior visus ipsis est Foro-Sempronianus Capucinorum conventus, cujus situm Berninus sic indicat:* Forum-Sempronii situm est in ducatu Urbini, decem milliaria ab ea civitate, à qua ducatus nomen habet, aliquot montibus circumdatum, in quorum unius apice Capucinorum conventus sedet. *Laudati itaque præsides litteris ad Ascanium Maffeum, archiepiscopum Urbinatem datis, mandárunt, ut patrem* Josephum *ex Petræ-Rubeæ conventu ad prædictum Foro-Sempronianum clanculùm transferri, ibidemque ab omnium hominum, præterquam Capucinorum commercio oculisque submotum servari curaret. Hæc ceteraque eódem spectantia mandata laudatus archiepiscopus per Marium Vivianum ecclesiæ suæ canonicum & archipresbyterum, quantâ potuit sedulitate, exsecutus est. Berninus pium beati Viri ea occasione dictum observat. Cùm enim hic locum, quò commigrandum sibi esset, ab archipresbytero petiisset, isque negâsset, eum posse indicari; securus, quò demum abduceretur, facetè instituit, utrùm in destinato sibi loco Deus adesset; illaque id utique affirmante;* Eamus ergò, *inquit*, alacriter; Crucifixus adjuvabit.

D

atque hinc ad Montem veterem mittitur;

93 *Quod ad tempus attinet, oportet, profectionem hanc in finem Octobris aut initium Novembris anni 1653 incidisse. Ex suprà dictis enim die* XXIII *Julii ejusdem anni ex Assisiensi conventu ad Petram-Rubeam conductus fuit; apud Petram-Rubeam verò tribus tantummodò mensibus (seu completi hi fuerint seu inchoati) commoratus esse, in Vita edenda disertè dicitur. Porrò quamquam in Beato ad Foro-Semproniensem conventum transferendo diligentissimè cautum fuerit, ne novum ejusdem domicilium cuiquam innotesceret, suboluit tamen accolis, quorum importunis precibus Capucini Foro-Semproniani non nisi perquam difficulter, sed constanter tamen, ut jussi erant, ejus videndi copiam facere recusárunt. Dum hic ita latitaret, alia denuò causa mutandi paulisper domicilii occurrit. Celebranda erant in laudato conventu Capucinorum provincialia comitia, quorum tempore* Josephum *ibidem minimè relinquendum sæpe laudatis inquisitoribus Romanis visum fuit.*

ex quo ad Foro-Semproniensem reversus est.

94 *Horum itaque jussu ad proximum Capucinorum conventum Montis-veteris, vulgò* di Monte vecchio, *qui non longè à Foro-Semproniensi Orientem versùs situs erat, interim transmissus fuit. Berninus, laudans Summarium fol. 170, num. 14, C., § 323, scribit,* B. Josepho *equum ad hoc iter conficiendum à vicario episcopi Foro-Semproniani missum fuisse; sed cùm guardianus advertisset, ipsum equitandi artem minimè callere, ideoque per scabrosas illas vias manifesto vitæ periculo exponendum, si pergeret, ab eodem revocatum fuisse, ac Capucinorum habitu, ne agnosceretur, indutum, & à duobus Capucinis comitatum, iter pedibus confecisse. Gesta ejus in Monte-veteri habes in Vita edenda; at quamdiu ibidem manserit, incertum est. Ceterùm post habita prædicta comitia ad conventum Foro-Semproniensem reductus est.*

E

§ VIII. Alexandro VII Papa mandante, suis redditus, reliquum ætatis suæ Auximi transigit: vitæ illius brevis chronotaxis.

F

Minoribus Conventualibus flagitantibus,

ANnus quartus fermè jam expletus erat, *ex quo* B. Josephus *à sui Ordinis Religiosorum convictu remotus, apud patres Capucinos degebat, cùm tandem fratribus suis cum summo eorumdem gaudio redditus fuit. Rem, ut acta est, Berninus paulò latiùs explicat, quàm Pastrovichius, ideóque juverit eam ex ipso breviter exposuisse. Dolebant sanè patres Minores Conventuales, quòd tam illustre Ordinis sui ornamentum, quale erat* Josephus, *non sibi, sed Capucinis concrederetur; sed cùm ita ferrent sacræ inquisitionis atque ipsius etiam summi Pontificis Innocentii X mandata, dolebant magis, quàm querebantur; nec audebant pro eo recuperando intercedere; vel, si tentaverint, certè exauditi non fuere. Favebat quidem eorum votis Cardinalis Fabius Chisius, qui postmodùm summus Pontifex, Alexander VII dictus est, & Innocentii animum ea super re pertentaverat; sed cùm hunc in sententia sua obstinatum deprehendisset, ipse quoque silendum existimavit.*

Alexander VII Papa B. Josephum

96 *Innocentio X inter hæc vitâ functo, eodemque Cardinale Fabio Chisio die* VII *Aprilis anni 1655 in Pontificatum suffecto, spes magna patri-*

bus

A *bus Conventualibus affulſit*, Joſephum *tandem aliquando recipiendi. Celebrabant illi opportunè Romæ menſe Majo ejuſdem anni ſui Ordinis comitia, eaque occaſione octo ſuperiores provinciarum ad novi Pontificis pedes, cujus mentem ex collata olim opera perſpectam habebant, ab iiſdem delegati fuerunt, qui fratrem ſuum* Joſephum à Cupertino *ſibi reſtitui, totius Ordinis nomine ſupplicibus precibus flagitarent. Motus æqua petitione Pontifex, quæſivit, ad quem igitur conventum ipſum deſtinarent. Quibus unanimi voce reſpondentibus,* Ad Aſſiſienſem ; *reposuit :* Nequaquam : in illo ſanctuario unus ſufficit S. Franciſcus ; nec deeſſe ibi poſſunt boni Religioſi, ubi ſemper fuit ſchola veræ obſervantiæ. *Atque hæc quidem tunc : paucis verò pòſt diebus ſignificari iis juſſit, velle ſe, ut ad Auximanum S. Franciſci conventum deſtinaretur.*

ipſis reſtitui mandat, non anno 1655,

97 *De Auximo ſequentia notat Berninus :* Auximana civitas (*incolis* Oſimo *dicta*) ſita eſt in provincia Marchiæ Anconitanæ, ſex milliaribus à ſacra Domo Lauretana, quinquaginta Foro-Sempronii diſtans, mercibus affluens, ſalubris aëris & fertilis humi ; conventus autem S. Franciſci Conventualium, in ipſa civitate ſitus, ſatis opulentus

B eſt. *Non tam his tamen rationibus Alexandrum inductum credit, ut patrem* Joſephum *illuc mittendum mandaret, quàm quòd Auximanæ eccleſiæ tunc præeſſet epiſcopus ſororis ſuæ uterinæ filius Antonius Bichius, poſtea Cardinalis, à quo certò confidebat fore, ut* Joſephus *tractaretur liberaliter & ſimul in ſolitaria vita ab omni externorum hominum commercio ſemotus contineretur ; quod utrumque Pontifex vehementer cupiebat. Ita quidem ille ; verùm ex hac conſideratione Alexander in ſua ſententia confirmari quidem potuit, ſed non ad eam primò capeſſendam induci, ſi, ut vult Berninus, legati à comitiis menſe Majo anni 1655 Romæ habitis ipſum pro* Joſephi *reditu adierint, & ipſe* paucis pòſt diebus *juſſerit, eumdem ad Auximanum conventum transferri.*

ſed 1656, & Auximum mutii,

98 *Ratio eſt, quòd apud Ughellum tom. I Italiæ ſacræ auctæ, col. 513 Ludovicus Bettus Auximanus epiſcopus die* XXVII *Octobris anni 1655 obiiſſe, eique laudatus Bichius anni ſequentis menſe Octobri, vel, ut in margine notatur, menſe Martio in epiſcopatum ſucceſſiſſe dicatur. Paſtrovicchius in Vita edenda conſentit, Bichium Auximanæ eccleſiæ epiſcopum præfuiſſe, dum ſummus Pontifex*

C *iſtud mandavit paucis diebus poſtquam conſilium de Beato Aſſiſium mittendo rejecerat ; ſed mandatum ipſum anno 1656 affigit, quod deinde etiam fecit Berninus, uti mox obſervabo. Quam ob rem dicendum eſt, aut comitia illa primùm anno 1656 celebrata fuiſſe, aut certè octo illos legatos, ſi revera à comitiis miſſi fuerint, hoc anno ad Pontificem primùm acceſſiſſe. Non priùs tamen, quàm anno 1657 prædictum Alexandri præceptum exſecutioni mandatum fuit propter peſtilentiam, quæ anno præcedenti aliquot Italiæ partes, & inter has Romanam urbem atque Eccleſiaſticum ſtatum graviter afflixit.*

quod anno 1657 exſecutioni mandatum eſt,

99 *De hac mora, moræque cauſa conſentiunt Berninus & Paſtrovicchius, quorum prior cùm unum annum inter mandatum & ejuſdem exſecutionem diſertè interponat, manifeſtè indicat, idem illud mandatum, non anno 1655, ſed 1656 editum fuiſſe. Eodem teſte, expeditæ hac ſuper re litteræ à ſacri Officii tribunali ad Gibertum Borromæum, S. R. E. Cardinalem, Conventualium protectorem fuere, qui poſtquam cum Capradoſſo Ordinis Generali contuliſſet, impoſita eſt ejuſdem Ordinis ſecretario ea provincia, ut patrem* Joſephum *è Foro-Sempronienſi Capucinorum conventu ad Conventualium Auximanum, quàm poſſet ſecretiùs, conduceret. Juſſis obtemperans ſecretarius, die* VI *Julii, horâ noctis ſecundâ, præcitato anno 1657 ad Foro-Sempronienſem conventum advenit, litteriſque ſacri Officii exhibitis guardiano,* B. Joſephum, *de proximo diſceſſu ſuo divinitus præmonitum, eadem nocte inde abduxit, ac quarto pòſt die, ſeu* X *ejuſdem menſis Julii, ſero veſpere in conventum Auximanum inter ſuorum gratulationes ſalvum & incolumem adduxit.*

cùm quatuor ferè annis apud Capucinos vixiſſet.

100 *Quatuor itaque annis præter aliquot dies* B. Joſephus *inter patres Capucinos vixit, Aſſiſio abductus die* XXIII *Julii anno 1653, & ex Foro-Sempronio conventu ad ſuos reverſus die* VI *Julii anno 1657. Ex quatuor autem illis annis tres menſes in conventu Petræ-Rubeæ, reliquum temporis in Foro-Semproniano traduxit, excepto tamen illo dierum aut hebdomadum ſpatio, quo propter comitia provincialia in poſtremo loco celebrata juſſus eſt interim in conventu Montis-veteris commorari. Acta ejus in noviſſimo itinere ſuo Auximum verſus, ceteraque ab eodem in hoc conventu ad mortem uſque geſta, lector in Vita edenda inveniet, ut neceſſe non ſit ea hìc pluribus exponere. Verumtamen non ingratum fore exiſtimavi, ſi ejuſdem vivendi normam, quam reliquo vitæ ſuæ tempore tenuit, velut ſub unum conſpectum ſubjicerem iiſdem verbis, quibus, teſte Bernino, ea Italicè expoſita legitur in Summario fol. 205, num. 15, A., § 130, eo modo, quo ſubdo.* E

Quotidiana illius exercitia

101 Ad ſolis ortum ſurgebat è lectulo, & rectà ad oratorium ſuum ſeſe conferebat, Horam primam canonicam, aliaque Officia, ut dicetur, recitaturus, donec ejus pater ſpiritualis, ut eum de peccatis confitentem audiret, in oratorium inductus eſſet. Confeſſione peracta, parabat ſe ad ſanctum ſacrificium Miſſæ celebrandum. Deinde ad ſacellum, ubi Miſſam ſecretò diceret, ſibi deſtinatum deſcendebat : quò cùm perveniſſet, ſacerdotali habitu indutus, & coram altari proſtratus in genua, litanias beatiſſimæ Virginis devotè recitabat. His finitis, Miſſam ordiebatur, quam magna cum devotione celebrabat, eaque ſine ecſtaſibus unam circitèr horam durabat, cùm ecſtaſibus verò aliquando diutiùs, aliquando minùs. *Videtur hìc aliquid deeſſe ; nam & res ipſa exigit, ut ecſtaſes Miſſam diutiùs extraherent, & alìunde comperi, ſoluiſſe Beatum duas circitèr horas, dum* F *in ecſtaſes raperetur, ſacroſancto iſti Sacrificio impendere. Videtur itaque relationis auctor indicare voluiſſe, tantumdem temporis, plus minuſve, ab eo ecſtaſibus impenſum fuiſſe, quantum Miſſæ impendebatur. His obſervatis, relationem proſequamur.*

quamdiu deinde apud Religioſos ſuos

102 Poſt finitam Miſſam aliquantulùm in ſacello morabatur ; deinde ad oratorium redibat, Horas canonicas, aliaque divina Officia, quæ dicere ſoluerat, perſoluturus ; videlicet Officium B. Mariæ Virginis, Officium defunctorum, Officium ſanctæ Crucis & Spiritus ſancti, ſeptem pſalmos pœnitentiales cum precibus ; &, ſi tempus ſupererat, hoc Coronæ impendebat. Hiſce ergò exercitiis occupabatur uſque ad horam prandii, quod, poſtquam ceteri Religioſi pranderant, ipſi afferebatur. Sumpto prandio, quod brevi expedierat, redibat ad oratorium, Deo gratias acturus ; & ſi quis Religioſorum cum eo colloqui volebat, libenter auſcultabat, donec ad cellam ſuam ſe reciperet, in quam ſeſe includebat, ut unius aut ſeſqui horæ circitèr ſpatio quieſceret. Expergefactus, revertebatur ad oratorium, preces ſuas uſque

AUCTORE C. S.

ad AVE MARIA, (*id est, donec ad recitandam salutationem angelicam signum de more daretur*) ibidem prosecuturus, nisi ab aliquo Religioso, spiritualis auxilii petendi gratiâ ad se adducto distineretur.

in conventu Auximano,

103 Ad AVE MARIA socius illius lucernam accendebat; solebat enim ferè usque ad horam tertiam noctis spirituales libros legere, legebatque tum ordinariè Missam postridie dicendam, Vitam alicujus Sancti ejus diei, librumve aliquem Concionum aut Scripturæ sacræ. Versùs horam noctis tertiam ferebatur ei per socium suum cœna, postquam patres cœnâssent. Post hanc repetebat oratorium, interdum aliis Religiosis comitatus, qui eum invisebant, ut de rebus asceticis dissererent, vel cantilenas in Dei laudem concinerent. Hæc autem omnia per unam subinde horam ac mediam protrahebat; & licèt alii recederent, ipse manebat in oratorio usque ad medium noctis, quando matutinum Officium erat recitandum. Dicto Matutino, quieti se dabat usque ad solis ortum. Atque hæc fuere illius diurna nocturnaque exercitia, quæ à suo in nostrum conventum ingressu usque ad supremum morbum semper observavit, nisi cùm adversa valetudine aut aliqua infirmitate impediretur.

B

supervixit ad mortem usque,

104 Naturalis quoque ipsius vitæ ratio ea erat, quam subdo. Toto anno non aliis cibis vescebatur, quàm esurialibus: in cibo & potu sobrius erat, videbaturque invitus vesci, ita abalienatus à sensibus, ut non adverteret, quid manducaret, biberetve. Quod ad vestitum attinet, pro subucula linea laneam gestabat & sine ulla tela linea, par subligaculorum; nudos pedes crepidis indutus. Superior vestis, ceterorum Religiosorum more, tunica & cucullus lanea erant, texta Assisii; hiemali tempore penulam seu pallium addebat. Iisdem vestibus semper indutus dormiebat, partim sedens, partim super tribus tabulis extensus, ad caput habens cervical telâ lineâ obductum, & pro strato pellem ursinam. Domicilium ejus constabat ex duobus cubiculis, quorum unum erat oratorium, alterum quieti destinatum; in quibus semper, totoque suæ vitæ ad mortem usque tempore solitarius vixit. *Hactenus laudata relatio in Summario, quæ cujus sit, Berninus non indicavit.*

C

quam ibidem obiit.

105 *Austerum vitæ genus, quod in perpetua corporis maceratione, præsertim junior duxerat, vires ejus vehementer attriverant, ac stomachum imprimis ciborum parcitas qualitasque non parùm debilitaverant. Decem enim annos, ut Berninus ex Summario fol. 91, num. 13, A. § 69 asserit, sine vino, septem sine pane, ac integram Quadragesimam paucis nucibus contentus exegerat. Emaceratum itaque tot modis corpusculum, quod sexaginta annorum ætas præterea aggravabat, die x Augusti anno 1663 febris corripuit, quæ superstites vires corrodendo, ipsum humanis rebus tandem exemit. Die* XVII *Septembris ejusdem anni sacro Viatico, eodemque aut certè postero die extrema Unctione munitus fuit: die verò* XVIII *exeunte, vel ineunte* XIX, *in placidissimum risum prorumpens, vultuque inopina luce coruscante, sanctissimam animam ad cælum emisit, natus annos sexaginta, menses tres, diem unum. De anno mensèque consentiunt omnes. Berninus ac Pastrovicchius tempus insuper strictiùs assignant, nempe quadrantem circitèr ante horam sextam nocturnam Italicam, quæ diem* XVIII *secuta est, quod tempus videtur in initium diei* XIX *incidisse, cùm tam in Brevi, quo duo ejusdem miracula à Benedicto XIV feliciter regnante Pontifice approbantur infrà num.* 121, *quàm in Brevi beatificationis infrà num.* 128, *die* XIX *Septembris obiisse dicatur. Obiit autem in conventu Auximano, cum ibidem annis sex, duobus mensibus ac diebus octo habitâsset.*

D

Chronotaxis vitæ illius

106 *Ex hactenus dictis totius vitæ illius chronotaxis in hunc modum conficitur. Natus est Cupertini, in oppido regni Neapolitani, diœcesis Neritonensis, die* XVII *Junii anno* 1603. *In seculo sutoriam artem aliquo tempore didicit. Anno* 1620 (*mensem Augustum addit Berninus,*) *adeóque ætatis suæ decimo octavo, à patribus Capucinis inter sui Ordinis laïcos admissus, in conventu Martinæ tirocinium inchoavit*, frater Stephanus *appellatus. Anno sequenti, sive Christi* 1621 *ante Paschа, quod tunc die* XI *Aprilis celebratum fuit, ex eodem tirocinio domum remissus est. Post hæc, incertum, quo tempore, annitentibus matre & avunculo suo, Ordinis Minorum conventualium presbytero, obtinuit, ut inter ejusdem Ordinis Tertiarios laïcos, quos* Oblatos *appellant, cooptaretur in conventu S. Mariæ Cryptellæ, seu* della Grottella *nuncupato, prope Cupertinum, ubi stabuli mulæque domesticæ curam gessit, & aliquo etiam tempore avunculo suo socius adjunctus fuit.*

E

hactenus deducta

107 *Anno* 1625, *ætatis suæ* XXIII *inchoato, die* XIX *Junii ad ejusdem Ordinis habitum clericalem admissus, & novitiis clericis adscriptus, tirocinium suum in laudato Cryptellæ conventu exorsus est, ibidemque anno insequenti solemniter professus est. Anno* 1627, *die* XXX *Januarii ab episcopo Neritonensi minoribus Ordinibus, die* XXVII *Februarii subdiaconatu, diaconatu verò die* XX *Martii ejusdem anni & ab eodem episcopo Neriti initiatus est. Sacerdotium denique anno* 1628, *die* XXVIII, *vel fortè* IV *Martii, ab episcopo Castrensi suscepit. Anno* 1638, *die* XXI *Octobris* (*teste Bernino*) *ex dilecto sibi Cryptellæ conventu Neapolim profectus est, evocatus à sacræ inquisitionis tribunali, apud quod velut impostor immeritò accusatus fuerat. Post probatam Neapoli innocentiam ejus, agnitamque sanctimoniam, cum litteris ab eodem tribunali acceptis Romam ad patrem Generalem sui Ordinis destinatus est, & ab hoc post aliquam in Urbe moram ad S. Francisci Assisiensem conventum in Umbriam transmissus fuit.*

breviter recensetur.

108 *Dum in hoc conventu cœlestibus deliciis afflueret, & miraculis clarus, omnibus in veneratione esset, litteris à Romano sacræ inquisitionis tribunali, jubente Innocentio X summo Pontifice, die* XXIII *Julii anni* 1653 *inde ad Petræ-Rubeæ Capucinorum conventum, atque hinc post tres menses ad Foro-Sempronianum, qui Capucinorum pariter est, ob concurrentis ad ipsum populi frequentiam translatus fuit, & ab exterorum hominum consortio prohibitus. In hoc posteriori loco triennium circitèr exegit, pauco interim tempore in Monte-veteri, apud Capucinos tamen, degit, donec provincialia ejusdem Ordinis comitia apud Forum-Sempronii celebrabantur. Tandem anno* 1657, *die* VI *Julii, mandante Alexandro VII, qui Innocentio X in Pontificatum successerat, ex Foro-Semproniano conventu ad Auximanum Minorum Conventualium conductus, eóque die* X *ejusdem mensis adveniens, sui Ordinis fratribus, à quibus quatuor ferè annos exsulaverat, cum ingenti utrimque gaudio restitutus fuit. Ex hoc denique loco, post annos sex, menses duos, dies octo, relictis ibidem mortalitatis exuviis, ad cœlos emigravit, sanctimoniâ illustris ac miraculorum frequentiâ vivus æquè ac mortuus clarissimus.*

F

§ IX.

A

§ IX. Beati ſepultura, & aliquot brevia elogia per ſcriptores ſynchronos.

Venerabile corpus præter morem loculis inclusum

PRæſentiſſimo vitæ periculo, *in quo* B. Joſephus *Auximi verſabatur, Romæ intellecto, Alexander VII Pontifex, quanti illius ſanctitatem faceret, palàm fecit. Ejuſdem enim juſſu, teſte Bernino ex Summario fol.* 1, *num.* 1 *A.*, § 1, *Cardinalis Flavius Chiſius ſequentem epiſtolam ad Antiochum Honofrium, Auximatis epiſcopi vicarium dedit, quam ex Italica Latinam hìc exhibeo.* Illuſtriſſime & reverendiſſime domine vicarie generalis. Dolorem non vulgarem, quem ex gravi infirmitate patris fratris Joſephi à Cupertino, per varias dominationis veſtræ litteras cognita, conceperam, nunc auxerunt eæ, quibus die XVII hujus ad me datis ſignificas, eumdem in ſupremo agone verſari. Si à Domino Deo ad alteram vitam evocetur, dominatio veſtra curabit, ut corpus illius in loculo (quamquam id inſolitum ſit) deponatur, curabitque, ut in ſepulcro, quod pro ſua prudentia ad propoſitum magis convenire judicaverit, inhumetur. Monendum tamen, ut omnia peragantur ſine inſolita & extraordinaria ſignificatione &c. Romæ XXII Septembris MDCLXIII. Addictiſſimus dominationi veſtræ F. Card. Chigi.

B

& balſamo conditum inhumatur.

110 *Verùm haſce litteras ipſe Cardinalis Antonius Bichius, Urbini legatus & epiſcopus Auximanus jam prævenerat, uti ex Summarii folio* 237, *num.* 15, *D.* § 7 *& ſequenti docet Berninus. Deputaverat enim laudatum vicarium ſuum generalem Honofrium, archidiaconum Fiorenzium & canonicum Pinium, qui Beati Viri funus procurarent. Hi verò venerabile corpus cum publico inſtrumento recognitum, aperiri, balſamoque & odoriferis herbis condiri juſſerunt, atque in loculo cupreſſino, quem alteri querno incluſerunt, depoſitum, ante altare Virginis ſine labe conceptæ in ſepulcro recèns excavato inhumari. Deinde aliud quoque inſtrumentum, quo de corpore, loculo ac ſepultura conſtaret, per Joannem Hilarium, notarium & cancellarium epiſcopi Auximatis, fieri mandârunt, ſaxumque uno ac dimidio pede longum unoque latum, cui crux cum tribus montibus inciſa erat, ſepulcro imponi, quod ſuo tempore ibidem etiam fuiſſe ait Berninus. Non ſine miraculo tamen ipſa ſacri corporis inſpectio & unctio facta eſt; nec ſine ingenti populi concurſu, cujus pietati illud die* XIX *&* XX *publicè expoſitum fuerat, poſt celebres exſequias tumulatum fuit; ſed cum hæc in Vita edenda ſatis exponantur, iis hìc ſuperſedeo.*

C

Cardinalis Facchinetti epiſtola

111 *Non abs re tamen fore arbitratus ſum, ſi duas de* B. Joſephi *felicisſimo obitu epiſtolas, quas Berninus ex Summario recitat, hìc ſubjungerem, ut ex hiſce etiam liqueat, quæ tum fuerint optimatum virorum de ejuſdem eminenti ſanctitate judicia. Prima, pro qua Berninus laudat fol.* 5, *num.* 3, *B.* § 1, *eſt epiſtola Cardinalis Cæſaris Facchinetti, epiſcopi Spoletani, quâ ad amicum ſuum, à quo de* Joſephi *morte per litteras certior factus fuerat, Italicè reſpondit in hunc modum*, Perhumana epiſtola, quam reverendiſſima paternitas veſtra ad me dedit, magno mihi ſolatio fuiſſet, niſi me nuntio de obitu patris noſtri Joſephi à Cupertino, priùs mortui, quàm de ipſius morbo inaudieram, perculiſſet. Piis hominibus ſuum præmium in morte eſt. Hinc gaudendum mihi eſt de tanta jactura, cùm hæc cauſa ſit certæ ſpei & perennis præmii tam religioſæ animæ. Hiſce tamen non obſtantibus, hujuſmodi funera humanæ naturæ noſtræ acerba ſunt, quòd integræ vitæ hominum commercio deſtitutos nos videamus, quando non ampliùs ad manum habemus ſimiles auxiliatores; convenitque, nos triſtari de divortio, non ex defectu gaudii de eorum felicitate, ſed propter interceſſionem pro noſtra.

AUCTORE C. S.

112 Tantam itaque jacturam cum paternitate veſtra doleo. Habuiſti in patre Joſepho à Cupertino magnum contemplatorem, perfectiſſimum pauperem, humilem efficaciſſimis validiſque experimentis confirmatum, ſubditumque tam obſequentem, ut numquam, quod ſciam, ullum propriæ voluntatis indicium dederit. Viginti ſex annis amicitiâ ejus uſus ſum, nec umquam illum uno die alium quàm altero potui deprehendere, ſed ſemper divinæ voluntati conformem, ſemper majoris gloriæ Altiſſimi cupidum, hominumque beatitatis avidum, in quorum obſequio vitam ſuam millies impendiſſet. Utque periculo ſubduceret, corrigeretque quemlibet diſcolum, & ad Deum adduceret, ſolvebatur in lacrymas, aſperiſque ſui afflictationibus eumdem ad frugem revocare conabatur. In colloquiis de Deo familiari ſermoni eruditionem miſcebat, ita ut ſimplicitate ſua amorem ſui ingereret & doctrinâ ſatisfaceret: nec alteri tamen libro, quàm Crucifixo ſtuduerat.

de B. Joſepho

E

113 De gratia & natura audivi illum mirabiliter differentem, cùm ineffabilibus verbis divinam primæ potentiam extolleret, & ſecundæ libertatem demonſtraret. Illius ecſtaſes omnibus notæ erant. Vidi illum quatuor digitis à terra ſublevatum, multique è domeſticis meis mecum viderunt. Vultus ejus ſimulacrum erat religioſæ gravitatis & effigies devotiſſimæ amœnitatis. Converſio ducis Brunſvicenſis precibus fratris Joſephi à Deo conceſſa eſt, & in ducis cum Patre colloquio dux ſele victum dedit argumentis patris Joſephi, qui de illa anima triumphavit, quia Deus ipſi vires & ſapientiam indiderat &c. Spoleti die 2 Octobris MDCLXIII. Reverendiſſimæ paternitatis veſtræ &c. Cæſar Cardinalis Facchinettus. *Ita ipſe. Altera epiſtola, quam Berninus in Summario fol.* 273, *num.* 15, *H.*, § 1 *legi aſſerit, & Italicè pariter exhibet, ſcripta eſt à Joanne Baptiſta Penna, epiſcopo Vigilienſi in provincia Bariana, ad Bonaventuram Claverium, epiſcopum Potentinum, jam aliàs laudatum.*

paulò poſt hujus obitum ſcripta:

F

114 Accepi, *inquit*, illuſtriſſimæ dominationis veſtræ litteras, in quibus ſancti patris fratris Joſephi à Cupertino mortem mihi notam facis. Doleo de jactura, quam Chriſtiana reſpublica fecit; licèt gaudeam, quòd certus ſim, illum jam nunc in cælo frui ea mercede, quam promiſit Deus diligentibus ſe. Sanè, illuſtriſſime Domine, ex animi ſenſu loquor, dico, De illa jactura, quia ego illum pro Sancto ſemper habui, poſtquam novi & cum eo converſatus ſui. Referam illuſtriſſimæ dominationi veſtræ, tamquam digniſſimo Seraphicæ Religionis prælato, aliqua, quæ experimento comperta habeo. Primò ſenſi odoris ſuaviſſimi fragrantiam, intenſam, neque naturalem, quæ meis manibus adhæſit, quamque ego ſenſi in mea viſcera penetrare; & quæ pauco aliquo tempore duravit. Conceptam de ſanctitate illius æſtimationem mihi confirmavi ex eo, quòd, cùm idiota eſſet, nihilominus ſentirem tranquillari mihi animum meum circa ea, de quibus cum eo differebam, non ſecùs ac ſi excellentiſſimus theologus fuiſſet. Ex alacritate quo-

item altera Joannis Baptiſtæ Pennæ

AUCTORE C. S.

que illius & sermone comperi, virtutem ejus minimè vanam aut simulatam fuisse.

episcopi Vigilienſis.

115 Ad hæc cùm postrema vice de Tiburtino conventu, per Eminentissimum Cardinalem Roma bonæ memoriæ suppresso, cum eo loquerer, in eaque re cùm ob obsequia Cardinali præstita, tum ex affectu erga Religionem meam (*Augustinianam*) aliquantulum commotus essem, dum ista referrem; ipse, licèt facie esset hilari, severam subitò induit, & subiratus Breviarium manu percutiens, hæc ait: Nihil hoc ad istud, quod futurum est: ipsi nôrunt, ipsi à Spiritu sancto moventur. Ego Deum precor pro domino Cardinale Roma, quia bona de eo narrari audivi. Quibus verbis, quantùm mihi videtur, aliorum conventuum suppressionem, quæ postmodùm secuta est, prædixit; quia Bulla tunc nondum edita fuerat. Die 1 Novembris MDCLXIII. Devotissimus & obstrictissimus famulus Joannes Baptista episcopus Vigilienſis. *Bulla, de qua hìc agitur, haud dubiè fuit ea, quam Innocentius X Pontifex Maximus edidit pro parvorum conventuum Regularium, quibus conveniens personarum numerus non suppetebat, in Italia exstinctione, quam Bullam habes in Bullario*

B *Romano tom. 5, pag. 523 & sequentibus, ubi data notatur Idibus Octobris anni 1652.*

Ejusdem Beati breve elogium

116 *Hisce duabus sacrorum præsulum litteris addo unum & alterum scriptorum testimonium, quos Berninus cap. ultimo Vitæ synchronos ei fuisse affirmat. Horum primus, teste Bernino ibidem, in Ms. compendio Vitæ venerabilis servi Dei Silvestri Calia, laïci Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci, folio 7 ad propositum nostrum hæc habet:* Intimam amicitiam & fraternam consuetudinem (*frater Silvester*) coluit cum patre fratre Josepho de Cryptella, Minore Conventuali, & pariter Cupertinensi, qui se totum Deo & contemplationi rerum divinarum dedit, sanctis præceptis monitisque à fratre Silvestro specialiter imbutus; magnos in perfectione progressus fecit, & tribus abhinc annis Auximi in Marchia Anconitana obiit magna cum fama sanctitatis, alter nostrorum temporum sanctus pater Franciscus ab omnibus habitus. Iste frater Josephus à Cryptella, tum juvenis, & in semita perfectionis tiro, magni faciebat & venerabatur semper, velut Sanctum, fratrem Silvestrum; de quo cùm loqueretur, magna dicebat. Pari modo frater Silvester

C non tantùm magni faciebat fratrem Josephum, verùm etiam vaticinatus est, eumdem insignem Sanctum evasurum, talemque, ut multis admirationi futurus esset, uti contigit, licèt iste frater Josephus tum temporis laïcus esset in conventu Cryptellæ, neque tum inter novitios clericos fuisset receptus, ac talium rerum eventus procul abesset ab humana notitia sine peculiari lumine divino.

per duos scriptores synchronos.

117 *Hactenus anonymus, post quæ Berninus observat, laudatum venerabilem fratrem Silvestrum die* XIV *Julii anno* 1621 *obiisse; quod si ita sit, non potuit certè hic, nisi admodùm exiguo tempore* B. Josephum *laïcis in conventu Cryptellæ adscriptum cognovisse, uti liquet ex dictis suprà* § 1. *Observat secundò, de ea utriusque viri sancta amicitia mentionem fieri in processu Neritonensi fol. 606 & sequentibus, & in Summario edito fol. 209, num.* 17 De sublimi & heroïca spe, § 1. *Alterum testimonium, ab eodem Bernino relatum, est Dominici Sapani Cupertinensis, Beato pariter synchroni, qui in Ephemeridibus Mss. rerum sui temporis, fol.* 21 *hæc ait Italicè:* Die XVIII Septembris ejusdem anni MDCLXIII in civitate Auximana in Marchia Anconitana pater frater Josephus Desa obiit cum opinione & fama universali sanctitatis heroïcæ. Mortem illius tota doluit provincia, ubi ejus virtutes notæ sunt, quippe qui in terris vixit velut Seraphinus in carne, semper ardens & per divinum amorem ecstaticus. *Ex hisce liquet, quæ fuerit de* Josephi *sanctitate mortis suæ tempore communis existimatio, quæ etiam ex Vita edenda magis apparebit, quamque summi Pontifices, ac novissimè Benedictus XIV, universæ Christi Ecclesiæ in terris feliciter præsidens, suo calculo comprobârunt, prout sequens* § *docebit.*

D

§ X. Causa beatificationis illius introducta, & à Benedicto XIV Papa feliciter perfecta.

Innocentius XI signat commissionem pro introductione causæ:

Biennio post beatum Josephi *obitum processus de Vita ac miraculis ejusdem in civitatibus Neritonensi, Assisiensi & Auximana, potestate ordinaria confecti fuere; quibus Romam transmissis, & à sacra rituum Congregatione maturè examinatis, venerabilis servus Dei Innocentius XI Pontifex Maximus, die* XXXI *Augusti* 1686 *commissionem pro introductione causæ ipsius signavit, teste Pastrovicchio in Vita edenda, num.* 126. *Consequenter ad hanc novi processus auctoritate Apostolica in iisdem locis de more instituti factique sunt, & de promovenda* Josephi *beatificatione & canonizatione sedulò laborari cœptum. Verùm quominus dubium de Virtutibus illius theologicis ac cardinalibus jam tum legitimè discuteretur, obstabat decretum Urbani VIII, quo vetuit, ne id ante elapsos ab obitu quinquaginta annos fieret, ad quod tempus complendum aliquot deerant anni, cùm* Josephus *anno* 1663 *mortuus esset.*

Clemens XI dispensat in annis ab obitu,

119 *Difficultatem hanc, supplicante totius Religionis suæ nomine patre magistro Joanne Damasceno, Ordinis Minorum Conventualium, sanctæque Romanæ ac universalis Inquisitionis & sacrorum rituum Congregationis consultore, sustulit Clemens XI Papa, qui in Decreto die* X *Julii, anno* 1711 *dato,* concessit, causam beatificationis & canonizationis dicti servi Dei, fratris Josephi à Cupertino prosequi, agi, & discuti posse super illius meritis usque ad totalem determinationem, non obstante, quòd à die obitûs illius, sequuti die XVIII Septembris MDCXLIII, seu &c, non sint adhuc elapsi quinquaginta anni, ad formam decretorum san. mem. Urbani octavi, quibus expressè in hac causa derogavit, & ita servari, prosequi, agi, discuti & terminari mandavit, dictis decretis, aliis constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. *Decretum hoc exstat tom. 2 Continuationis Magni Bullarii Romani, parte 2, pag. 435 & sequenti, unde hæc retulimus.*

F

Clemens XII virtutes, Benedictus XIV duo miracula approbant,

120 *Post sedulum de more examen Clemens XII Romanus Pontifex anno tandem* 1735, *die* XV *Augusti decreto suo virtutes illius in gradu heroïco approbavit, quemadmodum ex mox recensendis patebit. Inde ad miraculorum discussionem itum est, ex quibus Benedictus XIV feliciter regnans, die* IV *Octobris* 1752 *duo approbavit, per decretum, quod hìc subjicio.* Decretum summi Pontificis Benedicti Papæ XIV in causa Neriton. beatificationis & canonizationis Ven. servi Dei, Josephi à Cupertino, sacerdotis Ordinis Minorum Conventua-

lium.

A lium S. Franciſci. Poſtquam ſel. record. Clemens XII noſter prædeceſſor, præmiſſo ſedulo, quo par erat, examine, conſtare ritè decrevit de virtutibus tam theologalibus, quàm cardinalibus, earumque reſpectivè annexis, in gradu heroïco venerabilis ſervi Dei Joſephi à Cupertino, ſacerdotis profeſſi Ordinis Minorum Conventualium, quemadmodùm liquet ex decreto, ab eodem prædeceſſore edito die XV Auguſti MDCCXXXV, alterum inſtitutum fuit de more judicium ſuper miraculis erutis à cauſæ poſtulatoribus ex proceſſibus Auximano, Aſſiſienſi, & Neritonenſi, non ſolùm ordinaria, ſed etiam Apoſtolica auctoritate confectis, quorum validitas ſemel ac iterum fuerat approbata.

cujus poſterioris decretum,

121 Expenſis igitur, ut aſſolet, iiſdem miraculis in congregatione antepræparatoria, habita die 2 Martii, & præparatoria, habita XVI Novembris ſuperioris anni MDCCLI, ſuperni factum eſt diſpoſitione conſilii, ut tandem congregationi generali coram Nobis cogendæ præſtituta eſſet dies XIX (*vide dicta num.* 105) mox elapſi Septembris, quâ Servus Dei, relictis in urbe noſtra Auximana anno MDCLXIII mortalitatis exuviis, pretioſam in

B conſpectu Domini mortem obivit. Ne in re admodùm gravi ullæ deſiderari poſſent Apoſtolicæ Noſtræ ſollicitudinis & vigilantiæ partes, antequam dictæ generali congregationi intereſſemus, miraculorum probationes, ex eiſdem proceſſibus Apoſtolicis & ordinariis decerptas, rimavimus, allegationes poſtulatorum, & conſilia medicorum, ſcripto pro veritate exarata, evolvimus, eoſdemque poſtulatores, cauſam voce orantes ſuam, audivimus: conſultorum deinde ſuffragia expendimus, illaque coram univerſo cœtu aperuimus; ac demum S. R. E. Cardinalium ſententias diſertè coram Nobis prolatas excepimus.

die IV *Octobris anni* 1752 *editum recenſetur:*

122 Verùm etſi compertum Nobis apprimè fuerit, duo ex propoſitis miraculis, nempe ſecundum & tertium in ordine, ferè communi voto conſultorum, ac prorſus unanimi Cardinalium ſuffragio approbari, deliberationem tamen Noſtram in aliud tempus rejecimus, quo conſultiùs rem expedire poſſemus non ſolùm ſeverioris Noſtri ſtudii acceſſione, ſed implorata ex alto cœleſti ope ab eo, qui mentes hominum lumine ſuæ claritatis illuſtrat. Hac itaque die divo patriarchæ Franciſco ſacra, poſtquam provoluti ad ejus aram in baſilica ſanctorum XII Apoſtolorum, Omnipotenti

C Deo incruentum Sacrificium & Hoſtiam placationis obtulimus, duo præmiſſa miracula duximus approbanda; & hanc diem eum in finem elegimus, ut novis in diem pateat argumentis, ſanctitatem in Franciſcana familia, ab eximio conditore ſuo invectam, uberrimo Eccleſiæ gaudio in ejus alumnis adoleſcere.

puero inciſus oculus, integer reſtituitur;

123 Primum miraculum, aliàs ſecundum in ordine, contigit Stephano de Matthæis, puero duodenni, cujus dexteri oculi pupilla, à coætaneo puero ictu ſquammoſi & acuti lapidis vulnerata & tranſversùm ſciſſa fuit, ſanguine aliiſque humoribus adeò latè manantibus, ut totius oculi orbita, ſeu bulbus, exſiccari, contrahi, & introrſum deprimi viſa ſit, ablata eidem Stephano videndi facultate. Medicus & chirurgus, qui actum de viſione pronunciaverant, nonnulla ad paucos dies adhibuere remedia, curando tantùm vulneri idonea; ſed infirmus, erecto in ipſa cœcitate, hominum judicio non removibili, animo in venerabilem Joſephum, domi primùm ejus opem implorat, deinde unà cum matre illius ſepulchrum adit, preces ferventiùs ingeminat provolutus in genua, oculum lapidi ſepulchrali admovet, & priſtinam videndi facultatem in inſtanti recuperat, & intuentibus oculum exhibet, rotunditati & primævæ partium concinnitati reſtitutum.

genu periculoſo tubere affectum ſubitò ſanatur.

124 Secundum miraculum, aliàs in ordine tertium, accidit Victorio de Matthæis. In dextero illius genu altas radices egit tumor cyſticus ſeu folliculatus, qui ſpatio ſex circitèr annorum ex diuturno humorum aggeſtu in enormem ac duram molem concretus, infirmum nec gradi nec genuflectere patiebatur, illumque aſſiduis angebat doloribus, acerbiùs ultimo ante ſanationem menſe ſævientibus. Prægrandi huic tumori, & jam ſeneſcenti nulla umquam adhibita fuerunt remedia, nec manus acceſſit chirurgi, probè conſcii, ſine vitæ periculo admoveri non poſſe. Æger ſpe dejectus recuperandæ ſalutis ope humana, quo die cadaver Servi Dei, recèns defuncti, in eccleſia ſui Ordinis confluenti populo expoſitum erat, primùm eamdem eccleſiam, deinde ſacellum adivit, in quo venerabilis Dei Servus Miſſam privatim celebrare conſueverat. Dexterum genu ac tumorem in ipſo extuberantem admovet altaris ſuppedaneo, in quo ex diuturno orandi uſu impreſſa apparebant veſtigia genuum Servi Dei. Ex illo con- E tactu momento temporis evanuit tumor, nullo cyſtidis, nulloque tunicati folliculi ſuperſtite ſigno in genu complanato, & ad motum prorſus expedito.

Idem Pontifex, in ulteriori congregatione habenda diſpenſans,

125 Hæc itaque duo miracula, tamquam tertii generis, approbamus; ac præſens approbationis Noſtræ decretum manu Noſtra ſubſcriptum inter acta Congregationis referri volumus & mandamus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die IV Octobris MDCCLII, Pontificatus Noſtri anno decimo tertio.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Locus ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rit. Congr. ſecretarius.

Approbatis duobus prædictis miraculis, idem ſummus Pontifex Benedictus XIV, ſupplicante reverendiſſimo patre magiſtro Carolo Antonio Calvi, miniſtro Generali ejuſdem Ordinis, viſaque favorabili relatione & ſcripto voto illuſtriſſimi Ludovici Valenti, Fidei promotoris, ab ulteriori congregatione generali habenda benignè diſpenſavit, utque ad formalem venerabilis Servi Dei beatificationem procedi poſſet, conceſſit per reſcriptum datum die XII *Decembris anni* MDCCLII. *Nec multò poſt, die ſcilicet* XX *Februarii anni proximè ſubſecuti, Breve Beatificationis ejuſdem ſignavit, quod ex impreſſo Romæ exemplari ſubjicio.* F

per Breve die 20 *Februarii anno* 1753 *datum*

126 Breve beatificationis ven. ſervi Dei Joſephi à Cupertino, ſacerdotis profeſſi Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ÆTernus Dei Filius, etſi ante mundi originem, Patri coæqualis, æquè ſemper regnaverit, in plenitudine tamen temporum ideò apparuit patefactus in carne, ut juxta prophetarum vaticinia collapſa reædificando, & diruta inſtaurando, regnum ſuum in ultimos uſque terræ fines contra antiqui hoſtis tyrannidem erigeret & ſtabiliret. Quicumque igitur in hoc regno, quod ex omnibus linguis & populis colligendum erat, tamquam cives adſcribi ſatagunt, illud violenter expugnare & aſſequi debent; cùm hoc perpetuum

AUCTORE C. S.

edictum, & in omnem vitam ipsis promulgatum voluerit Christus Dominus, quòd ignem venerit mittere in terram, & quòd nihil aliud peteret, nisi ut accenderetur & arderet. Hoc cælesti igni mentes hominum undequaque instaurantur, cùm ardore Spiritus sancti afflatæ & succensæ, terrenis cupiditatibus compressis atque devictis, in Dei amorem rapiuntur, atque in similitudinem imaginemque ejus conformantur.

ipsum cum insigni elogio

127 Divinæ hujus potentiæ locupletissimum testem habemus in venerabili servo Dei Josepho à Cupertino, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, Conventualium nuncupatorum, sacerdote professo, qui, cùm in hoc Christi regno ejus servituti se devoverit, veterem exuit hominem, & novum induit, & ducem & antesignanum Franciscum per altissimam paupertatem, per omnimodam sui abnegationem, per orationis instantiam, per crucis meditationem, per arcta silentia, & per longas inedias imitari contendit. Verùm cùm penitus intellexisset, quòd, etiamsi tradidisset corpus suum, ita ut arderet, nihil illi prodesset, nisi charitatem habuisset; hinc factum est, ut in hoc primo & maximo Deum diligendi mandato cogitationes omnes, omnesque vires enixè conferret. Ex hac intima cum Deo unione adeò cor ejus divinæ charitatis igne corripiebatur, & incredibili internæ dulcedinis amore totum deflagrabat, ut in ecstases & raptus aliquando erumperet; & cùm incola teneretur in terra, præ vehementissimo Dei desiderio tamquam domesticus haberetur in cœlis.

B

Beatorum catalogo

128 Quapropter ejus nomen omnium sermone celebrari cœpit, quod nec inaccessa loca, nec secretiora cubicula, in quibus quandoque moram obediendo traduxit, continere potuerunt; donec relictis Auximi in Piceno die XIX Septembris anno MDCLXIII inter sodales suos mortalitatis exuviis, ad æterna præmia vocatus, ad cœlestem patriam commigravit. Percrebescente itaque in dies ejus sanctimoniæ clarissima fama, ad Congregationem venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, causa deducta est; ubi cùm de virtutibus æstimandis juxta canonicas sanctiones quæstio de more haberetur, fel. rec. Clemens PP. XII prædecessor Noster XVIII Kalendas Septembris anni MDCCXXXV in gradu heroico constitutas eas esse pronunciavit. Porrò coram Nobis ad universalis Ecclesiæ regimen divina miseratione vocatis cùm de miraculis disceptaretur, non absque supremo consilio factum esse censemus, ut ea ipsa die, videlicet die XIX elapsi Septembris, generalis congregatio super hac re coram Nobis cogeretur, quâ venerabilis Dei Servus sexagenario major, meritis cumulatus, mortalitatem explevit in terris, & immortalitatem inchoavit in cœlis.

C

adscribit, & assignata die 18 Septembris,

129 Duo ex miraculis, quæ discutienda proponebantur, consultorum suffragiis & venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium sententiis consentientibus, probanda esse censuimus, & decretum super eisdem Nostrum proferre & promulgare voluimus die S. Francisco de Assisio sacra, postquam ad ejus aram provoluti in basilica sanctorum XII Apostolorum de Urbe omnipotenti Deo Hostiam placationis obtulimus; quam diem eum in finem delegimus, ut sanctitatem, in hac Franciscana familia à Seraphico Parente suo invectam, uberrimo Ecclesiæ proventu in ejus alumnis in dies adolescere, novis atque mirificis argumentis constaret. Quapropter precibus tandem regum, episcoporum, aliorumque principum, necnon dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conventualium, paternâ clementiâ annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus Josephus à Cupertino in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusdem corpus & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur; ac de eo quotannis die decima octava Septembris, quam diem pro ejus festivitate celebranda præscribimus, sub ritu duplici minori recitetur Officium & Missa de Communi confessoris non pontificis, cum Oratione à Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani.

D

Missâ & Officio in certis locis & à certis personis coli,

130 Recitationem autem Officii & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus tum in proprio Minorum S. Francisci Conventualium Ordine, in quo solemni emissa professione, usque ad obitum permansit, tum in Ordine Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Capucinorum (inter quos per aliquot annos commoratus est) ac de Observantia, Reformatorum, Recollectorum, & Excalceatorum, ac Tertii Ordinis nuncupatorum, tum in oppido Cupertini, in quo Vir Dei in lucem prodivit, ac in tota diœcesi Neritonensi: in Nostris etiam civitatibus Assisii, illiusque diœcesi, Terrâ de Petra-Rubea diœcesis Feretranæ, Foro-Sempronii, & illius diœcesi, quæ loca suo incolatu ac virtutibus illustravit; tum denique in tota diœcesi & civitate Auximana, in qua ipse obdormivit in Domino; tum apud archiconfraternitatem sub invocatione S. Antonii Patavini in eadem basilica sanctorum XII Apostolorum de Urbe, & confraternitatem S. Stephani in civitate Assisiensi, canonicè erectas, in quas cooptatus fuit, ab universis Christi fidelibus tam Regularibus, quàm Sæcularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, & quoad Missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus, ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus.

E

& beatificationis solemnia celebrari permittit.

131 Præterea, primo dumtaxat anno à datis hisce litteris, in ecclesiis Fratrum Minorum Conventualium, cæterarumque Franciscanarum familiarum, civitatum, terrarum, oppidorum & diœcesum, archiconfraternitatis & confraternitatis, hujusmodi solemnia beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio sub ritu duplici majori & Missa, die ab ordinariis respectivè constituta, postquam in basilica Nostra S. Petri in Vaticano peracta fuerint solemnia, nempe die XXIV currentis mensis, celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu &c editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique locorum, tam in judicio quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

F

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX Februarii MDCCLIII, Pontificatus Nostri anno decimotertio.

D. Card. Passionеus.

Cetera eadem beatificationis solemnia die suprà dicto Romæ in S. Petri Apostolorum principis basilica Vaticana solito cum apparatu celebrata fuere, & ego magno cum animi solatio præsens spectavi. Nunc Vitam accipe.

A

VITA

Auctore Angelo Paſtrovicchio,

Ex Proceſſibus Italicè edita.

CAPUT I.

Beati natales & pia pueritia, tirocinium apud Capucinos; inde dimiſſus, fit Tertiarius apud Fratres Conventuales S. Franciſci, deinde novitius clericus; profeſſus, ſacerdotio initiatur.

B

Cupertini in ſtabulo natus, puer virtutibus emicat.

BEatus Joſephus, à Cupertino *a* dictus ab oppido regni Neapolitani in diœceſi Neritonenſi *b*, ubi die XVII Junii anni MDCIII humiles natales ſortitus eſt ex pauperibus ſed honeſtis piiſque parentibus, Felice Deſa *c* & Franciſca Panara, & ad exemplum ſeraphici Patris in lucem prodiit in ſtabulo, ubi mater ejus à partûs angoribus occupata fuit *d*. Ab eadem Chriſtianè & cum ſancta ſeveritate educatus *e*, divinorumque donorum præventus dulcedine, ab ipſa prima pueritia multa futuræ ſanctitatis ſigna dedit, ita ut, dum annum ætatis octavum ageret, frequenti orationi, aliiſque piis operibus intentus, corpore immobili, oculiſque in cælum fixis, & labiis nonnihil apertis, velut ecſtaticus permaneret, ideóque à ceteris pueris, irridendi causâ, ut ſolet ea ætas, aut, ut veriùs dicam, cum præſagio continuarum ejuſdem ecſtaſium & mirabilium raptuum, Os APERTUM appellaretur *f*.

a
b
c
d
e

f

apoſtematis affligitur, quibus divinitus ſanatis,

C

2 Non multò pòſt cœpit Deus virtutem ejus acutiſſimis apoſtematis & ulceribus exercere, quæ bonus Puerulus quadriennii ſpatio cum ſingulari patientia toleravit, quo tempore non alio recreabatur ſolatio, quàm ſi divino Sacrificio intereſſet, cui ut quotidie aſſiſteret, matrem cum lacrymis orabat, quæ miſericordiâ mota, in ulnas ſuas ſublatum ad vicinam eccleſiam deportabat *g*. Conatus eſt ipſum Cupertini ſanare expertus quidam eremita, ferro uſus & igne; verùm cùm deinde per negligentiam velut immedicabilis factus eſſet, divina manus ad ejuſdem ſanationem tandem adfuit, dum ab eodem eremita, qui habitabat in eccleſia S. Mariæ gratiarum de Galatone (loco novem milliaribus diſtante à Cupertino, quò eum mater ſua equo in modum ſacci, quàm potuerat commodiſſimè, impoſitum ſecum advexerat) pauco oleo unctus, ſubitò ſenſit omne malum ſuum allevatum, ac poſtridie potuit ſine altero adjumento præter ſcipionem Cupertinum pedes reverti *h*.

g

h

etiam ſanctiùs vivit: habitum Conventualium S. Franciſci fruſtra petit.

3 Longum eſſet hîc enarrare, quantò magis gratum divinis beneficiis puerulus Joſephus ſeſe exhibuerit, quantóque majori fervore ad amandum Deum, eique fideliùs ſerviendum ſe comparaverit. Frequentare eccleſias, Miſſarum ſacrificiis intereſſe, acutiſſimo cilicio ſibi latera cingere, carnium eſu abſtinere, nec niſi legumina herbaſque amariſſimo abſinthii pulvere conditas manducare (& id quidem cum tam ſevero jejunio, ut nonnumquam biduum triduumque ſine cibo exigeret) fuit in ea ætate tenor vitæ ipſius tam mortificatæ in corpore, ſed cum tanta ſimul mentis elevatione in Deum, ut aliquoties rogatus, cur non comederet, humaniter reſponderit: Non memineram *i*. Decimo ſeptimo ætatis ſuæ anno, vehementiùs exardeſcente deſiderio fallacis mundi deſerendi, ut in partem ſeculi ſancti Deo ſeſe in aliquo ſacro monaſterio arctiſſimè conjungeret, mentis oculos in Franciſcanum Minorum Conventualium Ordinem in primis conjecit; utque in hunc admitteretur, vota ſua patri Franceſchino Deſa, patruo ſuo, ejuſdem Ordinis Religioſo expoſuit. Verùm is non alia de cauſa, quàm quòd Nepotem ſuum nullis litteris imbutum, ad ſacerdotium inhabilem judicaret, ejuſdem poſtulatis nullo modo voluit conſentire *k*.

A. PASTROVICCHIO.

i

k

A Capucinis inter laïcos admiſſus, & ex tirocinio remiſſus,

l

E

4 Hâc repulsâ afflictus Joſephus, ſed certus tamen quocumque modo ſub ſancti patriarchæ Franciſci vexillo militare, ad quem ſequendum ſentiebat ſeſe non intermiſſis vocibus à Deo commoneri, patri Provinciali Minorum Capucinorum *l* humiliter ſupplicavit, ut inter laïcos religioſiſſimi illius Ordinis admitteretur; & benigniſſimè exauditus, impoſito Stephani nomine, anno MDCXX in conventu Martinæ *m* ſacro habitu indutus eſt. Verùm ſive quòd oculi ipſius tunc reipſa defecerint, ut nonnulli crediderunt, ſeu potiùs quòd cum habitu, inſtitutione & exemplis illorum optimorum Religioſorum, cœleſtis amoris igne in ejuſdem corde vehementiùs accenſo, ſemper magis conjunctus Deo atque ecſtaticus eſſet, & quò perfectiùs ſpiritu operaretur, eò minùs exactè corporis officiis fungeretur, evenit, ut, cùm panem album ab atro non diſtingueret, vaſaque & teſtas, è manibus lapſas frequenter rumperet, dumque ligna ſuper focum reponebat, lebetes everteret, alioſque hujuſmodi defectus committeret, propter quos ad ſui ſtatus officia ineptum ſe exhibebat, poſt longam octo menſium in tirocinio exercitationem (Deo, qui mirabilis eſt in viis ſuis, ita permittente) dimiſſus fuerit, eoque ſacro habitu exutus, tanto cum dolore, ut, quemadmodum is ipſe jam ſenior ajebat, viſus ſit ſibi ſentire, cum iſta tunica pellem ſibi detrahi, carnemque ab oſſibus avelli *n*.

m

n

poſt itineris pericula patruum adit, à quo ad matrem

5 Jam amiſſis pileo, caligis & calceis, quos, antequam in memorato conventu veſtiretur, attulerat, reliquas mundanas veſtes induit, atque ita ſeminudus, quo minus mæſtitiæ & confuſionis ſubiret, ſtatuit non redire Cupertinum, ſed Vetrâram *o*, ubi prædictus Religioſus patruus ipſius tum temporis conciones habebat. In hoc itinere inter eundum circa veſperam in graviora pericula incidit; primò à ferocibus moloſſis, qui in eum diſcerpturi irruerunt; deinde à furibundis opilionibus, qui ipſum quidem à canibus liberârunt, ſed eumdem exploratorem à furibus miſſum rati, jam jamque occidere meditabantur; verùm ab uno eorum agnitus, dimiſſus eſt, & buccellâ pannis inſuper refectus *p*. A dæmone denique periculum incurrit, qui emiſſa horribili voce: Sta explorator, videndum ſeſe ipſi in ſpecie hominis equo inſidentis exhibuit, tetro vultu & minaci gladio manum armati, ſimiliter improperans illi, quòd regii regiminis explorator veniret. At Beatus vix paucos paſſus proceſſerat, quin nihil metuens, oculoſque per vaſtiſſimam illam planitiem in omnem partem revolvens, deprehenderit, eum è conſpectu evanuiſſe: unde ſibi ait: "Is fuit Mala-

o

p

A. Pastrovicchio.

„latasca„ (sic diabolum appellare cum S. Catharina Senensi solebat *q*) qui me terrere & in desperationem inducere voluit.

q reducitur, cujus operâ apud Conventuales

6 Superatis in hunc modum prædictis periculis, Vetraram advenit, ubi ad patrui sui pedes in genua provolutus, patienter audivit exprobantem sibi, se ineptum, se vagum esse; interrogatusque ab eodem, quid id sibi vellet, cum humillima simplicitate reposuit: „Patres Capucini exuerunt me habitu, quia ego ad nihil aptus sum.„ Hinc patruus misericordiâ motus eum apud se usque ad Pascha *r* detinuit, ac deinde Cupertinum secretò reduxit. Ibi verò denuò cum invicta patientia toleravit dura matris dicteria, quæ severitatem semper præ se ferebat, sed Filium interno amore prosequebatur. Sanè ut à carcere, in quem ob defuncti patris debita certè conjiciendus fuisset, ipsum liberaret, pro eo in Minorum Conventualium conventum Cryptellæ *f*, sesqui milliari à Cupertino dissitum, admittendo precibus lacrymisque tantum effecit, ut ejusdem loci Religiosi ceterique illius conventûs tandem annuerint, eumque habitu Oblati Tertiarii vestiverint.

r

f

B inter Oblatos Tertiarios admittitur, *t*

7 Enimverò *t* respiravit cum cor B. Josephi, licèt ibi ad agendam mulam, aliaque vilia monasterii munia addictus esset; eóque magis exsultavit, quando patri magistro Joanni Donato avunculo suo, magnæ pietatis ac doctrinæ Religioso, socius datus est. Hoc porrò solatium novos ipsi stimulos addidit ad fervorem spiritûs, divino amore jam inflammati augendum. Etenim cum pro rebus conventui necessariis eleëmosynas colligeret, sua veste paupercula, modestiâ incessûs, suavitate & simplicitate verborum, quæ non nisi caritatem spirabant, obtinebat à populo, abundantiùs quàm ipsum panem, horrorem vitiorum, æstimationem virtutum, & actus amoris in Deum. Dum in conventu morabatur, vilissimis laboriosissimisque ministeriis summa cum humilitate indefessus distinebabatur, obedire promptissimus, non modò ad voces, sed etiam ad nutus Religiosorum. Denique dum seipsum spectaret, corpus suum usque adeo castigabat, ut ad solitum cilicium adderet catenam ferream, quæ renes arctissimè constringebat. Continua ac severissima erant illius jejunia; utque orationi diutius posset vacare, somnus brevissimus in lectulo è tribus tabulis compacto, & attrita pelle Ursina, rudique sacco, farto paleis, constrato.

C deindè inter novitios clericos, inter quos

8 Deus, qui ipsum ad sacerdotium suum in Ordine Minorum Conventualium obeundum destinaverat, oculos horum Religiosorum tanto splendore virtutum aperuit; quippe qui illum non modò tenerè amârunt, verùm etiam curaverunt obtinueruntque, ut in comitiis provincialibus, die XIX Junii anno MDCXXV Alti-muri *u* celebratis, inter sui Ordinis clericos admitteretur *x*. Religioso itaque habitu indutus, sub filiatione ejusdem conventus Cryptellæ, tirocinium suum summo cum solatio in eodem conventu exorsus est, retento proprio nomine fratris Josephi. Tum verò ad duo capita animum suum seriò adjecit: nempe ut totus Deo viveret, utque litteris ad sacerdotium necessariis sufficienter imbueretur. Et primum quidem perfectè assecutus est per secessum ex humano consortio, per continuum in contemplatione cum Deo colloquium, per humilitatem reputando se velut sceleratissimum maximéque infamem totius orbis peccatorem, ac crebrò repetendo, Religiosum habitum sibi ex caritate concessum fuisse, per patientiam, auscultando acerrimas defectuum, etiam non suorum, reprehensiones; per obedientiam, exsequendo mandata, non solùm ardua, sed etiam insolita, quæ à superioribus virtutis illius tentandæ gratiâ ferebantur; per mortificationem propriæ carnis suæ semper magis magisque severam; per omne denique virtutum genus, ob quas istud sanctitatis exemplar omnibus erat admirationi *y*.

u

x

D

y professionem nuncupat, & sacris Ordinibus initiatur.

9 Sed quantùm ad litteras attinet, in hisce exiguum profectum faciebat; quapropter cùm à magistro suo sæpe reprehenderetur, humiliatus respondebat: „Habete patientiam, ut sic plus mereamini.„ His non obstantibus, ob bonum odorem virtutum admissus est ad solemnia vota & professionem Regularem, quam cum tenerrimo fletu nuncupavit. Post hæc *z* totus Deo fretus & Virgine Matre, cujus potens patrocinium jam enixè expetierat, sine prævio examine minoribus Ordinibus die XXX Januarii anno MDCXXVII, deinde subdiaconatu die XXVII Februarii ejusdem anni initiatus est, ac denique die XX Martii diaconatu *aa* post examen veluti prodigiosum. Jussus enim ab episcopo Neritonensi exponere Euangelium, istud commodè occurrit, in cujus exordio est: Beatus venter, qui te portavit, quodque feliciter explicavit, cùm id unicum esset, quod cum diuturno studio didicerat. Denique illustrissimus dominus Joannes Baptista Deti Castrensis episcopus *bb*, licèt severus & zeli plenus, cùm ceteri juniores Religiosi, jam examinati de doctrina, ipsi satisfecissent, atque hinc de reliquorum, inter quos B. Josephus unus erat, scientia æstimaret, sine ullo alio examine sacerdotium ipsi contulit die XXVIII Martii anno sequenti MDCXXVIII.

z

aa

E

bb

ANNOTATA.

a *Exiguum atque ignobile oppidum est, Italis* Copertino *dictum, de quo egimus in Commentario prævio num.* 5.

b Neritum, *indigenis* Nardo, *episcopalis civitas est regni Neapolitani in provincia Hydruntina.*

c *Hunc fabrum lignarium fuisse, & castelli marchionis domini sui curam gessisse, tradunt Fremautius ac Berninus. Adi Commentarium prævium num.* 6.

d *Iidem scriptores citato loco aiunt, matrem ex metu satellitum, qui ob debita à marito contracta, domum illius invaserant, in stabulum tunc recurrisse. Porrò in exemplari Italicè edito, quod Latinè verto, pro fide dictis facienda in margine notantur loci processuum, in quibus ea asseruntur, quæ ego eadem de causa, ut alibi monui, in Annotatis totidem verbis recensebo. Hoc loco habentur sequentia: Ex processu Apostolico Neritonensi, Assisiensi & Auximano. Plures testes relati in Summario super virtutibus, pag.* 23 *&* 24.

e *Vide, quæ de severa matris in Filium suum disciplina, in Commentario num.* 7 *observavimus.*

f *Ex proc. ord. Assis., fol.* 59.

g *Ex proc. ord. Nerit. compulsi., cit. Summ. pag.* 25 *& seq.*

h *Ibid. pag.* 26.

i *Ibid. & pag.* 8 *& seq.*

k *Ex proc. ord. Nerit. compulsi. fol.* 650. *Ex proc. Apost. Assis. fol.* 259 *& seq., & alibi.*

l *Berninus hunc* Antonium Francavillam *appellat. In Vita, quam edimus, pro hisce & sequentibus notatur in margine: Ex proc. ord. Nerit. compulsi. fol.* 552, 630, 636, 650 *ad* 653, *& alibi; ex proc. Apost. Assis. fol.* 259 *&* 260, 318, 344 *& alibi.*

m *Adi Commentarium num.* 9.

n *Ex proc. Apost. Assis. cit. fol.* 318 *& alibi;*

& in

A *& in Summ. num.* XI *à pag.* 27 *& ſeqq.*

o *Ita legitur Italicè* Vetrara, *quem locum in nullis Lexicis potui reperire.*

p *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol.* 58 *& alibi.*

q *Laudata ſancta virgo in Vita apud nos tom.* III *Aprilis, pag.* 885, *num.* 128 *de diabolo loquens, ſic ait :* Nolite timere, quia mala-taſcha eſt. *Ad quæ biographus ejus Raymundus ibidem hæc notat :* Sic enim vocabat diabolum ; quia malus ſaccus eſt animarum : in regione enim illa (*Italia*) TASCHA parvus ſaccus vulgariter appellatur. *Eodem vocabulo B. Veronica de Binaſco tom.* I *Januarii, pag.* 896, *num.* 12, *& S. Maria Magdalena de Pazzis tom.* IV *Maji, pag.* 129 *diabolum vocitare ſolebant.*

r *Celebrabatur illud eo anno die* XI *Aprilis.*

ſ *Italicè dicitur conventus* della Grottella, *de quo conſule Commentarium num.* XI.

t *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol.* 651 *terg. ad* 653, *& proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 319. *Cit. proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 319 *& alibi.*

u Altus-murus, *indigenis* Alta-mura, *exigua civitas eſt regni Neapolitani in Bariana provincia, principatûs titulo inſignita.*

B x *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol.* 651 *ad* 653, *&* 728 *terg., & proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 319 *& alibi.*

y *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol.* 651 *&* 653.

z *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol.* 957 *&* 958, *& alibi.*

aa *In Commentario prævio num.* 14 *recenſuimus monumentum harum ordinationum, ex quo diſcimus, Beatum noſtrum ab Hieronymo de Franchis prædictis Ordinibus initiatum fuiſſe.*

bb Caſtrum, *de quo hîc, vulgò* Caſtro, *exigua civitas eſt regni Neapolitani in provincia Hydruntina, epiſcopalis ſub Hydruntino archiepiſcopo. Laudatus Joannes Baptiſta Detus dicto epiſcopatui ab anno* 1627 *uſque ad* 1630, *quo ad Anglonenſem tranſlatus eſt, præfuiſſe dicitur apud Ughellum tom.* 8. *Italiæ ſacræ auctæ, col.* 96 *& ſequenti.*

CAPUT II.

Severioris vitæ genus auſpicatus, magnis animi auguſtiis premitur, & liberatur : accuſatus apud ſacros inquiſitores, Neapoli ſe purgat : Romam mittitur, atque inde Aſſiſium.

C

Auſteriorem vitam exorſus

SAcerdos conſecratus, ad ſuum Cryptellæ conventum reverſus eſt, & actis B. Mariæ Virgini, quæ ibidem colitur, de accepto presbyteratu humillimis gratiis, primitias ſuas tanto cum fervore, tanta fide, tantoque cum cæleſti lumine celebravit, ut ad ſacratiſſimi Corporis Jeſu Chriſti attactum ſacro horrore percelleretur, ſeque indignum cenſens tam ſublimi miniſterio, deſideraret non ſolùm cordis puritatem, ſed & puros alioſque digitos habere, quibus in tremendo Sacrificio dumtaxat uteretur. Tum quoque caritatis igne vehementiùs accenſus, certuſque mundo & ſibimetipſi penitus mori, vitam humanâ potiorem & cæleſtem ducere aggreſſus eſt *a*. Itaque cùm parùm ſibi feciſſe videretur, ſi ab humano conſortio planè remotus in anguſta & obſcura cella viveret, niſi etiam ab ipſis Religioſis fratribus ſecederet, ſeſe in quemdam receſſum ſupra fornicem eccleſiæ, aut in exiguum ſacellum, in oliveto conventui contiguo S. Barbaræ dedicatum, frequenter recipiebat. A. PASTROVICCHIO.

11 Eo loci continuis precibus & altiſſimis contemplationibus inhærebat, ex quibus prodierunt in eo ſuaviſſimæ illæ ecſtaſes & ſtupendi raptus, qui ipſum è communi ſententia admirabilem & ſingularem reddiderunt. Sed quia hi tam frequentes fuere, non ſolùm ſedecim annorum ſpatio, quibus in conventu Cryptellæ habitavit, ſed toto, quo vixit, tempore, (atteſtantibus proceſſibus, "eum plùs „triginta quinque annis à ſuperioribus admiſſum „non fuiſſe cum ceteris fratribus in choro, pro„ceſſionibus & triclinio, quia accidebant ipſi ec„ſtaſes & officia turbabant *b* „) ne hiſtoriæ ſeriem identidem intercidant, utque brevitatem mihi propoſitam conſecter, de hiſce alio in loco peculiariter tractabo. Suffecerit nunc aliqua ex pia ejus vita retuliſſe, quæ tum temporis magis, quàm umquam antea, ab omni erga res mundanas affectu aliena erat & aſperrimis caſtigationibus mortificata. De naturali igitur cordis lucta per heroïcam fortitudinem victor, abdicavit ſe exigua illa ſupellectili & ſubſidiis, quæ ad cujuſque Religioſi uſum concedi ſolent ad nutum ſuperiorum. *& rebus omnibus ſua ſponte ſpoliatus,* *b* E

12 Poſt hæc ſpoliavit ſe veſtibus interioribus, etiam ſubuculis, & hiſce matri ſuæ reſtitutis, ad Crucifixi pedes ſic locutus eſt : "Ecce me, Domi„ne, omni re orbatum, & dummodo tu ſis bo„num meum, omne aliud bonum arbitror pericu„lum, damnum & naufragium animæ meæ *c*.„ Dum hoc modo ſolâ tunicâ indutus permanſiſſet, ingenti cordis mœrore afflictus eſt, ad quem accedente cæleſtium ſpiritûs conſolationum privatione, velut ad mortalem agonem redactus fuit, eoque totis duobus annis perpetuò cruciatus *d*. Tandem cùm Deo jam placeret Servum ſuum, etiam in tam gravi afflictione fidelem, ſolari, dum is remedium ſuum longè abeſſe putaret, & quodam die januâ & feneſtrâ cubiculi ſui clauſis, in lectulo proſtratus, cum ſuſpiriis lacrymiſque exclamaret : "Do„mine, ut quid dereliquiſti me ?„ obtulit ipſi præſentiſſimum, delatâ ad eum novâ tunicâ per ignotum Religioſum, qui angelus ſub eo habitu creditus eſt. Sanè vix eam tunicam B. Joſephus induerat, quin ex ipſius mente omnes tenebræ evanuerint, & exſultatio ſpiritûs cor ejuſdem denuò occupaverit *e*. *magnas animi anguſtias, biennio patitur, quibus mirabiliter liberatus,* *c* *d* F *e*

13 Verùm quo majus erat internum gaudium ex communicatione cum Deo, eò duriùs corpus ſuum tractabat, ut ſpiritui ſubjectum contineret. In hunc finem poſt adeptum ſacerdotium quinquennio numquam pane uſus eſt, nec decennio vinum bibit, ſolis herbis contentus aut ſiccatis fructibus, fabiſve intolerabilis amaritudinis pulvere conditis, uti experti fuerunt quidam Religioſi, qui illum piper eſſe crediderant *f*. Herba verò, quâ feriis ſextis veſci ſolebat, adeò erat inſipida & nauſeoſa, ut, cùm quidam Religioſus eam extremâ linguâ libâſſet, totum ſibi ſtomachum commoveri ſenſerit, nec ſine nauſea per triduum ullo cibo veſci potuerit. Continuis jejuniis addictus, ad exemplum ſancti patriarchæ Franciſci ſeptem Quadrageſimas *g* obſervabat cum tanto rigore, ut, exceptis feriis quintis & Dominicis diebus, eas ſæpe ſine cibo traduxerit ; alitus interim cibo Euchariſtico, quo in dies ſingulos ſe reficiebat ; ideóque antequam hunc ſumpſiſſet, pallidus ac debiliſſimus apparebat, ſed eo ſumpto, rubicundus & robuſtus. *corpus ſuum multâ inediâ,* *f* *g*

14 Hinc factum eſt, ut deficiens ſtomachus car-

A. PASTROVICCHIO. *flagellis, ciliciis, & catenis ferreis emaceratur.*

carnes jam ampliùs ferre nequiret, quas tamen ex superioris imperio semel comedit, sed mox etiam rejecit. Hinc quoque faucibus ejus interdum arctè constrictis, qualemcumque cibum ægrè potuit transmittere. Ad tam insolitos effectus concurrebat præterea somnus brevissimus, (quem capiebat in lecto, qui non quietis, sed doloris poterat appellari) & dura carnificina, quam in corpus suum per flagella, acubus, aciculis & stellulis chalybejis intexta, exercebat, cum tam copiosa sanguinis effusione, ut muri in cella, aliisque prædictis locis, in quæ soluerat secedere, eo tincti, imò incrustati etiam aliquot pòst annis apparuerint. Ad

b haſce flagellationes *b*, & ad catenam atque cilicium, quibus jam à multo tempore cruciabatur, grandem laminam ferream addidit, quæ, cùm cilicium & catenam magis magisque stringeret, in ejusdem carnem tam horribili modo penetravit, ut ipse aliquando à superiore jussus sese exuere, non nisi unum vulnus appareret. Quam ob rem superior ipsum eò redactum conspicatus, ut exiguum ipsi vitæ superesset, jussit horrida ista pœnitentiæ instrumenta à suo corpore amovere.

B *Miraculis clarus, accusatur apud tribunal sacræ inquisitionis,*

15 Per hujusmodi vitam, cui venustam coronam texebant ceteræ virtutes omnes, meruit à Deo donari non solùm maximâ ecstasium raptuumque abundantiâ, quorum suprà memini, sed etiam miraculorum frequentiâ, ceterisque cælestibus dotibus, de quibus, uti & de præcipuis ejusdem virtutibus, alibi distinctè tractabo, ne oriatur confusio. Crevit interea quaquaversùm tantæ tamque illustris sanctitatis fama; maximè postquam B. Josephus ex obedientia adjunctus socius suo patri Provinciali, totam provinciam Barianam peragravit. Concurrebant certatim vicini, longéque positi populi, ut eum viderent, ejusque sancta monita exciperent, & precum suffragia implorarent; eumdem vulgò appellantes APOSTOLUM REGNI, & ut talem ex effectibus prodigiosæ beneficentiæ comprobantes *i*. At vicarius cujusdam episcopi, cui sincera Beati sanctitas explorata non erat, hinc arripuit occasionem ipsum apud sacrum Officium Neapolitanum accusandi, scribens, "discurrere per "eas provincias hominem triginta trium annorum, "& hunc alterum Messiam totos vicos post se tra"here cum prodigiis ad singulos passus, celebratis "à plebe, quæ semper omnia credit; ideóque se"se id ad superiores deferre, ut vel remedio ma"lum obventurum præcaveatur, vel ne obventu"rum insolescat, & evadat immedicabile."

i

C *à quo Neapolim arcessitur:*

16 Acceptâ hujusmodi accusatione, sacrum tribunal mox mandata ad patrem guardianum conventûs Cryptellæ dedit, ut B. Josephum Neapolim transmitteret. Prædixerat id Beatus ipse triennio antè, dum ab aliquot Religiosis rogatus, an civitatem Neapolim desideraret visere, respondit, "se suo tempore illuc iturum, sed ex sacri Officii "mandato." Præterea haud ita pridem quàm eò advocaretur, Jesus ipse imminentem afflictionem non obscurè ipsi præsagierat, tum contemplationi vacanti velut nudus puerulus, crucem humeris gestans, apparendo, tum etiam, postquam ipse pias aliquas cruces in via, quæ à Cryptella Cupertinum ducit, erigendas curaverat, auribus ejus eas voces ingerendo: "Mitte cruces mortuas & "tolle vivas *k*." Quapropter simul ac sacri tribunalis litteras acceperat, eas reverenter osculatus, & Neapolim profectus est. Flebant omnes Cupertinenses, ô quantum perdimus, ô quantum perdimus! exclamantes.

k

17 At *l* B. Josephus tranquilla mente & sereno vultu discessit; nec minùs affectus solitis ecstasibus, quàm itineris incommodis, Neapolim ad conventum S. Laurentii advenit; ubi Religiosos istos, quibus adventûs ipsius causa nota erat, mœstos reperit, eóque illubenter ab iisdem exceptus est. Quam ob rem & ipse Josephus contristatus est, quòd Religiosos fratres suos, sui, licèt innocentis, causâ conturbari videret. Verùm, dum sic afflictus unà cum solito suo socio, fratre Ludovico, ad sacræ inquisitionis ædes pergeret, præsens ei solatium attulit quidam juvenis Religiosus, vultu decorus & placidus, qui ipsum comitatus tam suavibus verbis solatus est, ut ipse inde dulciter affectus permaneret. Quia verò B. Josephus sacri Officii palatium ingrediens, illum non ampliùs vidit, & frater Ludovicus asseruit, eumdem à se numquàm visum fuisse, piè creditus est S. Antonius Patavinus fuisse, qui solatii ferendi ergò ad ipsum accesserit.

D *ubi post probatam innocentiam sanctam*

l

18 Beatus itaque Josephus sacro tribunali se stitit, animo vultuque lætus; ubi cùm una alterave hebdomade circitèr detentus fuisset, ac ter examinatus, non modò nulla in eo noxæ umbra deprehensa fuit, verùm ejusdem vitæ ratio etiam laude dignissima & admirabilis pronuntiata est. Hinc prædicti Religiosi, edocti, ipsum sibi quàm primùm & honorificè

E remittendum, summopere gavisi sunt, quòd Fratris sui sanctitas jam probata, non ficta nec affectata, sed solida esset & sincera. Tum quoque hâc eâdem magis splendente laudatâque, plebeji juxtà ac nobiles Neapolitani, Josephi noscendi gratiâ, ad eum concurrerunt. Solus ipse humillimus suis plausibus non applaudebat, peccatorem se dicens indignum, qui inter Religiosos viveret, dignumque, qui cum jumentis habitaret, quemadmodùm declarârunt alii cum monialibus S. Ligorii Neapoli *m*, quando ipse post Missam in earumdem ecclesia S. Gregorii Armeni, jubente sacri Officii judice, celebratam, cum stupendissimo raptu volando supra altare sublatus est; quæ res conceptam de illius sanctitate æstimationem usque adeò auxit, ut famâ ad regium palatium perlatâ, ipse prorex cum sua conjuge regnique ordinibus desideraverit ejusdem Missæ in sacello regio interesse; quod tamen, occurrente impedimento, factum non est.

à summis & infimis honoratur.

m

19 Eadem res Josepho stimulo fuit, ut Neapoli citiùs discederet Romam ex laudati sacri tribunalis præscriptò, à quo cùm litteris ad patrem Generalem Ordinis sui remissus fuit. Hoc ipse magis animo in cælis, quàm pedibus in terra peregit. Præ ceteris tamen *n* Urbem, Catholicæ religionis metropolim animo contemplatus, voluit eam pauperrimus ingredi, ut eamdem olim ingressus fuerat sanctus patriarcha Franciscus. Siquidem prope muros ejus mandavit socio suo fratri Ludovico, ut exiguum nummum argenteum, qui pro necessariis ipsi parcè comparandis datus fuerat, in quodam saxo deponeret, cuilibet è transituris cessurum. Cùm ad patrem Generalem in conventu sanctorum duodecim Apostolorum perveniisset, hic, qui eum numquam noverat, & à sacro Officio Neapolitano tum missum videbat cum monito, ut ad aliquem solitarium conventum destinaretur, ne in re tam gravi ulla cautio omitteretur, eum primò duriusculè, gravique cum supercilio recepit, & in quodam cubiculo remotiori à conventu collocavit, mandavitque ut ibidem detineretur, donec aliter jussisset.

Romam missus, severè accipitur à Generali suo; deinde inclarescit

n

20 Interea *o* dum perpenderet, ad quem è solitariis conventibus eum mitti expediret, Deus, ut Servi sui in medio tantarum tamque gravium afflictionum humillimam voluntatis conformationem muneraret, voluit sanctitatem ejus etiam Romæ ma-

& Assisium mittitur.

o

A manifeſtari, ubi non modò Religioſis, verùm etiam Cardinalibus, & ipſi denique Pontifici admirationi fuit. Cúmque hic imperâſſet patri Generali, ut ipſum ad conventum aliquem, integræ obſervantiæ tranſmitteret, is ſacrum conventum Aſſiſiatem ipſi aſſignavit; quod Beato gratiſſimum accidit, eò quòd jam à multo tempore ardenter deſiderâſſet prope ſanctum patrem ſuum habitare. Quapropter cum ſolito ſuo ſocio fratre Ludovico viam aggreſſus, maximo cum gaudio Aſſiſium pervenit. At non diuturna iſta conſolatio fuit, volente Deo ipſum denuò probare ac magis perficere igne deſolationum, perſecutionum, tentationum & ariditatis, multò acriori & vehementiori, quàm fuerat ille, quem in conventu Cryptellæ toleraverat.

ANNOTATA.

a *Ex dictis proceſſ. Nerit. & Aſſiſ. loco cit.*

b *Ex cit. Summ. pag.* 10, § 12.

c *Ex cit. Summ. à pag.* 263 *& ſeqq.*

d *Ibid. à* § 29 *& ſeqq.*

e *Ibid. pag.* 265, *à* § 41 *& ſeqq. Porrò de hiſce animi anguſtiis ac mirabili ſolatio, divinitus accepto, juverit illum ipſum loquentem audiſſe, referente Hyacintho Libello, archiepiſcopo Avenionenſi, in Commentario prævio* § 2.

B

f *Ex utroque proc. Nerit. & Aſſiſ. cit. Summ. num.* 12 *& num.* 13, *& ſparſim per totum.*

g *Lucas Waddingus tom.* 2 *Annalium Minorum, ad annum Chriſti* 1224, *num.* 6 *novem Quadrageſimas à S. Franciſco quotannis obſervatas fuiſſe ſcribit, eaſque in hunc modum enumerat:* Primam illam fidelibus communem ex Eccleſiæ præcepto. Secundam, quam dicebat Spiritus ſancti, quæ incipiebat à feria quarta poſt Paſcha reſurrectionis uſque ad Vigiliam Pentecoſtes. Tertiam Petri & Pauli apoſtolorum, ab Octava Pentecoſtes uſque ad Apoſtolorum vigiliam. Quartam Aſſumptionis B. Mariæ, à primo die poſt feſtum Apoſtolorum uſque ad veſperas prædictæ ſolemnitatis. Quintam hanc, quàm diximus, archangeli Michaëlis. Sextam omnium Sanctorum, ab ipſo dedicationis archangeli die uſque ad illam ſolemnitatem. Septimam nativitatis Dominicæ, cui etiam ſuos ſectatores ex Regulæ præcepto adſtrinxit, quæ incipiebat ab ipſo die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, & terminabatur in vigilia Nativitatis. Octava Regum magorum, à die

C S. Stephani uſque ad Epiphaniam. Nonam Chriſti in deſerto jejunantis, quæ ſumebat initium ab altero die poſt Epiphaniam, & durabat per continuos quadraginta dies, quos Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit, ad quorum jejunium ſuos conſodales hortatus eſt, non obligavit. *Examinari hæc poterunt ad diem* 4 *Octobris, quo ſanctus patriarcha Franciſcus colitur; interim incompertum mihi eſt, quæ duo ex hiſce novem jejuniis* B. Joſephus *præterierit. An fortè de ſeptem tantummodo in hujus Vitæ mentio fit, quia cùm ad duo alia partim ex Eccleſiæ præcepto, partim ex Regulæ præſcripto teneretur, de horum obſervatione aliunde dubitari non poterat?*

h *Ex proc. Apoſt. Nerit. cit., Summ. pag.* 67, § 88, 89 *&* 90, *& pag.* 71, § 104 *& alibi.*

i *Ex Summ. pag.* 267, § 5 *& ſeqq., & proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 240 *terg. d. Summ. pag.* 122, § 31, 32, *pag.* 101, § 224 *& alibi.*

k *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. in Apoſt. à fol.* 1080 *& ſeq., & Summ. pag.* 94, § 179.

l *Ex dicto proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1115 *& ſeq., & in cit. Summ. pag.* 102, § 225. *Cetervm hunc Beati diſceſſum in annum* 1638 *incidiſ-*

ſe obſervavi in Commentario num. 20, *ubi etiam numeris ſequentibus alia hùc ſpectantia ſtudioſus lector reperiet.* A. PASTROVICCHIO.

m *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. à fol.* 734 *& ſeq., ſup.* 7, *& Summ. pag.* 51, § 194, *pag.* 103, § 227 *& alibi.*

n *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1080 *& ſeq., & Summ. pag.* 95, § 183.

o *Ex proc. Apoſt. Nerit. à fol.* 510 *& ſeqq., ſup.* 12, *& in proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol.* 302, *ſup.* 332 *& Summ. pag.* 70, § 102, *pag.* 560, § 9 *& alibi.*

CAPUT III.

Aſſiſii variis afflictionibus exercetur: evocatur Romam; redit Aſſiſium: Aliquot mirabiles illius raptus in variis locis.

E

NOn *a* diu B. Joſephus in ſanctuario Aſſiſinate habitaverat, cùm pater magiſter frater Antonius S. Mauri ejus loci Cuſtos factus eſt. Hic, qui eum primùm tenerè dilexerat, & ſecum ſocium duxerat, dum provinciæ Barienſis Provincialem ageret, neſcitur, qua de cauſa, at certè ex divina providentia, mutata priori agendi ratione, tunc cœpit illum ſevero ſupercilio excipere, deinde cum contemptu ac tandem minis moleſtiſque mortificationibus continuè exagitare, modò eum hipocrytam dictitans, modò ut Regularum negligentem etiam publicè reprehendens *b*. At Beatus ſemper benè animatus, majoris meriti materiam ſibi inde comparabat, non tantùm cum ſilentio auſcultando dicteria, acſi nocens fuiſſet, ſed etiam ſeſe magis humilem, magiſque obſequioſum eidem ſuperiori exhibendo. Verùm, dum deinde Cuſtos illum ita pungere perſeveraret, cœpit etiam Deus conſolationes, quibus ipſum confortare ſolebat, eidem paulatim penitus ſubtrahere: jam nullæ ipſi accidebant ecſtaſes, nulli raptus, nulla cæleſtis dulcedo; ſed ariditas in pſallendo, ariditas in ſacrificando, ariditas in legendo, ariditas denique in omni re divina: unde manebat velut ſurdus ad

F

Dei voces, durus ad lacrymas, poſt frequentatas preces immotus.

A ſuperiore ſuo duriter habitus, ariditate mentis afflictus, a

b

22 Tum verò miſer Joſephus gravi melancholia velut oppreſſum ſe ſenſit, quæ cor ſuum ſuffocare ipſi videbatur, quæque etiam foràs prorumpens, ejuſdem oculos adeò turbidos & graves reddebat, ut palpebras vix poſſet attollere. Ad hæc *e* acceſſit denique & ipſe dæmon, qui eodem tempore ſuis terribiliſſimis tentationibus eum ſæpe adortus, modò turpes cogitationes ingerebat, modò ſomnum fœdiſſimis phantaſmatis interpellabat. Etſi verò in has anguſtias redactus Joſephus ex occulto ſuo luctamine ſatis agnoſceret, interiorem animæ ſuæ arcem inter hos aſſultus, qui biennio durârunt, ſalvam & integram ſtare, divinâ ſcilicet gratiâ munitam, quæ quidem in eo erat tantò abundantior, quantò vehementiùs creverant dolores: memor tamen *d* ſpiritualium deliciarum, quibus olim gaviſus fuerat in vicinia S. Mariæ Cryptellæ, quam Matrem ſuam appellare conſueverat, concepit deſiderium eò redeundi, cuidam Religioſo inquiens: "Cupio reverti ad S. Mariam „Cryptellæ; quia ipſa eſt mater mea.„

& à dæmone vexatus, in melancholiam incidit, c

d

A. PASTROVICCHIO. *quâ Romam evocatus liberatur: redit Assisium,*

23 Generalis Ordinis certior factus, non tamen à Josepho, de ipsius animi angustiis, statuit illum Romam, uti fecit, revocare, ut Quadragesimam eo anno ibidem transigeret *e*. Dum itaque Dei Servus unà cum socio suo Romam regrederetur, crevit desiderium prædictam imaginem Mariæ Virginis revisendi, & ad id licentiam à superiore suo petendi; at mox sensit se de tam innocuo quidem, sed inutili desiderio per has internas voces redargui *f*: "Quid vis? quid quæris? quid postulas? „ Nonne ego idem hic sum, qui ibi?„ His vocibus illustratus, fixis in cælum oculis, repentè substitit, ac mox ad comitem conversus, "Mi socie, „inquit, redibimus Assisium.„ Et sanè Assisium reipsa regressus est post brevem moram in Urbe Romana, ubi Deus beneficam manum denuò aperuit, & in pectus illius inter solita animi ex amore deliquia, cœlestem dulcedinem copiosè infudit. Tanta *g* fuit Religiosorum civiumque Assisiatum lætitia ob receptum Josephum, ut isti eum filiatione sui conventus, hi civitate donârint *h*. Gavisus est hoc nuntio etiam Beatus, considerans, se, ut ipse aiebat, "popularem S. Francisci factum esse; „ quin etiam præ vehementi amore & gaudio, alienatus à sensibus, usque ad cellæ suæ laquear volavit.

e

f

g

h

B

tibi varios mirabiles raptus

24 A primo *i* tamen in sacrum conventum ingressu jam senserat divini amoris flammas in corde suo denuò accendi, cùm mox introductus in ecclesiam, & in ejusdem fornice conspicatus pictam imaginem B. Mariæ, similem isti, quæ in Cryptella honoratur, "Ah Mater mea, exclama„vit, secuta es me *k*!„ ac mox octodecim passus elevatus in aëre est, velut ipsam amplexurus. Deinde paucis pòst diebus quando similiter ad conspectum alterius imaginis beatæ Virginis, quæ effigiem in Cryptella cultam apprimè referebat, eique à patre Michaële Angelo Catalani, tum Ordinis Assistente, monstrabatur; "Ah Mater mea„ repetiit; ad eamque subito saltu translatus, in diuturnam amoris ecstasim raptus, collata ad faciem facie permansit. Erant hæc felicia præsagia illius ardentissimi divini amoris, qui in reliqua vita ejus in ejusdem corde ultra mensuram excrevit. Nam ex præteritis tempestatibus placidissimæ malaciæ redditus, amorem illum tam ardentem, tam robustum, tam intensum expertus est, ut beata illius anima magis cum Deo, quàm cum suo corpore conjuncta semper esset, & in immenso illo amoris pelago velut immersa.

i

k

C

& mentis ecstases patitur,

25 Hinc *l* factum, ut ad cantum & musicam in ecclesia, vel ad sermonem de Deo, vel ad nomen Jesu aut Mariæ, subita animi deliquia pateretur, & interno igne sæpe agitatus, nunc exclamaret: "Ah „amor! ah amor„ nunc pias cantilenas concineret. Inter has erat una de S. Catharina Senensi, peculiari ejus patrona, in qua cùm ad ea verba perveniisset, „Et à cælesti Amore manus illius, pedes & cor vul„nerata fuerunt; „ prorumpebat primùm in altum ejulatum, deinde verò in vehementissimum planctum cum totius corporis concussione, & velut carnem suam avellere voluisset, "Aperi mihi, inquiens, pe„ctus hoc, finde mihi hoc cor: „ nunc denique quæritantibus, quid in hoc mundo maximè desideraret; respondebat, "ut Deus sibi totum, totum acci„piat cor meum. „ Propterea conversus ad Crucifixum, solebat dicere: "Cupio dissolvi & esse cum „Christo:„ vel: "Jesu, Jesu, Jesu, trahe me sur„sum; non possum hìc deorsum morari: trahe me „ sursum, ubi tu es!„

l

m

26 Similiter *m* recurrente memoria mysteriorum Jesu, quæ sancta recolit Ecclesia, aliquando lætabundus in festis Natalitiis invitabat omnes, ut secum canerent: "Puerule, mi Puerele, da mihi tan„tillum amoris tui:„ aliquando mœstus & gemebundus, maximè in hebdomada Sancta: "Nescis fili „(aiebat, cuicumque occurrenti) flagellatus est Je„sus, crucifixus est Jesus, mortuus est Jesus; mor„tuus est Jesus ex amore: „ & post alia amoris plena concludebat: "Pejor Judæis sum, dum te cruci„figo, & scio, quis sis.„ Sæpe etiam iisdem diebus præ doloris acerbitate velut exsanguis & exanimis suavissimis deliquiis inhærebat. Succedentibus postea festis Paschalibus, multis horis canebat & exsultabat; in festo quoque Pentecostes jam plenus cælesti igne iisdem spiritûs motibus afficiebatur. Per *n* hujusmodi sancti amoris indicia excitabat etiam aliorum corda, eaque suscitare studebat, dicens: "Amate Deum, quia, qui caritatem habet, „dives est, & nescit.„ Utque cupiebat eum ab omnibus amari, erumpebat *o* in lacrymas, dum eumdem ab hominibus tam frequenter offendi videret, eoque dolore tam vehementer commovebatur, ut præ illius vehementia vividum sanguinem interdum exscrearet.

D *divinumque amorem, quo ipse accensus erat,*

n

o

in aliis excitare nitebatur.

27 Quin *p* & volupe ipsi fuisset totum è venis profundere per martyrium à se tantopere exoptatum, ad quod subeundum desiderabat velut socius aut servus dari cuicumque Euangelii præconi inter infideles. Quo desiderio cùm omnes accensos cuperet, amicè interrogabat singulos Religiosos etiam tirones: "Gratumne tibi foret pro Jesu Chri„sto mori?„ quibus id affirmantibus, exsultabat in corde suo, & insolitam lætitiam manifestabat. Quia verò *q* perfecta sui ipsius abnegatio continuum est martyrium, in hac usque adeò profecit, ut ex admirabili amoris invento diceret: "Domi„ne, ego te amo, & si scirem, me à te, dum creâ„sti me, ad infernum destinatum esse, omnino vel„lem omnes illos obsequii & servitii actus exerce„re, qui umquam à præcipuis Sanctis, qui in cæ„lo sunt, exerciti fuerunt.„ Id unum autem illic deorsum tum voluisset, ut in loco semoto versaretur, ne maledicta & blasphemias reproborum audiret; subjungens: "Vellem esse in inferno, sed in „loco separato ab aliis, ne maledicta & blasphe„mias de Deo audirem, & in eo loco separato, „immersus inferno, nihilominus vellem ei benedi„cere, ipsumque laudare.„

p

q

Ex multis raptibus aliqui recensentur.

28 Porrò is amor, de quo Dionysius Areopagita ait: "Est ecstasim faciens divinus amor *r*;„ inexhaustus fons erat, ex quo Josephus semper bibendo, inebriavit cor suum suavitate ecstasium & mirabilium raptuum, quos breviter, uti hoc Vitæ compedium postulat, nunc recensebo. Ut igitur divinus amor B. Josephi animam ab ipsa pueritia cœpit accendere, ita ab illo eodem tempore cœperunt in eo motus ecstatici & raptus spiritûs, qui in altissimas ecstases post susceptum sacerdotium adoleverunt, & ad mortem usque perseverârunt; fueruntque hæ tam frequentes, ut penè continuæ dici potuerint; cùm sæpe una alteri proximè succederet, & quælibet res divina, etiam levis, sufficeret, ut ipse in ingentem clamorem subitò erumperet, destitueretur à sensibus, Deoque conjungeretur. Neque dubitari poterat de vera ac vehementi divini amoris impressione, quâ tum afficiebatur, cùm *s* punctus acubus, pinsus ferro, admotis facibus adustus, digitoque tactis oculorum apertorum pupillis, non moveretur; tunc tantùm sensuum usui reddi solitus, cùm Deus remitteret, aut superior juberet.

r

s

29 Si autem solius spiritus raptus eum in amore admirabilem reddiderint, id etiam multò magis præ-

A. PASTROVICCHIO.

A *Cupertini in vigilia Nativit. Domini, corpore elevatur* præstitit vehementia raptuum corporis, similiter tam frequentes atque stupendi, ut ex omnibus sanctæ Ecclesiæ heroïbus, nullus legatur hac in parte tam abundanter donatus. Sed ut lectorum pietati satisfaciam, & huic brevi compendio lucem afferam, ex innumeris ejusdem raptibus, per quos unà cum anima etiam corpus amantissimi Beati nostri volavit, aliquot ordine suo referam, pro variis locis, in quibus habitavit. Ac primò quidem Cupertini in nocte vigiliæ Natalis Domini *t*, Josephus, auditis tibiis & fistulis quorumdam pastorum, quos ad celebrandam cælestis Pueri nativitatem invitaverat, cœpit primùm præ vehementi lætitia tripudiare, deinde emisso suspirio cum magno ejulatu, velut avis per aëra volavit à medio ecclesiæ usque supra altare majus, plùs quàm quinque perticis inde dissitum, ibique tabernaculum sanctissimi Sacramenti complexus, quarta circitèr parte horæ suaviter raptus hæsit, nec tamen ullum è cereis ardentibus, quorum altare plenum erat, interim dejecit, nec ulla ipsius vestimenti pars igne contacta est.

t

30 Stupebant ultra modum pastores illi; sed non minor fuit Religiosorum & incolarum Cupertini admiratio *u*, dum B. Josephum, pluviali indutum, ut in sollemnitate S. Francisci supplicationi adsisteret, viderunt volantem supra pulpitum, quindecim palmis à terra elevatum, & in ejusdem ora expansis brachiis diu ecstaticum & genibus mirabiliter flexis. Stupendus pariter fuit raptus quadam nocte feriæ v hebdomadæ Majoris *x*, dum oram sacro sepulcro, quod in majori altari erectum erat, illuminatisque nubibus, ac multis lampadibus exornatum, cum ceteris Religiosis oraret. Inopinatò quippe rectà volavit ad urnam divini sui thesauri amplexandum, intactis ornamentis omnibus; & post aliquod temporis spatium, à superiore revocatus, simili volatu redivit, unde venerat. Pari *y* modo interdum volavit supra altaria S. Francisci & B. Mariæ Virginis Cryptellæ inter recitandum Litanias.

& in festo S. Francisci volat in ecclesia.

u

x

y

31 Præ ceteris tamen mirabilis simul ac visu gratus fuit ejusdem raptus amoris, cùm in quodam exiguo colle, Cupertinum inter & conventum Cryptellæ sito, volens exhibere montem Calvariæ *z*, erectisque ibidem jam duabus crucibus, videnseque decem homines conjunctis viribus ob grave pondus frustra conatos crucem tertiam, reliquis majorem & quinquaginta quatuor palmos altam, in destinato loco erigere, interno igne suo motus Beatus, à porta conventûs per spatium passuum circitèr octoginta versùs eamdem crucem volavit, arreptamque ipse solus velut leviſſimam paleam sustulit, & in parata scrobe collocavit. Ad hasce cruces deinde orare solebat, crebróque contigit *aa*, ut modò per decem, modò per duodecim passus, nunc supra clavum mediæ crucis, nunc supra ejusdem apicem, volaret, raptus ab amore suo crucifixo.

Volat item Jæpius versus cruces prope Cryptellam.

z

C

aa

32 Volavit *bb* præterea quatuor passibus per aëra, Spiritus sancti igne abreptus, quando de illius ad Apostolos adventu loquens, Religiosum quemdam, lucernam accensam manu gestantem, transeuntem conspexit. Volavit *cc* pariter supra oleam, cùm à quodam sacerdote sibi dici audisset: "Frater Josephe, quàm pulchrum cælum fe-„ cit Deus!„ Eoque supra eamdem spatio mediæ horæ flexis genibus permanente, stupenda res erat, ramum illum, cui insistebat, videre leviter motum, non secùs ac si avis in eo consedisset. Majorem *dd* tamen, quàm usquam alibi Josephus stuporem movit circumstantibus in ecclesia S. Clarę Cupertini, ubi, cùm ipse quoque adesset, dum aliquot sacræ virgines religioso habitu induerentur, & musici ea verba canerent: VENI SPONSA CHRISTI, visus fuit è suo angulo, in quo genibus flexis orabat, velociter currere ad quemdam patrem Minorem Reformatum, ejusdem monasterii confessarium, manuque apprehensum, vi humana majori, sublevare è terra, & cum lætissimo raptu & violento tripudio secum per aëra circumducere; erat scilicet hic motus à Josepho, & Josephus à Deo.

Alii ejusdem ibidem mirabiles

bb

cc

dd

33 Æquo longior essem, si omnes raptus & strepentes per aërem volatus, qui Beatum Cupertini mirabilem reddiderunt, hîc enarrarem; quapropter ne limites compendii excedam, sufficiat dixisse eos, prout ex processibus colligitur *ee*, numerum septuaginta excessisse, non computatis illis, qui quotidie inter celebrandam Missam accidebant, cui propterea duas horas solebat impendere. Ut porrò Cupertino digressus, cum vehementi suo igne interno externos ejusdem mirabiles effectus secum circumtulit, ita piis non ingratum erit audire ex plurimis aliquot, qui in reliquo vitæ illius cursu ad mortem usque etiam alibi admirationi fuerunt. Egressus itaque Cupertino, Neriti *ff* paulisper moratus est; ubi cum sacro omnium adstantium horrore visus est in ecclesia S. Francisci in ecstasim raptus; & *gg* nunc in quadam domo, quam ægri sanandi gratiâ adierat, ad conspectum imaginis, quæ ECCE HOMO exhibebat, instar statuæ hærere immobilis; nunc *hh* in alia æde, auditâ quadam rusticâ cantilenâ, dare solitum clamorem, & sublatus è terra in ora tabellæ genu flectere.

corporis raptus Neriti,

ee

E

ff

gg

hh

34 Post hæc dum Neapolim *ii* pergens, Monopolim transiret, à Religiosis fratribus suis in ecclesiam suam ductus, ut novam pulchramque S. Antonii Patavini statuam videret, ad ejusdem conspectum subitò elevatus à terra, per quindecim palmorum spatium volavit versus dicti Sancti imaginem, super altare collocatam; unde deinde simili volatu per eamdem viam ad priorem locum reversus est. Vix cessaverat primus raptus, quin ingruente secundo, denuò inter recitandum litanias volaverit ad altare Virginis sine labe conceptæ, à quo pari modo per aërem rediit ad locum, unde fuerat sublatus. Neapolitana *kk* quoque civitas prodigiosos ejus raptus admirata est; ubi ipse ab inquisitore jussus, ut suprà diximus, Missam celebrare in ecclesia S. Gregorii Armeni, quæ monialium S. Ligorii est, ibidemque in ejusdem ecclesiæ angulo intentus precibus, cum ingenti clamore subitò sublevatus volavit, & erectus in pedes, super altare stetit, expansis in modum crucis brachiis, membrisque inter flores & ardentes cereos ita insertis, ut moniales altis vocibus exclamarent: "Aduritur, aduritur: „ verùm ille edito denuò clamore, simili volatu ad medium ecclesiæ illæsus reversus est, ubi positis humi genibus, exsiliens, seque velocissimè circumagens, "Ah beata Virgo, ah beata Virgo!„ cantabat.

Monopoli, Neapoli, ii

kk

F

35 Quia verò decreverat Deus ipsum etiam coram primæ dignitatis personis admirabilem exhibere, fecit, ut, dum Romæ *ll* moraretur, eum pater Generalis ad osculandos summi Pontificis Urbani VIII pedes secum duceret: quod dum ageret, Jesum Christum in suo Vicario contemplatus, in ecstasim raptus & elevatus à terra hæsit, donec à Generali suo revocaretur: ad quem conversus multúmque admirans Pontifex ait, "Si Jo-„ sephus Pontificatus sui tempore moriturus esset, „ sese de eo facto testimonium dicturum.„ Nec

& Romæ coram Urbano VIII PP. Item Assisii.

ll

A. PASTROVICCHIO.

facile dictu est, quot ejusmodi raptus fuerint, quibus ipsum Deus annis tredecim, quos Assisii exegit, honorare dignatus est: sed inter celebriores (præter illos, quos ad prosequendam historiæ seriem alibi jam retulimus) primo loco recensetur, quem subdo *mm*. Postquam magnus archithalassus regni Castellæ, Hispaniarum legatus apud Sedem Apostolicam, dum anno MDCXLV transiret Assisium, in cubiculo cum Josepho collocutus fuisset, imperavit ei pater Custos sacri conventus, ut è cubiculo ad ecclesiam descenderet, ubi archithalassi conjux magno ipsum videndi, & cum eo loquendi desiderio exspectabat. Respondit Josephus: "Obediam; sed non scio, an futu-„rum sit, ut cum ipsa loqui possim.„

mm

36 Revera vix in ecclesiam ingressus, oculos in statuam S. Mariæ fine labe conceptæ, quæ in altari stabat, conjecerat, quin ad ejus pedes amplexandos spatio duodecim passuum super omnium adstantium capita provolaverit; postquam autem Reginam cœli aliquantulùm adorâsset, super eadem cum solito stridore revolavit, & extemplo ad cellam suam repedavit, stupente cum uxore sua archithalasso, sanctéque concussis, qui in eorum comitatu magno numero aderant. Pari modo *nn* obstupuerunt aliàs quidam pictores, quibus coram Josepho dicentibus, picturos se in ipsius sacello mysterium conceptionis B. Mariæ Virginis, auditus est primò totus commotus dicere "Quid? Con-„ceptionem Mariæ Virginis? Immaculatam con-„ceptionem.!„ Deinde viderunt eumdem sensibus subitò destitutum, & in ecstasim suaviter raptum, ultra mediam horam expansis brachiis & facie ad cælum versa in contemplatione tanti mysterii perseverare. Major *oo* etiam fuit admiratio cujusdam sacerdotis, qui ruri cum Josepho in ecclesiam ingressus, & ab eo rogatus; Credamusne, sanctissimum Sacramentum hîc asservari? dum, nulla ibi visa lampade ardente, responderet: Quis id noverit? audiit illum mox in altum clamorem prorumpere, viditque volantem versus tabernaculum, illud complectentem & adorantem Sacramentum, quod, licèt absconditum, jam noverat ibi depositum esse, ut postmodùm compertum fuit.

coram legato Hispaniæ, multisque aliis

nn

B

oo

37 Non *pp* absimilis fuit eorum stupor, qui ipsum sublimi volatu super capita sua retrorsum volantem conspexerunt, quando ad lipsanothecam expoliendam, vestemque sancti patriarchæ Franciscí reponendam, operam suam conferebat; uti *qq* & illorum, qui eumdem in contemplatione raptum in aëra super coronam sacelli ejusdem Seraphici patriarchæ, sedecim palmis remotam à terra. Nec *rr* minor denique aliorum fuit admiratio, à quibus visus post editum stridorem paulatim corpus suum sursum tollere supra exiguum odeum, positum in sacello S. Ursulæ, ubi sanctissimum Sacramentum asservabatur, genibusque in ipso aëre fixis & splendenti facie deorsum ad hierothecam versa; ac demum à superiore revocatus, eâdem viâ redire. Multò *ss* tamen magis admiratus est & stupuit pater Custos, quando post Vesperas in honorem immaculatæ conceptionis in sacello tirocinii Assisiatis solemniter cantatas, rogatus à Josepho, ut secum repeteret: "Pulchra Maria:„ vidit se ab eo apprehensum constrictumque ad latera, & ab ipso & cum ipso sæpiùs exclamante, "Pulchra Maria, „pulchra Maria!„ in aëra sublatum.

in variis locis.

pp

C

qq

rr

ss

38 Præ *tt* ceteris tamen plurimis raptibus, quos brevitatis ergò prætermittimus, ille admirabilis simul & utilis fuit, quem quidam vir nobilis, amens & furiosus, expertus fuit. Hic ligatus in sedili, ad Josephum delatus est, ut pro ejusdem incolumitate Deum precaretur. Tum vinculis soluto, & in sacello genuflectere vi coacto, erexit sese in pedes suos Servus Dei, manuque capiti ejus imposita, ait: "Domine Baltazar, ne metue; com-„menda te Deo, ejusque sanctissimæ Matri.„ Hæc dicens apprehendit capillos ejus, & in consuetum clamorem AH! prorumpens, sustulit se è terra, & ipsum per capillos secum elevatum, brevi tempore in aëre sic detinuit, non sine ingenti circumstantium stupore, qui cum viro nobili, jam sanæ menti restituto, gratias egerunt Deo, qui tanta prodigia per Servum suum patrabat.

tt

D

Amentem secum in aëre sublatum sanat.

ANNOTATA.

a *Ex proc. Apost. Assis., & Summ. locis citatis.*

b *Vide, quæ circa hæc ex Bernino notavimus in Commentario* § 3.

c *Ex omnibus processibus in Summ. sub tit.* De castitate.

d *Ex proc. ord. Nerit. compuls. à fol.* 663 *& seqq., & Summ. pag.* 44, § 125 *& alibi.*

e *De tempore, quo Beatus Romam arcessitus fuit, gestisque ibidem ab eo, consule Commentarium num.* 30 *& sequentibus.*

E

f *Ex proc. Ord. Assis. compuls. fol.* 971 *terg. & fol.* 1257.

g *Ex proc. Assis. loc. cit., Summ. pag.* 132, § 104, *pag.* 556, § 2 *& alibi.*

h *Instrumentum hujus devotionis ex Agello recensuimus in Commentario num.* 36 *& seq.*

i *Ex proc. Assis. loc. cit. Summ. pag.* 132, § 104, *pag.* 556, § 2, *& alibi.*

k *Ex proc. Apost. Assis. à fol.* 336 *terg., & seqq. & alibi.*

l *Ex proc. Apost. Nerit. fol.* 276, 308 *terg.,* 607 *proc. Assis. & proc. Apost. Auxim. à fol.* 829 *& seq., in Summ. sub tit.* De charitate.

m *Ibid. pag.* 295, § 5, *pag.* 296, § 13 *&* 14, *& sparsim alibi in eod. Summ. per totum.*

n *Sparsim in eod. Summ. sub tit.* De charitate.

o *Ibid. pag.* 308, § 14 *&* 15.

p *Ibid. sub tit.* De fide, *pag.* 275 § 2, 3, *pag.* 280, § 45, *& pag.* 309, § 19, *& alibi.*

q *Ex proc. Apost. Assis. à folio* 267 *& seq., & cit. Summ. pag.* 277, § 8, *& alibi.*

r *In margine hîc laudatur S. Dionysius de Divinis Nominibus cap.* 4.

F

s *Ex omnibus Processibus. Testes de visu sparsim relati in Summ. per totum.*

t *Ex proc. Apost. Nerit. à fol.* 432 *& seq. Summ. pag.* 35, § 49, *pag.* 46, § 162, *pag.* 65, § 77 *& alibi.*

u *Ex dicto proc. Apost. Nerit. à fol.* 275, *& Summ. pag.* 551 *in principio, aliique ibidem indicati pag.* 550 *in marg.* § 5.

x *Ex proc. ord. Nerit. compuls. fol.* 703 *terg. & seq., & in Summ. pag.* 548, § 45.

y *In margine additur: De quibus sparsim de visu testes in eod. Summ. sub num.* 40 *per totum.*

z *Ex proc. ord. Nerit. compuls. fol.* 675 *& seq., &* 677, *& Summ. pag.* 545, § 29 *pag.* 546, § 33, *& alibi.*

aa *Ex dicto proc. Nerit. fol.* 579, *& Summ. pag.* 551, § 6 *& alibi.*

bb *Cit. proc. fol.* 578 *terg., & alibi.*

cc *Ex dicto proc. Nerit. fol.* 572 *&* 573, *&* 596 *terg., & fol.* 680, *& Summ. pag.* 542 § 5, *pag.* 543 § 13, *pag.* 546 § 39, *& alibi.*

dd *Ex proc. Apost. Nerit. fol.* 482, *& Summ. pag.* 555 § 17 *& alibi.*

A ee *Ex utroque proc. Nerit. Teſtes ſparſim relati in Summ. ſub num.* 40 *per tot.*

ff *De Nerito vide Annotata ad cap.* 1, *lit.* b.

gg *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol.* 290 *& ſeq.*

hh *Ex proc. ord. Nerit. fol.* 707 *& ſeq.*

ii *Eò ſcilicet arceſſitus à ſacræ inquiſitionis tribunali anno* 1638, *ut diximus in Commentario num.* 20. Monopolis, *de quâ mox, ab indigenis* Monopoli *pariter dicta, parva civitas epiſcopalis eſt regni Neapolitani in provincia Bariana, in ora ſinus Veneti ſita. Porrò ſequentia deſumpta notantur ex proc. ord. Nerit. compulſ. à fol.* 656 *& ſeq., & Summ. pag.* 40, § 108.

kk *Ex eodem proc. à fol.* 730, *& Summ. pag.* 51, § 194.

ll *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol.* 302 *& ſeqq., ſup.* 332, *& Summ. pag.* 560, § 9. *Conſuli etiam poteſt Commentarius num.* 25.

mm *Ex teſtibus de viſu ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 227 *fol.* 243 *& ſeqq. fol.* 337, *fol.* 830 *& alibi, & in proc. ord. Nerit. à fol.* 660, *ſuper* 7, *& ſparſim in Summ. pag.* 41, § 109, *pag.* 123, § 41, *pag.* 559, § 2, *pag.* 561, § 13, *pag.* 563, § 23, *pag.* 576, § 83, *ubi alii etiam indicantur.*

B nn *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1186 *& ſeqq., & Summ. pag.* 558 *& ſeq.*, § 9.

oo *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol.* 365 *ſuper* 148, *& Summ. pag.* 369, § 18.

pp *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 935, *& Summ. pag.* 556, § 3.

qq *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 831 *& ſeq., & Summ. pag.* 577, § 84, 85.

rr *Ex eod. proc. Aſſiſ. fol.* 335, 1186 *& ſeqq. &* 1745; *Summ. pag.* 559, § 10, *pag.* 562, § 21, *pag.* 578, § 91, *ubi alii indicantur.*

ſſ *Ex eod. proc. à fol.* 699 *terg. & ſeqq., & Summ. pag.* 571, § 64 *&* 65.

tt *Ex eod. proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol.* 253 *& ſeqq., & Summ. pag.* 126, § 63.

CAPUT IV.

Amor ejus in Deum, animique cum illo conjunctio, & efficaces preces: principis Brunſvicenſis converſio: caritas proximi, arcanorum notitia &c illuſtrata.

C *Per amorem Deo ſemper conjunctus, eoque æſtuans*

ERant certè ejuſmodi ecſtaſes raptuſque mirabiles effectus divini amoris, quo Joſephi cor flagrabat. Amorem verò accendebat ſumma vis conjunctionis, quâ ejuſdem cor Deo adhærebat. Hinc pius doctuſque pater Hieronimus Rodriguez è Societate Jeſu, poſtquam cum Joſepho collocutus fuiſſet, inter cetera aſſeruit, "ipſum cum „Deo conjunctiſſimum fuiſſe, ejuſdemque cor „magis diſpoſitum fuiſſe ad conjunctionem cum „Deo, quàm pulvis nitricus ſit ad ignem ex qua- „libet minima ſcintilla concipiendum *a*.„ Revera eo modo ſe ſemper magis Deo conjunxit per continuam orationem, ſublimem ac perfectiſſimam, in qua *b* ſimul ac mentem ad Deum elevabat, hic præſtò aderat, ut eum illuminaret, accenderet, & ad ſeſe attraheret; non aliter ac ſi verſis ad cælum oculis pulcherrimus paradiſus totus ſtatim pateret. Et ſanè, prout ipſemet Cardinali de Lauræa *c*, velut de alio loquens, teſtatus eſt, videbatur ipſe ſibi tum verſari "in pulchra- „rum rerum gazophylacio, & in quodam veluti „limpidiſſimo ſpeculo, ibidem appenſo, uno o- „culorum obtutu cernere & contemplari earum „omnium ſimul junctas ſpecies, id eſt, quodam „ſimili modo arcana myſteria, quæ Deus in ea „arcta conjunctione dignabatur ipſi revelare.„

A. PASTROVICCHIO. *c*

40 Porrò clamor ſtridorque, quos edebat, erant effectus ignis interni, qui concluſus manere nequiens, per os erumpens exhalabat, ad eum ſcilicet modum, ut ipſe interrogatus, in tertia perſona ſimiliter repoſuit, quo "erumpit & reboat pul- „vis nitricus accenſus, dum ex inſtrumento pyreo „emittitur.„ Hinc etiam propter nimiam ejuſdem violentiam corpus, & quidquid huic adhærebat, ſimul cum anima crebrò attollebatur. Sæpe etiam canebat, & tripudiabat cum raptibus, quos ipſe ad eorumdem cauſam atque effectus referens, JUBILATOS meritò appellabat. Licèt autem non ſemper in ecſtaſi aut à ſenſibus deſtitutus eſſet, mentem tamen ſemper ad cælum elevatam habebat: quam ob rem ſæpe contigit, ut, aliis ipſum alloquentibus, neſciret, quid diceretur; aut dum reſpondebat, manifeſtum faceret *d*, ſeſe rebus omnibus naturalibus velut ſcalis uti ad contemplandas eas, quæ naturam exſuperant. Sic de variis mulieribus, quas in itinere ſuo obvias habuerat, interrogatus à quodam Religioſo, quænam eſſent, reſpondit modò: BEATISSIMA VIRGO, modò S. CLARA, modò S. CATHARINA: & ſimili modo rogatus de viris, nunc unum, nunc alterum Sanctum nominavit.

mentem ad illum ſemper elevatam habebat,

E

d

41 Horas *e* quoque canonicas ceteraſque privatas preces cum maxima attentione & fervore recitabat, quod non obſcurè probabant illius altiſſima ſuſpiria, quæ tum edebat, & ejuſdem genuum veſtigia, quæ ſcamno altaris & ſacelli ipſius ſolo impreſſa reliquit. Quia autem oratio ipſius viva fide certâque in Deum fiduciâ animata erat, ſolebat aliis dicere *f*: "Filii confidite in Deum, „(non confidite in alterum) Deum eſſe, qui vo- „bis poteſt proſpicere: homines promiſſa non „ſervant, at Deus numquam iis deeſt. „ Aliquando etiam exclamabat *g*. "Qui fidem habet, domi- „nus mundi eſt.„ De ſe verò aiebat: "Ego confido „in Deum; ſeque ſimilem dicebat iſti, qui caſu „projectus in maris ſcopulum, aquis circumda- „tus, non ab alio, quàm à Deo auxilium exſpe- „ctabat: & ſi neceſſe foret, ſe vi hujus firmæ fi- „dei montes ab uno mundi limite ad alterum tranſ- „laturum.„ Cùm, ut dixi, tam animata fuerit ejus oratio, fuit etiam ſemper efficaciſſima.

& viva cum ſpe orabat:

e

f

g

F

42 Oravit *h*, ut ab oppido agroque Cupertinenſi ſupremam ſtragem, quam inopinus turbo minabatur, averteret, & is ſtatim evanuit. Oravit *i* ſimiliter, ut infeſtiſſimum nimbum ac ſubitam procellam arceret, quæ atterebat incolas & vicina conventûs Cryptellæ affligebat; & poſt orationem extra eccleſiam progreſſus clamavit, "Ah dra- „co! ah draco!„ Et quocumque inceſſit, nubes diſparuerunt cælique ſerenitas reducta eſt. Oravit *k*, ut exuſtis ejuſdem loci agris pluviam obtineret; & vix finita ſupplicatione, quam in hunc finem indixerat, uti pollicitus fuerat, impetravit. Per *l* orationem ipſius Alcides Fabiani chirurgus ſex ſicariis, qui eum Hiſpello *m* Aſſiſium redeuntem occiſuri exſpectabant, inviſibilis fuit. Per orationem *n* patrem Generalem ſui Ordinis eripuit ex gravi periculo ſubmergendi in foſſa Cannaræ prope Montem-Falconis *o*, admodùm profunda & a-

hinc varia à Deo impetrat.

h

i

k

l

m

n

o

quæ

A. PASTROVICCHIO.

quæ plena, in quam unà cum exterrita mula è ponte decidens, B. Josepho tum etiam viventi se commendaverat: qui Beatus ipsum deinde primò conspicatus, ait: "Eja pater Generalis, vehementer „ metuisti; lapsus es egregiè circa horam decimam, dum ego Missam celebrarem, & tunc „ ego te commendavi Deo.„

Joannem Fredericum principem Brunsvicensem

43 Non *p* minùs patuit efficacia orationis illius in adducendo ad fidem Catholicam Joannem Fredericum principem Brunsvicensem ex hæresi Lutherana. Hic princeps ætatis viginti quinque annorum, dum anno MDCXLIX *q* præcipuas Europæ aulas viseret, curiositate sua ductus, Româ Assisium studiosè divertit, Josephi videndi gratiâ, quem ex fama in Germania jam noverat. Ad sacrum conventum digressus, receptus & in parte ædium principibus destinata hospitatus fuit. Ibi suum cum Josepho colloquendi, ac mox deinde discedendi desiderium exposuit; posteroque manè cum duobus Comitibus è suo comitatu, uno Catholico, altero hæretico, ad portam ecclesiæ deductus est. Celebrabat tum ibidem Missam Beatus; qui, etsi ea de re nihil sciret, sensit tamen, dum consecratam Hostiam rumpere vellet; durissimam enim comperit; eamque cùm vi rumpere frustra tentâsset, in patena reposuit, & oculis in sacrosanctam Hostiam fixis, primò in vehementem clamorem prorupit, deinde verò cum ingenti stridore per quinque passuum spatium retrorsum volavit flexis genibus per aëra; ac post similem vociferationem tandem ad aram reversus, sacram Hostiam, sed magno cum nisu, divisit.

à Lutherana hæresi

44 Rogatus proinde jussu principis à superiore causam sui planctus, respondit: "Popularis, hi, quos „ hoc matutino tempore ad Missam meam misisti, „ duri cordis sunt, quia non credunt omnia, quæ „ credit sancta mater Ecclesia; ideóque Agnus in „ manibus meis hodie manè obduruit, nec potui „ illum dividere. „ Perculsus ejusmodi facto responsoque princeps, de discessu suo nihil ampliùs sollicitus, desideravit post sumptum prandium cum Dei Servo colloqui, uti fecit usque ad tempus Completorii; divinaque gratia ipsum interim magis excitante, voluit ejusdem Missæ postridie denuò interesse; in qua Missa dum sacra Hostia elevaretur, ejusdem crux nigri coloris omnibus apparuit eodem tempore, quo celebrans cum solito clamore raptus in aëra, uno palmo supra scabellum altaris cum Hostia & brachiis sic elevatis octava circitèr horæ parte permansit. Ad conspectum tanti prodigii cœpit princeps vehementer flere: deinde verò unus è duobus Comitibus, hæreticus scilicet, indignatus ait: "Maledictus ego, „ dum in has regiones veni: in patria mea securus „ eram; hîc verò me agitant furiæ & conscientiæ „ scrupuli. „

ad fidem Catholicam convertit.

45 Porrò Josephus, qui omnia superiori lumine illustratus viderat, quemdam familiarem suum de futuro principis ad fidem accessu certiorem fecit; "Gaudeamus, inquiens, quia cerva sauciata „ est. „ Reipsa postquam cum principe usque ad horam prandii locutus fuisset, eumdem, dum post Vesperas in cubiculum regrederetur, conspicatus, occurrit ipsi obviam, & proprio eum cingulo suo cinxit, magno cum fervore spiritûs dicens: "Ego „ te vincio ad paradisum: Nunc vade, S. Fran„ ciscum venerare, assiste Completorio, proces„ sionem devotè comitare, & fac, quidquid faciunt „ monachi. „ Hæc omnia bonus princeps humiliter exsecutus est, affirmans se Catholicum esse, ac præterea manu propria se in albo sodalium cordigerorum S. Francisci inscripsit. Antequam tamen hæresim suam publicè ejuraret, voluit in principatum suum redire, ut de ejusdem negotiis disponeret; unde anno subsecuto, ut promiserat, Assisium reversus, genibus ante sanctissimum Sacramentum flexis, coram duobus Cardinalibus Facchinetto & Rapacciolo, pristinos errores suos abjuravit in manibus B. Josephi, qui per suas efficaces preces dederat gloriam Deo, summo Pontifici gaudium, & salutem memorato principi, qui Virum de se tam bene meritum deinde magna in veneratione semper habuit.

Precibus suis varia variis impetrat,

46 Innumera sunt alia prodigia, quæ Deus ad Servi sui preces patravit, quam ob rem sufficiat hîc cum processibus generaliter concludisse *r*, "o„ rationem ipsius numquam non efficacem fuisse, „ sed semper impetrâsse, quidquid umquam pro sa„ lute animarum & corporum flagitavit. Ii quo„ que, qui sese ipsius precibus commendaverant, „ experti fuere, postulata beneficia sibi eodem tem„ pore, quo prædictus Pater pro se oraverat, ob„ tigisse. „ Hinc ipse, cùm ex oratione omne verum bonum profluere agnosceret, & omne bonum proximo suo cuperet, frequenter istud ingerebat: „ Orate, orate. „ Stimulatus *s* tamen ingenti sua in proximum caritate, non cessabat ipse pro omnibus orare, ut justi in divina gratia confirmarentur, peccatores resipiscerent & pœnitentiam agerent; quam ut efficaciorem redderet, nunc divinam misericordiam implorabat, ut, sicut præterita, ita etiam præsentia peccata hominum toleraret; nunc corpus suum severè castigabat, ut aliena debita aliqua ex parte divinæ justitiæ persolveret.

venientes ad se benignè excipit, caritatem

47 Dum *t* alii sese ipsi commendabant, benignè respondebat: "Vos pro parte vestra ad bene„ dictum Deum recurrite; ego certè meæ non de„ ero. „ Recurrentibus *u* ad se, qui conscientiæ scrupulis angebantur, pulchrum istud adagium repetebat: "Scrupulos & melancholiam non volo in „ domo mea; „ & postquam iisdem sana consilia dedisset & solatus esset, nonnumquam solebat etiam lepidè scopas arripere *x*, & à capite usque ad calcem illos verrere; " Ecce, inquiens, jam tibi o„ mnes scrupulos aufero: fac bene, forma bo„ nam intentionem, & ne metue. „ Siquando *y* verò dissensiones ortas vidisset, vel cognovisset, ipse lites mox componebat, pacemque securus arbiter conficiebat; &, ut erat sermo ejus naturalis, doctus & admodùm placidus, rapiebat omnium animos, à quibus auscultabatur. Volebat itaque omnes sinceros, omnes in operibus suis suaves esse, omnes à simulatione, à superbia & jactantia vehementissimè abhorrere. Hac de causa *z* omnibus, etiam superioribus, frequenter commendabat misericordiam, suavitatem & caritatem, quas in ore suo hisce ferventissimis suis dictis habebat: "Caritas! caritas! Qui „ caritatem habet, dives est, & nescit: qui carita„ tem non habet, nihil habet: infortunatus est, & „ nescit. Amor & caritas magna est felicitas. „

commendat, & variis modis exercet,

48 Hinc etiam cùm aliquid hujusmodi bene fieri vidisset, lætabatur, & eum, qui id fecerat, suaviter complectebatur; uti complexus est quemdam Religiosum, qui aliquam discordiam sedaverat, & conturbatos animos composuerat; cui, "Ca„ re fili, aiebat, sis benedictus: S. Franciscus ti„ bi benedicat: opus genuini filii S. Francisci pa„ travisti. „ Verùm etsi caritatem ceteris inculcaret, & ipse eam etiam iis, à quibus offensus fuerat, exhiberet; (quorum uni *aa* pro injuria miraculum reddidit; alterum *bb*, qui ab eo reprehensus ipsum cultro vulneraverat, sua suavitate sibi devinxit, eidemque cum facti venia vicinam mor-

tem

A tem ſimul prædixit; alium denique, qui veluti furibundus ipſum lædere properabat, tenerè complexus eſt, & pœnitentem ad Deum reduxit:) eadem tamen caritas *cc* illius pectus interdum ſacro zelo inflammabat, ex quo aliquando in conventibus Regularum etiam minima in parte tranſgreſſores ferventer corripiebat, & ſuperioribus vigilantiam in memoriam revocabat.

cc

illuſtratus à Deo fortitudine & arcanorum dd

49 Aliquando improbis ſe cum impetu opponebat; uti oppoſuit ſe Aſſiſii duabus perſonis, quas in S. Franciſci eccleſia, nulla ſacri loci ac honeſtatis habita ratione, colloquentes videbat. Nonnumquam *dd* ſecreta mala animarum, in quas cœleſtis luminis ope penetrabat, quaſque liberare deſiderabat, illis ipſis revelabat. Sic cuidam Alphonſo Montis-Fuſculano impuras ſuas tentationes detexit, eumque ab iiſdem ſtatim cohibuit. Sic quamdam *ee* mulierem ex Veglie, Cupertini habitantem, de veneficio, quod ipſa paraverat, commonuit, & pœnitentem induxit, ut iſtud ſibi traderet comburendum. Nobili quoque juveni *ff* ſuæ animæ maculas indicavit, de quo quamdam honoratam perſonam, quæ hunc inviſendi causâ ipſum ſecum duxerat, interrogavit: "Quis eſt iſte æthiops, quem mihi

ee

ff

B „huc adduxiſti? Nonne vides, ut niger ſit?„ Deinde verò ad nobilem converſus, "Vade, inquit, vade „fili mi, lava tibi faciem.„ Volupe autem ipſi accidit, quòd eumdem per Sacramentalem confeſſionem mox lotum viderit. Quapropter ſic reducem amplexus eſt, "Eja, inquiens, jam bellus es, fili „mi; lavato te ſæpiùs; heri enim fœdus eras inſtar

gg „æthiopis.„ Quotquot *gg* denique ſordidatos animis videbat, "Vah, ajebat, quàm fœdus es! Va„de accommoda baliſtam:„ quo loquendi modo conſcientiam denotabat.

admirabili notitia. Pro ſalute omnium

50 Sicut autem peccata, in quæ lapſi fuerant, utcumque occulta, dexterè cum Chriſtiana libertate revelavit, ut ſe emendarent, ita etiam illis, qui in peccandi periculo, id eſt, tentati erant, pari cum amore ſuccurrit, ne laberentur. Hujus amoris effectus peculiariter expertus eſt ſacerdos quidam Hiſpellas *hh*, qui jam in procinctu erat, ut animam gravi culpa macularet; à duobus quippe validis hoſtibus impugnatus, vehementi ſcilicet tentatione, & facultate conſentiendi. At feliciter ipſi accidit quòd Joſepho occurrerit; qui apprehenſa manu ejus, & ore auribus admoto, "Fili, ajebat corde „ſincero, fili, reſiſte fortiter tali tentationi (quam

hh

C „indicabat) quia Deus vult, ne tu illum offendas; „id dico tibi, fili, id dico tibi.„ Hac prodigioſa admonitione ſacerdos victor manſit. Ut porrò omnes, qui à dæmone tentabantur, corroboraret, ad frequentanda Sacramenta hortabatur; "Quia, inquie„bat, ubi ſæpe Deus eſt, non poteſt ſæpe eſſe i„nimicus Dei; ac tandem Deus ſemper vincit; „quia Deus plus poteſt per ſuam gratiam, quàm „diabolus per ſuas tentationes.„ Sed quia præcipua amandi proximum ratio ſolus Deus eſt, qui ſancti amoris centrum eſt, prout omnes cum S. Thoma docent: "Ratio diligendi proximum Deus

ii „eſt;„ *ii* ardens Joſephi caritas non ſolos fideles Deo lucrandos, ſed omnes pariter infideles eadem de cauſa complectebatur.

orandum monet: ægris miniſtrat

51 Propterea cum tenero animi ſenſu de iis loquebatur, multùm miſeratus conditionem eorum, & pro eorumdem ſalute quidlibet paratus aggredi. Hinc factum eſt, ut, dum pro ipſis oraret, & in profunda Dei ſecreta per contemplationem interdum penetraret, longas ecſtaſes pateretur, ex quibus ſenſuum uſui redditus, plurimùm plangebat, præſentibus dicens: "Filii *kk*, orate pro bo-

kk „nis, orate pro peccatoribus, orate pro hæreti„cis, pro Turcis, pro infidelibus, ac tandem pro „omnibus; quia omnes pretioſiſſimo ſanguine Je„ſu redempti ſumus.„ Ab animabus proximorum caritatem ſuam ad eorumdem corpora ſublevanda convertebat, quantum per ſuperiores licebat cum illis agere; imò, quamquam in cella ſua ſemotus, illuſtratus divino lumine, quibus rebus indigerent, cognoſcebat, & per orationem opitulabatur. Ceterùm *ll* dum ipſi liberum eſſet, ſimul ac audierat, ægrotare aliquos, ſive domi ſive foris, eò ſtatim accurrens, hortabatur illos, ut divinæ voluntati ſe totos committerent, & poſt alia pia monita, ſi mortem formidarent, aut alia de cauſa affligerentur, læto vultu ſuavique ſermone confortabat; "Euge, inquiens, quia Deus pro„ videbit.„

A. PASTROVICCHIO.

ll

fœtidum emplaſtrum comedit: caritas ejus tempore famis.

52 Poſt hæc ſe totum eorumdem obſequiis, etiam viliſſimis dabat; ſuſtinebat eos in brachio, cibos in os ingerebat, medebatur, utque *mm* naturalem nauſeam vinceret, ſemel frondes, quæ ad cujuſdam vulnerati fœtidiſſimam plagam applicatæ fuerant, heroïca animi fortitudine comedit. Tam ſingularis denique erat ipſius erga ægros caritas, ut Religioſi dicere ſolerent, in conſortio Joſephi melius eſſe ægrotare, quàm rectè valere; cùm is tempore morbi totus ipſorum eſſet, at dum rectè valerent, totus ſuus. Quinimò *nn* eò uſque ipſius erga infirmos caritas proceſſit, ut etiam, eo vivo, miraculoſis ſanationibus à Deo fuerit illuſtrata. Pari modo tenerrimam miſericordiam ſuam palàm fecit tempore deplorabilis famis, quæ Aſſiſium & vicinas provincias diu afflixit *oo*, qua durante ſolvebatur in lacrymas & preces, ut divinam opem imploraret. Cúmque non impetrâſſet, quod deſideraverat, ut in gratiam fame preſſorum extra conventum mendicare ſibi liceret; circuibat ſollicitus ejuſdem ſepta conventus, ut Religioſos fratres ſuos, quantùm poterat, ſaltem ſolaretur. Ad hæc omnia *pp* jungebat ſingulariter gratum erga bene meritos animum, quem multo magis ſtimulabat ejuſdem caritas, ut, (cùm per paupertatem ſuam aliter non valeret) iis ſaltem per gratiarum actionem, per bona vota, per preces, & promiſſa eorum memoriam ſpecialiter ſervandam ſponderet. „Sis benedictus ob caritatem, quâ erga me ute„ris:„ (hoc unum erat ex ſuaviſſimis ejus dictis ad chirurgum, à quo curabatur) "Dominus Deus „eam remunerabitur; ego verò numquam oblivi„ſcar orare pro te, ſi in locum ſalutis pervenero.„

E

nn

oo

pp

F

ANNOTATA.

a *Pro teſtimonio hoc laudatur in margine* reverendiſſimus Claver, epiſcopus Potentinus, ex ore immediato ipſius patris Hieronymi Rodriguez, Summ. pag. 267, § 7, 8.

b *Summ. pag.* 10, § 11 *& alibi.*

c *In margine legitur:* Cardinalis de Lauræa in 3 Sent., tom. 4, diſp. 20 de Miracul., art. 23, num. 980, relatus in cit. Summ. pag. 602, § 45 *quem librum cùm ad manum non habeam, verba Vitæ Italica feci Latina.*

d *Ex eod. Summ. pag.* 267, § 6 *& alibi.*

e *Ex omnibus proceſſ. teſtes de viſu ſparſim relati in eod. Summ. per totum.*

f *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol.* 282, *& tergo, & ſparſim in Summ. ſub tit.* De ſpe, *à pag.* 290 *& ſeqq.*

g *Ibid. pag.* 197, § 52 *&* 54, *& alibi.*

h *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol.* 452 *terg. & ſeq.*

i *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol.* 659 *& terg., & Summ. pag.* 291, § 4.

A. PASTROVICCHIO.

k *Ibid. cit. proc., & Summ. § 5, & alii conteſtes indicati eod. Summ. pag. 589, § 5.*

l *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 196 & ſeq., & Summ. pag. 494 in fine § 1.*

m Hiſpellum, *Italis* Spello, *exiguum Umbriæ oppidum eſt in ditione ſummi Pontificis.*

n *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol. 1130 & ſeqq., & Summ. pag. 338 in fine, & ſeq. § 17.*

o *Italis* Monte-Falco, *oppidum eſt in Umbria ditionis Pontificiæ.*

p *Pro hac inſigni Brunſvicenſis principis & Hannoveræ ducis à Lutherana hæreſi ad Catholicam fidem converſione in margine ſic legitur: Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol. 1222 & ſeqq., & ſparſim in Summ. pag. 88, § 131, pag. 113 & ſeq., § 298 & 299, pag. 276, § 2, 3, 4 & 5, pag. 567, § 42 & 43, pag. 573, § 73, 74, 75 & alibi. Vide etiam Commentarium prævium num. 40.*

q *Conſule Commentarium loco mox laudato.*

r *Ex proc. Apoſt. Auxim. à fol. 624 & ſeqq., & Summ. pag. 383, § 13.*

ſ *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol. 607 terg. & Summ. pag. 332, § 2 & 3.*

t *Ex eod. proc. ibid. § 3, & alibi ſparſim in eod. Summ. per tot.*

B

u *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 383 & fol. 464 terg. & alibi. Adagium, quod ſubditur, Italicum eſt, atque ita ſe habet:* Scrupoli & malinconia non voglio in caſa mia.

x *Ex proc. ord. Auxim. à fol. 1028 & ſeq., & Summ. pag. 213, § 202 & 203.*

y *Ex eod. Summ. pag. 338, § 11, & 13, pag. 348, § 53 & alibi paſſim.*

z *Ibid. pag. 346, § 35, pag. 350, § 18, 19, 26, & alibi ſparſim ſub. tit.* De charitate *per tot.*

aa *Ex proc. Nerit. compulſ. fol. 662 terg. & Summ. pag. 43, § 120.*

bb *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 326 & Summ. pag. 344, § 21.*

cc *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol. 1129 & ſeq., & Summ. pag. 338 § 11 & 13 & alibi.*

dd *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol. 394 terg., & Summ. pag. 335, § 2.*

ee *Ex eod. proc. Apoſt. Nerit. fol. 406 & 407, & Summ. pag. 333, § 7, & pag. 336, § 9.*

ff *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 445 terg., & 446, & Summ. pag. 346, § 41.*

gg *Sparſim in eod. Summ. per tot.*

C

hh *Vide dicta ſuperiùs lit.* m. *Hic autem in margine legitur: Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 492 terg. & ſeq., & Summ. pag. 347, § 44.*

ii *In margine adſcribitur. Ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 27, art. 8.*

kk *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol. 358 & ſeqq., & Summ. pag. 345, § 24 & alibi.*

ll *Ex eod. Proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 24, 212, 276 ad 279, & alibi; & Summ. pag. 342, § 2, 4, & ſparſim ſub tit.* De charitate *per tot.*

mm *Ex eod. proc. Apoſt. Aſſiſ. fol. 360 terg., & Summ. pag. 345, § 33.*

nn *Sparſim ex Catalogo miraculorum in vita, Summ. num. 41, à pag. 588 ad 595.*

oo *Ex utroque proc. Aſſiſ. Apoſt., & ord. compulſ. à fol. 1127 ad 1133, & Summ. pag. 337, § 7, 8 & alibi. Berninus hanc rei frumentariæ inopiam annis 1648 & 1649 affigit.*

pp *Ex proc. Aſſiſ. & Auxim. Apoſt., Summ. num. 26, à pag. 396 ad 398, ubi chirurgus § 10.*

D

CAPUT V.

Beati amor & fiducia in Deiparam miraculis illuſtrata: angelica caſtitas & fragrantia: ſumma paupertas ſpontanea.

SIngulari porrò grati animi affectu B. Joſephus proſequebatur Mariam, cujus patrocinio accepta ferebat bona omnia, quæ à Deo obtinuerat. Quamobrem curavit ipſi amorem reddere, quo nihil magis tenerum ſimul & magis validum poteſt cogitari. A parente ſua puer devotionem erga illam edoctus, ſolebat eam Matrem ſuam *a* appellare, & velut matrem eam ſemper habebat, ſicut ipſe ut filius ab eadem ſemper habebatur. Hinc exponi nequit, quibus obſequiis cœleſtem Matrem honoraverit. Imagines ejus roſis, liliis, aliiſque floribus ornabat; ſed cum hiſce ac ſimilibus ornatibus cor ſuum & ardentes affectus offerebat. "Ma- *b*
„ ter mea *b* (ſolebat dicere cum ſuavi joco) moro-
„ ſa eſt: ſi ipſi flores feram, ait, ſe nolle illos: ſi
„ ceraſa feram, nec hæc vult: deinde peto: Quid
„ vis? & illa ait: Cor volo, quia ego nulla alia re
„ paſcor quàm corde.„ Et ſanè cor ipſius fuiſſe totum Mariæ, ſatis patuit ex devotis precibus, quas in honorem ejus continuè recitabat, ex dulcibus dictis, quæ de ea proferebat, "Protectricem *c*, il- *c*
„lam, dominam, patronam, matrem, ſponſam,
„ adjutricem„ appellans; ex ſimplicibus ac feſtivis cantilenis, quibus eam ſæpe laudabat; ſed præſertim ex ecſtaſibus & frequentiſſimis raptibus, quos ad ejuſdem imaginum conſpectum, vel inter ipſius elogia recitandum, patiebatur.

B. V. Mariam, quam Matrem ſuam appellabat,

a

E

tenerrimè amabat, ejuſque amorem

54 Sic ſemel ad ea verba SANCTA MARIA volavit ſuper tria Religioſorum paria, qui in eccleſia gemina ſerie ordinatè poſiti, litanias cum ipſo recitabant. Simili modò etiam aliàs raptus fuit, modò cùm SANCTA DEI GENITRIX, modò dum MATER DIVINÆ GRATIÆ, modò dum JANUA CÆLI, pronuntiaretur. Quin etiam audito ſolo nomine Mariæ, in ecſtaſes frequenter incidebat, non F
rarò à terra quoque elevatus, quemadmodùm ex toto illius vitæ curſu notiſſimum eſt. Tum verò cælorum Reginæ pulchritudinem contemplans, præ amore ipſius languebat, prout ipſemet quodam die manifeſtavit, dum inter celebrandam *d* *d*
Miſſam ad altare ejus, à multis viſus eſt in ecſtaſim raptus, & ſublatus in aëre, audituſque haſce cum lacrymis voces proferre: "Laudate illam vos
„ ſancti angeli canticis veſtris: ego quidem totus
„ ardeo, ſed non poſſum eam dignè laudare.„ Nec ſatis ipſi erat, ſi quotquot in cælo ſunt, ſancti & angeli ipſam amarent laudarentque: deſiderabat, ut etiam ab omnibus, qui in terra ſunt, hominibus amaretur & laudaretur.

omnibus inſtillabat: ad eamdem laudandam

55 Petierat ab aliquot Cupertini incolis, qui ipſum viſendi gratiâ ad conventum Cryptellæ venerant *e*; "Quid huc facturi veniſtis? Fortè ut Do- *e*
„ minam meam inviſatis?„ Quibus id affirmantibus repoſuit: "Et quid ipſi attuliſtis?„ Et cùm illi dicerent: "Officium & Roſarium;„ ipſe ſentiens, eos ex ſola curioſitate adveniſſe, "Quod officium,
„ quod Roſarium? exclamavit: Domina mea vult
„ cor & voluntatem.„ His ardentibus vocibus B.

Ma-

A Mariæ amorem in eorum cordibus excitavit, juſſiſque deinde in gentua procumbere, Litanias cum
f iiſdem recitavit *f*; quod facere conſueverat cum omnibus, qui ad ejuſdem cellam veniebant. Docebat quoque omnes ad Mariam ſæpiùs dicere
g *g*: REFUGIUM PECCATORUM, MATER DEI, MEMENTO MEI: quæ erat ipſius jaculatoria oratio, quam beatæ Virgini, quia REFUGIUM PECCATORUM appellabatur, gratiſſimam eſſe affirmabat. Uſque adeò cordi erat Joſepho, Mariam per frequentem repetitionem laudum ſuarum, quæ in Litaniis recenſentur, velut Dominam agnoſci, ut, cùm paſtores, quibuſcum eas ſingulis Sabbatis in ſacello conventui Cryptellæ vicino recitare ſolebat, in meſſe detinerentur, ovibus, quas videbat, dixe-
h rit *h*: "Venite vos huc, venite huc, ut veſtri mei-„que Dei Matrem honoretis.„

oves obſequentes habet: per Litanias ejuſdem

56 Ad has voces, quas Joſephus remotiùs, quàm humana vox ſolet extendi, protulerat, ab ovibus illis prodigiosè perceptas, eæ omnes diverſarum caularum oves, parvulis opilionibus, à quibus obſervabantur, fruſtra reclamantibus, ad ſacellum confeſtim accurrerunt. Quæ poſtquam advenere, B. Joſephus Litanias lætabundus exorſus eſt;
B oves verò per inauditum hactenus prodigium, chorum alternârunt, ad ſingulos verſus voce ſua reſpondentes; ſic, ut Joſepho dicente: SANCTA MARIA, illæ balando reponerent: BEE; atque ita ad ſingulas ejuſdem laudes uſque ad finem Litaniarum continuarent. His finitis, acceptaque à Beato benedictione, hilariter ſaltantes, ad paſcua, quæ
i reliquerant, redierunt. Hinc *i* Servus Dei tantam in magna Matre fiduciam conceperat, ut per ejus Litanias exorciſaret & liberaret energumenos. In partu quoque periclitantibus Litanias commendabat, eæque feliciter enitebantur. In diſſenſionibus, „Eja agite, dicebat litigantibus, ad Matrem, ad „Matrem;„ & eos ſubitò conciliabat.

& invocationem varia miracula

57 In nomine divinæ Matris, cui omne bonum acceptum ferri volebat, ſæpe promittebat miracula, quæ illico ſuccedebant. Cæca *k* mulier viſum recepit, ſimul atque B. Joſephus illius oculos tangens dixerat: "Mater Dei ſanabit te.„ Nolebat *l* vicarius generalis Neritonenſis tres cruces, quas Joſephus prope Cryptellam erigendas curaverat, quamdiu ſolitus anni vehemens æſtus duraret, & locus ardoribus pateret, conſuetis ceremoniis benedicere; ſed tandem victus precibus Beati, aſſe-
C rentis: "Mater mea non permittet, ut ab æſtu pa-„tiaris, „ indutus pluviali, ceremoniis functus eſt, quibus tribus horis ac dimidia detentus, nihil moleſtiæ ab ardore paſſus eſt. Recurrebat nonnumquam ad Joſephum ſubſidii causâ paupercula ejus mater; cui ille reſpondebat: "Mater mea Maria eſt; „ ego verò nihil habeo, quia pauper ſum: com-„menda te Mariæ, quæ tibi ſuccurret;„ atque ita reipſa ipſi prodigiosè ſemper ſuccurrebatur.

promittit & facit,

58 „Ne *m* metue (aiebat cuidam ſacerdoti gra-„viter vulnerato) quantum temporis eſt, ex quo „non veniſti ad Cryptellam, inviſum Matrem „tuam? Ah, (reponebat infirmus) nonne vides, „frater Joſephe, ut me habeam, qui non poſſum „me movere?„ Tum verò Servus Dei ligavit plagas ejus, cœpitque eas manu ſua mulcere, dicens: „Non confidis in Matrem tuam?„ Eodem autem tempore, quo ſic demulcebat plagas, ſimul ſiccabat, ac denique integrè ſanatum reliquit. Exaudi-
n tus *n* à Maria fuit etiam alius ſacerdos, poſtquam hic, dubitans, an quamdam gratiam ab ea petere auderet, à Beato, ſecreti ipſius dubii conſcio, audivit: "Pete ab ea, pete ab ea, concedet tibi.„
o Cuidam *o* moribundo ſuis manibus labia aperiens Joſephus, neſcio, quem liquorem, in os ejus infudit, aitque: "Jamne te bene habes?„ Ille verò reſpondit: Optimè. Tum B. Joſephus ſubjecit denuò: "Eja, nemini de me quidquam dixeris; ſed „dicito, te à Matre Dei, matre tua & matre mea „ſanatum eſſe.„ Denique, ut brevis ſim, concludo; quemadmodùm Joſephi ſanctitas, prout ipſe confeſſus eſt, cœpit à devotione erga Mariam, ita ejuſdem fama ſanctitatis cœpit à multis beneficiis, quæ alii à Maria per Joſephi patrocinium impetraverunt.

A. PASTROVICCHIO.

ab eaque ut filius fovetur. Caſtitatem

59 Hinc *p* factum, ut amore illo mutuo ſemper multò magis creſcente, Maria Joſephum velut dilectiſſimum filium ſemper habuerit (& ut talem vidit illum in feſto Portiunculæ quædam Dei ſerva *q*, in ecſtaſim rapta, ab ea blandè tractari) & Joſephus Mariam velut amantiſſimam matrem ſemper honoraverit; utque *r* ipſam in ſuæ vitæ curriculo Matrem ſuam ſemper appellaverat, ita jam moriens, eamdem ſuavi Matris nomine compellavit, dicens ei: "Monſtra, te eſſe Matrem.„ Ab hoc amore erga Matrem puritatis, argumentari licet de amore, quo Beatus puritatem proſecutus eſt. Non fuit ipſe quidem, uti nonnulli alii, ab impuris tentationibus liber, quibus, ut ſuprà dictum
E eſt, vehementer impugnatus fuit; ſed quò validiores erant aſſultus, eò glorioſiorem per Dei Matriſque Mariæ auxilium de iiſdem victoriam referebat. Angebatur *ſ* tamen dubiis & timoribus, ita ut ſemel auditus ſit exclamare: "Ah Deus meus! ſcio „equidem te omnia bene facere, & me in hiſce „tentationibus per tuam gratiam non peccare; vel-„lem tamen eas nec ſentire nec experiri.„ Verùm Deus volebat ipſum inter medios illos impuros aſſultus puriſſimum eſſe, ut plus mereretur.

p
q
r
ſ

inter tentationes eximiè colit, & aliis afflat.

60 Certè confeſſarii *t* illius, aliique magno numero, teſtati fuere, ſeſe numquam in eo vel umbram impudicitiæ advertiſſe, ſed ſemper caſtiſſimum mente & corpore comperiſſe, ita ut ipſius anima angelica potiùs, quàm humana eſſe videretur. Hinc ipſe caſtitatis amantiſſimus, ut hæc apud omnes in pretio eſſet, ſolebat dicere *u*, "caſtam a-„nimam ſimilem eſſe vaſi cryſtallino, puro & „mundo, aquâ frigidâ & limpidiſſimâ pleno, quæ „tempore æſtûs omnibus grata eſt, quâque tunc „nihil poteſt eſſe acceptius; ſed ſi eidem vel una „gutta olei infundatur, omnis illa aqua corrum-„pitur & diſplicet.„ Eadem de cauſa hortabatur, ut omne illius amittendæ periculum vitarent; &
F primò quidem exemplo, nolens, niſi ex obedientia, cum mulieribus agere; deinde monitis, docens, "periculoſam rem eſſe cum feminis agere, „quæ non niſi damnum afferunt iis, qui volunt „eſſe Dei: fugiantur, fugiantur, & ſolùm ex obe-„dientia cum iis agatur.„ Eidem illibatæ puritati ipſius pariter debebatur, quòd fideles ad inhoneſta tentatos ſervaret; modò aliquid è rebus ſuis eiſdem applicando, prout *x* juvenem quemdam ſubitò expediit, dum graviſſimè tentato renes cingulo ſuo ſtrinxit; modò ſola voce; quemadmodùm alteri *y*, à Mahumetiſmo ad fidem Catholicam tum nuper converſo contigit; qui, cùm ſe hujuſmodi illecebris, quas antè non ſenſerat, validè impugnari quereretur, à Joſepho audivit, id ita fieri, quòd per falſam ſectam ſuam ipſi vetita non fuiſſet impudicitia, quódque dæmon non conetur acquirere, quos jam poſſidet. Nec mora ab eo ipſo tempore ſenſit ſe à tentationibus liberum, & in fide Catholica confirmatum.

t
u
x
y

61 Certiora tamen, magiſque ſtupenda angelicæ ipſius caſtimoniæ indicia erant fœtor *z*, quem ille ex corporibus impudicorum hominum olfacie-
z bat,

A. PATROVICCHIO. *Libidinosos ex fœtore agnoscens,* *aa*

bat, & suavissimus odor, quem alii ipsum è suo corpore exhalare experiebantur. Satis ipsi erat vidisse libidinosum, ut eumdem ex fœtore cognosceret. Visus aliquando inquietus est agitatusque; & interrogatus *aa*, quid causæ esset, respondit, „ sese tum cum persona libidine sensuum inquina- „ ta collocutum fuisse, ex eaque in naribus suis „ tantum fœtorum relictum, ut eum etiam adhibi- „ to tabaco nequiret expellere.„ Ut autem omnibus immunditiæ horrorem incuteret, frequenter aiebat *bb*, "impudicos coram Deo, & angelis & „ hominibus fœtere.„ Contrà verò ipse ob castitatem suam donatus à Deo est cælesti odore, qui, ut doctores ascetici cum doctissimo piissimoque Cardinale de Lauræa docent, certum indicium est veræ puritatis.

bb

ipse mirabilem spirat odorem. Paupertatis cultor eximius *cc*

62 „ Insigne *cc* donum puritatis ipsius, (inquit „ ille) evidenter agnitum fuit ab omnibus, qui cum „ eo versati sunt, aut aliquam rem, quâ usus fuit, „ acceperunt; quia ipse odorem suavissimum spi- „ rabat, resque ab eo contrectatæ eumdem mul- „ to tempore conservabant: quinimò in dormito- „ riis, per quæ transibat, tam manifestum odorem „ relinquebat, ut, si quis scire vellet, quò iviſſet „ frater Josephus, sufficeret odoris vestigia sequi. „ Certum autem est, fragrantiam personæ, sicut „ docent magistri vitæ spiritualis, indicium esse ve- „ ræ puritatis.„ Propterea odor ille naturalem ordinem excedere ab omnibus meritò credebatur, cùm nescirent, cui fragrantiæ eum similem esse dicerent, nisi illi, quam Assisii exhalat Breviarium, quo S. Clara olim usa est, & arca, quâ castissimi S. Antonii Patavini cineres continentur; ideóque eum omnes ODOREM ET FRAGRANTIAM PARADISI appellabant. Cum hac tam eximia, tamque odorifera puritate singulari modo lucebat in Beato nostro religiosa paupertas. Quamvis licebat ipsi res varias suo statui convenientes, quæque ad victum & vestitum Religiosorum concessæ erant, sibi servare, nihilominus voluit semper privatus vivere non modò omnibus supervacaneis, verùm etiam plurimis, quæ ad humanam vitam necessariæ sunt.

B

eam in vestitu & victu, *dd*

63 Illius vestis *dd* propterea semper erat omnium vilissima, & interdum vetustissima ac lacera, sub qua gestabat asperam tuniculam, quæ cilicium potiùs quàm vestimentum poterat appellari, subligaculum verò ex rudi tela; nec alia re præterea vestiebatur umquam, ne quidem frigoris arcendi causâ, nisi crepidis, quibus tantummodò utebatur, cùm in publicum procederet *ee*. Hinc dum aliquando ad aliquem conventum adveniret, rogatus, an vestes suas attulisset, respondit se attulisse, de iis solis loquens, quibus erat indutus. In morbo, qui ipsi supremus fuit, consensit *ff* quidem, cogente necessitate, duo candida sudaria à chirurgo Auximano admittere; sed simul ac ea ex lino texta vidit, „Nimis subtilia sunt, ajebat, nimis subtilia;„ hisque recusatis, acceptavit duo altera, ex tela alba quidem, sed rudi & aspera. Hujusmodi semper fuit in ceteris omnibus rebus extrema ejus paupertas: omnis enim victus illius, qualis ab initio fuerat, erant semel per diem herbæ & olera, rarò pisces; interdum carnes ex obedientia, sed quas ex stomacho suo toties rejecit, ut dictum est. Hinc nec minimam buccellam panis admittere volebat in cubiculo suo, in quo propter exstasium frequentiam separatus ab aliis vescebatur.

C

ee

ff

in supellectile, rebusque omnibus severè observavit. *gg*

64 Quod ad ejusdem cellæ supellectilem spectat *gg*, unum scabellum, duæ sedes ex cortice, parva mensula & sacræ aliquot icones chartaceæ, erant omnis ornatus illius; lectus verò ipsius ex tabulato ligneo & pulvinari è paleis constabat. Erat nihilominus ipsi tam carus iste incommodus ac pauperrimus lectus, ut urgente morbo *hh* jussus culcitâ & linteis uti, non potuerit insuetam mollitudinem diu ferre, dixeritque, sentire se sibi omnia ossa contundi; ideóque necesse fuerit ipsum, solandi gratiâ, in amantissimum lectulum suum reponere. A pecunia quoque tantùm abhorruit *ii*, ut non modò oblatam sibi numquam admiserit, & suadentes, ut eam saltem in usus conventus sui servaret, superioribus tradere jusserit; verùm etiam, cùm aliquando exigua moneta valoris duorum Juliorum in cucullo ipsius à piis personis imposita fuisset, horrorem illum suum magna inquietudine & copioso sudore, non secùs ac si gravissimum pondus collo suo impositum fuisset, prodigiosè manifestaverit; Non possum ampliùs, exclamans; nec pristinæ serenitati antè redditus fuit, quàm eadem moneta à commiserantibus inde exempta fuisset. Ceterùm *kk* ipse se ditissimum semper reputabat & hilari vultu inquiebat, "se quidem nihil habere, sed Deum si- „bi de omnibus prospicere.„ Agnoscebatque omne bonum suum in Deo positum, & cum Seraphico patriarcha repetebat: "Deus meus & o- „mnia!„ Hinc cùm morti vicinus *ll* cogitaret de censu, quem de rebus omnibus, ad simplicem usum sibi à superioribus concessis, eo tempore conficere solent Religiosi Franciscani, id solatii habuit, ut superiori suo dicere potuerit: "Pater guar- „diane, vellem censum inire, sed nihil habeo.„

D

hh

ii

kk

ll

E

F

ANNOTATA.

a *Italicè est* la Mamma sua, *quo nomine solent pueri matres suas compellare. In margine notatur, hæc legi sparsim in omnibus processibus, & in cit. Summ. per tot.*

b *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. à fol. 665 terg. & ſeq., & Summ. pag. 44 & 45, § 125.*

c *Ex omnib. proceſſib. ſparſim in eod. Summ. per tot.*

d *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol. 632, & Summ. pag. 545, § 24.*

e *Ex proc. Apoſt. Nerit. à fol. 272 ad 276, & Summ. pag. 549, § 3.*

f *Berninus ex laudato Summarii loco eorumdem Cupertinenſium teſtimonium recitat, in quo inter cetera ajunt Italicè:* Revera ex sola curiositate, non ex devotione, illuc adveneramus; ab eoque genua flectere, & Litanias ante B. Mariæ Virginis imaginem secum recitare jussi sumus. Dum verò ad ea verba SANCTA MARIA pervenimus, frater Josephus ejulatum edidit, faciesque in cælum versa, & extensis manibus, &, ut erat, genuflectens, in ecstasim raptus est; & quia nullus adderat, qui eum suscitaret, nos Litanias continuavimus, quamquam attoniti, & cum tenero affectu finivimus. Postea inde egressi sumus, & fratrem Josephum in eadem ecstasi immobilem in cella sua reliquimus.

g *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol. 1112, & Summ. pag. 311, § 28 & alibi.*

h *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol. 498 & 499 & Summ. pag. 482, § 29.*

i *Sparſim in eod. Summ. pag. 38, 348, 359, 393 & alibi.*

k *Cit. Summ. pag. 38, § 82.*

l *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol. 708 terg., & Summ. pag. 46, § 143.*

m *Ex proc. Apoſt. Nerit. fol. 417 terg., & ſeq., & Summ. pag. 553, § 11.*

n *Ex eod. proc. Apoſt. Nerit. fol. 585 terg., & Summ. pag. 468, § 5.*

o *Ex proc. ord. Nerit. compulſ. fol. 742, & Summ.*

A *Summ. pag.* 334, § 15.

p *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1144 *& ſeqq., & Summ. pag.* 107, § 251.

q *Berninus ait, hanc ſororem Cæciliam de Nobili Nucerinam Clariſſam fuiſſe, cujus elogium exhibet Fortunatus Huëberus in Menologio Franciſcano ad diem* 24 *Julii.*

r *Ex proc. ord. Auxim. compulſ. à fol.* 1127 *ſuper* 26, *& Summ. pag.* 244, § 67.

ſ *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1053 *& ſeqq., fol.* 1114, *& ſeq., fol.* 1152, *& Summ. pag.* 84, § 93 *ad* 95, *pag.* 86, § 108 *&* 109, *pag.* 108, § 260 *& alibi.*

t *Ex proc. Auxim. Apoſt. à fol.* 430 *ad* 433, *ſuper* 215, *& ſparſim in Summ. locis ſuprà citatis, & pag.* 430, § 3, *& alibi.*

u *Ex cit. Summ. pag.* 273, § 55.

x *Ex proc. Apoſt. Auxim. fol.* 433, *& Summ. pag.* 430 *in fine* § 7.

y *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol.* 1127 *terg. & ſeq., & Summ. pag.* 337, § 5.

z *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 375 *terg. & alibi ſparſim in Summ. per tot.*

aa *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 327, *& Summ.*
B *pag.* 424, § 7.

bb *Ex eodem proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 459, *& Summ. pag.* 425, § 16.

cc *Ex cit. Summ., pag.* 9, § 6, *pag.* 425, 426, 427, 487 *& alibi. Conſule etiam Commentarium noſtrum prævium* § 5, *num.* 61 *& ſequentibus, ubi varia teſtimonia pro eodem admirabili odore recenſuimus.*

dd *Ex omnibus proceſſib. Teſtes relati in eodem Summ. ſub tit.* De paupertate *per tot.*

ee *Non ſatis hæc conveniunt cum iis, quæ de vitæ illius ratione in conventu Auximano in Commentario prævio num.* 104 *ex Summario retulit Berninus; ibi enim, quamquam numquam procederet in publicum*, nudos pedes crepidis indutus *fuiſſe dicitur, &* hiemali tempore penulam ſeu pallium *ſuper ceteras veſtes geſtâſſe.*

ff *Ex proc. Apoſtol. Auxim., fol.* 853 *& ſeq., & Summ. pag.* 461, § 12.

gg *Teſtes in Summ. ſub tit.* De paupertate.

hh *Ex proc. Apoſt. Auxim. fol.* 854 *& ſeqq., & Summ. pag.* 462, § 17.

ii *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 296, *& Summ. pag.* 456, § 4.

C kk *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol.* 1198, *& Summ. pag.* 31, § 10, *pag.* 456, § 1, *& alibi.*

ll *Ex proc. Apoſt. Auxim. fol.* 855 *& Summ. pag.* 462, § 17 *in fine.*

CAPUT VI.

Beati heroïca obedientia, miraculis & animalium obſequio clara: ſapientia divinitus accepta: mira arcanorum cognitio.

Obedientiæ cultor & præco

VErè dicere poterat, ſe ne voluntatem quidem propriam habere, eò quòd hanc ſanctæ obedientiæ totam conſecrâſſet. Erat certè ea virtus in B. Joſepho tam heroïca, ut proteſtaretur *a*, "mal-
a „le ſe mori, quàm non obedire.„ Hac de cauſa quemlibet ſuperiorem *b*, non aliter ac ſi S. Franciſcus fuiſſet, venerabatur; nec de illius defectibus
b quidquam audire volebat, ne vel rationis umbra ad reſiſtendum imperatis ſibi ſuboriretur. Hinc etiam omnem vitæ ſuæ tam internam, quàm externam rationem, omnibus ſuperioribus manifeſtabat, promptiſſimus eam mutare, ſi ipſis ita videretur. Sicut autem ſine merito obedientiæ nihil facere *c*, nec feneſtram quidem cellæ ſuæ aperire aut claudere ſine conſenſu ſui ſocii laïci volebat, ita ſuperioris ſui voce aut mandato audito, ſine mora omnia exſequebatur. Erat *d* ipſe quodam die in cubiculo patris Caravaggio, confeſſarii ſui, graviter decumbentis, & ex medicorum judicio certò morituri, ibidemque raptus in ecſtaſim, ſupra lectum ejuſdem elevatus hæſit, dum ipſe ſacro oleo ungeretur. Deinde reſtitutus ſenſibus, volebat ad cellam ſuam regredi; ſed audita ſuperioris voce, quâ abire vetabatur, in iiſdem lateribus, in quibus tum ſtabat, manſit immobilis, donec abeundi licentiam à ſuperiore accepit.

A. PASTROVICCHIO.

c

d

66 Sufficiebat *e* hujus mandatum, ut Joſephus carnes comederet, exiret è cella, ageret cum quolibet, pedum oſcula permitteret, daret aliquid è rebus, quibus uſus fuerat, quantúmcumque & ab his & ab aliis ejuſmodi, quæ vel ad levamen vel ad laudem ſuam faciebant, ipſe abhorreret. Juſſus eſt aliquando à ſuperiori ſuo Generali fruſtum ſacchari candidi comedere, quod ad ipſum recreandum dederat; & ſubitò comedit. Interrogatus *f* deinde tentandi gratiâ à quodam Religioſo, quomodò ſaccharum libenter manducâſſet, qui in pane & aqua jejunare conſueverat: ſerena facie reſpondit: "Ego facio imperata.„ Mandaverat *g* aliàs pater Generalis cuidam Religioſo, ut juberet Joſephum veteres veſtes internas externaſque deponere, dandas illuſtri Infanti Sabaudiæ *h*, erga Beatum devotiſſimæ, quæ novas veſtes eum in finem ipſi jam paraverat. Renitebatur primùm Joſephus, ſuperioris præcepti inſcius; quòd ubi intellexit, mox cucullum ceteraſque conſequenter veſtes exuit, dicens: "Ex obedientia contentus ſum, ut mihi tol-
„las non tantùm veſtem & tuniculam, ſed, ſi ve-
„lis, etiam carnes & pellem.„ In aliis *i* præterea occaſionibus ſolebat dicere, "ſeſe ex obedientia
„in ardentem fornacem ingreſſurum, & credere,
„ſe ex ejuſdem merito illæſum inde exiturum.„

eximia hujus virtutis

e

E

f

g

h

i

67 Idcirco ut hanc virtutem etiam ceteri omnes amarent colerentque, meritum illius plurimùm commendabat, nunc eam appellando *k* "cultrum,
„qui propriam hominis voluntatem occidens, Deo
„immolat; nunc currum, qui commodiſſimè ad
„paradiſum vehit; nunc canem, qui cæcum du-
„cit. Sancta obedientia!„ (exclamabat nonnum-
„quam aliàs) "ah ſancta obedientia, quam Deus
„ipſe honorat!„ Revera nec impulſus, nec ferrum, nec ignis poterant ipſum ab ecſtaſibus revocare; ſed per obedientiam revocatus, mox ſibi reddebatur. Rogatus propterea, quo pacto id fieret, reſpondit *l*, "vocem ſuperioris à ſe quidem non
„audiri, ſed Deum, obedientiæ amantiſſimum,
„viſionem tum ſubtrahendo, velle, ut ſtatim ob-
„ediret.„ Illuſtrabat quoque id ipſum eleganti ſimilitudine; Quemadmodùm *m*, inquiebat ſubinde, anima à Deo rapitur, dum is ſiparium tollit, & velut magnum gazophylacium multis pulcherrimis & inenarrabilibus paradiſi rebus refertum exhibet; "ita ad obedientiæ vocem (ſubjun-
„gebat) Dominus Deus tum dimittit ſiparium,
„& animam ſuis officiis liberè obeundis reſtituit.„

edit ſpecimina & documenta:

k

F

l

m

68 Tam eximium fuit obedientiæ ipſius meritum, ut Deus ipſum per illam terribilem reddiderit dæmonibus, feceritque, ut bruta animalia eidem alacriter parêrent. Itaque dum ad exorciſan-

per eamdem energumenos liberat;

A. PASTROVICCHIO.

dos energumenos à ſuperiore mitteretur, per obedientiam ſuam indicebat dæmoni receſſum è corporibus: "Ego huc veni, inquiens, ex obedientia, „ideóque hinc abſcedere debes.„ Interdum magis comiter, magiſque efficaciter poſt lectas ſuper energumenos Litanias beatiſſimæ Virginis aiebat *n*: „Ego non veni huc, ut te ex hoc corpore expel„lerem, ſed ſolùm ut obedirem; ideóque ſi velitis „exire, exite; ſi non velitis, facite, quod vobis „placet: mihi ſatis eſt obtemperâſſe.„ qua loquendi methodo magis indignatus dæmon, obſeſſa corpora deſerebat. Alio demum conſilio uſus eſt aliquando, cùm dæmon manu mulieris, quam occupaverat, advenienti horribilem alapam inflixit *o*: nihil quippe propterea turbatus Joſephus, provolutus in genua, mandatum à ſuperiore, ſcripto ſibi datum produxit, eoque manui energumenæ impoſito, "Heus tu, inquiebat, cape ſanctam obe„dientiam;„ dictiſque ſolitis litaniis beatæ Virginis, dæmon tam inſignem Beati noſtri obedientiam non ferens, obſeſſum corpus ſubitò deſeruit.

n

o

69 Mirabile quoque erat videre animalia rationis expertia ipſi promptiſſimè obedire. Avis linaria, cui ſæpe aiebat *p*; "Lauda Deum, „ ad omnem ejus nutum cantu ſuo laudabat, & ad ejuſdem præceptum ſubitò ceſſabat. Cardueli, dum avolare permitteret *q*, "Vade, ait, fruere eo, quod Deus „tibi dedit; ego nil aliud à te volo, niſi, ut, quan„do te vocabo, redeas, ad laudandum mecum „Deum tuum ac meum;„ quibus vocibus parens avicula, in vicinum hortum devolavit, & à B. Joſepho revocata redibat extemplo, ut Creatoris laudes cum ipſo concineret. Milvus *r*, qui occiderat aliam carduelem, ipſi multùm caram, quia ab illo edocta, ſæpe repetebat: "Jeſus & Maria: frater Jo„ſephe dic Officium;„ viſus ab eo & vocatus, mox advolavit, ab eoque increpitus his verbis: „Vah nequam, occidiſti carduelem meam; meruiſti, ut & ego te occiderem;„ velut facti pœnitens, ſupra caveam tamdiu reſedit, donec Joſephus eum manu percutiens, diceret; "Abi hinc; „ego tibi condono; ſed ne id iterum feceris.„ Morſus *ſ* à cane rabido aries, & ipſe quoque rabidus factus, in quodam hortulo, ne cuiquam noceret, incluſus ſervabatur; in quem locum cùm fortè ingreſſus fuiſſet Servus Dei, monereturque, ut ab eo pecore ſibi caveret, reſpondit, "ſe confidere in „Deum:„ ac deinde ad arietem converſus, eumque manu contrectans, ait, "Stulte, quid facis „hic? Revertere ad oves tuas;„ qui ejuſdem juſſu ſolutus, extemplo ſanus & manſuetus evaſit, & ad gregem ſuum regreſſus eſt.

& bruta animalia

p

B

q

r

ſ

C

70 Prodigioſa *t* pariter fuit cujuſdam candidæ agnæ obedientia, quam Joſephus monialibus S. Claræ Cupertini miſerat, Regulari obſervantiæ velut invigilaturam. Hæc etenim in omnibus officiis ſemper prima aderat, in cibo parca, in choro quieta, unicéque ſollicita, ut vel impulſu & attritu corporis ſui ſomniculoſam quampiam excitaret, vel pedibus dentibuſque vanum alterius ornatum avelleret. Hâc mortuâ, promiſit Beatus, aviculam ſe iiſdem ſacris virginibus miſſurum, quæ eas ad laudandum Deum provocaret; prout reipſa factum eſt. Etenim *u* tempore divinorum Officiorum quidam paſſer ſolitarius ad feneſtram chori advolavit, ibidemque ſuaviter cecinit. Neque hîc ſtetit prodigium: ſiquidem idem ille paſſer duas novitias altercantes conſpicatus, ſeſe inter illas interpoſuit, & quantùm potuit, expanſis alis & unguiculis ſuis ab invicem ſeparare & placare conatus eſt: ſed cùm ab una earum malè acceptus eſſet & abactus, avolavit, nec umquam reverſus eſt, licèt jam quinquennio circitèr in ea domo degiſſet. Moniales eo caſu afflictæ ad Joſephum recurrerunt; is verò, „Rectè vobiſcum actum eſt, reſpondit; quare vos „eum injuriâ affeciſtis & abegiſtis? Non vult huc „ampliùs redire.„

ſibi mirabiliter obſequentia

t

u

D

71 Motus tamen earumdem precibus, promiſit ſe eum remiſſurum. Ad primum autem pulſum ad chorum rediit paſſer, nec tantùm in feneſtra cecinit, ſed etiam magis cicur, quàm antè, in monaſterium ingreſſus eſt. Crevit deinde etiam magis admiratio, cùm tintinnabulo pedi ipſius, recreationis ergò, à monialibus alligato, feriâ quintâ & ſextâ hebdomadæ Majoris non ampliùs viſus eſt: quibus Joſephum propterea denuò interpellantibus, reſpondit is: "Ego eum vobis miſi, ut caneret, „non ut ſonaret: non venit; quia hiſce diebus ad„fuit ſepulcro Domini; ſed jubebo reverti;„ & reipſa reverſus eſt, & longo tempore ibi permanſit. Duo lepores in vicinia conventûs Cryptellæ obtemperârunt *x* Beato dicenti: "Ne diſcedatis „hinc longè ab eccleſia beatæ Virginis, quia mul„ti venatores vos inſequuntur.„ Et feliciter ſanè ipſis accidit obediviſſe: unus enim eorum à venatoribus ponè preſſus, in eccleſiam primùm, ac deinde in conventum confugit, ubi in Joſephi brachia proſiliit. Tum ipſe; "Nonne dixi tibi, ait, ne „ab eccleſia longè diſcederes, quia te excoriatu„ri eſſent?„ Liberavitque illum à venatoribus, qui eumdem ſibi dari petierant. Æquè felix fuit etiam alius lepus, qui perſequentibus eum canibus, ſub B. Joſephi tunicam confugit; cumque marchio Cupertinenſis, qui venatorum primarius erat, paulò pòſt adveniens, à Joſepho peteret, an leporem vidiſſet; "Ecce eum hîc, reſpondit, & noli il„lum ampliùs angere.„ Deinde ait lepori: "Abi, „abde te in hoc virgulto & ne te moveas.„ Paruitque lepus, immotis canibus, & marchione cum ſuis ſociis ob tantum prodigium ultra modum ſtupente *y*.

Jæpe habuit.

x

E

y

72 Attamen non hoc ſolo munere Deus virtutem Beati illuſtravit, ſed eum etiam aliis eximiis donis largiſſimè ditavit. Quamvis, ut ſuprà diximus, exiguo ingenio à natura dotatus eſſet, nec umquam litteris rectè imbutus, præter vulgarem Latinum ſermonem quidquam ſciret, (prout Cardinalis de Lauræa teſtatus eſt *z*) donatus tamen à Deo erat ſublimiſſimâ ſapientiâ, quæ etiam perfectioribus theologis admirationem movit. Ad ſenſum ſacrarum Litterarum, pſalmorum præſertim, profundè penetrabat; unde dicere conſueverat *aa*, „ſe non meliorem librum ſpiritualem comperiſ„ſe, quàm divinum Officium, atque inde ſe o„mne genus utilitatis haurire.„ De difficillimis myſteriis interrogatus *bb*, id eſt, de ſanctiſſima Trinitate, de Incarnatione, de prædeſtinatione, de efficacia gratiæ, de juſtificatione, aliiſque ſimilibus, promptus & alacer reſpondebat cum ſublimi doctrina, & difficultates à doctiſſimis viris propoſitas enodabat, atque exemplis à rebus corporeis petitis tam clarè illuſtrabat, ut unicuique perſuaderet. Hinc ex multis doctiſque Religioſis, qui id experti fuere, unus ajebat: "Hic plus ſcit, quàm „ego:„ alter: "Jam diſco novam & bonam theo„logiam:„ iſti: "Plus didici conferendo ſermo„nem cum patre Joſepho, quàm toto tempore, „quo ſtudui:„ alii: "Tam ſublimiter loquebatur „Joſephus de theologia, qualiter præcipui totius „mundi theologi non poſſent:„ omnes denique „teſtabantur,„ in Joſepho elucere ſancti Spiritus „dona, ſapientiæ, ſcientiæ & intellectus„.

Sapientiâ divinitus acceptâ multis admirationi eſt.

z

F

aa

bb

73 Ad cæleſte ſapientiæ lumen, quo maximè arcana fidei noſtræ myſteria penetrabat, accede-

bat

A bat lumen aliud, quo alienas cogitationes, reſque ſecretas & occultas clarè cognoſcebat. In primis cuicumque occurreret, qui animam peccato infectam habebat: "Vade, aiebat, lava tibi faciem, quam „ atramento conſpurcatam habes; „ vel: "Accom- „ moda arcum: „ quibus vocibus conſcientiam deſignabat, ut dictum eſt. Quodſi *cc* quis tunc ipſi diceret, ſe nullius peccati recordari; ipſe tempus, locum, modumque, quo peccaverat, indicabat: ſi verò poſt factam confeſſionem ad ipſum rediret: „Ah jam bene habet!„ blandus aiebat. Quin etiam reos, quos non videbat, agnoſcebat. Horum uni fores ſuas pulſanti inquiebat: "Abi priùs confeſſu- „ rus, deinde redi & intra.„ Nec aliter contigit, dum ipſe confeſſarii munere fungeretur. Recitaverat quædam mulier *dd* totam confeſſionem ſuam, quam paraverat; deinde ſubdebat, "ſe nullius al- „ terius peccati præterea conſciam eſſe. „ At Beatus repoſuit: "Confitere cogitationem illam, in „ quam tali ac tali loco conſenſiſti, „ prout eam verè conſenſiſſe conſtitit ex ejuſdem mulieris teſtimonio.

Arcanorum divinitus conſcius, varia

cc

dd

74 Ita etiam novitio *ee*, qui ex ipſius conſilio confeſſionem generalem conſcripſerat, ait: "Fili „ mi, hîc non rectè dixiſti; quia iſtud non ita fa- „ ctum eſt, uti ſcripſiſti; ſed tali ac tali modo.„ Similiter omnibus tironibus *ff* defectus ſuos etiam internos in quodam alloquio patefecit, ita ut omnes obſtupeſcerent. Quicumque præterea divinum Officium, vel litanias, vel Roſarium cum ipſo legeret, ſtatim de interna mentis ſuæ evagatione monebatur. Horum uni, "Eſto hîc„ (mente ſcilicet) aiebat: alteri clariùs inquiebat: "Cum continua „ mentis evagatione recitâſti PATER NOSTER.„ Alii denique, qui jam adveniente nocte Officium iſtius diei nondum dixerat; "Officium ubi eſt? aie- „ bat: Breviarium clamat contra te. „ Hinc *gg* legitur, omnes, qui cum ipſo agebant, dum aut maculati conſcientiâ, aut pravis affectibus agitati eſſent, valdè incommodè ſe habuiſſe. Ut autem defectus, ita & benefacta aliena revelabat. Mulieri *hh*, Eliſabethæ nomine, ex eccleſia egreſſæ gratias egit de SALVE REGINA, quod ipſa pro eo revera recitaverat. Pari modo *ii* cuidam Tertiariæ, veritæ quædam dubia ad ſpiritualem animæ ſuæ profectum ſpectantia ipſi manifeſtare; "Quem times „ ait? Dic audacter rem tuam.„ ac mox ſermonem ejus præoccupans, edixit omnia, prout ipſa exponere voluerat. Eidem nonnumquam aliàs dicere ſoluerat: "Tu heri veſperi flagellâſti te. Hu- „ juſmodi pœnitentiæ opus exercuiſti. Habuiſti ta- „ lem cogitationem. Impoſterum fac iſtud & omit- „ te illud.„

variis ſalubriter revelat; inter quos

ee

ff

gg

hh

ii

C

75 Simili ratione indicavit Cardinali Rapacciolo, epiſcopo Interamnenſi *kk*, quid boni in cubiculo ſuo incluſus egiſſet. Alio item tempore idem Cardinalis multa animi ſcrupuloſa dubia, quibus vehementer agitabatur, in epiſtola expoſuerat, ut ad Joſephum conſilii petendi causâ tranſmitteret: ſed eodem tempore, quo eam ſecretario ſuo in hunc finem tradidit, Joſephi litteras ab eodem accepit, in quibus non ſine ingenti admiratione reſponſum ad ſingula capita, quod deſideraverat, invenit. Religioſus quidam *ll*, nullo ſermone habito cum Joſepho, per ſocium ipſius recepit reſponſum ad omnia, de quibus ipſum *mm* conſulere decreverat: ſed & alteri, contriſtato, quòd auſteriorem religioſum Ordinem profeſſus non eſſet, Joſephus totus hilaris obvians, ait: "Quid habes? Quid melanchò- „ licus es? Non potes tu facere, quod faciunt pa- „ tres Reformati? Age, vive hilariter in Religione, „ quam profeſſus es.„

Cardinalem Rapacciolum, alioſque

kk

ll

mm

76 Nec erant ullæ cogitationes, licèt occultiſſimæ, & intra mentem concluſæ, ad quas Dei Servus magno ſuo lumine non penetraret. Cuidam novitio *nn*, qui inter cantandam Tertiam de horto & fructibus cogitaverat, animi ſui diſtractionem comiter exprobravit, internas ſuas voces ipſi repetendo: "Lubet hodie in ſilva in eam fici arborem aſcen- „ dere: ô quot ficos manducabo!„ Dum ſocius ejus laïcus *oo*, carduelem illius per viam portans, varias perſonas in animo recenſeret, quarum uni illam à Joſepho donandam judicabat, is inopinatò ad eum ſe vertens, ait: "Nulli illarum perſonarum, de „ quibus cogitâſti, aviculam illam donare volo: „ ſed volo ipſi dare libertatem.„ & aperta caveâ dimiſit. Non magis obſtabat locorum diſtantia *pp*, quo minùs ipſe lumine ſuo eò penetraret. Servus quidam juſſu dominæ ſuæ, quam acerbiſſimi dolores invaſerant, illum nocturno tempore accerſitum ibat; cùm Joſephus, qui nec eum viderat, nec cauſam adventus ſui ab eo didicerat, ex eccleſia Cryptellæ, in qua vacabat precibus, dixit ei: "Fi- „ li, redi domum; jam enim ceſſaverunt crucia- „ tus, & domina tua ſanata eſt.„

A. PASTROVICCHIO. *mirabiliter inſtruit.*

nn

oo

pp

77 Quodam veſpertino tempore cum patre Guardiano Cryptellæ colloquens, "Ah quantus fœ- „ tor!„ exclamabat ſubitò: "infernalis hic fœtor „ eſt!„ Nihil quidem ſentiebat Guardianus; at Joſephus, qui olfaciebat, & ejuſdem cauſam cognoverat, petita obtentaque facultate Cupertinum mox eundi, eò ſe velociter contulit, & ad certam domum rectà digreſſus, fores diu pulſavit, donec ſibi aperirentur: & ſuperatis cito gradu ſcalis, veneficos ac veneficas, unguentis oleiſque conficiendis occupatos invenit, quorum alia jam in vaſis depoſita erant, alia adhuc coquebantur. Quamobrem ſancta indignatione accenſus, ſcipione, quem opportunè attulerat, vaſa omnia in exilia fruſta comminuit, tamque terribilis apparuit, ut omnes illi venefici, attoniti ſe in fugam præcipites darent. Similiter dum alibi habitaret *qq*, revelavit modò ſanationem aliquorum graviter ægrotantium, modò aliorum in eadem urbe commorantium mortem, ac ſpecialiter *rr* mortem duorum ſummorum Pontificum Urbani VIII *ſſ* & Innocentii X *tt*, quæ utrique obtigit eodem temporis momento, quo ab ipſo fuerat prædicta. Poſſem hîc centum alia hujuſmodi, quæ, licèt occultiſſima & loco ac tempore remotiſſima, ab ipſo cognita fuiſſe, teſtes fide digniſſimi jurati aſſeruerunt *uu*, poſſem, inquam, ea hîc referre; ſed brevitatis gratiâ ſuperſedeo. Id ſcire ſufficiat, ſi ſtupendum in eo fuerit lumen in ſecretis præſentibus ac præteritis cognoſcendis, idem non minùs mirabile fuiſſe in futuris prævidendis.

Veneficorum opera diſſipat; duorum Pontificum mortem prænuntiat.

qq

rr

ſſ

tt

F

uu

ANNOTATA.

a *Ex eod. proc. Auxim. Apoſt. fol.* 267 *& ſeq., Summ. pag.* 394, § 17, *& alibi paſſim.*

b *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1078 *& ſeqq., & Summ. pag.* 93, § 175 *& alibi.*

c *Ex proc. Apoſt. Auxim. fol.* 627 *& ſeq., & Summ. pag.* 393, § 16.

d *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. fol.* 975, *& Summ. pag.* 81, § 70.

e *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. à fol.* 287 *terg. & ſeqq., fol.* 664 *in fine & ſeq., Summ. pag.* 387 *in fine* § 1, *& alibi paſſim ſub tit.* De obedientia.

f *Cit. Summ. pag.* 268, § XI *ad* 13.

g *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol.* 1080 *terg. & ſeqq., & Summ. pag.* 94, § 180 *& alibi.*

h *Fuit hæc Maria, filia Caroli Emmanuelis Sabau-*

A. Pastrovicchio.

baudiæ ducis & Catharinæ Austriacæ, Philippi II Hispaniarum regis filiæ, quæ Maria tertium Ordinem S. Francisci amplexa est. Berninus hunc laudatæ principis ad B. Josephum *accessum anno 1646 affigit, aitque eamdem, cùm Romæ degeret, ab Innocentio X Papa petiisse, ut* B. Josephum *in cella sua visere sibi liceret; sed id ab eodem Pontifice recusatum fuisse, quòd minimè deceret, eam in tam sancti Religiosi cellam intrare.*

i *Ex eod. proc. fol.* 1081, *& Summ. pag.* 94, § 181.

k *Sparsim in eod. Summ. sub tit.* De obedientia, *& alibi.*

l *Ex proc. ord. Auxim. compuls. à fol.* 1335 *& seq., super* 6, *& Summ. pag.* 167, § 297.

m *Ex eod. proc. à fol.* 1330 *& seqq., super* 6, *& cit. Summ. pag.* 158, § 227.

n *Ex proc. ord. Assis. compuls. à fol.* 1078 *& seq., & Summ. pag.* 94, § 178.

o *Ex proc. Apost. Auxim. fol.* 840, *& Summ. pag.* 395, § 33.

p *Ibid. Summ. pag.* 118, § 327.

q *Ex proc. Apost. Nerit. fol.* 435 *&* 436, *& Summ. pag.* 590, § 13.

B r *Ex proc. ord. Assis. compuls. fol.* 1141 *terg. & seqq., & cit. Summ. pag.* 106, § 247.

s *Ex proc. ord. Nerit. compuls. fol.* 741 *terg., & Summ. pag.* 291, § 8.

t *Ex eod. proc. ord. Nerit. fol.* 590, *& Summ. pag.* 469, § 9.

u *Ex eod. proc. ord. Nerit. compuls. à fol.* 747 *terg., & seqq., fol.* 755 *terg., & alibi, & Summ. pag.* 473, § 28, *pag.* 590, § 17 *&c.*

x *Ex proc. Apost. Nerit. fol.* 436, 499 *&* 518, *& Summ. pag.* 482 *& seqq.*, § 30 *&* 31, *& pag.* 590, § 14, *& alibi.*

y *Quæ à num.* 69 *huc usque relata fuere, nonnullis criticis suspecta forsitan videbuntur; non tamen humanam fidem superant, nec est, cur processibus legitimè confectis hæc eadem credere recusemus.*

z *Citatur in margine prædictus Cardinalis, relatus in cit. Summ. pag.* 12, § 17. *Consule Commentarium nostrum prævium* § 5, *ubi varia testimonia recensuimus, quibus tam naturalis* B. Josephi *insciția, quàm mirabilis sapientia divinitus accepta comprobatur.*

aa *Cit. Summ. pag.* 270, § 27, *& alibi.*

bb *Cit. Summ. pag.* 12, § 17, *pag.* 105, § 242

C *&* 243, *pag.* 162, § 259 *&* 260, *pag.* 269, § 84, *pag.* 270, § 27, *pag.* 279, § 35 *ad* 38, *pag.* 281, § 51 *&* 52, *pag.* 285, § 4 *&* 5, *pag.* 312, § 6, *& alibi.*

cc *Ex eod. Summ. pag.* xi, § 16, *& sub num.* 38 *à pag.* 467 *& seqq., & alibi.*

dd *Ex proc. Nerit. ord. à fol.* 634, *& Apost. fol.* 417.

ee *Ex proc. ord. Assis. compuls. fol.* 1124, *& Summ. pag.* 490, § 33.

ff *Ex eod. proc. Assis. loc. cit., & Summ. pag.* 491, § 34, *& alibi.*

gg *Ex proc. Apost. Nerit. fol.* 268 *& seqq., Summ. pag.* 477, § 8, *& alibi.*

hh *Ex proc. ord. Nerit. fol.* 634, *& Summ. pag.* 471, § 23.

ii *Ex eod. proc. fol.* 610, *& Summ. pag.* 470, § 14 *&* 15.

kk Interamna, *vulgò* Terni, *antiqua Umbriæ civitas est in ditione Ecclesiæ. Interamnensi episcopatui Franciscus Rapaccioli S. R. E. Cardinalis, de quo hîc agitur, præfuit ab anno* 1646 *usque ad* 1656, *quo eum sponte dimisit, teste Italia sacra Ughelli aucta, tom* 1, *col.* 765. *Pro factis, quæ hîc in Vita narrantur, notatur in margine: Ex proc. ord. Assis. compuls. à fol.* 1122 *& seqq., & Summ. pag.* 490, § 31 *& alibi.* D

ll *Ex proc. ord. Auxim. fol.* 986, *& Summ. pag.* 350 § 16.

mm *Ex proc. Apost. Assis. fol.* 248 *terg. & seq., & Summ. pag.* 496, § 6 *&* 7.

nn *Ex eod. proc. Assis., fol.* 418 *& seq., & Summ. pag.* 500, § 25.

oo *Ex proc. ord. Nerit. fol.* 666 *& seq., & Summ. pag.* 45, § 129.

pp *Sparsim in eod. proc. Nerit. ord. & Apost., & in Summ., ubi* De donis supernaturalibus *dicti Beati.*

qq *Specifici casus in eod. Summ. pag.* 484, § 6, *pag.* 506, § 51 *& alibi.*

rr *Ibid. pag.* 488, § 24, *pag.* 527, § 45, *& alibi.*

ss *Berninus* B. Josephum *de morte Urbani VIII Papæ eodem, quo Romæ contigit, matutino tempore Assisii ad patrem Robertum Nutium, sui Ordinis Religiosum, his verbis, ex processibus haud dubiè excerptis, vaticinantem exhibet:* Scias Papam obiisse; idque ego scio, quia hoc manè Missam celebrans, ipsius nomen in Memento vivorum E non reperi, sed in mortuorum subitò inveni: die autem Dominica nuntius in hanc civitatem afferetur. *Deinde observat Berninus, ista anno* 1644, *die* 29 *Julii, qui Veneris erat, & quo Urbanus defunctus est, accidisse, ejusque rei nuntium, ut Beatus prædixerat, die Dominica proximè subsecuta per Marinum Nati, Cardinalis Antonii Barberini secretarium, Assisium allatum fuisse.*

tt *Idem Berninus, laudatis in margine processuum locis, rem sic ferè narrat. Anno* 1655, *die* 7 *Januarii, Beatus Assisii è cella sua ad sacellum Missam dicturus egressus, visis vestibus sacerdotalibus coloratis, ministro ait:* Da mihi paramenta pro mortuis, quia hoc momento Romæ mortuus est Papa. *Addit denique vaticinium ab eventu fidem habuisse.*

uu *Ibid. sub tit.* De donis, *& sparsim alibi per totum.*

CAPUT VII.

Varia Beati vaticinia: apparitiones ipsi factæ: sanctitas etiam à dæmonibus contestata: miracula aliquot: illustrium personarum ad ipsum accessus. F

QUod ad ipsum spectat, totam vitæ suæ seriem quasi minutatim prædixit; de aliis verò innumera sunt exempla, quæ produci possent, ex quibus propterea tantùm pauca aliquot satis sit commemorâsse. Cùm *a* quædam mater binos filios suos ad eum adduxisset, ut ipsis benediceret, antequam Romam pergerent studiis operam navandi & doctoralis laureæ obtinendæ gratiâ; "Quid doctores, quid doctores?„ (respondit Josephus;) "doctores in paradiso;„ & revera ambo intra breve tempus mortui sunt. A nobili juvene Polono consultus, utrum sibi è duobus expediret, uxorem ducere, an ecclesiasticam vestem induere; cùm respondisset: "Nec unum, nec alterum;„ is intra paucos menses nec conjugatus, *Aliis vitam, mortem aliis prædicit;* a

A tus nec ſacerdos è vivis exceſſit. Alter *b* graviter decumbens, vitam ſuam ejus precibus commendavit, ut poſſet uxori, patri ac matri ſuæ neceſſaria comparare. At Beatus noſter exclamavit: "Quid „ uxor, pater & mater! Fili, tibi opus eſt patien- „ tiâ: Deus te vult: paradiſus, paradiſus, pul- „ chra res eſt paradiſus!„ Vaticinium eventus probavit: infirmus enim incolumitati tum reſtitutus, poſt paucos inde menſes inopinata morte exſtinctus eſt. Simili ratione etiam aliorum plurimorum mortem cum omnibus adjunctis præſagiit, alioſque jam infirmos de ſanitate recuperanda ſecuros reddidit.

b

c item mulieris converſionem, notario ſacerdotium, Portus-longi deditionem,

79 Nec minùs verax fuit vaticinium *c*, quod de vanæ & proſtitutæ mulieris converſione edidit, dum eam conſpicatus, circumſtantibus inquit; "Ecce „ Magdalenam;„ ac deinde ipſam alloquens, ait: „ Deus te vult: mitte vanum illum habitum, & a- „ ma Deum, Magdalena;„ quod ipſa ad amuſſim exſecuta eſt, converſa ad Deum, Magdalenæ nomine adſcito. Vera quoque comperta eſt ipſius prædictio de ſacerdotio cujuſdam notarii *d*, qui cùm illius monitis initio reſtitiſſet, adverſa ſibi ab eo prædicta expertus eſt; deinde clericalem habitum induit; ſed cùm defectu patrimonii ſacerdotium deſperaret, & Joſephus ipſi dixiſſet; "Macte „ animo; dum enim tempus aderit, Deus tibi pro- „ ſpiciet;„ patrimonium à perſona aliqua, à qua minimè exſpectaverat, accepit: atque ita tria vaticiniâ in ſeipſo impleta agnovit. Præterea deditio Portus-longi, quem exercitus regis Catholici anno MDCXLIX obſidebat, facta eſt, prout ipſe diu antè vaticinatus fuerat, in feſto Aſſumptionis ſanctiſſimæ Mariæ Virginis *e*. Nonnullis ſterilibus fœcunditatem, aliis prolem maſculam prædixit; & verus vates fuit.

d

B

e

f alteri filium, alteri matrimonium,

80 Cuidam doctori nobili Aſſiſiati *f*, qui ſe illius precibus ſæpe commendaverat, ut prolem maſculam impetraret, & ad eumdem denuò recurrerat pro uxore ſua, quæ doloribus partûs vehementer angebatur, promiſit, eam minimè periclitaturam. Poſtquam autem is abierat, acceſſit Religioſum familiarem ſuum, & lepidè ait: "Huic do- „ ctori hoc veſpere naſcetur filius; ſed nolui id i- „ pſi indicare, ne dicar prophetam agere.„ Verùm ultra modum mirabilis ſimul & favorabilis fuit acervus prædictionum, quas de quodam matrimonio edidit. Miſerat *g* ipſe ad patrem cujuſdam puellæ nubilis gratulandi causâ de concluſis ejuſdem filiæ nuptiis: verùm ille, etſi gratum haberet iſtud urbanitatis officium, reſpondit tamen, eas propter partium diſcordiam adhuc multùm remotas eſſe. Ad quæ ſubridens B. Joſephus "Quid? quid? re- „ ſpondit, ſi iſte (nempe ſponſus) pro ipſa natus „ ſit? Matrimonium hoc in cælo decretum eſt, & „ brevi contrahetur in terra.„ Matrimonio poſt hæc concluſo, mater ſponſæ, neſcio quod, veneficium in ſponſalibus verita, ſuſpicione ſua nemini indicata, Joſephum rogari juſſit, ut ad ſuam intentionem Miſſam celebraret.

g

C

& prolem maſculam, ac mortem ſuam,

81 At Servus Dei reſponſum remiſit, ne anxiaretur: & cùm ipſe ſe tum malè haberet, curaret Miſſam adversùs veneficia à parocho ſuo celebrari, ac ſponſalia interim contraherent: ſeſe illis prolem maſculam promittere. Attonita hoc reſponſo mulier, & de promiſſo filio læta, oravit Joſephum, ut ipſe tum puerum è ſacro fonte ſuſciperet; verùm ille ipſi denuò reſponderi juſſit: „ Conſule tibi meliùs; ego enim tunc in vivis non „ ero.„ Porrò quot in hoc facto voces, totidem ferè vaticinia protulit, quæ eventus probavit. Simili modo de robuſto juvene *h*, jam parato ad bellum proficiſci, "Non ibit,„ ait; nec ad bellum profectus eſt. Sic Religioſo ad miſſionem Congenſem *i* deſtinato dixit "Non ibis;„ nec ivit: ſic alteri Religioſo, qui ad ſtudendum Peruſiæ *k* deſtinatus erat, placidè inquit: "etiam Urbini bene eſt:„ neque Peruſiam miſſus eſt, ſed Urbinum. Nihil certè fiebat, quod ipſe futurum negabat; contrà verò quidquid præſaga mente prædixerat, revera contingebat.

h

A. PASTROVICHIO.

i k

82 Epiſcopatum patri Raphaëli Palma *l*, Cuſtodi ſacri conventus Aſſiſiatis, præſagiit, "O quàm „ pulchrum caput! inquiens, ô quàm bene tibi mi- „ tra quadrabit!„ & is epiſcopatum obtinuit. Nicolao Albergati, qui Ludoviſius poſtea dictus eſt *m*, Antonio Bichi *n* epiſcopo Auximano, & patri Laurentio de Lauræa *o* Cardinalatum prædixit; & hi omnes illum adepti fuerunt. Joanni Caſimiro de Polonia regnum præſagiit, eoque is potitus eſt. Cardinali Benedicto Odeſchalco, tum legato Ferrariæ, qui poſtmodum Papa Innocentius XI fuit, prædixit affore copiam frumenti, quod ipſe ut memoratæ civitatis inopiam levaret, magnopere deſiderabat; & frumenti copia facta eſt *p*. Binis patribus Cuſtodibus Aſſiſiatibus vaticinatus eſt, extremæ hujus ſacri conventus indigentiæ providendum eſſe, & abundanter proviſum fuit *q*. Religioſo, qui aliquam gratiam à patre Generali recèns electo deſideraverat, prædixit, eam ipſi concedendam, ſed multis annis pòſt ab alio Generali; & tunc ipſi conceſſa eſt *r*. Quæcumque denique aliis, qui innumeri ſunt, vaticinatus eſt, ea omnia in omnibus & cum omnibus adjunctis ſuis minutiſſimis vera comperta fuerunt.

uni epiſcopatum, aliis Cardinalatum, aliaque vaticinatur.

l m

n

o

p

E

q

r

83 Mirum non eſt, hujuſmodi animam, qualis erat Joſephi, quæ licèt ſenſibus illigata, ſemper tamen elevata in cælum verſabatur, magnum illud lumen è cælo accepiſſe; cùm cæleſtibus apparitionibus non minùs frequenter magnopere honoraretur. Ipſi plures Sancti apparuerunt, de cælo cum eo diſſerentes: ipſi angeli videndos ſe, & cæleſtia ſolatia præbuerunt; eidem Chriſtus ipſe elegantis pueri ſpeciæ apparuit, modò in Hoſtia conſecrata, modò etiam alibi, qui ſe in ulnis illius reclinabat, & ſuavibus verbis, ac blanditiis amore plenis, eum inenarrabili dulcedine replebat. Neque ipſi tantùm voluit Deus iſta ſenſibilia ſingularis amicitiæ ſuæ indicia exhibere, ſed eadem etiam multis aliis revelare. Hinc factum eſt *ſ*, ut eo die, quo Joſephus Aſſiſium advenit, quædam inſignis Dei ſerva ipſum duobus angelis ſtipatum introëuntem viderit. Altera *t* per revelationem didicit, angelum Joſephi cuſtodiæ deputatum è ſuperiori choro fuiſſe: quem quidem angelum ipſe tam ſingulari modo venerabatur, ut cellam ſuam numquam ingrederetur, antequam illum invitâſſet, ut prior introïret. Ab eadem venerabili Dei ſerva ſæpe viſa eſt anima ejus nunc in Jeſu Chriſti pectore, nunc in altiſſimi montis jugo, qui montem perfectionis ſignificabat.

Variis apparitionibus recreatur: ſanctitas ejus piis perſonis revelatur,

ſ

F

t

84 Sed per infenſiſſimi ſanctitatis inimici, dæmonis ſcilicet, confeſſionem fortè etiam luculentiùs, quàm per amicarum Dei teſtificationem, honorata fuit Joſephi ſanctitas. Is cuidam Religioſo exorciſtæ, qui chordulam, à Beato benedictam, energumenæ impoſuerat, ſic ait *u*: "Si ſcires virtutem „ illius Fratris, & quàm grata ejus anima Deo ſit, „ obſtupeſceres. Neceſſe quidem eſt, ut hæc di- „ cam, ſed Deus eſt, qui me ita loqui cogit. Ille „ Frater maximè capitalis hoſtis eſt, quem habe- „ mus.„ Et ut ſanè hoſtem ſuum inferni ſpiritus ipſum ſemper tractârunt. Erat quadam nocte *x* Servus Dei Aſſiſii in eccleſia, ad S. Franciſci altare precibus in-

eamdemque ipſi dæmones teſtantur, qui ipſum

u

x

A. PASTROVICCHIO.

intentus, cùm fores violenter aperiri, hominemque, qui pedes ferro armatos habere videbatur, introëuntem audivit. Deinde diligenter circumspiciens, advertit, pro ratione accessûs illius lampades unam post aliam exstingui, donec exstinctis omnibus, solus cum eo in tenebris versaretur. Tum verò dæmon, qui eam speciem induerat, in Josephum furibundus insiliit, utque præfocaret, in terram dejecto fauces manu sua validè constrinxit. Sed cùm is seraphicum patrem suum invocàsset, vidit illum velut è sepulcro exeuntem, & ardente candela lampades omnes denuò accendentem: ad quam lucem infernus hostis ex oculis subitò evanuit. Ab hoc eventu solebat Josephus S. Franciscum LAMPADARIUM ECCLESIÆ comiter appellare.

etiam sæpe pessimè vexant. *y*

85 Æquè vani fuere dæmonis conatus, dum, ut submergeret, eumdem in torrentem fluminis præcipitavit *y*; dum comprehendit, ut discerperet, invasitque, ut gladio perfoderet. Porro etsi ipsum tundere, & noctu diuque frequenter tamque horribili modo malè excipere permissum ei fuerit, ut ad ictuum sonos, & catenarum strepitum Religiosi commiseratione percellerentur, non potuit tamen invictam Josephi patientiam labefactare, qui inflicta sibi verba pro jocis reputans, interrogantibus, quid insoliti isti in cella sua strepitus sibi vellent, dexterè respondebat: "Quidam jocus fuit.„ Quamobrem nihil aliud dæmon implacabili suo odio effecit, quam quòd de sublimi sanctitate B. Josephi irrefragabile testimonium omnibus invitus dederit. Porrò Deus, qui hujusmodi dæmonum infestationes permittebat, ut Servus suus ex ipsis inferis majoris meriti ac sublimioris gloriæ materiem sumeret, præter jam dictos favores, etiam hìc in terris omnipotentem dexteram suam ipsi quasi mutuavit ad prodigia tam facilè patranda, ut ejusdem vita meritò dici possit non interrupta series miraculorum.

B

Pauca ex multis miracula recensentur. Viri nobilis plagam sanat:

86 Jam multa horum recensuimus pro ratione cujuslibet virtutis & pro ordine historiæ, ad quæ pertinebant, multóque plura supersunt hìc memoranda; sed ne supra modum longi simus, sufficiat dixisse, panem, vinum, mel, aliaque hujusmodi in manibus B. Josephi, vel ad ejusdem vocem abundanter multiplicata fuisse; contractos & paralyticos osculo Crucifixi, quem ipsis porrigebat, momento temporis erectos; infirmos penè cæcos solo attactu, aliosque omnino cæcos, applicato ipsius pileolo ac scripto ejusdem, perfecto visu donatos; unico signo Crucis innumeros febricitantes subitò sanatos, ac moribundos quasi à morte ad vitam è vestigio ab eodem revocatos fuisse *z*. Verumtamen non ingratum erit trium prodigiorum maximè mirabilium & simul gratissimorum distinctam relationem audire. Quidam nobilis Neapolitanus *aa*, nescio, quo ductus spiritu, B. Josephi cellam audaciter ingressus: "Hipocrita, ipsi ait, sce„lerate; non veneror personam tuam, sed habi„tum, quem gestas, & propter hunc confido fo„re, ut, si tu plagam meam signaveris, ea sane„tur.„ His dictis, plagam suam detexit: at Josephus ridere primùm cœpit; deinde hilari pariter humilique vultu respondit: Verum dicis; signavitque plagam, quæ eodem momento temporis sanata est.

C

z

aa

Cuidam amico & matri Cupertini morientibus, *bb*

87 Corporis geminatio, quæ rarò legitur contigisse, Beato nostro Cupertinensi bis concessa est. Octavio Piccinno *bb* de Cupertino, seni & viribus jam destituto, qui PATER cognominatus fuit, precanti, ut sibi morienti assisteret, Josephus, qui tum in conventu Cryptellæ habitabat, promiserat se id facturum: "Sic est, inquiens, veniam, ut tibi tunc „assistam, quamvis tum Romæ versarer.„ Promissio vaticinium fuit, & vaticinium magno prodigio conjunctum. Erat enim Josephus Romæ, quando senex in morbum incidit, & ingruente supremo agone, promptus accurrit, ut eum confortaret; prout à multis visus fuit, ac præsertim à sorore Teresia Fatali Tertiaria, quæ eumdem etiam allocuta est, cùm eo viso, plena stupore ait: "Frater Jo„sephe, quo pacto tu hìc es?„ At ille; "Ut ani„mam Patris Deo commendem, „ inquit, ac mox evanuit ex oculis. Similiter cùm Assisii habitaret, Cupertini se præsentem stitit *cc*, in agonia matris suæ, quæ eum tum videndi cupida, exclamabat dolenter: "O frater Josephe mi, non vide„bo te ampliùs!„ Tum verò apparuit magna lux, quæ totum cubiculum illustrabat: at moribunda ipsum jam conspicata, plena gaudii denuò exclamavit; "O frater Josephe, fili mi!„

D

cc

longè absens, assistit: occisa pecora ad vitam revocat.

E

88 Eodem tempore Beatus Assisii, gemebundus è cella sua orandi ergò ad ecclesiam pergens, patrem Custodem obvium habuit, à quo de tantæ mœstitiæ causa interrogatus, respondit: "Ista pau„percula mater mea jamjam defuncta est:„ quod verum fuisse, constitit tam ex epistola Cupertino Assisium deinde allata, quàm ex domesticis Auximanis, qui postea advenêre, testatique sunt, eumdem matri suæ moribundæ adstitisse *dd*. Stupendum denique fuit prodigium, quod Cupertini patravit. Cùm *ee* horribilis grando ferè omnes cujusdam villæ *ff* oves occidisset, pastores earum ad B. Josephum supplices recurrerant: quorum ipse visis lacrymis ad commiserationem motus, unà cum ipsis in campum sollicitus progressus est, & post elevatam ad Deum mentem singulas oves mortuas è terra levavit, dicens: "Erige te in nomine „Dei:„ ac mox omnes reipsa revivìscentes subitò surrexerunt, cum tanto pastorum stupore, ut ad agendas tam benefico Patrono suo gratias vires ipsis deessent.

dd

ee

ff

Invisitur à variis Cardinalibus

89 Nil mirum igitur, si Vir tam insignibus virtutibus ornatus, tantisque donis illustris, populum ad se traxerit, ubicumque habitaret, ac pia etiam secularium sodalitia excitaverit, ut ipsum sodalibus suis adscriberent; (prout fecerunt Romæ venerabilis archiconfraternitas S. Antonii Patavini, & Assisii spectabilis sodalitas S. Stephani) utque felices sese reputaverint, quotquot eum cognoscere & cum ipso agere licebat. Tam amabilis erat ejus vultus, tam suavis sermo, tam affabilis congressus, ut omnes sibi devinciret. Nec tantùm à mediæ sortis hominibus, sed etiam à plurimis primæ dignitatis personis invisebatur, & ab omnibus SANCTUS FRATER appellabatur, habebaturque, & in veneratione erat *gg*. Præter eminentissimos Cardinales Facchinettum, Ludovisium, Rapacciolum & Odeschalcum, jam memoratos, sanctitatem ipsius admirati veneratique fuerunt Cardinales Donghi, Pallotta, Verospi, Paluzi, Sacchetti, aliique, qui omnes ab eo numquam non recedebant cum summo solatio, quod ex probata virtute, ex acceptis sanctissimis documentis, visis ecstasibus ac raptibus, aliisque spiritûs ejus mirabilibus conceperant.

F

gg

& principibus: Joanni Casimiro, postea Poloniæ regi *hh*

90 Leopoldus Hetruriæ princeps *hh*, qui postea Cardinalis creatus est, inter ceteros Assisium etiam venerat, non alia de causa, quàm ut Josephum videret: cúmque pater Custos quamdam S. Mariæ Virginis laudem memorâsset, vidit ipsum in ecstasim raptum, oculis ad quamdam ejusdem beatissimæ Virginis imaginem conversis, in eoque corporis habitu, quo pingitur S. Franciscus, quando

sacra

A sacra stigmata recepit. Ex Italia, ubi celeberrima erat fama ejus, in Germaniam, Franciam, Poloniam, aliasque regiones penetravit. Hinc non soli suprà memorati princeps Brunsvicensis & archithalassius Castellæ, sed etiam multi alii principes & illustres viri sanctum Hominem visendi gratiâ Assisium adierunt, ubi ipsius præsentiâ famam superatam agnoverunt. Inviserunt eum ibi ex Francia dux Bullionii; *ii* ex Austria Elisabetha ducissa Mantuæ *ii*; ex Polonia principes Radzvil & Lubomischi cum uxoribus suis, princeps Zamoschi aliique palatini, & sæpiùs *kk* ipse regius princeps Joannes Casimirus *kk*, cui Josephus, post auditum ab eo suum Religiosi Ordinis amplectendi desiderium, suasit, "ne alteri, „quàm Jesuitarum nomen daret, quia cum tem„pore futurum esset, ut ipsi ad seculum regredi „conveniret, quod non posset ex aliis.„

varia suadet; curiosam marchionissam repellit.

91 Aliàs eidem præterea auctor fuit, ne sacris Ordinibus, ut postulabatur, initiari se sineret; Deum enim suam ipsi voluntatem postea expressè manifestaturum. Revera Postmodum ab Innocentio X Cardinalis creatus, mortuo denique ejusdem fratre Vladislao rege, Poloniæ rex electus fuit. Quam ob rem Josephus illum secularibus indutum vestibus Assisii conspicatus, dum in regnum B suum Româ proficiscens, illud transiret, subridens ei ait: "Quid dixi tibi? Vade, sic plus boni Chri„stianæ reipublicæ præstabis, quàm si Religiosus „esses.„ Hisce dictis rex multum recreatus, discessit. Cumque insignem B. Josephi sanctimoniam perspectam haberet, eumdem in rebus arduis per litteras sæpe consuluit, & ex ejusdem responsis opportuna consilia accepit, non modò de iis, quæ proposuerat, sed etiam de aliis ad Poloniam spectantibus, quæ B. Josephus jam præviderat. Verùm vehementer afflicta fuit illustris quædam domina *ll*, quæ simul cum aliis ex sola curiositate *ll* Beatum in raptu spectandi, ipsum invisebat. Etenim simul ac ipsa omnium ultima coram illo comparuit, dictura, ut conventum fuerat, JESUS & MARIA, audivit se ab illo rejici his verbis: "Quid „igitur? Huc venis ex curiositate? Nescis, Deum „posse miracula facere per istud lignum? Abi, „Deo propitio.„

Maria princeps Sabaudica, ipsi addictissima,

92 Non sic excepit sæpe memoratam Infantem Mariam Sabaudicam, Caroli Emmanuelis Sabaudiæ ducis & Catharinæ Austriacæ filiam. Hæc illustris princeps à primis annis pietati singulari modo addicta, ac postmodum à patre magistro Francisco Angelo Cavallari, Ordinis Minorum Conventualium, C tum temporis guardiano conventûs S. Francisci Taurini, habitu tertii Ordinis S. Francisci induta, *mm* post visa Italiæ sanctuaria, venit Assisium *mm*, ibidemque cum Josepho collocuta, mox se tam sanctè affectam sensit, ut durum ipsi videretur longo tempore ab eo abesse. Hac de causa multos dies in Rivotorto, qui locus est non procul ab oppido dissitus, & unum circitèr mensem Perusiæ substitit, unde singulis hebdomadis Assisium frequenter regressa, de rebus animæ suæ cum B. Josepho conferebat, & dies integros sacris cum eodem colloquiis traducebat. Crevit in ea veneratio erga Servum Dei pro ratione prodigiorum, quorum ipsa spectatrix fuit, ac sæpe etiam particeps.

nn mirabilium illius particeps

93 Erat ipsa surda *nn*, solita ideò aliorum voces ope tubi argentei, auribus admoti, excipere; sed sine tubo vocem Beati, etiamsi ab ea nonnihil distaret, semper intellexit. Cùm digitum suum, quem claudendo fores læserat, illius cingulo circumdedisset, acerbissimo dolore, quo cruciabatur, extemplo liberata est. Ut porrò Sacrificio ipsius sæpe intererat, sæpe etiam ejusdem ecsta-

ses & mirabiles raptus admirabunda spectavit *oo*. Vidit illum in privato suo sacello ad elevationem consecratæ Hostiæ tribus palmis à terra elevari; in sacello autem sacri veli Mariæ Virginis, cui ipsa portionem sanctissimæ Crucis, auro circumdatam, donaverat, vidit illum tempore Missæ sæpius ecstaticum; ac positis deinde sacris vestibus, volantem supra ejusdem sacelli altare, ibidemque genibus flexis suavi raptui inhærentem. Vidit denique eumdem etiam super prandium ecstasi affectum, cùm quodam die, permittente & præsente sacri conventus patre Custode, (ut mox subdam) in superioris ecclesiæ sacristia cum eo voluit prandere.

A. PASTROVICCHIO. *oo*

& sæpe spectatrix fuit. pp

94 Josephus itaque *pp*, urgente obedientia, ad eam se contulit, prandium suum secum portans, dicensque, se cuidam pauperculæ peregrinæ cibum ferre. Sed dum cœpto prandio tertiam buccellam sumeret, extemplo in ecstasim raptus, in genua procidit, expansis brachiis, oculisque in principem fixis, quæ eo spectaculo multùm piè gavisa est. Eâdem deinde patri Custodi innuente, ut eum per sanctam obedientiam ad sensus suos revocaret, ad vocem superioris usui sensuum subitò redditus est, & inclinato capite, ad cellam suam è vestigio redivit, nihil aliud locutus, nisi quod in ejusmodi occasionibus dicere soluerat. "Fiat cor meum immacula„tum, ut non confundar.„ Interrogatus postmodum à quodam Religioso de istius facti adjunctis, respondit: "Habemus duas sanctas Claras, unam „adhuc viventem in terra, alteram in cælo;„ subdiditque, visum à se in facie ipsius tantum splendorem, ut ei non potuerit resistere, ideóque sese repentè deorsum demisisse. Ita scilicet istius principis sanctimoniam unicè laudabat, ut suam ea arte dexterè celaret. E

ANNOTATA.

a *Ex proc. Apost. Assis. fol.* 196 *& seqq.*, *& fol.* 224 *terg. & seqq.*, *& Summ. pag.* 495, § 2, *& pag.* 496, § 4, *& alibi.*

b *Ex proc. ord. Assis. compuls. fol.* 1210 *terg. & seq.*, *& Summ. pag.* 493 *& seq.*, § 46.

c *Ex proc. ord. Nerit. compuls. fol.* 628 *& seq.*, *& Summ. pag.* 470 *& seq.*, § 19.

d *Ex proc. Apost. Assis. fol.* 488 *& seqq.*, *& Summ. pag.* 502, § 36 *&* 37.

e *Pro hoc vaticinio citatur in margine proc. ord. Assis. compuls. à fol.* 1122 *& seqq.*, *& Summ. pag.* 489, § 29 *& alibi. Berninus verba processûs refert, quæ quia longiora sunt, rem paucis exponam. Portus-longus*, Porto-longone *vulgò dictus, munita arx est in Ilua maris Tyrrheni insula, è regione Plumbini. Galli eam anno* 1646 *ab Hispanis ceperant, & hi eamdem anno* 1650 *vicissim obsederunt. Interea* B. Josephus, *petentibus Ludovisiis principe ac Cardinali, à patre Ludovico Spontone Minore Conventuali rogatus fuerat, ut pro felici successu Deum precaretur, ejusdemque exitum indicaret. Primum lubens fecit Beatus, secundum diu renuit; causatus, hujusmodi res soli Deo notas esse. Tandem cùm quadam die Dominica pater Spontone importuniùs instaret*, Josephus nullo reddito responso, usque ad portam cellæ suæ, quæ non procul aberat, & supra quam imago Virginis sine labe conceptæ depicta erat, cucurrit, ibique subsistens, & ad patrem Spontone conversus, hæc ait: „Age audi: Scribe domino tuo, quando hujus festum (digitum in dictam imaginem intendebat) cum octava celebrabitur, victoriam referendam. *Porrò eventus vaticinium probavit: eodem enim anno, die* 15 *Augusti, quæ beatissimæ Virgini*

F

A. Pastrovicchio.

gini in cœlos assumptæ festiva est, arx reddita Hispanis est. Hinc idem, qui prædicta testatus est, ibidem affirmat, vidisse se Cardinalis Ludovisii litteras, easque apud se servare, in quibus ille ad patrem Spontone inter cetera sic scripsit: Victoria de Porto-longo relata jam est, arce armis Catholicis reddita, atque ita verum compertum est, quod pater Josephus paternitati vestræ multò antè prædixit. *Cetera apud Berninum ista anno 1649 contigisse dicuntur; sed errorem aliunde detexi.*

f *Ex proc. ord. Assis. fol. 397 & seq., & Summ. pag. 483 & seq., § 1, & alibi. Berninus doctorem hunc* Gratianum Benigni, *conjugem verò* Olindam, *filiumque inde natum* Antonium Rutilium *appellat.*

g *Ex proc. ord. Auxim. compulsf. à fol. 1277 & seqq., & Summ. pag. 513, § xi per tot.*

h *Pro hoc ceterisque, quæ sequuntur, vaticiniis in margine legitur: Ita sparsim ex omnibus processibus respectivi testes in eod. Summ. pag. xi, § 14 & 15, pag. 293 & 294, § 4, 5 & 6, pag. 488, § 26, pag. 511 § 3, 4, 5, pag. 517, § 24 & 25, pag. 520, § 8, pag. 522, § 18, & alibi sub num. 38 per tot.*

i Congum *regnum vulgò* Congo, *Africæ regio est in Æthiopia inferiori.*

B

k Perusia, *indigenis* Perugia, *episcopalis civitas est sub dominio Pontificis, & Perusini agri caput.*

l *Apud Ughellum tom. 9 Italiæ sacræ auctæ, col. 168 dicitur hic anno 1650 episcopatum Uritanum obtinuisse, & circa initium anni 1674 vitâ functus esse. Porrò* Uria, *quam Itali* Oria *dicunt, regni Neapolitani civitas est in provincia Hydruntina.*

m *Consule Commentarium nostrum prævium num. 32 & sequenti, ubi ipsa Eminentissimi Ludovisii de hoc vaticinio verba recensuimus.*

n *Berninus ex processibus rem sic ferè exponit: Illustrissimus Antonius Bichius Auximo, ubi episcopus erat, discesserat, spargebaturque per civitatem rumor, illum S. Nicolai Tolentinatis venerandi causâ Tolentinum proficisci: quod cùm* B. Josepho *nuntiatum fuisset,* Certò scias, *respondit,* ipsum profectum Romam esse, ut purpureum galerum recipiat. *Subdit, id ita, ut Beatus prædixerat, contigisse, laudatumque illustrissimum eo anno 1659, die 10 Novembris sacrâ purpurâ ornatum fuisse, quam Alexander VII Papa jam à die 9 Aprilis anni 1657 ipsi destinaverat, sed* in pectore, *ut ajunt, eò usque reservaverat.*

C

o *Fuit is frater Laurentius Brancati, Ordinis Minorum Conventualium, præstanti ingenio, editisque Operibus clarus, qui ab Innocentio XI Papa anno 1681, die 1 Septembris purpuratorum patrum collegio adlectus, Cardinalis Lauræa nuncupatus est à patria sua* Lauria *vel* Lauræa, *quæ pagus est regni Neapolitani in provincia Basilicata.*

p *Res, ut gesta est, à Bernino in hunc ferè modum exponitur. Laudatus Cardinalis Odescalchus, Ferrariæ legatus Pontificius, dolorem, quem ex afflicta præ frumenti inopia civitate sua Ferraria conceperat, apud* Josephum *bis effuderat; hic verò toties respondera:* Esto hilari animo, quia sunt certæ naves in mari. *At Odescalchus, non satis intellecto, quid ista sibi vellent, Assisio Lauretum profectus est, ubi cùm palatii gradus ascenderet, litteras ab illustrissimo Sanfelice, hujus civitatis vice-legato accepit, quibus de duabus navibus frumento onustis, ad ea littora appulsis certior fiebat. Quo nuntio lætus,* Ecce naves fratris Josephi, *exclamavit.*

q *De utroque consule Commentarium prævium num. 46 & seqq.*

r *Berninus factum narrat cum his adjunctis. Religiosus ille erat frater Carolus à Corinaldo (locus est diœcesis Senogalliensis in ducatu Urbinate) ejusdem Ordinis laicus, qui cùm gratiam, quam à patre Generali suo desiderabat,* B. Josepho *exponeret, respondit hic:* Audi, fili, commenda te cuidam superiori, qui inopinatò & brevi Corinaldum adveniet, is enim brevi, sed post mortem meam, Generalis erit, & is, non autem Generalis hodiernus, gratiam, quam cupis, concedet. *Subdit, superiorem illum, Andream Hispellatem, inopinatò Corinaldum advenisse, eumdemque anno 1665 ad sui Ordinis Generalatum provectum, petitamque gratiam concessisse.* D

s *Ex proc. ord. Assis. compulsf. à fol. 1144 & seqq., & Summ. pag. 107, § 250 ad 255 & alibi.*

t *Apud Berninum legitur hæc fuisse soror Cæcilia de Nobili Nucerina, de qua suprà jam meminimus.*

u *Ex proc. ord. Assis. compulsf. fol. 1207 & seqq., & Summ. pag. 592 & seq., § 36.*

x *Ex eod. proc. fol. 1097 & seqq., & Summ. pag. 100, § 219.*

y *De hoc facto lege Commentarium num. 49.*

z *Pro hisce omnibus in margine apponitur: Hæc omnia sparsim liquent ex omnibus processibus, & ex* E *Catalogo miraculorum in vita, in Summ. sub num. 39, 40 & 41, à pag. 529 ad 595. Consule etiam Commentarium nostrum prævium § 4, ubi aliquot ab eo vivo patrata miracula paulò latiùs recensuimus.*

aa *Ex proc. ord. Nerit. compulsf. à fol. 664 & seqq. super 18, & Summ. pag. 44, § 124.*

bb *Ex eod. proc. fol. 609 & 610, & Summ. pag. 469, § 13.*

cc *Ex proc. Apost. Auxim. fol. 857 & seq., & Summ. pag. 527, § 46.*

dd *Bernini narratio nonnihil ab hisce discrepat; sed malo Vitæ nostræ, licèt multa tantùm perstringat, ob rationem in Commentario datam inhærere.*

ee *Ex proc. Apost. Nerit. fol. 498 & seq., Summ. pag. 481, § 28, pag. 590, § 18, & alibi.*

ff *Berninus locum hunc* Li Quarti *appellari affirmat.*

gg *Pro recensione illustrium personarum, quæ subduntur, in margine sic legitur: Hæc passim liquent ex utroque proc. Assis., ord. & Apost., in Summ. pag. 98, 103, 104, 117, 120 & alibi, ubi & alia insignia sunt monumenta Cardinalis Ludovisii pag. 4; Cardinalis Facchinetti, pag. 5; Cardinalis Bichii pag. 5 & 6; Cardinalis Spinulæ pag. 7, Cardinalis Columnæ pag. 7, 8; Cardinalis de Lauræa pag. 8 ad 12; archiepiscopi Avenionensis à pag. 260; episcopi Alexanensis sparsim per tot., episcopi Potentini à pag. 267; episcopi Vigiliensis à pag. 273, & alia plurima in archivo Postulationis ejusdem causæ.* F

hh *Fuit is Leopoldus Medices Florentinus, Cosmi II magni Hetruriæ ducis & Mariæ Magdalenæ Austriacæ filius, quem Clemens IX Papa anno 1667 purpuratis Patribus adscripsit.*

ii *Erat hæc Isabella Clara, Leopoldi Austriaci, Oenipontis archiducis filia, & Caroli Gonzagæ III Mantuæ ducis uxor. Berninus hujus ad Beatum accessum anno 1652, quo is Assisii etiam habitabat, affigit, & laudatis in margine processûs locis ait, ipsam vesperi cum illo de animæ suæ negotiis in sacristia collocutam, postridie etiam ejusdem Missæ in ecclesia interfuisse, & utraque vice tam sanctitatem & doctrinam, quàm ecstases raptusque admiratam fuisse. Addit denique ex processibus, ipsam, dum discederet, tunicam ejusdem*

Beati,

A *Beati, à conventûs ſuperiore obtentam, veneratio-nis ergò ſecum Mantuam aſportâſſe.*

kk *Joannes Caſimirus, Sigiſmundi III, Poloniæ regis ex Conſtantia Auſtriaca filius, & Vladiſlai IV Poloniæ pariter regis frater natu minor, Societatem Jeſu Romæ ingreſſus, ab Innocentio X Papa anno 1646 S. R. E. Cardinalis renuntiatus eſt; ſed mortuo deinde anno 1648 fratre ſuo Vladiſlao, Poloniæ regnum obtinuit, quo poſt diuturnum regimen ſponte abdicato, anno 1672 in Gallia obiit. Porrò pro his, quæ de ipſo in Vita narrantur, in margine laudantur Cardinalis de Laurea ex ore ipſius principis Summ. pag. xi, § 14, reverendiſſimus Claver epiſcopus Potentinus ibid. pag. 268, § 14, & alii ſparſim in eod. Summ. per tot.*

ll *Ex eodem Summario, pag. 274, § 8. Berninus, notato in margine eodem loco, ſcribit, hanc fuiſſe Artemiſiam, marchioniſſam de Medicis, & ducis* del Corgna *ſororem, eamque ipſammet factum illud teſtatam eſſe, & ex eodem cum magno ſtupore agnoviſſe, arcana cordium* B. Joſepho *patuiſſe.*

mm *Ex proc. ord. Aſſiſ. compulſ. à fol. 1136 & ſeqq. Summ. pag. 104, § 235.*

B nn *Ibid. cit. § 235.*

oo *Ex eod. proc. à fol. 1054 & ſeqq. Summ. pag. 87, § 119 & ſeqq.*

pp *Ex eod. proc. fol. 1090, & Summ. pag. 99, § 209, 210.*

CAPUT VIII.

Humilitatem eximiè colit: Innocentii X PP. juſſu ad Capucinos ad Petram-rubeam tranſfertur: hinc ad conventum Foro-Sempronianum, ad quem poſt aliquam in Monte-veteri moram revertitur.

De ſe humillimè ſentiens, verbis & factis

ERat ſanè profundiſſima B. Joſephi humilitas inter tot honores, à cælo & terra ipſi delatos, multò mirabilior, quàm ipſa ejuſdem ſanctitas, à Deo & hominibus tanti facta & honorata. Non ſolùm numquam ullum jactantiæ verbum proferre auditus eſt; ſed ſeipſum velut viliſſimum totius mundi hominem ſemper reputabat, appellans ſe modo *a* "Hominem mortuum, ad omnia inutilem, „ modò "fratrem aſinum; „ modò "ſceleratiſſimum „ maximéque infamem inter omnes homines pec-„ catorem.„ Interdum etiam aiebat, "ſi quid boni „ in ſe eſſet, id totum Dei eſſe, qui ſemper ma-„ gna in majoribus peccatoribus ſolet operari.„ Quinimò mirabatur populum ac principes ad ſe accurrere, addebatque: "Ego ſanè neſcio, cur iſti „ veniant ad me, qui idiota & pauper peccator „ ſum.„ Hinc poſt quodlibet alicujus momenti opus, dumque principes perſonas reciperet, provolutus in genua & terram oſculatus, repetebat: "Non „ nobis, Domine, non nobis; ſed nomini tuo da „ gloriam;„ percutiebatque ſæpe pectus ſuum, & nonnumquam etiam gemebat præ dolore, quo ex hujuſmodi perſonarum acceſſu afficiebatur.

a

96 Viliſſimæ ſui ipſius æſtimationi, quam verbis exprimebat, convenientia facta jungebat. Humiliabat enim ſe *b* non ſolùm coram ſuperiori, ſed etiam coram omnibus inferioribus; viliſſimis officiis fungebatur hilariter; à plauſibus vehementiſſimè abhorrebat; injuriis, ſuique contemptu lætabatur; uti quodam die luculenter manifeſtavit. Dum enim ipſe cum aliquot Religioſis in cella ſua de rebus ſpiritualibus magno cum fervore diſſereret, confeſſarius illius inopinatò in eam ingreſſus, humilitatis probandæ gratiâ, voce ſeria & in modum contemnentis ficta, ipſi ait: "Quid loque-„ris, quid dicis hypocryta?„ Ad quæ Joſephus, nihil omninò commotus, repoſuit: "Sic eſt, ve-„ rum dicis, verum dicis:„ & ambabus manibus tecta facie, nullum verbum ampliùs protulit. Porrò ut dona gratiaſque à Deo acceptas occuleret *c*, rebus odoriferis, quas in eum finem ſecum portabat, attribuebat ſupernaturalem fragrantiam, quam ſine odoramentis, imò cùm etiam res fœtidas ſecum ferret, exhalabat, quemadmodum experientia comprobavit. Ecſtaſes verò ſuas raptuſque, ſomnum, defectus, animi deliquia, infirmitatem virium, aut aliquid hujuſmodi appellabat.

b

A. PASTROVICCHIO.

ſeſe ceteris poſtponit: gratias gratis datas

c

97 Sæpe *d* etiam eoſdem raptus & ecſtaſes ex internis amoris motibus præſagiens, ne adſtantibus admirationi eſſet, auditus eſt dicere: "Satis, ſatis „ eſt: ſiſte, ſiſte; non amplius!„ quin & Deum rogabat, ut cæleſtes illas deliciàs ſibi penitus ſubtraheret. Elucebat præterea ejus humilitas ex laudibus, quibus alios honorabat, monitiſque, quæ frequenter impertiebatur, novitiis præſertim, ad quos aiebat *e*: "Aliqui è vobis erunt concionato-„res; ſed nolite ſuperbire; quia concionator ve-„lut tuba eſt, quæ ſponte ſua non ſonat, niſi in-„fletur: ideóque antequam concionaturi eſtis, „ oportet Deo hæc dicere: Tu ſpiritus es; ego „ tuba, quæ ſine flatu tuo nil ſonat.„ Alio prorſus modo in ſui contemptum ad puerulum quemdam de ſeipſo locutus eſt. Erat Joſephus *f* ex obedientia in domo alicujus Tertiariæ Cupertinenſis, quando altera Tertiaria eò advenit, ducens ſecum puerulum ætatis trium circitèr annorum; quem Joſephus inter blandiendum in ſcabellum elevavit, cœpitque eidem dicere: "Mi parvule, di-„cito, ut ego dico: Frater Joſephus magnus „ peccator eſt, & quando morietur, ibit ad infe-„ros.„

occultare nititur: à trimo puero

d

E

e

f

98 Verùm parvulus, qui voces articulatim proferre ægrè poterat, nedum earum ſenſum intelligere, claris ac diſtinctis verbis reſpondit: "Frater „ Joſephus eſt magnus ſanctus, & quando morie-„tur, ibit ad paradiſum.„ Tum Beatus, iratum ſeſe exhibens, repoſuit: "Non ita dico ego; ſed poſt „ me dicito, ut ego dico: Frater Joſephus eſt ma-„gnus ſceleratus, &c.„ At puer eadem, quæ priùs, verba repetiit: "Frater Joſephus eſt magnus ſan-„ctus &c;„ quam ob rem Beatus etiam magis contriſtatus, aures ipſi & capillos vellicans, "Non „ vis, inquit, dicere, ſicut ego dico?„ ac denuò inſtitit, ut ſecum diceret: "Frater Joſephus eſt „ magnus ſceleratus, & quando morietur, ibit ad „ inferos:„ puer autem cœpit conſtanter tertiò repetere: "Frater Joſephus eſt magnus ſanctus &c.„ atque ita lacrymas præ gaudio omnibus adſtantibus excuſſit, probè ſcilicet gnaris, Deum, prout etiam aliàs fecit, hujus innocentis pueruli ore uti voluiſſe, ut B. Joſephum in illa ipſa ſui humiliatione remuneraretur & exaltaret.

mirabiliter laudatur.

F

99 Inter hæc cùm decreviſſet Deus merita Servi ſui per invictæ patientiæ exercitium multò magis augere, diſpoſuit, ut ſummus Pontifex Innocentius X ex copia & inſolita ſpecie donorum, populique ad ipſum confluentis frequentia induceret in animum, ipſum omnium oculis abſcondere; ſi-

Jubente Innocentio X, Petram-rubeam ad Capucinos

A. PASTROVICCHIO.

ve quòd hanc cautionem adhibendam censeret, sive ut tam famosam & mirabilem sanctitatem custodiret. Per litteras itaque *g* sacræ generalis inquisitionis sacri Officii patri inquisitori Perusino mandavit, ut Josephum Assisio transportaret in conventum patrum Capucinorum Petræ-Rubeæ, situm in declivi unius ex asperis montibus Carpenianis, diœcesis Feretranæ in ducatu Urbino; quod die XXIII Julii anni MDCLIII exsecutioni mandatum est. At Beatus, quamvis crucem illam sibi tolerandam, ex divina revelatione diu antè prævidisset, ad exemplum tamen Jesù, non nihil afflictus fuit; desiderabat enim apud Seraphicum patrem suum cum amantissimis Religiosis fratribus suis commorari.

g

100 Verumtamen postquam provolutus in genua *h*, patris inquisitoris pedes osculatus fuisset, superiorum mandato obtemperans, & divinæ voluntati se committens, in paratam rhedam insiliit, hilarique vultu & animo viam, nesciens, quò iret, aggressus est. Post iter *i* splendore virtutum suarum, solitisque ecstasibus ac prodigiis insuper illustratum (fossas enim ac præcipitia, stupente eodem ductore suo, in lectica feliciter transierat) Petram-Rubeam advenit, ubi ad pedes patris guardiani Capucinorum, quem etsi numquam à se visum statim agnoverat, se projecit *k*, eique, quemadmodùm ab inquisitore imperatum fuerat, ne cum quocumque alio, quàm cum patribus Capucinis agere, nec cuiquam scribere permitteretur, non solùm hac in parte, ne petitâ quidem umquam ejus mandati causâ, religiosissimè paruit; verùm etiam in omni alia re tam obsequentem se præbuit, ut sine ejusdem imperio nec passum moveret. Hîc sui semper similis in mortificatione, in patientia, aliisque virtutibus, nunc acerbam Jesu Christi passionem plangebat, nunc solitas suas spirituales cantilenas lætus cantabat, volebatque interdum, ut etiam Religiosi isti eas secum canerent.

transfertur: ubi cùm inclaresceret virtutibus

h

i

B

k

101 Pari modo *l* Deus ipsum ibidem honorabat cordium & rerum arcanarum cognitione, futurorum revelatione, miraculorum frequentia *m*, angelorum, Sanctorum, & ipsius Jesu apparitionibus, ac continuis ecstasibus & raptibus in cella, in horto, & maximè ad altare. Itaque cùm B. Josephus in desertis istis montibus jam omnino occultatus videri deberet, ibi Deus eumdem multò magis manifestavit; usque adeò, ut, cùm multitudinem populi, qui ipsius Missæ interesse vehementer desiderabat, ecclesia non caperet, alii in ejusdem tectum conscenderent, idque detegerent; alii ejusdem videndi gratiâ etiam parietem circumcirca perfoderent, & in eorumdem commodum mapalia & cauponæ prope monasterium struerentur *n*. Hac de causa *o* post trium mensium moram in Petra-Rubea, ex novo mandato ad archiepiscopum Urbinatem Româ misso, B. Josephus ab archipresbytero ejusdem metropolitanæ ecclesiæ, cui ea provincia data erat, inde translatus fuit ad eorumdem patrum Capucinorum conventum Foro-Sempronianum *p*.

ac miraculis, ob nimium populi concursum

l

m

C

n

o

p

102 In hoc novo itinere, quod, quia Deum ubique præsentem agnoscebat, alacriter perfecit, solito sæpiùs in ecstases raptus est, & consuetis prodigiis comitatus. Etenim mula refractaria, & equus asper, onerisque impatiens, quos ad B. Josephi obsequia destinaverant, ductorum vocibus paruerunt; & vehementissimus imber *q*, à quo ceteri omnes madefacti sunt, ne oram quidem vestis illius madefecit. Porrò adventus ejus in suprà dictum conventum, utut secretò habitus, Foro-Sempronienses non latuit. Hinc apud patres Capucinos continuè institerunt *r*, ut eum sibi videre liceret, & ipsius preces flagitare; tantaque interdum concurrebat æstuantis populi frequentia, ut ad omne assentiendi periculum & vim vulgi evitandum, laudati Religiosi tum aut è conventu non egrederentur, aut in eodem sese absconderent. Vixit itaque ibidem patientissimus Josephus noster, velut mortuus mundo, omnium oculis absconditus, etiam dum Missam celebraret *s*; in quem finem privatum altare ipsi fuerat erectum. Quam ob rem etiam hîc dicere potuit, quod patri guardiano, vespere, cùm ipse quieti se jam dedisset, interroganti; Quid hîc agitur, frater Josephe? aliquando hilariter respondit: "Sepelitur mortuus.,,

ad Foro-Sempronianum eorumdem conventum

q

D

r

s

103 Attamen Deo semper magis vivens *t*, mente sua in cœlo versabatur. Certè extra tempus, quod caritatis officiis erga Religiosos infirmos, & perfectissimæ obedientiæ, (nam ne in hortum quidem conventûs, uti ipsi concessum fuerat, sine superioris licentia volebat descendere) extra tempus (inquam) quod his, quodque pro vitæ suæ ratione humano consortio impendebat, semper cum dilecto sibi Deo versabatur. Ex continuis ecstasibus raptibusque, quibus hîc æquè ac alibi affectus fuit, tres præcipuè memorandi veniunt. Horum primus contigit in horto conventûs *u*, ubi, dum quidam pater Capucinus de excellentia B. Mariæ Virginis coram Josepho loqueretur, is expansis brachiis in ipsum insiliit, & utroque in terram dejecto ac vociferante, accurrentes Religiosi, Josephum immobilem & destitutum sensibus repererunt, qui hoc modo sesquihorâ perseveravit, mente interim in cælis commoratus.

abductus, solitariam vitam agit,

t

E

u

104 Secunda ecstasis accidit in eodem horto *x*, vespere Dominicæ, in qua legitur Euangelium: EGO SUM PASTOR BONUS. Josephus, viso ibidem agnello, pro more suo à rebus creatis ad supernaturalium ac cælestium contemplationem excitari se sensit. "Ecce, ait exsultabundus, oviculam; ,, cúmque eam arripere vellet, Religiosus quidam eamdem cepit, & in ipsius brachiis deposuit. Ipse verò postquam ei aliquantulùm blanditus esset, arreptam cruribus suo collo imposuit, & hac ratione divinum Pastorem comtemplatus, per hortum versùs patrem guardianum, qui aderat, cucurrit, lætabundus exclamans: "Pater guardiane, ecce bonum Pastorem, ,, qui ovem reportat.,, Post hæc agnello in altum vibrato, ipse retro illum per aëra supra arbores volavit, ibidemque flexis genibus, & brachiis apertis ultra duas horas in ecstasi mansit, Religiosis, qui aderant, supra modum stupentibus. Mirabilior tamen ac inopinata fuit ecstasis, in quam matutino tempore diei Pentecostes raptus fuit.

multisque ecstasibus & raptibus

x

F

105 Inter Missam celebrandam *y* cùm ea verba VENI CREATOR SPIRITUS proferret, divinus amor ex illius pectore tanta cum copia, tantâque vehementiâ erupit, ut ipse velociter ab altari resiliens, emisso instar tonitrûs clamore, velut fulmen per sacellum suum vagaretur, & tanto quidem impetu, ut omnes cellæ dormitorii tremerent, & Religiosi propterea ex iisdem confusè egressi, stupefacti, Terræ motus, terræ motus clamarent. Sed in sacellum Servi Dei introgressi, rei causam in ipso compererunt, videntes illum in ecstasim raptum & consolatoris Spiritûs deliciis immersum. Trium circitèr annorum fuit B. Josephi in conventu Foro-Sempronio mora, brevi tantùm tempore interrupta occasione capituli provincialis, propter quod ex mandato sacri Officii translatus fuit ad conventum eorumdem patrum Capucinorum in Monte-veteri *z*, ubi summo cum solatio moratus est, præsertim propter apparitionem, quâ

illustratur: hinc in Montem-veterem missus,

y

z

"San-

A "ſanctus Vetulus„ ut ipſe aiebat, id eſt, S. Felix *aa* eum honoravit.

bb deinde redit Forum-Sempronii, ubi Jeſus ei apparet.

106 Multo tamen majori gaudio perfuſus eſt *bb*, quando ad conventum Foro-Sempronianum regreſſo Jeſus Chriſtus peregrini habitu apparuit. Amabant illum tenerrimè iſti boni Religioſi, tum ob ea, quæ ſuprà jam diximus, tum quòd vaticinia ipſius ab eventu vera ſcirent, tum quòd arcana ſua aliaque occulta ab eo ſibi verè revelari agnoſcerent. *cc* Experti id præ ceteris fuerunt *cc* ſacerdos quidam, cui tentationem, quâ inter celebrandam Miſſam agitatus fuerat, revelavit; & novitius, cui ait, matrem ipſius ſingulis veſperis ei benedicere; & utrumque reipſa contigerat. Amabant denique eumdem propter ejuſdem documenta, inter quæ inſigne fuit illud, quod dedit cuidam Religioſo, roganti, an ſciret, "Portare penes ſe Regulam S. Franciſci, „ rem eſſe ab ipſo benedictam? „ Reſpondit enim, „ ſe quidem id optimè ſcire, ſed melius eſſe, *dd* „ eam portare in fronte, quàm in dorſo *dd*. „ Propter hæc igitur aliaque hujuſmodi, quæ præfixæ brevitatis causâ prætereo, nil mirum eſt, ſi optimi illi Religioſi, de Beati diſceſſu poſtea moniti, dolore, ut ita dicam, inconſolabili affecti fuerint. B

ANNOTATA.

a *Ita ex omnibus proceſſibus teſtes de viſu & auditu proprio, ſparſim relati in Summ. pag.* 295, § 3 & 4, *pag.* 442, § 1, 2, 5 & 8, *pag.* 444, § 3, 4 & 6, *& paſſim alibi ſub toto titulo:* De profundiſſima humilitate *à pag.* 441 *& ſeqq.*

b *Ibid. cit. Summ. pag.* 442, 450, 454 *& alibi ſub eod. tit.* De humilitate *per tot.*

c *Ex proc. ord. Auxim. fol.* 1308, *& proc. Auxim. Apoſt. fol.* 644 *terg.*, *fol.* 850 *& ſeqq.*, *& Summ. pag.* 446, § 25, *pag.* 449, § 6, *pag.* 452, § 21, *pag.* 454, § 33, 34 *& alibi.*

d *Ibid. pag.* 131 *& ſeq.*, § 99 *in fin.*, *pag.* 446, § 29, 30, *& ſparſim alibi in eod. Summ. per tot.*

e *Ex teſtibus de viſu, auditu & facto proprio cit. Summ. pag.* 446, § 22 *&* 23, *& alibi ſparſim per tot.*

f *Ex proc. ord Nerit. fol.* 627 *terg. & ſeq., & Apoſt. fol.* 426 *& ſeq., & Summ. pag.* 442, § 7 *&* 8, *& pag.* 443, *litt. E*, § 1 *&* 2. *Ex ſororibus Tertiariis, de quibus mox fiet mentio, Berninus primam* Claram Margiotti, *alteram* Tereſiam, *appellatas fuiſſe affirmat.* C

g *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 206 *terg.*, 401, 437, 495, 509 *terg.*, 548, 561, 611, 655, 711, *ad* 713. *Proc. Apoſt. Auxim. fol.* 417, 418, 520, 579, 589 *ad* 591. *Summ. pag.* 102, § 226, *pag.* 134, § 7, *pag.* 187, § 34, *pag.* 191 *&* 192, § 80, 81, 95, 96, 97, *pag.* 100, § 24, *& alibi. Conſule etiam Commentarium noſtrum prævium* § 6, *ubi hac de re paulò latius egimus.*

h *Ex eod. proc. ord. Aſſiſ. à fol.* 1115 *& ſeqq. proc. ord. Auxim. à fol.* 1026, *Summ. pag.* 102, § 226, *pag.* 213, § 205, *& alibi.*

i *Proc. Apoſt. Auxim. à fol.* 589 *ad* 591, *& à fol.* 1382. *Summ. pag.* 177, § 357, *pag.* 192, § 95, 96 *&* 97, *pag.* 261, *à* § 7 *& alibi.*

k *Ex dictis proceſſibus Summ. pag.* 143, § 68 *& ſeqq.*, *pag.* 149, § 133 *& ſeq.*, *pag.* 157, § 222, *pag.* 159, § 235, *pag.* 161, § 254, *pag.* 177, § 355, 357, 358, *pag.* 182, § 412, *pag.* 183, § 415 *& ſeq.*, *pag.* 192 *& ſeqq. à* § 95 *ad* 100.

l *Ex eod. Summ. pag.* 157, § 223, *pag.* 182, § 412 *& alibi.*

m *Summ. pag.* 148, § 125, *pag.* 152, § 179, *pag.* 182, *pag.* 186, § 17 *& ſeqq.*, *pag.* 189, § 66, *pag.* 200, § 87 *& ſeq.*, *pag.* 201, § 102, *pag.* 302, § 27, 28, 29, *pag.* 517, § 22, *pag.* 521, § 13, 14, *pag.* 594, § 49. A. PASTROVICCHIO.

n *De omnibus hiſce in conventu Petræ-Rubeæ geſtis lege Commentarium* § 7.

o *Ex eod. Summ. pag.* 147, § 124 *&* 125. *Teſtis Capucinus de viſu millium perſonarum &c, pag.* 168 *à* § 301, *& pag.* 179, § 376, *pag.* 329, § 55, 76, *pag.* 579, § 5, *pag.* 584, § 29 *& alibi.*

p *De hoc loco, ceteriſque huc ſpectantibus, egimus in Commentario prævio num.* 92 *& ſequenti.*

q *Sparſim in eod. Summ. loc. cit.*

r *Ex proc. ord. Auxim. à fol.* 1188, 1332 *& ſeqq. & alibi, & Summ. pag.* 140 *à* § 48 *& ſeqq.*, *pag.* 164 *à* § 279, *pag.* 170, § 318 *& alibi.*

ſ *Ex proc. Auxim. compulſ. à fol.* 1345, *& Summ. pag.* 171, § 325.

t *Ibid. pag.* 163, § 269, *pag.* 166, § 291 *& ſeq.*, *pag.* 169, § 310, *pag.* 170, § 323 *& alibi.*

u *Ex proc. ord. Auxim. compulſ. à fol.* 1338 *& ſeqq.*, *& Summ. pag.* 166, § 292. E

x *Ex eod. proc. ord. Auxim. à fol.* 1343 *& ſeq.*, *& Summ. pag.* 167, § 298.

y *Ex dicto proc. ord. Auxim. à fol.* 1344 *& ſeqq.*, *Summ. pag.* 168, § 299.

z *Ex eod. proc. ibid. Summ. pag.* 170, § 323. *Adi etiam Commentarium noſtrum num.* 94.

aa *De S. Felice à Cantalicio, Ordinis Minorum Capucinorum, ut Beato confeſſore, quo titulo illum Urbanus VIII Romanus Pontifex anno* 1625 *illuſtraverat, actum in Opere noſtro eſt ad diem* 18 *Maji, quo obiit, coliturque. Eumdem Clemens XI pariter Pontifex anno* 1712 *ſolemni canonizatione Sanctis adſcripſit.*

bb *Ibid. pag.* 152, § 180, *& alibi.*

cc *Ibid. pag.* 152, § 179, *pag.* 522, § 17 *& alibi.*

dd *Ibid. pag.* 140, § 51 *& alibi. Porrò hoc Beati reſponſum Latinè caret ſale ſuo, quem habet Italicè. Italis enim vox* addoſſo *amphibologica eſt, ſignificatque tam* in dorſo, *quàm* penes ſe. *Poſteriori modo accipitur in loco, quem verti; ſed Beatus in amphibologia ludens, Italicè aptè reſpondit, indicans, melius eſſe, Regulam in memoria habere & ſecundum eam vivere, quàm ejuſdem exemplar circumferre ſecum.* F

CAPUT IX.

Alexandri VII Papæ juſſu Ordini ſuo reſtituitur, & ad conventum Auximanum non ſine prodigiis reducitur: geſta ejus ibidem uſque ad ſupremum morbum.

Alexandro VII jubente, Auximum ad ſuos reducitur; a

SUmmus Pontifex Alexander VII ratus, Ordini Minorum Conventualium ſanctum Filium ſuum tandem aliquando reddendum eſſe, à ſuperioribus petiit, ad quem locum ipſum mittere decreviſſent *a*. Qui cùm reſpondiſſent, eum eidem ſacro conventui Aſſiſiati, ad quem priùs deſtinatus fuerat,

A. PASTROVICCHIO.

fuerat, reſtitutum iri, viſum Pontifici eſt, in laudato ſanctuario unum S. Franciſcum ſufficere; neque enim deeſſe poſſe optimi exempli Religioſos, ubi ſemper fuerat veræ obſervantiæ ſchola. Hinc paucis pòſt diebus eiſdem renuntiari juſſit, velle ſe, ut Joſephus mitteretur ad conventum S. Franciſci Auximi, quod vetuſta Marchiæ Anconitanæ civitas eſt, ſeptem tantummodò milliaribus à magno ſanctuario Lauretano diſſita, & cui tum epiſcopus præerat Antonius Bichius ejus nepos *b*. Secundùm hanc Pontificis voluntatem, anno quidem MDCLVI ſignificatam, ſed propter peſtilentiam, quâ tum Italiæ pars affligebatur, anno ſequenti primùm exſecutioni mandatam, juſſus eſt pater ſecretarius ejuſdem Ordinis illum cautè eò deducere *c*.

b

c

108 Hæc omnia, uti & ipſam horam, quâ diſceſſurus eſſet, ex divina revelatione jam noverat Beatus noſter; ideóque eodem veſpere diei VI Julii anni MDCLVII, horâ primâ noctis, feneſtram cellæ ſuæ aperuit, per eamque proſpexit: qua de re à ſocio ſuo Religioſo laïco, novitatem facti admirante, interrogatus, diſertè repoſuit, ſibi quàm mox ex eo conventu emigrandum eſſe ad ſuos, jamque appropinquare ſecretarium Ordinis ſui, ut ſe reducat. Subinde horâ noctis ſecundâ ſecretarius advenit, exhibitiſque patri guardiano mandatis, mox eadem nocte cum B. Joſepho inde diſceſſit. Religioſiſſimi autem patres, ut poſtrema magni amoris doloriſque ſui ſigna darent, licèt nox eſſet, per magnam præruptæ viæ partem uſque ad planam viam regiam Beatum comitati fuerunt; duo quoque ſudaria, unum dorſo, alterum pectori magna cum caritate impoſuerunt, ne, cùm ad planitiem uſque pedibus deſcendendum eſſet, ſudor ipſi noceret. Deinde, antequam valedicerent invicem, ſudaria ſua receperunt *e*, quæ ſimul ac extracta fuere, ſuaviſſimo odore fragrârunt, qui totam illam viam, & ad eorumdem reditum totum etiam conventum implevit, cujus incolis eò etiam gravior fuit tanti Viri amiſſio.

ſudaria ipſius ſuaviſſimè fragrant;

B

d

e

109 Contrà inenarrabilis fuit Religioſorum fratrum ſuorum de recepto Joſepho lætitia; ſed & ipſe quoque, licèt divinæ voluntati in omni loco promptiſſimo animo ſe ſubjeciſſet, multùm gaviſus eſt, quòd ad eos reverſus eſſet; uti in primum obvium conventum S. Victoriæ Frattarum *f* adveniens, ipſemet teſtatus eſt. Ductores illius, ut viarum periti, ab ea, quæ ad dictum conventum ducit, per nocturnas tenebras deflexerant, & in ſilva, quâ conventus cingitur, quaquaverſum oberrabant: ſed Beato, qui illum tractum numquam viderat, dicente: "Verſùs illam partem, „ubi luna oritur, illuc itur;„ eò iter intenderunt, ac mox ejuſdem conventus turrim conſpicati fuerunt. Cùm huc adveniſſet B. Joſephus, audito, conventum illum à ſancto patriarcha Franciſco conditum ſtabilitumque fuiſſe *g*, procumbens, terram oſculatus eſt, & Deo gratias egit, quòd remiſiſſet ſe, ut inter fratres ſuos viveret ac moreretur. Aderat ea nocte epiſcopus Foro-Sempronianus *h*, qui ſibi totique familiæ ſuæ ab eo benedici voluit, à quo diœceſis ſua ad id uſque tempus tantopere fuerat illuſtrata; unumque è domeſticis ſuis dedit, qui poſtera nocte, quâ Beatus profecturus erat, ejuſdem equum manu duceret, quò per vias illas admodùm ſcabroſas tutiùs incederet.

viam numquam antè à ſe viſam indicat,

f

C

g

h

110 Is famulus *i*, ut ſuo munere meliùs fungeretur, una manu frena, alterâ candelam ardentem tenebat, quæ, non obſtante valido, qui ſpirabat, vento, prodigioſè numquam exſtincta fuit, nec poſt multas horas, quibus arſit, vel minimum diminui viſa eſt, ac propterea ſacrarum reliquiarum inſtar ab eodem ſervo ſemper ſervata. Ad evitandum populi concurſum, qui de ejuſdem profectione jam inaudierat, iter ſic inſtitutum eſt, ut ex civitatibus ac caſtellis ſemper ad minores vicos & in agricolarum ædes diverteretur. In harum una cùm paupercula mulier melones ſuos, ex quibus familiam ſuam potiſſimùm alere conſueverat, in horto ſatos, à vermiculis corroſos & decorticatos plangens, ſeſe obtuliſſet, commiſeratione motus B. Joſephus, hortum benedixit, qui numquam tot tamque perfectos, quàm eodem illo anno, melones produxit. Cùm ad muros civitatis Auximi tandem ventum eſſet, juſſus eſt extra eam in quamdam domum ſe recipere, donec veſper ingrueret: decretum enim erat, ut veſpere in dictam civitatem ingrederetur.

candela mirabiliter ardente utitur:

i

D

melonibus paupercula benedicit,

111 Interea dum Beatus *k* in ruſticam pergulam aſcendiſſet, oculoſque per viciniam verſaret, Religioſus quidam ſacerdos tholum famoſæ eccleſiæ ſacræ Domus Lauretanæ à longè indigitavit, in quam Joſephus obtutum figens, "Non vi„des, attonitus inquit, angelos è cælo & ſacra „Domo euntes & redeuntes?„ Hæcque dicens ac ſæpiùs repetens, emiſſo ſolito clamore, deorſum raptus, verſus amygdalam ſpatio ſex perticarum *l* in longitudinem, in altitudinem verò palmorum duodecim volavit. Erat tum dies decima Julii anni MDCLVII, cujus veſpere B. Joſephus in S. Franciſci conventum ſui Ordinis Minorum Conventualium Auximi advenit; ubi in remotis cubiculis, quibus facellum & hortus aderat, cum ſocio, qui ipſum adjuvaret, inſerviretque, collocatus fuit, (quemadmodùm idem ſummus Pontifex Alexander VII mandaverat) ne mirabilia, quæ Deus in ipſo faciebat, concurſus populi perturbaret.

angelos ſupra Domum Lauretanam videt: Auximum advenit,

k

E

l

112 Toto itaque tempore, quo ibidem ſupervixit *m*, numquam cum aliis collocutus eſt, quàm cum epiſcopo ejuſque vicario, & Religioſis ejuſdem conventus; & dum ita exigeret neceſſitas, cum medico & chirurgo. Numquam etiam è cubiculis ſuis egreſſus eſt, niſi ut ægrotantes Religioſos inviſeret, & unica vice, ut eccleſiam videret; quod noctu, januiſque diligenter occluſis factum eſt. Vivebat nihilominus tam contentus ea ſolitudine, ut dicere ſoleret *n*: "Ego in civitate habito; ſed vi„deor mihi in ſilva, imò in paradiſo verſari.„ Et ſanè in paradiſo habitare ſe, verè dicere poterat, quia quaſi continuè mente ſua in paradiſum rapiebatur. Soli quidem Deo notæ erant ſuaviſſimæ ecſtaſes, quibus ſolus cum ſolo Deo conjungebatur; multæ tamen etiam hominibus manifeſtatæ fuerunt. Spectavit illas ſæpius Cardinalis Bichius epiſcopus, qui, dum cum illo ſibi aſſidente conferret ſermonem *o*, vidit eumdem velociſſimo motu è ſede ſua aſſurgentem, & flexis genibus, brachiiſque atque oculis apertis, ſenſibus ita deſtitutum, ut muſca in pupilla oculi longo tempore, quo durabat ecſtaſis, curreret, nec tamen ipſe vel palpebram moveret.

ubi ſolitariam vitam agens, multis ecſtaſibus

m

n

F

o

113 Earumdem ſpectatores fuerunt prædicti Religioſi *p*, à quibus viſus eſt modò in facello ſuo tam profundis ecſtaſibus per ſex ſeptemve horas inhærere, ut velut mortuus ad cellam ſuam relatus, ne ſic quidem ſenſibus reſtitueretur; modò in eodem facello trium paſſuum ſpatio volare, & os ſuum ori pueri Jeſu, poſiti in altari, admovere; modò aut eumdem Puerum complexus, in læta ecſtaſi per cellam ſuam exſultare, aut ad pectus ſuum cum tenerrimo affectu fortiter conſtringere: quamquam autem imago iſta è fragili cera eſſet, non tamen

raptibuſque & apparitionibus Jeſu recreatur,

p

rum-

A rumpebatur. Interdum denique ab iisdem etiam visus est in sacello suo cantare *q*, in quo in festis Natalitiis Domini pium præsepe erexerat, ad quod Religiosos omnes invitabat, qui ipsum tandem in ecstasim semper rapi advertebant. Ut verò *r* pueri Jesu icone plurimùm delectabatur, ita nusquam sæpiùs quàm Auximi, legitur Jesus in puerili specie ipsi apparuisse. Ceterùm reliqua vitæ ejus ratio ibidem hæc fuit *f*. Insistebat precibus, legebat libros sacros, pia colloquia cum Religiosis habebat, & cælestibus deliciis in quotidiano altaris Sacrificio fruebatur.

q

r

f

& à dæmone vexatur. Arcanorum scientiâ donatus

114 In hoc autem id admirabile accidebat, quòd cessante ecstasi, Missam ab eo loco, ubi desierat, accuratè prosequeretur, & vestes quoque congruo modo compositæ permanerent inter tot tamque varios corporis raptus, quibus prorsum, rursum, sursum ac deorsum & in omnem partem ferebatur. Cum *t* itaque hujusmodi vitam totam Deo ageret, velut invitus & ex sola corporis necessitate brevissimum somnum in solitis tabulis, & cibum parcissimum, eumque semper esurialem capiebat; nec modò umquam conquestus est de eo, qui ipsi ferebatur, verùm etiam tacuit, cùm illius socius, B nescio qua de causa, solitum biduo non attulerat. Non cessabat interim eum dæmon tentare *u*, eique variis modis molestus esse, quem tamen ille minimè verebatur. "Nihil, inquiebat, ab ejus „ cœptis timeo, qui vivo cum Deo, & à mun„ do secretus. „ Verumtamen etsi tam solitariam vitam degeret, nec umquam civitatem Auximanam vidisset, nullumque ex ejusdem incolis cognosceret, nihilominus ita de civitate, de civibus, de eorum domibus ac familiis, negotiisque tam internis, quàm externis, tamque accuratè loquebatur, ut hæc & hos omnes suis oculis conspexisse videretur, cum ingenti admiratione omnium, qui ipsum auscultabant.

t

u

varia variis beneficia præstat,

115 Hinc Auximani multa beneficia prodigiaque in calamitatibus suis experti fuere, licèt eorumdem Effectorem minimè conspicerent *x*. Et aliquando quidem per solas ipsius voces precesque, quibus modò turbines & tempestates subitò dissipavit, cùm diceret: "Abite in nomine Dei;„ modò in partu periclitantes feliciter fecit eniti: interdum etiam per res, quibus ipse usus fuerat; per quas unus vehementi libidinosa tentatione liberatus fuit; alii à parotidibus, malignis ac lethiferis febribus, C acerbissimis cruciatibus, hæmorrhoïdibus, multisque aliis malis, quæ enumerare omnia longum foret, convaluerunt. Nec cessavit in eo umquam *y*, sed omnino crevit clarissimum illud lumen, quo arcana cognoscebat, & præsciebat futura; quod sanè admirati fuere Religiosi illi, quorum uni minutatim retulit, quæcumque ipsi in suis itineribus acciderant; alteri verò indicavit, quòd pro se orare, ut promiserat, non meminisset.

x

y

& occulta salubriter revelat.

116 Alteri ad sedem confessionalem vocato pravam juvenis pœnitentis verecundiam, qui difficillimè inducendus esset ad confitendum peccatum, quod in aliis confessionibus jam celaverat, præsagiit, dicens: "Vade occisurus scorpionem;„ quæ verba à confessario intellecta fuerunt, dum is post sinceram pœnitentis confessionem à parte illius scorpionem progredientem conspexit. Similiter alios, qui in ipsius precibus commendaverant rusticam, ignearii tubi ictu fortuitò lethaliter sauciatam, de ejusdem vita subitò certos fecit, dicens: "Non „ morietur.„ Denique, ut brevis sim, ejusdem cælestis luminis ope cognovit, quosdam Religiosos quodam vespere dierum antecineralium parentum suorum domum accessisse, ut sese cum iisdem honestè recrearent; ideóque invisenti se in cella sua patri guardiano ait: "Ehem, ubi sunt oves tuæ?„ Hinc iidem mox inde regressi ad Servi Dei cellam accesserunt; quibus visis ipse tanto gaudio affectus est, ut eorum unum sub ala manu arreptum velut levem paleam à solo levaverit, & per cellam circumtulerit, ingenti illa lætitia testatus tenerrimum in fratres suos amorem, quos ab omni periculo tutos in monasterio conspiciebat.

A. PASTROVICHIO.

ANNOTATA.

a *Ex utroque proc. Assis. & Auxim. Testes relati in Summ. num.* 15, *à pag.* 193, § 1 *& seq., pag.* 195, § 21 *& 23, pag.* 204, § 120, *pag.* 220, § 255, *pag.* 229, § 3, *pag.* 232, § 32, *pag.* 235, § 51, 52 *& alibi. De hac Beati per Alexandri VII mandatum post quadriennium ferè apud patres Capucinos exactum ad suos reditu consule Commentarium* § 8.

b *Adi Commentarium loco mox citato.*

c *Cautela in eo sita erat, ut* B. Josephi *profectio incolis accolisque, quantùm fieri poterat, celaretur, ne ex importuna pietate aliquid tumultûs cierent.*

d *Ex dictis processibus in eod. Summ. pag.* 204, § 120, *pag.* 232 *sub* § 32, *pag.* 234, § 46, *pag.* 235, § 52, *pag.* 236, § 1 *& alibi.* E

e *Ex proc. Apost. Auxim. à fol.* 640 *super* 220, *& Summ. pag.* 246, § 28 *in fine, pag.* 432, § 20 *& alibi.*

f *Italicè est* della Fratte. *Lucas Waddingus tom.* 5 *Annal., num.* 21 *conventum illum* S. Victoriæ Fractarum *appellat, & in Marchia Anconitana collocat.*

g *Waddingus mox laudatus satis dubiè loquitur de auctore & tempore memorati conventus; sic enim ait:* Consecratam hoc anno (1287) ecclesiam S. Victoriæ Fractarum in eadem regione Marchiæ, testantur quædam instrumenta ibidem asservata; conventum tamen, seu Fratrum domicilium, tradunt oppidani vel à S. Francisco constructum, vel eidem coævum.

h *Ex proc. ord. Auxim. à fol.* 199 *& seq., & Summ. pag.* 204, § 120 *&* 121. *Episcopum autem illum fuisse Joannem Baptistam Zecchadorum, discimus ex Italia sacra Ughelli aucta, tom.* 2, *col.* 839.

i *Ex proc. Apost. Assis. fol.* 263 *&* 264, *testis de auditu à duobus videntibus, & Summ. pag.* 236 *in principio* § 1 *&* 2. F

k *Ex proc. Auxim. Apost. fol.* 361 *&* 362, *Summ. pag.* 231, § 22, *& in Ms. Relatione jussu P. Jacobi Fabretti, olim Generalis Ministri, conscripta à P. Buttari, & in archivo Postulationis asservata fol.* 3. *terg.*

l *Italicè est* canne, *quæ mensuræ species est, in variis regionibus varia.*

m *Normam vivendi, quam ibidem ad mortem usque tenuit, ex Summario apud Berninum relatam, exhibuimus in Commentario num.* 101 *& sequentibus.*

n *Ex proc. Apost. Auxim. fol.* 424 *terg. & seq., & cit. Summ. pag.* 409 *in fine* § 6.

o *Ex proc. ord. Auxim. à fol.* 1148 *terg. & seqq., & Summ. pag.* 581, § 13.

p *Ex dicto proc. ord. Auxim. à fol.* 1126 *& seq., & Summ. pag.* 223, § 281, 284 *&* 285, *& pag.* 224, § 289 *& alibi.*

q *Ibid. & pag.* 280, § 39, *pag.* 580, § XI *& alibi.*

r *Ex proc. Apost. Auxim. fol.* 810 *terg., & Summ. pag.* 527, § 43.

s *Ex utroque proc. Auxim. testes sparsim relati*

A. Pastrovicchio.

in eod. Summ. per tot.

t *Ex proc. Auxim. Apost. à fol. 958 & seqq., & Summ. pag. 199, § 75 & seqq.*

u *Ex eod. proc. à fol. 959, & fol. 1047, & Summ. pag. 199, § 82, & pag. 218, § 240.*

x *Summ. pag. 96, § 193, pag. 287, § 10. Et in Catalogo miraculorum in vita, à pag. 594 & seqq.*

y *Ex dict. processib. Auxim. in eod. Summ. pag. 200, § 98, pag. 225, § 297, pag. 227, § 316, pag. 515, § 15 & 16, & alibi.*

CAPUT X.

Mors sua ab ipso prædicta: supremus morbus: beatus obitus & celebris sepultura.

Morte, quam prædixerat, instante, jam æger, a b

DUbitari non poterat, quin tam sanctæ vitæ sanctissima mors respondura esset. Hanc illemet in primo conventûs ingressu jam prædixerat *a* „Hæc requies mea„ inquiens; ac clariùs etiam asseruerat, sese in eo conventu moriturum *b*, &, si non esset primus è Cupertinensibus, qui ibi moriturus esset, secundum fore; uti revera è Cupertinensibus secundus ibidem defunctus est. Præterea mortem sibi instare revelavit cuidam Religioso, quocum convenerat, ut alter alteri, cui priùs opus esset, morienti assisteret. Cùm iste Auximum rediisset, "Venisti tamen, inquit ei; nolebas huc „venire? Non meministi, promisisse te fore, ut „morienti mihi assisteres?„ Diem denique ipsum prædixit *c*, ad Religiosos inquiens, "moriturum „se eo die, quo Agnum„ (id est, Jesum Christum in Sacramento) "sumere non posset:„ &, ut dixit, factum est. Hac cognitione illustratus, ad fortunatissimum istud temporis momentum, quo Deo penitus jungeretur, anhelans, sanctoque ardore, quem ex vultu & verbis spirabat, vehementiùs inflammatus, videbatur à corpore suo & alimentis, quibus sibi vita prorogabatur, abhorrere.

c

dum potest, Missam celebrat, d

118 Quam ob rem cùm die x Augusti anni MDCLXIII febri correptus esset, tam procul abfuit ut doleret *d*, ut etiam majorem in modum exsultaret, & suadenti, ut sanitatem sibi à Deo peteret, responderet: "Absit, absit, cave, cave!„ Cùm autem per austeram vivendi rationem destitutus viribus, debilitatus stomacho, macieque totus confectus esset, nec posset diu pedibus consistere, in pauperculo lectulo suo decubuit, seque medicorum ac superiorum voluntati penitus commisit. Nihilominus *e* quamdiu febris interdum remisit, (quod quinque dies contigit) quotidie manè surrexit, ut in privato sacello suo Missam celebraret. Tum verò cælestibus illis deliciis, quibus gaudere semper soluerat, uberiùs, quàm umquam aliàs, fruebatur; testatus ipse, sibi ecstases & mirabiles raptus tunc obtigisse, præsertim in postrema sua Missa, quam in festo Assumptionis beatissimæ Virginis celebravit. Postquam autem morbus ingravescens facultatem celebrandi ademerat, petiit, obtinuitque, ut quotidie alterius Missæ interesse & Eucharistiâ refici sibi liceret.

e

divino amore indies magis flagrans: dat pia monita: f

119 Erat suave amoris spectaculum *f* ipsum tempore communionis, quasi nullo malo affectus esset, totum gaudio emicantem cernere, dumque Jesum suum in Sacramento susciperet, exclamantem audire: "Ecce gemmam, ecce gemmam!„ eodemque suscepto, in amoris deliquia relabi, oculos claudere, & instar mortui impallescere. Quantò magis invalescebat morbus, tantò magis in ejusdem corde divini amoris flamma augebatur, quæ diutiùs concludi impatiens, per os Beati sæpe erumpebat *g*: "Ah amor! ah amor!„ exclamabat, & inter ignitas hasce voces manus ambas pectori admovebat, non secùs ac si istud aperire tentâsset, ut hinc quoque internum incendium exhalaret. Post hæc *h* ad circumstantes conversus, eos verbis caritate plenis, nunc ad orationis usum hortabatur, nunc de exhibitis sibi caritatis officiis agebat gratias, & solito suo prophetico lumine multa revelabat.

D

g

h

cælesti Viatico obviam è lecto rapitur, eoque accepto

120 Postremum hoc chirurgo suo præsertim præstitit, qui, licèt Servum Dei inter sectiones & cauteria, curandi ergò sæpe adhibita, suaviter raptum, omnisque sensus expertem sæpe miratus sit, multo tamen magis stupuit, cùm ab eodem audiit sibi revelari quemdam defectum suum maximè occultum, & à longo tempore commissum, quique illi ipsi jam exciderat ex memoria. Vi morbi prohibitus è lecto surgere, voluit nihilominus sacram communionem in eodem quotidie accipere. Suscepturus postremam, quæ die XVII Septembris, vitæ verò suæ penultimo, in modum Viatici ei data fuit, abundantiam & vim ardentissimæ caritatis suæ mirabiliter manifestavit: audito enim tintinnabulo *i*, quod Dilectum ejus appropinquare indicabat, subitò è lecto exsiliit, & admirabili raptu extra cubicula sua usque ad gradus, ex adverso sacelli sui delatus est, ubi positis genibus, vultuque supra humanum modum splendente, Deo suo panis specie velato refectus est cum vehementissimo desiderio eumdem brevi pòst revelatum in cælo contemplandi.

E

i

in lectum refertur: ungitur: sepulturam humilem petit. k

121 Post communionem in summum deliquium, ex amore potiùs quàm ex defectu virium, delapsus, ad lectulum suum relatus est. Ut autem ab initio infirmitatis suæ dixerat *k*: "Asellus„ (sic corpus suum appellabat) "cœpit montem ascendere:„ ingravescente verò morbo, addiderat: "Asellus ad „medium montis pervenit;„ ita tum ad finem pertingens, ait: "Asellus ad montis verticem perve„nit; non potest se ampliùs movere; propè est, „ut pellem amittat.„ Atque hoc erat unicum vehementissimum desiderium ipsius, qui proinde crebrò repetebat *l*: "Cupio dissolvi, & esse cum Chri„sto;„ & alternatim subjungebat: "Laudetur Deus; „sint gratiæ Deo; fiat Dei voluntas.„ Dum sacro Oleo, ut petierat, inungeretur, perfusus gaudio exclamabat *m*: "O quales odores! ô quæ fragrantia! „ô quales deliciæ paradisi!„ Deinde postquam professionem Fidei sibi prælegi petiisset, & suorum defectuum veniam ab omnibus flagitâsset, enixè precatus est *n*, ut corpus suum sine ulla solemnitate sepelirent, & in loco tam semoto ignotoque tumularent, ut nemo sciret, ubi frater Josephus esset aut fuisset.

F

l

m

n

Benedictionem Pontificiam flexis genibus accipit: o

122 Tum vicarius generalis *o* post benedictionem sibi & omnibus Religiosis à Beato moribundo petitam obtentamque, eidem exposuit, summum Pontificem per litteras à Cardinale Ghigi datas concessisse facultatem ad benedictionem Pontificiam ipsi impertiendam. At B. Josephus vehementer admiratus, Vicarium Jesu Christi tam benignè favere vilissimo terræ vermiculo, qualem se reputabat; „Non ea, inquit, hæc gratia est, quæ in lecto ac„cipiatur.„ Voluit itaque, utut prope moribundus, surgere, & ab adstantibus adjutus, processit ad proximum sacellum suum, ubi prostratus in genua, post recitatas litanias, laudatam benedictionem

A nem ab eodem vicario, cui id commiſſum erat, magna cum devotione accepit. His factis, Beatus ad lectulum ſtatim reductus, vultu placido animoque tranquillo, per frequentes actus amoris in Deum, ad imminentem mortem ſe accinxit. Religioſo, qui ipſum confortandi gratiâ aliquid de cæleſti gloria ſuggerebat, candidè reſpondit *p*. "Nolo „ire ad infernum, quia ibi non laudatur Deus;„ ſimiliter alteri dicenti: "Frater Joſephe, jam tem„pus eſt, ut pugnes, & vincas dæmonem;„ ſecurus potuit lætiſſima voce reponere: "Obtinebi„tur victoria.„

p

divino amore æſtuans moritur.

123 Jamque nihil ipſi ampliùs deerat præter glorioſum triumphum, cui ſe proximum videbat. Proinde admodùm agitabatur *q* non vi morbi, ſed (prout quærenti reſpondit) præ violentia amoris, à quo occupata ejuſdem ſancta anima, toto niſu conabatur durum laqueum, quo tenebatur, perrumpere. Id ſcilicet ſignificabat, cùm nonnulli de amore loquenti ait: "O! tu capis, ô! tu capis!„ cumque ad Jeſum crucifixum converſus hæc verba amoris plena proferret *r*: "Accipe cor hoc; u„re & finde, Jeſu mi, cor hoc.„ Modò etiam deſiderium ſuum, quo ſermones de amore excipiebat, indicabat, recitantibus pias preces, vel amorem Dei nominantibus inquiens *ſ*: "Dicito hoc ite„rum.„ Tandem poſt dulciſſimos aliquot affectus erga Matrem ſuam, id eſt, erga beatiſſimam Mariam Virginem, cùm antiphonam AVE MARIS STELLA à quodam ſacerdote recitari audiret *t*, circa quadrantem ante horam ſextam noctis, quæ diem XVIII Septembris terminabat, anno MDCLXIII in ſuaviſſimum riſum incidit, quo circumſtantes omnes exhilaravit, vultuque inopina luce ſplendente, in ætate annorum ſexaginta, & trium menſium, animam Creatori ſuo reddidit in conventu Auximano, in quo ſex annos, duos menſes & dies octo habitaverat.

q

r

B

ſ

t

Apertum corpus ab igne non læditur; fidelium pietati

u

x

124 Aperto cadavere, ut balſamo medicaretur *u*, pericardium exſiccatum, ventriculi cordis exſangues, atque ipſum cor aridum & ſiccum inventa fuerunt, quod ex ardore ſupernaturali factum eſſe creditum fuit. Acceſſit & aliud prodigium *x*: etenim dum corpus generoſiſſimo vino aduſto lavaretur, linteum eidem ſuppoſitum (neſcitur, quomodo) ignem concepit; flammaque inde accenſa ſupra ſacrum corpus erupit: quod cùm propterea multùm fœdatum crederetur, poſt exſtinctam flammam illæſum apparuit etiam in barba & capillis, qui aliàs tam facilè ſolent aduri. Deinde *y* prudenti conſilio in ſacriſtiam delatum, ibique expoſitum fuit; ſed ſepto è trabibus facto incluſum, & à viginti quatuor deputatis, videlicet octo canonicis, octo nobilibus, ac totidem ejuſdem conventus Religioſis cuſtoditum, ut populi tumultus caveretur, qui è civitate & circumjecto agro, omnibuſque vicinis locis maximo numero ſubitò concurrebat, & unanimi voce aiebat: "Mor„tuus eſt ſanctus ille Pater, qui in conventu S. „ Franciſci habitabat;„ deſiderabant enim omnes eum ſaltem mortuum ſpectare, quem vivum videre non licuerat.

C

y

biduo exponitur & ſepelitur.

125 Poſtero mane, qui fuit dies XIX Septembris & primus ab obitu illius, ingreſſus in eamdem ſacriſtiam omnibus permiſſus eſt uſque ad horam tertiam noctis; ſequenti verò die XX Septembris exſequiæ celebratæ fuerunt, aſſiſtentibus canonicis, clero & omnibus Religioſis ordinibus. Hiſce peractis, ſacrum corpus publicæ pietati expoſitum manſit uſque ad horam circitèr quintam noctis *z*, quando in arcam ligneam collocatum fuit, ut poſtridie tumularetur. Sed populo non ſine tumultu iterum concurrente, neceſſe fuit arcam recludere, & corpus publico conſpectui per unam horam denuò exponere *aa*; poſt quam omnibus partim ſponte cedentibus, partim cum comminatione expulſis, ſacrum corpus ex prædicta arca in loculum cupreſſinum, & hunc in alterum quernum depoſuerunt, & in eccleſiam denique delatum, in novo ſepulcro ſubterraneo ſub pavimento ſacelli Virginis ſine labe conceptæ tumulârunt.

A. PASTROVICCHIO.

aa

z

ANNOTATA.

a *Ex dicto proc. Summ. pag.* 226, § 303.

b *Ibidem pag.* 215, § 209, *pag.* 221, § 259 *ad* 263, *pag.* 239, § 28, *pag.* 243, § 57, 58, *pag.* 248, § 22, 23, 26, *pag.* 258, § 110 *& ſeqq.*

c *Ibid. pag.* 241, § 38, *pag.* 245, § 69, *pag.* 249, § 27, 28, *pag.* 259, § 114, *& alibi.*

d *Ex utroque proc. Auxim. teſtes relati in Summario num.* 15, *pag.* 236, § 1 & 2, *pag.* 241, § 49, *pag.* 254, § 74, *pag.* 258, § 108 *& alibi.*

e *Ex dictis proceſſib. Auxim. in eodem Summ. pag.* 248, § 21, *pag.* 252, § 56, *pag.* 254, § 75, *pag.* 258, §. 109, *pag.* 259, § 114 *&c.*

f *Ex dictis proceſſib. eod. Summ. pag.* 212, § 193, *pag.* 240, § 29, 30, *pag.* 244, § 59 *&* 64, *pag.* 259, § 114 *& alibi.*

g *Ex dict. proc. in eod. Summ. pag.* 213, § 196, 197, *pag.* 249 *in fine & ſeq.*, § 30, *pag.* 250, § 32; *pag.* 259, § 116 *& alibi.*

h *Ex dict. proc. Summ. pag.* 213 *& ſeqq.*, § 206 *&* 207, *pag.* 526, § 40 *&* 41, *& alibi.*

i *Ex dict. proc. eod. Summ. pag.* 412, § 194 *&* 195, *pag.* 240, § 33, 34, *pag.* 244, § 64 *& alibi.*

k *Ex dict. proc. eod. Summ. pag.* 241, § 37 *&* 38, *pag.* 244 *& ſeq.*, § 68 *& alibi.*

l *Ibid pag.* 210, § 177, *pag.* 241, § 37, *pag.* 249 *in fine & ſeq.*, § 30, 31 *& alibi.*

m *Ibid. pag.* 210, § 172, 173, *pag.* 244, § 62, 63 *& alibi.*

n *Ibid. pag.* 208, § 152 *juncta pag.* 210, § 173 *&c.*

o *Ex dicto proc. Auxim. in eod. Summ. pag.* 202, § 109 *&* 110, *pag.* 241, § 39, *pag.* 250, § 33 *&* 34 *& alibi.*

p *Ex dict. proc. Auxim. eod. Summ. pag.* 210, § 175 *&* 179, *pag.* 256, § 89 *& alibi.*

q *Ex dict. proc. eod. Summ. pag.* 210, § 176, 177 *&* 178, *pag.* 242, § 51, *pag.* 256, § 89 *& alibi.*

r *Ibid. pag.* 198, § 61, *pag.* 242, § 51, *pag.* 243, § 52, *pag.* 256, § 89.

ſ *Ibid. pag.* 243, § 53 *& alibi.*

t *Ibid. pag.* 237, § 5, *&* pag. 241, § 48, *pag.* 244, § 67, *pag.* 245, § 72, *pag.* 246, § 6, *pag.* 250, § 38 *&* 39, *pag.* 256, § 90 *&* 91, *pag.* 259, § 116 *& alibi cit. num.* 15 *per tot.*

u *Ex dict. proc. eod. Summ. pag.* 138, § 62 *& alibi.*

x *Ex dict. proc. in eod. Summ. pag.* 251, § 40, *pag.* 256 *&* 257 § 97 *&* 98, *pag.* 260, § 119, *&* pag. 599, § 48, *ubi alii teſtes indicantur.*

y *Ibid. cit. Summ. pag.* 237, § 10, 11 *&* 12, *pag.* 241, § 40, 41 *&* 42, *pag.* 245, § 74 *&* 75, *pag.* 247, § 13, *pag.* 251, § 41 *&* 42, *pag.* 253, § 57 *&* 58, *pag.* 255, § 77 *& alibi ſub num.* 15 *per totum.*

z *Ex dict. proceſſib. in eod. Summ. pag.* 237, § 13 *&* 14 *& alibi.*

aa *Ibid. pag.* 238, § 16 *&* 17, *pag.* 241, § 44 *&* 45, *pag.* 245, § 78, *pag.* 247, § 14 *&* 15,

A. Pastrovicchio. *pag.* 251, § 44, *pag.* 253, § 61, *& alibi cit. num.* 15 *per totum.*

CAPUT XI

Acta pro canonizatione ipsius & ejusdem solemnis beatificatio: varia miracula ac beneficia per ipsum impetrata.

Processus de ejus vita & miraculis instruuntur; virtutes Clemens XII approbat, *a*

NOn tardavit Deus Servum suum, quem dum viveret tantis gratiis, donisque ac prodigiis illustraverat, multis & famosis miraculis post mortem gloriosum reddere. Hinc biennio pòst ex potestate ordinaria processus Neriti, Assisii & Auximi formati fuere *a*, quibus Romam missis solitoque maturo examini Sacræ Congregationis Rituum traditis, venerabilis Innocentius XI, sanctæ memoriæ Pontifex, commissionem pro introductione causæ ad ejusdem beatificationem & Canonizationem signavit *b*. Consequenter ad hæc novis processibus in prædictis locis auctoritate Apostolica confectis *c*, examen de virtutibus ejus, tam theologalibus quàm cardinalibus in gradu heroïco, sub sanctæ memoriæ Clemente XI cœptum est *d*, quod deinde continuatum sanctæ memoriæ Clemens XII feliciter conclusit, qui solemne decretum, quo eæ approbabantur, in festo assumptionis beatissimæ Virginis anno MDCCXXXV promulgavit *e*.

b

B

c

d

e

& Benedictus XIV duo miracula tertii generis, genu scilicet

127 Deinde ad examen miraculorum processum est, quæ postquam in tribus consuetis congregationibus, videlicet Antipræparatoria, habita die secunda Martii anno MDCCLI, Præparatoria habita eodem anno die XVI Novembris, & Generali per divinam dispositionem habita die XIX Septembris anni MDCCLII, quo anniversarius dies recurrit, qui pretiosam mortem proximè secutus est, postquam, inquam, ea in dictis congregationibus rigidè examinata fuerunt, hodiernus Pontifex Maximus Benedictus XIV *f* alterum solemne decretum in festo sancti patriarchæ Francisci *g* eodem anno edidit, in quo duo insigniora miracula approbavit, quorum uno Deus voluit B. Josephi domicilium statim ab ejus obitu, altero sepulcrum duobus pòst mensibus illustrare: sunt autem sequentia. Victorio de Matthæis Auximano ortus erat in genu dextero humor quidam cysticus seu tuber *h*, quod intra spatium sex circitèr annorum, viscosis humoribus eòdem perpetuò confluentibus, paulatim auctum, jam penitus indurverat, & in molem magni panis *i* excreverat; ita ut miser ille non modò genu flectere non posset, sed neque liberè incedere, & continuis cruciaretur doloribus, qui uno mense ante prodigiosam suam curationem etiam vehementer invaluerant.

f

g

C

h

i

enormis tuberis subitò sanati,

128 Chirurgus, cujus opem seriùs imploraverat, nihil in ipso tentare, nullum remedium experiri voluit; cùm enim malum nimis inveteratum & ad ossa penetrâsse comperisset, prudenter judicavit, sine magno vitæ periculo incidi non posse. Interea dum Victorius de omni humano remedio sic desperaret, B. Josephus mortuus est; in cujus sanctitate, per famam jam tum celebrata, certam fiduciam concepit fore, ut per ejusdem merita incolumitatem suam à Deo impetraret. Itaque die XIX Septembris manè, ad ecclesiam S. Francisci, in cujus sacristia sacrum corpus jam expositum erat, quo potuit modo, se contulit; cúmque ob nimiam populi frequentiam ad illud accedere nequiret, obtinuit, ut in conventum ad ejusdem cubicula, ubi habitaverat, introduceretur; quæ piè veneratus, in sacellum, in quo Beatus privatim sacrificare soluerat, tandem descendit. Hìc conspicatus vestigia genuum, quæ diuturno orationis usu in suppedaneo altaris impressa reliquerat, fide viva animatus Victorius afflictum genu suum iis imposuit; ex eoque contactu unico temporis momento dolor omnis & tumor evanuit, nulloque relicto pristini mali indicio, genu illud perfectè sanatum, complanatum & ad motus expeditum mansit, æquè ac aliud, quod nullo malo correptum fuerat.

D

& incisi oculi subitò redintegrati.

129 Alterum miraculum subsecuto mense Novembri ejusdem anni MDCLXIII obtigit Stephano de Matthæis, prioris filio. Erat hic annorum circitèr duodecim, quando cum coætaneo suo mittendis lapillis sese oblectans, acuto & squamoso lapide in pupilla oculi dexteri sic percussus est, ut ejusdem tunicâ corneâ uveâque perforatis, humores unà cum sanguine tam copiosè effluerent, ut orbita seu bulbus oculi repressus contractusque & introrsum reductus appareret. Medicus & chirurgus cùm jam amissum visum nulla arte reparabilem esse agnoscerent, per paucos dies unicè studuerunt medicinis suis cicatricem vulneri obducere: at verò adolescens à matre excitatus certam in B. Josephi patrocinio fiduciam (per cujus scilicet prodigiosam efficacitatem pater suus abhinc duobus tum mensibus à tubere suo subitò convaluerat) magna cum spe ad Beatum primò in propria domo sua, deinde à matre sua comitatus, ad ejusdem sepulcrum recurrit. Ibi procumbens in genua supplices preces cum matre sua ferventiùs iteravit; post quas orbo oculo ad sepulcrale saxum admoto, visum momento temporis perfectè recepit, eumdemque oculum in pristinam orbitam ceterarumque partium integritatem perfectissimè restitutum spectandum omnibus exhibuit.

E

Idem Pontifex Josephum Beatis solemniter adscribit.

130 Post editum istud de duorum miraculorum approbatione decretum, quod laudatus Pontifex prædicto die festo S. Francisci, postquam ad ejusdem aram in basilica sanctorum duodecim Apostolorum Missam celebrâsset, promulgaverat, quodque in calce hujus Compendii totum refertur, idem summus Pontifex suo solito favore Ordinem Franciscanum Minorum Conventualium prosecutus, ad iteratas preces reverendissimi patris magistri Caroli Antonii Calvi, Ministri generalis ejusdem Ordinis, admissaque favorabili relatione & voto scripto ab illustrissimo domino Ludovico Valenti, dignissimo promotore sanctæ Fidei, dignatus est benignè annuere, ut ulteriori congregatione generali, quæ pro terminandis causis beatificationis vel canonizationis Servorum Dei solet haberi, supersederetur, rescribens die XII Decembris proximè elapsi anni MDCCLII, stante approbatione virtutum ac duorum miraculorum, & attentis specialibus circumstantiis, quibus ipse movebatur, posse in hac causa sine altera congregatione ad formalem beatificationem procedi. Fixo deinde ad hanc rem ab eodem Sanctissimo Domino die XXIV Februarii, qui glorioso apostolo Matthiæ sacer est, magnus Dei Servus Josephus à Cupertino eo die cum solitis ceremoniis Beatis adscriptus solemniter declaratus est in basilica Vaticana, cum eo populi concursu & applausu, quem fama sanctitatis ipsius, jam à multo tempore celebratæ & per totum mundum Catholicum agnitæ, meritò exigebat *k*.

F

k

131 Ut

A

Alexandrum VII PP. de vita periclitantem ſanat.

131 Ut huic Compendio coronidem imponamus, tantùm ſupereſt, ut aliquot alia miracula & beneficia inſigniora, quæ Deus ad interceſſionem B. Joſephi poſt ejuſdem mortem largitus eſt, hîc recenſeamus. In primis Beatus ſummum Pontificem Alexandrum VII *l*, à quo ipſum Ordini ſuo reſtitutum fuiſſe diximus, miraculo remuneratus eſt. Dum hic prælati nuntii Apoſtolici munere Coloniæ Agrippinæ fungeretur *m*, accerbiſſimam ſectionem à calculis ſubivit; à quibus tum quidem utcumque, ſed non integrè, convaluit. Poſtea creatus Pontifex, aliquando ad extrema redactus eſt ex detentione urinæ tam pervicaci, ut medici toto quatriduo efficaciſſima remedia fruſtra adhibuerint. Tum Pontifex penè moribundus, recordatus eſt Joſephi paulò antè mortui, ſanctitatiſque ejus, multis prodigiis, ut fama ferebat, à Deo confirmatæ; & plenus fiduciâ ipſum precatus, ut ſibi in extrema ſua neceſſitate promptè ſuccurreret, quamdam ejuſdem tuniculam induit. Vix Alexander ipſum invocaverat, ſacrumque habitum attigerat, quin dolores ceſſaverint, & urina ſponte ſua copioſéque effluxerit, ita ut jam imminenti morti ereptus,

B

plures annos ſupervivere potuerit, ut fecit, ab eo malo planè liber uſque ad mortem *n*.

l

m

n

o

Quidam genuum malo, & febri,

132 Capitaneus *o* Stephanus Blaſi Auximanus continuo dolore genuum ſic afflictus, ut ea nullo modo flectere valeret, efficaciſſimum Joſephi patrocinium paucis poſt hujus mortem diebus expertus eſt. Cùm enim quodam die in eccleſiam S. Franciſci ingreſſus, genua in ſeamno ponere vellet, nec poſſet præ dolore, incidit ipſi, ut Beato, cujus ſepulcrum propè aberat, ſeſe commendaret. Eò itaque ſpe plenus ſe contulit, & in lapidem ſepulcralem intrepidè procumbens, non modò nihil doloris ſenſit, verùm etiam teſtari potuit, viſum ſibi eſſe, ſe in goſſipio ſua genua poſuiſſe. Poſtquam itaque flexis ibi genibus aliquamdiu orâſſet, alacer ac planè liber aſſurgens, incolumis abiit, nec eo malo umquam ampliùs conflictatus eſt *p*. Cùm idem Stephanus Blaſi alio tempore maligna febri cum variis *q* laboraret, medicis de ejuſdem vita deſperantibus, eâdem horâ, quâ Blaſia uxor ejus ad Beati ſepulcrum pro eo orabat, ſanitati reſtitutus eſt.

o

p

q

& ejuſdem filius oculorum morbo liberati.

133 Tertiam prodigioſam ſanationem prædictus Stephanus filio ſuo Petro Ludovico, quatuor circitèr annorum puero, impetravit *r*. Dum hic quodam die in atrio domus paternæ cum aliis puerulis luderet, tam vehementi oculorum dolore inopinatò correptus eſt, ut eos mox clauderet, & amarè lacrymans quereretur, dicens, velut murum quemdam in eos corruiſſe. Tentabat afflicta mater palpebras aperire, ſed fruſtra. Advocati medicus & chirurgus, ut mederentur, unanimiter judicârunt, relaxatis palpebrarum nervis, puerum denique viſu penitus orbatum iri. Verùm feliciter accidit, ut ad eas ædes Beati nepos, pater Joannes Donatus Ordinis Minorum Conventualium, tum adveniret; qui cùm penès ſe haberet in burſa res aliquot, quibus Avunculus ſuus olim uſus fuerat, confidit fore, ut per ejuſdem merita incolumitatem puero obtineret. Et ſanè eodem temporis momento, quo poſt breves preces prædicta burſa ipſius oculis admota fuit, puer eos omnino liberos ſanoſque aperuit, non aliter, quàm ſi nihil umquam mali paſſus fuiſſet; atque ita perfectiſſima oculorum ſanitate impoſterum ſemper gaviſus eſt.

r

134 Idem denique capitaneus Blaſi cum uxore ſua & filio presbytero alteram ſingularem gratiam à B. Joſepho obtinuit. Hi curru vehebantur Corinaldo Æſium *ſ*, cùm ſub horam ſecundam noctis cælum repentina tempeſtate obductum eſt; quâ deinde in graviſſimum imbrem ſolutâ, unus è quatuor equis prolapſus, in altum præcipitium corruit, & currum uſque ad ejuſdem crepidinem ſecum pertraxit. Hoc caſu vehementer perculſi viatores, è curru ſubitò deſilierunt. Creſcente interea in iſtis tenebris pavore, Blaſia capitanei conjux recordata eſt, ſe in pectore appenſum geſtare Crucifixum à Beato ſibi olim donatum; quem mox manu corripiens, conceptâ in Donatorem fiduciâ, in genua procubuit, eumdemque fervida prece invocavit; ac præſentiſſimum ſtupendumque auxilium mox experta eſt. Nam ex tribus equis, qui in via perſtiterant, duo ſoluti fuere; tertius verò pendentem è præcipitii crepidine currum ſolus reduxit; quodque multò mirabilius eſt, in aëre inopinatò apparuit (ut verbis proceſsûs utar) "quaſi luna in „ quintadecima;„ quamquam ſi eo tempore cælum etiam ſerenum fuiſſet, luna tam plena apparere non potuiſſet. Porrò, hæc luce ſua viatores uſque ad terminum itineris ſui deduxit, ac tum tandem prodigioſa illa luna diſparuit.

ſ

A. PASTROVIECHIO. *Idem cum ſuis à magno periculo ereptus.*

Periculoſæ febres à variis per Beatum

135 Pater Antonius Juſtiniani *t*, Minor Conventualis, ex maligna febri in conventu Auximano decumbens, poſt ſumptum Viaticum, loquelâ ſenſuque deſtitutus, & immobilis jacens, cadaveris ſpeciem præferebat. Quidam autem Religioſus, gnarus, illum B. Joſepho devotum eſſe, ſtragulum, quo Beatus uſus fuerat, ſupra lectum ejus impoſuit, altaque voce ſuggeſſit, ut ſeſe illi commendaret. Ad hanc vocem velut ex alto ſomno excitatus infirmus, "Me ipſi commendo„ reſpondit; eodemque prorſus tempore colore vultui & membris vigore reddito, ſponte ſubitò erectus conſedit in lecto, eo veſpere cœnavit, & noctu adinſtar ſani dormivit, ac poſtero manè integrè ſanus ſurrexit, priſtinaque ſuæ Regulæ officia peregit. Pari modo *u* ad ſolam Beati invocationem & contactum pileoli ejuſdem à maligna febri ſubitò convaluit Cornelius Saccaloſi, de cujus vita actum eſſe medici jam edixerant.

t

u

depulſæ: Febri, gemina parotide, & fluxu ſanguinis

136 Similem gratiam in unico temporis momento obtinuerunt comitiſſa Ludovica Patrizi Peruſii *x*, Auximi verò canonicus dominus Flaminius Guarnieri, ſoror Maria Leopardi monialis in S. Benevenuti, ſoror Maria Angelica Pranzoni ejuſdem monaſterii, Joannes Baptiſta de Plodiis, Antonia ejuſdem famula, Fauſtina Ambroſia, Franciſca Maria Arcangeli, Eugenius Maccatelli, dominus Guidobaldus Viviani, aliique multi, qui omnes in momento ſanati fuere. Pater Franciſcus Antonius Vernaleone *y*, Minor Conventualis Neritonenſis, variis doloribus primùm cruciatus, deinde lecto affixus fuit, correptus maligna febri, gemina parotide, & ſanguinis fluxu, qui per dies viginti quinque continuatus infirmum, deſperantibus medicis, ad extrema deduxerat. Tam periculosè decumbenti induſium Beati à quodam Religioſo allatum, & ſuper ipſum in lecto depoſitum eſt. Neque defuit promptum B. Joſephi auxilium, qui eadem nocte ipſi apparens ait: "Macte animo, quia „ & à febri & à fluxu convaluiſti.„ Atque ita ſtupentibus medicis ac Religioſis reipſa evenit.

x

F

y

laborantem, his apparens, ſanat: puerperis ſuccurrit.

137 Hiſce malis prodigioſè liberatus æger, multò magis accenſus eſt, ut pro utriuſque parotidis, quæ reſtabat, ſanatione ad Patronum ſuum denuò recurreret. Sub medium autem noctis Beatus ipſi ſecundò apparens, earum unam ſigno Crucis ſanavit, ſpondens fore, ut etiam alterâ liberaretur, certis tamen conditionibus; quibus expletis plena ſanitate reipſa potitus eſt. Angelica de Coſtanza *z* poſt-

z

A. Pastrovicchio.

quam abortivam filiam Perusii enixa fuerat, tam acerbis doloribus correpta fuit, ut à medicorum arte jam destituta, & Viatico munita, mortem, quæ cruciatui finem daret, exspectaret. Interim quædam pia mulier, quæ habebat frustula panis ex Beati mensa comparata, & laciniam lintei, ejusdem sanguine tincti, hanc ad afflictæ ventrem admovit, ista verò in cochleari jusculo subacta, eidem diglutienda dedit, ac Beati opem simul imploravit. His factis, puerpera mox alterum fœtum mortuum ac putrefactum ejecit, eodemque momento jam omnis mali expers velut à morte revocata fuit. Magnus est numerus parturientium, quæ magni hujus Servi Dei patrocinio gavisæ fuerunt. Inter has aliæ fœtum præter solitum ad maturum tempus in utero felicissimè perduxerunt, aliæ è difficillimo partu, qui præsentissimam mortem minabatur, prodigiosè emerserunt.

Varius malis multi alii

aa

bb

B

138 Cornelia Matthæi Auximana *aa*, malo dorsi affecta & semper stolida mente, ad Beati sepulcrum ducta, penitus convaluit, &, (ut in processibus legitur) "tam pulchra evasit, ut alia, quàm „ quæ fuerat, appareret.„ Puer *bb*, qui ex ignoto gravissimo malo vivus computrescebat, B. Josephi sudario involutus, floridum carnis colorem extemplo recepit, & perfectè sanus permansit. Simili modo multi alii pueri per B. Josephi patrocinium subitò convaluerunt à malis suis, quæ aut omninò incurabilia erant, aut unico momento naturaliter sanari nequibant. Multæ etiam personæ *cc*, quæ læsos oculos habebant, aliæ quidem ex gravi diuturnoque humorum fluxu, aliæ ex punctura spinarum vel arundinum, aliæ denique etiam ex organi humorumque defectu, ad ejusdem invocationem omnes in momento temporis sanatæ fuerunt.

cc

supra 100 *&* 30 *per eumdem liberati.*

dd

ee

139 Soror Maria Leoparda Massucci *dd* ad contactum laciniæ Beati sanguine tinctæ vidit è sinistro genu suo subitò evanescere tuber "magnum instar „ capitis agnelli.„ Ludovicus Blasius *ee*, cujus unum genu unica plaga erat, admotâ ad afflictam partem crepidâ Beati, primò sensit odorem suavissimum, quem "fragrantiam paradisi„ appellavit; deinde verò sese planè incolumem comperit, ne cicatricis quidem vestigio relicto. Similiter alii *ff* acerbis capitis doloribus, alii periculosâ anginâ, alii nervorum contractione, alii herniâ, alius epilepsiâ, alius monstroso hydrope, alius isciade, alius lethali pleuritide, alii denique multis aliis malis, quibus humana membra corripi soluerunt, per B. Josephi patrocinium repentè liberi evaserunt. Ut autem paucis absolvam, prodigiosæ sanationes, quæ vel per Beati invocationem, vel per admotas ejusdem reliquias aut icones, & ferè omnes unico momento perfectæ fuerunt, numerum centum & triginta excedunt; eæque omnes aut leguntur in processibus Apostolicis recensitæ, aut postea juratis testimoniis authenticè comprobatæ fuerunt. In hisce semper magis glorificetur Deus, in Sanctis suis mirabilissimus, à quo utinam in omnium fidelium animas scintilla sui divini amoris descendat per merita amantissimi servi sui B. Josephi à Cupertino.

ff

C

ANNOTATA.

a *Hi sunt processus illi ordinarii, quos per decursum Vitæ ad confirmanda singula Beati gesta perpetuò laudavimus.*

b *In Vita nostra ad marginem legitur:* Introductio causæ facta à Venerabili Innocentio XI die xxxi Augusti MDCLXXXVI, *id est, anno post* B. Josephi *obitum vigesimo tertio. Præfuit autem Ecclesiæ Dei laudatissimus Pontifex ab anno* 1676, *usque ad* 1689. D

c *Et hos processus Neritonensem, Assisiensem & Auximanum sæpiùs citavimus.*

d *Clemens XI Romanus Pontifex creatus est die* 23 *Novembris anni* 1700, *obiitque die* 19 *Martii anni* 1721. *Hic Pontifex cùm nondum expleti essent anni quinquaginta post* Josephi *obitum, quot scilicet ex Urbani VIII decreto requiruntur, ut dubium de virtutibus Theologalibus & Cardinalibus cujuscumque servi Dei legitimè discuteretur, die* 10 *Julii anni* 1711 *hac in parte dispensavit, ut probavimus in Commentario prævio num.* 119.

e *Hoc Clementis XII Papæ decretum laudatur in decreto Benedicti XIV hodierni Pontificis, quod in Commentario nostro prævio num.* 120 *& sequentibus recensuimus. Porro Clemens XII Apostolicam S. Petri Romanam Cathedram tenuit à die* 12 *Julii anni* 1730, *quo creatus est Pontifex, usque ad diem* 6 *Februarii anni* 1740, *quo obiit.*

f *Eminentissimus Prosper Cardinalis Lambertinus, Clementi XII die* 17 *Augusti anni* 1740 *in Pontificatum successit, cui ad honorem Dei & Ecclesiæ prosperitatem longos ac felices annos vovemus. Decretum ipsius, de quo hìc agitur, & unde* E *duo miracula, quæ subduntur, deprompta sunt, totum dedimus in Commentario prævio num.* 120 *& sequentibus.*

g *Id est, die* 4 *Octobris.*

h *In laudato Benedicti XIV Papæ decreto dicitur fuisse* tumor cysticus seu folliculatus.

i *In eodem decreto* in enormem ac duram molem *concrevisse dicitur.*

k *Sacræ huic solemnitati ego quoque interfui. Breve verò ejusdem Beatificationis totum dedi in Commentario num.* 126 *& sequentibus.*

l *Innocentio X in Pontificatum successit die* 7 *Aprilis anni* 1655 *Fabius Chisius, Alexandri VII nomine assumpto.*

m *Id muneris ab Urbano VIII acceperat. Pro rerum, quæ hìc narrantur, confirmatione laudatur in margine processus Apostolicus Auximanus à fol.* 584 *& seqq., & Summarium pag.* 601, § 72.

n *Obiit Alexander VII anno* 1667 *die* 22 *Maji ex veteri renum morbo, ut legitur apud Ciaconium & Oldoinum tom.* 4 *Vit. Pontif., col.* 713; *cùm verò* B. Josephus *die* 18 *vel* 19 *Septembris anni* 1663 *defunctus fuerit, non potuit idem Pontifex post memoratum beneficium, à Beato tum nuper mortuo* F *acceptum, diutiùs quàm triennio & octo circitèr mensibus supervixisse; non annis quinque ut vult Berninus.*

o *Italicè est* Capitano, *quæ vox cùm varia militaris urbanique magistratûs munia apud Italos significet, malui eam per vocem barbaram vertere, quàm quid ea hìc significet, divinare.*

p *Pro hoc miraculo laudatur in Vita nostra Italica, idem processus Apostolicus Auximanus fol.* 507 *à tergo & seqq., & Summarium pag.* 255, § 84.

q *Italicè est*, petecchie, *quæ vox pestilentis morbi genus, seu maculas interni ardoris, qui intima depascitur, indices significat. In margine autem laudatur idem processus Apostolicus Auximanus fol.* 496 *à tergo, fol.* 768 *à tergo, fol.* 782 *à tergo, fol.* 870 *à tergo & seqq., & Summarium pag.* 599, § 53.

r *Ex eod. proc. Auxim. Apost. fol.* 707 *& fol.* 781, *& terg., & Summ. pag.* 600, § 56. *Berninus hæc anno* 1660 *per lapsum memoriæ aut typothetæ errorem adscripsit.*

A. DOMINICO BERNINO.

APPENDIX I

DE MIRACULIS ALIQUOT

Ex Vita Italica,

auctore Dominico Bernino.

VIdimus patrem Joſephum continuum miraculum, dum viveret, nunc eumdem videamus continuum miraculum poſt mortem *a*. Etenim tot ipſe patravit miracula, patratque omni tempore, omni loco, ad ſolam ſui invocationem, ad ſolum contactum reliquiarum, ad ſolam umbram ſui nominis, ad ſola oſcula iconum ſuarum, ut vel ipſe ad continuanda reſurrexiſſe videatur aut continuari miracula ad ipſum honorandum. Horum quinquaginta in proceſſibus de vita ipſius numerantur, & octoginta circitèr intra annos quinquaginta novem, qui ab ejuſdem obitu effluxerunt, præter ea, quæ ex arcano prudentique conſilio pietas devotorum ipſius ſilentio premit. Nos ex hiſce aliquot aut magis admiranda aut rariora recenſebimus, prætermiſſis ceteris; quia alioquin non Vita, ſed Hiſtoria miraculorum contexenda eſſet, quæ, ut alibi dictum eſt, fortè miraculum inter Hiſtorias eſſet *b*.... *Ex multis miraculis aliqua referuntur.* *a* *b*

2 Vir nobilis Gratianus Benigni Aſſiſias *c*, graviſſimo morbo oppreſſus, ac non tam vivus quàm non mortuus, ad Sancti invocationem ejuſdemque Coronæ contactum mox ſe meliùs habuit & ſanatus eſt. Joannes Martelli Aſſiſias *d* diro dolore correptus in oſtio ventriculi ſtomachi, ex quo lethaliter languebat, ſe Servo Dei commendabat, & (verba proceſsûs ſunt) "dolor ſubitò ceſſa„ bat *e*„... Anna Catharina Buttari Auximana *f* ex debilitate lumborum ſemper infelix in partu, poſt novem abortus, jam decimò gravida, fœtum ſuum cum viva fide in protectionem & tutelam fratris Joſephi commiſit, votitque Deo, ſi tempore ſuo feliciter pareret, eumdem, cùm ad congruam ætatem perveniſſet, in honorem & gloriam fratris Joſephi habitu Conventualium induendum. Tale fuit votum illius, votique ſucceſſus, ut poſt feliciſſimam novem menſium, qualem numquam antè experta fuerat, prægnationem, filium maſculum vivum ederet, qui, quâ natus fuerat, integra ſanitate frui continuavit. *Morbi ſubitò abacti; prægnans* *c* *d* *e* *f*

3 At non ex lumborum debilitate, ſed ob inverſum fœtûs ſitum Portia Sabetta Cupertini ſe deſtitutam ſpe comperit *g*, obſtetrice & medicis mortem ipſi inevitabilem eſſe pronuntiantibus, poſt inanes per totum diem noctemque niſus & acerbiſſimos dolores, qui eam exhauſtis viribus ad ultima vitæ ſuſpiria jam deduxerant, quodque domeſticos ipſamque magis affligebat, ad ſectionem cæſaream tentandam impulerant. Maritus hinc de aliis humanis remediis deſperans, inde fiduciâ in prodigioſum fratrem Joſephum animatus, quamdam Servi Dei epiſtolam corpori languentis conjugis impoſuit, quæ ſimul ac ægram contigit, non aliter quàm ſi incluſus fœtus in ea legiſſet mandatum, quo jubebatur in lucem prodire, ſubitò obſecutus prodiit, contra ſpem obſtetricum, contraque omnem difficultatem omnino contrarii impedimenti naturalis, quod, ut crederet, vires, quæ naturam ſuperarent, exigebat. *& in partu periclitantes* *g*

4 Si-

A f Æſium, *Italis* Jeſi, *epiſcopalis civitas eſt ad Æſim fluvium in Marchia Anconitana:* Corinaldo *autem vicus eſt in ducatu Urbinate, medio ferè itinere Forum-Sempronii inter & Æſium ſitus. In margine hic additur, ſequentia deprompta eſſe ex eodem proceſſu Auximano Apoſtolico fol.* 708 *&* 709, *& Summarii pag.* 600, § 60. *Apud Berninum dicuntur iſta contigiſſe menſe Martio anni* 1688.

t *Ex eod. proc. Auxim. Apoſt. fol.* 369, *fol.* 745 *&* 747 *à terg., & Summ. pag.* 599, § 51. *Berninus ſequens miraculum refert ad annum* 1680.

u *Ex proc. Apoſt. Aſſiſ. fol.* 921, *& Summ. pag.* 596, § 15. *Berninus miraculum vel beneficium hoc anno* 1663 *affigit.*

x Peruſia, *indigenis* Perugia *dicta, urbs epiſcopalis eſt in ditione ſummi Pontificis in Umbria, agri Peruſini caput. Ceterùm pro hoc & ſequentibus ſeu miraculis ſeu beneficiis in margine hæc notantur: Ex eod. proc. à fol.* 921 *à terg. & Summ. cit. pag.* 596, § 18. *Item: Ex dicto proc. Apoſt. fol.* 472, 509, 818, 871, 1061, 1065, 1072, 1101, 1287, 1425, *& Summ. pag.* 597, § 24, 27, 28,
B *pag.* 598, § 34, 35 *&* 40, *pag.* 599, § 50, *&* *pag.* 601, § 68.

y *Ex proc. ord. Neriton. compulſ. fol.* 764, *& Summ. pag.* 595, § 4. *Berninus hæc menſi Auguſto anni* 1665 *illigat.*

z *Pro hujus ceterarumque puerperarum, de quibus mox mentio fit mirabili ſanatione in margine laudatur proc. ord. Nerit. fol.* 758 *&* 760, *proc. ord. Aſſiſ. fol.* 919, 920 *&* *ſeq.*, 1146 *&* *ſeq.*, 1164, *& proc. ord. Auxim. fol.* 1063, 1359, 1365, *& Summ. pag.* 595, § 1, *pag.* 596, § 10, xi, 14, *pag.* 597, § 26 *& alibi. Berninus beneficium, quod ſubditur, menſe Majo anni* 1664 *Angelicæ obtigiſſe affirmat.*

aa *Ex proc. ord. Auxim. à fol.* 1266, *& Summ. pag.* 599, § 45.

bb *Hæ puerorum ſanationes, quæ ſubduntur, deprompta ſunt ex proc. ord. Nerit. fol.* 761, *& Summ. pag.* 595, § 3, *& de aliis infantibus proc. ord. Auxim. à fol.* 1355, 1425, *& Summ. pag.* 599, § 49, *pag.* 601, § 71 *& alibi. Idem Berninus hujus pueri ſanationem refert ad Februarium anni* 1665.

cc *In margine legitur:* De ſanationibus à morC bis ocularibus *pag.* 595, § 6, *pag.* 596, § 20, *pag.* 597, § 29, *pag.* 598, § 38, *pag.* 600, § 58 *& alibi.*

dd *Ex proc. ord. Auxim. à fol.* 1066, 1376, 1380, *& Summ. pag.* 597, § 31.

ee *Ex eod. proc. Auxim. fol.* 510, 717, 768, 781, *& Summ. pag.* 599 *&* *ſeq.*, § 55.

ff *Pro ſequentibus denique omnibus in margine legitur: De his ſparſim in cit. Summ. pag.* 595, § 2, 5 *&* 8, *pag.* 596, § 12, 13, 16, 17 *&* 19, *pag.* 597, § 23, 25 *&* 30, *pag.* 598, § 32, 33, 34, 36, 37, 39 *&* 42, *pag.* 599, § 43, 47, 52, 54 *&* 55, *pag.* 600, § 57, 62, 63, 66 *&* 67, *& pag.* 601, § 69 *&* 70, & ex aliis juratis compluribus depoſitionibus etiam recentioribus & recentiſſimis in Romano archivo Poſtulationis ejuſdem cauſæ.

A. DOMINICO BERNINO.

4 Similiter ad contactum cinguli fratris Josephi in gravi partûs periculo repentè & feliciter pepererunt *h* comitissa Anna Maria Montesperelli, Cassandra Girensi, Hieronyma Mariotti, Elisabetha Saccalossi Perusii; imò qui voluerit enumerare omnia beneficia, quæ periclitantes puerperæ in his angustiis suis à nostro benefico Servo Dei impetrârunt, oportet eum magnum volumen conscribere, ex quo nuptæ, qui illud lecturæ essent, eumdem velut suum in partu Patronum invocarent. Nos coram Ecclesia Dei, in cujus conspectu hic liber editur, cum jurejurando attestamur, nurum nostram, dum hæc scribebamus, jam maturo partûs tempore, & cum matris doloribus aucto fœtûs periculo & domesticorum metu, post invocatum prodigiis celebre fratris Josephi à Cupertino nomen, tam subitò feliciter enixam esse, ut dici non potuerit, promptiorne fuerit imploratio, an gratia *i*.

incolumes servatæ, & inter has scriptoris natus; *h*

i

5 Hinc natus nobis nepos est, qui, sicut in baptismo à nostro nomine Dominicus appellatus fuit, ita, Deo disponente, errores & ignorantiam avi sui sub tanto Patrono emendet. Sanè dicere possem, eum, dum bimulus esset, ex infirmitate maximè lethifera ad vitam revocatum, ex voto habitu fratris Josephi indutum fuisse, quem hodiedum trimulus feliciter gestat. A parturientibus ad infantes recèns natos veniamus, in quorum gratiam pia Fratris Josephi simplicitas etiam post mortem in patrandis insignibus miraculis ludere voluisse videtur. Joannis Canori, senioris inter famulos Cardinalis Ghigi, puerulus lactens, correptus morbo Romæ, sine spe vitæ, sine lactis appetitu, clausis oculis, labiis lividis, totoque vultu mortem præferens, in sinu matris jacebat *k*. Pater magister Joannes Felix Bernabei Conventualis exile frustum vestis Servi Dei ad ejusdem pectus admovit, ad cujus contactum puerulus statim oculos aperuit, suxit, dulci risu matrem agnovit, lusit, omnibusque admirationem movit; & ut uno verbo absolvam, velut à morte ad vitam unico momento resuscitatus est.

cum prole sua. Infans moribundus, subitò convalescit, admoto ipsi

B

k

6 Minus tamen hoc miraculum est, si cum sequenti conferatur. Quasi is puerulus Patronum suum & prodigiosum instrumentum obtentæ gratiæ agnovisset, non permisit umquam se fasciis suis involvi, antequam parvulis suis manibus prædictum vestis frustum in pectore suo inter carnem & fascias reposuisset: quod si interdum inde amotum fuisset, contorquebat se anxius, nec quietem sibi nec aliis dabat, atque conturbatus quaquaversum circumspiciebat, & inventum oculis manibusque tamdiu monstrabat domesticis, donec sibi porrigeretur. Tum verò illud extenso brachio receptum in pectore reponebat, ac deinde contentus & pacatus, ad ingenium redibat, sibi tranquillus, aliisque placidus & hilaris: quod certè adstantibus admirationem simul & teneros affectus movebat cum veneratione nominis fratris Josephi, qui sic etiam è cælo cum illo innocente puerulo miraculis ludebat.

frusto vestis Beati, quod iste mirabiliter retinet.

C

7 Virginia filia Bartholomæi Tenaglia *l*, nobilis Foro-Semproniani, infans tredecim mensium ex maligna febre non ampliùs sugebat, non videbat, non sentiebat, & jamjam moritura videbatur. Circumstabant cunabula nobiles consanguinei, quos ad parem commiserationem matris luctus & morbus filiæ commovebant. Interim pater frater Josephus Maria Foro-Sempronianus Capucinus eò fortè advenit, ut Urbinum profecturus, iisdem valediceret. Hic tam lugubri conspectu pariter afflictus & motus, omnes exhortatus est, ut puellulam venerabili fratri Josepho à Cupertino commendarent, petitoque à Julia Tenaglia, equitis Bentivoglio uxore ibidem præsente, Rosario, quod ejusdem filius à Servo Dei dono acceperat, puellulam eodem ter in fronte signavit, ceteris interim flexis genibus Sancti opem implorantibus. Post hæc Capucinus ille Urbinum proficiscens, suo socio ait: "Nisi pater frater Josephus miraculum fecerit, „ puella ista jamjam transibit ad paradisum.„

l

Altera infans, morti proxima, per Beati Rosarium

D

8 Negotiis suis Urbini confectis, bonus ille Religiosus post quatriduum Forum-Sempronii reversus, ad palatium Tenaglianorum rectà se contulit ea mente, ut patrem matremque de morte filiolæ suæ consolaretur. Sed in ipso aulæ ingressu infantem, quam mortuam credebat, in nutricis ulnis conspicit, tam pulchram, tam rubicunda facie, & vegeta carne, ut dubius, utrùm oculi fallerent, an ipsa parvula è cælo sibi appareret, immobilis & elinguis, oculisque in eam fixis hæreret. Stupenti supervenit mater, quæ lacrymis præ gaudio affusa, ait: "Ah pater frater Josephe Maria, Deus te „ nuper ad domum meam misit; nisi enim venis„ ses, Virginiuccia mea jam sub humo sepulta ja„ ceret!„ Mox etiam prodigium totum exposuit: videlicet cùm ipse Foro-Sempronii vix excessisset, infantem, quam fratris Josephi Rosario signaverat, velut ex gravissimo somno excitatam, in perfectissimam sanitatem restitutam fuisse, non modò nulla febri, sed nec alicujus mali vestigio relicto, pinguem & rubicundam, qualem tum videbat. Quibus ille auditis, oculos manusque ad cælum levavit, aitque: Mirabilis est Deus in Sanctis suis, & mirabilis Dei Servus est pater Josephus à Cupertino, qui tam mirabilia in hoc mundo facit *m*!...

sanitati & viribus in momento reddita.

E

m

9 Soror Victoria Bruni *n*, monialis in monasterio S. Claræ Cupertini, vehementissima fluxione in utrumque oculum cruciata, ejus nomen invocavit, & miraculosam sanationem promptè obtinuit. Quidam cæcus *o*, qui organum visûs & humorem crystallinum pupillæ amiserat, ad solam ejusdem invocationem subitò visum, organum, & humorem recepit. Margarita Donati *p* Auximana, nata erat vixeratque semper cum dolore acrium fluxionum in oculos, ex quarum cruciatu sæpe tribus continuis mensibus lecto affixa decumbebat, nec res discernere poterat, sed cum cæco Euangelico videbat homines, sicut arbores ambulantes. Denique vitam ducens inter dolores tenebrasque nec consummatæ cæcitatis nec visûs, magis impulsa vitæ tædio, quàm desiderio videndi, quodam tempore matutino ad ecclesiam accessit, ibique ad sepulcrum fratris Josephi provoluta, fronte & oculis solo admotis, afflicta & pallida exclamavit: "Ecce me, ecce me, Serve Dei, „ ad pedes tuos. Aut sanitatem aut mortem; u„ na me restituet, altera ex hujus mundi luce au„ feret. Precor te, ut tuis precibus promptum mi„ raculum mihi concedatur.„

n

Varii oculorum morbi

o

p

F

10 Ita petiit & obtinuit. Caput oculosque levavit à terra, & cælum vidit; sed quid aio cælum vidisse? Vidit perfectissimè discrevitque, quotquot res creatæ sub cælo sese illius conspectui obtulerunt. Cessârunt dolores, cessavit cæcitas, lætaque & videns domum reversa est, vel solo conspectu suo egregiè prædicans fratris Josephi sanctitatem. Franciscа Caldieri *q* simili malo Auximi cruciata, Servi Dei crepidâ applicatâ oculis, in momento sanata est. Angela Ratti *r* cùm se ad tollendum lignorum manipulum inclinaret, in sinistri oculi pupilla ab arundine fauciata est, ex quo quantum doloris hauserit, faciliùs intelligi quàm calamo exponi potest. Extemplo ad læsum oculum, qui totus tumidus

& vulnera per Beati patrocinium

q

r

midus ſtillabat, aliquot è capillis patris Joſephi ſub involucro applicati fuerunt, ac mox tam ſubitò tumor, dolor & ſtilla evanuit, ut malum iſtud ſomnus potiùs fuiſſe, quàm umquam accidiſſe videretur.

f curata; ab aliis febres,

11 Annæ Cecchi nobili Firmanæ *f* cum domeſticum hortulum ſuum purgaret, ſpina in oculum penetravit, & ipſa præ dolore in deliquium animi penè incidit. Invocato fratris Joſephi nomine, animos reſumpſit, ſpinamque propriis manibus ex oculo exemit. Verùm cùm non ceſſaret convulſio, & tumor continuè invaleſceret, neſcio quam Servi Dei Reliquiam oculo impoſuit, atque ita, nulla alia re adhibita, oculus in priſtinum ſtatum reductus eſt, quaſi ab illa acutiſſima ſpina numquam fauciatus fuiſſet. Hinc grata de obtento beneficio, ad ejuſdem ſepulcrum Auximum profecta eſt. Similem gratiam anno MDCCXXII Romæ impetravit conjux Franciſci Moroſini *t*... Catharina Blaſi *u*, duos menſes febribus conflictata, atque inde exhauſta viribus, cum aliorum adminiculo ad ſepulcrum Servi Dei ſe contulit, unde tam libera omni febri, tamque valida receſſit, ut ſana ſine ſuſtentaculo etiam alias eccleſias viſerit, & triumphabunda domum ſuam pedes reverſa ſit.

t

u

B

x hemorrhoïdes, dolores iſchiadici,

y

12 Magdalena, prædictæ Catharinæ famula *x*, non abſimilem gratiam pariter obtinuit, ſanato ad ejuſdem ſepulcrum ſanguinis fluxu, ex quo ad ultimum vitæ terminum deducta fuerat. Antonius quoque Caſtellani *y* poſt acerbos iſchiadicos dolores, quibus plùs duos menſes lecto affixus fuerat, cùm ſe ad Servi Dei tumulum juſſiſſet deferri ibidem ſuper illum ſedens ſubita ſanitate donatus eſt, lacrymantibus præ gaudio ipſius uxore, filioque & ceteris adſtantibus, & unanimi voce laudantibus non tam Sanctos in Deo, quàm (quod magis proprium eſt) magnum Deum in Sanctis ſuis, dicente Pſalmiſta: "Laudate Dominum in „Sanctis ejus.„ Et ſanè magna debetur Deo laus de gratiis collatis huic venerabili Servo ſuo, per quem ſeculum noſtrum tam inſignibus illuſtratum eſt miraculis, quorum ex multis, qui hodiedum vivunt ſuperſtites, alii ſpectaculum, alii ſpectatores fuerunt, in omni loco, omni tempore, in ſtupendis prodigiis, adversùs omne malorum genus, in omnibus humani corporis partibus, quaſi ipſe donatus à Deo ſit ſingulari privilegio poteſtatis in ea omnia mala, quibus miſeri mortales in ſingulis membris affliguntur *z*...

C

z

aliaque multa corporum mala,

aa

bb

13 Marſilia Bonafide *aa*... in momento convaluit ab acerbiſſima fluxione in genu, quod laciniâ tuniculæ fratris Joſephi attigerat... Ab oculorum genuumque curatione progredior ad manus, caput, humeros ac guttur, de quibus admirabile Joſephi patrocinium triumphavit. Diana Scaffiglioni Auximana *bb*, in dextera manu ſua ex pertinaci malo tribus menſibus interdiu noctuque convulſionem patiebatur, nec minùs dolebat, quod veſtiarium opificium, quo ſibi ſuiſque victum comparare ſolebat, exercere non valeret. Poſtquam autem Servo Dei ſe enixè commendâſſet, & ad partem afflictam fruſtum tunicæ ejuſdem applicuiſſet, omni dolore libera in momento temporis evaſit, & ad ſolitum opificium reſumendum in officinam deſcendit. Quadriennio pòſt *cc* in ejuſdem naſo prope oculum verruca enata eſt, quàm cùm doloris impatiens ſuis unguibus evulſiſſet, tanta inde ſanguinis copia erupit, ut in animi deliquium lapſa ſine viſu motuque, & velut mortua jacuerit. Allatus ad ipſum fuit idem fratris Joſephi tunicæ cento, quo vulneri impoſito, "illa ſubitò ſenſit (i„ta habent proceſſus) ceſſare; dolores; ſtetitque ſan-

cc

„guis, & poſtero manè etiam nullum in ea par„te ejus mali veſtigium ſuperfuit.„

A. DOMINICO BERNINO.

14 Joſephus Friſenna *dd* Cupertinenſis per totum annum tam vehementi continuoque dolore capitis cruciatus fuit, ut non ſolùm domo egredi ad negotia ſua rure peragenda non poſſet, ſed etiam nec ſedere in lecto: uſque adeò acres erant capitis concuſſiones & acuti temporum cruciatus. Martia Caſalina ſocrus illius ipſum tantummodò attigit Coronâ fratris Joſephi; & ille tam ſubitò à tam inveterato malo convaluit, ut mox è lecto aſſurgens, domo egreſſus ſit, & ad agriculturam ſeſe accinxerit. Eodem malo laborabat filia Lauræ Falconieræ *ee* tam vehementer, ut à malignis ſpiritibus occupata crederetur propter horribiles ululatus, quos edebat, furoremque, in quem ipſam acutiſſimus capitis dolor concitabat. Cùm hujus capiti impoſita eſſet epiſtola à Servo Dei conſcripta, ipſa quoque in puncto temporis ſanata eſt.

admotis rebus, quibus ipſe uſus fuerat.

dd

ee

15 Per fratris Joſephi pectinem *ff* malo applicatum Antonius Auximanus ſubitò ſanatus eſt; per centonem, Dei Servi ſanguine tinctum Andreas Bonfigli fluxu ſanguinis per nares profuſi in momento temporis liberatus eſt; per ipſius ſudarium Roſanna Amboni *gg* à periculoſiſſima angina; per parum ſanguinis illius Joannes Baptiſta Paſcolini Aſiſias *hh* à fracta ſcapula; per crepidam ejuſdem Anaſtaſia Riſidori *ii* Auximi à lethifera pleuritide; per cingulum ſoror Maria Hyppolita Galli, monialis ad S. Nicolaum Auximi, ab iſchiade; per fruſtulum reliquiarum Catharina Roſſa à monſtruoſo hydrope, domina Victoria Corona Pini ab epilepſia, nepos Andreæ Maſſi ab herniâ interna, Conſtantia ab aſthmate, ſoror domina Victoria Caſponi, monialis in novo monaſterio Auximi, à nervorum contractione, Victoria Antonia Euangeliſta Piſaurenſis à malè affecta coxendice, paralytica manu & lingua balbutiente, Franciſca Cialdei Urbinas ab horribili per præcipites ſcalas lapſu, ex quo tota livida & partim rupta, morti proxima erat, convaluerunt *kk*.

& ejuſdem ope invocata,

ff

E

gg

hh

ii

kk

16 Noſtris verò temporibus, in quibus ſpectatores teſteſque mirabilium eventuum adducere poſſumus, pater Joannes Franciſcus Maria Bellani, Ordinis Conventualium Mutinæ, magiſter in ſacra theologia atque definitor perpetuus provinciæ Bononienſis, & frater Franciſcus Pavarelli, inter eoſdem Conventuales profeſſus laïcus, calculos inſtar fabarum grandes in puncto temporis feliciter emiſerunt, numquam deinde ejuſmodi cruciatus ampliùs paſſi, licèt ante id tempus numquam intermiſſis eorumdem doloribus vexati fuiſſent, prout illorum authentica teſtimonia, Kalendis Auguſti anni MDCCXXI data, & apud nos aſſervata, certum faciunt. Idem multis aliis obtigit, quorum ſanationes ſi omnes referre vellemus, majus ſanè, quàm quæ deſcripſimus, miraculum foret *ll*...

ſubitò & prodigioſè depulſa.

F

ll

17 Dominus Franciſcus Sordini, canonicus Aletinus *mm*, ex ſpeciali devotione erga Servum Dei jam ab octo retrò annis ſemper habuerat, habebatque tunc temporis ad cervical in lecto ſuo imaginem ipſius. Contigit autem, ut propter æſtivos calores ancillæ lecti cortinas & cum his Sancti iconem ſimul auferrent. Non adverterat id canonicus; ſed brevî expertus eſt, quantum in tam potenti Cuſtode auxilium haberet. Etenim cùm in lecto ſuo decubuiſſet, mox inſolita inopinaque febri correptus fuit, ex qua delirare cœpit in eodem lecto multis horis uſque ad tempus matutinum, quando imaginem venerandi ergò, oculis inquirens, nec inveniens, extemplo famulos inclamavit, petiit-

Canonicus amota è lecto ſuo Beati icone, graviter febricitat,

mm

A. Dominico Berardino.

que, quis eorum dictam imaginem inde abstulisset. Intellecto autem errore seu inconsiderantiâ, is ipse ad eam properavit, aitque: "O frater Josephe, ancillæ meæ te hac nocte frigido aëri extra „cubiculum meum exposuerunt, ideóque febris „æstus me corripuit b„

18 Post hæc imagine pristino loco suo restituta, in lecto denuò decubuit, decumbensque suaviter obdormivit, omni febris umbrâ, quæ in multas ejus diei horas naturaliter protrahi debuisset, in momento temporis liberatus, admirantibus omnibus, quòd non solùm temporibus Apostolorum, sed etiam nostris veri Servi Dei solâ suâ umbrâ sanitatem ægris impertirentur. Idem canonicus, qui prædicta in processibus testatus est, etiam subjunxit sequentia, quibus multa miracula complexus fuit. "Præterea filiæ meæ, quas olim, „dum secularis essem, ex legitimo matrimonio „genui, multis gravissimis infirmitatibus correptæ „fuerunt, quibus cùm ego Servi Dei imaginem „misissem, sanitas brevi consecuta est, ita ut jam „singulæ filiæ meæ iconem dicti Servi Dei magna „cum devotione asservent; ejusdem insuper patro-„cinium in difficilibus partubus, quos passæ sunt, B „expertæ fuerunt, in quibus eo invocato, molli-„ter pepererunt; & similiter in multis infirmitati-„bus, ut dixi, gravissimis, quæque medicos solli-„citabant, per ejusdem Servi Dei opem sanitatem „retinuerunt & receperunt.„

restituta, sanatur: hujus filiabus beneficia ab eodem collata.

19 Dominica Gattucci ex Monte-Lupone *nn* ex immedicabilibus cruciatibus multos menses affixa lecto, immobilis jacebat, mortem potiùs quàm vitam protrahens; cùm ad pium osculum, quo venerabilis fratris Josephi imaginem venerata est, in somnum incidit, ac postridie manè sponte suâ è lecto consurgens, ad ecclesiam primùm actura Deo gratias, deinde ad notarium accessit, ut tam prodigiosæ & subitaneæ sanationis fidem faceret. Antonia Carella Cicolini, nobilis mulier ex Castro Fidardo *oo*, tam acri capitis dolore afflicta fuit, ut mox mentis & corporis sensibus destituta, accedente etiam maligna febri, de peccatis suis confiteri non posset, & ante obitum suum à domesticis suis velut mortua jam plangeretur. Rebus ita desperatis, in domum supervenit frater Hieronymus Damiani, laicus Conventualis, qui patris Josephi imaginem, quam penes se habebat, moribundæ statim exhibuit, alta voce inclamans: Commenda te, filia, fratri Josepho. Illa verò, ad omnia alia surda, nomen Josephi audiit, auditoque se ipsi commendavit. Cetera accipe ex processibus. „Subitò, (inquit ipsa) obdormivi: postea exper-„gefacta, sensi me mentis meæ planè compotem, „sic ut de peccatis meis rectissimè confessa fuerim, „& meliùs me habere perrexerim, ita ut cum ma-„gna medicorum admiratione omni periculo de-„functa essem, & intra quatriduum prædicta fe-„bri etiam omnino liberata.„

nn Alii per veneration. ejusdem imaginis

oo

C

20 Dominus Carolus Marcellus Diotajuti, canonicus ecclesiæ cathedralis Auximanæ, oppressus intolerabili cordis cruciatu, quo vitalis respiratio impediebatur, omni humanæ opis spe destitutus, convertit sese ad venerabilis Servi Dei iconem, eique se enixè commendans, mox exauditus fuit. „Subitò (inquiunt processus) se veluti per divi-„nam manum liberatum comperit ab ea mortis „angustia;„ & ad ejusdem sepulcrum accessit, ut prodigioso suo Patrono de tam stupendo miraculo gratias ageret; quod cùm per civitatem vulgatum esset, omnibus admirationem simul & pios affectus movit erga tam beneficum Dei Servum, tam promptum ad succurrendum proximis suis, quàm velox est oculorum conjectus, vox & cogitatio. Atque hæc sufficiat huc usque scripsisse de venerabili patre fratre Josepho à Cupertino, mirabili magis, quàm imitabili in sua vita, & vivo potiùs prodigio, quàm prodigioso post mortem. D

variis morbis liberati.

ANNOTATA.

a *Ita Berninus caput* 31 *Vitæ Italicæ* B. Josephi *orditur, ex quo sequentia miracula ac beneficia recensemus. Vide dicta in Commentario prævio num.* 4.

b *Refert Berninus Alexandri VII Papæ, patris Antonii Justiniani, & Stephani Blasii prodigiosam sanationem, aliaque, quæ huic & familiæ ejusdem per* B. Josephi *patrocinium obtigerunt, quibus ego hic supersedeo, quia ea ex Pastrovicchio in Vita jam recensui num.* 131 *& sequentibus.*

c *Berninus notat hìc in margine annum* 1663, *id est, eumdem, quo Beatus defunctus est, & processum fol.* 601, *num.* 19.

d *Ibidem in margine legitur annus Christi* 1680, *idemque processûs locus num.* 13.

e *Sequuntur hìc Cornelii Saccaloſi, comitissæ Ludovicæ Patrizi aliorumque plurium, periculosè febricitantium, uti & Angelicæ de Constanza in partu periclitantis, sanationes, de quibus consule Vitam num.* 135 *& duobus sequentibus.* E

f *Anno* 1664, *ait Berninus, laudatque eumdem processum num.* 26.

g *In margine appositus est annus* 1665, *& laudatur idem processus num.* 1.

h *In margine citatur idem locus processûs num.* 10 *& sequenti.*

i *Ibidem annus* 1719, *dies* 4 *Januarii adscribitur.*

k *Annum* 1664, *eumdemque processum num.* 71 *hìc adscribit Berninus.*

l *Ibidem in margine appositus est annus* 1666 *& mensis Julius, atque idem locus processûs, num.* 49.

m *Sequuntur hìc sanationes Petri Ludovici Blasii, & Stephani de Matthæis, quarum primam num.* 133 *Vitæ, alteram in Commentario prævio num.* 123, *& num.* 129 *Vitæ dedimus. Hìc tamen observo, primam anno* 1660 *apud Berninum perperam adscribi, cùm ea post* B. Josephi *mortem contigerit, quæ incidit in annum* 1663. *Secundam quoque anno* 1665 *perperam illigavit, cùm ex loco Vitæ citato* F *constet eam anno* 1663 *accidisse.*

n *In margine notatur idem processûs locus num.* 6.

o *Ibid. citatur idem locus num.* 20.

p *Ista anno* 1687 *contigisse ait Berninus, à quo idem, qui suprà, locus citatur.*

q *Anno* 1688, *inquit Berninus, laudans eumdem locum num.* 58.

r *Ibidem notatur annus* 1664, *idemque processus num.* 29.

s Firmum, *indigenis* Fermo, *archiepiscopalis urbs est ditionis summi Pontificis in Marchia Anconitana. Berninus in margine annum* 1663, *& laudatum processum num.* 38 *adscribit.*

t *Sequitur sanatio Corneliæ Matthæi, quam num.* 138 *Vitæ dedimus.*

u *In margine apponitur annus* 1685, *& idem processus num.* 65.

x *Ibidem legitur annus* 1680, *processûs verò num.* 66.

y *Ibidem anno* 1664, *processûs num.* 47.

z *Sequitur miraculosa sanatio Victorii de Matthæis, quam jam narravimus in Commentario prævio*

A *vio num.* 124, *& in Vita num.* 127 *& sequenti.*

aa *Subditur hîc & mox ad eadem signa sanatio sororis Mariæ Leopardi, quam vide in Vita num.* 139. *Berninus hisce annum* 1663 *adscribit. Prætermisi hîc etiam miraculum Ludovico Blasi concessum, de quo consule Vitam eodem num.* 139.

bb *Apud Berninum laudatur idem processus num.* 36 *& seq., annotaturque annus* 1661; *adeóque hæc ante Beati mortem contigerint.*

cc *Anno nempe* 1665, *ut ibidem adscribitur.*

dd *Annum* 1685, *& ex eodem processu num.* 5 *notat Berninus.*

ee *Anno* 1687, *inquit idem Berninus, laudans ex processu numerum* 1.

ff *Ibidem notatur annus* 1664, *& ex processu numerus* 54.

gg *Ibidem anno* 1688, *processûs num.* 39.

hh *Ibidem anno* 1695, *ex processu num.* 12.

ii *Ibidem anno* 1661, *adeóque ante mortem Beati, contigisse dicitur, notaturque è processu numerus* 69.

kk *Pro hisce omnibus, nullo anno annotato, in margine processûs loci, in quibus ea asseruntur, laudantur eo ordine, quo subdo. Num.* 70, *num.* B 63, *num.* 34, *num.* 42, *num.* 43, *num.* 32 *vel* 33 (*obscurè expressus hic est*) *num.* 25, *& num.* 57.

ll *Sequitur hîc instrumentum Luciæ Fortunatæ, quo ipsa testatur, se peram suam, quam, Auximo Assisium profecta, in via perdiderat, dum Assisio rediret, invocato* B. Josepho, *recepisse à quodam puero rustico, qui eam invenerat: sed operæ pretium non duxi istud recensere.*

mm Aletium, *indigenis* Lecce, *episcopalis urbs est regni Neapolitani ampla & frequens, in provincia Hydruntina, cujus caput est. Berninus annum* 1680, *& ex processu numerum* 7 *adscribit.*

nn *Hujus nominis vicum Blavianæ Tabulæ exhibent in Marchia Anconitana, paucis milliaribus Maceratâ dissitum versus Sinum Venetum. Franciscus Orlendius parte* 2 *Orbis sacri & profani, pag.* 700 *eumdem in diœcesi Lauretana collocat. Apud Berninum notatur in margine annus* 1687, *& ex processu numerus* 23.

oo *Laudatus Orlendius hunc quoque locum, vulgò* Castel Fidardo *diœcesi Lauretanæ adscribit. Berninus in margine notat annum* 1684, *& ex processu numerum* 67.

C



A. PAULO AGELLO.

APPENDIX II

De Miraculis aliquot recentioribus ex Vita Italica,

Auctore Paulo Antonio Agello.

CAPUT I.

Moribundus sanatus, idemque voti negligens, castigatus, ac denuò sanatus: energumena mirabiliter liberata: mulier ex mamilla periclitans, sanitati reddita.

E

Moribundus per Beati reliquias

PAulinus Moretti ex Monte Leonis in Umbria, anno MDCCXXIV laborabat perpetua febri, dolore capitis, ciborum nauseâ & magna debilitate cum totius corporis nervorumque cruciatu, quos epilepticos esse, deinde die V Junii judicatum fuit. Tentata in eo fuere omnia humanorum remediorum genera, ac inter cetera etiam cauterium in occipite, quod infirmus sine ullo sensu sustinuit. Die VI prædicti mensis illum medicus sacerdotum curæ reliquit. In hoc tam deplorando statu constitutum pater magister Felix Fideli, Ordinis Minorum Conventualium, invisit; qui cùm audisset, infirmum sacro Viatico nondum munitum fuisse, ad eumdem propiùs accessit, dixitque: "Pauline, ve„nerabilis pater Josephus à Cupertino ex Ordine „meo, tam prodigiosus, tantique apud Dominum „meriti, eam tibi gratiam ab illo impetrabit. Con„cipe fiduciam, & pete tibi tempus, quantum suf„ficit, ut Sacramenta suscipias, ac deinde faciat, „quod voluerit Altissimus. Ego jam ipsius reli„quias quæram; tu interim te ex corde ei com„menda; nec dubita, quin eam gratiam obtentu„rus sis.„

sui compos fit, & Sacramentis munitur;

F

2 Infirmus, qui antè nihil percipiebat, testatus est, se sermonem illum audivisse, & ad nomen B. Josephi, eatenus ipsi incognitum, visum sibi esse, cruciatus suos sopiri. Revera ipsius violenti nisus & contorsiones cessârunt, nec audiebantur ampliùs suspiria & gemitus, & ipse jam aliquam spem vitæ dabat. Reversus Religiosus, & ab ægro agnitus, illum his verbis solatus est. "En tibi reliquias „nostri venerabilis patris Josephi; commenda te „Deo, ut per hujus Servi sui merita tibi tempus „ad Sacramenta suscipienda concedat. Age, Pau„line: fide viva hîc opus est, & gratiam obtinue„ris.„ Interea ter orationem Dominicam & toties angelicam salutationem & GLORIA in honorem sanctissimæ Trinitatis recitârunt. Post hæc reliquiis capiti moribundi impositis, testatus hic est, se subitò odorari cœpisse "quamdam fragrantiam & o„dorem suavissimum, quem numquam aliàs in vita „sua senserat, & ex hoc odore, quo multùm recrea„batur, maximâ se fiduciâ in servum Dei, patrem „Josephum, animatum fuisse.„ Aperuit oculos, agnovitque omnes, & ad Religiosum conversus, „O pater Fideli, inquit ipsi, qualis odor! qua„lis odor!„ Expiavitque animam suam confessio-

A. Paulo Agello.

ne, & ſacro Viatico communitus eſt cum ſuo & totius familiæ ſolatio.

& morbo poſtea creſcente poſt factum eidem votum

3 Cùm adveniſſet medicus & infirmum ſui compotem & exigua febri laborantem comperiſſet, quòd præter omnem opinionem ſe meliùs haberet, Beati patrocinio adſcripſit. Paulino tamen Sacramentorum gratiâ jam roborato, & divinis placitis acquieſcente, nemo de perfecta corporis ejuſdem valetudine reſtauranda cogitabat. Die itaque VIII recruduit febris vehemens & violenta, quæ ipſum intra decem dies morbi denuo ad extrema deduxit. Prædictus Religioſus, qui huic tam graviter ægrotanti aſſiſtebat, Beati reliquias ejus capiti impoſuit, hortatuſque eſt, ut etiam corporis ſalutem peteret; & ſuggeſſit ei, ut Patrono ſuo promitteret, ſe Auximum, ſepulcri ipſius honorandi gratiâ, aditurum; addiditque, ſeſe in eumdem finem poſtero manè Miſſam celebraturum. Infirmus ita monitus, ſe cum viva fide commendavit, & ad viſendum ſepulcrum obſtrinxit: Miſſa quoque poſtridie manè celebrata eſt, cui infirmi nomine tres puellæ ejuſdem cognatæ, de peccatis ſuis priùs confeſſæ & divino Epulo refectæ, interfuerunt.

B *ſubitò convaleſcit:*

4 Fuit quidem vehemens eo manè febris; ſed ea non obſtante æger eodem prorſus tempore, quo Miſſa celebrabatur, Beati reliquias manu tenens, ſeque ipſi devotiſſimè commendans, viſus ſibi eſt (ut revera erat) omni morbo liberatus. Finitâ Miſsâ, pater Fideli ad Paulinum jam non ampliùs infirmum reverſus, audiit ab illo: "Sanatus „ ſum, ſanus ſum, & ſine mora volo ſurgere;„ & ſurrexiſſet ſanè, niſi prudentia Religioſi prohibuiſſet. Hinc accerſitus medicus mox accurrit, qui cùm ipſum, antè moribundum, ſine febri, ſine doloribus, cum optimo arteriæ pulſu, vegetum & robuſtum comperiſſet, obſtupuit & ſupra modum miratus eſt; & intellecto, quod factum fuerat, ipſe ceterique loci incolæ humillimas Deo, beatoque Joſepho gratias egerunt, exclamantes: "Hoc „ eſt miraculum! Pater Joſephus à Cupertino, is „ certè magnus eſt Medicus!„ Obſervavit autem Paulinus, cum ablato ſuo gravi morbo ceſsâſſe ſuaviſſimum illum odorem, quo mirabiliter recreatus fuerat, quamdiu acerba illa infirmitas duraverat.

voto poſtmodùm negletto, morbo rurſus corripitur,

5 Neque hîc finem habuit miraculum. Paulinus, bis à morte ad vitam reductus, non Auximum ad reddendas Interceſſori ſuo gratias, ſed Romam, occaſione inſtantis anni Jubilei, die VI Octobris ejuſdem anni MDCCXXIV profectus eſt. Verùm ibi tam malè ſe habere cœpit, ut in patriam redire coactus ſit. In eam reverſus ineunte Decembri, quodam genere moleſtiſſimi hydropis laboravit uſque ad diem X Maji anni MDCCXXV. Adversùs hunc quoque morbum variis remediis nequicquam adhibitis, experturus cæleſtia, Caſſiam ſe contulit, ad implorandam B. Ritæ opem, cujus corpus ibi honoratur *a*. Placuit autem Deo, ut prædictus pater Fideli ibidem in conventu patrum Minorum Conventualium S. Franciſci tunc degeret; qui eum tam melancholicum conſpicatus, de valetudine ſua interrogavit, ac denique dixit: „ Pauline, an votum tuum de adeundo Auximo „ expleviſti?„ Quo cum rubore reſpondente, Non: ingratum ipſi animum exprobravit: unde ipſe incitatus ſpopondit, ſe id mox exſecuturum, uti revera exſecutus eſt.

a

& expleto tandem voto, denuo ſubitò ſanatur.

6 Die itaque nativitati Dominæ noſtræ, Mariæ ſemper Virginis, ſacra, multo cum cruciatu & incommodo iter versùs civitatem Auximanam pedes aggreſſus eſt, in eamque die XV Septembris ſuprà dicti anni advenit. Mox ad eccleſiam S. Franciſci, in qua corpus B. Joſephi à Cupertino quieſcebat, rectà contendit, ubi poſt ſuſcepta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta vix genua in ejuſdem ſepulcrali lapide poſuerat, quin odorari cœperit eumdem illum ſuaviſſimum odorem, quem in primo morbo ſuo ſenſerat; ex qua re magnam integræ ſanitatis recuperandæ ſpem concepit. Cùm in eodem loco Miſſam audiret, circa communionem celebrantis ſenſit quemdam calorem, qui à plantis pedum exortus, cum inenarrabili ſuavitate per totum corpus ſerpebat, viſuſque ſibi eſt audire vocem, quæ diceret: "En tibi eam gratiam, jam „ nunc ſanus es.„ Finitâ Miſsâ, tam ſanum, vegetum ac robuſtum ſe comperit, ut quibuſlibet laboribus ferendis jam par eſſet. Gratiam itaque Deo, ſuoque inſigni Patrono egit, & lætus ac proſperè in patriam regreſſus eſt, ubi uſque in annum MDCCXXXVI, quo prædicta juratus teſtatus eſt, integra valetudine per B. Joſephi à Cupertino merita fruebatur. D

Oculus candenti ferro læſus, *b* E

7 Bartholomæus Palmucci, nobilis Maceratenſis *b* die X Martii anni MDCCXXV candenti ferro in ſiniſtro oculo læſus eſt, ex quo cùm magnum dolorem ac vehementem epiphoram pateretur, chirurgum mox arceſſi curavit, ut malo ſuo remedium aliquod afferret. At chirurgus, inſpecto oculo, aſſeruit, pupillam corruptam eſſe, cùm in ea nihil ampliùs nigri appareret: præterea cùm totus oculus jam alberet, verendum eſſe, ne nervus opticus læſus eſſet, & præter cæcitatem oculi ſiniſtri, etiam dexter aliquem inde defectum pateretur. Interim doloris mitigandi causâ quædam lenimina præſcripſit, identidem applicanda. Erat domina Tereſia, infirmi uxor, in B. Joſephum à Cupertino devotiſſima, quippe Auximi nata; quæ proinde cum magno fervore ad ipſum recurrit, & eodem veſpere, quo infelix caſus acciderat, ejuſdem imaginem in manu accepit, eâque ad mariti oculum viva cum fide admotâ, Beatum precata eſt, ut pro ejuſdem incolumitate apud Deum intercederet: deinde eamdem imaginem ad cervical in lecto depoſuit.

integritati mirabiliter reſtitutus.

8 Ope leniminum, quæ iterabantur, nocte procedente infirmus aliquantulùm dormierat; ſed cùm oculus copiosè flueret, & dolores vehementiùs invaleſcerent, expergefactus eſt; & fomenta iterata fuerunt, & oculus denuò faſciis involutus. Reliquum itaque noctis placidè obdormivit: manè verò in aurora excitatus, deprehendit ſe ſine faſciis, oculum citra dolorem aperuit, dexterum clauſit, & experientiâ comperit, ſeſe è ſiniſtro perfectè videre; ideóque nullis præterea remediis uti voluit. Chirurgus manè adveniens, ipſumque ſine faſciis conſpicatus, inſpexit oculum, quem cum ingenti ſtupore liberum ſanumque ſine ullo fiſſuræ veſtigio & tam integri viſus, quàm ante acerbam illam exuſtionem fuerat, deprehendit. Atque ita ipſe ſanus eſſe perſeverabat die XXIV Decembris anni MDCCXXXIV, quando pro indubitata acceptæ gratiæ fide hoc authenticum teſtimonium dedit. F

Comitiſſa, inſueto morbo diu conflictata, *c*

9 Domina Maria Maſones di Lima, comitiſſa Caſtelli, Calari civitate Sardiniæ *c*, plùs duodecim annis conflictata fuit tremoribus adeò extraordinariis vagiſque, modò in uno, modò in alio corporis membro, præcipuè in capite, ſubinde in toto corpore, ut excellentiſſimi medici Matriti & in aliis celebribus Hiſpaniæ civitatibus nullum illis remedium reperirent, imò nec ſcirent, quo eoſdem ſaltem nomine appellarent. Hinc de dæmonum obſeſſione injecta ſuſpicio: ſed adhibiti exorciſmi omnes irriti fuere, ita ut neque umquam comperiri potuerit, an à maligno ſpiritu infeſtaretur. Judicatum

A tum denique eſt, ejuſdem morbum naturalem eſſe ex nervis & convulſionibus. Ad tam grande incommodum, cui nullum remedium erat, acceſſit & alterum, albugo ſcilicet in uno oculo, quæ cùm continuè dilataretur, viſum impediebat; & ad hanc quoque ſanandam nihil ars & medicina valebat.

apud Beati imaginem magis cruciatur:

10 Interea Deo, qui volebat per hujus nobilis matronæ ſanationem ſervum ſuum B. Joſephum à Cupertino glorificare, ita diſponente, ipſa quodam die in Novena glorioſi patriarchæ S. Dominici ad eccleſiam monialium ipſius Ordinis progrediens, aliquèm obvium habuit, qui Beati noſtri pictam imaginem portabat. Placuit hæc ipſi, rogavitque, cujus ea Sancti eſſet; & intellecto ejuſdem nomine, curavit ejus Vitam ad ſe afferri, in qua cùm geſta ejuſdem & famoſa miracula legeret, magnam ſpem concepit de invento ſuo Soſpitatore. In hunc finem imaginem Servi Dei ſibi applicavit, rata, ſe brevi ſanatum iri: at non ita fuit. Etenim tremores, qui jam tribus aut quatuor menſibus ceſſaverant, eam denuò corripuerunt, oculique incommodum magis invaluit. Hiſce non obſtantibus, in ſua erga Beatum fiducia perſtitit, perſuaſum habens, illum mali ſui acceſſum caſu contigiſſe. Ea nocte ſacram imaginem in pulvinari ſuo retinuit, freta fore, ut ſic convaleſceret. At neutiquam dormire potuit, ſolitis tremoribus & interna inquietudine agitata, ex quibus admodùm afflicta & veluti fracta animo permanſit. Quam ob rem cœpit diffidere ſibimet, eò magis, quòd, quoties imaginem illam ſeu manu teneret, ſeu aſpiceret, ſolitis tremoribus concuteretur: cúmque id ſæpe iteratis vicibus contigiſſet, tandem creditus is morbus eſt à maligno ſpiritu, non ex vitiata natura, oriri.

B

fruſtra exorciſatur apud corpus B. Salvatoris: d

11 Ad exorciſmos itaque ventum eſt. Sed licèt hi adhiberentur, etiam dum ipſa caput ſuum ad arcam, in qua B. Salvatoris *d* corpus quieſcebat, inclinatum tenebat, nullum energumenæ ſignum dedit; conſpecta verò, vel etiam clàm ad ipſam admota B. Joſephi icone, ſoliti tremores eam occupabant, apparebantque. Ad hæc viſum eſt aliud experimentum capere. Scilicet cùm domina illa luſu ſe occuparet, imago ipſi ſecretò applicata eſt, ac mox tantum cordis cruciatum ſenſit, ut, ſicut ipſa teſtata eſt, majorem numquam experta fuerit: ſed & hunc tamen caſu accidiſſe rebatur. Verùm brevi patuit, non caſu accidiſſe: exhibita enim ipſi imagine, infernalis ſpiritus, qui tot annis latuerat, ſe ipſum iis verbis & factis manifeſtavit, ut omnes adſtantes timore & horrore correpti, miraculum per ſacram illam imaginem factum eſſe faterentur.

C

coram Joſephi imagine dæmon ſe prodit,

12 Manifeſtato igitur ſpiritu, exorciſta poſtero die cum prædicta imagine rediit, quam energumena conſpicata, tota cohorruit. Idem contingebat, dum ante illam tranſiret; & ſicubi aliquam B. Joſephi à Cupertino imaginem videret, incipiebat clamare & dicere: Non hunc, non hunc: accedenſque ad parietem, impediebat ceteros, ne tranſirent. Quin etiam tanta fuit maligni ſpiritus repugnantia, ut energumenam humi proſterneret, quæ plena fide, ſponte ſua in nomine Servi Dei ipſi mandabat, ut ſe Sanctum ſuum (ſic Joſephum appellabat) venerari ſineret. Obedivitque dæmon; & ipſa ſibi quietè relicta, proſtravit ſeſe coram ſacra imagine, gravemque ſuam neceſſitatem expoſuit.

ex eaque tandem expellitur.

13 Tandem die XIX Julii anni MDCCXXVII ad eccleſiam S. Mauri delata eſt, ut exorciſmi continuarentur. Ubi dum exorciſta præciperet dæmoni, ut egrederetur & energumenam relinqueret liberam, duo Religioſi Scholarum piarum, nempe pater Alphonſus à S. Anna, olim provincialis per Sardiniam, & pater Bernardus à S. Jacobo, B. Joſephi à Cupertino imaginem ipſi applicârunt; & in eodem puncto temporis ſpiritus infernalis ex eo corpore exceſſit, cum ſummo illius matronæ gaudio, cum inenarrabili totius nobiliſſimæ ejuſdem familiæ exſultatione, maximaque admiratione omnium, qui aderant. Præter grati animi officia, quibus fortunata illa domina ad promovendam Soſpitatoris ſui venerationem ſe obſtrinxit, voluit acceptum beneficium typis & authentico inſtrumento publicum fieri, ut univerſus orbis diſceret, quàm potens apud Deum ſit B. Joſephi à Cupertino patrocinium.

A. PAULO AGELLO.

Mulier ex mamillæ tubere moribunda,

14 Anna Tereſia Bundari Cupertinenſis anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſeptimo, menſe Junio anni MDCCXXXI moleſto ſcirrho, ſpurio, ſed maligno ſub mamilla ſiniſtra correpta fuit, qui cùm indies valentior contumaciorque evaderet, nihil quidquam arti medicæ cedebat, & miſeram mulierem acerbis doloribus atque incredibili moleſtia conficiebat. Sub finem Auguſti acceſſit manifeſta febris quotidiana periodica, defectibus animi comitata, quâ durante, tuber non nihil imminuebatur, ſed decedente, in priſtinam magnitudinem, quæ ovum gallinaceum æquabat, reſtituebatur. Sublata febri, idem tumor cum priſtinis acutis cruciatibus adhæſit. Menſe Decembri eadem febris cum funeſtioribus adjunctis, id eſt cum deliquiis & cordis palpitationibus recurrit, & humores in prædicta mamilla ſtagnantes, ad corrodendam afflictam partem acriores facti, intolerabilem cruciatum infirmæ creabant. Hinc medico, qui eam curabat, morbum malignum & immedicabilem eſſe judicante, monita eſt, ut ſe ſacro Viatico præmuniri pateretur; quod cum omni animi ſubmiſſione fecit. Suggerentibus nihilominus domeſticis ſuis, aliiſque, ut ſe B. Joſepho à Cupertino commendaret, plena fide in Deum, & fiduciâ in patrocinium glorioſi Concivis ſui, patrem Regentem Ruberti, Minorem Conventualem, arcerſi jubet, rogarique, ut Beati reliquias afferret.

E

poſt allatas Beati reliquias,

15 Accurrit ſubitò Religioſus, & horâ ſecundâ noctis fruſtulum habitûs Servi Dei proferens, juſſit ægram & domeſticos ejus PATER, AVE & GLORIA PATRI &c in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis tertiò recitare; incitavit illam ad devotionem, ſignavit prædictis reliquiis, hiſque apud eamdem relictis, ad conventum ſuum regreſſus eſt. Moribunda, à medicis jam derelicta, viva ſpe recuperandæ per Beati patrocinium ſalutis concepta, in ſomnum incidit, & ſub noctis medium viſa ſibi videre eſt in ſuo cubiculo venerandum quemdam Religioſum Ordinis Minorum Conventualium, ſed cucullo caput tectum, ita ut eum agnoſcere nequiret. Suſpicata tamen, patrem Joſephum eſſe, "Pater Joſephe mi, inquit, adjuva „me. Precor te, ut liberes me tam gravibus ſe„bris effectibus, & hoc tam maligno tubere.„

F

ab ipſo apparente ſanatur.

16 Eamdem precem iteravit; dumque Religioſum illum veſte apprehendere conabatur, is ex oculis evanuit, & ipſa excuſſa ſomno eſt. Tum verò ſe ſine ullo dolore, ſine febri, & hujus effectibus comperit; admotaque ad locum tuberis manu, nullum ampliùs invenit. Magna fuit in ædibus exſultatio, ſororum præſertim, quæ ab Anna Tereſia advocatæ, admirabundæ ſpectârunt, contumacem illum malignumque humorem evanuiſſe; qui dum dilaberetur, ut manifeſtam gratiam faceret, dolorem aliquem in pede, quà cruri adhæret, cum exiguo calore febrili biduo triduove reliquit, poſt quod libera & expedita, ſi-

A. Paulo Agello.

ne ullo alio remedio aut morbi crisi manſit; ita ut ad eccleſiam Cryptellæ accedere potuerit, ut miraculum publicè teſtaretur, Deoque & inſigni ſuo Patrono & concivi, B. Joſepho gratias redderet.

ANNOTATA.

a *De B. Rita Caſſia, vidua, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in Opere noſtro actum eſt ad diem 22 Maji. Eſt autem* Caſſia, *indigenis* Caſcia, *Italiæ oppidulum in Umbria in diœceſi Spoletana.*

b Macerata *Marchiæ Anconitanæ civitas eſt, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Firmano, Juxta Chientum fluvium in monte condita, & in dominio ſummi Pontificis.*

c *Vulgo nota eſt hæc Sardiniæ inſulæ in mari Mediterraneo, regni titulo illuſtratæ, Italis* Cagliari *dicta civitas archiepiſcopalis, & totius inſulæ caput & regia ſedes.*

d *Indicatur hic B. Salvator de Horta, Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, cujus corpus Calari in ſui Ordinis ſacello piè aſſervatur & colitur. Hujus geſta illuſtrata apud nos ſunt ad diem 18 Martii.*

B

CAPUT II.

Varii morbi & corporis mala per Beati imaginem, reliquias & invocationem ſubitò curata.

Puer moribundus admotam Beati imaginem

MIchaël Dominicus Donatus, filius domini doctoris Joſephi Cafaro & dominæ Euphemiæ Caldrami, tredecim menſium infans erat, cùm graviter conflictatus eſt ex doloribus ac nervorum motibus, convulſiones præſagientibus, quæ etiam ex inquietudine & continuo planctu apparebant. Intra octiduum morbi diſtentus in lecto, ſine motu, oculis omnino clauſis, pallidus & confectus, cadaveri ſimillimus, ad extrema vitæ pertigerat. Plangebant illum acerbiſſimè velut mortuum amantiſſimi parentes & amitæ *a*; jamque pro eo honorificè ſepeliendo quædam parata erant. In hoc ſtatu à veſpere uſque ad horam noctis ſecundam diei xx Julii anni MDCCXXXIV jacuit, dum interim ſupremus ejuſdem halitus exſpectaretur. Parentibus igitur & amitis è cubiculo egreſſis, unica ancilla, Irene nomine, & quidam canonicus collegiatæ eccleſiæ ejus loci, probæ vitæ ſacerdos, apud moribundum remanſerunt. Poſtquam hi duo agenti animam puerulo reliquiis aliiſque rebus ſacris benedixiſſent, venit iis in mentem de B. Joſephi imagine, quæ ad cervical pendebat, quam inde acceptam ad morientis infantis labia admoverunt, alta voce ipſi dicentes: "Donatule, Do„natule, oſculare, oſculare patrem Joſephum „Cryptellæ.„

a

C

piè oſculatus, ſubito convaleſcit,

18 Ad has voces velut ex profundo lethargo excitatus puerulus, oculos aperuit, dictamque ſacram imaginem oſculari cœpit, & clara voce dicere: "Mammam, nutrix, mammam, nutrix.„ Attonitus primùm, ac deinde plenus gaudio canonicus, domeſticos appellavit, inter quos pater primus accurrens, vidit non jam moribundum filiolum, qualem reliquerat, ſed puerum pulchrum, alacrem & vegetum, qualis fuerat ante malignam infirmitatem ſuam. Pater igitur præ lætitia & ſpirituali voluptate geſtiens, accepit imaginem & ipſe quoque filio ſuo ait: "Oſculare, oſculare, Donatu„le, iconem noſtri venerabilis patris Joſephi, per „cujus merita ſanus & ſalvus es.„ Puerulus autem eam iterum iterumque & ſæpiùs oſculatus eſt: deinde ſignificavit, ſe ſurgere velle & in nutricis ſinum confugere; quæ cùm præſens eſſet, ſublatum læta admovit ad ubera, quæ ipſe, ut olim ſanus, ſuxit.

D

& cum tota familia in Eccleſia Cryptellæ gratias agit.

19 Ad agendas pro tam inſigni beneficio gratias omnes iſtius domus incolæ unà cum ſanato filio ad eccleſiam Cryptellæ, quæ ad Beati conventum pertinet, acceſſerunt, ibique ſuper altari beatiſſimæ Virginis primùm pios animi affectus, deinde pueri veſtes faſciaſque, & quos pro Donatuli funere panniculos cereoſque paraverant, obtulerunt. Cúmque hic lætus & feſtivus domum rediret, pedes ſuos frequenter aſpiciens, aiebat: LE PAPE, LE PAPE *b*; quam vocem parentes tum quidem non intellexerunt; ſed cùm eadem continuò repeteret, agnoverunt, ſe filii ſui calceolos non reliquiſſe in eccleſia. Quam ob rem de miraculo ſemper magis certiores facti, etiam illos pro explendo voto illuc miſerunt.

b

Doloribus colicis laborans, per Beati pileum

E

c

20 In Monte-Filatrano, Marchiæ Anconitanæ oppido *c*, Joſephum Leali cœmentarium, annorum viginti ſex, die VIII Julii, anno MDCCXXXV dolores ex humoribus colicis corripuerunt, ex quibus etiam aliquoties aliàs graviter decubuerat. Vocavit ergo de more medicum, ut acerbis ſuis doloribus, qui nullam ipſi quietem dabant, mederetur. Is quæcumque pro tali morbo curando ars medica umquam præſcripſit, remedia adhibuit: quibus nihil proficientibus, medicamenta, opio mixta, ei porrexit; quæ tamen æquè ac alia effectu caruerunt. Jamque aliquot morbi dies exegerat, cùm juſſu patris magiſtri Sebaſtiani Beni, Minoris Conventualis, inviſit eum quidam ejuſdem Ordinis Religioſus, ſecum ferens B. Joſephi à Cupertino pileum, ut eumdem benediceret. Qui cùm ipſum præ doloribus, quibus viſcera ſua (ut ipſe aſſerebat) comminuebantur, vehementer agitatum comperiret, ad patientiam hortatus, juſſit ſpem ſuam in Beati patrocinio collocare. Deinde recitato PATER & AVE, ſignavit eumdem, afflictas partes pileo contingens, eoque ad fiduciam in Deo Deique Servo habendam rurſus excitato, extemplo receſſit.

F

extemplo curatur.

21 Vix domo egreſſus fuerat Religioſus ille, quin æger ſe ſanatum, omnique malo ſic liberum ſenſerit, ut è lecto conſurgeret, cibum caperet, eaque quiete frueretur, quâ jam multis diebus caruerat. Poſtridie manè medicus eum de more inviſurus accedens, & contra opinionem ſuam perfectè ſanatum reperiens, vehementer obſtupuit. Verùm ſtupor ille mox in gratiarum actionem converſus eſt, intellecto, ipſum à magno Dei Servo, B. Joſepho à Cupertino, ſanatum fuiſſe, & ita quidem ſanatum, ut eo ipſo die opificium ſuum exercere potuerit, & ſine ulla virium ſuarum debilitate laborare. Quodque mirabilius eſt, cùm diebus Vigiliarum ſoliti eſſent dolores ratione ciborum ingraveſcere, poſt acceptam eam gratiam, licèt cibis eſurialibus diebus ab Eccleſia præſcriptis veſceretur, nihil umquam incommodi paſſus eſt. In grati animi teſtificationem prædictus Leali Auximum bis profectus eſt, ut pii Liberatoris ſui ſepulcrum in ea civitate inviſeret; in patria verò ſua miraculoſæ ſuæ ſanationis fidem publicam fecit.

22 Inter tot, tamque famoſa Beati noſtri mi-

ra-

racula, hactenus relata, prætereundum non est illud, quod soror Teresia Margarita à S. Josepho, monialis professa apud Carmelitanas discalceatas Aletii *d* in monasterio S. Nicolai, in seipsa experta est. Hæc nobilis monialis in octo circitèr annorum decursu tanto & tam acerbo malorum cumulo oppressa fuit, ut etiam ab eorum primo, quod epilepsia hysterica fuit, die VIII Maji anni MDCCXXVII in summo vitæ discrimine versata sit. Hoc malo liberata, cœpit mense Decembri ejusdem anni validæ cephalææ accessibus impeti, quæ paulatim adeò contumax & atrox evasit, ut ipsam non modò in deliria adduxerit, verùm etiam adegerit, ut caput suum in parietem impingeret. Jamque præ nimia amentia lecti impatiens, continuè humi jacebat, & ad duros capitis ictus acuminata scabrosi saxi frusta addens, fronti suæ arctè alligabat, quibus hæc dilacerata copioso sanguine fluebat; rata hisce tam acerbis doloribus externis internorum cruciatuum tormenta nonnihil allevari.

Monialis Carmelitana ex multis d

23 Nullum remedium huic miseræ proderat; ita ut medici post mille tentamenta velut desperantes, denique decreverint, ejusdem cranium subtilibus instrumentis incidere, ut tam rabidi doloris causam detegerent. Sanè super duram meningem callosum tuberculum, magnitudinem ciceris æquans, repererunt, quo pharmacorum ope sublato, non tamen cessavit cephalæa. Quinimò quasi hæc sola ad eam torquendam impar fuisset, accesserunt in stomacho cruciatus spasmosi, quibus penè enecabatur; in pectore acerbissimæ convulsiones, quibus intercludebatur respiratio; assultus epileptici, tussisque tam gravis, ut quidquid in stomachum mitteret, id omne evomeret; ex qua etiam sæpe ruptis præ vehementi nisu thoracis fibris, visa est sanguinem spuere. Ex tam horribili malorum congerie nervis spinæ dorsi gravissimè sauciatis, non poterat infirma pedibus ampliùs consistere, aut incedere, cogebaturque instar bruti repere, quoties ab una suæ cellæ parte ad alteram transeundum esset.

gravissimisque morbis lecto affixa, B

24 Denique cachectica *e* evasit, osque ejus ac fauces frequentibus ulceribus, imus venter multis scirrhis infecta fuerunt. Febris quoque perpetua ipsi adhæsit, crura pedesque horribiliter intumuerunt; uno verbo, quædam malorum sentina facta est; nec dormire poterat, nec quiescere, nec nisi difficillimè respirare; nullum sine nausea cibum capere; cruciabatur universè in nervis & musculis cum intolerabili dolore, aliisque pessimis adjunctis. Cùm itaque medici intelligerent, sese in morbo, ex tot tantisque malis conflato, nihil posse proficere, de ejusdem sanatione planè actum esse pronuntiârunt. Hanc eorum sententiam acutissima ardens febris confirmavit, quæ mense Septembri anno MDCCXXXV supervenit cum tam valido impetu, ut ipsa mox ad extrema redigeretur. Quapropter Sacramentis munita fuit; jamque emigratura ipsius anima Deo commendabatur, jam usu sensuum destituta jacebat, & lethali sudore membra occupante, in lethargum inciderat; ita ut imminens mors inevitabilis esset.

animam agebat, destituta sensibus; e

C

25 His ita constitutis, papyracea imago B. Josephi à Cupertino ad monasterium allata est, quam sibi oblatam pater Anastasius à S. Josepho, Carmelita discalceatus, & ejusdem monasterii ordinarius confessarius, sub secundam vel tertiam noctis horam diei XVI Septembris supra moribundam viva cum fide deposuit, eamque in ipsius clientelam ferventi prece commendavit, ut à bonorum omnium Largitore sanitatem eidem impetrare dignaretur. Bonus ille Religiosus rogaverat etiam cælestem Intercessorem, ut, si Deus preces suas exauditurus esset, id aliquo indicio significaret; & postulatum obtinuit. Nam horâ ejusdem noctis octavâ oculos aperuit & quædam verba elocuta est; atque ita alteri Religioso ejusdem Ordinis, qui in prædicti confessarii, inde jam egressi, vices successerat, opportunitas facta est eamdem denuò sacramentaliter absolvendi, monendique, ut religiosa vota instauraret. Monenti moribunda respondit, & postquam sanata fuit, affirmavit se ejus rei apprimè meminisse. Post hæc ipsa in priorem lethargum relapsa est.

sed post impositam ipsi Josephi iconem ad sensum redit,

A. PAULO AGELLO.

26 Die XVII sub auroram reversus confessarius, postquam intellexit, indicium, quod petierat, obtentum fuisse, majori fiducia excitatus, ad Missam celebrandam se contulit, in eaque quàm potuit ferventissimè Beatum precatus est, ut pro vita integraque moribundæ incolumitate apud Deum intercederet. Necdum usque ad consecrationem processerat, cùm moribunda inopinatò erecta in lecto, sensit se integrè convaluisse. Abacta febri, abactis doloribus, convulsionibus, omnique mala affectione libera, vestiri se denuò cœpit, mundâque subuculâ & Religiosis vestibus induta, protinus è lecto egressa, in sella consedit; ubi cùm ex quadam moniali audisset, se incolumitatem suam B. Josepho à Cupertino debere, acceptam in manibus ejusdem imaginem cum magno pietatis sensu & devotione sæpiùs osculata est, sensitque inter invocandum ejus nomen "vires sibi augeri, & expedi„tiores sensus fieri„, uti ipsamet testata fuit. Perfectæ itaque sanitati restituta, pristina Religiosæ observantiæ suæ officia obire aggressa est, obivitque, ut ceteræ omnes, gratias agens Deo & suo sancto Intercessori, à quo à morte ad vitam fuerat traducta.

demque Missa pro ipsa celebratur, subitò sanatur.

E

27 Cùm Ferdinandus Josephus Venturi, Minervini *f* dux, mense Novembri anni MDCCXXXVII Aletii in domo domini Nicolai Montefuscoli avunculi *g* sui, degeret, levis quidam dolor dexteram ejusdem mandibulam à parte inferiori invasit, de quo quidem tum minimè erat sollicitus. Verùm postridie dolor vehementissime ingravescens coëgit ipsum remediis uti, hisque nihil proficientibus, & malo semper minùs tolerabiliter urgente, ejusdem civitatis medicum advocare. Hic inspecta parte afflicta, nullius mali indicium reperit; sed certum tamen liquorem pro temperanda convulsione præscripsit, inutili pariter conamine. Hoc advertens prædictus dominus Nicolaus, cùm humana remedia, inquit cognato suo, nil prosint, ad cælestia recurrendum est; affirmavitque, ipsum subitò sanatum iri, si certam fiduciam in servi Dei, patris Josephi Cryptellæ, patrocinio collocâsset, & ejusdem reliquias, quas ille habebat, parti malè affectæ applicari permisisset.

Minervini dux grave mandibulæ malum, f g

F

28 Ad hæc æger eam se fiduciam habere respondit, & reliquias petiit. Itaque dominus Nicolaus sine ulla mora reliquias quæsiturus abiit; dux verò interim toto cordis affectu Beato se commendans, precatus est, ut "ob insignem amorem, quo „sanctissimam Virginem, quam, dum viveret, Ma„trem suam appellabat, profecutus fuit, dignare„tur sese tanto, tamque intolerabili cruciatu libe„rare„. Deinde quàm potuit optimè, cum quodam cubiculario & altero famulo suo Rosarium recitare aggressus, cùm ad tertiam stationem pertigisset, superveniente cum Reliquiis domino Nicolao, quadam interiori lætitia & gelido tremore correptus est, editoque postea tenero planctu, exclamavit: „Ah venerabilis Pater, si amas Matrem „tuam,

applicato Beati vestis centone, è vestigio pellit.

A. Paulo Agello.

„ tuam, pro amore, quo in ipſam ferebaris, jube „ hanc convulſionem à me abſcedere.„ Dum hæc diceret, idem erat Beati reliquias, quæ erant interioris ejuſdem veſtis cento, ad afflictum membrum admoviſſe, & tam diro malo eodem momento liberatum eſſe. Inceptam Roſarii recitationem cum inenarrabili lætitia proſecutus eſt, ac deinde ad capiendum ſomnum ſe compoſuit, & placidiſſimè dormivit. Experrectus denique apprimè incolumis, enixas ſoſpitatori ſuo B. Joſepho à Cupertino gratias egit, cujus patrocinii efficaciam & tunc & impoſterùm teſtificatus eſt.

Phaſeolus, quem ex aure pueri, eo graviter cruciati,

29 Annum ætatis octavum agens Philippus Sebaſtianus Felix, dominorum Antonii Molineri medici Taurinenſis *h*, & Octaviæ Faggiani filius, phaſeolum, ab oculo dictum *i*, ex puerili joco dexteræ auri inſeruit, qui in ea toto biennio hæſit, ipſo ex caſtigationis metu id parentibus celante. Eo interim tempore puer diſtillationem oculi, cruciatum auris, mandibulæ tumorem, & ſurditatem paſſus eſt. Re tandem à patre cognita ex filio majore, cui eam minor indicaverat, is ſine ulla mora præcipuum ex ſolertiſſimis chirurgis advocavit, ut phaſeolum eximeret. Sed quidquid hic etiam cum ſummo infirmi dolore tentâſſet, coactus denique eſt à cœpto deſiſtere, confeſſus, prout cum jurejurando teſtatus eſt, "rem eſſe natura„ liter omninò impoſſibilem, phaſeolum illum e„ ducere.„ Quapropter patri ſuaſit, ut hunc filium ſuum divinæ voluntati committeret, nec de vita ejuſdem ſibi impoſterum blandiretur. In hoc ſtatu puer ſine alio remedio aliquot menſibus perſtitit uſque ad diem XVII Februarii anni MDCCXLII, quo inter audiendam Miſſam capitis vertigine correptus, & è ſcamno in ſolum prolapſus, à condiſcipulis ſuis domum ſuam relatus fuit. Hìc in lecto collocatus, & quodam pharmaco corroborante per dominam matrem ſuam Victoriam recreatus, petiit, ut chirurgum arceſſeret, ſpoponditque, ſeſe in illius poteſtate futurum.

chirurgi eximere frustra tentaverant,

30 Arceſſitus itaque à patre fuit alter peritus chirurgus, qui ſecurè operandi gratiâ eum duabus faſciis ligari & à tribus hominibus teneri juſſit, ne ſe moveret. Sed quidquid ipſe quoque inſtrumentis ſuis efficere moliretur, quater iterata quatuor diverſis diebus curatione, quia phaſeolus aurem nimiùm penetraverat, fruſtra laboravit, & rem infectam relinquere debuit. Ex tolerato cruciatu, adhibitiſque in aure violentis conatibus, vehemens febris orta eſt, quâ conflictatus puer octo dies totidemque noctes quietis expertes degit; quam ob rem ſecta ipſi vena eſt, & per iſtam ſanguinis imminutionem febris quidem deſiit, ſed dolor & ſurditas adhæſerunt. Deſperata ad hunc modum pueri incolumitate, divinæ providentiæ placuit, ut pia quædam perſona prædicto domino doctori Molineri ſuggereret, ut afflictum filium ſuum B. Joſepho à Cupertino commendaret, ab ejuſque patricinio remedium exſpectaret.

per B. Joſephi opem ejeritur.

31 Placuit amantiſſimo patri conſilium, qui domum reverſus, id ipſum filio ſuo perſuadere conatus, Beati imaginem in ejuſdem lecto depoſuit, ut is ſeſe ipſi viva cum fide committeret; ipſe verò interim ſtatuit, ſi Deus filium per interceſſionem magni Servi ſui ſanâſſet, ad ejuſdem gloriam acceptum beneficium mox teſtatum manifeſtumque facere. Currebat tum dies V Martii, & tertius quadrans horæ ſecundæ poſt meridiem, cùm inde digreſſo patre, filius B. Joſephi iconem coram oculis tenuit, & recuperandæ ſanitatis deſiderio flagrans, ſeſe illi commendavit. Et ecce tibi, infirmus inopino plenus gaudio vociferari cœpit & clamare, ut tollerent phaſeolum, qui ſponte ſua, ſine ullo dolore, ſine ſanguinis effuſione, per pus copioſè emanans, extra aurem prodibat. Accurrit mater, & infeſtum legumen, quod in exteriori auris meatu apparebat, forficibus facillimè exemit; puer verò, jam integrè ſanus, unà cum parentibus Deo & B. Joſepho à Cupertino, cui tam prodigioſam, momento temporis perfectam, ſanationem acceptam ferebant, gratias humillimè perſolverunt. Poſt hæc ad Servi Dei gloriam omnes, pater, mater, filius major, minor ſanatus, & duo illi Chirurgi factum iſtud modo maximè authentico teſtatum fecerunt, benedicentes perpetuò Deo mirabili in Sanctis ſuis.

Monialis gravi ac diuturno oris morbo

32 Dominus doctor Franciſcus Valentini, primus medicus civitatis Aſſiſii, die IX Januarii anni MDCCXLIV cum juramento teſtatus eſt, ſororem Mariam Imperatrice, Romanam, monialem ad S. Quiricum in eadem civitate, annis elapſis ſæpe à ſe inviſam fuiſſe, cujus cùm inſanabili malo, quod erat ſemiparalyſis utriuſque muſculi, qui ad aperiendum claudendumque os inſervit, ſex antè annis mederi conatus fuiſſet, iidem muſculi uſque adeò convulſi & motûs expertes pluribus menſibus permanſerant, ut cùm os ſuum aperire non valeret, ad eam alendam neceſſe fuerit cibos liquidos ex una parte, quà dens deerat, ipſi ingerere. Erat Religioſa hæc cetera ſanæ mentis, nec aliud incommodum paſſa, quàm quod diximus, quodque pluribus menſibus ſuſtinuit, derelicta non modò à prædicto medico, qui eam ſanari poſſe negabat, verùm etiam à quodam extero item medico, qui alterius ſententiam confirmaverat.

per ejuſdem invocationem in momento liberatur;

33 In hoc tanto diſcrimine monialis de improviſo clamavit, & B. Joſephum à Cupertino nominavit, ſeſe illi toto cordis affectu commendans; & extemplo os ſuum aperuit, & ut olim ſana, tamque diro incommodo liberata, Miraculum exclamavit. "Hæc retulit Religioſa„ (ita laudatus medicus teſtimonium ſuum concluſit) "hæc ego teſtor, „ eamdem à me eo malo liberam compertam eſ„ſe, cùm ad eamdem inviſendam ſubitò arceſſitus „ fuiſſem, ut inſtantaneum miraculum admirarer, „ quod Deus per magni ſervi ſui B. Joſephi à Cu„pertino interceſſionem patraverat.„

uti & puer per reliquias variolis k

34 Pompejus, filius domini Antonii Ottaviani Camertis *k*, & dominæ Felicis Giacometti Maceratenſis, puer unius circitèr anni, ex variolis, qui die ſeptimo morbi ad interiora corporis refluxerant, atque ex fluxu ventris penè continuo & ardentiſſima febri, ad extrema deductus erat, eóque de ſuperando morbo magis deſperabatur, quòd medicus in tam tenera ætate opportuna media adhibere non poſſet; ideóque pro deplorato habebatur. A menſe Auguſto uſque in totum Septembrem anni MDCCXLIV contabuit, jamque veſtes cereique pro funebri apparatu fuerant confecta. Interim Maceratâ reverſus die ſecunda Octobris veſpere dominus Paulus Bianzani, hierothecam, in qua filum ex mantica B. Joſephi à Cupertino incluſum erat, infantis matri attulit, multis precibus à domino Joanne Giacometti iſtius patre impetratum. Hac acceptâ mater magna cum fide & devotione ſignavit filium, qui, cùm jam ſe movere ampliùs non potuiſſet, viſus eſt ad omnium circumſtantium ſtuporem cunarum, in quibus cubabat, ſtragula ſponte ſua amovere, ridenſque ac hilaris crura in altum ſuſtollere; ab eo ſcilicet tempore incipiens ſe meliùs habere.

ortoque exitus oculi morbo.

35 Poſtero manè experrectus, cantare, mirantibus, qui aderant, & ludere cœpit, omnibuſque malis planè liber fuit: tertio die è cunis ſurgere voluit, exinde integra ſemper gaviſus ſanitate. Neque

A que hîc miraculum finem habuit. Ex variolorum multitudine quoddam tuber polipoſum in magnitudinem piſi eidem puero accreverat, quo ſiniſtri oculi viſus penitus intercludebatur. Mater perfectum beneficium à Beato deſiderans, viva fide animata, eâdem lipſanothecâ oculum filii ſignavit, & cum magno gaudio & ſtupore vidit in momento temporis infeſtum tuber evaneſcere, oculumque naturali ſuo officio reſtitui. Quapropter tam ipſa quàm pater debitas Deo gratias perſolverunt, vitam & incolumitatem filii ſui B. Joſepho acceptam ferentes. Ad majorem quoque ſancti Interceſſoris gloriam unà cum medico, aliiſque teſtibus oculatis, teſtati fuerunt, quæcumque hactenus narravimus.

ANNOTATA.

a *Vel* materteræ; *Italicè eſt* Zie, *quæ vox utrumque ſignificat.*

b *Vocem hanc, quam nec ego intelligo, nec in Lexicis invenio, barbaram reliqui.*

c *Oppidulum hoc ſedet in monte prope Muſonem fluvium, & ab Orlendio part.* 2, *vol.* 1 *Orbis ſacri & profani inter præcipua diœceſis Auximanæ loca recenſetur.*

B

d *Vide dicta ad Appendicem primam litt.* mm *in Annotatis.*

e Καχεξία *vox Græca morbum corporis, ex quo alimenta omnia corrumpuntur, ſignificat.*

f Minervinum, *quod aliis* Minervium, Minerbium, *&* Mons Orvinus, *Italis* Monervino *appellatur, exigua civitas epiſcopalis eſt regni Neapolitani in provincia Bariana, in ipſo limite provinciæ Baſilicatæ. Orlendius part.* 2, *vol.* 3 *Orbis ſacri & profani, eam cum principatûs titulo nobiliſſimæ familiæ Pignatellæ ſubeſſe, affirmat.*

g *Vel* patrui; *Italicè enim eſt* Zio, *quæ vox utrumque ſignificat.*

h *Notiſſima eſt hæc urbs Italiæ,* Torino *indigenis dicta, Pedemontii caput, ſuique principis, Sardiniæ regis & Sabaudiæ ducis regia ſedes.*

i *Neſcio, quod phaſeoli genus hîc memoret.*

k *Camerinum, Italis* Camerino, *Italiæ urbs epiſcopalis eſt ditionis Pontificiæ in Marchia Anconitana, in confinio Umbriæ, Maceratam inter & Spoletum.*

C

CAPUT III.

Alia miracula ac beneficia per ejuſdem patrocinium impetrata.

Malum tibiæ per rammentum
a

DOminus doctor Jacobus Buffi, unus è duobus primariis medicis Anconitanis *a*, ſub finem menſis Septembris anno MDCCXLVI Auximum venit, B. Joſephum à Cupertino, mortuum & ſepultum in eccleſia patrum Minorum Conventualium ejuſdem civitatis, venerandi gratiâ. Hic poſtquam devotionem ſuam explevit, à patre guardiano conventûs S. Franciſci obtinuit exiguam portionem exterioris arcæ, in qua ſuprà dicti Servi Dei corpus jacuerat. Inde Lauretum profectus, antequam ad Caſtrum Fidardum *b* perveniſſet, cùm tempeſtas pluvia eſſet, & viæ cretoſæ, omnis periculi in clivo evitandi ergô voluit in currum aſcendere; ſed ut erat locus anguſtus, tibiam dex-

b

teram inter aſcendendum aliquantulùm læſit; quod tum quidem nihili faciebat. Deinde Anconam reverſus, quamquam primo triduo dolorem ſentiret, ægros tamen ſuos inviſere perſeveravit, donec prima nocte Octobris gravi febre correptus ſit cum tumore, intenſiſſimo cruciatu & inflammatione eryſipeloſa in prædicta tibia. Quibus ſemper invaleſcentibus, die IV Octobris, qui ſancto patriarchæ Franciſco ſacer eſt, eadem tibia intumeſcens, ac ferè duplo craſſior, quàm naturalis ſtatus exigeret, coloris violacei & velut livida apparuit, & acerbiſſimis doloribus afflicta eſt: cúmque nihil prodeſſent medicamina, ipſe meritò timuit, ne malum in gangrænam degeneraret. A. PAULO AGELLO.

37 In hac tanta ſua afflictione ad B. Joſephi à Cupertino patrocinium recurrens, oravit patrem confeſſarium ſuum, ejuſdem Ordinis Religioſum, ut aliquid ex ramento ſuprà memoratæ arcæ, in quo illius corpus jacuerat, ad malè affectum membrum applicaret; quod Religioſus poſt aliquot fuſas preces circa horam vigeſimam quartam *c* ejuſdem diei exſecutus eſt; infirmo Servum Domini viva fide interim precante, ut deſideratam ſanitatem ſibi apud Deum impetraret. Continuatis doloribus uſque ad horam quintam noctis, æger in ſomnum incidit, dormivitque uſque ad ſeptimam, quando experrectus, nec quidquam doloris ſentiens, palpavit tibiam, eamque detumuiſſe comperit; exploravit arteriæ pulſum, & febrim ceſsâſſe agnovit. Hinc magno affectus ſolatio, rurſum obdormivit; & poſtero manè ante ortam lucem, petito allatoque lumine, tibiam detexit, & naturali ſtatui omnino redditam, evanuiſſe tumorem, inflammationem ceſsâſſe, & colore livido ſublato, priſtinum nativum rediiſſe, deprehendit. Exſultavit enimverò de tam integra ſubitaneaque ſanatione, debitaſque Deo, ſanctoque Interceſſori ſuo, quem inter patronos ſuos allegit, gratias rependit. Publicavitque miraculum, quod propria ſua manu ſcripto expoſuit, & pro grati animi officio promiſit, ſe ſub finem anni ſacrum Beati corpus inviſurum, eóque allaturum anathema argenteum, tibiam exhibens, quod poſt decretum ipſi à ſancta matre Eccleſia cultum ad ejuſdem ſacram imaginem appenderetur. *loculi ipſius emortualis,* *c* E

38 Joannes Baptiſta, filius doctoris Dominici Zacchieri, ex oppido Duzzia, diœceſis Imolenſis *d*, ab anno ætatis ſuæ decimo inteſtinâ herniâ laborans, nullum malo ſuo remedium umquam potuit reperire; quinimò qui ipſius curam ſuſceperant Fori-Livii *e*, & inviſerant Faventiæ *f*, aliique in aliis locis illud immedicabile eſſe pronuntiârant. Patiebatur multum in tempeſtatum mutatione, in leguminum fructuumque eſu, & in itineribus, creſcente cum cruciatu tumore. Armabat ſe, quantùm poterat, cingulo, probè gnarus ad medelam ſuam miraculo opus eſſe. Feliciter ipſi accidit, quòd pio in B. Joſephum à Cupertino animo accepto, cùm hujus virtutes ac miracula Religioſum quemdam ejuſdem Ordinis commemorantem audiſſet, illius Vitam atque imaginem ſibi comparare ſtuduerit comparaveritque. Etenim ex hujus lectione & æſtimatione crevit in eo fides & devotio, ſoluitque veſperi & manè ſemel PATER, AVE, & GLORIA recitare; Beatum deprecans, ut ſe tam acerbâ herniâ liberaret. *& diuturna alterius hernia, poſt applicatam* *d* F *e*

39 Interea die VI Auguſti, anno MDCCXLVII, ætatis verò ſuæ trigeſimo primo, cùm Compitâ *g* Ariminum profecturus eſſet, & pars læſa magnum cruciatum crearet, ſolitum PATER, AVE & GLORIA recitavit, pro ſalute ſua Joſephi patrocinium implorans. Promiſit inſuper, ſuam erga ipſum de- *Beati iconem, & factum votum, ſublata.* *g*

A. Paulo Agello.

votionem numquam se ex animo remissurum, sed in domo sua stabiliturum, & apud alios promoturum; curaturum præterea multas Missas celebrari, vigiliasque ac jejunia ad ejusdem honorem obiturum. Inter hæc viva in Deum fide, certâque in Beati patrocinio conceptâ fiduciâ, venit ei in mentem, ut afflictam partem ejusdem icone attingeret. Attigitque, ac mox magnum in ea parte & in ventre lenimentum expertus est, & admota manu explorans, comperit tumorem evanuisse & dolorem sublatum esse. Ita se in momento temporis sanatum intelligens, enixissimas gratias egit divinæ Clementiæ, suoque Intercessori, cui sese imposterum perpetuò obstrictum agnovit, numquam deinde vel minimum dolorem, minimumve tumorem aut intestinorum descensum passus. Licèt autem cingulum abjecisset, multisque modis valetudinem suam explorâsset, voluit tamen etiam inspici à perito chirurgo, qui affirmavit, nullum prorsus in ea corporis parte defectum supereſse. Die xx Decembris anni MDCCXLVII publicum de miraculo testimonium fecit, ut B. Josephi à Cupertino gloria semper magis propalaretur.

B

Sacerdos, in somno jussus Beati iconem venerari,

40 Dominus Josephus Brunetti presbyter Auximanus à die XIX Januarii anni MDCCL usque ad XXIII ejusdem mensis affixus lecto fuit ex gravissimo capitis dolore & fluxione in oculum sinistrum sine ulla interdiu noctuque quiescendi facultate. Vesperi diei XXIII invalescente ad eum modum malo, ut jam tolerari ampliùs non posset, cœpit ipse ferventi prece B. Josephum à Cupertino invocare, ut Deum pro incolumitate sua exoraret. Inter hæc in somnum lapsus est, & in hoc brevi somno suo visus est sibi se in Beati clientelam committere, ante oculos suos ejusdem iconem habere, atque ita loqui: "Pater Josephe mi, præ„sta mihi hanc gratiam, impetra mihi à Domino „ Deo sanitatem.„ Dum ex magno affectu sic precaretur, visus est iste alta voce sibi exprobrando respondisse: "Quid postulas gratiam, teque com„mendas mihi, dum me sub lecto tenes? Tolle me „ hinc, si gratiam velis: volo enim palàm in con„spectu esse & volo honorari.„

obsecutus gravi capitis dolore liberatur.

C

41 Ad hanc exprobrationem excitatus sacerdos, & sudore perfusus, cœpit plangere, & domesticis aliisque, qui in proximo cubiculo aderant, convocatis ait: "Tollite hinc è vestigio sub hoc „ lecto patrem Josephum, qui exprobravit mihi, „ quòd se tam malè habeam.„ At illi, sublatâ sub lecto apertâque arculâ, sustulerunt inde typum seu proplasma, quod post Beati mortem ex fuso super ejusdem faciem gypso conflatum fuerat. Hoc itaque dominus Gregorius Luchetti presbyter pio osculo venerandum infirmo obtulit, eodemque caput ejus attigit; atque ecce ipsum mox omni liberum dolore. Erexit subitò se in lecto jam incolumis omnique expeditus malo presbyter Brunetti, mirantibus & gratulantibus omnibus, qui adstabant, inter quos erant duo alii sacerdotes, unus frater ipsius, paulò antè infirmi, & secretarius prædictæ civitatis, qui omnes simul cum duobus ejusdem loci medicis prodigiosam hanc sanationem, per intercessionem B. Josephi à Cupertino impetratam, ad gloriam & laudem Dei testatam fecerunt.

In partu periclitantibus

42 Ne supra modum lectori molesti simus, perstringemus, quantùm licuerit, ceteras gratias ac miracula, per B. Josephi à Cupertino patrocinium à Deo concessa, recensuri quæque eo ordine, quo in authentica instrumenta identidem relata fuere. Ab Auximo itaque, ubi is mortalia sua spolia reliquit, exorsi, dicemus, dominam Annam Menichelli, uxorem domini Dominici Paulucci, anno MDCCXXXIII, die XXV Septembris in partu laborantem, morituram fuisse, nisi maritus ejus, in Beatum piè affectus, parùm telæ, hujus sanguine tinctæ, in cochleari sorbendum miseræ parturienti dedisset. Quo facto, ipse domo mox egressus est, medicum & chirurgum advocaturus: sed ante hos prior adfuit B. Josephus, dominaque prolem masculam peperit, quæ cùm pedes primò protenderet, à prudenti obstetrice in his priùs baptizata fuit, quàm tota in lucem prodiret. Puer deinde mortuus est; at mater tam grave periculum evasit, & uterque parens in ea mœstitia id spiritualis solatii habuere, quòd filius suus baptismi gratiam percepisset. Beneficium factum est publicum à prædicto domino Dominico, qui Deum, suumque patronum B. Josephum laudare non cessavit.

D

invocatus facciarit, h

43 Domina Angela Zotti, uxor domini Joannis Baptistæ Piovesana anno MDCCXXXVII, die XX Novembris in Portu Gruarii *h*, diœcesis Concordiensis, post acerbissimos partûs dolores nullo modo valebat parere. Puer enim reliquo corpore egressus ex utero, caput expedire nequibat; jamque duabus horis labor tenuerat, ita ut de matre & filio planè actum esset. Inter has angustias parturienti de beato Josepho à Cupertino in mentem venit, quæ frustum ex crepida illius Servi Dei, quod à Religioso ejusdem Ordinis antè acceperat, cum viva fide sibi applicâvit, ac mox sine ulla mora puerum vivum & sanum, licèt octo tantùm mensium, enixa est. Puerperâ omni discrimine cum singulari obstetricis, alterius mulieris, mariti matrisque suæ admiratione & gaudio, in momento feliciter defunctâ, omnes unanimiter ad majorem Dei gloriam prodigium testati sunt, benedicentes gratiasque agentes beato Intercessori, tam benefico invocantibus se & suum patrocinium implorantibus.

E

& harum unius filium, pro mortuo habitum, i

44 Magis etiam mirabilem Beatus noster se exhibuit in domina Rosa Montini, conjuge domini Thomæ Ciapponi, secretarii Montis-Ulmi *i*. Hæc in primo partu suo, qui in diem XXIX mensis Julii anni MDCCXXIII incidit, exhausta viribus, nec valens fœtum, qui caput jam exseruerat, in lucem edere, unà cum filio suo in discrimine vitæ versabatur. In hisce tam tristibus angustiis maritus exiguum frustulum vestis B. Josephi à Cupertino in cyatho unà cum aqua diglutiendum ipsi dedit: ipsa verò subitò feliciter enixa est. Perbreve tamen istud gaudium fuit, quòd puer à maternis convulsionibus & nisu suffocatus esset, lividusque sine halitu, sine motu cordis, & totus frigidus appareret. Delatus ad focum calefaciendi gratiâ, postquam ibi per mediam horam sine ullo vitæ indicio fotus fuisset, in cistella straminea collocatus est, adjutricibus ad matrem regressis, quæ jacturam suam odorata, flebat amarè.

F

subitò integrè sanat.

45 Quam ob rem maritus, quamquam & ipse supra modum afflictus esset, uxori suæ, ceterisque mulieribus ait: Commendemus eum B. Josepho, cumque hic illum fecerit nasci, oremus, ut ipsi etiam donet vitam, imposituri eidem nomen ejus in Baptismo, si suscitatus à morte fuerit. Orare itaque cœperunt, Servi Dei opem magno cum fervore implorantes; dumque ita precarentur, vocem aliquam seu potiùs anhelitum audierunt; hinc ad puerum accurrentes, eum vivum sanumque, uti hodiedum vivit, repererunt. In Baptismo Josephus ex voto nuncupatus est; sed ex magnitudine publicaque notitia miraculi nomen MORTUI RESUSCITATI in hac sua patria ipsi adhæsit.

Tibiam fractam restaurat,

46 Anno secundo hujus seculi decimi octavi Maria Franciscus Cingolani, pistor de Monte-Lupone

A pone *k*, diœceſis Lauretanæ, cum in prædicto oppido, (uti per totam provinciam Marchiæ fieri aſſolet) Tranſlatio ſacræ Domus celebraretur, parvo tormento bellico ignem admovit, quod retrorsùm actum tibiam ejus læſit, & in tres partes diſrupit. Arceſſitus itaque eſt chirurgus publico ſtipendio conductus, qui poſtquam ſuam ipſi operam contuliſſet, ad ceteras ſui muneris partes digreſſus eſt. Erat Maria Franciſcus erga B. Joſephum à Cupertino piè affectus, ideóque quadam nocte, cùm ex rupta tibia vehementer pateretur, vocem quamdam audire meruit, quâ ipſi dicebatur: "Surge „Maria Franciſce, ſanatus es. Ego ſum Joſephus „à Cupertino.„ Eodem tempore, quo eam vocem audiebat, ſenſit etiam à cruris tibia certum ſtrepitum edi, non ſecùs ac ſi fracta oſſa mutuò conjungerentur. Poſtridie manè reipſa è lecto conſurgens, comperit ſe à rupta tibia integrè convaluiſſe. Utque Deo & beato Interceſſori ſuo grates rependeret, Auximum profectus eſt, ſacrum ejus tumulum inviſurus, ibique inter ſuaves lacrymas acceptum beneficium divulgavit, & pro grati animi teſtificatione humillimos devotionis affectus obtulit.

B *apoſtema pellit; in fluvio periclitantem ſervat,*

47 In eodem oppido Montis-Luponis nobilis dominus Jacobus Baſvechi anno MDCXCII per contactum pileoli B. Joſephi à Cupertino abegit apoſtema è capite, quod quadraginta dierum ſpatio acerbiſſimis eum excrucians doloribus, eumdem ad extrema deduxerat. Hic morbo ſuo graviter premente, promiſerat fore, ut, ſi ſanaretur, Beati ſepulcrum honorandi gratiâ Auximum adiret. Adivitque unà cum conjuge ſua, Religioſoque ex eodem, cujus Beatus fuerat, Ordine, & duobus famulis; ſed in tranſeundo Potentia *l* fluvio equus, impactis in ſcrobem pedibus, prolapſus eſt; ipſe verò dominus Jacobus, qui eidem inſidens, pedes ſtapiis implicitos habebat, ſocioſque præceſſerat, B. Joſepho invocato, è cella expeditum ſe comperit, & totam ferè fluminis latitudinem uſque ad alteram ripam per aquam pedibus trajecit. Poſtquam alii è comitatu ſuo eò advenerunt, quia ipſum omninò madefactum rebantur, rogantibus, an alias veſtes induere placeret, reſpondit: Ecce, quantùm beato Joſepho obſtrictus ſim. Ne unâ quidem aquæ guttâ tinctus ſum. Atque ita reipſa contigerat; nulla enim aut corporis aut veſtium pars madebat. Magna erat omnium admiratio, & majores etiam actiones gratiarum, quas Deo, Beatoque ad hujus ſepulcrum rependerunt, ubi geminum quoque beneficium ab eo acceptum omnibus palàm fecerunt.

l

C *malo renum ſubitò medetur.*

48 Anno MDCCLI, menſe Auguſto dominus doctor medicus Marinus Jacobus Preſotini Recineti *m* in patria ſua, exigua renum inflammatione cum acerbo dolore in ſiniſtro latere correptus fuit, ex quo factum eſt, ut ſanguinem urinaret. Agnovit ipſe, quippe artis medicæ peritus, gravitatem mali ſui, quod cùm ex indiciis ſemper magis periculoſum magis lethale evaderet, ſtatuit illi ſecundùm artis leges mederi. Sed poſtquam jam elapſis aliquot ſeptimanis hac ratione nihil ſe proficere animadverteret, ſed contrà, malum ſemper invaleſcere, ſanguinemque majori copia effluere, humanis remediis in poſterum miſſis factis, magna cum fiducia ad B. Joſephi à Cupertino opem recurrit, cujus patrocinio ſanitatem à Deo obtinendam ſperabat. Nec ſua eum ſpes fefellit: applicata enim viva cum fide ad afflictam partem ejuſdem imagine, paulò pòſt ſeſe integrè ſanum comperit: unde gratus in Patronum ſuum, authenticum de hac re teſtimonium his verbis conclusit: "Gratiam itaque mihi, licèt ſervo indigno, „à Deo ter optimo maximo impertitam, pro tanti Patroni meritis (nimirum Joſephi à Cupertino) confitendum eſſe conteſtor. In quorum fidem hîc me proprio caractere ſubſcripſi hac die „IV Decembris MDCCLI.„

m

A. PAULO AGELLO.

Puer ex variis morbis ad extrema deductus

49 Jacobum Philippum, Joſephi Mariæ Vignati & Magdalenæ ipſius conjugis, Auximo oriundorum, filium, annorum trium ac ſex menſium puerum, acre gutturis malum, febris, dolores & inſania, quæ nullum quieti locum dabant, circa medium Septembris anni MDCCLI invaſerunt. Eumdem penè omnis loquendi audiendique facultas defecit, & cervicis nervi uſque adeò debilitati fuere, ut ipſe ſuum caput ſuſtinere nequiret. In hoc tam deplorabili ſtatu inſpectus eſt ab Andrea Valenti chirurgo, qui de ejuſdem incolumitate actum eſſe pronuntiavit, "niſi Sanctorum aliquis mira„culum ipſi conferret.„ Unguentum tamen aliquod ipſi præſcripſit, quo octies decieſve inunctus, nihil tamen meliùs ſe habuit, imò totus marcuit, exceptis brachiis, quæ paululum movebat.

per illius opem citò convaleſcit;

E

50 In ea infirmitate veluti moribundus perſeveravit uſque ad diem VI Januarii labentis anni MDCCLII, quo die eum pater ad cubicula B. Joſephi à Cupertino detulit, & in ejuſdem ſede collocavit, & poſt notabiles fervidaſque preces receptum, advertit, caput ſuſtinere cœpiſſe. Deinde domum relatum, uxori tradidit; cúmque ad negotia ſua ſeſe jam conferret, audiit ſibi ab eodem clara voce dici: Quò vadis, pater? Hinc ad ipſum reverſus, juſſit eum PATER NOSTER in honorem patris Joſephi recitare, ut ſe ſanaret. Atque ita re vera poſtero mane, die VII Januarii, puer à matre in quodam ſcamno collocatus, viſus eſt à domina Julia Magnani, illàc tranſeunte, ſuis pedibus ludere. Mater advocata his vocibus: "Fi„lius tuus ſanatus eſt;„ juſſit eum ſurgere & ambulare: & ipſe ſurrexit, ambulavitque, & amiſſam ſanitatem integrè recepit; ita ut pater poſt quatriduum domum ſuam reverſus, eum, prout jam inaudierat, planè incolumem repererit. Perſolvitque gratias Deo, beatoque Joſepho interceſſori ſuo, & cum ceteris acceptæ gratiæ teſtibus, hanc ad ejuſdem gloriam publicè conteſtatus eſt.

puellæ hernia curatur.

F

51 Alexius Starnari è Monte Filatrano *n* Peruſii incola, & Tereſia uxor ejus menſe Aprili hujus anni MDCCLII Auximum conduxere filiam ſuam annorum tredecim, unà cum Maria Cecconi, hujus matertera, ut pro ipſius ſanitate B. Joſephum à Cupertino implorarent. Puella hæc ſeptem circitèr annis quadam infirmitate laboraverat, herniâ ab illis creditâ, ideóque conſtricta faſciis tenebatur; ſed eâdem à perito chirurgo in priori è duabus dictis civitatibus inſpectâ, hernia inguinis judicata eſt. Die XXV prædicti menſis in ſacriſtiam patrum Minorum Conventualium S. Franciſci Auximi omnes convenerunt, genibuſque ibidem ante Beati iconem humi poſitis, magno cum fervore pro filiæ ac neptis ſanitate ſupplicârunt. Poſtridie manè, die XXVI inde Lauretum profecti ſunt, cùm matertera malum neptis ſuæ inſpicere & explorare avida, faſcias diſſolvit, eamque integrè ſanatam deprehendit. Peruſium denique reduces puellam tribus diſtinctis vicibus ac temporibus à chirurgo examinandam curaverunt, qui ipſam prædicto incommodo penitus liberam eſſe affirmavit. Quapropter ut ſe inſigni ſuo Patrono B. Joſepho à Cupertino, à quo eam gratiam obtinuerant, gratos exhiberent, divinam miſericordiam laudantes, rem geſtam authentico inſtrumento publicam fecerunt.

A. Paulo Agello. *Auctoris epilogus.*

52 Hîc finem Vitæ, virtutibus ac miraculis noſtri admirabilis B. Joſephi à Cupertino imponamus; non quòd non ſuperſint alia magna & prodigioſa de eodem dicenda; ſed quòd arbitremur, ea, quæ hactenus narravimus ut apta ad claram ideam ejuſdem ſanctitatis ingerendam, ita etiam utilia eſſe ad excitandam fidelium devotionem erga magnum illum Servum illius æterni & immortalis Domini, ad cujus laudem ac gloriam hoc Opus noſtrum unicè ſuſcepimus, & ad hunc finem, ejuſdem adjuti ope, perduximus *o*.

ANNOTATA.

a Ancona *primaria eſt totius Marchiæ Anconitanæ, cui nomen dedit, civitas epiſcopalis, ditionis Pontificiæ in ora maris Adriatici, & celebre emporium.*

b *Vide Annotata ad Appendicem* 1, *litt.* oo.

c *Id eſt circa ſolis occaſum: Itali enim diem à ſolis occaſu paſſim incipiunt, & in viginti quatuor horas partiuntur.*

d Imola, *olim* Forum Cornelii *dicta, epiſcopalis civitas eſt ditionis Pontificiæ in Romandiola ad*
B *Vatrenum fluvium in Via Æmilia, in limite agri Bononienſis & ducatûs Ferrarienſis ſita. Orlendius part.* 2 *vol.* 1 *Orbis ſacri & profani* Duzziam *inter novemdecim diœceſis Imolenſis foraneos vicariatus numerat.*

e *Indigenis* Forli, *Pontificiæ ditionis civitas epiſcopalis eſt in Romandiola & in via Æmilia.*

f *Indigenis* Faënza, *epiſcopalis item civitas eſt Pontificiæ ditionis in eadem provincia, in qua eſt Forum Livii, à quo decem milliaribus diſtat.*

g *Vulgò* Savignano, *oppidulum ſeu caſtrum Italiæ eſt in eadem Romandiola, Ceſenam inter & Ariminum, indigenis* Rimini, *quod Pontificiæ pariter ditionis nota civitas eſt epiſcopalis in eadem provincia in ora maris Adriatici.* D

h Portus Gruarii, *indigenis* Porto Gruaro, *aliàs* Portus Romatinus *dictus, Italiæ oppidum eſt ad Romatium fluvium ditionis Venetæ in Foro-Julii. Haud procul abeſt vetus civitas Concordia, olim exciſa, cujus epiſcopus in laudato Portu Gruarii nunc reſidet.*

i *Italicè eſt* di Monte del'Olmo, *qui pagus vel vicus eſt in Marchia Anconitana prope Maceratam. Baudrandus in Lexico* Monte dell'Olmo *vetus Piceni oppidum* Pauſulas *fuiſſe ex aliquorum ſententia affirmat, & in harum ruderibus illum ædificatum eſſe.*

k *Vide Annotata ad Appendicem primam, litt.* nn.

l *Italis* Potenza, *fluvius eſt, qui ex Apennino ortus & per Marchiam Anconitanam in Ortum fluens, non procul à Laureto in mare Adriaticum prolabitur.*

m *Indigenis* Recanati, *Italiæ civitas eſt ditionis ſummi Pontificis in Marchia Anconitana, quinque* E *milliaribus à Laureto diſſita, & epiſcopatu, qui nunc Lauretano unitus eſt, illuſtrata.*

n *Adi Annotata ad caput* 2, *lit.* c.

o *Hîc nos etiam* B. Joſephi à Cupertino *geſtis ac miraculis enarrandis finem imponimus, plura haud dubiè daturi, cùm mirabilis ille Vir per ſolemnem canonizationem, ut certò futurum confidimus, Sanctorum albo, per Romani Pontificis oraculum falli neſcium, fuerit adſcriptus.*

ADDENDA

Die XVIII Septembris pag. 767 ad Acta S. Ferreoli M.

S. Ferreoli Viennenſis reliquiæ & eccleſia in territorio Biſoldinenſi

Poſtquam impreſſa erant Acta S. Ferreoli *martyris Viennenſis, cùm alia de cauſa pervolverem Hiſtoriam generalem Antonii Vincentii Domenec de Sanctis Cataloniæ, perſpexi, ab eodem ad* XVIII *Septembris dari Hiſpanicè Vitam* S. Ferreoli, *cum præfixo titulo, cujus partem ex Hiſpanico ſermone in Latinum transfero:* Vita S. Ferreoli martyris,
C qui magna devotione colitur in aliquibus partibus Cataloniæ, & maximè in territorio Biſoldinenſi in diœceſi Gerundenſi, ubi habetur eccleſia multæ devotionis, nomini ipſius dicata, cum parte reliquiarum. *Poſt Vitam datam, ex qua nihil huc transferre neceſſe eſt, rurſum affirmat auctor, exſtare in territorio Biſoldinenſi eccleſiam* S. Ferreoli, *multaſque ex ejus reliquiis ibidem ſervari*, quemadmodum, *inquit*, referunt ſacerdotes, qui eidem eccleſiæ deſerviunt. *Non exponit tamen, qua occaſione quove tempore* S. Ferreoli, *quem Viennenſem martyrem eſſe indicat, illuc tranſlatæ fuerint reliquiæ; nec earum dat elenchum. At ſubjungit, multa ibidem patrocinio* S. Ferreoli *patrata eſſe miracula. In hujus aſſerti confirmationem ait, vidiſſe ſe octoginta & novem fulcra ſubalaria ad murum eccleſiæ ſuſpenſa, quæ oblata ibidem meritò credit ob ſanationem infirmorum, maximè claudorum. Deinde nonnulla refert ex Manuſcriptis dictæ eccleſiæ accepta, quæ Latinè reddita huc transfero.*

2 Moyſes Vives ſacerdos, qui beneficium poſſidebat in eccleſia cathedrali Gerundenſi, tribus annis vexatus fuit gravi coxendicum dolore, qui *ubi ipſius patrocinio* poſtea per totum corpus ſe extendit. Cùm autem perſpiceret, ſe jam quaſi derelictum à medicis; piè invocavit glorioſum S. Ferreolum, atque intra tres dies ſenſit ſe recreatum, brevique tempore perfectè ſanatum. Notitia hujus miraculi perlata fuit ad ſacellum Sancti die 1 Auguſti, anno MDXLIV. F

3 Die XVIII Septembris anni MDLXXV Petrus *ſanationes* Manyol ex regno Franciæ, ... poſtquam ſeptem hebdomadis non potuerat incedere aut ſe movere, niſi ope fulcrorum ſubalarium, horum ope venit ad eccleſiam glorioſi Sancti, cui multùm erat devotus. Pervenit ad eccleſiam, peractiſque in Sancti ſacello pietatis ſuæ exercitiis, tam ſanus ſurrexit, acſi nulla umquam infirmitate laborâſſet, reverſuſque eſt per viam ſuam ſine fulcris.

4 Martyrianus Caſtellar... duobus annis alte- *complures* ro crure laboravit, curæque chirurgorum commiſſus, ab his ſanari non potuit, ſed potiùs acceſſit inflammatio tanta, ut crus eidem reſecare voluerint. At ille conſentire in id recuſavit; ſed magna cum pietate ſupplicavit glorioſo ſancto Ferreolo, ut ſibi opem ferret, adjecto voto de viſitanda eccleſia ipſius, & de offerendo ipſi fulcro ſuo. Nuncupato voto, intra ſex dies perfectè ſanatum ſe invenit, & iſtius miraculi dedit relationem, quæ exſtat in dicto ſacello, die XXV Maii MDLXXV.

5 Petrus Terres, inſolator (*Hiſpanicè* blanque- *factæ* ro) civitatis Vicenſis, pervenit ad illum gravis infirmi-

A firmitatis vehementi cum febri articulum, ut duo medici, qui ipſum viſitabant, deſperarent de ejus ſanatione. Quare Spes (*aut* Sperandia, *Hiſpanicè* Eſperança) uxor ipſius, viſa definitione dictorum medicorum, ad cæleſtem ſe vertit Medicum, multaque pietate ſupplicavit glorioſo Ferreolo, ut ſanitatem viro ſuo à Domino noſtro impetraret, promittens aliqua ſe facturam in gratiarum actionem. Res mira! eâdem horâ, quâ fiebat votum, ſanatus eſt. In teſtimonium verò tanti miraculi effigiem ſuam pingendam curavit in tabella, portandamque ad Sancti eccleſiam die VIII Septembris anni MDLXXXV.

referuntur. 6 Honofrius Quintana, faber lignarius ex Albons, cùm gravi febrium malo & dolore preſſum ſe videret, promiſit invifere eccleſiam & ſacellum S. Ferreoli, & ſtatim fuit ſanatus. Deinde non curavit votum ſuum in loco & tempore perficere; ac Dominus Deus alium ipſi immiſit morbum præcedente graviorem, ut vita ejus eſſet deſperata. Ille verò conſiderans negligentiam ſuam in obligatione & voto ſuo implendo, oravit Dominum, ut per merita S. Ferreoli ſibi dignaretur in tantis doloribus ſuccurrere, addens ad primum votum, daturum ſe cereum valoris duorum aureorum, quos ducatos vocamus; aut ſingulis annis quinque nummos, vulgo ſolidos dictos, vel liberam ceræ, quamdiu viveret, ad illuminandum ſanctum ipſius ſacellum. *Hactenus laudatus auctor, qui non adjungit, utrùm rurſum ſanatus fuerit infirmus.*

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM V SEPTEMBRIS.

A

† Aaron *ſummus ſacerdos* 590 a
† Aaron *martyr in Anglia ſub Diocletiano* 477 e f
Abderramen *Saracenorum Cordubæ rex. Vide* Habdarrahgman.
† Abdonis *inſignes reliquiæ Caſini* 415 b
Abella (*Balthaſſar*) *notarius Valentinus* 914 c
† Abundantii *martyris corpus à S. Theodora ſepultum* 484 b e. *Romam tranſfertur* ibid. f
† Abundii *martyris corpus à S. Theodora ſepultum* 484 b e. *Ad eccleſiam S. Adalberti Romæ tranſlatum* ibid. f
† Abundii *diaconi reliquiæ Mediolani* 9 c d e f, 10 a b c d f
† Abundius *epiſcopus Novocomenſis* 261 e
† Abundius *martyr Romæ* 470 c, 472 a
† Acacii *Melitinenſis epiſcopi reliquiarum inventio, inter Prætermiſſos* 2 b
Acacius *Chriſtianus tranſtulit corpus S. Melitinæ martyris* 29 c e f, 30 a
Acata (*Antonius*) *abbas Panormitanus, in inſtrumento donationis reliquiarum S. Mamiliani* 47 e
Acciajuolus (*Philippus*) *archiepiſcopus Petrarum, nuntius Apoſtolicus apud Helvetos* 198 d e, 200 d
Achab *rex Iſraël* 597 b, 599 d
Achardus *monachus Ciſtercienſis, inter Prætermiſſos* 4 d
Achilleus *rebellium dux in Ægypto* 290 a
Ada *comitiſſa, fundatrix abbatiæ Lætienſis* 569 f, 570 c f
† Adalbertus *epiſcopus Pragenſis & martyr* 340 d e f, 341 a b e, 354 c d e f, 355 a. *Ejus reliquiæ per Ottonem III imperatorem Romam tranſlatæ* 303 c d e f, 305 b
Adalbertus *Alemanniæ dux, pater S. Eugeniæ abbatiſſæ Hohenburgenſis* 333 a b c d e, 334 a
Adalricus *pater S. Odiliæ. Vide* Ethico.
Adam *epiſcopus Cathenenſis in Scotia, inter Prætermiſſos* 2 c
Adamus *abbas Ebracenſis conſulit S. Hildegardem* 645 a b, 669 d e
Adamus *abbas Tremitenſis exauctoratus* 386 e, 411 e
Adelbero *archiepiſcopus Trevirenſis* 636 d, 680 e
Adelbertus *primicerius, deinde epiſcopus Virdunenſis, delegatus in examine S. Hildegardis* 644 a, 680 e f, 681 b
Adelgiſus *tutor S. Sigeberti Auſtraſiæ regis* 521 f
Adenulphus *dux Cajetanus* 385 b c d e, 407 c
Adenulphus *comes Aquinenſis* 393 c d e, 409 b, 411 a
Adeodatus *Papa* 261 b
Adheymar (*Franciſcus de Monteil, de Grignan*) *archiepiſcopus Arelatenſis* 437 b. *Viſitavit corpus B. Ludovici Alamandi* 438 a b
† Adilia *virgo monialis Orpii* 545 f
Adolphus *Cliviæ primus dux* 106 e
Adolphus *Marcanus, Cliviæ comes* 106 e
Adrianus I *Papa* 7 e
Adrianus II *Papa* 342 f, 343 a
Adrianus IV *Papa* 638 c, 642 a & ſeqq., 675 c, 676 c d, 683 f, 685 c, 699 d
Adrianus V *Papa* 129 b, 150 e
Adrianus VI *Papa* 846 a
Adrianus *imperator* 469 a b e f
Adrianus *judex Cabilonenſis* 58 c, 67 e f
Adſo *abbas Dervenſis an ſcriptor Actorum S. Apri Tullenſis* 55 f, 56 a & ſeqq.
Adurna *familia illuſtris Genuenſis* 131 e f, 132 a b, 151 f, 152 a f

Adurnus (*Augustinus*) *institutor Congregationis clericorum Regularium Minorum* 166 f, 168 a
Adurnus (*Gabriel*) *dux Genuensium* 132 b
Adurnus (*Georgius*) *dux* 153 a
Adurnus (*Julianus*) *maritus S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ* 123 c, 131 d e f, 132 a b c d, 139 c d, 150 b, 152 a b d, 153 a, 166 d e f, 167 a b c, 168 b, 180 c d, 182 e, 184 c f, 185 a, 188 c
Adurnus (*Meliadux*) *præfectus triremium Genuensium* 132 b
Adurnus (*Prosper*) *Genuensium dux* 131 f, 132 a
Ægidius *episcopus Abrincensis* 781 f
Ægidius *Aureæ-vallis monachus scripsit Vitam S. Lamberti episcopi* 518 b, 520 b, 521 b
Ælredus *abbas Rhievallensis scripsit Vitam S. Niniani episcopi* 321 d
† Æmiliani *reliquiæ Casini* 415 c
Æmilius *pater S. Remigii episcopi Remensis* 330 b c d
Æneas Silvius Piccolominæus, *postea Pontifex, Pius II dictus* 439 a, 445 c e f, 446 a, 447 e, 448 a, 449 c e f, 450 c d, 451 d, 458 a. *Vide* Pius II Papa.
Æthelstanus *Anglorum rex* 365 d f, 366 a b
Aëtius *consul Romanus* 319 f
† Africani *martyris reliquiæ Constantinopolim translatæ* 259 c
† Agape *V. M. Vide* Charitas.
† Agapiti *reliquiæ Casini* 419 c
† Agatha *V. M.* 252 c. *Ejusdem veli reliquiæ Casini* 451 d
† Agathoclia *martyr, inter Prætermissos* 251 c d
Agellus (*Paulus Antonius*) *Ordinis Minorum Conventualium scripsit Italicè Vitam B. Josephi à Cupertino* 993 a b
† Agerici *corpus Virduni* 509 b
Agilfridus *episcopus Leodiensis* 518 b c e, 519 a b, 601 d, 602 f
† Agilus *abbas Resbacensis* 90 d e
† Agnes *V. M.* 249 b
† Agnes *de Monte Politiano virgo, inter Prætermissos* 249 d
Agnes *virgo Ordinis S. Claræ, prima præfecta monasterii Barcinonensis, inter Prætermissos* 465 a b c d e
Agnes *Arnulphi imperatoris conjux* 108 c
Agnes *imperatrix, vidua Henrici III imperatoris, monasterio Casinensi munifica* 416 b c e
Agnes *priorissa monialium in Monte S. Ruperti, testis in Actis de virtutibus & miraculis S. Hildegardis* 697 e, 699 a
Agrebertus *episcopus Virdunensis* 510 d e, 511 b, 512 e, 513 a, 553 f
† Agricolai, *Trajectensis ad Mosam episcopi, translatio, inter Prætermissos* 249 b c
Agrippinus *presbyter in Arvernia* 3 d
Ahones (*Constantia de*) *uxor Petri Arbues, tritavi B. Petri Arbuesii* 730 e f
Ahones (*Petrus de*) *vir illustris in Aragonia* 730 f
Ailly (*Hector D'*) *episcopus Tullensis* 57 d
Alardus *abbas S. Martini Colonienſis consulit S. Hildegardem* 646 c d e
Alatar (*Joannes Baptista*) *chirurgus S. Thomæ à Villanova, testis in ejusdem canonizationis Processu Valentino* 825 a, 936 e f, 937 a
† Albanus *martyr in Anglia sub Diocletiano* 477 e f
Albauldus *episcopus Tullensis* 62 f, 63 a b
Albergati *alias* Ludovisius (*Nicolaus*) *S. R. E. Cardinalis* 996 f, 997 f, 998 a b, 999 b, 1033 d, 1034 f, 1035 f, 1036 a b e
Albericus *secretarius Congregationis de Propaganda fide* 751 b
Albericus *abbas Dervensis* 56 c e
Albericus *diaconus, scriptor Dialogorum* 426 f, 427 a, 428 c d
Albernotius (*Ægidius*) *archiepiscopus Toletanus & S. R. E. Cardinalis* 731 f, 732 a, 754 d
Albero *episcopus Virdunensis delegatus in examine S. Hildegardis* 636 e f, 680 e f, 681 a b
Albero II *episcopus Leodiensis* 552 c, 557 b f, 558 a b c d, 560 a, 561 d e, 562 b, 563 b, 565 a, 570 a d, 571 c, 573 d
Albertus *Austriacus, Lusitaniæ prorex* 353 f
Albertus *Bavariæ dux* 449 e
Albertus *episcopus Bojanensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Albertus *abbas Elvacensis consulit S. Hildegardem* 647 a b
Albrecht (*Dionysius*) *Ordinis Præmonstratensis, Prior monasterii Hohenburgensis, de Museo nostro bene meritus* 317 a, 334 a b, 335 a
† Alchæ *episcopi Tullensis corpus inventum* 60 d e f, 61 a
Alciatus (*Terentius*) *examinator Operum S. Thomæ à Villanova* 964 a, 971 b
Alcuinus *diaconus* 326 f
Aldemarius *abbas in Sardiniam missus* 379 f
Aldewinus *episcopus Colonienſis* 529 d
Aldringen (*comes ab*) *episcopus Tripolitanus, suffraganeus episcopi Argentinensis* 335 a b c d
Aldulphus *rebellium dux in Northumbria* 366 b
Aldus *episcopus Placentinus* 262 b
Alemandorum *familia illustris* 439 e f
Alemany (*Joannes*) *scriba capituli canonicorum Valentiæ* 887 b c
† Alexander *martyr Romæ, inter Prætermissos* 249 c d, 250 f
† Alexander *martyr* 251 d e
† Alexander *episcopus Constantinopolitanus* 39 e
† Alexandri I *Papæ martyris reliquiæ Româ Frisingam allatæ* 472 e f, 473 a & seqq. *Casini* 415 b
Alexander II *Papa* 373 f, 374 e, 377 c, 380 d, 386 d e, 387 e f, 388 c f, 389 d e, 409 f, 410 d f, 411 b d e, 413 f, 414 a d e, 415 a e, 416 e, 420 b, 421 e f, 422 b
Alexander III *Papa* 388 e, 642 e, 643 c d, 648 b d, 665 e f, 666 a b f, 667 a, 669 b, 682 f
Alexander V *Papa* 440 f
Alexander VI *Papa* 754 e
Alexander VII *Papa* 46 b, 47 b c d, 627 e, 728 e f, 730 b, 741 d, 742 a, 748 d e, 749 a & seqq., 801 c, 811 b, 812 d e, 813 c, 814 d e, 963 e, 964 b & seqq., 965 a c d e f, 966 a & seqq., 967 a, 972 c & seqq., 973 a, 975 e f, 976 a b, 1008 f, 1009 a b c, 1010 f, 1011 a, 1036 b, 1039 f, 1040 a e, 1041 d, 1045 a, 1046 e. *Petrum Arbuesium Beatorum catalogo solemniter adscribit* 749 d e f, 750 a & seqq. *B. Thomam à Villanova in Sanctorum numerum solemniter refert* 967 b & seqq., 968, 969, 970, 971, 972 a b
Alexander VIII *Papa* 863 d
Alexander *episcopus Leodiensis* 557 f
Alexander *abbas Vezeliacensis interfuit concilio Basileensi* 442 c
† Alexii *reliquiæ Casini* 415 c
Alexius *Comnenus, imperator Orientis* 395 c d, 396 c, 425 d f, 427 a
Alfanus *ex monacho Casinensi abbas Salernitanus, deinde ejusdem civitatis archiepiscopus, ejus nominis I* 383 c, 389 a, 404 b c d e, 405 c d e f

Alfanus II *archiepiſcopus Salernitanus* 376 c, 377 c d e, 429 f, 430 e
† Alferius *abbas* 374 c
Alferius *abbas monaſterii ſanctæ Trinitatis in regno Neapolitano* 382 c d
Alfredus *Anglorum rex* 365 c d f
Alfredus *comes in Anglia* 368 c d
Alfritha *noverca S. Eduardi, Angliæ regis & martyris* 368 c, 371 f
Aliaga (*Iſidorus*) *archiepiſcopus Valentinus* 962 a c
Aligernus *abbas & reſtaurator monaſterii Caſinenſis* 400 c
Allo *clericus Tullenſis* 64 f, 65 a, 75 e
Alodius *epiſcopus Tullenſis* 63 b
† Aloyſius Gonzaga, *Societatis Jeſu* 128 a b, 165 b
Alpaïs *pœnitens, inter Prætermiſſos* 463 d
Alpaïs *Pippini Heriſtalli pellex* 529 d, 540 a & ſeqq., 541 a b d e f, 542 a & ſeqq., 543 a & ſeqq., 544 a & ſeqq., 545 a d e f, 546 a, 549 e, 597 a b c d f, 598 a b, 599 c d, 600 c, 601 e f, 612 c d e f, 613 a e f, 614 a c d e f, 617 c
Alpaïs *comitiſſa Hugardiæ* 546 a
Alphonſus IV *Aragoniæ rex* 449 e, 450 e
Alphonſus V *Aragoniæ & Neapolis rex* 129 c, 152 f
Alphonſus VIII *Legionis & Caſtellæ rex* 286 b
Alphonſus *Aragonius, archiepiſcopus Cæſarauguſtanus & prorex ibidem* 735 a c, 740 f
Alphonſus *epiſcopus Aurienſis in Gallæcia* 285 c d
Alphonſus de Avila *Prior conventûs Burgenſis Eremitarum S. Auguſtini* 808 e, 809 d
Alphonſus de Madrid *Prior provincialis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Caſtella* 817 a
Alphonſus de Oroſco, *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, doctrinâ & ſanctitate illuſtris* 807 c, 809 d, 847 d, 849 a, 867 a b f, 871 f, 872 a e
Alredus *archiepiſcopus Eboracenſis* 371 c, 372 e
† Altfridus *epiſcopus Hildesheimenſis, inter Prætermiſſos* 2 c. *Item* 106 d, 113 d e
Altieri *epiſcopus Camerinus* 751 a c d
Amalbertus *chorepiſcopus, adminiſtrator epiſcopatûs Virdunenſis* 513 a
Amalfridus *vir illuſtris, S. Bertino abbati Sithienſi munificus* 527 d e
Amalgiſilus *theſaurarius eccleſiæ Trajectenſis* 551 a c d, 579 e, 581 a, 600 d, 601 f
Amalricus *Latinus patriarcha Hieroſolymitanus ſcribit ad S. Hildegardem* 644 b c
Amanda *conjux Apri* 58 d e, 59 d e f
† Amandus *epiſcopus Argentinenſis* 316 c d
† Amandus *epiſcopus Trajectenſis* 523 f, 589 e, 603 f
† Ambroſius *Eccleſiæ doctor* 357 a, 485 a e f, 486 a & ſeqq. 487 a & ſeqq., 488 a & ſeqq., 489 a & ſeqq., 490 a & ſeqq., 491 a b d e, 492 b c d e f, 493 a, 496 e f, 497 a & ſeqq., 498 a & ſeqq., 499 a & ſeqq., 500 a & ſeqq., 501 a & ſeqq., 502 a b c e f, 503 a & ſeqq., 504 a & ſeqq., 505 a & ſeqq., 506 a b f, 507 b d e f, 508 a d, 760 b, 775 a b, 778 e, 779 e, 780 a b d. *Ejuſdem reliquiæ Caſini* 415 d
Ambroſius *Galliarum præfectus, pater SS. Ambroſii & Satyri* 505 e, 507 f, 508 a
Ambroſius *epiſcopus Terracinenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 a
Amedæus *Sabaudiæ dux, antipapa, Felix V dictus* 448 c d e f, 449 a b c d e f, 450 a b c d e f, 451 e, 452 c f, 453 e f, 454 a b c d e f, 455 a d, 460 d
Amedæus *Cardinalis Saluticenſis* 440 d
Amic *doctor & procurator S. Thomæ à Villanova* 885 b
Amonis *epiſcopi Tullenſis corpus inventum* 60 e f, 61 a
† Amphibalus *epiſcopus in Scotia* 319 c
† Amphibalus *clericus martyr in Anglia ſub Diocletiano* 477 c f
† Anacletus *Papa martyr* 307 e
Anacletus II (*Petrus Leonis*) *antipapa* 307 e f, 308 a b
† Anaſtaſii *reliquiæ Caſini* 415 c
† Anaſtaſius *Perſa martyr* 260 e
Anaſtaſius IV *Papa* 373 b, 374 a, 638 c, 641 d e f, 642 a b, 675 c, 676 c, 685 c, 699 d
Anaſtaſius I *imperator Orientis* 259 b, 331 f, 332 d e
Anaſtaſius *comes in inſula Lemno* 281 d e f, 282 a
† Anatolius *patriarcha Conſtantinopolitanus* 257 b c d e
Anchias (*Joannes de*) *notarius Cæſarauguſtanus, confecit inſtrumentum de prodigio ſanguinis B. Petri Arbueſii* 737 e
† Andreæ *apoſtoli reliquiæ in Scotiam delatæ* 319 d e, 321 b. *Ejuſdem reliquiæ Caſini* 415 c d
† Andreas Avellinus *clericus Regularis* 128 b
Andreas *epiſcopus Chalcedonenſis* 281 e f, 283 b
Andreas de Abila *Prior provinciæ Bæticæ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 809 d
† Andronico *martyri templum ædificatum* 42 c
† Angela *Fulginas* 138 a
† Angela *virgo Carmelitana, inter Prætermiſſos* 756 b
Angelis (*Franciſcus Maria de*) *Ordinis Minorum Conventualium teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1003 a b
Angelucci (*Hieronymus*) *parochus Aſſiſienſis, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1003 c d
Angelus *de Clavaſio Ordinis S. Franciſci* 128 c, 135 f, 137 a b, 164 a
Angilberga *Ludovici II imperatoris vidua* 795 e
Angilbertus *archiepiſcopus Mediolanenſis* 10 b f, 11 a
† Anna, *mater Deiparæ, inter Prætermiſſos* 249 e
Anno I *epiſcopus Colonienſis* 529 d, 553 f
Anno *abbas Gemmeticenſis* 83 e
Anoreus, *inter Prætermiſſos* 4 b
Anſaldus *benefactor eccleſiæ S. Euphemiæ Placentiæ* 262 a
† Ansbertus *epiſcopus Rotomagenſis* 789 a
Anſcharius *pater S. Aichardi abbatis Gemmeticenſis* 86 d f, 87 b c d, 88 c d e, 100 f
Anſegiſus *Pippini Heriſtalli pater* 532 a b, 594 b, 596 d, 599 c, 608 b
† Anſelmus *epiſcopus Lucenſis* 376 a, 377 f, 397 c, 399 c, 428 e, 430 b
Anſelmus *epiſcopus Lucenſis, deinde Papa, Alexander II dictus* 409 f. *Vide* Alexander II Papa
Anſelmus *canonicus Leodienſis ſcripſit Vitam S. Lamberti epiſcopi* 518 b, 520 a b, 521 b
Ansfridus *monachus Pictavienſis, magiſter S. Aichardi abbatis Gemmeticenſis* 86 d e f
† Anſoaldus *epiſcopus Pictavienſis* 84 b, 87 d e f, 88 e f, 91 b c d e f, 92 a & ſeqq., 93 a & ſeqq., 94 a
Antamorus (*Thomas*) *Conſiſtorialis aulæ Pontificiæ advocatus* 187 d
Anthemius *conſul* 424 e
Antimundus *epiſcopus Tullenſis* 56 f, 57 a, 63 f, 64 a
Antiochus *præſes ſub Antonino imperatore Marcia-*

cianopoli 29 b c e f
† Antonini *censura de concilio Basileensi* 450 e f, 452 f
Antoninus *Pius imperator* 469 a b c e, 480 a & seqq., 481 a d f
Antonius *Alamandus secundùm aliquem pater B. Ludovici Alamandi* 439 e, 440 a
Antonius à S. Mauro *Custos conventûs S. Francisci Assisii* 997 b c d, 1019 e
Antonius de Solis *Prior conventûs Salmanticensis Eremitarum S. Augustini* 806 d e
Apelianus *sophista Chalcedone* 253 c, 266 c, 267 d e, 268 b, 272 f, 273 a
† Aper *martyr* 64 c d e
Aper *vir illustris, pater S. Lamberti episcopi* 521 d e, 523 b c, 543 f, 549 e f, 550 b, 575 f, 589 c d e f, 590 b, 600 c, 603 d e f, 604 c, 617 a
Aper, *amicus S. Paulini Nolani, distinguendus à cognomine sancto episcopo Tullensi* 58 d e f, 59 a & seqq., 60 a & seqq.
Apollinaris *abbas Agaunensis & S. Apri Tullensis* 63 f
† Apronia *virgo* 61 d. *Ejus corpus Tulli Leucorum* 77 b, 78 f
Arbogastes *comes, fautor Eugenii tyranni* 490 c d e f
Arbues (*Antonius*) *pater B. Petri Arbuesii* 730 d e f, 731 a b, 752 b
Arbues (*Antonius*) *frater B. Petri Arbuesii* 731 a
Arbues (*Beatrix*) *soror B. Petri Arbuesii* 731 a
Arbues (*Eleonora*) *soror B. Petri Arbuesii* 731 a
Arbues (*Elisabetha*) *soror B. Petri Arbuesii* 729 d
Arbues (*Gonsalvus*) *avus B. Petri Arbuesii* 730 f
Arbues (*Joanna*) *soror B. Petri Arbuesii* 731 a
Arbues (*Isabella*) *soror B. Petri Arbuesii* 731 a, 744 e
Arbues (*Petrus*) *tritavus B. Petri Arbuesii* 730 e
Arbues (*Petrus*) *abavus B. Petri Arbuesii* 730 f
Arbues (*Sancia*) *soror B. Petri Arbuesii* 731 a
Arcadius *imperator Orientis* 255 d
† Aredius *abbas Attinensis* 784 f, 785 a b f, 786 d
Argentina *matrona Genuensis, S. Catharinæ Genuensi familiaris* 148 a c, 165 e f, 166 a b c, 167 b, 168 b
Ariadenus Ænobarbus *famosus pirata* 50 c
† Ariadne *martyr, inter Prætermissos* 756 d
Ariadne *augusta, Anastasii Dicori imperatoris conjux* 259 b
Aribertus *archiepiscopus Mediolanensis. Vide* Eribertus
Arichis *princeps Beneventanus, conditor monasterii S. Sophiæ* 382 f, 383 a, 421 b, 423 a
Arigonius *S. R. E. Cardinalis, archiepiscopus Beneventanus* 48 a b
Armatis (*Hieronymus de*) *abbas beatæ Virginis Bedagii, assistit translationi corporum SS. Victoris & Satyri* 494 e, 495 b
Armonius *episcopus Virdunensis* 511 b d e, 512 e, 513 c, 517 e
Arnaldus *archiepiscopus Acheruntinus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b c
Arnalus *episcopus Tullensis* 113 a
Arnauld (*Henricus*) *episcopus Andegavensis transtulit reliquias B. Reginaldi eremitæ* 626 c d e f, 627 a & seqq.
Arnoldus *archiepiscopus Colonienſis scribit ad S. Hildegardem* 640 b c
Arnoldus *archiepiscopus Moguntinus scribit ad S. Hildegardem* 639 f, 643 b c. *Ejusdem monasterii jura confirmat* 665 a c, 682 a f
Arnoldus I *archiepiscopus Trevirensis consulit S. Hildegardem* 664 a b, 666 c d
Arnoldus *monachus in Monte S. Disibodi* 681 c d
† Arnulphus *episcopus Metensis* 597 a, 599 c
Arnulphus *Germaniæ rex, postea imperator* 63 c d, 106 b, 108 b & seqq., 109 a f, 111 a, 343 c e, 509 a b
Arnulphus *comes Hollandiæ, inter Prætermissos* 759 e
† Asclepiodota *martyr inter Prætermissos* 250 a, 463 c
Asclepius *episcopus Lemovicensis* 785 c
Ascletinus *frater Richardi I, Capuæ principis* 408 c
Aspertus *episcopus Ratisponensis* 351 c
Astasius *nobilis Pictavus, benefactor & monachus monasterii Gemmeticensis* 95 c d
Asterius *episcopus Amasenus, scriptor Actorum alicujus S. Euphemiæ, à Chalcedonensi diversa* 263 f, 264 a & seqq., 265 a & seqq., 266 a e, 283 c f, 284 a & seqq.
† Astotii *martyris corpus Romæ in ecclesia B. M. V. Montis Cæli* 46 d e
Astudillo (*Joannes de*) *Ordinis S. Benedicti, testis in processu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 893 e
Atenulphus *Capuæ comes & princeps Beneventi* 380 f, 381 a
Athanaricus *Gothorum rex* 38 b c d e f, 39 a b c d, 40 c d, 41 d e, 42 a, 43 b c
† Athanasius *patriarcha Alexandrinus, inter Prætermissos* 249 d. *Item* 777 a
† Attala *discipula S. Odiliæ amitæ suæ, deinde prima abbatissa S. Stephani Argentorati* 333 b c d e, 334 d, 335 f
Atticus *pater S. Odiliæ. Vide* Ethico.
Attila *rex Hunnorum* 423 e, 424 e f
Atto *seu* Atho *archiepiscopus Mediolanensis, S. R. E. Cardinalis* 376 b, 377 b c
Avalos (*Gaspar*) *archiepiscopus Granatensis* 831 b
Aubertin (*Antoninus*) *abbas Stivagiensis edidit Vitam Gallicam S. Richardis imperatricis* 794 b
† Audoënus *episcopus Rotomagensis* 93 a b, 101 a, 102 d, 592 a, 593 e
† Audomarus *Morinorum episcopus* 527 b c, 592 a, 593 f
† Augustinus *doctor Ecclesiæ* 871 e, 873 e f, 909 b, 915 d. *Ejusdem reliquiæ Casini* 415 c
† Augustinus *episcopus Cantuarienſis* 328 e, 365 a
Augustinis (*Petrus de*) *episcopus Oscensis* 817 c
† Aurelia *virgo ex sodalitio S. Ursulæ* 315 f, 316 a b e f
† Aurelii *martyris corpus ex Hispania in Galliam translatum* 103 b
† Aurelii *corpus Pisis in abbatia S. Matthæi* 48 c
† Aurelius *monachus* 49 d e, 51 d
Auria *familia illustris Genuensis* 131 e f
Auriana *abbatissa Hunicurtensis* 527 e
Auspicia *fortè avia S. Apri Tullensis episcopi* 61 f
† Auspicius *episcopus Tullensis* 58 b, 60 a b, 61 a. *Ejus corpus inventum* 60 d e f, 61 a
† Austreberta *abbatissa Pauliacensis* 531 a b
Austrebertus *episcopus Viennensis* 762 e
† Austregisilus *episcopus Bituricensis* 592 a, 593 e
Austresius *vir potens in Gallia, monasterio Bellilocensi munificus* 508 e, 512 d, 514 d e, 515 a c f, 516 a
† Autbertus *episcopus Cameracensis & Atrebatensis* 527 d f
Auxentius *episcopus Mopsuestenus* 42 b c, 43 c d
Auxentius *Arianus episcopus Mediolanensis* 779 e
† Auxibius *Solorum episcopus* 468 a b c d e

Auxilius *episcopus Hibernus, inter Prætermissos* 251 a

Ayala (*Martinus*) *archiepiscopus Valentinus* 818 b c, 828 d, 887 a, 890 f, 926 e

Aznar (*Andreas*) *assistens generalis Hispaniæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, & procurator causæ canonizationis S. Thomæ à Villanova* 801 c, 964 d

Azo *episcopus Lucerinus* 389 d

Azzo *nobilis Marsicanus, benefactor monasterii Casinensis* 391 b

Azzolinus (*Decius*) *S. R. E. Cardinalis* 126 e, 127 c, 186 c

B

BAcchenstein (*Joannis*) *causa in concilio Basileensi* 449 d

† Bacchi *reliquiæ Casini* 419 c

Baglionus (*Malatesta*) *episcopus Assisias* 1000 c

Baiarri (*Joachimus*) *J. U. D., testis in Valentino processu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 825 a

Balaquel (*Franciscus Ludovicus*) *canonicus Valentinus, testis in Valentino processu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 f

Baldechildis *Clodovei II Francorum regis uxor* 90 e

† Balderici *corpus in monasterio suo* 509 b

Baldevinus *comes Cliviæ* 106 c, 109 a b c d

Baldoveus *famulus S. Lamberti episcopi Trajectensis* 546 f, 577 d e, 588 f, 598 c e

Baldricus *episcopus Dolensis* 14 d e f, 15 a

Baldricus *episcopus Leodiensis* 557 a, 573 b

Baldricus *episcopus Ultrajectensis*, 106 b d, 108 c

Balduinus *Cliviæ comes, S. Luthardi comitis filius* 106 b d, 108 c f, 109 a, 111 b

Balduinus *episcopus Melfitensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b

Balduinus *comes de Valle-Sorana, benefactor monasterii Casinensis* 410 a

Bantaredus *archidiaconus Lemovicensis ad concilium Aurelianense Vmissus* 784 b

Barberinus *S. R. E. Cardinalis archipresbyter basilicæ Vaticanæ S. Petri* 751 a b c

Barberinus (*Antonius*) *S. R. E. Cardinalis* 1032 e

Barberinus (*Thadæus*) *Romanæ urbis præfectus* 422 a

Baresoni *regulus seu judex Arboreensis in Sardinia* 379 c d e f, 380 a b c d, 410 b c

Baresoni II *vel* III *regulus seu judex Arboreensis in Sardinia* 380 c

† Barnabas *apostolus* 467 f, 468 a c

Barnefridus *primicerius Tullensis* 64 f, 65 a, 75 e

Barnis (*Joannes Baptista de*) *nuntius Apostolicus apud Helvetos* 201 d

Baronius (*Cæsar*) *S. R. E. Cardinalis* 261 c

† Bartholomæi *apostoli corpus ab Ottone III imperatore expetitum* 303 f, 304 a e. *Ejusdem reliquiæ Casini* 415 c e

Basilica Petri (*Franciscus à*) *delegatus à S. Carolo Borromæo in causa translationis corporum SS. Victoris & Satyri* 494 b c

† Basilii *martyris corpus, Româ ad monasterium Rhenovience translatum* 196 b c

Basilius *Macedo imperator* 259 b

Battaco *filius Ethiconis, Alemanniæ ducis* 333 c

Bava *benefactrix monasterii Bellilocensis* 515 a b f, 516 a

Baxius (*Nicasius*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini edidit epitomen Vitæ S. Thomæ à Villanova* 800 e

Baylus (*Garsia*) *testis prodigiosi sanguinis B. Petri Arbuesii* 736 d

Beatrix *præfecta sacrario in Monte S. Ruperti, examinata in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 697 e

Beatrix *præfecta sacrario Confluentiæ, examinata in Actis de virtutibus S. Hildegardis* 697 f, 698 a

Beatrix Venieri, *inter Prætermissos* 466 a

Beauregard (*Girardus de*) *episcopus Augustodunensis, transfert corpus S. Floscelli martyris* 478 c, 479 c

† Begga *Ansegisi ducis vidua* 521 f, 532 a b, 589 d, 591 a, 594 b, 596 d, 597 a, 599 c, 608 b

Belda (*Joannes*) *procurator causæ beatificationis & canonizationis S. Thomæ à Villanova* 959 b

Bellarminus (*Robertus*) *è Societate Jesu S. R. E. Cardinalis* 127 f. *Item inter Prætermissos* 466 c d

Benedicta Henrietta *Palatina, Joannis Frederici principis Brunsvicensis & Hannoveræ ducis conjux* 999 c d

† Benedictus *patriarcha* 387 e, 390 b c, 400 c, 401 a, 413 a d e, 416 a, 419 a, 423 e, 424 f, 433 f, 435 b, 598 e, 599 e. *Ejusdem corpus* 379 b c. *Invenitur & decentiùs reponitur Casini* 412 f, 413 a

Benedictus VIII *Papa* 415 b, 416 d

Benedictus XIII *Papa* 374 b

Benedictus XIV *Papa* 128 c, 130 e f, 131 a, 132 b, 135 f, 136 a b c, 137 f, 138 a b d, 181 e, 197 e f, 198 a d f, 338 a b, 373 c e f, 374 a b, 422 b, 456 d, 502 d, 621 d, 695 d, 739 f, 748 d e f, 749 a c d, 967 a b, 973 b, 993 a b, 1046 d e. *Josephum à Cupertino Beatis solemniter adscribit* 992 c, 1012 f, 1013 a & seqq., 1014 a & seqq., 1044 b e f

Benedictus XIII *antipapa. Vide* Petrus de Luna.

Benedictus *præpositus monasterii Capuani* 425 f

Benedictus *famulus S. Thomæ à Villanova, deinde Religiosus Hieronymianus* 883 a

Benigni (*Gratianus*) *confalonerius Assisii* 1004 a b, 1047 e

Benignus *abbas Fontanellensis* 100 d

Benincasa *Tudertinus, Ordinis Minorum, inter Prætermissos* 251 b

Berardicellus (*Joannes Baptista*) *Minister generalis Minorum Conventualium S. Francisci* 996 d, 997 d e

Berardus *comes Marsorum, monasterii Casinensis benefactor, fortè idem cum Bernardo comite Valvensi* 390 e f

Berengarius *episcopus Tullensis* 106 a c f, 108 a, 111 f, 112 f, 113 a

Berengarius *archidiaconus Andegavensis* 385 f, 386 a

Bergis (*Cornelius à*) *episcopus & princeps Leodiensis* 815 a

Beringherius *rex Corsicæ munificus in monasterium S. Mamiliani* 50 e

† Bernardinus *Feltrensis* 128 b c

† Bernardus *abbas Claravallensis* 635 c d e f, 636 a b c f, 637 e, 638 c d e f, 639 a b c, 656 d, 676 c, 677 f, 680 f, 699 d, 844 d

Bernardus Balbus *episcopus Ticinensis, inter Prætermissos* 758 d

Bernardus II *abbas incerti monasterii* 629 b d

Bernardus *comes Valvensis, monasterii Casinensis benefactor* 390 d e, 420 d

Bernardus Christophorus *episcopus Monasterienſis* 12 f

Bernefridus *primicerius Tullensis* 74 c

Bernerius *abbas Trenorchiensis* 18 d f, 19 b c

Bern-

Bernhardus *comes Hildesheimenſis* 634 f, 635 a, 681 e

Berninus (*Dominicus*) *comes, ſcripſit Italicè Vitam B. Joſephi à Cupertino* 992 f, 993 b c, 1047 & ſeqq.

† Berta *mater S. Ruperti, Bingii ducis* 681 c, 682 f

Berta *Ludovici Bavariæ regis filia, abbatiſſa Tigurina, an mater S. Luthardi comitis?* 107 d e f, 108 a b

Berta *mater S. Luthardi comitis Cliviæ* 106 a & ſeq., 107 a & ſeqq, 108 a b d e, 111 f, 112 c d

Berta *conjux S. Luthardi comitis Cliviæ* 106 b d, 108 b & ſeqq., 109 a

Bertharius *Major-domûs Theodorici III Francorum regis* 532 c

Bertholdus *archiepiſcopus Moguntinus juſſit inſpici reliquias S. Hildegardis* 677 d

Bertholdus *epiſcopus Tullenſis* 64 b

Bertholdus *abbas Zwinieldenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 647 b c

Bertholdus IV *Zeringiæ dux, dicitur partem capitis S. Lamberti accepiſſe* 568 e f

† Bertinus *abbas Sithienſis* 527 d e, 592 b, 593 f

Bertram de Numburg (*Joannes*) *artium & S. Scripturæ doctor inſpicit corpus S. Hildegardis* 677 d

† Bertulphus *abbas Laubienſis inter Prætermiſſos* 755 b c

Berullus (*Petrus*) *S. R. E. Cardinalis* 127 f, 128 a

Beſutius (*Ludovicus*) *canonicus Mediolanenſis* 10 e

Bettus (*Ludovicus*) *epiſcopus Auximanus* 1009 b

Bichius (*Antonius*) *epiſcopus Auximanus, deinde S. R. E. Cardinalis* 1009 b, 1011 c, 1033 d, 1036 b f, 1040 a f

Bichius (*Metellus*) *epiſcopus Suanenſis* 46 c

Bikem (*Wolfgangus de*) *canonicus & vicarius Moguntinus inſpicit corpus S. Hildegardis* 677 d

Biliton (*Joannes*) *canonicus Leodienſis* 564 f

Biſantius *archiepiſcopus Tranenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 a

Bland (*Cæſar de*) *vicarius generalis S. Caroli Borromæi, ſubſcripſit inſtrumento tranſlationis corporum SS. Victoris & Satyri &c* 495 c

Blandus (*Joannes*) *vicarius foraneus & canonicus Politienſis, teſtis in proceſſu de cultu B. Gandolphi* 724 c d

Blaſono (*Anſpertus de*) *archiepiſcopus Mediolanenſis* 485 b

† Blithmundi *abbatis reliquiæ in abbatia Leuconaënſi* 79 c f, 80 a

Boamundus *filius Roberti Guiſcardi, Apuliæ & Calabriæ ducis, poſtea princeps Antiochiæ* 425 d, 427 b

Bocelius (*Joſephus*) *notarius ſubſcripſit inſtrumento viſitationis corporis B. Rolandi de Medicis* 118 e

Bodilo *nobilis Francus ſub Childerico II* 592 d

† Bodo *epiſcopus Tullenſis* 55 b

Bodo *vel* Dodo *epiſcopus Roſſellanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 d

Bœri (*Marius*) *abbas Canonicorum Regularium S. Salvatoris Placentiæ* 262 b

Boërius (*Joannes Baptiſta*) *medicus Genuenſis, de S. Catharinæ Genuenſis mirabili morbo conſultus* 147 e f

Boggus *dux Aquitaniæ* 527 a, 611 c

Bohemi *ad fidem Chriſti adducti* 339 c, 343 f, 355 f, 356 a & ſeqq., 357 b

Boleſlaus I, *Bohemiæ dux* 340 e f, 346 f, 349 b c, 350 c, 352 d, 355 a, 358 d, 359 a, 360 d, 362 b, 363 d e

Boleſlaus II *Bohemiæ dux* 340 e, 352 e

Boleſlaus *Polonorum dux* 303 f

Boleſlaus *S. Ludmillæ & Borzivoji Bohemiæ ducis filius* 345 d, 346 f, 347 a, 360 b c

Bona (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis* 127 f

Bonaventura Firmanus, *Ordinis S. Franciſci, inter Prætermiſſos* 758 e

† Bonifacii *martyris tranſlatio, inter Prætermiſſos* 758 e f, 759 a

Bonifacius V *Papa* 8 a

Bonifacius VIII *Papa* 319 d e

Bonilla *ſubcuſtos horrei S. Thomæ à Villanova* 832 c, 944 e f

Bonillo (*Joannes de*) *conſanguineus S. Thomæ à Villanova* 829 d e, 902 e

Bonillo *ſacellanus S. Thomæ à Villanova* 852 b c d

Bonizo *epiſcopus Sutrienſis* 430 b

Borelli *comites* 416 d, 420 c d, 422 d

Borellus *comes monaſterii Caſinenſis benefactor* 390 d

Borgia (*Alphonſus*) *archiepiſcopus Valentinus, deinde Papa Calliſtus III dictus* 886 a

Borgia (*Federicus*) *canonicus & archidiaconus eccleſiæ Valentinæ teſtis in Valentino proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 f, 891 b d e, 893 e

Borgia (*Gaſpar de*) *S. R. E. Cardinalis, teſtis in proceſſu Caſtellano canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 d, 945 a, 957 f

Borgia (*Joannes*) *S. Franciſci Borgiæ filius* 353 f

Borgia (*Alphonſus de*) *Eremita Auguſtinianus, miſſionarius in Mexico* 812 c, 813 b f, 867 c d f

Bornius (*Franciſcus*) *conſiliarius Leopoldi archiducis Auſtriæ, epiſcopi Argentinenſis* 334 e

Borromæus (*Federicus*) *archiepiſcopus Mediolanenſis, S. R. E. Cardinalis* 9 c, 10 c d e, 11 b c e, 127 f, 261 c, 495 d, 496 a c, 775 d

Borromæus (*Gibertus*) *S. R. E. Cardinalis* 1009 c

Borzivojus *primus Chriſtianus dux Bohemiæ, S. Ludmillæ maritus* 339 c, 340 e, 341 f, 342 a & ſeqq., 343 d e f, 344 a & ſeqq., 345 a & ſeqq., 346 a b e f, 347 a & ſeqq., 348 a & ſeqq., 349 b, 356 a & ſeqq., 357 e f, 358 a b c d, 360 b c e

Boſo *Provinciæ rex* 795 e

Baudot (*Paulus*) *epiſcopus Atrebatenſis, approbavit reliquias S. Niniani epiſcopi, Dnaci aſſervatas* 327 c d e

Bovius (*Cæſar*) *epiſcopus Neritonenſis* 994 c f

† Brachio, *inter Prætermiſſos* 2 a

Brancifortius (*Octavianus*) *epiſcopus Cephaleditanus* 702 d

Branconus (*Ludovicus*) *ſocius B. Joſephi à Cupertino* 999 e, 1001 a b, 1018 d f, 1019 a

Brantes (*Joſephus Antonius de*) *theſaurarius & pœnitentiarius eccleſiæ metropolitanæ Avenionenſis, de Muſeo noſtro bene meritus* 437 b f, 438 f, 457 d

Brecheu (*Renatus*) *canonicus & promotor epiſcopalis Andegavenſis interfuit tranſlationi reliquiarum B. Reginaldi eremitæ* 226 f

Briroy (*Nicolaus de*) *epiſcopus Conſtantienſis in Normannia* 479 e

Brithgina *abbatiſſa Wiltonienſis* 370 d e, 372 b

† Brocardus *Generalis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, inter Prætermiſſos* 249 e

Broganus, *inter Prætermiſſos* 463 d e

† Bruno *epiſcopus Tullenſis, poſtea Leo IX Papa* 57 e, 64 b, 65 e f, 369 b c

Bruno *archiepiſcopus Colonienſis* 76 f, 77 a

Bruno *presbyter & cuſtos Argentinenſis, teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 699 b c d e f, 700 a b

Bude-

Budeghenius (*Philippus*) *Religioſus Wadegotienſis, miſit notitias de B. Oranna* 116 a b e, 117 d e
Bulgari *ad Chriſti fidem converſi* 355 b, 357 b
Bulſo *à ſecretis Drogoni epiſcopo Tullenſi* 75 a b c
Buratto (*Marcus Antonius*) *advocatus conſiſtorialis in cauſa canonizationis S. Thomæ à Villanova* 801 c, 965 d, 971 d f
Burgheſius (*Camillus*) *vicarius cleri Senenſis intereſt tranſlationi reliquiarum SS. Abundii & Abundantii* 309 f
Burgheſius (*Claudius*) *epiſcopus Groſſetanus Senis intereſt tranſlationi reliquiarum SS. Abundii & Abundantii* 309 f
Burgheſius (*Petrus Maria*) *S. R. E. Cardinalis* 998 b c
Burgos (*Joannes Baptiſta*) *Prior conventus Valentini, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 816 a

C

CAbanillas (*Mariana*) *famula S. Thomæ à Villanova, & teſtis in ejuſdem canonizationis proceſſu Valentino* 825 b, 893 f & alibi
Cadelous *antipapa* 411 b, 416 e
† Cæcilia *virgo martyr inter Prætermiſſos* 251 c. *Ejus reliquiæ Caſini* 415 b
† Cæſarii *diaconi martyris reliquiæ Caſini* 415 d
Cæſarini (*Julianus*) *S. R. E. Cardinalis, præſes Pontificius in concilio Baſileenſi* 442 c, 443 c d e, 459 b, 460 b
Cæſarinis (*Georgius de*) *canonicus Romanus, dotat ſacellum SS. Servatii & Lamberti Romæ* 568 a b
Cæſarinus (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 179 d
Caïch *presbyter, Borzivojo Bohemiæ duci à S. Methodio datus* 343 f, 345 a b c d, 356 c, 360 e
Cajetanus (*Octavius*) *Societatis Jeſu presbyter reperit corpus S. Mamiliani* 46 c d
Calia (*Silveſter*) *laïcus Ordinis Minorum Reformatorum, vir magnæ ſanctimoniæ* 1012 b c
† Calliſti *martyris corpus Patribus Excalceatis ſanctiſſimæ Trinitatis donatum* 477 a
Calliſtus II *Papa* 19 b, 262 b, 373 b, 374 a, 390 b, 405 a b, 421 f
Calliſtus III *Papa* 886 a
Calvi (*Carolus Antonius*) *Miniſter generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci* 993 a b, 1013 e, 1044 f
Calviniſtarum *impietas Trenorchii* 19 e f, 20 a b
Camiſſanus (*Dominicus*) *eremita Auguſtinianus, procurator in cauſa pro beatificatione S. Thomæ à Villanova* 958 f, 959 a, 960 a
Campo *epiſcopus Draconarienſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Campodarbe (*Joannes Franciſcus*) *procurator cauſæ conanizationis B. Petri Arbueſii* 739 e
Campo-Vetere (*Euthymius de*) *Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci* 997 d
Camus (*Joannes Petrus*) *epiſcopus Bellovacenſis* 127 d
Cano (*Melchior*) *Ordinis S. Dominici, epiſcopus Canarienſis* 870 f
Canton (*Hieronymus*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, metro Hiſpanico edidit Vitam S. Thomæ à Villanova* 800 e f
Canutus *vel* Cnutus *Danorum & Anglorum rex* 371 b, 372 a e
Capater *dixit orationem funebrem S. Thomæ à Villanova* 956 b
Caponius *S. R. E. Cardinalis* 740 a
Capradoſſus *Miniſter generalis Minorum Conventualium S. Franciſci* 1009 c
Caracciolus (*Auguſtinus*) *ſocius venerabilis Auguſtini Adurni, fundatoris Clericorum regularium minorum* 168 a
Caracciolus (*Franciſcus*) *ſocius venerabilis Auguſtini Adurni fundatoris Clericorum regularium minorum* 166 f, 168 a
Caraffa (*Joannes Petrus*) *poſtea Paulus IV Papa* 167 f
Caraſtrus *Carnorum princeps* 572 e
Caravaggio (*Gabriel de*) *Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci* 997 d
Cardulus (*Fulvius*) *Societatis Jeſu presbyter, edidit Acta SS. Abundii, Abundantii &c., & tranſlationem ſcripſit* 294 a
Carentius (*Jacobus*) *S. Catharinæ Genuenſis diſcipulus* 167 e, 174 f, 178 a
Cariñena & Ypença (*Bernardus de*) *vicarius generalis Ordinis B. M. V. de Mercede* 729 a
Carinus *imperator* 290 b c
Carnoy (*Jacobus*) *notarius Cæſarauguſtanus, teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 736 d
Caro (*Joannes Baptiſta*) *familiaris S. Thomæ à Villanova & viſitator diœceſios* 811 e, 856 f, 860 c, 866 e, 882 b, 885 b, 925 c d e
Caro (*Melchior*) *epiſcopus* 870 a. *Vide* Cano Melchior
Carolomannus *Bavariæ & Italiæ rex* 794 d, 795 d
Carolomannus *Bavariæ rex* 108 c d
Carolomannus *Ludovici Germaniæ regis filius, poſtea Bajoariæ rex* 343 b
Carolomannus *Major-domûs Auſtraſiæ* 518 f, 539 d
† Carolus Borromæus *archiepiſcopus Mediolanenſis, S. R. E. Cardinalis* 9 e, 491 e, 493 d e f, 494 a & ſeqq., 495 a c d, 496 b c, 775 d, 778 a
Carolus *Magnus imperator* 83 e, 107 c, 108 c d, 109 b c, 542 a d e, 601 d e
Carolus *Calvus Francorum rex, & imperator* 15 c d, 17 c d, 108 b, 113 a b, 542 e
Carolus *Craſſus imperator* 63 e, 108 f, 109 a, 509 b, 793 b c d e, 794 d e f, 795 b c d e f, 796 a & ſeqq., 797 a c d e f, 798 a
Carolus IV *imperator* 263 b, 571 e
Carolus V *imperator* 741 d, 747 b c d f, 748 a b, 810 c, 811 b c d e, 814 e f, 815 a c d, 816 f, 817 a, 826 d, 827 a b, 828 b, 829 e f, 832 b, 835 c, 846 a, 848 c d e, 853 d, 854 f, 855 f, 860 c, 861 d, 866 f, 867 a d, 868 e, 869 c d e f, 871 e f, 872 a b c d e, 873 a b c d, 874 b c e, 875 b c e, 876 a, 893 b, 903 a & ſeqq., 904 a b, 941 d, 948 e f, 949 a b, 950 d, 968 d e
Carolus *Simplex Francorum rex* 17 f, 18 b c, 74 e, 542 e
Carolus VII *Galliæ rex* 449 e f, 450 a, 453 f, 454 a d, 460 a e
Carolus *Hiſpaniæ princeps, Philippi II regis filius* 846 f
Carolus *Martellus Major-domûs Franciæ* 542 a d e, 543 b, 545 f, 597 a, 601 e, 602 b
Carolus Emmanuel *Sabaudiæ dux* 1031 f, 1032 a
† Carpophorus *martyr* 249 e f, 311 f, 312 b
Carrion (*Eleonora de*) *per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam inducta* 850 c
Carrion (*Petrus de*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 806 f
Carroz (*Hieronymus*) *canonicus eccleſiæ Valentinæ* 880 a b, 899 d, 954 e
Caſallius (*Bernardinus*) *ſacrorum Rituum Congregationis ſecretarius* 749 c, 751 b

Ca-

Caſanate (*Hieronymus*) *S. R. E. Cardinalis* 728 f
Caſatus (*Horatius*) *ceremoniarum magiſter, deinde canonicus Mediolanenſis* 10 e
Caſimirus *abbas Olivenſis, Ordinis Ciſtercienſis, inter Prætermiſſos* 465 f
Caſtellanos (*Garcias*) *avus Maternus S. Thomæ à Villanova* 802 b, 835 f, 836 a b
Caſtellanos (*Lucia Martinez*) *mater S. Thomæ à Villanova* 802 c d e f, 803 a b c d f, 804 d e f, 825 d e, 827 f, 828 e f, 829 a c, 832 a, 834 b c d, 835 b f, 836 a & ſeqq., 837 a b c d, 838 a & ſeqq., 839 a, 840 a b c, 841 c d, 842 a b, 876 d e, 901 e f, 902 a, 904 c d, 909 a, 967 e
Caſtellione (*Maria de*) *probabiliùs mater B. Ludovici Alamandi* 440 a
Caſtillo (*Alphonſus del*) *per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam & ad eccleſiaſticum ſtatum inductus* 850 a
Caſtillo (*Alphonſus del*) *edidit Vitam S. Thomæ à Villanova* 800 e
Caſtillo (*Juliana del*) *per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam inducta* 850 c
Caſtillionæus (*Bonaventura*) *præpoſitus eccleſiæ Ambroſianæ Mediolani* 776 c
Caſtinus *commentitius epiſcopus Byſantinus* 259 c d e
† Caſtor, *inter Prætermiſſos* 756 d, 758 c
Caſtro (*Eleonora de*) *illuſtris virgo, per S. Thomam à Villanova ad vitam monaſticam incenſa* 851 b
Caſtro (*Franciſca de*) *illuſtris virgo, per S. Thomam à Villanova ad vitam monaſticam incenſa* 851 b
Caſtro (*Joannes de*) *Eremita Auguſtinianus, diſcipulus S. Thomæ à Villanova* 854 b
Caſtro (*Maria de*) *matrona locuples, per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam inducta* 850 b c
Caſtro (*Michaël de*) *archiepiſcopus Ulyſſiponenſis* 353 f
Caſtro-Verde (*Ferdinandus*) *Eremita Auguſtinianus epiſcopus Giennenſis* 867 d e f, 868 a
Caſtro-Verde (*Franciſcus de*) *Eremita Auguſtinianus, Philippi II, & III, Hiſpaniæ regum concionator* 867 e
Caſtulus *vir nobilis Viennenſis, catechumenus, condidit eccleſiam S. Ferreolo martyri* 760 e, 761 e, 763 d e, 764 c, 767 a
Catalan (*Dominicus*) *notarius Cæſarauguſtanus, teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 736 d
Cathalani (*Michaël Angelus*) *aſſiſtens Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci* 1020 b
Cathari *hæretici in Germania* 673 c, 695 b d e
† Catharina *Senenſis virgo* 136 a, 138 a, 179 c, 996 b c d, 1016 a, 1017 a
† Catharinæ *reliquiæ Caſini* 419 c
Catharina *Auſtriaca, Caroli Emmanuelis Sabaudiæ ducis conjux* 1032 a
Catharina Queveda *virgo Ordinis S. Claræ, inter Prætermiſſos* 758 c
Cavalerius (*Jacobus*) *auditor Rotæ Romanæ* 748 c
Caxate (*Antonia de*) *uxor Nicolai marchionis Pallavicini* 119 d e f
† Celſi *reliquiæ Caſini* 419 c
† Celſini *epiſcopi Tullenſis corpus inventum* 60 d e f, 61 a
Cencius *conſul Romanus* 429 e, 430 f
† Centinæ *martyris tranſlatio, inter Prætermiſſos* 758 e f, 759 a
Centinus (*Felix*) *S. R. E. presbyter Cardinalis Aſculanus* 723 a
Cerrus (*Antonius*) *promotor Fidei* 748 e
Cerrutus *notarius confecit inſtrumentum de capitibus SS. Victoris & Satyri* 495 d e f
Chanorrie (*Bartholomæus*) *rector eccleſiæ S. Valeriani Trenorchienſis* 19 d
Chapelle de Jumelhac (*Joannes Joſephus*) *archiepiſcopus Arelatenſis, juſſit viſitari corpus B. Ludovici Alamandi & in ejus Acta inquiri* 437 f, 457 f
† Charalampus *cum Sociis, inter Prætermiſſos* 463 a
Chardon (*Mauritius*) *Societatis Jeſu ſacerdos, de Muſeo noſtro optimè meritus* 195 c
† Charitas *V. M., inter Prætermiſſos* 249 e, 463 b
Chiffletius (*Petrus Franciſcus*) *Societatis Jeſu preſbyter, de Muſeo noſtro bene meritus* 479 c, 480 e f, 788 e
Childebertus III *Francorum rex* 511 e, 601 e, 617 b f
Childebrandus *filius Pippini Heriſtalli ex Alpaïde* 543 b
Childericus II *Auſtraſiæ rex, deinde monarchæ* 88 f, 512 f, 513 a e, 516 c d, 517 e, 524 d, 525 e f, 526 a, 528 a b d e f, 532 d, 545 a, 553 a, 574 f, 575 a, 576 b, 583 e f, 584 a b, 591 d f, 592 a c d, 593 e, 604 f, 605 a c f, 606 a, 607 e f, 788 f, 789 a b
Childericus III *Francorum rex* 531 d, 788 f, 789 a b
† Chilianus *ſeu* Kilianus, *epiſcopus martyr* 544 e f
Chilpericus I *Francorum rex* 784 a b c d
Chiſius (*Fabius*) *S. R. E. Cardinalis* 1008 f. *Vide* Alexander VII Papa
Chiſius (*Flavius*) *S. R. E. Cardinalis* 749 a b, 976 a, 1011 a b
† Chorentus *martyr, inter Prætermiſſos* 250 e f
† Chriſancti *reliquiæ Caſini* 415 b
Chriſtannus *monachus Benedictinus, S. Ludmillæ, Bohemiæ ducisſæ martyris, pronepos & biographus* 340 c d e f, 341 a b c d e, 354 & ſeqq.,
Chriſti *Domini Sanguinis, Crucis, ſpineæ coronæ, ſpongiæ & veſtium reliquiæ Caſini* 415 c e, 425 f. *S. Crucis Leodii* 559 d f, 560 a
Chriſtianus *biographus S. Ludmillæ. Vide* Chriſtannus
Chriſtianus *primùm intruſus ſchiſmaticus, deinde legitimus archiepiſcopus Moguntinus* 666 a f, 667 a f, 668 a & ſeqq., 669 a b, 697 b c, 699 a, 700 f
Chriſtianus *de Armannis, Ordinis Prædicatorum, inter Prætermiſſos* 4 c
† Chriſtophori *reliquiæ Caſini* 415 c
† Chriſtophorus *martyr in Hiſpania* 105 d
Chriſtophorus à S. Martino, *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, miſſionarius in Mexico* 812 b, 813 c
Chrodobertus *abbas Gemmeticenſis* 93 b
Chroduinus *abbas Tabuleienſis* 514 b
Cilinia *mater S. Remigii, Remorum epiſcopi* 330 b c d, 522 c d
Ciſtercienſes *per litteras conſulunt S. Hildegardem & ab ea monita recipiunt* 638 c
† Clara *virgo Ordinis S. Franciſci* 465 b
Clara *virgo Ordinis S. Claræ, inter Prætermiſſos* 465 a b c d e
Clara Bugia *virgo Ordinis S. Claræ, inter Prætermiſſos* 465 f, 466 a
Clara *ædituus eccleſiæ Valentinæ* 899 c
† Clarus *abbas Viennenſis* 762 d e
Claudius II *imperator* 470 f, 471 a, 472 c, 474 c d e f, 475 a & ſeqq., 476 e

Cla-

Claverius (*Bonaventura*) *ex Ordine Minorum Conventualium S. Franciſci epiſcopus Potentinus* 997 e f, 998 b c, 1001 d f, 1002 a b, 1004 f, 1011 f, 1025 f, 1036 f
† Clemens *Papa martyr* 397 c, 596 f. *Ejus corpus inventum & Romam delatum* 358 a
Clemens III *Papa* 135 a
Clemens V *Papa* 678 f
Clemens VII *Papa* 436 c e f, 437 e, 438 d f, 457 e
Clemens VIII *Papa* 122 f, 261 c, 619 c, 720 a, 860 e, 863 d
Clemens IX *Papa* 180 a e, 1036 f
Clemens X *Papa* 127 b c, 128 d, 179 e f, 180 a e, 186 c, 485 b, 995 f
Clemens XI *Papa* 179 a, 180 a e, 186 d, 1007 c, 1012 e f, 1039 e, 1044 b, 1046 d
Clemens XII *Papa* 123 a, 127 b, 129 d, 131 a, 132 b, 175 f, 176 a b c d, 177 e, 180 b e, 181 d e f, 182, 183, 184, 185, 186, 187, 188 a, 190 b, 1012 f, 1013 a, 1014 b, 1044 b, 1046 d
Clemens III *antipapa. Vide* Guibertus archiepiſcopus Ravennas.
Clemens *epiſcopus, inter Prætermiſſos* 4 d
Clemens *abbas S. Victoris Mediolani, aſſiſtit tranſlationi corporum SS. Victoris & Satyri &c* 494 e, 495 b
Clodoveus *Magnus Francorum rex* 329 b, 331 b f, 332 d
Clodoveus II *Francorum rex* 90 e, 526 a b, 591 d, 593 e, 604 f, 605 c e f, 607 e
Clodoveus III *Francorum rex* 526 c
Clodoveus *ementitus filius Clotharii III* 528 e, 607 f
† Clodulphus *epiſcopus Metenſis* 597 a 599 c
Clotharius II *Francorum rex* 100 f, 102 b d, 589 c, 590 f
Clotharius III *Francorum rex* 88 e, 528 d e, 607 f
Clotharius IV *in regnum Francorum intruſus* 100 c
Cobos (*Franciſcus de los*) *commendator major Legionis* 873 b d
Coccinus (*Joannes Baptiſta*) *Auditor Rotæ Romanæ* 748 b c, 801 a b e, 824 b, 960 d
Cochapanus (*Bartholomæus*) *epiſcopus Ariminenſis eccleſiam S. Innocentiæ V. M. à fundamentis reſtaurat* 311 e f
Colloredus (*Leander*) *S. R. E. Cardinalis* 729 a
Colmenares (*Joannes de*) *Ordinis S. Bernardi, abbas Daquilar, inquiſitor generalis Aragoniæ* 738 d
Colum (*Chriſtophorus*) *doctor, viſitator diœceſis Valentinæ & commiſſarius in proceſſu de virtutibus & miraculis S. Thomæ de Villanova* 958 f, 959 b
† Columba *abbas in Scotia* 320 d
† Columba *virgo martyr Cordubæ* 103 a c
† Columba *virgo martyr Senonenſis cum Cordubenſi perperam confuſa* 618 d e f, 619 a b c d
† Columba *Conimbricenſis* 619 f
Columba *virgo Archenſis* 619 f
Columba *virgo Interamnenſis* 619 f
Columba *virgo Tauragienſis* 619 f
† Columbanus, *Luxovienſis, deinde Bobienſis abbas* 511 f, 514 a, 515 c
Columbanus *epiſcopus, inter Prætermiſſos* 759 b
Columna (*Hieronymus*) *S. R. E. Cardinalis* 971 f
Comitia *imperii Francofordienſia* 449 c d
Comitia *principum imperii Moguntiæ* 445 a, 446 c, 448 f, 449 a b
Concilia. Aquilejenſe *anni* CCCLXXXI, 502 c. *Conciliabulum* Aquilejenſe *circa annum* DCXCVIII, 541 a c. *Concilium* Arelatenſe I *anno* CCCXIV, 777 a f, 778 a. Aurelianenſe I *anno* DXI, 329 b c, 330 f, 331 a. Aurelianenſe V *anno* DXLIX, 784 b. Baſileenſe *anno* MCDXXXI & ſeqq., 137 a, 437 c, 438 c f, 439 a, 440 e f, 442 a c d e, 443 a & ſeqq., 444, 445, 446, 447, 448, 449, 450, 451 b c d e, 452 a b c e f, 453, 454, 455, 446 a b c d, 458 a b c, 459, 460 b c. Beneventanum *ſub Nicolao II Papa* 386 a. Beneventana *ſub B. Victore III Papa* 374 f, 376 f, 377 a, 378 b, 398 e f, 399 b, 432 e f, 433 a b c d e. Capuana 374 f, 430 f. Chalcedonenſe *anni* CDLI, 252 b c, 254 a b f, 255 a e, 257 a & ſeqq., 258 a, 277 c, 278 d, 279 c. Conſtantienſe *ab anno* MCDXIV, 106 e, 440 c e f, 442 c, 451 a d, 452 a b. Conſtantinopolitanum *conciliabulum Arianorum anno* CCCLX, 39 e, 43 c. Conſtantinopolitanum V *œcumenicum anno* DLIII, 54 c d. Ferrarienſe *anni* MCDXXXVIII, 443 c d, 444 d, 453 f, 454 d, 460 b. Florentinum *ſub Victore II Papa* 381 f. Florentinum *ſub Eugenio IV Papa* 446 c, 447 a, 452 f, 453 a f, 454 d, 460 b. Lateranenſia *anni* MLIX, 385 f, 386 a; *anni* MCLXXIX, 388 e, 697 c; *anni* MCCXV 120 e, 568 a. Limanum I *provinciale* 834 f. Matiſconenſe *anni* DLXXXV, 784 e. Mediolanenſe IV *ſub S. Carolo Borromæo* 778 a. Melphitanum *anni* MLIX 386 a b c, 407 d. Nicænum I 39 e, 40 c. Nicænum II 265 b. Papienſe *conciliabulum* 643 c. Piſanum *anni* MCDIX, 440 c e f, 452 a. Remenſe *anni* MCXLVIII, 636 c d, 637 c, 656 d, 680 e, 681 a. Romana *anni* CCCXIII, 777 a; *anni* MLIX, 425 b; *anni* MLXX, 411 e, 414 a; *anni* MLXXVIII, 394 d e; *anni* MLXXX, 393 a; *anni* MLXXXIV, 395 e. Rotomagenſe 789 a b. Sardicenſe *anni* CCCXLVII, 777 b. Senenſe, 441 c, 442 a c d. Tarraconenſe *provinciale* 834 f. Trevirenſe *ſub Eugenio III Papa* 636 d e f, 637 a d e, 673 e, 676 c. Tridentinum *œcumenicum* 816 f, 817 a b c, 855 f, 856 a, 857 c, 861 c, 891 a, 892 e f, 893 a. Valentina *diœceſana anni* MDXLV *ſub S. Thoma à Villanova* 818 a b c, 830 a, 886 b e f, 887 a; *anni* MDXLVIII *ſub eodem* 818 c d; *ſub Martino Ayala* 818 b c, 828 d, 890 f, 891 a
† Concordia *martyr Romæ* 470 c, 471 e f, 472 a
Conſidatus (*Alphonſus*) *ſacræ inquiſitionis vicarius Aſſiſii* 1005 d
Cono *vel* Cuno *abbas montis S. Diſibodi* 632 c, 633 b f, 634 f, 644 e f, 645 a, 657 d, 680 f, 681 b, 686 f, 687 e
Conradus I *imperator* 108 f
Conradus III *Romanorum rex* 633 f, 638 c, 639 f, 640 a b, 675 c, 699 d
Conradus *archiepiſcopus Moguntinus* 666 f, 669 a
Conradus I *epiſcopus Wormatienſis ſcribit ad S. Hildegardem* 643 f, 644 a
Conradus *abbas de* Keisheim *vel* Reisheim *ſcripſit ad S. Hildegardem* 645 d e
Conſtans *imperator* 777 a
Conſtans *epiſcopus Venuſinus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
† Conſtantia *martyr, inter Prætermiſſos* 4 f, 758 c, 759 c
Conſtantia *Auſtriaca, regina Poloniæ* 1037 a
Conſtantia *Caſtellæ regina* 14 d, 19 a
† Conſtantinus, *aliàs* Conſtantius *aut* Conſtantia *martyr Nuceriæ, inter Prætermiſſos* 466 e

† Conſtantinus *epiſcopus Bellovacenſis* 83 f, 98 a e f, 99 a
Conſtantinus *Papa* 538 b
Conſtantinus *Magnus imperator* 258 e, 260 c, 598 d, 599 e, 770 a, 777 a, 778 b c d e f, 779 a f
Conſtantinus *Copronymus imperator Orientis* 258 e, 259 f, 260 a b c d, 278 e f, 279 c, 280 a, 283 a
Conſtantinus VII *imperator Orientis* 259 f, 260 a b d, 280 d, 281 f, 282 a, 283 a
Conſtantinus *Porphyrogenitus imperator Orientis* 114 a
Conſtantinus *epiſcopus Tienſis, ſcriptor Inventionis corporis S. Euphemiæ V. M. Chalcedonenſis* 266 d e, 274 f, 275 & ſeqq.
† Conſtantius *martyr, inter Prætermiſſos* 4 e f
† Conſtantius & Socii *martyres Thebæi, inter Prætermiſſos* 759 e
Conſtantius *Chlorus Cæſar, poſtea imperator* 298 a, 319 c d
Conſtantius *imperator* 778 d
† Convuldus *monachus ſeculo* v, 49 a b, 51 e f
Conzi (*Franciſcus de*) *archiepiſcopus Narbonenſis, & Avenionenſium Legatus* 441 a
† Corbinianus *primus epiſcopus Friſingenſis* 544 e f
† Cornelius *Papa martyr, inter Prætermiſſos* 250 a, 756 d. *Ejus reliquiæ Caſini* 415 d e
Cornelius (*Federicus junior*) *S. R. E. Cardinalis* 822 c, 963 f, 964 a, 971 b
Cornelius (*Flaminius*) *nobilis vir, ſenator Venetus* 758 f, 759 a
† Corona *martyr, inter Prætermiſſos* 756 a b
Correto (*Petrus à*) *Regens collegii S. Bonaventuræ Romæ* 1001 f
Corſignanus (*Petrus Antonius*) *Valvenſis & Sulmonenſis epiſcopus, ſcripſit contra Pinium de Actis SS. Simplicii, Conſtantii & Victoriani, & refutatur* 756 e f, 757 a & ſeqq., 758 a
Corſinus (*Nerius*) *S. R. E. Cardinalis* 187 c
Corſwaremia (*Jacobus de*) *canonicus Leodienſis* 564 f, 566 a b
Coruña (*Auguſtinus de*) *Eremita Auguſtinianus, miſſionarius in Mexico, deinde epiſcopus Popajanenſis* 812 c, 867 d f
Coſmas *decanus Pragenſis* 353 c d e
Coſmus II *magnus dux Hetruriæ* 1036 f
Crathlintus *Scotorum rex* 319 c
Creſcens *ſeu* Creſcentius, *conſul Romanus, ab Ottone III imperatore occiſus* 304 b
Creſcentianus *epiſcopus Caſtellanus corpora SS. Marciani & Joannis martyrum in civitatem transfert* 300 b, 303 b, 305 f, 306 a & ſeqq., 307 b
Criſpinus *præſes Viennæ in Gallia* 760 f, 761 a b c d, 764 f, 765 a b c d, 766 b c d e, 767 d
† Criſpus *presbyter Romæ corpora ſanctorum martyrum ſepelit* 293 f, 294 a
† Crocus *martyr, inter Prætermiſſos* 2 c
Crocus II *Bohemiæ princeps* 340 a, 357 e
Croſina *idolum in Bohemia* 344 f, 345 a, 346 d
Crotis (*Petrus de*) *vicarius B. Ludovici Alamandi in abbatia S. Petri de Turribus* 441 a
Cruce (*Rodulphus della*) *primicerius Mediolanenſis, delegatus à S. Carolo Borromæo in cauſa tranſlationis corporum SS. Victoris & Satyri* 494 b c
Crucianus (*Joannes Baptiſta*) *tertii Ordinis S. Franciſci presbyter, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1001 d, 1002 a b
Cruzat (*Auguſtinus*) *Prior conventus Toletani Eremitarum S. Auguſtini* 809 d
Cruzate (*Joannes*) *Eremita Auguſtinianus, miſſionarius in Mexico* 812 b, 813 c
Cuevas (*Franciſcus de*) *per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam & ad eccleſiaſticum ſtatum inductus* 850 a
Culdei *in Scotia* 319 c, 323 e
Cumia *interfector S. Ludmillæ, duciſſæ Bohemiæ* 349 d e f, 359 e f, 360 a f, 361 a b c
† Cunibertus *epiſcopus Colonienſis* 521 f, 589 d, 591 a, 603 e
Curtius (*Cornelius*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, edidit elogium S. Thomæ à Villanova* 800 e
† Cyprianus *epiſcopus Carthaginenſis martyr, inter Prætermiſſos* 250 a, 756 d. *Ejus reliquiæ Caſini* 415 d e
† Cyriaca *vidua martyr Romæ* 470 b, 471 e, 472 d, 476 a
† Cyriaci *reliquiæ Caſini* 415 b
† Cyriaci *diaconi reliquiæ Caſini* 415 e
† Cyrilla *filia Decii imperatoris* 470 c, 472 b c
Cyrillianus *commentitius epiſcopus Bizantinus* 259 d e
† Cyrillus *Slavorum apoſtolus* 339 c, 341 c d, 342 c f, 346 d, 355 b c d, 357 a b, 358 a
† Cyrillus *epiſcopus Gortynenſis martyr* 787 b d e
† Cyrini *martyris reliquiæ Caſini* 415 d e
† Cyrinus *martyr, inter Prætermiſſos* 2 c

D

DAces *curatrix linteaminis S. Thomæ à Villanova* 831 e
Da Cunha (*Rodericus*) *archiepiſcopus Bracharenſis* 251 d e
Dado *epiſcopus Virdunenſis* 509 a b
Dagobertus I *Francorum rex* 63 d, 316 c, 521 f, 522 a, 589 c, 590 f, 593 e, 603 e
Dagobertus II *Francorum rex* 100 d, 532 e, 533 a
† Damaſus *Papa* 323 f, 324 a
Dandulo (*Andreas*) *Venetorum dux* 464 c d
Dandulo (*Dominicus*) *corpus S. Taraſii patriarchæ Conſtantinopolitani Venetias vehit* 464 c
Dandulo (*Henricus*) *Venetorum dux* 464 c
Daniel *presbyter teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 697 f
† Dariæ *reliquiæ Caſini* 415 b
Datto *epiſcopus Oſtunenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
David *rex pſalmiſta* 591 e, 592 e f, 594 c
David II *Scotorum rex* 327 e
David (*Alphonſus*) *Prior conventus Valliſoletani Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 863 d
Debbora *prophetiſſa* 686 e, 687 e
Decius *imperator* 470 c e, 474 c, 475 e f, 768 c, 769 f
Decoratus *diaconus martyr cum Sociis, inter Prætermiſſos* 4 d
Deodatus (*Andreas*) *abbas Caſinenſis, deinde archiepiſcopus Roſſanenſis, elevavit corpus B. Victoris III Papæ* 400 a
† Deogratias *epiſcopus Carthaginenſis* 50 b
Deſa (*Felix*) *pater B. Joſephi à Cupertino* 993 d e, 994 b c, 1015 b, 1016 a c
Deſa (*Franciſchinus*) *Ordinis Minorum Conventualium, patruus B. Joſephi à Cupertino* 994 a b, 1015 d f, 1016 a
† Deſiderius *epiſcopus & martyr, inter Prætermiſſos* 466 d
Deſiderius *Longobardorum rex* 10 f

Deſiderius Nataſis *epiſcopus Panadenſis recognovit corpora S. Orannæ & Sociæ ejus* 116 e f, 117 a
Deti (*Joannes Baptiſta*) *epiſcopus Caſtrenſis* 994 e, 1016 e 1017 b
Deytha *conjux Arnulphi imperatoris. Vide* Luitgarda
Dido *epiſcopus Pictavienſis* 88 e f
Diez (*Franciſcus*) *canonicus Compoſtellanus, in inſtrumento donationis reliquiarum S. Mamiliani* 47 e
† Digna *virgo ſanctimonialis Tabanenſis & martyr* 620 f
Diocletianus *imperator* 31 a, 198 b, 253 b d e, 255 b c, 266 c, 287 b c e, 288 c d e f, 289 b & ſeqq., 290 a & ſeqq., 293 b c, 295 b c d f, 296 a b c, 297 a & ſeqq., 298 a b c, 300 e f, 301 a b c, 302 b, 306 d, 310 c, 311 a c d, 477 c e f, 480 d, 481 a, 484 b, 508 a, 760 f, 764 f, 768 b c, 769 f, 770 b
† Dionyſii *epiſcopi martyris reliquiæ Caſini* 415 d, 419 c
† Dionyſius *Papæ martyr* 472 c
† Dionyſius *epiſcopus Mediolanenſis* 775 b, 776 e f, 777 b & ſeqq., 778 e, 779 e
Dioſcorus *hæreticus in concilio Chalcedonenſi damnatus* 277 c
† Diſibodus *fundator monaſterii ſui nominis* 632 c, 644 f, 655 a b, 696 b, 697 a
Dodechinus *abbas S. Diſibodi* 632 b
Dodo *auctor necis S. Lamberti epiſcopi & ſociorum* 539 a f, 540 a c d e f, 541 a b e f, 542 a f, 543 a & ſeqq., 544 a c d, 545 b, 546 a c, 548 e f, 551 a b c d, 572 f, 577 b c d e, 578 c, 579 e f, 581 b, 587 d f, 588 a d, 597 a c d e, 598 b c d e, 599 a c d, 600 d e, 601 e, 612 c e f, 613 a, 614 c f, 615 a & ſeq., 616 a b d f, 617 c e
† Dominici *imago Sorianenſis miraculis celebris, inter Prætermiſſos* 2 b
Dominicis (*Dominicus de*) *audiit poſtremam confeſſionem B. Rolandi de Medicis* 119 e f, 120 a b c d
† Dominicus *abbas* 390 d, 420 d, 422 d
† Dominicus *Loricatus* 422 d
Dominicus *epiſcopus Ambianenſis* 553 f
Dominicus Tſchudi *abbas monaſterii Murenſis in Helvetia* 196 a d e f, 199 a b, 202 c
Domitianus *imperator* 5 f, 21 e
† Domninus *martyr* 313 b d
Domninus *legatus Valentiniani II imperatoris ad Maximum tyrannum* 489 c d
Domnizo *presbyter, biographus Mathildis comitiſſæ* 430 c
† Domnolus *epiſcopus Cenomanenſis* 330 f
Donaldus I *Scotorum rex* 319 a b c, 320 b c
† Donatus *martyr, inter Prætermiſſos* 250 e f
† Donatus *monachus Benedictinus martyr, inter Prætermiſſos* 251 d
Donatus (*Joannes*) *Ordinis Minorum Conventualium, avunculus B. Joſephi à Cupertino* 994 a c d, 1016 b
Donatus (*Joannes*) *Ordinis Minorum Conventualium, nepos B. Joſephi à Cupertino* 1045 c
Donghius (*Joannes Stephanus*) *S. R. E. Cardinalis* 999 b, 1034 f
Donus I *Papa* 260 e f, 261 b
Dorothea *uxor marchionis Hieracii &c* 726 d e
Dragomira, *Wratiſlai I, Bohemiæ ducis uxor, impia mulier* 346 f, 347 b c, 349 b c d, 350 c d f, 351 a b, 354 f, 358 d, 359 a b d e f, 360 a c d, 361 a & ſeqq., 362 a b, 363 b c d
Dragut Araïx *famoſus pirata* 947 a, 948 a b
Drogo *archiepiſcopus Tarentinus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 a c
Drogo *epiſcopus Metenſis* 65 d
Drogo *epiſcopus Tullenſis* 56 d e, 57 c, 65 a, 74 f, 75 a b e, 76 d
Drogo *Pippini Heriſtalli ex Plectrude conjuge filius* 83 e, 597 a, 599 c, 612 c, 614 b
Druïdes *in Scotia* 319 c
Dullardus (*Joannes*) *decanus eccleſiæ Leodienſis* 567 d e
† Dunſtanus *epiſcopus Cantuarienſis* 367 c, 368 d e f, 369 a, 370 b c d e f, 371 a, 372 a
Durantius (*Vitalis*) *ſicarius B. Petri Arbueſii* 733 e f, 734 a b, 753 e f, 754 a b
Dyck (*Joannes de*) *ſacellanus Leodienſis* 564 f

E

† EBerhardus *epiſcopus Salisburgenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 643 c d e
Eberhardus *epiſcopus Bambergenſis conſulit S. Hildegardem* 655 c d
Eberhardus *Cliviæ comes, pater S. Luthardi comitis* 106 a & ſeqq., 107 a b c e f, 108 a c e, 109 a b c d, 110 e, 111 f, 112 c d
Eberhardus *filius Adalberti, Alemanniæ ducis, fundator monaſterii Murbacenſis* 333 e f
Ebroïnus *major-domus Franciæ* 85 b, 91 c, 93 a b, 100 f, 526 c f, 528 d e f, 529 a b c, 531 d, 532 a d e f, 533 a, 576 e, 584 b, 592 c d, 606 a b, 607 f, 608 b, 611 c
Edelnothus *vel* Egelnotus, *archiepiſcopus Cantuarienſis* 372 d e
† Edgarus *Angliæ rex, S. Editha virginis pater* 364 a b c, 366 d e, 367 a & ſeqq., 368 a b d, 369 e, 370 a b, 371 f, 372 a
† Editha *Eduardi ſenioris, Anglorum regis filia* 365 d e f, 366 a b c d e f
† Editha *Edmundi, Anglorum regis filia* 365 d e, 366 d e f, 369 e, 371 d
† Editha *Ethelwolfi Anglorum regis filia vel ſoror* 365 c d e f, 368 b
Editha *uxor Ottonis I imperatoris* 365 c
Editha *S. Eduardi confeſſoris, Angliæ regis uxor* 367 f, 368 a
Edmundus *Anglorum rex* 365 d e
Ednothus *fortè* Edelnotus, *archiepiſcopus Cantuarienſis* 371 b, 372 d e
† Eduardus *Angliæ rex, martyr* 368 b c d, 370 b, 371 f
† Eduardus *confeſſor Angliæ rex* 367 f, 368 a
Eduardus I *ſenior, Anglorum rex* 365 d e, 366 a, 367 f
Eduardus I *aliàs IV Angliæ rex* 319 e
Egbertus *epiſcopus Trevirenſis, inter Prætermiſſos* 759 f
Egilolfus *pædagogus Ludovici Bavariæ regis* 108 a
Eginhardus *abbas Selingenſtadienſis reliquias SS. Petri & Marcellini donat eccleſiæ Trajectenſi* 567 b c
Egwina *Eduardi ſenioris, Anglorum regis, conjux* 366 a
Eldris (*Godemillus de*) *ſcholaſticus canonicus Leodienſis* 564 f
† Eleuſippus *inter Prætermiſſos* 755 b
† Eleutherius *epiſcopus Tornacenſis* 755 e
† Elias *propheta* 589 e, 597 b c, 598 e
† Eligius *epiſcopus Noviomagenſis* 592 a, 593 e
† Eliphii *reliquiæ aliò tranſlatæ* 75 f, 76 f, 77 a
† Eliſabetha *Schonaugienſis præpoſita* 636 b, 637 e,

e, 657 abcd
Elisabetha *regina Hispaniæ, Ferdinandi V regis uxor* 732 def, 738 ef, 739 a, 740 f, 753 a b, 754 e
Elisabetha *præfecta monasterii Tabanensis, soror S. Columbæ Cordubensis* 620 cd, 623 a b c f, 624 b
† Elisæus *propheta* 589 e
† Elphegus *episcopus Wintonienſis* 370 e
† Elpis *V. M. Vide* Spes
Elsa *magistra monialium in Monte S. Ruperti testis in examine virtutum &c. S. Hildegardis* 697 e, 700 cd
Embroniaco (*Joannes de*) *archiepiscopus Arelatensis* 437 c
† Emerentiana *V. M. inter Prætermissos* 249 a b, 250 f
† Emila *diaconus, martyr Cordubensis* 336 c, 338 c, 339 a, 756 d
† Emilianus *seu* Emila, *martyr Cordubensis, inter Prætermissos* 463 c. *Item* 618 a, 625 e
† Ennodius *episcopus Ticinensis* 252 def
Enzinas (*Ferdinandus*) *S. Thomæ à Villanova discipulus* 825 f, 828 a, 840 a
† Epaphras *discipulus S. Pauli apostoli* 468 ad
Epirechius *presbyter Trenorchiensis* 16 f, 17 ab
Episcopi CCCXVIII *concilii Nicæni, inter Prætermissos* 758 b
Erasmus *episcopus Signinus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a, 415 b
Erchempertus *monachus Casinensis, scriptor historicus* 426 f, 428 c
Eribertus *archiepiscopus Mediolanensis* 10 f, 11 ad
Erkembodo *episcopus Morinensis* 553 f
Ermena *mater S. Aichardi abbatis Gemmeticensis* 68 d f, 87 bcd, 88 cde, 100 f
Ervæus *archiepiscopus Capuanus* 421 cd, 423 a
Ervagindus *confessor, inter Prætermissos* 466 a
Esparsa (*Martinus*) *sacrorum rituum Congregationis consultor* 126 ef, 127 ab
Espes (*Catharina de*) *matrona Burgensis, per S. Thomam à Villanova ad sanctam vitam inducta* 850 d
Estaña *episcopus suffraganeus Valentinus* 885 d
Estatius (*Joannes*) *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico, & Peruvia, & Civitatis Angelorum episcopus* 813 bef, 867 af
Estrillus, *fortè* Eschillus, *Lundensis in Dania episcopus, inter Prætermissos* 756 a
Etheldredus *Angliæ rex* 368 f, 370 b, 371 f
† Ethelwoldus *episcopus Wintonienſis* 367 a, 369 ef, 370 a, 371 cde
Ethelwolfus *Anglorum rex* 365 cef, 368 b
Ethico *Alemanniæ dux, pater S. Odiliæ abbatissæ Hohenburgensis* 332 cf, 333 acd
Eudoxia *augusta, Arcadii imperatoris uxor* 258 f
Eudoxia *augusta, conjux Valentiniani III imperatoris* 49 d
Eudoxius *Arianus episcopus Antiochenus. Vide* Euzoïus
Everardus *Cliviæ comes. Vide* Eberhardus.
† Eugeniæ *reliquiæ Casini* 415 c
Eugenius III *Papa* 633 f, 634 a, 635 bc, 636 cdef, 637 abcde, 638 bc, 639 c, 641 e, 645 c, 673 e, 675 c, 676 c, 680 ef, 681 a, 684 e, 699 d
Eugenius IV *Papa* 438 c, 439 ab, 441 a, 442 bcde, 443 a & seqq., 445 df, 446 abcef, 447 a, 449 abcef, 450 cdef, 451 a & seqq., 452 abcdf, 453 abcf, 454 cde, 455 acdf, 458 bd, 459 ac, 460 abd
Eugenius *tyrannus* 490 c def, 491 a, 499 c, 508 d
Eugepius *vel* Eugippius *scriptor* 426 f, 428 b
† Eulogius *presbyter martyr, scripsit de martyribus sui temporis Cordubenſibus* 103 cdef, 104 b, 339 d, 618 ef, 619 c, 620 ab, 622 bf
† Euphemia *martyr Alexandriæ* 254 bcd, 265 f
† Euphemia *martyr Amisi* 254 d, 265 f, 266 a
† Euphemia *martyr Aquilejæ* 249 ef, 250 a, 254 d, 311 f, 312 abcde
† Euphemia *V. M. Auriæ in Gallæcia culta, fortè eadem cum Chalcedonenſi* 285 a & seqq., 286 abde
† Euphemia *martyr Camerini* 254 d
† Euphemia *V. M. Chalcedonenſis* 250 f
† Euphemia *martyr Constantinopoli* 254 e
† Euphemia *martyr, inter Prætermissos* 463 c
† Euphemia, *per Asterium episcopum Amasenum laudata, alia est à Chalcedonenſi virgine martyre* 263 f, 264 a & seqq., 265 a & seqq., 266 a, 283 cf, 284 a & seqq.,
† Euphemia *V. M., cujus corpus Vicentiæ honoratur, inter Prætermissos* 249 ef, 250 a
† Euphemia *abbatissa Bavarica* 254 d
Euphemia *augusta, Justini Thracis imperatoris conjux* 259 a
† Euphemiæ *corpus Molinis in Gallia* 283 b
Euphranor *antiquus pictor famosus* 283 c, 284 e
Euphrosyna *vidua, inter Prætermissos* 4 e
Euprepius, *ut fertur, filius S. Luciæ viduæ martyris Romæ* 288 d
Eustachius *comes Bonomienſis* 557 f
Eustachius *advocatus Hasbaniæ* 560 b
Eustatius, *inter Prætermissos* 4 f
† Eustorgius I *episcopus Mediolanenſis, inter Prætermissos* 466 de
† Eustorgius II *episcopus Mediolanenſis* 774 b, 776 d
† Eustorgius *martyr, inter Prætermissos* 758 a
† Eustorgius *presbyter martyr* 774 f
† Euticii *reliquiæ Casini* 415 de
Eutropia *vidua in Arvernia, inter Prætermissos* 3 abcde
Eutropius *episcopus, inter Prætermissos* 758 bc
Eutyches *hæresiarcha* 254 ab, 257 b
Eutychiani *hæretici* 257 abc
† Eutychius *martyr* 254 bc
Euzoïus *episcopus Antiochenus Arianus* 39 f, 40 a
Exotius *episcopus Lemovicenſis* 784 bc
Eztarrona (*Martinus de*) *Prior conventûs Salmanticenſis Eremitarum S. Augustini* 803 d. *Deinde Prior Burgenſis* 807 c, 808 c

F

† Fabianus *Papa* 62 f, 63 a
Fabianus Januenſis *Ordinis Eremitarum S. Augustini* 810 cd
Facchinettus (*Cæsar*) *episcopus Spoletanus, S. R. E. Cardinalis* 999 b, 1002 b, 1011 cde, 1034 f, 1036 f
Falco *monachus Trenorchienſis scriptor Passionis S. Valeriani* 14 bcd, 23 e, 25 e
Falco de Jaliniaco *benefactor monasterii Trenorchienſis* 19 a
† Fandilas *ex monacho Tabanenſi sacerdos monasterii S. Salvatoris & martyr* 620 f
Faramundus *episcopus Colonienſis* 529 cd, 531 f
Faramundus *invasor episcopatûs Trajectenſis* 528 b cf, 529 bc, 533 ab, 572 e, 575 a, 576 bc, 584 a, 585 e, 592 e, 594 ac, 596 e, 606 b, 608

608 b c d, 610 a
Farnesius (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 308 b
† Faro *episcopus Meldensis* 592 a, 593 f
Faustus *consul Romanus* 331 a
Febeus *præfectus S. Spiritûs Romæ* 751 b
Federicus *de Portugallia archiepiscopus Cæsaraugustanus* 741 d
† Feliciani *martyris reliquiæ Casini* 415 d
† Felicissimi *reliquiæ Casini* 419 c
† Felicula *virgo martyr* 5 c e, 6 b d. *Ejus corpus Parmam translatum* 12 b
† Felix III *Papa, inter Prætermissos* 249 c
† Felix *martyr Romæ, inter Prætermissos* 249 c d, 250 e f
† Felix *martyr cum* Constantia, *inter Prætermissos* 4 f, 759 c
† Felix *à Cantalitio, Capucinus* 136 a b, 1007 c, 1039 a e
Ferdinandus *V Hispaniæ rex* 732 d e f, 738 e f, 739 a, 740 f, 747 d e, 753 a b c, 754 e
Ferdinandus *Castellæ princeps, deinde Aragoniæ & Siciliæ rex* 262 f, 263 a
Ferdinandus II, *Legionis & Gallæciæ rex* 286 b
Ferdinandus de Toledo *Prior conventûs Salmanticensis Eremitarum S. Augustini* 806 d, 807 b
Ferran (*Romæa*) *abavia B. Petri Arbuesii* 730 f
† Ferreoli *Vesontionensis reliquiæ* 762 f
† Ferreolus *episcopus Ucetiensis, inter Prætermissos* 755 b. *Item* 784 c
Ferrer (*Michaël*) *Prior canonicorum Regularium Cæsaraugustanorum* 732 d, 754 d
Ferrerius (*Joannes*) *archiepiscopus Arelatensis* 436 f, 437 a b
Ferrus *abbas Tremitensis* 387 c d, 412 a c
† Fidentius *martyr, inter Prætermissos* 4 f
† Fides *V. M., inter Prætermissos* 249 e, 463 b
† Filibertus *abbas Gemmeticensis & in Herio* 80 b, 84 a b c d e, 85 a b, 87 c f, 88 b f, 89 b c d, 90 a c d e f, 91 a & seqq., 93 a & seqq., 94 a, 95 b, 96 c, 99 b d f, 100 a c f, 101 a, 102 a d, 592 b, 593 f. *Ejus corpus translatum Trenorchium* 17 c e, 18 e f, 19 a b
† Fingar *martyr in Britannia* 755 e
Fiorenzius *archidiaconus Auximanus curavit funus B. Josephi à Cupertino* 1011 b
† Firminus *episcopus Ucetiensis* 784 c
Firminus *S. R. E. Cardinalis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 e
† Flaccus *martyr Tuderti, inter Prætermissos* 756 c
Flaccus *comes* 5 c e, 6 a b c d, 7 a c d
Flavianus *præfectus Romæ* 490 d f
† Flavii *corpus in monasterio Gemmeticensi* 83 f, 98 b f
Flisca *illustris familia Genuensis* 129 a b c, 131 e f, 132 a, 150 e, 151 f, 152 a e f
Flisca (*Limbania*) *soror S. Catharinæ Genuensis* 129 f, 133 f, 134 a, 151 b, 153 c d, 155 d, 182 f
Flisca (*Thomasa*) *vidua, monialis Ordinis S. Dominici* 154 e, 156 b c, 177 a
Fliscus (*Hugo*) *è comitibus Lavaniæ genitus* 129 b
Fliscus (*Jacobus*) *pater S. Catharinæ Genuensis* 123 c, 129 c, 130 a, 131 d e, 150 e f, 151 f, 152 e f, 180 b c, 182 c
Fliscus (*Jacobus*) *frater S. Catharinæ Genuensis* 129 f
Fliscus (*Ibletus*) *nobilis Genuensis* 132 a
Fliscus (*Joannes*) *frater S. Catharinæ Genuensis* 129 f
Fliscus (*Laurentius*) *frater S. Catharinæ Genuensis* 129 f
Flisscus (*Robertus*) *unus ex Majoribus S. Catharinæ Genuensis* 129 c, 150 e, 182 c
† Florebertus *episcopus Leodiensis* 548 d e, 570 f, 612 a. *Ejus corpus Leodii* 548 d e
† Florellus *vel* Floscellus *puer martyr, inter Prætermissos* 756 d
† Florentius *episcopus Arausicanus, inter Prætermissos* 467 a
Florentius *martyr, inter Prætermissos* 759 a
† Focæ *episcopi reliquiæ Casini* 415 e
† Focæ *reliquiæ Casini* 415 d
Forbin de Janson (*Jacobus du*) *archiepiscopus Arelatensis* 437 f
Foro-Sempronii (*Joannes Maria de*) *provincialis Capucinorum in Italia* 1006 f, 1007 a e
† Fortunati *martyris translatio, inter Prætermissos* 758 e f, 759 a
Fractenses *oppidani, Casinensibus infesti coercentur* 385 b c d e f, 407 b, 408 b
Francavilla (*Antonius*) *Provincialis Capucinorum, B. Josephum à Cupertino in tirocinium admisit* 994 a, 1016 f
Frances (*Jacobus*) *notarius Cæsaraugustanus, scripsit instrumentum de prodigio sanguinis B. Petri Arbuesii* 736 d, 737 e
Frances de Urrutigoyti (*Antonius*) *episcopus Turiasonensis* 744 e
Franchis (*Hieronymus de*) *episcopus Neritonensis* 994 c d e f, 1017 b
Franciscа *Aragonia, Joannnis Borgiæ ducis uxor* 353 f
† Franciscus *Assisias* 703 c e, 704 e, 723 a, 1017 f, 1019 b c. *Ejus stigmata, inter Prætermissos* 251 d, 466 f
† Franciscus Borgia, *dux Gandiæ, deinde Societatis Jesu* 950 d
† Franciscus *Salesius, episcopus Gebennensis* 128 a, 165 b, 167 d. *Ejusdem beatificatio* 750 d
Franciscus *archiepiscopus Narbonensis, Martini V Papæ camerarius* 441 c d
Franciscus Gambasiensis *Ordinis Eremitarum S. Augustini* 810 d
Franciscus Joannes *episcopus & princeps Constantiensis* 196 c
Franciscus à Cruce, *Eremita Augustinianus missionarius in Mexico* 812 b d f, 813 f
Franciscus de Nieva *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 813 b
Franco *archiepiscopus Rotomagensis* 80 f
Franco *episcopus Leodiensis* 519 f, 554 e f, 556 a
Franco *senior episcopus Cœnomanensis* 479 b
Fredericus *abbas Casinensis, deinde S. R. E. Cardinalis, ac denique Papa, Stephanus IX, aliis X dictus* 404 e, 405 d f
Fredericus I *Ænobarbus imperator* 303 d, 379 d, 380 b, 638 c, 640 a b, 642 a d e f, 643 a b d, 645 b, 648 b d, 665 e, 666 a f, 669 b d, 675 c, 699 d, 776 a, 779 d
Fredericus III, *aliis IV, imperator* 449 b c d e f, 456 a, 459 d, 460 b
Fredericus *Aragonius, Siciliæ rex* 709 d, 710 c
Freslon (*Andreas*) *Prior monasterii Melinæensis, adstitit translationi B. Reginaldi eremitæ* 626 f, 627 a b c
Fritigernes *Gothorum rex* 39 b c d, 40 c d, 41 d, 43 b c
Fritigildis *Marcomanorum regina ad Christum conversa* 357 a
Frontina *virgo à S. Sidonio Apollinare laudata* 61 f
Fronto *fortè avus S. Apri Tullensis episcopi* 61 e
Frotarius *episcopus Tullensis* 57 a, 64 a, 65 b c d, 76 b

76 b
Fuentes (*Petrus de*) *procurator fiscalis sacræ inquisitionis Cæsaraugustæ* 736 d
Fulbertus *episcopus Cameracensis* 83 b
Fulbertus *episcopus Carnotensis* 83 b
Fulbertus *monachus S. Audoëni apud Rotomagum, scriptor miraculorum ipsius, ac fortè biographus S. Aichardi abbatis Gemmeticensis* 83 b c d e
Fulchardus *abbas Montis S. Disibodi* 632 c
Fulgosia *familia illustris Genuensis* 131 e f
Fulgosius (*Paulus*) *nobilis Genuensis* 131 f, 132 a

G

GAïnas *Gothorum dux* 255 d
Gaitelgrima *Pandulfi II Beneventani principis filia* 380 f, 404 f
Gallego (*Joannes*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini multis muniis apud suos clarus* 807 d e, 808 a b, 861 a
Galliego (*Thomas*) *consanguineus S. Thomæ à Villanova* 829 d e
Gallienus *imperator* 470 f, 471 a, 475 f
Gallo (*Gregorius*) *professor sacræ Scripturæ Salmanticæ, deinde episcopus Orcelensis & Segoviensis* 868 e
†Gallus *abbas* 511 f, 514 a, 515 c
Gallus *imperator* 470 c e, 475 f
Gallus *comes Cabilonensis à S. Valerio martyre sanatus* 16 e f, 17 a
Gallus *iniquus infestator episcopatûs Trajectensis* 539 e f, 540 a & seqq., 542 b, 543 c e f, 544 a b c, 545 a b, 548 a b, 577 b, 578 d, 587 c d, 597 d e, 599 d f, 617 c d
Galterius *abbas Trenorchiensis* 18 c
Galterius *probabiliùs frater B. Ludovici Alamandi* 440 a b c d
Gamansius (*Joannes*) *Societatis Jesu presbyter, optimè meritus de Museo nostro* 110 a, 111 c, 295 b, 341 c, 472 e, 630 e, 763 c, 788 e, 794 b
Gamboa (*Franciscus*) *archiepiscopus Cæsaraugustanus* 744 b
Gandon (*Sylvanus*) *canonicus ecclesiæ S. Petri Andegavensis, adstitit translationi reliquiarum B. Reginaldi eremitæ* 626 f
Garnerius *monachus Trenorchiensis, scriptor Vitæ &c S. Valeriani martyris* 14 d e f, 15 a b, 27 & seqq., 29 a
Garnulphus *episcopus Tornacensis* 553 f
Garzia (*Agnes*) *amita S. Thomæ à Villanova* 803 d, 850 c, 851 c d
Garzia (*Alphonsus Thomas*) *pater S. Thomæ à Villanova* 802 c d e f, 803 a b c d f, 804 a & seqq., 825 d, 827 f, 828 e f, 829 a c, 834 c d, 835 f, 836 a b c, 837 c d, 838 a d f, 839 a, 840 a b, 841 c, 967 e
Garzia (*Joannes Thomas*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini, frater S. Thomæ à Villanova* 803 d
Garzia (*Martinus*) *canonicus Cæsaraugustanus, deinde episcopus Barcinonensis* 733 c, 736 b c, 738 c d
Garzia (*Petrus*) *parochus Castellanus, S. Thomæ à Villanova œconomus* 824 e, 832 c d, 944 f, 945 a
Garzia (*Sebastianus*) *procurator causæ beatificationis S. Thomæ à Villanova* 959 f
Gasbertus *archiepiscopus Arelatensis* 437 d, 456 e
Gaudianus, *inter Prætermissos* 466 a b
Gaufredus *Prior Vosiensis, scripsit gesta episcoporum Lemovicensium* 783 c e
Gauslenus *episcopus Matisconensis interfuit dedicationi monastrii Trenorchiensis* 18 d
†Gauzlinus *episcopus Tullensis* 55 b c, 56 c, 57 c, 64 b, 71 e, 73 d, 76 b, 78 e
Gebeno *Prior Eberbacensis, scriptor seculi* XIII, 675 a b c d
†Gebetrudis *abbatissæ Habendensis inventio, inter Prætermissos* 467 a d
Gebhardus *abbas Hirsaugiensis* 631 d e
Geiger (*Ludovicus*) *decanus collegiatæ ecclesiæ SS. Michaëlis & Petri Senioris Argentorati* 317 a b c d
Geila *incesta uxor Gozberti ducis* 544 e f
Geilo *abbas S. Filiberti* 15 c d, 17 c e, 18 c e f
†Gelasius I *Papa* 260 e
Gelasius II *Papa* 50 e
Geldolphus *abbas Brunvilarensis scribit ad S. Hildegardem* 693 d e f, 694 a e f, 695 d
†Geminianus *martyr, inter Prætermissos* 463 c
†Generosa *martyr, inter Prætermissos* 250 e f
†Genesius *ex mimo martyr* 37 f
Genesius *presbyter S. Nicomedis in concilio Romano sub S. Symmacho* 7 e
†Gengulphi *martyris reliquias impetrat S. Gerardus Tullensis episcopus* 77 b, 78 f
Genfericus *Wandalorum rex* 49 a d, 50 b, 54 e f, 423 e, 424 e
Gentilis (*Maria Francisca Xaveria*) *patritia Genuensis* 186 f
Genuenses *Saracenos in Africa ingenti clade afficiunt* 398 d e
†Georgii *martyris corpus ex Hispania in Galliam translatum* 103 b d
†Georgius *martyr* 481 a
Georgius *Austriacus, archiepiscopus Valentinus, deinde episcopus & princeps Leodiensis* 815 a b, 828 c, 872 a, 886 a b, 890 f, 927 e
Georgius *princeps Brunsvicensis & dux Hannoveræ* 999 c
Georgius de Avila *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 812 c
†Gerardus *episcopus Tullensis* 56 c e f, 57 c, 65 a b f, 66 a b, 76 f, 77 a & seqq., 78 e f, 79 a
Gerardus *monachus S. Apri corpus abscondit* 75 d e
†Gerasimus *abbas in Palæstina* 137 f
Gerebertus *episcopus Virdunensis* 511 b, 912 e
†Gerlacus *eremita* 663 b c
Gerlindis *mater S. Eugeniæ abbatissæ Hohenburgensis* 333 a d
†Germanus *patriarcha Constantinopolitanus* 275 a, 279 b
†Germanus *episcopus Parisiensis* 512 f
Germanus *abbas, inter Prætermissos* 466 b
Geroldus *abbas monasterii Murensis in Helvetia* 199 e, 200 c d e
†Gertrudis *abbatissa Nivellensis* 521 f, 589 c, 591 a, 596 f, 597 a, 599 c
†Gervasii *corpus à S. Ambrosio inventum* 489 f, 491 e, 493 a
Gilbertus *Porretanus episcopus Pictaviensis* 656 d
Ginettus (*Martius*) *S. R. E. Cardinalis* 749 c, 751 b, 966 a b
Giraldus *vel* Gerardus, *episcopus Ostiensis* 387 f
Girardus *archiepiscopus Sipontinus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Girardus *ex comitibus Marsorum, monachus Casinensis, præpositus S. Nicolai in Pica, ac denique abbas Casinensis* 420 f, 422 e
Girardus *consul Fundanus, benefactor monasterii Casinensis* 391 a, 420 e
Giroldis (*Abraham de*) *episcopus Cremonensis* 121 c

Gi-

Giſelbertus *abbas S. Vincentii in Prato Mediolani* 10 f
Giſloaldus *epiſcopus Virdunenſis* 511 b, 912 e
Giſulphus II *princeps Salernitanus* 377 d e, 394 a b, 397 f, 405 f, 407 e, 408 d e, 415 a, 416 d, 429 c f, 430 e, 431 a b
† Glyceriæ *V. M. corpus in inſula Lemno* 277 a c, 279 c
† Gobuldeus *monachus ſeculo* v, 49 d. *Ejus corpus Piſis* 48 c
† Godefridi *Cappenbergenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, reliquiarum depoſitio, inter Prætermiſſos* 249 a
Godefridus *Bullionius, poſtea Hieroſolymorum rex* 557 e, 559 b
Godefridus *Barbatus, Etruriæ & Lotharingiæ dux* 380 d, 410 d e, 411 c, 413 f
Godefridus *epiſcopus Ultrajectinus ſcribit ad S. Hildegardem* 663 d e
Godefridus *abbas incerti loci juſſit ſcribi Vitam S. Hildegardis* 630 a b, 679 c d e, 683 a b, 690 e f
Godefridus *monachus, primus biographus S. Hildegardis Bingianæ* 630 a b c d, 634 b c d e, 679 c d e, 683 b c, 699 b
Godeſchalcus *diaconus Leodienſis, biographus S. Lamberti epiſcopi* 518 b & ſeqq., 519 a b c d e, 520 e f, 521 a, 591 b, 601 d e, 602 f, 603 a
Godeſchaldi (*Theodoricus*) *canonicus Leodienſis* 565 b
Godinus *filius Warnacharii, Majoris-domûs Burgundiæ* 63 d
Godo *epiſcopus Tullenſis* 76 a
Goe (*Chriſtianus de*) *ſacellanus Leodienſis* 564 f
Goffridus *epiſcopus Averſanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Goffridus *epiſcopus Peruſinus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Goffridus *Monius, à B. Deſiderio abbate in feudum accipit caſtrum Suienſe* 424 d
† Golbodei *martyris corpus Romæ in eccleſia B. M. V. Montis Cœli* 46 d e
Gomo *interfector S. Ludmillæ, Bohemiæ duciſſæ* 349 d e f, 359 e f, 360 a f, 361 a b c
Gondebaldus *ementitus Clotarii I Francorum regis filius* 784 e
Gonterus *epiſcopus Spirenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 640 e
Gonzaga (*Carolus II*) *Mantuæ dux* 1036 f
Gonzaga (*Franciſcus*) *Miniſter Generalis Ordinis Minorum, deinde epiſcopus Mantuanus* 127 d
Gonzaga (*Franciſcus*) *epiſcopus Cephaleditanus viſitavit corpus B. Gandolphi* 724 a b
† Gordianus, *inter Prætermiſſos* 756 e
Gotcelinus, *monachus Benedictinus è monaſterio S. Bertini, fortè biographus S. Editha virginis* 365 a b c
† Gothardus *epiſcopus Moguntinus* 12 c
Gothi *Catholici ad Arianiſmum traducti* 39 c d e f, 40 a. *Imperium Orientis magna ſtrage afficiunt* 488 e
Gotiſredus *intruſus in archiepiſcopatum Mediolanenſem* 377 c
Græcorum *legati pro unione Eccleſiæ* 443 b d e, 446 c, 459 d, 460 b
Gran (*Antonius*) *ſicarius B. Petri Arbueſii* 733 e f, 734 a
Gratianus *imperator* 39 b, 41 e, 488 d f, 489 b, 499 c
Gratianus *S. R. E. Cardinalis* 429 a, 430 c
† Gregorius *Magnus Papa* 260 f, 298 e f, 307 e, 831 e
Gregorius II *Papa* 279 a
Gregorius IV *Papa* 472 e f, 473 d
Gregorius V *Papa* 304 e f
† Gregorius VII *Papa* 374 e, 375 f, 376 a b d e, 377 c e f, 387 a d e f, 390 c d, 391 f, 392 a b c d e, 393 a b, 394 a & ſeqq., 395 a & ſeqq., 396 a b f, 397 a b c d e, 398 a b c, 399 b c, 416 e, 420 b, 421 b c d e, 422 b c, 423 a d, 424 a d, 425 a b d e, 426 b, 427 a b c, 428 e f, 430 b c, 431 a d, 432 c d f, 433 a f, 434 e, 435 a
Gregorius IX *Papa* 630 f, 678 a b c, 700 c, 701 e
Gregorius XII *Papa* 440 f
Gregorius XIII *Papa* 294 a, 296 d, 299 e f, 300 a, 308 b & ſeqq., 309 a d e f, 387 c
Gregorius XV *Papa* 720 d e, 748 b c, 801 b, 963 a b c e f, 974 e
† Gregorius *Turonenſis epiſcopus* 761 e f, 762 a b d, 782 b
Gregorius *S. R. E. diaconus, legatus Pontificius ad principes regni* 430 c
Gregorius *patriarcha, inter Prætermiſſos* 251 a
Gregorius *Scotorum rex* 793 c, 794 c
Gregorius *conſul Romanus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 411 a
Gregorius *abbas S. Sophiæ Beneventi* 403 e
Gregorius Raynoldus *abbas S. Victoris Mediolani* 495 c
Grille d'Eſtoublon (*Jacobus de*) *vicarius generalis archiepiſcopi Arelatenſis viſitavit corpus B. Ludovici Alamandi, archiepiſcopi Arelatenſis & S. R. E. Cardinalis* 437 e f
Grille de Robiac (*Jacobus Henricus de*) *præfectus ſacrarii eccleſiæ metropolitanæ Arelatenſis, adſtitit viſitationi corporis B. Ludovici Alamandi* 437 e
Grimaldi *familia illuſtris Genuenſis* 131 e f
Grimo *abbas Tabuleienſis* 512 c d
Grimoaldus *Boiorum dux* 544 e
Grimoaldus *Pippini Heriſtalli & Plectrudis filius* 538 c d, 539 b c, 550 f, 551 a, 581 a, 597 a, 599 c, 601 c, 602 a b, 612 c, 614 b
Guaimarius IV *princeps Salernitanus* 380 f, 381 d, 382 c, 403 d e, 404 c f, 405 c, 407 e
Guarca *familia illuſtris Genuenſis* 131 e f
Guerente (*Petrus*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 810 d
† Guerrini *martyris tranſlatio, inter Prætermiſſos* 2 f
Guevara (*Didacus de*) *viſitator Ordinis S. Auguſtini, teſtis in Caſtellano proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 d, 835 a
Guevara (*Joannes de*) *à S. Thoma à Villanova in Ordinem Eremitarum S. Auguſtini admiſſus* 867 e f
Guibertus *archiepiſcopus Ravennas, antipapa, Clemens III dictus* 374 f, 375 b, 394 f, 395 a c d, 397 b c, 398 a d f, 424 c, 425 b, 429 b, 430 d, 431 a c d e f, 432 c d f, 433 a b
Guibertus *vel* Wibertus *monachus Gemblacenſis S. Hildegardem conſulit de variis quæſtionibus* 655 e f, 656 a, 674 f, 675 a, 682 c f, 683 a
† Guilielmus *abbas S. Benigni Divionenſis* 64 b
Guilielmus *& Socii martyres Tridentini, inter Prætermiſſos* 4 c
Guilielmus *epiſcopus Larinenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Guilielmus, *ſive* Guibertus *epiſcopus Rubbeſanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Guilielmus *epiſcopus Salpitanus* 389 d
Guilielmus *epiſcopus Teanenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Guilielmus *epiſcopus VI abbas Caſinenſis* 390 a

Guilielmus *à S. Amore* 676 e
Guilielmus *abbas Trenorchienſis* 19 a
Guinerannus *monachus, S. Apri corpus abſcondit* 75 d e
†Gundelindis *diſcipula S. Odiliæ abbatiſſa amitæ ſuæ, deinde abbatiſſa inferioris monaſterii ejuſdem S. Odiliæ* 333 b c d e, 334 c d, 335 f
Guntherus *archiepiſcopus Colonienſis* 106 d f, 107 a b c, 108 a, 109 a
†Gunthramnus *Burgundionum rex* 17 b c, 63 f, 784 d
Gutierres (*Andreas*) *vir locuples, per S. Thomam à Villanova ad ſanctam vitam inductus* 850 b c

H

HAbdarrahgman II *Saracenorum rex in Hiſpania* 338 e
Habdarrahgman III, *Saracenorum rex in Hiſpania* 104 d e f, 105 e, 338 f, 339 a d, 621 b, 625 e
Hadelheidis *abbatiſſa Ganderheimnenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 659 e
Han (*Chriſtophorus*) *parochus in Holtzheim, adfuit tranſlationi corporum SS. Einbettæ, Vorbettæ & Villbettæ virginum* 317 b
Haraldus *Danorum rex* 4 a
Harenbaure (*Joannes Joſephus*) *theſaurarius eccleſiæ metropolitanæ Arelatenſis, adſtitit viſitationi corporis B. Ludovici Alamandi* 437 e
Hartmannus *præpoſitus metropolitanæ Moguntinæ S. Hildegardem conſulit* 659 c
Hartradus *canonicus Bingienſis, teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 698 d
Hartvicus *epiſcopus Bremenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 639 f, 641 a b, 687 e
Haſtingus *Normanorum ſive Danorum dux* 84 e
Haug (*Grabriël*) *epiſcopus Tripolitanus, Argentoracenſis epiſcopi ſuffraganeus, tranſtulit corpora ſanctarum virginum Einbettæ, Vorbettæ & Villbettæ* 317 a b e
Hazart (*Cornelius*) *Societatis Jeſu presbyter* 974 b c
Hedwigis *monialis in Monte S. Ruperti examinata de virtutibus &c S. Hildegardis* 697 e, 698 a f, 700 e
Heldericus *præpoſitus S. Simeonis Trevirenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 659 c d
† Helena *imperatrix, inter Prætermiſſos* 2 c. *Item* 779 a f
Helingerus *abbas Montis S. Diſibodi* 654 e f, 655 a b, 657 d, 686 f, 687 e
Hembercourt (*Guido*) *obtinuit aliquas reliquias S. Lamberti epiſcopi* 565 a
Henanus *aut* Enanus *eremita in Hiſpania, inter Prætermiſſos* 756 b c
†Henricus II *imperator* 340 f
Henricus III *imperator* 416 e
Henricus IV *Germaniæ rex, poſtea imperator* 375 a b, 376 b e, 377 c e, 394 f, 395 a & ſeqq., 396 a, 398 c, 416 e, 423 c & ſeqq., 424 a b c d f, 425 a b d e, 427 a b, 430 c e, 431 c d e f, 432 c d, 433 a, 631 b, 679 f, 681 a
Henricus IV *Galliæ rex* 626 b
Henricus II *Angliæ rex fundator abbatiæ Melinæenſis* 626 b, 628 f, 629 d
Henricus VII *Angliæ rex* 327 e, 368 a
Henricus *archiepiſcopus Moguntinus* 633 b c f, 634 a, 639 c d e f, 641 a, 665 a, 680 d e, 682 a f
Henricus II *epiſcopus Leodienſis* 563 f, 564 a
Henricus *epiſcopus Pragenſis* 663 f
Henricus *epiſcopus de Bevez ſcribit ad S. Hildegardem* 644 c d
Henricus *dux Brabantiæ* 564 a
Henricus *comes Namurcenſis* 558 d, 561 b, 564 a
Henricus *comes Salmenſis* 561 e f, 562 b
Henricus *comes, benefactor monaſterii Caſinenſis* 396 c
Henricus *abbas monaſterii S. Mamiliani* 50 e
Henricus *archidiaconus & decanus Leodienſis* 520 b
Henricus *archidiaconus Leodienſis* 558 c d
Henricus *canonicus Bingienſis, teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 698 d
Henricus Calſtrius *Ordinis Prædicatorum, inter Prætermiſſos* 759 a
Heraclius *imperator* 258 b c, 275 b, 521 f, 522 a, 603 e
Heremannus *epiſcopus Salesberienſis* 365 b
†Heribertus *archiepiſcopus Colonienſis* 557 a, 573 b
Heribertus *archiepiſcopus Mediolanenſis. Vide* Eribertus.
Heribertus *præpoſitus virginum in Monte S. Ruperti prope Bingium* 635 d e
Herimannus *archiepiſcopus Colonienſis* 519 d e, 581 e, 582 c
Heriſplindis *mater S. Lamberti epiſcopi* 521 d e, 522 b, 575 f, 589 c, 603 d e
Herlindis *virgo, ſoror Egberti Trevirenſis epiſcopi & Arnulphi Hollandiæ comitis, inter Prætermiſſos* 759 b
Hermannus *epiſcopus Tullenſis* 60 f
†Hermetis *reliquiæ Caſini* 419 c
Hernandes *ſubœconomus S. Thomæ à Villanova* 832 c d, 944 e f
† Hernei, *abbatis Cenomanenſis corpus tranſlatum* 478 c, 479 a b
Herodes *Antipas, tetrarcha Galliléæ* 597 b c
Herodias *inceſta uxor Herodis Antipæ* 597 b c
Hervæus. *Vide* Erveus
Herveus III *abbas Trenorchienſis* 18 c, 26 b, 27 a
Hetto *abbas Augienſis, deinde epiſcopus Argentoracenſis* 333 c
†Hia *virgo martyr, inter Prætermiſſos* 755 e
†Hieremias *martyr Cordubenſis* 336 c, 338 c, 339 a, 618 a b, 625 e, 756 d. *Item inter Prætermiſſos* 463 c
†Hieremias *monachus Tabanenſis & martyr* 620 c d f, 623 a b, 624 b c
Hieronymus II *abbas Murenſis in Helvetia* 199 d
†Hilarii *reliquiæ Caſini* 415 d
Hilarion *monachus ſcripſit Vitam aliquam S. Satyri confeſſoris* 486 b c 508 a
†Hilarus *Papa* 783 e
Hildebertus *vir nobilis, pater S. Hildegardis virginis* 631 d, 680 a, 681 a
† Hildebrandus *S. R. E. Cardinalis, poſtea Pontifex* 387 a d e f, 389 e, 409 e f, 412 a, 420 b. *Vide* † Gregorius VII Papa.
Hildebrandus *archiepiſcopus Capuanus* 389 a, 411 e, 413 f, 414 a d e
Hildegarda *abbatiſſa Tigurina & Schwartenſis* 107 e f
Hilduinus *archiepiſcopus Mediolanenſis, inter Prætermiſſos* 4 b
Hillinus *archiepiſcopus Trevirenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 640 c d e
†Hiltrudis *virginis recluſæ Lætienſis elevatio, inter Prætermiſſos* 466 f. *Ejus reliquiæ Lætiis* 569 f, 570 a f
Hiltrudis *filia comitis Spanheimenſis, monialis in Monte S. Ruperti prope Bingium* 635 a
† Hippolitus *martyr Romæ* 470 b f, 471 e, 472 a b
Hitto *epiſcopus Friſingenſis reliquias S. Alexandri Pa-*

Papæ & Juſtini presbyteri martyris Româ Friſingam transfert 472 d e f, 473 c d
Hoelnoes (*Petrus de*) *canonicus Leodienſis* 566 a b
† Hoïldis *virginis Tranſlatio, inter Prætermiſſos* 463 a
Honegger (*Bonaventura*) *abbas Murenſis in Helvetia* 244 e
Honeſtus *epiſcopus Verolenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 a
Honofrius (*Antiochus*) *vicarius epiſcopi Auximani* 1011 a b
Honorius II *Papa* 307 e
Honorius III *Papa* 50 e
Horn (*Joannes de*) *epiſcopus Leodienſis* 565 e f, 566 e
Hoſes (*Joannes de*) *canonicus Carthaginenſis, ſubdelegatus Matriti in cauſa beatificationis S. Thomæ à Villanova* 960 b
Hoſtivitius *Bohemiæ dux* 357 e
† Hubertus *epiſcopus Leodienſis* 518 e f, 519 a, 526 f, 527 a, 531 d, 534 d e, 537 b & ſeq., 538 a & ſeqq., 539 a b c d, 545 c d, 546 c, 551 e f, 552 a & ſeqq., 553 a b c d e, 554 a b, 556 b e, 557 a, 563 d, 567 a e, 570 a, 573 c, 580 a b, 581 c d, 601 a, 604 f, 611 c d e f, 612 a e, 616 b c d, 617 e
† Hugo *archiepiſcopus Rotomagenſis* 83 e f, 98 a, 100 c d e. *Ejus corporis tranſlatio* 81 a & ſeqq.
† Hugo *abbas Cluniacenſis* 424 c, 425 b c
Hugo *archiepiſcopus Biſonticenſis benefactor monaſterii Trenorchienſis* 19 a
Hugo *archiepiſcopus Lugdunenſis* 375 f, 376 a & ſeqq., 377 a & ſeqq., 397 c, 398 b f, 399 a c, 428 e, 430 a b, 433 b c, 434 d e
Hugo II *epiſcopus Leodienſis* 549 f
Hugo *epiſcopus Toloſanus* 314 f
Hugo *monachus aut abbas Curiæ-Dei, inter Prætermiſſos* 759 a b
Hugo *filius Ethiconis, Alemanniæ ducis* 333 c
Hugo *Caroli Magni filius, abbas S. Medardi & Novalicenſis* 65 d e
Hugo *comes Cabilonenſis, epiſcopus Autiſſiodorenſis munificus in abbatiam Trenorchienſem* 18 d f
Hugo *filius Rainaldi comitis Barenſis* 558 a, 560 c d e f, 561 a e f, 562 a b c d
Hugo *Flaviniacenſis refutatus* 377 e f, 378 a b
Hugo *comes, benefactor monaſterii Caſinenſis* 392 b
Hugoninus *Alamandus Arbenai dominus, ſecundùm aliquos frater B. Ludovici Alamandi* 439 f
Humbertus *epiſcopus S. Rufinæ* 406 e
Humbertus *epiſcopus Sylvæ Candidæ* 404 a, 405 a
Humbertus *abbas Sublacenſis* 387 e f
Hungarorum *variæ irruptiones* 74 d e, 76 d, 79 a, 357 d
Hungus *Scotorum rex* 319 d e
Hunnorum *eruptiones* 604 e
Huraltus (*Jacobus*) *epiſcopus Auguſtodunenſis* 479 e
Hurtadus (*Joannes*) *Ordinis S. Dominici* 826 b, 845 f, 846 a b
Huſſitæ *hæretici in Bohemia* 340 a f, 459 d, 460 b

I

JAcob *patriarcha* 590 f
† Jacobi *apoſtoli reliquiæ Caſini* 415 b c d e, 419 c
Jacobus I *Aragoniæ rex* 730 f
Jacobus VI *Angliæ rex* 326 c
Jacobus IV *Scotorum rex* 327 e f. *Item inter Prætermiſſos* 758 c d
Jacobus *de Narnia, epiſcopus Cephaleditanus, ſcripſit Vitam B. Gandolphi, & corpus elevavit* 701 f, 702 a b c e, 703 a, 704 a d, 706 c d e, 709 d e f, 710 a b c, 720 b, 721 c d, 723 a b
Jacobus *aſceta, inter Prætermiſſos* 4 b
Jacobus *laïcus Ordinis Minorum, inter Prætermiſſos* 465 a
Jannellus *cum B. Deſiderio abbate paciſcitur de caſtello Saraceniſco* 424 c d
† Januarii *reliquiæ Caſini* 419 b c
Jaquintus *monachus, deinde abbas Salerni, Ordinis S. Benedicti* 402 f, 403 a b, 404 a e
Jaſpar *abbas Stabulenſis* 566 a b
Jaubert de Barraut (*Joannes*) *archiepiſcopus Arelatenſis, viſitavit corpus B. Ludovici Alamandi* 438 a
Ida *mulier à S. Hildegarde ad Philippum abbatem Parcenſem miſſa* 662 b d
Jezabel *uxor Achab, regis Iſraël* 597 b
† Ignatius *Loyola, fundator Societatis Jeſu* 422 c d
Ignatius *abbas Engelbergenſis* 227 c d e
Imperialis (*Joſephus Renatus*) *S. R. E. Cardinalis* 175 f, 180 a, 186 d e
Indicia *virgo, S. Marcellinæ ſocia* 489 e, 490 a
† Infans *monachus ſeculo* V, 49 a b d. *Ejus corpus Piſis* 48 c, 49 d
Inglarius (*Gaſpar*) *Ordinis Prædicatorum, inquiſitor Aragoniæ* 732 e, 733 d, 753 b c
Innacius *epiſcopus Monorbinenſis, interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
† Innocentia *V. M., cujus corpus Vicentiæ repertum dicitur, veriſimiliùs eadem eſt cum* S. Innocentia *Ariminenſi, inter Prætermiſſos* 249 e f, 250 a. *Item* 311 f, 312 a & ſeqq.
† Innocentia *virgo martyr culta Bononiæ* 312 e
† Innocentius *martyr ex legione Thebæa, inter Prætermiſſos* 4 f
Innocentius II *Papa* 19 b, 307 e
Innocentius III *Papa* 421 f, 568 a
Innocentius IV *Papa* 9 f, 10 a b, 129 b c, 150 e, 182 c, 678 d
Innocentius VIII *Papa* 162 f, 753 a b, 754 e
Innocentius X *Papa* 128 c, 196 a b c, 198 d, 739 e, 740 a, 963 f, 971 b, 998 b, 1005 a b c, 1008 f, 1010 f, 1012 a, 1031 e, 1032 a e, 1035 a, 1037 a f, 1038 a
Innocentius XI *Papa* 127 c, 180 a, 1012 e, 1033 d, 1036 c, 1044 a, 1046 c d
Innocentius XII *Papa* 179 a
Innocentius *epiſcopus Cenomanenſis* 330 f, 331 b
† Joachim *pater Deiparæ, inter Prætermiſſos* 249 c
Joanna *Hiſpaniarum regina, mater Caroli V imperatoris* 950 d
Joanna II *regina Neapolis* 129 c
Joanna *Auſtriaca, Joannis Luſitaniæ principis conjux* 941 d
† Joannes *Baptiſta* 597 b c. *Ejus reliquiæ Caſini* 415 d e
† Joannes *Chryſoſtomus* 915 d e. *Ejus corpus Romæ* 568 b
† Joannes *epiſcopus Alexandrinus, cognomento Eleëmoſynarius* 839 d
† Joannes *martyr apud Marſos, inter Prætermiſſos* 466 d, 756 e f, 757 a & ſeqq., 758 a
† Joannes *presbyter Romæ corpora ſanctorum martyrum ſepelit* 293 e f, 294 a, 301 b
† Joannes Marcus 467 e f, 468 a
† Joannes à S. Facundo 860 e, 863 c d. *Ejus reliquiæ in Belgium allatæ* 976 d
† Joannes Franciſcus Regis *Societatis Jeſu* 176 a
Joannes VI *Papa* 538 b
Joannes VII *Papa* 539 b

Joannes VIII *Papa* 342 f, 343 a b, 344 b, 357 c, 794 e, 795 e f, 797 e
Joannes XIII *Papa* 352 e, 363 e
Joannes XXII *Papa* 678 e f, 709 d, 710 c
Joannes *Palæologus imperator Græcorum* 443 c d e
Joannes II *Aragoniæ rex* 732 d
Joannes III *Lusitaniæ rex* 848 e f, 941 d
Joannes Casimirus *è Societate Jesu, S. R. E. Cardinalis, deinde Poloniæ rex* 999 b, 1033 d, 1035 a b, 1037 a
Joannes *dux Brabantiæ* 549 f
Joannes *Austriacus, magnus Prior Castellæ & supremus exercituum ductor* 744 c
Joannes *archiepiscopus Amalfitanus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 c
Joannes I *archiepiscopus Beneventanus* 404 c d, 405 d
Joannes *Aragonius archiepiscopus Cæsaraugustanus* 732 d
Joannes *archiepiscopus Neapolitanus, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Joannes *archiepiscopus Surrentinus, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Joannes *episcopus Balvensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 d
Joannes *episcopus Calenus seu Foriclaudiensis, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Joannes *episcopus Cannensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Joannes *episcopus Juvenatiensis, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Joannes *episcopus Melplictensis in concilio Lateranensi sub Alexandro III Papa* 388 e
Joannes *episcopus Picenus, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b d
Joannes *episcopus Pisaurensis* 569 c d
Joannes *episcopus Portuensis interest dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Joannes *episcopus Serinensis seu Sarnensis* 389 d
Joannes *ex monacho Casinensi episcopus Soranus* 419 b c
Joannes *episcopus Tusculanensis, interest dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a, 415 b
Joannes *Veliternensis episcopus, pseudo-papa. Vide* Mincius
Joannes *episcopus Vigilensis, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Joannes III *abbas Casinensis* 304 c
Joannes *abbas Sublacensis* 387 f
Joannes *sub Claudio II imperatore corpora martyrum Romæ sepelit* 472 c d
Joannes *Alamandus, probabilius pater B. Ludovici Alamandi* 440 a
Joannes *Alamandus, probabiliter frater B. Ludovici Alamandi* 440 a
Joannes *comes Teanensis, monasterio Casinensi munificus* 390 e
Joannes *canonicus Moguntinus, præpositus Bingiensis, testis in Actis de virtutibus S. Hildegardis* 700 a
Joannes *sextus Magister Ordinis Prædicatorum, inter Prætermissos* 251 a b
Joannes *Hisernensis, vir nobilis, benefactor monasterii Casinensis* 391 b, 420 f
Joannes *Abbatulus* 564 b c d
Joannes *antipapa* 304 e
Joannes *pseudo-cardinalis ab antipapa Clemente III creatus* 425 b
Joannes *Frisingensis, pseudo-cardinalis à Felice antipapa factus* 449 a
Joannes Baptista à S. Agatha *vicarius Capucinorum in conventu Petræ-Rubeæ* 1008 b
Joannes Fredericus *princeps Brunsvicensis, dux Hannoveræ, ad fidem Catholicam conversus* 999 b c d, 1011 e, 1024 a b c d, 1026 a
Joannes de las Casas *Ordinis Eremitarum S. Augustini, Prior provinciæ Bæticæ* 807 f, 808 a
Joannes de Oseguera *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 812 c
Joannes de S. Romano *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 812 c
Joannes de Segovia *interest concilio Basileensi* 444 e, 447 a b, 448 f, 449 b c
† Joannis *apostoli reliquiæ Casini* 415 c d
† Joannis *martyris reliquiæ Casini* 415 c d e, 419 b c
† Joannis *martyris corpus à S. Theodora sepultum* 484 b e
† Joannis Columbini, *Jesuatorum fundatoris, corpus prope Senas* 299 b f
Joannettis (*Nicolaus de*) *Prior generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini* 976 c
Jocundus *pater S. Aredii abbatis* 786 d
Joffredus *episcopus Cabilonensis interfuit dedicationi monasterii Trenorchiensis* 18 d
Joffredus Ridellus, *Cajetæ dux, benefactor monasterii Casinensis* 391 d e, 392 b
Jordanus *princeps Capuanus & Cajetæ dux* 385 d, 392 a & seqq., 393 a c d e, 394 c d, 396 d e, 397 e f, 398 a, 408 f, 415 a, 416 d, 421 d e, 423 b c d f, 424 a d e, 429 a b, 430 a f, 431 a
Jorlet (*Joannes*) *parvæ mensæ canonicus Leodiensis* 564 f
† Josaphat *episcopi Pollocensis martyrium probatum* 748 e f
Joseph *patriarcha* 590 f, 593 f, 687 a
† Josue *Israëlitarum dux* 590 b c
† Jovini *confessoris corpus Pictavis* 86 f
† Irenæus *martyr Romæ* 470 c, 471 f, 472 a
† Irene *cum* Sophia *martyr, inter Prætermissos* 466 d
Irene *imperatrix* 258 e, 259 f, 260 a b d, 280 d e f, 281 e f, 282 a b, 283 a b
† Isaac *monachus Tabanensis & martyr* 620 b c f
Isabella *imperatrix, Caroli V conjux* 811 c d, 826 d, 848 c d f
Isabella Clara Eugenia *Belgii princeps* 335 c, 932 d
Isabella Clara *ducissa Mantuæ* 1035 a, 1036 f, 1037 a
Isengrinus *episcopus Ratisbonensis* 351 c
† Isidorus *Bononiensis, inter Prætermissos* 755 e f
Issen *filius Habdarrahgmanni II Saracenorum regis in Hispania* 338 e
† Istochius *monachus seculo* v 49 a b d, 51 f
Ita *Lotharingica, uxor Radebothonis comitis Habspurgensis, fundatrix monasterii Murensis in Helvetia* 195 f
† Ivanus *eremita in Bohemia* 347 d e f, 348 a b c d
† Judæ *apostoli reliquiæ Casini* 415 c
Judæi *auctores cædis B. Petri Arbuesii* 728 b c, 733 d e f, 734 a f, 735 a, 753 c d e f, 754 a b
Judice (*Franciscus*) *S. R. E. Cardinalis* 975 c
† Juii, *vel* Juvii *corpus Wiltoniæ* 371 a b, 372 d
† Juliana *à Falconeriis* 176 a
† Juliani *reliquiæ Casini* 415 c
† Julianus *martyr Brivatensis* 760 a b c e, 761 a b c d f,

bcdf, 762abcdf, 763bd, 764abe, 766f, 767ad
Julianus *apoſtata imperator* 37bcef
† Julius *martyr in Anglia ſub Diocletiano* 477ef
Julius I *Papa* 777b, 778a
Julius II *Papa* 179bc
Julius III *Papa* 914c
Julius *commentitius epiſcopus Mediolanenſis* 778a
Ivo *epiſcopus Carnotenſis* 628de, 629a
† Juſtina *V. M.* 252c
Juſtina *imperatrix Ariana* 491d
† Juſtinæ *virginis caput Lucæ* 12bc
Juſtinianus (*Auguſtinus*) *epiſcopus Nebienſis, annaliſta Genuenſis* 123cde, 127d
† Juſtinus *presbyter confeſſor inter Prætermiſſos* 463a
† Juſtus *epiſcopus Lugdunenſis* 44cef
Juſtus *clericus S. Nicomedis* 5e, 6c, 7a, xid
† Jutta *præpoſita monialium in Monte S. Diſibodi* 631f, 632abc, 634f, 680ab, 681a, 684cd, 685d, 699c
Jutta *magiſtra monialium incerti loci, examinata de virtutibus &c S. Hildegardis* 697f, 699b, 700d

K

† Kineburga *filia regia in Anglia, inter Prætermiſſos* 2b
Krzezomyſlus *Bohemiæ dux* 346a

L

Labadia (*Joannes de*) *ſicarius B. Petri Arbueſii* 733def, 734a, 753def, 754ab
Labinia *uxor Girardi, conſulis Fundani, benefactrix monaſterii Caſinenſis* 391a
Lalueza (*Petrus*) *notarius Cæſarauguſtanus, ſcripſit inſtrumenta de prodigio ſanguinis B. Petri Arbueſii* 735ef, 736a & ſeqq., 737abcde
† Lambertus *martyr, cujus corporis magna pars Piſauri aſſervatur, alius eſt à S. Lamberto Trajectenſi epiſcopo* 569bcd
Lambertus *epiſcopus Polimartii intereſt tranſlationi corporum SS. Marciani & Joannis* 306ab
Lambertus *monachus Valcellenſis, inter Prætermiſſos* 463d
Lancellottus (*Horatius*) *S. R. E. Cardinalis* 960c, 961bd
Landenulphus *olim comes Caleni* 420f, 421a
Lando *comes Aquinenſis* 393cde
Lando *Hirpinenſis, ſeu Arpinenſis dominus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 391e, 421b
† Landoaldus *archipresbyter* 523b & ſeqq., 524b, 575f, 584b, 589def, 590a, 591a, 596a, 603ef, 604ab, 605b, 610e
Landomarus *epiſcopus, inter Prætermiſſos* 466c
† Landrada *virgo prima abbatiſſa Beliſienſis* 526cde, 536c, 595ef, 596a & ſeqq., 610cdef, 611abcf
Landuccius (*Ambroſius*) *epiſcopus Porphyrienſis, ſacrarii Apoſtolici præfectus* 973a
Landulphus *S. R. E. presbyter Cardinalis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389e
Landulphus *fortè pater B. Victoris III Papæ* 380f, 404f
Landulphus IV *princeps Beneventanus* 391d
Landulphus VI *princeps Beneventanus* 381d, 403e, 415a, 422c
Landulphus, *filius Pandulfi V, ultimus princeps Capuanus* 383e
Landulphus *comes Aquinenſis* 393cde
Landulphus *comes Minianenſis, benefactor monaſterii Caſinenſis* 411a
Landulphus *comes Teanenſis, monaſterii Caſinenſis benefactor* 390e
Landulphus I *epiſcopus Brixienſis* 262b
Lanfranconius (*Petrus*) *Prior generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 964d
Lang (*Benedictus*) *Prior Monaſterii Murenſis* 196a
Lanti (*Marcellus*) *S. R. E. Cardinalis* 998bcd
Lanuza (*Vincentius Blaſcus de*) *canonicus pœnitentiarius Cæſarauguſtanus ſcripſit metricè de B. Petro Arbueſio* 729cd
Lauræa (*Laurentius de*) *ex Ordine Minorum Conventualium S. R. E. Cardinalis* 993c, 1001de, 1002ef, 1003a, 1004e, 1023d, 1025f, 1033d, 1036cf
† Laurentius *archidiaconus martyr* 470bf, 471cde, 472a, 475bf, 476cde. *Ejus reliquiæ Caſini* 415c
Laurys (*Dominicus*) *Prior conventus Antverpienſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 822e
† Lazari *epiſcopi Cipri corpus ad monaſterium Andlavienſe tranſlatum* 797f, 798a
Leandra *virgo, inter Prætermiſſos* 466c
Lellus (*Octavius*) *Tertii Ordinis S. Franciſci* 999ab
† Leo I *Papa* 257ef, 423e, 424e, 783f, 785de, 786b
† Leo II *Papa* 786b
† Leo III *Papa* 261a, 294b, 299a
† Leo IV *Papa* 107b
† Leo IX *Papa* 57e, 374d, 381e, 387c, 389c, 404ab, 405ab, 420b, 793f, 794ef, 795a, 798e
Leo (*Marſicanus*) *epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Cardinalis* 378c & ſeqq., 379a & ſeqq., 389e, 400 & ſeqq., 419f, 420a, 421b
Leo *alter S. R. E. presbyter Cardinalis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389e
Leo *epiſcopus Aquinenſis* 419c
Leo *epiſcopus Cajetanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389a
Leo *Armenus imperator* 283b
Leo *Chazarus imperator* 278f, 280ad, 283a
Leo *Iſauricus imperator* 259ef, 260ab, 275ac, 276de, 278e, 279abc
Leo *conſul Fundanus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 391a, 420e
† Leobini *epiſcopi Carnotenſis tranſlatio, inter Prætermiſſos* 2b
† Leodegarius *epiſcopus Auguſtodunenſis* 528e, 529b, 531d, 592a, 593f, 594a, 606a
Leodovaldus *epiſcopus Abrincenſis* 781e, 782b
Leofan (*Bernardus*) *ſicarius B. Petri Arbueſii* 733ef, 734a
† Leontius *martyr, inter Prætermiſſos* 2c
† Leontius *martyr* 249ef, 311f, 312b
† Leontius *martyr Nicomedienſis* 198bc
Leontius *imperator Græcorum* 617c
Leopoldus *Magnus, imperator* 195f, 196a
Leopoldus *Auſtriacus, archidux Oenipontis* 1036f
Leopoldus *archidux Auſtriæ, epiſcopus Argentinenſis* 334e, 335abcd
Leorardus *chorepiſcopus* 63e
† Leovigildus *martyr in Hiſpania* 105d
Levanto (*Petrus Franciſcus à*) *Ordinis Minorum Obſervantium, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1003c
Libellus (*Hyacinthus*) *ex Ordine Prædicatorum archie-*

archiepiſcopus Avenionenſis 995 a b f, 1005 f, 1006 a b c d e, 1036 f
Liberius *Papa* 489 d
Liberme (*Wilhelmus de*) *canonicus Leodienſis* 564 f
Libuſſa *Bohemiæ princeps* 340 a, 356 a, 357 e, 360 d
Licinius *imperator* 770 a c, 777 a
Lidoſlava *mater S. Ludmillæ, ducisſæ Bohemiæ* 342 a, 344 e, 345 a d
Ligerius *anachoreta in territorio Furnenſi, inter Prætermiſſos* 4 c d
Lina *fabuloſa nutrix S. Lamberti epiſcopi* 522 c d e f, 523 a
Linlithquo *comitiſſa, obtinuit brachium S. Niniani epiſcopi* 327 c
Littefridus *conſul Fundanus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 391 c, 420 f
Liutfridus *Alemanniæ dux, S. Eugeniæ abbatiſſæ frater* 333 e f
Liutgardis *filia Adalberti, Alemanniæ ducis* 333 e
Liutwardus *epiſcopus Vercellenſis* 795 e f, 796 a d, 797 e
Lobetius (*Lambertus*) *Societatis Jeſu ſuperior ſeminarii Scotorum Duaci* 327 c
Loffridus Ridellus, *dux Cajetanus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 421 a b
Longinus *conſul Romanus* 331 a
Lotharius I *imperator* 63 c d e, 107 c d f, 108 b, 109 b c
Lotharius *Francorum rex* 18 c
Lotharius *Lotharingiæ rex* 63 e
Louverval (*Joannes de*) *archidiaconus Leodienſis* 558 e, 560 b
Lubomiski (*Alexander*) *Princeps Polonus* 999 b, 1035 a
† Lucia *V. M. Syracuſana, cum Romana ab aliquibus confuſa* 287 d
Lucia *martyr cum Geminiano, inter Prætermiſſos* 463 c
† Luciani *epiſcopi Bellovacenſis & martyris tranſlatio, inter Prætermiſſos* 2 a
Lucifer *epiſcopus Calaritanus* 501 e, 502 c d, 506 d
† Lucinæ *martyris corpus, Româ ad Seckingenſe illuſtrium canoniſſarum collegium tranſlatum* 196 b c d
Lucius *Aurelius Commodus imperator* 16 b c
Ludelmus *epiſcopus Tullenſis* 61 a, 73 f, 74 a b c, 76 c
† Ludmilla *vidua martyr, inter Prætermiſſos* 4 e
† Ludovicus Bertrandus *Ordinis Prædicatorum* 974 c
Ludovicus *Pius imperator* 106 c, 107 c d f, 108 c d, 109 b c d, 113 a
Ludovicus II *imperator* 107 b, 108 a b, 109 a
Ludovicus *Balbus Francorum rex* 63 e, 108 b
Ludovicus *Germaniæ rex, pater Caroli Craſſi* 794 d
Ludovicus *Bavariæ, deinde Germaniæ rex* 106 b e, 107 c d e f, 108 a b, 109 c, 343 c, 794 d, 795 d
Ludovicus XIII *Galliæ rex* 782 c d
Ludovicus XIV *Galliæ rex* 115 f
Ludovicus III *Neapolis rex & comes Provinciæ* 437 c, 441 e
Ludovicus *Cliviæ comes* 106 c, 109 b d
Ludovicus *patriarcha Aquileienſis, in concilio Baſileenſi peſte exſtinctus* 446 e
Ludovicus *abbas S. Matthiæ Trevirenſis* 636 f
Ludovicus *abbas incerti loci Vitam S. Hildegardis conſcribi juſſit* 630 a b, 679 c d e, 683 a b, 690 e f
Ludovicus *protonotarius in concilio Baſileenſi peſte exſtinctus* 446 d e
Luidbaldus *archiepiſcopus Moguntinus* 12 c
Luitgarda *conjux Arnulphi imperatoris* 108 c d
Lunergius *epiſcopus Marianenſis in Corſica* 50 e
† Lupatus *martyr, inter Prætermiſſos* 250 e f
Lupi de Alberuela (*Joannes*) *teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 736 c d
† Lupus *epiſcopus Sueſſionenſis* 330 c
† Lupus *epiſcopus Trecenſis* 62 d
† Luſtrus *monachus ſeculo* V, 49 d e, 51 e. *Ejus corpus Piſis in abbatia S. Matthæi* 48 c, 49 d
Luthardus *epiſcopus Paderbornenſis* 113 e
Lutherani *ſacrarum rerum everſores* 317 e f, 651 a, 652 d
Lutherus *à fide Catholica deficit* 805 c d
Luti (*Juditta*) *ſanctimonialis Senenſis ſcripſit Vitam SS. Abundii, Abundantii &c* 294 c & ſeqq.
Luviela (*Joannes*) *profeſſor theologiæ Valentiæ, dixit orationem funebrem S. Thomæ à Villanova* 956 c
Luytens (*Thomas*) *abbas Lætienſis* 571 b

M

MAça (*Petrus*) *theologus, S. Thomæ à Villanova familiaris* 925 f, 926 a, 956 c
Macarius à S. Quirino *Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Auguſtini, Congregationis Italiæ & Germaniæ vicarius generalis* 813 c, 814 b c d
† Machuti *epiſcopi corpus tranſlatum Pariſios* 782 f
† Macrinus, *inter Prætermiſſos* 756 e
† Macrobius *martyr, inter Prætermiſſos* 2 c
Macrobius, *inter Prætermiſſos* 466 a b
† Madalberta *virgo* 522 d. *Ejus reliquiæ Leodii* 565 d e
Madelveus *epiſcopus Virdunenſis* 76 a
Madilana, *inter Prætermiſſos* 466 b
Maffeus (*Aſcanius*) *archiepiſcopus Urbinas* 1008 c
Maggiolinus (*Alexander*) *canonicus Mediolanenſis* 10 e
† Maglorii *epiſcopi corpus tranſlatum Pariſios* 782 f
† Magnus *martyr, inter Prætermiſſos* 249 c d
† Magorum *trium corpora olim Mediolanum tranſlata* 774 e f, 775 a e, 776 a, 778 f, 779 a & ſeqq., 780 a d
Mahomad *rex Saracenorum in Hiſpania* 104 c, 339 d, 621 a b c f, 622 a, 625 d
Majavacha (*Paulus*) *notarius ſubſcripſit inſtrumento viſitationis corporis B. Rolandi de Medicis* 118 e
Malaſpina (*Horatius*) *apud Rudolphum II imperatorem Nuncius Apoſtolicus* 354 a
† Mamertus *epiſcopus Viennenſis* 61 f, 62 a, 760 b c, 761 d e f, 762 a b, 763 c, 764 c
† Mamilianus *presbyter martyr alius eſt à cognomine epiſcopo* 45 e f
Manegoldus *abbas Hirſaugienſis* 645 e f, 646 a, 653 c d e
Manriquius (*Alphonſus*) *S. R. E. Cardinalis, archiepiſcopus Hiſpalenſis & ſupremus fidei in Hiſpaniis inquiſitor* 808 c d
Mansfeldianorum *militum in res ſacras violentia* 334 c d e f, 335 b c
† Manſuetus *epiſcopus Tullenſis* 55 a, 58 b, 60 f, 69 c
Manzanedus (*Alphonſus*) *Auditor Rotæ Romanæ* 748 b c, 801 a, 960 d

Ma-

Maqueda *dux (de) prorex Valentiæ* 956 a
Marabottus (*Cataneus*) *rector xenodochii Genuenſis, confeſſarius & biographus S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ* 124 a b c, 149 e, 150 a, 167 e, 169 f, 171 a b, 173 f, 174 f, 177 b c d, 178 a
Maraldus *epiſcopus Peſtanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Marcelli *epiſtola ad SS. Nereum & Achilleum ſubleſtæ fidei* 5 f, 6 a & ſeqq.
† Marcellina *virgo, ſoror S. Ambroſii, doctoris Eccleſiæ* 486 c, 488 c d, 489 b d e f, 490 a, 491 a d e, 498 b, 499 d, 500 c d e, 501 b, 502 b, 503 a, 504 f, 505 a c, 506 a b f, 507 d, 508 a d
† Marcellini *martyris reliquiæ Româ Trajectum delatæ* 567 b c
† Marcellus *martyr Cabilonenſis* 13 c f, 15 e f, 16 b c e, 21 a e f, 22 a, 23 a, 24 a d f, 25 f
Marcellus *presbyter martyr, inter Prætermiſſos* 4 d
Marcia *Trajani imperatoris ſoror Marcianopoli nomen dedit* 30 d
† Marciani *reliquiæ Caſini* 415 c d e, 419 c
† Marciani *martyris corpus à S. Theodora ſepultum* 484 b e
Marcianus *imperator Orientis* 252 c, 254 a b, 257 b c e, 258 a, 277 c
Marcomanorum *regina ad Chriſtum converſa* 357 a
Marcus Aurelius *Antoninus imperator* 13 e f, 21 e, 24 c, 480 d
Marcus *referendarius Chilperici regis Franciæ* 784 a c d
Marcus *diſcipulus S. Benedicti abbatis* 413 f, 414 c d
Marebon (*Gaſpar*) *procurator ſubſtitutus cauſæ beatificationis S. Thomæ à Villanova* 959 f, 960 a
Margareta *Jacobi IV Scotorum regis conjux* 327 e f
† Maria *Oigniacenſis* 138 a
Maria *Aragonia, Prioriſſa Matricalenſis Ordinis S. Auguſtini, deinde abbatiſſa Burgenſis, Ordinis Ciſtercienſis* 808 e f, 809 a b, 810 b c
Maria *Medicea regina Franciæ* 294 c
Maria *Sabaudica, Tertiaria Ordinis S. Franciſci* 999 b, 1029 e, 1031 f, 1032 a, 1035 b c d e
Maria Magdalena *Auſtriaca, magna duciſſa Hetruriæ* 1036 f
Maria à Fonte, *Tertii Ordinis S. Franciſci, inter Prætermiſſos* 251 b
† Mariæ *Dei Genitricis reliquiæ ex velo & veſte Caſini* 415 c d e
† Marianus *martyr* 251 d e
Marianus *inter Prætermiſſos* 759 e
Marianus *Catholicus transfert corpus S. Niceæ Gothi martyris* 41 f, 42 a b
† Marina *virgo martyr Gallæcienſis* 618 b c
Marinus *epiſcopus Gallicanus interfuit concilio Romano ſub S. Melchiade Papa* 777 a
Marinus *comes Trajectenſis, erga Caſinenſes munificus* 385 e
Marka (*Erardus à*) *epiſcopus Leodienſis, S. R. E. Cardinalis* 566 e, 573 d
Martellinus (*Antonius*) *vicarius Religioſorum Senis, intereſt tranſlationi reliquiarum SS. Abundii & Abundantii* 309 f
† Martialis *epiſcopus Lemovicenſis* 785 e, 786 b
Martinellus (*Antonius*) *Ordinis Minorum Conventualium, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1001 c d e f
Martinez Rubius (*Ægidius*) *theſaurarius eccleſiæ Terraconenſis, in inſtrumento donationis reliquiarum S. Mamiliani* 47 e
Martinez Rubius (*Petrus*) *archiepiſcopus Panormitanus reliquias S. Mamiliani Romæ obtinet* 46 b c d e f
† Martini *epiſcopi reliquiæ Caſini* 415 c d e
Martinianis (*Octavius de*) *notarius ſubſcripſit inſtrumento viſitationis corporis B. Rolandi de Medicis* 118 e
† Martinus I *Papa martyr* 253 f, 523 f, 589 e, 591 a. *Inter Prætermiſſos* 5 a, 251 f, 759 f
Martinus IV *Papa* 478 c, 479 b
Martinus V *Papa* 437 c d, 441 b c d e f, 442 a c, 451 c
† Martinus *epiſcopus Turonenſis* 320 c d e f, 323 f, 324 b c d e, 597 f, 598 a, 599 d e. *Eccleſia ipſi exſtructa in Scotia* 320 c, 323 b, 324 c, 325 b
Martinus *epiſcopus Aquinenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Martinus *abbas Hortenſis & epiſcopus Seguntinus, inter Prætermiſſos* 250 b c d e
Martinus *abbas Tabanenſis, frater S. Columbæ Cordubenſis* 620 c d, 623 a c, 624 b
Martyres centum *in Ægypto, inter Prætermiſſos* 466 e
† Martyrum quadraginta *reliquiæ Caſini* 415 c d e
Marzanus (*Joannes Felix*) *Ordinis Prædicatorum* 994 f
Maſcardus (*Joſephus*) *vicarius S. Caroli Borromæi* 493 e f
Maſius (*Joannes*) *abbas Parcenſis miſit ad nos tres epiſtolas S. Hildegardis* 661 f, 662 a
Maſo *filius Adalberti, Alemanniæ ducis, fundator monaſterii ſui nominis* 333 e
† Maternus *epiſcopus* 316 d e, 604 f, 605 c, 777 a & ſeqq. *Ejus reliquiæ Leodii* 565 d e
† Maternus *epiſcopus Mediolanenſis* 776 e f, 777 a
Mathildis *comitiſſa Tuſciæ* 376 a, 377 a, 398 b c f, 399 a, 429 a, 430 c, 431 b, 432 c
Mathildis *abbatiſſa Andlavienſis* 794 e
† Matthæi *Euangeliſtæ reliquiæ Caſini* 415 c, 419 c, 426 e
Matthæus *aſceta, inter Prætermiſſos* 758 b
Matthæus *Lotharingiæ dux* 116 a
† Matthiæ *apoſtoli reliquiæ Caſini* 415 c
† Mauri *abbatis reliquiæ Caſini* 415 e
Mauri *ex Hiſpania pelluntur* 753 a b c, 754 e. *Oppidum Culleram deprædantur* 832 b
† Mauricii *os Agauno ad monaſterium Bellilocenſe tranſlatum* 516 b c
† Mauritius *epiſcopus confeſſor, inter Prætermiſſos* 463 b c
Mauritius *imperator* 256 e f
Mauritius *epiſcopus Pariſienſis* 701 d
Maxentius *tyrannus* 599 e
† Maximi *martyris reliquiæ Caſini* 415 d e
Maximianus *Galerius imperator* 30 b c f, 31 a c, 298 b
Maximianus *Herculius imperator* 7 b c, 31 a, 287 c e, 289 b & ſeqq., 297 b e f, 298 a b c, 300 e, 302 b, 306 d, 313 b, 484 b
† Maximilianus *presbyter martyr in Numidia* 45 f, 46 a
Maximinus *imperator* 770 a
† Maximus *martyr, inter Prætermiſſos* 250 a, 463 c
Maximus *tyrannus* 489 b c d f, 499 b c, 597 f, 598 a, 599 d e
Mayer (*Leodegarius*) *Murenſis monaſterii decanus, miſit multa de S. Leontio martyre* 195 c e f, 196 & ſeqq.
Maynardus *epiſcopus Arianenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Maynardus *ſocius B. Deſiderii, Apoſtolici apocryſiarii, deinde Sylvæ Candidæ epiſcopus* 406 b d e
Mazenta (*Alexander*) *archidiaconus Mediolanenſis* 10 e
Mazzichus (*Balthazar*) *doctor, teſtis in proceſſu beati-*

beatificationis B. Josephi à Cupertino 1003 d e
Mechlinienſes *à S. Lamberto in fide inſtructi* 535 c d e f, 536 a b
Mechtildis *mater S. Hildegardis Bingianæ* 631 d, 680 a, 681 a, 699 c
† Medactus *martyr, inter Prætermiſſos* 756 c
Medecius *imer Prætermiſſos* 759 d
Medicis (*Leopoldus de*) *Hetruriæ princeps, S.R.E. Cardinalis* 1034 f, 1036 f
Medicis (*Artemiſiæ de*) *marchioniſſa* 1035 b, 1037 a
Medina Cæli *dux, Hiſpaniarum regis apud Sedem Apoſtolicam orator* 975 c
Medodus *epiſcopus, inter Prætermiſſos* 758 a
Medrano (*Joannes de*) *maritus Joannæ ſororis B. Petri Arbueſii* 731 a
Meffridus *Prior Eberbacenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 651 e f
Megenhardus *comes Spanheimenſis* 632 b, 635 a
† Melania *junior* 256 c d
† Melchiades *Papa* 777 a
† Meleuſippus *inter Prætermiſſos* 755 b
† Melitina *martyr, inter Prætermiſſos* 250 b
Mendoça (*Martinus de*) *epiſcopus Cordubenſis* 103 f
Mercier (*Joannes Baptiſta le*) *parochus Moranenſis, adſtitit tranſlationi B. Reginaldi eremitæ* 626 f
† Mercurii *reliquiæ Caſini* 419 c
Mercurius potens, *inter Prætermiſſos* 4 b
† Merinus *vel* Mirinus *abbas aut epiſcopus in Scotia, inter Prætermiſſos* 2 f, 3 a, 463 c
Merlonius (*Barnabas*) *epiſcopus Piſaurenſis* 569 d
Meſſeguer (*Jacobus*) *doctor theologus Valentiæ* 927 d e
Metermannus (*Gabriel*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, edidit epitomen Vitæ S. Thomæ à Villanova* 800 d e
† Methodius *epiſcopus Patarenſis* 768 d e f, 769 a b c f, 770 c f, 773 e
† Methodius *patriarcha Conſtantinopolitanus* 773 f
† Methodius *ſeu* Methudius *Slavorum apoſtolus* 339 c, 341 c d, 342 c d e f, 343 a b d, 344 a b c d, 345 a & ſeqq., 346 d, 347 b, 355 d e f, 356 b c d, 357 a b c, 358 a c, 360 b c e
Michaël *Ducas imperator Græcorum* 375 d, 420 c, 422 d, 425 f, 427 c, 435 e f
Michaël *abbas S. Victoris Mediolani adſtitit tranſlationi capitum SS. Victoris & Satyri in thecas argenteas* 495 e f, 496 a b
Michaël *Cerularius, patriarcha ſchiſmaticus Conſtantinopolitanus* 113 f
Micon (*Joannes*) *Ordinis S. Dominici vir præclarus* 949 d, 950 f
Micon (*Joannes*) *notarius curiæ archiepiſcopalis Valentinæ* 958 f, 959 b
Milada *Boleſlai I Bohemiæ ducis filia, fundatrix & prima abbatiſſa S. Georgii Pragæ* 352 d e, 360 d, 363 e
Millinus *S. R. E. Cardinalis* 959 c d, 960 c, 963 d
Milo *abbas Carolilocenſis, inter Prætermiſſos* 4 d, 251 b
Mincius *Veliternenſis epiſcopus, pſeudopapa, Benedictus X dictus* 406 e, 408 a
Mira (*Martinus*) *epiſcopus Cephaleditanus examinavit geſta & miracula B. Gandolphi & corpus viſitavit* 702 c d, 724 b
† Modwenna *abbatiſſa* 365 d f
Molino (*Bartholomæus del*) *teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 736 d
Molinos (*Michaël*) *hæreſiarcha* 127 b c
Moſſa (*Michaël Vincentius*) *canonicus Valentinus, teſtis in Valentino proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 825 b
Mombalus *confeſſor, inter Prætermiſſos* 251 a
Monachus *confeſſor in Hibernia, inter Prætermiſſos* 466 f, 467 a
Moneta (*Ludovicus*) *presbyter, à S. Carolo Borromæo delegatus ad viſendas arcas ſanctorum corporum in eccleſia S. Victoris Mediolani* 493 e
Monnier (*Joannes*) *ſecretarius epiſcopi Atrebatenſis Pauli Boudot* 327 d
Montalta *familia illuſtris Genuenſis* 131 e f
Montaltus (*Petrus Perettus*) *S. R. E. Cardinalis* 998 b c
Montannes (*Garſias*) *domicellus Cæſaraugustanus* 737 c
Montannes (*Joannes*) *teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 737 c
† Montanus *incluſus in Gallia* 522 c d
Monte (*Joannes de*) *presbyter & ſcriptor Mediolanenſis* xi a
Monte-Albotto (*Michaël de*) *Capucinus, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1001 e f, 1002 a
Monte Grimano (*Joannes Baptiſta de*) *guardianus Capucinorum ad Petram-Rubeam* 1006 e f, 1007 b c d e
Monte-regali (*Saurinus de*) *Cuſtos conventûs S. Franciſci Aſſiſii* 1000 d e
Monteſino (*Ludovicus de*) *canonicus Complutenſis, ſubdelegatus in cauſa beatificationis S. Thomæ à Villanova* 960 b
Monteſperelli (*Anna Maria*) *comitiſſa*, 1048 a
Montiel (*Jacobus*) *Prior conventûs Eremitarum S. Auguſtini prope Valentiam, & S. Thomæ à Villanova confeſſarius* 844 b c, 845 a, 877 a b c d, 878 a b, 885 b, 893 c, 943 b
Montius (*Cæſar*) *S. R. E. Cardinalis, archiepiſcopus Mediolanenſis* 775 e
† Monulphus *epiſcopus Trajectenſis* 525 d, 546 c d, 578 c, 613 b, 614 d, 617 e
Moravi *ad fidem converſi* 355 b c, 357 b
Morinus *comes Benafranus, benefactor monaſterii Caſinenſis* 420 f, 422 e
Moya (*Joannes Baptiſta de*) *Eremita Auguſtinianus, miſſionarius in Mexico* 813 b, 814 a, 867 b c f
† Moyſes *propheta legiſer* 590 a b d f, 591 b, 686 b
Mucantius *ſecretarius Rotæ Romanæ* 960 d
Mugetus *Balearium inſularum rex, à Piſanis captus* 379 e
Mugnatonius (*Joannes*) *ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini epiſcopus Segobricenſis, biographus ſynchronus S. Thomæ à Villanova & ejuſdem Operum editor* 799 b c, 800 b, 801 d, 817 f, 820 f, 821 a b c d, 822 a, 823 a b, 825 d, 826 c d e, 828 b c, 836 d, 846 e f, 848 f, 849 a
Muniera (*Stephanus de*) *epiſcopus Cephaleditanus examinavit cultum, miracula & corpus B. Gandolphi* 702 c d e, 720 d e, 721 f, 722 a & ſeqq., 723 a & ſeqq.
Murdacus *epiſcopus, inter Prætermiſſos* 4 f, 5 a
Muſactus *Saracenorum rex ex Sardinia & Corſica pulſus* 379 e
Muſard (*Baltaſar*) *ſecretarius epiſcopi Andegavenſis, adſtitit tranſlationi B. Reginaldi eremitæ* 626 f
Muſſerot (*Julianus*) *canonicus Cenomanenſis, de Muſeo noſtro bene meritus* 329 e f

† My-

† Myrocles *episcopus Mediolanensis* 775 b, 776 e f, 777 a & seqq., 778 a f

N

NÆvius (*Joannes*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini, edidit compendium Vitæ S. Thomæ à Villanova* 800 e
† Narcissi *martyris corpus Hispali*, 476 f, 477 a
Navarra (*Franciscus*) *archiepiscopus Valentinus* 828 d, 887 a, 890 f, 926 e, 977 a
† Navatus *martyr, inter Prætermissos* 250 e f
† Nazarii *reliquiæ Casini* 419 c
Nazarius *diaconus Massilienſis, subscripsit concilio Arelatensi I* 778 a
Nerlius (*Franciscus*) *archiepiscopus Florentinus* 965 d
† Nicandri *reliquiæ Casini* 415 c d e, 419 c
Nicchio (*Franciscus de*) *vicarius generalis episcopi Cephalæditani visitavit corpus B. Gandolphi* 723 f, 724 a
Nicetas *Monomachus patricius* 282 b, 283 b
† Nicolai *episcopi corpus Mirâ Barim translatum* 431 b, 432 a
† Nicolai *reliquiæ Casini* 415 e
† Nicolaus *Tolentinas, inter Prætermissos* 463 b
Nicolaus I *Papa* 342 f
Nicolaus II *Papa* 374 d, 384 e f, 385 f, 386 a b c d, 394 a, 401 b, 407 c d, 408 c e, 409 e, 424 a b, 425 b
Nicolaus III *Papa* 479 b
Nicolaus V *Papa* 449 f, 450 a b c f, 451 f, 452 c, 453 d e f, 454 c d e f, 455 a c d e f, 456 a, 458 d, 460 c
Nicolaus *archiepiscopus Panormitanus interest concilio Basileensi* 444 a c d e, 445 b c d, 449 b c e. *De Basileensi schismate pœnitet* 450 d, 452 b
Nicolaus *episcopus Termulensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Nicolaus *abbas S. Audoëni* 83 c
Nicolaus *canonicus Leodiensis scripsit Vitam S. Lamberti episcopi* 518 b, 520 d e f, 521 b, 602 d, 617 c d
Nicolaus *herus vel pater S. Agathocliæ martyris* 482 b c d e
Nicolaus de Agreda *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 812 f
Nieva (*Franciscus de*) *Eremita Augustinianus, variis præfecturis in suo Ordine functus* 808 b, 809 c d, 812 d, 814 f, 817 a, 866 f, 867 a f, 874 a b c e, 876 a
Nigro (*Franciſca de*) *mater S. Catharinæ Genuensis* 129 c, 130 a, 131 d e, 150 e f, 151 f, 152 a f, 153 a, 180 b c, 182 c
† Nilus *episcopus martyr, inter Prætermissos* 466 e
† Ninianus *episcopus Candidæ Casæ, inter Prætermissos* 756 d
Nobili (*Cæcilia de*) *Clarissa Nucerina, virtutibus clara* 1029 a, 1036 d
Nobilo *comes castri Viperæ, benefactor monasterii Casinensis* 390 f, 391 c d
Noriega (*Alvarus*) *famulus S. Thomæ à Villanova* 881 d
Normannorum *irruptiones* 81 a b e, 84 c d e, 556 a b c d e, 570 f, 571 a, 601 c d, 602 b c, 786 e, 795 f
Notgerus *episcopus Leodiensis* 556 b e f, 557 a, 573 b
Nothaff (*Petrus*) *canonicus Moguntinus adstitit visitationi corporis S. Hildegardis* 677 d
Nuce (*Angelus de*) *abbas Casinensis, deinde archiepiscopus Rossanensis* 378 f, 400 a
Nutius (*Robertus*) *Custos conventûs S. Francisci Assisii* 1000 f, 1001 a, 1005 c d e f.
Nuza (*Hieronymus Baptista de la*) *episcopus Lobetianus, testis miraculi per B. Petrum Arbuesium facti* 746 e
† Nymphà *virgo martyr* 48 e f, 49 a. *Ejus Acta fabulosa* 49 f, 50 a, 51 b c d, 52 a d, 53 c d. *Reliquiæ Romæ* 46 d e, 47 e, 48 b

O

OBdulana *uxor Marini, comitis Trajectensis, erga Casinenses munifica* 385 e
Obertus *episcopus Leodiensis* 557 e f, 559 b
† Oceanus *martyr, inter Prætermissos* 756 c
† Oda *vidua Boggi, Aquitaniæ ducis* 526 f, 527 a b, 611 c e f, 612 a
Oda *virgo* 538 f, 550 d e, 579 d e, 581 a, 600 f, 601 a
Oddus (*Marcus Antonius*) *episcopus Hieropolitanus, partem capitis S. Mamiliani archiepiscopo Panormitano tradit* 47 b c d e
Oddus (*Salvator*) *aliquas reliquias S. Mamiliani Româ impetrat* 48 a
Oderisius *Marsorum dux* 387 d
Oderisius *S. R. E. Cardinalis, præpositus ac deinde abbas Casinensis* 378 c, 399 b e, 400 c, 401 b, 433 e f, 434 f, 435 a
Oderisius *comes Valvensis monasterii Casinensis benefactor* 390 d e, 420 d
Oderisius *alter benefactor monasterii Casinensis* 393 b
Odescalchus (*Benedictus*) *S. R. E. Cardinalis, legatus Ferrariæ* 1033 d, 1036 c. *Vide* Innocentius XI Papa
Odilardus *monachus corpora SS. Georgii & Aurelii martyrum ex Hispania in Galliam transfert* 103 b
† Odilia *prima abbatissa Hohenburgensis in Alsatia* 332 c f, 333 a & seqq., 334 b c d. *Sepulcrum ejus Mansfeldiani perfringere frustra tentant*, ibidem d e f, 335 c f
Odilia *monialis in Monte S. Ruperti, examinata de virtutibus S. Hildegardis* 697 e, 698 f, 699 a, 706 e
Odilia *matrona Leodii* 564 b
Odo *Francorum rex* 17 f, 18 b c
Odo *dux Burgundiæ* 14 d, 19 a
Odo *Ordinis Prædicatorum, inter Prætermissos* 463 b
Ogier (*Carolus*) *canonicus pœnitentiarius Andegavensis interfuit translationi reliquiarum B. Reginaldi eremitæ* 626 f
Olybrius (*Sextus Anicius*) *postea imperator Occidentis* 258 f, 259 a, 321 c
Oratores *principum in concilio Basileensi* 444 a b, 445 a c d, 446 a b
Ordonius II *Hispaniæ rex* 619 e
Orense (*Beatrix*) *monialis Burgensis, per S. Thomam à Villanova ad sanctitatem inflammata* 850 d e
Oresius *episcopus Massilienſis subscripsit concilio Arelatensi I* 778 a
Origenes *à S. Methodio refutatus* 771 f, 772 a b c d e
Oropesa (*Petrus de*) *vicarius archiepiscopi Cæsaraugustani* 740 c
Orosius *commentitius episcopus Mediolanensis* 777 f, 778 a
Ortizius (*Petrus*) *sacris exercitiis à S. Ignatio Loyola*

la exultus 422 c d
† Osithea 365 e f
Ossorno *Eremita Augustinianus, perpetuus administrator collegii ejusdem Ordinis Vallisoleti* 871 f, 872 a e
† Otthilia *abbatissa. Vide* † Odilia
Otto I *Magnus, imperator* 365 c
Otto II *imperator* 78 a, 79 b, 303 c d
Otto III *imperator* 294 b, 300 b, 303 b & seqq., 304 a & seqq., 305 a & seqq., 306 d f, 484 f
Otto *episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis, postea Pontifex, Urbanus II dictus* 376 a, 377 f, 378 a, 397 c d, 398 c f, 399 a b c d, 424 a b, 425 a b, 428 e, 429 e, 430 b d, 433 f, 435 a. *Vide* Urbanus II Papa
Otto *comes in Burgundia* 478 c, 479 b
Oudinus (*Casimirus*) *apostata refutatus* 675 f, 676 a b c d e

P

PAços (*Antonius de*) *episcopus Cordubensis* 104 a, 337 a b
Pallas (*Matthias*) *canonicus Valentinus* 825 b, 983 a
Pallavicinus (*Hieronymus*) *marchio, Buxeti dominus, corpus B. Rolandi de Medicis visitari curat* 118 d
Pallavicinus (*Nicolaus*) *marchio* 119 d
Pallotta (*Joannes Baptista*) *S. R. E. Cardinalis* 801 c, 964 a e f, 965 a, 971 c d, 1034 f
Palma (*Raphaël*) *Custos conventus S. Francisci Assisii, deinde episcopus Uritanus* 1033 d, 1036 b
Palude (*Henricus ex*) *cantor canonicus Leodiensis* 564 f
Palude (*Ludovicus de*) *cum B. Ludovico Alamando confusus* 440 c
Palumbus *episcopus Soranus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Palutius (*Palutius*) *S. R. E. Cardinalis* 1034 f
Pamphilius (*Camillus*) *S. R. E. Cardinalis* 975 d e
Pamphilus (*Josephus*) *ex Ordine Eremitarum S. Augustini episcopus Signinus, scripsit Elogium S. Thomæ à Villanova* 799 d e f
Pampus *episcopus Pennensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 d
Panara (*Franciscа*) *mater B. Josephi à Cupertino* 993 d e f, 1015 b c, 1016 a e f, 1034 d e
† Pancratii *martyris reliquiæ Casini* 415 d
Pandulphus II *princeps Beneventanus* 380 f
Pandulphus III *princeps Beneventanus* 381 d
Pandulphus V, *princeps Capuanus* 383 e f, 405 f
Pandulphus *comes Aquinensis* 393 c d e
Pandulphus *comes Venafranus, benefactor monasterii Casinensis* 411 a
Pandulphus *episcopus Marsicanus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
† Pantaleon *martyr, inter Prætermissos* 463 b
† Papias *martyr Romæ, inter Prætermissos* 249 c d, 250 e f
Paros (*Joannes de*) *episcopi Argentinensis suffraganeus & vicarius generalis* 335 f
Parra (*Franciscus de la*) *Prior provincialis Castellæ, Ordinis Eremitarum S. Augustini* 806 e f, 807 a b
† Paschalis I *Papa* 8 e f, 9 a b
Paschalis II *Papa* 407 e
Paschalis *frater Ordinis S. Francisci, socius B. Gandolphi* 705 c e f, 707 a b
Paschasius *consularis Siciliæ* 289 c
Pastrovicchius (*Angelus*) *Ordinis Minorum Conventualium scripsit Italicè compendiosam Vitam B. Josephi à Cupertino* 993 a b, 1015 & seqq.
† Paternus *episcopus Abrincensis* 780 f, 781 a b f, 782 a b d e
† Patritius *Hiberniæ apostolus* 137 f, 138 a, 320 b
Patrizi (*Ludovica*) *comitissa per B. Josephum à Cupertino sanata* 1045 e
† Pauli *martyris reliquiæ Casini* 415 c d e, 419 b c
Paulina *hera vel mater S. Agathocliæ martyris* 482 b c d e
† Paulini *corpus Ottoni III imperatori donatum* 304 a
† Paulinus *episcopus Nolanus* 58 c d e f, 59 a & seqq., 60 a b
† Paulus *apostolus* 7 b, 467 f, 468 a d, 849 d. *Ejus reliquiæ Casini* 415 c d
† Paulus *episcopus, inter Prætermissos* 466 a b
† Paulus *ex monacho Tabuleiensi episcopus Virdunensis* 508 f, 511 a b c, 512 a & seqq., 513 c, 514 b c, 515 c d
† Paulus *cognomento Simplex* 857 d, 860 a
† Paulus *aut* Paulinus, *inter Prætermissos* 2 d e
Paulus III *Papa* 441 b, 741 d, 747 b c d f, 748 a, 815 e, 816 a f, 818 f, 855 f, 857 c, 872 a, 875 b d e, 892 c, 913 e f, 914 c
Paulus IV *Papa* 167 f
Paulus V *Papa* 730 a, 732 c, 744 a, 747 c d e f, 748 a b, 801 a e f, 962 e f, 963 a f, 966 c, 974 c d. *Thomam à Villanova Beatis adscribit* 801 b, 956 f, 959 c d e f, 960 d, 961 a & seqq., 962 a b c, 971 a
Paulus *episcopus Ancyræ in Galatia* 2 e
Paulus de Trincis, *Ordinis Minorum, inter Prætermissos* 464 f, 465 a
Paulus *presbyter, S. Ludmillæ Bohemiæ ducissæ à sacris* 345 b, 348 b c, 349 c, 351 b, 359 b c d e, 360 e, 362 c
Peetz (*Adamus*) *suffraganeus episcopi Argentoratensis corpus S. Eugeniæ solemniter refert in Montem S. Odiliæ* 334 f, 335 a e f
Pelagia *mater S. Aredii abbatis* 786 d
† Pelagii *Papæ reliquiæ Casini* 415 c
† Peleus *episcopus martyr, inter Prætermissos* 466 e
Pellegrinus (*Vincentius*) *Inquisitor generalis Perusiæ* 1005 c d e f, 1006 a b c
Pellejero (*Joannes*) *major sacrista ecclesiæ Valentinæ, adfuit morienti S. Thomæ à Villanova, & de eodem testatus est* 819 e f, 825 b
Pellicer (*Honoratus*) *canonicus ecclesiæ Valentinæ* 880 a b, 927 d
Penna (*Joannes Baptista*) *episcopus Vigilensis* 822 b, 1004 e f, 1011 e f, 1012 a, 1036 f
Perea (*Nicolaus*) *Eremita Augustinianus, S. Thomæ à Villanova familiaris* 868 a
Perefixus (*Harduinus*) *archiepiscopus Parisiensis* 127 e f
† Peregrini *Anglorum episcopi corpus in cœnobio Gemmeticensi* 83 f, 98 b e f, 99 a
Peregrinus *archiepiscopus Colonensis* 369 b c
Perez (*Martinus*) *notarius Cæsaraugustanus, testis prodigiosi sanguinis B. Petri Arbuesii* 736 d
Perpetua *virgo, inter Prætermissos* 4 e
Persæ *in imperium Orientis incurrunt* 258 b c d e, 275 b
Pesquera (*Helena de*) *illustris femina, per S. Thomam à Villanova ad vitam monasticam inducta* 851 b c
Petronax *abbas & restaurator monasterii Casinensis* 400 c
† Petronilla *virgo* 62 a b c d e

†Petri *martyris reliquiæ Româ Trajectum delatæ* 567 bc
Petro *comes Lesinensis* 411 e, 412 a
†Petrus *princeps Apostolorum* 7 b, 397 c. *Ejus reliquiæ Casini* 415 cd, 419 c
†Petrus *Damianus episcopus Ostiensis, S. R. E. Cardinalis* 374 e, 375 cd, 387 f, 389 e, 410 a, 425 c
†Petrus Igneus 797 a
†Petrus *Luxemburgicus, S. R. E. Cardinalis* 436 cef, 437 e
Petrus *archiepiscopus Moguntinus* 678 e
Petrus *archiepiscopus Pisanus* 48 c, 50 f
Petrus *chorepiscopus Cenomanis* 331 f, 332 e
Petrus *episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis* 398 c
Petrus *episcopus Anagninus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a
Petrus *episcopus Guardiensis interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Petrus *episcopus Magalonensis* 441 a
Petrus *episcopus Monopolitanus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b
Petrus *episcopus Tusculanensis* 406 e
Petrus *episcopus Venafranus interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 bd
Petrus *abbas Anianæ, vicarius generalis B. Ludovici Alamandi in episcopatu Magalonensi* 441 c
Petrus *abbas Casinensis* 381 f, 383 cdf, 384 a, 404 de, 405 d, 406 a
Petrus I *abbas Trenorchiensis* 14 cd, 19 a, 23 e, 25 e
Petrus *Alamandus, secundùm aliquos pater B. Ludovici Alamandi* 439 e, 440 a
Petrus *Alamandus probabiliùs frater B. Ludovici Alamandi* 440 a
Petrus de Luna *antipapa Benedictus XIII dictus* 440 df
Petrus de Pamplona *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 812 b, 813 c
Petrus *diaconus, continuator Chronici Casinensis* 378 cdef, 379 ab, 380 a, 420 a
Petrus de Salamanca *Ordinis S. Dominici* 872 b
Petrus, *nobilis Romanus, benefactor monasterii Casinensis* 391 f
Pfiffer (*Joannes Rudolphus*) *patricius Lucernensis, corpora SS. Leontii, Basilii & Lucinæ martyrum obtinet* 196 abcde, 202 bcde
Pharao *Ægypti rex* 590 d
†Philippi *apostoli reliquiæ Casini* 415 bde
Philippus I *Francorum rex* 19 a
Philippus II *Hispaniarum rex* 732 b, 808 f, 809 a, 813 e, 814 ae, 822 ab, 829 ef, 831 a, 846 f, 867 ab, 869 c, 871 f, 872 def, 873 abd, 874 abc, 875 bc, 932 d, 950 e, 968 de, 969 e, 1032 a
Philippus III *Hispaniarum rex* 732 b, 747 d, 748 b, 803 b, 959 bc, 961 b, 962 af, 963 a, 970 f
Philippus IV *Hispaniarum rex* 729 e, 748 c, 749 f, 750 a, 964 bde, 965 d, 971 cdf
Philippus *Alsatius Flandriæ comes consulit S. Hildegardem* 664 de
Philippus *dux Mediolanensis* 442 ef, 443 a, 449 e, 450 e
Philippus I *archiepiscopus Colonensis, antea decanus* 64 e, 650 b & seq., 651 a, 664 bcd, 669 e, 674 f
Philippus *ex monacho Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ episcopus Nucerinus, inter Prætermissos* 462 cf, 463 a
Philippus *abbas Parcensis scripsit ad S. Hildegardem & ab ea litteras accepit* 661 f, 662 a & seqq., 663 a
Philippus de Mediolano, *abbas B. Mariæ Virginis loci Nerviani, assistit translationi corporum SS. Victoris & Satyri &c* 494 e, 495 b
Philippus de Mediolano, *abbas Vicoboldoni adstitit depositioni capitum SS. Victoris & Satyri in thecas argenteas* 495 ef, 496 ab
Philosophrum *vel* Philophron *senator, pater S. Euphemiæ V. M. Chalcedonensis* 253 bc, 267 d, 270 b, 273 b
Philotheus *episcopus Heracleensis, deinde patriarcha Constantinopolitanus, inter Prætermissos* 3 e f. *Item* 114 f, 115 abd
Philotheus *monachus Sinaïta* 115 abd
Phœbeus (*Franciscus Maria*) *sacrorum Rituum Congregationi à secretis, multa egit in causa canonizationis S. Thomæ à Villanova* 801 bcd, 963 ef, 964 a & seqq., 965 & seqq.,
†Photinus *vel* Pothinus *episcopus Lugdunensis martyr* 15 e, 21 e, 23 abc, 24 a
Photius *patriarcha schismaticus Constantinopolitanus* 113 f
†Piala *virgo martyr, inter Prætermissos* 755 e
Pibo *episcopus Tullensis* 60 d
Piccolomineus (*Franciscus Bandinus*) *archiepiscopus Senensis reliquias SS. Abundii & Abundantii Senas defert & honorificè deponit* 309 de
Picti, *seu* Scoti *ad Christi fidem conversi* 319 a & seqq., 320 a & seqq., 321 abc, 324 c
Pileus (*Marinus*) *archiepiscopus Genuensis* 158 ab
Piligrinus *archiepiscopus Colonienſis* 572 ab
Pilitrudis *incesta uxor Grimoaldi Boiorum ducis* 544 ef
Pimentel (*Sancia*) *monialis Burgensis, à S. Thoma à Villanova ad sanctimoniam inflammata* 850 de
Pinellus (*Dominicus*) *S. R. E. Cardinalis* 959 c
Pinius *canonicus Auximanus curavit funus B. Josephi à Cupertino* 1011 b
Pippinus *Brevis Francorum rex* 76 a, 299 d, 542 ade, 601 de
†Pippinus *Landensis Major-domûs regum Austrasiæ* 521 f, 532 b, 589 d, 591 a, 596 d, 599 c, 603 e, 608 b
Pippinus *Heristallus Major-domus regum Franciæ* 510 e, 511 d, 526 e, 529 d, 532 a & seqq., 533 abc, 535 ab, 538 cde, 539 bf, 540 cde, 541 abdef, 542 acdef, 543 a & seqq., 544 a & seqq., 545 ade, 546 a, 549 f, 550 af, 551 a, 572 ef, 576 d, 577 b, 578 b, 581 a, 585 f, 586 c, 594 bc, 595 e, 596 ef, 597 abcf, 598 ab, 599 cd, 600 b, 601 ce, 607 f, 608 bcde, 609 e, 611 c, 612 bcdef, 613 adef, 614 abcde, 616 f, 617 ec
Pippinus *Aquitaniæ rex* 107 df, 109 c
Pippinus *Caroli Magni filius, Italiæ rex ædificavit ecclesiam SS. Abundio, Abundantio &c.* 294 b, 299 abcd
Pippinus *Pippini Aquitaniæ regis filius* 113 a, 786 e
Pisana *mulier Sicula, pia hospita B. Gandolphi* 705 d
Pisani *Saracenos in Africa magna clade afficiunt* 398 de
†Pistis *V. M. Vide* Fides
Pistorius *consul Ehenhemiensis testatur de repertis corporibus SS. Odiliæ & Eugeniæ abbatissarum* 334 ef

Pius II *Papa* 136 a, 179 b c, 299 f, 437 b, 439 a b, 450 c, 569 c
Pius IV *Papa* 861 b
Pius *abbas San-Gallenſis, intereſt tranſlationi corporis S. Leontii martyris* 196 f
Placidia *auguſta, Olybrii imperatoris conjux* 258 f, 259 a
Placidus (*ex gente Zurlabina*) *abbas Murenſis, S. R. J. princeps creatus* 196 a, 199 d e
Placidus *abbas Einſidelenſis, intereſt tranſlationi corporis S. Leontii martyris* 196 f
Plecnils, *vel* Plebeja *presbyter, fortè S. Niniani epiſcopi frater* 328 a b
Plectrudis *uxor Pippini Heriſtalli* 511 e, 538 c d, 540 f, 541 e, 545 e, 550 f, 597 a, 599 c, 601 c, 612 c, 614 c
Poloni *regnum Moraviæ vaſtant* 357 d
Polus (*Rainaldus*) *S. R. E. Cardinalis* 815 f, 816 a
Pomponia *virgo ſanctimonialis in Alſatia* 790 e f, 791 c f
Ponzo (*Dominicus de*) *Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci* 161 d
†Poppo *abbas* 513 c d
Porphyrius *philoſophus ethnicus, Chriſtianis infeſtus* 768 c, 770 a, 771 a b, 772 d
Porphyrius *miles Romæ, indicat corpus S. Concordiæ martyris* 471 f, 472 a
Porta (*Joannes*) *presbyter viſitator diœceſis Valentinæ ſub S. Thoma à Villanova, & hujus familiaris* 844 b c, 847 e, 855 e f, 856 a, 882 b, 885 a b c d, 892 d, 893 c, 897 e f, 915 c d, 918 a, 924 e, 925 f, 927 b, 931 b, 945 c d e f, 946 a & ſeqq., 948 e f, 949 a, 952 c, 953 c, 977 a b
Portafaſcie (*Didacus*) *medicus Genuenſis, teſtis miraculi per S. Catharinæ Genuenſis opem impetrati* 190 e
Porticus (*Vincentius*) *archiepiſcopus Raguſinus, intereſt tranſlationi corporum SS. Abundii & Abundantii martyrum* 309 b
Portius *conditor eccleſiæ Portianæ Mediolani* 491 d, 508 d
Præconius (*Octavianus*) *epiſcopus Cephalæditanus viſitavit corpus B. Gandolphi* 724 a
Predo *monachus S. Filiberti abbatis Gemmeticenſis* 89 c d e f, 90 a b c d
Pretrapontinus (*Hugo*) *epiſcopus Leodienſis* 568 a
† Primi *martyris reliquiæ Caſini* 415 d
Primiſlaus *Libuſſæ, Bohemiæ principis, maritus* 356 a, 357 e
†Principius *epiſcopus Sueſſionenſis* 330 a b c
Priſcus *proconſul Chalcedone* 252 e, 253 b c e, 263 d, 266 c, 267 d e f, 268 a b c, 269 d e f, 270 a b c, 271 d e f, 272 a b c, 273 a b c, 274 a
Priſcus *præſes in Gallia ſub Marco Aurelio Commodo* 13 c d, 21 f, 22 a b c d, 24 c d e f, 25 a
†Privatus *epiſcopus martyr* 760 b
Probinus (*Sextus Anicius*) *conſul Romanus* 321 c
†Probo *martyri templum conditum* 42 c
Probus *abbas Quinciacenſis* 93 d
Procopius *tyrannus ſub Valente imperatore* 40 d
†Proculi *martyris corpus Romæ in eccleſia B. M. V. Montis Cœli* 46 d e
†Proculus 51 e
Proſper *S. Ambroſii debitor in Africa* 488 f, 489 a, 499 a e, 507 b
†Protaſii *martyris corpus à S. Ambroſio inventum* 489 f, 491 e, 493 a
†Protaſius *epiſcopus Mediolanenſis* 776 e f, 777 a & ſeqq., 778 a e, 779 e
Proxita (*Elfus de*) *canonicus Valentinus* 835 a, 887 d e, 888 a & ſeqq.
†Prudentii *reliquiæ Caſini* 415 c
Przoſlaus *filius Wladiſlai, principis Lucenſis* 360 c d
Pſalmeus (*Nicolaus*) *epiſcopus Virdunenſis* 509 a
Puellæ *duæ martyres, inter Prætermiſſos* 4 b
Puteus (*Carolus Antonius*) *archiepiſcopus Piſanus* 48 c
Pyeroniana (*Franciſca Helena de Galliano*) *abbatiſſa monaſterii S. Georgii Pragæ* 348 f, 353 b c

Q

QUero (*Emmanuel de*) *epiſcopus Cephalæditanus viſitavit corpus B. Gandolphi* 724 b
Quevedo Villegas (*Franciſcus de*) *eques S. Jacobi, edidit Epitomen Vitæ S. Thomæ à Villanova* 800 d
Quintillus *conſul Romanus* 16 b
Quiricus, *inter Prætermiſſos* 4 b
†Quirini *epiſcopi reliquiæ Mediolani* 9 c d e f, 10 a & ſeqq., 11 a b c
†Quirini *corpus Noveſii* 106 f
Quiros (*Chriſtophorus de*) *teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 737 c

R

RAbiacus *dux* 791 c d e, 792 e
Racfridus *filius S. Luthardi. Vide* Rycffridus
Radbodo *Friſonum dux* 601 c, 602 b
Radebotho *primus comes Habſpurgenſis, fundator monaſterii Murenſis in Helvetia* 195 f
Radzvil *princeps Polonus* 1035 a
Ragertrannus *abbas Gemmeticenſis* 93 b
Ragimbertus *abbas Leuconaënſis, fortè idem cum S. Rithberto vel Raimberto* 79 f, 80 a d
Raimundis (*Anſelminus de*) *notarius ſcripſit Miracula B. Rolandi de Medicis* 118 f
Rainaldus *comes Barenſis* 557 f, 558 a, 559 e, 560 d e f, 561 c e f, 562 a b
Rainaldus *Rainaldi, Barenſis comitis, filius* 558 a, 560 c e, 561 a f, 562 b d
Rainulphus *Normannus, comes Averſanus* 397 f, 415 a, 416 d, 429 a b
Ramirez de Haro (*Antonius*) *epiſcopus Roderico-politanus, Aurienſis, Calagurritanus, ac deniique Segovienſis* 870 e f
Rancatus (*Hilarion*) *examinator Operum S. Thomæ à Villanova* 964 a, 971 b
Rangarius *Grimoaldi interfector* 538 c, 551 a
Rapacciolus (*Franciſcus Angelus*) *S. R. E. Cardinalis* 999 b, 1000 e, 1031 c, 1032 c, 1034 f
Raſtizes *Moraviæ rex* 343 b d, 355 e f, 357 c
Ratiſlaus *Moraviæ rex. Vide* Raſtizes.
Ravilaudus *abbas Vallilienſis* 20 f
Raynaldus *epiſcopus Salpitanus* 389 d
Real (*Joachimus*) *J. U. D., teſtis in Valentino proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 825 a
Real (*Michaël*) *judex eccleſiaſticus aulæ epiſcopalis Valentiæ* 926 f
Real (*Thomas*) *à conſiliis S. Thomæ à Villanova* 885 b, 893 c
Reginaldus *abbas S. Guilielmi* 441 d
†Reginfridus *archidiaconus martyr, inter Prætermiſſos* 466 d
†Regulus 321 b
Reiffenberg (*Alheidis de*) *abbatiſſa Montis S. Ruperti adſtitit viſitationi reliquiarum S. Hildegar-*

dis 677 d
Reinerus *monachus ad S. Laurentium Leodii, non ſcripſit Vitam S. Lamberti epiſcopi* 518 b, 520 c d. *Scripſit Triumphale ejuſdem Bullionicum* 557 b c d e
† Remaclus *abbas Solemniacenſis & epiſcopus Trajectenſis* 522 b c, 524 b, 529 e, 576 b, 589 c e, 590 f, 603 f, 604 c, 606 f, 607 f, 608 d, 610 a
† Remigii *epiſcopi reliquiæ Caſini* 415 d e
† Remigius *epiſcopus Remenſis* 330 a b c d, 331 c, 332 a, 522 c d
Renatus *Andegavenſis, Provinciæ comes & Siciliæ rex* 129 c, 150 e, 152 e f, 436 e, 454 b
Renatus *Lotharingiæ dux* 116 f
Reſtitius *Moraviæ rex. Vide* Raſtizes.
Reynoſo (*Franciſcus de*) *epiſcopus Cordubenſis* 104 a b, 337 b
Rheticius *epiſcopus Gallicanus intereſt concilio Romano ſub S. Melchiade Papa* 777 a
Ribera (*Joannes*) *patriarcha Antiochenus & archiepiſcopus Valentinus* 834 b, 872 b, 887 a, 891 a. *Jubet confici proceſſus de virtutibus & miraculis S. Thomæ à Villanova, ejus cultum decernit, & corpus elevat* 958 f, 959 a b. *Item alia* 959 d
Richardis *abbatiſſa, antè diſcipula S. Hildegardis* 641 a b
† Richardus *abbas S. Vitoni Virdunenſis* 509 c d, 510 a b f, 511 a
Richardus I *comes Averſanus & Capuæ princeps* 383 e f, 385 d e, 386 b c, 390 f, 391 a e, 392 a f, 393 a, 394 a b c d e, 405 f, 407 c d, 408 c e f, 409 a f, 410 f, 414 f, 415 a, 416 d, 420 b c, 421 a, 422 c
Richardus *abbas S. Victoris Maſſilienſis, S. R. E. Cardinalis* 375 f, 377 a, 398 f, 433 b c, 434 d
Richardus *abbas de Sprinchersbat ſcribit ad S. Hildegardem* 647 d e
Richardus de Aquila *benefactor monaſterii Caſinenſis* 420 e
Richardus Barri *Ordinis Prædicatorum, inter Prætermiſſos* 4 c
Richerius *abbas Caſinenſis* 405 d, 406 f, 409 f, 418 d, 420 b
Rieden (*Florianus*) *canonicus & officialis Argentinenſis, adſtitit tranſlationi corporum SS. Einbettæ Vorbettæ & Villbettæ virginum* 317 b
Rieger (*Udalricus*) *ſacræ theologiæ & canonum doctor, corpora SS. Leontii, Baſilii & Lucinæ martyrum Româ in Helvetiam transfert* 196 c d
Rigobertus *archiepiſcopus Remenſis* 553 f
Rincon (*Joannes*) *Eremita Auguſtinianus, ſocius S. Thomæ à Villanova* 865 a, 876 c d e, 877 a b e, 878 b c, 886 e, 940 d e
Rioldus *iniquus infeſtator eccleſiæ Trajectenſis* 539 e f, 540 a & ſeqq., 542 b, 543 c e f, 544 a b c, 545 a b, 548 a b, 577 b, 578 d, 587 c d, 597 d e, 599 d f, 617 c d
Riſus I *epiſcopus Sernienſis, ſeu Sarnenſis* 389 d
Robæus (*Joannes*) *Societatis Jeſu Duacum detulit brachium S. Niniani epiſcopi* 327 c
† Robertus *de* Arbriſſello, *fundator Ordinis Fontis-Ebraldi* 628 c d e f
Robertus *Francorum dux* 80 f
Robertus *epiſcopus Florentinenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Robertus *Langonenſis, epiſcopus Leodienſis* 573 f
Robertus de Bello Prato, *benefactor monaſterii Caſinenſis* 391 e f
Robertus de Laurotello *comes* 411 e
Robertus Guiſcardus *Apuliæ & Calabriæ dux* 392 f, 393 b f, 394 a & ſeqq., 395 b c d e f, 396 a b f, 397 f, 406 d, 407 f, 408 a e, 410 f, 412 a b, 414 a, 415 a, 425 d e f, 426 a b c d, 427 a b c d, 430 e, 432 d
Roca (*Franciſcus*) *decanus capituli Valentini* 952 f, 954 e. *Curavit erigi mauſoleum S. Thomæ à Villanova* 956 d
Rocca (*Franciſcus*) *J.U.D. Capellanus regis Catholici, canonicus Valentinus, teſtis in Valentino proceſſu S. Thomæ à Villanova* 824 f, 825 a
Rodericus de Cantos *Prior conventûs Donnenſis Eremitarum S. Auguſtini* 809 d
Rodriguez (*Hieronymus*) *Societatis Jeſu* 1023 c, 1025 f
Roefs (*Criſpinus*) *canonicus parvæ menſæ Leodienſis* 564 f
Roffridus *abbas Caſinenſis* 428 a
† Rogellius *martyr Cordubenſis* 618 b, 621 c, 625 e
† Rogerius *archiepiſcopus Bituricenſis, inter Prætermiſſos* 249 c
Rogerius *Apuliæ & Calabriæ dux* 376 c, 377 c d e, 426 d, 428 b, 429 f, 430 e f, 431 a
Rogerius *epiſcopus Civitatenſis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Rogerius *Franciſcanus, inter Prætermiſſos* 4 e, 251 b
Rogerius *ſocius B. Gandolphi* 705 f, 706 a
Rolewink (*Wernerus*) *Cartuſianus* 458 b
Rollo *Normannorum dux baptizatus* 80 f, 81 a
Roma (*Julius*) *S. R. E. Cardinalis* 1012 a
† Romanus *miles martyr Romæ* 471 d, 475 b f
Romanus *Diogenes imperator Orientis* 417 a b, 419 d
Romerius (*Vincentius*) *notarius Rotæ Romanæ* 960 d
† Romualdus *Camaldulenſium fundator* 304 b, 305 c d
Roncaglia (*Jacobus*) *Ordinis Minorum Conventualium, teſtis in proceſſu beatificationis B. Joſephi à Cupertino* 1007 e f
Roricus *presbyter teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 697 e, 700 a
Royas (*Bernardus*) *archiepiſcopus Toletanus, S. R. E. Cardinalis* 959 e, 960 a
Rubeis (*Petrus de*) *promotor fidei* 739 e, 748 e f
Rudolphus II *imperator* 353 f, 354 a
Rudolphus *vel* Radulphus *epiſcopus Leodienſis* 568 d e f, 569 a, 663 d
Rudolphus Corbæus *Societatis Jeſu prebyter pro Fide ſuſpenſus, inter Prætermiſſos* 759 b
Ruffus (*Thomas*) *epiſcopus Prænestinus, S. R. E. Cardinalis* 187 f
Ruiz (*Georgius*) *doctor canonicus Salmanticenſis, teſtis in Caſtellano proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 d
Ruiz (*Sancia*) *mater B. Petri Arbueſii* 730 d e, 731 a b, 752 b
† Rumoldus *epiſcopus martyr, Mechlinienſium apoſtolus* 535 d e f
† Rupertus *Bingii dux* 681 c, 682 f
Ruricius *epiſcopus Lemovicenſis* 784 b
† Ruſticus *monachus ſeculo* V 49 d, 51 e. *Ejus corpus Piſis* 48 c
Ruthardus *primus abbas Eberbacenſis ſcribit ad S. Hildegardem* 641 c
Rycffridus *filius S. Luthardi comitis Cliviæ* 106 b d, 108 c f, 111 b

S

† Saba *Gothus martyr* 38 e
Sabellus (*Fabritius*) *S. R. E. Cardinalis* 973 e f, 974 a

Sabellus (*Lucius*) *Ariani dominus* 294 a
† Sabigotho *martyr in Hiſpania* 620 e f
† Sabinus *epiſcopus Canuſinus* 423 e, 424 e f, *Ejus corporis tranſlatio Atripaldæ, inter Prætermiſſos* 249 c
† Sabinus *Spoleti* 297 e f, 298 a
Sacchettus (*Julius*) *epiſcopus Sabinenſis, S. R. E. Cardinalis* 739 f, 749 a, 801 c, 965 b, 971 d, 1034 f
Sacratus (*Franciſcus*) *archiepiſcopus Damaſcenus, auditor Rotæ Romanæ* 748 b, 801 a, 960 d
Saint-Martin (*Simplicianus*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, edidit Vitam S. Thomæ à Villanova* 800 e
† Salaberga *virgo abbatiſſa* 64 c
Salamanca (*Petrus de*) *Ordinis Prædicatorum, amicus S. Thomæ à Villanova* 893 c, 951 b, 952 c
Salaverte (*Antonius*) *maritus Iſabellæ, ſororis B. Petri Arbueſii* 731 a, 733 e
Salaverte (*Joannes Gracianus*) *Ordinis B. M. V. de Mercede, ſcripſit Vitam Hiſpanicam B. Petri Arbueſii* 729 d
Salaya (*Joannes de*) *univerſitatis Valentinæ rector perpetuus* 858 f, 859 a
Salazar (*Andreas de*) *Eremita Auguſtinianus, miſſionarius in Peruvia* 813 b, 868 a
Saleoſus *inter Prætermiſſos* 466 a b
Sallier (*Claudius*) *cuſtos bibliothecæ regiæ Pariſinæ* 263 c
Salonius (*Michaël*) *Eremita Auguſtinianus, biographus S. Thomæ à Villanova* 799 f, 800 a b c d f, 801 d e, 823 d e f, 824 a, 835 d, 958 d e f, 959 f, 990 d
† Saltus *vel* Salutus, *aut* Salvus, *martyr, inter Prætermiſſos* 250 f
Salvaticus (*Joannes Baptiſta*) *abbas viſitator Canonicorum Regularium S. Salvatoris Placentiæ* 262 b
† Samſonis *epiſcopi corpus tranſlatum Pariſios* 782 f
† Sancia *filia regis Luſitaniæ, Ordinis Ciſtercienſis* 373 c e
† Sanctinus *aut* Sanctia *martyr Nuceriæ, inter Prætermiſſos* 466 e
Sanfelicius (*Antonius*) *epiſcopus Neritonenſis* 994 f
Sanſo *benefactor monaſterii Caſinenſis* 393 c
Santari *eremicola, B. Victoris II Papæ, olim magiſter* 382 c e, 403 a b, 404 f
Santotis (*Chriſtophorus de*) *Eremita Auguſtinianus, Hiſpaniæ regis theologus in concilio Tridentino* 855 c d e, 857 a e
Sanz (*Martinus*) *teſtis prodigioſi ſanguinis B. Petri Arbueſii* 737 c
Sarabertus *presbyter ſcripſit memorias de SS. Landoaldo & ſociis* 523 e f
Saracenorum *in Chriſtianos tyrannis in Hiſpania* 102 c f, 104 a & ſeqq., 105 a b d e. *Eorum clades in Africa ſub B. Victore III Papa* 398 c d, 432 a. *Eccleſia S. Ferreoli ab iiſdem incenſa* 762 e
† Satyrus *frater S. Ambroſii, inter Prætermiſſos* 756 d e
Savina *filia Adalberti, Alemanniæ ducis* 333 e
Sauli *S. R. E. Cardinalis* 167 f
Sauvajot *canonicus cantor Trenorchienſis munificus in S. Valerianum martyrem* 27 b
Saxo *epiſcopus Nolanus* 389 d
Schlitzweck (*Franciſcus*) *canonicus Argentinenſis, adſtitit tranſlationi corporum SS. Einbettæ Vorbettæ & Villbettæ virginum* 317 b
Scifridus *paciſcitur cum B. Deſiderio abbate Caſinenſi de caſtello Saraceniſco* 424 c d
Scotus *abbas, interfuit concilio Baſileënſi* 447 b
† Scubilionis *monachi corpus in monaſterio Siſiaco* 781 a, 782 a e
† Sebaſtiana *V. M. Heracleæ, inter Prætermiſſos* 249 e
† Sebaſtiani *reliquiæ Caſini* 415 b c d e
Sebaſtianus *presbyter S. Nicomedis in concilio Romano ſub S. Symmacho* 7 e
† Secunda *martyr, inter Prætermiſſos* 250 e f
Segrian (*Joannes*) *S. Thomæ à Villanova familiaris, viſitator diœceſeos ejuſdem, & epiſcopus ſuffraganeus ac tandem epiſcopus Saſſarenſis* 827 b, 828 c d, 855 f, 857 c, 885 a c e f, 893 c, 918 a, 935 f, 945 c d e f, 946 a, 949 f, 951 b, 952 b c d e, 953 b c, 954 a e, 955 b e, 956 b c, 977 a
Seguinus (*Petrus*) *epiſcopus Aurienſis in Gallæcia, an corpus alicujus S. Euphemiæ tranſtulerit* 285 b & ſeqq., 286 a & ſeqq.
† Seleucus *martyr, inter Prætermiſſos* 2 d
Sena (*Ludovicus de*) *canonicus Toletanus, teſtis in Caſtellano proceſſu canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 e
† Senator *epiſcopus Mediolanenſis* 261 d e
Seneca (*Antonius*) *decanus eccleſiæ majoris Mediolanenſis capita SS. Victoris & Satyri repoſuit in thecis argenteis* 495 e f, 496 a b
Seniorectus *abbas Caſinenſis* 380 a
† Sennen *inſignes reliquiæ Caſini* 415 b
Senſus *laicus Ordinis Minorum, inter Prætermiſſos* 465 e f
† Senzius *presbyter* 49 a b c d
Septalius (*Henricus*) *archiepiſcopus Mediolanenſis* 780 b
Seranio (*Joannes de*) *decanus capituli Leodienſis* 565 b
† Serapion *martyr, inter Prætermiſſos* 2 c
† Sergii *reliquiæ Caſini* 419 c
† Sergius I *Papa* 260 f, 526 f, 534 f, 535 a b, 537 b & ſeqq., 538 a & ſeqq., 541 c d, 567 a, 603 c, 609 e, 610 b, 612 e, 616 a b c, 617 d e
Sergius *dux Neapolitanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 415 a
Sergius *dux Surrentinus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 415 a, 416 d
Sergius *corpus S. Euphemiæ V. M. Chalcedonenſis è mari levat & in inſulam Lemnum transfert* 276 e f, 277 a b, 278 e, 281 d
Sergonas *corpus S. Euphemiæ V. M. Chalcedonenſis è mari ſublatum in inſulam Lemnum transfert* 276 e f, 277 a b, 278 e, 281 d
Serianus (*Gabriël*) *advocatus aulæ conſiſtorialis Pontificiæ* 187 b
Seripandus (*Hieronymus*) *Prior generalis Ordinis S. Auguſtini, deinde epiſcopus Salernitanus & S. R. E. Cardinalis* 808 f, 809 a & ſeqq., 810 a & ſeqq., 815 b c d e f, 816 a & ſeqq., 817 a, 853 e f, 861 b c, 867 a, 871 a b c, 874 d e f, 876 b
† Servatii *Trajectenſis epiſcopi mentum Romæ in baſilica S. Petri* 567 b d e. *Ejuſdem ſacellum Romæ* 568 a b c. *Ejuſdem corpus Trajecti* 617 a
† Servio-Deo *martyr Cordubenſis* 618 b, 621 c, 625 e
Servius Tullus *Romanorum rex* 302 b
Severianus *epiſcopus Gabalorum in Syria, ſcripſit aliquot Homilias* 426 f, 428 c
† Severus *epiſcopus Abrincenſis* 780 c, 781 d e f, 782 a. *Ejus reliquiæ Ludovico XIII Galliæ regi donatæ* 782 c d e
Severus *diaconus Mediolanenſis ſubſcripſit concilio Art-*

Arelatenſi I 777 a
† Sevoldi *reliquiæ in abbatia Leuconaënſi* 79 c f
Sfondratus *S. R. E. Cardinalis* 496 a
Sfortia (*Alexander*) *Piſauri dominus* 569 c
Sfortia (*Franciſcus*) 132 a
Siconulfus *præpoſitus monaſterii Benedictini S. Sophiæ apud Beneventum* 382 c, 403 cd
Sido, *inter Prætermiſſos* 759 c
† Sidonius Apollinaris 61 e f, 62 abc, 761 d, 762 b
Sidonius *inter Prætermiſſos* 463 b
Sierra (*Joannes*) *Eremita Auguſtinianus, S. Thomæ à Villanova familiaris, deinde epiſcopus Boſenſis* 844 b c, 845 a
† Sigebertus *rex Auſtraſiæ* 521 f, 524 b, 589 c, 591 ad, 592 f, 593 e, 603 e, 604 f, 605 cd, 606 f
Sigebertus *rex Orientalium Anglorum, inter Prætermiſſos* 466 f
Sigebertus *Gemblacenſis ſcripſit geminam Vitam S. Lamberti epiſcopi* 518 b, 520 bc, 521 b, 522 a, 589 a, 603 b, 617 c
Sigefridus III *archiepiſcopus Moguntinus* 630 f
Sigiſmundus *imperator* 106 e, 443 d
Sigiſmundus III *Poloniæ rex* 1037 a
† Sigo *aliàs* Sequanus *presbyter confeſſor, inter Prætermiſſos* 759 b
Sigolinus *abbas Stabulenſis* 529 f
Sikelgaita *vidua Roberti Guiſcardi, Apuliæ & Calabriæ ducis* 396 e, 426 abcde, 427 c, 429 f, 430 e
† Silveſter I *Papa* 306 e
Silveſter II *Papa* 304 f, 305 c
Silus *confeſſor, inter Prætermiſſos* 758 d e
† Simeon *epiſcopus Hieroſolymitanus, inter Prætermiſſos* 755 c
† Simeon Stylites 138 a
† Similinus *presbyter confeſſor, inter Prætermiſſos* 463 ab
Simius (*Antonius*) *notarius Romanus, ſcripſit inſtrumentum donationis reliquiarum S. Mamiliani* 47 bcdef
Simon de Bria *S. R. E. Cardinalis, poſtea Pontifex, Martinus IV dictus, transfert corpus S. Floſcelli martyris* 478 c, 479 bc
Simon *eremita Camaldulenſis, inter Prætermiſſos* 466 f
Simon (*Bernardus*) *incola Valentinus, S. Thomæ à Villanova familiaris* 872 b
† Simonis *apoſtoli reliquiæ Caſini* 415 c
Siricius *Papa* 321 a, 323 f, 324 a
Siſinnius *Papa* 538 b
Sithricus *Northumbrorum rex* 365 a f, 366 abc
† Sixtus II *Papa martyr* 470 b f, 471 cd, 476 c
Sixtus IV *Papa* 753 a, 754 e
Sixtus V *Papa* 168 ab, 261 b, 913 f
Slavibor *comes, pater S. Ludmillæ, duciſſæ Bohemiæ* 341 f, 342 a, 344 e, 345 ad, 347 c, 358 c, 360 b
Slaunicus *comes Libicenſis, pater S. Adalberti, epiſcopi Pragenſis* 340 f
Slawoſſius *Tetkæ, Croci II Bohemiæ principis filiæ, maritus* 340 a
Smidts (*Joannes*) *Prior provincialis Eremitarum S. Auguſtini in Belgio* 976 d
Sobrino (*Franciſcus*) *doctor, canonicus eccleſiæ Valliſoletanæ, teſtis in proceſſu Caſtellano canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 d
Solis (*Rodericus de*) *vir præclarus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* 870 bcde
† Sophia *martyr, mater SS. Fidei, Spei & Charitatis, inter Prætermiſſos* 249 e, 463 b
† Sophia *cum* Irene *martyr, inter Prætermiſſos* 466 d
Sophia *Juſtini Junioris imperatoris conjux* 279 c
Sophia *monialis in Monte S. Ruperti teſtis in Actis de virtutibus &c S. Hildegardis* 697 e, 699 a
Sora *doctor, & procurator S. Thomæ à Villanova* 885 b
Soriz *Prior Fontebraldenſis, miſit notitiam de B. Reginaldo eremita* 628 cd
† Soſtenes *martyr Chalcedonenſis* 269 f, 270 a, 271 d ef, 273 c. *Inter Prætermiſſos* 250 a
† Soter *virgo martyr, SS. Ambroſii & Satyri conſanguinea* 508 a
Soto (*Franciſcus*) *Vitam S. Thomæ à Villanova Italicè vertit ediditque* 800 e, 990 e
Sotus (*Dominicus*) *Ordinis S. Dominici, Caroli V imperatoris confeſſarius* 825 f, 828 ab, 840 a, 870 af, 912 bc
Souciet (*Stephanus*) *Societatis Jeſu presbyter, de Muſeo noſtro bene meritus* 20 d
Sperandius (*Joannes*) *ſicarius B. Petri Arbueſii* 733 ef, 734 ab, 753 e f, 754 ab
† Speratus *martyr, inter Prætermiſſos* 250 ef
† Spes *V. M., inter Prætermiſſos* 249 e, 463 b
† Speuſippus *inter Prætermiſſos* 755 b
Spinula *familia illuſtris Genuenſis* 131 ef
Spinula (*Georgius*) *S. R. E. Cardinalis* 127 b, 175 e, 176 c, 186 e
Spinula (*Julius*) *S. R. E. Cardinalis* 180 a, 1004 e, 1036 f
Spitigneus *S. Ludmillæ filius, Bohemiæ dux* 345 d, 346 be f, 347 ab c, 349 ab, 358 cd f, 360 bc
† Stephani *protomartyris inventio, inter Prætermiſſos* 5 d. *Ejus ſanguis Caſini* 415 c
† Stephania *virgo martyr, inter Prætermiſſos* 756 b
† Stephanus I *Papa martyr* 62 f, 63 a. *Ejus reliquiæ Caſini* 415 cd
† Stephanus *martyr apud Marſos, inter Prætermiſſos* 466 d
Stephanus IX, *aliis X, Papa* 374 d, 383 f, 384 a bc, 387 f, 405 df, 406 abcde
Stephanus X *Papa* 375 c
Stephanus *S. R. E. Cardinalis, ſocius B. Deſiderii, apocryſiarii ad imperatorem Orientis* 406 bde
Stephanus *S. R. E. presbyter Cardinalis interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 e
Stephanus *epiſcopus Trojanus interfuit dedicationi eccleſiæ Caſinenſis* 389 b
Stephanus *epiſcopus Leodienſis, biographus S. Lamberti epiſcopi* 518 b, 519 def, 520 ae, 521 b, 554 ef, 581 e, 582 cd, 602 f, 603 a
Stephanus I *abbas Trenorchienſis reliquias S. Valeriani martyris elevari curat* 17 ef, 18 e, 19 f, 20 af, 21 d, 26 bcf, 27 b & ſeqq., 28 abc, 29 d
Stephanus *Converſus Clara-vallenſis, inter Prætermiſſos* 466 c, 756 ef, 757 a & ſeqq., 758 a
Stephanus *ſecundus abbas Bellilocenſis* 511 e, 516 ef
Stephanus *abbas Ordinis Ciſtercienſis, inter Prætermiſſos* 759 b
Stirpius (*Scipio*) *notarius ſubſcripſit inſtrumento viſitationis B. Rolandi de Medicis* 118 e
† Strato *martyr, inter Prætermiſſos* 2 cd
Stroymir *à ſeditioſis gentilibus Bohemiæ dux electus* 343 f, 344 a, 345 e, 356 def, 358 a
Strzezyſlava, *Boleſlai I Bohemiæ ducis filia, mater S. Adalberti epiſcopi Pragenſis* 340 f, 355 a
Suanus *Danorum rex* 372 d

Sueci *in Alsatiam irrumpunt* 335 d. *Combusserunt monasterium S. Hildegardis* 670 e f, 677 e
Suñen de las Pedrosas (*Joanna*) *abavia B. Petri Arbuesii* 730 f
† Susannæ *vestium reliquiæ Casini* 415 d
Swatoplukus *Moraviæ rex* 342 d e f, 343 a & seqq., 344 a b c d f, 345 b c e, 355 e f, 356 a b d, 357 c d
Sydonius *monachus S. Filiberti abbatis Gemmeticensis* 89 c d e f, 90 a b c d f
Syette (*Petrus*) *canonicus & præcentor Andegavensis, delegatus in causa translationis B. Reginaldi eremitæ* 626 e, 628 a b
Sylvester Vicentinus *Ordinis Eremitarum S. Augustini* 810 d
† Symmachus *Papa* 7 e
Symmachus *S. Satyri amicus* 488 c, 489 a b, 491 a, 500 c, 502 a, 507 b

T

Tabitha *vidua, à S. Petro apostolo resuscitata* 500 a, 502 a
Talauera (*Joannes*) *Ordinis Prædicatorum, inquisitor fidei in Aragonia* 736 d
† Taracho *martyri templum ædificatum* 42 c
† Tarasius *patriarcha Constantinopolitanus* 281 f, 282 b, 283 b
Tarbis *filia regis Æthiopum* 590 d, 591 b
† Tarrasis *fortè idem cum S. Tarrasio patriarcha Constantinopolitano, inter Prætermissos* 463 f, 464 a b c d e
Tatis (*Ermenegildus*) *abbas Olivetanus, testis miraculi per S. Catharinæ Genuensis opem impetrati* 191 c
Tavera (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis, archiepiscopus Toletanus* 814 e, 869 c, 873 b c d, 874 a, 875 f, 876 c
Tauromina (*Emmanuel*) *vicarius Alicantensis, testis in processu de cultu B. Gandolphi* 725 a
Taxandri *per S. Lambertum ad Christi sacra adducti* 533 f, 534 a b c d e, 577 a, 578 c, 586 e f, 594 d e f, 595 a b c d e, 603 a, 609 a b c d e
Tenaglia (*Julia*) *equitis Bentivoglio uxor* 1048 d
Tenaglia (*Virginia*) *illustris infans per B. Josephum à Cupertino sanata* 1048 c d e
† Terentii *martyris reliquiæ Constantinopolim translatæ* 259 c
† Terentius *martyr, inter Prætermissos* 4 f
Teres *præfectus Thraciæ sub Galerio Maximiano* 30 f, 31 f, 32 a c, 33 d e f, 34 a b c, 35 d e f, 36 a b
† Teresia *virgo fundatrix sui Ordinis* 136 b
† Teresia *seu* Tarasia *ex regina Legionensi, Ordinis Cistercienſis* 373 c e
Tertillus *dominus* (*ut fertur*) *S. Ariadnes martyris* 469 c e
Tetka *Croci II Bohemiæ principis filia* 340 a
Teutsinda *vel* Theodosinda, *Radbodi ducis Frisonum filia* 602 b
† Thecla *V. M.* 252 c
Thecla *nobilis matrona Tornacensis, inter Prætermissos* 755 c e
Theobaldus *electus episcopus Castellanus, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis, & ibidem consecratur* 389 b
Theobaldus *abbas Casinensis* 415 b
Theobaldus *intrusus in archiepiscopatum Mediolanensem* 377 c
Theobaldus *frater Grimoaldi Boiorum ducis* 544 e
Theobertus *abbas Theologiensis* 510 c
† Theodardus *episcopus Trajectensis* 523 f, 524 a & seqq., 525 a & seqq., 536 e f, 544 b, 545 a, 553 a c, 574 e f, 575 f, 576 a, 582 f, 583 a b, 584 b, 590 b e f, 591 b c, 604 c d e, 605 b c
Theodinus *comes Valvensis monasterii Casinensis benefactor* 390 d e, 420 d
Theodinus *Triventinus, benefactor monasterii Casinensis* 396 b
Theodoaldus *Pippini Heristalli ex Grimoaldo filio nepos* 538 d e
Theodoënus *discipulus vel famulus S. Lamberti episcopi* 518 d e, 519 a, 529 f, 575 b, 592 f, 606 e
† Theodora *martyr sub Trajano* 484 c
† Theodora *matrona Romæ corpora Sanctorum sepelit* 293 e, 294 a, 298 e f, 300 f, 301 b e, 302 f, 303 b. *Ejusdem corpus inventum & translatum Romam* 305 e f, 306 a b c d f
Theodora, *inter Prætermissos* 756 c d, 758 c
Theodora, *vel* Theodorisiana *mater S. Euphemiæ V. M. Chalcedonensis* 253 c, 267 d e, 270 b, 273 b
Theodoricus II *Francorum rex* 333 f
Theodoricus III *rex Neustriæ, deinde monarcha Francorum* 88 f, 526 c, 528 d e f, 529 a b, 532 a b c e, 591 f, 592 a c d, 593 e, 594 b, 601 e, 605 f, 606 a, 607 e f, 608 b c, 611 c, 612 b, 617 b
Theodoricus *Gothorum rex in Italia* 408 b
Theodoricus *filius Childerici III Francorum regis* 531 d
Theodoricus *abbas Trudonopolitanus* 629 c f
Theodoricus *biographus S. Hildegardis virginis Bingianæ* 629 c f, 630 a b c d, 677 a b, 679 c d e, 683 a b c, 699 b
Theodorus Bestus *scriptor Actorum S. Euphemiæ V. M. Chalcedonensis* 266 b d
Theodosius I *Magnus, imperator* 259 c, 321 a b, 488 e, 489 f, 490 c d, 499 c
Theodosius II *imperator* 254 a, 321 a b
Theodote *martyr, inter Prætermissos* 467 a
† Theodotus *martyr, inter Prætermissos* 250 a, 463 c
Theoduinus *episcopus Leodiensis* 572 b
Theomarus *abbas S. Mansueti Tullensis* 60 e
Theophila *mater S. Philothei presbyteri* 114 d
Theophilus *Gothorum metropolita* 38 b c, 39 e, 40 c, 41 d, 43 b
Theophilus *diaconus. Vide* Albericus diaconus.
Therasia *uxor S. Paulini episcopi Nolani* 59 e
Thermut *Pharaonis filia* 590 d
† Thomas *apostolus* 320 b. *Ejus reliquiæ Casini* 415 c
† Thomas à Villanova *archiepiscopus Valentinus, inter Prætermissos* 466 e
† Thomas *sive* Thomasuccius *tertii Ordinis S. Francisci, inter Prætermissos* 5 a d
Thomas de S. Maria, *Ordinis Prædicatorum, inter Prætermissos* 758 a b
Thomas, *inter Prætermissos* 4 b
Thomas Corcellus *interfuit concilio Basileensi* 447 b, 449 a
Tiberius Apsimarus *imperator Græcorum* 617 b f
Tiberius discipulus, *inter Prætermissos* 758 b
Tiensa (*Michaël*) *vicarius ecclesiæ xenodochii generalis Valentiæ* 879 f, 880 a b
Tils (*Bruno de*) *canonicus S. Materni* 564 f
Timotheus *episcopus Avellinensis seu Abellinensis* 389 d
Titus *commentitius episcopus Byzantinus* 259 e

Titus (*Annius Aurelius*) *consul Romanus* 16 b
Tobias *quintus episcopus Hierosolymitanus, inter Prætermissos* 467 d
Torchytorius *regulus seu judex in Sardinia* 379 c d e f, 380 a b, 410 c d
Torre (*Anna de la*) *matrona Burgensis, per S. Thomam à Villanova ad sanctam vitam inducta* 850 c
Torre (*Augustinus de la*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini* 809 d
Torre (*Didacus de la*) *electus Prior provincialis Eremitarum S. Augustini in Castella* 806 f, 807 a. *Deinde Prior Salmanticensis* 808 a b
Tortis (*Neria de*) *abbatissa S. Matthæi Pisis* 48 c
Totila *Gothorum rex* 324 e f
Trajanus *imperator* 484 c
Trajectenses *oppidani in regno Neapolitano, Casinensibus infesti, coërcentur* 385 b c d e f, 407 b
Transmundus *abbas Tremitensis, deinde S. Clementis, ac denique episcopus Valvensis* 386 e f, 387 a d e, 411 e f, 412 a
Trasiera (*Alphonsus de*) *Eremita Augustinianus, S. Thomæ à Villanova familiaris* 868 a
Trasimundus *comes Theatinus* 381 e, 396 c d, 403 f, 404 a, 405 a
Trasmiera (*Didacus Garzias de*) *scripsit Vitam Hispanicam B. Petri Arbuesii* 729 d
Tresneda (*Bernardus de*) *episcopus Cordubensis* 103 f
Trevirenses *à S. Hildegarde instructi* 651 a b c d e
Tristanus *sicarius B. Petri Arbuesii* 733 e f, 734 a
† Trophimi *corpus Arelate* 437 d, 456 e
† Trophimus *martyr, inter Prætermissos* 759 c d
† Tryphonia, *vidua Decii imperatoris* 472 b
Tudwaldus *rex, (ut fertur) apud Pictos* 325 c
Tumia *interfector S. Ludmillæ. Vide* Cumia
Turpio *episcopus Lemovicensis* 786 e
Turrecremata (*Thomas de*) *Ordinis Prædicatorum, generalis Hispaniæ inquisitor* 732 e f, 753 b
Turrellas (*Martinus de*) *testis prodigiosi sanguinis B. Petri Arbuesii* 736 d
Turribus (*princeps de*) *transtulit corpus S. Ferreoli episcopi Lemovicensis* 783 c e, 786 a
Tuto *episcopus Ratisponensis, corpus S. Ludmillæ, Bohemiæ ducissæ & martyris, Pragæ tumulavit* 351 c d f, 352 a b c, 362 f, 363 a b e
Tyard (*Cyrus*) *episcopus Cabilonensis* 21 c
Tyberghein (*Maria Anna*) *Priorissa S. Catharinæ à Sion Cortraci* 326 c
† Tychicus *discipulus S. Pauli apostoli* 468 a d e
† Tyrannio *episcopus Tyri & martyr* 769 c
† Tyrsus *martyr, inter Prætermissos* 250 f

V

VAges (*Anticus de*) *notarius Cæsaraugustanus, fecit instrumentum de prodigio sanguinis B. Petri Arbuesii* 737 e
Vaguer (*Joannes*) *canonicus Cæsaraugustanus, procurator causæ beatificationis B. Petrii Arbuesii* 729 e, 750 d, 751 a b d
Valens *imperator* 38 f, 39 a & seqq., 40 a d, 41 d, 43 b c, 324 b, 488 c
Valenti (*Ludovicus*) *promotor Fidei* 1013 e, 1044 f
† Valentini *reliquiæ Casini* 415 d
Valentiniani *hæretici, à S. Methodio oppugnati* 772 e
Valentinianus I *imperator* 321 c, 323 f, 324 b
Valentinianus II *imperator* 321 c, 489 b c d f, 490 c d e, 491 a, 499 c
Valentinianus III *imperator* 49 d, 424 e
Valeottus *gubernator Assisii* 1000 c
Valerianus *imperator* 470 f, 471 a, 474 c, 475 e f, 476 e, 768 c, 769 f
† Valerius, *inter Prætermissos* 756 e
Valletta *magnus Magister Ordinis equitum Melitensium* 262 d
Ubaldus *archiepiscopus Pisanus* 48 c
Ubaldus *episcopus Sabinensis, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 a, 415 b
† Udalricus *episcopus Augustanus Vindelicorum* 300 c d
† Vedasti *episcopi Atrebatensis corpus translatum* 527 b c d e f
Vela (*Agnes*) *monialis Burgensis, à S. Thoma à Villanova ad sanctimoniam inflammata* 850 d e
Velasco *doctor, canonicus Burgensis, deinde episcopus Rodericopolitanus* 868 e. *Vide* Ramirez de Haro Antonius
Velasco (*Petrus*) *militiæ Castellanæ præfectus* 873 b d
† Vendemius *monachus seculo* V 49 d e, 51 d. *Ejus corpus Pisis* 48 c
Verdolay *præclarus concionator Valentiæ, postea Carthusianus* 947 a
Vergara (*Joannes*) *doctor sacræ Theologiæ Compluti* 825 f, 826 a, 828 b, 840 d, 908 b c
Vernaccia (*Baptista*) *canonica Regularis magnæ sanctimoniæ* 165 d e, 167 f, 168 a
Vernaccia (*Hector*) *discipulus ac fortè biographus S. Catharinæ Genuensis* 124 c d e, 149 e, 150 a, 165 c d e, 167 e f, 173 f, 176 f, 177 a
Verospius *S. R. E. Cardinalis* 1034 f
Vertavillo (*Didacus de*) *Eremita Augustinianus, missionarius in Mexico* 866 d, 868 a
Ugo *archiepiscopus Hydruntinus, interfuit dedicationi ecclesiæ Casinensis* 389 b c
Ugo *vicecomes pater* 398 d
Ugo *vicecomes filius in bello Africano mortuus* 398 d
Ugolinus (*Sebastianus*) *Siculus, sacræ Theologiæ doctor, reliquias S. Mamiliani Romæ impetrat* 48 a
Vicecomes (*Philippus*) *episcopus Catsacensis* 974 a b
Vich (*Michaël Hieronymus*) *canonicus Valentinus, testis in Valentino processu S. Thomæ à Villanova* 825 b, 927 d, 951 b
† Victor *martyr Romæ, inter Prætermissos* 249 c, 250 e f
† Victor *martyr Chalcedonensis* 250 a, 269 f, 270 a, 271 d e f, 273 c
† Victor *martyr apud Marsos, inter Prætermissos* 466 d, 756 e f, 757 a & seqq., 758 a
† Victor *martyr, inter Prætermissos* 756 a b
† Victor *episcopus Bracharensis, inter Prætermissos* 251 d e
† Victor *episcopus Cenomanensis* 330 f
Victor I *Papa* 319 a b
Victor II *Papa* 381 f, 404 c d e, 405 d, 409 b
Victoris Mauri *corpus Mediolani* 491 e, 492 b c d e f, 493 a & seqq., 494 a & seqq., 495 a b c, 508 d. *Ejusdem caput argenteæ thecæ inclusum ibid.* 495 d e f, 496 a b c
Victricius (*Alexander*) *episcopus Alatrinus* 196 b c d, 197 f
† Victurius *episcopus Cenomanensis* 329 c, 330 b, 331 a
Vigilius *Papa* 541 a d
Vigintimiliis (*Joannes de*) *marchio Hieracii & princeps Castriboni prodigiosè sanatus per B. Gandolphum* 726 c d e
Viginti quatuor seniores *Apocalypseos, inter Præter-*

termissos 758 a
Villacosa *vel* Villarasa (*Joannes de*) *gubernator Valentiæ* 830 b c, 835 a, 887 d e f, 888 a & seqq., 889 a & seqq., 890 a d e, 891 c e
Villana *abbatissa S. Matthæi Pisis* 48 c
Villasandino (*Antonius de*) *Ordinis Eremitarum S. Augustini* 806 f, 807 a, 809 c d, 810 c f
Villegas (*Alvarus de*) *canonicus ecclesiæ Toletanæ, doctor, testis in processu Castellano canonizationis S. Thomæ à Villanova* 824 c
Vincente *actuarius Valentinus* 830 f
† Vincentius *à Paulo* 176 a
Vincentius *Prior Cartusiæ Axpacensis* 672 e f
† Vindicianus *episcopus Cameracensis & Atrebatensis* 527 d e f, 553 f, 592 a, 593 e
Vique (*Michaël*) *canonicus ecclesiæ Valentinæ* 880 a b, 952 f, 954 c
† Viti *reliquiæ Casini* 419 b c
† Vitoni *corpus Virduni* 509 b
Vives (*Joannes Baptista*) *canonicus Valentinus ornavit sepulcrum S. Thomæ à Villanova* 958 d
Vivianus (*Marius*) *archipresbyter Urbinas* 1008 c
Vladislaus *Poloniæ rex* 1035 a, 1037 a
Ulphila *Gothorum metropolita à Catholica fide ad Arianismum deficit* 39 c d e f, 40 a, 41 d e, 43 c
Unnus *vel* Unno *archiepiscopus Bremensis, inter Prætermissos* 4 a b
Vodelricus *archiepiscopus Beneventanus* 404 b, 405 c
Volta (*Gabriel de la*) *aliàs* Venetus, *Prior Generalis Ordinis S. Augustini* 806 c, 807 d, 860 f, 861 a, 863 d
Volusianus *imperator* 470 c e, 475 f
Vossius (*Gerardus*) *præpositus Tungrensis* 567 d e f
† Urbanus I *Papa martyr* 397 a
Urbanus II *Papa* 377 b e f, 378 a, 387 c d, 389 c, 390 b, 398 c d e, 399 b, 425 a b, 430 b c, 434 d
Urbanus VIII *Papa* 19 d, 177 f, 179 d, 186 c, 340 b, 568 b, 739 e f, 758 e, 963 e, 971 b, 996 c e, 1000 b, 1012 e, 1021 f, 1031 e, 1032 d e, 1039 e, 1046 e
Urphilas *Gothorum metropolita. Vide* Ulphila.
† Ursicini, *episcopi Trajectensis ad Mosam, translatio, inter Prætermissos* 249 b c
† Ursmarus *abbas Lobiensis* 592 b, 593 f
† Ursula *virgo martyr* 315 f, 316 a b c f
Ursulina *virgo, inter Prætermissos* 466 c
† Ursus *episcopus Tullensis* 58 b, 60 b, 61 a. *Ejus corpus inventum* 60 d e f, 61 a
Usuardus *martyrologus corpora SS. Georgii & Aurelii martyrum ex Hispania in Galliam transfert* 103 a b
Vulchinus *abbas Sichemensis, Ordinis Cistercienſis, inter Prætermissos* 759 e f
† Vulganii *reliquiæ in abbatia Leuconaënsi* 79 c f
Vulpus *canonicus Valentinus* 830 a b. *Vide* Proxita.
Vurtigernus *Britonum rex* 319 f
Uzeda (*Petrus*) *collegii Ordinis Eremitarum S. Augustini in Complutensi academia rector, curavit editionem Operum S. Thomæ à Villanova* 821 b c d e f, 822 a b, 823 a b

W

Walafridus Strabo *scriptor* 426 f, 428 c
† Walarici *primi abbatis Leuconaënsis reliquiæ ibidem* 79 c f, 80 a
† Walburgis *virgo abbatissa Heidenheimensis* 550 e
Walcandus *episcopus Leodiensis* 570 a d e f
Waldricus *episcopus Ultrajectensis. Vide* Baldricus.
† Wandelinus *seu* Wendelinus, *abbas Tabuleiensis* 512 a b c d
Wando *abbas Fontanellensis* 100 d
† Wandregisilus *abbas Fontanellensis* 592 b, 593 f
Wango *abbas Trenorchiensis* 18 d
Warado *Major-domûs in Francia* 532 b e
Wedericus *abbas Lætiensis* 520 d, 570 a b c d f, 571 c, 602 d e f, 603 a b
Welpho *abbas Gemmeticensis* 98 f
† Wenceslaus, *Bohemiæ dux & martyr* 339 c f, 340 a b d e f, 341 a, 344 e f, 346 f, 347 b, 349 b c, 350 c d f, 351 a & seqq., 352 a b c, 354 c f, 358 f, 359 a b c d, 360 d e f, 361 d e f, 362 a b d e f, 363 a b d e
Wenilo *archiepiscopus Senonensis reliquias S. Valeriani adfert Vallilias* 20 e f
Weolstanus *Ellanduni comes in Anglia* 367 e
Wernerus de Kircheim *scribit ad S. Hildegardem, & ab ea responsum accipit* 652 a b c d
Wernharius *episcopus Angentoratensis, fundator monasterii Murensis in Helvetia* 195 f
Wezelinus *præpositus S. Andreæ Colonienſis* 665 f, 666 a
† Wibertus *confessor* 681 c
Wibertus *comes, fundator abbatiæ Lætiensis* 569 f, 570 a c d e f
Wibertus *archidiaconus & biographus S. Brunonis Tullensis episcopi, postmodum Papæ, Leonis IX dicti* 65 e
Wicardus *abbas reliquias S. Apri Tullensis accipit* 65 b c
Wichinus *episcopus Nitrensis* 357 c
Widricus *abbas S. Apri Tullensis* 56 a, 65 b f
Wilarius *Alemanniæ aut Sueviæ dux* 544 b, 790 b c d f, 792 b c
Wilcarius *episcopus Viennensis* 762 e f
† Wilfrida, *S. Edithæ mater, postea abbatissa Wiltonienſis* 364 b c, 367 a b c d, 368 a b c d, 369 e, 370 d
Wilhelmina Amalia *Josephi Romanorum imperatoris conjux* 999 c
Wilhelmus I *Anglorum rex* 368 b
Wilhelmus II *Anglorum rex* 365 a
Wilhelmus *Autissiodorensis, magister in sacra theologia Parisiis, approbavit scripta S. Hildegardis* 674 d, 699 f
Wilhelmus *archidiaconus Trevirensis* 698 e
Willelmus I *Normannorum dux* 83 d
Willibertus *famulus S. Desiderii episcopi martyris* 791 b c f
† Willibrordus *episcopus Ultrajectensis* 534 f, 535 a b c, 553 f, 609 e f, 610 b
Willichinus *abbas Spanheimensis delegatus in causa canonizationis S. Hildegardis* 678 e
Willius (*Joannes*) *notarius, adstitit translationi corporum SS. Einbettæ, Vorbettæ & Villbettæ virginum* 317 b
Wiltheim (*Alexander*) *Societatis Jesu presbyter, de Museo nostro optimè meritus* 115 c, 116 c d
Wiltheim (*Nicolaus*) *Societatis Jesu, de Museo nostro bene meritus* 116 c d
Windogastus *unus ex conditoribus legum Salicarum* 591 b
Winghe (*Antonius de*) *abbas Lætiensis, de Museo nostro optimè meritus* 570 b c d f, 571 b
Winigisus *benefactor ecclesiæ S. Euphemiæ Placentiæ* 262 a
† Winoci *abbatis translatio, inter Prætermissos* 759 f
Witte (*Antoninus de*) *Eremita Augustinianus edi-*

didit Opera S. Thomæ à Villanova 822 c d e f, 823 a b, 976 d
Witte (*Nicolaus de*) *Belga, à S. Thoma à Villanova ſacro habitu Eremitarum S. Auguſtini indutus, deinde miſſionarius in Mexico* 855 c d e, 857 b c
Wlaſtiſlaus *princeps Lucenſis* 360 c d
† Wolftrudis. *Vide* † Wilfrida.
Wratiſlaus I *Bohemiæ dux* 340 e, 345 d, 346 e f, 347 a b c, 349 a b, 351 f, 352 d, 354 f, 358 d f, 360 b c d e, 363 e

X

Xaverius (*Hieronymus*) *ex Ordine Prædicatorum S. R. E. Cardinalis* 743 f, 744 a b
Ximenes de Urrea (*Dionyſius*) *comes de Aranda &c.* 744 e f
Ximenes (*Garzias*) *abavus B. Petri Arbueſii* 730 f
Ximenes (*Joanna*) *avia B. Petri Arbueſii* 730 f
Ximenez (*Hieronymus*) *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Superior miſſionariorum in Mexico* 811 f, 812 a b c f, 813 a b c f, 865 e f, 866 a & ſeqq., 867 f
Ximenius (*Franciſcus*) *ex Ordine S. Franciſci archiepiſcopus Toletanus, S. R. E. Cardinalis* 285 e, 803 f, 825 e, 827 f, 828 a, 840 c d f
† Xiſtus *martyr, inter Prætermiſſos* 755 f, 756 a c

Y

Ybre (*Melchior de*) *Ordinis S. Franciſci, Guardianus Compluti* 852 a b d
Yſicus *epiſcopus martyr, inter Prætermiſſos* 466 a b
Yves (*Henricus*) *edidit Vitam S. Thomæ à Villanova* 800 e

Z

Zacharias *Papa* 390 e
Zalla *Gothus Arianus* 423 e, 424 f
Zandemaria (*Joſephus de*) *epiſcopus Placentinus* 262 b
Zarate (*Joannes Franciſcus de*) *ſacræ Rotæ auditor, in inſtrumento donationis reliquiarum S. Mamiliani* 47 e
Zauli (*Joſephus Maria*) *Societatis Jeſu presbyter* 758 f
Zbiſlaus *filius Wladiſlai, principis Lucenſis* 360 d
Zecchadorus (*Joannes Baptiſta*) *epiſcopus Foro-Sempronianus* 1040 c, 1041 e
Zeno *imperator* 331 f, 332 d e
Zomoski *princeps Polonus* 999 b, 1035 a
Zondadarius (*Antonius Felix*) *S. R. E. Cardinalis* 187 a
Zuentibaldus *Moraviæ rex. Vide* Swatoplukus.

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

Abanum, civitas parva in Italia 423 f, 424 f
Abarim, montium ſeries in Arabia 101 f, 102 e
Abbatis Cella (*Appenzel*) pagus Helvetiæ 224 f, 225 a, 242 d
Abbatis-Villa (*Abbeville*) civitas Galliæ in Picardia. *Reliquiæ S. Sevoldi* 336 a d e
Abrincæ, civitas Normanniæ. *S. Sinerius epiſc. conf.* 780 b c e f, 781, 782, 783 a d
† Abundii mons prope Senas in Italia. *Eccleſia cum cœnobio virginum dicata SS. Abundio & Abundantio MM.* 299 a & ſeqq.
Abydus, civitas Troadis 276 f, 279 c
Acapichtla, civitas regni Mexicani 866 b e
Achaïa, *al.* Græcia 321 b
Adelweil, locus Helvetiæ 233 a
Adrianopolis, civitas Thraciæ 30 b e f, 34 a, 488 e
Adriaticum mare 387 b, 403 f, 407 f, 408 c, 427 d, 1060 a d
Ægæum mare 279 c
Ægilium. *Vide* Igilium.
Ægyptus 101 f, 254 c, 290 a, 466 c, 590 f, 595 c, 686 b, 694 c, 876 f
Æmilia, regio Italiæ 310 b c, 313 b, 505 e, 508 a
Æſis, fluvius Italiæ 1047 a
Æſium, civitas Italiæ in Marchia Anconitana 1045 d, 1047 a
Æthiopia inferior 1036 b
Ætolia, Græciæ provincia 769 d
Africa 49 a, 50 a, 51 d, 253 d, 258 f, 398 c d e, 432 a d, 487 b & ſeqq., 488 a, 489 b, 502 d, 507 b d, 508 d
Agaunum *ſeu* Agaunenſe S. Mauritii cœnobium 513 b c, 516 b, 517 d
Agreda, civitas Hiſpaniæ 804 f
Agrigentum, civitas Siciliæ 713 c, 714 d, 716 c d
Ainſa, civitas in regno Aragoniæ 741 e
Albaneta, monaſterium in Italia 420 c, 422 c
Albayda, locus Hiſpaniæ 946 b d f
Albion, *al.* Britannia, inſula 326 d. *Vide* Britannia.
Albis, fluvius Germaniæ 342 a
Alcara, oppidulum Siciliæ 716 a, 717 c
Alcoy, oppidum Hiſpaniæ 858 b c d, 943 e
Alemannia 544 b, 638 c, 672 b c
Alenconium, civitas Galliæ 332 e
Aletium, oppidum regni Neapolitani 993 d, 1051 b, 1055 a
Alexandria, urbs Ægypti 254 c, 265 f, 290 a
Alicata, oppidum Siciliæ 718 f, 719 a d, 724 d, 725 a
Almadia civitas 398 d
Almenara, oppidum Hiſpaniæ 911 d, 914 a
Alpes, montes 117 c, 305 a, 488 b e f, 489 d, 490 d, 500 b, 507 c, 516 b, 691 d, 692 e
Alſatia 200 b, 210 c, 226 b, 231 f, 315 a b, 332 c, 466 d. *SS. Deſiderius epiſc. & Regnifridus archi-*

archid. MM. 788 a b d. *S. Richardis imperat. virg.* 793 a & seqq.
Altacumba, locus Sabaudiæ. *Sacellum exſtructum B. Ludovico Alamando archiep. & S. R. E. Card.* 436 f, 457 ab
Altena, abbatia 659 f
Altentorfium, locus Helvetiæ in Marchia Suitenſi 209 e, 218 e
Altitona. *Vide* Mons S. Odiliæ.
Altorfium Uriorum, oppidum Helvetiæ 231 d, 234 b
Altus-Murus, civitas Agri Bariani in regno Neapolitano 994 d, 1016 c, 1017 a
Altwick, abbatia Trajectenſis diœceſis 648 f
Alzira, oppidum Hiſpaniæ 942 b
Amalphia *ſeu* Amalphis, civitas regni Neapolitani 386 abc, 756 b
† Amandi caſtrum Galliæ in Provincia 460 d e f
Amanium, locus diœceſis Leodienſis 611 f, 612 a
Amantia *ſeu* Almentia (*Amance*) oppidulum in Lotharingia 72 f
Amaſea *ſeu* Amaſia, urbs Aſiæ Minoris 264 a, 266 a
† Ambroſii monaſterium Ordinis Ciſtercienſis Mediolani 491 ef, 508 d
Amiſus, urbs Aſiæ minoris 254 d, 265 f, 266 a
Ampthauſana Ord. S. Benedicti monialium abbatia 207 e f
Anas, fluvius (*la Guadiana*) in Hiſpania 825 d, 827 f
† Anaſtaſii monaſterium in Calabria 426 d
† Anaſtaſii Ord. Ciſtercienſis abbatia Romæ 645 c
Anazarba *al.* Anazarbus & Cæſaræa ad Anazarbum, urbs Ciliciæ 42 c, 43 cf
Ancona, civitas Italiæ Marchiæ Anconitanæ primaria 1057 d, 1060 a
Ancyra, in Phrygia Pacatiana civitas epiſcopalis 2 e
Ancyra, urbs Galatiæ 2 c d e
Andaluſia, regio Hiſpaniæ 806 c, 808 a, 812 a, 861 a b
Andana, municipium in comitatu Namurcenſi 562 f, 563 a
Andegavenſis provincia in Gallia 626 a, 628 d e, 629 a
Andegavum, civitas Galliæ 626 f, 627 d
Andernachum, *al.* Antenacum, oppidum Germaniæ 669 c f, 670 a, 692 a d e, 697 a
Andes. *Vide* Andegavenſis provincia.
Andlaha, fluvius in Alſatia 794 f
Andlavia (*Andlaw*) oppidum in Alſatia. *S. Richardis imperat. virg.* 793 a, 794 e, 795 a
Andlavienſe monaſterium virginum in Alſatia. *S. Richardis imperat. virg., ejus fundatrix* 793 & ſeqq. *Corpus, ut creditur, S. Lazari, à Domino ſuſcitati* 797 f, 798 a. *Corpus S. Richardis* ibid. de
† Angeli Caſtellum Romæ 395 c d e f, 425 d, 431 c, 432 b
† Angeli monaſterium in Italia 421 cd
† Angeli de Troja monaſterium 426 d
† Angeli vicus in Italia 428 b
Angelorum civitas in nova Hiſpania 867 a
Anglia 318 e, 321 f, 323 d, 364 & ſeq., 368 a c, 369 b, 372 b d. *SS. Socrates & Stephanus MM.* 477 a. Anglia 550 e, 759 b
Anio, fluvius Italiæ 387 e
Anſionenſe monaſterium, *al.* S. Jovini de Marnis (*S. Jouin*) in Pictavienſi diœceſi 86 f, 88 c d, 100 f
Antiquarenſe monaſterium PP. Excalceatorum ſanctiſſimæ Trinitatis in Hiſpania 474 b
Antiquaria (*Antequera*) civitas Hiſpaniæ in regno Granatenſi. *Cultus S. Euphemiæ virg. mart. & civitatis patronæ* 262 f
Antverpia, civitas Belgii 800 e, 822 e, 974 a b. *Reliquiæ S. Thomæ à Villanova* 976 c d
Appenninus, mons 119 a
Appia via. *Hic eccleſia olim conſtructa S. Euphemiæ virg. mart.* 260 f
† Apri monaſterium in ſuburbio Tullenſi, nunc abbatia Ord. S. Benedicti 56 c e, 63 f, 64 a b, 69 e. *Hic ſepultus S. Aper in eccleſia à ſe inchoata* 70 b; *corpus ejus inde in civitatem delatum* 74 e f; *ad monaſterium relatum & abditum* 75 e f; *inventum & elevatum* 77 e f
Aprutium, pars ampla regni Neapolitani 383 b, 385 a, 416 d
Apulia, Italiæ regio 384 f, 386 a b c, 395 f, 401 & ſeqq.
Apulia Daunia, regio Italiæ 385 a, 407 f
Apulia Peucetia, regio Italiæ 385 a, 386 c, 388 e
Aqua regia, locus Helvetiæ 222 c
Aquæ Sextiæ, civitas Galliæ in Provincia 457 a
Aquileia, civitas Italiæ 311 f, 312 a, 541 a c
Aquileienſe concilium *anni* CCCLXXXI, 502 c. Conciliabulum *circa annum* DCXCVIII, 541 a c
Aquinenſis lacus in Italia 393 c d e
Aquinum, civitas Italiæ 391 e, 421 f, 426 b, 427 d
Aquiſgranum, urbs Germaniæ inferioris 107 d, 305 a, 449 c, 456 a
Aquitania, pars Galliæ 90 c, 93 a, 100 f, 107 c d f
Arabia 102 e, 115 d
Aragonia 730 & ſeqq., 741 & ſeqq., 962 e f
Arar (*la Saone*) fluvius Galliæ 23 b, 26 a, 69 d
Arbencium, municipium Galliæ in Bugeſia. *Patria B. Ludovici Alamandi archiep. Card.* 439 e f, 440 a
Arborea, urbs Sardiniæ inſulæ 380 c
Archa, fluvius Belgii 523 b
Ardea, oppidum ditionis eccleſiaſticæ in Latio 429 f, 430 e
Ardeatina via 6 b, 8 a
Arduenna, ſylva in Gallia Belgica 529 e, 534 d, 557 e, 606 f
Arelate, civitas Galliæ in Provincia. *Sacellum exſtructum B. Ludovico Alamando archiep. & S. R. E. Card.* 436 f; *reliquiæ ejuſdem* 437 e f, 438 a b, 456 & ſeqq., 460 & ſeq.
Arelatenſe I concilium *anno* CCCXIV, 777 a f, 778 a
Aretuſa, inſula 49 d
Argenteum, oppidulum Italiæ 431 f
Argentoratum *ſeu* Argentina, civitas in Alſatia. *SS. Einbetta, Vorbetta & Villbetta VV.* 315 & ſeq. *Earumdem ibidem reliquiæ* 317 a & ſeqq.
Argiſivilla, Argiſimilla, Argevilla prædium in Gallia 515 a f
Argoia, *ſeu* Argovia, tractus Helvetiæ 195 f, 203 e
Argona, tractus Galliæ in Campania 508 c f, 512 d, 514 c, 515 d
Aria, oppidum Belgii in Arteſia 571 d
Ariminum, civitas Italiæ 249 f. *S. Innocentia virg. mart.* 310 b c e f. *Ejuſdem Sanctæ cultus, corpus, & eccleſia* 311. Ariminum 1057 f, 1060 d
Arinianum, oppidum Italiæ 294 a b. *Eccleſia SS. Abundii & Abundantii* 298 e f
Ariſtau, vicus in Helvetia 205 f
Armorica, regio Galliæ Celticæ 88 c
† Arnulphi Metenſe monaſterium 100 d

Arola, fluvius Galliæ 508 c
Arpinum, oppidum regni Neapolitani 421 b, 422 f
Arſeta, caſtellum Italiæ 396 d
Artemiſia, *olim* inſula maris Etruſci 50 c d
Arth, locus Helvetiæ 232 f
Arvernia, provincia Galliæ 61 & ſeq., 760 & ſeqq.
Aſculenſis cella, exiguum monaſterium in Italia 412 b
Aſculum Picenum, civitas Italiæ in Marchia Anconitana 414 b
Aſculum Satrianum, oppidum regni Neapolitani 414 b
Aſilianum, locus Italiæ in agro Tarviſino. *Solemnis tranſlatio SS. Centinæ, Fortunati & Bonifacii MM.* 758 e f
Aſſiſium, civitas in Umbria. *Hic habitavit & civitate donatus eſt B. Joſephus à Cupertino* 997 a b, 998 & ſeqq., 1019 & ſeq., 1022 & ſeqq., 1028 b, 1032 & ſeqq., 1038 a. *Proceſſus inſtitutus pro ejuſdem canonizatione* 1044 a
Aſturia, regio Hiſpaniæ. *Cultus S. Columbæ virg. mart. Cordubenſis* 619 e
Aternum, *nunc* Piſcaria, oppidum regni Neapolitani 385 a
Athos, mons Macedoniæ 115 a b
Atrebatum, civitas Belgii 527 d, 571 c
†Audoëni monaſterium in Normannia 83 b c
Avenio, civitas Galliæ 440 d, 443 b
Averbodienſis abbatia in Brabantia 658 e
Averſa, civitas Italiæ 410 f
Auguſta Gemella Tuccina, oppidum Hiſpaniæ 622 e
Auguſta Trecorum. *Vide* Tricaſſes *al.* Trecæ.
Anguſta Vindelicorum, urbs Germaniæ 300 c d
†Auguſtini abbatia in Gallia ad Vigennam fluvium 786 a d
Auguſtodunum, civitas Galliæ 62 c, 479 e f, 480 a b c d e
Auguſtoritum, urbs Galliæ in Aquitania 88 f
Aurea-vallis, abbatia in ducatu Luxemburgenſi 518 b, 520 b
Aurelianenſe I concilium *anno* DXI, 329 b c, 330 f, 331 a. Aurelianenſe V *anno* DXLIX, 784 b
Auria, urbs Hiſpaniæ in Gallæcia. *Cultus S. Euphemiæ, ejuſdem fortè cum Chalcedonenſi* 285 a & ſeqq., 286 d e
Auſtraſia, pars regni Franciæ 74 d, 521 f, 526 & ſeqq.
Auſtreſii-curtis (*fortè Autrecour*) locus in Gallia 514 d, 515 d
Auſtria, *al.* Auſtraſia, pars regni Francorum 521 f. *Vide* Auſtraſia.
† Autberti abbatia Canonicorum Regularium Cameraci. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 b
Auximum, civitas Italiæ in Marchia Anconitana 384 e, 407 c. *B. Joſephus à Cupertino* 992 b, 1002 d, 1009 a, 1011 a, 1012 b, 1014 b, 1040 & ſeqq. *Inſtitutus proceſſus pro ejuſdem canonizatione* 1044 a. *Idem ibidem claret miraculis* 1045 & ſeqq.
Axona, fluvius Galliæ 508 c
Axpacenſe cœnobium Cartuſianorum in Auſtria 672 e

B

BAar, locus Helvetiæ in Tugienſi pago 209 d, 219 a, 224 e, 235 c, 239 a
Babucum, oppidum Italiæ 393 b
Bacucca, caſtellum Italiæ 396 d
Bada, oppidum Helvetiæ 216 c
Badena, locus Helvetiæ 204 b, 208 e, 232 b
Badenſis comitatus in Helvetia 204 a
Bætica *ſeu* Andaluſia, Hiſpaniæ regio 476 b, 809 b d, 812 a
Bætis, amnis in Hiſpania 105 e, 625 e
Bajoaria, Bajouuaria, Bavaria 107 d f, 108 a
Balgium (*Baugé*) Galliæ oppidum 627 e
Balneolis (*Bagnols*) oppidulum Galliæ 21 a
Balvenſis *al.* Valvenſis comitatus in Italia 420 e
Barbaſtrum, civitas Aragoniæ 745 b
Barcino, civitas Hiſpaniæ 465 b, 948 f
Barenſis ducatus 76 b
Barianus Ager, provincia regni Neapolitani 407 f, 994 a d, 997 c, 1017 & ſeqq. 1023 a, 1057 b
Baris, Barium, civitas regni Neapolitani 406 c, 426 b, 427 d; *huc delatum corpus S. Nicolai* 431 b, 432 a
†Bartholomæi inſula Romæ 303 d
Baſilea, civitas Helvetiæ 438 & ſeqq. *Geſta B. Ludovici Alamandi ibidem in concilio* 442 & ſeqq.
Baſileenſe concilium *anno* MCDXXXI *& ſeqq.* 137 a, 437 c, 438 c f, 439 a, 440 e f, 442 a c d e, 443 & ſeqq., 451 b c d e, 452 a b c e f, 453 & ſeqq., 456 a b c d, 458 a b c, 459, 460 b c
Baſilicata provincia in regno Neapolitano 386 b c, 388 e, 1036 c, 1057 b
Baſſiniacenſis pagus in Gallia 78 b, 79 a d,
Baſtia, vicus in Umbria 1000 a
Battela, locus prope Mechliniam in Belgio 535 d f
Belgium 324 f, 325 a. *Cultus & reliquiæ S. Niniani* 327 b. Belgium 523 f, 534 e. *Cultus S. Lamberti epiſc. mart.* 573 e f. *Feſtiva ſolemnia in canonizatione S. Thomæ à Villanova* 974 a
Belicenſis pagus in Gallia 440 a
Beliſienſe puellare monaſterium (*Munſter-Bilſen*) hodie illuſtrium canonicarum capitulum 526 c d e f, 536 c, 595 c, 596 a, 610 c d e f, 611 b
Bella-vallis, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Biſontina 658 d
Bellus-locus (*Beau-lieu*) monaſterium Galliæ in Campania. *Fundator & abbas S. Rodingus vel Chrandingus* 508 b c f, 509 c e f; Waſlogium *olim appellatum* 510 & ſeqq.
Belna, *olim* Belnum (*Beaune*) oppidum in ducatu Burgundiæ. *Corpus & cultus S. Floſcelli pueri, mart., & , ut creditur, S. Hernei ſeu Ernei abbatis Cenomanenſis* 478 a b, 479 b c e f
† Benedicti de Bangnarola monaſterium 391 b, 420 f
† Benedicti monaſterium Salerni 404 e, 405 f, 408 d, 410 e
Benedictoburanum monaſterium in Bavaria 675 b
Beneventanum concilium *ſub Nicolao II Papa* 386 a. Beneventana concilia *ſub B. Victore III Papa* 374 f, 376 f, 377 a, 378 b, 398 e f, 399 b, 432 e f, 433 a b c d e
Beneventum, civitas Italiæ 373 b. *Dicitur patria B. Victoris III Papæ* 374 & ſeqq.
Beneventum, oppidum Hiſpaniæ 619 e
Benifayo, locus Hiſpaniæ haud procul Valentiâ 902 e
† Benigni monaſterium Divione in ducatu Burgundiæ 63 f
Beres, *al.* Berris, Belrus, Beaurains, Blerus, oppidum Lotharingiæ 115 b c f, 116 a b
Bergæ S. Winoci, oppidum in Flandria 759 f
Berkingum, ſanctimonialium cœnobium in Anglia 370 a, 371 e

Bernenſis ditio in Helvetia 238 a
Berona (*Münſter*) locus Helvetiæ in Argoia 203 e, 213 f, 232 e, 245 b
Bethania, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Biſontina 658 d
Biar, locus Hiſpaniæ 926 b
Biberiſt, locus Helvetiæ 232 c
Bibona *ſeu* Bivona, oppidum Siciliæ 716 c, 717 c
Bicarum (*Bicari*) oppidum Siciliæ 713 e, 714 d, 715 cd, 717 a
Bickelleheim, villa Spanheimenſis comitatus in Germania. *Patria S. Hildegardis virg.* 631 d
Binaſcum, locus in ducatu Mediolanenſi. *Patria B. Gandolphi conf. presb. Ord. S. Franciſci* 703 b c, 723 a
Bingium, oppidum in ditione Moguntina, *juxta quod in monaſterio à ſe fundato vixit & obiit S. Hildegardis virg.* 635 b cd, 636 & ſeqq., 677 & ſeqq.
Birca, urbs olim in Suecia 4 a
Birchi, locus Helvetiæ 230 a
Biſenti, Caſtellum Italiæ 396 d
Biſoldinenſe territorium in Catalonia. *Reliquiæ & eccleſia S. Ferreoli mart. miraculis ibidem clari* 1060 c
Bithynia, regio 45 d, 114 b, 252 a, 255 e
Bizinium (*Bizini aut Vizini*) oppidum Siciliæ 712 b, 714 b, 716 b, 723 b
Bladenacum (*Blenod*) locus in Tullenſi pago 78 a, 79 a
Bladhmay, mons Hiberniæ 463 d
Blera *olim* Tuſciæ oppidum 49 b f
Bleulikon, locus Helvetiæ 233 f
Bligenſtorff, locus Helvetiæ 231 a
Blodelsheim, locus Alſatiæ 231 e f
Bobienſe monaſterium in Italia 90 d
Bodecenſe cœnobium Regularium S. Auguſtini in Germania 295 b, 341 c, 630 e, 763 c
Bohemia. *Cultus inſignis S. Ludmillæ vid. mart., regionis duciſſæ & patronæ* 339 & ſeqq.
Boleſlavia, oppidum Bohemiæ 344 e
Boleſlavienſis circulus in Bohemia 342 a
Bonna, inferioris Germaniæ oppidum 65 c
Bonna, prædium in Gallia 515 a
Bononia (*Bologna*) civitas Italiæ. *Reliquiæ S. Euphemiæ V. M.* 262 c. Bononiæ *legatus fuit B. Ludovicus Alamandus* 441 f, 457 d. *Colitur B. Petrus Arbueſius, qui ibidem ſtuduit* 729 a b, 731 & ſeq. 752 b, 754 d. *Colitur S. Iſidorus* 755 e f
Bononienſis ager in Italia 1060 b
Bopardia, oppidum Germaniæ 635 f
Borgonum, locus Italiæ in ditione Pallavicina. *B. Rolandus de Medicis anachoreta* 117 & ſeqq.
Boſa, civitas Sardiniæ 845 a
Boſonis-villa, abbatia in Lotharingia 658 c
Boſphorus Thracius 464 a
Boſwila (*Boſwyl ſeu Boſweil*) locus in Helvetia 207 c, 220 f, 226 c, 243 b, 244 b
Brabantia, Belgii provincia 535 a
Bremgarta, civitas Helvetiæ 206 b, 221 b, 223 a, 226 e, 228 e
Breunovienſe cœnobium apud Pragam in Bohemia 340 e f
Bria, Galliæ provincia 90 d
Brigantium, oppidum Germaniæ in Suevia 242 d
Briſacum, urbs Germaniæ 235 b
Britannia Aremorica 782 f
Britannia Magna 318 & ſeqq. *SS. Socrates & Stephanus* 477 a b f
Britonia *ſeu* Brionia *olim* civitas Hiſpaniæ 478 a d
Briva, vicus Galliæ 784 d
Brivas, civitas Galliæ in Arvernia. *Hic paſſus eſt S. Julianus; an etiam S. Ferreolus?* 760 & ſeqq.
Brixia, urbs Italiæ. *Capella S. Euphemiæ virg. mart.* 262 b c
Brugæ, civitas Belgii in Flandria 4 d, 974 a
Brunſwicenſis ducatus 659 b e
Brunvilarium *(Brunwilre*) cœnobium Ord. Benedictini in Germania 693 d e, 695 d
Bruxellæ, civitas Brabantiæ 335 d, 950 d, 974 a. *Reliquiæ S. Thomæ à Villanova* 976 c d
Bucculiacum, locus fortè in Tullenſi vel Segitenſi pago 71 f, 72 e f
Bucoleon, palatium olim Conſtantinopoli 279 b
Buechenrein, locus Helvetiæ 223 d
Bugeſia, Galliæ provincia 439 f
Bulgaria 34 d
Bullionium (*Bouillon*) caſtrum in confinio Leodienſis diœceſis 557 b e, 559 b, 562 f, 565 a, 573 a
Bünzen, locus Helvetiæ 207 d, 231 c
Buochs, parœcia in Sylvanienſi Helvetiæ pago 202 f, 238 e
Burchorſta *ſeu* Borchoſta, locus & capitulum illuſtrium canoniſſarum in Circulo Weſtphalico. *Reliquiæ S. Nicomedis presb. mart.* 12 e f
Burella, locus Italiæ in Aprutio citeriori 416 d
Burgi (*Burgos*) civitas Hiſpaniæ. 808 d e, 809 & ſeqq.
Burgundiæ comitatus 439 f, 440 a
Burgundiæ ducatus 15 f, 69 d, 478 a b
Burgus Canturii 4 f
Burgus S. Domnini, civitas Italiæ 119 a, 122 d f. *S. Giſlemerius mart.* 313 a b e
Burrka, locus Germaniæ 234 a
Buttisholtz, locus Helvetiæ 232 c
Buxetanus ager in Italia 118 f
Buxetum (*Buſſeto*) oppidum Italiæ. *Corpus B. Rolandi de Medicis anachoretæ* 117 f, 118 a d f, 120 d, 121 a, 122 e f
Byzantium, urbs Thraciæ 256 e, 259 c d, 260 c, 277 b, 282 b

C

CAbilo, Cabillonum & Cabilonum, civitas in Burgundiæ ducatu 15 f, 23 c, 69 d
Cacabus, oppidum Siciliæ 712 d
Cæſarauguſta (*Zaragoça*) civitas Hiſpaniæ, caput regni Aragoniæ. *B. Petrus Arbueſius canonicus Regularis mart.* 728 b c f, 729 & ſeqq. *Colitur ibidem Beatus & miraculis claret* 738 & ſeqq.
Cæſarea ad Anazarbum. *Vide* Anazarba.
Cæſarea, urbs Palæſtinæ. *Eccleſia olim S. Euphemiæ virg. mart.* 260 e
Cajentes, Calenſes aut Caſentes Baiæ in Arvernia 61 f
Cajeta, urbs Italiæ in regno Neapolitano 385 e, 391 d, 422 f
Cajetanus ducatus in Italia 385 d e, 392 a
Cajetanus ſinus in Italia 422 f
Calabria, provincia regni Neapolitani 262 e; ulterior & citerior 385 a; Calabria 407 d
Calaris, urbs Sardiniæ 49 b d, 1052 f, 1054 a
Calatabellotta, oppidum Siciliæ 717 d, 719 b
Calatagero, oppidum Siciliæ 712 f, 715 & ſeqq.
Calataniſſetta, oppidum Siciliæ 712 d, 714 c, 715 & ſeqq.
Calata-Vulturium oppidum Siciliæ 702 f, 718 e, 719 d, 725 d

Calatayuda, civitas Hiſpaniæ 741 c; *imago B. Petri Arbueſii miraculis clara* 744 e
Calaxibetta, oppidum Siciliæ 712 d, 718 d
Calcaria, (*Calcar*) oppidum in Clivenſi ducatu 106 c, 110 a
Calenum, civitas olim Campaniæ in Italia 421 a, 422 e
Calmaria, locus in Alſatia 234 e
Calor, fluvius Italiæ 382 f
† Camelæ vicus in Occitania, Galliæ provincia. *S. Camella aut Camela virg.* 314 b
Cameracum, urbs Belgii 81 b f, 82 f
Camerata, oppidum Siciliæ 711 d, 712 e
Camerinum, urbs Italiæ 254 d, 1057 b
Campania, Galliæ provincia 61 c, 69 b, 508 b f
Campania, regio Italiæ 385 a, 407 d
Campi Lapidei (*la Crau*) tractus Galliæ in Provincia 436 a, 457 a
Campidonenſis abbatia in Suevia 646 b
Candida Caſa, civitas in Scotia. *S. Ninianus epiſc.* 318 a c e f, 320 & ſeqq., 756 d
Canuſia, caſtrum in Italia 431 d, 432 c
Capaci, locus in Sicilia 718 a, 719 d
Capitanata provincia regni Neapolitani 414 b, 997 c
Cappenberg, abbatia Ord. Præmonſtratenſis in Weſtphalia 648 a
Capriata, caſtellum Italiæ 409 a
Capua, civitas Italiæ 376 c, 383 e, 391 a f, 394 b e, 405 f, 408 e f, 421 & ſeqq.
Capuanum concilium *ſub B. Victore III Papa* 374 f, 430 f
Capuanum Ordinis S. Benedicti cœnobium 383 d e f
Capuanus principatus in Italia 385 f
Carbonaria ſylva in Belgio 605 f, 607 f
Careyret, parœcia diœceſis Ucetienſis in Gallia 21 a
Carinula, locus Italiæ in Campania 422 f
Caritas, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Biſontina 658 d
Caronia, oppidum Siciliæ 718 b, 719 d
Carpeniani montes in Italia 1005 b, 1038 a
Carpum (*Carpi*) oppidum in ditione ducis Mutinenſis 462 a, 1001 c
Carthago, urbs Africæ 49 d, 50 b
Carus-locus, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Biſontina 658 d
Caſinenſe cœnobium celebre in Italia 305 a. *B. Victor III Papa* 373 & ſeqq. *Hic ante Pontificatum abbas fuit idem B. Victor* 383 & ſeqq.; Caſinenſis cœnobii *eccleſiam reædificavit* 388 a b, *ipſum cœnobium innovavit* 389 f; *variorum donationibus auxit* 390 & ſeqq.; *idem ibidem mortuus eſt & ſepultus* 399 e f, 400 a. Caſinenſe cœnobium 401 b, 404 d, 406 & ſeqq. multis uſque ad 435
Caſinum, Caſinus mons in Italia 304 b c d. *Vide* Caſinenſe cœnobium.
Caſlenæ villa, *fortè Chaligni*, locus Tullenſis diœceſis 70 d, 72 c
Caſſia, oppidum Italiæ in Umbria 1001 a, 1052 c, 1054 a e
Caſtella, regnum Hiſpaniæ 800 b c, 801 & ſeqq. multis.
Caſtellucium (*Caſtelluzo*) locus Siciliæ 712 b, 714 b
Caſtellum *ſeu* Caſtrum novum in Italia. *Exſtructum à B. Victore III Papa* 385 b c d e f, 407 c
Caſtellum veteranum, civitas Siciliæ 702 f, 713 f, 714 d, 724 d. *Cultus B. Gandolphi conf.* 725 b c d
Caſtra Rhetica, tractus Helvetiæ (*vulgò Gaſtren*) 221 e, 224 b, 241 c
Caſtrum, civitas regni Neapolitani 994 e, 1017 b
Caſtrum-Fidardi, locus Italiæ 1050 b
Caſtrum Gandulphi. *Eccleſia S. Thomæ à Villanova* 975 e f, 976 a
Caſtrum novum, oppidum Siciliæ 709 a c, 712 e, 717 d, 718 d, 723 c
Caſtrum S. Angeli, oppidum in Piceno. *Reliquiæ S. Thomæ à Villanova* 976 c
Caſtrum S. Joannis, *al.* Enna, oppidum Siciliæ 713 b, 714 & ſeqq.
Catalonia 239 c, 962 e f. *Cultus S. Ferreoli M.* 1060 c
Catana, civitas Siciliæ 717 b
Cavenſe Ordinis Cluniacenſis cœnobium, titulo ſanctæ Trinitatis, in regno Neapolitano 374 b c, 381 d, 382 b c d, 401 b, 403 d
Celciacum, vicus apud Cenomanos in Gallia 479 a b
Cenomani, civitas Galliæ epiſcopalis. *S. Principius epiſc.* 329 & ſeqq.
Centulenſis Abbatia, in Picardia. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 b
Centumcellæ, portus ditionis Pontificiæ 50 f, 51 a
Cephalædis, civitas Siciliæ 714 b
Cephalenia, Græciæ inſula 427 c
Ceſena, civitas Italiæ 1060 d
Cetrarium *ſeu* Citrarium, locus Italiæ 396 e, 426 d, 427 c, 428 b
Chalcedon, urbs Bithyniæ. *S. Euphemia V. M.* 252 a c, 253 & ſeqq. *Templi prope* Chalcedonem *eidem Sanctæ exſtructi, ſitus, amplitudo & forma* 255 e f. Chalcedon 256 c, 258 b, 264 & ſeqq., 466 a b, 759 c d
Chalcedonenſe concilium *anni* CDLI, 252 b c, 254 a b f, 255 a e, 257 a & ſeqq., 258 a, 277 c, 278 d, 279 c
Chalcidena provincia in Syria 769 d
Chalcis, civitas in Græcia. *S. Methodius epiſc. mart.* 768 a, 769 b d. Chalcis duplex in Græcia, altera in Eubœa inſula, altera in Ætolia provincia 769 d e
Chalcis, civitas in Syria 769 d e
Chaldæa 89 c
Chamenſis parœcia in Helvetia 236 d, 238 d
Chiruella, locus prope Valentiam in Hiſpania 859 d
Chomiſum, oppidum Siciliæ 715 f, 717 b
Chullilla, arx Hiſpaniæ in archiepiſcopatu Valentino 896 e, 897 a, 923 c f, 926 b, 935 b
Church-Eaton, oppidum Angliæ 364 c
Cilicia 38 e f, 43 c f
Ciminna, oppidum Siciliæ 716 c, 717 c
Ciſtella, *al.* Ciſtercium (*Ciſteaux*) locus cum abbatia celeberrima 654 c d
Ciſtercienſe *al.* Ciſtellenſe celeberrimum cœnobium (*Ciſteaux*) 654 d
Civitas Caſtellana in Italia. *Reliquiæ SS. Marciani & Joannis* 300 b d, 305 f, 307 a b, 425 e, 427 b
† Claræ cœnobium monialium Burgis in Hiſpania 851 a
† Claræ cœnobium monialium Cupertini in regno Neapolitano 1048 e
Clara-Vallis, Ordinis Ciſtercienſis abbatia 4 d, 466 c
Claromons, urbs Galliæ in Arvernia 3 c, 61 e, 62 c d

Clarus-fons, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Biſontina 658 d
Claſſenſe cœnobium in Italia 304 b
† Claudii cœnobium Galliæ in Bugeſia 439 e
† Claudii Legionenſe cœnobium. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 a
Clefs, parœcia in Gallia 626 f, 628 b
† Clementis abbatia in Italia 387 d e, 412 a
Clingenbergenſis dynaſtia, in Turgovia tractu Helvetiæ 247 a
Clingnau, locus in comitatu Helveto-Badenſi 203 c. *Vide* Klingnovium.
Clivia, civitas ducatus cognominis primaria 105 c
Clivia, ducatus inferioris Germaniæ. *S. Lutharduſ comes* 105 c f, 106 a c e, 108 e f
Clivus Cucumeris 293 e, 301 b, 472 d, 484 e
Coliſanum, oppidum Siciliæ 717 f, 719 b
Collis Scipionis, oppidum Umbriæ. *Corpus S. Guerrini M.* 2 f
Colmaria *ſeu* Columbaria (*Colmar*) urbs in Alſatia 226 b
Colonia Agrippina, urbs Germaniæ. *Reliquiæ S. Apri epiſc. Tullenſis* 64 d e; *S. Eliphii vel Eliſii M.* 76 f, 77 a; *S. Euphemiæ V. M.* 263 b. Colonia 650 f, 651 a, 669 c e, 670 b, 692 c, 776 a, 779 d, 1045 a
† Columbæ parœcia prope Flexiam in Gallia 626 e
† Columbæ Prioratus in Ruconia provincia Hiſpaniæ. *Reliquiæ & cultus S. Columbæ virg. mart. Cordubenſis* 622 c
Combralia, tractus Galliæ in Alvernia 2 b
Compendium, urbs Galliæ 109 b
Compita (*vulgò Savignano*) oppidulum Italiæ in Romandiola 1057 f, 1060 d
Complutum (*Alcala de Henares*) civitas Hiſpaniæ in Caſtella Nova 799 f, 803 & ſeqq., 827 f, 839 & ſeqq., 852 a b, 940 & ſeq., 959 & ſeq., 968 & ſeq.
Compoſtella, urbs Hiſpaniæ in Gallæcia 285 e, 286 a d
Conca, caſtellum Italiæ 409 a
Concordia, civitas Italiæ 1058 d, 1060 d
Congum, regnum in Æthiopia inferiori 1036 a
Conſtantia, civitas Germaniæ 440 e
Conſtantia, civitas Cypri inſulæ 467 e, 468 e
Conſtantia Caſtra, civitas Galliæ in Normannia 479 e
Conſtantienſe concilium *ab anno* MCDXIV, 106 e, 440 c e f, 442 c, 451 a d, 452 a b
Conſtantienſis pagus (*le Coutantin*) in Normannia inferiori 478 c e f, 479 a e, 482 d, 780 & ſeqq.
Conſtantinopolis. *Fortè hîc martyrium ſubiit S. Porphyrius* 37 f. Conſtantinopolis 253 & ſeqq. *Huc tranſlatum olim corpus S. Euphemiæ V. M., & repoſitum in eccleſia eidem dicata* 258 b d e. *Aliæ eidem exſtructæ eccleſiæ* 259 a & ſeqq. Conſtantinopolis 261 e, 279 b c, 282 b, 409 e, 413 e, 417 c, 443 e, 463 a b f, 488 e, 774 & ſeqq.
Conſtantinopolitanum conciliabulum *Arianorum anno* CCCLX, 39 e, 43 c. Conſtantinopolitanum *œcumenicum concilium anno* DLIII, 54 c
Corduba, urbs Hiſpaniæ. *SS. Emila & Hieremiæ MM.* 102 c f, 103 a b c, 104 a d. *SS. Rogellius & Servio-Deo MM.* 336 c f, 337 a d, 339 a. *S. Columba virg. mart.* 618 a
Corinaldo, locus Italiæ in ducatu Urbinate 1036 d, 1045 d, 1047 a
Corleonis oppidum in Sicilia 713 f, 714 d, 715 & ſeqq., 723 b
Corſica inſula 50 d e, 123 c, 379 e
Cortracum, oppidum Belgii in Flandria 326 b
Cratumnum (*Craon*) oppidum Galliæ 628 e
Cremona, urbs Italiæ 118 f, 121 b c d e, 122 e
Cremonenſis ager in Italia 118 f
Creta inſula 786 c f, 787 a
Crouchdal, *al.* Crutendal, abbatia monialium 649 b, 660 f, 671 d, 672 d
† Crucis abbatia Ordinis Ciſtercienſis in Auſtria 341 c, 350 a
† Crucis cœnobium monialium Burgis in Hiſpania 851 a
† Crucis eremus fontis Avellanæ in Umbria 462 c
† Crucis in Hieruſalem abbatia Romæ 422 a
† Crucis monaſterium in Luſitania 619 f
† Crucis oppidum in Alſatia 225 f, 226 b
Cryptella. *Vide* † Mariæ Cryptellæ conventus.
Cullera *al.* Callera, oppidum Hiſpaniæ 832 b, 835 c, 946 f, 948 c, & Collera 969 c
Cumbria, pars Britanniæ Magnæ 323 d
Cupertinum, oppidum regni Neapolitani. *Patria B. Joſephi à Cupertino* 992 c, 993 d e, 994 b c, 995 f, 996 f, 1010 d, 1014 e, 1015 & ſeqq., 1021 a b d, 1025 & ſeq., 1030 & ſeq., 1034 d e, 1047 f
Curia-Dei, cœnobium Ord. Ciſtercienſis in Gallia 759 a
Cyprus, inſula. *SS. Heraclides & Miro epiſcopi MM.* 467 a b c e f, 468 a d
† Cyriaci montis abbatia monialium in Germania 660 b

D

Dacia, regio 43 b, 488 e
Dalvanium, locus Germaniæ 698 e
Damerſellen, locus Helvetiæ in Lucernenſi pago 208 c, 226 b
Dania, regnum 756 a
Danubius 34 d, 38 b f. *Vide* Iſter.
† Dei Genitricis & Virginis Mariæ monaſterium in Italia 390 e
Demera, fluvius 534 a
Dengen, locus in Helvetia 219 d
† Deodati oppidum in Voſago 60 b
Dertona *al.* Derthon, civitas Italiæ. *Cultus S. Euphemiæ virg. mart.* 261 e
Dertuſa, civitas epiſcopalis in Hiſpania 898 f, 901 d
Dervenſe monaſterium diœceſis Catalaunenſis in Campania 56 c e
Derwiler, locus Germaniæ 221 d
† Deſiderii, vicus in Alſatia 788 a c
Dianienſis marchionatus in Hiſpania 944 a
Dianium, *al.* Denia, oppidum Hiſpaniæ 945 c
Dianium (*Gianuti*) inſula Italiæ 47 a, 50 d
Didenkirchen, abbatia monialium juxta Bonnam in Germania 660 e, 670 a
Dietikon, locus Helvetiæ 226 e, 231 e
Dilia, fluvius 536 a b
Diomedis inſulæ in mari Adriatico 387 b, 403 f
Dionantum (*Dinant*) oppidum ad Moſam fluvium 562 e f
† Dionyſii monaſterium prope Pariſios 528 d, 607 f
† Diſibodi mons, monaſterium in Germania. *Hîc habitavit S. Hildegardis V.* 631 f, 632 & ſeqq.
Dominæ (*Dueñas*) oppidum Hiſpaniæ 807 e
Domni Germani (*Dom-Germain*) villa, locus prope Tullum Leucorum 72 a f
† Dorotheæ cœnobium monialium Burgis in Hiſpa-

ſpania 850 e, 851 b, 853 c
Doriata, locus in Anglia 368 d
Dotikon, locus Helvetiæ 212 e
Dottingen, locus Helvetiæ 213 e, 227 f
Draconerium, locus Pedemontii in diœceſi Salutienſi 759 e
Drepanum (*Trapano*) urbs Siciliæ 712 b, 714 b, 716 f, 718 f
Duacum, civitas Belgii. *Brachium S. Niniani epiſc.* 327 b c
Duckelinhuſen, vicus in Germania. *Eccleſia S. Lamberti epiſc. mart.* 572 b
Dunenſis abbatia, Brugis in Flandria 4 d
Duria, fluvius Hiſpaniæ 911 a, 923 f
Duſſeldorpium, civitas Germaniæ 669 f
Duzzia, oppidum Italiæ 1057 e, 1060 b

E

EBerbacenſis abbatia Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Moguntina 641 b, 651 e f, 653 f, 670 d, 692 d
Ebra, *ſive* Ebracenſis Ord. Ciſtercienſis abbatia in Herbipolenſi diœceſi 645 a
Ebuſenſe caſtrum in Hiſpania 835 c
Ebuſus, inſula cum caſtro cognomine in Hiſpania 903 e f, 904 f
Egg, locus Helvetiæ 209 c
Egonis-villa (*Egenweyl*) locus Helvetiæ 228 c e
Ehenhemia, oppidum Alſatiæ. *Cultus & Reliquiæ S. Eugeniæ virg. abbat.* 334 d, 335 e
Ehingen, locus in Bavaria 221 f
Eibingenſe monaſterium in Germania. *Fundatum à S. Hildegarde virg.* 670 e f. *Corpus ejuſdem S. Hildegardis* 677 e, 698 b, 700 d e f, 701 a
Einſidlenſe monaſterium beatæ Mariæ Virginis in Helvetia 210 a, 216 a, 229 a, 231 f, 242 a, 246 f. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 a
Elaver, fluvius Galliæ 767 d
Elba. *Vide* Ilua.
Eliberis, civitas olim Hiſpaniæ 337 c d, 338 c
Elisbach, locus Helvetiæ 235 c
Ellandunum, locus in Anglia. *Vide* Wiltonia.
Elvacenſis *olim* abbatia, *nunc* præpoſitura Canonicorum in Suevia 647 a
Elveſtat, monaſterium 658 f
Emeriaca *al.* Domeriaca villa in Gallia 516 d e
Emerita, civitas Hiſpaniæ 730 a
Emmen, locus Helvetiæ 235 d
†Emmerami Ratisbonenſe cœnobium 657 d
Engelbergenſis Ord. S. Benedicti abbatia in Helvetia 227 c e, 234 d
Engen, locus in Germania 221 b
Enguera, locus Hiſpaniæ 926 c
Enna, *al.* Caſtrum S. Joannis, oppidum Siciliæ 714 c
Enovæ, locus Hiſpaniæ 911 d, 914 a
Enſisheimum, oppidum Germaniæ in Alſatia 210 c
Entlibuech, locus Helvetiæ 235 e, 238 c
Epheſus, urbs Aſiæ 96 c
Epila, oppidum ſeu caſtrum Hiſpaniæ in Aragonia. *Patria B. Petri Arbueſii M.* 728 f, 729 & ſeqq. 750 b, 752 & ſeq.
†Eraſmi monaſterium in Italia 392 b, 421 b
Eremus Deiparæ. *Vide* Einſidlenſe monaſterium.
Erfordienſis præpoſitura in Thuringia 659 b
Eſch, locus Helvetiæ 230 f, 239 c
Eſch, locus in Lotharingia. *B. Oranna aut Oranda virgo & Socia anonyma* 115 b, 116 a, 117 d
Eſchentz, locus Germaniæ 215 d
Eſſendia, oppidum & illuſtre virginum collegium in Germania 106 d, 113 d f
Eſſexia, comitatus Angliæ 371 e
Etruria 313 c f, 432 b c, 494 b
Etruſcum mare 47 a, 48 c, 50 b c, 52 a, 53 f
Ettiſwil, locus in Helvetia 219 c
Eubœa, inſula Græciæ 769 d
†Eucharii cœnobium Trevirenſe 654 c, 658 b
†Euphemiæ abbatia & eccleſia prope Brixiam in Italia 262 b
†Euphemiæ oppidum aut pagus in Calabria. *Reliquiæ & eccleſia S. Euphemiæ virg. mart.* 262 e
†Euphemiæ pagus prope Brixiam in Italia 262 c
Europa, provincia Thraciæ 270 b
†Fuſtaſii monaſterium in Italia 390 f, 391 c
†Euſtaſii monaſterium alterum in Italia 391 c d

F

†FAbiani & Felicitatis cœnobium, ſeu collegium canonicorum in Alſatia, idem quod Andlavienſe 794 e f
Farfa, *al.* Farfarus & Fabaris, fluvius Italiæ in Sabinis 408 b
Farfa, oppidum in Sabinis 424 e
Farfenſe monaſterium in Sabinis 407 c, 408 b, 423 b, 424 e
Faventia, civitas Italiæ in Romandiola 490 d, 1057 f, 1060 b
Feltria, civitas Italiæ. *Cultus SS. Victoris & Coronæ* 756 a b
Ferraria, civitas Italiæ 443 c d, 444 d, 460 b, 1033 d, 1036 c
Ferrarienſe concilium *anni* MCDXXXVIII, 443 c d, 444 d, 453 f, 454 d, 460 b
Ferrarienſis ducatus 1060 b
Feſcennia *ſeu* Feſcennium, urbs Italiæ 307 a
Fidentia, *al.* Julia Fidentia, *hodie* Burgus S. Domnini, civitas Italiæ. *S. Giſlemerius mart.* 313 a
Firmum, civitas Italiæ 758 e, 759 a, 1049 a, 1050 f
Flaminia via 293 b c, 295 c d. *Eccleſia SS. Abundii & Abundantii MM.* 298 e, 300 a, 301 c, 302 e, 307 a
Flandria 913 a b
Flanheim, præpoſitura in diœceſi Moguntina 658 e
Flexia, oppidum Galliæ 626 a e f, 627 a d, 628 a d e
Florentia, civitas Italiæ in Hetruria 381 f, 409 e, 441 c, 444 d, 446 c
Florentinum concilium *ſub Victore II Papa* 381 f; *ſub Eugenio IV Papa* 446 c, 447 a, 452 f, 453 a f, 454 d, 460 b
Fons Ebraldi, oppidum & abbatia in Gallia 628 c d e
Fons frigidus (*Kalt-brunnen*) locus Helvetiæ 216 f, 221 e
Fontanellenſe monaſterium in Normannia 100 c, 531 e
Fontiſplanum, *al.* Fuenllana, oppidum Hiſpaniæ in Caſtella Nova. *Patria S. Thomæ à Villanova* 801 e f, 802 & ſeq., 827 & ſeq., 835 f, 837 e, 967 e
Formæ, locus Italiæ 420 e
Formiæ, civitas Italiæ 392 b, 422 f
Formianus ſinus, nunc dictus Cajetanus 422 f
Forum Cornelii, *nunc* Imola, civitas Italiæ 1060 a
Forum Julii, provincia Italiæ 443 c
Forum-Livii, (*Forli*) civitas Italiæ in Romandiola 1057 f, 1060 b d
Forum-Sempronii, civitas Italiæ 1004 d, 1008 & ſeqq., 1014 e, 1038 & ſeq., 1047 & ſeq.
Forum Tiberii (*Kayſerſtuel*) oppidum Helvetiæ

210 d, 219 d, 242 a
Fracta, caſtrum in Italia 385 d e
Francia 355 a, 459 a, 532 a c, 549 e, 594 b, 595 d, 600 c, 606 a, 608 b, 612 c e, 757 a b, 1035 a
Francofordia 449 b c. *Vide* Francofurtum.
Francofurtum, urbs Germaniæ 456 a, 459 d
Franconia, provincia Germaniæ 649 a, 669 d e
Frattæ, oppidum Italiæ 409 a
Freitura, *al.* Phriere, villa 559 e
Freyenweil, locus Helvetiæ 235 f
Friburgum, civitas Germaniæ in Briſgoia 125 d. *Reliquiæ & cultus S. Lamberti epiſc. mart.* 568 d e f, 569 a b
Frigida vallis in Italia 420 e
Frigia, regio 534 e
Friſinga, civitas Germaniæ. *Reliquiæ S. Juſtini presb. mart. & Alexandri PP. mart.* 472 d e f, 473 d e
Fuenllana. *Vide* Fontiſplanum.
Fulginium, civitas Italiæ in Umbria 5 d
Fundanus comitatus in Italia 422 e
Fundanus lacus in Italia 420 e
Fundi, civitas Italiæ 391 a, 420 e f, 422 e
Furnenſe territorium in Belgio 4 c d
Fürſtenbergicus Landgraviatus in Germania 232 d

G

GAbala, urbs Syriæ 428 c
Gäbiſtorff, locus Helvetiæ 232 b
Galatia, provincia Aſiæ minoris 2 c e
Galatis, oppidum Siciliæ 717 b d
Galdia. *Vide* Gallovidia.
Gallæcia, provincia Hiſpaniæ 285 a, 478 a. *Cultus S. Columbæ virg. mart. Cordubenſis* 619 e
Galleſium, *ſeu* Caſtellum Galleſii, oppidum Italiæ in Hetruria 307 b
Gallia 3 a b, 4 e, 103 a b e, 152 e, 325 a, 483 d e, 489 b c, 505 e, 510 d f, 514 a e f, 515 c, 516 b. *Cultus S. Lamberti epiſcopi mart.* 573 e
Gallia Belgica 74 d
Gallia Comata 74 e
Gallipolis, civitas regni Neapolitani 426 a, 427 d
Gallovidia *ſeu* Galdia, provincia Scotiæ 318 e, 320 e, 322 c e, 327 e
Gandavum, civitas Belgii in Flandria 463 b, 974 a
Ganderheimnenſis abbatia in ducatu Brunſwicenſi 659 e
Gandia, civitas Hiſpaniæ 923 e
Gangium, locus Siciliæ 717 f, 719 b d
Garganus, mons Italiæ 304 b d e, 305 a, 387 b, 406 & ſeqq.
Gariliani turris ad fluvium cognominem 412 e, 414 b
Garilianus, fluvius Italiæ, *al.* Liris 385 c. *Vide* Liris.
Gaſter, præfectura. *Vide* Caſtra Rhetica.
Gedanum, urbs Pruſſiæ 465 f
Geldria, Belgii provincia 106 a c, 107 c
Geltweil, locus in Helvetia 214 a
Gemblacenſis abbatia in Brabantia 518 b, 520 f, 655 e
Gemeticenſis abbatia in Normannia. *S. Aichardus abbas* 80 b c e f, *cultus & reliquiæ ejuſdem Sancti* ibid. & 81 a & ſeqq.; *reliquiæ item S. Hugonis epiſcopi Rotomagenſis* ibid. & 82 a, 84 a. Gemeticenſi abbatiæ *præficitur idem S. Aichardus* 91 & ſeqq.
Genua, urbs Italiæ, cognominis reipublicæ metropolis. *S. Catharina Fliſca Adurna vidua* 123 & ſeqq., 150 & ſeqq., 442 e, 443 a, 956 d
Genuenſis ditio in Italia 119 a
Gerbeſtethde *ſeu* Gerbſtede, abbatia monialium 660 b
Geria (*la Gere*) fluvius in Gallia 765 f
† Gerlaci, cœnobium virginum Ord. Præmonſtratenſis in ducatu Limburgenſi 663 b
† Germani civitas in Italia 406 e
Germania 12 c, 74 d, 437 d, 455 f, 456 a. *Cultus S. Lamberti epiſc. mart.* 573 e. *In* Germania *prædicavit S. Bernardus* 635 c. Germania 669 c d, 685 a, 805 d, 1035 a
† Georgii abbatia virginum Ord. S. Benedicti in arce Pragenſi in Bohemia. *Corpus S. Ludmillæ viduæ martyris* 340 b, 348 f, 349 e, 352 d e, 353 b c f, 360 d
Gerunda, civitas Hiſpaniæ 569 d
Gerundenſis diœceſis in Catalonia. *Cultus S. Ferreoli M.* 1060 c
Giennum, *ſeu* Gienna (*Jaën*) civitas Andaluſiæ 867 f
Giraci, locus in Sicilia 714 b
Glarona, *ſeu* Glaronenſis pagus in Helvetia 203 d, 238 d, 243 d
Glaſconia (*Gaſſenbury*) urbs & pagus Angliæ 372 b
† Glodeſindis abbatia Metis 646 e
Gortinæ, civitas in Creta inſula 786 b c f, 787 a c
Gothia, regio. *Hic martyrio coronatus S. Nicetas* 38 & ſeqq.
Græcia 443 e, 463 c f, 768 & ſeqq. 775 d, 786 f
Græcium. *Vide* Reginohradecium.
Granata, urbs Hiſpaniæ, regni cognominis caput 337 c d
Gratterium (*Gratteri*) locus Siciliæ 712 b d, 714 & ſeqq.
Grätzenbach, locus Helvetiæ 226 f
Grimbergenſis ager in Belgio 536 a
Groſſetum, civitas Hetruriæ 423 a
Gruttæ, oppidum Siciliæ 719 b

H

HAdrianopolis. *Vide* Adrianopolis.
Hamelienſe Auguſtinianorum cœnobium in ducatu Brunſwicenſi 659 b
Hannonia, Belgii provincia 520 d, 569 f, 575 e, 605 f
Hantonia Angliæ provincia 371 e
Hasbanicus pagus in ditione Leodienſi 555 f
Haſletum, oppidum 591 b
Haſprum *ſeu* Haſpra, locus & præpoſitura abbatiæ S. Vedaſti in Cameracenſi diœceſi. *Corpora SS. Aichardi abb. Gemeticenſis & Hugonis epiſc. Rotomag.* 81 & ſeqq.
Haſſia, provincia Germaniæ 474 b
Hebrus, flumen Thraciæ 30 f
Hegglingen, locus Helvetiæ 234 e, 243 b f
Helellus, fluvius Germaniæ 225 f
Helionis cœnobium ſeu collegium canonicarum in Alſatia, idem quod Andlavienſe 794 e f
Heliſatia 794. *Vide* Alſatia.
Helleſpontus 30 a, 114 b, 279 f, 281 d
Helpra, fluvius in Belgio 569 f
Helvetia. *Cultus S. Leontii M.* 195 & ſeqq. multis. *An paſſi in* Helvetia *SS. Valerianus, Macrinus & Gordianus?* 483 c d
Hemikon, locus Helvetiæ 223 c
Hennebergenſis comitatus in Germania 647 f
Heraclea, urbs Thraciæ 115 a b, 249 e
Herbipolis, civitas Germaniæ 669 c e, 692 c
Hercinia ſylva in Germania 200 b, 217 b, 220 e
Her-

Herde, monaſterium 659 a, 669 c, 671 e, 692 d
Hergiſwil, locus Helvetiæ 237 b d
Herienſe monaſterium in Gallia 88 f, 93 b c
Herimale, (*Hermael*) villa ad Moſam fluvium 580 c, 581 c d; *al.* Hermala 601 a; Harmala 602 a
Herius, *ſeu* Herus, inſula Galliæ 91 c, 93 & ſeqq., 593 f
Hetruria. *Vide* Etruria.
Hibernia 318 e, 320 & ſeqq., 466 f, 510 d, 533 a
Hibingen. *Vide* Eibingenſe monaſterium.
Hieracium, civitas epiſcopalis in Calabria 714 b
Hieroſolyma 56 c, 876 f
Hiltiſreiden, locus Helvetiæ 222 e, 235 b
Hippodromus, locus amplus Conſtantinopoli 275 a, 279 b
Hippo-regius, civitas Africæ 369 c
Hirſaugienſe cœnobium in Germania 645 e, 646 a, 653 c e, 669 & ſeqq., 692 d
Hirsfeldt, oppidum Germaniæ in Haſſia 474 a b
Hiſpalis, civitas Hiſpaniæ. *Corpus cujuſdam S. Narciſſi M.* 476 f, Hiſpalis 870 b d
Hiſpania 102 e f; *ſæva Arabum in Chriſtianos perſecutio* 104 d e f. *Cultus S. Euphemiæ V. M.* 286 a d e. Hiſpania 336 c f, 337 c e. *Cultus S. Columbæ V. M.* 618 & ſeqq. Hiſpania 728 & ſeqq., 799, 801, 809 & ſeqq. multis.
Hiſpania nova 867 a
Hiſpellum, oppidum in Umbria 1023 f, 1026 a
Hiſtria, regio 74 d
Hitzkirch *vel* Hitzkilch, locus Helvetiæ 223 c, 230 f, 232 c, 233 f, 243 c
Hochdorff, locus Helvetiæ 230 e, 232 f
Hof-ſtade, locus prope Mechliniam in Belgio 535 d
Hohenburgenſe inferius monaſterium ad pedem Hohenburgi *ſeu* Montis S. Odiliæ in Alſatia 334 b c
Hohenburgum. *Vide* Mons S. Odiliæ.
Homburg, locus Helvetiæ in Turgovia 247 a b
Honaugienſe monaſterium in Germania 333 f, 334 a
Hor, mons Arabiæ 101 f, 102 e
Hortanum, oppidum Italiæ in Hetruria 307 b
Hoyum, oppidum in diœceſi Leodienſi 527 a, 561 f
Hradecz 356 c. *Vide* Reginohradecium.
Hugardia, locus in Belgio 545 f, 546 a
Huiſna, *al.* Idonea (*Huine*) fluvius Galliæ 332 e
Hungaria 105 f, 311 a c, 446 c
Hunicurtenſe monaſterium in Belgio 527 d
Hunnienſe cœnobium 656 a
Hydruntina provincia in regno Neapolitano 993 d, 994 a, 1016 & ſeq., 1036 b

I

†Jacobi cœnobium prope Moguntiam in Germania 12 c d
Janua. *Vide* Genua.
Japonia. *Eò delatæ reliquiæ SS. Abundii & Abundantii MM.* 309 d
Jaris *ſeu* Jares, Jaira, Zares fluvius 760 e, 763 b c, 765 e, *fortè* Geria (*la Gere*) in Gallia, ibid. f, 766 f, 767 c
Jecora, fluviolus in Belgio 549 f, 575 e, 617 a
Igilium, *al.* Ægilium (*vulgò Giglio*) inſula maris Etruſci. *Reliquiæ eſſe dicuntur S. Mamiliani epiſc. Panormitani* 47 a, 48 & ſeqq.
Iginia inſula 49 e. *Vide* Igilium.
†Ildephonſi cœnobium monialium Burgis in Hiſpania 850 d, 853 b
Ilerda, civitas Hiſpaniæ 745 b
Illfurtum, locus Germaniæ 210 c
Illiberis. *Vide* Eliberis.
Ilua, *al.* Elba, inſula maris Etruſci 47 a, 50 c e, 52 e, 1035 f
Imola, civitas Italiæ 1057 e, 1060 a
Indiæ 320 b, 855 e, 865 & ſeqq.
Ingelheim, oppidum Germaniæ 642 e, 669 d
Inſubria, Italiæ regio. *Cultus S. Euphemiæ virg. mart.* 261 e
Inſulæ, civitas Flandriæ 571 c, 974 a
Interamna (*Terni*) civitas in Umbria 1032 c
Inweil, locus Helvetiæ 228 a
Inwila, locus Helvetiæ in ditione Lucernenſi 246 a
†Joannis de Vineis abbatia Sueſſione in Gallia 628 c e, 629 a
†Joannis in Veneris monaſterium Italiæ 406 b, 407 f
Jonium mare 427 c
Jopilia, villa prope Leodium 541 f: *al.* Jobii-villa 550 f, Jopila 551 a, 597 f & Jopilum 599 d, 613 a d e, 614 d
†Jovini de Marnis (*S. Jouin*) monaſterium in diœceſi Pictavenſi 88 c
Iſter, *al.* Danubius fluvius 38 & ſeqq.
Italia. *Cultus S. Nicomedis presb. mart.* 12 c. Italia *affligitur Wandalorum incurſionibus* 49 a; *fame premitur* 427 a. Italia 487 & ſeqq. *In* Italia *celebris fuit in vita B. Joſephus à Cupertino* 1035 a
Judæa 89 c
Julia, ducatus in Germania 105 f
Julia Fidentia, *nunc* Burgus S. Domnini in Italia. *S. Giſlemerius M.* 313 a b
†Juſtinæ monaſterium, Lucæ in Italia. *Reliquiæ S. Nicomedis presb. mart.* 12 b

K

KAhm, locus Helvetiæ in Tugienſi ditione 211 b c d e, 241 d
Kefalonia. *Vide* Cephalenia.
Kerns, locus Helvetiæ 238 f
Kienberg, locus Helvetiæ 234 c
Kilchberg *vel* Kilchdorff, locus Helvetiæ 220 c
Kircheim, oppidum Sueviæ 652 a d, 671 c d
Kirchhofen, locus Germaniæ 233 d
Kitzingen, cœnobium in Franconia 649 a, 669 c e, 692 d
Klingnovium, oppidum Helvetiæ 213 e, 218 a, 227 f, 242 a
Knethſtede, præpoſitura Ord. Præmonſtratenſis in diœceſi Colonienſi 659 d
Kufungim *ſeu* Kegſungen, abbatia monialium 660 a
Kumeldiken, locus Helvetiæ 236 d

L

LAcenſe, *aliàs* de Lacu, cœnobium Ord. S. Benedicti in Germania 696 c, 697 a
Lachena, locus Helvetiæ in Marchia Suitenſi 206 f, 229 a b, 241 c
Lætienſis abbatia (*Lieſſies*) in Hannonia 520 d. *Inſignes reliquiæ S. Lamberti epiſc. mart.* 569 f, *& abbatiæ patroni* 570 a & ſeqq., 603 c
†Lamberti abbatia in Styria 572 c
†Lamberti monaſterium in Bavaria 572 a
†Lamberti mons prope Mechliniam in Belgio 535 d
†Lamberti pagus in Arteſia 571 d
Laminitanus ager, tractus Caſtellæ Novæ (*vulgò el campo de Montiel*) 825 d, 827 e, 835 f

Laminium, oppidum olim in Caſtella Nova 827 e f
Lampadiſtum, caſtellum 467 f
Lanarius vicus Romæ 301 f, 302 a
Lancianenſis ager in Italia 407 f
Landovienſe monaſterium virginum 797 d
Längnaw, locus Helvetiæ 235 f, 236 a
Lapitharum urbs, *ſeu* Lapithus, in Cypro inſula 467 f
Larinum, civitas regni Neapolitani 997 e
Lateranenſia concilia *anni* MLIX, 385 f, 386 a; *anni* MCLXXIX, 388 e, 697 c; *anni* MCCXV, 120 e, 568 a
Latium, regio Italiæ 387 e, 414 b, 422 f, 423 a, 427 d, 430 e
Laubienſis abbatia Ord. S. Benedicti in Belgio 755 b
Lavingen, locus Germaniæ in Suevia 212 c
† Laurentii conventus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci Neapoli 1018 d
† Laurentii monaſterium apud Leodium in Belgio 518 b, 520 c, 557 b
† Laurentii monaſterium Salerni in Italia 408 d
Lauretana ſacra Domus 1040 d
Lauretum, civitas Italiæ 1036 c, 1057 c, 1059 f, 1060 d e
Lauria *ſeu* Lauræa, pagus regni Neapolitani 1036 b
Lauſana, civitas Helvetiæ 449 e, 450 c, 456 f, 457 b, 691 d
Legia. *Vide* Leodium.
Legionenſe regnum in Hiſpania 870 e
Legionum Urbs in Anglia 477 e
Lemnus, *ſeu* Lemnos inſula maris Ægæi 29 f, 30 a, 254 f, 258 & ſeqq., 266 d, 276 & ſeqq.
Lemovici, civitas Galliæ. *S. Ferreolus epiſc. conſ.* 783 a & ſeqq.
Lencia, flumen Italiæ 432 c
Leodium, *al.* Legia, civitas Belgii. *S. Lambertus ſeu Landebertus epiſc. mart. & BB. Petrus, Andoletus &c.* 518 a b, 519 a, 524 & ſeq., 531, 536, 538 & ſeqq. *Corpus S. Lamberti tranſlatum* Leodium 551 & ſeqq., *miraculis clarnit* 554 & ſeqq.; *idem cum corporibus Petri & Andoleti viſitatur* 564 & ſeqq.; *cultus inſignis ejuſdem S. Lamberti* 573 c d e. Leodium 577 c, 579 & ſeqq., 589 & ſeq., 597 & ſeqq.; Leodii *ſeu* Legiæ *antiquus ſitus* 613 a b. Leodium 974 a
Leonina civitas, pars Romæ 398 a, 424 d
Leucha, urbs. *Vide* Tullum Leucorum.
Leuchorum civitas, *al.* Tullum Leucorum. *S. Aper epiſc.* 67 b. *Vide* Tullum.
Leuconaënſis *nunc* S. Walarici ſupra mare abbatia in Picardia. *Reliquiæ S. Rithberti aut Raimberti conf.* 79 c e f. *Reliquiæ item S. Sevoldi* 336 a b d e
Leucopibia, locus in Britannia inſula 318 c d
† Ligorii cœnobium monialium Neapoli 1018 e, 1021 f
Liguria, regio Italiæ 123 b, 129 b, 179 c, 486 e f, 508 a, 778 c
Lilium, inſula Italiæ 410 c
Lima, urbs Americæ in regno Peruano 813 e
Limagus, amnis in Helvetia 218 f, 227 b
Limanum concilium I *provinciale* 834 f
Limburgenſis ducatus in Belgio 663 b
Lineium *al.* Ligniacum (*Ligny*) oppidum in ducatu Barenſi 73 e, 76 b
Liris, fluvius Italiæ, dictus etiam Garilianus 385 c d, 391 e, 409 a, 412 e, 414 b, 421 a, 422 f
Liſtorff, locus Helvetiæ 225 b
Littau, locus Helvetiæ in ditione Lucernenſi 220 e
Lobetum (*Albarazin*) civitas epiſcopalis in Aragonia 746 e
Löffingen, locus Germaniæ 217 b, 232 d
Longobardia, pars Italiæ 313 b, 432 c, 778 c
Lorche *ſeu* Lorich, locus Germaniæ 699 f, 701 d
Loſtorff, locus Helvetiæ 238 a
Lotharingia 55 a, 69 c, 72 d, 115 b c, 116 a b c, 334 e, 355 a, 467 a, 508 f
Lovaniolum (*Lovenioul*) pagus Belgii in Brabantia. *Eccleſia & cultus S. Lamberti epiſc. mart.* 571 e f
Lovanium, civitas Belgii 320 e, 571 e, 661 f, 759 a, 800 c, 974 a
Lubboldesberge, *al.* Lubbelsberg, abbatia monialium 660 b
Luca, civitas Italiæ, reipublicæ cognominis caput. *Reliquiæ S. Nicomedis presb. mart.* 12 b
Lucenſis provincia in Bohemia 360 c
Luceria, *al.* Nuceria Saracenorum, civitas regni Neapolitani 396 c
Lucerna, urbs Helvetiæ 196 c d, 205 e, 208 d, 220 a, 222 a, 227 a, 235 b
Lucernenſis pagus in Helvetia 203 f, 208 c, 209 a, 223 & ſeqq., 233 & ſeqq.
Lugdunum (*Lyon*) urbs Galliæ Celticæ 13 e. *S. Albinus epiſc., qui eccleſiam S. Stephani erexit* 44 a & ſeqq. Lugdunum 125 d, 440 c, 450 a, 761 f
Lunckhofen, locus Helvetiæ 223 a, 225 d, 243 f
Lungeren, locus Helvetiæ in Subſylvanienſi pago 206 a, 216 a, 237 f
Luſitania 285 b, 353 f, 619 e, 620 a, 808 f, 809 a, 811 d, 848 f, 871 c
Luſtdorf, locus in Helvetia 205 f
Lutetia Pariſiorum 188 b. *Reliquiæ S. Euphemiæ V. M.* 262 d. *Vide* Pariſii.
Luxemburgenſis ducatus in Belgio 518 b
Luxovienſe monaſterium in Burgundia 56 c, 90 d, 100 f, 528 d e, 531 d, 606 a, 607 f
Lycaonia inſula, *nunc* S. Bartholomæi dicta, Romæ 432 b
Lycia 768 b c d e, 769 c d f
Lyria, locus Hiſpaniæ in regno Valentino 909 a, 924 e

M

Macedonia, regio 30 a, 115 d
Macerata, civitas Italiæ 1007 b, 1054 a, 1060 d
Maclovium, civitas Galliæ in Britannia. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 262 d
Madricalenſe S. Mariæ cœnobium Ord. S. Auguſtini 808 f
Magalona, inſula & civitas Galliæ 441 b, 457 d
Magella *ſeu* Majella, mons Italiæ in Aprutio 374 d, 381 e, 383 a b, 401 b, 404 a b c
† Magni monaſterium in Italia 420 e, 422 e
Majorica, regnum 904 f
Malters, locus Helvetiæ 225 a
† Mamiliani monaſterium in Monte Chriſti, inſulà maris Etruſci 50 c & ſeqq.
† Manſueti monaſterium prope Tullum in Belgica prima 55 e
Mantua, civitas Italiæ 1037 a
Marchia, comitatus in Germania 669 f
Marchia Anconitana, provincia Italiæ 384 e, 414 b, 992 b, 1009 a, 1040 a, 1041 e, 1060 a d e
Marcianopolis, urbs Mœſiæ. *S. Melina M.* 29 b c

e, 30 c d e f, 31 f, 34 a, 39 a
† Mariæ abbatia Nagaræ in Hiſpania. *Reliquiæ & cultus S. Columbæ virg. mart. Cordubenſis* 622 c
† Mariæ abbatia Ratisbonenſis 659 f
† Mariæ Angelorum conventus Ord. Minorum regularis obſervantiæ Panormi. *Cultus B. Gandolphi* 725 a
† Mariæ ad Martyres abbatia apud Trevirim 646 a
† Mariæ Cryptellæ conventus Ordinis Minorum Conventualium prope Cupertinum in regno Neapolitano 994 c d e, 995 a f, 996 a, 1010 d e, 1016 & ſeqq., 1023 f, 1026 f, 1027 a b c, 1034 c
† Mariæ de Calena abbatia in Italia 407 d, 408 c
† Mariæ de Jeſu conventus Ordinis S. Franciſci prope Valentiam in Hiſpania 893 f
† Mariæ de Succurſu cœnobium Eremitarum S. Auguſtini prope Valentiam in Hiſpania. *Hic ſepultus S. Thomas à Villanova archiepiſc.* 799 f, 800 a b, 816 b, 819 a, 827 e, 829 f, 834 a, 844 b, 845 a b, 876 f, 877 a e, 878 d e, 909 e f, 920 e, 952 f, 955 & ſeqq., *miraculis illuſtris* 977 & ſeqq.
† Mariæ la Real de las Huelgas cœnobium monialium Valliſoleti in Hiſpania 851 b
† Mariæ Gratiarum, virginum monaſterium Genuæ 151 b, 153 c d
† Mariæ in Palladio monaſterium Romæ, *alias* S. Sebaſtiani *ac* SS. Sebaſtiani & Zotici *vel* Zozimi in Palladio, Pallaria vel Pallara 420 b, 421 f, 422 a
† Mariæ Tremitis cœnobium in inſula Tremitenſi 387 c. *Vide* Tremitenſe Italiæ cœnobium.
† Mariæ Virginis abbatia loci Bedagii in Italia 494 e
† Mariæ Virginis abbatia loci Nerviani in Italia 494 e
† Marini parthenon Papiæ in Italia 797 b c
Marſicanus comitatus in Italia 420 e, 422 e
Martina, oppidum regni Neapolitani 994 a, 1010 d, 1015 e
† Martini abbatia Coloniæ 646 c
† Martini monaſterium in Spanheim 672 f
† Martini Murenſe monaſterium. *Vide* Muri.
Martos, oppidum Hiſpaniæ 622 d
Maſſilia, urbs Galliæ in Provincia 292 e
Matiſco, civitas Galliæ 15 f
Matiſconenſe concilium *anni* DLXXXV, 784 e
Matritum, urbs Hiſpaniæ. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 a. Matritum 822 b, 839 b, 867 b, 964 b
† Matthæi abbatia monialium Piſis in Etruria 48 c, 49 d, 50 f
† Mauri oppidum in Sicila 712 a, 714 e, 716 f
† Mauritii Agaunenſe monaſterium 63 f, 513 b c
Mazara, civitas Siciliæ 713 a b, 714 a c, 718 c, 725 b
Mechlinia, civitas Belgii 535 c d f, 536 a b, 974 a, 992 d
Mechlinienſis ager in Belgio 535 c
† Medardi apud Sueſſiones in Gallia abbatia 65 e
Mediolanenſe IV concilium *ſub S. Carolo Borromæo* 778 a
Mediolanum, civitas Italiæ in Inſubria 5 f. *Cultus S. Nicomedis presb. mart.; an etiam reliquiæ ſeu corpus?* 9, 10, XI. *Eccleſia & cultus S. Euphemiæ V. M.* 261 d e. *S. Satyrus conf.* 485 a b c d e, 488 & ſeqq. *Corpora SS. Satyri & Victoris inventa ac ſolemniter tranſlata ad novam eccleſiam* 494 & ſeqq. Mediolanum 499 d, 502 b, 505 c, 507 c, 508 b, 703 b c, 756 a, 759 d. *S. Euſtorgius I epiſc. conf.* 774 & ſeqq. *Hic Sanctus non tranſtulit Conſtantinopoli* Mediolanum *corpora ſanctorum trium Magorum* 779. *Corpus S. Euſtorgii in eccleſia patrum Dominicanorum* 780 b
Melinæenſis eccleſia prope Flexiam in provincia Andegavenſi. *Cultus & reliquiæ B. Reginaldi eremitæ* 626, 627, 628
Melita inſula. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 262 c d
Mellinga, oppidulum Helvetiæ 218 c
Melnicium *ſeu* Mielnik, civitas Bohemiæ. *Patria S. Ludmillæ vid. mart.* 342 a b, 345 a, 346 d, 358 c, 360 b
Melpheta, *ſeu* Malfatta *vel* Morfecta, civitas Italiæ 388 e
Melphia, civitas Italiæ in Baſilicata regni Neapolitani provincia 386 a b c, 388 e, 401 c
Melphitanum concilium *anni* MLIX, 386 a b c, 407 d
Menatum, abbatia Galliæ in Alvernia 2 a b
Mendæ, urbs Siciliæ 292 e
Mentzingen, locus Helvetiæ 214 a, 215 a, 236 b f, 240 b, 241 b, 244 a
Meriſchwand, locus Helvetiæ 228 e
Meſſana, civitas Siciliæ 706 a, 717 b, 718 d, 719 d, 723 b
Meſtre, oppidum Italiæ in agro Tarviſino 758 e
Metæ, civitas Galliæ 524 d, 669 c, 670 c, 692 c
Metzingen, *fortè idem cum* Mentzingen in Tugienſi Helvetiæ pago 220 c
Mexicanum regnum in America 811 e f, 812 & ſeqq., 866 b d
† Michaëlis archangeli ad Formam, monaſterium in Italia 390 f, 420 c
† Michaëlis ad Vallem Macram oppidum 439 e f
† Michaëlis Bambergenſe cœnobium 658 a
Millaw, *ſeu* Müllaw, locus Helvetiæ 225 e, 226 b
Minervinum, *al.* Minervium, Minerbium, Mons Orbinus, civitas regni Neapolitani 1055 e, 1057 b
Minturnæ, civitas Italiæ 385 c
Mirapicum, civitas Galliæ in Occitania 314 b
Miſlata, locus Hiſpaniæ prope Valentiam 916 f, 917 a
Miſtrecta (*Miſtretta*) oppidum Siciliæ 714 f, 716 a, f, 717 b
Mœnus, fluvius 649 a, 669 e
Mœſia, regio 30 a d e, 34 a d, 39 a, 114 b, 483 e
Moguntia, civitas Germaniæ. *Cultus S. Nicomedis M.* 12 c. Moguntia 444 a, 446 f, 449 a, 456 a, 459 e. *Reliquiæ S. Juſtini* 473 f, 474 a. Moguntia 630 d, 633 b, 635 b, 641 & ſeqq., 663 b, 667 & ſeq., 670 c d, 677 a e
Mola, oppidum Italiæ 422 f
Moldavia 38 f, 39 a
Molinæ, urbs Galliæ 283 b
Moliſii comitatus in Italia 396 c, 416 d
Molshemium, civitas Alſatiæ. *Reliquiæ S. Einbettæ virg.* 315 c, 317 e
Mona, *al.* Moneda, inſula Britanniæ Magnæ 319 c
Moneda, inſula 318 e. *Vide* Mona.
Monopolis, civitas regni Neapolitani 1021 e, 1023 a
Mons beati Roberti, monaſterium in diœceſi Moguntina. *Vide* † Ruperti mons.
Mons Chriſti, inſula maris Etruſci 48 c, 49 b d e. *Monaſterium S. Mamiliani epiſc.* 50 c & ſeqq., 53 f
Mons-Falconis, abbatia Galliæ 509 a b

Mons-Falconis, oppidum in Umbria 1023 f, 1026 a
Mons-Filatranus, Italiæ in Marchia Anconitana oppidum 1054 e, 1057 b, 1059 e
Mons Jovis, *nunc* Mons Chriſti, inſula maris Etruſci 49 b d e
Mons Leonis in Umbria 1051 e
Mons Major, oppidum Siciliæ 716 f, 717 d
Mons Niger in Italia 421 b
Mons Peſſulanus (*Montpellier*) civitas Galliæ 437 c, 438 b, 441 b
Mons Porculus in Italia 391 f
Mons Regalis, civitas Siciliæ 713 a, 714 c, 715 c
Mons S. Joannis, abbatia in Germania 670 e
Mons S. Odiliæ, *al.* Hohenburgum & Altitona, virginum olim, nunc Canonicorum Regularium Ordinis Præmonſtratenſis collegium in Alſatia 317 a. *S. Eugenia virg. abbat.* 332 & ſeqq.
Mons-Vetus, locus Italiæ 1008 d e, 1009 d, 1010 f, 1038 f
Mons-Ulmi, locus Italiæ in Marchia Anconitana 1058 e, 1060 d
Monte-Lupone, locus Italiæ 1050 b, 1059 a b
Montio, oppidum Aragoniæ 745 b
Monumethenſis ducatus in Anglia 477 c f
Mopſueſtia, urbs Ciliciæ. *Huc olim delatum corpus S. Niceæ Gothi M., & templum ædificatum* 38 e f, 41 f, 42 a b c, 43 c
Moravia 339 c, 342 & ſeqq., 355 & ſeqq., 360 e
Mortula, *al.* Mirtula, caſtrum in Italia 390 e, 409 a, 421 a
Moſa, fluvius 70 e f, 72 d, 521 c d, 525 b, 534 a d e f, 540 a, 549 & ſeqq., 575 e, 577 c, 599 & ſeqq., 603 d, 609 & ſeq., 613 & ſeq., 616 & ſeq.
Moſella, fluvius 72 d, 631 d
Mota *ſeu* Meta, caſtrum Italiæ 391 b, 420 e
Mulbrunnenſis abbatia in Spirenſi diœceſi 658 a, 669 c, 670 f, 692 d
Muldava, fluvius Bohemiæ 342 a
Mulhuſium, oppidum Germaniæ in Alſatia 210 c
Murbacenſe cœnobium in Germania 333 e
Murcia, regnum in Hiſpania 828 e
Muri, *al.* Mure, celebris abbatia Ord. S. Benedicti in Argovia Helvetiæ. *Corpus, cultus inſignis & miracula S. Leontii M.* 195 & ſeqq. multis.
Muſena, locus prope Mechliniam in Belgio 535 d e f, 536 a
Muſo, fluvius Italiæ 1057 a
Müſwangen, locus in Helvetia 219 d, 230 f
Mutina, urbs Italiæ 1049 e
Myrmix, vicus Aſiæ Minoris. *S. Philotheus presb.* 113 b, 114 b
Myſia. *Vide* Mœſia.

N

NAder, amnis Angliæ 367 e
Nagara, civitas in Hiſpania 619 e, 622 d
Nagarenſis S. Mariæ abbatia in Hiſpania. *Reliquiæ & cultus S. Columbæ virg. mart. Cordubenſis* 622 c
Naha, Nahus, Nava, Navus (*Nau*) amnis modicus in Palatinatu inferiori 631 d, 634 f, 635 b, 678 f, 681 c, 682 f, 698 c
Namurcenſis comitatus in Belgio 562 f
Namurcum, civitas Belgii 562 e f
Nanceium (*Nancy*) urbs Lotharingiæ 72 f
Nandrienſis villa 559 d e
Nava. *Vide* Naha.
Neapolis 152 f, 394 b c e, 995 & ſeqq., 1018 c e, 1021 e
Neapolitanum regnum 393 f, 430 c
Nemetes, civitas Germaniæ 524 e f, 525 c, 553 a, 576 a, 591 c
Neoburgum, oppidum Germaniæ 235 a
Neohemienſis parœcia (*Neuen*) in Helvetia 217 f
Neritum (*Nardo*) civitas regni Neapolitani 994 e, 1010 e, 1016 e, 1021 e. *Hic inſtitutus proceſſus pro canonizatione B. Joſephi à Cupertino*, 1044 a
Neuendorff, locus Helvetiæ 229 d e
Nevidunum (*Nyon*) civitas Helvetiæ 483 b c d
Neuſtria, pars regni Francorum 74 d, 526 & ſeqq., 591 f
Neuwenkirchen, locus Helvetiæ in Lucernenſi pago 209 a
Nicæa, urbs Aſiæ Minoris 114 a
Nicænum concilium I, 39 e, 40 c. Nicænum II 265 b
† Nicandri monaſterium in Italia 393 b, 426 d
† Nicolai in Sellectano monaſterium 426 d
† Nicolai monialium cœnobium Auximi in Italia 1049 e
Nicomedia, urbs Bithyniæ. *SS. Archius & Archeon MM.* 45 a d
† Nicomedis monaſterium virginum olim Moguntiæ in Germania 12 c
Nicoſia, civitas in Sicilia 713 f, 714 d, 715 a, 716 d, 718 d e
Nider-Ercken, locus Germaniæ 225 e
Niderweil, locus in Helvetia 202 b, 217 d, 235 d, 238 c
Niniapolis, *ſic dicta* Candida Caſa *à S. Niniano epiſc.* 318 f. *Vide* Candida Caſa.
Nivella, oppidum Brabantiæ 581 c
Nivialla (*Nay, al. Nyvels*) locus ad Moſam fluvium 580 b, 581 c, *al.* Nuella 601 a
Norica, regio 74 d
Normannia, Galliæ provincia 79 b, 80 & ſeqq., 478 & ſeqq.
Northumbria, pars Angliæ 2 b, 366 c
Novempopulania, provincia Aquitaniæ in Gallia 263 b
Noveſium, *al.* Nuſſia, oppidum Germaniæ inferioris 106 b d f, 107 a b, 109 e
Novientenſe, *ſeu* Apri-monaſterium in Alſatia 795 a
Noviodunum, locus in Mœſia inferiori 483 e
Noviodunum, oppidum Pannoniæ 483 e
Noviomagum *ſeu* Noviomagus, urbs Belgii 109 b
Novocomum, civitas Italiæ. *Cultus S. Euphemiæ virg. mart.* 261 e
Novum monaſterium monialium Auximi in Italia 1049 e
Nuceria, civitas Italiæ. *S. Priſcianus mart.* 314 a d. Nuceria *duplex in Italia* ibid. Nuceria 466 e
Nuceria, civitas Campaniæ in Italia 4 e
Numentana via 5 e, 6 c, 7 a. *Eccleſia S. Nicomedis M.* 7 d e, 8 b c d
Numidia, regio Africæ 46 a

O

OBerbuchſeten, locus Helvetiæ 243 e
Oberkirch, locus Helvetiæ 241 d
Obſequium, regio Aſiæ Minoris 114 a b c
Occitania, Galliæ provincia 314 e
† Odiliæ Mons. *Vide* Mons S. Odiliæ.
Odornenſis *ſeu* Ornenſis pagus (*l' Ornois*) 78 a, 79 a d
Oglaſa, inſula maris Etruſci, *nunc juxta aliquos*

Mons Chriſti appellata 50 d
Olivenſis abbatia in Pruſſia 465 f
Olta, oppidum Helvetiæ in Solodorenſi pago 219 a, 225 b
Olympus, civitas Lyciæ. *An hîc epiſcopus S. Methodius M.* 768 b c d e, 769 a c, 770 c
† Onuphrii monaſterium in Italia 420 e f, 422 e
Oriola, *al.* Orcelis, civitas Hiſpaniæ 835 c, 870 e, 927 d, 969 c
Ornea *ſeu* Orna, fluvius 73 e, 76 b
Orpienſis parthenon in Brabantia Belgii provincia 545 e f, 546 a
Orpium Majus & Minus in Brabantia 545 e f, 546 a
Orta, *al.* Hortanum, oppidum Italiæ in Hetruria 307 b
Ortnavia (*die Ortenau*) pagus in Suevia 792 b
Oſca (*Hueſca*) civitas Aragoniæ 731 c
Oſſoria, tractus Hiberniæ 463 d
Oſtia *ſeu* Oſtia Tiberina, civitas olim Italiæ 432 b
Ottmarheim, locus Alſatiæ 231 e f

P

PAdus, fluvius Italiæ 118 f
Palæſtina 260 e
Palatinatus inferior 682 f
Palatium Adriani, oppidum Siciliæ 715 f, 717 c
Palavicina ditio in Italia 117 b, 119 a, 121 a, 122 f
Pamphilia 768 e
Pannonia, Europæ regio 74 d, 311 c, 483 e, 488 f
Panormus, urbs Siciliæ. *Reliquiæ & cultus S. Mamiliani, ejus epiſcopi & patroni* 46 b f, 47 a & ſeqq., 48 a b, 52 b. Panormus 394 a, 415 a, 703 f, 705 & ſeq., 712 & ſeqq., 723 a, 724 d. *Cultus B. Gandolphi* 725 a b
Paphlagonia, regio Aſiæ minoris 266 d
Paphos, civitas Cypri inſulæ 468 d
Papia, *al.* Ticinum, urbs Italiæ 305 a, 758 d
Papienſe conciliabulum 643 c
Parapanda, vicus Hiſpaniæ 337 c d, 338 c
Parcenſis abbatia Ord. Præmonſtratenſis prope Lovanium in Brabantia 661 e f, 662 c
Pariſii, urbs Galliæ 203 d, 656 c, 671 f, 674 c, 699 & ſeqq., 782 e f, 783 d
Pariſius 701 d. *Vide* Lutetia & Pariſii.
Parma, civitas Italiæ. *Cultus & reliquiæ S. Nicomedis presb. mart.* 12 a b. Parma 118 a f, 122 f
Parmenſis ducatus in Italia 119 a, 432 c
Parthia, regio Aſiæ 779 b
Paſlatum, locus in Scotia 2 f
Patara, urbs Lyciæ 768 e, 769 a b
Paternum, locus Italiæ 305 d
Patrarium, oppidum Hiſpaniæ prope Valentiam 979 d
† Pauli abbatia Lemovicis in Gallia. *Hîc primùm ſepultus fuit S. Ferreolus epiſc. conf.* 785 b
Pavoniacum ſuper Moſam (*fortè Pargny aut Pagny ſur Meuſe*) locus diœceſis Tullenſis 70 f, 72 e
Pauſulæ, oppidum olim in Italia 1060 d
Pedemontium, provincia Italiæ 759 e, 1057 b
Peramus, mons Italiæ 385 b, 407 c
Pereum, *ſeu* Pereta, inſula Italiæ 305 c
Perinthus, urbs Thraciæ 488 e
Peruſia, Peruſium, civitas Italiæ 124 b, 1000 d, 1033 d, 1035 c, 1036 b, 1045 & ſeqq., 1059 e f
Peruſinus ager 1036 b, 1037 a
Peſclatura, caſtellum Italiæ 396 b
Peſmontis oppidum in Italia 409 a
Petra-Rubea, locus Italiæ 1005 a c e, 1006 & ſeqq., 1014 e, 1038 a b c
Petralia, oppidum Siciliæ 705 b d, 706 f. Petralia ſuperior 707 f, & inferior 709 c, 716 c e f
† Petri Catalaunenſe cœnobium 509 f, 510 b
† Petri de Avellana monaſterium in Italia 420 d, 422 d
† Petri de Foreſta monaſterium in Italia 421 b
† Petri de Turribus abbatia in Gallia 441 a b
† Petri monaſterium Italiæ in valle de Lacu 420 d, 422 d
† Petri monaſterium Tarenti in Italia 392 f, 426 d
Pettina, oppidum Siciliæ 713 a, 714 c
Pfeffikon, locus Helvetiæ 231 b
† Philippi oppidum in Sicilia 715 f, 716 b, 717 c
Philippopolis, urbs Thraciæ 30 b f, 35 f
Phœnicia 769 e f
Phrygia Minor 114 b
Phrygia Pacatiana 2 e
Phrygia Salutaris 469 a b c e f
Picardia, Galliæ provincia 79 b e, 263 b, 336 a, 628 d
Pictavium (*Poitiers*) urbs Galliæ, provinciæ cognominis caput 86 d, 93 e, 95 a, 100 f
Pinguia (*Bingen*) nunc Bingium, oppidum Germaniæ 635 b. *Vide* Bingium.
Pinnenſis *ſeu* Pennenſis comitatus in Italia 387 e, 393 c, 396 c
Piſæ, urbs Italiæ in Etruria. *Reliquiæ S. Mamiliani epiſc. & aliorum Sanctorum in templo D. Matthæi monialium* 48 c, 50 a b f, 51 a e, 54 b c. Piſæ 440 e
Piſanum concilium *anni* MCDIX, 440 c e f, 452 a
Piſaurum, civitas Italiæ in ducatu Urbinate. *Reliquiæ cujuſdam S. Lamberti mart.* 569 b c
Piſcaria, fluvius in Italia 384 f, 385 a, 407 d
Piſcaria, oppidum regni Neapolitani 385 a
Placentia, urbs Italiæ 118 a f, 122 f. *Cultus, reliquiæ & eccleſia S. Euphemiæ V. M.* 261 e f, 262 a b
Planaria, inſula maris Tyrrheni *ſeu* Etruſci 50 c
Planoſa. *Vide* Planaria.
Platia (*Piazza*) oppidum Siciliæ 712 f, 714 c
Plumbinum, oppidum Etruriæ 50 c e, 1035 f
Politium, oppidum Siciliæ in diœceſi Cephalæditana. *B. Gandolphus conf. presb. Ord. S. Franciſci* 701 b c f, 702 a b d f, 703 a d, 705 d, 706 a. Politii *miraculis claret idem Beatus* 707 & ſeq.; *ejuſdem corpus elevatur, & aliis miraculis illuſtratur* 709 & ſeqq. *Cultus ejuſdem inſignis* 719 & ſeqq.
Polleſworthenſe cœnobium in Anglia 365 & ſeq., 368 & ſeq., 371 d
Polonia 304 e, 999 a b, 1035 a b, 1037 a
Polymartium, oppidulum Italiæ in Hetruria 306 a, 307 a b
Pons Curvus, oppidum Italiæ 391 e, 421 b
Pons Syllæ in Tugienſi Helvetiæ pago 204 c
Pontiacum, locus in Combralia Alverniæ tractu 2 b
Pontivum, regiuncula Galliæ in Picardia 336 a
Pontus Euxinus 30 a, 266 a
Popajanum, urbs Americæ Meridionalis 867 d f
Portugallia 239 c
Portus Gruarii, *al.* Portus Romatinus, oppidum Italiæ in Foro-Julii 1058 d, 1060 d
Portus-Longus, arx in Ilua maris Tyrrheni inſula 1033 b, 1035 f, 1036 a
Portus Romanus 432 b
Portus Sophiarum Conſtantinopoli 276 e, 279 c

Portus Veneris in Italia 407 f
Potentia, fluvius Italiæ 1059 b, 1060 d
Praga, urbs Bohemiæ. *Reliquiæ S. Euphemiæ V. M.* 263 b. Praga 340 & seqq., 348 & seqq. *Reliquiæ S. Ludmillæ vid. mart.* 353 e f. Praga 354 f, 356 a, 358 b f, 362 & seqq. *Reliquiæ S. Lamberti episc. mart.* 571 e
Pratum Cardosum, locus Italiæ 420 d, 422 d
Pratum S. Lamberti 560 a b
Principatus citerior & ulterior in regno Neapolitano 384 f, 385 a; citerior 386 b c. Principatus 407 d, 414 e
Propontis 30 a, 114 b, 279 c f
Provincia, pars Galliæ 292 d, 436 & seqq.
Provinciæ Liberæ (*die Freyen Ampter*) tractus Helvetiæ 212 e, 219 d
Prussia 354 f
Prymnesia, civitas Phrygiæ Salutaris. *S. Ariadne mart.* 469 a c
Prymnesus. *Vide* Prymnesia.

Q

Quinciacus *seu* Quinciacense S. Benedicti cœnobium. *Exstruxit S. Aichardus abb.* 87 c f, 88 e f, 89 & seqq., 95 b
† Quintini parœcia in Gallia 626 f
† Quiriaci cœnobium monialium Assisii in Italia 1056 d

R

Rachudia, oppidum Siciliæ 719 d
Randacium (*Randazzo*) oppidum Siciliæ 715 a, 716 & seqq.
Rapersvilla, oppidum Helvetiæ 234 d
Ratisbonense superius monasterium 649 c
Ratispona, civitas Germaniæ 352 a b, 362 f
Ravenna, urbs Italiæ 250 a, 304 b, 305 b c d
Raxus, locus Cretæ insulæ 787 b d e
Recinetum, (*Recanati*) civitas Italiæ in Marchia Anconitana 1059 c, 1060 d
Reginohradecium, *al.* Græcium (*Hradecz Kralowe, & Konigingrats*) urbs Bohemiæ 356 c, 357 f
Regium Julium, *aliis* Rhegium, civitas Calabriæ 426 a, 427 c
Regium Lepidi, civitas Italiæ 432 c
Reiden, locus Helvetiæ in ditione Lucernensi 246 d
Remense concilium *anni* MCXLVIII, 636 c d, 637 c, 656 d, 680 e, 681 a
Rentiacum, oppidum Artesiæ 950 d
Resbacense cœnobium in Bria, Galliæ provincia 90 d
Rettinhasilensis abbatia 647 c
Reutlingen, locus in Suevia 652 e
Rhenovense Ordinis S. Benedicti monasterium 196 c
Rhenus, fluvius 65 c & alibi sæpe.
Rhetia, regio Europæ 74 d
Rhingavia, tractus Germaniæ 647 f, 670 d e f, 677 e, 700 e
Rhoda, locus diœcesis Silvæducensis in Belgio 550 d e
Rhodanus, flumen Galliæ 24 d, 26 a, 760 & seqq.
Ribza, Castellum in Italia 391 c
Riessonis viculus (*fortè Rezonville*) in Gallia 514 f, 515 e f
Risch, locus Helvetiæ 238 b
Rivarolum, locus Italiæ 119 a b
Rivotorto, locus haud procul Assisio in Umbria 1035 c
† Roberti mons, cœnobium monialium in diœcesi Leodiensi 635 b, 636 b
Rocca, locus Italiæ 409 a
Rodericopolis, *al.* Civitas Roderici (*Ciudad Rodrigo*) in Hispania 870 e f
Roma. *S. Nicomedes presb. mart.* 5 & seqq. *Reliquiæ S. Mamiliani episc. Panormitani in ecclesia B. Mariæ Montis Cæli* 45 e f, 46 d e f, 47 & seq., 51 & seqq. Româ *Muros in Helvetiæ translatum corpus S. Leontii M.* 196. Romæ *cultus S. Euphemiæ V. M.* 252 f, 253 a b f; *ecclesia ejusdem Sanctæ, ac reliquiæ in variis ecclesiis* 260 f, 261 a b c d. Roma. *SS. Lucia & Geminianus* 286 c f, 287 & seqq. *SS. Abundius, Abundantius, Marcianus & Joannes MM.* 293 & seqq. *Corpora SS. Abundii & Abundantii in ecclesia Domus Professæ Societatis Jesu* Romæ 299 f, 308 & seq., *pars reliquiarum in templo SS. Cosmæ & Damiani* 309 a b; *reliquiæ item eorumdem in ecclesia S. Mariæ de Ara-cœli* 310 a b d e. Romæ *verisimiliùs consecratus episcopus S. Ninianus* 321 c, 325 a. Roma 341 & seqq.; Romam *deportatum corpus S. Clementis Pontificis* 358 a. Roma 376 & seqq., 394 & seqq. Romæ *Pontifex creatur B. Victor III* 397, 398. Roma 404, 406 & seqq., 412, 414, 416, 421, 422, 425 & seqq. multis. Romæ *Beatis adscriptus Ludovicus Alamandus archiep. S. R. E. Cardinalis* 436 c, 438 d; *obiit Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis* 466 c; *captivus fuit S. Epaphras* 468 d. Roma. *S. Justinus presb. mart.* 470 a b e f; *ejusdem reliquiæ in variis Urbis ecclesiis* ibid. & 471 a; *SS. Narcissus & Crescentius MM.* 476 a b; *S. Theodora matrona* 484. *Cultus & reliquiæ S. Satyri conf.* 485 c. Romam *petit S. Rodingus vel Chraudingus* 514 e, 516 b. Romæ *consecratus episcopus S. Willibrordus* 535 a b. *Reliquiæ SS. Servatii & Lamberti episcoporum* 567; *cultus eorumdem antiquus* 568 a b c; *Beatis adscribitur Petrus Arbuesius* 749, 750; *examinatur causa Thomæ à Villanova* 959, 960 *& sequitur beatificatio* 961, 962; *promovetur canonizatio ejusdem* 964 & seqq., *& celebratur* 972, 973. Romæ *reliquiæ ejusdem* 976 b. Roma 996 d e f, 997 d. Romæ *promovetur ac perficitur beatificatio Josephi à Cupertino* 1012 & seqq., 1044
Romana concilia *anni* CCCXIII, 777 a; *anni* MLIX, 425 b; *anni* MLXX, 411 e, 414 a; *anni* MLXXVIII, 394 d e; *anni* MLXXX, 393 a; *anni* MLXXXIV, 395 e
Romandiola, provincia Italiæ 729 b, 754 d, 1060 a b d
Romania, regio 426 b, 427 e
Romatius, fluvius Italiæ 1060 d
Rordorff, locus Helvetiæ 223 b
Rostuirck, locus Hiberniæ 463 d
Rotomagense concilium 789 a b
Rotomagensis pagus 90 e f
Rotomagus, urbs in Normannia 81 d, 83 b. *Reliquiæ & cultus S. Sinerii episc. conf.* 781 a d e, 782 c d
Rottenburg, comitatus Helvetiæ in Lucernensi ditione 246 a
Rottenburgensis toparchia in Helvetia 209 a
Rotterschwyl, locus Helvetiæ 243 f
Rubea-Vallis, prioratus Canonicorum regularium in Brabantia 438 f
Ruconia, provincia Hispaniæ 619 e, 622 c

Rudenkyrchen, *al.* Rodenkirchen, abbatia Ord. Præmonſt. in diœceſi Moguntina 669 c, 670 d, 692 d
Rudesheimium, locus Germaniæ 670 f, 692 d e, 698 e, 700 f
Rudickon, locus Helvetiæ 232 c
Ruffiana villa in Sequanis 478 c, 479 a
† Rufi monaſterium in Italia 393 a
† Rupeiti mons in diœceſi Moguntina. *S. Hildegardis V.* 629 b. *Monaſterium hîc ab eadem Sancta fundatum* 634 f, 635 & ſeqq., 644 f, 664 f, 665 a f, 675 b c, 677 & ſeqq.
Rura, flumen 669 f
Ruſella, *al.* Roſella, civitas olim Hetruriæ 423 a
Ruſſweill, locus Helvetiæ 210 a, 215 e, 231 e
Rüſtenſweil, locus Helvetiæ 234 c

S

SAbatus, fluvius Italiæ 382 f
Sabaudia 443 b, 450 a, 459 a
Sabinenſis ager in Italia 408 b
Sagona, *al.* Arar (*la Saone*) fluvius Galliæ 15 c, 21 f, 23 b, 24 d, 26 a
Saguntum, oppidum Hiſpaniæ 988 d
Salamis, civitas Cypri inſulæ 467 e, 468 a e f
Salaria via 293 e, 295 f, 472 c
Salemenſis abbatia Ord. Ciſtercienſis in Suevia 647 c
Salenſtadum *ſeu* Seligenſtadum (*Salenſtadt, Selingenſtat*) oppidum Germaniæ 106 d, 113 d e
Salernum, civitas Italiæ 377 e, 381 e, 394 & ſeqq., 403 & ſeqq. 427 & ſeq.
Salesberia, *al.* Sarisburia, civitas Angliæ in Wiltonia 365 b. *Vide* Sarisburia.
Salia (*la Seile*) fluvius in Lotharingia 79 d
Salinenſis pagus (*le Saunois*) in diœceſi Metenſi 78 d, 79 d
Salmantica, urbs Hiſpaniæ 803 d, 805 & ſeqq., 811 a b, 822 & ſeqq., 826 a b c, 842 a b, 846 d f, 860 & ſeq. Salmanticæ *proceſſus inſtituitur pro canonizatione S. Thomæ à Villanova* 959 a, 960 b
Salo (*el Xalon*) fluvius Hiſpaniæ 730 a b, 754 c
Salodorum. *Vide* Solodorum.
Salona juxta Campos Lapideos, oppidum Galliæ in Provincia. *B. Ludovicus Alamandus, archiep. Arelat. & S. R. E. Cardinalis* 436 a, 437 d, 438 e, 456 f, 457 a, 460 a
Salſum, locus Italiæ 119 a b
Saltys, vicus in Thracia; *ubi martyrio coronati SS. Maximus, Theodotus & Aſclepiodota* 34 f
† Salvatoris monaſterium in Italia 396 b
Salutiæ, civitas Italiæ in Pedemontio 759 e
Samnium, regio Italiæ 396 c
Samos, inſula, *nunc* Cephalenia 427 c
Sanctorum omnium abbatia Ord. S. Auguſtini Andegavi in Gallia 627 d
Sara. *Vide* Saravus.
Saraceniſcum, caſtellum Italiæ 424 c d, 425 c
Sara-Ludovici (*Sar-Louis*) oppidum munitum in Lotharingia 115 f
Saravus, fluvius Galliæ Belgicæ 115 c f
Sarcofagus (*Cercueil*) vicus in Lotharingia 71 f, 72 f
Sardicenſe concilium *anni* CCCXLVII, 777 b
Sardinia 49 b d e, 50 d e, 379 & ſeq., 410 b c
Sargantia, tractus Helvetiæ 210 b
Sarisburia, Salesberia, Salisburia, Sarum, urbs Wiltoniæ provinciæ in Anglia 365 b, 370 f, 372 b
Sarmatia 105 f
Sarmenſtorff, locus Helvetiæ 221 d
Sarta, fluvius Galliæ 331 f, 332 e
Sarum. *Vide* Sarisburia.
Sarus, *al.* Sacer (*il Sangro*) fluvius Italiæ 407 f
Sattel, locus Helvetiæ 233 c
Savona, urbs Italiæ in Liguria 179 c
Saxonia 3 a, 369 b
Scaldis, fluvius 535 f
Scalis, oppidum in regno Neapolitano 756 b
Scandinavia, regio 43 b
Schefenburch, cœnobium 696 d
Schmalicken, locus in Suevia 237 e
Schneyſingen, locus Helvetiæ in Badenſi comitatu 213 b
Schongen, locus Helvetiæ 212 e, 224 b
Schöni, locus Helvetiæ 218 f
Schwaningen, locus in Suevia 223 f, 224 a
Schwarzenſe monaſterium 107 e
Scotia, regnum 2 c f, 318 & ſeqq., 324 & ſeqq., 510 d f, 511 c d, 756 d, 759 b
Scythia 483 e
Seckingenſe monaſterium virginum 797 d
Seedorff, locus Helvetiæ 237 c
Segintenſis pagus (*le Santois*) 71 b, 72 e
Segobriga, civitas epiſcopalis in Hiſpania 898 f, 901 e, 942 b, 944 d
Segontia, oppidum Hiſpaniæ 730 a b
Selboth, locus in Germania 658 f
Seleſtadium, civitas Germaniæ in Alſatia 334 d
Sempachium, oppidum Helvetiæ 224 c, 230 f, 231 e
Senæ, urbs Italiæ in Hetruria 294 b c, 299 a. *Reliquiæ SS. Abundii & Abundantii MM.* 309 d e f
Senenſe concilium 441 c, 442 a c d
Senonæ, *ſeu* Senones (*Sens*) civitas Galliæ. *Reliquiæ cujuſdam S. Valeriani* 20 d e f
Sequana, fluvius Galliæ 69 b
Sibilia, civitas 398 d
Sicilia 49 a, 54 f, 282 b, 289 & ſeqq., 414 a, 488 a, 507 b, 701 b c, 703 d f, 705 d, 711 & ſeqq.
† Sidonii monaſterium (*Sainct Saën*) in agro Rotomagenſi 90 f
Siga, amnis 669 f
Sigebergenſe monaſterium in diœceſi Colonienſi 653 b, 669 c f, 692 d
Silva-Nigra in Germania 645 e
Sinaï, mons Arabiæ 115 d, 590 b
Sipontum, civitas Apuliæ Dauniæ in Italia 406 c, 407 f
Siſiacum monaſterium. *Hîc ſepultus fuiſſe dicitur S. Sinerius epiſc. Abrincenſis* 780 c, 781 a, 782 a e
Soli, civitas Cypri inſulæ 467 e, 468 a b
Solodorenſis pagus in Helvetia 219 a, 221 c, 222 b, 225 b, 229 d, 232 c, 233 b
Solodorum (*Solothurn*) civitas Helvetiæ 205 c, 206 c, 215 d, 217 f
Somerſettenſis comitatus in Anglia 372 b
† Sophiæ monaſterium Beneventi in Italia 373 b, 374 c d, 381 & ſeqq., 403 & ſeqq., 421 b, 423 a
Sor, locus Helvetiæ 238 a
Sora, civitas Italiæ 422 d, 423 a
Soracte, mons Italiæ 298 e, 305 e, 306 e, 484 b
Sorme, fluviolus Galliæ in Campania 61 c
Spanheimenſis comitatus in Germania 631 d
Spea, fluvius 327 f

Spe-

Speninum, oppidum Italiæ 385 d
Spira, civitas Germaniæ 446 e, 605 b
† Spiritûs monaſterium Italiæ in Magella monte 383 b
† Spiritûs monaſterium Pragæ in Bohemia 360 d
Spirlinga, oppidum Siciliæ 712 e, 714 c, 716 ef
Spoletanus ducatus in Italia 408 b
Spoletum, urbs Italiæ in Umbria 49 c, 50 a, 1057 b
Sprinchersbat, Sprengerbach, Springersbach, abbatia in diœceſi Trevirenſi 647 d
Stabulaus, Stabuletum ſeu Stabulenſe monaſterium in Arduenna. *Hic habitavit S. Lambertus epiſc.* 518 e, 526 e, 528 & ſeqq., 575 a, 576 b, 584 & ſeqq., 592 & ſeqq., 606 & ſeqq.
Staffordia, comitatus in Anglia 364 b, 363 a
Stantia (*Stanz*) locus Helvetiæ in Subſylvania inferiore 208 a, 213 d, 235 a
Starckkirch, parœcia Solodorenſis ditionis in Helvetia 208 d
† Stephani Argentoratenſe cœnobium in Alſatia 333 e
Stivagienſis abbatia Ordinis Præmonſtratenſis in Lotharingia. *Cultus S. Richardis imperat. virg.* 793 e, 794 b, 795 bcd, 796 f. *Reliquiæ ejuſdem Sanctæ* 798 de
Styria 572 c
Suana, civitas Tuſciæ. *Reliquiæ S. Mamiliani ep.* 45 bc; *eccleſia eidem dicata* 46 & ſeqq., 51 & ſeqq.
Sublacenſe cœnobium in Italia 386 e, 387 e, 390 b
Subrarbia (*Sobrarve*) tractus regni Aragoniæ 741 e
Subſylvania, *al.* Sylvania, pagus Helvetiæ 203 d
Sucro, fluvius Hiſpaniæ 944 d
Suecia 4
Sueſſa, civitas Italiæ in Campania 422 f
Suevia, pars Germaniæ 215 d, 224 a, 237 e, 544 b, 646 & aliis ſeqq.
Suitenſis Marchia in Helvetia 206 f, 208 & aliis ſeqq.
Suju, caſtellum in Italia 392 ab, 424 d
Sultzenſis comitatus in Suevia 212 c
Sultzmatten, locus in Alſatia 242 f, 243 a
Suntgovia, provincia Germaniæ 210 c, 788 a
Surſee, oppidum in Helvetia 203 f, 204 d, 205 c, 208 b, 220 b, 240 a
Sutrium, civitas Italiæ in Hetruria. *S. Dulciſſima virg. mart.* 313 cf
Suttera, oppidum Siciliæ 713 e
Swifaltenſe cœnobium in Suevia. *Loci ſitus & varia appellatio* 671 abc. *Vide etiam* Zwifaltenſis abbatia.
Sylva Candida, civitas olim Tuſciæ 404 a, 405 a, 406 b
Sylvanienſis pagus in Helvetia 202 f, 206 a
Syon. *Vide* Anſionenſe monaſterium.
Syracuſæ, civitas Siciliæ 714 b, 716 e, 717 c
Syria 428 c, 769 de, 770 c

T

TAbanenſe monaſterium in Hiſpania 618 b c. *Ejus notitia* 620 bc; *incoluit S. Columba, virg. mart.* ibid. de, 623 b
Tabbianum, locus Italiæ 119 ab
Tabuleienſe cœnobium. *Vide* Theologienſe.
Tamaſus, urbs Cypri inſulæ 467 bf, 468 f
Tamawordia, locus in Anglia 368 a
Tamiſus, fluvius in Anglia 371 e
Tarbia, civitas Galliæ in Novempopulania. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 b
Tarentinus ſinus in Italia 427 d
Tarentum, civitas Italiæ 392 f
Tarraconenſe concilium *provinciale* 834 f
Tarviſinus ager in Italia 758 e
Tarviſium, urbs Italiæ 807 d
Taurinum, civitas Pedemontii 1035 c, 1056 a, 1057 b
Tauromineum, oppidum Siciliæ 714 e, 717 b
Taurus, mons Italiæ 311 abd
Taxandria, Toxandria, Texandria & Teſſandria, regio 533 f. *Ejus limites* 534 a; *apoſtolum habuit S. Lambertum epiſc.* ibid. bce, 536 b, 577 a, 578 c, 586 e, 595 e, 609 a & ſeqq.
Tebeſta, urbs Numidiæ 46 a
Tegernſee, abbatia in Bavaria 672 e
Teiſterbandia, *al.* Teſterbandia & Teſterbantum, comitatus in ducatu Cliviæ 106 c, 534 f, 535 ac, 609 f, 610 b
Teramenſe caſtellum in Italia 409 a
Terra Laboris, provincia regni Neapolitani 385 ac, 422 e
Terra ſancta 398 ce
Terræ majoris abbatia in Italia 412 c, 414 b
Terracina, civitas Italiæ 420 be, 422 ae, 429 f, 430 e
Tetina, caſtrum Bohemiæ. *S. Ludmilla vid. mart.* 339 bc, 340 ab, 341 c, 346 & ſeqq., 359 be, 361 d, 362 b
Theatinus comitatus in Italia 420 e
Thebæ, civitas Bœotiæ 787 f
Thebais, regio 787 bd
Thenæ, oppidum Belgii 545 f, 571 e
Theodonis-Villa, oppidum Belgii 57 a
Theologienſe *ſeu* Tabuleienſe cœnobium in Voſago 508 c, 511 bf, 512 abcd, 513 ab, 514 ab
Thœda, amnis Galliæ 88 c
Thorée, parœcia in Gallia 626 f
Thracia, regio 29 bc, 30 cde, 39 c, 41 d, 115 ab, 249 e, 270 b, 488 e
Tiberina inſula, *nunc* S. Bartholomæi inſula, Romæ 303 d, 305 b, 307 f, 484 f
Tiberis, fluvius Italia 5 e, 6 c, 7 a, 431 a, 432 b, 442 f, 470 e
Tibur, urbs Italiæ. *Eccleſia S. Euphemiæ virg. mart.* 260 e. Tibur 426 b, 427 d
Tiburtina via 470 bef, 471 e, 472 d
Ticinum, civitas Italiæ. *Cultus S. Euphemiæ virg. mart.* 261 e. Ticini *peſtis graſſatur* 441 c
Tifata, mons Italiæ 391 a
Tifernum Tiberinum, civitas Italiæ 1000 de, 1005 f, 1006 b
Tigurinum monaſterium 107 e, 797 cd
Tigurinus lacus in Helvetia 234 d
Tina, *al.* Tinus, fluvius Britanniæ Magnæ 319 e
Tirille, locus Italiæ 420 e
Toarcium (*Touars*) urbs Galliæ in Pictavienſi provincia 88 c
Toggium (*Toggenburg*) comitatus Helvetiæ 242 cd
Tolentinum, civitas Italiæ 1036 b
Toletum, civitas Hiſpaniæ 729 d, 799 b, 800 c, 807 b, 809 & ſeqq., 839 b, 871 ce, 874 ab, 960 c
Toloſa, urbs Galliæ in Occitania. *Reliquiæ S. Camellæ aut Camelæ virg.* 314 bc
Tomi *vel* Tomis, metropolis Ponti provinciæ 2 c
Tornacum, civitas Belgii 974 a
Torrecilla, locus Hiſpaniæ in Aragonia 743 b
Tortoniacum, locus in Pictavienſi provincia 95 c

Trajectum ad Moſam, civitas Belgii. *Patria S. Lamberti* 521 c d, 522 & ſeqq., *qui ibidem epiſcopus fuit* 525 & ſeq., *& inde rejectus* 528 & ſeqq., *ac demum reſtitutus* 532 & ſeqq.; *corpus ejuſdem Sancti poſt necem* Trajectum *fuit relatum, ſepultum ibidem, & miraculis illuſtre* 549, 550; *poſt* Trajecto *delatum Leodium* 551 & ſeqq., 563 c, 566 & ſeqq.; *ſitus* Trajectenſis *civitatis* 575 e f. Trajectum 581 & ſeqq. aliis.
Trajectum ad Rhenum, *al.* Ultrajectum (*Utrecht*) urbs Belgii 106 a
Trajectus, urbs regni Neapolitani 385 c d
Traina, oppidum Siciliæ 712 a, 714 b, 718 b
Tranquillus, locus territorii Tricaſſini in Campania. *Hîc natus dicitur S. Aper epiſc. Tullenſis* 61 c d, 62 c, 66 f, 69 b
Trebona, locus in Bohemia 340 d
Trecæ, civitas Galliæ in Campania 463 a. *Vide* Tricaſſes.
Tremitenſe Italiæ cœnobium in inſula cognomine 374 c, 382 & ſeqq., 401 b, 403 f, 411 e
Tremitus, inſula maris Adriatici 387 b c
Trenorchianum Ord. S. Benedicti cœnobium 440 e
Trenorchium, Trenorcium, Turnicium & Tornucium (*Gallicè Tournus*) oppidum in ducatu Burgundiæ. *S. Valerianus M.* 13 & ſeqq. *Eccleſia ipſi erecta* 16, *& abbatia ab ejus nomine dicta, ac elevatæ reliquiæ* 17, *diſſipatæ ab hæreticis* 19
Trevirenſe concilium *ſub Eugenio III Papa* 636 d e f, 637 a d e, 673 e, 676 c
Treviri, urbs Germaniæ 323 f, 324 b, 635 & ſeqq., 651 a e, 669 c, 670 b c, 680 e, 684 e
Tricaſſes, *al.* Trecæ (*Troyes*) urbs in Campania Gallica 61 c d, 62 c d. Auguſta Trecorum dicta etiam 66 f, 69 a b
Tridentinum concilium *œcumenicum* 816 f, 817 a b c, 855 f, 856 a, 857 c, 861 c, 891 a, 892 e f, 893 a
Tridentum, civitas in comitatu Tirolis 4 c, 816 & ſeqq.
† Trinitatis cœnobium in Neapolitano regno. *Vide* Cavenſe Ordinis Cluniacenſis cœnobium.
Trinius, fluvius Italiæ 396 c
Tritium, oppidum Hiſpaniæ in Ruconia provincia 622 d
Triventinum, *al.* Triventum, civitas Italiæ 396 c
Troas, tractus Aſiæ Minoris 114 b, 279 c
Trociacum ſuper Moſam, vicus (*Gallicè Trouſſey-ſur-Meuſe.*) 72 b f
Tubantia, *al.* Twentia *vel* Tuventia, tractus Belgii 106 d, 108 c, 109 b, 111 b
Tudertum, civitas Italiæ in Umbria 756 c, 1000 d
Tuggen, locus Helvetiæ in Marchia Suitenſi 208 f, 227 b
Tugienſis pagus in Helvetia 204 c, 210 e, 211 c, 219 a, 224 e, 228 b, 236 b f, 239 & ſeqq.
Tugium (*Zug*) civitas Helvetiæ, pagi cognominis caput 203 a, 206 e, 209 d, 214 & ſeqq., 231 f, 234 & ſeqq., 241 e
Tullum Leucorum, civitas in Belgica prima. *S. Aper epiſc. conf.* 55 & ſeqq. *Idem Sanctus prope muros eccleſiam, in qua ſepultus eſt, inchoavit* 62 e f, *quæ dein ipſi dicata & monaſterio aucta eſt* 63 c f, 68 c e. Leucorum civitas etiam appellata 69 c, Leucha item; *incenditur* 76 a
Tungri, civitas Germaniæ 521 d, 526 b, 534 a, 535 f, 582 c, 591 b, 603 d, 604 e, 605 c f, 613 b, 617 f
Turarium, inſula 49 b
Turgovia, tractus Helvetiæ 206 a, 247 a
Turonenſis provincia in Gallia 629 a
Turones, civitas Galliæ 671 f. *Corpus S. Martini epiſc.* 701 d
Turris Joannis abbatis, locus Caſtellæ Novæ 803 c
Turulis, fluvius Hiſpaniæ 944 d
Tuſcia, regio Italiæ 45 b c, 46 c, 49 b, 313 c, 404 d, 405 a, 413 f, 431 d, 432 c, 490 d
Twentia *ſeu* Tuventiæ. *Vide* Tubantia.
Tyrolis, provincia Germaniæ 236 e
Tyrrhenum mare 1035 f. *Vide* Etruſcum mare.
Tyrus, civitas Phœniciæ. *An hîc epiſcopus S. Methodius M.?* 768 b c e, 769 b c d, 770 c

V

Vadutz, comitatus in Germania 215 d
Vahalis, fluvius Belgii 534 a, 610 b
Valachia 38 f, 39 a
Valencenæ, urbs Belgii 81 b f
Valentia, urbs Hiſpaniæ regni cognominis caput 103 b, 742 d. *S. Thomas à Villanova* 799 a f, 800 c, 814 e, 815 e, 817 b d f, 818 a b, 822 c, 827 c e, 830 b c, 832 a b, 835 a b, 840 c, 858 e f, 870 e, 875 & ſeqq. multis. *Miraculis ibidem clarus* 977 & ſeqq. multis.
Valentina ſydodus *diœceſana anni* MDXLV *ſub S. Thoma à Villanova* 818 a b c, 830 a, 886 b e f, 887 a; *anni* MDXLVIII *ſub eodem* 818 c d; *ſub Martino Ayala* 818 b c, 828 d, 890 f, 891 a
Valeta, urbs Melitæ inſulæ. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 262 d
Valleſia, pars Helvetiæ 517 d
Valliliæ, locus Galliæ in pago Senonico. *Reliquiæ cujuſdam S. Valeriani mart.* 20 e f
Vallis-Dei, monaſterium diœceſis Moguntinæ 647 f
Vallis-Gratiæ (*Gnaden-Thal*) abbatia monialium 217 c d
Vallis Landerici, parœcia in Gallia 626 f
Valliſoletum, civitas Hiſpaniæ 807 c, 808 a, 811 d, 824 d, 839 b, 847 & ſeqq., 853 d, 860 f, 863 b, 865 d, 868 d, 869 d, 872 & ſeqq., 879 b, 903 b, 949 a, 959 a, 960 a
Vallius pagus (*Pays des Vaux*) 79 a
Varſavia, urbs Poloniæ 999 b
Vaſconia inferior 569 b d
Vatrenus, fluvius Italiæ 1060 b
Ucleſienſis conventus, *ſeu* Ucleſienſe collegium canonicorum Regularium S. Jacobi de Spatha in Hiſpania 842 b, 843 a b
Ucleſium (*Ucles*) oppidum Hiſpaniæ 843 a b
† Vedaſti abbatia in Cameracenſi diœceſi 81 e
Venafrum, civitas Italiæ in Campania 422 e
Venedotia, pars Walliæ in Anglia 323 d
Venetiæ, urbs Italiæ. *Corpus S. Niceta Gothi M.* 38 e. Venetiæ 463 & ſeqq., 477 d, 756 a
Verona, urbs Italiæ. *Eccleſia S. Euphemiæ virg. mart.* 262 c
Veſcera, abbatia Ord. Præmonſtratenſis in Germania 647 e f
Veſta, Veſtia, Beſti, civitas Italiæ 408 c
Vetus-monaſterium Moguntinum, abbatia monialium 660 d
Vicentia, civitas Italiæ in ditione Veneta 249 e f, 250 a. *Cultus & reliquiæ S. Innocentiæ; an ejuſdem cum Ariminenſi virgine martyre?* 311 f, 312 a & ſeqq. Vicentia 758 d
† Victoriæ Frattarum conventus Ordinis Conventualium S. Franciſci in Marchia Anconitana

1040 b, 1041 e
† Victoris monaſterium Ordinis Olivetani Mediolani 491 d. *Corpus S. Satyri conf. & S. Victoris Mauri M.* 493 d e f, 494, 495, 496 a b c
Vienna Auſtriæ. *Reliquiæ S. Euphemiæ virg. mart.* 263 b
Vienna, civitas Galliæ 490 c d, 760 & ſeqq., 767 a d
Viervlacum, villa 100 d
Vigiliæ, civitas Italiæ 822 b
Vililla, *al.* Bililla, locus Hiſpaniæ 734 e f
Villa Eſcuſa de Aro, locus Caſtellæ in Hiſpania 870 f
Villa-Major, vicus Hiſpaniæ in Aragonia 742 a
Villanova Infantium (*vulgò de los Infantes*) *oppidum Hiſpaniæ in Caſtella Nova* 801 e f, 802 a b c d, 803 c, 804 b c, 816 a, 824 e, 825 d, 827 e, 828 e, 829 c f, 836 a b e, 837 e, 839 b, 840 b, 841 c, 876 d, 959 a, 960 b, 962 e f, 969 e, 974 d, 975 b
Villantia villa 559 f
Villar, locus Hiſpaniæ 832 a, 835 b, 909 a, 935 b
Villari caſtrum 426 a
Villarienſis abbatia in Brabantia 655 e f
Vilmaringen, locus in Helvetia 221 b, 244 d, 246 c
† Vincentii in Prato abbatia Mediolani. *An tranſlatum huc Româ corpus S. Nicomedis presb. mart?* 9 & ſeqq.
Vinicella (*Winkel*) locus Germaniæ 670 e, 692 d
Vipera, caſtrum in Italia 390 f, 391 c d
Virdunenſis pagus in Gallia 514 b
Virdunum, civitas Galliæ 511 c d, 512 d
Vitodurum (*Winterthur*) oppidum Helvetiæ 233 d
Vivus, rivus Italiæ 421 a
Ulma, fluvius 671 b
Ultrajectum, *ſeu* Ulterius Trajectum, civitas Belgii 534 f, 535 b, 575 f, 609 e, 610 b
Ulyſſipo, urbs Luſitaniæ primaria 125 d. *Reliquiæ S. Euphemiæ V. M.* 263 a, *& S. Ludmillæ vid. mart.* 353 f, 354 a
Umbria, Italiæ provincia 2 f, 5 d, 314 d, 462 c, 465 a, 756 a, 997 a, 1005 f
Voſagus *al.* Vogeſus tractus Galliæ 60 b, 508 c, 511 f, 514 a, 790 d, 792 d
Urania, *ſeu* pagus Urienſis in Helvetia 231 d, 237 c
† Urbani municipium in Italia 409 b
Urbinum, civitas Italiæ 1007 b c, 1033 d, 1059 c d
Urio, Indiarum regio 867 c
Urphei villa 559 e
Urta, *al.* Uta, fluvius in Belgio 613 e, 614 d
Utinum, civitas Italiæ 443 c
Utznacenſis comitatus 229 b
Utznacht, oppidum in Helvetia 210 b e
Uzecia (*Uzes*) civitas Galliæ 4 e

W

WAdegotienſis abbatia Ord. Præmonſtratenſis in diœceſi Trevirenſi 115 c f, 116 a, 659 b
† Walarici abbatia in Picardia. *Reliquiæ S. Rithberti aut Raimberti conf.* 79 c e f. *Reliquiæ item S. Sevoldi* 336 a b d e
Wallenſtat, oppidulum Helvetiæ 243 d
Wallenſtattenſis lacus in Helvetia 243 d
Wallia, pars Angliæ 323 d
Wallia Auſtralis in Anglia 477 c f
Waltenſchwyl, locus Helvetiæ 231 b
† Wandelini oppidum in Gallia 511 f
Wangen, *ſeu* Wanga, locus Helvetiæ 213 b, 216 e, 218 b, 224 c, 237 a
Warha, locus in Anglia 368 d
Waſlogium, *nunc* Bellus-locus, monaſterium 508 c. *Vide* Bellus-locus.
Watignia (*Watignies*) pagus prope Inſulas in Flandria. *Reliquiæ & cultus S. Lamberti epiſc. mart.* 571 c d
Wechterſwinkel, abbatia Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Herbipolenſi 659 e
Weihenſtephanenſe Ord. S. Benedicti cœnobium Friſingæ in Germania 473 d e
Werd, locus Germaniæ in Conſtantienſi diœceſi 212 b
Werda Cæſaris (*Keiſerſweert*) oppidum Germaniæ 669 f
Werda, Werthina, Werdena, abbatia Ord. S. Benedicti in diœceſi Colonienſi 669 c f, 692 d
Werth, locus Helvetiæ 233 b
Weſen, vicus Helvetiæ 243 d
Weſtphalia, pars Germaniæ 648 a
Weſtphalicus circulus, pars Germaniæ 12 e
Weyden, locus Helvetiæ 230 b
Widergoldeſdorf, abbatia monialium 649 a
Wilara, villa in Germania 681 d
Wile, fluvius Angliæ 367 e
Willgottsheim, *ſeu* Wiltheim, locus Germaniæ in Alſatia 335 e
Williſau, *ſeu* Williſovienſis comitatus in Helvetia 219 c, 228 b, 231 e, 237 a d
Wiltonia, comitatus in Anglia 367 d
Wiltonia, oppidum Angliæ in comitatu cognomine. *S. Editha virg.* 364 a c d f, 366 d, 367 a e f, 369 a e, 370 e f, 371 b
Wiltonienſe monaſterium in Anglia 364 c, 367 d e f, 368 a b c, 369 e, 370 e, 372 b
Wimacenſis pagus in Picardia 79 b e
Winterſchwyl, locus Helvetiæ 219 f
Wintershovum, locus Belgii 523 b e, 589 e, 591 b, 596 a c, 603 f, 610 e, 611 b
Wintonia (*Wincheſter*) civitas Angliæ 371 e
Wintonienſe monaſterium virginum in Anglia 370 a
Wirtenbergenſis ducatus 652 a, 658 a, 671 c d
Wiſſela (*Wiſſel, Wiſſchel*) locus in Cliviæ ducatu 106 b c d f, 107 b f, 109 e. *Hìc quieſcit S. Luthardus Cliviæ comes in eccleſia à ſe fundati capituli, & colitur* 110 a & ſeqq.
Witerna, *al.* Candida Caſa 325 c. *Vide* Candida Caſa.
Witflana, villa 100 d
Woliſchweil, locus Helvetiæ 239 f
Wormatica, civitas Germaniæ 591 b
Wyck, locus Belgii, adjacens Trajecto ad Moſam 549 f

X

XAtiva, civitas Hiſpaniæ 911 d, 914 a
Xavea, locus Hiſpaniæ 945 f, 946 a

Z

ZAbruſt, locus archiepiſcopatus Cæſarauguſtani in Hiſpania 745 d
† Zachariæ Ord. S. Benedicti monaſterium monialium. *Corpus S. Tarraſis vel Taraſii* 464 a d
Zatecenſis provincia in Bohemia 360 c
Zempſa, locus prope Mechliniam in Belgio 535 d
Zufficon, locus Helvetiæ 223 b, 233 b
Zurzach, oppidum Helvetiæ 222 e, 240 c

Zwetellenſis abbatia Ord. Ciſtercienſis in Auſtria 647 d
Zwifaltenſis abbatia in Suevia 207 a c, 647 b, 653 f, 654 a, 669 c, 671 a b c, 692 d

INDEX ONOMASTICUS.

A

Absida capituli, *pars capituli interior in arcum desinens* 433 f, 435 a
Allisio, *martyrium* 103 c
Ambasiatores, *legati* 459 e, 460 b
Amictus, *vestis, quæ collum cingit, & à clericis sub alba induitur* 434 a, 435 c
Ammo, *pulpitum* 409 d
Ana, *singula* 417 d, 419 e
Anca, *coxendix* 415 b
Antependium, *ornamentum constituens faciem altaris à suppedaneo usque ad mensam* 435 d
Apocrisarius, *seu* Apocrisiarius, *legatus* 406 b, 407 f
Apostolicus, *episcopus* 576 d, 577 d
Appodiamenta, *fulcra* 460 e
Aquiminile, Aquimanile, Aquamanile, *vas* 426 c, 427 f
Armamentum, *armentorum stabulum* 260 a
Arrestare, *detinere* 460 a c
Avera, *avia* 341 a, 354 c
Auriga, *navis gubernator* 99 b f

B

Baldachinum, *sacra umbella* 496 a, 721 f, 722 a, 723 e
Balvæ, *valvæ* 413 b
Bazili, *al.* Bacile, Baccille, Bacino, *pelvis* 426 c, 427 e, 434 c
Biber, *cyathus seu potus* 555 a
Bicamerata domus, *id est, constans duabus cameris* 413 a
Birotum, *vehiculum duabus rotis instructum* 6 b, 7 a
Brandeum, *sudariolum* 279 b
Brocatellum, *pannus sericus* 496 b
Brustus, Brustum, *opus Phrygium seu acu pictum* 416 c f
Bysantius, *monetæ nomen* 409 a, 411 a, 426 a

C

Camisus & Camisia, *vestis illa talaris, quæ passim* alba *nuncupata* 434 a, 435 b c
Campanarium, *turris, in qua campanæ pendent* 413 b, 414 e
Campanile, *idem* 431 c
Casella, *exigua casa* 6 b
Cathari, *puri* 695 b d e
Cauma, *æstus* 585 c, 586 b c
Cellæ, *monasteriola, præposituræ* 407 e, 408 d, 410 e, 411 d, 421 b c
Ceraptata, *verisimiliter candelabra* 417 c, 419 e
Cetrina planeta, *id est, coloris citrini* 434 a, 435 b
Ciburium, *tegimen seu umbraculum altaris* 417 c d
Circitorium, *species velamenti* 426 d, 427 f, 428 a b, 434 a b
Civitas ornata, *Ecclesia* 641 f
Clanculata, *abscondita* 95 d
Clenodia, *monilia, gemmæ & similia* 459 d e
Codicellulus, *parvus codex vel libellus* 361 f
Collidei. *Vide* Culdei.
Collecta, *Officium divinum vel Missæ Sacrificium* 95 a
Comitiva, *comitatus* 459 f
Conca *vel* Concha, *vas aut labrum* 426 e, 427 f
Confessio, *oratorium seu sacellum* 496 a
Consules, *magistratus* 338 f
Coopertorium *seu* Corporale, *tela, cui sacra Hostia imponitur & calix* 428 a b, 434 a b
Coppa, *calix aut cyathus* 426 c
Coppetella, *vasculum* 434 c, 435 e
Corda, *funis* 461 b
Corporale, *linteum, cui sacra Hostia imponitur* 692 e, 740 c
Cortinæ Arabicæ, *aulæa textura Arabicæ* 426 d
Costa fragilis, *mulier* 637 f
Crossus, *crassus, magnus* 417 c, 418 b, 419 d
Culdei, Culdæi, Keldei, Colidei, *Dei cultores* 319 c, 323 e f
Curtis, *villa* 409 a, 411 a
Custodissa, *præfecta sacrario* 697 e f, 698 c, 699 a, 700 c
Cutis, *ulcus pestilens* 121 c d, 122 b

D

Diacitrinus, *coloris citrini intensioris* 409 e, 411 b
Diapistis, *seu* diapista tunica, *quæ est coloris subviridis* 409 c, 411 b, 434 a, 435 b
Diarhodinus, *seu* Diarodanus, *color roseus intensior* 409 b, 411 a, 416 c f, 434 a, 435 b
Diasprum, *intensissimè vel dupliciter album* 416 b e f, 434 a, 435 b
Die, *interdiu* 77 c
Doma, *tectum* 406 f, 408 a, 413 d
Dossale *aut* Dorsale, *pallium seu aulæum, quod parietibus appenditur* 416 c f, 434 b
Dubitare, *timere* 442 f

E

Epistolarium, *liber epistolarum S. Pauli &c.* 434 b

Examcta vestis, *quæ est ex panno holoserico* 409 c, 411 b, 434 a
Externus, *hesternus* 495 b
Exturatus, *apertus seu non obturatus amplius* 433 c, 434 d

F

FAcies, *ornatus altaris anterior* 434 a b
Familiares sancti Officii, *qui dicti?* 837 e
Fano, *linteum aut sudarium; mappula item subdiaconorum* 434 a; *sudarium item, in quo fiunt oblationes à populo* ibid. c, 435 b e
Farinarium, *mola farinaria* 73 e, 76 b
Fatigium, *molestia* 412 e
Fistula, *instrumentum in sacrificio Missæ usitatum* 434 b, 435 d
Forma, *sella* 70 d, 72 d, 78 c, 79 d
Fortificatus, *viribus confirmatus* 712 a
Franquesiæ, *immunitates* 441 e
Friso, *fimbria* 409 c, 411 b, 416 c, 426 c
Fumigatorium, *thuribulum* 434 c

G

GAlea, *triremis* 412 a, 414 a. Galea aquardia, *navigium* 442 e f, 443 a
Gelsimini flores, *albi & odoriferi flores* 710 e, 714 a, 722 a b, 723 b
Gleba, *corpus, corpora vel reliquiæ* 68 d, 354 d, 355 a, 360 a, 362 c, 363 a
Gradarium, *series graduum, scalæ* 461 d, 462 d
Grangiæ, *prædia, villæ* 407 e
Grossus, *crassus, magnus* 419 d e
Guerræ, *bella* 565 f
Gutta, *arthritis* 461 a
Gyrare, *circuire* 96 d
Gyrare, *circumdare* 95 e

I

IMplodere, *infligere* 624 f
Incognitus, *ignarus* 621 c, 625 a d
Indumentum, *corpus* 667 c
Infula, *sudarium* 714 f
Initiare, *cœpisse* 461 c
Intortitium, *cereus intortus, tæda* 495 e
Jugulus, *gladius vel securis* 338 f, 625 b

K

KAtopapa, *fortè* cacopapa, *malus papa* 431 e, 432 d
Keldei. *Vide* Culdei.

L

LActucæ, *genus aliquot ornamenti corporis* 830 a, 834 c
Lamperium, *lampas* 726 e
Lectricium, *pulpitum* 563 f
Lectulus, *sepulcrum* 72 d, 74 b
Lectus, *feretrum seu lipsanotheca* 70 d, 72 d, 538 f, 550 f, 579 e, 581 a, 601 a
Legivum, Leginum, *pulpitum ad legendum* 417 f, 419 b
Lilia, *epistylia* 412 e, 414 b
Listæ, *limbi* 409 c, 411 b, 416 c
Liturgia, *Missæ sacrificium* 114 c
Lunariter, *per menses lunares* 104 e

M

MAla-tasca, malus saccus, *sic diabolus à nonnullis compellatus* 1017 a
Malum, *pars superior candelabri* 426 c, 427 e
Mandare, *uti* 745 c
Maniaci, *furiosi* 71 b, 72 e
Mansionarius, *custos ecclesiæ, ædituus* 711 b c, 714 a
Mansus, *aliquando villa, aliquando certa agri mensura* 516 c
Manteliæ, *mappæ lineæ* 426 b
Marmoratum, *marmoribus ornatum* 413 f
Martyrium, *lipsanotheca vel sacellum* 559 a
Matassa bambacii, *tela bombycina* 426 c
Memoria, *ecclesia, tumba aut lipsanotheca* 580 d, 581 d
Metabolarius ventus, *ventus aptus ad trajiciendum* 49 b
Michalati, *al.* Michaëlitæ, *nummorum aureorum genus* 426 b, 427 d
Missiaticum, *seu* Missaticum, *legatio* 91 a, 92 f
Molio, *is, qui præest molæ* 73 e, 76 b
Motectum, *cantus ecclesiasticus* 495 e
Musiaria ars, *ars conficiendi opus tessellatum* 413 c
Musivum, *opus tessellatum* 413 c d e f, 419 a

N

NAutores, *nautæ* 478 f
Neuma, *modulatio* 684 e, 685 d
Nigellum, *encaustum nigrum vel subnigrum* 426 c, 427 f, 434 c
Novitia exercere, *comam ac barbam renovare* 94 d, 95 b

O

OBedientiæ, *cellæ, præposituræ* 407 e
Officinæ, *ædiculæ in monasteriis, in quibus servantur necessaria ad victum, aliosque usus* 406 f, 408 a
Orarium, *sudarium* 502 c, 506 c d
Ordeaceus, *hordeaceus* 419 c
Ostiaria, *tapetes, qui ante ostium appenduntur* 434 b

P

PAgenses, *ethnici* 586 f
Palla, *linteum, cui tempore Missæ sacra Hostia imponitur, aliàs* corporale 692 b c e
Palla, *sacri Calicis operculum* 428 a
Pannus, *peristroma ad ornatum altaris* 434 a b, 435 c; *fortè etiam mappa altaris* ibid. d
Pannus persus, *pannus coloris cærulei subobscuri* 426 c
Paradisus, *atrium porticibus consitum* 413 b, 414 c
Parium, *par* 426 c, 434 b
Parochia, *diœcesis* 354 e
Pastophorium, *ædicula servandis Sanctorum reliquiis* 437 d, 456 e
Patrocinia Sanctorum, *scrinia reliquiarum* 410 b
Pedata, *vestigium, macula*, 712 e, 713 b c e f, 714 c
Pensum, Pensus *aut* Pensa, *id, quod requiritur ad solutionem* 406 f, 408 a
Perlisia, *paralysis* 745 c
Pernæ, *conchæ marinæ* 434 c, 435 e

Petala, *lamina* 417 d e, 419 e
Pharus, Pharum, *ingens lucerna, multa luminaria continens* 417 e, 419 e
Phlebotomia, *venæ sectio* 715 b
Possibilitas, *potentia* 662 e
Posterula, *posticum* 361 e, 363 b
Præceptum, *diploma* 408 f, 410 f
Præconando, *prædicando* 338 b e
Privilegium, *tyrannis* 104 d

Q

Quadrataria ars, *ars sternendi pavimenta lapillis quadratis* 413 c
Quaternarius, *quartana febri laborans* 697 e, 699 b

R

Relagium, *relatio* 118 e
Rima, *sermo* 555 a
Rocca, *castellum seu præsidium in rupe exstructum* 409 a, 411 a
Rudis, *novus seu alter* 86 e, 88 b c

S

Sacramentorium, *liber, in quo sacræ liturgiæ, ad Sacramenta pertinentes, continentur* 434 b
Sandale, *pannus sericus* 494 f
Sarganæ, *fortasse lodices* 427 e
Sargea, Sargia, *lodix* 427 e
Scaramanga *aut* Scaramangum, *chlamys, penula aut pallium* 434 c, 435 e f
Shcifati, Squifati, Scyfati, Schifati, *nummorum genus* 426 a b, 427 c
Scholarii, *palatii custodes* 280 e, 283 b
Scholtetus, *prætor* 691 e
Scoperire, *nudare* 737 a
Scrophulæ, *strumæ in collo* 709 a c, 715 a b
Secretarium, *sacrorum cimeliorum domus* 413 a, 414 c, 421 d e
Securantes, *securi* 75 e, 76 f
Ϛελέντιον, *consessus seu concilium* 276 a, 279 c
Semicinctium, *vestimenti genus, quo utuntur episcopi* 434 a, 435 b
Semotari, *semovere* 96 c
Senior, *dominus* 71 a, 72 e, 586 c
Senix, *segnis* 409 d
Sequestratur, *separatur* 89 f
Smaldi, *lapides pretiosi* 409 c, 411 b, 419 d, 426 c e
Smaldus & Smaltum *encaustum* 411 b, 419 d, 434 b e
Soma, *corpus* 556 c
Spiculi, *fornices acuminati* 413 b
Stolus, *classis* 398 d
Storicus, *historicus* 575 f
Suburbium, *territorium* 61 d
Synaxis, *communis oratio seu psalmodia* 72 b, 73 a
Synaxis nocturna, *Officium nocturnum* 598 c, 599 e

T

Taphus, *sepulcrum* 550 b
Tarenus, *aureæ monetæ species* 426 a b, 427 d
Temporalitas, *dominium temporale* 460 d
Terraticum, *seu* Terragium, *census solvendus domino terræ* 433 e, 434 f
Tertiarius. *Vide* Tertionarius.
Tertionarius, *tertiana febri laborans* 697 e, 698 a, 699 b
Testa, *calvaria* 565 b
Thanata, *moribunda* 555 a
Thema, *regio ampla, præfectura aut provincia* 114 a b c
Titulus, *pars ecclesiæ, in qua altare consistit* 412 f, 413 e, 414 c, 418 c
Torticiones, *faces* 566 c
Triblatti, *pallia cocco ter tincta* 409 e, 411 b
Triens, *tertia pars solidi* 331 d, 332 b
Tualliæ, *mappæ altaris* 435 d
Typus quartanus, *quartana febris* 559 e

V

Vicinia, *paræcia* 121 b & seqq., 122 b
Uranius & Uranicus, *cælestis, magnus, excelsus* 492 b
Urna, *limbus* 407 b, 408 b

W

Wanti, *chirotheca* 95 e

INDEX MORALIS

A

Abbatibus *& prælatis dissuadet S. Hildegardis præfecturam deponere humilitatis vel imbecillitatis prætextu* 645 b & seqq., 647 c d & seqq., 648 a, 649 a
Abnegatio *propriæ voluntatis necessaria imprimis est, ut fructuosæ sint aliæ exteriores corporis afflictationes* 154 c
Absolutio *sacramentalis quibus neganda, quibus danda* 912 d & seqq.
Abstinentia *insolita S. Gandolphi conf.* 704 b, *S. Ferreoli episc.* 785 d, *B. Josephi à Cupertino* 1010 b. Abstinentia *& nimia corporis afflictatio sæpe impedimenta sunt majoris boni* 659 f, 660 b c
Accusatus *per calumniam illati stupri sacerdos recèns nati pueri voce absolvitur* 325 d
Adversitates *quandoque tales viventibus obveniunt, ut mors præ vita optanda videatur* 504 d & seqq.
Adulator *severissimè à Deo punitus* 75 c

Affectûs *ſenſuum edomandi ſtupenda methodus* 157 a

Afflictationes *corporis externæ exigui meriti ſunt, ſi non conjungantur cum internarum pravarum animi affectionum ſubjectione, & propriæ voluntatis ſuique abnegatione* 154 c

Afflictiones *corporis tantas adhibuit S. Catharina Fliſca, ut contrarium nihil ſenſus experiri poſſe viderentur, nihil eſſet, quo meliùs, nihil, quo pejùs affici poſſent, ita ut exſtincti ſenſus atque omnis appetitus corporis viderentur*, 139 a b c, 154 d, *linguam terræ frequenter affricabat, cibis abſinthium & aloën aſpergebat, lecto ſpinas injiciebat* 154 b. Affligenda *caro, ut ſpiritus prævaleat* 689 d & ſeq. Afflictiones *corporis S. Thomæ à Villanova adhuc pueri* 839 a b, 882 f, 883 a & ſeqq.; *B. Joſephi à Cupertino* 1015 c d, 1016 c, 1018 a

Albugo. *Vide* Cæcus.

Amens *furibundus ad tumulum S. Apri rectam rationem recuperat* 78 a, *puer ad lipſanothecam S. Lamberti* 559 a, *mulier, orante S. Hildegarde* 696 c

Amentia. *Vide* Phræneſis.

Amor *erga Deum verè ſeraphicus S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ* 131 & ſeqq., *ſummam ſui deſpicientiam generat* 134 a, *omnem timorem ejus amittendi expellit, imò quodammodò fidem & ſpem excludit per modum amoris Beatorum in cælis* 141 c & ſeqq. *tam purus & ſublimis, ut veluti vellet à ſe omnem conſolationem & dulcedinem abeſſe* ibid. e & ſeqq. *Puriſſimi illius* Amoris *in Sancta ſtupendi characteres* 158 & ſeqq., *quandoque erumpit foras, ita ut facies de* Amore *loquentis ignea videatur* 169 f, 170 c, *& aqua, cui manum immergit, continuò incaleſcat* 172 e, *veſtes ardere videantur* 183 e. Amor *Dei ardentiſſimus S. Thomæ à Villanova, deſiderantis omnia potiùs damnatorum tormenta pati, quàm vel unico momento Dei dilectione privari* 831 c. Amoris *in Deum & amabiliſſimam ejus Matrem Mariam B. Joſephi à Cupertino vehementia* 1020 c d e, 1023 c & ſeqq. Amando *Deo in nullo ſtatu & conditione ſunt fixa repagula vel obſtacula* 159 c. Amor *tenerrimus S. Ambroſii erga fratrem ſuum S. Satyrum* 496 d & ſeqq., 500 a & ſeqq. Amore *veſano & proci præſtigiis ad amentiam redacta puella, guſtato pane, quem S. Hildegardis benedixerat, ſubitò ad ſanam mentem redit* 698 f

Anginâ *liberati patrocinio S. Thomæ à Villanova* 983 f, 989 e, 991 f; *B. Joſephi à Cupertino* 1046 b

Anima *S. Catharinæ Fliſcæ à variis cernitur in cælum rapi* 173 c, 176 f, 177 a b

Apoplectici *ſanitatem & membrorum uſum recuperant, implorato S. Thomæ à Villanova patrocinio* 990 f

Apparuit *Chriſtus viſibilis S. Catharinæ Fliſcæ. Vide* Chriſtus. Apparent *angeli, S. Editha animam in cælum laturi* 370 c d. Apparet *S. Editha matri ſuæ narratque, quid ſibi poſt mortem contigerit à dæmone* ibid. d: *& S. Dunſtano, mandans corpus ſuum elevari* ibid. f. *Eidem* Apparet *S. Dionyſius* ibid. f, *S. Editha* Apparet *periclitanti Alredo epiſcopo in mari, cujus tempeſtatem ſedat* 371 c. Apparet *S. Lambertus cuidam, eumque in eccleſiam intromittit* 555 f, *dimicantibus, & auxiliatur* 564 b, *bis marito cujuſdam mulieris, quæ Sancti pectinem furto abſtulerat* 579 c, 600 f, *theſaurario, prædicitque imminentem homicidis ſuis divinam ultionem* 579 f, 600 d, *alteri, monens, ut corpus ſuum transferat* 580 a b. *S. Lamberto* Apparet *S. Landrada virgo, illique felicem tranſitum ad gloriam nuntiat, locumque ſepulturæ indicat* 595 & ſeq., 610 d & ſeqq. Apparet *juveni cuidam, ſuum patrocinium poſtulanti, S. Hildegardis, monetque, ut imminens ab hoſte periculum quantociùs fugiendo evadat* 691 f, *eadem Sancta adhuc vivens abſenti militi, illique ſanitatem reddit* 692 a. Apparet *beatus Petrus Arbueſius cuidam ſacerdoti tribus vicibus, illique varia prænuntiat, modum ſui cultus docet, & incurabilem herniam ſanat* 740 b & ſeq., 741 a & ſeqq., *idem beatus martyr mulieri, cui os diſtortum reſtituit in formam naturalem* ibid. Apparet *variis S. Gandolphus conf., variaque illis beneficia præſtat* 707 f. Apparet *S. Thomas à Villanova duobus ſacerdotibus ob illum morte ereptum afflictis* 977 a b, *alteri, cui ſummam pecuniæ in pauperes diſtribuendam commiſerat, exſecutionem differenti ſemel atque iterum increpans & minitans* 977 b c, *duabus mulieribus, quibus ſanitatem reddit* ibid. c d, *& duobus aliis* ibid. d e f, *puero moribundo* 982 e, 983 c e, *parturienti moribundæ ex obliquo fœtûs ſitu, illique felicem partum prædicit* 985 d, *juveni omnibus membris capto præſentem opem adferens* 986 f, 987 a. Apparent *Sancti plurimi & angeli B. Joſepho à Cupertino* 1033 e. Apparet *illi ſæpius Chriſtus elegantis pueri ſpecie in ſacra Hoſtia & alibi* ibid. 1038 b c, 1039 a, 1040 d e. Apparet *B. Joſephus à Cupertino mulieri ex mamillæ tubere moribundæ, quam ſubitò ſanat* 1053 f. Apparitio. *Vide* Chriſtus.

Apoſtema *craſſiſſimum, unctum oleo lampadis, ad S. Catharinæ Fliſcæ reliquias ardentis, ſubitò diſparuit* 189 d, *aliud admoto B. Joſephi à Cupertino pileolo* 1059 b

Aqua *benedicta ſeu luſtralis obſeſſum à dæmone liberat* 73 e, *eſt præſens contra præſtigias & dæmonis vexationes ſubſidium* 99 e, *maximè in extremo agone* 172 b c. Aqua, *in qua linteum lotum fuerat, quo monachi ſepulcrum S. Apri, poſt ablatum ſacrum corpus terſerant, infinitis morbis medela fuit* 77 f. Aqua *benedicta reliquiis S. Leontii martyris decumbentem ex pleuritide ſubitò ſanitati reſtituit* 204 a; *& multis aliis contra varios morbos eſt remedium* 205 a & ſeqq., 206 f, 209 c, 216 b, 218 d, 219 & ſeqq., 233 f, 234 a & ſeqq., *veneficiis infecti eâ loti liberantur* 236 f, 237 c & ſeq., 241 b. Aqua, *in qua lota fuerat B. Joſephi à Cupertino tunica, ſuaviſſimo odore fragrans præſens ægris medela* 1000 a. Aquâ, *quam benedixerat S. Hildegardis, varii ſanantur infirmi* 691 b & ſeqq. Aqua *erumpit è ſcrobe, ubi S. Ludmillæ corpus incorruptum reponere meditantur* 362 d e f, *quæ ſubſidet, conſecratâ debitè eccleſiâ* 363 a. Aqua *reſocillandæ ſuæ ſuorumque ſiti porrecta multiplicatur à S. Deſiderio epiſc. mart.* 790 f

Arcana *plurima in oratione docetur à Deo S. Thomas à Villanova* 894 a & ſeqq. Arcana *cordium, illuſtratus à Deo, penetrat B. Joſephus à Cupertino & cum fructu revelat* 1025 a b, 1031 a & ſeqq., 1041 b c d

Arefacta *omnibus membris ſanatur patrocinio B. Rolandi de Medicis* 121 c

Ariditas *membrorum. Vide* Paralyticus.

Aſthmate *à novem annis laborans, convulſioneſque & attractiones nervorum patiens, ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ convaleſcit* 175 d, 186 f

Avaritia *omnium malorum radix eſt* 503 b
Auſteritatem *vitæ prioris ſervavit in epiſcopatu S. Aper* 67 c, *S. Thomas à Villanova* 827 d, 831 c & ſeqq. Auſteritas *inſignis B. Rolandi de Medicis in victu, veſtitu &c* 119 b c d. Auſteritas *vitæ B. Gandolphi* 705 & ſeqq., *B. Joſephi à Cupertino* 1009 e f, 1010 a & ſeqq.
Auſteritas. *Vide* Abſtinentia, Afflictiones corporis.

B

BAculus *S. Niniani variis prodigiis inſignis* 325 f
Baptiſmi *gratiam nanciſcuntur infantes, præmaturè vitâ deſperatâ editi, & pro mortuis dudum habiti, patrocinio S. Leontii martyris* 211 e, 212 c, 213 f, 214 b c & ſeqq., 215 a & ſeqq., *S. Thomæ à Villanova* 981 b c, 985 f
Baptiſmum *à ſchiſmatico accipere renuit S. Satyrus, utcumque in vitæ diſcrimine poſitus* 501 f, 506 d
Benedicta *cingula & faſciæ ad reliquias S. Leontii martyris magno prægnantibus & parientibus levamento ſunt* 200 a, 213 d, *iiſdem ſanatur dolores magnos renum patiens* 223 b, 225 a b
Beneficia *plurima & ſingularia obtenta patrocinio S. Leontii mart.* 239 & ſeqq. Beneficiis *cæleſtibus indigni ſunt, qui de obtentis Deo largitori gratias non agunt* 506 c
Bilocatio *bina B. Joſephi à Cupertino indubitatis teſtimoniis aſſerta* 1034 d & ſeqq.
Blaſphemus *in Sanctos punitus* 555 f
Bona *opera, quæ ex obedientia non à voluntate propria fiunt, præcipuè Deus protegit & promovet* 912 c. Bona *eccleſiis ablata religioſiſſimè & profuſè reſtituit S. Richardis imperatrix* 795 a. Bona *ſuperflua epiſcopatûs quàm rigidè judicet S. Thomas à Villanova pertinere ad pauperes diœceſios* 902 e & ſeq., 903 e f, 904 a & ſeqq.
Brachiorum *immedicabiles dolores curantur ad tumulum S. Leontii mart.* 223 c d, 224 f, *ariditates aliaque incommoda patrocinio S. Gandolphi* 715 b & ſeqq. *S. Thomæ à Villanova* 979 d, 987 c d e f

C

CÆcitas *ſanata ad reliquias S. Valeriani martyris* 26 f, 28 f. Cæcus *ſanatur ad tumulum S. Apri epiſc., ſed domum recedens, non oblato munere, eadem infirmitate incipit laborare, quâ denuò liberatur, datoque in gratiarum actionem munuſculo, ſanus perſeverat* 70 e, *mulieri ſic tertiò viſus reſtituitur* ibid. Cæca *ſubitò viſum recipit attactu reliquiarum S. Catharinæ Fliſcæ* 189 e. Cæco *Pictorum regi viſum reſtituit S. Ninianus* 325 c. Cæci *plurimi ſanati patrocinio S. Leontii mart.* 233 f & ſeqq., *B. Ludovici Alamandi* 461 c & ſeq., *attactu reliquiarum S. Juſtini mart.* 472 e, 473 a. Cæcus *S. Creſcentianus viſum recipit, impoſita manu S. Laurentii mart.* 476 c. Cæci *ſeptem uno eodemque tempore ſanantur ad tumulum S. Lamberti epiſc.* 554 f, Cæca *nata, priùs divinitus monita, ut ad S. Lamberti patrocinium confugeret* 555 a b, 579 e, 600 f, *alter ſeptennis puer talis à nativitate* 562 f, 563 a, *cælitus monitus ad locum, ubi occiſus fuerat ſanctus martyr, accedere ſtatim* cæcitate *liberatur* 579 c, 600 f, *alius item monitus, ut locum illum mundaret, vix opus aggreſſus, viſum recuperat* 579 d, 600 f, *tangens ſacra ejuſdem Sancti lipſana* 580 c, 601 a. Cæco *puero viſum reſtituit S. Hildegardis* 692 d. *Alii ad ejus tumulum à* Cæcitate *ſanantur* 697 f. Cæci *oculorum uſum adepti patrocinio B. Gandolphi conf.* 708 a, 712 e f, 713 a & ſeqq. *B. Petri Arbueſii* 742 e. *S. Sinerii epiſc.* 781 a, *S. Thomæ à Villanova* 961 c, 988 a b, 991 c, *admoto pileolo B. Joſephi à Cupertino* 1007 c, 1013 c d, 1044 d e, 1045 b c, 1046 b, 1048 e f, 1049 d, 1052 d e f, 1056 f, 1057 a
Calculo *liberatur religioſus Ordinis S. Benedicti, invocato S. martyris Leontii patrocinio* 207 a b, 208 a, 210 b. *Ex* Calculo *laborantes plurimi ſublevantur, implorato B. Gandolphi conf. patrocinio* 716 b, *B. Petri Arbueſii* 743 d. Calculi *inveterato malo prodigioſè liberati reliquiis B. Joſephi à Cupertino* 1049 e f
Calumnioſè *de ſtupro accuſatus ſacerdos, à recenter in lucem edita prole, patrem matris ſuæ corruptorem deſignante, abſolvitur* 325 d
Cancer *immedicabilis, admotis S. Thomæ à Villanova reliquiis, momento ſanatur* 990 b c
Candela *ſponte ſæpiuſque accenditur ſuper tumbam S. Hildegardis virg.* 698 c. Candelam *offerens ſanatur ad tumulum S. Valeriani mart.* 28 d e. Candela, *prælata itineranti B. Joſepho à Cupertino, numquam exſtinguitur nec minuitur* 1040 c d
Cantus *cæleſtis auditur ad locum, ubi reconditæ fuerant S. Apri epiſc. reliquiæ, quo indice ſacrum corpus tandem reperit S. Gerardus* 77 f. Cantus *angelorum, Sancti vocem imitantium, auditur ad ſepulcrum S. Lamberti epiſc. mart.* 579 b, 600 c, 617 b
Capitis *infirmitate S. Cyriacam ſanat S. Laurentius mart., injecto illi linteo, quo Chriſtianorum pedes terſerat* 470 b, 471 d. Capitis *dolore laborantibus præſens medela eſt caputium B. Rolandi de Medicis* 118 b. Capitis *dolore affecti, ſanantur confugientes ad S. Leontii patrocinium* 207 e, 208 e, *mulier ad S. Lamberti tumulum* 559 a, *ad ſepulcrum S. Thomæ à Villanova* 990 f, *ope B. Joſephi à Cupertino* 999 e f, *admotis ejuſdem reliquiis* 1049 d, *effigie* 1050 b
Captivi, *invocato S. Leontio mart., prodigioſè carcere evadunt* 239 b c & ſeq. *Alteri, invocato S. Lamberto epiſc., diſſiliunt compedes* 563 b
Carbunculus. *Vide* Ulcus peſtilens.
Carcinoma *inveteratum ſublatum, admotis S. Thomæ à Villanova reliquiis* 991 a b
Caritas *in Deum. Vide* Amor erga Deum.
Caritas *erga proximum cum Dei amore jungenda* 144 b c & ſeq., 164 d e & ſeq., *quanta fuerit in S. Catharina Fliſca* ibid. Caritatis *in proximum certa indicia ſunt ex afflictorum miſeriis affligi, peccatis indolere &c* 917 e, 918 b; *exempla in S. Thoma à Villanova* 919 a & ſeq.
Caritas *fraterna vinculum Religionis eſt & omnis boni origo* 96 b c, 864 d. Caritas *& indulgentia S. Thomæ à Villanova erga nocentes* 830 e f, 865 a b c, 918 b & ſeqq., 919 a & ſeqq., 916 f
Carnis *& ſpiritûs conflictus* 689 b & ſeqq., *illa affligenda, hic ut prævaleat* ibid. d e
Caſtitatis *amor B. Victoris III, ſponſam nobiliſſimam refugientis* 382 a & ſeq., 401 c & ſeq., 402 c, *S. Satyri, liberiora colloquia tamquam animæ peſtem fugientis* 502 f, *connubium modeſtè declinantis* 503 a, *mulierum etiam conſanguinearum aſpectum averſantis* 502 f, *S. Columbæ mart.*

mart., *matris peſſimæ ſollicitationi reluctantis*, *oblataſque nuptias reſpuentis* 623 b. Caſtitatis *cultor egregius S. Thomas à Villanova* 908 a & ſeqq., 954 d e, *in adoleſcentia abhorret à minima in verbis levitate & conſodalium linguas frænat* ibid. b. Caſtitatem *S. Thomæ à Villanova prodigioſo ſplendore*, *qui in ejus vultu emicat & à pluribus obſervatur*, *Deus remuneratur* 909 c, *ſedulò fugit mulierum conſortia & aſpectum* ibid. e f, *mulieres palatio prohibet* 909 a, *ipſamque matrem*, *ne illa occaſione eò matronæ aliæ accederent* ibid. b, *nulli umquam famulorum permittit*, *ut vel pedes ſuos nudos aſpiciat* ibid., *teſte confeſſario*, *virginitatem totâ vitâ illibatam ſervat* ibid. c, 954 d e, 968 a, *varii*, *ejus implorato auxilio*, *ab impuritate ad caſtimoniam reducti* ibid. d & ſeqq., *pertinacibus tentationibus liberantur* 910 c & ſeqq. Caſtimoniam *& puritatem B. Joſephi à Cupertino teſtatur odor quidam cæleſtis*, *quem annis pluribus conſtanter omnibus afflat* 1004 a & ſeqq., 1028 a & ſeqq., *ea quanta in illo fuerit* 1027 e f, *olfacit fœtorem*, *quem impudicos homines efflare aſſerit* 1027 f, 1028 a.

Caſtitas *non minor in verbis quàm in corpore quærenda* 502 f, *illi ſervandæ aptiſſima remedia ſunt corporis afflictatio & mortificatio ſenſuum* 908 b, *humilis devotaque oratio & ſedula fuga omnis occaſionis* ibid. d, 1027 f

Catena, *quâ vincti fuerant*, *quos S. Aper ſuis precibus è carcere liberavit*, *poſtea plures energumenos à dæmone liberat* 71 f & ſeqq., *item* 78 d

Cathecumenis *illicitum erat SS. Euchariſtiæ Sacramentum aſpicere* 506 c

Catholicus *nec eſſe nec dici poteſt*, *teſte S. Ambroſio*, *qui cum Romana Eccleſia non communicat in omnibus* 501 e, 502 c

Cereus. *Vide* Candela.

Cerei *accenſi in exſequiis B. Ludovici Alamandi per duas horas integras nihil de ſuo pondere amittunt* 460 e, *cælitus accenſi ad ſepulcrum B. Gandolphi conf.* 707 d

Cervæ *lacte prodigiosè in eremo nutritur S. Ivanus* 348 a & ſeq.

Chriſti *caritas & miſericordia erga homines*, *non pro amicis*, *ſed inimicis morientis* 32 b. Chriſti *glorioſi viſio conceſſa fuit viventi B. Rolando de Medicis* 120 c, 121 a, *ejuſdem ſanguine diffluentis*, *S. Catharinæ Fliſcæ* 180 c. Chriſti *ſub Euchariſtico velamine latentis humanitas oſtenditur ſacerdoti celebranti* 328 a, *B. Joſepho à Cupertino* 1038 b c, 1040 d e

Cibi *parandi edendique non ad opulentiam & voluptatem*, *ſed ad naturæ exigentiam atque colendam amicitiam* 503 b

Cilicio *ſolo indutus per totam noctem inter nivem perdurat S. Lambertus ex obedientiæ & humilitatis amore* 530 a & ſeqq., *eo per totam vitam indutus fuit* 586 e

Cingulum benedictum. *Vide* Benedictum.

Claudi *ſanati interceſſione Sanctorum* 121 e, *claudus à nativitate ita ſanatur ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ*, *ut liberè firmiterque incedat pedibus*, *remanente adhuc inordinata diſpoſitione organorum poplitis* 194 c e & ſeqq. Claudi *erecti*, *patrocinante de cælis S. Thoma à Villanova* 986 d & ſeqq., *B. Joſepho à Cupertino* 1013 e, 1044 c, 1046 b, 1049 c

Clementiæ *& manſuetudini ſuperiores addere non rarò debent ſeveritatem paternam & conſtantem* 647 a b, 664 c

Clericus. *Vide* Paſtoralis cura, Eccleſiaſticus.

Clerici, *ut liberiùs viverent juriſdictioni ſui epiſcopi ſe ſubducentes*, *confuſi* 830 b, 887 e f, 888 a & ſeqq. Clericorum *mores priùs ab epiſcopis corrigendi ſunt*; *horum enim ut prava*, *ſic etiam bona exempla facilè laïci imitantur* 830 a, 855 e f, 918 c. Clericos *nocentes alio loco & modo digniori habendos*, *quàm ſeculares facinoroſos*, *propter miniſterii dignitatem docet S. Thomas à Villanova* 879 e f, *maximè illorum honoori conſulendum* 924 c & ſeqq.

Cœmeterium, *in quo ſacrum corpus S. Ludmillæ tumulatum fuit*, *nulla exinde aliorum cadavera recipit*, *ſed tumulata è terra ejicit* 350 e f

Cœnobio *conſtruendo locum in ſuis ſylvis negans Auſtreſius S. Rodingo & ſociis*, *pluribus plagis immiſſis*, *cælitus punitur* 514 d e, *ſanatur à S. Rodingo ac totam eam ſylvam perpetuò poſſidendam tradit* 515 a b

Colicæ *acutiſſimi dolores ſublati*, *hauſtâ terrâ de ſepulchro S. Thomæ à Villanova* 990 c d

Comitas *& candor cum inferioris conditionis hominibus agentis ſignum eſt ſolidæ humilitatis* 897 c, 898 e

Comitiali *morbo*, *ſeu malo caduco*, *liberati patrocinio S. Leontii mart.* 232 b & ſeq., *benedicente S. Hildegarde virg.* 692 e, 727 a

Communio *frequens*, *imò quotidiana non ſemper laïcis diſſuadenda* 135 e f & ſeqq., 162 c d e. Communionis *ſacræ tanto flagrabat ardore S. Catharina Fliſca*, *ut ab ecſtaſi evigilans exclamaret*: O Domine, etiam mortua, opinor, ad te ſuſcipiendum reviviſcerem! 136 e, *paſta quotidie ſacroſancto Corpore & Sanguine Salvatoris noſtri S. Catharina ſine omni alio cibo longiſſimo tempore vixit : ejus erga venerandum Sacramentum affectus flagrantiſſimi* 162 b c & ſeqq.

Communio *annua*. *Vide* Confeſſio.

Conceptionis *immaculatæ magnæ Dei Matris Mariæ acerrimus propugnator eſt B. Ludovicus Alamandus* 437 c. *Acta pro ea in concilio Baſileënſi* 456 b & ſeqq.

Concionatores *magis à ſuis apud Deum pro converſione peccatorum precibus*, *quàm à compta oratione fructum ſperare debent*; *niſi enim Deus verbis efficaciam addat & audientium corda præparet & emolliat*, *ſupervacaneus plerumque eſt dicentis conatus* 831 a, 846 a b & ſeqq., *tria in illis requirit S. Thomas à Villanova*; *vitæ ſanctitatem*, *quâ auctoritatem*, *humilem orationem*, *quâ ſubſidium à Deo impetrent*, *& divinæ gloriæ ardorem*, *qui verbis efficaciam addat* 847 a d e, 893 c d e, *docet illos ſuggeſtum aſcendere non debere*, *ut oſtentent eruditionem ſuam & facundiam*, *ſed ut tamquam Chriſti milites linguæ acumine bellum adverſùs peccata gerant* 912 d

Concubinus. *Vide* Paſtorales curæ.

Concubinum *ſolo aſpectu ad vitæ emendationem movet B. Joſephus à Cupertino* 1000 b

Confeſſionis *annuæ præceptum plurimi Sancti anachoretæ non obſervârunt. Quâ viâ ab illo exemptum ſe judicaverit B. Rolandus de Medicis* 119 f, 120 a; *præceptum illud explicatur* ibid. e, *ſanctorum illorum praxis magis miranda eſt*, *quàm imitanda*, *quare* ibid. f.

Confeſſarii, *quomodo cum pœnitentibus agere debeant*, *docet S. Thomas à Villanova* 912 d & ſeqq.

Confirmationis *Sacramentum quibuſlibet moribundis pueris conferebat S. Thomas à Villanova*, *nec quempiam patiebatur ſine hoc præſidio ex hac vitâ diſcedere* 833 b, 898 b

Conformitas. *Vide* Voluntas.

Conſanguinei *conſulendi non ſunt, neque audiendi ab iis, qui de vitæ ſtatu deliberant, quia plerumque conſilia dant ſecundùm carnem & ſanguinem* 842 a b. Conſanguineos *non niſi ut ceteros pauperes & indigentes habet S. Thomas à Villanova, ſcrupuloſiſſiméque vetat ex bonis epiſcopatûs ſui, vel tantillum ultra ſortem diteſcere* 832 a b, 901 e f, 902 a & ſeqq.

Conſolatio *in morte fratris S. Ambroſii efficaciſſima* 500 a & ſeqq., 504 a b

Conſtantia *S. Juſtini mart. in tormentis invictiſſima* 475 a & ſeqq., *S. Floſcelli pueri* 481 e.

Conſtantia *& magnitudo animi ſunt virtutes neceſſariæ prælatis Eccleſiæ* 641 e f, 642 b d, 643 c e & ſeq., 646 f, 647 c & ſeqq., 648 a & ſeq., 649 a, 664 c

Contemplationes *viſioneſque mirabiles S. Hildegardis* 682 c & ſeqq.

Contemplativæ *vitæ activam jungit S. Hildegardis* 682 d & ſeqq.

Contractio *membrorum ſanata ad tumulum S. Valeriani martyris* 26 f, *& membra miſeri ita extenduntur, ut in pedes erectus toto capite reliquis celſior eſſet* 28 d. Contractus *puer ſanatur ad tumulum S. Ludmillæ* 363 a. Contracti *variis membris ſanantur patrocinio S. Leontii martyris* 219 & ſeqq., 242 c d. Contracti *ſananantur ad tumulum B. Ludovici Alamandi* 460 f, 461 a b & ſeqq. *Septem eodem temporis momento ad ſepulcrum S. Lamberti epiſc.* 554 f, *& alii* 555 c d, 562 f, 563 a, 580 c; *alii, patrocinante B. Gandolpho conf.* 718 c. Contractus *tibiis ſanatur à S. Thoma à Villanova* 941 f, 942 a b, 961 c; *alius ad ejus allatus tumulum* 982 a

Convertitur *ad fidem ſereniſſimus princeps Brunſvicenſis, viſis miraculis circa ſacram Hoſtiam, celebrante B. Joſepho à Cupertino, patratis* 1024 b c

Corpora *plurium ſanctorum Martyrum ſepelit S. Juſtinus presbyter* 470 c f, 471 d & ſeqq., 472 a & ſeqq., 474 f; *S. Theodora nobilis matrona Romana* 484 a & ſeqq. Corporis *S. Concordiæ mart. mirabilis inventio* 471 f, 472 a

Corpus. *Vide* Reliquiæ.

Creata *omnia Deo auctori ſuo gratias aſſiduò referunt* 501 d

Crimina, *quæ Gentiles diis ſuis affingunt, faciunt, ut pro perditiſſimis hominibus haberi & vituperari debeant* 32 b c, 33 e

Crines *S. Hildegardis ægrotis variis, maximéque parientibus levamento ſunt* 691 e, 698 a d. *Pixis ſerica, quâ ejus Sanctæ* Crines *ſervantur, inter flammas illæſa manet* 698 e, *iiſdem mulier imminentem à marito dæmoni devoto, necem avertit* 699 a

Crucifixi *Salvatoris intuitu inſolito patiendi deſiderio accendebatur S. Catharina Fliſca* 182 c & ſeq., 183 b

Crucis *ſanctæ effigiem, in pallio expreſſam, portabat S. Valerianus martyr & cum ea ſepultus eſt* 28 a. Crucis *ſigno energumenum, flammas ore & naribus ſpirantem, ſiſtit primùm S. Aper epiſc.: cúmque energumeni os continuò* Cruce *ſignaret, dæmon hàc egredi veritus, per miſeri poſteriora excedere compellitur* 82 a: *ſigno* Crucis *S. Aichardus luridum ſpectrum per feneſtram abigit* 95 f: *eodem S. Catharina Fliſca dæmonem, in agone ſibi apparentem, fugat* 172 b c: *eodem S. Ninianus cæco regi viſum reſtituit* 325 c: *eodem S. Hildegardis ſignat ſepulcrum cujuſdam injuſtè excommunicati, cujus corpus eruere moliebantur, fruſtraque cadaver ejus & tumulus quæritur* 698 f. *Pollex, quo S. Editha ſignum* Crucis *aſſiduò fronti imprimebat, ex S. Dunſtani voto numquam corruptus eſt* 370 c f

Crux *miraculis innumeris celeberrima Pragæ ſanguinem ſtillat, calamitatum prænuntium* 353 b c

Crux *Chriſti glorioſa & ſupra omnem veneration-em Crucifixus* 32 b. Crux, *ad quam orare ſueverat S. Thomas à Villanova, ſanguinem ſudat, indicem captivi ſe ſuſpendentis* 897 a, *Sancto diem mortis prædicit* 949 b c. Crux *lucidiſſima apparet ſupra domum S. Lamberti ad trucidandum illum accedentibus* 577 d, 587 f & ſeq., 598 c & ſeqq., 615 c: *altera in loco, ubi apparens S. Landrada ſignificârat, ſe tumulari velle* 596 a.

Crux *ſub dio poſita ante dormitorium, vel in alia cœnobii area, locus erat apud monachos, ubi pro delictis pœnitentias implebant* 531 a & ſeqq., 575 b & ſeqq., 593 b & ſeqq., 607 a & ſeqq.

Crurum *ariditates, contractiones aliaque incommoda ſublata ope B. Gandolphi conf.* 717 e; *S. Thomæ à Villanova* 987 a b c, 988 d e

Cultus *Sanctorum non temerè promovendus* 27 e

Cupiditas *facilè hominibus repræſentat licita, quæ ſunt quavis lege prohibita* 78 b

D

Dæmon *quomodo quibuſve modis homines obſideat, docet S. Hildegardis* 691 a & ſeqq.

Dæmone *malo obſeſſa mulier liberatur ad tumulum S. Valeriani mart.* 27 a; *alia ex attactu catenæ, quâ S. Aper tres captivos ſolverat* 78 d. Dæmoniaci *alii liberantur patrocinio aliorum Sanctorum* 122 e, *S. Leontii mart.* 236 c, 237 a & ſeqq., 238 a; *S. Hildegardis* 666 c, 693 a & ſeqq., 696 c d, 697 e f, 699 a & ſeqq.; *B. Gandolphi conf.* 711 d & ſeqq., 712 a, 725 e f, 726 a; *S. Thomæ à Villanova* 857 d & ſeqq., 858 a & ſeqq., 859 a & ſeqq.; *admota B. Joſephi à Cupertino effigie* 1053 a & ſeqq. Dæmoni *ſe vir quidam adſtrinxerat, ſponſo eidem annis ſingulis animali in ſacrificium, cúmque animalia, quæ habebat omnia & liberos eidem mactâſſet, uxori imminebat, quæ crines S. Hildegardis ſuis innectens, vim* dæmonis *contra maritum convertit* 699 a. Dæmon *compulſus energumeno excedere, Crucis ſignum reveritus, quo S. Aper aſſiduò miſerandi hominis os obſignabat, cum ventris fluxu turpiter egreditur* 68 a. Dæmon *compellitur S. Catharinæ Fliſcæ laudes promere* 164 e f, *teſtari ſanctitatem B. Joſephi à Cupertino* 1033 f. Dæmonem *in extremo agone terribili ſpecie ſibi apparentem ſigno Crucis & aqua luſtrali abigit S. Catharina Fliſca* 172 b c. Dæmoni *tot ſunt fallendi artes, ut nemo contra eas ſe munire ſatis poſſit* 71 c. *A* dæmone *obſideri probos & ſanctos quandoque permittit Deus ad humiliandos eos* 164 e f, *& variis modis vexari* 1034 b. Dæmon *ſanctorum etiam virorum leves defectus notat & exprobrat* 94 e. Dæmoni *ab angelo conceditur poteſtas ſæviendi in corpora multorum monachorum, non tamen in eorum animas* 96 f

Debilitas nervorum. *Vide* Contractio.

Defenſionis *juſtæ motu abreptus S. Lambertus, ubi adeſſe, qui vitæ ſuæ inſidiabantur, intellexit, gladium arripit, at mox conſilium mutans, inermis pro Chriſto occumbere ſtatuit* 547 a b d,

577 e, 588 b, 598 e
Defluxio *maligna humorum in oculos. Vide* Cæcus.
Deliberantibus *de ſtatu vitæ eligendo ſeponendi omnes affectus carnis; jejuniis, orationibus aliiſque piis operibus conciliandus Deus; prudentes viri conſulendi ſunt* 841 b f
Delumbis *ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ ſubitò in pedes erigitur* 175 e. *Vide* Contractio.
Deſperabundus *exhortationibus precibuſque S. Catharinæ Fliſcæ ad tolerantiam dolorum & ſpem ſalutis reductus* 165 e f, 166 a b, 167 a b c
Detractionem *quàm vehementer averſatus ſit S. Thomas à Villanova* 907 a & ſeqq.; *hæc ut vitetur, vel leviſſima linguæ licentia comprimenda & caſtiganda eſt* ibid. c & ſeqq.
Detractor *& calumniator monachorum punitus* 75 b c.
Devotioni *privatæ ſæpe anteponenda ſunt proximi commoda* 166 d e
Diſcordia *& contentiones quanto ſtudio vitandæ ſint, docet S. Hildegardis* 653 c & ſeqq., 654 a d, 665 c d
Diſcretio *in operibus quibuſcumque, etiam optimis, neceſſaria eſt* 646 e, 685 a
Diſſidia *& inveterata odia componit & exſtinguit S. Thomas à Villanova* 868 f, 869 a b
Diſtracti *inter orandum S. Niniani librum pluvia inficit, qui uſque manſerat inter medios imbres immunis* 325 e
Dolor *ſublatus patrocinio Sanctorum. Vide adjuncta* Capitis, Lateris, Viſcerum, Renum, Dorſi, Pedum, Brachiorum, Femoris.
Domini *plurimùm nocent famulis morum levitate & linguæ intemperantiâ* 906 e
Dorſi *magnis & diuturnis doloribus liberatur, amictus cingulo benedicto reliquiis S. Leontii mart.* 223 b

E

EBrietas. *Vide* Gula.
Eccleſiæ *jura invictè adversùs Henricum V, Germaniæ regem, propugnat Victor III PP.* 423 c d & ſeqq., 424 a & ſeqq.; *adversùs Hiſpaniæ proceres S. Thomas à Villanova* 830 b c d, 888 c & ſeqq., 889 a & ſeqq.
Eccleſiarum *decori & ornamento ſummâ curâ proſpicit B. Victor III PP.* 409 b c & ſeqq., 413 e f; *S. Thomas à Villanova* 864 c, 913 c
Eccleſiaſticorum *peccata & vitia cauſa ſunt multorum malorum, quibus Deus Eccleſiam caſtigat* 650 d, 651 c & ſeqq., 949 f: *quid ab illis ſtatûs dignitas exigat* ibid. 950 a
Ecſtaſes *viſioneſque cæleſtes deprecabatur S. Catharina Fliſca* 169 d e, *iiſque amovendis tegendiſque curam omnem adhibebat* ibid. & ſeqq. Ecſtaſes, *& viſiones inter concionandum & celebrandum S. Thomæ à Villanova frequentiſſimè accidentes, cogunt illum ab iis muniis in publico abſtinere* 832 f, 851 e f, 853 b d & ſeqq. *Duodecim horas elevatus à terra perdurans ab omnibus ſpectatur* 832 f, 852 b c d, 969 e f. Ecſtaſes *& raptus quid, quæve in iis Sancti videant* 1002 f, 1003 a, 1006 d e. Ecſtaſes *& raptus mirabiles penéque continui B. Joſephi à Cupertino* 998 b c, 1002 d e f, 1006 c d, 1007 e f, 1014 b, 1024 b & ſeqq., 1029 d e, *ad multos paſſus in ſublime rapti & volantis* 1020 b, 1021 a & ſeqq., 1022 a & ſeqq., 1024 b: *alios ſecum per aëra rapientis* 1021 d, 1022 c d, 1035 d e, 1038 e f, 1040 e f
Effigie *B. Joſephi à Cupertino plurima patrantur miracula* 1048 a & ſeqq., 1050 a & ſeqq., 1054 b & ſeqq., 1055 a & ſeqq., 1057 e f, 1058 a & ſeqq.
Eleëmoſyna. *Vide* Pauperes, Miſericordia erga pauperes.
Eleëmoſynarii, *à liberalitate erga inopes vocati S. Thomæ à Villanova parentes* 828 f, *frumentum pauperibus agricolis ſerendum dabant mutuum, quod deinde commodè reddere nequientibus, dimittebant* ibid. 836 b c, *Lucia ejus mater tegendis pauperibus linum nebat induſiaque conficiebat, ipſa cilicio tecta* ibid. 836 f, *quod ſi non ſuppeteret, quo nudos tegeret, proprias ſibi veſtes detrahebat* ibid. *Ejus virtutes miraculis & multiplicatâ divinitùs farinâ remuneratur Deus* 837 b, *ejus ædes longo tempore* Hoſpitium pauperum *appellatæ fuerunt* ibid. c d. Eleëmoſynarius *cognominatus eſt S. Thomas à Villanova ab inaudita erga pauperes miſericordia* 801 a, 930 f
Eloquentia *compta, verborum ornatus & orationis floſculi non multùm à ſacris oratoribus adhibenda* 848 a b
Energumenus. *Vide* Dæmone obſeſſus.
Epileptici *ſanati ad tumbam S. Hildegardis virg.* 697 e, 699 b
Epiſcopales virtutes *S. Lamberti* 533 c & ſeqq., *S. Thomæ à Villanova* 884 c & ſeqq., 885 a & ſeqq., 886 a & ſeqq. *Vide* Paſtorales Curæ, Virtutes epiſcopales.
Epiſcopis *in exemplum datus à Pontifice S. Thomas à Villanova* 966 e. Epiſcopis *quàm neceſſaria prudentia* 884 c, 914 d & ſeqq., *fortitudo & conſtantia, utpote, quibus incumbit ſtrictiſſima obligatio Eccleſiæ jura defendendi* 890 c d, 968 f, *vigilantia, maximè circa domeſticos, ut hi rectè inſtituti, ceteris exemplo ſint* 905 b & ſeqq., 969 a, *tolerantia, ut ne facilè vehementiora remedia & cenſuras adhibeant, maximè ſi vitia latè irrepſerint: hinc enim tumultus non rarò potiùs, quàm morum emendatio exſpectari ſolet* 915 d. Epiſcopum *decet gregem ſuum inſtruere & concionibus paſcere* 827 b
Epiſcopatûs *bona ſuperflua ſcrupuloſiſſimè in pauperes ſuæ diœceſis diſtribuit S. Thomas à Villanova* 827 d
Euchariſtia. *Vide* Communio.
Euchariſtiæ *venerabile ſacramentum, quanto cum affectu veneratus ſit S. Thomas à Villanova* 819 b e, 833 f, 949 e f: *ſacerdotem, qui quotidie divino eo cibo paſcitur & non proficit in virtutis via, judicabat in malo ſtatu eſſe* 844 e. *Summa erga divinam illam eſcam veneratio B. Joſephi à Cupertino* 1017 c, 1042 c d e, *ad tabernaculi complexum ſubito per aëra volatu rapti* 1021 a b, 1022 b: *illi Chriſtus apparet in ſacra Hoſtia ſpecie elegantis pueri* 1033 e. *Sacra Hoſtia induratur, præſente Frederico principe Brunſvicenſi adhuc Lutherano, ita ut primùm nullo modo, deinde non niſi magno cum niſu à celebrante B. Joſepho à Cupertino dividi poſſit* 1024 b. *Poſtero die, eodem præſente, crux ſacræ Hoſtiæ elevatæ omnibus apparet nigri coloris* ibid. *Ex his prodigiis ſecuta ſereniſſimi principis ad fidem converſio* ibid. d. Euchariſtiæ *ſacramentum collo alligari petit S. Satyrus adhuc catechumenus, atque ita naufragium evadit* 501 c, 506 c
Examen *quotidianum conſcientiæ adhibet S. Thomas à Villanova, illudque, tamquam rem omnibus, & maximè ſacerdotibus & Religioſis ſummè neceſſariam, conſtanter ſuadet* 844 e

Excommunicati *injuſtè, jamque tumulati cadaver eruere volentibus quibuſdam, S. Hildegardis virgo ſepulcrum ſignat S. Crucis ſigno, fruſtraque deinde perquiritur* 698 f. *Cum* Excommunicatis, *etſi ſibi amiciſſimis, nullo modo, ne in conviviis quidem, agere voluit B. Victor III Pontif.* 376 d & ſeqq.

F

FAbulis *narrandis & vaniloquio ab incunabulis abſtinuit S. Columba virg. & mart.* 623 e f

Faſcia. *Vide* Benedicta.

Febribus *graviſſimis laborans anus, ſanatur ad tumulum S. Valeriani martyris, & ſimili malo correptus miles ibidem valetudinem recuperat* 27 a, *civis Baſſiniacenſis ad reliquias S. Apri epiſc.* 78 b. Febricitans *alius in eadem eccleſia obdormit, expergefactus, ratione deſtitutus invenitur; at paulo poſt & mente & corpore convaleſcit* ibid. *Tertius diuturnis* Febribus *ita exeſſus, ut mors illi immineret proxima, hauſtâ aquâ de fonte, qui ad S. Apri tumulum ſcaturit, illicò valetudinem vireſque recuperat* ibid. d. Febri *ardenti laborans, uncta oleo lampadis, ad ſepulcrum S. Catharinæ Fliſcæ ardentis, refrigeratur & convaleſcit* 189 e, *item altera* ibid. f, *ſanatur ibidem* Febri *hectica penè conſumpta* 193 a b. *Puer octennis ex ardenti* Febri *luctans cum morte, demandato Miſſæ ſacrificio, pro ejus ſoſpitate celebrando in honorem S. Leontii martyris, ſubitò convaleſcit* 202 d; *eodem malo liberatur alius ad reliquias ejuſdem S. Martyris* ibid. e, *& alii plurimi vota peregrinatione* ibid. 203 a & ſeqq., 204 a & ſeqq., 242 f. Febricitans *à multo tempore ſacerdos ſanatur in exſequiis B. Ludovici Alamandi* 460 d, 461 b. *Aliqui tangentes feretrum S. Juſtini mart.* Febribus *liberantur* 472 e, 473 a; *puella ad tumbam S. Lamberti epiſc.* 559 b; *miles tangens ejuſdem S. Martyris loculum* ibid. e. Febricitantibus *patronus eſt S. Reginaldus eremita* 627 f, 628 a b. *Puella tertiana* Febri, *S. Hildegarde manum illi imponente, liberatur* 691 a: *monachus Roricus ſimili malo ab eadem Sancta* ibid. *Sanantur alii ad ſacra ejus oſſa* 697 e; *ad tumulum & patrocinio B. Gandolphi conf.* 707 f; 727 e; *S. Sinerii epiſc.* 781 a & ſeqq.; *S. Thomæ à Villanova* 970 d, 977 d f, 982 e, 990 f, *hauſtâ terrâ de ejus ſepulcro* 979 a b; *liti oleo lampadis, ad ejus ſepulcrum ardentis* ibid. b c; *ejus tacti reliquiis* 981 e, 983 e f, 984 a & ſeqq.; *ejuſdem tumulo admoti* 981 f, 982 a b c, 983 b c; *patrocinio B. Joſephi à Cupertino* 1045 b & ſeqq., 1049 a b, 1056 e f. *In* Febrim *periculoſam relabitur ſacerdos, amota per incuriam icone B. Joſephi à Cupertino, cujus attactu antè convaluerat; eâdem iterum admotâ ſecundò ſanatur* 1050 a b. *Ex maligna* Febri *decumbentem ſocium complexus B. Joſephus à Cupertino ſanat* 999 e. *Liberatur alius admoto ejus ſudario* 1000 a.

Femoris *dolore acutiſſimo liberatur reliquiis S. Leontii mart.* 224 c: *S. Thomæ à Villanova* 985 b

Ferri *candentis probatio olim uſitata* 796 a & ſeqq. *ad* Ferri candentis *purgationem damnata mulier, apud judices occiſi mariti accuſata, crimen fatetur S. Hildegardi, quæ* Ferrum *benedicit, mulierque incolumis evadit pœnam* 698 c

Fervor *primus in vita rectè inſtituenda & obſervandis Religionis Regulis ſollicitè ſervandus; ab eo enim ſemel elapſis difficile eſt reſurgere* 133 a b c

Fides, *ut viva maneat, quotidianis bonis operibus nutrienda* 752 e. Fides *Sanctorum circa abditiſſima etiam myſteria tam viva eſt, ut vix fides dici poſſit* 831 b

Fiducia *B. Joſephi à Cupertino in Deum ejuſque providentiam* 1000 e f, 1001 b, 1023 e f, 1025 d; *negantis ſibi poſſe malè eſſe, ubi Deus præſens eſſet* 1006 c

Fiſtularum *mala ſublata, patrocinante B. Gandolpho* 718 c & ſeq. 719 a

Fletus *in amicorum morte & infortuniis, non quilibet condemnandus, cùm is compatientis naturæ indicium ſit & Chriſti in Lazari funere lachrymantis exemplum habeat* 497 e & ſeqq.: *perperàm hunc doloris motum peccati vel levis accuſant rigidioris diſciplinæ larvati patroni* 499 c d

Fœtus. *Vide* Baptiſmus.

Fons *limpidiſſimus aquas præbet S. Rodingo ſitienti, eo loco, ubi ſcipionem terræ infixerat* 514 f, *in eo tantum auri reperit, quantum, emendo ad condendum monaſterium fundo, opus eſſet* ibid. Fons *alius ſcaturit ad preces SS. Landoaldi & Lamberti* 589 f, 603 f

Formæ venuſtas. *Vide* Puella.

Fortitudo *heroïca B. Petri Arbueſii, denuntiatas ſibi imminentes ab hoſtibus Judæis inſidias declinare abnuentis* 733 a & ſeqq., 743 e. Fortitudo *animi & conſtantia S. Thomæ à Villanova, immunitates eccleſiaſticas propugnantis* 830 b c, 1059 d e

Fuga *honorum & dignitatum. Vide* Humilitas.

Fuga *nuptiarum. Vide* Caſtitas.

Fugientes *Sancti perſecutores & tormenta, legem Evangelii ſequuntur* 765 d, 766 f

Fulmen *irati Dei indicium* 409 f, 410 a: *contra illud tutiſſimum præſidium eſſe orationem contra fulgura, ac Miſſam ab Eccleſia inſtitutam, judicat B. Victor III PP.* ibid.

Furto *ablatum S. Lamberti pectinem mulier, inſanabili vulnere divinitus percuſſa, reſtituere compellitur* 579 c

G

GAngrænâ *inveteratâ infecta mulier ſanatur attactu reliquiarum S. Catharinæ Fliſcæ* 189 a b; *alia, vota peregrinatione ad venerandas S. Leontii martyris reliquias* 216 e: *alii eodem malo ſanantur patrocinio B. Gandolphi conf.* 715 a, 727 b c; *B. Petri Arbueſii* 741 e f; *B. Joſephi à Cupertino* 999 f

Genuum *mala. Vide* Claudus.

Gladius. *Vide* Defenſio.

Gloria *cæleſtis non niſi fortiter conſtanterque certantibus conceditur* 646 c, 652 f

Gula *& ebrietas omnium peccatorum origo & fomes ſunt* 660 e, 661 c

Gutturis *dolore, miſſâ à ſe benedictâ aquâ abſentem ſanat S. Hildegardis* 691 c: *eodem malo liberatur puella ad tumulum B. Petri Arbueſii, de felici votorum ſucceſſu priùs in ſomnis monita* 742 e f

H

HÆreticus, *fingens ſe à dæmone obſeſſum & ad S. Aichardi patrocinium confugere, in ipſa eccleſia miſerè comburitur* 82 f. Hæretici *flagella ſunt, quibus Deus Eccleſiam ſuam, ob fidelium & maximè eccleſiaſticorum vitia affligit* 650

650 d & ſeqq., 651 c & ſeqq. Hæretica *dogmata tradentem epiſcopum liberrimè coram principe arguit S. Deſiderius epiſc. mart. fideique ſuæ puritatem atque alterius falſitatem ingenti prodigio probat* 790 c & ſeqq.

Hemiplexia *percuſſus ſubitò curatur à S. Thomæ à Villanova* 977 e; *alius ex voto S. Thomæ facto* 982 a, 988 c

Herniâ *afflicti, patrocinante S. Leontio mart., integram recuperant corporis ſoſpitatem* 232 e & ſeqq., 233 a & ſeq., 240 f, 242 b, 245 b: *invocata B. Gandolphi conf. interceſſione* 708 a b, 716 a & ſeqq., 717 a b, 719 a, 727 d: *apparente B. Petro Arbueſio mart.* 740 e & ſeq., 741 a & ſeqq., 742 f, 743 a c, 744 c, 745 a & ſeqq., 746 c & ſeqq.: *auxiliante de cælis S. Thomæ à Villanova* 970 e, 992 a b: *B. Joſepho à Cupertino* 1046 c, 1049 e, 1057 e f, 1059 f

Hirundinibus *garrulis, per eccleſiam volitantibus, dum concionatur B. Gandolphus ſilentium imperat* 706 b

Hominis *vilitas, inſufficientia, &c.* 134 c & ſeq.

Honores *& dignitates fugit & recuſat S. Thomas à Villanova* 814 d e, 826 a b

Humilitas *S. Aichadi, non ſuis, ſed aliorum adſtantium meritis ingens prodigium tribuentis, illudque propalari vetantis* 95 d e. Humilitas *& ſui deſpectus S. Catharinæ Fliſcæ* 134 b c, 168 c d & ſeqq.: *eſt fundamentum perfectionis* ibid. *ariditate ſpirituali conſervatur & augetur* ibid. Humilitas *B. Victoris III, honores ſummos dignitateſque ſolicitè fugientis* 374 b & ſeqq., 382 f, 384 a, 429 a & ſeqq. Humilitatis *heroïcæ S. Lamberti epiſc. exemplum* 530 a b, 575 c & ſeqq., 584 f, 585 a & ſeqq. *B. Gandolphi ad ſolitudinem fugientis, cùm audiret de ſua ſanctitate ſermones ſeri inter fratres* 705 b. Humilitas *S. Hildegardis, demiſſiſſimè de ſe ſcribentis & ſentientis* 637 f, 662 e, 666 f, 682 c; Humilitas *ab eadem commendatur, iis maximè, qui præcellentioribus donis prædíti ſunt* 657 b c, 659 a, 662 e & ſeq. Humilitas *S. Thomæ à Villanova, nolentis loco epiſcopis deſtinato ſepeliri* 827 d, 952 f, 953 a; *tam conſtanter epiſcopales infulas recuſantis, ut per ſuperioris mandatum & interminationem excommunicationis ad illas recipiendas adigi debuerit* 829 f, 871 e & ſeqq., 872 a & ſeqq., 873 a & ſeqq., 874 a & ſeqq., 914 d e, 968 e; *cùm adhuc puer eſſet novis veſtibus indui nolentis, aſſerentiſque melius illas pauperi, digniori ſe, quadrare* 838 d; *quæcumque viliſſima munia alacriter obeuntis* 843 e; *recuſantis quaſvis in Religione prælaturas* 861 e, 863 f, 864 a, 871 d & ſeqq.; *cum exiguo & ferè nullo comitatu ad Valentinam ſedem accedentis* 877 b & ſeqq., 878 f, 879 a & ſeqq.; *comiter cum pauperibus agentis* 897 c & ſeqq.; *epiſcopatu ſe abdicare volentis* 948 e; *pauperrimos conſanguineos ſuos non erubeſcentis, ſed honorificentiſſimè excipientis* 898 e f; *aliorum culpas in ſe transferentis* 900 f, 901 a & ſeqq.; *idem Sanctus ex* Humilitate *monachi more in epiſcopatu vivit & ut monachus ab omnibus haberi vult* 905 b. Humilitas *B. Joſephi à Cupertino* 1016 b c, 1018 e, 1037 c & ſeqq.; *cælitus acceptos favores ſtudioſè tegit* ibid. d e; *ejus ſanctitatem & merita apud Deum prodigioſè ab infante laudata* ibid. f.

Humilitas *& modeſtia plurimùm ornant viros litteratos* 840 e. Humilitas *tum maximè vera & ſolida probatur, quando ab augmento honoris & famæ detrimentum non patitur* 880 e, 897 c, 905 b c

Hydropica *oleo lampadis, ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ ardentis, inungitur & ſanatur* 189 d, *& alia, vota peregrinatione ad S. martyris Leontii reliquias* 206 d; *vir* Hydropiſi *graviſſimè afflictus ſanatur* 218 f, *alii, eâ afflicti ad ſepulcrum B. Gandolphi conf. liberantur* 718 b: *B. Joſephi à Cupertino patrocinio eodem malo ſanantur varii* 1049 e

Hypocondriaco *manum capiti imponit B. Joſephus à Cupertino eumque momento ſanat* 999 e

I

IDololatriam *in Taxandria exſtirpat S. Lambertus* 535 e, 586 f, 587 a & ſeqq., 594 e & ſeqq., 609 a & ſeqq.; *in Arduenna S. Hubertus* ibid. e.

Idolorum *& ſimulacrorum materia ad ſacros uſus redacta* 346 d

Jejunium *& oratio ſunt optima præparatio ad beneficia à Deo & Sanctorum patrocinium obtinenda* 27 d e f. Jejunium *quadrageſimale vigeſies ter totieſque adventûs tempora, ſine ullo prorſus cibo, exegit S. Catharina Fliſca Adurna* 137 d: *Sancti alii, qui longo tempore ab omni cibo abſtinuerunt* 137 f, 138 a: *mirabile ejuſdem Sanctæ* Jejunium 155 b c, 180 c, 183 c & ſeqq. Jejunio *& oratione morbum peſtiferum à Lemovicenſi populo avertit S. Ferreolus epiſc.* 784 a, 785 f. *Non niſi poſt triduanum cleri* Jejunium *loco moveri poſſunt ſacra S. Aredii lipſana* 785 a. Jejunium *auſterum B. Joſephi à Cupertino* 1017 f. Jejunium. *Vide* Oratio.

Jeſu *nomen proferre conantis & peſtifera tabe infectæ mulieris ori oſculum figit S. Catharina Fliſca, dulciſſimo erga venerandum illud nomen affectu abrepta* 165 b, 184 e

Ignorantia, *non quælibet, excuſat à culpa* 452 b & ſeqq.

Illuſtrationibus *divinis perfunditur S. Hildegardis, adhuc tantùm trimula* 631 e

Illuſtrationes. *Vide* Revelationes.

Imago *magnæ Dei Matris miraculis celeberrima Boleſlavienſis, fuſa creditur ex varii metalli idolis* 346 c d

Imago Crucifixi. *Vide* Crucifixi.

Immaculata. *Vide* Conceptio.

Imprecationem *matris filiæ factam, mox, immiſſo in hanc dæmone, punit Deus* 236 c

Incendia *prodigioſè exſtincta, invocato S. Leontio mart.* 243 c & ſeqq. *B. Ludovici Alamandi ope* 460 e

Inceſtus *ex Romanorum legibus morte puniebatur. Oſtendit S. Valerianus deos eſſe non poſſe, quos hoc crimine contaminatos, gentiles prædicabant* 22 b

Incorruptum corpus. *Vide* Reliquiæ.

Injuriam *imperatoribus ipſis & principibus facit, qui leges eorum Dei mandatis anteponit* 765 b c

Innocentiæ *veſtem, in Baptiſmo partam, ad finem vitæ illibatam ſervavit S. Satyrus* 502 f

Inſtrumenta *mortis, cruces, rotæ & his ſimilia, habent ex cauſa gloriam vel dedecus: unde criminum reis ignominiæ ſunt, quæ ſanctis Martyribus honori* 32 b

Irriſores *Sanctorum, eorumque reliquiarum & miraculorum puniti* 555 f, 560 c. *S. Hildegardem pede trudens, eodem pede cælitùs mutilatur* 698 b. *Paſtor, calumnians feſtum diem B. Gandolpho, non niſi propter lucrum celebrari à clericis, ſtatim arietis cornu naſo terebratur* 714 f. *Interroganti uxori, an ad B. Arbueſium pro-*

pera-

peraret, reponit maritus per contemptum, Herniâ non laboro : *atque ſtatim in utroque latere rumpitur* 743 d
Iſchiadici *dolores momento ſublati ad tumulum B. Joſephi à Cupertino* 1049 b c
Judicia *temeraria quantùm averſata ſit S. Columba virg. & mart.* 623 d. *Quàm ſtolidè paſſim homines & nefariè de aliis* Judicent ibid. & ſeqq.
Juſtitia *S. Satyri multis laudatur à S. Ambroſio* 503 c

L

LApſi *è ſublimi à præſentiſſima morte liberati, invocato S. Leontii mart. patrocinio* 227 c & ſeqq., 241 d e
Lateris *dolores varios ſanat B. Rolandus de Medicis* 121 d e; *S. Catharina Fliſca* 173 c, 186 e, *B. Gandolphus conf.* 708 d f; 716 a & ſeqq.; *S. Thomas à Villanova* 983 d, 984 c
Lectio *ſanctorum & piorum librorum omnis generis hominibus utiliſſima & maximè ſuadenda* 842 d, 864 c d
Leproſa *toto corpore, uncta oleo lampadis, quæ ardet ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ, trium dierum ſpatio convaleſcit* 189 c, *item alia* 193 a b. Leproſi *duo, loti aquâ de fonte S. Niniani, continuò mundantur* 327 d e : *alius invocata ope B. Ludovici Alamandi* 461 f. *Ad tumulum S. Lamberti pluribus ſcabies decidit* 580 d
Liberalitas. *Vide* Miſericordia, Pauperes.
Librorum *deſcribendorum cura B. Victoris III. PP.* 426 e & ſeqq. Librorum *piorum utilitas* 842 d.
Linguæ *licentiam quantùm oderit S. Thomas à Villanova* 907 a & ſeqq.
Linteo, *quo Chriſtianorum pedes terſerat S. Laurentius, S. Cyriacam capitis doloribus liberat* 470 b, 471 d
Litaniæ Lauretanæ. *Vide* † Mariæ.
Litanias *beatiſſimæ Virginis in omni neceſſitate recitat B. Joſephus à Cupertino, & mox præſentem magnæ Matris opem experitur* 1000 e f, 1001 a, 1026 e : *iis dæmones expellit* 1027 b, *illas recitat cum omnibus, qui ad illum accedunt* 1027 a, *enixè commendat afflictis* 1027 b : *occupatis paſtoribus, quibuſcum illas ſingulis ſabbathis recitare ſueverat, oves invitat, quæ omnes, nequidquam obnitentibus parvulis opilionibus, ad ſacellum accurrunt, ubi Beato* Litanias *prælegente, prodigioſo balatu reſpondent* 1027 a b
Litteras *corporali divinitus, ut creditur, inſcriptas S. Hildegardis ſacerdoti explicat, unde ille, rubore ſuffuſus, ad pœnitentiam convertitur* 692 c
Lues *mortifera ſanatur vino, quo Sanctorum reliquiæ fuerant delibutæ* 65 e f. Lues *pecudum abacta, patrocinio S. Leontii mart.* 243 b & ſeqq.
Luminaria *divinitus accenſa in cubiculo, ubi S. Lambertus epiſc. interfectus fuit, per totam domum ſplendorem diffundunt* 579 b, 600 f. *Vide* Candela, Cereus.

M

MAnicas *orationi intentus S. Aichardus ex ſolis radio ſuſpendit* 95 d e
Manûs *intolerabile malum tollitur ad reliquias S. Leontii mart.* 223 c e, 224 a ; *admota parte tunicæ B. Joſephi à Cupertino* 1049 c
Manſuetudo *S. Thomæ à Villanova, inſultantes ſibi pacatiſſimè audientis & alloquentis* 887 c d. *Virtus eſt confeſſariis maximè neceſſaria* 912 e
† Mariæ, *magnæ Dei Matri, voverat Borzivoius fore, ut illi eccleſiam exſtrueret, ſi in ducatum reſtitueretur ; mox Dei nutu, eò à populis revocatur, factuſque voti reus mox fidem liberat* 345 f, 346 a, 356 f : *ejus miraculoſa imago Boleſlavienſis conflata ex varii metalli idolis creditur* 346 c d ; *ejus patrocinio omnia beneficia, à Deo obtenta, refert accepta S. Thomas à Villanova* 842 c. *Tenerrimus erga illam affectus B. Joſephi à Cupertino* 1016 d e, 1019 f, 1020 a b, 1026 d e f, 1027 a & ſeqq., 1043 b, *illi omnia beneficia relata cupit* 1027 b c, *prodigia in ejus nomine patrat* 1027 b c d, *ejus viſa imagine ſublimis ad multos paſſus rapitur atque in ejus amplexu dudum hæret* 1020 b, 1021 b e f, 1022 a b. Mariæ *nomen audiens B. Joſephus à Cupertino præ amoris vehementia deliquia animi patitur* 1020 c, 1026 e f, *& ecſtaſes* 1038 a, *per ejus erga* Mariam *amorem beneficia rogantibus promptiſſimè largitur* 1055 e f, 1056 e. Maria *amantes ſe redamat, favoribus cumulat, & materna manu remunerat* 1027 d e, *patrona eſt potentiſſima in tentationibus omnibus anguſtiiſque invocanda* ibid.
Martyrium *omnia peccata eluit* 624 f. Martyr *eſt etiam ille, qui pro tuendis Eccleſiæ immunitatibus & bonis occiditur* 545 a. *Ad* Martyrium *Sancti plurimi ſe ſponte judicibus ſiterunt, ex peculiari tamen Spiritus ſancti impulſu* 621 c & ſeqq., *inde excuſatur clandeſtina fuga S. Columbæ ex monaſterio ad tyrannum* 625 a
Matrimonii *incommoda, quomodo & quare, à conjugibus toleranda* 166 d e
Miracula. *Vide nomina variorum morborum &* Euchariſtia.
Miraculis *plures poſt glorioſum agonem S. Valeriani ad Chriſtum converſi fuerunt, quàm vivus doctrinâ ad fidem perduxerat* 25 d.
Miſericordia *Dei erga peccatorem deſperabundum* 166 a b c
Miſericordia *erga pauperes tanta erat in S. Apro, ut ſæpius, puer adhuc, à ſcholis rediens, ſi quem nudum & egenum offendiſſet in plateis, propriâ ſe tunicâ & veſtibus exueret ipſeque pene nudus domum rediret.* 66 f, *cúmque in ſuarum rerum poſſeſſionem veniſſet, cuncta pauperibus erogaret* 67 a. *Pium inſtitutum Genuenſium conſulentium pauperum neceſſitatibus* 156 e. Miſericordiæ *& caritatis erga pauperes ſtupenda exempla S. Catharinæ Fliſcæ* ibid. & ſeq. 157 a & ſeq.; *S. Lamberti epiſ.* 576 f; Miſericordia *S. Eumenii epiſcopi erga pœnitentes* 787 a. Miſericordia *& commiſeratio erga pauperes S. Thomæ à Villanova, adhuc pueruli, paratum ſibi jentaculum in obvios inopes erogantis* 828 f, 829 a, 838 b d, 967 f; *ex jentaculo, ſi non ſuppetat, unde omnibus ſatis fiat, rogat matrem, ut prandium ſuum indigentibus detur, atque ipſe eo die jejunus perdurat* 829 a, 834 c d, 967 f, *ad claſſem properans, ſæpe proprias ſibi veſtes detrahit & iis obvios nudos tegit* 828 f, 838 d, *idem præſtat jam epiſcopus* 831 e, 938 d, 967 f; *abſente domo matre, nec reperiens paratum panem, quem flagitantibus ad fores pauperibus daret, recentes pullos incubanti gallinæ ſubtrahit & inter illos diſtribuit* 829 a, 839 f; *ex patrimonio xenodochium virginibus pauperibus exſtruit* 968 b, *oblatam in aditu epiſcopatûs pecuniæ ſummam, quâ ipſe plurimùm eget, xenodochio reficiendo donat* 880 a b, *pauperum filiis collegium erigit, ut commodè ſtudiis vacare poſſint* 832 b,

969 c; *concionatores jubet impensè pauperum miserias fructumque eleemosynarum exponere & commendare auditoribus* 880 c; *nobilibus puellis, paupertate pressis, subsidium dotis subministrat* 831 f, 832 a; *ex inopia periclitantibus succurrit* 934 f, 935 a & seqq.; *infantibus expositis consulit & per parochos & concionatores publicè vulgari jubet, gratissimum sibi fore, si ad portas palatii sui deponantur* 833 a, 935 e & seqq., 936 c & seqq., 969 c; *strenam, ut famulos suos & alios animet, promittit expositum infantem ad palatium ferenti* 833 a, 935 e, *illis nutrices procurat sustentatque, quas singulis mensibus adesse jubet stipendium recepturas cum sibi commissis infantibus, ut de bona eorum educatione per se judicet* 833 a, 935 e f, 936 a & seqq.; *pupillos alit in palatio* 937 b; *opificibus egenis instrumenta & materiam exercendo opificio subministrat* 929 b & seqq., 938 a b, 939 c, 940 a b; *clericis inopiâ laborantibus summa charitate subvenit* 931 b & seqq., 932 a b c; *horis integris cum pauperibus sermones serit, illisque audiendis semper se paratum exhibet* 897 e f, 918 a & seqq., *illorum miseriis illacrymatur, dum non habet, quæ illis tribuat* 917 e f, 938 c d; *chirurgos & medicos conducit, qui gratis pauperibus ægris succurrant* 936 f; *ægros ipse invisit* 905 f, 906 a, 943 c; *pudibundis pauperibus liberaliter & industriè opitulatur* 908 f, 927 c & seqq., 928 a & seqq., 929 a & seqq., 930 a b c, 932 f, 933 a & seqq., 934 a & seqq.; *in omnibus circa se suaque parcissimus, ut tantò amplius sublevandis egenis suppetat* 827 c, 835 c & seqq., 880 e f, 881 a & seqq., 938 e f, 939 a & seqq., 940 a & seqq., 943 e f, 969 b; *asserit pauperum omnia esse, quibus episcopus utcumque carere potest* 831 e, 902 a & seqq., 938 f; *neque ea alium in usum applicari posse* 902 b & seqq., 903 e f, 904 a b, 940 d & seqq.; *se mori quietum non posse, si vel unus obolus supereresset non distributus in pauperes* 833 d & seqq., 949 c, 951 a & seqq., 952 a b, 993 f. *Ita, rebus omnibus in indigentes distributis, ut proprius sibi lectus non supereresset, quietè & sanctè moritur* 912 f, 952 a b, 953 d f, 969 f, 970 a b; *post mortem in pauperes munificus, mulieri in extrema necessitate ad se recurrenti pecuniam prodigiosè subministrat* 978 a, *aliis alia ad vitam necessaria* ibid. b & seqq. Misericordiam *ejus & liberalitatem erga pauperes prodigiis remuneratur & adjuvat Deus, auctis miraculosè frumento, pecuniis, cibis* 832 c d, 838 e f, 938 d e f, 942 c & seqq., 943 a d e, 944 a b, 945 c & seqq., 946 a & seqq., 969 c d

Misericordia *S. Thomæ à Villanova erga nocentes & captivos, maximè clericos* 879 e, 916 f, 918 e f, 919 a & seqq., 931 b, 947 a & seqq., 996 a & seqq.; *pro iis enixissimè Deum precatur cum lacrymis* 897 a b, 919 a & seqq., 920 a & seqq., 921 a & seqq., 922 b & seqq., 923 a & seqq., *pro iis coràm corpus flagellis cruentat* 830 d, 920 b & seqq., 921 d & seqq., 922 d, 923 a & seqq.; *illis facilè ignoscit commissa in se crimina* 901 c; *eorum famæ cautissimè consulit* 916 a & seqq., 918 f, 924 c & seqq., 925 a & seqq.

Missæ sacrificium *quanto cum ardore, veneratione, & tenerrimæ pietatis affectu celebrârit, & audiverit S. Thomas à Villanova* 819 b e, 844 a b c, 878 c, 879 e, 953 c d; *B. Josephus à Cupertino, assiduis tum ecstasibus abreptus* 1009 e f, 1035 d e

Monasticæ *vitæ desiderium ardentissimum B. Victoris III* 402 e f, 403 a & seqq., *S. Thomæ à Villanova* 948 e

Morbi *insoliti & mirabiles S. Hildegardis* 687 a & seqq.

Mortificatio. *Vide* Abstinentia, Afflictio corporis.

Mortificatio *sensuum & corporis afflictatio optimum castitati servandæ præsidium* 908 a b; *B. Josephus à Cupertino, ut naturalem nauseam vincat, frondes, quæ fœtidissimo vulneri applicatæ fuerant, comedit* 1025 d

Mors *nullis divitiis redimi, nullis differri potest* 497 a. *Sanctis optatissima, utpote transitus ad æternam felicitatem* 516 f. Mortis *diem S. Thomæ à Villanova prædicit Crucifixus, coram quo orare sueverat* 949 b, *quomodo ad illam se præparaverit* ibid. c & seqq. Mortis *hora nulla certa est: hinc vigilandum, ne importuno nobis tempore ingruat* 68 f

Morte *præsentissima liberati, invocato S. Leontii mart. patrocinio* 230 a & seqq., 231 a & seqq. Mortui *duo pueri ad vitam revocantur ad tumulum B. Petri Arbuesii* 742 a b. Mortui *crediti, ad vitam revocati patrocinio S. Leontii mart.* 225 e, 226 c d f, 227 a, 229 a c & seqq., 230 c & seqq., 231 b & seqq., 246 b & seqq.; *invocata B. Ludovici Alamandi ope* 460 f, 461 e. Mortui *duo resuscitati, patrocinante S. Thoma à Villanova* 970 d, *pro* Mortuis *habiti, ad S. Thomæ à Villanova tumulum respirantes* 980 b & seqq., 981 a & seqq., *patrocinio B. Josephi à Cupertino* 1058 f

Muti *plurimi loquendi facultatem obtinent patrocinio S. Leontii mart.* 235 c & seqq., 242 c; *alii ad tumulum B. Ludovici Alamandi* 461 a; *bilinguis à nativitate ad sacra cimelia B. Gandolphi loqui subitò incipit* 707 d; Muti *alii ibidem linguæ usum recuperant* 714 e, 725 c d, 727 a; *ad tumulum B. Petri Arbuesii mart.* 741 d e, 742 c, 743 e

N

NAtales *ii gloriosissimi, qui ex Deo sunt per gratiam & fidem* 24 a

O

OBedientia *& conformitas voluntatis cum voluntate superioris viro religioso perquàm necessaria* 1029 c & seqq. Obedientiæ *religiosæ præconia, necessitas* 1029 c & seqq., *efficacia prodigiis confirmata* 1030 a b & seqq. Obedientia *B. Rolandi de Medicis, asperas mortificationes suas pro arbitrio confessarii mitigare parati* 120 b. Obedientiam *S. Lamberti adhuc pueri prodigio remunerat Deus, dum carbones ardentes gremio excipit & illæsa veste ad S. Landoaldum perfert* 523 c d, 590 a, 604 b; *ejusdem sancti Episcopi stupendum cæcæ* Obedientiæ *exemplum* 530 a b, 575 c & seqq., 584 f, 585 a & seqq., 593 b & seqq., 607 a & seqq. Obedientia *S. Thomæ à Villanova, Valentinum episcopatum, à qua dignitate aliàs abhorrebat, ex mandato superioris cum summa animi demissione admittentis* 829 f. Obedientia *perfectissima B. Josephi à Cupertino* 1008 a b, 1029 c & seqq., 1038 b & seqq. Obedientiâ *vocatus B. Josephus à Cupertino ectasibus raptibusque mirabilibus emergit, ad reliqua omnia immotus* 1002 c, 1020 f,

f, 1021 f, 1029 f
Obligatio *regum & principum, qui populos regendos habent* 643 a
Obtritus *rhedâ puer & ex contuſione moribundus ſubitò ſanatur patrocinio S. Thomæ à Villanova* 983 a
Oculorum *incommoda, morbi ſanati. Vide* Cæcus.
Odium *peccati. Vide* Peccatum. *Quanto* Odio *vel minimum peccatum averſata ſit S. Catharina Fliſca* 163 a b c & ſeqq.
Odium *Dei in damnatis maximè horrendum: leves eorum quantacumque pœnæ & tormenta Sanctis videntur, ſi cum Dei dilectione conjungi poſſent* 831 c
Odorem *ſuavem ſpirant poſt mortem ſacra corpora Sanctorum, qui, cùm viverent, Chriſti bonus odor fuerant, bonis exemplis, vitæ innocentiâ & prædicationis miniſterio* 26 d, 588 d, 696 f, 707 c. Odorem *quemdam cæleſtem vivus adhuc conſtanter exhalat & rebus omnibus, quibus utitur, adſpirat B. Joſephus à Cupertino* 1003 b & ſeqq., 1040 b c; *ita ut etiam iis, qui illum acceſſerant, aliquo tempore adhæreat* 1003 c & ſeqq., 1011 f, *ejuſque cellæ uſque ad duodecim annos, poſtquam ab ea aberat* 1004 b, *quam ex odore illo facilè ab aliorum cellis intrantes diſcernunt* 1003 d e f, 1004 a & ſeqq.
Oleo *infectus ex inverſa lampade in feſtivitate elevationis reliquiarum S. Leontii pannus bombycinus operis Damaſceni, quo indutus ad Sacrificium pergebat ſacerdos, prodigioſè mundatus invenitur* 197 b. Oleo *lampadis, ardentis ad tumulum S. Thomæ à Villanova, varii variis malis liberantur* 979 b c
Olera *eodem die terræ inſerta creſcunt, ſemenque producunt in eſcam S. Niniano* 325 d,
Oratio. *Vide* Diſtractio.
Oratio *& jejunium certa tutela ſunt contra tentationes* 96 a. Orabat *cum tanto fervore S. Aichardus, ut in globum igneum converſus videretur, nec videri ipſe ab adſtantibus poſſet* 95 d e. Orationis *ſtudium S. Thomæ à Villanova* 877 e, 969 e, *ad res quaſcumque gerendas Deum priùs conſulentis* 876 d e, 879 d e, 689 *aliàs* 889 f, 890 a & ſeqq., 691 *aliàs* 891 a & ſeqq., 895 d e f, 914 f, 949 a b. *In* Oratione *arcana à Deo docetur* 894 a & ſeqq., 897 a. Oratio *efficaciſſima B. Joſephi à Cupertino abſentibus ſanitatem impetrat* 1000 a, *diſſidia & bella componit* ibid. b, *eſurientibus cibos obtinet* 1000 e f, *procellas depellit, pluviam obtinet* 1023 e f, *abſentem à præſenti morte liberat* 1024 a, *obtinet converſionem Frederici principis Brunſvicenſis* 1024 b & ſeqq.
Oratio *in Miſſali præſcripta contra fulgura cenſetur à B. Victore III PP. certiſſimum eſſe contra illa præſidium* 410 a
Ornamenta *altarium & ſacras veſtes cupit B. Victor III PP. eſſe nitidiſſima pretioſiſſimaque* 409 b & ſeqq., 416 b c, 417 & ſeqq., 426 b c & ſeqq., 434 a & ſeqq., *& S. Thomas à Villanova* 913 a b
Otium *omnibus & potiſſimùm Religioſis vitandum* 844 e, 864 e
Oves *plurimas turbine oppreſſas mortuaſque ad vitam revocat B. Joſephus à Cupertino* 1034 e. *Vide* Mariæ.

P

PAnis *benedictus à S. Hildegarde puellam ſpurciſſimis tentationibus liberat* 698 f
Parturientibus *varia beneficia præſtita patrocinio S. Leontii martyris* 211 & ſeqq., 239 e, 240 b & ſeqq., 247 a & ſeqq., 248 a & ſeqq.: *B. Gandolphi conf.* 707 e, 708 c, 727 c: *S. Thomæ à Villanova* 981 b, 985 d e f, 986 a & ſeqq., 992 d e: *B. Joſephi à Cupertino* 999 f, 1045 f, 1046 a, 1047 e f, 1048 a b & ſeqq., 1058 c & ſeqq.
Paſtorales *curæ & virtutes S. Thomæ à Villanova, homines, perditis moribus, ad frugem reducentis, blanditiis* 830 d e, 886 d e, 911 c, 918 e, 919 a & ſeqq., 922 b; *corporis ſui uſque ad ſanguinem coram ipſis afflictationibus* 830 d, 920 b & ſeqq., 921 d & ſeqq., 922 d, 923 a & ſeqq., 968 f; *ſeveris in contumaces animadverſionibus* 830 e, 886 e, 911 c & ſeqq., 922 a & ſeqq.; *aliis induſtriis* 830 e, 886 e, 911 b c, 915 e f, 916 a & ſeqq., 925 f, 926 a & ſeqq.; *inſtituta diœceſana ſynodo* 886 f. *Diſſidia inter conjuges orta ſummo ſtudio componit* 911 e f; *concionatores ſuos & parochos inſtruit* 912 c & ſeqq., *illos ſingulis annis ſub Quadrageſimam convocat docetque, in quæ potiſſimùm vitia unanimes invehi, qua ratione cum pœnitentibus agere debeant* ibid. e f. *Curat, ut omnis generis homines quotidie Sacro-ſancto Miſſæ Sacrificio aſſiſtere poſſint* 912 f
Paraliticus *ſanatur in tranſlatione reliquiarum S. Valeriani mart.* 28 d; *mulier, 25 annis* Paralyſi *laborans, ſubitò ſanatur ad tumulum S. Catharinæ Fliſcæ* 186 f. *Alii eo morbo liberati patrocinio B. Ludovici Alamandi* 460 e; *S. Lamberti* 559 a, 580 d, 601 b; *B. Gandolphi* 718 a; *B. Petri Arbueſii* 742 c, 745 c & ſeqq.; *S. Thomæ à Villanova* 832 e, 961 d, 970 e, 991 d e
Parentes, *qui ſanguinis vocem audiunt & vocationi liberorum obnituntur, hoſtium animæ periculoſiſſimorum loco habendi* 789 d e: *non ſunt audiendi nec conſulendi à deliberantibus de vitæ ſtatu* 842 a b
Paſſionis *Dominicæ conſideratio tantum minimi peccati horrorem generabat in S. Catharina Fliſca, ut ei exprimendo impar eſſet, & velut moribunda præ dolore corrueret* 153 f, 154 a, 159 e. Paſſionis *Dominicæ memoriâ, ita afficiebatur B. Joſephus à Cupertino, ut ad ejus mentionem in ecſtaſim raperetur* 998 b c, *ad Crucis intuitum & amplexum per* 80 *paſſuum ſpatium volaret* 1021 c
Patiendi *pro Chriſto & ſuis peccatis immenſum deſiderium S. Catharinæ Fliſcæ: inſolitus ejuſdem patiendi modus* 170 c, 171 c e f, 172 a & ſeqq.
Patientia *& conformitas admirabilis cum divina voluntate B. Joſephi à Cupertino* 1007 a, 1015 c, 1016 a, 1018 c, 1019 e f
Pauperes. *Vide* Miſericordia.
Pauperes *propriâ ſæpius tunicâ induebat S. Aper adhuc puer* 66 f, *iiſque deinde bona ſua omnia erogavit* 67 a. Pauperibus *pudibundis ſumma caritate proſpiciebat Hector Vernaccia S. Catharinæ Fliſcæ diſcipulus, ſtipendio in perpetuum legato medicis aliquot, qui illorum morbos ſine mercede curarent* 165 c & ſeqq., Pauperes *fletibus in morte ſui benefactoris ejus delicta eluunt* 497 a, 500 a. Pauperibus *& captivis conſulturus epiſcopus quidam Leodienſis, omnem eccleſiæ pretioſam ſuppellectilem divendit* 557 f. Pauperibus *agris cibos condit & miniſtrat mater S. Thomæ à Villanova* 837 a
Paupertatis *Euangelicæ perfectio, non in exteriorum rerum inopia, ſed in affectionum erga eaſdem exſtinctione conſiſtit* 995 b c. Paupertatis *amore bonis*

bonis omnibus & fortunis se abdicat S. Thomas à Villanova adhuc juvenis secularis 804 c, *nihil in proprium usum admittere cupit* 863 c, *recusat infulas episcopales oblatas* 814 d e, 829 e f, 968 e, *oblatos in academia honores & titulos* 826 a b, *ad episcopatum evectus numquam pretiosas, vix umquam novas, sed vilissimas tritasque vestes gestat & propriis manibus reficit* 831 c, 880 e f, 881 a & seqq., 938 d e f, 939 d; *ad episcopatum evectus omnes reditus in pauperes erogat* 832 b d, 938 d e f, *tantum in suos usus reservans, quantum monacho ad mensam ceteraque utensilia sufficiens videbatur* 827 d, 831 c d, *renuit induere vel comedere quidquid monacho & pauperi non conveniret* 831 c d e, 882 a b & seqq., 899 b & seqq., *desiderat ita mori, ut nihil proprium habeat* 951 a, 952 a & seqq. Paupertas *insignis B. Rolandi de Medicis* 119 b c. *B. Josephi à Cupertino* 1017 e f, 1018 f, 1028 b c d. Paupertatem *Christi imitaturus B. Josephus à Cupertino in stabulo nascitur* 1015 b

Peccatori *desperabundo visibili specie apparet Salvator, condonatque peccata & mortis horam prædicit* 166 b c

Peccatum *ejusdem malitiæ contrahit, qui alterius peccatum vel laudat, vel probat, atque pari à Deo pœna punitur* 75 c d. Peccatum *in confessione reticens præ pudore mulier, de eo revelando monetur à B. Rolando de Medicis in visione* 121 c. Peccatum *etiam leve quanti fecerit S. Catharina Fliscа* 134 b c. Peccati *malitia quanta* ibid. 146 b c & seqq., 153 f, 154 a, 163 b c & seqq.

Pecuniæ *qui non inhiat, malorum omnium originem devitat* 503 b

Pedes *invicem juxta exemplum Christi lavabant primi Christiani* 470 b

Pedum *doloribus & infirmitatibus liberantur ad tumulum S. Leontii mart.* 223 a b e f, 224 b d, 241 c, 243 a; *B. Gandolphi conf.* 717 f

Peregrinationem *suscipiens ad reliquias S. Leontii martyris pertinaci febri liberatur*, 202 c, *à variis malis sanantur alii* 206 a & seqq., 209 a & seqq., 210 a & seqq., 211 b & seqq., 212 a. *Vota* Peregrinatione *ad reliquias S. Leontii fœtus inanimis vivere incipit & baptizatur* 215 c, *aliis morbis sanantur alii* 216 c & seqq., 217 b, 219 c & seq., 220, 221, 222, 228, 230 & seqq.,

Perseverantia *in oratione necessaria est, ut, quod petimus, impetremus* 70 f.

Philosophus, *de revelationum visionumque S. Hildegardis sinceritate malè sentiens, ita cælitus edocetur, ut opibus suis Sanctæ institutum promoveat* 688 d

Phrenesi *furens, uncta oleo lampadis, ardentis ad tumbam S. Catharinæ Fliscæ, sanitati continuò restituitur* 189 e, *altera* ibid. f, *alia patrocinio S. Leontii martyris* 210 b. Phreneticis *pluribus & amentibus ratio redditur & sanitas patrocinio S. Leontii mart.* 238 b & seqq., 241 b c; *B. Ludovici Alamandi* 461 a; *S. Thomæ à Villanova* 982 c. *Furentem B. Josephus à Cupertino capillis per aëra sublatum momento sanat* 1022 d

Pleuritide *acutissima ad mortem decumbens, haustâ aquâ, quæ reliquiis S. Leontii martyris benedicta fuerat, subitò sanatur* 204 a; *eodem malo, vota peregrinatione, liberatur mulier* ibid. b, *eodem malo plurimi ejusdem Sancti patrocinio liberantur* 206 d & seqq., 208 a b f, *B. Gandolphi conf.* 727 f, *B. Josephi à Cupertino reliquiis* 1049 e

Pluvia *post diuturnam siccitatem obtinetur, instituta supplicatione invocataque ope B. Gandolphi* 726 c; *sancti Thomæ à Villanova* 990 e

Podagricus *sanatur votâ ad tumulum S. Thomæ à Villanova eleëmosynâ* 988 f

Pœnitentias *pro delictis obibant monachi ad crucem sub dio in monasterii areis positam: ejus instituti origo & ratio* 531 a & seqq.

Pœnitentia *austera & insolita B. Rolandi de Medicis* 119 c & seq. *Vide* Abstinentia, Afflictatio *corporis.*

Possessor *iniquus, luctans dudum cum morte, animam efflare nequit, antequam terram S. Editha ablatam restituerit* 371 c

Præcones *Euangelii debent non minùs exemplis privatisque exhortationibus populum instruere, quàm publicis è suggestu concionibus* 849 c d e

Prædestinationem *suam inquirentibus numquam directè respondet S. Hildegardis, licèt aliis non rarò æternam salutem, ex divinitus sibi revelatis, satis certò vaticinari videatur* 648 c, 649 e: *acriter reprehendit de hac interrogantes* 647 c & seqq.

Prægnantibus & parturientibus *patrona est S. Camella* 314 c

Promissa & *vota Sanctis facta servanda sunt, ne præsens infidelitatis pœna sentiatur* 71 a

Prophetiæ. *Vide* Vaticinia.

Providentia *singularis Dei, Ecclesiam suam tum maximo virorum fortissimorum præsidio munientis, cùm à validioribus hostibus oppugnatur* 805 c d e

Proximus. *Vide* Caritas proximi.

Prudentia. *Vide* Episcopales virtutes. Prudentiæ *effectus tres præcipui* 914 f

Puella, *Bertrudis nomine, fusco colore faciem deturpat, ne propter formæ venustatem à procis expeteretur* 698 b

Puerulus *recèns natus & moribundus, sanatur, admoto ejus pectori frusto vestis B. Josephi à Cupertino, quod deinde manibus apprehensum renuit remittere* 1048 b c

R

REligiosorum *plurimùm interest, solidas in tyrocinio virtutes comparare, comparatas reliquo vitæ cursu constanter exercere, nullaque ut levioris momenti pia exercitia omittere* 843 c d

Reliquiæ *Sanctorum immersæ vino, quo languores sanantur* 65 e f, *ad S. Gerardum allatæ* Reliquiæ *S. Mansueti & Apri viro sancto moribundo præsentem valetudinem adferunt* 66 a b, *pueri sine vita in lucem editi, jamque 20 horis à partu frigidi, attactu* Reliquiarum *S. Leontii martyris à morte tamdiu revocantur, donec per baptismum cælo nascantur* 214 e f, 215 a & seqq. Reliquiis *S. Leontii applicitum rosarium varios languores sanat. Vide* Rosarium. *Tela illis circumvoluta fit contra tumores salutifera* 217 d. *Attactu* Reliquiarum *ejusdem sancti Martyris, innumeri alii morbi sanantur* 219 a & seqq., 220 a & seqq., 221 a & seqq., 230 a & seqq. Reliquiæ *S. Euphemiæ mart., multis post mortem seculis, prodigioso sanguine fluunt* 256 b, 275 c, & *suavissimum odorem spirant* ibid.; *illas frustra comburere nituntur Persæ* 158 c & seqq., 275 b; *eædem à Leone Isaurico projectæ in mare aquis supernatant, inveniuntur, prodigiosè probantur, vectoresque à naufragio præservant* 276 e & seqq. *Pars pepli S. Ludmillæ, in probam sanctitatis*

tatis ejus igni injecta ab episcopo, non comburitur 353 d e, *ejusdem Sanctæ corpus inventum incorruptum* 362 c. *Monachus, S. Edithæ* Reliquias *furari meditans, sacrum corpus ferro lædit, quod ex vulnere sanguinem stillat* 371 a b, *& muliere temerè partem vittæ præcidere tentante, caput erigit* ibid. *Corpus S. Juii, positum in altari S. Edithæ, nulla vi inde avelli potest* ibid. *S. Edithæ corpus se erigit in tumulo, spectante Canuto rege ejusque sanctitatem negante* ibid. b. *Velum, quo S. Lamberti episc.* Reliquiæ *tegebantur, ab imbribus nivibusque immune manet* 556 b. *Ejusdem Sancti* Reliquiæ *in castra Leodiensium allatæ mira alacritate illos, stupendâ hostes impotentiâ afficiunt* 560 b c & seqq. *: horum ducem amentiâ & omnium membrorum impotentiâ percellunt* ibid. c, *& ad castelli deditionem cogunt* ibid. f, 561 e & seqq. *: loculum, quo servabantur, ligneum inter atroces flammas totiusque templi incendium, fusis exterioribus laminis metallinis, servant illæsum* 563 d. *Corpus S. Landradæ virginis prodigiosè translatum* 596 b & seqq., 611 a & seqq. Reliquiæ *B. Gandolphi, latæ ad ægros, pluribus præsentem medelam adferunt* 726 c d. *Corpus S. Ferreoli martyris inventum integrum* 762 a. *Corpus S. Thomæ à Villanova post 27 à morte annos repertum integrum & suavè olens* 958 d e. *B. Josephi à Cupertino* Reliquiæ *varias mirabiles sanationes operantur* 1049 a & seqq.

Renum *dolores subitò sublati, invocato B. Josephi à Cupertino patrocinio* 1059 c

Restitutio. *Vide* Bona ecclesiis ablata.

Revelationes. *Vide* Illustrationes divinæ, visiones, Arcana. Revelationes *suas S. Hildegardis dudum abscondere nititur præ verecundia, timore & humilitate* 631 f, 632 a & seqq. Revelationes *suas scribere cælitus jubetur* 632 f, 680 c & seqq. Revelationes *mirabiles S. Hildegardis adhuc trimulæ* 631 e, *quinquennis* ibid. *&* 680 a; *per vitam reliquam*, ibid. f, 632 a & seqq. *Cælitus docetur Scripturam sacram* 633 b, 690 b. Revelationes *visionesque aliæ ejusdem Sanctæ* 633 a & seqq., 634 a & seqq., 639 a & seqq., 640 a & seqq., 641 c, 644 a & seqq., 645 & seqq., 655 c & seqq., 663 c, 680 b, 688 & seqq., 689 a & seqq., 695 e. Revelationum *S. Hildegardis sinceritatem cælitus edocetur philosophus, qui eas exploserat* 688 d

Rheumata *sublata, invocata B. Gandolphi ope* 718 d

Rosarium, *consecratum attactu reliquiarum S. Leontii martyris, parturientibus levamento est* 211 b f: *ulcus fœtidissimum sanat* 216 a

Rotâ *molariâ triti. Vide* Submersi.

S

SAcerdos *imprudens, nec satis doctus sacram Scripturam, turpiter à dæmone luditur, vexatur, & obsidetur* 71 c d e Sacerdotum *munia & obligatio, monente S. Hildegarde* 650 a c, 652 d & seqq., 653 a

Sacramentum *SS. corporis & sanguinis Jesu Christi. Vide* Communio, Eucharistia, Missæ sacrificium.

Sacramentorum *frequentem usum commendat vehementer B. Josephus à Cupertino, ut certissimum contra tentationes præsidium* 1025 c

Sanationes *prodigiosæ. Vide* Gangræna, Hydropisis *& similia morborum variorum nomina.*

Sanctorum *consortia colloquiaque singulari studio quærebat S. Aper atque à singulis singularem virtutem, quâ maximè excellebant, discere & imitari satagebat* 67 a

Sanctis *peculiaribus sæpe peculiaris morbi cujusdam medela à Deo reservatur, hinc alii cæcitate curanda, alii aliis sanandis morbis celebres sunt* 70 f

Sanguinis *fluxu liberatur mulier, applicatis umbilico scriptis verbis, quæ illi S. Hildegardis submiserat* 691 e: *alia, admotis capiti reliquiis S. Thomæ à Villanova* 986 c. *Alia admota sepulcro B. Josephi à Cupertino* 1049 b. Sanguinis *profluvia sistuntur patrocinante S. Leontio martyre* 208 c e; *B. Gandolpho conf.* 707 f, 708 c, 716 a. *A vomitu* Sanguinis *curatur mulier, patrocinio S. Thomæ à Villanova* 961 c. Sanguis *B. Petri Arbuesii, quem impii homicidæ Judæi fuderant, concretus primùm, effervescit prodigiosè, dum sacrum Sancti corpus sepelitur* 735 c & seqq., *atque iterum diu postea* 736 e f.

Schismatici *sunt, qui summo Pontifici, Christi in terris vicario, debitam obedientiam negant* 452 b & seqq., 506 a & seqq. *Illis æterna salus frustra speratur, nisi resipiscant*, ibid. d

Scientiam *divinitus haurit B. Josephus à Cupertino* 1001 c d & seqq., 1002 a & seqq., 1011 e f, 1030 e f

Scripturæ *sacræ studium & scientia sacerdotibus maximè necessaria est, tum ut seipsos adversùs diaboli fraudes tueantur, tum ut populum doceant* 71 c d e

Scirrho *multis annis cruciata mulier ad templum, ut postulârat, celebrante B. Josepho à Cupertino delata, subitò sanatur* 1007 b c

Segnities. *Vide* Tepiditas.

Sigillum *sacramenti Pœnitentiæ sacrilegè infractum* 894 c: *horrenda mala inde secuta* ibid. d: *ex eo convictum homicidii & capitis damnatum, quòd judicibus crimen ex sola confessione Sacramentali notum esset, prudentissimè liberat S. Thomas à Villanova* 896 c d e. Sigillum *confessionis quàm sanctè servandum* 895 b c. *Nulla sunt omnis notitia, actusque judiciales ex ejus infractione profecti* 896 c d

Signa *in cælis spectantur in morte S. Hildegardis* 696 f

Silentium *religiosum tyrocinii tempore, tam scrupulosè servat S. Thomas à Villanova, ut non nisi interrogatus umquam loquatur* 842 d

Simoniaci *contractus de venditione reliquiarum & similium, à sanctis etiam viris olim usitati fuerunt. Videntur excusandi ex bona fide* 516 b e

Simplicitas *miranda S. Satyri laudatur à S. Ambrosio* 502 e & seqq., 506 c d. *Vide* Verecundia.

Sobrietas *in victu S. Thomæ à Villanova* 829 d e

Solitudinis *amor S. Thomæ à Villanova* 906 f *in* Solitudinem *annis postremis vitæ suæ recedit S. Rodingus, ut à curis regiminis & rebus omnibus aliis liber, sibi & Deo vacet* 516 d e

Status vitæ. *Vide* Parentes, Consanguinei. *De* Statu *vitæ deliberans S. Thomas à Villanova jejuniis, assiduis orationibus, frequentissimisque eleëmosynis Deum sibi propitium reddit* 841 b.

Sterilis *prolem & fœcunditatem obtinet, patrocinio S. Leontii martyris* 213 e; *S. Reginaldi eremitæ* 627 f, 628 a b; *B. Gandolphi conf.* 707 e

Strumæ *sanatæ ad tumulum S. Leontii mart.* 225 b; *B. Gandolphi ope implorata* 715 b; *S. Thomæ à Villanova patrocinio* 989 b c

Submersi *penè aquis præservantur, invocato S. Leontii mart. patrocinio* 225 c f, 226 c & seqq., 227 a b, 245 d & seqq., *S. Hildegardis virg.*

698 d; *S. Ferreoli mart.* 762 e; *S. Thomæ à Villanova* 970 e, 992 d; *B. Josephi à Cupertino* 1059 b

Superiores *severitatem & correptiones mansuetudine mitigare debent* 644 f, 645 f, 653 d & seq. Superiores *debent compati inferiorum defectibus & severam auctoritatem caritate temperare* 826 e, 862 b, 1024 f, *constitutionum antiquarum observantiam urgere, potiùs quàm novitates inducere, quæ plerumque per se ipsas corruunt* 861 c, 862 c, 915 a; *subditos, etiam delinquentes amare, solas in illis culpas odisse* 862 e, 924 e & seqq. *Severitas nimia* Superiorum *erga inferiores acriter reprehensa à S. Hildegarde* 644 f. Superioribus *maximè necessariæ virtutes sunt patientia, tolerantia & mansuetudo* ibid. *Rectæ gubernandi rationi valde contrarium est, faciles delatoribus aures præbere & præcipitanter procedere* 914 f, 924 e f

Surdi *plurimi sanantur ad tumbam S. Orannæ* 116 b c; S. Leontii *patrocinio* 235 c & seqq., 241 f; *ad tumulum B. Ludovici Alamandi* 461 a, *B. Gandolphi conf.* 707 f, 712 b c d

T

TAbellæ *votivæ & anathemata, ut impetrati beneficii testimonia, gratissima sunt Deo & Sanctis* 203 a & seq.; *plurimi talia voventes febribus aliisque morbis liberantur* ibid. & 221 e

Tædium *regiminis & pusillanimitas vitia sunt valde periculosa in superioribus* 646 f, 647 a & seqq., 649 c

Tela *applicita reliquiis S. Leontii fit contra tumores manuum salutifera* 217 d

Tentationes. *Vide* Dæmonis.

Tentatione *molestâ liberatur monialis à S. Hildegarde* 696 d. Tentationibus *carnis vehementibus pulsata puella quædam, gustato pane, quem S. Hildegardis benedixerat, impuri ardoris igne liberatur* 691 d. Tentationibus *vexantur probi & Sancti ad humilitatem in illis conservandam* 164 f, 623 c & seqq., 688 a & seqq., 689 a, 695 f, 995 c & seqq., 997 c d, 1017 c, 1019 e f, 1041 a b. *Arma, quibus Sancti adversùs eas usi sunt, timor Dei, sui diffidentia & corporis macerationes* ibid. & 164 f, 623 c & seqq., *frequens Sacramentorum usus* 1025 c

Tepiditas & *segnities in Dei servitio oritur ex tepido hominum & exiguo in illum amore* 154 d e

Theologicas *quæstiones etiam abstrusissimas, ex divina utique revelatione, dissolvit S. Hildegardis* 655 c & seqq.,

Timor *Domini etiam Sanctis maximè utilis & necessarius* 646 e

Tumores *corporis & membrorum varii sanati patrocinio S. Leontii martyris* 217 c & seqq., *S. Hildegarde afflictos signante S. Crucis signo* 691 b; *opitulante B. Gandolpho* 708 d, 709 a; *S. Thoma à Villanova* 989 f, 990 a b; *admotis B. Josephi à Cupertino prodigiosis reliquiis* 1053 d e f, 1054 a

Tumulum *S. Ludmillæ nocturna lux prodigiosè illustrat* 350 a, *aliàs* d

Tyranni *feerociores sunt feris, quæ Martyres venerantur, dum illi prodigiis & earum lenitate magis effervescunt in furorem* 35 d e f

V

VAticinia *S. Hildegardis* 639 e, 640 a b, 641 c, 644 a, 646 c, 650 d & seqq., 652 c & seqq., 696 e, 697 f, 698 a; *B. Gandolphi conf.* 706 a c; *S. Thomæ à Villanova* 855 a & seqq., 856 a & seqq.; *B. Josephi à Cupertino* 998 a b, 1007 c d, 1018 c, 1031 c d e, 1032 f, 1033 a & seqq., 1042 b

Ubera *arida lacte manant, admotis floribus de sepulcro S. Thomæ à Villanova* 970 e, 979 e f

Veneficia *sublata patrocinio S. Leontii mart.* 23 b e & seqq., 237 a & seqq., 240 f, 241 a

Venustas. *Vide* Puella.

Verba *impudica signa sunt animi impuri* 502 f

Verecundia *insignis S. Satyri, mulieres, sanguine etiam proximas, aspicere non sustinentis, laudatur à S. Ambrosio* 502 f, 506 e

Vertigines *capitis patientibus peculiaris patrona est S. Oranna* 117 d e

Viatici *sacri in extremis percipiendi facultas obtinetur patrocinio S. Leontii martyris* 209 d e, 210 b

Victoriæ *patrocinante S. Lamberto episc. obtentæ* 561 b & seqq., 564 b

Vinctorum *libertatem, quam à præside exorare non potuerat S. Aper episc., cum ingenti prodigio à Deo impetrat, ipseque inexorabilis judex in asperitatis pœnam malo dæmone vexatur* 67 f

Vindicta *divina de interfectoribus S. Lamberti episc.* 579 e f, 616 d

Vindicta. *Vide* Defensio.

Vinum, *ex sanctarum reliquiarum attactu salutiferum, languores sanat* 65 e f. Vinum, *quo B. Gandolphi conf. sacrum corpus lotum fuerat, flores germinat sospitatrices multis ægrotis* 710 e; *mutatur in oleum* ibid. b

Virginibus *à paupertate periclitantibus, summâ curâ succurrit S. Thomas à Villanova* 804 c; *illis ex patrimonio xenodochium condit* ibid. 829 c

Virginitatem *in conjugio servavit S. Richardis imperatrix, eamdemque, adulterii nequissimè accusata, traditur probâsse per ignem illibatam* 796 d & seqq.

Virtus *vera tam est ex se amabilis, ut, qui eâ ornati sunt, etiam inimicis amabiles reddat* 868 c

Virtutes *episcopales S. Lamberti episc. mart.* 576 f, 583 e, 586 d & seqq., 605 d & seqq.; *S. Thomæ à Villanova* 815 c. Virtutum & *pietatis exercitia non omittenda propter alia quæcumque negotia* 845 d, 847 b c

Visiones *S. Hildegardis. Vide* Revelationes.

Visione *angelorum septem ultimis vitæ continuis diebus recreatur S. Catharina Fliscа* 172 b

Vita *bona, præclaris virtutibus ornata, majus signum est sanctitatis, quàm innumera patrata miracula* 67 e

Ulceribus *pestilentibus, seu cute & carbunculis sanantur plurimi, ipsis de cælo patrocinante B. Rolando de Medicis* 121 c & seqq., Ulceribus *plurimis aspersa mulier sanatur ad sepulcrum S. Catharinæ Fliscæ, ita ut, quoties sacras reliquias veneratura accederet, toties ulcus unum dispareret* 193 e f. Ulcera *plurima sanantur attactu reliquiarum S. Leontii martyris* 216 a & seqq., 217 a b c, 218 e, 223 a, 224 c, 242 a; *patrocinante B. Gandolpho conf.* 718 e f; *S. Thoma à Villanova* 961 d, 970 e

Voluntatis *nostræ cum divina conformitas, solum remedium est acquirendæ constantis quietis* 168 f, *mi-*

miranda ex hac tranquillitas animi S. Catharinæ Fliscæ 169 a b & seqq.
Voluptates *terrenæ & mundanæ sectatoribus suis solatium conferre non possunt* 133 a & seqq., 152 c & seqq.
Vota *Religiosa, ad episcopatum evectus S. Thomas à Villanova, quantum licuit, & maximè paupertatem scrupulosissimè servavit* 827 b d
Votum *ex mortifero morbo decumbens fecit comes quidam Cabilonensis S. Vincentio martyri & illico sanatus est* 16 e. Votum *sanctæ Orannæ factum non solventibus aures sanguine fluunt* 116 d. *Deo Sanctisque* Vota *gratissima sunt, utpote, quæ passim magna beneficia consequuntur* 203 a & seqq., 205 a & seqq., 206 b, 207 a & seqq., 209 a & seqq., *non impleta, pœnam exigunt* 209 f. *Alia ex* Votis *beneficia* 210 a, 211 b & seqq., 212 a, 216 c & seqq., 217 a, 218 f, 219 a & seqq., 232 a & seqq., 460 a & seqq., 707 a, 708 a & seqq., 979 c e, 980 b & seqq., 981 e f, 982 a & seqq. Votum *B. Josepho à Cupertino factum, prodigiosè sanatus, non solvens, rursus malo corripitur, quo iterum liberatur, adimpleto* Voto 1052 a b c d
Vulnera *incurabilia sanantur patrocinio S. Leontii mart.* 224 a e, 228 b c d, 229 b f, 231 a & seq., 241 c, 244 b

X

XEnodochium *ex patrimonio erigit & dotat S. Thomas à Villanova: eò quotquot ægroti confluunt, & sancti Præsulis auxilium implorant, sanitatem recuperant* 840 c, 841 c

Z

ZElus *animarum S. Thomæ à Villanova, plurimos discipulos ad apostolicos labores erudientis & in Indiam mittentis* 811 e f, 812 a & seqq., 866 a b & seqq., *ad Maurorum conversionem summâ curâ adspirantis* 912 a b


ERRATA SIC CORRIGENDA.


Paginâ 9 num. 24 lin. 12 Rogatianum-*lege*-Rogationum.
Pag. 42 *num.* 7 *lin.* 9 Anabarza-*l*-Anazarba.
Pag. 67 *num.* 5 *lin.* 7 proter-*l*-propter.
Pag. 116 *num.* 7 *ad instrumentum, ibi recitatum lin.* 8 & 9, *adde hanc observationem:* In hoc Instrumento vitiosè exscriptus est annus MCDLXXXVIII, aut malè additum nomen Sixti Papæ, cùm Sixtus IV obierit anno 1484, quo fortè conscriptum erit instrumentum, factaque corporum visitatio, aut etiam citiùs.
Pag. 124 *lin.* 8 arbitrio-*lege*-arbitro.
Pag. 136 *lin.* 9 Eucharistæ-*l*-Eucharistiæ.
Pag. 172 *num.* 97 *lin.* 3 ob-*l*-ab.
Pag. 201 *num.* 33 *lin.* 26 pricipalis-*l*-principalis.
Pag. 211 *num.* 105 *lin.* 16 uteris-*l*-uteri.
Pag. 243 *num.* 338 *lin.* 8 MDLXV-*l*-MDCLXV.
Pag. 255 *num.* 16 *lin.* 20 anno 405-*l*-305.
Pag. 258 *num.* 32 *lin.* 12 ullum-*l*-ultum.
Pag. 290 *num.* 19 *lin.* 26 Auctorum-*l*-Actorum.
Pag. 295 *num.* 12 *lin.* XI enim-*l*-etenim.
Pag. 310 *num.* 1 *lin.* 29 Kalendis-*l*-Kalendas.
Pag. 318 *num.* 4 *lin.* 22 audiantur-*l*-audiatur.
Pag. 325 *num.* 34 *lin.* 26 mutui-*l*-mortui.
Pag. 333 *col.* 2 *lin.* 13 puplicato-*l*-publicato.
Pag. 337 *num.* 3 *lin.* 5 Paceços-*l*-Paços.
Pag. 339 *num.* 1 *lin.* 10 strenuæ-*l*-strenua.
Pag. 373 *num.* 2 *lin.* 7 num. 15-*l*-num. 115.
Pag. 382 *num.* 44 *in margine* quam revera-*l*-nuptias revera.
Pag. 388 *num.* 79 *lin* 9 Italia-*l*-Italiæ.
Pag. 432 *lit.* h *lin.* 4 auro Romanis-*l*-auro corruptis Romanis.
Pag. 437 *num.* 8 *lin.* XI Joanne Jacobo-*l*-Joanne Josepho.
Pag. 463 c *post* SS. Maximi & Theodoti *lin.* 3 quibuscum-*l*-quacum.
Pag. 472 *num.* 12 *lin.* 12 sareinam-*l*-sarcinam.
Pag. 486 *num.* 10 *lin.* 16 altero-*l*-alteri.
Pag. 503 *num.* 16 *lin.* 5 minoris-*l*-muneris.
Pag. 522 *num.* 23 *lin.* 7 Mauricii-*l*-Heraclii.
Ibid. col. 2 *lin.* 6 tomus I Maii pag. 25 & 26-*l*-tomus IV Maii pag. 35 & 36
Pag. 552 *col.* 2 *lin.* XI ab-*l*-ad.
Pag. 569 *lin.* 2 anno Christi 1158-*l*-1168.
Pag. 570 *num.* 295 *lin.* 13 Wederico-*l*-Wiberto.
Pag. 581 *lit.* f *lin.* 3 Deinde alio titulo-*l*-Deinde sine alio titulo.
Pag. 604 *num.* 9 *lin.* 2 excusisset-*l*-excussisset.
Pag. 628 d *in margine* MIII-*l*-MCIII.
Pag. 680 *num.* 4 *lin* 2 Satagaret-*l*-satageret.
Pag. 700 *num.* XI *lin.* 22 provolutis-*l*-provoluti.
Pag. 710 *num.* 39 *lin.* 2 sit-*l*-fit.
Pag. 714 *lit.* k *lin.* 2 Cephaleditanæ-*l*-Cephaleditana.
Pag. 729 *num.* 5 *lin.* 3 Missa-*l*-Missam.
Pag. 731 *num.* 19 *lin.* XI annus 1663 pro 1673-*l*-annus 1463 pro 1473.
Pag. 750 *num.* 117 *lin.* 4 & 5 *post illa* in regno Aragoniæ-*adde*-occisus est.
Pag. 756 b *post voces* Henani aut Enani *impressum est* in Hispania-*l*-in Hibernia.
Pag. 781 *num.* 6 *lin.* 22 successorum-*l*-successorem.
Ibid. lin. 23 Leovaldum-*l*-Leodevaldum.
Pag. 805 *num.* 34 *lin.* 9, 1588-*l*-1488.
Pag. 830 *lin.* 2 phalerorum-*l*-phalerarum.
Pag. 860 d *in margine* alique-*l*-aliique
Pag. 867 *num.* 155 *lin.* 16 defectui-*l*-defectum.
Pag. 877 *col.* 2 *lin.* 4 in quo-*l*-in qua.
Pag. 880 *num.* 220 *lin.* 7 antistites-*l*-antistes.
Pag. 885 *num.* 242 *lin.* 4 magnam religionem -*l*-ob magnam religionem.
Pag. 886 *num.* 251 *lin.* 3 dœcesanam-*l*-diœcesanam.
Pag. 912 *num.* 379 *lin.* XI fugens-*l*-fungens.
Pag. 917 *num.* 401 *lin.* 2 virtutem-*l*-virtutum.
Pag. 918 *col.* 2 *lin.* 2 danationis-*l*-damnationis.
Pag. 974 *num.* 89 *lin.* 22 danret-*l*-daret.
Pag. 984 *num.* 46 *lin.* 6 esset-*l*-esse.
Pag. 992 *num.* 1 *lin.* 4 die XVIII Septembris-*l*-die XVIII vel XIX Septembris.
Pag. 999 *num.* 39 *lin.* 21 principis-*l*-principes.
Pag. 1004 *col.* 2 *lin.* 8 conversaturum-*l*-conservaturum.
Pag. 1015 *num.* 5 *lin.* 14 pannis-*l*-panis.
Pag. 1019 *lit.* g *lin.* 31 Vitæ-*l*-Vita.
Pag. 1021 *num.* 30 *lin.* 9 oram-*l*-coram.
Pag. 1041 *num.* 114 *lin* XI umquam-*l*-numquam.
Pag. 1047 *num.* 3 *lin.* 18 crederet-*l*-cederet.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

FINIS.

T I N I S





Sicnt.ª Top.ª
Est.
Tab.
Nim.

Div. 15.
Volumen. 42.

BOLLANDUS
ACTA
SANCTORUM

SEPTEMBRIS
TOM. V.

380
926